






Ex
Bibliothecâ
Pet. Auth.
S. Martini
Pastoris.


sanctorum. Sap.
plenitudine Sanctorum detentio mea. Eccli. 24
ACTA SANCTORVM
MARTII
A IOANNE BOLLANDO S.I.
colligi feliciter cœpta.
A GODEFRIDO HENSCHENIO
ET DANIELE PAPEBROCHIO
eiusdem Societatis Iesu
aucta, digesta & illustrata.
TOMVS II.
præmittitur Martyrologiorum antiquorum ordo ac
genuino Martyrologio Bedæ ex VIII MSS. accepto,
Lugdun. ad illud supplemento ex III. Subiunguntur
Græca intra diem IX et XIX mensis digesta.
Richard. Collin sculp.
ANTVERPIÆ, APVD IACOBVM MEVRSIVM. ANNO M. DC. LXVIII.



EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO CARDINALI BARBERINO

S.R.E. VICECANCELLARIO,
OSTIENSI EPISCOPO
ET SACRI COLLEGII DECANO.



CVr ſtudiorum noſtrorum fructum aliquem EMINENTIÆ TVÆ veniamus oblatum, nihil attinet multis præfari; dum ſolus nominis TVI titulus in memoriam facit venire cauſſas, quibus perſuadentur plerique Patrocinium TVVM ſuis libris expetere. Quis enim in his vel modicè verſatus ignorat, eruditorum virorum Mecœnatem perpetuum & eſſe TE & vulgò haberi? Enumerent igitur alij longo ordine, ſi poſſint, quàm multos eorum ad ſcribendum, vel fortunæ implicitos anguſtijs expediueris, vel incitaueris præ virium ſuarum diffidentiâ cunctabundos, vel ad illa quæ ſcripſerant typis mandanda ære, conſilio, auctoritate adiuueris. Pro Lucâ Holſtenio, inter EMINENTIÆ TVÆ apprecationes fauſtas noſtraque extrema obſequia religioſiſsimè pariter & placidiſsimè defuncto, poſthumæ tot lucubrationes loquantur; quas moroſa ſedulitas hominis ſtudioſiſsimi, conceptos fœtus vſque & vſque polire cupientis, ad extre-

mum vitæ ſuppreſsit articulum ; vt eſſet in quo TVA erga demortuum amicum caritas illuſtriùs effulgeret. Quid TIBI debeat eiuſdem Holſtenij in Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodiâ ſucceſſor Allatius, ob eam lucem quam rebus, libris, ritibus Græcorum Eccleſiaſticis maximam intulit meritò celeberrimus, ipſe prædicet. Idem explicet Hiſtoriographus noſtræ Societatis Poſsinus, oſtentans Georgium illum Pachymerem, quem VRBANI VIII, imò TVO, beneficio rediuiuum & iam Latinè loqui edoctum, miramur Regiâ fulgere maieſtate, nullaque in re concedere prioribus Hiſtoriæ Byzantinæ ex Luparæ Pariſinæ Typographia Scriptoribus. Hæc illi, & innumeri alij his ſimilia de ſe ſuiſque laboribus teſtentur; nouimus nos quæ & quanta TVÆ EMINENTIÆ debeamus, & verò etiam non parcè profitemur. Ad ſingulos menſis huius Martij dies, quoties de Martyribus ſermo incidit, ſacrorum de illis faſtorum teſtimonia ſanè frequentiſsima ſumpſimus à MSS. melioris notæ exemplaribus, ex TVA nobis Bibliothecâ tranſcriptis. Ijſdem Codicibus vſi ſumus in reſtituendo, & ab alienis additionibus ſecernendo, genuino Bedæ Presbyteri Martyrologio, tamdiu deſiderato ac tandem reperto. Ad nutum TVVM exhibitum eſt nobis probatiſsimum Eccleſiæ Græcæ Menologium Baſilij Imperatoris iuſſu collectum: quod alterâ ſui parte, inter Vaticanarum antiquitatum rariora, vitâ quodammodò immortali fruens; alterâ, quam maximè requirebamus, deliteſcebat in monaſterio Cryptæ-ferratæ, ignobili ſepultum obliuione. Tibi denique variorum Sanctorum Acta,

inedita

inedita hactenus, lucem referent acceptam, quam à nobis præſenti in opere ſperare poſſunt, ex membranis Tvis communicata. Præ ceteris autem, quos nominare per alios anni menſes poſſemus, ſpectabilis hoc in Martio prodit Appianus, Benedictino Ordini (cuius Eminentia Tva Protector eſt) poſt vnius alteriuſúe ſeculi præſcriptionem ex Tvo MS. reſtitutus; & ſuo cucullo glorioſior multò quàm Pontificijs infulis; quibus velut Afrorum Antiſtitum vnum poſteri non ſui onerauerant; ſuſpicati Reliquias ignoti ſibi aliàs Sancti, vnà cum D. Auguſtini corpore, è Sardiniâ Ticinum fuiſſe aduectas à Longobardorum Rege Luitprando. Socius Appiano, menſe hoc eodem, Otho iungitur, Arianenſium Protector atque Patronus ſanctiſsimus; *Qui meam*, inquit ipſe Benedictus, *Regulam optimè conſeruauit*; vtique hac verâ laude commendabilior, quàm vaticinijs, per imposturam aniſtorias atque ignorantiæ pleniſsimam eidem affictis, interque cellæ parietinas abditis, vt velut diuino conſeruata repertaque beneficio, Clero & Populo Arianenſi perſuaderent, ab Arâ Iani factum eſſe vrbi ſuæ nomen, Punicorum bellorum temporibus antiquius. His duobus Conciliatoribus oblationem noſtram fieri poſſe Eminentiæ Tvæ acceptiorem credimus, quâ ſic rependimus debitæ obſequium gratitudinis, vt in eadem, veteres duos Benedictinæ Profeſsionis Cælites; Te Patrono craſsiſsimis tenebris euolutos, nouos Tibi faciamus eſſe Clientes. De Diui Benedicti Actis miraculiſque, hoc eodem in Martio per conquiſita vndique monumenta multipliciter

 illuſtratis

illustratis & auctis; quid dicemus? Sufficit eum vel nominasse, vt ea, quam occupat ipse, anni sacri pars, hisce explicata Tomis, gratiam inueniat apud TE; ad monasteria autem amplissimi Ordinis, accessum facilem. Horum per Italiam vniuersam Abbates, in Comitijs generalibus Parmæ collecti anno MDCLXI, postquam litteræ TVÆ, operis nostri commendatrices, prælectæ ijs sunt, illud quàm studiosissimè promouendum decreuerunt, excussis vbique archiuiorum monumentis, & quantum in se fuit præstitêre non pauci. Restat vt eorum ijsdem in monasterijs Successores, TVO quoque nutu de horum librorum editione iam absolutâ admoniti, expetere & legere factos incipiant, quos priores isti laudauerunt faciendos. Quod si fiat, & exemplarium impendio minimè leui excusorum distractio succedat feliciter, tam apud ipsos quàm alios quoscumque librorum amantes, TVI respectu ad simile desiderium prouocatos; nouo EMINENTIA TVA nos SIBI obstrinxerit beneficio. Animato enim per hoc Typographo, vt librariæ rei, quondam in florenti Belgio florentissimæ, nunc miserè cum eodem prostratæ, præsentibus angustijs non obstantibus, porrò audeat vrgere tam sumptuosam vastissimi operis impressionem, quam adeò cordi TIBI esse intellexerit; animabimur etiam nos ipsi vehementer, ne ad eiusdem absolutionem promouendam vlli studio laborique parcamus. Hoc autem dum faciemus alacriter, non obliuiscemur votorum pro TVA totiusque BARBERINÆ DOMVS incolumitate mittendorum ad eum, qui in Sanctis suis glorificandus, pro tot

 eorum

eorum exuuijs, aris, templis, per TE TVOSQVE eruderatis, instauratis, ornatis; Actis vnà cum hoc opere insigniter promotis, ceterarumque virtutum TVARVM præclaris meritis, æternam TIBI inter ipsos mansionem, post longos felicis vitæ annos, & dare potest, & daturus certò sperari debet, Iudex omnium, & benè factorum Remunerator æquissimus. Ita vouebamus Antuerpiæ VI Idus Nouembris anno MDCLXVII.

EMINENTIÆ TVÆ

Deuotissimi clientes

GODEFRIDVS HENSCHENIVS,
DANIEL PAPEBROCHIVS.

FACVLTAS SVPERIORVM ET SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CVm Acta Sanctorum mensis Martij, à Ioanne Bollando S. I. colligi feliciter cœpta; aucta porrò, digesta, & illustrata à Godefrido Henschenio & Daniele Papebrochio, eiusdem Societatis IESV, tres dictæ Societatis Theologi legerint, opusque laboriosum & eruditum ac luce publicâ dignum iudicarint. Egó infrascriptus Societatis præfatæ per Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi factâ ab Admodùm Reuerendo Patre Nostro Ioanne Paulo Oliua Præposito Generali, concedo Iacobo Meursio, Typographo Antuerpiensi, facultatem eadem Acta excudendi.

Cùmque sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto cautum sit, ne qui libri à Societate IESV conscripti, in prouincijs Romano Imperio subiectis, excudantur aût venales proponantur absque eiusdem Societatis consensu; hisce declaro eumdem Typographum isto priuilegio legitimè frui. In quorum fidem hisce officij mei sigillo munitis manu meâ subscripsi. Bruxellis XXVIII Octobris CIƆ IƆC LXVII.

Ægidius vander Beke.

APPROBATIO CENSORIS.

INfrascriptus fidem facio me legisse Acta Sanctorum mensis Martij, à R. P. Ioanne Bollando S. I. colligi feliciter cœpta, & à RR. PP. Godefrido Henschenio & Daniele Papebrochio Societatis eiusdem aucta, digesta & illustrata, opus tribus tomis comprehensum, olim per Summos Pontifices à primis Ecclesię incunabulis desideratum, atque Apostolicis Notarijs demandatum, & tractu temporis varijs hæreticorum nebulis seu tempestatibus obscuratum, ALEXANDRI VII. P. M. felicis recordationis insigni encomio approbatum, Eminentissimorum Cardinalium, Illustrissimorum ac Reuerendissimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, omniumque ferè Ordinum Generalium, ac doctissimorum Virorum applausu commendatum; in quo prudens eruditio antiqua reducit, & simplex veritas obscura reuelat; typis dignissimum censeo: quia nihil quod fidei orthodoxæ aduersetur, sed multa scitu necessaria deducit & reuelat. In quorum fidem hisce subscripsi. Antuerpiæ VII Septembris. Anno Domini MDCLXVII.

Aubertus Vanden Eede I. V. L Protonot. Apostolicus, Canon. & Archidiac. Antuerp. Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CAROLVS Dei gratiâ Hispaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis Acta Sanctorum mensis Martij, auctoribus Ioanne Bollando, Godefrido Henschenio, & Daniele Papebrochio Societatis IESV Sacerdotibus edita, præter voluntatem Iacobi Meursij proximis nouem annis vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa in has nostræ Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaliaue habeat: qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ V Octobris anni MDCLXVII.

Signat

LOVENS.

IN TOMVM SECVNDVM

DE ACTIS SANCTORVM

MENSIS MARTII

PRÆFATIO

AD REVERENDOS ADMODVM DOMINOS

AC RELIGIOSISSIMOS PATRES

PRÆPOSITVM

ET PRESBYTEROS

CONGREGATIONIS ORATORII

S. MARIÆ IN VALLICELLA

SECVNDVM INSTITVTIONEM S. PHILIPPI NERII

IN VRBE ROMA.



QVàm efficacis, etiam ad posteros, exempli fuerit amicitiæ intimæ necessitudo, mutuis crebrisque obsequiis culta, inter sanctissimos Congregationis Vestræ nostræque Societatis Fundatores, PHILIPPVM atque IGNATIVM; multis procùl positis, alieno contigit relatu audire; nobis reipsâ quoque experiri, cum fructu haud sanè minori quàm voluptate. Summâ quippe voluntate Vestrâ etiam ad secretiora Bibliothecæ Vallicellanæ scrinia inuitati atque introducti, toto illo, quo Romæ substitimus, nouem mensium spatio, nusquam sumus quàm inter vos suauiùs, familiariùs, frequentiùs conuersati. Cùm scilicet eâdem quâ domestici libertate permittebamur euoluere atque scrutari, quidquid sacrorum vtrâque in linguâ monumentorum Illustrissimi Cæsaris Baronij diligentia aliorumque eius successorum sagacitas congregauerat vndique conquisitum. Neque inspicere tantùm licebat cuncta: sed & transcribere, & ab aliis transcribenda efferre, per Vestram erga nos indulgentiam profectò maximam & omnino singularem, quæcumque instruendis & locupletandis Sanctorum Actis profutura iudicabamus. Itaque quamuis PONTIFICIS MAXIMI & imperium secuti & fauore adiuti, nulla almæ Vrbis archiuia, Bibliothecas nullas indiscussas reliquerimus; copiosior tamen apud Vos, quàm alibi vspiam collecta nobis messis est: quia alibi ferè, vt hospites in alieno, versabamur; inter codices autem Vestros, vt fratres ac familiares, in proprio.

Interim oculis nequaquàm incuriosis eximia quoque præclarissimarum virtutum considerantes exempla, quorum non modò odor vrbem atque Italiam suauissimè perfundit, sed & fama latè trans Alpes cognita celebratur, alterum ex Vobis nihiloque minoris æstimandum cepimus fructum; vnde non tam nouis

luminibus illuſtraretur intellectus, quàm acribus ſtimulis excitaretur voluntas ad veſtrarum laudum amorem imitationemque in nobis aliiſque deſiderandam, crebràque ac gratâ commemoratione promouendam; per quæcumque loca iter redeuntibus in Belgium fuit. Etenim cùm Adm. R.P. Hieronymi Barnabæi tunc Præpoſiti veſtri blanda caritas, omnibus quibus poterat modis foueret ſubleuaretque labores noſtros, Sanctorum cauſsâ ſuſceptos, ab ipſoque ſanctiſſimo Domino ſibi non perfunctoriè commendatos; cùm Odorici Rainaldi erudita ſenectus, Pauli Aringhi diligentia ſolers, Pauli Frigerij ingenioſa pietas, Franciſci Marcheſij labor indefeſſus, noſtris libentiſſimè impenderent vſibus, multiplicem illam magnamque eruditionem & experientiam, quam ille in digerendis Annalibus eccleſiaſticis & ad noſtra vſque tempora perducendis, alter in perſcrutandis ſubterraneæ Romæ anfractibus ac cœmeteriorum ſacrorum latebris, tertius in deſcribendis D. Thomæ Aquinatis atque Catharinæ Senenſis geſtis, quartus in ordinandis cognoſcendiſque domeſticæ Bibliothecæ manuſcriptis impreſſiſque voluminibus per annos multos acquiſiuerant; cùm denique omnium, promptorum docere & viciſſim diſcere cupientium, effunderet ſeſe erga nos humanitas tanta, quantam nec à Fratribus fas fuerat expectare; incurrebant in oculos virtutes illæ omnes, quibus vel inter vos coniuncti viuitis ſuauiſſimè, vel Societatis noſtræ pro Deo atque Eccleſiâ ſuſceptos toto orbe labores æſtimatis abſque inuidiâ, & relatis exinde fructibus ornamentiſque gaudetis vt propriis; vel ad proximorum ſalutem in templo, in oratorio, in priuato domi foriſque congreſſu vtiliſſimè occupamini; vel denique conſulitis poſteritati, piis eruditiſque lucubrationibus inſiſtentes.

Quibus de rebus cùm hebdomadatim ferè perſcriberemus aliquid ad ſtudiorum noſtrorum auctorem moderatoremque p. m. Ioannem Bollandum, non potuit ſe continere candidiſſima illa & erga benefactores gratiſſima anima, quin affectum ſuum teſtaretur per litteras, & quantum ſe Vobis debere agnoſceret, orbi vniuerſo declarandum promitteret; nuncupato Vobis eorum tomorum vno, qui proximè collecta pro menſe Martio Sanctorum Acta in publicum lucem daturi eſſent. Meminiſtis ipſi quo animorum veſtrorum gaudio, quantâ cum approbatione vniuerſorum in Congregatione lecta & audita fuerit epiſtola illa: nos certè iucundiſſimo experimento cognouimus, quo loco apud vos eſſet Bollandi nomen. Quamuis enim à primo noſtro aduentu in Vrbem eo nos eſſetis affectu complexi, cui neque promptitudinis neque efficaciæ aliquid adiici poſſet; exinde tamen Vos ipſos quodammodò affectumque illum priorem videbamini velle ſuperare obſequij impenſi ſuauitate & tenerrimi cuiuſdam amoris blanditijs. Neque contenti omnia nobis peruia apertaque feciſſe, ipſis prope manibus humeriſque ſubuehere certabatis aſcenſuros ad bibliothecam; nec finem faciebatis circumſpiciendi anxieque requirendi, num quid auxilij vel ſolatij poſſetis adferre nobis inter Vos ſtudentibus reſque noſtras agentibus. Cùm verò ad inuſitata iſtiuſmodi obſeruantiæ teſtimonia erubeſcentes, aliquando modeſtè reluctaremur, hoc vnum reponebatis, Vos Bollandum, de Eccleſiâ Catholicâ, de Sanctorum gloriâ, de totâ re litterariâ tam præclarè meritum venerari in nobis, eique impenſa putare obſequia quæ nobis exhiberetis. Vtique eodem ferè reſponſo vtentes, quo ſimili anteà in cauſsâ occurreratis verecundiæ noſtræ: cùm veſtra erga nos ſtudia collaudare & collaudando incitare dignatus eſſet, ea ſe beneficia in nobis recepiſſe recepturumque profeſſus, Adm. R. P. Ioannes Paulus Oliua, quem tunc temporis Veſtrum omnium nominabatis Patrem, & modò Societas noſtra Præpoſitum habet Generalem. Huius igitur, quem iam nominauimus, Patris vtrimque communis, filij; iſtius, quem ſuprà diximus, tam cari Vobis

æſtimati-

æſtimatique tunc adiutores & ſocij, nunc in relictâ, heu dolor! laborioſi operis parte longè maximâ, & congeſtorum ad id vndique monumentorum locupleti inſtrumento hæredes ac ſucceſſores; contractum vtriuſque nomine debitum poſt mortem quoque ſponſoris alterius ex vtriuſque voluntate exoluimus: & hunc ſecundum Martij tomum offerimus eò libentiùs, quòd S. Gregorij Acta ille contineat. Etenim cùm in huius egregij Doctoris nomen conſecratum ſit auguſtum illud templum, quod auſpicijs Gregorij XIII circa annum MDLXXVII à fundamentis in Vallicellâ ſurrexit, ad ſacras inibi conciones quater in die habendas, aliaſque pias functiones obeundas, à quibus tantus in populum fructus, tantus in Congregationem veſtram ſplendor profluit: cumque præcipuâ ſolennitate eiuſdem Sancti feſtum recolatis vt Patroni, poſt Virginem Deiparam, ipſius loci præſidem antiquiorem, aſſumpti: omnino conuenit, ea Acta Vobis inſcribi potiſſimùm, ſtudijs illuſtrata noſtris, quorum lectio præ ceteris opportuna futura eſt vſibus veſtris.

Quoniam autem tum præſentes verbis, tum abſentes litteris ſæpè eſtis hortati, vt antiquorum Martyrologiorum, quorum tanta eſſet apud nos collecta copia, quantam diebus ſingulis adducimus ad confirmandum vetuſtum Sanctorum Martyrum cultum, quantamque vix credibili ſit humanâ potuiſſe diligentiâ cumulari; quoniam, inquam inſtitiſtis ſemper, vt eorũ ſyntagma aliquod vulgaremus, quale Heribertus Roſweydus è paucis, quæ tunc ad manus eius venerant, poſt edita duodecim tomis Sanctorum Acta, ſperari iuſſerat in operis à ſe cogitati ideâ, Sanctorum Faſtis ab eodem præfixâ; noluimus irritas eſſe ſuaſiones, precibus amicis intermixtas: ſed voluntati Veſtræ decreuimus obſequi, & tale quidpiam huic ipſi Tomo Vobis offerendo præmittere; quo vice ceterorum tantiſper frueremini, dum vaſti operis laborioſa moles lentâ progreſſione tendit ad finem, poſteris dumtaxat noſtris ſperandum. Etenim vt omnino id facere decerneremus effecerunt nouiſſimæ adhortationes veſtræ, R. P. Franciſco L'hermite Prouinciæ noſtræ nuper ad Vrbem miſſo Procuratori, & nunc huius Domus Antuerpienſis Præpoſito, commendatæ: qui Româ redux ſignificauit, nihil Vobis æquè in votis eſſe, quàm iſtud à nobis accipere ante omnia confectum: quo abſoluendi ſerò operis deſiderium laturos Vos leuiùs, & lucem non exiguam adferẽdam putatis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ tota iuris facta eſt veſtri per eximios Cardinalis Baronij Annales, magno ſtudio atque labore & continuatos à Vobis, & recenſeri, ſuppleri atque emendari cœptos ex iis monumentis, quæ plurima Eminentiſſimi auctoris fugiſſe diligentiam tam non eſt mirum, quàm curioſiſſimo huic ſeculo eſt gratulandum, paullatim è tenebris eruta eſſe & quotidie erui noua atque noua.

Videbatur quidem principio aut impoſſibile eſſe omnino, aut difficile admodùm, nec niſi cum magno operis potioris impedimento ſperandum, quod exigebamur officium; cùm nihil hoc in genere perfectum, nihil eruditis oculis veſtris, nihil lucubrationibus noſtris prioribus dignũ iudicaremus nos poſſe circa Martyrologia polliceri, priuſquàm de Sanctis omnibus ſinguliſque, quorum iſtis ſunt inſcripta nomina, haberemus conſtitutum, quid poſſet extrema, quâ vtimur, diligentia conſequi, circa locum, genus & tempus vitæ ac paſsionis ipſorum. Poſtquàm tamen rem omnem introſpeximus penitius, & per varia, quæ manu vel typis expreſſa habemus, ſacrorum faſtorum genera circumtulimus oculos; non vidimus quid magnopere nunc quidem poſſetis deſiderare, præter genuinum Bedæ opuſculum, & quæ Flori Lugdunenſis labore in eo dicuntur accreuiſſe, ipſaque tum inter ſe, tum ab externis incertorum auctorum additamentis diſtincta habere. Nam Hieronymianum Martyrologium, cuius nunc demum

quatuor in Italiâ, Germaniâ, Franciâ Belgioq; inuenta sunt exemplaria antiquissima, in quibus nostrum ante annos ferè mille exaratum, accuratissimâ singulorum ad inuicem factâ collatione recens habetis excusum Lucæ; & illustratum operâ Ioannis Mariæ Florentinij, viri eruditissimi & nobis amicissimi: Rabani atque Notkeri scripta pridem ex originalibus monasterij S. Galli membranis vulgauit Henrici Canisij sedulitas, antiquarum Lectionum Tomo 6, Vsuardi Martyrologium, cuius autographum in proprio S. Germani de Pratis monasterio Parisiis extat, ex ipso quidem fonte non accepit Molanus; tam multa tamen habuit eiusdem ecgrapha, vt licet nulla eorum essent ab additionum multarum farragine libera, non tamen vsquequaque difficile ei fuerit ipsis inter se collatis probabiliter discernere genuina ab adiectitijs; & illud, quantùm hac viâ licuit, proximè ad natiuam puritatem adductum exhibere. Adonis denique Viennensis fastos, quos Treuirensi Adoni perperam attributos Lipomannus & Mosander ediderant, auctori suo vindicauit, & multipliciter ex fide variorum MSS. emendatos vulgauit noster Heribertus Rosvveydus.

At verò cùm Bedæ & Flori commentarijs plurimùm vsos se esse Ado & Vsuardus profiteantur; de Rabano verò iusta videri suspicio debeat, etsi aliud nullum suppeteret argumentum, quòd ipse quoq; Bedæ Martyrologium habuerit auxeritq; hæc, inquã, cùm ita essent, nõ abs re iudicauimus magnam esse posse eruditis viris caussam, purum & genuinum Bedam requirendi: eoque inuento, nec non Floro qui Bedam inter & Vsuardum atque Adonem medius intercessit, nullum ex Latinis auctoribus superfuturum, qui quidem scripsisse Martyrologium aliquod nominatim sciretur, cuius quemquam mouere desiderium deberet. Quid igitur illud, quod Bedæ nomine & inter illius opera & seorsim excusum reperitur, sæpe à Baronio, sæpè à magni auctoribus citatum? Nempe quemadmodùm de alijs quibusdam Martyrologijs notauit Molanus, *ea Hieronymi dici à primo apud Latinos auctore, sicut dictionaria quantumcumque aucta & castigata Calepini nomen retinent*: pari nec aliâ ratione illud, quod veriùs dici Adonis potuerat, nouerint omnes appellari Bedæ, quia pulchriores ex ipsisque Sanctorum Actis solidè traductos lapides primus ille in huius fabricæ fundamentum locarit. Hos autem ab alijs, per quoscumque & quomodocumque superadditis, tantò maius erit operæ pretium habere discretos, formæq; & ordini pristino restitutos, quantò est Venerabili Bedæ, propter ætatis prærogatiuam & eximiam in sacris historijs perscrutandis diligentiam, supra omnes alios auctoritas maior.

Id porrò quâ ratione nos assecutos putemus antequàm aggredimur explicare, Deum Cælitesque precamur, vt quæ à vobis in nos collata sunt beneficia, non tantùm in hoc opere nostro ad memoriam posteritatis perennent, dum suis quæque locis collocata legentur, quæ vestris ex Codicibus transcripsimus monumenta: sed etiam vt eadem à benefactorum omnium remuneratore Deo ijs compensentur gratiæ exundantis fauoribus, per quos sanctitatis atque doctrinæ ornamentis maioribus cumuletur indies Congregatio vestra, donec pariter omnes in cælestis regni societate iungamur, nullo vmquam tempore separandi. Interim quod cœpistis promouere opus benè faciendo præsentibus, prosequimini absentibus benè precando: vt egregia Ioannis Bollandi cogitata & ipsi possimus constanter subsequi, & alij post nos valeant exequi feliciter vsque ad finem.

MARTY-

MARTYROLOGIVM
VEN. BEDÆ PRESBYTERI
ex octo antiquis MSS. acceptum,
CVM AVCTARIO FLORI
ex trium codicum collatione discreto.
Accedunt additiones ac supplementa
ex prædictis omnibus MSS. collecta.

PROLOGVS NOSTER.

B

Post acta Martyrum ab Eusebio Cæsar. collecta,



1 COllegisse Eusebium Cæsareensem vno pluribusue voluminibus Gesta Martyrum, vel illustriorum vel omnium quorum passiones sacrorum librorum exterminio superstites potuit in Actis Proconsularibus aliisue monumentis reperire, satis constat, & est à nobis in Prolegomenis ad tom. I Ianuarij cap. I § 3 demonstratum. Idémne eorumdem Martyrum synopsim aliquam breuem confecerit, quæ sola Sanctorum nomina & certaminis locum exhiberet per totius anni circulum digesta (quam quia Latinam fecerit Hieronymus, ideò sub vtriusque nomine communiter ab auctoribus Eusebij & Hieronymi martyrologium censeatur) an verò Hieronymus ipse ductu suo consilioque ita digesserit nomina, tum eorum quorum Acta Eusebius anteà collegerat, tum aliorum quotquot aliunde cognoscere potuit, qui quo die essent Christi fidem professi; maluimus cap. 4 § 4 indecisum relinquere, idoneis in alterutram partem probationibus destituti: quamuis in posteriorem multò magis propenderemus sententiam. Satis est pro certo habere nos, quòd cùm Ecclesiæ singulæ, præter Dominicas festiuitates & Apostolorum natales dies, omnibus vbique Christianis communiter venerabiles, haberent inscriptos fastis suis natales Martyrum, apud se vel in vicinis locis pro Christi fide interemptorum; primus Eusebius vel Hieronymus fuerit, qui ex eiusmodi fastis vndecumque conquisitis excerpta nomina in vnum colligens, Catholicum, vt ita loquar, Martyrologium excogitarit: quo Romanam Ecclesiam, velut omnium communem Matrem, vsam esse tempore Gregorij Magni, & hunc eius meminisse in Epistolâ ad Eulogium, probabiliter admodùm dici posse existimamus.

Hieronymus martyrologium scripsit,

C

continens sola ferè nomina & locum passionis:

quod quia minus aptè fuit ecclesiarū vsui,

2 Verùm, cùm in hoc Martyrologio solæ ferè haberentur appellationes Martyrū & locorū, quæ illi suis triumphis illustrauerant, & eæ quidem persæpe barbaræ, accidit necessariò vt transcripta exemplaria per librariorum socordiam pluribus replerentur mendis, nec tantùm in aliam formam detorqueretur vocabula tam varia, sed etiam omissis quandoque, quandoque transpositis regionum & ciuitatum designationibus, vel diuellerentur, ab inuicem, qui fuerant coniungendi; vel coniungerentur, in locis toto cælo diuersissimis passi. Quod cùm rei suâ breuitate obscuræ multam pareret confusionem, credi cœpit ecclesiastico vsui parū idonea tam hiulca & fastidiosa lectio; neque alibi tantùm, sed etiam Romæ maluerunt Ecclesiæ variæ antiquos suos fastos, vbi vacui erant aut iusto numero destituti, implere paucorum & magis sibi cognitorum nominibus ex Martyrologio Hieronymiano aut vicinarum Ecclesiarum tabulis; vt essent qui diebus singulis sub Officium diuinum inuocarentur, nec tamen ignotorum locorum Sanctorumque prolixa commemoratio tædium ingereret lecturis audituris que.

E

varij varia concinnarunt, proprios fastos ex ipso supplentes,

3 Huiusmodi sunt antiquissima duo monasteriorum Richenouiensis prope Constantiam & Rinouiensis in Heluetiâ martyrologia, Casinensis Bibliothecæ vnum: tum quod primo loco nominatum oportuerat Vetus Romanum, sic à Rosweido nostro nuncupatum, quia Ado Martyrologium suum compositurus ipsumque in capite sui operis collocaturus profitetur, Româ Aquileiam cuidam sancto Episcopo directum fuisse à Romano Pontifice, se autem eodem apud Rauennam transcripto vehementer adiutum. Quod idém modicè auctum cùm nobis ex antiquissimis membranis transcriptum communicaret Lucas Dacherius, Romano-gallicum intitulauerat: olim autem etiam Coloniæ in ecclesiâ S. Mariæ ad Gradus legi solitum, probari potest per illius ecgraphum inde transmissum à Ioanne Gamansio nostro ex alicuius Carthusiani schedis: nisi potiùs noua hæc dici compilatio debeat ex priori illo & alio posteriori. Fuerunt etiam ecclesiæ, quibus satis fuit nudus Hieronymiani Martyrologij contextus, ad pauciores Sanctos cōtractus: & tale Martyrologium alterum Casini reperimus, vti etiam peruetustum & huic simillimum Romæ in Ducis Altaempsij celeberrimâ bibliothecâ. Similiter ex solo Hieronymi labore accepta sunt Augustanum S. Vdalrici, Treuirense paruum S. Maximini, Corbeiense à prænominato Lucâ Dacherio nobis ex perquàm antiquo Codice datum, & alterum quod Philippi Labbei nostri beneficio accepimus: non æquali omnia breuitate, nec fideli semper contractione, ob eam quam suprà explicuimus caussam.

vel ipsum ad pauciora nomina contrahentes.

F

Beda primus cœpit compendia historica addere,

4 Talibus iisque tam variis cùm passim Ecclesiæ per Italiam & Gallias vterentur, & fortè etiam per Britanniam Germaniamque, licet aliæ integrum Hieronymi opus vtcumque conseruarent, sicut è superstitibus hactenus exemplaribus liquet; VEN. BEDÆ incidit cogitatio, ad Calēdariū ecclesiasticū, cui præcisè inscriptæ erant Christi Domini, Apostolorū & præcipuorū aliquot Martyrum solennitates, nouos aliquos addere, quorum erat memorabilior passio; iisque aptare prolixiora quædam elogia, præter locum & nomen, etiam tempus genusque passionis indicatura, verbis ab ipsorum Actorum, quæ quidem nancisci potuerat, contextu acceptis; atque ita paulatim implere omnes Kalendarum dies. Iamque ad nonaginta eiusmodi encomia per totum anni circulum distributa habebat: dies aliquos

A aliquos solâ occupabant nomina eorum, quibus addere quidpiam vel tamquàm abunde cognitis noluit, vel non potuit, Actis necdum vt sperarat repertis. Ceterorum supra centum ac sexaginta prorsus adhuc vacabat locus, cùm opus futurum ecclesijs omnibus acceptissimum, tanti viri mors præcidit, anno DCCXXXIV obita. Atque hæc ita ferè sese habere, multò etiam priùs quàm genuinum Bedæ opusculum inuenissemus, certò constabat nobis ex Adone & Vsuardo: quorum prior paullò pòst oportuniùs adducetur in testē, cùm ad Flori auctarium peruenerit sermo; posterioris in prologo hæc verba sunt: *Venerabilium Hieronymi ac Bedæ Presbyterorum pijs, quamuis succinctis, super hoc prouocabar descriptis: quorum prior breuitati studens, alter verò quamplures dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis prætermisisse necessaria.*

sed imperfectum opus reliquit:

5 Hoc indicio tam certo claroque excitati, numquàm potuimus spem abiicere inueniendi aliquando, quod vel omnino periisse, vel inter adscita aliunde additamenta prorsus ignotum delitescere credebant alij. Inuenimus autem aliquando tandem speratum thesaurum, dum *Serenissimæ Reginæ Sueciæ Christinæ* Codices MSS. quos ipsa per Belgium transeunte plerosque

cuius fragmentum inter MSS. Reg. Sueciæ repertum,

B videramus, iteratâ Romæ scrutamur diligentiâ, ne qua fortè antiqua in iis membrana ex aliquo præclaro opere reliqua, quam minimè neglectam oportuisset, manus nostras effugeret. Et ecce Martyrologij cuiusdam fragmentum, à die XI Kal. Septembris, vsque ad anni finem sese oculis exhibuit, tale prorsus quale semper quæsiueramus, vacuis magnâ parte diebus, ante annos plusquàm octingentos descriptum in Galliâ: prout manifestum faciebat, tum characteris ipsius forma, tum quidā in Galliâ celebres Sancti & translationum dies locis circiter sedecim adscripti, antiquâ quidem sed multùm diuersâ manu; tum denique primâ in paginâ ad diem VI Kalendas Septembris lecta, *Bituricas dedicatio ecclesiæ S. Sulpitij Confessoris:* eiusmodi enim dedicationum memoria annue recolenda, præsertim vnica, alicui Martyrologio adnotata, indubitatū facit indiciū eius ecclesiæ, ad cuius vsus ipsum descriptū est. Porrò quò certiùs crederemus Bedæ esse quod inueneramus, obsignabantur omnia consuetâ illâ antiquis formulâ: *Explicit Martyrologium Bedæ Presbyteri.*

olim Ecclesiæ Bituricensi scriptum,

6 Ingens profectò gaudium, sed mœrore non modico temperatum, quamdiu prior & potior pars deficiebat: non enim tam nobis quàm posteris nostris, postremos anni menses elaboraturis, videbamur repe-

eius integrè adipiscendi spem fecit:

C risse hoc pretiosum margaritum; ac ne illis quidem plenè facturum satis, nisi vnius aut plurium manuscriptorum consensu constitisset, nihil ei vel detractum vel additum fuisse à transcribentibus præter ea quæ suâ se diuersitate prodebant. Animos tamen pars vna addidit, & longè certiùs iussit confidere, reperiendum alicubi, quod aliquando fuisse asseruatum indubitatâ iam prorsus fide ipsaque oculorum experientiâ tenebamus. Nec verò ea nos spes fefellit: Diuionem enim in Burgundiâ appulsos Amplissimi Senatoris Bouherij bibliotheca excepit, & magnum aliquid expectare iussit ex codicibus MSS. numero sumptuque ingenti collectis, quos tanti suus fecerat dominus, vt præter ornatissimos pluteos, cæli iniuriis & pulueribus prorsus excludendis comparatos, obduxerit singulis, pro vili ac carioso quo eatenùs operti sorduerant corio, holosericum nigri coloris tegumentum, eo fine vt si boni libri ignota vtilitas non satis arceret imperitorum manus, ex antiquis istiusmodi membranis illiberalia commoda sectantes; operculi saltem dignitas admoneret, maius eorum pretium futurum apud intellecturos, si venderentur integræ ad æstimationem liberalem, quàm si apud salsamentarios ac bibliopegos diuulsæ ad libram æstimarentur.

quod tandē contigit Diuione:

7 Inter hos igitur, mole minimus, æstimatione nostrâ longè maximus fuit libellus titulū nequaquàm fallacem præferens: *Incipit martyrologium Bedæ Presbyteri feliciter.* Erat enim antiquâ manu sed geminâ characterum formâ conscriptus: & quamuis dies vix vllos exhiberet vacuos alicuius Sancti vel nomine vel elogio, apparebat tamen etiam primò aspicientibus non de nihilo esse, quod maioribus alia, alia minoribus litterulis, nec à capite lineæ vt priora, sed introrsùm paulò incipientibus, essent descripta. Quare ad fragmentum Româ deportatum, & præ ceteris chartis quocumque pergeremus sollicitè hanc in spem circumlatum, recurrimus; inuenimusque quatuor illos Regij fragmenti menses iisdem prorsus verbis, & apice vix vllo mutato, conuenire per omnia cum iis, quæ in hoc integro martyrologio paullùm grandiori charactere legebantur notata: quæ verò minusculis litterulis scripta essent, vniuersa priori MS. deesse. Vnde nullus relinquebatur dubitandi locus, quin per reliquū mensium præcedentium decursum similis obseruata distinctio, certò exhiberet indicio, quid in iis Bedæ, quid alterius posterioris esset auctoris. D

vbi quæ Beda erant charactere notabantur

ab additionibus diuerso.

8 Et hunc quidem auctorem tunc coniectauimus ipsum æquè ignoratum hactenus Florum esse, talemque secuti coniecturam aliquoties in hisce tomis, cùm esset citandum Diuionense supplementum, subambiguè nominauimus *Florum, aut quemcumque alium additi ad Bedam supplementi auctorem.* Verùm vt mox apparebit nullam in isto supplemento partem Florus habuit: quippe breue admodùm atque ieiunum, cuique proinde non conueniat quod scribit in prologo Vsuardus, se volentem *sacras atque anniuersariè recolendas Sanctorum festiuitates ex quibusdam Patrum martyrologiis in quamdam recolligere vnitatem,* & succinctam Hieronymi breuitatem, atque hiulcam Bedæ defectuositatem declinare, *censuisse sibi sequenda esse Flori memorabilis viri latiora in hoc ipso negotio vestigia, præsertim in secundo libro: ibi enim multa quæ in priore omiserat & correxit & addidit.* Quæ autem sint ista Flori latiora vestigia intelligere quadamtenus ex Adone licebit, circa idem quo Vsuardus scribebat tempus suum quoque martyrologium moliente *ex imperio ac iussione sanctorum virorum, vt supplerentur dies qui absque nominibus Martyrum in martyrologio (quod Venerabilis Flori studio in labore Domni Bedæ accreuerat) tantùm notati erant.* E

quas Flori non esse ex eo apparet,

quod hic Bedæ stylū tenuerit in elogijs texēdis,

9 Creuerat igitur studio Flori Bedæ Venerabilis imperfectum opusculum: non sic tamen quin multi adhuc dies absque nominibus Martyrum notati restarent in martyrologio, cùm primùm scribere aggressus est Ado: creuerat autem talibus qualia scripserat Beda elogijs, itaque auctum semel iterumque secuturus Vsuardus, *latiora Flori vestigia* decreuit premere. Nō quòd æquè prolixa vellet elogia texere (est enim in his multò quàm Beda & Florus succinctior Vsuardus) sed quòd Bedam à Floro quadamtenus dilatatum, nec vnius dumtaxat Sancti, vt ferè solet genuinus textus, sed plurium quandoque Sanctorum vno die elogia numerantem, imitari vellet per omnes anni totius dies. Quod vt faceret vniformi quadam ratione, nec ecclesiasticis vsibus inutile fieret nimiæ prolixitatis opus, contrahenda sibi proposuit elogia quæ essent in Bedâ ac Floro prolixiora quàm vt eiusmodi plura simul cōmodè legi possent in choro: nec omnia assumenda, sed pro arbitratu seligenda aptiora, omissis non paucis, cùm alios Sanctos potiori iure nominandos credidit. F

prout declarat Vsuardus.

10 Hic est ille Florus, de quo anno DCCCXLII metricum Kalendarium scripturus Wandelbertus, Prumiensis in Treuirensi diœcesi monachus (vt est ante Ianuarium in Prolegom. cap. 4 § 8 demonstratum) mortuus anno DCCCLV loquitur in suâ ad Otricū præfatione vbi dicit: *Ope & subsidio præcipuè vsus tum sancti & nominatissimi Flori, Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi: qui vt nostro* (inquit) *tempore reuerà singulari studio & assiduitate in diuinæ Scripturæ scientiâ pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copiâ & veritate cognoscitur abundare.*

Fuit Florus vir doctissimus,

Sanè

& Vsuardo atque Adone senior,

A Sanè quo minùs hic ille sit quem quærimus, non prohibet Vsuardi martyrologium post Flori ad Bedam additiones scriptum. Illud enim non *Carolo Magno Imperatori*, vt ante nos alij censuerunt; sed *Domino Regum piissimo Carolo inscripsit* Vsuardus, vt ex ipso Parisiensis autographi titulo apparet; Carolo vtique Caluo, Magni nepoti, anno DCCCXL regnare exorso, iamque vltra decimum sextum annum regnanti. Quid enim aliud esse caussæ dicemus, cur sanctus Viennæ Episcopus Ado, creatus DCCCLV, & simili supplendi martyrologij studio ductus, nusquam meminerit Vsuardi: qui debuerat fuisse totis Gallijs notissimus, si Caroli Magni iussu scripsisset opus ecclesijs communiter proponendum, prout Caroli Regis commendatione propositum fuisse, & verò etiam receptum communiùs Vsuardi martyrologium res ipsa declarat?

coæuus Rabano:

11 Quia autem nec Adonem nominat Vsuardus, cogimur credere eodem ferè vtrumque scripsisse tempore, nec quidquam alterum sciuisse de altero: vtrumque etiam nihil sciuisse de Rabano, qui, vt ante Vitam eius IV Februarij elucidatam § 6 & seqq. deduximus, anno DCCCX Fuldensi celeberrimæ scholæ præfectus, ab anno DCCCXV egregijs cœpit scriptis clarescere, ijsque nomen suum illustrauit vsque ad annum DCCCXLVII, quo electus est Moguntinus Archiepiscopus: qui proinde coæuus Floro, tunc cùm hic Bedam B supplere conabatur in Franciâ, simile cogitatum non suscepit tantùm sed plenè absoluit in Germaniâ. Huius porrò Martyrologium cùm inter antiquas Henrici Canisij lectiones excusum haberetur, & aliorum quos diximus duorum satis vulgò nota opuscula essent; inuento sic vt præfatum est Bedâ, restabat Flori auctarium requirere, quale est suprà indicatum. Peruoluimus igitur MSS. omnia martyrologia, quæ quidem Bedæ nomen vel stylum referrent: ac primùm inuenimus tria nos habere ex Vrbe adducta, quæ singula integrum Bedam (sed modicè auctum, & quoad vacuos dies suppletum) tam fideliter exhibuerunt, vt omnino persuaderemur in plerisque Romanis basilicis, abrogato Hieronymiani Martyrologij vsu; & illo, quod Aquileiensi Episcopo à Pontifice missum suprà monuimus, fortassis non nisi in Laterano alijsque paucis ecclesijs recepto; ita probatum alijs Bedam fuisse, vt eo conuenienter aucto vtendum plures sibi putauerint, vsque dum Vsuardus visus est ecclesiasticis vsibus accommodatior.

Flori additiones frustra requisitæ

in quatuor Bedæ exemplaribus MSS.

12 Sunt autem tria hæc, primum Ecclesiæ S. Petri in Vaticano, quod hactenus in archiuio ibidem seruatum, indidem transcribi fecimus: alterum monasterij S. Cyriaci in Thermis, quod vnicè commendauit adhibuitque Baronius in recensendo digerendoque Romano Martyrologio, quodque ex Vallicellanâ Patrum Oratorij bibliothecâ acceptum, pridem ad nos misit studiorum nostrorum æstimator fautorque sincerissimus, ideq; Eminentissimus S.R.E. Cardinalis Petrus Aloysius Caraffa. Tertium ex Eminentissimi Francisci Cardinalis Barbarini instructissimâ à codicibus MSS. bibliothecâ accepimus, acephalum illud quidem, vsque ad Idus Martias &, quantum ex *Translatione S. Benedicti* IV Idus Septembris inscriptâ alijsque indicijs colligere licuit, ex aliquo Benedictino in Galliâ monasterio Romam aduectum; sed optimæ fidei; neque ita temerè mendoseque aut parcè, vt priora duo, sed fideliùs prolixiusque suppletum, partim ex Hieronymiano Martyrologio, partim ex proprijs diœceseon Gallicanarum fastis. Verùm neque in vllo horum potuimus Florum deprehendere, neque in vetustissimo præclaroque Reginæ Sueciæ MS. quod quanti fecerit vir eruditissimus Lucas Holstenius, declarant ipsius ad Romanum Martyrologium Animaduersa, hinc ferè accepta & post illius mortem typis vulgata. In hoc tamen etiam Bedam agnouimus, sed elogijs sæpè contractioribus: quare nec vtendum illo putauimus in recensendo Bedâ, neque additiones illius vel supplementa D ad Bedam referenda hoc loco, sicut aliorum trium additiones & supplementa retulimus; tum vt ipsa hic collecta extarent essentque ad manum, vnà cum additionibus supplementisque Diuionensibus; tum vt suâ quoad Bedæ textum concordiâ summâ, in ceteris verò discrepantiâ maximâ, fidem nostram in genuino Bedâ asserendo probarent.

ad quæ Bedā Diuionensem cōtulimus,

in tribus aliis exēplaribus inuenimus,

13 Eumdem fructum cùm tria Belgica Martyrologia MSS. & ipsa Bedam penè integrum exhibentia, nobis ex se pollicerentur, placuit ex ipsis quoque additiones & supplementa colligere, quamuis prolixitate suâ præ ceteris auctura viderentur huius præliminaris opusculi molem. Et ecce alibi frustrà quæsitum Florum, in eorumdem consensu tam manifestè cognouimus, suo ipsum prodente stylo diffusiori & Bedæ in elogijs simillimo; vt minimè dubitandum videretur, quin manibus eum teneremus, istic saltem vbi duo eorum consensissent. Quod tamen quia minùs euidens erat in nudis Martyrum commemorationibus (quamuis tales quoque ab hoc Bedæ imitatore ad eius exemplum nonnullis fastorũ locis adscriptos sit admodùm verosimile) abstinuimus ab eius nomine iisdem adscribendo: istic autẽ vbi vel ad eorumdem Sanctorum nomina, quæ nuda reperit apud Bedam, aliquam passio- E nis aut virtutis præcipuæ commendationem adiecit; vel recens à se inscriptorum Cælitum compendiariam offerebat notitiam, incunctanter iudicauimus auctorem exprimendum. Cuius priórne an posterior libellus ad eorum peruenerit manus, qui ista compilauêre ad vsum Ecclesiæ S. Mariæ Atrebatensis & monasteriorum S. Martini Tornacensis & S. Lamberti Lætiensis (hinc enim illa accepimus, & bis à Floro auctum esse Bedam testatur Vsuardus) non est nobis promptũ diuinare: quia necdũ vllum alibi Bedæ inuenimus auctariũ, isto, quod sub Flori nomine sumus daturi, simile quidem sed imperfectius aut perfectius, vnde iudicari possit quid primis curis, quid secundis fuerit elaboratum. Sunt autem prioris quidem generis ad nominatos à Bedâ Sanctos additamenta, quæ Flori censuimus, paullò plùs quàm triginta: posterioris, id est eorum quæ integrè Flori esse putauimus, supra centum, charactere medio à nobis distinguenda.

& ab aliis additionibus ex mutuo eorum cōsensu discreuimus,

Excusũ sub Bedæ nomine Martyrol. ex Adone sumptũ est:

14 Sed redeamus ad Bedam, sub cuius nomine excusum Martyrologium quàm falsò ipsum auctorem referat, illicò cognoscet qui vel primos illius dies conferre cum Adone voluerit. Inueniet enim eosdem ferè & eodem ordine vtrobique Sanctos, quorum elogia partim prolixiora compilator contraxit, partim deficientia aut breuiora de suo auxit vel adiecit: quos F verò supra Adonem circa finem adscripsit huic martyrologio, eos maiori ex parte à Rabano sumpsit, alios aliunde accepit, nullo habito ad Bedam respectu: cuius ætate posteriores Sanctos annis ducentis trecentisque non dubitauit adsciscere. Nec maiori iure Bedæ dici potest Ordinarium Leodiense: vtpote ex Bedâ & Adone, contractis vtriusque ad pauciora verba elogijs, manifestò conflatum. Ita Bedæ quoque Martyrologio vsus est pro Treuirensi Ecclesiâ, quisquis illi Sanctorum fastos, quorum habemus exemplar MS. composuit. Prædicti Adonis synchronus fuit B. Notkerus, monasterij S. Galli monachus anno Christi DCCCCLXX, quando Ado eidem monasterio communicauit Reliquias S. Desiderij Episcopi & Martyris Viennensis X Kal. Iunij recolendi; quemadmodùm ipse ad dictum diem testatur in suo Martyrologio, quod videtur Adonis exemplo scripsisse, integra sæpè elogia ex eo verbotenus accipiens: mortuus anno DCCCCXII, vti clarè demonstrabimus mense Aprili ad diem eius natalem. Præter Adonis Martyrologium (cuius exemplar credibile est ipsummet Sangallensibus misisse) habuit etiam Notkerus præ oculis Martyrologium Rabani, de quo supra egimus, & eo etiam pluri-

quo Adone etiam vsus Notkerus, Synchronus,

vsus etiam Rabano minus peruulgato

A plurimùm vsus est, adeò vt videri possit vnum è duobus conficere voluisse, quamquàm illud Rabani non videatur publico alicuius Ecclesiæ vsu fuisse receptũ: si enim vspiam, in Fuldensi profectò receptum fuisset, in quâ scholarum Præfectũ aut Abbatem agebat ille cùm scriberet. Atqui visa est hæc alio longè succinctiori, cuius ecgraphum accepimus ex altero Reginæ Christinę Codice, quodque ex Adone contractum esse vix possumus dubitare: quemadmodùm ex eodem quoque contracta censeri possunt MSS. Lobiensis monasterij, Leodiense S. Lamberti, Treuirense S. Paulini & aliud S. Mariæ ad Martyres dictum, nec non Vltraiectinum Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ: hęc enim omnia pressiùs sequuntur Adonem. At verò Treuirense S. Maximini maius, quod sæpè citamus, Rabanum & quidem ferè integrum transcribit, maximè primis mensibus.

alia MSS. ex his contracta.

15 Aliæ Ecclesiæ alio atque alio modo ex vno aut pluribus iam dictorum sua concinnarunt Martyrologia: sed ex nullo frequentiùs quam Vsuardo, cuius multipliciter aucti vsus totas ferè Gallias Italiamque & Germaniam peruagatus est. Multa nos habemus istiusmodi, interque cetera ex Parisiensi autographo transscriptum ecgraphum: plura vidimus, & quantùm festinantibus in itinere licuit cum impresso Carthusianorum Coloniensium contulimus, additiones vnicuique B propias magnâ curâ adnotātes ex Manuscriptis facilè quinquaginta. Quæ ideò placuit in hac præfatione deducere, vt intelligens lector quantā in eiusmodi monumentis perquirendis posuerimus diligentiam; quantumque in eorum ad inuicem collatione repositum esse momentum putemus, ad Sanctorum, præsertim Martyrum, cultum solidè definiendum circa agonis lo- D cum ac socios passionis; nobis haud grauatè indicare curet quæcumque huius generis alia alibi latere intellexerit: maximè si martyrologia ea sint vel Bedæ priora temporibus; vel ipse Beda purus ac solitarius, qualem in Reginæ fragmento habuimus; vel solius Flori additionibus auctus, qualem alibi hactenus nullum vidimus.

Vsuardi Martyrologium receptum pro ceteris

16 Nunc litterarum, quibus in additionum collectione vtimur compendij caussâ, explicationem hic habe. A. *Atrebatense.* B. *Barberinianum.* C. *S. Cyriaci.* D. *Diuionense.* L. *Lætiense.* R. *Reginæ Sueciæ.* T. *Tornacense.* V. *Vaticanum.* Certus autem sit lector in omnibus hisce MSS. verbotenus haberi omnia quæ sub Bedæ nomine maiori notamus charactere, nisi dè aliquibus cōtrarium in margine aut ad calcem notetur. Curauimus enim ad maiorem fidei probationē, vt variæ lectiones, etiam mendosæ quandoque, & singulæ deficientis in vnoquoque MS. lacunæ indicarentur: atque hac diligentiâ deprehendimus in MS. S. Cyriaci à die XVI Kal. Aprilis vsque ad II Idus Iunij, deperditis foliis intermedijs, in quibus Bedæ textus cum supplemento antiquo erat inueniendus, impletam esse lacunam aliũde, & quidem diuersimodè. Nam reliquus Martius to- E tusque Aprilis quotdiebus tria quatuorue dumtaxat colligit Sanctorum nomina; Maius verò ac dimidius Iunius prolixiores sunt, & ornantur elogijs partim ex Adone partim aliunde petitis: quare toto illo dierum interuallo nec additiones ex hoc S. Cyriaci Martyrologio sumemus, nec diuersitatem vllam lectionum curabimus annotare.

Notularũ explicatio.

INCIPIT MARTYROLOGIVM BEDÆ PRESBYTERI.

IANVARIVS

I ALENDIS. Octauæ Domini, & secundùm carnem Circumcisio eius. Et natalis Almachij: qui iubente Alypio Vrbis Præfecto, cùm diceret, Hodie Octauæ Dominicæ diei sunt, cessate à superstitionibus idolorum & sacrificijs pollutis; à gladiatoribus hac de caussâ occisus est.

A.T.L.C. Eodem die natalis S Basilij * Episcopi. Et * passio S. Martinæ Virginis. A. Et S. Euphrosynæ. L. Eodem die in Æthiopiâ Rutuli. Hierosolymâ natale S. Stephani.

** C Cappadocensis. A Archiepiscopi * T Romæ.*

II IV NONAS. *Vacat Beda.*

C *Florus in* A. T. L. Romæ natale S. Telesphori Papæ & Martyris: is ex anachoretâ cùm per XII annos Ecclesiæ Romanæ præesset, ieiunium septem hebdomadarum ante Pascha, & Missam in nocte Natalis Domini: sed & ante sacrificium hymnum Angelicum, videlicet Gloria in excelsis Deo, decantandum instituit: passusque est temporibus Antonini & Marci martyrium.

D. Apud Antiochiam passio B. Isidori Episcopi. Et in Ponto ciuitate Tomis trium fratrum, Argei, Narcissi, & Marcellini pueri: qui sub Licinio Principe inter tirones comprehensus, mersione maris martyrizatus est. C. V. Hierosolymâ Stephani, Macari Abbatis, Isidori Episcopi. T. Eodem die depositio B. Abbatis Macarij.

III III NON. Romæ nat. Anteros Papæ & Mart. qui duodecim annos rexit Ecclesiam, & in cœmeterio Calixti sepultus est viâ Appiâ. Eodem die Parisius Genouefæ Virginis.

Florus in A. T. L. *addit.* Quæ in corpore posita tantùm in virtute præualuit, vt mortuum suscitaret.

Florus in A. T. L. In ciuitate * Auclarâ passio S. Petri, qui crucifixus est sub Maximiano Imperatore. Ipso die passio S. Theogenis, qui præcipitatus est in mari tempore Licini. Et natalis Potiti, qui sub Antonino Imperatore primò fustibus cæsus est: deinde carcere inclusus, magno pondere ferri damnatus: vnde eductus in eculeum est suspensus: & cùm iussu Imperatoris se- F care & canibus proijcere vellent eum milites, tangere non poterant. Inde iussus est frigi in sartagine, frixusque plumbo superfundi: posteà verò palo ferreo fixus est à capite vsque deorsum. Quo ab Angelo ereptus, iussit illi Imperator linguam abscindi & oculos compungi. Et cùm nec sic vinci posset, iussus est capite plecti, cùm esset tredecim annorum puer.

** imo Auloná*

A. In pago autem Viromandensi inuentio corporis B. Quirini Mart. ab Eligio Episcopo & Translatio ipsius. Etenim corpus eiusdem Martyris pro tempore in secretis locis repositum, illic à populis diu venerabatur vbi non erat. Itaque S. Eligius diuino nutu instigatus, quæsitum nocte reperit: perforatóque tumulo tantum lumen, comitante permaximâ odoris fragrantiâ, ex eo manauit, vt obscuritatem noctis in magnam diei claritatem mutaret. Sicq; de tellure eleuatum exosculans, cùm ex maxillâ eius dentes pro Reliquiis auferret, de radice eorum gutta sanguinis exiuit. Scriptum in gestis eius: *quæ licet Flori stylum sapiant, non tamen ei audemus asseueranter imputare.*

II NON. *Vacat Beda.* IV

D. Natalis B. Titi: qui ordinatus est ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus. A T. L. In Africâ nat. Aquilini, Gemini, Eugenti, Vincti, * Triphonis. In Oriente Bononiâ ciuitate, Hermetis. Aggei, Gagij C. V. In Africâ Aquilini. In Bononiâ ciuitate Hermetis Aggæi. *deficit nomen vtrumque in C.*

** deest L.*

NONIS. *Vacat Beda.* V

Florus in A. T. L. Hierosolymâ depositio Simeonis Prophetæ: qui à Spiritu sancto responsum accepit, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

A ni. In Antiochiæ ecclesiâ, quæ vocatur Pœnitentia, depositio S. Simeonis Confessoris, qui in columnâ stans arctissimè vixit, & incolis loci illius multas tribuit sanitates. Hic post conuersionem nullam vnquã mulierem oculis attentis aspexit. Postquàm verò columnæ editiori se sanctitate feruens inuexit, non modò extraneæ mulieri, verùm etiam nec propriæ matri se videndum permisit. Scriptum in gestis eius.

D. Romæ natalis Telesphori Papæ & Martyris, qui septimus post Petrum Pontifex ordinatus est. V. C. Hierosolymâ Simeonis Prophetæ: & Simeonis Confessoris, qui in columnâ stetit. A. Eodem die in Nouiomo translatio corporis B. Eligij Confessoris atque Pontificis: qui multùm miraculorum signis enituit. T. Eodem die natale Sanctorum Honorij, Luciani, Iocundi.

VI VIII IDVS. Epiphania Domini.

Florus addit in A. T. L. quando stellâ duce Magi ab Oriente ad Dominum venerunt & mysticis muneribus vt Deum, hominem, Regemque venerati sunt. *Idem Florus ibidem:* In Antiochiâ passio Sanctorum Iuliani & Basilissæ sponsæ eius, quam Deus in pace orantem suscepit: & Celsi pueri sub Martiano Præside

*[illegible] L. tempore Diocletiani & Maximiani. * Qui Iulianus

B post flagella & catenarum nexus variasque torsiones præfatum puerum, nomine Celsum, filium Præsidis conuertit, eorumque postmodùm custodes & matrem pueri, vxorem ipsius Præsidis. Posteà verò missi in carcerem, ceteris trucidatis, videlicet viginti militibus & septem germanis, Iulianus ad audientiam & cum filio mater, & Antonius Presbyter, & ille quem S. Iulianus de morte suscitauerat, reseruati sunt. Posteà iussit Præses S. Iuliano & Celso puero cutem capitis auferri: Sancto verò Antonio Presbytero & Anastasio, qui suscitatus fuerat, oculos: Sanctam verò Marcianillam matrem pueri Dominus defendit ne tangi posset. Sed post talia tormenta, cùm sani essent inuenti, gladio sunt addicti.

L. Et depositio Alberti Episcopi & Confessoris. D. In territorio Remensi passio S. Macræ Virginis: quæ iubente Rictiouaro Præside, cùm in igne præcipata esset, permansit illæsa. Redonis S. Melanij Episcopi & Confessoris. V. C. Et passio SS. Iuliani & Basilissæ & Celsi.

VII VII IDVS. *Vacat Beda.*

Florus in MSS. A. T. L. In Nicomediâ S. Luciani Presbyteri: qui in quatuor est partes diuisus: singulæ autem partes singulis lapidibus alligatæ in mari sunt mersæ: quas Deo redintegrante, Elenopoli alterâ die

C consolidatum corpus cum ipsis lapidibus inuentum est. Item Clerici & Diaconi Antiocheni, qui septies torti & de carcere producti, decollati sunt.

D Relatio pueri Iesu ex Ægypto. D. V. C. In Nicomediâ S. Luciani Presbyteri. V. C. In Militanâ ciuitate nat. Poliocti, Ianuarii.

VIII VI IDVS. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. Beluacus ciuitate natale SS. Luciani Presbyteri, Maximiani, Iuliani Martyrum: qui [Lucianus] ab vrbe Româ egressus, Galliarum ciuitatem Beluacensium perueniens, verbo prædicationis & miraculorum signis coruscans, multum populum ibidem Domino acquisiuit. Quem apparitores Iuliani Imperatoris perquirentes, vinctis manibus cæsum decollauerunt. Cuius corpus exanime, vt fertur, se erigens & propriâ manu caput sanctum abscissum apprehendens, stabili gressu ad locum, quem vir sanctus funeri tradendum elegerat, deportauit. Scriptũ in gestis eius.

D. Neapoli Campaniæ natale S. Seuerini Episcopi & Confessoris, fratris B. Victorini Martyris. V. C. In Græciâ Rustici Episcopi, Timothei, Telesphori, Anastasiæ.

IX V IDVS. *Vacat Beda.*

D. Apud Antiochiam Sanctorum Martyrum, qui sub Diocletiano & Maximiano cum aliis multis gloriam martyrii adepti sunt. *Deerant vel erasa erant nomina.* A. Natale Iuliani & Basilissæ Martyrum: *perperam præponitur,* In Africâ. A. T. L. In Africâ natalis Epicteti, Iucondi, Quinti. In Smyrnâ Reuocati, Firmini Saturnini. *Deest in L.* Epictetus: *& huius socius, omissis intermediis cum ipso loco, coniungitur* Saturninus: *In V. & C. sic habebatur.* In Africâ Epicteti, Iucundi, Secundi, Vitalis, Felicis. C *addit* & septem aliorum. D

IV ID. Natale Pauli primi eremitæ: qui à sexto decimo anno vsque ad centesimum tertium decimum solus in eremo permansit: cuius animam intèr Apostolorum & Prophetarum choros ad cælum ferri ab Angelis Antonius vidit. Eodem die Romæ Melchiadis Episcopi & Confessoris. X

Florus addit in A. T. L. Qui post B. Petrum trigesimus secundus per quadriennium rexit Ecclesiam.

Addit C & aliorum XII.

III ID. In Africâ S. Saluij: in cuius natali S. Augustinus verbum fecit ad populum Carthagine. XI

Florus in A. T. Passio Sanctorum Poliucti, Candidiani, & Filoromi, qui pariter in confessione Christi perseuerantes, igni traditi sunt. A. T. L. In Achaiâ passio S. Iuliani Martyris: qui sub Martiano Præside in carcere gladio peremptus est. E

II ID. Apud Achaiam nat. B. Saturi Martyris. *Ita* D. *ast* V. In Achaia Cyriaci: *plenè & integrè* C *&* R. In Achaia Cyriaci, Mosanti, Saturi ciuis Arabiæ: qui transiens ante templum cuiusdam idoli, insufflans, cùm signasset frontem, corruit. Tenentes eum ibidem obseruantes, duxerunt ad Ducem: & indicantes factum, decollatus est. *Hæc vt arbitramur ex ipsâ origine verbotenus Beda.* XII

Florus in A. T. L. phraseos barbariem sic emolliuit. In Achaiâ natale Saturi Arabiæ ciuis, de quo fertur, quia dum ante cuiusdam idoli templum transiret, & idem idolum in fronte insufflaret ac consignaret, statim corruerit: cuius cultores hoc videntes Duci dicunt, narrantes quod fecerat; quâ de causâ decollationis ictum accepit.

V. In Achaiâ Cyriaci. V. C. In Africâ Zotici, Rogati, Modest. C. Castuli, Coronæ & militum XL

IDIBVS. In Pictauis depositio Hilarij, Pictauensis Episcopi & Confessoris, de quo inter alias virtutes fertur quòd mortuum suscitauerit. XIII F

Florus in A. T. L. Qui ob fidei veritatem in Phrygiâ à Constantio Imperatore relegatus est exilio. Hic doctrinis & miraculis valdè coruscauit. *Idem Florus ibidem:* Remis depositio S. Remigij Episcopi & Confessoris. Hic primus Francorum gentem, cum Clodoueo Principe eorum, baptizauit. Qui plurimorum miraculorum signis coruscans, puellam, quam priùs dæmonio vexatam sanauerat, post eà mortuam suscitauit. Scriptum in gestis eius. *Ibidem ante omnia ponuntur,* Octauæ Epiphaniæ, *vel* Theophaniæ.

XIX KAL. FEBR. In Campaniâ nat. Felicis Presbyteri & Confes. de quo inter alia scribit Paulinus Episcopus, quia cùm à persecutoribus in carcere mitteretur, & cochleis ac testulis vinctus superpositus iaceret, per noctem ab Angelo solutus atque eductus sit. XIV

Florus in A. T. L. Eodem die in Antiochiâ natalis Clerici Diaconi, multis tormentis passi, & in mare mersi.

XVIII KAL.. *Vacat Beda.* XV

D. Abacuch & Micheæ Prophetarum. & B. Macarii Abbatis discipuli B. Ioannis. V. In Ægypto Crisconii. C. Tyrsi. V. C. Et depositio Abacuc Prophetæ. C. Et S. Remedii Episcopi. A. T. In Ægypto passio Sanctorum Martyrum Crisconi

A ni & Tyrsi. Et depositio Abacuch & Micheæ Prophetarum. Et depositio S. Mauri Abbatis. Et S. Macharii. Et S. Ysidori Episcopi. T. S. Mauri Abbatis. Eodem die in Ægypto SS. Martyrum Crisconi & Tyrsi, & depositio Abacuc Prophetæ. L. Depositio Abacuc Prophetæ. Et in Ægypto SS. Crisconi & Tirsi. Et eodem die S. Mauri discipuli S. Benedicti.

XVI XVII KAL. FEBR. Nat. S. Marcelli Papæ, qui iubente Maximino Imperatore primò fustibus cæsus, & à facie eius quem corripiebat expulsus est. Deinde audiens, quòd domum S. Lucinæ, quam ipse proscriptione damnauerat, eo quòd de facultatibus suis Christianis donauerit, ecclesiam faceret, atque in eâ Missas celebraret in mediâ ciuitate: iussit in eadem ecclesiâ * plancas sterni ad animalia catabuli publici, & eidem stabulo Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodiâ publicâ. Vbi etiam post multos annos seruiendo, indutus amictu cilicino, defunctus est; & conditus aromatibus, à Ioanne Presbytero & B. Lucinâ, sepultus est in cœmeterio Priscillæ.

* D. Paleas

B

Florus in A. T. L. Ipso die in Galliis Peronæ monasterio natalis Fursei Abbatis, qui corpore sublatus multa de supernis audiuit, & vidit: quæ & posteà reanimato corpore per * duodecim annos multis annunciauit. Scriptum in gestis eius.

* *L.* sedecim

V C. * Arelate depositio S. Honorati Episcopi. Passio S Marthæ.

* deest locus V.

XVII XVI KAL. In Ægypto depositio Antonij monachi.

Florus addit in MSS. qui cùm esset abstinentissimæ vitæ multis miraculis effloruit: cuius vitam B. Athanasius conscripsit.

Et apud Lingones natale geminorum Pseusippi, Elasippi & Melasippi: qui cùm essent viginti quinque annorum, cum auiâ suâ Leonillâ, & Ionillâ & Neone martyrio coronati sunt, tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in vnâ arbore suspensi, ligatis manibus sursum, pedibus deorsum, ita extenti, vt putarentur ab ipsâ membrorum compage separari: & post hæc in ignem præcipitati, nec tamen flammis læsi inter verba

C

orationum simul migrauerunt ad Dominum. * [Ionilla hæc videns confessa est se etiam Christianam, & pòst comprehensa à turbis, à capillis suspensa ac multis afflicta suppliciis, cùm Christum negare noluisset, cum Leonillâ est simul gladio perempta. Neon exceptor gestorum & ipse Christi nomen confessus, martyrio coronatus est. Docuit autem & baptizauit geminos hos Benignus Presbyter, quem misit ab oriente B. Polycarpus, B. Ioannis Apostoli auditor in Galliam, cum Andochio Presbytero & Thyrso Diacono] sepulti sunt autem ijdem Gemini in secundo milliario ab vrbe Lingonum.

* hic finit A.

Tornacensi & Letiensi MSS. desunt quæ [ ] vncis inclusa vides: Tornacensi autem etiam extremo loco ponitur S. Antonius.

Florus in A. T. L. Bituricas S. Sulpicij Episcopi & Confessoris: per quem Dominus miracula operari dignatus est præclara.

XVIII XV KAL. Natalis S. Priscæ Virginis & Martyris.

Florus in A. T. L. Eodem die in Ægypto triginta septem militum, qui in quatuor partes diuisi, iussi sunt interfici: ita vt qui in parte Orientali segregati erant, igni traderentur, Septentrionales verò capite plecterentur, Meridiani autem igne cremarentur: illos quippe qui de Occidentali constiterant, passioni Dominicæ tradiderunt. D

C Et depositio S. Mariæ Virginis, matris D. N. Iesu Christi. L. Et passio S Tyrsæ cum socii suis. A Et depositio Attæ Abbatis. T. *ante omnia hæc habet*: Romæ cathedra S. Petri Apostoli.

XIV KAL. *Vacat Beda.* XIX

D. In Smyrnâ B Germanici Martyris, qui sub Marco Antonino & Lucio Aurelio per gratiam virtutis Dei, metum corporeæ fragilitatis excludens, spontè præparatam bestiam prouocauit. Apud Spoletum S. Pontiani Martyris. V. In Africâ Pauli, Quinti, Germani, & aliorum triginta nouem A. T. L. In Africâ SS. Pauli, Hermetis, Quinti, Ianuarij, Successi, Valentis, Publii, Gagi cum aliis sexcentis. A. Et depositio Marthæ & Mariæ. Et Translatio S. Hugonis Rotomagensis Archiepiscopi. T. Eodem die depositio S. Launomari Abbatis & Confessoris. L. Et Hierosolymis SS. Mariæ & Marthæ, sororum Lazari.

XIII KAL. Romæ Fabiani Episcopi: qui cùm viginti quinque annis Ecclesiæ præesset, passus est martyrium tempore Decij, & cœmeterio Callixti sepultus. Eodem die S. Sebastianus de Mediolano, qui in tantum carus erat Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, vt principatum ei primæ cohortis traderent. Quem Diocletianus vbi Christianum agnouit, nec à fide posse reuocari, iussit ligari in medio campo quasi signum ad sagittas, & sagittari à militibus. Qui cùm sagittis plenus quasi ericius staret, putantes eum mortuum abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier, nomine Herene, tollere corpus, inuenit eum viuentem, & adduxit ad domum suam, & curam eius egit. Qui vbi conualuit multos in fide confortauit: [nec mora ipsis Imperatoribus apparens, hos, vt digni erant, corripuit. Tunc iussit eum Diocletianus in hippodromum duci, & fustigari donec deficeret. Quem mortuum in cloacam maximam miserunt: sed ille apparuit in somnis sanctæ matronæ Lucinæ dicens: Iuxta Circum inuenies corpus meum pendens in vnco: hoc sordes non tetigerunt: & dum laueris perduces ad catacũbas, & sepelies me in cryptâ, iuxta vestigia Apostolorum. Quæ ipsâ nocte cum seruis veniens totum ita compleuit.] Eodem die nat. Sanctorum Marij & Marthæ cum filijs suis Audifax & Abacuc nobilium de Persidâ, qui ad orationem venerant Romam tempore Claudij Principis: è quibus, post toleratos fustes, eculeum, ignes, vngues, manuum præcisiones, Martha in Nymphâ necata, ceteri decollati, & cetera sunt omnia incensa. XX E F

desunt hæc in A. & L.

L. Et membra eorum cæsa atque incensa.

XII KAL. Romæ S. Agnetis quæ sub Præfecto Vrbis Sempronio ignibus iniecta, sed his per orationem eius extinctis, gladio percussa est. XXI

Florus in A. T. L. Ipso die in Hispaniâ Tarraconâ ciuitate, passio Sanctorum Fructuosi Episcopi, Augurij & Eulogij Diaconorum: qui per ignem confessionis suæ gloriam acceperunt sub Æmiliano Præfecto, tempore Valeriani & Galieni Imperatorum.

L. Et

A L. Et in Valeriâ ciuitate S. Valerii Episcopi & Martyris. C. Alibi Felicis, Fructuosi, Ceciliani, Martialis.

XXII XI KAL. In Hispaniâ Vincentij Diaconi & Martyris. Ad Aquas-faluias S. Anastasij monachi & Martyris de Persidâ: qui post plurima tormenta carceris, verberum & vinculorum, quæ in Cæsareâ Palæstinæ perpessus fuerat à Persis; postremùm in Perside multâ pœnâ affectus, atque ad vltimum decollatus est à Rege eorum Chosroë.

Florus in A. T. L. In Valentiâ ciuitate Hispaniæ, passio S. Vincentij Diaconi sub Daciano Præside. Hunc enim Præses primò eculeo suspendi iussit & vehementer torqueri. Vnde depositus torquetur, tunditur, flagellatur, exuritur, & distentis membris crescebat corpus ad pœnam: sed spiritus, qui Christum Dominum fatebatur, in victoriâ permanebat. *Hactenus Atrebatense & hinc ad Anastasium transit: alia duo MSS. elogium prosequuntur his verbis.* Imprimuntur ardentes pectori laminæ, & liquefactus inter ipsas candentis ferri acies liquor guttis flammâ stridente respergitur. Vulnera vulneribus imprimuntur, & supra tormenta desæuiunt. Sales ignibus sparsi crepitantibus minutijs
B per membra dissiliunt: & iam non ad artus tantùm, sed ad ipsa viscera suppliciorum tela iaciuntur, nullâ iam corporis parte integrâ remanente. Sed postmodùm clausus carcere & super congeriem testarum fragminum missus iacere, non multò pòst tantis affectus pœnis, inuictus fide, defecit corpore.

T. Eodem die natale Victoris & Orontii.

XXIII X KAL. Romæ natalis S. Emerentianæ Virginis Christi & Martyris, quæ erat collactanea S. Agnetis, & dum oraret ad sepulcrum S. Agnetis, ac simul orantes à Gentilium læsione defenderet, lapidata est ab eis.

A. Et passio Parmenæ Diaconi, & Macarii. C. Eodem die S. Sauinæ Virginis. T.L. Eodem die natalis S. Macarii Martyris.

XXIV IX KAL. Natale S. Timothei Apostoli. Et in Antiochiâ S. Babyllæ & trium paruulorum, Vrbani, Prilidiani & Epolonij. Eodem die S. Sabinæ Virginis.

* A. Prilidani. *Florus in* A. T. L. In Antiochiâ passio S. Babilæ Episcopi, & trium paruulorum, Vrbani, * Parilidani & Epolonij sub Numeriano Imperatore: quem Imperator per manum Victorini Ducis validis catenis ligari iussit, & per ciuitatem trahi. Post hæc Babilam in
C eculeo suspendi, & pueros præcepit verberari: quorum primus duodecim annorum, secundus nouem, tertius septem fuerat. Deinde pariter in fide & virtute perseuerantes, Imperator eos gladio ferire iussit. Eodem die Trecas passio S. Sauiniani Martyris. Et depositio S. * Sabinæ Virginis sororis eius.
* T Sabiapæ L. Sauinæ.

A. Apud Ephesum natale S. Timothei Episcopi & Martyris, discipuli Beati Pauli Apostoli. Eodem die eleuatio corporis S. Autberti Cameracensis Episcopi.

XXV VIII KAL. S. Gregorij Theologi & natale S. Proiecti.

Florus in A. & T. In ciuitate Mileto passio S. Tyrsi, qui passus est sub Cumbricio, Syluano, & Plaudo Proconsulibus in ciuitate Cæsareâ. Hic enim primùm iussus est catenis ad pœnam extendi, vt dissiparentur membra eius. Sed catenis disruptis, vas quoddam iussum est impleri aquâ, in quod Martyr deorsum suspensus capiteque mersus flagellaretur. Vase autem virtute Domini dissipato, bis in carcere recluditur & ad audientiam reseruatur: postmodùm verò resticulis flagellatus, bestijs traditur. Vnde illæsus exiens, iussus est fieri locellus, in quo missus medius secaretur. Sed illis deficientibus, qui eum secare debuerant, cùm B. Tyrsus de locello exiret, diuino nutu calcaneus eius locello D
adhæsit: quod ille cognoscens, iterum se in locello collocauit, taliterque passionis suæ terminum fecit. *In ijsdem MSS. & simul in* L. Eodem die in pago Aruernico natalis Proiecti Episcopi & Martyris: qui more prophetico electus ab vtero, purpurantem stolam seruauit in triumpho.

C. A. T. L. Conuersio S. Pauli Apostoli.

VII KAL. Natale S. Polycarpi, Episcopi Smyrnæ: qui sub Marco Antonino & Lucio Aurelio Commodo, sedente Smyrnæ Proconsule, * coniurante in eum omni populo, igni traditus est. XXVI
* al. coniurgante

Florus addit in MSS. A. T. L. Cùm esset octoginta sex annorum. L. Scriptum in Historiâ Ecclesiasticâ. T. Cùm ergo eum catenis ligare vellent, consuetudinem legemque seruantes; Permittite me sic, inquit: qui enim mihi dedit velle, largietur & posse, atque ipsum tolerabilem faciet violenti ignis ardorem. Itaque ferro eum nemo vinxit: sed post tergum ligatis manibus, vt deuotus aries, passionis limen ingressus est: illicque oratione completâ subiiciunt ignem: sed flamma Martyris corpusculum nullo violabat amplexu. E
Totus ergo in igne splendidus factus, pro fœtore mirabilem ex se dedit odorem. Iussum deinde est gladiunculum sancto pectori inijcere: quo facto, ecce subitò fluente sanguinis copiâ, de corpore columba processit: ac statim cruore sopitum cessit incendium.

T. Eodem die Bethleem ciuitate transitus S. Paulæ, Deo dicatæ.

VI KAL. *Vacat Beda.* XXVII

D. Natale B. Ioannis cognomento Chrysostomi: qui verbis atque exemplo plurimùm Christianæ profuit religioni. V. C. In Africâ * Datiui & Iuliani, Vincentiæ, Secundi, Æmiliani & aliorum triginta quinque. A. T. L. In Africâ passio SS. Secundi & Fortunati. Et natale S. Processi. Et S. Ioannis Chrysostomi. *In L. deest* Processus *In T. primo loco ponitur* Chrysostomus: *sed perperam* in Burgundiâ.
* V. Datiui.

V KAL. Natale S. Agnetis Virginis de natiuitate. XXVIII

Aliter T. Romæ natiuitas S. Agnetis Virginis. V. C. Perpetuæ, Iuliani & aliorum quadraginta quatuor. A. In Africâ natalis Datiui & Iuliani. *Eosdem habet. L. sed absque loco agonis.* T. Eodem die natalis Publiani, Quintilli, Festi, & aliorum. Datiui & Iuliani. Et in Burgundiâ S. Ioannis Abbatis.

IV KAL. Romæ natale SS. Papiæ & Mauri militum, tempore Diocletiani: qui videntes constantiam Saturnini & Sisinnij Martyrum, conuersi sunt ad fidem, statimque iussum est à Laudicio Præfecto, vt os Sanctorum, quo Christum confitebantur, cum lapidibus contunderetur, & retruderentur in carcere: vbi baptizati sunt à B. Marcello. Quos post dies * duodecim eductos iussit sterni in terram & fustibus cædi: deinde leuatos de terrâ plumbatis cædi, donec expirarent. Quorum corpora colligens noctu Ioannes Presbyter, sepeliuit viâ Nomentanâ, ad Nymphas B. Petri, vbi baptizabat. Scriptum in gestis beati Papæ Marcelli. XXIX F
* Rab. vndecim

III KAL. *Vacat Beda.* XXX

Florus in A. T. L. In Malbodio monasterio depositio S. Aldegundis Virginis, quæ ex prosapiâ regali edita, suasionem matris super coniunctionem mariti spernens, Christum sponsum elegit: vnde & eius allocutione, & sæpè Angelicâ meruit perfrui.

D. Antiochiâ passio S. Hippolyti, Hierosolymis S. Matthiæ Episcopi. V. C In Africâ Feliciani, Philippi, & aliorum. C. centum viginti trium A. T. L. In Antiochiâ passio S Ypoliti. In Africâ natale SS. * Cleri, Pelliani, Phillippiani & aliorum centum viginti trium.
* L. Celeri

II KAL.

A XXXI II KAL. *Vacat Beda,*

D. Alexandriâ Myrtani Martyris. Trientinæ S. Vigilii Episcopi & Martyris V. In Alexandriâ natale SS. Abbaciri & Ioannis, Cyriaci, Tarsi, Galerici & aliorum quindecim Sacerdotum. A. T. L. In Alexandriâ SS. Tyrsici, Zotici, Ammonis. In Africâ SS. Victoris, Publii. L. & Polycarpi. Et depositio S. Veroni Confessoris. A. T. Et passio SS. Callinici, & aliorum quindecim Sacerdotum C. In Alexandriâ Tarsacii, Zodici, Cyriaci, Tyrsi, Galeni, & aliorũ. Et Cyri & Ioannis. D

FEBRVARIVS

I KALENDIS. Natale S. Brigidæ Virginis.

Præponit Florus in A. T. L. in Scotia : *deinde subiungit* : Quæ ab ineunte ætate Christo iuncta est amore. Hæc casto proposito sanctissimè viuens multis coruscauit miraculis.

V. C. In Græciâ SS Polycarpi, Dionysii Martyrum. C. Eodem die natalis SS. Aproniani, Fortunati, Feliciani. A. T. L. Eodem die passio SS. Vindemialis & Eugenii. In Augustâ ciuitate S. Vrsi Episcopi & Confessoris. L. Et natale S. Præcordii. L. A. Et passio S Ignatii Martyris. T. Et in Rauennâ natalis S. Seuerini Episcopi.

II B IV NONAS. Hypapante Domini. Eodem die natalis S. Aproniani.

Addit V Et Feliciani. C. *ad diem præcedentem retulit.* L. Et in in Hierosolymâ depositio B. Simeonis Prophetæ : qui à Spiritu sancto responsum accepit, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.

III III NONAS. *Vacat Beda.*

D. Beati Celerini Diaconi & Celerinæ auiæ eius. V. C. S. Blasii Episcopi. In Africâ Felicis, Simpronii, Laurentii, Ypoliti, Felicitatis. A. T. In Africâ Felicis & Felicitatis *[in Sebastiâ Cappadociæ] Passio S. Blasii Episcopi & Martyris Lugduno depositio Lupicini Episcopi & Confessoris. L. Monte Castriloco translatio S. Waldetrudis. Et in Africâ natale Felicis & Felicitatis, & S Blasii Episcopi & Martyris.

* abest à T.

IV II NONAS. *Vacat Beda.*

D. In ciuitate Ægypti Tmuium B. Phileæ, eiusdem vrbis Episcopi, & Philoromi Tribuni, & innumerabilium Martyrum. V. C. Natale Gemini, Gelasii, Manniæ, Donati, Aquilinæ. A. T. L. Natale Gemini, Gelasi & Magni.

A. *fortassis ex Floro.* Ipso die depositio S. Waldetrudis; quæ in magno honore posita mundum dereliquit, cùm sacrum velamen ex manibus B. Autberti Pontificis suscepit, sponsumque suum cælestem sæpissimè videre pro meruit. Ipso die passio S. Liphardi Martyris, Cantorbeiæ Archiepiscopi.

V NONIS. S. Agathæ Virginis in Siciliâ, sub Quintiano Consule tempore Diocletiani: quæ post alapas & carcerem, post eculeum & tortiones, post mamillarum abscissionem, C sed à Domino sanationem, post volutationem in testulis & carbonibus, tandem in carcere consummata est.

L. In Gandauo depositio S. Bertulfi Confessoris.

VI VIII IDVS. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. *sed ordine ob S. Vedastum in A. mutato.* Elnone monasterio depositio S. Amandi Episcopi : qui multorum miraculorum virtutibus pollens, inter alia fertur, quòd reum cui ante mortem à sæuo iudice vitam non potuit impetrare, post mortem à pio iudice Christo vitam impetrauit & salutem. Eodẽ die Atrebatâ ciuitate depositio S. Vedasti Episc. & Confessoris : hic dum plurimorũ miraculorum signis rutilaret, diuersis diuersas impertiens sanitates, gentem Francorum barbaricam ad fidem paullatim conuertit Catholicam.

D. Cæsareâ Cappadociæ S. Dorotheæ Virginis & Theophili Scholastici. V. C. A. T. Romæ viâ Appiâ passio Soteris Virginis. Et S. Dorotheæ Virginis.

VII VII IDVS Britannijs in Augustâ natale Augusti Episcopi & Martyris.

Addunt V & C interposito commate, Et Martyris Anatolii. A. T. L. Et Sanctorum Statiani & Saturnini.

VIII VI IDVS. *Vacat Beda.*

D. Dionysij, Æmiliani, & Sebastiani. Alexandriâ S. Coyntæ Martyris. V. C. Natale S. * Inuentii Episcopi & Confessoris. V. C. A. T. L. Romæ depositio S. Pauli Episcopi. Lucii. C Et alibi. Lu. ci & depositio Thomæ. A. T. L. Et Iulii Papæ. In Armeniâ SS. Dionysii & Sebastiani.

* C. Venustiani

IX V IDVS. *Vacat Beda.*

D. Alexandriæ S. Apolloniæ Virginis. V. C. Natale * Alexandriæ & aliorum triginta octo. V. Depositio Thomæ. A. T. L. Sueno apud Cyprum natale Alexandri, Ammonis & Didymi. L. In Fontanellæ monasterio depositio S. Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis. C. Eodem die ædificatio B. Benedicti Abbatis & S. Senæ Virginis.

* C. Alexandri

X E IV IDVS. Romæ SS. Zotici, Irenæi, Hyacinthi & Amantij.

Addit C. Et aliorum nonaginta. A. T. L. Eodem die in Campaniâ natale S. Syluani Episcopi & Confessoris. V. C. A. T. L. Et S. Scholasticæ Virginis. A. T. Ipso die in Bethleem Iudæ, sub Herode Rege, passio SS. Andreæ & Apori. A. L. Et S. Soteris. L. Et eleuatio S. Gertrudis Virginis.

XI III IDVS. Romæ Calloceri & Parthenij. Eodem die Lugduno Desiderij Episcopi.

A. T. L. In Campaniâ natale Basiliani & Amantii.

XII II IDVS. *Vacat Beda.*

D. Barcinonâ Eulaliæ Virginis & Martyris. Alexandriæ Modesti & Ammonii. V. C. In Africâ passio Damiani Militis. Carthagine Modesti, Iuliani. A. T. L. In Africâ passio S. Damiani Martyris. In Italiâ depositio Simplicii Episcopi. In insulâ Ratensi natale S. Basilii monachi. T. In ciuitate Carthagine natalis SS. Saturnini Presbyteri, Datiui & Felicis.

XIII IDIBVS. *Vacat Beda.*

D. Agabi Prophetæ in nouo testamento apud Antiochiam. S. Polyocti Martyris Melitenâ Armeniæ. V. C. In Nicomediâ passio S. Iuliani. Et alibi S. Dicentii. Et depositio Stephani Episcopi. A. T. L. In Nicomediâ passio S. Iuliani Martyris. In Alexandriâ natale SS. * Tulliani & Ammonii. Lugduno depositio B. Stephani Episcopi.

* L. Tullij

XIV XVI KAL. MARTII. Natale S. Valentini Presbyteri Romæ : qui post multa sanitatum & doctrinæ insign... fustibus cæsus, & sic decollatus est *[sub Claudio Cæsare] Eodem die natale S. Valentini Interamnensis Episcopi : qui tentus à paganis ac virgis cæsus, & post diuturnam cædem custodiæ mancipatus, cùm superari non posset, mediæ noctis silentio eiectus de carcere decollatus est, iussu furiosi Placidij Vrbis Præfecti. * Tunc Proculus * Efybus & Apollonius discipuli eius, transferentes corpus ad suam ecclesiam Interamnanam vrbem, noctu sepelierunt: vbi cùm quotidianis vigilijs incubarent, tenti à gentilibus, custodiæ sunt traditi Consulari Leontio. Quos ille iussit medio noctis suis tribunalibus præsentari: & cùm à fide reuocari nec blandimentis nec minis possent, iussit capite cædi: qui non longè sunt à corpore S. Valentini sepulti.

* Addunt hoc C. & Rabanus E

* huc vsque A.
* D. T. L. Efibus

A. T. L. Eodem die natale SS. Vitalis, Feliculæ & Zenonis. L. In Alexandriâ Bassiani, Orionis, Agathonis : qui igne combusti sunt.

XV XV KAL. *Vacat Beda.*

Floris in A. T. L. Bituricas depositio S. Austregisili Episcopi & Confessoris: qui in Dei rebus magnificus atque insignis fuit.

D. Romæ

A D. Romæ S. Cratonis Martyris. Apud Sebastiam passio S. Blauij Episcopi. V. C. Interamnæ natale S. Agapæ Virginis, Saturnini, Castulij, Magni. V. In Antiochiâ Ioseph Diaconi & Romani, * Lucij, Rogati. C Lucium *Interamnensibus iungit*. A.T. *addunt S. Agapæ socios* martyres xxx. T. Et depositio S. Saluini Episcopi & Confessoris. Ipso die passio S. Desiderij Episcopi & Martyris. Eodem die in Antiochiâ natalis SS. Iosippi & Rufini. L. Ipso die SS. Ioannis, Magni, & Iosephi Diaconi.

A. Ipso die Taruennæ ciuitatis depositio B. Siluini eiusdem ciuitatis Episcopi. Hic dum in corpore vixit multis miraculorum effulsit signis: &, vt liber vitæ eius elucidat, magnæ abstinentiæ fuit; volens talenta sibi commissa cum vsuris sine fraude suo reddere Creatori. Posteà de Ægypto ad terram promissionis vocatus, cum Deo viuit, possidens gaudia perpetuæ felicitatis. *Quæ Flori stylum sapiunt*.

XVI XIV KAL. S. Onesimi Apostoli. Et in Cumis natale S. Iulianæ Virginis: quæ tempore Mximiani Imperatoris primò à suo patre Africano cæsa & grauiter cruciata & à Præfecto * Eolesio, quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa & à capillis suspensa, & plumbo soluto à capite perfusa, * & rursum in carcere recepta, vbi palàm cum diabolo conflixit, & rursum euocata; rotarum tormenta, flammas ignium, ollam feruentem superauit, ac decollatione capitis martyrium consummauit. Quæ passa est quidem in Nicomediâ: sed post paucum tempus Deo disponente in Campaniam translata.

* L. Eleusio Rab. Eulesio
* hucusq; A.
B

V.C. Alibi Maximæ, Iunellæ, & quinquaginta quatuor. L. Et depositio Tetrardi Episcopi.

XVII XIII KAL. In Babyloniâ natale Polocronij Episcopi eiusdem ciuitatis: qui præsente Decio persecutore os lapidibus cæsus, manibus extensis oculos ad cælum eleuans, emisit spiritum. Scriptum in Passione * S, Laurentij.

* T. eius.

L. Ipso die SS. Donati, Secundiani, Casti, & Marcelli. V. C. Eodem die S. Faustini Martyris & aliorum quadraginta quatuor, quorum nomina Deus scit.

XVIII XII KAL. *Vacat Beda.*

D. Hierosolymis Simeonis Episcopi & Martyris. V. In Africâ SS. * Rutuli, Siluani, Classici, Secundini, Fructuli. A. T. In Africâ Rutuli, Damasi, Siluani, * Casici. Et depositio S. Martialis Episcopi. L. In Africâ natale SS. Rutuli, Damasi. Ipso die Saluini & Paulini.

* V. Retuli
* C. Cassici
C

XIX XI KAL. *Vacat Beda.*

D. Romæ Gabinij Presbyteri & Martyris. V. In Africâ Publij, Iuliani, Marcelli, Lampasij, Maiuli. *Idem præter* Lampasium *sunt in A.T.L. sed vltimo loco refertur* Marcellus: *qui in L.* Marcellinus. C. In Africâ Marubij, Publii, Iuliani, Marcelli, Tullij, Iamnasij, Iuli, Victoris, Coronæ.

XX X KAL. *Vacat Beda.*

D. Apud Tyrum Martyrum quorum numerum Dei scientiâ sola colligit. V.C. Apud Cyprum natale Potaminæ. Romæ viâ Appiâ depositio Gagi Episcopi. A. T. L. Romæ viâ Appiâ in cœmeterio Calixti depositio Gagij Episcopi. Apud Cyprum natale Sanctorum Potamiæ & Didymi. A.T. Et alibi Victoris Martyris. T. *primo loco.* In ciuitate Tornaco depositio S. Eleutherij, eiusdem vrbis Episcopi & Confessoris. D

IX KAL. *Vacat Beda,* XXI

D. Siciliâ Martyrum septuaginta nouem qui sub Diocletiano passi sunt. V.C. In Africâ natale SS. Veroli, Secundini, Seruuli, Siricij, Felicis. C. Saturnini. A.T.L. In Africâ natale SS. Secundi, Seruuli, Iuliani, Saturnini, Felicis & aliorum septemdecim *Primus deest in L.*

A. *primo loco* Nobiliaco monasterio dedicatio ecclesiæ S. Vedasti Episcopi & Confessoris: quæ per reuelationem Angelicam B Autberto Episcopo manifestata est.

VIII KAL. Apud Antiochiam Cathedra S. Petri. XXII

Addit V. & C. Et S. Theclæ. A. T. Nicomediâ natale S. Theclæ Virginis, discipulæ S. Pauli Apostoli. Romæ viâ Tiburtinâ ad S. Laurentium natale S. Concordiæ. In Sirmio natale S. Serenæ: quæ tempore Maximini plexione capitis suscepit martyrium. *Eadem habentur in L. sed abest*, Concordia.

VII KAL. *Vacat Beda.* XXIII

D. Apud Sirmium Sinerij monachi, & sexaginta duorum Martyrum. V.C. In Asiâ Polycarpi Episcopi cum alijs duodecim & S. * Herotis. A.T.L. Natiuitas S. Ioannis Euangelistæ A.T. Smyrnæ natale Sanctorum de antiquis Herori & Garphori. T. *Interponit.* Eodem die natalis S. Polycarpi Presbyteri & Confessoris. L. Et in Pannoniis SS. Antigoni, Rutuli, Libij, Ominandri & Zenonis.

* V. Eloritis.
E

VI KAL. Inuentio capitis Ioannis Præcursoris & natale S. Matthiæ Apostoli. XXIV

Addit Florus in A.T.L. qui ex discipulis septuaginta sorte electus pro Iudâ Scarioth duodecimus inter Apostolos subrogatus est.

Similia habet V. & subiungit: solus sine cognomento, cui datur Euangelij prædicatio in Iudæâ. A. T. In Nicomediâ natalis Luciani Presbyteri. L. Et Romæ S. Primitiui. V. Primitiuæ: C. Romæ natale S. Primitiuæ.

V KAL. *Vacat Beda.* XXV

D. Apud Ægyptum Victorini, Victoris, Nicephori & aliorum Martyrum. V.C. In Africâ Donati, Iusti, Herenei * Ingenui, & aliorum quadraginta quinque. A.T.L. In Africâ natalis SS. Donati & Iusti. In Pamphiliâ natalis Nestoris & Castæ. Et depositio S. Eugeniæ. *Abest hæc à L. & pro* Castâ Castus *legitur*.

* C. Ingenua.

IV KAL. *Vacat Beda.* XXVI

D. Pergen Pamphiliæ B. Nestoris Episcopi. V. C. Natale SS. Alexandri, Nestoris. V. Fortunati. V.C. & aliorum viginti sex. A. T. L. In Alexandriâ natalis SS. Felicis & Alexandri, Nestoris. *Vltimus abest à L.*

III KAL. *Vacat Beda.* XXVII

D. Apud Alexandriam Iulianæ Martyris. V.C. Alexandri, Abundantij, Ianuarii, Dionysii & aliorum viginti quatuor. A.T.L. Romæ viâ Aureliâ natalis S. Felicis Episcopi & Martyris. Smyrnâ Asiæ natalis SS. Seruiliani, Datiani & Leandri. T. Et Translatio S. Ragnulfi Martyris. F

II KAL. *Vacat Beda.* XXVIII

D. Alexandriâ Metrani Martyris & aliorum. V.C. Natalis SS. Celeris, Pupilli, Serapionis, Iusti. V. Candidi. C. Claudiani. A. In Alexandriâ natalis SS. Dionysii, Claudiani, & Theophili. T.L. In Alexandriâ natalis SS. Serapionis, Celeris, Claudii. *addit* T. Victorini, Saturnini, Alexandri & Victoris.

MARTIVS.

I KALENDIS. *Vacat Beda.*

D. Sanctorum ducentorum sexaginta, qui temporibus Claudii passi sunt. V.C. Natale SS. Leonis, Donati, Habundantii, Nicefori & aliorum nouem. A. T. L. In Africâ passio S. Leonis & Donati. Et in Andegauis ciuitate depositio S. Albini Episcopi [cuius vitam Fortunatus Presbyter conscripsit comptam miraculis. *Abest hoc vltimum à L. & primo loco ponitur*, Depositio Moysi hominis Dei.

II VI NONAS. *Vacat Beda.*

D. Romæ Iouiniani & Basilei & plurimorum Martyrum. V.C. In Cæsareâ Cappadociæ Lucæ Episcopi Primitiui. Romæ Pauli, Ianuarij. V. Marini. C. Antigoni, Ianuarii. A. T. L. In Cæsareâ Cappadociæ natalis * Lucæ Episcopi, Ianuarii & Primitiui. T. Eodem die in portu Romano in cœmeterio Pauli natalis Secundolæ & Ianuariæ Virginum.

* A. Lucij

V NONAS, *Vacat Beda.* III

D. SS Emytherii & Celedonii & Calagurri Martyrum. V.C.A.T.L. Felicis, Iusti, Fortunati. V. Marciæ Antigoni, Ianuarii. T. *præponit locum agonis*. In Africânatale SS. &c.

A

IV IV NONAS MARTII. *Vacat Beda.*

*C.DCCCCx *C. Iulianus D. Lucij Papæ & Martyris & aliorum octingentorum Martyrum. V.C. Natalis Martyrum * octoginta decem. Romæ depositio * Iulij Episcopi, & aliorum viginti septem. A. T.L. Romæ depositio Iulij Episcopi, Sisinnij & Gagi Et Viâ Appiâ natale Sanctorum Martyrum octingentorum. L. *tamen hos coniungit prioribus & pariter omnes* in cœmeterio viâ Appiâ *collocat.* A. T. Nicomediæ passio S. Adriani cum aliis viginti tribus & Nataliæ vxoris eius.

V III NONAS. *Vacat Beda,*

D. Antiochiâ S. Phocæ Martyris, & S. Eusebii Palatini, & aliorum octo Martyrum. V.C. In Africâ Adriani. In Antiochiâ passio S. Focæ. C. & aliorum XII. A. T.L. Natale SS. Adriani, Rustici, Victoris, & Eusebij. L. *premittit locum.* In Antiochiâ. A. *deest* Victor. A. T. Antiochiæ passio S. Focæ Virginis. T. Eodem die in Galliâ ciuitate Suessionensi depositio S. Drautionis Episcopi.

VI II NON. *Vacat Beda.*

D. A.T.L. Nicomediâ Victoris & Victorini. *addit.* D. qui in carcere mortui sunt. A. T. Et depositio S. Claudiani. T. & Diodori & Mercurii. L. Claudianum & Mercurium *iungit duobus primis.* V. C. *plenius & distinctius de his:* In Nicomediâ Victuris, Victurini, qui per triennium in persecutione apud B Apamiam ciuitatem Bithiniæ exhibiti cum Claudiano & Basâ vxore eius: qui ex laicis tenti atque tormentis multis afflicti & retrusi in carcerem ibidem vitæ suæ cursum impleuerunt. *Quid si forte hæc sint Bedæ in aliis MSS. temere omissa? sic videtur Ado reperisse & transcripsisse Notkerus.*

VII NONIS. Apud Carthaginem Perpetuæ & Felicitatis, quæ bestijs sunt deputatæ sub Seuero Principe: & cùm Felicitas parturiret in carcere, omnium militum qui simul patiebantur precibus impetratum est, vt octauo mense pareret. Iam verò Perpetuæ inter alia concessum est, vt eius mens quodammodò auerteretur à corpore, in quo vaccæ impetum pertulit: ita vt adhuc futurum expectaret, quod in se iam gestum esse nesciret.

L. Et S. Cassiani Episcopi.

VIII VIII IDVS. *Vacat Beda.*

D. Carthagine Pontiani Diaconi & Beati Cypriani Martyris. V.C. Nicomediâ Quintilli Episcopi. In Africâ, Rogati, Felicis, Felicitatis. A.T.L. In Africâ natalis Sanctorum Rogati, Felicis, Vrbani & Cyrilli Episcopi. T. L. In Nicomediâ Quintilli Episcopi & Capitulini.

IX VII ID. In Sebaste in Armeniâ minore, quadraginta militum, tempore Licinij C Regis, sub Præside Agricolao: qui post vincula & carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum; vbi gelu constricta corpora eorum noctu disrumpebantur, & manè crurifragio martyrium consummarunt. Deinde corpora eorum cōbusta & in flumen proiecta, sed dispensatione diuinâ Reliquiæ eorum sunt integræ repertæ, & digno honore conditæ. Erant autem nobiliores inter eos Quirion & Candidus.

X VI IDVS. *Vacat Beda.*

*V. Golgoni D. Apamiâ Alexandri & Gaij de Eumeniâ. Perside quadraginta duorum Martyrum. V.C. In Nicea * Gorgonij, Palatini, Firmi. V.C, A.T.L. In Antiochiâ Agapæ Virginis. T. L. & Marianæ. A. T. In Antiochiâ natalis SS. Firmiani & Palatini. T.L. Et in Alexandriâ natalis SS. Candidi & Valerii.

XI V IDVS. *Vacat Beda.*

D. Sebasten Armeniæ minoris quadraginta Martyrum sub Licinio. V C Carthagine Eraclii, Zosimi. In Alexandriâ Gagi, Candidi. C & alii XV. A.T.L. In Nicomediâ SS. Gorgonii, Eraclii, Alexandri: *sed deest in* L. *locus agonis.* T. In Carthagine Zosimi. In Alexandriâ natale SS. Candidi, Marciani, Quirilli. L. In Carthagine Zosimi, Candidi, Martiani, Quirilli. A. In pago Attrebati depositio S. Vindiciani.

IV ID. Depositio S. Gregorij Papæ beatæ memoriæ. D XII

Florus in A. T. L. Et in Nicomediâ passio Pioni Presbyteri: qui passus est sub Proconsule Asiæ Iulio Proclo & Quintiliano: qui post carceres & corporis dilacerationem confixus ligno, cum Metrodoro Presbytero igni traditus est.

V.C. Nicomediæ * Egdoni Presbyteri & aliorum septem suffocatorum diebus singulis. C. vt aliis videntibus timor incuteretur. Romæ depositio. Innocentii Episcopi *qui etiam nominatur in* A.T.L. *C. Agdini

III ID. In Nicomediâ natalis Macedonij Presbyteri, & Patriciæ vxoris eius, & filiæ Modestæ. XIII

A.T.L. Et S. Eufrasiæ Virginis.

II. ID. *Vacat Beda.* XIV

D. Romæ Martyrum quadraginta septem militum à B. Petro Apostolo baptizatorũ. V.C. In Nicomediâ Felicissimi, Datiui, * Frontinæ, Pionis. *Sed postremos duos C connectit* Modestæ *die præcedenti.* A T. In Alexandriâ passio S. Petri Martyris. A. Eufrosii & Frunimii. Et S. Leonis Papæ. T. In Thessalonicâ natalis SS. Alexandri & Eufrosii, & S. Frunimii. L. In Alexandriâ SS. Alexandri & Eufrasii. B. *quod huc vsque habemus acephalum.* In Africâ Alexandri, Petri. Antiochiâ Nimediæ Pionis. * B. Frontiana E

IDIBVS. *Vacat Beda.* XV

D. Thessalonicâ Matronæ Ancillæ & Martyris. B. C. In Cappadociâ S. Longini. B.C.V. In Nicomediâ Luci Episcopi. V.C. Carthagine S. Iacobi Fratris Domini. B. Carthagine Pauli, Saluatoris, Alexandri, Theophili, Octaui, Theodoli. A.T.L. Ierosolymâ natale SS. Iacobi Apostoli & Lucæ Euangelistæ. In Nicomediâ natalis S. Luci Episcopi & Martyris. *In A. recentiori manu correctum erat* Luciani. C. Et vigilia S. Cyriaci.

XVII KAL. APR. Romæ natalis S. Cyriaci: qui post longam carceris macerationem, quam sub Maximiano pertulit, cum Sisinnio Diacono suo & Smaragdo & Largo, post multa facta miracula (in quibus filiam Diocletiani Artemiam ipsius rogatu à dæmonio curauit & baptizauit, * filiam quoque Saporis Regis Persarum Iobiam, missus illuc à Diocletiano pro hoc, æquè à dæmonio liberauit ac baptizauit, cum ipso Rege & alijs quadringentis triginta)* rediens Romam post mortem Diocletiani, tentus est inter alios Christianos à filio eius Maximiano, & in custodiam missus, eò quòd sororem suam Christianam fecisset. Deinde præcepit vt die processionis suæ nudus, catenis obligatus, ante rhedam eius traheretur: & post hæc eductus est è carcere, cum socijs Largo & Smaragdo & Crescentiano, per Carpasium Vicarium, & pice eliquatâ caput eius perfusum est. Denuò de carcere in catastâ extentus, attractus neruis, & fustibus cæsus, post hoc iubente Maximiano capite truncatus est, cum Largo & Smaragdo & alijs viginti. Scriptum in gestis Marcelli Papæ. Ipso tempore Maximianus interfecit sororem suam Arthemiam. XVI *huc vsque A. *huc vsque S. Cyriaci & deficit vsque 18 Kal. Iulii. F

B. In Nicomediâ Castoris, Dionysii, Nonni, Sereni, Quiriacæ.

XVI KAL. In Scotiâ S. Patricij Confessoris. Eodem die obitus S. Gertrudis Virginis. XVII

In Rabano deest Gertrudis. *In B. ponitur* in Niuialâ. *deinde* Romæ Alexandri Episcopi & Theodoli Diaconi. B. Hierosolymæ Quiriaci Episcopi.

XV KAL.

A
XVIII XV KAL. *Vacat Beda.*

D. S Alexandri Episcopi qui cum Narcisso Hierosolymitanæ Ecclesiæ gubernaculum suscepit. V. B. T In Alexandriâ Collegi Diaconi V. B. Rogati, Saturi. Romæ Pigmenii Presbyteri. A. T. L. In Campaniâ natalis SS Rogati, Victoris, A. T. & S. Luciani. T. L. & Mauri. L. & Saturnini. B. In Nicomediâ Apurilis, Seruuli. In Campaniâ Quinti. Luciani, Victoris & Mauri. In Mauritaniâ Currenti & Timothei.

XIX XIV KAL. *Vacat Beda.*

D. Pararensi ciuitate S. Ioannis magnæ sanctitatis viri. B. V. L. In Cæsareâ Cappadociæ S. Theodori Presbyteri. B. In Africâ Lucillæ, Bassi, Apollonii, Ammonii. A. T. In Africâ depositio S. Leonis Episcopi & Confessoris. Et S. Quinti. Eodem die natalis Theodori Episcopi. Et S. Landualdi Archipresbyteri & Confessoris.

XX XIII KAL. S. Gutberti Episcopi.

Perperam A. & T. In Africâ. V. B. In Antiochiâ S Ioseph. V. B. In Syriâ Pauli. B. Cyrilli, Exuperii. D. Archippi commilitonis Pauli Apostoli. A. T. Et depositio Wulfranni Episcopi & S. Valentini. T. Romæ viâ Appiâ natalis Fabiani Episcopi & Martyris.

XXI XII KAL. S. Benedicti Abbatis.

Addit in L. fortè Florus: qui maximis elucens virtutibus regulam monachorum & ordinem descripsit. B Huius Vitam beatus Papa Gregorius claro stylo dilucidauit.

A. T. L. B. In Alexandriâ natalis SS. Serapionis monachi* [Polycarpi] & Amatoris. D. Et Serapionis Anachoretæ.

* additur in B.

XXII XI KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. Ciuitate Narbonâ natale S. Pauli Episcopi: quem ita labor domesticus & tribulatio exercuit, vt eum verum Domini famulum approbaret.

D. Narbonæ S. Pauli Episcopi discipuli Apostolorum. V. B. In Narbonâ ciuitate S. Pauli Confessoris. V. In Africâ Saturnini.

XXIII X KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. In Antiochiâ Theoderici Presbyteri: qui tempore Iuliani Imperatoris gladio percussus occubuit.

D. In Africâ Martyrum Victoriani, Frumentii & duorum germanorum. V. B. In Africâ Fidelis. In Antiochiâ Theodori Presbyteri. V. Iuliani. B. In Prouinciâ Carmillæ, Pauli, Cæsareæ, Iuliani. L. Et SS. Pauli & Iuliani.

XXIV IX KAL. *Vacat Beda.*

D. Romæ Pigmenii Presbyteri & Martyris. B. In Syriâ Seleuci In Africâ Agapiti, Romuli. V. Rogati. A. T. L. In Syriâ natalis SS. Seleuci, Agapiti & S. Romuli. T. L. B. Et in Mauritaniâ Veruli, Felicis, & Saturnini. B. & aliorum XVI. *Ibidem ante alios tres* Secunduli.

C
XXV VIII KAL. Annuntiatio Dominica. Natale Dulæ ancillæ militis: quæ pro castitate occisa est. Et Romæ Cyrini: qui interfectus est à Claudio & in Tiberim iactatus, in insulâ Lycaoniâ inuentus, & in cœmeterio Pontiani conditus est. Scriptum in passione S. Valentini. D

* A. Laurentii.

V. *primo loco.* In Hierosolymâ D. N. Iesus Christus crucifixus est: *vltimo loco* & quadraginta Martyrum & S. Theodolæ. A. *secundo loco.* Et crucifixio Christi. *vltimo.* Et depositio Confessoris Christi & Episcopi Monas. T. Apud Nazareth ciuitatem Galileæ, vt fides fidelium adorat, veneratur & prædicat, Virginem Dominum parituram Angelus Gabriel venerando salutat. Eodem die crucifixio D. N. Iesu Christi secundum carnem. Et victoria Michaelis Archangeli. B. In Niceâ Victorini, Alexandri, Eufratæ, Cassulæ, Nicostrati, Lucillæ & quadringentorum martyrum. Alibi S. Theodolæ.

VII KAL. In Sirmio Montani Presbyteri, Maximæ vxoris eius & aliorum quadraginta. XXVI

Florus in A. T. L. Eodem die Romæ S. Castuli Martyris, qui tempore Diocletiani cùm fuisset arctatus, & tertiò appensus, tertióque auditus, in confessione Domini perseuerans, missus est in foueam, & dimissa super eum massa arenaria, talique martyrio migrauit ad Christum. Scriptum in gestis S. Sebastiani.

B. In Antiochiâ Timothei, Diogenis. In Africâ Victoris, Saturnini, Saluatoris, & aliorum XII.

VI KAL. *Vacat Beda.* XXVII
E

D. Apud Ægyptum Ioannis Eremitæ. V. Natale S. Marciani. In Africâ Romuli. Donati. Et Resurrectio D. N. Iesu Christi. A. T. Resurrectio Domini. A. T. L. In Nicomediâ natale SS. Pastoris & Victorini. A. T. In Africâ natalis Romuli. B. In Africâ Romuli, Maroli, Successi. In Pannoniâ passio S. Alexandri Mart.

V KAL. *Vacat Beda.* XXVIII

D. Cæsareâ Palestinæ Martyrum Prisci, Malchi, & Alexandri. V. In Cæsareâ Rogati, Alexandri, Dorothei. L. *omittit* Dorotheum. A. & T. Alexandrum. *quo etiam omisso.* B. *habet* Audactam. *addit.* T. & alij decem B. In Tarso Ciliciæ Castori. B. T. L. In ciuitate Cabulon depositio Guntranni Regis.

IV KAL. *Vacat Beda.* XXIX

D. Apud Africam Confessorum Armogasti, Archinimi & Satyri. V. B. Nicomediæ Pastoris, Victorini & Saturnini. B. & aliorum trium. A. T. In Nicomedia natale SS. Pastoris & Victoris. Et depositio S. Saturnini. A. Et ordinatio S. Gregorij Papæ. B. T. L. In Antiochiâ natale S. Theodori Presbyteri & Iuliani. L. Et in Nicomediâ S. Victoris.

III KAL. *Vacat Beda.* XXX

D. Romæ Quirini tribuni. V. In Thessalonicâ ciuitate Domnini & Palatini. B. *interponit* Philophili. B. Et alibi Victoris, Marcellini, Saturnini, & Eulaliæ Virginis. A. T. Natale S Eulaliæ Virginis & Palatini A. T. L. * In Siluanectis depositio S. Reguli Episcopi & Confessoris. F

* deest locus in A.

II KAL. *Vacat Beda.* XXXI

D. Romæ S. Balbinæ Virginis. V. B. In Africâ Anesij, Felicis, Diodoli, Corneliæ, Valeriæ, A. T. In Antiochiâ natale S. Romani monachi. A. T. L, Et S. Corneliæ Virg. T. L. In Africâ natale SS. Felicis, * Anesii, Diodoli.

* L. Onesi.

APRILIS

I KALENDIS. In Thessaloniâ natale Agapes & Chioniæ, sub Diocletiano: quæ primò in carcere maceratæ, posteà in ignem missæ sunt: sed intactæ à flammis post orationem ad Deum fusam animas reddiderunt.

V. Natale Paterni, Quintiani, Victuris. B. In Ægypto passio SS. Victoris & Stephani. In Armeniâ natale SS. Partini, Quintiani, Secundi.

II IV NONAS. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. Lugduno natale S. Niceti Episcopi & Confessoris: qui vir totius sanctitatis, conuersationis castissimæ, caritatis eximiæ vitâ perfunctus est.

D. Cæsareâ Cappadociæ Theodosiæ Virginis. V. In Africâ Amsani, Victuris & aliorum decem. Et Marcelli. B. In Africâ natale SS. Amphiani Victoris, & aliorum XIV. Et alibi Marcellini, Quiriaci cum aliis sex. Lugduno Galliæ depositio S. Niceti Episcopi. T. Eodem die Luxouio depositio Eusebii Abbatis. A. Eodem die natalis S. Mariæ Ægyptiacæ.

III NONAS. *Vacat Beda.* III

Florus in A. T. L. Romæ S. Sixti Papæ & Martyris qui * [dum Cathedræ B. Petri Romæ decem annis præsideret, constituit vt intra actionem Sacerdos incipiens populo hymnum decantaret videlicet Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth &c.] martyrioque coronatur tempore Veri & Anniculi.

* desunt hæc L.

D. Thessalonicæ Virginum Agapes & Chioniæ. V. B. In Cæsareâ Palæstinæ Theodosiæ Virginis: in Nicomediâ Donati,

nati. T.A.L. In Cæsareâ Palæstinæ natale S. Theodosiæ Virginis. Et in Siciliâ natale SS. Euagrij & Benigni. B. C. In * Ciliciâ natale SS. Thomæ, Euagri. B. Benignæ, Rufi, Patricii. Et passio S. Ampriani Martyris.

* C. Siciliâ

IV II NONAS APRILIS. Mediolano depositio S. Ambrosij Confessoris.

Addit Florus in A.T.L. qui ingentibus doctrinis coruscauit & virtutibus.

B. In Thessalonicâ nat. SS. Agathonis Diaconi, Theodoli. Alibi Pauli, Matutini, Orbani.

V NONIS. In Thessalonicâ natale Irenes: quæ post tolerantiam carceris & interrogationes sagittâ percussa est à Sisinnio Comite: sub quo & Sorores eius Agape & Chionia martyrizauerunt.

V. In Siciliâ Taraci. C. In Nicomediâ natalis Claudiani, Taraci. B. In Nicomediâ natalis SS. Martiani, Nicandri, Apollonii. In Alexandriâ natale SS. Didymi Presbyteri, Quirici, Pancrati, Successi.

VI VIII IDUS. *Vacat Beda.*

Florus in A.T. In Sirmiensium ciuitate passio S. Irenei Episcopi: qui gladio est percussus tempore Diocletiani Imperatoris. B

D. Xysti Papæ & Martyris, temporibus Hadriani passi. V. Nicomediæ, Firmi, Irenei Episcopi. Et alibi natalis S. Marinæ. A.T.L. Libyâ superiori natale SS. Theodori Episcopi, Erenæi Diaconi, & Serapionis.

T.L.B. In Africâ natale S. Epiphanij Episcopi, Donati, * [Rufini] Modesti & aliorum * [vndecim. C. In Africâ natale Epiphaniæ, Rufini. B. In Nicomediâ Firmi, Benerei Episcopi. In Sirmiâ Rufinæ, Moderatæ, Romanæ, Secundi cum aliis septem. In Macedoniâ Timothei, Diogenis.

* additur in B.
* deest in B.

VII VII IDVS. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. In Chalcedoniâ passio S. Eufemiæ & Eucapiæ: quæ multa tormenta pro Christi nomine tolerantes, requieuerunt in Christo.

D. Hegesippi, qui vicinus Apostolorum extitit. V.C.B.L. T. In Antiochiâ Syriæ Timothei, Diogenis, Macariæ. *Deest postrema in* L. *&* T. *in* B. *additur* Maximæ. Et alibi Eleusi Presbyteri Libyæ Superioris, Copricæ & Victori. In Alexandriâ nat. S. Pelusij Presbyteri.

VIII VI IDVS. *Vacat Beda.*

D. Turonis Perpetui Episcopi. C. In Africâ Timoris & Machari. V. In Africâ Macarij, Conexi, Maximæ, Concessi. B. In Africâ Timoris, Macharij Connexi, Maximæ. Et alibi Concessi, Ammonij & Successi. L. In Africâ SS. Macarij, Conexi & Maximi. A.T.L. Et depositio S. Saluatoris & S. Mariæ Ægyptiacæ. A. T. In Africâ natale S. Macarij & S. Frontini monachi. C

IX V IDVS. In Sirmio natale septem Virginum, quæ in vnum meruerunt coronari.

A.T.L.B. Et natale S. Demetrij Diaconi. B. Hylarij, Concessi. Et alibi Fortunati, Donati. A. Et depositio S. Hugonis Rothomagensis Episcopi. T. Eodem die natale S. Mariæ Ægyptiacæ. L. Et Translatio S. Waldetrudis.

X IV IDVS. Ezechiel Prophetæ.

B. In Alexandriâ Apollonii Presbyteri, Saturnini, Concessi. in Thraciâ natale Gaiani. A. T. Natale S. Saturnini. A.T.L. * In Africâ natale SS. Successi & Marcelli.

* deest locus in L.

XI III IDVS, Romæ Leonis Papæ & Confessoris.

B. In Salmonâ Dalmatiæ Domionis Episcopi, & Militum octo: & Dalmati. In Africâ Fortunati & aliorum ducentorum quadraginta. A.T. Et Domnini Episcopi. Et S. Dalmatii. V. Donati & aliorum ducentorum quadraginta & vnius. A. Eodem die Nouiomo depositio S. Godebertæ eximiæ Virginis, quæ in pago Ambianensi nobili prosapiâ orta extitit. T. Eodem die Lugduno depositio Fiagri & Patricii.

XII II IDVS. Romæ depositio Iulij * Episcopi & Confessoris: qui sub Constantio Arriano, filio Constantini, decem mensibus tribulationes & exilia perpessus, post eius mortem cum magnâ gloriâ ad suam sedem reuersus est. D

* B. Iuliani

Addit V. Positus ad S. Mariam in Transtiberim. C. In Capuâ Cyprianæ. B. In Capuâ natale SS. Cypriani, Nonellæ, Siluani. In Cepingo ciuitate depositio B. Constantini Episcopi. Et alibi Euphemiæ, Macharii & aliorum nouem.

IDIBVS. *Vacat Beda.* XIII

D. Pergamum Asiæ Carpi Presbyteri & Papyrii & Agathonicæ & aliarum multarum. B.V.A. T.L. In Chalcedoniâ natale S. Euphemiæ Virginis & Martyris. addunt L.T.B. Et Eucapiæ, B. post multa tormenta requiescentium. V. Secutoris, Caroli, Ianuarii. A. T. Eodem die natale S. Secutoris. B. Et alibi Ianuari, Pauli.

XVIII KAL. MAII. Romæ Tiburtij, Valeriani & Maximi, sub Almachio Vrbis Præfecto: quorum primi fustibus cæsi & gladio sunt percussi, vltimus tamdiu plumbatis verberatus, donec spiritum redderet. XIV

B. Valeriani, Quiriaci, Optati. Interamnæ Proculi, Valentini. In Alexandriâ Frontoris monachi.

XVII KAL. In ciuitate Cordulâ natale Olympiadis & Maximi nobilium: qui iubente Decio fustibus cæsi & deinde plumbatis, ad vltimum eorum capita securibus tunsa sunt, donec emitterent spiritum. XV E

B In Mesopotamiâ Archelai, Cypriani, Diogenis cum duobus fratribus. In Hispaniis Cæsareæ passio SS. Luberti, Apomidi cum duobus fratribus.

XVI KAL. *Vacat Beda.* XVI

D. Corinthum Calixti & Carisii cum aliis septem in mari mersorum. V. In Achaiâ Corintho ciuitate Calixti, Leonidis. Et passio Sanctorum omnium in mari Martyrum. B. In Achaiâ Corintho ciuitate natale SS. Calisti, Carissi, Leonidis, Lotæ, Tertiæ, Christianæ, Gallæ & Theodoræ: hi omnes in mari sunt mersi. In Mauritaniâ natale Basiliæ. Et alibi natale Mauritani, Faustini, & Luciani. A. T. L. In Achaiâ passio S. Calixti Martyris. L. & Fausti. A. T. Eodem die natale SS Fausti & Leonidis. T.L In pago Constantiensi depositio S. Paterni Episcopi & Confessoris.

XV KAL. *Vacat Beda.* XVII

D. Apud Africam S. Mappalici. D. V. A. T. L. Antiochiæ Petri Diaconi & Hermogenis Ministri eius. B. Fortunati & Marciani. In Africâ Iuliani Presbyteri, Banici, Theodoræ & Meconi. Et alibi S. Domnini Martyris. A. T. L. Romæ natalis S. Eleutherii Episcopi & S. Fortunati. L. Et Turonis depositio Cogitosi Episcopi.

XIV KAL. *Vacat Beda.* XVIII

Florus in A.T. In Africâ natale SS. Victoris & Donati. Eodem die Romæ passio S. Eleutherij & eius genitricis Anthiæ: * qui sub Adriano Imperatore passi sunt. Quorum Eleutherius in craticulâ missus prunis suppositus est, posteà in clibanum ardentem proiectus & non consumptus, alligatus est quatuor equis indomitis, nec etiam sic per frusta diuisus, sed ab Angelo solutus, nouissimè iussu Imperatoris gladio est percussus. Anthia verò mater eius cùm se supra corpus filij proiecisset, confessa se Christianam, mox capite plexa est. F

* huc vsque A.

D. Nesano Apuliæ Eleutherii Episcopi & Antiæ matris eius. V.B. Româ Eleutherii Episcopi & Antiæ matris. V. Proculi, Apolonii. A. T. L. Eodem die Lobiis natale S. Vrsmari Episcopi. B. In Salonâ ciuitate nat. SS. Septimi Diaconi & Victorici. In Africâ Victoris, Pamphylii, Prisciani. T. Turonis depositio Cogitosi Episcopi.

XIII KAL. *Vacat Beda.* XIX

D. Corinthum Timonis Diaconi de septem. Melitinâ Hermogenis cum aliis quinque. V.T. In Armeniâ Hermogenis, Gagi, Expediti, Rufi. *Vltimus hoc loco omittitur in* T. *ast* L. Rufū *præponit* Expendito *& interponit* Vincentium, *addens cum* T. qui pariter sunt coronati. A.T.B, In Militanâ ciuitate passio S. Rufi Martyris. A.T. & Vincentii. B. Antonici. A. T. Romæ natale Adriani Episcopi & Anthiæ matris eius, qui percussi sunt gladio sub Adriano Principe. B. In Africâ Sericiani, Heladii, Ermogenis. A. Ipso die Depositio Leonis Papæ, requiescentis in ecclesiâ B. Petri Apostolorum Principis. L. Et depositio bonæ memoriæ Leonis Papæ, qui Bruno dictus est nomine

XII KAL.

A

XX XII KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. Romæ depositio S. Aniceti Papæ & Martyris: qui cùm Ecclesiam Romanam annis vndecim rexisset, passus est tempore Seueri & Marci.

D. Romæ depositio Victoris Episcopi & Martyris Sulpitij & Seruiliani. V B. Romæ depositio S. Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri. Et in cœmeterio iuxta viam Numentanam Saluiani, Aragaci (*vel iuxta* B. Siluiani Aiaraci) B. Donatæ. A.T. Eodem die depositio S. Victoris Episcopi & passio Donati Martyris. Autisiodoro ciuitate depositio S. Martini Episcopi & Confessoris. B. In Africâ natale Seruani, Siluiani, Ioannis. In Autisidoro ciuitate depositio S. Marciani Presbyteri. C. Depositio Victoris Episcopi & Seruiani.

XXI XI KAL. *Vacat Beda.*

D. Perside S. Simeonis Episcopi cum aliis centum. V.B. Romæ in cœmeterio Calixti viâ Appiâ Valeriani, Tiburtii & Maximi. A.T. Romæ depositio S. Valeriani. In Alexandriâ natale S. Victoris (L. Amatoris) Presbyteri & Vitalis. T.B. In Terracinâ Campaniæ passio S. Cæsarii Diaconi. B. In Alexandriâ natale SS. Fortunati, Aratoris Presbyteri, Felicis, Siluii, Vitalis, in carcere quiescentium.

XXII X KAL. Romæ depositio S. Gaij Papæ: qui cùm Ecclesiam * duodecim annos, * [menses quatuor, dies duodecim] rexisset, martyrio coronatur sub Diocletiano Principe cum Gabinio fratre. Eodem die in Cordulâ ciuitate natalis Parmenij, Helymæ * & Chrysoteli Presbyteri, & Luci & Musæ Diaconorum * de Babyloniâ, quorum præcisa etiam lingua loquebatur. Omnes in eculeo suspensi & nexibus arctati sunt, deinde laminis ardentibus circum latera appositis vstulati, & vngulis lacerati: ad vltimum gladio truncati sunt, præsente persecutore Decio. * Scriptum in passione S. Laurentij.

B

* A.T.L. vndecim
* desunt in A.T.
* A. Presbyterorum omisso Chrysotelo.
* hactenus A.
* hactenus T.

L. Et S. Eutropii Martyris.

XXIII IX KAL. Natale S. Georgij Martyris.

Florus in A.T.L. Et in Ægypto passio SS. Victoris & Coronæ sub Principe Antonino: quorum Victor post euulsionem neruorum, & feruentis olei in eius pudilibus membris effusionem, & post eructionem oculorum, suspensus deorsum, decoriatus est atque sic decollatus. Corona verò alligata duabus arboribus diuisa est.

C

V.B. Romæ Naboris. V. Vitalis, Felicis. L. Passio SS. Felicis, Fortunati, & Achillei. T. Natale SS. Felicis Presbyteri, Fortunati & Achillei & S. Naboris Martyris. A. Natale S. Naboris. Ipso die S. Reguli Episcopi & Confessoris. B. In Africâ SS. Catulini, Felicis, Theodori, Venusti, Vitalis, Faustini.

XXIV VIII KAL. Depositio Melliti Episcopi in Britannia.

Florus in A. T. L. Galliâ Lugduno ciuitate, passio SS. Alexandri & Ypipodi cum alijs triginta quatuor: quorum Alexander in crucem extensus; ita laniatus crudelitate verberantium extitit, vt crate solutâ costarum, patefactis visceribus secreta animæ panderentur; atque sic spiritum exanimatus emisit. Ypipodus verò toto ore plumbatis confracto, eculeo est suspensus & postmodùm gladio percussus.

V. Et in hoc die Sidrach, Misac & Abdenago, qui & Ananias, Asarias, Misael: qui in Babyloniâ ciuitate magnâ de camino ignis ardentis liberati sunt. In ciuitate Lugduno Galliæ passio S. Alexandri cum aliis numero triginta quatuor, & dedicatio cryptæ vbi corpora eorum requiescunt. Et alibi commemoratio S. Georgii. B. In Alexandriâ nat. SS. Coronæ Virginis, Victoris, Zotici. In Africâ nat. SS. Faustini, Victorini, Valerii. Et nat. SS. Hecheracti & Vlfredi. *Idem* Alexander *cum sociis nominatur in* B.

XXV VII KAL. Natale S. Marci Euangelistæ in Alexandriâ: qui constitutis & confirmatis ecclesijs per Libyam, Marmaricam, Ammoniacam, Pentapolim, Alexandriam atque Ægyptum vniuersam; ad vltimum tentus est à paganis, qui remanserant Alexandriæ. * Qui videntes eum die sancto Paschæ Missas facientem, miserunt funem in collo eius, & trahebant eum ad loca Buculi, quæ erant iuxta mare sub rupibus, vbi erat ecclesia extructa: & desluebant carnes eius in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto miserunt eum in carcerem: vbi circa mediam noctem primò Angelicâ visitatione confortatus est, deinde ipso Domino sibi apparente ad cælestia regna vocatus. Et mane dum traheretur ad loca Buculi, gratias agens & dicens, Domine in manus tuas cōmendo spiritum meum, octauo Neronis anno defunctus est, & à viris religiosis Alexandriæ sepultus, in loco lapidis excisi cum gloriâ. Ordinauerat autem pro se Alexandriæ Episcopum Annianum: aliis quoq; longe lateque Ecclesijs, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos dederat.

D

* hactenus A.

E

V. L. Eodem die Letania maior. B. In Syracusâ ciuitate Siciliæ natale SS. Euadi, Ermogenis, Calistæ. Lugduno S. Rustici Episcopi.

XXVI VI KAL. Natale S. Cleti Papæ & Martyris.

Florus addit in A. T. L. qui tertius post Petrum annis duodecim Ecclesiæ præfuit, martyriumque passus est tempore Vespasiani & Titi.

Ipso die depositio S. Marcelli Papæ: qui cùm Ecclesiam nouem annis menses quatuor rexisset, temporibus Diocletiani & Maximiani, ab eodem Diocletiano capite truncatus est, & post dies triginta quatuor sepultus viâ Salariâ in cubiculo, à Marcello Presbytero & Diaconibus cum hymnis.

Addit V VI Kalendas Maias.

A.T. Eodem die depositio S. Richarij Confessoris. T. Sacerdotis Christi. B. In Africâ Honorati, Pauli, Maximi, Apollonii.

XXVII V KAL. *Vacat Beda.*

F

D. S. Anastasii Papæ. Nicomediâ S. Anthimi Episcopi cum innumerâ multitudine Martyrum. V. In ciuitate Tharso Ciliciæ natale S. Castorii In Nicomediâ Antimi Episcopi. Et Stephani Episcopi. A.T.L.B. In Nicomediâ S. Anthimi Episcopi. B. Stephani Episcopi. Antonini Presbyteri. A.T.L.B Et in Ægypto depositio Victoris, Maximi, Martiani, Paulini Germani * [& Germani.] L. Castoris & Stephani Episcopi. A. Eodem die Nouiomo Translatio Beatorum Mumulini & Hunonis, atque S. Godebertæ Virginis. T. Eodem die in ciuitate Tharso Ciliciæ natale S. Castoris. T. L. Et in ciuitate Militanâ militum Hermetis & Eppei. T. Presbyteri. B. In Lidiâ Genesi, Sodoclis, Marini.

* B. *cum aliis sex.*

XXVIII IV KAL. Passio * S. Vitalis Martyris.

* *perperam in* D & V, Romæ

Florus addit in A.T.L. qui dum fuisset cum Paulino iudice suo Rauennam ingressus, & videret in conspectu suo quemdam Christianum, nomine Vrsicinum, post nimia tormenta ob sententiam decapitationis pauere, exclamauit dicens: Noli, noli, Vrsicine medice, qui alios curare consueuisti, teipsum æterno mortis iaculo vulnerare: * & qui per passiones nimias venisti ad palmam, ne perdas coronam à Domino tibi præparatam. Hæc audiens Vrsicinus genu posuit, & spiculatorem vt veniret hortatur, agens pœnitentiam quòd expauisset in Christi martyrio. Fecitque statim ipse Vitalis corpus Martyris rapi, & intra Rauennatium vrbem sepeliri cum honore maximo: ob quam caussam ipse Paulinus eum teneri mandauit: & quia idolis

* hactenus A.

A idolis sacrificare contempsit, in foueam vsque ad aquam supinum fecit demergi, & terrâ ac lapidibus obrui.

Eodem die natalis S. Christophori Mart.

Florus in A. & L. Eodem die Bituricas ciuitate depositio S. Eusicij Episcopi & Confessoris * qui totum aurum & diuitias huius mundi tamquam stercora exhorruit. (* hactenus L.)

A. Eodem die depositio S. Winvvaloëi Confessoris. L. Et commemoratio Translationis Reliquiarum S. Lamberti Episcopi & Martyris. B. In Alexandriâ natale S. Victurini. In Tarso Ciliciæ Marinæ cum aliis CLXX. In Africâ natale SS. Mulinij, Maurilij, Lucani, cum aliis CCLXX. In Pannoniâ Eusebii Episcopi. Cornubiæ nat. S. Guingualoëi Confessoris.

XXIX III KAL. *Vacat Beda.*

D. Paphum Tychici Apostolorum discipuli. V. T. B. In Alexandriâ natale S. Germani Presbyteri. B. & Prostoci Diaconi. V. L. B. In Nicomediâ Prudentii, * Martialis. B. Et Theodoræ Virginis. A. T. L. In Nicomediâ natale S. Vrbani & * Valentini. T. Et Martialis. Et depositio S. Prudentii. A. Et depositio S. Germani Episcopi & Confessoris. D (* B. Martiani; * L. Valentiniani)

II KAL. *Vacat Beda.* XXX

Florus in A. T. L. Romæ depositio S. * Quirini Episcopi & Martyris. Eodem die apud Asiam passio Maximi Martyris, qui tempore Decij Imperatoris, & Optimi Proconsulis, postquàm fustibus cæsus est & in eculeum suspensus, inde depositus & lapidibus obrutus est. (* B. Quirici Ep.)

D. Sanctorum Martyrum Mariani & Iacobi. V. B. In Alexandriâ natale S. Dorothei Presbyteri. V. Et alibi Podoniani Diaconi. Romæ Prætextati; Quirini. B. Rodociani Diaconi, Clementi, Honorati, Reducti, Secundini Episcopi.

MAIVS.

I KALENDIS. Ieremiæ Prophetæ. Et in Hieropoli Philippi Apostoli & Iacobi Apostoli Fratris Domini. B

Addit Florus in A. T. L. * [Quorum primus in Asiâ in ciuitate Hierapoli prouinciæ Phrygiæ passus est, ibique cum filiabus suis requiescit] secundus autem ex vtero matris suæ sanctus fuit. Huic post ascensionem Christi Episcopalis in Hierosolymis delata est ab Apostolis Sedes: sed cum Iudæis Christum Dei filium prædicaret, de pinnâ templi ab ipsis est præcipitatus & lapidibus obrutus. * Cumque lapidibus vrgeretur, pro eisdem persecutoribus exorabat dicens: Rogo Domine Deus Pater, dimitte eis hoc peccatum: non enim sciunt quid faciunt. Et ecce vnus ex ipsis fullo, arrepto fuste, quo vda vestimenta extorqueri solent, cerebra eius illisit & tali martyrio consummatus est, ac sepultus in eodem loco propè templum. Scriptum in historiâ ecclesiasticâ libro 2. *Idem Florus in* A. T. L. Eodem die passio S. Iudæ Hierosolymitani Episcopi cognomento Quiriaci, qui passus est in Hierosolymâ sub Iuliano Imperatore, & passio Annæ matris eius: sed & Ammonis incantatoris. * Nam Iulianus proficiscens aduersùs Persicum bellum cùm Hierosolymis venisset, statim eiusdem vrbis Episcopum sibi adduci præcepit, & cùm in fidei confessione constantissimum inuenisset, iussit ei manum dexteram abscindi, deinde C forcipe ferreâ os eius aperiri, plumbumque remissum infundi, vt interiora viscera eius efflarentur. Et cùm nec ita taceret, iussit grabatum æreum afferri, & in eo extendi sanctum virum, & substerni carbones ignis & spargi super eum sal & adipem, & insuper virgis cædi, vt venter & interiora viscera eius laxarentur ab igne. Taliterque virtute Domini necdum consumpto, cùm posteà inclusus seruaretur, venit ad eum Anna mater eius, consolans & corroborans eum. Et cùm agnita esset Christiana, iussit eam Imperator per capillos suspensam ob confessionem Christi nominis exvngulari, magnasque lampadas lateribus eius applicari vsque dum deficeret. Posteà verò Quiriacus vocatus, in fossam serpentibus plenam missus, exiuit illæsus. Quod Ammon incantator videns, Christi virtutem confessus, statim iussus est decollari. Sanctum verò Quiriacum in olei feruentis cacabum missus, cùm non deficeret, iussit eum magno cuneo in pectus ferire sicque occidere. L. scriptum in passione ipsius. (* desunt in L.; * hactenus A.; * hactenus A.)

C. Et S. Sigismundi Regis. B. In Tolosâ natale S. Orienti Episcopi Autissiodoro Galliæ depositio S. Amatoris Episcopi. Agauno passio Sigismundi Regis. Cornubiæ natale S. Conrintini Confessoris atque Pontificis. Et Bricii Episcopi.

II VI NONAS. Sancti Patris nostri Athanasij Episcopi Alexandrini.

Florus addit in A. T. L. orthodoxi, qui pro Christi fide multa perpessus est.

MS. V. addit & ordinatio VI Kalendas Ianuarii creditur. V. Alexandriæ natale S. Saturnini in carcere quiescentis cum Neapoli socio suo. B. Et Saturnini cum Neapoli. Et nat. SS. Cælestini, Vrbani, Priuatæ. Autissiodoro nat. SS. Optati Episcopi, Memori, & Santiani Presbyterorum. E

V NONAS. Romæ SS. Alexandri Papæ, & Euentij & Theodoli Presbyterorum: * quorum primus post vincula & carceres, eculeum, vngulas & ignes, punctis creberrimis per tota membra peremptus est: sequentes, & ipsi post longam carceris sustinentiam ignibus examinati & ad vltimum decollati sunt, sub Aureliano iudice tempore Traiani Principis. Ipso die inuentio sanctæ Crucis. III (* hactenus A.)

Florus addit in A. T. L. Ab Helenâ ducentesimo tricesimo tertio anno post passionem Domini, regnante Constantino Imperatore.

L. Ipso die S. Iuuenalis Episcopi. B. Autissiodoro depositio S. Eusebii Presbyteri & Auiti Diaconi. Alibi S. Iuuenalis Martyris.

IV NONAS. *Vacat Beda.* IV

Florus in A. T. L. Ex eodem auctore descripsisse videtur, vnde V. sumpsit sequentia: In Nicomediâ natale S. Antoniæ: quæ nimiùm torta & varijs tormentis afflicta, ab vno brachio tribus diebus suspensa, & in carcere biennio retrusa, à Priscilliano Præside flammis exusta obijt. F

B. In Africâ SS. Callisti, Felicis, Vrbani. In Cæsareâ nat. S. Siluani. In Alexandriâ XL Martyrum. Autissiodoro depositio S. Concordini Diaconi. D. Ciuitate Gazâ Siluani Episcopi cum pluribus Clericorum suorum coronati. A. T. Passio Antonini Martyris. A. In suburbio Virdunensi translatio sanctorum Confessorum, pariterque Pontificum Pulchronii, Bossessoris, atque Firmini.

III NONAS. *Vacat Beda.* V

D. B. Alexandriâ * Euthymii Diaconi, in carcere quiescentis. B. V. Arelato depositio S. Hilarii Episcopi. V. T. L. Viennæ depositio Nectarii. V. & Nicetæ. T & Niceti. B. A. T. Ascensio Domini. In Thessalonicâ natale SS Herenæi. B. peregrinorum. A. T. & Peregrini; qui ignibus sunt adusti. A. T. L. Autissiodoro passio S. * Iuuiniani. Lectoris & Martyris. A. Eodem die Duaco depositio S. Mauronti Confessoris & Leuitæ. T. L. In Galliâ ipso die festiuitas S. Mauronti Abbatis. (* B. Pauli; * A. Viniani.)

II NONAS. *Vacat Beda.* VI

V. In Persidâ natale S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ, qui Publicanus à Christo vocatus, primùm in Iudæâ, posteà in Macedoniâ prædicauit, passus in Persidâ requieuit in Môtibus: cuius natalis celebratur XI Kalendas Octobris. Eodem die S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ ante Portam Latinam;

A tinam: *quod vltimum etiam est in ceteris omnibus MSS. & solum quidem in Diuionensi, sed variâ vbique phrasi, vt vel hinc appareat non esse Bedæ: prosequitur autem.* L. quando coram Senatu in feruentis olei dolium missus est iussu Domitiani Cæsaris: vnde cum virtute Domini protectus illæsus exisset, in insulâ quæ dicitur Pathmos exilio deportatus est. B. In Africâ S. Secundiani Episcopi Mart. * A. T. Mediolano natale SS. Victoris & Felicis. A.T.L. In Galliis vico Iulio depositio S. Geronti Confessoris & Edentij. V. Ipso die S. Floriani & S. Valerij Episcopi.

* hinc lacero folio deficit B. vsque ad pridie Idus

VII NONIS. *Vacat Beda.*

D. Iuuenalis Martyris. Et Flauiæ Domitillæ. Nicomedis & aliorum. V. In Nicomediâ Flaui Episcopi. Augustini, Marcellini, Maximi. A.T. Natale S. Augustini Nicomediæ Pontificis. A.T.L. Arelato depositio Hilarij Episcopi & Confessoris. Augustiduno depositio B. Placidi Episcopi. T. In pago Aquitaniæ Prouinciæ Herbatilico natiuitas S. Amandi. Eodem die translatio S. Nicolai in Barrensem vrbem.

VIII VIII IDVS. *Vacat Beda.*

D. Mediolani S. Victoris Martyris: *addunt* V. A. T. capite cæsi. A. T. In Sanctonico depositio S. Martini Episcopi. A. T.L. Eodem die natale S. Elladij Episcopi. Ipso die apparitio S. Michaelis Archangeli in monte Gargano.

IX VII IDVS. *Vacat Beda.*

B V.D.A.T.L. In Persidâ natale Martyrum trecentorum decem. D.T L. *sed varia vbique phrasi,* Nazianzi oppido B. Gregorij Episcopi qui Theologus dicitur. A.T. In Anxiopoli natale S. Quirilli. Romæ natalis Sanctorum Beati Confessoris & S. Primoli. L. Romæ viâ Latinâ passio S. Primoli. V Romæ natale Confessorum Gordiani & Primoli. T. Eodem die in Constantinopoli natale S. Timothei.

X VI IDVS. Natale Sanctorum Gordiani & Epimachi, & Romæ natale Calepodij senis Presbyteri, sub Alexandro Imperatore; qui eum fecit occidi à Laodicio, & corpus trahi per ciuitatem, atque in Tiberim iactari die Kalendarum Maiarum. Quod inuentum piscatores leuauerunt, & narrauerunt Calixto Episcopo. At ille acceptum condidit cum aromatibus & linteaminibus, & sepeliuit eum in cœmeterio eiusdem viâ Aureliâ, milliario ab vrbe tertio VI Idus Maij. Tunc decollatus est ab Alexandro Palmatius Consul cum vxore & filiis & alijs promiscui sexus quadraginta duobus, (cum quibus & C Simplicius Senator) qui per doctrinam Calixti Papæ & Calepodij Presbyteri nuper fuerant baptizati. Scriptum in passione S. Calixti Papæ.

V. Et depositio Iob Prophetæ.

XI V IDVS, *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. Viennæ depositio S. Mametti Episcopi & Confessoris, cuius Præsulatu in Viennâ vrbe terræmotus permaximus fuit: sed & bestiæ in homines irruentes deuorabant. Vnde isdem Antistes multorum consultu, triduanum ieiunium, quod ante Ascensionem Domini Galliarum populus celebrat, instituens, iram Dei in misericordiam conuertere promeruit.

V. Romæ viâ Salariâ milliario duodecimo natale S. Anthimi. D. Romæ S. Anthimi. Viennæ Mamerti Episcopi: qui ob imminentem cladem solennes ante ascensionem Domini Letanias instituit. T.L. Eodem die Romæ viâ Salariâ passio SS. Achillis, Serapionis, Ianuarij. A.L. Et S. Gengulfi Martyris. A.T. Ipso die depositio S. Maioli Abbatis.

XII IV IDVS. Romæ SS. Nerei & Achillei. Et S.P.N. Epiphanij Episcopi Cypri. Et Romæ S. Pancratij: qui cùm esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione compleuit.

T. Eodem die natale S. Rictrudis.

III IDVS. Dedicatio S. Mariæ ad Martyres. Eodem die S. Seruatij. D XIII

Florus in A.T.L. Traiecto portu natale S. Seruatij Episcopi. Hic dum ad B. Petri Apostolorum Principis sepulcrum pro ereptione populi Galliarum Domino supplicaret, ne ab Hunnis vastarentur, ab ipso Apostolo, vt fertur, accepit responsum in visu, & ipsum citò corpore migaturum, & nullam Galliarum vrbem præter Metensium, propter pignora B. Stephani Martyris ibi recondita, liberandam.

In Palestinâ Taraci, Probi & Andronici: * qui sub Maximo Præside post plura tormenta in amphitheatrum proiecti, cùm à bestiis non læderentur, gladiis sunt deputati.

* hactenus A.

Idem, vt videtur sed in solo T. Ipso die passio S. Mucij Presbyteri: qui passus est in Amphipoli ciuitate, sub Laodicio & Maximo Proconsulibus. Qui iussus est primò suspendi & exungulari penè vsque ad ossa: deinde missus est in caminum ignis ardentis: inde virtute Domini illæsus exiens, sub duas rotas mittitur, vt voluentes diuiderent membra eius: quibus solutis, nouissimè gladio traditus est.

II IDVS. Sancti Patris nostri Pachomij, qui cùm esset factus Apostolicæ gratiæ insignis, fundatorque Ægypti cœnobiorum, scripsit monasteriorum regulas, quas Angelo dictante didicerat: simul & de tempore Paschali. Ipso die in Syriâ natalis Victoris & Coronæ sub Antonino Imperatore, Duce Alexandriæ Sebastiano. *Erat autem Victor miles à Ciliciâ, cui Sebastianus in confessione fidei confringi digitos & velli iussit à cute. Deinde illum iussit in caminum ignis mitti, vbi triduò permanens non est læsus. Deinde venenum bibere iussus, non est mortuus, sed veneficum potiùs ad fidem conuertit. Deinde iussum est neruos corporis ipsius tolli; deinde oleum bulliens mitti in pudendis eius. *[Post hæc iussit ardentes lampades suspenso ad latera applicari. Post hoc acetum & calcem simul misceri & dari ei in ore: deinde oculos erui: deinde triduo iussum capite suspendi]& dum adhuc spiraret, iussit eum excoriari. Tunc Corona, cùm esset vxor cuiusdam militis; cœpit beatificare S. Victorem pro gloriâ martyrij. Id dum faceret vidit duas coronas de cælo lapsas, vnam Victori & alteram sibi missam. Cumque & hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est à Iudice, & iussum est duas arbores palmæ curuari ad inuicem, & canabinis funibus ligari Coronam in vtraque manu & pede vtroque, & sic arbores dimitti. Quod dum fieret, diuisa est Corona in duas partes: erat autem annorum sedecim. Tunc quoque Victor decollatus, & ipse victoriæ perennis triumphum promeruit. XIV E F

* hactenus A.

* desunt in L. sequentia.

V. Eodem die S. Bonifacii in Apennino. B. In Mediolano Victoris, Felicis, Rustici. Et natale Sanctorum quadringentorum quatuor martyrum qui cum S. Cyrio passi sunt.

IDIBVS: *Vacat Beda.* XV

Florus in A.T.L. Apud Lampsacum passio SS. Petri, Pauli, Andreæ, & Dionysiæ Virginis: quorum Petrus post diuersa tormenta gladio est percussus, Andreas & Paulus lapidibus obruti, Dionysia gladio deputata. B. *solum locum & nomina habet.*

A D. Natale sanctorum Confessorum, Torquati, Cresiphontis, Secundi, Indaletii, Cecilii, Esicii, Euphrasii. B. In Sirmiâ Timothei, & alibi septem Virginum. In Sardiniâ Simplicii. B. V. A. T. L. In portu Romano natale SS. Præstabilis, Felicis, Victoris, Cirici, Ianuarii, Geruli. *Ex his* Victor *est in solo* V. Gerulus *in solo* B. Ciricus *in* V. & L. *sed in hoc vltimus: qui in* B. Cyrinus *dicitur*.

XVI **XVII KAL. IVNII.** *Vacat Beda.*

D. Apud Isauriam Aquilini & Victoriani: *addunt* T. & L. quorum gesta in præfato loco habentur: *qua aliò fortasse spectabant*. V. In ciuitate Piceni Auximo Florentii, Diocletiani. Et S. Peregrini Episcopi. A. T. L. In ciuitate Piceno natale S. Florentii. In Autissiodorensi passio S. Peregrini primi ipsius ciuitatis Episcopi. B. In Cæsareâ natale SS Aquilini, Victorini, Paulini. In ciuitate Ephesо Mangenis, Gaianis, Iouini. In Autissiodoro passio Peregrini Episcopi. Et depositio Fidoli Presbyteri.

XVII **XVI KAL.** *Vacat Beda.*

D. In Tusciâ Torpetis Martyris sub Nerone Principe. V. Natale S. Syri Confessoris. Et depositio Liberii Episcopi. B. A. T. L. Romæ *[viâ Salariâ veteri] Sancti * Paterni *[ac Primi] & Liberii Episcopi. B. Gallicori Episcopi In Alexandriâ Victoris, Basilii. B. A. T. L. Niuiduno natale Eracli & *Paulini. B. Minerii, Aquilini, Arthemii.

** *inclusa sunt in solo* L.
* B. *Pauli.*

XVIII **XV KAL.** *Vacat Beda.*

B D. Apud Ægyptum Dioscori Lectoris. *addunt* L. & T. qui pro Christi nomine multa sustinuit tormenta. L. Romæ passio Ioannis Episcopi. V. In Alexandriâ Patamonis Presbyteri, Ortasij Presbyteri, Serapionis. A T In Alexandriâ natale S. Homasij Presbyteri & Maximi, *aliàs* Maximæ. B. In Alexandriâ Partomi Presbyteri, Serapionis Presbyteri. Et S. Martini Papæ. In Ægypto Dioscori Lectoris, qui multa passus est. In Constantinopoli Dariui, Luciosi, Marciani. Et alibi natale SS. Casii & Victoris.

XIX **XIV KAL.** Romæ natale S. Potentianæ Virginis.

Addit Florus in A. T. L. Romæ natale Caloceri & Partheni (*huc vsque est in* V.) eunuchorum: sub Decio Imperatore: qui pro eo, quòd idolis sacrificare noluerunt, occisi sunt. *paulò plenius Rabanus & B.*

A. Atrebatæ depositio S. Hadulfi Episcopi & depositio S. Dunstanni Archiepiscopi. L. Eodem die in basilicâ S. Quintini aduentus Reliquiarum SS. Firmini, Fusciani, Victorici, Gentiani, Acii, Acioli, Honerati, Walerici, item Firmini. B. In Alexandriâ natale S. Areni Diaconi. D. Et Pudentis discipuli Apostolorum.

XX **XIII KAL.** *Vacat Beda.*

V. In Africâ Victi, Maurellæ, Quinti, Primoli, Salustii, Fortunati. B. In Africâ natale Sanctarum Victuriæ, Marcellosæ, Falsæ. Et alibi depositio Vallesii & Faustuli Episcopi. C D. Romæ viâ Salariâ S. Basillæ Virginis & Martyris. B. A. T. L. Romæ natale S. Basilissæ * & Aurei. In * Galliâ Nemauso ciuitate, Blaudii (T. Bautlii. B. Bauddi. L. Bautii) Martyris. A. T. L. cum sociis suis.

* deest in L.
* B. *Nustia Nemani*

XXI **XII KAL.** *Vacat Beda.*

Florus in T. & L. In territorio Heburrensi passio S. Mantij, qui passus est à Iudæis, quem ob filij Dei confessionem extensum funium vinculis, plagarum ictibus verberabant. Postmodùm totum corpus arctissimis vinculis alligauerunt tantisque corpus vulneribus affecerunt, vt membra vermibus pascerent * [Hisce adiiciunt vt ab ortu solis vsque ad occasum exercendi rursus in grauiorem culturam pœnalis numerus adderetur] sed istis omnibus inuictus, Deo spiritum reddidit.

* desunt in L.

V. Romæ Basilissæ, Aurei, Geruasij & Protasij. D. Mauritaniâ. Timothei Presbyteri & Eutycij Diaconi. B. In Africâ natale SS. Victi, Marcellæ, Quinti, Primuli, Salutij, Fortunati. In Britanniâ natale Timothei Diaconi. In Autisiodoro depositio B. Valis Presbyteri. A. T. L. In Mauritaniâ natale SS. Polienctici Diaconi, Timothei & Victi: qui in vnâ die meruerunt coronari.

XXII **XI KAL.** In Africâ Casti & Emylij: qui per ignem passionis martyrium consummauerunt. * [Scripsit hoc Cyprianus in libro de lapsis.

* deest hæc clausula in V.

B. Romæ nat. SS. Faustini, Timothei, Venusti. In Corsicâ insulâ passio S. Iuliæ. In Autisiodoro depositio S. Elenæ Virginis. D

X KAL. *Vacat Beda.* XXIII

Florus in T. L. In Africâ passio Iuliani Martyris. Et in Viennâ depositio S. Desiderij Episcopi: qui iussu Theodorici Regis & Brunechildis Reginæ primò est lapidatus: & cùm iam vitam exhalaret, fuste in collum percussus, & sic interemptus est.

D. Romæ Gaij Papæ & aliorum ducentorum quinquaginta. Lugduno Epipodij. V. Viennâ passio S. Desiderij Martyris. Quinti, Lucij, Ianuarij. A. Natale S. Iulii Martyris. Et Desiderii Episcopi. B. In Africâ Quinti, Lucii. Biennâ passio S. Desiderii Episcopi & Martyris. In Hispaniis nat. SS. Epicti, Aptoni, Basilii Episcopi.

IX KAL. *Vacat Beda.* XXIV

D. S. Manahen Herodis Collactanei, Antiochiæ quiescentis. B. V. In portu Romano natale S. Vincentii. In Syriâ Zoili, Saturi. B. Timii, Saturnini. B. A. T. L. In Galliâ ciuitate Nannetis passio SS. Rogatiani & Donatiani germanorum Martyrum. B. In Africâ natale SS. Fortunati & aliorum trium.

VIII KAL. Romæ natale S. Vrbani Papæ & Confessoris, cuius doctrinâ multi martyrio coronati sunt. XXV

E

Addit V. Et S. Maronis. B. Mediolano depositio Dionysii Episcopi, Polegrati, & aliorum quatuor Coronatorum. Alibi Trecas S. Marcellini Episc. Trecas Leonis Martyris.

VII KAL. In Britanniâ depositio S. Augustini * [primi Anglorum Episcopi. XXVI

* abest à D.

B A. T. L. In Autissiodoro passio S. Prisci Martyris cum sociis suis * [innumerâ multitudine.] V. Et S. Prisci. B. In Africâ Rufini & Valeriæ. D. Et Athenis Quadrati discipuli Apostolorum. Romæ Symmitrii, & aliorum viginti duorum Martyrum.

* deest in B.

VI KAL. *Vacat Beda.* XXVII

Florus in A. T. L. Passio S. Iulij, qui sub Maximo Præside capitis amputatione compleuit martyrium.

V. T. L. In Alexandriâ * Aquilini * [Presbyteri, Euangelii] & aliorum quatuordecim. A. T. L. In Africâ SS. Martialis & * Litiani. A. T. Romæ natale S. Castuli A. In pago Atrebatensi translatio corporis S. Ragnulfi Martyris B In Tomis Heliæ, Luciani. Eutrici Episcopi. D. Mesiâ ciuitate Dorosterensi Iulii Martyris.

* B. *Aquili*
* hæc in solo V. & B.
* L. Luciani

V KAL. Parisius Germani Confessoris. XXVIII

Florus addit in T. & L. qui tantæ virtutis fuit, vt, sicut in gestis eius legitur, caussas infirmitatum hoc esset sancto viro curare quod & tangere. *Vel, quod habetur in* A. qui beatus eiusdem vrbis Episcopus, quantæ sanctitatis quantique meriti fuerit, quibus etiam claruerit miraculis, Fortunatus Episcopus veraci stylo digessit. F

Ipso die depositio S. Ioannis Papæ: quem, quia orthodoxus erat, & à Iustino Imperatore orthodoxo Constantinopolim veniens gloriosè susceptus erat, Theodoricus Rex Arrianus reuertentem in Rauennam, in custodiâ tentum ad mortem vsque cum aliјs æquè Catholicis perduxit. Huius meminit S. Gregorius in libro Dialogorum: cuius corpus translatum de Rauennâ sepultum est in basilicâ S. Petri v Kalendas Iulij, Olybrio Consule.

Deest character temporis in V. & L. *solius diei in* T. *totum Elogium ipsaq; memoria* Ioannis Papæ *in* A.

B. In Sardiniâ Emilii, Felicis Priami, Luciani.

IV KAL. In Treuiris Maximini Episcopi & Confessoris. XXIX

Addit Florus in A. T. L. qui magnus aduocatus populo suo magnis se virtutibus declarauit. *Et primo loco.* Apud Cæsaream passio S. Cyrilli * [qui ob Christi fidem mortis detrimenta liberè suscepit.

* huc vsque L.

B. T. Ro-

A B.T. Romæ natalis S. Restituti. B. Et natale septem Germanorum. V. Româ viâ Aureliâ Restitutæ: Septem Germanorum: & dedicatio S. Clementis. B. In Africâ nat. SS. Primi, Accidiæ, Passimoni, & aliorum quinquaginta trium. In Cæsareâ Cappadociæ nat. S. Cyrilli, Primoli, & Venusti.

XXX III KAL. *Vacat Beda*,

D. Viâ Aureliâ in cœmeterio Felicis Papæ. Turribus Sardiniæ Gabinii & Crispuli. B. In Sardiniâ natale SS. Gabini, Crispoli. V. Antiochiâ Palatini, qui multa tormenta passus est. Gauisii, Scrispuli. A.T. Romæ SS. Processi & Martiniani. A.T.L. In Aquileiâ natale SS. Cantii * Cantiani, Proti & Chrysogoni. B.T.L. In Antiochiâ passio SS. Sici, Palatini, * Eutymii. T. qui & multis afflicti sunt tormentis. B qui multa tormenta passi sunt. D

* deest in L.

* deest in C.

II KAL. Romæ Petronillæ Virginis. XXXI

Addit T *&* L. filiæ B. Petri Apostoli. V. D. * Romæ Viâ Aureliâ Processi & Martiniani. A. T. In Antiochiâ natale S. Paulini, Isici & Iusti. B. In Antiochiâ Paulini & Isici. In ciuitate Gerundâ natale SS. Germani, Victuri, Siluani. In ciuitate Sistâ Donatiani.

* deest locus in V.

I V N I V S

I KALENDIS. Natalis Nicomedis Martyris.

B. Romæ dedicatio Basilicæ S. Nicomedis M. T. & Reueriani Martyrum. V. Thessalonicâ Luciæ Virginis & Aucegæ Reginæ barbarorum. A. T. B. Viennâ depositio S. Claudii Episcopi. A.T. Romæ natalis S. Exuperantii. L. In Viennâ SS. Elladii & Claudii Episcoporum. B. In Africâ Crispini, Iouenti, Cyriaci.

II IV NONAS. Romæ Marcellini Presbyteri & Petri exorcistæ: qui multos in carcere ad fidem erudientes, post dira vincula & plurima tormenta decollati sunt, sub iudice Sereno: & qui eos decollauit, vidit animas eorum splendidè ornatas ab Angelis ferri in cælum: & pœnitentiam agens, sub Iulio Papâ baptizatus est in senectute suâ, nomine Dorotheus. B

Ipso die in Lugduno S. Blandinæ, cum quadraginta septem Martyribus: cui à primâ luce vsque ad vesperam tormenta semper innouantes, ad vltimum victos se tortores confitentur: quæ * [& secundo die pulsata cruciatibus non superatur. * [[Tertiò quoque die religata ad stipitem, atque in crucis modum distenta, bestiis pabulum præparatur. Quam cùm nulla ex bestijs auderet attingere, rursum reuocata ad carcerem; quartò] etiam verberibus acta, craticulis exusta, & multa alia perpessa, ad vltimum gladio iugulatur. Tunc & * Ponticus puer annorum quindecim, per omnia tormentorum genera cum ipsâ circumactus, & maternâ eius cohortatione roboratus, ante illam martyrium cõsummauit sub Antonino Vero]] Scriptum in Historiâ ecclesiasticâ libro quinto. C

* Inclusa desunt in L.

* & hæc in A. fere ad finẽ vsque

* L. Pôtius

V. Eodem die S. Erasmi Episcopi & Confessoris.

III III NONAS. *Vacat Beda*.

Florus in A.T. L. Aurelianis vico Magduno depositio S. Liphardi Presbyteri: qui tantæ abstinentiæ fuit vt vnciâ hordeacei panis manibus proprijs compositi, & ad diem tertium; in bibitione aquâ solummodò parcissimè vteretur. T. Hic maximis pollens meritis, in sublimi cælestium agminum chorum animæ Theodomiri, quondam Miciacensis Abbatis vidit occurrere, & cum gaudio ad cælum canendo vsque deferre. Scriptum in gestis eius.

D. Aretio Tusciæ Martyrum Pergentini & Laurentini. Campaniâ Erasmi Episcopi & Martyris. V. Romæ natale SS. Marcelli, Donati, Gagi, Ianuarii, Victoriæ T. *omisso* Gago *pro* Victoria *habet nomen* Vrbani. A. T. L. In Africâ natale S. Quirini & Laurentii. B. Romæ Marcelli, Saturnini, Vrbani, Felicis, Veneriæ. Et alibi Siluani cum aliis octoginta duobus. In Aureliano depositio S. Liphardi Presbyteri.

IV II NONAS. *Vacat Beda*.

D. Illyricum ciuitate Sissiâ Quirini Episcopi & Martyris. B.V.T.L. Romæ * [in cœmeterio ad Catacumbas] viâ Appiâ * [milliario quarto] natale SS. Picti, Arecii, Datiani. A. T.L. Niuiduno natale S. Saturninæ, Zotici & Euticii. *deest in* L. *locus agonis* B. In Ciliciâ nat. SS. Expergenti, Philippi, Iuliæ Saturnini. In Salariâ ciuitate, Rustili cum aliis duobus.

* deest in V.

* & hoc in T.L. totũ verò præter nomina in B.

NONIS. *Vacat Beda*. V

Annis ab huius Beda morte viginti S. Bonifacii Archiepiscopi in Fresonis Martyrii passio peracta est, & Eobanci * Episcopi eius cum aliis seruis Dei sociis eorum. *ita* D. *&* V. *Similiter ferè* B. In Frisonis passio SS. Boniphatii Archiepiscopi & Eobanchi Presbyteri eius cum aliis seruis Dei duodecim. *deinde addit* : Romæ Feliculæ & Felicitatis. In Ægypto Marciani, Nigandri & Apollini. In Africâ Euasi & Priuati. A. * Pulsâ monasterio S. Bonifacii Archiepiscopi, qui Fresonibus verbum Dei annuntians Martyrio coronatus est. T. *omisso loco addit*. Eodem die Eobanci Episcopi cum aliis seruis Dei L. In Fresoniis natale S. Bonefacii Archiepiscopi, qui Fresonibus verbum Dei annuntians Martyrio coronatus est. Eodem die passio Eobanci eius Coëpiscopi cum aliis seruis Dei socii eorum *Martyrol Rabani*. Nonis Iunij Bonifacij Archiepiscopi, cuius in Fresonis Martyrij passio peracta est: & Eobani Coëpiscopi eius cum seruis Dei Wintrunge & Vualthere, Scirbalde & Bosan, Hamunde & Æthelhere, Wancare, & Guandacare, Willehere & Hadouolfe. *Porrò quomodò Rabanus ista suo inseruit Martyrologio, propter sacri corporis in Fuldensi ecclesiâ tumulationem & miraculorum celebritatem: ita videtur memoria eiusdem S. Martyris totis Gallijs gratiosissimi, ob regium diadema à Merouingicis in Pippinum eiusq; successores translatum, statim adscriptum fuisse antiquissimis omnibus Gallicanarum Ecclesiarum fastis, ipsisq; Bedæ necdum aucti exemplaribus, sub ea verborum diuersitate, quam exhibent codices prænotati: vnde factum sit vt in V & D, aliàs nihil nisi Bedæ textum commune habentibus, eadem inueniatur formula, & in D ipsa sic scripta quasi Bedæ fuisset. An autem harum aliqua Flori sit & quæ, diuinare non præsumimus.* E

* B. Coëpiscopi

* imo Fulda

VIII IDVS. *Vacat Beda*. VI

D. Philippi Diaconi de septem. Apud Cæsaream Cappadociæ Liciniani. B.V. In Africâ natale Itali, Zotici. B. & Tali. V. Et Interamnæ translatio Corporis B. Proculi Martyris. B. Et depositio Cærati Episcopi. B. A. T. L. Niuiduno natale SS. Amantii, Lucii * [Gratianopoli] Alexandri. T. L. Gandauo depositio S. Guduali Episcopi & Confessoris. T. Eodem die in Alexandriâ passio Philippi & depositio Claudii Episcopi. L. Passio Philippi Alexandrini Episcopi. F

* est in solo B.

T. *primo loco* Translatio sanctarum Virginum & Martyrum Christi Honoratæ atque Florinæ; insuper & multarum Reliquiarum à Coloniâ Agrippinâ ad ciuitatem Tornacum: inter quas Reliquiæ de sacratissimo corpore eximiæ Virginis & Martyris Vrsulæ: quæ in illo nominatissimo Virginum vndecim millium consortio principatum tenuit, totiusque collegii dux ad Christum effulsit. Translatæ sunt & reconditæ in ecclesiâ S. Martini Tornacensis in suburbio ciuitatis, quod actum esse constat clementiâ diuinæ misericordiæ anno Verbi Incarnati MCLXX.

VII IDVS. *Vacat Beda*. VII

D. Constantinopoli Pauli Episcopi. V. A. T. L. In Byzantio, quæ est Constantinopolis natale SS. Pauli, Fortunati. L. Primosi. A.T.L. Et Achaici monachi. V. Et Luciani Martyrum. *Ast* A. T. B. In Cæsareâ Cappadociæ passio S. Iuliani Martyris B. Et alibi Pauli, Fortunati, & Macharii monachi. L. Et passio Luciani Cæsareensis. B. In Africâ Victuri, Euasi, Priuatæ.

VI IDVS. Suessionis S. Medardi Confessoris. VIII

Florus addit in A.T.L. & Episcopi: cuius ore vi-

sa

A sa est columba exisse niue candidior, cùm præsentem terminaret vitam.

B. Et Licinij Episcopi & Confessoris. V. B. Romæ natale SS. Naboris, & Nazarii. T. Eodem die S. Gildardi Episcopi & Confessoris. L. Et S. Gildardi Rothomagensis Archiepiscopi. T. Et Translatio S. Audomari Episcopi secunda. B. In Sardiniâ natale Salustiani.

IX V IDVS IVNII. Natale SS. Primi & Feliciani Martyrum.

Adiectum est ut posteà ad MS. D. In Cilinio monte. *in A. verò* in Monte Cœlio Romæ: *Additur in* B. Et Vincentii Mart. *in L. autem* Romæ viâ Numentanâ.

Florus in A.T. Aginno passio S. Vincentii Martyris, qui Leuiticæ stolæ candore micans, pro amore Christi martyrium adeptus, magnis sæpissimè virtutibus fulget.

V. Alibi Ianuarii, Alexandri. B. Romæ passio sanctorum militum numero xv. In Alexandriâ Maximi Presbyteri, Amandi & Ianuarii.

X IV IDVS. *Vacat Beda.*

D. Romæ viâ Aureliâ Basilidis, Tripodis & aliorum. B. Romæ Militum Basilidis, Rogati, Martiani & aliorum viginti. V. Romæ viâ Aureliâ milliario decimo tertio, Basilii,
B Aurisii, Rogati, Ianuarii. L. Romæ viâ Aureliâ passio SS. Rogati Ianuarij cum sociis tredecim. A.T. Romæ natale Basilidis, Rogati & Victoris. T.B. In Nicomediâ natale S. Zachariæ. B. In Autisiodoro depositio Censuri Episcopi.

XI III IDVS. Barnabæ Apostoli.

Florus in A. *præsignat* In Indiâ, *& tum ibi tum in T. ac L. subiungit:* qui pretium agri sui ante pedes Apostolorum attulit, ac deinde cum Paulo gentium Apostolus ordinatus est: * sed posteà propter Ioannem discipulum, qui & Marcus vocabatur, separatus à Paulo, nihilominùs Euangelicæ prædicationis iniunctum sibi opus exercuit.

*hactenus L.

D. Et Sosthenis discipuli Pauli. V. Romæ natale S. Basillæ Et natale S. Crispili & Onufrij. B. In Aquileiâ Emeriti, Hereti, Victuriani. Romæ depositio S. Babillæ. Et SS. Crispuli & Restituti. Alibi natale SS. Naboris & Felicis. Et S. Onuphrij.

XII II IDVS. Natale SS. Basilidis, Cirini, Naboris & Nazarij.

Addit V. & C. Tripodis & Magdalis. L. *præsignat* Romæ. D. *primo loco, & eodem quo cetera Bedæ charactere, sic habebat* Mediolani Nazarij & Celsi pueri inuentio: *quod non audemus admittere ex uno solo MS. tamquàm Bedæ.* A. Et translatio S. Leo-
C degarij Episcopi & S. Odulfi Confessoris. B. alibi, Zabini, Aurelii, Secundæ.

XIII IDIBVS. In Africâ natale SS. Luciani, Fortunati & Crescentiani. Romæ S. Feliculæ.

V.B.C. *primis addunt ultimò nomen* Teclæ. D. *omnes omisit eorumq; loco ex sequenti die habet* Helizæum Prophetam. T. Gandauo castro eleuatio corporis S. Landualdi Confessoris.

XIV XVIII KAL. IVLII. Helizæi Prophetæ Aurelianis ciuitate translatio corporis S. Aniani Episcopi & Confessoris.

In D. scribitur natalis: *in V.B. C. interponitur.* Et Feliculæ, *nomen ex die præcedenti perperàm repetitum.*

*L. *Rufini*

Florus in A.T.L. In pago Suessionis passio SS. Valerij & * Rufi Martyrum: qui (*ut prosequitur L. solum, Floro nihilominus imputandum subiungens elogium*) tempore Diocletiani & Maximiani Româ egressi & Gallias aggressi à Rictionaro Præfecto comprehensi, catenis ac carceri mancipati, eculeis suspensi, plumbatis cæsi, tantâ pœnarum sunt acerbitate afflicti, ut totam corporis speciem unum vulnus obduceret, & carne defluente secreta viscerum panderentur. Sicque iterum in carcerem missi & ibidem ab Angelo Domini confortati, ad ultimum gladio iugulantur.

In T. *additur* & liberatio ipsius ciuitatis à Wandalis. A. T.B. In Aquileiâ natale S. Proti. B. In Galliâ Suessionis ciuitate passio SS. Rufini & Valerii Martyrum.

XVII KAL. Natale S. Viti Martyris. D XV

Addit V. & C. Modesti & Crescentiæ.

Plenius Florus in A.T.L. In Siciliâ natale Sanctorum Martyrum Viti pueri, & Modesti senis atque * Crescentiæ, qui sub Diocletiano & Maximiano varijs sunt pro nomine Christi pœnis afflicti & passionibus coronati.

*deest A. & L.

T. & L. (*sed hoc locum omittit*) Apud Crispinum natale S. Landolini Confessoris & Sacerdotis. B. In Aquileiâ Cantiani, Clementis. In Lucaniâ Candidi, Proti, Grisogoni.

XVI KAL. Ferreoli Presbyteri & Ferrutionis Diaconi, qui sub Claudio Iudice ad trochleas extenti & flagellati, deinde in carcerem reclusi, & manè amputatis linguis prædicabant verbum Dei. Post hæc subulæ triginta utrisque infixæ in manibus & pedibus, & pectore ad ultimum gladio feriuntur. XVI

A.T.L. *præsignant* in ciuitate Visionensi: C. Vbisoncensi. B. Vindocinense.

Florus in A. & T. In Nicomediâ ciuitate passio S. Adriani & comitum eius qui passi fuerunt sub Maxi- E
miano Imperatore. Hi enim cùm cogniti essent Christiani, iussi sunt ab Imperatore extendi, acriterque fustibus cædi: ac deinde susceptos in carcerem, iussit incudem æneam pedibus eorum supponi, sicque eos abscindere, tibiasque eorũ confringere donec deficerent.

Idem in T. *primo loco.* Apud Antiochiam passio S. Cyrici & Iulittæ matris eius: quorum prior post dira verbera, etiam calcem cum aceto & sinapi in os accepit: deinde pariter clauis confixi, euulsis oculis in carcerem trusi sunt. Post hæc decaluati & excoriati super carbones in lecto æneo assati sunt. Qui regnante Alexandro, sub Præside Alexandro, martyrij sui cursum obtruncatione capitis impleuerunt. Passi sunt autem cum eis & alij quadringenti quadraginta quatuor.

Quæ sic breuiter & ultimo loco habes in A. Et natale Cyrici & Iulittæ matris eius cum quadringentis quatuor Martyribus. in V. *simplex fit* Quirici & Iulittæ matris eius *mentio.* L. & B. *eos* in Antiochiâ *præsignant.* B In ciuitate Nannetis natale S. Similini. In Africâ natale SS. Diogenis, Valerii, Martiæ.

XV KAL. Aurelianis ciuitate depositio S. Auiti Presbyteri & Confessoris. XVII

Florus in A.T.L. addit: cuius vitæ descriptio inter ce- F
tera virtutum suarum miracula astipulatur mortuum suscitasse.

Non satis tamen constat primum esse Bedæ: nam sic legitur in V. *&* C. Romæ Cyriaci, Blasti, Nicandri, Diogenis, Auiti Presbyteri: *& in A. T. L. hæc de Auito ultimum locum tenent, præter quàm solent ea quæ verè sunt Bedæ. Præmittitur autem in* T. *ac* L. Romæ ad septem columnas passio SS. Quiriaci, Blasti, & Diogenis: in A. Romæ natale S. Quiriaci: *ac deinde omnia tria MSS pergunt pariter.* Alexandriâ passio SS. Dioscori & Marini Martyrum. Aurelianis &c. B. Romæ nat. SS. Nicandri & Alexandri, Dorostoli, Alexandri, Dioscori & Marini Martyrum. Et S. Bartholomæi Apostoli. Et S. Heliæ Prophetæ.

XIV. KAL. Romæ SS. Martyrum Marci & Marcelliani. XVIII

Addit Florus in A. T. L. qui monitis B. Sebastiani in fide Christi solidati, sub Præfecto Fabiano ad stipitem ligati, in pedibus aculeos acceperunt: ubi unâ die & nocte in psalmis & hymnis perseuerantes, ambo lanceis per latera verberati sunt, talique martyrio ad cælestia regna migrauerunt.* Scriptum in gestis B. Sebastiani.

*hactenus A.

V. & C. *addunt* Cyriaci, Thomæ *[Apostoli] & Pauli. B. Rauennæ natale SS. Felicis, Emilij, Crispini. In Alexandriâ natale S. Marinæ.

*deest in C.

XIII KAL. Sanctorum Geruasij & Protasij in Mediolano. XIX

(*Additur in A.T.L. fortassis à Floro,* quos Nero Imperator

A rator post varia tormenta Amilium Præfectum interficere iussit)

quorum sepulcra Ambrosius Domino reuelante reperit,& ita incorrupta eorum corpora, acsi eodem die fuissent interempti : quæ cùm in vrbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit.

Addunt V. *&* C. Sanctorum Nazarij & Celsi pueri : *in MSS. autem A. & T* Celsi pueri *nomen duobus prioribus iungitur.* B. Romæ Hypoliti, Honorii, Petri, Valeriæ, Marcellini, Vitalis,

XX XII KAL. *Vacat Beda.*

D. Romæ Nouati, fratris Timothei Presbyteri : qui ab Apostolis eruditi sunt. B. In ciuitate Tomis natale SS. Pauli, Cyriaci, Felicianæ, Felicis, Emilii. Eodem die passio SS. Crispini & Vitalis Martyrum. V.C.In Tomis ciuitate Pauli, Cyriaci, Paulæ, Feliciæ, Vitalis, Crispini. A. T In ciuitate Tomis passio S. Crispini Martyris, Emili, & S. Felicis. L. In ciuitate Tomis passio Cyriaci, Feliciani, Emili & Felicis.

XXI XI KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T. L. In Cæsareâ Palestinæ, depositio S. Eusebij Confessoris, qui scripturis diuinis studiosissimus & bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo Martyre diligentissimus inuestigator fuit. B

*in solo C D Syracusis Rufini. Romæ Demetriæ Virginis. V. C. Saturnini, Quiriaci, * [Apolinaris Ianuariæ]Rufini & Marciæ. A.T. In Africâ natale SS. Saturnini & Quiriaci. B. In Africâ Saturnini. In Cæsareâ depositio Eusebij Episcopi. Ipso die in Moguntiâ S. Albini Martyris. In Siciliâ ciuitate Rufini & Martiæ. Item in Africâ Quiriaci & Apollinaris.

XXII X KAL. In Britanniâ S. Albani Martyris (*additur in A.* cum alijs octingentis octoginta octo) qui tempore Diocletiani Imperatoris in Verolamio ciuitate, post verbera & tormenta acerba capite plexus est : sed illo in terram cadente, oculi eius qui eum percussit pariter ceciderunt. * Passus est cùm illo etiam vnus de militibus, eò quòd eum ferire iussus noluerit : diuino vtique perterritus miraculo, quia viderat beatum Martyrem sibi, dum ad coronam martyrij properaret, alueum amnis interpositi orando transmeabilē reddidisse.

*hactenus A.

C *Addunt* V. & C. Et cum eo alii numero octingenti octoginta nouem positi in Cathalacum : quorum nomina scripta sunt in libro vitæ *Ast* B. *præmittit.* In Alexandriâ ciuitate natale S Rufi & natale S. Iacobi Apostoli & natale Sanctorum mille quadringenti octoginta. B. In ciuitate Nolâ natale S. Paulini Episcopi.

*hactenus L.

Florus in A.T.L. Eodem die Nolano (*deest locus in* A.) depositio S. Paulini Episcopi & Confessoris, qui valdè diues & locuples ad verbum Domini vendidit omnia quæ habebat & dedit pauperibus: * deinde Episcopus factus tantùm virtute multiplicatâ in gratiarum charismata resplenduit, vt in obitu suo S. Martinum & S. Ianuarium Episcopum Italicum, priusquàm spiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur : priùs enim eo de hoc mundo migrauerunt.

XXIII IX KAL. S. * Ediltrudæ Virginis & Reginæ in Britanniâ : cuius corpus cùm vndecim annis esset sepultum, incorruptum inuentum est. Et vigilia S. Ioannis Baptistæ.

* V.& C. *Elidruda*

B. In Nicomediâ passio sanctarum Virginum Pistis, Helpis, & Agapæ matris earum, Capitonis & aliorum septuaginta & octo.

XXIV VIII KAL. Natiuitas Præcursoris Domini.

Florus in A. T. L. Eodem die Augusta Veromanduorum in fluuio Somenæ, inuentio ab Eusebiâ corporis B. Quintini Martyris, insigniter probati:(*pergit* T.) nam eadem matrona Angelo reuelante ad pagum & locum fluminis, vbi ipsum corpus annis quinquaginta quinque iacuerat, peruenit, præconata oratione : ad se ventum nimio candore & odore fragranti nullâ maculâ corruptum suscepit: volensque eum Vermandis oppido sepelire, tantam sui ponderis grauitudinem dedit, vt de loco, quem suo consecrauerat sanguine, moueri vlteriùs non posset. Inuentrici verò suæ pro beneficijs exhibitis lumen amissum; & omnibus, quos eadem horâ illic contigit venire, pristina est reddita sanitas. D

B.C.V. Romæ SS. Sisti, Luceiæ. B. C. cum aliis viginti duobus. A. T.L.B. Augustoduno depositio S. Simplicii Episcopi & Confessoris.

VII KAL. *Vacat* Beda. XXV

D. Pyrrhiberoâ Sosipatris, discipuli Pauli Apostoli. C. V. Lamptani, * Salunicæ, Luceiæ Virginis & Accegæ * Regis. L Natale S. Lucæ Virginis & Aucei Regis cum aliis nouem A & T. In Thessalonicâ ciuitate natale S. Luciæ Virginis. Et natale S. Agapiti. A. Et S. Amantii Episcopi. Translatio Eligii & Vindiciani *primo loco.* T. Eodem die S. Lietbuini Episcopi & Confessoris, & Aucei Regis cum aliis octo. B. In Thessalonicâ Lamptani & Bigitti. In Genelaico natale S. Amandi Confessoris.

* C. *Lalunica* * V. R *ina.*

VI KAL. Romæ SS. Ioannis & Pauli, quorum primus Præpositus, secundus Primicerius fuit Constantiæ Virginis filiæ Constantini : qui posteà sub Iuliano martyrium capitis abscissione meruerunt, per Terentianum Campiductorem : qui deinde Christianus factus est. XXVI E

Additur in T. & L. à Floro vt opinamur : Hic cum quoddam idolum in quodam loco confregisset, in eiusdem idoli basi residens, & verbum diuinum prædicans, ab incolis loci illius imbre lapidum obruitur, & sic martyrij gloriâ coronatur.

Idem in A.T.L. Ipso die apud Valentianas passio S. Saluij Episcopi & Martyris : T. qui pro nomine Christi suos relinquens & Gallias aggrediens palmam Martyrij adeptus est.

T. A. Ipso die natiuitas S. Nicolai. B. In Alexandriâ Agathonis & Diogenis. C. In Africâ Gaudentii, Felicis, Agapiti, Agathoni & Diogenis.

V KAL. *Vacat Beda.* XXVII

D. Apud Galatiam Beati Crescentis discipuli S. Pauli Apostoli, V C. Romæ viâ Tiburtinâ milliario nono Crispi, Crispiniani, Felicis. Septem germanorum. B. *quartum addit nomen* Spinellæ. A.T.L. Romæ * Crispini & Crispiniani. Eodem die passio S. Vigilii Tridentinæ Vrbis Episcopi. Et in Epheso (*locus abest ab* A.) septem germanorum dormientium, (*nomina recenset* T.) Maximiani, Malci, Martiniani, Constantini, Dionysii, Ioannis, Serapionis. T.L. Eodem die passio S. Hirenæi sociorumque eius. B. In Hispaniis Crescentis, Iuliani, Eugenij. Nouatiani. In insulâ viâ translatio S. Florētii.

* L. *Crispi* F

IV KAL. Vigiliâ Apostolorum Petri & Pauli. Ipso die S Leonis Papæ. XXVIII

A.T.L. In Alexandriâ SS. Sereni & Theodori. B. In Africâ Fabiani, Felicis, Venusti, Crescentii. In Alexandriâ natale SS. Sereni & Theodori. Lugduno Galliæ natale S. Erenæi cum aliis sex.

III, KAL. Romæ natalis Apostolorum Petri & Pauli. XXIX

Addit Florus in T. & L. qui iussu Neronis Imperatoris Petrus crucifixione, Paulus capitis plexione martyrio coronati sunt.

Longiora vtriusque elogia ab etymo nominis initium sumentia habentur in MS. V. quæ omittimus: sicut & alia aliorum Apostolorum, diebus cuique hic assignatis aut assignandis inscripta istis similia : tum quia ad Bedæ aut Flori textus discernendos nihil faciunt, tum quia alibi obuia. B. Et natale S. Nouatiani Martyris cum aliis nongentis septuaginta octo Martyribus. C. Et aliorum DCCCCLXXVIII Martyrum.

II KAL. *Vacat Beda.* XXX

Florus in A.T.L. Lemouicas ciuitate depositio Martialis Episcopi * [qui fuit vnus de septuaginta duobus] T.L. qui

* est hoc in solo A.

A T.L. qui à Romanâ vrbe à B. Petro in Gallias missus, in vrbe Lemonicinâ prædicare exorsus est; euersisque simulacrorum ritibus, repletâ iam vrbe Dei credulitat, emigrauit à seculo.

A.T. Andegauis ciuitate Translatio corporis Albini Episcopi & Confessoris. V. Commemoratio, C. Natale S. Pauli Apostoli. C. Et natale SS. Timothei, Zotici, Pamfli. B. Lemonicas depositio S. Martialis Episcopi & Confessoris. Andegauis ciuitate Translatio Corporis S. Albini Episcopi. D

IVLIVS

I KALENDIS. *Vacat Beda.*

Florus in A.T. L. Romæ natale Sanctarum Virginum Fidei, Spei, & Caritatis, & Sophiæ matris ipsarum. Quarum prima, cùm duodecim esset annorum, iussu Adriani nimiâ cæde mactata, mamillarum abscissione lacerata, craticulæ superposita, in sartagine deposita, ad vltimum gladio punita est. Secunda quippe diu neruis contusa, in ignem proiecta, acriter torta ac cæsa, & in æneo vase pice resinâque pleno bullita, nec consumpta, ictu gladij interijt. Tertia autem eculeo suspensa, in fornacem missa, sed ab Angelis protecta, posteà sententiam decollationis suscepit. Mater verò ad monumenta earum proiecta, à somno suppressa, requieuit in pace. Scriptum in gestis earum.

Vacat (quod rarissimum) supplem. D. nisi quod recenti manu in B *scriptum sit.* Ecolesma Esparsi Presbyteri & Confessoris. V.C. Romæ Gagi Papæ. Et Sanctorū Luci Virginis & Accegæ Regis cum alijs octo. V.C B. Et in monte Hor depositio Aaron Sacerdotis primi. A. Natale S. Gagij Papæ. Karelifi Cōfessoris, & Octauæ S. Ioannis. T. Eodem die S. Kerlefi, qui bonis actibus ac miraculorum signis effulsit. Romæ depositio Gagij Papæ. Et passio SS. Efici, Sereni, & Victoris. L. Ipso die Remis S. Theodorici Confessoris. B. Anisolæ monasterio depositio S. Carilephi Presbyteri. In Mesopotamiâ Zeli cum alijs sex. Orionis cum aliis octo & aliorum CCLXXIV Augustoduno depositio Leontij Episcopi & Quintiani Cōfessoris.

II VI NONAS. Romæ natale SS. Processi & Martiniani.

Quæ sic leguntur in A.B.T. Romæ natale SS. Damasi & militum Processi & Martiniani. V.C.B. *addit.* Et depositio Melchiadis Papæ. A. Inuentum est corpus S. Vedasti à Theodorico Episcopo anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo secundo. B. Turonis depositio S. Monegundæ Virginis. L. Visitatio B. Mariæ Virginis.

Florus in A. T. L. Turonis S. Monegundis, quæ duabus filiabus orbata, spreto viri consortio ad Christum conuolauit: cuius amore in paruâ cellulâ se recludens ibidem magnâ enituit abstinentiâ & ante & post transitum multitudine miraculorum.

III V NONAS. Translatio S. Thomæ Apostoli in Edessâ ex Indiâ.

Addit B. qui fuit passus in Indiâ XII Kal. Ianuarij. A.T.L. In C Alexandriâ natale SS. Menelai, * Ammonij & Cyrilli. B. In Alexandriâ Triponis, Menelai, Cyrilli, Iuliani. Constantinopoli Eufemiæ, Acaci, Demetrij. *L. *Ammonis*

IV IV NONAS. Turonis translatio S Martini Confessoris, vel Ordinatio Episcopatus eius, seu dedicatio basilicæ ipsius.

Florus in A.T.L. Romæ natale Zoæ, vxoris Nicostrati: * quæ nimietate ægritudinis sex annis muta, & à B. Sebastiano curata, Christianissimaque effecta: dum in natali Apostolorum ad Confessionem B. Petri oraret, ab insidiantibus Paganis arctatur duciturque ad patronum Regionis Naumachium, & compellitur Martis statunculo, quod illic stabat, thuris guttam incendere. * Illa hæc deridens in custodiâ obscurissimâ mittitur: vbi per quinque dies, nec lumen videns nec cibum potumque accipiens, ab inclusore minabatur. Transitisque diebus sex iussa est à collo & capillis in arborem excelsam suspendi, & subter fumum ex sterquilinio adhiberi: in quâ suspensa in confessione Domini emisit spiritum. Cuius corpus persecutores auferentes saxo ligauerunt, & Tiberis alueo immerserunt, dicentes. Ne Christiani id tollant, & faciant illam sibi Deam. Scriptum in gestis B. Sebastiani.

* hactenus L.

* hactenus A.

C.V. Et natale S. Lauriani Martyris cuius caput * in Spanis portatum est. *sed A. T. ac L.* Bituricas ciuitate passio S. Lauriani Martyris: cuius caput in Hispaniam portatum est. B. In Sirmiâ Sabbatiæ Innocens cum aliis triginta. Betiricio ciuitate natale S. Lauriani Episcopi & Martyris. * C *Hispaniam*

III NONAS. *Vacat Beda.* V

D. Syriâ S. Donati Martyris. Romæ Zoæ vxoris Nicostrati. C.V. In Siciliâ Agathonis, Triphonis * [Feratoris] Theodosij, Secundini. A.T.L. In Tomis ciuitate natale SS. Theodoti & Secundini. A. T. In Alexandriâ S. Arpotis. T.L. B. In Siciliâ passio SS. Agathonis & Triphonis. B. In Tomis Stratoris, Theodori, Rodofiæ, Secundini. In Alexandriâ Erpotis. * in solo C

II NONAS. Isaiæ Prophetæ & Octauæ Apostolorum. VI

Florus in A. T. L. Romæ passio S. Tranquillini, * Patris Marci & Marcelliani: qui doctrinis B. Sebastiani Christianissimus effectus, dum ad Confessionem B. Pauli accessisset, perpessus insidias, tentus & à populo lapidatus, mortuus est, corpusque eius Tiberino gurgiti mancipatum. Scriptum in gestis B. Sebastiani. * A. *Petris* E

B. In Syriâ Zotici, Amandi, Arteris. Augustiduno depositio S. Leontij Episcopi. In Alexandriâ Arthori, Zeti. B.L. Et in Bingâ natale S. * Goaris Confessoris. * B. *Gaoris*

NONIS. *Vacat Beda.* VII

C.B.V. In Alexandriâ Parthemij, Eraclij, * Publij, cum aliis decem & * octo. A.T.L. In Alexandriâ natale SS Apollonii * Helei & Parmeni, * cum aliis nouemdecim. B Et alibi Alexandri, Partiminii. D. Alexandriâ S Panteni. Romæ Martyrum Nicostrati, Primi, Sesinii, Claudii Commentariensis, Castorii, Victorini, Symphoriani, quos B. Sebastianus credere Christum docuit, & S. Polycarpus Presbyter baptizauit. * B. *Apollonij* * V. *nouē* * L. *Heracleī* * hactenus A.

VIII IDVS. Natale Procopij in Palæstinâ, qui ab Scythopoli ductus Cæsaream, ad primam responsionum eius confidentiam irato iudice Flauiano, capite cæsus est. VIII

B. Augusta Virmandorum inuentio corporis S. Quintini Martyris. Et alibi Agresti, Primuli. In Niceâ Sostrati, Eradii. F

VII IDVS. In ciuitate * Tyræ natale SS. Anatholiæ & Audacis sub Decio Imperatore: quorum Anatholia, cùm multos in Piceno infirmos, lunaticos ac dæmoniacos curasset; ducta est iubente Festiniano ad ciuitatem Tyræ, & diuersis plagarum generibus vexata. Deinde cum serpente totâ nocte inclusa, nihil læsa est: quin & ipsum ministrum, qui serpentem immiserat, nomine Audacem, manè à suo serpente deuorandum eripuit, & ad Christi martyrium conuertit. * Nam ipse post hoc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora, capitali sententiâ coronatus est. Ipsa quoque Virgo Christi gladio transuerberata est, cùm staret extensis manibus in oratione; ita vt per dextrum latus gladius missus, per sinistrum exiret. Quæ passa est VII Idus Iulij: sepulta autem manè à ciuibus Tyrensibus. Audax verò, qui a b Oriente erat, ab vxore suâ & filiis IX * V. *Tora* T. *Thyro.* L. *Tiria.* * hactenus A.

A liis illò translatus est. Eodem die depositio S.P.N. Ephrem.

Florus in T. *&* L. In Ægypto passio Cyrilli Episcopi: qui tempore Decij Imperatoris, iubente Lucio Duce primum in ignem proiectus, cùm illæsus exiret, posteà capitali sententiâ est damnatus.

A. Sennis S. Eraclij Episcopi & Confessoris. B. Romæ natale Virginum Florianæ, Faustinæ.

X VI IDVS. Romæ septem fratrum, filiorum S. Felicitatis, id est, Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani & Ianuarij sub Præfecto Vrbis Publio, tempore Antonini Principis. E quibus Ianuarius, post verbera virgarum & carcerem ac plumbatas, occisus est. Felix & Philippus fustibus mactati: Silanus præcipitio interemptus est: Alexander, Vitalis & Martialis capitali sententiâ puniti.

L. Ipso die natale S. Etthonis Episcopi & Confessoris. V. C. Eodem die natale sanctarum Virginum Rufinæ, Secundæ
*deest in * [& Fortunatæ.

C. XI V IDVS. Depositio S. Benedicti Abbatis.

B *Florus in* A. T. L. Translatio corporis. T. quo die prædictis partibus Romæ Floriaco est perductus. A. T. Qui maximis elucens virtutibus regulam monachis & ordinem descripsit. Huius Vitam beatus Papa Gregorius stylo dilucidauit. In Armeniâ ciuitate Nicopoli passio SS. Ianuarij & Pelagiæ: qui tanta tormenta perpessi sunt, vt non solùm vngulis sed etiam testis corpora eorum vsque in diem quartum laniata sint.

B. In pagum Aurelianensem inuectio corporis S Benedicti Abbatis & depositio eiusdem. L. Et in pago Pictauensi S. Saluini Martyris. C.V.B. Romæ natale SS. Leontij, Stephani, Mauritii. B. *addit* & Melitonis.

XII IV IDVS. *Vacat Beda.*

D. Apud Aquileiam natale S. Hermagoræ ipsius ciuitatis primi Episcopi, discipuli S. Marci Euangelistæ.

C.V. In Aquilegiâ Fortunati. Agathæ Virginis. Naboris & Felicis. A. T. In Siciliâ natale S. Naboris & S. Felicis. Lugduno Galliæ depositio S. Vincentii Episcopi. A. Ermagonæ Episcopi, & Fortunati Diaconi. T. & L In Aquileiâ passio Fortunati. L.B. In Mediolano natale Naboris, Felicis. Primitiui. B. In Aquileiâ natale SS. Fortunati & Armogeni. Lugduno Galliæ depositio S. Viuentioli Episcopi.

XIII III IDVS. *Vacat Beda.*

D. Esdræ & Ioël Prophetarum. Et apud Africam natale Sanctorum Confessorum Eugenii Carthaginensis Episcopi,
C fide & virtutibus ac miraculis gloriosi, & vniuersi Cleri eiusdem Ecclesiæ B. C.V. A. T. L. In Alexandriâ SS. Serapionis,
** in solo B. *[Melei] Attali, Zenonis, *[Nasei] Trophimi & Menei Presbyteri: *qui postremus deest in V. & C. vbi etiam non* Trophimi *sed* Trophimæ *legitur: & in* A.T.L. *deest* Attalus: Zeno *etiam omittitur ab* A. *Addit* L. Et in Româ depositio Anacleti Episcopi.

XIV II IDVS. S. * Phocæ Episcopi Ponti: qui
* In A. T. L. *Focati.* sub Traiano Imperatore, Præfecto Africano, carcerem, vngulas, ferrum, ignem etiam pro Christo superauit: cuius reliquiæ in basilicâ Apostolorum in Galliâ ciuitate Viennâ habentur.

A. Ipso die in villâ quæ dicitur Somnias depositio B. Vincentii: qui monitis B. Autberti Pontificis mũdum relinquens, in factis bonæ conuersationis se exercuit. L. Apud monasterium Sonegias dictum natale S. Vincentii Abbatis: qui construxit locum Altimontis per Angelum Domini. C. V. Galliâ natale S. Iusti Episcopi & Confessoris. B. Lugduno Galliæ depositio SS. Iusti & Amati Episcoporum.

XV IDIBVS. *Vacat Beda.*

D.B. Cyrici & matris eius. B. Iulittæ, *quæ in D. scribuntur rubricâ, quod toto in libello solum bis reperitur, eorumdem natale primo etiam loco in T. notatur.* C. V. S. Cyrici Philippi, Secundini, Marcialis, & S. Iacobi Episcopi Nisibis, qui in corpore multa signa fecit, & Arcam Noë solus vidit in monte: nulli alii de iis qui cum eo perrexerant videre est permissum. D
T. Eodem die S. Florentii: & S. Iacobi Episcopi (L. *hunc præsignat* in Armeniâ *& pariter prosequitur*) per quem Dominus multa signa fecit. B. In Alexandriâ natale SS. Philippi, Zenonis, Nasei & decem sororum. In Cartagine S. Catholini Diaconi. Diuisio *[prima] Apostolorum duodecim. T. *addit* ad prædicandum. A. *Sic prosequitur* quando ipse Dominus Iesus ante passionem suam misit eos ad prædicandum & euangelizandum regnum Dei, præcipiens eis & dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis &c. * est hoc in solo A.

Eodem die relatio S. Vedasti de Beluaco anno octingentesimo nonagesimo tertio Dominicæ Incarnationis. Fuit autem apud prædictam vrbem in ecclesiâ S. Stephani Protomartyris annos duodecim, menses nouem, dies viginti tres. Prædictâ in die capta est Hierusalem ab exercitu Christianorum, & liberata de manu Paganorum.

XVII KAL. AVG. In Ostiâ natale S. Hilarini: qui sub persecutione Iuliani, cùm nollet sacrificare, fustibus cæsus Martyrium sumpsit. XVI

C.V. In Antiochiâ Theodosii, *[Eustasii] Dionysii. L. Ipso die SS. Monulfi &, Gundulfi Episcoporum. T. Eodem die aduentus corporis S. Cassiani Episcopi in basilicâ S. Quintini Martyris, signis & miraculorum virtutibus gloriosè coruscantis. Et S. Bertini corpus transfertur & reconditur. B. In Cæsareâ natale SS. Pauli & Mammetis. Et natale Sanctorum Valentinæ, Theoni, Diocletis. * abest à V. E

XVI KAL. In Carthagine Scillidanorum, id est, Marcialis, Cithij, * Vesturij, Felicis, Aquilini, Lactantij, Ianuarij, * Generosi, * Vestæ, Donatæ & Secundæ, sub Saturnino Præfecto: qui post primam Christi confessionem in carcerem missi & in ligno crucifixi, in mari gladio decollati sunt. XVII * D. *Vrij* * A. *Generosa* * B. *Vasta*

C.V. Autissiodoro Theodosii Episcopi. V. Et S. Alexii in Ap... Et Marinæ. A.T.L. Romæ S. Alexis confessoris. B. Mediolano natale S. Marcelli.

XV KAL. Natale S. Arnulfi Confessoris. XVIII

Addit Florus in A. T. L. cuius vita maximæ extitit sanctitatis.

Notatur autẽ in A. In Galliis Siluâ Aquilinâ passio S. Arnulfi Episcopi: *in T. verò,* Eodem die in Galliâ ciuitate Metis depositio S. Arnulfi Episcopi & Confessoris: *ast in L. non prænotato loco solus ei datur titulus* Martyris. C.V. Romæ Symphorosæ matris septem Germanorum. B. *addit nomina & elogium quæ infra vide* XII *Kal.* A. S. Symphorosæ cum septem filiis B. In Ponto Amantiæ ciuitate, Pontini, Filantii, Helianæ Virginis, Mariæ Virginis. F

XIV KAL. S.P.N. Arsenij, de quo in verbis seniorum refertur, quia propter redundationem lacrymarum tergendam sudarium semper in sinu vel in manu habuerit. XIX

C.V. Et alibi Rustici. V. Presbyteri & Confessoris. B. Lugduno Galliæ depositio Rustici Episcopi & Confessoris. In Alexandriâ Sisinni. In Spaniâ natale S. Iusti.

XIII KAL. *Vacat Beda.* XX

D. Natale B. Ioseph, qui cognominatus est Iustus, quique cum B. Mathiâ, vt numerum duodecim impleret, ab Apostolis statuitur. C.V Romæ passio S. Striæ, Magrini, * Nesticæ, Satiri, Amarini, Secundi. B. Romæ natale SS. Passeriæ, macrini, Saturi. In Africâ Sabini, Luciani, Amabilis. In Thebaidâ natale Victoris. A. T. L. In Africâ natale SS. Luciani Sabini & * Sandi. Ipso die Passio S. * Margaretæ Virginis & Martyris. T. In pago Galliæ Bononense monasterio Silmaco. T. A. depositio S. Vulmari Abbatis. B In Damasco natale Lucianii, Macrobii, cum aliis decem. * C. *Nestita* * abest ab A. * & hoc à T. est autem in C.

XII KAL. Natale S. Praxedis Virginis, & S Danielis Prophetæ. Et apud Tiburtinam vrbem Italiæ natale S. Symphorosæ cum septem filiis, Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Stacteo, Eugenio: cum XXI

A quibus simul passa est ab Adriano Principe: qui ipsam Symphorosam iussit palmis cædi, deinde suspendi crinibus: sed cùm superari nullatenùs posset, iussit eam alligato saxo in fluuium præcipitari: cuius Frater Eugenius, Principalis Curiæ Tiburtinæ, colligens corpus eius sepeliuit. Et manè Imperator iussit septem figi stipites, ibique filios eius ad trochleas extendi: & Crescentem in gutture transfigi, Lucianum in pectore, Nemesium in corde, Primitiuum per vmbilicum, Iustinum per membra distensum scindi per singulos corporis nodos atque iuncturas, Stacteum lanceis innumerabilibus donec moreretur in terrâ configi; Eugenium findi à pectore vsque ad inferiores partes. * Alterâ autem die Adrianus præcepit corpora * eorum auferri & proiici in foueam altam[& posuerunt Pontifices nomen loci illius ad septem Biothanatos.

* hactenus A. * hinc mutilum erat D.

B *Deest hoc vltimum in T. ac L. & pro eo ponitur*, ne Christiani ea haberent: *Deest etiam in* B. *ad* XV Kal. L. Eodem die Victoris sociorumque eius. B. Eodem die S. Danielis Prophetæ. In Massiliâ natale SS. Victoris, Alexandri, Feliciani & Longini.

XXII XI KAL. AVG. Natale Mariæ Magdalenæ.

* C. Arilli

Prænotatur in T. In Massiliâ B. C. V In Antiochiâ * Cyrilli, Andreæ. B. Tabelli T. Massiliâ natale S. Adriani. A. T. L. Et S. Cyrilli. Et in cœnobio Fontanellæ S. Wandregisili Abbatis A. Et octauâ S. Vedasti Episcopi, Patris nostri. B. Et alibi natale S. Platonis.

XXIII X KAL. Natale S. Apollinaris Episcopi in Rauennâ; qui Romæ ordinatus est ab Apostolo Petro & illuc missus est: qui etiam in Æmiliâ prædicauit, & in partibus * Corinthiorum, & in Mysiâ & in Ripâ Danubij & in partibus * Tarachiæ: in quibus locis exilio relegatus est. Et vbicumque potuit innumeras virtutes fecit, & passiones sustinuit: nam nimiâ cum cæde mactatus est, & rursum diutiùs fustibus cæsus, ac nudis pedibus super prunas impositus, & eculeo appensus tensus est; & saxo os eius contusum est, C & cum grauissimo ferri pondere inclusus carcere horribili atque in ligno extẽsus est *[vbi hominibus quidem neglectus sed ab Angelo publicè pastus est. * [Deinde catenatus & in exilium directus est] in quo rursum diutiùs fustibus cæsus, & rursum in Rauennâ ligatus à paganis cæsus & vulneratus, & rursum in carcere missus & cæsus] sic martyrium consummauit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene Patricio. Rexit Ecclesiam annis viginti dies octo.

* D. *Theorinthiorum forte Corinthiorum* * T. L. *Tracia*

* absunt inclusa [ ] à L. * abest ab A.

Ita D. ast B. C. A. T. annis viginti octo & dies quatuor. V. annis triginta & octo. L. annis decem & octo & diebus quatuor.

C. V. Romæ Vincentij. Natale Primitiui. B. Primitiuæ.

XXIV IX KAL. Natale S. Christinæ Virginis.

A. T. L. *prænotant* in ciuitate Tyro. C. V. In Am.... S. Victorini. B. A. T. L. In Armeniâ passio SS. Theozoni, Victoris, * & Militaris: qui multa tormenta passi sunt. *Horum primus abest à MS. L. Sola regionis & Martyrum nomina ponuntur in* B.

* B. Militonis

XXV VIII KAL. Natale S. Iacobi Apostoli, Zebedæi.

Addit Florus in T. & L. fratris Ioannis Euangelistæ, cuius passionem Clemens Alexandrinus describens, Et is, inquit, qui obtulerat eum (Iacobum scilicet) iudici ad martyrium, motus etiam ipse confessus est se esse Christianum. Ducti sunt autem ambo pariter ad supplicium. Et cùm ducerentur, in viâ rogauit Iacobum dare sibi remissionem. At ille parumper deliberans, Pax tibi, inquit, & osculatus est eum: & ita ambo simul capite plexi sunt. D

Idem Florus in A. & T. Eodem die in Lyciâ ciuitate Samon natale S. Christophori. *Idem legitur in* B. & *pergit solum.* T. qui iussu Dagni Regis in carcere reclusus, Niceam & Aquilinam, quas ipse tyrannus ad seducendum eum miserat, ita conuertit, vt idola Iouis & Apollinis, quæ antè colebant, fide Christi feruentes, zonis suis ligata ad terram prosternerent. Vnde, præcipiente Dagno, altera est membris disrupta; altera stipiti suspensa, & igni apposita, ac deinde gladio trucidata. Sanctus verò Christophorus, ligatis manibus & pedibus, virgis ferreis cæsus, deinde in scamno ferreo, & in igne olei liquore superfuso positus; hinc stipiti appensus, & à militibus sagittarum ictibus pulsatus est. Sed sagittis à dextris eius & à sinistris suspensis, vna ex eis, velut venti flamine retorta, in oculum Dagni penetrauit: sicque datâ sententiâ isdem athleta Christi capite plexus est. Post cuius decollationem ipse Dagnus ad sepulcrum eius alterâ die veniens, secundùm promissionem ipsius Martyris & oculi sui sanitatem recepit, & magnificè Deum S. Christophori glorificauit. E

L. C. V. *simpliciter nomen* Christophori *hoc die habent: cui addit* V. In Portu S. Acontij.

Eiusdem Flori esse videtur in T. & L. In Barcinonâ ciuitate S. Cucuphatis Martyris. Et S. Eutyciani Papæ & Martyris: qui cùm Ecclesiam Romanam annis *[viginti] octo post Petrum rexisset, trecentos quadraginta duos Martyres propriis manibus sepeliuit, passusque est martyrium temporibus Aureliani.

* deest in L.

A. Ipso die depositio B. Iudoci egregij Confessoris: cui adstipulatur inter ceteras virtutes, quæ præ multitudine dinumerari non possunt, etiam duos mortuos suscitasse. B. Parisius translatio corporis S. Germani Episcopi & Confessoris.

VII KAL. *Vacat Beda.* XXVI

Florus in A. T. L. In Laodiciâ Phrygiæ natale S. Saturnini, & S. Iuliani & Felicis. In Italiâ ciuitate Aretio passio SS. Donati Episcopi & Elarini monachi: qui tempore Iuliani Imperatoris capitis amputatione martyrium consummauerunt, sub Quadratiano (A. Adriano. L. Quadritone) Præfecto.

F

D. Romæ in portu S. Hiacynthi Martyris, qui passus est sub Consulari Leontio, Luxurio Primo ciuitatis tradente. B. C. V. In Laodiciâ Phrygiæ Iobiani, Iuliani, Felicis, Marciani *[& Pastori Presbyteri. B. Et alibi Sanctarum Marcianæ, Laudaiæ.

* In solo V

VI KAL. *Vacat Beda.* XXVII

Florus in A. T. L. Eodem die Romæ passio S. Symphronij: cum quo Olympius cum vxore suâ Exuperiâ & filio Theodolo, iussu Valeriani & Galieni, ignibus sunt exusti.

B C. D. V. A. T. In * Syriâ Simeonis Monachi. A. T. Romæ SS. Agontij & Emeriti. T. B. Autisiodoro depositio S. Etheri Episcopi & Confessoris. B. In Nicomediâ natale SS. Iuliæ, Secundi, Ianuariæ.

* D. Rigiâ B. Siciliâ

V KAL. *Vacat Beda.* XXVIII

Florus in A. T. L. In Mediolano passio SS. Nazarij & Celsi pueri: qui iussu Neronis sub Iuliano Præfecto, amputatis capitibus Christo sunt immolati. Horum corpora B. Ambrosius, Domino reuelante, miro modo conseruata inuenit. * Lugduno natale Pantaleonis: qui sub Maximiano Imperatore martyrio coronatus est.* Britanniâ monasterio Dolo depositio S. Sampsonis Episcopi & Confessoris.

* L. *In Nicomediâ.* * hactenus L.

V. C. In Nicomediâ Iuliani, Iocundi, & S. Pantaleonis Martyris. Mediolano Nazarii & Celsi. In Britanniâ S. Sampsonis Episcopi & Confessoris. *Nicomedienses tamen in* C *habentur*

A *bentur die præcedenti.* B. In Nicomediâ natale SS. Nazarii & Celsi. In Laodiceâ ciuitate Phrygiæ natale SS. Theophili, Prudentii, Philippi, Alexandri. Et alibi natale S. Augustæ Virginis in occiduis partibus. V. Nicomediæ passio S. Pantaleonis : qui cùm iubente Maximiano artem disceret medicinæ, ab Hermolao Presbytero ad Christi fidem conuersus, multa miracula fecit. T. Romæ S. Victoris Episcopi.

XXIX IV KAL. Natale SS. Felicis, Simplicij, Faustini & Beatricis. Eodem die depositio S. Lupi Episcopi de Trecas: qui cum Germano venit Britanniam, & quinquaginta duos annos Sacerdotio functus est : qui tempore Attilæ, qui Galliam vastabat, sicut in hymno eius canitur, dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit.

Anni sacerdotij in D. dumtaxat sex: *in* A. & B. quiquaginta: *in* C. *nulli exprimuntur.* V. *nominibus martyrum subiungit.* Et S. Seraphiæ Virginis: *atque post S. Lupi memoriam ibidem legitur.* Depositio B. Prosperi Episcopi. *Eumdem habet* C.

XXX III KAL. Romæ Abdon & Sennes subregulorum : qui cùm in * Cerdubâ ciuitate Persarum vincula paterentur à Decio, ad vltimum duxit eos Romam catenis obligatos B & diuersis pœnis maceratos, vbi primùm plumbatis cæsi, deinde gladio interfecti sunt. D

* D. *Credulâ* B. *Cordulâ* C. *Cordubâ*

Florus in A. & T. sic phrasim mutauit & sensum. Romæ Passio SS. Abdon & Sennes : qui de Persidâ Romam venerunt, & sub Decio Imperatore diuersis pœnis macerati ad vltimum gladio interfecti sunt.

Idem Florus in T. & L. Eodem die Romæ passio S. Tertullini : qui præcepto Valeriani cum Diis sacrificare nollet, primùm fustibus mactatus & ignibus afflictus est, deinde Sapricio Præfecto traditus, post quæ os eius lapidibus tundi & iterum ignibus affligi, & in eculeum suspendi iussus est. Et cùm vinci non posset, nuntiatâ eius constantiâ Valeriano, datâ sententiâ capite iussus est puniri. *Sed hæc contractiùs L. sic absoluit.* qui iussu Valeriani, post dira tormenta, capite iussus est puniri.

B. Autisiodoro depositio S. Vrsi Episcopi.

II KAL. *Vacat Beda.* XXXI

Vacat etiam supplementum Diuionense.

V. C. Autisiodoro depositio S. Germani. Et natale SS. Secundini, Maximæ. C. Eodem die reconciliatio S. Nicolai. B. In Africâ ciuitate Sindânâ natale SS. Democriti, Secundi, Dionysij, Thyrsi. A. T. In Africâ SS. Dionysij, Secundi & Thyrsi. *Item A. T. L. hoc die habent quæ alibi vbique I Augusti leguntur de S. Germano ex Bedâ.* E

A V G V S T V S

KALENDIS. Ad S. Petrum ad Vincula. Et SS. Machabæorum.

B. Dedicatio primæ basilicæ à B. Petro constructæ quæ dicitur ad S. Petrum ad vincula. *De Machabæis in* A. T. L. B *sic legitur :* in Antiochiâ passio SS. Machabæorum, qui passi sunt sub Antiocho Rege cum matre suâ.

* C. Calciodoro

Et * Altissiodoro Germani Episcopi, qui multis virtutibus doctrinâ & continentiâ clarus, etiam Britonum fidem per duas vices à Pelagianâ hæresi defendit. Et in Vercellis Eusebij Episcopi, qui mouentibus persecutionem Arrianis, sub Constantio Principe martyrium passus est.

Florus in A. T. L. Romæ passio SS. Boni, Fausti, Mauri, Primitiui, Calumniosi, Ioannis, Exuperantij, Cyrilli, Honorati : qui, cùm essent Clerici B. Stephani Episcopi, à Valeriano & Gallieno sine vllâ audientiâ pro nomine Christi pariter sunt decollati. *In T. &* C *L.* Eodem die Romæ S. Victoris Papæ, qui ad interrogationem Sacerdotum de circulo Paschæ, cùm Episcopis & Presbyteris factâ collatione, Theophilo Alexandriæ Episcopo accersito, constituit, vt à quartadecimâ lunâ primi mensis vsque ad vicesimam primam semper sanctum Pascha die Dominico celebraretur; passusq; est martyrium tempore Cômodi & Granionis. Scriptum in libro Episcoporum. In Hispaniis Gerundâ ciuitate, passio S. Felicis : hic enim post multa tormenta mulis alligatus, & per ciuitatem tractus est, deinde suspensus, & in mare proiectus cùm ad littus auxilio Domini peruenisset, intantum est vngulis ferreis discerptus, vt hac dilaniatione deficeret.

V. Natalis Spei, Fidei, Charitatis, & matris earum Sapientiæ. T. Ipso die transitus S. Ionati discipuli S. Amandi. B. In Hispaniâ Gerundâ natale S. Felicis.

II IV NONAS. Romæ S. Stephani Papæ qui Martyrio coronatus est in persecutione Valeriani Principis. Eodem die natale S. Theodotæ cum tribus filiis suis in prouinciâ Bithyniâ, vrbe Niceâ, tempore Diocletiani, sub Comite Leocadio : qui hanc ferro vinctam cum filiis Consulari Bithyniæ Nicetio destinauit. At ille primò filium eius primogenitum Euodium, Christum fiducialiter confitentem fecit fustibus cædi : deinde illam cum omnibus filiis igne consumi. * Scriptum in passione S. Anastasiæ.

* hactenus A.

B. In Italiâ ciuitate Veronâ natale SS. Felicis & Nicei.

III NONAS. *Vacat Beda.* III

V. Romæ S. Diogenis. Stephani. Et depositio Eufronij Episcopi. C Romæ natalis S. Drogenti. Stephani Protomartyris in Anconâ : vbi haberi dicitur vnus de lapidibus quibus percussus est. B. D. A. T. L. Hierosolymis inuentio corporis Protomartyris Stephani * & SS. Gamalielis, Nicodemi & Abibon. A T. Augustoduno depositio Eufronii Episcopi. B. Romæ natalis SS. Diogenis & Stephani. Constantinopoli natale S. Acellæ.

* hactenus A.

II NONAS. *Vacat Beda.* IV

D. Beati Aristarchi discipuli S. Pauli Apostoli. Romæ Tertulliani Martyris. B. C. V. Romæ [in * cœmeterio S. Laurentij] Crescentiani & Iusti. L. Natale SS. Crescentiani, Iusti & Iacinthi Martyrum. A. Romæ S Iustini Presbyteri & S. Crescentianæ. T. Romæ natale S. Iusti & S Crescentianæ. Et passio S. Iustini Presbyteri, qui multa corpora Sanctorum collegit ac sepeliuit. B. In Nicomediâ natale SS. Sagæ & Bartholomæi. F

* B. *viâ Tiburtinâ natale SS. Laurentij M.*

NONIS. *Vacat Beda.* V

Florus in A. T. L. Ipso die natale S. Cassiani Episcopi & Confessoris : qui à * Theone Martyre cælestibus instructus disciplinis, * [in ciuitate Ægyptiorum, vocabulo Ortensi, Episcopus est ordinatus : in quâ cùm ecclesiam construeret B. Laurentius Martyr ei apparuit, & vt eamdem suo nomini dedicaret admonuit. * Deinde diuinâ reuelatione Gallias penetrans, Augustidunensem vrbem cum suis aggressus, à S. Simplicio eiusdem Vrbis Episcopo honorificè est susceptus; ministratoque à S. Simplicio Sacerdotio & defuncto, in eius locum S. Cassianus subrogatus est Episcopus : vbi & multis coruscauit miraculis & requieuit in pace. Ad cuius sepulcrum B. Germanus Autissiodorensis Episcopus veniens, & ex more Christo preces fundens, fertur adloqui : Quid, inquit, gloriosè Frater Cassiane agis ? Respondit B. Cassianus : Dulci in pace quiete potior, & aduentum Redemptoris expecto.] Cuius posteà corpus multitudine miraculorum pollens, in municipium, quod Augusta Viromanduorum

* A. *Zona,* L. *Azone*
* inclusa [ ] desunt in A.
* hactenus L.

A romanduorum nuncupatur, est translatum & intra basilicam B. Quintini Martyris sepultum.

D. Apud prouinciam Rhetiæ ciuitate Augustanâ natalis S. Afræ: quæ cùm esset Pagana & meretrix per doctrinam S. Narcissi Episcopi ad Christum conuersa, & cum omni domo suâ baptizata, pro confessione Domini igni tradita est. B. V. Augustoduno S. Cassiani Episcopi. B. In ciuitate Augustâ passio S. Afri M. C. V. Cathalonis S. Memmi Episcopi. V. Et alibi Floriani & Philistinæ. C. Et Agapiti. A. T. In ciuitate Anxiopoli natale S. Eraclij & Erentij. Et Catalaunis S. Memmii Episcopi.

VI VIIIIDVS. AVG. Romæ S. Xysti Episcopi, Felicissimi & Agapiti Diaconorum: qui decollati sunt sub Decio. * Decollati sunt cum eo & alij quatuor Subdiaconi, Ianuarius, Magnus, Vincentius & Stephanus, vt in gestis Pontificalibus legitur. (* hactenus A.)

V. primo loco: vti & in L. sed die sequenti. Transfiguratio D. N. Iesu Christi [in monte Thabor.

Florus in A. T. L. In Complutensi ciuitate passio SS. Iusti & Pastoris: qui cùm essent pueri in scholâ discentes, cum audissent de inquisitione Christianorum B proiectis in scholâ tabulis, vltro se Datiano Præfecto obtulerunt: quos ille postquàm flagellare acriter iussit, pariter decollare eos percepit.

B. In prouinciâ Rhetiâ ciuitate Augustâ passio S. Afræ Virginis & aliorum CLXVI. C. Eodem die passio S. Afræ.

VII VII IDVS. In Aretio S. Donati Episcopi & Martyris: qui (vt Gregorius in libro Dialogorum meminit) fractum à Paganis calicem Sanctum, ad Missas orando restaurauit.

Florus in T. & L. In ciuitate Augustâ passio S. Afræ: quæ primò quidem gentilis fuit, posteà verò à Narcisso Episcopo ad fidem conuersa, & baptizata, tempore Diocletiani sub iudice Gaio, cùm idolis sacrificare nollet, igni est deputata. Cuius eodem die corpus cùm integrum inuentum esset, & ab Hilariâ matre eius cum tribus filiabus suis, Dignâ videlicet Eumeniâ & Euprepiâ sepulturæ traderetur; eodem loco & ipsæ, quia culturæ deorum contradixerunt, ignibus sunt concrematæ & pariter passionis gloriâ decoratæ. Eodem die apud Cæsaream Cappadociæ passio S. * Mametis Martyris: qui post eculeum & ignes variasque torsiones, bestiis traditur: & cum nec sic, virtute Domini, læsus fuisset, lapidatus occubuit agente Præside Adriano. (* L. Mammæ)

D. Romæ passio sanctorum Martyrum numero viginti quinque. In Antiochiâ natale SS. Suffronei, Veneriæ, & aliorum sex. Mediolano natale S. Faustini.

C

VIII VI IDVS. Natalis S. Cyriaci.

(*addit* T. Largi & Smaragdi: V. *insuper iungit nomina* Crescentiani Memmiæ & Iuliani: C. *omisso* Smaragdo *habet nomina* Crescentiani & Theodori. *Elogium autem retexit Florus in A. & T.*) quem Diocletianus Imperator propter filiam à dæmonis vexatione ab ipso curatam maximè venerans, pro eadem re Regi Persarum misit. Cuius etiam filiam cùm à dæmonio liberasset cum patre & alijs quadringẽtis triginta baptizauit. Hinc reuersum Maximinus catenis ligatum, ante rhedam suam nudum trahi, & à Vicario suo Carpasio diuersis pœnis afflictum, cum alijs viginti iussit capite plecti.

L. *sic breuius:* Romæ eleuatio corporis S. Cyriaci cum sociis suis, quos Maximinus Diocletiani filius diuersis pœnis afflictos cum aliis viginti iussit capite plecti. B. Romæ S. Cyriaci Martyris & sociorum eius. In Nicomediâ natale SS. Nazari, Iuliani & Agapæ Virginis. Philadelphiâ natale S. Leonis.

IX V IDVS. Vigilia S. Laurentij. Eodem die Romæ S. Romani militis, qui confessione S. Laurentij compunctus, petijt ab eo baptizari; & mox, iubente Decio, cum fustibus D exhibitus ac decollatus est.

Florus in A. & T. Coloniæ natale SS. Faustini, Marcellini, Secũdiani & Sixti. Eodẽ die apud Veronam passio SS. Firmi & Rustici: qui post ignẽ cęteraque tormenta, sub Maximiano, * Anulino Consiliario eius, capitibus plectuntur. L. *sola horum nomina & agonis locum habet.* (* T. Amilio)

B. In Alexandriâ natale SS. Antonini, Tiburtii, Valeriani. C. V. In Oriente Firmi, Rustici, Crescentiani. Theodori, *vel* Theodoli.

IV IDVS. Natale S. Laurentij sub Decio: qui post plurima tormenta carceris, verberum diuersorum, laminarum ardentium, ad vltimum in craticulâ ferreâ assatus martyrium compleuit. X

V. C. Et vita Sanctorum septem fratrum Dormientium. B. Et alibi Crescentionis Ianuarii, Exuperati.

III IDVS. Romæ S. Tiburtij Martyris & Susannæ. XI

Excidit hæc in A. T. L. dum istius gesta sic describit Florus: Qui de sacro fonte à B. Sebastiano susceptus & in fide E Christi roboratus, cùm figmenta idolorum detestaretur, à Fabiano Præfecto comprehensus est.* Ante cuius pedes idem Præfectus carbones ardentes effudit dicens: Aut thura in istis carbonibus adiice, aut pedibus nudis super eos incede. At ille signum Crucis faciens, constanter super eos nudâ ingressus est plantâ. Hinc ductus viâ Lauicanâ, fundens ad Dominum preces, ictu gladij verberatus, migrauit ad Christum. Scriptum in gestis B. Sebastiani. (* hactenus A.)

Idem Florus ibidem. Eodem die in Galliâ ciuitate Cameraco depositio S. Gaugerici Episcopi, * qui & magnæ abstinentiæ magnæque religionis, & eleemosynarum largitor ac miraculorum patrator fuit: & S. Taurini fratris eius. (* hactenus A.)

V. B. C Et passio S. Cassiani.

II IDVS. In Siciliâ ciuitate Catanensium natale Eupli Diaconi: qui cùm diutissimè torqueretur, decollatus est à * Caluisione Consulari, tempore Diocletiani & Maximiani. XII (* C. Lusione B. Clausiano.)

B. Romæ natale Chrysanthi & Dariæ. In Syriâ natale SS. Macharii & Iuliani.

IDIBVS. Romæ S. Ypoliti, qui tempore Decij, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, sic per carduos tribulosque tractus emisit spiritum. Et Concordiæ nutricis F eius, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizatur: Et aliorum de domo eius decem & nouem, qui simul decollati sunt.* Eodem die natale S. Cassiani Romæ: * qui cùm adorare idola noluisset, interrogatus à persecutore quid artis haberet, respondit quia pueros notas doceret. Et mox spoliatis vestibus ac manibus post terga reuinctis statuitur in medio: vocatisque pueris, quibus docendo exosus factus fuerat, data est facultas eum perimendi. At illi quantum doluerant discentes, tantùm vlcisci gaudentes, alij eum tabulis aut * buxibus feriebant, alij stylis vulnerabant: quorum quantò infirmior ætas, tanto grauiorem martyrij pœnam dilatâ morte faciebat. * [Scripsit Prudentius Poëta. XIII (* hactenus A. * ast C. hucusque) (* D. Buxiijs) (* abest à B)

Florus in T. In Galliâ Pictauis ciuitate depositio S. Radegundis Reginæ, quæ in thoro Lotharij Francorum Regis recubans, potiùs monacha vocabatur quàm vxor. Cuius consortium spernens, Christum, quem dilexit, amplexa est, tantamque meruit virtutem, vt etiam

A etiam mortuam suscitaret.

L. Ipso die S. Radegundis Reginæ.

XIV XIX KAL. SEPT. Natale S. Eusebij Presbyteri.

Additur in T. L. tituli Conditoris. In. A. Tituli & S. Conditoris: *in* V. *&* C. Et Peregrini. B. *præsignat* Viridenâ Syri. A.T.L. Vigilia Assumptionis S. Mariæ Dei genitricis. B. In Africâ natale S. Demetrij. In Africâ natale S. Stratonis. Item in Africâ Pauli, Eraclii, Possessoris. In Aquileiâ natale SS. Felicis, Fortunatæ, Vincentiæ.

XV XVIII KAL. S. Mariæ dormitio.

Notatur rubrica in D. in A.T.L.B.C. Assumptio *dicitur*. V. C. Et alibi * Trationis, Philippi et Anticiani. A. T. L. In Nicomediâ natale SS. Philippi & * Euticiani. In Carthagine natale SS. Isaac & Maximiani. B. In Nicomediâ natale SS. Stratonis, Philippi & Euticiani cum sociis eorum.

* Stratio- nis
* Eutici

XVI XVII KAL. *Vacat Beda.*

D. In Nicæâ Bithyniæ natale S. Vrsacij Confessoris. V.C. Natale Simpliciani & S. Thyrsi, Orionis & Emelii. A.T.L.B. In Persidâ natale Tyrsi cum sociis suis. In Alexandriâ passio SS. Orionis & Agnatii. * [In Galliis ciuitate Metis] natale S. Arnulfi Episcopi confessoris. *Verum in A. omisso* Orione, *tantum legitur*. Et depositio S. Agnatii. *In B scribitur* Ignatii, *& interponitur nomen* Emelii.

* deest in B.

XVII B XVI KAL. Octauæ S. Laurentij.

V. C. Et S. * Mametis monachi. T. Passio S. Mammetis. L.B. In Cæsareâ * [Cappadociæ] natale S Mammetis monachi & Martyris. A. B.T. In Calcedoniâ Cappadociæ passio S. Eufemiæ Virginis. T. Eodem die passio septem Martyrum, qui passi sunt sub Honorico Rege. B. In pago Cenomanico, Anisolâ monasterio, Translatio corporis & dedicatio basilicæ S. Carilephi Abbatis & Confessoris.

* C. Nametis.
* deest in B.

XVIII XV KAL. Natale S. Agapiti Martyris.

Addit. D. sub Aurelio Imperatore, Antiocho Præside *Præsignant* B. A. In Prænestinâ ciuitate. C.V. * Silantiâ Helianæ Virginis, Marcianæ Virginis. L. Et in Prænestinâ ciuitate natale Eziachi cum sociis suis. Et natale Helenæ Reginæ. A. Et S. Martini Papæ. A.T.B. Et natale S. Candidi. P. In Amantiâ ciuitate natale SS. Pontimi, Philantiæ, Helianæ Virginū.

* C. Philātia.

XIX XIV. KAL. Natale S. Magni * [seu] S. Andreæ cum socijs suis duobus * millibus quingentis nonaginta * septem.

Præfigunt A.T.L. In Alexandriâ: *ast* A. & T. *sic distinguunt* In Alexandriâ natale S. Magni & S. Andreæ Martyrum Eodem die natale S. Mariani cum duobus millibus quingentis nonaginta septem. *Deinde addunt:* Romæ natale S. Magni Martyris.

* B. *Ipso die natale*
* B. millibus.
* V. Octo.

XX C XIII KAL. Samuel Propheta.

Florus in A.T.L. Cainone castro, depositio S. Maximi Confessoris: qui & maximis virtutibus enituit, &, vt liber vitæ eius docet, quæ versu conscripta legitur, beatissimi Martini discipulus fuit. Et S. Philiberti Abbatis: qui diuersas hominum infirmitates curans per Spiritum sanctum futura præuidit. *Habetur in T. primo loco.*

C.V. Et S. Valentini Martyris. T. In Lucanâ natalis Valentini. B. In Lucaniâ natale SS. Valentiniani & Leontii. In Alexandriâ natale S Dioscori.

XXI XII KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. Et passio S. Priuati: qui Valeriani & Galieni temporibus, cùm esset Episcopus Minatensium, ob sanctæ fidei confessionem, à barbaris flagris & vstionibus afflictus tempus terminauit.

B.C.V.L. In Hispaniâ Iulii & Iuliani. C.V. Vincentii, Augurii & Fructuosi. B. In Sardiniâ natale SS. Luxurii, Traiani Quadrati Episcopi. Syndosagiæ natale SS. Artosii, Diomedis, Zotici. Et alibi Priuati Martyris. D. In territorio ciuitatis Gaualitanæ Priuati Episcopi & Martyris. A.T. In Hispaniis natale S. Vincentii. Eodem die Iuliani T. Colodi.

XXII XI KAL. Natale S. Timothei, qui ab Antiochiâ veniens Romam, sub Miltiade Papâ, susceptus est in hospitium à S. Syluestro, qui posteà Episcopus factus est: * qui cùm totum annum & aliquot menses ibi prædicans multos ad Christum conuertisset, tentus à Tarquinio Vrbis Præfecto, & longâ carceris custodiâ maceratus, cùm sacrificare idolis noluisset, tertiò cæsus & grauissimis supplicijs attrectatus, ad vltimum decollatus est, &, iuxta beatum Apostolum Paulum sepultus. Scriptum in historiâ S. Syluestri. Eodē die natale S. Symphoriani Martyris.

* hactenus A.

Florus in A.T. L. *pranotato* Augustoduno *addit*: qui tempore Aureliani Imperatoris ab Eraclio Consulari comprehensus, quia statuam Berecinthiæ adorare noluit cæsus & carceri est mancipatus, ductusque extra murum à persecutore est prostratus.

V. Et S. Ypoliti in portu. Et alibi Martialis & Aureæ in ciuitate Ostiâ. L. Ipso die S. Mauri Martyris cum sociis suis. B. In Antiochiâ natale Marini In Galliâ ciuitate Augustoduno natale SS. Medardi & Emiliani cum filiis suis octo.

X KAL. *Vacat Beda.* XXIII

Florus in A.T.L. In Aquileiâ natale SS. Fortunati & Ermogenis & Martialis. Et in ciuitate Egeas passio SS. Claudij, Asterij, Neonis: qui sub Lysiâ Præside crucifixi sunt. Eodem die Remis ciuitate passio SS. Timothei & * Apollinaris: qui à Româ in Gallias missi, apud vrbem Remensem consummati martyrio, cælestia regna meruerunt. E

* A. Apollonij

D. Natale Sanctorum Martyrum Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ cum aliis duodecim: qui præclarissimo confessionis honore Antiochiæ coronati sunt. V. S. Cyriacæ ad S. Laurentium. In Nepe S. Tholomæi Episcopi & Martyris. C. In Aquileiâ S. Fortunati. Ermogenis. Et in portu vrbis Romæ natale S. Hippolyti, qui dicitur Nonus. B. Romæ natale SS. Laurentii, Abundii, Innocendi. In Galliâ Remis ciuitate natale SS. Timothei, Apollinaris. Augustoduno depositio S. Flauiani.

IX KAL. In Indiâ natale Bartholomæi Apostoli. XXIV

Florus addit in A. & T. qui decollatus est in Indiâ interiore pro Christo iussu Regis Astyagis. *Abest hoc die in V. & refertur sequenti.*

Idem Florus in A.T.L. Romæ passio S. Genesij, qui, cùm esset miles, se fidei Christianæ subiecit. * Hic cùm iussu Diocletiani Imperatoris diu in eculeo positus, vngulis attractatus, lampadibus inflammatus in confessione sanctâ persisteret ac diceret Iudici, Si centuplicaueris circa me tormenta, Christum mihi de ore, Christum de corde auferre non poteris, gladio iussus est interimi. Eodem die * Rodomo depositio S. Audoëni Episcopi & Confessoris, qui plurimis miraculorum signis rutilans, oratione sanctâ more Eliæ è cælo pluuiam adeptus est. F

* hactenus A.
* L. Rotomago.

D. Carthagine martyrum Massæ candidæ. V. C. Romæ nat. S. Genesii Martyris. Et in Ostiâ S. Aureæ Virginis. B. In Antiochiâ natale Iebonii, Capitulini, Italiæ. Redonis ciuitate depositio S. Audoëni Episcopi & Confessoris. Neueruis ciuitate depositio S. Patriani Abbatis & Confessoris. Cenomanis ciuitate natalis Rigomeri Presbyteri & confessoris.

VIII KAL. *Vacat Beda.* XXV

Florus in A. & T. Arelato passio S. Genesij Martyris, qui decisione capitis agonem pro Christi nomine pollenti feruore conseruauit. L. qui, vt fertur, alio non est tinctus baptismate quàm proprio sanguine. *Pergit Florus in* T. & L. Et Romæ natale Lucij Episcopi & Martyris: qui vigesimus tertius post Petrum cùm Ecclesiam annis tribus & mensibus tribus rexisset, temporibus * Gallieni & Valesiani exilio retrusus, sese posteà nutu Dei ad propriam ecclesiam incolumis est reuersus, deinde Martyrium in confessione Christi pertulit.

* L. Galli & Volusiani.

V. S. Bartholomæi Apostoli hic in Lycaoniâ prædicauit, ad

A ultimum in Albano maioris Armeniæ vrbe viuens à barbaris decoriatus, atque per iussionem Regis Astyagis decollatus est, sicque terræ cōditus ibiq; sepultus. Natalis eius VIII Kal. Septembris celebratur. C. In ciuitate Ostiâ S. Aureæ. Romæ S. Ginesij Martyris. D Natale S. Genesij Martyris: qui prius in vrbe mimitemelæ artis magister fuit. B. In Syriâ natale S. Iuliani Martyris. In Capuâ ciuitate Campaniæ natale SS. Rufini & Iulij. Hermetis. B. A. T. In Hispaniâ natale SS Martyrum Iusti & Pastoris. T. In pago Viromandensi natale S. Hunegundis Virginis. Ipso die natale S. Aredii Abbatis. A. Tumularias depositio S. Hunegundis Virginis. L. *locum reticet.*

XXVI VII KAL. Romæ natale SS. Erenei & Abundij: quos Decianâ persecutione iussit Valerianus incloacari, eò quòd corpus B. Concordij in cloacam missum leuauerunt. Et ipsorum quoque corpora leuauit Iustinus Presbyter, & sepeliuit in cryptâ iuxta B. Laurentium.

Florus in A. & T. Eodem die ciuitate Thessalonicâ natale S. Anastasij: Hic fullo fuit, sed fidei merito inter numerum Martyrum annumeratus est.

L. & in ciuitate Salonâ natale S. Anastasij Martyris. V. Alibi C. In ciuitate Salonâ V C. natale S. Anastasii. hic fullo B & Martyr fuit. Quintini Martyris B. In ciuitate Salonâ natale S Anastasii Martyris. Autisiodoro ciuitate depositio S. Eleutherii Episcopi.

XXVII VI KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. Arelato ciuitate depositio S. Cæsarij Martyris. Et in Ægypto *[ciuitate Oxirenchena] sedecim Martyrum, quorum gesta habentur, qui bestiis & igne superatis, gladio occubuerunt. Eodem die Romæ passio Nemesij Diaconi & Lucillæ filiæ eius, qui capitis plexione iubentibus Valeriano & Galieno Consulibus ob confessionem Christi sine audientiâ perempti sunt.

* deest in L.

Vacat supplementum D. nisi quod recentissimâ manu inscriptum sit nomen Syagrii Episcopi. V C. In Lucaniâ ciuitate Felicis, * Sauiniani, Honorati & S. Rufini. T. Et passio Sanctorum Martyrum, Felicis, Georgii monachi, Libiosæ, Aurelii atque Nataliæ. Eodem die translatio S. Sulpitii Episcopi. B. Arelatis depositio S. Cæsarii Episcopi. Constantinopoli SS. Ollii & Stephani Diaconi. Augustoduno natale S. Agri Episcopi. B. A. T. L. In Capuâ natale S. Ruphi Martyris.

* V. *Sabaniani*

XXVIII V KAL. Natale S. Hermetis Martyris. (A. T. *addunt* Romæ)

C In Africâ S. Augustini Episcopi: qui primò de suâ ciuitate propter barbaros Sardiniam translatus, * nuper à Luitbrando Rege Longobardorum Ticinis relatus & honorificè conditus est.

* nouem scilicet annis ante obitum Bedæ.

Florus in A. T. L. * Sconis ciuitate natale Bibiani Episcopi & Confessoris, qui multis languentibus tribuit sanitatem. Et Aruernis in vico, qui dicitur Priuatis, in Gallijs, passio S. Iuliani Martyris: qui sub Crispino Præside Paganis se ad pœnam quærentibus vltrò se pro amore nominis Christi offerens, gladio est interemptus. D

* T. *Omit.* L. *Scottis.*

C. Et depositio S. Faustini Episcopi. S. Balbinæ. B Santonis ciuitate depositio S Viuiani Episcopi & Confessoris. Item Romæ Basilei, Heliæ. Constantinopoli depositio S Alexandri Episcopi. Ariuernico natale S. Iuliani Martyris.

IV KAL. Romæ S. Sabinæ Virginis atque Martyris. * Eodem die decollatio S. Ioannis Baptistæ qui primo in Samariâ conditus tunc in Alexandriâ porrò caput de Hierosolymis ad Phœniciæ vrbem Emissam delatum est. XXIX

* D. hæc habet ad finem diei sequentis.

Addit T. ipsum imminente festiuitate Paschali fuisse decollatum Euangelistæ declarant & anno post hunc sequente cùm denuò tempus Paschale rediret, mysterium Dominicæ passionis cōpletū est. C. Et pausatio S. Helizei prophetæ, discipuli S. Heliæ prophetæ. B. C V. Et aliorum nongentorum Martyrum qui eodem die passi sunt, T. Peronæ S. Fursei Abbatis. B. In Antiochiâ Syriæ natale SS Basilei & Pauli. In Sirmiâ natale S. Basillæ Virginis. E

III KAL. In Venusiâ ciuitate Apuliæ natale SS. Felicis Episcopi ciuitatis Tubzocensis, & Audacti & Ianuarij Presbyteri, & Fortunatiani & Septimini Lectorum: qui temporibus Diocletiani in suâ ciuitate tenti à Magneliano Curatore, inde multis diu vinculis & carceribus macerati; & in Africâ & in Siciliâ, tandem in occisione gladij consummati sunt. Felix quinquaginta sex annorum, virgo obijt. * Sunt autem inter Carthaginem & * Tibzocam millia passuum triginta quinque. XXX

* hactenus L.
* MSS. *Tibiucam*

C. V. Romæ natalis SS. Felicis & Audacti. B. Eodem die S. Seueræ.

II KAL. *Vacat Beda nec non MS. D. in supplemento.* XXXI

C. V. Treuiris depositio S Paulini Episcopi. C. Et S. Pauli Apostoli & Confessoris. V. C. Alibi Gayani, Iuliani, Rufini, Vincentii. B A. T. L. Treuiris depositio S. Paulini Episcopi & Confessoris: qui cùm pro fide Catholicâ à Constantio Imperatore filio Constantini Imperatoris exiliatus fuisset, ibidem requieuit. B Alibi depositio S. Elladi Episcopi. A. Eodem die apud Atrebatum depositio S. Hadulfi Episcopi & Confessoris. T. B. Autisiodoro depositio S. Optati Episcopi. F

SEPTEMBER.

I KALENDIS. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. Cenomanis, depositio S. Victoris Episcopi & Confessoris: qui dum ciuitas ipsa cremaretur incendio, & validis globis flammæ huc illucque impellente vento propellerentur; quasi pastor bonus non perferens ecclesiasticas caulas ab insidijs sathanæ deuastari obuiàm se turbinibus obtulit, eleuatâque manu facto signo Crucis econtra, illicò omne cessauit incendium.

D. Iesu Naue & Gedeon Prophetarum. B. C. V. D. L. In Capuâ natale S. Prisci * qui fuit vnus de antiquis Christi discipulis. *Aliàs* qui vnus dicitur fuisse ex septuaginta duobus discipulis. C. V. A. T L. In * Tudertinis natale SS Felicis & Donati. A. L. Apud Senonas depositio S. Lupi Episcopi & Confessoris. T. Romæ depositio S. Columbæ Virginis. B. In Carthagine natale Sanctorum duodecim fratrum. A. Eodem die sanctorum Episcoporum Sixti, Sinici atque Iuuandi & Firmini Episcopi & S. Ægidii Abbatis. B In Prouinciâ depositio S. Ægidii Confessoris. L. In loco Vallis quæ dicitur Flauiana, in prospectu maris, natalis S. Ægidii Abbatis, apud Athenas orti, patre Theodoro, matre Pelasiâ. B. Bectantiâ primâ natale SS. Marciani Episcopi, Sisinnii & Amausi. Cenomanis ciuitate depositio S. Victoris Episcopi & Confessoris.

* *huc vsque* V. C. & B. *vbi* Capua Aquaria *dicitur*
* C. *Tude Terentiani*

IV NONAS. *Vacat Beda.* II

Florus in A. T. L. Lugduno depositio S. Iusti Episcopi & Confessoris: qui pro quodam fugitiuo eiusdem ecclesiæ, petente primario ciuitatis, reddito supplicioque mortis affecto, eius sibi adscribens supplicium; gregem commissum, quem magnâ puritate & modestiâ ac patientiâ multis rexerat annis, derelinquens, se eremo dedit, Domino adhærens & cultoribus eius, Sancto videlicet Macario Sanctoq; Paphnutio: quorum vitæ ac mortis particeps extitit. T. Et in Siciliâ natale Felicis & Secundi.

V. C. In Alexandriâ Theodori. In Antiochiâ Timothei. Alibi depositio S. Iusti. C. Episcopi. D. Natale S. Iusti Lugdunensis

A dunensis Episcopi, miræ sanctitatis & prophetiæ.

Sed hæc omnia in dictis MSS. habentur loco posteriori, initio autem hic præmittuntur. In A. T. L. Passio Sanctorum Aniceti & Fotini fratris eius. T. qui post multiplicia ac sæua tormenta igni traditi sunt. In Nicomediâ natale Sanctorum Gorgonij & Theodotæ. A.T.L.B. Eodem die S. Antonini Martyris. A.B. Augustoduni depositio S. Syagrij Episcopi & Confessoris. B. In Alexandriâ natale S. Theodori. Lugduni depositio S. Iusti Episcopi. In Nicomediâ SS. Zenonis, Gorgonij, Monolappi, Theodotæ cum filiis suis.

III III NONAS. *Vacat Beda,*

C.V. Leonis & Marini Confessorum. In Aquilegiâ Syricij
* in solo C *[Euphemiæ] & Ariston. D. Romæ B. Seraphiæ Virginis sub Adriano Imperatore ac iudice Berylло. L. In Siciliâ natale S Felicis & apud Stabulaus S. Remacli Episcopi Tungrensis. B. In Alexandriâ natale S. Aristonis Episcopi. Et natale SS. Euphemiæ, Sirici & Aristonis cum sociis eorum. T. Natale S. Iusti Episcopi. T.A.B. In prouinciâ Syriæ natale S Antonini
* in solo B pueri * [annorum duodecim] & S. Aresti Episcopi. T. & Confessoris. T. A. Et depositio S. Euphemiæ. & S. Remacli Episc. A. In monasterio Stabulaus depositio S. Remacli Episcopi & Confessoris.

IV II NON. *Vacat Beda.*

B *Florus in* A. T. L. In Galliâ, ciuitate Caualonis natale S. Marcelli Martyris, qui virtutibus coruscans & in confessione Domini constanter perseuerans, tempore Antonini sub Prisco Præside, medius in terrâ fossus consummauit martyrium.

* in V.C. B.V.T.L.C. Romæ * [viâ Salariâ] deposito S. Bonifacij Episcopi. B. Item Romæ. B. C. V. ad S. Felicitatem, Magni, Casti, Saturnini. D. Moysi prophetæ. Apud Ancyram Galatiæ natale Sanctorum Martyrum trium puerorum Rufini, Siluani & Vitalicæ. B. Cauellonis passio S. Marcelli Episcopi. Treuiris natale S. Paulini Episcopi.

V NONIS. *Vacat Beda.*

Florus in A.& T. In Viennensi ciuitate passio S. Ferioli Martyris qui gladialem suscepit sententiam sub Præside Crispino. Eodem die depositio S. Bertini Confessoris & monachi: qui in diuinis rebus prudens & in malis simplex virtutibus claruit diuinis.

V.C. In portu Romano Quinti, Taurini, Arestosi, Donati, Saturnini, Ingenui. B. Romæ natalis SS. Taurini & Saturnini. D. Romæ B. Victorini Martyris: fuerunt autem duo fratres Victorinus & Seuerinus. A. Romæ depositio Bonifacij Episcopi. L. In viennâ passio S Ingenui Episcopi. A.T.L. B In Capuâ Campaniæ natale Sanctorum Quinti & Donati. B. *Interponit* Arconti.

VI VIII IDVS. Zachariæ Prophetæ.

Ponitur vltimo loco in T. & L. secundo in A. alibi primo. D. Et natale S. Onesiphori Apostolorum discipuli B.C.V A.T. L. Romæ S. Eleutherii Episcopi. A. T. L. & [depositio] S.
C Humberti [Confessoris Christi. *Alias*, Sacerdotis. B. In territorio Cappadociæ ciuitate Reaten natale S Cartidi cum sociis suis.

VII VII IDVS. S. Clodaldi Confessoris.

Quod Florus in A.T.L. sic auxit. Eodem die in territorio Parisiorum vico Nouigento S. Clodoaldi Confessoris & Regis. *Simile quid legitur in B.*

Idem Florus primo loco hoc habet. Aurelianis depositio S. Euurtij Episcopi & Confessoris, qui tempore Constantini Imperatoris caussâ requirendorum Fratrum egressus, in Aurelianis ingressus est vrbem: vbi tunc clero & populo ieiunium triduanum celebrante pro Antistite futuro, ab Ostiario ecclesiæ in hospitio receptus, & vsque ad diem tertium pacti ieiunij nutu Dei est retentus. Confluentibus accersitis Episcopis & populis vniuersis ad ecclesiam, ille pariter cum suo intrauit Ostiario. Quibus orantibus & Domini misericordiam præstolantibus, ecce instinctu Dei columba transmissa per insertam fenestram ingressa, quasi lux immensa fulgens, per totam ferè ecclesiam more personam inuestigantis cœpit volitare. Quæ speculata S. Euurtium ianuæ inhærentem, illicò super caput eius insedit. Quod signum populus admirans, ampliùs Deo preces fundebat, iterum duplicari ac triplicari miraculum. His ita orantibus, columba tertiò venit, tertioque super præfati viri caput insedit. Hoc indicio cælitus dato Antistes effectus est populo Aureliano: cui tantam Dominus contulit gratiam, vt medicinale infirmis remedium, & fatigatis diuersis calamitatibus infinitum præberet beneficium. Nam & in horâ confractionis panis cælestis, dum de more Sacerdotali Hostiam eleuatis manibus tertiò Deo oblatam benedicendam offerret, super caput eius velut nubes splendida apparuit, & manus de nube extensa porrectis digitis oblata benedixit. Quod miraculum ei tantummodò & Subdiacono eius, ac vni pœnitenti & vni castimoniali permissum est videre. Captiuos verò fratres post quadraginta annos recepit incolumes. Scriptum in gestis eius. D

B. T. In Beneuentis passio Sanctorum Ianuarii, Ferioli, & Desiderii. V. C. In Capuâ Ianuarii, Desiderii. Et passio Anastasii. D. & B. Ioannis apud Nicomediam Diaconi Martyris. B. In Galliâ Arelate depositio S. Augustalis. Eodem die natale S Reginæ Virginis.

VI IDVS. Natale Sanctæ Dei genitricis Mariæ. Eodem die in Nicomedia natale S. Adriani Martyris cum alijs viginti tribus. VIII E

A. & T. *interiiciunt* & S. Nemesii. V. & C. *addunt*, Demetrii, Seueri cum aliis vndecim. L. *mutatâ phrasi.* Ipso die in Nicomediâ passio S. Adriani & comitum eius qui passi sunt sub Maximiano viginti tres numero. B. In Antiochiâ natale SS. Timothei, Faustini.

V IDVS. Natale S. Gregorij. IX

Addit L. & Dorothei Martyrum. V. C. D. In Sabinis Hyacinthi, Alexandri, Tiburtii. A. Natale S. Gorgonii Martyris & Tiburtii. Et depositio S. Alexandri. T. Passio Beatorum Martyrum Dorothei atque Gorgonii. T. & depositio S. Alexandri. B. In Cæsareâ Cappadociæ natale SS. Fortunati, Ammonii.

Florus in A. T. L. Ipso die Taruennæ depositio S. Audomari Episcopi & Confessoris * [qui mundo mortuus, Deo viuens, plurimarumque virtutum signis pollens Taruennis vrbis populum ad cultum conuertit diuinum. * huc vsque L.

IV IDVS. *Vacat Beda.* X

B. C. V. A T. L. Romæ depositio B. Hilarii Papæ * [per quem Victorinus ordinem Paschalem scripsit. T. A. In Alexandriâ natale Sanctorum Nemesii, Ammon, & aliorum octingentorum & * sex. B. In Alexandriâ, Ammonis, Orionis, Oriosii & aliorum octoginta sex. D. Apud Africam natale Sanctorum Episcoporum Nemesiani, Felicis, Lucii. Item Felicis, Littei, Poliani, Iaderis & Datiui. B. In Africâ natale SS. Doletatuli, Tusci. Valentini. L. Et S. Theodardi Episcopi & Martyris. In Santanaco S. Dagoberti Martyris. B. *manu recenti adscriptum.* Translatio Corporis S. Benedicti Eremitæ. * huc vsque B. * A. quinque F

III IDVS. Romæ SS. Proti & Hyacinthi: qui erant Eunuchi S. Eugeniæ. XI

Addit Florus in A.T.L. Sed feruore fidei facti sunt doctores Christianæ legis vnde & capitalem susceperunt sententiam.

A.T.L.B. Lugduno depositio S. Patientis Episcopi. B. In Alexandriâ natale SS. Syri & Serapionis. In Apuriâ natale SS. Felicis & Donati. C. Et in portu Vrbis Romæ Ingenui.

II. ID. *Vacat Beda.* XII

C. V. In Pamphiliâ S. Syri, alibi S. Eupli. V. & Serapionis. D. Apud Vrbem Ticinum, quæ & Papia dicitur, sanctorum Confessorum Syri & Hyuentii. B. In ciuitate Catenas SS Epuli & Serapionis Episcopi. Lugduno Galliæ depositio S. Sacerdotis Episcopi. In Pamphiliâ natale S. Cyrici Episcopi & Confessoris. A.T. Romæ natale S. Hypoliti. A.T.L. Augustoduno depositio B. Euantii Episcopi T.L. In Siciliâ passio Serapionis Episcopi & aliorum tredecim.

IDIBVS. *Vacat Beda.* XIII

D. Apud Ægyptum ciuitate Alexandriâ B. Philippi Episcopi & Martyris. C.V.L.A.T. Augustiduno depositio B. Nectarii Episcopi. L. Et Turonis Lictoris Episcopi. B. A. T. In

A Galliis ciuitate Turonis depositio S.* Lictoris Episcopi. Romæ natale S. Dionysii Episcopi. Eodem die * [apud Duacum] depositio *aliàs* transitus S. Amati Episcopi. B. In Apuliâ natale SS. Felicissimi & Secundini. In Alexandriâ natale S. Theophili Episcopi. Andegauis ciuitate depositio S. Aurilionis Episcopi.

* B. *Lidonis*
* abest à T. & B.

XIV XVIII KAL. OCT. Romæ natale S. Cornelij Episcopi: cui primo os cum plumbatis cæsum, & sic decollatus est cum aliis viginti * & vno promiscui sexus: & Cerealis miles cum vxore suâ Salustiâ, quam Cornelius ab infirmitate sanauerat passi sub Decio. Eodem die natale S.* Cypriani Episcopi, qui sub Valeriano Principe post longum exilium, detruncatione capitis martyrium consummauit sexto milliario à Carthagine.* Eodem die exaltatio sanctæ Crucis.

* R. viginti duobus
* C. *Cyriaci.*
* deest in T. & B.

B Et depositio Ebarci Episcopi.

XV XVII KAL. Natale S. Nicomedis Martyris (*D.* Episcopi. *L. addit* & Valeriani) Eodem die S. Apri Episcopi (*A & T præmittunt.* In ciuitate Tullo B. *verò.* In territorio Cauillonensi castro Trinorchio) & Leobini Confessoris. *desunt* Aper *&* Leobinus *in* L.

B

A.T. Beluagus translatio corporis S. Luciani. Eodem die depositio S. Aicadri Abbatis: *qui & in L. inuenitur.* B. In Alexandriâ natale trium fratrum Cyrini, Leontii & Serapionis.

XVI XVI KAL. Natale S. Euphemiæ Virginis: quæ Martyrizauit sub Diocletiano Imperatore, Proconsule autem Prisco, in ciuitate Calcedoniâ: quæ tormenta & carceres verbera & argumenta rotarum, ignes & pondera lapidum angularium, bestias & clauas virgarum, serras acutas & sartagines ignitas, rursum morsum bestiæ pro Christo superauit, & ad mille passus ciuitatis Calcedonis sepulta est à patre suo * Philosophrone Senatore. Ipso die natalis Sanctorum * Luciæ & Geminiani.

* D. *Philophrone*
* D. *Lucij*

C.B.V. Et Alibi S. Emerentianæ *vel* Emerentianis *vel* Emerentianitis.

XVII XV KAL. Natalis S. * Lamberti Episcopi & Martyris. In Britannijs Socratis & Stephani.

* R C.B. *Landeberti*

C *Florus in* A. T. L. *præmittit hæc.* In Galliâ in villâ quæ dicitur Leudegus *& subiungit de S. Lamberto*: qui sectando iustitiam adeptus est Martyrij palmam.

A.T. In Mediolano depositio S. Eustorgii B. In Euiduno natale SS. Valeriani, Macrini, & Gurdiani. L. Ipso die eleuatio S. Hyltrudis Virginis.

XVIII XIV KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. In territorio Lingonicæ ciuitatis, monasterio Segestro, depositio S. Sigonis Presbyteri & Confessoris. Et passio Sanctorum Felicis & Constantij, qui passi sunt sub Nerone Imperatore.

B.C.V. in Alexandriâ S. Trophimi In Nicomediâ Sanctorum Oceani, Sixti, C.V. Medetei. B. In Mediolano depositio S. Eustorgii Episcopi.

XIX XIII KAL. In Neapoli Campaniæ natale Sanctorum Ianuarij, Beneuentanæ ciuitatis Episcopi; cum Sosio Diacono Mesenatæ ciuitatis, & Diacono suo Festo, & Lectore suo Desiderio *: qui post vincula & carceres capite sunt cæsi in ciuitate Puteolanâ, sub Diocletiano Principe iudice Dracontio. Qui cùm ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum Puteolanæ ciuitatis Diaconum, & duos laicos Eutychen & Acutium; D & interrogauerunt quare iusti iuberentur occidi: quos Iudex vt vidit Christianos iussit decollari cum illis. Sic omnes septem pariter sunt decollati. Et tulerunt noctu corpora Christiani; & Neapolitani Ianuarium posuerunt iuxta ciuitatem in basilicâ, Mesenates Sosium æquè in basilicâ, Puteolani Proculum & Eutycetum & Acutium in basilicâ S. Stephani, Festum & Desiderium Beneuentani collegerunt.

*MS. Latiense vsque ad * conuenit: deinde aliorum trium subiungit nomina.*

V.B.D. & natale S. Eustochij. V.C. alibi depositio S. Mariani. B. Treueris ciuitate depositio S. Mileris Episcopi.

XII KAL. In Cyzico natale Sanctorum Faustæ Virginis & Euilasij sub Maximiano Imperatore: quam idem Euilasius, cùm esset primus palatij, iussit decaluari & radi ad turpitudinem: deinde suspendi ac torqueri: quo tempore coruscatio de cælis facta multos ministrorum percussit. Deinde iussit loculos afferri & eam immissam ac fixam, quasi lignum secari mediam: sed eam carnifices serris lædere non valebant. Quæ inter stupens Euilasius Christo credere cœpit; & hoc vbi Imperatori nuntiatum est, misit Præfectum, qui eum suspensum fortiter torqueret. Qui etiam iussit Faustam nudam & sine * mauorte educi de carcere, & ei caput terebrari ac clauis configi. Cui postmodùm non solùm caput, & facies, sed & pectus & totum corpus vsque ad tibias clauis impletum est. Post hæc sartaginem iussit igniri: sed hæc illâ psallente refriguit. Hæc inter veniens vox de cælo vocauit eos & sic tradiderunt spiritum. Erat autem Fausta annorum * tredecim & Euilasius * octoginta. XX E

* A.B.V. Maforte
* D. xvi B. xii
* V.C. lxx

C B.V D.T.A. Vigilia S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ. B. In Noceriâ natale SS. Felicis & Constantiæ: qui passi sunt sub Nerone impiissimo Imperatore.

XI KAL. Natalis S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ. XXI

Florus præponit in A.T.L. in Persidâ *& subiungit*: qui orans à tergo gladio percutitur. Et occubuit. B. qui passus est in ciuitate Tharim. F

V.C. Alibi S. Vincentij Martyris. A. Et passio S. Alexandri Episcopi. B. In Mediolano natale S. Victoris Martyris.

X KAL. Sanctorum Martyrum Theborum Mauricij, Candidi Exuperij * Victoris *addit* R. cum alijs VI. CIↃ. octuaginta quinque Martyribus. XXII

* huc vsque R.

Quæ à Floro in A.T.L. *sic explicantur.* cum socijs quorum omnium numerus sex millia sexcenti sexaginta sex fuisse dicitur qui pro Christi nomine omnes pariter iussu Maximiani Cæsaris gladio sunt interfecti: *& præmittitur.* Apud Agaunum passio &c.

V *post* Victoris, *addit* Innocentij, Vitalis (qui etiam nominantur in A. & C.) cum sociis * septem.

* C *sex*

B. *plenius, sic vt propterea credi posset hoc martyrologium ad vsum Agaunensis monasterij, aut alterius eamdem tenentis Regulam scriptum fuisse.* In Galliâ Sedunis, ciuitate Senocto Dorouallense, loco Agauno, passio Sanctorũ Thebæorum Martyrum Mauricij, Exuperij, Candidi, Innocentij, Victoris & Vitalis cum sociis eorum sex millibus sexcentis sexaginta sex, sub Diocletiano & Maximiano. Hi accincti venerunt in auxilium Maximiliano, cùm destinaretur in persecutionem Christianorum. Et cùm non solùm idolis sacrificare, sed etiam

A iam Christianos persequi recusarent, secundò & tertiò decimati sunt. Sed contentio inter eos oritur, quâ obuium se quisque præbens, optat esse decimus. Ad vltimum tertiò causâ iustitiæ, sed depositis armis, ceruices persecutoribus præbentes, vel intectum corpus offerentes; ipsum solum reminiscentes confiteri, qui ad occisionem ductus est tamquam agnus & non aperuit os suum; ipsi quoque tamquàm grex dominicus laniari se permiserunt, & tamquàm ab irruentibus lupis passi sunt. Victor autem senex, qui nec legionis illius fuit, fatigatus in itinere ad contaminatum cædibus locum ductus est, & dum ad epulas pro ætatis veneratione rogaretur, & caussam interemptorum corporum cognouisset, detestatus conuiuas & conuiuium, statim profanorum turbâ vallatur, quæ, vtrum Christianus esset, respondere minaciter iubet: Mox confessus Christum iunctus est Martyribus.

V. Romæ S. Dignæ & Meritæ. B. Romæ natale S. Babillæ & S. Dignæ & Meritæ.

XXIII IX KAL. Natale S. Sosij Diaconi Mesenatæ ciuitatis in Campaniâ: qui, cùm esset annorum triginta, martyrium cum B. Ianuario Beneuenti Episcopo capitis decollatione suscepit tempore Diocletiani Imperatoris.

* huc vsque L. * Is, cùm tempore quodam Euangelium le-B geret in ecclesiâ Mesenatæ ciuitatis, præsente Episcopo Ianuario, (frequenter enim eum pro sanctitate & prudentiâ eius visitare consueuerat) vidit subitò idem Episcopus de capite eius flammam exurgere, quam nemo alius vidit; & prænuntiauit eum Martyrem futurum. Et post non multos dies idem Diaconus tentus & in carcerem missus est. Ad quem visitandum cùm venisset Episcopus cum Diacono suo Festo & Lectore suo Desiderio, & ipse cum eo simul tentus, ac pariter omnes, cum alijs tribus, occisi sunt. Eodem die natale S. Theclæ Uirginis in Oriente in Iconio ciuitate: quæ à Paulo Apostolo instructa in confessione Christi, ignes ac bestias deuicit: & post multa certamina ad doctrinas multorum, veniens seleuciam requieuit in pace.

Florus in A.T.L. Eodem die Romæ S. Lini Papæ & Martyris: qui secundus post Petrum Romanam Ecclesiam nouem annis regens, tempore Neronis Martyrio coronatus est.

V C. Romæ depositio S. Liberii Episcopi.

XXIV VIII KAL. Conceptio S. Ioannis Bapti-C stæ. Et in Augustoduno natale S. Andochij Presbyteri, Thyrsi Diaconi, & Felicis: qui à S. Polycarpo ab Oriente directi ad docendum Galliam sub Aureliano Principe sunt gloriosissimè coronati. Si quidem flagellis cæsi, in vltimo totâ die inuersis manibus suspensi, in ignem missi, sed non combusti; tandem vectibus colla feriuntur. Vbi Symphorianus, tunc viginti annorum, qui posteà passus est, semper vigilias & orationes agebat.

B.V.C Alibi depositio Rustici Episcopi. T. L. Eodem die Lugduno depositio S. Lupi Episcopi. B. Et reuersio Sanctæ Crucis.

XXV VII KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. In Ambianis ciuitate, depositio S. Firmini Episcopi & Martyris: qui tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum patriam parentesque relinquens, Galliarum confinia aggressus, Aruernorum, Andegauensium, Beluacensium atque Ambianensium populum, multitudine prædicationis & mira-D culis effulgens, conuertit. Vbi & pro Christo passus est, & insidias persecutorum plurimas sustinuit. Hinc à Sebastiano Præfecto comprehensus, post vincula & dira flagella custodiæ traditus, clàm noctis silentio in carcere est decollatus.

B.V.C. In Asiâ Sanctorum Eucarpi & Bardoniani: & alii viginti sex. B. Et alibi depositio S. Firmini Episcopi. D. L. Natale S. Cleophæ, cui Dominus in resurrectione tertius apparuit.

VI KAL. Sanctorum Martyrum Cypriani Episcopi & Iustinæ: quorum Iustina sub Diocletiano multa propter Christum perpessa, ipsum quoque Cyprianum, cùm esset Magus, & magijs suis eam dementare conaretur, conuertit ad Christum: cum quo, posteà iam Episcopo & nobili doctore facto, martyrizauit sub Claudio Principe. XXVI

B.V.C. Romæ depositio S. Eusebii Episcopi & Confessoris. B. Aluernis depositio S. Apollinaris Episcopi.

V KAL. Natale SS. Cosmæ & Damiani sub persecutione Diocletiani, Præside eius Lysiâ, in ciuitate Ægeâ: qui post multa tormenta, vincula & carceres toleratos, mare & ignes, crucem, lapidationem & sagittas diuinitus superatas, capite plectuntur. XXVII E

Addit L. Cum fratribus Antinoo, Leontio, & Euprepio.

Florus in A.T.L. Ipso die natale S. Timothei discipuli Pauli, quem idem Vas electionis puerum assumens, omnem ecclesiasticam disciplinam docuit, & cum manus impositione accommodabilem Ecclesijs fecit. Hic pudicus & virgo permanens, apud Ephesum in monte, qui vocatur Pion, cum magno honore sepultus quiescit.

L. *primo loco.* Natale S. Hyltrudis Virginis quæ amore Christi sponsum in terris fugiens, ei quem elegerat viriliter adhæsit, bonumque propositum laudabili fine conclusit. V. C. Et in Epheso S. Timothei ad quem Paulus Apostolus scripsit Epistolas. B. In Tarso Ciliciæ passio SS. Taraci, Probi, & Andronici.

IV KAL. *Vacat Beda.* XXVIII

D. Hispaniis Cordubâ SS. Fausti, Ianuarii & Martialis. V. C. In Africâ SS. Martialis, * Lauri. Romæ S. * Stactei. Et in monasterio Domini Saluatoris dedicatio basilicæ B Petri Apostoli. A.T.L In Africâ natale SS. Martialis, Laurentii, Faustini, & Candidi. T. L. Eodem die Exuperii Episcopi. A.T. In Galliâ ciuitate Genuâ depositio S. Salonii Episcopi & Confessoris. T. Eodem die Romæ passio S Stactei. Autissiodoro depositio S. Alodii Episcopi. B. Romæ natalis S. Iustini Presbyteri. In Africâ natalis SS. Martialis, Marii, Faustini. Autissiodoro depositio Fraterni Episcopi. * C. Laurentij * V. Stratti F

III KAL. Dedicatio ecclesiæ Sancti Angeli Michaelis. XXIX

Plenius V. & C. Romæ viâ Salariâ milliario septimo] * dedicatio basilicæ sancti Archangeli Michaelis vel in monte qui dicitur Garganus, vbi multa mirabilia Deus ostendit. * huc vsque deest in C.

A.T.L. Autissiodoro depositio S. Fraterni Episcopi. B. Alibi natalis SS. Sossii, Ianuarii.

II KAL. In Bethleem Iudâ depositio S. Hieronymi Presbyteri: † qui obiit anno nonagesimo * [primo. XXX * deest in B.

Florus in A.T.L. *ad signum* † *hæc interposuit:* qui Sanctæ Ecclesiæ suo labore multa contulit: huic enim mundus crucifixus fuit & ille mundo, obiitque &c.

V.C. In Placentiâ ciuitate S Antonini. V C A. In Mediolano translatio Corporis S. Victoris Martyris. L. & T. ipso die natale Sanctorum Victoris & Vrsi Martyrum. C. Romæ passio S. Sophiæ cum tribus filiabus suis Pistis, Elpis, & Agapis. B. Et SS. Pistis, Elpis, Agapis, Sophiæ.

A

OCTOBER

I KALENDIS. Festiuitas S. Remigij Remis ciuitate.

Florus in A. T. L. Elissiponâ ciuitate passio Sanctorum Verissimi, Maximi & * Iuliæ qui passi sunt sub Datiano Præside. Quorum Datianus confessione compertâ, parari secretarium iubet & intromitti lictores, extendi Martyres, admoueri verbera, colligari vngulas, exponi aculeos, & tendiculas imperauit. Et, cùm nihil horum Dei famulos aut terruit promissum aut superauit appositum, gladio tandem consummantur.

* I. Iulii

A. T. Ipso die in pago Medratense natale S. Piatonis Martyris. A. T. L. Treuiris ciuitate depositio S. Nicetij Episcopi. V. C. Autisiodoro depositio S. Germani Episcopi & Confessoris. B. Et alibi Vedasti, Bauonis & Pietonis. In ciuitate Tumis natale SS. Prisci, Crescenti, Euagri Et S. Melori.

II VI NONAS. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. In Galliâ Passio S. Leodegarij Episcopi & Martyris, qui iussu Ebroini (qui antè monachus, tunc Maior-domus extitit) oculis & linguâ priuatur, sed fame non tollitur: & posteà magnâ inopiâ * trucidatus, nouissimè ense suscepto plectitur capite.

B

* an cruciatus?

Supplementum deest in D. manu autem recentiori inscriptum est Natale S. Leodegarij Martyris. B. V. C. In Antiochiâ Primi, Quirilli [& * Secundiani] Romæ S. Eusebij Episcopi. Alibi ** [Felicis & Casti. In pago Pictauensi] depositio Leodegarij Episcopi & Confessoris.

** hæc in solo B.

T. Romæ viâ Appiâ depositio Eusebii Episcopi & Beati Episcopi. B. In Nicomediâ S. Eleutherii.

III V NONAS. Apud antiquos Saxones natale duorum Ewaldorum Presbyterorum, qui cum Willibrordo Episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones: & cùm ibi prædicare Christum cœpissent, comprehensi sunt à Paganis & si occisi: ad quorum corpora multa diu lux apparens, & vbi essent & cuius essent meriti, declarauit.

C. V. In Africâ Victoris, Vrbani. V. C. B. Alibi * Felicis & Casti. A. In Africâ natale SS. Victoris & Casti. T. In Africâ natale SS. Victoris Felicis & Casti. Et S. Dionysij Episcopi & Martyris. *Et hæc vtrobique primo loco quoad Africanos: in A. ad calcem ponitur,* Eodem die Passio S. Dionysij Episcopi. B. In Antiochiâ natalis S. Theogenis. In pago Pictauensi passio S. Leodegarij Martyris.

* C. Elicis

IV IV NONAS, *Vacat Beda.*

C

B. V. C. In Ægypto Marci & Marciani. V. C. Alibi Marcelli Episcopi. V. & depositio Marsi Episcopi. B. C. * Autisiodoro] depositio Marci Presbyteri. In Africâ Maurosij, Restituti. D. Apud Corinthum Crispi & Gaij: quorum meminit Apostolus Corinthiis scribens. B. In Anxiopoli natale S. Clasij. A. T. L. In Africâ natale Sanctorum Restituti & S. Marcelli Episcopi. Autisiodoro depositio S. Marci presbyteri. L. Et natale S. Francisci Confessoris.

* deest in C.

V III NONAS. *Vacat Beda.*

V. C. In Siciliâ Placidi Eutici & alij triginta. Alibi Victorini, Fausti. D. Apud Siciliam SS. Placidi Eutychij & aliorum triginta. B. A. T. L. In * Galliâ ciuitate Valentiæ depositio Apollinaris Episcopi * [Autisiodoro depositio Sanctorum * [germanorum] Firmati Diaconi] & S. Flauinæ, *vel* Flauiæ *vel* Flauianæ Virginis.

* B. *in Africâ*
* hæc desunt in L.
* est in solo B.

VI II NON. *Vacat Beda.*

V. C. Romæ depositio Marci Episcopi. Et in Africâ Rogati, Saturnini, Ianuarij, * Faustini, & Marcialis. B. Eodem die passio SS. Fausti, Ianuarij & Mercialis. B. D. Apud Capuam Sanctorum Marcelli, Casti, Æmilij, Saturnini. *Et obserua frequentius aliquoties recurrisse vt vbi Vaticanum & S. Cyriaci habent Africam, Diuionense legat Capuam, vt fortassis alicubi Carthago scripta fuerit.*

* C. Fausti & Marci Ab.

A. T. Romæ depositio S. Marci Episcopi. Capuâ natale Sanctorum Casti, & Saturnini. A. T. B Autisiodoro depositio S. Romani Episcopi. In Aginno S. Fidis Martyris. T. Sociorumque eius Caprasij, Primi & Feliciani. B. Romæ natale S. Balbinæ. L. In Capuâ natale SS. Casti & Saturnini, Et in Agennâ S. Fidis Virginis.

NONIS Natalis S. Marci Papæ. Ipso die natalis S. Lini Papæ. VII

Abest postremus à MSS. A. T. L.

V. C. B. Et SS. Sergij & Bacchi. In Capuâ Quarti & Marcellini. L. Et SS. Marcelli & Apulei Martyrum.

A. T. Romæ depositio S. Marci Papæ. Ipso die natale SS. Sergij & Bacchi Martyrum. A. T. B. Bituricas ciuitate depositio S. * Augustini Episcopi & Confessoris. A. T. Eodem die natale SS. Marcelli & Apulei.

* B. *Augustalis*

VIII IDVS. *Vacat Beda. & suppl. Diu.* VIII

B. V. C. In Antiochiâ Dionysij * [Episcopi] Ianuarii, Faustini * [Martyrum: Martialis] * Priuati. A. T. In Antiochiâ ciuitate natale SS. Ianuarij, Priuati & S. Faustini Martyrum. A. L. In Auriniaco S. Benedictæ Martyris. In Cæsareâ Palæstinæ passio S. Reparatæ Virginis. A. In Hunulfi-curte depositio S. Valeriæ Virginis. Ipso die in Donnino natale S. Ragenfredis Virginis. T. Eodem die natale sanctarum Virginum Ranghenfledis & Benedictæ Martyris. B. Eodem die natale SS. Marcelli & Apulei.

* deest in B.
* deest in C.
* deest in B.

E

VII IDVS. In Parisijs natale sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici & Eleutherii. IX

Additur in A. *&* T. Qui Trinitatem confitentes trino gloriosè meruerunt coronari martyrio. *Ast in* L. qui post nimia tormenta securibus submiserunt colla tempore Domitiani Principis.

Eodem die in Coloniâ Gereon Martyris cum aliis trecentis quindecim.

vt est in R. at in D. septemdecim: *in Barberiniano & S. Cyriaci* CCCXVIII: *in* V. decem & octo. *Absunt omnia ab* A. T. L. *dubia igitur nobis sunt.*

C. & V. Eodem die S. Domnini Martyris. B. Romæ natalis SS. Marcellini, Genuini, Niuii. Et inter duas lauros natale S. Priminæ.

VI IDVS Passio S. Victoris Martyris. Et in Britanniâ * Paulini Episcopi Eburaci. X

* B. C. *Pauli.*

Sed deest Victor *in A. & T. MSS.* & vltimo loco ponitur Paulinus *hæc enim præmittuntur in* A. & T. In Africâ natale SS. Venusti, Crescentij, & S. Victoris Martyris. In Coloniâ quæ vocatur Agrippina natale Gereonis Martyris cum alijs trecentis & octodecim. *Quæ postrema Flori esse videntur: habenturque etiam in L. vbi vltimo loco est solus* Victor.

F

V. Malosi cum aliis trecentis triginta. B. In Africâ natale SS. Eusebij, Eraclij, Dionysij. Et alibi Malusij cum aliis trecentis & triginta.

V IDVS. *Vacat Beda.* XI

Florus in A. T. L. Turonis depositio S. Venantij Abbatis & Confessoris, viri magnificæ sanctitatis: qui multis infirmis in corpore positus opem cõmodauit.

C. V. Sancti Tanasij Presbyteri, Ampodi, Fausti, Ianuarij, V. Marcelli. C. Martialis. D. Apud Tharsum metropolim Martyrum Taraci, Probi, & Andronici: qui persecutione Diocletiani martyrizati sunt. A. T. *primo loco.* In Antiochiâ natale S. Athanasij Episcopi, Eraclij, & Placidi. T. In Coloniâ quæ vocatur Agrippina super fluuium Rheni natale S. Malusii cum aliis trecentis triginta. L. *vltimo loco* & in Antiochiâ passio Eracli & Placidi. B. In Aceruo Siciliæ natale SS. Thanasii Presbyteri, Placidi, Marcialis. Antiochiæ natale S. Heraclii.

IV IDVS. *Vacat Beda.* XII

B. V. C. In Prouinciâ Syriæ Sanctorum V. B. Euagri, * Proseriæ. Romæ * Cælestini Saturi. C. Euagri & Seriæ. Romæ Cælestis. B. In Ægypto S. Eustasii Presbyteri. D. Apud Africam sanctorum Confessorum & Martyrum quatuor millium nongentorum septuaginta sex. A. T. B. In Campania natale SS. Eucharisti & Fortunati. B. Prisciani. A. T. Romæ depositio SS. Saturi & Calesti. T. In Rauennâ natale S. Edesti. L. In Rauennâ passio S. Edisti. Et Romæ passio S. Saturi. B. Bituricè S. Opinionis Presbyteri.

* B. Prosyriæ
* B. Cælesti.

III IDVS.

A XIII III IDVS. *Vacat Beda.*

V.C. In Spaniâ Fauſti, Marciæ. Alibi Adriani. Alexandriæ Athanaſii Epiſcopi. B. In Hiſpanis Gordobâ ciuitate Fauſti & Marciæ. Turonis depoſitio S. Venantii Abbatis & Confeſſoris. D. S. Polycarpi diſcipuli Pauli apud Troadem. B.A.
* deeſt B. T.L. Calcedoniâ natale Sanctorum Adriani * [Ianuarii] & Marcelli. T. L. in Hiſpaniâ paſſio SS. Fauſti & Ruſtici. T. *primo loco* Natale S. Geraldi Confeſſoris.

XIV II IDVS. Natale S. Calixti Papæ: qui in perſecutione Alexandri Imperatoris diutiùs fame cruciatus & quotidie fuſtibus cæſus, per viſionem à Presbytero ſuo Calepodio, qui anteà martyrium conſummauerat, confortatus & conſolatus eſt: qui in carcere eodem poſitus quemdam militem, nomine Priuatum, ab vlcerum dolore ac fœditate ſimul & ab infidelitate curauit. Quod audiēs Alexander, ipſum quidem militem fecit plūbatis deficere: beatum verò Caliſtum per feneſtram domus præcipitari: & ligato ad collum eius ſaxo in puteum demergi, & in eum per rudera cumulari. Poſt dies verò ſe-
B ptemdecim Presbyter eius Aſterius, cum Clericis noctu veniens, leuauit corpus, & ſepeliuit in cœmeterio Calepodii * Pridie Idus
* deeſt D. & R. Octobris.

Addit V.C. ſic obiit.

A. Eodem die depoſitio S. Donatiani Epiſcopi. B. Cordubâ ciuitate natale SS. Lupi & Aureliæ.

XV IDIBVS. *Vacat Beda.*

V. Sanctorum Maurorum de militibus & S. Legadiæ. *Aſt* C. de militibus & S. Gaidæ Virginis. D. Tranſitus S. Iuſti in eremo, Lugdunenſis Epiſcopi. B. Romæ natale S. Fortunatæ. A.T.L. Romæ paſſio S. Siluani Martyris & S. Fortunati. In Coloniâ Agrippinâ natale Sanctorum Maurorum de militibus (*ſeu vt habet L.*) Maurorum Martyrum innumerorum. B. In Galliâ Coloniâ Agrippinenſi natale Sanctorum Maurorum de militibus. Eodem die natale Sauinæ.

XVI XVII KAL. NOVEMB. *Vacat Beda.*

V. C. Depoſitio S. Galli Confeſſoris. Et aliorum pariter
* C. Octoginta ducentorum * ſeptuaginta. D. Sanctorum Martyrum Marciani & Satyriani cum duobus fratribus eorum & aliorum ducentorum ſeptuaginta. A.T.L. In Africâ paſſio Sanctorum Martyrum ſeptingentorum ſexaginta. A. T. Et natale S. Saturnini & Nerei. T. & L. In Nouiomo ciuitate depoſitio S.
C Mummolini Confeſſoris. *Aſt primo loco in* T. Natale S. Iuliani Confeſſoris. B. In Africâ paſſio SS. Celeræ & aliorum ducenti ſeptuaginta. Et alibi Saturnini, Nerei. Et depoſitio S. Galli Confeſſoris, Berarij Confeſſoris. In Nicomediâ natale SS. Alexandri, Victorij. Et paſſio Siluani.

XVII XVI KAL. *Vacat Beda.*

C.V. In Nicomediâ Alexandri. Alibi Mauriani, * Cre-
* C. Creſcentij, Ruſtiniani ſcentiani, * Turini, Donati. D. Marthæ ſororis Lazari & Ariſtionis qui fuit vnus de ſeptuaginta Chriſti diſcipulis. A. T.L. In Mauritaniâ natale Sanctorum Donati. Nobilitani, Creſcentiani, Defenſoris & Ruſticiani. *Sed deeſt* Nobilitanus *in* L. *&* A. *item in hoc* Creſcentianus. B. In Mauritaniâ SS. Nenilucii, Socrati, Venerii, Primæ, Donatæ, Victoriæ, Baſillæ.

XVIII XV KAL. Natale S. Lucæ Euangeliſtæ. Hic Syrus Antiochenſis, arte medicus, diſcipulus Apoſtolorum, poſteà Paulum ſecutus eſt, vſque ad confeſſionem eius ſeruiens Domino ſine crimine. Nam neque vxorem vnquam habens neque filios, ſeptuaginta quatuor annorum obiit in Bithyniâ, plenus Spiritu ſancto. Romæ S. Triphoniæ vxoris Decij Cæſaris, quæ, viro ſuo poſt interfectionem Beatorum Sixti & Laurentij diuinitus punito, petijt baptizari cum Cyrillâ à Iuſtino Presbytero, & aliâ die eſt defuncta, ac iuxta S. Hippolytum in cryptâ ſepulta.

B. In Anxiopoli natale SS. Hermetis & Taxii. In Campa- D
nâ ciuitate Puteoli, Ianuarii, Euticis. Et alibi Victricis, Marcialis.

XIV KAL. *Vacat Beda.* XIX

B.V.C. In Oſtiâ * Aſterii. Neapoli Sanctorum * [Ianua-
rii] Feſti ac Deſiderii. D. Lucæ Euangeliſtæ & Aſclepiadis * B.C. Auſteri.
Antiocheni Epiſcopi. A.T. In Hoſtiâ natale Sanctorum Ia- * deeſt B.
nuarii, Feſti, & Deſiderii. T. Eodem die natale Sanctorum Martyrum Sauiniani & Potentiani ſociorumque eorum. A. Eodem die Duaco S. Amati Senonum Archiepiſcopi. T.L. & depoſitio S. Amati Epiſcopi & Confeſſoris. Turonis depo-
ſitio S. Columbani Abbatis. T.B. Et in Antiochiâ * [Syriæ] * deeſt T.
paſſio Sanctorum Pelagii & * Beronicæ. B. In ciuitate Puteo- * B. *Beronici.*
li, Proculi & Niceæ matris eius.

XIII KAL. *Vacat Beda.* XX

B.V C. In Puteolis Sozimi, Ianuarii * Dorotheæ. V.C. Ali- * V. *Dorothei*
bi * Vticii, Marcellini. A.T.L. Natale SS Euticii, Lucii, Mar- * C. *Euticis*
celliani. B. In Nicomediâ Eutici, Promati, Lucii, Marcellini. D. Antiochiâ Beroræ, Pelagiæ & aliorum quadraginta nouem. B. Romæ natale Aſterii Presbyteri. A. T. L. In Aginno paſſio S. Capraſii Martyris. B. *prænotat.* In Galliis.

XII KAL. Sancti Patris noſtri Hilario- XXI
nis, cuius Vitam Hieronymus virtutibus plenam ſcripſit. Eodem die natale S. Aſterij, Presbyteri Calixti: qui cùm corpus eius ele- E
uatum de puteo ſepeliſſet, poſt dies ſex audiens hoc Alexander Imperator, præcepit eum per pontem præcipitari: cuius corpus inuentum eſt, & à quibuſdam Chriſtianis in eâdem ciuitate ſepultum. Scriptum in paſſione S. Calixti Papæ.

A.T.L. In Coloniâ Agrippinâ paſſio ſanctorum vndecim millium virginum. *Et hac primo loco cum aliquâ diuerſitate: vltimo autem loco in L. additur.* Et S. Ciliniæ. B. In Niceâ Bithyniæ natale Macharii, Proculi, Modeſti cum aliis ducentis ſeptuaginta. Lugduni Galliæ natale B. Viatoris pueri & diſcipuli S. Iuſti Epiſcopi. In Africâ Modeſti, Eutici.

XI KAL. *Vacat Beda.* XXII

V.C In * Adrianopoli Seueri, Philippi Epiſcopi, Euſebii, * C. *Traianopoli* ſed x Kal. hi ponuntur
Hermetis. B. In Thraciâ natale S. Seueri. In Antrianopoli Philippi Epiſcopi, Euſebii, Hermetis. T. Thraciâ natale SS. Hermetis, Euſebii & S. Philippi Epiſcopi. L. In Thraciâ natale Philippi Epiſcopi, & Seueri Presbyteri, & Hermetis Diaconi. A. Thraciâ natale SS. Ermetis, Euſebii & S. Philippiani. Eodem die paſſio S. Gratiani Martyris, & depoſitio S. Autbodi Epiſcopi. B. Alibi paſſio S. Leugati Martyris. D. Antiochiâ Theodoriti Presbyteri.

X KAL. *Vacat Beda.* XXIII

C.V B. In Adrianopoli Seueri, Dorothei. C. *die præcedenti* F
In Traianopoli Seueri Epiſcopi, Dorothei, & S. Oreſti. D. Venuſiâ Felicis Epiſcopi Tubzocenſis & Audacti & Ianuarii Presbyterorū. A. T. Natale SS. Seuerini, Dorothei & Victoris. In territorio Cadetano paſſio SS. Seruandi, & Germani: qui ob confeſſionem Domini iuſſu Viatoris Præfecti iuſſi ſunt decollari. A. Eodem die depoſitio S. Romani Rothomagenſis Archiepiſcopi. T. B. Ipſo die in Cæſareâ Cappadociæ natale Longini. B. In Cæſareâ Cappadociæ S. Serenſi & alibi S. Longini L. In Cæſareâ Cappadociæ paſſio SS. Longini, Seueri, Victoris, & Dorothei. Et S. Seuerini Colonienſis Archiep.

IX KAL. *Vacat Beda.* XXIV

Vacat etiam Diuionenſe MS. niſi quòd ex ſequenti die de XLVI *militibus hic poſita ſuo deinde loco in Beda contextu repetantur.* B.
V.C. In Nicomediâ Vitalis, Felicis, Rogati * [Victoriæ] Fla- * abſunt à B.
uiani, * [Victoris] A. T. L. Nicomediâ natale Rogati, Flauiani & Vitalis. T. L. *addunt* Felicis, Papperii. B. Hierapoli Phrygiæ natale SS. Claudiani, Eleutherii, Iuſti & Victoris.

VIII KAL. Sueſſiones natale Sanctorum XXV
Martyrum Criſpini & Criſpiniani.

Addidit Florus in A. T. L. quos Rictionarus Præfectus iuſſu Maximini Imperatoris comprehendens, cùm idolis ſacrificare nollent, fecit à trochleis extendi & fuſtibus cædi: deinde in vngulis eorum ſudes mitti: & de dorſo ſingulorum ſingulis corrigijs ablatis, eorum colla molis ſuſpenſis in fluuium demergi: ac plumbo ignito & pice feruenti & oleo concremari. Qui in

cunctis

A cunctis dexterâ Christi protecti, & Rictiouaro Præfecto in his vltione diuinâ interempto, præcipiente Maximiano Imperatore gladio sunt trucidati. Quorum corpora Angelo monente quidam senex nocte in nauiculâ contra vndam fluminis leuiter vehens, clàm sepeliuit.

Ipso die Romæ viâ Salariâ natale quadraginta sex Militum, qui simul baptizati à Dionysio Papâ, & mox iubente Claudio Imperatore decollati sunt. Vbi sunt positi & alij Martyres centum viginti vnus: inter quos fuerunt quatuor milites Christi Theodotius, Lucius, Marcus, & Petrus. Scriptum in passione S. Xisti.

A.T. Eodē die in pago Viromanduensi dedicatio ecclesiæ S. Quintini & translatio corporis ipsius. C. Romæ SS. Chrysanthi & Dariæ. B Translatio S. Bartholomæi de insulâ Lipari in Beneuento. Eodem die Grisanti & Dariæ. In Italiâ ciuitate Florentiâ passio S. Miniati Martyris cum sociis suis. Eodem die passio SS. Luciani & Marciani.

XXVI VII KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. Nicomediæ natalis Sanctorum Martyrum Martiani, Flori & Luciani: qui tempore B Decij Imperatoris igni traditi sunt sub Sabino Proconsule.

* V. *Flora* * C. *Eradij.* B.V.C. In Nicomediâ Luciani, Marciani, * Flori, * Eraclij. B. Tutti, Florini. D. Alchelâ ciuitate Vincentij, Sabini, & Christetes. A.T.L. Eodem die Elnone monasterio translatio corporis S. Amandi & dedicatio Ecclesiæ ipsius. B. Et Amandi Episcopi & Confessoris.

XXVII VI KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. Romæ S. Euaristi, qui sextus post Petrum annis nouem, mensibus vndecim, Ecclesiam Romanam regens, temporibus Domitiani & Neruæ martyrio coronatur.

B.C.D.V.A. T. L. Vigiliâ Apostolorum Simonis & Thadæi. C.V. In Africâ Polycarpi. V. Romæ Marciani, Luciani Marciani, Floriani, Lucii. Alibi S. Florentij. C. Romæ Martiani, Lucij, Florentij. A.T.L. In Sardiniâ SS. Victi, Proti & Florentij. T. Massinas monasterio natale S. Romaldi Martyris. L. Ipso die S. Rictrudis. B. Natale SS. Mariniani, Lucij, Victi. In Sardiniâ natale S. Florini. In Phrygiâ SS. Tarsi, Polycarpi, Gagij, Metrobi, Eumeniæ.

XXVIII V KAL. Natale Sanctorum Apostolorum Simonis & Thadei.

Additur in A. T. L. qui à templorum Pontificibus occisi sunt in Suanis ciuitate magnâ apud Persidam. B. In ciuitate magnâ Silantis apud Persidam.

C Et Romæ S. Cyrillæ filiæ Decij Cæsaris, quæ sub Claudio Principe iugulata & necata est gladio: & sepulta à Iustino Presbytero cum matre suâ iuxta S. Hippolitum.

Florus in A. T. L. Ipso die passio SS. Vincentij, Sabinæ & Christetæ: qui passi sunt in vrbe Auilâ. Qui singillatim sursum ac deorsum in eculeo sunt extensi, diuaricatis membrorum cōpagibus, & dissipati verberibus. Et cùm nec sic deficerent, colla lapidibus supposita, fuste desuper cerebro illiso, tali martyrio consummati, pariter animas tradiderunt.

B. In Carthagine S. Suffratiani & S. Rituti Confessoris.

XXIX IV KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. Eodem die natale S. Pontiani Papæ & Martyris: qui ab Alexandro Imperatore sub Consulibus Seuero & Quintiano cum Hypolito Presbytero, exilio in insulâ Sardiniæ Bucinâ deportatus, martyrium consummauit. Scriptum in libro Episcoporum.

B.V.C. In Lucaniâ S. Sacincti, * Quinti, Feliciani & Lucii. D C. Et natalis S. Euphrosynæ. A.T.L. In Lucaniâ SS. Luciani Quinti & S. Feliciani Martyris. T. *primo loco* Natale S. Theuderii Confessoris. D. Narcissi Hierosolymorum Episcopi. * B. *Quintini*

III KAL. *Vacat Beda.* XXX

V.C. In Nicomediâ Ianuarii, Marcialis. B. V. C. D. Et in Africâ passio sanctorum Martyrum ducentorum * viginti. B. In Nicomediâ SS. Calendionis, Martialis, Theophili. D. Ciuitate Tingitanâ passio S. Marcelli Centurionis. B. Et alibi passio S. Feliciani cum sociis suis. Eodem die passio S. Marcelli Martyris. A. T. L. Passio S. Marcelli: qui amputatione capitis martyrium consummauit iussu Agricolani Principis. (*Atque hæc fortè Flori sunt.*) * In Africâ natale SS. Theophili & Eusebii. Tolosâ ciuitate translatio S. Saturnini Episcopi & Martyris. T. L. In Nicomediâ passio Calendionis, Marcialis, Germani. * C. *triginta.* * in L. deest locus

II KAL. In Gallijs S. Quintini qui sub Maximiano Imperatore martyrium passus est: & post annos quinquaginta quinque inuentum est reuelante Angelo corpus, & sepultum * [VIII Kal. Iulii. XXXI * deest in D.

Florus in A. T. L. *elogium amplius exhibet hoc modo:* In Galliis Augustâ Veromanduorum passio S. Quintini Martyris, qui Romæ Senatorio corpore editus, sed amore Christi tempore Maximiani Imperatoris Gallias aggressus, maximis prædicationibus signis & miraculis gloriosè enituit. [Cuius famâ Rictiouarus Præfectus auditâ, iussit perquiri, & comprehensum catenis adstringi ac carceri mancipari. Denique ex officio sibi exhibito percunctatâ religione, quia idolis sacrificare contempsit dirissimis fecit flagellis cædi. In quâ cæsione oculis mentis ac corporis in cælum directis, Domino gratias agens, tortoribus eius in terram ruentibus, cælitus voce dilapsâ talem diuinam meruit allocutionem: Quintine, inquit, constans esto: viriliter age: ego autem adero tibi. Rursusque catenatus in carcerem recluditur: vbi Angelicâ visione vsus, ductuque eius vniuersas carceris custodias transiens, ad locum ostensum veniens, longâ populis prædicatione peroratâ, fermè ad sexcentos viros vsque conuertit. Quâ indignatione Rictiouarus stomachatus, intantùm trochleis torqueri præcepit, vt membra eius vi durissimâ solui cogerentur. Insuper & resticulis ferreis eum cædi, &] oleum candens, picem & adipem feruentissimum dorso applicari; calcem & acetum sinapimque ori eius infundi, iterumque ponderosis catenis collum colligari, & duos sudes ferreos à ceruice vsque ad crura, itemque decem clauos inter vngulas & carnem iussit transfigi. Quibus diuinâ protectione superatis, ad vltimum capite iussit plecti, & corpus illius nocte in fluuio subplumbari. Amputatoque capite, F velut columba candida sicut nix mox visa est de collo eius exire, & liberrimo volatu cælū penetrare * [Corpus verò eius, quod in fluuio Somenæ subplūbatū fuerat, post annos quinquaginta quinque cuidam Romanæ Matronæ ab Angelo reuelatum est, & ab eadem inuentum in municipio, quod Augusto Viromandorum nuncupatur, VIII Kal. Iulij sepultum. Scriptum in gestis eius] In Nicomediâ passio S. Eusebij: qui tempore Maximiani Imperatoris sub Maxentio Præside capitis abscissione Martyrium consummauit.

Prima [] *vncis inclusa in MS. Latiensi hoc modò breuiùs contrahuntur.* Quo Comperto Rictionarus Præfectus vinctum ad se iubet adduci, & post plura supplicia carceris, vinculorum, diuersorum verberum, ad extremum oleum candens &c. *Reliqua de inuentione corporis similiter* [] *signata desunt in Atrebatensi.*

V.C. Natale S. * Quintini Martyris, Felicis, Donati & aliorum viginti nouem. B. In Macedoniâ SS. Vitalis, Petri, Crescentii, Alterni. * C. *Quintiti*

NOVEM-

A

NOVEMBER.

I KALENDIS. Festiuitas Omnium Sanctorum. Et in Castro Diueon natale S. Benigni Presbyteri: qui cum Andochio Compresbytero & Tyrso Diacono missus est à S. Episcopo Polycarpo ab Oriente Galliam tempore Aureliani. Qui prædicatione eius competta, [vinctum eum & cæsum ad se adduci præcepit: & rursum, auditâ sermonum eius constantiâ, neruis durissimis eum cædi fecit, & Terentio Comiti superandum tradidit. A quo ad trochleas extensus & cæsus ac rursum carceri mancipatus, manè idola orando destruxit, & reductus est in carcerem. Cui subulas decem calentes in manibus fixerunt, & cum plum-
B bo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, & canes feroces duodecim cum eo incluserunt per sex dies. Et aluit eum Angelus pane cælesti, subulas abstulit, & eum de plūbo ac ferro eripuit. Post hoc] collum eius vecte ferreo tundi ac lanceâ forari iubetur. Quo facto columba niuea de carcere Christianis aspicientibus ad cælos ascendit, & odor suauissimus quasi paradisi secutus est. Descendente Aureliano à loco, superuenit B. Leonilla, & conditum aromatibus corpus longè ab ipso carcere sepeliuit.

*hactenus MS. Atr. omissis supra [] inclusis.

Eodem die Natalis S. Cæsarei Diaconi & Iuliani Presbyteri: * qui videlicet Cæsarius tempore Claudij veniens ex Africâ ad Terracinam Campaniæ ciuitatem, dum contra idololatras proclamaret, in publico tentus est à Firmino Pontifice, & in custodiam reclusus: vbi diebus multis maceratus, deinde traditus est Leontio Consulari Campaniæ. Quem ille cùm verbis superare nequiret, iussit vinctum ante carpentum duci, ligatis manibus nudum vsque ad templum
C Apollinis. Quò cùm peruenissent, ad orationem eius corruit templum & occidit Pōtificem Firminum. Post hoc reclusus in carcerem à Luxurio Primo ciuitatis, fuit ibi annum & mensem vnum. Deinde eductus in foro, à Deo, cùm oraret, cælesti est luce circumdatus, vt ipse Leontius crederet, Cæsarium qui erat nudus suâ chlamyde tegeret, baptizaretur, corpus & sanguinem Domini acciperet de manu Iuliani Presbyteri: nec mora, dictâ super eum oratione, tradidit spiritum III Kalendas Nouembris. Tunc Luxurius iussit Iulianum & Cæsarium mitti in saccum & præcipitari in mare. Qui eodem die reiecti ad littus & sepulti sunt ab Eusebio seruo Dei iuxta vrbem Terracinam. Et idem Eusebius posteà Martyrium passus est cum Felice Presbytero.

*deest in L.

* Eodem die depositio Seuerini monachi de Tiburtinâ ciuitate.

• *Florus in* A. & T. Ipso die passio sanctorum Martyrum Eustachij & vxoris eius Theospidis, & filiorum Agapiti & Theospidis: qui tempore Adriani Imperatoris, cùm nollent sacrificare Dijs, missi pariter in bouem igneum igni succensi sunt: *in MS. Lætiensi ponuntur hæc die sequenti.*

A.T. Eodem die Translatio corporis S. Audomari Episcopi & Confessoris. T. Ipso die natale S. Remedii Episcopi & Confessoris. V C. Pictauis dedicatio Basilicæ S. Hilarii Episcopi & Confessoris. B. Et alibi depositio Eustachii militis cum vxore & duobus filiis. Parisiis ciuitate natalis S. Marcelli Episcopi & Confessoris. Eodem die Cenomanis ciuitate natale S. Domnoli Episcopi & Confessoris. Ipso die natale S. Vigoris.

IV NONAS. *Vacat Beda.* II

B.V.C. Dedicatio Basilicæ SS. Sixti, Hypoliti & Laurentii. D. Laodiciâ Theodoti Episcopi, qui arte medicus fuit. A.L. In Africâ natale Sanctorum Victoris, Hermetis & Iusti. A. Eodem die eleuatio corporis S. Bertini Abbatis. Ipso die memoria fidelium defunctorum celebratur à B. Odilone Cluniacensis cœnobii Abbate, anno Dei Christi millesimo secundo deuotè instituta. T. Commemoratio solennis omnium fidelium defunctorum. T. B. In Africâ passio SS. Popliani, Victoris, Ermetis, Iusti, Vitalis * [& Papiæ] Ipso die S. Lauteni Abbatis. Et Eleuatio & Translatio S. Bertini Abbatis & Confessoris.

*abest à T.

E

III NONAS. *Vacat Beda.* III

B.V.C. In * Cæsareâ Cappadociæ Germani, Theophili, Cæsarii, Vitalis. Alibi passio S. Agricolæ. B. Et passio S. Pabuli, qui passus est sub Herode Rege. D. Quarti discipuli Apostolorum. Cappadociâ Martyrum Germani, Theophili, Cæsarii, Vitalis: [qui sunt] sub Decianâ persecutione Martyrizati A.T.L. In Africâ natale Sanctorum Germani, Theophili, & Vitalis. Eodem die S. Huberti Episcopi & Confessoris. *Interponit his* L. Et passio S. Agricolæ Virginis. T. *primo loco hac habet.* Passio SS. Valentini & Hilarii Martyrum. Ipso die passio innumerabilium Martyrum, qui passi sunt sub Datiano Præside.

*B. Africâ

II NONAS. *Vacat Beda.* IV

Florus in A.T.L. Bituricas depositio S. Lusoris pueri: qui filius cuiusdam Senatoris fertur in Galliis migrasse: ad cuius sepulcrum S. Germanus Parisiacæ vrbis Episcopus, dum quadam vice vigilias celebraret, & eius Clerici longæ stationis labore lassi, quasi pro aliquo releuamine se super sepulcrum Sancti defixis vlnarum compagibus sustentarent, illicò tumulus sancti Confessoris contremuit. Vnde idem Pontifex tremore perterritus, amoueri desuper somnolentos præcepit dicens: Absistite, ô segnes, procùl à tumulo, ne Sancto Dei molestia afferatur. Quibus amotis tremorem F vllum deinceps non sensêre. Scriptum in libro miraculorum Gregorij Turonensis Episcopi.

B V.T.C. In Africâ * Primii, * [Cæsarii,] * Gregori, Porphyrii: & in Niceâ Domnini. D. Alexandriâ Hierii Presbyteri, vitâ purissimi, in Scripturis nobiliter eruditi. A.T *primo loco* Lugduno depositio S. Genesii Episcopi & Confessoris & S. Quarti. Augustiduno S. Proculi Episcopi. *qui postremus solus & primo loco habetur in* L. B. Redonis depositio S. Amandi Episcopi. T. *post Martyres Afros.* & Amantij.

* deest in T.
* in solo B
* C. Gerij

NONIS. In Terracinâ Campaniæ ciuitate, natale SS. Felicis Presbyteri & Eusebij monachi, tempore Claudij Imperatoris: * qui videlicet Eusebius cùm sepelisset sanctos Martyres Iulianum & Cæsarium, & ad sepulcra eorum orans ac ieiunans multos conuerteret ad fidem, quos Felix Presbyter baptizabat, tenti sunt ambo à Leontio filio Leontij Consularis, ob eam maximè caussam, quia Cæsarius patrem eius Christianum fecisset: & ad forum eius ducti nec superati, in carcere reclusi; & nocte eadem, cùm nollent sacrificare, decollati & in fluuium proiecti sunt. Quorum corpora venerunt vsque ad mare, & reiecta ad littus à quodam Presby- V

*huc vsque MS. Atr.

A Presbytero de Capuâ, nomine Quartus, sunt inuenta: qui ea mox imposita vehiculo duxit in casam suam, & curiosè quærens, etiam capita inuenit, & adiuncta corporibus sepeliuit iuxta S. Cæsarium.

B. In Cæsareâ Cappadociæ natale SS. Domnini, Epiphanii, Antonini. In Capuâ ciuitate Campaniæ natale SS. Marciæ, Secundæ & Quarti.

VI VIII IDUS. *Vacat Beda.*

D. Tonizâ Africæ Felicis Martyris & aliorum quadraginta Martyrum. V.B.C In Nicomediâ Adriani *[Iuliæ] & Eusebii. V.B.A T. In Africâ [natale Sanctorum] Donati Pauli & Balsami. C. In Africâ Donati, Paulini. Natale S. Leonardi *primo loco* A.T.L. In Galliâ Redonas ciuitate depositio S. Melanii Episcopi & Confessoris & depositio S. Winnoci Abbatis. *quod vltimum in T. sic legitur.* Et in cellâ Wormholtvoortâ obitus Winoci Confessoris Christi. B. In Galliâ ciuitate Redonis depositio S. Leonardi Confessoris.

*in solo B

VII VII IDVS. *Vacat Beda.*

V.C. In Nicomediâ Eusebii, Eustasii, Marii, Primi * Iuliani, Ianuarii. B. In Nicomediâ natale SS. Polysii & Euthasii, Primi, Rogatiani. In Africâ natale SS. Rogati, Donati, Primæ, Iulianæ. D. Alexandriâ Achillei Episcopi. Apud Perusinam Herculani Episcopi Martyris A.T.L. Nicomediæ natale Sanctorum Castoris, Gaudii, & Victoris. T.L. In Africâ passio Sanctorum Donati, Rogati. T. *Addit* & Belsami. A. Ipso die natale S. Willibrordi Confessoris.

* C. *Iulia*

B

VIII VI IDVS. Romæ sanctorum quatuor Coronatorum: Claudij, Nicostrati, Symphoriani, Castorij & Simplicij.

Florus in T. *priorum nomina sic interponit* Seueri, Seueriani Victorini, Carpophori, & aliorum quinque Claudij &c. *deinde hoc elogium subiungit in* A.T.L. Qui dum corpora SS. Tranquillini, patris Marci & Marcelliani, & Zoæ vxoris Nicostrati per oras fluminis Tiberini inquirerent, à persecutoribus tenti sunt & ad Vrbis Præfectum perducti. [Erat autem Iudex Fabianus, qui eos hortatus est ad sacrificandum: & per decem dies misit ad eos, & blanditiis agens in nullo penitus potuit commouere. Tunc fecit de his suggestionem Imperatoribus Diocletiano & Maximiano: qui iusserunt eos tertiò torqueri, cumque nullâ ratione tormentis compulsi cederent, iussi sunt in medio mari præcipites dari] Immensis itaque arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati sunt. Et in loco mundo inter aquas coronam martyrij celebrarunt. Scriptum in gestis S. Sebastiani. *Verumtamen A. in principio contractius.* Qui sub Fabiano Iudice iubentibus Maximiano & Diocletiano Imperatoribus torti & in mari mersi sunt. L. *contractius in medio sic loco*[] *inclusorum:* qui tertiò torti, cùm superari non possent, immensis &c.

C

Subiungitur in A. Quatuor Coronatorum nomina sunt hæc: Seuerus, Seuerianus, Victorinus. & Carpophorus: quorum dies natalis per incuriam neglectus, minimè reperiri poterat: ideo statutum est vt in eorum ecclesiâ, horum quinque Sanctorum qui in Missâ recitantur natalis celebretur, vt cum istis eorum quoque memoria pariter fiat: *sed hac mutila, & confusa (sicut apparet) non audemus ex vnius MS. fide attribuere Floro.* B. In Africâ natale SS. Primi, Macharii, Iusti, Amandi.

IX V IDVS. Natale S. Theodori Martyris.

Florus in T. *præmittit* Apud Amaseam ciuitatem *&* *subnectit elogium:* Qui temporibus Maximiani & Maximi Imperatorum, pro confessione Christianæ fidei fortiter cæsus ac in carcerem missus: deinde Domino Saluatore sibi apparente & monente vt constanter & viriliter ageret, releuatus est. Nouissimè postquàm suspensus est vngulis corrasus, ita vt eius interiora nuda apparerent, traditur Ignibus. *Additur ibidem.* Eodem die Bituricas S. Vrsicini Confessoris: qui Romæ ordinatus à successoribus Apostolorum, primus eidem vrbi destinatur Episcopus. *Florus in* A. T. L. Eodem die in Hispanijs Cordubâ ciuitate passio Sanctorum Fausti Ianuarij & Martialis: qui pariter in ignem proiectj sunt, agente Eugenio Præside. D

B.V. Dedicatio Basilicæ Saluatoris. V.A. T. B. C. Romæ L. Sanctorum Clementis & * Symphronij. B. In Nicomediâ natale Damiani. In Hispaniis SS. Fausti & Marcialis. A. Ipso die passio S. Ragnulfi Martyris. T. Ipso die Natalis S. Vitoni Episcopi & Confessoris.

* B. *Symphoriani*

IV IDVS. *Vacat Beda.* X

V.C. In Antiochiâ Eustochij & sociorum eius. Romæ depositio Leonis Episcopi. D. Cersonâ Lyciæ Martini Papæ qui ob Catholicam fidem ibi relegatus est. B.A. T.L. Romæ depositio S. Leonis Papæ. In Antiochiâ natale SS. Demetrij * [Episcopi & Amonesij Diaconi, Eustosij & sociorum eius. A.T.L. Eodem die natale S. Martini Papæ. B. Aurelianis depositio Amonitoris Episcopi.

* in solo B

III IDVS. Natale S. Martini Episcopi Turonis ciuitate. XI

Florus addit in A. T. L. qui copiosiùs post Apostolos coruscauit virtutibus. L. triumque mortuorum factus est suscitator Magnificus.

Ipso die natale S. Mennæ Martyris.

Subiungit A. & L. Et S. Bertuini Episcopi. T. Eodem die in Alexandriâ depositio S. Ioannis Patriarchæ. B. Rauennæ natale Sanctorum Valentini, Felsiciani, Victurini. B

II ID. *Vacat Beda.* XII

B.C.V. Romæ S. Martini Papæ. B. C. A. T. L. In Africâ Mauruli, Publij. In Cæsareâ Cappadociæ Germani, Cæsarij * Theophili * Eusebii. *In C librariorum culpâ Afri & Cæsarienses Martyres adscripti sunt diei præcedenti. Afri autem hoc die iteratò scribuntur.* D. Africâ Arcadij Paschasii & Probi & Eutychii quinque Martyrum Wandalorum in persecutione. T. In Rauennâ depositio SS. Victoris & Solutoris.

* deest in C. & V.
* deest in A.T.L.

IDIBVS. Turonis natale S. Bricij Episcopi. XIII

Florus addit in T. & L. qui à Turonorum populo criminatus, infantem, de quo sermo erat, triginta dies habentem, adductum adiurauit, vt, si ipse esset genitor eius, coram cunctis ediceret. Cui infans: Non es tu, inquit, pater meus. Populis iterum furentibus, prunas ardentes birro suo impositas vsque ad sepulcrum S. Martini deportauit, dicens: Sicut istud vestimentum ab his ignibus videtis inustum, ita & corpus meum à tactu mulieris scitote impollutum. Scriptum in gestis eius.

B. In Thraciâ natale SS. Secundi, Fidentiani, Martialis. In Antiochiâ natale SS. Donati, Restituti, Valeriani & Fructuosi cum aliis duodecim. C.V. Et S. Antonii, & depositio S. Iacobi. L. In Malbodio Translatio S. Aldegundis Virginis. A.T. Rotenis ciuitate natale S. Amandi Episcopi. A. In pago Cameracensi in villâ quæ dicitur Calderiacus natale S. Maxelendis Virginis & Martyris. Eodem die depositio S. Killiani Episcopi & Confessoris. T. Eodem die in Thraciâ passio SS. Eudicti, Euticis & Agesti. E

XVIII KAL. DEC. *Vacat Beda.* XIV

V.C. In Eracliâ natale Clementi, Theodotæ, Philomeni, Et aliorum multorum quorum nomina Deus scit: *quasi sic leguntur in* L. B. In Eracleâ ciuitate * [Thraciæ] natale SS. * [Clementis] Clementini, Filomeni, Theodoti, & Eracli. *Pro quibus in A. & T. solùm est.* Clementini Philomonis & Heraclii. *In B ad finem ponitur.* Et natale S. Eradii A. Eodem die repositio Sanctorum corporum Quintini Martyris & Cassiani Pontificis, imminente tristitiâ summâ. D. Alexandriâ Serapionis, qui sub Decio præcipitatus Martyr efficitur.

* deest in L.
* deest in B.

XVII KAL. *Vacat Beda.* XV

V.C. In Africâ Secundini, Marcialis, Calendionis, Valerii, Fructuosi cum aliis * [duodecim. D. Felicis Episcopi qui miraculorum gloriâ insignis fuit. B.A.T.L. In Africâ natale SS. * Secundi Fidentiani & * Demetrii. In Antiochiâ Donati, Restituti, cum aliis triginta, B. *duos addit sic concludens:* Valeriani, Fructuosi cum aliis duodecim. A. Eodem die S. Machari. L. Et passio S. Eugenii Toletanæ Sedis Episcopi, discipuli pretiosi Dionysii Archiepiscopi.

* deest in C.
* B. *Martialis*
* L. *Secundini*

XVI KAL. *Vacat Beda.* XVI

B.C. V. In Africâ Rufiniani, Marci, Valerii, * [Victoris] Honorati. C.V. Marinæ, Secundini, Frontoni. In Antiochiâ Augustini, Iustæ, Matronæ, Fructæ. D. Africâ Rufini, Fidentiani,

* deest in B.

A tiani, Augustini, Felicis. B. Et alibi natale Secundiani, Aureliani, Marcelli. A.T.L. In Capuâ natale Sanctorum Vitalis *in solo B. & Iusti. A.T.L.B. Lugduno *[Galliarum] depositio S. Eucherii Episcopi.

XVII XV KAL. Aurelianis natale S. Aniani Confessoris. Et S. P. N. Gregorij miraculorum factoris.

Priori hoc elogium texitur à Floro in A.T.L. Qui cùm à S. Euurtio antecessore eius & Aurelianensi populo futurus successor eligeretur, vt in ipso concordia diuinæ electionis clarescerer, triduano ieiunio peracto, necdum loquens paruulus allatus, tacto in altari Breui posito, Christi operante virtute, tertiò exclamauit: Anianus istius ciuitatis à Deo est Pontifex institutus. Sicque Episcopus creatus, posteà multis coruscauit miraculis.

V. Et Victoris, Theodotæ, Alfæ, Zachæi. C. Factoris, Theodoræ, Alphei, Zachæi. A. T. Carthagine natale Dubitati & Valentini. B. *interponit* Tusci. *Ibidem* Romæ trans-Tiberim natale S. Cæcilii. In Nicomediâ natale S. Ammonis. B Et natale S. Teclæ Virginis.

XVIII XIV KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A. T. L. Cordulâ ciuitate passio Sanctorum Aciscli & Victoriæ: qui post carceres & tormenta mersi sunt in fluuium, alligatis ad colla pedibus. Vnde virtute Domini exeuntes, alligati sunt rotis, & super ignem volutati, ita vt membra eorum quassarentur. Posteà verò Victoria, mamillis abscissis linguâque amputatâ, dignum Deo efflauit spiritum: Acisclus autem capitis abscissione impleuit martyrium sub Sidone Præside. Cæsareâ natalis SS. Maximi, Luciani & Marcialis. Antiochiæ passio Romani monachi & Barali pueri, sed & Ysici Palatini militis: qui tempore Diocletiani Imperatoris & Maximiani pro Christi nomine interempti sunt. Romanus quidem post multa flagella & linguæ abscissionem in carcere est necatus: Baralus verò puer capite plexus: Ysicus autem alligatus lapidi fluuio mersus.

C.V. In Antiochiâ Romani monachi & in Cæsareâ Victoris & Maximæ, & dedicatio basilicæ S. Petri Apostoli. B. In Antiochiâ ciuitate natale SS. Romani & Isici Mart. D. Antiochiâ Romani monachi & Martyris. Et Hesycii Palatini & Martyris. A.T.B. Eodem die in Hispaniis Cordulâ ciuitate passio S.* Asclæ Virginis & Martyris. T. *Addit:* Hac die rosæ ibidem colliguntur. A. Eodem die Cameraco eleuatio corporis S. Gaugerici Episcopi. A.L. Et depositio S. Eusebiæ Virginis.

*B. Aciscla

XIX XIII KAL. *Vacat Beda.*

D. Romæ Maximini Presbyteri & Martyris. & Faustini Diaconi & Eusebii Martyrum. B. Augustiduno depositio S. C Simplicii Episcopi. B.V.C In Cæsareâ Cappadociæ Maximi, Muciani, Neopheri, Ianuarii, * Vitalis. A.T. Cæsareâ natale SS. Ianuarii, Neopheri & Vitalis. T. Castherii, Marciani & Zephori. L. In Cæsareâ natale Ianuarii, Casterii, Zephori & Vitalis. Et depositio S. Elisabeth viduæ.

*deest B.

XX XII KAL. *Vacat Beda.*

D. Romæ Pontiani Papæ & Martyris. Messanæ Ampeli & Gaii. B. V. C. In Eracliâ Bassi, Dionysii, Orionis. V. C. In Hispaniâ Maximi Presbyteri. A.T. Eracleæ natale SS. Gagii & Dionysii. T. Basii & Classii. A. L. In Hispaniâ depositio S. Crispini. T. In Siciliâ passio S. Ampelii. B. In. Antiochiâ natale SS. Basilii & Dionysii. Taurinis ciuitate natale SS. Octaui, Solutoris & Aduentoris.

XXI XI KAL. *Vacat Beda*

D. Rufi, quem Apostolus ad Romanos scribens salutat. C. V. In Antiochiâ Basilei & * Auxilii, Saturnini, Carali, Butycii. B. In Antiochiâ natale SS Basilei, Auxilii, Mattoni. Et alibi natale SS. Demetrii, Quintiani, Sisinnii. A. T. L. Antiochiæ natale Sanctorum Basilei & Saturnini. In Hystriâ ciuitate natale S. Mauri Martyris. L. Et S. Columbani Abbatis. T. *eius natalem primo loco refert. Addit* L. Item Præsentatio beatæ Mariæ Virginis.

*V. Auxij

XXII X KAL. Natale S. Ceciliæ Virginis quæ & sponsum suum Valerianum & fratrem eius Tiburtium ad credendum Christo ac martyrium perdocuit: & ipsa deinde martyrizauit, ignem quidem superans, sed ferro occisa sub Almachio Vrbis Præfecto. D

A.T. Alexandriâ natale SS. Demetrij & Felicis. Suessionis depositio S. Medresinæ Virginis. B. in Cappadociâ SS. Longini, Leontii, & Fausti C. V. Maximi. S. Longini qui latus Domini lanceâ aperuit: *MS. Letiense hic habet elogium prolixius ex Floro quod vide infra IV Nonas Decembris.*

IX KAL. Romæ natale S. Clementis Episcopi, qui iubente Traiano missus est in exilium trans Pontum maris. Vbi multis ad fidem vocatis per miracula & doctrinam eius, præcipitatus est in mare, alligatâ ad collum eius anchorâ. Sed recessit mare orantibus discipulis eius per tria millia: & inuenerunt corpus eius in arcâ saxeâ in templo marmoreo, & anchoram iuxtà. Eodem die S. Felicitatis, matris septem filiorum Martyrum, quæ iubente Antonino decollata est pro Christo. XXIII E

Florus in A.T.L: Ipso die in pago Hasbaniæ depositio S. Trudonis Confessoris: qui mundum despiciens maximis enituit virtutibus.

L. Et S. Seuerini. V C. Eodem die natale S. Columbani in Bobio. B. In Italiâ monasterio Bobio depositio S. Columbani. Bituricæ ciuitate S. Fateri Presbyteri. Et alibi S. Trudonis Confessoris.

VIII KAL. Romæ natale S. Chrysogoni qui sub Diocletiano decollatus, Martyrium compleuit. Scriptum in passione S. Anastasiæ. XXIV

Ipso die natale S. Crescentiani: qui erat cum * Cæsareo Diacono & Largo & Smaragdo in carcere sub persecutione Maximiani, filij Maximini: & eductus iubente Carpasio Vicario de carcere, suspensus est in eculeum, & fustibus cæsus atque vnguibus rasus diutiùs deinde flammis circum latera eius appositis diu vstulatus emisit spiritum, & ab Ioanne Presbytero sepultus est in cœmeterio Priscillæ. Ipso die Maximus interfecit sororem suam Arthemiam. Scriptum in gestis Marcelli Papæ.

* V. Cyriaco

V.C. Eodem die S. Eleutherii & Maximi. Et S. Flauiani Episcopi & Confessoris. Et S. Romani Presbyteri. F

VII KAL. Natale S. Petri Episcopi Alexandrini: qui cùm esset omnibus adornatus virtutibus, in Scripturis quoque diuinis nullius priorum inferior; verè Sacerdos & hostia Deo, subitò capitur atque ex Maximini præcepto capite obtruncatur: cum quo simul & alij plures ex Ægypto trucidantur. Scriptum in historiâ Eccles. libro nono. XXV

B.V.C. Et S.* Caterinæ Virginis. A.T.L. Eodem die passio S. Caterinæ. B. Alibi Luciani, Marciani, Claudiani.

* V. Ecaterinæ.

VI KAL. *Vacat Beda.* XXVI

D. Romæ Lini Papæ, & Alexandri Episcopi & Martyris passi XI Kal. Octobris, à Papâ Damaso VI Kal. Decembris translati, quando festiuitatem dicauit. B.C.V.A T.L. Romæ SS. Sirici Episcopi & Saturnini. In Aquileiâ Valeriani Episcopi & confessoris. B.A.T.L. Augustiduno depositio S. Amatoris Episcopi.

V KAL. *Vacat Beda.* XXVII

V.C. In Nicomediâ Marcelli, Petri, Serenæ, * Victorini. V.C.D. In ciuitate Bononiâ Agricolæ & Vitalis Martyrum. A.L. Nicomediâ natale SS. Petri * [Marcelli] & Sereni: quorum alter pro fide Christi crucifixus, alter fuit capite plexus.

* C. Luctorini
* deest in L.

A *Rectius & integrius* T.B. Nicomediâ Natale SS. Marcelli, Petri & Seteni. In Italiâ ciuitate Bononiâ passio SS. Agricolæ & Vitalis (*pergit T. solum*) quorum alter fuit pro fide Christi crucifixus alter capite plexus. In Mediolano natale Ioannis, Seueri atque Andreæ. *Iidem habentur in L. Sed perperam præponitur:* Ciuitate Bononiâ passio Agricolæ Virginis.

XXVIII IV KAL. *Vacat Beda.*

D, Sosthenis discipuli Apostolorum. Et Rufi Martyris, cum omni domo suâ per Chrysogonum lucrati. Africâ Papirii & Mansueti Episcoporum. B. C. V. In Syriâ Trophimi, Theodoli, Eucerii* [Et alibi] Eusebii & Iulii. A.L. In Syriâ. T. In Africâ natale SS. Trophimi, Eusebii, Iulii. T. L. Et Theodoli Martyrum.

* deest in B.C.

XXIX III KAL. Romæ S. Saturnini Martyris & Sennis & Sisinnij Diaconi sub Maximiano: [à quo primò inter alios damnati ad fodiendam arenam ad faciendas thermas Diocletianas, deinde in carcere diu sunt macerati. Vbi multos gentiles docentes baptizabant: & denuo educti, vincti catenis & nudis pedibus ante Præfectum vrbis Laodicium iussi sunt in eculeo leuari & attrahi, neruis & fu-B stibus ac scorpionibus cædi: quibus etiam postmodùm flammas ad latera iussit apponi, & depositos de eculeo capite truncari.] Quorum corpora cum Ioanne Presbytero colligens Thrason vir Christianissimus, qui de facultatibus suis Martyribus multa ministrauerat, sepeliuit in prædio suo viâ Salariâ. His in medio certamine positis crediderunt duo milites Papias & Maurus: qui mox comprehensi à Laodicio & non multò post martyrio coronati sunt. Scriptum in gestis Marcelli Papæ. Eodem die vigilia S. Andreæ Apostoli, D

Breuius L. qui post carcerem in eculeum leuati neruis attracti, tandem capite truncati sunt: quorum corpora &c.

Florus in A. & T. Eodem die passio S. Chrysanthi & Dariæ, cum octoginta militibus, qui per S Chrysanthū ad fidem conuersi, iubente Numeriano Imperatore pariter sunt interfecti. Chrysanthus & Daria post plura tormenta, post carceres, bestias, & eculeos pariter in foueam missi lapidibus obruti sunt.

Idem Florus in A. T. L. Tolosâ passio S. Saturnini Episcopi, qui tempore Decij, Germanici & Grati tentus à Paganis ac tauro alligatus, de capitolio præcipitatur. Nec mora inter primos descensus graduum illius capite colliso, cerebro excusso, & corpore omni membrorum parte lacerato, dignam Deo animam Christus excepit.

B.V.C. Eodem die Vigilia S. Andreæ Apostoli. B. Et natale SS. Chrysanthi & Dariæ & Mauri. C. Mauri & aliorum LXXII. E

II KAL. Natale S. Andreæ Apostoli. XXX

Plenius Florus in A.T. L. In Achaiâ, ciuitate Patras, passio S. Andreæ Apostoli: qui crucifixus pro Christi nomine suum compleuit martyrium.

B. Romæ natale S. Maurilii, Consuli, Theodoli. C. Et * Mediolanensi S. Amatoris Episcopi.

* *Supple in ciuitate*

DECEMBER

I KALENDIS. *Vacat Beda.*

Florus in A.T. L. In Nouiomo depositio S. Eligij Episcopi & Confessoris: qui in palatio Lotharij Regis Francorum magnâ prudentiâ & religione micans, Episcopus factus multa corpora Sanctorum remouens decentissimè tumulauit, virtutibusque maximis & signis miraculorum effloruit.

D. Romæ Chrysanthi & Dariæ Martyrum, qui tempore Numeriani, Iudice Celerino, Romæ passi sunt. V. C. Interamnæ siue Narniis S. Proculi Episcopi & Martyris In* Torrente S Marinæ, V. Ad Vrsum pileatum S. Candidæ. A.T.L. B. Romæ natale S. Candidæ. B. Lucii & Marinæ, Ambosii, C Filati. Nouiomo ciuitate depositio S. Elegij Episcopi & Confessoris. Natale S. Constantiani.

* C. *Thure*

MS. Laetiense hic habet Elogium SS Chrysanthi & Dariæ suprà relatum: tum addit: Eodem die aduentus sanctarum Reliquiarum de vrbe Constantinopolitanâ.

II IV NONAS, *Vacat Beda.*

Florus in A. & T. primo loco & in L. sed ad x *Kal. Decembris.* Capadocia ciuitate passio S. Longini militis qui latus Domini lanceâ dicitur aperuisse. Qui conuersus ad fidem cùm Christum prædicaret, tentus ab Octauio Præfecto, postquàm ei dentes ferro confracti sunt linguaque abscissa, capitalem subiit sententiam.

V. Romæ natale S. Primitiui, Pontiani, Piminij. Alibi Veri, Seueri, Ianuarij. Romæ S. Bibianæ. A. T. Romæ natalis SS. Victorini, Demetrij & Donatii. T. Et Passio SS. Primenti Pontiani, Dafrosiæ, Iuliani. L. Romæ natale Sanctorum Victorini, Primentii, Pontiani, Dafrosii, Demetii & Vrbani. D. Romæ Iuuiniani & Fausti Martyrum. Et Dafrosæ filiæ. B. Agnetis secundæ. C. Romæ natalis Pimenti, Pontiani, Pisinni. Alibi Securi, Ianuarij, Vibianæ, Dafrosæ B Romæ natale SS. Primiti, Pontiani, Viniani. Cœnomanis ciuitate depositio S Domnoli Episcopi & Conf. In Mauritaniâ Securi, Victorini, Fortunati.

III III NONAS. *Vacat Beda.*

D. Romæ Claudij Tribuni & Hilariæ vxoris eius, & Iasonis & Mauri. B-C. V. In Oriente Meroni, Claudici & Felicis In Africâ Crispinæ, Magnæ, Ioannis. B. A. T. L. In Africâ natale SS. Crispini, Magni, Ioannis. T. L. & Stephani Martyrum B. Stephani, Victoris, Martini. In Bononiâ SS. Agricolæ & Cassiani.

II NON. *Vacat Beda.* IV

D Romæ Symphronij & Olympii, Exuperii & Theodoli Martyrum à B. Sisto translatorum II Nonas Decembris, quando eorum festiuitas agitur C.V.S Barbaræ Virginis, Eraclii, Christiani, Pudentii, Victoris. Et in Laudiciâ Felicis. A.T.L. In Laodiciâ natale SS. Felicis, Eraclii & * Prudentii. Eodem die Aurelianis in loco qui vocatur Floriacus illatio corporis S. Benedicti Abbatis & monachi: *addit* T. cuius aduentu feruntur illic Arbores floruisse. A. Apud Antiochiâ passio S. Barbaræ Virginis. L. & T. *eamdem habent omisso loco.* B. Romæ Barbaræ Virginis, Pudenti. In Laodiceâ metropoli Felicis, Merobii. F

* T. *Pudentii.*

NONIS. *Vacat Beda.* V

B Natale S. Dalmatii Martyris. V. S Sabæ monachi. C.V. In Africâ Humilis, Felicis, Iulii, Potamiæ, Victoris. C. S Sabæ & aliorum viginti. V. & alii octo A.T. In Africâ natale Sanctorum Felicis, Iulii, Potamiæ, Priuati, Fulgentii, & S. Crispini Martyrum. L In Africâ natale SS. Felicis, Priuati, Fulgentii & alii septem. Et S. Crispinæ Virginis. B. In Africâ natale SS. Humilii, Felicis, Iulii, Potamiæ, Crispini, Trophimi, Eucarpionæ. Et alibi S Sabæ Confessoris.

VIII IDVS. *Vacat Beda.* VI

D. S. Nicolai Episcopi Myrorum Lyciæ. B.C.V. Sācti Nicolai Episcopi. In Africâ * Zeruli, Fortunati. *[Gaithi] Hermogenis & Rogati A. In Africâ natale Sanctorum Rogati, Ermogenis & Fortunati. Eodem die depositio S. Nicolai Confessoris: per quem Dominus miracula operari dignatus est præclara. T. Depositio S. Nicolai Episcopi & Confessoris. In Africâ natale SS. Rogati, Ermogenis & Fortunati. In Asiâ maiore natale SS. Zeloti, Zeculæ, Agatii & Fortunati. L. In Asiâ maiore natale SS. Zeloti & Fortunati. Et in Mirensium ciuitate S. Nicolai Episcopi.

* B. *Zeloti*
* deest B.

VII IDVS. *Vacat Beda.* VII

C.V. Natale S. Ambrosii Confessoris. Spoletum S. Sauini. C. Episcopi & Martyris. *iidem, sed absque loco, habentur in B.* D. Alexandriâ Agathomi Martyris & militis. B.A.T.L. Antiochiâ ciuitate natale SS. Polycarpi & Theodori. Romæ depositio S. * Euryciani Episcopi. *Postremo huic deest locus in Laetiensi.* C. Romæ Eurycioni.

* B. *Custaniani*

VI IDVS.

VIII A VI IDVS. *Vacat Beda.*

D. Romæ Eutychiani Papæ & Martyris, qui manu propriâ trecentos quadraginta duos martyres sepeliuit. C.B.V.A.T. L. Romæ S. Eusebii Episcopi & Vrani Presbyteri, & Successi Episcopi. *In L. deest* Eusebius: *in T. & A. locus: additur in T.* Ac natale S. Sabini. *In* V. Depositio Eutyciani Episcopi. A. T. L. Conceptio S. Mariæ matris Domini.

IX V IDVS. *Vacat Beda.*

C.V. Natale * Syri Confessoris de Transmigratione. In Africâ Petri, * Successi. D. & L. S. Leocadiæ Virginis quæ tempore Diocletiani & Maximiani à Præfecto Hispaniarum Daciano apud Toletum dirâ carceris custodiâ macerata est. A. Antiochiâ natale SS. Geronti, Valentini & Ermogenis. T. L. Antiochiâ natale SS. Geronti, Valentini, Siluanæ, Donatæ, Agnillæ. T. Et Ermogenis. Et passio S. Leocadiæ Virginis. Ipso die S. Sirici Episcopi. B. In Africâ SS. Petri, Successi, Basini, Porphyrii, Vrbani. In Africâ SS. Generati, Polentiæ, Siluanæ, Valentinæ, Felicis & Eutyciani.

* C. S. Siricii deest in C.

X IV IDVS. Natale S. Eulaliæ Virginis in Barcelonâ ciuitate Hispaniæ, sub Daciano Præside quæ cùm esset tredecim annorum, post plurima tormenta, decollata est, & resiliente ab eâ capite, columba de corpore eius exire visa est.

T. Ipso die S. Valeriæ Virginis & Martyris. B. In ciuitate Aruernis natale S. Agricolæ.

XI B III IDVS. Natale S. Damasi Papæ.

Florus in A.T.L. In Galliâ ciuitate Ambianis passio SS. Gentiani, Victorici, & Fusciani: qui Victoricus ac Fuscianus à Româ egressi, verbum vitæ pluribus nuntiantes, tempore Maximiani circa Ambianis à Rictiouaro Præside comprehensi, priùs ferro manibus post tergum vinctis in carcere sunt reclusi: deinde in naribus & auribus eorum sudibus immissis, & clauis in capitibus transfixis, decollati sunt. In quos spiritu irruente, manibus capita propria ad hospitium B. Gentiani Martyris vsque portantes, ibidem requieuerunt.

B. In Alexandriâ Sammoni & Emeriti. In Antiochiâ SS. Zosimi, Pauli & Cyriaci. In Galliâ ciuitate Ambianense natale SS. Victrici & Fusciani Martyrum. A. & T. Et Prætextati.

XII II IDVS. *Vacat Beda.*

V.B.D.A.T.C. Natale SS. Hermogenis & Donati. V. B. C. D. & aliorum viginti duorum. D. Apud Alexandriam Epimachi & Alexandri: qui cùm multo tempore in vinculis & cruciatibus carceris torti & confecti perdurassent in fide, ignibus ad extremum iubentur consumi. L. In pago Vimmo T. A. depositio S. Walerici. L. Episcopi. T. Confessoris. A. T. In Hispaniis S. Eulaliæ & alterius Virginis nimium tortæ.

XIII C IDIBVS. Natale S. Luciæ Virginis de Syracusis sub Paschasio Consulari: quam cùm lenones corrumpere, iubente Paschasio, vellent, nullatenùs eam mouere potuerunt, nec funibus additis aut boum paribus plurimis, picem, resinam, feruens oleum, nihil læsa suscepit. Tandem gladio in viscera merso, percussa, nec tamen mortua est, donec venientibus Sacerdotibus, Communionem Dominici Corporis & Sanguinis accepit. Passa est tempore Diocletiani & Maximiani.

Deest hoc vltimum Laetiensi MS. Atrebatensi est in principio contractius: quæ cùm sub Paschasio picem, resinam & feruens oleum illæsa suscepisset.

A.T.L. Ipso die in Galliâ Cameraco ciuitate depositio S. Autberti Episcopi & Confessoris. A. per quem Dominus miracula operari dignatus est præclara. T. Eodem die depositio S. Iudoci Confessoris. L. Et natale S. Odiliæ Virginis: quæ cæca nata, sed à Deo curata, & de sacro fonte à tribus Episcopis suscepta fuit. V. C. Alibi * Leocandidi Confessoris & Valentini. B. Rauennæ natale SS. Valentini & Leuchadi Confessorum. Mediolano passio SS. Martyrum Geruasij & Protasij.

* C. Leucandi

XIX KAL. IAN. *Vacat Beda.* D

Florus in A.T.L. Hierosolymâ passio SS. Iusti & Abundi: qui post alapas, carceres & rotas igni traditi sunt sub Numeriano Imperatore & Olybrio Præfecto. * Lugduno ciuitate depositio S. Viatoris Episcopi. Remis passio S. Nicasij Episcopi * [& Martyris, sororisque eius Eutropiæ Virginis cum aliis eiusdem vrbis ciuibus] qui Missarum solennitatibus peractis à Wandalis infra ecclesiam Remensium passus est Martyrium. XIV

* deest in L.
* deest in T.

B.C.V. Lugduno S. * Victoris. Viennâ Lupicini. Remis natale S. Nicasij Episcopi. B *primis duobus addit titulum* Episcopi *&* depositionem *nominat.* D. Sanctorum Martyrum Drusi, Zosimi, & Theodori. B. In Antiochiâ natale SS. Drusi & Sociorum eius.

* V. Viatoris

XVIII KAL. *Vacat Beda.* XV

Florus in A.T.L. Aurelianis depositio S. Maximiani Presbyteri & Confessoris (*huc vsque etiam* B. V.) qui in summâ religione degens, eius meritis multa miracula Dominus operari dignatus est.

D. Valeriani Episcopi & Confessoris. C. V. In Africâ S. Fausti, Lucij, Candidi, Martyrum. A.T.L. B. In Africâ natale SS. * Candidi, Cæciliani & Fausti. E

* B. Candidi

XVII KAL. *Vacat Beda.* XVI

D. Trium Martyrum Ananiæ, Azariæ & Misaelis. B. V. Rauennâ natale SS Valentini, Naualis, Agricolæ, * Concordiæ. A.T.L. Rauennâ natale SS. Valentini, Naualis, & Concordij. A. In Tusciâ passio S. Barbaræ Virginis sub Maximiano Imperatore. T. Et transitus S. Euerardi Confessoris. B. Arelate dedicatio basilicæ S. Genesij martyris.

* B. & C. Concordi

XVI KAL. * Natale S. Ignatij Episcopi & Martyris: qui tertius Antiochiæ post Petrum Apostolum Episcopus, duodecimo Traiani anno, ad bestias vinctus Romæ missus est. Reliquiæ tamen corporis eius Antiochiæ iacent * extra portam Daphniticam in cœmeterio ecclesiæ. XVII

* hunc diem cum sequenti inuertit C
* huc vsque A. & T.

T. Eodem die SS. Lazari & Marthæ sororis eius. C. V. In Africâ * Victuri Victoris & alij triginta & tres. Victorini, Adiutoris, Quarti. B. In Africâ natale SS. Victoni, Victoriani, Adiutoris, Honorati, Vincentij, Felicis & aliorum XXIV.

XV KAL. *Vacat Beda.* XVIII

Florus in A. T. L. Ierosolymâ passio SS. Alexandri Episcopi & Theodoli: quorum Alexander in eculeum suspensus est: & posteà pariter cum Theodolo igni traditus est sub Aureliano Imperatore. F

D. Beatorum Martyrum Rufi & Zosimi, qui de primis discipulis fuerunt, per quos primitus Ecclesia Iudæis & Græcis fundata est. C. V. T. Laodiceâ SS. Theoteni, Basiliani. V. C. In Africâ S. Quinti. V. T. C. alibi passio S. Afræ. A. T. In Africâ natale Sanctorum Vincentij, Rogatiani. A. Et passio S. Luciæ Virginis. T. Romæ natale SS. Antonij, Erenæi, Theodori. B. Laodiceâ ciuitate natale SS. Quinti, Simplicij, Pauli, Victoriæ, Priuati. Et alibi natale SS. Digni & Badegisili, Honorati cum aliis triginta.

XIV KAL. *Vacat Beda.* XIX

Florus in A.T.L. Autissiodoro ciuitate, depositio B. Gregorij Episcopi & Confessoris, qui tantæ, vt liber actionum illius pandit, sobrietatis fuit, vt in medio mundi positus, nouus effulgeret eremita, seque sæpiùs multis declarauit miraculis.

D. Apud Ægyptum B. Nemesij Martyris, qui primùm per calumniam quasi latro delatus est iudici Æmyliano. B. C. V. In Niceâ * [ciuitate Bithyniæ] SS. Zosimi Pauli, Secundini. * [Quinti, Autissiodoro] depositio B. Gregorij Episcopi. A. Et natale S. Cyrici. L. Zosimi & Cirici. T. Et Pauli in ciuitate Bithyniæ Niceâ.

** in solo B.

XIII KAL. *Vacat Beda.* XX

D. Beatorum Martyrum, Ammonis, Zenonis, Ptolomæi, Ingenui & Theophyli. B. C. V. In Thraciâ * [ciuitate Gildoba] natale S. Iulij. Romæ Zephyrini Episcopi. * [In Oriente S. Theclæ.]Natale S. Liberati. A. T. Natale S. Anastasij.

* in solo B
* deest in B.

A A.T.L. Romæ depositio S. Zephyrini. In oriente natale S. Liberati T. Ad Vrsum pileatum natale S. Pontiani.

XXI XII KAL. IAN. Nat. S. Thomæ Apost.

Florus addit in A. T. L. qui passus est in India, lanceâ quippe transfixus occubuit. Huius etenim corpus translatum est apud Edissam ciuitatem. T. quinto nonas Iulij.

B.C.V.A.T L. Romæ S Innocentij Episcopi. A.T. Et passio S. Honorati Episcopi. C. Et passio S. Phocæ. B. In Eracleâ natale S Pasii. Et alibi Passio SS. Focæ, Florij, Honorati Episcopi & Confessoris.

D. Catalaunis S. Memmij Episcopi primi illius ciuitatis ab Vrbe Româ directi: qui inter alia innumera miracula mortuum suscitauit: cuius nunc sepulcrum creberrimis miraculis illustratur. Et in Thusciâ Ioannis & Festi : *Sed forte hæc spectant ad diem sequentem: quò perperam in hoc MS. refertur S. Thomas.*

XXII XI KAL. *Vacat Beda*,

C.V. Inter duas lauros natale triginta Martyrum qui omnes vnâ die coronati sunt. A.T L.B. Romæ* [Viâ-Lauicanâ] natale sanctorum triginta Martyrum, qui vnâ die sunt coronati. A.T. Romæ depositio S. Felicis Episcopi. L. *Addit* Portuensis. A.T B. Et passio S. Theodosiæ Virginis. Et Didymi monachi. B. In portu Romano natale S. Aristoni, & S. Felicis Episcopi. Eodem die passio S. Gregorij Martyris. *deest B.

B

XXIII X KAL. Depositio S. Victoriæ Romæ sub Decio: quæ cùm esset desponsata viro pagano Eugenio, & nec nubere vellet nec sacrificare, post multa facta mirabilia, inter quæ plurimas Virgines Domino aggregauerat, percussa est gladio, carnifice Taliarcho templorum Comite, rogatu sui sponsi: deposita est autem X Kalendarum earumdem.

C.V. Eodem die S. Gregorij Martyris Spoletini & alij nongenti triginta. A. T. Romæ natale SS. Eleutherij & Cornelii. B. Romæ natale SS. Eugenij, Eleutherij, Vrbani, Cornelij, Traiani, Victoris, Castulæ & aliorum octingentorum & triginta In Nicomediâ natale Sanctorum triginta quinque Martyrum. Et alibi natalis SS. Ioannis & Felicis L. Eodem die aduentus reliquiarum S. Lamberti Martyris atque Pontificis, quas venerandæ memoriæ Dominus Vnedricus, huius loci Abbas tertius, ab Episcopo Leodiensi Alberone II deuotissimè impetratas, ecclesiæ Laetiensi X Kal Ianuarij solenniter inuexit, solenniterque ipsius diei memoriam quotannis celebrandam instituit.

XXIV IX KAL. Vigilia natalis Domini.

C D. Apud Antiochiam Syriæ natale sanctarum Virginum quadraginta, quæ persecutione Decianâ per diuersa tormenta martyrium consummauerunt. V. Natale Sanctorum Virginum quadraginta. A.T.L. Romæ natale SS. Metrobi, Pauli, & Luciani.

XXV VIII KAL. Natiuitas D.N. Iesu Christi.

Florus addit in A. & L. qui in diuinitatis suæ potentiâ & tempus natiuitatis suæ præuidit, & matrem per quam nasceretur elegit.

Et S. Eugeniæ Virginis. Eodem die natale S. Anastasiæ: quæ tempore Diocletiani primò diram & immitem custodiam à viro suo Publio perpessa, est in quâ tamen à Chrysogono Confessore Christi multùm consolata & confortata est. Deinde à Præfecto Illirici in grauissimâ æquè & diutinâ custodiâ macerata est: * in quâ duobus mensibus refecta est cælestibus escis per S. Theodoten, quæ priùs martyrium passa est. Deinde naui impositâ cum ducentis viris & septingentis fœminis, vt demergeretur in mari, perlata est ad insulas Palmarias, vbi per manus & pedes extensa est ligata ad palos fixos, & circa medium eius ignis accensus est, in quo martyrium consummauit, & omnes qui cum illâ venerant varijs interfectionibus martyrium celebrarunt. *huc vsque A. D

Florus in A.T.L. præposuit. In Sirmio,

B. Constantinopolim S. Anastasij.

XXVI VII KAL. Natale S. Stephani Protomartyris.

Florus in A. T. L. In oppido Hierosolymitano villâ Caphargamala passio S. Stephani, qui ab Apostolis Leuita ordinatus, ob testimonium Christi lapidantibus Iudæis primus post ascensionem Domini martyrio consummatus est. * Hic cælos vidit apertos & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: cui spiritum commendans, & pro persecutoribus exorans, imbre lapidum perfusus obdormiuit. *huc vsque A.

B.C.V. Romæ S. Dionysii Episcopi T. Eodem die Romæ passio S. Marini. B. Antiochiæ Iuliani & Marciani.

XXVII VI KAL. Natalis S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, dilecti Domini.

Florus in A. T. L. *præmittit.* In epheso, *& deinde subiungit*: quem Dominus non præ ceteris solùm, sed & præ ceteris familiariùs vnum dilexit. Hic supra pectus Domini in cœnâ recubuit: cui posteà leuatus in cruce Matrem Virginem Virgini commendauit.* Hic inter quatuor animalia aquilæ comparatus, de diuinitate Christi & limpidius præ cunctis conspexit, & in Euangelij sui principijs scribendo contradidit. E *huc vsque A.

T L.B. Eodem die ordinatio Episcopatus S. Iacobi, fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Iudæis Hierosolymâ est ordinatus Episcopus. B. Et medio Pascha martyrio coronatus. V.C. Et S. Iacobi fratris Domini.

XXVIII V KAL. Natalis Sanctorum Martyrum Innocentium.

Florus in A.T.L. *Addit* qui testimonium Christo non loquendo sed moriendo perhibentes, Herodis impietate felici nece consumpti sunt.

V. Natale Eutycij Presbyteri, Domitiani Diaconi, Castorii.

XXIX IV KAL. *Vacat Beda.*

D. Dauid Regis. Apud Arelatem S. Trophimi Episcopi & Confessoris, discipuli Apostolorum Petri & Pauli. V.C. In Africâ Crescentii, Primiani, Secundi Saturnini Honorati. Romæ Felicis & Bonifacii Episcopi. *qui vltimus etiam est primo loco in* A. T. L. In Africâ SS. Domitii, Victuri, Primiani, Honorati, Saturi, Felicis. L. Et passio S. Thomæ Archiepiscopi & Martyris Cantuariensis. B. Romæ Felicis & Bonifacii Episcopi de ordinatione. In pago Oxomense Otico monasterio depositio S. Ebrulfi Confessoris.

F

XXX III KAL. *Vacat Beda.*

Florus in A.T.L. Turonis ciuitate depositio Perpetui Episcopi & Confessoris: qui religioso magnoque voto corpus B. Martini remouens, Angelicam visitationem promeruit.

D. Apud Spoletum passio S. Sabini Episcopi, & Exuperanti & Marcelli Diaconorum, & Venustiani cum vxore & filiis sub Maximiano Augusto. V.T. In Alexandriâ Mansueti,* Seueri, Appiani, Donati, Honorii. B. Poledisi. In insulâ S. Florentii Sereni, Pauli, Stephani, Papiani, Cleteogenis. Turonis Perpetui Episcopi & Confessoris. *huc vsque T. & *B. Seueri, Apanis*

XXXI II KAL. Depositio S. Siluestri Episcopi.

Florus præponit in A.T.L. Romæ in cœmeterio Priscillæ viâ Salariâ. *Deinde subiungit*, qui Romanæ Ecclesiæ post B. Petrum trigesimus tertius præfuit, & per viginti duos annos virtutum miraculis, & prædicationum doctrinis mirabilis rexit.

Et passio S. Columbæ Virginis, Senones, sub Aureliano Imperatore: quæ superato igne cæsa est.

C.V. Romæ viâ Salariâ in cœmeterio Iordanorum, Donatæ, Paulinæ, Rusticianæ, Nominandæ, Serotinæ, Saturnini,* Hylarianæ, Rætiariæ, Hermetis, Exorcistæ. In prouinciâ Siciliæ ciuitate Catanensium Stephani, Pontiani, Attali, Flauiani, Corneli, Sexti, Floridi, Quintiani, Menerbini, Simphoriani. B. Donati, Pauli. * *C. Hilaria*

Explicit Martyrologium Bedæ Presbyteri.

INDEX

INDEX SANCTORVM

A IX AD XIX DIEM MARTII.

A

B

E

F

16 Fi-

H

I

INDEX

INDEX CHRONOLOGICVS IN TOMVM II MARTII.

I SECVLVM A CHRISTO NATO.

II SECVLVM.

III SECVLVM.

IV SECVLVM.

V SECVLVM.

VI SECVLVM.

VII SECVLVM.

VIII SECVLVM.

IX SECVLVM.

X SECVLVM.

XI SECVLVM.

XII



PRO-

PROTESTATIO


Væcumque in hoc opere eduntur à nobis, ea nolumus aliam obtinere vim ac momentum, quàm quod HVMANÆ HISTORIÆ inest: nisi si qua sunt è Diuinâ Scripturâ, Decretalibus Pontificum epistolis, Bullisque Canonizationum, aut scitis Oecumenicorum Conciliorum, sumpta. In ceteris siquid imprudentes offendimus, (homines enim sumus, errori obnoxij) vbi à peritioribus monebimur, libenter corrigemus. Nam si (quod non remur) aliquid scriptum hîc esset quod cum sacrosanctis Ecclesiæ Constitutionibus minùs concordaret, id nos vltro repudiamus ac damnamus. Non existimamus quidem vlli nos (quod est VRBANI VIII pluribus Constitutionibus vetitum) SANCTI aut BEATI titulum tribuisse, cui non esset is vel ab Ecclesiâ decretus, vel constanti populorum pietate plusquàm ab vno seculo adscriptus, eadem approbante Ecclesiâ; nulla item cuiusquam, qui non videatur *per communem* eiusdem *Ecclesiæ consensum vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ vel Ordinarij*, venerationem obtinere, miracula, prædictiones, arcanorum manifestationes commemorasse; si tamen eiusmodi quidpiam insciis & imprudentibus excidit, vbi nos quisquam rerum gnarus monuerit, continuò quidquid illud est, corrigemus.



DE ACTIS

DE ACTIS SANCTORVM MARTII

TOMVS SECVNDVS.

Præmonitio ad Lectorem.



*Væ nos caussa in partiendo Februario mense prohibuit tomis singulis æqualem dierum numerum assignare, Actorum scilicet Commentariorumque prolixiorum vnis quàm alijs diebus copia maior; eadem nunc etiam cogit in Martio, concinniùs aliàs per decades diuidendo, rerum tractandarum potiùs, quàm numeri æqualitatem sectari. Et primùm quidem consilium fuerat, decimum diem à priori exclusum tomo, in capite huius secundi ponere: sed procedente vtriusque impressione cognouimus etiam sic inæqualem nimiùm futuram diuisionem. Versa est igitur in consilium necessitas, & nonus etiam dies ad secundum tomum traductus: quamuis ille iam haberet in decimo die numerandarum paginarum initium, quòd mutari non posset. Ne qua tamen ex numeralium notarum ad suum caput redeuntium ambiguitate orirretur confusio, ordinandis aptè indicibus importuna, eisdem notis toto hoc die nono præfiximus * astericos, in indicibus similiter præfigendos, cùm indicandum erit aliquid ad hunc diem pertinens; bibliopegis autem consuluimus minusculis litteris signando terniones huius eiusdem diei. Atque id contenti præmonuisse, properantem ad ipsa Acta Lectorem dimittimus, quæ propriâ magis vtilitate & dignitate commendabuntur, quàm longâ in procemijs oratione: suum modò fauorem Deus, omnis sanctitatis auctor, Sanctorum Acta scribentibus legentibusque aspiret: quem ante omnia conuenit suppliciter exorare.*

IX MARTII.

SANCTI QVI VII IDVS MARTII COLVNTVR.



Anctus Iulianus,
S. Sicus siue Ysicus,
S. Cyrillus,
S. Felix,
S. Philippus,
S. Cedecesis,
S. Cendeus,
S. Marianus,
S. Rogatus,
S. Concessus,
S. Iuuencula,
} Martyres in Africâ.

Sancti auus & auia,
Sancti pater & mater,
Sancti filij duo,
} Martyres consanguinei apud Græcos.

S. Pacianus Episcopus Barcinonensis in Hispaniâ.

S. Gregorius Episcopus Nyssenus in Cappadociâ.

S. Bosa Episcopus Deirorum, Eboraci in Angliâ.

S. Cyrillus,
S. Methodius,
} Episcopi, Slauorum Apostoli, Olomucij in Morauiâ.

S. Vitalis Siculus, Abbas Ordinis S. Basilij, Armenti & Rapollæ in Italiâ.

B. Catharina Bononiensis, Virgo Ordinis S. Claræ.

S. FRANCISCA ROMANA vidua, Fundatrix Oblatarum Turris-speculorum Romæ.

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Ancti Cæsarij fratris S. Gregorij Nazianzeni memoria cum vno disticho celebratur in Menæis Græcorum excusis, & MSS. Chiffletianis, & apud Maximum Cytheræum. De eo egimus xxv Febr.

S. Tarasij nudum nomen habetur in Menæis Græcorum, & apud Maximum Cytheræum. Nullius hactenus notitiam Tarasij habemus, nisi Archiepiscopi Constantinopolitani, cuius Vitam dedimus xxv Februarij.

Eutychius Abbas, cuius meminit B. Gregorius. MS. Kalendarium SS. Ord. S. Benedicti. Videtur Equitius esse, de quo egimus vii Martij.

S. Siluanus, relatus à Greueno in Auctario Vsuardi inter Martyres Afros huius diei: quem eumdem arbitramur, qui à pluribus inter Martyres Afros nominatur viii Mart.

S. Paulus, Episcopus Prusiadis, in Menæis excusis memoratur cum eodem elogio, quod ei ab eisdem ponitur viii Martij.

Sebastianus, } Martyres inter Afros hoc die recensen-
Nectarius, } tur: ex his Nectarius videtur loco Mariani intrusus, & Sebastianus reperitur etiam pro vrbe Sebastiâ positus, & ideò à nobis omissi.

Gaddanæ Abbatis, } gesta in eremo describit Palladius
Philoromi Presbyteri, } in Historiâ Lausiacâ cap. 110 & 112. Meminit prioris Sozomenus lib. 6 cap. 34, vtriusque Petrus de Natalibus lib. 11 Catalogi cap. 49 & 50, & Sancti titulo honorat. Eos ad hunc diem Martyrologio Anglicè olim excuso inscripsit VVitfordus, quod hîc indicamus.

Sedna de Druim-mac-vbla & } soli à Colgano referun-
Sedna de Kill-aine, } tur hoc die ex pluribus, quos Hibernica hagiologia Sanctis adscribunt: primi ecclesiam quam rexit in Vitâ Patricij Tripartitâ reperies num. 311, secundi ecclesiam in monte Bregh collocat Kalendarium Casselense: eiusque genus Colganus ad proauum Loarnum, cum fratre Fergussio Scotici in Albaniâ regni Fundatorem, refert.

Brigida filia Domæ in Campo Liffi, } à Colgano præ-
Brigida de Moi-miolain, } terita: in Martyrologio Tamlactensi & Mariani Gormani nominantur. Nobis, quoad cultum & Acta, ignotæ sunt: nisi quòd primam vii quoque Februa. ab Hagiologijs recenseri Colganus dicat in Append. 4 ad Acta S. Brigidæ Kildariensis.

Lugidius seu Lugadius de Kill-cuile, } nomen hoc die
Colmanus de Cluain-Tibrinn, } habent in
Tossanus de Druim-Ladhgeiri, } Hibernicis fastis: quinam sint, & vbi earum ecclesiæ, tacente Colgano, nolumus diuinare: multo minùs Sanctorum immiscere cultui, quamdiu grauiora suffragia desunt. Colmanum Marianus in sequentem diem distulit. Tamlactense Martyrologium in xiii.

Sillanus, } in Tamlactensi martyrologio sunt: Dima etiam
Dima, } apud Marianum Gormanum. Sillanum S.
Mella, } Berathi forsan esse discipulum, de quo Vita eius ex Hibernico translata xv Febr. num. 9, suspicatur Colganus.

S. Briga seu Brigida, Virgo filia Congalli, mater Ancillarum Christi in prouinciâ Lageniâ, memoratur in tertiâ Vitâ S. Brigidæ cap. 30 apud Colganum, & in Notis num. 18, qui eam coli tradit aut xxi Ianuarij, aut ix Martij. Ast vtroque die omisit, an sui oblitus an meliùs edoctus prudenter reticuerit, haud scimus.

Silleni mentio fit apud Colganum in Vitâ S. Berachij 26 Febru. qui in Notis ad supplementum num. 6 recenset varios dies, quibus aliquis, nomine Sillenus, colitur: & arbitratur hunc esse, qui aut iv Maij, aut ix Martij in veneratione est. Interim hoc die alto eum silentio premit, licet in Tamlactensi Martyrologio referatur.

Kennethus, Episcopus Glentaniræ in Scotiâ memoratur à Thomâ Dempstero, citato Breuiario huius Ecclesiæ. Quæ eadem ex eius scriptis Ferrarius. Monumenta huius proferenda, cùm nulla eius alibi mentio reperiatur, nec magnam apud nos fidem obtineat Dempsterus.

Felix Abbas Ruyensis, Sanctus vocatur à Benedicto Gonono, & hâc die refertur ab Alberto le Grand: prior Vitam eius contexuit ex Aimoino Floriacensi de miraculis S. Benedicti, & Vitâ S. Gildæ Sapientis, quam dedimus xxix Ianuarij: posterior eam additis quibusdam interpolauit: neuter vllum alicuius cultus argumentum adfert, nec vllus veterum Sancti appellationem ei affigit.

B. Vindrici Abbatis Tullensis. Ita Ferrarius in Catalogo generali. Eum Abbatem S. Apri vocat Saussaius in supplemento Martyrologij, & magnarum virtutum patratorem. Saussaium describit Bucelinus, additq; se necdum Vitam vidisse. De monasterio S. Apri agunt Sanmarthani tomo 4 Galliæ Christianæ, & inter paucos Abbates non meminerunt Vindrici. Quare certiora monumenta desideramus.

Helias nepos & discipulus S. Vitalis Abbatis, cum hoc celebratur à Caietano in Martyrologio Siculo, & Beatus appellatur. De eo infrà agitur in Vitâ S. Vitalis.

Reinhardus, primus Abbas monasterij Reinhausen in Saxoniâ, miraculis claruit in vitâ & post mortem. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1098. Menardus, eumque secutus Bucelinus inscripserunt suis Martyrologijs Benedictinis ad hunc diem: forsan quia deerat alius Sanctus Menardo, qui præter hunc solùm habet S. Franciscam Viduam. Sed vnde scicierunt illum inter Sanctos referendum, quem neque Trithemius, neque VVion Sanctis adscripserunt?

Monachi lx Cisterciensis Ordinis, in Alemanniâ pro Christo trucidati, referuntur in Kalendario Cisterciensi Diuione anno 1617 excuso; & ex illo apud Manriquez & Henriquez in Menologio Cisterciensi; sed qui notat monasterium non exprimi; quod etiam ignorauit Bucelinus, & ipse Alemannus.

Maria, soror Caroli Abbatis Villariensis, Sanctimonialis in monasterio de Dunewarch, Ordinis Cisterciensis laudatur à Cæsario Heisterbacensi: & cum titulo Beatæ inscripta est Menologijs Henriquez & Bucelini. Citat ille Catalogum Sanctorum Ordinis Cisterciensis. Habemus Kalendarium sacri Ordinis Cisterciensis Diuione excusum, sed absque mentione huius Mariæ. Gelenius in fastis Coloniensibus solùm appellat Venerabilem.

Guardianus cum socio in insulâ Minoricâ à Turcis occisus, } Ordinis
Petrus Trani in Apuliâ, miraculis clarus, } Minorum,
Baptista à Florentiâ in Aprutio extasi illustris, } memorantur
in Martyrologio Franciscano Arturi à monasterio.

Simon siue Simonetus, de Camerino, Ordinis Eremitarum S. Augustini, verbi diuini egregius Ecclesiastes, & Congregationis Montis-Ortoni Fundator, ix Martij anni mcccclxxviii, è vitâ discessit. Thomas de Herrerâ in Alphabeto Augustiniano asserit eum à pluribus inter Ordinis Augustiniani Beatos recenseri, vti & Iacobillus tomo 1 de Sanctis Vmbriæ. Verùm Herrera, licet alibi facilè titulum Beati tribuat, ab eo tamen hîc abstinet.

Quadraginta Martyres Sebasteni suum hoc die cultum habuere, vsque dum Innocentij X Pontificis iussu, eum cessere S. Franciscæ Romanæ officio duplici celebrandæ: agimus ergo de ijs x Martij.

Dionysius Martyr celebratur in Menologio Basilij Imperatoris; iterùm cum S. Codrato & socijs x Martij.

Draconius Abbas Parisijs, relatus in MS. Florario, Martyrologio Coloniensi, & ab Hermanno Greuen, Canisio, Ferrario;

A *Ferrario: est S. Drostonem* x Martij.

Vrspasiani Martyris, *nudum nomen inscriptum est Menæis Græcorum & Maximi Cytheræi. Iterum cum magno elogio* xiii Martij.

Vgo Archiepiscopus Confessor, *memoratur in MS. Martyrologio Casinensi charactere Longobardico: in pluribus sequenti die*, *diciturque* Hugo Archiepiscopus *Rotomagensis, qui ab alijs colitur* ix Aprilis.

Idesbaldi Abbatis Dunensis prima Translatio facta anno MCXXXIX, *refertur hîc ab Henriquez & Bucelino. Dies natalis incidit in* xviii Aprilis.

Claretta, } Virgines Ordinis Augu-
Illuminata, } stiniani apud Montem-Falconem in Vmbriâ, *inscriptæ sunt sacro Gynæceo Arturi du Monstier, & Beatæ appellantur, vti & in Alphabeto Augustiniano Herrera, qui ait* anno MDCII, de præcepto Prioris Generalis, corpora ferè integra & incorrupta in decentiori loco recondita esse supra altaris mensam intra cratem ferream; vt à deuotis fidelibus priuatâ veneratione & coli possint & videri. *Cum Iacobillo tomo 1 de Sanctis Vmbriæ poterit de ijs agi* xxvii Aprilis. D

Gregorius Cardinalis, Episcopus Ostiensis, antè Abbas SS. Cosmæ & Damiani ad Micam auream, *cum titulo* Beati *refertur à Bucelino, diciturque hoc die mortuus, aut certè (quando paullò distinctiùs se acturum dicit & nos cum illo, si certiora venerationis monumenta assequamur)* ix Maij.

S. Aprunculi, Episcopi Aruernorum susceptio Claromonte colitur, quando ex Lingonensi Præsulatu ad hanc Cathedram transijt. *Ita Saussaius, qui eius Natalem celebrat* xiv Maij.

Cantij, } Martyrum exceptio reliquiarum apud
Cantiani, } Saxiacum. *Labbæus in Hagiologio*
Cantianillæ, } *Franco-Galliæ. Coluntur* xxxi Maij.

S. Alexandri Confessoris *apud Aruernos memoria celebratur à Saussaio in Martyrologio Gallicano. Iterùm ab eo, Molano, Canisio, Ferrario* xxxi Maij.

Colmus Episcopus Orcadum. *Camerarius. De eo licebit cum Dempstero, si certa monumenta proferantur, agere* vi Iunij.

DE SANCTIS MARTYRIBVS AFRIS
IVLIANO, SICO SIVE YSICO, CYRILLO, FELICE, PHILIPPO, CEDECESE, CENDEO, MARIANO, ROGATO, CONCESSO, IVVENCVLA.

IX MARTII.

Nomina horum in Martyrologijs.

1 MArtyrologium S. Hieronymi, *quod apud nos extat, in codice ante annos ferè mille exarato, ista hoc die habet:* vii Idus Martij. In Armeniâ Sebastiâ militum XL. Item Iuliani & Sici. In Africâ Cyrilli, Felicis, Philippi, Cedecesis, Cendei, Mariani, Rogati, Concessi. *In MS. Lucensi eiusdem S. Hieronymi, ita de his legitur:* Item Iuliani, Sici & Cyrilli. In Africâ Felicis &c. *Eadem habentur in Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excuso, in quo vt duo distincta nomina scribuntur* Cere, Cedis, *non* Cesis, *& loco* Sici *legitur* Ysici, *& in fine additur nomen* Iuuenculæ. *In MS. Richenoniensi siue Augiæ-diuitis prope Constantiam septem proponuntur, & Africæ etiam tres primi assignantur his verbis:* In Africâ Iuliani & Sici, Cyrilli, Philippi, Mariniani, C Rogati, Concessi. *Quinque tradit MS. Augustanum monasterij S. Vdalrici:* In Africâ Iuliani, Felicis, Philippi, Mariani, Concessi. *Totidem numero, sed aliquot eorum ab his diuersos, habet MS. Parisiense Labbæi:* Africâ Iuliani, Sici, Philippi, Nectarij, Concessi. *Vbi veremur ne loco* Mariani *aut* Mariniani, *sit vitio amanuensium intrusum nomen Nectarij. Ceterùm cum hisce Martyrologijs omnes Africæ adscribimus. & in Martyrologio S. Hieronymi sic arbitramur legendum:* Item in Africâ Iuliani, Sici, Cyrilli, Felicis &c. *Apud Notkerum hi quinque memorantur:* In Africâ Felicis & Philippi, Mariani, Rogati & Concessi. *At nullâ Africæ mentione factâ, Aquicinctinum MS. ista habet:* Item SS. Felicis, Philippi, Rogati. *MS. S. Maximini:* Mariani, Iuliani, Sebastiani, Felicis. *Idem quoque nomen* Sebastiani *reperitur in MS. Aquisgranensi, vbi hic ordo:* Natalis Iuliani, Sici, Philippi, Mariani, Concessi, Sebastiani. *Greuenus etiam eumdem cum* Siluano *adiungit in auctario Vsuardi:* Ipso die SS. Sici, Philippi, Mariani, Concessi, Sebastiani, Iuliani, Siluani. *Ex his* Siluanus *spectat ad Martyres Afros* viii *Martij relatos. Imò &* Sebastianus *perperàm intrusus videtur: nam in MS. Lucensi S. Hieronymi, eiusdemque Martyrologio Parisijs excuso, legitur hoc die.* In Armeniâ Sebastiani & xl militum, *vbi meliùs in nostro codice* Sebastia *vrbs indicatur: interim ille error etiam repetitur in MS. Corbeiensi. Ex quo similiùs mendo* Sebastianus *hisce Martyribus iunctus videtur, & planè omittendus.*

Aliqui relati 10, 11, 12 Martij.

2 *Duo ex his Martyribus* SS. Felix & Philippus *ad diem sequentem,* x *huius referuntur in antè memorato Martyrologio S. Maximini, item in MSS. Florentinis, bibliotheca Medicæa & D. Caroli Strozzi, ac Martyrologio ibidem excuso anno* 1486. *At die* xii *continentur in MS. Tamlactensi. Alij duo* Rogatus & Cendeus xi *Martij iterùm referuntur in tribus exemplaribus Martyrologij S. Hieronymi, post Martyres Carthaginenses inserti: quos ab his non arbitramur diuersos.* F

an militum?

3 *In Calendario Breuiarij Moguntini anno* 1495 *&* 1507 *excusi, annotatur hoc die memoria* xi militum. *An isti ab his Martyribus diuersi sint non liquet: forsan* xl militum *est legendum, qui sunt Sebastiæ coronati.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS CONSANGVINEIS
AVO, AVIA, PATRE, MATRE ET II FILIIS APVD GRÆCOS.

IX MARTII.

CElebrantur hi Sancti Martyres in Menæis Græcorum his verbis: Οἱ ἅγιοι Μάρτυρες, πάππος, μάμμη, πατὴρ, μήτηρ, καὶ δύο τέκνα ξίφει τελειοῦνται.

Διὰ ξίφους ἤθλησε συγγενὲς γένος,
Ἡ παππόμαμμος, πατρόμητρος, τέκνα.

Sancti Martyres, auus, auia, pater, mater, & duo filij gladio vitam finiuerunt. Per gladium instar athletarum certauit cognatum genus, cum auo auia, cum patre mater & filij. *Memorantur etiam apud Maximum Cytheræum. Nihil alibi reperimus.*

DE SANCTO PACIANO EPISCOPO BARCINONENSI IN HISPANIA.

CIRCA ANNVM CCCXC. IX MARTII.

1  Xtollitur S. Pacianus *plurimorum scriptorum encomio, sed ferè eodem; ex S. Hieronymi verbis, qui libro de Scriptoribus Eccles. cap. 106 ista tradit:* Pacianus in Pyrenæi iugis Barcilonæ Episcopus, castigatæ eloquentiæ, & tam vitâ quàm sermone clarus, scripsit varia opuscula, de quibus Cerbus & contra Nouatianos. Et sub Theodosio Principe, iam vltimâ senectute, mortuus est. *Ita codex noster MS. In editis codicibus pro verbis* castigatæ eloquentiæ, *legitur* castitate & eloquentiâ, *& Cerbus Græcè exaratur* κέρβος, *aut* λέρβος; *vox æquè dubia. Quibus omissis Honorius Augustodunensis libro etiam de Scriptor. Ecclesiast. cap. 107 hæc solum habet:* Pacianus in Pyrenæis iugis Barcinonæ Episcopus, tam vitâ quàm sermone clarus, scripsit varia opuscula contra Nouatianos sub Theodosio. *Extant cùm seorsim tum in Bibliothecis veterum Patrum,* tres epistolæ contra Nouatianos ad Sympronianum Nouatianæ hæresis labe infectum. Parænesis siue Exhortatio ad pœnitentiam. Libellus siue sermo de baptismo ad fideles Catechumenos. *De his operibus agunt Bellarminus, Posseuinus, Miræus, Labbæus, aliique disserentes de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

Notitia in S. Hieronymo de libris editis à S. Paciano:

B

2 *Matrimonio ante Sacerdotium fuisse iunctum S. Pacianum colligimus ex eodem libro S. Hieronymi cap. 132 hæc scribente:* Dexter Paciani, de quo suprà dixi, filius, clarus apud seculum & Christi fidei deditus, fertur ad me omnimodam historiam texuisse, quàm necdum legi. *Idem Hieronymus in Apologiâ ad Ruffinum scribit se rogatum à Dextero amico suo, qui Præfecturam administrauit Prætorij, vt auctorum nostræ religionis ei indicem texeret. Vnde illi memoratum librum inscripsit, ita prologum exorsus:* Hieronymus Dextro. Hortaris, Dexter, vt Tranquillum sequens, Ecclesiasticos Scriptores in ordinem digeram, & quod ille in enumerandis Gentilium litterarum viris fecit illustribus, id ego in nostris faciam, id est à Passione Christi vsque ad decimum quartum Theodosij Imperatoris annum, omnes qui de Scripturis sanctis memoriæ aliquid prodiderunt, tibi breuiter exponam. *Hæc ibi. Ceterùm de Chronico, sub nomine iam dicti Dextri edito, latè egimus in Præfatione communi ante tomum 1 Februarij cap. 4.*

huius filius Dexter Præfectus Prætorio:

C

3 *De tempore vitæ & obitus S. Paciani ex relatis rectè statui potest, floruisse eum seculo Christi quarto, & circa annum Christi* CCCXC *è vitâ migrasse, atque ita biennio post, cùm Theodosius* XIV *annum regnaret, potuisse S. Hieronymum scire, eum iam in senectute vltimâ mortuum esse. Dies obitûs assignatur in fastis sacris* IX *Martij, idem confirmat Petrus de Natalibus lib. 3 Catalogi cap. 87.* Pacianus, *inquit,* Episcopus, apud Barcinonam eiusdem Pontifex Ecclesiæ, claruit vir castitate insignis, vitâ & sermone clarus: varia compilauit opuscula, è quibus est certus liber contra Nouatianos. Tempore autem Theodosij primi, vltimâ senectute fessus, finem vitæ sortitus est VII Idus Martij. Hæc Hieronymus de viris illustribus. *Sed quæ Petrus de Natal. suâ phrasi exposuit. Vsuardus in omnibus, etiam manuscriptis exemplaribus ista scribit:* Ciuitate Barcinonâ S. Paciani Episcopi, qui tempore Theodosij Principis optimâ senectute finem vitæ sortitus est. *Eadem ferè habent Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Canisius, aliique: quæ in hodierno Martyrologio Romano ita exponuntur:* Barcinone in Hispaniâ S. Paciani Episcopi, tam vitâ quàm sermone conspicui, qui tempore Theodosij Principis, in vltimâ senectute, finem vitæ sortitus est. *Eumdem in Natalibus Sanctorum Canonicorum retulit Ghinius, & in Martyrologio Hispanico Tamaius Salazar. At die* XI *Martij inscriptus est Martyrologio sub nomine Bedæ vulgato, in cuius genuino codice neutro die vlla eius mentio reperitur, vti neque apud Florum in eius Martyrologij supplemento. Eodem* XI *die relatus est in Kalendario Breuiarij Eborensis anno* MDXLVIII *excusi: vti etiam in Martyrologio MS. Vsuardi apud Neapolitanos parum aucti & immutati, & in MS. Codice Cardinalis Barberini.*

obitus circa annum 390,

nomen in fastis 9 Martij,

E

& 11 Martij.

4 *Sacellum & altare Barcinone S. Paciano dicatum esse indicat Franciscus Diagus lib. 1 Historiæ Comitum Barcinonensium cap. 12, & Ioannem Dimas Lloris Episcopum Barcinonensem constituisse anno* MDXCV, *vt festum S. Paciani quotannis sub ritu duplicis primæ classis* IX *Martij celebraretur, & reditus assignasse, quibus & luminaria & alia altaris ornamenta procurarentur, & Canonicis ac Clericis, festum illud in altari sacelli eius celebrantibus, stipendium tribueretur. Auxit dein huius Sancti venerationem Synodus Diœcesana anno* MDC *sub Ildephonso Coloma tunc Episcopo collecta, quando festum, interdicto omni opere seruili, præceptum est obseruari, vti cum Diago etiam tradit Antonius Vincentius Domineccus in Historiâ generali Sanctorum Cataloniæ, qui pluribus culpat negligentiam antiquorum Scriptorum, quòd reliqua illustria Acta S. Paciani litteris non mandarint.*

Sacellum & altare Barcinone.

Officium duplex primæ classis

festum in populo.

F

DE SANCTO GREGORIO EPISCOPO NYSSENO IN CAPPADOCIA,

Commentarius historicus.

§ I *Gregorij Nysseni fratres, soror, vxor ante Episcopatum.*

CIRCA AN. CCCXC. IX MARTII.

Ex parentibus iisdem

1  *Vsebius atque Emmelia, de quibus ad* XXX *Maij agendum erit nobis, par coniugum suâ liberorumq́; virtute laudatissimum, non solùm Ecclesiæ Orientali dedere Basilium, re & nomine Magnum; sed (præter plures alios, quorum partim nomina & decora nouimus, partim cognoscenda in cælis modò ignoramus) hunc etiam, de quo nobis nunc sermo instituendus, Gregorium; doctrinâ ac sanctitate supparem Basilio: cui tamen illum fuisse multò minorem natu, patet ex ijs scriptis, quæ ad Petrum Sebastenum Episcopum, decimum vltimumque matris Emmeliæ partum, direxit post obitum Basilij. Nam in prœmio opusculi in Hexaëmeron alteriusq́; de Opificio hominis, quibus pertractauit nonnullas à Basilio præteritas quæstiones, quasi aliquã magno operi appendicem attexens,* patrem & magistrum *identidem compellat Basilium: & Petrus Gregorio fratri consulenti, an vulgaturus esset tractatus à se conscriptos in Eunomium, viuentis aduersarium & demortui insectatorem, ita respondit,*

Basilio frâtre natu minor,

A *respondit, vt velit eum illos vulgando* exemplum fieri posteris, quomodò probos filios erga bonos parentes affectos esse oporteat. Etenim si superstite adhuc Sancto, *inquit*, tale studium in eius existimatione ab aduersariorum spiculis vindicandâ posuisses, forsan adulationis suspicionem non effugisses: nunc verò candorem & sinceritatem mentis tuæ, & quæ sit tua affectio erga illum, & opinio de illo, qui te spirituali partu in lucem edidit, perspicuè docent partim studiũ, quo vitâ functum prosequeris; partim indignatio, quâ in hostes eius inflammaris.

illum vt patrem observat;

2 *Quòd igitur Gregorius, in Præfatione operibus suis præfigi solitâ,* Frater Basilij natu maior *dicatur, euidens σφάλμα est typothetarum potiùs quàm auctoris: contrarium enim probat, quæ adiungitur ratio, quòd nempe* de Basilio loquens, præceptorem semper appellet; *vt mirum sit, tam manifestam contradictionem in primis duabus lineis inobseruatam hactenùs, & toties prælo subiectam fuisse. Macrinæ quoque sororis primogenitæ, cuius encomium pro XIX Iulij extat ad Olympium monachum à Gregorio conscriptum, in formandâ Gregorij adolescentiâ studium minimè vulgare fuisse, facilè colligere possumus ex eâ operâ, quam ipse scribit ab illâ impensam Petro natu minimo, quamuis de se præ modestiâ taceat: certè in eâ, quam de animâ & resurrectione conscripsit, disputatione, tamquàm habitâ cum eâdem morti vicinâ,* magistram *eamdem perpetuò nominat.*

S. Macrinam sororem vt Magistrã,

B

3 *Et hæc quidem virginitatis propositum, mortuo præmaturè sponso, ad vltimum vitæ tenuit, fratresque Basilium & Naucratium, ad idem castimoniæ seruandæ studium inuitauit: ac fortè etiam* Petrum; *quamuis vt de eo ambigatur facit quædam Basilij Vita, sed propter multos errores eo, cuius nomine circumfertur, Amphilochio, Iconiensi Episcopo sanctissimo pariter atque doctissimo, prorsus indigna, ideoq; non magnum in contrariam partem auctoritatis momentum adferens. Gregorius autem ex ijs fuit, de quibus Nazianzenus ait in laudatione Basilij, quòd* in matrimonio eam sibi vim adhibuerunt, vt matrimonium nullum ipsis nocumentum afferret, quò minùs ad parem virtutis gloriam adspirarent; atque efficerent, vt hæc generum vitæ potiùs quàm rationis viuendi electiones essent. *Nam matrimonij vinculo illigatũ esse, se clarè fatetur Nyssenus, caput tertium de Virginitate sic exordiens:* Vtinam aliquo modo fieri posset, vt ex hoc studio mihi quoque aliquid ampliùs contingeret . . . nunc verò virginalium laudum cognitio quodammodò inanis est ac minimè fructuosa nobis . . . . qui veluti quodam terrarum hiatu prohibemur, quò minùs ad hanc gloriam accedamus: *pergit deinde conditionis suæ molestias conferre cum eorum felicitate, qui virginitatem colere perpetuam maluerunt, & tamquàm alienæ laudis spectator plaudit saniora consilia secutis.*

hac & fratrum quidam cælibatum tenuit;

Gregorius vxorem habuit

C

4 *Non tamen dissimilem sibi vxorem duxerat: sed quæ, quam nomine præferebat diuini cultus professionem, ipso viuendi instituto teneret: quam Epistolâ 95 laudans* Nazianzenus *non videtur posse explere animum congerendis titulis encomiorum:* Quid faciamus, *inquit*, aduersùs Dei legem iam olim viuentem ac dominantem, quæ Theosebiam meam habet (meam enim voco, quæ, vt Dei legibus consentaneum erat, vixit; quandoquidem spiritualis cognatio corpoream antecellit) Theosebiam Ecclesiæ decus, Christi ornamentum, ætatis nostræ vtilitatem, fæminarum fiduciam: Theosebiam in tantâ fratrum pulchritudine formosissimam & clarissimam: Theosebiam verè sacram & Sacerdotis coniugem, & honore parem magnisque mysterijs dignam: Theosebiam, quam futurum quoque tempus excepturum est in immortalibus columnis; hoc est omnium, tam qui eam nunc norunt, quàm qui posthac futuri sunt, animis sitam. Nec verò mirum tibi videatur, quòd eam sæpè appellem; nam etiam beatæ illius fæminæ memoriâ pro delicijs habeo. *Hactenùs Nazianzenus: à quo eam & sacram, & honore parem Sacerdoti (quantum quidem fas est fæminis ad sacra accedere) ideò dici putat* Cardinalis Baronius ad annum 369, quòd fungeretur in Ecclesiâ munere Diaconissæ: *quod non nisi viduis aut thoro seiunctis Sacerdotum vxoribus competebat.*

Theosebiam, à Nazianzeno laudatam;

D

5 *Neque verò absurdum omninò fuerit credere, postquàm Sacerdotio initiatus Gregorius est, seruatam ab eo & coniuge fuisse pari consensu castitatem: hoc enim persuadent Nazianzeni verba, quibus* sanctam ac beatam ipsius sororem *dicit; cuius obitũ Gregorius tulit (prout Nazianzenus ad ipsummet scribit)* vt vir probus & perfectus ac Deo adstans, diuinaque & humana meliùs quàm quiuis alius cognita habens: quodque in eiusmodi rebus alijs grauissimum & acerbissimum est, hoc leuissimum iudicans. Nempe solatij magni loco habens, quòd cum tali vixeris, & talem transmiseris, atque in cælestia domicilia, tamquàm areæ aceruum, tempestiuè deuectã recondideris: & quidem ita vt ipsa iucunditatum vitæ particeps fuerit, molestias autem per ætatis mensuram effugerit, priusquàm te luxisset, præclaro funere atq; huiusmodi mulieribus debito à te ornata sit. *Ex quibus non vanâ coniecturâ habetur, prius vxore viduatum fuisse Gregorium, quàm Nyssenæ Ecclesiæ spirituali coniugio iungeretur: alioquin enim facienda fuisset mentio non tantùm* iucunditatum vitæ, *quarum particeps fuit: sed etiam calamitatum, quarum, licet thoro habitationeque secreta, expers esse non potuisset, marito factiosorum Arianorum artibus in exilium pulso, & rebus Ecclesiæ sub Valentis imperio perturbatissimis.*

eum ab deinde vt sorore vixit,

& viduatus,

E

6 *Nam incertum omnino est, quàm multis annis ante Basilij electionem, quæ anno Christi trecentesimo sexagesimo nono vel sequenti accidit, Nyssæ Episcopus creatus Gregorius sit; imò an omnino ante eum: hoc tamen Eminentissimo Annalium Ecclesiasticorum scriptori certum videtur, Gregorium Episcopum fuisse quando in exilium actus est, octauo ante obitum Valentis anno, id est, trecentesimo septuagesimo Christi; quot annorum fuisse exilium suum expressis verbis ita scribit Nyssenus in epistolâ de Vitâ Macrinæ sororis:* Magnum intercesserat temporis interuallum, quo mutuò inter nos conspectu non poteramus frui (*ipse scilicet & soror, eodem quo Basilius anno mortua*) prohibentibus tentationum molestijs, quas ab hæresis principibus patriâ pulsus vbique sustinueram: nam dimetienti mihi temporis spatium, quod interim fluxerat, dum eiusmodi perturbationibus noster congressus impeditur, octo plùs minùs annorum videbatur: *fuisse autem Episcopum Gregorium cùm pulsus à Valente in exilium est, per Synodum Episcoporum Arianis fauentium mediâ hyeme in Galatiâ turbulenter conuocatam, manifestè colligitur ex illis Basilij verbis Epist. 10.* Hi nunc fratrem meum Nyssâ ablegarunt, & eius loco virum induxerunt, imò mancipium triobolare: *Quis enim hic alius locus designetur nisi dignitas Episcopalis?*

priusquam fieret Episcopus Nyssæ,

vnde anno 8 exulat sub Valente,

F

7 *Prius tamen quàm in exilium pelleretur, adijt Gregorium (quem passim Nazianzenum dicimus, quòd Nazianzi natus viuente Patre vicariam illius Ecclesiæ curam gesserit) postridie quàm is, ad instantissimas Basilij preces ac penè imperia, permisisset se Sasimorum Episcopum consecrari. Quâ occasione eam orationem habuit Nazianzenus, quæ ordine sexta est, in quâ Gregorium nostrum Aaroni comparat, Basilium Moysi; à quorum altero* vnctus sit productusque, *inuitus licet; alterum præsentem habeat, qui ideò aduenerit,* vt se consoletur ac componat spirituique mansuefaciat: *cui scilicet in hâc sui electione difficulter poterat acquiescere, prauidens quam numquàm pacatè eam esset obtenturus Sedem, in quam, licet reuerâ esset Cappadociæ primæ, atque adeò subiecta Basilio, ius tamen seu potiùs vim vsurpabat Anthimus Tyanæ Episcopus & secundæ Cappadociæ Metropolites.*

Aaroni collatus à Nazianzeno.

Sasimorum Episcopo;

8 *Has inter Ecclesiæ Orientalis calamitates dum Valentis Imperatoris vel finita esset vel iam ad finem vergeret tyrannis, vitæ quoque suæ finem Basilius magnus attigit. De cuius morte litteras ad Gregorium fratrem consolatorias dedit Nazianzenus*, periculoso corporis morbo impeditus, quo minùs ire posset sanctum cinerem exosculaturus, ipsiq; ad ea quę consentanea sunt philosophanti pręsto futurus,

eiusdem consolatoria epistola recreatur.

A futuris, atque communibus amicis consolationem adhibiturus: *Est ea inter epistolas numero 37, quam claudunt hæc verba*: Ac me, qui hæc scribo, quod tempus aut quæ ratio consolabitur, præter tuam societatem & congressionem, quam beatus ille vir pro omnibus rebus nobis reliquit; vt virtutes illius in te, quasi in pulchro & pellucido speculo intuentes, illum quoque nos habere existimemus? *Adfuisse morienti fratri Nyssenum Gregorium vel certè non procul abfuisse, quamuis nusquā expressum habeamus, indicare tamen videntur verba prius à nobis ex Nazianzeno allata: quibus & cineri osculum, & orbo fratri consilium, & amicis communibus solatium se laturum profitetur, nisi morbo impediretur istæc humanitatis officia persoluere.*

in morte Basilij.

9 Hoc autem magis verosimile videbitur ei, qui motus *auctoritate Socratis lib. 5 cap. 2 & 4 asserentis, Antiochenam Synodum celebratam fuisse Theodosio Augusto declarato, Ausonio & Olybrio Consulibus; consequens esse existimaret, vt principio anni trecentesimi septuagesimi noni mortuus Basilius sit: ita enim inter mortem Valentis & Basilij quinque ferè menses intercessissent, quo tempore constat Gratiani sanctione ecclesias restitutas esse Episcopis, quibus anno priori Valens coactus fuerat reditum in patriam indulgere. Non est autem credibile, si restitutus Sedi suæ Nyssenus fuerit, antequàm moreretur frater, eumdem in tantâ locorum vicinitate* B *ad moribundi solatium noluisse accurrere, aut si veniendi spatium mors properata non dedit, fraternis exequijs defuisse. Quod idem de Petro intelligi potest; etiamsi is iam tum, quod non credimus, fuisset Sebastenus Episcopus: Nyssa enim Sebaste ac Cæsarea triangulum propemodum æquilaterum constituunt ex Ptolemæi designatione, atque itinere tridui dumtaxat ab inuicem singulæ separantur: recentiores Geographi inter Nyssam & Cæsaream minus, maius verò inter has & Sebasten statuunt interuallum.*

vel potius Nyssenus adfuisse.

§ II Acta in Synodis Antiochenâ & Constantinopolitanâ: libri contra Eunomium.

10 Erat post hanc iacturam nonus mensis aut paullò ampliùs, *inquit Nyssenus in Vitâ Macrinæ*; cùm Episcoporum concilium indictum Antiochiæ est, cui & nos interfuimus, *in causâ scilicet periculosissimi schismatis, quo non tantùm ab Arrianis Catholici, sed hi quoque inter se ipsos diuisi erant: dum eorum alij S. Meletio adhærent, approbante electionem Basilio; alij ab omni cum hæreticis, à quibus consecratus Meletius fuerat, communione penitùs mundi volentes haberi, Paulinum sequuntur, à Lucifero Calaritano Apostolico Legato institutum, qui nullâ vmquàm vel* C *tenui suspicione pollutæ fidei Catholicæ laborasset, sed eam potiùs magnâ cum laude inter tot tantaque discrimina propugnasset. Poterat sanè ea controuersia, quæ iam decimum quintum annum Ecclesiam sciderat Antiochenam, vniuersas totius orbis Ecclesias in partes distrahere: sed inuentum à Synodo medium est, in quod pars vtraque consensit, vt cùm alteruter, Paulinus vel Meletius, prior ex hâc vitâ discederet, qui superstes esset, in locum demortui nullo alio creato succederet. Arianorum autem, qui deposito à Valente Meletio Euzoium subrogarant, vt tres vno tempore Antiocheni Episcopi dicerentur, ratio habenda non fuit sub Catholico Imperatore.*

Synodus Antioch. in causâ schismatis.

11 *Ab hâc Synodo* posteaquàm domum quisq; suam discessimus, *inquit Nyssenus*, mihi cupiditas incidit, vt sororem inuiserem: magnum enim intercesserat temporis interuallum, quo mutuo inter nos conspectu frui non poteramus..... Cùm igitur multum itineris iam confecissem, nec ampliùs quàm vnius diei via restaret, visio mihi per quietem oblata manifestum eorum, quæ erant euentura, indicium fecit. Videbar enim mihi manibus gestare Martyrum Reliquias; ex quibus splendor elucebat, qualis ex leui speculo, si aduerso soli opponatur, egreditur; quo quidem luminis fulgore oculi mei perstringebantur. Hoc autem visum mihi ter occurrit eâdem nocte, nec planè quid portenderet conijcere poteram. Sollicitus itaque animo agitabam obseruabamque, vt eius significationem exitu iudicarem. Tandem ad secessum, in quo illa Angelicam cælestemque vitam degebat, appropinquans, familiarium quemdam interrogaui, primùm de fratre an adesset; quo respondente illum quarto iam die discessisse, cognoscens eum alterâ nobis viâ prodijsse obuiàm, tum etiam de magnâ illâ percunctatus sum; cùmque ille respondisset eam morbo quodam laborare, maiore incensus studio, quod reliquum erat viæ, festinanter arripui. D

hinc ad visendam sororem reuersus Gregorius.

per visum de morte eius instanti admonetur.

12 *Hæc ille, Petrum intelligens, vt IX Ianuarij nobis videri diximus, necdum Episcopum Sebastenum, & virorum solitariam vnà vitam degentium Præfectum; in anteriori earumdem ædium parte, quarum interiora sacræ Virgines cum Macrinâ tenebant: quas ædes verosimile est huic familiæ proprias fuisse, atque ab Emmeliâ matre in hos vsus conuersas. Pergit deinde Nyssenus suum cum sorore congressum describere, & colloquium, illatâ de morte Basilij mentione motum, de hominis animâ & resurrectione: vnde natus deinde liber ille insignis, qui hoc titulo inter opera Nysseni extat, & sublimem S. Macrinæ philosophiam continet: ac denique sororis verè pretiosam in conspectu Domini mortem, suaque erga defunctam officia commemorans, exequiarum describit ordinem, in quibus ipse & illius regionis Episcopus Araxius, vnà cum duobus alijs de Clero insignibus viris subiecêre humeros sacro oneri. Araxij autem Sedem vtinam clarius alicubi expressam inueniremus, esset profectò vnde in cognitionem veniremus eius loci, qui sanctæ huic familiæ patrius fuit, nec nisi vago latè patentis Cappadociæ nomine expressus inuenitur.* E

cum quâ in ædibus paternis collocutus,

librum de Animâ scribit:

13 *Ab eâdem Antiochenâ Synodo reuertentem Nyssenum destinatum esse, ad ordinandum Ecclesiarum collapsum sub Valente statum, ex iam citatâ S. Macrinæ Vitâ habemus:* Te enim, *inquit ipsa, fratrem de laboribus suis quærentem alloquens*, ad ferendum auxilium, te ad res constituendas Ecclesiæ mittunt. *Et quidem in Armeniam eum hâc de caussâ post mortem sororis esse profectum mox patebit, ex eius ad Petrum Fratrem epistolâ, libris aduersùs Eunomium præfixâ. Huc autem potiùs crediderim pertinere, quàm ad exilij tempus Nazianzeni ad Nyssenum epistolam 34, quâ eum continuas istas discursationes peregrinationesque ferentem molestiùs solatur in hunc modum:* Locorum circuitu angeris tibique instabilis esse videris, quemadmodùm ligna quæ aquis circumferuntur. Absit, vir eximie, absit vt ita affectus sis, nisi verò quis solem accuset, quia in orbem currit radios fundens, atque omnibus rebus, quas obit vitam afferens: aut etiam fixas stellas laudans, planetas vituperet, quorum error quoque ipse compositus est atque concinnus. F

Itinera pro Ecclesijs ordinandis suscepta.

14 *Secuta intra biennium est Constantinopolitana Oecumenica Synodus, anno scilicet CCCLXXXI, in quâ, eiecto Maximo, Nazianzenus in Constantinopolitanâ Sede collocatus est, magnum haud dubiè ad rem eam momentum adferente Nysseno, qui interfuit subscripsitque: qui etiam, quoniam aduersùs Macedonij atque Eunomij hæresim agendum à Patribus congregatis sciebat, Constantinopolim attulit libros contra Eunomium à se conscriptos, toties à Theodoreto citatos & diu à viris doctis desideratos; donec eos in lucem protulit F. Ioannes à S. Francisco, Fuliensis monachus, Latinitati donatos à patre suo Nicolao Gulonio, in Academiâ Parisiensi litterarū Græcarum Professore regio, postquàm à Iacobo Gretsero nostro nactus esset è codice Bauarico primum, qui in alijs MSS. deficiebat, librum cum interpretatione Latinâ. Vidit hoc opus tunc Constantinopoli agens Hieronymus, de eoque sic loquitur in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum:* Gregorius Nyssenus Episcopus, frater Basilij Cæsariensis, mihi & Gregorio Nazianzeno suos contra Eunomium legit libros.

Ad Synodū Oecum: C P.

libros suos contra Eunomium defert;

15 *Quo autem effectu credibile sit idem opus lectum à Synodi Patribus, post Theodori & Sophronij refutationes doctissimas, audi Photium explicantem:* Lectus est Gregorij Nyssæ Episcopi similiter pro Basilio aduersùs Eunomium liber. Stylus illi, si cui Rhetorum, illustris & iucunditat em

eorum laus,

A cunditatem auribus instillans: . . . Theodoro concisior & Sophronio latior. . . Lectum est alterum eiusdem Gregorij Nysseni opus de eâdem ipsâ re, in quo rationibus validioribus, cum eodem Eunomio manus conferens, eum vi expugnat, omnia impietatis fundamenta labefactans: venustas verò orationis & splendor iucunditate mixtus etiam hoc opere vehementer se ostendit. *Eunomius nempè Arianæ partis Episcopus Cyzicenus (vt auctor est Hieronymus in catalogo)* in apertam hæreseos prorumpens blasphemiam, quod illi tegebant, publicè fateri cœperat: *aduersus quem Basilius stylum cùm strinxisset, scripto eo quod passim in manibus est operę*; multas annorum Olympiadas ædiculæ inclusum suæ absumpsisse Eunomium ferunt, *inquit Photius*, ac vix tandem post multorum annorum interuallum abortiendo improbum illum ac prodigiosum, quem furtiuis congressibus conceperat, fœtum in lucem eiecisse. Quin tunc etiam miserum illic fouendo partum ipsis quoque sectæ asseclis non temerè exhibuisse, veritum nimirùm maximè, ne quando & hoc opus, in Basilij prius manus veniens quàm coalesceret, dissiparetur.

& scribendi occasio,

16 Igitur studiosè, velut alter in fabulis Saturnus, natum deuorando texit atque abscondit, quamdiu B quidem Basilius in fluxâ istâ vitâ degens, metum incuteret: postquàm verò vir ille diuinus, peregrinâ habitatione relictâ, in suam, hoc est, in cælestem commigrauit hæreditatem, & ingenti illo metu discusso, vix tandem serò edendi aduenit occasio; ne tunc quidem omnibus, sed amicis dumtaxat euulgare ausus est. *Non potuit tamen sic occultè lucem tentare veterator, quin incurreret in oculos propugnatorum veritatis acerrimorum Theodori atque Sophronij: imprimis autem Gregorij Nysseni; cuius etiam priuata caussa agi videbatur in Basilij fratris defensione: itaque vt ad fratrem Petrum scribit*, Paullulùm otij nactus vt valetudini operam dare possit post reditum ex Armeniâ, & colligere schedulas, quas contra Eunomium Petri suasu scripserat, eò rem promouit, vt labor eius in orationis formam, & oratio in volumen excreuerit. Scripsi autem, *inquit*, non contra vtrumque Eunomij librum: neque enim tantum temporis concessum est, cùm is, qui librum hæreticum commodatò dederat, eum valdè importunè & inciuiliter repetiuerit, & neque transcribendi, neque per otium euoluendi sat spatij dederit: nam septemdecim tantùm dies huic lucubrationi impertiens, fieri non potuit, vt tam breui tempore vtrumque librum refellerem.

ex furtiuo Eunomij partu,

quem obiter tantum videre potuit;

17 *Atque hinc intelligitur cur Photius dicat, quòd Gregorius* non reprehendat ordine Eunomij scriptum, *id est*, non ad verbum Eunomij rationes refellat, *quod scripserat, ferè fecisse Theodorum: sed (sicut de Sophronio* C *anteà dixerat idem Photius)* illa potissimùm exagitet, quæ videbantur continere potissima capita hæresis Eunomianæ, *vel præcipuas aduersùs Basilium ineptias: & fortasse in hâc ad Petrum Epistolâ de solis duobus primis tractatibus agit: quorum alter à Gretsero suppeditatus est, alter inter duodecim de hâc materiâ orationes, à Parisino interprete repertas, ordine prima inuenitur: reliquas autem vndecim orationes, quas alterum Gregorij opus contra Eunomium appellare Photius potuit, & cui debellati Eunomij potissimam laudem videtur tribuere, reposuit duabus impudentis hæretici responsionibus; & quidem alio longè, quàm impressæ leguntur, ordine; vt ex ipsis earum initijs videtur clarè demonstrari. Nam quæ nunc duodecima est hoc habet exordium:* Iam quidem diuino fauente auxilio superioribus laboribus prima contra Eunomium certamina confecta sunt . . . quoniam verò secundus labor ab eo contra pietatem, veluti prædatorium quoddam agmen collectus est, rursùs Deo opitulante per nos instructâ acie contra hostes armatur veritas: *aliquantò deinde post, ne cui dubium esse possit, quos hic primos labores suos nominet. Hæc habet:* Quamobrem primam sermonis pugnam audacter ex pastorali cado, id est ecclesiasticis decretis institui D (*ijs namque primæ orationis vis maximè innititur*) . . . nunc ad secunda certamina venire non recuso.

ideoq; nec plenè & ordine refutare.

Eidem nouos libellos procudenti iterum.

18 *Est autem hæc oratio, duobus primis, quos dixi, tractatibus simul sumptis æqualis mole: cui succedunt decem reliquæ intermediæ in Parisiensi editione orationes, tertius Gregorij labor aduersus Eunomium & similis prolixitatis: quem ab eo nequaquàm in decem partes, vt nunc sunt, diuulsum fuisse; sed vno eodemq́; continuo textu conscriptum, iubet credere omnium partium inter se cohærentium apta symmetria absque vllo exordiorum apparatu; qualis ad singulas orationes esset in principio necessarius, & qualis reperitur in capite eius, quæ nunc secunda dicitur, orationis, his verbis instructus.* Legitimè decertantibus laborum in certaminibus exantlatorum hic terminus est, vt vel aduersarius laboribus defessus fractusque & languidus sponte ei, qui superârit, herbam porrigat, & cedat victoriâ; vel vt secundùm athleticam legem ter prostratus in terram ruat; per quæ victori præsidum iudicio, clarâ præconis denuntiatione, ob adeptam victoriam illustris accedit gloria. Quoniam igitur bis superioribus orationibus prostratus Eunomius, nondum veritati cedit, nec ipsam finit contra mendacium victoriæ præmia reportare: sed rursùs tertiò contra pietatem per scriptionem puluerem excitat; in assuetâ sibi palæstrâ mendacij, ad iteranda pro errore certamina seipsum corroborans; necessariò etiam nunc per nos veritatis sermo ad mendacij euersionem contrà exurgit, in auctorem victoriæ & agonothetam totam victoriæ spem reponens. E

tertio respondet.

19 *In Oecumenicâ porrò Constantinopolitanâ Synodo scribit Socrates factam Diœceseon, quæ inspectione ac correctione egebant, sortitionem, lib. 5 cap. 8, ita loquens:* Dispartitis Prouincijs Patriarchas constituunt, deciduntque, vt nullus Episcopus, relictâ suâ diœcesi, ad exteras Ecclesias demigraret: nam anteà propter persecutionum tempestates illud facere cuique liberum erat. Nectario igitur ampla illa ciuitas Constantinopolis & tota Thracia sorte obuenit: Ponticæ autem diœcesis Patriarchatus contigit Helladio, Cæsareæ Cappadociæ post Basilium Episcopo; Gregorio Nyssæ (hæc quoque vrbs Cappadociæ est) Fratri Basilij, & Otreio Melitinæ, quæ est in Armeniâ: Patriarchatum item Asianum Amphilochius Episcopus Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ sortitò capiunt. Ecclesiarum denique versùs Orientem diœcesim ijdem Episcopi, qui anteà, Pelagius scilicet Episcopus Laodiciæ, & Diodorus Tarsi obtinent: honoris prærogatiuâ Ecclesiæ Antiochenæ reseruatâ, quam Meletio tum præsenti tribuerunt. *His ita verbotenùs consonat textus Græcus, vt dubium esse nullum possit, quin, quod ab Antiochenâ Synodo factum dixerat S. Macrina,* Te, *inquiens*, ad res constituendas Ecclesiæ mittunt, *nunc quoque simili exemplo factum voluerit Socrates significare, ideoq́; de Pelagio & Diodoro dixerit*, ijdem qui anteà. F

In distributione diœceseon ordinandarū ex Synodi sanctione,

20 *Atque ex hâc sanctione desumptum est Theodosij Imperatoris decretum, L. 3 de fide Cathol. ad Auxonium Proconsulem Asiæ, quo iubet*, Ecclesias omnes mox tradi Episcopis . . . quos constabit communione Nectarij, Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ, nec non Timothei intra Ægyptum Alexandrinæ Vrbis Episcopi esse sociatos: quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi; nec non in Asiâ Proconsulari atque Asianâ Amphilochio Episcopo Iconij, & Optimo Episcopo Antiocheno, in Ponticâ diœcesi Helladio Episcopo Cæsareensi, & Otreio Meliteno, & Gregorio Episcopo Nysseno . . . communicare constiterit. *Ex quibus aliud haberi non potest, quàm hos Episcopos in prædictis diœcesibus esse sequendos, tamquàm rerum ad fidem pertinentium desinitores; qui scilicet vnanimiter*, vnius maiestatis atque virtutis Patrem & Filium & Spiritum sanctum confitentur eiusdem gloriæ, claritatis vnius; nihil dissonum

& Imperatorio decreto,

Pontica Gregorio obuenit.

A dissonum profanâ diuisione facientes; sed Trinitatis ordinem, Personarum assertionem, & diuinitatis profitentes vnitatem.

21 *Verùm somnolentus interpres Wolfgangus Musculus dum legit*, Et sortitur Nectarius Megalopolim ac Thraciam: Ponticæ verò diœcesis Helladius, qui post Basilium fuit: Cæsareæ Cappadociæ Gregorius Nyssenus Basilij frater, & Melitenæ Armeniæ Otreius Patriarchatum accipit; *in errorem traxit auctorem præfationis ad opera Nysseni, vt scriberet velut ex Socrate*: Cæsarea post defunctum Basilium obuenit fratri Gregorio, Nyssæ priùs Episcopo: *qui error haud minùs absurdus est, & ab omni specie verisimilitudinis alienus; quàm quòd Basilij frater maior natu Gregorius fuerit, & Synodus ea, de quâ Socrates agit, anno CCCLXXXIV conuocata sit. Simili fortasis errore Ioannes Ribittus, Epigrammatum Cyri Theodori Prodromi interpres, auctorem suum deturpauisse nosceretur, si versus Græci essent ad manum, ex quibus ille Latinos hos fecit*:

non Cæsarea Episcopatus.

Te memorande canam, Magni frater Basilij,
Quo Nyssa & quo se præsule Cæsarea
Iactat. —— *quod ego scripsisse Theodorum vix credo: sed duobus Fratribus communiter dixisse, altero Nyssam, altero Cæsaream gloriari.*

B

§ III *Æquata Gregorio & Helladio potestas: hinc simultates.*

22 I*Gitur Helladio, Gregorio & Otreio, huic Mitylenæ, alteri Nyssæ, priori Cæsareæ Episcopis, vt fuerant, semper manentibus; commiss[...] extra ordinem fuerat diœceseos Ponticæ Patriarchatus, non habendus vt proprius, ab aliquo aut singulis horum cum titulo patriarchali, Cæsareæ & Melitenæ vrbibus (prout inepta illa versio Musculi facit intelligi) communicato; sed eiectis aut reconciliatis Episcopis Arianis ordinandus: & quidem omnibus, communi consilio rem peracturis, aut diœcesim inter se partituris, pari potestate datâ ad reformationis negotium. Ita de se atque Helladio apertè Nyssenus in epistolâ ad Flauianum*: Par & idem concessum à Synodo vtrique priuilegium est, vel potius cura emendationis publicæ; idque in eo, quòd iure pari esse iussi sumus. *Quod inter eos simultatis exstitit seminarium, quam eadem epistola fusè prosequitur: cuius partem aliquam huc transcribere visum, quoniam insignem animi demissionem in Nysseno, & verè Christianam modestiam exprimit luculenter.*

Ex æquata cum Helladio potestate,

ortas simultates,

23 Erant, *inquit*, qui ad nos deferrent reuerendissimum virum Helladium hostili erga nos animo affectum, ad omnes commemorare, me maximorum ipsi malorum auctorem esse. Ego verò illis, quæ dicerentur fidem non habebam, vt qui & ipsarum rerum veritatem intuerer. Atqui cùm ab hominibus eadem, eodem velut ore, nobis renuntiarentur, cumque rumoribus res ipsæ conuenirent, decere me statuebam, vt ne hostilitatem hanc incuratam negligerem; præsertim quæ necdum radices egisset. Itaque tuam ad pietatem multosque alios scriptis litteris, monui hanc vt in curâ incumberetis. Tandē cùm memoriâ Beatissimi Petri, quę tum primùm celebrari cœpta esset apud Sebastenos, peregissem; itidemq; reliquorū fidei testiū, qui vt eodem cum Petro vixerunt tempore, ita celebrari vnà cum ipso consueuerunt; conuerso itinere ad meam me recipiebam Ecclesiam. *Martyres proculdubio Quadraginta intelligit, quorum memoriam hoc IX. Martij Oriens æquè ac Occidens faciebat, & Reliquias Petrus Episcopus collegit, diuersissimus à Gregorij ac Basilij Fratre, & annis minimùm sexaginta ante hunc ad Ecclesiæ Sebastenæ gubernacula sedenti, quem Baronij errorem ad IX diem Ianuarij correximus. Pergit porrò Nyssenus*: Cumque significasses nobis quidam degere Helladium in finitimis montibus, Martyrumque memoriam peragere; primò quidem in itinere pergebam instituto, quod magis decorō cō-

componere Gregorius studet per alios,

C

et tandem ipsemet ad Helladium.

sentaneum esse existimarem, vt ipsâ in metropoli hominem conuenirem: verùm vbi cognatorum quispiam datâ operâ me accessit, atque hominem aduersâ valetudine teneri pro certo confirmauit; relicto ibidem curru, vbi nuntium hunc acceperam, equo reliquum itineris interuallum confeci, sanè præceps, & quod ob ascensus asperrimos propè à nobis peragrari non posset. D

24 Spatium ipsum, quod nobis emetiendum erat, habebat ad quindecim milliaria, hæc vbi partim equo vectus, vix matutino tempore atque etiam aliquâ noctis parte absoluissem, primâ diei horâ iam Audumocinis eram (nam hoc loco illi erat nomen, in quo cum duobus alijs Episcopis in hominum cœtu frequenti concionabatur) cumque procul è tumulo quodam, qui vico immineret, concionis sub dio concursum vidissemus, gradatim deinceps progressi sumus pedites, tam ipse quàm comites mei, manuque nostros equos ductitauimus. Quo factum vt eâdem celeritate duo conferrent; nimirum vt ipse domum è concione rediret, ac nos Martyrum ad locum perueniremus. Neque morâ vllâ interpositâ missus à nobis est, qui aduentum ei nostrum indicaret: & paullò pòst minister ipsius in nos incidit, quem rogauimus, vt celeriter ad eum rem deferret, quò diutiùs apud ipsum versari possemus, & opportunitatem aliquam inuenire, ne nihil non curatum relinqueretur. Secundùm hæc sedebam equidem sub dio exspectans aliquem, qui nos intrò vocaret; adeoque propositus eram omnibus quotquot eò conuenerant, vt importunum spectaculum. Non iam exiguum temporis spatium intercesserat, & nictabant oculi & consequebatur quidam torpor, & ex itinere defatigatio molestiam augebat, itemque æstus vehemens, & homines nos intuentes nosque digitis inter se ostentantes. Hæc igitur aliaq; eiusmodi omnia tam mihi erant grauia, vt in me vatis illud verbum verè competeret: Obtorpuit in me spiritus meus. E

itinere difficili profectus,

permittitur foris præstolari diu,

25 Instabat iam meridies, & me vehementer congressus huius pœnitebat, vt qui mihimet talis ignominiæ auctor exstitissem. Cumque grauior hæc mihi accideret iniuria, quam si ab hostibus profecta fuisset; ipsa mihi cogitatio mea molestiam exhibebat, secum quodammodò pugnans, & sententiam mutans in consilio sinistro quod instituissem. Vbi verò vix tandem sacrarium nobis apertum esset, iamque ingressi fuissemus adyta; vulgus quidem hominum, quò minùs introiret, aditu prohibebatur, meo mecum intrante ministro, qui manu corpus è labore fatigatum fulciret. Ego autem compellaui hominem, & aliquantulùm steti expectans vt sedere iuberet. Vt nihil horum accidit, conuersus ad gradus quosdam procul inde dissitos, in eorum vno consideo, & num quid amanter humaniterue dicturus esset nobis, vel saltem superciliis annuturus opperior. Verùm omnia contra spem nostram euenēre: nam silentium nocturnum erat, & tristitia quædam tragica & stupor, & in vniuersum nulla vox est prolata. Ad ea toto animo perculsus, quòd ne vulgari quidem voce nos dignaretur, per illa in vsu hominum frequentia verba, quibus vel obiter saltem excipere nosmet solemus, cuiusmodi sunt: Saluusne aduenisti? vel: Vnde nobis ades? quâ de causâ? quamobrem huc properasti? Taciturnitatem illam mihi quasi quamdam vitæ apud inferos imaginem proponebam .... præsertim cùm ipse perpenderem, quantis in bonis à Patribus acceptis successores facti fuerimus, & quales posteris de nobis narrationes relicturi simus.... F

excipitur inurbanè,

tristi cum silentio.

26 Nesciebam quo pacto meipsum erudirem, vti memet continerem, quòd animus mihi ob insolentiam eorum, quæ acciderant, interiùs intumesceret, & cogitationes omnes de tolerantiâ respueret..... Posteaquàm Dei beneficio victoriâ non potiebatur

id

A id quod in peius momento suo impellebat, tum demùm sic eum appello: Num quid eorum, quæ ad corporis tui curam pertinent, propter aduentum meum omittitur, vt nos exire sit opportunum? Ad quæ cùm dixisset, non esse sibi opus curatione corporis; subieci verba quædam, quibus ægrum hominis animum pro virili curarem. Cumque paucis ille se nobis irasci propter multas iniurias ostendisset; respondi ego: Mendacium inter homines ad fraudem & deceptionem vim habere permagnam: verùm in Dei iudicio non posse fraudis falsitatem locum habere. Meæ verò conscientiæ tanta est in his aduersùs te negotijs confidentia, vt exoptem, aliorum quidem delictorum mihi veniam contingere; hoc in perpetuum manere non condonatum. Hanc ille orationem cùm grauiter molesteque tulisset; non amplius addi ad ea quæ dixissem probationes quasdam passus est. Sexta iam hora præterierat, & balneum eleganter instructum erat, & apparabatur epulum, & ipsa dies sabbatum erat & Martyrum celebratio..... at ille piaculi loco duxit adhibere nos mensæ suæ post defatigationem illam ortam ex itinere; post tantum æstum, in quo assidentes ipsius ad ostium sub die torrebamur; post tristem illam taciturnitatem, quã experti eramus posteàquàm in conspectum eius veneramus. Nimirùm nos rursum ad idem spatium emetiendum dimittit; vt per eamdem viam nosmet affligeremus, corpore iam defecto & laboribus macerato: quo factum est, vt vix sub seram noctem, multas in medio itinere ærumnas passi, comites nostros assequeremur. B

& excusatione reiectâ,

Inurbanius dimittitur,

27 *Quis autem Flauianus ille, cui epistola inscribitur? Vix dubito quin Antiochenus Patriarcha S. Meletij successor, contra pacta quidem conuenta subrogatus, quibus ad solum Paulinum redibat Ecclesia; ab Orientalibus tamen semper agnitus, vt legitimus; quod eum fuisse, saltem post mortem Paulini (quæ decimò post Antiochenam Synodum contigit anno) quamuis Euagrium ipsi pars aduersa opposuerit, penè extra controuersiam fuit. Vir certè magnus fuit & doctrinâ ac morum integritate conspicuus Flauianus, quem ex MS. Synaxario nostro Parisiensi comperimus etiam inter Sanctos relatum à Græcis, die XXVI Septembris festum eius celebrantibus: nec dubium esse potest, quin de eo locutus Chrysostomus sit; quando in funebri de S. Meletij laudibus oratione, quæ est à nobis edita ad XII Febr. dixit:* Benignus & clemens Dominus misertus nostri doloris, alium citò nobis dedit Pastorem, qui pulchrè exprimebat & conseruabat formam omnis illius virtutis: qui cùm Sedem adscendisset, humili & lugubri veste nos statim exuit, & dolorem extinxit. C

quæ Flauiano Antiocheno perscribuntur,

inter Sanctos relatus à Græcis.

§ IV. *Eloquentia Gregorij; iter Hierosolymitanum; mors & cultus sacer.*

28 S*Væ interim Ecclesiæ excolendæ diligentem quoque operam Gregorius noster nauauit: in quâ quanta dicentis ad populum gratia & auctoritas fuerit, declarat illud orationis de sancto baptismate initium.* Nunc agnosco meum gregem; hodie video formam Ecclesiæ consuetam, quando etiam, carnalium curarũ posthabito negotio, iustâ plenitudine ad cultum Dei concurristis: atque ædem quidem populus angustam reddit, intra sacra adyta penetrans & irrumpens; quotquot autem ab ijs qui intùs sunt non admittuntur, apum in modum locum externum in vestibulis implent. *Et verò eloquentiæ studijs tam fuit addictus Gregorius, vt nimius in ijs esse, quibusdam sit visus; nec reprehensionem effugerit, quasi abiectis* sacris suauissimisque libris, quos quondam populo lectitabat; falsos & amarulentos in manus sumpserit, ac Rhetor vocari quàm Christianus maluerit: *quo nomine extat insignis apud Nazianzenum epistola, ordine 43 amicum amicè ac grauiter de* tacitâ hâc & furtiuâ in deterius prolapsione *redarguentis. Hinc Suidas:* Addictior tamen Rhetorices studijs, tam celeber præclarusque in eis euasit, quàm quisquam veterum. D

Eloquentiæ studio plus æquo addictus,

à Nazianzeno reprehenditur.

29 *Hoc ne multis opus sit comprobare, faciunt insignia eius opera, quibus vel Scripturas sacras explicuit populo, vel fidem aduersus hæreticos propugnauit, vel illustres sanctitate ac dignitate personas meritis excomijs extulit: ex quibus à Nicephoro Callisto historiæ Eccles. lib. 11 cap. 29 illa imprimis laudatur oratio, quàm in D. Gregorium Thaumaturgum edidit. Placillam quoque Augustam, primam Theodosij coniugem, Arcadij atque Honorij matrem (Placillam vocatam reuerà fuisse ex numismatum inscriptione Baronius docet) eâdem ingenij sui commendatione laudauit, defunctam anno CCCLXXXV, quã non multò antè eius filiæ Pulcheriæ, infantili ætate præreptæ, mortem luxerat immaturam:* Videte, *inquit,* quantis in exiguo tempore conflictamur malis! nondum à priori clade respirauimus, nondum lacrymas ab oculis abstersimus, rursum in tantam incidimus calamitatem: tunc tenerum florem deplorauimus, nunc ipsum ramum, vnde flos germinauit & enatus est. *Et quidem Constantinopoli adfuisse se, cùm vtrumque funus efferretur, vtrâque in oratione declarat.*

dicit insuper Flacillæ Imperatricis,

eius filiolæ Pulcheriæ,

30 *Idem, cùm Magni Meletij mortem Oecumenicæ Synodi tempore exornassent omnes, quotquot Constantinopolim conuenerant Patres, aliquâ eloquentiæ laude super ceteros conspicui (quâ de re actum à nobis ad XII Februarij) suam quoque symbolam in commune contulit; sic vt in ipso orationis exordio declaret, eodem in loco orationem aliam à se fuisse paucos ante dies pronuntiatam, argumenti lætioris, quâ Nazianzeno sibi cognomini fuerat gratulatus Constantinopolitanam Ecclesiam, tamquàm sponsam sponso legitimis nuptijs in manus venientem: ita enim loquitur:* Quam contrario modo à nobis in hoc loco & nunc ve[illegible] fiunt, & nuper facta sunt! Tunc tamquàm in nuptijs tripudiabamus & choreas ducebamus, nunc miserabiliter gementes ingemiscimus: tunc nuptiale, nunc sepulcrale carmen canimus. Meministis enim illius diei, cùm in nuptijs spiritualibus, præclaro sponso Virginem domum deducentes, conuiuio vos excepimus, & verborum sponsalia munera pro munere nostro intulimus: verùm nunc in luctum nobis gaudium conuersum est, ac lætitiæ amictus saccus euasit. E

& S. Meletij,

item in ordinatione S. Greg. Nazianzeni

31 *Peregrinationem ad sacra Hierosolymorum loca suscepisse Nyssenum, etsi non satis certò constet, quo tempore, suscepisse tamen certum sit ex eâ epistolâ, quam protulit & Latinitate donauit Isaacus Casaubonus, laudandus ex merito, nisi beneficium suum Caluiniani veneni liuore contaminasset, adiectis Notis, quibus incauti lectoris animus auertatur, ne peregrinationum istiusmodi vsum inter Catholicos antiquissimum, hoc prolato monumento videat confirmari. Sed pessimis Notis salutare antidotum adiunctum lector inueniet in editione Parisinâ, post Notas Gretseri super Petri Molinæi similis farinæ quisquilias in epistolam de euntibus Hierosolymam, Nysseno adscriptam: quæ vt nihil aduersus Catholicos facere à viris doctis ostensa est, quamuis reuerà Nysseni foret, vtpotè solos Monachorum ac Virginum periculosos sub prætextu pietatis discursus improbans; ita huius, quam vltrò nobis Caluinistæ suppeditant ineluctabilis est auctoritas, inscripta,* Verè ornatissimis & religiosissimis sororibus Eustathiæ & Ambrosiæ, nec non honestissimæ & ornatissimæ filiæ Basilissæ: *in quâ occasione peregrinationis istiusmodi, dolet se cognouisse, quòd Arianæ (quam detestatur & refutat) impietatis nulla pars orbis terrarum expers esset:* Nam si locus ipse, *inquit,* qui sanctum vestigium veræ vitæ suscepit, purus a malis sentibus non est; quid de ceteris opinari debemus, qui solâ auditione & prædicatione boni illius communione sunt aspersi? F

Hierosolymam profectus,

etiam ibi reperit Arianos.

32 *Hos autem sentes cùm dicit repertos à se,* non eo tempore, quo latè obtinebant hæretica dogmata, & bonum factum erat opponere se potestatibus, per quas aduersariorum videbatur doctrina stabiliri; verùm tunc cùm toto terrarum orbe, atque ab vno cæli cardine ad alterum ex æquo palàm prædicabatur pietas; *satis quidem manifestè declarat sacram se peregrinationem*

post Synodum C.P.

A nem suscepisse post Oecumenicam Synodum Constantinopoli celebratam, non tamen an Sedem eam adhuc obtinente Hilario, post Heraclium atque Herennium ab Arianis intruso in locum Cyrilli veri Catholicique Episcopi; an verò post annum seculi illius octogesimum secundum, quo restituendum gradui suo Cyrillum declararunt Episcopi particulari in Synodo Constantinopoli post Oecumenicam collecti, in ijs litteris, quas ad Romanam Synodum destinatas refert recitatque Theodoretus & ex Theodoreto Baronius ad hunc annum: post quem, inquam, an Gregorio oblata sit querelarum occasio ab ijs, qui hæreseon virus needum euomuerant, incertum manet.

33 Interim in ipso epistolæ exordio declarat, Maximi gaudij & voluptatis argumento sibi fuisse congressũ bonorum, & illius ingentis humanitatis nobis à Domino præstitæ monumenta, quæ istic ostenduntur. Vtroque enim modo, *inquit*, experiebar, quid esset feriari Deo: cùm & Dei, qui vitam nobis dedit, symbola salutaria videbam, & in eiusmodi personas incideram, in queis illa ipsa signa gratiæ Domini spiritualiter est contemplari; vt credere liceat esse reuerà in animo illius, qui Deum in se habet, Bethleem, Golgotham, Oliuetum, Resurrectionem. *Concludens autem*, simul ac reuersus pedem posuit in metropoli, exhausisse se *ait* acerbitatem *contra male de Filio sentientes conceptam, datis ad prædictas Matronas litteris, easque hortatur*, vt ponè Dominum ingredientes carni & sanguini non acquiescerent, neque occasionem gloriandi nonnullis præberent, neue propter earum vitam ipsorum ambitio caperet incrementum. Estote memores, *inquit*, sanctorum Patrum, quibus commendatæ fuistis à Beato Patre vestro, & quorum in locum ipsi, vt succederemus per D[redacted]ctum est gratiam, quæ eo honore nos est dignata: *quo loco existimo Cyrillum intelligi, qui harum Spiritualium filiarum suarum sub Arianis periclitantium protectionem commendauerit Patribus Synodi Constantinopolitanæ, & hi Gregorio.*

& sacris delectatus locis,

monet ab hæreticorũ fraudibus cauere

B

34 *Quàm plurima reliquit alia ingenij sui monumenta, quorum hîc catalogum texere nihil attinet: vitam autem quamdiu protraxerit, incertum reliquit Scriptorum taciturnitas. Ad extremam peruenisse ætatem, ex eâ Synodo Baronius colligit, quæ in Agapij & Gebadij causâ Constantinopoli celebrata anno* CCCXCIV, *apud Theodorum Balsamonem reperitur, considentibus inter alios plurimos Amphilochio Iconij & Gregorio Nyssæ Episcopis. Sanè magnam ei iam tum ætatem cùm ordinaretur Episcopus ante annos ab hoc, qui præfertur, viginti quatuor, probaret oratio, quæ Frontone nostro Ducæo interprete titulum præfert* in suam ordinationem, *si verè tum potuerit de se dicere*, vnum se ex ijs esse, quorum cani sint crines, & fractæ ob ætatem vires, tremula autem & nonnihil claudicans oratio; cui permitti debeat, vt se velut emeritus athleta aliorum contentionibus spectandis oblectet. *Verùm vt in totâ eâ oratione omnino verbum nullum est, quod titulo illi respondeat, vel* omnino Nysseni esse suadeat, semper & tunc maximè florentis eloquentiæ laude: *ita ipsum orationis argumentum, quod totum est de Spiritus sancti diuinitate in aliquâ Synodo propugnatâ, quæ à Nicæni Concilij tempore absuerit propius, suspicionem nobis non leuem monet, eam antiquioris alicuius esse, qui grandis natu in Alexandrinâ Synodo anno* CCCLXII *celebratâ, post plures alios declamauerit aduersus Eunomium, Macedonium, aliosque Semiarianos, qui Spiritui sancto bellum indixerant; diuinum quidem appellantes, sed eum è creaturarum numero eximi non ferentes.*

moritur valde grandæuus:

an auctor orationis in suam Ordinationem?

C

D

35 *Hanc coniecturam facilè esset pluribus ex eâdem oratione adminiculis fulcire, nisi ea ad hunc locum aut parùm aut nihil faceret, nisi quantum opus est, vt Nysseni non esse cognoscatur; cuius solennem hâc die memoriam Ecclesia Latina recolit, in quâ Vsuardum secuta Martyrologia tam typis edita quàm manu exarata*, Apud Nyssenam ciuitatem, *inquiunt*, depositio S. Gregorij Episcopi, fratris Basilij Cæsariensis, tam vitâ quàm eloquentiâ clarissimi: *quibus consonans Romanum Martyrologium Cardinalis Baronij, addit:* qui ob fidei Catholicæ defensionem sub Valente Imperatore Ariano ciuitate suâ pulsus est. *Apud Græcos autem festum hoc agitur die* X *Ianuarij, varijs hymnis eius encomia celebrantes multiplicatis laudum titulis, quibus* Calamum eum indigitant sancti Spiritus voce plenum, Linguam pietatis disertissimam, diuini splendoris lucentissimam lampadem, veritatis præconem, Theologiæ apicem, fontem sublimium doctrinarum, torrentem mellifluæ eruditionis, Deisonam lyram, cælestium scriptorem canticorum, securim hæreticorum præscindentem conatus, ancipitem Spiritus Paracleti gladium, falcem spuria germina rescindentem, ignem surculosas hæreses comburentem.

Inscriptus Martyrologijs IX Martij,

Menæis X Ianuarij.

E

36 *Post hæc autem aliaque eiusmodi plura verbosius iterata tandem ei elogium tale recitant:* Hic erat frater Basilij Magni, eloquentiâ præclarus, & orthodoxæ fidei æmulator: propterea etiam Ecclesiæ Dei præfuit; & cum illis, qui Constantinopoli secundam Synodum celebrarunt, contra impias hæreses tunc exurgentes inuictum pugilem sese præbuit; aduersarijs dicendi potentiâ & Scripturarum demonstrationibus profligatis. In omni enim orationis genere exercitatus, & virtutis gloriâ illustris, vim & robur obtinuit; & ad iustam senectutem prouectus, obdormiuit, & ad Dominum abijt. Erat autem corporis constitutione & figurâ similis per omnia fratri suo Basilio, exceptâ canitie & minus gratioso aspectu. *Copti, quorum Martyrologium in Romano Maronitarum seminario extat, memoriam Gregorij faciunt* XVII *die mensis Baba, qui* XIV *nostri Octobris respondet: ei autem, quod Ioannis Seldeni libris, de Synedrijs veterum Hebræorum subnectitur, Kalendario Ægyptiaco idem nomen ad diem* XXVI *mensis Hathur, Nouembris nostri diei* XXII *respondentem, reperies inscriptum.*

& elogio laudatus;

Ægyptijs 14 Octob. & 22 Nouemb.


F

DE B. BOSA EPISCOPO DEIRORVM EBORACI IN ANGLIA,

Commentarius historicus.

ANNO DCLXXXVI IX MARTII.

B. Bosa Presbyter sub S. Hildâ,

1 *Boracum præclarissima Angliæ vrbs est, Archiepiscopali Sede exornata: cui quartus præsedit* Bosa, *alijs* Boza, Bossa, *&* Boso *dictus: quem antè Presbyterum altaris officium in monasterio Strenesbalhensi sub S. Hildâ Abbatissâ obijsse, indicat venerabilis Beda lib. 4 Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 23. Certè ostendens quantâ cum vita perfectione regeretur ab illâ dictum monasterium, ista tradit.* Multam inibi iustitiæ, pietatis & castimoniæ, ceterarumque virtutum, sed maximè pacis & caritatis, custodiam docuit; ita vt in exemplum primitiuæ Ecclesiæ nullus ibi diues, nullus esset egens, omnibus essent omnia communia, cùm nihil cuiusquam esse videretur proprium. Tantæ autem ipsa erat prudentiæ, vt non solùm mediocres quique in necessitatibus suis, sed etiam Reges ac Principes nonnumquàm ab eâ consilium quærerent ac inuenirent. Tantùm lectioni diuinarum Scripturarum suos vacare subditos, tantùm operibus iustitiæ se exercere faciebat, vt facillimè viderentur ibidem, qui Ecclesiasticum

sacræ Scripturæ & virtuti vacans,

A Ecclesiasticum gradum, hoc est, altaris officium aptè subirent, plurimi posse reperiri. Denique quinque ex eodem monasterio posteà Episcopos vidimus, & hos omnes singularis meriti ac sanctitatis viros, quorum hæc sunt nomina, Bosa, Aëtla, Ostfor, Ioannes & Wilfrid. *Hactenus Beda. Fuit Streneshalh, vbi nunc VVhitby, in Eboracensis Ducatus parte boreali, ad Orientale littus Oceani Germanici, propè sinum Dunum, vbi monasterium fundatum est anno* DCLVIII, *à S. Hildâ*, cùm aliquot annos Heortheu monasterio, regularis vitæ institutioni multùm intenta, præfuisset, *scilicet ab anno* DCXLIX. *Est* Heortheu, *aliis* Hertesey, *nunc* Hartlepole, *ad eumdem Oceanum Germanicum in Dunelmensi Episcopatu. An Bosa ibidem cum S. Hildâ vixerit, est incertum. De Ostforo, posteà VVigorniensi Episcopo, qui melius inter quinque Episcopos suprà constituitur, dicit Beda, eum* in vtroque Hildæ Abbatissæ monasterio lectioni & obseruationi Scripturarum operam dedisse. *At quænam illis institutio vitæ aut regula fuerit præscripta, Beda etiam docet ibidem.* Prælata, *inquit*, regimini monasterij famula Christi Hilda, mox hoc Regulari vitâ per omnia, prout à doctis viris discere poterat, ordinare curabat. Nam & Aidanus Episcopus (*qui eam antè ad se euocârat, atque anno vno ad Septentrionalem plagam VViri fluminis instruxerat*) & quique nouerant eam Religiosi, pro insitâ ei sapientiâ & amore diuini famulatus, sedulò eam visitare, obnixè amare, diligenter erudire solebant. *Viuebant verò S. Aidanus, alijque tum in regno Nordanhumbrorum monachi, secundùm regulam S. Columbæ Abbatis: ac postmodùm S. VVilfridus, vt volunt quidam, Regulam S. Benedicti in eas oras intulit, ac sibi subiectis monasteriis imposuit: verùm quia S. Hilda alijque Streneshalenses ei minus addicti fuerunt, videntur in strictâ prioris Regulæ obseruantiâ perstitisse. Mortua est S. Hilda* XVII *Nouembris anno* DCLXXX. *At S. Aidanus* XXXI *Augusti anni* DCLI.

in monasterio Streneshalbensi,

an etiam in HertesEyensi

secundum Regulam S. Columbæ

B

2 *De S. Bosæ ad Cathedram Episcopalem promotione ista tradit lib. 4 cap. 12 Beda:* Anno Dominicæ Incarnationis DCLXXVIII, qui est annus VIII imperij Regis Egfridi, ortâ inter ipsum Regem Egfridum & reuerendissimum Antistitem Wilfridum dissensione, pulsus est idem Antistes à Sede sui Episcopatus, & duo in locum eius substituti Episcopi, qui Nordanhumbrorum genti præessent, Bosa videlicet, qui Deirorum, & Eata, qui Berniciorum prouinciam gubernaret. Hic, *Bosa scilicet*, in ciuitate Eboraci, ille in Hagulstadensi siue Lindisfarnensi Ecclesiâ Cathedram habens Episcopalem: ambo de monachorum collegio in Episcopatus dignitatem adsciti: cum quibus & Eadhedus in prouinciâ Lindisfarorum, quam nuperrimè Rex Egfridus superato in bello & fugato Vulfhere obtinuerat, ordinatur Episcopus . . . Ordinati sunt autem Eadhedus, Bosa & Eata Eboraci ab Archiepiscopo Theodoro. *Erat Eata, vt ait Beda lib. 3 cap. 26* vnus de duodecim pueris Aidani, quos primo Episcopatus sui tempore de natione Anglorum erudiendos in Christo suscepit: *atque anno* DCLI, *cùm S. Aidanus moreretur*, erat Abbas in monasterio, quod vocatur Mailros, *anno autem* DCLXIV præpositus est Abbatis iure Fratribus in Lindisfarnensi Ecclesiâ. *In vtroque loco vigebat ordo monasticus secundùm institutionem S. Aidani ac regulam S. Columbæ Abbatis. Ambo ergo & Bosa & Eata de collegio monachorum secundùm istam regulam viuentium, adsciti sunt in Episcopatus dignitatem. Colitur S. Eata* XXVI *Octobris.*

fit Episcopus Deirorū anno 678

ordinatus cum S. Eatâ

C

unà cum Abbate Mailrosensi

3 *Idem Beda lib. 5. cap. 21, tradit S. VVilfrido in Episcopatu Hagulstadensi successisse Accam,* qui à pueritiâ in Clero sanctissimi ac Deo dilecti Bosæ Eboracensis Episcopi nutritus atque eruditus est. *Huius Accæ ideo virtutes magni facit, quia insitas à Bosâ ostendit. Eas lubet inde describere, vt in discipulo Accâ magistrum Bosam agnoscamus. Fuit namque,* Acca vir strenuissimus & coram Deo & hominibus magnificus, qui & ipsius Ecclesiæ suæ, quæ in B. Andreæ Apostoli honorem consecrata est, ædificium multifario decore ac mirificis ampliauit operibus. Dedit namque operam (quod & hodie facit) vt acquisitis vndecumque Reliquiis beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi, in venerationem illorum poneret altaria, distinctis porticibus in hoc ipsum intra muros eiusdem ecclesiæ. Sed & historias passionum eorum vnà cum ceteris Ecclesiasticis voluminibus summâ industriâ congregans, amplissimam ibi ac nobilissimam bibliothecam fecit. Nec non & vasa sancta & luminaria aliaque huiusmodi, quæ ad ornatum domus Dei pertinent, studiosissimè parauit. Cantorem quoque egregium, nomine Maban, qui à successoribus discipulorum beati Papæ Gregorij in Cantiâ fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit, ac per annos duodecim tenuit: quatenùs & ea, quæ illi non nouerant, carmina Ecclesiastica doceret, & ea, quæ quondam cognita longo vsu vel negligentiâ inueterare cœperant, huius doctrinâ in priscum renouarentur statum. Nam & ipse Episcopus Acca cantator erat peritissimus, quomodò erat in litteris Sanctis doctissimus, & in Catholicæ fidei confessione castissimus, in Ecclesiasticæ quoque institutionis regulis solertissimus extiterat, & vsque dum sua præmia piæ deuotionis acciperet, existere non destitit. Vtpote, qui à pueritiâ, *vt suprà monuimus*, in Clero sanctissimi ac Deo dilecti Bosæ Eboracensis Episcopi nutritus atque eruditus est. *Adiutus etiam fuit ob conuersationem cum S. VVilfrido, cum quo & Romam profectus, Ecclesiæ suæ vtilia didicit. Colitur S. Acca* XXX *Nouembris.*

Magister S. Accæ Episc. Hagulstadēsis, in studiis pietatis

D

E

4 *De obitu B. Bosæ hæc solùm narrat Beda lib. 5 cap. 3.* Cùm reuerendissimus vir Wilfridus post longum exilium in Episcopatum esset Hagulstadensis Ecclesiæ receptus, est idem Ioannes, defuncto Bosâ, viro multæ sanctitatis & humilitatis, Episcopus pro eo Eboraci substitutus. *Iam verò, vt capite præcedenti retulerat Beda*, principio regni Alfridi Regis, defuncto Eatâ Episcopo, Ioannes vir sanctus Hagustadensis Ecclesiæ præsulatum suscepit. *Successit Alfridus Egberto fratri anno* DCLXXXV *die* XX *Maij apud Pictos extincto: quo adhuc anno, vt tradit Ricardus Prior Hagustaldensis de Episcopis huius Ecclesiæ cap.* 10, defuncto venerabili Eatâ, & in Hagustadensi ecclesiâ honorificè sepulto, Episcopatum eius suscepit S. Ioannes, cui vno anno præfuit. *&* *cap.* 11 Wilfridus Sedem & Episcopatum suum Hagustaldensis Ecclesiæ recepit. Sanctus verò Ioannes de Hagustaldensi translatus, Eboracensem Ecclesiam regendam pro defuncto Bosan suscepit, eamque laudabiliter XXXIII annis rexit. Deinde . . . ad monasterium suum, quod apud Beuerli est, secessit, ibique Deo dignâ conuersatione III annis in pace, maiori viuens, anno ab Incarnatione Domini DCCXXI, regni verò Osrici III, Nonis Maij beato fine quieuit in Domino. *Quibus annis inter se computatis, S. Bosa dicendus est anno* DCLXXXVI *ad æternam vitam hinc migrasse.*

Mortuus post S. Eatam,

F

anno 686

5 *Agunt de eodem Bosa passim omnes scriptores Angliæ, qui illa tempora, quibus Episcopus vixit, attingunt: sed aut sua è Beda descripserunt, aut à vero aberrant. Vnum attingo mendum, scilicet apud Malmesburiensem lib. 3 de Gestis Pontificum Anglorum irrepsisse in epistolam Ioannis Papæ ad Ethelredum Regem Merciorum & Alfridum Regem Deirorum & Berniciorum in caussâ VVilfridi Episcopi, quæ aut plurimùm interpolata est, aut certè è duabus vnica confecta. Præfuerunt Ecclesiæ Romanæ Pontifices post S. Agathonem Leo II, Benedictus II, ac dein Ioannes V. cui hanc epistolam adscribit Henricus Spelmannus in Conciliis Britannicis pag. 179. Sedit hic à* XXII *Iuly anni* DCLXXXV *vsque ad* II *Augusti anni sequentis. Hinc circa medium, expuncto nomine Bertwaldi, legendum foret:* Idcirco commonemus Theodorum Archiepiscopum . . . vt Synodum conuocet vnà cum Wilfrido Episcopo, & Bosam atque Ioannem in Synodum faciat conuenire &c. *Quæ cum sequentibus potuerunt scripta fuisse ex informatione inter* XI *menses, quibus præfuit Ioannes V, ac viuebant Ioannes & saltem multo tempore*

Epistola sub nomine Ioannis Papæ geminata

A *pore Bosa. Prior pars epistolæ aut interpolata est, aut spectat ad Ioannem VI, qui sedit à XXIX Octobris anni DCCI usque ad X Ianuarij anni DCCV. Quia iterum à Sede Hagulstaldensi pulsus S. VVilfridus Romam ad illum Pontificem confugit; potissimùm solicitus vt monasteria Ripense & Hagustaldense à se fundata detineret. An huic malint alij priorem tribuere partem, ipsi viderint; imò & totam, modo interpolatam, intruso nomine Bosæ permittant dici, cùm Malmesburiensis asserat in his S. VVilfridi gestis* Venerabilem Bedam historicum dignum pro sermonum sobrietate, cui debeat credi.

Benedictinus creditus,

6 *Trithemius lib. 4 de viris illustribus Ordinis S. Benedicti agit de Bosâ cap. 64, asserens eum* in Concilio Anglicano cum ceteris Archiepiscopis ad reformationem illius Ecclesiæ adiutorem Theodoro fuisse. *Subscripsit post Theodorum donationi Egfridi Regis facta S. Cuthberto Episcopo Lindisfarnensi, quam explicamus ad huius Acta XX Martij. Arnoldus VVion lib. 2 Ligni vitæ cap. 22 inter sex Sanctos Archiepiscopos Ecclesiæ Eboracensis* S. Bosam *quartum collocat.*

inscriptus Martyrologiis 13 Ianuarij

7 *Quo autem mense aut die ex hac vitâ ad meliorem migrârit, apud antiquos necdum potuimus reperire. Hinc etiam ad varios dies est Martyrologiis inscriptus: ac primò in MS. Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quod extat in monasterio S. Saluatoris Ordinis Cisterciensis, nec tamen* B *antiquo, ad XIII Ianuarij sic legitur:* Sancti Bosæ Archiepiscopi Eboracensis Metropolitani in Angliâ, priùs monachi monasterij Streneshalensis. *At IX Martij de eo agunt Hieronymus Porterus in Floribus Vitarum præcipuorũ Sanctorum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, & Ioannes VVilsonus in Martyrologio Anglicano vtriusque editionis. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, citatis etiam Tabulis Ecclesiæ Eboracensis, quibus videntur intelligi debere Catalogi Episcoporum, quorum auctoritas allegatur in Martyrologio Anglicano. Alij referunt ad X Martij, ut præiuit Edouardus Maihew in Trophæis Congregationis Anglicanæ, qui noluit credere VVigorniensi asserenti anno Christi DCLXXXVI mortuum esse, ac maluit transferre obitum ad annum circiter DCCIV. deceptus epistolâ suprà indicatâ sub nomine Ioannis Papæ à Malmesburiensi editâ: cui maluit adhærere, quàm verbis Bedæ & aliorum antiquorum scriptorum. Secutus Menardus, qui in obseruationibus refert* obiisse circa annum DCCV: *Bucelinus etiam ad eundem diem suo eum elogio celebrat, ac prudentiùs addit* claruisse sub A. C. DCLXXVIII, *quo est Archiepiscopus creatus.*

9 Martij D *& 10 Martij.*

8 *Hactenus Martyrologia varia, sed recentiorum auctorum, quos video ductos auctoritate potissimùm venerabilis Bedæ, qui eum* Sanctissimum ac Deo dilectum, *dein* virum multæ sanctitatis & humilitatis *compellauit, imò inter quinque Episcopos, qui cum S. Hildâ vixerunt,* singularis meriti ac magnæ sanctitatis viros *enumerat: ex his sunt Ætla siue Æcca factus Domnicensis in Suffolciâ Episcopus, & Osfordus VVigorniensis, quos tamen necdum scimus vllis fastis, vt Sanctos, inscriptos. Thomas Stubbes, aliis Stobeus Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui ante trecentos annos scripsit Chronicon de Actibus Pontificum Eboracensium &* E *ex iis Sanctos appellat Paulinum, Ceaddam, VVilfridum seniorem, Ioannem de Beuerlaco, VVilfridum iuniorem, Osvaldum & Guillielmum sub Stephano Rege defunctum: de cuius corporis Translatione dum agit in VVillielmo VVykwane, & hunc Sanctum, nisi error amanuensium sit, appellat. Interim dum de Bosâ Archiepiscopo agit, ab eo titulo abstinet, uti Brompton, Dicetus aliique faciunt. Maluimus ergo & nos solùm* Beati *appellatione cohonestare, cùm arbitremur non fuisse de eo Officium Ecclesiasticum recitatum.*

à nobis quare solùm Beatus compelletur.

DE SANCTIS EPISCOPIS SLAVORVM APOSTOLIS CYRILLO ET METHODIO OLOMVCII IN MORAVIA

Commentarius præuius.

§ I *Quæ gentes à SS. Constantino Philosopho siue Cyrillo, & Methodio eius fratre, siue Methudio, conuersæ.*

SEC. IX. IX MARTII. SS. Cyrillus & Methodius coluntur 9 Martij,

1 *Elebratur* VII *Idus Martij anniuersaria solennitas* SS. Cyrilli *&* Methodij *siue* Methudij, *qui fratres germani fuerunt sacerdotioque initiati ambo, & Spiritu apostolico instincti, varios Slauorum populos fidei Christianæ notitiâ imbuerunt. Ita tabulis Martyrologij Romani eorum inscripta hoc die memoria est:* In Morauiâ, sanctorum Episcoporum Cyrilli & Methodij, qui multas illarum regionum gentes cum earum Regibus ad fidem Christi perduxerunt. *MS. SS. Florarium illorum sic meminit ad eundem diem:* In Marauiâ, ciuitate Welligrad SS. Cirilli & Motudij Episcoporum & Confess. *Card. Baronius in Obseruationibus ad Martyrol. ista adnotat:* Habentur horum res gestæ in Breuiario religiosissimæ Polonorum Ecclesiæ, sex Lectionibus secundùm ritum Ecclesiasticum distinctæ. *Ternæ nunc sunt Breuiario ad Romani normam redacto: eademque extant inter* Officia propria Sanctorum Cathedralis Ecclesiæ & totius diœcesis Olomucensis, consensu & auctoritate S.D.N. Vrbani VIII, omnibus omnium ordinum F Sacerdotibus recitanda: *quæ Eminentissimus D. Franciscus S.R.E. tit. S. Mariæ Transtiberinæ Presbyter Cardinalis, ac Princeps à Dietrickstain, Episc. Olomucensis,* à Sacrâ Rituum Congregatione illuminata, & à S. D. N. Vrbano VIII illustrata, iterum in lucem dedit *anno* MDCXXX, vt iis vniuersus per Morauiam Clerus in Breuiarij recitatione vteretur. *Extant & inter* Lectiones proprias eorum Sanctorum, quorum memoria per Archidiœcesin Bohemiæ specialiter colitur, *quæ auctoritate Eminentissimi Cardin. ab Harrach Archiepiscopi Pragensis, anno* MDCLIII *excusæ. In* Directorio, siue ordine Horas Canonicas recitandi & Missas celebrandi, iuxta ritum Breuiarij & Missalis Romani, *excuso Pragæ anno 1663, ad IX Martij ista habentur:* In Bohem. & Morau. SS. Cyrilli & Methudij Ep. Conf. & Patron. dupl. Et in Morauiâ festum fori, vbi in Missâ, CREDO. *Nos infrà antiquiores illas sex è veteri Breuiario Olomucensi dabimus.*

à Polonis, Morauis, Bohemis.

2 *Nunc quia monet Baronius,* licet Methodio Morauia tantùm tribuatur, tamen ex registro Ioannis VIII Papæ satis apparere, etiam Methodium fuisse Slauorum Episcopum qui ordinatus ab Hadriano II Romano Pontifice, prædecessore eiusdem Ioannis VIII, ab eo ad Slauorum populum missus fuerit; *quasi non etiam Morani Slaui fuerint: indicandum videtur quibus gentibus*

ij variae gentes conuerterunt:

A bus, quas incolentibus regiones, Christum ambo prædicarint. Et Cyrillus quidem, quem Martinus Polonus lib. 4 Chronici pene omnium Sclauorum Apostolum nominat, ad Cazaros siue Gazaros aut Chazaros missus fuit: ac primum venit Chersonam (vt inferius in prima de actis eius narratione dicetur) quæ nimirum terræ vicina Cazarorum & contigua est. Vnde verò Chazari proruperint, & quàm latè dominatum extenderint, tradit Theophanes ad annum XI Constantini Pogonati his verbis: Numerosa Chazarorum gens, ex interiori Berzeliæ, quæ est primæ Sarmatiæ, recessu prorupit; omnibusque vsque ad mare Ponticum sub ditionem suam redactis trans flumen positis prouinciis, à Batbaia primæ Bulgariæ Principe, vectigali sibi reddito, tributum ab eo in hunc vsque diem exigit. Perduxit autem Chronographiam suam Theophanes vsque ad Leonis Armeni imperium, quod anno DCCCXIII, Indict. VI inuasit. Cedrenus ad annum Heraclij XVI memorat τοὺς Τούρκους ἐξ ἑῴας οὓς Χαζάρους ὀνομάζουσι, Turcas Orientales, quos & Chazaros appellant.

Cyrillus Chazaros,

Ponti Euxini accolas,

3 Altera gens, cui Sancti hi fratres Euangelicam doctrinam tradidere, Bulgarorum fuit. Horum quoque ex Sarmatiâ origo ducitur, vbi antiqua magnaque Bulgaria, circa amnem, qui Atalis dicitur Theophani, aliis Atel, Edel Tartaricè, vt notat Ortelius olim Rha Ptolomæo; Rutenis, Volga seu Wolga, vnde gens ipsa Vulgares, siue Bulgari, ac Wulgares appellati. Eorum antiquam ditionem Batbaias iam memoratus, Crobasi primogenitus retinuit: quatuor reliqui fratres contra quàm testamento iis pater mandarat, sese ab inuicem, cum subiecto sibi populo segregarunt. Et secundus quidem, cui Corragus nomen, Tanai flumine traiecto, ex aduerso fratris primogeniti sedes posuit: ceteri aliò migrarunt: circa Danubium duo in inferiore Mæsiâ inque Dardaniâ consederunt, ac multa cum vicinis, præsertim Thracibus, deinceps bella gesserunt. Quamquam longè etiam antè incursiones in Thraciam fecerant, uti in Chronico Marcellini Comitis, Indict. VII Ioanne Gibbo solo Cos. anno Christi CCCCXCIX traditur.

vtrosque Bulgaros, è Sarmatiâ oriundos,

B

4 Ad diem XI Februarij § 9 Vitæ S. Theodoræ Augustæ, matris Michaëlis III Imp. à quo missus ad Chazaros S. Cyrillus est, retulimus conuersum eo ipso tempore Bogorem Regem Bulgarorum, quem Constantinus Cupharas, vir eximius, tunc ibidem captiuus, primus sacra Christianorum docuerat, ac sua deinde soror, in quadam excursione capta, & in aulâ Imperatricis detenta, ibique Christianâ religione initiata, & litterarum doctrinâ imbuta. Hæc enim domum remissa, non cessabat fratri Fidei nostræ mysteria prædicare. Sed validior accessit impulsus, à monacho quodam Methodio, gente Romano, pingendi artis perito: qui ab Rege iussus pingere suo arbitratu terribile quidpiam, quodque horrorem ac metum incuteret spectantibus, cum nihil definitè præscriptum esset, secundum Christi aduentum extremumque iudicium, quibus nihil nouerat terribilius, pinxit; simulque Regem edocuit, quid ea sibi vellent: his autem illicò auitam superstitionem eiurauit, ac sacrum baptismum suscepit, Michaël ex nomine Imperatoris appellatus. Plenius loco citato quæ gesta quæque postea euenerunt, deduximus: illud tamen inquirere tunc distulimus, ac neque nunc extricare sat quimus, fueritne ille Methodius idem, qui Slauorum cum Cyrillo Apostolus; quandoquidem & his Bulgaris Christi fidem prædicarit. Vnum illud contrà obiici potest, quod Methodius pictor fuerit, vt habet Cedrenus, Ῥωμαῖος τὸ γένος, genere Romanus; noster verò hic vel Constantinopoli natus, vel potius Thessalonicæ. Verùm aut Romanum appellauit Cedrenus qui natus Constantinopoli erat, quæ Noua Roma; vel vniuersim illud, genere Romanus, idem est quod intra imperij Romani fines genitus. Et verò etiam qui Thessalonicæ natus, fortassis & ab Antiquâ Româ vel ideò trahere genus dici poterat, quòd Prouincia Thessalonicensis, vti & vtrumque Illyricum sub Patriarchatu Romano continebatur. Cumque & ipse & germanus eius Constantinus Philosophus siue Cyrillus, æquè Latinæ ac Græcæ linguæ periti essent, existimari possunt, Romanis parentibus Thessalonicæ nati: at Methodius vel forsan tantisper declinandæ vel quacumque aliâ

(quem antea instituerat Methodius pictor Romanus,

C

dubium an idem qui Cyrilli frater)

ex caussâ persecutionis à Theophilo contra monachos & pictores motæ, ad Bulgaros Dardaniæ incolas secesserat: vnde redierit Constantinopolim, cùm illuc reuersum ex Chazariâ fratrem intellexit. Si tamen diuersi Methodij fuerunt, cùm pictor ille Sacerdos non dicatur extitisse; non defuêre ex Bulgaris, quos dum ad Transdanubianos Slauos tendunt, excolerent sancti fratres. D

5 Triballi (quoniam & hos adiisse ac Fidei scientiâ imbuisse feruntur) Bulgaris permisti eâ ætate videntur fuisse, Christianos mores fidemque edocti longo vsu barbarorum, antea & ipsi plusquam semibarbari. De quibus iam olim Strabo annis ante Bulgarorum conuersionem DCCC & quod excurrit, lib. 7 Geograph. scripsit, Getas inferioribus Istri partibus vicinos esse, atque eadem quâ Dacos linguâ vti, esseque Græcis notiores, ob crebras in vtramque Istri ripam migrationes, & quod Thracibus sunt Mysisque permisti: quod ipsum Triballis etiam, inquit, Thraciæ genti, vsuuenit. Aliquantò antè scripserat, Alexandrum Magnum in eâ expeditione, quam aduersus Thracas Æmi montis incolas suscepit, impressionem quoque fecisse in Triballos, quos ad Istrum vsque, & fitam in eo insulam Peucen pertingere videbat; & ab Syrmo Triballorum Rege impeditum fuisse ne eam insulam intraret, in quam ille se receperat. Quæ ipsissima nunc est Bulgaria, Mysia videlicet inferior. Ac suo iam tempore idem Strabo Triballos Mysosque coniungit iuxta Istrum degentes. Hosce adiisse intelligendus est S. Cyrillus, cum in recentiori Polonorum Morauorumque & Bohemorum Breuiario dicitur, assumpto fratre Methodio longum iter ingressus, ad Volgaros Danubij accolas primùm diuertisse: eis itidem fidem Christi, sacrasque litteras in eorum linguam conuersas tradidisse: eas videlicet, quibus non tantùm omnes Volgarorum populi, sed multæ quoque aliæ vtuntur nationes, quæ lumen fidei à Volgaris mutuatæ sunt.

conuertêre, & Triballos Bulgaris mistos,

olim Thraciam gentem;

E

6 Ex dictis colligi videtur, Chazaris ac Bulgaris communem fuisse Slauicam linguam. Sed, vt antea ex Theophane retulimus primæ Bulgariæ Principem cum populo suo Chazaris vectigalem esse factum; ita narrat idem, Slauinorum septem generationes, vt dicuntur, à Bulgaris, Mysiam inferiorem ad dextram Istri fluminis ripam incolentibus, in potestatem esse redactas. His autem pertransitis, ad Morauos, qui tunc potentissimi fuisse videntur Slauorum, peruenerunt. Situm Morauiæ ita describit Æneas Siluius histor. Bohemicæ cap. 13: Morauia, inquit, trans Danubium iacet, cui ad Orientem Hungari Polonique regnum possident, Morauâ disiuncti amne, qui nomen regioni dedit. Occidentem solem Bohemi excipiunt; Austriales Meridianum: Septentrionale latus Slesitæ occupant.... Hîc multos annos regnatum: Hungari, Bohemi, Russani, Polonique, Morauorum Principi paruerunt. Id quatenus verum sit, alij disquirant. Latius certè imperarunt, quàm nunc prouinciæ limites protenduntur. Nam infrà ostendetur vsque ad Nitriam, Hungariæ nunc vrbem ac fluuium, pertigisse eorum dominatum. F

item Morauos, Sclauicam gentem,

latius olim dominantes

7 In Bohemiam demum Sancti iidem Fidei lumen primi inuexerunt, Æra Christianæ nono seculo, Borziuoio Duce decimo gentis, vt idem Æneas Siluius numerat, baptizato, cum S. Ludmillâ vxore; quæ nepotem suum VVenceslaum Ducem ac Martyrem, ad studium pietatis ad infantiâ erudiit, ipsa quoque impiissimæ nurus suæ Drahomiræ crudelitate, coronam adepta martyrij: quæ XVI Septembris (vna quippe de regni Tutelaribus Diuis) Officio duplici secundæ classis, vt vocant, celebratur; at VVenceslaus XXVIII Septembris, festo fori, Officioque duplici I classis ad octauum diem prorogato.

& Bohemos.

§ II SS. Cyrilli & Methodij res gestæ, præcipuè ex historiâ Translationis S. Clementis Papæ Mart.

8 Sanctorum Præsulum Cyrilli & Methodij res gestas succinctè attigerunt potius, quàm historicè enarrarunt, Bohemicarum rerum scriptores. Eorum primus Cosmas Pragensis

Horum SS. Acta in Bohemicis scriptorib.

Cosma Pragensi circa an. 1120,

A *gensis Ecclesiæ Decanus, qui in epistolâ ad Geruasium Magistrum, seù præfatione operis sui, quod* Chronicam Bohemorum *inscripsit, testatur eam* compositam regnante quarto Henrico Romanorum Imperatore, & gubernante sanctam Ecclesiam Dei Papâ Kalisto, sub tẽpore Ducis Boëmorum Wladislai, simul & Præsulis Pragensis Ecclesiæ Hermanni. *Obiit Henricus IV, quem vulgò Germani quintum vocant, anno* MCXXV, *imperij* XIX. *Callistus II die* XIX *Decembris* MCXXIV; *Hermannus Ep. Pragensis* MCXXII, XVII *Septembris; Dux VVladislaus* MCXXV, XII *Aprilis, Dominicâ* Misericordiâ.

Ænea Siluio seculo 15, Dubrauio & Hageeio 16,

9 *Proximus huic est Æneas Siluius Picolhomineus, qui anno* MCCCCLVIII *Pontifex Maximus electus, Pius II est appellatus, eoq; anno historiam suam Bohemicam finiit. Eam paullo post Ioannes Dubrauius Episc. Olomucensis luculentius pertractauit, qui libro* XXXIII *finem posuit in Ludouici Regis miserabili obitu, ac Ferdinandi Austriaci inauguratione, quorum ille contigit* XXIX *Aug.* MDXXVI; *hæc* XXIV *Februarij anni insequentis. Ipse verò Auctor* VI *Septemb.* MDLIII *traditur decessisse. VVenceslaus Hageeius circa idem tempus Chronica Bohemorum conscripsit linguâ patriâ, atque eidem Ferdinando I anno* MDXLI *dicauit: quæ Germanicè reddidit Ioannes Sandelius Zluticensis, & Rudolpho II Imperatori obtulit, typis excusa anno* MDXCVI. *In his quoque mentio fit*

B

sanctorum Slauicæ gentis Apostolorum Cyrilli & Methodij,

Pitano 17;

& hic ad annum Christi DCCCCIV, *traditur Bohemicè* Strachota *appellari. Agit quoque de iis Georgius Bartholdus Pontanus à Braitenberg Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Præpositus, in suâ Bohemiâ Piâ anno* MDCVIII *Francofurti excusâ. Hi tamen Auctores neque inuicem satis consentiunt, neque firmant vsquequaque quam proponunt Chronologiam.*

plenius in Translat. corporis S. Clementis,

10 *Nos quia Acta illorum perpetuo tenore conscripta non habemus, varias, quas reperimus de illis narrationes proferemus. Prima descripta est ex codice Amplissimi viri Francisci Duchesne, in supremâ Curiâ Parisiensi Senatoris, cui codici titulus præscriptus* Tomus 2 Collectionis; *huic verò narrationi hic est titulus:* Incipit translatio corporis S. Clementis Martyris & Pontificis. *Atque ea quidem præcipuè commemoratur occasione suscepta à Constantino Philosopho, nobili ac pio Sacerdote, Thessalonicâ oriundo, peregrinationis in Tauricam Chersonesum, ad Chazaros, qui id poscebant, Christianæ fidei mysteriis imbuendos: vbi dum linguæ Chazarorum addiscendæ tantisper subsistit, de corpore S. Clementis*

quod S. Cyrillus inuenit,

Papæ (quem meminerat illic, anchorâ ad collum eius alligatâ fuisse deiectum in mare: quod deinde Christianis ad littus orantibus, ad tria milliaria recesserat: eoque illi accedentes ædiculam marmoream in templi formam, & intus arcam la-

C

pideam, vbi Martyris corpus conditum erat, inuenerunt: atque illud recedentis pelagi miraculum per multa tempora anniuersariâ eius celebritate euenire consueuisse) de eo ergo gloriosi Pontificis corpore inquirit, idque, habitis cum omni populo & propinquæ vrbis Antistite publicis precibus, reperit ac transfert, secumq; id vel præcipuas eius partes ad Chazaros

& Romam attulit circa an. 868,

proficiscens, & posteà ad Morauos deportat, ac tandem Romam, quò erat ex Morauiâ à Nicolao I Pontifice euocatus: atque id reconditum illic est in æde Martyris eiusdem honori pridem dicatâ, vbi & ipse quoque posteà tumulatus est.

11 *De hac S. Clementis translatione meminit Baronius in Notis ad Martyrol.* XXIII *Nouemb. atque ex epistolâ Anastasij Bibliothecarij testis oculati datâ ad Carolum Regem*

vt ait testis oculatus Anastasius Bibliothec.

Kalendis Aprilis Indict. VIII, *id est, anno Christi* DCCCLXXV, *hæc recitat:* Vir magnus & apostolicæ vitæ præceptor Constantinus Philosophus Romam sub venerabilis memoriæ Hadriano Iuniore Papâ venit, S. Clementis corpus Sedi suæ restituit. *Idem Baronius Annal. tom.* 10 *ad an.* 867 *illius Inuentionis ac Translationis historiam narrat ex Petro de Natalibus lib.* 16 *cap.* 98 *ita scribente:* Leo Episcopus Ostiensis tradit, quòd tempore Michaëlis Imp. CP. *&c. Eamdem historiam plenius retulit Iacobus de Voragine centum ferè ante Petrum annis, cùm*

ac multò post Equilinum,

anno MCCXCII *Archiepiscopus Genuensis creatus sit, &, vt de eo scribit Iacobus Philippus Bergomensis, ante Episcopatum inque Episcopatu multos commentarios succo plenos compo-*

D

suerit, ac multas Sanctorum Vitas diffusas atque dispersas in vnum volumen collegerit: quo de volumine, quæ Legenda Aurea *siue* Historia Lombardica *vulgò appellatur, pluribus disseruimus in Præfat. gener. ad Ianuarium cap.* 1 § 4.

& hoc antiquior

At Petrus, quod nos fugit cùm istam Præfationem commentaremur, inchoauit Catalogum Sanctorum anno 1369 *die S. Barnabæ, absoluit anno* 1371.

Iac. de Voragine,

12 *Damus ergo ex Voraginensi, qui ista habet in Vitâ S. Clementis:* Refert Leo Ostiensis Episcopus, quòd tempore quo Michaël Imp. Nouæ Romæ regebat imperium, Sacerdos quidam, nomine Philosophus, qui ob summum ingenium à pueritiâ fuerat sic vocatus, cùm Cersonam peruenisset, & de iis, quæ narrantur in historiâ Clementis, habitatores interrogasset; quia aduenæ potiùs quàm indigenæ erant, se nescire professi sunt. Siquidem miraculum marini recessus ob culpam inhabitantium iam diu cessauerat; & ob incursum barbarorum tempore marini recessus venientium, templum destructum fuerat, & arca cum corpore marinis fluctibus obruta erat, exigentibus culpis inhabitantium. Super quo miratus Philosophus, & accedens ad ciuitatulam, nomine Georgiam, cum Episcopo & Clero accessit ad quærendum sacras reliquias ad insulam, in quâ existimabant esse corpus Martyris. Vbi

E

cum hymnis & orationibus fodientes, diuinâ reuelatione inuenerunt corpus & anchoram, cum quâ fuerat in mare proiectum, & deportauerunt Cersonam. Deinde prædictus Philosophus cum corpore S. Clementis Romam venit, & multis ostensis miraculis, in ecclesiâ, quæ nunc dicitur S. Clementis, honorificè corpus collocatum fuit. In quadam autem Chronicâ legitur, quòd mari ab illo loco exsiccato, à B. Cyrillo Moranorum Episcopo Romam translatum est.

ac Baronius,

13 *Hæc ille. Quem autem Sacerdotem,* nomine Philosophum *fuisse vocatum ait,* Philippum *Equilinus appellat, ex eoq; Baronius; Anastasius iam citatus* Constantinum Philosophum, *cum quo & Acta consentiunt: idemq; ille est, qui diuino monitu,* Cyrillum *haud longè ante obitum dici se voluit; idemq;* Moranorum, *siue, vt vulgò nunc vocantur,* Morauorum Episcopus. *In ceteris Equilini ac Voraginensis narratio inuicem congruit sententiâ, non verbis. Sed Equilinus ita concludit:* Quod (*corpus*) Cersonam deportantes, ibidem sepelierunt. Tempore verò Nicolai Papæ I corpus ipsum à S. Cyrillo Sclauorum Episcopo inde sublatum, & Romam delatum, atque in ecclesiâ eius nomini fabricatâ reconditum est, vbi requiescit miraculis clarens. *Baronius, cùm anteà ex Anastasij epistolâ retulisset* Constantinum Philosophum Romam

F

sub venerabilis memoriæ Hadriano Iuniore Papâ venisse, & S. Clementis corpus Sedi suæ restituisse, *quod Acta quoque tradunt; in Annalibus vt narrationi quoque Equilini quadantenùs insistat, ait Cyrillum & Methodium S. Clementis corpus Romam attulisse, viuente adhuc Nicolao; hîc verò illos ait* mansisse Romæ vsque ad creationem Hadriani.

citantq; hi Leonem Ostiensem,

14 *Quem autem scriptorem iam memoratæ Translationis, Iacobus à Voragine, Petrus de Natalibus, & Cardinalis Baronius citant* Leonem Ostiensem, *quo in opere eam referat non indicant, vt suspicari liceat ipsosmet eam in illo non legisse. Nos illius tres dumtaxat libros Casinensis Chronici legimus, in quibus nil simile reperimus: scimus tamen plura recenseri à Petro Diacono in libro de viris illustribus Casinensibus cap.* 30, *Leonis scripta, quæ fortassis Voraginensis vidisse credi potest; ceteri saltem ab eo citatæ eiusmodi sunt,* Sermones *in varia festa,* Historia Peregrinorum, Vita S. Mennatis, & alia quamplurima. *Accepimus ab Reuerendissimo*

fortè in sermone de cathedrâ S. Clementis.

Abbate Vghello descriptum ex MS. monasterij Fossæ-nouæ, sed mutilum, Sermonem Domni Leonis Ostiensis Episcopi de ordinatione siue Cathedrâ S. Clementis Papæ, quæ colitur x Kalend. Februarij. *atque ita incipit:* Postquàm diuinæ ordinationis prouidentiâ, B. Clemens, sicut in gestis Vitæ ipsius relatum est, apud Vrbem Romam à B. Barnabâ Diuini verbi semina perce-

pit;

A pit; ac demum beatissimo Apostolorum Principi Petro apud Cæsaream iunctus, pleniùs ab eo in fide Christi informatus & edoctus est, & salutaris aquæ baptismo solenniter baptizatus &c. *Est solùm vnica pagella inter ea quæ consequebantur, & auulsa à codice sunt: illa fortaßis etiam fuit narratio Inuentionis & Translationis eius per Constantinum Philosophum, quam retulimus ex Iacobo de Voragine, Baronius ex Equilino. Ceterùm Cathedræ S. Clementis, quæ in titulo citati sermonis coli dicitur* x *Kal. Februarij, nullam ad eum diem reperimus in Martyrologiis mentionem.*

Translationis historia scripta à Gauderico Ep. Veliterno.

15 *Quam porrò nos hîc daturi sumus Translationis eius historiam, eam suspicamur à* Gauderico *Velitrarum Episcopo, quem alij* Gaudentium *vocant, esse conscriptam. Accepimus enim ab eodem Abbate Vghello Vitam siue historiam S. Clementis, sed mutilam. Cuius Præfatio ad Ioannem* VIII *Papam ita incipit:* Præfatio Gauderici Veliterni Episcopi ad Sanctissimum Papam Ioannem sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, Domino semper Beato, Summo Pontifici & vniuersali Papæ Ioanni, Gaudericus Episcoporum nouissimus, perenne gaudium in Domino Iesu Christo. Dignum esse putaui ad honorem & laudem Tui Prædecessoris B. B Clementis Martyris atque Pontificis, aliqua de genere vel vitâ ipsius, Deo institutore, in vnum colligi: & quàm generosâ fuerit oriundus prosapiâ, quamque philosophando contra idola disputans, diuino præsagio veritatem cognouerit, enucleatiùs inueniri: præsertim cùm ego valdè inutilis, huius eximij Martyris Christi Ecclesiæ, apud Veliternam oppidum sitæ, præfuerim. *Et aliquantò pòst:* Non tam strenuè quàm deuotè collegi, & in tribus libris conglutinans ordinaui. In primo siquidem libro Clementis genus, patriam, natiuitatem, institutionem, propositum, vitam, conuersionem, & qualitatem recognitionis eius innuimus. In secundo verò, Deo auxiliante, profunditatem doctrinæ, dignitatem Episcopalis apicis, auctoritatem singularis pontificatus, & audaciam contra idola sophisticè disputantis, subdidimus. Ast in tertio miramur prodigia, exulationis angustias, martyrij laureas, reuersionis eius ad propriam Sedem miracula colligere procurauimus. *Ac demum,* Quę nos, vt meminimus *inquit.* quæ vidimus & legimus, ipsius Christi Martyris fieri orationibus, colligentes transscripsimus, & ad laudem Dei omnipotentis ex multis paucissima deflorauimus.

vt ipse testatur,

16 *Haudquaquàm ergo dubium nobis videtur, quin ea* C *narratio Inuentionis S. Clementis, quam nobis suppeditauit Duchesnij codex, ex illo tertio libro de eiusdem sancti Pontificis rebus gestis à Gauderico Ep. composito, decerpta sit; ac fortassis contracta. Ipse certè se reuersionem S. Clementis ad propriam Sedem, factaque tunc miracula collegisse profitetur, quæ spectasse videtur, sub Hadriano II, Ioannis VIII decessore facta, quorum & huic narrationem dicat.* Interfuit *autem idem Gaudericus siue Gandericus Veliternensis Episcopus Concilio Oecumenico VIII, vt multis ex locis patet.*

Reliquiæ aliqua in Chersoneso relicta videntur:

17 *At non omnes corporis S. Clementis reliquias Romam translatas existimem: qui enim id paßi essent Cheronesij? His ergo aliquas reliquisse discedens videtur, cùm ad eorum metropolim essent solenniter deportatæ. Eò facit quod subiungam, ante annos* DC *à Iaroslao Russorum Rege Catholico, S. VVlodomiri filio SS. Romani & Dauidis, siue Borißi & Hlebi, Martyrum fratre, Legatis Henrici I Galliæ Regis narratū, quodq́; in vetusto codice Ecclesiæ S. Audomari, ad miraculum quod in Actis S. Clementis refertur de infantulo sub vndis post anni spatium dormiente reperto, in margine adscriptum est.*

**al. Basarniam?*

18 Anno incarnati Verbi MXLVIII, quando Henricus Rex Francorum misit in * Rabastiam Catalaunensem Episcopum Rogerum, pro filiâ Regis illius terræ, Annâ nomine, quam debebat ducere vxorem; deprecatus est Odalricus Præpositus S. Mariæ Remensis Ecclesiæ eumdem Episcopum, quatenùs inquireret D dignaretur, vtrùm in illis partibus esset Cersona, vbi S. Clemens requiescere legitur; vel si adhuc mare partiatur die natalis eius, & peruium esset euntibus? Quod & fecit: nam à Rege illius terræ, scilicet Ierosolauo, hoc didicit: quòd Iulius Papa in regionem illam, vbi S. Clemens iacebat, ad destruendam hæresim, quæ illis in partibus pullulauerat, perrexit. Cumque peracto negotio, idem Papa ab illis partibus regredi inciperet; apparuit ei Angelus Domini, dicens: Noli recedere; à Domino enim præcipitur tibi, vt reuertaris & transferas corpus S. Clementis, quod hactenùs in mare iacuit. Quomodò, inquit, hoc potest fieri, cùm mare non partiatur, nisi in die natalis eius? Cui Angelus: Hoc erit tibi signum, quòd Dominus tibi præcipiat reuerti, quia mare in occursum tuum partiatur. Perrexit ibi, & transtulit corpus S. Clementis, & posuit illud super ripam & ædificauit ibi ecclesiam: & assumens de corpore eius reliquias Romam secum duxit. Contigit autem, vt illo deferente, die quo reliquias cum summâ honorificentiâ populus recepisset Romanus, eodem die sepulcrum, quod in mari relictum erat, cum solo se super mare erigeret, & fieret insula: vbi illius regionis homines basilicam construxerunt & congregationem: ex tunc ad illam ecclesiam nauigio itur. E Retulit igitur idem Rex Georgius Sclauus Episcopo Catalaunensi, quòd ipsemet qu.n.lam ibi perrexit, & inde secum attulit capita SS. Clementis & Phœbi discipuli eius, & posuit in ciuitate Chio w, vbi honorificè venerantur: quæ etiā capita eidem Episcopo ostendit.

aliqua Romam ablata,

aliqua posita Kiouiam:

19 *Hic* Iaroslaus *Russorum Rex Henrici Franciæ Regis socer, tom. 4 Francorum scriptorum Duchesnij in fragmento quodam ex veteri codice Floriacēsi,* Iurisclolit *mendosè appellatur: in alio excerpto ex MS. Bibliothecæ Thuanæ* Georgius Sclauus Rex Ratiorum. *Qui ad eum missus dicitur ab Henrico Legatus* Rogerus, *quadragesimus quartus fuit Catalaunensis Ecclesiæ Episcopus, secundus eius nominis. Alij* Galterum Meldensem *quinquagesimum fuisse tradunt. Quid si ambo missi sint? Quòd verò hîc memoratur in Chersonesum Tauricam venisse Iulius Papa ad hæresim, quæ illis in partibus pullulârat, destruendam, haud satis cum Ecclesiasticâ historiâ consensit. Multas quidem S. Iulius I aduersùs Arianos dimicationes suscepit, pro Fidei Orthodoxæ defensione, & proscriptorum Episcoporum restitutione; numquàm tamen eâ aliâue caussâ profectus fuisse in illas oras aliasue Orientis legitur: neque, vt Baronius probat, fidei caussâ exulauit, vt est alioquin in libro de Pontificibus. Iulius II & III seculo Æræ Christianæ* XVI *vixêre, diu post Henrici & Iaroslai Regum ætatem. Fortaßis ab Cyrillo Episcopo siue Constantino Philosopho, quo* F *de hîc agimus, minutas translatasque S. Clementis reliquias audierat Russorum Rex Neophytus, & Iulio nescio quâ exerratione vel ipse tribuit; vel Legatus memoriâ lapsus, vel scriptor temerè hallucinatus. De iis quæ post ablatas Romam reliquias acciderunt, deq́; emersis è mari S. Clementis sepulcro & insulâ, nusquam adhuc vel legere licuit, vel vacauit inquirere. De capite S. Clementis, aut parte eius aliquâ asseruatâ Kiouiæ, quæ sita ad Borysthenem vrbs amplissima, Metropolis tunc fuisse totius Russiæ traditur, ipsiusq́; Iaroslai regia, saltem parentis eius VVlodomiri: vtcumque quod retulimus, confirmat Albertus VViiuk Koialowicz noster in Miscellaneis rerum Ecclesiastici status in Magno Ducatu Lituaniæ pag. 42, vbi tradit ex Russorum Annalibus, Clementem quemdam anno 1146 electum Russiæ Metropolitam, consecratum fuisse impositione capitis S. Clementis Papæ.*

illa non à S. Iulio Papâ, sed S. Cyrillo inuenta;

§ III *Alia de actis SS. Cyrilli & Methodij narratio. Sclauonicè versa à Cyrillo scripturæ; ab vtroq; Missæ cantatæ Papâ probatæ.*

20 A*Liam sanctorum fratrum Cyrilli siue Constantini Philosophi, & Methodij Vitam, aut rerum ab iis gestarum narrationem, ex prægrandi Blauburensis cœnobij codice, ad nos misit Ioannes Gamansius noster. Fuit autē* Blau-

A bura, *siue, vt Gabriel Bucelinus scribit*, Blaubyra; *vt Martinus Crusius*, Bladyra ac Blauburnium, *insigne Ordinis Benedictini cœnobium, haud procul Vlmâ, iuxta amplissimum ac profundissimum fontem, è quo fluuius aërij coloris Blauus oritur, vnde & loco nomen, quod cæruleum fontem sonat. Dico fuisse illud cœnobium, quia VVirtenbergiæ Dux Vdalricus superiori seculo, erutâ maiorum religione, id occupauit. Restituti quidem sunt religiosi asseclæ primùm Caroli V Imp. auctoritate, dein Ferdinandi II, sed tertiò eiecti. Inter præclara eius cœnobij ornamenta, egregij fuere codices de Sanctorum actis*, Passionalia *inscripti, quorum qui numero decimus, à F. Bartholomæo Krasse anno* 1480 *in membranâ elegantissimè exaratus, parte* 2 *fol.* 19, *quam secundo loco daturi sumus, narrationem exhibet hoc titulo*: Vita S. Cyrilli Ep. & monachi, atque S. Methudij Ep. fratris eius, qui Morauiam atque Bohemiam ad fidem Christi conuerterunt. *Est porrò huius narrationis pars prior contracta ex eâ quam primo loco damus, rerumque ab Gauderico Veliterno Ep. compositam, in opere tripartito de S. Clementis Papæ rebus gestis; quod non nisi truncum nacti sumus. Edemus tamen etiam illam Blauburanam narrationem, quæ quamuis, vt monuimus, primâ parte ex priore contracta, plura tamen recenset quæ in illâ desunt.*

Vita alia SS. Cyrilli & Methodij ex MS. Blaubureñ.

B 21 *Huic narrationi subiiciemus sex eas Lectiones, quas in Officio Ecclesiastico olim Slauorum Ecclesiæ recitare consueuerunt, quarum superius ex Baronij ad Martyrologium annotationibus facta mentio est. Eas ex veteri Ecclesiæ Olomucensis MS. Breuiario ad nos ex Morauiâ misit Ludouicus Crasius noster. Sex alias nacti sumus ex Olomucensi itidem Breuiario typis excuso vtcumque informibus, anno* 1495; *quibus tamen longè prætulerim quas ex MS. daturi sumus. Excusarum hoc exordium est*: Quemadmodùm ex historijs plurimorum Sanctorum & Chronicis diuersis colligitur, SS. Cyrullus & Metudius fratres germani, de Alexadriâ, Grecæ & Sclauonicæ linguæ [periti] venerunt in terram Morauiæ. *Has easdem tamen Lectiones didicimus in vetusto Passionali Pragæ extare. Vitam accepimus S. Ludmillæ ex insigni codice membraneo Budicensis cœnobij Canonicorum regularium in diœcesi Paderbornensi; cuius pars prior ex ijs lectionibus, quas dabimus, sumpta videtur, sed phrasi subinde interpolatâ. De Bohemis operâ horum Sanctorum, ac præsertim Methodij ad Christi Fidem conuersis quædam ex eadem Vitâ subiungemus.*

alia ex antiquo Officio Slauico,

& Vitâ S. Ludmillæ,

22 *De Scripturis, Diuinisq; Officiis, in linguam Slauonicam ab his iisdem apostolicis viris, sed præsertim Cyrillo, translatis, nihil admodum habet prior Vita, præter vnum illud nu.* 7, *Magno Morauorum gaudio exceptos fuisse*, quia & reliquias S. Clementis secum ferre audierant, & Euangelium in eorum linguam à Philosopho prædicto translatum. *At Blauburana Vita num.* 5, *ista narrat*. Cùm viri sancti Regem ac populum ad Fidei lumen prouocassent, illis deinde nouum & vetus Testamenta exponentes, & informantes eos, plura de Græco & Latino transferentes, in Sclauonicâ linguâ Canonicas Horas & Missas in Ecclesiâ Dei publicè statuerunt decantare. *At Vita S. Ludmillæ nu.* 1 *ait*, Cyrillum etiam apices vel charactères nouos comperisse & vetus nouumque Testamentum, pluraque alia de Græco seu Latino sermone in Slauonicam linguam transtulisse: Missas prætereà ceterasque Canonicas Horas in Ecclesiâ resonare statuisse.

S. Cyrillus multa è Scripturis Sclauonicè vertit,

C

& Officia Ecclesiastica:

23 *Vbi primum id Nicolao Papæ nuntiatum est*, Mirabatur, *vt nu.* 6 *in* 2. *Vitâ dicitur*, quod ausi fuissent Sacerdotes Domini, Horas Canonicas in Sclauonico decantare. Quapropter mandauit per litteras Apostolicas illos ad se venire Romam. Qui mox iter aggressi applicuerunt Romam, Papâ interim moriente. *Vel vt habent antiquæ Lectiones*. Cùm quodam tempore Cyrillus Romam caussâ deuotionis adiisset, à Summo Pontifice & ab reliquis Rectoribus Ecclesię redarguitur, vt quid contra statuta Canonum ausus fuerit Missarum solennia instituere canere Sclauonicâ in linguâ. *Ad quæ ille modestè ac sapienter respondit, permouitque* vt assentirentur. *Quæ omnia etiam in* 2 *Vitâ num.* 7 *traduntur. Æneas Siluius cap.* 13 *historiæ Bohemiæ, hac de re sic scribit*: Ferunt Cyrillum, cùm Romæ ageret, Romano Pontifici supplicasse, vt Sclauorum linguâ eius gentis hominibus, quam baptizauerat, rem diuinam faciens vti posset. De quâ re dum in sacro Senatu disceptaretur, essentque non pauci contradictores, auditam vocem tamquàm de cælo in hæc verba missam: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei; inde datum Cyrillo indultum. *In Propriis Officiis, quibus nunc vtuntur Ecclesiæ Olomucensis, Pragensis, & Polonica, ista traduntur in eumdem ferè sensum*: Fundatis tandem Ecclesiis, & Christi opere perfecto, S. Clementis corpus Romam deferunt; & à Nicolao I Pontif. impetrant, vt gentibus à se baptizatis, linguâ vernaculâ obire sacra liceret. Quod diuino responso approbatum esse ferunt, vt omnis spiritus laudaret Dominum. *Mox tamen ostendemus non videri licentiam linguâ Sclauonicâ in sacris vtendi à Nicolao, sed summum ab Adriano II, ac saltem posteà, à Ioanne VIII concessam.*

quod Romæ displicuit,

D

posteà tamen probatum, ex diuino responso:

24 *Idem ferè quod Æneas Siluius, sed non sine insigni parachronismo scribit Ioannes Dubrauius lib.* 2 *Historiæ Bohemicæ; vbi recensitis locis aliquot, in quibus templa Boriuorius Bohemiæ Dux extruxerat, hæc subdit*: Atque in omnibus istis locis sacris Sacerdotes à Methudio Præsule consecratos constituit, illisque stipendia de ærario suo dari iussit. Scholas prætereà instituit, in quibus Scholastici Latinis litteris discendis, à Bohemis priùs planè ignoratis, vacarent. Nascitur intereà Boriuorio ex Ludmillâ filiolus, nomine Boleslaus, Methudioque Præsuli tingendus vngendusque offertur. Ibi Bohemi Methudium adoriuntur, ab ipso exigentes, ne sermone Latino, quem non intelligerent, sed Boiemo sibi vsitato, sacra & Sacramenta perageret. Hanc rem ille Romam ad Cyrillum collegam, atque is ad Nicolaum Romanum Pontificem retulit. Ambo collegæ ob eam relationem, non Pontifici modò, sed frequenti etiam Patrum concilio, deridendos se propinauerunt. Cùm ecce tibi, de improuiso vox hæc suâ sponte, in tali frequentiâ insonuit: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur eum. Quâ voce perculsus Romanus Pontifex secundùm petitionem Boiemorum respondendum Cyrillo duxit. *Isthæc omnia verbis iisdem narrat Georgius Bartholdus Pontanus lib.* 2 *Bohemiæ Piæ.*

E

ad eius linguæ in sacris vsum compulsus à Bohemis S. Methodius,

quod à Papâ concessum,

25 *Ambo illa subiungunt*: Ceterùm non intra multos annos mos ille vernaculâ linguâ inter sacra cantandi viguit, abolente illum rursus Pontifice Romano, cùm daret Boiemis Antistitem, . . eidemque præscriberet ne à ritu cæremoniisque & cantu Romano vllam in partem deuium ageret. *Atque hocquidem arbitror in Bohemiâ & aliis prouinciis, quæ ritu Latino vtuntur, vim habuisse: at quæ Græcum ritum sequuntur Slauicæ gentes, eæ Sclauicum quoque in sacris sermonem pleræque retinent. Certè nostrâ memoriâ Archiepiscopus Polocensis fuit B. Iosaphatus Kuncevicius, qui anno* MDCXXIII *die* XII *Nouembris Schismaticis crudeliter pro Catholicæ fidei & Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ defensione Vitebsci trucidatus, atque ab Vrbano VIII die* XVI *Maij* MDCXLIII *Catalogo Sanctorũ Martyrum inscriptus est: is nec Latinas nec Græcas litteras nouerat, quamuis ex solâ lectione librorum Sclauonicorum & Polonicorum, tantam fuerit doctrinam assecutus*, vt subtilissimas quasque Theologicas difficultates, quales sunt circa mysterium Sanctissimæ Trinitatis & alia huiusmodi, faciliùs ipse potuerit capere, quàm subtilissimus quisque eidem explicare, & nullus ei hæreticus aut schismaticus resistere valeret; *vti memoratur in Relatione martyrij eius anno* MDCXXIV *Zamosci excusâ*.

posteà reuocatum,

F

sed non vniuersim;

viget enim etiamnum,

vt patet ex vsu B. Iosaphati Ep. M.

26 *Si autem eiusmodi potestatem linguâ Sclauonicâ in sacris vtendi concesserat Pontifex, non Nicolaus quidem vt putant aliquot ex iam citatis auctoribus, sed Hadrianus II, à quo S. Methodius erat Morauorum Archiepiscopus ordinatus, vt asserit epist.* 194 *Ioannes VIII eiusdem Hadriani successor,* miramur

A mirantur non immeritò, cur idem Ioannes ad ipsum Methodium ep. 195 datâ VIII Kal. Iulij, Indict. XII, *qui erat annus Christi* DCCCLXXIX, *Pontificatus eius* VII, *ita scripserit* : Audimus etiam, *inquit*, quòd Missas cantes in barbarâ, hoc est, in Sclauinâ linguâ : vnde iam litteris nostris per Paulum Episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in eâ linguâ sacra Missarum solennia celebrares ; sed vel in Latinâ vel in Græcâ linguâ, sicut Ecclesia Dei, toto terrarum orbe diffusa & in omnibus gentibus dilatata, cantat. *An fortasis non adfuerat ille tunc Romæ, cùm de eâ cæremoniâ consulti Patres, & responsum cælitus missum dicitur? Quod tamen responsum non aliud fortasse fuit, quàm diuinus quidam instinctus, quo permoti singulorum animi sunt, vt Apostolicorum virorum postulatis annuerent, eorum rationibus perspectis, ac fructu, quem inter barbaros iam fecerant : verùm à posterioribus scriptoribus per vocem cælitus missam id explicatum.*

Ioannes 8 an. 879 arguit S. Methodium id facientem,

ignarus fortè indulgentiæ decessorum:

27 *Quocumque se res ea modo habuerit, idem Ioannes Pontifex epist.* 247 *ad* Sfentopulchrum gloriosum Comitem (*qui Swantopulcus est Rex Morauiæ, sed nondum regio titulo à Sede Apostolicâ dignatus*) *tum alia in laudem S. Methodij, tum ista scribit* : Nos autem illum in omnibus Ecclesiasticis doctrinis & vtilitatibus orthodoxum & proficuum esse reperientes ; vobis iterùm ad regendam commissam sibi Ecclesiam Dei remisimus: quem vobis Pastorem proprium, vt digno honore & reuerentiâ, lætaque mente recipiatis, iubemus, *ac post pauca* : Litteras denique Sclauonicas, à Constantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitè resonent, iure laudamus : & in eâdem linguâ Christi Domini nostri præconia & opera enarrentur, iubemus. Neque enim tribus tantùm, sed omnibus linguis Dominum laudare, auctoritate sacrâ monemur, quæ præcipit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. . . . . Nec sanæ fidei vel doctrinæ aliquid obstat, siue Missas in eadem Sclauonicâ linguâ canere, siue sacrum Euangelium, vel lectiones Diuinas noui & veteris Testamenti, benè translatas & interpretatas, legere, aut alia Horarum Officia omnia psallere : quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creauit & alias omnes ad laudē & gloriam suam. Iubemus tamen, vt in omnibus Ecclesijs terræ vestræ, propter maiorem honorificentiam, Euangelium Latinè legatur, & postmodùm Sclauonicâ linguâ translatum, in auribus populi Latina verba non intelligentis, adnuntietur, sicut in quibusdam Ecclesijs fieri videtur. Et si tibi & Iudicibus tuis placet Missas Latinâ linguâ magis audire, præcipimus vt Latinè Missarum tibi solennia celebrentur. Data mense Iun. Indict. XIII, *id est anno* DCCCLXXX. *Hactenus de Missis Horisque Canonicis Sclauonico sermone cantandis. Quo de ritu inferius in veteri Officio Lect.* I. Quod & vsque hodie in partibus Slauorum agitur, maximè in wulgaris, multæque animæ Christo Domino acquiruntur.

postea à an. 880 eius fidem commendat,

B

litteras Sclauonicas à Constantino Philosopho inuentas laudat,

Ps. 116, 1 probatq; vt eâ linguâ fiant sacra,

ita tamen vt prius Latinè Euangelio,

sed vt Missa Latinè fiant, si Rex malit.

C

fructus ex Missâ Sclauonicâ dictâ.

§ IV Chronologia Apostolicæ prædicationis SS. Cyrilli & Methodij.

28 QVem hîc Pontifex inuentorem Sclauonicarum litterarum, *quæ ad concinendas eâ linguâ laudes Deo sint vsui*, Constantinum quemdam philosophum vocat, *is est, vt antè dictum, S. Methodij frater*, vir magnus & Apostolicæ vitæ præceptor *ab Anastasio suprà appellatus, qui hoc tempore vel mortuus fuisse videtur, vel mutato nomine in monasterio, vt aspectum hominum laudesque vitaret, delituisse. Nam perperàm in Breuiario, quo hodie Bohemi, Morauí, Poloni vtuntur, Lect.* I *dicitur Cyrilli & Methodij pater fuisse* Constantinus cognomento Philosophus : *erat enim hoc ipsius Cyrilli nomen, vt oculati testis Anastasij assertione constat in epistolâ ad Carolum Caluum*

Constantinus Philosophus idem est qui S. Cyrillus,

Francorum Regem anno DCCCLXXV *datâ, quâ nuntiat corpus S. Clementis Papæ à* Constantino Philosopho *Romam allatum* : *atqui constat à Cyrillo id factum, Methodij fratre : vnus ergo idemq;* Constantinus *ac* Cyrillus *fuit. Neque hunc oportuisset Chersonæ commorari linguæ Chazaricæ condiscendæ caussâ, quam domi paternâ institutione haurire potuisset, si is litterarum Slauicarum repertor, & sacrorum librorum interpres fuisset.* D

qui corpus S. Clementis Romam attulit,

29 *Libet hîc ad eiusdem Constantini siue Cyrilli commendandam eruditionem ac pietatem, zelumque rectæ fidei, proferre quæ de eo narrat Anastasius idem præfatione in concilium* VIII *vniuersale siue Constantinopolitanum* IV, *ad Hadrianum II Papam, vbi inter alia sic scribit* : Ante annos aliquot Photius idem duarum vnumquemque hominem animarum consistere prædicabat. Qui cùm à Constantino Philosopho, magnæ sanctitatis viro, fortissimo eius amico, increpatus fuisset, dicente ; Cur tantum errorem in populum spargens, tot animas interfecisti? Respondit ; Non studio quemquam lædendi, talia, inquit, dicta proposui ; sed probandi, quid Patriarcha Ignatius ageret, si suo tempore quælibet hæresis per syllogismos philosophorum exorta patesceret, qui scilicet viros exterioris sapientiæ repulisset : verùm ignoraui me sub huius fomite propositionis tot animas fore læsurum. Ad quod ille : O sapientia mundi, quæ infatuatur & destruitur ! Iactasti sagittas in multitudinem copiosæ turbæ, & ignorasti quemlibet ex his omnibus vulnerandum. Certè omnibus liquet, quia sicut oculi quantumlibet sint magni & aperti, si fumus palearum interiacuerit, videre vltrà non possunt ; ita oculi sapientiæ tuæ quantumlibet sint ampli & patuli, auaritiæ tamen & inuidiæ fumo penitùs obcæcati, tramitem iustitiæ videre non possunt. Ac per id verum est, quod dicis, neminem ictu tuo putasse esse lædendum, cùm sic obcæcatum sensum prædictis aduersùm Patriarcham passionibus habens, nec quid emiseris, præuidisti. E

& antea Photium reprehenderat duas animas in quouis homine constituentem,

inuidia S. Ignatio conciliandā gratiā.

30 *Videtur illud temerarium Photij dogma circiter annum* DCCCXLVIII *aut sequentem, reprehendisse sapientissimus Constantinus ; cùm esset anno* DCCCXLVII *ad Patriarchales insulas regiæ vrbis, post obitum S. Methodij, euectus S. Ignatius, Michaëlis Curopolatæ Imp. filius. Et non multò post ipse Constantinus missus, vt Chazaris fidei Christianæ mysteria exponeret, qui id ab Imperatore Michaële petierant, cuius erat iam celebre, etiam apud exteros, nomen, cum sanctâ matre Theodorâ & Theclâ sorore placidè ac feliciter imperantis, &, quod caput erat, castè tunc colentis pietatem. Matris ergo sororisque Reginæ consilio & Patriarchæ Ignatij, ad eam rem delegit Constantinum Michaël. Qui mox in Chersonesum profectus, ibi primùm Sclauicam linguam, Chazaris quoque communem didicit, &, vt verisimile est, Euangelium in eam linguam transtulit, aliaque è Scripturis aut Ecclesiasticis libris, quæ sibi ad barbarorum commodiorem institutionem vtilia censebat, & ad publicas precationes, quarum ijs formulas inculcaret, etiam priuatim vsurpandas. Quam ad rem nouos quoque characteres excogitauit, cùm fortè, vt etiamnùm nonnulli Orientales populi, figuris quibusdam vterentur, quæ neque tam facilè addisci præ multitudine possent, neque ad omnia enuntianda perinde idoneæ essent, nisi formæ aliquæ, velut alphabeti ordine connexæ, effingerentur: quibus identidem variè transpositis, non voces integræ, nedum sententiæ, sed syllabæ, certo consonantium motu ac velut spiritu repræsentarentur ; prout in Græcis ac Latinis fieri norat. Diuersos tamen ab vtrisque esse characteres illos necesse erat, ne perturbaretur legentes, quibus æquè sua esset ac linguæ alterius noua scriptura. His ita præparatis, inuentisque intereà S. Clementis Papæ reliquijs, ad Chazaros adijt, eosque celeriter, quippe iam vltro expetentes, cognitione nostræ Religionis erudijt. Quâ re peractâ Constantinopolim reuertit, relictis fortasse apud Chazaros orthodoxis è Tauricâ Sacerdotibus, qui linguæ eorum gnari, ad Sacramenta ijs conferenda, & quæ alia necessaria, præsertim Neophytis essent, procuranda impenderent operam.*

circa an. 848.

missus paulò post ad Chazaros conuertendos,

F

in Chersoneso linguam Sclauicam discit,

sacros libros in eam vertit,

& nouos eius linguæ characteres excogitat,

Chazaros conuertit.

31 Sparsus

A 31 *Sparsus illicò apud ceteras Slauinorum phylarchias rumor conuersionis Chazarorum, ad Rastilaum præpotentem eo tempore Principem Morauiæ, qui & Swantoplucus siue Sfemiptulcus appellari alibi videtur, cùm gentem suam videret vltro ab idolorum cultu recessisse, & Christianæ Fidei percipiendæ auidam esse, Legatos & ipse ad Imperatorem Michaëlem mittit, oratque, vt eximium illum Doctorem Constantinum, qui Chazaros erudisset, ad suam quoque gentem instruendam venire pateretur: quod sanè haud grauatè concessum. Id reor contigisse ante annum* DCCCLVI, *quando Michaël & ab imperij regimine matrem ac sororem, & se ab S. Ignatij familiari consuetudine remouit, fraudulentis Bardæ auunculi sui consilijs circumuentus. Socius Constantino ad hanc secundam expeditionem germanus suus Methodius fuit. Quando ad regiam urbem VVillegradum peruenerint Sancti, inde perspici potest, quòd in priore Vitâ è codice Duchesnij, dicuntur annos quatuor & medium in Morauiâ permansisse, gentemq; vniuersam cum Rege conuertisse. Dein Romam euocati à Nicolao Papâ, statim iter susceperunt, neque eò peruenerunt, nisi Hadriano II Pontifice, qui Nicolao Idib. Nouembris* DCCCLXVII *mortuo suffectus erat: à quo sunt ipsi Episcopi consecrati.*

potente Rastilao Rege mittitur ad Moranos,

ante an. 856.

cum Methodio fratre.

quos conuertunt annis 4 & medium.

anno 877 vocantur Romam:

32 *Non satis tamen liquet an simul ambo sint deinde in* B *Morauiam reuersi; an mox vt fuêre Episcopi inaugurati, quod innuit prior Vita,* *Constantinus* diem transitus sui imminere sibi sentiens, ex concessione Summi Pontificis, Cyrilli sibi nomen imposuerit, quod ei erat diuinitus reuelatum, &, *vt altera Vita tradit*, Episcopatui renuntians, habitum induerit monachalem, *idque circa IV Id. Ianuarias, qui* post XL dies dormitionem acceperit in Domino, sexto decimo Kalendas Martias. *Illud saltem videtur colligi tertiò posse, decessisse è viuis Constantinum ante annum Christi* DCCCLXXX, *quo data à Ioanne VIII* ad Sfentopulchum gloriosum Comitem *est epistola 247 superiùs à nobis citata, in quâ ista habet*: Ipsum quoque Presbyterum, nomine Wichinum, quem nobis direxisti, electum Episcopum consecrauimus sanctæ Ecclesiæ Nitrensis, quem suo Archiepiscopo (*Methodio nimirùm, de quo totâ eâ in epistolâ loquitur*) in omnibus obedientem, sicut sancti Canones docent, esse iubemus & volumus: vt pariter cum ipsius Archiepiscopi consensu & prouidentiâ, alterum nobis apto tempore vtilem Presbyterum vel Diaconum dirigas, quem similiter in aliâ Ecclesiâ, in quâ Episcopalem Sedem noueris esse necessariam, ordinemus Episcopum: vt cum his duobus à nobis ordinatis Episcopis, præfatus Archiepiscopus vester iuxta decretum C Apostolicum, per alia loca, in quibus Episcopi honorificè debent & possunt existere, postmodùm valeat ordinare. *Quid enim præter VVichinum necesse erat tertium Ordinari Episcopum, quocum Methodius alios consecrare Episcopos posset, si aderat Constantinus, qui & Cyrillus, ipse senior & Archiepiscopus?*

fortassis an. 868 mortuus Cyrillus,

saltem ante 880.

33 *Illud tamen longissimè abhorret à vero, quod Pontanus lib. 1 Bohemiæ Piæ scribit,* Borsiuoium Bohemiæ Ducem à Suatopluco Marcomannorum Rege inuitatum, S. Cyrilli informatione diligentissimâ ad fidem Christianam conuersum anno DCCCLXXXXIV, in vigiliâ S. Ioannis Baptistæ cum familiâ suâ Baptismum suscepisse. *At post pauca,* Hic Borziuoius, *inquit,* propter fidem Christianam exilium posteà omnemque iniuriâ tulit patientissimè, Deo commendans omnia; vouensque tum Deo in præsentiâ Regis & Episcopi Morauiæ, si Deus illum in Ducatum collocauerit pristinum, se & Christianum fore bonum & Mariæ Virgini Diuæque Matrique templum insigne dedicaturum. Vbi paullò antè votum emiserat, ecce Bohemiæ Legati adsunt, reditum suum constanter efflagitantes, eoque deducunt, vt è vestigio se in Bohemiam, S. Cyrillo Episcopo Comite, reciperet. *Qui credi potest sub exitum Iunij* DCCCLXXXXIV *baptizatus, in Bohemiam reuertisse, religionem, cui se addixerat, palàm profitendo animos subditorum ita irritasse, vt ad eum è patriâ pellendum, aut etiam trucidandum, coniurarint? Quorum vt se furori* D *subduceret, coactus sit vltro cedere, & in Morauiam ad Swentepulcum se recipere: à quo humanissimè susceptus, illic aliquantulùm* degens doctrinam Christi perfectè nanciscitur, *vt infrà ex S. Ludmillæ Vitâ dicetur. Intereà ad Ducatus gubernacula Zreimir accitus, qui inter Teutones profugus exulabat: & hic quoque, quòd lingua patriæ esset oblitus, & qui ei suffragabantur clandestinâ conspiratione, specie consultationis, contrasentientes tollere de medio cogitassent; cum illis exturbatus è patriâ est: ac tum reuocatus è Morauiâ Borsiuoius. Quis hæc omnia parte extremâ eius anni* DCCCLXXXXIV *sibi persuadeat esse gesta? Cùm ista legantur in Annalibus Francorum Metensibus ad eumdem annum:* Circa hæc etiam tempora Zuentibolck Rex Marahensium Sclauorum, vir inter suos prudentissimus & ingenio callidissimus, diem clausit extremum. Cuius regnum filij eius pauco tempore infeliciter tenuerunt, Hungaris omnia vsque ad solum depopulantibus. *Sed multò magis Pontani sententiam refellit, quod anteà dictum, Methodio, præter VVichinum Nitrensem Episcopum, adiungi alium Episcopum debuisse, quem Rex Methodiusque Papæ obtulissent, vt terni deinceps, eos ipsi consecrare Episcopos possent, qui alij eligerentur; idq; iam ab anno* DCCCLXXX *præscriptum. Vt liquidò constet ante eum annum Constantinum,* E *siue Cyrillum mortuum fuisse.*

neque Borsiuoium Bohemiæ Ducem anno 894 baptizauit,

nec cum eo tunc iuit in Bohemiam.

34 *At neque ij audiendi, qui à Methodio quidem baptizatum fuisse Borsiuoium tradunt, sed eodem anno* DCCCLXXXXIV. *Nam cùm Swatopulcum iuniorem constet à Methodio anathemate perculsum, totique eius regno sacris interdictum, ob religionem violatam; ipsumque tunc Methodium in Bohemiam ad Borsiuoium Ducem iam anteà Christo auctoratum abiuisse, ac posteà à Swantopulco scelerum suorum veniam obnixè flagitante, reuocatum in Morauiam fuisse: quis hæc omnia connectere, & intra paucorum mensium spatium compingere se putet posse, Ducis Baptismum, reditum in patriam, actam illic aliquamdiu ex Christianæ disciplinæ rationibus vitam, inita à popularibus consilia rebellionis, ipsius voluntarium exilium, recuperationem Principatus, iniuriam Methodio illatam à Rege, huius pœnitentiam, reconciliatam cum Antistite gratiam, cædem denique ipsius Regis vel ἀναχώρησιν? Quis hæc, inquam, sex mensium spatio arbitretur accidere potuisse? Sed secessum illum in solitudinem alij seniori Swatepulco tribuunt, alij iuniori. De neutro constat.*

ac ne Methodius quidem eo anno Ducem baptizauit.

35 *De Borsiuoij baptismo ita statuimus, si à S. Cyrillo ei impertitus, id factum ante Hadriani Papæ mortem videri: sed longè similius vero esse illo initiatum à S. Methodio, vti Cosmas Pragensis Decanus, Æneas Siluius, Ioannes Dubrauius tradunt: et si de anno, quo id contigerit, eorum nequaquàm adstipulemur sententiæ. Ab eodem quoque Archiepi-* F *scopo Methodio tincta baptismate est S. Ludmilla Borsiuoij coniux, vt Æneas Siluius cap. 12 scribit, & Boleslaus eorum filius, vt Pontanus lib. 2, qui & Boriuorium ait* per Methudium conciones & Sacra frequentissima fieri curasse, vt multa millia conuerterentur & baptizarentur. *At Dubrauius lib. 4 refert, Boriuorium Spitigneo filio administrandam prouinciam commisisse, vt pietati ipse in arce, cui Tetin vocabulum erat, cum Ludmillâ & Paulo Sacellano, viro religiosissimo, vacare liberiùs posset. At cùm is, optimi parentis saluberrima monita contemnens, præmaturo funere esset elatus, ipseque* ad principatum parens reuocaretur, quoniam alter eius filius Vratislaus impar oneri ferendò propter ætatem adhuc teneriorem esse videbatur; obtinuit tamen Boriuorius, vt idem Vratislaus succederet, quem ipse suis præceptis institutisque formandum recepit. Atque vt præterea in absentiâ patris haberet, quorum auctoritate in Officiò religionis contineretur, egit cum Methodio præsule, vt quoties à diuinis negotijs vacare liceret, iuuenis modestiam, religionemque & fidem corroboraret: dein Drobosino affinitate sibi connexò iniunxit, ne à latere filij discederet, sed præsens semper illum submoneret, quid sequi in vitâ adhuc lubricâ, quidue fugere oporteat.

sed prius, vti & S. Ludmillã;

ac multa millia in Bohemia conuertit:

Vratislaum Ducem pietate informat:

36 *Hic Vratislaus ex Drahomirâ impijssimâ coniuge S. VVenceslaum*

A *VVenceslaum filium suscepit, auo atque auiæ quàm matri similiorem. Boriuorius, vt idem Dubrauius scribit, non multò post* ægritudine velut somno pressus, obdormiuit in Domino, & in æde à se recens conditâ, atque à Methudio præsule consecratâ, ritu Christiano funeratus est. *Abierat anteà Romam, vt idem scriptor ait, Methudius, vbi & non multò post vitâ functus est.* Clareque *& ipse & germanus eius Cyrillus, eodem Dubrauio teste,* in obitu & post eum, sanctitatis suę ediderunt miracula, quæ mox illos in catalogum Sanctorum retulerunt. Memor autem Vratislaus beneficiorum, quæ sancti viri in parentes suos, seque, & totam gentem suam contulerunt, memoriæ huius & apud posteros extare voluit monumentum: nempe templum sub nominibus illorum consecratum, quod ipse in eo loco ædificauit, quem Boleslauiam ex Boleslai filij eius nomine in hodiernum diem appellant; *in eo nimirùm vico, in cuius sacrâ æde hac ipsâ, vt remur, quam VVratislaus ædificârat, Boleslaus crudelis S. VVenceslaum fratrem immaniter trucidauit; quemque ideò vicum fossis, vallis, mœnibus cinxit, ac muniuit, vt Ottoni Cæsari ad vlciscendam innocentissimi Principis cædem mox venturo resistere valeret. Sed quæ ad hos fratres, auum auiamque pertinent pleniùs alibi dicentur, præsertim ad SS. VVenceslai ac Ludmillæ acta.* B *Nunc quæ de hisce Slauorum Apostolis Cyrillo & Methodio reliqua sunt exequamur.*

Romam vadit.

ipsi moriuntur miraculis clarus:

ipsius & Cyrilli honori positū templum à VVratislao,

Boleslauia, in quo postea S. VVenceslaus occisus.

37 *De ijs in Annotationibus ad Martyrol. Rom. Baronius;* Porrò ijdem, *inquit,* Romæ morientes, miraculis clari sepulti sunt, quorum sacras reliquias nuper sub altari in eiusdem ecclesiæ (*nimirùm S. Clementis*) sacello peruetusto repertas esse accepi. *Scribit quoque Octauius Pancirollus in Thesauris absconditis almæ Vrbis, in dictâ ecclesiâ S. Clementis, quæ est 23 regionis 2. Sanctorum horum corpora asseruari, colique eos die IX Martij.*

Cyrilli & Methodij reliquiæ Romæ in S. Clementis:

38 *Translata aliqua eorum posteà in Moraniam reliquiæ. Nam Brunâ, quæ celebris illic ciuitas est, ita ad nos anno* MDCLVIII *P. Theodorus Moretus noster scripsit:* Nuper visitabam Ecclesiam collegiatam Brunensem S. Petri, vbi in Thesauro eiusdem Ecclesiæ S. Cyrilli Episcopi, & cum S. Methodio Apostoli Morauiæ, os brachij integrum mihi ostensum est, in antiquissimâ argenteâ thecâ inclusum.

aliqua S. Cyrilli Brunæ.

39 *Edidit Balthasar Corderius noster Viennæ in Austriâ anno* MDCXXX Apologos morales S. Cyrilli: *ita enim prætitulati erant in veteri codice, qui,* vt compactura & insignia indicabant, fuerat olim Matthiæ Coruini Regis Hungariæ; *atque è celeberrimâ illâ totius ferè Orientis* Bibliothecâ Budensi, per Reuerendiss. D. Ioannem Fabrum Viennensem Episcopum, tamquàm præclarum è Danaûm reliquijs tropæum, in Academicâ Viennensi Bibliothecâ suspensus. C *Erat quidem splendidè satis in membranâ exaratus, sed perquàm vitiosè. Cuius porrò Cyrilli id sit opus, Hierosolymitani, an Alexandrini, an cuiusquam alterius, fatetur Corderius se haud posse diuinare, qui nusquam horum Apologorum mentionem repererit. Sed hic libellus, vt de Scriptoribus Ecclesiast. censet Philippus Labbæus noster,* ab auctore Latino scriptus est: *atque vt obseruauit, quem & ipse citat, Aubertus Miræus in opere de scriptorib. Ecclesiast. ad cap. 57 Gennadij Massiliensis, titulo* Speculi sapientiæ, *Parisijs à Ioanne Paruo iam olim publicatus. Pridem mihi vir doctus aiebat suspicari se, conscriptum eum libellum à S. Cyrillo hoc nostro Sclauorum Apostolo. Inuestigandum esset num eius extet aliquod in Sclauorum scriptis vestigium.*

An Apologi morales S. Cyrilli, sint huius?

40 *Libet ad extremum Ioannis VIII Papæ epistolam 268 recitare, quâ B. Methodio gratulatur de orthodoxa fidei cultu, & de eius erga religionem studio & curâ; eique precatur indies spiritualem profectum maiorem, atque eum consolatur. Ita ergo habet:* Methodio Archiepiscopo pro fide. Pastoralis solicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro exhibes, approbantes; & orthodoxæ Fidei te cultorem strenuum existere contemplantes, nimis in eodem Domino iocundamur; & ei immensas laudes & gratias D agere non cessamus: quia te magis ac magis in suis mandatis accendat; & ad sanctæ suæ Ecclesiæ profectum ab omnibus aduersitatibus clementer eripiat. Verùm auditis per suas litteras varijs casibus vel euentibus tuis, quantâ compassione tibi condoluerimus, ex hoc aduertere poteris, in quo te coram nobis positum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam, iuxta Sanctorum Patrum probabilem traditionem, sequi debere monuimus, & tam symbolum, quàm rectam Fidem à te docendam & prædicandam subdidimus, nostrisque Apostolicis litteris glorioso Principi Stentopulcho, quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significauimus: & neque aliæ litteræ nostræ ad eum directæ sunt, neque Episcopo illi palàm vel secretò aliud faciendum iniunximus, & aliud à te peragendum decreuimus. Quantò minùs credendum est, vt sacramentum ab eodem Episcopo exigeremus, quem saltem leui sermone super hoc negotio allocuti non fuimus? Ideoque cesset illa dubietas, & Deo cooperante, sicut Euangelica & Apostolica se habet doctrina, orthodoxæ Fidei cultum fidelibus cunctis inculca, vt labore tui certaminis, Domino Iesu Christo fructum afferas abundantem, & gratiâ eius remuneratus, mercedem recipias competentem. E Ceterùm de alijs tentationibus, quas diuerso modo perpessus es, noli tristari: quin potiùs hoc, secundùm Apostolum, omne gaudium prorsùs existima, quia si Deus pro te, nemo esse poterit contra te. Tamen cùm Deo duce reuersus fueris; quidquid innormiter aduersum te est commissum, quidquid tam dictus Episcopus contra suum ministerium in te exercuit; vtramque audientiam coram nobis discussam, adiuuante Domino, legitimo fini trademus; & illius pertinaciâ iudicij nostri sententiâ corripere non omittemus. Data x Kalend. Aprilis, Indict. XIIII. *Is erat annus Christi* DCCCLXXXII. *Ex hac porrò epistolâ manifestum est, plura eum dura perpessum, quàm quæ in Vitâ narrantur: & fortassis hoc persecutionis, quam à Swentopulco iuniori tolerauit, initium existimari potest.*

Ioannis 8 Papæ ad S. Methodium epistola,

quâ eius fidei zelum laudat,

& consolatur eum in aduersis,

negans se confictâ aduersus eum criminationi aurem præbuisse,

spondens à Deo mercedem;

Iac. 1, 2

& se quoque ei falsò obiecta discussurum.

V I T A

CVM TRANSLATIONE S. CLEMENTIS,

Ex MS. Francisci Duchesne V. CL.



1 TEmpore igitur quo *a* Michaël Imperator Nouæ-Romæ regebat imperium, fuit quidam vir nobili genere, ciuitate Thessalonicâ ortus, F vocabulo Constantinus, qui ob mirabile ingenium, quo ab ineunte infantiâ mirabiliter claruit, veraci agnomine *b* Philosophus est appellatus. Hic cùm adoleuisset, atque à parentibus fuisset in vrbem regiam ductus, essetque insuper magnâ *c* religione & prudentiâ prædictus, honorem quoque Sacerdotij ibidem, ordinante Domino, est adeptus. Tunc temporis ad præfatum Imperatorem Cazarorum Legati venerunt, orantes ac supplicantes, vt dignaretur mittere ad illos aliquem eruditum virum, qui eos fidem Catholicam veraciter edoceret; adijcientes inter cetera, quoniam nunc *d* Iudæi ad fidem suam, modò Saraceni ad suam nos conuertere è contrario moliuntur. Verùm nos ignorantes ad quos potissimùm nos transferamus, propterea à Summo & Catholico Imperatore consilium quærere nostræ fidei ac salutis decreuimus, in fide vestrâ ac veteri amicitiâ plurimùm confidentes. Tunc Imperator, simul cum Patriarchâ *e* consilio habito, præfatum Philosophum aduocans, simul cum Legatis illorum ac suis, honorificissimè transmisit.

Chazaris fidei magistrum petentibus,

mittitur Constantinus Philosophus, qui & Cyrillus:

A misit illuc, optimè confidens de prudentiâ & eloquentiâ eius.

2 E vestigio igitur præparatis omnibus necessarijs, iter arripiens venit *f* Cersonam, quæ nimirum terræ vicina Cazarorum & contigua est, ibiq; gratiâ discendi linguam gentis illius est aliquantulum demoratus. Intereà Deo inspirante, qui iam iamque tantum tamque pretiosum thesaurum; corporis videlicet S. Clementis, fidelibus suis reuelare decreuerat, cœpit præfatus vir, acsi curiosus explorator, ab incolis loci diligentissimè perscrutari ac solerter inuestigare illa, quæ ad se tum litterarum traditione, tum quoque vulgari famâ, de corpore B. Clementis, de templo Angelicis manibus præparato siue de arcâ ipsius, peruenerant. Ad quem præfati omnes, vtpote non indigenæ, sed diuersis ex gentibus aduenæ, se quod requireret omnino nescire professi sunt. Siquidem ex longo iam tempore, ob culpam & negligentiam incolarum, miraculum illud marini recessus, quod in historiâ passionis præfati Pontificis celebre satis habetur, fieri destiterat, & mare fluctus suos in pristinas stationes resudebat. Prætereà & ob multitudinem incursantiũ Barbarorum locus ille desertus est, & templum neglectũ atque destructum, & magna pars regionis illius ferè desolata & inhabitabilis reddita; ac propterea ipsa B sancti Martyris arca cum corpore ipsius fluctibus obruta fuerat.

f hic Chersona eorum linguam discit,

& de corpore S. Clementis Pontifice inquirit,

cultus tum antiquata memoria:

3 Super quo responso *g* miratus valdè ac tristis Philosophus redditus, ad orationem conuersus est, vt quod per homines explorare non poterat, diuina sibi reuelatio meritis præfati Pontificis dignaretur ostendere. Ciuitatulæ *h* ipsius Metropolitam, nomine *i* Georgium, simul cum Clero & populo ad eadem de cælo expetenda inuitans: super hoc etiam referens illius gesta passionis, seu miraculorum eiusdem beatissimi Martyris; plurimos eorum accedere & tam pretiosas margaritas tamdiu neglectas requirere, & in lucem Deo iuuante reducere, suis adhortationibus animauit. Quâdam autem die, quæ in III *k* Calendarum Ianuariarum inscribitur, tranquillo mari nauem ingressi, Christo Duce iter arripiunt, prædictus videlicet Philosophus cum Episcopo ac venerabili Clero, nec non cum nonnullis de populo. Nauigantes igitur cum ingenti deuotione ac fiduciâ psallentes & orantes peruenerunt ad insulam, in quâ videlicet æstimabant sancti corpus Martyris esse. Eam igitur vndique circumdantes, & multo luminum splendore lustrantes, cœperunt magis ac magis precibus sacris insistere, & C in aceruo illo, quo tantum thesaurum quiescere suspicari dabatur, curiosè satis & instantissimè fodere.

g indicũ precibus,

h i

k cum Episcopo & alijs insulã quamdam adit;

4 Vbi diu multumque desiderio sancto cunctantibus, & de spe diuinæ miserationis plurimùm confidentibus, tandem ex improuiso velut clarissimum quoddam sidus, donante Deo, vna de costis Martyris pretiosi resplenduit. Ad quod spectaculum omnibus immensâ exultatione repletis, magisque ac ampliùs sine aliquâ iam excitatione terram certatim eruderantibus, sanctum quoque caput ipsius consequenter apparuit. Quantæ iam omnium voces in cælum, quantæ laudes & gratiarum actiones in Deum ab vniuersis cum lacrymarum effusionibus, datæ sunt, si vel æstimare quidem vix possumus, quantò minùs exprimere? Tanta siquidem in omnes tum de sanctarum inuentione Reliquiarum, tum de immensissimi odoris suauitate erat innata lætitia, vt cum iubilo ineffabili gratulantes in Paradiso extra sese putaretur consistere. Cùm ecce post paullulum rursus quasi ex quibusdam abditis sanctarum reliquiarum particulis paullatim & per modica interualla, omnes repertæ sunt. Ad vltimum quoque ipsa etiam anchora, cum quâ in Pontum est præcipitatus, apparuit.

vbi refossa eius costa,

tum caput,

diffuso suaui odore:

dein aliæ particulæ,

& anchora,

5 Omnibus igitur pro tantis Dei bonis immensâ repletis lætitiâ, celebratis ibidem à sancto Pontifice sacrosanctis mysterijs, ipsemet sanctus vir super D proprium caput sanctarum reliquiarum loculum leuans, ad nauim cum ingenti vniuersorum subsequentium tripudio detulit; ac deinde *l* Gloriam Metropolim cum hymnis & laudibus maximis transportauit. Intereà cùm iam ciuitati appropinquarent, vir nobilis Nicephorus eiusdem ciuitatis Dux, illis cum pluribus alijs obuiauit, & adoratis sacrosanctis Reliquijs, cum multis gratiarum actionibus præcedens sanctum loculum, ad vrbem cum gaudio remeare properabat. Ibi etiam cum ingenti vniuersorum tripudio sanctum ac venerabile corpus receptum adorauit, & recitato coram omni populo inuentionis eius mysterio, cùm iam aduesperasceret, & præ nimiâ populi frequentiâ ingredi vltrà non posset, in templo S. *m* Sozontis, quod vrbi erat contiguum, cum diligenti custodiâ posuerunt: demùm verò ad Ecclesiam S. *n* Leuntij transtulerunt. Inde cùm manè factum esset, vniuersa ciuitatis multitudo conueniens, assumpto sanctarum Reliquiarum loculo, totam cum magnis laudibus in circuitu lustrauerunt vrbem, & sic ad maiorem basilicam venientes, in eâ ipsum honorificè locauerunt: sicque omnes demùm ad sua gaudentes reuersi sunt.

l eæ Reliquiæ solenniter transferuntur.

m

n

6 Posthæc prædictus Philosophus iter arripiens, & ad gentem illam, ad quam missus fuerat, veniens, E comitatus Redemptoris omnium Dei prædicationibus & rationibus eloquiorum suorum, conuertit omnes illos ab erroribus, quos tam de Saracenorũ quàm de Iudæorum perfidiâ retinebant. Vnde plurimùm exhilarati, & in fide Catholicâ corroborati atque edocti, gratias referebant omnipotenti Deo & famulo eius Constantino Philosopho. Litteras insuper Imperatori cum multis gratiarum actionibus transmiserunt; quia eos studio suo ad veram & Catholicam reuocare studuerit fidem; affirmantes se ob eam rem imperio eius semper subditos & fidelissimos de cetero velle manere. Deducentes autem Philosophum cum multo honore, obtulerunt ei munera maxima, quæ ille omnia, vt reuerà Philosophus, respuens, rogauit vt pro muneribus illis, quotquot captiuos externos haberent, sibi secum mox reuersuro dimitterent. Quod protinus completum est.

Cyrillus Chazaros conuertit,

petit sibi dari omnes externos captiuos & abducit.

7 Philosopho autem reuerso Constantinopolim, audiens Rastilaus Princeps *o* Morauiæ, quod factum fuerat à Philosopho in prouinciâ Cazarorum; ipse quoque genti suæ consulens, ad prædictum Imperatorem nuntios misit, nuntians hoc, quòd populus suus ab idolorum quidem culturâ recesserat, & Christianam legem obseruare desiderabat; verùm Doctorem F talem non habent, qui ad legendum eos, & ad perfectam legem ipsam edoceat: rogare se vt talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem & ordinem diuinæ Legis & viam veritatis populo illi ostendere valeat. Cuius precibus annuens Imperator, eumdem supernominatum Philosophum ad se venire rogauit; eumque illuc, id est, in terram Sclauorum, simul cum Methodio germano suo, transmisit, copiosis valdè illi de palatio suo datis expendijs. Cumque ad partes illas, Deo præparante, venisset; cognoscentes loci indigenæ aduentum illorum, valdè gauisi sunt; quia & reliquias B. Clementis secum ferre audierant, & Euangelium in eorum linguam à Philosopho prædicto translatum. Exeuntes igitur extra ciuitatem obuiàm, honorificè & cum ingenti lætitiâ receperunt eos. Cœperunt itaque ad id quod venerant peragendum studiosè insistere, & paruulos eorum litteras edocere, officia Ecclesiastica instruere, & ad correptionem diuersorum errorum, quos in populo illo repererant, falcem eloquiorum suorum inducere; sicque abrasis & extirpatis de agro illo pestifero multifarijs vitiorũ sentibus, diuini verbi gramina seminare. Manserunt ergo in Morauiâ per annos quatuor & dimidium, & direxerunt populum illius in fide Catholicâ, & scripta ibi

o mittitur cum Methodio ad Slauos in Morauiã:

ferunt secũ reliquias S. Clementis,

& Euangelium Slauonicè redditum:

Omnes conuertit.

A ibi reliquerunt omnia, quæ ad Ecclesiæ ministerium videbantur esse necessaria.

8 His omnibus auditis, Papa gloriosissimus Nicolaus, valdè lætus super his quæ sibi ex hoc relata fuerant redditus, mandauit & ad se venire illos litteris Apostolicis inuitauit. Quo nuntio illi percepto valdè gauisi sunt, gratias agentes Deo, quòd tanti erant habiti, quòd mererentur ab Apostolicâ Sede vocari. Mox igitur iter aggressi, duxerunt etiam secum aliquos de discipulis suis, quos dignos esse ad Episcopatus honorem recipiendum censebant: sicque post aliquot dies Romam applicuerant.

vocantur Romam à Nicolao I

9 Sed cùm ante non multos dies supradictus Papa Nicolaus *p* transisset ad Dominum, secundus Adrianus, qui illi in Romano Pontificatu successerat, audiens quòd præfatus Philosophus corpus B. Clementis, quod studio suo repererat, secum deferret, valdè nimis exhilaratus est, & extra Vrbem cum Clero & populo procedens obuiàm illis, honorificè satis eos recepit. Cœperunt intereà ad præsentiam sanctarum Reliquiarum, per virtutem omnipotentis Dei, sanitates mirabiles fieri; ita vt quouis languore quilibet oppressus fuisset, adoratis pretiosi Martyris reliquijs sacrosanctis, protinus saluaretur. Quapropter tam Venerabilis Apostolicus quàm & totius Romani populi vniuersitas, gratias & laudes Deo maximas referentes, B gaudebant & iocundabantur in ipso, qui eis post tam prolixi temporis spatia concesserit in diebus suis sanctum & Apostolicum virum, & ipsius Apostolorum Principis Petri successorem, in Sede suâ recipere; & non solùm Vrbem totam, sed & orbem quoque totum Romani Imperij, signis eius ac virtutibus illustrare. Multis itaque gratiarum actionibus præfato Philosopho pro tanto beneficio redditis, consecrauerunt ipsum & Methodium in Episcopos, nec non & ceteros eorum discipulos in Presbyteros & Diaconos.

p eo mortuo recipiuntur ab Adriano 2 honorificè.

ad Reliquias S. Clementis fiunt miracula:

ipsi Episcopi consecrantur.

10 Cùm autem Philosophus, qui & Constantinus, diem transitus sui imminere sibi sensisset, ex concessione Summi Pontificis imposuit sibi nomē Cyrillum, dicens hoc reuelatū sibi fuisse: & sic post quadraginta dies dormitionem accepit in Domino *q* sexto decimo Kalendas Martias. Præcepit autem sanctus Apostolicus, vt omnes tam Græci quàm Romani Clerici ad exequias eius accurrerent cum psalmis & canticis, cum cereis & thuris odoribus, & non aliter ei, quàm ipsi quoque Apostolico, funeris honorem impenderent.

q S. Cyrillus Romæ moritur & magnificè effertur,

11 Tunc supradictus frater eius Methodius accedens ad sanctum Pontificem, & procidens ad vestigia C eius, ait: Dignum ac necessarium duxi suggerere Beatitudini Tuæ, Apostolice Pater, quoniam quando ex domo nostrâ ad seruitium, quod auxiliante Domino fecimus, sumus egressi; mater cum multis lacrymis obtestata est, vt si aliquem ex nobis, antequam reuerteremur, obijsse contingeret, defunctum fratrem frater viuens ad monasterium suum reduceret, & ibidem illum digno & competenti obsequio sepeliret. Dignetur igitur Sanctitas vestra hoc munus meæ paruitati concedere, ne precibus matris vel contestationibus videar aliquatenus contraire. Non est visum Apostolico, quamuis graue sibi aliquantulùm videretur, petitioni & voluntati huiuscemodi refragari: sed clausum diligenter defuncti corpus in locello marmoreo, & proprio insuper sigillo signatum, post septem dies dat ei licentiam recedendi. Tunc Romanus Clerus simul cum Episcopis ac Cardinalibus & nobilibus Vrbis consilio habito conuenientes ad Apostolicum cœperunt dicere: Indignum nobis valdè videtur, venerabilis Pater & Domine, vt tantum tamque magnificum virum, per quem tam pretiosum thesaurum Vrbs & Ecclesia nostra recuperare promeruit, & quem Deus ex tam longinquis regionibus & exteris ad nos suâ gratuitâ pietate perducere, & adhuc etiam ex hoc loco ad sua regna est dignatus assumere, qualibet interD ueniente occasione in alias pariamini partes transferri: sed hic potiùs placet, honorificè tumuletur, quia & dignum valdè est, vt famæ tam celebris homo, in tam celeberrimâ vrbe, celebrem locum habeat sepulturæ. Placuit hoc concilium Apostolico, & statuit vt in B. Petri basilicâ poneretur, in suo videlicet proprio monumento.

Methodio volenti corpus fratris in patriam transferre,

annuit primùm Papa,

dein Romanis intercedentibus,

id negat;

12 Cernens Methodius iam suum defecisse propositum, orauit iterum dicens: Obsecro vos Domini mei, quandoquidem non est placitum vobis, meam petitiunculam adimplere, vt in ecclesiâ B. Clementis, cuius corpus multo suo labore ac studio repertum huc detulit, recondatur. Annuit huiusmodi petitioni Præsul sanctissimus, & concurrente Cleri ac populi maximâ frequentiâ, cum ingenti lætitiâ & reuerentiâ multâ, simul cum locello marmoreo, in quo pridem illum prædictus Papa condiderat, posuerunt in monumento ad id præparato in basilicâ B. Clementis ad dexteram partem altaris ipsius, cum hymnis & laudibus, maximas gratias agentes Deo: qui in loco eodem multa & miranda operatur, ad laudem & gloriam nominis sui, per merita & orationes Sanctorum suorum, qui est benedictus & gloriosus in secula seculorū, Amen.

sed iubet magnificè sepeliri

in templo S. Clementis,

vbi & miraculis clarescit.

a *Non primus hic eius nominis* Michaël Curopalates, *cognomine* Rengabe, *qui an.* 811. *mense Octobri Imperator factus, anno* 813 *principatu cessit haud inuitus, Leone Armeno eum occupante: sed tertius, Theophili iconomachi filius & Sanctæ Theodoræ, de qua ac filio eius fusè actum* 11 *Februarij.* E

b *Malè hoc cognomen parenti eius tribuitur, vt anteà probatum.*

c *Id quod de eo quoque tradit Anastasius Bibliothecarius anteà citatus, qui & scriptoris huius Gauderici, & ipsius S. Constantini Philosophi æqualis fuit.*

d *Idem VVlodomiro potentissimo Russorum Duci accidisse tradit Matthias de Michouia lib. 2 Chronicorum Polon. cap.* 3: *Iudæorum tamen ei Lex grauis videbatur, Mahometistarum fœditates ac turpes: Christianorum autem orthodoxam amplexus est religionem, quam Basilius & Constantinus Imperatores quorum sororem Annam sibi vxorem deposcebat, cum Ecclesiâ Constantinopolitanâ colebant: sed ritibus Græcorum adhæsit, proptereàque quod legati, quos ea caussa Constantinopolim miserat, homines plurimùm militares & adhuc semibarbari, eos vehementer commendassent; Latinorum verò cæremonias vel iidem, vel fortè eiusdem alij nuntij, haud satis religiosè peragi, ac templa parùm esse ornata retulissent. Nisi id posteà Græci schismatis propugnatores confinxerunt, cùm eum ac filios plerosque constet Catholicæ fidei cumprimis studiosos extitisse. quorum duo* Dauid *ac* Romanus, *siue* Borissus *ac* Glebus *in catalogo Sanctorum à Russis, etiam Romanæ Ecclesiæ vnitis, recensentur.*

e *Eum oportet S. Ignatium fuisse vt constat per ea quæ ex Bibliothecario retulimus nequiter confinxisse Photium, vt eidem Ignatio conflaret inuidiam, de quibus eum S. Constantinus coarguit: quod omnino videtur, antequàm ad Chazaros proficisceretur, contigisse.* F

f *De hac vrbe plura diximus ad* VII *Martij cùm de SS. Ephrem, Basileo & alijs Episcopis ageremus.*

Chersona ciuitas Chersonensis

g *Ita legendum censuimus. apographum codicis Parisiensis habebat* iratus.

h *Quomodò* ciuitatulam *dicit, si ipsa est quam antè* Chersonam *appellauit siue* Chersonesum, *quæ olim perampla fuisse dicitur,* quinque millia passuum ambiente muro, *vt Plinius scribit. Sed cùm gesta sunt quæ hic narrantur, fortassis iam tum à barbaris direpta & ex parte excisa fuerat.*

i *Iacobus de Voragine superiùs à nobis citatus* § 2 *nu.* 12 *ita habet:* accedens ad ciuitatulam nomine Georgiam. *Et Equilinius lib.* 10 *cap.* 98. Tunc assumpto Episcopo Georgiæ ciuitatis. *Putat Baronius* hanc illam esse ciuitatem quam Plinius lib. 4 cap. 12 Georgon appellat, vnde Georgij, de quibus idem Plinius lib. 6 cap. 13. *Plinius priore loco* Georgon ciuitatem *non habet, sed gentem Scythicam quæ terram colat. Verba eius sunt:* Vltrà Panticapei amnis, qui Nomadas & Georgos disterminat. *At lib.* 6 *cap.* 13. Vltra eos (*nimirùm Arimpheos nemorum habitatores*) planè iam Scythæ, Cimmerij, Cicianthi, Georgi, & Amazonum gens. *Mela lib.* 1 *cap.* 2 *etiam* Georgos & Moschos *inter Scythiæ populos numerat. Et lib.* 2 *cap.* 1 *nominis rationem indicat:* Vagi Nomades pecorum pabula sequuntur, atque vt illa durant, ita diu statim sedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros. *Sic vt ex neutro auctore satis probetur vrbem aliquam extitisse, quæ* Georgia *vel* Georgos *diceretur. Quin verò videantur vocabula illa* Georgi & Nomades *appellatiua esse, sed pro gentilitiis sumpta, cùm hoc pecuarios significet, illud* agricolas. *Asiæ regionem* Georgiam, *inter Euxinum ac Hircanum mare sitam, scribit Iosephus Silos Historia Theatinorum tom.* 2 *lib* 13, ab

In Georgia ciuitate

qui Georgi populi?

Georgiana rum regio

A ab agrorum culturâ, cui addicta apprimè gens, Græcum nomen inuenisse. *Alij à S. Georgio id accersunt, alij aliunde.*

k *In nullis adhuc fastis ad eum diem S. Clementis mentionem reperimus.*

l *Ita habet ecgraphon nostrum, nec quid diuinemus occurrit: alibi videtur* Heraclea Chersonesus *metropolis statui.*

S. Sozon. m *Egregiè perfunctus martyrio est* S. Sozon *Pompeiopoli in Ciliciâ, quod 7 Septemb. dabimus.*

S. Leontius. n *Multi in Martyrologiis tum Latinorum tum Græcorum memorantur* Leontij, *cui potissimùm in Tauricâ Chersoneso dicata fuerit ecclesia, nos latet.*

o *Ecgraphon,* Mirauit. *videtur scriptum* Moravve.

S. Nicolaus PP. p *Mortuus est* S. Nicolaus *Papa an. 867 13 Nouembris, ad quem diem nomen eius Martyrologio Rom. inscriptum est.*

q *Non meminère eius illo die quæ adhuc vidimus Martyrologia: sed, vt suprà diximus, 9 Martij, quo simul cum S. Methodio colitur.*

VITA EORVMDEM SANCTORVM CYRILLI ET METHODII

ex MS. Blauburano.

Chazari, Bulgari, Morani, Bohemi per eos conuersi: corpus S. Clementis Papæ Romam allatum: vsus linguæ Sclauonicæ in sacris: aduersa Methodio illata.

1 Tempore Michaëlis Imperatoris, fuit quidam vir genere nobilis, ciuitate Thessalonicâ ortus, nomine Constantinus, qui propter mirabile eius ingeniû dictus est Philosophus (hic quinquagesimo die ante obitum suum, ex licentiâ Sûmi Pontificis imposuit sibi nomen Cyrillus, asserens sibi nomen hoc diuinitus fuisse reuelatum) cumque adoleuisset, magnâ religione & prudentiâ est præditus, honoremque Sacerdotij *c* ibidem est adeptus. Eodem tempore ad præfatum Imperatoré in Constantinopoli venerunt Gazarorum legati, supplicantes quatenùs dignaretur aliquem virum eruditum ad illos mittere, qui eos fidem Catholicam veraciter edoceret; adiicientes inter cetera, quomodò nunc Iudæi, nunc Saraceni, ad suam fidem eos molirentur conuertere. Tunc Imperator cum Patriarchâ habito consilio, præfatum Philosophum illuc transmisit, optimè confidens de eius prudentiâ, conuersatione laudabili, & morum puritate.

a *b* *Constantinus Philosophus* *c* *mittitur ad Chazaros fide imbuendos.*

2 Vir autem clarus iter arripiens, venit *d* Gersanam, quæ Gazarorum terræ vicina & contigua erat: & ibi gratiâ discendi *e* linguam illius gentis, est aliC quantulùm commoratus. Intereà, Deo inspirante, interrogauit habitatores loci illius de corpore S. Clementis. Sed quia aduenæ erant potiùs quàm indigenæ, professi sunt se nescire. Miraculum enim marini recessus, ob culpam inhabitantium iam dudum cessauerat, & ob incursum barbarorum templum fuerat destructum. Porrò vir sanctus ad vigilias, ieiunia, & orationes conuertitur; Domino supplicans, vt quæ per homines explorare non poterat, diuinâ sibi reuelatione pandere dignaretur. Tunc mari siccato diuinitus, ecclesiam sibi dudum consecratam ingreditur, & corpus S. Clementis Papæ & Martyris cum anchorâ inueniens, & reuerenter sustollens, quocumque locorum ibat secum deportabat.

d *e* *Linguam eorum discit Chersonæ:* *diuinitus inuenit corpus S. Clementis,* *& secum defert:*

3 Post hæc iter arripiens ad terram Gazarorum perueniens, Prophetica & Euangelica semina serebat in populo, virtutibusque & exemplis lucebat, omnium dulci prædicationis sermone corda refecit esurientium: ita vt ab errore idololatriæ ad viam veritatis terram illam reduceret. At illi plurimùm exhilarati, & in fide Catholicâ roborati, omnipotenti Deo, & famulo eius Constantino, quòd ab errore draconis flammiuomi essent eruti, gratias referebant, offerentes Philosopho D maxima munera; qui illa omnia, vt reuerâ Philosophus, respuens, rogauit eos quatenùs pro muneribus illis, quotquot captiuos haberent Christianos seruituti deditos, dimitterent liberos; quod protinus est adimpletum. Quo facto Philosophus reuersus est Constantinopolim.

Chazaros conuertit: *munera respuens, captiuos petit, & obtinet.*

4 Audiens autem Princeps Morauię, quod factum fuerat à Philosopho in Gazarorum prouinciâ, ipse quoque genti suæ consulens, misit ad prædictum Imperatorem nuntios, rogans eum, quatenùs genti suæ verum doctorem dirigeret; qui eis pleniter fidem rectam, legis ordinem, & viam veritatis valeat ostendere. Cuius precibus annuens Imperator, prænuntiatum Philosophum cum Methudio germano suo illuc transmisit, mandans eis dari copiosas expensas pro itinere. Egressus itaque, primò venit ad Bulgaros, quos, diuinâ gratiâ cooperante, suâ prædicatione conuertit ad fidem.

expetitus à Morauis, *cū Methodio in viâ Bulgaris prædicat,*

5 Ab inde autem procedens, venit in terram Morauiæ, secum portans corpus S. Clementis. Cœpit autem ad id propter quod venerat, peragendum, studiosè insistere, scilicet ad correctionem diuersorum errorum, quos in populo inuenerat, falcem eloquiorum E suorum inducere, & de agro illo pestiferos vitiorum sentes extirpare, & diuini verbi semina seminare. Vnde quotidie cum fratre suo Methudio perlustrabat vicos & villas, oppida & ciuitates, instillando in aures fidelium verba vitæ, docens populum, per Baptismum remissionem peccatorum accipere; nec eos aliter saluari posse, veraciter proclamabat. Dum hæc saluberrima vir Dei prædicaret eloquia, & in corde Regis ac populi iã inspirata diuinitus illuxisset gratia; Rex ipse cũ multitudine populi sui hac doctrinâ firmiter confortatus, non moratus in viâ, nil dubitans in fide, hilaritate magnâ animi, magnâ spe salutis præsentis & futuræ, intimis instabat postulationibus, quatenùs Catholicæ fidei eum firmis initiaret Sacramentis. Hoc vt audierunt viri sancti, præ gaudio lacrymati, pro eorum conuersione & desiderio deprecabantur Dominum instantiùs: deinde sacri Baptismatis vndâ mundatum æterno Regi munus acceptabile Regem obtulerunt mortalem. Cumque viri Dei ipsum Regem cum populo suo religiosâ solicitudine ad fidei lumen omnino prouocassent, illis deinde nouum & vetus testamenta exponentes, & informantes eos, plura de Græco & Latino transferentes, in Sclauonicâ linguâ Canonicas Horas & Missas in Ecclesiâ Dei publicè statuerunt decantare.

deinde Morauis, *quos cum Rege suo baptizauit,* *vsus Scripturas & sacra alia Sclauonicè vertunt.*

6 Manserunt autem in Morauiâ annos quatuor & dimidium, quibus terræ illius populum direxerunt in viam salutarem. His omnibus auditis Papa, Nicolaus lætus factus super his quæ sibi relata fuerunt, scilicet de conuersione gentis Bulgarorum & Morauiæ, & de reliquiis inuentis S. Clementis; mirabatur tamen ex aliâ parte, quòd ausi fuissent Sacerdotes Domini Horas Canonicas in Sclauonico decantare. Quapropter mandauit per litteras Apostolicas illos ad se venire Romam. Qui mox iter aggressi applicuerunt Romam, Papâ interim moriente. Audiens autem Papa Adrianus, quòd Cyrillus corpus S. Clementis secum deferret, exhilaratus valdè, cum Clero & populo procedens illis obuiàm, honorificè eos cum sacris suscepit reliquiis. Cœperunt autem intereà ad præsentiam reliquiarum sanctarum, per virtutem omnipotentis Dei sanitates innumerabiles fieri; ita vt quouis languore quilibet oppressus fuisset, venerandis sanctis reliquiis sancti Martyris protinus sanaretur. Sepelierunt autem corpus sanctum in ecclesiâ, quæ in nomine eius diu anteà fuerat constructa.

F *euocantur Romam à Nicolao Papâ:* *eo mortuo recipiuntur ad Adriano 2,* *offerentes S. Clementis reliquias.*

7 Apostolicus verò & reliqui Rectores Ecclesiæ corripiebant B. Cyrillum, cur videlicet ausus fuisset in Sclauonicâ linguâ Horas Canonicas statuere, & san-

ctorum

A ctorum Patrum instituta immutare. At ille humiliter respondens, dixit: Attendite, vos Fratres & Domini, sermonem Apostoli dicentis: Loqui variis linguis nolite prohibere. Secutus ego Apostolicam doctrinam, quam impugnatis, institui. At illi dixerunt: Quamuis Apostolus loqui linguis variis persuaserit, non tamen per hoc in ipsam, quam statuisti, linguam, diuina solennia voluit decantari. Cùm autem propter huiusmodi institutionem plus & plus inter eos cresceret altercatio, B. Cyrillus dictum Dauidicum protulit in medium dicens: Scriptum est enim, Omnis spiritus laudet Dominum. Et si omnis Spiritus laudando magnificat Dominum, cur me ergo prohibetis sacrarum Missarum solennia & Horarum Sclauonicè modulari? Siquidem si quiuissemus illi populo aliter aliquando cum ceteris nationibus subuenire in linguâ Græcâ vel Latinâ, omnino quæ reprehenditis, non sanxissem: sed quia idiotas viarum Dei totaliter eos reperiens & ignaros, solum hoc ingenium almifluâ sancti Spiritus gratiâ cordi meo inspirante, per quod etiam innumerosum populum Deo acquisiui. Quapropter, Patres & Domini, cogitate consultiùs, si institutionis meæ normam hanc expediat immutare. At illi audientes &
B admirantes tanti viri industriam & fidem, studiosâ deliberatione præhabitâ, statuerunt supradicto ordine & sermone in illis partibus, quas Deo B. Cyrillus acquisierat, sicut statuerat, Canonicas Horas cum Missarum solenniis ita debere deinceps celebrari.

rationem reddit cur Horas & Missas Sclauonicè verterint & cantarint,
1 Cor. 14, 39
Ps. 150, 6
quod sanctè cum concilio approbat Papa.

8 Cùm ergo fama viri Dei magnificaretur in populo, expauescens ne rumigero populi celebraretur fauore, sub magnâ deliberauit vigilantiâ potiùs soli Deo cognitus esse, quàm hominum efferri laudibus. Quapropter Episcopatui renuntians, habitum induit monachalem, & ex auctoritate Apostolicâ dereliquit post se S. Methudium fratrem suum, gloriosis virtutibus glorificandum & ei pro fœdere caritatis æternæ, tamquàm pius Magister discipulo suo, amore deuoto curam commendauit pastoralem: in quo caritatis munificentia, religio optimæ vitæ, & verbi Dei instantia, veraciter residebat. Factus ergo Morauorum Antistes & Lucerna patriæ, gregem commissum curæ suæ discretâ pietate monuit, docuit & correxit, euellens nocua, salubria seminans, Ecclesias Dei ad culmen summi honoris erigens, in ista exercens, vnumquemque à pollutâ religione discedere persuasit, & Baptismum Christi induere. Insuper cum instantiâ vir Dei rexit Ecclesiam sibi commissam. Sic per suam salutarem doctrinam sanctissimum Christi nomen resonabat in o-
C re cunctorum: sic omnes quiescebant in pulchritudine pacis, omnes gaudebant in agnitione veritatis, vniuersi lætabantur in sanctitate religionis.

Cyrillus fit monachus:
Methodius Ep. sedulò suorum salutê curat.

9 Cernens autem ludificator animarum diabolus, populum semper suis mancipatum seruitijs sibi subtrahi, & Christo Regi applicari; nequitiarum indutus armis, ad tantam malignitatis perfidiam Deo odibiles excitauit, vt seditiosus Swadopluk Princeps doli, cum sibi adhærentibus fraudum complicibus fremeret, intantùm quòd religiosum Principem auunculum suum occultè potione veneni appeteret occidere, quatenùs in loco eius posset regnare. Sed pius Rex sumpto ignoranter potu lethali, Diuinâ se gratiâ protegente, nil nocuum sensit in corpore.

In pij Regis necem conspirat nepos,
frustrà:

10 Postquàm verò deuotus Rex fuisset naturali morte præuentus, & Swadopluk regnum Morauiæ gubernaret; suâ feritate inflatus, fastu arrogantiæ cum ministris satanæ, qui sibi pari conspiratione tamquàm canes rabidissimi erant connexi, doctrinam viri Dei vanam fore asserebant, & eos, quos vnà cum eis erroneos reuocauerat ad viam veritatis, salutis & gratiæ, laborabant exterminare. Præco autem Christi constantissimus plebem Deo fidelem admonuit, vt in viâ veritatis persisterent, qui alacri corde salutaria eius monita capaciter susceperunt. Rebelles verò contumaciter aspernabantur legem Domini, plurimis iniurijs af- D
ficientes Sacerdotes Domini.

posteà regnum adeptus Fideles persequitur:

11 Pater autem Angelicus altâ consideratione perpendens, quomodò nonnullos pie credentes splendor lucis accenderat, & alios impiè credentes & derogantes tetra caligo diffuderat; & quomodò sequaces boni currunt ad gloriam, & perfidi trahuntur ad pœnam; illorum declinans pertinaciam, illos tamquàm hostes religionis Catholicæ abhorruit, omnem eorum conuersationem detestans, Dauidico suffultus eloquio dixit intra se: De cetero non sedebo cum consilio malignantium, & cum sceleratis non manebo: sed adhærebo innocentibus, & circumdabo altare Dei mei. Quapropter in frontosum Principem Swadopluk, & suos satellites, & in omnes eius f Gades, excommunicationis fulminauit sententiam. f

S. Methodius eum excommunicat cum suis.
Ps. 25, 4

12 Quo facto Romam adire volens beatumque Cyrillum secum ducere; sed inueniens eum mortuũ, petiit Papam vt saltem fraternum corpus exanime secum posset Morauiam deferre, pro deuotione gentis ipsius nouiter conuersæ. Cui petitioni cùm non annuisset Apostolicus, B. Methudius occultè pro tempore stetit Romæ, & tandem quadam nocte ingre- E
diens ecclesiam S. Clementis, in quâ corpus fraternum fuerat sepultum, id occultè recipiens, ad Morauiam secum deportare voluit. Cumque per aliquot dies corpus sanctum deportaret secum in viâ, & in loco quodam amœno requiesceret, & posteà cum corpore sancto vlteriùs vellet procedere, nullâ ratione ab illo potuit abire loco. Beatus autem Methudius orationibus insistens, petijt sibi diuinitus reuelari, quonam corpus id sacrum deberet deferri. Tunc S. Cyrillus manu dexterâ eleuatâ ostendit fratri suo Methudio multis videntibus, quòd Romam iterum deberet deportari. Quo deportato, Papa cum populo Romano sancto occurrens corpori, & reuerenter id recipiens, in ecclesiâ S. Clementis, vbi anteà iacuerat, iterum sepeliuit.

S. Cyrilli corpus, Papa abnuente, clàm Româ aufert,
sed vi diuina sistitur in via,
& monitus a mortuo, id refert:

13 Post hoc Swadopluk pœnitentiâ ductus super his, quæ viro sancto iniustè intulerat, misit per nuntios ad virum sanctum, per quos petiit, vt reuerteretur ad Ecclesiam suam, promittens errata emendare. Tunc vir Dei gregem suum reuisere properat, quẽ reliquerat corpore, non affectu. Ad cuius aduentum occurrentes nobiles cum ciuibus patriæ, & in mirum exultationis gaudium versi, grates Deo dixerunt: Visitasti, Domine, terram tuam lætificasti eam, remittens nobis nostrum Pastorem animarum.

reuocatus in Morauiam:

14 Accidit autem vt Rex Swadopluk in quodam F
conuiuio Ducem Bohemiæ, nomine g Worsiwoi, sub g
mensâ suâ in detestationem suæ perfidiæ locaret, incongruum asserens debere cum Christicolis gentilem hominem edere. Quem sanctus Præsul Methudius conuertit ad fidem Catholicam, prædicens ei ore prophetico, si baptizaretur, quòd ipse & sui successores potentiores omnibus Principibus & Regibus fierent. Cuius verbis Dux Worsiwoi consentiens, se petijt cũ triginta suis numero baptizari. Quo baptizato, Sacerdotibus secum receptis, Bohemiam reuertitur, & vxorem suam S. Ludmillam, cum multitudine gentis Bohemiæ, curauit baptizari: qui in Christi fide viuentes, post multa tempora animas Christo reddiderunt, sancta exempla post se relinquentes posteris vsque in hodiernum diem, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, cui est honor & gloria in secula seculorũ, Amen.

Ducem Bohemiæ baptizat,
eiq; fausta vaticinatur.

a *Initium ex præcedenti Vitâ expressum, sed subinde interpolatum & contractum.*

b *Quæ parenthesi inclusimus in præced. Vitâ nu. 10 habentur, loco aptiore,*

c *Præcedens Vita habet cùm adolevisset,* in vrbem à parentibus fuisse deductum: *quod hîc omissum, cùm tamen vox* ibidem *eò referatur.*

d *Alibi* Cherson, Chersona, *& olim* Chersonesus, *ipso peninsulæ nomine.*

e Nam

A c *Nam cùm esset vrbs Græca, in ea tamen aliqui ex vicinis Chazaris degebant, vel qui horum linguæ per cõmercia vsum haberent.*

f *Ita habebat ecgraphon, vel* Godes Populine, *an ditiones Suuatopulco subiecta hac voce significentur non satis liquet: alterutros vel vtrosque significari, patet ex huius loci expositione in fine sequentium Lectionum.*

g *Qui hic* Worsivvoi, *alibi* Boriuoi *&* Boriuorius, *appellatur.*

LECTIONES ECCLESIASTICÆ DE IISDEM SANCTIS CYRILLO ET METHODIO,

ex veteri MS. Breuiario Olomuc.

LECTIO. 1. a BEatus Cyrillus natione Græcus, tam Latinis quàm ipsis Græcorum apicibus instructus, postquàm Wulgari crediderunt, aggressus est, in nomine sanctæ Trinitatis & indiuiduæ vnitatis, etiam genti Morauiæ fidem Domini nostri Iesu Christi prædicare. Et cooperante Diuinâ gratiâ, postquàm illos Christo lucratus fuerat, etiam apices vel characteres nouos comperit, & vetus nouumque Testamentum, pluraque alia de Græco seu Latino Slauonicam in linguam transtulit: ac Missas præterea ceterasque Canonicas Horas in Ecclesiâ resonare statuit. Quod & vsque hodie in partibus Sclauorum agitur, maximè in Wulgaris, multæque ex hoc animæ Christo Domino acquiruntur.

S. Cyrillus Moranos conuertit: B *Sclauonicas inuenit litteras:* *Missas Sclauonicè cantat:*

2 Cumque quodam tempore memoratus Cyrillus Romam caussâ deuotionis adisset, à Summo Pontifice & à reliquis Rectoribus Ecclesiæ redarguitur, vt quòd contra statuta Canonum ausus fuerit Missarum solennia instituere canere Slauonicâ in linguâ. Illo humiliter satisfaciente illis, nec omnino eos mitigare valente; arrepto psalterio, Psalmigraphi versum in medio recitauit, quo dicitur, Omnis spiritus laudet Dominũ.

ob hoc à Papa reprehensus; Ps.150.6. *apto responso eum inducit vt permittat;*

3 Et ipsi versui alludens, Si, inquit, omnis spiritus laudet Dominum, cur me, Patres electi, prohibetis Missarum solennia celebrantem modulari Slauonicè? seu alia quæque de Latino vel Græco verbo eorum vertere in sermonem? Si quidem vel in eo quiuissem subuenire populo illi, vt ceteris nationibus, in linguâ Latinâ vel Græcâ, omnimodis id non præsumpsissem. Sed omnino idiotas & ignaros viarum Domini reperiens, solum hoc ingenium, omnipotente Deo cordi meo inspirante, comperi; per quod etiam multos Deo acquisiui. Quapropter ignoscite mihi, Patres & Domini: siquidem & Paulus Apostolus Doctor gentium in epistolâ suâ ad Corinthios inquit: Loqui linguis nolite prohibere: At illi audientes, & admirantes tanti viri sanctitatem & fidem, auctoritate suâ statuerunt, & firmarunt, supernotato sermone partibus in illis Missarum solennia ceterasque Horas Canonicas hymnizare.

C 1 Cor.14. 39

4 Ipse autem Cyrillus etiam ibi persistens, monachicum habitum ibi suscipiens, diem clausit extremũ, relinquens supermemoratis in partibus fratrem suum, nomine Methudium, virum strenuum omnique sanctitate decoratum. Qui etiam postquàm multos Christo manipulos congregauerat, ab ipso Principe, qui partibus in illis tunc dominabatur, & imperabat vniuersæ terræ ceu magnificus Imperator, statuitur vt Summus Pontifex fieret, habens sub se b septem Pontifices eiusdem sanctitatis.

fit monachus, *& Episcopatum suum Methodio fratri tradit:* b

5 Sed quia ab ipso mundi primordio, postquàm protoplastus sumpsit vetiti amaritudinem pomi, seminarium discordiæ inter humilitatem & superbiam, inter dilectionem & odium, & reliqua virtutum odoramenta vitiorumque fœtorem, humani generis inimicus vsque ad præsens fundere non desistit; dolens populum suis semper seruitijs mancipatum sibi subtrahi, vtroque Regi Christo Domino acquiri; totis nequitiarum armis indutus, nouos satellites & ignaros ad tantam perfidiam bellandi adit, discordiarum venenata semina inter ipsos primarios rectoresque iactitat & auaritiæ & superbiæ ignita tela parat.

Iunior Zuentopulck in necem auunculi sui Regis conspirat. D

6 Et hoc intantum, vt Swatopluk, qui erat nepos Principis vel Regis religiosi, qui institutor & rector totius Christianitatis seu religionis extiterat benignus, ipsum auunculum suum insidijs appetitum regno pellere, visu priuare, vitamque ei veneno conaretur auferre. Sed haustô illo pestifero potu, protegente se diuinâ gratiâ, nil aduersum patitur. Dehinc Swatopluk tyrannide susceptâ, fastu arrogantiæ inflammatus, cum sibi militantibus sodalibus, Pontificis Methudij prædicationem quasi mellifluam respuit, monitaque sacratissima non pleniter suscepit: verùm membra sua, videlicet plebem populumque suum, partim Christo partim diabolo seruire exhibuit. Quapropter à Pontifice beatæ memoriæ supermemorato pagus eius & rus cum habitantibus incolis, anathemate percussa, cum sulcis suis & fructibus, diuersis cladibus attrita, vsque in hodiernum diem deflent. *Hæc ex MS. illo, quantùm legi potuerunt.*

Methodium contemnit, *qui eius subditos apostatas excommunicat.* E

a *Cùm his Lectionibus congruit initium Vitæ S. Ludmillæ, quæ extat in MS. cœnobij Budicensis Canonicorum regularium in diœcesi Paderbornensi, sed phrasi nonnihil subinde amplificatâ.*

b *Dudum inquirimus, qui illi, quarumue Sedium, fuerit Pontifices: vnicum hactenus reperimus* Wichinum Nitrensem, *quæ nunc Sedes subiecta est Archiepiscopo Strigoniensi Metropolitæ Hungariæ.*

c *In citatâ S. Ludmillæ Vitâ hæc sequuntur:* data in direptionem & captiuitatem & prædam & decitum & desolationem; atque in sibilum vniuersæ carni gradienti per eam: quoniam nulla societas lucis ad tenebras, nec conuentio Christi cum Belial. Quorum exempla nos quoque videntur respicere, qui eisdem passibus conantur incedere; quoniam qui domum vicini sui conspicit conflagrari, suspectus debet esse de sua. *Quæ videtur inde suo adscriptione citatis lectionibus Vitæ illius priorem partem concinnauit.*

BOHEMORVM CONVERSIO PER S. METHODIVM EPISC.

ex MS. cœnobij Budecensis in Vitâ S. Ludmillæ Mart.

1 PEstilentiæ cladibus afflicti infelices illi, qui nunc Slaui Boiemi, sub Arcturo positi, postquàm diu sine lege, sine principe vel rectore vel vrbe, vt bruta animalia sparsim vagantes, fructibus terræ suæ, siue alijs rebus suis destituti sunt; a Pythonissam quamdam adeunt, postulantes ab eâ spiritum consilij & responsum diuinationis. Quo accepto ciuitatem statuunt, cui nomen Pragam imponunt. Posteà inuento quodam sagacissimo ac prudentissimo viro, cui notissimum erat agriculturæ officium, responsione Pythonissæ gubernatorem agrorum suorum statuunt, cognominatum b Primiz, iunctâ ei in matrimonio supramemoratâ virgine Pythonissâ. Sicque demum à clade ac multiplici peste eruti; Ducem sibi vel Principem præposuerunt, vocitatum c Boriwoi; seruientes ipsi, vti cœperant, dæmoniorum simulacris, ac profanis sacrificiorum artibus debacchantes. Princeps igitur iste Boriwoi, cùm excellentissimæ, & egregiæ iuuentutis flore nitesceret, quodam tempore, negotij sui populique sibi commissi caussâ; Ducem sibi vel Regem Zuentepulck, qui ab inceptâ d pertinaciâ mitigatus, viam veritatis constanter apprehenderat, adijt tunc temporis Morauwe vnà cum Methodio Pontifice commorantem: à quo videlicet

a *Bohemorum Slauorum Ducem Ethnicum* b c d *quamuis hospitem, cum tamen à Morano, ritu paganorum humi comedere.*

Adalicet Rege benignè suscipitur, ad conuiuium pariter cum reliquis adsciscitur. Verùm sessionis ei locus inter Christicolas minimè conceditur; sed ritu paganorum ante mensam pauimento iubetur insidere.

ad occasione ad fidem Christi inducit S. Methodius,

2 Tum Præsul Methodius iniuriæ condolens, fertur dixisse ad eum: Væ, inquit, quòd tu talis tantusq; haud erubescis à principalibus sedibus repelli, cùm & ipse in fascibus ducatum obtineas; sed magis cupias ob nefandam culturam cum subulcis humotenùs incubare. At ille, Quid, inquit, ob huiusmodi rem periculi patior? Vel quid mihi boni conferet Christianitatis ritus? Si, inquit Præsul Methodius, abrenuntiaueris idolis, & habitantibus in eis dæmonibus, dominorum dominus efficieris, cunctique hostes tui subijcientur ditioni tuæ; & progenies tua augmentabitur, sicut fluuius maximus, in quo diuersorum confluunt fluenta riuulorum. Et, Si, inquit Boriwoi, res se ita habet, quæ mora est baptizandi? Nulla, ait Pontifex; tantùm paratus esto ex integro corde credere in Deū Patrem omnipotentem, eiusque Vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, & in Spiritum Paraclitum, illuminatorem omnium fidelium animarum; non tantùm mundialis causâ substantiæ, verùm capessendæ salutis animæ tuæ, & acquirendæ perennitatis gloriæ, simul etiam percipiendæ societatis Sanctorum, & ineffabilis lætitiæ eorum. His & huiusmodi mellifluis exhortationibus accensa mens iuuenis, æstuabat gratiam Baptismi percipere. Et vt nulla mora fieret, cum his, qui comitabantur eum, terratenùs pedibus Pontificis aduolutus, obnixiùs postulabat. Quid plura? Manè facto, Ducem ipsum & triginta, qui cum eo venerant; catechizans, peractis ieiuniorum ex more solennijs, sacrosancto baptismatis fonte initiauit; pleniterq; eum de fide Christi instruens, multis locupletatum donis ad propria redire concessit, tribuens ei venerabilis vitæ Sacerdotem, nomine Caych. Qui reuersi in sua, supradictum Sacerdotem statuunt in castello, cui nomen Gradicz, fundantes ecclesiam in honore S. Clementis Papæ & Martyris, multa detrimenta satanæ ingerentes, populum verò multum Christo Domino acquirentes.

& cum 30 comitibus instructum,

B

peractis ieiunijs baptizat,

domum redeunti iungit Sacerdotem.

Bohemis rebellantibus,

3 Quæ cernens perfidus ille chelydrus, proprijs armis sumptis antiqua bella reparat, populum cunctū Boiemorum in furorem Principis accendit, eò quòd paternos mores relinqueret, & nouam atque inauditam sanctitatis legem Christianorum arriperet. Surgunt igitur aduersùs eum vno animo eademque sententiâ, & suis eum à finibus proturbare conantur, seu etiam vitam ipsam auferre moliuntur. Quo agnito, Princeps sese ab eis remouit, rursusque Regem Zuentepulck siue Pontificem Methudium repetiuit: à quibus clarissimè, &, vt decebat, humanissimè suscipitur, & aliquantulùm apud eos degens doctrinam Christi perfectè nanciscitur. At verò plebs præfata in nequitiâ suâ permanens, quemdam Ducem Zreimir, cuius nomen in Latinum vertitur sermonem, IVDICA PACEM, qui apud Teutones profugus exulabat, dè suâ gente missis Legatis, ad propria reducunt, sibique Principem statuunt. Verùm quia Veritas minimè fallitur, quæ ait in Euangelio: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur; ipsâ cooperante dissipatum est consilium prauorum velociter. Nam iidem eorum electus Dux, licet ex ipsis genitus esset, diuturna tamen exulatio proprij eum priuauerat labij eloquio. Quapropter à suis electoribus reijcitur, primùm seipsos accusantibus, videlicet quòd talem sibi elegissent, cuius neque vocem neque sermonem possent haurire, & quorum clamores aures ignaras linguæ suæ penetrare non valerent.

C

secedit Dux in Morauiā & plenius à Methodio instruitur:

Zreimir à rebellibus electus,

Matth. 15, 13

ijs displicet quia linguæ patriæ oblitus,

4 Et quoniam Dei prouidentiâ disponente supramemoratus Princeps Boriwoi plurimos amicorum inibi secedens reliquerat; agitur eorum consilio, vt animus furentium plebium erga benignum rectorem mitigaretur, atque aduersùs perfidum inuasorem toto annisu instigaretur in necem. Verùm quoniam pars quàm maxima perfidorum tyranno fauebant, ineunt consilium, quò ciuitatem Metropolim Pragam adeant, & ibi simul egredientes in campum, quid sibi gerendum foret, iuxta beneplacitum vtriusque partis diligenter exquirant. Perfidorum ergo pars perperàm agens, arma secum loricasque occultè in eumdem campum detulit, vt si hi, qui ex parte Principis Boriwoi erant, eis in omnibus assentire nollent, quilibet eorum excelsâ voce occultum in medium proclamaret signum, inquiens: Variemus, variemus nos: sicque loricas & galeas, quas occultè tulerant induti, contradictores suos frameis necarent. Quod consilium eorum pessimum partem Boriwoi minimè latuit. Itaq; & ipsi loricis sub tunicis induti, procedunt in campum pro definiendo statu Principis sui. Cumque parti Zreimir non placuisset consultus partis Boriwoi, vnus eorum vocem in altum eleuans, proclamat: Heya nostri, variemus nos. Quâ voce cognitâ, pars Boriwoi, quæ loricata erat sub tunicis, Benè, inquit, benè dixisti; ecce nunc diuersis coloribus variatus apparebis. Sicque ferro obtruncato illo armatos eius socios fugam inire coëgerunt, & falsum Principem eorum patriâ expulerunt.

D

& adhærentium noua perfidiâ detectâ,

cum ijs pellitur:

E

Borivvoius reuocatur,

5 Morawe dehinc properantes, pristinum Principem Boriwoi illinc reducunt, & loco proprio restituunt. Quoniam verò iisdem Princeps Morawe degens, omnipotenti Deo votum vouerat, quòd si eum Dominus ad propria cum honore reduceret, basilicam in honore Beatæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ ædificaret, reuersus sine morâ votum suum implere studuit in ciuitate Pragensi. Hic, inquam, Princeps primus fundator sanctorum locorum, congregator Clericorum, & tantillæ, quæ tunc fuit, religionis extitit constitutor. Habuit etiam vxorem, nomine Liutmilam, filiam Zlauboris Comitis in prouinciâ Slauorum, quæ Speu antiquitas nuncupabatur, nunc à modernis propter ciuitatem nouiter inibi constructam, Milnick vocitatur. Hæc nimirùm Liutmila sicut priùs in errore gentilitatis immolando simulacris feruens extiterat, ita postmodùm imitando virtutes mariti sui, ad religionem Christianitatis conuersa, facta est feruentissima famula Christi. Suscepit igitur ex eâ sæpememoratus Princeps tres filios totidemque filias, vt ei Methodius Pontifex prophetico ore prædixerat, & quotidianis incrementis cum omni gente suâ regnoque coagmentabatur.

templa extruit,

fidem promouet cum S. Ludmillâ vxore.

a *Hæc* Libussa *fuit, Croci secundi Bohemorum Ducis filia.*

b Primislaus *alijs scriptoribus appellatur: quartus Dux fuit, de quo & Libussâ multa memorantur à Bohemicis scriptoribus, Poëticis affinia fabulis, quæ videre est apud Æneam Siluium histor. Bohemica cap. 5 & 6.*

F

c Borivvoi, *Æneæ Siluio* Borsiuoius, *alijs* Boriuorius, *decimus Bohemiæ Dux, Nostirici siue Hostiuici filius fuit, primus inter Bohemiæ Duces* Christianus.

d *Hæc, vt anteà ostendimus, non videntur accipi posse de Zuentopluck siue Suuatopulck aut Sfentopulcho iuniore, qui insignis modis S. Methodium exagitauit, ac deinde pœnitentiâ ductus cum eo in gratiam redijt. Nam ad Borivvoium Ducem Bohemiæ, vtique iam Christianum, vt tumoris Suuatoplucki furorem declinaret, secessit, vti cap. 13 memorat Æneas Siluius: qui seniorem tradit ab Arnulpho Imp. prælio victum, clàm profugisse, ac veste mutatâ armisq; abiectis, tribus eremitis sese adiunxisse, in monte cui Sambri nomen, ibiq; vitam quietam & religiosam egisse; at cùm instare sibi mortem sentiret, quis esset indicasse: posteà corpus eius à filio repertum, ac Velogradi in maiorum sepulcris conditum. Sed qui seniori successit, non filius eius fuit, sed nepos, vt suprà dictum. Seniori quoque hanc ἀναχώρησιν tribuit Cosmas Pragensis ad annum 894. Antiquiores sunt, ac proinde fide digniores Annales Metenses tom 3 Francicor. Duchesnij pag. 329, vbi hæc habent ad annum eumdem* 894: Circa hæc etiam tempora Zuentibolch Rex Marahensium Sclauorum, vir inter suos prudentissimus & ingenio callidissimus, diem clausit extremum. Cuius regnum filij eius pauco tempore infeliciter tenuerunt, Vngaris omnia vsque ad solum depopulantibus. *Quod in iuniorem Zuatopulcum, primi Christiani Regis nepotem, quadrare potiùs nobis videtur, quàm in seniorem, eius auunculum.*

DE S. VITALE SICVLO, ABBATE ORDINIS S. BASILII, ARMENTI ET RAPOLLÆ IN ITALIA.

ANNO DCCCCXCIV IX MARTII.



1 MOrtalem hanc vitam deseruisse hoc die S. Vitalem Acta eius docent, quæ accuratè ab auctore ferè coæuo Græcè conscripta, ac postmodum anno MCXCIV Latinè translata, atque in Lectiones distributa, solebant ad Matutinum in Officio Ecclesiastico recitari in Ecclesiâ Armentensi in Lucaniâ siue Basilicatâ, prouinciâ regni Neapolitani, vbi corpus eius dicitur etiamnum adseruari. Nonnullæ etiam reliquiæ sunt in Ecclesiâ Cathedrali vrbis Tricaricensis, in cuius diœcesi oppidum Armentum situm est. Apographum nostrum est anno MDLXV à Domino Lucâ Mastato Armentano transcriptum, & nobis Neapoli ab Antonio Beatillo Societatis nostræ Sacerdote transmissum. Edidit eamdem Vitam ex duobus MSS. Armentanis Octauius Caietanus tomo secundo Vitarum Sanctorum Siculorum, sed quòd arbitraretur stylum rudem esse, eam suâ phrasi perpoliuit. At nobis primi auctoris stylus minus displicebat, quem proinde retinuimus.

Vita vnde hic edita?

B

nomen in fastis

2 Idem Caietanus in Martyrologio Siculo ad hunc IX Martij ista habet: In Castro-nouo S. Vitalis Abbatis ex Ordine S. Basilij. Quæ eadem in Catalogo generali habet Ferrarius, qui ad præcedentem diem ex tabulis monasterij Carbonensis de eodem egerat his verbis: Armenti in Lucaniâ S. Vitalis eremitæ. De illo ista Oratio solebat recitari. Adesto, quæsumus, Domine, omnipotens Deus, precibus populi supplicantis, & B. Vitalis Confessoris tui ad impetrandam misericordiam tuam precibus adiuuemur: cuius quoque interuentu apud te nostræ deuotionis fructus accrescat. Per Dominum nostrum &c.

Translatio 28 Aprilis.

3 Festum Translationis S. Vitalis ex monumentis oppidi Armentani celebrari XXVIII Aprilis docent iidem Caietanus & Ferrarius. Addit hic in Notis S. Vitalem etiam præfuisse Carbonensi monasterio à dicto Armento X millibus passuum distanti. Cuius tamen Præfecturæ nulla mentio in Actis, neque apud Paulum Æmilium Sanctorium in Historiâ monasterij Carbonensis. Fuit Sancti Vitalis discipulus & nepos Helias, qui ad eum de Siciliâ venerat: cui ille moribundus indicauit, post triginta annos corpus suum transferendum, quod tum monitus præstitit, cùm interim in partibus Turrensium monasterium erexisset, & Fratres plurimos congregasset: & horum quædam infrà in Actis leguntur. Caietanus hunc etiam cum S. Vitale Martyrologio Siculo cum titulo Beati inscripsit.

C

Helias nepos S. Vitalis.

VITA

Auctore Græco ferè coæuo, ex antiquis MSS. Latinis.

CAPUT I.

Educatio S. Vitalis: Vita monastica in Siciliâ, Calabriâ, & Lucaniâ.



1 CVm sitis varijs ac diuersis, eruditissime Præsul *a* Roberte, fertilium agrorum floribus assueti; mirari non desino incultis & insipidis hortuli mei vos oleribus delectari. Nam clarис Doctoribus prætermissis, imperitiam meam instanti compellitis iussione: vt vitam, conuersationem & actus sanctissimi Confessoris, & præcipui eremitæ Vitalis, quóue ordine ab aliquibus personis gloriosum illius corpus fuerit Armentum deductum, ex opacâ Græcorum siluâ transferam in Latinum, quatenus tempore nostro splendeat. Ardet, inquam, animus exequi quod iubetis: sed vereor, ne, dum petitioni vestræ satisfacere gestio, exasperet potiùs indocta prolatio, quàm demulceat auditores. Quamquam autem, Venerabilis Pontifex, ad tanti oneris sarcinam tolerandam, insufficientem me penitùs & minùs idoneum non ignorem: spem tamen ad eum erigens, qui docet hominem scientiam, & linguas infantium facit esse disertas, tam efficax quàm libens, quod Vestra suadet Paternitas, aggrediar explicare.

Prologus interpretis.

E

2 Beatissimus igitur Pater iste Vitalis, natione Siculus, de ciuitate, quæ *b* Castrum-Nouum dicitur, extitit oriundus. Parentes eius genere clari, substantiâ splendidi, fide deuoti, cooperatores boni, per viam mandatorum Dei iugiter incedebant. Pater eius Sergius, mater verò fuit Chrysonica nuncupata: à quibus, cùm adhuc puer esset, traditus est primis Doctoribus, sacris erudiendus litteris & diuinis. Nec multo quidem tempore studuit, sed multum in breui scientiæ fructum collegit. Mox à teneris annis Christo cupiens militare, dimissâ patriâ, parentibus derelictis, ad venerabilem Patrem *c* Philippum Largirium, virum vtique sanctum, ac malignorum spirituum expugnatorem confugit, seque fieri monachum postulauit: apud quem sacro & Angelico habitu deuotè suscepto, per quinquennium mansit, pijs eius moribus ac disciplinis monasticis se conformans, in deputato sibi monasterio Abbati & Fratribus plenâ semper obedientiâ seruiebat, nec vmquàm à diuinorum eloquiorum fructu sanctâ meditatione vacabat. Mirabantur omnes humilitatem, stupebant patientiam, quam in bonis actibus exercebat. Intereà se voto astrinxit, vt orationis caussâ Romam pergeret, atque sacrosanctas Apostolorum Principum Petri & Pauli basilicas visitaret. Ad hoc autem quosdam de Confratribus complices habuit, cum quibus voluntate, assensu, & licentiâ seu conscientiâ Abbatis, suum duxit desiderium exequendum.

b

S. Vitalis studijs excultus,

c

fit monachus:

F

Romam proficiscitur:

3 Cùm ergo iter faceret, ventum est Taracinam *d*, Campaniæ regionis: sed quoniam humani generis hostis diabolus, qui felicibus eius actibus inuidebat, parare non erubescit insidias, vt possit tam pium, tam sanctum propositum reuocare; contigit, cùm esset ibi, præfatum virum Dei morderi atrociter à serpente, ita vt venenato morsu nimiùm æstuaret, & præ doloris angustiâ vehementer vrgeretur. Fratres, qui secum aderant, stupefacti, ad eius interitum oculos intendebant. O magna & admiranda pietas Saluatoris! Mox, vt locus, quem serpens læserat, Crucis ab eodem Patre munitur signaculo, discedit dolor, cessat angustia, & qui mortem parauerat, sospite eo, cui parabatur, interijt. Videntes autem, qui comitabantur cum eo, quòd sic illæsus, etiamque nil passus, gaudens potiùs & exultans in Domino permansisset; Deo, qui facit mirabilia pro Sanctis suis, gratias agere cum gloriâ cœperunt, magnificantes quoque Sanctum & modis omnibus admirantes. Deinde cœptam exequentes viam, sicut Domino placuit, perfecerunt.

d

morsum serpentis signo Crucis sanat:

4 Postquàm

A 4 Postquam autem Apostolorum Principum, aliorumque Sanctorum ibidem quiescentium templa & sepulcra fuerunt deuotissimè venerati, in Calabriam sunt regressi: vbi clanculùm Dei famulus à socijs se surripiens abijt, & iuxta ciuitatem e S. Seuerini in quibusdam thermis biennio habitabat, vbi à nemine visus, ieiunijs dumtaxat & orationibus intentus, preces suas Domino cum lacrymis offerebat. Motus autem, inde transfretauit in Siciliam, & veniens habitauit apud montem Gibellum contra monasterium sancti Patris Philippi Largirij, in quo iam pridem fuerat monachus effectus: ibique delitescens corpus suum frigore & æstu discoopertum domauit, per duodecim annos herbis & aquâ se nutriens: deinde in Calabriam remeans, peragratis eremis, montibus & speluncis, applicuit finibus ciuitatis f Cassoni in monte, qui dicitur Liporachi. Hic dum in monte isto degeret, obuiam habuit Abbatem g Antonium, non antiquum illum & primum eremitam, sed alium quemdam iuuenem moderni temporis à moribus primi haud multùm discrepantem: qui, postquàm ad inuicem recognoscunt, mutuamque sibi veniam reuerenter impendunt, S. Vitalis dignatus est cellam eius adire. Fuit autem iste Antonius in tenerâ ætate bonis operibus reuirescens,

degit in Calabria, e

dein in Sicilia,

iterùm in Calabria, f g

B per eremos semper & montes castam atque Angelicam vitam ducens. Cùm per dies plurimos pariter conuersati fuissent, nimiumque B. Antonius congressibus diaboli restitisset; vir magnæ virtutis eum salutaribus aggrediens monitis, sic affatur: Vide, inquit, Frater Antoni, ne propter persecutiones & insidias diaboli præuaricationis lapsum incurras, vel tribulationis angustias in corde suscipias: quia tentator est insipientibus & callidus simplicibus: tentat enim deponere & præcipitare: efferus est & fugax, audax & elatus, destructor & deformis. Sed nihil præualet contra nos serpens multiformis, quia suas nequaquàm versutias ignoramus. Dempta est illi seductoria vis eius, nec subsistit: quoniam conculcatur à Sanctis per virtutem Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. Nos ergo ne conteramur vel pusillamines efficiamur, quia fraudulenti draconis commenta pro beneplacito Dei frangimus, cùm seruamus nos: & sicut auis, eripiemur à laqueis, & à muscipulis quinque sensuum, visus scilicet, odoratus, auditus &c. quibus occupat & occultat leuiter eos, qui carnalia diligunt, & mundana sectantur. Sic etiam sperat hic secundùm cogitationem & imaginationem nos rapere, & conculcare. Hæc & his similia, multaque alia prædicans B. Vitalis, monebat Antonium, & in Dei opere confirmabat.

B. Antonio eremitæ familiaris,

eum in virtute corroborat:

C 5 Post hæc orantibus vtrisque, & inter eos vale dicto, discessit S. Vitalis, atque circumiens mansit in locis inuijs, & inhabitabilibus, quæ nunc dicitur h Petra Roseti: vbi multa latrocinia multaque fiebant homicidia: ibique degens, orationum suarum interuenientibus meritis fures de illo loco omnes penitùs extirpauit, & qui erat inaccessibilis, accessibilem reddidit vniuersis. Tunc ad vocabulum maximi Patris nostri & regularis Basilij inprimis domo constructâ, aquam sanctam & salutiferam superostendit, quæ erat ægrotantium mirabilis medicina, & stupenda curatio languidorum. De vicinis ergo locis currunt viri, properant mulieres, & à quacumque detinebantur infirmitate, huius interuentu Patris sancti, sani & alacres reuertuntur: sicque factum est, vt vbi conuentus malignantium fuerat, ibi gratiarum actiones Domino referantur. Eodem quippe tempore facta est solito profusiùs inundatio pluuiarum: tunc efflagitatus ab incolis illius terræ, eleuatis manibus & erectis in cælum luminibus, ad preces se totum effudit, obortisque lacrymis orauit ad Dominum. Oratione factâ, misericors & miserator Dominus, qui facit voluntatem timentium se, continuò precibus eius adfuit, & ex nimio labore hominum ad pietatem flexus, circumdantes pluuias in bonam terræ fructificationem conuertit, atque datorem largissimum glorificare Deum omnes & laudare præcepit, qui per seruos suos miracula semper ac prodigia non desinit operari. Hinc profectus ad montem, qui dicitur i Raparus, contra castellum S. Quirici sua mouit vestigia, ad quem dies aliquot iter faciens, loca dura & aspera peragrauit, vsque dum peruenit ad Cryptam S. Angeli de k Drapono: ibi sanè contribulando se pariter & mala patiendo omnesque miseriarum sibi species inducendo, omnimodâ regulâ sanctum corpus afflixit. Nec pauco ibi tempore morâ factâ, recedens iterùm ad excelsum quemdam l S. Iuliani montem ascendit, vbi discoopertus pernoctans, nunc frigore nunc æstu, carnem macerabat incessanter.

h migrat in Petram-Roseti,

abundantia pluuiarum precibus sistitur,

D *IX Martii*

i peragrat varia loca, k l

6 Post hæc descendens de monte, recepit se ad quoddam S. Heliæ monasterium, quod dicitur m Missanelli, cuius scilicet Heliæ conuersationis se imitatorem ostendit. In hoc puro & sancto seu casto monasterio concubialiter perseuerans, omni mansuetudine, humilitate immensâ, obedientiâ immarcessibili, sobrietate multâ & abstinentiâ decoratus, sine intermissione Deum orabat: & Angelica facies eius lacrymas effundebat. Habebat in ore semper & corde, ad integram victoriam aduersarij, meditationem diuinorum verborum: habebat & irremissam curam atque perseuerantiam omnes honorandi, omnes sine simulatione monendi: sollicitos confirmabat & simplices: gulosos ac desides ad pœnitentiam & rectitudinem attrahebat: ab illis, qui se ipsos tantùm diligunt, & inanis sunt gloriæ cupidi, carnisque desideria quærunt, velut ab igne & serpente, procul faciebat nomen suum: vigilabat assiduus in multâ supplicatione, decipiens callidum & multiformem serpentem, portansque in se ipso primi genitoris & eorum, qui erant de certo lapsuri, calcaneum indissolutum. Sic ergo se agens, nimis & diu afflictus, multis cunctisque admirabilis Dei seruus obfirmauit incommutabilem mentis suæ statum, nec non & quotidianam, quâ iugiter affluebat, prædicationem sequens, non se laudari ab aliquo permittebat.

m permanet aliquamdiu in Missanelli S. Eliæ monasterio.

E

a Robertus *vrbis Tricariensis Episcopus, vti in fine num.* 16 *explicatur: vbi plura de eo indicamus.*

b *Castrum-nouum ciuitas in medio Vallis Mazaræ sita, in cuius æde maximâ memoria marmori insculpta est cuiusdam Placidæ Vniuiræ anno 35 post Consulatum Basilij, Christi 572 defunctæ, ex quâ inscriptione & antiquis ruinis Octauius Caietanus demonstrat vrbem ibi olim celebrem fuisse, eaque destructâ Castrum-nouum erectum.*

Castrum-nouum vrbs Siciliæ.

F

c *Caietanus hunc locum ita mutauit*: parentibus derelictis Agyri ad monasterium S. Philippi malignorum spirituum expugnatoris acerrimi confugit: *sed malumus antiquam interpretationem retinere, deque eâ monere lectorem. Vixit* S. Philippus Agyriensis *seculo Christi primo, colitur* 12 *Maij.*

S. Philippus Agyriensis.

d *Terracina vrbs antiqui Latij, tunc, vt modò, in Campaniâ Romanâ ac ditione Pontificiâ, in confinio regni Neapolitani.*

Taracina.

e *Vulgò* Sanseuerina *munitissima ciuitas in mediâ* Calabriâ *prope Nethum fluuium, qui haud procul in mare Ionium exoneratur. Creditur vrbs* Siberena *Plinio alijsque dicta.*

San-Seuerina.

f Cassanum *in citeriore* Calabriâ *versùs Basilicatam, in regione asperâ.*

g *Colitur hic* Abbas Antonius 23 *Augusti. Arbitramur huius* S. Antonij ossa *esse, quæ* in æde Cathedrali Tricaricensi ad stuporem miraculoso splendore fulgere *Vghellus tradit tomo 7 Italiæ sacræ columnâ* 192.

S. Antonius Italus 23 Augusti.

h *Est ibidem* Castrum-Roseri *ad Acalandrum fluuium, parum à mari Ionio distans, in confinio Basilicatæ.*

Castrum Roseti.

i *Sunt hæc loca in prouinciâ Basilicatâ, in quâ reliquam vitam peregit.* Rapara mons *ibi in chartis geographicis notatur, imò & locus* S. Quirici, *sed ab eo distans: vt alius hic locus videatur indicari.*

Rapara mons.

k *Caietanus* S. Angeli de Asprono. *Est* oppidum S. Archangeli *prope Agrium fluuium. In vertice montis Rapara est etiam ecclesia S. Angeli.*

l *In Vitâ S. Lucæ Eremitæ, de quo mox, memoratur monasterium S. Iuliani, hisce in partibus situm.*

S. Iuliani mons.

m *Massianellum oppidum Calabriæ vltra Agrium fluuium.*

CAPVT II.

Vita in ſpeluncâ acta. Colloquium cum S. Lucâ eremitâ. Varij instructi, & peccatores adiuti.

7 AD hoc enim plurimùm intendebat, & quia mundi huius gloriam cum ſuis oblectationibus contemnebat, ne humanâ laude aliquando raperetur, latenter inde motus, quaſdam adijt valles inter duos montes *a* Turris & Armenti: in quo loco ſpeluncam reperiens, longis temporibus habitauit, ieiunijs deditus & orationibus, multaſque Dei famulus imaginationes dæmonum tolerauit immotus. Mira loquar, ſed fide plena: agreſtia animalia, duce Domino, veniebant, omniquẽ depoſitâ feritate, ſacros huius viri pedes lingebant, nec inde, niſi ſuſceptâ benedictionis gratiâ, recedebant. Et non ſolùm hoc, ſed & multitudo volucrum ad ſpeluncam properabant, vt tanti Patris poſſent benedictionis accipere portionem. Ipſe verò communes eſcas, quas ſolitus erat comedere, illis manu propriâ miniſtrabat: quibus datâ benedictione, acſi naturæ loqueretur humanæ, dicebat: Ite vos amodò, vt veniant aliæ. Quidam monachi caſu venientes ad montem, & à ſolis incendio nimio æſtuantes (erat enim tunc tempus meſſionis) huic ſancto viro prope ſpeluncam, ſicut Deo placuit, obuiarunt: qui protinus corruentes ad pedes eius, potum ſibi aquæ tribui poſtulabant. Cùm ergo locus ille aquâ careret, ceruam illis in eodem fortuitò paſcentem, digito demonſtrauit: quæ ad nutum, imperium & virtutem ſancti Patris, quam habebat in Deo, mirâ manſuetudine ſtetit immota, donec prædicti monachi eam apprehendentes emulſerunt, & ad ſatietatem vſq; biberunt. Agentes itaque gratias omnipotenti Deo, & virum ſanctum glorificantes, viam, quam cœperant, abierunt. Protinùs Dei ſeruus velut cõpatiens, & miſericors Pater ad pietatem motus, poſitis, prout conſueuerat, in terram genibus, oculos tam ſpirituales quàm corporales cum lacrymis eleuans, orauit ad Dominum, vt in illo loco indeficienter aquam ad vſum tranſeuntium largiretur. Exorabilis itaque Deus, qui dixit, Petite & accipietis, &, Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, ſermone veſtro montes transferetis; exaudiuit orationem eius, ſtatimque iuxta torrentem fontem aquæ aperuit Saluator, qui vſque hodie dicitur Lacus S. Vitalis: in quo videlicet lacu (quod eſt mirabile dictu) toto tempore, quod ibi in contritione ſpiritus & carnis maceratione peregit, ad mentum vſque immerſus conſtantiſſimè pernoctabat.

a Latet in vallibus montium Turris & Armenti:

B cum feris animalibus & auibus familiariter agit:

Ioan. 16, 24 Luc. 17, 6 precibus fontem elicit:

C ad mentũ vſque pernoctat in aqua:

8 Cùm ergo ſanctitatem huius præcognitam inſignis vbique fama loqueretur; accidit vt ad magnum, quod Armentum dicitur, monaſterium, rumor famoſiſſimus perueniret. In eo ſiquidem monaſterio Prælatus habebatur ac Rector, vir quidam beatus & ſanctus multumque acceptabilis & Deo carus, cui nomen erat *b* Lucas. Hic poſtquàm bona opera, famâ vbique volante, ac durum eſſe vitæ hominis illius accepit, in magnam incidit admirationem, & in ſeipſo cogitans, quod tanta gratia illi eſſet; mox arreptâ viâ, quæ ducit ad Sanctum, dicebat intra ſe: Ego ipſe vadam, & videbo ſi vera ſunt, quæ dicunt de eo: gaudenſque B. Lucas ſuper equam candidam, ſicut diſpoſuerat, ad virum, Dei voluntate, peruenit. Tunc præmiſſo ſalutationis elogio, conſuetâ capitis inclinatione & genu flexo, mutuam ſibi reuerentiam impenderunt. Deinde ad oſtium ſpeluncæ conſidentes, ſermones ſacros & vtiles in medium deduxerunt, per Spiritum ſanctũ loquentes inter ſe. Iam iamque vir Dei Lucas, quæ de ipſo indice famâ cognouerat, operum experientiâ probauit. Appropinquante tunc horâ conſtitutâ, B. Vitalis iubet diſcipulo ſuo, Vade, inquiens, & ad venientis gratiam Fratris, de frumento elixâ & cum pane modico parâ nobis. Celer miniſter accelerat dicta iubentis, & adueniente *c* horâ ſecundùm regularem conſuetudinem præfati Patres pariter orauerunt. Tunc appoſito à diſcipulo frumento in menſâ, & eſcis in vnum receptis, compatiens B. Vitalis, ad ſuum ait diſcipulum: Vis benedictionem Patrum acquirere, Frater Helia, veniente ad nos tanto viro? Vade & affer in medio menſæ de cepis horti: has enim S. Vitalis ſolitus erat cum pane hordeaceo manducare. Allatis illicò cepis, vnam illarum in quatuor ſecuit partes & appoſuit: quod dum conuiua ille Lucas videret, Parce, inquit, Pater, parce, & cibum iſtum caprinum longè fac à me, quia mortem inferit comedenti. Sanctus autem Vitalis intrepidè, ſicut conſueuerat, cœpit comedere: quem vt vidit B. Lucas ita facientem, exinde cum timore accepit, & ore ſuo ſimul deguſtans & gutturi mandans, ſtatim cecidit tamquàm mortuus ad terram. Surgens autem B. Vitalis orauit in hæc verba: Domine Ieſu Chriſte, qui omnia ad ſalutem ſeruorum tuorum conſtituiſti, & credentes in te probari permittis, vt ad maioritatem boni operis valeant prouenire; exaudi me indignum, & hunc famulum tuum ſanum & illæſum oſtende. Hæc orante B. Vitale, factoque ſuper eum Crucis ſignaculo, continuò qui iacebat ſurrexit, & procidens ad pedes eius, Parce, inquit, mihi, Sancte Dei; quoniam nunc cognoui & vidi magnalia in te, & quæ multorum relatione didiceram, veritatis robore fulcita non ambigo. Ipſe egreſſus vnus ero de prædicantibus nomen tuum, virtutes magnificas referans vniuerſis. Tunc eleuans illum S. Vitalis, ſimulque orans in pace abire dimiſit, glorificans Dominum, qui in Sanctis ſuis mirabilia operatur.

b excipit S. Lucam ſe viſitantem,

D c curat appoſiti cibos:

guſtatâ cepâ inſtar mortui corruentem,

E ſigno Crucis ſanat:

9 Volo nunc, cariſſimi Fratres, varia & inaudita referre miracula, quæ pius & miſericors Dominus per beatiſſimum virum iſtum Vitalem dignatus eſt mirabiliter operari: erit enim hoc valdè neceſſarium illis, qui aliorum ſarcinam in ſe portandam aſſumunt, & confitentibus ſibi peccata ſua & ex toto corde pœnitentibus ſatisfactionem volunt iniungere grauiorem. Ad ſanctiſſimum, namque virum plures vndique confluunt, & peccata, quæ fecerant, ſibi humiliter confitentur. Ille humanæ naturæ imbecillitatem piâ conſideratione videns, vniuſcuiuſque morbo, ſecundùm quod eum ferre poſſe cognoſcit, curationem adhibet ſalutarem; & ne ſuccumbant oneri, quæ grauia ſunt leuiori triturâ moderatur: impotentes abſoluit, alleuat aggrauatos, prouidens ne propter onera grauia & inſuſtentabilia, ſicut diuerſæ multorum hominum mentes, in profundâ perdantur ignorantiâ, & à deſperationis dæmone pertrahantur: qui dum tanti Patris exhortationes admittunt, monitis acquieſcunt, declinantes à malo, in bono pœnitentiæ ſe confirmant, & cõfirmati ad propria cum gaudio reuertuntur. Ex vicinis ergo regularibus duo ſanctiſſimi Patres *d* Leontius de Petrâ & Hilarius de Galaſo talia audientes, fuerunt non modicè admirati, quonam modo B. Vitalis tantam remiſſionem indulgeret illis, qui ſunt in grauioribus culpis. Exiſtimantes autem illum tamquàm idiotam, iter ad eum direxerunt volentes interrogare, quâ ratione ita ſoluit eos, qui ſua ſibi confitentur peccata. Tandem in ſpeluncam, in quâ Sanctus manebat, peruenerunt & ſalutatiõne ad alterutrum factâ, vir Deo plenus Vitalis cauſſam itineris intellexit. Gauiſus eſt ipſe, & benedictionis atque lætitiæ gratiâ menſam eis ad prandium parauit, & de his, quæ ſolitus erat ipſe comedere, elixando decoxit, & illis appoſuit: qui contigentem inde vaporem & odorẽ perpeti nequeuntes, à menſâ protinùs receſſerunt. Hoc cùm vidiſſet B. Vitalis dixit ad eos: Sicut ferre non potuiſtis

confitentes peccata non oneratgrauibus pœnitentijs:

F d

& ita faciendum eſſe id exemplo docet:

A potuistis cibi huius odorem, ita & impositas homines grauis pœnitentiæ leges nequeunt sustinere, & plurima eis exempla de hac eadem materiâ proponebat. Admirantes autem illi spiritalem huius viri sanctissimi voluntatem, viam, quâ venerant, abierunt, omnipotenti Deo laudem ac gloriam referentes.

10 Erat in his diebus vir quidā, timens Dominum, Basilius nomine, in ciuitate Barij principatum gerens, habens in ei adiacentibus oppidis potestatem. Hic diuinâ gratiâ plenus, affectu nimio tenebatur viros venerabiles & iustos audire, vt ab eis posset verba salutifera edoceri, totamque illam circumiens regionem, quod optabat, nusquam potuit inuenire. Tunc quidam ad eum veniens, sanctam & honorabilem vitam SS. Hilarij & Leontij, qui manebant in Turrensium pertinentijs, quos oculis suis viderat & auribus suis audierat, indicauit: qui protinus deprecatiuas & oratorias litteras fieri mandauit, & illis honorificè direxit Sanctis. Itaque litteris illius e Catapani cum mentis alacritate susceptis, egerunt gratias Deo, qui seruorum suorum dirigit vias rectas. Et diuinâ prouidentiâ tunc factum est, vt beatus & sanctus Vitalis ad eorum mentem rediat, & ad memoriam reuocetur. Continuò ergo venientes ad speluncam, vbi in Dei seruitio persistebat, rogauerunt eum, vt cum illis ad amantē Deum Catapanum viam faceret. Annuit ipse, nolens tantorum Fratrum precibus refragari. Videns igitur Catapanus tres istos venerabiles & sanctos viros, eos officiosissimè recepit; promittens & asserens quidquid ipsi præceperint se facturum. Sequenti enim die postquàm venerunt, vocatus ab eodem Catapano S. Hilarius, illius cameras intrauit. Cùm autem vellet ipse sua sibi confiteri peccata, & ab eo pœnitentiæ tempus recipere, S. Hilarius noluit quidquam solus præsumere; sed vocauit S. Leontium, volens ipsum huius in omnibus colloquijs interesse. Ingressus ille nequaquàm hæc approbauit; sed coram venerabili Patre nostro Vitale censuit referenda. Ab his ergo verbis dictorum Patrū cùm Catapanus se nimis affligeret, accitus est S. Vitalis, qui postquàm intrauit, & vocationis suæ caussam agnouit, protinus allocutus Catapanum, ait: Non fili, non à me indigno & vbique idiotâ debes ea petere, quæ tibi non est fas recipere: habes tecum Patres sanctos sacro vestitos sacerdotio: ego enim parum quasdam litteras noui, & f tunc sum ausus accipere Sacerdotium. Quod ergo mens tua flagrans amore Dei postulat, non à me sed potiùs ab eis accipias. Ad quem ille: A te Pater, inquit, à te volo recipere hoc: noui enim, quis sis, & tam ab illis quàm à multis tua vita venerabilis prædicatur. Visâ namque tantâ B. Vitalis instantiâ, voluntate Catapani deuotissimè præuentus, cœpit Dei amore super illum gratiam benedictionis effundere, atque pro suo desiderio cuncta, quæ poposcerat, adimpleuit.

e ad Principē Barij adductus,

B

post excusationem humilem,

f

C

[il]l instruit:

11 Post hæc præfatus Sanctus cum ipso & cum alijs multis sub quodam considens vmbraculo, cœpit verba salutifera prædicare. Ipso autem die ver serenitati gratissimè arridebat, sed repentè versa est in contrariam caussam, & obducto nubibus cælo irrumpunt tonitrua, coruscant fulgura, solitoque asperiùs pluuiæ cum grandinibus effunduntur. Ex hoc autem non solùm in ciuitate, verùm etiam in regione illâ contigit immensam hominum & animalium multitudinem interire. Nec cessauit grando, donec ad equorum genua illius cresceret altitudo. Sed licet ingens hominum & animalium strages vbique facta fuisset, per virtutem tamen omnipotentis Dei & orationem sancti Patris nostri Vitalis, Catapanus nihil in hoc damnum sustinuit, nihilque huiusmodi est perpessus. Hominem enim non perdidit, animalia non amisit, & quod sine admiratione non dico, ad vmbraculum, in quo Sanctus manebat, non appropinquauit grando, pluuia non accessit. His Catapanus signis & miraculis inspe-

in magnâ tempestate & strage

manet cum suis illæsus:

ctis, seruo Dei apposuit non modica donaria, & genuflexo ante eum rogauit & dixit: Accipe, quæso, Pater, accipe argentum & aurum, & quidquid est placitum tuæ sanctitati: incunctanter enim scio & oculatâ fide cognoui, quòd veri Dei seruus existis, qui postulationibus tuis semper adesse dignatur. Sanctus verò Vitalis nec aurum ab eo, nec argentum suscipere voluit, sed quasdam tulit secum iconas & vasa detulit, quæ tantùm vsui ecclesiæ competebant. Postquàm autem salutaribus monitis ac sacris eum exhortationibus docuit & instruxit, ad speluncam vnde venerat cum memoratis Patribus, gaudens & exultans in Domino, repedauit.

D *Ex MSS.*

paucis ex oblatis donis acceptis,

a Turris & Armentum *itidem oppida, eorumque Dominus infrà num* 24 Tuscanius *appellatur, &* Turrensium *etiam ciuitas sæpius nominatur, Sede olim Episcopali exornata.*

b *S. Lucæ Vitam daturi sumus 13 Septemb qui Armentum monasterium extruxit, & locum muniuit circa annum 970, mortuus anno 993.*

S. Lucas eremita.

c *Caietanus* sub horam nonam, *vt tunc Itali more Orientalium numerabant. Erat hora post meridiem tertia.*

d *Vghellus antè citatus inter reliquias Tricaricensis Ecclesiæ asseruari ait* SS. Lucæ, Vitalis, Hilarij & Ioannis de Galasso Eremitarum, qui in vicinis solitudinibus vitam Euangelicam duxerunt: *vbi loco* Hilarij & Ioannis de Galasso *forsan scribendum* Leontij de Petra, & Hilarij de Galaso. *Est* Petra *ibidem locus cum Turri & Armento infrà coniunctus, vbi notatur* Galichio *in Chartis geographicis.*

SS. Leontius & Hilarius

E

e *Catapan aut Catapanus idem est atque Præfectus atque Dux. Hinc Guillielmus Apuliensis lib. 1 Rerum Normannicarum in Italiâ ista canit*

Cui Catapan facto cognomen erat Bagianus,
Quod κατὰ πᾶν Græci, nos iuxta diximus omne.
Quisquis apud Danaos vice fungitur huius honoris
Dispositor populi, parat omne quod expedit illi,
Et iuxta quod cuique dari decet, omne ministrat.

Catapanus.

Lupus Protospata in Chronico ad hæc tempora sæpius memorat Catapanos, imò & Proto-Catapanum, qui hisce in partibus præfuerant.

f *Ita MS. Caietanus* vix.

CAPVT III.

Monasterium constructum. Miracula varia.

12 Manens ergo beatissimus iste Vitalis Pater in prænotatâ montis speluncâ, quoddam habitaculum reperit, quod iam pridem a S. Adriani & S. Nataliæ vxoris eius templum exstiterat: quo videlicet reædificato & Fratribus congregatis, fecit ibi venerabile monasterium ad glorificandum omnipotentem Deum, & sine fine laudandum: ibi plura miracula faciebat, & operabatur innumeras sanitates: nam per eius orationis suffragia multi læsi, multi cæci, multi dæmoniaci curabantur. Nec solùm hoc, sed & plurimi de longè veniebant, cupientes peccata sua Patri sancto confiteri: ille verò tamquàm fidelis ministrator & medicus, venientes ad se cum pietate suscipiebat, admonens eos & dicens: Quiescite, Fratres, à vestris malignitatibus, ab iniquitatibus cessate, & studete benè agere: ego enim pro vobis orabo Deum, vt de præteritis peccatis vestra confessio pura fiat. Audientes autem, ad eum omnes diligenter currebant, & relictâ viâ suâ malâ, gratias Altissimo resonabant: admirantes quoque virum sanctum & ab eo multùm adiuti, ad sua cum gaudio regredi festinabant.

a Monasterium extruit:

F *sanat ægros*

accurrentes docet

13 A commatre suâ quædam mulier panem mutuò postulauit, quæ terribili iuramento respondit: Per Deum Iesum Christum non habeo panem in domo, sicut non vides serpentem in collo meo. Est enim consuetudo mulieribus terribile nomen Dei verbis mendacibus immiscere. Veniente autem horâ, in quâ prandere volebat infelix illa, intrauit vt panem afferret, & continuò serpens de cophino resiliuit, seque in collo mentitæ mulieris appendit pariter & inuoluit: quem videlicet serpentem continuò à latere mulier portauit ab octauo idus Martij vsque ad septimum Idus Madij, multa

Mulierem ob periurium diuinitus punitā, serpente collo eius affixo

A multa per medicos expendendo, & Sanctos innumeros visitando: cùmque nihil proficeret, de sanitate suâ cœpit pœnitùs desperare. Quidam autem habitatores terræ dicebant illi: O filia, placeat tibi consilium nostrum, & eamus ad pedes & ad cellam Patris nostri Vitalis. Sicut enim pius & misericors Deus per ipsum plurimis est misertus, sic miserabitur & tibi per illius sanctissimas orationes, si ad eum perrexeris incunctanter. His auditis, infelix illa mulier iter arripuit, & ad triumphantes Martyres Adrianum & Nataliam cucurrit, & aliæ mulieres cum illâ. Cumque venissent ad locum, seruum Dei contigit non adesse. Tunc ascenderunt suspiria, gemitus non quiescunt, & præ nimiâ tristitiâ fit omnis ad fletus resolutio: omnes dormitauerunt; tandem in atrijs omnes extra ecclesiam dormierunt: erat enim tum serò factum nam mox sanctus Pater noster ibat singulis serotinis horis ad lacum, & collotenùs ibi totâ nocte perseuerabat, mala corpori subministrans, & secundùm Apostolum subijciens carnem spiritui: propter quod accepit à Deo gratiam operandi miracula, & sanandi omnes, & peccatoribus spondet veniam, dæmonia pellit, mundat leprosos, illuminat cæcos, & secundùm Euangeliū curat omnes

Aduenientē ad monasterium cum aliis,

B languores. Hinc plerumque in figurâ senis Angelus Domini apparet in lacu, communicans illum Dominici Corporis & Sanguinis Sacramēto. Tunc S. Vitalis à lacu recedens, ad peragendas consuetas Matutinales laudes, monasterium ingressus est. Misertus autem, dum vidit mulieres foris iacentes in atrijs, dixit ad monachos: Vt quid non introduxistis illas ad cellas? Qui respōderunt: Absit hoc, Pater, à nobis seruis tuis, vt vsque in finem nō obediamus sancto præcepto tuo. Audiuimus enim à tuo veridico ore, quòd inobedientia parit mortem. Tunc vocauit vnum de monachis, nomine Stilum, & dixit? Ducas eas ad cellam meam: ignem accende, nè horrore frigoris moriantur, ipsoque ita tamquàm spirituali Patre ad Matutinales hymnos cum Fratribus excubante, calefactæ mulieres obdormierunt: vnaque ex illis inueniens zonam Sancti, apposuit eam ad caput infelicissimæ mulieris. O magnum & stupendum miraculum! Serpens sentiens zonam Sancti, continuò resiliuit, & ad terram de collo se proiecit, muliere præ dulcedine somni, quod sibi factum fuerat, ignorante. Regressus itaque S. Vitalis ab oratorio, & serpentem in terrâ iacentem reperiens, intellexit, quòd diu vexata mulier liberata sit à flagello, & gratias agens, omnipotentem Deum glorifica-

curat ad cellam suā duci,

& attactu zonæ eius liberatam

C uit. Expergefactæ verò mulieres, & tantum miraculum intuentes, statim corruerunt ad pedes Sancti & vtrâque manu pectora sua tundentes, dicebant: O Pater sanctissime, miserere nostri, pro nobis misellis Dominum exora, vt tuis meritis interuenientibus nostrorum recipiamus indulgentiam delictorum, & vitam acquiramus æternam. Ille verò secundùm gratiam, quæ data est sibi à Deo, eas admonens, & exhortans, cœpit dicere mulieri: O filia, volo secundùm vocem Euangelicam loqui tibi: Ecce sana facta es, iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Omnes enim qui mentiuntur terribile nomen Christi, non effugient iram eius. Hæc & alia multa secundùm Scripturā monens illas, in pace abire dimisit.

admonet: Ioan.8.11

14 Barbarorum autem multitudine deprædantium irruente, fortè capta est *b* Calabria. Tunc quidam eorum prædæ cupidi abeuntes occupauerunt venerabile cœnobium S. Vitalis: fugientibus itaque monachis, solus ipse remansit sanctissimus vir. Beatus ab Agarenis apprehenditur, multa sibi dura & aspera comminantibus. Interrogantes autem de rebus & animalibus monasterij, in dæmonum facies transformantur, nihilque penes eum de his omnibus inuenerunt; nam simplicem semper cum Fratribus & inopem vestitum gerebat. Non enim intendebant serui Dei ad lucrum quadrupedum, non ad quæstum aliorum ferentium

b

Saracenis, monasterium inuadentibus

D onera insistebant, non alijs negotijs acquirendæ pecuniæ incumbebant, vt ad consequendum ex lucris victum repleretur eorum indigentia, petentium alterius bona regionis, non plantabant vineas, non possessionibus diuersi generis arborum inhiabant, non indumenta mollia affectabant, nec ad ceteras mundanas curas operam impendebant: quin nec de crastino cogitabant, sed neque thesaurum habebant. Cùm igitur nihil eorum, quæ concupierant, reperissent, illum plecti capite decreuerant. Gladio barbari itaque ad decollandum Sanctum altiùs euibrato, repentè nebula, sicut fumus, Agarenum ipsum inuoluit, quem terribilis & fulguris ignea flamma percussit, turbinis quoque ac densæ caliginis reuolutio vultum eius obumbrauit pariter & obduxit. Ille, mucrone de manu suâ procul abiecto, sine voce corruit super terram. Cùm autem vidisset S. Vitalis patratum à Deo miraculum, compatiens eius animæ, sicut erat amator, misertus est illius, & signo sanctæ & viuificæ Crucis barbarum signans, fecit illum surgere, dicens: In nomine Domini nostri Iesu Christi surge sanus, & ad socios tuos perge. Quid inde? Surrexit illicò barbarus, & ad se reuersus, in faciem cecidit, & cœpit ad sancti Patris huius vestigia volutari; rogans illum & obsecrans, vt, quod

vnū, quod occidere eū vellet,

in terram collapsum, signo Crucis erigit:

E aduersùs eum iniustè præsumpserat, sibi clementer indulgeret ac remitteret. Barbari verò, qui erant eius socij, ad spectaculum stantes, stupore capti sunt vehementi; quoniam vbi factum est signum super speculatores, videbant flammam ignis stantem, & cælum tangentem. Sanctus itaque cum ipso perrexit ad illos, omnesque sibi cum tremore ac timore nimio occurrentes, adorauerunt pedes eius, implorantes, vt veniam sibi tribuat, & pro eis orare dignetur, quatenùs illæsi ad suos comites reuertantur. Tunc S. Vitalis admonens eos præcepit & dixit: Cessate vlteriùs ab effusione sanguinis Christianorum, & nolite eorum habitacula captiuare: nam Deus omnipotens non vobis permittet hoc facere, vt illos videlicet destruatis, sed vult, vt, sicut benè eruditi & docti, derelinquant vias suas malas, & conuertantur & viuant in sanctis præceptis eius; non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat in ipso secundùm cognitionem & pœnitentiam. Nam propter hoc Dei Filius inclinauit cælos & descendit in terram, atq; cùm esset verus Deus, per immensam bonitatem suæ magnitudinis verus homo factus est: quæ quidem vos omnia penitùs ignoratis, nolentes scire sacram & salutiferam illius præordinationem. Venturus est enim è cælo, quò ascendit,

socios eius monet

F ad destruendam omnem superbiam, & elatos & blasphemantes sanctum nomen eius. Hic profectò deponet in breui, & ad nihilum valdè rediget vestræ gentis elationem & audaciam: demerget vos ipsos infelices & miseros in abyssum, cum brachio quoque virtutis suæ, vtpote sanctus & fortis Dominus & excelsus & insuperabilis, vos dispergere non cessabit. Sicut olim vestrum Principem cum suo equitatu in mari rubro demersit, Tyrannum scilicet illum & duri cordis Pharaonem: similiter ira Dei subitò veniet super vos, nisi recesseritis à populo Christiano. Ab his itaque verbis nimiùm perterriti barbari, diuini ignis præstolabantur vltionem. Erant enim genuflexi ad pedes Sancti, promittentes ei se numquàm Christianorum gentes vlteriùs expugnare; sed neque potuerant in eius personam intendere, quæ tunc illis in specie Angeli apparebat. Beatus itaque Vitalis in pace eos abire dimisit.

vbi minatur,

in specie Angeli apparens.

15 Famâ autem Patris huius sanctissimi longè lateque diffusâ, de ciuitate Cassani virum quemdam, cui prolem natura negauerat, ad præfatum S. Adriani Oratorium destinauit: qui protinus humiliter ad pedes S. Vitalis prostratus, delictorum suorum molem & enormitatem vitæ studuit explicare. Ipse verò compatiens Pater, & immensæ pietatis amator, sermonis ad eum exordium habuit: O frater, ne ignores te ipsum in

alteri meliorem vitam inculcat:

A in his omnibus, quoniam benignum Deum & Patrem habemus, qui bonitatem diligit, qui peccata mundi suscipit, & semper, velut pius & misericors, delet, si in vijs eius ambulauerimus; declinantes scilicet à malo, & facientes bonum, multisque alijs pœnitentiæ modis secundùm Scripturam sanctã, eum adorauerimus. Præceptaque Dei, quæ sunt ante legem, & in lege, & in gratiâ, demonstrabat: comminationes quoque & flagella, quæ in ipsis præceptis sunt, aperiens. Cùm autem confidenti secum illi talia prædicaret, vnde venerat, placuit sciscitari. Posthæc dignatus est ipsum ad cellam suam deducere, sibique copiosorum ciborum mensam apposuit: qui dum suorum magis verborum dulcedine quàm escarum abundantiâ plenus esset, ingenituram & sterilitatem suam eidem Patri referens indicauit, credens quòd per eius exaudibiles orationes impetrare valeat, quod optabat. Hoc verus ille Pastor audito, læto sibi vultu & comi voce respondit: O frater, ne quiescamus, nec summum Deum aliquando relinquamus, quia potens est vobis & in senectute fructum dare. Sicut dedit Annæ Prophetam Samuelem, Saræ magnum Isaac, & Sacerdoti Zachariæ Ioannem Baptistam: fecit enim Deus voluntatem se timentium. B Talia igitur prædicando, B. Vitalis manus in cælo & oculos eleuauit, & orauit ad Deum, & deinde benedictione datâ, illum in pace dimisit, & ait: O fili secundùm fidem tuam fiat tibi. Ille verò valedicens regressus est. Tunc diuinâ clementiâ operante, & interuenientibus meritis beatissimi Confessoris, filiam tribuit ei Dominus ad gloriam & laudem pietatis suæ, & eius ministri Vitalis. Procedente quippe tempore parentes adduxerunt illam ad Sanctum, qui factâ super filiam & parentes benedictione orauit, dicens: Qui mundum fecit, ipse vobis gratiam largiatur, reuertimini cum gaudio.

& prolem addidit.

a *Coluntur* S. Hadrianus 8 *Septemb.* S. Natalia 1 *Decemb.*
b *Lupus Protospata in Chronico asserit* anno 986 Saracenos dissipauisse Calabriam totam, *ad quæ ferè tempora hæc referenda.*

CAPVT IV.

Monasterium Rapollæ extructum. Obitus S. Vitalis.

C 16 HIs atque alijs in loco illo patratis à B. Vitale miraculis, ab infestatione populorum & sæuitiâ paganorum secessit inde, cum discipulo & nepote suo Heliâ, qui dudum ad eum de Siciliâ venerat, & abiens habitauit in partibus Turrinensium ciuitatis: vbi tempore non modico degens, quamdam fabricauit ecclesiam, multaque per eum Deus dignatus est ibi miracula demonstrare. Inde rursus profectus venit, & habitauit secus flumen in partibus ciuitatis a Rapollæ, ibi siluestrem nactus locum, ieiunijs deditus, & orationibus semper intentus, suam constituit mansionem: in die siquidem montes, sicut consueuerat, sed discoopertus, percurrebat, & nocte ad collum vsque in gurgite peraquabat. Quid ergo? Intellexerunt monachi, vbi se agebat, & secuti post eum inuenerunt ipsum in prædicto loco, ibique monasterio constituto, secum vsque in vltimum vitæ suæ in bonâ & perfectâ obedientiâ permanserunt.

Migrat in partes Turrinensium,

a in Rapollensium:

vbi monasterium condit.

17 Congregatis autem Fratribus de eodem loco vniuersis, sermonem B. Pauli assumens taliter est locutus: Nolo vos ignorare, filij carissimi, viscera concupita & membra mea dilecta, quòd resolutionis meæ tempus aduenit. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, Fidem seruaui per gratiam Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quid autem mihi contingat de cetero nescio: notum est Deo, quem amaui, quem desideraui, quem dilexi, quem irreuocabiliter sum secutus in confessione bonâ, quem in conspectu multorum testium nos ipsi confitemur. D Nolite subiectiones abnegare, sacram institutionem custodite, regulas vitæ & confirmationis monasticæ incorruptibiliter conseruate. Cœnobium nolite dissoluere, à terrenis possessionibus abstinete, traditiones & præcepta sanctorum Patrum, Basilij scilicet & aliorum, nolite respuere. Nõ efficiamini multorum lucrorum cupidi, non carnis propriæ amatores, non mundum aut quæ sunt in mundo diligentes, non murmuratores aut contentiosi, non multiloqui siue detractores aut inuidi: non adhæreatis ludentium personis, sed magis insistite ieiunijs, abstinentijs, lacrymis, macilentijs, genuflexionibus, lectionibus, psalmodijs, orationibus, petitionibus, ministerijs, & quietis cogitationibus, caritati non fictæ, humilitati, mansuetudini, castitati & omni bonæ conuersationi: verbis, operibus, cogitationibus studentes, quatenus Regi & Sponso nostro Deo benè placere possitis, vt ad inuiolabiles & secretas regni cælorum nuptias securi, & sine repulsâ digni simus introire cum paranympho nostro Paulo, qui dicit: Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo, cum quo sumus crucifixi mundo, & mundus nobis. Si enim commorimur Christo, & conuiuemus & conregnabimus ipsi in secula seculorum, cum omnibus Sanctis sibi placentibus ab æterno. E

præsidens obitum, suos adhortatur.

2 Cor. 11, 2

18 Hæc & alia multa prædicans & præcipiens probatus hic magnus Agonista, substituit eis loco sui Ductorem & primum virum quemdam spiritualem & sanctum à vitâ monasticâ non errantem, habentem rerum diuinarum scientiam & Scripturarum, & scientem eos, qui pergere cupiunt ad Deum, conducere diligenter, à moribus & actibus Sancti non longiùs differentem. Huic itaque licet repugnanti tradidit sacrum illum rationabilium ouium gregem, secundùm subiectionem debitam pascendum pariter & ducendum, sicut qui erat rationem de eis in die iudicij redditurus. Tunc S. Vitalis cœpit his verbis Ductorem istum instruere: Frater, prouide tibi ipsi, prouide & vniuerso gregi, quem pascendum à Christo Pastorum Principe suscepisti, vt pascas illum in sanctitate & iustitiâ, probans, quid sit gratum & beneplacens Domino. Oportet enim Prælatum esse regularem, procuratorem, prædicatorem, mansuetum, amicabilem, perorabilem, gulosorum & lasciuorum vitia fugientem, nudum, purum sine maculâ; non elatum, non superbum, non adulatorem; constantem, malorum immemorem, F non vagum, non multa cogitantem, vt Salomon dicit: Oportet etiam esse non cupidum auri vel argenti, quia radix omnium malorum cupiditas est: non repetitorem, quia nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt placeat ei, cui se probauit: non personarum acceptatorem, non irascibilem, sed quietum, Dei & pauperum ac Fratrum suorum amatorem, discretum & ædificatorem boni operis eis, qui sibi volunt appropinquare, nihilque plùs quàm Deum honorantem: non ebrium, non percussorem, non simoniacum, non auarum, per quod indicatur idololatria, non odij seruatorem, non contradictorem, non cogitatorem & datorem proprijs & consanguineis, non mundi amatorem, non solùm quærentem sua, sed quæ multorum. Non sis furiosus, non audax, & iracundus, sed mitis & moderatus, & noli delinquentem aliquem inaudire; non piger, neque pigris consentiens, qui volunt subuertere sacros Canones. Non pius semper & facilè condescendens, quia cæcus si cæcum ducit, ambo in foueam cadunt: non te decet esse dulcem rationum secularium auditorem, ne delecteris vestibus pretiosis: nec oportet præhonorare personam alicuius potentis, super id quod pertinet fraternitatem, nec ab obseruatione sacrarum legum, & præceptorum recedas vsque ad sanguinem effundendum. Oportet enim te ponere animam, Nam bonus Pastor, ait Dominus, ponit animam suam pro ouibus suis. Non oportet multo

constituit successorē.

ei monita tradit.

Ioan. 11, 11

A multo tempore te manere extra monasterium, quia tota meditatio tua & cogitatio volui debet circa monasterij desideria: oportet te quoque diligere Fratres, sicut Agnos Christi, fouendo eos & tamquàm membra propria gubernando: non separabis vnum ab altero, sed eos sicut pater filios curabis, singulorum necessitates visitando. Ad te namque cura spectat & sanitas animarum & corporum cum dilectione & bonâ voluntate. Neque proprium cuilibet habere permittas, sed sicut Apostoli & Angeli Dei communem agant vitam, & sint omnibus omnia communia. Nam propter vniuscuiusque proprietatem rei fiunt contentiones, diuisiones vel incitationes omnium malorum. Quæ autem facienda contingunt tam spiritualia quàm corporalia, non secundùm proprium arbitrium & voluntatem, sed cum conscientiâ fiant & consilio maiorum, & eorum qui sunt digni reuerentiâ. Et in monasterio carnes comedi non permittas. Nec licet Prælato introitus omnis & exitus rerum monasterij procuratio, sed sola eius cogitatio sit cura animarum, & in quibus occupantur illi, qui sint præordinati ab ipso: ipse negotia dirigat grauiora, dixit enim Iethro ad Moysem in Exodo: Audi verba mea atque consilia, & erit Dominus tecum: esto tu populo in his, quæ ad Deum

B pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque cæremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod faciant. Proba autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt auaritiam: & constitue ex eis Tribunos & Centuriones & Quinquagenarios & Decanos, qui iudicent populos omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referatur ad te: & ipsi minora tantummodò iudicent, leuiusque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei & præcepta omnia poteris sustentare, quod Moyses fecit. Tu ergo si hoc egeris, apparebis coram Deo placens. Oportet enim te esse assentientem & sustinentem, vrgendo sacrum gregem, diuinas scilicet & spiritales oues. Cumque volueris eos aliquid agere, tu primus incipias, vt qui te viderint humilia facere, doceantur.

Ex MSS.

Exod. 18. 19 & seqq.

19. Hæc & alia multa dicens, & prædicans nouiter ædificato Abbati, rursumq; cōfirmans Fratres, præcepit eis semper in monasterio permanere, totaq; mansuetudine & deuotione subijcere se Prælato: valeq; illis dicto, gaudens & exultans, Deumque glorificans, extendit venerabiles pedes suos, & manus suas sanctissimas

C iungens, tradidit beatam animam suam sanctam in manibus sanctorum Angelorum, & obdormiuit in Domino, septimo Idus Martij, b sextâ feriâ, horâ primâ noctis: sepultus est autem à Fratribus in eodem monasterio Rapollæ, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui honor & potestas per infinita secula seculorum, Amen.

adhortatus Fratres

b piè moritur.

Rapolla vrbs.

a Rapolla *ciuitas mediterranea Basilicatæ, proprios habuit Episcopos, nunc Melphiensi Sedi vicina vnita, in confinio Principatus vlterioris & Capitanatæ.*

b *Opinamur indicari annum 994, quando Cyclo Solis 2; litterâ Dominicali G feria sexta contingit in diem Martij nonum.*

CAPVT V.

Triplex corporis S. Vitalis translatio, Guardiam, Turrem & Armentum. Variæ reuelationes & miracula.

20 DE vitâ, lamētatione & obitu sanctissimi Patris nostri Vitalis, pro mei breuitate ingenij, stylo humili scripsimus: superest, opitulante Domino, vt scribatur qualiter gloriosum illius corpus de præfato monasterio vsque Armentum peruenerit. Cùm itaque Dei famulus dissolutionem sui corporis cerneret imminere, & hoc diuinâ per Angelum reuelatione factâ

D præcognouisset; statim nepotem suum Heliam accersiri iubet, virum vtique prouidum & discretum, atque à sanctitate & bonis eius operibus non nimiùm discrepantem. Tunc alloquitur eum his verbis, & dixit: Fili mi, ecce ego senui, & secundū Apostolum tēpus meæ resolutionis aduenit: cursum consummaui, Fidem seruaui, incertus sum, si est mihi corona iustitiæ præparata: verumtamen post mortem meam sepelias corpus meum, & terræ terram tradas. Quo peracto, nullam hic inferas moram, sed vade celeriter ad Turrensium ciuitatem, & esto ibi vsque ad annos triginta: ego namque, si coram Deo gratiam inuenero, & de eius fuerit voluntate, veniam ad te, meque illic videbis, & quid facere debeas indicabo. Oportet enim te huc redire & ad memoratum locum corpus meum transferre: nam ab vniuersorum Domino prospera sunt ibi non minima reuelanda. Cùm autem hæc dixisset, vocauit ceteros Fratres, & eos vt in fide rectâ bonisque semper operibus perseuerarent, admonens & confirmans, in pace migrauit ad Dominum. Mox sepultus est in monasterio Rapollæ quod idem ipse construxit, & fecit multasque virtutes & sanitates gratiâ omnipotentis Dei operatus est.

Ab Angelo de obitu præmonitus,

2 Tim. 4. 6

mandat nepoti Heliæ secessum,

& translationem sui corporis faciendam:

sepelitur:

E 21. Præfatus igitur Helias, dilationis obstaculo propulsato, recessit inde, & veniens, sicut ei fuerat imperatum, in Turrensium partibus habitauit; vbi ad honorem & gloriam summi Regis monasterium erexit, & Fratres plurimos congregauit. Peractis autem, sicut perlectum est, annis triginta, horâ quartâ noctis, apparuit S. Vitalis venerabili iam dicto Heliæ, alloquens eum in hæc verba: Surge fili, comple verbum meum, & ad vtilitatem multorum hominum tuamque laudem, diligenter satage meas reliquias huc afferre. Expergefactus itaque Helias, & verba, quæ iam sibi dicta fuerant à Sancto cùm adhuc viueret, ad memoriam & mentem suam reuocans, suscitatis quinq; de venerabilibus Fratribus, cūcta, quę vidit & audiuit in somno, seriatim retulit in secreto. His auditis, monachi simul cum eorum Prælato, duobus assumptis fortissimis animalibus arripuerunt viam, quæ ducit Rapollam. Qui venientes ad venerabile eius sepulcrum cum ingenti timore adorauerunt, rogantes pariter & dicentes: O Sanctissime Pater, licet nos peccatores, indigni simus, tam mundum, tam sacrum corpus contingere; tuis tamen resistere non possumus imperatis.

F Vis ergo venire ad nos humiles, vis vt tuas venerandas reliquias sine repulsâ ducamus ad patriam, vbi sudores multos perpessus es, & innumera pericula sustinuisti, & vbi plurimos qui erant in ignorantiæ tenebris, ad lucem & ad Dei notitiam adduxisti; vt & nos tui, te recipientes, gloriam pariter & laudem referamus Christo bonorum omnium largitori, teque magnificemus in secula? His dictis, circumspicientes cum sagacitate locum, foras exierunt, nec à monumento procùl hospitium acceperunt. Cùm itaque serò factum esset, in profundo scilicet vespere, accedentes non sine formidine ad sepulcrum, occultè illud aperuerunt. O res admirabilis & stupenda! Nemo illorum, qui erant in monasterio, sensit quod est, iacebantque omnes, sicut lapides insensibiles, quia aggrauauerat eos somnus. Tunc ex illo venerabili corpore velut de paradiso deliciarum odor suauissimus exiuit, aromata superans vniuersa. Perterrefactis omnibus & conterritis manifestè Sanctus apparuit, vires & animos illis subministrans: qui susceptâ protinus ab eo inenarrabili virtute, corpus odoriferum apprehenderunt: erat adhuc sicut positum fuerat, integrum, scilicet imputridum, & fortè neque capillus de capite eius ceciderat. Dixit enim Dominus: Eos, qui me glorificant, glorificabo. Tunc aptauerunt illud in lecto, quod vulgari eloquio solent homines feretrum nuncupare; & animalibus imponentes, cum ingenti lætitiâ sunt reuersi, talem secum

Helias post 30 annos monitus,

cum sociis abit Rapollam:

Sancti corpus odorem suauem spirans,

auferunt.

1 Reg. 2. 30

A cum & tantum thesaurum, immensasque diuitias referentes.

Rapollensibus frustrà insequentibus,

22 Manè verò facto, cùm monachi ipsius monasterij Rapollæ ad consuetas Matutinales consurgerent laudes, & apertas inuenirent tam ecclesiæ valuas, quàm sanctissimi Patris sepulcrum, & eius inspicerent venerabile corpus sublatum; contristati valdè ex interni doloris angustiâ lamentari cœperunt, dicentes: Quis abstulit indeficientem thesaurum, nostrumque furatus est nobis Antistitem & Patrem? Heu, quàm magnum & intolerabile damnum! Quare non magis fuimus morti traditi, quàm sic essemus separati ab illo? Ad quem modò fugiemus? Quis intercedet pro nobis? Quis sanabit animas & corpora nostra? Hæc & his similia dicentes, nec vllam inde consolationem accipere valentes, egressi sunt cum festinatione per vias & semitas insequentes. Cùm autem ablatum sibi thesaurum inuenire non possent, inanes & vacui sunt reuersi. Adimpletumque est illud Propheticum dictum: Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt. Quid ergo? Monachi tamquàm victoriâ potiti, cum sacris reliquijs ad quemdam locum, cui nomē *a* Petra-perciata, sicut Domino placuit, peruenerunt. Tunc ex diuinâ visione factâ sibi per Angelum, acceperunt

Ps. 75, 6

veniunt ad Petram-perciatam:

a

B quòd ibi esset Dominus famulum suum glorificaturus, & maxima per eum miracula ostensurus. Hæc illis Angelo reuelante, dum visionem ad inuicem, quæ facta est, loquerentur, audierunt multorum Angelorum exercitum concurrentes, seque circumferentes, psallentes Domino & cantantes. Tunc reliquiarum transitio in totâ illâ claruit regione, cateruatimque omnes cum Litanijs obuiàm exeuntes, quidam immaculatum corpus, quidam pedes, quidam sacras illius vestes deosculari certabant: multi quidem cæci, multi claudi, & multi qui erant longioris temporis ægritudine fatigati, venientes illuc, adepti sunt sospitatem, & vexati ab immundis spiritibus curabantur. Hinc rursum profecti[illegible]t erat de voluntate illius sanctissimi Patris ad quoddam hospitium, prope Vicum *b* Guardiæ, peruenerunt: statimque fixerunt gradum animalia & steterunt. O quàm admiranda sunt opera tua, Domine Deus! quantò potioribus flagris animalia ire compelluntur, tantò magis manent immota: neque, quod hîc gestum est, minori fertur admiratione dignum, quàm vetus historia Balaam. Ioannes itaque *c* Turritanæ Sedis Antistes, cùm talia audisset, repentè conuocato Clero, coadunato populo, mulieribus simul & pueris congregatis, ad honorem sancti Patris

inter cantus Angelorum,

& miracula,

b

c

occurrente Episcopo Turritani:

C huius, non sine thymiamatis & luminaribus festinanter occurrit: vidensque sacrosanctum illius corpus immobile, contristari cœpit & mœstus esse, consilium adunare cupiens, quonam modo posset ad suum Episcopium deportare. Tunc iubet currum fieri, vt cum mundo illud grege, adhibitis quoque magnis viribus, ad supradictam ducatur Turrensium ciuitatem. Parato ergo curru & populo KYRIE ELEISON altis vocibus acclamante, contingentes feretrum, in quo Sanctissimum corpus iacebat, vt imponerent currui, mouere nullatenùs valuerunt: effectum enim erat ponderosius ferro multo, & innumerabili grauius plumbo. Cùm ergo cognouissent, quòd tunc illi non placeret Sancto Dei cultus; Episcopus & Helias reuerendus Sacerdos inuoluerunt corpus in quodam pretiosissimo vestimento, ibique in nouo sepulcro, quod tunc factum est, illud honorificè posuerunt: vbi ad honorem Dei & eius Matris fabricata est ecclesia, multaq; nunc vsque per eum fiunt miracula. Quot autem & quanti sint tunc curati à diuersis ibi languoribus, impossibile est præ nimiâ multitudine chartis tradere vel scriptis comprehendere.

corpus immobile sepeliunt,

extructâ ecclesiâ:

23 Positis iuxta Guardiam sacrosanctis reliquijs, de Siciliâ propter peccata populi, Deo permittente, venerunt immundi & spurcissimi *d* Agareni totam terram deprædantes & deuastantes, trahentes filij Ancillæ filios Liberæ in seruitutem. Tunc irruit super inhabitantes Italiam formido & pauor. Fugientibus itaque cunctis, nitebantur alij per castella, alij per loca naturâ munita, imminentia pericula declinare. Tunc Ioannes Turrensium Sedis Antistes, vir vtique magni meriti & multâ honestate præfulgens, cum Clero & populo consilium inijt, quomodò corpus illud sanctissimum ad suam posset deducere ciuitatem, bonam in hoc habens considerationem, quòd eidem ciuitati fieret *e* Epicurius maximus & defensor. Continuò consilium operibus comprobarunt, & consequente die, quadam Parasceue ad sepulcrum Sancti cum ingenti properant lætitiâ, & à tertiâ ipsius diei horâ vsque ad manè sequentis diei Sabbati orationibus & vigilijs deuotissimè insistentes. Tunc Episcopus arrepto malleo ferreo, conabatur tabulam lapideam monumenti frangere. Considera nunc, lector, & attende virtutem Sancti: omnibus cooperantibus, nihilque pro suo desiderio proficientibus, nulla vis, nullus ictus læsit tabulam illam, sed mansit illæsa, nec vllo mota est hominis ingenio. Stupore igitur capti vehementiùs vniuersi, quid agerent ignorabant. Spiritus autem sanctus, qui loquitur per Prophetas, Episcopum inspirauit, ponens hoc in corde suo: quòd ad mundos mundè conuenit accedere. Mox emissis omnibus extrà, solos illos, quos esse nouerat munditiæ amatores, Clericos scilicet & monachos, secum retinuit: qui flexis in terrâ genibus, & erectis in cælum luminibus, non sine lacrymis orauit dicens: Domine Deus noster, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, qui omnia facis ad salutem nostram, & reliquias Patriarchæ nostri Iacob, rursumque dilecti filij tui casti & speciosi Ioseph in fortitudine & gloriâ multâ ab Ægypto voluisti in Palæstinam transferri, reliquias S. Ioannis Chrysostomi per triginta annos à Comanâ in ciuitatem Cōstantinopolim ad salutem hominum deduxisti; Tu respice super nos, & da nobis inexhauribilem hunc thesaurum, quem ad custodiam & robur nostræ ciuitatis cupimus inuenire: fac omnipotens Deus, vt non appareamus spe nostrâ vacui & expertes, quatenùs semper glorificemus magnum & venerabile nomē tuum. Respondentibus Amen, repentè concursus est locus, sepulcro per seipsum aperto. Inuentum est itaque venerabile corpus illud, habitu vestitum Angelico, absque carne quidem; sed ossa eius erant adhuc dura & valida, & splendentia sicut stellæ. Erat quoque sua venerabilis dextera manus integra & illæsa, & digitis velut ad signandum dispositis, cunctos benedicere videbatur. Tunc præfatus Episcopus & monachi ineffabilem percipientes odorem, cum ingenti gaudio & timore, in quodam ligneo scrinio nouiter facto pretiosas reliquias posuerunt. Hi, qui foris stabant, odoris fragrantiam sentientes, KYRIE ELEISON magnis vocibus clamare cœperunt. Deinde quatuor venerabilibus Presbyteris ferentibus scrinium, reuersi sunt omnes in ciuitatem, & glorificantes & benedicentes Deum, & sanctum Confessorem, posuerunt illud cum reliquijs & vestibus suis in templo, quod ædificauerat, ad læuam scilicet ciuitatis versùs Orientem: innumeraq; tunc ibi curata est multitudo languidorum, vbi florent iugiter orationes eius, per virtutem Dei & Domini nostri Iesu Christi.

d

D

Ex MS.

sub Saracenorum incursione,

e

corpus initio resistens,

E

factâ oratione,

submotâ plebe,

F

faciliè defertur Turrim,

24 Posthæc contigit eo tempore Tuscanium quemdam, filium Rabdi (sic enim cognominabatur) in regione illâ dominatorem esse in terris Turris, Armenti & Petræ, aliorumque quorundam locorum: qui in animo suo posuerat corpus beatissimi Patris nostri Vitalis de Turre in Armentum transferre. Cùm palàm hoc facere non valeret, assumptis quodam die secum militibus Armenti, finxit se longiùs profectum. Arreptâ itaque viâ, quæ ducit ad Turrem, cùm iam essent propè ciuitatem, relictis foras militibus, vno tantùm

à Comite Tuscanio,

A tantum contentus Comite, qui erat eiusdem intentionis, voluntatis & eiusdem consilij non ignarus, ecclesiam adijt; ostendens se tamquam ad adorandum venisse. Tunc vocato Sacristâ, cum omni mansuetudine dixit ad eum: Affer mihi, Pater, affer reliquias Sancti: quia volo eas cum veneratione debitâ osculari, vt certum iter meum per ipsum prosperè dirigatur. Mos est enim latronum intendentium semper malum, admiscere mendacia veritati. Sacrista verò, sicut vir iustus & venerabilis Sacerdos, in simplicitate sanctâ se agens, totum statim aperuit scrinium, & posuit coram eo. Comes itaque Tuscanius subitò mansuetudinem in feritatem conuertens, toruo vultu ac minis compellit Sacristam, & dixit: Si ciuitatem vertis in tumultum, caput tibi auferam, & totum puniam genus tuum. Tunc Sacrista videns se in hoc facto positum, & iniquitatem cordis illius attendens, solitudinem quoque ciuitatis considerans, & virorum absentiam cogitans (erat enim tempus metendi, quando cuncti homines exeunt, iuxta Dauid ad opus suum & ad operationem suam, vsque ad vesperam) cùm nesciret aliter cruentas manus euadere tanti viri, permisit hoc fieri, & dixit se silentio pertransire. Claui igitur de manu eius violenter surreptâ, & occultato sub chla-B myde scrinio, egressus est de ciuitate, paucissimis quibusdam viris ibi repertis, mulieribus autem plurimis. Exeunt ex his quædam secundùm consuetudinem ad plateam, vt honorem Domino suo deferant: aspiciunt aliæ per fenestras, & quoniam ob pondus, quod latebat sub pallio, grauior solitò cernentibus videbatur, scandalizatæ sunt omnes, & ex tristi habitu Sacristæ caussam protinùs perpenderunt. Eâ propter mulieres cœperunt primùm percunctari Sacristam, quænam sibi caussa foret mœstitiæ, & vnde tantarum effusio lacrymarum: constat enim mulieres percunctatrices esse. Quid multa? In vnâ horâ omnibus, quod acciderat diuulgatur: tunc facies & pectora tundunt, & ad fletum pariter resolutę modicum insecutę fuerunt, amissionemque tanti Patris cœperunt lamentari, dicentes: Heu, heu, quanta nobis iniustitia, quantumue damnum acciderit, verbis exprimere non valemus. Non enim ab Agarenis, non ab aliquâ natione seu gente; sed (proh dolor!) à nostro Domino sumus hodie spoliati: recepimus quippè damnum grauiùs omni damno, à proprio sumus orbati Patrono, à communi medico separati. Hæc & his similia lamentabantur vsque ad vesperam mulieres: viri autem ab opere messorio redeuntes, & spoliationis & deploratiC onis caussam percipientes, quidam amarè flebant, quidam alta suspiria depromebant. Tunc contra Dominum suum insurgere voluerunt; sed à Religione sunt prohibiti iuramenti, & sic ingentem hanc tristitiam duxerunt æquanimiter tolerare. Milites verò, qui foris expectantes manserant, suscipientes sanctum corpus, cum maximo gaudio remearunt. Cùm autem ventum esset ad locum, qui Vigilia nuncupatur, Armentum respiciendo; Litaniâ solemniter ordinatâ, D processit obuiàm populus vniuersus. Tunc qui portabant steterunt, & facta est ab omnibus communis oratio, clamantibus KYRIE ELEISON. Cumque iam diu in oratione perseuerassent, genu flexo scrinium adorantes, ipsumque cum gloriâ & honore suscipientes, ad templum beatissimi Confessoris & pijssimi Patris nostri Lucæ duxerunt: ibique corpus illud pretiosissimum honorificè condiderunt.

[margin:] ... MS. — simulatâ veneratione; — posteà minis Sacristâ intentatis; — Ps. 103, 22 — corpus aufertur, — frustrà ingemiscentibus Turrinensibus: — Armenti collocatur in Ecclesiâ S. Lucæ.

25 Post tres autem dies apparuit S. Vitalis in somno quibusdam reuerendissimis personis Turriensium incolarum, confortans eos & dicens: Quare ciuitas sic mouetur propter me quotidiè, & suspirat? Nolite, filij, nolite contristari amodò, sed exultate potiùs & gaudete, quia etsi placuit quadam ineffabili Dei dispositione, corpus meum esse cum fratre meo Lucâ; non sum tamen à ciuitate vestrâ spiritu segregatus. Hac ergo reuelatione patefactâ, cognitisque postmodùm virtutibus, quas secundùm vniuscuiusque desiderium operabatur in eis, de mœrore lætitiam, de tristitiâ gaudium, de tribulatione fuerunt consolationis remedium consecuti.

[margin:] S. Vitalis solatur Turrienses.

26 Facta est autem hæc de Græco in Latinum translatio Anno Dominicæ Incarnationis millesimo E centesimo nonagesimo quarto, mense Iulij XII Indictionis, Pontificatus sanctissimi Roberti, Venerabilis Tricaricensis Episcopi g anno nonodecimo, ad laudem & gloriam summæ & indiuiduæ Trinitatis, nec non ad honorem eximij Confessoris & præcipui Eremitæ Vitalis, cuius nos adiuuemur meritis, protegamur auxilijs, orationibus muniamur nunc & semper in secula seculorum, Amen.

[margin:] Acta Latinè reddita — g anno 1194.

a Petra-perciata *seu* parciata, *id est, pertusa, in alio codice apud Caietanum* pretiata, *videtur ea esse, quæ Italis* Petra-fesa, *infra Potentiam vrbem in Apennino monte, versus Principatum Citeriorem: & reliquum iter correspondet. Distat à Rapollâ circiter 30 millibus passuum.* *[margin:] Petra-perciata.*

b *Guardia vicus distat à* Petra-fesa *sedecim circiter, & à Turri octo millibus passuum.* *[margin:] Guardia vicus.*

c *Turritana Sedis Episcopalis, ne quidem memoriâ est apud Vgellum: videtur perijsse per Saracenorum incursiones; & eius loco erecta anno* 1068 *Sedes Tricaricensis: cui modò subest.* *[margin:] Turretanus Episcopatus.*

d *Lupus Protospata* Anno 1031, *inquit*, mense Iunij comprehenderunt Saraceni Cassianum, & tertio die mensis fecit prælium Potho (*alijs* Protocapanus) cum Saracenis, & ceciderunt Græci, *seu Christiani. Est Cassianum seu Cassanum vrbs vicina Calabriæ, alia in vicinâ Barriensi ditione. Vnde ad hæc tempora videntur hæc referenda.* *[margin:] Cassanum vrbs.*

e Ἐπίκουρος, *&* Ἐπικούριος *Græcis auxiliator, quod etiam epitheton Apollini datum.*

f *Asseruari modò* reliquias SS. Lucæ & Vitalis *in ecclesiâ Cathedrali Tricaricensi suprà diximus.* F

g *Creatus ergo Robertus anno 1175 aut sequente, testis interfuit anno 1177 mense Februario, initi coniugij inter VVillelmum Regem Siciliæ & Ioannam Angliæ Regis filiam: & anno 1179 adfuit Lateranensi Concilio sub Alexandro III. Nec diu pòst hic relatum annum superfuit, quia Henricus successor anno proximo 1195 subscripsit Florensis cœnobij priuilegia ab Henrico VI Imperatore concesso.*

DE B. CATHARINA BONONIENSI

VIRGINE ORDINIS S. CLARÆ,

BONONIÆ IN ITALIA.

[margin:] ANNO MCCCCLXIII. IX MARTII.

1 

Nter illustriora Italicæ pietatis monumenta, ad quæ ab exteris regionibus appulsi hospites consueuêre deduci, haud sanè postremum est, incorruptum Virginis Catharinæ corpus; quod Bononiæ religiosè accedentibus offertur spectabile, per crates vitreamque fenestram, in eo pariete, qui latus ecclesiæ Dominici Corporis dextrum separat ab interiori sacello, in quo ipsa viuenti similis (nisi quod partium patentium color obfuscatus ad nigredinem vergat) mollisque adhuc & tractabilis considet, diuinâ dumtaxat sustentata virtute, quod anno MDCLX *illac transeuntes nostris ipsimet oculis venerabundi aspeximus, ante eam consistentes aram, ad quam Sacerdos, in Beatæ honorem Deo facturus sacrificium, solet consistere: vnde per prædictos clatros directus in sacrum illud ac venerabile pignus offertur conspectus. Vidimus autem habitu, regiâ magnificentiâ apparato, indutam,*

[margin:] Corpus incorruptum, — conspectum à nobis.

A inditam, sic vt manus super sedentis sinum expansæ, annulisque pretiosissimis compluribus ornatæ, dextera quidem argenteam cum Crucifixo suo Crucem sustineat; sinistra verò subiecto incumbat libro: qui vel ipse ille est, quem de septem Armis spiritualibus propriâ manu conscripsit, gemmeo inclusus operculo, vel alius eumdem repræsentans.

Vita intra annum 50 à morte scripta,

2 Vitam illius conscripsêre varij; vt in præfatione ad Vitam secundam videbimus. Antiquissima habetur ea, quam anno seculi præcedentis vndecimo, quinquaginta ferè annis post mortem, absque suo nomine vulgasse dicitur Frater Dionysius Paleotti ex Ordine S. Francisci de Obseruantiâ: quamque vnà cum prædicto de septem Armis spiritualibus libro, Latinam fecit è vulgari Italico, & typis Hieronymi de Benedictis vulgauit anno MDXXII Ioannes Antonius Flaminius: Foro-Corneliensis, vir cultissima (vt ea ferebant tempora) litteraturæ: quem sacris eiusmodi commentationibus haud illibenter stylum impendisse, testabuntur Vitæ Patrum inclyti Ordinis Prædicatorum, iisdem typis anno post hanc Vitam sexto subiectæ.

Interprete Flaminio hic edita,

3 Suum ille quidem nomen velut auctoris Vitæ isti præfixit: non tamen dissimulauit Interpretis se munere dumtaxat functum, quando eidem subiecit Fratris Francisci Castrocarij epistolam, maturam vtilissimi operis editionem postulantis, hoc exordio: Ede quæso, Flamini doctissime, opus

B illud diuinum, quod de Catharinæ posterioris laudibus, licet ex patrio sermone in Latinum transtuleris, composuisti tamen nuperrimè & protulisti: id enim lectissimis verbis & grauissimis sententijs sic ornasti, vt diuersum in eodem, alterum à semet existat. Eam Vitam hic damus primo loco, anno MDCLIII tertiò vice recusam atq; ab Admodū Reuerendo Domino Simone Santagatha, Sacerdote Bononiensi dono acceptam; cuius etiam beneficio & ductu ad omnia vrbis sacraria vsi, hoc inter cetera præclarissimum vidimus. Eamdem Vitam vnà cum libello ipsius & miraculis ex Latinâ Flaminij versione Gallicam fecit N. de Soulfour, & Sanctimonialibus D. Claræ dedicatam Parisijs impressit anno 1597 typis Guilielmi de la Nouë.

alia posterior cur prætermissa:

4 Quoniam porrò in hac primâ Vitâ plurima deficere videbantur, defectus illos ex parte suppleuit anno 1595 Reuerendus D. Christophorus Mansueti de Monte-claro, historica pleraque ex libello prædicto Vitæ priori interserens, quam sic interpolatam eo, quo diximus anno iterumque quadriennio post Bononiæ subiecit prælo Ioannis Baptistæ Bellagambæ. Quia tamen Christophorus, præter accepta ex prædicto libello (quem maluerant alij seorsim vnà cum Vitâ imprimere quàm eidem admiscere) & præter aliquot recentiora miracula, ante annum sexcentesimum patrata, noui ferè habet nihil, vnde

nouissima & accuratissima Vita que:

C Vita diuersa debeat potiùs dici quàm prior interpolata: satis habuimus indicasse auctorem & tempus; quamuis eamdem Latinè redditam haberemus, à Matthiâ Thannero Carthusiano, & Friburgi Brisgoiæ excusam anno MDCXXVIII: quam quidem tantò facilius æquiusq; fuit à nobis prætermitti, quòd in manibus esset non tam verbis quàm rebus prolixa, eademq; accuratissima scriptio Iacobi Grassetti è Societate Iesu, Bononiæ impressa seculi huius anno vicesimo; quam quomodò & quatenus Latinam fecerimus, post auctoris ad secundam Vitam præfationem distinctè explicatum Lector reperiet. Ex illius porrò capite vltimo, quæ ad cultum B. Catharinæ Ecclesiasticum spectant, hîc coniuncta lege.

B. Catharinæ Clemens VII.

5 Quatuor hoc in genere indulta Clemens VII Pontifex Maximus promulgauit, tempore non vno, quorum hæc summa est. De sanctâ vitâ ac morte Dei famulæ Catharinæ, & miraculosâ corporis incorruptione, eiusque exhumationem secutis prodigijs plenè instructus Sanctissimus Dominus; qui ipse, in comitatu Caroli V Imperatoris inuictissimi, eadem ipsa suismet oculis Bononiæ vsurpârat; amplam perpetuamque facultatem concessit Sanctimonialibus monasteriorum Corporis Christi & S. Bernardini Bononiæ, aliorumque duorum iisdem nominibus Ferrariæ, solenniter celebrandi illius, tamquàm Beatæ, festum, VII Idus Martij: idque Officio proprio & Missâ particulari, per deuotos quosdam Religiosos compositis

Officium & Missam propriam concedit,

D ordinatisque, & à Magistro sacri Palatij Romæ approbatis: eiusdemque Commemorationem faciendi omnibus & singulis anni diebus. Concessit prætereà, vt præfata Missa in quatuor illis ecclesijs dici possit à quocumque seu Regulari seu seculari Sacerdote: non tantùm in die ipsius festo, sed etiam alio quocumque die, quo dici possunt Missæ Votiuæ; iuxta Regulas atque instructiones Missalis Romani.

6 Cogitabat verò ad solennem B. Catharinæ canonizationem procedere hic Pontifex; idque ipsum facturum se viuæ vocis oraculo addixerat: sed maximi motus publici priuatique, quibus exercitum habuit totum (vt passim constat) sui Pontificatus spatium, nequaquàm ei permisêre, vt benè cogitata in effectum deduceret. Post aliquot deinde annos renouatum reformatumque est Breuiarium atque Missale Romanum, tempore Pij V Pontificis Maximi; ex cuius decreto necesse fuit Officium & Missam, quæ Clemens probârat, ad formam innouationis prædictæ reduci; quod sub Pontificatu Sixti V est factum: de cuius mandato eadem recensita reformataque, prælo typographico subiecta sunt anno MDLXXXVII: & ab eo tempore in hunc vsque diem, ea forma seruatur, quoties nouâ opus est impressione.

ea sub Sixto V reformatur,

7 Denique Illustrissimi Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum, expenso denuò miraculoso corporis incorrupti, etiam his nostris temporibus, statu, iudicarunt B. Catharinæ nomen Martyrologio inserendum, ex quo diebus singulis in sacris precibus Ecclesia recitat Sanctorum ac Beatorum quotidie occurrentium nomina: procurantibus negotium istud Illustrissimis Cardinalibus Gesualdo & Paleotto, qui rem ad Congregationem primùm, deinde ad Romanum Pontificem Clementem, Papam eius nominis octauum, retulêre: qui viuæ vocis oraculo sanxit, vt quod censuerat Congregatio executioni mandaretur. Itaque condito decreto XII die Augusti, anno verò MDXCII inserta sunt Martyrologio Romano hæc verba: Bononiæ B. Catharinæ Virginis, Ordinis S. Claræ, vitæ sanctitate illustris; cuius corpus magno cum honore colitur. E

nomen inseritur Martyrologio Rom.

8 Quod ad P. Grassettum, Vitæ posterioris auctorem, attinet, is post annos quadraginta quatuor, magnâ cum doctrinæ tam humanioris quàm seuerioris commendatione & singulari integerrimæ vitæ exemplo, actos in nostrâ Iesu Societate diem suum Arimini clausit ferè sexagenarius anno MDCLVI. Præcipuè autem in eo eminuit & admirationem tulit promptitudo in parendo, profitenti ex eâ cuncta sibi rectè procedere: eiusq; luculenta dedit argumenta etiam in extemporaneis & arduis parendi occasionibus: successus certè in iis, quæ iniunxisset obedientia, minimè vulgares habuisse vel ex hac Vitâ colligas, quàm simili obsequendi studio ab eo scriptam fuisse ex eius ad lectorem proloquio manifestum est. F

P. Iacobi Grassetti elogium.


VITA

ex Italico Latinè reddita

per Ioannem Ant. Flaminium Foro-corneliensem.

CAPVT I.

B. Catharinæ vita Ferrariæ acta, virtutes, tentationes, fauores diuini.

1 
Atharina Virgo, cui Bononia materna patria Bononiensi cognomentum indidit, patrem habuit Ioannem, ex nobili Vigrorum familiâ, Ferrariensem ciuem, præclaris insignem dotibus

B. Catharina parentes,

INTERPR. FLAMINIO.

Abus virum, ac litteris ornatissimum, vitæ ac morum integritate memorabilem; qui suis virtutibus magno in honore apud Nicolaum Estensem, Ferrariæ Principem, fuit, ac propterea in publicis muneribus ferè semper occupatus: matrem verò Bononiensem viro non dissimilem. Sed quales ipsi parentes fuerint, coniecturam facere quilibet ex filiâ potest. Matri Beneuenutæ nomen fuit. *natiuitas,* Nata est Bononiæ sexto Idus Septembris, die natali Mariæ Virginis Dei Genitricis, anno ab aduentu Christi decimotertio supra millesimum & quadringentesimum: cuius natiuitatem nocte, quæ felicem partum præcessit, ipsa Dei Mater Ioanni eius patri, qui tunc erat Patauij, præmonstrauit, & futuram ingens in toto orbe terrarum lumen prædixit *a*. Nullum nata vagitum (sicut infantes solent) edidit, neque per totum triduum vel lactis aliquid, vel alius nutrimenti quicquam gustauit; magnum profectò sanctitatis & austeritatis futuræ præsagium. *pueritia Bononiæ, b* Bononiæ primos ætatis annos egit: nam ipsa in quâdam epistolâ se Bononiæ natam & educatam asserit *b*. Patris dein iussu Ferrariam à matre perducta, cum Margaritâ antedicti Principis filiâ familiarissimè vixit. Erat illi in teneris annis senilis prudentia, modestia singularis ac mira venustas, & morum elegantia; vt facilè iam tum appareret, fœminam rari exempli futuram. B

2 Sed cùm delicias omnes, opesque & quicquid *adolescentia Ferrariæ acta.* delectare mortalium animos in hâc vitâ solet, aulamque Principis *c* fastidiret puella, cuius mens tota in cœlo diuersabatur; non priùs destitit, quàm permittentibus ipsis parentibus *d* monasterium Corporis Christi, sacrarum Diuæ Claræ Virginum, ingressa est; vt tota se Christo, quem dies noctesque cogitabat, amotis *S. Claræ institutum amplexa.* omnibus impedimentis, dederet. Annus erat ille ab aduentu Christi vigesimus tertius supra millesimum quadringentesimum *e*, ætatis verò illius vndecimus. Semota igitur ab omnibus rerum terrenarum occupationibus, tanto animi ardore famulari Deo cœpit, vt illam mirarentur omnes, & qualis citò euasit, futuram præsagirent. Tanta inerat illi mansuetudo, tanta erga omnes, quibuscum viuebat, reuerentia obedientiaque, vt amabilis & gratissima breui cunctis fieret, &, quamquàm in puellari admodum ætate, etiam venerabilis. *claret virtutibus,* Ingens illi rerum omnium, præterquàm earum quæ Deum respicerent, contemptus. Parentum ac propinquorum omnium cogitationem & curam omnem statim deposuit, vt nihil aliud quàm Deum amaret & cogitaret. Peccatorum illi assidua cura, & incredibilis commiseratio; atque ob id frequentes pro ijs C apud Deum preces: quorum quidem quantoperè salutem cuperet, vno at insigni & memorabili sanè indicio potest intelligi, quòd ardenter optabat, ac ita Deum precabatur, vt etiam damnatorum in inferno omnium in se vnam, ac in profundissimâ quidem inferni parte, supplicia transferrentur; vt per suam vnius damnationem ceteri pœnis eximerentur, & salui fierent: & hoc ipsa in suo diuino opusculo, quod de vernaculo sermone in Latinum proximis diebus nos traduximus, scriptum reliquit.

3 Vbicumque & cum quibuscumque esset, aut de Deo aut cum Deo loquebatur; vt in terris quidem corpus, mens in cælo semper versaretur. Et, quamquàm grauissimis vrgebatur tentationibus, ac penè intolerabilia ferebat antiqui hostis certamina; quia tamen tam patienter quàm libenter illa pro Christo sustinebat, hilari ferè semper erat facie, & temperatâ grauitate lætanti similis. Nullum tempus illi vacuum elabebatur, scienti, nullius æquè rei reddendam nobis esse Deo rationem quàm temporis. Nullum ex illius ore verbum excidit inane, & quod aliquo pacto audientem posset offendere. *inprimis humilitate.* Ita cunctis in rebus admirabilem se cunctis præstabat, vt omnium in eâ virtutum exempla conspicerentur. Sed præcipua illi cura esse videbatur, pro Christo ab omnibus contemni ac pro nihilo haberi; ideoque se stultam existimari ac dici D cupiebat; &, quemadmodùm ipsa se credebat, ita iudicari ab omnibus contemptibiliorem cunctis mortalibus optabat. Incredibile dictu est, quantoperè ipsa se sperneret, ac sperni ab omnibus cuperet, vt Christo plurimùm placeret, & illum hac in re potissimùm imitaretur; cuius quidem sciebat totam vitam nihil aliud esse quàm veræ & consummatæ humilitatis exemplū; ac propterea in Euangelio dixisse: Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et certè nulla est virtus, quâ se Christianum quis profiteri veriùs queat. Sancta igitur Virgo, quæ nihil aliud magis studebat, quàm vt per hanc virtutem gradiens, Deo maximè placeret, ac vera imitatrix Christi fieret, omne suum in hanc studium ac diligentiam contulerat: quod sanè est verissimum ac firmissimum vitæ ac religionis Christianæ fundamentum; quod si tollatur, vt ceteræ virtutes vel desint vel corruant necesse est. Per hanc fecêre iter, quicumque ad cælum peruenêre & perpetuam adepti sunt requiē. Ob hanc illa dictis factisque omnibus incredibili quodam modo mitem se ac mansuetam ostendebat, vt nihil illa diceret vnquàm aut faceret, quod mirificæ humilitatis exemplum non præberet. Induebatur ob id E vilissimè, vt quæ omnium se infimam duceret, & cunctas sibi præferens illis se submittebat, ac parere omnibus maximè studebat. Vilissima quæque sibi deposcebat ministeria. Denique tam rectè valentibus quàm ægrotantibus, tantâ caritate ministrabat, & operam suam tam hilarem, adeò promptam præstabat, vt nihil tam laboriosum aut tam sordidum foret, quod illa refugeret.

4 Hinc sequebatur magna illa & insignis virtus, *obedientiâ,* quæ totius religionis tenacissimum est vinculum & stabilimentum obedientia, cuius admirabile quidem exemplum ipsa se præstitit: quæ cùm ad omnium iussa promptam se & paratam semper exhiberet, & quædam ex sacris Virginibus, vel imprudentiâ quadam vel commiseratione mota, illi dixisset, ne tantoperè laboraret, nec sic omnibus se subijceret, vt facta cunctarum ancilla videretur; placidè admodùm ipsa & læto vultu respondit: At ego quidem mearum dominarum & Christi sponsarum ancilla sum. Hæc mea est gloria & requies, pro vnaquâque laborare; ne panem doloris comedam, & pauperum sanguinem in meam perniciem bibam. Cumque magnum iam sibi ex hâc virtute nomen comparasset, & aliquando illam experiri, qui ei præcipere poterant, vellent; iussêre, vt exuta vestibus ad matrem suam nuda iret, & inde nuda F reuerteretur. Parere illa continuò cœpit, ac se vestibus exuebat: sed statim iussa est, ne faceret. Iussa etiam aliquando est, vt se saltu in medium ignem mitteret: extemplò parebat, sed retracta est; vt mirari non sit opus, si tam crebrò, tam libenter, ac tam anxiè ipsa in suo libello, cuius paullò antè mentionem fecimus, de hâc virtute verba faciat, & vnam ceteris anteponat; vt asserat, nullam vitæ austeritatem, nullam corporis macerationem illi comparandam, ac propterea sacras ad illam Virgines adhibitâ omni diligentiâ hortetur.

5 Orationi verò & contemplationi miro studio *orationis studio:* & assiduitate vacabat, nec erat illi quicquam eâ re dulcius ac suauius. Quod vbi vidit hostis antiquus, struere illi cœpit insidias, ac mirum solitudinis studium inijcere, ac monasterij tædium; persuadens illi fore vt in solitudine multò meliùs, & quantùm vellet, orationi vacare posset. Quod quidem desiderium cùm vehemens esset, & illam ad egrediendum in locum aliquem desertum quotidie magis impelleret; ignara essetnè id consilium vtile, & an Deo placeret vt ita faceret, impensè Deum precata est, vt sibi panderet, quid facto opus esset. *tentationibus variis exercetur.* Exauditæ sunt preces, & admonita est, debere vnumquemq; in loco permanere, ad

A ad quem Deus illum vocauerit. Quare diuinum secu tã consilium, fraudem illam fuisse diabolicam intellexit. Sed alia plurima quidem ac diuturna certamina illi dæmones intulêre, in quibus quamuis præter modum vexaretur, & subtractus illi diuini amoris ardor videretur, Dei tamen ope numquàm destituta est, & ex omnibus victrix demùm euasit. Ter etiam dæmon sub imagine Christi Cruci affixi, ac Mariæ Virginis paruum Iesum in amplexu tenentis, illam fefellit: ita vt esse verè Christum, ac venerabilem illius Matrem crederet. Quod sibi accidisse diuino permissu ipsamet non aliâ de causâ in eodem libello testatur, quàm quòd nescio quo pacto ex nimiâ cælestium donorum fiduciâ sibi ipsa persuadebat, nullam posse hostis antiqui tam subtilem esse fraudem, quam non agnosceret. Propter quod graue ac nimis longum tulit supplicium, vt penè ad desperationem aliquando compelleretur. Atque ob id diligentissimè illa sacras in suo opusculo Virgines hortatur, ne qua sit perfectionis tantæ, quæ sibi ipsa fidere audeat.

apparet ei S. Thomas Cantuar.

6 Taceo similia multa, ne longior sim, de quibus illa tandem victrix magnâ imposterum tranquillitate frui cœpit, & ardor ille pristinus, ac diuini amoris B suauitas, quam diu fuerat experta, in eam redijt. Erat autem orationi adeò intenta, vt ex nimiâ ob id lassitudine die quodam magnus illam sopor inuaserit, ad quam dormientem inclytus Martyr Thomas Cantuariensis Episcopus venit, pontificalibus indutus vestimentis: qui illam docuit, modum etiam orationi esse adhibendum, post quam sit quiescendum; collectis dein viribus ad eam redeundum. Quæ cùm monuisset, Virgini adhæsit, & osculandam illi sacram manum præbuit. Tunc expergefacta est, ac vigilans reuerenter illius manum osculata est: post id Sanctus euanuit. Hoc autem ipsa quodam in loco Breuiarij, quod suis manibus sancta Virgo scripsit, testata est, cuius hæc verba sunt: Pro S. Thomâ Cantuariensi, gloriosissimo Martyre ac benignissimo, qui manus suas sanctissimas ostendit mihi, & osculata sum illas dulciter in corde & corpore meo. Ad laudem Dei & illius, scripsi & narraui hoc cum omni veritate.

Ipsa suas docet dispositionem ad rectè orandum.

7 Et quod ipsa, quantum ad orationem attinet, faciebat, ceteras vt idem facerent monebat & hortabatur, aiebatque septem esse, quæ ad perfectam orationem requirerentur. Quorum illud primum, mundam ab omni labe mentem & corpus habere. Secundum C intentionis efficaciam, ac vehemens diuini honoris in rebus omnibus desiderium. Tertium efficaciam perseuerantiæ, ac bonorum obliuio, quæ operatus sis, & nouorum semper inceptio. Quartum dignæ conditionis humilitatem, non propriorum modò delictorum, sed omnium etiam, quæ cuncti peccatores patrauerint, ac summum pro ijs satisfaciendi desiderium. Quintum esse, sibi non fidere, nec propriæ opinioni inniti velle, ac omne suum opus, quamuis bonum, habere suspectum; quia extremæ dementiæ sit iactantiæ vitio inflari, veramque ac solidam perfectionem esse laboriosam portare crucem. Sextum, spem omnium in Deo reponere, cùm minimè dubitandum sit, illum sperantes in se non deserere. Septimum ac vltimum, diuinam præsentiam; nam anima, quæ antedictis conditionibus ornata est, digna iam sanè facta est diuinâ præsentiâ, adeò quidem, vt quolibet momento in Deum attollere se absque vllo medio possit. Verùm illud addebat, ac identidem monebat, debere illum, qui ad tantam celsitudinem peruenisset, numquàm efferri ac superbire, sed semper esse humilem; ne ex tantâ altitudine in profundum decidat.

Cælestibus reuelationibus illustratur.

8 Arcana sanctæ Virgini cælestia multa quidem patuêre, inter quæ illud maximè memorandum duximus. Nocte quæ Christi natalem diem præcessit, impetrauit illa, vt sibi pernoctare in ecclesiâ liceret, vbi decreuit millies in honorem Genitricis Dei angelicam salutationem repetere. Quod cùm faceret, & ad D horam noctis quartam *f* peruenisset (quâ quidem horâ scriptum reliquit ipsa, se credere Christum esse natum) affuit præstò Dei Mater, paruulum in amplexu tenens Iesum. Nec imaginaria fuit illa visio, sed verum ac manibus tractabile Numinis vtriusque spectaculum. Benignè tunc allocuta sacram Virginem cælestis Mater Filium ei suum amplexu fouendum tradidit. Accepit illa reuerenter & incredibili cum gaudio, & in amplexu aliquamdiu tenuit, cumque os suum ori illius admouisset, cæleste numen euanuit. Ex quâ re quanto illa gaudio sit affecta, verbis consequi nemo posset. Fuit præterea illi monstratum, pulcherrimis quidem rationibus & figuris, quomodò in Hostiâ consecratâ verus esset Deus & verus homo, cùm dira & longa illam de eâ re dubitatio tenuisset. De Trinitate etiam edocta est. Deus autem ipse fuit, qui talia eam edocuit, sicut ipsa in suo narrat opusculo, similiter & in Breuiario, vbi ait: Ego vidi eam, & intelligo eam, gratiâ Dei. Illud præterea, quomodò in vtero Virginis carnem Deus assumpsit. Die quadam dum sacrificio altaris, quam dicimus Missam, interesset, & Sacerdos, SANCTVS, SANCTVS proferret, audiuit ipsa repetentes E idem verbum cælesti cantu Angelos; cuius tanta fuit suauitas, vt penè de ipsius corpore egressa sit anima: quamuis totum illud verbum Angeli non protulerint: nam si paullò longior diuinus ille cantus fuisset, proculdubio exanimis concidisset. Bis etiam Seraphicum vidit Franciscum; propter quod in eodem Breuiario manu ipsius Virginis scriptum legitur: Sanctus Franciscus Pater meus. Ego vidi illum bis; Deus scit, quòd non mentior.

INTERPR. FLAMINIO

cantum Angelicum audit

animarum saluti studet

9 Ne animæ quædam tartareis immergerentur supplicijs oratione suâ impetrauit *g* pro quarum etiam vna *h* paratam se dixit purgatorias vsque ad extremum iudicij vniuersalis diem pœnas subire. Alios quosdam, qui de diuinâ desperabant misericordiâ, adeò vt dæmonum opem implorarent, ad rectum salutis iter suis orationibus retraxit. Proprijs etiam vidit oculis abeuntem in fumi speciem diabolum, cum quemdam sic impleuisset, vt de suo ouili omnino egredi vellet. Suâ item oratione à Deo impetrauit, vt illustris Margarita Nicolai Estensis Ferrariæ Principis filia voti compos fieret (quæ cùm B. Robertus *i* Malatesta eius maritus à vitâ discessisset, & parentes illam sui per verba de futuro cuidam alij despondissent, ingenti afficiebatur dolore, post primum talem ac tantum maritum nulli alij viro iungi volens) nam quo die ad secundum ma- F ritum ducenda erat, allatus est nuntius illum obijsse. Nocte autem, quæ secuta est, vidit ad se venientem sanctum priorem maritum, qui sibi illam iterum desponsauit, ac dixit: Scito Margarita me tuum esse sponsum, ac nolle vt alij viro iungaris. Sic illa deinceps constanter in viduitate permansit, & magnâ cum laude vixit. Multa etiam prophetico spiritu præuidit sancta hæc Virgo, atque vt erant futura prædixit: vt bellum, quod Philippus Mediolanensium Dux Bononiensibus intulit, Aloysio à Verme copiarum eius Duce; quę pro patriâ orans suâ, futuros victores Bononienses vaticinata est. Et ita quidem euenit: namque Hannibal Bentiuolus, primarius tunc in vrbe suâ ciuis, cum populo Bononiensi, facto aduersùs Mediolanenses copias impetu, illas cum suo Duce fudit fugauitque *k*. Quam rem suo quidem ordine, sicut gesta est, iam sacra Virgo prædixerat. Præuidit etiam Orientalis Imperij excidium, & Constantinopolitanæ vrbis captiuitatem *l*, pro quâ cùm rogaret, ne Christianum Imperium in potestatem Turcarum deueniret, admonita est à Deo, vt finem precandi faceret, quòd ob Græcorum flagitia & impietatem oporteret à Christiano corpore illud Imperium rescindi. Veram fuisse vatem exitus ipse ostendit.

Margarita Estensi impetrat gratiam castæ viduitatis

futura prædicit

10 Meruit orationibus suis animam cernere sororis

A roris suæ in cælesti patriâ collocatam : necnon animam Ioannis Ferrariensis Episcopi horâ diei tertiâ cælum scandentem *m*, & tunc ad se vnam de sacris Virginibus vocauit, & dixit : Vide Episcopi animam, quæ sicut radians sidus cælum ascendit. Illud quoque memoratu dignum, quòd interfuit, dum B. Bernardinus *n* in catalogum referretur Sanctorum, & ab ipso petijt ac impetrauit, vt suus frater in viam salutis dirigeretur, à quâ prorsus deuiauerat. Nec illud silentio prętereundum, quòd suo Deus illi ore iussit, ne Bononiensis monasterij Pręfecturam, ad quam fuerat electa, respueret : propter quod affirmauit illa, diabolum sæpè conatum, vt id monasterium funditus euerteret, ac illius etiam nomen deleret: sed suis illi orationibus obstitisse, ac id frustrà dæmonem tentasse, atque ob id solitum esse illum modò vlulare vt lupum, modò vt iratum leonem rugire: atque ita se ab eo cœpisse timeri, cùm cerneret se nullo pacto posse illi nocere. Et iam sancta Virgo cœperat illum contemptui habere, quia diabolus ipsam propter assiduitatem & vim orationum plurimùm formidabat.

Interpr. Flaminio beatum aliorum finē cognoscit. m n

a *Ita postea narrasse matrem, addit Christophorus Mansueti.*

B b *Intelligit attestationem, quâ suum opusculum obsignauit Beata, quam proferemus in sequenti Vitâ num. 57.*

c *Margarita Estensis; de qua ibidem num. 2.*

d *Matrem intellige : nam pater tunc mortuus erat : per anticipationem autem vocat monasterium Virginum D. Claræ, quæ tum adhuc sub seculari habitu collectæ, D. Claræ habitum Regulamq; non sunt professæ nisi post annos sex ab accessu Catharinæ in illam domum.*

e *Imò Christi 1427 ætatis 14. qui autem hic signatur annus est quo Bononiâ Ferrariam cum matre migrauit, vbi biennio trienniòue in aulâ Margaretæ prædictæ vixit, donec per illius nuptias dissolutus est, qui ipsi Bononiæ adhærebat honorarius nobilium puellarum cœtus. Regulam autem B. Claræ professa est Catharina an. 1432. vt ex secundâ Vitâ clariùs patebit.*

f *Ab occasu solis numerando, qui eo tempore dumtaxat nouem horarum diem Italis facit : hæc hora in transmontanis horologiis responderat tertiæ ante mediam noctem, seu nonæ vespertinæ.*

g *Exempla vide in Vita 2. num. 118.*

h *Fuit hæc illa Soror, de qua ibidem num. 114.*

B. Robertus Malatesta i *Ita eum passim Ariminenses appellant, propter crebra ad eius sepulcrum miracula. Vitam eius habemus Italicè descriptam, & cur inte Cæsare Ranuccio editam, Arimini 1610 : ex qua habemus Robertum 18 anno suæ ætatis, ne patruo esset inobediens in hoc matrimonium consensisse; quod an consummauerit vnquam incertum est, quàtius sæpè diceret:* mallem potiùs acerrimè torqueri quàm semel etiam tantùm ad carnalem copulam deuenire : *certè nullos post se reliquit liberos, coniugij sui anno quinto ætatis vigesimo secundo, vtroque non plenè exacto, mortuus 1432 10 Octobris & habitu Tertiarij S. Francisci sepultus. cui an Sedis Apostolicæ permissu cultus aliquis deferatur necdum nobis liquet. Arturus, more suo fidenter eum inseruit Ordinis sui Beatis.*

C *Bentiuola familia.* k *Iuxta vicum cui S. Petri de Casali nomen : anno 1443. 14 Augusti : additur autem in Vitâ per Grassettum scriptâ : non multis annis post, reuelatam eidem Beatæ fuisse totius Bentiuolæ familiæ depressionem, occasione seditionis contra ipsam mouendæ, quâ vrbis priuandi Dominio, palatium destruendum, ipsi ab vrbe expellendi essent, cum omni suâ factione.*

B. Io. Tossignanus. l *Accidit ea anno 1453, sub Mahomete II. post acerrimam duorum mensium oppugnationem, die 10 Maij, in vigiliâ Pentecostes; ne dubitari posset, Græcorum excidium, propter schisma blasphemum in Spiritum sanctum, diuinitus permissum fuisse.*

m *Obijt hic 1446, die 24 Iulij inter Beatos ritè adscriptus, cuius & nos Vitam dabimus, Ferrariæ, cùm corpus eius venerati fuissemus, ex Latino originario fideliter descriptam : fuit ex ordine Iesuatorum cognomento Tossignanus.*

n *Senensem intellige, cuius canonizatio celebrata sub Nicolao V, anno 1451, 19 Maij.*

CAPVT II.

Monasterij Bononiensis fundatio, & Catharinæ beata mors.

Deprecatur eligi in Abbatissam:

11 MAgna hæc, & manifesta sunt admirandæ sanctitatis indicia, quæ cum indies magis claresceret, & iam nomen illius illustre factum esset, sacræ monasterij Ferrariensis Virgines primis illis inchoati monasterij annis, vbi se incluserè, Præfectam sibi de suo numero, quàm trito vocabulo Abbatissam vocant, D eligere litteris Apostolicis iussæ sunt *a*. Statim igitur concordi sententiâ omnes in sanctam hanc Virginem consensère, ac illam sibi præfecère. Quod vbi ipsa cognouit, quæ non præesse quidem, sed semper subesse, ac serua omnium esse maximè optauerat, tanto dolore statim correpta est, ac in tãtum prorupit fletum, vt penè defecerit; cuius erat tantus dolor, vt ceteris Virginibus lacrymas excuteret. Deinde cùm alia duo monasteria constituere sacræ Virgines vellent, alterum Cremonæ, Bononiæ alterum; ac inter eas ageretur, vt alteri eorum sancta Virgo præficeretur, dixit illa, se numquàm id passuram, nisi priùs explorata sibi diuina voluntas esset; quam vbi nouit, libenter id onus subijt. Missi igitur Ferrariam Bononienses ciues ad Leonardam, venerabilem tunc & præclaram monasterij Ferrariensis Præfectam accesserunt, ac rogarunt, vt de sacris Virginibus vnam ipsa deligeret, cui rectè administratio & præfectura sui monasterij *b* committeretur. Tunc illa, dabo, inquit, vobis alteram Sanctam Claram, ne vereamini. Quod verè quidem illam dixisse, res ipsa indicat, nec in re tam manifestâ testibus opus est: Sic igitur electæ Venerabiles ex Minoritarum Ordine regularis Obseruantiæ viri, Franciscus Tinctor, Iacobus cognomento Primadizus & Gabriel Bononiensis *c*, quia Bononiæ nata esset, iussère, vt se deinceps Catharinam Bononiensem diceret. Paruit illa, & patriæ; in quâ nata est, cognomentum perpetuò retinuit. Sic quidem patefacta & declarata visio quædam est, in quâ sanctæ Virgini duæ sedes magnificentissimo apparatu instructæ, monstratæ fuerant; sed illarum altera maior & ornatior: quas dum ipsa magnâ cum attentione miraretur, & quorum essent interrogasset; audiuit, maiorem & ornatiorem illam Catharinæ Bononiensis esse.

a *nouo tamen Bononiensi monasterio præficitur b* E *c* *& Bononiensis cognominatur.*

12 Electa igitur sancta Virgo, vt monasterio Bononiensi præesset, grauiter admodùm ægrotabat; sic quidem, vt illius salus magno in discrimine versaretur. Non tamen ob id impedita est (tantum illi obedientiæ studium & cura inhærebat) quin continuò ad suam præfecturam accederet. Et primùm quidem lecticâ extra monasterium delata est, dein carpento vsque ad nauim; sed adeò confecto corpore, atque consumptis viribus, cùm de monasterio exportaretur, vt sacra comitibus illius data sit candela, quâ, sicut more Christiano morientes solent, signaretur, si fortè (vti suspicabantur) in itinere diem suum obiret. Sed mirum dictu est, quàm repentè vires illi redierint, vbi carpento imposita est; magisque confirmata sit, vbi ad nauim peruenit: in quâ sic quidem, vt reliquæ, absque vllâ molestiâ quieuit. Ita incolumis Bononiam in suum monasterium peruenit mense Iulio, die S. Mariæ Magdalenæ festo, anno ætatis suæ quadragesimo tertio. In ipso autem monasterio totum triduum non sacrarum modo Virginum, quæ incredibili cum gaudio illam exceperant *d*, sed totius ciuitatis mirâ lætitia, fuit, visentibus eam certatim ciuibus, qui eius comitatem, facundiam, morum venustatem, sapientiam, & sanctitatem, quam dictis factisque præseferebat, satis quidem mirari non poterant. Electa quidem ad hanc Præfecturam fuit anno ab aduẽtu Christi septimo *e* & quinquagesimo supra millesimum & quadringentesimum; anno verò ætatis ipsius tertio & quadragesimo *f* monasterium Bononiense tunc quidem & paruum erat & contemptibile: sed non priùs destitit sancta Virgo suis apud Deum precibus, quàm accedentibus ex ciuitate non paucis, quæ suam Deo virginitatem vouebant, quotidie lateres, calx, ligna, & alia quæ ad ædificationem sunt necessaria, liberaliter conferrentur. Ita quidem breui non solùm numero Virginum, sed etiam ædificio sic monasterium creuit, vt ambitu suo & magnitudine multis oppidis comparari queat.

ad mortem ægra F *in itinere conualescit.* *d* *e* *f* *monasterij structuram perficit.*

13 Interim sancta Virgo nullum quidem laborem,

A rem, nullam molestiam subterfugiebat, vt sacræ Virgines Deo commodè famulari possent. Dum in his laboribus diu versaretur, & multas iam graues ægritudines passa esset, vt vehementes capitis dolores, mariscarum etiam cum multâ sanguinis effusione, ac febrium, (vt facile ac opportunum maximè ægritudinibus habebat corpus) in grauem incidit valetudinem. Tunc sancta Virgo vitæ suæ finem aduenisse arbitrata, iussit lectum sibi in medio sterni cubiculo, vnde omnes posset commodè alloqui. Ibi grauissimâ & diligentissimâ oratione sacras Virgines ad pacem atque concordiam hortata est, & cetera monuit, quæ gratas quotidie magis Deo famulas efficerent. Cùm autem grauitas morbi illam in horas magis vrgeret, & paullò pòst moritura videretur, corporeis ablata sensibus est, & in admirandæ pulcritudinis & amœnitatis pratum perducta: in cuius medio maximus Princeps in throno suæ maiestatis sedens conspiciebatur, quæ quidem sedes inenarrabili ornatu conspicua erat. In duobus pomis, quæ in superiore throni parte erant, in altero D. Laurentius, in altero B. Vincentius collocati cernebantur; Angelis plurimis illos stipantibus. In parte throni dexterâ Principis aderat mater. Omni dignum B admiratione erat, ac nullis explicandum verbis diuinum illud spectaculum. In conspectu Principis, & ante thronum quidam erat, qui fidibus canebat: sonus autem erat ille psalterij, qui apertissimè verba referebat illa, Et gloria eius in te videbitur: nec alius, quàm talium verborum cantus audiebatur. Princeps autem ipse dexteram extendens, manu virginem apprehendit, & dixit: Audi, filia, diligenter cantum, & percipe quid est, Et gloria eius in te videbitur. Cùm autem illa ingenti pudore suffusa ob tanti Numinis præsentiam & maiestatem nihil auderet respondere, omnia ei Princeps aperuit, ac declarauit ex tali eam ægritudine euasuram. Et his dictis visio euanuit, & sibi ipsa Virgo restituta, sensit meliùs se habere, ac pristinum robur in corpus redire, nec multò pòst conualuit.

in lethalem morbum incidit

à quo, mirabilem raptum passa

Isa. 60, 2.

conualescit.

14 Eius visionis duplex est interpretatio; quarum altera est, gloriam Crucis Christi in eâ videndam, quam ipsa in corpore suo cum multâ patientiâ, imò cum ingenti desiderio & gaudio portauit, hortata semper subditas sibi Virgines, vt idem facerent: quæ quantopere mala pro Christo pati semper optaret, libello, quem ipsa composuit, nulli dubium reliquit. Altera est, gloriam in eâ Dei videndam, propter conseruatum illius incorruptum corpus, & suauissimum ex C eo manantem liquorem, qui ægritudines sanabat eorum, qui sanctæ Virginis huius opem quo decet modo implorauerint; cuius rei exempla suo loco ponemus. Moritura tunc quidem illa erat: sed sacrarum Virginum, quæ illius obitum impatientissimè ferebant, efficacissimæ preces Deum flexêre. Post visionem autem quanta fuerit sanctæ Virginis lætitia, verba illa crebrò repetentis, Et gloria eius in te videbitur, dici numquàm posset; adeò quidem vt necessarium fuerit, vt lyram illi paruam Sorores inuenirent, ad quam sæpius illa cantu suauissimo repetebat, Et gloria eius in te videbitur. Nonnumquàm, sicut muta, facie iacebat in cælum versâ, psalterij diuini Dauid recordata. Audientes sacræ Virgines harmoniæ illius suauitatem, stupebant; flebant tamen, quia grauiter adhuc illam ægrotantem morituram putabant, ac ne se desereret verebantur. Sed eas ipsa consolabatur, & se non morituram affirmabat, & addebat: Ignoscat illis Deus, quæ obitum meum impediêre. Quare demum surgens illa, quamuis adhuc non leuiter ægrotaret, ad solita monasterij opera, cum ceteris more suo laborans, reuersa est; ac ita sine querelâ totum ferme annum fuit suis vtilis Sororibus grauissimis documentis, quæ de illius ore Spiritus sancti pleno manabant.

quis illius visionis sensus,

& illam subsecuta lætitia:

15 Vbi autem venisse demùm vitæ suæ finem cognouit priùs quàm morbi grauitate impediretur, qui

iterum post annum, moritura

non procul aberat (erat autem dies ille Veneris) filias D ad se suas conuocauit, ad quas longum, vtpote trium horarum spatio, sermonem habuisse fertur; in quo primùm quidem illas admonuit obitus sui diem propinquare, proptereà se illas alloqui voluisse, ac ea monere, quæ piam decerent matrem, priusquàm loquendi facultatem sibi imminens morbi grauitas interciperet. Ibi grauissimâ oratione suâ de omnibus locuta virtutibus, ad quas hortata illas toties fuerat, quæque suo gratas ancillas Domino redderent, ad vltimum de pace, deque illarum concordiâ diligentissimè locuta, ostendit summam Christianis huc redigi virtutum omnium: hoc illud esse bonum, quod abiturus in cælum Christus suis Apostolis, & ante omnia seruandum reliquerit: hoc etiam illud esse, quod ipsa præcipuè omni studio, & quantâ fieri posset diligentiâ custodiendum illis & conseruandum relinqueret; quod impossibile foret, sine caritate Deo placere. Proptereà debere illas alterius alteram onera portare, & patienter culpas ferre; mala item quæcumque acciderent pro Christo forti animo tolerare; suique illis exemplum proponebat, quæ maximè semper optasset mala omnia pati, & magno cum gaudio illa pertulisset, vt (quod verum Christianum decet) Christum imitaretur, ac eius crucem portaret; quam qui recuset ferre, Christianus non E sit dicendus. Dictis in hanc sententiam multis alijs, quæ ad confirmandos magis in famulatu Dei animos illarum pertinerent, finem fecit. Die qui secutus est, Dominico cœnauit quidem cum illis: sed paullò pòst vrgentibus illam varijs morbis, qui per annos octo & viginti eam afflixerant, sic lecto affixa est, vt ampliùs non surrexerit. Die Martis iussit eum ad se acciri, cui confitebatur, cum quo longum sermonem habuit. Dein oculos in cælum attollens, Poteras, inquit, tu quidem bone Iesu non priùs mihi ægritudinem hanc mittere, quàm Præfecturæ meæ renuntiassem, ac subrogatam mihi, quæ successura est, vidissem; & ita voti mei compos facta essem, vt subdita ex hâc vitâ discederem. Sed quando ita tibi placitum est, non mea voluntas, sed tua fiat. Postero die horâ decimâ quartâ festinanter acciri ad se iterum iussit eumdem, cui confitebatur, ac interim parari, vbi dignè Christi sacrum corpus collocari posset, & sanctum ad extremam vnctionem Oleum, sacras item aquam & candelas, & ante suos locari oculos Cruci affixi Christi effigiem.

INTERPR. FLAMINIO

Suas ad pacem & patientiam hortatur

sese disponit ad mortem.

16 Quæ vbi festinanter parata sunt, territis re subitâ Virginibus sacris, quòd ex his morituram statim intelligebant, pauca hæc locuta est: Ego, carissimæ Sorores ac filiæ, itura sum, nec ampliùs reuersura & vobiscum futura. F Scitote tamen me vobis vtiliorem fore, quàm hucusque fuerim, si per viam mandatorum Dei, & monstratam vobis à me semitam gradiemini, mutuæ semper caritatis memores, pacis atque concordiæ, ad quam (vt scitis) vos semper hortata sum. Pax enim hæreditarium est Christi bonum, quod non Apostolis solùm, sed etiam Christianis omnibus ad suum rediens Patrem, testamento reliquit, cuius vos quoque factas hæredes putare debetis. Hoc illud bonum est, quod tantoperè Christus amat, & ab suis exposcit; cuius si vos, quam æquum est, curam geretis, credite vobis cessura prosperè omnia. Hoc faciet, vt siquid vos in vestris Sororibus offendat, patienter feratis, & illarum misereamini, nec quidquam magis quàm caussas & semina discordiarum abominemini. Maturâ omnes ætate estis, ne pluribus sit opus, quod rectum est, vobis ostendere. Nouellas Virgines, quæ nunc adsunt, quæque imposterum aderunt, & meam Vicariam g, quæ mihi adeò beneuola & fidelis soror fuit, ac meam simul vobis genitricem h commendo. Illud autem maximè vos cauere volo, ne caussam præbeatis, vt vel quæpiam hinc aliò tendat, aut aliunde huc demigret. Quòd si qua fuerit deprehensa consilium hoc meum contempsisse, Deum rogabo, vt in illam animaduertat,

extrema ad Virgines oratio

g h

Interpr. Flaminio

A tat, & merito afficiat supplicio. Deum timete, & qua decet amore, ac honore prosequimini; paratæ semper omnia potiùs mala subire, quàm contra illius mandata quidquam facere. Vestram bonam famam & sancti huius monasterij in hunc vsque diem nullâ in parte violatam, omni studio & diligentiâ conseruate. Meæ quidem hoc facientes eritis filiæ, & me nullo tempore vobis deesse sentietis.

Sororum luctum compescit.

17 Cùm hæc dixisset, tantus continuò dolor cunctas inuasit, manifestè iam intelligentes fore, vt mox ab eâ desererentur, vt singultibus, & lacrymis omnia replerentur. Quæ res quidem eò grauior illis ac intollerabilior videbatur, quòd repentinâ, præter omnium opinionem, morte occidebat: nam etsi per eos dies ægrotauerat, quia tamen læto illam vultu ac minimè mortem præseferente viderant, tali obituram tempore haudquaquàm suspicabantur. Per eos autem dies iubebat sancta Virgo hymnum sibi crebrò illum cani vulgatum, qui ex rhythmis constat vernaculis, cuius est principium: Anima dilecta ab alto Creatore, tuum respice dominatorem, qui te confixus expectat i. Cùm autem sacræ Virgines inter hæc dolore ingenti finem flendi non facerent, ad illas conuersa pia Mater, blandis admodùm verbis hortata est, ne vltrà flerent; asserens non futuras filias suas, quæ flere non desinerent. Debere sibi potiùs illas gratulari, quæ de hoc miserrimo vitæ præsentis ergastulo ad tantam felicitatem properaret. Cumque hæc diceret, ad Rotarias conuersa monuit, vt festinarent ad ianuam, asserens ibi adesse venerabilem virum, cui confitebatur, quem accersitum miserat. Iêre continuò, ac ita inuenêre. Aduentus autem illius supra omnem humanam facultatem celer fuit: sed & diuinitus factum est, vt tam citò adesset, & sancta Virgo aduenisse illum, & pulsare ianuam sciret. Illud quoque pari admiratione dignum, quòd cùm post peractam confessionem ministraturus illi Sacerdos sacrosanctum Christi Corpus esset, nec in libro verba, quæ tunc dici solent, inueniret, sancta Virgo sancti Spiritus instinctu dixit: Quære, Pater, in medio libri, talique in loco quod optas inuenies; & statim inuenit. Vbi cælesti Pane pia Mater epulata est, ad sacras conuersa Virgines, inquit: Vos Filiæ, vos Sorores meæ, obsecro, vt mihi omnes ignoscatis, siquid vllo pacto dixerim vnquàm aut fecerim, quod vos offenderit; nec minùs, vt pro me Deum precemini. Post hæc facie illius mirandum in modum exhilaratâ, sustulit oculos, & rursum tamquàm non ampliùs visura illas intuita est, ac statim demisit. Ibi ter repetito nomine IESV, paruo ac suaui admodum suspirio felicem efflauit animam, anno ab aduentu Christi sexagesimotertio supra millesimum quadringentesimum, VII Idus Martias, ætatis verò suæ anno quinquagesim : Præfecturæ autem Bononiensis monasterij anno septimo.

B — agnoscit adesse Confessarium

sacramenta suscipit

& moritur.

C

a *Imò antequàm aliquid circa illas constitueret Pontifex Nicolaus V an 1452 occasione clausuræ & reformationis postulata, ad quam petita est ex conuentu Mantuano Abbatissa. Vt autem de ipsarum virginum Ferrariensium numero ea eligeretur, anteà fuerat cogitatum, post mortem scilicet Sororis Thadeæ, quæ prima cum eo titulo monasterium per annos fermè viginti rexerat: ad hoc autem non Capitularis electio adhibita est; sed res inter Luciam fundatricem & Patres de Obseruantiâ, quorum regimini suberant, conclusa fuit. vt patebit in sequenti Vitâ, clariùs exordia & historiam Ferrariensis monasterij complexâ.*

b *Non alicuius antiqui per ipsam reformandi, vt aliqui censent & hic auctor videtur credidisse; sed noui per ipsam inchoandi, deductâ ex Ferrariensi monasterio Virginum sacrarum coloniâ.*

c *Item Fr. Baptista de Leuanto Vicarius generalis Ordinis, & Fr. Marcus Fantuzzi, Minister Prouinciæ Bononiẽsis, qui omnes cum Legatis Bononiensibus venerant, Virgines sacras cum suâ Abbatissâ Bononiam deducturi.*

d *At nullas ibi ante ipsam fuisse iam diximus, nec nouas nisi in autumno admissas videbimus in Vita 2 num. 77.*

e *Imò sexto, vt constat ex publicis Instrumentis Bononiæ confectis, de quibus in 2 Vita num. 76.*

f *Hoc rectè: cùm nata dicatur anno 1413. 8 Septembris hæc autem mense Iulio agerentur, anni 1456.*

D

g *Soror Ioanna Lambertini hæc erat.*

h *Hæc pridem Ferrariæ habitum induerat Tertiariæ, filiamque secuta Bononiam inter Conuersas iuxta monasterium vixerat aliquot annis: nunc autem senio & cæcitate inutilis intra monasterium adducta erat, nomine Benuenuta*

i *Hunc ab ipsamet compositum censet Grassettus, eumque totum exhibet lib. 2. cap. 13. constat quatuor strophis, quarum istud principium semper repetitur: prima perforatos pedes Saluatoris, secunda transfixum lancea latus, tertia manus in cruce extensas, quarta spinis coronatum caput iubet contemplari.*

CAPVT III.

B. Catharinæ sepultura, & corporis incorrupti exhumatio, atque miracula eam secuta.

A filiabus suis deploratum cadauer

18 DEfuncta, fuit multò quidem formosior, quàm viua, adeò vt puella quindecim annorum dormiens videri posset. Secutus est continuò sacrarum Virginum ingens fletus, ac tantus per totum monasterium eiulatus, vt manifestè apparuerit, quantus omnium illarum in eam fuisset amor, & amissæ desiderium foret. Quædam etiam, vbi expirasse illâ vidêre, magnitudine doloris tamquàm exanimes conciderunt. Tum lugubres audiebantur vndique voces, ac per totum monasterium lamenta plorantium: aliæ Matrem vocabant: aliæ sacrarum Virginum specimen, sui monasterij gloriam: aliæ se infelices dicebant, quòd omni consilio, quòd omni ope atque solatio destitutæ essent: aliæ mutuis amplexibus flebiles in cælum voces emittebant, ac se inuicem miserabantur, & communem lamentabantur cladem. Verùm, vbi aliquamdiu dolori satisfactum est, sanctum cadauer in ecclesiam extulêre, vt celebrarentur exequiæ. Sed, vbi ad locum peruentum est, in quo sacrosanctum Christi Corpus de more asseruatur, defunctæ Virginis facies multis cernentibus mirandum in modum exhilarari visa est, & cuiusdam magnæ lætitiæ signa dare. Ibi lugubres voces & lamenta redintegrata, & nouarum profusio lacrymarum. Hæc faciem, illa manus, alia sacros pedes exosculabatur, ab amplexibus illius aliæ diuelli non poterant. Tum exequiæ magno cum apparatu ac solenniter ductæ: demum effossâ terrâ sanctum cadauer superposito sudario, & tabulâ, quæ corpori eminebat, ne terrâ iniectâ comprimi posset, humatum. Magnus postmodùm odor ex tumulo sentiri cœpit, & quidam inde radij emicare visi: quibus magis in sententiâ confirmatæ sunt, sacram Virginem in cælum esse relatam; quòd ea quidem haud dubia forent sanctitatis illius signa. Si quæ de sacris Virginibus erant quæ aliquo morbo tenerentur, ad tumulum accedebant, & sanctæ Virginis opem inuocantes liberabantur.

E — exequiis factis — sepelitur: — F

19 Hæc res fecit, vt pudore quodam teneri cœperint, quòd tam humiliter sepulta esset, ac terrâ integeretur. Quare demùm permissu Patrum, ad quos ea res pertinebat, illam exhumarunt. Quod dum pararent facere quatuor Virgines, quibus datum id negotium fuerat; horribilis tempestas, dæmonum inuidiâ, repentè oborta est imbrium, grandinis, tonitruum, & ventorum, ac tam densæ tenebræ (& nox erat) vt non modò non exhumari, sed nec inueniri sepulturæ locus posset. Quod illæ cernentes, sub porticu, quæ sacram ambit sepulcrorum aream, ad orationem confugientes, Deum precatæ sunt, vt tantam sedaret tempestatem. Continuò igitur tranquillitas quidem reddita est; sed tenebrarum tantus erat horror ac densitas, vt nullo pacto sepulcri locus inueniri posset. Tunc ex quatuor vna in mediam processit aream, & ad Crucis signum inuocato Christi nomine, Deum rogauit, vt si ipse, quod faciebant, approbaret, & sanctam exhumari Virginem vellet, tantas noctis tenebras discuteret, ac induceret serenitatem. Auditæ sunt continuò preces,

discussa tempestate — & tenebris nocturnis

A preces, & cælum, quanta erat areæ latitudo, serenum factum; ibique tum stellarum claritate, tum lunæ splendore sepulturæ locus facilè inuentus, descendentibus eò diuinitus tamquàm stellæ cuiusdam radijs. Ita demum non difficilis exhumatio fuit, & sanctum cadauer in capsâ, quam ad id parauerant, collocatum, vt iterum, sed honestiùs, sepelirent. At nescio quo pacto visæ sunt cogi sub vicinam porticum deferre, vnde tantus repentè per totum monasterium odor diffusus est, vt ex omnibus partibus stupentes accurrerint Virgines, & incredibili gaudio rei miraculo affectæ sint. Fœdatam terrâ, quæ super iniecta fuerat, faciem & vestimenta purgarunt: nasus & partes oris, quas tabula superposita terræ pondere compresserat, diuinitùs in pristinum statum sunt restitutæ: è naribus autem sanguis ad mensuram cyathi vnius effluxit, non alius, quàm qui de viuis soleat corporibus.

exhumatur corpus suaueolens & integrum,

20 Post hæc cùm vellent sacrum cadauer, sicut iussæ fuerant, in suum tumulum restituere, factum diuinitùs est, vt dum sustulissent, non ad tumulum, sicut erat portantium intentio, sed in ecclesiam vi quâdam referre cogerentur: quod vbi ante sacrosanctum Christi Corpus statuêre, visa est manifestè illius facies exhilarari, acter reuerentiæ signa edere, cum diffusione odoris illius mirifici; cuius tanta erat fragrantia & B suauitas, vt sensus adimere ac spiritum præcludere inenarrabili quodam modo videretur; vt sacræ nouitate rei Virgines attonitæ, IESV, IESV, sæpiùs inclamauerint. Ad singula autem momenta pulcrior defunctæ facies ac hilarior videbatur, & tamquàm viuæ, admixtâ in albo rubedine colorata. Ex toto quidem corpore, sed præcipuè de facie diuini odoris sudor manabat, qui quandoque in sanguinem colorari videbatur: felicem se putabat illa, quæ colligere illum sibi poterat. Vbi tantæ rei per vrbem fama vulgata est, multi ex primoribus ciuitatis, impetratâ priùs ab Angelo *a* Sanctæ Crucis Cardinali, qui tunc in vrbe Pontificis Maximi Legatus erat, adeundi facultate; accesserunt, vt miraculum præsentes spectarent. Et ipse Legatus, & famâ permotus ac simul religione tactus: sibi, quam sacræ Virgines bauaram *b* vocant, depoposcit, quam sacrum cadauer in tumulo habuerat; eo, quem diximus, liquore perfusam. Voluit etiam exemplum habere diuini illius libelli, quem sancta Virgo ipsa (sicut ostendimus) composuit & suâ manu perscripsit. Per totos septem dies ad sacrum corpus fuit populi concursus, tractatum manibus & adoratum, omnique parte prorsus incorruptum, non aliter quàm si tunc illud vita destituisset; affirmabantque quicumque illud videbant, C se nec pulcrius, nec magis odoriferum Sancti cuiusquam corpus vidisse. Quod quidem magnâ cum veneratione non dedignati sunt Principes multi ac Reges *c*, qui Bononiâ iter fecerunt, visere.

reportatur in ecclesiã,

sui liquore miraculoso,

a

b

populo per dies 7 spectandum datur.

c

d

Miraculis claret,

21 Sed *d* spectatam diu ac multis quidem modis, admirandæ Virginis huius sanctitatem, post felicem obitum multò illustriorem fieri Deus numero & magnitudine miraculorum voluit: de quorum aceruo non pauca memorabo, quibus appareat, quanto illam, quæ dum viueret adeò se contempserat, afficere Deus honore voluerit. Ac primùm quidem monasterij eiusdem Virgines expertæ sunt illius opem quàm plurimæ; quæ laborabant aliæ capitis aut pectoris aut laterum doloribus; aliæ stomachi cruditate ac debilitate, vt cibum non retinerent; aliæ, quibus assiduæ animi solicitudines ac perturbationes nullam quietem relinquebant. Ex ijs quædam neruorum dolores annos octo passa, vbi illam inuocauit, eâ molestiâ liberata est. Sicut alia, quæ tussi acerrimâ laborauerat, propter quam ingentem pectoris cruciatum patiebatur, vbi pectus suum sanctæ Virginis pedibus admouit. Mulier quædam laborare pestilentiâ grauiter cœperat, & iam cum febre vehementi in gutture signum apparebat: beatæ Virginis opem implorauit, & morbus continuò pestilens abijt. Alia verò digitum traiecerat, quæ ad eamdem confugiens opem, statim sanata est. Sacra Virgo in monasterio Diuæ Agnetis graues capitis dolores annis duodecim passa fuerat: B. Catharinæ opem implorauit, & assecuta est.

morbos variis curans.

D

Int. Fra. Flaminio.

22 Duo monachi monasterij D. Michaëlis, cui vulgatum Bononiæ cognomen est in Bosco *e*, nescio quò iter faciebant, exorta est ingens pluuia, nec erat quò confugerent. Sanctam rogarunt Virginem, vt sibi adesset: affuit illa repentè, vt quacumque illi graderentur, pluuia cederet, nec madefaceret; cùm tamen ab vtraque viæ parte vehemens imber ingrueret. Nicolaus Campegius filiam habebat, cui desperatâ iam salute, peracta erant omnia, quæ circa morientes solent. Anxia mater ad opem sanctæ Virginis huius confugit, & eius Reliquijs morientem filiam tetigit. Illa statim sopore correpta, putauit se à quâdam Virgine ad corpus B. Catharinæ perduci: quod vbi tetigisse visa est, experrecta omni se morbo leuatam sensit, atque conualuit. Quod vbi mater vidit, quæ quinque filios habebat omnes febre laborantes, collo singulorum easdem Reliquias suspendit, & omnes extemplò sanati sunt. Nobilis mulier in monasterio quodam filium habebat, qui magnis vrgebatur stimulis, vt inde egrederetur, & ad pristinam rediret vitam. Mater eâ de re anxia B. Catharinam precata est, vt filius in sententiâ permanendi confirmaretur, & confirmatus est *f*. E

& alia beneficia largiens:

e

f

23 Puella multos iam annos distortis fuerat pedibus ac manibus, & vix loqui poterat; immundo præterea spiritu premi videbatur: at, vbi sacrum vidit corpus, & ex pane comedit, quem sancta Virgo tetigerat, liberata est. Mulier, cui assiduè lacrymabant oculi, & parum videbat, earumdem tactu Reliquiarum sanata est, & optimè vidit. Alia, cui adeò corrupti erant pedes, vt non nisi genibus gradi posset, eamdem opem experta est. Filiam mater habebat expirantem, & iam Christiano more signatam: sanctæ Virginis opem implorauit, & exaudita est. Alia grauissimis torquebatur pectoris doloribus, vt iamiam disrumpenda aliquando videretur; opem eamdem, quam implorauerat, assecuta est. Infans sic tumefacto erat gutture, vt lac ampliùs non admitteret, ac planè iam moriens, earumdem reliquiarum tactu sanatus est. Alius tres tantùm menses natus, de solario, quod viginti cubitos erat altum, decidit, & ictu tam graui horarum quatuor spatio sic iacuit, vt morbo correptus comitiali videretur, & mirè tumefactum caput erat. Mater sanctam Virginem inuocauit. Puer sanatus est, ac tantus ille tumor capitis repentè abijt. Alius quidam oculum habebat exporrectum, ac non minùs tumefactum quàm ouum, & omni prorsus lumine orbatum; ad eamdem confugit opem, & oculus ad pristinam lucem ac locum restitutus est. F

varij morbi curati,

24 Mater quædam grauiter ægrotantem febre atque doloribus filiam habebat paruam, quæ dirâ ægritudine die noctuque clamabat, nec vllam quietem inueniebat. Hæc B. Catharinam inuocauit, vt sibi ac filiæ adiumento esset, & statim exaudita est. Iuuenis quidam moriebatur, nec vlla spes salutis ampliùs inerat: tactu earumdem Reliquiarum, & voto incolumis euasit. Mulier intolerabili auris dolore finem clamandi non faciebat: implorauit sanctæ Virginis opem, & continuò dolor ille sedatus est. Adolescens inciderat in phthisim, nec de lecto multos iam menses surrexerat: argenteam is coronam B. Catharinæ auratam vouit, & sanatus est *g*. Puella ex obitu mariti magnitudine doloris ad insaniam redacta erat: sacrarum eiusdem monasterij Virginum precibus, quibus opem illi B. Catharinæ implorarunt, mentem continuò recepit *h*. Magis admirabile est, quod referam. Iuuenis quidam *i* multis vno tempore morbis laborabat, ex capite, ex hepate, ac splene: siderata pars corporis erat,

item alij,

g

h

i

A erat, & crus alterum ita contractum, vt supra genu pes esset. Aquâ se lauit, quæ sanctæ Virginis corpus tetigerat, confestim crus illud ad mensuram palmi extensum est: paullò pòst alterum palmum & ampliùs, ita vt pedem terræ posset affigere. Dein frontem sacro inunxit liquore, & omnes illi tot morbi simul abiêre. Puella, quæ sedecim annos diro scrofularum morbo guttur vlcerosum habuerat, eodem se liquore inunxit, & insuper fasciolâ sanctæ Virginis, collum cinxit, & sanata est.

INTERPR. FLAMINIO.

25 Magis memorabile, quod sequitur. Alia puella tertium agens annum, oculi orbem sibi cultro inciderat, & ita nouem annos gestauerat. Totus autem egressus de loco erat oculus, niger præter modum, deformis, & magnitudine nucis in faciem pendens, ac semper lacrymans, & tamquàm ardens; sed huius sanctę Virginis implorată ope, rediit in suum locum oculus integer, & altero pulchrior. Mulier, quæ filium habebat grauissimè ægrotantem (vtpote cuius desperata iam salus erat) ad sanctum corpus accessit: filium anxiè commendauit: exauditæ sunt preces, & rediens domum pia mater filium reperit incolumem. Iuuenis, qui iam sex annos ægrotauerat, cruraque & coxas habebat putrefactas, & grauiter olentes, magnâ recuperandæ salutis fiduciâ, aquâ se lauit, quæ sacrum tetigerat corpus, & voti compos factus est. Mulier triennio graui ægritudine & ingenti capitis dolore vexata, adeò vt exagitari à dæmone crederetur, nullam inueniebat quietem, neque conquisita remedia quicquam profuerant. Omnibus frustrà tentatis, eius domestici ad sanctam Virginem demum confugêre, statuam illi ceream, & cor vouentes argenteum: nec irritæ preces fuêre. Alia perniciosum in digito morbum ficus cum incredibili dolore patiebatur: argenteum illa vouit digitum, ac insuper fasciolâ sanctæ Virginis, ficum inuoluit; nec multò pòst inhærentem cum suis radicibus lineo panno, quo digitum alligauerat, morbum reperit, & sanata est.

aliique,

26 Quidam corporis partem habebat immobilem, ac prorsus inutilem factam, ac insuper cruciatu ingenti torquebatur: precatus sanctam Virginem, vt sibi adiumento esset, ac sacro inunctus liquore, pristinam sanitatem recuperauit. Alius annos sexaginta natus, cui intestina fluebant, Reliquiarum tactu sanatus est. Quo quidem morbo multi alij, præcipueque pueri eodem modo incolumes euasêre. Adolescentulus sideratum habens corporis latus, ac totum crus vlcerosum, idem auxilium expertus est. Alius dum ex alto præceps caderet, sanctam inuocauit hanc Virginem, & nihil mali passus est. Quidam ex graui, & longâ ægritudine in paralysim inciderat: ad eamdem confugit opem, & liberatus est. Puella grauissimo gutturis morbo laborabat, vt nec audire iam, nec loqui posset: iisdem tacta Reliquijs conualuit. Puer iacebat vt mortuus, nec ampliùs respirabat: earumdem Reliquiarum tactu tres horribiles euomuit vermes, & incolumis euasit. Alius item iam mortuus eodem tactu reuixit. Eodem modo sanata est mulier, quæ in scapulâ, & brachio, quod nullo pacto attollere poterat, ingentem fuerat dolorem passa. Doctor quidam graui laborans febre, cùm in magno discrimine salus eius versaretur, eodem modo imminentem mortem euasit; multique similiter alij, qui tertianam, quartanamue patiebantur. Puer epidemiæ morbo correptus, voto statim sanatus est.

& alij:

27 Mulier luxatum habens cum intolerabili dolore brachium, nescia quid ageret, B. Catharinam inuocauit: affuit illa continuò, & dixit, Vade, & te docebo. Mulier autem in his verbis sanata est. Ad eiusdem mulieris filium, pestilentiâ laborantem, venit beata Virgo, & dixit: Ne timeas; sanaberis enim; & sanatus est. Quidam Iuris-consultus graui gutturis morbo correptus, vt moriturus videretur, eodem auxilio euasit. Mulier biduum in partu laborauerat, nec partum eniti poterat: tactu Reliquiarum statim enixa est, nec vltrà mali quicquam passa. Simili modo sanatus est vir quidam clarus, cuius non solùm pectus, sed etiam totum corpus dolore ingenti correptum fuerat. Puella in intolerabili quodam dolore inuocatam suis ipsa oculis sanctam Virginem vidit flexis genibus Deum pro se rogantem. Quam cernens, ipsa omnibus, qui aderant, dixit: Flectite statim genu; nonne B. Catharinam cernitis, Deum pro me rogantem? Dumque hæc diceret, tantus ille dolor continuò totus abijt. Carthusiensis monachus biennium diro quodam morbo laborauerat, nec illi conquisita remedia quicquam profuerant; sanctæ huius Virginis ope statim liberatus est. Iuueni ludenti sodalis perticâ oculum effoderat, totusque de loco erat excussus: mater anxia sanctæ Virginis opem implorauit, & caput illi argenteum pro filio vouit: vbi à medicis in suum locum restitutus est oculus, ita inhæsit ac ita redditus est, vt loco numquàm motus videretur. Nobilis mulier, quæ comitialem morbum aliquando sæpiùs vno die patiebatur, ad sacrum accessit corpus, & funale obtulit; nec ampliùs eo morbo laborauit: quo quidem quatuor etiam pueri liberati sunt.

alia similia beneficia.

a *Cognomento Capranicus, Romanus natione; nomine, moribus atque doctrinâ Angelus, inquit* Ciacconius, *primâ Cardinalium creatione an.* 1460, *à Pio II factus Cardinalis & Episcopus Reatinus, deinde Prænestinus; difficilem legationem Bononiensem octennio sustinuit, magnâ cum laude sollicitudinis pastoralis.*

Cardin. Capranicus.

b *Lineus est pannus, qui ab aure ad aurem mento subtensus colli ac pectoris nuda decenter obtegit: nomen habens à* bauá; *id est, spumâ seu salinâ, quasi oris effluuio, ne vestem inficiat, excipiendo paratum sit:* barbetta, *id est, barbula, in Galliâ & Belgio Francicè loquente, à Sanctimonialibus dicitur.*

Bauara quid sit?

c *De duabus Neapolitanis Reginis in Vitâ 2 videbimus: de Clemente VIII Pontifice Maximo, & Carolo V Romanorum Imperatore in Prolegomenis diximus: sed de his scribere Flaminius non potuit, toto ferè seculo prior, potuit de prioribus.*

d *Hinc nouum exordium sumens Flaminius præmittit hunc titulum:* Plurima recensentur miracula, quæ felicem sanctæ Virginis obitum secuta sunt.

e *Ad ipsas penè vrbis portas amœno in colle & syluoso situm.*

f *Hæc gratia refertur à Grassetto seorsim, inter tria spiritualia miracula primum; lib. 4 cap. 13 verbis quidem multò pluribus; sed nihilo maioris substantiæ quàm sint hæc pauca.*

g *Pleniùs Grassettus Ferrariæ hæc accidisse docet: iuuenemque à Iulianâ quadam Bononiâ venientem de miraculis, quæ ibi fiebant, didicisse: votumque fecisse, si intra octiduum sanaretur; ac mox ita sanari cœpisse, vt postridie surgens cum domesticis pranderit.*

h *Et hoc ibidem accidit, puella socero Sororum preces flagitante: eademque horâ, quâ illæ in choro ex Abbatissæ præscripto fiebant.*

i *Ioannes Maria Bonacursius, inquit Grassettus; & hic Ferrariensis fuit.*

CAPVT IV.

B. Catharina varijs conspecta, sanitatem eis restituit, alia quædam miracula.

28 PVella peste correpta, cùm sub axillâ, in scapulâ, & sinistrâ coxâ iam apparerent apostemata, vidit per quietem B. Catharinam sibi præsentem, quam inuocauit, ac ferentem sibi opem sensit a. Sacra monasterij Virgo iam duos annos ingenti stricturâ pectoris ac simul tussi vexata, phthisim pati credebatur b: at nocte, quâ B. Catharina exhumata est, sacro liquore illius sibi pectus inunxit. Vidit postmodùm per quietem illam pro se Deum precantem; quod dum faceret, sensit ægrota inenarrabilis suauitatis odorem: quem cùm ipsa ferre non posset, tota intùs & extra liquefieri videbatur, ac incredibili quodam modo in Deum arrepta clamare sic dormiens, cœpit: IESV, IESV, cùm se in tantâ illâ odoris suauitate deficere sentiret. Postmodùm expergefacta veteri se ægritudine liberatam sensit.

a Apparet orans pro ægrâ.

29 Non minùs memorabile, quod sequitur. Sacra

A tera Virgo in Ferrariensi monasterio Corporis Christi, luxatum habebat genu, idque ingentem illi cruciatum afferebat. Quintâ nocte, cum B. Catharinæ opem summis precibus implorasset, sopore correpta est. Sic dormiens putabat se in quodam pulcherrimo esse palatio, in quo magna vis formosissimorum iuuenum quamdam Reginam ornabant, quorum è numero vnus ad ceteras conuersus, ait: Et quomodò hæc ausa est huc ingredi? Respondit alius: Credibile quidem est, non temerè, neque iniussam venisse. Vidit ergo stans procùl Reginam, quam dixi, albâ indutam veste superiniectâ miri candoris cyclade, illi quidem non dissimili pallio, quo solennia facturi sacra Sacerdotes superindui solent. In pulcherrimo sedebat illa solio, tribus insigne caput habens coronis, sic quidem, vt alia pretio & pulchritudine aliam vinceret, audiuitq; illam esse Bononiensem Catharinam. Cœpit ergo eam rogare, vt sibi adiumento esset. Illi tunc manu sancta Virgo innuit, vt ad se iret: sed pudore quodam suffusa ob tantæ maiestatis splendorem & claritatem, non audebat accedere: sed Regina iterùm ad sese illam vocauit. Accessit ergo, sed vt propiùs venit, ferre odorum illius fragrantiam non poterat, ac deficere videbatur. Tunc B. Catharina conuertit se ad quamdam, quæ illi ad latus assidebat, sacram Virginem, quæ in-

conspicitur in habitu Reginæ;

& luxatum genu sanat:

B duta erat veste purpuræ subnigræ pulcherrimâ, cuius etiam ornatus erat insignis, Beatæ tamen Catharinæ ornatu inferior; cui sancta Virgo dixit: Huius ægrotæ misereor, quare adiumento illi esse volo. His dictis surrexit è solio, ægrotæ innuens, vt ibi paullisper expectaret. Gradi ergo illa volens interiorem vestis partem, quæ in terram vsque defluebat, dextrâ sustulit, ac pedem nudauit, qui erat niue candidior, in cuius parte superiore circa talum circulus splendebat aureus. Cùm paullulùm processisset, ad ægrotam benigno & admodùm pio conuersa intuitu, illi benedixit: ac tunc expergefacta manifestè sensit ossa genu in suum locum restitui; quod dum fieret, tanto dolore affecta est, vt bis clamare sit coacta, IESV, IESV. Post hæc è lecto surrexit; sic tamen vt non firmo prorsùs gressu adhuc posset consistere: sed vbi demum Reliquijs sanctæ Virginis genu illud contactum fuit, pristinas vires ac firmitatem resumpsit.

30 Huic non dissimile, quod sum narraturus. Alia in eodem monasterio de ijsdem Virginibus vna, duodecim annos venam in pectore fractam gestauerat, vnde vis magna sanguinis aliquando effluebat, ac defectura prorsus quandoque videbatur. Die quodā leui somno correpta est. Quiescenti statim affuit spe-

in pulcherrimo ornatu spectabilis,

C ciosissima quædam mulier, cuius pulcherrima erant indumenta ex serico purpureo, cui quidem intertextum aurum & argentum gratiam & pretium mirificè augebat, intermiscentibus se candidissimis instar liliorum margaritis ac gemmis, floribusque pulcherrimis. Caput mirandum in modum insigne reddebant argentei crines flosculis & gemmis, supra quàm quisquam effari queat, decori; corona insuper, quæ suo splendore solis splendorem æquabat. Ætas erat virens, vtpote annorum trium atque triginta. Iuuenis aderat illi pari ætate, ac pulcritudine persimilis. Ægrotantem illa Virginem percunctata est, quomodò se haberet? Benè, inquit, quando ita Deo placet: quod verò ad humanum sensum attinet, grauem patior cruciatum. At volo tibi ego, ait illa, ostendere, quàm grauis ista sit ægritudo tua? Hæc dicens paruū arripuit cultrum, quo visa est pectus illi medium findere. Respiciens, quæ ægrotabat, vidit magnam in suo pectore fissuram sanguine plenam corrupto, qui circumagi videbatur. Tunc mulier illa dixit: Bono fac sis animo, & spera Catharinam Bononiensem tibi auxilio futuram, & his dictis euanuit. Ægrota vbi experrecta est, sensit multò sibi meliùs esse. Nocte quâdam paullò antequàm illucesceret, ad suum reuersa cubiculum, vbi ostium

fluxum sanguinis curat:

aperuit, mirificum odorem sensit: quo stupens exclamauit, IESV, & magno cum pauore ingressa est. Sed oborta quędam mira in eius corde fides, tamquàm audiret, nescio quem intrinsecùs sibi dicentem: Ne dubita fore, vt meritis huiusce Virginis perfectè saneris. Ergo spei ac fidei plena, signari se Reliquijs illius petijt, & sanata continuò sanguinem ampliùs non expuit. D

INTERPR. FLAMINIO.

31 Post aliquot dies venit sacræ huic Virgini in mentem subuereri, ne diabolica fuisset illusio, quam viderat, cùm se tanto indignam beneficio duceret. Quare dum nocte quadam coronæ Dei Genitricis, sicut plerisq; mos est Christianis, vacaret, somno correpta est, ac illi statim affuit pulcherrima & ornatissima illa, quam priùs viderat, mulier, secum habens eumdem, quem diximus, iuuenem; mitibus illam oculis ac benigno intuens vultu, blandè illius incredulitatem accusauit, ac dixit: O incredula, veni mecum, ne dubita. Hæc dicens, apprehensâ illius manu, in amœnissimum perduxit viridarium, cuius admirandam pulcritudinem æquare verbis nemo posset: sed pauca hæc de multis Virgo ipsa, quæ vidit, retulit. Viridarij pauimentum ex auro erat purissimo, insertis ex omni genere gemmis; colores inerant, præcipueque purpureus in nigrum tendens, candidus, viridis, ac cælestis, aliique plurimi: ex tali autem pauimento, herbæ, ac flosculi odoris mirifici pullulabant, incredibili amœ-

eidem ægra exhibet Ordinem Minoritarum,

E nitate spectantium oculos delectantes. A dexterâ parte longissimus erat ordo iuuenum quidem omnium, ac supra omnem humanæ mentis captum pulcherrimorum: vestes illis inerant pretiosissimæ sericeæ purpureæ, auro & argento intertextæ, intermixtis vnionibus gemmisque ex omni genere pulcherrimis: at in dexterâ manu paruam quidem, sed fulgentissimam tenebant crucem: circùm collum mirâ elaboratum arte circulum habebant: alijs itidem suprà quàm dici posset ornamentis omni parte decori.

32 In medio illorum tamquàm Rex quidam conspiciebatur multò illustrior illis & ornatior, de cuius corpore stellæ quinque micantissimæ, de manibus, de pedibus, ac pectore, effulgebant radijs; quæ totum illum ordinem longissimum miro fulgore illustrabant. In medio viridarij per gradus, qui ex solidis erant gemmis, multâ celatis arte, ad illius solium Regis ascendebatur, in quibus innumerabilis infantium multitudo conspiciebatur: quorum indumenta erant tunicæ colorem habentes purpuræ subnigræ, stolis superinduti candidis: in medio pectoris paruulum habebant aurei coloris, & insigni celatum artificio agnum; collum ornabat infantum tenuis ac ætati conueniens

cum S. Francisco;

& SS. Innocentibus;

F ex auro purissimo circulus. Palmam dextera tenebat, lilijs ac purpureis insignem rosis; musicum sinistra instrumentum, quod pulsantes, suauissimè canebant.

Gloria, laus & honor tibi sit, rex Christe redemptor,
Cui puerile decus prompsit osanna pium.

Erat autem illa puerilis harmonia tantæ suauitatis, quantam ne cogitare quidem, nedum consequi verbis quisquā posset, vt diceret illa, quæ interfuerat; voluptatum omnium humanarum & gaudiorum simul cunctorum, si collecta in vnum fuissent, illi harmoniæ comparata potuisse videri rem lugubrem ac tristitiæ plenam; addebatque, se fuisse felicem futuram, si cum vno tantùm ex infantibus illis esse perpetuò quiuisset.

33 Quare stupens ipsa conuertit sese ad Reginam à quā fuerat in viridarium perducta, & ait: O generosa, & ò felix Regina, estne fortè hęc Regis Francorum regia, an Assueri potiùs, de quā tot mira narrantur? Respondit illa benignâ & admodùm blandâ oratione: Hanc scito non esse Regis mortalis regiam. Infantes hi, quorum harmoniam adeò miraris, innocentes illi sunt, qui pro paruo Iesu sanguinem effudêre.

& visionis illius mysteria explicat,

INTERPR. FLAMINIO.

Rex ille, Patriarcha noster est S. Franciscus: tantus autem ille nobilium equitum ordo, eius Minoritæ, qui vestigia illius secuti sunt. Pretiosæ, quas nunc cernis vestes, datæ sunt illis pro vilibus & adeò rudibus, quibus dum mortalem vitam agerent induebantur: crucem tenent, quia suam portantes crucem Christum imitati sunt. Quinque illæ adeò fulgentes stellæ, quas de manibus, pedibusque ac pectore micare virides, stigmata sunt, quæ Patriarcha noster in suo gestauit corpore.

ægram perfectè sanat,

34 Vbi hæc locuta est, paullulùm secessit, atque vt auis repentè rediit, duas secum pulcherrimas adducens puellas, mirifico insignes ornatu, vt ipsæ quoque Reginæ videri possent; quarum altera manu apertam tenebat pyxidem pretioso & suauissimi odoris plenam vnguento, altera pyxidis operculum. Accessit ad ægrotantem Regina, & illæ simul puellæ. Tunc summam auricularis digiti partem tinxit in pyxide, & ægrotantis pectus inunxit, & ait; Iam tuam in Deo spem repone, & crede futurum, vt Catharinæ Bononiensis meritis ampliùs sanguinem non expuas. At illa hæc audiens, quantas potuit, ei gratias egit. Credebat autem, aut esse venerabilem Dei Genitricem, aut de cælestibus aliquam, & magno cum metu ac reuerentiâ, inquit: O felix & venerabilis Domina, ne tibi graue sit, tuum mihi nomen aperire. Tunc illa benigno ac læto vultu ait: Sum illa ego canicula, quam in cælesti patria felices spiritus Catharinam vocitant. Iuuenis hic, quem mihi comitem vides, tuus est Pater S. Bernardinus. E duabus hisce puellis, altera Diua est Catharina, altera, cuius tu nomen geris, B. Domitilla: & his dictis magnâ se inuicem cum lætitiâ, & plausu amplecti cœperunt. Tunc quæ diuino interfuerat spectaculo experrecta est, & quotidie meliùs habens pristinæ valetudini restituta est.

& qua sit indicat,

aliqui Ferrarienses adiuti,

35 Ferrariensis quidam, nobilis ac diues, magni momenti erat implicitus liti, & scripta quædam, quæ ad eam pertinebant, vbi essent, prorsùs ignorabat: propter quod ingenti solicitudine anxius, quid ageret, nesciebat. Venit illi in mentem B. Catharina Bononiensis, & sperauit illam sibi adiumento futuram: nec sua illum fefellit opinio: siquidem affuit inuocata, & docuit, Venetijs esse scripta, quæ requirebat, & apud quem inueniri possent declarauit. Accessit ille, inuenit, & litis compos factus est. Alius Ferrariensis vir nobilis, grauissimo stomachi dolore torquebatur, nec vllis remedijs sanari poterat, & moriturus videbatur. Argenteum igitur ille stomachum sanctæ Virgini vouit, & continuò præsentem sibi illam expertus est. Puer semestris horas iam octo mortuus iacuerat. Pater B. Catharinæ opem implorauit, ceream pro filio vouens illi effigiem. Statim reuixit infans, & ad sacrû perlatus Virginis corpus, & in eius gremio collocatus, miro cum plausu, tamquàm illi agere gratias vellet, magna lætitiæ signa dedit: & vbi loqui per ætatem potuit, rogare patrem non destitit, vt se crebrò ad visendam & adorandam illam duceret.

mortuus suscitatur,

alij curati,

36 Puella, ob inuidiam veneficijs corrupta & macie paullatim confecta, iacebat vt moritura: anxia mater illam B. Catharinæ commendauit, & paucis diebus ad pristinam corporis habitudinem & formam, magnâ cum omnium admiratione ac lætitiâ restituta est. Nobilis matrona grauissimè diu mariscarum morbo laborauerat, nec adhibita remedia quicquam opis attulerant, & diro apostemate magna pars corporis corrupta erat, neque excrementa nimio podicis tumore atque duritie poterat eijcere, itaque morituram omnes credebant. Precata est igitur sanctam Virginem in tanto cruciatu atque discrimine laborans mulier, vt opem sibi ferret. Miram rem dicam: vix illa orandi ac vouendi finem fecerat, & sanata est. Alia, quæ nimio dolore ob amissum filium ad insaniam redacta erat, & iam triennium sine mente fuerat; vbi demùm propinqui ad B. Catharinæ opem confugêre, mentem continuò pristinam recepit.

dolores colici attactu vestis pulsi.

37 Quid alia memorem? Finem profectò non inueniam, si recensere omnia velim, quibus omnipotens Deus quotidie magis ex illustri sanctam hanc Virginem illustriorem facere voluit. Sed hæc, quæ recensuimus non parum quidem multa, illius claritatem, & quàm sublimem apud Deum teneat locum, satis quidem (ni fallor) queunt ostendere. Nec quotidiana desunt exempla, quibus hoc abundè constare possit. Quorum è numero vnum silere non debeo, quod proximo Ianuario mense contigit. Venerabilis vir ex Minoritarum Ordine Fr. Thomas Coccus Imolensis, cui nunc sacræ monasterij Bononiensis Corporis Christi Virgines confitentur, grauissimo colici morbo laborabat, ac intensissimis per multos dies torquebatur doloribus, qui aliquando in duas & viginti horas perdurabant, nec conquisita vndique remedia proderant vlla. Cùm igitur desperata illius iam salus esset, vni ex sacris Virginibus, diuino (vt creditur) instinctu, venit in mentem B. Catharinæ exterius ac strictius illud indumentum, quod à pectore, ac humeris in pedes descendit, bauaram vocant d, quod in hunc vsque diê, non aliter ac res sacræ soleant, asseruatur. Id mox in loco doloris ægrotanti superpositum est: tamque ad tollendum atrocissimum dolorem efficax fuit, vt fateatur ipse, qui expertus est cæleste auxilium, verba se non inuenire, quibus explicet tantam mox fugati à se morbi celeritatem. Verùm quod ad miracula attinet, illud ad summam Virginis gloriam pertineat, neminem quidem, qui ad eam, quo decet modo, confugerit, irritas vnquam fudisse preces, adeò se benignam supplicibus suis, & promptam semper exhibuit. Quod ne quis dubitare possit, magnitudo miraculorum, & numerus ingens hoc tam manifestè ostendunt atque testantur, vt nostrâ diligentiore aut longiore asseueratione res non indigeat. Quare dicendi finem hîc faciam.

a *Votum Bononiam accedendi, cuius hîc meminit Grassettus, indicio est extra eam hoc miraculum contigisse. Idem nomen puellæ* Isottam *fuisse, dicit; quod videtur ab* Isabellâ *diminutiuè trahi.*

b *Ait idem auctor, hanc ex ijs vnam fuisse, quas verbis solata dumtaxat Beata adhuc viuens, ceteris persanatis, languentem in infirmariâ reliquit, pluresque alias circumstantias minoris omnes momenti addit l. 4 cap. 7, vt quòd strepitu earum, quæ ad exhumationem se accingebant, excitata, processerit etiam ad ecclesiam, visisque tot mirabilibus tandem conceperit fiduciam petendæ sanitatis.*

c *Nomen fuisse Euangelistæ, apud Grassettum lego cap. 8: & capite deinde sequenti alteram, quæ hoc miraculum consequitur, visionem.*

d *Quid* Bauara *sit iam explicuimus: & bauaram hic adhibitam non tantùm Grassettus habet, sed etiam Christophorus Mansueti, qui* Bauorolam *seu* Sotto-golam, *id est subgulare linteum nominat; diuersissimam monastica vestis partem ab ea, quam hic describit Flaminius, per modum scapularis ab humeris ad pedes descendentem ante pectus: non est tamen scapulare quia similis à tergo pars eidem non respondet: & solis Monialibus conuenit, ex panno eodem, quo reliqua vestis confecta, & vulgari nomine in monasterijs S. Claræ,* Patientia *dicitur, vt ex sequenti vitâ satis patebit.*

Patientia quæ vestis pars dicatur?

ALIA VITA

Ex Italico R. P. Iacoci Grassetti è Societate Iesv.

PRÆFATIO AVCTORIS.

Auctores Vitæ primùm ipsamet.



Eatæ Catharinæ Bononiensis Vita à varijs auctoribus antehac in lucem data est: ab alijs pluribus aliud agentibus ex incidenti libata. Inter eos, qui fusiùs atque ex instituto eam materiam tractarunt, primum locum ipsamet teneat necesse est: scripsit

A scripsit enim, Deo inspirante, tractatum, cui de septem armis spiritualibus titulum fecit; eique præcipuos ac scitu dignissimos euentus inseruit, qui sibi primùm seculari, deinde monachæ Ferrariæ acciderunt, dum molestissimis quibusdam tentationibus ad belli spiritualis experientiam exerceretur. Secundus locus debetur Sorori Illuminatæ Bembi, earum vni, quæ multis cum eâ annis versatæ familiariùs, consciæ maiori ex parte fuêre rerum ad ipsam spectantium; vtpote quæ mox ab ipsius Beatæ Matris morte iusto volumine styloque claro & facundo complexa est plurima eodem facientia, quorum vel testis ipsa fuerat oculata, vel notitiam propriâ illius relatione adepta: quod volumen in hodiernum vsque diem inuenitur ipsius compilatricis exaratum manu, quæ, quia decessit in magnâ sanctitatis opinione, prodigijs nonnullis supra naturæ ordinem roboratâ, seruatur: habeturque prædictum manuscriptum multâ in veneratione à sanctimonialibus Monasterij Corporis Christi Bononiæ.

3 Illuminata Bembi eius socia,

5 Ab illâ proximus Vitæ, & quidem historicâ methodo digestæ, auctor fuit P. F. Dionysius Paleotti Ordinis S. Francisci de Obseruantiâ, rari ingenij & iudicij vir: cuius opus, quamuis absque auctoris nomine à prælo prodierit, per totam tamen Italiam diffu-B sum, communique plausu exceptum est: atque vt posset ad exteras nationes quoque sperandus à talibus exemplis fructus promanare, visum est omnino necessarium, vt Latinitati donatum ijs regionibus communicaretur, in quibus Italicæ rara, multa Latinæ linguæ notitia est. Verùm cùm Religiosus ille multa præterijsset intacta, multa quoque prioribus quotidie accessissent miracula, quæ nec attingere quidē nondum facta poterat: inuentus est nobilis quidam, Christophorus Mansueti dictus, qui relata ab alijs recenseret, nouaque adiungeret, quæ adiungenda videbantur. Prodijt hic liber typis expressus, prioris Vitæ exemplaribus omnibus non modò iam distractis, sed penè abolitis & vetustate consumptis; ac solus propemodùm nunc manibus teritur, iteratâ sæpius impressione recusus.

5 Dionysius Paleotti,

4 Christophorus Mansueti:

Attamen, vt nihil in humanis est rebus omni ex parte absolutum, quicumque penitiùs B. Catharinæ Acta, & monasteriorum in quibus vixit arcana cognoscere potuerunt, pariter cognouêre, non modò non omnia, quæ dici poterant, fuisse à præfato auctore prolata; sed multa quoque in ijs quæ dicta fuerant confusa alterataque esse, propterea quòd ad manum habere C non potuerit eorum omnium scriptorum exemplaria, quæ tali operi perficiendo necessaria erant: aut coràm agere cum Sanctimonialibus vtriusque monasterij, à quibus multum adiumenti habiturus erat, certiusque cogniturus ea, quæ non parùm pertinebant ad susceptam scriptionem solidiùs perfectiusque prosequendam. Quare spectatæ pietatis nobilitatisque Canonicus è Collegio S. Petronij, Paulus Casa-noua dictus, cui nonnulla monasterij Bononiensis cura commissa facultatem attulerat omnia illius domus monumenta liberiùs examinandi, cùm & ipse agnouisset, facilè fieri posse vt de præclarâ Dei famulâ Catharinâ liber conscriberetur, maiori accuratione & certitudine gesta eius relaturus, de eâque re cum ipsis monasterij Matribus atque Superioribus alijs tractasset frequentiùs; omnium rogatu hortatuque inductus est, vt eas ipse partes assumeret sibi, & noui operis formam conciperet, quæ Beatæ illius cognitionem, quàm posset haberi plenissimam, mundo suggereret, totamque illius historiam ordine complecteretur. Suscepit Paulus quod rogabatur sanè perlibenter; summâque cum diligentiâ excussis, quæcumque vsui esse poterant, scripturis omnibus, instructis etiam auctoritate Archiepiscopi atque Vicarij Bononiensis processibus varijs, ingens volumen compilauit, complectens quidquid certum esse indubitatumque deprehenderat, nec minimam quidem

qua apud hos deficiunt plurima

Paulus Casa-noua collegit,

circumstantiam prætermittens historiæ perficiendæ D idoneam.

AVCTORE IAC. GRASSETTO. inedita reliquit

Sed nec huic contigit, quod parturiebat, proferre in lucem; vniuersâ materiâ in hunc modum collectâ; ex hâc vitâ educto: nec si protulisset, perfectum erat futurum opus, cui nullam (quantùm coniecturâ possumus assequi) formam induxisset auctor, beneficio styli, continuæ orationis ductu digestam ordine materiam percursuri: qui tamen tantum noui (vt sic dicam) mundi in illo virtutum omnium oceano detexerat aliosque sperare iusserat, omnibus Beatæ Catharinæ deuotis ingens reliquit desiderium, plenam tandem perfectamque Vitam illius legendi, cuius in animo circumferebant amorem. Itaque ad nostræ Societatis Superiores delata ad extremum hæc prouincia est, ab ijsque imposita mihi totius negotij penitùs ignaro, priùs quàm conclusum illud ac planè constitutum esset inter eos, qui mihi pro suo iure poterant imperare. Imperia tamen lubens veneransque excepi, tum quòd rem, nullâ meâ voluntate designatam, à Deo esse persuasum habens, eius mihi auxilium certò crederem adfuturum; tum quòd matre Bononiensi natus, sæpiusque ad sacrum Beatæ corpus venerandum inspiciendumq; iam inde à primis annis deductus, existimarem obligatum teneri me; ad contendendum omnes virium mearum neruos, eosque illius honori impen- E dendos; quamuis debiles atque impares oneri, cui aliàs extra intraque Societatem nostram idonei magis alij inueniri poterant, quorum manibus feliciùs elaboratum fuisset, magisque ex merito & dignitate materiæ nobilissimæ, ad describendum propositæ.

ex quibus ad auctore delata

Quidquid autem me hic descripsisse dico ex monumentis manu exaratis illis (quorum superiùs facta est mentio, & quorum indubitata fides apud omnes esse debet) sic accipi volo, vt etiam in ijsdem multùm me adiutum vsumque fatear prænominati Pauli de Casa-nouâ volumine, accuratissimè pariter operosissimeque collecto: nec aliud mihi relictum crediderim, quàm vt variè dispersa singula ad certa temporum ac locorum capita reuocarem. hanc vnam namque in scribendâ historiâ conuenit ab auctore licentiam vsurpari, concedi à lectore. Quædam nihilominùs deditâ operâ prætermisi, quòd ea non satis certò probata inuenirem: alia superflua, vt videbatur, & orationis contextum importunè interruptura resecui; ordinem qualis rei natura ferebat secutus, in quatuor libros opus distinxi: quorum primus, seruatâ quantùm fieri F potuit temporum serie, res Beatæ complectitur, à primâ eius natiuitate per omne illud tempus gestas, quo Ferrariæ vixit Sanctimonialis, & multorum annorum Professa, donec Bononiam mitteretur. Secundus eiusdem Acta Bononiensi in vrbe vsque ad felicem mortem exequitur: tertius catalogum exhibet præcipuarum virtutum, quibus ipsa dum vixit animum singulariter excoluit: quartus denique continet mirabilia, cœpta ab eius obitu manifestari, & per seculi penè integri decursum continuata. Atque hic prooemiorum finis esto, principiumque historiæ, in nomine sanctissimæ Trinitatis.

hac historia contexta,

quadripartitam diuisam

Interpres Lectori.

Dabis hanc mihi veniam, Lector, quam Acta Ioannis de Deo colligenti puto concessam fuisse non illibenter ab iis, qui vasto hoc in opere breuitatem amant partium singularum, etiam sic maximi corporis molem constituentium: dabis hanc, inquam mihi veniam, vt, primâ, quam habere potui, Vitâ integrè prolatâ: secundam hanc pressiori stylo sic reddam Latinè, vt eorum quæ prior continet, nihil habeat posterior, & illius dumtaxat defectus suppleat: itaque librorum in sua capita digestorum ordinem, qualem secutus auctor est, hic tibi exhibemus; propriam ipsi nobis hac in epitome partitionem factam

Cur multa in hac versione omissa;

A *fluris; quin & ipsum quorumdam Capitum ordinem inuersuri. Cùm enim ad manum esset B. Catharinæ de suis tentationibus libellus, septem arma spiritualia docens, Latinè redditus à Flaminio, non putaui debere me vti paraphrasi alienâ, vbi ipsa Catharina de se loqui poterat: hanc igitur dum de se loquentem proprijs verbis induco, deprehendi non semper in his fuisse à Grassetto obseruata cuiusq; rei tempora, dum titulos sibi præfixos sequitur: simili modo tertij libri Capita, quæ ipse paraphrasticè tota sumpserat ex Christophori Mansueti libello, à Capite tertio inclusiuè vsque ad duodecimum, malui ab ipso Christophoro, eadem & prius & paucioribus verbis complexo, accipere prout Thannerus Latina fecit, expunctis etiam ijs quæ iam apud Flaminium legebantur. Denique circa res, quindecim diebus mortem Beatæ sequentibus gestas, ipsa Sororis Illuminatæ, quæ interfuit, verba ex eodem Christophoro eademque versione fideliter adnumerare malui, quàm alienâ circumscriptione vti. Quæ hoc loco te monitum, lector, volui, ne mireris si inueneris, ab eo, quem Latinum facimus, auctore diuersa quædam, alioque modo & ordine hîc legi, nec pauca omitti.*

AVCTORE IAC. GRASSETTO. mutatus quandoque ordo.

& verba aliunde accepta

Series Librorum & Capitum.

CAPVT I.

B. Catharinæ pueritia, & spiritualis vitæ principia in Congregatione Luciæ Mascaroniæ.

1 FErrariæ opulentâ satis domo atq; honoratâ natus Ioannes de Vigris a, & Iuris vtriusque laureâ adeptus Bononiæ, dũ illud ibidem publicè profitetur, nobili ex antiquâ Mammolinorum familiâ Virgini, cui Benuenuta nomen, legitimis nuptijs iunctus est: ac paullò pòst à Nicolao Estensi, Ferrariæ Marchione euocatus, ad Rempublicam Venetias destinatur Legatus; vbi deinde iussus est cum titulo Agentis ordinarij residere. Interim Benuenuta conceptam ante mariti discessum prolem feliciter enititur. Catharina hæc fuit, patri in Principis sui negotijs occupato à Dei Matre demonstrata per visum: cuius futuram sanctitatem, tum alia infantiæ præsagia præmonstrarunt; tũ illud imprimis memorandum, quod vixdum firmis vtens gressibus, atque per domum potens obambulare, singularem erga pauperes beneuolentiæ & compassionis monstrabat affectum; solita deinde, quidquid ad manum veniret, eisdem elargiri. Vbi vndecimum attigit ætatis annum, patris, à Marchione persuasi, imperio Ferrariam migrauit cum matre: atque in Margaritæ Estensis allecta fuit comitatum.

a CAP. I Patri futura filia sanctitas reuelatur. F

ipsa Ferrariam migrat,

2 Ibi Latinarum litterarum prosecuta est studium, quarum rudimentis cœperat Bononiæ imbui: in eisque tantos breui progressus habuit, vt non modò quoscumque libros Latinè compositos intelligeret, sed prout ferebat occasio, scriberet ipsa, componeretque nonnulla eleganti emendatoque stylo, quæ in hunc vsque diem seruantur. Vt tamen diuinis præuenta gratiis cor suum Deo consecrauit, noluit profanum auctorem vllum vltra attingere, solius deinceps Scripturæ

A ptura sacræ Sanctorumque Patrum lectioni intenta. Biennio circiter trienniove in aula Principis Margaritæ, cui erat in paucis carissima, transacto, Catharina, quam ingens Deo se consecrandi desiderium ceperat, iis brevi se vidit expeditam vinculis, quibus in seculo poterat retineri: nam Domina eius Roberto Malatestæ, Domino Ariminensi, nubens, nolentem eò sequi, dimittere maternam in domum coacta est: & Ioannes parens, anno millesimo quadringentesimo vigesimo sexto è vivis abiens, filiam relinquere debuit in potestate matris, sanctis illius votis (namque erat etiam ipsa pietati addictissima) nequaquàm adversaturæ, quamvis & vnica esset opulenti patrimonij hæres & eo nomine à multis in coniugem expetita.

studioque consecrādi se Deo CAP. II

3 Viuebat Ferrariæ Deo deuota Virgo Lucia de Mascaronis, quæ tertium S. Augustini habitum induta, intra domum cuiusdam viduæ, amitæ suæ, iuvenculas aliquot seculari in veste religiosis moribus imbuebat: quæ domo prodibant numquàm, nisi rarò admodum idque diebus festiuis, sacrificij Missæ aliorumque diuinorum officiorum caussâ: & tunc quidem & habitus & corporis totius tantam præferebant modestiam, vt ciuitati vniuersæ admirationi simul & B ædificationi essent. His se, boni exempli odore tracta, Catharina adiunxit: sibique ex magistræ tam bonæ institutione proposuit, Dei voluntatem implere in omnibus, eiusque indicem sequi conscientiam, quid agendum quidue cauendum docentem; omnique carnis & sanguinis affectu seposito, se suosque penitùs abnegare, atque optima sociarū exempla pro viribus æmulari.

iungitur Luciæ Mascaronia.

4 Præcipuum autem ei iam inde à principio fuisse rerum diuinarum studium, ex libello eius manu exarato habemus, in quo ipsa de se in hunc modum velut de aliâ personâ loquitur: Principio conuersionis suæ, cùm esset in hoc loco aliquot iam annos commorata, dulcedinem, ac suauitatem diuini amoris gustare incipiens in oratione, magno teneri desiderio solitudinis cœpit. Creuit hoc autem illi desiderium: cumque cerneret, se nullâ re impediri, quòd monasterium nullis adhuc Religionis teneretur vinculis, suspenso tamen esset animo, nec sibi satis fideret; Dei explorare voluntatem decreuit. Cœpit igitur vehementer, ac penè assiduè, tam noctu quàm interdiu, Deum precari, vt sibi, quid vellet, aperiret. Quare demum exaudita est: nam cùm in ecclesia *b* monasterij huius esset, circa horam diei tertiam, ac impensè rem eamdem rogaret, clementissimus illi Deus alia quædam, quæ nunc C libenter prætereo, & illud, quod ad præsentem petitionem attinet, declarauit; debere vnumquemque in eo loco permanere, ad quem Deus illum vocasset. Tunc illa, vt Deo pareret, mutatâ sententiâ hoc in loco permansit, cùm Deum ita velle cerneret.

solitudinis adeundæ desiderium CAP. IX

intelligit à Deo non esse.

b

5 Huc etiam accedebat memoria eius, quòd eodem in loco accidisse meminerat Virgini cuidam, prout in eodem libello scriptum reliquit his verbis: Paullò postquàm ego præsens hoc monasterium intraui, adolescentula quædam ingressa est, cui post certum spatium tædio esse cœpit benefacere; pœnituitque illam, quòd mundi viam & illecebras reliquisset. Accidit autem, vt, dum talibus teneretur cogitationibus, ad quemdam Christi, probatæ admodùm vitæ, famulum accederet, cui sua delicta confiteretur. Ei narrauit, sibi in animo esse, ad pristinam reuerti vitam. Cui stupens ille ait: Vide quid agas, filia; nam (vt video) tu illa es, propter quam proximâ nocte somnium vidi, quod magnam mihi admirationem attulit, cùm nescirem, quid illud esset, aut quid portenderet. Cui dixit illa: Rogo te, vt mihi somnium istud enarres. Tunc ille, productus sum ad quoddam solenne festum, vbi innumerabiles aderant puellæ, quæ inenarrabili pulcritudine, ac sole fulgentiores erant, & admirabili gloriâ circumdatæ, quarū capita ex pulcherrimis floribus factæ coronæ ornabant. Ita ornatæ obuiàm ibant cuidam puellæ, quæ videbatur velle in earum consortium ire. Idcircò multâ cum lætitiâ, festiuoque honore & gloriâ obuiàm illi prodibant, vt eam reciperent; quæ cùm eis iam propior facta esset, visa est pœnitentiæ signa dedisse, quòd venisset, ac mutatâ sententiâ retrocessisse. Nobilissimus autem ille Virginum conuentus, vbi hoc vidit, magnum dedit mœroris signum, & euanuit. Tunc ego suspenso eram animo, & cogitabam, quidnam talis visio portenderet. Sed nunc apertè video, Deū mihi illam tuo ad me accessu patefecisse. Quare te, filia, rogo, ne prauam istam voluntatem sequare ac tentationem; sed potiùs fortis, & constans vsque ad finem perseueres: vt demùm possis ad nobilissimum illud festum & consortium, quod ego vidi, peruenire; & cum inclytis Virginibus illis, quæ te expectant, perpetuâ quiete frui. Quibus auditis pudore tacta nobiscum permanere decreuit: sed non multò pòst, cùm non satis religiosè se gereret, fuit propinquis & priori vitæ restituta: & ita paruo temporis spatio diem suum obijt, & visio famuli Dei vero exitu comprobata est; siquidem amissâ virginitatis coronâ, iustè adempta illi facultas fuit saliendi ad illud Virginem consortium, quod famulus Dei præuiderat.

puella cuiusdam à cõgregatione recedētis CAP. III

D AUG. IAC. GRASSETTO.

infelix exitus Confessario reuelatur.

6 Hæc illa ad aliarum instructionem de suâ quondam sodali scripta reliquit; eademque ex causâ in libellum suum retulit tentationes, quibus ipsamet primis illis vitæ spiritualis initijs exercita probataque, facta est peritissima militiæ interioris magistra. Harum tentationum modum seriemque ab ipsius calamo iuuabit accipere, postquàm ab eodem viderimus fauores aliquos, quibus præuenta diuinitus, & velut ad futuram luctam corroborata fuit. Optabat, inquit ipsa de se, antedicta Christi ancilla (quam in principio libelli Catellam *c* nominat, in fine autem declarat ipsam se Catharinam Bononiensem esse) optabat illa plenam impetrare suorum delictorum veniam & remissionem, atque ob id Deum impensè precari cœpit: simulque vt concessæ sibi veniæ certa sibi signa daret, quibus se illam impetrasse non dubitaret: tertio autem suæ conuersionis anno, ad ecclesiam sancti Spiritus se contulit, vt vni ex illius monasterij venerabilibus Religiosis sua delicta confiteretur. Ibi cùm esset illa, sæpiusque Deum rogasset, vt se exaudiret; ostendit illi Dominus apertè, sicut optauerat, se illi, quod petierat, concessisse; & omnia delicta, culpam & pœnam omnem remisisse.

E

CAP. VI *innotescit Catharinæ plena suorū peccatorum remissio.*

c

7 Eodem tertio à suâ conuersione anno, vel paullò pòst, oblata est ei extremi iudicij admirabilis species; ex cuius consideratione profundas in eâ radices humilitas egit; quod ipsa in prædicto libello narrans: Anno, inquit, ab aduentu Christi trigesimo primo supra millesimum quadringētesimum, priùs quàm Ordinis institutis & Regulæ subijceremur, eoque tempore, quo prima illa nostra mater Lucia ex Mascaronum familiâ hîc præsidebat (quæ quidem Deo sic volente, in hunc me locum admisit, fuitque prima, quæ sincerâ caritate atque materno affectu seruire me Deo docuit) antedictæ Christi famulæ raptus est verè spiritus ad supremi iudicij spectaculum; cuius quidem ordo ac modus hic fuit. Vidit illa in nubibus cæli altissimum sub humanâ formâ Deum, cuius erat purpureum indumentum, & facies in Occidentem versa. Ad illius autem latus, paullò infrà, nostra erat aduocata, Maria Virgo, in veste candidâ. Silebat illa, & vultu erat suspenso similis, & admirationis pleno, & vltra illam certo distantes spatio sanctissimi erant Apostoli, in cathedris sedentes fulgentibus, & flammæ ignis altissimi speciem præseferentibus. Infrà verò erat vtriusque sexus innumerabilis multitudo; non sedentium quidem, sed stantium, qui facie omnes in cælum versâ Deum spectabant. In medio autem illorum quidam erat, qui magnâ voce concionabatur. Ipsa verò, quæ huic spectaculo intererat, Christi ancilla ad Dei erat dexteram: illi

F *Anno 1431*

videt extremi iudicij speciem.

A illi tamen tam numerosæ multitudini admixta, & voce ad Deum clamabat altissimâ, magnâ cum lætitiâ verba, quæ nunc silentio prætereo.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

illudq; breui futurum dixit,

8 Cùm autem, peracto spectaculo, ad corporeos illa sensus redisset, attentè considerans quæ viderat; cogitabat quidnam sibi monstrata portenderent. Cumque id scire maximè cuperet, Deum impensè precata est, vt sibi declararet, fuissetnè illusio & fraus istæc diabolica; an verò futurum breui supremum iudicium portenderet. Quare, qui legit intelligat. Responsum est illi, ne suspicaretur illusionem illam fuisse diabolicam, certoque sciret, paruo quidem futurum tempore, quod viderat; hoc est, extremi diem iudicij propinquare *d*: vnde ad meam ipsius cogitationem rediens atque considerans, quòd tali die, supremoque iudicio humana omnia delicta propalabuntur, & nota cunctis fient; nolo mea nunc ipsa occultare, sciens illa per confessionem magnâ ex parte deleri atque remitti. Ideò post prædicta me ipsam diligenter examinans atque discutiens, dico verè; me quidem propter falsam vitam, quâ me pollutam vidi, aliud nihil debere quàm maximam ruinam, & apud Deum & homines confusionem expectare. Falsum autem, quod me polluit, illud est, quòd perfectè atque vti oportebat & famulæ Domini nostri Dei conueniebat, non optaui ab vnoquoque iudicari & cognosci ita vilis & abominabilis, sicut esse me intelligebam & credebam; videlicet superbam, arrogantem, petulantem, maledicam, appetitui maximè indulgentem & gulæ, & tamquàm brutum animal lumine rationis priuatam, præcipuam caussam, & inuentricem ruinæ cuiuslibet, ac omnis boni perturbatricem, & impedimentum, quod per orbem terrarum fuit vnquam, vel nunc viget, futurumue deinceps est *e*. Sed verè fateor, me nullâ in parte adhuc nosse, quàm vilis, quamque nihili sim: nam si me nouissem, profectò non essem ausa vilissimum aliquem locum intueri, nedum oculos in cælum attollere. Quare non video etiam in caliginosâ & profundissimâ Inferni parte quempiam locum, qui meæ pestiferæ putredini conueniat: ibi enim iustitiæ satisfit cruciatibus & pœnis illorum, qui summum bonum offenderunt. Cùm igitur nihil prorsùs in me boni sit, sequitur illud, vt nullus tam abominabilis, tamque horribilis extra me sit locus, qui mihi conueniat, nisi ego ipsa. Ideoque in me ipsâ permaneo, tamquàm nullus caliginosior, & fœtentior inueniri queat locus.

ac suam maximam vilitatem,

B

C

qua negligens fuerit in appetendis iniurijs & probris,

9 Sed væ mihi miseræ! Quid mihi profuit talem esse assecutam mei notitiam, quando toto corde & anxio desiderio non optaui ac perquisiui, vt super hæc suum iustitia locum obtineret, id est, vt me talem omnes nossent, qualem me suprà esse ostendi? Quamuis autem rem contrariam, hoc est honorem, ac prælationem, item sanctitatis famam non optauerim; cùm tamen negligens in desiderio mala patiendi fuerim, sequitur me non fideliter bonæ voluntatis inæstimabile talentum custodisse, quod mihi summa Dei nostri bonitas assignauit. Nam cùm præclarissimum hoc ab eo donum acceperim, & ad suum famulatum me vocauerit, debebam ego summo studio omnem vim ac diligentiam adhibere, vt illi conformis essem, id est, vt me omni supplicio subijcerem, ac per viam Crucis graderer, omne aspernata gaudium, & quidquid animum posset meum delectare; amansque quicumque me odisset, & honore suauiter quemlibet persequens qui me contempsisset, ac illis inseruiens qui operam mihi suam denegassent, ac inseruire noluissent; ac toto cordis affectu benè de ijs loquens, qui mihi detraxissent; cùm scirem me magis dignam esse, vt mihi in faciem expueretur, quàm vllum beneuolentiæ signum ostenderent. Et quæ me magis hac in re adiuuisset, magis amari à me ac honorari debuisset: cùm scirem me hoc pacto magis quidem fuisse Christo Iesu meo suaui Domino, quàm alio quocumque modo similiorem

exemplo Christi.

futuram. Cumque magnam tepiditatem cernam, quâ quidem hâc in re vsa sum, verè possum affirmare, me falsum Christi famulæ nomen gerere, quæ illud non amem, ad quod ferendum tanto ipse caritatis amore accessit, plenam scilicet amoris crucem. Væ miseræ mihi! quantus fuit hic error meus, quanta cæcitas! quæ hoc tamdiu intelligere & considerare distulerim. Et quamuis initio conuersionis meæ non nihil me delectarent iniuriæ, & aliquâ ex eâ re voluptate afficerer; nihilominus frigescente posteà illo ardore, magna me per multos annos tepiditas detinuit: cùm diligenti studio, quod me decebat, non quæsierim; iniurijs scilicet affici, & ludibrio esse, ac infamiâ notari, denique vilissimo cuique subijci: vt sic paullùm quidem iniuriam Dei creatoris vlciscerer, qui innumerabilibus propter me & à me iniurijs affectus est. D

a De Negris *legendum volunt aliqui, inquit Christophorus.*

b *Sacellum aliquod domesticum intellige: vt enim Mascaronia ædes non erant verè monasterium; sic non est credibile, cùm nihildum adhuc esset ad perpetuitatem constitum, eiusque adiunctam ecclesiam fuisse: patebitq; ex sequentibus, puellas in eo conuictu collectas S. Spiritus templo Minorum Obseruantium vsas, ad Sacramentorum susceptionem.*

c *Sine edocta à Chananæâ Euangelicâ, quæ se Matthæi 15, 27 catellis comparat, de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum, comedentibus: siue ex nominis sui diminutiuo occasionem acceperit, ita se abiectè nominandi* E

d *Eo sensu scilicet, quo Paulus Apostolus propinquum esse dixit diem illum, idemq; varijs Sanctis reuelatum legimus.*

e *Quomodò verè hunc de se sensum habeant & habere potuerint Sancti, explicant auctores ascetici, interq; alios noster Alphonsus Rodriguez in Exercitio Christianæ & Religiosæ perfectionis. Sensum autem hoc loco perturbatum ex Thanneri versione restituimus, qui in Flaminio sic habebat:* quæ præcipua causa & inuentrix est ruinæ cuiuslibet ac omnis boni perturbatio.

CAPVT II.

B. Catharina grauibus tentationibus exercetur; Luciæ contubernium discordiâ litibusque vexatur.

CAP. VII

10 SVmmam alius perfectionem crederet ea, in quibus suum hîc ipsa imperfectum cognoscit: quæ notitia vt clarior manifestiorque ipsi fieret, iuuit diabolus dum nocere nititur; eamque & sibi & alijs, ex ijs quæ passa ab eo est, reddidit cautiorem. Nempe tentationibus probanda erat & exercenda spiritualis militiæ tiruncula: de quibus ipsa sermonem faciens in suo libello, hoc modo exorditur: Sed nec minùs necessarium est à cogitationibus mentem custodire; quia diabolus interdum bonas & sanctas in mente cogitationes excitat, vt sub prætextu virtutum decipiat. Post hoc autem, vt ita esse ostendat, tentat atque impugnat eo vitio, quod est ipsi virtuti contrarium. Hoc ideò facit, vt in fossam desperationis trahat. Quòd autem hoc verum sit, per id tibi ostendam, quod antedictæ Christi ancillæ accidit, quæ se ipsam nominat Catellam, quæ in adolescentiâ suâ diuinâ illustrata gratiâ, vt Deo ministraret, hoc monasterium ingressa est: & cum sanâ conscientiâ & bono feruore die noctuque orationem frequentabat, enixèque operam dabat, vt quamlibet virtutem, quam in alio quouis esse vidisset aut audisset, assequeretur. Et hoc quidem non inuidiæ instinctu faciebat, sed vt magis Deo placeret, in quo amorem suum omnem locauerat. Cumque post certum tempus multiplici gratiæ cælestis dono abundaret, attamen varias & magnas quidem tentationes adhuc passa est; adeò quidem, vt, cùm die quadam inuasisset illam quædam mentis suggestio, ac diaboli esse instinctu excitatam intelligeret, illum audacter allocuta sit dicens, Scito, maligne hostis, nullam mihi à te inferri tentationem posse, quam non nouerim.

Permittit Deus, F

vt quæ præsumptuosè dæmonem contempserat,

11 Quare volens illi Deus nimiam sui fiduciam infrin-

A infringere, ac ostendere, aduersarium esse illâ multò callidiorem, permisit, vt subtilissimâ eam fraude aggrederetur, videlicet vt illi sub habitu & formâ Virginis Mariæ sese ostenderet, qui eam alloquens dixit: Si amorem à te vitiosum arceas, virtuosum tibi amorem immittam, & his dictis euanuit. Cumque ipsa crederet, verè illam fuisse Christi Genitricem, quia tunc orationi intenta eam maximè precabatur, vt sibi concedere dignaretur, vt eius Filium ardenter posset amare; cogitare cœpit, cur Beata Virgo sibi dixisset, si à se fugaret vitiosum amorem, fore vt virtuosum immitteret. Quare illi per occultam hostis fraudem in mente dicebatur, vt proprij appetitus ac iudicij à se amorem fugaret. Hâc igitur de caussâ iterum decreuit multò magis omni studio suæ Præfectæ, absque vllo discrimine, ac sine sui ipsius (quemadmodùm consueuerat) curâ, obtemperare: siquidem initio suæ conuersionis, quamuis adhuc vinculo Religionis ita facere nó teneretur; attamen magis, quàm ceteras virtutes amabat & optabat veræ ac sanctæ obedientiæ virtutem, & omne suum in illam studium contulerat. Atque ob id quidem omnes illius aduersarij maximè studuerunt, vt per eam virtutem illam deciperent: cœperuntque nouas quotidie ac diuersas illius cordi cogitationes immittere, vt penè dicta & facta omnia suæ Præfectæ prauo iudicio interpretaretur, ac in illam immurmuraret.

ab eo sub formâ B. Virginis decepta,

grauiter turbatur circa obedientiam:

B

12 Quâ ex re magnam patiebatur pœnam, & animi cruciatum, & suam culpam apud ipsam Matrem sæpissimè ac magno cum pudore fatebatur: nec tamen pugna cessabat, quamquàm multùm illi proderat; ob id præcipuè, quòd semper resumebat vires ac robur ad non consentiendum prorsùs; quamquam penè violenter ad id trahebatur: & tunc ad orationis arma confugiens, aliquod leuamen inueniebat, ita vt non prorsus consentiret. Sed in magnâ detinebatur animi solicitudine, cùm se habere infensam Virginem Mariam putaret; dicebat enim secum: Ipsa mihi Virgo dixit, vt à me propriam voluntatem repellerem, & quotidie contrarium cogito. Ita quidem ad magnam desperationem redigebatur, nesciens diabolicâ instigatione, non à se ipsâ id sibi accidere. Cùm autem malignus hostis cerneret, quòd non tamen illa ob eam rem spem deponeret; aliam adhuc subtiliorem fraudem excogitauit. Nam cùm quodam manè ingressa esset ecclesiam Virgo, vt oraret, statim sub formâ Christi Cruci affixi illi præstò affuit, brachia tenens aperta, & coram illâ tamquàm suspenso similis, & quodam amicabili ac benigno astans modo, vt penè videretur eam velle blandè capere, sic allocutus est: O fur, tu cor mihi suffurata es: redde quod mihi surripuisti.

idem in specie Crucifixi apparens,

C

13 Quæ magnâ cum reuerentiâ & metu, ita vt (quemadmodùm ei videbatur) si potuisset, sub terrâ se occultasset, cùm re verâ crederet esse Christum, quocum loqueretur, respondit. Et quomodo factum est, Domine, quod dicis? cùm nihil habeam, & sim pauperrima, & in tuo conspectu in hoc mundo ad nihilum redacta, alienæ subiecta potestati, sic quidem vt nihil prorsus possideam? Ille autem, Volo, inquit, te scire, non esse te adeò inopem, vt dicis, ac te aliquid habere: nam te ad imaginem ac similitudinem feci meam, memoriam tribuendo, intellectum ac voluntatem; & cùm votum mihi voueris obedientiæ, persoluisti quidem, sed id nunc mihi adimis. Hoc pacto tibi ostendo, esse te furem. Cùm autem illa putaret, sibi hoc dici propter cogitationes infidelitatis, quas aduersùs Præfectam suam mente agitauerat, sicut suprà dictum est, ait: Mi Domine, quomodò facere debeo, cùm proprium cor in meâ potestate non habeã, nec valeam cogitationibus obstare, quando in me insiliunt? Respondit ille: At facito, quemadmodùm te docebo. Tuam cape voluntatem, memoriam ac intellectum, nec vllâ in re exerceas, nisi ad tuæ nutum Præsidis. Tunc illa: At quo modo facere debeo, quæ intellectum impedire nequeo, vt non discernat; memoriam, vt non recordetur? Ait ille: Subijce illius voluntati tuam, & puta esse tuam illius voluntatem, nec vllâ in re tuam memoriam ac intellectum exerce, nisi vbi tua moderatrix velit. Ipsa verò dicebat, Se non posse, quia in suâ potestate cor non haberet. Ille autem, fac vt tibi dicam, dormi, vigila, & quiesce. Ait illa, Nescio Domine quid sibi verba hæc velint. Ait ille, Dixi, Dormi, id est, vt te præsentibus huius mundi rebus non immisceas. Dixi, Vigila, vt omni studio parata sis ad obediendum. Dixi, Quiesce, vt in omnibus tuis operationibus semper de meâ Passione mediteris. Cumque hæc, & alia multa dixisset, quibus illam ad obedientiam hortaretur, euanuit.

ei implexa quadam,

& impossibilia suadet,

D AVCTORE IAC. GRASSETTO.

14 At illa credens re verâ Christum fuisse, mente remansit admodùm suspensâ, & in illis crebrò cogitationem occupabat; nec tamen liberum se cor habere sentiebat à priori certamine, sed potiùs magnam sibi importunitatem suboriri, quoties illi sua Præfecta, vt aliquid faceret, iubebat; aut si quid illa dicebat, statim innumerabilia penè iudicia in mentem illi veniebant, secumque dicebat: Meliùs hoc esset; Illud meliùs ita fieret: & multæ refragrandi & contradicendi cogitationes illius animum subibant; quarum tamen omnium illam postmodùm pœnitebat, seque apud ipsam Præfectam accusabat, & veniam (sicut suprà dictum est) petebat: idque multo cum pudore & animi cruciatu faciebat; adeò quidem, vt aliquando potuisset redundantiâ lacrymarum illi pedes lauare: affirmatque quòd, nisi hoc remedium fuisset, suam videlicet accusandi culpam, sæpè suggestioni consensisset, ac obedientiæ suæ Præfectæ rebellis extitisset. Nam sæpè quidem multâ cum violentiâ impellebatur, vt cũ eâ contentiosè ageret, & improbaret quæ illa fecisset aut fieri mandasset: quod procul dubio ad damnationem illi cessisset; quia Religiosis nullo pacto licet suis Præfectis reluctari ac eorum iussa contemnere, nisi fortè aliquid esset, quod, si facerent, mortalem culpam incurrerent. Quare siquis ad hoc tentetur, resistat ille fortiter, sciens non ex se quidem, sed ex inuidiâ hostis antiqui hoc prouenire: qui præcipuè illos odit, qui in ipso statu obedientiæ Deo perfectè seruiunt, ac propter hoc nouos semper quærit modos, quibus eos possit fallere. Quarè patienter resistat, & martyrij coronam assequetur. Sed vt ad institutam narrationem regrediar.

augens interim tentationes in obedientia,

E

vnicum remedium habenti earum confessionem.

F

15 Procedente tempore crescebat illi semper hoc certamen, non tamen ob id desistebat amare suam Præfectam & reuereri, ac illi obtemperare, nec erat in suo iudicio pertinax; sed potiùs, ne illi consentiret, magna quidem certamina & perturbationes animi perferebat, adeò quidem, vt abundantibus præter modum lacrymis putaret futurum, vt simul cum lacrymis (nisi Deus adiumento fuisset) oculi distillarentur. Nam illi die quâdam, cùm teneretur in magnâ fletus acerbitate, nec ampliùs inesse aqueus humor videretur, manare sanguis cœpit: nec propter inenarrabilem dolorem, qui cor illius vulnerabat, poterat à fletu temperare: cùm se præcipuè cerneret diuini amoris priuatam flammâ, quâ tam copiosè quidem anteà solebat accendi, vt summâ cum difficultate illum occultaret. In tantam autem capitis deuenerat siccitatem, vt nec posset orare, nec horarium Officium absque ingenti cruciatu dicere. Atque ob hanc caussam augebatur illi mœror metuenti, ne quadam proprij sensus indulgentiâ id accideret, sed metum eiusmodi hostis ingerebat.

Nimijs lacrymis,

mœrore,

16 Quin (vt antè dictum est) quando primùm illi se obtulit, præceperat, vt proprium à se amorem arceret. Nunc autem illam stimulabat, in eam trahens suspicionem, vt se teneri proprio sui amore crederet, nec

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

A nec sui tantummodò, sed propinquorum etiam: Propter quod multa incommoda & magna tulit: & hæc erant illius in tantis curis solatia. Itaque cùm in horas illi augeretur pœna, intellectu penè destituebatur, quia intrinsecùs & extrinsecùs oppugnabatur. Hâc de caussâ cœpit aliquam admittere quietem, nec tantùm (vti consueuerat) per noctem vigilare: namque ita erat orationi assuefacta, vt etiam cùm dormiret, aliquando surgeret & brachia in Crucis speciem extenderet. Nec dubito id quoque factum antiqui hostis fraude, vt per nimiam orationem desiperet. Præterea putauit illa (& ita quidem fuit) sibi accidisse, quod Beato Iob accidisse legimus, vt omnibus mentis, & corporis priuaretur diuitijs, vtque impossibile nunc ei videretur exercere virtutes, quas antea magno cum ardore ac sine vllâ segnitie solebat exercere; nisi quòd patientiæ virtus illi proponebatur: quamuis illa quoque admodùm parua inesset; nam minimum quodlibet verbum, quod audiret, magno illam cruciatu animi afficiebat. Hoc autem illi post antedictas hostis antiqui fraudes accidebat, propter magnam, quam patiebatur, spiritus inopiam.

& vigiliis intendit eam insanam reddere;

17 Cùm autem post longum tempus cerneret aduersarius, se nondum prorsus eam prostrauisse, illi apparuit, assumptâ iterùm Beatæ Virginis formâ, Filiũ in amplexu paruum tenentis, & illam accusans dixit: Noluisti amorem a te vitiosum repellere; nec ego virtuosum, hoc est, filij mei amorem tibi dabo: & his dictis tamquàm irata euanuit. Ipsa verò arbitrata, verè Matrem Christi fuisse, ingenti dolore correpta est; credens se Matrem ac Filium grauiter offendisse. Hic nunc (subiungit ipsa) quæ audiunt aut legunt, cogitent ad quantam egestatem ac tristitiam redacta Christi ancilla esset, vt vix quidem ferre seipsam posset, intantùm vt spem omnem depositura fuerit, nisi sciisset peccatorum omnium maximum esse desperationem. Sed & diuina benignitas bonam illi voluntatem numquàm ademit: propter quod eo desiderio tenebatur semper, ne quid, quod esset diuinæ voluntati contrarium, faceret. Cùm autem videret hostis non tamen se tantis impugnationibus & cruciatibus damnationẽ istius consequi potuisse, visus est, permittente Deo, aduersùs illam rabiem auxisse suam. Nam, cùm sciret quantoperè illa monasterij sui honorem amaret, & commune bonum Sororum omnium, alium ad eam excruciandam modum excogitauit. Quare tamquàm rabie ingenti percitus, nocte quâdam cùm ceteræ dormirent, audiuit ipsa illum cum terrificis vocibus circumeuntem monasterium, tamquàm mox illud euersurus esset. Quod cùm sibi à Deo non permitti, sicut in domum Iob obtinuerat, animaduerteret, non priùs destitit, quàm monasterium omne sacris Virginibus inane fieret: propter quod tamen ipsa suam non deseruit constantiam. Hactenùs Catharina.

B *iterumq. sub formâ B. Virginis ei illudit*

visus rabiem vertit in ipsam domum,

C

CAP. XI.

18 Quomodò autem ea, quam dicit, monasterij acciderit desolatio, operæ pretium est altiùs indagando explicare. Non erat Lucia instructa facultatibus vllis, quibus ipsa sustentaret sese; nedum tantis, quæ puellis quinquaginta alendis sufficerent: sed ex amitæ totâ pendebat gratiâ, viduæ & opulentæ, Bernardinæ de Mascaronis, quæ post viri sui Gregorij Sedazzari obitum ab eo hæres omnium, vt videtur, facultatum relicta, Virginem hanc neptem suam, in domum acceperat, habitu tertij Ordinis S. Augustini indutam: quæ mox ex illius consensu puellas cœpit erudiendas admittere, non tantùm in disciplinam sed etiam in cõuictum. Ita constitutis rebus, Bernardina mortalis vitæ terminum attigit, neptis suæ hortatu & exemplo, etiam ipsa aliquantò anteà eumdem S. Augustini induta habitum: Luciamque amplæ possessionis hæredem reliquit, adiuratam, vt eam impenderet monasterio puellarum in suis ædibus erigendo, sub D. Augustini Regulâ: quâ de re actum inter eas frequentissimè fuerat, Bernardinâ iam pridem eò suas omnes facultates destinante. Verùm, ne quidquam ad hoc vsque tempus transigeretur, caussa fuerant iniectę identidem moræ, vt in ijs fieri solet rebus, quæ de die differuntur in diem. D

in quâ collectas Virgines Lucia erudiebat,

19 Igitur per mortem amitæ facta sui iuris Lucia, ad id, quod moliebatur, instituere paullatim cœpit subiectas sibi puellas. quibus ad omnem pietatem formatis placuit sanè magistrę consilium. Sed Patrum Minorum de Obseruantiâ, quorum templo ad vsurpanda Sacramenta, & directione ad spiritum perficiendum, vtebantur, cognita virtus aliquarum ad se trahebat animos, vt ijs quoque habitu ac Regulâ mallent assimilari, quàm sub S. Augustini Regulâ laxiorem multò & corpori commodiorem viuendi rationem assumere. Neque verò vsque adeò in negotio processum erat, quamuis de eo tractari iam cœperat, vt non esset Luciæ integrum mutare mentem, & ad meliora suadentium partem accedere. Interim emitur vicini pistoris domus, ampliando ad monasterij constitutionem situi necessaria: & diabolum Catharina per noctem audit sub imagine rabientis molossi totam domum strepitu perturbationeque implere; indicantem scilicet quid moliretur. Nec defuit turbandis rebus instrumentum idoneum, ex ipsarum Virginum numero vna, cui displicere cœperat, arctioris vitæ, quam sub S. Claræ Regulâ nonnullæ inducere satagebant, consilia agitari. Ergo pistorem prædictum aggressa, persuadet ne suas ædes velit ex pactis conuentis tradere. Alienatis deinde à Magistrâ sociarum plerarumque animis, grauem eidem intentauit litem, vt periuræ, eoque nomine eâ hæreditate priuandæ, quam sub eâ conditione adierat, vt monasterium Ordinis Augustiniani è testatricis facultatibus erigeret. E

S. Augustini monasterium ibidem erectura;

de quo diu dubitat,

20 Nihil horum constabat ex testamento, ab omni eiusmodi conditione libero: quia tamen suam amitæ fidem ad eam rem obligauerat Lucia, postquàm testamentum conditum erat; testesque inueniebantur nonnulli, ita se ex ipsius Luciæ ore audiuisse asserentes, nec ipsa ita esse negabat, satis hoc caussæ esse crediderunt iudices, vt vniuersam hæreditatem ademptam Luciæ, addicerent Ailisiæ (id seditiosæ isti nomen erat) & sociabus S. Augustini Regulam profiteri volentibus. Verùm non diuturnum ei fuit victoriæ huius, contra omnem iudicij formam, obtentæ gaudium: à Iudice enim seculari, ad cuius forum minimè ea res spectabat, ad Ecclesiasticum appellans Lucia, eatenùs inaudita, euidentem suæ caussæ æquitatem facilè demonstrauit, euicitque vt secundùm ipsam ferretur sententia, quâ Ailisiæ eiusque sequacibus perpetuum indicebatur silentium, tamquàm nihil iuris habentibus in eas facultates, quas, liberam de ijs disponendi facultatem relinquens Bernardina, nepti suæ legauerat. Quæ, licet prædictâ adiuratione aliquid ei oneris imposuisset, eius tamen exigendi potestatem Ailisiæ minimę demandârat: sed illa eiusque sociæ, vt erant in contubernium istud admissæ gratis, ita poterant ab eodem, ad Luciæ, vnicæ liberæque hæredis, arbitrium ablegari. Iuramenti autem, quod prætendebatur, indicatum est obligationem esse nullam, si de solâ Regulæ mutatione ageretur, de quâ credibile non erat curasse testatricem: maximè cùm in votis implendis sacri Canones permittant, strictiorẽ Ordinem laxiori præferre, ac dubitationem omnem resoluere posset Episcopus, ad quem spectaret & iudicare de caussâ, & quamlibet iurati voti obligationem in aliam similem, multò potiùs in meliorem, suâ auctoritate commutare. F

domus sua possessione deijcitur:

sed per ecclesiasticum iudicem restituitur.

CAPVT

CAPVT III.

Monasterium in ædibus Luciæ constituitur, Catharina nouis tentationibus agitatur: quibus permixta diuina solatia discretionem spirituum ei pariunt.

Dissoluto contubernio, 21 SIc restituta in integrum Lucia, primùm quidem Ailisiam complicesque domo expulit, cuius nullo titulo inuaserant possessionem: deinde, dum futuro monasterio nouum, vetustis ædibus deiectis, struitur ædificium, reliquas etiam Virgines ad suos quemque parentes dimisit, interque has Catharinam, quam domesticæ, pendente adhuc lite, turbæ, ex iisque enata scandala supra modum afflixerant. Verùm illa non *in nouas ædes reuertitur Catharina,* priùs amoueri loco passa sese est, quàm promitteret Lucia eius habendam rationem inter primas, quæ exstructo monasterio ad sacrum habitum admitterentur: & statim atque in eo statu ædificium vidit (cui sedatis turbis emptę priùs pistoris prædicti ædes accesserant) vt habitationi idoneum esset, eodem summâ animi alacritate reuertit, vnà cum quinque è prioribus B sociabus, quæ solæ è tanto numero propositum conseruarant. Ingressa verò in cubiculum, atque ante imaginem Crucifixi Iesu prostrata in genua, copiosis cum lacrymis cœpit eidem agere gratias, eumque exorare, vt ne permitteret vnquàm ipsam ex eo loco dimoueri.

efficitq; vt pro Augustinianâ 22 Hæc domûs illius debilia quidem, prima tamen fuere principia: quibus breui incrementum accessit, aucto Virginum numero, per eas, quas exempli boni renouata sanctitas eò traxerat, & noui monasterij farna: quod tamen adhuc passim credebatur Augustiniano Ordini adscribendum. Et sanè in S. Augustini CAP. XII. Regulam Lucia propendebat magis, tum quòd eam ex parte profiteretur, tum etiam, quòd ita sibi conuenerat cum amitâ, & nonnullæ quoq; ex filiabus eamdem malle videbantur. At Catharina cum plerisque alijs summo ardebant desiderio suscipiendi habitum S. *S. Claræ Regula eligatur:* Francisci, sub Regulâ S. Claræ; eamque vsu ipso cœperant obseruare, tam quoad colorem vestitus, quàm ieiuniorum, silentij, paupertatis, mortificationisque rigorem: ita vt iam tum non seculares Virgines, sed summæ austeritatis Sanctimoniales viderentur: cuius exempli accedentiumque eodem continuorum à Ca-C tharinâ hortatuum precumque tanta efficacia fuit, vt in eius vota tandem concesserit Lucia, ceteræque eatenùs indifferentes magis quàm in aliud institutum propensæ. Actumque cum Patribus Franciscanis de Obseruantiâ est, vt noui monasterij curam susciperent: Francisco Ferrariensi Episcopo habitum Virginibus, quem postulabant, permittente, eumdemque solenniter ijs conferente Ministro Ordinis Prouinciali, anno Redemptionis nostræ millesimo quadringẽtesimo trigesimo secundo, cùm Beata nostra annum ætatis circiter vigesimum ageret.

23 Sola earum Magistra Lucia retinuit habitum, *cuius rigor postea mitigatus.* quem gestauerat anteà; suarum nihilo minùs filiarum curam Magisteriumque retinens: donec eo quoque onere sese leuauit ex parte, præpositâ eis magnæ nobilitatis, nec minoris prudentiæ, Abbatissâ, Sorore Thadæâ, Piorum, Dominorum Carpensium, Gilberti filiâ, Marci germanâ: sub cuius Sororisque Luciæ iam dictæ regimine communi, introductus est vsus absolutissimus eius Regulæ, quam sequacibus suis S. Clara proposuit. Sed quia nimius illius rigor multarum valetudinem pessimè affligebat, multas etiam præmaturâ morte auferebat è viuis, eum Pontificiâ auctoritate mitigandum curauit sanctissimus pariter ac zelosissimus Frater Ioannes Capistranus *a*, Vicarius Ordinis Generalis: indultumque imprimis est, vt monachæ D soccculis, vt vocant, ligneis, & vrgente aliquâ necessitate, etiam laneis pedum operimentis vterentur: pro quotidiano autem ieiunio, feriæ sextæ abstinentiam arctiorem seruare dumtaxat tenerentur: quæ mutatio anno millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto est inducta, ex Eugenij Papæ IV decreto.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

24 Vt autem mitigatio ista nihil imminuit incensum Catharinæ studium mortificandi corporis, ita prior ille disciplinæ rigor non potuit animum illius explere, quòd in eo adhuc desideraretur clausura, præcipuum religiosæ inter fæminas quietis præsidium ac fundamentum. Quare cum ij, qui veniebant ad visendum suas istic filias consanguineasq; monasterium ingrederentur, arreptâ hinc occasione, dęmon sua contra Catharinam resumpsit certamina, vt ipsa in suo libello narrat. Nam quosdam, inquit, genere & opibus claros instigauit, qui eam rogarent, vt ad commorandum cum suâ filiâ, quæ nubere nolebat, venire in animum induceret: nec dubitaret, se vel à Pontifice Maximo, si opus esset, vel à quouis alio impetraturos, vt id facere posset; seque omnia, quæ ad salutem corporis & animæ pertinerent, prouisuros, meliùs quàm ipsa petere posset. Quibus illa promissis non consensit: sed constanter in monasterio permansit, cum spe certâ futurum, vt tandem clauderetur, & ad Regulam & instituta S. Claræ aliquando redigeretur. Sed iterùm hostis antiquus nouæ fabricæ conatus est fundamenta diruere. Quod cùm illa valdè metueret, toto cordis affectu ad orationis arma confugiebat, quâ mentis voces ad cęlum attollebat, diuinam implorans opem. Sed priusquàm voces exaudirentur, multos ac varios animi cruciatus tam in se, quàm in suis propinquis pertulit, quas hoc loco, ne longior sim, prætereo. Attamen ita, vt scriptum est, euenit, Exclamauerunt in die tribulationis suæ, & tu de cælo exaudisti eos. Ita quidem, vt prospero successu ædificium hucusque creuerit, & aduersarius in prælio victus ad Dei laudem confusus remanserit, qui sperantes in se non deserit, quamuis illos crebris vexari tempestatibus sinat, vt eos experiatur, & maiore gloriâ dignos efficiat.

interim frustrà sollicitatur ad eum locum deserendū; E CAP. VIII *& alias tribulationes patitur;* Ps. 85, 7

25 Quare demùm permisit, vt illa supradictas omnes formas, quas ei apparuisse ostendimus, diabolicas fuisse fraudes sciret, ac talia fuisse à Deo permissa, vt ad magnam sui ipsius cognitionem illa deueniret. Et ita quidem factum est. Nam finito, quod narrauimus, inferno certamine, quod in annos circiter quinque protractum est, remansit iterùm illa quidem diuinâ visitatione recreata, & in tantâ sui ipsius ac propriæ *b* nullitatis cognitione; vt si beatæ omnes animæ contrariū illi iureiurando persuadere voluissent, non credidisset. Prætereà in tam salutifero timore cœpit esse, vt in conspectu diuinæ maiestatis se tam nihili esse duceret, quàm nec dici nec cogitari posset: & ita in posterum suo modo effecta est cautior aduersùs antiqui hostis insidias, & ad noscendum verum ac diuinum ad se cælestis Numinis accessum. De quâ quidem re hoc dicit & affirmat; quòd quando suâ Deus clementiâ mentem ipsius visere dignabatur, statim id sentiebat vero ac ineffabili indicio. Id autem indiciū erat, quòd illum sancta humilitatis aurora præcedebat, quæ, cùm ad illam ingrediebatur, faciebat, vt interiùs animum, caput exteriùs inclinaret.

incipit dæmonis fraudes cognoscere, F *b* *& veras reuelationes à falsis discernere;*

26 Itaque sibi ipsa quidem prima radix culparum omnium præteritarum, præsentium, & futurarum esse videbatur. Cumque similiter putaret, se caussam quoque delictorum omnium, quæ in suis vicinis essent; permanebat in verâ & vehementi earum dilectione, & in illâ ipsâ horâ subsequebatur sol radians, & adurens ignis verus, Christus Iesus, & cum illius animâ, sine alio mediatore, tranquillâ in pace quiescebat. Quare poterat quidem dicere, ô profunda nullitas, tantus & tam

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

& spirituũ diuersitatem experitur.

A tam fortis tuus est actus, vt portas omnes aperias, & illum qui est infinitus ingrediare. At recedente postmodùm paullatim illâ diuini amoris flammâ, mens eius relinquebatur illustrata, & calefactum cor ardensque desiderio patiendi mala. Hilaris erat facies, ac sensus omnes mirè exhilarati, & aliquando facundia omni parte videbatur expedita, & virtutes auctæ, dulcesque eædem ac suaues ad reprehendendum culpas ac tolerandas. Contrarius aliquando effectus apparebat, vt ad omnem sermonem mente capta videretur, ob gratiam immiscentis se illi arctiùs amoris, in eâ permanentis. Quantoque magis Deo iungebatur, eò magis metuebat, ne inimica illi fieret, ac eo priuaretur. Et hâc quidem ratione diuinâ præsentiâ frui poterat, sine periculo inanis gloriæ, quicumque sibi adesset. Putabat enim mortales omnes, in conspectu diuinę ac imperatoriæ maiestatis, æqualiter ad nihilum esse redactos. Quare modo inenarrabili interius quoddam lumen illi immittebatur, per quod intelligebat, solum esse Deum, à quo affici lætitiâ posset & gloriâ, & per gratiam infinitum accipere bonum, per iustitiâ verò pœnam infinitam. Ideò dementiam putabat maximam gloriari, & eius rei metu diuinos sensus non accipere, ac benè in publico etiam agere. Hoc autem
B non dico propter initiatas nuper Virgines, sed propter perfectas, quæ gloriam humanam nihili faciunt; ad quam quidem perfectionem, quæ sit firma, non peruenitur, nisi ab ijs qui plenam pœnis crucem portauerint, quique per viam multarum tentationum ierint.

sicque à dæmone specie virtutis deceptam fuisse.

27 Cùm autem contrà velit ostendere, quomodò intelligi & cognosci diabolicæ visiones possint propter eam, quam consecuta erat, experientiam, in illis, quæ suprà narratæ sunt, diabolicis transmutationibus, ait, tribus illis modis quibus (vt dictum est) sub varijs dæmon imaginibus illi apparuisset, numquàm eo temporis momento sibi in mentem venisse dubitare, an malus esset ille spiritus; imò statim absque vllo, qualis re verâ esset, experimento, bonum esse credidisse: quia quoties insidiator sese illi sub talibus formis ostendebat, ad eam virtutem illam hortabatur, quam sciebat ab eâ summoperè amari, hoc est ad obedientiâ. Dein verò importunè admodùm ad rem illi contrariam impellebat, suggerens cogitationes malas, quibus ad iudicandum Præfectam suam incitabatur. Posteà verò sub contritionis prætextu tantum illi dolorem ex tali suggestione ingenerabat, vt illam quidem in foueam inenarrabilem ac pestiferam tristitię demergeret, ei persuadens, à se ipsâ, non aliunde (vt sine du-
C bio erat) id prouenire. Hac ipsâ viâ hostis antiquus illi diu insidiatus est, eius ad blasphemiam impellens animum: aduersùs quos stimulos nullum vmquàm remedium, neque per confessionem, neque per alium quemquam modum reperit; nisi cùm diabolus quiescenti illi in aurem insusurrauit, vt Deum blasphemaret; cui sic dormiens illa reluctabatur, ac identidem dicebat: Numquàm faciam, Numquàm faciam. Tunc ille adeò indignè id tulisse visus est, vt ingenti edito fragore excitata sit, ac illum à se recedentem senserit. Et ita quidem apertè cognouit, hostẽ fuisse antiquum, à quo tantoperè vexata fuerat, blasphemias illas sibi suggerentem, ac persuadentem, proprio vitio & à se ipsâ id nasci, quod patiebatur, non aliâ de caussâ, quàm vt ad desperationem illam compelleret. Victrix autem post hoc remansit, cùm haud dubiè cerneret hostili fraude factum fuisse, vt in suo corde appetitus ille blasphemiæ concitaretur.

vincit spiritum blasphemiæ.

Qualiter mens eius obscurata,

28 Quare dilectissimæ Sorores, si qua vestrûm fortè fuerit, quæ ad tale certamen vmquàm prouocetur, prudentiam non deserat, neque mœrore afficiatur tamquàm id suo vitio accidat; sed diabolicam intelligat esse inuidiam, quæ pati non potest adorari Deum atque laudari; atq; in contemptum & derisum
D Luciferi eiusque tenebrosæ multitudinis celebrari ac meritis præconijs extolli. Sed cùm vellet euidentiùs ostendere, quid sibi post insidias eiusmodi accidisset, aiebat, sibi tunc visam bonæ voluntatis partem ad opera laudabilia sopitam esse, ac minimam quamque festucam, quæ sibi obijceretur, magnam quamdam trabem videri sibi consueuisse; adeoque expertẽ gustus diuinæ culturæ fuisse, vt carere mente ac non esse sui compos, sibi videretur: multosque annos præterisse, priusquàm pristinum orationis gustum recuperaret. Quandọ prætereà cælestes sibi visiones contingebant, adeò se inanis gloriæ stimulis agitatam fuisse, vt ab insidioso hoste ad propalandas illas extimularetur; futurum ostendente, vt sic ab hominibus proba iudicaretur, & hanc fuisse caussam, vt illas occultaret. Illud præterea considerandum, quantâ hostis ipse calliditate illam de obedientiâ docebat, postmodùm autem rem contrariam suadebat, ac illi videri faciebat, tales quidem cogitationes non aliundè, sed à se ipsâ oriri. Nec aliâ de caussâ id moliebatur, quàm vt illam in profundam tristitiam demergeret. Quàm quidem adeò sibi grauem fuisse aiebat, vt demùm liberata eiusmodi molestiâ diceret, si horum sibi duorum data optio fuisset, vellet ne in illam recidere tristitiam, an potiùs capitis supplicium pati; se capitis pœnam fuisse multò libentiùs subituram, ac futurum vt tale supplicium, tristitiæ illi pestiferæ comparatum, res sibi quædam voluptatis videretur. E

& quanta hac molestia fuerit.

CAP. IV. contra Eucharistiæ veritatem,

29 Illud quoque, teste Deo, verissimum addam, quod antedictę Christi famulæ accidit. Longo temporis spatio tenuit illam de consecratâ Eucharistiâ vehemens tentatio, & infidelitas quædam: cumque eâ de caussâ malè torqueretur, neque per confessionem aliumue modum aliquod remedium inueniret, cum ingenti cruciatu animi & amarissimo fletu penè assiduè Deum vocabat: & quando adueniebat dies, quo sacrosancto Christi Corpore vescendum erat, multò acrior insurgebat ea tentatio, sicque illa cælesti conuiuio intererat, vt nullum cultus & venerationis in eo gustum sentiret. Quod cùm die quadam magis quàm vmquàm anteà pateretur, creuit adeò tentatio & pugna illa, quam dixi, vt quasi ebria nimio dolore penè defecerit atque consenserit. Nam cùm inter alias Virgines sacras flexis in ecclesiâ genibus esset, quemadmodùm post sacram Eucharistiam mos est, tanto vexari cruciatu animi cœpit, vt modò assurgeret, modò genua reflecteret; nec tamen sentiret aut aduerteret magnitudine doloris, quid ageret, nec vllam quietem inueniret. Sed altissimi Dei benignitas, sicut pugnam permittit ac pœnam, ita victoriam parat ac refrigerium: nam cùm posteà summo quodam manè eadem Virgo esset in ecclesiâ monasterij huius, & orationi esset intenta; Deus illam consolatus est, non voce quidem, sed spiritu; & eam alloquens apertè illi monstrauit, in Hostiâ, quam Sacerdos consecrat, totam Christi humanitatem esse ac diuinitatem; & quomodò fieri posset, vt sub exiguo pane illo totus esset Deus ac totus homo. F

oblatam tentationẽ vincit,

& in fidei mysterijs plenè illuminatur,

30 Denique totam illi cognitionem fidei, quod ad sacram pertinet Eucharistiam, exhibuit, omnemq; deinceps ab eâ veterem de eâ re pugnam, ac omnem, quam habuisset anteà vel habere imposterum posset, dubitationem depulit, ac pulcherrimis & naturalibus exemplis plana illi omnia fecit. Prætereà ostendit, non tamen Corporis Christi gratiam & effectum perdere, si quis ad illud etiam sine gustu veri cultus ac venerationis accedat; modò recta illi non desit conscientia: quamuis spiritus de fide aut aliâ dubitatione tentetur, modò consensus non accedat: maiusque illius animæ cum tali certamine, si tempestatem spiritus patienter ferat, esse meritum, quàm illius, quæ cum dulcedine ac suauitate multâ, sacrâ vescitur Eucharistiâ. Declaratum illi quoque fuit, quomodò fieri potuisset,

A tuisset, vt Dei filius Christus Iesus per sancti Spiritus virtutem de Virgine carnem sumeret & nasceretur, nullam accipiente illius Virginitate corruptionem. Fuit etiam illi præstita altissimæ Trinitatis cognitio, rerumque aliarum memorabilium, quas ob memoriæ imbecillitatem silentio prætereo. Quare antedicta Christi ancilla sic recreata est, ac tentationis illius molestiâ liberata, vt numquàm passa illam videretur. Præterea vbi se primùm ad cælestis conuiuium panis contulit, inenarrabilem quemdam saporem ac suauitatem purissimæ carnis immaculati Agni Christi Iesu sensit: quem quidem gustum ac suauitatem explicare verbis, aut etiam mente concipere, humanæ facultatis non est. At

Ps. 83, 3 verè poterat illa dicere: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Post quæ ita illius mens

magnosque ex communione fructus refert. quieuit, sic in fide confirmata est, vt nullis omnium simul hominum contrarium persuadere conantium verbis de sententiâ moueri potuisset. Quare tantus ille mœror, quem passa fuerat, ita in gaudium conuersus est, vt, quòd ita vexata fuisset, lætaretur; nolletque id sibi non accidisse, cùm cerneret quantam sibi ea res vtilitatem ac lætitiam attulisset. Hac de caussâ magnus præco Paulus Apostolus clamat; Si fuerimus socij pas-

B

2 Cor. 1, 7 sionum, erimus & consolationis. Adde, quod permansit in eâ tam ardens, tamque numquàm deficiens crebrò vescendi cælesti cibo desiderium, vt magno dolore afficeretur, quòd non quoties voluisset, facere id posset; adeò quidem, vt, cum die quadam, eâ de caussâ in tantum ac tam suauem prorupisset fletum, vt duo ex illius oculis lacrymarum riuuli effluere viderentur, senserit suam animam inenarrabili quodam modo optato pasci cibo, ad laudem Christi Iesu adhortationemque plantarum nouellarum, quæ nondum in cognitione altissimi huius mysterij confirmatæ sunt.

a *Colitur vt Beatus Missâ & Officio ab Ordine Minorum die* XXIII *Octob.*

nullitas b *Non ferens verbi parum Latini insolentiam Flaminius, nec tamen aliter exprimere valens vim vocis Italicæ* nullità, *bis in suâ interpretis personâ addit* (vt illius verbo vtar) *&* nihilitatem *vertit: pro quâ, omissâ parenthesi, maluimus* nullitatis *vocem reponere in suum locum.*

CAPVT IV.

Varias in spiritu vicissitudines passa B. Catharina, librum de ijs scribi à se cœptum flammis abolet, & instruendarum nouitiarum munere fungitur.

31 EArumdem Nouitiarum instructioni seruit quod ipsa passam se alio in loco eiusdem sui libelli fatetur, vbi animam Christi sponsam extimulat, vt amore Sponsi omnibus se corporis & animi cruciatibus subijciat, sic tamen, inquit, vt nihil horum sine con-

Obedientia commendatio. silio & consensu Præfectæ suæ vel Magistræ faciat. Namque obedientiæ virtus ceteras anteit ac superat, & ipsa est quæ ad cælum perducit, ac vbique tuta est; modò Religiosa, quæ subdita est, suas illi tentationes aperiat, cuius curæ atque regimini subest. Neque enim occulto certamini auxilium afferri aut remedium potest; & quantò res ipsa melior ac tutior videbitur esse, tantò magis manifestam faciat, ne fortè sub specie boni decipiatur, sicut illa, cuius suprà mentionem fecimus, cui sub formâ Christi ac Mariæ Virginis diabolus struxit insidias. Nam ei quidem rei alius quoque interuenit dolus, quem silentio præterire nolo, vt alieno malo cautas & prudentes alias reddam, quæ & ipsæ per

CAP. VIII viam orationis & mentis gustus gradiuntur. Quadam

Arrogantiæ spiritu tentata Catharina enim nocte, cùm illa matutinali Officio interesset, quamdam sensit subitam in mente sibi lætitiam excitari, cumque à bono illam spiritu immissam crederet, ab antedicto destitit Officio; attamen neque de choro, ne- D

que de suo abijt loco, ne quod eiusce rei præberet in- *AVCTORE IAC. GRASSETTO.*

dicium: cumque rem ipsa secum diligenter volueret, cogitare cœpit, quàm nobilem Deus virum & fæminam fecisset, liberum illis dando arbitrium, vt benè facere ac malè possent; & quo modò benefacientem, quasi per iustitiam, coronare cogeretur; quodque hac de caussâ diceret Apostolus, Sibi esse repositam iusti- 2 Tim. 4. 8

tiæ coronam, quòd in bonis operibus liberum exercuisset arbitrium, malum dimittendo, quod exercere

potuisset. Cumque aliquamdiu in tali cogitatione fuisset occupata, in eâ permansit opinione, vt crederet, diuinâ id sibi gratiâ contigisse. *ex liberi arbitrij merito,*

32 Nocte, quæ secuta est, cùm similiter nocturno interesset Officio, tædium quoddam illius mentem sic inuasit, & quædam corporis lassitudo adeò vehemens, vt illi penè intolerabilis videretur. Accessit his cogitatio quædam de laboribus suis, tum diuinorum Officiorum tum corporis macerationum, quos ferebat; ac deberi sibi, ita poscente iustitiâ, sublimiorem locum quàm adeptus esset Christus, qui peccare non valuerat, nec vlla vitiorum irritamenta in se admittere: quibus ipsa esset exposita, quod liberam haberet delinquendi facultatem, & peccato subiecta esset; cùm E

tamen viam deuitasset vitiorum, & virtutum tenuisset. Quibus ab eâ maturè consideratis, intellexit diaboli

esse insidias, & ad humilitatis arma confugiens, ac totâ mentis cogitatione sub tartaream se abyssum depriмens, & prudenter considerans, quomodò donum bonæ voluntatis à Deo accepisset, cognouit illam proximæ noctis excitatam in mente suâ lætitiam non cælestem, sed diabolicam fuisse: quod illi dæmon persuadere voluisset, quòd proprio instinctu ac per se ipsam benè egisset, quòd multò quidem aliter se habet: nam licet nobis libera sit vel benè vel malè agendi facultas, attamen iustitia poscit, vt faciamus benè; sed illud efficere sine diuinâ ope non valemus: nam Veritas ipsa *cognoscit dæmonis esse suggestionem:*

in Euangelio dixit; Sine me nihil potestis facere. Quantò autem maiorem quis adeptus est perfectionem, tantò magis illi metuendum est. Hoc te antedicta Christi ancilla moneat, cui diabolus sub formâ Crucifixi apparuit; nam ante prædictam fraudem, verè possum dicere nec me vllus error decipit, tantam illi à Deo gratiam & virtutum excellentiam fuisse collatam & certaminum victoriam, vt si recensere talia velim, nimis longa sit futura narratio. Io. 15, 5.

33 Attamen de multis hoc dicam ad Christi laudem, vtque vos cautiores efficiamini, Sorores carissimæ, vtque discatis in magno semper timore esse post multa dona cælestia, nec vobis persuadeatis aliquid scire aut posse, quod bonum sit, nisi quantùm vobis lucem ac intelligentiam suggerit Deus, vt pernoscatis dæmonum insidias, vimque, vt resistere valeatis; ad memoriam redigentes seruam Christi, quam dixi, per aliquod tempus, Deo permittente, potestati dæmonum obiectam fuisse, eâ solùm de caussa, quia fallebatur ac sibi persuadebat ipsa, se posse diabolicæ calliditati ac potentiæ reluctari atque resistere. Priùs tamen quàm hoc accideret, per gradus perfectionis pertransierat, & cognitionem prædictorum graduum erat adepta, & F *& quàm sit periculosa declarat.*

post omnes illos monstratum ei fuerat, animam suam ad pristinam redisse innocentiam. Fuit illi prætereà longum & maximum cum somno certamen; adeò quidem, vt non solùm non posset noctu, sed nec interdiu à se illum arcere; cui quidem vt resisteret, penè semper stabat extensis in crucem brachijs & genibus flexis, siue oraret siue diuinis interesset Officijs, sacrificioque Altaris, quam Missam dicimus. Cui cùm die quodam interesset, sic extensis ob eam, quam dixi, caussam brachijs; & cogitaret, se quantùm sua fragilitas sineret reluctari, nec vllum tamen sentire in tanto certamine remedium, penè ad desperationem compulsa est, & proculdubio defecisset, nisi diuinâ ope fuisset adiuta. *à somnolentia molestiâ*

 34 Quare

A 34 Quare priusquàm Sacerdos, qui rem diuinam faciebat, sacrosanctum Christi Corpus de more attolleret, & SANCTVS SANCTVS dicere cœpisset, eodem ipso temporis momento audiuit angelicam militiam, idem verbum cantu mirifico repetentem; cuius cantus tanta fuit suauitas, vt de corpore audientis anima cœperit egredi. Sed permissum illi non fuit totum audire verbum illud, SANCTVS, quod ab Angelis canebatur; nam proculdubio anima de corpore foret egressa. Post id autem adeò quidem somni victrix esse cœpit, vt per longum temporis spatium nihil inde molestiæ passa fuerit, vt posset quantùm vellet absque vllâ contentione vigilare. O carissimæ Sorores, nihil vos tædeat laboris somni, neque cuiusque rei alius asperæ atque difficilis, vt mereamini æternam quietem assequi. Tantæ verò suauitatis angelicus ille cantus extitit, quantam nedum verbis quispiam consequi, sed ne imaginari quidem posset. Et quamuis breuissimus ille fuerit, nec ictu oculi longior: adeò tamen suauis fuit, vt auribus statim acceptus omnium prorsus rerum creatarum, sui etiam ipsius penitus obliuisci faceret: & (vt dixi) anima de illius corpore iam egredi cœperat, & quamuis pedibus consisteret, & brachia (sicut ostendi) in crucem teneret extenta; eo tamen momento nihil mutata est, aut aliquem strepitum edidit, imò tam B leuiter tamque modestè se submisit, vt plumâ leuior videretur, nec vllâ de circumstantibus quidquam sentiret. Et hæc ipsiusmet verbis hactenùs ex ipsius libello descripta.

AVCTORE IAC. GRASSETTO. *per Angelorum cantum sub Missâ liberatur.*

CAP. X *visitatur à B. Virgine.*

35 Fuit prætereà, cùm inter Sorores assidens Catharina deducendo in filum fuso manum, mentem diuinis rebus meditandis haberet occupatam; cùm subitò assurgere visa est, & profundam exhibere reuerentiam, tamquàm alicui magnæ dignitatis personæ ad se venienti. Aduertit ea nouitas omnium animos, &, quod erat, suspicatæ de illâ, cuius familiaritatem cum Deo Sanctisque eximiam esse multis ex argumentis erant persuasæ, non priùs quieuêre quàm imperio Abbatissæ adigeretur veritatem fateri, candidè & ingenuè agnoscens Deiparam Virginem ad se venisse. Interrogantibus, ecquid locuta esset: negauit id sibi imperatum edicere: itaque silentium imposuit omnibus ad obedientiæ & modestiæ leges probè institutis, vel hoc ipso confessionis apertæ silentijque verecundi exemplo.

libellum de hisce rebus à se scribi cœptum CAP. XIII

36 Has aliasque interioris fortunæ vicissitudines experta cùm esset, rem multis vtilem facturam se credidit, libellum conscribendo: in quem præcipua capita immissarum sibi à dæmone tentationum, & concesC sorũ diuinitùs fauorũ referret: vt his edoctæ aliæ post ipsam futuræ, intelligerent militiæ spiritualis pericula, rationesque bellandi aduersùs vaferrimum inimicum. Erat, vt diximus, in hisce principijs paupertatis religiosæ rigor nouo in monasterio summus, neque modò nihil proprium possidebat vlla, sed nec cellulas, quas solæ secernebant storeæ, clausas poterant habere Virgines, quin cuicumq; ingredi volenti paterent, nec in ijs cistulam aut scrinium obseratum; modum tamen excogitauit illius industria, quo posset non tantùm clam omnibus scribere, sed & habere; abdendo eum sub corio operiente sellam lectulo suo adiunctam, quod identidem inducto filo consuebat dissuebatque, vanæ gloriæ tam inimica quàm amatrix humilitatis: eoque id faciebat studiosiùs, quòd secreta in eo sua multò distinctiùs clariùsque exprimebat, quàm posteà eam fecisse cognouimus. Verùm processu temporis animaduertens dissutum alienâ manu coriaceum tegumen, & libellum suum lectum suspicata, continuò eum ad furnum detulit, tum fortè panibus coquendis accensum; neque priùs recessit quàm totum flammis consumptum vidisset.

flammis tradit.

Pistrinum patienter curat;

37 Hanc ei abolendi hoc modo libelli commoditatem dabat pistrini cura, ipsi à Superiore imposita; quod vilissimum ministerium sui contemptrix egregia D alacri impleuit animo: & quidem longiori tempore, quamuis ingentem perferebat cruciatum ex immodico calore furni; vnde testata deinde est nolle se vllâ ratione, vt alia aliqua è Sororibus aut filiabus suis tali ministerio grauaretur: visam enim sibi cutem ac faciem aduri, exiccari cerebrum, visum hebetari. Quare religioni sibi ducens periculum incurrendæ cæcitatis reticere, Abbatissam conuenit, & quid pateretur quidque timeret exposuit: illâ autem iubente vt nihilominus patienter suum exequeretur officium, Deoque valetudinem eius curaturo se committeret; Feci, inquit, quod mihi conscientia dictabat esse faciendum, prompta de cetero mori etiam, si obedientia iusserit. Equidem malo ipsa hanc perpeti molestiam, quàm alias eâ grauatas videre; vtpote ceteris vilior abiectiorque & indigna quæ vitam degam inter carissimas Domini mei sponsas: sed & gaudium mihi non leue est, pati aliquid pro Dei amore; siquidem bonum quod ab eo expecto tam magnum & præclarum est, vt pro eo obtinendo crux & afflictio omnis voluptas censeri debeat.

38 Placuit Deo tantam humilitatem honestare miraculo: accidit enim aliquando vt immissis in clibanum panibus, deuotus Frater Albertus *a*, concionandi gratiâ adueniret: quare, audito signo vocantis ad ecclesiam campanæ, ipsa à furno recedens, signo Crucis expresso, dixit ad panes: Commendo vos Deo. Rediens autem à concione, quæ fuerat per horas quinque protracta, pulchros & rubicundos extraxit, quos omnino opportuerat fuisse combustos: de quibus cõplures, etiam seculares, certatim aliquid petierunt, moti miraculi per vrbem vulgati reuerentiâ. Superest etiamnum Ferrariæ pars illa veteris monasterij in quâ pistrinum ac furnus erat illo prodigio nobilitatus, & à priori ministerio vacans, magnâ in veneratione habetur à monachis, quæ eo loco quotannis cælestem quemdam percipiunt odorem, inde se per totum monasterium diffundentem: idque decem circiter ante huius Beatæ festum diebus, & aliquot subsequentibus. Igitur Religiosæ cum hymnis & canticis processionaliter adire consueuerunt loca illa, sanctis tam bonæ Matris sanctæque Sororis actionibus consecrata, in ijsque Deo agere gratias, quotannis eas sensibili hoc modo visitantis propter famulæ suæ beatæ merita. Præfata autem suaueolentia ipso quo ad meliorem vitam transijt die, percipi illic cœpit, annoque mox sequenti inducta consuetudo est processionem eodem instituendi, quæ ad hunc diem obseruatur.

in quo eius virtus miraculo cõmendatur. *a*

E

F

CAP. XIV *facta magistra Nouitiarum*

39 Hoc pietatis exercitium credibile est singulari affectu obire solitas eas fuisse, quas ipsa Nouitiarum Magistra instituerat: officio illo multos functa per annos; obedientiæ scilicet studio superante difficultates, quas obijciebat humilitatis affectus, quo se ei muneri minùs idoneam indicabat: cui tamen quàm abundè fecerit satis, egregius discipularum profectus ostendit: quibus ipsa ad omnem vitæ religiosæ perfectionem exemplo potiùs præibat quàm verbo; nullum ab vllâ admittens obsequium, sed famularem omnibus operam commodans, ab eisque volens de quocumque etiam minimo defectu admoneri; quibus ipsa rependebat specialium orationum munuscula pro ijs fundendarum, quæ sibi istud caritatis obsequium exhibuissent. Erant etiam solidissima principia ea, quibus illas informabat ad virtutem; cuius frequenter monebat primum maximeque necessarium fundamentum esse, certam deliberatamque voluntatem, solam Dei maiorem gloriam obsequiumque quærendi semper & vbique. Eumque in finem & vsurpabat ipsa frequenter; & alijs vt vsurparent auctor erat, illam Ecclesiæ orationem: Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper & deuotam gerere voluntatem, & maiestati tuæ sincero corde seruire *b*.

solidis eas documentis instruit:

b

40 Solita insuper erat dicere, duas esse securissimas

A mas scalas, per quas bonæ monachæ ad Paradisi gloriam certò ascenderent: quarum vna virtutum scala ab eâ nominabatur, decem, vt dicebat ipsa, gradibus constans: & primum quidem docebat esse clausuram, id est, omnimodam à rebus mundanis & secularibus, ipsisque etiam parentibus sequestrationem cordis; sponsis Christi futuris ideò perquàm necessariam, quia difficilè, imò impossibile est, vt anima ad rerum mundanarum amorem effusa, verum Dei amorem (vtpote purissimum & ab omni terrenæ fæcis admixtione alienum) consequatur. Secundus ei gradus Audientia dicebatur: promptitudo scilicet & desiderium ingens diuinæ vocis audiendæ, non tantùm exteriùs in ore concionatorum aut spiritualibus colloquijs resonantis; sed eius potissimùm, quæ per internas inspirationes percipitur tempore sacrificij Missæ, Officij diuini, & orationis, aut etiam cuiuscumque alterius exercitij ab obedientiâ impositi, iuxta statuta Ordinis & consuetudines vnicuique conuentui poprias. Proximum ab hoc gradum nominabat Verecundiam: omni quidem hominum generi ac statui necessariam virtutem, sed Virginibus maximè, tamquàm præcipuum vitæ continentis ornamentum & præsidium ad eius B tuitionem certissimum. Post hanc locabat Taciturnitatem, sine quâ vanam esse religionem Iacobus Apostolus docuit.

proponit eis scalam virtutum,

41 Quinto in loco Gratiositatem reponebat: id est, amabilem atque vrbanam agendi rationem cum omnibus, quantumcumque aliàs despectis & indignis: quæ Christi famulam Deo ac sponso suo simillimam reddit, adeoque oculis illius gratissimam, qui bonorum omnium fons & origo est, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Hinc ascendebat ad Diligentiam, quam volebat esse indiuiduam sociam omnium actionum nostrarum, siue ad Dei obsequium eæ dirigerentur immediatè, siue essent à superioribus imperatæ. Ab hac porrò pergebat ad Puritatem mentis, eratque hic gradus septimus, docebatque de omnibus benè sentire, & quamcumque proximorum actionem semper in meliorem partem accipere, prohibens sinistram omnem circa res alienas suspicionem. Octauus gradus Obedientia erat non tantùm erga Superiores, sed etiam erga aliam quamcumque personam: vt enim periculosissimum earum esse dicebat statum, quę proprium sequi iudicium consuessent; ita extra errandi discrimen esse eas, quæ alienę se voluntati iudicioque & potissimùm sapietiorum facilè libenterque subijcerent. Nono loco consistere suadebat Humilita-C tem, tantò formidabiliorem dæmonibus, quantò Christianum hominem, & maximè Religiosum, similiorem Christo efficit ad mortem vsque crucis humiliato. Post quam gradus decimus superesset Dei proximique Dilectio, tamquàm culmen & summa perfectionis.

per 10 gradus ascendendam:

42 Alteram scalam, quâ volebat religiosas animas ad cælestis patriæ consecutionem adniti, Humilitatis scalam nuncupabat: cui ex S. Benedicti doctrinâ duodecim gradus faciebat hoc ordine, vt primus esset, veram humiliationem præseferre non tantùm in animâ, sed & in ipsâ corporis compositione exteriori. Secundus, loqui modicè atque discretè, idque non clamosâ sed submisâ voce. Tertius, non esse facilem ad risum; quod si quandoque ridendum sit, etiam tunc modestiæ & moderationis meminisse. Quartus, silentium tenere, donec interrogeris. Quintus, exactè omnia secundùm Regulæ præscriptum facere, neque ab eâ normâ vel minimùm declinare. Sextus, credere & fateri omnium se, quotquot in mundo sunt, hominum esse vilissimum. Septimus, inutilem se atque ineptum ad omnia confiteri atque agnoscere. Octauus Confessionem Sacramentalem frequentare, in eâque minimos quosque defectus plangere & detestari. Nonus, Obedientię mandata amplecti alacriter, quantumcumque aspera & difficilia, eaque exequi citra murmurationem externam internámue. Decimus, Maiorum D obedientiæ semper se subijcere. Vndecimus, delectari etiam si propriam numquàm facias voluntatem. Duodecimus, Deum cum filiali amore timere, semper recordando quid fecerit pro nobis, & quid exigat à nobis; in eoque timore atque amore ad finem vsque vitæ perseuerando.

& scalam humilitatis 12 graduũ.

AVCTORE IAC. GRAS-SET. DO.

43 Harum duarum scalarum gradus declarabat Beata rationibus aptis, & Scripturarum atque Sanctorum Patrum sententijs idoneis, nec non efficacibus ad persuasionem exemplis; vt erat in hoc studiorum genere tum plurimâ lectione, tum propriæ exercitationis experientiâ versatissima. Hodieque plurimæ illius exhortationes sacræ supersũt apud sãctimoniales, quas breuitatis studio prætermittendas à nobis, ex ore eius descripsêre discipulæ, suo in virtutibus profectu singulari declarantes, qualem ad eas haberent magistram. Quæ vt animos illis adderet ad perseuerantiam, inter primos illos institutæ ab ijs vitæ rigores, vnde graues in corpore infirmitates, in animo tædia non leuia gignebantur, non rarò vtilissimis easdem documentis instruebat: sed & ipso quandoque opere ostendebat, collatam sibi diuinitus potestatem ad eiusmodi perturbationes sedandas. Id experta est quædam eius disci- E pula, Soror Cæcilia nominata, quæ vehementissimâ quadam tentatione exagitata cùm ad magistram confugisset, ab eadem placidè sibi benedicente dimissa est, securaq; reddita non ampliùs eâ se tentatione vexandam. Abijt Nouitia, seque liberam è vestigio mirata, redijt ad magistram supplicabunda, vt tam efficacis benedictionis formulam scripto mereretur accipere; accepitque in hæc verba conceptam: Iesus, Maria: Franciscus, Clara: Dominus Deus misereatur tui & benedicat tibi: illuminet te & conuertat vultum suum super te, & det tibi Cæciliæ pacem. Amen.

Exhortationum eius efficacia,

CAP. XV

& ad componendos animos mira vis

a *Videtur is esse, quem à Sartiano natali suo in Hetruriâ oppido cognominat Arturus in martyrologio Franciscano ad XV Augusti, Apostolici zeli non tantùm in Europa, sed & in Asiâ concionator: Minister Ordinis Generalis futurus ex Pontificis voluntate, nisi recusasset; qui, vt Arturus ait, tandem virtute, doctrinâ, miraculis clarissimus obiit Mediolani, in conuentu S. Angeli honorificè conditus anno 1450. Videtur autem hac res contigisse anno 1442 quando ipse Prouincia S. Antonij, id est, Bononiensis minister fuit Prouincialis: nam post annum 1443 & Capitulum Romæ celebratum, tam multis Apostolicis Legationibus fuit occupatus, vt fortè in suam prouinciam intra annos aliquot non redierit.*

Fr. Albertus de Sartiano

b *Vsurpat hanc orationem Ecclesia ad Missam Dominicâ infrà Octauam Ascensionis.*

CAPVT V.

Fauores B. Catharinæ diuinitus facti.

44 DVm huic Nouitiarum erudiendarum muneri Beata intendit, multis à Deo gratijs præuenta est, quarum paucas admodùm ad nostram notitiam passa est eius modestia peruenire. Nos duas hoc loco admodùm illustres commemorabimus. Primam ipsamet retulit de tertiâ, vt facere solebat, personâ in hunc ferè modum: Quædam huius nostri monasterij Religiosa, Dei famula, magno cum affectu desiderans cognoscere internos omnes externósque cruciatus Domini nostri Iesu Christi, eósque potissimùm quos Feriâ sextâ, quam Sanctam dicimus, perpessus est; instanter eam notitiam flagitabat ab eo, præcipuè autem diebus Veneris. Maioris igitur hebdomadæ tempore, cùm nocte eamdem feriam sextam præcedente, suâ in cellâ ante Crucifixi effigiem genuflexa precatur, eiusmodi desiderium vehementiùs etiam augeri sentiens, ac vota multiplicans gratioso dilectissimi animarũ sponsi alloquio, ex eâ cui confixus erat Cruce; mirabiliter est dignata, ei in hunc modum loquentis familiariter: Anima mihi dilecta, gratissimus mihi est eiusmodi affectus, acceptissima deuotio, quâ Passionis

CAP. XVI

Cruciatus passionis Christi discere cupiens,

A nis meæ identidem memoriam recolis; auctor etiam facta alijs eiusdem attentâ meditatione reuoluendæ: quapropter tuo nunc volo facere desiderio satis.

AVCTORE IAC. GRASSETTO. dicit pœnas ab initio vitæ continuos fuisse;

45 Noueris igitur quod à primo illo momento temporis, quo Virgineo in vtero carnem humanam indui, innumeri dolores animum obsederunt meum, clarè ipsi mihi repræsentantis externos omnes internósque cruciatus, quos triginta trium annorum decursu toleraturus eram, atque in Passione illâ meâ, crudelissimâ acerbissimâque morte vix demum terminaturus. Et quoniam simul etiam cognoscebam, quantæ hinc angustiæ creandæ essent carissimæ meæ atque innocentissimæ Matri, ingens hac ex parte cumulus ad dolorem accessit: sed longè maximus ex consideratione ingratitudinis humanæ, quâ præuidebam, nec agnoscendum nec acceptandum ab hominibus beneficium oblatæ pro eis redemptionis, cum gratiæ & gloriæ iacturâ irreparabili. Singulis autem sextis ferijs velut in agoniâ versabar, menti meæ obijciens omnes singulósque Passionis sustinendæ articulos: accedebátque ad incrementum doloris expressior consideratio matris, eo die incredibili animi cruciatu torquendæ, dum meis ipsa cruciatibus mente vel corpore interesset. Neque speciali doloris argumento feriæ quartæ B caruerunt, quo die valedicens amantissimæ Matri, diuellendus ab eâ eram, atque vilissimo paucorum denariorum pretio à proditore Iscariotâ vendendus Iudæis, æternam sibi damnationem empturis.

& die Veneris sancto inexplicabiles.

46 Hi mei per totum vitæ tempus fuêre cruciatus, à viuâ quâdam clarissimâque futurarum pœnarum repræsentatione, continui sempérque præsentes: quæ autem ipso Veneris sancto toleraui, neque cor humanum potest concipere, neque perpeti poterat caro mortalis, nisi præsentis coniunctæque diuinitatis auxilio fulta: sed quia impleri volebam omnia quæcumque vel à Prophetis prædicta fuerant, vel in figuris præsignata, necesse fuit vt diuina virtus suppleret humanæ imbecillitatem naturæ. Quare si mihi cupis rem gratam facere, delectare quotidianâ memoriâ Passionis meæ tecum ipsâ recolendæ: & alijs vt idem faciant commenda, quò possim illius fructus inestimabiles tecum atque cum omnibus communicare. His dictis conticuit, & dilectam sponsæ suæ animam ineffabili gaudio plenam reliquit.

in nocte natiuitatis

47 Æquè memorabilis ea gratia fuit, quâ anno eiusdem seculi trigesimo quinto in nocte Natalis Dominici recreata est, quam ipsa in libellum suum his C verbis retulit: Voluit illam (seipsam intelligit) denuò experiri Deus, & diuini flammam amoris ei subtraxit, & illius mentis oculos grato aspectu Iesu Christi priuauit, qui eam crebrò solebat visere atque solari: propter quod ad tantum redacta mœrorem est, vt ferè semper in luctu & lacrymis esset: cúmque hunc diu cruciatum pertulisset, petijt à suâ Præfectâ, vt sibi eâ nocte liceret in ecclesiâ monasterij huius pernoctare, idque impetrauit. Tēplum ingressa est eo consilio, vt millies AVE MARIA in honorē Christi Genitricis diceret. Cúmque ei rei magno studio & attentione ad horam noctis vsque quartam vacasset, quâ quidem horâ credo Saluatorem nostrum esse natum, præsto ei fuit venerabilis Dei Mater, paruulum in amplexu tenens Iesum, ita fascijs inuolutum, vt infantes recenter nati solent, & ad antedictam Christi ancillam accedens, eum benignè admodùm in eius amplexum tradidit. Quæ sciens illum esse verum æterni Patris Filium, incredibili cum gaudio amplexum ei tulit, strinxit ad pectus, illiusque ori suam admouit faciem.

oblatum à matre Iesum amplectitur,

eoq; mirè recreatur.

48 Ex quo quidem amplexu & tactu tanta illi delectatio generabatur, vt incredibili suauitate, quâ afficiebatur, tota liquefieri videretur, sicut ad ignem cera solet. Tantus autem, ac tam suauis ex pretiosissimâ & purissimâ Infantis Iesu carne odor exibat, vt ad illum explicandum verba non sufficiant, nec mens humana id capere valeat. Quanta vero esset Infantis pulcritudo, & cælestis oris decor ac venustas, ijs qui hæc legunt D vel audiunt, cogitandum relinquo. Me autem iuuat dicere, O sine sensu cor, & omnibus creatis rebus durius, cur nimiâ dulcedine non discissum, aut, sicut in sole nix, liquefactum es? cùm gustaretur à te, ac suauiter amplecteretur paternæ gloriæ splendor. Nam visio hæc non in somnis, non imaginaria, non per mentis excessum fuit; sed aperta veraque, ac sine phantasmate, aut aliquo velamine manifesta. Vbi tamen suum in Infantis faciem os demisit, omnis illa visio euanuit; sed tantum ei gaudium reliquit, vt longo temporis spatio cor & membra illius omnia exultare præ lętitiâ viderentur. Ita quidem tanta illa & tam diuturna cordis amaritudo atque tristitia, quòd aspectu Christi tamdiu caruisset, prorsùs abijt, nec diu aliquis illam mœror inuasit.

hinc relictus candor in genis & labris, aliàs fuscis;

49 Hunc porrò fauorem non tantùm in suum de septem armis spiritualibus libellum ipsa retulit, sed alijs quoque modis varijs Deus voluit manifestatum, ad solatium præsentium & ædificationem posterorum. Nam primùm labra eaque faciei pars, quæ sacras genas contingere meruerunt, insolitum ex eo contactu traxêre candorem, qui in eius incorrupto corpore ho- E die quoque spectabilis propiùs intuentibus, eoque est notabilis magis, quòd fusci, dum viueret, coloris esset, nunc autem demortuæ facies obscuram quamdam nigredinem traxerit. Prætereà afflatus illius corporis est suauissimus odor, quem & expirare quandoque inter loquendum videbatur; non sine multo Sanctimonialium, aliarumque cum eâ conuersantium personarum stupore. Euidentiorem autem prædictæ gratiæ notitiam consecutæ sodales sunt ex eo, quòd illâ visione ex oculis sublatâ, cùm horâ Officij matutinâ adesset, atque de loco, quem genibus flexa presserat, ad sedilia se de more transtulisset; obseruauerint ipsæ, paullatim ad psalmodiam accedentes, suauissimi cuiusdam odoris fragrantiam toto choro diffusam, quæ & sensum earum demulcebat mirificè, & animos cælesti quadam dulcedine recreabat.

& odor ex eius corpore deinde manans;

obseruatus à Sororibus;

50 Ignorabant illæ primùm, quam in caussam referrent quod sentiebant; donec paullatim inter eas innotuit, Catharinam Superiorum permissu peruigilem in oratione ibidem noctem duxisse: animaduersumque est prædictum odorem longè vehementiorem percipere eos, qui viciniora illi, quàm qui remotiora, sedilia occupabant: qui licet paullatim minor minorque fieret, ad alteram tamen vsque post festum Natiuitatis F diem locum istum impleuit. Finito porrò Matutinali Officio, ipsa quidem coram venerabili Sacramento in oratione perseuerauit: monachæ verò in Capitulo congregatæ, de re tam mirabili consultaturæ, tandem vnanimiter conclusêre, ipsam, de quâ iam pridem magnæ sanctitatis formauerant suis in animis opinionem, aliquo supra communem ordinem fauore diuinitus fuisse impertitam, magnoque cœperunt teneri desiderio rei veritatem discendi; quamuis id ab ipsâ vix sperabant obtineri posse, quæ de suis rebus numquàm, nisi coacta aut quasi de tertiâ personâ loquebatur; idque imminutè & parcè admodùm. Itaque decreuêre, tum quidem mouere nihil, sed aliquot dierum moram sustinere, si quid fortè intereà noui accideret, vnde in arcani illius venire possent cognitionem. Viderunt autem eam omnes sequenti die, dum Missa & Horæ Canonicæ decantantur in choro, facie supra modum lucenti, & flammeo quodam rubore accensâ, sic vt defixos in eam oculos nequirent continere: quod tantò accidebat mirum magis, quantò magis obscurus ei ac penè luridus color esset, propter continuas eius infirmitates, & diuturnum sanguinis fluxum, quo tunc quoque affligebatur. Odor porrò, qui ab eius corpore emanare videbatur, omnem terreni odoris comparationem excedebat, cúmque comitabatur & locum imbuebat

& splendor in vultu prodigiosus.

A imbuebat quocumque iret; idemque nunc vehementior, nunc remissior offerebat se eis, quæ cum eâ collocuturæ consistebant.

ipsa rem Confessario iubenti aperit :

51 Tandem cùm silentium per dies plusculos tenuissent, certæ iam non aliunde quàm ab eius corpore suaueolentiam istam procedere, & quæ eius caussa foret quocumq; modo volentes cognoscere, agunt cum monasterij Confessario, eique suadent, vt obedientiæ præcepto Catharinam adigat ad occultatam hactenùs gratiam manifestandam; & persuadent haud difficulter: nam & ipse eumdem odorem admirabundus hauserat, & testatus deinde est, eum sibi multò etiam vehementiorem afflatum eo momento temporis, quo ipsam hac de re interrogabat. Quæ iussis illius obtemperans, totum eius, quod acciderat sibi, ordinem enarrauit; humillimè obtestans, vt rem celatam perpetuò vellet, quod tamen obtinere non potuit: erupit enim inter monachas primùm, deinde etiam per ciuitatem Ferrariensem, ac denique per multas Italiæ ciuitates sparsa eiusmodi fama est; plurimæque post eius mortem imagines pictæ sunt, totam eam visionem coloribus adumbratam referentes.

& ad recolendam eius memoriam

52 Pro tanto autem talique beneficio obligatam sese agnoscens Beata ad perpetuam mysteriorum vitæ ac passionis Christi memoriam recolendam, consuetis B orationibus suis nouam eorumdem meditandorum formam decreuit adiungere, eumque in finem scriptionem deuotissimam concepit, quam Rosarium nuncupauit; propterea quòd ad normam Rosarij Mariani, à S. P. Dominico instituti, tres distincta in partes, omnia vitæ Christi atque Mariæ mysteria percurreret. Scripsit autem versu nequaquàm ad Poëticas leges exacto, sed longè liberiori & ad solutæ orationis formam propiùs accedente: in eoque tantùm ab ea diuerso, quòd singuli versus (quorum ad quinque millia sexcentos & decem excrescit numerus) syllabâ Is terminentur: stylo temporibus illis semibarbaris apud eos vsitato, qui Latinis versibus conscribendis animum applicabant. Inuenitur modò prędictum Rosarium, per omnes hebdomadis ferias distributum, apud monachas monasterij Corporis Christi Bononiæ, hoc programmate præfixo.

Iesus, Maria, Franciscus, Clara.

Rosarium conscribit :

ROsarium antiquum & deuotum Beatissimæ Matris Dei, Virginum Virginis Mariæ, humillimæ purissimæ ac dignissimæ; non minùs historicum quàm contemplatiuum: vt penitùs exclusa sint, & intelligantur, si quæ apocrypha aliquibus C fortasse viderentur. A me Catharinâ moniali ac seruâ vilissimâ, indignâ & inutili, hîc in Conuentu sanctissimi Corporis Christi Ferrariæ, ad Dei filij & Matris gloriam & honorem (ob singularissimam gratiam infrascriptam b, ibidem nostrâ in ecclesiâ genuflexè à me obtentam) inspiratæ conscriptum.

cuius hoc est principium.

53 Quod ego hoc loco totum transcriberem, nisi nimiâ prolixitate absterritus, iudicarem lectori facturum me satis, si principium eius dumtaxat proferrem, vnde de reliquo opere feratur iudicium.

HYMNVS

Summarium originis creaturæ intellectualis & ad prima quinque Rosarij mysteria Gaudiosa c.

OBone Iesu, nunc libenter te laudarem in terris,
Et meum post obitũ tunc te libentissimè in cælis;
Cùm infinitas laudes à nobis dignè promerearis.
Creasti etenim hunc orbem, hunc gubernas, conser- D
uasque hunc gratis;

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

Et quidem in necessitatibus quibuscumque nostris,
Tam animæ quàm corporis; nec vmquàm nos derelinquis.
Sed quod incomparabile est, tu etiam pro omnibus nobis,
Delesti originale peccatum primi parentis,
Passus mortem iniquam, infamem, diram tuæ crucifixionis.

54 At vnde mihi laudes, vt à me semper lauderis?
Vt me sine me plasmasti, sic sine me laudaris.
Ante me tu laudabaris, & post me laudaberis.
Fecisti nos; non ipsi nos: deficimus in cunctis.
Si laus tua fecit omnia, tua igitur laus est in nobis,
Ergo si te laudo, solùm de tuo, non de meo, accipis:
Dat enim nemo, quod non habet, ex regulâ iuris.
Quid sum ergo? dicant mihi omnes ingenij sublimis:
Currite vos, qui alta cacumina montium tangitis:
Volate vos, qui inter cælos, stellas motusque statis,
Philosophi, qui secreta & caussas naturæ inuestigatis;
Respondete mihi, quid in hoc tam diu differatis,
Vos, qui in mundo hoc estis altissimę cõtemplationis?
Audite igitur me, atq; his studete rationibus meis:
Sum namq; flos, fœnum, cinis, stercus, fœtor, vermis, E
Luteum vas portans, ac plenum aëris, fumi, & ambitionis;
Quin imò & nihil, id est, peccatis ex meis infinitis.
Et cùm nihil sim, & laus sit quid maximũ; impossibilis
Datur ratio, vt aliquid fiat ex nihilo à creaturis.
Multò autem à me minùs, quæ sum obscurior ignorantiorque alijs.

55 Pro me autem, ô Iesu, tu solus dignè teipsum laudabis,
Cùm mihi sufficiat ex gratiâ tuæ miserationis,
Pro tot meorũ veniâ peccatorum, & pro laudibus tuis,
In animâ meâ semper fideliterque obseruandis;
Vt sileat os meũ & tua stet laus in mei silentio cordis,
Æterneque adorem hîc & vbique auctorem te laudis:
Et sciam, quòd hic te laudat, qui teipsum tuamque laudem satis
Cognoscit, & credit; scitque etiam quòd non sit hominis,
Minùs autẽ mei, posse in præconijs dignè versari tuis.
Noscendo ergo, credendo, & adhærendo prænarratis;
Et quod laus mea & Deus meus æternè es tu, atque fuisti, & eris;
Summatim hasce laudes tuas ad tuę gloriam maiestatis,
Et ad honorem Beatæ Mariæ Matris tuæ Virginis,
Calamo hîc rectè nunc scribam cum puritate cordis, F
Et gratiosâ licentiâ tuâ, obtentâ ex gratiâ tuæ Matris.
Submissè tamen te oro, vt dumtaxat in vim orationis
Easmet acceptare, & si non pro laudibus, digneris,
Saltem pro tot varijs rosis piæ Matri tuæ oblatis:
Cupio enim in laudem suam & tuam infrænari, ne peream abyssis:
Imò vt laudando cantem, & cantando ambos laudem in cælis. &c.

CAP. XVII Certa fit de Sororis mortuæ beatitudine.

56 Prænarratis fauoribus iuuat nunc aliam subnectere, ad eadem tempora referendam. Benuenuta, B. Catharinæ mater, marito Ioanne Vigri viduata, non multos post annos transijt ad alias nuptias cum quodam ciue Ferrariensi: ex eoque coniugio gemina proles nata est; mascula altera, perditæ vitæ & corruptissimorum deinde morum adolescens; muliebris altera, quæ deinde in nouo Corporis Christi monasterio monacham Ferrariæ induit, atque ad eximiæ sanctitatis perfectionem ascendit, Soror Antonia nuncupata; & prima in eodem mortem oppetijt consummataque in breui, vt loquitur Scriptura, expleuit tempora multa, vniuersæ domui raræ virtutis & obseruantiæ religiosæ exempla post se relinquens, anno millesimo Sap 4, 13

A simo quadringentesimo trigesimo septimo, mense Aprilis, quinquennio post monasterij erectionem: pro cuius animâ dum preces deuotissimè fundit Catharina, certam eius in cælis beatitudinem Deo reuelante cognouit.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

a *Hanc veritatem solidissimè & deuotissimè libellis absque numero, omni linguâ, impressis vulgatisq; declarauit vir eximiæ inter nos probitatis R. P. Iudocus Andries, toti Europæ hoc nomine notissimus, quibus titulus* Crux perpetua Christi.

b *Quod ideò addit, inquit Grassettus, quia in fine Rosarij suprà memorata visio exposita inuenitur.*

c *De his nihil in hoc exordio, quod speciminis loco damus: noluimus tamen titulum, vt est primæ parti præfixus, mutilare.*

CAPVT VI.

Scribitur à B. Catharinâ libellus de septem armis spiritualibus: clausura in monasterium Ferrariense inducitur.

CAPVT XVIII.

57 ANno mox subsequenti, ex speciali mandato Christi, denuò exorsa est Beata conscribere suum de septem armis spiritualibus libellum, qui etiam B sub titulo Reuelationum vulgatus per Italiam post mortem illius, magnoque fructu lectus est ab vtriusq; Ordinis sexusque fidelibus, ad bellanda bella Domini auctoratis: ita ex eâ colligitur clausulâ, quæ ad eiusdẽ libelli calcem legitur in hæc verba: Catharina paupercula Bononiensis seu Bononiæ nata & educata, atque Ferrariæ Christo desponsata. Ego, à me ipsâ superiùs nominata Carella, ex inspiratione diuinâ scripsi propriâ manu hunc libellum in monasterio Corporis Christi Ferrariæ, in cellâ, quam incolebam, tegetibus coopertâ, tempore nostræ Reuerendissimæ Matris Abbatissę Sororis Thadææ, Germanæ Domini Marci de Pijs, circa annum Domini nostri Iesu Christi millesimum quadringentesimum trigesimum octauum, & in vitâ meâ nulli omnino personæ manifestaui. Ad laudem Christi Iesu. Amen.

Quando libellum suum scripserit Catharina?

58 Hæc illa Bononiæ, paullò ante mortem fortassis, eo quasi sigillo obsignans scriptionem, quam statim à morte suâ vulgandam sciebat. In ipso eius contextu, quibus & quâ intentione hæc scripserit, sic exponit, vt simul etiam internum suum scribentis statum ob oculos statuat, & doceat fidenter atque humiliter Deo se suaque permittere. Hæc autem, inquiens, omnia, Sorores carissimæ, sunt à me scripta, præcipuè C propter eas, quæ nuper ingressæ sunt spiritalis iter certaminis; quæque deinceps ingredientur, vt cautæ reddãtur, ac semper metuant & sibi ipsis, hoc est, propriæ prudentiæ minimè fidant. Cogito enim quot cælestia dona antedictæ suæ ancillæ contulisset, & tamen post illa permisisset, vt ab hoste antiquo acerrimè vexaretur ac deciperetur, qui (sicut iam dixi) sumptâ Christi formâ cruci affixi, ac Mariæ Virginis, insidiatus illi est, quod non aliâ quidem causâ factum est, quàm quòd illa sibi persuadebat, posse se dęmonis dolos, calliditatem ac tentationem superare. Ita enim Deus reprimere illam voluit ac docere, opus esse semper timere; ac solum esse Deum, qui posset intelligentiam & vires aduersùs hostes suos ministrare. Et profectò ita illi accidit: adeò enim fraude aduersarij depressa est, vt non ampliùs Dei amica vel serua, sed prorsus ab eo destituta videretur; nec tot cælestium donorum, quæ sibi antè collata fuerant, recordaretur; adeoque mentis inops facta, sic prorsus obliuioni ea tradiderat, vt numquàm illi collata viderentur, ob vim ac magnitudinem tristitiæ, quæ cor illius occupauerat. Nunc autem peragrato mari procelloso, ac terram promissionis ingressa, cùm Psalmista canit; Humiliata sum, & liberauit me. Nam post illam tempestatem, ad tantam animi tranquillitatem redacta est ac robur, vt & de omni certamine victoriam reportaret, & nullo ampliùs mœrore detineretur, ac nihil de salute suâ dubitaret, cupiens semper dissolui & esse cum Christo. Hoc autem ita futurum confidebat, vt in mortali adhuc corpore constituta, vnam se de supernis ciuibus esse arbitraretur. Neque hoc accidebat, quòd illa tam arrogans ac sibi nimium tribuens esset (cùm se minimam & vilissimã omnium, quæ in monasterio essent, crederet, atque consortio tot venerabilium Matrum ac Sororum indignissimam) sed quòd diuinâ benignitate sustineri se, ac sustentari laboribus alienis in tam claro monasterio cernebat.

Quibus?

Et quo fine?

Quomodo per tentationes humiliata sit?

Psal. 114, 6.

D

59 Ita affecta Catharina, ad omnia, quantumuis vilia, monasterij Officia demittebat sese: sic gallinas sibi commendatas summo curauit studio: sic pistrini labores alacriter sustinuit: sic etiam Ostiariæ munus magno humilitatis & caritatis exemplo impleuit. In hoc autem dum versatur assiduitate & solicitudine pari, accidit vt ad portam aliquoties eleẽmosynæ petendæ causâ sisteret sese venerabili grauitate senex, cui illam Beata hoc quoque nomine impertiebatur libentiùs, quòd intellexisset bonum illum virum ad omnia Palæstinæ loca, Incarnati Verbi mysterijs consecrata, peregrinabundum accessisse: amabat enim ab eo quęrere & discere varia pietati suæ alendæ opportuna, circa situm naturasque locorum. E Hic quâdam die eadẽ ex causâ ad portam accessit monasterij, acceptâque eleẽmosynâ tradidit ei scutellam paruulam, non ex terrâ pozzellanâ aut Maiolanâ, sed misturæ incognitæ ac transparentis; quam dicebat eam ipsam esse, ex quâ puerulo Iesu potum porrigere solita fuerat Virgo Mater sanctissima: rogabatque vt seruare penes se vellet, dum eam redux requireret. Impleuit ea oblatio miro gaudio Catharinam: peregrinus autem reuersus deinde numquàm est: neque de hoc facto ampliùs aliquid sciri posuit ex Catharinâ, nisi hoc solum, quòd virum illum minimè crediderit fuisse è mortalibus vnum: sed S. Iosephum Christi nutricium; per quem Deus hanc sibi gratiam voluerit facere: quo autem fundamento id crederet numquàm patefecit: diuinâ reuelatione edoctam fuisse probabilis foret coniectura. Exhinc certè castissimo Mariæ sponso deuotissima fuit: Bononiamque abitura, scutellam prædictam Abbatissæ tradidit, eâ conditione, vt die festo ipsius Sancti in altari ad populi fidelis solatium exponeretur: redderetur autem peregrino, qui dederat, si eam aliquando petiturus redisset. Seruatur igitur exponiturque hoc modo in Ferrariensis ecclesiæ monasterio: admoueturque infirmis istud cum fide postulantibus: qui si sanandi sint, odorem ex se suauissimum illa reddit: morituri creduntur, si absque odore permaneat. F

Ostiariæ officio fungens,

creditur à S. Iosepho visitata.

CAP. XX.

60 VNum adhuc, ad perfectam Regularis vitæ obseruantiam, in monasterio Corporis Christi Ferrariæ deesse videbatur, scilicet Clausura monacharum, tantoperè laudata & commendata; quæ ne ex earum voto induceretur, ciues hactenùs Ferrarienses obstiterant, causati spiritualia commoda ex sanctarum illarũ animarum liberiori alloquio toti ciuitati prouenientia. Vidéns igitur Beata, cedentibus ad eiusmodi rationum apparentias potiùs quam rationes maioribus, nihil apud homines effectum iri; ad Deum pro eâ impetrandâ se vertit, atq; ad sanctam suam Matrem Claram: & voti compos facta demum est, hac, quam subijcimus, ratione. Soror Thadæa, quæ monasterium nouum laudabiliter per annos fermè viginti rexerat, in fata concedens, vacuum Abbatissæ locum reliquerat. Igitur dum de aliâ ei subrogandâ consultat Soror Lucia, auctor ei fuit Catharina (noctu diuque animo versans, quo modo in meliùs nouellæ vineæ statum proueheret) vt hâc occasione vsa, peteret à Superioribus Ordinis ex vicino Conuentu aliquo, in quo disciplina Religiosa accuratiùs nosceretur obseruari, aliquot

Clausura hactenùs impedita à ciuibus,

mortuâ Abbatissâ,

A quot Sanctimoniales seniores, magisque peritas instituti illius, quod amplexæ quidem magnis animis fuerant omnes, nulla tamen erat plenè edocta: ex his autem Abbatissam posse deligi, & per easdem fortassis induci clausuram, hactenùs tantoperè desideratam.

61 Placuit Luciæ consilium prudens, & re cum Patribus communicatâ, obtentum à Pontifice Nicolao V Breue est, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, decimoquinto Aprilis, vi cuius ex Mantuano Conuentu, optimis vigente institutis, assumpta Abbatissa noua est, & Sanctimoniales aliquot Sociæ, futuræ Ferrariensium monacharum Magistræ: quæ ante omnia postularunt, vt arctissima stabiliretur clausura, ad quam obligarentur statim ab editâ Professione Religiosæ, nulli omnino secularium videndæ; relictâ tamen, cùm necessitas exigeret, colloquij facultate ad crates clausas vndique, cui alia, ex monialibus arbitra adesset: quod, ægrè quamuis, impetratum tandem à ciuibus est, meliori rationi cedentibus. Quâ ex re quantum voluptatis cœperit Catharina, facile est cogitatione complecti. Hæc autem eò perfectior fuit, quòd eadem viâ dissipatum videret consilium Patrum, de se ad Abbatissę dignitatē euehendâ. Etenim moriente Thadæâ nihildum de adducendis B aliunde ad reformationem Religiosis cogitabant illi; sed vnam ex Ferrariensium numero, vt alibi moris est, de communi aliarum consensu volentes præficere, in Catharinam coniecerant oculos: eodemq; Soror Lucia inclinabatur, experta iam pridem quàm solidæ virtutis spiritus in eâ vigeret.

inducitur per aliam Mantuâ petitam.

62 Ergo re deliberatâ conclusâque, ipsam ad se accersunt: quę totius ignara rei, cùm humiliter ad eorum se pedes abiecisset, vt intellexit quid de illâ communi consilio statuissent, incredibile dictu est, quantis cum lacrymis singultibusque animi consternati dolorem indicauerit, ex tam funesto nuntio prouenientem. Satis sit dixisse, Superiores ipsos ijs ab illâ mente fuisse dimotos, iudicantes non esse inquietandam illam animam, quæ tam seriò instanterque postularet, infimis quibusque ministerijs per omnem vitam addici potiùs, quàm isto onere prægrauari. Intererat actioni huic magni nominis & auctoritatis Prælatus, S. Iustinæ Abbas vulgò dictus, ac ferè Romanâ in Curiâ solitus commorari: qui conspecto tam profundæ ac raræ humilitatis exemplo, non solùm, vt ceteri præsentes, cōmotus ad lacrymas est; sed ex eo die tantam concepit deuotionem erga hanc, quam eximiam esse Dei famulam penitùs sibi persuasum habebat, vt (quemadmodùm ex eius pluribus litteris deinde constitit) quoties C in aliquâ corporis aut animi tribulationem incideret, ad eam etiamnum viuentem velut ad certissimum azylum recurreret; Deique auxilium inuocans, Catharinæ repræsentaret merita, quæ apud ipsum maxima esse credebat: neque vanam eam fiduciam esse euentus plerumque felix declarabat, ab omni mox molestiâ se liberum sentienti. Patres autem videntes suum sibi non successisse consilium, referunt ad id animum, quod primùm à Sorore Luciâ propositum sibi fuerat, & Indultum ante omnia Pontificium procurant circa Abbatissam aliunde inducendam.

cui muneri priùs destinata Catharina frustrà fuerat.

63 Eâdem occasione obtinuêre Patres declarationes nonnullas, circa ea puncta, quæ tenerioribus conscientijs aliquem adhuc scrupulum facere videbantur; effeceruntque vt Pontifex primùm extingueret qualemcumq; obligationem, quæ vel Sororibus omnibus, vel earum alicui posset superesse ad Regulam & habitum S. Augustini; quem is declarauit ab illis licitè sanctèque in habitum & Regulam S. Claræ commutatum esse: speciatim autem absoluit Luciam ab omni iuramenti cuiuscumque religione, quâ amitæ suę Sorori Bernardinæ obstricta videri posset; liberam ei faciens potestatem noui monasterij sui ad Regulam & formam Ordinis Franciscani regendi atque ordinandi; ratamque habens absolutionem Episcopi Fer- D rariensis hac in causâ olim pronuntiatam. Denique approbauit specialiter & confirmauit arctam monasterij clausuram, qualem Catharina & Sororum omnium pars longè maxima tam ardenter expetebant. Nec fuit in decretis hisce executioni mandandis difficultas vlla; quamuis hoc quoque Pontifex imperarit, vt omnes quocumque alio habitu Regulâque sepositâ, S. Claræ habitum Regulamque vnà cum prædictâ clausurâ acceptarent. Nam Soror Lucia, quæ nolebat eum, cui assueuerat, habitum dimittere, sponte suâ cœnobio egressa est: hoc vnum stipulata, vt eodem cum amitâ sepulcro conderetur: moriensque eidem cœnobio legauit quidquid sibi reliquum erat bonorum, vnde ampliari situs loci & numerus Religiosarū posset; quamuis illæ iam tum plures quàm nonaginta essent, prout ex illorum temporum indiculis constat.

Declarantur à Pontifice varia in fauorem monasterij.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

CAPVT VII.

Nouo Bononiensium monasterio Abbatissa mittitur B. Catharina cum aliquot sociabus.

64 PRocesśêre tam bellè nouæ reformationis exordia: vt, cùm vndique ad huius disciplinæ cœnobia, cupidine monasticæ perfectionis, accurrerent Virgines, nec eas capere omnes posset, aut Ferrariense recens, aut antiquiora Assisiense & Mantuanum monasteria; à Vicario Generali supplicatum a Calixto III Papæ fuerit, quò permitteret ex illis cœnobijs aliquas ætate atque virtute prouectiores educi, nouis per Italiam monasterijs instruendis: vi cuius indulti continuò Bononiensibus ac Cremonensibus ex Ferrariensi asceterio promissæ sunt Abbatissæ, Sedem in eorum ciuitatibus fixuræ, cum iusto numero sociarū, ad quas aliæ earumdem vrbium aggregarentur. Bononiensibus autem destinabatur Catharina, nec potuit res ita secreta haberi, quin ad eius notitiam perueniret: quæ certa non acquiescere nisi diuinæ id esse voluntatis euidenter cognosceret; conspicuum sibi Christum habuit, clarâ voce edicentem, ita Patrem suum æternum velle. Cumque illa nihilominùs opponeret, in votis semper sibi fuisse, vt vbi prima vocationis Religiosæ fundamenta iecerat, ibidem suā quoque peregrinationem concluderet; Nequaquam ita fiet, inquit Christus, sed Bononiæ constitutus tibi est vitæ tuæ terminus. Prout ipsa deinde vni, cui plusculum præ alijs fidebat, exposuit. Cui & narrauit obscuriorem reuelationem aliam, quâ sedem Catharinæ Bononiensi viderat præparatam; cùm illius nominis multæ, nulla hoc cognomine Ferrariæ esset, nec ipsa eo tum vteretur, prout posteà ex Superiorum mandato fecit. F

LIBRI II CAP. I

a Bononiensibus promissa Abbatissa,

eodem se diuinitus destinari intelligit.

65 Interim negotio Bononiensis fundationis plenè transacto, rursùm anno sequenti mittuntur Legati, nouam Coloniam deducturi, Baptista Mezauacchi Legum Doctor, Bartholomæus Calcini, & duo eorum socij, quorum alter ex Lambertinijs, alter è Leonorijs fuit, nomina autem in obliuionem venêre. Ij in comitatu trium Religiosorum S. Francisci de Obseruantiâ Ferrariam aduenêre vigesimâ die mensis Iulij; & Apostolicas litteras ac ciuitatis suæ preces exhibuêre Sorori Leonardæ, ex Illustrissima familiâ Ordelafiorum, Foroliuiensis vrbis dominium ac principatum tenentium: quæ eis Prophetico spiritu respondit, Velle se lætos eos successuque suæ legationis contentos dimittere, dando eis Abbatissam, quæ altera S. Clara futura esset; vera S. Francisci discipula; digna aliquando habita, quæ puerum Iesum vlnis suis complecteretur, prout fama rei totâ pridem Italiâ sparsæ vulgauerat:

CAP. II & an. 1456

capitulariter electa,

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

A vulgauerat: socias autem ei iungendas tali Matre dignas & quidem Bononienses plerasque. Quod autem legatis ipsa promisit, ratum in Capitulo habuêre Religiosæ omnes, quamuis tali exemplo solatioque priuari se ægrè paterentur, omniumque in Catharinam conuenêre suffragia, præter vnum ipsius: eamque frustra ad alterum prouocantem scrutinium, obedientiæ præcepto adegêre Superiores, & voluerunt ij, qui præsentes erant, Ordinis S. Francisci Religiosi, vt solùm Catharinæ Bononiensis nomen catalogo inscriberetur, eoque ipsa deinceps vteretur cognomine: in quod illa libentissimè consensit, facilè caritura qualicumque, qui ex gentilitio nomine Vigriorum ad se posset manare, splendore, quæ seipsam ex spiritu humilitatis Catellam aliàs nominarat.

CAP. III inter socias nouitiam vnam adscribit,

66. Dum porrò Catharina intendit formando earum quas secum sumptura erat sociarum catalogo; quædã iuuencula adhuc Nouitia, cupiebat vehementer eam sequi, vt salutaribus eius documentis porrò perfrui posset: verùm ab aliarum, vt fieri solet, alloquio prohibita, nec permissa extra Nouitiarum locum per monasterium vagari, modum nullum inueniebat, quo suum desiderium eidem manifestaret; nisi quod amor ingeniosus ad omnia ei suggessit, vt per cellulæ suæ fenestram, quæ fortassis Beatæ cellam respiciebat, B signis ac nutibus ageret cum ipsâ. Quæ voluntatem eius vel coniecturâ assequens vel diuinâ inspiratione cognoscens: Bono animo esto, Filia, inquit, teque ipsam præpara: nam & tu nobiscum venies. Quibus auditis, illa cum humili gestu, brachia ante pectus decussans, gratias silenter egit; & ex licentiâ Superiorũ nouæ coloniæ adscripta fuit. Sub hæc vltima vespera adfuit, quam Bononiæ habituræ erant Catharina ac sociæ: tunc omnibus Religiosis in vnum collectis, earum quæ remansuræ erant pedes exosculata Catharina est, inter mutuos fletus: postulatâque humiliter erratorum omnium suorum veniâ, promisit se, corpore absentem licet, numquàm tamen è memoriâ dimissurum locum, in quo tot annis seruiuisset Deo: apud quem, si quid in vitâ aut post eam posset, efficeret omnino, vt huius sui affectus & voluntatis testimonium aliquot etiam tum perciperent, postquàm in viuis esse desiisset. Quam eius promissionem eo odore compleuit Deus, quem circa illius festum Ferrariensi in monasterio solitum quotannis diffundi superiùs memorauimus.

& Sororibus Ferrariensibus valedicit.

67 Sub quintam noctis horam Legati & Patres de Obseruantiâ cum Illustrissimâ Margaretâ Estensi B. Roberti Malatestæ viduâ adfuere *b*, vitandarum C beneficio noctis turbarum caussâ, quas discessus ille facere inter ciues potuisset; & quoniam corpore sic debilis erat Catharina, vt pedibus omnino nequiret incedere, extra monasterium delata est, feretro incumbens ad instar cadaueris, vsque ad rhedam: in quâ stupentibus comitibus ita subitò immutata confirmataq; fuit illius valetudo, vt citra difficultatem vllam ascenderet descenderetque deinceps è curru, quoties id facere vel viarum asperitas vel alius aliquis casus iuberet, vsque dum ad canalem, qui Bononiam fert, & vulgò à sustentaculis *c* nominatur, sacer comitatus peruenit. Ibi in paratas naues cùm transiissent; Beata Abbatissa, præ humilitate pallium sustulit supra velum nigrum, exemplumque imitatæ ceteræ omnes sunt, atq; consuetudinem exinde fecêre Bononiæ illud ita gestandi, quod Ferrariæ supra humeros infra velum portare consueuerant. Iuuat autem singularum, quæ vnà cum Beatâ suâ Abbatisâ octodecim fuêre, hîc attexere nomina; & circa singula annotare quædam, digna quæ posterorum commendentur memoriæ: sunt autem hæc *d*.

b

In itinere recuperat desperatam sanitatem.

c

Eius sociæ,

d

CAP. IV Ioanna Lambertini,

68 Ioanna, filia Rinaldi Lambertini, Nobilis Bononiensis, sacro induta habitu Ferrariæ anno decimiquinti seculi trigesimo tertio, in coloniam missa cùm titulo Vicariæ, excellentis obedientiæ merito & D insignis erga omnes caritatis, pariter & amata & æstimata à cunctis; quæ cùm annis post hæc viginti fuisset in Bononiensi cœnobio commorata, diem istic extremum attigit, anno eiusdem seculi septuagesimo sexto, honorificâ Beatæ appellatione communi populi voce donata.

69 Paula, filia Baptistæ Mezauacchi, Legum Doctoris & Nobilis Bononiensis, proceri speciosiq; corporis formâ spectabilis, sed morum ac virtutum decore spectabilior, Magistra Nouitiarum futura Bononiæ: vbi mortalis vitæ peruenit ad metam anno prædicti seculi nonagesimo secundo, nonnullis in vitâ atque post mortem miraculis illustrata; quorum causâ & ipsa Beata dicta est, & ossa suauiter redolentia reposita in arcam, intra idem sacellum, in quo B. Catharinæ corpus prodigiosum seruatur: cuius vitam, à personâ fide dignâ conscriptam, inter Manuscripta seruant monachæ Bononienses, & magni thesauri loco habent.

Paula Mezauacchi,

70 Illuminata, filia Clarissimi Laurentij Bembi Senatoris Veneti, in congregationem Sororis Luciæ iam inde ab anno seculi trigesimo ingressa, quando nec regulam Virgines, nec habitum habebant; quem vnà cum B. Catharinâ biennio pòst suscepit, eidem E deuota ac valdè familiaris, ab eâdemque multùm animata adiutaque in suis laboribus ad Dei gloriam exantlatis. Hæc vt inter primas Ferrariensis domus fundatrices fuerat, ita etiam ad Bononiensis fundationem ambiuit concurrere, eamque cum auctoritate Abbatissæ tertiò gubernauit, rari ingenij mulier, & Latinæ linguæ benè perita; de quâ agendum eo loco, vbi de exhumatione beati Corporis (cui interfuit) faciendus est sermo, itemque de libro, quem de rebus Beatæ Matris conscripsit, præcipuo ad præsentem historiam adiumento, qui in archiuio Bononiensi iuxta ipsum sacrum corpus seruatur; Speculum illuminationis inscriptus, & inter Reliquias meritò reponendus. Hæc Dei famula finem viuendi fecit anno MCCCCLXXXII; quo eodem anno mortua quoque Bononiæ est Anna Morandi Rauennas, vidua ingressa religionem anno seculi trigesimo tertio; & ipsa vna ex sacro hoc collegio.

Illuminata Bembi,

Anna Morandi.

71 Samaritana Superbi Ferrariensis, prima ex omnibus Bononiæ mortua tertio postquàm eò deducta est anno, de cuius obitu plura alibi. Pacifica de Vultu siue, vt alijs placet, Barbieri Bononiensis; contemplationi singulariter dedita, & anno quinquagesimo nono post millesimum quadringentesimum defuncta. F Bernardina Calcina Bononiensis, sanctioris vitæ desiderio Ferrariense ingressa monasterium, cum bonâ gratiâ eius, cui aliquanto tempore conuixerat, mariti, simili de causâ Patribus de Obseruantiâ sese adiungentis: mortua autem Bononiæ anno Christi MCCCCLXVI. Peregrina de Bononiâ, filia Vitalis Leonori, magnæ humilitatis ac deuotionis Sanctimonialis, anno MCCCCXC sublata è viuis. Anastasia Calcina, Bernardinæ paullò superiùs nominatæ secundùm carnem soror, & multò magis virtute germana; tantæ tamque sublimis orationis, vt continuam in ecstasim sublata videretur, donec vitam meritorum plenam anno octogesimo secundo seculi tum currentis clausit: quo & altera huiusce itineris socia Andrea de Cremonâ vitæ mortalis absoluit spatium, Christi Domini nostri Passioni recolendæ specialiter addicta, & lacrymarum, ex eâ consideratione iugiter profluentium, dono insignis; solita identidem istud repetere: Ah! Iesu Christe, amor meus, amore mei crucifixe.

Samaritana Superbi, Pacifica Barbieri, Bernardina Calcina, Peregrina Leonori, Anastasia Calcina, Andrea de Cremona,

72 Eugenia Barbieri Bononiensis, anno MCCCCLXX hinc emigrauit ad superos. Gabriela Mezauacchi Beatæ Paulæ germana soror; quæ ex ingenti fratrum atque sororum turbâ patri seculoque relictâ, alijs omnibus Dei obsequio mancipatis, noluit sola seruire mundo:

Eugenia Barbieri, Gabriela Mezauacchi,

A mundo: sed eò secutura quò tam præclara prægressorum vocabant exempla, cùm difficilem ad pia vota patris metueret animum, nullum reliquum tanto ex numero solatium penes se habentis, finxit videndæ Ferrariæ desiderium; cuius facta compos, eodem cum insigni consanguineorum amicorumque comitatu & splendidissimarum vestium apparatu abijt. Vbi autem in complexum sororis venit, octauum iam annum monacham professæ, continuò declarauit non se venisse, mox, vt rebantur, abituram: sed omni vestium vanitate reiectâ, abiecit sese ad Abbatissæ pedes; velut si naufraga captaret tabulam, cuius beneficio instantem posset mortem euadere. Cùmque nihil fingi lacrymæ singultúsque testarentur, communi Sanctimonialium voto admissa extemplò est ad habitum religiosum, eóque induta ipsa sibi cæsariem abscidit: atque coram amicis, præstolantibus dum reducenda egrederetur, ad fenestellam apparuit; admirationem cunctis, patri penè mortem nuntio audito adferens. Respondit autem initijs talibus vitæ per omnes virtutum gradus traductæ decursus; cui demum coronidem mors beata imposuit anno dicti sæpiùs seculi nonagesimo tertio.

Modesta de Argentis,

B 73 Modesta de Argentis, Ferrariensis, exactissima Regularis obseruantiæ custos; quæ cùm annis triginta quinque sub glorioso Crucis vexillo militasset Deo, propositam legitimè certantibus palmam consecuta est anno MCCCCXC. Innocentia de Annichinis, Ferrariensis; illa cuius superiùs meminimus Nouitia, nondum quintum decimum ætatis suæ annum supergressa, cùm Bononiam aduenit; vbi anno prædicti seculi quinquagesimo sexto, religiosam Professionem fecit prima, atque in eximiæ caritatis discretionísque monacham euasit: quarum virtutum merito ter electa est toti Conuentui Abbatissa, & anno nonagesimo ac tertio seculi ad Superos abijt, magno sui desiderio & memorabili probitatis post se exemplo relicto. His accessêre Sorores Conuersæ duæ, Philippa Boari Parmensis, & Margareta de Saxulo, homine Franco prognata, cui nomen Saulus de Caulâ fuerat. Denique Tertiaria vna, Benuenuta vidua de Mammolinis, Bononiensis, ipsius B. Catharinæ mater; post alterius mariti mortem hoc ipso anno donata habitu, quem de pœnitentiâ S. Francisci nominamus, in quo monasterij Ferrariensis obsequijs ipsa se dedicârat, & nunc migrante Bononiam filiâ, eodem optabat remigrare: quod & obtinuit, mortuáque Bononiæ est iam senex & cæca, paucis post filiæ suæ obitum gloriosissimum mensibus.

Innocentia de Annichinis,

duæ Conuersæ;

Benuenuta Catharinæ mater Tertiaria.

C 74 His comitata sociabus Catharina cùm Bononiam veniret; mirè perturbatus erat publicæ rei status, discissis in factiones familijs nobilibus, & nunc hac, nunc illâ, quandoque & populo, primas tenentibus, séque vicissim expellentibus ab vrbe. Disposuit tamen singulari prouidentiâ Deus, vt in harum famularum suarum exceptionem, beneuolam pariter & honoratam, tanto omnes pariter conspirarent sensu, quasi eæ certam patriæ pacem quietémque adferrent. Erant tum residebántque Bononiæ duo (quod rarum aliàs) S. R. E. Cardinales, doctrinâ, pietate, prudentiâ insignes: alter Bessarion, Nicænus Episcopus, Tit. Sanctorum Apostolorum, Legatus à Pontifice ad res componendas Bononiam missus *e*: alter eiusdem vrbis Episcopus Philippus Calandrinus de Sarzana, Tit. sanctæ Crucis in Hierusalem *f*. Vterq; appropinquanti cum suo comitatu Catharinæ processit obuiàm, vnà cum Clero & magistratibus atque Senatu, qui tum temporis sedecim *g* capitibus censebatur: quorum hæc sunt nomina: Dionysius *h* Castelli, Prior tunc temporis; Xantus Bentiuolus, qui erat veluti Superior & administrator perpetuus omnium negotiorum ad populum spectantium; Nicolaus Sanuti *i*, Paulus Volta; Carolus Maluezzi; Ludouicus Caccialupi, tunc Confalonerius iustitiæ; Galeazzus, aut vt alij volunt, Ludouicus Marescotti; Gaspar Ringhiera; Virgilius Maluezzi; Ioannes Guidotti; Nicolosus Poeti; Bruninus Bianchi; Azzo de Quarto; Iacobus Grati; Scipio Gozadinus; Philippus Bargellinus.

Excipiuntur à duobus Cardinalibus,

e

f

g

h

& Magistratu.

i

D

AVCTORE IACOB. GRASSETTO.

75 Ab his omníque populo, quasi ad festum effuso, Dei famulæ exceptæ fuêre. & quia necdum idoneæ satis habitationi erant nouo monasterio destinatæ ædes, deductæ perquàm humaniter sunt, velut ad diuersorium, ad paruum S. Antonij de Paduâ Hospitale, quod pij quidam viri tenebant, sub habitu S. Francisci, tertiam illius Ordinis Regulam profitentes. Qui quidem locus fuerat iam inde à principio à Bononiensibus electus nouo cœnobio constituendo, supérque eâ re conuentum erat cum Tertiarijs & Pontificium fuerat indultum impetratum: sed quibusdam difficultatibus subnascentibus, inuentus est alius amplior atque commodior locus, relictóque Tertiarijs hospitali, Abbatia S. Christophori prælata; vbi hodiéque est monasterium Corporis Christi. Ad illud interim, quod diximus, Hospitale inductæ circa vesperam à Cardinalibus Abbatissæ, consignata ab iisdem in manus est noui monasterij possessio *k*, confectis super eo negotio legitimis tabulis, eodémq; die (qui vigemus secúdus Iulij fuit anni millesimi quadringẽtesimi quinquagesimi sexti, Diuæ Mariæ Magdalenæ sacer) trãslata sũt omnia, quæ ad fundationẽ monasterij pertinẽt.

deductæ ad Hospitale S. Antonij

possessionem adeunt monasterij:

k

E

CAP. V.

76 Post discessum Cardinalium, aliorumque omnium, cùm solæ domi iam essent monachæ, in templum eas Beata induxit, secum oraturas Deum, tum vt sanctam hanc nouam sibi familiam protegere ac promouere dignaretur, tum etiam vt tam beneuolæ ciuitati rependeret fauores ac beneficia suis famulabus impensa: ab omnibus insuper promissionem exigens, quòd ad finem vsque vitæ quotidie eiusmodi orationem facerent, & nouiter accessuras faciendam docerent.

Postero die duobúsque sequentibus omnium accessui monasterium patuit, ita volentibus Cardinalibus; intra quos, omnium animis mirè ad benefaciendum nouellæ plantationi commotis, publicam affectus sui demonstrationem aliquam Senatus facere voluit, & monasterium ab omni vectigalium tributorúmque onere eximens, insuper obstrinxit sese, ad annuam salis donationem quantus esset conuentui futurus necessarius; quâ de re communi omnium voto conditum decretum est, confirmatúmque amplissimâ Bullâ, quam Cardinalis Legatus Bessarion aliquot septimanis pòst expediendam curauit, die trigesimo Iulij signatam. Ipso autem factæ donationis die, volens Beata suam vicissim gratitudinem demonstrare, & memor exempli sibi à S. Frãcisco relicti (qui acceptâ à Benedictinis monachis ecclesiâ S. Mariæ Angelorum, ijsdem annuè offerri voluerat à Fratribus suis piscium sportulam) etiam ipsa constituit, vt in agnitionem beneficiorum à Bononiensibus acceptorum, Sorores suæ quotannis in die S. Petri, festo Cathedralis Ecclesiæ principali, offerrent ad sacrificij vsum lineam mappulam, quæ *l* Corporale vulgò nominari consueuit.

nouis ornãtur priuilegiis:

F

grata se ostendunt.

l

a Fr. Bapt. Taglia-carne de Leuanto, *ipso, quo hæc perfecta sunt, anno* 1456 *in comitiis Generalibus Ordinis Bononiæ coactis creatus, ne Capistranus, quem aliàs volebant omnes, reuocandus esset ex Hungariâ, vbi gloriosissimè laborabat, vt auctor est VVadingus in Annalibus: priùs tamen quàm aut hic crearetur Vicarius, aut Calixtus Pontifex; agi cœperat cum eius decessore Nicolao de hâc fundatione: ad cuius tempora annumq;* 1455 *prima Bononiensium ad Ferrariensem Abbatissam legatio pertinet.*

b Alij, *inquit Christophorus Mansueti*, Gineuram Estensem fuisse volunt, sororem Borsi, eius qui primus Ferrariensis Ducis titulum tenuit,

c *Italicè* de' Sostegni, *abest ab vrbe vno ferè milliari Italico: viâ difficili & lutosâ per hyemem; durâ per æstatem propter solum argillosum.*

d *Apud Christophorum prædictum hic Catalogus legitur numero imminutus, ordine & nominibus familiarum aliquantum diuersus.* Ioanna Rinaldi Lambertini, Pacifica Syluestri Volti, Peregrina Vitalis Leonori, Anastasia Ioannis Grassi, Bernardina

Sororum Bononiam ductarum nomina.

AVCTORE AC. GRASSETTO.

A Matthæi Gastagnol, Thadea Nicolai Barbieri, Paula & Peregrina sorores germanæ, filiæ Ioannis Baptistæ Mezauacchi Bononienses. Alibi natæ Illuminata Laurentij Bembi, Veneta; Anna Ioannis Morandi Rauennas; Modesta Hieronymi, Argentana; Samaritana Cecchini (Franciscinum *vertit Thannerus*) Copetli Ferrariensis; Margarita Salui Caolana.

e *Arguit hic Christophorus, eos qui putant, Legatum tunc fuisse Ioannem Ludouicum Milanum, Valentinum, Hispanum, Papæ Calisti ex sorore nepotem, ex Episcopo Segobiensi, dein Ilerdensi Presbyterum Cardinalem tituli SS. Quatuor Coronatorum : eò quòd huius creatio tantùm facta sit hoc anno,* XIV *Kal. Octobris. quod & Ciacconius confirmat.*

f *Ciacconius ex eoq; Vgellius tom. 2 Italiæ sacræ huius tituli non meminerunt: sed anno 1448 à suo ex matre eâdem fratre Nicolao V & Episcopum Bononiensem creatum scribunt, & Cardinalem tituli S. Susannæ, deinde S. Laurentij in Lucinâ titulum obtinuisse, Maiorisq; Pœnitentiarij & Legati Apostolici per Picenum muneribus functum esse : sed an typographicum mendum est, quo apud Vgellum legitur anno 1462 iniisse possessionem Bononiensis Episcopatus; & annus 1452 legi debuit ? ita existimo : certè mortuus erat eodem, quo creatus, anno 1447, Ioannes de Podio: nec credibile est designatum ei successorem totis quindecim annis non adiisse possessionem, maximè si Bononiæ intereà temporis fuit, vt hic dicitur.*

g *Iulius II ad quadraginta, Sixtus V ad quinquaginta esse voluit, inquit Christophorus.*

h *Nescio quomodo prateritus Christophoro.*

i Comes de Balneo Porrettæ, *inquit idem, qui &* Virgilium

B Gasparis Maluezzi, Comitem Castelli-Ghelfi *indigitat, & A*ringhieram *scripsit, vbi hodierno vsu* Ringhieram *scribit Grassettus.*

Monasterij Bononien. fundatio.

k *De hac fundatione hæc ad annum 1455 Fr. Franciscus Haroldus in Epitome Annalium sui Ordinis:* Ex bonis à Thadæo Alberoto medico: Bononiæ ante aliquot annos defuncto, in pios vsus relictis, & Nicolai Calixtique Pontificum dispositione in peculiarem hunc vsum applicatis, hoc anno construi cœpit monasterium Clarissarum Bononiæ, in locum cœnobij Benedictini S. Christophori de Muradellis, quod Cardinalis Legatus Bessarion, multorum votis & propriâ suâ deuotione, nouo huic ædificio fundando donauit: *verùm cùm addit, quod,* in illud anno sequenti perfectum 22 Iulij ex Ferrariculi monasterio solennissimo ritu deductæ Sorores fuerint, *& loca confundit & tempora : nam illa solennis quidem deductio ad diem 22 Iulij, atque ad Hospitale S. Antonij pertinet, altera verò ad nouum monasterium contigit secretò sub noctem & mense Septembri*

Corporale

l *Ita dictum quòd sacrum Christi Corpus, ei sub tempus sacrificij superponi; efferendum autem, inuolui soleat :* Palla *in epistolâ 2. Clementi ascriptâ, Isidoro Pelusiotæ* Syndon, *Ambrosiano Rituali* Palla corporalis: *& verò antiqua Ecclesia tam magna erant corporalia, quemadmodum hodie Carthusianis, vt etiam calicem operirent, quod nunc diuisa ab illis* palla *facit. Vide de his doctè disserentem Dominicum Magrium Melitensem in notitiâ vocabulorum Ecclesiasticorum.*

CAPVT VIII.

Primum gestæ à Catharinâ dignitatis triennium, miraculis etiam illustratum.

a Priusquam in nouum monasteriũ migret

77 Completo, quod visitationum officijs datum fuerat, triduo, sequenti mox Dominicâ *a*, vigesimo quinto Iulij die, obseruari cœpta est monasterij clausura arctior, sanctáque Abbatissa Ordini domestico regularique obseruantiæ constituendis intenta, neque labori neque curæ parcere : multarum tamen exhortationum instar erat omnibus, ad omne virtutis exercitium pronis, Præfectæ exemplum. Quæ corporali quoque ædificio partem curarum adiungens ita strenuò rem promouit, vt ad S. Christophori Abbatiam transferri potuerint Religiosæ proximo mense Nouembri, nocte quadam Sabbati diem *b* præcedente, postquàm in Hospitali S. Antonij *c* quatuor circiter mensibus fuissent commoratæ. Sacrario etiam refectorióque communi de necessariâ supellectile Beata prouidit, & reliquæ domui vniuersæ : habitâ tamen semper ratione paupertatis, quæ qualis primis illis principijs inducta est, ad hæc vsque tempora nihil omnino laxata conseruatur, quamuis & Religiosæ numero plurimæ sint *d*, & ex honoratioribus quibusque familijs collectæ.

Interim æstiui transierant calores, datúmque principium fuerat Virginibus Bononiensibus ad aliarum consortium aggregandis, quæ magnâ precum instantiâ hanc sibi virtutis scholam patefieri postulabant: ex quibus duodecimâ die mensis Septembris *e* primitiæ Deo oblatæ, ac sacro habitu indutæ sunt sex; Francisca Mondini, Domitilla Zambeccari, Anna Galluci, Lucia Godagnelli, Ludouica è Burgo, & Benedicta de Oleo: quæ omnes decursu temporis ad insignem sub eiusmodi magistrâ sanctimoniam prouectæ, hoc monasterium cum titulo Abbatissæ rexerunt.

D *sex nouitias admittit Catharina, e*

78 Dissimilē ab hâc electione exitū duarum aliarum admissio habuit, quæ Religiosa alibi alioque in Ordine laxiori vota professæ, huc sub arctiori disciplinâ victuræ aduenerant, Iustina Fauentina & Dorothea Patauina dictæ. Nam Iustina quidem, quæ toto corde diuino se obsequio mancipârat, obseruandis Regulæ nouæ præceptis, sanctæque domus huius consuetudinibus ita animum applicuit suum, vt expleto tirocinij tempore ad solennem ibidem professionem admitti meruerit, quam ad extremum vsque spiritum magnâ constantiæ & virtutis laude tenuit : ast Dorothea, quamuis & ipsa magnam de se spem primis diebus fecerat, solido tamen promptæ ad sui abnegationem voluntatis destituta fundamento, breui sic relanguit, vt nihil proficientibus sanctæ Abbatissæ monitis quotidianis, precibusque & lacrymis pro eâ ad Deum fusis, remittenda in suum cœnobium fuerit, ceteris exemplo & terrori futura.

& duas ex aliis monasteriis religiosas:

E

79 Valuit ea demissio ad confirmandam opinionem Bononiæ conceptam, de perfectissimo vitæ instituto & obseruantiæ regularis vigore in monasterio Corporis Christi florente: tantumque abest, vt teneras virguncularum mentes auerteret, vt amorem tam sanctæ conuersationis, cui mediocris quædam virtus impar esset, longè pluribus iniecerit : adeò vt intra paucos menses Sorores omnino sexaginta numerarentur. Quibus aliisque multis eamdem elicitatem ambientibus cùm monasterij noui angustiæ non sufficerent, Senatus, Catharinâ rogante, contiguas nonnullas ædes ex affluentibus copiosè eleēmosynis coëmendas curauit, quæ dirutæ iustum ampliando per nouam commodamque fabricam conuentui spatium reliquêre. Quæ omnia cùm magnam per se Catharinæ parerent inter filias suas auctoritatem, magnum tamen ad eam accessit augmentum ex euentis nonnullis supra naturæ ordinem prodigiosis.

CAP. VI *aditũ amplificationem impetrat:*

CAP. VI

80 Ingens mortificandi corporis studium, & constitutæ recens familiæ necessitates variæ (quibus omnibus non ita potuit simul prospici à vigilantissimâ aliàs Matre, quin multiplicia incommoda parerent auidis tolerantiæ exercendæ Sororibus) eò deduxerant nonnullas, vt de earum valetudine desperantes medici, futuras deinceps vitæ religiosæ inidoneas fidenter asseuerarent. Perculit ea denuntiatio Matris filiarum amantissimæ animum, spemque, quam abiecerant homines, in Deũ collocans, ad orationem se confert, & Christo animarum castarum sposo, sponsas suas commendat. Hinc resumptis animis ab ecclesiâ ad valetudinarium reuertitur; & alijs quidem applicari quidpiam ex præscriptis per medicos remedijs iubet : quæ breui pristinæ restitutæ sunt sanitati : alijs solantia dicit verba, & vt diuinæ voluntati se perfectè conforment efficaciter hortatur: aliquas autem, quarum incurabiles maximè morbi erant, è vestigio sanas faciens ad ecclesiam dimittit, coram Venerabili Sacramento acturas grates pro valetudine recuperatâ. Fuerunt autem tam manifestò miraculosæ curationes illæ, vt quãuis ipsa, ne suis illæ adscriberentur meritis cum damno dilectę humilitatis, virtutem caussaretur medicinarum, vel tunc vel anteà applicitarum; non tamen sic potuerit veritas obscurari, quin toti domui, ipsisque potissimùm infirmis constaret, intra naturę ordinem non stare caussam tantarum in afflictis desperatisque corporibus mutationum.

F *desperatas suarũ morbos curat.*

81 Sed

A 81 Sed harum omnium certitudinem euidentiæ suæ claritate infinitis, vt sic loquar, gradibus transcendit miraculum, quo Luciæ Codagnelli, è sex illis primis Nouitijs vni, quæ terram sarculo fodiens, cæco & infelici ictu ipsa sibi pedem præsciderat, bona mater succurrit: ad hanc ingenti cum eiulatu corruentem, suoque voluntantem in sanguine Sorores accurrerant, nec funesto casui præter lacrymas, ordinarium teneriori sexui ætatique remedium, quidquam poterant ferre solatij: accurrit eodem admonitu alicuius Abbatissa, aut potiùs aduolat, alas addente dolore simul & caritate; resciſſumque pedem sibi postulat proprium habere à Luciâ. Annuit misera, mirataque derepentè est eumdem, sinistrâ Beatæ manu tibiæ truncæ applicitum, post benedicentis actum dexterâ expressum manu, ita perfectè coaluisse, vt nec signum quidem vllum absciſſionis remaneret, omnisque dolor atque neruorum contractio euanesceret, citiùs penè quàm suas Catharina manus retraheret. Tum verò ad puellam conuersa Mater: Hunc pedem eâ conditione tibi committo, inquit, vt velut rem meam diligenter custodias, nec deinceps quidquam ei facias vnquam malè. Dixit: & lacrymas præ gaudio plures iam fundens B Lucia, quàm anteà vulneris horrendi dolor expresserat, recepit reuerenter facturam se quantum fuerat imperatum: procidensque in genua Deo Matrique Abbatissæ gratias, quibus potuit, verbis egit: pares deinde animorum motus in ciuibus fecit rei tam prodigiosæ fama per totam illicò vrbem vulgata.

vni pedem amputatũ restituit.

82 Nec minùs ad spiritualia mala auerruncanda efficax fuit Catharinæ virtus. Erat inter Nouitias vna, quam rebellis spiritui caro, dæmone incendia sufflaminante, multos iam dies vexabat tam grauiter, vt nihil proficientibus consuetis orationum, ciliciorum, ieiuniorum remedijs, imò ab his ipsis vires quodammodò sumente hoste, à tenendi propositi desperatione parùm admodùm abesset. Vltimum huic consilium fuit ad Abbatissam recurrere, eiq; tentationem suam, & quàm parùm remedia adhibita profecissent hactenùs, aperire. Subrisit ad hæc Beata, vultuque sereno: Tu verò, si quid ego iussero, faciésne? inquit. Faciam respondet illa quàm possum promptissimè. Abi ergo, ait, & hunc librum acceptum aperi, & in primâ, quam inspexeris, paginâ præsens malo tuo leuamen reperies. Abijt illa, inspexit, legit; subitoque serenatam mentem, animum confirmatum sensit, vt vix relicta ei memoria sit præteritæ afflictionis; à quâ exinde totâ vitâ immunis remansit.

alteri constantiam in proposito præstat.

C 83 Hæc dum intra monasterium aguntur, Soror Beneuenuta, B. Catharinæ mater, quæ habitum induta Tertiariæ in contiguis monasterio ædibus habitabat inter Sorores quas Conuersas dicunt (claustralium monacharum, in ijs quæ foris agenda sunt ministerio addictas, & conquirendis ad earum sustentationem eleemosynis vacantes) annis grauis, & varijs pressa infirmitatibus, secundo postquàm Bononiam aduenerat anno, in morbum incidit: qui eam oculorum vsu priuatam reliquit, atque adeò ad omne monasterij ministerium inidoneam, alienæque in multis indigam opis. Eam cùm præstare vix possent Conuersæ illæ, suis in officijs occupatissimæ; visum est conuenire, vt intrò vocaretur in monasterium, eo tractanda affectu, quem optimæ filiæ caritas posset exerere, & eximia Abbatissæ merita à ceteris Sororibus suo iure exigere. Verùm, quia non erat ipsa è numero Religiosarum, expetenda facultas Pontificia fuit, quam Pius II primo sui Pontificatus anno, Christi verò millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo libens concessit, per breue die decimâ quintâ Maij datum.

CAP. VIII matrem suam cæcam recipit in monasterium.

84 Qui idem Pontifex à Fr. Marco Fantuzzi f, Bononiensi, Ordinis S. Francisci de Obseruantiâ Ministro Prouinciali, requisitus cùm esset, ad commodiorem quietioremque gubernationem Sanctimonialium, sub Regulâ S. Claræ sibi commissarum, vellet D iuberetque, perpetuum non esse Abbatissæ munus, sed triennij spatio definitum; eiusque petitioni annuens constitutionem edidisset, præter S. Claræ moniales multas etiam aliorum Ordinum alias comprehendentem; habuit eodem anno quinquagesimum octauum sequenti præclaram occasionem Catharina, veram solidamque virtutem suam euidenter comprobandi. Etenim Prouincialis, haud satis certus quàm volentibus animis Pontificium mandatum esset à nonnullis Abbatissis excipiendum, quarum humilitati non admodùm profundæ fidere vix poterat; antequàm in alijs monasterijs illud executioni mandaret, Bononiam venit, reperturus Catharinam ad imperia promptissimam, & magnæ gratiæ loco habituram, si concederetur priuatim viuere. Hoc ergo exemplo viam straturus ceteris ad obedientiam promptiorem, ingressus in monasterium, Virgines conuocat in Capitulum; decretum prælegit, simulque sanctissimam Abbatissam implet liquidissimâ voluptate; quippe quæ nunc demum se consecutam videbat, quod tantis semper exoptauerat votis.

f Mãdat Pōtifex vt Abbatissæ sint tantum triennales.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

85 Itaque prostrata in terram lacrymisque perfusa, coram omni Capitulo atque Prouinciali, Diuinæ Maiestati gratias egit, cuius clementissima dignatio suum desiderium respexisset: indeque ad Prouincialem conuersa, similes ei retulit pro allatæ rei sibi acceptissimæ nuntio. Gratissimum sanè hoc fuit Deo hominibusque modestiæ religiosæ spectaculum; quo gauisus Prouincialis Conuentum dimisit, iubens vt de nouæ Abbatissæ electione Sorores cogitarent. Interim dum fluunt pauci menses g ad complendum Catharinæ triennium reliqui, ijsdem ipsa sic vsa est, vt successuræ sibi Abbatissæ prepararet omnia, quibus facilior reddi posset monasterij administratio; collectis in vnum Bullis, Gratijs, priuilegijs indultisque omnibus tam Summorum Pontificum & Legatorum eius, quã Cleri populique. His addidit accuratissimam descriptionem totius temporalis status monasterij sui, & Instrumentorum ad monasterium Ferrariense spectantium transcripta exemplaria: omniumque indiculum manu suâ confecit, atque in præparatum ad hoc archiuium optimo ordine reposuit omnia, ad memoriam temporum posteriorum. E

quod imperium hilaris excipit Catharina.

g CAP. IX

86 Hæc dum aguntur, explicandæ caritatis suæ nouam ei obtulit occasionem Sororis Samaritanę obitus, quæ in monasterio Corporis Christi Bononiæ prima excessit è viuis, atque ex illis fuit, quæ cum ipsâ eò Ferrariâ venerant. Fuerat hæc strenua religiosæ F obseruantiæ cultrix, de quâ dum ægrotaret hoc ferebatur, quod numquàm vel minimam Regulam transgressa fuisset. Voluit nihilominùs Deus, vt moritura maximis premeretur angustijs, adeò vt non minimùm perterreret Sorores, vultum eius & incompositos motus corporis, inter tormenta duobus diebus totidemque noctibus protracta, considerantes. Quibus veritâ Mater ne quod scandalum filiæ dilectæ paterentur, non discedebat à latere agonizantis, sed psalmis & orationibus apud eam insistens, & dulcibus subinde confirmans alloquijs, si quando se mali vis tantillum remitteret, cibum quoque ibidem sumebat: ne quo temporis momento ab eâ recederet, liberioremque dæmoni facultatem relinqueret infirmum in corpus sæuiendi.

Sorori moribundæ miris interius vexatæ

Verùm cùm ipsa quoque afflictissimam tum temporis valetudinem pateretur; veritæ Sorores ne suam continuo illo labore mortem accelerarent etiam ipsa; rogabant eam instantissimè, vt secederet, quietique necessariæ tantisper indulgeret. Quibus Catharina: Ne me compellatis, quæso, hinc abire, ne serò doleatis, cùm videritis nouis in eam viribus insilientem inimicum, quem video maiores adhuc miseræ cruciatus parare. Victa tamen cunctarum precibus, eò quòd quie-

constanter assistit

A tiùs multò se infirma haberet, cessit loco; imperans vt accerseretur, quamprimùm aliquam circa ægram mutationem obseruarent. *AVCTORE SAC. GRASSETTO.*

87 Vix illa inde egressa erat, certè nondum lectum ad quietem ingressa, cùm Sacristana è duobus cereis benedictis, de mandato Abbatissæ iuxta infirmam ardentibus, extinxit vnam, & diabolus alteram; tantusque Samaritanæ animam horror inuasit, ardentibus oculis & enormiter distortâ facie, cum omnium membrorum conuulsione collisioneque terribili, vt, cùm supra lectum videretur ampliùs non posse contineri, aduocanda continuò pia Mater fuerit: quæ, Numquid non prædixeram, inquiens, rediturum ad furias suas nouo impetu dæmonem? cursim aduolat, atque, O immanis, ait, & cruentia bestia, hoc erat quod præsagierat animus facturum te: sed confido in Domino Iesu meo, non eas tibi vires futuras, vt huius famulæ Dei animam conturbare possis, vnde scandalum alijs & sinistra suspicio offeratur de virtute eius, cui certa sum æternam salutem deberi, tamquàm fideli Christi sponsæ. *audaciori suo recessu dæmonem* *reuersa*

88 Tum lustrali aquâ & infirmam & totum aspersit cubiculum, Sororesque commonefaciens, vt, nihil B dubiæ de virtute omnipotentis Dei mox demonstrandâ, in oratione perseuerarent, ipsa centenis circiter vicibus inflexit genua, & sanctum Iesu nomen inclinato capite inuocauit, atque ad infirmæ lectum conuersa graui voce & maiestatis plenâ; Apage, inquit, maledicte, neque in hoc loco aut animâ creaturæ huius quidquam ampliùs tentare ausis. Nec plura: abijt illicò hoc paucorum verborum ictus fulmine, & mens infirmæ, suo restituta statui, corpore quoque quieto visa deinceps est ad pacatam migrationem: redijt vultui compositio debita, imò tanta ei derepentè accessit gratia, vt quindecim annorũ iuuenculam explicatæ frontis hilaritate lucidorumque oculorum claritate referret. Ad quam conuersa Mater: Eia, inquit, filia benedicta, victoriam de formidabili illo retulisti dracone: ecce tuus te præstolatur sponsus ad æternæ vitæ secum ineundam possessionem: vade, eique te tuamque committe animam. Ad hæc oculos illa amœno cum risu iubiloque conuertens versùs Abbatissam, videbatur ei velle explicare affectum suum, & pro opportuno subsidio gratias agere: sed præuertens Catharina, Velles, inquit, vt video, filia, de certaminis tui felici exitu enarrare aliquid Matri tuæ. *compescit:* *& quietè mori infirmā iubens*

89 Ita se velle innuenti: Age, inquit, ne fatigeC ris, noui quid velis: verùm ego tibi in virtute sanctę obedientiæ impero, vt Angelo tuo sancto comite extemplò ad Paradisi gaudia proficiscàre. Quibus auditis, illa oculos placidè ad Sorores præsentes circumuoluens, quasi lætum singulis dictura Vale, quietissimè expirauit: cui salutem certam non vanè fuisse à Catharinâ promissam, euidenti mox miraculo Deus patefecit. Ipsa enim, quæ propter consuetas infirmitates, & dolorem ex difficili Sororis huius agoniâ toleratum, pedibus niti absque scipione non poterat; statim atque illa emisit spiritum, scipionem quoque corroborata dimisit, & angelico fulgore facies ei læta resplenduit, ex subito superinfundentis se lætitiæ gaudio, ad conspectum beatæ istius animæ inter Angelorum choros euolantis ad cęlum. Vnde cum hymnis & canticis exorsa Deo gratias pro duplici beneficio, sibi ac filię suę collato, agere; Sorores quoque de prodigiosâ hac eius conualescentiâ lętę, nec minùs de sodalis suę felicitate gaudentes quàm anteà fuerant de periculo sollicitę, serenos vultus sumere animosque cœpêre. *eius animā videt in cælum ferri.*

a *Hi characteres temporum concurrentes probant anno 1456, non 57 hæc esse gesta: hoc enim posteriori anno Dominica dies non cum 25, sed cum 24 coincidit, litterâ Dominicali c.*

b *Videtur hæc fuisse dies mensis 20 vel 27: primum suadet modus ille loquendi, vix integrè expletum quadrimestre significans; tum etiam festum Præsentationis Virginis Mariæ, in Dominicam proximè sequentem incidens: quæ potuit Catharinam inuitare vt hanc* D *primam dominicam in nouo monasterio solenniùs celebrandam eligeret, in quâ se filiasque suas exemplo Beatissimæ Virginis Deo æternùm seruituras præsentaret in templo.*

c *Antonio Patauino ex Ordine Minorum sacrum hoc Hospitale fuisse, potiùs quam Antonio Magno suadet Sancti istius in vrbe viciniâ celebritas maxima, & quod eius curam Tertiarij S. Francisci habuerint.*

d *Anno 1599 cùm scriberet Christophorus, 180 Virgines Velatæ in eo degebant monasterio, vt ait cap. 34. præter non velatas 24, quæ aliquando 50 fuerunt, Conuersæque siue extraneæ dicuntur: quòd extra interius claustrum degant: similiter transeuntibus nobis Bononiâ & monasterium Corporis Christi visentibus dictum est ad 200 Religiosas in eo degere.*

e *Dominicâ infrà Octauam Natiuitatis B. Mariæ Virginis: vt videas quantam huiusmodi festorum Marianorum rationem B. Catharina habuerit nec de nihilo esse, quod 20 Nouembris suspicemur, potiùs quam 27 in nouum monasterium immigratum fuisse.*

f *Meminit huius, vt Vicarij Prouincialis Bononiæ, ad annum 1458 VVaddinghus in Annalibus, multaque ab eo præclarè gesta recenset: corpus Placentiæ mortui anno 1479 in sui Ordinis ecclesiâ sepultum, ne dirutâ ecclesiâ in loco non sacro remaneret, permissu Clementis VII anno 1527 ad monasterium Virginum translatum scribit Arturus in Martyrologio, ad diem XXVII Martij, qui hoc fortè solo fundamento, eum inter Beatos refert.* *Fr. Marcus Fantuzzi.*

g *Quandoquidem non nisi in fine Iulij 1459 compleatur triennium, anno 1456 inchoatum, non potest hæc denuntiatio facta intelligi anno 1458: &, qui hoc dicere videtur Grassettus noster, intelligendus est de anno factæ constitutionis; quæ tamen sequenti dumtaxat anno cœperit executioni mandari.* E

CAPVT IX.

Abbatissæ dignitas Catharinæ restituitur, & vita post mirabilem extasim ad vnum annum prorogatur.

90 Impletum iam erat triennale spatium, post quod oportebat aliam in munere Abbatissę substitui Catharinę, quę coram Prouinciali totoque Capitulo ijs se verbis & pleno humilitatis vultu abdicauit, vt vberes omnibus excuteret lacrymas; & electa communibus omnium votis est Soror Anna Morandi de Rauennâ, ex ijs quę Ferrariâ aduenerant vna: par sine dubio regimini tali, nisi paucis ab illâ electione septimanis elapsis, in grauissimam incidisset infirmitatem; quę denique videndi facultatem abstulit, vt muneris sui functioni inepta, necesse habuerit renuntiare Pręfecturę, quam vno dumtaxat anno tenuerat. Venit igitur, qui Marco Fantuzzi successerat, Minister Prouincialis, singulasque seorsim audiens intellexit, omnibus certum fixumque esse non eligere Catharinam, à cuius nimiâ indulgentiâ rigorem Regulę laxandum metuebant: itaque ne mentionem quidem illius faciendam credebat, quando ad ferendos calculos illę conuenirent. Quod tantùm à vero abfuit, vt vnius dumtaxat voto excepto, cetera omnia in Catharinâ conuenirent. *Per nouæ Abbatissæ cæcitatem,* *contra omnium opinionem,* F

91 Obstupuit adhęc quin & excanduit penè Prouincialis: &, Nę vos ego fatuas omnes dixerim, inquit, qui eius, quòd mihi seorsim singulę tam asseueranter edixistis, nunc contrarium prorsùs facitis omnes. Quibus non sine rubore silentibus, ea quę sola non vouerat, assurrexit: & Ego, inquit, illa sum, quę ob eas, quas priuatim exposui rationes, in proposito perstiti, & meum suffragium alteri contuli: nunc autem cùm videam quid diuinâ ordinatione acciderit, sententiam muto; certa diuinam voluntatem sic ferre, vt pręter Catharinam nulla nobis sit Abbatissa dum vixerit. Vidit igitur Prouincialis digitum Dei hunc esse, demonstrantis quam gregi suo pascendo elegisset, eique & ipse sese aptans, in nomine Sanctissimę Trinitatis, Beatorumque Francisci & Clarę confirmauit electionem, gaudentibus & plaudentibus omnibus, pręter Catharinam; cui cùm graue esset, ab concupitę atque obtentę demum communis vitę portu denuò euocari in altum supremę potestatis, humeros tamen subiecit *denuò eligitur in Abbatissam.*

A subiecit oneri, quod sibi tam manifestò videbat à Deo imponi.

CAP. XI *curat ampliari monasterium:* 92 Vt verò regendi monasterij habenas resumpsit, sensit sibi angustias fieri vndique ab ijs, quæ monasticæ perfectionis desiderio, eius se disciplinæ subijcere ambiebant: quas instituto suo idoneas cernens, tantoque spiritus feruore actas, cùm caritas eius non posset repellere, admitti tamen non patiebantur angustiæ domus, ijs, quæ iam plures quàm pro spatio admissæ erant, nequaquàm sufficientis. Itaque ad solitum orationis azylum confugit: quâ exaudiens Deus vitæ religiosæ desiderium nobilibus quibusdam puellis iniecit; quibus cùm responderetur, deficientibus, in quas reciperentur, cellis, non posse pio earum desiderio fieri vllâ ratione satis, donec aliter Deus prouidisset; eorum consanguinei, vt erant opulentissimi & modis omnibus cupiebant pijs suarum Virginum votis consultum, liberaliter contulêre pecunias ad nouæ fabricæ molitionem necessarias, quâ ad priores adiunctâ ædes præsenti necessitati fuit copiosè prouisum *a*.

letali morbo corripitur; 93 Inter hæc mortali corripitur ægritudine, quâ sibi vitæ finem adferendum existimans, corpus (quod eatenùs sustinuerat animus, vt nulli muneris sui parti B deesset) tandem sub onere fatigatum deposuit in lectum, eumque in medium cubiculum deportari iubens, vnde commodiùs omnes alloqueretur, inter maternæ adhortationis affectus filias carissimas, nihil tale metuentes, commonet, ex eo sibi morbo decedendum esse. Non poterat quidquam eis nuntiari tristius: quare nec finem suspirijs lacrymisq; ponebant, rogantes, vt quæ tam potens apud Deum esset, aliquot adhuc annos vitæ tam necessariæ omnibus ab eodem impetraret. Nec componi poterant earum animi, quantumcumque Mater optima iuberet collocare fiduciam in Deum; cui non ingratas fuisse filiarum pro Matris longiore vitâ supplicantium fletus, annus eidem adiectus declarauit, depulso letali morbo: cuius antequàm periculum Sorores agnoscerent, res gemina accidit memoratu dignissima, nec vlli quàm huic loco aptiùs inserenda.

in quo paratam sibi potionem 94 Præscripserat medicus decoctæ carnis iusculum, infirmæ sub horam Matutini porrigendum; quod pridie præparatum infirmariç exiguâ in scutellâ seruandum reposuerant sub mortarium marmoreum, quod in culinâ ad manum erat molis ponderisque ingentis: verùm cùm designatâ horâ Illuminata Bembi & sociarum vna ad coquinam se contulissent, allaturæ C decumbenti aposema præscriptum; sublatum reperêre mortarium, & scutellam vacuam extersamque. Habuit ea res suprà quàm dici potest attonitas, eoq; perplexas magis, quòd ignorarent, quid tali horâ ac tempore paraturæ essent ex medici voluntate, quod defectum non apparentis, nec tam citò parabilis potionis suppleret: tandemque conclusêre, vt intritis in aquâ iurulentam ouis, confectam sorbitiunculam ægrotanti porrigerent. Quam illa antequàm videret, degustaretque, Et vbinam, inquit, aposema est præscriptum à medico? Hoc interim reponunt illæ, accipe, Mater, multùm exinde reficienda. Ad quas subridens Beata: *à dæmone ablatam esse cognouit:* Fœdum, inquit, istud animal, quod in formâ corui culinam tripudiabundum obambulat, submissum ex inferno dæmonem esse noueritis, qui corpori meo congruam sustentationem inuidens, aposema sustulit præparatum: spe tamen suâ etiam sic excidet, neque me, quod astu eiusmodi agit, pertrahere poterit ad desperationem. Redierunt non ita multò pòst ad coquinam Sorores, & quod Sancta dixerat reperiunt animal, magno cum strepitu atque alarum plausu saltitans per abacos; cognoueruntque hanc esse auem, de quâ cælitus admonita Catharina eis locuta fuerat, & salutiferum Iesu inuocantes nomen, eamdem coniecerunt in fugam, graui crocitatione implentem aëra.

95 Alterum, quo eximia sanctæ Virginis merita D voluit Deus demonstrata, in hunc modum se habuit: *AVCTORE IAC. GRASSETTO. & Soror iuuencula,* Erat in cœnobio duodennis iuuencula, Magdalena Rosa, Bononiensis, quæ anno ætatis suæ decimo admissa, virtutisque religiosæ probata experimentis, & habitu donata fuerat, & solennia Religionis vota nuncupare permissa, completo duodecimo vitæ suæ anno. Hæc (vt erat cælesti illustrata lumine, innocentibus eiusmodi animis citiùs faciliusque illabenti, & Abbatissæ virtutes altiùs penetrando cognorat) maiori quodam erga eamdem, quàm Sorores ceteræ, & teneriori ferebatur affectu: cuius vt familiariori conuersatione proficeret meliùs, ita dextrè egerat, vt illius intimiori destinaretur ministerio, à quâ proinde recedebat numquàm, summâ cum diligentiâ seruiens, vtque ad omnem prompta adesset necessitatem, etiam ad pedes Beatæ in eodem decumbebat cubiculo.

96 Ergo cùm morbus hic letalis superuenisset, *pedes à se ablutos vetita osculari,* solita prosequebatur officia inter infirmarias ministrans: atque cùm ex mandato Medici pedes fortassis aliquo die lauandi infirmæ essent, manus pio operi applicuit sedula, non sine teneræ deuotionis affectu: quod dum facit, exhalantis ex beatis illis pedibus fragrantiæ cælesti dulcedine sic abrepta est, vt continere nequiuerit sese, quò minùs eos blando complexu E stringens, dissuauiaretur. Retraxit pedes indignabundæ similis Catharina, & ab eiusmodi ineptijs seuero iussit imperio abstinere: cui inspirata diuinitus Magdalena; Si modò non permittis, inquit, vt tibi pedes *prædicit id ipsâ mortuâ passim faciendum;* deosculer, prout interior instinctus quo impellor & commoditas tâ opportuna faciendum monent; non poteris saltem prohibere, quando omnis populus ad eos, te mortuâ, venerandos dissuauiandosque accurret. Quam prædictionem minimè vanam fuisse declarauit euentus: fragrantiam autem istam non illo solùm die Magdalena sensit, sed multo etiam pòst tempore; quemadmodùm post Beatæ obitum testata est: hoc etiam adiungens, quòd in eodem cum ipsâ cubiculo dormiens, audiuerit suauissimis colloquijs tractantem cum Deo, ipsumque vicissim Dominum eidem mirabiliter respondentem, magnâ cum admiratione suâ, & deuotionis affectu nequaquàm vulgari.

97 Crescebat intereà, quam diximus, infirmitas, *ipsa post extasim sanitati miraculosè restituitur: b* atque ad extremum adduxerat Beatam, necdum certis Sororibus de suarum effectu precum; inter quas extremis voluit muniri Sacramentis. Post eorum verò susceptionem, rapta in eam extasim est, quam alibi *b* fusiùs commemoratam præterimus: post quam secuta est mirabilis illa pulsandæ, quod numquàm didicerat, F cytharæ peritia, sanitasque, non integra illa quidem, sufficiens tamen ad consueta ordinis domestici & suæ functionis munera, ad quæ promptissimè surrexit de lecto; dimissâ, quam numquàm deinde tetigit, cytharâ; quæque inter Reliquias deinceps est à monialibus asseruata. Sub hæc rumor vulgatur per monasterium Beatam aliò amandandam esse, ad noui, nescio vbi, de quo agi videbatur, cœnobij erectionem: quam curam filiabus suis exemptura Mater optima, securas eas reddidit, superiùs memoratam Dei vocem exponens, quâ iussa est obedientiæ aptare sese, quæ eam Bononiam destinabat, vbi vitam esset conclusura.

98 Toto eo, qui intra prædictam infirmitatem *miros habet in virtute progressus.* eiusque mortem medius intercessit, anno, singularis planè obseruata in ipsâ est commutatio, quâ priores in virtute progressus immane quantùm post terga reliquit, ad vlteriora extendens sese; eo conatu, vt quidquid totâ præcedenti vitâ fecerat, hactenùs nihil esse videretur, collatum cum huius anni absolutissimâ virtute. Dici non potest quàm illa solitudinis ad diuinas commentationes auida, quàm intra seipsam recollecta fuerit, quàm profusæ erga proximum caritatis. Sæpè sæpiùs in aliquem ecclesiæ recipiebat se angulum, ibique rebus intenta cælestibus, bonam noctis atque diei partem

A partem inter lacrymas suspiriaque exigebat: Sororibus autem frigidæ hyemis asperitatem caussantibus, quæ ei, ab illâ graui infirmitate recenti & adhuc debili aliam facilè grauiorem adduceret, nisi à tam prolixâ tali loco oratione temperaret ipsa sibi: Ne sollicitæ, inquiebat, pro me sitis, carissimæ; nondum venit hora mea. Tum verò, quæ recollectionis semper fuerat studiosa, semper secularium alloquia fugiens, nunc ea fugiebat multò studiosiùs, nec induci poterat, vt ad crates conferret sese, quoties absque offensâ & scandalo id poterat excusare: professa crucem sibi maximam esse colloquijs interesse hominum mundanorū; à quibus hortabatur suas, vt abhorrere vellent, certæ tantò plus diuinæ consolationis percepturas se, quantò humanæ à consanguineis & amicis expeterent minùs.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

99 Per eosdem dies vultus ei præter modum gratiosus esse, & decore angelico formosus videbatur; qui aliàs corporeæ pulcritudinis aut parum aut omnino habebat nihil: in quo etiam frequentes mutationes obseruauêre monachæ, atque vna imprimis ei intimior: eædemque non rarò mirabilem ab eius corpore spargi sentiebant odorem, quo mirè recreari sibi & corroborari videbantur. Si de rebus solatijsque mundanis sermo inferebatur, obscurabatur continuò illa B vultus amœni claritas, sic vt vetula septuagenariâ maior videretur; sublatisque in cælum oculis: O Iesu, inquiebat, formose mi, quin amamus te? Quin corda nostra tibi integrè consecramus? ô Francisce paupercule, per quem Seraphicis accensum ignibus mundi contemptum homines docere Christus voluit! His similibusque suspirijs vanos quoscumque sermones præscindens, diuini amoris flammas spargebat in circumstantes, qui ipsius quoque è vultu emicans radiare videbatur per oculos, & ignitum vultui ruborem suffundere; aliàs pallido semper luridoque.

suauëolentiam corporis,

vultusq; splendorem Sorores admirantur.

a *Fabrica à B. Catharinâ sic ampliata, quid deinde accesserit describit cap. 31 Christophorus hoc modo*: Antiquæ fabricæ, tametsi monasterium per se esset satis amplum, Petrus Donatus Cesus, Cardinalis tituli S. Vitalis, Legatus Bononiensis, sumptibus felicis memoriæ Gregorij XIII. adiunxit nouam vtilem structuram, & multa perquàm opportuna ædificauit, dilatando refectorium & dormitorium, ac fabricando cisternas amplas, præter illas quas habebant, ad colligendas de tectis aquas & ad easdem purgandas: quarum ferè semper in æstate magnam patiebantur penuriam; præsertim pluuijs diu deficientibus. Et quandoquidem ambitus monasterij C olim non erat perfectè quadrangularis, sicut hodie. Cardinalis, executor solitæ magnificentiæ ac munificentiæ Gregorij XIII erga pias & religiosas personas, illum effecit talem, atq; ad vtilitatem Matrum conuentualium & ornamentum publicum, ad perfectam (quæ hodie cernitur) formam perduxit.

Monasterij Bononien. amplificatio.

b *Vide Vita prima num. 13 & seq.*

CAPVT X.

Extrema ægritudo, & mors B. Catharinæ.

100 CEterùm, non multò post recuperatas vtcumque à morbo prædicto vires, cùm illius anni sexagesimi secundi Hebdomas sacra adesset, & iuxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem in festiuitate Cœnæ Domini abluendi Sororibus pedes forent, fecit hoc ipsa singulari cum caritate & gaudio: atque expleto Mandato feruentissimam ad omnes, vt sæpe alias, cohortationem fecit, eamque ad quatuor minimùm horas protraxit; quantum esset animarum, Christi sanguine redemptarum pretium fusè explicans, & quam graui errore tenerentur ij, quibus curæ non est, animam ab omni inquinatione puram mundamque conseruare: tum etiam duarum nobilissimarum virtutum exaggerauit excellentiam, quarum vna in fraternâ caritate consisteret, altera in visccerali quodam amore Crucis, vtraque verò efficacissimum medium esset ad cordis puritatem Deique gratiam & felicem in eius dilectione perseuerantiam obtinendam. D Simili modo cùm annus iam prodigiosæ ipsius conualescentiæ penè totus effluxisset, vigesimâ quintâ Februarij die a, conuocatas in Capitulum Sorores per tres horas est allocuta, prædixitque vltimas illas esse vices, quibus ipsas hoc modo alloqueretur. Verùm attonitis ad hæc omnium animis, nulla fuit, quæ caperet verbum istud, quemadmodùm Apostolis quoque vsu venisse legimus, Christo de imminenti Passione loquente: eo etiam minùs, quòd proximis Sabbati Dominicæque diebus læta & hilaris cum ipsis versaretur, nulla vicinæ mortis signa exhibens.

Feruentem ad suas exhortationē habet,

CAP. XIII a & aliam anno sequenti,

101 Sub vesperam verò diei Dominicæ, post cœnam in communi triclinio sumptam, versùs dormitorium regrediens, sustulit in cælum oculos, & Poteras, inquit, dilectissime Iesu, adeò desideratam mihi gratiam facere, vt priuata morerer. Aberat non procul Illuminata Bembi, atque hæc verba audiens, festina accurrit: &, Heu me, inquit, Mater carissima, adeóne tibi nunc malè est? Est, ait: cursum ego meum consummaui. Auertat istud Deus, regerit altera: nam si tu morereris, quid nos porrò misellæ orphanæ ageremus? Respondens Beata, Pacem habetote, inquit, & E libenti manete animo: meliùs vos adiuuabit Deus postquàm hinc digressa fuero, quàm si ad consummandā monasterij fabricam in viuis remanerem: citiùs illa moriente me perficietur, mihi credite. Vos tantùm vt Regularum sitis obseruantes, videte; nec deero vobis, quamuis mortua, imò maiori vel sic præsidio ero. Benedictus Deus, qui me ad desideratam quietem perduxit, decurso peregrinationis meæ spatio, nec siuit vmquàm me à Crucis suæ rectissimâ semitâ declinare.

vicinamq; sibi mortem esse denuntiat,

102 Hæc locuta, quia subitò quodam grauissimoque dolore premi se sensit, in lectum reclinauit corpus, à quo surrectura erat numquàm: accedenteque capitis & pectoris cruciatu maximo, sanguis etiam copiosior solito cœpit profluere per hæmorrhoides, eamque effusionem secuta est acutissima febris, quæ demùm ei vitam abstulit. Ita totâ illâ hebdomade iacuit magnâ cum patientiâ & mansuetudine tolerans omnia, sacrâque Confessione animum identidem expians, solita quandoq; oculos in Crucifixi imaginem, è pariete pendentem conijcere: eamque cantionem suauiter modulari quā ipsa vernaculo rhythmo composuerat; sed velut si alterius fuisset, solebat vsurpare F hoc principio: Anima benedetta d'al alto Creatore
Risguarda il tuo signore che confitto ti aspetta.
Sorores autem consciæ non alium eius auctorem esse quàm Catharinam: postmodùm eamdem tacito nomine transcriptam varijs ciuibus tradidêre: vnde factum est, vt in quadam sacrarum cantionum compilatione sub nomine incerti auctoris prodierit.

& decumbere incipit,

inter dolores & exercitia pietatis.

103 Eadem exercitia per primos sequentis hebdomadæ dies inter acerbissimos dolores vsurpauit: feriâ autem quartâ, quæ nona Martij dies fuit; primo manè accersiri ad se Vicariam iussit Sororem Ioannam Lambertini, raræ prudentiæ & sanctitatis fœminam, in quam totius domus, moriente Catharinâ, incumbebat administratio; eique monasterium Sororesque dilectas, quàm potuit instantissimè, commendauit. Deinde iniunxit, vt vestes aliasque eiusmodi res cuiusdā Religiosi Nouitij, de mandato Patris Guardiani certis de caussis depositas apud moniales, diligenter seruaret, Vt in promptu sint, inquit, cùm fuerint repetitæ. Quod spiritu prophetico dictum ab illâ fuisse, præuidente Nouitium istum non multas post septimanas, deserto religionis proposito, rediturum esse ad seculum, & secularem habitum resumpturum, subsequens euentus patefecit.

9 Martij Vicariam accersit,

104 Post hæc cùm ea dixisset ac fecisset, quæ alibi dixisse atque fecisse moribundam narratum est, suauiter

& moritur

A ter IESV nomen ingeminans, obdormiuit, sub horam prædictæ diei decimam quintam *b*, Æræ Christianæ anno supra millesimum quadringentesimum sexagesimo tertio, vitæ verò suæ quadragesimo nono. Secutus morientem est fragrantissimus odor, multumque ab eo diuersus, quem tali loco ac tempore exhalare poterant medicamenta, ad epithemata variasque vnctiones pro morborum ratione præparata. Communem sacrarum Virginum planctum nihil attinet explicare; cui ciendo cùm multa virtutum eius collatorumque in singulas beneficiorum memoria abundè sufficerent; nouum tamen argumentum Pater Confessarius adiecit, prælegens ex producto tum primùm ipsius de septem armis spiritualibus libello sanctissima monita, quæ Filiabus suis veluti testamento legauerat. Post hæc eodem Confessario omnia dirigente delatum in ecclesiam cadauer est, decantatoq; Officio funebri, eo humatum modo qui alibi satis explicatus inuenietur.

libellus à morte inuentus legitur.

a *Hac anno 1463 quando x Aprilis Pascha celebrabatur, fuit Feria VI post Cineres: ita vt initium morbi eius vltimi in primam Quadragesimæ Dominicam inciderit.*

b *Quæ 9 Martij, quando Italis hora meridiana est decima nona diei, conueniebat cum Transalpinarum nationum horâ octauâ* B *matutinâ.*

CAPVT XI.

Ingens erga Deum & proximum caritas atque orandi studium.

LIB. III CAP. I

105 NVnc ad eius virtutes enarrandas accingimur, quarum memoriam, tamquàm viuam suæ vitæ imaginem filiabus primùm suis, deinde per earum relationem toti reliquit posteritati. Harum ordine & dignitate prima est ardens erga Deum amor, cuius indicium sæpenumerò cuidam è sociabus familiariori fecit his verbis, ab eadem scripto consignatis: Quando recessi à seculo vnicum meum propositum fuit Dei voluntatem facere, eumque perfectissimo amore diligere: atque in hoc meum omne studium collocaram; nihili æstimans si toti mundo vilis, imò odibilis fierem, modò Deum amarem. Cùm verò infantulum Iesum pluries suis strinxisset amplexibus, tenerum erga eum affectum testabatur non solùm suauissimis colloquijs, quæ cum ipso miscebat; sed etiam speciali diligentiâ, quâ imaginem eius partim in varijs monasterij locis depingendam, partim intra maiusculas litteras atque C ad oram librorum, quos scriberet, curabat exprimendam: eiusdemque fascijs inuoluti similitudinem aliam adornauit, quæ in monasterio Corporis Christi Bononiæ etiam hodie asseruatur. Vt autem Verbum Incarnatum sæpissimè, ita alias quoque sanctissimæ Trinitatis Personas affabatur frequenter, & suum eis explicabat amorem, ex ardentissimi pectoris fornace velut scintillas, emittens simplicis sed pij styli versiculos quosdam à se compositos, quos recitabat monialibus easdemque incredibili cum iucunditate docebat.

Quam feruidè Deum dilexerit Catharina:

sacræ Christi humanitati singulariter deuota,

106 Frequenter etiam solebat dicere: Quàm miserabile est cor, quod alteri quàm Deo contendit placere, qui nos tam caro redemit pretio, & se totum nobis donauit! Interrogata quonam exercitio ad Dei amorem, qualem ipsa obtinuerat, pertingere liceret, dulcissimè subridens respondit, Omne studium adhibendum, vt cognoscamus nos ipsos nihil esse, nostrumque esse à Deo accepisse: exploratos habeamus defectus nostros, & temporis consideremus breuitatem, cuius maxima habenda ratio, cùm, quamdiu agitur, vitam æternam promereri possimus, nos tamen id pro libitu expendimus & perdimus. Sed ante omnia recordemur ingentis bonitatis Dei & amoris, quo nos prosecutus est & prosequitur, quemque demonstrauit in Verbo suo, hoc est, Vnigenito D Filio, dum eius pretiosum Sanguinem pro nobis effundi voluit, cuius capiendi & conseruandi nos vasa sumus: & ad hunc scopum affirmabat, quòd nec crux, nec clauus potuisset Verbum Diuinum tenere affixû, nisi amor concurrisset; totoque vultu mutata, Quodnam, inquit, cor non ex omnibus viribus per amorem cum Verbo diuino vniatur, vt fructum Sanguinis eius participet? Beata illa anima, quæ dulciter Deum cognoscit, & id amat, quod de Dei bonitate intelligit, odit autem quod de se in suâ sensitiuâ parte cognoscit. Propterea monebat, à somno mentis surgendum, nec dormiendum, quandoquidem Dei bonitas circa nos vigilet, ac tempus præterfluat, non nos expectet; ne (quod absit) Iudex nos inueniat dormientes, rationem exacturus temporis concessi & gratitudinis erga Sanguinem suum pretiosum.

docet quo motiuo Dei amor comparari possit,

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

107 Cùm quædam deuota Dei famula ei diceret; Bono animo essem, si facere possem quod tu; respondit: Oportet te facere quod in te est. Percontante eadem, quidnam sibi agendum, subiunxit; Si tu, quæ non ita pridem seculum nequam deseruisti, cupis amare & gustare Deum, has necesse est habeas conditiones. Primùm requiritur contemptus terrenorum, id est, asperneris & abomineris omnia mundana, respuas E cuncta gaudia & oblectamenta, atque obliuiscaris parentum & amicorum: quia si totum vis, totam te dona Iesu benedicto. Secundò sustineas omnia sine rancore, hoc est, magno feruore & patientiâ omnem perferas iniuriam & mortificationem; quamlibet ames vilitatem & aspernationem, atque in calcandâ viâ Crucis omnem operam ponas. Tertiò necessaria est exstirpatio vitiorum, id est, profliges & extermines vitia & malas consuetudines, omnesque alios mores & gestus seculares ac sensuales, vt Christo queas conformari. Quartum est, Corporis & mentis refrænatio: hoc est, propriâ abneges voluntatem & omnes corporis sensus mortifices, non sequendo tuos affectus; sed viriliter carnem spiritui subijciendo, & propriæ non erranti conscientiæ obediendo, vt verâ pace & tranquillitate potiaris. Quintum denique est compassio proximi, id est, cæcitati omnium peccatorum, qui bonâ voluntate destituti sunt, compatiaris, semperque pro ipsorum salute Deum preceris: compatiaris quoque infirmis, ac libenter inseruias illis, quando tibi fuerit iniunctum: Dominus enim in die iudicij dicturus est, Infirmus eram & visitastis me. Matth. 25

quæ sint conditiones ad hoc necessariæ:

108 Hæc sciens & effectui mancipans documenta, operam dabis, vt alia quinque in te reperiantur. Primò corporis & mentis occupatio spiritualis, id est, mentem occupes aliquâ piâ & salutari meditatione, F nec vmquàm otiosam relinquas; etenim multa mala docuit otiositas. Secundò serenitas mentis & vultus, id est, semper sis hilaris & iucunda, sed religiosè ac modestè; quod obtinebis, quando nihil contra conscientiam feceris & pacem habueris cum Deo & hominibus. Tertiò confidentia in Deo, vt firmam in Deo spem ac fiduciam colloces in aduersis, & ad hæc toleranda humiliter te demittas. Quartò humilitas cordis, vt extrinsecùs ostendas te potiùs ignorantem, quàm sapientem, dicente Domino, Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum? Quintò denique timor Dei, id est, metus ne quidquam admittas, quod ipsi displiceat, & saluti proximi aduersetur, cum perpetuo desiderio conformandi te Diuinæ voluntati. Et quando ad hos quinque gradus perueneris, oportet te alios quinque conscendere, atque tum eris beata. Primus est veritas perfectionis, vt perspectam habeas perfectionis veritatem. Secundus liquefactio, nempe ita sis cum Deo vnita, vt amore eius te sentias liquefieri. Tertius, vnitas; nimirùm adeò cum Deo sis coniuncta, vt cum S. Paulo dicere queas; Cupio dissolui & esse cum Christo. Phil. 1

quibus virtutibus obtineatur:

& per quos gradus perficiatur?

 Quartus,

A Quartus, iucunditas, hoc est, in solo Deo delecteris & mentem habeas ab omnibus, quæ extra Deum sunt, abstractam, vt possis dicere: Qui creauit me, requiescit in tabernaculo meo. Quintus, laudatio, id est, iuge desiderium laudandi Deum, à quo omne bonum procedit. Hæc iam recensita documenta omnia in hac sanctâ Virgine purâque eius animâ, non tantùm quoad scientiam, sed etiam quoad praxim resplenduêre, vti obseruatum est. Vnde aiebat, Quando reliqui seculum, vnicum obiectum & finis meus fuit perficere voluntatem Dei, eò quòd cuperem eum perfectissimo amore diligere; dieque ac nocte aliud nec cogitabam nec inquirebam, quàm vt possem intelligere, cognoscere & amare Dominum meum, & omnes in id neruos intendi; nec dedignabar à toto mundo sperni, dummodò Deum amâssem.

AVCTORE IACOB. GRASSETTO. Eccli. 24

CAP. II

109. Porrò quemadmodùm feruidus ignis scintillas ex se proijcit; sic ingens Dei amor, quo feruebat Catharina, excitabat continuam in eâ deuotionem, orandi penè inexstinguibilem sitim, & consuetudinem in omni loco atque cum omnis generis personis verba de Deo faciendi. Vnde frequenter corpore quidem versabatur in terris, animo autem in cælis; adeò vt externis officijs aut exercitijs corporalibus non occupata, itemque temporibus silentio dicatis, totam se daret orationi mentali; à quâ nunc mœsta, nunc læta abibat, pro diuersitate gustuum & affectuum sub ipsâ perceptorum; licet in omnibus actionibus & apud quascumque personas ferè semper vultus serenitatem prætenderet, cum modestiâ (quæ numquàm ipsi deerat) coniunctam; atque intra se & cum proximis ingenti gaudebat pace. Aderat illi perpetua in Deum fiducia, nec vmquàm de diuinâ diffisa est clementiâ. Sensus & gustus in meditatione hausti gratiam ei conciliârunt lacrymarum; & per continuos diuini amoris actus eò deuenit, vt sæpè cuperet dissolui & esse cum illo. Multas sententias sacræ Scripturæ proferebat, & interdum etiam versus seu rhythmos spirituales à se compositos. Breuiter, omnibus in rebus studebat laudare & magnificare Deum omnis boni auctorem. Quod ad orationem attinet, aiebat sibi necesse fuisse leoninam naturam inducere, vt diù noctuque orationi vacare posset, quâ numquàm satiabatur. Agens Abbatissam cùm adhuc tam grauiter instaret orationi, aliquando interrogata est, qui tantam animi solicitudinem ac distensionem perferre posset infirma, & singulis horis cum domesticis & extraneis occupata. Respondit eleuatis in cælum oculis: Scito, Soror, ac certum habe, mentem meam adeò esse defixam in rebus, non terrenis (hic substitit & siluit: posteà subiecit) vt quacumque horâ & momento volo, mox sine vllo medio sim coniuncta Deo, & libera ab omnibus rebus corporeis & transitorijs: sed huc non perueni sine acerbis & innumeris meis tormentis, quoniam via virtutis ardua est & arcta. Perseuerantia in oratione fuit mea vita, alumna, magistra, & mea consolatio, mea recreatio, mea quies, meum bonum & omnes meæ diuitiæ: ipsa me liberauit ab omnibus culpis mortiferis: per illam viuo: ipsa me nutriuit instar matris suos infantulos lactantis. Oratio omnem expellit tentationem & euagationem mentis, tribuit voluntatem agendi pœnitentiam, diuino inflammat amore, submouet amorem mundi, nec melior suppetit modus acquirendi amorem Dei. Sed & magnam mihi gratiam præstitit Deus, quòd numquàm mihi placuerunt spiritus demonstratiui & teneri, hoc est, qui externis signis deuotionem suam produnt: qui quamlibet in oratione dulcedinem & gustum sequuntur, suosque spiritus abripi sinunt, ac deliquium animi patiuntur. Si, inquit, vellem eiusmodi gustibus indulgere, sæpiùs essem extra me, rariùs apud homines.

Orandi assiduitas,

B

& erga res diuinas affectus,

mentem esse in Deû defixam tenent.

C

Non placet ei deuotio extrinsecus demonstrata.

110 Hoc non habebat in more, sed valdè oderat; & quos cernebat istis suauitatibus capi, appellabat spiritus demonstratiuos, à quibus ita abhorrebat & offendebatur, acsi letale vulnus acciperet. Quod satis apparuit, dum quodam die sub sacrificio Missæ audiret cantum Angelorum, cuius suauitate spiritus cœpit quasi à corpore abstrahi: ipsa verò (vt alibi dicetur) ita sedatè ac placidè sese inclinauit, vt nulla ex vicinis quidquam in eâ aduerterit. Vnde lubens se ab alijs auertebat; non quòd omnibus in rebus cum omnibus non indifferenter conuersaretur, sed faciem aliquantulùm sic dimouebat, vt nullam conspiceret, quò meliùs intenderet Deo. Nihilominùs operi insistebat, corpus strenuè exercens, animum autem circa Deum occupans: ac sæpius testata est, se cum alijs ex obedientiâ laborantem maiorem in oratione gustum percepisse, quàm cùm extra tempus ab Ordine constitutum suapte sponte sola esset in ecclesiâ. Sic sub communibus laboribus multas promeruit visitationes & illustrationes cælestes. Quare solebat dicere Sororibus: Continete vos intrà silentium, & quælibet habitet in cellâ cordis sui, ibique proponite vobis sudores & opprobria Christi; quoniam Deus vbique sese offert & largitur, in Capitulo atque in omni angulo, vbi sanctum seruatur silentium; quod appellabat Episcopum cogitationum, ac mirum in modum commendabat. Ex hoc orandi iugi desiderio atque assiduâ consuetudine processit, vt supra modum amaret ecclesiam & in eâ libentissimè moraretur, nec vmquàm lassesceret. Vnde cùm mens eius his deuotionis exercitijs perpetuò occuparetur, erumpebant iugiter è corde eius suspiria & verba suauissima, quando aderat Sororibus, prodebatque foras quod interiùs gustabat: Nam ex abundantiâ cordis os loquitur. Consueuerat dicere, quòd volenti se dignè præparare ad orationem, inesse debeant septem conditiones. Primò animum & cor habeat mundum ab omni peccato. Secundò purâ moueatur intentione, zeloque ferueat honoris diuini. Tertiò viriliter perseueret & præteritorum bonorum oblitus semper de nouo sese exercere incipiat. Quartò humiliet se in conspectu Dei non tantùm propter peccata propria; sed etiam omnium, qui in mundo sunt, cum feruenti desiderio satisfaciendi pro illis. Quintò non sibi ipsi fidat, nec proprij sit iudicij, & opera sua, quamuis bona, semper habeat suspecta: cùm magna sit stultitia de se ipso præsumere & sublimiter sentire. Sextò omnem spem ponat in Domino, certus quòd numquàm deserat sperantes in se. Septimò in diuinâ maneat præsentiâ, hoc est, imaginetur se semper versari coram Deo, ipsumque nos intueri.

D

Inter laborandum intendit Deo.

Silentij amica,

E

& ecclesiæ,

Matth. 12

ritè orature necessaria docet.

111 Concludebat, quòd animam talibus benedictionibus repletam & ornatam non dubitaret affirmare dignam diuinâ præsentiâ, omnique momento se posse eleuare in Deum. Sed monebat cauendum iis, qui ad tantam sublimitatem peruenissent, ne se magni facerent aut superbirent, sed semper humiles persisterent, ne de tam alto gradu in profundum miseriarum præcipites ruerent: sicut ferè Catharinæ vsu venit, non propter superbiam, sed nimiam orationis, cuius erat sitientissima, assiduitatem, forsitan vires eius excedentem. Quia nec post preces Matutinas vmquàm dormiebat aut quiescebat, & ob parcitatem somni, copiosam lacrymarum effusionem, variosque insultus & tentationes diaboli, quibus affligebatur, ita cœpit deficere, vt insaniam timeret; vnde conscientia tanti rigoris laxationem suggerebat. Verùm hæsitauit num parere deberet huic suggestioni, verita ne à diabolo aut sensualitate proficisceretur: & gustu ac dulcedine orationis tracta supplicauit Deo, vt dignaretur suum sibi beneplacitum manifestare. Igitur finitâ aliquando oratione, reclinauit se in anteriori parte cellę ad tabulam quandam, cumque aliquantulùm obdormiuisset, ecce apparuit S. Thomas Cantuariensis, cui erat deuotissima, indutus Pontificalibus; innuens ei, diligenter aduerteret, altâque mente reponeret, quid & quomodò

F

Euadit periculum insaniæ ex nimia orationis assiduitate,

monita à S. Thomâ Cantuariensi.

A quomodò ipse ageret. Vidit ergo aliquamdiu orationi intendentem, deinde surgentem & quieti se dantem, tum ad orationem redeuntem, signoque monstrantem, vt & ipsa hunc modum seruaret. Dehinc accedens, manum suam ei osculandam præbuit, & ipsa euigilans, oculósque aperiens expressè illum conspicata, sacramque eius manum osculata est, quemadmodùm Catharina propriâ manu scriptum reliquit, hodiéque in eius Breuiario legitur hoc modo: S. Thomas meus gloriosissimus & clementissimus Patronus, qui manus suas sanctissimas ostendit mihi, & osculata sum illas dulciter in corde meo & corpore meo. Ad laudem ipsius scripsi & narraui hoc cum omni veritate. Et ita post Matutinum Officium aliquamdiu orabat, & aliquamdiu quiescebat, documentum sui dulcis magistri S. Thomæ Cantuariensis reuerenter obseruans.

CAP. III *In diuino Officio deuotissima*

112 Erat Catharina deuota & feruens, non solùm in orationibus suis priuatis, sed etiam publicis diuinis Officijs nocturnis & diurnis, quæ in choro peragebantur; quibus tanto feruore intererat, vt omnes monasterij Sorores antecelleret. Tantum gustum in ijsdem percipiebat, sicuti ex eius gestibus liquidò apparebat, tantámque animi adhibebat attentionem, vt B numquàm aduerteret quid in choro fieret, quæ ibi esset vel ambularet, quæ accederet aut recederet, & sæpè alijs in medio chori stantibus, ipsa velut immobilis loco suo manebat, vultu erecto & oculis in Crucifixū defixis. Frequenter etiam tracta à petentibus facultatem abeundi, non mutabat hunc statum, sed in eodem persistebat. Quin etiā occasione oblatâ dicebat, diuinū Officium ritè volentem persoluere quinque conditiones habere oportere; primò omnem caueat desidiam & somnolentiam, atque sub ipso summam exhibeat reuerentiam; nec sibi persuadeat, quòd solo Cursu B. Mariæ Virginis absoluto satis debito suo fecerit. Secundò totum ab initio ad finem vsque continenter persoluat sine interruptione. Tertiò silentium teneat, quia tum temporis fas non est sine magnâ necessitate cum alijs loqui; proinde antequàm illud inchoët, siue in choro siue extra chorum, benè se obseruet. Quartò distinctè seu cum punctis debitis recitet, neque nimis celeriter, neque nimis lentè: at seruet medium, atque ordinem decentem. Quintò ingenti persoluat feruore sine vllo tædio, sustinens patienter quidquid tum molesti accidit, séque submittat vnicuique, & propriâ voluntate posthabitâ omnibus Sororibus cedat, nolítque voce suâ illas superare, sed in cunctis humiliter C modo debito concordet ceteris. Et hoc est, quod conseruat concinnumque reddit diuinum Officium.

docet requisita ad legitimam illius persolutionem.

Ista omnia refulsêre in hâc sanctâ animâ, quæ tantam in choro ostendit caritatem, vt aliquoties emendans psallentes, si fuisset possibile, lubens omnia verba, circa quæ fiebant errores, cordi & ori Sororum immisisset, & adeò dulciter ad aures ipsarum se inclinabat suggerens illa ipsa verba, vt stupor esset videre gestus & actus tam eximiæ caritatis. Adhæc erat ei Breuiarium, quod ipsamet magno labore conscripserat, & hoc non habentibus commodabat. Raro in choro aut Capitulo defectus & errores aliarum aduertebat, cúmque ipsi referrentur, valdè stupebat; dicentique Matri Abbatissæ, Soror Catharina, videris numquàm esse in choro, respondebat: Et ipsa miror nihil me animaduertisse. Affirmabat esse magnum vitium, quòd vbi sunt tot spiritus Angelici cælo delapsi & nobiscum ad laudandam Diuinam bonitatem congregati, & vbi summa & infinita reuerentia exhibenda est, ibi vnquam inueniatur, quæ ausit ridere, quod grauiter offendit Deum; & hinc nascitur, quòd nullum ex Officio diuino gustum percipiat: si enim perciperet, cor ad Deum erigeret, & ad sacra atque melliflua verba Spiritus sancti, non ad aliud quidquam aduerteret; haud namq; possibile est versari cum Angelis ac psalmodiæ intendere, & cor ad terrena deprimere animoq; vagari atque balbutire in choro, vbi Deus ita feruenter ac hilariter laudandus est, vt auscultans nullo afficiatur tædio & molestiâ. D

& attentissima

damnat risum in choro.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

113 Valdè exultabat & iubilabat sub Officio mortuorum, aiebátque id inflammare corda frigidorum & glacie constrictorum, propterea libentissimè ipsum recitabat. Officium de Dominâ numquàm intermittebat, nec minori deuotione persoluendum asserebat quàm alterum, suspiciénsq; in cælum; O, inquit, stultitia, ô cæcitas, ô fragilitas humana, quàm miserabilis es! Mihi dignitatem & excellentiam Matris Dei atque aliorum Sanctorum consideranti, videntur hi cum immaculatâ & purissimâ Virgine Dei Genitrice, habitaculo Verbi Diuini, comparati quasi stellæ iuxta solem positæ. Officium illius Sancti cum maximâ solennitate ac gaudio celebrauimus, & dicturæ Officium Reginæ cæli videmur grauari ac viribus destitui. Et subiunxit: Qui præstantiam ac meritum diuini Officij cognosceret, ad sanguinem vsque, vt eidem interesset, vim sibi faceret, nec sine graui ac iustâ necessitate inde recederet. Quod verbis astruebat, etiam reipsâ præstabat: nec abibat, licet aliquid negotij sibi incumberet: neque ob labores, morbos, tribulationes & consolationes vnquam emanebat, nisi quando ex obedientiâ E quippiam erat faciendum. Et concludebat, Religiosam, quæ vbique conuentui adesset, in choro, diuinis Officijs, refectorio & dormitorio, certò inter Martyres & Confessores insigne præmium recepturam. Sed caro & sensualitas nostra (aiebat) nos deprimit: diabolus nouit artes detinendi nos, ne ad preces Matutinas surgamus. At si possemus intelligere & explicare vtilitatem, quam affert animæ perseuerantia in Officio diuino, tam facilè ac leuiter ab eo non recederemus. Crebrò tantum sanguinis profluuium patiebatur, vt vix per scalas posset descendere, tamen in eodem stabat erecta. Quod si interdum non intererat principio Missæ aut Horæ Canonicæ, publicè ream se agebat, humique cibum capiebat sicut iuniores Sorores. Planè mirabile erat videre ipsius in omnibus & ad omnia promptitudinem ac feruorem, non allegabat senium, nec quòd ex primis esset, quæ monasterium inchoassent, neque auctoritatem affectabat; verùm tamquàm simplex & Nouitia currebat. Audiens pulsum dicebat: Tuba nos vocat, Angeli inuitant, obedientia accersit: præparemus corda nostra, vt aliquid in granaria nostra inferamus. Venite Sorores, eamus Diuinam laudaturæ bonitatem. Vsque ad tempus refectionis spiritualibus vacabat exercitijs; post refectionem interrogabat Sorores quid esset lectum super mensam, vt materiam & occasionem illis præberet mentem sanctè occupandi: & rapacitatem appellabat cor tantoperè circa ventrem explendum distinere, vt anima impasta maneat, suóque exemplo quid agendum esset satis demonstrabat: nam ad mensam sedebat ceu insensibilis, & aliquoties sublatis in cælum oculis, tota in id, quod legebatur, videbatur absorpta. F

Officiū defunctorum

& B. Mariæ valde afficitur.

diligentiam ad Officiū commendat

exemplo,

& attentionem tempore refectionis.

114 Non minor fuit Catharinæ erga proximos caritas, salutísque animarum immenso flagrauit desiderio. Tam impensè amauit suas dulcissimas Sorores, & ita reuerenter ac humaniter earum defectus corporales ac spirituales tolerauit, vt non sit vsquam mater tanto ergo proprias filias caritatis & pietatis affectu feruens. Sorores nuncupabat Dominas suas, cùm sint (inquit) sponsæ Domini mei Iesu Christi. Inter ardentes orationes, & prompta seruitia eisdem exhibita, memoriâ dignum est, quod cùm quadam tentatâ accidit: solet enim vsuuenire athletis Christi, vt quantò altiùs à Deo euehendi sunt, tantò acriùs ab inimicis spiritualibus infestentur. Videns ergo Catharina hanc Sororem afflictam & tentatam, acciuit eam ad se, blandóque vultu dixit: Soror mea dilectissima, volo te admittere consolationem, & constanter cœptam vitam monasticam prosequi, fortitérque cum inuisibili hoste confli-

Caritate eximiâ

consolatur aliquam tentatam.

A confligere. Parata sum pro te sustinere pœnas purgatorij vsque ad diem extremi iudicij ad satisfaciendum pro peccatis tuis, quę omnia suscipio in me, totóque corde me offero ad agendam pro illis pœnitentiam, & dono tibi partem bonorum meorum, si qua in me sunt vel esse possunt, dummodò in Religione perseueres, fidémque Creatori tuo serues. Animaduertens hæc Soror caritatem huius benedictæ Matris, quotidie se precibus eius commendauit; vnde factum, vt lubens ac læta in cœnobio permanserit, & posteà in Matrem alterius monasterij fuerit electa: quod acceptum ferebat intimæ caritati B. Catharinæ. Quæ tanta fuit, vt etiam ad eas, quæ futuris temporibus in suo cœnobio erant Religionem professuræ, sese extenderet; ad quas iuuandas sanè graues exantlabat labores, doloresque sustinebat, Interim (dicens) dignetur nobis Dominus Deus præsto esse, virésque ad omnia ritè construenda & disponenda sufficere, vt ad hunc locum venturæ summam perfectionem sine talibus molestijs obtineant. Quæ profectò tam multæ & magnæ erant, vt nisi amor Sorores roboràsset, viribus defecissent: at ipsi tantus inerat diuini honoris zelus, vt quodlibet incommodum & laborem lubenti perferret animo. In duobus membris, tergo & pectore, fuit B læsa, eò quòd currus calce onustus eam ad murum allisisset, dum exstrueretur monasterium: nec ei curandæ adhibitæ sunt medicinæ corporales, solus Deus ipsam sanauit. Et quamquàm non esset ampliùs iuuenis, quoscumque tamen subibat labores, asserens Sorores suas, ceu adhuc iuuenculas, ijsdem impares esse.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

& pro suis Sororibus labores multos sustinet.

115 Frequenter sibi necessarium victum subtrahens, reseruabat pauperibus eò aduentantibus. Conspiciens aliquam Sororem parcè comedere vel nimis exilem portionem alicui appositam (nam tunc temporis ordinaria refectio erat valdè tenuis, & Sorores erubescebant insuper quippiam petere, nec Mater monasterij poterat diuinare quid cuique deesset) adibat ipsa Matrem, postulans sibi ob necessitatem quamdam procurari ouum aut aliud quod ad manum esset. Cúmque accepisset, ferebat secum ad mensam putamina ouorum, suóque loco collocabat; oua verò cautè in suum mittens saccellum, posteà debilibus & penuriam patientibus præbebat. Sic etiam crebrò alijs in rebus faciebat, iam huic, iam illi subueniens. Idipsum obseruabat cum infirmis, ne in impatientiam laberentur, nec infirmitate oppressæ occasionem haberent offendendi Deum, obloquendo suæ præfectæ, repræ-C sentanti S. Claram; dicente Domino, Qui vos spernit, me spernit. In consolandis afflictis & tentatis non habuit parem. Ex animo optabant eam sibi Sorores in Matrem præfici, quod & expressè quàm sæpissimè testatæ sunt. Nouerat vulnera cordis: cùm quædam Soror a ad angulum cellæ ipsius habitans, prope ipsam staret, ex improuiso vultu placidissimo & iucundissimo ei dixit: O timida & pusillanimis præliatrix, finis te humi sterni? Soror afflicta eam aspiciens sentiebat se consolationem & animum recipere, quamuis Catharinæ suas afflictiones non reuelasset. Sola nempe ipsius præsentia & humilis ac pia allocutio videbatur immutare & releuare mœstam Sororem: & anteà non poterat cognoscere quidnam mali intra se haberet, cùm esset afflictissima & de suâ salute non parùm dubia. Ergo cùm Catharinæ suas miserias, fluctuationes & scrupulos, quibus agitabatur, aperiret, respondit illa: Quando percepi te velle fieri monacham, attentis vanitatibus quibus plurimùm dedita fueras, timore discruciabar, ne tibi contingeret, quod cuidam nouitiæ ad seculum reuersæ, & pro te oraui: vnde eo die, quo venisti, dum manè in templo orationi insisterem, apparens mihi Mater Dei significauit te in Religione perseueraturam. Et ita factum est; imò etiam fuit & decessit Abbatissa magnæ sanctitatis in cœnobio Corporis Christi Bononiæ. Catharina iam Abbatissa non

Subuenit pauperibus & indigentibus:

Luc. 10.

pusillanimē confirmat:

tempestiuè succurrit necdum petito auxilio.

exspectabat donec subditæ aliquid postularent, sed D oculo pietatis vigilabat super gregem sibi commissum, & accersebat Sororem afflictam, & nisi citò adesset, ipsamet eam adibat & dulciter solabatur ac recreabat: quare non erat ibi vlla murmuratio aut querela.

116 Dicebat Sororibus: Si alicui vestrûm acciderit quidpiam quod non aduerterem, nec auderet vel erubesceret me accedere, permitto vobis ab Officialibus necessaria petere. Si ipsæ non potuerint subuenire, recurrite ad me, ego vobis prouidebo: etiamsi noctu vel me dormiente quidquam contigerit, siue in corpore siue in animâ, excitetis me, vestrámque necessitatem explicetis. Nolo inter nos sit discrepantia aut singularitas, sed vnum cor, vna pax, vnus amor, vna vnio & vita Apostolica, omnésque simul tribulationes & consolationes nostras participemus, atque inuicem Deum precemur. Querelæ & murmurationes valdè illi displicebant, nec eas ferre poterat, atque in his delinquentes asperè obiurgabat; & mox ita mutabat vultum & sermonem, vt vultûs serenitas & suauitas sermonis indicaret, talem obiurgationem non ex animi perturbatione profectam, sed ex affectu caritatis atque ingenti desiderio hanc in omnibus seruandi illæsam: dicebátque ad eam, quæ fortè ægrè tulisset E correptionem; Volo te esse meam filam; & consolans ipsam blandissimè, Orabo, inquit, pro te Deum, filia, recipe consolationem: iam iam tui gratiâ paullisper ad ecclesiam me conferam: statimque ibat, brachia extendens ante Sanctissimum Sacramentum. Interdum turbatam Sororem secum ducens non recedebat, donec ipsam reddidisset pacatam. Quamobrem Catharina ab omnibus adeò diligebatur, vt se felices existimarent, quando poterant ei adesse atque dulcissima ipsius verba percipere. Commiseratio & humanitas eius erga ægrotantes explicari non valet: excusabat illas & se paratam offerebat ad preces pro ipsis fundendas, dummodò patienter suas tolerarent infirmitates, aiebátque ad illas: Sorores meæ, nunc estis amicæ & sponsæ Christi, amoris nostri; iam sanctis eius inhærentis amplexibus: deliciæ eius sunt esse semper cum ægrotis & tribulatis, vt testatur S. Paulus, Virtus in infirmitate perficitur. Quæ igitur non cupiat languores & dolores perpeti, vt tantum dominum apud se habeat, quantus est Deus noster omnipotens? Hæc est ingens beatitudo per afflictiones semper esse cum Christo; videtúrque nobis hoc incognitum vel insipidum. Apud omnes pariter & indifferenter talibus vtebatur sermonibus; nec abscessit dies, quo non alicuius F curationem susciperet & vel pedibus, vel manibus, vel auribus, vel alteri morbido membro medicamentum apponeret. In hunc finem habebat pyxidem medicinis refertam, nullámque ex omnibus ad se concurrentibus fastidiebat, nec fœtorem immunditiamúe exhorrebat; sed incredibili caritate vniuersas admittebat, suauiter compellabat, ac placidè morbos singularum, quàtumuis abominabiles, ferebat. Visa est frequenter linguâ lambere vulnera capitis, quibus nonnullæ affectæ erant; cúmque Soror quædam diceret: Quomodò potes hoc facere? respondit Catharina: Certa sis, Soror, quòd summæ gratiæ loco habeam talia seruitia præstare creaturæ Domini mei, qui propter me & illam volens tot vulneribus obsitus fuit, vt leproso similis esset; ingentique affectu dicebat: Domine, vesti me hoc caritatis & humilitatis pallio, vt omnibus horis te, Iesu Christe, possideam.

Querelas & murmurationesnon potest ferre.

Compatitur humaniter ægrotantibus

2 Cor. 12.

& earum sæpè lambit vulnera.

a *Fuit hæc Soror Illuminata Bembi, vt expressè cap. 5 lib. 3 Grassettus, fusiùs hæc aliaq; describens; sed nihil addens aut varians in substantiâ rei.*

CAPVT

CAPVT XII.

B. Catharinæ zelus, humilitas, obedientia, aliæque virtutes.

CAP. V. *Zelo animarum accensa*

117 EX feruenti erga proximos caritate ortus est in eâ zelus animarum & ardens sitis salutis ipsarum; quare iniuriam, quæ Deo per peccatum infertur, animo reputans, continuo mœrore tabescebat; nec aliud tam vehementer eam cruciabat, vti infelix peccantium status. Quantùm vicem illorum doleret, nullis exprimi verbis potest; assiduè pro ipsorum conuersione preces fundebat. Sanè quàm ardenter salutem eorum sitiret, hinc clarissimè liquet, quòd igne caritatis succensa feruentissimè ac humillimè Deo supplicabat, vt, si possibile foret, ipsa in imo inferni posita omnia tormenta, quæ merentur peccatores, sustineret, quò ijdem æterna tartari supplicia euaderent & cælestis regni gaudia sempiterna obtinerent. *optat multa pati pro peccatoribus.* Dicere solebat, se crebrò Deũ affectuosissimis lacrymis precatam, vt si diuinæ suæ Maiestati honor accederet è sui (in B gratiâ tamen & caritate existentis) perpetuâ damnatione, hanc sibi specialem gratiam præstare dignaretur, vt per suam seuerissimã iustitiam nouum & terribiliorem infernum fabricans, se, ceu maximam & nocentissimam peccatricem, in eo tamquàm incudem statueret, ictibus suæ rigidissimæ iustitiæ sine intermissione tundendam, ad expiandas omnium, qui vnquàm peccassent & peccaturi essent, noxas. Et quando Deum orabat, vt iniuriæ suæ Maiestati irrogatæ vltionem, omniumque scelerum à quibusuis peccatoribus (quorum salutem ex solâ postulabat misericordiâ) admissorum pœnas de se sumeret; diffidebat se exaudiendam, eò quòd opinione suâ numquàm reipsâ talentum caritatis sibi concessum satis in præsenti vitâ expendere potuisset: videbatúrque præ dolore disrumpi, cogitans huiusmodi talentum Dei gratiâ multis & sibi ipsi in loco cultui diuino dicato constitutæ collatum, nihil lucri afferre, nec in obsequium ac salutem animarum cedere, nec quidquam prodesse proximis, sed terræ suffossum & absconditum iacere.

Precibus conuertit desperatum extremo supplicio afficiendũ

118 Magnum hunc zelum sæpè aliàs declaratum insigniter hac monstrauit occasione. Erat quidam scelerosus flammis exurendus, qui Sacramentalem confessionem respuens, diabolum inclamabat. Audiens hoc Catharina graui dolore sauciata est, totóque die C precibus vacauit: vesperi verò rogauit Abbatissam, vt liceret sibi extra dormitorium orationi insistere: obtentâ autem facultate adijt ecclesiam & ante venerabile Sacramentum precari lacrymarique non destitit, donec preces Matutinæ in choro persoluerentur, quibus etiam cum alijs interfuit. Ijsdem finitis iterum brachijs coram sanctissimo Sacramento extensis dixit: Mi domine Deus, non hinc surgam, nisi mihi dones animam illam pretio sacratissimi tui sanguinis redemptam: Domine mi, ne deneges hanc tantis meis, licet indignis, precibus: aperi tuas pias aures & intende voci orationis meæ dum clamo ad te. His dictis, audiuit vocem Domini per miraculum è diuinissimo Sacramento dicentis: Non tibi ampliùs eam possum negare, volo tibi donatam & precibus tuis saluatam. Tota consolatione & gaudio repleta, nihilominùs in oratione perseuerauit: statim verò quidam accurrit postulaturus Matrum preces pro isto condemnato, affirmans eum ad magnam cordis contritionem permotum petere Confessarium monasterij: cui mox misso cum ingenti animi dolore peccata sua confessus est, licet fuisset admodùm flagitiosus. Posteà asino impositus, cùm ad patibulum duceretur, internum dolorem & contritionem signis non paucis neque obscuris prodidit, sed & ex animo à Deo criminum suorum veniam poposcit. In igne auditus est ab ijs, qui aderant spectaculo, D frequenter nomen Iesu pronuntiare; quemadmodùm à Catharinâ fuit instructus per deuotam epistolam eidem transmissam. *AVCTORE IAC GRASSETTO. aliosq; duos perditos peccatores.* Fuit etiam magnæ auctoritatis dignitatisque persona, cui coniuncta potentiæ opulentia scelerum fecerat libertatem: è quibus emergentia scandala sistere cupiens Catharina, cùm salutaribus apud eam monitis proficeret nihil; tandem ad orationis & pœnitentiæ arma consueta recurrens, obtinuit à Deo gratiam, quâ pectus illud emollitum omnem preteritæ vitæ turpitudinem ad pedes illius ipsius Confessarij deposuit, quo ipsa vtebatur, vitámque in meliùs commutauit. Ijsdem armis expugnauit animum cuiusdam infelicis apostatæ, qui post flagitiosam sacro sub habitu vitam, hunc quoque tandem imprudenter abiecerat: sed ad eum sponte ac pœnitens redijt, agenti intùs propter merita Catharinæ Spiritus sancti gratiæ nequiens vlteriùs repugnare a. Hunc suum sanctum zelum & pietatem etiam ad vitâ functos extendit, pro quibus feruenter orabat & ad id faciendum alias quoque hortabatur, dicens: *a Feruenter orat pro defunctis.* Quando cupio ab æterno Patre gratiam aliquam impetrare, recurro ad animas in locis purgatorijs existentes, vt meo nomine apud ipsum legatione fungantur, atque interuentu earum me exaudiri sentio. E Absolutis Matutinis de tempore, inchoabat Matutinas pro defunctis, & confestim vires recipiebat, inde non immeritò ipsorum pœnas remitti sibi persuadens. Ergo credibile est, Catharinam copiosâ suâ caritate ad tantum animarum zelum peruenisse, ex qua & verba hæc audita sunt: Diligamus nos inuicem, quia caritas ex Deo est: & qui diligit fratrem suum ex Deo natus est & videt Deum. 1 Ioan 4. Per caritatem erat coniuncta Deo & proximo, quia Deus caritas est & qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in eo: nec vllum è proximo scandalum accipiebat.

Defectum caritatis apud homines damnat.

119 Affirmabat homines seculares nolle quidquam laboris insumere vel aduersitatis perpeti propter proximos, atque animarum salutem: & caritatem non reperiri nisi in libris scriptam ac depictam in parietibus. Quòd autem corda humana tam essent frigida & indurata, non Deum vel defectum gratiæ in caussâ esse, sed defectum timoris & amoris suæ diuinæ maiestatis, & quòd omnes, quæ sua sunt, quærant; cùm tamen adhuc idem sit Deus, qui semper fuit. Proinde si hodie inueniretur Magdalena, quæ feruentiùs ipsum amaret, quàm olim illa Euangelica, ab eo etiam ampliùs diligeretur, atq; excellentiora charismata reciperet: & si iam existeret Franciscus, qui plura & acerbiora eius gratiâ pateretur quàm S. Franciscus, plura & maiora ei dona conferret: F itemque, si modò esset Clara, quæ ob sanctiorem vitam magis ipsi placeret quàm S. Clara, nobiliorem gratiæ thesaurum penes ipsam reconderet. Adiunxit, eos, quos oportebat caritate fulgere, oculos auertere à veritate & plus timere iudicia humana quàm diuina, aucuparique proprium honorem & famam, nec imitari vitam Saluatoris, qui negligi, sperni atque ex caritate dæmoniacus, stultus & peccator haberi, falsóque accusari voluerit, & omnia ob animarum salutem tolerârit. Fuit etiam, quæ audiuit Catharinam dicentem, quòd considerato Christi erga nos amore, numquàm omittere potuerit, quin intra se gratias ageret pro animâ & corpore vel vltimi & despectissimi hominis, pro quo sicut & ceteris omnibus non dubitaret famæ & honoris sui iacturam facere atque infamiâ laborare, imò animam, corpus & vitam amittere, vt Deus plus honoris & obsequij reciperet à multis, quàm à se solâ. *motiuum proximi diligendi* Et concludebat: Qui caritatem non habet, nihil habet, & in tenebris atque vmbrâ mortis manet. Hoc erat studium eius, quærere gloriam Dei, vnde iugiter pro salute aliorum orabat, optans vt totus mundus Dei sese seruitio addiceret. Quando dicebatur, Videris desiderare,

A rare, vt omnes Religionem complectantur monasticam, non aduertis, quanta in eâ tribulatio & aduersitas toleranda? Respondebat, Non sum ingressa Religionem ad captanda solatia & oblectamenta, sed ad mala & aspera perferenda, dummodò Deus meus laudetur & honoretur, etiamsi sequeretur damnatio. Deus non est ob priuatum commodum amandus, sed oculus intellectus, ad propriam vtilitatem & voluntatem reflexus atque ab eadem excæcatus, aperiendus est, ac solius Dei gloria attendenda voluntasque perficienda. Quoad se, multò magis diligebat & à Deo petebat iustitiam quàm misericordiam: proinde lacrymæ doloris versæ erant in lacrymas amoris. Auditum est ex eâ, non dolore sed amore ad fletum se impelli, & hoc acceptum ferebat orationi: Venerunt, inquit, mihi omnia bona pariter cum illâ. Idcircò ad firmandas radices amoris Dei & zeli animarum, inculcabat Sororibus, quòd à Deo tria accepissent talenta, & propterea sedulam nauarent operam benè vtendi eisdem, nempe, in memoriâ ipsarum habitaret Pater, in intellectu Filius, in voluntate Spiritus sanctus. Memoriâ recolerent beneficia à Deo Patre accepta; intellectum exercerent in consideratione aduentus Filij Dei in hunc B mundum; & quòd homo factus sit, vt vitam suam probrosâ morte Crucis finiret: voluntatem accenderent ardore Spiritûs sancti; cùm homini præstantius donum non sit collatum bonâ voluntate, sine quâ nemo possit saluari, cum quâ nemo perire. Crescat bona voluntas, & crescet meritum: in cælo coronatur bona voluntas, & in inferno mala punitur.

AVCTORE IAC. GRASSETTO. & ingrediendi monasterium.

Tria talenta à Deo accepta.

CAP. VII & humilitas Catharinæ

120 Fuit Catharina semper humillima & insignis sui ipsius contemptrix: non attendebat, quòd esset ex antiquioribus, sed infimum locum petens omnibus se submittebat. Omnia honorifica officia fugiens, viliora perpetuò amplectebatur, vt verrere pauimentum, lauare, pinsere panes; atque hoc vltimum diu obiuit, assistensque furno deuotionem ac commiserationem excitabat eam ibidem contemplantibus. Abbatissæ, Vicariæ, æqualibus & inferioribus, quas omnes appellabat sponsas æterni Dei, se subijciebat; & quia eius sanctitas, quam studiosè tegebat, non erat cognita, frequenter egregiè mortificabatur. Monstrabat se indoctam nihilque scientem; & quamquàm optimè sciret legere ac diuinum Officium sapientiùs ordinare, concinniusque persoluere quàm vlla alia, & dubia resoluere; nihilominùs legens in choro lectiones, ex humilitate non renuit, signo dato etiam à iunioribus, C subsistere; & interdum legendi imperitiam simulabat vt emendaretur, & sicut ante mortem fassa est, semper se æstimabat rudem atque inscientem. In vestitu exhibuit se supra modum abiectam & contemptibilem. Tunicam gestauit passim contortam & rugatam. Velum eius erat fragmentum alterius detriti & lacerati veli. Matri ad portam eunti comes suo se pallio amiciuit, tantam præseferens demissionem acsi nullius pretij & auctoritatis foret; multoque magis hoc faciebat, quando aliquis intrabat monasterium. Coram Matre reuerentiæ ergô sese vsque ad terram inclinabat. Cingulum ipsius ferè fuit funiculus ex corio & panno grosso compactus. Detestabatur eas quas vestium elegantia & ornatus delectabat; affirmans in veste cinerei coloris & in velo æquè graue delictum posse admitti atque in veste auro textâ. Monebat Sorores, vt quando incesseret eas cupido tunicam & velum sic aptandi, vt nulla in ipsis appareret ruga, sed plana essent ac decorè composita, mox distorquendo ea redderent laciniosa, inde gratiam & meritum apud Deum consecuturas; Ita (inquit) ego facere consueui. Verumtamen (licet rarò suas lauaret tunicas) ad Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum accedens, aut monachas visitans, optimis ac decentissimis vestibus, quas habebat, se induit: Nunc inquiens, Filium Dei suscepturа totam me intùs & foris mundabo.

In vestitu exhibet se abiectissimam.

Numquàm desiderauit, vt iam dictum, in pretio D haberi; ceteræ autem, licet è tam vilibus indumentis offensæ, semper tamen eam prædicabant humillimam, deuotissimam & patientissimam; quemadmodùm crebrò inter se de ipsâ colloquentes aiebant: O qualis est hæc anima apud Deum! tamen nemo de ipsa magnificè sentit. Veneranda Mater cœnobij Corporis Christi Ferrariensis, Soror Leonarda, cum illâ de negotijs occurrentibus conferebat, & in Capitulis eius sequebatur sententiam. Consulto conuentu ac singulis suam in medium proferentibus opinionem, ipsa quidnam sibi videretur rogata paucis hoc aperiebat, eiusque opinio potiùs quàm aliarum recipiebatur. Ita significabat hominibus magis placere eos, qui se ipsos aspernantur & humilitati student, quàm qui altè de se sentiunt & magnos se reputant. Sed & per humilitatem atque sui ipsius contemptum tantoperè cum Deo coniungi meruit. Inde quoque venit, vt semper quæsierit & elegerit abiectissima seruitia, ad quæ adeò promptè ac hilariter se obtulit, vt nihil esset ita laboriosum, vile, sordidum & fœtidum, quod vnquam recusârit. Cum aliquando Soror quædam ex commiseratione illam moneret, ne se adeò fatigaret & abiiceret tamquàm Nouitiam & seruam aliarum; Catharina iucundo vultu subridens, respondit, Ego sum mancipium dominarum mearum & sponsarum Iesu Christi: hæc est mea gloria & requies, prædurís laboribus pro omnibus defatigari; ne panis, quo sustentor, sit mihi panis doloris, & ne sugam sanguinem seculi, hoc est, pauperum, quorum sunt eleëmosynæ, in perniciem animæ meæ, nec sanguis Agni sit mihi in iudiciû. E

Quærit & eligit vilissima quæque seruitia.

121 Ex prædictâ humilitate & sui ipsius aspernatione repudiauit & deuicit omnem sensualitatem: quamdiu enim morata est in cœnobio Ferrariensi, nulli vnquam corporis membro applicuit pannum lineum, neque ad æstum temperandum, neque ad sudorem abstergendum, neque ad frigus arcendum: sed nec vi morborum, quibus à capite vsque ad pedes laborauit, ad hoc adigi potuit: sed amicta erat tunicâ simplici, quam tunc temporis omnes ex panno grosso & aspero ferebant, non ex panno, quo postmodùm aliæ vti cœperunt, è quo & Catharinæ renitenti tunica confecta est, quæ numquàm ipsi placuit; tamen ad morem gerendum dilectis suis filiabus illam accepit. Nolebat haberi, monstrari, nominari Magistra vel Præfecta, nec Sorores ad se nullâ cogente necessitate concurrere; quibus dicebat: Tametsi libenter ad me veniatis, nolo delectet vos vel mediâ horâ apud me hærere, sed potiùs orationi tempus impertiri ac Passionem Christi cum gemitibus & lacrymis meditari, & ipsa vos seruabit, eritque optima & perfectissima vestra Magistra: sin iusta vos premit necessitas, volo me etiam dormientem excitetis, & graui vexatæ tentatione, hanc simpliciter atque apertè mihi narretis. Non inutiliter tempus teratis meque & vos impediatis; nec dicatis, vos præ verecundiâ non posse eam explicare, deinde paulisper taceatis, posteà vnum verbum proferatis & post aliquod spatium aliud, cùm hoc potiùs sit opus diaboli, quàm Dei; sed vbicumque me offenditis, siue ambulantem siue subsistentem, in aurem mihi dicite: Talem habui cogitationem; hoc feci, peto pœnitentiam; receptoque à me responso, celeriter abite, & quod vobis dictum, facite; nec infantium more pedetentim reptate. Breuiter, nec curauit nec ostendit se esse Magistram, neque talis haberi dicique voluit. Suâ humilitate & dulcissimis sermonibus omnium animos ad se traxit, & in Capitulis incredibile gaudium erat suaues eius exhortationes percipere. Monebat assiduè, vt quælibet Sororum de alterâ benè loqueretur: semper eas ad sanctam humilitatem incitabat: prohibebat ne circa facta & negotia aliarum atque monasterij sese occuparent: cui enim sapit oratio, extra Deum nihil vnquam audire vel attendere libet. Debet quidem,

Repudiat omnem sensualitatem.

Renuit magistra vel præfecta appellari. F

Aquidem, sed & luberet mihi, aiebat, in omnibus, quæ ratione officij agenda, petere consilium non modò à discretioribus; sed cunctis etiam alijs. At quod ipsamet sine transgressione Regulæ perficere queo, perficio quemadmodùm mihi dictat conscientia. Nam videor mihi obligata ad subleuandum gregem mihi commissum, & auertendam ab eo omnem inordinatam solicitudinem mentes perturbantem, quas oportet esse puras, simplices, sine vllâ curâ rerum & negotiorum temporalium; vt ad maiorem sponsi sui familiaritatem pertingere possint, qui solus vult amari, atque purum & integrũ sibi famulatum impendi. Adeoque eam æstimabat insipientem, quæ aliorum defectus obseruaret, inquireret atque dijudicaret: asserens se multos annos in Ordine exegisse, nec vllum aduersùs Sorores iudicium admisisse, eò quòd nobis sæpè defectibus plena videatur paucisque donis prædita, quæ in gratiâ Dei est, & fortassis Diuinæ Majestati acceptior, quàm quæ extrinsecus speciem præfert probitatis.

Cur non omnia cœnobij negotia cum Sororibus cõmunicarit.

CAP. VIII *Obedientiæ studiosissima,*

122 Ex prædictis virtutibus egregiè in Catharinâ relucentibus profluxit, vt & in eâ, quæ Religionis fortè vinculum est firmumque stabilimentum, id est, Obedientiâ, mirè excelleret. Frequenter magno affectu de eadem virtute disseruit, præferens eam omnibus alijs, firmiterque tenens nullam vitæ austeritatem, nec corporis macerationem, aut castigationem huic posse comparari. Proinde quando fuit magistra & Præfecta, hortabatur crebrò Sorores, vt omnem adhiberent conatum illam assequendi, Nouitiasque rogabat, vt eidem sese penitùs addicerent, quam indicabat esse sacrificium, quod Deus exigit & exspectat à nobis, quodque orationi, contemplationi & dulcedini spirituali sit anteponendum: falli autem eos, qui se ad seruitium Dei conferunt, atque hoc in suauitate spiritus positum arbitrantur; Deo suos fideles famulos non ad hanc suauitatem, sed ad Crucis baiulationem & sui imitationem vocante. Vnde monebat eas, quæ orationi incumbunt & varias inde consolationes ac gustus referunt, admodùm cautæ essent ac prudentes, cùm affligi & cruciari longè præstantius sit. Hinc multos viros ac fæminas seruire Deo, atque ingentes gustus internos percipere, nec tamen gratiam habere patrandi miracula, vel cognoscendi aliorum secreta, aut præuidendi ac prædicendi futura; quæ conferatur ijs, qui in statu veræ ac humilis obedientiæ acerbas cruces perferunt. Idcircò commemorabat S. Franciscum dicere solitum, magis sibi placere Fratrem, qui tentationes sustinuisset, quàm qui consolationes ac dulcedines percepisset. Ad omnia obedientiæ opera descendit tamquàm Nouitia, nec minimum quid absque Matris permissu sibi elaborauit. Si quando aliquid fecisset non priùs petitâ facultate, eò quòd Matrem non inuenisset, quàm primùm poterat illâ adire, hoc ipsum tam reuerenter indicabat, vt spectatu iucũdum esset. Personam verè obedientem atq; ex animo subiectã censuit beatam: cùm incedens pedibus aliorũ, etiamsi onera portet, nõ tamẽ sentiat; cùm signũ quoque sit bonæ conscientiæ, quæ est thesaurus animæ, semper & debitè obedire. Quæ sic faciet, erit perpetuò serenissima & vbique læta atque secura: appellatur enim obedientia propter suam dignitatem paradisus, deliciarum arca, gaudium Angelorum; cantabatque: Accipite, accipite Calicem sanctæ obedientiæ: nam multò leuius est iugum eius, postquàm Filius Dei se propter illam permisit crucifigi. Quæ, inquit, est anima, quæ considerans quod Christus pro nobis passus, tam malè tractari & adeò abiectis hominibus se subdere dignatus sit, quæ promptè atque alacriter obedientiæ non occurrat: cuius vel vna scintilla gustata animam obedientis incredibili perfundit lætitiâ? Quocumque die nihil ex obedientiâ ei erat demandatum, ingentem se thesaurum amisisse putabat. Cùm aliquando graui morbo laboraret, Mater ei postulanti gratiam fecit Matutinas & alias Horarias preces extra Chorum persoluendi. Et postridie eadem illi gratia facta est ad dies aliquot, infra quos acerrimos dolores & febrim perpessa, atque afflictiore quàm vnquàm aliâs valetudine vsa est, ideoque impossibile rata interesse choro, sine scrupulo emansit, quamquàm ad omnia capitula & pulsus campanæ se præsentaret. Tandem quodam die Mater in Capitulo coram omnibus dixit: Soror Catharina, miror, quòd te absentes à diuino Officio; & quamuis aliquando permiserim, vellem tamen te interesse Matutinis; si autem non posses, caussam indicare, sicut ceteras. Respondit Catharina humiliter, Mea culpa, deinceps vestræ parebo voluntati; lapsa sum, peto satisfactionem. E Capitulo egressam Sorores simplicem nuncuparunt, quòd febrim & alios morbos, quibus affligebatur, non allegâsset: quibus respondit: Sorores, vos doletis de meo bono. Non intelligitis Spiritum sanctum loqui per os Matris nostræ? Aduerto eam velle, vt diuinis laudibus, quæ in choro decantantur, intersim: quod præstabo. Spero virtutem obedientiæ & dulcedinem, quæ in diuino Officio gustatur, vires mihi subministraturam: nec iam primùm fiet, cùm antehac aliquoties in choro tam acri febri vexata interfuerim Officio, vt me morituram putarem. Verùm sciatis me supra modum desiderare, vt mihi in choro psallenti amore Christi & obedientiæ mori liceret, atque hoc me singularis beneficij loco deputare.

eam omnibus præfert virtutibus;

prompta ad omnia.

AVCTORE IAC. GRASSETTO. *Ex obedientia absentis ab Officio,*

ideoq; obiurgata;

123 Mirum, quàm placidè ac religiosè obiurgationes susceperit: inclinabat caput vsque ad terram talibus gestibus, acsi iudicio Diuino assisteret; arguebatur & puniebatur semper quemadmodùm vltima. Ferè in omnibus visitationibus accusabatur, aut quòd esset sensualis, aut quòd se ingereret negotijs alienis: & hoc propterea, quòd præ commiseratione quasi tabesceret, videns Sorores infirmas non posse assequi quod desiderabant, etiamsi humiliter ac suauiter pro ipsis intercederet: sed & pro præmio caritatis suæ non rarò duras reprehensiones ac pœnitentias recipiebat. Ipsa verò hilariter caput humi depressum eleuans, sic affecta erat talesque gestus exhibebat, acsi coronam capiti impositam gestaret, caueretque ne decideret. In omnibus sui obiurgationibus eumdem seruabat modum: sentiens autem quandoque partem inferiorem reluctantem, statim se humiliabat dicens: O sacce fœtoribus plene, non erubescis? Non aduertis modò te necdum veram Dei ancillam? Interrogata quare hoc diceret, flens respondit: Sum supra modum superba, quia reprehensio Matris meæ non fuit mihi grata: cumque caro mea renitatur, doleo me non esse veram Christi famulam: talis enim perinde dolet & irascitur in rebus aduersis ac sui depressione atque in laudibus & solatijs humanis. Vnde semper se vincens conueniebat Abbatissam, flexisque genibus cum humilitate & lacrymis culpam suam agnoscens, petebat pœnitentiam. Sæpè obiurgata & punita fuit nullo admisso defectu; sed Dominus Deus hoc permisit ad maiorem ipsius remunerationem; & ad exemplum superborũ, qui multis commissis defectibus nolunt puniri, ac contra prælatos suos murmurant. Ipsa quoties murmurationem contra Superiores audiuit, contradixit: Væ, inquiens, illi animæ, quæ non reuerenter ac piè sentit de suis Prælatis! non exspectet à Deo vllam consolationem. Numquàm ego taxaui meos Prælatos & Confessarios; & licet mihi viderentur non præstare suum officium, tamen iudicium reliqui Deo. Omnes vtriusque sexus religiosos in summo habebat honore, asserens nullum penitùs ex seruis Dei sumendum scandalum; & quamlibet appareat in eis aliquis defectus, impendendam illis compassionem, ac dicendum: Si ille hoc laborat defectu, ego alio. Idcircò monebat Sorores omnes patienter tolerandas, cùm magna

reprehensionem suscipit religiosissimè,

& sensum sui repugnantiam castigat,

ac murmurantibus contradicit.

A magna sit cæcitas ab omnibus eamdem siue corporis siue animi constitutionem requirere, ac frequenter offendi Spiritum sanctum, si secùs fiat. Ad hunc scopum allegabat, quod ait Apostolus, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Aiebat etiam nullam linguam exprimere atque extollere satis posse pacem animæ candidæ, omnia in meliorem partem interpretantis, nec murmurantis, neque iudicantis: & quamuis non omnino nulli in eam maris fluctus insurgant, minimùm tamen voluntas eius pacata est, seu cum dulci voluntate Dei, cui omne committit iudicium, vnita, nec aliorum actus discutit. Huic tempestas affert tranquillitatem, quoniam neque de se, neque de alijs solicita est, sed suo famulatur creatori tam in bello quàm in pace; nec magis curat bellum quàm pacem, & è diuerso; nam lumine fidei perspicit & cognoscit ab eadem Diuinâ prouidentiâ procedere vtrumque. Quandoquidem non iudicabat intentionem aut voluntatem aliorum, numquàm ratione proximi fuit scandalizata, sed in solâ Dei voluntate adquiescebat: & ita numquàm de Prælatis murmurabat, neque propter sui obiurgationem, neque prætextu compassionis aut alterius boni. Hoc nomine dicebat ad Sorores; Solus Deus omni caret defectu, & quælibet debet se peiorem æstimare ceteris: ego omnibus B vilior sum: semper nobis bonum potiùs quàm malum præsumendum: neque excusatio hæc prætendenda, quòd cogitationes non sint in nostrâ potestate: nam etsi ita sit, oportet tamen continere voluntatem ne consentiat; & linguam, ne malum proferat, nec est creatura rationalis, quæ hoc præstare non possit: voluntas namque ita fortis est, vt neque diabolus, neq; vlla creatura eam vincere queat, aut cogere vt peccet & à caritate Christi excidat. Possunt incidere cogitationes nobis vel inuitis, & hoc non est peccatum; sed propriâ sponte illas retinere, id constituit peccatum. Hinc aiebat; Non sit in vobis, Sorores, deliberata mala voluntas, nec prodeat ex ore vestro verbum cõtra vestros Prælatos vel Sorores; statim enim per peccatum mortiferum separabimini à caritate Christi &, si vultis saluari, benè sentiat vnaquæque de alterâ. Ego vos omnes maximè reuereor & amo, reputans quamlibet vestrûm imaginem Domini mei; sed longè ampliùs Matrem nostram, persuasum habens eiusdem custodiam duobus Angelis esse commissam: nec possum ferre, vt minima cogitatio aduersùs eam admittatur, à quâ quidquid mihi & alijs infertur, credo purè ac sanctè inferri; & quando me mortificat, magnum C sibi meritum parat, cùm tota infecta & vitiosa sim. Parum est capite demisso & vili habitu incedere, sed qualis sit famula Dei in contumelijs elucet, atque vera humilitas est sustinere iniurias.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

Gal. 3.

Omnia in benigniorem partem interpretans,

non patitur murmurationes.

124 Nihil omnino temporis Catharina sine fructu transmittebat, sed perpetuò sese vtilissimè occupabat. Perpendebat breuitatem temporis, quod adeò est pretiosum, vt quamdiu durat, æternam beatitudinem possimus mereri, eo autem præterlapso, nihil deinceps operari. Numquàm cernebatur otiosa, sed semper erat sanctè atque salutariter occupata; ideoq; dicebat: Quàm magna est cæcitas hominum, qui nihili faciunt id, quod nobis summi ac pretiosissimi thesauri loco donatũ est? Nos verò tam stolidi sumus, vt non consideremus quid ab eo dependeat, nimirùm salus & damnatio nostra. Ergo nec festis nec profestis diebus in otio considebat; & quia subtili erat ingenio, industriè & excellenter quidquid volebat elaborabat. Magnam adhibuit diligentiam in Breuiario suo coloribus exornando; rata omnino sic faciendum, atque ingenti reuerentiâ ac solennitate id contingendum, propter verba quæ ad laudem Dei ex illo recitantur. Tempus volebat ad lucrum & profectum animæ expendi. Scripsit propriâ manu Breuiarium rebus sacris & spiritualibus penitùs refertum, cum lacrymis potiùs D quàm cum delectatione: crebroq; ei erat subtrahendum, ne abundantiâ lacrymarum ex oculis manantiũ illud fœdaret ac corrumperet. Accidit hoc, quòd mens eius tota esset in Deum intenta & defixa sub oratione, lectione, diuino Officio, sub laboribus manualibus & seruitijs, omnibusque alijs in rebus, atque ex habitu iam contracto perspicere licebat internum ipsius exercitium; vnde & fletus ille inter scribendum oriebatur, opusque erat leniter calamum & chartam manibus eius eripere; ipsa verò ceu extra se posita lacrymas vberrimas fundebat. Post aliquod spatium, surgens brachijs in modum Crucis extensis, hæc duo verba proferebat, Pater noster, quæ sæpè suauiter repetebat ita tacitè, vt interim nullo negotio quinque orationes Dominicæ recitari possent: tum denuò incipiebat scribere, & ornare suum Breuiarium, quod tamquàm res sacra hodieque asseruatur à Sanctimonialibus Corporis Christi Bononiæ, proprijs manibus Catharinæ passim miniatum, pulchras figuras & imagines Christi ac sanctissimæ Matris eius diuersis depictas coloribus continens.

Semper vtiliter occupata.

dum scribit Breuiariũ, vbertim lacrymatur.

Composuit etiam ad tempus fructuosè traducendum varios admodùm deuotos rhythmos, vel laudem aliquam aut cantelenam amatoriam de Domino ac sponso suo. Passionem Domini nostri Iesu Christi habuit semper cordi insculptam, quæ numquàm etiam ex ore eius recessit frequenter dicentis: O amantissima passio! ô mi Domine Iesu Christe, quàm acerbè corpus tuum tenerrimum pro me totoque humano genere fuit excruciatum! ô oculi mei, cur non effunditis flumina lacrymarum pro miseris peccatoribus, qui non recordantur mei summi boni, Dei pro nobis flagellati? Breuiter tota vita & studium eius versabatur circa Passionem Filij Dei, atque in hâc ita erat exercitata, vt nullum temporis momentum sine ipsâ potuerit transigere. Vnde conferens se ad corporalia domus exercitia, vultus hilaritate internam lætitiam demonstrabat, inter eumdem dicens, Vita mea Christus meus, vel Pater noster, modo prædicto. Sic faciebat eundo ad aliquas genu-flexiones. In Capitulo vel alibi sedens, meditationem instituebat de membris Christi, animo pertractans, quantùm in vnoquoque particulatim passus fuisset, & ad singula orationem Dominicam recitans, sed tam circumspectè, vt quid ageret, neque ipsa ostenderet neque aliæ aduerterent. E

Deuotio eius erga passionem Christi.

CAP. IX

Omnem virum secularem abhorruit, & huiusce memoriam auersata est: multò magis improbauit indiscretam ac imprudentem familiaritatem cum proprio Cõfessario. Censebat confessionem oportere esse simplicem, verecundiæ & timoris plenam, veluti coram Christo nos examinaturo fieret, acceptâque satisfactione & benedictione recedendum, tametsi Confessarius haberetur Sanctus. Semper cum lacrymis visa est adire Confessarium, & ab eo abscedere, quamquàm certò crederetur graui culpâ vacare: imò persuasum habebatur eam numquàm se letali peccato obstrinxisse. Tanta quoque fuit puritas & munditia corporis & animæ eius, vt oblatâ occasione fassa sit, se neque sanam neque infirmam corpus suum vnquàm nudum conspexisse. F

125 Tametsi Catharina iam dictis virtutibus prædita, excellentibus donis à Deo exornata, ipsique vnita esset, atque altos amoris & perfectionis gradus conscendisset; non tamen insidias & tentationes hostis tartarei formidare, artesque ac modos sese defendendi excogitare intermisit. Primum armorum genus, quo ad eum repellendum vtebatur, erat diligentia seu solicitudo benè agendi discreta, quæ discretio, teste S. Antonio, condit & perficit omnes virtutes tam Theologicas quàm morales. Secundum erat, Diffidentia de se ipsâ, firmiter credendo se ex se absque ope diuinâ nihil boni posse præstare; sed & humano sibi auxilio opus esse; quod ei, qui præest alijs, præcipuè aiebat necessarium.

Catharinæ spiritualia arma;

discreta diligentia,

diffidentia de se ipsâ.

A necessarium. Sæpè etiam referebat quemdam Religiosum Prælatum affirmasse, quòd quando aliquid ad suũ officium & administrationem cœnobij pertinens à Regulâ non decisum, suo arbitratu perfecisset, Deus permiserit ex eo frequenter molestiam, turbationem ac tribulationem emergere: è contrario, quòd cùm consilio & approbatione maioris partis suorum subditorum egisset, semper benè cesserit atque consolationem inde perceperit. Tertium, Confidentia in Deo, tantoque maior, quantò grauior erat pressura & tribulatio; cuiusmodi exemplum reliquit Filius Dei, qui immensis doloribus amarissimæ mortis conflictatus, clamauit: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Et quamquàm tum in supremâ perfectione ob exactissimè impletam Æterni Patris (cum quo perfectè vnitus erat) obedientiam maximo perfrueretur gaudio, nihilominùs tamquàm homo passibilis & mortalis in ista verba prorupit: famulis suis insinuans, vt quò magis pressi & afflicti fuerint, eò maiorem de Dei auxilio fiduciam concipiant; memores optatissimæ promissionis eius: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Quidni ergo crescat in nobis desiderium tribulationis, certis de tam dulci ac fideli socio, qui adeò liberaliter pollicetur se fidelibus suis in aduersitatibus adfuturum?

Fiducia in Deum, *Ps. 20, 12* *Ps. 90, 15*

B Quartum, memoria passionis & mortis Agni immaculati, IESV Christi, cùm assiduâ imaginatione castissimæ & virgineæ Humanitatis eius, quam Catharina nominabat remedium, refugium, speculum, scutum, manna, scalam, fontem, mare, suauissimam oliuam, nutricem, matrem ac sponsam animæ nostræ; & sine hoc armorum genere (quod omnia alia excellit) iudicabat non posse nos victoriam reportare de inimicis nostris, atque vniuersa alia parum efficere. Quintum, memoria mortis propriæ, post quam nobis exactissima Deo reddenda ratio, non solùm de malis admissis, sed etiam bonis per negligentiam omissis: proinde dicebat Apostolus, Dum tempus habemus, operemur bonum; quia nescimus diem neque horam, quando seuerissimus iudex nos auocet, cui oportebit nos reddere rationem de talento bonæ voluntatis nobis concesso, vt ad laudem ipsius & salutem animarum nostrarum atque proximorum ipsum expendamus. Tamen ob hanc mortis considerationem aiebat non debere sic tractari animam & corpus, vti diabolus suggerit, quasi breui simus morituri & pauca nobiscum ablaturi, nisi duræ pœnitentiæ opera faciamus: nam Spiritus malignus paullatim nos extollit, vt regulam veræ obedientiæ transgrediamur, quę citra omne dubium maius tribuit meritum, quàm vlla quantumlibet aspera pœnitentia.

Memoria passionis Christi, *mortis propriæ,* *Gal. 6, 10*

C Et hic diaboli dolus est valdè subtilis: videns enim Religiosam admodùm feruentem, nec valens à bonis operibus retrahere, impellit eam, vt indiscretè quid præter regulam communem attentet, vnde amissis armis sanctæ discretionis, non multò pòst fit debilis aut grauem contrahit morbum, cuius gratiâ cogitur intermittere studium orationis & virtutum exercitiũ, atque ad spiritualia propter infirmitatem inepta, sibi ipsi penè intolerabilis redditur; & ita subtrahit Deo honorem & cohabitantibus bonum exemplum. Sextum, Recordatio gloriæ & bonorum cælestium, quæ strenuè certanti & omnia vana oblectamenta præsentis vitæ deserenti sunt præparata: vt enim ait S. Hieronymus, impossibile est frui præsentibus & futuris bonis: & teste S. Francisco, maximum & excellentissimum donum, quod à Deo in hâc vitâ obtineri potest, est, vt seruus Iesu Christi sciat & velit vincere se ipsum, abnegando propriam voluntatem: neque habere, sed nec optare vllam in hoc mundo delectationem & gaudium. Proinde hortabatur Catharina suas dilectissimas Sorores, vt constanter perseuerarent in bono, cuncta solius Dei Domini nostri amore perficerent, firmiter bona cælestia sperarent, frequenterq; cum B. Francisco clamerent, Tantum est bonum quod exspecto, vt omnis afflictio mihi sit delectatio: quò tandem ad fruitionem gaudiorum cælestium & diuinarum consolationũ pertingerent, & cum eodem sancto Patre dicerent, Me exspectant iusti, donec retribuas mihi. Septimum, auctoritas sacræ Scripturæ ad imitandam prudentissimam Virginem S. Cæciliam, quæ absconditum semper Euangelium Christi gestabat in pectore. Et Christus ipse hoc armorum genere repulit à se diabolum in deserto, dicens: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Et propterea continenter admonebat Sorores, vt ex quotidianis lectionibus, quæ in choro & mensâ leguntur, fructum caperent, cogitarentque Euangelia & Epistolas, quæ quotidie recitantur sub sacrificio Missæ, esse recentes litteras à cælesti Sponso sibi ingenti ac feruenti amore transmissas *b*.

& gloriæ cælestis; D *AVCTORE IAC. GRASSETTO.* *Ps. 141, 8* *denique lectio sacra.* *Matth. 4, 4.*

a *Duos hosce, à Christophoro Mansueti (ex quo tamquam succinctiori verbotenus accepimus hæc de Beata virtutibus capita) cap. 7 præteritos, ex Grassetti cap. 5 transcripsimus.*

b *Hoc est compendium eius libelli, quem scripsit de septem armis spiritualibus, à Grassetto præteritum, ideóque ex Christophoro acceptum.*

CAPVT XIII.

Sepultura B. Catharinæ, refossio corporis, & miracula primis à morte diebus patrata.

126 TAlium tantarumque virtutum exercitio cùm Deum glorificasset viuens inter mortales Catharina, non satis habuit Diuina maiestas inter immortales cælorum ciues eamdem glorificare in cælis; sed illustria eius merita multis ac miris modis voluit etiam manifestare in terris: quarum quidem mirabilium rerum principium, non est vnde possimus accipere certius, quàm à nominatâ sæpiùs Dei famulâ, Illuminatâ Bembi, prout ea propriâ manu descripsit ipsas, quæ posteà Abbatissa exstitit memorati cœnobij & morti Catharinæ, ac rebus, quæ nouemdecim diebus eamdem consequentibus euenêre, interfuit, in hunc modum. Vnaquæque Sororum ex deuotione pioque affectu aliquid ex ijs, quibus Catharina in vitâ vsa fuerat, sibi vendicauit, nempe tunicas, pallium, velum, chordam: feruenter de ipsius sanctâ vitâ & cõuersatione loquebatur & accedebatur vehementiùs dũ liber ab ipsâmet compositus legeretur: adibant locũ sepulturæ pars lacrymãdi, pars legẽdi, pars orãdi causâ: F gratus ac suauis odor è monumento prodibat, vbi nec herbæ, nec flores erant, sed nuda humus: quotidie aliquæ locum frequentantes à diuersis infirmitatibus curabantur, continenter illum suauem odorem percipientes. Inter alias quædam grauiter laborans è renibus ob maximum onus leuatum ac portatum, cùm humeros & renes sepulcro admoueret, seque benedictæ Matri suæ commendaret, putabat flammam ignis corripuisse locum affectum, quâ se totam sensit interiùs accendi, dolorem verò mitigari; nec inde recessit donec se penitùs comperit sanatam. Sorores & Matres discruciabantur, quòd corpus illud vel ligneo saltem capulo non esset inclusum, quodque sub terrâ delitesceret; nec poterant pacato animo esse. Hoc Patri Confessario aperuerunt, qui, ceu vir prudens ac discretus, non dedit illis responsum. Cùm denuò hâc de re cum ipso ageremus, interrogauit quidnam fieri vellemus? Respondimus, intendere nos tantummodò eam effodere & capulo ligneo imponere, suoque loco restituere; fidem illi facientes corpus nullum fœtorem exhalaturum, tam suaui odore ibidem se diffundente: recensentes quoque beneficia sanitatis tot nostris ægrotis, se non nisi monumento admouentibus, collata.

Refert oculata testis post sepulturam; *multas à morbo miraculosè curatas:* *instant pro corporis refossione Sorores:*

A His auditis atque consideratis, Pater obstupuit. Elapsis ab obitu eius octodecim diebus dum ei in monasterio existenti molestæ essemus, Factâ, inquit, oratione resoluam me, sicut Diuina clementia mihi inspirabit, sed non est dubium quin putrida & corrupta sit; & si Dominus suggesserit, vt fiat quod flagitatis, hoc obseruetis, si in effodiendâ humo senseritis fœtorem, non contingatis neque moueatis illam, sed iterùm operite sicut anteà; si verò nullus fœtor exstiterit, imponite capulo, rursusque terræ infodite.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

127 Obtentâ facultate statim curauimus fieri sarcophagum, erat autem dies Sabbati. Vesperi, tametsi aër esset turbatus atque ingens pluuia decideret, statuimus rem aggredi. Omnes Matres & Sorores contulerant se ad dormitorium, quatuor vacabant orationi, precantes Deû vt demonstraret, an sua Diuina voluntas esset ad effectum perduci, quod meditabamur. At pluuia erat tam copiosa ventique ita sæui, vt viderentur cæli disrupti. Omnes nos quatuor flexis genibus ac cum lacrymis preces fundebamus, & pluuia paullatim cœpit intermitti, tum fortè fuit sesquihora noctis, Nosterque Reuerendus Pater Confessarius etiam orationi intentus erat, quando pluuijs ac ventis cessantibus tranquillitas redijt. Verùm adhuc caligo & B tenebræ densæ erant, nec luna nec stellis apparentibus. Surgens quædam è quatuor ab oratione ingressa est cœmeterium, & genua flectens suspexit in cælum, atque ex intimo corde dixit: Pater æterne, omnipotens Deus, omnia tibi possibilia sunt, precor te per pretiosum sanguinem Filij tui pro humano genere fusum, præsta nobis hanc gratiam, vt signo aliquo cognoscamus, velle te corpus hoc exhumari. Et eleuato brachio versùs cælum expressit Crucem dicens, Præcipio tibi loco Dei, vt clarum & lucidum fias, si ipse conatibus nostris faueat. Continuò prodiderunt se luna & stellæ, factusque est aër serenus; supra solum sepulcrum apparuerunt stellæ, ex his quædam radios suos ad ipsum vsque protendit, quod admiratione ac lætitiâ magnâ nos repleuit. Hinc voluntatem Dei intelligentes corpus exhumauimus. Faciem detegentes, inuenimus totam quassatam & deformem, eò quòd asser corpori illisus eam compressisset, sed & inter fodiendum tres sorores sarculis illam aliquantulùm læserant. Postquàm venerabilis Mater esset effossa, vt capulo imponeretur, atque eodem loco reponeretur, quasi per miraculum fuimus coactæ ad collocandam eam sub porticum, vbi paullatim tam facies, quàm nasus, qui erat compressus, pristinam formam per se receperunt. C Corpus suauissimum odorem exhalabat: & ipsa erat candida, pulcra, tota carnosa acsi viueret, vngues omnis nigredinis expertes. Sorores more consueto ad preces Matutinas vocatæ, inuento ibi sacro corpore obstupuerunt, idque attrectantes atque exosculantes præ nimiâ deuotione fleuerunt attonitæ ac velut extra se positæ, dum naribus tantâ odoris fragrantiam haurirent. Vltimo signo ad Matutinas preces dato, adierunt Sorores ecclesiam, aliquæ apud corpus Catharinæ manserunt, imponentes illud sarcophago. Quædam quæ viderat tam deformem, quando fuit extracta & animo à se abierat propter obiectum illi repræsentatum ac menti impressum, vixque ad se redierat, instabat, vt quamprimùm capulo impositum, iterùm in fossam, vnde fuerat eruta, demitteretur: at quæ capulum de terrâ leuarunt, vi adactæ verterunt se ac petierunt ecclesiam; atque ante sanctissimum Sacramentum, vbi omnes erant Sorores, deposuerunt. Tum manifestè visus est vultus eius bis terue nouum edere iubilum, sparso simul è corpore suauissimo odore. Probabile est, Deum voluisse talia & tam mirabilia in hâc suâ famulâ operari propter exemplum, quod ipsa reliquerat: quippe solita adire templum, seque totam coram illo, ceu coram ipsomet Domino cæli & terræ, prosternere, vix valens satiari reuerentiâ, quam eidem exhibebat.

impetratur ad eam cæli obscuri claritas.

Exhumatur facie quassatâ.

Imponitur sarcophago,

portatur ad ecclesiam.

Conspicatæ hoc cunctæ Sorores cœperunt clamare: D odore interim per totum monasterium atq; templum diffuso, qui & manibus contingentium eam adhærebat, nec explicari poterat, quidnam esset.

128 Facto signo ad inchoandas Matutinas, chorum omnes sunt ingressæ, tantoque spiritus feruore easdem recitârunt, vt mirum dictu sit. Odor qui percipiebatur non erat continuus, sed tanto temporis spatio sese intermittebat, quanto semel atque iterùm diceretur oratio Dominica. Nunc videbatur redolere moschum, nunc violas, nunc cariophylla, nunc aromata tam pretiosa, quàm possent vsquam reperiri, atqui incertum erat, quid esset. Sacrum corpus vsquequaque sanguine fuit respersum, præsertim caput, guttur, crura, pedes, ab assere compressa: cumque tota esset candida, cœpit mutare colorem & rubere atque ex omnibus partibus sudorem supra modum odoriferum emittere. Dum instar prunæ ardentis erat rubicunda, fiebat pallida & sudabat liquorem pretiosissimum, qui interdum apparebat mera aqua, nonnumquam ex sanguine & aquâ mixtus. Nos hæc videntes ac stupentes, accersiuimus nostrum Patrem Confessarium. Re in vrbe Bononiensi vulgatâ, venit Pater Cõfessarius cum Magistro Ioanne Marcanoua Medico excellentissimo, qui contemplati sunt corpus ac sæpiùs E contrectârunt. Venerunt etiam cum facultate Legati Bononiensis Vicarius Episcopi, multi Religiosi, Equites, Medici, alijque viri spectati, ac tales, qui possent de ijs, quæ mirabiliter fiebant, iudicare; & Cardinalis Legatus misit quemdam è suis, qui linteum a, quo facies Beatæ tecta erat, eodem liquore imbutum sibi afferret, quod & retinuit. Omnia sacro corpori admota suaui odore replebantur. Placuit Legato id totos septem dies à populo Bononiensi eò confluente spectari: quod per fenestellam, vbi Sorores sacram Communionem accipiunt, ostensum. Cuncti viderunt illud decorum & rubicundum, post breue spatium diuersas mutationes recipere. Vicarius Episcopi, vir spectabilis & prudens, elegantem ad nos sermonem habuit de benedictâ Matre nostrâ, statumque eius & nostrum laudibus extulit. Multa præclara & deuota in medium adduxit, inter cetera, se trecenta & ampliùs corpora sacra conspexisse, nullum tamen hoc pulcrius; vnde eam inter beatiores atque insigniores cælestis Paradisi incolas numerans, nos monuit vt in magno pretio hunc pretiosum thesaurum haberemus. Curauit posteà Episcopus parari monumentum instar altaris, atque in eo duos sarcophagos, vbi & solenniter fuit recondita F præsente Fratre Baptistâ Mutinensi, nostro Reuerendo Patre Confessario, cum suo socio & alijs spectatis viris, inter quos fuit D. Ioannes Marcanoua prædictus Medicus, D. Baptista Mazoli nobilis primarius & Baptista Mezauacha: qui cum hymnis & canticis imposuerunt eam monumento, præsentibus omnibus nobis quod duabus clauibus occluserunt, alteram Patre Cõfessario retinente, alterâ nobis traditâ. In Parasceue, impetratâ facultate, iuimus spectatum eam, leuantesq; sericam tunicam, quam ipsi fieri curauerant, inuenimus totam prædicto sudore madentem, qui dum exsiccaretur, suauissimum spirabat odorem. Quadam Sorore parum de cute pedum abstrahente, vbi asser ligneus eam quassârat, continuò sanguis effluxit. Eadem nocte videbantur oculi eius adeò depressi, vt nullum ipsorum vestigium reliquum foret; cùm tamen in monumento collocata integros haberet atque ita compositos acsi dormiret. Hoc viso admodùm fuimus contristatæ, clausimus sarcophagum & discessimus habentes penes nos claues. In nocte Paschæ iterum eam visere constituimus; recluso sarcophago reperimus alterum oculum pulcrum cum pupillâ aliquantùm apertâ: post modicum spatium vidimus etiam alterum paullatim aperiri, & ita manè eiusdem festi tam formosa erat, vt videretur ex se radios emittere: rubebat sicut

CAP. II

Sudat liquorem pretiosum.

Diebus 7 offertur spectanda populo.

Reconditur in monumento.

fluit sanguine.

A sicut rosa, vtrumque habens oculum cum aspectu amabilissimo. Sequenti feriâ secundâ visa fuit à primarijs Prædicatoribus & ciuibus, qui præ stupore vix animo constitêre, abeuntesque mirabilia de ipsa retulêre. Sed & tribus circiter mensibus ab obitu profluxit semel atque iterum è naribus eius scutella sanguinis. Modò omni ex parte integra est sine vllo defectu membrorum, nobisque paupercuis magnum solatium præstat contueri sacrum hoc corpus, ac cernere nos non penitùs sanctâ eius præsentiâ orbatas.

Cernitur formosa & rubicunda.

129 Hactenus sanctimonialis prædicta: quibus hæc pauca adiungi possunt, primò eiusdem Cardinalis Legati Angeli de Capranicâ hortatu cœpisse monachas primo inspecti corporis sacri die distribuere miraculosum illum liquorem, qui ex hoc sanitatum fonte scaturierat: cumque, licet copiosus fluxisset, tantâ tamen populi deuoti auiditate exceptum fuisse, vt Sorores ægrè potuerint conseruare ampullam vnam, eodem impletam: cuius pars aliqua est ea, quæ ad nostra vsque tempora seruatur ab huius cœnobij Matribus in Reliquiario deaurato, in monumentum perpetuum rei tam memorabilis. Alterum hoc loco attexendum est, quòd post dies illos septem,

Sacer liquor in populum distribuitur.

B quibus venerationi publicæ expositum sacrum corpus fuit, ad monasterium prædictum accesserit Dominus Alexander Longari, Bononiensis Diœcesis Vicarius, pro Illustrissimo Cardinali Philippo Calandrino Episcopo tunc absente: qui cùm diligenter inspexisset ipsoque manuum tactu explorasset veritatem incorrupti corporis, ac plenè de omnibus, quæ circa illud acciderant, fuisset informatus, vt erat probè excultus litteris, stylique Romanæ curiæ peritissimus, exactissimo examine præmisso, singula quæq; certificanda curauit, quò maturiùs solidiusque in re tanti momenti procederetur. Atque hic ille est, qui primus de Beatæ Matris laudibus dixit ad filias piè pariter atque facundè. Quæ autem ille comperit mirabilia, vulgata per vrbem, nouoque concursu populi celebrata sunt: sparsa quoque per Italiam fama tantarum rerum etiam vicinos commouit populos, veniebantque turmatim per illos quibus corpus spectandum prostitit septem dies, etiam longiùs dissiti; sic vt viæ ad vrbem Bononiensem ducentes, quantum iactus est lapidis ad ipsas vsque portas, innumerâ hominum multitudine replerentur; quæ vt commodiùs ordinatiùsque introiret, & nihil ageret perturbatè, dimisit Legatus militum turmam, per quos aduentantium quieti consuleretur.

formatur processus circa hæc miracula

CAP. III

C 130 Erat temporibus ijs Bononiæ vndecim annorum puella, ex Illustrissimâ Poggiorum familiâ, Leonora nomine, quæ cùm multa audiuisset de prodigijs sancti corporis, totiusque ciuitatis ad monasterium concursu illius conspiciendi atque honorandi gratiâ, incredibili cœpit æstuare desiderio eòdem se conferendi. Verùm id impossibile omnino erat ei, quæ pro more nobilium istius gentis, tam seuerâ seruabatur custodiâ, vt numquàm omnino prodiret domo, nisi Dominicis festisque diebus Sacri audiendi causâ, idque ad vicinum dumtaxat sacellum: vnde redire confestim compellebatur ad conclauia sua, quæ in remotissimâ supremâque paternarum ædium parte habebat vsibus assignata suis, obseratis insuper ostijs, quoties vel ad suas deuotiones mater, vel ad consanguineas visendas abibat à domo. Ea sola fortè inibi quodam die relicta, dum faciem fenestræ applicat, vnde in vicinum impluuium despectus erat, audit ibidem lotrices aliquot, lineæ vesti lauandæ accersitas, sermonem miscere de oblatâ sibi commoditate eundi ad monasterium Corporis Domini, quando heri & domo aberãt & abfuturi ad horas aliquot credebãtur.

vndecimis puella arctius custodita,

131 His auditis, instare vehementibus precibus puella, vt vnà duceretur, veneratura etiam ipsa prodigiosum corpus, eique se coram commendatura: negare ad hæc ancillarum vna, prudens fœmina, aut vllo pacto conuenire ipsam parentibus inscijs domo egredi, aut sibi expedire auxilium eam in rem præbere, ex quâ grauia secutura esse constabat scandala, si matri innotesceret eiusmodi aliquid, & sibi præsens damnum emergeret talis familiæ ministerio arcendis. Adhæc impossibilem omnino descensum esse ex eo loco; cuius ostia omnia ad scalas ducentia obseratasciebat: nec haberi aut aliunde adferri posse mobiles scalas tã altas, vt vsui esse possint ad tale fastigium cõtingendũ. Nihilominùs reponit illa, adiuuate me, atque vobiscum ducite: mihi enim præsagit animus haudquaquàm euentura quæ auguramini mala, citiùsque nos domum redituras, quàm aliquis parentum adueniat: aderit Dei prouidentia nullius malæ rei, sed optimæ, causâ domo egressis, efficietque, vt clam omnibus habeatur quod agimus. Quod igitur, inquiunt famulæ, benè vertat; veni, si potes: habes nos promptas ad comitatum.

sacri corporis videndi desiderio

D

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

132 Non fuit pluribus opus puellæ: ad lectos accurrit, lodicesque quotquot potuit inuenire innodans, longum ex ijs funem sibi conficit, quem ex vnâ parte adstringit lecticæ propinquiori ad fenestram, per eamdemque dimittit partem alteram, & se pariter post eam; velocitate tantâ, vt attonitæ famulæ obstupescerent: cùm quibus deinde, quàm celerrimè potuit, perrexit ad monasterium; vbi non parùm laboris fuit, vt in eâ populi sese prementis turbâ ad fenestellam penetrarent, per quam conspiciendum erat sacrum depositum. Penetrauit tamen aliquo vsque, donec defixo in eam obtutu respiciens Beata, velut si viueret, manu signum dedit vt accederet propiùs, prodigiosâ atque astantibus intellectâ voce dicens: Leonora Poggi, veni porrò. Facta illicò ad hoc imperium via puellæ est ab attonito populo, & quò res euaderet suspẽsis animis præstolante. Vt autem ad fenestellam propiùs adstitit: Leonora, inquit iterata vox, esto parata; volo enim vt Sanctimonialis fias, sisq; mea carissima, & tempore congruo curam habeas huius corporis mei. Quibus auditis, prostrauit in genua sese felicissima adolescentula, & alacri animo amplexa oblatam sibi gratiam, executuram se promisit quæcumque imperarat. Audiêre eadem quicumque adstabant, hærebantque rei obstupefacti miraculo, tantaque fuit admiratio illa, vt nemo quæreret, quæ vel vnde esset, aut de eo casu, nisi confusè admodum, referre posset aliquid: Deo prouidente, vt secretum seruaretur, quod occultum esse debebat, nec nisi post annos aliquot poterat reuelari.

ex alto se dimittit illæsa,

E

ei Catharina mortua loquitur,

F 133 Rediêre post hæc festinantes domum cum Leonorâ mulieres: sed quamuis dominæ reditum feliciter præuenisse se cernerent, non tamen minùs anxiabantur, cùm viderent frustrà connitentem Leonoram, vt quâ descenderat viâ, ascenderet. Dum dubitant, nec aliquid opportunum consultant, interno Spiritus sancti motu acta puella sub ipsam fenestram in genua se conijcit, auxiliumque à beatâ Matre poposcit, cui sese iam lubens volensque dicârat: atque ecce subitò se reperit in cubiculo suo, ignara ipsa æquè ac sociæ, quanam eò esset ratione delata. Tum lodices retrahit, lectos vt priùs fuerant sternit, iterumque genuflexa oratione prolixiori Deo gratias agit, ac denuò famulam sese offert Catharinæ. Postremò agens de fenestrâ gratias ijs quoque, à quibus fuerat deducta, mulieribus, easdem precatur, rem vt omnem secretam habeant, donec eius reuelandæ tempus adesset: quod illæ sanè præstitêre fideliter; diuinam interim laudantes bonitatem, cuius beneficio factæ essent tantorum prodigiorum consciæ & spectatrices.

& cubiculo suo miraculose eam restituit,

134 Annis post hæc octo elapsis ignari parentes illius voti, quo se Deo obstrinxerat Leonora, filiam despondent ciui eiusdem secum nobilitatis. Quod vbi resciuit ipsa, matri fratribusque negauit in ea se pacta consensuram, quæ præter Christum sponsum, nollet vllum; vtpote iam pridem eidem voto obstricta, nec non

futuram post annos octo Monacham,

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

A non B. Catharinæ, vt in eius monasterio monasticam vitam sub S. Claræ Regulâ amplecteretur: tum rei gestæ seriem propalat vniuersam: interrogatæ famulæ eamdem confirmant, confirmant & alij, qui fortè in templo præsentes se adfuisse recordabantur: nec ausi diuinæ voluntati tam manifestis prodigijs declaratæ repugnare consanguinei, exultantem atque lætantem Leonoram Matribus monasterij commendarunt, quæ baptismale nomen etiam in Ordine retinens, quo fuerat per Beatam compellata, feliciter perseuerauit in proposito, atque post annos aliquot electa est custos beati Corporis, quemadmodùm ei prædictum fuerat; cumque in sacro illo collegio piè sanctéque vixisset per annos *b* plures, ab hâc vitâ ad feliciorem transijt anno millesimo quingentesimo vigesimo nono.

& fui corporis custodem.

b

Ritus velandi vultum sepeliendorum

a *Italicè* che pigliasse la bauara dal volto, *vt acciperet bauam vultus, vel à vultu: ex quo loquendi modo conijcio in Italiá (vbi Religiosorum Religiosarumq; corpora absque sarcophago terræ infodi mos est, detractis priùs præter interiorem lineam omnibus vestibus, quibus sicut dum viuebant induti cadauera delata ad sepulturam consuetudo eiusdem regionis habet, cuiuscumque ætatis sexus aut conditionis defuncti sint) conijcio inquam, monialibus defunctis bauaram à mento versùs pectus defluentem, tum cùm terra inijcienda est, attrahi supra vultum: quemadmodum defunctis Sacerdotibus vidimus capitis, quem vocant, Amictum, retractum à collo supra faciem replicari: cuius loco laicis aut secularibus sudarium inijcitur vultui: refugit enim humanitatis sensus, defunctorum quamuis, nudam faciem ingestâ opplere humo.*

B

b *Ab anno scilicet* 1471 *per annos circiter quinquaginta quinq;: quam ad annum vitæ septuagesimum quartum peruenisse ex eo habes, quòd decimo nono anno ætatis expleto monasterium sit ingressa, vt patet ex præcedentibus.*

CAPVT XIV.

B. Catharinæ corpus sepulcro exemptum collocatur sedens in tabernaculo, visitur à Reginis Neapolitanis: ad nouum sacellum transfertur.

CAP. IV. Biennio absque Abbatissâ permanent moniales:

135 Porrò, sepultâ iam, vt suprà diximus, B. Catharinâ, tanta illius fuit apud omnes reuerentia, vt, quod alibi fortasse contigit nusquam, in hoc monasterio factum reperiamus; vbi non aliter quàm si in viuis adhuc fuisset Beata, biennio integro manserunt Sorores absque Abbatissâ, ac de nouâ substituendâ ne cogitarunt quidem; sed quæcumque ab eâ fuerant ordinata maximâ cum accuratione obseruarunt omnes, tamquàm si præsens assistens, quæ erant facienda singulis, ore suo imperasset. Biennio autem exacto, cùm ad illius domus consuetam visitationem venisset Patrum Obseruantium Minister Prouincialis, ita quieta reperit & composita cuncta, vt nullâ in re opus videretur nouæ Abbatissæ electione. Iustis tamen de caussis decretum fuit, ne quid à communi Ordinis Regulâ diuersum committeretur, vt ad electionem procederent Religiosæ: inter quas cùm nulla esset, quæ B. Catharinæ auderet immediatè succedere, necessarium habuit Prouincialis ex Ferrariensi monasterio idoneam accersere, & Bononiensi præficere Abbatissam. Verùm his omissis, institutum de beato corpore sermonem pertexamus.

C

nigrorem in sepulcro trahens corpus

136 Annum illud iam integrum in eo, quem suprà descripsimus, tumulo iacuerat: qui cùm esset extemporali operâ celeriter fabricatus, neque sufficienter exsiccatâ calce, quâ lateres committebantur; ex humido illo conclusoque aëre nigrorem quemdam sanctum illud depositum, cetera integrum atque incorruptum, contrahere cœpit ijs in partibus, quæ discoopertæ, magis obnoxiæ erant aëris circumsistentis iniurijs. Adducta igitur in deliberationem res est, omninoque conclusum in aliam domus partem, siccam magis atque salubrem, transferendam esse Beatam: ne possidentium negligentia, dignas faceret, quibus talem thesaurum perire Deus pateretur. Ita venerabile pignus, sic vt erat extensum supra mensam, scalis breuiusculis, feretri vt formam sic & vsum habituris, imposuerunt; in eamque ipsam cellam seu cameram detulêre, quam templo vicinam incolebat Sancta, cùm in viuis degeret: vnde illud deinde deferebant in chorum, quoties opus erat peregrinis deuotè accurrentibus illius spectaculum indulgeri, per fenestellam recipiendo sacræ Communioni destinatam. Tenuit per annos aliquot modus iste habendi monstrandique beati corporis, duobus sanè ex capitibus molestissimus: cùm laboris esset maximi, nec nisi à quatuor simul Sororibus subeundi, toties deferre atque referre Beatam, non sine periculo grauioris lapsus per scalas, parùm accommodas eiusmodi translationi: & extensum in choro ante fenestellam corpus, plurimum occupabat loci, ad peragendas ritè Officij Ecclesiastici cæremonias necessarij.

D

transfertur ad locum magis siccum;

137 His de caussis, nonnullis Religiosarum cogitatio incidit, commodiùs futurum, si ligneum fieret tabernaculum per modum sellæ, quatuor impositum rotulis, in omnem partem volubilibus; intra quã sessum componeretur Beata: quod facilè fieri posse persuadebat constans etiamnum sibi articulorum omnium flexibilitas, perinde ac recens extinctis consueuit: tale autem tabernaculum, sine magno incommodo nulloque impedimento admoueri posse ad fenestellam. Volebant insuper ita illud fabricari, vt ex omni parte aperiri, atque Beata sic considens vndique spectari, & cùm ad sacrum epulum accubituræ Sorores essent, in aliud latus promoueri posset. Hoc consilium Matri Abbatissæ ceterisque Sororibus, vt propositum est, mirè placuit vniuersis, & facilè fuit à Patribus a Zoccolantibus eius exequendi facultatem obtinere. Ergo tabernaculo in hunc modum confecto, vna ex quatuor Sororibus illis, quibus demandata fuerat sacri pignoris cura, Magdalena, inquam, Rosa alibi nominata, diuinam super eo negotio consultura voluntatem ante Beatam sese prosternit in genua, eamque singulari cum spiritus feruore affatur in hæc verba: Mater sanctissima carissimaque, si diuina sic voluntas tulit vt sedeas deinceps ad eius honorem, qui tanta per te operatur & porrò operaturus speratur mirabilia, augendum promouendumque in eo populo, qui tali cum frequentiâ tantâque pietate accurrit ad incorrupti corporis spectaculum; fac age, id nobis manifestum fiat, permittendo vt supra hanc sedem aptè decenterque colloceris.

eiusque tabernaculum conficitur;

E

F

vtque in ea sedere velis;

138 Eo dicto accepêre Corpus quatuor illæ monachæ, sedique admotum reclinare cùm vellent, durum subitò atque instar lapidis rigidum deprehendêre, nec conatu vllo flexibile. Quid facerent, attonitæ ad eam nouitatem; & factarum in tabernaculum, quod vsui esse non posset, expensarum serâ nunc etiam pœnitentiâ tristes? Sumpsit in arenâ consilium Mater Abbatissa, nequaquàm super arenam fundatum; sed super ingentem fiduciam, quam Spiritus sanctus inspirabat; prostrataque in genua sic locuta est: Mater & Soror Catharina, in virtute Officij huius, quod in præsentiarum indigna exerceo, & in virtute illius sanctæ Obedientiæ, cuius vsque adeò amans fuisti dum viueres, & tam eximia verbis operibusque documenta reliquisti nobis filiabus atque discipulis tuis; mando iubeoque, vt in hanc te sedem collocari sinas, quam hunc in finem Sorores istæ aptandam curauêre. Vix ea dixerat Soror Illuminata Bembi, deuotissima B. Catharinæ socia, tunc temporis toti monasterio præfecta, quando corpus istud, veluti ad suum paullatim rediret sensum, vltrò subsedit, ac supra sedem constituit sese, tam gratiosè venustéque in neutram partem inclinando erectum, tam firmiter etiam stabiliterque, vt viuentis hominis omnibus esse videretur.

in virtute obedientiæ præcipit Abbatissa.

139 Hinc

A 139 Hinc mixta admiratione lætitia omnium impleuit animos, neque poterant satiari bonæ illæ Virgines laudando Deo, qui nouo hoc prodigio Sanctam suam glorificabat. Atque exinde sic remanet ipsa per se consistens, nullisque vinculis sustentata, plenam seruat grauitatis ac maiestatis speciem. Eoque facto imminutus Sororibus labor est transferendi hac illac tanto molimine corporis, cui cùm vnica posset deinceps sufficere, itum in suffragia est, electaque ad id munus Soror Leonora Poggi, quod ei tot annis anteà fuit à Catharinâ promissum *a*. Cum porrò fuerint infiniti, quos incorrupti corporis fama ad spectaculum, virtutum æstimatio ad venerationem, miraculorum celebritas ad plenam fiduciæ inuocationem Bononiam traxit, non potuit eorum iniri numerus, aut ratio haberi dignitatis, quantumuis supra hominum vulgus eximiæ. Duarum tamen Regiarum personarum memoria, quæ suam hîc pietatem testatam voluêre, non potuit vel aliorum obscurari multitudine, vel scriptorum negligentiâ aboleri: quæ cùm tam arcto inter se vinculo affinitatis coniunctæ fuerint, quantum inter socrum nurumque reperitur, nolui tractatione seiungere, quarum aliàs Bononiam aduentum nouennij intercapedo sat longa diremit.

a multi magnates ad spectaculũ veniunt.

CAP. V.

B 140 Meminimus suprà, cùm de B. Catharinæ exhumatione agebamus, scripsisse nos, quomodò Cardinalis Legatus Capranica inter alia videre voluerit libellum, de septem armis à Beatâ compositum. Hic cum eius exemplar describendum curasset, copiam illius fecit Serenissimæ Isabellæ, vxori Ferdinandi Arragonij Regis Neapolitani. Perlegit illa cum singulari voluptate præclarum opusculum, & sublimem admirata virtutem, quæ in eo docetur, vehementer opinionem eam auxit, quam miraculorum per Italiam circumuolans fama in animum eius impresserat. Ergo cùm ea tempora regno suo durissima experiretur, cui sexennio integro infestis animis armisque oppugnando vexandoque Franci incumbebant *b*, ad B. Catharinæ intercessionem confugiens, ei regnum, maritum, filios, totamque domum suam commendauit ardenti frequentique precatione. Placuit autem Diuinæ bonitati exaudire preces religiosissimæ Reginæ, ad augendum famulæ suæ honorem: voluitque vt eo anno, qui tumultibus istis ac penè ipsi regno *c* in extremum adductum discrimen vltimus fuit, prodigioso successu sopirentur turbæ: itaque rebus præter opinionem compositis, voti rea Isabella Bononiam festinauit, visura Dei famulam, & coràm testificatura, quòd eius vnius meritis deberet misericordiam, sibi suisque præstitam à clementissimo Numine.

Regina Neapolitana

b

c restitutum sibi eius meritis regnum

C

141 Annus agebatur humanæ salutis supra millesimum quadringentesimum sexagesimus quintus *d*, quando Bononiam appulit, ingressaque in monasterium, imposuit capiti coronam regiam, & rectâ ad patronam suam tetendit, ad eiusque prostrata pedes, votiua ex auro argentoque munera obtulit, interque ea detractam capiti suo coronam, modò dictam, quam sacro vertici reuerenter imposuit: Scio, inquiens, sciamque dum viuam, Catharina Virgo beatissima, tuo munere regnum serenissimo coniugi meo mihique & filijs restitutum possidere me: reddo debitas pro munere grates ei, cui post Deum primas debeo hâc in parte. Verùm cùm nos caduci dumtaxat & terreni regni potentes simus, tu verò regnum cæleste obtineas & numquàm auferendum, tuo capiti potiùs quàm meo, indignissimæ famulæ tuæ, corona isthæc conuenit, quam tibi deuotam vt accipias rogo, habeasque in perpetuum: meque in tuum patrocinium suscipe. Tum annulum pretiosissimo adamante instructum tollens è digito, digitis Beatæ inseruit, addens: En veram fidelemque Christi Iesu sponsam, cui hoc titulo annulus congruit nuptialis. Hæc dixit, sacrisque cæremonijs finitis, cùm regiæ munificentiæ testificationem egregiam eleemosynæ nomine monasterio reliquisset, in suum regnum rediit, ibique intra paucos menses religiosissimè vitam finiuit. D

d

testatur, oblatâ corona regiâ,

& annulo.

AVCTORE IAC. GRASSETIO.

142 Huius nurus, anno eiusdem seculi septuagesimo quarto hanc habuit visendi sacri corporis etiam ipsa occasionẽ *e*. Celebrata fuerant sponsalia inter Alphonsum Calabriæ Ducem, Primogenitum Ferdinandi Regis & Isabellæ prædictæ, atque Hippolytam Francisci Sforzæ, Ducis Mediolanensis filiam. Ea cùm ad sponsum suum Neapolim pergeret, & Bononiã transiens à Ioanne Bentiuolo & Gineurâ Storzâ consanguineis suis magnificè exciperetur, recordata quid socrus sua eadem fecisset in vrbe, ita instanter petijt ad monasterium Corporis Christi deduci, quasi tota Bononia, tum vel maximè ipsius causâ culta exornataque, aliud haberet nihil, quod sibi gratum posset iucundumque exhibere. Quò ingressa, continuò prostrauit in genua sese coram Beatâ, prolixamque deuotè admodùm fudit orationem: posteà erecta in pedes, ab vnâ pedissequarum Ducalem accepit coronam, magni splendoris ac pretij, eamque suis ipsa manibus capiti virgineo reuerenter imposuit, dicens: Tibi, ô sponsa gloriosa Dominatoris vniuersorum, cui certissimè credo datam in cælis coronam gloriæ, etiam hæc mea conuenit: mihi sufficit, si tua, quamuis indignissima, dicar famula: sed vt digna efficiar, tuis impetratum precibus ardentissimè cupio: tuis, inquam, precibus, quas scio efficacissimas esse apud eum, qui te in hoc mundo gloriosam voluit & admirabilem reddere. Hæc & alia cùm dixisset, mouit ad teneræ deuotionis lacrymas circumstantes omnes, suumque iter læta est prosecuta. Huic autem coronationi duplici originem suam debet corona illa, quę deinde fabricata, perpetuò remanet in capite Catharinæ.

e eius nurus ad spon. um pergens

Ducalem coronam Beatæ offert.

E

143 In eo, quod suprà descripsimus, tabernaculo annis aliquot remansit venerabile Corpus; & quamuis non sine aliquâ molestiâ Sororum partem chori notabilem occuparet, haud tamen cuiquam hoc graue visum est vnquam: sed magni solatij loco ducebant, habere coram oculis semper dignum illud Spiritus sancti per annos tam multos tabernaculum. Verùm huic quoque incommodo modum ponere volens Beata, Leonoræ superiùs memoratæ, nocte quâdam ante suum corpus oranti, apparuit, iussitque vt ortâ luce Abbatissam adiret, eique diceret, aptari se velle in formam sacelli cubiculum istud, quod sacristiæ, in quâ ornamenta asseruantur, coniunctum, contiguum erat dextro ecclesiæ lateri versùs aram principem, vbi Venerabilis Eucharistia seruabatur: quod cubiculum eo tempore Sororibus Conuersis extra conuentum manentibus seruiebat, & ab ipsis rotundis lignis quibusdam impletum fuerat. Istic iubebat vt perfosso muro fenestra aperiretur, cratibus ferreis munienda: atque ex aduerso suum collocaretur corpus, alto in throno cunctis spectabile: simulque circumstantias alias particulares addens, exhibuit ideam sacelli imperati. Vbi dies affulsit, suspicata Leonora somnium aut diaboli illusionem fuisse, quod se vidisse atque audisse meminerat, quamuis ineffabili gaudio plenam se sentiret; continuit tamen ipsa se: satius rata nullum facere de eâ re verbum, quam si omnino perfectam Deus vellet, facilè nouo ac certiori signo suam voluntatem faceret innotescere.

CAP. VI.

Custodi corporis Leonoræ apparens semel,

F

iterum,

144 Rursum igitur sequenti nocte apparuit, mandata iterans & Leonoram inobedientiæ arguens, planeque asseruit hanc suam & Dei esse voluntatem; quæ cùm ad honorem suũ vellet corpus istud incorruptum seruare, atque ad monasterij illius maximam vtilitatem, nolle se vt circa illud tantoperè laborarent filiæ suæ dilectæ, sicut hactenùs fecerant: iterumque exhibuit formam sacelli fabricandi, cum illo fornice tabulisque quales nunc videntur instar tabernaculi, circumambiente peristylio, & scabello altiùs elato, supra quod

A duobus inde gradibus sedes collocaretur. Tũ de fenestrâ imperium renouauit, addens illius clauem seruãdã penes Abbatissã, quæ tũc & deinceps futura esset. Hæsit ad hæc animi ambigua aliquãdiu Leonora: tandem tamen etiam hac vice tacendum sibi esse decreuit, ne suæ fortassis simplicitati diabolus illudens victoriam obtineret. Quare tertiâ quoque nocte simili fuit apparitione opus, quâ supercilio seueriori illam intuens Beata; Quantò, inquit, tempore in tuâ pertinax incredulitate manebis, Leonora? Fac illicò quod meæ diuinæque voluntatis esse præteritis noctibus indicaui. Non existimauit illa diutius morandum sibi esse, quin iussa iam tertiò repetita compleret: sed Matrem adiens omnem ei visionem ex ordine pandit.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

tertiò & Beata

145 Ignotum Abbatissæ erat cubicellum istud: itaque ad *f* rotam festina abit: Cõuersas aduocat: quærit, taline situ & loco circa ecclesiam camera sit aliqua. Respondent illæ talem omnino esse, in eâque nunc recenter composita esse rotunda ligna, quæ benefactor aliquis Conuentui donârat. Vbi ligna rotunda audiuêre Abbatissa & Leonora, nihil dubiæ de reuelationis factæ veritate, rem omnem ceteris monasterij Sororibus patefaciunt, & quid agendum foret consulunt

iubet sacellum aptari, in quo collocetur.

B Superiores: quorum approbatione præhabitâ, adornatum continuò, quale Beata præscripserat, sacellum est, eoque in pompâ processionali (quã intra monasteriũ vnà cum Confessario suo Sãctimoniales duxêre, psalmos hymnosque canentes) magnâ cum reuerentiâ, deuotione atque lætitiâ omnium delatum est corpus benedictum. Dum autem chorum transiens per eum ferretur locum, vbi sanctissimum reponitur Sacramentum, renouatum in eo vetus miraculum est: quo omnibus inspectantibus profundam inclinato capite exhibuit Venerabili Eucharistiæ reuerentiam. Post quæ repositum est corpus Beatæ, in eum quem designauerat locum, cum illâ ipsâ sede, quâ sedere solita viuens fuerat. Itaque ad annos plus quàm centum relicta est; donec sella vetustate fatiscens, & incorrupti corporis priuilegio haudquaquàm communicans, anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto locum facere coacta est nouæ, eleganter sculptæ atque inauratæ: quæ nostris hisce diebus conspicitur.

huius descriptio:

146 Translationem prænarratam factam scribit Christophorus Mansueti instantibus apud Legatum Apostolicum & Episcopum, etiam Cardinalem, Bononiensibus; pergitque sacellum hoc modo describere. Vnitũ est sacellum monasterio, sic vt ex eo huc cõ-

C meare Sãctimoniales possint; nec tamen ab ijs, qui foris sunt in ecclesiâ, conspici, dum fenestram intrinsecùs ad crates ferreas prætensam aperiunt. Hoc pacto sacrum corpus ostenditur; quod post tot annos ac toties huc illuc portatum atque exhibitum perdurat, & cernitur incorruptum, integrum, perfectis oculis tamquàm viueret; ac residet quasi in sede pontificali, modo mirabili, magnam præseferens maiestatem, omnesque spectantes replet stupore, atque ad sui venerationem allicit. Induta est veste præclarâ & pretioso ex serico, fermè instar Dalmaticæ aut tunicellæ Damascenæ: interdum etiam amicitur palliog supra eamdem, itidem ex serico. Ita primùm fieri iussit Cardinalis Calandrinus *h*, & post illum alij quoque Cardinales ac Principes, qui talem ipsi habitum donarunt: & nouissimè sanctæ ac felicis memoriæ Carolus Cardinalis Borromæus *i* Tit. S. Praxedis, perpetuus administrator Ecclesiæ Mediolanensis, vir sanctus & B. Catharinæ deuotissimus, cui similem vestem dono dedit.

ornatus corporis, *g* *h* *i*

147 Ad prædicti sacelli murum hæc à Cardinali *k* Capranicâ scripta leguntur: Hoc corpus quod cernitis incorruptum, D. Catharinæ Bononiensis est, quæ monasterium primò cum paucis reædificari curauit, quod multis annis mirabili sanctimoniâ rexit & gubernauit: cùm decessisset, humi sepulta fuit: cuius corpus decimo nono die post eius exequias, maximo populi concursu & totius ciuitatis admiratione, integrum; vt nunc cernitis, & odore suauissimo flagrans repertum est. Multa quoque signa sanctitatem eius attestantia subsecuta sunt. Anno Domini MCCCCLXIII IX Martij. Totis septuaginta & ampliùs annis vngues manuum & pedum Beatæ præcisi sunt, quos multi ex deuotione è collo gestarunt, diuersorum morborum efficacissimam medicinam: sed iam ab aliquot annis non resecantur, extremitatibus corporis exiccatis & induratis: reliquum tamen corpus quod tectum est, in eodem quo olim fuit statu perdurat, atque per miraculum lene ac tractabile est. Hæc Christophorus: addit autem, Eodem loco, vbi spectatur corpus B. Catharinæ, sepulta est suprà nominata deuota Christi ancilla, Ioanna Lambertini *l*, prima Vicaria eiusdem cœnobij; quæ à Francisco Gonzagâ, olim Generali Minorum de Obseruantiâ, nunc Episcopo Mantuano, in historiâ sui Ordinis appellatur Beata. De ipsâ certè constat, quòd postquàm complures annos in communi cœmeterio fuisset humata, & aliquando fortè humus erueretur, suauissimus odor inde eruperit: quare illinc fuit sublata, & sub summo altari ecclesiæ condita: post aliquot verò annos remota, atque propè corpus B. Catharinæ posita. His duobus corporibus adiungitur tertium Paulæ *m* itidem Bononiensis, ex antiquâ familiâ Mezauachorum, cuius meritis & precibus Angelus Capranica Romanus, Cardinalis & Legatus Bononiensis, fuit per miraculum exactè curatus à quodam næuo atque tumore deformi, qui faciem eius valdè deturpauerat, & iudicatus fuerat morbus incurabilis. Quod beneficium lubens illi acceptum retulit idem Cardinalis.

k titulus appositus. D *vnguium resegmina.* *Ioanna Lambertini* *l* E *Paula Bonon. ibidem collocata.* *m*

148 Nunc ad Leonoram redeo, quæ, sacro corpore in suâ collocato sede, cùm die quodam illud adornaret magnâ cum deuotione & reuerentiâ, recordata quàm fuisset tarda in eius mandatis exequendis, genua flexit coram beatâ Matre, humiliter deprecans huius vt culpæ gratiam sibi faceret: post quam orationem cùm adhuc aliquanto tempore hæreret in loco, considerans numquid alicubi fortasse deficeret, quod ornamento esse adhibitum posset; vidit Beatam hilares lætosque oculos in ipsam amanter intendere, & decussatis ante pectus brachijs caput inclinare; quasi pro præstito sibi obsequio gratias agentem. Qui capitis atque manuum motus cùm esset pleno die à vigilante Leonorâ conspectus, non potuit suspicari phantasticam eam illusionem fuisse: sed pro singulari, vt erat, fauore rem accipiens, gratias Beatæ egit, quòd suum dignata esset probare ministerium, atque iteratò tardiorem quàm par erat obedientiam sibi petijt condonari.

Translationem suam approbat B. Catharina. F

A *Sic Itali vocant Fratres Minores de obseruantiâ ab vsu crepidarum lignearum, seu sandaliorum nudum pedem sustinentium* (Zoccolos *vulgus appellat*) *Conuentuales autem ab vsu calcei, qui* Scarpa *est Italis* Scarpantes *denominantur.*

Frãciscani Zoccolãtes & Scarpantes.

a *Hæc si facta sint anno 1471, fuit Leonora adhuc Nouitia: nec tamen repugnat rationi hanc ei curam esse demandatam, quam eo muneri constabat destinatam diuinitus: maximè cum eiusmodi laboriosa & humilia officia Nouitiis & iunioribus plerumque iniungi soleant. Illuminata verò vltimum triennij sui annum in Abbatissa agebat officio, posito quòd post biennium interregni, & Abbatissa è Ferrariensi monasterio petita triennium, ipsa secundum à B. Catharinâ locum tenuerit: si verò seriùs facta hæc sunt, consequens foret triennio aut quadriennio altero differendam esse hanc actionem, vt ei potuerit Illuminata Abbatissa præesse: est autem difficilè creditu, totis decem aut duodecim annis tam molesta sacri corporis è camerâ ad chorum baiulationi nullum quæsitum à monialibus remedium esse: nisi raro admodum dicamus eâ opus fuisse. Quòd paucissimis dumtaxat ea gratia fieret.*

Sor. Illuminata Abbatissa.

b *Ita passim auctores ab obitu Alphonsi Regis, anno 1458 vitâ functi, turbarum sumentes initium, quibus contra Ferdinandum à patre atque Eugenio IV, sublato natalium vitio declaratum heredem, Callixtus III insurrexit, regnum ad Apostolicam Sedem deuolutum contendens: & earumdem turbarum finem statuentes vel annum 1463, quo mortuo Tarentino Principe thesauris eius potitus Ferdinandus*

Res ob regnum Neapolitanum turbatæ.

A *dinandus ex inope subitò diues euasit, quâ morte Ioanni Andegauensi omnis recuperandi regni spes est sublata: vel annum sequentem, quo tandem ex insulâ Siciliæ idem Ioannes excessit, qui Neapolitanum regnum anno 1459 cum classe victor ingressus fuerat.*

Hippolyta Mediol. & Alphonsi Neapol nuptiæ.

c *Nam nisi mors Tarentini interuenisset*: Transmisso in Brutios Ioanne Andegauensi, *inquit Pontanus lib.* 6 bellum priori longè infestius calamitosiusque instauratum iri apparebat, *mortuus autem est Tarentinus die 15 Septembris. Ceterùm post victoriam anno præcedenti relatam ad Troiam, dedentibus se passim vrbibus oppidisq; & in fidem Ferdinandi se tradente Tarentino, nihil fuit, nisi metus ab huius perfidiâ, eiusq; machinationes occultæ, quæ Reginam cogere potuerint, ad auxilium B. Catharinæ implorandum mense Iunio Iulioue, nec enim credibile est prius ad eam peruenisse libellum Beatæ.*

d *Postquàm scilicet anno præcedenti 1464, exactis vndequaque hostibus, Neapolim gloriosè regressus cum suis esset Ferdinandus.*

An hac ante illas Bononiam venerit?

e *Si anno 1474 Bononiam venit Hippolyta, de quo non disputo: quia vti non habeo vnde affirmem (cùm nulla monumenta annum istum signantia citet Grassetius, qui hoc asserit) sic nec habeo quo negem esse factum: si, inquam, tunc Bononiæ fuit Hippolyta; non sponsa, sed pridem coniugata venit: nam, vt constat ex Epist 85 Papiensis apud Bzouium & Spondanum anno 1465 die 15 Februarij* datum est à Paulo II frequens Consistorium Legatis Ferdinandi, asserentibus mandata se habere ab illo, quæ audiri à Pontifice & à Patribus insimul conueniret. Hi in consessum venientes, antequàm Turcica referrent, præfati longâ oratione coniugium quod octauum ante annum conclusum erat

B inter Alphonsum primo-genitum Regium & Hippolytam natam Francisci Mediolanensium Ducis; amodò instare tempus dixerunt tradendæ sponsæ ad virum, & propterea Federicum secundo-genitum paucos post dies iturum Mediolanum cum procerum turba ad traductionis pompam. *Iuisse autem, & quidem hoc anno constat ex Platinâ, qui, cùm Aloysij Patauini mortem eo anno narrasset, subdit*: eodem ferè tempore Federicus adolescens egregius, Ferdinandi filius, Mediolanum iturus ad ducendam Francisci Sfortiæ filiam, fratris vxorem in regnum, Romam veniens . . . perbenignè à Paulo accipitur, & Rosâ donatur; *neque iuisse tantùm, sed etiam perduxisse sponsam hoc eodem anno, narrat Platina post Picennini (qui & ipse Francisci Sfortiæ gener erat) captiuitatem expositam, cùm subdit*: Substiterat in viâ, hâc re cognitâ (Senis namque erat) Ducis Mediolani filia, Neapolim ad Maritum itura: vt fidem faceret, nullâ patris sui culpâ Ferdinandum in Iacobi Picennini necem conspirasse. *Certum est autem anno 1465 Picenninum captum necatúmque; certum quoque sequenti pòst anno mortuum ipsum Franciscum Sforziam: quo viuente hæc omnia agebantur.*

Rota in monasterijs quid?

f *Est iuxta portam monasteriorum, in quibus clausura obseruatur, versatilis in pariete machina, ex duobus contexta asseribus inter ligneum desuper subterque orbem decussatis, per quam facilè transmitti quiduis non magnæ molis, visus autem nequaquàm possit: hanc à motu quo circumagitur, rotam nominant, etsi formam potiùs habeat vasis erecti, & ex vnâ aliquâ parte patuli.*

g *Nos illud Pallio indutum vidimus, & ita omnes imagines eam exhibent, nec puto hoc tempore vmquàm absque pallio relinqui.*

h *Is cuius num. 74 superiùs facta mentio, qui Catharinam Bo-*

C *noniam venientem excepit Episcopus, anno 1476 prope Viterbium mortuus.*

i *Scripsit Christophorus anno 1595; Sanctus autem Carolus è viuis excessit 1584, missus ab auunculo Pio IV Legatus Anconitanis Picenis atque Bononiensibus circa annum 1562, vt auctor est in eius Vitâ Guissanus lib. 1 cap. 5, quæ autem hîc narrantur, ad tempora legationis credimus pertinere; adeóque ante finem anni 1565, quando mortuo Pio cessauit Legati officium, gesta fuère.*

Auctor Epitaphij B. Catharinæ.

k *Vitam quidem hic Cardinalis vsque ad annum 1478 protraxit Romæ mortuus: quia tamen iam tum, cùm moreretur Catharina, fungebatur Legatione Bononiensi, quam tantùm annis 8 eum gessisse Papiensis scribit, postremos autem annos in suis Episcopatibus Reatino ac dein Prænestino administrandis collocauit: vehementer dubito, an illius hæc inscriptio sit: maximè, si tum primùm posita cùm hoc sacellum concinnatum est; quod tamen indicare videntur hæc verba,* vt nunc cernitis. (*nam in sepulcro clausum non cernebatur: nec de intermedio tempore commodè hæc possunt intelligi*) *prætereà quinque annos, quibus rexit monasterium & paucos menses, non videtur multos dicturus fuisse: qui de re suo tempore gestâ scriberet.*

l *Meminit huius ad* XII *Aprilis Antonius Pauli Masini in Bononiâ perlustratâ eiq; titulum Beatæ tribuit: quod & facit in suo Martyrologio ac Gynæceo Arturus.*

m *Item huius cum eodem titulo ad* III *Octobris meminit.*

CAPVT XV.

B. Catharina Moniali cuidam reddit miraculo sanitatem: aliæ similes gratiæ.

Francisca Mondini ad mortem ægra,

149 Restat vt collata in homines, per Catharinæ merita, diuinæ virtutis beneficia enarremus: quæ primis illis principijs admodùm multa fuisse; sed partim propter ipsam eorum multitudinem minimè obseruata, partim attentis ad alia Sororibus, aut reticentibus ijs quibus acciderant, consignata nequaquàm fuisse litteris, credibile faciunt multa illa vix summis perstricta titulis, quæ in superiori Vitâ referuntur: quibus omissis, vnum hîc ad eadem tempora pertinens enarrabimus. Soror Francisca Mondini, ex ijs sex quas primas in nouum monasterium Bononiense Catharina admisit, viginti post Beatæ mortem annis in grauissimam incidit infirmitatem; quæ anno penè toto ipsam lecto affixit, aucta sæpiùs per acutas febres & plurimas stomachi atq; pectoris pessimas affectiones, tussim, catarrhos, vomitus, obstructiones, ciborum fastidia, omnisque alimenti retinendi impotentiam tantam, vt Medicus, artis suæ peritus in paucis, de vitâ E eius tandem desperans, extrema ei voluerit Sacramenta, tamquàm certò morituræ, conferri. Hortabatur Mater Sororumque aliæ, vt auxilium à Catharinâ deposceret; quæ toties non tantùm filiabus suis, sed etiam extraneis illud ferebat tali in articulo. Verùm, vt erat morborum fracta molestijs, ac vitæ tam calamitosæ satura, Sinite me, inquiebat, Sorores carissimæ, finite me ad sponsum abire meum.

recusat sanitatem à B. Catharinâ petere,

150 Apparuit igitur nocte subsequenti Catharina Sororum alteri, multùm deuotæ & spirituali; commotique animi signa præferens manifesta, iubebat, vt denuntiaret Franciscæ, resarciret commissam pridie culpam; voluntatis etenim diuinæ esse, vt petitam à se sanitatem recuperaret. Fecit illa quod iussa fuerat: sed quoniam, præ humilitatis affectu, ita iuberi diuinitùs non addebat, nihil eorum quæ erant imperata infirmæ persuasit; cui vitæ nullum erat desiderium super, nec fortè magna de meritis Beatæ fiducia. Posterâ nocte idem prædictæ Sorori mandatum cùm dedisset, ipsi quoquè infirmæ Beata apparuit, dicens, quòd eam omninò sibi habere vellet, perfectèque sanare. Illæ cùm primùm se reuisunt, vt erant familiares inter se valdè, suam altera alteri visionem referunt: & infirma quidem, pro more hominum ex suo affectu dicta aliena interpretantium, Catharinæ verba ad se venire F iubentis, de morte intellexerat, perfectaque in vitâ meliori sanitate: Gratare, inquiebat, Soror carissima, festiuum hodie, quantùm alias numquàm, accepimus nuntium; ad se nos euocat Mater Catharina. Vocat, reponit altera, non euocat, tibique vult reddere sanitatem: tu vide vt positâ pertinaciâ eamdem inuoces: mihi namque eidem videris iniuria, quæ volentem sanare te non finas. Persuasa his verbis infirma Soror parituram se promisit; Reliquiasque poposcit, quas collo imponeret: verùm vt nec fides in illâ, nec deuotio feruebat, non modò nullam obtinuit gratiam, sed peiùs quoque habere sibi cùm videretur, ei à quâ acceperat sacra lipsana reddidit: asserens eiusmodi reculas deinceps sibi curæ non futuras; ipsique illi subirascens Sorori, quæ in proposito constans contrarium suadere conabatur.

& Reliquias à se remouet:

151 Duo sic transierunt dies, quando ægrotanti cœpit ingens subnasci desiderium conspiciendæ Beatæ, eodemque die sæpiùs eidem apparuit illa, vultu nunc hilari serenoque, nunc subtristi & iracundiam præferente; modò ad quæsita respondens nihil, modò monens, vt de peccatis suis pœnitentiam ageret, neque in suâ infidelitate peruicax remaneret: quæ

A cùm sæpiùs fierent, tandem à priori sententiâ dimota ægra, recognouit suæ incredulitatis periculosum statum, viuàque delictorum suorum cognitione ad eorumdem seriam detestationem inducta, ad Beatam conuertit sese, atque, O benignissima Mater mea, inquit, mœrens gemensque, video fateorque errasse me: verùm si emendata resipuero, futurumne credis, vt ignoscat mihi Deus? Visa est ad hanc confessionem toto vultu serenari Beata, &, Ignoscet, Filia; ignoscet dicere: neque enim tam grande peccatum est vllum, quod non eluat vitæ emendatę pœnitentia. Moxque, durante adhuc visione, præcepit, vt genua flectens de hoc alijsq; defectibus ex consuetâ formulâ culpam suam fateretur; eoq; facto quantâ par erat animi contritione, visa est eadem Beata fune, quo accincta erat, vt flagro vti, eoque castigare pœnitentem; quæ licet acerbum ex inflictis ictibus videretur sentire cruciatum, affluebat tamen interno gaudio, considerans, hâc pœnâ expiari delictum suum.

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

ideoq; per visum reprehensa,

& castigata,

152 Post hæc ad consuetam sibi mansuetudinem reuertens Beata, visa est eam duxisse ad amœnam spatiosamque planitiem, pulcherrimè digestis arboribus consitam; in quarum ramis auiculæ plurimæ dulcissimo absque intermissione cantu aëra mulcebant & aures: vnde cum incredibilem voluptatem haurire se crederet ægra, hoc quoque Beatam credidit addidisse: Audi, Filia, non est bonum in lecto manere otiosam, vt facis: sed ad chorum accedentem Deo laudes canere, semperque in motu sanctæ operationis versari, vt faciunt auiculæ istæ. Et his dictis tota simul disparuit visio: infirma autem experrecta eos in corpore dolores sensit, quasi verè intortis flagellata funiculis pœnas dedisset; quas minimè imaginarias fuisse residui in loco plagarum liuores demonstrabant, cum magnâ ipsius & aliarum, quæ factum cognouerunt, admiratione. Acciderunt hæc in nocte diem Martis, ante Vigiliam Epiphaniæ Dominicæ præcedente a, anno millesimo quadringentesimo octogesimo quinto. Ex eo tempore remansit in ægrâ cordis verè contriti compunctio, cum magno desiderio recuperandæ per merita Catharinæ sanitatis, vt Deo satisfaceret pro suâ pertinaciâ, & alio quodam defectu, cuius ipsam Beata admonuerat. Quod desiderium, pœnitentiæque agendæ propositum, vehementiùs eam octauo inflammauit die, totâque nocte anxiam atque vigilem habuit, quàm enixissimè postulantem à Beatâ, hanc vt sibi gratiam impetraret à Deo. Vnde supra modum fatigata, obdormiuit sub auroram, & denuò Beatam Matrem aspectabilem habuit, quæ intra biduum sanandam promittebat.

B

a concepto pro sanitate voto,

C

153 Experrecta decreuit recipiendæ gratiæ cælesti parare sese per Sacramenta Pœnitentiæ atque Eucharistiæ; dixitque: Si recepto Christi corpore, Mater sanctissima, ita me corroboratam sensero, vt possim ex infirmariâ egredi, promitto exinde me in nouitate vitæ ambulantem, in eâdem per Dei tuumque auxilium magno cum feruore perseueraturam. Hoc voto facto, Confessarium aduocat, per eumque reconciliata Deo, sanctissimum suscipit Sacramentum, tali in statu vt Sorores continuò crederent expiraturam. Statim autem ac sacram Communionem sumpsit, subitò sibi visa est exteriorum omnium sensuum vsu destitui, & velut immobilis truncus relinqui: interim sensit sanguinem à capite ad pedes sus deque volui, cerebrumq; in ipso capite inuerti: atque in eâ humorum omnium perturbatione remansit aliquo temporis spatio: quo finito, sese perfectissimè sanam reperit: dissimulauit tamen vt potuit receptam gratiam, diem Dominicam sibi à Beatâ designatam exspectans: quæ cùm affulsisset, ita restitutas sibi vires sensit, quasi nullo vmquàm morbo laborasset. Ergo Abbatissam aduocat petitq; sibi, Dei & Beatę Matris magnalia enunciaturę, Capitulum Sororum conuocari: coram quibus, rerum gestarum seriem ordine elocuta, rogauit secum vt coram Venerabili Sacramento accederent, pariter acturæ Deo gratias.

Sacramentis munitur,

subitoque sanatur,

D

154 Mirabantur omnes, quæ pridie viderant agonizantem: itur ad chorum, inde ad sacellum Beatæ, præibatque cunctis magnâ cum lætitiâ, explicatâ fronte, genis rubentibus, hilari vultu, illa ipsa, quæ mera mortis spirantis imago pridem visa fuerat vniuersis, pallida atque exanguis. Et quoniam Dei perfecta sunt opera, constitit hæc ipsi valetudo per annos plurimos inconcussa, vt potuerit pari, quo ceterę, feruore prosequi omnia pietatis, pœnitentiæ, obedientiæ opera, quæ vsu Regulâque præscribuntur: ipsoque illo matutino tempore exorsa, principium feruentiori vitæ dedit per ducentas genuflexiones ante Crucifixum, quod erat vsitatæ temporibus istis in Conuentu deuotionis exercitium, sanè molestum: tantâ autem eas promptitudine fecit, quantâ nulla, licet iuuencula, posset. Recitato deinde maiori de Dominicâ Officio, Officium Crucis, septem pœnitentiales Psalmos, aliasque addidit vsitatas tunc ibi precationes, semper genibus nixa. Denique petijt atque obtinuit facultatem toto mense scutellas omnes, aliaque vtensilia Conuentus mundandi: idque tantâ facilitate, & robustarum virium ostentatione fecit, vt medicus declararet, sine maximo & euidentissimo miraculo talem tamque subitam mutationem haberi non potuisse.

nouo cum feruore vitam instituit.

E

155 Hoc erat quod narratis à Flaminio miraculis addendum videbatur; quæ sequuntur circa annum quingentesimum contigêre omnia, desumptaque sunt ex antiquis Sanctimonialium earum scriptis, quæ tum cùm illa fierent, erant in viuis. Soror Prudentia Paltroni, Regularis obseruantiæ virtute inter omnes conspicua, Beatæque Catharinæ deuotissima, multis ab eadem fuit fauoribus apparitionibusque honorata, ex quibus toti monasterio multa prouenêre commoda: in his speciatim vna scripto expressa reperitur, in quâ ei signanter dixit hæc verba: Noueris filia, quod semper ante Diuinam maiestatem assistam, eamque pro hoc monasterio deprecer, vt in eo Regulæ S. Claræ obseruantia vndique inuiolata perseueret. Nouitia quædam in summitate altissimarum scalarum constituta, impetu quodam vehementissimo impelli se deorsum sensit, cum manifesto vitæ periculo: in quo cùm Deo se & B. Catharinæ commendasset, sustentauit eam monacha quædam, & mox disparuit; dubiũ ei nullum relinquens, quin impulsionis istius auctor dæmon, salutis Catharina fuisset.

B. Catharina orat pro monasterio.

CAP. XII

sustinet cadentem,

F

156 Alia Nouitia, maius quoddam, quàm vires suæ erant, pondus attollens, grauem læsionem incurrit, quam suæ Professioni obfuturam metuens, occultam habuit: vnde factum, vt neglectum malum totum ei corpus contraheret miserandum in modum, & intensissimos procrearet dolores. Itaque Beatissimæ Dei Matri commendauit sese, & sequenti nocte Deiparam habuit aspectabilem, vnà cum B. Catharinâ, cui infirmam ipsa, tamquàm futuram breui suam, commendabat; & mox totum illius corpus manibus suis benedictis pertentans, idem vt faceret Catharina iussit: ipsis autem disparentibus, euigilans puella persanatam se vidit. Eadem in principio altissimarum quarumdam scalarũ posita & vas plenũ cineribus capite sustinens, fallente vestigio labebatur in preceps, certò interitura: neque impeditæ manus prohibere casum poterant: verùm prioris beneficij recordata ad eamdem suam auxiliatricem mente cucurrit, ipsâque piè inuocatâ, ad pedem scalarum se reperit subitò, non modò sanam illæsamque, sed etiam cum ipso illo, quod deferebat, vase in capite, absque vllâ cinerum effusione.

item aliã, cui sanitatem restituerat,

157 Fuit Sororum vna, quæ quoties sacram accedebat ad mensam, mirabili cordis dolore premebatur; sic vt per spatium non modicum temporis vsu sensuum

A sensuum destituta iaceret; & sodales quandoque non tantùm insolitam palpitationem sentirent, sed etiam talem audirent strepitum commoti pectoris, quasi loco suo diuelli cor eius videretur. Et erat absque remedio malum, eoque magis omnes habebat sollicitas: donec die quodam à sacrâ surgens Communione ad Beatæ sacellum se contulit, seque ei deuotissimè commendauit: hoc enim dum facit, visa est vocem audire dicentem: Soluta es ab infirmitate: nec imaginariam fuisse docuit certissima experientia, nihil simile passæ deinceps.

alterius frequens deliquium curat,

158 Fuit etiam surdastra alia; quæ medicorum se curæ committens, tantùm abest vt Medelam tulerit, vt potiùs grauissimis doloribus affectum sibi caput senserit, propter adhibitorum multitudinem & varietatem medicaminum: & quia septennio integro durauerat malum, spem quoque recuperandæ sanitatis amiserat: tandem tamen ei cogitatio incidit suggerens, vt se Beatæ commendaret. Illa obsequens, ad eam se contulit; sed quia petitam gratiam haud ita promptè obtinebat, more impatiens cum indignatione recessit. Quod suum factum vbi recognouit, tam ei visum est indignum, vt exinde auderet numquàm vel appropinquare sacello, vel Beatæ hanc suam aliasue vllas, vt solebat, necessitates commendare. B Verùm Catharina, vt tenera semper habuit viscera caritatis, noctu apparuit dormienti, multùm iucunda hilarisque aspectu: & quid adeò lamentaretur quæsiuit, nihilque præ verecundiâ respondentem strinxit amplexu, eoque salutifero contactu omnis mox capitis dolor euanuit. Ita ab omni malo liberæ dies aliquantuli transierunt, post quos multò vehementiùs quàm anteà vnquàm recrudiut malum: sed illa beneficio facta audentior, opem à Catharinâ poposcit, quæ simili ratione noctu apparens, iussit cucurbitas capiti ægro vt admoueret: quod probante medico factum cùm esset, vnà cum surditate aurium, capitis cruciatus abiêre.

grauem capitis dolorem aufert:

159 Soror Thadæa à S. Mariâ, decimum annum affixa lecto, pedibus niti nequibat. Huic recuperandæ per Beatæ intercessiones valetudinis cupido simul & spes incidit: itaque ad eam portari se in sellâ fecit, multisque Sororibus præsentibus, suas ad eam aliquamdiu fudit orationes: deinde flectere se in genua voluit, ipsâ Beatâ, coram omnibus quæ aderant spectabantque, manus ad hoc ei porrigente auxiliares. Eo autem in situ cùm horam mansisset integram, consolidatas sibi bases sentiens, pedibus ipsa suis ad infirmariam remeauit. Posteà tamen apparens ei in somnis Beata monuit, magis è re ipsius & Dei gloriâ fore, si C infirma remaneret: quæ proinde diuinæ sese voluntati placidè conformans, hanc solam gratiam postulauit impetrauitque à Deo, vt per se, vnicâ Sorore comitante, posset ad audiendum Missæ sacrificium accedere: indeque mox in valetudinarium redibat, ad finem vsque vitæ sic debilis. Ibidem Bononiæ ex alio conuentu Soror erat, cui apoplexiæ morbus os & circumiectam vni oculorum cutem ita contraxerat, vt illum claudere omnino non posset: sed voto ad Beatam nuncupato omnia ad pristinum statum rediêre.

debilem sanat,

& apoplecticam:

160 In monasterio S. Catharinæ Martyris Ferrariensi, Soror Francisca Scotti, Placentina, multis annis graui stomachi dolore & capitis cruciatu affecta, subinde neque noctu neque interdiu vllam capere poterat partem quietis: quotiesque eo vrgebatur malo, biduo integro absque cibo, tamquàm mortua, perseuerabat: neque erat excogitare remedium vtile. Quadam verò die, cùm maioribus aliquantò quàm solebat aliàs intemperijs ageretur, & morituram omnes vnà cum medico crederent; Sororum vna, B. Catharinæ religiosiùs addicta, ad infirmam accessit hortataque est, vt in eius merita fiduciam reponens, voto ei aliquo se obligaret. Fecit illa: & stupentibus omnibus dolor omnis recessit; sicut valens robustaque eodem die in communi cum ceteris triclinio pranderit: D postea autem argentea quædam anathemata ad suæ liberatricis corpus affigenda destinauit, cum pretio Missæ ad illius honorem cantandæ.

item desperatam ex capitis dolore,

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

161 Infantula quædam septem grandia in pectore habebat vlcera, & vnum quidem tam profundum, vt per illud cerni interiora, imò ipsum cor posset; tam tumidum autem ei pectus erat, vt nec sine maximo dolore tangi, nec ad lac sugendum posset commodè matris mamillis admoueri: Beatæ igitur Catharinæ filiam commendans afflicta mater, à Sororibus Corporis Domini petijt aliquid Reliquiarum, quod filiæ vulneribus admoueret. Gossipium accipit sacri corporis attactu sanctificatum; ipsoque illo manè super plagas hiantes ponit: vesperâ autem eas clausas solidatasque reperit, & filiam maximo suo cum solatio persanatam. Magister Theseus de Auanzis, tonsor, festo Assumptæ ad cælos Deiparæ mense Augusto ingenti cruciatu & vehementissimâ febri correptus, sic vt de vitâ eius desperatum crederetur, voto ad Beatæ honorem facto, subitò conualuit. Iacobus Gallus de Guastallâ, territorij Mantuani vico, cùm fortè Bononiâ iter haberet, istic in tonsoris amici domo decumbere coactus, propter artriticos cruciatus, qui eum octodecim annos exercuerant nullâ arte medicabiles; E & ab hospite suo edoctus, quanta beneficia deuotis suis B. Catharina conferret, ipse quoque ad eamdem confugit, votum de curando ad eiusdem honorem sacro solenni faciens, simulque omni dolore sic liberum sensit se, vt alio omni graui & immedicabili infirmitate totâ deinceps vitâ caruerit.

septem vlcera sanata,

febris,

artritis.

a Id est 4 Februarij.

CAPVT XVI.

Varia B. Catharinæ Miracula.

162 IN monasterio S. Vrsulæ Ordinis S. Claræ Mediolani, circa annum millesimum quingentesimum, Religiosa fuit, Iulia nomine; quæ cùm omni vitâ optimi inter suas fuisset exempli, postquàm tamen B. Catharinæ Vitam, anno seculi sequentis vndecimo impressam, Bononiæ audiuit in conuentu legi ad mensam, priuatimque deinde relegit aliquoties; ita se sensit interiùs immutatam, vt nihil se egisse hactenùs in Dei obsequio, & vitæ sanctioris tirocinium vix adhuc se ingressum putaret; tam raræ tamque consummatæ virtutis exempla a considerans. Ergo agonis spiritualis stadium nunc demùm seriò decurrere F cupiens, multam in B. Catharinâ fiduciam collocârat eius, quàm desiderabat, gratiæ obtinendæ. Anno integro in hac petitione perseuerauit, quotidie Beatæ supplicans, vt pro se intercederet apud Deum. Tandem, cùm S. Ioannis Baptistæ festo die ad preces eiusmodi suâ in cellâ incumberet, ipsam ante se Beatam vidit, habitu indutam monastico, ac nigro velo caput tectam, pulcherrimâ facie, oculisque supra modum splendentibus.

CAP. XIII Iulia monialis, lectâ B. Catharinæ Vitâ,

163 Perterrita aspectu Iulia, vt primùm animos fugientes à pauore collegit, signo Crucis expresso, quæsiuit: Ecqua esset. Sum, inquit, Catharina illa Bononiensis, quam toties inuocasti. His verbis animata Iulia: Si tu illa es, refert, rogo, Deum vt depreceris, quò particulam mihi aliquam earum virtutum largiatur, quas toties à te atque per te postulaui. Cui Catharina: Confide, Filia, dabit Deus quod postulasti. Tum Iulia: Noui, inquit, noui, Mater carissima, miseriam meam tantam esse, vt omni prorsus fauore sim indigna. At Beata: Tantò diuinis gratijs recipiendis euades aptior, quantò hanc tuam miseriam cognosces meliùs: interim quidquid facis ex amore Dei facito, magnoque cum feruore; potissimùm obedientiæ

ad magnum virtutis studium accensa,

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

eiusdem alloquijs instruitur,

A dientiæ opera, quæ Deo noueris acceptissima esse, cùm ex purâ ipsius dilectione procedunt: caducis autem rebus ne immoreris, sed cælestibus mentem habeas, quoad potueris, occupatam. Chori officio cùm interreris, Deum à te inter Angelos laudari existimes, ideoque vt attentè reuerenterque assistas, vide. His vltrò citroque dictis, cœpit Soror Iulia Beatam deprecari, pro ijs quibus tum temporis mundus inuoluebatur calamitatibus, ius deque vertendus, nisi maior quædā virtus succurreret. Tum verò subitò obscurari facies Catharinæ & lacrymis oculi vberibus fluere, seque retrorsum auertens ipsa fari ampliùs nihil: quam suis subsecuta lacrymis Iulia, post aliquam temporis moram, audiuit ex eâ; tam multiplicia esse mundi vbique in maligno positi peccata, vt necesse sit multas tribulationes immitti, permitti scandala multiplicia.

164 Ita visio est tota sublata ex oculis: at non ex animo sublata suauitas consolationis internæ, propositorumque efficacissimorum solidissima virtus, quibus se mirè confortatam sentiebat Iulia, certa viribus omnibus studioque ad solidam perfectionem conniti. Vt autē sumpto prandio intrauit in chorum, Vespertinas cum ceteris preces decantatura, & Christo in venerabili Eucharistiâ latenti, flexo corpore exhibuit reuerentiam, visa est sagitta ignea prodire è tabernaculo, suumque cor transfigere. Ex eo momento temporis alia omnino a seipsâ cunctis apparuit Iulia, tantoque Diuini amoris flagrauit æstu, vt ad solam rerum cælestium memoriam colliquescere videretur. Visitatione autem Beatæ frui cœpit, primùm Christi ac Matris eius Sanctorumque festiuitatibus omnibus, dein quoties ad Eucharisticum epulum accubuisset, pulcherrima ex illâ audiens & saluberrima monita: quæ fusè deducta videri possunt in tribus libris Reuelationum illius, quorum manu illius exaratorum originalia in prædicto S. Vrsulæ monasterio hodieque seruantur; & transcriptum fidelissimè exemplar Bononiensis monasterij Matribus misit Illustrissimus & Reuerendissimus Frater Franciscus Gonzaga, Episcopus Mantuanus, cùm adhuc esset Ordinis Obseruantium Generalis *b*. Mortua est autem Soror Iulia, sub tali Magistrâ indies de virtute in virtutem progrediens, cum maximâ æstimatione consummatæ sanctimoniæ, eamque sodales suæ, vt Beatam, priuatim venerantur.

B

& libros scribit de reuelationibus sibi ab eâ factis.

b

nefariam Abbatissæ cædem,

C

165 Blasius quidam Bononiæ fuit, obsequijs quibusdam monialium Corporis Christi conductus famulus: hunc, vt vsuuenit sæpè in ijs, qui Religiosis in domibus nimiâ habiti indulgentiâ penè efficiuntur intractabiles, ita transuersum egerat insolentia sua, vt sæpiùs de dimittendo eo frustrà monito cogitandum esset Abbatissæ. Quod vbi animaduertit ille, more suo in castigatricem suam iracundiùs impudentiusque inuectus, cæde eius decreuit vlcisci, quod morum emendatione nolebat auertere, & summam iniuriam esse stultè credebat. Ergo in Vigiliâ Mariani festi in Septembrem incurrentis, dum Vesperas in choro Sorores canerent, Matrem curat euocari ad ostium, vicinum in cubiculum pertrahendam, ibique occidendam impacto in caput ligno magni ponderis, quod istic eum in finem collocarat, præcipiti mox fugâ consulturus sibi. Stabat infelix ad sacristiæ ostium, quod versùs capellam Beatæ ducit: indeque progressam venerabili aspectu Virginem sanctimonialem sibi obuiàm habuit, quæ & interrogauit eum; Cognoscisne me Blasi? Contremuit ad hæc verba malè sibi conscij animus: cumque, nescire se, quæ esset, confiteretur; Ego sum, inquit, Soror Catharina, & quid in animo tecum afferas meditatum cognosco. Væ autem, si fueris executus. In terram ille prostrauit se, plenus contritionis ac lacrymarum: abeuntem tamen ab oculis absque alio responso vidit doluitque Beatam: stulteque cogitatum facinus monialibus confessus, etiam lucis radios ab illius promicantes capite vidisse sese testatus est. Ex eoque tempore tractabilis, mitis, moderatus fuit, ipsamq; Matrem Sororem Valeriam, quam priùs tantoperè oderat, summâ semper in veneratione habuit; quamuis officio pridem se abdicasset: nec vmquàm intueri eam potuit, quin cogitati facinoris memor, in lacrymas solueretur.

Catharina auertit, apparens illâ machinanti famulo.

B

CAP. XIV

Dæmonis fraude à viâ abductum,

166 Neque nostris hisce postremis temporibus destitit Deus, ad propagandum Catharinæ honorem, memoranda hominibus beneficia elargiri; quæ exhinc porrò narrabimus desumpta ex authentico processu in ordine ad Canonizationem formato Bononiæ, de mandato Illustrissimorum Archiepiscoporum. Dominus Concordius Viscardi, Canonicus Regularis S. Augustini, Congregationis à sancto Saluatore nominatæ, à Bononiensi suo conuentu ad Centense *c* castrum, quod est in agro Bononiensi, profectus, vt erat parùm peritus viarum, facilè ab ijs aberrauit hiberno tempore, quo itinera impedita & salebrosa *d* discrimen exiguum habebant ab inuijs; nec aderat à quo posset rectum iter doceri, postquàm suum cœperat errorem cognoscere. Tandem tamen reperit aliquem, qui se ei ducatum præbiturum pollicebatur, & promptè sequentem fide pessimâ hac illac circumduxit, donec nox oberrantem oppressit procul ab omni habitatione humanâ: tum fluuium *e* vt bis transiret ijs locis iussit, vbi vadum erat nullum, & magnum periculum submersionis. Intendebantur interim nocturnæ tenebræ, quando ad fluuium eumdem se bonus senex vidit, tertiâ iam vice transeundum, si pessimo illi crederet: eâque re perturbatus haud modicè, intrauit tamen etiam hâc vice; moxq; eò se peruenisse sensit, vbi rapidissimus simul atque altissimus fluuius, nihil minùs promittebat quàm vadum; nihil certius minabatur quàm mortem. Itaque cogitare cœpit dæmonem esse, quem ducem sequebatur: ideóque ad Cælitum recurrens patrocinium, B. Catharinam inuocauit, cui multùm deuotus erat. Valuit illius nomen in fugam pellendo aduersario, qui nusquam comparuit: ipse autem cœptam orationem continuans medijs in aquis, vocem ad se deferri audiuit, quæ dicebat: Regredere Pater, regredere; quia errasti à viâ. Conuersus ille mulierem vidit, cuius nec habitum, nec quod capite gestabat vel onus vel ornamentum discernere tenebris impedientibus poterat; quæ ei ex aquâ egresso dixit: Per istam viam circui, vicinum iter digito demonstrans: cúmque aliquantulùm processeris, primū quod occurret hospitium, locum tuum esse scias. Volebat benè docenti gratias agere Pater, sed ampliùs neminem videre potuit: ideóque tam ipse quàm locorum periti iudicarunt, B. Catharinam fuisse, quæ inuocata venisset auxilio. Et proinde, incolumis reuersus ad suum monasterium, seipsum stitit ad gratias agendum, & quid accidisset sibi propalandum.

c

d

E

e

in eamdem reducit inuocata:

F

spasmum letalem sanat.

167 Soror Iustina Seraphina Rossi, in monasterio Corporis Domini Bononiæ Professa, longo iam tempore graui pressa infirmitate, tandem superueniente spasmo conclamata fuit à medico Sororibusque: & quamuis certis remedijs adhibitis videretur mitescere aliquantùm dolorum acerbitas; nocte tamen, dum ceteræ in choro Matutinum decantant, ita recrudescit mali vis, vt consilij ac penè mentis impos proripuerit ex lecto sese, rectáque ad Beatæ Sacellum descendens, ad illius ostium substiterit, magno clamore & eiulatu Beatæ supplicans, vt hisce se tormentis eriperet. Accurrerunt finito Matutino monachæ, & ostium sacelli recludentes, vnà cum ipsâ eadem cœperunt postulare: quod dum faciunt, remittit se spasmus, ægraque ad lectum reducitur: vbi obdormiscens pulcherrimâ recreata est visione; in quâ videbatur sibi Beatam cernere Catharinam, quæ sanitatem ipsi impetrabat à Deo. Quod veram visionem fuisse, non somnium, euigilans

A euigilans cognouit, perfectè sana; nec deinceps vnquam eo malo tentata; prout viua & sana, non sine lætissimis lacrymis testata est, anno millesimo sexcentesimo septimo, quando hæc authentico scripto consignata sunt.

ab extasi importunâ liberat.

168 Soror Peregrini Parisi, in eodem monasterio similiter Professa, quoties ad sacram accedebat Communionem, tenerâ quadam pietatis dulcedine rapta à sensibus, corruebat in terram, tantámque mox patiebatur palpitationem cordis, vt necesse esset eam attollere atque in lectum deferre: quod sanè non fiebat sine maximo incommodo Sororum, tum maximè attentarum deuotioni suæ, quam seponere cogebantur vt illi succurrerent. Itaque rogauerunt eam, vt Beatæ commenderet sese, eamque rogaret, vt ipsâ benè annuente tale quid ampliùs non pateretur, vnde tantum turbarū nascebatur domi. Nec verò placebant ipsi eiusmodi nouitates, suo spiritui minimè vtiles, & alijs molestæ: quare facilè persuasa, dum die quodam imperatæ vacat petitioni, vocem audit dicentem sibi: Vade, filia, securè communica, impetrasti gratiam quam postulasti. Iuit ipsa, atque ab eiusmodi raptibus B exinde libera, supradicto anno eadem hæc suo testimonio iuncta firmauit *f*.

curat oculos penè exesos,

169 Quatuordecim mensium infantulus grauem incurrerat oculorum infirmitatem, eáque per menses aliquot durante exedi videbantur illi, profluente continuò ex eis humore tam salso, vt vicinam, quà fluebat, carnem adureret, nec aërem clariorem ferre vllatenùs posset; ploratibus autem assiduis familiam affligeret vniuersam. Desperabant curationem medici, relictóque quod leniendo aliquantulùm malo seruire posset pharmaco, recessêre, pronuntiantes fieri non posse aliter, quin puer penitùs excæcaretur. Tum primùm vtile parentibus consilium datum, vt voto facto filium B. Catharinæ commendarent: quod vbi amplexi sunt, cœpit meliùs habere infans, totusque intra breuissimum tempus est persanatus; prout voti reus vterque parens testatus est, dum Missam in Beatæ honorem cantandam curant, & geminos ex argento oculos afferunt, impetratæ gratiæ argumentum.

dirum apostema,

170 Cuiusdam pauperis mulierculæ filio subnatum in latere sinistro apostema plagam reliquerat tam profundam, vt per ipsam etiam cor videretur: obtulit eum Catharinæ mater, & gossipium illius attactu sacrum plagæ imposuit, quæ continuò occlusa curatáque est. Filio quoque Francisci Lamolæ impactum in C caput saxum os ipsum comminuerat, profundéque penetrarant fragmenta, de quibus eximendis absque euidenti periculo vitæ medici desperabant. Medijs igitur humanis desperatis, mœstus pater efficaciora circumspicit: Catharinā inuocat: submissum à Sanctimonialibus gossipiū, quod suis manibus Beata tenuerat, parti læsæ imponit: subitóque omnibus inspectantibus restituta locis suis fragmenta sunt, cerebrumque ad statum requisitum rediens, puerum integerrimè sanum, absque vllo prorsus dolore, constituit.

capitis rupturam,

contusionē grauem,

171 Sebastiani Giroldi filiolo supra corpus ceciderat lignea officinæ cuiusdam valua; vnde toto luxatus corpore confractusque paruulus extra spem vitæ omnem positus videbatur: sed simili, quo prior, remedio restitutus in breui sibi ac sanitati est. Ioannes Franciscus Prandi morti proximus nihil admittebat ciborum ampliùs, quibus sustentatur vita, dentibus tam firmiter conclusis, vt ne per vim quidem deduci ab inuicem possent: quando ex astantibus alicui in mentem venit ad monasterium mittere, atque inde petere scapulare (Patientiam vocant) B. Catharinæ, quod humaniter est à Sororibus concessum. Vt autem illud infirmo corpori imposuêre, seque, vt iussus erat, æger Beatæ commendauit, subitò ei & os reclusum, & omnis infirmitas ablata est; testanti eo ipso momento temporis duas se manus candidas conspexisse, quæ totum ei corpus signo Crucis, à capite ad pedes ductæ, D consignabant.

lethalem infirmitatem,

AVCTORE IAC. GRASSETTO.

crus contractum,

172 Camillus Alfonsus Fauari febrim grauissimam passus horis viginti quatuor, post eam tantum in tibiâ dolorem sensit à genu vsque ad talum, vt per dies viginti pedibus ingredi non potuerit, aut diurnam nocturnámque quietem capere; credebatque aut gradiendi facultate omnino priuandum se, aut fuscillarum adminiculum futurum sibi necessarium: in eamdémque sententiam ibat medicus, professus nihil remedij superesse. Hac curâ dum angitur, nocte quadam venit ei in memoriam B. Catharina, eique se feruenti oratione commendauit, & mox sopitus venientem ad se Beatam conspexit, animósque addentem, ac denique dicentem: Surge: neque enim ampliùs dolorem istum senties. Surgit ille, atque inter assurgendum expergiscens, in pedes se erectum vidit absque vllo prioris tormenti vestigio.

Codicem rationum amissum reddit.

173 Fuerat Gaspar Posterla multis annis œconomus, primusque administrator vnius inter familias Bononienses præcipuas; qui, cùm administrationis suæ rationem exigeretur, inuenit è codicibus vnum deesse E sibi, in quem præcipua puncta reddendæ rationis relata erant: creditus autem eamdem studio & malâ fide occultare, in carcerem coniectus arctissimum est, simul de vitâ, famâ fortunisque periclitans: suæ tamen sibi conscius innocentiæ, tum per se ipse B. Catharinam inuocauit, tum vt idem pro se facerent monasterij Bononiensis Sorores rogauit: quartoque post hæc die accessit ad Rotam vir ignotus, schedulámque attulit Abbatissæ porrigendam, in quâ legebantur hæc verba: Criminalium caussarum Iudici dicendum curato, codicem illum, ratione cuius in carcere detinetur Gaspar Posterla, seruari in Archiuio Fori criminalis, Turris-maioris iam inde à multis mensibus: inuentumque est ita se rem habere. Quare de mandato Legati Cardinalis Saluiati, Gaspar in libertatem restitutus & innocens declaratus est, qui statim legauit è suis aliquem acturum Sororibus & B. Catharinæ gratias pro beneficio tam opportuno.

a *Quandoquidem Catharinæ virtutes in primâ vitâ strictim attinguntur dumtaxat: crediderim ex hoc loco confirmari, quod dixi in Prologomenis, Vitæ iunctum ab initio fuisse libellum de septem armis spiritualibus: quemadmodum libellum & Vitam iunctim exhibet Latinis eorum interpres Flaminius.*

b *Lucas VVaddinghus ad an. 1463 testatur quòd Cardinalis Paleottus, Bononiensis Archiepiscopus, hunc librum Iuliæ manu exaratum penes se habuerit, etiam hoc adminiculo comprobaturus B. Catharinæ sanctitatem: post quem in Martyrologio suo & Gynæceo Arturus à monasterio (magnus Ordinis Franciscani Papa, vt ioco dicere solebat VVaddinghus, nimiam in Sancti Beatiq; appellationibus priuata auctoritate assumendis libertatem arguens) B. Iuliam retulit ad XXII Iunij: quæ religionis studio ita exarsit, vt ceteras consocias ad totius perfectionis viam suo exemplo vehementer accinxerit. In suis autem ad hunc diem notis addit, hanc eius cum B Catharinâ familiaritatem per annos triginta durasse, unde consequens foret, hanc eximiam virginem vltra annum 1540 vitam protraxisse.*

F *Sor. Iulia Mediolani.*

c *Abest ab Vrbe Bononiensi ad Euro-boream passuum millibus non ampliùs nouem,* Cento- li Butrio *nominatum in tabulis Geographicis, à vicino oppido Butriensi.*

d *In agro præsertim Bononiensi fluuiis riuisq; continuis intersecto: vnde & apud vulgus obtinuit vt* Bononia crassa, *id est, pinguis cognominetur.*

e Idicem *credo, cuius orientali ripa Centense castrum adiacet.*

f *Meritò dubito an non hæc eadem soror eademq; sit gratia narrata num. 157.*

CAPVT XVII.

B. Catharinæ alia miracula posteriora.

Curantur febris lethalis,

174 DOminus Iacobus Antonius Arconati, Nobilis Mediolanensis hærebat affixus lecto, cùm annus millesimus quingentesimus octogesimus nonus ageretur, grauissimam ob febrim, & à medicis de salu-

A te eius desperantibus, habitam pro lethali. Pro hoc matertera eius, Domina Comitissa Margarita Triulci Borromæa, votum vouit B. Catharinæ, & subitam retulit sanitatem. Idem haud multò pòst disuriæ morbo ad extremum vitæ discrimen adductus, recordatusque auxilij simili in articulo aliàs sibi à Beatà præstiti, alterum emisit votum, cuius reus argenteum misit anathema, cum attestatione authenticà vtriusque miraculi. Domino Gabrieli Beati, medico Bononiensi, rupta in pectore vena, nullis poterat remedijs consolidari; itaque apportari sibi bombacium Beatæ voluit, quod statim ac pectori admouit suo, cum stupore omnium circumstantium, liberum se omni malo dixit.

Auerona sacrorum sexto. disuria; venæ ruptura,

175 Eiusdem ad recuperandam sanitatem intercessione vsus est medicus etiam alter, Excellentissimus Dominus Guido Monticellus, anno suprà memorati seculi nonagesimo primo, cui in dysentericum fluxum periculosissimum transierat grauis, quem patiebatur, morbus; non sine febribus maximisque doloribus, propter quos de vitâ desperans ipse, discessum ad alteram vitam parabat. Habebat in familiâ aliquos B. Catharinæ singulariter addictos, hi ad monasterium eius mittunt, & Sororum poscunt orationes: quibus B impetratis, nocte quâdam, cùm vehementissimus eum vrgeret dolor, ad alterum lecti latus strepitum quemdam audijt; eoque se obuertens, vidit clarissimè Beatam Matrem supra ipsum lectum genibus flexam, eique agnitæ, cum timore lætitiæ summæ admixto, statum suum commendauit, supplicans vt sanitatem suam impetraret à Deo, sibique inspiraret, quid sibi ad illius Deique honorem agendum esset. Tum voti cuiusdam cogitationem immitti sibi sentit: facit illud; subitùmque leuamen percipit tum quidem; intra breue autem tempus plenam sanitatem: cuius publicum testimonium, manu scriptum suâ & coram testibus atque notario ritè firmatum, ad monasterium gratulabundus attulit.

dysenteria,

176 Adolla, filia Ioannis de Offesinis, annorum erat decem, quando ingrauescente indies, quod lecto ipsam affixerat, malo, neque loqui iam ampliùs, aut certè non intelligi si quid eloqui vellet, neque alimenti quidpiam sumere poterat: sic vt de vitâ eius actum diceret medicus, homo expertissimus in paucis. Itaque in ciuitatem egreditur pater, vnigenitæ mortem iam certam ploraturus inter amicos. Interim à nescio quo exorata pro moriente Catharina est, & puella eâ aquâ est lota, quâ sanctū corpus abluerant sanctimoniales; C eoque facto subitò conualuit. Redeunti sub vesperam patri anxiéque de filiâ interroganti obuiàm procedit vxor, ad manum trahens paullò antè morti addictam puellam: & eccum filiam tuam, inquit, B. Catharinæ aquâ & orationibus Matrum Corporis Christi sanatam. Dici vix potest quàm ea subita commutatio perculerit animum afflictissimi patris: quem vbi collegit ab insperatæ lætitiæ sensu, vouit quotannis aureum vnum daturum se monasterio isti, quamdiu filia sua viueret: quod etiam post mortem eius factum deinceps est, fiebátque anno millesimo quingentesimo nonagesimo, quando puella iam viro nupta cum matre suâ impetratam miraculo sanitatem iurata exposuit confirmauitque.

puella moribunda,

177 Catharina Veronensis, famula Dominæ Helenæ Cortellini, multis mensibus tantum in brachiorum altero patiebatur cruciatum, vt cùm ille maximè intendebat sese, non cessaret integris diebus vociferari furentis instar: & verò poterat ad mortem adduci dolorum vehementiâ, si continuò fuissent æquè intensi. Acciti medici, medicamina adhibita; at nihil profuerunt. Itaque propositum ei est, vt ingrauescente denuò malo B. Catharinam inuocaret, cuius tot passim narrabantur miracula. Huius illa consilij haudquaquàm immemor, primâ occasione vsa eodem est, & nocte superueniente obdormiscens, Beatam vidit prensantem brachium malè affectum, dicentémque sibi: Exurge; sana es etenim. Euigilat illa, nec mentis suæ satis præ lætitiâ potens, ingenti per totam domum clamore, non tantum familiares è lectis exciuit omnes, sed etiam vicinorum multos, arbitrantes grande aliquod infortunium accidisse: qui vt ipsam audiuêre, pariter laudauerunt Deum in Sanctis suis gloriosum. Domina autem ipsius, cui dirum carcinoma ad aurem instar pomi tumens, caput depascebatur ab annis duodecim; famulæ suæ exemplo in spem erecta sanitatis per eamdem Beatam recuperandæ, post expensa in medicos plus quàm mille quingenta scuta, per amicos in Aulâ Romanâ potentes extorsit à Pontifice facultatem, monasterium Corporis Christi ingrediendi; quò ex Apostolico indulto admissa, atque in sacellum Beatæ deducta, fusâ ibidem oratione modo Catharinæ pectus partem capitis ægram admouit, subitóque sanam se Sanctimonialibus omnibus stupentibus ostendit.

brachium pessimè affectum

struma horrenda,

D

178 Doralicæ Fagnani, vxori Antonij Maldrati, oculus dexter pessimè affectus, malè totum affecerat caput, deformatum spasmo, & cruciatum dolore tali, qui requiem nullam indulgebat infirmæ. Et ingrauescens quotidie malum illius oculi cæcitatem minabatur, cui multus se iam sanguis insuderat, & maculæ interius duæ obduxerant: vnde vix quidquam illo videre iam poterat. In his cùm aliquot traxisset dies, deuotè inuocauit B. Catharinam, atque omni extemplò leuata dolore, sensit & sanguinem & maculas dissipari paullatim, intraque ipsum illum diem ita perfectè se liberam ab omni malo, quasi nullum vnquam passa fuisset.

oculus infirmus;

E

179 Dorothea de Galeazzo ex Brittensi castro, Bononiæ habitans, toto Quadragesimalis ieiunij tempore febri vexata fuit, quam demùm pestiferam factam esse liuentes maculæ declararunt: vsuque sensuum amisso, certò moritura credebatur à medico. Solus ei restabat auditus, per quem consanguinei cuiusdam sui, qui visitandæ ægræ gratiâ aduenerat, vocem admisit dicentis ad aurem, vt B. Catharinæ opem imploraret, votúmque faceret visendi corporis, cum aliquâ oblatione, si recuperaret sanitatem. Fecit quod monebatur ægra, & continuò supra lectum suum Beatam aspiciens, ita est eo visu recreata, vt de lecto desiliens coram omnibus, sanam se liberámque professa sit.

pestifera febris,

180 Angelica (quæ Antonio Trinchedæ Bononiensis ciuis posteà vxor fuit) iuuencula cùm esset, tantâ opprimebatur tussiendi passione, verni temporis continuo spatio, vt eâ aliquando suffocanda crederetur: quin & per æstatem sequentem nihil minuebatur malum. Interim Augustus mensis adfuit, in eoque Virginis Mariæ festum, quo die omni populo consueuit spectandum exhiberi corpus incorruptum. Venit ergo ad ecclesiam monasterij cum cæteris Angelica: ibidémque à superueniente tussi pressâ, sic vt ne semel quidem posset Dominicam absoluere orationem, Beatæ sese ex animo commendauit, cùm voce nequiret: exauditámque fuisse docuit subita liberatio, & in reliquam deinceps vitam concessa à malo isto immunitas.

tussis molesta,

F

181 Eadem primo sui matrimonij anno vterum ferens, adeò molestum onus sensit, vt nec vinum bibere posset; nec alio cibo refici quàm modico pane fructibúsque, atque hunc ipsum paullò pòst fastidiens stomachus eructaret: septimo autem à conceptu mense vniuersum ei corpus sanguineæ bullæ crustæque maiores ac minores operuêre, tamquàm leprosæ, idque cum fœtore tam horribili cruciatibúsque tam diris, vt quamuis promitteret medicus cum puerperio cessatura hæc omnia, ipsa tamen mortem optaret quantocyùs; & vel præcipitio vel alio violento modo finem miserijs tantis quærere dæmon male-suadēs suggereret. Tandem suæ olim benefactricis recordata, instanter petijt aquam Beatæ adferri sibi: quæ vbi est in ampullâ allata, relicto lecto in genua se dimisit, ex eâque ea-dem

prægnantis mulieris cruciatus insolitus,

A dem corpus tingere. Quantum autem lauabat illa, tantam partem mox liberam à doloribus sensit: atque intra dies octo plenis viribus restituta, venit ad monasterium Corporis Christi, Beatæ suæ aduocatæ gratias relatura.

puella apostematis exesa,

182 Petrus Auenalis & Flos-lilij de Alexandris, coniuges & ciues Imolenses, filiolam habebant, cui post primum vitæ sesquiannum, viginti duo enata fœtidissima apostemata, tenellum corpusculum penè totum absumpserant: inter hæc vnum in gutture, alterum in collo fuit: quibus caput supra alterum vlcus quod erat in pectore inclinare coactæ, mentum quoque iam pectusculo adhæserat; sic vt absque periculosâ incisione nequiret separari. Tanto malorum adeò ferocium cumulo nullum per annos plures cùm inueniretur remedium, Bononiam aduenêre afflictissimi parentes, famâ miraculorum frequentium prouocati; factâque oratione vouerunt eò adducturos se filiam, si sanaretur, aliáque ad Beatæ honorem facturos. Reuersi in patriam nuntiauêre filiæ, quid pro eius incolumitate obtinendâ egissent: vnde tantum illa concepit gaudium fidémque recuperandæ salutis, vt mentum à pectore, cui adhæserat, citra dolorem vllum auulserit: B plagis tamen vt antè hiantibus, moritura breui etiam tunc timebatur. Verùm sub auroram sequentis diei inuenta puella est toto corpore sana, nec quidquam è plagis reliquum retinens præter vestigia cicatricum, ad maiorem miraculi euidentiam cunctis inspicere volentibus ostensa Imolæ, atque etiam Bononiæ post nouem menses, quando parentes cum filiâ eò venerunt ex voto, & coram notario testibusque maximi huius miraculi veritatem in tabulas legitimas referendam exposuerunt. Erátque tum adeò sana vegetáque puella, vt totum illud iter pedibus emensa sit, passibus quantumuis validum æquans ambulatorem: tempus autem patrati miraculi anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, vigesimâ sextâ Augusti die signatum reperitur.

varia vnius infirmitates,

183 Torquatus Monaldini, Illustrissimi pro tempore Legati Bononiensis Cancellarius, ciuisque eadem in ciuitate honoratus, molestâ laborabat stomachi ægritudine, cui febris aliáque mala accesserant, crebráque deliquia adferebant: inter quæ B. Catharinæ se deuouens, petijt illius Patientiam adferri sibi, quam statim ac induit, formulámque orationis simul submissam à monialibus recitauit, sanum se postero die reperit: & hoc manus suæ testificatione constare C voluit omnibus, rogato etiam ad id Notario, ne quid deesset consuetæ solennitati condito de hoc miraculo instrumento.

puer moribundus,

184 Ioannes Hieronymus, filius Equitis Guidonis Vaini, Nobilis Imolensis, cùm quindecim aut octodecim mensium attigisset ætatem, febri molestâ correptus est, quæ eum post sextum ab ortu suo mensem, fœdè contractum reddidit: atque ab ipsis quæ adhibebantur medicamentis vires sumens, ad extremum terminum languentem deduxit. Vesperam afflicti parentes peruigilem egerant apud moribundum filium; quem tantis in angustijs diutiùs videre non sustinentes, tandem ancillis quibusdam seruísque domesticis commendarunt, suâ eum benedictione, tamquàm deinceps viuum non visuri ampliùs, munientes; œconomóque imperantes, vt si nocte eâ moreretur (quod pro certo habebant) priùs quàm ipsi de lecto surgerent, eumdem curarent sepeliendum, ne interesse cogerentur tam funesto spectaculo. His sic digressis, perstitit apud infantem matrona quædam, arctissimo sanguinis vinculo eidem coniuncta, Domina Hippolyta Codronchi dicta, quæ parte nonnullâ Vitæ & miraculorum B. Catharinæ iam pridem cognitâ, eidem infantulum cœpit magnâ cum fiduciâ commendare, addito voto si conualesceret. Vix illa vouerat, subitò puer præ se tulit euidentia redeuntis sanitatis signa, intráque breuissimum tempus totus conualuit, anno millesimo sexcentesimo: prout ex actis authenticis constat, quæ à publico tabellione ac testibus legitimè firmata sunt.

D *AVCTORE IAC. GRASSETTO.*

incurabilis plaga in talo,

185 Frater Raphaël Bernardi Bononiensis, Sacerdos Cappucinus, incurabilem per septem vel octo annos plagam in talo circumtulerat, donec exulceratus pes, auctique ex eo dolores, lecto eum affixerunt; in quo nullam noctu diuque requiem capiens, velut spasmo correptus totos quadraginta dies iacuit, magnâ cum suâ pauperumque illorum Religiosorum molestiâ, qui dolebant nihil à medicis ad vulnus curandum accersitis opis promitti. Ergo alibi eam quærendam æger videns, cùm esset B. Catharinæ deuotissimus, vespere quodam ceromata omnia atque vnguenta abiecit, & particulam de Bauarâ Beatæ reuulsam imposuit vulneri: eadémque nocte quietiorem solito somnum cœpit. Manè autem facto inuenit meliùs constitutum vulnus, eamdémque particulam eodem reponens loco iterum quietam noctem habuit. Sequenti autem manè coiuisse plagam, ac ne cicatricem quidem superesse vidit. Nec enim cicatrix vocari potest in pelle, aliàs æquabiliter leui, apparens macula valdè exigua, in signum miraculi patrati relicta.

E *difficilis puerperium,*

186 Domina Marchionissa Anna Turchi Gualonghi acerbissimis in puerperio doloribus Ferrariæ torquebatur, nec eniti poterat, propterea quòd fœtus esset inuersus in vtero; & vel matris, vel prolis, vel vtriusque mortem necessariò secuturam Medici atque obstetrices iudicabant. Implorata erant Sanctorum suffragia, adhibitæ Reliquiæ, diuina denique & humana media tentata omnia: sed frustrà. Valdè igitur tristis domum reuertitur P. Ioannes Baptista Lambertinus, illius Confessarius, qui & ipse Reliquias aliquas ad ipsam attulerat: atque de viâ in ecclesiam Corporis Christi ingressus, cogitare incipit de B. Catharinâ Bononiensi, quam, Bononiensis & ipse, admodùm religiosè colebat: recitat ad eius honorem Rosarium vnum, aliásque nonnullas preces, & pro salute Marchionissæ votum nuncupat: cuius se reum intellexit, quando paullò pòst bonâ cum spe in collegium reuersus, nuntium accepit, fœtum eò vsque prodijsse in lucem, vt baptizari potuerit: deindeque illæsâ matre, mortuum esse egressum.

febris desperata,

187 Domina Ioanna Caualca, nobilis Parmensis, post quinque dierum febrim, nullam spem vitæ de iudicio medicorum habebat reliquam: dictum ei fuit ad B. Catharinam vt recurreret, & exhibita per tres dies aqua potanda, quâ sanctum corpus ablutum fuerat, ac mox prodigiosè reddita salus est, post votum F de eleëmosynâ Bononiam ad monasterium destinandâ nuncupatum. Maria Liuerani, Angeli Vanti vxor, filium habebat mutum, eumdémque vbi ad ætatem peruenit, amentem quoque esse compererat: votum edidit filium Bononiam deducendi, & ille loquelæ simul & rationis accepit expeditam facultatem, atque anno millesimo sexcentesimo primo Bononiam cum matre venit votum completurus.

mutus & amens,

188 Laurentius Bedodi, aromatarius, Parmensis ciuis, adolescentulus cùm esset, graue in vnâ coxarum vulnus acceperat, ex eoque persanato seruabat cicatricem, iuxta hanc post annos viginti ingens humorum confluxit copia: à quibus, cùm maximos pateretur cruciatus, & remedia leniora prodessent nihil, facienda per sectionem via fuit. Aderat cùm sectio fieret Pater Cappucinus, Laurentij amicus, eique ex Bauarâ Beatæ particulam tradidit, iubens vt quoties curando vulneri ceromata adhiberentur, toties illius lini filum vnum apponeret plagæ: nec pluribus quàm tribus diebus opus habuit vt perfectè sanaretur. Quod supra adhibitorum medicamentorum naturales vires fuisse medicus chirurgusque professi, eam curationis prædictæ celeritatem miraculosam iudicarunt, talémque

periculosa sectio.

A que iuridicè interrogati confirmarunt. Hæc anno millesimo sexcentesimo septimo acciderunt: anno autem eiusdemque seculi decimo octauo, dum hæc scriberentur, adhuc in viuis erat Laurentius, & ita se rem habere ipsi auctori præsens affirmauit.

AVCTORI IAC GRABETTO.

189 Huic miraculorum relatorum seriei, quam ex authetico pro canonizatione processu desumptam, futuram credidi fide dignissimam, adiungenda videntur duo (seu miracula lubet seu gratias appellare) in eum quidem numerum non relata: sed nihilo minori certitudine cognita mihi, qui Monialem hîc indicatam sæpiùs interrogaui diligenter & quacumque fas fuit accuratione examinaui iuuenculas duas, de quibus hîc pariter sermo erit. Quòd autem cum prioribus non fuerint authenticè consignata, ea caussa fuit, quòd cùm ad intentum finem relata hactenùs plus quàm abundè sufficerent, non iudicabatur expedire, vt, pluribus quę interuenêre personis etiamnùm viuentibus, res illæ in iudicium adducerentur.

190 Adolescentula quædam monastico statui destinata à parentibus, suâ in ciuitate nobilibus & honoratis, missa Bononiam est B. Catharinæ venerandæ caussâ, vbi eidem à Sororibus datus libellus est, Vitam & miracula illius continens; quæ regressa ad suas, non B multò pòst monasterium Parmæ ingressa est. Vbi cùm aliquanto vixisset tempore, quietem eius cœpit malignus dæmon consuetis sibi machinis impetere, multas grauésque diffidentiæ, infidelitatis, inobedientiæ tentationes ingerens; quibus eam miserum in modum diuexans, timorem haud sanè leuem fecerat, vt in proposito perseueraret. Cumque ad Deum, Deiparam, Sanctos confugiens, Patribus quoque spiritualibus molestias illas manifestans, multo labore profecisset nihil, in memoriam tandem venit eorum quæ Beatam quoque Catharinam passam esse aliquando audiuerat: libellum supra dictum quærit, eumque legens relegénsque deprehendit planè similes esse eas, quibus Sancta tot annis exercita fuerat, tentationes: itaque illius se patrocinio committens, quæ posset alienis malis experta compati, non vanam fuisse suam fiduciam sensit, D serenatâ mox mentis pristinæ restituta tranquillitati.

molesta tentationes depulsa

191 Eodem in monasterio, annis aliquot pòst, collocatæ fuerunt puellæ duæ, prædictæ Religiosæ Sorores vterinæ, Christianis ibidem moribus informandæ, &, si mens eò ferret, etiam Deo consecrandæ per vota, quando iustam attigissent ætatem. Non multo istic habitauerant tempore, quando deprehensum est maleficiis esse intoxicatas, non sine parentum monachæque sororis dolore magno. Adhibiti exorcistæ nihil profecerant; proindeque iudicatum fuerat minimè expedire, vt intra claustrum diutiùs tenerentur, paternâ in domo securiùs minorique cum incommodo curandæ: sed nec ibi quidquam profuere remedia, quæ adhibebantur varia. Inter hæc intelligit Soror monacha, Sacerdotem quemdam Parmensem, virum pium, peregrinationem Lauretanam habere in animo: aduocat eum ad se, dataque in iter eleēmosynâ rogat, vt Bononiâ transiens, accedere velit ad ecclesiam Corporis Christi, ibique ad B. Catharinæ corpus, Sacrum facere & pro sororum suarum liberatione orare. Quod dum ex condicto Sacerdos Bononiæ exequitur, post duos tresue dies quàm Parmâ discesserat; Exorcista, qui sacras adiurationes adhibebat Parmæ, puellas plenè liberatas reperit: neque exinde quidquam senserunt E incommodi in præsentem vsque diem, quo hæc Parmæ scribimus, mense Iulio, anno seculi huius decimo octauo. Et earum altera sana atque incolumis reuersa ad monasterium susceperat iam in capite corollam, monasticum habitum intra menses paucos suscepturа; quemadmodùm mihi per schedulam ex eodem monasterio nuntiatur: cum vtraque autem sanâ & valente egi sæpiùs, vt paullò antè professus sũ. Hæc sunt quæ de B. Catharinâ Bononiensi ad piarum animarum solatium, multarum auxilium, ipsiusque in primis Beatæ & Dei Opt. Max. honorem scribenda occurrerunt: ipsi laus & gloria sit in secula seculorum, amē.

item maleficia.

a *Distat Imola à Bononiâ sedecim passuum millibus ad Orientem itinere rectissimo.*

DE S. FRANCISCA ROMANA


FVNDATRICE OBLATARVM TVRRIS-SPECVLORVM

Commentarius præuius.

§ I *Cultus ecclesiasticus: res gestæ & visiones à Confessario scriptæ.*

AN. MCDLIX MART.

Post canonizationem



1 *Onum hunc diem nobis claudet, quæ propter cultus præcipui prærogatiuam Romanæ Ecclesiæ fastos nunc orditur, S. Francisca, sexui suo in omni statu ac viuendi conditione ad imitandum proponenda. Hæc vel à patriâ Romana dicta, vel à mariti nomine de Pontianis; eodem mortuo, se tradidit in eam, quam ipso viuente erexerat in Vrbe, congregationem Oblatarum Deiparæ Virginis, sub Regula S. Benedicti eiusque speciali obseruantiâ, qualem ea profitetur Cõgregatio, quæ nomen à Monte-Oliueti habet. Eadem Francisca post sæpe tentatam canonizationem, Sanctorum Catalogo adscripta est tandem à Paulo huius nominis V, à quo etiam toti Oliuetano Ordini concessa est plenaria peccatorum indulgentia, in die ipsius festo omnibus Christi fidelibus proponenda; quemadmodum intelligi datur ex Antonio Pauli Masini, indicante in suâ Bononiâ perlustratâ talem gratiam hoc die proponi in ecclesiâ S. Michaëlis in Bosco, quam extra illius ciuitatis portas Ordo iste habet: qui etiam Officium de eâ ecclesiasticum totum sub ritu Duplicis peragere cœpit iam inde ab ipsâ canonizatione illius, id est, ab anno* MDCVIII.

Officio duplici colitur ab Oliuetanis,

2 *Idem festum, vt ritu eodem celebrandum inscriptum est Kalendario ad vsum Fratrum Minorum accommodato & anno* 1631 *Parisiis vulgato per Ioannem Flandrum, idque (quod meritò admiramur) vt de Sanctâ Ordinis Seraphici: quo etiam nomine Vitam illius Hieronymus Camboni inseruit Legendario tertij Ordinis S. Francisci, sub anno* 1848 *Bergomi Italicè excuso, asserens eam post obitum mariti suscepisse habitum tertij illius Ordinis, & ex Minorum ordine Confessarium accepisse Fr. Bartholomæum. An sic opinandi occasionem Hieronymus acceperit ex annotationibus prædicto Kalendario additis, & per Arturum à monasterio in Franciscano Martyrologio posteà allegatis, nobis autem necdum visis; an verò antiquior etiam ista inter Franciscanos persuasio fuerit, non diuinamus; dum certum est, nullâ illam aut veritate aut veri etiam similitudine niti. Etenim ex aliis omnibus, qui de vitâ Franciscæ scripserunt aliquid, manifestò liquet, statim à celebratis mariti exequiis, ipsam se ad suas Oblatas contulisse: cum quibus, priùs quàm in vnam congregationem colligerentur, iam inde ab anno* MCCCCXXV *obtulerat se Ordini Oliuetano, sicut aliæ aliis Ordinibus se offerunt sub Rosario, Cordulâ, Cingulo aut Scapulari; cum iisdemque S. Benedicti Regulam obseruandam suscepisse, perinde atque ipsæ fecerant; non quidem sub voti solennis religione, sed sub confessione constantis propositi. Confessarium quoque tunc*

& Franciscanis.

an horum 3 Ordinis rectè adscripta.

temporis

A *temporis habebat & habuit deinceps vnicum, de quo mox acturi sumus, Ioannem Matteotti: Bartholomæo autem non scimus aliter vsam esse, quàm quomodò vsa est Fr. Hippolyto Olivetano; nempè vt consiliario diuinitus sibi ad Confessarium adiuncto in iis, quæ erigendæ congregationis negotium concernebant.*

colitur vniuersim officio Semiduplici ad libitum,

3 *Quia tamen consequens hinc saltem est, nonnihil deuotam fuisse Franciscam Ordini Franciscano; meritò hic Ordo suam erga ipsam deuotionem istâ Officij solemnitate profiteri potuit, & vt posset Apostolicæ Sedis indultum postulare: necdum enim ad vniuersam Ecclesiam extensa erat vel facultas vel obligatio qualem nunc habemus. Facultatem primus Vrbanus* VIII *anno* MDCXXII *dedit, omnibus secundum Romani Breuiarij formam Horas Canonicas persoluentibus, vt si liberet de S. Franciscâ sub ritu Duplicis intra Vrbem, extra eam verò Semiduplicis facerent, idque ad X diem Martij, quia nonus proprio Quadraginta Martyrum cultu occupabatur: obligationem Innocentius X induxit, & quidem vniuersim sub ritu festiuiori ac proprio die, translatis in decimum Martyribus prædictis. Quâ in constitutione credibile est nonnihil tribuisse Pontificem carissimæ Sororis suæ Agathæ Pamphiliæ precibus, Sanctæ huius Franciscæ Institutum inter Oblatas amplexæ, plus communis patriæ caritati, plurimum verò eximijs Sanctæ meritis, cui non poterat non affici peculiariter,*

deinde duplici de præcepto:

B *postquàm illa penitius introspexerat sub Paulo V Rotæ Auditor, atque in caussâ canonizandæ Beatæ Relator constitutus.*

Visiones & conflictus eius Confessarius Matteotti Italicè scripsit,

4 *Primus qui de Franciscâ scripto consignauit aliquid, fuit iam suprà memoratus Ioannes Matteotti, in S. Mariæ trans-Tiberinæ Collegiali templo Canonicus & Curatus; quodque ad rem nostram maioris est momenti, ipsius & primarum omnium Oblatarum per annos decem postremos Confessarius. Hic visiones illius raptusque & graues cum tartareis hostibus conflictus sic retulit in aduersaria, prout excipiebat ab eius ore, obedientiæ præcepto adactæ ad manifestanda plurima, quæ profunda alioquin humilitas eius voluisset inuiolabili silentio premere. Excipiebat autem Italicâ illius temporis linguâ, itaque etiamnum asseruantur apud Oblatas Turris-speculorum. Postquàm autem illa ex viuis abiens cœpit vt Beata honorari à populo, & crebrescentibus miraculis, post informationem de iis acceptam, etiam processus pro eâ canonizandâ institutus erat, alterque (vt credebatur) vltimus futurus & decretorius esset præ manibus, qualem anno post mortem Sanctæ vndecimo confectum videbimus; idem ille, quæ Italicè scripserat, Latinè videtur reddidisse, iisque præponi voluisse breuem Vitæ ipsius ac miraculorum synopsim, quam habemus.*

& Latinè vertit,

addito Vitæ & miraculorum summario.

5 *Quòd ipsemet suus interpres fuerit, maximè persuademur, considerantes in Latino textu omissa ferè esse omnia, quæ ad Oblatarum institutionem spectantia non poterant scribi absque crebrâ ipsius mentione: à quâ vt sua ipsum modestia*

C *prohibuerit, alius tamen nemo abstinuisset, quando ita in Italico reperisset, vti reperiri testis erit Vita secundo loco à nobis danda, verbotenus illa ipsa transcripta exhibens, quæ in Latino textu omnino desiderantur. Quòd etiam præponi Visionibus Vitam atque miracula voluerit, quæ nescio quâ de caussâ inuerso ordine nos accepimus, probat epilogus, ita exordiens:* Postquàm superiùs dictum est de Vitâ & Visionibus & miraculis huius Christi famulæ B. Franciscæ; nunc in breui epilogatione dicendum est qualiter ex huius tenebrosi mundi caligine ad supernas, vinculo carnis soluto, ad æthereas migrauit visiones. *Huic igitur ordini per ipsum nobis præscripto insistentes, omnia in tres libros diuidemus. Primus Vitam & miracula ante atque post mortem patrata continebit, secundus visiones, tertius conflictus cum dæmonibus aliaque nonnulla circa eosdem, & quæ damnatis supplicia ingerunt, ipsi diuinitus reuelata. Et primum quidem ac tertium librum diuidemus more nostro in capita, reiectis ad marginem titulis, quibus illi distinguebantur: secundum verò librum ita relinquemus, vt inuenimus, per seriem & numerum visionum digestum. Scriptoris phrasim, quamuis incultam & idiotismis refertam Italicis, inuariatam seruabimus; ortographiam nihilominus Latinam sequendo, sic vt vbi ille scribit* sicurus, prontus, ricomandare, auuertere; *scribamus* securus, promptus, recommendare, ad-

Omnia nos in tres libros diuidimus,

stilo ortographia tantùm mutatis,

D uertere: idemque nobis licere velimus circa quasdam vernaculæ linguæ proprietates; quæ secundam declinationem à quartâ, neutrum genus à Masculino, aliaque similia non distinguens, easdem etiam Latinè scribenti ingessit; vt cantis *pro* cantibus, concepto *pro* conceptu, thronum *pro* thronus. *Cetera quæ lectorem morari poterant, in notis accuratè expliciumus.*

ex authentico MS.

6 *Damus autem prædicta omnia ex authentico Domus nostræ Professæ Romanæ exemplari MS. sub initium huius seculi exarato, ad vsum P. Iulij Vrsini, Vitam S. Franciscæ scribere aggressi, cuius Manu-scripti ex autographo Turris-speculorum fideliter transumpti vt ecgraphum haberemus, operam dedit Ioannes Nadazi Societatis nostræ, apud Adm. R. P. N. Generalem pro Assistente Germano Substitutus, & plurimis editis libris notissimus inter nostros: qui pro suâ singulari erga nos beneuolentiâ & insigni promouendæ Sanctorum gloriæ zelo, ad ceteras plurimas suas occupationes & curas, non est dedignatus hanc quoque adijcere, vt vnum quodque folium, prout illud in Belgium mittendum erat, ad originale suum relegendo conferret. Tantâ tamen diligentiâ suâ cauere non potuit, nec verò debuit etsi potuisset, quo minùs in posteriori ecgrapho non essent errores iidem, qui fuerant in priori, ac fortè in ipso autographo Matteotti, properantiùs adornantis versionem Latinam, & quædam subinde verba prætermittentis,*

E *quæ ad perficiendum sensum planè requiri videntur. Herum ergo defectus ne nimiùm moraretur lectorem scriptionis incultæ, & idiotismis vocabulisque Italicis per se satis asperæ, verba nostra substituimus, vbi opus erat: sed [ ] vncis inclusa, ne cui suspecta sit libertas nostra, quasi eadem stylum præsumpserit alterare.*

§ II *Quædam circa prædicta Confessarij scripta Lectori obseruanda.*

7 M*aria Magdalena Anguillaria, sub cuius nomine prodijt Vita, cuius potiorem partem Latinam dabimus post scripta Matteotti, librum eiusdem Vitæ tertium exorditur ab hâc præfatione:* Seraphica hæc Dei famula Francisca mentis tam puræ fuit, tam incensæ in Diuinum amorem voluntatis, vt semper parata atque disposita videretur ad intimam cum Deo vnionem. Itaque siue Dominico Corpori in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento communicasset, siue in domestico oratorio diuinis rebus meditandis applicuisset animum, frequentes à sensibus patiebatur excessus. In his autem oblatæ eidem diuinitus sunt illustrationes variæ seu visiones, quas hic consilium est coniunctim exponere: tum quia insignem ipsius sanctitatem, multis & claris argumentis manifestant, tum quia plurima continent documenta animabus, cælestia cupidè meditantibus,

Frequenter Francisca raptus

F profutura. Quod tamen priusquàm aggredior; quædam præmonendus mihi lector est. Primum, quòd, licet post communionem atque orationis tempore ita frequenter in extasim raperetur, per annos tamen quadraginta quinque vitæ ipsius, id est, ab anno salutis humanæ MCCCLXXXIV vsque ad MCCCCXXIX, neque ab ipsâ neque à Confessarijs eius quidquam de illis rebus scripto notatum sit, quod quidem ad nostram cognitionem peruenerit. Primus Ioannes Matteotti Sanctam adegit obedientiæ præcepto, vt quæ vidisset audissetque in suis raptibus, hæc sibi, scripto eadem excepturo, narraret.

anno solùm 1430 notari capti,

8 Alterum punctum notatu dignum est, quòd idem Ioannes inceperit quidem ab anno MCCCCXXX minutim & distinctè describere conflictus S. Franciscæ cum dæmonijs, reuelationes, contemplationes & extases illius; post duos tamen tresue annos, non nisi pauca admodùm consignarit scripto: nam à fine mensis Iunij anni MCCCCXXXIII, vsque ad festa Natalitia Christi in fine mensis Decembris, à quibus eo tempore sumebatur noui anni initium, nihil omnino inscripta retulit eorum, quæ intuita Sancta passaue

A fuerat anno MCCCCXXXIV sex septemue dumtaxat extases annotantur, XXXV anno non nisi tres: annis verò XXXVI & XXXVII singulis annis singuli: nullus omnino anno XXXVIII: duobus autem sequentibus annis notantur item singuli in singulis. *Facit tamen earum abundantia rerum, quæ primis illis duobus annis fuerunt notatæ, ut de sequentibus annis facere iudicium liceat: caussam autem intermissæ scriptionis hanc putamus fuisse, quod in posteriorum annorum raptibus eadem ferè offerrentur, quæ in primis, nec operæ pretium videretur tam accuratè notare singula, solo fermè temporis discrimine secernenda. Idque multò magis usu venit in conflictibus contra dæmones: quorum modos varios primis annis notatos, credibile est identidem repertos fuisse, nec sperari debebat in iisdem toties relegendis tam patientem futurum esse lectorem, quàm ipsa Sancta fuerat in illis perferendis.*

usque ad an. 1434.

9 *Porrò ultra & post eos raptus, qui ultimis Franciscæ annis notati reperiuntur, sequuntur alii viginti septem, nullius anni charactere signati: quos tamen ne propterea credas ad ultimum annum omnes pertinere: contrarium enim patebit ex dicendis ad Visionem LXXIV. Potiùs existimandum est ipsos ex iis fuisse, quos vel passa est Sancta antequam eius confessionibus aurem dare cœperat Ioannes, curauit autem posteà ex eâ discere; vel quos ipsa non indicauit tali loco ac tempore, quo vacabat Ioanni ordinatè ac velut ex ore dictantis excipere seriem eorumdem: absunt enim omnes ab Italico textu, cuius solius usus videtur fuisse in eâ Vita conscribendâ, quæ sub Anguillariæ nomine extat. Vt autem oblatas Sanctæ istis in raptibus visiones priores, Latinè reddens Ioannes addidit, sic econtra prætermisit plerasque omnes, quæ ad Oblatarū congregationē pertinebant, ob eam quam suprà diximus caussam: ut operæ pretium facturus videatur, qui utrumque contextum inter se conferens, illas quoque quas hactenus desideramus visiones submittere nobis aut seorsim in lucem dare laborabit. Interim earum desiderium lenient præcipuæ, libro 4 Italicæ Vitæ insertæ eo loco, vbi de institutione Congregationis Oblatarum ex professo agitur.*

In Latina versione aliis 27 additis,

B

aliquibus etiam omissis imminutis:

10 *Idem Ioannes Matteotti dæmonum, quas passa est Sancta infestationes Italicè similiter à se conscriptas, Latinas faciens, prætermisit, quod in Visionibus fecerat, annum diemque signare litteris, quibus talia acciderant: quos tamen satis accuratè notatos habuisse in Italico textu, colligimus ex libro 2 Anguillariæ (huius enim nomine semper utemur, quamuis alius fuerit operis istius auctor) vbi conflictus isti per ordinem referuntur; & suus ferè unicuique annus ac diei assignatur: quod inde acceptum nos quoque in annotationibus nostris ad eosdem conflictus (qui nobis librum tertium constituunt) fecimus. In Visionibus porrò imprimis est obseruandum Lectori, uti rectè monet Anguillaria, quòd multa ex iis, quæ Sancta* à sensibus abducta vidit, habenda dumtaxat sint, ut meditationes piæ & contemplationes ipsius propriæ: eaque potissimum quæ mysteria Vitæ ac Passionis Dominicæ spectant: idque ipsum facilè inter legendum cognoscetur. Non tamen propterea negari potest, quin iis admixtæ sint veræ quædam reuelationes, & tales fuerint, quas habuit circa fundationem Oblatarum Turris speculorum, & circa pœnas partim Romanæ vrbi ab vltore scelerum Deo inflictas partim ipsius Sanctæ deprecatione cohibitas. *Nos autem inquit Anguillaria,* discriminis huius iudicium vel pio lectori vel superiori arbitro relinquentes, indiscriminatim ea proferemus, quæ in antiquis illis & omni acceptione dignissimis scriptis continentur.

conflictus quoque ordine temporis descripti.

Quædam ut piæ meditationes solum accipienda.

C

11 Deniquè necessario intelligendum est, quod in extasim rapta Francisca non semper maneret immobilis in quieto silentio: sed aliquando mouebat se & varios actus faciebat, earum rerum & affectionum expressiuos, quas videbat vel sentiebat in raptu: sæpè etiam extaticâ loquebatur, ac fermè Poëtarum more, intercisâ & in rythmos conformatâ oratione atque vsitatâ temporis illius phrasi: à quâ cùm non parùm recesserit huius sæculi vsus, satis habebimus, *inquit illa,* præcipuorum capitum sensum substantiamque verbis ex hodiernæ locutionis lege acceptis aptatisque exprimere. *Non item nos, quibus alius totius operis propositus scopus: ut nempè prima quæque de singulis Cælitibus monumenta pura & quantùm possumus assequi integra in Dei ecclesia conseruentur: quod viris eruditis & sinceram veritatem nulloque fuco adulteratam antiquitatem amantibus gratissimum esse nouimus. Addimus autem ipsius, quem exhibemus Latini textus autographum exhibitum fuisse Iudicibus commissariis in caussâ canonizationis faciendæ anno MCCCCLI, quorum processus citantur in relatione postremâ per Auditores Rotæ coram Paulo V factâ & magnâ ex parte inferius proferendâ; vbi ex Ioanne Cardinali de Turrecrematâ in prologo ad Reuelationes S. Birgittæ ea signa exponunt, quibus illusoriæ & falsæ Visiones à veris diuinisque distinguuntur, ac demum concludunt,* per istas conditiones excludi ab illusoriis visiones huius beatæ mulieris satis constat ex libro, quem eius Confessarius scripsit: vbi nonaginta octo ferè visiones referuntur, in quarum vltimâ refert, hanc humilem ancillam Christi sæpè dixisse, quòd supradictas visiones ac reuelationes firmiter submittebat determinationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum quâ & pro quâ cupiebat viuere & mori.

Quàm non obnoxia illusionibus fuerit?

D

Quomodò in extasi se haberet Sancta,

12 Triumphales conflictus quos ipsa Dei ancilla exercuit dum viueret cum malignis spiritibus *sequuntur* tractatus de pœnis, quas animæ in inferno patiuntur: *& nobis librum tertium constituunt. In hisce tractatibus, quorum in pauciora capita diuisorum titulos coniunctim dabimus, diffusè narrantur omnia, quæ in uno alteroue raptu intra exigui temporis spatium obiecta fuerunt beatæ illi animæ:* de quibus omnibus, *vt dicitur num. 52,* admirata Dei famula, quomodò scilicet sartagines & alia instrumenta stare possent in inferno: declaratum sibi fuit, quòd talis visio ei demonstrabatur ad hoc, vt posset comprehendere, non quod huiusmodi res in inferno essent; sed quod animæ ibi existentes patiantur huiusmodi pœnas, acsi prædicta instrumenta ibi essent. *Et iterùm num. 55 clariùs:* Ex quibus quidem tormentis nimiùm angustiata ipsa Deo dilecta, considerans, quòd animæ carnem non habent, & eis abstrahebatur cor: Raphael Angelus, in suam societatem à Deo missus sibi declarauit, secundùm suum desiderium dicens: licet anima carne careat, tamen quousque veniat vltimum iudicium, materialiter punitur secundùm corporis partes. Quia licet anima sit spiritualis, induit tamen naturam materialem: sed post vltimum iudicium & corpus & anima punientur talibus tormentis: *quod idem ferè repetitur num. 73. Neque verò difficiliùs captu est, quomodò anima separata à corpore eosdem, quos sustineret in corpore, diuinâ hoc operante iustitiâ, possit in gehennâ sustinere dolores; quàm est apud physica um & anatomicarum rerū peritos ambiguum, quomodò brachio aut crure chirurgicâ sectione mutilati, primis post abscissionem diebus sibi videantur identidem eumdem pati sensum doloris, quē in prægressâ curatione patiebantur, quando nondum abscissum erat crus aut brachium.*

quomodò inferni pœnas

E

sub imagine corporeâ viderit?

F

13 *Nulla igitur est ex hoc capite particularis hîc difficultas, quo minus eiusmodi de inferno visiones diuinitùs oblatæ fuisse credantur: at non æquè facile est definire, quo tempore eas Francisca viderit: Iulius Vrsinus noster sensisse videtur, quòd acciderint circa annum MCCCCXIII: quandoquidem ad eum annum referat Laurentii Mariti exilium & grauem Franciscæ morbum, quem ista visio secuta mox fit. Eiusdem sententiæ censeri potest fuisse Anguillaria, quamquàm nullum ipsa tempus exprimat, quatenùs eumdem cum Vrsino sequitur narrationis ordinem. Neque verò nullum ita sentiendi fundamentum inuenitur in hisce verbis numeri 47.* Erat autem illa societas *(quæ scilicet Sancta spiritum per inferni claustra videbatur comitari)* Angelus Raphael: quia adhuc non videbat domesticum illum Angelum, de quo dictum est superius, qui datus fuit à Diuinâ prouidentiâ in custodiam ipsius. *Cæpit enim hic Angelus ei domesticus esse vno post mortem filii eius Euangelistæ anno, atque adeò anno MCCCCXII; diu multùque assistens Franciscæ in figurâ*

Et an circa an. 1413,

antequàm familiaris Angeli conspectu frueretur;

A figurâ humanâ; vt scribit Confessarius eius, vnde hæc est Ecclesiæ in illius festo Oratio: Deus qui B. Franciscam famulam tuam inter cetera gratiæ tuæ dona familiari Angeli consuetudine decorasti; concede quæsumus vt intercessionis eius auxilio Angelorum consortium consequi mereamur.

an verò post annum 1430,

14 Nihilominus difficulter nobis persuademus, quòd Ioannes, qui de Vitâ rebusque Sanctæ, antequàm Confessarius eius esset, pauca admodum scripsit, visionem ante annos tam multos præteritam voluerit tam accuratè disserere, tam prolixè describere ex ore dictantis. Quin autem ipse scripserit dubitari non sinunt, non tantùm idem in omnibus stylus (posset enim concipi ab alio priori Confessario Italicè scriptum Latinè reddidisse) sed idem vbique procedendi modus, qualem solum ipsum cum Sanctâ nouimus tenuisse, ex obedientiâ præcipiendo vt ediceret, excipere & scribere parato, quidquid sibi in extasi accidisset. Imò licet non dubitemus quin diuinis rebus meditandis sese applicans Sancta, maximè post Communionem sacram etiam sub prioribus Confessariis, pateretur potiùs quàm ageret aliquid, & à sensibus sæpe abstracta anima in altissimâ penitùs contemplatione defigeretur: nullum tamen inuenimus fundamentum asserendi, quòd ante annum MCCCCXXX cœperit agere cum Franciscâ Deus per visibilium rerum species, imaginatrici facultati & per hanc intellectiuæ obiectas. Itaque verba illa adhuc non videbat domesticum

eum iam Confessariũ haberet Ioannem?

B illum Angelum, putamus non debere sic intelligi, quasi ante illam visionem nondum familiari Angeli sui præsentiâ frui cœpisset Sancta: sed sic vt intelligatur, præter morem eum non habuisse conspicuum, cùm talia sibi inciperent ostendi. Quibus in hunc modum explicatis nihil obstare potest, quo minus etiam ad extremos vitæ ipsius annos, quos in domo suarum Oblatarum exegit, terrifica hæc visio pertinere existimetur.

Cur hunc conscium esse Deus voluerit,

15 Cur autem voluit Deus hunc Ioannem, præ ceteris Franciscæ, quos ante habuerat, Confessariis eius veluti Secretarium esse, & tam minutim intelligere singula, quæ in sanctâ illâ animâ agebantur? Non aliâ profectò de caussâ, quàm quia decreuerat illo vti administro præcipuo ad instituendam Oblatarum congregationem: quod vt persuaderetur homini timido, sibique & aliis plurimùm diffidenti (talem enim voluit adhibere, ne quidquam in hoc opere humanæ sibi arrogaret industriæ) opus fuit eiusdem intellectum prorsus conuinci, quòd Diuino spiritu ageretur Francisca in negotio tam per se arduo tamque alieno à Ioannis ingenio. Id autem maximè obtinebatur frequentibus purissimæ illius mentis excessibus, quorum oculatus arbiter sæpè ipse fiebat, nullo non experimenti genere probans an essent à Deo, quæ ipsa sibi ab illo dicebat manifestari. Negotio porrò secundùm Dei destinationem intra triennium confecto, cessauit fortasse illa visionum extraordinariarum frequentia; & hæc altera caussa esse potuit, cur ab anno MCCCCXXX ad XXXIV visiones tam multæ reperiantur notatæ, de annis autem subsecutis aut nulla aut pauca.

& cur post an. 1434 tam pauca notarit?

C

§ III Alij de Vitâ S. Franciscæ scriptores.

Vitam S. Franciscæ vsque ad seculum 17 obscuram,

16 QVidquid de Vitâ & admirandis eximiæ huius Sanctæ sciri poterat, obscurum delituit per vnum & dimidium seculum inter Ioannis Matteotti MSS. & processuum iuridicè formatorum instrumenta, magnæ prolixitatis vtraque, virisque eruditis ea lecturis propemodum inaccessa. Etenim de personâ tam celebri tanto tempore nihil in lucem prodiuit, nisi breue aliquid ab auctore, vel sic negligenti vt non curauerit, vel sic festino vt non potuerit ista tam authentica scripta inspicere; prout Iulius Vrsinus indicat in epistolâ ad Oblatas Turris-speculorum dedicatoriâ Vitæ, de quâ mox acturi sumus. Libellum istum nedum nobis videre licuit; vt de eo possimus quidpiam iudicare, vel de stylo ætateque auctoris certi aliquid indicare lectori: verosimile est Cardinali Baronio, sua in Romanum Martyrologium notas scribenti, vel ignotum vel contemptum fuisse, vt propterea satis sibi fecerit cum scripsit: Legi ex Archiuo eius monasterij duos MSS. codices, quibus eius præclarissima acta & miracula quidem insignia, quibus tam viuens adhuc quàm etiam

& in MSS. latentem,

D post obitum claruit; testibus examinatis scriptorum monumentis sunt perpetuis consignata: quos Codices apparet fuisse Acta gemini processus anno MCCCCXLIII & MCCCCLI confecta.

17 Ne igitur diuturnioris culpæ rea esset Roma, quòd tantam virtutem non modo aliis relinqueret ignotam, sed nec ipsa satis curaret cognoscere, eo maximè tempore, quo sub Clemente VIII magnis studiis promotum canonizationis desideratæ negotium, sub eius successore Paulo V, natione Romano, felici exitu terminandum sperabatur; Iulio Vrsino, ex Petilianorum Comitum prosapiâ inter Romanos nobili, in nostram Iesu Societatem ante annos fortè octo vel decem adscito, & magna eloquentiæ atque egregiæ virtutis laude florenti, mandatum est, vt ex oblatis quæ diximus Manu-scriptis conficeret opus tali argumento dignum. Amplum hic volumen composuit atque in quinque libros digessit, ex quibus non solum B. Franciscæ historiam lector discere, sed etiam aptis ad formandos mores virtutesque excolendas principiis instrui posset: verùm illi operis prolixitate factum est, vt ante perfectam canonizationem prodire in lucem non potuerit à prælo absolutum, deinde vt seculi curis implicati homines succinctiorem aliquam ac purè historicam narrationem desiderarent: qualem credimus illam fuisse, quæ à Vigilio Cepario (nostræ item Societatis scriptore insigni, qui B. Aloysii Gonzagæ Vitam circa eadem tempora vulgauerat) compositâ fuisse dicitur in bibliothecâ Societatis, sed, vt illius alia plura, necdum edita.

primus Italicè collegit Iulius Vrsinus,

tum Virgilius Ceparius inedi-tus,

E

18 Hanc nos Vitam requirentes Romæ, vbi diem suum extremum anno MDCXXXI obiit, ipsam quidem non reperiri intelleximus; sed aliam interim à Iacobo Fuligatto, nostri item Ordinis scriptore, elaboratam accepimus, qui fortasse à Vigilio iam ante præparatis vsus plurimùm, noluit alienum fœtum sibi supposuisse videri, sed totum laborem suum transcripsit Mariæ Magdalenæ Anguillariæ, Præsidi Oblatarum à S. Franciscâ institutarum, sub eius vulgandum nomine, & Illustrissimæ atque Excellentissimæ Dominæ Annæ Columnæ Barberinæ Vrbis Præfectæ & Principi Palestrinæ dedicandam, prout factum est anno MDCXLI. Est autem ea Vita, quamuis priori multò strictior breuiorque, eadem tamen, quoad ad materiam attinet, longè auctior, quatenùs ab Vrsino prætermissa plurima de conflictibus Franciscæ, reuelationibusque ac visionibus complectitur, fundatæ item ab illâ congregationis primordia, & varia in vitâ miracula: tum, quam ille nondum factam describere non potuit, sacri corporis inuentionem & quæ post eam variis illius deuotis concessa fuerunt beneficia sanitatum.

& Iacobus Fuligattus,

sub nomine Magdalenæ Anguillariæ vulgatus;

19 Istam igitur Vitam, instituto nostro tantò magis idoneam quantò verbis strictior materiâ copiosior erat, eò libentiùs Latinam fecimus, quòd ita disposita esset, vt totum tertium ac quartum librum (quorum argumentum ex originalibus Matteotti scriptis primigeniâ auctoris phrasi integrè nos habere gaudebamus) absque vllo historiæ contextusque dispendio liceret omittere. Post hanc Vitam ad Matteotti scripta additam ampliùs nihil possumus desiderare, quàm miraculorum per B. Franciscæ merita in vitâ atque post mortem patratorum accuratam narrationem, ex prædictis processibus & iuratorum testium depositionibus legitimis accipiendam: quippe quæ Matteottus compendiosè nimium ac veluti cursim absque circumstantiarum propriarum ornatu adnotauit; Vrsinus autem & Anguillaria pariè admodum ieiuneque libauerunt, iste paucis, hæc aliquantò pluribus contenta, & ab iis, quæ mortem secuta sunt dè industriâ abstinens, profitensque ex illis sic ritè testatis volumen posse non contemnendum exurgere. Verùm cùm ea res impeditior sit, quàm vt speremus futurum quemquam, qui codices tam vastos, & tot iudiciariæ formæ ambagibus salebrosos, totos excutere, & quæ in rem nostram sunt excerpere ab aliis vacuus possit; desiderium istud vtcumque leniuimus impetratâ ex domus nostræ Professæ MSS. relatione trium Rotæ Auditorum; in quâ processuum eatenus habitorum reddunt Pontifici rationem, vniuersâ caussâ examinatâ concludentes, procedi ad Canonizationem actualem posse, quandocumque suæ Sanctitati placuisset.

postrema quomodò hic Latinè edita?

F

desiderantur miracula accuratiùs ex MSS. colligenda:

pro quibus erit relatio Auditorum Rotæ.

20 Ex hac (omissis legum Doctorumque citationibus

A & exemplis ad rem propositam illustrandam quandoque adductis, & ijs quæ viuentis virtutes declarabant probationibus, vipotè in historiâ Vitæ concinnius reperiendis) cætera damus omnia, quibus vel studium promouendæ caussæ eatenus impensum, vel illustriora viuentis mortuæque miracula, vel continuus eius in populo Romano cultus explicatur. Huius autem relationis sic edendæ consilium altero quoque ex capite placuit, quòd ipsa videlicet sola sit atque vnica, ex quâ deinde suam accepit Cardinalis Pinellus Episcopus Ostiensis & sacri Collegij Decanus, in secreto Cardinalium consistorio, qua postulata actualis Canonizatio est coram Pontifice habitam, & Romanis typis de more euulgatam: quòd item ex ipsâ accepta sit & formata Pontificia Bulla, per quam Francisca omnibus Christi fidelibus vt Sancta proponitur inuocanda: quam similiter habemus III Kalendas Iunij signatam & typis cameralibus excusam cum subscriptione triginta quatuor Cardinalium; suis autem annalibus verbotenus inseruit Abrahamus Bzouius ad annum MCCCCXL.

vnde relatio Card. Pinelli,

& bulla canonizationis accepta est.

21 Talibus autem, quæ vel auctoritate vel antiquitate primas tenent, prolatis in hoc opere aut certè indicatis, nihil attinet scrupulosè inquirere & enumerare cæteros, qui de hac Sanctâ quomodocumque scripsêre. Nihil itaque de Andreâ Valladesio dicimus, qui, post spectatam Romæ canonizationis pompam regressus in Gallias, ibidem deproperauit Panegyricum, quem speculum sapientiæ Matronalis inscripsit, ingenti verborum atque oratoriæ amplificationis apparatu sola B illa prosequentem, quæ poterat ex impressâ relatione cognouisse aut suis oculis ipse vidisse. Breuiorum autem encomiorum, quæ Ferrarius in Sanctorum Italiæ Catalogo, Bucelinus in Ordinis Benedictini Menologio, Arturus in sacro Gynæceo, alijq; qui vel de Sanctis, vel de claris mulieribus, vel de Ordine Benedictino scripserunt, hoc loco proferendorum eò minor hic vtilitas foret, quòd ferè ex Canonizationis bullâ se hausisse profiteantur. Plura habere & citare potuit D. Secundus Lancellottus in suâ Montis-oliueti historiâ, Venetijs anno MDCXXXIII excusâ: sed non alia quàm quæ citamus proferimusque, vt nunc quidem non debeat hac de caussâ à nobis operosius requiri.

Alij de Sanctâ scriptores indicantur,

22 Vnum tamen adhuc supererat, quod si mandatum fuisset litteris, haud dubiè merebatur totam hanc de S. Franciscâ tractationem concludere: ordo scilicet illius translationis, quâ in speciosissimam ex ære inaurato arcam repositum fuisse sacrum corpus, pariterque ad noua confessionis ornatissimum locum, magnis sumptibus artificiosoque præparatum anno MDCXLVIII esse delatum, sciebamus. Litteras igitur non vnas dedimus, quibus rei gestæ narrationem, in archiuio monasterij S. Mariæ-nouæ, vt putabamus, inueniendam obtineremus: sed excusarunt illi quidquam hac de re fuisse litteris consignatum. Verùm quod ipsi, ad quos propiùs pertinebat, C neglexerunt facere, id vir doctissimus nobisque amicissimus Paulus Aringhus Congregationis Oratorij S. Mariæ in Vallicellâ Presbyter, non prorsus prætermisit: itaque ex præclaro ipsius de Româ subterraneâ opere, breuem huius actionis notitiam accepimus & subiunximus Vitæ ex Anguillariâ desumptæ.

& notitia postrema translationis.

ACTA
ex autographo Romano MS.
Auctore Ioanne Mattiotti ipsius Sanctæ Confessario.
LIBER PRIMVS
De vita & miraculis S. Franciscæ.
CAPVT I.
Virtutes eius per omnem vitam admirabiles.



1 Beata Francisca illustris ex nobili prosapiâ duxit originem; Pater eius Paulus Buxa nominatus est, mater verò Iacobella de Rofredeschis, homines bonæ vitæ, & approbatæ conditionis. Florentes adhuc iuuenilibus annis hanc D Christi famulam genuerunt, quæ ipsis ætatis suæ primordijs quàm mirabilis & quàm præclara seculis esset affutura & maximè nostræ Vrbi, immortalibus & æternis virtutibus ostendit: eò quòd fulserit diebus nostris velut Stella matutina in medio nebulæ. Vnde cùm adhuc esset in infantili suâ ætate, signa futuræ continentiæ in eâ apparuerunt: nam pati non poterat quòd aliquis homo quantumcumque propinquus, quinimò Pater, tangeret eam, more quo solent infantes à propinquis tangi & amplexari; neque cum pueris & cum puellis, vt assolet illa ætas, aliquando ludebat vel versabatur: sed domi continuò residens, velut optima futura indoles, orationibus & ieiunijs & alijs bonis operibus diu noctuque vacabat: ita vt in illo tempore vsque ad vndecimum ætatis annum vitam eremiticam ducere & omnibus insuper vicinis incognita viuere satageret.

Nobili stirpe genita,

infans dat specimina futuræ sanctitatis,

2 Cùm autem ad annos pubertatis venisset, & creuisset in eâ amor continentiæ & castitatis, velletque Deo in virginitate seruire, (quòd assentiri pater eius desiderio noluit) inuita viro tradita est; & subitò tam grauissimâ infirmitate corripitur, vt seipsam per se mouere non posset. Et cùm medicorum remedijs curari nullo modo valeret, & in longum infirmitas se extenderet, à propinquis accersitur venefica quædam, curationis caussâ, quæ varijs promissionibus asserebat velle sibi sanitatis beneficium restitue- E re: sed à Christi famulâ, vt merebatur, cum magnâ indignatione repellitur, & nocte sequenti beatus sibi Alexius Romanus apparuit, eique dixit: Vis salua fieri? quæ cùm responderet & diceret: Volo solummodò quod Domino placet; statim sanata de lecto surrexit, & mane facto ad ecclesiam a sui Confessoris accessit.

nupta infirmatur,

& sanatur à S. Alexio,

3 Postquàm autem pristinæ sanitati reddita est, aliorum infirmorum cœpit curam gerere: nam per annos triginta & vltrà, quibus viri permansit in domo, infirmis existentibus in hospitali, quod dicitur sancta Maria in capellâ, situm in regione Trans-Tyberinâ, deuota seruiuit, frequenter ad eos personaliter accedendo, cibo illos suis expensis reficiebat: putredines etiam ab eorum vulneribus amouens, ipsorum pedes atque sordidos pannos suis manibus abluens, ablutiones quoque ex deuotione aliquoties bibens, ad patientiam illos exhortans, & monita salutis eis tribuens, prouideri eis de Sacramentis Ecclesiasticis Catholicè faciens, alia necessaria seruitia omniaque charitatis & humanitatis officia per semet ipsam feruenter & humiliter exhibuit. Quæ pietatis opera per idem tempus F multoties in hospitali S. Ceciliæ, sito in eâdem regione, in hospitali sancti Spiritus in Saxiâ, in hospitali, quod dicitur de Campo-Sancto, deuotè atque assiduè exercuit.

per annos 30 seruit infirmis in 4 Hospitalibus:

4 A suâ pueritiâ vsque ad finem vitæ semper sub obedientiâ patris Spiritualis vixit: & nihil tam arduũ, tamque difficile sibi indictum extitit, quòd non solùm facile, sed & iucundũ ei visum non fuit. Quam obedientiæ virtutem omnibus alijs, & præsertim filiabus, quas in Christo genuerat, & verbis & moribus semper prædicauit & commendauit. Et cùm anxiè desideraret vitam solitariam ducere, vt Deo posset liberiùs vacare; in domo quoddam oratorium, & in horto speluncam sibi quamdam, sub arbore cuiusdam pomi b cotoni, constituit: in quibus locis frequenter vacare orationibus & sanctis meditationibus solita erat. Vnde accidit quòd de mense Aprilis, dum arbores florescunt, existens hæc Dei famula in eadem speluncâ, cogitare cœpit, quomodò antiqui Patres comedebant in solitudine radices herbarum & fructus eremi, & ijs contenti erant: & dum hæc secum volueret, & vitam eremiticam affectaret, contra naturam temporis duo matura poma cottona de præfatâ arbore, in quâ nil erat

obedientiæ studiosissima fuit.

& solitudinis amantissima,

in hac poma accipit ante tempus,

A erat nisi flores & frondes, ceciderunt in terram: quæ res in maximâ admiratione habita est; & tam ipsa Christi famula, quàm alij de domo poma prædicta comederunt.

sui abiiciendi desiderio

5 Tantæ verò humilitatis extitit hæc Dei famula, vt se ipsam non nisi vas immunditiæ & sordium plenum reputaret ac diceret: & licèt vxor esset nobilis & ditissimi *c* viri, vilibus tamen & pannosis vestibus induebatur: quin ab ipsâ iuuenili ætate, aurum, gemmas & alia muliercularum vanitatis instrumenta, omnemque pompam & ornatum seculi Christi famula *inter mendicos consedet,* feruore mirabili contempsit vt stercora, vt Christum lucrifaceret: & cùm haberet domum multis refertam diuitijs, frequenter per vrbem eleëmosynas mendicans petebat. Quadam die cùm esset Indulgentia in ecclesiâ sancti Pauli, super quamdam trabem inter egenos, iuxta fores à transeuntibus eleëmosynas postulans, à manè vsque ad vesperam sedit. Sępè etiam cùm de quadam suâ vineâ extra portam S. Pauli reuerteretur, *fasces sarmentorum portat per vrbem.* fasciculos sarmentorum, & aliorum lignorum deferebat in capite per mediam vrbem. Similiter cùm de vineâ præfatâ rediret, multoties veniebat retro *d* cuiusdam aselli, onerati sarmentis & lignis; & alia multa vilia ac despectabilia faciebat, quæ breuitatis causâ o- B mittuntur.

affabilis erga ancillas & famulos

6 Erga seruos & ancillas, quibus domus viri plurimùm abundabat, tantâ se humilitate & affabilitate induerat, vt se nō velut acerbam dominā sed vt ancillam omnibus exhiberet, & sibi omnes Fratres & Sorores appellaret, & si quemquam ipsorum incautè aliquando vel parùm offendisset, statim monachorum more flexis genibus veniam postulabat. Si verò quempiam illorum sensisset ex lapsu linguæ postponere vel Deum vel Sanctos, statim corrigebat errantes. Viri domum atque familiam studiosè & Catholicè *e* procurauit, semper virtute patientiæ coronata, omnia *e patientissima in aduersis,* tolerabat aduersa: nam damna rerum, & guerrarum tempore amissionem animalium, & infirmitates suorum, & filiorum mortem cum incredibili patientiâ tolerabat: sed super omnia patientiùs supportabat obiurgatores & detractores, & pro eis orabat: in quibus persecutionibus, & calumnijs tanto Christi famula gaudio replebatur, quòd totum sibi posset adscribi illud Apostoli dicentis: Complaceo mihi in tri- *2 Cor. 12, 10* bulationibus.

inuicta fuit in diabolicis conflictibus

7 Et non solùm à prauis hominibus, sed etiam à malignis spiritibus ipsa Christi famula innumeras persecutiones sustinuit: nam frequenter ad eam venientes in figuris & formis leonum & canum & ser- C pentum & hominum & Angelorum, eam trahebant & raptabant per domum: & multoties in altum eleuabant, & in terrâ magnâ cum rabie proijciebant, & acerrimè verberabant: ita quòd eius in Christo filiæ sæpiùs ipsam viderunt sic trahi & eleuari & proijci; audientes verberum sonitum; neminem tamen, nisi eam, videntes. Suadebant ei multa inimica animæ suæ: sed Dei famula diuino munere vniuersa cognoscens ac viribus præualens, ipsos nequam spiritus vt miser- *quorum hîc pauci referuntur.* rimos & vilissimos derisit. Et cùm esset hæc Dei famula quodam semel in loco sibi orationi & lectioni & sacrarum Scripturarum meditationi deputato, casu propè ibidem erat magna copia cinerum: adsunt maligni spiritus, ferarum varias sumentes formas, & Christi famulam, licèt intrepidam, aggrediuntur; libros ibidem existentes dissoluunt, & passim dilacerant: & inuoluentes eam in dictis cineribus, multisque verberibus eam cædentes, faciem eius & corpus plagis crudelissimis impleuerunt, vt sic laniata omnibus eam adspicientibus non mulier, sed res monstruosa videretur. Quadam etiam nocte dum hæc Beata in cellulâ suâ oraret, malignus hostis eam aggreditur, & multis cruciatibus afflictam, per crines extra quoddam deambulatorium super viam diu suspensam retinuit, & iugiter minabatur præcipitiū, nisi suis persuasionibus assenti- D retur. Quæ dum Dei virtute fortiter præualeret, malignus hostis ipsam incolumem ad cellulam suam re- *AVCTORE IO. MATIOTTI.* duxit. Multis & diuersis insidijs, prout in tractatu de conflictu dæmonum quisque *f* legit, antiquus hostis hanc Christi famulam impedire conatus est: sed sicut nec persecutiones, ita nec insidiæ dæmonum à fide & dilectione Christi potuerunt eam vel in modico separare: [quia] semper constans atque immobilis, confidens in Domino rerum aduersantium fructum salutiferum sperabat.

liberalitas eius erga pauperes

8 Erga pauperes & egenos semper intenta, domus eius, patebat omnibus, velut publicum hospitale: numquàm ad eam pauperes accedebant, qui non sufficienter recrearentur: & sacculos pauperum duris frustis malorum panum euacuans, & ad victum suum illos reseruans, replebat illos mollibus & delicatis panibus. Vnde Deus per eam, adhuc in domo viri residentem, pietatis causâ multa miracula operari dignatus est: nam cùm in vrbe æstiuo tempore esset maxima vini carentia, & infirmorum abundantia, pauperes infirmi mittebant ad eam, vt amore Dei daret eis aliquantulum de bono vino. Erat tunc in domo dolium *repletione dolij exhausti* optimi vini, quod pater viri ipsius reseruandum præceperat pro se & suis de domo: sed hæc Dei famula omnibus infirmis petentibus de illo vino subministra- E bat quousque illud vas fuit exhaustum. Tandem socer & filij cùm ad cellarium accederent, vt seruatum vinum gustarent, *g* vegetem vacuam inuenerunt; & indignati contra eam fremitantes clamant, nil vini in dolio remansisse. Ipsa verò mitigare eos volens humilibus verbis & non valens, accessit ad vegetem vacuam, & aliquantulum ibidem orauit; & surgens ab oratione, inuenit ipsam vegetem plenam perfectissimo vino, meliori illo quod pauperibus dederat, & de eodem *h* portans, omnes admirati, Deum in eius famulâ laudauerunt. Alio quoque tempore maximæ penuriæ; *& granarij euacuati muneratur.* cùm eius vir vendidisset certam quantitatem frumenti, & in granario nihil remansisset, nisi quædam paucitas, quæ dicitur, la *i* solatura, B. Francisca id quod remanserat per cribrum ducens, pauperibus dedit. Quo facto post paucos dies repertum est dictum granarium plenum optimo grano quasi *k* rubbis quadraginta.

Omnibus subuenire studens

9 Tantus caritatis ardor huius admirabilis sponsę Christi mentem inuaserat, quòd non solùm cibum corporis, sed etiam quibus poterat alimenta tribuebat animarum. Nam quoties videbat aliquos spiritu debiles, qui non resistebant vitijs & tentationibus, nimiùm ipsa affligebatur, & illos ad resistendum viriliter, vt F mater filios, exhortabatur; orans pro omnibus, subueniens omnibus, & de sui personâ non curans, vt alios faceret saluos. Vnde factum est, vt diuinâ ei cooperante gratiâ, multorum animas cum suâ exemplari vitâ & doctrinâ de humani generis hostium eriperet laqueis. Nam angelica eius præsentia mirum in modū *mirâ valet verborum efficaciâ* omnes reficiebat, & verba eius melliflua ita audientium corda ad amorem Dei & contemptum seculi mirabiliter inflammabant, vt si aliquis se malè dispositum vel afflictum sentiret, & ad Christi famulam recursum habuisset, sic consolatus reuertebatur & benè dispositus, ac si nullum passus esset discrimen. Sed & seditiones & scandala à multis hæc Dei famula impediuit, sedauit pariter & euulsit: odia insuper inueterata extinxit: in omnibus pacem, concordiam & caritatem seminauit, & multos ad Deum conuertit, & ad dilectionem proximi excitauit.

summa vitæ austeritas in lecto,

10 A tempore suæ iuuentutis vsque ad finē vitæ suę, pœnitentię arctissimè se subiugauit: nam lectus pa*l* learis, in quo dormiebat [tā] arctus erat, quòd quoad longitudinem & latitudinem impossibilis quasi humanis vsibus esset, diuinâ gratiâ subministrante; vt non extensa, sed *l* apodiata iaceret: numquam de die dormiens,

A miens, nisi graui infirmitate vrgeretur: nocte verò somno duabus horis, induta tantùm pannis lineis, reficiebatur: & hoc non obstante, diuina gratia ipsam efficiebat habilem & robustam ad omnia domus exercitia. Victus & potus eius maximæ fuit austeritatis: vnde assueta ad continentiam, vinum numquàm bibit ab adolescentiâ: etiamque à pueritiâ vsque ad eius obitum, in die semel tantùm reficiebatur, abstinens à *m* zucchàro, melle, *n* speciebus, & à rebus eisdem conditis; à pullis, ab auibus, ab ouis, à caseo & ab omnibus quibus humana conditio delectatur: fructus, herbæ & legumina cibus eius, absque olei vel *o* sagiminis condimento. Res medicinales corpori suo numquàm exhibuit, nec alijs vestibus infirmitatis tempore vsa est quàm laneis. Omnibus diebus vitæ suæ in corpus suum vltrix extitit seuerissima: nam quotidie duplici cilicio super nudam carnem induebatur, & in hoc vsque ad mortem perseuerauit. Strictissimo circulo ferreo stringebatur, ita vt rimas sanguinolentas in carne suâ efficeret: & vt se ipsam Domino mirabiliter dicaret, carnem suam flagellis & aculeis ferreis assiduè verberans, ardentes deinde faculas cereas super nudam vulneratamque carnem faciebat maximo cum ardore ac dolore colari, adeò vt semi-vsta & plagis tam grauissimis vulnerata remaneret, vt in pluribus locis eius

AVCTORE IO. MATIOTTI, vestitu, cibis, cilicio, flagellis, & carnis adustione.

B corporis ossa viderentur. Omnes sui corporis sensus acriter edomans, centies quotidie pectus suum pugnis grauissimis percutiebat. Tantâ custodiâ seruauit os suum & silentij vinculo astrinxit, quòd si aliquando aliquod verbum vel parum otiosum ex eius ore procederet, tam diu os suum percutiebat, quousque ex eo sanguis exiret. Consideratio peccatorum tantam sibi lacrymarum copiam subministrabat quotidie, quòd potiùs quædam eiulatio, quàm planctus videretur.

seruat silentium, affluit lacrymis,

11 A iuuentutis suæ tempore vsque ad extremum vitæ suæ frequenter ecclesias visitauit, Missas, prædicationes, & alia diuina officia mirabili cum deuotione audiebat, & ea, quæ intelligere poterat, Domini mandata & monita salutis memoriter retinens, vniuersa seruare opere satagebat. Ecclesiasticis personis, tam Clericis secularibus quàm Religiosis & Presbyteris constitutis in Sacris, maximam reuerentiam semper exhibuit, in tantum quòd ipsis præsentibus loqui vix audebat, sed genuflexa coram eis demisso capite, luminibusque defixis in terram, Christum in eis venerabatur. Tantæ perfectionis, & deuotionis extitit ergà Deum vt in qualibet septimanâ humiliter confiteretur, & diebus Dominicis præcipuisq; festiuitatibus tam ex feruenti amore & ardore diuinæ dilectionis, quàm

ecclesias visitat. Ecclesiasticos honorat. sæpè confiteri solita & communicare

C ex præcepto sui Patris spiritualis sumebat Corpus Dominicum, quo sumpto, statim locus ille mirifico & suauissimo replebatur odore. Quodam die semel dum famula Christi in ecclesiâ S. Ceciliæ sumeret Sacramentum Corporis Christi, Presbyter præfatæ Ecclesiæ ausu temerario in mente suâ iudicauit, non esse dignum nuptam mulierem & bonis temporalibus adeò locupletem tam frequẽter ad Communionem accedere, vnde instigatione diabolicâ ductus ei hostiam non consecratam sumendam porrexit: sed mox Dei famulæ notum fuit, eo quòd solitam spiritualem dulcedinem non sensit. Cumque præfatus Sacerdos à Patre spirituali ipsius Dei famulæ durè increparetur, ad mentem reuersus de perpetrato scelere veniam petiuit.

cognoscit hostiam nõ fuisse consecratam.

12 Indeficienter & animo iucundo Beata hæc semper orabat, vacans sanctis meditationibus die, ac nonnumquàm nocte. Rarò ad eam aliquis accedebat, quin amarissimè & feruentissimè orantem ac deplorantem inueniret. Singulis diebus Officium beatæ Virginis, & multos alios psalmos & orationes, & sacras lectiones cum feruore maximo legebat & audiebat. Quadam die dum in suâ Ecclesiâ ipsa B. Francisca sanctis meditationibus, & orationibus vacaret, quædam mulier Aretina, Bartholomæa nomine, deuotione ducta, eò quòd multa miranda de eâ sibi relata fuissent, accessit ad domum Congregationis eius in Christo filiarum, existensque cum eis vidit quamdam virgulam auream, lilijs aureis ornatam & circumfusam, à summitate cæli supra cellam Dei famulæ descendentem: quæ cum voce magnâ & lacrymis clamare cœpit, & visionem quam videbat alijs indicauit.

Preces eius vocales: virga aurea super orantem conspicitur:

D Cùm B. Francisca iret vnà cum pluribus ex suis in Christo filiabus ad præfatam vineam, & dictæ eius filiæ occuparentur in exercitio manuum ibidem: ipsa Dei famula, vt diceret Horas beatæ Virginis, se paullò ab eis separauit: & ecce subitò aër ad pluuiam commotus, maximâ inundatione aquarum omnes suas filias, non habentes quò se tegerent, non mediocriter madefecit: supra ipsam verò Christi famulam orantem atque psallentem nec vna quidem gutta descendit.

ipsa psallens à pluuiâ nõ madescit:

13 Cùm adhuc [moraretur] in domo suâ, viro superstite, cum omnipotentis Dei opitulatione ipsa B. Francisca multas in Christo filias aggregauit: cum quibus omnibus sacræ Religioni Montis Oliueti, Ordinis S. Benedicti, se deuotissimè ac solenniter obtulit, & sub Regulâ ipsius Sanctissimi Patris vsque ad suum obitũ cum dictis eius in Christo filiabus irreprehensibiliter vixit: eamdemq; Regulam, quam bonæ memoriæ Eugenius priuilegio & exemptionibus muniuit, suis in Christo filiabus præsentibus & futuris obser-

Congregationem Oblatarum instituit:

E uandam reliquit: quæ eius in Christo filiæ cuius religionis & continentiæ existant, si lingua taceat, opera clamant & prædicant. Vixit autem B. Francisca cum viro suo annis viginti octo, & sex mensibus: duodecim annis habitauit cum eo à carnis copulâ separata de communi partium voluntate: & tunc mirabiliter commutata est, cœpitque verbo & exemplo aggregari numero perfectorum, eiusque vita tam admirabilis quàm incomprehensibilis extitit.

à viri consentientis thoro abstinet:

14 Nam tantâ animi suauitate, & mentis oblectatione supernis intererat, & à cunctis erat exuta terrenis & Christo vnita, vt sæpius in ipsis etiam exercitijs manuum, quasi immobilis & velut insensibilis remaneret: & frequenter post tales meditationes & orationes in extasi rapiebatur, & hoc tã assiduè à Deo sibi conferebatur, vt semper post sumptionem sacratissimi Corporis Christi, post recitationem rerum diuinarum, & vitæ beatæ & patriæ cælestis commemorationem, post ecclesiarum visitationem & communem ante Crucifixum genuflexionem, post Patris sui spiritualis ad inuicem de Deo collocutionem, adeò eius felix spiritus in cælum rapiebatur, vt potiùs mortua quàm viua omnibus videretur. Dum in Vigilia A-

crebrò in extasim rapitur:

F postolorum Petri & Pauli reuerteretur de ecclesiâ S. Pauli, posuit ibi se propè riuum, atque ibidem existens, & vacans, vt sui moris erat, sanctis meditationibus, post pusillum rapta in extasim, in medium riuuli prosiluit, & ibi in aquâ genua flexit: quæ aquis vndique circumdata, pluribus horis in sanctâ meditatione permansit. Tandem ad se reuersa, cùm dictæ eius filiæ putarent eam totaliter madefactam, ita siccis vestibus & qualibet sui corporis parte de aquâ exiuit, ac si aquam minimè tetigisset.

siccis vestibus egreditur è fluuio:

15 Sæpe numero contigit [quòd] in ecclesia S. Mariæ in Transtyberim, in capellâ S. Angeli, dum vellet Sacramentum Christi recipere, spiritu rapta, suis tamen pedibus properabat ad altare, & cùm deuotione maximâ sumebat Corpus Dominicum, adhuc perdurans in extasi, & varijs Dei visionibus rapiebatur, & maximè visione gloriosissimi Crucifixi: de cuius plagis tanta claritas radiabat, vt nulla lingua id posset exprimere: & aliquæ eius in Christo filiæ, & maximè quædam nomine Agnes, viderunt pluries super caput eius lumen igneum flammeo fulgore radians. Hinc erat iugis & perpetua recordatio Passionis Christi Iesu in memoriâ ipsius, & educebat quasi torrentem lacrymas, & singulas Crucifixi plagas amore mirabili

communicat etiam dum est in raptu.

Inter meditãda Christi vulnera

A mirabili contemplans, tanto dolore & compassione efficiebatur, vt in corpore suo eadem vulnera sibi videretur habere, & tacta dolore cordis intrinsecùs ex Christi continuâ compassione afficiebatur. Meditatione plagarum ad humana exercitia & quotidianos labores inepta & impotens reddebatur, vt puta, dum vulnera contemplabatur, Christi sui intimâ compassione claudicabat; si verò manuum plagas, quidquid casu tetigisset, ex impotentiâ ad terram cadebat: cùm autem caput Christi spinis [coronatum] contemplando intueretur, nec stare nec sedere, nisi in lecto iacere solummodo poterat. Sed cum spiritu rapta ad aperti lateris contemplationem venisset, tanto compassionis & caritatis igne Spiritus sanctus eam in corde vulnerabat, vt per longissima temporis spatia continuè quemdam aqueum liquorem eius latus stillaret; quousque in die Natalis Domini cùm Eucharistiam sanctam sumpsisset in præfatâ ecclesiâ, & deinde in extasim rapta vidisset Dei Genitricem, ipsum quem genuit adorantem, & prope ipsam limpidissimum fontem, de quo ipsa Dei genitrix sumpsit, & vulnus lateris beatæ Franciscæ reuniit: ipsâ pluribus audientibus, voce præconiâ clamante & dicente, Sanata sum.

In suis ipsa membris similiter cruciatur

& diu liquorem stillat ex aperto latere.

B 16 Fruebatur famula Christi continuâ visione Angelorum, & maximè quemdam elegantis pulchritudinis formâ decorum familiariter intuebatur, die noctuque sibi inseparabiliter assistentem, cuius facies solis splendorem superabat: & si noctis tempore sibi opus fuisset aliquid operari, absque aliquo lumine materiali, solo splendore Angeli ducebatur. Cum autem peruenisset ad annum ætatis suæ quasi quinquagesimum secundum, defuncto iam viro, generaliter mundo renuntiauit, & omnibus in seculo derelictis, cum suâ profundissimâ humilitate venit ad locum suarum in Christo filiarum, & præ foribus prostrata expansis brachijs, affluentibus lacrymis, sine calceamentis & cingulo & maiore parte pannorum capitis, rogat suppliciter, vt eam suscipiant in earum consortio: quæ continuò gratanter & cum maximâ omnium lætitiâ recepta, meritò cunctis præficitur, & velut pia & Sancta Mater ab omnibus colitur & veneratur. Dum verò præfuit suis in Christo filiabus, opere demonstrauit qualiter mundus abijciendus & contemnendus esset, nam interpolatis vicibus cum ipsis ad laborandum in vineam pariter accedebat: & cùm inde redirent, ipsa & vnaquæque earum fascem sarmenti & aliorum lignorum super humeros baiulabant. Accidit quodam C die de mense Ianuarij, quòd Dei famula cum eius octo in Christo filiabus ad solitum opus vineæ accessit, vt ligna colligeret: & cùm ibidem nimiùm à manè vsque ad vesperam laborarent, & vltra modum sitirent, verita est, honestatis causâ aliquam ex illis ad fontem, quia in *a* stratâ publicâ erat, mittere, sed fusâ oratione ad easdem suas in Christo filias dixit: Habete fiduciam in Domino, quia Dominus prouidebit: & his dictis, respicientes ad quamdam arborem, viderunt quamdam vitem racemis virentibus plenam, ac si fuisset tempus vendemiarum: quas Christi famula gratias Deo referens colligi fecit, & vnaquæque suum comedit, & earum sitis sedata est Dei gratiâ.

Angelico semper conspectu fruitur:

orbe mortui ad Oblatas se recipit;

quas in colligendis sarmentis euntem

sitientibus in hyeme vuas impetrat.

a Fuit is tunc Fr. Antonius de Monte Sabello, Oliuetanæ Religionis, in conuentu & ecclesiâ S. Mariæ nouæ, vbi nunc requiescit sancta, prius Sacerdos.

b In ecgrapho nostro erat cotani, & infrà poma coctana, quod librariorum vitio omnino credimus irrepsisse: nam Itali cydonium malum cotogno vocant, à lanugine, quâ vestiuntur, simili gossypio, quod Italis cotone est. De hoc pomorum genere multa eruditè, plura ingeniosè, sed nugaciter omnia scripsit Goropius Becanus in suo Vertumno, dum nihil non trahit ad radices Teutonicas, quas, si placet superis, omnium antiquissimas & babylonica confusione priores esse, delirando contendit. *cotonum malum.*

c Laurentij de Pontianis.

d Communi vulgarium linguarum Italicæ, Hispanicæ, Gallicæ idiotismo præpositio hæc cum genitiuo coniungitur.

e Ita legendum credimus pro postulauit, quod librario mendo irrepserat in ecgraphum.

f Qui nempe, inuerso rerum ordine naturali, hunc librum præcedebat in originali; nobis autem, transpositis libris, tertius nunc est. *AVCTORE IO. MATIOTTI.*

g Id est, dolium, de quâ voce planius agemus infra ad caput 6 lib. 3 notâ: f. *voges*

h Frequens huic auctori & alijs aliquantò superiorum seculorum barbarismus, pro quo ablatiuum absolutum Latini vsurparent.

i Ignota Vocabularijs Italicis vox: quam apparet, à solo ducta, quisquilias palearum significare: nisi tamen sonatura legendum sit, vt sit originis barbaræ, ex quâ in Francicâ linguâ son pro furfuribus sumitur. *solatura*

k Notissima Italis mensura frumentaria, quam miror à vocabularijs omnibus Italicis prætermissam: non audeo verò ex incertâ memoriâ dicere, quot rubbi vno modio Romano contineantur. *rubbus.*

l Quamuis ad sustinendos pedibus podij nomen Græci fecerint, ab ijsque sit factum Latini acceperint: quia tamen podiorum præcipua commoditas in eo est, quòd in ijs foras spectandi causâ prodeuntes loricæ, seu peristilio, quo circumdatur podium, inniti possint; hinc in vernaculis ex Latinâ linguis Italicâ & Francicâ verba appoggiare & appuyer, barbaro appodiare respondentia, significant fulcire, reclinare; quomcumque in partem id velis accipere. *appodiare*

m Auribus Saccharum nomen ad Græcos Latinosque transijsse, sed tantum in re medicâ tantùm esse visus, adeoque longè ab eo diuersi quod ex cannis Indicis (vnde veteres potum dumtaxat dulcem exprimere nouerant) decocto earumdem succo, conficere ætati nostræ propiora secula docuerunt, eruditè probat Io. Gerardus Vossius in etymologico: nomen autem quo hodiernæ linguæ omnes factitium nostrum significant, non tam à veteri illo Arabico vel Latinorum succo, quam ab Indico zucar & præposito articulo azucar (quomodo illud Hispani nominant) immediatè acceptum meritò suspicamur. *Zuchari*

E

n Aromata species vocari omnium nunc penè in Europâ linguarum vsus fert.

o Saggio Italis non tantum adiectiuè significat sapientem, sed substantiuè quoque id quod experimenti ac præcipuè saporis degustandi causâ ex aliquâ re delibatur: adeò vt videatur antiquum sapiendi verbum, ingeminatum ore & mente sapiendi significationem irrepsisse apud incultiores, & hac significatione hic sagimen dici pro sapore. *sagimen*

p Strata viarum Virgilius dixit: viam stratam Liuius: stratam substantiuè ex classicis nemo, quod sciamus: quod inter barbaros, ex Latinâ tamen origine, natum videtur, cùm introducta scilicet apud eos esset ab exercitûum Romanorum ductoribus viarum sternendarum ratio priùs ignota, quarum plurima adhuc vestigia in Galliâ Belgicâ in hunc diem supersunt: vt nunc communi Germanis, Francis, Italisque vocabulo via omnes publicæ stratæ nuncupentur. *strata.*

CAPVT II.

De Miraculis à S. Francisca patratis in vitâ

17 HÆc admirabilis vitæ & conuersationis extitit, & multis miraculis coruscauit: nam cùm quædam Francisca de Verulis, vna ex eius in Christo filiarum numero, in hebdomadâ, quæ sibi sorte tangebat, domus & consororum suarum curam gereret, & panis deesset pro refectione illius diei, de Deo secura fecit mensam præparari: erant enim in domo quædam frusta panis vix tribus sufficientia. Fecit itaque suas in Christo filias discumbere numero quindecim, & factâ benedictione, panis multiplicatus est, & omnes saturatæ sunt, & Deo gratias agentes collegerunt fragmenta quæ superarant, & impleuerunt canistrum quasi mediæ quartæ.

Panem deficientem multiplicat: F

18 Dotauerat insuper hanc suam famulam omnipotens Deus Spiritu prophetiæ & intelligentiæ, vt multa de futuris contingentibus prænuntiaret. Prædixit enim fugationem Domini Eugenij *a* & eius persecutiones, & agitationem Ecclesiæ, & rapinas, quæ futuræ erant in Vrbe. Præuidit mortem cuiusdam puellæ, & periculum partus matris illius: nam cùm quædam nomine *b* Ceccha ante debitum naturæ tempus filiam peperisset, tantùm quia videbatur incolumis, baptizari eam subitò non fecit: nocte verò sequenti circa secundam horam superuenit B. Francisca contra morem suum, & voluit, quòd absque morâ puella baptizaretur. Et cùm Presbyter Ecclesiæ id molestè acciperet, eò quòd signa necessitatis nulla apparebant, instante ipsâ Dei famulâ puella baptizata fuit: quo facto superuenit

prædicit Eugenij Papæ exilium, A

B. mortem recens nati infantis

A venit subita infirmitas, & mortua est. Alio quoque tempore cùm præfata Ceccha prægnans esset, & vicina partui, B. Francisca præuidens, quòd eadem nocte esset paritura, misit vnam ex suis in Christo filiabus, nomine Anastasiam, vt eadem nocte cum prædictâ maneret: quæ remisit eam dicens, quòd necesse non erat, quia in nullo sentiebat se grauari, nec signa aliqua partus apparebant. Beata verò Francisca iterùm remisit eam, dicens præcipiensque, vt cùm aliâ muliere ad latus domus dictæ prægnantis moraretur illâ nocte: & ecce superuenit circa media m noctem partus, & dicta Ceccha in periculo mortis fuit, quia sola erat: & clamans magnis vocibus, subitò Anastasia venit, & iuuit eam: & filium illa sanum peperit, & incolumis remansit. Alius quoque, Laurentius nomine cùm esset infirmus & proximus morti, recommisit eum vxor eius beatæ Franciscæ, quæ dixit ei. Noli timere, quia ex hac infirmitate non morietur, imò ipse prius sepeliet me. Et sic factum est, nam paullò pòst ipsa beata migrauit ad Dominum, & dictus Laurentius interfuit obsequijs sepulturæ illius. Cum quidā nomine Iacobus infirmaretur vsque ad mortem, recommisit eum mater c B. Franciscæ, quæ respondit verbo prophetico dicens: Esto secura, quia ex hac infirmitate non morietur. Et sic factum est, & viuit adhuc.

AVCTORE IO. MATTIOTTI. inexpectatus mulieris partum. & duobus infirmis reddendam sanitatem. c B

19 Cognoscebat quotiescumque vidisset homines vitijs & tentationibus dæmonum non resistentes, & homines sceleribus & criminibus irretitos, & maximè nouos Religiosos, si fuerant in Deo seruiendo permansuri: videbat insuper cogitationes aliorum, & conflictus dæmonum quantumcumque præter modum aliquem vexarent. Nam cùm quidam nomine Rentius in patriâ ductus, deliberasset in corde suo detrahere cuidam Presbytero nomine Francisco d, & multa contra eius famam dicere cogitaret, & staret quadam die coram beatâ Franciscâ; ipsa diuino lumine illustrata, quidquid ille dicere cogitabat, vidit. Quare ipsum caritatiuè monuit, vt reuocaret animum tali ab intentione, narrando eidem particulariter & distinctè omnes suas malas cogitationes quas in corde gestabat, & totum id quod facere deliberauerat. Quibus auditis dictus Rentius ab intimo cordis compunctus, confessus est qualiter B. Francisca vidit & dixit omnia per ordinem quæ erant in corde suo, & quæ soli Deo cognita esse poterant; & mutatus in meliùs se humiliter accusauit, & promisit numquàm se talia nedum dicere nec etiam cogitare. Vnâ verò nocte cum quædam eius in Christo filia, nomine Augustina, in suâ cellâ oraret, vidit in formâ auis venientem ad se humani generis inimicum, vt eam suffocaret: sed hoc Christi famulam existentem in aliâ cellulâ latere non potuit. Cum quædam alia ex eius in Christo filiabus, nomine Perna, aliquantulum olei fudisset in terram, nec suum reatum cognoscens veniam postularet, B. Francisca hoc in spiritu videns, omnes generaliter monuit, vt quæcumque se sciret culpabilem, suam culpam humiliter diceret e: sed antiquus hostis guttur illius, dissimulantis & reatum suum confiteri nolentis, fortiter stringens, eam suffocare volebat. Quod videns famula Christi eam manu suâ percussit, & statim nequam spiritus eam dimisit: quo facto illa reatum suum agnoscens, veniam postulauit.

Occultas cogitationes cognoscens d à meditata calumnia quemdam prohibet, C Videt dæmonem insidiantem: culpam celatam arguit. e

20 Tanta hanc Dei famulam in sacris eloquijs & in arcano Sanctissimæ Trinitatis, de diuersitate personarum & vnitate essentiæ Trinitatis, fides imbuerat; quòd cùm secum quis loquebatur de huiusmodi rebus, visum sibi fuit loqui cum eruditissimo magistro sacræ Theologiæ. Tantam gratiam in eam Spiritus sanctus infuderat, & tantus feruor & zelus fidei ipsam tenebat, quòd post acceptas visiones & reuelationes diuinas, semper dicere solita erat suo Patri spirituali, de prædictis per obedientiam interroganti, quòd quidquid videbat in visione f beatificâ, quidquid sibi reuelabatur, & quidquid de quibuscumque ipsa videbat & dicebat, omnia visa & dicta per eam subijciebat iudicio & determinationi sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, cum quâ volebat viuere & mori. Fulgebat insuper ancilla Christi gratiâ curationum, infirmos orationibus sanando, quantumcumque grauissimâ infirmitate detinerentur. Nam cùm quadam die reuerteretur de ecclesiâ Lateranensi, obuium habuit iuxta capellam seruatam in ponte sanctæ Mariæ quemdam pauperem in brachio grauissimè percussum ita vt tantum pellis inferior partes disiunctas teneret, & iam ex incurato vulnere vermes scaturiebant: famulæ [autem] Dei petenti, quare curatoris remedium omitteret, vulneratus cum fletu respondit, paupertatis caussâ. Ipsa verò pauperem ad propriam domum duci fecit, & loto vulnere eiusdem extremitates suit, vt potuit, & paruo post tempore pauper sanatus est. Quidam Iulianus de Ianuâ, mulio Laurentij de Pontianis, dum ligna scinderet, grauissimè se ipsum in pede vulnerauit; & cùm non posset restringi continua de vulnere sanguinis effusio medicorum curâ & sollicitudine, & quinque mensibus grauissimâ ægritudine laboraret, nec posset sanitatis beneficium recuperare sine mutilatione pedis; famula Christi solo tactu præfatum infirmum spatio octo dierum pristinæ restituit sanitati.

Fidei mysteria profundè penetrans; f D omnia tamen sua sensa Ecclesiæ submittit: pauperis brachium penè abscissum, vulnus graue tibiæ inflictum, E

21 Cùm quædam puella, nomine Camilla, annorum quatuor, esset muta à natiuitate, & à g parentibus cum deuotione, & fide Christi famulæ præsentaretur, illicò vt eius linguam tetigit, apertum est os eius, & omnibus audientibus locuta est. Quædam mulier, nomine Iacobella, insensibilis & arida à cingulo vsque ad pedes, præsentata B. Franciscæ, solo eius tactu similiter sanata est. Alia mulier nomine Agnes cùm ex debilitate nimiâ non posset fœtus retinere, porrexit preces famulæ Christi, & statim concepit, & peperit duos gemellos. Menicus quidam nomine passus fuerat per annos quinque grauissimam infirmitatem in capite; nam ex defectu cerebri sæpiùs in die cadebat in terrâ, & multoties remanebat insensibilis velut mortuus: cùm ductus fuisset ad Beatam Franciscam, posuit manum super caput eius, & subitò sanus effectus, numquàm ampliùs talem infirmitatem sensit. Quædam nomine Iacobella, cùm pateretur morbum caducum, & per os spumam emitteret, & oculis trementes acies reuolueret, recommissa B. Franciscæ, solo tactu ipsius liberata est, taliter quòd ampliùs passa non est. Cùm quædam deuenisset ad fatuitatem & phrenesim, & se frequenter percuteret, & in puteum proijceret, velletque se occidere, ac in compedibus per mensem stetisset, recommissa die quadam B. Franciscæ, nocte sequenti liberata est, nec ampliùs passa.

mutam g & aridam curat: pariendi facultas, cerebri infirmitas ab ea datur. sanat elephantiacū & amentiam: F

22 Cùm quidam nomine Paulus crescente flumine Tiberis apprehenderet maximam arborem, & arbor suo pondere eum proiecisset violenter in flumen, stetissetque in eo per horam cum dimidiâ, recommissus B. Franciscæ, statim aqua eum reduxit ad locum vsque vnde ceciderat: & cùm extraheretur ex aquâ, & in terrâ iaceret velut exanimis, ita vt mortuus putaretur ab omnibus; fecit poni super eum B. Francisca modicum pulueris, & subitò aquam euomuit, & liberatus est. Catherina quædam habebat tibiam dextram inflatam ad modum cuiusdam columnellæ, & in genu morbū periculosum ad instar carbunculi cum dolore acerrimo: cùm recommisisset se B. Franciscæ, infra paucos dies sine aliquo medicamine sanata est. Quædam nomine Iacobella cùm pateretur morbum caducum, vt supra dictum est, fuit liberata. Matrona quædam nomine Vanotia in desperationem incidit, & insaniâ ducta cum gladio se in ventre percussit, cum intentione interficiendi se ipsam: cùm B. Francisca eam rogata visitasset, subitò eius præsentiâ mente & corpore sanata est. Alio etiam tempore cùm præfata Catharina haberet vultum inflatum, solo ipsius Dei famulæ

aquis mersum vitam seruat: tibiam inflatam, ventrem dissectum,

A famulæ tactu, subitò sana effecta est. Cùm puer quidam, nomine Thomas, ex infirmitate nimiâ per decem dies non potuisset sugere mammas, nec medici potuissent adhibere aliquod remedium, recommissus B. Franciscæ, solâ eius visitatione statim liberatus est. Mulier quædam, nomine Alegra, patiebatur tam grauem infirmitatem in pectore, quòd nec ambulare nec iacere nec se mouere de loco [posset : sed] die & nocte continuò sedens, tenebat genua iuncta cum pectore, & sæpè euomebat maximam quantitatem sanguinis: & cùm medicorum remedijs sanari non posset, recommisit se B. Franciscæ; quæ vt visitauit eam, posuitque manum super caput eius, subitò tam sana facta est, acsi numquàm fuisset infirma.

infantem nil sugere valentem, *& mulierẽ contractam sanat.*

23 Cùm quædam, nomine Iacobella, pateretur grauem infirmitatem in gutture, recommisit se B. Franciscæ, quæ tetigit locu infirmitatis, & absque morâ sanata est. Alia mulier, nomine Francisca, habens *h* anchiam destitutam *i* virtute corporis regitiua, cùm dolore nimio affligeretur, vt adhæsit B. Franciscæ, subitò eius tactu sanata est. Quidam, nomine Petrus, patiebatur cum dolore nimio *k* cataractas in oculis, ita quòd videre nil poterat: cùm recommissus fuisset B. Franciscæ, posuit manum super oculos infirmi, & B statim aperti sunt, & vidit clarissimè. Augustina nomine passa fuerat per duos annos tam grauiter in gutture cum inflatione maximâ, quòd vix & difficulter cibi aliquantulum capere poterat: vt B. Francisca tetigit guttur eius, illicò eam sanam dimisit. Alius quidam Petrus nomine, casu cecidit in ignem, & combussit sibi totaliter manum: cùm pateretur dolorem acerrimum, mater duxit eum ad B. Franciscam, quæ vnxit oleo manum combustam, & subitò sanitati pristinæ restituta est. Cùm Iacobella quædam grauiter pateretur in oculo, in quo erat tanta eminentia inflaturæ, quòd oculus penitùs videri non poterat: mox vt B. Francisca tetigit locum inflaturæ, sanata est. Quidam Ioannes tam grauiter fuit percussus cum vno remo in capite, quòd ex ictu statim in terram cecidit: & cùm caput & ossa essent collisa, & de ore ac nare sanguis exiret, & velut mortuus iaceret in terrâ, recommissus à matre B. Franciscæ, absque aliquo medicamine solo tactu famulæ Christi sanatus est.

Item ægros malo gutturis, *[illegible]* *oculorum,* *adustionis,* *oculis inflatu succurrit:* *sauciatum caput,*

24 Quædam mulier, nomine Agnes, passa fuerat per plures annos maximum iliorum dolorem: vncta vnguento, quod B. Francisca ad inanem gloriam vitandam *l* operabat, ita subitò liberata est, vt numquàm aliquid tale sensisset. Quidam magnus canis venaticus C momordit mulierem quamdam, nomine Ritam, in tibiâ morsu terribili: nam, adeo erat profundum vulnus, quòd vltra octo vncias *m* tasti recipiebat in se, in quo vt B. Francisca oleum posuit, subitò sanatum est. Matthæus quidam cùm pateretur morbum periculosissimi apostematis in partibus inferioribus, medicus propter qualitatem loci & *n* ingentiam morbi de eius vitâ dubitabat, mox vt B. Franciscæ recommissus est, sine aliquo medicamine sanatus est. Anastasia quædam cecidit de quodam solario, & partem superiorem tibiæ tam grauiter læsit, quòd se mouere de lecto non poterat: vt B. Francisca tetigit locum infirmitatis, subitò ita sanata de lecto surrexit, acsi nihil mali passa fuisset. Alius quidam, nomine Paulus, cùm vulneratus nouem plagis fuisset, & præsertim in genu, quod ipsum ducebat ad spasmum, & medici eum iuuare non possent, recommisit se B. Franciscæ: quæ visitauit eum, & absque medicorum remedio in paucis diebus sanus factus est.

dolores iliorum, *morsum canis,* *periculosum apostema,* *tibiam ex lapsu læsam,* *varie vulneratum:*

25 Mulier quædam, Ludouica nomine, existens sterilis, & filios habere cupiens, cùm se recommendasset B. Franciscæ, statim concepit & peperit filium sanum & incolumem. Stephanus quidam lethaliter vulneratus in capite, cùm nullo medicorum remedio curari posset, & de vulnere frequenter sanguis exiret, D solo tactu B. Franciscæ sine aliquo medicamine sanatus est. Quædam mulier, nomine Perna, cùm per sex dies laboraret in puerperio, & iam vicinâ morte sibi daretur Eucharistia sacra & extrema Vnctio; cùm B. Francisca visitasset eam, statim filium incolumem peperit, & ipsa illæsa remansit. Quæ etiam cùm per viginti quinque annos non potuisset vrinam emittere absque difficultate & doloribus maximis, vt recommisit se eidem famulæ Christi, subitò liberata est, vt numquàm sentiret ampliùs tale discrimen. Puer quidam, nomine Iacobus, infirmus ad mortem, non capiens cibum, cùm eum mater duceret ad B. Franciscam, posuit digitum in ore, illicoque sanum dimisit. Mulier quædam, Andreotia nomine, tam grauiter patiebatur in capite, quòd pedibus se tenere non poterat: cùm B. Francisca posuisset manum super caput eius, subitò sanata est. Alia mulier, nomine Ceccha, cùm pateretur in mamillis grauissimè, essetque inflata horribiliter, & nigrefacta ad modum carbonis, & medicus non posset adhibere remedium; famula Christi eam visitauit, & ita est sanitati pristinæ restituta acsi numquàm fuisset infirma.

mulierem sterilem, *læsum in capite,*

AVCTORE IO. MATTIOTTI. *laborantem in puerperio* *& vrinæ difficultate,* *puerum moribundum,* *dolorem capitis,* *mamillas ex tumore nigras,*

26 Quædam alia *o* Palotia nomine, cùm grauiter infirmaretur ex febri, famulæ Christi præsentiâ similiter statim sanata est. Alia, nomine Perna, percussa sub brachio morbo pestifero cum grauissimis febribus, ita vt de eius vitâ spes esset amissa; vt famula Christi tetigit locum pestis, subitò morbus euanuit, & febris similiter eam dimisit. Alia Palotia existens grauida, passa fuerat per mensem in vno crure infirmitatem, quæ dicitur *p* gutta: desperata verò à medicis sibi dicentibus, quòd esset in breui moritura simul cum prole, recommisit se B. Franciscæ, & subitò sanata est, & tempore debito filium incolumem peperit. Alia quædam, nomine Rita, cùm grauiter pateretur in ambabus mammis cum plagis in eis apertis, nec medici eam possent curare, habuit recursum ad B. Franciscam, quæ ei dedit parumper vnguenti, quo perunctis mamillis, statim sanata est. *q* Nutius quidam nomine, cùm in partibus inferioribus pateretur rupturâ ita terribilem, quòd medicus maximo cum stupore admirabatur, nec eum curare poterat, recommissus à matre B. Franciscæ, absque morâ sanatus est. Quidam Ioannes passus fuerat per annum & vltra tam grauem infirmitatem in vno crure, cum plagâ maximâ & inflaturâ, quòd iam erat à medicis derelictus, asserentibus ipsam plagam fore incurabilem: cùm recommissus fuisset B. Franciscæ, & parum vnguenti eius positum supra locum infirmitatis, subitò meliorari incepit, F & infra tres dies sanatus est in totum absque alio remedio.

grauem febrim, E *pestem,* *gonagram,* *mamillas exulceratas,* *incurabilẽ herniam,* *& plagam in crure,*

27 Alia quædam mulier existens grauida septem mensibus, nomine Gentilesca, cecidit de quadam scalâ, altâ decem & septem gradibus, cum capite versus deorsum: & cùm esset caput eius inflatum & collapsum & oculi similiter, nec medici possent adhibere remedium propter imminentem partum; mox vt recommisit se B. Franciscæ, pristinam recuperauit sanitatem, & tempore debito filiam incolumem peperit. Quædam Angelella nomine, cùm haberet brachium dextrum penè deperditum & insensibile, & medici dicerent esse guttam arteticam, & quòd solo Dei remedio curari poterat; accessit ad Christi famulam, & tetigit manum eius; quo facto, statim sanata est. Cùm æstatis tempore famula Christi vnà cum suâ *r* cognata iret ad ecclesiam S. Petri per viam, quæ dicitur Settignana, & ambæ paterentur maximam sitim, descenderunt ad flumen, vt biberent; & permissione diuinâ vtramque velox fluminis cursus ad se rapuit, & violenter portauit per maximum spatium: orante autem B. Franciscâ, solido se inuenerunt in littore, ignorantes quomodò vel qualiter factum fuisset.

grauidam è scalis lapsam, *& arthriticam,* *liberatur à periculo submersionis:*

28 Quædam mulier, nomine Iacobella, habens pannum

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

A pannum super oculos, nihilq; videns recommissa fuit beatæ Franciscæ, quæ posuit manum super oculos infirmæ, & statim omni cæcitate fugatâ, vidit clarissime. Alia quædam, nomine Ceccha, passa fuerat per sexdecim menses continuos sanguinis fluxum: vt se recommisit famulæ Christi, solo tactu sanata est. Quædam Domina, nomine Andreotia, cùm pateretur intrinsecè dolores ita graues, quòd multo tempore de lecto non poterat surgere; vt visitauit eam B. Francisca, mirabiliter eius præsentiâ liberata est, & concepit, & peperit illæsa & incolumis. Alia quædam, nomine Anastasia, cùm similiter pateretur in [parte] secretiori morbum horribilem, præsentauit se eidem famulæ Christi, & solâ eius præsentiâ sanata est. Quædam alia, nomine Francisca, cùm pateretur puncturam & esset iam morti propinqua, vt Christi famula posuit manum supra pectus eius, statim liberata est. Iacobella quædam casu scapulam mouit de loco suo, quo viso, B. Francisca posuit manum supra scapulam ipsam, & illicò suo loco restituta est. Quidam Laurentius nomine, infirmus ad mortem, ac derelictus à medicis, fuit recommissus famulæ Christi, & sine medicorum auxilio liberatus est. Augustina quædam incidit in timorem grauissimum per quinque annos & febris grauissima eam arripuit, & tenuit eam longi temporis B spatio; mox verò vt famula Christi eam visitauit, subitò liberata est ab ipso timore & à febri similiter.

videtur oculo obcecato,

interno dolori;

occulto malo,

puncturæ,

scapulæ elatæ,

moribundo,

febricitanti;

29 Hac igitur admirabilis ancilla Christi plurimis miraculorum prodigijs effulsit, nam mutis expeditam loquelam restituit, cæcis visum, claudis gressum, pestilentibus & pleureticis sanitatem, à dæmonibus obsessis liberationem integram, morbo caduco laborantibus incolumitatem, lethaliter vulneratis, qui nullo medicorum auxilio curari poterant, plenam sospitatem, solo tactu humilis ancillæ Christi diuina bonitas, cui se totam dum viueret dedicauit, dignata est misericorditer elargiri. Aliquos etiam ab ipsius mortis faucibus ad pristinam sanitatem eius meritis & precibus deduxit: & quod his omnibus maius est, dum corpus eius quiesceret in ecclesiâ Sanctæ Mariæ-nouæ, antequàm traderetur vltimæ sepulturæ, obstinati & indurati spontaneâ voluntate, sine admonitione alicuius, solo tactu ipsius pretiosi corporis compulsi sunt ad Sacramentum Confessionis accedere, multisque ac diuersis infirmitatibus laborantibus sanitatis medela donata est. Cùm verò per annos quadraginta quatuor & vltrà, continuò & indefessè, tam in domo viri quàm in Domo filiarum eius in Christo, sancta & laudabilia opera exercendo, verbis salutis exhortando vsque C ad extremum vitæ in odore bonæ famæ & sanctæ conuersationis vixisset, & omnia aduersa & grauia propter nimiam charitatem, quâ erga Deum & proximum semper ardebat, libenter & alacriter tolerasset, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo, vitæ verò suæ quinquagesimo sexto, die secundâ mensis Martij grauissimâ febri correpta est.

& omnigenæ curationis miraculis claret.

Post annos 44 sanctissimè tractos,

ætatis anno 56,

30 Nocte verò sequenti sibi à Domino reuelatum fuit, infra spatium septem dierum tabernaculum sui corporis deponendum: die verò sequenti prædictam reuelationem suo Patri spirituali patefecit, & ab eo deuotè & humiliter postulauit Ecclesiæ Sacramenta. Quibus omnibus ritè receptis, iam instante horâ sui obitus, Sororibus & Filiabus, quas in Christo genuerat, ardentem sermonem protulit, & incontinuum materno affectu eas de suâ abitione consolatorijs verbis exhortando & demulcedo, ad diuinū eas exhortata est amorem; & inter ceteras [virtutes] eis reliquit sanctissimam caritatem & inter se vnionē, perpetuò obseruandam; fortitudinem insuper ad tribulationes perferendas, & tentationes humani generis inimici. Monuit insuper omnia & singula perferenda, quę Diuinâ fauente gratiâ ipsa pertulerat; & ad Iesu Christi sectanda vestigia omni, quâ potuit, efficaciâ sermonis eas adduxit. Et sic factum est, vt die septimo, consi-D dentibus Sororibus & Filiabus eius in Christo, & ex recessu tam piæ & sanctissimæ Matris flentibus & contristantibus; ipsa B. Francisca, deuotissima Sponsa Christi, oculis in cælū tensis, & animo orante simul & ore, obdormiuerit in Domino & die nonâ Martij ex hâc luce migrauerit. Et sic felix illa anima carne soluta, in æternæ claritatis abyssum absorpta est. Sed antequàm egrederetur, rogata à præfatis eius in Christo filiabus, vt suis precibus vellet differre vel ad modicum obitum suum pro earum consolatione & necessitate, respondit, contentam fore Domini voluntate. Floruit autem anno Domini millesimo quadringesimo, quadragesimo, secundo idus Martij. Apud eius sepulcrum, ipsius meritis, multa miracula fiunt ad laudem & gloriam Omnipotentis & nostræ almæ Vrbis.

Sacramentis munita,

& suis extremum adhortata,

moritur an. 1440. 9 Martij.

a *Huius nominis* quarti, *Vrbe pulsi anno circiter* 14..

b Vxor Andreotij Clarelli, *inquit Anguillaria, lib. 5 cap.* 16, *& rem anno* 1437 *actam scribit.*

c Pernam *nominat eadem Anguillaria, vxorem Petri Vincentij ex regione Campitelli.*

d *Addit Anguillaria loco citato cognomen* Ioannis Angelli, *patre videlicet; & agnomen familiæ* dello Schiauo: *eumdemque Sacerdotem patriâ Romanum, moribus optimum, affectu erga Beatam deuotissimum fuisse dicit, ac denique factum adscribit anno* 1426. B

e *Addit eadem lib. 5 cap. 9 consuetudinem inter ipsas tunc obtinuisse, vt vltrò id faceret, si qua sibi esset alicuius reatus conscia.*

f *Huius vocis vsum penè perpetuum in aliâ prorsus, quam nunc Theologi accipere consuerint, significatione, videbimus infra toto libro 2.*

g *Andreotio Clarelli & vxore eius Ceccha, ijsdem de quibus supra num. 18, vt constat ex Anguillariâ l. 5 cap. 17: quæ ad-lit ipsam Ceccham occulto quodam morbo aliquammultis annis impeditam ne liberos posset concipere; postquàm B. Francisca incommodum suum manifestauit, & concipiendi & gignendi expeditam accepisse facultatem.*

h *Italis Hispanisque commune vocabulum pro coxendice, quæ Francis cum aspiratione initiali dicitur* la hanche. Ancha,

i *Id est sustentina: vt enim infra videbimus,* regere *Italis sustinere est, seu erectum tenere.* regitiua vis,

k *Squammas seu pelliculas intelligit pupillæ increscentes, quibus, vt cataractis influxus effluxusq; aquarum, sic specierum visibilium allapsus ad oculum cohibetur & sistitur.* cataracta;

l *Italica phrasi pro* faciebat, componebat.

m *In miraculis S. Herculani* tastam *habuimus eadem significatione, pro flocco seu penicillo vulnerarij lini.* tastum,

n *Hactenus nullum huius vocis vsum in Italicâ, aut aliâ vllâ linguâ vulgari, inuenio.*

o *Diminutiuum fœmininum ex* Paulo: *vti &* Perna *pro* Petrinâ *ex Petro.*

p *Ita arthritim passim vocari notum est, & alibi sæpè à nobis monitum.*

q *Mutilum nomen pro* Ioannutio, *vti supra num. 21* Menicus *pro* Dominico. F

r *Id est, leuiri sui vxore Vannotiâ, prout constat ex Anguillariâ lib. 1 cap. 6.*

s *Academici Florentini della Crusca in suo vocabulario, ... sic vocari Italicè maculam, quæ nubecula instar pupillam, cui ... nascitur, obfuscat; quam Græci onychem appellarint: fortè à Latino pano, tumorem quocumque in parte corporis significante.* pannus oculi vitium,

t *Imò septimo: credo tamen sic imperitè locutum; quia secunda hic dies est, quo, decursis ad Nonas diebus, incipitur ad Idus numerando procedere.*

CAPVT III.

De Miraculis post obitum & alijs post sepulturam.

31 QVidam, nomine Antonius, per maxima tempora sine Confessione permanens, cùm corpus B. Franciscæ, existens adhuc super terram, visitasset, tanta eum deuotio ex tactu ipsius corporis inuasit, quòd subitò sine alicuius admonitione ad salutiferam Confessionem accessit. Alter, Antonius similiter nomine, per maxima tempora eodem modo permanens, vt visitauit corpus famulæ Christi, tanta contritio ei peccatorum

Duo peccatores ad Confessionem mouentur,

A rum extitit ex ipsius præsentiâ, quòd illicò ad Confessionem rediit salutarem. Mulier quædam Francisca nomine, cùm grauiter ex febri infirmaretur, multis diebus fecit se portari ad corpus B. Franciscæ: quo viso & oratione factâ, illicò restituta est pristinæ sanitati. Alia mulier vocata Antiqua, patiebatur cerebri infirmitatem, quæ vulgò dicitur fatuitas; cùm ducta fuisset ad corpus famulæ Christi, illicò fuit in suo cerebro adeò confortata, quòd incolumis ad propriam domum rediuit. Quædam alia, nomine Paula, patiebatur grauem infirmitatem, & in vno brachio impediebatur ita, quòd nec operari aliquid nec rectè loqui poterat: vt accessit ad corpus famulæ Dei, & genuflexa tetigit illud, de vtraque infirmitate liberata est. Alius quidam, Franciscus nomine, detentus dolore maximo capitis, visitauit corpus famulæ Christi, & subitò eius præsentiâ liberatus est. Alia mulier nomine Margarita passa fuerat per medium ferè annum grauem infirmitatem in vno brachio, cum quo vt tetigit corpus famulæ Christi, ita subitò sanata est, vt numquàm ampliùs aliquid mali sentiret.

sanatur febricitans, fatua, brachium infirmum, dolor capitis, aliud brachium,

32 Quidam nomine Federicus ita patiebatur in oculis, quòd videre non poterat: vt visitauit corpus B. Franciscæ, subitò sibi visum fuit, quòd quædã squamæ cecidissent de oculis, & visum statim recepit.

B Mulier quædam, Antonia nomine, passa fuerat maximam infirmitatem in vno brachio per annos ferè viginti, adeò quòd non poterat cum ipso aliquid operari: accessit ad corpus famulæ Christi, & posuit linteamen, quod subtus illud erat [super] brachium, & statim sanata est. Alius quidam *a* Colutius nomine, cùm diu passus fuisset tam grauem calorem doloris in vno genu, quòd nullum exercere laborem poterat; mox vt visitauit corpus ancillæ Christi, tactu similiter præfati linteaminis, subitò sanatus & liberatus est ab omni dolore. Alia mulier . . . . nomine, de regione Campi-Martij patiebatur tam grauem infirmitatem per tres annos continuos [quòd] se non poterat mouere de lecto: & cùm corpus B. Franciscæ esset adhuc super terram, recommisit se eidem Christi famulæ, vt suis precibus eam iuuaret: qua completâ oratione, subitò surrexit de lecto ita sana, vt iuerit ad visitandum præfatum corpus, acsi numquàm fuisset infirma. Quidam nomine *b* Nardus, patiebatur tam grauiter in vnâ manu, quòd operari nil poterat cum eâ: vt accessit ad corpus famulæ Christi, & illud cum præfatâ [manu] tetigit, subitò sanata est. Mulier quædam, nomine Andreotia, passa fuerat per vndecim menses grauiter ex descensu capitis in gutture, & in spatulâ dolorem grauissimum: visitauit corpus famulæ Christi, & solâ eius præsentiâ subitò ab ipsis infirmitatibus liberata est.

oculi, item brachium, a genu, triennalis infirmitas, b manus, & spatula,

G

33 Iacobus quidam nomine, passus fuerat per duos annos infirmitatem in gutture, quæ à medicis vocatur *c* scrofola, & cùm sæpè & multùm exercuerit remedia medicorum, & nullum sibi inuenisset iuuamen, accessit ad corpus B. Franciscæ, & fecit apponi pannum lineum super illud, quod postmodum posuit super guttur infirmatum, & illicò meliorari incepit: & post octo dierum spatium nulla illarum ampliùs apparuit, nec signum aliquod remansit in gutture. Margarita quædam nomine, cùm diu passa fuisset grauem infirmitatem fluxus sanguinis, & nullum remedium inuenire potuisset, vt visitauit corpus famulæ Christi, subitò sanata ab eo recessit. Alia mulier nomine Angelotia, passa fuerat per duos annos cõtinuos febrim quartanam, & adhuc patiebatur: accessit & tetigit corpus B. Franciscæ, & subitò febris aditum illius dimisit. Iacobus quidam nomine, ex longo iam tempore obsessus fuerat morbo caduco, cùm visitasset corpus famulæ Christi, & posita fuisset eius manus super caput infirmi, ita subitò liberatus est, vt numquàm sentiret ampliùs tale discrimen. Alius quidam Dominicus nomine, passus fuerat per duodecim annos maximam infirmitatem in brachio dextro: cùm tetigisset cum eo corpus B. Franciscæ, ita subitò sanatus est, vt ampliùs non sentiret talem infirmitatem. Cùm corpus famulæ Christi esset adhuc super terram & populus multus in ecclesiâ, quidam nomine Laurentius, arreptus morbo caduco, cecidit coram populi multitudine, & remansit velut mortuus: & cùm imposita fuisset manus ipsius Dei famulæ super caput patientis, ita subitò surrexit sanatus, vt numquàm pateretur talem morbum. Quidam Vngarus, obsessus à malignis spiritibus, ductus violenter ad corpus B. Franciscæ, expuit coram omnibus tres carbones, & recessit liberatus.

c scrofula, fluxus sanguinis, febris quartana, morbus caducus, brachium dexterum,

D *AVCTORE IO. MATTIOTTI. elephantiacus, energumenus,*

34 Cùm alius, nomine Christianus, haberet tibias & pedes inhabiles ad ambulandum, portatus ad corpus famulæ Christi, & manu ipsius tactis locis infirmitatis, statim ita sanatus est, vt pedibus suis reuerteretur ad domum. Mulier quædã, nomine Iacobella, per annum passa fuerat grauem infirmitatem mamillarum cum plagis apertis & dolore maximo: cùm à medicis curari non posset, accessit ad corpus famulæ Christi, & posuit manum eius supra dictas mamillas; quo facto subitò recessit dolor, & infra octo dies plagæ adeò curatæ fuerunt, vt nec signum aliquod remaneret in eis. Alia mulier nomine Ceccha cùm manum suam vulnerasset cum cuspide cuiusdam candelabri, & pateretur dolorem acerrimum, posuit præfatam manum sanguine cruentatam supra corpus famulæ Christi, & subitò sanata est, intantùm vt nec signum vulneris remaneret in eâ. Cùm quidam, nomine *d* Nellus, per quinque menses passus fuisset, vnà cum vxore & quinque filijs, quamdam terribilem infirmitatem, ad modum lepræ, & remedium aliquod inuenire non posset; accessit ad corpus B. Franciscæ, existens adhuc super terram, & fusâ oratione, omnes infra octo dies ab omni illâ leprâ mundati sunt, acsi eam numquàm passi fuissent. Quædam mulier nomine Vanotia per triennium passa fuerat grauem infirmitatem in spatulâ cum dolore intensissimo: mox vt tetigit corpus famulæ Christi subitò sanitati integræ restituta est. Alia mulier, nomine Ceccha, cùm fuisset passa febres quartanas per vndecimum mensem, vt visitauit corpus B. Franciscæ, subitò febris eam reliquit & sanata est.

debilis, mamillæ vlcerosæ, manus vulnerata, E *d leprosi, spatula, febricitãs.*

35 Cùm sacrum corpus B. Franciscæ stetisset super terram in ecclesiâ sanctæ Mariæ-nouæ per tres noctes & tres dies ferè cum dimidio, tam suauem odorẽ reddidit, acsi *e* lilij, violæ, & rosæ, & flores odoriferi ibi fuissent: & nullam tabefactationem passum, manus atque pedes palpando, ita se tractabile omnibus præbuit acsi viuum fuisset. Et quia ex frequentatione multitudinis populi ibidem accedentis, Religiosi dictæ ecclesiæ à diuino Officio impediebantur, positum sub terram fuit in vnâ capsâ ante altare maius in die sancti *f* Gregorij Doctoris, de mense Martij, non sine maximâ difficultate propter concurrentiam virorum & mulierum, obstantium vt adhuc dimitterent supra terram manere, ob deuotionem maximam & miraculorum copiam, quam videbant. Post cuius corporis, vt prædicitur, sepulturam, sic sepultum mansit à die præfatâ Beati Gregorij vsque ad vigesimam septimam diem mensis Iulij eiusdem anni inclusiuè: quo medio tempore ad honorem Dei fabricatâ *g* [aliâ arcâ] magis honorificâ, fuit prædicta sepultura discooperta, & similiter coopertorium capsæ discoopertum fuit; & visum fuit præfatum corpus palàm ab omnibus atque palpatum, & eo modo apparuit sicut eâ die, quâ mortua fuerat, nullo fœtore, nullâ putrefactione ibi apparente; sed suauissimus odor sentiebatur, & tunc opifices aptarunt foueam cum dictis lapidibus & ferreis, vt de præsenti videtur, vinculis.

Corpus suaue olens e F f sepelitur 12 Martij, & 21 Iulij g incorruptũ retegitur:

36 Quidam homo, cuius nomen tacetur, assuetus & implicitus multis peccatis, non integrè propter verecundiam confitebatur, reticendo semper grauiora peccata:

suadetur cuidam integra Confessio:

A *AVCTORE IO. MATTIOTTI.* peccata: cui apparuit in somnis B. Francisca, & dixit ei: Vade & explica pannum totum, & ne verecunderis: quia meliùs est aptiusq; in hac vitâ pati verecundiam, quàm in futuro seculo æterna supplicia. Qui euigilans statim accessit ad Confessionem, & omnia peccata absconsa compunctus confessus est. Mulier quædam nomine Iacobella, cùm pateretur puncturam supra cor & in scapulâ dolorem grauissimum, posuit quemdam pannum *h* lineum, quo vtebatur B. Francisca dum viueret, supra locum infirmitatis; & statim ita sanata est, vt nullum dolorem ampliùs sentiret. Alia mulier, nomine Perna, patiebatur intensissimas febres, & cùm iam sacram Vnctionem recepisset, nullaque de illius vitâ spes haberetur, pannum dictum lineum, scilicet sottanam, quam Beata portare consueuerat, induta, illicò sanitati restituta est. Quidam nomine Iulianus, cùm pateretur tam grauiter in gutture, quòd nec loqui, nec sumere cibaria poterat, eratque iam morti propinquus, fuit sibi impositus præfatus pannus linteus, quo B. Francisca vtebatur, & infra vnius horæ spatium liberatus est. Angelella quædam posuit supra filium suum, qui patiebatur intensissimas febres, parùm de veste B. Franciscæ, & subitò febris eum reliquit. Quidam nomine Leonardus patiebatur tam grauem infirmitatem in oculis, vt incessanter stillaret B lacrymas: mox vt mater recommisit eum B. Franciscæ, statim sanatus est.

sanatur dolor cordis & scapulæ, h

febris lethalis,

gutturis malum,

& oculorũ.

37 Mulier quædam, nomine Palotia, cùm grauissimè in puerperio laboraret, & iam in periculo mortis existeret, recommisit eam mater B. Franciscæ, & illicò liberata & illæsa heredem protulit, acsi nullum periculum passa fuisset. Alia mulier, Hieronyma nomine, diu passa fuerat in gutture grauiter, nec à medicis curari poterat: quæ B. Franciscæ se recommisit & posuit supra locum infirmitatis præfatum pannum, & statim ad sanitatem reducta est. Quædam alia, nomine Lucretia existens virgo, eius vbera ita erant plena lacte acsi lactaret filium, & cùm se recommendasset B. Franciscæ, ab omni illâ lactis infusione aliena remansit. Alia mulier quædam, nomine Agnes, cùm pateretur morbum infestissimum in gutture, ita quòd nec *i* stillatum nec aliquid aliud poterat sumere, & medicorum remedia nihil ei proficerent, recommissa à matre B. Franciscæ, & posito super gutture parumper vnguenti, quod ipsa Dei famula ad inanem gloriam vitandam operabatur dum viueret, statim febris, quæ eam die noctuque cruciabat, ipsam dimisit, & morbus ille in breui disparuit. Mulier quædam, nomine Augustina, ita patiebatur in oculo, quòd cum eo videre C nil poterat: vt posuit supra eum de pannis, qui fuerant supra corpus famulæ Christi, illicò lumen recepit, & vidit clarissimè. Magdalena quædam nomine, cùm grauissimè infirmaretur ex peste ac febribus, & iudicio medicis dato sibi vulnus amputaretur, ita læsa remansit, vt perpetuò brachio se priuatam putaret: & cùm morti proxima iudicaretur ab omnibus, mater recommisit eam B. Franciscæ: quo facto subitò reliquit eam febris & ægritudo, &, mirabile dictu! totaliter sanata est. Alia nomine Ioanna ex longo iam tempore passa fuerat tam grauem ægritudinem in vno brachio, vt quasi aridum videretur: & accedens ad locum, in quo fuerat lectus B. Franciscæ, ibique fusâ oratione, reperit se ita omnino sanatam, vt numquàm ampliùs sentiret læsionem in dicto brachio.

Succurritur puerperæ: i

laboranti ex gutture,

importunè lactescenti,

laboranti ex gutture & febri,

ex oculo,

ex febri pestilenti,

ex brachio arescenti,

38 Quædam alia nomine Angelotia, cùm grauiter ex peste infirmaretur & febri, ratione incisionis morbi, incidit in dolorem grauissimum, quòd omnes eam aspicientes, ex compassione plorabant: & cùm iam virium latus perdidisset, & caput continuò agitaret, supplex cum lacrymis fudit orationem, & dixit: O Beata Francisca, adiuua me. His dictis, subitò sanata de lecto surrexit. Iacobus quidam nomine, grauiter infirmus ex peste & febribus, cùm iam medici de ipsius euasione diffiderent, recommissus B. Franciscæ repentè sanatus est. Quidam nomine Petrus Paulus Carpentarius, cùm subleuaret quamdam maximam trabem ædificationis causâ, casu trabs cecidit & oppressit eum: qui mox in terram cadens, effectus est quasi mortuus sine loquelâ & sine sensu. Recommisso illo tunc B. Franciscæ, subitò recepit sensum & loquelam, nihilque mali in eo remansit, nisi læsio in vno [illegible] ipsius. Mulier quædam nomine Angelotia horribiliter patiebatur in facie, in quâ erant quidam penè nigri *k* bruscioli, qui totam eius faciem rodebant continuò & inficiebant: vt recommisit se B. Franciscæ & posuit super locum infirmitatis librum, in quo ipsa Dei famula legebat Officium beatæ Virginis, ita subitò sanata est, vt nec signum aliquod in eius facie remaneret. Petrus quidam nomine, cùm ex infirmitate maximâ haberet vnam manum penè deperditam & inhabilem, & tam grauiter pateretur in gutture, vt nullo modo comedere posset; timens ne in breui vitam finiret, cú lacrymis recommendauit se B. Franciscæ, & liberatus est vtraque ab infirmitate.

ex pestilentiâ,

D

item contrito ruinâ trabis,

faciem à vermibus depasta, k

periclitanti ex manu & gutture,

39 Quædam mulier, Lucretia nomine, cùm vsque ad mortem infirmaretur, & iam agonizaret, fuit sibi superpositus pannus lineus, quo vtebatur B. Francisca dum viueret, & subitò sana effecta est. Quidam nomine Iacobus, infirmus ex peste, ductus est ad mortem iam loquelâ amissâ: vt appositum est morbo parum vnguenti B. Franciscæ, ita statim de lecto surrexit, acsi ægritudinem nullam passus fuisset. Alius nomine Simon, infirmus tam grauiter, vt incessanter caput agitaret, recommissus B. Franciscæ, & vnctus præfato vnguento subitò sanus effectus est. Alius quidam nomine Ioannes Angelus, cùm esset lethaliter in capite vulneratus, & iudicio medicorum spes nulla esset de ipsius salute, vt commissus est B. Franciscæ, repentè liberatus est. Quidam nomine Paulus patiebatur ita grauissimè in tibijs, quòd erant nigræ factæ ad modũ carbonis cum plurimis plagis, vt esset horribile visu, & mater baiularet eum in brachijs, vt recommendaret B. Franciscæ: mox vt illum ad terram deposuit, ita sanus factus est, vt currendo incederet, acsi numquàm fuisset infirmus. Alius nomine Antonius casu cecidit de quadam altissimâ *l* logiâ, & ita se totum *m* confregit, vt integrum nihil esset in corpore eius, & cùm iaceret penè exanimis, vxor eius dixit ei: Memor esto B. Franciscæ; ac te sibi recommenda. Qui nihil sentiens potiùs mortuus reputabatur quàm viuus: ossa verò eius ita ad inuicem resonabant, acsi fuissent in sacco: & post parum temporis ad se reuersus, vocauit vxorẽ dicens: Quædam mulier venit ad me, & dixit se esse B. Franciscam, quam tu meo nomine inuocasti: iam sentio me liberum, & sanatum meritis eius.

agonizanti,

E

peste infecto,

trementi,

capiti vulnerato,

tibijs vlceratis,

l m è sublimi lapso,

F

40 Quædam mulier, nomine Rita, cùm septem mensibus grauiter in mamillâ pateretur, vt se recommisit B. Franciscæ, subitò absque morâ sanata est. Alia mulier nomine Blonda patiebatur vlcus horribile & immensum in *n* spatulâ: nullus medicorum poterat sibi mederi propter nimium fœtorem, & quòd singulis diebus sanies ex prædicto vulnere exibat ad mensuram vnius vasculi: & iam altera spatula minabatur consimilem ægritudinem; & cùm acerbissimè vexaretur, recõmendauit se cum lacrymis Beatæ Christi famulæ dicens: O B. Francisca, porrige mihi manum adiutricem. Quibus dictis, visum est sibi, quòd quædã tangebat loca ægritudinis, & sanata est absque altero medicamine. Quidam nomine Iacobus, infirmus grauissimè ex peste ac febribus, & per octo dies terribiliter phreneticus, tandem ductus ad mortem, iacuit per sex horas totus frigidus cum candelâ benedictâ propè os, sine voce, sine sensu, velut mortuus: ita vt sui existimantes eum mortuum, flentes lamentarentur. Tunc mater & soror eum recommiserunt B. Franciscæ cum lacrymis; & finitâ oratione, is, qui iacebat penè exanimis,

ex mamillâ laboranti,

n ex spatulâ,

ex febri & phrenesi,

Animis, recepit subitò sensum & loquelam, & citò in totum sanus factus est. *ex quartanis,* Alius quidam, nomine Petrus, per quinquennium passus fuerat febres quartanas, cùm recommissus fuisset B. Franciscæ, statim sanatus est. Mulier *o* Rhetoria nomine, *in præcordiis* cùm pateretur tam graues dolores circa præcordialia, vt pluribus diebus non sumeret cibum, & iudicio omnium esset morti propinqua; vt recommisit se B. Franciscæ, & fecit sibi imponi supra cor præfatum pannum, subitò de lecto surrexit.

41 *ex vulnere capitis* Antonius quidam nomine, tàm lethaliter extitit vulneratus in capite, vt sex inde ossa extraherentur: cum verò præfatus pannus supponeretur capiti suo, statim sanatus est. *ex gutture* Quidam alius, nomine Petrus, infirmus in gutture tam grauiter, vt nullo modo cibum sumere posset; ex quo, cùm esset iam proximus morti, recōmisit eum Soror B. Franciscæ, repentè sanatus est. Alius, nomine Hieronymus, cùm grauissimè infirmaretur ex pestilentiali febri, *ex peste* & pateretur *p* puncturam, destitutusque à medicis, ageret in extremis, fuit sibi suppositus pannus B. Franciscæ, & mirabile dictu! statim sanatus de lecto surrexit; & interiecto tempore cùm grauem dolorem pateretur capitis, similiter præfato panno liberatus est. B Quidam nomine Christophorus, *ex vermibus;* infirmus ex vermibus, vicinusque morti, vt exequiæ iam pararentur; recōmissus à matre B. Franciscæ, & posito supra eum præfato panno, subitò sanus factus est. Mulier quædam, nomine Gentilesca, *ex peste;* cùm grauiter ex peste infirmaretur & febribus, peruncta vnguento B. Franciscæ, mox sanata est. Alia nomine Ceccha, cùm similiter ex peste percussa vngeretur præfato vnguento, statim sana effecta est. Camilla *ex digito:* quædam nomine, grauiter læsa in digito manus, ita vt ipsius digiti parte careret; cùm medici multa adhibentes remedia nihil proficerent, maximumque fœtorem præfatus digitus putrefactus emitteret; recommendauit se B. Franciscæ, & vnxit digitum vnguento prædicto: quo facto, absque aliquo alio medicamine, sanatus & reintegratus est digitus, & effectus est sicut priùs.

42 *ex febri,* Alia mulier Ioanna nomine, cùm per maximum tempus teneretur grauissimis febribus, mox vt famulæ Christi se recommisit, repentè sanitati integræ restituta est. *ex arthritide,* Quædam mulier nomine Angela, incurrit in infirmitatem, quæ dicitur gutta arthetica, quæ ita ad omnia eam reddebat inhabilem, acsi paralytica fuisset; & cùm recōmissa per amicam B. Franciscæ esset, C sic statim sanata est acsi numquàm fuisset infirma. *ex pectore,* Quidam nomine, Paulus, per annos quinque passus fuerat maximum dolorem in pectore cum grauissimis febribus: vt recōmissus fuit B. Franciscæ, & præfatus pannus positus supra pectus eius, infra vnius horæ spatium sanus de lecto surrexit, liberatus ab vtraque infirmitate. *ex vulnere capitis,* Alius quidam nomine Franciscus lethaliter vulneratus in capite, & desperatus à medicis eò quòd omnia signa mortis apparebant in eo; recōmissus B. Franciscæ per matrem, subitò sanatus est. Cùm Nardus quidam nomine, pateretur in crure dextero infirmitatem grauissimam cum maximâ inflaturâ, & costa similiter esset inflata vsque ad *q* inguinem, *ex crure & latere* in quâ erat quidam pestifer morbus ex quo sentiebat dolorem acerrimum, & crus nullo modo extendere poterat: recommisit se B. Franciscæ, & posuit præfatum pannum supra loca infirmitatis, quo facto, subitò extendit crus, & sanatus est. *ex toto corpore* Mulier quædam, nomine Palotia, patiebatur in toto corpore dolores tam intensissimos, quòd per sex menses numquàm de lecto surgere poterat: vt recommisit B. Franciscæ, & imposuit sibi particulam vestis ipsius, ita sana illicò de lecto surrexit, acsi numquàm fuisset passa aliquid mali. *oculis,* Quædam alia nomine Catharina, ex infirmitate nimiâ lumen oculorum amiserat: posuit in oculis parum vnguenti B. Franciscæ, & statim lumen recepit. *pectore,* Cùm quidam nomine Siluester

esset tam grauiter percussus in pectore & in capite, D quòd duobus diebus nec lumen videret nec cibum sumpserat; mox vt positus fuit super eum B. Franciscæ pannus, subitò aperuit oculos, & cibum petijt & comedit, & sanatus est. *AVCTORE IO. MATTIOTTI.*

43 *febri,* Mulier quædam nomine Cecchotella, infirma ex peste & febre, destituta à medicis, laborabat in extremis: recomissa à Matre B. Franciscæ, subitò conualuit, & citò sanata est. *crure,* Alia quædā Antonia nomine patiebatur tā grauem infirmitatem in vno crure cum dolore intensissimo, quòd quotidie, putabat se mori: vt recōmisit se B. Franciscæ, repentè sanata est. Quædam alia, nomine Iacobella, cùm grauissimè infirmaretur & vsque ad morté ex puncturâ, *puncturâ,* vt iam loquelâ amissâ spuere omnino nil posset; mox vt pannus B. Franciscæ positus fuit supra locum infirmitatis, subitò cœpit loqui & spuere, & citò sana effecta est. Cùm quidam nomine Iulianus pateretur in calcaneo quamdam infirmitatem, quæ *r* speronalia dicitur, *speronaliâ,* & à medicis curari non posset, vt posita fuit particula vestis B. Franciscæ supra locum infirmitatis, subitò sanatus est. Bartholomæus quidam nomine, patiebatur tam intensissimos dolores corporis cum assiduo vomitu, *vomitu,* quòd erat iam proximus morti: vt recommisit se B. E Franciscæ, ita statim sanatus est, acsi nihil mali passus fuisset. *febri,* Alius, nomine Stephanus, cū pateretur grauissimas febres, & per decem dies de eius naribus sanguis incessanter exiret; impositus sibi fuit pannus B. Franciscæ, & subitò sanus factus est. Mulier quædam nomine Andreotia, *brachio,* cùm per annum passa fuisset dolorem maximum in brachio dextro, vt recommisit se B. Franciscæ, subitò sanata est. Alia mulier nomine Paulina, *scrofulis* patiebatur in gutture quamdam infirmitatem, quæ dicitur Scrofolæ, nec à medicis diu sibi medentibus curari poterat, recommissa à matre B. Franciscæ, subitò meliorari incepit & in paucis diebus sanata est.

44 *vermibus,* Quidam nomine Paulus Sabbas, infirmus ex febre & vermibus vsque ad mortem, cùm ageret in extremis, mater cum lacrymis recommisit eum B. Franciscæ; quo facto, illicò sanatus est. *hemiplexiâ.* Quædam mulier nomine Antonia, cùm ex infirmitate nimiâ perdidisset iam vnum latus, & per tres continuos dies nec manum nec pedem moueret; mox vt recommisit eam auia B. Franciscæ, statim sanata est. Alia quædam nomine Ludouica, diu passa fuerat tam grauem dolorem in vnâ spatulâ, quòd quotidiè putabat se mori: *item ægris ex spatulâ,* vt sibi poni fecit quadam nocte de pannis B. Franciscæ super spatulam, manè sanata de lecto surrexit. F Iacobella quædam nomine, cùm per multum tempus passa fuisset *genu,* intensissimum dolorem in genu sinistro, & adhibitis medicorum remedijs sanari non posset; vt pars vestis B. Franciscæ apposita fuit loco doloris, statim recessit dolor, & sanata est. *febri.* Quædam alia nomine Ioanna, cùm per maximum tempus teneretur grauissimâ febri, mox vt B. Franciscæ se recommisit, repentè sanata est. *vomitu sanguinis,* Alia mulier nomine Andreotia ita grauiter in spatulâ patiebatur, quod ex longo iam tempore non poterat de lecto surgere: vt recommisit se B. Franciscæ, absque morâ sanata de lecto surrexit. Alia quædam nomine Catharina multo tempore passa fuerat vomitum sanguinis, & cùm eidem diceretur à medicis, quòd ex eadem infirmitate repentinò esset moritura, recōmisit se B. Franciscæ, & portans secum de pannis ipsius, numquàm ampliùs talem sensit infirmitatem. *gutture,* Quidam nomine Iulianus ita grauiter patiebatur in gutture, quòd, loquelâ amissâ, erat iam proximus morti: sed cùm particula vestis B. Frācicæ posita esset supra guttur ipsius, illicò sanatus est.

45 *peste,* Mulier quædam nomine *s* Mabilia, cùm ex peste ac febri infirmaretur vsque ad mortem, nec curari posset remedio medicorum, recōmisit se B. Franciscæ, & mirabiliter sanata est. *febri,* Bartholomæus quidam nomine, infirmus ex febri, & cibum diebus pluribus nullum

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

A nullum sumens, totusque niger effectus; & quasi mortuus; vt Mater eum recōmisit B. Franciscæ, & posuit præfatum pannum supra eam, statim liberatus est. Alius nomine Gaspar, captus ab inimicis, & in compedibus ferreis ac cippo positus [sic quòd] nulla spes euadendi sibi aderat; cùm mortem quotidie suspectam haberet, recursum habuit ad B. Franciscam, eique se deuotè recommisit. Quæ in somnijs ei apparuit, & dixit: Noli dubitare, fili, quia die crastinâ egredieris hinc solutus & liber: & sic factum est; nam die sequenti post visionem præfatus Gaspar absque aliquâ læsione vel solutione pecuniæ inde miraculosè egressus est. Cùm quædam mulier, nomine Agnes, infirmaretur ad mortem ex febribus & guttâ, essetque nigrefacta ad modum carbonis, & laboraret in extremis; vt positus fuit supra pectus eius liber, in quo B. Francisca solita erat dicere Officium Beatissimæ Virginis, subitò liberata est.

captiuo libertas promittitur.

resurgit moribunda,

infans penè oppressus,

46 Quidam infans, Franciscus nomine, cùm esset penè oppressus de nocte à suâ nutrice, & quasi mortuus; recōmisit eum Mater B. Franciscæ, promittens celebrare diem ipsius, & præsentare filium ante eius sepulcrum cum habitu suo: quibus dictis subitò ita sanatus est, acsi numquàm fuisset aliquid mali pas-

B. sus. Alia mulier, nomine Mariola, cum diu passa fuisset tam grauem infirmitatem, quòd nec respirare [posset] nec ambulare, nec se induere vel exuere [veste suâ;] mox vt recommisit se B. Franciscæ, subitò sanata est. Quædam, alia Margarita nomine, [cùm] à quodā equo impetuosè currente percussa ac in terram proiecta iaceret velut mortua, sine voce & sine sensu; essetque nigrefacta ad instar fuliginis, reportata ad domum manibus aliorum tota rigida & insensibilis; post spatium temporis ad se reuersa, cùm sentiret dolorem intolerabilem, nec se posset de vno latere in aliud declinare, nec se mouere de loco; vt recōmisit se B. Franciscæ subitò vires recepit, & surrexit de lecto sana & incolumis. Alia nomine Stephana, infirma ad mortem ex febri & vermibus, recōmissa à matre B. Franciscæ, statim sana facta est. Quædam alia, nomine f Rensa, cùm pateretur intensissimum iliorum dolorem, mox vt se commendauit B. Franciscæ, illicò [cessauit] dolor & numquam eum ampliùs sensit. Alius nomine Sabbas cùm diu passus fuisset, & continuò pateretur grauissimas febres; vt recōmisit eum pater B. Franciscæ, absque morâ sanatus est, nec amplius passus.

toto corpore impotens,

lapsa ex equo,

febri detenta,

f dolens ex iliis,

grauiter febricitans,

47 Alia, nomine Angelocia, filia in Christo B. Franciscæ, cùm per quinq; dies passa esset & continuò pateretur intensissimas febres, cecidit sibi t gutta suprā linguā & brachiū, ex quo statim effecta [muta] est, & remāsit sibi brachium tortuolum & insensibile per nouē horas; & incessanter glutiuit certam rem liquidam ex capite descendentem, habens faciem terribiliter inflatam, & venas gutturis similiter: oculi verò eius erant inflammati ad instar ignis, nec poterat vel stillatum vel quidquam aliud sumere: cumque esset u diffidata à Medicis asserentibus, quòd nocte sequenti esset moritura, quædam eius Soror in Christo recōmisit eam B. Franciscæ, & ponens eius librum supra pectus infirmæ, sic ait: Si B. Francisca Sancta est, sicut nos credimus, sanet te Deus meritis eius. Quibus dictis, subitò infirma recepit loquelam, & dixit: imò Sancta est B. Francisca Mater nostra; & statim præfatum brachium reintegratum & sanatum est, vt prius fuerat; & petijt vt præfatum librum poneret super caput eius dicens: Credo firmiter, quòd sicut liberata sum ab infirmitatibus linguæ & brachij meritis B. Franciscæ, ita liberabor ab isto descensu capitis: & posito super eius caput præfato libro, subitò cessauit descensus ille, & euomuit totum id quod deglutiuerat, quod erat nigrum sicut carbones, & sic ex illo tunc in totum sanata est & liberata. Antonia quædam nomine, cùm tam grauiter infirmaretur ex febri & pestilentiâ quòd erat iam morti propinqua; cùm esset derelicta à medicis,

C

t catharro oppressa

u

sanatur tactu rerum S. Frāciscæ;

item moribunda.

D dicentibus quòd non viueret vsque in diem crastinum, recommisit se B. Franciscæ, & fecit imponi supra pectus suum quemdam pannum lineum, quo vtebatur B. Francisca dum viuebat: quo facto, subitò sanata est.

48 Quædam alia, nomine Ludouica, per duos annos passa fuerat & continuò patiebatur quamdam continuam & periculosam infirmitatem: namque per idem tempus numquam emittere poterat solitum mēstruum, vt moris est fœminarum: propter quòd venter eius inflatus erat ad modum hydropici, ita quòd vix ambulare poterat; & cùm à medicis multa sibi remedia adhibentibus adiuuari non posset, recursum habuit ad B. Franciscam, & fecit imponi præfatum librum super caput suum, rogans eam, vt per sua merita medelam sibi à Domino imploraret: quâ factâ prece, subitò sanata est, & semper postmodum tempore congruo habuit consuetum vsum, vt moris est. Cùm alia quædam, Hieronyma nomine, existens grauida septem mensibus, cecidisset de quadam pergulâ tam terribiliter, vt fœtus remoueretur de loco suo, & descenderet vsque ad vltima inferiora: mox vt commendauit se B. Franciscæ, & præfatum pannum posuit super corpus suum, subitò sensit quòd fœtus redijt ad locum suum, & adeò incolumis & illæsa remansit, acsi nullum passa fuisset discrimen. Alia nomine Paulina passa fuerat per mensem cum dimidio quamdam terribilem & periculosam infirmitatem: nam erat tota crustata, & plagis plena ad modum cuiusdam leprosi; & propter dolorem nimium numquam dormire poterat: cumque esset in periculo mortis, recōmisit eam mater B. Franciscæ, quo facto subitò meliorari incepit & dormire, & infra duos dies ita in totum ab omnibus plagis prædictis sanata est, vt nec signum aliquod earum in eius corpore remaneret. Quædam alia nomine Catharina cùm passa fuisset per tres menses & vltra grauissimas & continuas febres, mox vt mater recommisit eam B. Franciscæ, subitò reliquit eam febris, nec ampliùs passa est.

menstrui suppressi grauatur

prægnans periculosè lapsa,

E

leprosa,

febriens.

a *Videtur diminutiuum esse pro Nicolao.*

b *Id est, si primam syllabam restituas*, Bernardus *aut* Leonardus.

c *Aliàs* strumæ, *quas & Græci similis nominis à scrofâ ducti appellatione, χοιράδας appellant.*

d *Pro* Ottonello, Leonello, *vel alio simili.*

e *Est enim masculini generis* giglio *in Italicâ linguâ, vt alia pleraque in* um, *cum singularis terminatio* o, *latino* us *&* um *respondeat: pluralia neutra in* a *rara sint.*

f *12 Martij*

g *Meritò dubitamus an hic & infrà non sit legendum* laneum *quòd eumdem pannum vocet* sottanam, *quâ voce vestis talaris quidem, sed instar penulæ magis adstricta corpori significatur: respectu cuius togam laxiorem, supra illam gestandam,* sopranam *audiui nominari; à præpositionibus* sotto *subtus, &* sopra *supra. Adde quòd lineis non vteretur Sancta, nisi pro velo è capite ad pedes defluente.* Sottana & soprana.

F

h *Ita vocamus, inquiunt Academici præfati, sorbitiunculam ad ægrorum sustentationem confectam ex carne caponis & pane, vtrisque esculentis diu decoctis, ac deinde colatis: nam* stillare *est Italis, quod* colare *Latinis.* stillatum.

i *Diminutiuum esse videtur è* brucho: *ita vt littera* s *vel abundet transcribentis vitio, vel euphoniæ dumtaxat causâ adiiciatur.* brusciolus

k *Infra lib. 3 num. 9* logium, *vbi plura de eo.* logia.

l *Ectypum nostrum sic habebat:* confregit vnguis aut os vt integrum in eo esset corpore eius: *quæ per coniecturam mutauimus saniorem in sensum.*

m *Id est, humerus siue armus; ab osse formam spathæ seu ligonis referente: quæ vox deinde in duas contracta syllabas cum aliquâ litterarum mutatione,* espalda *Hispanis, Italis* spalle, *Francis* espaule *fecit.* spatulæ.

n *Verbot vt sincerum hoc nomen sit.*

o *Est dolor pectoris, index malignæ febris.*

p *Barbaries hæc ab eo est quod Italis* anguinaia *fœmininum sit:* costa *porrò Italis sumitur pro toto latere.*

q *Id est* calcaria: *nam calcar* sprone *& extensius* sperone *Italis est, Francis* esperon: *à Teutonico* sporen. speronalia.

r *Fortasse pro* Amabili *vsurpatum nomen.*

s *Id est* Laurentia, *vt alibi monuimus in* Renzo.

t *Passim Græcâ voce* catarrhum *dicimus, Latinâ* distillationem *aliqui, quod huc accedit.* gutta.

Id

A a *Id est, extra fiduciam conualescendi posita, iuxta vim Italicæ vocis. Apud scriptores Francos longè aliter idem verbum accipitur: nam quod eis in suâ vernaculâ respondebat verbum, præter diffidere significabat etiam prouocare: & vtrumque adhuc Francis significat deffier.* diffidare.

LIBER II.

De Visionibus S. Franciscæ.

VISIO PRIMA.

1 Nter ceteras Domini gratias, huic suæ famulæ B. Franciscæ in præsenti vitâ exhibitas hæc fuit singularissima, quòd de paucis, credo, lector; te legere Sanctis. Nam sibi datus fuit vnus Angelus, qui (vt ipsa Dei famula asserebat) erat de secundo choro SS. Archangelorum, non ille domesticus, qui datur omnibus in custodiam. Iste verò Archangelus erat sibi ita domesticus, quòd die noctuque semper ei assistebat in figurâ humanâ, scilicet vnius pueri nouem annorum, indutus tunicellâ albâ tamquàm nix *b* cuius vultus erat sole splendidior, ita quòd ipsa Christi famula in eius vultum respicere non poterat: sed vultus sui claritatem plenissimè videbat. Duobus tamen temporibus famula Christi poterat faciliùs in vultu ipsius Archangeli respicere: vno scilicet, quando eius Pater spiritualis cum eâ loquebatur de illo Archangelo: tunc ipsa crines, & oculos ceteraque membra facillimè poterat intueri. Alio verò tempore cùm percussa esset à malignis spiritibus, ad sui confortationem ipsum Archangelum intuebatur sine aliquâ difficultate: Et quod dictu mirabilius est, dum sic à malignis spiritibus percussa & dilaniata esset, & quasi morti propinqua, Archangelus vultu splendidissimo capillis radiantibus aderat, & maligni spiritus eius claritatem non ferentes, subitò confusi fugiebant. Tantus enim erat splendor dicti Archangeli, quòd noctis tempore omnia exercitia necessaria in domo, illius claritate sine aliquo lumine materiali, faciebat.

Fruitur cōtinuâ Archangeli assistentis præsentiâ

B

ab eo contra dæmones defenditur.

2 Et post multorum annorum curricula cùm primo anno suæ viduitatis, scilicet MCCCCXXXVI, in die *a*, de mense Martij, & relictis foris curis temporalibus, abundantioribus gratijs intus in mente se sentiret ornatam, gratias Deo Altissimo agens, sensit sibi datum alium Angelum propensioris gratiæ, scilicet quarti chori: & quantò excellentior erat secundus Angelus, tantò abundantiores in se gratias recepisse sensit ab Altissimo. Et inter cetera, cùm sponsa Christi percuteretur ab inimicis humani generis, secundus Angelus non cum aliquo signo capillorum, sed fortitudine & virilitate immensâ ipsos malignos spiritus fugabat confusos. Cùm autem ancilla Christi septem Horas dicebat dilectissimo sponso, videbat istum Angelum, & desuper caput ipsius quasi columnam mirabilis splendoris vsque ad cælum ascendentem. Videbat etiam continuò in manibus dicti Angeli tres ramusculos aureos, factos ad modum ramusculorum palmarum, qui sunt in summitate vbi nascuntur dactyli: habebat etiam certas matassas *b* filorum auri purissimi, ex quibus ipse Angelus faciebat globos filorum aureorum, à quorum factione non cessauit vsque ad annum MCCCCXXXVIII, in die Assumptionis Beatæ Virginis, & tum prædixit se velle ordiri telas, primam centum ligaminum, secundam sexaginta *c* ligaminum, & aliam tertiam triginta ligaminum. Habebat namque hæc Dei famula mentem à terrenis curis adeò alienam, & diuinis contemplationibus semper ereptam, quòd non solùm cùm sacratissimum Corporis Christi Sacramentum recipiebat, semper rapiebatur in extasim, verùm etiam quando camerulam suam intrabat, ita illius animus agibilium *d* domus obliuiscebatur, acsi nihilum ad eam pertineret. Nec mirum; mens etenim eius adeò intentissimè & corde tam puro rebus diuinis inhærebat, quòd siue in extasi siue in suo naturali sensu esset, temporalia remouendo soli Deo placere intendebat: & si quando ab alijs, puta à domesticis, in illâ eleuatione videretur; erat sibi quoddam martyrium desideranti potiùs esse quàm videri perfecta: & verecundabatur, imò, vt ita dicam, confundebatur in mente, si quando filiæ suæ spirituales vel eius Pater spiritualis aliquo modo sentirent suæ mentis eleuationem: adeò desiderabat secreta sui cordis, gratiasque sibi collatas soli Deo non hominibus reuelari.

a

alius præterea Angelus ex 4 choro ei datur,

C

quem fila aurea globitantem conspicit.

c

Collectio super interiùs animo

d

D

AVCTORE IO. MATTIOTTI. Solitudinem & secreta amat.

3 Quodam semel ipsi existenti in oratione & sanctâ meditatione, viginti sex Spiritus maligni affuerunt terribiles & horribiles, eidem insultando ostendentes ignem, quem portabant, atque dicentes: Hæc est ira Dei, quæ mittitur super Vrbem Romam, suis iniquitatibus id operantibus duo ex nobis super quālibet *e* regionem sunt executores ad vrbem suffocandam & destruendam: ex quo maxima angustia animum ipsius B. Franciscæ subintrauit, tum ex horribili ipsorum visione tum etiam ex Vrbis destructione, quã ostendebant in proximo ruituram. Tandem oratione perfectâ; se voluntati commisit Diuinæ: volentes verò dæmones illudere, ostenderunt sibi in aëre figuram quamdam ad modum figuræ Saluatoris: quam fallaciam diuino munere ipsa Beata cognoscens, subitò prædicta figura in terram cecidit ad modum fulguris. Post hæc, diuinâ fauente gratiâ, vt suam ancillam consolaretur sponsus, ostendit sibi in aëre non fallacem, sed veram Dei genitricis imaginem, coronatam, filium in brachijs tenentem, Beato Ioanne Baptistâ ex vnâ parte, & gloriosissimis terræ Principibus Petro & Paulo ex aliâ, genubus flexis vtrisque, atque supplicantibus pro Almæ Vrbis liberatione: & tunc audiuit B. Francisca vocem suauissimam sibi dicentem: Excelsus ac misericors Dominus, pijs istorum Sanctorum supplicationibus inclinatus, reuocauit sententiam contra Vrbem datam; sed nisi emendauerint se, maiori pœnæ subiacebunt. Illis verò diebus tres de cælo ceciderunt *f* sagittæ: prima super Campanile Sancti Pauli, secunda super Campanile Sancti Petri, & tertia super capellâ Domini in S. Ioanne de Laterano: & hoc accidit anno Domini MCCCCXXX de mense Iulij. *g* Laus sit Deo.

e

conspectis dæmonibus in Vrbis excidium missis

E

intelligit dilatã sententiæ executionem.

f

g

a 21 *Martij festo S. Benedicti, vt infrà Visione 66, vbi hæc eadem iterum & nonnihil distinctiùs narrantur quoad primam partem. pars altera continetur Visione 69.*

b *Ita appellant Itali filamenta in spiram grandiorem collecta, ex rhombo super pannum textorium glomeranda in tramam; adminiculo radij per stamina traiicien lam: tales autem fili super pannum in tramam conuolu ti glomos auctor hic globos dicit.* matassa.

c *Apographum nostrum pro* LX *habebat* XL, *sed veram lectionem suggerit Anguillaria: qua addit, licet non fuerit Sanctæ reuelatum quid ea visio significaret, apparere tamen triplicem vitæ statum designari, virginalis, coniugalis & vidualis: iuxta Euangelium de fructu centesimo, sexagesimo ac trigesimo, à Sanctis Patribus tribus illis statibus accommodari solitum: iidem numeri collecti propemodùm æquant numerum dierum, qui Sanctæ in hac mortali vitâ quatuor duntaxat supra ducentos restabant.*

F

d *Italicè le faccende della casa, id est, negotia domestica, quasi dicas, facienda.*

e *Vrbs enim Romana in tredecim Regiones diuiditur: quibus aliqui decimam quartam adiungunt, Burgum S. Petri; quæ & ciuitas Leonina, propterea quod eam Leo magnus in illam vrbi adiunxerit: sed reuerâ ordinarius ipsi, eos qui in Burgo habitabant, dicentes se Romam ire, vel Româ venire, cùm Burgo egrederentur vel domum regrederentur.*

f *Fulmina sic vocant Itali*

g *Hæc clausula singulis subiuncta visionibus, deinceps hic omittetur.*

VISIO II

4 ALio verò tempore, die Veneris sancto, dum B. Francisca iret ad ecclesiā sanctæ Crucis, vt ibidem audiret verbum diuinum, licet sibi fuisset difficile itinerare propter ieiunium & assiduam pœnitentiam

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

A & memoriam acerbissimæ passionis Iesu Christi; tamen sedit in campo ante ecclesiam ad audiendum Verbum Dei; cum quadam suâ filiâ spirituali, nomine Ritâ; & compuncta verbis de Passione Christi dictis, fuit rapta in extasim per id tempus, quo Dei verbum prædicabatur: quo etiam finito, remansit tamen in extasi in prædicto campo: quod postquàm ad notitiam sui Patris spiritualis venit, eam interrogauit per obedientiam de visione. Ipsa verò humiliter cum timore per obedientiam eidem reuelauit, se vidisse in formâ humanâ Saluatorem cum omnibus plagis, flagellis & pœnis: & de puncturis spinarum & plagis exibat pretiosissimus & clarissimus liquor. Vidit item cælos apertos, ex quibus quædam catena ardentissima & inflammatissima descendebat; quæ quidem catena, vt sibi reuelatum fuit, erat caritas & amor, quibus Saluator humanam dilexit naturam: & quædam lux inexcogitabilis splendidissima ex illâ procedebat catenâ, qui cùm veniret per vnum conductum, omnes venas & membra humanitatis Christi replebat & solabatur. Quando autem ipsa suo Patri spirituali visionem recitabat, tota erat inflammata, adeò quòd non poterat exprimere verbis quod viderat. Fuit autem hæc visio anno Domini MCCCCXXXI. de mense a Martij. B

Concionem de Passione audiens

videt Christum plagatum,

eiusque caritatem sub specie catenæ.

a Die 29. cùm Pascha tunc fuerit 1 Aprilis.

VISIO III

Videt fontem

5 QVadam die postquàm Dei ancilla recepit sanctissimum Corpus Christi in capellâ S. Angeli, sitâ in Sanctâ Mariâ in Transtyberim, ferè per horam cum dimidiâ stetit in extasi: & cùm redisset ad naturales sensus, requisita à suo Patre spirituali per obedientiam, cum tremore humiliter respondit: quòd post receptionem Sacramenti remanserat læta satis, & fuit ducta in spiritu in campum magnum & pulcherrimum, plenum nobilissimis & pulcherrimis herbis: in cuius medio fons erat pulcherrimus, rotundus, similis alabastro, habens in circuitu aliquos gradus: de cælo verò descendebat super illud alabastrum abundantia aquæ suauissimè venientis, & vbicumque dicta aqua cadebat, dabat maximam claritatem: quæ quidem cadens stillabat multipliciter per totum campum, ex cuius stillaturâ herbæ producebant pulcherrimos flores. Septem verò humanæ personæ approximabant se, vt biberent de illâ aquâ, ipsa verò anxia expectabat, vt biberet etiam de illâ aquâ; vnde vnum ex illis stillicidijs ad ipsam venit: ex quâ ita a satia & consolata remansit vt difficilè esset ad credendum. Effecta verò C fonti proximior vidit in alabastro has litteras sculptas: Pius Dominus ad te diligentem animam amore trahit; & in extasi existentem, cùm ipsâ vellet ibi esse tum facit ipsam abesse inuitam & resistentem. Lectis verò prædictis litteris adhuc existens in extasi, Patre suo spirituali & filiâ suâ spirituali Ritâ, de quâ dictum est superiùs, ipsam audientibus & videntibus, dicebat. Precor te, dulcissime Domine mi, qui es abundantia amoris, quòd sit etiam voluntas tua, dare animæ volenti, & non facias me angustiari, quia satis sto anxia. Fuit autem prædicta visio eodem anno de mense Aprilis.

aquâ cælitus labente plenum,

à cuius potu arcetur.

a Satio, Satia *Italis est*, Satur *ac* Satura.

VISIO IV

Quæritur separari se à Deo,

6 QVodam alio tempore post sanctissimi Sacramenti receptionem in prædictâ capellâ existens B. Francisca, spatio vnius horæ vel quasi, spiritu ad cælum rapto, corpore remanente immobili propter extasim, ita quòd nihil aliud in eâ mouebatur, præter palpebrarum raram motionem. Redijt tamen ad corporis motionem, licèt in extasi posita, loquendo hæc verba: O feruentissime amor, noli mihi esse proditor, nec me permittas à te recedere: ne dimittas me in ipsis doloribus. Ego nollem amplius stare, amor pijssime: noli me dimittere amplius habitare in istis tenebris, D nam in eisdem stare amplius non possum. Saltem dic mihi quamobrem me facis à te separari. Quæ quidem verba suus Pater spiritualis, & quædam eius domestica filia in Christo, nomine Rita, plenissimè audiebat; ipsique iam reuersæ in suo naturali sensu prædictus Pater suus spiritualis dixit, quòd declararet sibi visionem. Ad quod respondit, se fuisse ductam in spiritu ad vnam maximam & lucidissimam columnam, existentem super vnum altissimum montem: cuius columnæ summitas cælos, vt sibi apparebat, apertos tangebat: ex cuius etiam summitate ingens & ardentissimus ignis exibat, per quem ipsa subtiliter intelligendo, Diuinum interpretabatur amorem, qui de columnâ egrediens in plures diuidebatur partes: quarum vna cælum intrabat, altera verò per prædictum montem diffundebatur magno cum splendore; alia verò par diuidebatur super populi congregati multitudinem. Existens verò ipsa super basim illius columnæ, prædictum populum in quatuor vidit diuisum partibus: & vidit illum ignem approximantem se vni parti illius populi, sed non acceptabatur; quæ quidem pars populi non acceptantis satis magna erat, & remanebat tenebrosa & sordida: super secundam partem ignis prædictus descendens E non appretiabatur, scilicet, erat illa pars faciebus retrò conuersis: super tertiam partem populi ignis ille descendit, scilicet homines illius partis frigidi, pigri, & ad recipiendum eum tepidi erant: super quartam verò partem ignis descendens, iuxta suum modulum homines illius partis eum acceptabant & honorabant, scilicet tantæ populi multitudinis illa quarta pars erat modica & tenuissima. Patri verò suo interroganti, quanta poterat esse illa pars recipiens prædictum ignem, respondit, alijs partibus consideratis, erat quasi vnus ex centum. Et existens in basi prædictæ columnæ audiuit vocem de columnâ exeuntem atque dicentem; Ego sum amor, qui me diligentibus do amorem, & ipsum amorem firmo & firmum facio: amor animam suam capacem facit, ipsâ non sentiente. Anno & mense prædicto.

dum videt eius amorem, sub specie ignis

toto orbe diffusum,

acceptari à paucis;

VISIO V.

7 QVadam verò nocte Christi famulam, in quodam paruulo & despecto lecto in sanctâ meditatione & oratione, vt sui moris erat, existentem, ille generis humani malignus inimicus molestabat, vt eam à sancto proposito extraheret, quod facere, diuinâ fauente gratiâ, non poterat. Tunc quamdam a albissimam columbam super lecti pannum existentem vidit. Timens verò, ne diabolica esset illusio, prædictus Archangelus actum consuetum cum capite & crinibus fecit aureis ad sui declarationem. Tunc ibidem apparuit ingens atque clarissima lux, quam lucem illa columba intrauit; spiritus verò istius Christi famulæ raptus per ipsam lucem, columbam sequebatur, corpore in extasi remanente. Vidit etiam in altum ascendentem gloriosissimam cæli Reginam tribus coronatam coronis, plenamque atque circumdatam clarissimâ luce, & desuper in altiori gradu erat Diuina maiestas. Erat etiam ibi speculum splendidissimum, in quo litteræ hæ erant descriptæ: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: & in illo speculo gloriosissima Dei Genitrix tam intentè se respiciebat, quòd illi deuotissimæ animæ videbatur cæli Reginam introisse in illud speculum: & nil aliud erat, nisi laudes & gratiæ, quas cælorum Regina reddebat suo clementissimo filio propter beneficia atque gratias sibi concessas. Ex illâ etiam Diuinâ maiestate procedebant radij solaribus radijs longè clariores, ex quibus Dei genitrix erat circumdata & illuminata. Sed postquàm vidit, & intellexit radios ex Diuinâ maiestate procedentes, & suam genitricem vndique circumdantes & inflammantes, audiuit ipsam Reginam

F Ductu Spiritus sancti

videt V. M. agentem gratias de sua cũ Deo vnione.

Reginam suauissimâ melodiâ dicentem: Altissime atque omnipotentissime Domine, qui omnia creasti, mentem meam à me ablatam totam in te posuisti[a], & ideò in hoc speculo absorpta me respicio: totam me viuificasti, & firmam in omnibus constituisti: mentem meam illuminasti tui amore, qui semper me tenuit, & defensauit. Quibus dictis [b] voluit se cæli Regina ad B. Franciscam dicens: O anima paupercula, es ita modicæ conditionis, quòd non possis substinere ista magnú ignem amoris. Tu es debilis ex naturâ, quia modicùm hic es permansura. Amor te fecit puram, dum hic permanes. Et hoc quantum ad primam partem illius scripturæ, scilicet vnus Deus.

8 Sexto verò die post prædictam visionem Christi ancilla existens in suâ cellulâ, adhuc in extasi vidit cæli Reginam, & diuinam Maiestatem, vt suprà, ipsam Reginam respicientem in illo speculo, & dicentem: O Pater, & Fili dulcissime, qui fecisti me talem Imperatricem: ô Sapientia æterna, quæ me fecisti tam fortem & magnam radicem: tu fac me respicere in isto speculo, in quo sum, quod me totam velauit: Catholicam veritatem puram & rectam credere me fecisti, & tecum facis me semper esse amplexatam: semper sum te aspiciens, & gaudeo tuis infinitis & dulcissimis bonis. Et post hæc dixit illi Deo deuotæ anima: O anima, quæ semper stas in tuis aduisamentis [c] radix, quæ [f]rendo fructum Sapientiæ diuinæ; ita semper intende, vt possis ea manutenere, & caues ne sit aliquid, quod faciat te ab illis discedere: esto virilis & strenua, & caue, ne ab illo latere tibi veniat [d] mudantia, & quod illa non te ducat & violet virilem tuam ceruicem. Et hoc quantum ad secundam partem illius scripturæ, scilicet Vna fides.

9 Et post duas dies iterùm existens Dei famula in extasi in eius domo, vidit cælorum Reginam coram diuinâ Maiestate, vt superiùs dictum est, se in prædicto speculo respiciendo, & referendo gratias suo & Dei Filio dicebat: O altissime & veracissime Deus, qui ordinasti Sacramenta illis, qui habent amorem capacem ad [illegible] talia Sacramenta: virtutes principales sunt ornamenta illorum Sacramentorum. Ego respicio me in isto speculo, in quo video me sancto baptismate ornatam, & eodem Sacramento confirmatam, quod tu ordinasti ad purificanda peccata, vt essem obediens tuis sacris ordinationibus de renuntiatione satanæ & suorum operum: semper eum odio habui & omnia sua opera: & ideò me respicio in te, qui es summa lætitia: & volo semper gaudere de illis gratijs, quas mihi fecisti. Post hæc se voluens ad suam ancillam, dixit: O anima paupercula, sta semper custodita & obserua semper Deo tua promissa: & in illis rebus, quibus tuam offendisti conscientiam, caue ne iterùm incidas: & noli esse ingrata Deo, qui te creauit. Esto semper firma in eius amore, & semper cogita in eius amore, quantum pro te fecit, qui pro te in cruce mori dignatus est: in illâ cruce te respice, quæ in altum est subleuata, & in tertio cælo stat glorificata: vt se facere[t] à te amari ille, qui totum se tibi contulit. Et hæc dicta sunt iuxta illam tertiam partem litterarum, scilicet Vnum baptisma.

10 Post illam duorum dierum visionem superiùs narratam, primâ Dominicâ, quæ sequebatur, cùm venit ad sanctissimi Sacramenti perceptionem in capellâ iam sæpe dictâ (non ex sui præsumptione, quam vera humilitas totam possidebat; sed ex Patris spiritualis præcepto) corpore ipsius stante immobili per aliquod spatium & in extasi posito, vidit gloriosissimam Dei Genitricem, vt suprà dictum est, laudes & gratias Deo Patri referentem in hunc modum: Laudes & immortales gratias tibi habeo, diuina Maiestas, qui me præordinasti ante mundi constitutionem in pectore tuæ profundissimæ Sapientiæ, vt mater essem tui vnigeniti & coæqualis dilectissimi Filij. Consimilique modo tibi, Deo meo & dulcissimo Filio, laudes inexhaustas reddo: qui cùm esses infinita Dei Sapientia Deique Verbum & ipse Deus, dignatus es intra meos virginales [e] humanari artus, Excelsissime atque potentissime Deus, tuus dulcissimus amor & Sapientia prima, qui humanus factus est, suum tabernaculum ex me fieri voluit, & in tuo æterno conspectu, vt tuæ pietati placuit, voluisti, quòd inde carnem sumeret. O amor dulcissime, qui me fecisti in tuo consortio esse; tui vnigeniti Matrem, & Filiam, & tuam ancillam, & diuinæ voluntati vnitam! ô potentia! ô sapientia! ô amor feruentissime, [illegible] me fecisti tuâ benignissimâ gratiâ ad sic maxima & inexcogitabilia bona. Huiusmodi igitur laudibus sic finitis, cuicumque laudi correspondebant spiritus, ibidem existentes, tam Angelici quàm humani, Maiestati diuinæ laudes gratiasque referentes vocibus suauissimis.

11 In tanto verò gaudio ancillæ Christi existenti superuenit vox, ex speculo supradicto dicens: Amor sum dilucidus, qui mentem perlucido, & eam inspicio terrenis spoliatam, quòd se non reputet in cogitatu & in visu, sed semper videat se annihilatam, & plenè cogitet de sui vilitate. Mens illa, quæ mota est Diuino amore, nihil petat vel sentiat, nisi quod diuinæ placeat voluntati: cui penitùs se debet vnire, & in quâ se debet stabilire, dimissis & omnimodè [f] substinctis, sic [g] & non, hoc est, nolle & velle, ita quòd penitus se conformet Altissimæ diuinæ caritati, & se totam remittat in voluntate diuinâ: tùm plenè sentit de amore diuino, ardet, & inflammatur calore spirituali, & tunc transformatur in altissimâ caritate: & diuina pietas sibi ministrat spirituales cibos dulcissimi saporis, quos postquàm anima gustat, se duci & reduci permittit; facta obediens beneplacito diuino, cui se totam committit: & non solùm de rebus temporalibus, sed etiá in spiritualibus gratijs, siue sibi dentur siue auferantur; quod totum in diuinâ committit dispositione, benè quieta remanens de omnibus, quæ Deo placuerunt; & hæc anno prædicto.

a *Regraphum nostrum* altissimam columnam: *sed ex sequentibus iudicauimus mendum.*
b *Italicismus est pro* conuertit; *quia* voltar-si, *est se* conuertere.
c *Id est*, iudicijs raris *siue ex naturâ suâ parùm solidis: & videtur intelligere; iudicia practica natura corrupta, spiritui contraria.*
d Mudanza, *id est, mutatio.*
e Homo fieri.
f *Fortè* subtentis, *id est, suppressis.*
g *Sic* sio: *Ita & non.*

VISIO VI.

12 Aliâ vice, Dominici Corporis & Sanguinis Sacramento Patris spiritualis iussione recepto, ab istâ Domini deuotâ in supradictâ capellâ, ipsius corpore in extasi immobili remanente spatio vnius horæ, postquàm in suo naturali sensu deuenit, Patri spirituali eam interroganti de Visione sibi ostensâ, respondit; quòd eius spiritus in altum ductus, positus fuit in vno splendidissimo templo, in quo existens, de altissimo cælo descendit persona quædam lucidissima & candidissima, cuius nomen erat Tabernaculum ardens & accensum, quod per se sine ostio aperiebatur: in quod tabernaculum felix spiritus istius Deo deuotæ animæ ingressus est: in quo existens, cantum suauissimum audiuit, sensitque odorum ineffabilem fragrantiam, gaudium & lætitiam innumerabilem, quietem cum iubilo & cum immensâ satietate; tantaque rerum inerat suauitas, cuius humana mens non esset capax. In quo tabernaculo bacileum vnum erat, plenum [a] finissimis & pretiosissimis rebus, quæ quidem res colore rutilabant aureo. Auidus verò spiritus ille de tam pretiosissimis rebus aliquid accipere vel gustare, audacter & animosè volens, non potuit manibus quidquam

Marginalia: AVCTORE IO. MATTIOTTI. — *ibi, dono vnius fidei.* — *& baptismatis Christiani.* — *ac sui electione in Dei matrem.* — *Monetur Deo se totam committere.* — *In festo SS. Trinitatis inducta in Dei tabernaculum.*

quam capere. Tunc capite cum gustu in balneo misso, solam vnam guttam paruam recepit: cuius guttæ gustu ita fuit satiatus & refocillatus, quòd mens humana capere non posset.

Amoris Domini sapor.

13 Sic ille existens, audiuit vocem sibi dicentem: O felix anima, esto firma in fide: cogita continuè, quid amor pro te fecerit, & quem longo tempore passus est laborem. Mundus ipsum odio habuit & despexit, volentem Scripturas & prophetias de ipso propheticè loquentes adimplere. Confortare igitur, & esto firma in proposito: amor enim soluit pretium, vt te redimeret. Respice vlteriùs, qualiter se apposuit in loco alto & apto, vt te reciperet & secum teneret. Anima benedicta, benè prouide tibi, ne fures veniant, & te malignè prodant: esto firma in amore & ab eo recedere noli. Quibus verbis auditis porrò existens in extasi, Patre spirituali & suâ filiâ spirituali audientibus, dicebat: Amor noli me dimittere; quia cor meum præ amaritudine scinditur & dilaceratur: non permittas me perire; quia non possum plùs stare, ex quo mihi conuenit discedere. Mea vtique vilitas non potest me sine te nobilitare, tu potes me renouare iuxta tuum velle. O dulcissime amor & Domine, fac ex quo facere potes, da lumen cordi meo, & gratiæ plenitudinem, quâ stare volo per totum tuum beneplacitum. Ex recessu hinc dilaceratur meum cor, nec aliquid facere possum, nec meâ vilitate me firmare queo. Et loquebatur tam magnâ cum angustiâ, quòd Pater suus spiritualis dubitabat de mortis periculo. Cui in suis naturalibus sensibus reuersæ malignus spiritus transfiguratus in Angelum lucis apparuit: quem, vt infrà dicetur in tractatu de bellis spirituum malignorum, suâ firmitate & oratione fugauit. Anno, quo suprà, in festo *b* sanctissimæ Trinitatis.

& in ipsa sibi amoris considerationes

petit ab eo nunquam dimitti.

B

a Superlatiuum à fino, quod hîc significat excellentissimum, & primæ notæ: sic finum aurum, finæ perlæ seu gemmæ dicuntur.

Finissimus.

b Die 21 Maij.

VISIO VII.

14 HÆc Christi famula more solito sacris meditationibus & orationibus dedita in suâ camerâ, fuit rapta in extasim, & inde paullò pòst ad suam naturalem cognitionem venit, & calore æstiuo, vt moris est, ipsam angustiante, aperuit quamdam fenestrellam. Videns verò radiantibus stellis cælū claritate fulgidū, contemplabatur diuinam potentiam factricem, & creatricem tam mirabilis ornamenti: & sic in suis naturalibus sensibus permanens, audiuit subitò in aëre exortam terribilem tempestatem, & respiciens, vidit magnum & terribilem draconem nigrum, ore aperto maximum ignem euomentem, per aërem cursu velocissimo volantem, & versùs Latium impetu maximo currentem: in cuius recessu viâ, quam gradiebatur, maximam dimittebat tempestatem. Existenti verò Christi ancillæ ob tam terribilem Visionem anxiæ & stupefactæ, gloriosus Archangelus eius custos actum suauissimum ostendit, ne de Visione dubitaret. Vidit insuper vtriusque sexus maximam turbam draconem sequentem; quidam verò malignus spiritus ipsi Dei famulæ dixit: Turba hæc, quam vides, draconem sequens, mea exequitur dicta; namque meâ suggestione consentit meæ voluntati. Fuit autem sibi demonstratum, quòd per illum draconem intelligebatur quidam *a* Capitaneus, qui à Papâ recedens, non modicam turbationem & molestiam, non sine magno damno terræ, attulit Ecclesiæ: quod paruo interiecto tempore clariùs & euidentiùs patuit manifestè. Anno prædicto MCCCCXXXI, de mense Iulij.

Cælos contemplans videt draconem,

C

intelligit cuiusdam Ducis defectionem à Papâ.

a Nicolaus Forti-braccius Perusinus, qui anno 1433 (vt vult Baronius) ad Mediolanensis Ducis partes transijt, offensus Pontifici ob negata, quæ petebat, stipendia; veterâ quia vrgebatur, vt acceptâ pecuniâ restitueret Vetrallam aliaq; oppida, quæ Pontificio nomine receperat & sibi vsurpabat: eam defectionem secuta est maxima trepidatio, sic vt ægrè Papa mutato habitu per cymbam, nec sine vulneribus, euadere, seq; ad Florentinos conferre potuerit. Vide Platinam aliosq;.

Nicolaus Forti-braccius.

D

VISIO VIII.

15 POst receptionem diuini & sanctissimi Sacramenti in prædictâ capellâ, spiritus huius ancillæ Christi fuit raptus in extasim, corpore remanente immobili spatio vnius horæ, & postquàm ad suum sensum naturalem reducta est, Patri spirituali ipsam per obedientiam interroganti de visione, retulit: quòd eius spiritus ductus fuerat in vnam magnam lucem, & ex illâ in aliam maiorem, in quâ vidit tabernaculum pulcherrimum, propè quod scabella tria erant: supra quod tabernaculum erat quidam Agnus incomparabiliter candidissimus, tres verò agnorum candidissimorū acies coram eo venientes, & lætitiam indicibilem facientes, choreas ducendo corā prædicto Agno. Cùm autem eum transirent, humilem & gratam sibi exhibebant reuerentiam, & sic transeundo vnaquæque acies suum recepit scabellum. Stetit verò ille spiritus in tanto gaudio per vnam horam, corpore semper existente immobili, ibique audiuit quamdam suauissimam vocem sibi dicentem: Ego sum (vox Agni) ille amor, qui priùs do odorem fructuum in hâc æternâ patriâ existentium: & postquàm anima sensit odorem, do sibi gustum & saporem: post quorum fructuum gustum & saporem, facio ipsam à curis terrenis alienari & feruentissimo amore meo ardere: quæ postquàm sic est alienata, semper quærit quicquid agere possit, vt inueniat illum, qui eam vrere fecit: cogitat se expoliare, & se facere vilipendi, & propriam denegare voluntatem: desiderat examinari, & examinationi stare: appetit martyria, & obedientiæ se submittere, vt se vnire possit illi, qui eam *a* philocaptam sibi fecit.

Videt Agnū Dei,

E

& audit quid operetur in anima.

16 Corpore verò istius beatæ reuerso in extasi mobili, Patri suo spirituali & dictâ Ritâ audientibus, protulit hæc verba: Tecum stare volo, nec hinc discedere propono: persona, quæ instatur, debet violenter eijci: id quod iam habeo, cur mecum quæreret? Nolo plus morari, ne mea pigritia mihi sit nociua: tecum volo permanere, & numquàm à te volo discedere: tu es factor mentium, & eis das tui capacitatem. Et sic nolens beata anima molem corpoream subintrare, reuersa in extasim immobilis audiuit vocem sic dicentem: Si quis sitit, veniat & bibat. Et Agnus ille candidissimus suum pectus voluebat ad illos agnos cū benigno & pretioso aspectu, innuens quod venirent ad bibendum in suo pectore, vnâ magnâ plagâ vulnerato. Agni verò vultu placido ad illud vulnus currebant ad bibendum: ad quod vulnus hæc etiam Dei deuota anima fuit ducta: in quo vulnere profundissimū pelagus lucis infinitæ conspexit, & non contenta solùm ad bibendum, sed tota intùs voluit ingredi, si sibi permissum fuisset: sed fuit detenta, à quo nesciuit; sed quantò perspiciùs intuebatur tantò magis profundum lucis pelagus videbat, & maiori cum attentione, & auiditate ingredi volebat. Quæ sic existens audiuit vocem dicentem: Ego sum ille amor, qui magnâ voce dico, Si quis sitit, veniat, & bibat: & venientes volo satiare, & aperui cor meum, vt eos recipere possim in hospitio. Et hæc visio fuit anno & mense, quibus suprà, XXII die dicti mensis, quæ fuit dies beatæ Mariæ Magdalenæ.

Petit secum manere:

F

inspicit in eius apertū latus:

17 Et quia hîc facimus mentionem de plagâ pectoris Agni immaculati filij Dei, non absurdum nec alienum à materiâ putauit suus Pater spiritualis *b* agere de intensissimo & feruentissimo dolore mentali & corporali, quem patiebatur ista Deo deuotissima, quotiès in mentem sibi veniebat crudelitas Dominicæ passionis, & memoriter retinebat, vt patebit inferiùs, omnes sui corporis & capitis plagas. Quoties verò aliquid in manibus tenebat pro aliquo exercitio, & memoria

Christi plagas meditans,

b

A moris esset plagatum Christi manuum, illicò quidquid ipsa Beata gerebat, ad terram cadebat ipsa inuitâ. Quando verò meditabatur pedum Christi pretiosissimas plagas, nec ambulare nec stare poterat super pedes: & similiter in omnibus membris, in quibus Christus plagatus fuerat, in eisdem ipsa sentiebat intensissimum dolorem. Sed intensiùs cùm de plagâ lateris cogitabat, intensiorem & maiorem in suo latere sentiebat dolorem: itaque continuò humor de suo latere exibat ex vnâ plagâ, quam semper coopertam tenebat pannis, quos sæpè sæpiùs mutabat non sine magnâ pœnâ. Quam plagam aliquæ de suis secretis filiabus, quas in Christo genuerat, semper videbant a quia necesse erat, vt eam iuuarent in necessitate. Prædictarū verò filiarum nomina sunt hæc: Agnes, quæ post ipsam Beatam rexit Collegium illarum pauperculárum; Rita, de quâ superius fecimus mentionem, & Vannotia, sua cognata. Cùm autem ipsa ancilla Christi in vulnere pectoris auidè biberet, (vt dictum est) Vidit cor Saluatoris ex vno latere lanceâ tactum. Quando verò coronam spineam Saluatoris nostri meditabatur, quasi in circulo sui capitis dolorem immensum patiebatur, & sic in verberibus & alijs plagis in sanctissimo Saluatoris corpore inflictis & illatis, ipsa Christi ancilla in B similibus sui corporis partibus inexcogitabili dolore cruciabatur. Dixit etiam hæc Dei famula, quòd postquàm pretiosissimum Saluatoris corpus de cruce depositum fuit, eiusdem corporis plagas Magdalena feruentissimè & diligentissimè numerauit. Plagæ verò, atque flagella totius eiusdem sanctissimi Corporis, numeratis puncturis capitis, fuerunt sex mille sexcentæ sexaginta sex ab eadem Magdalenâ diligentissimè numeratæ. Quæ omnia euidentiùs & clariùs in futuro iudicio apparebunt ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

in ijsdem ipsamet membris cruciatur:

vulnus gestat in latere.

S. M. Magdalena numerauit Christi plagas.

a *Frequentissima totis hisce visionibus vox, pro amante, ex Latino & Græco conflata, quam scholis eo sæculo vsitatam fuisse colligo ex Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis sermone de Spiritu S. coram Patribus Concilij Basileensis habito; vbi eam inuenies.*
b *Deerat hoc aut simile verbum.*

Philocaptus.

VISIO IX.

18 Qvadam aliâ vice Christi ancilla post sanctissimi Corporis Christi receptionem in sæpè dictâ capellâ, raptus fuit eius spiritus, corpore remanente in extasi immobili, in quamdam magnam lucem: ex quâ postmodum iuit in Campum magnum totum lucis plenum: sed postquàm reuersa est ad sua naturalia, Patri spirituali interroganti per obedientiam de visione, C sicut semper faciebat, respondit ita: quòd in Campo viso erant pulcherrima pascua, in quo quidē Campo Agnus incredibiliter candidissimus existebat. Erat ibi etiam vna creatura pretiosissima in iuuenili ætate constituta, & dalmaticâ induta, redolentium florum coronam tenens in capite: plures insuper humanæ creaturæ diuersorum colorum vestitæ indumentis a pretiosis & vernantibus rosis coronas in capite habentes, in illum venêre Campum: quibus omnibus quidam Angelus in dextris assistebat, similimus illi Angelo, qui continuè assistebat huic famulæ Christi, & omnes cum magnâ reuerentiâ coram prædicto Agno assistebant. Prædictus verò iuuenis dalmaticâ indutus, aliis omnibus consequentibus, b choream incœpit: sed cùm coram Agno transibant, humillimâ cum reuerentiâ has laudes decantabant: Gaudeamus omnes propter illud bonum nouum, quod nobis Iesus Rex vitæ æternæ, vult concedere. Amor nobis promisit, velle nos conducere ad se possidendum Regem cælestem.

19 Vidit etiam ex prædictis pascuis quasi procedere diuersorum colorum amœnissimos riuos: ita vt deuotissima anima simul cum prædictis personis humanis iuerit ad prædictos riuos. Prædictus verò iuuenis suauissimâ voce cantando, incredibili melodiâ dicebat:

Videt in prato Agnum,

& choream Sanctorum:

& cælestes riuos virtutum:

D Primus riuus rubeus caritatem denotat ardentem, quâ Christus Iesus totam communicauit gentem: quia sanguis ex eius fluens corpore pro totius gentis redemptione, datus est ex amore & caritate. Secundus verò riuus albus & candidus est, per quem pura innocentia denotatur: quæ quidem puritas innocentiæ leuior fit, cum ascendere vult in sanctum montem, vt summum bonum adoret. Tertius verò riuus viridis existens coloris; spes est plena amoris, quæ semper agens bonum, in Deo sperat, confidens in eius amore. Quartus pulcher riuus coloris cælestis, obedientia est, quæ animam adducit in rectam viam, & facit recipere vexillum ad omnem pœnā sustinendam, vt scilicet se faciliùs vniat ad voluntatem diuinam. Quintus riuus coloris b diamantini, virilis, & pura fides est, quæ coram summo Bono volat, & firmam tenet animam ne vnquàm discedere possit. Reducta verò in extasim mobilem, anxia, quia sentiebat, quòd ab illa c beatifica visione ipsam recedere oportebat, quasi malè contenta in hæc prorupit verba: Promissa mihi facta non sortiuntur effectum: credidi hic stare, & non possum permanere: ergo decepta sum; sed quia Deus nullo modo est deceptor, anxiam ex recessu me sentio: sed quid inde faciam, nescio. Postquàm verò de extasi venit ad sua naturalia, eidem malignus spiritus apparuit sibi dans E angustias & labores, à quo Dei virtute victoriosa remansit. Et hoc de anno prædicto & mense Augusti.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

quæritur si inde abstrahi.

a *Deerat hoc vel simile epitheton cum coniunctione.*
b *Id est,* adamantini: *nam* adamas *Italis, Hispanis, Francis,* diamante *est.*
c *Hanc vocem sæpius recurrentem, & in suâ naturali significatione acceptam, ne traduxeris ad strictiorem vsum, quem obtinet in scholis Theologicis: sic enim solis in patriâ beatis comprehensoribus conuenit, non viatoribus in extasi.*

Diamantinus.

VISIO X.

20 Alio quoque tempore, postquàm ista Deo deuota Sacramentum sacratissimi Corporis Christi sumpsit in sæpè dictâ capellâ, in extasi mobili existens & extra se rapta, lætitiam animi ostendendo cantare cœpit, & manus præ gaudio immenso more cantantis mouendo: porrò in extasi existendo verba angelicâ melodiâ proferebat, suo Patre spirituali & Ritâ, de quibus suprà dictum est, audientibus & videntibus. Sed postquàm ad sua naturalia reducta est, Patri spirituali eam per obedientiam interroganti de visione, respondit. Qualiter eius spiritus à quadam splendidâ luce ductus fuit in locum amœnissimum & splendidissimum satisque spatiosum, quò in loco tabernaculum vnum sphæricum erat, in quo etiam ta- F bernaculo infinitæ claritatis forma erat humana: ob cuius nimiā claritatem nullū eius membrum distingui poterat: nisi [quòd] tota illa humana infinitæ claritatis forma, vt dictū est, in vno quodā scabello, corā tabernaculo posito [erat] in quo litteris aureis hæc verba scripta erant, quæ dicuntur: Ego sum plenitudo claritatis splendentis: ego sum verus amor animæ mihi placentis, qui ipsam animam impleo: anima, quæ me sentit, ex omni aliâ re soluitur, & in me tota reducitur, & nescit à me discedere.

21 Post hæc coram prædictâ humanâ formâ in illo tabernaculo existente, tres beatorum spirituum acies magno cum iubilo atque lætitiâ adfuerunt: quorū prima acies hominum ad modum seniorum & candidissimorum, acies erat manibus tenentium variorum colorum, rosarum atque liliorum coronas, suauissimū referentes odorem: quas quidem coronas offerebant illius humanæ formæ Maiestati. Primus siquidem illorum indutus camelinis pellibus ad modum auri resplendentibus, erat egregiùs & Prophetarum summus Ioannes Baptista, manu trium colorum retinens vexillum more Capitanei, & cantando suauissimè dicebat: Anima felix, quæ te submittis in cælesti disciplinâ, quæ ipsam

Videt Christi splendidissimam humanitatem,

& tres Beatorum choros:

primi Dux S. Ioannes Bapt.

A ipsam possidere facit regnum cæleste, plenum ex illo diuino amore, qui numquam sibi deficit. Et omnes alij spiritus primæ aciei cantantes, respondebant: Hic est magna & indeficiens lætitia, quæ fugat omnem tristitiam de curis terrenis aduenientem: O speculum seraphici splendoris, quod nos transformare facis, & ardere igne substantiali amoris.

22 Post hanc primam aciem secunda pulcherrimorum spirituum, habentium signum rubeum in dextro latere veniebat: quorum vnus prouectâ ætate antiquior, vexillum triplicis coloris varij manu tenebat, & omnes magno cum iubilo, & inenarrabili lætitiâ cantantes, dicebant: O Anima, quæ possides talem possessionem, diligenter eam teneas & reddas sibi honorem: nam talis est Dominus, quod vult omnia videre, & tu reddes calculum rerum quas scis te possidere. Post istam secundam aciem tertia sequebatur spirituum candidissimorum naturæ fœmineæ, & vna pulcherrima atque candidissima Domina vexillum trium variorum colorum portabat; & erat illa, quæ feruentiùs & ardentiùs, matre exceptâ, Dominum diligebat, Maria scilicet Magdalena: & omnes magno cum gaudio assistebant coram prædictâ Maiestate, & illa ipsa vexillifera cantando hæc protulit verba: Gaudeamus omnes de bono nobis dato, Iesus Christus nos redemit, amore suo grato: humanitas est exaltata, vnita cum diuinâ Maiestate, id est, cum diuinitate: claritas Seraphica nobis & Angelis est data. Et omnes alij spiritus respondentes, dicebant: Nos omnes illustrauit, & amore inflammauit. Omnes læti laudes Deo reddamus Iesu nostro Redemptori, qui pro nobis voluit mori. Et hoc fuit anno & mense supradictis.

Auctoritatis Maiestatis. — *Secundi se[...]tor aliorum:* — *tertij S. Maria Magdal.*

VISIO XI.

23 QVodam tempore hæc Deo deuota dum Missâ feruenti deuotione, vt sui moris erat, in ecclesiâ sanctæ Cæciliæ audiret, rapta in extasim, vidit visionem, quæ sequitur: Videlicet, quod eius spiritus ductus fuit ab vnâ magnâ luce in aliam lucem maiorem, in quâ cælorum Regina, induta ad modum Imperatricis, de luce splendidissimâ triplicem radiantem coronam habens in capite, sedebat in pulcherrimâ statione. Visionem ipsa Christi ancilla Patri suo spirituali, eam per obedientiam interroganti, declarauit. Ipsa verò cælorum Regina in sinu, Dei & suum filium in infantili ætate, puta in ætate octo mensium supra modum pulcherrimum tenebat. Duo prætereà iuuenes candidis induti vestibus, & diuersorum florum coronas supra modum rutilantes portantes suis splendidis capitibus, extra illam prædictam stationem existebant. Stabat etiam prædicta Christi ancilla parùm inferiùs à dictâ statione remota. Rex verò cælestis in gremio matris existens, suauissimis aspectibus suam famulam respiciebat, vultu atque gestu vltra modum festiuo, signis & actibus attractiuis, & in eius amore incentiuis: quibus, etsi in eius amore semper intensissima erat, copiosiùs tamen tunc inflammabatur & incendebatur, tota anxia vt eum posset tangere. Volens autem Rex cælestis a solatiari cum suâ ancillâ, quadâ splendidissimâ luce se cooperiebat, itaq; ipsa licèt Reginam cæli eius matrem videret, ipsum videre nequibat. Modico verò interiecto spatio, luce illâ discedente, dilectum præclarè videbat & speculabatur: post cuius visionem, si vice primâ anxiabatur & auidè cupiebat suum amplecti Dominum, tunc ampliùs & perfectiùs atque auidiùs eum tenere & complecti desiderabat.

Videt Dei matrem in gloria, — *& filium eius amplecti desiderans.*

24 Ipse verò Dei Filius, vt eam magis accensam & auidiorem redderet, similem actum pluries atque pluries fecit: ipsa verò rogabat humiliter suam Genitricem, vt saltem eius filium spatio quantumlibet paruo sibi accomodaret. Existens verò sic, vt dictum est, auida, audiuit quamdam suauissimam vocem ex pedibus cælestis Reginæ procedentem, & suo spiritui dicentem: Amat te diligentem, qui priùs summè te dilexit. Amor de nouo veniens veterem pellit amorem. Amor, qui te diligit & tenet iam ligatam, te facit inflammari, & te fecit philocaptam. Amor, qui te diligit, te facit ordinatam in tuis dictis, & in factis modestam & honestam. Amor, qui te amat, te facit se perquirere: tu eum dimittis, & eum vis inuenire: intus habes quod petis, sed hoc non intelligis: Velles videre, scio, Verbum carnem factum, sed amor, qui te diligit, te facit transformari, & si eum non inuenis, credis infatuari. Amor, qui te amat, se facit viriliter perquiri, & te ipsum perquirentem fecit in altum ire, vt te faciat vniri cum ipso, qui te amauit. Prædicta verò Christi ancilla benè intellexit, quod sibi licentia dabatur. Videns verò se suo desiderio frustrari, filium vt ipsam permitteret in illâ beatificâ visione stare ardentissimè cupiebat: cui supradicti iuuenes, scilicet illi duo, hæc verba protulerunt: Anima, quæ es in vilitate, credis in altum ire? Ad te ipsam reuertere, quia non potes hic manere. Et hoc fuit de mense Septembris anno prædicto.

intelligit qualiter se amari.

a Id est ludendo se oblectare. — *Solatiari*

VISIO XII.

25 ALio a semel Christi famula existens in capellâ, scilicet Angeli, sitâ in ecclesiâ Sanctæ Mariæ in Trans-tyberi, post sanctissimi Sacramenti receptionem per vnam ferè horâ rapta fuit in extasim immobilem. Post hæc magno cum iubilo & hilari vultu immensam ostendebat lætitiam, remanens nihilominùs in extasi, ostendens actus & modos, quales ostendit mulier, quæ paruum infantem in brachijs tenet. Brachia verò eius strictissima ad pectus tenebat, hinc inde ea mouendo, ostendens se contentissimam, & rem in suis brachijs tentam esse pretiosissimam, continuis aspectibus sua brachia intuendo: & sic stetit ferè spatio mediæ horæ. Reuersa verò in suo naturali sensu, Patri spirituali, eam per obedientiam de visione interroganti, respondit, se vidisse Hostiam in magnâ quantitate, ad modum vnius maximæ quantitatis niuis candidissimæ: quâ re visâ, à quadam luce clarissimâ ductus fuit eius spiritus ad cælum crystallinum. Post hæc ductus fuit in aliam maiorem lucem, in quâ plures Angelici Spiritus existebant, quos ipsa visu impedito sic aspiciebat, sicut aspicere solemus sphæram solarem: omnes quidem splendidi, omnes perlucidi, licèt vnus altero lucidior appareret; & quantò Superiores, tantò lucidiores, & alijs inflammatiores. In quâ quidem luce cælestis erat Regina, filium Dei & sui in brachijs tenens, quantùm ad humanitatem paruulum, qui ferè in ætate octo mensium stabat. Ex circuitu verò cælestis Reginæ lux amplior procedebat luce prædictâ, in quâ spiritus Angelici erant: sed ex circuitu Regis cælestis maxima & inexcogitabilis lux apparebat, & ab illo Dei & cælestis Reginæ Filio lux illa admirabilis (Deitas scilicet, quæ se in carne ostendebat) intuitus plures & admirabiles in suam dilectam famulam concidebat, qui magnam lætitiam & inextimabile gaudium eidem Beatæ famulæ afferebant. Re autem sic se habente, ex altissimo cælo lux processit inextimabilis claritatis, quæ illum excellentissimum Dominum in paruâ, vt dictum est, ætate apparentem, in brachijs suæ dilectæ ancillæ posuit. Ob quam rem ipsa brachia stringebat, vt dictum est, magno cum iubilo illos actus modosq; tenendo, & in tantâ hilaritate posita dicebat:

Confessio ... — *narrat sibi à Dei matre,* — *Iesum inter brachia posuit.*

26 Gratias, & laudes tibi reddo, altissima Regina, quæ me non meis meritis, tanto dono fecisti dignam: non est liberalitas, donum auferre datum: permitte me possidere donum tibi & mihi gratum. O dulcis amor charitatis inflammatæ, quæso, si hoc est de tuâ immensâ pietate, à te numquàm volo recedere: ergo permitte

erat ne sibi auferatur.

A permitte me sic semper te tenere. Amoris dulcedinem quæ se mihi dedit, si tua, ô Domina, voluntas consentit, non volo dimittere: noli à me auferre gratiam datam, & ex toto corde diu desideratam. Et quoniam iam huc veni, & tu te mihi dedisti, noli quæso, vt pereat iubilus, quem fecisti; noli à me discedat gratia, quam fecisti, dulcis sine mensurâ amor, qui te humiliasti, & te huic seruulæ tuæ in brachijs dedisti, noli, quæso, vt pereat iubilus quem fecisti. Dulcissima Mater, noli à me auferre confortamentum, & totius meæ mentis dilucidum illustramen: & ex quo me recreasti, & mentem meam illustrasti, noli donum auferre, quod mihi semel donasti. Amor magni confortaminis, qui mortuos viuere facis; dulcis amor veritatis, qui das lumen obcæcatis, illumina me, si tibi placet, in viam rectæ veritatis. Mater suauissima quæso, ne à me discedat mea vita: nam mori volo potiùs, quàm à me discedat amor meus: mori volo tenendo eum, priusquàm reddam sponsum meum. Dulcis amor, & diuinæ Seraphicæ Hierarchiæ, date mihi, qnod diu viuam; dulcis Iesus ne peream. Virgo Mater; præter morem mens mea sentit timorem, ne sibi auferas suum amorem. Tu Mater benignitatis, ne mihi auferas donum supernæ caritatis, quod tantùm se humiliauit, quòd meis brachijs se

B donauit. O confortamen, quod in timore me stare facis & tremore, à te numquàm volo discedere, sed tecum vbique manere volo: priùs, quæso, mori me facias, quàm me à te discedere permittas.

27 Et hæc verba prædicta existens in extasi protulit, audientibus suo Patri spirituali & Ritâ suâ filiâ in Christo: & cùm adhuc hilaris & læta Dei filium in brachijs teneret, dignatus est ipse amor sibi loqui hæc verba dicendo: Ego sum Altitudo diuinæ potentiæ: creaui cælum, & terram, flumina & maria: omnia benè feci in meâ voluntate: omnes res sunt formatæ meâ prudentiâ. Ego sum profunditas & sapientia diuina ac infinita, Vnigenitus Dei sum cum humanitate vnitus: omnia creata per me in suo manent ordine, sicut per me existunt facta, inde excepto homine, qui se decipi permisit, & tùm scelus commisit. Ego sum altitudo, immensa rotunditas, amoris celsitudo, inæstimabilis caritas, & mea humilitas in obedientiâ fundata liberauit homines ab illo *b* reo scelere. Quibus verbis finitis, illa immensa lux, quæ Dei filium in brachijs posuerat suæ deuotæ ancillæ, ipsum recepit, & in altum duxit simul cum Matre & cum spiritibus angelicis. Illa

Christi ad Franciscam verba.

C verò lux, quæ Christum Saluatorem portabat, ex ipsomet Dei filio procedebat. Et hoc fuit anno & mense prædictis.

a *Id est* vnâ aliâ vice. *sic infrà visione* 15 quodam semel, & *visione* 21 quodam alio semel. *item visione* 57 *varijsq; sequentibus.*

b *Ita dicunt Itali* malum, *imò* pessimum.

VISIO XIII

28 ALio tempore Dei famula ex præcepto sui Patris spiritualis, cùm venisset ad recipiendum sanctissimum Corporis Christi Sacramentum, audiendo Missam ante prædictam capellam fuit rapta in extasim. Finitâ verò Missâ, etiam in extasi existens, intrauit prædictam capellam: & quando necesse fuit, vt à Patre spirituali corpus Dominicum sibi daretur, mirabile dictu! genibus flexis os aperuit, & corpus Dominicum recepit magnâ cum deuotione: quo recepto, illicò ore clauso, vt dictum est, remansit, licet sæpius hoc sibi accidisset. Facies verò eius tota inflammata, & vultus eius totus accensus videbatur, semper in extasi existendo: sed postquàm ad suum reddita est sensum naturalem, Patri suo spirituali eam per obedientiam interroganti de visione, humiliter respondit: quod ab vnâ candidâ luce eius spiritus ductus fuit in locum speciosissimum & præclarum, plenum infinitis thesauris. Erat etiam ibidem Saluatoris nostri forma huma-

Post Communionem

videt Christum inter celestes thesauros,

D na, sanctissimis plagis insignita, ex quibus mirabiles splendores exibant, tantâque claritas, quòd eius spiritus membra Saluatoris non poterat intueri: sed illa quidem claritas omnibus spiritibus ibidem existentibus, gaudium & inenarrabilem lætitiam exhibebat. Vidit etiam sanctissimam Dei genitricem in vno loco magnifico sedentem, modicû tamen inferiore sede Dei & sui filij, tribus coronis coronatam. Primâ quidem propter suam virginitatem: secundâ propter eius humilitatem: tertiâ eius gloriam declarante: ex istâ vltimâ duæ illæ primæ erant mirabiliter decoratæ. Stabat etiam illa cælorum Regina semper respiciens suum & Dei filium aspectibus inflammatiuis, quibus & eius mens interiùs & eius glorificatum corpus exteriùs totum inflammabatur in diuino amore, quem, sicut dicitur, aspectibus penetratiuis & amoris incentiuis respiciebat. Spiritus etiam tam angelici quàm humani propter gloriam Reginæ cælestis inenarrabili lætitiâ lætabantur.

Avctore Io. Matiotti.

eiusdem Matrem cum triplici coronâ.

29 Sed Dei ancilla, cùm tot thesauros circumquaque iacentes cerneret; & ad quem pertinerent scire desideraret, vna vox sibi respondit: Deus est thesaurus & gloria animarum, & animæ beatæ sunt thesauri Dei. Stans verò spiritus Christi famulæ, vox diuina ad

E eum locuta est in hunc modum: Ego sum amor perennis, qui ab omnibus rebus terrenis dilecti cor abstraho, & summa ex infimis meditari doceo. Facio ipsum delectari, post quod illum *a* in me sui speculo totum facio transformari: in profundâ caritate, postquam ardet amore cælestium, *b* totum iubeo inflammari, vt se permittat vniri cum meâ diuinâ voluntate. Ipsam semper contemplatur, eam complecti cupiens, & absorptus velut dormiens, potiùs mortem desiderabit, quàm à tali visu discedere. Hæc verò quæ dicta sunt, à diuinæ Maiestatis sede elapsa sunt. Post hæc cælestis Regina addidit: Anima, quæ *c* satagis nobis esse similis; in loco, vbi existis, non est persona mortalis; non benè cognoscitur bonum cùm possidetur, sed post suum recessum in memoriâ tenetur. Ex cuius recessu anima infatuata semper quærit, si posset quod dimisit rehabere: & si non potest obtinere, nimiùm angustiatur. Quibus auditis Christi famula adhuc in extasi existens, nutu diuino loquebatur, se commendans humiliter ex toto corde altissimo Creatori, & eius Matri, vt ab illâ visione beatificâ non recederet, Patre suo spirituali & Ritâ eius filiâ in Christo audientibus. Sup-

Amoris diuini efficacia.

renisus animæ in dimittendo bono castigandus.

F plicanti verò diuinæ Maiestati Christi famulæ, eius gloriosissimæ genitricis vox vna delapsa est, existenti in extasi immobili spatio quartæ partis vnius horæ, in hunc modum: Anima ignorans, ingrata & non cognoscens, quæ non vis discedere, & esse obediens; non vis esse contenta rebus tibi permissis, sed vis contradicere nobis & nostris dictis. Et hoc fuit anno & mense supradictis, die verò vltimâ dicti mensis.

a *Interponebatur* speculari.

b *Item* iam visum more: *quæ vt nihil hic significantia omisimus.*

c *Ecgraphum nostrum* satis.

VISIO XIV

30 POst receptionem sanctissimi Sacramenti Corporis Christi in sæpè dictâ ecclesiâ & capellâ, hæc Dei famula erat existens in extasi immobili vnius horæ spatio: postmodum verò reuersa est in extasim mobilem per magnum spatium. Sed postquàm in suis naturalibus sensibus reddita est, Patri suo spirituali ipsam interroganti per obedientiam de visione, humiliter respondit. Quamdam magnam lucem vidisse, ex quâ luce eius spiritus ductus fuit in cælum stellatum, ex illo in cælum crystallinum, ex quo ductus fuit in cælum empyreum, licet antè pluries in prædictos cælos ductus fuisset. Patri verò suo interroganti, quantùm vnum illorum cælorum distabat ab altero, respon-

In festo SS. Omnium ad tertium calû rapta

dit,

A dit, quòd cælum ſtellatum, quod intuitibus noſtris apparet azurrinum, eſt totum plenum claritate, & cryſtallinum meliori claritate illuſtrabatur. Cælum verò empyreum indicilibiter clariſſimũ erat ſuper alios cælos. Cælum ſtellis ornatum eſſe tantæ amplitudinis & magnitudinis, quantam mens humana meditari nequiret: Cryſtallinum autem maioris eſſe dimenſionis; ſed Empyreum maximâ & incredibili magnitudine & amplitudine conſtare. Et vt ad quæſtionem ſibi propoſitam per ſuum Patrem ſpiritualem, reſponderet, ſic inquit, quòd cælum Cryſtallinum magis diſtat à ſtellato, quàm ſtellatum à noſtris intuitibus: Empyreum verò magis diſtat à Cryſtallino, quàm Cryſtallinum à ſtellato. Interroganti etiam Patri ſpirituali de ſtellis, dixit quaſdam ſtellas eſſe maiores vniuerſa terrâ, & alias alijs maiorem a habere claritatem & licet nobis non ſic appareat, vnum ſidus ab alio diſtat non parum.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

narrat quæ ſit magnitudo & diſtantia cælorum:

31 Spiritus autem huius Chriſti ancillæ ſic ductus contemplando, vidit diuinæ maieſtatis excelſum thronum, & Ieſum Saluatorem noſtrum in ſuâ humanitate glorificatum, brachia ſuper pectus in modum Crucis tenentem, ex cuius plagis tantus exibat ſplendor, quantùm exprimere non poterat. Et licèt ex manuum & pedum plagis indicibilis exiret claritas, tamen ex illis manuum lux effuſa maior erat, ſed incomparabiliùs vulnus lateris lucidiorem reddebat ſplendorem. Omneſque illi radij de ſanctiſſimis plagis exeuntes, ſe infundentes per totam cæleſtem curiam omnibus glorioſis ſpiritibus tam angelicis quàm humanis iubilum, lætitiam, & gloriam & incredibile reddebant gaudium. In altero verò throno ſtabat Dei genitrix triplici coronâ coronata: & tres radij de Saluatoris plagis exeuntes, gaudium immenſum omnibus ſpiritibus afferebant, pleniùs tamen & indicibiliùs cæleſtem Reginam circumdabant & ſuâ claritate illuſtrabant: deinde aliquos ſpiritus videlicet magis & minùs, hoc eſt ſecundùm vniuſcuiuſque merita. Vidit inſuper, quod radij de ſanctiſſimi Saluatoris plagis exeuntes, non ſolùm beatificos ſpiritus irradiabant, ſed etiam creaturas in mortalibus corporibus exiſtentes, ſed magis & minùs, vt ſuprà. Et aliquæ illarum creaturarum irradiabantur, à radijs exeuntibus de pedibus Saluatoris, ſcilicet de plagis, & iſti ſunt illi, qui habent affectum circa Dominum Saluatorem: & illæ creaturæ, quæ irradiabantur à radijs exeuntibus à pretioſiſſimis plagis manuum, ſunt illi qui habent caritatem & amorem feruentem Domini Saluatoris. Illi verò, qui irradiabantur ex radijs exeuntibus de lateris plagâ, ſunt illi, qui Saluatorem diligunt totâ mente & puro corde. Inter quas perſonas aliquæ ab vnâ tantùm plagâ irradiabantur, aliquæ à duabus: alij verò à tribus, & aliquæ à quatuor. Sed qui ab omnibus quinque plagis irradiabantur, erant numero forſan quadraginta, videlicet, quòd vnus alio magis vel minùs merebatur. Vidit etiam, quòd piiſſimus Dominus Ieſus Chriſtus mittebat radios & ſuam gratiam etiam obſtinatis. Et quamquam ipſi miſeri ipſam nullius pretij æſtimarent, benignus tamen Dominus non ſubitò ab eis gratiam auferebat, ſed expectabat per certum tempus, ſi ipſi indurati ad recipiendam gratiam ſe pararent: ſed ex quo penitùs videbat ſuam gratiam non appretiari, penitus ab ipſis aures auferebat, eam dando gratiam ipſis, qui eamdem affectabant. Obſtinatos etiam Dominus Ieſus Chriſtus ante debitum tempus ex hac mortali vitâ exire faciebat, ne ampliùs peccarent: certis verò alijs perſonis tempus vitæ augmentabat, vt ampliùs mererentur.

videt ex Chriſti plagis multam lucem

B

in eius matrem, in ſanctos,

in homines mortales variè,

C

item in obſtinatos deriuari:

32 Quærenti verò Patri ſpirituali per Saluatoris obedientiam, quo in loco eius ſtaret ſpiritus, dum hanc beatificam viſionem cerneret, quia aliter facere non poterat, inuita reſpondit: quod ſuus ſpiritus in ſanctiſſimâ plagâ Saluatoris lateris erat contemplando, in quâ glorioſiſſimâ plagâ erat quaſi pelagus ſuauiſſimæ dulcedinis cum indicibili gaudio & ſummo bono: cuius quidem pelagi infima extremitas non adſpiciebatur, ſed erat tamquàm abyſſus: in quâ quantò ille beatus ſpiritus interiùs intraret, tantò maiorem cernebat profunditatem; & quantò plus guſtabat ex illâ dulcedine, tantò plus deſiderabat. Stans vtique ſpatio ſupradicto in tanto viſu & ſenſu beatifico, vnam ſuauiſſimam vocem audiuit ſic dicentem: Ego ſum amor fidelis, qui pono animam in veritate, & facio ipſam mundum habere exoſum, & ab omni genere deſpici: cupit in ſuo ſecreto, & in ſuis tribulationibus, & martyrijs reperiri. Et ſi continuè in hoc delectatur, ipſam facio ſurſum aſcendere, & in cælo empyreo quieſcere, & meas plagas continuò reſpicere: à quibus tantum ſplendoris procedit, quòd eam facit ardere per amorem. Et poſtquàm ſic eſt inflammata, ipſam facio transformari, & totam ſe remittit in corde & velle meo, in quo inuenit magnam caritatis & dulcedinis abyſſum, & in tali fonte profundo talis anima ſtat ſubmerſa, & ſemper ampliùs admiratur de rebus ſibi oſtenſis. Iſte fons eſt adeò dulcis, quòd anima, quæ ex eo guſtat, ſtatim fit nobilis: & quælibet anima inde poteſt bibere, quia per cuſtodem ſiue diſpenſatorem non ſtat, quòd animæ venientes inde bibant. Et dum ſic ſtaret iſta anima beata in extaſi mobili humiliter ſe Deo recommendabat dicens: O amor tranquille & dulciſſime, qui animas ducis ad regnum tuum, ex quo me ad illud duxiſti, quæſo me ne facias diſcedere. O pie amor & verax, qui animas ponis in loco tibi placibili, ſi poſtquàm te ſitiunt, facis eas redire atque recedere, & tunc benè intelligunt tui amoris dulcedinem, ex quo es perennis amor; quare permittis me mori, à te diſcedendo? Poſuiſti me in tuo pectore, & ſentiens tantum gaudium, dico: O magni effectus amor, ex quo tibi ſic placet, potiùs quæſo me mori facias, quàm ego à te diſcedam. Hæc omnia ſupradicta verba Pater ſuus ſpiritualis & Rita ſua in Chriſto filia pleniſſimè audierunt: & hoc fuit anno prædicto primâ die Nouembris.

fatetur ſe in Chriſti latere abyſſum dulcedinis inueniſſe.

D

E

deprecatur receſſum.

a *Deſunt ecgrapho noſtro duæ hæ voces, quas ex coniecturâ ſuppleuimus. num. 43 eſt,* regratior *& n. 50.*

VISIO XV

33 Beata Franciſca exiſtens in extaſi in ſæpè dictâ capellâ, recepit ſanctiſſimum Corporis Chriſti Sacramentum & remanſit porrò in extaſi. Sic verò ſtans & ſuauiter cantans, inuſitatos & nouos faciebat actus & modos & alia mirabilia ſigna, ex quibus tam Pater ſpiritualis, quàm eius in Chriſto filia Rita ſatis mirabantur: ſed poſtquàm ſuo ſenſui naturali reddita eſt, Patri ſuo ſpirituali eam more ſolito per obedientiam interroganti, reſpondit. Se vidiſſe glorioſam Virginem Mariam grauidam, & Ioſeph cũ boue & aſino in vno loco exiſtentem, & ex illo glorioſiſſimæ Virginis pretioſiſſimo corpore vidit hæc beata & intenſiſſima contẽplatrix immenſam prȯcedere lucem, quæ quidem cooperiebat, & circumdabat glorioſiſſimæ Virginis totum corpus, ipſâ quidem Virgine in contemplatione & oratione exiſtente. Et iſta Beata ſatis mirabatur de luce circa Virginem circumfuſâ & clementiſſimâ Virginis contemplatione: quæ ſic exiſtens nimiùm admirando, & continuò contemplando, vidit Ieſum Saluatorem paruum, vt decebat, in terrâ iacentem, & de vtero virginali, tamquàm de ſuo thalamo, procedentem, & in ſuo ſanctiſſimo pectore crucem vnam rubeam habentem: ſed qualiter, vel quomodò de illo pretioſiſſimo tabernaculo corporis Virginis exiuiſſet [ſcire] nequiuit. Quem ſcilicet Dei, & intemeratæ Virginis filium in terrâ, vt dictum eſt, iacentem genibus flexis adorauit, dicens: Magnifico & laudo Deum Patrem omnipotentem, qui me fecit dignam ſuum filium portare in meo ventre, me ſuſtinuit, & fecit capacem tenere te Dei & meum filium in meo

In feſto Natalis Domini

F

contemplatur Chriſtũ ex Virgine naſcentem.

A meo vtero Virginali. Vidit etiam Christi ancilla Ioseph genuflexum, & adorare paruulum. Stabat autem Ioseph admirans satis superque dum hæc videbat, non tamen diuinum mysterium plenè intelligebat. Gloriosæ tamen Virgini illi tunc reuelata fuerunt omnia diuina mysteria humanitatis sui filij, & omnia quæ Deus fecit; diuinis tamen secretis exceptis.

Angelorũ & hominũ de hoc mysterio gaudium:

38 Audiuit tunc etiam ista Dei famula spiritum cælestium inexcogitabilis melodiæ suauissimos cantus, & tantæ lætitiæ, quantæ aliàs numquam audiuerat. Nam sicut sibi reuelatum fuit in visione, tali tempore spirituum supernorum duplicantur cantus propter iubilum & gaudium. Audiuit etiam spiritus Angelicos infimæ Hierarchiæ laudantes & glorificantes Deum de tantâ gratiâ humanitati datâ: spiritus verò humani, qui erant in istâ Hierarchiâ tempore, quo ista deuota anima audiuit, *a* ringratiabant & laudes reddebant. Spiritus autem Angelique secundæ Hierarchiæ, & humani in ipsâ Hierarchia existentes, laudabant & benedicebant Deum propter tot & tantas gratias humanæ naturæ concessas. Audiuit etiam, dum sic in visione stabat, spiritus Angelicos Seraphicæ Hierarchiæ melodicè cantantes in suaui cantu, scilicet,
B Tu solus es Deus, tu solus Dominus, & tibi subiiciuntur Dominationes. Spiritus verò humani in eadem Hierarchiâ existentes, Deum laudantes dicebant: Tu es Saluator omnium, qui nos saluasti. Patri etiam suo spirituali per obedientiam interroganti, qui illorum spirituum maiorem ostendebant lætitiam, respondit: Humanos spiritus, vt sibi videbatur, magis gaudere propter Verbi incarnationẽ, eò quòd per Verbi incarnationem expectabant corporum glorificationem.

Matri filium, Deo Patri oblatum,

Quamobrem inexhaustas gratias reddebant [ei] qui humanam naturam tantùm magnificauit. Dixit etiam, quòd spiritus Angelici suauiùs cantabant quàm spiritus humani. Vidit insuper, quòd sanctissima Dei genitrix suis manibus eleuauit paruulum, Dei & suum filium de terrâ, & obtulit illum Deo Patri, dicens: O Pater omnipotens tuum tibi offero filium & Verbum incarnatum, tu illius curam gere: scilicet, quod sibi præcepisti, ipsum iuua, & sustine in his peragendis rebus, ad quas eum misisti agendas. Et his dictis posuit eum in præsepio, & duo animalia prædicta genuflexa Verbo incarnato magnam reuerentiam exhibebant.

35 Existens vtique Dei genitrix Virgo, respiciendo Dei & suum filium incarnatum, in ipsum velut in speculum spectabat: & volens illam delicatissimam
C humanitatem cooperire propter frigoris rigiditatem, pannos, quibus illum cooperiret, non habebat. Et volens recipere pannum, quo suum cooperiebat caput; beata Francisca nullo modo pati potuit, quòd illa Dei genitrix suum discooperiret caput, sed accepto panno, quem capite gerebat, igne amoris accensa & Dei & Virginis filium cooperuit: quem actum suus Pater spiritualis, & dicta Rita præsentes intuebantur, B. Franciscâ adhuc in extasi existente, & se humiliter recommendante cæli Reginæ, eidemque supplicante, quòd sibi vellet suum & Dei filium præstare vel accommodare, nam ipsum cooperire volebat. Vnde Dei genitrix videns feruidum amorem & affectum interiorem ipsius humilis ancillæ ad cooperiendum illum pretiosissimum thesaurum, eius inflammato desiderio consensit, sibi Dei & suum filium accommodando. Tunc Christi ancilla filio Virginis in brachijs recepto, indicibili imò incredibili cum lætitiâ ostendebat iubilum, totaque inflammata & amore illius liquefacta, pannum, quem more matronarum Romanarum portabat, super linteamen recepit, vt ex illo faceret lectum Verbo incarnato. Quod videns eius Pater spiritualis, de cassâ capellæ recepit gausape; & coram eâ posuit. Ipsa verò, *b* gausape recepto, aptauit super cassam ad modum parui lecti ita lætanter & aptè, sicut esset in suo sensu naturali; cùm tamen esset

cooperire volenti

suam operã offerens ipsum excipit brachijs,

b

in extasi: & cantauit suauiter nouos ac mirabiles mo- D
dos & cantus concinnos, iubilando inenarrabili lætitiâ: & ponendo Dei filium in brachijs contemplabatur suam diuinitatem humanitati vnitam.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

36 Et cælestis Regina Virgo & Mater filij Dei sibi declarauit, & demonstrauit significationem & declarationem omnium partium pretiosissimi corporis filij Dei humanati. Per sanctissimum & pretiosissimum caput Iesu Christi significabantur omnia ab eo facta & fienda, omnia per ipsum annihilata & quæ annihilabuntur: Per suam frontem denotabatur eius intellectus, tamquàm principium & lux omnium intellectuum. Per maxillas amor denotabatur & eius caritas, quam habuit & habet & habebit erga genus humanum. Per nares verò optimæ inspirationes denotabantur, quas continuè animabus ipsas recipere volentibus inspirat. Per aures denotatur humilitas petitionum, quas animæ faciunt iustorum. Per os denotatur dulcedo, & quòd ipse est factor omnium aromatum: & sicut aromata reddunt odorem, sic ipse pacem & consolationem dat animabus ipsas recipere volentibus. Per eius manus denotantur exercitia & bonæ operationes factæ & quæ fient in futuro: nam ab ipso procedit omne datum optimum. Per totum E
eius corpus denotatur, quòd ipse Iesus Saluator in totum se dat nobis omni horâ temporis ad perficiendum [nos] tamquam noster Saluator; & daturus est nobis vitam æternam, nisi à nobis, siue per nos deficiat. Per sanctissimos pedes denotatur eius erga nos affectus, nam ipse dat bonum affectum animabus ipsum recipere volentibus. Ipsa verò Beata tenendo Iesum in brachijs paruulum, partibus eius corporis, vt dictum est, consideratis, cælestem Reginam gaudens & contenta respiciebat, cui humiliter supplicabat, ne donum sibi præstitum ab eâ auferret, ipsam Dei genitricem semper intuendo.

& quid singula membra significent edocetur:

37 Tunc Dei filius volens ludere cum suâ ancillâ, quæ attentè eius Matrem respiciebat, ab eiusdem brachijs secessit & se occultauit. Quod videns Dei famula, dolens conquerebatur dicendo: Quia te inspexi, cælestis Regina, amisi meum summum gaudium, & alia verba his similia. Et dum sic cõquereretur, vidit filium in puris brachijs suæ Matris, à quo ipsi eius ancillæ vox talis processit: Ego sum amor virilis, qui reddo animam stabilitam: & quando ipsam video, eam exanimari facio; & quando ipsa me tenet, de me tota est philocapta, & totam se transformat in illam Ierusalem quæ sursum est, ad quam eam amor ducit. Ipsa autem F
anima sentit dulcedinem & lætitiam, quæ sibi numquàm deficit. O paupercula anima, quæ à Deo fuisti electa, & ducta ad videndum tantum festum & Verbum diuinum, Dei & Virginis filium, qui te nunc vult consolari. Statim tibi datur, sed postquàm tibi fuerit datus, scias ipsum benè tenere, ne vlteriùs à te amoueatur. Sibi etiam in extasi existenti Dominus reuersus est in suis brachijs: quem ipsa beata cariùs, strictiùs, & accuratius, quàm priùs, tenebat, ne ab eâ recederet. Quamobrem Reginam cælestem ampliùs non respiciebat, sed fixis oculis illud Verbum supernum semper intuebatur, sua brachia speculando, in quibus ipsum Dominum tenebat: &, si afflicta remansit, quando, vt dictum est, tantâ lætitiâ fuit priuata; tantò maiorem iubilum sensit & lætitiam, quando Dei filius ad sua brachia reuersus est, qui ei in iubilo & lætitiâ existenti sic dixit: Anima, quæ audax es effecta propter datum tibi donum, animosa sis in toto sine aliquo timore; si geris amorem Deo & suæ genitrici, ne obliuiscaris gratias tibi concessas, quæ sunt veræ, & profundæ: ideò nolles recedere: geris modum pueri, qui omnia, quæ videt, desiderat. Quibus dictis illud Verbum incarnatum ab eius visu recessit. Hic est animaduertendum, quòd tempore, quo Dominus suæ dilectæ ancillæ loquebatur, ipsa semper erat in extasi immobili

Dum Virginem aspicit amissum ex oculis,

magno cũ gaudio recipit.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

A immobili: sed quoties ipsi respondebat vel cantando animi lætitiam ostendebat, tunc erat in extasi mobili.

38 Hac verò vice reuersa ipsa Beata ad sua naturalia, Patri suo spirituali eam per obedientiam more solito interroganti, quomodò erat facta corona, quam cælestis Regina tenebat, respondit, quòd in vnâ eâdem coronâ erant tres coronæ, vna super aliam: per primam denotabatur humilitas Christi Matris, & hæc corona erat candidissima & ornata fulgentibus & albissimis rosis, cuius c ghirlanda inferior denotabat firmissimam Virginis fidem, & superior ghirlanda eiusdem coronæ denotabat eius puritatem: nam quælibet istarum coronarum habebat duas ghirlandas vnam superiùs & aliam inferiùs. Secunda verò corona denotabat eius virginitatem, & habebat ghirlandam inferiorem propter illius accensam caritatem, & alia ghirlanda superior denotabat eius prudentiam: habebat etiam hæc corona duodecim lilia aurea: in quorum quolibet erat quædam stella fulgentissima & quælibet stellarum emittebat radium maximi splendoris d [Ex primâ stellâ tres exibant radij] per quos sanctissima & indiuidua intelligebatur Trinitas. Ex secundæ stellæ

Triplex B. V. Corona: 1 humilitatis,

2 virginitatis habens stellas 12,

B radio quatuor exibant clarissimi splendores: Primus scilicet propter suam humilitatem, secundus propter suam virginitatem, tertius propter filialem timorem, quartus propter eius puritatem. Radius verò tertiæ stellæ septem ex se emittebat splendores, per quos septem spiritus sancti dona denotabantur, quæ in Reginâ cælesti fuere plenissimè. Ex radio quartæ stellæ exibant alij septem splendores propter septem sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramenta. Radius verò de quintâ procedens stellâ quatuor ex se emittebat splendores propter quatuor virtutes Cardinales. Ex radio stellæ sextæ tres procedebant splendores propter tres virtutes Theologicas. Ex radio verò septimæ stellæ duodecim exibant splendores, qui totum caput Matris Christi ornando decorabant, per quos duodecim articuli sanctissimæ fidei Catholicæ intelliguntur. Ex radio octauæ stellæ quinque procedebant splendores denotantes intensissimam pœnam, quam passa fuit cælestis Regina, cùm Dei & eius filium vidit in cruce immolatum, & quinque plagis plagatum. Nonæ verò stellæ radius septem emittebat splendores, denotantes septem opera misericordiæ. Ex decimæ stellæ radio decem exibant splendores, per quos decem legis præcepta denotantur. Radius verò vndecimæ stellæ vnum

C solummodo lucidissimum emittebat splendorem, per quem feruentissima caritas Saluatoris denotabatur. Ex duodecimæ stellæ radio quatuor emittebantur splendores, honestatem, verecundiam, pudicitiam & discretionem cælestis Reginæ [denotantes] quæ omnia in eiusdem vestimentis resplendebant. Ipsa verò Dei ancilla harum rerum significationes intelligebat, & comprehendebat ex diuinâ voluntate hoc sibi demonstrante. Tertia verò corona superior denotabat eius maximam gloriam, & eius ghirlanda inferior demonstrabat Virginis animositatem, superior verò eius iustitiam & misericordiam.

3 gloriæ:

39 Erat autem hæc triplex corona duodecim lapidibus pretiosissimis circumcirca ornata: quorum primus similis erat diamanti, per quem Virginis fortitudo demonstratur. Secundus verò carbunculo similis quo denotabatur suus feruentissimus erga Deū amor. Tertius verò lapis erat quasi Saphirus propter Virginis constantiam. Quartus verò lapis erat Smaragdus Virginis veram denotans obedientiam. Quintus verò lapis erat e Balascio vulgariter dictus, Virginis denotans magnificentiam. Sextus lapis erat similis beryllo, qui significabat Virginis tenacem memoriam. Septimus verò lapis erat Chalcedonius Sardonius, qui lapis est mystici coloris, & denotabat Virginis intellectum. Octauus lapis erat similis granatæ, & denotabat Virginis voluntatem. Nonus verò lapis erat similis f Corniolæ, qui denotabat Virginis virilitatem. Decimus

omnes 12 lapidibus pretiosis instructa.

D verò lapis erat similis g Turchinæ, qui significabat Virginis veritatem. Vndecimus verò lapis erat quasi Topazius, qui denotabat Virginis conseruationem. Duodecimus verò lapis h assimilabatur Saphiro significans Virginis veram sapientiam. Et horum lapidum significationem & declarationem Christi famula ab vnâ diuinâ voce sibi emissâ intellexit. Audiuit etiam sic in extasi existendo quasdam iucundissimas laudes, quas Seraphici spiritus Virgini Dei genitrici decantabant, in honorem prædictæ admirabilis coronæ sic dicentes: Tibi semper sit laus, ô gloriosa Domina, quæ tam pulcherrimas coronas tenes in capite de rosis albis, stellis quoque & lapidibus pretiosis, significantibus virtutes, quibus redimita es à Creatore: quia semper respexisti & respicis suum infinitum amorem, qui te confortauit semper & in se ipso confirmauit.

40 Existens Christi famula in hac beatificâ visione, videndo Verbum incarnatum ex Virgine nasci, illicò emanauit ex illo loco, vbi Saluator iacebat paruulus, fons vnus splendidissimus, æthereum emanans liquorem; non ad modum aquæ, nec alterius liquoris nobis noti. Regina verò cælestis suam ancillam monuit, vt suum pectus pannis coopertum discooperi-

Vulnus lateris B. Franciscæ à D. V. curatur.

E ret, quæ vt vera obediens pectus discooperuit; ignorans tamen quid facere vellet: & hunc actum suus Pater spiritualis cum prædictâ Ritâ admirantes intuebantur. Tunc cælestis Regina suæ famulæ compatiens, de prædicto liquore ab illo fonte emanante super ipsius pectoris posuit plagam. Tunc Christi ancilla læta effecta laudes Virgini Dei genitrici reddens, dicebat: Placuit tibi, Regina cælestis, me curare, vt potentior fiam in tui filij seruitijs. Quæ verba suus Pater spiritualis, & prædicta eius filia clarè audiuerunt. Sed postquàm suo sensui naturali reddita est, loquendo cum Patre & filia spiritualibus inuenit suam tunicam laceratam & scissam super pectus. Memor verò dicti & actus Virginis, manu impositâ super locum, vbi plaga fuit, se inuenit penitùs liberatam: quam plagam habuerat per maximi spatij tempus, & maximam afflictionem sibi dabat: & licèt quantùm poterat secretiùs & occultiùs sæpe dictam plagam occultaret, tamen suæ domesticæ filiæ, Agnes & Rita, quæ ipsam in necessitatibus adiuuabant, prædictam plagam pluries viderunt. Et hoc fuit anno Domini i MCCCCXXXII, in die Natiuitatis Domini.

F a *Id est,* gratias reddebant: *vt infra sæpius.*

b *Tapetium crassum ac villosum intellige.*

c *Id est, circulus: vox lombardica, composita ex* vviren *rotare circum voluere vel* vvil *rota &* rande, *limbus: quasi* vvir-rande *vel* vvil-rande; *sed conuersis liquidis vel altero* r *in* l *euphonia caussâ mutato &* vv *in* gu, *iuxta proprietatem Italicæ pronuntiationis, vel etiam in* gh. *Matthæo Parisiensi* Garlanda *scribitur, quòd ex iisdem radicibus integer circulus, siue omnino circumiens verteretur.* — guirlanda

d *Hæc librarij vitio omissa, necessariò fuisse reponenda patebit ex reliquo contextu.*

e *Academici Florentini, à Cruscâ cognominati, in suo Dictionario præfulgidam gemmam esse ostendunt,* di color bruschino, *vt inquiunt: sed quis Bruschinus color sit nusquam explicant; à* brusco, *tamen subtristem atque austerum seu minimè gratum significante, liceret hoc adiectiuū deriuare. Fortassis Lombardica vox est nomen* balascio, *à colore cinereo subflauo: Teutones* vâl-asche *dicerent.* — balascio *gemma*

f *Corni arboris fructus est, coloris rubei, qualis cerasorum: adeo vt etiam ab Italis syluestre cerasum nuncupetur.* — corniola *fructus*

g *Francis* Turquoise *nomen obtinuit à colore cyaneo, Turcis proprio, qui glasto dilutior, cæruleo verò siue azureo nostro obscurior est. Philibertus Monet, in suo Gallicæ ac Latinæ linguæ inuentario absolutissimo, credit eam gemmam esse quæ veteribus* Callais *fuit, de quo Plinius l. 37 cap.* 10 Callais sapphyrum imitatur, candidior & littoroso mari similis. — Turchina *gemma*

h *Ecgraphum nostrum:* assimilabat Iope Saphiri, *quod non capimus.*

i *Anni scilicet ecclesiastici à Vigiliâ Natalis Domini inchoandi vt ex plurium illius æui MSS. Martyrologiorum principijs potest demonstrari.*

VISIO XVI.

41 QVodam alio tempore existenti Christi ancillæ in suâ camerulâ, ob eius incensum desiderium standi in eremo circumdatâ arborum ramis, venit quædam lux clarissima, quæ sibi ostendit in beatificâ visione Magorum visitationem cum munerum oblatione Filio Dei humanato. Vidit tunc Dei Matrem, & Verbum incarnatum, satis paruulum in eiusdē matris gremio existentem; qui capite cum brachijs & tibijs discoopertis, corpus dumtaxat vsque ad tibias vno paruo panno coopertum tenebat. Virgo verò gloriosissima filium in gremio tenens, sedebat prope præsepe, & Ioseph sanctus iuxta ipsam. Lux verò prædicta Dei deuotæ spiritum duxit, & iuxta Ioseph posuit, vt perspicaciùs beatificam cerneret visionem. Stans verò Dei ancilla in tanto iubilo & gaudio, in auroræ horâ vidit stellam Magorum præuiam, stantem supra domum, in quâ Verbum incarnatum in medio animalium iacuerat. Post hæc illos tres Reges cum eorum *a* comitiuâ ad prædictum locum approximantes, & cùm domum vellent intrare, vbi puer Iesus erat, se inuicem honorabant. Tunc audire meruerunt spiritus Angelicos melodicè cantantes, & laudes Verbo incarnato dantes; spiritus verò Christi ancillæ hæc omnia videbat & audiebat. Magi verò ex Dei Filio procedentem clarissimam lucem viderunt, & tunc insimul intrantes viderunt Dei & Virginis Filium, quem tantâ cum diligentiâ quæsierunt.

Infra Octauam Epiphaniæ videt ad Matrem ac Filium,

a accedentes tres Magos:

B

42 Tunc Gaspar alijs antiquior cœpit cum iubilo & gaudio suauissimo, cantans altissimæ Reginæ dicere: Aue Regina cælestis, quam Deus Pater sic ordinauit, vt esses gratiâ plena: perpetuam profundamque humilitatem in te summum Verbum misit, qui de te carnem humanam sumpsit, & in tuo Virginali vtero nouem mensibus permansit; nunc verò ostendisti mundo: quâ ostensione nos confortasti. Quibus dictis, conuertit se ad Dei Filium laudes sibi reddens, dicendo: O Deus summe, & admirabilis & Sapientia Dei Patris, te adoro: amor & immensa caritas te inflammauit, & tantùm humilem reddidit, vt ex immenso fieres paruus, vt nos ad tua regna cælestia duceres. Post hunc alius Rex Balthassar Matrem Dei honorans in hæc verba prorupit: Salue pulcherrima cælestis Regina, quæ à Deo fuisti coronata, & facta tuta nauis, quæ portauit tale *b* frumentum, & nunc ad portum applicuit, & sat benè firmatus manet, & totum se nobis ostendit, vt nos secum ad gloriam ducat. Post hæc ad filium conuersus stans sic genuflexus, ipsumque adorans dicebat: Laudes & gratiæ sint tibi, ô Iesu Christe *c*, per istam gratiam, quam nobis ostendisti: venisti ad illum falsum & vilem mundum, qui te odio habuit: amor tuus hoc fecit, & te conduxit ad sustinendum hæc omnia: hoc fecisti, vt obedires: & amor, quo nos dilexisti, fuit caussa. Quibus finitis, alter Regum Melchior se Dei Matri humilians suauissimè cantando, dicebat: Salue virginalis aula & alta Regina, quæ sola inuenta es, vt fieres camera diuinalis. Ille, qui tibi hæc nuntiauit, dixit: Dominus tecum: ecce, quòd summus & immensus Deus in tuo vtero factus est pulcher puerulus, qui nos omnes illustrauit & viam salutis ostendit. Conuersus verò ad Dominum se humilians decantabat: O benigne Iesu, gratias tibi reddo immensas. O pijssime Iesu Christe, qui tantùm te humiliasti, à Deo Patre fuisti in mundum missus, & tu humiliari voluisti, vt nos omnes redimeres & saluares.

qui singuli, illus vtrique gratijs,

b

C

c

43 Trium Regum igitur verbis finitis, obtulerunt Magi Domino munera: Gaspar aurum, Balthassar *d* incensum, & Melchior myrrham. Verbum verò diuinum, & humanâ carne humanatum brachijs suis adhuc tenerrimis dicta dona amplexus est. Eius vero Mater sub ipsis donis manum posuit, & offerentibus ipsa dona sic dixit: Regratior vobis, ô viri venerabiles & Patres cari: summus Deus vos mouit, & immensa caritas, quæ tantùm vos animauit, vt veniretis visitatum nostram paupertatem: *e* enzenia nobis portastis, vt nos ex eis consolaretis. Deus summus vos benedicat & gratiam præstet, vt possitis saluari. Alijs verò antiquior Gaspar adhuc genibus flexis stans, magnâ cum reuerentiâ pedibus Verbi humanati caput submisit: ipsum autem Verbum diuinum suum sanctissimum pedem super eius caput posuit. Balthassari verò stanti adhuc genu flexo, & pedes Dei altissimi Filij osculari volenti, ipse Dei & Virginis filius pedem aliquantulùm extensum ad os applicuit. Tertius verò Rex adhuc etiam genuflexus, præ reuerentiâ & timore Verbi incarnati, noluit se approximare. Omnes verò illi Reges, à Dei Filio benedictione acceptâ, & eidem humili reuerentiâ factâ, sedendo mirabantur & contemplabantur Dei & Virginis filium: & cùm ad domum Virginis in aurorâ venerant, in dulcibus colloquijs, & Virginis verbis responsorijs [tempus sic transijt] quòd iam hora erat quasi vespertina: insimul [autem] colloquentes de Dei Filio, & eius matre, non sine magnâ de omnibus admiratione admixtâ cum gaudio vsque ad noctis horam tertiam, se dormitioni dederunt.

d sua munera offerunt,

D

AVCTORE IO. MATIOTTI.

e Virgini & Christo accepta:

44 Dum autem sic starent coram Domino, & eius matre genibus, vt dictum est, flexis, per Angelū eis reuelatum est, à quanto tempore Virgo Dei Genitrix in mente diuinâ fuit ordinata, vt Verbum diuinum conciperet & sacrosanctam humanitatem; & eius mysteria plenissimè intellexerunt: quamobrem laudes gloriosæ Virgini primò decantauerunt, deinde eius & de Dei Filio. Videntes autem diuinum Verbum eorum dona simul amplecti, ampliùs admirantes cognouerunt & plenè intellexerunt maximam eius potentiam, diuinitatem scilicet, cum humanitate coniunctâ: & ideò seipsos, & quidquid possidebant, voluntati Verbi Diuini commiserunt, sanctarum Scripturarum ænigmata cognoscentes. Et cùm multitudinem Angelorum cantantium & Deum laudantium prædicti Reges audirent, tres tantùm Angelicos spiritus viderunt, quorum primus eos in somnis sic admonuit, ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam ad propria reuerterentur regna: ipsi verò Angelicis monitis obsequentes, magno cum gaudio equitando arripuerunt iter. Deuotæ verò ancillæ Christi in hac beatificâ visione existenti dulcissima Dei Genitrix sic locuta est: Anima, esto benè attenta, & respice istum, qui præsens est: & ipse te confortabit & dabit intelligentiam: gustabis & intelliges secreta in tuâ mente, & tunc benè intelliges suum esse altissimum & diuinum: ideò fac vt benè sentias & intelligas suum amorem, quia primò gustabis, & postmodùm habebis ad plenum: stes pura & attenta rebus iam tibi dictis, quæ te facient intelligere rerum factarum mirabilia. Et hoc fuit anno supradicto de mense Ianuarij.

E

& incarnationis mysteria plenè edocentur.

Francisca monetur vt his attendat.

F

a *Cassiodorus l. 3. ep. 12 alio in sensu videtur hac voce vsus: sed apud Petrum Blesensem aliosq́; post seculum 12 scriptores, semper pro societate inuenitur.* Comitiua.

b *In ecgrapho* formentum *iuxta Idiotismum Italicum: qualia deinceps frequentiùs occurrentia inobseruata præterimus & corrigimus, quod hic sufficit monuisse.*

c *Id est,* propter: *nam præpositio* pro *Italicè* per *redditur.*

d *Alio prorsus significato à veteribus accipitur pro eo quod* non sensum: *at hic iuxta vulgarium linguarum Italicæ, Gallicæ, & Hispanicæ proprietatem, pro thure, quod sub re diuinâ incenditur: vnde & thuribulum vulgò* incensorium *dicitur.* Incensum.

e *Aliàs sæpè* exenia *pro xenijs seu donis: vide tom. 1 & 3 Februarij nostri.*

VISIO XVII.

45 QVodam tempore recepto Sacramento per hanc Christi famulam, in sæpè dictâ capellâ existentem in extasi; sed postquàm ad sensus naturales reuersa est, Patri suo spirituali, eam more solito per obedientiam

Diuinitatē contemplās sub specie circuli,

A obedientiam interroganti de visione, respondit, qualiter sibi ostensum fuit illud esse, antequàm Angeli crearentur: & videlicet, quòd Deo placuit ipsam diuinitatem [sibi ostendere] prout concessum est ipsam videre homini in carne existenti. Vidit namq; tamquã vnum circulum maximum, rotundum & splendidissimum, qui quidem circulus splendidissimus à nullo sustinebatur, sed *a* regebat se: ex quo maximus & inexcogitabilis splendor exibat, intantùm, quòd Dei famula in tam perlucidum splendorem nequibat respicere. Subtus verò illum incredibilem & inexcogitabilem splendidissimum circulum erat quoddam inane & vacuum, sibi ostensum in modum aëris cùm non esset aër: & in ipso prædicto circulo erat quædam effigies cuiusdam perlucidæ & albissimæ *b* columnæ: quæ quidem columna ipsi famulæ Christi erat quasi quoddam speculum, per quod, quantùm sibi possibile erat, intuebatur diuinitatem; & vidit litteras ibidem scriptas sic dicentes: Principium sine principio & finis sine fine. Deus enim antequàm quidquam faceret rerum creatarum, iam eas in suo conceptu, & in suâ mente habebat: sed voluit postmodùm facere, vt suam manifestaret incomprehensibilem sapientiam.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

B 46 Vidit præterea ista deuotissima anima in illâ visione beatificâ Angelorum creationem, & qui insimul omnes fuerunt creati in tantâ multitudine & copiâ spissâ, sicut brumali tempore ningit in montibus spissam multitudinem flocculorum niuis speciosissimæ & pulcherrimæ; sed posteà ordinatione & distinctione vniuscuiusque chori & ordinis fuerunt distincti, & cuiuslibet chori dignitatem vidit. Fuerunt etiam ostensi Christi famulæ, illi qui in gratiâ debebant perseuerare, & illi qui debebant cadere, & à gloriâ separari: & vt sibi reuelatum fuit, illi qui erant ruituri, erant quasi tertia pars omnium Angelorum: qui verò in gratiâ permansuri erant duæ partes. Vidit etiam & sibi ostensum fuit, quomodò Regina cælestis, Mater Vnigeniti fuit concepta, sicut Deo placuit, sine peccato originali. Prospiciens verò per speculum illius columnæ, vidit litteras in illo circulo sic scriptas: Sum amor fæcundus & nobilis, qui do animæ libertatem, facio ipsam amore impleri, & do sibi veram intelligentiam & perfectam memoriam: & facio quòd intelligat omnia, quæ pro eâ feci, antequàm ipsa fieret. Res [omnes] sibi fuerunt ordinatæ & positæ, vt eis [vteretur in suâ] necessitate. Ego illustraui suum intellectum, vt intelligat veritatem: ego creaui eam, & feci

videt Angelorum creationem & casum:

C rationalem, & absq; quod illa quæreret, sibi dedi meũ nomen. Nec feci eam rationalem, vt cum brutis versaretur; sed feci eam, vt haberet gloriam & impleret loca spirituum ruentium. Vidit etiam per illud columnæ speculum has litteras in circulo illo scriptas: Ego creaui hominem, vt haberet vitam æternam: sed ipse plus acquieuit dæmoni quàm mihi: voluit ascendere in superbiam & sequi suum apparere, & plura voluit scire, quæ sibi non conueniebant: destruxit se per superbiam, & cecidit in terram; inde secuta fuit hæc ruina. Fuit hoc anno & mense prædictis, die verò vigesimâ mensis.

item finem creationis humanæ.

a *Vocabularium Academicorum Della-Crusca, amplè exhibet omnem vsum verbi* reggere, *Latinè sustinere ac sustentare omni modo respondentem: & quomodò etiam accipiatur pro gubernare, quæ prima & ferè vnica est latinæ vocis significatio: in primo sensu etiam inuenitur num.* 54.

regere 1. sustinere.

b *Ecgraphum nostrum constanter* columba: *sed vt aliàs ex sensu pro* columnâ *legendam* columbam *monuimus: sic & hic faciendum putamus, ob ea quæ sequuntur de speculo & inscriptione: quæ faciliùs est in columnâ quàm columbâ concipere.*

VISIO XVIII.

47 QVadam die cùm recessisset ab ecclesiâ & capellâ sæpè dictâ, & ingrederetur oratorium suum, & se dedisset suo more orationi sanctæque meditationi, sensit prædictum locum plenum calore; & fuit, quòd posteà retulit suo Patri spirituali, ipsam per obedientiam interroganti de visione: & eius spiritus fuit ductus ad vnam magnam lucem, viditque in visione beatificâ vnum templum pulcherrimè ornatũ, in cuius medio erat vnum altare speciosissimè præparatum, quod quatuor pulcherrimæ columnæ sustentabant. Adfuit etiam ibidem quædam persona vestibus induta albis, quæ duxit istam Dei famulam in illius lucis locum eminentiorem, in quo perspicaciùs cerneret solennitates in illo tempore fiendas. Vidit tunc tres Sacerdotes cum suis ministris, pretiosissimis ornamentis ornatos: ipsi verò Ministri faculis accensis, & alijs ad tale officium necessarijs aptauerunt altare. Post hæc quidam senior, more Pontificali indutus, venit in templum, cui nomen Simeon, missus à Spiritu sancto in illâ horâ: venit etiam quædam Matrona honestissima pluribus dominabus sociata: ad quod templum cælestis Regina appropinquabat: Dei & suum filium, multis Seraphicis Angelis mirabili splendore splendentibus associatum, in brachijs tenebat Ioseph, ipsâ sequente. Senior verò sanctus Simeon sancto flamine afflatus, cantando protulit hæc verba: Lętare anima mea, & exsurge: ecce venit diuinum Verbum, à mundo incognitum, & latet inimico, vt non impediat res per eum fiendas, vt iter per eum inceptum ostendat hospitem & peregrinum. Et Christi ancilla videns gloriosam Virginem templo approximantem, volens cũ reuerentiâ obuiam ire cælesti Reginæ, illa persona albis vestibus induta ipsam retinuit, dicens: Noli velociter transire ita; & quæ fient, vide. Tunc eadem persona cantando sibimet dixit: Excitâre ô anima mea, & noli ampliùs dormire. Ecce adest Verbum diuinum, & transit per hanc viam, portat eum sua mater associata Ioseph suo Sponso: sed ille, qui est verè suus Sponsus, eam defendit & gubernat.

Festo Purificationis in templum inducta,

D

videt SS. Simeonem & Annam

obuiam ire Virgini purificandæ:

E

48 Cùm autem Virgo gloriosissima iam quasi proxima esset templi portæ, sanctus senior Simeon cum alijs Sacerdotibus & Ministris, vt decebat paratis, exierunt obuiàm vsque ad portam templi Dei Filio & eius Matri. Postquàm verò cælestis Regina templũ ingressa est, versùs altare suum iter direxit. Sanctus verò Simeon Pontificalibus indutus, stans genuflexus, Dei Matre stante ex aliâ parte altaris, Dei & suum filium in brachijs tenente, magnâ cum reuerentiâ sic adorans, dixit: Ego te adoro summum Deum omnipotentem, qui, tuâ misericordiâ operante, misisti tuum Verbum Iesum vnigenitum, qui recepit carnem humanam in vtero virginali, vt humanam naturam redimeret, & illum manifestum fecisti in tuo sancto templo. Virgo verò, & Dei Mater ponens Redemptorem nostrum super altare, magnâ cum reuerentiâ orauit Deum Patrem, dicens: Pater æterne & omnipotens, ego reddo tibi tuum filium: quod tuum est tuum sit. Ego offero illud, quod sibi dedi ex tuâ sapientiâ æternâ: in toto & per totum fiat voluntas tua. Vidit etiam in hac beatificâ visione, quòd puer Iesus in infantili ætate existens, erectus super altare stabat nullius personæ munimine seu auxilio adiutus; & tunc audiuit vocem cælestem ad se dicentem: In hunc propriè modum quæuis anima Deum diligens suo Creatori se debet offerre liberè & plenè, quòd non sit retenta à nullâ curâ terrenâ, sed ab omni aliâ re separata, quæ ipsam posset impedire. Saluator verò Iesus sic stans rectus, fixis oculis suam matrem respiciebat, acsi petere vellet ab eâ licentiam eundi per se ad sanctum Simeonem; sanctissima verò sua Mater hoc intelligens sibi dixit; Fili mi, factum sit tuum velle.

quã super altare filiũ Patri offert,

F

49 Postquàm verò felix ille senex sanctus Simeon Dei & Virginis Filium in vlnas recepit, Deum Patrem & eius Filium adorans; dixit: Gratias & laudes tibi reddo, Pater omnipotens, & tibi, Patris Sapientia æterna, quem amor infinitus fecit humiliari, & animã meam in me tenuisti vsque in hunc diem, in quo in brachijs meis te posuisti. O Deus magnæ pietatis ad me venisti, vt mea peccata à me remoueres. Nunc dimittis

eumq; S. Simeoni in vlnas tradit,

A mittis seruum tuum in pace &c. Volensque beatus Simeon filium suæ matri reddere, magnâ cum reuerentiâ, sic eam allocutus est, dicens: Immensas tibi reddo gratias, ô Mater dulcissima, quæ digna fuisti inuenta, vt esses diuini Verbi aula regia: & sic Deus Pater te præordinauit in suâ mente propter tuam humanitatem atq; humilitatem, vt ex te nasceretur Deus & homo: & voluit obseruare præcepta sui Patris. Et sic sanctus Simeon magnâ fruebatur lætitiâ, filium Dei & Virginis adorando; stabat tamen cum magnâ reuerentiâ & timore. Mater verò Dei cum ab altari vellet discedere, duas columbas obtulit, quas Ioseph in manibus tenebat; sanctus autem Simeon, postquàm filium suæ matri reddidit, ex prędicto altari vnam monetam recepit, quam etiam super ipsum altare reposuit. Post hæc Anna prophetissa in templum venit, & flexis genibus adorando filium Dei, dixit: Gratiæ tibi sint, Fili Dei altissimi, qui palàm te ostendisti hodie in hoc templo: incepisti iam tuum iter, factus pro nobis humilis: & nostræ salutis initium atrox tibi erit tormentum: & nostra redemptio erit cum tuis magnis laboribus: & quicquid à Virgine Matre recepisti, totum per te expendetur pro nostris animabus miseris. Vidit etiam Christi ancilla, quòd quando Simeon & Anna loquebantur de eius filio, eius Mater stabat attentissima eorum verbis, eorum verba seruando B conferens in corde suo.

S. Anna de eodem prophetante.

50 Senex verò Simeon indutus, vt dictum est, pontificalibus, ordinari fecit processionem per templum, dicens: Omnes læti consurgite ad faciendum solennitatem hanc maximam, quia Deus Dei filius venit, vt nos visitaret, & vt legem ab eo ordinatam plenè obseruaret. Tunc prædicti Sacerdotes intus in templo suauiter & dulciter canebant: Angeli etiam Seraphici chorique assistebant coram puero Iesu, & simul cum Simeone & Sacerdotibus illudmet canticum, quod cantabant Sacerdotes, cum laudibus & iubilis decantabant. Virgo etiam tenens filium in brachijs processionem sequebatur. Dum verò processio versus altare se conuertit, sanctus Simeon vnam fecit sedem præparari, in quâ fecit sedere Virginem Matrem cum Filio in brachijs, ipso Simeone existente genibus flexis; turbâ etiam quæ præteribat id ipsum faciente, & omnes cantantes, dicebant: Aue Verbum incarnatum, tu te tantùm humiliasti: Aue Iesu Christe Saluator, qui ideò de cælo descendisti, vt nos à seruitute liberares, & in hunc mundum venisti. Finitâ tunc processione, Christi Mater inde discedere volens, voluit priùs regratiari omnibus ibidem existentibus, dicens: C Grates vobis omnibus reddo de lętâ deuotione, quam mihi & Dei Filio ostendistis. Recedente sic, vt dicitur, Virgine cum Filio, omnes assistentes maximam ei faciebant reuerentiam. Volens itaque Dei Mater ad domum redire, quia transire debebat per domum Elisabeth, matris Ioannis Baptistæ, ex caritate voluit eam visitare. Elisabeth certa effecta de aduentu Messiæ & eius matris per suum paruulum filium Ioannem Baptistam, de domo suâ sollicita exiuit eis obuiàm, filium suum in brachijs tenens, qui Dominum venientem videns, nimiùm se molestabat. Mater verò hoc intelligens, eum in terrâ posuit, & illicò Ioannes Baptista paruulus se genuflexit in terrâ expectans Dominũ venientem, similiter & mater Elisabeth genuflexa Matrem Domini salutauit, dicens: Beneueniat Mater & nostra Domina, quæ secum portat filium, qui est Rex gloriæ, qui venit ad visitandum nos cum maximâ victoriâ. Deinde dicit Filio Virginis: O æterne Rex altissime, es factus humilis & placibilis, & cùm sis summus Omnipotens, nobis te paruulum ostendis. Et Dei Genitrix Virgo benignè suam salutans cognatam sic inquit: Salue carissima cognata, & tamquàm mater ab Angelo mihi signata pro signo & veritate, cùm esses senex & sterilis (quæ res est admirabilis) à sex

Processio per eosdem in templo instituta:

reditus per domum Elisabethæ:

& mutua vtrinque matrum,

D mensibus imprægnata, videlicet vt tibi ostendam Filium Dei humanatum, non vt videam tuum filium beatum.

ac filiorum gratulatio.

51 Virgo autem gloriosa Dei Genitrix & suum filium de brachijs deposuit in terram: Elisabeth verò filius genuflexus signa & modos ostendebat maximæ reuerentiæ, quam Filio Dei erecto stanti faciebat: sed Dei Filius, ipsi paruulo Ioanni existenti, vt dicitur, genuflexo non minùs signa benedictionis & gratulationis ingerebat: quæ quidem signa à duobus, vt ita loquar, paruulis mutuò facta, non mirum si intuentium oculis se reddebant admiranda. Sed Virgo Dei Genitrix recepit paruulum Ioannem in suis brachijs, & Elisabeth Dei & Virginis Filium in sinu recepit: vicini verò Elisabeth venientes, eius nutu & suasione maximam faciebant Virgini reuerentiam. Tandem domum Elisabeth intrantes, ipsa Elisabeth cibaria præparante, simul sumpserunt cibum Virgo Dei Genitrix & ipsâ Elisabeth: Ioseph verò cum vicinis aduenientibus. Sed die illâ, & nocte sequente Christi Mater stetit cum Elisabeth suâ cognatâ. Quando verò beata Francisca hæc suo Patri spirituali per obedientiam interroganti, narrabat, ex desiderio & amore tota inflammabatur, quia non poterat exprimere ad plenum quod viderat. Et postquàm Dei famula in beatificâ visione hæc vidit, Dei Genitrix voluit sibi licentiam dare, vt E in suum naturalem rediret sensum, dicens: Anima pauper & egena, aduertisti benè ad ea, quæ vidisti & audisti? Fac quòd benè retineas modos & actus tibi ostensos, qui magnum inducent amorem tuæ menti & omnibus tuis factis. Et postquàm hæc anima Dei deuotissima reuersa est in suum naturalem sensum, sicut pluribus alijs vicibus hoc faciebat, protestabatur, dicens, quòd [circa] omnia per eam dicta & dicenda semper se conformabat, & firmiter se & sua dicta submittebat declarationi & determinationi sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ; cum quâ & pro quâ volebat & viuere & mori, mediante diuinâ gratiâ. Et hoc fuit anno prædicto de mense Februarij die secundo.

VISIO XIX.

52 Stans Christi famula, quodam semel in domo suâ, & vt sui moris erat, feruenter & deuotè contemplans summum bonum, dum se in genua flecteret, fuit rapta in extasim: quòd vbi per eius filias innotuit Patri spirituali alibi existenti, illicò ex deuotione ad domum ipsius ancillæ Christi accessit, & more solito ipsam iam ad suum naturalem sensum reuersam de visione per obedientiam interrogauit. Illa verò tamquàm vera obediens dixit, qualiter in beatificâ visione F viderat vnam nobilem lucem: à quâ luce eius spiritus fuit ductus in altum, & in vno loco suauissimo & pulcherrimo positus; viditque Dei Genitricem venire cum Ioseph, qui sibi dixit: Sequere Virginem, & sic fecit. Euntes verò simul intrauerunt, quamdam munitissimam ciuitatem, in quâ templum vnum erat pulcherrimum. Ioseph autem Christi famulam stare fecit in vno alto loco, & apto ad videndum & benè speculandum, quæ fienda erant in eodem templo; viditque Iesum Dei Filium ætate annorum duodecim existentem, in vnâ Cathedrâ sedentem, & vnum magnum librum coram se apertum habentem; in quo tamen nõ legebat. Multi Doctores Legis in circuitu eius sedebant, cum puero Iesu disputantes de Lege & aduentu Messiæ. Mater autem eius intrans templum, & Dei Filium videns Doctores interrogantem, & eorum interrogationibus respondentem, genuflexa & non parùm admirata stetit. Puer verò Iesus, vt erat intentissimus disputationi, licèt Matrem videret, nullum ei fecit signum. Habebat enim, licèt cum Doctoribus loqueretur, oculos sursum ad cælum, & arguebat ipsos Doctores de Legis præceptis per eos non obseruatis,

Videt Mariam & Ioseph euntes in templum:

Iesum inter Doctores disputantem

A ipsosque conuincebat & confundebat diuersarum Scripturarum sententijs. De Messiâ etiam, quem expectabant, per dicta Scripturarum ostendebat illum iam venisse; nihil tamen de se ipso dicendo, nec ostendendo. Admirabantur non modicum prædicti Doctores, quòd in tam paruæ ætatis puero tam profunda scientia, atque ænigmatum Scripturarum esset verissima sententia: erantque stupefacti, tantis allegationibus Scripturarum conuicti & confusi. Verùm eorum aliqui confitebantur sua dicta esse vera, & insimul loquentes magis atque magis admirabantur; aliqui verò ipsorum dictorum præ confusione & verecundiâ de templo exiuerunt, alijs cum maximâ admiratione remanentibus, & laudantibus pueri Iesu tam admirabilem sapientiam.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

quærenti matri respondentem audit,

53 Tum finitâ disputatione, & mutuâ inter Doctores locutione, Dei Filius & sua Genitrix se inuicem respexerunt. Tunc Virgo Maria genuflexa corã Dei Filio, sic eum allocuta est: Fili, quid nobis sic fecisti? Ioseph & ego vnumquemque interrogabamus, si Iesum meum vidisti: cùm nemo mihi respondisset, quòd in viâ te vidisset, dolens fui & mente tristi. Tunc eius filius respondit suæ matri interroganti. Quid est, quod me quærebatis? Tu scis, quòd sum Patri meo
B obediens; An forsitan dubitabatis, quòd in his, quæ Patri placent, meus animus & mens iacent? Istud volo, quod sciatis. Finitâ locutione Saluatoris nostri, Mater sic eum iterùm alloquitur: Fili mi, sum certa de his, quæ dixisti: meæ fuit ignorantiæ, quòd solus in templo remansisti: cor meum erat dubium, si reuersus esses ad Dominum, cuius nutu huc venisti. Quibus verbis finitis, illud Verbum incarnatũ sic suæ matri respondit: Mater carissima, non fuit tuæ ignorantiæ, sed Dei præscientiæ, quæ rerum est certissima: antequàm ad Patrem redibo, maiorem pœnam subibo, quàm disputare notissima. Dei Genitrix magnâ reuerentiâ suo filio respondit: Fili, Deitas benigna, quæ in vterum meum venisti, & de alto cælo descendisti, video, quòd non sum digna, quòd te subijcias meæ tutelæ, fiat igitur tua voluntas: prænuntias mihi dolorem, asserens quòd patieris pœnam, & afflictus eris: sed contentor ob tui amorem. Vidi nunc Doctorum gentem à tuo conspectu fugientem, confusorum gerentem morem: verùm aliqui, qui remanserunt, tuum scire laudauerunt & rerum omnium Creatorem. Dei tunc Filius vultu placido suæ Genitrici sic respondit: Mater tu scis, quòd à Deo veni, & in hunc mundum descendi, res est tibi notissima: quid-
C quid ego facio, à Patre venit præscio, & ab eius prouidentiâ. Reuertente autem Domino cum suâ Matre & cum Ioseph, tamquàm filius obediens erat illis. Et tunc Virgo Mater Dei B. Franciscam sic alloquitur: O anima paupercula, quæ vidisti & sensisti *a* firma in tuo intellectu, & ea retine cum magno effectu, cum sensû & intelligentiâ, & repone in memoriâ: & eorũ quæ gustasti recipe saporem, & intelliges tibi ventura & dolorem non senties, & nihil tibi deficiet. Intùs in corde erit vna largitas, & in tuâ memoriâ erit magna certitudo: intellectus tuus illuminabitur, & Dei secreta tibi reuelabuntur, vel declarabuntur. Et hoc fuit anno & mense prædictis.

Firmare. a *Id est, claude:* Fermare *etenim, concludere est Italis.*

VISIO XX.

Contemplatur pelagus amoris diuini,

54 Recepto semel sanctissimi Corporis Christi Sacramento ab istâ Dei ancillâ, in capellâ sæpiùs dictâ, fuit eius spiritus raptus in extasim immobilem & postmodùm mobilem: sed postquàm redijt in suo naturali sensu, Patri spirituali eam per obedientiam interroganti de visione, respondit: Quòd viderat Dominum Saluatorem in suâ sanctissimâ humanitate, & in vulnere lateris erat ad instar vnius pelagi profundissimi. Christi verò famula igne compassionis & caritatis accensa, respiciebat illud pelagus, à quo quædam diuina vox egrediens, dixit: Ego sum ardens amor, & retraho ad me subitò animam, & eam pono vbi semper viuit in me Iesu Redemptore. Ipse Iesus eam facit philocaptam, & destruit eius peccata: facit eam ardere sancto ardore, & ponit eam in dulcedinis abysso, & facit ipsam transformari in suis thesauris pretiosis, & eam congaudere facit de suis bonis æternis. Finitis verò his verbis, sibi fuit demonstrata & ad plenũ declarata illa abyssi profunditas prædicta à Ioanne Euangelistâ, scilicet, In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum &c. Post cuius declarationem adhuc in extasi existens, audiuit quamdam vocem sibi dicentem: Ego sum purus fons & nobilis: si quis sitit, veniat ad me, quicumque vult venire, & lætitiam sibi dabo, quæ numquàm habebit finem. Humilitas cum puritate obedientiæ, & amor cum munditiâ conscientiæ benè sese simul ligant, & constringunt; & in quâ animâ simul se sociant, talis anima in hoc fonte bibere potest. Paupertas triplici modo potest benè diuidi: si anima vult dirigi, eam sequens ex corde & planè intendens, citò pergit quò vult; & omnem statum *a* regit, si vadit intentu prono. Prima paupertas est vtilis, licet à vulgo non intellecta; sed est spiritu perfecta, & tota spiritualis: abundat rebus mobilibus, ab ipsâ spretis pro vilibus; ad cælum volat sine alis. Animæ sic viuentes possunt bibere de isto fonte, quia Deo sunt coniunctæ, & in viâ pascunt egentes: sed nolunt, quòd videatur, quod faciunt, nec sciatur à vulgo, nec intelligatur. Secunda paupertas mundum dimittit, & ab omnibus se expoliat, & quidquid habet, totum dat, & se obedientiæ submittit: viuit in fide, spe & caritate, & in Dei timoris firmitate, ideò de isto fonte bibit. Tertia paupertas est exquisita semper in Dei amore, nihil curat de timore huius mundi, in quo est sita; quia hæret summo bono, cui se dedit pro dono in totâ præsenti vitâ. In omnem euentum lætatur: viuit tamquàm dormiens; in omnibus obediens Iesu, cui sociatur. Anima talis mente purâ veniat, & bibat secura, quia talibus fons iste datur. Et quòd sibi laboriosum videbatur, à beatificâ visione recedere, audiuit quamdam vocem sibi dicentem: Anima, noli ampliùs loqui, dimitte illum facere, qui omnia facit benè, & potens est satisfacere omnibus animabus ipsum volentibus: ideò noli plures assignare rationes, quas ipse sciuit, antequàm tu esses: sed qui promisit tibi suum amorem, ipse potest tibi benè satisfacere. Ergo contenteris bonâ & promptâ voluntate, & sine scrupulo verecundiæ cum ipso te vnias: nam amor iste est adeò magnus, quòd te reddet benè contentam. Et hoc fuit anno Domini MCCCCXXXII, de mense Februarij.

D (margin)

Ioan. 1, 1.

& discit tres gradus paupertatis ex fonte diuino bibentium.

E

F

a *Id est, sustinet, vt supra num. 45.*

VISIO XXI.

Videt intra ignem amoris diuini,

55 Qvodam alio semel, post receptionem sanctissimi Sacramenti Corporis Christi in capellâ dictâ, spiritus famulæ Christi fuit raptus in vnam magnã lucem, corpore eius remanente in extasi. Cùm verò reuersa fuit ad sua naturalia, Patri suo spirituali eam per obedientiam interroganti de visione, respondit: Se vidisse illam speciosissimam lucem, super quam vidit maximos splendores, subtus verò lucem erant tenebræ spississimæ. Existens verò in illâ luce vidit ignem splendidissimum, super quem erat tabernaculum splendidissimum: desuper verò Saluator noster erat in suâ sanctissimâ humanitate, à cuius essentiâ tot reuerberabantur splendores, quòd humanus oculus in eosdem minimè poterat intueri, nisi solùm in humanitatis imaginem: ex cuius plagis radij inflammatissimi procedebant, qui radij super animas ibidem existentes mirabiliter

A mirabiliter refulgebant. Erant autem ibidem animæ quamplures: erat etiam ibidem Regina cælestis tribus redimita coronis, ex quâ lux maxima procedebat. Vidit etiam alias animas adhuc in corporibus existentes, intrantes in ignem prædictum & exeuntes. Ille etenim ignis nil aliud denotabat, nisi diuinum amorem. Vnde Christi famulæ desideranti scire, quæ vel quales illæ essent animæ ignem ingredientes, declaratum fuit ex diuinâ voluntate, quòd erant viuorum hominum & perseuerantium in diuino amore, quæ quidem veniunt ad se renouandum in illo igne. Cùm verò Christi famula sic staret læta in tantâ solennitate, accessit ad eam illa ardens in Dei amore Magdalena cum sanctâ Agnete associata, quæ ei persuadebant, vt se proximiorem faceret illi igni: & ipsam posuerunt in vno loco ad videndum ea, quæ in ipso loco fiebant: in quo existens vidit maximam sanctarum Virginum copiam, quæ omnes resplendentibus coronabantur coronis.

sanctarum Virginum choros,

56 Et tunc Magdalena incepit choream, alijs Virginibus ipsam sequentibus: & quod dictu mirabilius est, intrabant supradictum ignem, & exibant choreando, & insimul cantantes dicebant: Si quis desiderat ad Christum intrare, omnia tam interiora quàm exteriora debet se expoliando dimittere, in suo respectu B se vilissimum reputet, nec aliquid faciat contra suum apparere: quæ habet relinquat, & ad ea plùs non redeat. Veniat ad negandum se, & quasi iam esset deprędata, sic de se verecundetur; & veniat in odium suimet, nec habeat audaciam rectè respicere suum Dominum: & tanto se odio habeat, vt à Domino petat vindictam sui, & prouocet diuinam iustitiam super se ad hoc vt benè puniatur. Debet reddere tres dotes, quas altissimus Deus sibi dedit: reddat sibi memoriam cum omnimodâ voluntate; nec in suo intellectu velit recordari aliquam rem, nisi Deum: omnia sibi reddat, vt Deus de eâ curam gerat. Reddat etiam sibi totalem intellectum cum omnibus eius apparentijs, & in eâ ponat ad plenum suum affectum, & nihil de se velit videre, sed ipsi Deo committat totam suam curam. Reddat sibi plenariè voluntatem cum omnibus suis exercitijs & sollicitudinibus, & confisa de Dei bonitate, omnia sibi dimittat: & quoties sentit se ab aliquo laudari, habeat in mente suâ maximum supplicium: & sibi benè prouideat, ne in aliquo de suis laudibus acquiescat. Et si quando in aliquam incidet lætitiam mundanam, graui tristitiâ postmodum affligatur, & recipiat amaritudinem posteà vehementem: & si aliqua persona eam habet odio, sibi videatur quasi rosacea C aqua, & tota sit submersa in verâ & sanctâ humilitate. Si de eâ malè dicitur, illa verba maledicta cantus suaues & soni suauissimi sibi appareant, & tota in eis lætetur, & Deo humiliter pro se maledicentibus supplicet: & si forsan lapidetur vel percutiatur in personâ, ipsæmet percussiones sibi videantur tamquam rosæ & flores in suâ mente consentiente, & Deo regratietur, qui sibi talia fieri permisit. Vadat etiam ad regratiandum illis, qui eam percusserunt, & tantùm se vilem & contemptam in suâ mente respiciat, acsi nihil posset facere, & in suis consensibus semper se videat annihilatam; sęque videat ita paruam, acsi videri non posset, nec discerni, veluti milij granum in profundo maris iactatum. Sic enim animam in profundâ humilitate submersam vera obedientia facit reformari: & si fides adsit, facit eam firmam & esse renouatã. Si in se habeat spem, spes eam reddit ornatam nobilem & extra vilitatem. Talis anima est tota retracta in Deo, & in suâ maiestate; & de omnibus, quæ videt, gaudet & lætatur. Venit etiam caritas, quæ totam animam accendit & reddit amore plenam; nihil timet, quia amor ipsam secum confirmauit. Venit etiam prudentia, quæ totam animam custodit, ne aduersarius veniat, vt ipsam animam deprædetur. Talis anima posuit totam suam curam in eum, qui eam potest ordinare. Nulla anima est tantùm præparata, nec tantùm diuino accensa D amore, & à mundanis curis penitus exuta, quòd sit omnibus virtutibus sufficienter induta, exceptâ Virgine Matre; quæ sic iucunda, sic hilaris in suâ vitâ permanebat, vt quidquid ei eueniret, siue iucundum siue laboriosum, ita se in toto & per totum voluntati conformabat diuinæ, quòd ne paruo quidem instanti ab eâ quouis modo vellet discedere: quo factum est vt sicuti in terris totis nutibus Deo erat coniuncta & eius voluntati conformis, ita post hanc vitam super omnes Angelorum choros & super omnes creaturas sit eleuata & exaltata.

& docetur omnes animæ facultates Deo tradere,

ac lætari aduersis & iniurijs ferendis:

& in omnibus virtutibus informari.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

vt fecit præcipuè Dei mater

57 Et Dei famula, finitis his dictis, mutato statu immobili in statum mobilem, per se cantabat mirabiliter correspondendo verbis & cantilenis per supradictas Virgines dictis; & in actibus & modis Virginum choreantium motibus, correspondebat. Post hæc iterùm reuersa in extasim immobilem, vidit Mariam Magdalenam sic cantantem, & dicentem: laudes tibi sint cæli Regina, quæ es virtutibus ornata, & ab Angelo salutata fuisti, Gratiâ plena: per tuam humilitatem & diuinam pietatem nos liberasti à ruinâ. In tuo ventre Virgineo Verbũ Dei substinuisti, & tuâ carne vestisti: vnde exiuit Deus & homo, qui nos à nece saluauit, redemit & liberauit à diræ mortis vinculo. Laus sit tibi E infinita, ô Domina Angelorum, ornata, redimita, coronata per filiam: Tu lux nostra & gaudium in hac beatâ vitâ. Et sanctâ Catharina sponsa Christi regia cantando dixit: Omnes læti iucundemur de hoc bono quod habemus, Regnum Dei possidemus: cuncti ergo lætemur & perfectè gaudeamus, & Iesu laudes dicamus, & ipsum semper veneremur. Et hoc fuit anno Domini MCCCCXXXII, die XIII Februarij a.

propterea laudanda ab omnibus.

a *Quæ hic sequi debuisset visio de primâ notitiâ instituendæ congregationis, Confessario per S. Gregorium datâ sub apum similitudine, 20 die Martij; ea ex Italico accepta refertur ab Anguillariâ lib. 4 cap. 2 vbi & cetera ad eamdem rem spectantes in Latino contextu ab auctore omissa, relata in Italico.*

VISIO XXII

58 QVadam aliâ vice postquàm B. Francisca in capellâ sæpè dictâ recepit sanctissimum Corporis Christi Sacramentum, in extasi rapta, more solito, à suo Patre spirituali de visione per obedientiam interrogata respondit: Vidisse à quadam maximâ & splendida luce suum spiritum duci in aliam maiorem & splendidiorem, & ipsum etiam spiritum in vno campo planissimo & spatiosissimo posuisse. Prope campum mons erat magnus & altus: Beatus verò Ioannes Baptista, cui ipsa Christi ancilla nimis afficiebatur F eius spiritum propè ipsum montem duxit, ei dicens: Aduerte benè ad mysterium sanctissimæ Crucis cum omnibus pœnis, quas Dei filius dignatus est pro omnibus pati. Et ipsa respiciens vidit Dominum nostrum Iesum Christum eodem modo cum brachijs extensis, pedibus & manibus Cruci clauatis, quomodò in cruce positus fuerat: & ex eius plagis inexcogitabilis splendoris radij procedebant. Et quis propter maximum lucis splendorem, in principio beatificæ visionis, ad plenum sanctissimam Christi humanitatem posset intueri? Tamen sicut Deo placuit, post tam immensæ lucis aliqualem diminutionem, plenè videbat & aspiciebat gloriosissimam humanitatem Saluatoris nostri Iesu Christi, cum magnâ & immensâ Crucis compassione. Vidit etiam gloriosissimos spiritus tã angelicos quàm humanos, magno gaudio & lætitiâ coram Domino, de suâ immensâ pietate laudes & gratias immensas referre: intelligentes quòd caro & inæstimabili redempti sunt pretio. Vidit etiam gloriosos spiritus tam angelicos quàm humanos ab omnibus partibus gloriosissimi Corporis Iesu Christi plagatis, & à singulis eius plagis maximam recipere claritatem. Aliqui verò ex vnâ tantùm parte; alij autem ex aliâ parte: sed Patriarchæ & Angeli

A S. Ioanne Bapt. ducta corã Christi humanitate,

videt singulos ordines Beatorũ à singulorũ membrorũ plagis illustrari.

A Angeli Seraphici ex puncturis spinarum coronæ Christi irradiabantur. Ex quo Christi ancillæ desideranti horum scire occasionem, gloriosissimus Baptista dixit: quòd talem obtinent gloriam propter suam fortitudinem & caritatis ardorem. Nec non vidit gloriosissimos Apostolos à manuum & pedum plagis maximum recipere splendorem, & à prædicto Ioanne Baptistâ ei declaratum est, quòd istud erat propter eorum intellectum & sapientiam: quia propter Dei donum adhæserunt veræ sapientiæ, qui Christus est. Prophetæ verò & quatuor Euangelistæ cum quatuor principalibus Doctoribus à lateris vulnere irradiati erant, & hoc propter inconcussam, & incontaminatam sacrosanctæ Catholicæ fidei vnitatem. Christi verò Martyres, & Confessores, & Deo sacratæ Virgines, Angelorumque septem chori à plagis pretiosissimi corporis Iesu Christi alijs partibus inflictis irradiabantur. Sed infimi chori Angelorum & spiritus alij beatis plagis tibiarum eiusdem Saluatoris illustrabantur.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

59 Visâ autem per Christi ancillam tali visione sanctissimæ passionis, & declaratâ qualibet particulâ à Ioanne Baptistâ ipsi Dei famulæ; quædam lux splendidissima cooperuit Christi humanitatem: propter cuius claritatem ipsa non poterat eam ampliùs intueri: B Cui gloriosus Baptista sic dixit: Ama & dilige tuum Dominum, & dilige eum cum pœnis. Ama Dominum Deum tuum, & dilige eum cum timore. Ama & time eum cum delectatione, dilige eum cum affectione. Ama & dilige illum amorem, quo te perfectè dilexit. Ama illud Verbum diuinum, quod pro te venit in mundo pati pœnas & labores. Voluit priùs facere & postmodùm docere viam, per quam deberes incedere: & ille, qui tamquam Deus suo nutu omnia potuit facere, viam tibi mediam, non arduam ostendit, vt te non posses excusare propter impotentiam & debilitatem, quin ipsum posses amare: & propter tuam salutem omnia sic ordinauit & fecit, quòd intelligeres, & sibi non esses ingrata. Est ille verus amor Christi, qui tantùm te dilexit, & labore & opere se tibi manifestum fecit. Voluit iniuriari, & à Iudæis lapidari, & vltimò se in cibum Apostolis & nobis dedit in nostrum confortamen. Se ipsum expoliauit, crudelem ferens passionem, per cuius sanguinis sparsionem potuissent mille mundi saluari. Sed tu considera & mente retine, quòd animabus, quæ propter eorum duritiam tantum beneficium repudiant exquisitissima & æterna supplicia præparantur in inferno: ergo toto mentis C affectu & cordis puritate amemus istum amorem, qui prius nos dilexit & inæstimabili pretio ab æternâ morte nos redemit. Quibus verbis dictis gloriosus Baptista adiecit cantans, & cum alijs Prophetis incedens, sic inquiens: Nos, qui omnia hæc perfecimus, & diuinum amorem perfectè secuti sumus, nulla mundi blanditia decepit: quos ipse verus amor reseruauit & in hac gloriâ exaltauit, sumus semper in sui amoris contemplatione, semper læti & iucundi in hac beatificâ visione. Et Dauid cantando sic respondit: Amor iste, quem totâ mente diliximus ad tam altissimum honorem nos prouexit, & ad sui veram cogitationem cognitionemque nos induxit: & facit nos in se ipso speculo continuè speculari, [quòd] pœnis & laboribus ab eo passis sumus in tantâ gloriâ glorificati cum spiritibus beatis. Et hoc fuit anno & mense prædictis, eiusdem mensis die primo & vigesimo.

& iubetur eum amare,

qui patiendo nos saluauit.

VISIO XXIII

60 VEniens B. Francisca, vt sui moris erat, ad receptionem sanctissimi Sacramenti in dictâ capellâ, dum Missa celebraretur, fuit rapta in extasim immobilem. Finitâ verò missâ, Pater suus spiritualis, qui celebrauerat, sanctissimum Sacramentum Corporis Christi ei ministrauit. Postquàm autem ad sua naturalia descendit, patri suo spirituali eam per obedientiam interroganti de visione respondit, quòd eius spiritus D fuerat raptus ab vnâ luce clarissimâ, & ab illâ ductus in aliam maiorem lucem: & Christi Apostolus Paulus eum duxit in locum, à quo perspicaciùs videret mysterium sanctissimæ Incarnationis: viditque Verbum humanatum quantum sibi possibile erat inspicere: nam erat tam immensa claritas tamque perlucida, vt eius visus non posset plenè & membratim ipsam humanitatem respicere. Respiciebat porrò Verbum incarnatum ad modum vnius staturæ humanæ. Vidit etiam gloriosissimam Verbi incarnati matrem, Apostolos & Patriarchas, & Angelorum choros, & eorum quoslibet in ordine suo permanentes, & omnes erant inflammati & irradiati à radijs maximi splendoris procedentis ex illâ claritate immensâ, quæ circumdabat Dei & Virginis filium.

Corã Christi humanitate vidit Sanctorum choros:

61 Tunc vidit Virtutes, quæ sequuntur, sigillatim laudantes & Deo immensas gratias referentes propter salutiferam eius Verbi incarnationem: & primò Misericordia sic incepit: Tibi vero & summo Deo gratias, & laudes immensas reddo, qui me sic exaudisti, & in mundo descendisti: te ipsum humiliando humanam carnem assumpsisti. Deinde Pietas sic incepit: Fili Dei, Verbũ diuinum, tibi gratias & laudes inexhaustas reddo, quòd dictum meum expectasti; & tuum sanctum caput inclinasti ad meum consilium: humanum E genus voluisti suscitare & ad cælum eleuare, quòd primi parentis scelere perierat. Caritas deinde sic exorsa est: Gratias immortales tibi habeo, Deus potentissime, quem amor tantum restrinxit, quòd cælum aperire fecit, & te velocem fecit ire, & Deo Patri obedire: dedisti perseuerantiam Martyribus, vt cælum impleres eorum sedibus. Post ipsam Iustitia sic orabat: Gratias & laudes tibi reddo, Rex iustissime & potentissime, qui in meâ puritate conseruasti me: effecta sum astuta, prouida etiam iuxta quod omnia in tuâ prudentiâ reposita sunt: iudicaturus es animas, quia benè & verè cognoscis ipsas. Post Iustitiam Pax eius consors sic inquiens, perorabat: Immensas tibi laudes, Iesu dulcissime, & infinitas reddo, qui me tantùm amasti, & tuis Apostolis sæpè nominasti: tui modi & actus mihi multùm placuerunt, & tecum, quocumque ires, me semper duxerunt. Concordia verò suprapositas virtutes sequens huiusmodi incipiebat: Amor dulcis & perfectissime, tibi laudes ex corde refero: tũ enim secutus es amorem te ducentem, qui te feliciter fecit obedientem, & ad ipsum amorem sequendum feruentem: animas, quæ perierant, voluisti redimere: fecisti F eas beatas tuoque amore illustratas: nobis dedisti societatem, quæ ante solæ habitabamus, vt sedes plenas redderes, quæ vacuæ ante erant: [dedisti te] pro ipsis in pretium persoluendum, quod non est vilipendendum. Isti fuerunt Sancti, qui adeò fuerunt intenti, vt se darent Deo omnipotenti.

& audit Virtutes sigillatim gratias agere pro beneficio Incarnationis:

quod idem Sancti omnes faciunt.

62 Perfectis verò his verbis Virtutum, omnes aliæ Virtutes, & omnis cælestis curia magno cum iubilo respondebant magnificando, laudando, benedicendo Deum altissimum. Apostoli verò per se exultantes & læti ad prædictas Virtutes dicebant. Cuncti gratias Deo damus, qui nos omnes concordes sic ordinauit & perfecit, & nobis dedit potestatem, vt in suo consilio persisteremus, Patrem & Filium laudaremus; & nos ipsum regratiamus, vt semper cum eo lætemur. Patriarchæ verò Apostolos sequentes sic cantabant: Potentissimo creatori gratias & laudes reddimus infinitas, quia nos ligauimus & astrinximus firmis promissionibus, quibus nobis per se met ipsum iurauit se venturum, & nos à tenebris liberaturum. O magna profunditas feruentissimi amoris, qui Dei filium humanauit, & nos à tenebris liberauit, & iunxit Angelorum choris. Gloriosissimi verò cælestis curiæ spiritus omnes, suo ordine cantantes Deũ laudabant & benedicebant.

63 Dixit etiam ista Dei ancilla, quòd in illâ beatificâ

A tificâ visione vidit Angelum Gabrielem in humanâ formâ Virginem salutantem; cuius primo aspectu gloriosissima Virgo admodùm se turbauit (vt Euangelica testatur historia) permissione diuinâ: & hoc potiùs ad nostram doctrinam, vt semper simus firmi in sancto Dei timore, & propter nostram vitam, quantumcumque bonis operibus intentam, in nullam incidamus securitatem. Erat autem cælestis Regina, cùm angelicam suscepit salutationem, pluribus associata virtutibus, scilicet humilitate profundissimâ, prudentiâ perfectissimâ, fide firmissimâ, & puritate nitidissimâ atque liberalitate maximâ: quia totam se ipsam dedit, & voluntati commisit diuinæ. Inerat etiam sibi animositas cum amore & obedientiâ verâ, & spes indubia cum omnibus alijs virtutibus insimul iuncta, quas omnes virtutes pax tranquilla in sui societate sequebatur. Et illicò illa beatissima Virgo diuinam voluntatem sentiens, totam se dedit & dimisit diuinæ dispositioni, inquiens: Ecce ancilla &c. Hanc beatificam visionem videns B. Francisca, non modicè admirabatur de tantâ virtutum copiâ ab illâ gloriosissimâ Virgine habitâ & possessâ: propter quas virtutes digna inuenta est, vt Vnigenitus Dei filius in suo virgineo B vtero carnem susciperet humanam: & admirando cogitabat, quòd nulla anima capax esse posset tantarum & talium virtutum & gratiarum. Propter quod cælorum Regina suæ ancillæ satisfacere volens, & eius desiderijs fauens, sic dixit: Quamuis nulla anima talium tantarumque virtutum sit capax, nihilominus iuxta suorum meritorum conditionem virtutes potest habere: & quandò animæ excitantur, & quantum possunt operantur cum purâ & rectâ intentione; quamprimùm à mundanis curis separantur, & diuino sponso mente purâ coniunguntur, ipse diuinus Sponsus, cum eis factâ vnione, se per amorem ligat, sicut earum est finalis perseuerantia: & quemadmodùm ipsæ animæ se sibi præbent in parte vel in totum & vlteriùs, secundùm quod ipsum sponsum amant; sic sibi gratiæ à sponso largiuntur.

Virtutes, ob quas Mater Dei facta est Maria, intelligit;

& imitari eas docetur.

VISIO XXIV.

64 Alio tempore post receptionem sanctissimi Sacramenti Corporis Christi in dictâ capellâ, Dei famula fuit rapta in extasim, & quando in suum sensum naturalem reducta est, Patri suo spirituali, eam C per obedientiam interroganti de visione, respondit: quòd eius spiritus fuit ductus in cælum empyreum in parte infimâ Seraphici chori, in quâ immensus & suauissimus calor radiabat, qui inflammabat omnes Angelicos spiritus, in ipso choro & inferiùs existentes, & huius Christi ancillæ spiritus etiam inflammabatur. Ipsi verò videnti illum diuinitatis thronum vnus ex Seraphicis spiritibus dixit: Hæc summa Deitas est, cuius splendor & caritas omnes nos facit inflammari, & de eius amore iucundari. Anima benedicta fac, vt in bono perseueres: quia amor te expectat, & vult quòd à te discedas. Habeas cor mundum & manus innocentes, intentionem rectam ad bonum & ad Deum omnipotentem. Ascende superiùs ad montem, & sta in contemplatione semper in diuino amore, qui te faciat inflammari, & in se ipsum transformari in suo diuino ardore. Transformata est anima, quæ est amori vnita; & ascendit super cælum, & est ex se posita & ducta ad chorum Seraphicum in quo sentit talem calorem & tam suauem ardorem, qui eam reddit transformatam. In altâ diuinitate est tota transformata: in eius amore inebriata ardet, sed non vritur; & nescit quid faciat, sed diuina caritas necesse est vt eam sustineat. Est ita profunda abyssus, quòd non posset calculari; spiritus in eam missus non potest quietari, nec contentatur reuerti ad seculum tenebrosum & spinis obsitum & totum caliginosum: sed illa pulchra caritas remedium sibi dat, ipsam ponit in terminis, in quibus se benè potest iuuare. Et hoc fuit anno Domini MCCCCXXXII D mensis Martij die vltimâ.

Ad Seraphicû chorum euecta.

intelligit amoris diuini ardorë & efficaciâ.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

VISIO XXV.

65 Aliâ vice post receptionem sanctissimi Sacramenti ab istâ Beatâ in dictâ capellâ, fuit in extasim per aliquod spatium ducta, & reuersa in suis naturalibus, interrogata à suo Patri spirituali de visione, respondit: qualiter suus spiritus fuit ductus in vnam lucidissimam lucem, in quâ vidit Regem cælestem in vno throno speciosissimo & subtus illum thronum erat inflammatissimus ignis; & fuit certificata, quòd ille ignis erat diuinus amor, & audiuit ex illo igne vocem procedentem, & sibi dicentem: Anima benedicta, esto in te benè remissa; habe cor præparatum ad illa superna bona, quæ tibi sunt ostensa: fac memoriam tuam memorem in tuo intellectu, & sic ordina mentem, vt efficiaris perfecta: nam veniet sponsus, & si sic te inuenerit, eris ab eo electa. Amor ipsius est medius, vt te reddat quietam: vnias te cum ipso, & faciet te transformari in illis æternis & supremis bonis, in quibus sibi placet: & ab eo sic dotata, de dote tibi datâ sis firma, nec dubites, quia copiosus est in gratijs faciendis, quando & quibus sibi placet. Ergo exulta in amore, E & fac secum te vniri in magnâ abysso amoris ardorisque, quæ te reddet intelligentem ad cognoscendum sponsum tuum dulcissimum, qui fortitudinem tibi dabit, & suis gratijs intùs adornabit, & extra videri nequibit. Ab extra nequit videri, sed intus benè sentitur & suus splendor videtur, & tuam confortat mentem, & te inflammat per amorem: aliud ab eo non recipis, ab eo per gratiam vestiris, & es optimè ornata. Ideò sta attenta quando ab eo eris vocata; habe mentem quietam ad suum velle contentam: ne illis rebus te immisceas ad te nihilo pertinentibus; sed esto benè attenta intùs in tuis sensibus. Et hoc fuit anno prædicto de mense Aprili die eius tertio.

Ducta ad ignem diuini amoris,

inducitur ei se perfecte vnire.

VISIO XXVI.

66 Qvodam alio tempore, cùm intrasset B. Francisca prædictam capellam, vt ex præcepto Patris spiritualis reciperet sanctissimam Communionem, dum Missa celebraretur, fuit rapta in extasim, & Missâ finitâ adhuc in extasi existens, recepit corpus Dominicum magnâ cum reuerentiâ, ostendens modos & signa magnæ admirationis: sed postquàm ad sua deuenit F naturalia Patri spirituali eam per obedientiam interroganti de visione, respondit: quòd quædam clarissima lux suum spiritum duxit in locum altum, à quo loco gloriosus Ioannes Baptista suum spiritum in altiorem locum duxit, sic inquiens: Sta hîc & videbis modos & actus hîc fiendos. Vidit itaque thronum magnum & splendidum, in quo erat Saluatoris nostri sanctissima humanitas, insimul cum maiestate diuinâ, à quâ tot & tam splendidi procedebant splendoris radij, vt nil aliud prospicere poterat præ intensione tantæ claritatis, nisi quamdam humanam effigiem. Vidit etiam cælestem Reginam, Dei filij Matrem coronatã, magnâ cum reuerentiâ ibi existentem, & Apostolos in suis sedentes sedibus, Patriarchas & Prophetas & Martyres, & cum Virginibus Confessores, ceterosq; Angelicos spiritus & humanos in illâ cælesti gloriâ existentes, & maximo cum ordine, & gaudio laudes & gratias Iesu Christo Dei filio reddentes, propter mysterium suæ sanctissimæ passionis, quam ex caritate pati voluit, vt humanam naturam nostram æternis coniungeret spiritibus: qui omnes recipiebant gratiam, quia irradiati & inflammati erant ab illis maximæ claritatis radijs, procedentibus ex splendore ex Domino procedente. Et hæc singularis gratia eis dabatur propter memoriam solennitatis Dominicæ Passionis.

A S. Io. Bapt. ducta ad thronû humanitatis Christi,

67 Et tunc ille gloriosus Baptista ad spiritum huius Dei famulæ sic dixit: Esto anima benè præparata

ad

A ad recipiendum amorem, qui te ad solenne festum inuitauit, & sis benè nitida & mundata ab omni vitij vapore. Esto benè compta, & virtutibus associata ad conuiuium cælestis mensæ, ad quod per Sponsum fuisti vocata, & rerum mundanarum memoriam pedibus tuis conculca. Remoue quod tibi nocet, & adhære summo bono: illustra tuum intellectum, & quæ vides intellige cum affectu; firma in amore tuam voluntatem, & eam fac vigorosam & quietam in illo lapide pretioso. Ista pretiosa margarita est humilitas cum obedientiâ iuncta. Remoue igitur omnem aliam rem per te conceptam, quæ priùs in tuâ mente habitasset. Postquàm eris sic ordinata & redimita & Diuinæ voluntati tota commissa, veni firma & secura, & audies nouos cantus, & videbis pulchros modos per angelicos spiritus hic retentos, & videbis res mirabiles, quæ, etiamsi videntur, minimè intelliguntur. Vidit etiam Angelicos spiritus aliquos instruere & præparare quoddam altare, & ille Rex cælestis, quem priùs ista deuotissima anima viderat existentem in throno, sumpsit formam quasi vnius Angeli, & posuit super illud altare se, & quod mirabilius est, supra altare positus, à throno primo non recedebat. Itaque Christi ancilla

B illum vtrobique inspiciebat, & in throno in suâ maiestate, & in altari in effigie Angelicâ: & à capite, manibus, pedibus, & latere illius in altari existentis largissima abundantia rei pretiosissimæ procedebat: & licet in magnâ procederet copiâ, tamen tota super altare remanebat. Gloriosissimi verò Apostoli à sedibus, in quibus residebant, surgentes circumcirca altare steterunt: Sanctus autem Petrus ad modum Sacerdotis principaliter illam rem pretiosissimam, de membris illius super altare existentis procedentem, alijs spiritibus ministrabat, quamuis & alij Apostoli etiam illam administrabant.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

& docta quo modo eo accedere debeat.

videt ipsũ in altari rem pretiosam emittere è vulneribus,

68 Ex quo factum est, vt illi animæ deuotissimæ ad videnda existenti, gloriosus Baptista appropinquans, ipsam duxit ad altare: coram quo satis reuerenter existenti, Sanctus Petrus ostendit illum Angelum existentem super altare, & voluit quod eius caput tangeret, & contemplando sibi dicebat: Respice istud caput, & istud os pretiosum, quod tantùm pium & humile, pro animabus dolorosis se fecit visibile, & totum se disposuit Patri obedire, & rei pretiosissimæ flumen sparsit, vt animæ sitientes inde possent bibere. Respice has manus puras & innocentes, quæ spargunt ista flumina, vt inde fumant animæ reuerentes, quæ ipsum

C sunt timentes, & ipsum Dominum diligunt amore feruenti; qui eas priùs formauit & plasmauit & amore suo compleuit. Respice etiam istos pedes cum placibili affectu istius, qui tantùm fuit auidus redimere genus humanum, quòd, sine verbis cum affectu processit, tamquam sagitta velox, ad mortem sustinendam, & largissimus ad patiendum omnem pœnam. Anima Deo deuota, respice hoc pectus tantâ caritate feruidum, à quo manat copiosi ardoris flumen perpetuum, quod se ingerit animabus secum vnitis & eius amore ardentibus. Respice etiam istam formam, quæ fuit & est tantùm benigna: sequere eius exemplum; sed noli credere quòd sis digna. Istud est regnum supernum, in quo qui vult regnare, totum se dat per amorem plenum, & ab alijs se rebus oportet spoliare.

quibus signata membra considerare iubetur,

69 Tunc Sanctus Petrus recipiens ex illâ re pretiosissimâ, quæ erat super altare, apposuit ori Christi ancillæ in extasi existentis: ipsa verò vidente suo Patre spirituali, sed ignorante tamen propter quam [rationem] aperuit os ad recipiendum illam rem pretiosissimam, per Apostolum Petrum sibi porrectam: quod sæpè faciebat, quando existens in extasi corpus Dominicum recipiebat, ostendens etiam ex illius rei receptione remansisse satiam & consolatam. Post hæc Apostolorum Princeps Petrus sic sibi dixit: Amor fortis in suâ potentiâ animam reddit stabilitam, sibique conformem, & modum suis retinens, qui secretissimè incedit, ad se retrahit animam suæ retractationis ignaram, facitque eam transformari, & isto diuino cibo eam facit saturari, & suo amore diuino facit ipsam inebriari & confortamine infinito cælestis Rex altissimus animam in se facit renouari. Et quando ista Beata erat in extasi, venit ad altare per se in extasi existens: Pater verò suus spiritualis ita suauissimum & maximum sensit odorem, quòd sibi videbatur, quòd illa capella tota esset plena rosis & floribus diuersorum odorum: & non solùm Pater spiritualis, sed plures ex illius filiabus spiritualibus illum senserunt odorem suauissimum; non solùm hâc vice tantùm, sed pluribus alijs vicibus, quando erat rapta in extasim. Et hoc fuit anno & mense superiùs dictis.

& particeps fit dulcedinis ex iis emanantis.

D

VISIO XXVII.

70 ALio tempore, recepto per illam Deo dicatam sanctissimo Sacramento Corporis Christi in dictâ cappellâ, fuit rapta in extasim immobilem, à quâ venit in extasim mobilem, cantans suauissimè, & ostendens signa gaudij & lætitiæ. Cantabat autem laudes Dei & Virginis Matris. Sed postquàm reducta est in suo naturali sensu, Patri suo spirituali eam per obedientiam interroganti de visione, respondit: quòd eius spiritus ductus fuit ab vnâ luce in locum satis altum, in quo speculabatur beatos spiritus cælestis gloriæ: licet tamen separata esset ab eisdem spiritibus, ductaque in locum semotũ tamquam persona aduena. Ad quam accedens illa in Dei amore feruentissima Magdalena, cui ista Deo deuota nimis afficiebatur, dicebat sibi. Esto philocapta ô anima, de rebus à te visis, & præcipuè de intensissimo amore [eius] qui te eas facit videre [qui] est abyssus ardoris & infiniti amoris. Esto ergo benè attenta in his, quæ vides, & ab eo sentis. Non est tamen vlla capacitas, quæ possit sustinere huius tantæ potentiæ immensam altitudinem, quæ te hîc sustinet; & sapientiâ æternâ, quæ te præordinauit per suam gratiam & fecit te & conduxit in hanc tantam lætitiam. Refer amori gratias, qui te sic fecit absorptam, quòd sis reducta in hanc altitudinem supernam. Ipse amor huc te adduxit, & gratia te pulchram fecit. Attenta sis ergo, & gusta hunc dulcissimum saporem, & tibi benè proficiat. Anima, esto benè attenta ad gratias tibi datas: contemplare purâ mente, & sis fundata in humilitate. Dum in carne mortali existis, pati poteris passiones, quia videns te mortuam vide nullam feras passionem de rebus tibi aduenientibus. In aduersis esto virilis & sic reportabis honorem. F

In die Paschæ

E

à S. Maria Magd. animatur ad generosam tolerantiã.

eiq; ostenditur caleste iubilum in Christi Resurrectione.

71 Et post hæc vidit humanitatem Iesu Christi Saluatoris nostri glorificatam cum inexcogitabili splendore, præ cuius magnitudine nil aliud poterat intueri, nisi quamdam humanam effigiem. Vidit præterea filij Dei Matrem plùs solito inflammatissimam propter filij resurrectionem, cuius solennitas in cælesti curiâ tunc agebatur. Omnes etiam gloriosi spiritus maximo cum honore Dei Matrem venerabantur, gratias immensas ei referendo; quia sola digna inuenta est in suâ sanctissimâ aulâ Virginali [Christum] portare: & præcipuè [laudabant] eius amorem indicibilem, propter quem in passione filij inexcogitabilem sustinuit dolorem, & sic omnes in suo ordine ei regratiabatur. Apostoli per se de magnanimitate per ipsam Virginem ab eis receptâ. Et illa in Dei amore feruentissima Magdalena cum Virginibus & alijs spiritibus ipsam Dei Matrem laudando, dicebant: Propter tuam paupertatem laudes tibi sint, alta Regina, quæ nos omnes exaltauit & hanc ad gloriam eleuauit; quia fuisti gratia plena. Gratia tibi, Pater dulcissime, qui pro nobis te fecisti filium. Tua immensa humilitas nobis dedit istud regnum, cuius [participem] fecisti tuam Matrem, quæ nunc est Regina cælorum super choros Angelorum [vbi] te nunc videt filium & patrem. Et tibi [sint] laudes

& Matris eius glorificatione.

A laudes immensæ, Fili diuinæ Maiestatis, & tibi, ô Virgo & Mater, sint laudes, & gratiæ infinitæ, per cuius plenam veritatem omnes habemus salutem, & tecum hîc iucundamur de tantâ nobilitate tui ipsius dulcissimæ Matris, Fili diuinæ Maiestatis, qui matrem tuam glorificasti, & ex tuâ humilitate nos omnes confortasti: cui æterna diuinitas se instituit in patrem, & sanctissima humanitas tua elegit suam matrem. Alta Regina cælestis & Domina Angelorum, tu es verum confortamen spirituum humanorum & hîc existentium. Existente verò ancilla Christi in tam beatificâ visione tantæ solennitatis, fuit sibi iniunctum, quòd simul cum ipsis spiritibus beatis deberet cantare, & ideò in extasi existens cantabat dicendo laudes, vt suprà dictum est. Cui Maria Magdalena sic dixit: Confortare felix anima, sufficiat tibi, quòd sis hùc ducta. Refer gratiam Domino, à quo in tali visione fuisti absorpta: fecit te videre tantam magnitudinem amoris, ex quo sic es confortata: noli ampliùs flere. Cui illa Beata respondit: Propter paruum temporis spatium, in quo Christum non vidisti, tantam pœnam sustinuisti, flendo semper & lacrymando, Deum & homines inuocando, Si Dominum meum vidisti: ergo iam noli mirari, si B me vides lacrymari à tanto bono semotam. Et hoc fuit anno & mense supradictis, in die a Resurrectionis Domini.

a Die Aprilis 20.

VISIO XXVIII.

S. Ioannes Euangelista hortatur ad perfectam obedientiã;

72 QVadam aliâ vice recepto per hanc Christi ancillam sanctissimo Sacramento in prædictâ capellâ, ipsâ existente in extasi, fuit eius spiritus ductus ab vnâ clarissimâ luce in loco altissimo & glorioso; sicut ipsamet dixit suo Patri spirituali eam per obedientiam interroganti. Et tunc gloriosus Euangelista Ioannes duxit eius spiritum in æternam gloriam, in qua vidit sanctissimam Saluatoris humanitatem cum inexcogitabili triumpho. Nam omnes spiritus tam angelici quàm humani gratias & laudes maximâ cum reuerentiâ sibi referebant propter humanam redemptionem, propter quam maximum gaudium cum inenarrabili lætitiâ faciebant. Et Beatæ Franciscæ videnti tam excellentem solennitatem sanctus Euangelista Ioannes sic dixit: Fac anima, quòd sis humilis, & benè firma in his, quæ vides, ex quo ad te venit amor, & à te totam te abstraxit. Fac, quòd sis obediens & semper C ei seruiens, ne quid ex aduenientibus rebus ad hoc te impediat. Respice veram puritatem, quæ est munda & Deo placens. Cogita summam potentiam, quæ tantum bonum prouidet. Intuere, quid inde venit ex suo conuenienti. Nemo se ampliùs impediat de re se non tangente, & de sibi tangentibus pulchrum habebit remedium in Dei sancto timore, qui eum liberabit omni tempore. Vera obedientia facit animam liberari, facit eam esse pulchram, & à laqueis hostis eripi. Quando ipsa est fidelis & respondet cum effectu, est munda in intellectu ab his quæ sibi dicuntur, totamque se expoliat. Nullam curam de te geras, ex quo ducta es ad tale festum diuini Verbi vniti cum humanitate.

73 Post hæc sanctus Euangelista sic Saluatorem allocutus est: O altissime Omnipotens, qui es super omnes cælos, animam facis exire, quod sibi non conuenit corpore essente viuo. Spiritus est in carne, tu inde eum eripis, & das sibi potestatem te ipsum hîc videndi. Ego de hoc non miror, quia scio id, quod est, nam quod vis facere potes, sed ipsa est stupefacta: [quia] postquàm à te recedit, facit ipsam tales tenere actus, ex quibus ipsamet miratur. Post hæc ait Beatæ Franciscæ: Anima, quæ es admirans, vt veritatem intelligas, & es quasi dubitans propter modos, quos tenes; an credis, quòd sis tota in te ipsa remissa in ipsum? Benè potes verecundari in secretis tuæ mentis. Et stans

& cum est tantus laudo Christi resuscitati.

sic loquendo cum Apostolo per certum spatium, suus D Pater spiritualis audiebat satis benè id, quod ipsa Beata Francisca cum Apostolo cantabat; nam præceperat Apostolus, vt cum ipso cantaret in hunc modum: Omnes læti iucundemur de hoc Verbo diuino, qui se ipsum resuscitauit, vt nobis omnibus vitam daret. Ipsa verò Christi ancilla, sicut dictum est, suauissimè cantabat, præsente suo Patre spirituali & prædictâ Ritâ, & sic cantando fuit separata ab illâ beatificâ visione, ex cuius separatione magno cum labore remansit angustiata. Dixit etiam Christi ancilla, quòd quando erat in illâ beatificâ visione videbat & cognoscebat in illo diuinitatis speculo omnes spiritus: quia semper illi gloriosi spiritus se inuicem respiciunt, & insimul inflammantur in caritate: sed quando ipsa remouebatur ab illo diuino speculo, vel antequàm in ipsum respiceret, si Sanctorum vel Sanctarum spiritus ad eam veniebant & secum loquerentur, ipsa existens in extasi nullum eorum penitùs cognoscebat, nisi ipsimet spiritus suam sibi dabant lætitiam, notitiamque talem vt eos agnosceret. Et hoc fuit anno & mensibus supradictis, ipsius mensis XXII.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

VISIO XXIX.

A S. Dauid excitata ad amorem Christi,

74 POst receptionem pretiosissimi Sacramenti in capellâ iam dictâ, Beata Francisca stetit in extasi immobili, & cùm ad suum sensum naturalem rediret, interrogata per obedientiam à suo Patre spirituali de visione, dixit, quòd spiritus Dauid prophetæ suum duxit spiritum ad videndum Diuinam visionem, & dixit sibi: Veni, ô anima & accelera, quia Sponsus te expectat ad suam cælestem mensam, & te reddet transformatam ad videndum gloriam beatam & essentiam diuinam. Respice societatem, quæ insimul est vnita: inspice benè cum effectu, & eris semper philocapta, si benè respicis modos & actus, quos tenent omnibus horis: nam omnes sunt pleni amoris, [ergà eum qui] totum se dedit pro nobis. Hoc est tibi manifestum: ergo fac quòd ipsum ames, & neminem præter ipsum quæras. Stes, ô anima, semper firma: speculare istud festum, quo te Deus tenet absorptam in suâ essentiâ diuinâ: totus ardet ex amore, vt te animam recipiat. Esto, anima, semper recens, & incede recta per viam: vade ad amorem, qui te expectat in istâ curiâ diuinâ: ipsum respice firmiter, quia totus est accensus, vt te secum conducat. Ne vilescas, ô anima, ne pigra sis ad veniendum, nec in rebus transitorijs sis occupata ad seruiendum: nam posset esse tibi impedimentum. Ex- F ardesce in Dei amore, & hoc sit tuum confortamen. Alij dicant quidquid volunt, tu noli discedere ab eo.

queritur illius cantus abstractam se à dilecti visione:

75 Vidit ista Beata Iesu Saluatoris humanitatem glorificatam, hoc est, iunctam humanitatem cum diuinitate; existensque porrò in extasi separata ab illâ beatificâ visione non cum modicâ pœnâ, prædictus propheta Dauid duobus Angelis secum comitantibus venit ad ipsam, gerens supra suum pectus sonorum pulcherrimum instrumentum, in quo ipse Propheta psallens diuersos, atq; suauissimos cantus ludens agebat. Licet illi Beatæ magis videbantur esse cantus, quàm a strumentorum soni; sed quia in illâ beatificâ visione audiuerat magis suaues cantus, & sonos pulchriores, ideò minùs appretiabatur illos prophetæ, siue soni siue cantus essent. Cui etiam in extasi existenti dicebat: Cum istis vestris cantibus, & apparitionibus amoueri me fecistis à visione, in quâ erat summum bonum. Quæ quidem Pater suus spiritualis, & vna ex eius filiabus in Christo, nomine Rita, & audiebant & percipiebant. Ex quo se prospexit priuatam illâ beatificâ visione, quietabatur tamen in visione, & locutione supradicti Prophetæ, & hæc verba suo Patri spirituali non interrogata, protulit: Iste Dei præscius dicit, quòd illud sanctissimum Iesu nomen sit semper fixum in corde tuo, nec quidquam aliud cogites, nisi in ipso te

A te ſpeculari, & ipſum geras ſcriptum in tuâ memoriâ: quod poſtquàm perfeceris, eris ſemper in ipſo abſtractus, & proſpicies facta magna & mirabilia, quæ ipſe fecit, & ea in tuâ mente ſenties, & claritatem habebis tui intellectus ad cognoſcendum ſuos modos, & ab omni aliâ re eris tantùm ſuſpenſus, quòd ſolùm ſua facta admiraberis: quorum poſtquàm ſenſeris guſtum, in te ſecurus permanebis. Sed neceſſe eſt, quòd in his rebus ſis virilis, nec timorem incurras vllius rei aduenientis, & quòd in nullo dubites: ſed Dei potentiam reſpicias, quæ poteſt gubernare te ſine tuâ prouidentiâ, quæ omnia benè fecit, & ea quæ ſunt futura in ſuâ Sapientiâ manent. Pater bonus non permittit ad debilitatem ſuos filios peruenire: & quando filius eſt bonus, contentus ſemper remanet de his, quæ Pater dat: & talis filius cognoſcere ſemper debet, quia Pater ſemper conſiderat eius neceſſitatem, & prouidet indigentijs filij ſibi ſubiecti. Perſæpè Pater tentat filij ſtabilitatem, tunc caue ne ſis ingratus de bonis ab ipſo receptis, nec vadas alienando in tuis proprijs ſenſibus. Si phantaſiæ eueniant, amoue eas ſubitò: liga te cum Dei amore, qui omnia onera per ſe leuiter portat. Quando ab eo propriè probaberis, tunc faciliùs cognoſces ſi amor tecum permanet. Si liberum te ſenties ab omnibus paſſionibus, & varijs ſuſpicionibus, & defectu rerum corporalium & ſpiritualium, in his tuam mentem ne impedias: ſed eius dimitte cuſtodiam illi, quem amas: illi ſoli committas omnem tuam curam, ne velis plus ſapere quàm id quod tibi datur ad intelligendum. Remoue ſtimulos de tuâ mente, & in te ipſo te collige, & tuos ſenſus refræna & corrige.

AVCTORE IO. MATTIOTTI. monet Confeſſarium vt vnum Deum reſpiciens,

B

eius paternæ curæ totum ſe ſuaſq. committat.

76 Adhuc tibi dicit Propheta, quòd de illâ animâ, cuius cura in manibus tuis eſt, eorum quæ vides & audis & quotidiè practicas, caue ne ſis ingratus de tanto tibi dono dato, & ſemper ſis attentus in rebus Dei ſecretis *b*. Deus iſtam animam compoſuit & ordinauit, & conditiones ſibi dedit, quòd ſit benè obedita & cuſtodita: & ideò non te oportet laborare, nec ipſius magnam gerere curam. Ipſe ſibi appoſuit curam, quòd tibi cedit ad magnum auxilium & ad magnum leuamen tuæ animæ, ad quod ſemper te reducas: quia theſaurus gratiarum Dei latens eſt, qui tantùm ſe diſpoſuit ad eam recipiendam in ſuo amore. Ipſe ſibi dedit tot gratias, quas illa vadit occultando: hæc eſt ſua conditio, quòd libenter ſe abſcondit, ne ab alijs videantur ea quæ operatur. Habet cor ſuum liberum & mentem ſemper abſorptam: & ſi in aliquo actu exteriori ſe oſtendit aliam, conatur potiùs interiùs bona videri, rebus ſe priuans ſpiritualibus, vt conſeruet theſaurum, quem ſibi dedit diuinus amor, & ne ab alijs magnificetur. Semper reſpicit ſecretum bonitatis diuinæ, quæ ſibi talem dedit conditionem à ſuæ conuerſionis principio: omnia per eam dicta dicit ad honorem Dei. Semper habet rectam ad Deum intentionem. Semper perſtat ſicut ſagitta coram Domino. Eſt etiam tantùm libera, quòd nec de ſuâ perſonâ curam gerit, & adhuc ſibi videtur, quòd anima ſua non ſit ſua, eò quòd ipſam vendidit & obedientiæ ſubiugauit. Conſtans in ſuâ mente, & in præceptis ſibi factis nullam patitur paſſionem, & quæ tantùm ſunt grauia, ſibi videntur leuia amore eam roborante.

Eodem in raptu declarat ipſi ſuas virtutes internas,

b

C

77 Nec mundus, nec caro, nec dæmonium eam vnquàm potuerunt decipere, nec à ſancto propoſito deuiare: & ideò noli mirari, ſi vides ſuperabundantes gratias, quas Dominus in eâ oſtendit. Ingentia operata eſt cum animo ſemper virili, acerbiſſimas pœnitentias ſupra corpus ſuum fecit, de quo tantùm curauit, quantùm de vno ſacco duro. Amor eam ducebat & docebat: nullum verò alium habebat amorem, niſi diuinum: nec aliud in mente reuoluebat, niſi vt Deo placeret. Permiſit enim Deus ad ipſius vtilitatem habere viſionem dæmonis, qui eam continuè moleſtat, & intolerabilem affert laborem, & impendit moleſtias, quæ ab aliquibus habentur pro *c* dictis. Nec ipſa fuiſſet ſufficiens ex ſe ad ſe reſiſtendum dæmonis tentationibus, qui eſt ferox, & eam continuè cruciat multis & diuerſis modis, niſi Dei gratiâ fuiſſet cuſtodita. Sed ne ipſe antiquus hoſtis ipſam vltra modum pauere faceret, ipſe pijſſimus Dominus ſibi Angelum ei viſibilem in cuſtodiam conceſſit, vt eſſet ſuum remedium: ne per viſionem hoſtis nequiſſimi eſſet extra ſuum ſenſum & intellectum, quando eam cruciabat. Nam niſi ſtetiſſet in ſuo naturali ſenſu, non ſenſiſſet cruciatus per malignum hoſtem ſibi inflictos, & non ſentiendo non tantum mereretur. Et hoc permiſit benignus Dominus, vt ſuam dilectam ſecundùm ſuum velle duceret, & ſibi conceſſit ipſum Dei Angelum poſſe videre, vt animoſiùs & perfectiùs ſe reducat & confortetur poſt tormenta nequiſſimi hoſtis ſibi inflicta: & vt ex iſtius benedicti Angeli viſione continuâ non remaneat de ſupplicijs pauida. Et ideò dico tibi, cui iſta ancilla Dei obedit, noli ampliùs dubitare in rebus à Deo permiſſis & tibi manifeſtis, tantùm de eis poteris dubitare, quando eam Deus permittit ſic ſtare: ſed poſtquàm ipſa erit à Deo vocata, tunc intellectus tuus declarabitur & myſterium intelliges & menti tuæ ſatisfacies. Noli ampliùs experiri, poſtquàm toties expertus es. Et hoc fuit anno Domini MCCCCXXXII, primâ die menſis Maij.

moleſtias ſibi illatas à dæmone,

D

c

& Angeli præſentiam:

iubetq. ipſum de ſe eſſe ſecurũ.

a *Propriâ Italis aphæreſi* ſtromento *dicitur pro* inſtrumento.

b *Addebatur* nec te oportet ne cum phantaſijs: *quæ ſcriptoris feſtinantis incuriâ mutilata, quia nullum ſenſum faciebant, omittere maluimus.*

c *Id eſt*, fabulis.

VISIO XXX.

78 QVadam aliâ vice recepto ſanctiſſimo Corporis Christi Sacramento per iſtam ancillam Dei in capellâ ſæpè dictâ, ipſa exiſtente in extaſi immobili, quædam clariſſima & diuina lux duxit ſuum felicem ſpiritum in aliam ſplendidiorem lucem, in quâ ſibi apparuit glorioſus Doctor Hieronymus ſibi dicens: O nobilis anima, veni ſuperiùs ad fruendum tuo Creatore, qui mihi dedit licentiam, vt ipſum tibi oſtendam. Tunc illa deuota anima vidit excelſum thronum, in quo reſidebat Verbum humanatum. Ipſa præ nimiâ throni & in ipſo ſedentis claritate, nil aliud videre poterat niſi quamdam formam humanam. Fuit autem poſita per ſupradictum Doctorem in loco ſemoto à locis, in quibus reſidebant ſpiritus glorioſi, tamquàm quædam aduena & peregrina paupercula, quæ per ſpatium vnius horæ in tanto gaudio exiſtens, volens Dominus ei licentiam dare, fecit ſibi dici per ſupradictum Doctorē: Anima, quæ conſueuiſti tale iter pangere, ſemperque vis vti tuo velle proprio, ſemper es præſto & firma ad ſtandum in tali viſione; recepiſti in tuo vſu reſpicere illud ſpeculum & delectationem, quæ eſt in ſummæ Maieſtatis contemplatione: credis nimis videre, & tu nihil vides: ita magna eſt abyſſus in contemplatione Summi Omnipotentis. Nos, qui ſemper ei aſſiſtimus non poſſumus videre totum: quid debes facere tu, quæ adhuc es in ipſo portu? Habes igitur cor candidum & mentem benè accenſam. Pulcherrima *a* diuiſa eſt color albus & rubeus: [fac] vt habeas cor purum & manus innocentes, & caritatem ardentem continuè ad tuam mentem, & ſi iſtas res ſimul habes in mente, aſcendere potes. Ex quo læta, es effecta de tali viſione, recipe confortamen, & deſcende inferiùs.

A S. Hieronymo ad contemplationem diuinitatis perducta,

E

a

79 Ex extaſi verò immobili reducta ad extaſim mobilem loquebatur diſputando cum prædicto Doctore, ſua tuendo iura, & allegando cauſſas, per quas non debebat recedere, audiente ſuo Patre ſpirituali & prædictâ Ritâ. Sanctus verò Hieronymus eam reprehendendo ſibi dixit: Anima non verecundaris de tantâ præſumptione, nec perdis audaciam ad ſtandum hic ſuperiùs:

reprehenditur quòd ei velit pertinaciùs immorari:

A superiùs: nescis vbi existis, ita est magna hæc abyssus. Confirma te in Dei amore, & hinc recede cum ipso. Anima, tu non intelligis, sed es effecta rudis: tu credis & tibi persuades, quòd sis vera obediens: in istis rebus ostenditur, si sis ei consentiens, quando tibi per nos dicitur, quòd debeas recedere: Si enim nobis sic placet, tu debes obedire. Quæ enim est vera sui ipsius negatio, nisi rerum placibilium renuntiatio? Cur à te non remoues res, quæ tibi placent? Tu non vis dimittere tuum gaudium, quod te facit animosam: velles stare semper absorpta in tuo velle. [Verùm] tunc benè anima experitur, & eius bona voluntas tunc meliùs exprimitur, quando sic eijcitur à suæ mentis iubilo, & numquàm habet perfectum bonum, nec efficitur quieta quousque non abijcitur à suâ pace lætâ. Tunc benè probatur, & videtur talem animam subire examen, quando inuenitur contenta in sic & non. Si tibi persuades, quòd es vera obediens, in hoc benè cognosces, si in similibus rebus es benè contenta & patiens. Anima, quæ est remissa, & stat in oratione, & in rerum supernarum existit contemplatione, si inde amoueretur, & ex admiratione turbaretur, vadat & se proijciat in flumen; & ne sibi persuadeat, quòd sit benè cum Deo iuncta: nam anima, quæ semper reperitur contenta, est verè vnita tam superna contemplando, & ad ipsa eleuata est ipso iubilo priuata; & sic est benè probata, si de nullo conturbatur, & stat pacificata, & in suâ mente lætatur. Talis anima potest etiam cũ *b* gentibus conuersari, quia non est res tam difficilis, quæ eam faciat alienare. Si aliquod aduenit deuiamentum, subitò illud remouet, ideò semper melioratur in omnibus, quæ dicit, & facit. Tali vice permittit Dominus, vt sic fiat ad animam conseruandam, vt securiùs incedat per suum iter directum. Anima, quæ est conseruata, & in gratiâ Dei confirmata quidquid sibi videtur fruendum, fructus dulcissimus suauissimusque est & Deo acceptissimus: & talis anima potest benè itinerari, & in montem ascendere. Postquàm illa deuota anima fuit amota à visione diuinâ, remansit in visione illius gloriosissimi Doctoris. Et hoc fuit anno prædicto x die mensis Maij.

cùm opus sit omnimodâ indifferentiâ & plenâ sui in talibus resignatione.

B

a *Diuisa.*

a *Id est*, partitio: *item modus, electio, vt scribunt Academici suprà dicti.*

b *Id est*, cùm hominibus quibusuis, *idiotismô Italis Francisq; communi.*

VISIO XXXI.

Christi Ascensionem contemplãs,

80 ALio quodam tempore ista Dei famula post sanctissimi Sacramenti receptionem in dictâ capellâ existens in extasi immobili, vt sui moris erat, quidam Angelus eius felicem spiritum duxit in quamdam splendidam lucem, & ex illâ luce eum posuit in aliam splendidiorem: & vidit desuper aliam lucem indicibiliter splendidissimam, in quâ luce præ nimio splendore erat Regina cælestis, adstantibus coram eâ gloriosis Spiritibus, quilibet in suo ordine magnâ cum lætitiâ. Existenti verò in illâ præclarâ luce & videnti in maiori luce maximam solennitatem, Regina cælestis dixit: O spiritus, qui huc venisti, exurge, & in altum respice, vt possis esse philocaptus. Respice Redemptorem, qui super omnes cælos ascendit, ipse aperuit nobis regnũ, cuius nos fecit ciues: [in quo] omnes sumus in vnione & perfectâ pace. Intuere hanc altitudinem; Saluator venit securus, & vexillum suæ victoriæ secum duxit: nunc se posuit in tam alto culmine, honorem reddendo suo Patri. Dum hæc verba dicebantur per cælestem Reginam, quæ ipsa verba proferebat cantando, Dei ancilla sentiebat se trahi & duci in illam maximam lucem, in quâ tamquàm aduena & peregrina, se inuenit positam in choro Seraphico, & propter infinitos splendores non poterat respicere ad plenum in effigiem Redemptoris, videbat tamen quasi vnam formam humanam.

C

audit gratulationes B. Virginis,

81 Dum autem fiebat tam magna solennitas, Angeli respondentes canticis cælestis Reginæ, dicebant: Gratias & laudes tibi, Verbum diuinum, quòd tuâ humilitate cælos aperuisti, & gloriosam societatem nobis dedisti, sedes verò vacuas tuis Sanctis repleuisti; immensas ergo gratias tibi, Redemptor, reddimus de tot & tantis bonis receptis. Tunc Regina cælestis alloquens Dei ancillam, dixit: O anima, quæ hæc sentis, & iam fuisti *a* aduisata, tibi etiam concessum est, vt tam nobilem altitudinem cernas. Post hæc accedentes Patriarchæ reuerenter dicebant: Gratias tibi alta Regina, quæ es tota gratiâ plena, ventris tui sanctissimus fructus nos transtulit in tantam gloriam. Sed cælestis Regina cantando, dicebat: Gratias Patri & Filio, qui vos omnes qui tot tantisque gratijs pleni statis, liberauit de tot inimicis, & saluauit & in tantâ posuit pace, quæ nullam habet pœnam, & diuina caritas omnes vos sic inflammauit. Apostoli etiam cantantes dicebant: O felix spiritus, qui sic es raptus, & in tanto iubilo positus, post paucum eris amotus ab omni amaritudine: lætare sine mœstitiâ, & recipe confortamen, quia nunc potes recipere & gaudere hac dulcedine. Innocentes verò dicebant: Immensas tibi gratias, cælestis Regina, reddimus, quia ex tuâ sanctissimâ carne habemus Deum & Dominum Angelorum, vitam iucundam habemus de tantâ gratiâ & dono, & gaudemus de tanto bono, de quo sumus benè securi. Et Virgo Regina cælestis adiunxit: Reddam gloriam Patri de suo Verbo diuino, qui tantam dedit victoriam gremio Virgineo: deuicit illum draconem in suâ potentiâ, vt vos recuperaret & poneret in suâ gloriâ. Martyres verò & Confessores cantando, dicebant: Gratiæ & laudes sint summo Deo, à quo fuimus creati, & de amore infinito, quo nos verè dilexit, & suo pretioso sanguine nos saluauit & redemit. Tunc Dei Mater & Virgo omnibus Beatis dixit: O dilectæ animæ & beatæ, quæ positæ estis in tanto statu, meus & Dei Filius portauit sua insignia, quæ tenet in testimonium, & modò fecit illustrari, vt his visis gaudeatis de amore, quo vos dilexit.

D

AVCTORI IO. MATTIOTTI.

a

Patriarcharum,

Apostolorũ,

Innocentiũ,

E

Martyrum & Confessorum,

82 Et dum cælestis Regina dicebat hæc verba, pretiosissima vulnera Saluatoris peramplius & perfectiùs resplendebant. Vnde gloriosissimi spiritus maiori replebantur gaudio; & tunc, Magdalena insimul cum alijs Virginibus dicebat: Tibi Virgini & Matri Dei omnes referimus gratias, tu ostendisti nobis viam per quam securæ venimus te ductricem sequendo, conseruatæ in puritate & in perfectâ humilitate: recepimus iam amorem sanctissimæ Fidei, & per te, Domina Angelorum, istud *b* iocale pulcherrimum seruauimus, & tenemus tuæ purissimæ & firmissimæ obedientiæ, & mentis puritatem, veram & non fictam honestatem. Ideò tibi reddimus gratias, Patris nostri famula Materque. Tunc Dei famulæ, Mater sua dixit: Respice sursum, ô anima delicata, considera tantam altitudinem, quæ animas fortificat & abstrahit ab amaritudine: & eis dat tantam dulcedinem inflammatus amor diuinus, speculum Seraphicum, qui omnes animas de se reddit plenas. Et omnes illæ animæ beatæ dicebant reuerenter: Laudamus te, ô Domina, & tuum & Dei Filium de illo perfecto amore, quem nobis ipse ostendit in tanto feruore. Fecit se obedientem in obedientiâ, fundatâ & probatâ in patientiâ, & in suo amore perfectâ. Te etiam laudamus Patrem de tantâ *c* curialitate curiosâ nobis datâ, & tantâ gratiâ beatâ, quæ nos confirmauit in obedientiâ & humilitate; & de perfectâ pace [quâ] nos coronasti. Tunc Regina cælestis B. Franciscæ dixit: Confortare, ô anima perpercula, & quæ vides, sume pro *d* confectione, & firma ea in tuo capite, & delectare in tuo corde, & eâ benè pone in tuâ mente, vt possis semper inuenire in his pulcherrimis præsentationibus. Et hoc fuit anno & mense superiùs positis.

Virginum,

b

F

& Sanctorum omnium.

c

d

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

Aduisare. a Hic & sæpè aliàs accipitur ab Italis pro prudente ac prouido: in genere autem aduisare, est certiorem facere, admonere alicuius rei: ex præpositione Latinâ & Lombardico vvysen; quod à radice vvys sciens, sapiens, significat monstrare, docere &c. Belgis homogeneâ voce aen-vvysen diceretur. Eadem vox in vsu est Francis: & quandoque etiam significat deliberare, consultare: unde in Concilio Pisano aduisamentum pro sententiâ.

jocale. b Monile, sic dictum alicio, quòd ioci, id est, oblectationis solius causâ assumatur; vide Vossium lib. 3 cap. 17, sic à Francice iouër ludere, Belgis hodieq; in vsu est iuvveel.

curialitas. c Italis & Hispanis ac Francis Cortesia, courtoisie, nomen à corte, id est, aulâ seu palatio sumpsit, pro virtute Eutrapelia: quoniam ea potissimum in aulis vel habetur vel simulatur: unde & beneficium quoduis humaniter ac gratiosè alteri factum eodem appellatur nomine, quod hic curialitas dicitur: aliàs autem pro aulicismo accipi potest: quemadmodum ante annos 500 Ioannes Salisberiensis librum scripsit de nugis-curialium. i. aulicorum.

d Ita ad formam Latinæ linguæ aptiùs exprimere voluit auctor, quod vulgò confettura dicunt: qua voce quæuis intelliguntur bellaria sacchari aut melle condita atque confecta.

VISIO XXXII.

In festo Pentecostes a B. Virginis aspectu,

83 QVodam tempore ista Deo deuota, auditâ Missâ, iuit ad cellulam domus suæ, in quâ solita erat orationibus & sacris vacare meditationibus, ostio clauso & genibus flexis. Statim aduenit quædam diuini amoris flamma magnâ cum luce, & eius spiritus fuit ductus cum illâ luce in altum, in quâ quidem luce erat ille domesticus Angelus, de quo superiùs dictum est: & ex illâ inflammatâ luce eius felix spiritus ductus est in aliam maiorem lucem, in quâ vidit cælestem Reginam pulcherrimo diademate coronatam, cui assistebant gloriosi Angelici spiritus & humani, cantantes suauissimè & melodicè. Post hæc fuit separatus eius spiritus ab alijs gloriosis spiritibus, & positus tamquam peregrinus in vno loco: in quo existens vidit thronum magnificè præparatum, quem circuibant splendores inexcogitabiles cum suauissimis coloribus. In quo quidem throno erant litteræ scriptæ, ex quibus mirabiles procedebant claritates ad modum linguarum: licetque illæ linguæ omnes essent inflammatæ, aliquæ tamen erant alijs inflammatiores. Litterarum verò erat hæc scriptura: Amor, quem ego dilexi, amor, qui me dilexisti. Amor me dedit tibi, quia tu te mihi dedisti, per totum sum dispositus: ex quo iam estis vber redde nobis confortamen. Mihi dedistis reductum, in quo me collocaui. Amor vobis promisit, quòd dabit confortamen ad applicandum ad portum, in quo estis liberati. Fuistis semper parati ad omne meum velle, fuistis vniti & grati & à me benè noti, & in vitæ libro scripti: nunc ipsâ in patriâ positi, & ibi benè firmati. Intellexistis veritatẽ, & postquàm à meo amore fuistis inflammati, estis semper recordati mei veracis amoris: nunc gaudete de omnibus bonis, quia amorem habetis in quantitate.

ducitur ad thronum amoris diuini:

iterumq; eò post communionem reuecta.

84 Et B. Francisca existens in prædictâ cellulâ per diem, & totam noctem in tanto iubilo & gaudio, adueniente alio die, horâ consuetâ, exiuit cellulâ, vt veniret ad Communionem, sicuti consueuerat, ex obedientiâ: & volens priùs confiteri, non erat perfectè in suo naturali sensu, & postquàm ostendit Pater illius spiritualis sanctissimum Sacramentum, recepit illud reuerenter, tamen existens in extasi, sicuti pluries sibi accidebat. Illicò eius felix spiritus ab vnâ luce splendidâ ductus fuit in aliam splendidiorem lucem, & ex illâ in splendidissimam, in quâ vidit thronum speciosissimum plenum infinitis thesauris, in quo quidem throno erant hæ litteræ scriptæ: PRINCIPIVM SINE FINE: atque ex illo throno processit vox sibi dicens: Dilige, ô anima, tuum Dominum, dilige illum, qui tantùm te dilexit, & de cælo in terram descendit, vt tibi seruiret. Mundus eum odio habuit, sed ipse draconem vicit. Ama ipsum verò amore, qui pro te carne humanâ se vestiuit, & in tantùm te amauit, quòd suum sanguinem sparsit, vt tu secum regnares: ex quo te illustrauit, & illam viam, quâ ad eum venires, monstrauit, vt eum semper amares. Voluit cælos ascendere, & aperire illum ardorem: ipse te docuit, vt timeres magno cum feruore. Recipe tempus tibi datum, & itinera modis debitis: esto humilis & mansueta & omni vapore exuta: esto libera in obedientiâ, semper sita in amore, & velox in Dei feruore, & citò perficies tuum iter, modò iam transformata sis in hoc diuino amore, in quo existis inflammata. Respice semper tuum Deum & eius nobilem amorem. Esto semper perseuerans, remota à vilibus rebus. Gusta dulcedinem æterni saporis & confortamina ista, quæ recipis ab amore, quæ te inflammant in Dei amore. Igitur ama tuum Dominum, & eum dilige cum affectu: ipse te duxit in tanto iubilo & tantâ transformatione, [teque] magnanimè posuit in hac abysso nimis inflammati amoris. His finitis sermonibus, remansit illa anima Deo deuota in visione Dei Genitricis. Et hoc fuit anno prædicto de mense Iunij, in die solennitatis a Pentecostes.

monetur feruenter amare Christum.

a Die 8 Iunij 1432.

VISIO XXXIII.

In festo S. Trinitatis.

85 ALio quodam tempore, post receptionem sanctissimi Sacramenti in prædictâ capellâ, Christi ancilla fuit rapta in extasim immobilem, & vidit maximam solennitatem, quæ tali die in cælo fiebat in honorem sanctissimæ Trinitatis ab omnibus spiritibus tam angelicis quàm humanis. Interrogata verò à suo Patre spirituali per obedientiam de visione, respondit, quòd sic essendo in beatificâ visione audiuit vocem sibi dicentem: O anima, quæ existis verax, sit tibi semper pax. Sequere amoris veritatem, qui tibi hanc gloriam ostendit: sequere Iesum Christum, qui est totus amore plenus, & à te requisitus est caritatis abundantissimus. Fac quòd eum diligas, nec ab eo retrocedas; ab istâ requie non discedas, quia vult sic te semper consolari. Habe humilitatem, & te remitte in illo pectore, & claues illius recipe, & semper in ipsum delecteris. Pura obedientia te facit secum vniri, & citò quouis applicabit antequàm applicari senties. Anima, esto transformata in Trinitate benignâ: nam potentia diuina se tibi dedit ostendendam, & ille dulcis amor diuinus, qui est Sapientia æterna, & clementia superna, quæ totam te inflammauit. O anima, quæ es profunda, respice summum Deum, & in ipsum benè speculare, & locum, in quo existit: & in ipsum confortabere: & in ipso reduceris; si persistis in caritate, cum ipso semper vnita. Ergo vnite semper secum, & te in ipso benè remitte: esto semper amore plena, & in ipso semper versissa. Omnium rerum es oblita, licèt sic benè fecisti, sta semper, & noli recedere. Sed quantam sentis pœnam, ô anima paupercula, quando te videbis elongari ab istâ cælesti mensâ? Sed gere carni tuæ discretionem, quia ex recessu spiritus sentit afflictionem: ergo reuertere ad ipsam. Et hoc fuit anno & mense prædictis a in festo sanctissimæ Trinitatis.

similiter incitatur ad constantem amorem.

a Die 15 Iunij 1432.

VISIO XXXIV.

In festo Corporis Christi ostensâ sibi Eucharisticâ mensâ.

86 ALio verò tempore, post sanctissimi Sacramenti receptionem in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim immobilem, & postmodùm reducta fuit in suos sensus naturales. Et B. Francisca interrogata per obedientiam à suo Patre spirituali, respondit, quòd eius spiritus fuit ductus ab vnâ luce ad aliam maiorem lucem, & ex illâ in aliam maximam lucem, in quâ vidit diuinum thronum, coram quo erat mensa quædam pulcherrima, & optimè præparata cum magnâ amoris inflammatione, & circum illam mensam erant beati spiritus humani, & in prædictâ mensâ erat species panis & vini: quæ quidem species consistebant in carne &

A & sanguine. Spiritus verò humani sentiebant, licèt non de illius carnis & sanguinis speciebus, maximum confortamen. Existens verò anima Deo deuota magnâ auiditate separata ab alijs spiritibus, tamquàm aduena & paupercula ad videndum tam pretiosos thesauros, cælestis Regina sibi dixit: Anima sis præparata ad recipiendum exenium tibi venturum, nam infinita caritas te ornabit suis bonis: esto redemita suo amore semper in suo conspectu: habe cor præparatum ad istud bonum & beatum donum, istud est Verbum incarnatum cum suo sanguine pretioso sub specie panis & vini [qui] est cibus Christianorum, & confortamen Angelorum & beatorum Spirituum, qui stant in ciuitate supernâ. Omnes spiritus sunt repleti illâ claritate æternâ: modò dat tibi confortamen ex amore, quem tibi gerit, & nunc hæc tibi ostendit, vt perciperes de tanto bono. Respice amorem diuinum, quantùm se humiliauit: vide vnde tibi venit cibus tam delicatus. Vt omnes nos confortet, totum se nobis dedit. Fac vt sentias cum effectu ipsius amoris delectationem: conforma te cum eius aspectu, quem iam ipse tibi ostendit: Anima, respice benè ex quo te vult satiare de suâ plenitudine, quæ tanta est, vt omnibus possit præstari, si quis vult potest habere, qui sit præordinatus in vitæ libro. Anima, tu [in eo] es scripta: anima, quæ sic es plantata, labora, vt facias bonum fructû, & crescas in Dei amore, & ex te facias bonam *a* probam. Habeas semper fortitudinem cum humilitate profundâ, & sentias amaritudinem de peccato, quod abundat. In tuis factis sis discreta, & in sanctâ fide perfecta: semper recurre ad Dominum, quando animam sentis imperfectam, & ad ipsum semper reuertere. Recipe ab ipso confortamen & à caritate supernâ: sis semper cum ipso vnita: confirma te in amore, qui te faciet agilem, & remouebit ab omni vapore.

docetur quomodò debeat ad eam esse disposita:

B

a

accepta ea spiritualiter communione,

87 Quibus verbis finitis Christi ancilla fuit ibi spiritualiter communicata, & de pretiosâ Carne & de pretioso Sanguine Iesu Christi: & omnes spiritus angelici speculabantur ipsum Deum, & ipse Deus speculabatur eos: & gloriosi spiritus facientes maximam lætitiam cantantes suauissimè ad honorem sanctissimi Sacramenti, dicebant huic animæ Deo deuotæ: Lætare, & nobiscum canta. Ipsa verò in extasi existens, dulciter & suauiter cantabat: cuius cantus Pater suus spiritualis, & præfata Rita optimè audiebant. Ipsa verò sic cantabat: Demus gratias summo Deo, qui nobis dimisit Corpus & Sanguinem suum sub specie panis & vini: integerrimè laudemus sanctum & iustum, qui per gratias nos reducit & vestros choros aperuit, qui præparati fuerunt ante mundi creationem. Laudemus Deum cum affectu, qui nos vobis addidit in suo conspectu. Iesus nostra delectatio præbuit nobis hoc confortamen: modò laudemus ipsum Regem summum, qui summo amore nos inflammauit & caritate refecit & adornauit; laudemus Regem diuinum, qui se fecit speculum Seraphicum. O dulcis amor te laudamus, qui es noster pius redemptor. Ex tuâ caritate pro nobis es datus, & hoc fecit tua gratia. Ego te laudo, mea vita, qui me elegisti in tali societate: sic tibi placuit spes mea, non despicere vilitatem meam. Gratias tibi ago cælestis Regina, quæ me recollegisti in mente tuâ & pro me interuenisti, & tua gratia me repleuisti. Regratior vobis, O spiritus intercessores, qui me recepistis in isto magno amore, & reposuistis in tanto gaudio & ardore. Tu ô Magdalena & tua Societas, iuuetis me, quæso vos, ad Deo reddendas gratias pro isto ardenti amore, quem mihi ostendit Iesus Redemptor & Saluator meus, qui me recollegit in suo infinito amore. Intelligens verò ipsa Beata quòd debebat recedere à beatificâ visione, & stans in agoniâ propter recessum, cùm sibi ab illis gloriosis spiritibus persuaderetur vt ampliùs cantaret, maximâ cum angustiâ respondit: Quæ mihi tanta auiditas cantandi, cui præ dolore cor scinditur, cùm descendere me video à tanto amore? Vos, qui cum eo remanetis, vt libet iucundemini & cantetis: ego cantare lætâ mente non possum. Tandem spiritibus ipsis eam compellentibus vt cantaret, cantando dixit: Amor, decepta sum, & non possum me iuuare: vires mihi sunt ablatæ, quia me abstrahis à tantâ stabilitate, & facis me ad meam reuerti vilitatem. Esse me scis non magni valoris, & ideò non possum me tueri. Et hoc fuit anno prædicto in die *b* festiuitatis Corporis Christi.

in extasi gratias agit pro collato sibi dono;

C

& dolet ab eo se auelli.

D

AVCTORE IO. MATTIOTTA.

b

a *Id est, sume experimentum bonum tui ipsius.*
b *Die 19 Iunij.*

VISIO XXXV.

88 ALio verò tempore Dei ancilla in dictâ capellâ pretiosissimi Sacramenti recepit Communionem, & eius felix spiritus, ipsa remanente in extasi immobili, fuit ductus more solito in vnam splendidissimam lucem & maximam, in quâ vidit excelsum & pretiosissimum thronum, in quo Redemptoris nostri Iesu Christi residebat sanctissima Humanitas in humanâ formâ: nam ipsa beata anima propter nimiam claritatem de throno procedentem, aliud videre nequibat. Et cælestis Regina sub illo alto throno excelso cum alijs gloriosis spiritibus tam angelicis quàm humanis existebat. Vidit etiam gloriosum Ioannem Baptistam honorificè tamquàm vnum ex Patribus sub throno cælestis Reginæ existentem: & vidit & audiuit omnes gloriosos spiritus laudando Saluatorem *a*, & gratiam reddendo propter gratias Ioanni Baptistæ à Deo collatas: tum quòd eum Præcursorem & Angelum fecit, tum etiam de sanctificatione in vtero materno, & propter asperrimam pœnitentiam in suâ puerili ætate in deserto, & propter eius prædicationem, & quia ipsum Saluatorem meruit baptizare, & propter alias plures gratias sibi à nostro Redemptore concessas. Laudabant etiam cælestem Reginam de tantâ caritate, quando visitauit Elisabeth, Matrem beati Ioannis Baptistæ, & de labore [suscepto] per ipsam gloriosam Reginâ cum Elisabeth existendo & sibi seruiendo quousque illum gloriosum Baptistam peperit, quem illa cælestis Regina in suis manibus recepit: quas quidem laudationes ipsa beata anima in extasi existendo dicebat. Quibus finitis, gloriosus Baptista beatæ Franciscæ dixit: O anima, quæ fuisti ducta in tantam amoris altitudinem, respice tuum Dominum, qui te fecit tam fortunatam: hæc est tanti amoris profunditas, de quo vnusquisque potest habere partem: ideò se fecit Crucifigi, vt nos huc ad se duceret, & possessores faceret tot & tantorum bonorum. Lætare ergo, ô anima, & addisce istam viam tantæ abyssi amoris: vnias te cum ipso, quia inflammabit cor tuum, nec locum quietum inuenias, quousque peruenias ad ipsum *b*. Repausa ergo tuam mentem, ne vadas *c* vaniando, fige te in amore benigno, qui tibi dedit tantum gaudium, & faciet te tantùm ardentem de igne non comburente: & faciet te suo amore plenam, nec desiderabis aliquam rem, quàm cum ipso permanere. Redde te sibi conformem & eris rectificata in suo amore diuino, in quo tota eris submersa: sed non potes habere plenè, dum in corpore habitas. Confortare, anima, quousque veniat tempus: nam gustabis & senties, quando applicabis ad portum tantæ sine mensurâ lætitiæ, in quâ firma permanebis. Ergo, anima, firma te in voluntate diuinâ, & de te noli curare: totum tuum cogitatum iacta in Dominum, & in suam firmitatem: reduce te cum Dei amore, & sta in eo confisa, & deducet te ad talem portum, in quo eris consolatione plena.

In festo S. Ioan. Bapt.

E

a *audit Sanctos Deum laudantes pro gratijs ipsi concessis.*

qui ipsam hortatur,

F

b *c*

ad amorem fiducia plenum.

89 Ipsa verò Dei ancilla intelligebat, quòd sibi dabatur *d* licentia, quapropter nimiùm dolebat, & recommendabat se cælesti Reginæ, & beato Ioanni Baptistæ, ne eam permitterent, à visione beatificâ recedere,

d

A dere, & cum pulcherrimis orationibus quantum poterat se iuuabat: quæ verba, dum sic staret in extasi, Pater suus spiritualis & vna ex eius filiabus spiritualibus audiebant. Beatus verò Ioannes Baptista dixit ei, vt suo Patri spirituali sic diceret: Ne conturberis, nec in rebus altis [scire] velis, nisi quantum Dei permittit voluntas: & quando interiores vel exteriores accidunt perturbationes, habe animum virilem, & te ipsum firma in Dei secreto, & sis semper armatus & Dei amore firmatus: nam vbi Dei amor existit, non potest intrare vapor frigiditatis: & vbi est sapientia, dubitatio non habet locum: & vbi est humilitas, nihil potest introire, quod possit animam à Deo separare: & vbi caritas est potentia, facit animam vnire cum ipso Deo. Noli in conspectu tuo recipere complacentiam, nec in Dei voluntate recipere displicentiam: fac vt tuus amor sit purus & fidelis, & sic Deo placebis. Anima quæ est nouitia in Dei seruitute, propter paruam pœnitentiam credit iam esse valdè firmata & introisse [se putans] vadit in phantasijs, & Deum tenere se credens, remanet derelicta. Dat maiorem fidem animæ in Dei seruitio inueteratæ, quæ semper in eius amore renouatur: Deum amat cum humilitate, & sic semper

VICTORI IO. MATIOTTI; & Confessarium ei ut ad puram Dei dilectionem.

B existit in suo conspectu. Anima sic existens de præteritis seruitijs per eam factis nihil curat, quia nulla vel parua sibi videntur. Talis anima sese mittit in altitudine amoris, ardor ipsam ducit, deinde timorem à se remouet, & semper remanet firma intùs in amore Dei, & exteriùs non videtur. Et hoc fuit anno & mense supradictis in die sancti Ioannis e Baptistæ.

a *Italicismus est, quo gerundium ponitur pro participio,* laudando *pro* laudans: *quod semel hic notatum alibi quoque seruiat.*

repausare. b *Italis, Hispanis, Francis vsitatissima vox, & quiescere & quietam dare significat; incertum est autem Græcisne an Barbaris originem debeat: nam his quidem* poose, pause *mora ac spatium temporis est: istis* παῦσις *quietem denotat, à quibus si musici acceperint* pausas, *credi posset deriuatum inde verbum metaphoricè, ad quamuis quietem vulgariter significandam esse translatum.*

c *Fortè* vanegiando: *nam à* Vanezza *vanitas, Italis fit* vaneggiare *vana dicere aut facere.*

Licentiare d *Etiam de eo dicitur qui inuitus dimittitur ex vulgarium linguarum vsu: vnde* licentiare, *dimittere gratis vel ingratijs.*

e 24 *Iunij.*

VISIO XXXVI

90 QVodam tempore existens B. Francisca noctis tempore in suâ camerulâ orationibus vacans,

C fuit eius spiritus more solito de primâ in secundam, de secundâ in tertiam maiorem lucem ductus: in quâ vidit diuinum thronum pretiosissimè præparatum, & audiuit omnes gloriosos spiritus immensas laudes Deo [canere] propter gratias concessas ab eo B. Virgini Margaritæ, propter quas tanto fruebatur gaudio. Laudabant etiam illi gloriosi spiritus cælestem Reginam, quæ fuit Mater & Virgo, & tantam Virginitatem exaltauit. Et ipsa Virgo benedicta benedicebat Virginem Margaritam, & quòd ipsam secuta fuit in proposito Virginali, & volens Dominus licentiam dare huic suæ dilectæ famulæ, fecit sibi dici certa verba, quorum ipsa ex permissione diuinâ non recordabatur: Patri verò suo spirituali eam per obedientiam interroganti de visione, illa verba, quorum oblita erat, non dixit. Tunc sibi imposuit per virtutem sanctæ obedientiæ, quòd sollicitè cogitaret in illis verbis: vnde ipsi existenti in oratione in illâ camerulâ, mente sursum eleuatâ præ obedientiæ timore, diuina clementia mirabiliter prouidit, & eam tali modo exaudiuit: nam respexit illum gloriosum Angelum, quem continuè videbat, habentem quamdam paginam in manu, in quâ illa verba, quæ audiuerat in beatificâ visione, erant scripta: ipsa verò illas litteras legebat, quæ sic dicebant: Eleuare sursum, ô anima, & itinera in veritate; quia ipsa veritas te expectat, & amor te transformauit: O anima benedicta, à Deo es electa & posita in magno

Iubilum cæleste de gloria S. Margaritæ.

Verba in raptu audita

Angelus in memoriam reducit.

D statu: hoc iter magnum fecisti: in caritate recepta es, caritas te accendit & amore inflammauit: es missa in isto ardore, & electa à diuino amore, ex quo sic es electa, & ardore inflammata. O lætitia cum gaudio! amor te fecit sentientem, & in suo amore ardentem: vnias te cum ipso: Caue tibi, & esto præparata in reditu, quem facis: fac quod sis benè apta, quòd nulla res te deuiet, nec etiam impediat, & semper veritas sit in tuo intellectu. Et hoc fuit anno prædicto de mense Iulij in die S. a Margaritæ.

a *Colitur 20 Iulij: quare existimamus mutatum hic esse naturalem ordinem visionum: nam quæ sequitur, si non spectat ad Iunium mensem, vt præfertur, certè ad initium Iulij & Octauam Apostolorum pertinet.*

VISIO XXXVII

91 POstquàm vno alio tempore ista Deo deuota in dictâ capellâ recepit sanctissimum Sacramentum Corporis Christi, stetit in extasi immobili, & quædam lux splendida, in quâ erat Dauid Propheta, duxit suum spiritum in aliam splendidiorem lucem, & ex illâ in aliam splendidissimam lucem, & fuit positus coram diuino throno ornatissimè præparato, & ibi stetit per horam ferè cum dimidiâ semper in extasi immobili.

Adducta in visione ad arborem, in qua Christus erat,

E Postmodù verò existēs in illâ beatificâ visione, Eliseus propheta sibi ostendit maximam planitiem valdè speciosam, in quâ magna erat arbor. Arbor verò erat altissima & nobilissima, ad quem ascendebatur per nouem gradus, qui denotabant nouem choros Angelorum. Et stans ad pedem illius arboris, erat ibi fons pulcherrimus & dulcissimus, in quo prædictus Propheta illam animam Deo deuotam mersit, ex quâ mersione remansit tota agilis & læta & purificata: & tunc vidit in supradictâ arbore Iesum Saluatorem, in infantili ætate duorum annorum cum dimidio, incredibilis pulchritudinis & splendoris. Radij qui ex ipso procedebant, totam illam arborem circumdabant: ipsa verò Deo deuota anima videns Saluatorē in medio arboris, nimis auida [erat] ad habendum ipsum: & quia non videbat ampliùs dictos gradus ad ascendendum arborem, animosè accensa de diuinâ affectione, amplexata truncum arboris, quantò fortiùs poterat, dicebat: Numquàm ab istâ arbore discedam, & quamuis superiùs ascendere non possum ad comedendum de fructibus eius, mihi satis erit quòd video illos Prophetas: nec vlla creatura erit, quæ me hinc discedere faciet, ita fortiter ipsam arborē amplectar. Et hæc dicēs

ipsam arctè amplectitur:

F in prædictâ capellâ, tenebat brachia in manibus ita strictissimè ligatis acsi dictam arborem amplexata fuisset: & sic stetit quasi per tres partes vnius horæ: & ista verba, quæ dicebat, & actus, quos faciebat, suus Pater spiritualis vna cum eius filiâ & sociâ nomine Ritâ audiebat & videbat.

92 Ipsi verò Beatæ animæ in extasi existenti gloriosa Virgo Mater Christi, quæ cum pluribus gloriosis spiritibus in arbore existebat, dixit: O anima benedicta, quantam audaciam recepisti: deberet tibi sufficere videre festum, ad quod ducta fuisti: non es memor tui, quæ sic audacter arborem amplexa es, nec recordaris tuæ vilitatis: deberes verecundari. Tunc illa beata anima sibi respondit, quòd postquàm erat inuitata, & erat præsens in conuiuio, volebat recipere suam necessitatem sine aliquo dubio, & alia similia verba loquebatur cum maximâ constantiâ. Tunc verò B. Paulus sibi dixit: O spiritus feruentissime, qui es tantùm inflammatus, aduerte benè mea dicta, quæ te isto ardore alleuiabunt: noli tenere ita strictam arborem istam istius beatæ vitæ. Anima, quæ est in carne, non potest hìc persistere. Duo sunt, qui hìc sunt: vnus est gubernator, alia est confortatrix, qui dant vitam nobis. Quibus verbis illa Deo deuota Anima sic respondit: O beate Paule hanc dulcedinem fuisti expertus, quando dicebas: Quis me separabit à caritate Christi

vtque recedat non sinit sibi persuaderi à B. Virgine,

nec à S. Paulo

Rom. 8, 35

A Christi? nam neque Angelus, neque alia creatura. Ideò noli mirari, si sic arborem teneo strictam, vt ab eâ non discedam. Eliseus propheta Christi ancillæ sic dixit: Anima benedicta, non licet tibi plus stare, reuertere in mundum, vt facias meam ambasiatam *a*: Vade, & dic tuo Patri spirituali omnia, quæ tibi dico. Et illa anima Deuota respondit: Rem tibi commissam tu ipse meliùs facies: ergo vade tu, & ambasiatam tibi impositam nuntia: nam ex quo habeo Patrem maiorem, non mihi videtur ab eo discedere, & ire ad minorē: sed si tanta te vrget caritas, tu ipse sibi nuntia. Et illa consimilia verba sibi dixit: Ex quo stas in iubilo, anima, scias gaudere, & respice illum amorem, qui te tantùm inflammauit: stes igitur firma, quia gratiam tibi faciet. Quibus dictis nihil [motus] ipse respondit: Recognosce quantùm altissimus tibi fecit, & bonū quod tibi dedit, & sic tibi satisfecit: ipse amor dulcis Iesu Christi te fecit honoratam & te posuit in sui amoris abysso: quando verò tempus erit, te ibi faciet stare. Quibus verbis ipsa sic respondit: In omni statu gratiæ debemus perseuerare, & ideò quia sum posita in istâ gratiâ, nolo ab eâ recedere.

a neque ab Eliseo Prophetâ,

93 Cui beatus Apostolus Iacobus Zebedei sic dixit: O anima desperata, non cognoscis tuum defectum: homo desperatus recipitur à Mahometo. Tu non benè aduertis: tantùm es fixa in tuo desiderio, vis sequi

vel à Iacobo Apost. aut aliis Sanctis.

B tuam delectationem, & nullam habes discretionem. Quibus verbis sic respondit: Ita: talis indiscretio non cadit sub peccato, à Christo Iesu prouenit, quo ego sum inflammata: ipse de semet fecit philocaptam: anima, quæ pro eius amore se facit securam & desperatam, applicat in fine ad illam cœnam beatam, quia eius amor ipsam facit confortatam. Et gloriosi spiritus, qui circūstabant, talia & similia verba beatę animæ dicebāt, sibi persuadentes de recessu. Quibus illa anima beata animosè & magnanimiter respondit, non respiciens aliquem illorum spirituum, nec cælestem Reginam, sed fixo intuitu eius filium respectabat aspectu speculatiuo. Diuina verò pietas lætum actum & signum sibi ostendit de eius ad ipsum aduentu. Ipsa verò hoc intelligens dicebat: Veni, ô amor mi dulcissime, & à meo affectu noli discedere, sed in meis brachijs dignare descendere. Amor mi gratiose & pulcherrime, veni ad me, amor maxime. Et perseuerando in oratione placuit diuinæ bonitati in sua descendere brachia, & cùm anteà esset genuflexa, surrexit subitò mouēdo brachia hinc inde, quemadmodum quælibet Mater facit quādo filium tenet in brachijs: & sic stans in tanto iubilo & lætitiâ, vultu placido & festiuo sæpè cantando dicebat: Beneueniat dulcissimus amor. Et totum ipsum

ac tandem complexu optato potitur.

C respiciebat & contemplabatur cum summo gaudio. Dominus verò maius *b* festum facere volens cum suâ deuotâ ancillâ, se fecit magis ponderosum. Illa verò deuota anima voce aliquantulum eleuatâ dicebat: Domine, ego non sum fortis. Et ob ponderis grauedinem se flectebat: & tandem Dominus grauiorem se ostendebat. Ipsa verò humiliter dicebat: Domine, tu scis, quia tantam grauedinem non possum sustinere: O pulcherrime & dulcissime Domine, supplico, leuiorem te præbe mihi: Dominus verò sibi consentiens, & ad se sustinendum factus habilior ab eâ recessit, ex quo remansit angustiosa & labore plena.

b

94 Supradicta verò arbor vitæ habebat decem ramos cum pulchris & viridibus folijs. Et Elisæus dixit huic beatæ animæ, quod illi rami significabant decem legis præcepta. Item habebat alios duodecim ramos cum floribus non apertis, qui significabant duodecim sanctæ Fidei articulos. Adhuc habebat septem alios ramos, qui odorem veritatis reddebant, & significabant septem Sacramenta. Item habebat quatuor alios ramos cum paruis pomis, significantes quatuor Doctores. Etiam habebat quatuor alios ramos cum maioribus pomis, significantes septem opera misericordiæ.

Arboris mystica descriptio & explicatio

D Habebat etiam septem alios ramos habentes frōdes deauratas cum pomis non benè maturis, significantes septem dona spiritus sancta. Habebat etiam septem alios ramos, in quibus erat vna pulcherrima vitis onerata vuis maturis, & significabant septem virtutes principales. Sed super ipsam vitem erant alij rami duodecim, significantes duodecim tribus Israel. Et super omnes istos ramos erant tres alij rami splendidiores, qui gubernabant totam arborem, significantes sanctissimam Trinitatem: & in ipsis tribus ramis apparuit Dominus in infantili ætate huic animæ Deo deuotæ, & huiusmodi significationes habuit Dei famula à Prophetâ Elisæo.

AVCTORE IO MATTIOTTA.

96 Die verò sequenti stans ista Dei famula in domo, fuit rapta in extasim immobilem & postmodùm mobilem, tenens brachia stricta, cantando magno cum iubilo: & cùm interrogaretur de visione per obedientiam à suo Patre spirituali, respondit, quòd illemet Propheta Elisæus suum spiritum duxit coram diuino throno, & ad arborem superiùs dictam: quam quidem arborem illa amplexabatur ex inflammato amore magno cum affectu, & fixis oculis inspiciebat Verbum incarnatum, qui correspondens ad suum inflammatum affectum sibi dixit: Anima quare non consideras modum tibi datum: ducta es ad istum fontem, in quo fuisti balneata; cogita purificationem, quæ iam te purificauit. Fac quòd benè te gubernes, & quòd

sequenti die eamdem amplexans arborem

E vlteriùs non te sordides. Tunc Christi famula respondit: Domine, tu me creasti, & me potes manu tenere: nam hoc firmiter scio, quòd nosti conditionem meā: anima mea est per te facta ad tuam imaginem: Domine, tua claritas potest me reddere claram. Et Dominus ad eam: Ego meum debitum perfeci in animabus, quas possideo: satis est *c* tristis quæ non vult venire ad istum pulcherrimum fontem: animæ ad eum venientes, si de eo possunt gustare, satis erunt firmæ, & securæ per totam vitam. Et illa ad Dominum: Tu Domine potes me securam facere, & impedimenta remouere animabus, quæ te firmiter amant. Tu eis das bonam custodiam, quæ ipsas potest seruare ab impedimentis, vt ab eis se custodiant, vt se amoueant à proprietate, & in hoc fonte semper se lauent, qui est tanti confortaminis, quòd resuscitat & viuere facit animas mortuas in peccatis. Et Dominus ad suam famulam: Anima, si tu gustabis & ascendes virtuosè, tu ibis per hos gradus, & in arborem ascendes, & maiorem requiem senties, quando de his pomis gustabis: sis humilis & patiens, & cum amore te conforma. Et illa ad Dominum: Domine dulcissime, ad quem animæ iustæ se reducunt, ego vellem citò: sed sum posita ad

c monetur de vsu fontis purgantis animam

F radicem arboris, & altiùs nequeo venire & nisi iste fons me sustineret, pro mortuâ me reputarem. Et Dominus ad suam Dilectam: Anima, quæ mortuam te reputares, nisi iste fons te sustineret, verum est, quòd te fortem facit amor, qui se dat tibi ad sentiendum: amor tenet animam, & cum caritate ipsam vniri facit. Et illa ad Dominum: Ex quo amor me sustinet & caritas est vnita cum amore, dic Domine, quid sum factura vt citiùs ad te veniam: & quoniam amor me retinet, volo sequi amorem. Et Dominus ad eam: Anima, si dicis verum, & cum amore vis regnare; fac quòd mihi reddas te & tua bona; si vis in isto fonte submergi, noli proprium habere, sed te subiectam redde amori: *d* nam amor te facit firmari. Et illa ad Dominum: Tu scis, quòd totum meum firmamentum, Domine, tibi dedi, & totam meam notitiam totaliter in te firmaui: O amor! ô Verbum incarnatum! qui totum cor non daret, tristis esset; & semper doleret, si à te recedere vellet. Et Dominus ad eam: Anima nimis benè dicis: sed declara creaturis, quæ tecum degunt, & ostende eis istam pulchram viam, vt ad istum fontem veniant, qui eis dabit amorem quietum, & stomachum earum reddet iucundum: sequantur amorem nobilem, quem humilitas

& corroborantis amorem:

d

AVCTORE IO. MATIOTTI.

A humilitas possidet, & puritas sustinet, & firma obedientia facit firmiter & breuiter e applicare: fides firma facit in hoc fonte bibere, & de amore inflammari: facit animas transformari, & in amore facit ardere, & in ipso amore permanere. Quando anima in his est firma, subitò recipit illa insignia, & sic totam intùs vestit de illo amore cælesti.

& S. Petro recessum suadenti reluctatur.

96 Illi verò beatæ animæ videnti multos spiritus Angelicos & humanos in illâ arbore existentes, quam ipsa amplexabatur strictè & nolebat inde recedere, sed animosè & viriliter stabat, & nimiùm mirabatur, Apostolus Petrus dixit: O anima, quæ tantam habes audaciam cum summo Domino cõtestandi, postquàm huc es admissa nolles inde recedere. Anima, quæ est in carne, non potest hîc permanere: permitte te vinci, & recede, ex quo tantum gaudium vidisti. Cui beata famula sic respondit: Petre non mihi compateris? Expertus fuisti, & mihi non credis? Quando in monte extitisti, voluisti facere tabernacula, vt ibi te firmares & hospitari posses: tunc in terrâ stabas, & videbas visionem: ego sto in alto cælo, & tu vis esse mediator, vt recedam? Et S. Petrus ad eam: Vt non recedas quæris excusationes, non potes hîc permanere: necesse est, vt quæ vides alteri dicas, & ideò oportet, quòd reuertaris. Et Dei famula ad Petrum: Omnia hæc facis, quòd ego Dominum non recipiam, qui per istam viam debet B descendere, & ego hîc numquàm recedam, quousque Dominus reuertatur ad thronum imperialem. Et S. Petrus ad ipsam: O anima præsumptuosa, tibi dictum est, quòd quiescas & discedas à proprio velle: & tu porrò vis stare & non discedere. Et fuit prædicta visio anno prædicto de mense Iunij, die verò f decima tertia eiusdem mensis.

Ambasciata. *Ambasciatores.*

a *In legibus Burgundicis* Ambasci a *legitur, unde* Ambassiatores, *&* Ambasciatores *oratores publici, superiorum seculorum scriptoribus frequentes. Hispanis* Ambaxadores, *Francis* Ambassadeurs. *Petrus de Vineis ad* Ambactos, *homines, Festo teste, mercenarios, recurrit originem quæsiturus: sed hi iam pridem ignoti erant Latinè loquentibus, quando isti cœperunt nominari per barbaros communibus inter se linguæ radicibus vtentes: ex quibus* Ambascia *idem est, quòd oratio eius qui vel infra alterum se precando dimittit ab* aballar, abaisser *adiecto euphoniæ causâ* m: *vel eius qui Dominum agnoscit eum quem rogat, ex* ân *vel* âm *ad, &* bâs *Dominus vocabulum componendo. Certè non dubitamus: quin sicut Oratorum nomen ipsâ sua notione submissionem infert, ita & vox hæc simile aliquid suâ etymologiâ importet.*

b *Ex recentiorum linguarum vsu* festum *pro blanditijs, & quocumque honoris aut amoris exhibitione vsurpatur etiam apud Teutonicè loquentes.*

c *Etiam improbum & scelestum Italis significat vox* tristis: *atque in eo sensu hîc accipitur.*

C d *Addebatur in ecgrapho nostro*: & custodi principalem.

e *Fortassis hic & alibi ponitur pro eo, quod Itali dicunt* appigliar-si, *adhærescere, alicui rei se affigere.*

f *Imò 30 die, sic vt 29 in ipso festo SS. Petri & Pauli post communionem fuerit inchoata, & hic secundus dies continuata visionis notetur: ita colligimus ex ceteris visionibus, in quibus ij ferè notantur Sancti, quorum tum festum agebatur.*

VISIO XXXVIII.

Interest Sanctorum iubilo ob gloriam S. Mariæ Magdalenæ,

97 QVodam alio tempore, postquàm B. Francisca audiuit Missam, ingressa est suam cellulam, & cùm se poneret in oratorio, lux illa splendidissima, quam solita erat videre, duxit eius spiritum in aliam maiorem lucem, in quâ vidit speciosissimum & pulcherrimum thronum. Vidit etiam maximam solennitatem, quam omnes spiritus Angelici faciebant cum laudibus & cantibus, & vidit Reginam cælestem coronatam: quæ solennitas fiebat ad honorem omnipotentis Dei, & suæ inflammatæ seruitricis Mariæ Magdalenæ. Tunc Apostolorum Principes Petrus & Paulus laudantes dicebant: Laus sit tibi, altissime Domine, pro animâ, quam tetigisti, quæ despexit omnem honorem, & verecundiam à se proiecit, & vsa fuit libertate: magnanimitas eam iuuit, quæ eam ad te venire fecit, & ad tuos pedes se proiecit propter magnam fidem, quam recepit: & humilitas eam sustinuit, & tua bonitas illum actum respexit, & omnia sibi peccata dimisit. D Omnes nos inde lætamur propter suam felicitatem: quia amor eam vestiuit & caritate adornauit: animosa fuit in vitâ & in viâ, nunc in patriâ est firmata: satis eam iuuit obedientia, cui semper se submisit: & illa magna confidentia, quâ semper ad tuos pedes stetit. Non ampliùs fuit retenta, nec aliud habuit in suo corde, nec dæmon vlteriùs eam cognouit, nec in suis factis impediuit, nec mundus ei applausit vel aliquam adulationem dedit: quia semper fuit priuata ab eâ, & à suis rebus. Ergo te laudamus, Domine, qui eam sustinuisti in tuo amore: & ideò fuit prudens & sapiens sequendo veritatem: nihil pro se retinuit, sed se totam tibi dedit & liberè concessit. Laudes & gratias tibi reddimus summo Bono, qui ad tot gratias eam perduxisti. Et alij Apostoli dicebant: Memoriam & voluntatem integrè in te posuit: intellectum & quietam mentem habebat à te, Domine, totam repletam: fecisti, eam virtute copiosam, & in suo capite nunc posuisti coronam.

pro qua gratias etiã agit suus Angelus custos,

98 Et Magdalena tunc dixit: Pijssime Iesu, rationem cum lumine mihi dedisti: benè respiciebam visionem, quam coram me posuisti: tu Verbum diuinum te mihi ostendisti, & cor mundum in me permanere E fecisti. Laus tibi, amor diuine, qui me posuisti in tali itinere. Fidelis fui tuo conspectui: per viam rectam ad te me peruenire fecisti. Et gloriosus Angelus à suâ infusione sibi datus in custodiam, cum alijs Angelis de infimo choro dicebat: Maximas gratias tibi referimus, Domine, qui me in eius custodiam posuisti: reddidit enim mihi honorem propter viam, in quâ eam misisti: quando ibat prædicando, in omni re gratiam acquisiuit, meliorem partem elegit, & se ad desertum tunc rexit. Tunc Magdalena iterùm incepit: O Verbum diuinum, immensas tibi ago gratias, quòd per te tantum bonum possideo: tuum pretiosum sanguinem sparsisti, vt me ad te reduceres; & ianuas aperuisti, vt in possessione tanti boni me poneres: & ego quasi cæca non intelligebam, ex quo magnum dolorem sustinui, & illud fuit meum Martyrium, in quo fui experta. In fide, quam à te habui, semper fui firmata: & ideò sic læta in desertum ascendi sine aliquo labore. Omnes vos me iuuetis, precor, ad reddendas gratias summo amori, qui mihi tantum bonum fecit, & in suo ardore me repleuit: septem horis eram in die ad sentiendum istud bonum. Omnes festum celebremus pro honore mihi facto: posuit me in mensâ cælesti & de suo splendore mihi satis fecit sentire & gustare & saporem iudicare: confortamen mihi dedit & pulchras vestes cum F honore. Ergo laudemus amorem, qui me duxit ad tantum [bonum]: numquàm posui in corde meo tantam lætitiam quàm mihi dedit, quam cor humanũ sentire nequit nec vmquàm posset cogitare.

ipsaq; pro gratijs sibi concessis:

cum illa loquitur Beata de suo amore,

99 His dictis, Magdalena huic deuotæ animæ dixit: O anima, quæ es abstracta à tuâ proprietate, & in patriâ exaltata in tantâ solennitate, per Dei gratiam tibi fit, vt videas hunc pulchrum actum. Gaudeo, ô anima, de bono tibi oblato, cuius pro qualibet animâ remanet satis, sed tibi datur ob amorem. Inflamma temet ipsam de isto sancto ardore, ex quo es transformata: recipe de isto calore, qui te faciet alienari, nec curam geras de ijs, quæ audis, sed sis semper inflammata de isto dulci amore. Reducere te ad tuum corpus magnum tibi videtur infortunium: fac, quòd sis benè firmata cum summo Rege cælesti: habe in mente exemplum meum, & de alijs noli curare. Cui ipsa respondit: Magdalena Deo deuicta & coniuncta, nolo in hoc te audire. Totum hoc, quod dicis, est vt facias me discedere: cum amore volo me a firmare, & numquàm ab eo volo recedere: alas mihi volo imponere, quia me sic docuisti: exemplum à te recipiam, & habebo animum virilem, fidem, spem, & fortitudinem,

Anem, quæ omnia insimul bene stant. Et Magdalena ad ipsam: Placent mihi ea, quæ dicis, sis firma in tuo velle: viuens, vt mortua, viam cape, & noli aliud scire: Humilitas cum amore & obedientia te gubernent. Tunc illa respondit: In obedientia sum firma, quantum mihi est possibile: quod mihi dicitur volo facere, & honorem Dei obseruare. Si amor facit me retrocedere, non possum contra ipsum me iuuare. Et Magdalena ad ipsam: Tuum dictum bonum est, & inde tibi bonum veniet; tu te iuuas quantum potes, sed si hanc rem bene scires, maior tibi cresceret animus. Pusillanimitas, quæ te tenet, facit vt non velles recedere: tu vides hic tam grandia, conare de his [aliquid] tibi incorporare. Iste amor est tantus, quòd se ad plenum tibi vult dare: satis de ipso repone, & numquàm ipsius obliuiscaris. Tantum tibi datur, quantum per te recipis. Amor iste facit *b* mercatum, & scit facere pulchrum cambium: si de tuo velle te expolias, & ipse te vestit, & facit te esse felicem; si in ipso amore firmas radicem. Fuit prædicta visio anno & mense prædictis, in die in Dei amore inflammatissimæ *c* Mariæ Magdalenæ.

a *Id est, manere, Italica phrasi, superius sæpe vsurpata, & inferius adhuc sæpius inuenienda: quandoque etiam significat arctè adhærere, quandoque concludere & includere.*

b *Id est, mundinas vide 6 limis in Vita S. Coleta num. 26.*

c *Quæ colitur 22. Iulij.*

VISIO XXXIX.

In festo Assumptionis B.V. vidit animam eius in cælis recipi:

100 Quadam alia vice, postquàm Christi ancilla recepit sanctissimum Sacramentum in capellam prædictam, fuit rapta in extasim immobilem, & eius spiritus fuit ductus ab vna luce splendidissima in aliam maiorem lucem: in quâ vidit humanitatem Verbi incarnati, sed propter infinitum splendorem, illam sanctissimam Humanitatem circundantem, non poterat ad plenum videre, nisi quamdam formam humanam in medio illius claritatis sedentem. Vidit etiam cælestis Reginæ animam ad cælestem Regem venientem. Ipse verò Deus surgens recepit illam felicissimam animam cum decenti & honesta reuerentia, tenuitque eam in suis brachijs, quousque suum pretiosissimum corpus fuit vectum assumptumque insimul cum animâ. Vidit illa anima Deo deuota Deum summum, cum multitudine Angelorum & spirituum beatorum, ire ad illum locum, in quo illud pretiosissimum Corpus iacebat: *a* & subitò vidit corpus insimul cum animâ cælestis Reginæ. Et illud Christi ancilla referebat suo Patri spirituali ipsam per obedientiam interroganti. Et quia ad plenum exprimere non poterat, tota inflammabatur in loquendo. Et illa sanctissima humanitas Saluatoris cum honestâ & competenti reuerentia recipiebat cælestem Reginam. Ipsa verò Virgo, & Filij Dei Mater genibus flexis stabat coram Filio; & tales actus reuerentiales ab vtroque, matre scilicet & filio, facti fuere quasi in momento: spiritus verò tam Angelici quàm humani suauissimè & melodicè cantantes indicibilem lætitiam ostendebant. Vidit etiam Dei famula in manibus Filij Dei & Virginis vnam pretiosissimam coronam, tribus coronis insimul fabricatam, secundùm quod superius dictum est: & vidit, quod ipse Deus posuit prædictam coronam in capite suæ sanctissimæ Genitricis, & cum immenso gaudio sic dicebat: Pulchra & amantissima Virgo & Mater, propter caritatem infinitam, quam habuisti, dum recordabaris, quod eras præordinata in conspectu diuino, in quo bene te fundasti & optimè gubernasti; propter nobilem amorem, quem semper habuisti, stetisti bene firmata, & in fide adornata: semper fidelis fuisti & optimè illustrata in summa veritate. Ecce quod es fenestra facta Deitatis.

a tamhomq; cum corpore assumpto ornari,

101 Et gloriosissima Regina satis reuerenter dicebat: Laudes immensas tibi reddo, Deus summe, qui cùm esses in essentia diuina in tuo conspectu, te fecisti filium [meum] carnem à me recipiendo, ex tuo diuino amore. Et Dominus ad eam: Tu es Filia & Mater summi Redemptoris: tu es pulchrum hospitium, per quod omnes spiritus humani ad me intrant & veniunt: ergo omnes vos spiritus gloriosi hanc summè laudetis, & sibi summum honorem exhibeatis: quia ego feci eam meam cameram, vt vos omnes haberetis maiorem gloriam. Et cælestis Regina dixit: Regratior summo Deo, qui talem tibi dedit potestatem. Tu es vnus Deus omnipotens in sanctissima Trinitate: tu habes summam potestatem. Pater te posuit in possessione, vt iudices animas, & ipsas salues per tuum amorem. Immensas tibi gratias reddo, dulcissime amor, qui tanto bono es plenus; & animam meam & corpus meum posuisti in tantâ requie, & eam vnisti tecum, summe Iesu & Saluator, qui me fecisti ornatam omnibus virtutibus. Et omnes spiritus Angelici & humani dicebant: Omnes gratias immensas reddimus huic Reginæ cælesti: nam per ipsam habuimus hoc bonum quod cernimus, ducti ad tantum festum: omnes in eâ speculamur & in profundâ Deitate, & incensâ caritate omnes ardemus & illuminamur. Et ille suauissimus cantus cælestium spirituum tali modo erat in consonantiâ, quòd illæ locutiones, quas Dominus & cælestis Regina inuicem faciebant, intelligebantur in illâ consonantiâ & cantu spirituum Beatorum. Dei famula in illo consonanti cantu audiebat & intelligebat prædictas locutiones ad inuicem factas, & Dei Filius posuit suam Matrem in loco excelsiori, & in prædictâ horâ omnes spiritus Angelici & humani propter prædictam assumptionem habuerunt inenarrabilem lætitiam: & tam spiritus cælestes Angelici & humani, quàm animæ existentes in purgatorio ampliorem & perfectiorem receperunt gloriam illâ horâ, quâ Corpus Virginis Matris Filij Dei fuit assumptum in cælo.

AVCTORE IO. MATTIOTTI. atque cum Filio suo colloquentem audit,

102 Postquàm verò Dei famula vidit & audiuit tot res mirabiles excellentesque, & omnes materiæ fuerunt sibi benè declaratæ; cùm adhuc permaneret in illâ beatificâ visione, quædam diuina vox sibi dixit: Anima, quæ fuisti ducta ad tam celebre festum videndum, quantùm potes esse consolata videre Reginam cælestem tali horâ ascendentem cælos, & cum suo Filio regnum cæleste possidentem? Anima, tu habes bonam sortem in tali Ascensione, habebis altiorem locum ad intrandum ad Dominum. Ista est tuta & patens via vestræ salutationis, immò quidam conductus ad faciendum omnes vos liberos. Si quis vult intrare ad domum, per istius vadat viam: ista enim docet mores à caritate diuinâ. In quocumque modo eam petis, in omni statu eam inuenies, in quo anima cupit stare. Si vis in humilitate, vade ad ipsam, & docebit te: sed vade cum veritate & amore perfecto. Ipsa accepit eam à diuino amore, & in eo fuit suum principium. Si cupis habere fidem, respice si erat perfecta: nam eam recepit à nobili amore, & tenuit in animo tam firmo, quàm fuit ipse Iesus Christus, qui illustrauit suum pectus: & semper in eo erat remissa, cogitans semper ad id, quod erat. Si vis esse obediens cum rectâ intentione, respice animi sui firmitatem in nobili amore qui erat in ipsa, & semper erat subiecta præceptis sibi factis; & mente purâ recipiebat quidquid dictum erat. Respice conditiones, quæ sunt in altâ Reginâ: ipsa ascendit sursum, & est posita in gloriâ suâ; vbi semper intercedit pro omnibus, qui eam petunt; & caritas inflammata ab ipsâ est benè agnita. O anima paupercula, fac quod stes benè attenta: vides hoc celebre festum feruentis lætitiæ? Amor Sapientiæ te voluit illustrare ad tanti amoris abyssum, & te confortare in ipsum. O anima pauperrima, fac quod sis benè prouisa, postquàm ad te reuerteris, tibi benè prouide, & noli præbere aures omnibus dictis loquentium: sed habeas cor firmum & mentem stabilitam. Habe clarum intellectum

& ea nomine felix dicitur,

Virginisque virtutes iubetur contemplari.

A ctum ad intelligendum donum tibi datum. Vide quantùm obligaris summo Deo, qui te creauit. Fuit prædicta visio anno supradicto de mense Augusti in die Assumptionis Virginis.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

a *Redundabant, quæ sequebantur, verba*: cum tota curiâ cælesti.

VISIO XL.

103 Quadam vice veniens B. Francisca in Ecclesiam S. Mariæ in Transtyberim, vt ibi reciperet sanctissimum Corporis Christi Sacramentum, cantabant tunc Canonici, Credo in vnum Deum: & ipsa fuit rapta in extasim mobilem, & sic stetit quousque fuit finita prædicatio & Missa, quæ solenniter cantabatur. Et mirabilis Deus, volens manifestare suas mirabiles operationes, fecit illam Beatam in extasi mobili existentem venire suis pedibus à loco, in quo audiuerat prædicationem, vsque ad capellam, in quâ debebat communicari, qui locus erat aliquantùm remotus à prædictâ capellâ: in quâ etiam in extasi existens recepit sanctissimum Sacramentum. Postquàm verò fuit reuersa ad suos naturales sensus, interrogata per obedientiam à suo Patre spirituali de visione, respondit: suum spiritum ductum fuisse in illam cælestem patriam, vbi vidit celeberrimam festiuitatem, quâ spiritus gloriosissimi cælestes faciebant in honorem

In festo Nat. Virginis ipsi Deoq; plaudunt Angeli,

B gloriosæ Virginis Natiuitatis. Et duo ex spiritibus Seraphicis dicebant, cantantes suauiter: Ista est illa nauicella, quæ est tantùm pulcherrima, quòd fuit facta Dei cella, & Dei humilis ancilla. Et omnis multitudo respondebat: Omnes summo Deo regratiamur de istâ pulchrâ nauicellâ, qui per suam humilitatem eam facit tam pulchram domicellam, vt nos omnes illustraret. Et duo ex Patriarchis dicebant: Laudes tibi sint, cælestis Regina, quæ stetisti sic benè ornata, & fuisti gratiâ plena, & nunc es coronata. Sciuisti gratiam conseruare, & lætitiam nobis dare, quam sentimus in tenebris, quâ lætitiâ nunc sumus pleni. Et duo ex Prophetis dicebant: Gratiæ sint tibi, summe Deus, & tibi Sapientia æterna, qui nos fecisti scire quid sit caritas superna, nos autem prophetauimus, quæ nos fecisti scire: ô Domina, tua pulchritudo nunc est ducta in veritate. Et duo principes Apostolorum dicebant: Ista est illa tuta nauis, quæ sic fuit benè composita: Laus tibi cælestis Regina, quæ docuisti nos viam, & fide es tantùm plena, & semper fuisti in eâ firmata: ideò laudes sint tibi, quia per te fuimus firmi, cum tuâ benedictione viuimus prædicando, per te possidemus tantum bonum coram caritate diuinâ.

Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli,

C 104 Sanctus verò Laurentius, & sanctus Stephanus dicebant: Gratiæ immensæ sint tibi, altissime Domine, qui es Creator benigne, tu misisti hanc nauem, vt nos redderes firmiores, quæ fuit nostrum fundamentum: respexisti humilitatem istius cælestis Reginæ, quæ fuit nostra claritas. Tunc Sanctus Hieronymus cum Sancto Gregorio cantabat: Tota vita humana erat annihilata, nisi fuisset doctrina & puritas inflammata, quæ nobis fecit piam mentem, & vt essemus puri & recti, semper nos fecit recentiores: nam per te, ô Regina cælestis, sumus electi. Et aliæ gloriosæ Virgines suauiter cantantes, dicebant: Omnes festum celebremus propter Reginam cælestem: nam fuit facta tabernaculum totius boni, quod videmus, & ipsius immensi Dei & altissimæ Deitatis: & inflammauit nos amore; recipiamus [eam] cum ardore, & sibi solennitatem faciamus. Et ipsa cælestis Regina cantando, dicebat: Gratiæ tibi sint, immense Pater & Fili dulcissime, de tantâ solennitate, quia sum posita in isto regno coram tuâ Maiestate. Omnes vos gratias reddite huic æterno Redemptori, qui intantùm nos dilexit, & pro nobis se filium fecit. Duo verò ex Angelis Seraphicis sibi dicebant: O anima deuiata quid vadis sic quærendo: sic in breui fuisti inuenta, & in tantum gaudium ducta, caue ne sis ingrata, nec de te, nec pro te quidquam velis: cogita semper istud bonum æternum, quod numquàm deficit. Et gloriosa Magdalena sic dixit: Anima de dono tibi dato, fac quòd scias gaudere, & tene illud conseruatum sic, quòd à te non discedat; sta firma in suo velle, aufer à te tuum timorem, & gaude semper in Domino, & noli aliud cogitare. Et sancta Agnes sic [inquit:] Optimè dixit mea Soror, quæ experta est amorem: semper stetit cum ipso vnita, nec ab eo recessit propter timorem: dum fuit philocapta, semper perseuerauit in amore, quoad ille eam supra duxit; ideò omnes lætemur in ipso. Fuit prædicta visio anno prædicto in die Natiuitatis Virginis.

Martyres, Doctores, Virgines. Gratias agit B. Virgo.

D *S. Franciscam alloquuntur SS. Magdalena & Agnes.*

VISIO XLI.

105 Quodam alio tempore dum ista Dei famula grauiter infirmaretur corporaliter, & maximâ auiditate fuisset inflammata, vt eius anima absoluta iret obuiàm suo æterno Sponso, contenta tamen [fuit] vt benè quieta in Sponsi requiesceret beneplacito. Post receptionem autem sanctissimi Sacramenti fuit rapta in extasim immobilem, & de eius corpore sic infirmo mirificus odor, quasi omnium aromatum procedebat, de quo suus Pater spiritualis sensit maximam fragrantiam: ex quâ ipse fuit satis refectus per

Mirum ex eius corpore ægrotantis fragrantiâ sentit Confessarius:

E maximum spatium temporis, quòd tamen sæpissimè sibi accidebat dum ea Beata sibi confitebatur vel ab eo recipiebat Sacramentum. Postquàm verò Dei famula rediit ad sua naturalia, interrogata à suo Patre spirituali per obedientiam respondit, quòd dignatus erat Dominus in suâ humanitate venire ad eam cum illis fulgidissimis signis suarum plagarum, associatus multitudine spirituum Angelicorum & humanorum: ipsa verò optimè respiciebat Dominum in suo glorificato corpore. Et diuinus Sponsus correspondendo illi inflammato amori suæ transformatæ ancillæ, extendit suam sanctissimam manum, & recepit suæ dilectæ manum, & eam tenuit per certum spatium temporis. Ipsa verò Dei famula stabat genuflexa cum timore filiali satis contenta & reuerenter; & licèt in viâ [adhuc esset] erat [tamen] omnimodè satisfacta. Cui diuinus Sponsus amœnissimâ & suauissimâ voce dixit: Anima, quæ existis missa in tanto ardore amoris, fac vt scias gaudere & ardere per perfectam vim caloris. Ex quo bonum tibi est datum, noli dolorem quærere: nam semper es posita, & a remissa in splendore. Benè te iuuit, ô anima, donum tibi per me datum. Ego quidem te formaui, & talem tibi conditionem dedi, quæ te semper conseruauit & liberam te fecit, & ad me sic te traxit semper in sancto timore, qui te semper conseruauit, & semper ornauit in meo perfecto amore: quia te fecit humilem, & te remisit in meo corde.

ipsam verò manu prehendens Christus,

a laudat in ea bonum vsum gratiæ diuinæ.

F 106 Tenuit te pro quodam b electuario, & pro quodam pulchro iocali: quia personæ, cum quibus conuersata fuisti, ex tuâ conuersatione effectæ sunt pulchriores: nec vmquàm deuiasti propter vllam affectionem, & numquàm timuisti istum tristem mundum. Ideò noli mirari, si benè transiuisti per plurimas gratias, quas à me recepisti. Odio habuisti res terrenas, quas omnes despexisti, & benè intellexisti esse friuolas, & non amœnas; posteà te mihi donasti, in quo te satis iuui: ideò res fecisti mundas, & numquàm te polluisti: & hoc te multùm iuuit, quòd vidisti te obligatam propter multas & magnas gratias, quas semper tibi feci. Tu semper te humiliasti & in conspectu tuo paruula videbaris. Aliud etiam te iuuit, animus scilicet liberalis, [quo] sensualitatem tuam submisisti simul & tuum velle: c Actuasti te iuxta posse ad habendum mentem puram propter spiritus libertatem, qui te fecit esse securam. Recepisti res venientes semper in meliorem partem, quia habuisti mentem puram

b rerum omnium terrenarum despectum,

c

in

Aini rebus, quarum cognosti defectum: & propter summam veritatem cogitasti semper admouere illum cum magnâ securitate: si [autem] hoc facere non quiuisti, ad compassionem te mouisti, me pro alijs deprecando & semper regratiando *d*. Nullum tuum *e* sensum tibi dedit impedimentum. Res nulla te alienauit, quia ego te tenui firmam, sed dedi tibi hoc Martyrium stando in ipsâ vitâ, quia sic est meum velle, vt aliquis inde exeat fructus. Tu stetisti in discretione, quia feci, vt de malitijs dæmonum esses benè prouisa: & in spiritu mihi plausisti, quia fuisti astuta. Antè & retrò respexisti & nullam rem nocuam ad te peruenire permisisti: & quidquid facis ex amore facis. Infernum verò numquàm timuisti, quia de purâ iustitiâ semper contenta fuisti. De istis bonis supernis numquàm secura vixisti, sed in me semper omnia reposuisti, quia meam potentiam firmiter intellexisti. Anima, quantùm obligaris? In quâ sum [ego] summum bonum; quæ in igne stetisti, de te nihil curasti & ab igne non fuisti *f* arsa: ad te enim non approximauit; nam ego semper te tenui: tu verò es in obligatione.

d e

prudentiam in vitandis noxijs.

f

107 Intellectu, qui in te est, claram intellexisti veritatem & semper stetisti in vigore; & me tamquàm aurum pretiosum tenuisti. Reddidisti mihi honorem in omnibus, quæ operata fuisti. Gubernasti tuam animam in suâ nobilitate, nec eam polluisti cum tuâ sensualitate, sed tamquàm argentum purum ipsam semper custodisti. Res mundanas habuisti tamquàm æs vile; quia benè cognouisti, quòd non sunt durabiles: & ideò de his non curasti. In mundo stetisti tamquàm peregrina, & nullam in eo firmitatem posuisti: semper à te visum est stare in viâ. Veritatem cognouisti liberalitate tuâ. Corpus tuum despexisti, vt mihi soli placeres; nec consanguineos respexisti, sed mecum semper *g* acquietata & numquàm à me alienata, te posuisti in solitudine & amauisti paupertatem: & ideò ab omni conuersatione te amouisti, nec dedisti audientiam vlli rei paupertati contrariæ. Omnia fecisti per obedientiam, & nulla res te maculauit, eò quòd ego te sustinui & custodiam tibi dedi, & in meâ benedictione te semper conseruaui, neque mihi vmquàm displicuisti. In tuis omnibus semper fuisti intenta ad illa, quæ ego volui facere, plenè remissa in meam voluntatem. In tuis precibus, quibus me deprecabaris, caritas te mouebat: in periculis, quæ videbas, semper eras attenta, & in meis secretis numquàm leges ponebas. Hoc me fecit incitari ad misericordiam operandam, nam multa accurrebant & veniebant super creaturas: sed hoc me restrinxit, quòd caritas te mouebat. Semper te reperi quietam & mecum per amorem vnitam. O anima, ego te scripsi in libro vitæ: fac vt semper sis prouisa, quando à me vocaberis. Ego te in me recollegi, & per meam gratiam feci quidquid feci. Tu anima benedicta, consolare: nam venies ad istud festum, & illud perspicaciùs speculaberis in veritate, & exultabis in veritate cum Angelis meis in gaudio sempiterno. Fuit prædicta visio anno & mense supradictis XXIII die eiusdem mensis.

B

perfectam obedientiã & subiectionem voluntatis:

g

C

constantiã reddit de suâ salute.

a *Et hic & alibi sæpissimè idem est* remittere, *ex vsu Italicæ & Francicæ linguæ, quod* reponere.

Electuarium.

b *Pharmaca & condimenta, quæ ægris lingenda præscribuntur, & quandoque pro delicijs vsurpantur à sanis, Græcis ἐκλείγματα & ἐκλεικτὰ dici à λείχω lingo auctor est Vossius: vnde* electarium *ac deinde* electuarium *factum putat: quæ vocis huius significatio patet ex legibus siculis, quarum hanc vnam profert*, Electuaria & sirupi & aliæ medicinæ legaliter fiant; vt sic factæ vendantur.

Actuare.

c *Italis & Francis nota vox pro assuefacere crebrâ similium actuum iteratione; item studio & exercitio prauio corpus aut animum alicui rei faciendæ aptare.*

d *Addebatur*: in cogitamine dimisisti.

Arsus.

e *Id est*, iudicium proprium.

f *Idiotismus Italicus pro* adusto: *Vossius Plinium Valerianum citat eadem voce vsum, in re medica: quantum ex Gesneri bibliotheca colligimus.*

g *Sic etiam Franci dicunt* accoisé.

D

AVCTORE IO. MATIOTTI.

VISIO XLII.

108 POst aliquos verò dies, adhuc permanente Dei famulâ in prædictâ infirmitate, in die sancti *a* Angeli penultimâ mensis prædicti, dignatus est clementissimus Dominus ad suam famulam venire in visione, & in suis radiantibus manibus vnam coronam de ramis oliuarum tenebat, quam in capite illius gloriosi Archangeli posuit, qui domesticus semper erat, & continuò visui se præbebat ipsi Christi famulæ, de quo Archangelo superiùs dictum est. Et dum dictam coronam radiantem Dominus in capite dicti Archangeli ponebat, hæc sibi verba magnâ cum lætitiâ dixit: Hanc victoriæ coronam impono, quia benè custodisti meæ famulæ animam. Et ille Archangelus gloriosus magnâ cum reuerentiâ genuflexus, immensas reddebat gratias summo Deo propter animæ ipsius beatæ, sibi ad custodiendum datæ, statum. Videbat namque illam coronam radiantem impositam super Archangeli aureos & crispos capillos, vultum verò eius relucentem ad modum radij solaris & semper cælum respicientem, manibus supra pectus plicatis & pedibus nudis, sicuti semper apparebat. Qui Archangelus si quando aliquæ personæ veniebant ad Dei famulam & inciderent in aliquod colloquium, in quo à veritate deuiaretur, vultum iste Archangelus à loquentibus in aliam partem *b* volgebat. Existente autem Dei famulâ grauiùs infirmâ, venit ad eam illa diuina lux, quæ erat sæpiùs venire consueta: & vidit in beatificâ visione, sicut posteà dixit suo Patri spirituali ipsam per obedientiam interroganti, vnam pulcherrimam ecclesiam, in quâ erat *c* tribuna satis pulchra, vbi residebat cælestis Regina, associata cum octo Seraphicis spiritibus & duobus gloriosis principibus Apostolorum Petro & Paulo & cum Sancto Ioanne Baptistâ. Prope verò prædictam tribunam erat quædam sepultura ad modũ cameræ. Cælestis verò Regina dixit huic suæ famulæ, quòd intraret in illam sepulturam. Ipsa verò Christi ancilla sepulturam intrauit, sed non ex toto. Tunc cælestis Regina præcepit duobus Angelis, vt eam inde extraherent. Et sic ordinauit diuina prouidentia, quòd Religiosi de monasterio sanctæ Mariæ nouæ mutarent altare principale in alium locum, & in illo loco, vbi antè steterat altare principale, sepulta fuit Dei famula B. Francisca *d*. Fuit hæc prædicta visio anno & mense prædictis in die sancti Angeli.

a Christus Archangelum Beatæ custodem coronat:

E

b

c

B. Virgo monstrat Franciscæ locum sepulturæ suæ.

d

a *Michaëlis.*

b *Ita dicunt Itali in aliud latus torquere seu vertere.*

c *Ita templorum absides in hemicycli forma altari circumductas vocant ijdem: concham græci, qua de re vide pleniùs dicenda 20 Martij ad num. 47 in Actis Martyrum Sabaitarum, litt. d.*

F

Tribuna.

d *Nec sepulta tantùm: sed inde extracta fuit & solenniter eleuata, vt post dicetur anno 1638, mense Augusto: quod visione hac potissimùm significari etsi per se pateat, postquàm factum est; diuinare tamen antequàm factum esset, auctor non potuit.*

VISIO XLIII.

109 ALiâ vice adhuc Dei famula permanens in infirmitate suâ, fuit rapta in extasim, in quâ stetit vsque ad meridiem. Pater verò suus spiritualis eam visitans ipsam inuenit cum magno iubilo cantantem & sua brachia fixis oculis respicientem, quemadmodùm Mater respicit quando filium paruum tenet in brachijs. Ipsa nempe, Deum in suis brachijs in formâ agnelli tenebat, in proprio lectulo sedẽs in extasi, & ipse agnellus recedens ipsam dimisit satis dolentem: sed diuina potentia ipsam reddidit quietam propter præceptum obedientiæ sanctæ. Nam Pater suus spiritualis ipsam adhuc in extasi existentem per obedientiam de beatificâ visione interrogauit, quæ respondens, dixit: Se vidisse cælestem Reginam pluribus gloriosis Angelis sociatam. Et illa in Dei amore feruentissima Magdalena erat cum cælesti Reginâ, cui ipsa

In festo Sanctorum omnium.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

A ipsa Regina commisit certa verba dicenda huic Dei famulæ. Adhuc in extasi existens suum Patrem spiritualem vocauit, præsentibus aliquibus ex eius Filiabus spiritualibus, dixitque ei ex parte ipsius Magdalenæ: Illa quæ vult intrare in istâ nostrâ vitâ, necesse est, quòd sit mente & corpore libera & in fide sit firmata & in sanctâ humilitate. Illa quæ vult incedere per istud iter, interna & externa à se proijciat, & obliget nostrum Saluatorem; gerat semper purum cor & manus habeat innocentes, & sit semper mansueta in his, quæ debet facere. Quæ vult intrare in istâ societate de continentiâ sit signata, & in confidentiâ sit firmata summi Dei, qui eam creauit. Quæ vult esse in nostrâ societate, inueniet* multa infinita & erit plena amore, consolata in Dei timore. Quæ vult habere animum virilem, pacifica sit, quieta, victoriosa, & in obedientiâ inueniet requiem. Quando est anima libenter volens, ingreditur mortua & incedit viuens, mittit se in manibus [Dei velut]. balistam: permittit se duci ad suum velle, & philocapta ardet in Dei amore.

à S. Maria Magd. dicetur quid opus sit ad eorum societatem obtinendã.

*an mala?

110 Ipsa anima est sagitta cum magno feruore: sagitta de se tenet ictum, est fidelis & recta eundo ad punctum, quia libenter vadit ad illud signum, ad quod mittit eam balistarius: facit rumorem quando à balistâ B recedit, & omnes circumstantes faciunt se retrò: tantus est feruor, quo ducitur sagitta, quòd nullus est ausus in medio stare, & si aliquis in medio staret, ipsa eũ infallenter occideret: & quousque vadat ad suum certum signum, vadit tota vigorosa. Balistarius est sancta obedientia, semper respicit suæ animæ secretam partem, vt illam vinciat *a* ad suum rectum finem & eam firmet cum Christo Deo. Hic *b* vult esse vera caritas & verus amor: & velociter anima, quæ sic est, efficitur capax illius summi boni, quòd est indeficiens. Illa quæ perseuerat in vnione, confortationem sentit cum magno feruore & semper se firmat in Dei amore honoreque. Si vis quasque res benè ducere, nihil eis velis dimittere, sed pone eas in sanctâ paupertate, quæ ipsas faciet securas, & sine timore itinerare. Ecce hîc inuenitur pax in magnâ quiete & verus amor cum tranquillitate, qui ipsas vniet in sanctitate: & sic pulchra insignia faciet Saluatori. Pòstquàm verò ista anima Deo deuota reuersa est ad sua naturalia, interrogata per obedientiam à suo Patre spirituali, dixit, quòd eius spiritus fuit ductus ab vnâ magnâ luce coram diuino thròno, viditque vnum altare speciosissimè præparatum & omnibus rebus necessarijs pulcherrimè ornatum: super quo stabat vnus Agnus cum signis quin- C que plagarum Christi signatus, ex quibus signis lux quædam inexcogitabilis procedebat. Ille verò Agnus cum pedibus anterioribus vnũ tenebat librum, septem signaculis signatũ ex pretiosissimo Redemptoris Sanguine. Tria ex his signaculis in medio existentia erant clausa, alia duo hinc inde aperta erant. Vidit etiam coram prædicto altari multa candelabra pulcherrimè accensa, pulcherrimè ordinata: & in remotiori ordine erant septem candelabra significantia septem virtutes principales; in secundo verò ordine, & sibi proximè erant duodecim candelabra significantia duodecim Fidei articulos; in tertio verò ordine erant septem alia candelabra significantia septem dona Spiritus sancti; in quarto ordine alia septem erant candelabra, per quę denotabantur septem sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramenta.

ex simili sagitta.

Videt Agnũ Dei in altari cereis variè ordinatis instructo,

111 Et gloriosus Ioannes Baptista illam beatam animam duxit prope altare, sibi dicens: Anima, ex quo est tibi datum & ostensum istud bonum, ille sanctissimus Agnus me misit, vt te ad altare approximem. Accede & adhibe bonam curam huic tam solenni festo. Respice ad istum Agnum, qui tantùm benè se posuit, vt nos faceret de se philocaptos: & ideò te fecit transformari & in suo amore irradiari. Respice hunc Dominum, qui te eripit ab errore. Anima, quæ es illustrata & à summo Creatore inflammata, ipse te direxit per D amorem: ipsa summa Deitas erit tuum speculum: cum ipsâ es ligata per caritatem, vnias te secum per amorem. Post hæc Dei ancilla vidit principales ordines Sanctorum, venientes cum vexillis: quæ vexilla omnia erant simili modo signata diuersis coloribus, scilicet albo, nigro, & rubro; ipsa verò non modicùm mirabatur de illo nigro colore. Et gloriosus Baptista sibi dixit: Noli anima mirari de his rebus à te visis: color niger, quem vidisti, te significat, quæ huc venisti. Mori oportet primò hùc venientem: qui de summo bono vult gustare, oportet vt suam sensualitatem primò ponat sub pedibus. Albus color significat puritatem, quę animam facit incedere rectam cum fide nimis feruente: iste est purus candor, qui animam ducit ad videndum istud festum, quod est indeficiens. Rubeus color significat accensam caritatem cum amore perfecto, qui facit venire in veritate animas illorum, qui passi sunt martyria ob amorem, quem habuerunt in se ipsis: ideò omnia grauia eis fuêre leuiora, & modò peruenerunt ob sua merita ad istam felicitatem.

ad quod à S. Io. Bapt. ductã

audit Sanctorum ordines sub suis quosque vexillis & ducibus Agno gratias agere:

112 Post hæc gloriosus Baptista iuit coram illo Agno cum vexillo Patriarcharum, & omnes ipsi genuflexi dicebant: Beneueniat nostrum signum, quantùm pulchrum est ad videndum. Respicite nostrum Agnũ, E qualia signa habet pro nobis, qui fuimus in Dei timore positi, obedientes ex amore. Ideò de nobis benè complacuit Dominus & nos vestiuit de luce. His dictis, Abraham & Isaac cum omnibus alijs respondebant: Omnes nos regratiamur huic Agno pretioso, nam propter signa, quæ habet, fuimus liberati à loco tenebroso & venimus in istam lucem, in hanc gloriam beatã, & gaudemus simul secum in hac pulchrâ festiuitate. His verbis finitis, gloriosus Baptista in personâ Prophetarum dicebat: Beneueniat nostrum insigne, quod est tantum pulchrum & amore plenum, habet faciem pulchram, rubeam & aptam ad speculandum, & alij Prophetæ respondebant: Audacter hùc venimus ad regratiandum Verbo diuino, ornauit nos suo spiritu, qui nos docuit ea, quæ diximus. Tum sanctus Petrus in manibus tenens vexillum simul cum sancto Paulo dicebat: Et nostra insignia beneueniant, tantùm sunt pulchra & accensa: à Spiritu sancto fuimus firmati & solidi, & à suo amore inflammati. Et omnes alij Apostoli dicebant: Semper gratias reddamus Agno nostro pretiosissimo, qui nos tantùm augmentauit in suâ gratiâ infinitâ, & ideò omnes lætamur in suo diuino amore, qui nos fecit in se speculari, & ad suum regnum perduxit. Quibus dictis, Beati Ioannis Euangelistæ spiritus simul cum Sancto Marco dicebat: Beneueniat F nostrum vexillum, quod est pulchrum & ornatum & totum inflammatum semper diuino amore: nos eum manifestauimus, & per mundum prædicauimus Verbum diuinum iucundum, quod nobis dedit ita magnũ donum. Alij verò Euangelistæ dicebant: Omnes nos regratiamur huic Agno, qui nobis vitam ostendit, & suum librum manifestauit. Vnde sumus coronati per Agnum pretiosissimum, qui nos sic facit gaudentes de suis bonis. Insuper Beati Ioannis Euangelistæ spiritus dixit: Ecce istum pulchrum librum, in quo nos legimus supernum amorem, quem ipse nobis concessit, & ostendit per illud sanctissimi lateris vulnus, quod ipse Agnus habebat. Alij verò Euangelistæ dicebant: Omnes nos inde lætamur de isto bono nobis donato, & respicimus illam faciem, quam nobis dedit sine intermissione videre.

Patriarchas sub S. Ioan. Bapt.

sub SS. Petro & Paulo Apostolos,

sub SS. Ioanne & Marco Euangelistas,

113 Tunc beatus Protomartyr Stephanus, vexillum omnium Martyrum manibus tenens, simul cũ Sancto Laurentio dicebat: Vexillum fortitudinis sine timore beneueniat, & se approximet huic Agno cum amore, qui nobis dedit suam figuram & cõcessit mentem puram: fortitudine nos ornauit in suo sanguine pretioso & omnes nos lætos fecit. Alij verò Martyres respondebant:

sub SS. Stephano & Laurentio Martyres,

A respondebant: laudes & gratias tibi reddimus, Agne pretiosissime, qui nobis dedisti tuum vestimentum, vt gaudentes veniremus ad istud festum, in quo videmus cælestem Reginam, quam pro nobis coronasti. Laudamus te, Domine, & videmus gloriosam Matrem & eius dulcissimum filium, & istam *c* gioiam infinitam, quam ipsi respicimus. O amor pulcherrime, nobis te ostendis placabilem, qui de summo tuo bono lætam reddis omnem gentem, ideo sumus gaudentes. Quibus finitis Sanctus Gregorius, assumpto vexillo cum Sancto Hieronymo dicebat: Et nostrum insignium beneueniat, quod Domino tā placuit, quòd omnes sic dotauit, & de suā sapientiā ornauit, omnes ei regratiamur pro tantis donis nobis datis, à nobis per totum mundum sparsis propter suum amorem nobis ostensum. Sanctus verò Ambrosius cum Sancto Augustino dicebat: Omnes nos simul laudemus istum Agnum pretiosum, qui nos sic illuminauit, & ad istam lucem duxit *d*, in quâ tenebræ & nox non sunt, & nos fecit rigorosos in istā veraci vitā. Et omnes alij Doctores respondebant: Laudes, & gratias tibi reddimus, summe Deus gloriæ infinitæ, qui vt nos ab interitu redimeres, in cruce pependisti. O amor magnæ dulcedinis, qui B nos tantùm dilexisti, & tuum amorem perfectum sine mensurâ ostendisti!

sub SS. Gregorio & Hieronymo doctores,

sub SS. Benedicto & Bernardo,

114 Sanctus verò Benedictus aliud baiulans vexillum simul cum Sancto Bernardo, dicebat: Beneueniat insigne nostrum, tam est album & pulchrum, venite, & respiciamus istum Agnum potentissimum. Omnes sibi regratiemur, qui nobis dedit iocale pretiosissimum, fidem pulchram & ornatam cum sanctā humilitate: fecit nos fortes in veritate & fundatos in obedientiæ firmitate. Sanctus verò Franciscus simul cum S. Dominico dicebat: Omnes nos laudemus istud pretiosum templum, quod est Verbum diuinum, & nobis se fecit sponsum, & per suam rectam viam fecit nos incedere, atque nos omnes benè firmauit in paupertate securā. Et omnes illi Confessores responderunt: Omnes nos expoliauit, & suo amore vestiuit: omnes fecit exultare, & quòd gauderemus secum; & cum suā Matre dulcissimā duplicauit nobis gaudium vitamque: & ideò omnes gaudemus propter caritatem infinitam. Sanctus verò Paulus Eremita tenens aliud vexillum simul cum Sancto Antonio Abbate dicebant: Beneueniant nostra insignia, quæ sunt fortia & constantia: nos stetimus tam liberi, quia amor nos fecit fortes, & totum mundum dimisimus, & in hoc secum fuimus omnes in fide fundati, quia ipsa fides à mundo nos extraxit. Sanctus vero *e* Onuphrius dixit: Quātùm possu- C mus lætari in isto pretioso festo, & omnes Deum laudare, qui nos posuit in istā requie. Respiciamus Matrem dulcissimam, quæ fuit nobis aduocata & coram filio nostri recordata: per ipsam habemus omne bonum. Et omnes alij Eremitæ dicebant: Laudamus istud templum Iesum Christum gloriosum, qui pro nobis tot labores sustinuit. Post hæc Magdalena vexillifera simul cum Sanctā Agnete dixit: Beneueniant nostra insignia, quæ sunt tam pulchra & placibilia, sumus Matris Dei Sorores propter suam humilitatem. Sancta Catharina verò cum Sanctâ Luciâ dicebat: Omnes nos regratiamur Agno candidissimo & suæ Matri Reginæ, quæ secum nos facit facere cognationem propter suam humilitatem: Christus pro nobis sustinuit in mundo spinoso, & à Iudæis recepit sputa & flagella. Ceteræ verò Virgines responderunt: Laudes, & gratias tibi reddimus, ô amor, qui es infinitus, qui pro nobis passus fuisti & de tuā luce nos vestisti, & nos omnes tuā voce vocasti, & fecisti tuas, & in tuis bonis submersisti, quæ bona sunt, quia te videmus. Sancta Anna & Sancta *f* Sabina dicebant: Et nostra beneueniant insignia, quæ sunt fundata in continentiā, cuius vestes sunt rubeæ, in quibus ipsa Deo benè placuit, & alij continentes responderunt: Nos fuimus

Francisco & Dominico Religiosi,

sub SS. Paulo & Antonio Eremitas,

sub SS. Mariâ Magd. & Agnete Virgines,

sub SS. Annâ & Sabinâ viduas,

D benè firmatæ per altissimum Creatorem, per ipsum Agnum pretiosum, qui nobis dedit talem colorem: ab ipso fuimus philocaptæ: per ipsum portauimus pondera, quorum iam sumus oblitæ; quia sumus ductæ ad tantum bonum. Laudemus Reginam piam cum isto Agno pijssimo, qui de luce nos vestiuit, & tanto bono nos gaudere fecit.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

115 Post hæc Sancta Cecilia pro coniugatis loquens dicebat: Et nostræ acies beneueniant, quæ fuerunt in supplicijs: vestes portatis nunc pias, & exaltatæ estis in istis bonis. Et omnes aliæ insimul dicebant: Gratias tibi reddimus, Domine, qui es totum nostrum bonum, in quo nos omnes gaudemus & confortamen recipimus: in te nos reducimus, quia in te reduxisti bonum nostrum, qui es summa lætitia. Et omnes aliæ beatæ animæ insimul dixerunt: Istud est bonum infinitum, respicere Creatorem per istum Agnum pretiosum, qui de isto amore perfecto nos omnes adimpleuit: ardemus omnes per amorem *i* in isto speculo relucenti sumus *g* missæ cum magnā delectatione, quæ nobis numquàm deficiet. Et omnes istæ acies coram Deo & Agno [stabāt] cū magno iubilo, & lætitiā, & ille mansuetissimus Agnus omnibus signa ostendebat inflammati sui amoris incitatiua, & similiter cælestis Regina cum alijs Angelicis spiritibus. Quibus laudibus finitis ille Agnus iuit ad brachia suæ dilectæ ancillæ. Et E ista visio fuit ante mediam noctem: ex quo patet, quòd hæc anima Deo deuota stetit in illā visione beatificā per horas tredecim. Dixit etiam ista Dei ancilla, quādo stabat [rapta] in extasim immobilē quòd stabat in summā pace & quiete perfectā, & tūc perspicaciùs, & lætiori mente videbat visiones: quando verò in extasi mobili, non ita clarè. Fuit autem hæc visio anno prædicto, & in nocte vigiliæ omnium Sanctorum. Tertio autem die post prædictam visionem, cùm adhuc ista Christi ancilla esset infirma, venit ad eam quædam speciosa aquila cum maximo splendore & dixit: Qualis erat Ioannes Euangelista, qui semper fuit intentus ad diuinam voluntatem? Dic tuo Patri spirituali, quod intelligat conditionem balistarij, qui ex quo recipit suum *h* salarium, & stat *i* firmatus cum suo patrono, semper stat attentus ad ipsa quæ ille dicit; & est semper velox & presto ad obediendum, & semper se custodit cum summā prudentiā: ita quòd non sit captus, vel percussus, aut *k* mortuus: & etiam cum magnā diligentiā custodit locum, & gentem sibi datam in custodiā, & stat cum magnā cautelā & aduisamento. Quando *l* balistarius mittit sagittam, in vno loco tenet pedes, manus, & oculos stando semper circumspectus in suā arte balistandi, & tamen se ipsum F custodit *m*.

sub S. Ceciliā coniugati;

ipsum denique Agnū inter brachia recipit.

Tertia post hæc die monitum pro confessario accipit.

a *Est modus loquendi Italis proprius.*

b *Id est ad hunc finem requiritur;* qui si vuole.

c *Id est,* gaudium, *Francis* Ioye.

d *Addebatur*: effecti sumus victoriosi.

e *Hactenus nominati notissimi sunt, sic vt nihil opus sit diem cultus notare: huius verò festum agitur 12 Iunij.*

f *S. Sabinæ 29 Augusti: quæ licet quandoq; inueniatur cum titulo Virginis, constat tamen ex Actis fuisse viduam nobilem, Valentini quondam vxorem.*

g *Id est* positæ *idiotismo Italis ac Francis vsitato.*

h *Vide Vossij Etymologicum vocabulo* sal, *& probè Latinam vocem esse atque antiquis vsitatam disce; quæ primùm quidem Ducum ac Tribunorum militarē annonam significarit, extensa deinde sit ad militare stipendium: nunc autem ad quoduis operæ mercenariæ pretium.* Salarium.

i *In nostro ecgrapho erat* infirmatus*: sed mendum satis indicat contextus:* firmatus *autem hic idem est, quod obstrictus ex pacto.*

k *Passiuè ab Italis vsurpatur pro occiso: & quæ hic videntur esse præteriti temporis, reuerà ponuntur pro præsenti coniunctiui, iuxta linguæ vernaculæ proprietatem.*

l *In ecgrapho erat* balista, *& superiùs pro* balestarij *legebatur* balistarum, *in quibus si error scriptoris non est, figurā agnoscas oportet, quâ instrumentum accipitur pro eo qui ipso vtitur: ita sæpè in militia* lanceæ, mosquetæ, *pro lancearijs, Mosquetarijsq; dicuntur. Nota autem hanc & aliquot sequentes visiones pertinere ad in-*

m *stitutionem*

A *stitutionem Oblatarum, à S. Franciscâ collectarum: quarum cura auctori diuinitus demandabatur.*

AVCTORE IO. MATIOTTI,

m *Addit Anguillaria lib. 4 cap.* 3. sic & ipse facere debet, quem Dominus caput ducemque constituit congregationis inchoandæ. hic vero Beata diuinam vocem audiuit dicentem quòd suis in Christo filiabus magna mouenda esset contradictio propter domum, ad quam se volebant recipere.

VISIO XLIV

S. Paulus de mandato B. Virginis præscribit

116 ALio tempore Dei famula dum esset in suâ camerâ & orationibus, eius spiritus fuit raptus, & ductus ab vnâ splendidissimâ luce in cælum Empyreum: & reuersa ad sua naturalia interrogata per obedientiam à suo Patre spirituali dixit, quòd viderat Dominum in diuino throno ibi in cælo Empyreo sedentem cum totâ cælesti curiâ: & Regina cælestis fecit certum signum Apostolo Paulo, & ipse duxit Dei famulam coram cælesti Reginâ. Ipsa verò existens genuflexa intellexit, quòd Mater Filij Dei imposuerat ambasciatam ex parte sui filij Apostolo Paulo sibi dicendam. Tunc Doctor gentium & Apostolus exorsus est: Anima, esto benè firma, & libera in sancto amore: Dominus te transformauit in suâ diuinitate, & tota esto remissa in ipso diuino amore. Anima, respexisti benè in illo actu tibi ostenso à Matre & filio, à Patre & filiâ? Audiuisti illud consilium, quod B tibi cælestis Regina dixit? Anima, sta attenta, quia ego tibi declarabo, qui sum Paulus victoriosus, qui illud consilium per me sum expertus: firmus steti in Domino, me nulla res ab eo diuisit, sed fecit me venire in istam firmitatem mihi datam. Anima, tibi loquor ex parte cælestis Reginæ, fac, quòd habeas animum virilem, & nulla res te faciat debilem. Anima, serua istum modum, si vis esse ordinata: amoue à te tuum intrinsecum, & quidquid te maculare possit: & in fide sis fidelis in cordis centro per humilitatem: summum Deum contemplare, qui te per amorem reformauit. Si benè te vis gubernare, per puritatem obtinebis: amoue à te amorem terrenum, imò te ipsam ab eo spolia, amoue conuersationem & *a* personarum practicam non solùm à te, sed etiam ab omnibus te sequentibus, propter pericula, quæ accidunt in rebus complacibilibus, ex quibus nascuntur mala displicibilia. Anima, ex quo recessisti, fac quod sis benè astuta, & à dæmonio incognita, ne possit te deprehendere in aliquâ re sinistrâ. Anima, tene te in silentio, & in mente gere continuum exercitium, & memoriam recordantem, & intellectum te illustrantem: habe mentem quietam & obedientiæ consentientem: sis prompta, humilis, & præsto in his quæ sunt tibi ordinata.

spiritualis eius ac filiarū profectui necessaria,

C

& modum seruandum in quadruplici ieiunio,

117 In his, quæ tibi dicentur modò, sit semper discretio reseruata: quia in necessitate nihil te tango modò, quia id obedientia optimè nouit. Quadragesimæ totius anni sunt hæ, quæ sequuntur: Prima est Resurrectionis, quam Ecclesia Spiritu sancto edocta præcepit ieiunare: reliquas alias, quæ sunt ex deuotione tibi dono ex præcepto: est enim illa Spiritus sancti, quæ incipit die tertio ante festum Ascensionis vsque ad vigilias Pentecostes inclusiuè, quæ fiet tota per amorem, & omnis tepiditas amoueatur. Postmodum quadragesima cælestis Reginæ, & durat vsque ad Assumptionem Virginis, quæ est tam pia, & intercedit apud suum filium, & ideò alacriter fiat. Est deinceps Quadragesima Aduentus Saluatoris, & fiat feruenter cum ardore, quæ incipit à Sabbato ante primam Dominicam Aduentus vsque ad Natiuitatem Domini. Istas Quadragesimas tibi dedit cælestis Regina, quòd leuiter fiet, sed suum mentis residuum remittit in obedientiâ. Sic ei placebit etiam in cibis sis ordinata. Cibis carnium tribus diebus vtere in hebdomade, sed solummodò in manè: in sero autem alterius cibi parum quid sume. Die lunæ, & die Mercurij carnium cibo omnino non vtere; die Veneris & die Sabbati ieiunare debes. De potu verò primo & ante omnia tibi veto omnia

vsu carniū

vina grandia: quia [autē] vina media sunt alijs ordinatiora, ideò [ex iis] cape tuam necessitatem. In dormitione tene talem modum: septem tibi dantur horæ per diem naturalem, & horam congruam seliges in nocte, qua ad Matutinum ibis cum Dei amore, sana meditando in mente tuâ. Illa, quæ inter vos nescit legere, orationem dicat, quam Christus instituit & Apostolos docuit, vt nos omnes doceremur: & cogitet semper in illis petitionibus, qui continentur in ipsâ petitione, & semper ampliùs de ipsâ erit philocapta. Quinquaginta vicibus illam orationem dices horâ matutinali, & cum qualibet oratione dominicâ dices salutationem Virginis. Esto semper ardentior in oratione diuinâ & in amore diuino, qui te remouebit à somno corporali. Surge in diei aurorâ, gratias reddens summo Deo, qui te sustinuit. Scrutare benè mentem tuam, si quo modo cecidisti: sed si benè euasisti, fac, quòd Deo non sis ingrata, sed cogita semper in tempore venturo. Confide plenè in ipso, qui te potest defendere. Eamdem orationem ad Primam [Horam] triginta tribus dices vicibus, semper meditando summum bonum, & ea, quæ ipsum pro te passum est. Horâ verò Tertiâ, Sextâ, & Nonâ prædictam orationem pro qualibet istarum Horarum quindecim dices vicibus. Sed caue ne in aliquâ salutationem angelicam prætermittas, & semper cogita, quanta in his horis passus est pro te Dominus vt te ad se reduceret. Horâ vespertinâ, in quâ Redemptor fuit de cruce depositus & in brachijs cælestis Reginæ collocatus, vigintiquinque vicibus dices prædictam orationem, & in tuâ mente cogita lucem caritatis diuinæ, quæ liberat animas ab istius mundi tenebris: & hîc benè te firma, & noli altiùs cogitare; quia posses pedes lædere: & ipsis rebus diuinis noli te multùm miscere, quia posses ardere. Quindecim alijs vicibus prædictam orationem Horâ Completorij dices, & pone te in quiete & silentio, & ampliùs loqui noli, nisi sit necessitas.

D vini: ac somni:

quoties Pater & Aue ad singulas Horas dicētura sint qua nesciūt legere:

E

118 Ignorare non debes, quòd diabolus numquàm dormit, & se conformat cum carnis vilitate. Caue ne te vincat sensualitas, quæ plena est omni fragilitate. Si aliqua tentatio ad te veniat, & dæmon te aggrediatur, esto spiritu vigorosa, quòd sibi te non faciat inclinare. Noli in tuâ conscientiâ esse scrupulosa, nam anima, quæ sic est, numquam habet requiem. Si vadis variando, nullum bonum senties: ipse dæmon te iuuabit in istis scrupulis: pœnitebit te benè facere, & nullum boni saporem habebis, & si viriliter te non iuuabis, periculum est, ne retrocedas: nam quando anima est variata, est ab aliquo ligamine iam ligata, nec in toto est in se libera: sed quidquid facit sunt verba & dicta. Ego tibi [dixi] de animabus pigris, quæ se gubernant in otiositate; quòd diabolus facit eas boni pœnitere & Dei honorem despicere: quidquid eis dicitur malè interpretantur. Modò dicamus de virilibus animabus, illas verò scrupulosas dimitte ad eum, qui eas ordinat; & des eis pœnitentiam secundùm commissa, & semper hoc agas cum discretione. Animæ viriles & animosæ sunt auidæ & habiles & libenter vellent facere quidquid possent vt honorem Dei in esse conseruarent. Priua eas de omni re suâ, quarum nulla dicat: Istud meum est. Omnia eis sint in communitate: lucrum verò, quod licitè fit de suis exercitijs, vna illarum, cui præceptum fuerit, illud capiat, & de illo debeat omnes *b* gubernare. De vestimentis verò ne subtrahas necessitatem eis, ne incidant in murmurationes: de grossis pannis faciant vestimenta, & conuersationem fugiant. Fac eas recedere ab amore parentum, & tali in statu & odio sancto fac eas permanere, vt sit eis iusta occasio nullum videre consanguineum. Fuit prædicta visio anno & mense supradictis, xv die ipsius mensis.

vetat scrupulos & inconstantiā:

F

docet quo debeat regere alias.

a *Id est, familiarem vsum quorumuis hominum iuxta Italicæ ac Francicæ linguæ idiotismum.*

b *Sic Itali loquuntur: Latinè diceremus,* omnibus prospicere.

VISIO

A

VISIO XLV

In festis natalitiis inuenitur quasi Iesum complectens brachijs:

119 ALio quodam tempore Omnipotens manifestare volens suas mirabiles operationes & gratias quas operatus est in suâ ancillâ, in vigiliâ Natiuitatis Domini, sicut Deo placuit, Christi famula intrauit suam cellam, & eam ornauit certis arborum ramis, ex accenso ardore desiderij, quo in animo æstuabat esse sola in aliquo deserto loco: & sicut Deo placuit, per totam illam diem Natiuitatis & per totam noctem, & diem & noctem sequentem, quâ nocte erat Vigilia S. Stephani fuit in extasi, de quo satis mirabatur suus Pater spiritualis. Qui accedens *a* ad domum ipsius Dei famulæ, inuenit eam inter dictos ramos in extasi stantem, & secundùm signa, quæ faciebat, tenebat Dominum in infantili ætate in suis brachijs, cum lætitiâ & iubilo suauiter ac melodicè cantando Dei laudes. Et cælestis Regina nostrum Redemptorem volens à brachijs prædictæ Dei famulæ auferre, ipsa cum pulcherrimis & apparentibus rationibus se defendebat, dicens inter alia, quòd donum gratis datum non debet violenter auferri, & similia verba. Et dum sic lætissima & contenta Dei filium teneret in brachijs, illud diuinum Verbum suæ famulæ sic dixit: Anima sursùm eleuata in altitudine supernâ, ego te feci reformatam in caritate benignâ, modò lætare in hoc festo, ad quod nunc es ducta: volui te consolari: tamquàm paruulum me dedi tibi: ostensus est tibi homo verus, in quo Seraphini speculantur, & omnes alij spiritus habent ad plenum de illo confortamine superno, qui est summus Deus immensi regni. Et tu, anima, lætare, & respice Matrem dulcissimam quæ me circumdedit ac vestiuit in suâ sanctâ paupertate, & modò est Regina cælestis. Aspice eam cum amore, quæ te tantùm dilexit, & huc sursum direxit vt esses hîc nobiscum. Fac vt benè te gubernes, ô anima paupercula, nam pœnas sustinebis quando ab isto festo recedes: noli de te curare, sed sis semper libera, & habeas mentem semper intentam & ad totum meum velle.

B

SS. Paulus, Benedictus & Magdalena assistunt

120 Et postquàm Dominus de brachijs suæ dilectæ recessit, gloriosus Paulus & Sanctus Benedictus & Maria Magdalena ad eam venerunt tamquàm procuratores ipsius, quæ sic retulit: Gloriosus Apostolus, Paulus & S. Benedictus, & Maria Magdalena, qui sunt Nuntij Iesu Christi & cælestis Reginæ, ex parte summi Dei vos salutant, & ex parte suæ Matris: stetis attenti ad ea, quæ ipse Dei nuntius dicet *b*: In illâ, inquit, horâ sanctissimâ, in quâ Verbum Dei descendit in ipsâ cælesti Reginâ, apparuit vnus fons qui vocatur fons misericordiæ. Tunc B. Paulus fecit ipsam animam præparari, & fuit ordinatum Officium diuinum. Sanctus verò Petrus se induit Pontificaliter ad celebrandâ solennitatem, & lauit, & purificauit Christi famulam in illo fonte misericordiæ, & postmodum dedit sibi sanctissimuum Sacramentum Corporis Christi. Sanctus verò Paulus, & S. Benedictus in Missæ celebratione B. Petro ministrabant, & B. Magdalena illi aderat Officio, nam sic erat de voluntate diuinâ, vt tres ibi essent testes. Finitâ verò Missâ, B. Petrus Christi ancillam consecrauit Oblatam beatæ Virginis coram illis testibus, & ibidem reuelatus est sibi modus receptionis filiarum suarum, quem modum & formam in perpetuum alijs tradidit obseruandam dicens filiabus suis: *c* Indifferẽter vocetis omnes virgines & viduas cuiuslibet ætatis: firmetis ipsas in obedientiâ, quòd dicant suum animum in veritate: omnes quidem habebunt maturam ætatem, vt possint dicere sic vel non, & sint contentæ læto corde, & modicam gerant curam de his quæ foris dicuntur. Habeant animum virilem propter dæmonum aduersitatem, vt sciant benè resistere: ne dæmon eas faciat in vitijs submergi, firmentur in obedientia, quæ potest eas liberare. Ipse Iesus Christus vos salutat, & erit semper vobiscum: dicit, quòd quando vultis ponere aliquas in hac societate, sitis priùs benè informatæ quòd habeant puram mentem, & sint liberæ & animosæ; eas examinate postquàm fuerint in loco, nec cum alijs, quæ sunt in loco, misceatis, quousque earum mores benè sciatis, si sint mansuetæ & animosæ ad ea adimplenda, quæ eis narrabitis. Et dicit, quòd benè caueatis à spiritibus præsumptuosis, & ab illarū spiritibus, quæ sunt in duplicitate; ideò sitis benè prouisæ in earum conuersatione, nam quæ est *d* dicta, magnâ cum difficultate, ad se faciendam bonam, ab illis dictis permoueri potest. Ideò moneatis eas, quòd sint benè firmatæ in regulâ eis datâ, faciatis eis intelligere vestimenta eis data & collata: nam prima *e* gonella est alba, & significat puritatem, rectam fidem, & munditiam mentalem: & quòd habeant manus innocentes, & sint puræ coram Domino cum rectâ intentione, & firmatæ in Dei velle: secunda verò erit nigri coloris de panno sine pompâ & grosso, quæ earum mentibus denotet mortem, quæ semper est prope, & semper considerent, quòd sint coram iudice præsentatæ, & ab ipso iustè iudicatæ: earum coperimentum sit lineum, in quo cogitent, quot labores *f* sustineat, antequàm fiat album, & per illud intelligant sanctam obedientiam, cui semper se submittant. Quando verò erunt dealbatæ coram conspectu diuino, Dominus eas recipiet ad suum thesaurum possidendum, & gustabunt de suo bono, & de plumbo fiet aurum: & eis dabit suum regnum, quod possideant in sempiternum. Fuit hæc visio anno Domini *g* MCCCCXXXIII in die Natiuitatis Domini.

dum S. Petro sacrificante Oblata consecratur:

C

Iisdem declarat quales esse Oblatæ debeant,

quomodo probari

D

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

& vestiri.

E

a *Accessisse autem videtur in comitatu Fr Barthclomai, sicut aliàs accesserat cum Fr. Hippolyto, præsente illius filia spirituali Ritâ; corã quibus omnibus in eodem raptu perseuerans ex parte trium Sanctorum, ad negotium instituendæ Congregationis Oblatarum diuinitus deputatorum, prolocuta est B. Francisca ea omnia, quæ infrà num. sequenti.*

b *Quæ hîc omissa sunt ab Auctore & in Italico MS. reperiuntur ea lector inueniet infrà l. 4 cap. 2.*

c *Hæc Italicus textus prosequitur tamquàm prædictis tribus viris mandata,*

d *In ecgrapho* ducta, *& paullò pòst* ductis. *Credimus sensum esse: Nam quæ præsumptuosa est & duplex, qualis iam est dicta, ab aliis ante dictis mansuetis & animosis difficulter corrigi poterit.*

e *Tunicam esse, ac ferè fœmineam, indicant vocabularij aliàs citati auctores: diminutiuum à* Gonnâ, *quod cycladem vertunt: vnde vlterius pro infimâ veste deriuantur* Gonnelleta, *&* gonnelluccia, *apud eosdem..*

Gonna, Gonella.

f *Multiplicem lini torturam disertè exposuit Goropius Becanus Hermathena sua lib. 3 pag. 40 & seq. postquàm huius vocis Græcis, Latinis Teutonibusque communis originem ex Teutonico* Lyen *pati protulisset, operosus & ingeniosus in etymologiis quarumcumque linguarum è Teutonicâ cõminiscendis nugator. Eodem respexisse videntur vetustiores Poëtæ, cùm Linũ Apollinis & Psammathes id est, solis & ψαμμάθης terræ sabulosæ, fœtum finxerunt per Matrem malè filio metuentem à Crotopo (est autem hoc nomen ἀπὸ τῦ κροτεῖν pulsando tundendoque formatum) absconditum inter virgulta, indeque venaticorum canum dentibus extractum ac membratim discerptum perijsse: artis scilicet industriam denotantes, quâ linum virgulto adnascens suo, sub eoque latens probè maceratum, contusum atque discerptum malleis & pectinibus ferreis eruitur, & ad opus textrinæ præparatur. Quam rationem Poëtarum fabulas intelligendi & explicandi vnicam germanam & vniuersalem esse possemus, si res ferret, demonstrare peculiari opusculo, quod pridem de hac materiâ præparatum omisimus sanctioribus curis occupati.*

Linum patientiæ symbolum.

F

g *Pridie scilicet in vigiliâ Natiuitatis inchoati iuxta vsum ex MSS. Martyrologijs probatum Visione XV.*

VISIO XLVI

Id festo Epiphaniæ cum Magis

121 QVadam vice, dum Dei famula veniret ad supradictam capellam, vt in eâ reciperet sanctissimum Sacramentum Corporis Christi, rapta fuit in extasi immobili, & postmodum reducta est ad extasim mobilem: & sic existens nimium commendabat tres Magos de eorum sollicitudine & affectu, quem habuerunt perseuerantes, vt inuenirent Redemptorem: commendabat etiam eorum oblationes, quas Redemptori obtulerunt, quibus omnibus præmissis meruerunt regnum cæleste possidere. Reducta verò ad sua naturalia, & interrogata à Patre spirituali per obedien-

A obedientiam de visione, respondit; quod fuit ducta ab vnâ magnâ luce ad aliam splendidiorem lucem, in quâ vidit cælestem Reginam Dei filium in brachijs tenentem. Vidit etiam tres Magos: ipsa verò Dei famula humiliter supplicabat cælesti Reginæ, vt suum filium sibi accommodaret: & cùm de hoc esset nimis auida, & accensa, cælestis Regina suo desiderio satisfecit. Ancilla verò Christi aptabat certos pannos, super quos volebat Dei filium ponere, quod & fecit: ipsa verò, per certum spatium Dei filium adorabat, & posteà eum recepit in brachijs, & intimè contemplando admiratiuè dicebat: O admirabile commercium! es tu ille, qui cælum & vniuersum mundum creasti? es tu ille, qui humanam naturam de tenebris deduxisti? es tu ille, qui portas gloriæ aperuisti? es tu ille, quem Prophetæ prædixerunt? es tu ille, de quo sacra Scriptura, & sancta Mater Ecclesia cantat, O admirabile commercium? Et hæc sua verba cum tantâ efficacissimâ contemplatione ab eâ dicebantur, quòd nulla lingua humana in suo naturali sensu existens posset sic efficacissimè narrare *a*.

Avctore Io. Matiotti. adorat Christum sibi à Virgine traditum:

a commendat animarum nobilitatē:

122 Dicebat etiam cum ardentissimo feruore, considerans puram & immaculatam animarum creationem, generaliter omnibus loquendo: O anima, quæ
B es tantùm nobiliter creata, quare non intelligis & consideras veritatem? O anima, quanta tua nobilitas est! ô anima, quæ fecisti te tantùm vilem, quare non intelligis summum bonum, & quare dimittis tuam nobilitatem? O anima vilis, quare te permittis vilem fieri, & rebus consentis vilibus? O Paule Apostole, qui tantùm fuisti virilis, animosus, & nobilis, quòd nulla res tam difficilis separare te potuit à caritate Christi! O Magdalena feruens & animosa cum amore tam ardenti! O quantum feruorem in tuo corde habebas, quando nullam rem mundanam alicuius pretij existimabas! ô Magi, cum quanto feruoris desiderio omnia dimisistis, vt summum bonum possideretis? Post hæc cœpit cantare & dicebat, quòd volebat esse vigorosa, & sequi & cognoscere veritatem, & nobilitatem suæ animæ manu tenere, & tota esse libera in verâ humilitate, perseuerans in obedientiæ firmitate ad exemplum Redemptoris, qui ob feruorem nostri amoris fuit obediens vsque ad mortem. Huic autem ancillæ Christi in tanto gaudio existenti gloriosus Apostolus Paulus [dixit] Anima, quæ es eleuata ad hos thesauros videndum, qui tibi fuerunt aperti ab infinito amore, tu ex eis recipe custodiam, & benè repone, quòd tibi non auferantur propter negligentem custodiam. Anima,
C isti thesauri, qui te faciunt philocaptam & ardere per amorem, totam te reddiderunt transformatam. Respice Verbum diuinum, quod se tibi præsentauit vt in ipso te alienares & cum ipso semper habitares. Anima, confirma te cum illo, qui se tibi donauit: illum amorem respice, qui in te abundauit, & te sic inflammauit, & facit te ardere in eius amore. Tu igitur gaude de ipso, & noli ampliùs recedere. Sed postquàm Verbum humanatum ab eius recessit brachijs, permansit Dei famula in visione supradictorum Procuratorum & Dei nuntiorum S. Apostoli Pauli, & S. Benedicti & illius in Dei amore feruentissimæ Magdalenæ. Tunc cælestis Regina resedit, & suum filium posuit in sinu suo, & ibi Magi illum adorauerunt, vt suprà dictum est in visione, *b* quam vidit anno præterito in eodem die. Dixit etiam, quomodo illi Magi benè sciebant, qualiter Moyses viderat rubum ardere & non comburi: sciebant etiam dicta Prophetarum de Incarnatione dominicâ prophentantium, & ideò steterunt cum magno affectu in illo orientali monte simul cum alijs spectatoribus, vt viderent signum nouæ stellæ: & priusquàm vidissent stellam, fuerunt declarati in eorum mentibus, quòd Redemptor erat iam natus, & descendentibus ipsis de monte apparuit eis stella. Fuit autem prædicta visio anno, & mense prædictis *c* in die Epiphaniæ.

videt Magorum adorationem.

a *Anguillaria lib. 4 cap. 11. ait Confessarium post hæc verba subiungere*: cúmque ex filiabus eius spiritualibus quædam præsentes adessent, tantaque cum efficacia & ardore loquentem audirent, motæ ad planctus sunt cum amarâ compunctione. *quæ hic desiderantur & probant non vsquequaque integre descripta fuisse omnia & ex Italico in Latinum translata.* D

b *Est hæc in ordine visio* XVI. *quam vide num* 41.

c *Fuerat præcedens visio notata anno* 1433 *in die Natiuitatis Domini quomodò autem annus* 33 *dici potuerit, qui hodierno calculo adhuc numeratus fuisset* 32 *illius seculi iam diximus. satisq; probatur ex Martyrologiis: non autem quomodo dies Epiphaniæ in* VI *Ianuarij cadens attribuatur vt anno sic etiam mensi eidem; cùm dies Natiuitatis ad Decembrem pertineat: sed iam obseruauimus propterea hæc esse Latinè reddita, & visionibus nonnullis, quæ in Italico sunt, prætermissis: deest autem hic ea visio, quam Anguillaria notat 27 Ianuarij factam, anno* 1433.

VISIO XLVII

QVodam alio tempore istâ Dei famulâ, vt sui moris erat, sacris meditationibus & orationibus deditâ in suâ Camerâ, ab vnâ splendidâ luce eius spiritus fuit ductus in aliam maiorem lucem, in quâ vidit cælestem Reginam multitudine Angelorum ordinis Seraphici sociatam, & erat etiam secum, benedictus piusque Paulus Apostolus, & S. Benedictus, cum gloriosâ Magdalenâ. Et cælestis Regina sibi dixit: Beneueniat ista à me dilecta, & meo filio oblata: qui te amouit à rebus terrenis & tuâ sensualitate, ipse tibi dedit E
suum affectum. Tuum affectum recepit meus filius dilectus, & tuum cor à te recepit, & se totum tibi dedit: mentem tuam fecit quietam, & cum suo nobili amore totam te pacificauit. Ipse amor nobilis ita benè te fundauit, quòd non potes dubitare in his, quæ te facit videre. Tu es suum iocale, quod ipse in me reposuit: nihil tibi potest nocere, nec in aliquo impedire. Igitur viue læta, à tuâ naturâ te remoue: quia ipse te ordinauit, & in altitudine posuit, nec est aliqua res quæ possit te impedire, vel tibi possit nocere, & ab eo *a* recedere. Paulus Apostolus reuerenter dixit Reginæ cælesti: Gratias tibi, alta Regina, quæ eam benè direxisti, & sub tuo pallio eam benè cooperuisti semper consolatam, & ad te per vim duxisti. Fuit semper humilis, & superbam se ostendebat. Tu eam conseruasti, & de tuo amore impleuisti, & posuisti in veritate tui dulcissimi filij. Dona, quæ tibi dedit, tu optimè præparasti, & ingenia, quæ tibi fecit, & in his, quæ tibi dedit, noluit aliquod pactum. Gratiæ tibi sint, cælestis Regina, quæ eam fecisti liberam, & in tuâ securâ naui eam semper recepisti.

Pro Beatâ sub D. Virginis pallio constitutâ

gratias agit S. Paulus.

124 Ipsa verò Christi ancilla videbat in spiritu suas ancillas & filias, quas in Christo generauerat, coram altâ Reginâ existentes, quibus ipsa Regina dicebat: O animæ benedictæ à summo Creatore, iste ipse Dominus vos acceptauit in vnione, estote semper diligentes in meâ vocatione: Domina *b* Annunciata vos omnes expectat: Omnes estis expectatæ in meâ voluntate: estote semper attentæ in vestris veris sensibus: habeatis mundum cor, & animum virilem: estote semper fortes in omne, quod potest euenire: in rebus aduenientibus habeatis fortitudinem, & adsit Dei amor cum suâ habilitate, qui vos sustinebit etiam in magnis tribulationibus: si fueritis humiles, leuiter eas portabitis. Et iterùm ad easdem dixit cælestis Regina: Beneueniat ista societas, quæ in conspectu meo est valdè desiderata: ego eam benè conduxi. Amouete impedimenta, si qua adhuc vos retinent, ne vos faciant claudicare. Paruum impedimentum eas poterit impedire, quibus minima festuca magna trabs videtur. Inter sic & non quælibet stat anima attenta & retenta, quando sibi malum apparet, id quod sibi aduenit: quia non habet puritatem, nec mentis fortitudinem, quando non contentatur in ijs quæ sua Mater spiritualis facit. *c*. Ibi est vera obedientia, in quâ si anima est benè firmata, omnia sibi leuia apparebunt: quia stat semper præparata ad suæ Matris beneplacita. Et cùm posteà suus F

B. Virgo S. Franciscæ discipulas inuitat in diem Annuntiationis,

monitis instruit,

A suus Pater spiritualis præciperet ei, quòd prædictam visionem sibi per obedientiam diceret, quia eam interrogauit, in quo loco ipsa fuerat posita. Ipsa vera obedientiæ filia in istâ visione sibi narratâ, licèt cum magnâ verecundiâ, sibi respondit: quòd staret ad dexteram partem cælestis Reginæ, capite supra suum pectus inclinato & cooperta vno aureo pallio, de quo etiam cooperiebatur cælestis Regina. Subtus verò illud pallium aureum erat aliud pallium candidissimum, cum quo cælestis Regina cooperiebat istius Beatæ in Christo filias. Fuit autem prædicta visio anno prædicto, mense Martij die primo.

Sub pallio recipit.

a *Qui* recedere *actiuè dixerit pro* remouere, *hactenùs non reperi: nec eâ voce vtuntur Itali, unde ad ipsorum idiotismos vix possumus barbariem hanc referre.*

b *Ex hisce verbis probat Anguillaria lib. 4 cap. 11 S. Francisca spirituales filias Congregationi suæ dedisse initium, & ad Turrim speculorum simul omnes se recepisse, die XXV Martij, in festo Annuntiationis.*

c *Addebatur in ecgrapho* quando Mater spiritualis facit, *&* τὸ spiritualis *omittebatur in priori membro: nobis visum est librarij socordiâ ob illam omissionem cetera bis scripta fuisse.*

VISIO XLVIII.

S. Paulus Franciscam monet, vt se Deo firmiter coniungat.

125 VNâ aliâ vice Christi ancilla, post receptionem sanctissimi Sacramenti in dictâ capellâ, stetit in extasi immobili & postmodùm mobili, diuinos videndo thesauros propter dispensationem summi Datoris. Aderat etiam cælestis Regina cum illis tribus B Procuratoribus istius Christi famulæ: tunc Maria Magdalena huic Christi famulæ dixit: Anima, quæ fuisti ducta & in gratiâ magnæ abyssi transformata. Fac quòd sis benè fundata in tuo Domino Iesu Christo: fac fieri vnam clauim & vnam firmam clausuram; & totum hoc sit vnum ligamen, quo te liges cum Dei amore: & mitte te in illo ardore, qui est vnum ligamen quod te ligabit cum Diuino amore, vt nihil possit euenire, quod te faciat ab ipso discedere. Anima, noli recedere de tanti boni plenitudine, in quâ ipse te posuit & ipsius te capacem fecit. Ergo fac vt de ipso gaudeas, & intellige valdè benè & comprehende illud bonum, quod te implet suis thesauris: nam sui magni thesauri tantæ sunt altitudinis. Tu anima, noli descendere in tuam debilitatem: sed descende ad temetipsam per profundam humilitatem & huius descensus amor sit caussa: & quantò inferiùs descendes, tantò superiùs ascendes. Iam ad altum es eleuata & missa in claritate, & stas speculando istam diuinitatem: quia diuina caritas te comprehendit ex amore. Fac quòd ardeas in ipso ardore, & stes semper cum ipso vnita.

& Oblatis B. Virginis mandata exponit.

C 126 Et stans adhuc in extasi, dixit gloriosus Apostolus Sanctus Paulus ex parte cælestis Reginæ: Dicit vobis ipsa suis dilectis Oblatis, quòd sitis firmæ in rebus per vos inceptis & tali vos modò submergatis in illo pretioso Sanguine Redemptoris, qui fuit victoriosus & dispositus, & deposuit animam suam, vt liberaret nostras & poneret in suâ gloriâ. Estote ergo animosæ & recipite vires: adeò sint amata semper cælestia in vestro conspectu, vt sitis verè humiles: cum perfectâ humilitate semper habete pacem & veram tranquillitatem. Regina cælestis vult quòd sciatis, quòd dæmones sunt parati ad obuiàm eundum vobis & vos impediendum & vestras voluntates: ideò discernatis in rebus per vos fiendis: incedatis per viam rectam, quam Christus vobis fecit & ostendit. Habete caritatem semper in conspectu vestro, & in sancto Dei timore vos semper tenete, & sitis benè prouisæ & astutæ in omnibus quæ facitis. Spolietis vos de proprio vestro velle: nihil vobis relinquatis: & semper honorem Dei inspicite in omnibus, quæ vobis adueniunt: deinde cauete vobis, ne malum exemplum detis proximo: conseruetis honestatem in omnibus vestris factis: estote sapientes & modestæ in omnibus vestris actibus. Non propterea dubitetis, si estis magnanimæ in Dei seruitio: nec quis vobis faciat intelligere, quòd ista est superbia: nam dæmon hoc vobis suadebit, vt impediat facta vestra. Detis vos omnes sacris orationibus in rebus per vos fiendis, antequàm eas incipiatis: confortamini & estote magnanimæ, & semper confortamini diuino honore: & si hoc facitis, nihil vobis retinebitis de vestro apparere: & in rebus vobis aduersis habete pacem in mente: & vestras complacentias semper habeatis exosas, & in rebus arduis confidite in Domino cum magnâ fiduciâ: & illud Crucis vexillum strictè amplectamini: & in illo pretioso pectore & in eius sanguine semper vos submergite: & sic faciendo in omnibus per vos fiendis, quòd meliùs erit eligetis & vos confirmabitis cum summâ & perfectâ pace. Et quando ista Dei ancilla sanctissimum Sacramentum recipiebat, eius Pater spiritualis maximam odoris fragrantiam sentiebat: sed in die huius visionis maiorem confortaminis suauitatem per istiùs pretiosæ anime merita recepit. Fuit autem prædicta visio anno & mense prædictis die vigesima secunda a.

D *AVCTORE IO. MATIOTTI.*

a *In die Dominicâ, quæ tum fuit quarta Quadragesima, cùm Pascha incideret in XII Aprilis.*

VISIO XLIX.

A B. Virgine monetur vt suâ se voluntate expoliet:

127 QVodam alio tempore postquàm illa Dei ancilla recepit sanctissimum Sacramentum in supradictâ capellâ, fuit rapta in extasim immobilem, viditque Dominum in gloriosissimâ humanitate quinque plagis illustrissimè resplendentem: & Regina cælestis eidem Christi famulæ dixit: O anima, quæ in viâ E es missa, amor te a strinxit, vt venires ad nuptias cælestis mensæ. Vitam æternam repræsentat, tam magnũ istud videre, quod tibi ostendit amor, vt inde consolationem recipias. Tunc Dominus dixit suæ Matri: O Mater dulcissima, satis mihi placent dicta, quæ dixisti: sed fac, quòd se expoliet de suo proprio velle, & teneat se secretam in suo confortamine, quod retrahit animam de suo loco in alium meliorem. Tunc cælestis Regina eidem dilectæ famulæ dixit: O anima, tu audiuisti rem sibi propositam: Summus & summa vita te in mente posuit, ab ipso es stabilita, & vires te sumere fecit: tota in ipso es absorpta, qui te voluit consolari. Anima, quæ es transformata in summâ veritate & nescis quid facias, omitte tuo velle duci in his, quæ vult dispensare. Recipe, anima pulchra, recipe de istis fructibus: sunt enim poma pulcherrima, quæ amor Dei sic produxit, & ipse te fecit pulchram, quia vult te secum tenere. Ipsi committe tuum finem, & de alio noli curare.

B. Paulus eamdem de varijs rebus instruit.

128 Et cùm staret ista Dei ancilla adhuc in extasi mobili, sic dixit, præsente quadam ex suis in Christo filiabus: Gloriosus B. Paulus dicit, quòd ames solitudinem in tuâ mente secretâ, quia ipsum ibi retractabis amorem, & faciet te esse virilem. Ama sanctam F paupertatem; & sic eris libera de tuo proprio velle. Reclude te in cellâ in secreto Deo placibili & habe cor aptum in his quæ Deo placent: tene summam memoriam semper in conspectu Dei: habe mentem quietam semper in Dei velle. O anima benedicta viue, viue benè ordinata, Deus summus Creator tantùm te benè conduxit: vt esses semper firmata, fecit te ipsam tangere: vt esses cælestialis, te amouit à tuo sensu mortali. Viue ergo vigorosa, anima, ex quo es tantùm amata & à diuinâ Sapientiâ es tam magnâ dote dotata. Dulcedo Spiritus sancti faciet vt te liberet: tu fac vt eum sequaris, & firma te in Dei amore. Sit anima tua benè prouisa, & ab omni latere te respice. Quando anima non disponitur, recipit graues plagas. Fac vt videas à longè, & caue ne tibi approximent: nam dæmon conatur facere vt perdas vitam viasque, & non possis in eas intrare. Habe mentem modestam & in te benè ordinatam, vt non ab eo te moueas neque de tuo sensu recedas:

A recedas: quia ista maxima bellua pluit ad modum imbris, & quando anima non est firma, efficitur desolata. Superfluum & vanum loqui, exosum habeas semper, quia ingerit animæ damnum, & tempus sic perditur: nec des eis audientiam, nec sic loquentes in tuo aspectu recipias. Non stabis [cum personâ] à tuo proposito remotâ. Nimis respicere habe exosum: [quia hoc] cum alijs cogitationibus te facit mutari, & in varias cogitationes venire: fuge igitur conuersationes. Actus exteriores remoue, in interioribus ordinata viue, & te ipsam respice, & illum qui te creauit. Si temet respicies, cognosces veritatem, & sic habebis clarum intellectũ, & aliorum verba tibi dicta pro bono recipies. Para te ad Deum semper videndum, & respice facta sua, & ea quæ sibi placent, vt sequaris semper actus suos. Si tu benè cogitares (vt tibi breuiter loquar) esses benè stupefacta, nec haberes audaciam loquendi. Confortare in omnibus factis tuis & reuertere ad temetipsam, & lætare cum Deo tuo, qui tibi modum dedit, vt posses te liberare. Dum autem hæc verba in prædictâ capellâ diceret hæc famula Christi, tanta erat odoris fragrantia, quod excederet omnem aromatum odorem, non solùm in capellâ, sed etiam extra per ecclesiam. Fuit autem prædicta visio anno & mense prædictis, die verò eiusdem mensis vigesimâ nonâ.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

B

a *Multis exemplis docent Academicici della Crusca in suo vocabulario, verbum hoc Italis auctoribus idem etiam esse, quod cogere, & vim facere.*

VISIO L.

129 QVadam nocte illa à Deo electa, cùm esset in sancto exercitio, rapta in extasim, vidit in spiritu solennes laudationes, quas spiritus angelici & humani in gloriâ existentes reddebant Christo Saluatori; & S. Ioannes Baptista incepit dicere: Laus sit tibi æterno Deo de laboribus per te sumptis, qui simul fuerunt manifestati & erant dispensati per te æternum Deum, qui fuisti in accensâ caritate armatus. Amor te victum habebat & sic te deliberasti, & per totum præparasti ad sustinendum omnia illa supplicia, quæ per te erant promissa. Omnes verò lætemur & festum faciamus, quia iste homo diuinus pati voluit pœnas, vt nobis daret vitam. Sanctus verò Petrus dixit: O amator dulcissime, nos omnia hæc scimus & tuos labores vidimus, quos pro nobis passus fuisti sine requie toto illo tempore, quo in mundo fuisti. Nos sumus fideles testes, qui præsentes tecum fuimus, & omnes nunc lætamur propter amorem, quem nobis ostendisti: semper cum magno effectu pro nobis operatus fuisti & nobis te manifestasti: modò tibi regratiamur, quod iam pœnas non patimur. Tua caritas diuina nos huc portauit cum lætitiâ. Gloriosus verò Paulus dixit: Dico tibi, ô anima, quæ es sic benè conducta ab alto Creatore, fac, quòd sis benè memor & cum Verbo diuino comprehensa ad veritatem intelligendum, quæ tibi pacem ministrat; & veram obedientiam, quæ tibi satis benigna placet. Visita & reuisita Filias tuas, quas in Christo genuisti: voca eas omnes ad te, quia non placet Deo, quòd stes sic sine a onere: fac quòd aduertas benè, & fac eas intelligere veritatem, quia sic placet diuinæ Maiestati b. Fac quòd sint semper feruentes, vt Deo semper complaceant in puritate mentium. Redemptor passus fuit pœnas pro peccatoribus & ab omni sui corporis venâ exiuit sanguis pro nostrâ redemptione: cognosce, si sibi fuit labor conducere se ad mortem: propter veram obedientiam voluit omnem pati iniuriam. Animæ ad hoc venire volentes, sint benè examinatæ, sint etiam benè probatæ omnes ad suas expensas: quia inuenient optimum remedium in verâ humilitate. Et hoc de anno prædicto, mense Aprilis die tertia c.

Audit SS. Io. Baptistam,

& Petrum, Ap. Christo passo gratias agere:

C

à S. Paulo iubetur frequenter visitare filias suas.

a *In autographo nostro erat* honore: *sed* onere *legendum patet ex textu Italico apud Anguillariam, vbi est: Non placet Domino, quòd stes ità leuis* così leggiera.

D

b *In codice hæc prætereà legebantur, quia nullum sensum faciunt prætermissa:* Doceas in vijs tribus diebus, qui facti fuerunt in tali abysso, quod tibi veniet in mentem, & quod tibi Iesus Christus semper sit.

c *Quæ fuit Feria* VI *ante Dominicam Palmarum.*

VISIO LI.

130 QVodam alio tempore postquàm B. Francisca in dictâ capellâ sanctissimum recepit Sacramentum, fuit rapta in extasim immobilem & postmodùm mobilem; & postquàm deuenit ad suum naturalem sensum, interrogata per obedientiam à suo Patre spirituali dixit: quòd eius spiritus fuit ductus ab vnâ luce in aliam maiorem lucem, in quâ vidit solennitatem maximam, quæ in patriâ fiebat ad honorem Dominicæ Resurrectionis. Vidit etiam Dominum sedentem in pulcherrimo throno, & iuxta ipsum cælestem Reginam sedentem: & omnes spiritus humani, qui aderant, ibant suo ordine ad reddendum gratias ipsi Redemptori. Sanctus verò Ioannes Baptista simul cum alijs Patriarchis dicebat: O maximum desideriũ, quòd in amore fuisti speculatum, & mouisti tenebras & in luce nos a declarasti: tu es noster Redemptor, qui nos à morte redemisti, & lucem nobis dedisti, & nos in te incorporasti. Et Dauid cum alijs Prophetis dicebat: Omnes festum faciamus de isto desiderio magno altissimi Creatoris, qui nos remouit à tenebris & talem lucem nobis dedit, in se ipso nos incorporauit, & omnes simul inflammauit de suo amore, quo nos dilexit. Sanctus verò Paulus simul cum alijs Apostolis dicebat: Omnes sibi regratiemur, quia requiem nobis dedit & nos quiescere fecit, ponendo nos in suâ luce, in quâ sumus inflammati, & omnes ardemus amore ipsius magni Redemptoris, in quo stamus per ardorem. Sanctus verò Stephanus cum Sancto Laurétio dicebat: Laudemus Dominum nostrum, & eius absolutum posse: iste est enim magnus Dominus, qui suâ tenuit nos potentiâ & voluit nos redimere ex sanguine sui Agni: modò est resuscitatus, & pulcher nobis ostensus.

In die Paschatis audit Sanctos Christo redivivo gratias agentes:

a

E

131 Beatus verò Apostolus Paulus dixit huic animæ Deo dilectæ: Anima benedicta, quæ à Deo fuisti plasmata, & ipse te cognouit, antequàm esses creata, ipse amor se dedit tibi & in ipso es transformata: ex quo te transformauit, in isto gaudio te posuit, vt tibi ostenderet solennitatem, quæ sibi fit in hoc die. Respice & gaude in his gaudijs, quæ sunt signa magni amoris ipsius nostri Redemptoris, qui te ad tot & tanta inuitauit bona. O anima paupercula recipe ista bona, quæ nunc tibi præsentantur, & inposterùm tibi reponuntur. Respice igitur summum bonum, propter quod tu ista bona habes, & ipsa diuina Maiestas tam te habet caram. Dei amor te semper quærit & te facit in ipso ardere. Fac quòd recipias gaudium istius amoris sine damno: fac quòd in eo sis benè incorporata, & ex omni latere illum teneas & semper in eo sis firmata. His dictis ipsa Christi ancilla adhuc existens in extasi mobili dixit: Quòd postquàm illa in Dei amore feruentissima Magdalena simul cum alijs mulieribus venerunt ad monumentum Vnigeniti Filij Dei, Mater erat genuflexa sacris orationibus dedita & sensit in suâ mente resurrectionem sui filij, & illicò Redemptor noster suæ Matri apparuit cum plagis, quas pro nobis sustinere dignatus est, & reuerenter eam salutauit, dicens: SALVE SANCTA PARENS &c. Et prope ipsam sedit & eam plenè informauit, quòd dicta Prophetarum de eo prædicta iam in toto erant impleta. Postmodùm verò Redemptor noster se erexit, & eius gloriosissima Mater genibus flexis ipsum adorauit: quo recedente cælestis Regina genuflexa remansit in oratione. Et ipse Redemptor apparuit primò Mariæ Magdalenæ. Ipsa verò Magdalena postquàm Redemptorem

instruitur à S. Paulo:

F

interest apparitionibus, B. Virgini,

& Mariæ Magd factis.

A ptorem vidit, gaudio plena ibat, vt Apostolos inueniret, & inuenit aliquos ex discipulis, qui venerant ad monumentum, & corpore Redemptoris non inuento recesserant: quibus postquàm narrauit, quòd Dominum viderat, Petrus & Ioannes currentes venerunt ad monumentum. Post hæc ipsa Beata Francisca dixit: quòd tam dicta quàm per eam dicenda submittebat & se ipsam iudicio sanctæ Matris Ecclesiæ. Cùm autem illa Beata in ipsâ capellâ staret, ita magna & mirabilis odoris fragrantia eam circumdabat, quòd non solùm suus Pater spiritualis, sed aliquæ ex eius in Christo filiabus ibidem existentes, corporaliter & spiritualiter illius odoris suauitate recreabantur, & confortabantur. Fuit autem hæc visio anno & mense prædictis, die verò mensis duodecima *b*.

a *Hic & alibi sæpè ponitur pro illuminare, iuxta vsum vocis Italicè* Chiarire.

b *Ipso die Paschatis, anno scilicet* 1433.

VISIO LII.

S Magdalena incitat ipsam ad Dei amorē:

132 POst pretiosissimi Sacramenti receptionem in supradictâ capellâ B. Francisca fuit rapta in extasim immobilem, cui sic existenti illa in Dei amore feruentissima Magdalena sic fuit exorsa: O anima, quæ te priuasti tuo proprio velle, & summo Creatori cupis & vis seruire, & totam te remisisti in eius volun- B tate, & toto tuo studio quæris sibi placere, & te omnimodè posuisti in hac magnâ abysso suorum secretorum: ergo debes ob ipsius amorem *a* stentari de omnibus, quæ sibi placent; & in omnibus & per omnia debes reddere honorem Deo. Sis semper solida & firma & noli te deuiare, & in omnibus sufficiat tibi animus: & scias tibi cauere ab omnibus inimicorum laqueis, & sis submissa & sepulta in Dei amore & in isto ardore. Anima esto philocapta de diuino amore, & in ipso requiesce: & postquàm es transformata in isto flumine abyssi, in amore Iesu Christi, fac quòd sis fidelis & spiritu recens, & renoua te in caritate supernâ, quæ te facit amore ardere. Ipse facit inflammari animam, quæ est fidelis, in isto tanto ardore, & facit eam renouari in istâ abysso magnâ: & animam sic renouatam facit esse reuerentem. Tu conare vt sis reuerens Deitati supernæ, quæ reddit animam pulcherrimam, & hæc est *b* diuinæ formæ pulchritudo, quæ reddit animam sic fortunatam & formatam, vt sit semper sine defectu. Virtute autem Dei operante, quanto plus per humilitatem se inclinat, tantò magis sursum eleuatur: nam ipsa Dei virtus ipsam facit transformari, & tenebras visionum ab eâ excludi & totam luce repleri. Ergo, si vis Deo placere, fac quòd sis animosa, C & remitte te in suo velle, quia ipse te elegit in ipsius Sponsam.

S. Paulus docet festū agi vnionis 2 naturarū in personâ Christi, & 3 Personarum in essentiâ diuinâ:

133 Et postmodùm reducta est in extasim mobilem, videndo totam cælestem Curiam, & existens in illâ beatificâ visione dicebat gloriosus beatus Apostolus Paulus: Ex parte sāctissimæ Trinitatis, cuius hodie festum agitur ex amore, dicitur quòd eadem beatissima Trinitas hodie celebrat illius sanctissimę Vnionis, quæ ignem accendit amoris & gratiæ in tantâ abundantiâ, quòd inextimabilis fuit: ita magnus fuit ille ignis amoris reuerentialis, qui ostensus fuit actualiter in illo flumine tantæ abyssi: & fuit ita magnus ille ardor diuinitatis, quando Verbum diuinum assumpsit & inflammauit humanitatem, & seipsum vniuit cum humanitate, & humanitatem cum diuinitate ipsius infiniti amoris & veritatis. Et tres Personæ [vniuntur] in vnâ vnione & in vnâ essentiâ, quæ essentia est immensurabilis, & omnia alia per seipsam mensurat, & facit per potentiam, & ordinat per sapientiam, & per suam infinitam clementiam suas seruas facit ipso philocapi & quodam flumine magnæ abyssi [eas] aspersit per ardorem inflammationis, & transformauit [eas] infinitâ beatitudine & per gratiam amoris *c* manu-tenuit. Omnes beatos spiritus impleuit & ordinauit spiritus angelicos, quos inflammauit & in puritate amoris manu D tenuit & gubernauit. Multitudo verò Angelorum linguâ humanâ non posset numerari, licet eorum numerus est certus in visione diuinâ, & in comprehensione intellectus humanorum spirituum; qui comprehendunt visione diuini speculi eorum numerum. Sic etiam in speculo diuini conspectus sunt illi spiritus humani tam salui quàm saluandi, & damnati & damnandi.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

declaratur ei spirituū damnatio & saluatio ex libero vsu vel abusu gratia.

134 Dixit etiam, quòd spiritus salui, & spiritus damnati ex diuinâ visione manifestantur spiritibus Angelicis & humanis in gloriâ existentibus: sed illi spiritus qui tempore futuro debent saluari, & illi qui debent damnari, soli Deo sunt cogniti: & hoc propter liberum arbitrium à Deo animabus concessum: & quia sunt in eorum libertate se possunt damnare & saluare pro libito: & sic Deus Omnipotens non vult, eos saluos fieri sine ipsis: & sic remanet præscientia damnandorum & prædestinatio saluandorum: & animæ sunt in suâ libertate. Quando anima humana in scelus incidit, diuinâ benignitas suâ gratiâ & potentiâ ipsam eleuat & suâ caritate, quia tantùm nos dilexit: & in casu & in eleuatione ipsarum animarum pius & misericors Deus facit quidquid de potentiâ ordinatâ potest: quādo verò est iratus & quando est quietus suarum animarum diuersas operationes [dirigit] siue ad ruinam per peccatum, siue ad releuationem per gratiam, suam E exercens potentiam: anima verò humana suis malis operationibus seipsam cæcat: Deus autem pius suâ gratiâ eam illuminat, & ad se trahit. Et quando anima stat inter iustitiam & misericordiam, totum [quod potest] misericors Deus homini facit, ad implendum totas sedes spirituum damnatorum, qui suâ superbiâ descenderunt ad infernum. Sed animæ iuuantibus aliquando orationibus, aliquando bonis operationibus, & rarò per absolutam gratiam, & sæpè per misericordiam *d* in magnâ abysso fuerunt collocatæ. Nam misericors Deus ipsas expectat, & ad se vocat, & sæpè tempus producit: ergo quidquid est, noli ponere finem bonitati diuinæ & misericordiæ, quæ est infinita: sed semper in tuo secreto tui pectoris consilio fidem & spem indubiam ad ipsum gere: qui spiritus est plenus omni dulcedine, & se permittit duci & reduci: & semper in Domino confide, qui quidquid facit, benè facit, & gratiam dare vult hominibus secundùm suam voluntatem. Ergo te semper remitte in suo beneplacito, & de omnibus quæ facit, vult, permittit, semper sis attenta: & tibi sua facta & promissa videantur optimè in flammâ amoris facta: & in his noli ampliùs videre, nec cognoscere, nisi quantum ipse permittit. Fuit autem hæc visio anno supradicto, mensis Iunij F die *e* septimâ.

a *Id est,* priuari, *vide Vocabularium sæpè dictum: significat etiam* stentare *generaliter, pati & cunctari seu cum difficultate facere. Videtur autem frequentatiuum esse, à verbo* abstinere, abstentum, *per apocopen primæ syllabæ deductum.* — stentare

b *In ecgrapho erat* sine formâ.

c *Hic infraq; ac suprà sæpiùs pro* conseruare, *quemadmodum etiam Franci dicunt* maintenir. — manu-tenere.

d *Addebatur*: & per istum modum animæ.

e *In ecgrapho perperàm legebatur* vigesima septima: *quod non congruit cum festo SS. Trinitatis, nec ordine ac tempore sequentium visionum.*

VISIO LIII.

In festo Corporis Christi iubetur considerare amorem eius:

135 QVodam alio tempore postquàm Dei famula in dictâ capellâ recepit sanctissimum Sacramentum Corporis Christi, fuit rapta in extasim immobilem, & audiuit quamdam diuinam vocem sibi dicentem: O anima, quæ vocata venisti ad tantum bonum & Deus te transformauit, & ad summam lætitiam peruenire fecit istius muneris diuini, quòd nobis datum est in cibum, & semetipsum consecrauit pro omnium salute & factus est ductor noster, vt nos vsque ad istam duceret vitam. Ergo, anima benedicta, gaude de

AVCTORE IO. MATIOTTI.

A de tanto bono, quod Deus ordinauit, vt vos in hac vitâ possideret: cogita istud pelagus infiniti amoris, qui vos fecit potentes ad possidendum tantum bonum. Respice amorem infinitum, à quo processit istud festū ex accensâ caritate, vt vos in se colligeret: confortare semper in eo & considera amoris pelagus, quo pro vobis carnem sumere volens, voluit se consecrari, & sic nos reformare, & pro bonis vos recipere. Quibus auditis Dei famula reuersa ad extasim mobilem dicebat, suo Patre spirituali audiente: Gloriosus Paulus Apostolus ex diuini Verbi parte dicit tibi: O anima, quæcumque es, fac quòd habeas animositatem, & recipias securitatem in ipso diuino Verbo: & si anima vadit versùs Deum, ad plenum se sibi dat. Respice infinitum amorem, qui tuam renouabit conditionem, & faciet te spiritualiter sentire suam similitudinem: nam Dei similitudo est animi intellectus, estque suum spiraculum: sed animus virilis suum illustrat intellectum de rebus his, quas à Deo intelligit. Quando inest animositas, intellectus comprehendit & intelligit rei veritatem: virilitas animi inducit intellectum, vt se conformet cum Deo. Diuina Maiestas expergiscitur cum vigore, sollicitatur cum feruore, & incensa caritas dat intellectui fructum amoris; tantumque anima incenditur & ardet per amoris calorem, quòd cōformatur per ipsum Deo, si videt illam potentiam infinitam & immensurabilem, sitam in illâ altitudine, quæ est sine fine, in rebus factis & fiendis. Idcircò noli dormire, sed firma te in fide cum substantiali amore. Si vis capere delectationem, respice diuinam Sapientiam & ordinem nobis datum per suam clementiam, & quomodò res omnes disposuit benè iuxta suum beneplacitum. Ergo, ô anima, sis animosa in rebus per te gerendis, & habebis exercitium per magna tempora duraturum. Respice Dei amorem, eumque pone in tuo conspectu & res per eum factas ex amore, quem habuit erga nos: nihil ad se respexit, sed ad vtilitatem nostram. Cogita anima paupercula, qui te fecit rationalem, vt habeas animum firmum & constantem, & in omnibus per te fiendis cogita semper te Deum habere ante oculos, & sic numquàm te mutabis, nisi benè videas quarè: quia semper eius oculus te videt & illustrat tuum intellectū, & dabit tibi vigorem. Dicit etiam gloriosus Apostolus Paulus: O anima, quæ debes sentire gratiam tibi à Deo datam, [sic] quòd sis benè prouisa, ex quo es tam dilecta: ideò debes esse fortis, & animosa: remitte te in illam lucem, quæ tibi dabit dilectionem & illustrabit tuum intellectum: confortare in eo, qui semper te iuuabit: remoue te à tuâ vilitate, & confirma te cum nobili amore: cape vigorositatem ab illo, qui te semper dilexit. Fuit prædicta visio anno & mense prædictis in solennitate sanctissimi Corporis Christi *a*.

& in eo re-amando fortis esse ac generosa.

B C

a. Die xi Iunij.

VISIO LIV.

Precibus suis defendit Ecclesiam ab hostibus oppugnatā,

136 QVodam semel, dum staret ista ancilla Christi in suâ domo, noctis tempore infra Octauam Corporis Christi, & per totam noctem vacaret sacris meditationibus, dum aurora nocti finem daret, vidit terribiles & obscuras nebulas, in quibus erant staturæ & magnæ & horribiles gigantum, qui omnes accensi erant iracundiâ & maximâ furiâ. Vidit etiam quamdam Dominam speciosam sine aliquo pallio, quæ vt monstratum est huic Beatæ erat sancta Mater Ecclesiâ. Prope illam speciosam Dominam erat vnus nobilis iuuenis, & ista Dei famula insimul cum eo. Gigantes verò prædicti nimis insultabant illi Dominæ, & prætendebant ipsam dilacerare & occidere, & volebant extrahere quædam genera armorum ad modum ensium curuorum, quos barbari deferre solent. Hæc autem Dei famula hoc videns, & eorum iniquam voluntatem considerans, viriliter & animosè iuuit prædictam Dominam, & firmâ & sincerâ fide defendebat ipsam ab illis gigantibus, & vigorosè se defendendo & prædictam Dominam dicebat: Deus in nomine tuo saluum me fac &c. Et tunc illi iniquissimi gigantes nullam habebāt potentiam extrahendi arma, sed stabant stupefacti acsi ab alijs detinerentur, & sic non potuerunt nocere illi speciosæ Dominæ, gratiâ Dei & auxilio istius famulæ Christi mediantibus. Dominus huic suæ ancillæ pluribus vicibus reuelauit angustias & tribulationes, quas sancta Mater Ecclesia patiebatur, & sæpè fuit monita per Apostolum Paulum & alios Sanctos sibi propitios, dum esset in extasi, quòd supplicaret pijssimo Domino, quòd non mitteret ruinam præparatam super Vrbem: & Dominus, licèt turbatus esset & offensus propter multos excommunicatos & sodomitas, non misit amara flagella, quæ parata erant super Vrbem, consentiens deuotioni & orationibus suæ famulæ, sicut etiam in veteri testamento faciebat pro Moyse. Fuit autem prædicta visio anno & mense supradictis.

D

Ps. 53, 1

& Dei vindictam auertit ab Vrbe.

VISIO LV.

Adhortatur eam S. Paulus ad studium humilitatis,

137 ALiâ vice, postquàm illa Dei famula recepit in prædictâ capellâ sanctissimum Sacramentum, fuit rapta in extasim immobilem, & Apostolus Paulus sibi dixit: O anima veni visum tantam solennitatem præparamenti facti ad ponendum te in veritate: Summa Deitas fecit fieri illam ad tuam vtilitatem. Anima, comprehende benè ea, quæ tibi dicta sunt & modum, quem tibi ostendam, qui sum Nuntius Iesu Christi. Anima sis philocapta: vides istum pulchrum actum saluatarum animarum, qui sequitur istud factum? Humilitas, quæ se continet inferiorem & conseruat se ita benè, venit ad notitiam veritatis, & in se ipsâ se perficit: vult semper viuere sola, vt se pulchrā conseruet; se gubernat nitidam, & ponit se in summâ conseruatione: humilitas sola viuit sine alterius *a* visione, & totum suum cogitamen ponit in suo sensu sine alterius appropriatione. O anima benè aduerte, quantùm est pulchrum istud iter: [humilitas] totam se ponit in Deo, & à se aufert omne lucrum, quia totam se abnegauit in illo, qui eius curam habet: etiam in proprium odium venit & semetipsam vindicat; nam videt suam vilitatem, & in quâ sorde stat: cognoscit vtilitatem, quâ nisi teneretur, proxima staret ruinæ: nec sibi iuuant excusationes factæ à suâ sensualitate, sed quando venit ad se inclinandum, efficitur verecunda, nec est audax ad respiciendum cælum, videns in se tot Dei offensas. Quando anima sequitur lumen intellectus, & videt veritatem, semper regreditur ad suum bonum, quod est ipse Deus solus perfectus: & ideò remittit se in ipso, & viuit in veritate, & efficitur paupercula: remittit se in fide, quæ est pulcherrima virtus. Vera confidentia, quæ in solo Deo confidit, venit cum puritate & spe & cum desiderio ardoris. Istud desiderium est tantum, quòd anima in eo abyssatur, & in illâ caritate semper est læta & recens cum profunditate amoris, qui eam reddit certissimam. Et ecce sic ascendit & ponit se in arcanis cælestibus, & sic anima efficitur quieta & serena, & ponit se in summâ pace: cum caritate diuinâ anima transformatur in diuinâ Maiestate, & ibi ponit suum *b* stylum; quia amat ipsum in veritate.

E F

& S. Ioan. Baptista ad veram discretionem,

138 Post hæc ipsa Beata reducta ad extasim mobilem dixit suo Patri spirituali: Ioannes Baptista nobilis in Christo dicit: Veritas se ostendit in animâ, quando priuatur se ipsâ, & suis conditionibus sensitiuis: dicit, quòd, veritas discernitur in memoriâ conscientiæ, vel quando illuminatur à vero lumine intellectus: intellectus verò sine animositate & sine vigore non benè discernit verum lumen, quòd super ipsum abundat: sed quando spiritus correspondet veritati, tunc

A tunc recipit gratiam luminis perfecti in intellectu. Intellectus autem illuminatus à vero lumine debet quærere veritatem in memoriâ: quæ veritas facit stabilire, & firmari veritatem, & cum fide, & cum amore facit ipsam reuiuiscere; & cum stabilitate prudentię, in confortamine quod recepit de fructu humilitatis, facit eam firmari, & esse vigorosam & animosam ad omne Dei beneplacitum, & ideò anima, quę est tantùm animosa, despicit & odio habet quamlibet rem eam impedientem & debilitantem. O anima nobilis, quę es facta intellectualis, cui est data forma & imago tui patris cęlestis, debes benè prospicere & habere oculos intellectus firmos in speculo diuino, ne venias ad obliuionē. Dic quòd te conserues in tuo secreto, & pro tuo iocali pretiosissimo recipe verā obedientiam; serua sua vestigia, & sis fidelis Deo, & te remittas suæ potētiæ, quia te fortificabit cum suâ sapientiâ. Confide de suâ clementiâ, quæ te stabilem faciet in veritate: submittas te discrimini, & de tuâ personâ nullam curam geras: habe mentem puram, & ab ipso Deo viues secura; & de inimicis noli curare. Si tu amas Deum in veritate, non curabis de iniurijs, nec de aliquâ aduersitate: imò lætior efficieris, & erunt tibi prosperitates. De summo B Deo gaudebis, & de sanctâ paupertate: sancta paupertas viuit sic secura, quòd viuit sola, & remissa in profundâ altitudine. O anima, redde te pulchram tuo dulci Iesu, qui te reformauit & se tibi dedit: fac quòd ardeas eius amore, nam ipse non vult facere sine te: sed fac, quòd sis vtilis & virilis, vt non amittas tantum bonum. Et vidit ipsa Beata solennitatem, quæ fiebat in patriâ ad honorem gloriosi Baptistæ. Dicebat etiam ipsa Beata, quòd quando Ioannes Baptista exiuit à corpore materno, cælestis Regina in suis sacris manibus ipsum recepit, in quibus existens puerulus signa faciebat Matri Dei & reuerentiam ostendebat. Fuit autem prædicta visio anno, & mense supradictis in die *c* Natiuitatis Ioannis Baptistæ.

obedientiâ,

& paupertatem.

a *Id est*, respectu.
b *Id est*, modum agendi ac viuendi *iuxta tertium huius vocis significatum expressum in Vocabulario Academico.*
c *Die* XXIV *Iunij.*

VISIO LVI.

139 QVodam alio tempore, post receptionem sanctissimi Sacramenti Corporis Christi in dictâ capellâ, Christi ancilla fuit rapta in extasim immobilem, & vidit mirabilem visionem, & reuersa in extasi C mobili Sanctus Benedictus sibi dixit: O anima paupercula, vide tuam paruitatem, & respice magnitudinem, in quâ Deus te posuit: noli inde te amouere, & non velis plus quàm sit tibi datum: nam Deus esset iratus, si plus velles, quàm ipse vult. Vide circuitum ciuitatis supernæ, qui circuitus est ipse Deus pulcherrimę caritatis & claritatis. Sufficiat tibi in tuo esse, vt contenteris & sis tranquilla in donis ab ipso tibi datis: fac, quòd facias æstimationem donorum ipsorum conseruatorum tibi. O anima paupercula, quare sumis tibi ita magnam audaciam, vt velis ampliùs introire, quàm in locum, in quem ducta es? In abysso stas abyssata: sed hoc non intelligis. Fac, quod te intelligas paruulam, & noli te reuelare. O anima quæ es transformata in spiritu per intellectum, & coram Deo ducta ad respiciendū in speculo suo, aliæ animæ tibi inuident, quòd non vident tuam abyssum: sed tu vide istam gratiam à Deo tibi ordinatam. Semper te funda in temetipsâ, & vide tuum valorem: quantò plus te humiliaueris, tantò plus honoris recipies. Noli tibi complacere, sed complace tibi in Domino, & sis bona custos horum donorum, quæ tibi dantur. O dona superna, quæ sunt ita magna, vt eam animam, quæ sit humilis, faciant magnos saltus facere. Quando ipsa est contenta in sanctâ paupertate, tunc conseruatur in illâ cruce, quæ eam facit liberam: amat solicitudinem, totam se incendit amore, qui eam inflammauit: semper est consolata in D illo, qui eam fecit philocaptam. Anima, ama tuum Dominum, & eum ama perfectè: ama sua dona, quæ tibi dat te consentiente. Facit te esse cælestem, & à te amouet omnes affectus: tu ergo esto solers, quando Deus tibi aperuit mentem. Ista abyssus amoris, quæ tibi tanta facit, te facit instrumentum animarum, quæ te prædicant, & sequuntur: dic ergo eis quòd se benè gubernent & se ducant ad deuotionem, & de his, quæ Dominus disposuit, se contentas inueniant. Ista gloriosa Mater semper est intercedens pro vobis, & vestra procuratrix coram Deo omnipotente, qui est summa radix, quæ potest vos contentare. Confidant in eo, quia requiem vobis dabit. Fuit prædicta visio anno & mēse supradictis, *a* in festo Apostolorum Petri, & Pauli.

Iubetur Deo cōtenta viuere,

& Dei dona estimare.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

a *Die* XXIX *Iunij.*

VISIO LVII.

140 QVodam alio semel, dum hæc Deo deuota in capellâ sæpè dictâ recepisset sanctissimum Sacramentum Corporis Christi, fuit rapta in extasim immobilem, & postmodum in extasim mobilem, & vidit Dei filium in infantili ætate in gremio suæ genitricis positum. Ista verò Beata sic in extasi stando loquebatur supplicans intentissimè Dei genitricem, vt sibi accomodaret filium suum. Quam locutionem suus Pater spiritualis audiebat vnà cum Ritâ prædictâ. Regina verò cælestis ipsi Beatæ dicebat: Non poteris ipsum substinere propter immensum pondus ipsius. Ipsa verò respondit: Regina cæli, noli curare: quia ipsemet se tenebit & portabit. Itaque in brachijs ipsius Beatę Regina cęli posuit suum filium: ipsa verò Christi ancilla cum gaudio laudes Deo cantabat, tenens Dei filium in brachijs strictum; quę quidem laudes tunc non fuerunt scriptę propter sui Patris spiritualis infirmitatem. Fuit prędicta visio anno *a* MCCCCXXXIV in Natiuitate Domini.

Christum infantem brachijs excipit. E

a *Anno scilicet* 1434 *iuxta vsum Ecclesia inchoante, vt suprà dictum; aliàs anno* 1433 *exeunte.*

VISIO LVIII.

141 STans Christi ancilla sequenti nocte in suâ camerâ in sancto exercitio vt sui moris erat, in extasim rapta, vidit in spiritu solennitatem, quæ fiebat in patriâ gloriosâ Beato Apostolo & Euangelistæ Ioanni. Et dictus Apostolus in formâ humanâ præsentauit ipsi beatæ vnum *a* manuale rosarum satis pulchrū in quo erant rosæ viginti, quarum quinque albæ erāt, quinque rubeæ, & aliæ quinque eiusdem *b* nominis albæ [& rubræ] & subtus omnes istas rosas erant quinque violæ. Tunc Apostolus ipsi Beatæ dixit: Da huic Archangelo omnes istos flores: nam ipse dispensabit, vt decet. Quod vt factum fuit, gloriosus Archangelus tenebat in manu pulchrum enzenium, quod quidem mirabilis odoris fragrantiam ex se reddebat: ex quo ipsa Christi ancilla recipiebat satis gaudij & confortaminis. Tunc Sanctus Apostolus ei dixit, quod quinque primæ rosæ albæ significabant puritatem cū munditiâ; quinque verò rosæ rubeæ secundæ denotabant accensam caritatem; rosæ verò saracenæ rubeæ, & albæ denotabant præparationem cordis cum voluntate in amore Dei accensâ. Et adhuc ei dicebat. Quomodo istæ rosæ Saracenæ inferiùs sunt clausæ, & superiùs apertæ & integræ, huiusmodi debet esse cor hominis clausū rebus inferioribus & mundanis; patens verò, & apertum rebus superioribus, & cælestibus. Per violas verò denotabatur humilitas cum fide. Ex quibus omnibus virtutibus procedebat vera & sancta obedientia, quæ reddit altissimo Domino suauissimum odorem. Fuit autem prædicta visio anno & mense supradictis, in die Sancti Ioannis Euangelistæ.

F

S. Io. Euangelista dat ei fasciculum Rosarum:

harum significatio.

a *Italicè*

A

AVCTORE IO. MATIOTTI.

manuale. Rosæ Saracenæ.

a *Italicè diceretur* vna mano. I. *quantum manus capere potest, manipulus, pugillus.*

b *Vt infra dicitur* Saracenæ, *quinque scilicet albæ, & quinque rubræ: quam vocem hic deficientem in ecgrapho, & inferius inventam, reposuimus. Saracenas autem dici hic existimo eas, quas Hortus Eystettensis in parte Vernâ* Damascenas *nominat, & ob singularem odoris præstantiam Germanis ait* Rosas moscatas *dici: de hoc autem florum fasciulo iterum videtur mentio fieri in visione* LXI

VISIO LIX.

142 Aliâ quadam vice, postquàm Dei famula in dictâ capellâ recepit sanctissimumSacramentum Christi corporis fuit rapta in extasim, & magnam faciebat lætitiam, habebat namque in brachijs Dei & Virginis filium in infantili ætate, & sic in extasi stans dicebat suo Patri spirituali: Beatus Apostolus Paulus dicit, quòd infinita Dei caritas tibi se manifestat in veritate: tu verò fac, quòd benè intelligas, & recipe verba cum claritate: namque sapientia summa se confortat cum obedientia: nam obedientia pura non est sine sapientiâ. Sapientia diuina semper facit obedientiam loqui, & ea quæ dicit spiritus, sunt in veritate: semper enim vera obedientia in Deo confidit, ab omnibus suis proprijs se abstinet, remouet à se suos omnes affectus suosque appetitus, nihilque aliud sibi remanet nisi vt faciat quæ placita sunt Deo: nec se vnquam perturbat, nec displicentiam habet; sed cum *a* placentiâ semper respicit ad solum Deum; recipit omnes vias & modos, quos recipere potest, tantum per humilitatem quantum per asperitatem. Nec sit subita in his, quæ debet facere, nec habeat fastidium aut tædium: quando iugum sibi imponitur, appareat sibi leue; nec habeat teneritudinem suæ animæ: sit virilis & animosa in verbo diuino, amoueat à se timorem, semper sit Dei amor in suo conspectu, nihil aliud timeat nisi voluntatem Dei. Similiter dico [anima] quæ stat *b* ad obedientiam, sit semper remissa in diuinâ sapientiâ, & semper timeat in suâ conscientiâ, esse decepta, quia illa diuersitas abstrahit ipsam animam à veritate, & tenet eã multis terroribus implicitam. Ista anima sic dissipata semper viuit in labore belli, nec confidit in Deo, nec in obedientiâ, quæ est magnum lucrum. Plures animæ credunt esse obedientes, & intus in veritate nihil habent. Aduerte ad illam animam, quæ est extra viam, quam tibi ostendit conscientia, & videtur sibi esse in suo proprio velle, quæ totaliter non renuntiauit, sed intus adhuc retinet illud: & hoc acquirit anima, dum despicit conscientiam. Talis anima est proprietaria, nã recipit rerum differentias secundùm suum velle. Aliud est voluntas, & aliud inspiratio: aliud intentio, & aliud desiderium: aliud examinatio, & aliud conscientia, quæ plus eam retinet. Conscientia pura, quæ est fidelis, est munda & recta & libera à propriâ voluntate: talis cõscientia est tota expoliata & remissa in solo Deo, & fundata in purâ obedientia. Ergo beata est illa anima, quæ leuiter misit & se remisit in summa pace, & ipsam pacem amplectitur. De anima virili longum foret tempus dicendi, sed totum, & quidquid dicendum esset in illo *c* stylo est, qui est *d* patiens cum Iesu Christo facit magna facta, quòd in eius amore stat accensa. Caritas infinita totam implet animam & in sua subtilitate ædificauit templa spiritualia, quia habet virilem animositatem in altissimo Domino, & est quasi mortua in obedientia, & vnita cum ipso Creatore. Sic fuerunt illi Sancti obedientes in summo Domino, qui se permiserunt occidi propter eius amorem. Fuit autem prædicta visio anno supradicto prima die mensis Ianuarij.

S. Paulus docet leges & fructus veræ obedientiæ.

B

C

Placentia.

a *Fortè* cum complacentiâ *hæc enim vox Italis voluptatem & delectationem, ex re placita accipiendam significat: illa verò rei placentis formam ac venustatem, quòd huc non facit. Priori voce vsum esse Concilium Senonense indicat Vossius.*

b *Idiotismus vulgaris pro aspirare, conniti ad aliquid.*

c *Fortè* solo.

d *In ecgrapho erat*: in vltimâ, patiensque *quod non capimus: fortè deerat* paupertate, afflictione, *aut simile.*

D

VISIO LX.

143 Qvodam alio semel, post receptionem Corporis Christi in dictâ capellâ ancilla Christi fuit rapta in extasim immobilem, & postmodum deducta in extasim mobilem, in quâ existens dixit: . . . . . *a* explanare veritatem, & nos inflammare, & ad se retrahere per amorem. Ille diuinus amor vidit Pauli animositatem, qui eum mouit propter Dei honorem: & se confecit cum amore, qui benè consensit cum animoso Paulo respiciendo intentionem. Intentio fidelis & recta, cum affectu vt placeret Deo, se mouit cum feruore, credens se benè facere. Deus æternus eum coniunxit cum suo amore, & sicut erat obcæcatus, sic eum illustrauit: Deo enim placuit sua velocitas, in quâ videbat magnos fructus fieri. Diuina bonitas velociter ipsum vocauit, & eius mentem perfudit suâ claritate: demum fecit ipsum cadere, & eum misit in probationem: videbat nouam fortitudinem, quâ firmior stabat, & superna caritas se aperuit in effectu vt de ipso gauderet. Postquàm ipse fuit mundatus, & ab ipso factum est experimentum, eum misit in nouam doctrinam: à semetipso eum abstraxit, & transformauit in suo summo bono, vt videret arcana Dei, quæ sunt ipsa Dei veritas: nam tenendo ipsum in suo conspectu, sibi ostendit veritatem in claritate sui secreti; & eum posuit in magnâ abysso, ad ostendendam vitam supernam in suo claro speculo: & quando ipse comprehendit Domini aspectum, sic plenè fuit intentus, quòd non potuit nobis redicere nisi illud, quod sibi superfuit. Ipsa diuina claritas vidit ordinatonem sui amoris, qui sibi fuit manifestus. Veritas secreta, quâ summum bonum sibi ostendit, est infinita. Ipse Paulus non erat in se, sed fuit raptus, & fuit sibi monstrata omnis regula rerum creatarum, & [vidit] animas ordinatas in Dei caritate, & alias inordinatas ac perditas in Dei conspectu. Ipse Deus fecit quidquid faciendum erat vt ipsas animas reduceret, quas perditas videbat ipse sanctus Paulus: & quia Dei bonitas omnes animas creat ad intentionem Saluatoris, vt gaudeant tanto bono; ideò sic fuit per eum ordinatum, vt quælibet anima esset in suâ libertate posita. Sed præuidens earum [malitiam] quæ venturæ erant ad perditionem, ideò dedit eis cognitionem mali & boni. Et istâ de causâ iste Deus omnipotens suam gratiam ponit in mentibus bonarum animarum, vt sint doctæ & in virtute ordinatæ, & vnaqueque tendat ad gloriam bonarum animarũ, vt semper gaudeant ipsius Dei bonis. Et illæ animæ, quæ hoc nolunt facere, ad suum duplicem interitum in fine operantur: nam iustitia & misericordia insimul stant semper. Fuit prædicta visio anno & mense supradictis, in die *b* conuersionis sancti Pauli.

a Declarat lucem S. Paulo in suâ conuersione datã,

E

& notitiã proborum ac reproborum eidem concessam in suo raptu.

F

b

a *Deesse videntur lineæ, aut saltem verba aliquot.*

b XXV *Ianuarij.*

VISIO LXI

144 Qvodam alio tempore existens Dei ancilla in suâ domo sanctis meditationibus occupata, rapta in extasim vidit cælestem Reginam suum & Dei filium in templo præsentantem, & offerentem super Altare: & illud Verbum incarnatũ in infantili ætate per se sine adminiculo rectum se substinebat, quem posteà sua sanctissima mater adorauit. Archangelus supradictus quoddam manuale rosarum & violarum, quem manu tenebat (ex quo ista Beata habebat magnam odoris fragrantiam) Domino præsentauit. Dominus verò ipsum manuale rosarum & violarũ manu tenẽs, ipsæ rosæ & violæ se conuerterunt in lapides pretiosos variorum colorum. Sed ista Deo deuota non vidit amplius illud enzenium in manu Archangeli. Fuit autem prædicta visio anno prædicto, de mense Februarij in festo Purificationis.

Fasciculus florũ Christo Præsentato offertur ab Angelo.

VISIO

A

VISIO LXII

145 QVodam alio semel ista Deo dilecta, postquàm in sæpè dictâ capellâ à suo Patre spirituali recepit sanctissimum Corporis Christi Sacramentum, fuit rapta in extasim immobilem & postmodùm mobilem, in quâ existens vidit visiones mirabiles, & dicebat sic: Summus Deus omnipotens & sua Mater dulcissima in filij conspectu existens cum Paulo Apostolo & Ioanne Euangelistâ, qui repertus est in hoc excellentissimo festo, & Sanctus Benedictus Dei seruus, ex parte ipsius summi Dei dicit, quòd fides homini est necessaria, quia ducit animam in caritatem: permittit se duci sine aliquo apparere, nec est contraria caritati, ad quam se inclinat anima cum effectu, vt in solo Deus sit suus conspectus. Ista est forma fidei, quæ sic semper se gubernat. Vera obedientia est propter caritatem: necesse est vt à se remoueat omnem affectum, & se cognoscat peregrinam sicut est, & se abstrahat & sua cogitamina à sensibus corporalibus, quando totum suæ animæ intellectum offert in conspectu Dei. Similiter remoueat omnes carnis affectus, nec aliquam rem recipiat per proprietatem, sed semper

Docetur obedientia ductum sequi,

B maneat in caritate, vt nec placere nec displicere alicuius ipsam mutare possit. Istorum verborum, velle & nolle, nullum sibi appropriet, & semper conuersetur firmâ intentione cum summo Deo, & sic deueniet cælestialis. Dicit Apostolus Paulus, quòd ipsius recipias exemplum, quod ille sic ad perfectionem venit, & sic gloriosior permansit, & se liberauit à sensibus corporalibus, quos in veritate odio habuit, & desiderauit dissolui & esse cum Christo. Idem beatus Paulus dicit, quòd semper anima sit victoriosa, & in obedientiâ sit gratiosa, & semper virilis & animosa. Item dicit Sanctus Benedictus, quòd multùm placet Deo, quando anima est virilis, & iter facit per stylum ipsius Dei, a planè incedit, sed citò b iungit: à se remouet omnem timorem, nec de suâ personâ curam gerit, sed in omnibus se conformat cum diuinâ voluntate: & summa Deitas, quæ verax est, ducit animam in veritate: & ipse, qui eam creauit, scit eius indigentias & necessitates. Sed postquàm anima peregrina habet ducem, qui eam ducat, nulla sit sibi cura quò vadat: sed rectè incedat per rectam viam: expoliet se nudam, & leuis itinerabitur: nihil portet in suo velle, & ab eâ longè erunt impedimenta, nec erit qui eam impedire velit. Quando anima est in itinere, semper sit prudens, & damniferas causas à se amoueat, & efficiatur accensa in cari-

Deo duci fidere,

C tate Dei, & nil curet de mutatione. Ex quo quidquid potest faciet, se inueniet cum caritate & veritate.

146 Omnes defectus odio habeat & sit discreta, & remoueat peccata ob honorem Dei, nec intermisceat suum velle, sed amet Deum perfectâ mente, & semper se aptet ad amorem filialem. Nam bonus filius semper est reuerens, & sibi cauet ne patri displiceat: semper est prouisus, & semetipsum aptat ad obediendum secretis patris, & continuè studet & pugnat, vt patri placeat: & se apponet morti, vt ipsi seruiat: sed sapientia diuina eum semper custodit in suis secretis. Quando pater vidit, suum filium esse fidelem, in omni periculo suam disponit personam nihil timendo, & quidquid lucratur pro ipso deponit: quantò plus dictus Dominus Iesus Christus, qui tam magnum pretium pro nobis soluit, & se expoliauit & suum sanguinem pro nobis fudit? Nihil aliud sibi placet, quando anima sibi debet seruire [quàm si] se totam sibi tribuit. Modò respice quantum est c tristis anima, quæ sequitur suum appetitum, & multum bonum perdit: ideò semper sit zelans in amore diuino, & super omnes cælos sit suus aspectus & semper sit remissa in beneplacito Dei, vt sit illustrata in sui veritate. Nedum etiam de his quæ audis sit tibi aliqua cura, sed fias cæca & surda: quia tædium non recipies, imò lætitiam & gaudium

erga eum filialiter affici,

externa nō curare.

D habebis, si abstracta eris à tuâ debilitate. Ne fias debilior quàm sis, sed recipe fortitudinem ab eo, in quo est quidquid audis & vides: & quidquid tibi euenit, accipe per caritatem, & noli murmurare, nec falsè iudicare, nec habeas suspicionē: sed semper bona velis operari. Væ illis animabus [quę obmurmurāt ijs] quæ fiunt, & malum dicunt: quia se priuant gloriâ Paradisi: tamen summus Deus d regit istas animas, vt cognoscant veritatem, ipse summus Deus non ostendit eis suum iudicium: sed si tandem permanent obstinatæ, super caput earum redundabit. Fuit autem prædicta visio anno prædicto, de mense e Maij in Sancto die Pentecostes.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

a *Id est, lentè atque modestè, Italicè* piano.
b *Id est, attingit terminum ad quem ibat: sic enim vtuntur Itali verbo* iungere.
c Nequam, praua : *vt alibi dictum.*
d *Id est,* sustinet : *sed & hoc iam dictum aliàs.*
e *Die XVI, cùm Pascha fuisset XXVIII Martij.*

VISIO LXIII.

147 HVmilis Christi ancilla cùm alio semel permaneret in sacris meditationibus noctis tempore in suâ camerâ, rapta in extasim vidit in beatificâ visione terribilem ruinam, quæ ventura erat ad Vrbem: & licèt ipsa beata se vniret cum diuino beneplacito, sicut semper faciebat; tamen caritate proximorum mota, & maximè condolens perditioni animarum, nimiùm erat anxia. Sequenti nocte, habitâ victoriâ aliquarum molestiarum diabolicâ suggestione sibi inflictarum, diuinâ operante gratiâ similiter in extasim rapta, vidit cælestem Reginam & gloriosam Magdalenam, & Sanctum Benedictum cum beatissimis terræ Principibus Petro & Paulo, & cum Ioanne Baptista, gloriosisque Martyribus Stephano & Laurentio. Tunc cælestis Regina suæ famulæ dixit verba, quæ Apostolus Paulus scripsit in quadam chartâ, ipsa peccatorum Aduocatâ dictante: O anima, prouide tibi de rebus futuris: nam Dominus hoc facit, vt tu præscias; Non deficiat tibi fides: per hoc nihil amittes vt eum diligas. Respice in speculo supernæ claritatis, & videbis amorem omnium gubernatorem. Noli curare de rebus per te faciendis, quia persistis in illa luce, quæ te totam sustinet. O anima pretiosa, quam Deus per se sustinet, fac quòd tuum velle semper sit in velle Dei, quia Dei voluntas tota posita est in amore animarum, quæ se disponunt & recolligunt in suo inflammato amore: sed postquàm

E

Ostenditur ei ruina Vrbi imminens,

F sua operatio est repræsentata coram Dei speculo, tunc abscondit & reponit se in summo Deo, similis Ioanni, qui requieuit in Dei pectore. Et tu, postquàm, ô anima, sic es reposita, habe caritatem pro illis, qui non habent requiem & gratiarum sunt ingrati, & nesciunt bonum capere, sed contemptionem; & se ponunt in bello & dissensione; & cùm tempus habeant, nesciunt ipsum capere. Mater Dei se mouet ad misericordiam, & remouet suum filium, dicitque, quòd submittatis vos humilitati, & habeatis deuotionem, & vtamini caritate: si fortè posset reuocari ruina, quæ in proximo est ventura: & istum recipite modum, vt vos detis orationibus, & dicatis cuilibet Ordini existenti in deuotione quantùm comprehendere potestis, & quælibet & quilibet se disponat ad Confessionem & pœnitentiam, & se moueat ad celebrandum Iesum, quomodò infrà est ordinatum: post hæc faciant lætanias in modum processionis quilibet in Ecclesiâ suâ cum deuotione, & quilibet contremiscat de iustitia ordinata, & se remoueant cum caritate, & respondeant Dei amori, vt supplicent ipsi Domino ad mandandum misericordiam, quòd remoueat tantam fraudem, quanta est in creaturis.

moneturq; vt ea non coturbetur.

Exercitia pietatis ad illam euadendam,

148 Et gloriosa Magdalena in prædictâ chartâ scripsit: Regina cælestis dicit, ista ruina, quæ præparata est per diuinam Sapientiam, & ab ipsâ ordinata processit per libertatem, procedentem à libero arbitrio, dato

Auctore Io. Mattiotti. & ordo Missarum ad eumdem finem præscriptarũ.

to dæmonijs, sed ab ipso Deo retinetur ex infinito amore, quem animabus habet & habuit. Sed ipsæ animæ sunt inductæ vna proprietate venenosa, procedente ex inuidijs, quæ expectata est à ruina: & ideo mouete vos per zelum caritatis, & iuuate animas, si eas potestis ponere in pace. Prima missa debet esse Sanctæ Trinitatis, altera Annuntiationis, alia Natiuitatis Christi: in quibus debeat Dominus precari, quod amoueat tenebras, & inducat lucis veritatem: alia debet esse sancti *a* Baptismatis, quo ipse Dei filius amoueat defectum antea tenebrosum, & sic dignetur amouere mentem nostram ab omni re simulatâ. Alia debet esse de *b* nuptijs architriclini, in quibus manifestè ostendit miraculum: alia debet esse *c* Apparitionis, quando Dominus Magos duxit ad præsepium; alia debet esse diei Iouis sancti, in quo Dominus semetipsum consecrauit pro salutis humanæ necessitate: alia debet esse Resurrectionis Christi; alia esse debet, quando post eius Resurrectionem suæ Matri primò apparuit dicẽs, *d* Salue sancta parens, cum splendore caritatis diuinæ, qui confortauit ipsam cælestem Reginam, vt sic dignetur apparere nobis, & nos amouere ab huiusmodi ruinâ; alia Missa debet esse Ascensionis, quando discipuli fuerunt congregati in vnione, & Dominus eis dimisit suam pacem & charitatem, vt sic sua benignitas ponat pacem & vnionem in vobis in istis tribulationibus; alia Missa debet esse sãcti Spiritus, qui dignetur inflãmare animas, quæ in tenebris stant: alia missa est Natiuitatis cælestis Reginæ, vt ipsa sit reparatrix, quòd humana generatio non proijciatur & percutiatur à generis humani inimico: alia missa sit oblationis Dei filij in templo in die Purificationis: alia missa est Assumptionis eiusdem Virginis, in quâ ipsa Dei Mater fuit coronata cælorum Regina, vt sic ipsa dignetur prouidere animabus, quæ iacent in peccatorum sentinâ: alia verò Missa est Archangeli Michaëlis, vt ipse per diuinam virtutem sit defensor animarum, quæ stant in miserijs tenebrarum: alia Missa sit Ioannis Baptistæ: alia Missa sit sanctorum Apostolorum Petri & Pauli: alia verò Missa sit sanctorum Stephani & Laurentij: alia verò Missa sit in honorem illius ardentissimæ in Dei amore Magdalenæ. O vos, qui audistis & intellexistis istud thema, quod est singulare remedium per cælestem Reginam præceptum ad remouendum istud magnum periculum, stetis in silentio & in sanctâ deuotione: habete substantiam fidei vobiscum, quæ est pietas, quæ firmiter sperat in Domino: in istis quæ vobis præcepit alta Regina sitis obedientes, & habete animositatem, & recipite vires cæli, & in omnibus interuenientibus non vos mittetis. Et postquàm Apostolus Paulus finem imposuit scripturæ, posuit prædictam chartam in manibus Angeli, qui erat familiaris ipsius Beatæ: & simul quod ipsa Beata legebat in prædictâ chartâ, sic eius Pater spiritualis scribebat, & in chartâ, quam Angelus in manu tenebat delebatur, quæ charta erat longitudinis trium palmorum cum dimidio, & largitatis medij palmi. Fuit autem prædicta visió anno MCCCCXXXIV, de mense Octobris. *e*

sc. ipso excepta à Cõfessario.

a *Legitur hac Missa in Octauâ Epiphaniæ, & Euangelium ex Ioannis cap. 1.*

b *Quæ dicitur Dominica 2 post Epiphaniam: & Euangelium ex Ioan. 2.*

c *Id est, Epiphaniæ ipsius: ita enim Græcum nomen Latinè redditur, & Euangelium habetur Math. 2.*

d *Est Missa de Diuâ, qualis Paschali tempore celebrari consueuit: cui tunc sicut & omni alio tempore, Introitus inchoatur ab his verbis, quæ hic attribuuntur Christo tamquam Matrem salutanti.*

S. Frãcisca Confessariũ suum mittit ad Papam

e *Die 14 inquit Iulius Vrsinus noster lib. 5 cap. 13 qui & addit, reliquos per Vrbem Religiosos admonitos vt hæc diuini numinis placandi officia vellent obire, neglectui rem habuisse:* quare, *inquit*, die 29 Nouẽbris anni eiusdem, in aliam rapta extasim suo Confessario dixit: quod S. Paulus sibi mandarit, vt quoniam alij indignos se præbent conferendi aliquid ad finiendas calamitates, quibus Italia inuoluebatur: ipsa saltem cum filiabus suis non cessaret diuinæ maiestati placãdæ orationes suas offerre. Confessario autem eiusdem sancti Apostoli nomine dicebat: vt animos sumens fortiter sustineret quidquid audiuerat euenturum: inspiceret autem puro affectu in præmium quod sibi erat præparatum à Deo, ex eâque consideratione nouas sumeret vires ad exequendum quidquid diuinitus sibi iniungeretur: hanc enim veri amantis notam esse certissimam, numquàm recedere ab eo quod placet amato. Hæc autem dicebat Beata volens persuadere Confessario, vt ipse se Pisas conferret ad Pontificem tunc ibidem residentem: vt is suâ auctoritate fieri iuberet Romæ, quod rogati facere vltro noluerant. *Iuisse autem eum & fecisse secundâ visione animatum, quod facere post primam recusarat, asserit Anguillaria: & benignè exceptum auditumq; persuasisse Pontifici quod volebat Sancta: atque hoc esse quod in suâ historiâ affirmat S. Antoninus, Eugenium Papam pacasse tumultus Italicos oblatis per multos Religiosos sacrificiis & orationibus. Non inuenimus vbi S. Antoninus hæc dicat, vera tamen esse facilè credimus: non item, quòd Pontificem, vt ait illa, Bononiæ conuenerit, quæ tum adhuc rebellis adhærebat Duci Mediolanensi, vt ex eodem S. Antonino tit. 22 cap. 10 § 2 constat: & quæ non rediit ad obedientiam ante annum 1436 quo concordia inita est, & curiam Pontifex eo transtulit, vt idem docet eodem cap. § 7.*

Pisis nõ Bononiæ residentem an. 1434

VISIO LXIV

Declarat quomodo in extasi ad mãdatum obedientiæ audire & respondere possit.

149 QVodam alio semel, postquàm B. Francisca in dictâ capellâ sanctissimum recepit Sacramentum, dum esset in extasi mobili, Pater suus spiritualis pro eius declaratione ipsam per obedientiam interrogauit, vt sibi manifestaret de suo modo loquendi, quando erat in tali statu. Quæ sibi humiliter respõdens dixit: quòd quando ipse Pater spiritualis sibi per virtutẽ sanctæ obedientiæ aliquid imponebat, vt quod loqueretur, ambularet vel sederet, surgeret, vel quiesceret, ipsa extra suos sensus corporales [constituta] talem obedientiam non audiebat, nec etiã sentiebat percussiones, nec flagella, si ei data fuissent: sed diuinâ voluntate id operante, eius spiritus obediens respondebat intentioni spiritus obedientiæ, & talia dixit existens in extasi: sed postquàm reuersa est ad suum sensum naturalem, nesciebat quid sibi vel dictum vel factum esset, nec modos, quos tenuerat, nec verba quæ dixerat, quamuis se inueniret afflictam aliquoties propter experimenta, quæ sibi fiebant à circumstantibus dum erat in tali statu. Et ista fuit visio anno Domini MCCCCXXXV in sancto die *a* Resurrectionis Domini.

a XXVII *Aprilis.*

VISIO LXV

Declarat etiam quomodo in isto statu nihil extrinsecus sensu percipiens

150 ITem in eodem anno, & die, Dominus volens satisfacere desiderijs Patris spiritualis istius Beatæ, qui nimium desiderabat & admirabatur de tali statu, quonam modo in existendo in extasi poterat loqui, & respondere ad præcepta sibi facta, & quòd non sentiebat manuum distortiones & vellicationes. Et ideò postquàm recepit Sacramentum illâ die in dictâ capellâ in extasi existens ex parte Apostoli Pauli dixit: Superna veritas fecit mutationem in isto corpore humano, & non potest se ampliùs iuuare, & omnes sensus ab imperio superno sunt ab eo ablati: tanta est ardoris abyssus in illâ comprehensione, quàm spiritus facere vellet: humanus sensus intus rumpitur quia non est sufficiens tantum portare laborem: tantùm est difficilis illa comprehensio, quam humanitas infert spiritui, quando spiritus fertur in supernis & diuinis: & omnia instrumenta quæ humanitas habet tali modo restinguntur, quasi sit alienata: tali nempe eleuationi non potest nomen imponi. Si diceretur quòd dormiunt isti, qui sunt ita eleuati; tunc sequeretur, quòd essent grauati, si quando sunt expergefacti & vigilarent, *a* Quare ergo non loquuntur in illâ intellectuali comprehensione, in quâ tantus est ardor? quia sic stantes, tantùm se facit stringere, vnde non possunt foras exire: & ideò non loquuntur, nisi illa quæ sunt sibi concessa, & tam fortiter ligantur, quòd sensus humanus, quando sic tormenta patitur (nam sensus corporales omnes

a loqui nequeat nisi concessa.

A omnes statu reducti in ipso spiritu) est nihil sentiendo. De tali vnione efficitur corpus leue in suâ mutatione: sensum visus corporalis tenet in tali statu stantem vigilem, ne dicatur quòd dormiat : & ideò diuina Sapientia sic dispensat, ne aliqui credant ipsam dormire, & eius verba despiciant. Item dicit Beatus Apostolus tibi Sacerdoti, vt non cures de honore vel verecundiâ : sed fac, quòd sciatur Veritas : nam tale secretum tibi manifestum est, quòd temporibus præsentibus & futuris illi, qui in veritate erunt firmati, auidissimè desiderabunt scire illud. Item dicit, quòd recipias virilitatem & vigorem diuinæ Veritatis, & amoueas te à frigiditate tui iudicij, & habeas animum in illo calore, qui reddit vigorem in Dei veritate : nam quando veritas videtur, spiritus datur ad intelligendum ipsam veritatem, & eam intelligendo in eâ ponit totum amorem suum & ipsam sequitur : quia ipsa est fundamentum omnium virtutum: & tunc spiritus discernit omnia dubia, quæ circa ipsum consistunt.

a *Addebatur in ecgrapho* intellectus humanus daret, *quod quò spectet, non videmus.*

VISIO LXVI.

Datur ei alius Angelus ex 4 choro: *a*

151 POstquàm ista Dei ancilla iuit ad domum suarum in Christo Filiarum post mortem mariti, vt cùm eis permaneret; accidit quòd anno Domini MCCCCXXXVI in solennitate festi *a* S. Benedicti benignissimus Dominus omnium gratiarum donator, magnificando suam ancillam mirabiliùs solito, sibi concessit vnum Angelum alium quarti chori, scilicet vnum ex Potestatibus; iste verò Angelus sibi fuit concessus in formâ humanâ, sicut de alio Angelo suprà dictum est, sed eo splendidior : & sua vestis erat Dalmatica pulchrior alterius Angeli tunicellâ. Qui Angelus mirabiliùs & potentiùs protegebat Dei ancillam à malignorum spirituum oppressionibus quàm primus Angelus: nam primus cum motione capitis, & actu radiantium capillorum eos fugabat; iste verò secundus in ipsius Beatæ defensione solâ animositate ipsos dæmones videndo fugabat. Et erant ipsi maligni spiritus magis territi, quando ipsum videbant, quàm in visione alterius Angeli. Et iste secundus Angelus tenebat in manu sinistrâ tres ramusculos aureos ad modum illorum ramusculorum palmæ, in quibus stant dactyli; qui quidem ramusculi significabant sanctam correctionem : & in illis ramusculis erant aliqui folliculi similes illis, ex quibus fiunt *b* setæ siue sericum opus; ex quibus C folliculis ipse Angelus faciebat aliquas matassas, quas tenebat in suo collo: & cum manu dextrâ faciebat globos illarum matassarum, & continuò faciebat dictam operationem.

quo habitu & effectu hic appareat. *b*

a 21 *Martij.*

b *Hispanis* seda, *Francis* soye, *Teutonibus* zyde, *bombicum labor: ex eo fortasse nomen apud Romanos Latinosq; traxit, quod post primam contortionem rudi filorum colore ac ferè duritiâ setarum portinatum habeat similitudinem.*

Seta.

VISIO LXVII.

Epistola per S. Paulum ad ipsam dictata, *a*

152 QVodam semel, dùm istius Dei famulæ Pater spiritualis ipsam visitauit, & dixit, si aliquid noui sentiret, ipsa Beata ei dixit, quòd ille gloriosus Angelus manu tenebat quamdam *a* litteram per Sanctum Paulum ordinatam & scriptam, & ipsa Beata prædictam litteram legendo dicebat : Anima à me dilecta, quæ tantùm benè te gubernasti in fide à me tibi datâ, & ipsam sic augmentasti & benè conseruasti & in perfectionem posuisti lapidis pretiosi, recepisti formam pulcherrimæ puritatis in meâ veritate, quæ respondet intentioni diuinæ caritatis. O anima, ab æterno habui intentionem, & per amorem exuisceratus fui, vt te haberem ad voluntatem meam : ergo fac, quòd stes firma & sperans in amore, quem semper tibi habui vt esses in meâ custodiâ. Recipe caritatem, quæ D semper teneat tuam mentem, vt nullum aliud negotium te impediat in tuâ viâ. Anima, sentias benè in quo ego te oblectaui: ponas in medio iustitiam, cui te congregauit mea manus: recipe meum vigorem, cum quo habebis fortitudinem: nam ego tibi do magnum fauorem. Sis fortis & animosa, & cor tuum meeum sit : tecum ero in omni re, & semper dabo requiem : esto semper auisata vt non possis decipi, & in rebus per te fiendis adhibe temperantiam. Fac quòd sis sine mensurâ in meâ conuersatione : nam meum practicare dat talia amoris signa : totam animam liquefacit, quando meum sentit amorem; facit ipsam domesticam, & in meis secretis sensibilem, & istud est indicium illius animæ, quæ veritati respondet, quia tamquàm cera liquescit. Anima, ex quo es ducta ad istud vt intelligas meâ secreta, numquàm te ipsam securam facies quousque te mihi submittas. Satis mihi placet, quòd obedientiæ sis facta capax : fac quòd sis prompta & animosa, si vis esse victoriosa : perseuera in meis beneplacitis, & inuenies res pretiosas: manus tuæ erunt innocentes, & cor tuum mundissimum & submissum obedientiæ & amore plenum : amouebis te ab omni vapore, nec vllam recipies infectionem : eris leuis & ardore plena. Anima, inflamma te meo amore, & erit facile E tuum iter, & poteris leuiter ascendere in montem & repræsentare te vero Deo. Iste est ascensus Prophetæ in suo sensu, cùm dicit, Quis ascendet in montem Domini? Tu ascendes amore meo. Anima, quæ es à me dilecta, meis beneplacitis semper consentias semperque sis pura & munda, vt possim in te quiescere : nam meũ gaudium & mea requies est semper te inuenire in me quiescentem. Semper tuus grandis zelus se firmet cum intentione, vt mihi placeat: sis firma & stabilis, & comprehendes meam voluntatem: fac quietam tuam mentem; & sis firma in voluntate meâ : confirma te cum meâ pace, & semper clara erit tua mens & tuus intellectus erit transformatus; meas res benè repones, & semper te mecum vnitam seruabis; perdes actum virtutis, quia voluntatem tuam non operaberis : exinde solum ardorem capies de flammâ exientem, & ideò sine corde te inuenies, quia illud semper mecum stabit. Anima, ex quo te mihi reddis, signum est, quòd vis me rehabere, ideò te cælesti modo gubernes, & tua cõuersatio semper inueniatur in meis intentionibus. Anima benedicta, fac vt benè intelligas istam sacram litteram, quæ ad te missa est, tu debes esse benè vulta cum obedientiâ pretiosâ, quæ te facit dignam tali supernâ gratiâ. Et quando hæc Dei famula præfatam litteram coram suo Patre spirituali legebat, totum, quod lectum F erat in eâ, abolebatur de chartâ, quam prædictus Angelus in manu tenebat. Fuit autem prædicta visio anno Domini MCCCCXXXVI, de mense Nouembris.

Auctoris Io. Matthiæ.

Ps. 23, 3.

lecta coram Confessario.

a *Sic Itali Francique singulariter dicunt, quòd Latini pluraliter* litteras *vel* epistolam.

VISIO LXVIII.

Ab ecclesiâ S. Pauli domum reuertitur in extasi perseuerans. *a b*

153 CVm semel Christi ancilla vellet visitare Ecclesiam S. Pauli in vigiliâ Conuersionis eiusdem, duxit secum plures ex suis in Christo *a* Filiabus: Et cùm genuflexa coram maiori altari staret & preces Deo funderet, rapta fuit in extasim per magnum *b* temporis spatium. Ipsæ verò suæ in Christo filiæ angustiabantur, quia nox veniebat, & nesciebant quemadmodùm deberent facere: non enim audebant ipsam beatam Matrem à suis visionibus amouere. Sed benignissimus Dominus, sicut in similibus ipsi Beatæ subueniebat, fecit dici per vnam vocem spiritui ipsius Beatæ, per virtutem obedientiæ reuerteretur ad Domum *c*: quæ *d* præstò surrexit, brachijs suprà pectus ad modũ Crucis retentis & oculis in cælum leuatis, non loquens sed rectissimè suis pedibus incedens vsque ad Crucem,

c d

AVCTORE IO. MATIOTTI.

quæ posita est in mediâ viâ in memoriam consecrationis illius Ecclesiæ, semper veniens in extasi, & ita solidè ambulabat, quòd eius pedes non nisi rectè ponebantur: nec mirum si rectè incedebat, quam diuina gratia ducebat *e*. Fuit autem prædicta visio anno Domini MCCCCXXXVII, de mense Ianuarij, in vigiliâ Conuersionis Sancti Pauli.

a Agnetem, Catharinam, Iacobillam, Augustinam, Pernam, *inquit Anguillaria, lib.* 5 *cap* 10.

b A tempore matutino, *inquit eadem*, vsque ad horam Completorij.

c Quæ respondit, *vt est apud eamdem*: Deus Pater omnipotens, quoniam sic placet tibi, fiat voluntas tua.

d *Italicismus est Latini* citò *dicerent* : *Francis quoque*, Prest, *promptus ac paratus est.*

e *Additur loco prædicto*: Cúmque ad suos sensus reuertisset, quæsiuit admirabunda, vbi esset, & quæ hora foret: cui iuuencula ex suis vna, Catharina Guidolini nomine, Redimus, inquit, à S. Paulo, Mater, & Vrbis portæ vicinæ sumus, ac iam nox ingruit. Tunc illa: Ignoscat vobis Deus, cur non citiùs me appellastis? Itaque præ solitâ post istiusmodi raptus debilitate, suarum filiarum innixâ brachijs, domum redire perrexit, tantâ vultus claritate refulgens, vt oculos in eam non possent intendere.

VISIO LXIX.

154 OMnipotens Deus volens ampliare suas gratias in hac Beatâ, voluit quòd ille secundus Angelus mutaret suum *a* lauoritium, quod primò faciebat de matassis & globis, & aptabat vnum orditorium ad ordiendum telam solenniter, dixitq́; ipsi Beatæ: Incipere volo & ordiri vnâ telam centum ligaminum, faciam verò aliam *b* [sexaginta & aliam] triginta ligaminum. Et vox Angeli loquentis huic Beatæ erat suauissima, cui Beatæ apparebat ipsam venire ex longinquis partibus. In illo verò orditorio, quòd ipse Angelus ordiebatur, aliqui canes *c* & gatti impediebant ordinem filiorum illius telæ, per quòd denotabatur contrarietas. Cuius rei caussâ ille Angelus ostendebat se habere laborem & tædium: sed quamuis sic se ostenderet, nullum tamen tædium habere poterat; quia Angelus non patitur. Et quandò Christi ancilla aliquam generalem correctionem suis in Christo Filiabus faceret, vel omnibus vel aliquibus præsentibus, illo tunc tempore iste Angelus nihil in orditorio faciebat; sed attento vultu stabat tamquàm verus obediens. Adhuc etiam quando hæc à Deo dilecta dicebat suam culpam *d* generalem, omni *e* serò antequàm iret ad quiescendũ (sicut semper sui moris erat) prædictus Angelus stabat attentus, nec aliquid in prædicto opere faciebat. Item quando ancilla Christi dicebat Officium septem Horarum Canonicarum, siue de die siue de nocte, prædictus Angelus stabat totus transformatus in Dei laudibus: quo tempore inexcogitabilis videbatur splendor supra caput dicti Angeli ad modum vnius columnæ ascendentis vsque ad cælum, & tamdiu hoc durabat, quamdiu ipsa Dei famula dicebat Officium septem Horarum Canonicarum. Habebat item ipse gloriosus Angelus, dùm ipsa Beata Officium dicebat, oculos fixos in cælum. Etiam erat huic Beatæ iste secundus Angelus quasi quoddam speculum, in quo ampliùs & perfectiùs comprehendebat præsentia & futura, quàm in illo Angelo, de quo superiùs dictum est: & similiter alia beneficia exhibita huic ancillæ Christi, ampliora & perfectiora sibi dabantur in isto Angelo, quàm in primo: licèt ipsa Christi famula respicere nullatenùs posset in illum gloriosum Angelum: nam eius splendor erat lucidior splendore primi Angeli, intantùm quòd solis oculus ipsi Beatæ apparebat quasi quędam nubes obscura respectu claritatis dicti Angeli. Fuit autem tale exercitium prædicti gloriosi Angeli anno MCCCCXXXIX in die Assumptionis Virginis Gloriosæ.

Angelus eius secundus telas suas orditur:

ad certas ipsius actiones cessans ab opere,

& pro priori Angelo eidem vtilis.

lauoritiũ. a *Id est, opus seu laborem vnde & deducitur: Italis communius nunc* lauoro.

b *Hæc in ecgrapho deficientia ex primâ visione restituuntur, cui hæc visio ad calcem anticipatè subnectitur.*

c *Per modum diuerbij in re textrinâ hoc accipitur pro tricis cohærentium sibi filamentorum & quasi sese intermordentium, quod de canibus ac felibus* (Gattos *Itali vocant) dicitur: vnde & inter Teutones eadem similitudine canum atque cattorum vtimur, cùm de litigiosâ familiâ sermo est.*

d *Eâ formulâ scilicet, quâ ante sacrificium Missæ, itemq́; in Prima ac Completorio Ecclesia vtitur,* Confiteor Deo: culpa *autem, vsu inter personas religiosas recepto, dicitur pro confessione culparum.*

e *Id est,* quouis vespere, *iuxta vulgarium linguarum idiotismum notissimum.*

VISIO LXX.

155 QVodam alio tempore in die Natiuitatis Domini, cùm Dei ancilla recepisset sanctum Sacramentum Corporis Christi in domo Congregationis Sororum, & post prædictam Communionem fuisset rapta in extasim, & vidisset cælestem Reginam Filium Dei tenentem in brachijs; ipsi beatæ famulæ anhelanti & totis nisibus petenti, vt ipsa Dei Mater suum Filium sibi in brachijs tenendum concederet, Dei Genitrix [respondit] se alio tempore concessuram. Sequenti verò die, cùm ista à Deo dilecta iuisset ad ecclesiam Sancti Laurentij extra muros, caussâ visitandi corpus Sancti Stephani, & secum duxisset aliquas ex suis in Christo Filiabus; & cùm in reditu de dictâ ecclesiâ venisset caussâ deuotionis per ecclesiam Sancti Ioannis Laterani, & coram maiori altari staret genuflexa, fuit rapta in extasim: & habuit ibidem Dei Filium in infantili ætate in suis brachijs. Et potentia diuina præstò eam fecit surgere, & sic in extasi permanentem venire vsque ad ecclesiam sanctæ Mariæ-nouæ, tenendo puerum Iesum in brachijs, ad modum quo solent matres tenere paruulos filios; ambulans rectissimè & planè meliùs, quàm si fuisset in suo naturali sensu, cùm tamen semper esset in extasi. Et postquàm dictam intrauit ecclesiam, fuit ibidem per aliquod temporis spatium, dicens nonnulla verba & faciens aliqua signa, quæ hîc non ponuntur *a*: quibus peractis, reuersa est ad domum suæ habitationis semper in extasi, brachijs tamen non sic positis, sicut antè. Et talis visio fuit anno Domini *b* MCCCCXXXX, in die sancti Stephani.

Acceptum in brachijs Iesum infantem,

vsque in basilicam S. Mariæ Nouæ portat.

a *Ponuntur autem in Italico textu, quo vsa Anguillaria ita scribit libro 5 cap. 14: Dixitq́; sociabus suis, vt aduocarent Fr. Hippolytum, tunc monasterij illius Priorem; atque interim ante ferreos cancellos substitit sub choro positos ante aram principem. Venit ille, cancellosq́; aperuit, ipsaq́; ad altare progrediens ei narrauit, promissum sibi die præcedenti fuisse, quòd intra brachia sua portandum reciperet infantem illum, Dominum suum; quem nunc in illo templo vellet deponere: simul & brachia ad Hippolytum tetendit, quasi infantem traditura, sic aiens: Vide vt illum mihi restituas, cùm Dei voluntas fuerit: atque ita iunctis manibus in extasi mansit. Rogauerat autem frequenter ipsam adhuc in mariti domo manentem Hippolytus, vt ab eâ in filium spiritualem admitteretur: quod illa ex verâ humilitate semper recusarat dicens, non conuenire vt homo religiosus matrem nominaret peccatricem, qualis esset ipsa: tunc verò eamdem iterùm gratiam postulanti respondit: Modò te accipio in patrem, in fratrem, in filium: eóque dicto reuersa est domum in eadem extasi perseuerans.*

Tradit Fr. Hippolyto puerum Iesum,

ipsumq́; in filium suũ recipit.

b *Qui nostro calculo tum adhuc numerabatur* 1439, *sed penè decursus, vt alibi dictum.*

VISIO LXXI.

156 CVm quodam semel Christi ancilla staret in suâ cellâ & in suis proprijs naturalibus in die, Deus Omnipotens sibi reuelauit aliquod opus suæ iustitiæ: itaque sibi fuit ostensus quidam Clericus existens in articulo mortis in magnâ dignitate constitutus, & ipsa Beata suis corporalibus oculis vidit dictum Clericum multis plagis vulneratum & horribiliter fœtentem. Et stans stupefacta & admirata de tali visione, dubitans ne esset illusio vel suggestio diabolica, quia non ad plenum cognoscebat dictum Clericum, quædam vox diuina à cælo descẽdens sibi dixit: Iste est talis, qui se damnauit, simoniacè se tractando propter honores

Reuelatur ei Clerici simoniaci damnatio,

A honores temporales Ecclesiasticos: & ideò ab eo aufertur tempus vitæ corporalis, quia concessum fuit sibi tempus [vitæ] spiritualis, vt posset se iuuare: & noluit intelligere in suâ infirmitate reuocationem sibi factam, dilatando vsq; ad punctum extremum suam confessionem, & permisit se prodi infectioni sui amoris, quia mori nolebat a. Et venit vnus Sacerdos ad eum, cui ipse infirmus dixit de suâ simoniâ, non tamen in Confessione: prædictus verò Sacerdos ductus pusillanimitate & timore consanguineorum infirmi, ipsum dimisit sine Confessione & sine bonâ dispositione. Infirmus ergo remansit in illâ damnatione, & moriens, fuit iudicatus ad pœnas æternas, sicut isti Beatæ postmodùm monstratum fuit: cuius nomen & tempus pro meliori parte taceantur. Laus sit Domino, cuius iudicium semper metuendum est.

a ob dilatam ad extremum pœnitentiam.

a *Anguillaria hæc referens lib. 5 cap. 15 addit*: Attonita Sancta, cubiculoque egressa, narrauit Agneti filiæ & sociæ suæ hæc omnia: & volens ex caritate visitare infirmum, si fortè iuuare eum posset, prædictam Agnetem assumpsit comitem: ipsúmque sic in lecto reperit, vt fuerat sibi in visione monstratus; sed minimè aptum auxilio vel consilio: ergo reuer-B sa est consternata animo: completâque in camerâ oratione dixit Agneti, Dominum illum in inferno sepeliendum.

VISIO LXXII.

In extasim rapta iubetur abire adoratum sacram Hostiam.

157 QVodam alio semel Deus volens per suam ancillam ostendere, quantâ cum reuerentiâ fideles debent stare ad audiendum Missam, quodam manè postquàm ista Deo deuota in dictâ capellâ recepit sanctissimum Sacramentum in maiori altare, in eleuando illud in ecclesiâ S. Mariæ in Transtiberim, istius Dei famulæ Pater spiritualis, dum ipsa esset in extasi mobili, confisus in Domino, præsentibus omnibus sibi dixit, quòd per virtutem sanctæ obedientiæ iret ad videndum sanctissimum Sacramentum, & ibi staret quamdiu Dominus permitteret. O admirabilem diuinam permissionem! verbis his finitis in extasi existens Christi ancilla manibus iunctis cœpit ambulare, demùm genuflexa est prope introitum dictæ capellæ, de quo loco vix potest videri altare maius prædictæ ecclesiæ: & ibidem genuflexa stetit quousque Sacerdos fecit concionem; postmodùm surrexit, & reuersa est ad locum, in quo priùs steterat, quæ omnibus videntibus fuit caussa magnæ admirationis.

VISIO LXXIII.

C 158 ITem quodam semel dum post receptionem sanctissimi Sacramenti Christi famula in capellâ dictâ fuisset rapta in extasim immobilem, quædam vox suauissima de cælo dixit eidem: Ego sum ille amor, qui vobis omnibus do vitam, qui genus humanum sustineo & guberno. Ego sum illud Verbum, quod pro vobis carnem sumpsit, & nouem mensibus in vtero Virginali me reclusi, & inde humanâ carne sumptâ, in mundo conuersatus fui, iniurias atque pœnas plurimas pro vobis sustinui; & tamen à meo Patre numquàm abscessi, sed semper cum eo steti, & obedientiam sibi obseruaui, & meum sanguinem sparsi, & vos omnes reformaui, & meum Corpus & Sanguinem in vestrum cibum conuerti, & omnia hæc feci vt animas vestras renouarem: quæ si sunt puræ, & me recipiunt, ego totum me eis tribuo, & easdem guberno per animosam & firmam fidem, & impleo feruenti caritate, & eas transformari facio per amorem, in quo summa Deitas eas sustinet & gustare facit bona diuinitus eis data. Illa anima, quæ est verè humilis, semper est contenta de omni re, quæ sibi aduenit, nec contradicit voluntati Creatoris, qui eam ardere facit igne sui amoris & aliud facere nequit. Istis verbis auditis, reducta fuit Christi ancilla ad extasim mobilem, & hęc dicebat verba loquens suo Sponso: Tu es ille, qui me defendis & sustines & mihi das vitam; sed ex quo D voluisti pro me carnem sumere, & cum hominibus conuersatus fuisti, & tuum amorem me fecisti sentire, dulcissime Iesu, gratiam præbe, vt semper tecum permaneam & tibi mente purâ indefiniter seruiam: in tuo pretioso Sanguine me renouasti, si tibi placet, non facias me discedere, ex quo per tuam gratiam de tuis bonis fecisti me gustare. Quæ verba Pater suus spiritualis & prædicta Rita ad plenum audiebant.

Declarantur ei cælesti voce Christi erga humanum genus amor & beneficia.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

VISIO LXXIV.

159 QVadam vice, cùm Dei ancilla audiret Missam in ecclesiâ Sanctæ Cecilię in regione Transtiberim, accidit quòd legeretur illa lectio a, in quâ Abraham commendatur de obedientiâ, quando voluit immolare suum filium. Ipsa verò Dei famula intensissimâ deuotione hoc audiens, fuit rapta in extasim, & sic stando in beatificâ visione, audiuit quamdam vocem à cælo ad se dimissam sic dicentem: Pius amor ego sum, qui inuito amorem & accendo cor. Spiritus qui mecum est vnitus, efficitur feruentior & ardet ex amore, & numquàm inuenit locum, quousque possidet illum, qui se sibi ingessit: illum ignem quærit & in- E flammatur, & se infirmari inuenit, & semper eum quærendo reperit, qui eum ardere facit: tandem si eum inuenit, secum vult facere mansionem & cum eo vult firmari, & nusquam ab eo discedere.

a Auditâ lectione de Abraham rapitur in extasim.

a *Legitur in Sabbatho Sancto: quod cùm anno 1440, quo mortua est IX Martij Beata, inciderit in illius mensis diem 26: euidens est eas, quæ sequuntur, visiones nullo signatas tempore, non esse posteriores visione LXX, quæ accidit in festo S. Stephani vltimo, quod in vitâ mortali celebrauit. Idem etiam patet ex visione LXXIX, quæ dicitur in solennitate Corporis Christi accidisse: vt videatur auctor eas, quæ tota erant de Amore cum ipsâ Beatâ loquente, propter materiæ similitudinem voluisse coniungere, etsi aliàs priùs referendæ fuissent.*

VISIO LXXV.

160 CVm quodam semel in dictâ capellâ ista à Deo dilecta recepisset Corporis Sacramentum, & rapta fuisset in extasim immobilem per spatium vnius horæ, & cùm ad suum sensum naturalem reducta fuisset, interrogata per obedientiam à suo Patre spirituali si aliquam beatificam visionem habuisset, respondit quòd viderat illam sanctissimam Hostiam antequàm eam reciperet, ad modum maximæ flammæ igneæ (sicut sæpè & pluries sibi contingebat videndum, dum recipiebat prædictum sacrum Sacramentum) & eius spiritus fuit ductus in altissimum locū, in quo existens audiuit quamdam amœnissimam vocem sibi dicentem: F Ego sum ille ignis, qui accendo corda me diligentium, sed non comburo: me diligentem duco ad istam quietem, & facio ipsum manere ad audiendum hunc dulcem cantum. Anima, quæ est capax in suâ nobilitate, semper hìc vellet manere & hinc numquàm discedere: sed ego facio istam stare, quantùm mihi placet: & aliqua anima admiratur de his, quæ ego facio; & de donis nobilibus, quæ do animæ, quæ mihi placet.

In raptu videt sacrā Hostiam conuerti in flammam.

VISIO LXXVI.

161 CVm quâdam nocte Christi ancilla esset in suâ camerâ sanctissimis meditationibus dedita, vt sui moris erat, quædam lux cælestis illam camerulam intrauit & ipsam totam illustrauit, & ipsa Christi famula fuit rapta in extasim. Mane verò immediatè sequenti, quia pluries monita fuerat à suo Patre spirituali per obedientiam, vt ea quæ sibi à Sponso ostensa fuissent ipso absente, eidem reuelare deberet, & licèt ipsi Christi famulæ esset labor inexcogitabilis secreta ei ostensa alicui reuelare (namque semper erat maximè in sancto timore attentissima) tamen tamquàm filia obedientiæ sic respondit suo Patri spirituali, quòd post primam illam lucem, de quâ dictum est, superuenit alia splendidior

Reuelat Confessario

A splendidior lux, à quâ eius spiritus fuit ductus in altum, & sic existens per magnum temporis spatium in extasi immobili in illâ beatificâ visione, in fine ipsius visionis Dominus quò ei licentiam daret, voce quadam suauissimâ eidem dixit: Ego sum ille amor, qui constrictus fui ab amore & in me fui dispositus, vt carnem humanam sumerem. Et æterna Sapientia mihi templum Virginale consecrauit; in quo nouem inclusus steti mensibus, Angelis tamen semper sociatus; à quo exiui, Matris Virginitate intactâ, & per omnia me vobis similem dedi absque peccato. O anima benedicta, cogita quòd te dilexi, fac quòd nos sis ingrata de donis tibi datis, dimitte omne tuum velle, & respice id quod tibi dedi: benè te purifica, & sta mecum amplexata, & noli à me recedere. Et postquàm sic stetit in extasi immobili per spatium vnius horæ, reducta in extasim mobilem, ostendebat se magnam pati pœnam: cōprehendebat enim sibi licentiam dari, & quod erat sibi necesse reuerti ad molem corpoream. Sed iterùm reducta ad extasim immobilem, audiuit diuinam voluntatem sibi dicentem: O tu, quæ me amplexata es, & sic tenes strictum & tuo amore ligatum, vnde tantum suscipis gaudium; caue non sis ingrata, & noli me despicere: cogita semper, quòd fui venditus, vt te B redimerem: & ideò anima sis semper in meo amore firma, & vsque in finem perseuera.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

quomodo excitata fuerit ad constantem Christi amorem.

VISIO LXXVII.

Cognoscit plenitudinem amoris ex throno S. Trinitatis profluere.

162 QVadam die postquàm hæc à Deo dilecta recepit sanctissimum Sacramentum in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim immobilem, & audiuit quamdam cælestem vocem sibi dicentem: Amor ego sum, qui rego amorem, & do tibi fidem firmam cum spe nimis certâ, & caritas perfecta facit animam constantem & suo Sponso vnitam: & postquàm secum est vnita, ipsam inuitat ad bibendum: & postquàm anima bibit de illo amore, mens stat respiciendo, & miratur tantam abundantiam & fixis respicit oculis, vnde tanta aqua venit. Videt tria scabella in vnâ sede plenâ, quam non potest benè videre propter suam debilitatem: videt principium aquæ, quod descendit ab vno scabello, & maximo cum gaudio se ponit ad piscandum, & est tanta eius lætitia, cui similis non potest dari. Quibus verbis auditis, cùm iam esset reducta ad extasim mobilem, dicebat: Dulcissime Domine, quid facis, dedisti mihi gaudium, & posteà à me aufers, & mihi illudis. Precor te, diuina caritas, respice misericordiam tuam: nec regiæ Maiestati conuenit auaritia, nec mihi videri potest maius malū inuenire quàm de C diuitijs venire ad paupertatem: & si vis vt mihi reddetur, appellarem id maximum imperium, quod rem mihi datam non sineres à me auferri. Quæ quidem verba suus Pater spiritualis & præfata Rita audiuerunt.

VISIO LXXVIII.

Declarat ei Deus amorem suum.

163 ALterâ verò die post receptionem pretiosissimi Sacramenti in dictâ capellâ, Dei famula fuit rapta in extasim immobilem, & reuersa ad sua naturalia, & interrogata à suo Patre spirituali per obedientiam de beatificâ visione, respondit quòd dum sic esset in extasi, audiuit quamdam vocem diuinam ei dicentem: Ego sum amor similis philocapto, imò sum alienatus, tantùm diligo animam me volentem: descendi de imperio cælesti vt eam mihi copularem; & volo eam ducere, vt mecum semper permaneat. Sed tibi conuenit, quòd remoueatur, & à se proijciat malas consuetudines, & se vestiat puritate, & sit fidelis & recta, prudens & honesta, & in humilitate fundata & in sancto timore filiali, qui est signum maximi amoris, & in ipso amore volo eam submergere: non enim conuenit Imperatoriç Maiestati in loco fœtido habitare. Et ideò volo ipsam reuocare, vt sit semper mecum vnita, & stet in nouo pascuo mecum in totâ suâ vitâ. D

VISIO LXXIX.

Amor Christi in Eucharistiâ.

164 CVm semel ista Deo deuota staret ad audiendum Vesperas solennitatis Corporis Christi in ecclesiâ sanctæ Ceciliæ in regione Transtiberinâ, fuit rapta in extasim immobilem, & audiuit quamdam cęlestem vocem sibi dicentem: Ego sum ille amor, qui respondeo meę [sponsę] amanti me, ipse amor me vocauit, & ego me dedi sibi, in Sacrificio me ostēdi, vt vos omnes possim consolari. Semper vado quærendo illum, quem suo defectu perdidi, quòd redeat ad suum locum, in quo erit sua delectatio, & faciam ipsum intelligere quidquid pro eo feci. Faciam ipsum esse humilem, & meâ operante gratiâ, ipsum faciam stare sub meo vexillo, & tantum dabo sibi gaudium, quod non posset extimari. Constituam ipsum in sancto timore Filiali, & cum prudentiâ faciam ipsum conuersari, & quòd dona sibi data non permittat sibi furari.

VISIO LXXX.

Efficacia diuini amoris.

165 CVm alio tempore Christi ancilla staret in suâ camerâ noctis tempore, sacris meditationibus suo more dedita, fuit rapta in extasim immobilem, & audiuit vnam suauissimam vocem sibi dicentem: Amor E diuinus ego sum, qui me amantis cor aufero & meâ gratiâ impleo, & in meo amore accendo: ipsum facio sentire & dulcedinem gustare, & magnum impendo exercitium, vt sit indeficiens. Ipse vellet videre ea quæ in se ipso sentit, & in his, quæ ipse gustat, vellet se inuenire: facio eum ardere in amore, in quo facio eum alienatum, & nescit in quo stat loco. Semper cogitat quid debet facere, vt se possit ordinare, vt placere possit illi, qui tantùm eum dilexit. Vellet res ab eo possessas despicere, sicut sunt despiciendæ, & semetipsum iterùm despicere, vt se vnire possit cum illo, qui eum amauit.

VISIO LXXXI.

Desiderium continuæ vnionis cum amato.

166 POstquàm quadam die Christi famula recepit sanctissimum Sacramentum in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim immobilem, & audiuit quamdam diuinam vocem sibi dicentem: Ego sum amor virilis, qui traho animam ad supernas visiones, & excito in eam desiderium videndi illum, qui eam creauit: quem postquàm prospicit, non vult recedere, sed in eius conspectu semper stare, & cum spiritibus Seraphicis eum speculari. Permanet in desiderio videndi diuinū amorem & videndi illum pulchrum actum, qui fit in illo pacto: & vult spiritus à Deo factus se implere diuino amore, qui omnia fecit & non fuit factus. Illa est F quædam mansio, quæ semper permanet in vnione, & est ita magnus splēdor, quòd implet omnes animas ibi existentes. Ille amor est tantùm feruens & est quoddam instrumentum omnibus agentibus in suis Officijs ex amore sibi dato, quòd omni horâ eas suscitat ad laudandū & regratiandum & benedicendum Deum.

VISIO LXXXII.

S. Maria Magd. declarat prudentem amoris generositatem.

167 ALiâ verò die, dum ista à Deo dilecta recepisset sanctissimum Sacramentum Corporis Christi in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim, & illa in Dei amore feruentissima Magdalena sibi dixit: O anima paupercula, retine gratias & dona tibi data, & semper cogita à quo procedunt, qui te facit inebriari & in seipsum transformari, & in supernis suis bonis: ex quo iam es transformata, & in tot bonis es retenta, fac quòd sis prouisa, & in te ipsâ benè sentias, ad hoc quòd ingratitudo te non aggrediatur, & ignorantia etiam tibi non noceat, quæ potest deijcere & facere venenosam. Semper sis prouisa, nec permittas te decipi: recipe exemplum hominis inimicati: claudit domum

A domus suæ ostia, insuper & vallum facit, ne inimici ipsum aggrediantur: deinde animosior effectus, armatus exit in plateam, & viriliter inuitat inimicos ad consertendum manum, & eos despicit, qui sunt sibi contrarij. Eodem modo se gerit anima, quę in diuino fidit amore, & est ex ipso inebriata.

VISIO LXXXIII

Quomodo Dei amās humilis fiat per cognitionem vilitatis propria

168 QVadam nocte, dum hæc Deo deuotissima staret in suâ camerâ sacris meditationibus suo more dedita, fuit rapta in extasim immobilem, & vidit in quadam beatificâ visione existens quasdam litteras scriptas, quarum tenor hic erat: Igneus amor ego sum, qui me amantis cor incendo, & sibi reddo intellectum cum veritate visionis, & videt de quo factum est, & intelligit quanti pretij est: intelligit ea quæ fecit; & comprehendit suam potentiam, & adhuc comprehendit id, ad quod est venturus: & sic perdit audaciam, & suum apparere, & semper verecundatur respiciens in Deum, nam [cogitat] se subiectum tam vilibus rebus. Adest etiam sæpe purum apparere cum corporalibus sensibus, & talis sensualitas se inclinat rebus placibilibus. Adsunt etiam tētationes cum falsis cogitationibus B & anima se videt inclinatam, tamen non potest se explicare [ab ijs] quæ deberet damnare, & inuenit se deceptam à sensualitate: ponit se in fragilitate, & efficitur tantùm vilis & verecunda quòd nescit quid facere debeat. Perdit omnem audaciam, & incidit in odium sui, & quærit vindictam & iustitiam rerum, quas in se videt. Petit etiam remedium ab illo, qui ei potest subuenire.

VISIO LXXXIV

S. Onuphrius ipsi explicat infelicitatem amoris mundani.

169 ALiâ verò nocte, dum ista Deo dilecta esset in suâ camerâ suo more meditando, fuit rapta in extasim, & sic stando S. Onuphrius eidem dixit: Quantùm est tristis amans qui non sequitur amorem! amor venit ad ipsum, & ipse alibi quiescit. Quantum est tristis & dolens, qui non reuertitur ad amorem Christi, qui nobis ostendit vitam! Talis ponit suum amorem in rebus terrenis, ex quibus sæpe sentit magnum dolorem; præsertim quando est perditus & miser; & non aduertit, quòd tales res non sunt permansuræ. Confidit in amicis & consanguineis: expendit cum eis omnia sua, & nihil sibi remanet: finaliter inuenit, quòd perdit tempus, quod in eiusmodi rebus exposuit; remanet dolens, miser, & tristis, & inuenit se a pedestrem, quòd posuit spem in illo, qui nihil erat: & magna [tristitia] eum sequitur, propter illum quem C amauit cum magno supplicio & labore. Ipsi consanguinei & amici eum lapidant & faciunt desperare: & iste amor miser, cui se subiecit, eum fecit tantùm vilem & seruum suæ sensualitatis. Posuit suum amorem super quemdam ramum vilem, qui eum cæcum fecit nec eum videre permisit. Iste tristis & miser amor, qui stat in tali labyrintho, est similis molendino, quod nullam habet requiem: mundus etenim, cui se totum commiserat, eum prodidit, & sic remansit pauper de his, quæ semper ipse amauit. Amici eum dimiserunt in suâ paupertate, & consanguinei eum deseruerunt, nec solam vitam sibi dimiserunt: & sic remanet stupefactus, & nescit cui se liget, & est similis homini stanti prope mare, qui suæ domus fundamentum ponit super arenam, quæ de suo more labitur de plantis pedum, quod homo non sentit. Et iste, cui hæc accidunt, tactus dolore cordis procedit ad scelera, & est similis mari tempestuoso. Ergo ô tristis & dolorose amor, fac quòd tibi benè prouideas, & noli tibi assumere tale consilium, quod te faciat submergi: ama benè cum affectu, & noli dimittere amorem Christi: nam qui ipsum purè amat, numquàm tristis efficitur.

a *Metaphora est translata ab equitibus ex equo præter spem deiectis, ad quemuis improuisum casum spes nostras intercedentem, & velut humi destituentem.*

VISIO LXXXV

AVCTORE IO. MATIOTTI. D

Quomodo amor animā accendat & sublimet ad Deum.

170 QVodam die, dum ista felix anima in capellâ supradictâ recepisset sanctissimum Sacramētum Corporis Christi, fuit rapta in extasim immobilem, & audiuit quamdam diuinam vocem sibi dicentem: Ego sum amor fortis, qui facio animam velocem, & eam pono in verâ fornace, vbi anima se reddit nitidam, & intendit veritatem. Tale quid accidit animæ, quale accidit lunæ, quando illustratur: nā amor facit eā philocaptam & omnimodè feruentem; facit eam transformari, & eam ponit supra cælum, & in tali firmitate in excelsâ Deitate facit eam incendi ab amoris fortitudine, & dat sibi talem colorem & tantùm pulchrum ad videndum, album & rubeum; inquam: albedo est puritas, & caritas rubedo. Iste amor est tantùm feruens quòd tenet animam accensam, & viuendo mortuam: & hoc propter magnam vim accensæ caritatis, in quâ quantùm anima est profundior tantum in Dei amore est altior semper cum verâ humilitate; quæ cum alijs virtutibus benè consistit ad faciendum animam sursum leuari & suo Deo complacere. Post hæc Sanctus Petrus eidem dixit: O anima, quæ te posuisti ad orandū, E & es sursum eleuata ad supernam Maiestatē, fac quòd sis benè aduisata, sicut facit columbus non domesticus, qui suum nidum in altum ponit, vt a transeuntibus non a deguastetur: pone tuam puritatem in prudentiâ firmâ, & fac quòd scias ostendere res à Deo tibi datas: habe mentem cælestem & in Deo benè positam, & sis similis aquilæ, quæ firmiter respicit solem, & in tali perseuerat visu, & lux solis eam non offendit.

a *Compositum ex Lombardico* guasten *Francis* gaster: *Teutones* vvousten, vervvoulten *dicunt* vastare, *dissipare, frangere corrumpere.*

VISIO LXXXVI.

Quomodo humanus amor deuius ad Deū reuocetur.

171 QVodam alio semel, cùm ista felix anima post receptionem sanctissimi Sacramenti Corporis Christi in dictâ capellâ fuisset in extasim immobilem rapta, quædam vox diuina maximâ cum suauitate eidem dixit: Ego sum ille amor, qui semper requiro amorem: & amor humanus, quem redemit sanguis meus, per obliquum incedit iter: sed illum ad me reduco, & facio ipsum transformari in meâ luce plenâ, facio ipsum gaudere de essentiâ diuinâ, & pono eum in suâ sede in illo magno splendore, & reddo sibi tale confortamen, quod anima semper in amore inebriat. O anima paupercula, quæ es tam minima, & es posita F in tali altitudine ab essentiâ diuinâ in hac piâ luce, quæ te facit inflammari, cuius tua puritas non habet capacitatem: & ideo in tantâ altitudine tu non potes perseuerare, vbi est tantum confortamen, quantum nunc tu non potes gustare. O anima paupercula fac quòd sis benè prouisa, confortare in tuo sensu & exteriùs noli ostendere.

VISIO LXXXVII

Adhortatio ad amorem reciprocum

172 QVodam manè cùm ista Deo deuota recepisset sanctissimum Corporis Christi Sacramentum in dictâ capellâ, fuit subitò rapta in extasim immobilem, & sic stando audiuit quamdam diuinam vocem sibi dicentem: Anima esto attenta, & responde te vocanti, & habe cor præparatum ad recipiendum amorem te amantem, qui te tantùm exaltauit superiùs in cælis, & tantùm te inflāmauit, & tot de suis bonis tibi dedit: ipsemet te a gubernauit de suis dulcibus cibis, & confortamina dat, quæ sunt sine vllo fine illi animæ, quæ est virilis & firma in bono proposito. Anima esto benè prompta ad respondendum diuino amori, qui te elegit in sponsam, & de suis iocalibus tecum libenter vult impertiri: ille suâ gratiâ te fecit pulcherrimam, & te posuit in loco superno, & suum iocale tibi dedit Iesum Christum eius filium, vt ab eo addiscas

AVCTORE IO. MATIOTTI.

A addiscas illa, quæ sunt facienda. Anima, tu benè respice ad illum tantum Dominum, & spes te inducet, vt induaris eius vestibus. Anima, semper te speculare in isto summo & indeficienti bono: esto virilis in rebus per te agendis,& magnanimitas te faciet sibi præsentari: fac quòd benè te induas in amore Iesu Christi, qui tibi dedit suam gratiam, & omnimodè se disposuit,vt te ipsam liberaret.

a *Id est,* sustentauit & enutriuit, *vt alibi iam dictum.*

VISIO LXXXVIII

Quòd non debeat velle continuò manere in extasi.

173 ALio die postquàm illa felix anima recepit sanctissimum Sacramentum in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim immobilem, & quædam diuina vox ad eam dixit: Anima, quæ es eleuata ad cælos superiores, & posita in tali abysso, quam non potes in toto videre,& istud modicum, quod sentis,adhuc non potes sustinere; quanta est tua vilitas & tua audacia, quia vis hîc remanere: respice tuam paruitatem, nam es pauper & mendica. Altitudo, in quâ est posita anima tua,te facit tantùm audacem: sed respice ad harum rerum factorem, nam ipse habet modum, vt te faciat B sui philocaptam & suo amore incensam: facit te transformari in isto magno calore. Videntur tibi res nouæ, quia amor te constringit,& tibi signa dedit quæ te faciunt inflammari? & si sibi hoc placet facere,cui teneatur reddere rationē? Facit suum velle: nulla anima velit se impedire, quæ videt ipsum vel sentit, & nolit nimiùm videre: sed semper stet vnita cum ipso summo bono & eius voluntate, & in eam stet semper remissa: nam ipse omnia benè fecit.

VISIO LXXXIX

Quomodo debeat Deū amplecti.

174 CVm Christi famula quadam nocte staret in suâ camerâ sanctæ meditationi dedita, fuit rapta in extasim immobilem, & S. Catharina sibi dixit: Anima esto attenta, & intellige actum, qui tenetur: respice illum,qui te expectat,& vult recipere. Respice illum pulchrum actum, quem tibi ostendit: habet enim brachia extensa,& vult te amplecti. Respice modum, quem ego tenui: habeo caput inclinatum cum oculis flexis,sto cum brachijs plicatis,& in pectore diuino me proieci, vt dilectus me amplectatur: modò sentio confortamen & sto glorificata. Anima,quæ tuo bono fuisti nata,non te destruant mala facta, nec vm- C quam sis diuisa ab isto dulci amplexu.

VISIO XC

Conditiones veri & puri amoris.

175 QVodam alio semel, postquàm Dei famula in dictâ capellâ recepit sanctissimum Sacramentum, vt sui moris erat,fuit rapta in extasim immobilem, & audiuit diuinam vocem sibi dicentem: Anima,esto fidelis in extensâ puritate, si vis sentire de hoc bono: & si vis rectificari, habe amicitiam cum amore, qui est largùs & liberalis, & aperiet tibi cor, & dabit potentiam accensam cum solenni timore,& tuus intellectus habebit visum. Humilitas cum amore dant intentionem rectam: spes firma est philocapta à Domino: postquàm [autem] est philocapta, efficitur obediens, & totam se remittit in amoris voluntate,& nihil aliud sentit: quia totum se amori dedit, & omnem suā curam in eius benefactoris beneplacito posuit. Ista nobilis anima,quæ se fecit fidelē & posuit se in mobilitate, ab amore se duci permittit & mentem habet quietam, & efficitur tranquilla,& est tota purificata & pacifica in Dei timore: & ipse amor ponit eam super cęlo,respiciendo illum amorem,qui eam facit inflammari & accendi ex ardore; quando stat in illâ abysso amoris Iesu Christi, qui eam tenet & gubernat.

VISIO XCI

S. Michaël animat ipsam ad perseuerādum in amore.

176 QVadam die,postquàm ista Deo deuota recepit sanctissimum Sacramentum in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim immobilem, & gloriosus D Archangelus Michaël eidem dixit: Anima,quæ es ducta, & posita in loco certo, respice tuum cor, & vide si est perfectum, & remoue ab eo omnem vaporem & omnem rem infectam. Liga te cum amore, qui te faciet perfectam: respice Saluatorem, & suum magnum splendorem, qui te fecit exultare, & astu bono ad istū beatum locum venire, & ad istum ignem ardentem, qui ardet & non comburit, & spiritui inducit lætitiam cum suauitate. Nunc gaude, ô anima, & recipe lætitiam, & reduc tuam mentem, & efficieris leuior. Accipe hæc confortamina, quæ semper sunt duratura: & nos hoc benè scimus quia in patriâ semper stamus. Tu existis in veritate,ô anima,& ideò sis plena de tali magno confortamine, procedente ex sapientiâ diuinâ, quæ nos abundare fecit suâ magnâ clementiâ. Ex quo tu præsens es, gaude nobiscum, sed non potes benè sentire pleneque,quousque venies ad extremum punctum. Interim sis timorosa,& in Deo confortare: nam Dominus te hîc posuit & facit stare in hac altitudine, & in tantâ dulcedine quæ reddit tantum ardorem. Noli timere ea,quæ foris sunt: sed inueni qui te intelligat: sed numquàm inuenies intelligentem, nisi sentiat talem consuetudinem. E

VISIO XCII.

S. Augustinus exponit ei excellentiam amoris diuini.

177 QVadam aliâ vice, postquàm Dei ancilla recepit sanctissimum Corporis Christi Sacramentum in dictâ capellâ, dum staret rapta in extasi immobili,gloriosus Doctor Augustinus eidem dixit: Anima, quæ es ducta ad tantam altitudinem, & ipse Deus à te abstraxit tantam immunditiam, confortare & habe securitatem istius magni amoris & dilectionis & delectationis, quâ te facit capacem. Respice illum honorem, qui tibi fit in isto loco, & datus est iste honor tibi de facto. Respice potentiam diuinæ Maiestatis, quæ tibi fecit gratiam,vt sis extra mensuram, nec dat tibi mensuram, quam in se mensurauit: retrahit ab omni malo animam, quæ se totam in Christo disposuit, & se cum istâ animâ vniuit, & est in se remissa per veram humilitatem, & extrahit suum fructum à verâ caritate. Ipsa verò caritas ipsam incendit amore, & omnes laqueos rumpit, & abstrahit omnem timorem, & ducit eam superiùs & amore perfecto facit talem animam superare in suâ infinitâ altitudine. Ista altitudo infinita non potest aliunde acquiri, nisi quòd anima sit vnita beneplacito diuino, & nil aliud respiciat, nisi solum suum F speculum, quod eam incendit & ponit [procul ab] omni societate. Anima paupercula,sta in isto confortamine: & ex quo non debes permanere in istâ securitate, recipe eam ex consuetudine cum diuinâ maiestate. Anima paupercula, habe patientiam, quia est pulchrum iocale animæ,quæ eam seruat: fac quòd sis benè prouisa,nec possis eam perdere, sed sta semper vnita cum Dei beneplacito.

VISIO XCIII.

Diu percussa à dæmonibus ponitur in latere Saluatoris.

178 CVm quadam nocte Christi ancilla in suâ camerâ nocturno tempore diceret Letanias, maligni spiritus eius sanctitati inuidentes,eam per magnū perque multum temporis spatium percusserunt. Benignissimus verò Dominus volens sibi præmium dare,& ab illis tribulationibus ipsam aliquantulùm recreare, eidem apparuit in suâ sanctissimâ humilitate cum suis refulgentissimis plagis, & ipsa felix anima fuit posita in plagâ sanctissimi pectoris Redemptoris, vbi vidit infinitam profunditatem summi boni, quantùm Redemptori placuit ostendere suæ transformatæ ancillæ. Et ipsa Dei famula per maiorem partem temporis fuit tormentata à malignis spiritibus sed per totum illud tempus vsque ad vigesimam horam diei summo cum iubilo stetit in Saluatoris pectoris plagâ, vt dictum est. Et benignissimus Dominus suæ dilectæ sponsæ dixit: Anima,

A ma, quæ es transformata in profundâ caritate, ego te redemi & posui in meo pectore, insto tibi in istâ magna abyssi luce, in quâ tu stas fundata, quæ tibi ostendit viam vt sis semper stabilis & firma: de quâ quantò plus gustas tantò plus desideras, & quantò plus vides tantò plus tibi restat videndum: quia sicut caret principio, sic finem non habet: ideò quantò magis intras finem inuenire non poteris. Habe memoriam firmam, & aspice potentiam, ne vlla res te offendat. Quando recordaberis istius rei sine mensurâ, in quâ fuisti collocata, fac quòd semper recorderis: omnem rem memoriâ remoue: habe intellectum clarum, & respice cum veritate istas res tam veras, quæ tibi fuerunt datæ: pone rationem cum lumine veritatis, quibus rebus indiges, vt sis stabilita: habe feruens velle cum rectâ intentione: sis humilis & patiens & firma in me tuo Domino: tene mentem puram, & quæ incepisti frequenta itinera. Ego tibi feci cor mundum in rectitudine spiritus, tu illud fac fidele & diligens in omnibus: fac quòd sis mansueta, & sequere summam pacem: fac tibi mentem quietam, & permane in tranquillitate, & in me, qui te dilexi, semper habe firmam spem, & tibi dabo vitam maximæ securitatis. Ista via tibi data, est omnimodè perfecta: scio tuam conditionem, quòd non itineraberis sine timore, ergo viue in obedientiâ, quæ te reddet securam. Pone tuum pondus alteri, vt sic deuiare non possis. Ego tibi dedi nouam inuentionem, fac quòd eam scias recipere: vt sis benè consolata, modò poteris reuerti: fac quòd benè sciant tua ora verba redicere ea, quæ tibi dicuntur: pone in eis memoriam & tuus spiritus sit semper audax: non dubites de aliquo, quia non teneberis suspecta: confide semper in me, qui tibi meum amorem dedi.

Ibid. solamen accipit & salutaria monita.

B

VISIO XCIV

179 QVodam alio tempore postquàm Christi famula in dictâ capellâ recepit Corpus Christi, fuit rapta in extasim immobilem, & vnus gloriosus Angelus ei dixit. Anima, firma te benè in amore tibi dato, & in supernis bonis, quæ ipse tibi donauit, istius magni thesauri, qui tibi fuit præsentatus: acue tuum intellectum & tuam capacitatem: habe firmam memoriam cum animosâ voluntate: caue, ne sis ingrata & tuo Domino præsumptuosa: habe mentem firmam, & vni te cum ipso. Anima, respice benè, & cape tuam quietem in istis bonis supernis, quæ faciunt animam puram: confortare in amore, qui te potest consolari, vt faciat te possidere se ipsum Regem cælestem. Respice nobilem amorem, qui se tibi dedit ad plenum: animo, qui est vilis, præstat magnam quietem, & facit ipsum transformari in ipsum Deum veracem, semper cogitando quomodò sibi debeat placere.

Monita ab Angelo data.

C

VISIO XCV.

180 QVadam aliâ vice, dum Christi famula recepisset sanctissimum Sacramentum in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim immobilem, & gloriosus Apostolus Paulus eidem dixit: Anima, quæ fuisti inuitata ad tantam solennitatem, quâ Deo regratiamur, in quâ es transformata: ipsa claritas respice claritatem, superna te totam obumbrat: pondera vbi stas in amore diuino, & diuina Maiestas tibi [dabit] gratiam ad plenum. Amor, qui te vocauit, in se ipso te submersit: ergo gaude & lætare de isto thesauro tibi dato, & te remitte totam in hac luce tibi ostensâ, & in istâ infinitâ gratiâ, ad quam amor te cōduxit. Liga te cum amore, & recipe de isto ardore, cuius ipse Dominus te fecit capacem. Præpara te benè, anima, ad ista superna bona, ad istos magnos thesauros, qui te hîc expectant. Fac, quòd sis humilis, animosa & feruens: nam iste Omnipotens te impleuit suo splendore. Et prædictus Apostolus ducendo semper hanc famulam Christi, ad altum, suus spiritus vidit Dominum in sanctâ humanitate cum refulgentibus plagis. At Dominus cum magnâ hilaritate suæ ancillę dixit. Anima, quæ es ordinata, recipe arma mea, tu à me es reformata, vt facias quod ego volo: tu defers magna vexilla, fac quòd viuas in amore, & meam lucem cum ardore faciam in te remanere. Ama me, ô anima: ama, quia te amaui: præbe mihi confortamen, quia ego te confortatus sum: vnias te mecum, quia ego me vniui & semper consisto tecum, saltem fac quòd tu me appetas: ama me, ô anima, & vide infinitum amorem: nam pro te ego veni, vt te retraherem ab errore, & te ipsam transformaui in abyssum. Vt sis meliùs declarata, posui te istâ in luce & in isto magno dulcore.

S. Paulus eam inuitat ad superna:

D

AVCTORE IO. MATTIOTTI. Christus ad redamandum.

VISIO XCVI

181 CVm quodam semel hæc Beata nocturno tempore staret in suâ camerâ, licèt corporaliter febricitaret, tamen eius felix spiritus fuit raptus in vnam claram lucem: & vidit Dominum Iesum Christum in suâ sanctissimâ Humanitate, qui se ostendebat suæ sponsæ in illomet modo quo stetit fixus in ligno sanctissimæ Crucis. Et quia ipsa feruentissima in Crucifixi amore stabat genuflexa, modicùm longè ab ipsâ cruce, ipse æternus sponsus cum suâ dexterâ manu fecit signum suæ felici sponsæ, vt accederet propiùs, adstricta ad suos sanctissimos pedes: quos postquàm tetigit & amplexata fuit, audiuit suam diuinam vocem ei dicentem. Anima, quæ fuisti vocata in istâ altissimâ electione, Regina *a* Incoronata fudit pro te preces, & Redemptor tuus expectat te in cruce hîc. Anima nimis dilecta, sis diligens ad veniendum, ipse te docebit viam rectam salutis æternæ, quam debes ascendere, & pone te in verâ luce: amor te conducit, qui est tanti pretij. Respice ad summum dilectum, qui pro te tantùm laborauit: respice eius faciem, quæ est clara & pura: tu incede per viam rectam sine aliquo timore, & esto sibi semper fidelis, & remoue te à valle obscurâ: quia ille te conducet, cui tuam commisisti curam. Respice semper eius conspectum, qui te fecit sic pulchram & transformatam in suo amore: qui est Rex vitæ æternæ, qui se præbet tibi videndum, & te vult cum magno affectu & vult quòd inuenias tibi ponum, quando venies ad standum hîc sursum.

Inuitatur ad contemplationem & amorem Crucifixi

E

a *Hoc titulo pluribus locis in Italiâ colitur Virgo Deipara: & meminimus celeberrimam talis appellationis ædem paucis ab vrbe Genuensi milliaribus à nobis aditam fuisse, Regularium, quos Scopetinos appellant, monasterio adiunctam: in apographo nostro alioquin erat* incarnata, *quod correximus.*

D. V. Incoronata

F

VISIO XCVII

182 QVodam alio tempore dum hæc Deo deuota existeret in sacris meditationibus, vt sui moris erat, & postmodùm rapta esset, & amplexa pedes Domini, quædam diuina vox hæc sibi dixit verba: Hoc, quod vides, est figura sanctæ obedientiæ. Et vidit ipsa Beata quatuor rotas in quodam loco quadrato positas, in quarum medio erat [columna, & singulæ rotæ erant] ligatæ cum vna catena ad prædictam columnam: quæ quidem catenæ erant insimul insertæ. In primâ rotâ tales erant litteræ scriptæ *a*.... In secunda verò rota istæ litteræ scriptæ erant: Ego desidero [manere] in meo apparere, & in meis tenebris semper me voluo. In tertiâ verò rotâ sic erat scriptum: Vado quærendo quod habeo, & semper me reuoluo, & insuetatam ... inuenio. In quartâ verò erant hæ litteræ: semper desidero quod habere non possum, frustrà me reuoluo in temporis perditione. In prima verò catena sic erat scriptum. Ego sum humilitas nobilis & perfecta, refræno primam rotam, vt teneat veritatem, nec se rūpat in vili apparere. In secundâ verò catena hæ erant litteræ: Ego sum puritas constans & firma, non permitto secundam rotam volui, teneo eam, nec permitto submergi. In tertia verò catena sic erat scriptum: Spes

Repræsentatio symbolica obedientiæ.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

A sum cum oculis firmis, teneo tertiam rotam, nec eam permitto in mari suffocari. In quartâ catenâ hæ erant litteræ: Ego sum sapientia in bonis propositis tenendis, teneo quartam rotam, nec permitto eam impediri. In columnâ verò hoc erat scriptum: In columnâ istâ denotatur vera fortitudo, quæ est stabilita cum potentiâ tenendi, & sic teneo ligatas istas catenas & cum Deo firmatas. Erat etiam supra dictam columnam vnum pulchrum altare paratū rebus necessarijs, in quo sic erat scriptum: Ego sum mensa & altare paratum, cum omnibus paramentis benè aptatum, & cum Sacramentis benè ordinatum, super fortitudinem benè firmatum; fide, prudentiâ, caritate *b* accensâ, & temperantiâ benè *c* extensa. Supra quod altare stabat vnus homo sedens, & ille tenet obedientiam sanctam, & reddit rationem summo Deo de obedientia, dicendo: Ego sum *d* banchum rationis & veritatis, ad ponendū animas in via honestatis: ego sum minister veræ caritatis & confirmo animas in ipsa caritate: reddo rationem Verbo diuino, omnes reduco ad diuinum amorem, ad quem pertinet iudicium rectæ rationis.

a *Excidit inscriptio per librarij socordiam.*
b *Fortè* accensum *&*
B c Extensum: *sic vt post,* fide prudentiâ, *simile aliquod epithetum exciderit & hic requiratur.*
banchum: d *Ita appellatur mensa ad quam assident vel iudices ius dicturi, vel nummularij rationes inituri: aliàs in vulgaribus linguis, etiam Teutonicâ, mensam scamnumue genericè significat.*

EPILOGVS.

183 Dixit pluribus vicibus ista humilis Christi ancilla, quòd de supradictis visionibus & reuelationibus, quas ipsa habuit, semper firmiter se submittebat determinationi sanctę Matris Ecclesiæ, cum qua & pro qua intelligebat & viuere & mori. Perlege igitur sollicitè & rerum admirabilium inuestigabilis lector; & quæ legeris Deo gratias referens memoriæ commenda. Et vt præscriptorum omnium epilogationum sermo claudatur, quisquis superiora legerit, finali consideratione perpendat, quòd ipsius beatæ Matris à Deo electæ, tanquàm eius sponsæ, beatæ Franciscæ mirabiliter facta conuersio, efficacia in verbo diuino, sublimium prærogatiua virtutum (vt in eiusdem visionibus & reuelationibus apparet) prophetiæ spiritus cum maxima scripturarum interpretatione & aliarum virtutum sublimi immissione, non sine eius meritorum abundantia & cælestis gratiæ inundatione sibi concessa sint. C Istius igitur à Deo electæ finitis visionibus & reuelationibus, incipiunt triumphales conflictus, quos ipsa Dei ancilla exercuit, dum viueret, cum malignis spiritibus.

LIBER III.

Conflictus S. Franciscæ cum dæmonijs. Inferni pœnæ, aliaque eidem reuelata.

CAPVT I.

Dæmones varijs modis & formis S. Franciscæ molesti.

1 IN nomine sanctissimæ Trinitatis. In illo principio quando ista Dei famula cœpit habere visiones malignorum spirituum, venit de more suo ad eam hostis humani generis in formâ vnius eremitæ, in tali paupere habitu, & cum barbâ longâ, baculum retortum in manu gerens. Ipsa verò Dei ancilla cognoscens ipsum esse dæmonem, stupens & tremens, ipsius maligni non potens pati visionem, suam intrauit cameram. Ille verò hostis humani generis in prædictâ formâ stabat in *a* Salâ ipsius domus; & loquebatur cum ipsius cognato Paulutio. Et quamuis ipsa Dei ancilla staret in camerâ, tamen mentaliter videbat illum, quamuis niteretur se celare: & sic existens ista Beata cum maximo tremore & pœnâ, eius cognata Vannotia ipsam interrogauit quid pateretur. Ipsa verò ne secreta Dei manifestaret nihil sibi manifestum fecit. Perseuerante verò ipsa Dei famulâ in oratione, recessit ille nequam spiritus, neminemque in aliquo nocuit *b*.

Apparet dæmon in forma eremita inter familiares:

D

2 Quodam alio tempore, cùm ipsa Dei ancilla nocturno tempore existeret in suâ camerâ in sanctis exercitijs, malignus hostis eam recepit violenter, & portauit in quodam ambulatorio posito supra viam iuncto cum prædictâ camerâ, & eam tenebat per capillos pendentem supra viam, & sibi loquebatur minando acsi ipsam vellet in viâ proijcere. Ipsa verò per aliquod spatium temporis sic existens, sed tota confidens in Domino sine aliquâ dubitatione, diuinâ voluntate sic operante, se inuenit positam in quodam alio loco tutam sine periculo. Post quod bellum sic habitum, ipsa Dei famula sibi mutilari fecit *c* trecciam, per quam ab humani generis inimico, vt suprà dictum est, tenebatur. E

per capillos suspensam minatur ex alto deiicere.

3 Quodam alio semel volens Christi ancilla cum suâ cognata Vanotia visitare Ecclesiam S. Ioannis Lateranensis, quia nimiùm diligebat solitudinem, ambulauit per quamdam viam remotam, quæ vocatur *d* Merolana: & dum approximaret se Ecclesiæ S. Petri & Marcellini, fatigata *e* ex itinere se posuit ad sedendum supra quemdam lapidem in via: & dum loqueretur cū prædicta sua cognata, ad eas venit malignus hostis in forma hominis antiqui cum prolixa barba, & sibi dicebat: Ego vellem à vobis, quòd mihi complaceretis in vna re petita: quam inhonestam petitionem sibi fecit malignus spiritus, vt ei faceret maximam displicentiam. Nam licet ista Beata omnia vitia haberet odio, tamen carnis vitium supra omnia abhorrebat. Et tunc ipsa Christi ancilla, cognoscens ipsum esse malignum spiritum, & audiens suas detestabiles petitiones, primò vt dæmoni displiceret, & suam honestatē conseruaret, animosa respondit: O iniquissime & sordidissime dæmon, credis, quòd te non cognoscam, eò quòd recepisti formam humanā? Tali forsan modo, ô miserrime, credis mihi illudere. Ex qua re ipsius cognata Vannotia existens nimiùm territa & pauens, ipsa Christi ancilla eam confortauit dicens: Ne dubites, & caue ne timeas talem vilem, & tristem creaturam, eidem iniungens vt se genu flecteret & inuocaret omnipotentem Dominum: quibus duabus genu flexis, & viriliter malignum spiritum imprecantibus, ipse malignus hostis disparuit. F

In formâ humanâ ipsam cognatamq. inhonestè sollicitat,

& confusus disparet.

4 Quodam alio semel, cùm ipsa Beata staret in sua camera noctis tempore in orationibus & vigilijs, talis horribilis & abominosa visio sibi apparuit: scilicet quòd quidam malignus spiritus sibi præsentauit vnum corpus hominis mortui, vel forsan alterius dæmonis in forma corporis humani mortui & iam fœtentis & pleni vermibus: illeque dæmon recepit violenter istam Beatam, & posuit eam super illud corpus fœtidum, & in eodem pluribus vicibus ipsam voluit & reuoluit cum maxima iracundia per aliquod spatium temporis; intantùm, quòd ipsius Beatæ facies cum tota sua persona erat missa & submissa in eodem fœtore: post cuius dæmonis abscessum ipsa Beata remansit tota sordida in suis pannis & in corpore, tantùm horribiliter quòd ipsamet non poterat explicare, & pluries suos pannos lauando diligenter non poterat eos tantùm abstergere, quòd ille pessimus fœtor abstraheretur, & sic semper remansit: qua ex re semper magnum

fœtidissimi cadaueris sordibus eã inuoluit.

A num habebat laborem, tali modo quòd si primò obtinebat infectionem stomachi, post hanc horrendam operationem eius stomachus fuit ampliùs deuastatus: imò illâ diabolicâ operatione efficiebatur, quòd quando ipsa comedebat, ille fœtor in eius incidebat memoriam, & sic magno cum labore comedere poterat illud modicum & modicæ æstimationis, quòd ad sui corporis sustentationem recipiebat *f*: post cuius belli laborem ex hominibus vitiosis per eam visis maximam sustinebat pœnam, & maiores ex vno quàm ex altero patiebatur angustias, secundùm quod magis & minùs inclinati & sordidati erant in vitio carnali: & sic de mulieribus infectis in tali vitio & in peccatis mortalibus existentibus, iuxta maiorem grauedinem ipsius peccati.

quid exinde passa sit?

f

5 Cùm quodam semel *g* ipsa Beata nocturno tempore se daret orationibus & sanctis meditationibus in suâ camerâ, generis humani hostis inuidiâ motus accessit ad eam in suam cameram in formâ hominis, & recepit ipsam, & posuit in vnâ tabulâ, quæ supposita erat vni armario. Et erat tabula *h* subtilis multùm, in quâ existens nesciebat quomodò posset ab eâ descendere, & se totam Deo remittebat: & dictus malignus spiritus coram ipsâ stabat eam deridendo & deludendo *i*. Magno itaque tempore sic illa Beata permanens, B mente sursum eleuatâ, eam firmam in Domino habens, se inuenit in terrâ positam, nesciens in quo modo: sed totum attribuens diuinæ potentiæ, non modicùm stetit admirata.

g Orantem è loco rapit dæmon.

h

i

6 Aliâ vice, cùm hæc Christi famula vacaret orationibus & sanctis meditationibus, accessit ad eam malignus spiritus magnâ cum rabie, & dixit ei: Ego faciam cadere Vannotiam tuam cognatam per tuum despectum. Quem ipsa Beata despiciens, ille nequam recessit: vnde cùm quadam die Christi ancilla vellet accedere ad dedicatoriam *k* Ecclesiarum Petri & Pauli vnà cum dictâ suâ cognatâ in aurorâ diei, ipsa Vannotia ex improuiso cecidit per scalas domus, tam terribiliter quòd difficilè crederetur: ex quo casu fuit eius corpus totaliter conquassatum à capite vsque ad pedes. Sed Dei ancilla illicò remedium sibi apposuit; per quod diuinâ gratiâ & eius meritis statim fuit sanata. Et ille humani generis inimicus dixit huic Beatæ, quòd tali modo suam cognatam proiecerat per scalas, quòd debuisset illicò mori: sed quidam Angelus eam voluit: & non cecidit eo modo, quo ipse eam proiecerat.

Cognatam eius è scalis deijcit:

k

C 7 Cùm multas hæc Dei famula ab ipso humani generis inimico, [pateretur iniurias] quodam semel *l* eum interrogauit: O miser, quare non reuerteris ad diuinam misericordiam, & cur de tuâ obstinatione non doles? Ipse verò inimicus ei respondit: Quòd ipse Deus deberet quærere indulgentiam ab eo, quòd maximam ei intulit iniuriam, & de cælo eum iniuriosè pepulit. Et ipsi Beatæ dicenti, quòd hoc fuerat propter ipsius dæmonis superbiam, dæmon respondit: Dic mihi quid est hoc dictum, quòd *m* pecudes stabunt ad dextram manum, & hœdi ad sinistram. Quibus verbis ipsa respondit, quòd per hœdos intelliguntur reprobi, & superbi peccatores suis meritis damnandi, sicut & tu: & per pecudes intelliguntur humiles & obedientes Dei præceptis, qui se non diuidunt nec separant à diuina voluntate *n*. Quibus auditis confusus dæmon disparuit.

l obstinationem suam in malum declarat,

m

n

8 Cùm semel *o* B. Francisca esset anxia, cupiens stare in solitudine sicut semper desiderabat, vt meliùs posset vacare orationibus & contemplationibus summi Bonis iuit de die & intrauit suam cellam, & vt quietiùs permaneret, clausit ostium, sicut solita erat facere. Et cùm se dedisset orationi, malignus hostis ad eam venit in formâ sui Patris spiritualis cum calamo & chartâ & attramento ad scribendum, & sedens prope ipsam ei dixit: Volo scribere illas maximas visiones & reuelationes, quas Deus tibi ostendit. Item sibi dixit, quòd ipsa addisceret scribere, vt possit magnos componere libros ex tot & tantis diuinis visionibus. Ipsa verò cognoscens diabolicam fallaciam, quòd hæc verba dicebat ipse ad hoc, vt se extolleret in vanâ gloriâ, nihil de suis dictis curans, imò de eis faciendo ludum, dixit dæmoni: O miser, tu non es Pater meus spiritualis, sed es dolosus & deceptiuus dæmon. Et ipse inimicus respondit: Quomodò mala potes dicere de tuo Patre spirituali? Considera quòd sum Minister Dei, & cum meis manibus teneo sanctissimum Sacramentum, & ad hoc veni vt scriberem res profundissimas tibi ostensas, vt quando (quia mortalis es) morieris, possim prædicare & annuntiare mirabiles res à Deo tibi manifestatas. Tunc ancilla Christi eidem maligno hosti sic respondit: O miserrime spiritus & à Deo abiecte, istas res diuinas dic tu, qui eas vidisti, quando fuisti in cælo, quas per tuam superbiam perdidisti & es priuatus eisdem. Videns verò malignus spiritus, quòd ab ipsâ Beatâ erat vilipensus, vt ei magnam faceret displicentiam, mutauit primam formam ab eo susceptam, ostendendo se maximum & terribilem draconem cum intolerabili fœtore, & recepit istam Beatam, rabiosè eam allidendo parietibus per aliquod spatium temporis, & iterùm projiciendo superiùs: tandem ipsa se vidit positam, Dei gratiâ hoc operante, in solario domus gratiosissimè, & tunc illi maligno spiritui animosè & constanter dixit: Non est mihi curæ quidquid mihi fecisti, & si plura potes facere contra me, & plura inferre tormenta, fac etiam: nam ego nullius pretij te reputo. Quibus auditis, discessit confusus malignus spiritus, & per aliquod stetit spatium: deinde reuersus in formâ hominis tenens vnum spiculum acutissimum in manibus, dicebat isti Beatæ: Te, & tuum filium occidere volo, & vt maiorem patiaris dolorem, primò tuum filium occidam, deinde te. Beata verò ancilla Christi sibi respondit: Nihil agere poteris, nisi quod tibi à Deo permissum est, ideò age quod peius poteris. Tunc ille generis humani inimicus proiecit contra illâ spiculum: ipsa verò viriliter illud recepit, & extraxit ferrum ex hastâ; quod quidem ferrum erat in longitudine duorum palmorum: & suis manibus illud tenens, erat ferrum illud simile vni chartæ debilissimæ. Et quia ipsa steterat ab horâ sextâ vsque ad horam vespertinam in tali conflictu in prædictâ cellâ, vna ex eius in Christo Filiabus, cognomine Rita ipsam vocauit, & tunc iniquus hostis citò disparuit, sicut semper faciebat, quando ipsa erat vocata.

o apparet in personâ Patris spiritualis, quasi eius reuelationes scripturus:

D *AVCTORE IO. MATIOTTI.*

reiectus, vertitur in formam draconis:

E

deinde in formâ humanâ hastam, velut occisurus, intorquet.

F 9 Quadam aliâ vice *p* noctis tempore, cùm staret Christi ancilla in suâ cellulâ, & eius maritus infirmaretur, volens ipsa recipere aliquas res necessarias ipsi infirmo, inuenit in salâ spiritum malignum terribilem: & cum suis manibus recepit ipsam, & asportauit vsque ad quoddam *q* logium, ostendens illam velle proijcere in vno puteo, stante sub dicto logio. Ipsa verò in Domino confidens, semper inuocando & clamando: O mi Iesu Christe (id quod semper vtebatur in similibus oppressionibus maximè dicere) se inuenit, Dei gratiâ operante, positam in dicto logio: nesciebat tamen quomodò aut qualiter: & volens reuerti in cameram, inuenit ostium clausum, & mirabatur quomodò intrauerat vbi portata fuerat: intellexit tamen, quòd malignus spiritus ipsam portauerat per fenestram positam in dicto logio; quæ quidem fenestra erat clausa, sed non postibus conclusa. Reuersa verò in suam cameram inuenit suum maritum satis laborantem, & conquerentem quòd tanto spatio temporis illam vocauerat, & noluerat venire. Sed ipsa tale secretum manifestare nolens, se quòd meliùs potuit humiliter excusauit, dicens, non fuisse suam culpam. Et quia ille iniquus hostis magnâ cum iracundiâ receperat ipsam, in illâ parte corporis, in quâ ipsam receperat, remansit dolor maximus.

p Violentè abreptam in puteum minatur deijcere.

q

10 Alio semel, existens Christi famula in suâ camerâ

A merâ nocturno tempore in sanctis meditationibus, vt sui moris erat, cùm eius maritus loqueretur de rebus mundanis, putà de gubernatione boum, bubalorum, pecudum, & aliorum animalium (quòd quidem loqui ipsi Beatæ erat tædium numquàm excogitabile) vt quietiùs suis contemplationibus vacaret, intrauit coquinam, in quâ tali horâ nemo erat: sed erat ibi copia illorum carbonum ardentium, qui remanserant ex apparatu cœnæ. Ipsa verò genuflexa, vt sui moris erat, quando stabat sola, habens mentem eleuatam ad summum bonum, malignus spiritus per inuidiam cruciatus eam recepit & tenuit suspensam super dictos carbones per certum temporis spatium. Ipsa verò in Domino confisa, & semper inuocando Iesum, sicut solita erat semper facere in talibus oppressionibus, se inuenit gratiosè positâ in solario domus & per diuinam potentiâ liberatam: licèt tamen repererat digitos suorum pedum aliquantulùm combustos ab illis carbonibus.

AVCTORE IO. MATIOTTI. Supra ardentes carbones comburendam suspendit.

11 Quadam aliâ vice, dum ista Deo deuota audiret Missam in ecclesiâ S. Ceciliæ *r*, Missâ finitâ cùm ipsa remansisset ibidem, vidit supra altare malignum spiritum, acsi staret ad aliquid custodiendum: & ipsa sic existens non sine aliquâ admiratione vidit quemdâ hominem venientem, qui super suum collum alium gerebat dæmonem, à quo ipse homo possidebatur. Et B miser ille homo accessit ad dictum altare, & subtus dicti altaris *s* tobaleam aliquid imponebat. Quod videns Dei famula, sibi dixit: Quid ibi agis? Et ille miser sibi respondit: Noli tibi dare tot impedimenta. Intellexit tunc illa Beata, quòd ille miser homo aliquid posuerat, quod stare debebat quando Missa celebrabatur, sicut consuetum est fieri per istos veneficos vel veneficas.

r Adducit obram eâ sacrilegum ad altare.

s

12 Quodam alio semel *t*, dum Christi ancilla transiret per illam viam in regione Transtiberis, quæ vulgò dicitur Curia Iudæorum, prope palatium S. Ceciliæ, vidit octo malignos spiritus existentes in vnâ domo in fronte ipsius palatij. Et nimiùm ex hâc visione admirata, scire desiderans quâ de caussâ illi dæmones in prædictâ habitarent domo, audiuit vnam vocem ex ipsis dæmonibus procedentem atque dicentem: Nos sumus hîc ad dandam molestiam istis Religiosis manentibus in hac domo, ex quo stant hîc ad laudandum Deum: & illi Religiosi *u* tunc stabant in illo palatio propter guerram, quæ erat inter Principem *x* & Papam. Post aliquos dies iterùm transiens hæc Beata per dictam viam, vidit etiam in dictâ domo prædictos spiritus malignos, qui magnam vltra modum faciebant C lætitiam. De quo iterùm admirata vnam ex vicinis interrogauit, si in eodem loco aliquid mali ageretur: & dicentibus vicinis, quòd in eodem loco erant duæ meretrices, ad quarum visitationem multi inhonesti iuuenes accedebant, ipsa non potens tantam offensam Creatoris pati, misit ad dicendum patronæ illius domus, in quâ committebantur tot peccata, quòd non vellet tantam abominationem in suâ domo fieri, & ad eius instantiam fuerunt expulsæ illæ miseræ muliercuIæ ex dictâ habitatione.

t S. Francisca videt dæmones Religiosis infestos,

u

x & in lupanari exultabundos.

a *Hanc vocem vernaculæ omnes ex Latinâ lingua cum Germanis communem habent, & atrium quidem seu capacius cœnaculum ordinariè significat; in legibus tamen Alemannicis & Longobardicis apud Vossium videtur aliquando vniuersim pro domo accipi.* — Sala.

b *Narrantur hæc ab Anguillariâ lib. 1 cap. 5: & cap. 10 & 11 quædam ex sequentibus vexationibus: ceteras ferè distulit in librum 2. in quo seorsim habet singula ferè certamina eodem, quo hic ordine referuntur, distributa per capita 37: hic autem recensentur conflictus 45, quos in quatuor digerimus capita, numeros originales in margine retinentes.*

c *Franci* tresse, *Hispani* trença *capillos nominant muliebres, præsertim implexos aut colligatos.* — Treccia.

d *Ita legit Anguillaria, & hodie nomen extinctum innuit: apographum nostrum ambiguè habebat* Mezolanam.

e Quia grauida erat, *inquit eadem Anguillaria.*

f *Addit Anguillaria, quòd hinc vincenda naturæ suæ occasionem captans Sancta, curauit humani cranij dimidiam partem obtinere, ex quâ aliquamdiu biberit: donec rem abominata Vannotia abiecit caluariam, nihil ipsâ contradicere ausâ.* — D — *S. Franciscæ vitium caluariâ pro scypho.*

g Anno 1430 mense Septembri, *inquit eadem lib. 2 cap. 2.*

h Angustam *vertit eadem Anguillaria.*

i *Addit eadem, quòd* maritus alio in lecto infirmus sæpè ipsam inclamarit: quem ipsa audiuit quidem, sed (quia absque periculo lapsus mouere se nequibat) dissimulauit quasi non audiret: vnde eam dormire credens: Quàm fortiter, inquit, ea dormit, quæ ad tantos meos clamores non expergiscitur.

k *Celebratur ea 18 die Nouembris.*

l Eodem anno, *inquit Anguillaria, quo conflictum numeri 5 retulit, videlicet* 1430.

m *Id est, oues ex vsu vernaculæ Italicæ.*

n Replicauit dæmon, *addit Anguillaria*: Dic mihi, numquid dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: cùm igitur vos fecerit ad similitudinem suam, quare me repulit & iniuriam intulit, propterea quòd similis sibi esse voluerim? Cui respondit Beata, quòd meritò id ei acciderat, qui præ superbiâ arrogare sibi voluerat quod non erat, & velut alius Deus omnino à nemine dependere.

o Mense Nouembri anni 1430, *inquit eadem, quæ hactenus.*

p Mense Maio anni 1431 *iuxta eamdem.*

q *Italis* Loggia, *Francis* Loge: *significat autem locum vndique aut ex vno saltem latere patentem aëri, quandoque tectum, quandoque subdialem: quales sunt porticus, exedræ & peristylia domorum principalium.* — Logium.

r Ad altare S. Brigidæ, *inquit Anguillaria.* — E

s *Rubricæ generales Missalis Romani § 20 decernunt, vt* altare operiatur tribus mappis seu tobalijs mundis. *Italis* touaglia, *Hispanis* touaja, *Francis* Toüaille *omnia à Teutonico* dwale *in plures syllabas distracto.* — Tobalia.

t *Mense Iulio anni 1431, inquit Anguillaria.*

u Benedictini, *vt ait eadem, fortè Casino profugi.*

x *Salernitanum, videlicet Antonium Columnam & ceteros Columnensis familiæ, aduersus quos Eugenium Papam IV æmuli concitarant: vnde grauia Vrbi vicinisque locis damna illata.*

CAPVT II.

Crudelia verbera Sanctæ inflicta: minæ contemptæ: tentationes dæmonum eidem reuelatæ.

13 QVodam alio semel *a*, dum Dei famula existeret in suâ camerâ & in suo paruo lectulo noctis tempore in suâ meditatione, duo maligni spiritus ducti inuidiâ in formâ Æthiopum hominum, magnâ cum rabie & iracundiâ ipsam cum neruis animalium accerbissimè percusserunt. Et quamuis pluribus alijs vicibus eam cum prædictis neruis percussissent, tamen hac vice crudeliùs percusserunt eam, & quantò pluribus vicibus inuocabat nomen sui Iesu more solito, tantò acerbiùs ipsi dæmones eam percutiebant, dicentes: Inuoca nunc istum tuum Iesum. Et ludentes eam percusserunt cum magnâ rabie, plures & maiores accumulando ictus: sed ista Beata mirabili constantiâ in Domino confidens, nomen sui Iesu continuò inuocabat. Et postquàm ipsam, vt dictum est, multùm percusserunt, volebant eam suffocare; & cum tantâ rabie eam oppresserunt, quòd quasi corporaliter deficiebat, licèt in suo spiritu esset constans & firma: vnde accidit quòd ipsi Beatæ existenti in tantâ angustiâ & oppressione, gloriosus Angelus sibi domesticus modicùm concutiens caput, fugauit dæmones. Stetit tamen Christi ancilla in tanto labore per magnum spatium: tandem remansit nimiùm afflicta in suo corpore de dictis flagellationibus. Dicebant etiam illi maligni spiritus huic Christi ancillæ: Nos ordinamus facere multa & magna mala in hac ciuitate propter istam guerram, quæ est inter Principem & Papam: & multæ & plures animæ descendunt in infernum, quia iam nos sic ordinauimus, & quotidie ordinamus, si Deus tuus in hac ordinatione nos non impedit. Tunc ipsâ Beata eis respondit: O miserrimi quantùm estis viles &

a Neruis crudelissimè flagellata, — F — *liberatur ab Angelo & insultat dæmonibus.*

A & debiles, nam nihil potestis facere nisi ex permissione diuinâ.

14 Quadam aliâ vice, dum prædicta Beata staret noctis tempore in suâ camerâ in sanctâ meditatione, duo dæmones ipsam percusserunt cum neruis animalium more solito, post hoc terribiliter illam portauerunt ad deambulatorium illius domus, positum supra viam, in quo etiam magnâ cum rabie eam persistenter percusserunt: & sic existenti flagellatæ adfuit alius malignus spiritus in formâ terribilis aspidis, alijs duobus dæmonibus iam inde recedentibus: sed iste in formâ aspidis conabatur sibi proijcere venenum, vt ei magnam faceret displicentiam, sciebat namq; ipsam multùm abhorrere serpentes. Et sic stans laboriosa in conflictu dictæ aspidis, & semper Iesu sui inuocando nomen, in quo confidebat, illi duo, qui recesserant dæmones, reuersi sunt nimiùm furiosi. Vnde dubitans ista Beata, quòd vellent eam proijcere in viam sicut semper tentauerant, clamabat continuò, O mi Iesu: quia in ipso confidebat. Et benignissimus Dominus volens præmium dare suæ dilectæ famulæ, eius spiritum rapi fecit in extasim, & eum duxit cum vnâ luce mirabili in altum.

Iterum à diè flagellata vexatur ab aspide.

15 Quodam alio tempore, postquàm Dei famula
B recepit sanctissimum Sacramentum in dictâ capellâ, fuit rapta in extasim, & vidit mirabiles *b* visiones, & remota à visionibus, reuersa in suis naturalibus, fecit actum mirabilis mutationis: & secundùm quod posteà ipsa dixit suo Patri spirituali, quidam malignus spiritus venit ad eam in formâ Angeli beati, ei dicens: O paupercula, quanta est tua vilitas: nam stetisti in tanto bono in istâ visione, & tuâ miseriâ hoc faciente, inde fuisti amota: & crede mihi (nam ego sum vnus ex illis Angelis, quos tu vidisti in illâ beatificâ visione) potes benè plangere & dolere, quia tua peccata sunt tot & tanta est tua vilitas, quòd te remouerunt ab isto bono tam magno. Ipsa verò hoc videns & cognoscens diabolicam vocem, videns tamen eum transfiguratum in formâ cuiusdam Angeli cum certâ apparenti luce; cùm priùs sederet, quando ille malignus spiritus se sibi præsentauit, subitò surrexit super genua cum mirabili animositate dicendo: O maligne proditor, credis quòd te non cognoscam? Benè video quòd tu es dæmon. Et malignus spiritus videns, quòd ab eâ nullius pretij æstimabatur, clarificauit se in apparentiâ, vt esset pulchrior atque illustrior. Quod Dei ancilla cognoscens eidem dixit: Adhuc persistis in tuâ miseriâ, ô miserrime & tristissime? Quanta est tua vilitas & miseria, miserrime! dic tuam culpam Deo & dole. Recede igitur, recede vilissime. Et alia verba similia: quæ quidem dicebat cum tantâ animositate eidem minando, quòd difficile crederetur. Tandem dæmoni dicenti, quòd ipsa doleret & plangeret sua peccata & suam miseriam, ipsa Beata respondit cantando: Habeo firmam fidem, quæ non potest mihi deficere in meo Creatore, qui me redemit: gratias sibi reddo de tantâ pietate, qui mihi dedit victoriam istius crudelis belli. Postmodùm dicebat suo Patri spirituali & suæ in Christo filiæ Ritæ: Laudetis meum Dominum, qui me ab his pœnis liberauit. Postquàm verò recessit malignus spiritus confusus, ancilla Christi remansit cum magno dolore & angustiâ, propter magnam mutationem quam habuit in diabolicâ visione, & eius facies erat terribiliter mutata. De quo suus Pater spiritualis admiratus ipsam interrogauit, in quâ formâ ille malignus spiritus ab eâ discessit: respondit, quòd recepit formam vnius *c* simiæ, & recessit cum magnâ confusione.

b

Post extasim apparenti in Angelicâ formâ dæmoni,

generosè insultat,

C

& confusum agit in fugam.

c

16 Quodam alio semel, Dei ancilla nocturno tempore existens in suâ camerâ, ad eam venerunt duo maligni spiritus in formâ humanâ, & ipsam receperunt & portauerunt in salam, & eidem minantes dicebant: Ex quo non curas de tormentis per nos tibi illatis, sæuissimè flagellabimus illos, quos tu diligis. Ipsa verò videns tribulationes, quas ipsi maligni spiritus ordinabant, plenissimè in Domino confidens, eis dicebat in medio salæ genuflexa in oratione: Vos nihil facere poteritis, eo excepto quod benigna Dei dispensatio permittet. Post hæc venit vnus alter diabolus in formâ leonis terribilis, & insimul cum alijs duobus existentibus in formâ hominis pugnando tantùm fecerunt, quòd quidam familiaris ipsius domus, qui vocabatur Ioannes *d* paruulus, existens in illâ aliâ camerâ prope dictam salam, hoc audiens surrexit de lecto. Quod videntes dicti dæmones recesserunt, & ipsa Christi ancilla, ne à prædicto familiari videretur quòd adhuc erat genuflexa, dixit familiari, ne auderet in dictam salam venire, reddendo gratias summo Deo, sicut solita erat semper facere post diabolicas visiones.

Minas eius animosè contemnit.

D

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

d

17 Accidit, quòd vnâ dierum *e* eius Pater spiritualis, cùm magnam pateretur displicentiam iracundiæ contra vnam aliam personam, & iret ad visitandum Dei ancillam, sicut suprà dictum est; ipsa videns eum turbatum, non ei illam exteriorem reuerentiam exhibuit, quam solita erat exhibere se genuflectendo & benedictionem petendo: sed illicò eo viso intrauit cameram, in quâ per aliquod spatium stetit: à quâ reuersa, statim reuerentiam, quam solebat, ei exhibuit. Eius verò Pater spiritualis nimis admirans, quòd primò eo viso non fecit reuerentiam, quam posteà fecit, ipsam per obedientiam interrogauit de rei occasione. Cui ipsa humiliter respondit, quòd viderat vnum malignum spiritum, qui veniebat ante ipsum, & eum de iracundiâ molestabat, & ideò accessit ad orationem, vt liberaretur à tali passione; ex quâ per diuinam gratiam eiusque Beatæ orationem sensit se liberatum. Videbat etiam ipse suus Pater spiritualis, quòd ipsa Beata præuidebat modos tentationis, quos maligni spiritus ipsi Patri spirituali persuadebant, non solùm cùm Romæ staret, sed etiam cùm longinquus à Româ existeret. Ipsa verò Christi ancilla comprehendebat omnes tentationis modos, quos videbat ab ipsis dæmonibus teneri, ex quibus maximum laborem recipiebat; dubitans, ne incideret in temerarium iudicium contra proximum propter diabolicam fallaciam. Et non solùm hoc in suo Patre spirituali præuidebat, sed etiam in alijs personis præuidebat, & intelligebat multas & varias tentationes.

e

Confessarium ab iracundiâ spiritu liberat:

E

eius & aliorum tentationes cognoscit.

18 Quodam alio semel, nocturno tempore Dei famula existens in superiori cellulâ suæ domus, venerunt ad eam quatuor maligni spiritus in humanâ formâ, cui etiam fecerunt maximam reuerentiam cum genuflexionibus & signis & modis maximæ humilitatis, dicentes ei, quòd ipsi ampliùs resistere non poterant eius sanctitati & mirabili constantiæ, & quilibet eorum ponebat suum caput in gremio ipsius Beatæ. Et hos modos & hæc verba porrigebant, vt ipsa caderet in vitium vana gloriæ: sed Christi famula intelligens ipsorum malignitatem, & contemnens eorum reuerentiam, percutiebat eorum capita cum suis manibus, dum sic stabant in suo gremio, & ipsi Beatæ apparebat percutere aërem: & sic permansit in illâ molestiâ per certum temporis spatium, & ipsi maligni spiritus disparuerunt.

Ad vanam gloriam prouocantibus illudit:

F

19 Quodam alio tempore, postquàm ista Deo deuota in dictâ capellâ recepit sanctissimum Sacramentum, more solito rapta fuit in extasim, in quâ vidit visiones beatificas *f*: à quibus separata, in suis reuersa fuit naturalibus. Et quidam malignus spiritus ad eam accessit imputando ei, quòd se communicauerat in peccato mortali. Ipsa verò viriliter & animosè existens genuflexa respondit eidem: Quare venis, vt mihi des impedimentum? Tu mentiris, sicut solitus es. Deinde adiecit ter: O Domine saluam me fac. Deinde dixit: Ego confitebor, sed tu non dicis verum. Ex quo prædictus malignus hostis, qui venerat in suâ formâ horribili, secundùm quod Deo placuit, confusus, miser,

refellit obijcientem quòd in peccato mortali communicarit:

f

Avctore Io. Matiotti.

A m iser & tristis recessit; cùm adhuc ipsa Beata permaneret priuata visu corporali propter diuinam lucem, quam habuerat in illâ visione beatificâ, sicut semper ei accidebat: nam etsi reuersa esset ad naturalem sensum, tamen stabat vna vel duabus, vel tribus, vel pluribus horis, quibus non videbat visu corporali g.

à dæmonibus raptatur in latrinam proijcienda,

20 Quodam alio tempore h, dum ancilla Christi staret in suâ cellâ, & se daret orationibus & sacris meditationibus, vt sui moris erat, & aliquos libros rerum spiritualium secum haberet vt in eis legeret; humani generis inimicus ad eam accessit in formâ scimiæ voluens & reuoluens illas chartas illius libri, vt ipsi Beatæ magnum inferret despectum. Ipsa verò intelligens suam malignitatem, & nullius reputans pretij, præstò affuit vnus alius inimicus in formâ leonis cùm priori grauiter pugnans, quos ambos ipsa Beata despiciebat. Ipsi verò maligni spiritus eam recipientes raptauerunt per cellulam, & eam portauerunt vsque ad locum necessarium; volentes eam proijcere in illo horribili fœtore. Ipsa verò in Domino confisa clamabat: O mi Iesu, mihi subueni. Dæmones verò ipsam tenebant super dictum locum fœtentem, vt eam intùs proijcerent, sed gloriosus Archangelus, de quo suprà dictum est, facto solito signo cum capite, sicut in ta-
B libus necessitatibus erat solitus agere, ipsi maligni spiritus recesserunt, dimissâ ipsâ Beatâ super illum locũ: & sic ipsa viriliter ipsos malignos spiritus contemnendo, reuertebatur in suam cellam. In quâ cùm se daret orationi, reuersi sunt illi duo maligni spiritus in formâ humanâ, habentes magni ponderis malleos in manibus: quos erigentes & prædictam Beatam percutere volentes, prædictus Archangelus facto signo consueto cum capite, maligni spiritus recesserunt confusi, ipsa Beatâ remanente constante in Domino. Post quem conflictum volens Dominus præmium dare suæ ancillæ, misit sibi vnam mirabilem lucem, in qua existens in extasi vidit beatificam visionem.

& terretur malleu:

fatetur Confessario,

21 Quodam alio tempore, cùm eius Pater spiritualis ipsam Beatam interrogaret per obedientiam de modis malignorum spirituum, respondit, quòd sæpè malignus spiritus ad eam veniebat in formâ hominis, & multùm conquerebatur & dolebat quòd tam viriliter eius tentationibus resistebat. Et hoc faciebat vt ipsam extolleret in aliquam speciem arrogantiæ, sed Dei gratiâ prouidente, inde confusionem reportabat. Tandem eius Pater spiritualis auidus scire modos illorum malignorum spirituum, ipsam strictiùs per obedientiam interrogans, ei respondit, qualiter ipsa videbat illum iniquum Angelum, cuilibet homini datum ad sui exercitium; videbat etiam de quo vitio ipse dæmon tentabat personas, & quantùm ipsas superabat: cuius
C rei causâ ipsa Beata magnam patiebatur angustiam & tormentum, timens ne incideret in falsum iudicium contra proximum. Et videbat suis oculis corporalibus alios malitiosos spiritus, qui veniebant ad molestandum bonas personas existentes in statu gratiæ. Dixit insuper, quòd sunt tot & tam varij & subtiles modi tentationum de dæmonibus, quibus tentant personas, quòd non mirabatur de superatis personis, sed potiùs de his, qui euadere poterant, admirabatur. Et ideò sæpiùs mouebatur ad compassionem animarum, quæ se submittebant dæmonibus, & pro eis orabat zelo caritatis. Vnde sæpè malignus spiritus dolens eidem Beatæ dicebat: quòd maiorem cruciatum ipse sentiebat, quando ipsa videns proximum consentientem tentationibus ipsum non iudicabat, & ei compatiebatur, & pro ipso orabat; quàm ipsa sentiebat de flagellationibus, quas ipsi dæmones ei inferebant. Cognoscebat prætereà ista Christi famula dæmones ad eam venientes, à quo choro deciderant. Has verò quæstiones ipsa Beata pluribus vicibus interrogata à suo Patre spirituali non existens in suis naturalibus, sed

reueldrisil i qui homines & quomodo tentarentur à dæmone:

adhuc existens in extasi, secundùm quòd Deo placebat, reuelauit. D

Os cepe confricatur,

22 Quadam nocte, ancillæ Christi existenti in suâ camerâ sacris meditationibus & orationibus deditæ, suo more adfuit malignus spiritus in formâ hominis, & secum portauit vnum magnum cepe: quia sciebat, quòd cibus iste erat eidem Beatæ contrarius, propter læsionem stomachi: quod benè contritum sibi ducebat per faciem pluribus vicibus, & residuum illius cepe ponebat in ipsius Beatæ ore. Post verò hanc molestationem recessit, ipsa verò lætâ facie reuersa est ad orationem, in quâ per certum spatium stetit. Demùm reuersus est ille malignus spiritus in formâ Angeli cum fictâ luce, & alter etiam diabolus in simili formâ venit, & loquentes insimul dicebant: Altus dat Franciscæ multas gratias, & sibi reposuit maximam consolationem: O quantum bonum est illud, quod sibi reposuit! & plura similia dicebant verba. Ipsa autem cognoscens eorum malignitatem, dixit: Verum est, quod Dominus Deus mihi dedit & dat tot & tanta bona suâ bonitate, si ego ero humilis: sed vos, ô tristes, miseri & superbi, qui non estis humiles, & tot bona perdidistis: ô miseri! quid dicitis solùmmodò, Altus dedit? ô dolentes & iniquissimi, dicatis: Altus Dominus Deus dedit, qui est Dominus Vniuersi, & E
vobis inuitis, est Dominus vester. Quibus verbis alto sono prolatis, eius maritus, qui in eadem camerâ, etsi non in eodem lecto iacebat, expergefactus est, & credens quòd ipsa loqueretur in somnis, eam vocauit. Tum illi maligni spiritus discesserunt.

& superbiam dæmoni exprobat:

eum in lupum ex agno versum sustinet.

23 Quadam nocte Christi famulæ existenti in suâ camerâ sacris meditationibus deditæ, malignus hostis suæ felici menti inuidians, apparuit ei in formâ cuiusdam mansuetissimæ pecudis, & magnâ cum reuerentiâ & signo humilitatis huius Beatæ pedibus se submisit: & faciebat hoc, vt prædictam Beatam faceret superbire, & in arrogantiam se extollere. Ista verò cognoscens tantam malignitatem & eam contemnens, prædictus spiritus maximâ cum displicentiâ mutauit formam pecudis in formam lupi nimiùm ferocissimi, qui ore aperto cum igne incentiuo & magno cum insultu approximabat se ipsi Beatæ, vt eam posset deuorare. Sed ipsa, quamuis magnam angustiam ab illâ ardenti flammâ, quæ ex ore ipsius lupi procedebat, pateretur, & quasi corporaliter deficeret, tamen confisa in diuini Sponsi misericordiâ, semper stetit constans in suo spiritu: & tunc gloriosus Archangelus fecit actum cum capite, & subitò ille malignus hostis disparuit i.

F
a Eodem anno & mense, *scilicet Iulio anni* 1431, *inquit Anguillaria: quæ vexationes quoque referendas infra num.* 14. 15, *& 16 ad idem tempus collocat.*

b *Eas videlicet, quæ in ordine Visionum octauo loco referuntur, in die* S. *Mariæ Magdalenæ* 22 *Iulij.*

c *Ita* Simiam *nominant Itali, Hispani* Ximiam: *videntur etiam veteres Teutones pro* simme, scimme *dixisse, vnde Gandensibus vsitatum diminutiuum* schimminkel. Scimia.

d Miccinellus *Anguillaria, diminutiuum ab Italico* miccino *paruo, quod ipsum ab eodem fonte fluxisse videtur, vnde veteres Latini* micam *habuerunt.* Miccinellus.

e In mense Augusti eiusdem anni *iuxta Anguillariam, quæ ad eumdem mensem spectare asseris etiam duas sequentes tentationes.*

f *Huius mensis visiones quinque habuimus lib.* 2 *à num.* 18 *ad* 30, *videtur autem aliqua ex vltimis significari.*

g *Addit Anguillaria, quòd* assurgens regressura domum, vidit quemdam in ecclesiâ dormientem, & dæmonem libidinis flammas ei per somnium suggerentem: monuit autem Confessarium, vt sopitum excitaret ne tali molestiâ diutiùs vexaretur: quod & fecerit. *S. Francisca cognoscit occultam tentationem.*

h In mense Septembri, *vt eadem habet: eodem spectat conflictus* 22.

i Factum hoc, *inquit Anguillaria,* mense Octobri.

CAPVT

A

CAPVT III.

Aliæ dæmonum vexationes superatæ.

24 QVadam aliâ vice, cùm Christi famula noctis tempore staret in suâ camerâ in sacris meditationibus, vt sui moris erat, duo maligni spiritus inuidiâ moti in formâ humanâ venientes, ipsam receperũt, vt eam ponerent super quoddam armarium, in quo iam eam aliàs posuerant. Et postquàm eam eleuauerunt in altum, ex eorum maxima iniquitate dimiserunt ipsam in terram cadere: & ob sonum magnæ ipsius ruinæ ad terram, ipsius maritus (qui in eadem camerâ, sed non in eodem lecto iacebat) satis stupefactus & experrectus ipsam proprio nomine vocauit. Sed ipsa post casum suæ ruinæ genuflexa cum magnâ constantiâ, non volens huiusmodi res manifestas esse suo marito, sibi planè respondit. Postquàm verò prædicti maligni spiritus recesserunt, ipsi Beatæ in oratione existenti suus maritus dixit, quòd audiuerat maximam ruinam & rumorem summum, & sibi apparebat quòd maxima esset domus ruina *a*.

Sublata à dæmonibus graui casu in terram allidiur:

B

25 Cùm quodam semel intrasset hæc Dei famula suam cellulam horâ ferè Completorij, secum ferens certos libros dictorum spiritualium, vt quietiùs in eis legeret, sic genuflexa posuit illos libros in terrâ; & subitò veniens vnus malignus fremens spiritus in humana forma, maxima cum terribilitate illi minatus est: ipsa verò eum contemnens omnes illius actus prò nihilo reputauit. Tunc venerunt duo alij maligni spiritus in eadem forma, sed stabant extra cellam: & primus malignus spiritus, qui intùs stabat, recepit prædictos libros, & proiecit ad illos duos, qui foris stabant; qui duo magnâ cum iracundiâ voluebant & reuoluebant illorum librorum chartas, & proiiciebant huc atque illuc per salam, quæ erat ante prædictam cellam, ipsos libros extrahendo de quaternis, & proiiciendo illos dispersos: & intrauerunt prædictam cellam magno cũ terrore, & ipsam Beatam receperunt per pedes, & magno cum vilipendio extraxerunt de cellulâ raptando, & calces sibi imprimendo ipsam terribiliter reuoluentes: & ad maiorem vilipensionem ipsius in quodam cumulo cinerum, qui erant in ipsâ salâ cum ipsorum pedibus eam submiserunt: & ad maiorem iniuriam eidem faciendam recipientes de illis cineribus in ipsius ore ponebant. Ipsa autem Christi famula in suo firma & constans spiritu continuè clamabat: O mi Iesu succurre; sicut solita erat facere in similibus. Et volentes illi miseri satisfacere suis peruersis iniquitatibus, cum neruis animalium ipsam cum magnâ iracundiâ percutiebant, ita terribiliter quòd ipsa Beata dubitabat, ne percussiones audirentur ab alijs personis. Et talia tormenta eidem inflicta durauerunt per tres horas, ipsâ semper dicente: Mi Iesu succurre. Illi verò dæmones ipsam sic suppeditando & percutiendo dicebant: Nobis data est potestas in præsens, vt possimus te percutere, & de te magnum vilipendium facere, & sic dicentes ampliùs eam *b* tormentabant. Accidit, quod duabus horis illius noctis iam transactis, quædam ipsius Beatæ in Christo filia, nomine Rita, non sine admiratione, volens ipsam clamare de camerâ, ascendendo scalas, audiuit percussiones, quæ sibi à malignis spiritibus sæpissimè & acerbissimè dabantur: & benè considerans id, quod erat, proximiùs appropinquabat: & inuenit ostium clausum sicut illius Beatæ moris erat, vt secretiùs & quietiùs in suâ camerâ Deum exoraret. Et subsistens prædicta Rita ad consultiùs auscultandam, quæ in camerâ illius agebantur, audiebat maximas percussiones eidem inflictas, & ipsam planè submissâ voce dicentem: Mi Iesu succurre. Ipsa verò Rita vocans ipsam Beatam, vt ei aperiret ostium, magno cum labore respondebat: Laudetur Deus, non possum tibi aperire.

Aspersis libris spiritualibus,

ipsam cineribus oppleant dæmones,

C

& crudelibus verberibus totam contundunt

D

Et sic permanens per aliquod spatium, tandem cum multa pœnâ venit ad aperiendum ostium, malignis spiritibus ipsam dimittentibus ad vocem Ritæ, sicut semper faciebant, quando ipsa ab aliquo vocabatur. Ipsa verò Rita ingrediens cameram, & videns ipsam Beatam totaliter afflictam, eidem compatiens, magnam sensit pœnam: quia sicut ipsa Rita dixit eorum Patri spirituali, facies ipsius Beatæ erat intantùm cineribus plena, quòd nullo modo poterat cognosci, nec in eius capite aliquis pannus erat, & tota eius vestis erat cooperta cineribus, & in eius ore adhuc habebat cineres, intantùm quòd eius locutio minimè poterat intelligi vel audiri, & eius corpus erat totum frigidum. Post aliquot verò dies interrogata à suo Patre spirituali de huiusmodi rebus, ipsa Beata respondit, quòd de omnibus tormentis per eam habitis à malignis spiritibus prioribus temporibus, numquàm vel simile vel tantæ vilitatis habuit tormentum, quòd tam fuisset flagellata & afflicta. Insuper dixit ipsa Christi famula, quòd postquã Rita venit ad vocandum eam, & maligni spiritus recesserunt, ipsa fuit malè contenta, & passa fuit magnum laborem, quia voluisset videre finem tanti belli.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

grauiùs quàm aliàs vmquam per horas tres:

26 Quodam alio tempore *c* Christi ancilla, ante duas horas quàm dies illucesceret, existens in coquinâ suæ domus, igne facto, cùm se genuflecteret, vt sui moris erat, ad orandum, & secum haberet certos libros, quidam malignus spiritus in formâ humanâ sibi apparuit valdè terribilis, sibi dans maximam molestiã: & timens ipsa Dei famula, ne prædictos libros ad ignem proijceret, in suo gremio eos tenebat satis strictos. Tunc dæmon retrò traxit ipsam, & fecit eam cadere: post hoc venit vnus alter spiritus malignus in simili formâ, & ambo insimul eam receperunt, volentes eam proijcere ad ignem magnâ cum rabie. Ipsa verò tenens suam mentem fixam in Domino clamabat: Mi Iesu, succurre. Et tunc supradictus gloriosus Archangelus fecit consuetum signum in capite, & subitò illi dæmones disparuerunt.

E

tentant ipsam in ignem conijcere:

27 Quadam alia nocte, cùm Christi ancilla existeret in sua camera mente eleuata in summum bonum venerunt ad eam tres maligni spiritus maxima cum ferocitate, quorum vnus erat in forma leonis alter verò in forma terribilis draconis, & alter in forma terribilissimi serpentis; & quilibet eorum habebat os apertum, linguâ foris existente ardentissimâ, & multùm insultabant ipsi Beatæ. Ipsa verò in suo corpore magnam sentiebat pœnam propter calliditatem & flammam & maximum fœtorem, qui ex eis exibat, & proter omnes istos labores corporaliter deficiens, licèt eius spiritus staret constans & firmus in Domino. Dum in tali molestia staret, prædictus Archangelus sibi domesticus fecit actum inconsuetum, ambulauit namque super caput ipsius Beatæ, tenens quasi actum durabilem, & subitò prædicti dæmones disparuerunt, & prædictus Archangelus se posuit in loco consueto, scilicet ad dexteram partem ipsius Beatæ.

alij tres molestissimi fugantur ab Angelo:

F

28 Quodam alio semel *d* Dei ancilla, dum portaret plures carbones accensos in vno vase, & vellet descendere gradus suæ domus, venerunt ad eam duo maligni spiritus in formâ humanâ, & fecerunt eam cadere supra dictos carbones, & quædam ancilla domus cùm audiret grandem sonum ruinæ, exiuit de loco, in quo faciebat panem, & inuenit ipsam cecidisse supra dictum ignem, quem manibus portabat. Ipsa verò respiciens, vidit aliquos ex his carbonibus cecidisse in locum, in quo certa quantitas *e* hordei erat, & in eundem locum descendit, vt ignem amoueret. Ad quem locum ipsi duo maligni spiritus venerunt & cum magnâ iracundiâ eam receperunt, vt eam submitterent subtus illam quantitatem hordei, quę non modica erat. Et tunc supradictus Archangelus fecit signum consuetum

item duo qui ipsam supra prunas euerterant.

A tum cum capite suo, & sic illi maligni spiritus dispa-ruerunt.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

29 Quadam nocte, dum Christi famula sederet in suo paruo lectulo in sanctis meditationibus, vt sui moris erat, duo maligni spiritus inuidentes mentis suę quieti ad eam venerunt in formâ humanâ, portantes plurima corpora serpentum mortua, cum quibus eam fortiter percutiebant: cuius rei causâ, ipsa habuit plurimum laborem, tum de percussionibus & fœtore, tum etiam quòd ipsa semper abhorrebat videre serpentes, & ideo non solùm quòd reciperet tormenta percussionum ab ipsis malignis spiritibus in suo corpore, sed etiam, quòd reciperet laborem in suo spiritu. Et sic eam percutientes dicebant sibi: Isti serpentes mortui, sunt illæ linguæ, quas tu incidisti. Et hæc verba dicebant, quia illa met die eius maritus fecit pacem cum suis inimicis in vnâ magnâ *f* brigâ, quam habuerant per magnum tempus, ad requisitionem & instantiam ipsius Beatæ: & ad hoc etiam, vt ipsa Beata se extolleret de vanâ gloriâ, attribuendo sibi honorem & non Deo: Cui tentationi superbiæ ipsa mirabiliter restitit, dicendo humiliter cum lacrymis, quòd ipsa erat maxima peccatrix: & si non committebat peccata sceleratissima, hoc non erat suorum meritorum, sed diuinæ bonitatis gratia.

Flagellatur serpentibus ob pacem composit.

B

30 Quadam aliâ nocte Dei famula existens in suo paruo lectulo sacris meditationibus dedita, plures maligni spiritus inuidentes suæ mentis felicitati, venerunt ad eam cum signis sibi persuadentes, quòd volebant de quâdam equâ facere cadere quemdam suum nepotem, scilicet Iacobum Cecchollellum, vt statim moreretur, & cum eis iret insimul ad infernum: nec non in multis alijs *g* despectis ipsi Beatæ dando plures & diuersas angustias. Manè verò facto dum prædictus Iacobus equitaret prædictam equam vt iret ad rus, cecidit de equâ, & remansit in terrâ pede pendente in *h* staffâ, & sic violenter fuit ductus per ipsam equam per maximam partem viæ. Sed benignissimus Dominus, vt illa anima non periret, suâ consuetâ misericordiâ fecit, quòd duo homines obuiarent illi equæ, & illam tenuerunt, ne ampliùs noceret ei. Reuersus verò prædictus Iacobus habebat caput fractum & sanguinolentum, & prædicta Beata suis orationibus eidem Iacobo medelam faciendo præstò fuit sanatus, & remotus à suâ duritiâ. Et dum Dei ancilla iret ad videndū prædictam equam, quia magnam faciebat *i* tempestatem, vidit super eam tres dæmones, vnum super caput, alium super sellam, & alium super *k* crinem: qui omnes tres credebant habere animam dicti Iacobi, quam Deus liberare dignatus est suâ misericordiâ, & orationibus ipsius Beatæ.

liberat à mortu & damnationis periculo nepotem, quem dæmones ex equâ deiecerant.

C

31 Item, dum Dei ancilla quadam nocte *l* esset dedita sanctis orationibus & meditationibus in suo lectulo, antiquus hostis inuidens quieti suæ mentis venit ad eam in formâ hominis siluestris, manu sua baiulans quemdam baculum ac si viator esset, dixitque eidem Beatæ, quod erat Sanctus Onuphrius: Vnde, quia ipsa habebat voluntatem accedere ad loca deserta, eam hortabatur, quòd secum iret, quia iam ipse inuenerat pulcherrimum locum pro eâ. Sed Christi ancilla, videns suam apparentem & fictam lucem & malignantem, sibi respondit: O miserrimè quantum es vilis! qui credis me decipere propter istam miserrimam lucem, & mihi persuades, quòd tecum pergam. Ego volo manere vbi placet meo Domino, & nihil aliud desidero præter id, quod sibi placet: tu verò, vilissime, recede in nomine Iesu Christi Crucifixi benedicti, & vade in abyssum, in quâ est tua habitatio. Tunc dictus hostis iniquus audiendo nomen Iesu sanctissimum subitò cecidit, & suum in terra percussit os, & inde surgens volebat dictam Beatam percutere: sed gratiâ Dei vetante, perficere non potuit.

Dæmonem sub S. Onuphrii specie tentantem pellit.

32 Accidit etiam quòd quadam aliâ nocte, *m* dum Dei ancilla sola staret in suâ camerâ sacris dedita meditationibus, vt sui moris erat, maligni spiritus inuidentes felicitati suæ mentis, quatuor ex eis venerunt ad ipsam in formâ humanâ, & cum maximo terrore, & iniquitate ipsam receperunt, & super quamdam *n* capsam proiecerunt. Sed subitò prædictus Archangelus sibi domesticus, facto signo consueto cum capite, ipsos fugauit. Et ipsa referebat laudes & gratias Domino ponens se in orationibus. Cui iterum adfuerunt prædicti quatuor hostes maligni in humanâ formâ, post quos etiam plures alij venerunt in formâ porcinâ domesticâ cum maximis dentibus stridendo: sed ipsa confidens in suo diuino sponso semper dicebat: Deus in nomine tuo saluam me fac. Tunc prædicti quatuor maligni spiritus magnâ cum iracundiâ & rabie ipsam receperunt, eā suffocare volentes, & sic constringebant gulam eius; postmodum portauerunt eam in altum, vbi erat funis ligatus in vnâ perticâ, volentes eam in dicto fune suspendere. Quod ipsa cognoscens recepit dictum funem, vt prædicti iniqui spiritus non possent eius caput in ipso funereo ponere laqueo. Et dum sic staret, prædicti maligni spiritus ipsam percutiebant cū neruis animalium. Sic verò stans angustiata propter percussiones sibi inflictas & propter improperia & minas, quas ipsi maligni inferebant per non paruum spatium temporis, licet semper firma & constans in Domino, se inuenit suauiter repositam in solario domus, dæmonibus tunc disparentibus. Ipsa verò genuflexa gratias reddidit suo Creatori, vt sui moris erat. Et ecce quatuor alij maligni spiritus ad eam venerunt in formâ humanâ terribiles, quos alij duo comitabantur in formâ leonum, & duo alij in formâ pecorum siluestrium & alij duo in formâ ceruorum, & alij duo in formâ canum: omnes verò ferocissimi stabant coram ipsâ cum magnâ reuerentiâ, & adulatione. Quod ipsa intelligens & contemnens, ipsi se videntes confusos, omnes tamquàm ferocissimi & crudelissimi versùs eam se mouerunt, aliqui eorum ex vnâ parte alij verò ex aliâ ipsam receperunt insimul discrepantes, & ex qualibet ipsorum parte exibat ignis ardentissimus. Et stando sic per magnum temporis spatium in tanto tormento, benignissimus Dominus volens eam consolari, misit illum gloriosum Angelum cum maiori lætitiâ, quàm priùs solebat: super quem vidit vnam inusitatam & diuinam lucem, à quâ luce ipsa Beata fuit cooperta & circumdata: & tunc fuit suauiter reposita in loco, in quo solebat stare in oratione, & vidit altissimum Dominum in suâ sanctissimâ humanitate cum suis sanctissimis & refulgentissimis plagis, & ipsa Christi ancilla stetit reposita super plagam pretiosissimi pectoris Saluatoris, sicut scriptum est supra in visionibus *o*. Perseuerauit autem hæc Beata in dicto conflictu à secundâ horâ noctis quasi vsque ad auroram.

D *Frustra eã conantur strãgulare.*

E *iidem contempti diri sæuiunt:*

ipsa in extasim tollitur.

F

33 Quodam alio tempore, dum Christi ancilla se dedisset sanctis meditationibus in suâ camerâ, septē maligni spiritus, inuidentes eius voluntati cum Deo vnitæ, ad eam accesserunt in formâ pecudum albarum ostendendo eidem magnam mansuetudinem, & signa humilitatis cum aliquâ fictâ & apparenti luce, quam ipsa reputabat tenebras: & audiuit quamdam vocem terribilem ad modum tonitrui, & eidem Beatæ apparebat, quòd vox illa veniebat à dictis dæmonibus: sed nimiùm à longè, quamuis ipsi miseri conarentur pulchram reddere vocem, & vox hæc dicebat: Salue Dei serua, quæ tantùm diligeris à tuo sponso: venimus ad conspectum tuum propter illas virtutes quas tibi Deus concessit: Nos sumus septem dona Spiritus sancti, quę venimus ad tecum permanendum, quia semper agis, quod Deo placitum est, vt te doceamus honorem Dei. O Dei serua, quantùm Deo places! ipse te nimis diligit. Benè potes cōsolari, sed noli despicere illud, quod tibi ipse mittit de suâ societate propter tuam prærogatiuam. Ipse te ducet in suo loco tanti gaudij, vbi sine damno

sub ouinâ specie adulantes spernit:

A damno confortaberis: te crede nobis, & sta firma, & noli dubitare. Ipsa verò Beata eos contemnens imò illudens, audiuit vnam aliam horribilem vocem diabolicam sibi dicentem: Quia non credis ea quæ dicimus, ea quæ cogitas nos faciemus: ex quo bonum tibi datum nescis tenere, dabimus tibi malum, & ipsum tenebis: Tu nescis intelligere talem melodiam, quam dabimus tibi & tuis sensibus: ex quo tibi damnum eueniet, quia nescis complacere: hodierna erit dies, in quâ penitus eris annihilata. Quibus verbis dictis, subitò illi maligni spiritus se mutauerunt in lupos ferocissimos, super eam irruentes cum maximâ rabie & iracundiâ, vt eam deuorarent. Et subitò apparuit supradictus Archangelus faciens consuetum signum cum capite. Quo viso, statim maligni spiritus retrocesserunt, non tamen discesserunt. Tunc illa Deo deuota vidit supradictũ Archãgelũ [emittere] aliam inusitatam diuinam lucẽ, alienam ab illâ luce quam spiritus maligni ostenderant, quando venerunt. Et quia ipsa continuè respiciebat illam veram lucem, indignati illi maligni spiritus, quòd ipse non appretiabat lucem per eos ostensam, vt non posset respicere illam diuinam lucem, ex puluere existente in domo sibi proiecerunt in oculos. Et licèt ex

ergo illi vertuntur in lupos. i

cohibentur ab Angelo,

oculos tamen cinere opplent:

B pulueris proiectione ipsa pateretur laborem, nihilominus videbat lucem existentem supra gloriosum Archangelum, & adhuc etiam malignos spiritus. Cælestis verò sponsus volens consolari suam ancillam, in suis oculis grauem pœnam patientem propter puluerem sibi à dæmonio proiectum, cum suauissimâ voce sibi dici fecit: Valeat tua fides, quæ ex humilitate sic est coronata, quæ eam sic adornauit, & facit animam securam, quæ est benè prouisa, nec permittit se decipi, sed facit eam esse astutam: Valeat prouidentia, quæ te sic ornauit, & sic liberam reddidit, & cum Domino confirmauit: Anima, esto firma, & noli dubitare quin semper sis custodita ab illo qui te amauit. Quibus verbis auditis, prædicti maligni spiritus, tamquàm lupi rapacissimi, mutauerunt formam luporum in formam pecudum, sicut antè venerant: & sic mansueti effecti, voce fictâ dicebant. Anima, noli dubitare, sed cognosce te ipsam, quia ingratitudo est nimis odiosa Domino, nam ipse Dei filius semper fuit gratus suo patri, & semper erat contentus in velle sui patris: ergo quare tu non p contentaris de illo quod tibi datur? Vnde ipsa anima Deo deuota eos contemnens & ipsis illudens, iterum mutauerunt formam in illam luporum ferocissimorum, cum magnâ rabie facientes maximum

sed ipsa à Domino solatium accipit.

p

C strepitum, intantùm quòd videbatur tota domus ruitura, nullam aliam iniuriam nihilominùs eidem Beatæ inferentes.

34 Sequenti verò nocte post supradictum conflictum, malignus spiritus immisit in lecto sui mariti, q & adhuc in r paleariti ipsius Beatæ lectuli tot pulices, quòd stupendum erat, & præsertim cùm anteà nullo modo ibi s steterant, nec postmodùm ibi fuerunt. Ipsa verò abstraxit illa putentia animalia quàm meliùs potuit, posuitque se in lectulo suo in sanctâ meditatione: sed dum suus maritus eam fecisset memorem rerum mundanarum, puta de boum, pecudum, aliorumque animalium gubernatione, eius rei ipsa grande impedimentum habens, quia non poterat habere mentem quietam in suis contemplationibus, recessit à camerâ, & iuit in deambulatorium positum supra viam. Et subitò ad eam venerunt tres maligni spiritus in formâ humanâ, & cum maximâ ferocitate ipsam receperunt, & proiecerunt per dictum ambulatorium. Quod eius maritus audiens admiratus ipsam vocauit. Ipsa verò secretissima rerum diuinarum, eas nolens manifestare suo marito, dicebat: Habe pacem, quia nihil est. Maligni verò spiritus eam percutiendo maiore cum robore & iracundiâ, fuit tanti rumoris sonus, quòd non solùm maritus, sed & conuicinium & eius filius, qui tunc temporis t Marescalcus

q r

s

secularium rerum mentionem declinans

tandem ab audientibus dorò caditur.

D erat, reuersus de suo officio ad domum, audiuit maximum rumorem: & dubitans quòd non esset contrastatum, venit priùs currendo ad Christi ancillam: ipsa verò id cognoscens in spiritu, ipsi dixit: Noli dubitare, quia nihil est u.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

a *Anguillaria, quæ hanc & sequentem tentationem tribuit Octobri anni* 1431, *addit hoc loco* Rursum obdormiuit maritus, reuersique duo illi maligni spiritus cœperunt cedere dormientem: qui dolorem sentiens, nec tamen arcere hostes valens, clamauit, vt potuit. Quod cùm vidisset Sancta, seque vocari audisset, accessit ad eum, monens vt non timeret. Ille verò iam plenè experrectus, totúsque attonitus narrauit vxori, quomodò in somnis oblata sibi fuisset scelesta aliqua imaginatio, cui quia noluisset consentire, à dæmoniis grauiter fuerat cæsus. Et verò aliàs sæpè accidit vt dæmones Laurentio Franciscæ marito molesti essent.

Maritus sanctæ à dæmoniis vexatur.

b *Frequens apud semi-barbaros vocabulum, inquit Vossius.*

c Mense Decembri, *secundùm Anguillariam, vti & sequens conflictus.*

d Anno 1432 mense Ianuario *inquit eadem, & eidem mensi duos proximè sequentes conflictus tribuit.*

e Oleum *Anguillaria legit, & vertit.*

f *Lis, iurgium inquit Vossius pag.* 339 *Francis etiam* Brigue: *vtitur eâ voce sæpe Albertus Argentinensis seculi* 14 *scriptor: & ab hac compositis aut deriuatis* imbrigare se cum aliquo *&* brigosus *id est, litigiosus.* Brigare *alioqui &* briguer *Francis atque Italis significat aliquod munus insolenter ambire: item seditiosas factiones sequi aut concitare: quibus addidisti quia solent prædas agere ab aduersariis, vniuersim prædones* Brigantes *dicuntur, &* brigantinæ *piraticæ naues.*

Briga cum deriuatis

E

g *Italicè* dispetto, *quod hic simpliciter & barbarè iuxta leges secundæ declinationis accipitur, cùm sit quartæ, &* despectibus *scribendum foret.*

h Pes hæsit stapiæ *legitur in veteri inscriptione ex Wolfango Lazio apud Vossium, qui in B. Hieronymo* bistapia *etiam reperit: sunt qui* stapedes *nouo vocabulo ex Latinâ linguâ dicant, cùm priùs à barbaris sit: quibus sicut & Teutonibus,* stab *siue* stap *pedis vestigium est,* stappen, staffen *vestigium figere: & quia ei firmando scipiones seruiunt, hi quoque dicuntur* staffæ: *quod pro Episcopali pedo nunc maximè inoleuit inter Teutones. A* staffâ *porrò* staffarij *sunt, Italis* staffieri *virorum principum stratores, & latiùs distracto vsu etiam satellites.*

staffa staffarij

i *Sic S. Gregorius Turonensis* tempestationem *dixit: & vulgariter* tempestare *dicitur pro turbas ciere, stomachari &c.*

tempestatio.

k *Ita equinam iubam appellant Itali: videtur tamen legendum* clunem: *quia in Italico est* sopra la groppa, *Francis* en crouppe.

l Mense Februario, *inquit eadem.*

m Mense Iulio, *vt vult eadem,* marito ab Vrbe absente.

n *Id est armarium. vnde alibi* incassare *Francis* enchasser *includere.*

Cassa.

o *Variis locis videlicet: neque enim inter visiones, saltem quas habemus anni* 1432 *mensis Iulij, talis aliqua speciatim inuenitur.*

p *Eadem voce vtitur Thomas à Kempis lib.* 3. *de Imit. cap.* 58.

q Peregrè recens reuersum, *ait Anguillaria,* & ab itinere lassum.

F

r *Ita vocatur saccus, stramine seu paleâ fartus.*

palearitiũ

s *Id est* fuerant: *hic & alibi sæpè,* stare *pro* esse *Italicâ phrasi.*

t *Magister equitum. A peritiâ equestris artis nomen hoc formatur, nempe ex Teutonicis vocibus* mar *equus, &* scalk *gnarus, callidus. Videndus Vossius pag.* 243 *vbi fusè de huius nominis vsu & etymo:* scalk *tamen, vt ceteri ante eum, famulum seu seruum substantiuè vertit, quo sensu ea vox nec in vsu est hodierno, nec antiquis fuisse vllo exemplo probatur. Apostolos quidem* God-scalcos *Othfridus aliiq; dixerunt: sed cur potiùs Theoduli quàm Theognostæ eâ voce intelligantur, nulla apparet ratio. Adhæremus igitur vulgò receptæ vocis significationi, dum olim fuisse alia certiùs ostendatur. Academici de la Crusca Marescalcum interpretantur. in palatio quidem, Præfectum aulæ; in exercitu verò, proximum ab Imperatore magistratum.*

marescalcus

u *Addit Anguillaria, quod hic prætermissum:* Sequenti nocte cùm iam Augustus mensis initium caperet: dum consuetis pietatis exercitiis suo in cubili vacaret, apparuerunt coram eâ multi dæmones in formâ virorum, mulierum ac puerorum: & illius excruciandæ caussâ, cui sciebant omnem turpitudinem horrori esse quam maximo, nullum non impudicitiæ genus eius oculis obiiciebant. Erat autem hic horror tantus, vt, quemadmodum sæpè vidisse se illius Confessarius scribit, funditus stomachum eius commoueret sola mentio istiusmodi peccatorum in sermonem inducta: frequenter autem talibus visionibus vexatam fuisse Beatam à dæmoniis constat.

fœdis spectris vexatur Francisca.

A

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

CAPVT IV.

Alij conflictus S. Franciscæ cum dæmonibus etiam in Turri-speculorum.

a Equi armaturis noctu ægrotans obruitur.

35 CVm Dei famula corporaliter esset infirma *a*, & iaceret in paruo lectulo in camerâ sui filij, malignus spiritus suæ sanctitati inuidens, quadam nocte dum ipsa vigilaret & contemplaretur, vt sui moris erat, ille antiquus hostis super eius caput proiecit armaturas, siue coopertoria equi sui filij, & quædam sua germana *b* Perna nomine, & etiam suus filius experrecti propter rumorem, dubitantes ne maximum nocumentum ei impendisset; ipsa eis dixit, ne dubitarent, quia diuinâ gratiâ mediante, nullam aliam patiebatur læsionem, nihilominus eis non manifestans diabolicam operationem: cuius rei causâ omnes existentes illâ in domo admirati fuerunt, considerantes quòd tam graues & maximæ essent equorum armaturæ, & nullum sibi impendissent malum.

b

36 Quadam verò nocte, postquàm Dei famula liberata fuit à prædictâ infirmitate, portans per domū

B

vnam candelam benedictam accensam, quidam malignus spiritus in formâ humanâ non potens ipsam cadere facere, magno cum impetu dictam candelam de eius manibus proiecit. Ipsa verò aliam candelam recepit non benedictam, quam etiam prædictus hostis extinxit. Ipsa etiam iterùm aliam recepit candelam benedictam, quam ex eius manu malignus ille spiritus magnâ cum rabie extraxit, & in terram proiecit, supra ipsam candelam benedictam sputa proiiciens. De quo non parùm ipsa admirata, quòd ille dæmon supra dictam candelam expueret & non super aliam, eidem maligno spiritui præcepit ex Dei parte, vt diceret occasionem rei prædictæ. Ille verò antiquus hostis magnâ cum rabie respondit, quòd hoc faciebat ex magno despectu & odio quod habebat ad benedictionem cādelarum. Ob quam causam ipsa Beata, quoties erant in aëre tempestates, accendebat candelas benedictas, & spargebat domum aquâ benedictâ.

Candelam benedictam dæmon rabidus conspuit.

37 Quodam alio tempore, dum Dei famula nocturno tempore staret in sanctis meditationibus, sex maligni spiritus in formâ albarum columbarum tantæ felicitati inuidentes, se pulcherrimas sibi ostenderunt, vt ipsa Beata crederet, ipsas fore de numero illarum columbarum, quas sæpè videbat in beatificâ visione.

dæmones ex columbis in ceruos versi fuganturi.

C

Visendo tandem ipsa Beata cognoscens ipsorum dæmonum malignitatē, ipsos contemnens & eis illudens, ipsi indignati se mutauerunt in formas ceruorum, eidem insultando, & faciendo maximas molestias. Tunc gloriosus Archangelus, de quo suprà dictum est, qui consueuerat ad dexteram ipsius Beatæ stare, se magno cum gaudio coram eâ fecit, & subitò prædicti dæmones disparuerunt.

38 Quodam alio tempore *c* quatuor maligni spiritus, in formâ ferocissimorum leonum ignem proiicientes per omnes eorum partes, ad Dei ancillam, existentem in suâ camerâ nocturno tempore in sanctis meditationibus, venerunt, credentes facere eadem viâ vt in falsis iudiciis caderet erga proximum. Alij dæmones venerunt, & se ostenderunt in formis certarum personarum, quæ eidem Beatæ erant benè notæ, quarum aliqua persona suum marsupium cum denariis habebat benè clausum. Et dæmones dicebant ipsi Beatæ, quòd denarij illius personæ erant sibi tamquàm idola: alia verò ex illis personis tenebat aspidem strictum, & alia serpentem: & sic ipsi maligni spiritus eidem Beatæ ostendebant plures personas in diuersis modis & formis. Quod intelligens ipsa Christi famula, eosque contemnens & suas peruersas intentiones, ipsi maligni spiritus maximâ cum iracundiâ, quia eos intelligebat, versùs eam incedebant, vt eam discerperent eorum crudelibus manibus & vnguibus, eamdem percutientes cum certis neruis animaliū; & cum illo igne, qui exibat ab eis, magnam pœnam ei dabant. Sed propter magnum rumorem ex percussionibus ipsorum dæmonum procedentem, ipsius Beatæ maritus in suo lecto iacens & audiens ipsam sæpius clamare: Iesu, Iesu; & credens, quòd in somniis loqueretur, ipsam suo nomine vocauit, & subitò illi maligni spiritus recesserunt.

c iidē frustra conati ad iudicia temeraria pertrahere.

acriter in ipsam sæuiunt.

D

39 Quadam aliâ nocte *d*, dum Dei ancilla esset in suâ camerâ sacris meditationibus & orationibus occupata, octo maligni spiritus inuidentes paci & vnioni eius mentis ad eamdem venerunt in formâ animalium, ei ingerentes signa & modos adulationis, vt ipsa Beata caderet in vitium vanæ gloriæ. Sed ipsa Beata intelligens eorum malignitatem, suâ humilitate eos contemnens irridebat. Tunc vnus ex ipsis eidem Beatæ proiecit vnum horribilem serpentem: & licet ipsa Dei famula serpentes omnimodè abhorreret, tamen illâ vice animosè & viriliter recepit illum serpentem, & fortiter suis manibus strinxit: & ipse malignus spiritus, qui in formâ serpentis stabat, non potens eidem Christi famulæ nocere, se mutauit in forma alterius terribilissimi serpentis, qui septem habebat capita; sed ille primus dæmon, qui serpentem proiecerat supra Dei famulam, sibi dixit: Iste serpens vocatur hydra. Sed ipsa videns rem ita terribilem, magnâ cum constantiâ confisa in Domino semper, clamabat & inuocabat nomen Domini Iesu Christi, & suo more, viriliter se defendebat, *e* quando vnum, quando aliud serpentis caput stringendo. Dum sic staret in tantâ molestiâ & labore, & se cum multâ angustiâ defendendo, ille gloriosus Archangelus fecit vsitatum actum cum suo capite: quo finito, dæmon, qui erat in formâ viperæ, remansit quasi mortuus nullam inferens molestiam. Et per modicum temporis spatium dum Dei ancilla sic staret, venit ad eam Sanctus Paulus, & proiecit de manibus ipsius Beatæ dictam viperam, dicens: Iste est vnus diabolus nimis malitiosus, cum pluribus astutijs, & isti pili, qui sunt circa suum os, sunt plurimæ & malignæ astutiæ, quas habet ad tentandum animas: & si cum vnâ non potest, citò aliam præparat. Itemque dixit ipsi Beatæ: Anima, noli dubitare, quando istas plurimas visiones habes: Dominus enim hoc facit, vt semper viuas in timore, & in omnibus rebus ipse te semper tenet & cum ipso semper stas. Recipe securitatem, Anima Deo dilecta, & vade ad tuum *f* reductum, & sta semper absorpta in Iesu Christo, qui tibi dedit vires & fortitudinem: vt possis esse secura, fac quòd sis benè libera in Dei beneplacito.

d In eamdem serpentem conijciunt,

E *cum quo diu luctata*

e

a S. Paulo visitur & animatur.

F *f*

40 Quadam nocte dum ipsa Beata suam exiret cameram, vt calefaceret pannos pro infirmitate sui viri, inuenit tres malignos spiritus in formâ seruorum Dei albo colore indutos, qui signa maximæ humilitatis & reuerentiæ sibi fecerunt. Ipsa verò eorum cognoscens malignitatem, eisdem dixit: O miseri, superbi & iniqui tantam mihi ostenditis humilitatem? quid est quòd non reputatis vosmetipsos esse confusos? qui fuistis & estis rebelles propter vestram superbiam vestro Creatori, & adhuc in tantâ iniquitate estis obstinati: & vultis vos ostendere mihi humiles esse? Tunc prædicti dæmones turbati mutantes formam pristinam, se ipsos terribiliores ostenderunt, & maximo cum dolore dicebant: O istam obedientiam, quæ nos faciet ire in profundum! Et cum multâ rabie & iniquitate acriter eam percusserunt, deinde eam receperunt, volentes proiicere per deambulatorium. Tūc gloriosus Archangelus faciens consuetum actum cum capite, ipsos malignos spiritus fugauit.

dæmones detestantur eius obedientiam.

41 Cùm adhuc eius maritus infirmaretur, & ipsa vellet pannos calidos reddere ad eius sanitatem, exiens de camerâ, inuenit in salâ vnum malignum spiritum

A ritum in formâ serpentis, satis longum & nigrum; ignem ex ore vomentem. Ipsa verò genuflexa, sicut in similibus casibus facere solita erat, dum firma persisteret propter ignem nigrum & terribilem ex ore dæmonis procedentem, prædictus serpens se in altum leuauit dicens: Ego volo me ponere ad latus tui mariti. Ipsa verò se ad suum virum, ne timeret, approximare cogitabat. Serpens hoc videns vel intelligens ipsi Beatæ dixit: Si ego me ostendissem in tali formâ animæ, numquàm se à me vinci permitteret, namque me cognosceret; sed vt possim inclinare & vincere animas, eis me ostendo cum rebus placibilibus, ad hoc, vt se meis persuasionibus inclinent. Et cùm adhuc ipsa Beata staret genuflexa, videns se non posse ire ad coquinam propter serpentem, & ignem ex eius ore procedentem, gloriosus Archangelus sibi domesticus, qui semper ad eius dextram stabat, posuit se coram eâ, & sibi dedit viam securam ad eundum ad coquinam. Ipsa verò dictum Archangelum sequebatur, sed semper genuflexa. Quod videns Archangelus ipsam Beatam suis manibus erexit, vt ipsum erecta sequeretur. Cùm autem esset in coquinâ, vt compleret dictum Officiũ, ille malignus hostis in formâ serpentis circumquaque ipsam se voluit: tunc gloriosus Archangelus recepit quamdam *g* vitem stantem in coquinâ, cum quâ prædictum serpentem percussit, ex quo serpente, vt ipsi Beatæ apparebat, multa frusta facta sunt. Post hæc ipse Archangelus eam duxit incolumem in suam cameram, & quòd mirabiliùs est, cùm ipsa Beata in coquinâ ignem facere non potuisset, inuenit pannos *h* & lapidem in suo pectore ita calidos, acsi ad ignem stetissent per tempus, diuinâ gratiâ operante. Post hæc [apparuit] quidam alius malignus spiritus in formâ ferocissimi leonis, & magnâ cum rabie ipsam Dei famulam deuorare & discerpere volens; & gloriosus Archangelus consuetum actum cum capite faciens ipsum malignum spiritum fugauit.

Dæmon in formâ serpentis.

eidem se opponit viri pannos calefactura.

g

B

h

i

42 Quodam nocturno *i* tempore postquàm Dei famula remansit in suâ viduitate, & staret in domo Collegij suarum in Christo famularum & filiarum in suâ cellulâ in sanctis meditationibus, vt sui moris erat; venerunt ad eam duo maligni spiritus in formâ leonum ferocissimorum, per quorum ora & oculos exibat terribilis ignis, & faciebat ipsi Beatæ maximam molestiam: sed diuinâ gratiâ operante non poterant sibi nocere. Post hæc venit vnus alius spiritus malignus in formâ humanâ, terribilior duobus primis, & volebat proijcere ipsam inter illos duos, qui venerant in formâ leonum: quod facere non potuit, diuinâ gratiâ id vetante. Credens verò se peiùs facere, quamdam eius domus aperuit fenestram, vt per eam Dei ancillam proijceret: quod Dei gratiâ prohibente, facere nequiuit. Tunc plenus iniquitate & magnâ rabie cum certis neruis animalium ipsam acriter percussit. Tunc vna ex eius Beatæ in Christo Filiabus, quæ in eadem cellulâ semper, licèt in alio lecto iacebat, Agnes nomine, expergefacta propter magnum rumorem surrexit præstò: & inuenit ipsam angustiatam & in magno positam labore, nam ille antiquus hostis eam eleuauerat in altum, & dimiserat cadere in terram. Ex quo illa Agnes inueniendo eam sic angustiatam & iam nimis frigidam, tum ex tempore frigido, tum ex apertione fenestræ, tum etiam propter prolixum & diabolicum bellum, dixit eidem Beatæ, vt iret se calefactum ad ignem materialem: quod ipsa Beata facere renuit, ne ipsi maligni spiritus lætarentur in suo recessu. Nam quando post bellum & percussiones sibi per eos illatas ipsa constans & firma remanebat, ipsi maligni spiritus tristes & confusi recedebant. Dicta verò Agnes dum recessisset, prædictus malignus spiritus in formâ hominis fortiter repercussit ipsam Dei ancillam, intantùm vt quædam alia eius in Christo filia, nomine Iacobella, audiuit illos maximos ictus eidem Beatæ illatos: & cùm ingrederetur dictam cellulam, inuenit eam genuflexam se flectentem propter ictus sibi illatos, sed ei percussionem inferentem non videbat. Quæ compassione mota ipsam Beatam Matrem amplexata est: & credens quòd percussio caderet supra eius brachia, audiuit quòd illa percussio percussit quamdam tabulam ipsius cellæ. Et persæpè Filiæ eius in Christo inueniebant eam proiectam in terrâ, *k* scapillatam, frigidam, & multùm angustiatam: & sæpius inueniebant pannos capitis ipsius absconsos, quos maligni spiritus auferebant: præsertim illa Agnes, quæ in cellulâ ipsius Beatæ continuè stabat. Audiebant etiam *l* contrastationes ipsorum & responsiones ipsius Beatæ, sed ipsos dæmones nulla earum videre poterat.

Varijs modis frustrà conatus nocere,

C

tandem grauibus alapis Beatam cædit, audientibus alijs.

D

AVCTORE IO. MATIOTTI.

k

l

43 Quodam alio tempore, quædam ipsius Beatæ in Christo Filia existens in articulo mortis, & tam grauiter quòd erat naturali sensu priuata, taliter quòd medicus dicebat, non esse ampliùs spem de ipsius salute corporali; ipsa Dei famula infirmæ illi compatiens nimis, & dubitans de suâ salute spirituali, pro eo quòd humiliter non receperat aliquam correctionem sibi datam illâ nocte; cùm se dedisset orationibus & sacris meditationibus, vt sui moris erat; intimè & affectuosè Domino supplicauit, & gloriosæ eius Matri pro dictâ, quod liberaretur à tali periculo. Et præsentibus alijs eius in Christo filiabus, prædictam infirmam suo proprio nomine vocando altâ voce dixit: Si verum est, quòd nostra Congregatio sit ordinata à summo Creatore, & quòd cælestis Regina istius Congregationis sit ordinatrix, ego tibi præcipio per virtutem sanctissimæ obedientiæ, quòd tu mihi loquaris. O diuinæ operationis mirabile factum! Cùm iam infirma ipsa perdidisset loquelam, respondit sic dicendo: O Mater, quid placet tibi? Et diuinâ gratiâ mediante, ab illâ infirmitate fuit liberata, ex quo nimiùm admiratæ eius in Christo Filiæ, nec immeritò fuerunt. Ipsa verò reuersa in suam cellulam, vt laudes & gratias tanti doni Altissimo redderet, & suæ gloriosæ Genetrici, stans genuflexa, venerunt ad eam duo dæmones magnâ cum rabie & cum neruis animalium ipsam crudeliter percutientes, & cum maximâ iracundiâ eidem dicebant: Porrò à tuo Deo gratias petis, & ab altâ tuâ Reginâ? Et dicentes hæc ipsam percutiebant, & per dictam cellam raptabant. Et dum Dei famula tantum pateretur tormentum, quædam ex eius in Christo filiabus Francisca de Verulis, audiens percussiones & flagella, quæ ipsi Beatæ dabantur à dæmonibus, videnśque ipsam in terrâ proiectam, tantaque crudelitate stupefacta, vocauit vnam ex ipsius Beatæ in Christo Filiabus, quæ Agnes vocabatur *m*. Ipsa verò Agnes reperit Dei famulam supra terram inuolutam, & ab eius capite pannos ablatos, & propter percussiones inflictas nimiùm angustiatam; & vidit ipsam genuflecti, & de his omnibus tormentis sibi illatis gratias Deo reddere, sicut in similibus casibus sui moris erat. Nam quoties à malignis spiritibus flagellabatur & remanebat percussa, ad modum virilis militis semper remanebat inuicta, constans & secura, licèt continuè esset in sancto timore.

Moribundæ loquelam & vitam Beata reddit:

E

& à dæmonibus grauiter percutitur,

F

m

semper inuicta.

44 Pluries ipsa Dei ancilla suo Patri spirituali dixit, quòd licèt in speciebus diuersis videret malignos spiritus, non tamen in eorum horribili essentiâ, maximè autem quòd ipsa potiùs eligeret se proijcere in ardentem fornacem, quàm ipsos videre, & in diuersis speciebus: sed gratiâ Dei mediante & continuâ visione illius gloriosissimi Archangeli, ab huiusmodi disturbationibus semper liberabatur. Dixit etiam suo Patri spirituali, interrogata ab eo per obedientiam, quòd quando percutiebatur à malignis spiritibus, vel alijs varijs molestijs ab ipsis dæmonibus sibi illatis opprimebatur, semper inuocabat nomen Domini Iesu, nec recedebat quousque illi dæmones recedebant, sed semper erat genuflexa inuocando nomen Iesu: ex quo euenit,

Quomodo in similibus se gereret Sancta.

A euenit, vt interroganti eius Patri spirituali, quâ de causâ ipsa non recedebat in huiusmodi disturbationibus, humiliter respondit, quòd si ipsa recessisset propter timorem, incurrisset periculum ne fortè fuisset à sensu alienata, vel impedita, & semper remansisset in continuo timore: & ideò semper stabat, adiuuante Domino, constans & virilis.

Avctore Io. Mattiotti.

45 Desinunt Dei gratiâ victoriosissimi, sed laboriosissimi cōflictus huic Dei famulę per sępe dati, & inflicti à generis humani inimicis. Est [quidem] verùm quòd plures fuerint numero: sed propter breuitatem, rescissis alijs, isti pauci hic scripti sūt ad honorē sanctissimę Trinitatis, & commendationē angelicæ vitæ huius ancillæ Christi, qui tot & tantas victorias dæmonum Beatæ Franciscæ afferre voluit. Nunc verò Dei opitulante gratiâ incipiemus dicere, qualiter ipsi Beatæ Sapientia Dei, ipse Dei Filius, ostendit in hac vitâ infernum & eius pœnas, quas ibi patiuntur animæ, quæ contempserunt diuinam misericordiam *n*.

Conclusio. — n

a Mense Septembri anni 1432, *inquit Anguillaria: & eodem refert duas sequentes vexationes.*

b *Videtur esse nomen diminutiuum pro* Petrinâ *seu* Petroniâ.

c Mense Nouembri anni eiusdem *iuxta eamdem.*

B

d Anno 1433 mense Ianuario, *eâdem teste.*

e *Idiotismus Italicus est: Latinè* modò vnum modò aliud *diceretur.*

f *Pro loco refugij & tuti receptus, sumptum ex Italicâ militiâ vocabulum, in quâ significat quadratam turrim non nisi per scalas ineundam; quibus submotis ij, qui intùs sunt, stationem tuti obtinent, & accessum vel transitum missilibus prohibent.* Ridotto *Italis, Francis* Redoute.

Reductus.

g *Quanta sit Romæ solidioris in focum ligni penuria, & quantus sarmentorum ex vitibus collectorum eamdem in rem vsus, ipsi admirabundi ibidem vidimus.*

h *Lapidis, ad retinendum diutiùs calorem vsus, apud agros est frequens: alij saccum sabulo calefacto implent; alij vas probè occlusum bulliente aquâ, & hæc infirmis ad pedes collocant: omissum autem supra in principio lapidem expressè habet Anguillaria. Tenebat autem hunc cum pannis Beata intra vlnas ad pectus, iuxta versionem eiusdem Anguillariæ, quæ hîc finem faciens libri sui secundi, sic concludit.* Hæc sunt, quæ de conflictibus Sanctæ cum dæmonijs scripta reperio, dum in domo sui mariti vixit: fuerunt & alij dum in domo Turris-speculorum habitaret, qui suo loco referentur, *nempe lib. 5: nos autem à reliquo textu eos noluimus separare.*

i Anno 1437 mense Februario, *inquit Anguillaria lib. 5 cap. 11.*

k *Velut si Latinè diceres* excapillatam: *littera enim* s, *in locum* ex *vel* dis *præpositionum Latinarum, præfixa verbis ac participijs, vim habet negationis in Italicâ linguâ.*

Scapillatus.

l Contrasto *Italis pugna, certamen, dimicatio est: hinc illis* contrastare *formatur, vnde verbale* contrastatio *&* contrastramentum: *quæ Latinamne an barbaram originem habeant in medio relinquo: ipsa certè barbara sunt à verâ latinitate.*

Contrastatio. — C

m Et vnà cum Beata domum regebat, *inquit Anguillaria lib. 5 cap. 6. Certè infra dicetur eadem* Agnes Lelli *domui præfecta fuisse, antequàm in hanc commigraret Francisca; & post eius mortem, prima eamdem rexisse cum titulo Præsidentis.*

n *Has visiones summatim retulit prædicta Anguillaria lib. 1 cap. 24 & Iulius Vrsinus lib. 2 cap. 8: & illa quidem nullum ei certum tempus assignat: hîc verò ad postremam Ladislai tyrannidem anno 1413 videtur collocasse, quando ad istum annum mariti exilium & grauem S. Franciscæ, quem secuta est visio, morbum refert: verùm iam ostendimus post annum 1432, aut etiam seriùs, non tantùm scriptas illas, sed habitas etiam fuisse: scriptæ autem fuerunt hoc titulo:* Incipiunt tractâtus de pœnis, quas in inferno animæ patiuntur: *quos quidem tractatus diuidimus in capita pauciora, titulos hic seorsim damus.*

Ad quod tempus spectent Visiones de inferno?

TRACTATVS I. De inferno.
II. De limbo.
III. De sodomitis.
IV. De Vsurarijs.
V. De ijsdem.
VI. De blasphematoribus.
VII. De proditoribus.
VIII. De eisdem.
IX. De homicidis.
X. De renuntiantibus fidei catholicæ.
XI De incestuosis.
XII. De incantatoribus.
XIII. De excommunicatis.
XIV. De superbis. D
XV. De eisdem & ambitione.
XVI. De iracundis.
XVII. De auaris.
XVIII. De inuidis.
XIX. De remorsu conscientiæ.
XX. De acediosis.
XXI. De gulosis.
XXII. De vanâ gloriâ.
XXIII. De non honorantibus parentes.
XXIV. De his, qui frangunt votum castitatis.
XXV. De lenonibus filiarum.
XXVI. De odiosis.
XXVII. De iudicibus & falsarijs.
XXVIII. De detrectatoribus.
XXIX. De virginibus fatuis.
XXX. De viduis fatuis.
XXXI. De fœminis se venustantibus.
XXXII. De falsis prædicatoribus.
XXXIII. De Confessoribus prauis.
XXXIV. De Summis Pontificibus.
XXXV. De lusoribus ad taxillos.
XXXVI. De corizatoribus.
XXXVII. De fœminis vanis coniugatis.
XXXVIII. De medicis.
XXXIX. De speciarijs.
XL. De tabernarijs.
XLI. De macellarijs.
XLII. De nominibus & exercitijs dæmonum. E
XLIII. De nominando nomen IESV.
XLIV. De pœnis, quas animæ in purgatorio patiuntur.
XLV. De eâdem re.
XLVI. De eâdem re.
XLVII. De eâdem re,
XLVIII. De obitu & præsentiâ eius.

CAPVT V.

De loco inferni: vsurariorum, blasphemorum, periurorum, veneficorum, aliorumque supplicijs.

46 QVodam semel, cùm Beata Francisca grauiter infirmaretur, iuit in cellulam suam, vt ibidem attentiùs vacaret contemplationi & orationi, & erat quasi hora vespertina, & sicut postmodùm à suo Patre spirituali per obedientiam interrogata ei dixit, [quòd] in extasi posita ex diuinâ voluntate fuit ducta ad videndum infernum. Et cùm ad eius introitum veniret, vidit tam maximam abyssum & tam terribilem, quòd quando ipsa hoc recitabat, maximam pœnam & laborem sentiebat: tamen vt filia obedientiæ cœpit, primò cum sancto timore præponendo quòd de istâ visione & de omnibus alijs sibi ostensis se submittebat determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ. Narrabat itaque, quòd in principio introitus huius loci viderat quasdam litteras scriptas sic dicentes: ISTE EST LOCVS INFERNALIS SINE SPE ET INTERVALLO, VBI NVLLA EST REQVIES. Ipsa verò videbat, audiebat & sentiebat infinitam terribilitatem, & fuit ita extra se cum tanto timore, quantùm imaginari non potest. Tum prope se, licèt eam non videret, sensit quamdam societatem, quæ ipsam exhortabatur, vt esset virilis & nihil dubitaret. Introitus verò huius nefandi loci in eius principio erat magnus, sed in medio erat maior: & erant ibi tot tenebræ & obscuritates, quòd per linguam humanam exprimi non posset. Infernus verò habebat in se tres partes, vnam videlicet superiorem, aliam mediam cum maioribus pœnis; aliam verò inferiorem cum pluribus & infinitò maioribus. Et erat maximum spatium inter vnam & aliam partem: quod quidem spatium plenum erat obscurissimis tenebris & infinitis tormentis. Erat etiam ibidem vnus maximus draco, qui occupabat omnes istas tres partes, cuius caput erat in loco superiori, corpus verò in loco medio, cauda quoque eius in loco inferiori erat. Caput verò eius maximum erat, vt dictum est, in loco superiori, sed quasi in

In extasi ducitur ad locum inferni. — F

in tres regiones diuisi.

quas occupabat ingens draco.

A in introitu, modicùm verò inferiùs. Habebat item os apertum, & linguam extra os, ex quâ exibat non lucens sed comburens ignis maximus: exibat etiam ex illo nefandissimo ore fœtor inexcogitabilis,& per eius oculos & aures exibat ignis niger cum maximo fœtore & calore.

Ab Angelo Raphaele animata.

47 Audiebat itaque hæc Dei ancilla maximos vlulatus & voces, & Dei blasphemationes & planctus maximos cum intolerabili fœtore & dolore; & tot lamentationes & cruciatus, quòd dum ipsa ea narraret suo Patri spirituali, nimiùm affligebatur & cruciabatur. Quæ omnia videns & audiens ipsa Beata, sic ex vocibus clamorosis, sic etiam ex calore magno & fœtore tantùm fuit anxia, quòd sibi videbatur in toto deficere. Tunc dicta societas, quæ iuxta ipsam erat, licèt ab ipsâ non visa, eam confortabat, vt non timeret. Erat autem illa societas, vt sibi postmodùm ostensum fuit, Angelus Raphaël: quia adhuc non videbat illum domesticum Angelum, de quo dictum est superiùs, qui datus fuit à diuinâ prouidentiâ in custodiam ipsius. Vidit etiam sathanam in vultu terrifico maximè, sedentem quasi in vnâ trabe, in medio loco inferni: sed eius caput attingebat ad locum superiorem, & pedes ad locum inferiorem: & sic, occupatâ omnium

B trium illorum locorum parte, stabat. Tenebat verò pedes disiunctos, manus etiam disiunctas, vnam superiùs & aliam inferiùs, non tamen in Cruce. Erat verò eius caput coronatum quadam coronâ de cornibus ceruinis; illa verò cornua habebant multos *a* corniculos, per quorum quemlibet exibat maximus ignis. Erat verò eius facies inexcogitabiliter terribilis, ex quâ omni parte proijciebat ignem putentem & ardentem. Erat autem ligatus cum certis catenis ardentibus in collo & in manibus & in pedibus & in medietate corporis, taliter quòd totus erat circumdatus catenis ardentibus. Ipsæ verò catenæ erant ligatæ per omnes partes inferni, in parte superiori & in mediâ & in inferiori: sed vna earum catenarum erat ligata cum prædicto dracone ex vnâ parte, & ex aliâ ligabatur cum ipso Lucifero vel sathanâ. Vidit etiam Christi ancilla, quomodò illi dæmones, qui sunt in mundo ad tentandum personas, ducebant animas ad infernum cum maximâ terribilitate eas increpando; ipsisque illudendo dicebant tot & tanta mala, quòd difficile esset narrare, intantùm quòd ipsa tam maximum sentiebat dolorem quòd difficile crederetur. Et cùm hoc recitabat, totam se affligebat.

videt sathanam,

a

alligatum cum dracone,

b

48 Videbat namque dæmones ipsas animas *b* di-

C scerpentes ex omni suâ parte cum tantâ terribilitate, quòd non posset imaginari: & cum maximo terrore ipsas ducebant ad infernum cum opprobrijs, horribilibus visionibus, tormentis & angustijs, quæ scribi non possunt. Et postquàm dæmones conducebant miseras animas vsque ad introitum inferni, aliquam illarum proijciebant cum capite inferiùs verso in os illius draconis, quod semper erat apertum: & de eiusdem draconis ore erat subitò deglutita, & subitò deforis exibat & præsentabatur à certis dæmonibus ad hoc specialiter deputatis coram Principe, & sic præsentata cum maximo terrore illicò cruciabatur ex igne exeunte ex multis partibus ipsius ignis Principis. Ipse verò Princeps animam præsentatam iudicabat, & ipsi dæmones ad hoc deputati portabant eam ad locum sibi deputatum secundùm peccata per eam commissa. Portabant itaque ipsam dolorosam animam cum tanto terrore & ludibrio, quòd quando ipsa Beata hæc narrabat, loquebatur oculis lacrymosis præ compassione maximâ. Dicebat itaque, quòd illa misera anima non subitò applicabat ad locum sibi in inferno deputatum, sicut anima Beata quando exit de Purgatorio applicat ad locum sibi in gloriâ deputatum: quia licèt tres cæli, scilicet cælum stellarum, crystallinum & empyreum, magis inter se stant longinqui, quàm tria lo-

ad quem ducebantur animæ suũ locum accepturæ,

ca inferni superiùs posita; tamen propter tenebras D densissimas & alia tormenta eisdem animabus illata, citiùs animæ Beatæ elabuntur in altum sine vllis medijs pœnis; quàm illæ miseræ animæ collocentur in locis sibi in inferno deputatis, propter tormenta eis inflicta transeuntibus per media loca, obscuritatibus & tormentis plenissima.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

49 Vidit etiam ista Deo deuota alias animas à dæmonibus terribiliter ductas: & quando citò applicabant ad introitum inferni, dæmones ad hoc deputati non eas proijciebant ad os draconis, sed inferiùs capite submerso: & licèt omnes caderent eodem modo, tamen istæ cadebant coram Principe incatenato: quæ subitò cruciabantur ab igne exeunte de loco ipsius Principis. Illicò enim ab eo Principe iudicabantur, & dæmones ad hoc deputati ipsas cum maximis cruciatibus & tormentis portabant ad loca eis deputata, & istæ erant animæ non infectæ maioribus peccatis, & ideò ponebantur in superiori loco; in quo etiam multi dæmones existebant in formâ aspidum, bufonum & aliarum horribilium ferarum. Cruciabantur etiam ab oculis ipsius Principis, ab exeunte igne, non obstante igne generalis incendij exeuntis de illo loco superiori. Habebant etiam obscuritates & tenebras & multorum dæmonum cruciatus & alias infinitas pœnas. Istæ verò E animæ sic cruciatæ erant animæ Iudæorum, magna tamen scelera in vitâ non committentes, & similiter Christianorum negligentium ire ad Confessionem, & non curantium de ipsâ Confessione, qui sic mortui fuerunt. Et dum sic Beata Francisca staret stupefacta, illa societas, de quâ dictum, eam confortabat ne timeret.

item alias minùs sceleratas.

50 Post hæc vidit vnum Angelum modicùm inferiùs existentem, prope introitum inferni: qui Angelus erat ad angulum, qui limbus vocatur, in quo fuerunt Sancti Patres: qui locus est separatus, & stat supra draconem & supra Principem ligatum, & supra omnia infernalia loca: in quo non est ignis, nec frigus, nec serpentes, nec dæmones, nec fætor; nec sunt ibi vlulatus & blasphemiæ, nec vlla alia pœna, exceptis tenebris: in quo loco sunt deputati parui pueri mortui sine Baptismo, nullam aliam pœnam habentes nisi obscuritatem. In quo Limbi loco sunt tres mansiones, quarum vna superior est, in quâ existunt parui pueri concepti de Christianis & mortui sine Baptismo: in loco verò medio stant paruuli concepti ex Hebræis, in infantili ætate mortui, qui nulla adhuc crimina cõmiserant, tamen in illo loco medio maiores sunt tenebræ: in alio loco infimo stant paruuli concepti de F Compatribus, & Commatribus, de Monachis, & Monialibus, & alijs Religiosis tam hominibus, quàm fæminis, & de alijs Sacerdotibus, qui quidem paruuli mortui sunt sine baptismo, & in isto infimo loco maiores tenebræ sunt, quàm in duobus alijs superioribus.

Limbus paruulorũ trifariam diuisus.

51 Cùm autem stupefacta & territa Dei ancilla staret; tamen ex prædictâ societate confirmata, vidit in profundo & inferiori loco & terribiliori inferni miseros homines & fæminas in sodomitico peccato implicitas & in quolibet alio peccato contra naturam, qui maximum patiebantur cruciatum. Ipsi dæmones habebant baculos magnos igne accensos, ad modum alicuius veru ferrei, in quibus imponebant ipsas animas à partibus inferioribus perforando eas vsque ad ora earum; & tali modo illæ dolorosæ animæ cruciabantur. Dæmones etiam tenebant certa instrumenta ferrea & ardentia cum aliquibus vncis, cum quibus ipsas animas dilacerabant à capite vsque ad pedes: & aliquoties illud veru ignitum extrahebant à parte inferiori vsque ad superiorem per os ad maiorem cruciatum inferendum. Et in talibus pœnis & tormentis illæ miseræ animæ numquàm quiescebant, licèt etiam haberent in pluribus alijs & diuersis modis pœnas &

Supplicia sodomitarum,

AVCTORE IO. MATIOTTI.

A terribilissima tormenta: quia vltra istas pœnas specialiter habebant pœnas generales, scilicet ignis, frigoris & fœtoris, & obscurissimarum tenebrarum, blasphemiarum & stridoris dentium. Cùm autem Christi ancilla esset multùm territa, & timida videndo tot supplicia, prædicta societas eam continuè confortabat, ne dubitaret, & quòd staret constans & animosa in huiusmodi visionibus.

& vsurariorum,

52 Et tunc vidit Vsurarios multis cùm supplicijs, & erant positi supra vnam tabulam igneam, in quâ erant conclauati manibus extensis, sed non ad modum Crucis. Et tunc demonstratum fuit illi Beatæ ab Angelo Raphaele, quòd tale signum in tali loco non erat imponendum. Istæ verò animæ cùm essent in illâ tabulâ conclauatæ, habebant super earum capita singulas *c* cintas igne accensas: deinde dæmones habebant sartagines plenas auro & argento liquefactis, & sic illa metalla calidissima ponebant in ore illarum animarum. Postmodùm ipsi dæmones faciebant quoddam foramen supra corda earum, & per illud foramen mittebant illa metalla ardentissima dicentes: O miseræ animæ, recordamini vestræ pristinæ vitæ. De quibus omnibus admirata hæc Dei famula, quomodò sartagines & alia instrumenta stare possent in inferno; declaratum sibi B fuit à prædictâ societate, quòd talis visio ei demonstrabatur ad hoc, vt posset comprehendere: non quòd huiusmodi res in inferno essent, sed quòd animæ ibi existentes patiantur huiusmodi pœnas acsi prædicta instrumenta ibi essent. Post hæc illæ dolorosæ animæ mittebantur in vno *d* tino pleno auro & argento liquefactis; & sic existebant in continuis tormentis, nunc in vno nunc verò in alio, & numquàm habebant requiem: patiebantur etiam & alias pœnas generales inferni superiùs dictas, scilicet ignis, sulphuris &c. Et sic vociferabantur cum maximâ rabie, & blasphemijs non solùm animæ Vsurariorum, sed etiam aliæ omnes ibi existentes non cessabant blasphemare nomen Dei, & animæ Vsurariorum ibi existentes stabant, vt dictum est, in profundiori loco inferni.

Pœna damnatis omnibus communes.

53 Post hæc vidit Christi ancilla animas euntes ad infernum, portantes earum peccata scripta in frontibus suis, taliter quòd ipsa legebat illas litteras animarum frontibus scriptas, & intelligebat earum peccata. Animarum verò circumstantium vnaquæque alterius circumstantis cognoscebat peccata solùm per cognitionem, sed ipsa Beata per litterarum lectionem. Dixit etiam ipsa Dei famula, quòd animarum existentium in C inferno quælibet habebat duos dæmones ad ipsam cruciandam, quorum vnus semper præstò & fortis erat ad percutiendum & discerpendum & tormentandum ipsam animam; alter verò semper existens ad improperandum & illudendum ipsi animæ, continuè eam memorem faciendo malefactorum suorum, & quare voluit consentire suis *e* primis cogitationibus, & suggestionibus, & offendere suum Creatorem; nihilominùs eam memorem reddendo bonorum, quæ non operata erat, dum esset in mundo cùm potuisset. Ex quibus omnibus ludibrijs examinationibusq; misera anima maximos cruciatus patiebatur, non minores illis, quos patiebatur ab illo dæmone eam percutiente, intantùm quòd cum magnâ rabie vociferabatur & blasphemabat. Et iste erat modus continuus omnibus animabus in particularitate: & licèt quælibet anima haberet in se specialiter istos duos dæmones sui tortores, vt dictum est, adhuc tamen ab omnibus alijs dæmonibus excruciabatur in generalitate.

Pœna propria blasphemorũ,

54 Vidit etiam ipsa à Deo electa istos miseros obstinatos Dei & Sanctorum blasphematores, multa tormenta patientes: præsertim quia dæmones tenebant certos vncos in manibus, quibus extrahebant linguas illarum animarum, & ipsas linguas ponebant in carbonibus ardentibus, & alios carbones ardentes ponebant in ore ipsarum. Deinde ipsas animas reci- D piebant, & in quodam tino feruentissimi olei ponebant, & de ipso feruentissimo oleo ponebant in gutture illius miseræ animæ, eidem improperantes & dicentes, Quare tu misera & dolorosa blasphemasti tuum Creatorem? Et illa misera fortiùs blasphemauit nomen Dei maximâ cum rabie, & tales blasphemantium animæ erant in loco inferiori inferni, & plura patiebantur tormenta, quàm animæ Christianorum, quæ propter timorem pœnarum denegauerunt sanctam fidem Catholicam [& ideò] stant in inferiori loco inferni, & habent etiam alias pœnas generales, scilicet ignis, sulphuris &c. *f* f

proditorum,

55 Et propter talem acerbissimam visionem, dum nimis angustiata staret, à prædictâ societate in Domino confortata, vidit animas proditorum, habentes maxima *g* exterminia & tormenta, intra quæ erat istud g potissimum, quòd sibi extrahebatur cor cum aliquibus vncinis ferreis *h* infocatis ab ipsis dæmonibus maximâ h cum crudelitate violenter vsque ad guttur, & cum toto gutture eijciebatur foras: & istud tormentum erat eis perpetuum & continuum. Ex quibus quidem tormentis nimiùm angustiata ipsa Deo dilecta considerans, quod animæ carnem non habent, & eis abstrahebatur cor: Raphael Angelus, in suam societatem à E Deo missus, sibi declarauit secundùm suum desideriũ dicens: Licet anima carne careat, tamen quousque veniat vltimum iudicium, materialiter punitur secundùm corporis partes: quia licèt anima sit spiritualis, induit tamen naturam materialem: sed post vltimum iudicium & corpus & anima punientur talibus tormentis. Post hæc proditorum animæ in vno tino pleno pice ardentissimâ, maximâ cum crudelitate submergebantur, & illi dæmones eis improperabant existentibus in tantis supplicijs dicentes: O & dolentes & falsi proditores, qui habuistis mentes iniquas, & non fuistis fideles vestris dominis, insuper & promissionibus per vos factis in sacro baptismate, renuntiando sathanæ & omnibus [pompis] eius, quas nõ seruastis? O miserrimi proditores! non recordamini promissionũ per vos factarum? O proditores cũ falsis cordibus, recipite nunc hæc tormenta, qui fuistis proditores Deo vestro, & Baptismo & proximo. Tunc illæ miseræ animæ vociferabant & blasphemabant Baptismum cum omnibus alijs Sacramentis, quæ habuerant: & illæ blasphemationes erant continuæ cum tantâ rabie, quòd ipsa B. Francisca cùm talia referebat, præ compassione nimiùm affligebatur, & illæ animæ etiam blasphemando F maledicebant illum, qui incepit Baptismum. Dæmones verò *i* reptabant per carbones accensos corda i istorum sic extracta, & nihilominùs alias pœnas generales, quæ superiùs positæ sunt, patiebantur.

homicidarum,

56 Cùm autem B. Francisca esset nimiùm angustiata propter huiusmodi visiones tantorum suppliciorum, & præsertim de ore illius draconis à quo caliditas cum maximâ fœtiditate exibat; eius societas, de quâ dictum est, ipsam confortabat, ne dubitaret, sed viriliter & firmiter staret. Tunc ipsa vidit crudeles homicidas missos in quodam tino bullientis sanguinis, & aliud tinum erat præparatum glacie plenum: & dæmones ipsas animas recipiebant maximo cum impetu, & ex vno illorum tinorum in aliud eas proijciebant, eisdem conferentes alias pœnas. Nam habebant ipsi dæmones certa instrumenta ferrea & accensa igne, cum quibus ipsas animas percutiebant in cordibus & in linguis, & numquàm ab huiusmodi exercitio quiescebant, patiebantur etiam alias pœnas generales, sicut dictum est superiùs, & erant in profundo loco. Similibus autem pœnis subijciebantur illæ mulierculæ sceleratissimæ, quæ interficiebant suos infantes paruulos in earum vteris iam creatos, suis malignis astutijs & iniquitate volentes occultare earum mala opera: quæ, vt dictum est, insimul cum homicidis pœnam patiun-

tur

A tur secundùm qualitatem & quantitatem criminum. Vidit etiam hæc Beata animas illorum, qui sanctam fidem Catholicam denegauerunt, quæ omnes ab ipsis dæmonibus erant per medium scissæ quibusdam serris ferreis igne succensis, super quas serras cadebat liquefactio plumbi ardentis: & postquàm per medium discindebantur illæ dolorosæ animæ, illicò coniungebantur. Post hæc illi dæmones habebant certa instrumenta ferrea igne succensa, cum quibus immittebant liquefactiones accensas in gutturibus illarum animarum cum multis alijs supplicijs.

& apostatarum

57 Vidit etiam ista Dei famula plures animas, quæ commiserunt peccatum incestus cum suis consanguineis, quorum animæ erant positæ in vno magno tino pleno rerum fœtidarum, & dæmones submergebant eas in illâ inexcogitabili abominatione. In quâ postquàm submergebantur, ponebantur in loco inferiori prope sodomitas: sed postquàm dæmones illas animas diuidebant per quarteria, iterum coniungebantur, & mergebantur in illo tino pleno fœtore. Post hæc ipsa Christi ancilla vidit sortilegos, & incantatores, quorum animæ erant in loco medio inferni: & non solùm animæ eorum, qui talia operantur, sed etiam illorum,

incestuosorum,

incantatorum

B qui ad eos vadunt, vel qui eis credunt, erant in his tenebris & cruciatibus. Lapidabatur enim à dæmonibus cum k palactis ferreis & igne succensis; erat enim quædam maxima catasta quadrata de instrumentis ferreis incensis igne, in cuius medio erat ignis terribilis & horribilis: in quo ponebantur illæ animæ sortilegorum & incantatorum, & stringebantur fortiter ex qualibet parte ab illis instrumentis illius catastæ. Cùm autem Dei famula propter tam horribiles visiones staret quasi exanimata, licèt à prædictâ societate confortaretur, ostensæ ei fuerunt animæ excommunicatorum, quæ erant missæ in ore draconis supradicti: sed non exibant de ventre draconis supradicti, sicut aliæ animæ, de quibus suprà dictum est, sed mittebantur intùs in caudâ draconis; quæ cauda, vt dictum est, est in loco inferiori inferni, & erat plena pice, sulphure & oleo feruenti & ferro: & omnes res istæ erant liquefactæ cum maximo & terribilissimo igne, & dæmones, qui extabant extra caudam draconis illius hæc opprobria & improperia dicebant illis: O animæ dolorosæ, quæ permisistis vos cæcari à cupiditatibus, & duci à vestrâ sensualitate, peccata vestra vos ligauerunt & obcæcauerunt in hoc loco, quia non timuistis excommunicationem, modò patiamini istam pœnam acerbam &

k

& excommunicatorum.

C crudelem, & in caudâ istius dracons manete ad bulliendum vos. Istæ verò animæ respondebant: Heu! heu! quot & quantas pœnas patimur, & dolorem & verecundiam.

a *In ecgrapho nostro erant* ceruiculi.

b *Addebatur*, quidem sic agebant: *quòd nullum sensum faciens, omittere maluimus.*

c *Id est circulos.* Cinta *porro genericè significat ambitum vel circuitum, à* cingo, cinctum *detorta vox, & vsitatissima pro circuitu fossarum, mœniorum &c.*

cinta

d *In Actis Ianuarij & Februarij sæpius* tina *vox Italis, Hispanis, Francis ac Teutonibus communis apud Cornelium Kilianum, significans non tantum dolium, sed & cupam, & in genere vas ligneum, ex pluribus assulis arte vietoriâ confectum. Quin etiam apud Varronem & Festum* tina *pro vasis vinariis pluraliter legi existimat Scaliger in conlectaneis apud Vossium.*

tinum

e *Fortassis* pessimis.

f *Similis clausula singulis ferè paragraphis adnectitur, quod semel hîc monuisse contenti eam alibi vbique expungimus.*

g *Passim ea vox apud veteris Testamenti interpretem & SS. Patres pro deuastatione sumitur. Cassianus lib 6 de Incarnatione* in pestem exterminiumque mittendum *dixit: quod aliquomodò huc accedit propiùs.*

exterminium

h *Vox Italica ignitum, candentem, ardentem significat.*

i *Ita tum antè sæpè tum deinceps sæpiùs hæc vox inuenitur pro* raptare, *& quoniam nullo Italicæ linguæ idiotissimo excusari poterat; diu iudicauimus transcriptoris potiùs quam auctoris eam esse barbariem: nunc illius toties redeuntis frequentiâ dubitare cogimur: idem nobis accidit circa vocem* discrepare *pro* discerpere: *quæ duo nihilominus maluimus corrigere ne toties lector in eodem offendat: quem de originaria scriptione vtriusque vocis sufficit hîc semel monuisse.*

D

AVCTORE IO. MATIOTTI.

k *Fortè* pallottis *id est pilulis, sic diminutiuè dictis in Italicâ linguâ à* pallâ, *globo, sphærâ, Teutonibus* balle. *infra nu. 74 etiam* Pallottæ *leguntur.*

CAPVT VI.

Quomodo in inferno puniantur peccata capitalia aliaque nonnulla.

58 DVm autem hæc famula sic staret, vidit animas infimas superborum & elatorum existentes in vno loco; sed propter diuersas circumstantias istius criminis ipsæ animæ diuidebantur particulariter in diuersis locis secundùm diuersas circumstantias istius peccati, licèt omnia illa loca erant inclusa in vno loco cômuni & principali. Ambitio erat in suo loco locata, sed nimiùm vituperabatur à dæmonibus: nam sicut illæ animæ desiderauerant honorem, sic & eodem modò à dæmonibus eis dabatur confusio. Et similiter per ordinem in alijs circumstantijs secundùm earum defe-

supplicia ambitiosorum,

E ctum erant punitæ, licèt generaliter ad inferendam eis pœnam illius peccati, erat quidam leo maximus, de metallo ignito, ore aperto: & in suo gutture erant tamquàm nouaculæ acutæ crudeliter ignitæ, & in medietate illius leonis erant serpentes & buffones siue dæmones in huiusmodi speciebus, & in posteriori parte ipsius leonis erant etiam illa instrumenta ferrea siue nouaculæ ignitæ. Dæmones verò ad hoc deputati illas animas in altum proijciebant, quæ cadentes in ore leonis incidebant, & diuidebantur ab illis nouaculis, quæ erant in gutture leonis; in tantùm quòd apparebant quasi mortuæ. Post hoc transibant in ventrem leonis, vbi erat tanta terribilis sordities rerum venenosarum, & in tantâ abominabili pœnâ, quòd videbantur mortuæ; posteà verò viuificari. Et illi dæmones, qui stabant ex parte illius leonis inferiori, habebant vncos in manibus, cum quibus extrahebant illas animas de loco inferiori illius Leonis, vbi erant nouaculæ acutæ, & sic à dictis dæmonibus dilaniabantur & discerpebantur: & hoc tormentum continuè eis dabatur. Et ipsæ dolorosæ animæ magnâ cum rabie propter tam terribiles & horribiles cruciatus semper blasphemabant & vociferabantur. Dæmones verò hæc improperia eis ingerebant: O superbi maledicti, qui longo tempore in mundo bellastis, modò estis positi cum Machometto, & habetis pœnas & dolores perseuerantes nunc & in æternum; per Machomettum supradictum intelligitur ille leo.

F

59 Vidit insuper Christi ancilla iracundorum animas, & secundùm iracundiæ circumstantias diuersas diuerso modo puniebantur: sed pœna, quæ specialiter huiusmodi animabus dabatur, erat quod imponebantur in vno loco, in quo erat quidam terribilis & horribilis serpens quasi esset de metallo ignito: habebat idem serpens pectus largum & apertum, & caput inclinatum superiùs, ita quòd eius collum erat quasi quidam arcus: & in eius capite, quod erat apertum, erant ferrea instrumenta ignita, facta ad modum lunæ reuolutæ, & erant illa instrumenta acuta & stridentia: consimiliter in eius pectore aperto. Dæmones recipiebant animas ibidem existentes, & mittebant eas per caput ipsius serpentis per illa ferrea instrumenta & ignita: ipsi verò dæmones habebant in manibus quasi vnam a rotellam ferream & ignitam, totam plenam clauis longissimis & acutissimis & ignitis, & cum illis rotellis illas animas mittebant in capite serpentis: nec non & alij dæmones existebant cum vncis ignitis, & quando illæ animæ stabant in pectore illius serpentis, cum magnâ rabie eas extrahebant violenter, & eas portabant per

iracundorum,

a

A per supradicta instrumenta ferrea, in quibus crudelissimè discerpebantur & dilaniabantur. Et has pœnas continuè patiebantur semper blasphemantes magnâ cum iracundiâ.

AVCTORE IO MATIOTTI.

60 Sic verò existens Christi famula, vidit animas auarorum existentes in vno loco pleno serpentibus magnis; & quilibet illorum serpentium recipiebat vnam de prædictis animabus, & cum dentibus eam in corde mordebat, & cum eius caudâ illius animæ os percutiebat, & cum duabus manibus eam stringebat. Et certi alij dæmones stabant cum pectinibus ignitis, cum quibus dilacerabant ipsam, & violenter eas recipiebant ab illis serpentibus. Et in prædicto loco, vbi istæ animæ existebant, erat quædam cauea profunda plena auro & argento liquefactis, in quâ foueâ erat quælibet illarum animarum submersa ab his dæmonibus: quas in altum proiicientes faciebant cadere, & postmodùm ipsas cruciabant cum illis crudelissimis pectinibus. Et stabant illæ animæ in loco inferiori, & dæmones ponebant in earum gutturibus aurum & argentum liquefactum, & ab ipsis dæmonibus multa recipiebant improperia etiam cum alijs generalibus pœnis.

auarorum

B 61 Cùm autem prædicta famula Dei staret sic angustiata, & pauefacta ab huiusmodi & dæmonum & pœnas patientium visionibus, licèt tamen à prædictâ societate confortaretur, & exhortaretur quòd esset firma in fide, & nihil dubitaret: vidit animas infelices inuidorum quas flamma ignis cooperiebat, & earum quælibet habebat vnum vermem nimiùm venenatum, qui eius cor rodebat, & exibat ad altum per eius guttur, & quando *b* iungebat ad palatum, vnus ex illis dæmonibus cuilibet animæ principaliter concessis cum suâ manu stringebat guttur illius animæ, quòd prædictus vermis non posset exire: cum altera verò manu vncâ tenebat gladium, cum quo illius animæ cor scindebat; quod quidem posteà reficiebatur. Alter dæmon stabat cum certis vncis ferreis ignitis & crudelissimis, cum quibus ipsum cor sic iam refectum extrahebat, supra quod suum stercus faciebat, & illud in illâ putredine inuoluebat, & sic sordidatum ducebat per faciem illius animæ. Et quod de vnâ dicitur de omnibus intellige. Et continuè illæ miseræ animæ improperia recipiebant ab illis dæmonibus, & cùm istis pœnis specialibus supradictis stabant in loco inferiori inferni. Sic existens Dei famula vidit qualiter omnes animæ in inferno existentes generaliter quælibet in suâ memoriâ habebat vnum nefandissimum vermem, qui C continuè eam rodebat, licèt tamen magis & minus. Et hæc pœna erat separata ab alijs pœnis, & vocabatur remorsus conscientiæ: ob quam caussam dæmones magna improperia, & cruciatus maximos inferebant illis animabus.

& inuidorum.

b

62 Vidit insuper Christi ancilla Acediosorum animas sedentes in medio ignis, capita inclinata habentes & brachia plicata, & flamma eas cooperiebat, & sedebant supra vnum lapidem quadratum, qui lapis erat sculptus cū *c* righis cauatis, sicut aliquas solemus videre columnas, & illæ righæ erant plenæ carbonibus ardentibus: lapis verò erat nimis ignitus, dæmones verò prædictas animas ex vnâ, & ex aliâ parte lapidis inferiùs & superiùs retrahebant. Tenebant itaque certa instrumenta vncâ & ignita, cum quibus trahebant & retrahebant eas cum maximâ rabie, & ex lapidibus acutis illæ dolorosæ animæ erant quasi in scruta factæ, & à carbonibus ibidem existentibus erant combustæ, & à dæmonum vncinis laniatæ: sed illa pœna, quæ illi animæ dabatur sursum & deorsum eam impingendo, erat propter perditionem temporis. Et vnus ex illis duobus dæmonibus erat retro illam animam, & vnam eius manum tenebat supra illius animæ cor; cum aliâ verò, in quâ tenebat gladium, scindebat totum pectus à latere dextro, & in illo vulnere oleum

c

Pœna acediosorum,

bulliens mittebat, & hæc pœna eis dabatur propter D spem vitiosam de Dei misericordiâ, & præsertim quia extrahebant peccata, dum erant in mundo. Item prædictus dæmon in illo vulnere ponebat multos & diuersos vermes: quæ pœna eis dabatur propter multas cogitationes, quibus dum in mundo erant exagitabantur, præsertim cùm otiosæ erant.

63 Cùm autem ex prædictis terribilibus visionibus deuotissima ancilla Christi nimiùm esset stupefacta, sed tamen à prædictâ societate exhortata & confortata, vidit gulosorum animas maxima tormenta patientes. Vnde propter principale peccatum gulæ stabant in loco inferiori inferni, & quidam dæmon recipiebat ipsam animam per caput, & raptabat eam per carbones accensos: alter verò dæmon ascendebat super eam, dum sic raptaretur, & cum pedibus vncis eam *d* calciabat, & ligabat ei manus & pedes, & eam proiiciebat inferiùs, vbi erat vnum tinum magnum, plenum pice liquefactâ: & in tali tormento erat submersa. Et ab illo tormento extracta mergebatur in alio tino pleno glacie, & sic stanti ponebatur in eius ore vinum ardentissimum: & hoc propter superfluum comedere & bibere, propter quod etiam in illius ore multi veniebant serpentes. Et ille dæmon eis dicebat *e*: Superfluum calidum & frigidum, & magnum tremorem serpentum, & talem pœnam & maiorem gulosi patientur, & adhuc alium pœnam patientur, quæ est pœna damni. Dæmones verò ipsi dicebant: O gulosè potator, qui dum eras in mundo, ipsum mundum linxisti, sustine nunc pœnas & dolores, quia benè meruisti: serpentes erunt tuus cibus, & ignis ardens tuus potus. E

& gulosorum,

d

e

64 Item illæ animæ erant ligatæ in vno grosso palo ferreo ignito, quam pœnam patiebantur propter vitium luxuriæ, quod sæpissimè descendit à vitio gulæ: & dum sic anima esset ligata, alter dæmon ad eam veniebat cum magnâ linguâ ignitâ, cum quâ eam totam lingebat, quæ sibi erat maxima pœna: alter verò dæmon tenebat vnum gladium vncinosum, cum quo dilacerabat animam per illas partes, quas primus dæmon lingebat. Et hanc patiebantur pœnam propter vitium vanæ gloriæ: solent enim gulosi potentes, in suis mensis multiplices cibos multiplicibus ostendere ornamētis, vt inde suam ostendant vanam gloriam: quamobrem ista Beata tale gulæ vitium ostendit vanam gloriam habere connexam. O vanæ gloriæ amator, qui tantùm te ostendebas politum, stas in inferno pleno tormentis, recipe nunc & comede tuas gulositates, & postmodùm euomes. Subtus verò illum palum ferreū F erat quædam cratis ferrea ignita plena clauis acutissimis, & dæmones faciebant illas animas cadere supra dictam cratem, in quâ etiam erat vnus crudelissimus serpens, qui miseras animas in ore mordebat, & caudâ suâ ipsas laniabat. Quam pœnam patiebantur propter commissum adulterij peccatum; quod quidem crimen propter diuersos sumptus & apparatus ciborum de gulâ dicitur prouenire.

qui etiam ob luxuriã

vanæ gloriæ, adulterij

65 Torquebantur etiam animæ gulosorum cum fune nigro, & dæmones eas trahebant suprà; quas postmodùm permittebant cadere in igne, habentes palos ferreos, in quibus animæ ligabantur: & dæmones eas cum forcipibus ferreis ignitis tenebant, & alia tormenta maxima eis inferebant tenendo eas suspensas, & tales eis dabantur pœnæ propter peccatum furti quod procedit aliquoties ex peccato gulæ. Insuper illæ miseræ animæ ponebantur in vno puteo talia habente loca: in principio erat quasi aqua glacie stricta, in quo loco animæ ponebantur, à quo posteà extrahebantur, & ponebantur in alio loco pleno plumbo liquefacto: & in prædicto loco ipsis animabus dabatur ad bibendum poculum pice, sulphure & felle insimul liquefactis; in tertio verò loco erant serpentes & bufones: & postquàm extrahebantur ab illo loco plumbi liquefacti, ponebantur in tertio loco inter illas bestias, & principaliter

& furti via cruciabantur.

A cipaliter per earum ora intrabant] & ingrediebantur earum corpora, & ab ipsis dæmonibus cum vncis ferreis & ignitis inde postmodùm extrahebantur, & per carbones igne accensos raptabantur, qui dæmones ipsis improperabant crudeliter, & illæ dolorosæ animæ cum magnâ rabie blasphemabant.

66 Vidit etiam Dei famula animas illorum, qui parentes non honorauerunt eosque despexerunt & abiecerunt, & erant immissæ in vnâ *f* vegete plenâ nouaculis acutissimis ex omni parte ignitis, quam vegetem dæmones voluebant hinc inde; & sic illæ animæ incidebantur, & cruciabantur. Erant etiam in prædictâ vegete multi serpentes, qui mordebant, & percutiebant illas animas in locis ab illis nouaculis incisis. Erat etiam illa veges plena pice liquefactâ, in quâ miseræ animæ mergebantur; insuper ex illâ pice liquefactâ ipsis animabus in gutture ponebatur. Vidit insuper Christi ancilla quod peccata mortalia principaliter puniebantur in loco superiori loco subiecto secundùm eorum circumstantias; quæ circumstantiæ puniebantur in loco medio, vel superiori vel inferiori.... *g* ascendunt enim ipsi superiùs in alijs duobus, si stant in loco inferiori: & ille princeps catenatus, de quo dictum est, tenet ista tria loca: & miseræ animæ B cruciabantur tam in loco inferiori, quàm in medio, quàm etiam in superiori; secundùm qualitatem & quantitatem circumstantiarum peccatorum.

f Pœna impiorum in parentes.

g

67 Vidit etiam Christi ancilla animas Religiosorum; qui non obseruauerunt votum castitatis Deo promissum, stantes in igne maximo cum multis cruciatibus, quarum quælibet erat in vno tino pleno pice & sulphure liquefactis, & dæmones cum certis vncis extrahebant ipsas animas inde, & proijciebant eas ad aliud tinum plenum strictâ glacie. Tunc dæmones cû certis vncis ferreis ignitis ipsas animas ab illâ glacie blasphemantes extrahebant & vlulantes, & ponebant eas inter duo *h* petia ferri igniti, in quibus erant claui acutissimi etiam igniti, & ibidem erant conclauatæ: & dæmones stabant circumquaque cum certis ferreis instrumentis ad modum *i* furcinarum, quibus impingebant & cruciabant dolentes animas ab omni latere, & improperantes aiebant: O animæ dolorosæ, quæ commisistis sacrilegia, nunc estis in igne ardenti ad patiendum pœnas æternas: & propter sacra spiritualia Sacramenta, quæ ad maiorem vestram damnationem recepistis non obseruantes præcepta Dei, dæmones stant semper ad vos cruciandas. Et tales animæ stabant in loco inferiori & patiebantur etiam alias pœnas generales, de quibus dictum est superiùs. C

peccantium contra votum castitatis

h

i

68 Cùm autem Beata Francisca existeret stupefacta propter horribiles visiones, licèt anima confortaretur à dictâ societate, vidit animas parentum exponentium proprias filias peccato luxuriæ, & quælibet earum mittebatur in vnâ quasi *k* capannâ, quæ erat tota ignita, supra quam erant positæ illæ animæ, & quatuor dæmones erant ordinati quasi in formâ canum plenorum rabie, & dictas animas crudelissimè dentibus lacerabant, & vnus eorum petia alteri proijciebat, & alter alteri: & illa anima, quæ peccatum prauâ commiserat voluntate, videbat suum cor extractum à dæmonibus, & ipsum cor ab vno dæmone ad alium iactabatur, & sic mordentes vnusquisque in suâ parte super ipsum stercorabat. Sed si ipsa anima commisisset tale crimen denariorû cupiditate, prædicti dæmones ponebant in eius gutture aurum & argentum liquefacta: & in illis locis, in quibus habuerant gaudium, stabant serpentes ligati, licèt tamen ipsi serpentes in omnibus partibus eorum erant ligati, sed principaliter in partibus prædictis. Dæmones verò eis improperantes dicebant: O animæ miseræ, quæ ante fuistis *l* prouisæ, modo estis in ardenti igne, & patimini pœnas *m* vituperosas! destruxistis honorem Dei; & modò cruciamus vos ad patiendum pœnas infinitas.

parentum filias prostituentium.

k

l

m

Ipsæ verò dolorosæ animæ vociferabantur, & blasphemabant nomen Dei; & ipsi dæmones maximo cum terrore vnam animam cum aliâ collidebant: animæ verò parentum maledicebant filias, & animæ filiarum maledicebant parentes, qui fuerunt caussa tantorum malorum & cruciatuum, & sic insimul pugnabant & stabant in loco inferiori. D

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

69 Vidit insuper eadem ancilla Christi animas, quæ in hoc seculo vixerunt cum odio, quæ existebant sedentes in igne similes inuidiosis; secundùm quod supradictum est, & propter huiusmodi grauissimè cruciabantur. Et dæmones stabant cum certis pectinibus ferreis ignitis, cum quibus dilacerabant eas crudelissimè, & stabant in loco inferiori. Vidit insuper ancillâ Christi animas iudicum, quæ pretio falsas dederunt sententias, quæ missæ erant in vno magno tino pleno auro & argento liquefactis; & dæmones cum certis vncis ignitis recipiebant illas animas & de illo tino eas proijciebant ad certos dæmones ad hoc deputatos, qui erant in formâ leonis: & ab ipsis dæmonibus dilaniabantur & discerpebantur habentes mitras ignitas in capitibus. Et similes pœnas patiebantur animæ falsariorum, præsertim eorum, qui fecerant sacramenta falsa: Verùm istis falsarijs erant linguæ extractæ, & manus præcisæ, & dæmones eas cruciabant per omnes sensus cum quadam linguâ ignitâ & horribili, & taliter cruciatas ponebant in illo tino insimul cum iudicibus, & talia improperia ab ipsis dæmonibus recipiebant: Vos ô animæ dolorosæ & malè conductæ, à Deo estis maledictæ, & propter vestra mala ab igne estis concrematæ: denarij vos deceperunt, & *n* infra leones estis cruciatæ: & stabant in loco inferiori semper blasphemando.

[illegible] odia.

iniquorum iudicum.

peierantiû E

n

70 Cùm autem Dei famula propter prædictas visiones stupefacta staret, licet tamen à prædictâ societate confortabatur, vidit animas detractorum existentes in igne, quarum quælibet habebat executorem quemdam dæmonem habentem septem capita: & cum primo capite extrahebat linguam illius; cum alio verò capite comedebat ipsam suam linguam; cum alio capite expuebat ipsam linguam in ignem, & cum alio capite iterùm recipiebat ipsam linguam, & eam ponebat nimis ardentem in gutture illius; cum alio capite sibi excabat oculos, & cum alio ab ea extrahebat cerebrum per auriculas, & cum vltimo capite dilacerabat eius nares: sed cum suis manibus dilacerabat eam per totum: & postmodùm proijciebat in ignem cum quodam coopertorio igneo ferreo. Alij verò dæmones per suos sensus dilacerabant ipsam animam dantes sibi talia improperia: O anima desolata, quæ te permisisti decipi à tuâ sensualitate & permisisti te duci à mendacijs, de quibus faciebas veritatem, & *o* detrectationibus gaudebas, modò posita es in igne æterno, & à viperâ cruciaris & à dæmonibus vilitaris, & semper eris cruciata: & tales animæ erant in loco infimo semper nomen Dei blasphemantes.

detractorû.

F

o

71 Vidit etiam ibidem Christi famula illarum personarum animas quæ virginitatem corporalem in hac vitâ seruauerunt, sed mentalem minimè: quæ erant flagellatæ à dæmonibus crudelissimè cum certis catenis ignitis, & multùm lacerabantur ab ipsis dæmonibus, & erant positæ supra certa petia ferri ignita, & dæmones talia improperia eis ingerebant: O anima misera, quæ tuum bonum nequaquam cognosti, tuam pulchritudinem perdidisti propter tuum falsum apparere: nunc es in igne ardenti à dæmonibus cruciata & ab ipsis perpetuò vilipensa. Vidit insuper ista Christi ancilla animas viduarum vitiosarum impositas in vnâ arbore, in quâ erant ligatæ capitibus sursum erectis, sed inclinatis à partibus interioribus in partes posteriores: poma verò illius arboris plena erant vermibus, qui ipsis animabus immittebantur in ore & in gutture, & quidam terribilis draco circumdabat ipsas animas

virginum fatuarum à

viduarum vitiosarû.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

A animas, & earum linguas, & corda extrahebat, vtrumque dilacerabat, & ipsis animabus talia dabant improperia: O anima malè contenta, quæ non tibi prouidisti, sed didicisti mala, & à bonâ gratiâ decidisti propter tuam miseram vitam; nunc à dæmonibus es custodita, & eris in æternum cruciata. Cùm autem sic staret Dei famula, vidit animas illarum fœminarum quæ in vitâ suâ se venustabant, & quibusdam artificijs seu paramentis se pulchriores reddebant: & quia aptabant etiam earum capillos, in inferno pro earum capillis serpentes habebant, earum capita acriter mordentes. Alia petia ferrea ignita dæmones tenebant, plena acutissimis clauis ignitis, & propter studium quod habuerant se aptandi, per omnes earum partes imponebantur illi claui igniti, & illi serpentes eas mordebant in percussionibus clauorum crudeliter: dæmones verò eis dabant talia improperia: O animæ dolentes, quæ fuistis tantùm vanæ; nunc aptate vos in isto igne ardenti: ab istis serpentibus estis percussæ, & ab ipsis custoditæ p. Ecce quòd cecidistis, quia dum eratis in mundo, quasi dæmones eratis, & cum istis dæmonibus estis nunc sociatæ, & in æternum eritis in igne ardenti, nec vmquam habebitis requiem. Ipsæ verò animæ magnâ

mulierum nimis studiosarum suæ formæ.

B cum rabie blasphemant Dominum.

rotella — a *Ita* parmulam *seu clypeum appellant Itali à figurâ rotundâ.*

b *Id est, permittebant, vt iam alibi sæpiùs indicatum.*

c *Strias seu lineas; sic iidem nominant: vnde* rigare *lineas ducere.*

calciare — d A calcio, *quòd Italis est calcis impacti ictus, hic formatur* calciare, *impingere calces.*

tigha — e *Italicâ phrasi quâ pro copioso, nimio, abundanti, dicitur* souerchio.

veges — f *In Vita S. Romualdi* VII *Februarij num.* 92 *legitur*: Cœpit diabolus ante portellam cellæ quasi malleo vegetem sine cessatione percutere, & per reboantem syluam crebris audiebatur tunsionum ictibus intonare: *ad quem locum dubitauimus quid esset* quasi malleo percutere vegetem, *hinc autem discimus* vegetem *scriptoribus Italis dolium esse: & istic diabolum eo modo pulsasse ostium quo vietores dolia tundunt. Vulgo* veggie *dicuntur vini doliola, formâ ferè triangulari, vt commode hinc inde iumentis imponi, deponique ex iis humi possint: hinc vini quantitatem hodie per* veggias *numeratas indicant, vt frumenti per* Rubos. *Vt igitur antiquis* vehes *&* vehia *mensuram onerando sufficientem plaustro significabat: sic nunc mensura vini onerandis sufficiens iumentis dorsuarijs* veggia *est Italis, & vix dubitari potest, quin à Latinâ istâ voce fluxerit. Imò Academici della Crusca in suo vocabulario* veggiam *quoque pro* carratâ *sumi dicunt, & vehem ac*

C plaustrum *Latinè reddunt.*

g *Aliquid hic omissum à librario indicant hæc quæ addebantur verba*: tali modo quòd.

petium, petia — h *Italis rei cuiuscumque solidæ vt ligni aut ferri pars,* pezzo: *panni aut rerum similium,* pezza *dicitur; vtrumque Hispanis* pieça *est, Francis* piece: auri petias *etiam Anastasius Biblioth. habet in Benedicto III: & in Belgio nostrâ memoriâ* petiæ *numerabantur inter vestes sacrificales, eiusdem cum casulâ materiæ & coloris segmenta, quæ Albæ sacerdotali, ad repræsentanda Christi vulnera, circa extremas manicarum oras, itemque ad pedes assuebantur, nec non Amictui sacro: quod ritu Romano passim inducto abrogatum etiamnum seruat Ecclesia Cameracena, & varij in antiquis cœnobiis monachi.*

forcina. — i *Diminutiuum à* furcâ: *Latini veteres* fuscinas *dixerunt.*

capanna — k *Anguillaria* campanam *legisse videtur: sed genuinam hanc esse lectionem vix sinunt Academici prædicti dubitare, cùm docent* capannam *Italis non tantùm significare tugurium, Francis* cabane, *Hispanis* cabaña: *sed etiam pegma funebre quod alias* catafalco *dicitur.*

l *Ex vsu vulgi significat rei alicuius, aut etiam vniuersaliter rerum quarumuis ad necessitatem vel delitias facientium abundantiam.*

m *Vox Italica est pro turpi & inhonesto.*

n *Id est* inter, *iuxta sensum Italicæ præpositionis* fra, *quæ vtrumque significat, sicut & Germanis ac Belgis* vnther, onder.

detrectatio. — o *Deficiente latinitate inualuit vt* detrectare *seu* detractare *diceretur, pro eo quod est alienæ famæ detrahere: itaque Franci etiam nunc vsurpant* detracter.

p *Italicismus vulgaris* ecco che, *viden', seu videtin' quòd.*

CAPVT VII.

Tormenta, pro statuum & professionum diuersitate, diuersa.

72 Vidit etiam Christi famula illorum prædicatorum animas, qui vel adulando non reprehendebant reprehendenda, vel falsa immiscendo veris audientes inducebant ad aliquos errores: quorum animæ miseræ missæ erant in vnâ fornace tenebrosâ, serpentibus & sorditie plenâ, à quibus serpentibus dilaniabantur & conculcabantur crudeliter. Sed quando nitebantur complacere personis nolentes arguere suos defectus, stercora, quæ illi dæmones faciebant in formâ canum, ponebantur in earum gutturibus: deinde earum linguæ simul cum corde ab ipsis dæmonibus extrahebantur, & guttur earum implebatur igne: & quia aliquando hæreses immiscebant veritati, ipsi dæmones in formâ canum dilacerabant earum linguas & aures & cor. Post hoc ponebantur in quodam balneo pleno silicibus infocatis, & in eisdem collocabantur: & supradicti dæmones sua guttura implebant plumbo & sulphure & pice liquefactâ cum pluribus alijs rebus. Propter verò simoniæ peccatum supradictas patiebantur pœnas: sed insuper prædicti dæmones ponebant in earum gutturibus aurum & argentum liquefacta, & ab ipsis dæmonibus talia improperia eis dabantur: O anima maledicta, quæ in mundo prædicauisti & tuis falsis exhortationibus tot animas in æterna supplicia misisti, modò stas in æternis supplicijs propter tua falsa documenta: nunc pateris in æterno igne tot tormenta. Ipsæ verò dolorosæ animæ vociferabantur blasphemando propter dictas pœnas, & alias generales, quas etiam cum istis specialibus patiebantur. Post hæc Christi ancilla vidit animas Confessorum, qui propter simoniam in eorum gutturibus aurum & argentum liquefacta habebant, & adhuc in cuiuslibet collo imponebatur vna grauis machina & sic proijciebantur in vnam foueam tenebrosam plenam multâ sorditie. Posteà dæmones cum vncis ferreis ignitis ex illis foueis ipsas extrahebant dilacerando, exindeque ponebantur ab ipsis dæmonibus super scalas, in quibus erant nouaculæ ardentes & infocatæ, & vnus ex dæmonibus trahebat animam ex vnâ parte cum suo vnco ferreo, & alter dæmon ex aliâ parte ipsam animam trahebat per illas nouaculas acutas & ignitas. Item dæmones faciebant ignem subtus illam scalam, & talia supplicia eis inferebantur, eò quòd induxerant animas ad malefaciendum: deinde à dæmonibus talia eis dabantur improperia: O animæ, quæ fuistis sublimatæ, & à vestris criminibus permisistis vos in locum perditionis venire, nunc estis in igne concrematæ ad pœnas infinitas patiendas: despexistis Sacramenta, & à dæmonibus estis cruciatæ. Et tales animæ stabant in loco inferiori semper blasphemando & vociferando.

D — *Supplicia prauorum Prædicatorum*

E

& Confessariorum.

F

73 Cùm autem ista Deo accepta sic staret stupefacta, & nihilominùs à prædictâ societate confortaretur, vidit animas illorum, qui in vitâ fuere summi Pontifices, & degradabantur ad modum, quo in hac vitâ Præsbyteri seu Clerici propter sua peccata degradantur: tali modo videlicet, quòd eorum coronæ siue clericæ excoriabantur, & eorum digiti incidebantur ex manibus consecratis. Vidit etiam, quòd manuum digiti, & corium coronarum ponebantur in certo loco minùs vituperato. Vidit etiam, quòd animæ Præsbyterorum & Clericorum existentes in inferno simili modo degradabantur, de quo satis (animæ enim carnem non habentes talem patiebantur pœnam) admirata, fuit declarata à prædictâ societate, quòd sic erat in istâ, sicut in omnibus alijs rebus: quia post finale iudicium

Prælatorum

Ecclesiasticorum

A iudicium, quandò cum animâ simul corpus suscitabitur, simili modo patientur pœnas. Insuper prædicti dæmones capiebant frusta ferrea & ignita ad modum mitrarum, & ipsa imponebantur capitibus istarum animarum: deinde ponebantur in vno loco obscuriori & tenebrosiori alijs locis inferni: erat enim ille locus plenus multâ sorde & immunditiâ. Et illæ animæ in eamdem sordem mittebantur à dæmonibus, capite inferiùs misso, quod pœnæ damnum eis infligebatur pro cathedrali honore ab eis habito in hac vitâ: à quo loco sordido & immundo magnâ cum rabie à dæmonibus trahebantur, & collocabantur in igne ardentiori: licèt semper stetissent in igne, tamen hæc supradicta erat quædam pœna particularis. Ceterùm propter peccatum simoniæ, in gutturibus istorum dæmones imponebant aurum & argentum liquefacta. Etiam propter peccatum luxuriæ, si ab eis quoquomodo commissum fuerat, inter duas tabulas ferreas clauatæ [erant] clauis ignitis & acutissimis, & erat quælibet anima conclauata inter illas duas tabulas crudeliter. Post hæc abstrahebantur à stricturâ illius pœnæ à dæmonibus, in formâ luporum rapacissimorum existentibus, & dæmones ipsis animabus adijciebant talia improperia: O animæ quantùm estis tristes & vituperatæ! in alio seculo fuistis exaltatæ, nunc estis in isto
B igne cruciatæ, & à lupis rabidis & rapacibus deuoratæ: istam pœnam & plures alias sustinebitis & numquàm requiem habebitis. Et semper eis illudendo: ipsæ verò miseræ animæ semper blasphemabant nomen Domini & Sanctorum.

& Simoniacorum;

74 Vidit insuper ista Dei electa animas ludentium ad taxillos, quæ particulares has patiebantur pœnas, scilicet, quòd mittebantur & reuoluebantur in ossibus minutis, diuisis, missis in carbonibus ignitis: dæmones autem recipiebant taxillos ferreos ignitos, quos ponebant in manibus, & in gutturibus illis animabus. Faciebant etiam ipsas sedere in certis tabulis ferreis ignitis: ipsi verò dæmones stantes habebant certas scuticas, in quibus erant *a* pallottæ ferreæ ignitæ, cum quibus illæ animæ percutiebantur: & si propter ludum commiserant furtum, erant suspensæ: & si commiserant *b* tradimentum, erant diuisæ in quatuor partes: & si commiserant homicidium, decapitabantur: & sic quælibet puniebatur propter peccatum commissum causâ ludendi. Et dæmones imponebant aurum & argentum liquefacta in earum gutturibus propter inordinatam cupiditatem denariorum. Insuper ab alijs dæmonibus talia improperia eis ingerebantur: O anima
C misera, quæ permisisti te decipi, & ad talem locum duci, & tuâ ex voluntate victoriam nobis dedisti, & modò te tenemus in nostrâ potestate: semper nostris potestatibus subijcieris nunc & in æternum. Et tales animæ erant in loco inferiori, semper nomen Dei blasphemantes. Propter has verò horribiles visiones dum hæc Dei dilecta staret stupefacta, nihilominus confortata à prædictâ societate & exhortata, vt non dubitaret, sed firmam spem haberet in Domino; vidit vanorum *c* corigantium animas, quæ propter tale peccatum ab eis commissum imponebantur in quodam magno palo ferreo ignito, in quo quælibet earum erat ligata: dæmones verò crudeliter eam sagittabant. Et secundùm quod consenserat tentationibus mentis & carnis in choreis, sic ab eisdem sagittabatur: & postquàm de illo palo deponebatur, dæmones cum pedibus eam percutiebant, & terribiliter eius caput rumpebant. Postquàm verò illa anima surgebat, dæmones ei illudentes circum ipsam corigabant: & quilibet ex dæmonibus tenebat certa instrumenta ad modum neruorum, qui erant mixti cum *d* grappis ferreis ignitis, cum quibus ipsam animam percutiebant in illis partibus & locis, in quibus magis se delectabat in choreis; puta si cum oculis respiciendo, si cum auribus audiendo, perinde si cum linguâ cantando, linguam etiam percutiebant; & sic de singulis, sicut commiserat
D peccatum, in illâ parte, in quâ commiserat, percutiebatur. Insuper à dæmonibus talia ei ingerebantur improperia: O anima dolorosa & tristis, quæ in alio seculo fuisti philocapta de mundanis miserijs, nunc stas nobiscum cruciata & posita in profundo cum multis pœnis & æternis. Vidit insuper Christi ancilla animas fœminarum coniugatarum, quæ propter peccatum vanitatis tales patiebantur pœnas, quales superiùs dictæ sunt de fœminis ornatis seu se venustantibus: sed propter mala desideria ab eis commissa, erant scissæ à dæmonibus à capite vsque ad pedes: & in tali vulnere dæmones eis imponebant multos vermes: quæ quidem pœna eis dabatur propter fœdas cogitationes, & propter superfluas carnales delectationes: & multi serpentes circumdabant ipsas animas eas mordentes principaliùs in illis membris, in quibus se magis delectarant. Insuper propter peccatum superfluæ sollicitudinis ad se ornandum erant ab ipsis dæmonibus ad modum cuiusdam pilæ proiectæ & dilaceratæ. Insuper propter nimias cogitationes ponebantur in vno lecto pleno serpentibus & buffonibus & alijs horribilibus feris, & semper vociferabant, & Deum blasphemabant, & patiebantur etiam cum istis pœnis alias generales superiùs positas.
E

aleatorum,

choreis addictorum,

AVCTORE IO. MARTIOTTI.

vanarum mulierum.

75 Et hic est aduertendum, quòd ipsa Deo deuota dicebat, ipsas animas puniri plùs vel minùs secundùm loca, in quibus commiserant peccata; videlicet in loco profano vel sacro. Et intelligebat, quòd animæ recordabantur illorum locorum, in quibus peccauerant, & sic magis puniebantur intellectualiter: & audiebat qualiter animę damnatorum existentium in inferno blasphemabant crudeliter nomen Dei, & iniquè, & cum magnâ rabie, & cum tantâ iniquitate, acsi semper ab eo recepissent multa mala & nullum aliquod bonum. Blasphemabant etiam omnia mysteria sanctissimæ Humanitatis Domini nostri Iesu Christi; & ideò propter vitium ingratitudinis ipsæ miseræ animæ erant punitæ grauiter. Et quemadmodùm animæ in gloriâ existentium semper regratiant & laudem reddunt Deo, tum propter creationem, tum propter mysteria sanctissimæ Humanitatis, & propter omnes alias gratias ab eo receptas; sic animæ damnatorum blasphemant etiam propter istas supradictas caussas, quibus eum potiùs deberent laudare & benedicere. Blasphemabant etiam propter infinitam pœnam tantæ incogitatæ angustiæ, licèt hæc pœna est generalis omnibus animabus damnatis: nam aliquæ blasphemant mysterium Circumcisionis, & aliquæ mysterium sanctissimæ Apparitionis, & aliquæ sanctissimi Baptismi;
F aliquæ verò blasphemant pœnitentiam & ieiunium eiusdem Domini, & aliquæ sacrosanctum mysterium eiusdem Passionis, & aliquæ eiusdem Domini Resurrectionem, & aliquæ Ascensionem, & aliquæ Spiritus sancti immissionem. Et sic blasphemant & maledicunt omnes admirabiles operationes, quas Dominus operatus est pro nostræ redemptionis salute: & agunt hoc, quia fuerunt ingratæ tantorum beneficiorum eis collatorum. Insuper magis desperatè & maiori cum rabie blasphemant & maledicunt cælestem Reginam, & illam horam, in quâ fuit ordinata in pectore diuino, vt esset mater Altissimi: nam si humanatus non fuisset Dei Filius, non recepissent tam crudeles cruciatus. Et sic continuè blasphemant & maledicunt incessanter, cum tantâ iniquitate & rabie & desperatione, quòd, si nullam aliam pœnam paterentur nisi pœnam vociferationis & desperationis, esset eis quasi infinitum tormentum, licèt tamen alias pœnas patiantur generales & particulares secundùm peccata per eas commissa.

Blasphemia damnatorum in Deum;

in Christum;

in B. Virginem.

76 Cùm autem propter tam horribiles visiones Dei famula esset stupefacta, licèt confortata esset à prædictâ societate, vidit malorum medicorum animas existentes

Supplicia medicorum,

A existentes in loco inferiori, habebant autem capita inferiùs posita & pedes superiùs: dæmones autem cum aliquibus vncis dilacerabant ipsas crudeliter, & habebant frusta ignita ferrea, cum quibus eas cruciabant: quam pœnam patiebantur propter libros prohibitos, quibus vsi fuerant, & propter homicidia inaduertenter commissa: item etiam si alia commiserant homicidia malitiosè: item propter transgressionem Ecclesiasticã; quia medebantur infirmis, antequàm confiterentur & reconciliarentur cum Deo. Et sic stabant in loco inferni medio, in quo erant cruciatæ à Lucifero incatenato. Et propter peccatum ignorantiæ, quod commiserant, erant eis extracti oculi; & propter iniquam spem, quam habuerant sanandi infirmos, ob quam caussam non persuadebant eis quòd confiterentur & communicarent, videbatur ipsi Beatæ, quòd earum corda extrahebantur, & dabantur certis dæmonibus in formâ canum existentibus, à quibus dilacerabantur. Et propter pompam & vanam gloriam, quam habuerant in vestibus, cooperiebantur flammâ igneâ, licèt illa flamma non esset lucens, tenebrosa verò. Et propter peccatum cupiditatis dæmones imponebant in earum gutturibus aurum & argentum liquefacta. Et continuè nomen Dei blasphemabant, & ab ipsis dæmonibus talia improperia eis ingerebantur: O animæ dolentes, quæ sic fuistis obcæcatæ, vestrum interdum studium vos sic decipi fecit à vestrâ sensualitate, modò persistitis in his tormentis, ideò non conqueramini.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

B

Existens autem, vt dictũ est, Beata Francisca de dictis visionibus nimis admirata & stupefacta, vidit animas e aromata vendentium, quæ propter ignorantiam & cupiditatem maximas patiebantur pœnas, vt supra dictum est de medicis: ponebantur enim in vno tino pleno multâ sorditie, quæ eis dabatur propter medicinas iniustè compositas, & dæmones vncis eas extrahebant de illo tino eisdem inferentes opprobria: & aliqui alij dæmones existentes in formâ canum abstrahebant eis corda, & inuicem trahebant dilacerando; deinde talia improperia eis ingerebantur: O anima misera, quæ te permisisti decipi, nec fuisti prouisa in tuis malefactis, nunc pateris pœnas & tormenta in igne sempiterno.

e Epharmacopœorum;

77 Post hæc ipsa Beata vidit animas existentes in loco inferiori, & ponebantur in tribus tinis, quorum vnum plenum erat glacie, in quo ponebantur aliquæ illarum, ex eo quòd ponebant aquam in vegete, & ipsam vendebant pro vino: aliæ verò ponebantur in vno tino pleno vino ardente, quæ pœna eis dabatur propter malas mensuras: aliquæ verò ponebantur in alio tino pleno aceto, & alijs rebus, & in earum gutturibus ponebantur aurum & argentum liquefacta, quæ pœna eis dabatur propter cupiditatem. Illæ, quæ erant in glacie, cum vncis ferreis ignitis inde extrahebantur à dæmonibus, & ponebantur in vno alio tino pleno aceto & alijs rebus, & inde extractæ ponebantur ab ipsis dæmonibus supra carbones ardentes, & ab ipsis dæmonibus talia eis ingerebantur improperia: O animæ miseræ, quæ permisistis vos decipi, & derelinqui propter vestram gulositatem, modò statis & permanetis cum dæmonibus, cum cruciatibus & tormentis numquàm deficientibus. Vidit etiam ancilla Christi animas macellariorum, quæ patiebantur maximos cruciatus, & particulariter ponebantur in bilancibus, & in earum gutturibus ponebantur multi vnci ferrei, in quibus pendebant; ex alterâ verò parte erat vnum magnum pondus. Et hæc pœna eis dabatur propter peccata generalia, puta mali ponderis & aliarum fraudum, quæ in illâ arte exercentur. Et dæmones earum facies verberabant cum visceribus putridis plenis omni fœtore & omni spurcitiâ: quæ pœna eis dabatur, quia carnes vendebant putridas loco bonarum carnium, & carnes pecudum pro carnibus f castratinis, & consimiliter de alijs carnibus. Insuper ab illis dæmonibus ponebantur illæ animæ supra scamna, & eos minutim incidebant ad modum cuiusdam g salciciæ, & ab ipsis dæmonibus talia improperia eis ingerebantur: O miseræ animæ tantùm secutæ fuistis mundum & eius cupiditatem, à quâ numquàm fuistis retractæ: despexistis honorem Dei; nunc estis reductæ ad tale punctum, quòd non potestis vos iuuare. Ergo patimini cruciatus & tormenta sempiterna.

cauponum,

C

& laniorum.

D

g

a Rectiùs pallottæ vide dicta cap. 5 notat k

b Id est proditionem: quomodo tradere, Francis trahir prodere est; & traditor, traistre, idem qui Latinis, proditor. — Tradimentum.

c Titulus erat de corizatoribus à choreis aeductum verbale.

d Videntur significari vnci: ita Francis agraphes dicuntur vncini, quorum est in re vestiariâ vsus: Italis verò grappare & aggrappare atque dar di grappo est apprehendere, quasi ab adunca manu; vnde & Belgis est grabbelen. — Grappus.

e Titulus erat de speciarijs; quo nomine Itali etiam & præcipuè pharmacopœos intelligunt: ceterùm aromata vulgari vsu species dici, videre est 14 Ianuarij in Vitâ B. Odorici num. 11, estque omnibus vulgaribus linguis notissimum. — Speciarius

f Verueces, quorum infra secundùm annum mactatorum longè delicatiores sunt carnes quàm ouium annosarũ, castrati & castrones Italis dicuntur: oues verò pecoræ. — castratina caro,

g Salsicium non esse barbarum, sed benè Latinum contendit Io. Gerardus Vossius l. 1. de vitiis serm. p. 35 vbi Acronem vetustum Horatij scholiasten citat, qui hillam ait esse intestinum salsum vel vt alij dicunt fartum salsicium: & ex secando sicut insicium componi docet. Quidquid sit intestinum salsâ ac minutim concisâ porcinâ factum eâ voce nunc intelligunt Itali, quæ Francis saulcisse redditur. — salsicium. a.

E

CAPVT VIII.

De nominibus & exercitijs dæmonum.

78 Ceterùm ipsa Deo deuota B. Francisca quando erat in extasi, secundùm quod scribitur in quadam eiusdem Beatæ a visione, vbi tractatur de creatione Angelorum & eorum ostensionibus & distinctionibus, [narrauit Confessario suo] qualiter sibi ostensi fuerint illi Angeli, qui debebant b ruinare, & illi qui debebant persistere in diuino amore: & illius partis, quæ cecidit, tertia pars existit in inferno, & alia tertia pars existit in aëre, & alia tertia pars stat iuxta nos in hoc mundo, quæ quidem datur nobis ad exercitium. Et istorum spirituum sunt aliqui, qui tentant nos secundùm quod dicetur inferiùs: ad quarum distinctionem partiũ sic est intelligendum, quòd illi spiritus, qui secuti sunt Luciferũ ex propriâ malitiâ liberæ & absolutæ licentiæ, sunt reclusi in inferno, à quo numquàm exeunt, nisi si quando ex permissione diuinâ deberet fieri in mundo aliqua magna ruina propter hominum peccata; & tales dæmones sunt pessimi & iniqui. Sed illorum spirituum qui stant in aëreâ regione, & illorum qui sunt inter nos in hoc mundo, sunt duæ partes, & sunt ij, qui inter Deum & Luciferum nullam receperunt partem, sed tacuerunt. Dixit etiam Christi ancilla, quòd in inferno sunt ordinati tres principes subditi Lucifero ligato, qui principes stant supra alios dæmones ex diuinâ voluntate, quemadmodùm in gloriâ sunt tres gloriosi Angeli supra tres Hierarchias: & sicut illi tres gloriosi Principes Angelorum existunt de tribus supremis choris, tamquàm nobiliores & excellentiores, ita illi iniqui Principes inferni sunt iniquiores super alios ruinantium de suis choris: Princeps verò & caput omnium diabolorum est Lucifer ligatus, & nunc in inferno est ordinatus super vitium superbiæ, diuinâ iustitiâ iubente, præceptor & punitor & ordinator omnium dæmonum & damnatorum; & quantò erat nobilior Angelus, tantò est iniquior diabolus. Sed primus aliorum trium Principum vocatur Asmodæus, qui est supra vitium carnis inhonestum, & fuit de choro Cherubim; & alter Princeps vocatur Mammona, qui est supra vitium auaritiæ, & fuit de choro Thronorum; alter verò Princeps

Angeli lapsi trifariam diuisi: b

a

F

tres dæmonum Principes sub Lucifero,

Asmodæus, Mammona & Belzebud, a quibus mittitur dæmones,

A ceps vocatur Belzebuch, qui fuit de choro Dominationum, qui est supra vitium c idolatriæ, hoc est, super vitium sortilegorum & incantatorum, & est caput omnium tenebrarum & tenebrosorum locorum inferni, cui commissum est, dare tenebras super creaturas rationales: & isti tres principes cum Lucifero numquàm exeunt de inferno, licèt mittant alios dæmones in inferno existentes, quando aliquod maximum malum in mundo debet fieri, Deo permittente; præsertim quando illi dæmones, qui stant in aëre vel qui sunt inter nos non essent sufficientes ad faciendum illum perniciosum effectum, tantùm enim ob istam causam exeunt de inferno tamquàm iniquiores & malitiosiores ad illud malum faciendum, secundùm tamen diuinam permissionem, & non aliter.

in ipso inferno secundum triplicem Hierarchiam distincti:

79 Aliqui stant in inferiori loco inferni, & aliqui in medio, aliqui verò in superiori: sed qui in inferiori loco existunt, sunt illi qui fuerunt de supremâ Hierarchiâ, scilicet Cherubin & Seraphin & Thronorum; & stant, vt dictum est, in profundo loco inferni, & cruciantur tamquàm iniquiores, & deputantur ad cruciandum animas committentium maiora peccata, & subijciuntur Lucifero, qui est caput & Princeps supra vitium superbiæ, vt dictum est, & cecidit de choro Seraphico. Et ipsi dæmones supradicti, si quando exeunt de inferno propter prædictas caussas, exeunt B principaliùs tamen propter vitium superbiæ. Alij verò dæmones illorum, qui secuti sunt etiam Luciferum propter eorum malitiam, qui fuerunt secundæ Hierarchiæ, scilicet Dominationum, Principatuum & Potestatum, stant in medio inferni & sunt cruciati & cruciant animas ibidem existentes, quæ sunt subditæ principaliter Lucifero, & habent in eorum principem Asmodæum, qui fuit chori Cherubin, & est caput & Princeps supra vitium carnale inhonestum. Et alij dæmones, illorum qui secuti fuerunt etiam Luciferum propter eorum malitiam, fuerunt de infimâ Hierarchiâ Virtutum Archangelorum & Angelorū, & stant in loco superiori inferni, vt crucientur & crucient animas ibidem existentes, quæ principaliter sunt subditæ Lucifero, & habent in eorum Principem dæmonem vocatum Mammona, qui fuit de choro Thronorum, & principaliter est constitutus supra vitium auaritiæ: & sic dæmones ei subiecti, si quando exeunt, tentant homines in tot & tam diuersis modis, quòd esset impossibile imaginari. Alius verò Princeps Belzebuch nominatus, qui fuit de choro Dominationum, est à diuinâ iustitiâ caput & Princeps ordinatus super tenebras & loca tenebrosa, eò quòd omnes illi dæmones sunt ordinati in semetipsis, qui sunt innumerabiles: C sed iste Belzebuch ordinatur, vt sit cruciatus ab ipsis tenebris, & cruciet etiam animas quæ sunt in tenebris & adhærent incantationibus & maleficijs & sortilegijs dæmonum, quæ omnia dant multas tenebras mentibus humanis, & eas extrahunt à veritate in tot tantisque diuersis modis [contra] conscientiam & immaculatam fidem Catholicam per sortilegia & incantationes, quòd non posset nedum credi, imò etiam nec imaginari. Et quemadmodùm per diuinam iustitiam dæmones, qui peccauerunt propter eorum malitiam, stant diuersi in inferno: simili modo illi, qui sunt in aëre, qui fuerunt muti & tacentes dum Lucifer discederet à Domino, & neutram receperunt partem inter Luciferum & Dominum. Et sic stant ordinati ibidem à diuinâ iustitiâ illi qui fuerunt de supremâ Hierarchiâ insimul, & illi qui fuerunt de secundâ Hierarchiâ insimul, & similiter illi de tertiâ: sed in se ipsis nullum habent ordinem. Similiter illi dæmones, qui sunt infra nos in mundo (sicut dictum est de illis, qui sunt in aëre) diuinâ iustitiâ operante sic sunt ordinati, sed inter se ipsos nullus ordo est.

sicut & ij, qui manserunt in aëre,

80 Insuper illi maligni spiritus qui stant in aëre, persæpè faciunt grandines, tempestates & nebulas & ventos; quibus animas in carne existentes debilitant D & variant & in timorem inducunt, & sic faciunt eas in fide deficere & non confidere in diuinâ prouidentiâ. Animabus verò sic iam debilitatis ab istis aëreis spiritibus malignis, vt dictum est, illi qui stant inter nos commodiùs & citiùs faciunt ipsas animas inclinari in vitio superbiæ, quia inueniunt eas iam debilitatas. Illi verò, qui ceciderunt de secundâ Hierarchiâ & subijciuntur dæmoni Asmodæo, qui est caput inhonesti vitij carnalis, cum omnibus sibi subditis, qui sunt etiam inter nos in hoc mundo; inueniunt animas, vt dictum est, iam debilitatas ab illis spiritibus, qui sunt in aëre, & tentatas de vitio superbiæ, & ideò faciunt eas citiùs cadere & implicari in peccato carnali. Verùm illi, qui fuerunt de infimâ Hierarchiâ & stant etiam inter nos in hoc mundo, & subijciuntur Mammonæ Principi supra vitium auaritiæ, inueniunt animas debilitatas, & implicitas in peccato superbiæ & in peccato carnali, & idcircò citiùs eas cadere faciunt in peccato auaritiæ. Et sic Belzebuch princeps tenebrarum tales animas in superioribus peccatis iam debilitatas & inclinatas, citiùs tenebrosas facit & facit recedere à veritate: & sic miseræ animæ non resistentes, de vno peccato in aliud cadunt. Et licèt dicti Principes dæmonū habeant diuisa officia cum suis subditis supra diuersa E vitia, vt supra dictum est, tamen in malè operando insimul se intelligunt & mutuò se iuuant, vt animas perire faciant: nam postquàm anima in vno cadit vitio, & citò ab eo non recedit, ad alia vitia citiùs inclinatur.

AVCTORE IO. MATIOTTI. & qui inter homines conuersantur eos gradatim tentaturi.

81 Dixit etiam Christi ancilla, quòd diuina iustitia ordinauit istos dæmones in inferno, quemadmodùm sunt Angeli in gloriâ beatâ: nam Lucifer in inferno dominatur. Et quemadmodùm gloriosi Angeli obediunt præceptis diuinis quilibet in suo ordine, sic spiritus maligni quilibet in suo statu obediunt præceptis Luciferi, diuinâ iustitiâ hoc agente. Et hoc intellige tam de his qui sunt in inferno, quàm de his qui sunt in aëre, quàm etiam de his qui sunt inter nos: & omnes actus tentationis sunt in vno momento. Nullus verò eorum auderet tentare animas sine præcepto Luciferi; nec aliquas tentationes inferre possunt animabus, nisi quantùm placet & permittit pius & benignissimus Dominus. Adhuc etiam Lucifer videt omnes dæmones, qui sunt in inferno, in aëre & inter nos, & omnes mutuò se vident sine aliquo obstaculo, & quilibet eorum voluntatem Luciferi intelligit, diuinâ iustitiâ permittente & ordinante. Sed illi dæmones, qui sunt in aëre, maximas patiuntur pœnas, & generaliter inuicem se percutiunt, & maximos etiam F patiuntur cruciatus propter bona, quæ à bonis in hoc mundo fieri vident: quamuis etiam omnes alij dæmones propter prædictam caussam crucientur. Et licèt isti supradicti dæmones aërei non sentiant ignem infernalem, tamen in seipsis absque isto igne patiuntur magnas pœnas. Consimile accidit dæmonibus, qui stant inter nos. Sed illi maligni spiritus qui stant continuò in inferno, semper stant in igne æterno, & sentiunt pœnam ignis: illi verò, qui sunt in aëre, vel qui sunt inter nos, & fuerunt de supremâ vel secundâ Hierarchiâ, magis cruciantur quàm alij: similiter etiam illi de supremâ vel secundâ Hierarchiâ, qui sunt in inferno, magis cruciantur tamquàm malitiosiores alijs.

Omnium caput Lucifer.

Quomodo crucientur qui manent in aëre & inter nos:

82 Vtebatur d etiam B. Francisca, quando erant istæ maximæ tempestates in aëre, quæ procedebant ab illis spiritibus malignis aëreis, quas quidem ipsa cognoscebat, accendere candelas benedictas, & spargere aquam benedictam per domum: asserens quòd erat maximum remedium contra huiusmodi tempestates. Dicebat etiam, quòd dæmones qui sunt inter nos, sunt illi qui ceciderunt ab infimo Angelico choro, & dantur nobis ad exercitium: & similiter Angeli, qui nobis sunt concessi ad nostram custodiam, omnes sunt infimi chori:

d hi postremi sunt ex infimo choro,

AVCTORE IO. MATIOTTI.

A chori: sed illi dæmones qui nobis dati sunt ad exercitium, continuè laborant vt possint nos facere perire, & tot & tanti sunt modi totque astutiæ, & malignitates & subtilitates, quibus vtuntur ad tentandum animas, quòd felix est illa quæ euadere potest à tot laqueis & tentationibus. Nam anima semper vel per vnũ vel per alium modum e tintillatur & tangitur ab ipsâ turmâ dæmonum, nisi sit valdè vigorosa & fortis. Et quando animæ viriles non se permittunt ab eorumdem tentationibus superari, sed eis fortiter resistunt, ita quòd maligni spiritus, qui fuerant ex infimo choro non possint vincere ipsas propter earum conformitatem & virilitatem in Domino, tunc alij dæmones in eorum adiutorium veniunt astutiosiores & malitiosiores, & docent ipsos dæmones nobis datos ad exercitium qualiter debeant tentare & molestare animas viriles & resistentes, dando eis maximas oppressiones. Quemadmodùm accidebat ipsi B. Franciscæ, quæ non solummodò ab iniquo spiritu sibi dato, sed etiam ab illis, qui ceciderunt à choro Seraphico qui stant in aëre, & alijs qui sunt inter nos, non tantùm ab vno, sed à pluribus continuè molestabatur & tentabatur. Ipsa verò Christi ancilla cognoscebat & intelligebat, de quo choro ceciderant omnes; & quemlibet eorum, diuinâ operante gratiâ. Quando verò veniunt maligni spiritus ad B tentandam animam viriliter resistentem, aliqui ipsorum in fronte morantur ipsius animæ vigorosæ, & alij qui stant retrò tamquam proditores: quod sæpè contingebat ipsi Christi ancillæ, quòd illi qui retro eam stabant, faciebant actus & signa illis qui stabant ante, & illi alteri qui sibi datus erat ad exercitium: ipsa verò totum hoc videbat, & intelligebat in suo naturali sensu existens, videbatque ipsos malignos spiritus in diuersis speciebus, secundùm quod dictum est.

iuuantur ab alijs superioris Ordinis.

Quomodo eos distingueret B. Francisca.

Cùm damnatur anima,

83 Et vidit in beatifica visione quòd anima, quæ non habuit victoriam, dum viueret, à malignis spiritibus; postquàm exit de corpore, ille dæmon, qui ei datus fuit ad exercitium, cum magno impetu & furore eam ducit ad infernum; & alij dæmones, qui sunt inter nos sequuntur illam animam, eam acerbè cruciantes & magnâ cum rabie discerpendo quousque eam proijciunt in infernum, secundùm quod supra scriptum est. Posteà verò ille dæmon, qui sibi datus fuit ad exercitium illius animæ, insimul cum alijs dæmonibus, qui eum associauerunt ad cruciandum animam, magnum faciebant gaudium & lætitiam. Illa verò anima mittebatur in inferno capite inferiùs deiecto, & dæmones ad hoc ordinati à diuina iustitiâ mittebant illam a spere in C ore draconis: post cuius exitum ab illius ventre, alij dæmones ad hoc deputati à diuinâ iustitiâ eam portabant Lucifero, & posteà ab ipsis dæmonibus portabatur in locum ei deputatum, secundùm qualitatem & quantitatem peccatorum per ipsam commissorum. Sed gloriosus Angelus, cuilibet animæ datus in auxilium, in vitâ ipsius animæ ad dexteram eius partem semper assistit: postquàm verò anima, quæ damnari propter sua peccata debet, exit de corpore, ipsam associat quousque deiicitur in infernum; & ipsâ dimissâ, ascendit in locum sibi deputatum in gloriâ beatâ. Sed quando diuinâ operante gratiâ, anima deputatur ad Purgatorium, dæmon ille, qui ei datus fuerat ad exercitium existit extra Purgatorium (si tamen ipsa anima in loco inferiori Purgatorij existit) & ibi ipse dæmon cruciatur acerbè ex præcepto Luciferi, quod ipsam animã non potuit ducere ad pœnas inferni: & talis cruciatus est diuisus, & separatus ab alijs generalibus ipsi dæmoni præparatis. Et illa anima, quamuis stet in Purgatorio in loco inferiori, patitur tamen speciales pœnas propter horribilem ipsius dæmonis victoriam visionemque, & propter improperia, quæ recipit à prædicto dæmone dicente eidem, quòd tales pœnas patitur propter offensionem sui Creatoris, & consensum de ipsius dæmonis suggestione. Et postquam ipsa anima exit de loco Purgatorij inferiori, prædictus dæmon re- D manet cum alijs dæmonibus, qui stant inter nos: qui multùm illuditur ab alijs dæmonibus, quia propter suã ignauiam & negligentiam perdiderit illam animam.

triumphat dæmon ipsi attributus:

in Purgatorium ablegandæ insultat,

sed illuditur ab alijs quia victus.

84 Isti verò dæmones animabus ad exercitium dati, & ab ipsis, diuinâ opitulante gratiâ, victi & confusi, non ampliùs alijs animabus ad exercitium dantur: sed tamquàm miseri & tristes, alia, quæ possunt, committunt mala; & ad eorum confusionem aliquoties immittuntur in brutis animalibus, diuinâ permissione hoc agente, & aliquando etiam inuadunt corpora hominum & mulierum viuentium, & mentientes se asserunt esse spiritus defunctorum, quos etiam nominant plerumque, vt diffament ipsas defunctorum animas. Sed dæmones, qui lucrati fuerant animas, cum quibus coniuncti fuerunt ad exercitium ipsarum animarum, postquàm ipsas conduxerunt ad infernum, ipsi remanent inter nos tamquàm victoriosi, & validi pugnatores; posteà verò dantur alijs animabus in exercitium. Prædicti verò dæmones efficiuntur malitiosiores, doctiores, iniquioresque quàm fuerant priùs cum alijs animabus, propter malitias eis doctas ab alijs dæmonibus astutioribus & potentioribus, qui fuerant alterius chori, quando ipsi per se non poterant superare animas eis fortiter resistentes. Dixit etiam ipsa Deo E deuota quod quilibet dæmon datus ad tentandum animam, ipsam solummodo tentat, & non intendit tentationi aliarum animarum, sed totum suum studium ponit, vt tentet & deuiet animam cui inest, de alijs animabus non curando. Sed postquàm illa anima permittit se superari ab eo, ipsam tentat, & ei persuadet res indebitas contra proximum, ad hoc vt tali occasione faciat proximum tentari, peccare & scandalizari, & isto modo ille dæmon tentat & molestat alias animas. Prætereà Christi ancilla dixit quòd alij dæmones, qui fuerunt infimi chori, sunt similes illis dæmonibus datis animabus ad exercitium, & stant inter nos, & non tentant animas: sed cruciant illos dæmones datos animabus, qui non potuerunt vincere ipsas suis tentationibus & suggestionibus. Et hoc procedit ex diuinâ iustitiâ: nam quoties dæmon, qui animæ datur, tentat ipsam & eam superare non potest vel ad peccandum inclinare, toties ipse dæmon cruciatur super alios cruciatus generales. Etiam ipsa Beata suo Patri spirituali, eam per obedientiam interroganti, si cognoscebat vel intelligebat & discernebat hos dæmones vnum ab alio; tantùm illos qui ceciderunt de infimo choro, quãtum etiam de alijs choris; dixit quòd supradictos malignos spiritus cognoscebat, per eorum astutiam & F malignitatem nimiùm ab alij spiritibus differentes: quia hoc videbat & intelligebat in ipsis dęmonibus & in eorum tentationibus & conflictibus, quos dabant sępè ipsi Beatæ & alijs personis.

Dæmones victi officio tentandi excedunt,

victores in eodem stabiliuntur:

iidem victos dæmones cruciant.

85 Dixit insuper ipsa Beata, quòd quando Iesu sanctissimum nomen nominatur à personis in hoc mundo existentibus cum deuotione, omnes dęmones tam existentes in inferno, quàm in aëre, quàm etiam inter nos constringuntur ad genuflexionem, & non ex propriâ voluntate, sed ipsis inuitis. Vnde semel accidit, quòd cùm ipsius pater spiritualis loqueretur cum ipsâ de rebus spiritualibus, ipsa nominauit nomen Iesu: aliqui verò dæmones, quos ipsa Beata videbat in diuersis speciebus, cum suo ore, percutiebant terram cum magnâ reuerentiâ. Sed quantùm illa persona, quę istud nomen nominat, existit in maiori caritate & perfectione, tantò maiori pœnâ & tormento cruciantur dęmones. Item quando à peccatoribus transformatur in blasphemationem vel in vanum nominatur, quia ipsi dęmones constringuntur ad ipsam reuerentiam, licèt inuiti, tunc inclinantur; sed non tristantur, sicut quando laudatur & benedicitur: sed tunc scilicet quando blasphematur, gaudent ipsi dęmones & lętantur propter peccatum tunc commissum: & isto modo aliqualiter

Pronunciato piè nomine omnes genu flectunt & cruciantur:

cùm hoc impiè fit, solum genu flectunt:

A qualiter lętantur, aliqualiter triſtantur, quia obligantur eidem reuereri, vt de eis dictum eſt. Item quoties nomen Ieſu nominatur ſiue per vanitatem ſiue per blaſphemiam ſiue per periurium, omnes glorioſi ſpiritus in patriâ exiſtentes Angelici ſiue humani magnâ cum reuerentiâ genuflectuntur: non tamen cum illa lætitiâ, ſicut quando laudatur & benedicitur: ſed tamen cũ ſummâ reuerentiâ. Et quando laudatur & benedicitur, & præſertim à perſonis Deo acceptis, maximam ſibi exhibent reuerentiam cum indicibili lætitiâ. Conſimiliter de alijs Dei nominibus & glorioſæ Virginis ſpiritus glorioſi tam Angelici quàm humani gloriantur in patriâ, ſecundùm merita nominantium ipſa beata nomina. Et idcirco quoties illud ſanctiſſimum nomen ab ipſâ Beatâ nominabatur, vel ab aliquo coram eâ exiſtente, ille glorioſus Angelus, quem ipſa continuè videbat, lætiſſimo vultu atque iucundo aſpectu faciebat reuerentiam, ita gratioſè quòd ipſa Chriſti famula hoc videndo in amore diuino tota inflammabatur. Dixit inſuper hæc Dei famula, quòd [quando] animæ in hac vitâ exiſtunt induratæ in peccato mortali, ſpiritus maligni ſuper eas ſtant & eis dominantur in diuerſis modis & ſpeciebus, ſecundùm qualitatem & quantitatem

ſimiliter ſpiritus glorioſi gaudent.

Peccatoribus dominantur dæmones: pœnitentibus ſolum ſunt infeſti.

B peccatorum. Sed quando prædictæ animæ recipiunt contritionem & confeſſionem illorum peccatorum, dæmones non eis ampliùs dominantur, nec ſuper eas exiſtunt, ſed circumquaque prope eas, tentando ipſas, ſi aliquomodo poſſint per aliquam ſuggeſtionem ad eas intrare, & dant eis maximam moleſtiam cum ſuis tentationibus: tamen poſt bonam confeſſionem non poſſunt eas tantùm moleſtare, quia ipſi maligni ſpiritus efficiuntur debiliores.

a *Scilicet, 17, num. 46.*

ruinare. b *Frequentiùs neutraliter pro* corruere, *quàm actiuè pro* deſtruere, *accipi ab Italis, hoc verbum à ruinâ ductum patet ex vocabulario Academicorum della cruſca.*

idolatria c *Ita contractim Itali pro* idololatria: *vti etiam* idololatras, idolatros *dicũt. Eamdem contractionem Gallica quoque & Hiſpanica vulgares ſeruant.*

vti *pro* ſolere d *Secundùm idiotiſmum Italicum quo* vſare *ſignificat* ſolere.

tincillare e *Videri poſſet ex Latino* titillo *vnius litteræ adiectione fluxiſſe: niſi in Teutonicâ linguâ* tinten *&* tintelen *diceremus leui tactu explorare; propriè quidem in arte chirurgica (in quâ & peniculum & ſpecillum vulnerarium* tinte *in noſtrâ, Hiſpanicâ & Italicâ lingua dicitur) tralatitiè verò in alia quacumque explorandi ſeu tentandi ratione: vt vix dubitare liceat, quin hæc ſint à barbaris.*

CAPVT IX.

De pœnis Purgatorij & ſpiritibus glorioſis.

C 86 Iſte nomine ſanctiſſimæ Trinitatis incipit tractatus Purgatorij: in quo tractabitur, Deo fauente, de viſionibus B. Franciſcæ oſtenſis de locis Purgatorij; quas quidem viſiones ipſa Beata interrogata à ſuo Patre ſpirituali eidem per obedientiam reuelauit, qualiter poſt viſiones abyſſi infernalis ſuperiùs dictas fuit ducta ad locum Purgatorij, in quo ſunt tria diuerſa loca, quorum vnus inferior, alius verò medius, & alius ſuperior. Et vidit in introitu litteras ſcriptas ſic dicentes: HIC EST PVRGATORIVM, SPEI LOCVS: ET ANIMÆ HIC EXISTENTES HABENT INTERVALLVM PRO DESIDERIO. Ipſa vero Beata ſentiebat illam ſocietatem, de quâ dictum eſt ſuperiùs in tractatu inferni, ſcilicet Angelum Raphaëlem, qui quidem Angelus ſic ei dixit: Iſte eſt locus Purgatorij in quo animæ ſtant ad purgandum earum defectus, & alio nomine vocatur ſpei locus. Ille verò locus inferior erat plenus igne claro, & diſſimili igni infernali, qui eſt niger & tenebroſus, ſicut dictum eſt. Iſte verò ignis Purgatorij habet maximam flammam & rubeam, & animæ ibidem exiſtentes interiùs illuſtrantur propter gratiam, quam habent; quia intelligunt veritatem, & determinationem temporis. Illæ animæ, quæ grauia peccata commiſerunt mittuntur ab Angelis in illo igne, & ſtant in eo ſecundùm

Purgatorij locus trifariam diſtributus:

inferior plenus igne, ſed lucente,

D qualitatem & quantitatem peccatorum per eas commiſſorum. Et ab ipſâ ſocietate declarabantur ipſi B. Franciſcæ res ibidem per eam viſæ. Et quamuis omnes in illo inferiori loco fuiſſent copertæ flammâ ignis, tamen ille met ignis ardentiùs cruciabat vnam animam quàm aliam, ſecundùm qualitatem & quantitatem peccatorum: & poſt tempus debitum exeuntes de illis pœnis aſcendunt ad ſecundum locum. Dixit inſuper hæc Dei ancilla, quòd quælibet anima exiſtens in igne Purgatorij, pro quolibet peccato mortali per eam commiſſo debet ibidem manere per ſeptem annos.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

grauioribus peccatis deputatus.

87 Vidit inſuper ipſa Beata illos dæmones, qui fuerunt dati ad exercitium illis animabus exiſtentibus in illo igne; & omnes ſtabant extra Purgatorium ad ſiniſtram partem illarum animarum. Et ipſę animæ magnam patiebantur pœnam propter ipſorum horribilem viſionem, & etiam propter improperia ab ipſis dæmonibus eis illata. Dicebant enim ipſis animabus: Ecce quòd iſtas pœnas patimini propter offenſiones per vos factas Deo veſtro, qui vos creauit & redemit & gubernauit, & potiùs voluiſtis ſequi noſtras illuſiones & perſuaſiones, quibus factæ eſtis nobis ſubditæ, quàm præcepta Dei, & ideò ſtetis ibi. Et licèt in igne

prope quem dæmones aſpectu ſuo cruciant animas,

E magnas paterentur pœnas, tamen pœnę eis augebantur propter huiuſmodi improperationes, diuinâ iuſtitiâ hoc agente. Sed ipſę animę ibidem exiſtentes alios cruciatus non patiuntur à dęmonibus, niſi de improperiis: nam ipſi dęmones ſtant extra locum prędictum, & ipſi dęmones etiam cruciantur à Lucifero, diuinâ iuſtitiâ hoc operante, quia perdiderunt animas exiſtẽtes in Purgatorio. Dixit inſuper hæc Beata, quòd animæ exiſtentes in illo igne Purgatorij propter graues pœnas, quas ibidem patiuntur, vocibus pijs & humilibus continuè clamant, quòd nemo in hac vitâ poſſet intelligere nec imaginari. Cognoſcunt nempe omnes quòd iuſtè & dignè quidem à diuinâ iuſtitiâ tales eis pœnæ ingeruntur, & quòd ipſæ benè meruerunt has pœnas ſuſtinere, & propter huiuſmodi clamores affectuoſas aliquas recipiunt conſolationes: non quòd propterea eijciantur de illo igne, ſed reſpicit diuina bonitas & miſericordia, quòd de illis pœnis contentantur; & aliquod inde refrigerium recipiunt, ſcientes, quòd ſunt venturæ ad gloriam beatam. Dixit inſuper hæc Deo dilecta, quòd animarum exiſtentium in Purgatorio quadam cognitione intellectiuâ vna cognoſcebat peccata alterius, propter quæ patiebantur illas pœnas; & omnes contentabantur de iuſtitiâ Dei punitiuâ.

diuinæ iuſtitiæ humiliter acquieſcentes;

& mutua peccata cognoſcentes;

88 Vidit inſuper, quòd ille glorioſus Angelus qui cuſtodiuerat animam, eam ducebat ad prædictum locum Purgatorij inferiorem, ſi hoc merebatur; & expectabat eam foris à parte dextrâ illius loci: & malignus

F ſpiritus eam expectabat à parte ſiniſtrâ, omnes tamen extra prædictum locum. Illa autem ſuffragia, quæ fiunt pro animabus exiſtentibus in quolibet loco Purgatorij à conſanguineis vel amicis vel à quibuſcumque, ſolâ caritate inſpectâ, præſentantur diuinæ Maieſtati ab illo Angelo, qui datus fuit animæ ad eius cuſtodiam. Et diuina ordinatio illa ſuffragia reddit illi Angelo, qui eam cuſtodiuit in vitâ: ille verò Angelus communicat illa bona illi animæ, pro quâ facta fuerunt, ad remedium & alleuiationem pœnarum. Dixit iſta Dei ancilla, quòd Angeli glorioſi dati in cuſtodiam animarum præſentant omnes bonas operationes per ipſas animas factas dum viuerent in carne, & è contrario dæmones earum accuſant peccata. Item dixit, quando aliqua perſona dimittit aliqua bona facienda poſt eius mortem, benigniſſimus Dominus recipit ſuam bonam voluntatem, & illi animę dat meritum; dato etiam, quòd talia per eam dimiſſa bona non obſeruantur: ſed ſi propter carnalem affectionem ea dimittit, quòd fiant, ſcilicet illa bona poſt determina-

ſuffragia his impenſa applicantur per Angelos,

& pia opera poſt mortem decreta.

A tum tempus, tunc iste iudex iustissimus nullum tali animę dat meritum nisi post tempus determinatum per eam.

AVCTORE IO. MATIOTTI.

Sacerdotū & Clericorum culpa in loco infimo expiantur.

89 Quodam alio tempore post receptionem sanctissimę Eucharistię, ista Deo deuota in extasi existẽs & interrogata à suo Patre spirituali per obedientiam sibi dixit, quòd in loco inferiori Purgatorij erant tria loca separata; & in illo loco, vbi maiores infligebantur pœnę, stabant animę sacerdotum, in quâ quidem parte ignis erat ardentior: in secundâ verò parte erant animę Clericorum non habentium Ordinem sacerdotalem, in quâ parte ignis non erat tam ardens: in aliâ verò parte erant animę hominum secularium, qui maxima commiserant peccata, in quâ quidem parte ignis erat non tam ardens, quàm in secundâ. Et quamuis Sacerdotes non commisissent tam grauia peccata & ponderosa, quantùm illa quę commiserant alij seculares: tamen maiores patiebantur pœnas propter eorum dignitatem, quam non seruauerunt & honorauerunt secundùm meritum ipsius dignitatis: & etiam quia maiorem habuerunt cognitionem, quàm alij seculares: & consimiliter de Clericis. Dixit insuper, quòd [licet] Sacerdotum animæ, vt dictũ est, starent insimul in vnâ B parte, tamen aliquæ maiorem patiebantur pœnam quã aliæ, secundùm circumstantias, & qualitates & quantitates peccatorum; & insuper secundùm qualitatem personarnm existentium in dignitate, & sic de illis alijs duabus partibus dictis. Nam secundùm quod anima propter peccata commissa punitur ibidem, sic in illis stat pœnis vel maiori vel minori tempore. Et istas vltimas materias hæc Christi ancilla ideò dixit suo Patri spirituali per obedientiam interrogata, quia illâ horâ vnus Sacerdos transiuit de hac vitâ mortali, & in illamet horâ hoc fuit sibi ostensum existenti in beatificâ visione, cuius animam vidit vnum pannum habentem ante oculos, & fuit sibi ostensum, quòd illud vituperium patiebatur, quia satisfecerat suo desiderio in comedendo secundùm suum appetitum: etiam quia non se exercitauerat secundùm dignitatem habitam in curâ animarum, quam habebat, & ideò eius anima fuit missa in igne Purgatorij cum alijs Sacerdotum animabus, licèt ille fuisset in suâ viâ honestus Sacerdos, cuius nomen pro meliori tacetur.

Sciũt grauiora peccata:

B. Francisca sacerdotis gulosi pœnas cognoscit.

90 Post hæc felix anima B. Franciscæ ducta fuit ad videndum locum Purgatorij medium, in quo etiam erant tria diuisa loca, in quibus diuina iustitia operabatur. In quorum primo erat locus plenus glacie frigidissimâ: secundus locus erat plenus pice liquefactâ & mixtâ cum oleo feruentissimo & cum certis alijs rebus C plenis pœnarum: alter verò locus plenus erat aliquibus metallis liquefactis, puta auro vel argento, ac si esset quædam materia clara: in quo loco medio, præuiâ diuinâ occasione & operatione, erant constituti triginta & octo Angeli, qui recipiebant animas, quæ existentes in corporibus non commiserant ita grauia peccata, vt mererentur stare in loco inferiori, & ipsas vicissim ex vnâ parte mittebant in aliam & è conuerso: & hoc erat continuum illorum exercitium, & recipiebant ipsas gratiosè mutando eas de loco in locum magnâ cum caritate: qui quidem Angeli non erant ex illis datis ad custodiam ipsis animabus, sed erant alij Angeli ad hoc ordinati à diuinâ custodiâ & misericordiâ. Insuper hæc Christi ancilla vidit, quòd licèt illa suffragia & bona caritatiuè facta specialiter ab amicis pro aliquibus animabus existentibus in loco Purgatorij, ipsis pro quibus fuerunt magis proficiant; nihilominùs propter caritatem etiam animabus alijs existentibus in Purgatorio proficiunt. Vidit etiam, quòd orationes & eleemosynæ & suffragia, quæ fiunt caritatiuè pro animabus, quæ sunt in gloriâ quæ ipsis non indigent, talia bona proficiunt primò illas facientibus, secundò proficiunt animabus existentibus in Purgatorio. Etiam quòd suffragia à viuentibus facta pro animabus quæ existunt in inferno, nec ipsis pos- D sunt proficere, nec etiam animabus existentibus in Purgatorio, pro quibus nec suffragia, nec eleemosynæ fiunt. Et hoc etiam est generale omnibus animabus existentibus in Purgatorio, quòd suffragia à viuentibus facta, pro animabus, quæ existunt in inferno, nec ipsis possunt proficere nec etiam animabus existentibus in Purgatorio, sed solummodò resultant in vtilitatem illa facientium. Et vidit in dicto loco medio aliquas litteras scriptas dicentes: PVRGATORIVM. Et nota, quòd, quando ipsa Deo deuota fuit ad videndum infernum, & postmodùm Purgatorium, erat hora vespertinâ *a* & stetit in illâ visione vsque ad horam Cõpletorij: & tamen ipsi beatæ visum fuit, quòd steterat per maximum tempus. Ex quo cõsiderandum est, quòd animabus existentibus in illis pœnis minima pars temporis maxima ab eis consideratur.

Locus Purgatorij medius pro leuioribus peccatis tripartitus.

Suffragia Beatis vel damnatis impensa quibus prosint.

91 Vidit etiam hæc gloriosa Mater, quòd quando felices animæ ascendunt ad gloriam æternam, & reponuntur in stationibus eisdem deputatis; licèt in choris, per quos transeunt, eis fiat lætitia magna cum iubilo per Angelos in eisdem choris existentes; tamen Angeli, qui stant in choro, in quo collocari debent, maiorem lætitiam & gaudium ostendunt, laudantes & E gratias reddentes benignissimo Domino: & in eodem choro diutiùs perseuerat illa gaudij festiuitas, quàm in alijs supradictis. Et quoties ipsa Beata lætitiam Angelorum propter aduentum felicium animarum ad patriam volebat exprimere, quando per obedientiam à Patre spirituali interrogabatur, ipsius facies tota inflammabatur considerando vocum Angelorum suauitatem, & multitudinem ipsorum & spirituum humanorum, cum tantâ melodiâ & exultatione resonantium, quòd lingua humana exprimere non posset tot laudes, tot gratias, [quas] Creatori referebant de illâ vnitate transformatâ & caritate perfectâ: & ideò non solùm inflammabatur, sed etiam ad modum ceræ ad ignem positæ tota liquefiebat. Vnde quodã semel, dũ eius Pater spiritualis eam per obedientiã interrogaret, qui erat perfectiores spirituum humanorũ & Angelorum, quos ipsa sæpè in sacris visionibus viderat; ei respondit quòd spiritus humani in gloriâ existentes sunt maioris perfectionis, ex eo quòd sunt maioris *b* capacitatis: sed spiritus Angelici sunt puriores & pulchriores, & sunt etiam maioris subtilitatis in comprehensione diuinâ: item in suo cantu sunt suauiores, & cum maiori melodiâ laudantes, & benedicentes, & gratias reddentes Domino: sed melodia Reginæ cælestis transcendit melodias omnium spirituum Angelicorum & humanorum. F

Iubilũ Angelorum in glorificatione animarum:

inter eos diuersi perfectionum gradus,

92 Dixit insuper ipsa B. Francisca, quòd quando erat in beatificâ visione respectu illorum spirituum humanorum in gloriâ existentium se despiciebat *c* per inscitiam, eo quòd adhuc persistebat in carne mortali: & in suâ comprehẽsione vel capacitate. Cùm [verò] se considerabat in speculo diuino, non solũ admirabatur quòd non poterat comprehendere profunditatẽ diuinitatis; sed etiã stupebat quoties cõsiderabat subtilitatem acutissimam & penetratiuam, quàm videbat & intelligebat in spiritibus Seraphicis, quantùm ad comprehensionem abyssi diuinitatis: sed per ampliùs & largiùs admirabatur considerando profunditatem diuinitatis, creatricis & gubernatricis eorum spirituum. Dixit insuper, quòd spirituũ ordinis Seraphici in cõprehensione intellectiuâ vnus est intelligentior altero, & similiter cuiuslibet alterius chori Angelorum vnus alterum excedit secundùm eorum capacitatem, & simile est in spiritibus humanis. Idem quod dictum est, secundùm quòd spirituum ordinis Seraphici vnus altero sit intelligentior & perspicacior, intelligitur etiam in quolibet choro aliorum octo: nam secundùm quod quælibet statio proximior est diuinitatis, sic eiusdem diuinitatis habet proximiorem intelligentiam & cognitionem.

ad quorum excellentiã obstupescit Beata.

Intellectus Angelica diuersa subtilitate.

A gnitionem. Vidit etiam, quòd in omnibus stationibus cuiuslibet chori omnes Angeli existentes in vna statione sunt similes in nobilitate vel subtilitate, licet differant in stationibus, vt iam dictum est.

93 Dixit insuper quòd sunt aliqui spiritus humani in gloriâ beatâ maioris perfectionis: & hoc fit, quia dum vixerunt in carne, fuerunt maioris capacitatis & intellectus subtilitatis, & secundùm eorum capacitatem secutæ sunt operationes in eorum intellectibus, & ideò magis penetrauerunt & comprehenderunt in abysso diuinitatis respiciendo in diuino speculo, in cuius visione consistit beatitudo. Et quantò spiritus est capacior vel intelligentior, tantò ampliùs satiatur in beatificâ visione: & licèt omnes spiritus ibidem existentes sint pleni, & satientur beatificâ visione, tamen vnus plùs alio maiorem recipit intelligentiam, secundùm eius capacitatem & subtilitatem in comprehensione diuinę voluntatis: & ipsi Apostoli, quando fuerunt in carne, vnus altero maiorem recepit gratiam in aduentu Spiritus sancti, & secundùm quòd quilibet erat capacior & subtilior in intellectu & in virili animo, & sic sunt nunc in gloriâ beatâ. Et hæc quæ dicta sunt, comprehendebat B. Francisca, quando erat in extasi B in diuinis visionibus: quia quoties inspiciebat in diuino speculo vera inspiciebat & intelligebat cognitionem, capacitatem, subtilitatem spirituum humanorum, quam habebant in diuinâ comprehensione; & similiter spirituum Angelicorũ cuiuslibet chori intelligebat, & comprehendebat[eorũ] nobilitatẽ & subtilitatẽ. Et in omnibus istis ipsa Christi ancilla se submittebat Sanctæ Matris Ecclesiæ determinationi, cum quâ semper desiderabat viuere & mori. Laus sit Deo. Amen.

Sunt & inter animas sanctas

Quomodo hæc intelligeret Beata,

a *Videtur hoc omnino intelligi debere de sola prima visione: nam posterior de eadem re visio contigit in extasi post communionem, & fortè satis diu ante meridiem susceptam iuxta populi Romam consuetudinem, sacra summo mane frequentantis, & Cleri post tertiam quartamúe à solis ortu horam è templis recedentis, maximè æstiuo tempore.*

b *Fortasse propter maius spatium temporis eis ad merendum & continuò augendam perfectionem dati: cùm Angelorum via ex communi SS. Patrum doctrina breuis admodum fuerit; ac proinde paucis actibus æterna eisdem acquisita felicitas.*

c *Id est, propter inscitiam, vt alibi monuimus.*

EPILOGVS

De obitu S. Franciscæ.

94 POstquàm superius dictum est de vitâ, & visionibus, & miraculis huius Christi famulæ B. Franciscæ, nunc in breui epilogatione dicendum est, qualiter ex huius tenebrosi mundi caligine ad supernas, vinculo carnis soluto & æthereas migrauit visiones. Anno igitur Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo, mensis verò Martij die secundâ, cùm ille Dei Patris summa sapientia Iesus Christus, vellet suam dilectissimam sponsam B. Franciscam, quam in vitâ fecerat gloriosam, adueniente vltimâ horâ reddere gratiosiorem gloriosioremque, quadam nocte infirmitas eius corpus grauiter molestauit: die verò sequenti dixit ipsa Beata suo Patri spirituali, quòd vellet recipere sollicitudinem de rebus ad suam animam pertinentibus. Nocte verò immediatè sequenti benignissimus eius sponsus suam famulam visitare dignatus est, eidem apparens in formâ suæ sanctissimæ humanitatis, maximo cum splendore & Angelorum multitudine ipsum sociante, & vultu iucundo, magno cum iubilo & lætitiâ, eidem prædixit, qualiter die septimo, proximè venturo à die inuasionis infirmitatis, post tot tantosque ab inimicis gloriosos triumpalesque conflictus, eiusdem suæ famulæ anima ad æthereas cum Angelis peruenire deberet mansiones. Sed postquàm omnia salutifera Sacramenta recepit die quartâ suæ infirmitatis, vidit quamdam catenam ignitam cælum tangentem, & in vno magno flumine fixam in terrâ: quæ quidem catena denotabat ardentissimum amorem, quem ipsa Dei famula gerebat ad suum diuinum sponsum; & ideò illa catena erat in cælo circumligata. D

An. 1440 infirmata,

à Christo ad gloriam inuitatur:

Sacramenta suscipit.

AVCTORE IO. MATTIOTTI.

95 Die autem prædictâ eius Pater spiritualis, dum Missam celebraret in loco, vbi Christi famula iacebat infirma; postquàm Hostia fuit consecrata, ipsa Beata fuit rapta in extasim, & habuit visiones magis penetratiuas, quàm vmquam habuisset in diuino amore: & sic stetit per aliquod spatium. Tunc eius Pater spiritualis, cum certis ipsius Dei famulæ in Christo filiabus, ad eam accesserunt cum lacrymis, eidem supplicando quòd vellet aliquantulum differre tantum desiderium ad beatam gloriam eundi, saltem propter necessitatem & vtilitatem animarum eidem commissarum. Quæ, vt sui moris erat, cum gaudio interiori humiliter respondit, quòd erat contentissima sequi diuinum beneplacitum, cui se totaliter committebat, more Sancti Martini non recusando laborem, si diuinæ voluntati beneplacitum erit. Et quamuis eius venerabile corpus, propter magnam infirmitatem, quasi totum disiunctum esset: tamen eius mentalis fortitudo ita in se solidabatur, quòd nec verbo nec actu aliquo exteriori comprehendi potuisset labor corporis vel mentis. Erat E enim tanta sua magnanimitas & constantia, quòd in magnam (nec mirum) admirationem inducebat personas ibidem existentes. Si enim dum vixerat, tamquam fortis & circumspectus miles & constans, contra malorum spirituum conflictus extabat; tantò maiori, in illâ extremâ hora & puncto, fortitudine & constantiâ se gessit, tamquam in horâ triumphandi: & assistentibus eius in Christo filiabus insimul coram eâ, ipsa beata Mater eas sermone intentissimo monuit ad mutuam caritatem, & quòd semper essent feruentes in Dei amore: prædicens eisdem quòd si insimul essent vnitæ, semper essent constantes & magnâ cum fortitudine resisterent omnibus tribulationibus eisdem aduenientibus; & quòd in nihilo dubitarent, sed maximâ cum fiduciâ confiderent in benignissimo Domino, qui semper eas iuuaret & in omnibus necessitatibus eisdem subueniret.

vitam longiorem non recusat:

magna est fortitudine

dat suis extrema monita:

96 Ipse verò benignissimus Dominus, cùm eam in vitâ ostendisset sibi dilectam, in morte voluit ostendere dilectissimam. Sciebat namque ipsi Beatæ dùm F viueret, tædiosissimum esse malignos videre spiritus, sicut sæpè erat solita videre, tam ipsam molestantes quàm etiam proximum: in morte verò noluit eam per malignos spiritus aliqualiter molestari, sed ab eorumdem visione ipsam totaliter expertem reddidit. Ille verò Angelus gloriosissimus, de quo supra a dictum est, telas ordiebatur, & faciebat suum exercitium, laborãdo velociùs & cum maiori hilaritate quàm priùs solebat: qui actus erat in signo ipsius famulæ Christi obitus. Et sicut in toto tempore suæ vitæ perseuerabat in laudibus & gratijs summi Dei, optimè recognoscendo sua beneficia & gratias ab eo receptas; sic perseueranter in istâ vltimâ infirmitate continuè laudabat & regratiabatur altissimo Creatori, & semper dicebat horas consuetas dietim in sua infirmitate, & orationem Dominicam semper suis digitis designabat, & sic, in tali sancto exercitio Dei laudum, reddidit eius felicem spiritum suo Creatori, cum tantâ quiete & pace, quòd omnes ibidem existentes, scilicet ipsius Pater spiritualis & ipsius Beatæ in Christo filiæ & aliæ personæ, maximè admirabantur: quia in illo felici obitu nullum signum visum vel auditum est alicuius molesti actus in suo sacro corpore, nec pœnæ nec angustiæ, vel aliquod signum apparuit in suo felicissimo transitu; quemadmodùm fieri solet in transitu etiam Deo seruientium: sed semper obtinuit perfectissimum suum sensum,

dæmones non videt;

a sed Angelus solito hilariorem

& quæ in Dei laudibus

placidissimè expirat.

A sensum, vsque ad minimam partem horæ sui exitus. Laus sit Deo, qui est mirabilis in Sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Amen.


a *Lib. 2 num. 2 & 154.*

VITA
S. FRANCISCÆ ROMANÆ
Per Mariam Magdalenam Anguillariam Præsidem Oblatarum Turris-speculorum
Italicè edita, hîc Latinè reddita.

CAPVT I.

S. Franciscæ in tenerâ ætate coniugium: sanitas per S. Alexium miraculo reddita: exercitia pietatis.

CAP. I Ex nobili genere orta,



1 ANno reparatæ salutis millesimo trecentesimo octogesimo quarto, dum Ecclesiæ vniuersæ summus Pontifex Vrbanus VI præsideret, ex Paulo de Buxo & Iacobillâ de Rofredeschis (quæ duæ familiæ extinctæ nunc quidem, tunc tamen illustres valdè erant) nata mundo Francisca est, in eâ Vrbis Romanæ regione quam vulgus nominat Parionem: Christo vero per baptismum renata cognoscitur in templo S. Agnetis, quod est in circo a Agonali, Clericis Minoribus hodie commissum, vbi etiam (sicut scriptum reperitur) Sacramentum Confirmationis recepit. In eâ dum adhuc infans esset varij cum admiratione obseruarunt, quòd effuso planctu verecundiam testaretur, si quando exuta fascijs alicuius viri conspectui offerretur, quamuis is proprius pater fuisset: nec patienter ferebat vnquam, si is filiolæ tenellæ blandiri aut eius faciem vellet contingere. Inter nutricis brachia (quam diuersam à matre nullam habuit) incomposito balbutire garritu numquam audita dicitur: sed vt primùm linguam cœpit in voces resoluere, stupentibus cunctis, didicit Beatissimæ Virginis recitare Officium: quod pensum totâ deinceps vitâ honori eius soluere perseuerauit.

a infantula viriles adspectus taciusque refugit: Officium Deiparæ recitare discit: C

2 Quieta, humilis atque tractabilis; ætate puella quamuis, sensu tamen matrona videbatur, maturâ morum prædita grauitate. Hinc noua nec audire eam, nec referre delectabat: sed solitudinis appetens, recipiebat sese in interiora domus penetralia, procul à conuersatione humanâ, vt diuinâ commodiùs frueretur. Vultu habituque semper ad modestiam decenter composito, semper sibi præsentem Deum Angelosque habebat ob oculis: quod autem ab opere vel oratione vacui habebat temporis, id impendebat legendis vitis illustrium sanctitatis Virginum, quarum æmulari studebat exempla. A domesticis ipsis vix extra necessarias horas conspici solita, mirum non est si nulli fuerit vicinarum nota. Omnes autem actiones suas iam tum reuocare consueuerat ad examen, seuerâ expians pœnitentiâ si quid à se erratum deprehendisset. Mirum porrò fuit quantâ cum reuerentiâ atque animi submissione pareret Confessario; hoc vno importuna, vt permitteretur tenellos artus, pœnitentijs ætatis tantillæ non suscipiendis cruciare. Et cogebatur ille nonnumquàm pijs illius votis obsequi, Deo id agente, vt duris assuesceret, quam ad eximiæ sanctitatis gradum euehendum destinarat.

in pueritia mirè modesta, grauis, & solitudinis amans, corpus affligit pœnitentijs.

3 Ita cùm domi reclusa Francisca viueret, Deoque ac rebus diuinis afficeretur, decretum voluebat animo seruandæ virginitatis, eamque Numini in aliquo monasterio consecrandi. Sed Confessarius eius, vt erat vir prudens, Frater Antonius de Monte-Sabello nuncupatus, in S. Mariæ-nouæ Oliuetanæ Congregationis cœnobio monachus, suasit vt re vtrinque maturè expensâ, & vtriusque status commodis incommodisque inter se collatis, secretâ aliquâ seueraque pœnitentia suas ipsa vires experiretur. Quod illa promptæ executioni mandans, magis quotidie in eo proposito se confirmari sentiebat: sic vt vocanti interiùs Deo repugnatura sibi omnino videretur, si diuersum aliquid de se statueret. Non potuit tantâ cautelâ hoc fieri, quin ex nouo, quem in dies concipiebat, feruore consilium eius subolfacerent parentes: quibus & ipsa demum patefecit sese, postulans vt bonâ cum eorum gratiâ posset seculo remittere nuntium. Quod tantùm abfuit vt vel ad aures admittere parentes viderentur, tenero filiæ amore impediti; vt continuò cœperint de quærendo ei marito cogitare: quippè quæ iam annum egressa duodecimum, maturæ supra ætatem prudentiæ erat. Nec fuit difficile inuenire, vltro offerente sese Laurentio de Pontianis, opulentissimæ tunc temporis fortunæ, & paris nobilitatis inter Romanos iuuene.

D *CAP. II De virginitate Deo sacranda cogitanti Laurentiũ de Pontianis obtrudunt parentes:* E

4 Agebat horum ignara Francisca: apud quam vt primùm facta est matrimonij penè conclusi mentio, stetit illa attonitæ similis, nec vocem potuit in verba formare: deinde resumptis animis apertè respondit, nolle se propositæ conditioni assentiri. Ita cùm dies transissent aliquot, neque longam dilationem suis consilijs opportunam pater iudicaret, filiam seuocat, blandisque eam verbis affata, rogat, vt suis mandatis obediens, extremum hoc suæ senectuti solatium non subtrahat. Dabat Francisca pro responso lacrymas: quas nihil moratus ille, prosecutus porrò negotium est, deque concluso certiorem filiam faciens, adiecit absolutum paternæ auctoritatis mandatum, velut cui nefas esset repugnare. Ita demum in manus sponsi Francisca venit, maximâque familiæ vtriusque lætitiâ peracta sunt omnia, quæ fieri humanæ iubent diuinæque leges: sola Francisca, gaudentibus omnibus, tristabatur: eumque animi sui affectum aliquando cognatæ suæ explicans (cui b Vannotia nomen, maritus Paulutius de Pontianis Laurentij frater; communis eâdem in domo habitatio) ita illam deuinxit sibi, vt eam per annos triginta octo fidelissimam habuerit sociam in ijs omnibus quæ in domo mariti deinceps egit.

quas illa nuptias primò refugiens, in eas demum patris imperio adacta consentit. F

5 Vix nuptialia transierant festa: cum Francisca, siue animi ægra, quòd à priori proposito suo ita esset violenter abducta; siue aliâ quacumque ex caussâ in grauem incidit infirmitatem: quâ cùm deficere indies cerneretur, nec malo remedium medici inuenirent, affligi animo pater cœpit, vix dubius quin è cælo iste morbus esset, propterea quòd filiæ aditum ad monasterium occlusisset. Sed quam medici promittere non poterant sanitatem, ausi sunt aliqui ab sortilegis veneficisque sperare: quorum crimen auersata Francisca numquàm persuaderi potuit, vt eorum alicui accessum permitteret, constanterque professa est vitâ suâ cariorem sibi esse diuinæ maiestatis honorem: cui etiam placuit vt citra medicorum operam aut medicinarum vsum, priorem valetudinem vtcumque recuperans de lecto surgeret. Relapsa tamen non ita multò pòst eodem est, annum penè integrum infirma, eoque adducta vt ne in lecto quidem ipsa se commouere posset, nec debilior stomachus cibum retineret; magno suo cum cruciatu, nec minori consanguineorum dolore, mortem eius quotidie expectantium.

CAP. III In morbũ lapsa, veneficorũ auxiliis repulsis,

6 Hoc in statu constitutam vltro accessit venefica impudens, promisitque salutem, si suis vti remedijs vellet: sed ijs excepta verbis est, vt felicitati duceret ex eâ domo, vnde temerè mercedem sperabat, saluâ cute euasisse.

anno 1398 in festo S. Alexij,

Aeuasisse. Nocte autem proximè sequenti, Deus, qui Romanæ Vrbi volebat perfectionis exemplar Franciscam fieri, Alexium, Romanum Sanctum, submisit è cælo, daturum quod noluerat ab inferni ministris impetrare. Erat ipsi Alexio sacer, qui imminebat dies, Iulij mensis decimus septimus, cùm annus ab incarnatione Domini nonagesimus octauus supra millesimum trecentesimum in cursu esset, Francisca ætatis annum decimum quartum ageret. Habebat domesticos omnes sopor altus, etiam eos qui ad infirmę custodiam deputati erant; sed ipsa vigil mentem tenebat in Deo defixam. Cùm ecce insolitâ luce impleri cubiculum, & mox miro coruscantem fulgore iuuenem ad se venire conspicit; quem vestium forma sic ostendebat peregrinum, vt eumdem cælestis patriæ ciuem esse earumdem pretium declararet. Vt autem ad eam spectaculi pulchritudine exhilaratam accessit propriùs, suo iacentem bis compellans nomine: Ego, inquit Alexius sum, à Deo missus tuæ infirmitatis curator. Quod placuerit Deo, & mihi placet, reponit illa: moxque auratam chlamydem cum adhærente capucio supra ægram extendit Sanctus, & perfectæ illam restituit sanitati.

ab eodem noctu apparente sanatur;

B

& cum Vannotiâ ad eius templum,

7 Sensit Francisca redditam momento temporis valetudinem; seque de lecto proripiens contulit ad Vannotiam, vt quam habuerat in hâc afflictione sociam, haberet comitem ad ecclesiam Sancti, quò gratias relatura pro beneficio properabat. Obstupuit Vannotia, vbi se nominari voce illius audijt, experrecta à somno, quem vix dum oculis admittere cœperat: incertaque an verè vigilans eam audiret: Ecquis me? inquit, num tu c Ceccolella? (ita blandè consueuerat Franciscam, vt adhuc iuuenculam, nominare) Quæ istæc porrò amentia est? num deest aliquid? Vnde autem vires tibi, vt de lecto surgeres? Ad quæ hilari voce respondens Sancta, Sum, refert, Ceccolella tua: nec alicuius egeo. Tum ordine omnem ei visionem pandit, inuitatque vt, licèt primam vix lucem albescentis auroræ attulisset dies, irent tamen in templum pariter, priusquàm familiarium exurgens aliquis domo egredi prohiberet. His illa auditis nihil morata, vestes induit læta atque exultans, cognatamque amplexa in viam se cum illâ dedit, ac iustum cum eâ spatium temporis impendit agendis in templo prædicto gratijs. Domum autem reuertentem Franciscam, non aliter atque rediuiuam à mortuis, excepit familia rei actæ iam conscia: nec exiguam Romano populo admirationem attulit tam euidentis miraculi dicita celeriter per vrbem fama.

ante lucem vadit gratias acturus.

C

CAP. IV. Cum eadem solitudinis desiderio accensa,

8 Hinc nouam vitam exordiens Francisca, animi magis quàm corporis; pietatis, deuotionis, mortificationis operibus vacare attentiùs; & diuino iam tum preuenta lumine (quod obitæ propemodùm mortis recordatio multùm augebat) ingenti cœpit æstuare desiderio solitariæ vitæ, in quâ liberè posset totam se spiritui Deoque impendere. In hâc cogitatione defixæ illi, & veluti à sensibus suis abreptæ Vannotia superuenit; & quod erat suspicata ex insueto silentio, caussam illius tantâ precum instantiâ requisiuit, vt cordis sui arcana ei Sancta crediderit: sed tali interni affectus expressione, quâ ipsam cognatam in eamdem secum traxit sententiam; hoc vnum anxiam, quâ ratione in maritorum suorum domo eiusmodi, qualem animo conceperant, vitam ipso facto instituerent. Placuit in remotissimâ atque supremâ ædium suarum parte, quò nemo ferè solebat accedere, oratorium concinnare desiderijs pijs accommodum. Ad hæc in contiguis domui hortis ruinæ veteris vestigia supererant, in modum speluncæ conuexa: quæ eidem consilio visa est opportuna. Atque in hisce duobus locis quoties licebat, integras sæpè horas transigebant orando; nocturnas quidem in oratorio, diurnas in speluncâ.

oratorium & speluncam domesticam aptant:

9 Non patitur se diuina benignitas humanis vici obsequijs: fuit cùm à socru Ceciliâ inuitatæ, ad consanguineos quosdam pariter inuisendos temporis fallendi gratiâ, ne quod illius dispendium facerent, in prædictâ se speluncâ abdiderunt; cum creatore suauiùs quàm creaturis acturæ: ortusque inter eas sermo eò deductus est, vt quærerent quid facturæ essent, si eremiticæ vitæ ducendæ opportunitatem aliquam sibi Deus quandoque largiretur. Ad quæ Francisca, abstinentiæ & ieiuniorum amans inprimis, Quando in deserto erimus, inquit, circuibimus fructus quæsituræ quibus sustentemus vitam: idque dum dicit, pia adolescentularum vota approbans Deus, quamuis mensis tum Aprilis esset, duo tamen cottonea mala, pulcherrima omnino atque recentia, viciná ex arbore illis dimisit: strepitum quidem labentium audientibus, non tamen vnde esset considerantibus; donec assurgens Vannotia versùs domum itura alterum in viâ iacere conspexit, sublatumque exultabunda Franciscæ obtulit. Quæ & ipsa ad istam nouitatem assurgens, conuersis circùm oculis, alterum vidit: subitoque dimissa in genua, gratias cum sociâ Deo egit, geminatam tyrunculis suis annonam submittenti, vt olim Paulo d atque Antonio. Et vnum quidem inter se partitæ ex deuotione comederunt in loco, secundùm verò diuisere domesticis, hunc veluti paradisi fructum cum admiratione gustantibus, taciteque considerantibus qualis ea virtus esset, quam talibus signis Deus honoraret e.

D

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. ibidem pia sermocinantibus,

gemina Aprili mense poma submittuntur.

d

E

e

a *Vulgò* piazza nauona, *vbi nunc Obeliscus Pamphilius erectus, loco totius Vrbis spectosissimo & spatiosissimo, ante S. Agnetis basilicam, à gente Pamphiliâ elegantissime ab ipsis fundamentis excitatam, quam interiùs totam ex Ligustico marmore vidimus, anno* 1661, *penè perfectam; sub eaque templum aliud subterraneum, quòd parem præstolabatur ornatum, eo loco, vbi sancta Martyr vulgari libidini exposita traditur, & miraculosè fuisse seruata. De qua vide* 21 *Ianuarij.*

Templum S. Agnetis in foro Agonali.

b *Vt alibi diximus Italis* Vannem *dici pro Ioanne: ita non est dubitandum quin pro* Ioannâ *diminutiuum nomen* Vannotia (*sic Mattiotti in visionibus scribit*) *seu* Vannozza *sit, quo postremo modo Italicè scribit Anguillaria. Cognatam autem ex Italica lingua vsu vocamus, quæ erat vxor Leuiri ipsius Franciscæ: quomodò ipse etiam Paulucius Cognatus Franciscæ nominatur identidem in Vitâ hac Italicâ.*

Cognata pro leuiri vxore.

c Franciscus *Italis* Francesco, *hinc* Ceccolello *quasi* Cescolello *diminutiuum.*

d *Vide huius Acta* 15 *Ianuarij.*

e *Hîc sequebatur cap.* 5 *de apparente sub habitu eremitæ dæmone, quod supra num.* 1 *lib.* 3 *lector inueniet; vbi Franciscæ cum dæmonibus per annos duos conflictus describuntur.*

CAPVT II.

Franciscæ iam matris familias virtutes egregiæ: liberalitas erga pauperes miraculis probata: filij Euangelistæ obitus.

10 QVando desponsa viro Francisca fuit duodecimo suæ ætatis anno, vt diximus, non solùm vterque ei parens in viuis erat; sed socerum quoque a Andreossum socrumque Ceciliam in mariti Laurentij domo reperit, vnà cum Paulutio mariti sui germano fratre, & vxore illius Vannotiâ, qui vnam omnes constituebant familiam. Tot igitur auctoritate atque ætate maiores se cùm haberet domi, quamuis ingentia quotidie conciperet desideria pro Deo multa magnaque faciendi, reprimebat tamen ipsa sese iuuencula adhuc. Verùm non diu post viuendi finem socrus fecit, totiusque familiæ domestica administratio in ipsam atque Vannotiam recidit: quarùm hæc cognitam experientiâ habens Franciscæ prudentiam, libenter in eam transtulit curas omnes, cuncta eius sic permittens arbitrio, vt tanto annorum spatio ne minima quidem inter eas vnquàm subnata dissensio fuisse sciatur. Interim consuetis pietatis exercitijs applicabat animum nihilò quàm anteà minùs, solita quotiebdomadis bis adire pœnitentiæ

CAP. VII Mortuo socru,

a

& cedente Vannotiâ, familia regenda curam suscipit;

XXIIIAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

A tentiæ Sacramentum. Ad sacram Communionem, quod attinet, eam suscipiebat ipsa maioribus quibusq; festis. Orationes porrò vocales suas Mariani Officij Psalmorumque domi persoluebat suæ.

pacem inter familiares suo exemplo seruat:

11 Præter hæc tempora nullum non familiæ suæ curandæ impendebat, eo successu, vt cognouerit breui Laurentius securos se posse dies ducere, qui talem à Deo nactus vxorem esset. Nam quamuis multa domi famulorum esset famularumque turba, omnes tamen sic habebat Francisca, quasi fratres sibi sororesque fuissent. Hortabatur eosdem in sancto Dei timore vitam ducere: exemploque seruandæ domesticæ pacis ipsa præibat cunctis, magnâ cum humilitate culpam deprecans, si quem à se offensum crederet. Si verò inter eos aut suborta iurgia deprehenderet, aut offendendi aliàs numinis natam occasionem; tum verò exstimulabat ipsa se, & quamuis interiorem semper conseruaret mansuetudinem, exteriori tamen specie zelum induebat ardentem, magnâque cum animi libertate redarguebat, quod cum Dei iniuriâ perperàm agi videbat. Ita cùm vocatos ad cœnam nobiles multos secum haberet aliquando vir suus, interque eos vnus magicarum incantationum librum in manus Laurentio tradidisset, accessit illa solerter ad coniugem, raptumque de manibus librum coniecit in ignem: nequidquam illatam hospiti, vt videbatur, iniuriam ægre ferente illo qui inuitarat, ipsamque verbis acerbioribus castigante: quæ illa insuper habens, quotquot eius generis habere vmquàm potuit vel chartas vel libros, continuò immittebat in flammas: nec rarò contingebat, vt ijs ardentibus excitatum à dæmonibus strepitum haud leuem domestici animaduerterent.

scandala amolitur liberrimo zelo:

B

ægrotantibus sedulò prospicit:

12 Ex familiaribus si quis morbo decubuisset, non solùm volebat ei de rebus ad valetudinem recuperandam vtilibus prospici copiosè: sed ipsa quoque inseruiebat ei mirâ cum diligentiâ & caritate. Accidit aliquando Vannotiam ipsam morbo pressam omni penitùs ciborum appetitu destitui: ea res cum ægrè Franciscam haberet, nec sciret quâ ratione ei posset succurrere, adiurauit infirmam, vt indicaret sibi, num alicuius edulij desiderio teneretur. Cancrum, inquit illa, fluuialem optarem. Verùm hic quantauis diligentiâ quæsitus nusquàm potuit reperiri. Sollicitis autem illis ex ipso cubiculi laqueari pulcherrimus ante pedes cancer decidit, Franciscæ meritis haud dubiè impetratus; coctusque & nauseam Vannotiæ & morbum depulit. Eadem opulentam domum & rebus omnibus abundantem considerans, vetuit ne pauperum aliquis, seu mendicus ille esset seu Religiosus, solatio vacuus dimitteretur. Cumque annus aliquando sterilior penuriam Romæ morbosque multiplicasset, dilatauit & ipsa caritatis viscera: nec solis petentibus porrigebat eleëmosynam domi; sed & deferri volebat ad infirmos, qui petere ipsam sibi non poterant: quàm autem id Deo gratum fuerit etiam miraculis inuenio declaratum.

cancrum miraculo impetrat:

C

egentibus liberaliter succurrit.

Euacuatū à maritis granariū,

13 Nam cùm annonæ caritate vrgente, tam largas eleëmosynas erogaret Francisca, quantas vix lingua humana valeat explicare, prout in authenticis processibus legitur; metuentes Paulutius Laurentiusque ne sibi suisque fraudi esset vxorum liberalitas, granarij, quod plenum habebant, claues ijsdem abstulere; ex eoque sumentes familiæ quod suæ erat satis, & suis bubulcis, agricolis, alijsque ministris necessarium, vendidere reliquum, quod supererat, frumentum, & vacuum planè granarium fecere. Ait post hæc ad Vannotiam Francisca: Eamus pariter ad granarium, & quod superest colligamus pauperibus largiendum. Iuêre & solas inuenere quisquilias, quas studiosè ipsa conuerrens, & magno cum labore transmittens per cribrum puri frumenti modium vnum habuit, quod egentioribus distribuendum auferret: eoq; facto cum Vannotiâ recessit, granarium obserante Clarâ, fidelis ad obsequia eiusmodi famulâ, quæ dominam fuerat comitata. Post paucos autem dies eodem reuertentes mariti, optimi frumenti mensuras quadraginta repererunt in granario, remq; socero mirabundi nuntiarunt: qui & ipse cognoscere rem miram voluit, viditque hoc Dei esse opus, Franciscæ caritatem probantis.

postquàm piè vxores euetrerunt,

D

frumento plenum reperitur.

Ob exhaustum in eleëmosynas selecti vini dolium,

14 Nec huic dissimile est, quod in simili vini penuriâ accidit: in quâ prædictus Andreossus cum filijs caueam suam vinariam lustrans, cùm sibi suæque familiæ optimi vini dolium seponendum curasset, infirmique Religiosi ac sæculares, Franciscæ cognitâ caritate, frequenter pro Dei amore aliquid boni vini ab eâ postularent: misit illa per prænominatam ancillam ad varios ex ipso illo vase tantùm quotidie, vt illud intra non multos dies vacuum relinqueretur. Quod cùm cognouissent socer filijque eius, qui descenderant exploraturi an illud selectum vinum eodem adhuc in statu foret; vehementer commoti animis, clamare contra Franciscam Vannotiamque cepere, ne guttam quidem vini illius superesse. Ad quæ subridens Francisca: Sinite, inquit, sinite nos in cellam descendere, & vobis per Dei gratiam ex eo, quod quæritis, vino promemus affatim. Nec plura, descenderunt ambæ simul & Clara; manusque admouentes vasi plenum illud optimo vino reperere, prompsereque quod ad socerum maritosque portarent, dicentes: Eccum vinum, quod diximus: Deo gratias, quia plenum etiamnùm vas illud est. Gustauit senex, gustauere filij: nec suo ipsi credentes palato, quo idem omnino vinum hoc esse iubebantur credere, denuò in cellam abeunt: reperiunt plenum, quod diximus, vas; exindeque liberam mulieribus facultatem faciunt cuncta pro arbitrio administrandi. Vulgata autem per vrbem fama multos postmodùm testes inuenit, qui vel ex Laurentij mariti ore, vel ex ipsius Franciscæ narratione, alios exemplo tali ad liberaliter largiendum animantis, ita se audiuisse professi sunt.

stomachāti socero atque coniugi,

E

rursum illud plenū exhibet Francisca.

CAP. VIII.

15 Famulam porrò suam Deus, quæ tam benignam cibi ac potus corporalis dispensatricem pauperibus sese exhibebat, noluit impune fraudari spirituali pabulo animæ, quod per Eucharistiæ Sacramentum sumitur. Erat ipsa quidem humilis adeò, vt tanto se mysterio indignam iudicans numquàm postularet ad hoc admitti, sed nutum expectaret Confessarij, iubentis, cùm sic Deus inspirabat, accedere. Id igitur cùm quodam die Frater Antonillus imperasset, ipsaq; ad D. Cæciliæ ecclesiam cum Vannotiâ se conferens ad Diuinam mensam se obtulisset; qui curam ecclesiæ habebat Presbyter, & sacram ei Hostiam porrexerat aliàs: Quid hoc, inquit ipse deliberabundus secū, quod mulieres opulentæ & coniugatæ toties ad Communionem veniant? Tum, dæmone haud dubiè instigante, Hostiam non consecratam accipiens, hanc ei velut sacram obtulit. Sensit illa continuò factam sibi fraudem, nec enim consuetum spiritualis gratiæ affluxum sensit; remque suo, vt facta fuerat, Confessario retulit, hic Presbytero; grauis eum coarguens sceleris. At ille, satis gnarus nisi sibi & Deo, & cui Deus reuelasset, notum esse quod fecerat nemini; culpam quidem confessus est, rogauit tamen, vt scire posset, quanam viâ illa sibi innotuisset. Audiens autem sceleris à se patrati indicem ipsam fuisse, cui erat iniuria facta Franciscam, veneratus deinceps eam est, nec iudicauit indignam, quæ toties ad Communionem veniret, quamuis nupta iuuenisque & familiæ tam grandis gubernationi implicita.

F

Hostiam sibi porrectam,

sentit non esse consecratam.

CAP. IX

Plures liberos suscipit:

16 Sed nec matrimonij fructibus priuatam illam voluit Deus, quæ tantâ cum sanctimoniâ vitam ducebat in eo statu, pluresque ei liberos dedit. Verùm per priorum temporum obliuionem factum est, vt trium dumtaxat mentio in historijs reperiatur: quorum è virili sexu primus, Baptista fuit ad sacrum Fontem nominatus, qui ceteris superstes vxorem *b* duxit, & posteritatem

b

A sterilitatem ex se reliquit, natus circa annum quadringentesimum, vt scripta aiunt, cùm fermè decimum sextum ætatis Francisca implesset. Huic proximus Frater Euangelistæ nomen tulit, nec nono ætatis anno superuixit, prout mox visuri sumus. Tertium ordinem nascendo tenuit filia nuncupata Agnes. Nec præter hos alios nominatos inuenio: tantum ex antiquis libris colligo, aliàs quoque eam à puerperio decubuisse. Quos autem ei Deus concessit liberos, non tam lacte educabat suo (quamuis nec hoc passa est ijs deesse, vberibus suis, non alienis, eos lactans) quàm timore Domini: quod in secundò genito potissimùm patuit, quem terrestrem Angelum meritò dicere possem, ita erat orationi deditus cultuique diuino: quin & in tenellâ ætate istâ prophetiæ dono diuinitus decoratus, cuius geminum in antiquis historijs exemplum extat.

ex his Euangelista prÿmus,

17 Primum, quòd duobus Fratribus mendicantibus propriâ manu porrigens eleëmosynam puer paternâ in domo, ad eorum alterum conuersus dixerit: Non istoc semper vestiêre modo: cupies enim pretiosioribus indumentis, infelix, amiciri: attamen væ tibi. Tacuit tum quidem erubescens Frater: effectum tamen suum prædictio habuit, quando non bonis artibus ab iugo solutus Religionis ad Episcopalem conscendit cathedram, modicoque pòst tempore terribilem planè mortem obijt. Aliàs Laurentij patris pugionem arripiens, atque è vaginâ educens lateri paterno admouit, dicens: Hoc tibi modo fiet, Pater. Quod & contigit, nam seditione quadam exortâ Romæ propter Neapolitanum Regem Ladislaum, in eodem, quod filius tetigerat, latere graue vulnus Laurentius accepit. Erant sanè stupenda opera, quæ supra ætatis illius captum faciebat puer, nec aliud vel cogitare videbatur vel dicere gaudebat matri, quàm ad æternam se gloriam properare.

prædicit Religiosi cuiusdam defectionem,

B

& vulnus patri infligendum:

18 Peruenit autem quò aspirabat intra annos non multos: nam cùm annò millesimo quadringentesimo vndecimo Romanam vrbem pestis afflasset, nouennem illa Euangelistam corripuit: quam vt persensit puer, continuò accersiri Confessarium voluit, impetrauitque (quamuis nota esset innocentissima illius puritas) vt Frater Antonellus vocaretur: à quo ritè expiatus matrem adesse suam iussit, eique dixit: Meministi, mater, semper dixisse me tibi: in hoc mundo esse nihil quod placeat mihi, solam æternam vitam Angelorumque societatem in votis esse? Respexit hoc meum desiderium Deus, atque ecce separamur: adsunt è cælis submissi patroni mei S. Antonius, Sanctusque Onuphrius cum multo Angelorum comitatu. Tu vide vt animo semper generoso sis, mihiq; benè futurum noris, atque pro te deinceps oraturum: nunc tuam mihi benedictionem impartire. Dixit, & manus ipse suas corpusque componens, innocentissimum spiritum reddidit Creatori.

anno dein 1411 peste correptus,

vt optarat & prædixerat,

C

19 Eâdem verò horâ, vicinâ in domo animam agens puella, & pridem loquendi facultate priuata per morbi violentiam, clamare occepit: Videte, videte Euangelistam de Pontianis duos inter Angelos medium ad cælos conscendentem. Cuius dictis mox fidem fecêre planctus, à Franciscæ familiaribus ob pueri tam sancti obitum excitati, atque ab infirmæ puellæ domesticis exauditi. Sepultus autem puer est in ecclesiâ S. Ceciliæ Trans-Tiberim, eo ipso loco vbi nunc sacristia, tum sacellum Pontianorum erat: nec multi anni præteriêre, quòd ibidem ad dexteram manum sepulcralis ex albo marmore lapis cernebatur, vnum & dimidium palmum in latitudine, in longitudine brachij mensuram habens, cui insculpta defuncti effigies, ipsum exhibebat talari indutum veste cum hac inscriptione: Hic iacet Euangelista de Pontianis. Quem lapidem, cùm innouaretur sacristia, probabile est sub pauimento sepultum esse, vt inscriptiones aliæ antiquæ infinitæ c.

in cælum ferri conspicitur,

& in S. Cæcilia Trans-tiberim sepelitur.

a *Diminutiuum Romanum ab* Andreâ, *sicut* Paulutius à Paulo.

b Mobiliam *nomine, de quâ infra lib 4 pluribus.*

c *Duo proxima capita* 10 *&* 11 *continebant vexationes dæmonis ante annum* 1430, *quas vide à Confessar. o eius descriptas in principio lib.* 3.

D

EX ITAL. M. MAGD ANGVILLARIÆ.

CAPVT III.

Apparens matri filius sororem morituram prænuntiat: ipsi socium Archangelum relinquit.

20 HAbebat Francisca non tantùm custodem Angelum, à quo impelleretur ad faciendum benè; sed etiam correctorem, à quo si quid deliquisset, nunc hac nunc illâ in parte corporis inuisibili manu percutiebatur. Neque id solùm cùm solitaria ageret; sed etiam in præsentiâ aliorum, qui impacta audire verbera, non item videre poterant percutientem. Ita cùm coram socru suâ Ceciliâ atque cognatâ Vannotia in frequenti mulierum cœtu vanus aliquis sermo esset illatus, ipsaque eum interturbare humano nimium respectu prohiberetur, maxillâ eius audientibus cunctis graui alapâ percussa est. Aliàs in S. Mariæ-nouæ internum animæ suæ statum Patri Antonello exponens, quia præ humilitatis affectu reticebat dona quædam sibi collata diuinitus, tam vehementem humeris illius ictum inflixit Angelus, vt coram Confessarij attoniti pedes corruerit: quam illa in se collectâ culpam agnoscens, Patri suo spirituali continuò manifestauit. Simile est quod ei domi suæ contigit apud Ioannem Presbyterum peccata sua confitenti: dum enim genuflexa assistit, tam durus ei impactus est ictus, vt terram capite inclinato contingeret. Quærenti autem Confessario quid ei accidisset, nescire se dixit, nisi percussos sibi vehementer humeros adhuc dolere. Tum verò Confessario reuelauit Deus, Angeli eas esse plagas, qui, vt aliàs, sic & nunc eam puniret, propterea quòd reluctanti animo secretos Dei fauores declararet ei, cui ipsam volebat Deus, in rebus ad spiritum pertinentibus, plenè esse subiectam.

CAP. XII Culpas Franciscæ castigat Angelus,

E

maximè verecundiã in sui manifestatione,

21 Habebat Francisca filiolam gratiosam, quam supra diximus, Agnetem nomine: quæ cùm in eodem cubiculo noctu dormit, quo mater; vigilans hæc, ac tum fortè recumbens ex puerperio candidam columbam vidit, quæ accensum cereum rostro tenens, omnibus puellæ sensibus illum admouit; magnoque alarum plausu locum circumuolitans ex oculis euanuit. Annus tum fortè à morte Euangelistæ effluxerat, ignaraque quid ea visio portenderet Francisca atque ambigua hæsit. Aliâ autem nocte sub auroram vidit insolitâ luce cubile splendescere, in eâque adesse sibi defunctum filiolum, eo habitu staturaque, quâ solebat viuus, nisi quod supra comparationem omnem formosior appareret. Huius lateri alius hærebat iuuenis multò etiam quam Euangelista speciosior. Tali visu obstupefacta primùm, tum gaudio inexplicabili perfusa Francisca, magis etiam recreata est quando propriùs accedentem vidit, seque profundæ reuerentiæ gestu ab illo gratiosè honoratam: adeò vt temperare nequiuerit sibi, quin brachia ad amplexandum filium auida expanderet: quibus cùm comprehenderet nihil satis habuit visu eius & alloquio frui, amanterque interrogare, Quid ageret? Vbi esset? Num matris suæ meminisset in cælis?

CAP. XIII Videt ipsa Agnetem filiam à columbâ signari,

F

postea verò animam filij;

22 Tum ille ad cælum attollens oculos: Nostrum munus, inquit, aliud non est quàm æternam diuinæ bonitatis abyssum contemplari, multâque cum lætitiâ & amoris iubilo reuerenter laudare ac benedicere illius Maiestatem: toti igitur absorpti in Deo in illâ cælesti beatitudine, non solùm non habemus, sed nec habere possumus dolorem vllum, & pace semper duraturâ

qui matri suam in cælis beatitudinem exponit,

turâ

A tuâ fruimur; nec aliud aut volumus ipsi aut velle possumus, quàm quod Deo placitum esse nouerimus, qui nostra est tota & vnica beatitudo. Scias autem quòd ij qui supra nos sunt chori diuina nobis secreta manifestent. Deinde adiunxit: Quandoquidem scire desideras, mater, in quo nunc degam loco: scito me in secundo primæ Hierarchiæ choro inter Archangelos consistere, huic, quem vides, iuueni sociatum; multò quàm ego sim formosiori, quia eodem in choro sublimiori quàm ego in gradu consistit. Hic autem deputatus à Deo est in solatium peregrinationis tuæ, vt socium eum perpetuum habeas, præsentemque die ac nocte videas ad solatium tuum. Nunc autem tibi denuntio quòd Agnetem abducturus aduenerim, quæ intra breue tempus moritura est, & Paradisi gaudijs mecum fruitura.

ex Ital. M. Magd. Anguillaria.

& Archangelum socium relinquit,

sororem abducturus.

23 Tum verò agnouit Francisca, quid illa nuper columba tulisset. Post colloquium autem illud, quod vnam circiter horam tenuit, ab albicantis scilicet auroræ initio vsque ad solis ortum, licentiam discedendi à matre postulauit Euangelista, Angelumque ei prædictum reliquit: cuius ac filij sui eam esse pulchritudinem Patri suo spirituali testabatur, vt oculos in vultum eius numquàm intendere potuisset, nisi Deus illam luminis claritatem suæ imbecillitati aptasset, eò quòd B citra comparationem maior multò sit gloria Beatorum, quàm ipsa in filio Angeloq; videre potuerit mortalibus oculis. Certa autem de proximâ filiolæ morte rem secretam habuit, interimque ei seruiebat amanter ac reuerenter; non vt filiam suam, sed vt destinatam æterno Regi Christo sponsam considerans, Deoque gratias eo nomine agens, quòd illam ad se dignaretur accipere. Ita infirmata Agnes intra dies paucos sublata è viuis est, quinto suæ ætatis anno, crediturque etiam ipsa sepulta in eadem S. Cæciliæ ecclesiâ & Pontianorum sacello cum germano Euangelistâ: post cuius discessum præsentem semper Archangelum Francisca ad dexteram suam vidit: testata, si quando in eum vellet obtutum defigere, idem sibi planè euenire, quod materialem hunc solem intueri volentibus: cuius lumine quidem iucundè fruimur, sphæram autem nequimus citra oculorum læsionem aliquam vel modicum intueri.

Moritur Agnes,

Cap. XIV Archangelus manet semper visibilis; sed nimia in luce,

24 Neque in suo dumtaxat oratorio precibus vacans, illius fruebatur aspectu: sed etiam per plateas, in ecclesiâ, in consortio aliorum. Quin imò tunc ei concedebatur personam quoque ipsius conspicere: qui, si quis ad ... aliquod delictum committeret, faC ciem manibus verecundè obuelabat; solebatque de eo Francisca dicere, quòd in Angelico illo vultu velut in clarissimo speculo & Angelicæ dignitatem naturæ, & suam propriam vilitatem euidentissimè cognosceret: sic vt illius cognitionis euidentia infinitis gradibus superaret notitiam illam, quam ante id de se ipsâ habuerat. Tribus præterea temporibus ei concedebatur Angelicum vultum firmiùs intueri: cùm oraret, vel à dæmonijs vexaretur, & quoties de eo loquebatur cum Confessario suo: qui, vt ipsemet scriptum posteà reliquit propter animi serenitatem gaudiumque, quo se perfundi sentiebat quando de Angelo illo loquebatur Francisca, crebrò eam obedientiæ præcepto adigebat habitum formamque illius sui custodis explicare. Cui illa morem gerens dicebat, non esse hunc ordinarium custodem suum sibi à natiuitate concessum; sed ex secundo primæ Hierarchiæ choro Archangelum clarissimis circumdatum radijs, qui supra cuiuscumque lampadis fulgorem nocte sibi lumen præberent, sic vt Officium recitare ipsa æquè ac pleno die posset.

(nisi cum orabat, tentabatur vel Confessario loquebatur de ipso)

diuersus ab ordinario custode:

25 Dicebat etiam eum sibi apparere semper erecto in cælum vultu oculisque in illud defixis: quòd ei memoriam renouabat diuini illius speculi, quod in raptibus atque extasibus contemplari solita, incendebatur atque eleuabatur in Deum. Apparebat autem D Archangelus ei velut nouem annorum adolescentulus, brachijs supra pectus in crucem decussatis, capillitio aureo crispoque, & supra humeros per collum diffuso. Veste præterea erat indutus candidissimâ, supra quam tunicella aptata erat, quali ferè solent Subdiaconi vti, quam modò niue candidiorem, modò cælestis coloris ceruleam, quandoque rubram flammantemque conspiciebat. Et his quidem totum illud Angelici corporis simulacrum operiebatur ad imos vsque talos, quos purissimos habebat semper, nec vllâ in parte maculosos, quamuis per lutosas plateas Sanctam subsequebatur. Cùm autem de eo loquebatur Confessario, restringebatur vultus Angelici splendor, vt in eum figi oculus posset: intendebatur verò atque ad consuetam redibat claritatem, finito sermone, seu breuis ille seu prolixus esset. Sæpè igitur de industriâ sermonem de eo inferebat Confessarius, quærebatque varia, & Sancta magnâ cum familiaritate eum intuebatur, manusque illius imponebat capiti; & ex imperio Confessarij eidem blandiens, ac veluti palpans, nihil sibi videbatur contingere; interim verò accendebatur toto vultu ipsa Seraphico quodam igne, vnde multum spiritualis solatij in Confessarium redundabat.

quo vultu & habitu apparet; ...

26 A principio, quo huius suauissimæ societatis E fauorem famulæ suæ fidelissimæ indulsit Deus, si quando contingeret illam propter domesticarum curarum multitudinem atque labores, aut visitationum importunarum molestias tædio affici atque in aliquem defectum labi; subducebat sese continuò Angelus, ipsaque admonita humiliter agnoscebat culpam; eamque sibi postulans indulgeri, ablatam mox lætitiam sentiebat restitui sibi, redeunte illo cum nouâ vultus amœnitate. Tribus aut quatuor vicibus hoc ei coram Confessario vsuuenit; qui de seipso testatur, quòd præsentius nullum cuicumque dolori aut tædio remedium inuenerit, quàm cum Franciscâ de Angelo illo sermocinari. Istum autem redarguendæ Sanctæ modum tenuit Angelus donec illa perfectè sese diuinæ coniungens voluntati, planè haberet constitutum, quietam se velle contentamque viuere, etiam ad diem iudicij vsque, inter curas familiares, secularia negotia & conuictus maritalis fastidia, si Deo sic fuisset collibitum. Volebat enim Deus, vt à se remoueret illam displicentiam conuersationis humanæ, nimiamque quærendæ solitudinis anxietatem exueret.

Subducit se quandoque delinquenti:

27 Idem Angelus ducem se ei magistrumque præbebat virtutis, & cauebat ne nimio spiritus ardore abrepta, modum in castigando corpore excederet, aut F immodico impetu ferretur in bonum. Diuina autem secreta manifestans oculos quandoque mouebat & labia, vocemque gratiosissimam velut eminùs loquentis audire Francisca videbatur. Cùm verò molestiarum aliquid inferebatur à dæmonijs, sublatos aliàs in cælum oculos in ipsam defigebat Angelus, eoque aspectu omnem ex eius animo inquietudinem consueuerat propulsare. Quare omnes insultus atque iniurias dæmonum generoso prorsùs spernebat contemptu, neque pili faciebat etiam crudelissima verbera, quibus suam rabiem aduersùs innocentem satagebant explere. Qui tamen ne quantùm vellent possent sæuire, efficiebat Angelus, modicâ luminosi capitis concussione in fugam agens inferna monstra; quandoque & medium interponens sese, atque auertens ictus in ipsam recasuros.

eamdem instruit,

solatur,

& protegit.

CAPVT

CAPVT IV.

Solutâ matrimonij lege à marito, totam se iuuandis pauperibus, macerando corpori, iugi contemplationi addicit.

Maritus Francisca misertus,

28 QVamuis progenitorum mandatô parens Francisca matrimonij vinculo se permiserat alligari: hanc tamen infelicitatem, vt aiebat, suam deplorabat sæpiùs, nec nisi cum summâ animi auersione poterat, iustæ quantumuis licetæque, mariti sui voluntati obsequi. Ne quam autem ex eâ caperet voluptatis partem, tribus ceræ vel laridi suilli vncijs guttatim liquefactis suas sibi adurebat carnes; adeò vt excoriata vix posset, nisi summo cum dolore, commoueri in lecto. Tantâ verò afficiebatur ex complexu maritali nauseâ, vt illam conuulsio stomachi cum vomitu sequeretur plerumque, ac demùm etiam sanguinem eructaret. Quæ maritus admirans, ac deinde etiam pleno compassionis affectu considerans, cùm liberos sibi ex eâ iam natos videret, & vxorem communi vulgi opinione sanctam, idque non ex vano credi euidentibus miraculis cognitum haberet; tandem in animum induxit suum, coniugalis eam legis seruitute absoluere, vitæque continentis ei facere deinceps potestatem, modò secum remaneret ipsa eadem in domo, & familiam pergeret gubernare: pollicitus numquàm eius se aduersaturum voluntati, aut vllam ei vltrà molestiam creaturum.

patitur se thoro ab eâ separari:

B

29 Dici non potest quantùm ea gratia Franciscæ exhilarauerit animum, quàtùm se Deo bonorum omnium largitori, quantùm marito agnouerit obligatam: cui vt gratam vicissim exhiberet sese, sciens quàm sui esset auxilij indigus, pessimè affecto iam corpore è vulneribus, carceribus, exilijs, grauibusque infirmitatibus, quibus erat conflictatus; in eodem cum ipso cubiculo, quamuis alio in lecto, dormire elegit. Quod vt solatio magno fuit eius coniugi, ita nullo illi aut exiguo impedimento, non deficiente in amplis ædibus optatæ solitudinis commoditate: ad quam tamen nullus ei gratior locus fuit quàm, quòd supra diximus, oratorium, in summitate ædium pridem ab ipsâ atque Vannotiâ adornatum. Primum autem quod suæ libertati permissa fecit, fuit absolutum seculo remittere nuntium, seque ipsam & omnem mundi vanitatem manifestè despicere. Itaque vestes, quas pro illius seculi & Romanæ nobilitatis vsu, ex sericis confectas pannis, auroque & argento ac lapidibus pretiosis habebat instructas, eas de parentum suorum maritique & socerorum voluntate iam inde ab anno duodecimo gestare coacta, ne cui æqualium suarum cederet: has, inquam, vestes, nunc sui facta arbitrij, omnes vendidit, confectamque ex ijs pecuniam pauperibus vestiendis impendit: sibi autem ex viliori panno tunicam, coloris ex viridi nigrescentis parauit, quam potuit abiectissimam, & qualem vix famulæ eius gestare voluissent: stupentibus qui eam nouerant omnibus, nec satis capientibus, quomodò tantæ nobilitatis & tantarum opum vir in eâ coniugem patienter aspiceret. Verùm ipsa, quæ iam marito fecerat satis, nihil pensi habuit iudicia mundi.

quæ beneficium gratanter accipiens,

omnem vestium ornatum deponit;

C

30 Neq hoc suffecit, sed ad vineam quoque, quam basilicæ S. Pauli vicinam habebat, ire instituit, collectaque in fascem sarmenta ac ligna imponere capiti, atque in Vrbem cum omnium stupore inferre, pauperibus distribuenda: tanto sui abijciendæ studio, vt ad ipsam vsque mariti domum vice quâdam sic onusta ambularit, ab eoque conspecta sit, nec tamen reprehensa; quia norat quàm sancto ipsa motiuo ageretur. Subinde eodem minabat asellum, fascibusque lignorum oneratum reducebat, & per domos diuidebat egentiores. Quod dum facit, accidit aliquando vt in frequenti vrbis plateâ ex iumenti dorso deciderent omnia; Paulusque Lelli Petrucci accurrens, nullo suæ nobilitatis respectu, manus etiam ipse subleuando oneri accommodaret. Præterea caritatis tempore, non contenta pauperibus eleemosynas erogare largissimas; eorum iuuandorum suique vilipendendi acta desiderio, Vannotiam quandoque assumebat sociam, proculque à domo suâ in regione Montium, aut aliâ vbi cognoscebatur à nemine, ostiatim emendicabat quod egenis daret. Nec rarò contingebat ipsas, quas minimè egenas esse facilè apparebat, multâ cum verborum acerbitate repelli, & iniurias locô nummorum referre.

ligna pauperibus colligit;

D

EX ITAL. M MAGD. ANGVILLARIÆ.

stipem mendicato quæritat:

31 Quam quidem heroicam piarum mulierum caritatem manifesto miraculo Deus nonnumquàm voluit commendatam: nam cùm per eam fortè, quam dixi, regionem oberrant, maximos è quâdam domo eiulatus audiunt, plangentium mortem nati non ita pridem filij, atque ante baptismi susceptionem extincti. Accurrunt illæ; & Francisca, post acriter reprehensam de suâ negligentiâ matrem, mortuum inter brachia puerum suscipit, ac virtute diuinâ viuum mox restituit matri, mandans ne cui diceret; atque, ne fortè agnosceretur, subitò inde proripiens sese. Alio die, cùm Stationes in basilicâ S. Pauli essent, eoque aduenisset Francisca cum Vannotiâ atque Ritâ, vidit illa ad ingressum ecclesiæ supra longam trabem multos pauperes ac peregrinos, eleemosynam postulantes ab introeuntibus; dimissisque in templo sociabus, sese inter illos mediam collocauit, postulans & ipsa stipem cum suo maximo solatio; ibique ad tempus vsque Vesperarum remansit, dum eam in templo comites suæ operiuntur. Quo interim tempore dubium vix est, quin fuerint in tantâ vltro citroque commeantium multitudine aliqui, à quibus cognita multam vincendi pudoris sui accepit occasionem. Cùm autem inchoandæ essent Vesperæ, ad dictas Comites sese contulit, & Eamus, inquit, tantum enim collectum est hodie, quantum hoc vespere sufficit pani lupinisque comparandis. Et verò quoties stipem postulans fragmenta panis accipiebat, ea sibi seruabat ipsa, pauperibus è domestico penu integros largiens: talia enim frusta delicatiora ipsi videbantur, propterea quòd essent ex Dei amore donata.

mortuo ante baptismum infanti vitâ reddit:

E

inter mendicos considet,

eisq; distribuit corrogata.

CAP. XVI

Vino & lautiori omni edulio abstinet,

32 Tantæ sui ipsius despicientiæ iungebat Francisca macerandi corporis rationes varias: & primò quidem certum est, quòd neque sana neque infirma vinum biberit vmquàm in omni vitâ suâ. Vnicâ in die refectione contenta, vesperi omninò sumebat nihil, nisi fortè aut graui vrgente ægritudine, aut præcepto adacta Confessarij pomum coctum vnum, idque rarissimè. Carnem, oua, lacticinia, pisces, aut aliud aliquod gratum palato edulium manducabat numquàm; testataque est eius nurus Mobilia, totis sedecim annis, quibus communi cum ipsâ vsa est mensâ, numquàm à se visam aut istorum aliquid comedentem, aut omninò quidpiam quod sacchаro, melle, aromatis conditum foret, quacumque demùm valetudine vteretur: sed opsonia ei ad panem ordinaria fuisse, fabas, lupinos, faseolos, quandoque brassicas aut boraginem: quæ quidem aquâ elixa solo condiebat sale absque oleo vel alio condimento. Quin ne tum quidem, cùm à puerperij laboribus reficienda decumberet, edulia delicatoria admittebat vlla; sed ea quæ diximus sola sibique consueta. Vt mirum non sit si debilitatus istâ ciborum parcimoniâ & duritie stomachus acerbissimos ei adferret cruciatus, nec citra miraculum viuere posse crederetur, quæ tam parum cibi sumeret vel retineret vitæ sustentandæ idonei.

F

etiam in puerperijs,

33 Vix erat ad mensuram corporis exiguus lectulus solâ instratus storeâ, donec illius Confessarius iussit stramineum præterea saccum sumi. Dormiebat autem indusio vestita laneo, & tunicâ ex panno confectâ: itaque

strati duritiem,

A itaque dormientem in mariti domo testata est vidisse se illius prædicta nurus, & quidem eo situ qui incommodi haberet multum; quietis autem parum permitteret; cùm sederet potius inclinata, quàm iaceret extensa in lecto, idque ad duas dumtaxat horas: de die verò somnum capiebat nullum. Centies quotidie pectus tundebat pugno, & quoties in vsu sensuum minimum quidpiam deliquisset pœnas à se exigebat ipsa, pugnorum ictibus crebriùs iteratis. Duplici ad carnes induta cilicio, etiam sub eo funem gestabat equinis intortum pilis, ferreumque circulum à quo non vno in loco vulnerabatur caro. His addebat ex intortis funiculis flagellationes acerbas, & quidem acutis stellulis sanguineas, vt carnificinam ipsa in se videretur exercere, quæ vis erga quoscumque alios tam mitis esset atque indulgens, vt nemini, præsertim infirmo, deesse quidquam pateretur. In eo pœnitentiarum rigore perseuerauit, donec aliquando Confessarius, obedientiæ præcepto vsus, ab ægrotante circulum ferreum abstulit, & disciplinas quibus sanguis elicitur. Et tamen cùm ista faceret omnia, ad consueta suæ familiæ munia iuuandique proximi ministeria firmis ad stuporem plurimorum vtebatur viribus, gratiâ illam corroborante diuinâ.

ex ital. M. Magd. Anguillariæ.

pœnitentiarum rigor,

B

34 Iam inde à pueritiâ pijs exercitijs innutrita Francisca, erat omni sanctitate plena, speculum puritatis & innocentiæ: & tamen ita de se sentiebat ipsa, tamquàm si mulierum impijssima peruersissimaq; fuisset. Cùm enim in illâ lucis interioris copiâ diuinæ essentiæ absolutissimam cognosceret integritatem, minimam quamuis imperfectiunculam in se deprehensam grauissimum esse existimabat peccatum: ideoque si protulisset vel verbum, quod otiosum videri poterat, suum sibi pugnis contundebat os, donec sanguis efflueret; vel prostrata in terram brachijsque in crucem extensis, veniam supplex flagitabat à Deo. Cùm vero vitæ suæ errata simul omnia considerabat, tam copiosos soluebatur in fletus, vt perennibus fontibus similes efficerentur oculi: vnde Confessarius eius scribit, illâ copiâ lacrymarum ad commiserationis affectum motum sese vetuisse, ne sua sic deinceps peccata plangeret, eorumque onus in se suscepisse vniuersum: quo imperio mitigatus sit nimius ille dolor, cùm esset in omnibus obedientissima.

CAP. XVII vilissima sui æstimatio;

summus de leuibus delictis dolor & copiosa lacrymatio;

35 Prætereà cùm esset honoris diuini zelantissima, non poterat modum ponere lacrymis quoties cõsiderabat, quàm facilè sinerent se in peccata homines à diabolis pertrahi. At verò cùm dominicæ Passionis contemplandis mysterijs applicabat animum tam effusus illius fletus erat, vt nurus eius aliæq; domesticæ, ita inconsolabiliter plangentem cùm viderent, testatæ sint, iniectum sibi timorẽ non leuem, ne doloris vehementia ipsi vitam auferret. Neque verò solius erat hic animi dolor; ad omnia se corporis diffundebat membra cruciatus acerbissimus, prout in sacro Christi corpore partem aliquam tormentis affectam considerabat: sic vt cùm manus transfixas clauis cogitaret ipsa, suas præ cruciatu sentiret ineptas ad aliquid, qualecumque id esset, continendum, quòd perinde subitò eis excidebat in terram. Si mentem ad sacros reflectebat pedes, non poterat suis ampliùs insistere ipsa, ita graue in ijs patiebatur tormentum. Corona Christi spinea totum illi caput cingebat doloribus; flagella contusos artus eidem relinquebant: quin & sanguinem spuebat nonnumquam, liuebantque vngues, & tamquàm morientis impallescebat facies.

C

maximè in considerãdâ Christi Passione,

eius cruciatus

& vulnera suscipit in suo corpore

36 Quòd si istiusmodi contemplationi inhærens extasim patiebatur aliquando, manus ei pedesque stillabant sanguine, atque ad percussum Saluatoris latus cogitationem extendenti suam, manebat ipsa toto pectore saucia: eaque ipsi plaga multo durauit tempore, ex quâ liquor aliquis aquæ similis scaturiebat, cui excipiendo necesse fuit pannos quosdam lineos adhibere atque mutare identidem. Quod cùm præ doloris D vehementiâ facere per se ipsa non posset, cogebatur secretum istud suum Vannotiæ, Agnetique & Ritæ dilectis in Christo Filiabus credere, quæ hoc ipsum deinde retulêre Confessario, pannosque prædictos venerabundæ conseruarunt. Ast erumpentem è manibus sanguinem, ne obseruaretur ab aliquo, ipsa in se reuersa continuò detergebat, prout in priori processu Frater Petrus, Dominicanorum ad S. Sabinam Prior, & variæ illius Filiæ spirituales asseruerunt. Iste autem ex latere liquor tamdiu fluxit, donec plaga in Natalis Dominici nocte, anno millesimo quadringentesimo trigesimo primo, miraculosè fuit à Beatissimâ Virgine curata, *b* quoniam doloris vehementia ipsam cœperat inhabilem reddere ad varias in obsequio proximi actiones.

etiam in latere.

b

37 Quàm esset in suis orationibus seu mente seu voce faciendis feruens, quàm accepta Deo, vel ex hoc colligas; quòd cùm aliquando post illam in S. Angeli sacello, quod est in S. Mariæ transtiberinæ, Agnes ipsius carissima constitisset; supra orantis caput splendorem viderit, flammeosque radios eidem circumiectos. Ex eius etiam vultu emicantem fulgorem viderunt plurimi, quasi lumen quoddam reflexum ab illâ lucis abysso, quam inter orandum contemplabatur. Fuit cùm Quadragesimalis ieiunij tempore Bartholomæa quædam Aretina, Ordinis S. Francisci Tertiaria, solita pietatis causâ Romam accedere quotannis, & Franciscam (de cuius sanctitate & miraculis audierat multa) visitare: fuit, inquam cùm ad Turrim-speculorum accedens, vbi tunc in cellâ quadam orationi Francisca incumbebat; vbertim cœpit lacrymari, & exclamando quærere à circumstantibus, num viderent? num viderent? Interrogata autem num quid ipsa cerneret? Video, inquit, virgam auream è cælo descendere supra cellam istam, quam aurea lilia circumcirca exornant: & mox Franciscam ibidem suas sponso suo orationes ex more fundere intellexit ab ijs qui ista referentem admirabundi audierant.

CA. XVIII supra orãtis caput radij flammei,

E

& virga aurea conspiciuntur.

38 Raræ autem recollectionis donum ei inter orandum concessum hisce verbis describit Confessarius eius. Vsque adeò mentem in Deum habebat eleuatam vt tota esset diuina: hinc accidebat frequenter vt vel in cameram suam vel in alium locum conferret sese alicuius negotij causâ, & mox oblita cuius rei gratiâ venisset rapiebatur in Deum. Quantumcumque vero magnæ essent tribulationes angustiæque domesticæ, statim tamen atque in suam veniebat cameram, vel templum aliquod felix illa anima, nihil istorum recordabatur, sed totâ mente ferebatur in Deum; licet omni studio procuraret ipsa diuertere animum, ne tali deprehensa in statu admirationem cieret: tantam subinde sibi vim faciens ad gratias cælestes occultandas, vt ipsi ei oculi extra caput protuberarent. Præter suam autem voluntatem manifesta, tantâ suffundebatur verecundiâ, quasi in graui aliquo turpique facinore deprehensa, vt ipsa mihi sæpiùs fassa est; non minimam ex eo molestiam sentiens, quòd mihi cogeretur internas animæ suæ gratias aperire: quod tamen faciebat accuratè, quia sciebat talem esse supremi Numinis voluntatem. Hactenus Confessarius.

Colligendi in oratione spiritus mira facilitas,

F

& studium gratias sibi factas celãdi.

a *Fuit hæc omnium penè, vt infrà patebit, conscia secretorum: nomen integrè scriptum videtur fuisse* Margarita.

b *Videatur lib. 2 Visio 15. num. 40.*

CAPVT V.

Frequentes S. Franciscæ raptus, deuotionis exempla, obedientiæ virtus arduis experimentis probata.

39 ORationum, quæ voce fiunt, hic fuit B. Franciscæ tenor, vt in his primum locum teneret Officium,

Orationes illius vocales,

A Officium, quod Deiparæ matris honori Ecclesia destinauit: auditique in processibus testes sunt, qui deponerent à primâ pueritiâ illud solitam recitare, idque sibi continuâ annorum plusquàm quadraginta experientiâ compertum esse. Procurabat autem vt debitis illud horis persolueret, ac ferè de genibus magnâ cum deuotione, in cubili, in oratorio aut in templo: in vineâ verò si quando esset, subinde etiam obambulans id faciebat, tanto cum deuotionis internæ affectu, vt sæpè in extasim auferretur. Eodem sensu alios plures recitabat psalmos: sed toto die nulla oratio erat ei in ore frequentiùs, quàm Dominica, ab ipso Magistro præscripta discipulis, & salutationis Angelicæ formula.

& frequenter raptus.

40 De oratione illius mentali, ignotiora nobis sunt pleraque: nullum enim modum aut formam meditandi sequi edocta, aut argumentum solita præfixum afferre, prout tempora diesque festiui ferebant, ita ad orationem componebat sese: in quâ mox alienabatur à sensibus, & ducenti se luci diuinæ obsequens immergebatur in contemplationem cælestium mysteriorum sibi in visione obiectorum, quemadmodum ex ijs cognoscere possumus, quæ vltimis decem vitæ annis ipsius Confessarius Mattiottus scripto excepit. Ex processibus etiam scripturisq; antiquis quæ in hunc diem custodiuntur, habemus quòd toties atque ad sacram

maximè post Communionem:

B Communionem accederet, illius susceptionem extasis sequi soleret; quandoque verò ad ipsum Missæ principium finemúe etiam præcedere: sic tamen vt ista spiritus abductio à sensibus non obesset quò minùs cum alijs ad altare accederet, indeque sumpto Sacramento reuerteretur in locum suum, cetera immobilis ad duas aut tres, aliquando etiam ad plures horas. Quam si quis attingeret eo tempore, non plus ipsa sentiebat quàm fusilis ex ære statua aut sculpta ex marmore. Quin etiam accidit, vt experimenti caussâ diducere conarentur aliqui à se inuicem manus, quas ante pectus in actu adorationis coniunctas tenebat: sed nihil efficere potuerunt, quantamcumque violentiam adhiberent. Nihilo plùs sentiebat acicularum puncturas, sed postquàm ad naturalem vsum sensuum reuertisset, ex vulnere in carne relicto permanentem dolorem.

quorum rationem Confessario reddit.

41 Ab hoc immobilitatis statu transibat sæpè ad extasim mobilem in eaque & loquebatur & cantabat, dolebat aut querebatur secundùm argumenti sibi obiecti varietatem: & inter hæc varijs varia dictabat monita ex parte Dei vel Beatissimæ Virginis aut Sanctorum alicuius. Sibi porrò restituta à raptu, Confessario

C per obedientiam interroganti narrabat ordine quidquid sibi acciderat. Huiusmodi verò raptus etiam in domo mariti sui, in oratorio aut camerâ precibus intenta, patiebatur frequenter: sed eorum exigua ad nos peruenit notitia: nec enim istic aderat Confessarius qui visa à se auditaque notaret: nec ipsa nisi seuero obedientiæ præcepto adacta quidquam vltrò manifestabat eidem. Consequebatur porrò iam dictos excessus corporei visus priuatio quædam; nec nisi post aliquam moram temporis hic ei paulatim videbatur restitui.

CAP. XIX eximia eius modestia,

42 Rarum igitur pietatis atque deuotionis exemplû Romanæ nobilitati vniuersæ, præsertim matronis, Francisca fuit: nec minùs modestiæ singularis. Etenim duodenis homini nobili eidemque ditissimo in matrimoniû data, idque eâ ætate quâ sexum fœmineum maximè sibi solet vanitas vindicare, insuper in tam numerosâ familiâ domina omnium constituta, nihil vnquam agere visa est quod vanitatem, leuitatem aut arrogantiam saperet; neque circa seipsam neque circa famulos ancillasque. Non illa quantumuis adolescentula monilibus delectabatur aut gemmis aut vllo speciosarum vestium apparatu: non exornando capiti aut faciei pigmentis excolendæ bonas horas diesue malè insumebat: sed omnia istæc temporis virtutisque dispendia cane peiùs & angue oderat, modestiâ morum totiusque corporis humillimo habitu ornata abundè.

D Testibus etiam confirmatum reperio, quòd neque à marito neque à socru, nedum ab aliâ personâ quauis deduci se permiserit vnquam ad peruigilia, conuiuia, comœdias aut bacchantium pompas, quas cursus nominât: nûquàm visa sit choreas agere vel agentes spectare, numquàm lusui vllo interesse vel adesse: sed omne illius solatium erat si vel domi quieta ac solitaria suæ posset vacare pietati, vel foras egredi religionis caussâ, festorumq; deuotius celebrandorum respectu.

ex Ital. M. Magd. Anguillaria.

43 Tria porrò eximiæ erga res diuinas propensionis indicia in ipsâ fuerunt obseruata: primum quòd Ecclesiasticis personis omnibus, seu regularibus seu secularibus, tantum habebat honoris ac reuerentiæ, æquè domi propriæ atque in templo, vt vix coram ijs fari præsumeret, adstaret autem plerumque genuflexa, capite oculisque in terram dimissis, velut quæ Christum in ijs præsentem agnosceret: quibus & per plateas facta obuiam, inclinabat sese quàm profundissimè poterat. Ita asseruerunt testes oculati octo, atque inprimis Agnes sanctè affirmauit, ex vltimis hoc fuisse matris morientis præceptis, ac veluti testamenti nomine filiabus relictum, vt hominibus Ecclesiasticis ac religiosis multam reuerentiam deferentes, Christum Dominum in ipsis honorarent.

reuerentia erga viros ecclesiasticos,

E 44 Alterum est quòd puram semper conscientiam conseruare studens, quotseptimanis bis ad sacram exomologesim accederet: quod à primis adolescentiæ annis vsque ad mortem ab ipsâ obseruatum fuisse, septem fide dignissimi testes asseuerarunt. Quatuor autem omni in vitâ Confessarios habuit: quorum primus fuit is qui suprà nominatus Antonellus de Monte-Sabello, monachus Ordinis Oliuetani, insigni sanctitate & religiosâ simplicitate commendabilis: qui infantiles exorsus Confessiones audire, quamdiu vixit idem ei officium exhibuit in suo templo, quo Francisca hâc vnâ de caussâ singulis quartis ferijs solebat adire. Solebat prætereà in domo mariti sextis omnibus ferijs aut sabbatis confitentem audire quidam Frater Michaël, sacræ Theologiæ Doctor & Prior in S. Clementis, à vitæ sanctimoniâ multis laudatus: cum quo de rebus ad spiritum pertinentibus largos solebat domi suæ conferre sermones. Consueuerat autem, modò vnus modò alter prædictorum duorum, sæpè in S. Ceciliæ templum venire ipsam à peccatis absoluturus, quòd is locus ædibus ipsius propinquus, audiendis Sacris Communionique suscipiendæ commoditatem offerebat magnam: quandoque etiam in templo S. Angeli ad Forum-piscarium Fr. Antonellus eidem suam F operam eumdem in finem dabat.

Confessarij eius F. Antonellus,

Fr. Michaël,

45 Mortuis istis, in Confessarium sibi perpetuum delegit Presbyterum quemdam, Ioannem Mattiotti nomine, Canonicum Curatumque ecclesiæ S. Mariæ trans-Tiberim: apud quem suas Confessiones prosecuta est bis in hebdomade, diebus Mercurij Sabbatisque; semel quidem in prædictâ ecclesiâ, semel verò in domo coniugis: donec quarto ante mortem anno ad communem filiarum suarum habitationem transiuit, Turrim speculorum dictam; quæ erat in parochiâ S. Andreæ de Funarijs in regione Campitelli: ad cuius parochiæ sacram ædem præcipuis quibusque festis adibat Francisca, Côfessione purgatura delicta & Eucharistico pabulo refectura mentem, per Dominû Ioannê Antonij, qui tunc Ecclesiæ illius Rector erat & hæc testatus est. Ad sacram tamen Communionem quod attinet, cuius temporibus illis rarior vsus erat; inuenio quòd illam neque peteret vnquàm, præ animi demissione Confessarij vltroneum semper expectans mâdatum; neque sumeret nisi festis solennioribus, Christi Domini videlicet eiusque Beatissimæ Matris atque Apostolorum vel alicuius Sancti, quem Vrbs Romana cultu signatiori prosequeretur: nisi quod vltimis vitæ annis octauo quoque die communicasse ex Ioannis Mattiotti scriptis colligatur; idemque demonstrant

Ioannes Mattiotti,

Ioannes Antonij.

Quando communicare solita.

A raptus, quos suscepto Sacramento patiebatur ab eodem Ioanne litteris consignati.

EX ITAL. MS. MAGD. ANGVILLARIÆ.

diligentia in adeundis templis & stationibus

46 Tertium punctum, in quo magnæ ædificationi cunctis fuit Francisca, eâ continetur diligentiâ, quâ toto vitæ suæ tempore visitabat ecclesias & loca Vrbis sacra, diebus cuique proprijs: quâ Missæ sacrificijs, Officijs diuinis, habitisque ad populum sermonibus intererat: quâ ad omnes per Vrbem Indulgentias stationesque adibat. Quarum rerum tot existunt testes quotquot de ea rogati testimonium dixêre: neque videbatur aliam in hac vitâ vllam recreationem cognoscere. Igitur præmonitâ pridie cognatâ Vannotiâ, summo manè egrediebantur domo absque vllo famularum famulorumue comitatu, modò ad vnum modò ad alterum templum, quo eas Indulgentiæ propositæ opportunitas inuitabat; miræ simplicitatis, taciturnitatis atque modestiæ exemplum circumferentes per plateas: in templum verò inferentes attenti ad orationem animi deuotionem tantam, quantam plures oculati testes deinde laudauerunt. In hoc autem visitandarum ecclesiarum actu sociam eis se frequenter iungebat Lucia de Astallis, ipsa de se testis, & nonnullâ Franciscam affinitate ex parte mariti attingens. Sed & Rita quoque pia adolescentula, Sanctæque familiarissima atque omnium propemodùm particeps actionum, eamdem B plerumque comitabatur, tum ad alia pietatis exercitia tum ad sacras conciones, quæ rariores solitæ eo tépore haberi, fermè in Fratrum Dominicanorum ac Fráciscanorum templis, S. Mariæ supra Mineruam & Aracæli dictis, per illas audiebantur.

cũ magnâ Vrbis ædificatione.

CAP. XX

Prompta obedientiæ studio

47 Omnium quidem virtutum, sed obedientiæ imprimis studiosissima semper Francisca fuit, quam non tantùm parentibus suis inuiolatam seruabat: sed multò maximâ cum curâ Confessarijs & Patribus suis spiritualibus, solita hanc potissimum commendare suis in Christo filiabus, dicendo, vnicam hanc esse & compendiosissimam viam ad vitam æternam gloriamque cælestem: nec fuit res vlla tam difficilis vmquam, quam non promptissimâ èxequeretur voluntate mox vt fuerat imperata. Fuit cùm in lecto infirmam visens Confessarius suus Fr. Antonellus, ipsam debili planè stomacho reperiens, ausus est præcipere, vt ei corroborando modicum vini sumeret. Numquàm illa eatenus vinum gustauerat, volens tamen imperanti morem gerere, impleri scyphulum & ad se ferri mandauit, atque allatum magnâ vultus alacritate exhausit coram ipso aliisque qui aderant pluribus: sed potus ignoti in- C solentia vsque adeo commouit stomachum, cui remedium quærebatur, vt in vomitum continuò resolutus, euomere quidquid ingereretur per triduum non cessaret: nec tamen vel minimo signo ostendit quòd pœniteret obediuisse.

vinum stomacho reluctanti ingerit,

oculos ne quidem in periculo vitæ attollit;

48 Aliàs cum suâ cognatâ Vannotiâ eunti ad visitandam ecclesiam Sanctæ Crucis, die veneris sancto, idem Confessarius sub obedientiâ inhibuit, ne in itu redituúe oculos attolleret, sic vt personam quamcumque posset intueri. Ibat igitur luminibus in terram deiectis, iamque ad Hospitale S. Ioannis peruenerat, cùm eis obuiam lanio fit duos ante se iuuencos agens adeo feroces, vt magnâ cum trepidatione cuncti quotquot in eâ plateâ erant, huc illucque diffugerẽt. Sola Francisca obedientiæ memor neque deflexit è viâ, neque oculos sustulit, secura periculi iter prosequens. Iuuenci autem subitò atque ad ipsam accessêre propiùs, agnorum instar mites effecti, in alterum plateæ latus deflexêre; multùm admirante, quæ eius caussâ formidare cœperat, turbâ populari.

filium tradit in manus inimicorum,

49 Quo tempore Romæ commorabatur Neapolitanus Rex Ladislaus a, Paulutius Franciscæ leuir raptus in vincula est, velut qui contrarias prædicto Regi partes fouebat, & maritus eius Laurentius in exilium amandatus: restabat domi solus Baptista filius, & hunc Româ discessurus Comes Petrus de Troiâ, omnia pro Rege gubernans, obsidem habere voluit D suorum suasu ministrorum, & secum abducendum mandauit accersiri. Timebat huic nunc vnico (nam mortui erant ceteri) non immeritò Francisca & occultare innocentem moliebatur: quando Confessarius eius Fr. Antonellus, spiritu quodam sublimiori motus prohibuit ne faceret: sed potiùs vt ipsa filium ad Comitem eiusque Officiales adduceret imperauit. Ergo manu arreptum filium obedientissima mater ducit ad ecclesiam quæ Ara-cæli dicitur, Comitique & ministris eius stationem ibidem habentibus tradit: non tantum admirantibus ijs, qui vel in plateâ vel in ecclesiâ ipsam videbant cú filio, sed etiam indignantibus quòd eum in captiuitatem ac fortassis in mortem traderet inimicis generis sui infensissimis. Ex ijs porrò qui Comiti aderant cum filium offerret, suggesserunt aliqui vt fauorem Comiti sibi filioque emereri contenderet. Quibus illa: Eius mihi fauore quæram vnde auxilium sperare possum: eóque dicto in genua se posuit coram Beatissimæ Virginis imagine, quæ intra suum conclusa tabernaculum certis dumtaxat diebus anni populo solet spectabilis exhiberi. Tunc autem (quemadmodùm ipsamet dixit) conspecta fuit à se, transeunte per ipsum tabernaculum, sic vt erat conclusum, visu. Egressus est Comes cum Baptistâ ex templo mandauitque E vt eum è suis aliquis in equum suum post se reciperet, cœperúntque S. Ioannem Lateranensem versùs procedere Neapolim petituri. Verùm qui Baptistam portabat equus nullis calcarium stimulis prohiberi potuit quò minùs pertinaci nisu retrograderetur: quod idem cum alij quoque equi facerent, quibus puer successiuè impositus est, perterritus Comes matri suæ iussit confestim restitui, egregium hunc obedientiæ suæ fructum referenti.

sed illa D. Virgini cõmendatum

abduci nequit.

Etiam extatica Cõfessario paret

50 Mirabilius porrò hoc etiam est, quòd in extasi posita & naturalium sensuum vsu destituta, Patri suo spirituali promptissimè obediret: adeò vt genuflexa eo imperante surgeret; erecta staret vel iaceret, prout idem iussisset; locum de loco mutaret in templo, & ad interrogata aptè responderet, cetera immobilis quasi lapis, quiscumq; eam vel tangeret vel appellaret & quãtumuis aliquis dicere præsumeret: Per obedientiam, hoc dicito, vel facito illud. Publicum huius rei experimentum exhibuit Visio LXXII suprà proposita: nunc concludo euidenti demonstratione diuinæ bonitatis in eius obedientiâ mirè sibi complacentis. Accidit vt in suo cubiculo Officio Mariano recitando intenta per F domesticorum aliquem accerseretur à marito cui nuntio mox illa parens, signato istic vbi desinebat libro, executa mandatum est; eóque facto redijt ad intermissas preces: sed in vnâ eadémque Antiphonâ resumendâ quater vocata & reuocata, ac semper eadem promptitudine digressa regressáque, quartâ demum vice librum manu accipiens, Antiphonam illam litteris aureis scriptam reperit: idque posteà in raptu quodam, S. Paulo indicante, didicit ex diuino mandato factum esse ab Angelo ad comprobandum obedientiæ meritum: cuius vti testis Vannotia fuerat, præsens cùm quater iteratis vicibus euocaretur ab incepto, sic & meruit particeps fieri gaudij ex admiratione miraculi, cum prædictam scripturam auream suis ipsa oculis est intuita.

Antiphonã quater intermissam

auro scriptam inuenit.

a *Abrahamus Bzouius ad annum* 1405 § 6 *ex illius temporis scriptoribus narrat, quomodo eo anno Innocentius VII rebellis populi violentia cesserit, eaq; occasione visus Ladislaus Vrbem occuparit, quam breui amiserit, tumultu ob ciuis vnius Romani cædem orto, eiusq; partiarijs recedere coactus. Iterum deinde post electionem Alexandri V. Vrbs in Ladislai potestatem recidit, 12 Martij anni* 1409: *& tunc quidem præfectus Vrbi ab eodem Comes Troia est, qui amissâ mense Octobri Leoninâ vrbe, reliquam tenuit vsque ad 29 Decemb. quo Paulus Vrsinus insigni prælio ipsius & Columnensium copias fregit. Comes autem ægrè fugâ elapsus est, fune per fenestram dimissus, vt ad hunc annum habet idem Bzouius: ad quem propterea spectare videntur ea quæ hîc narrantur. Nam anno* 1405, *ob temporis*

Roma sæpius occupata à Ladislao R. Neapol.

anno 1409 vexatur insigniter S. Franciscæ familia!

A *poris breuitatem in recenti dominatu; non videntur intra Vrbem gra-*
uius aliquid passi ciues; & licet etiam anno 1413 fœdifragus contra
Ioannem XXIII Ladislaus Romam occuparit 4 Iunij, nec ea rediderit
forte etiam 1413, & 14 *ad Pontificis potestatem antequam is die Augusti 3 anni 1414 mo-*
reretur: nullâ tamen Troiani Comitis mentio vspiam reperitur illis
annis; quibus nihilominùs possumus credere, Regem in aduersarios
carceribus exilijsq; sæuientem, familiæ Pontianæ nihilo mitiorem fuis-
se hac vice, quàm aliàs fuerat eius Præfectus. Iulius certè Vrsinus
noster, huius vnius vltimæ inuasionis meminit; & S. Francisca mor-
bum grauissimum, interim dum maritus in exilio degit, ad hac tem-
pora retulit. vbi & visionem de inferno, de quâ supra egimus.

CAPVT VI.

Singularis in aduersis patientia. Verborum ad proximorum vtilitatem efficacia.

CAP. XXI 51 FIdelis est Deus, inquit Apostolus, qui non pa-
1 Cor. 10, 13 tietur tentari nos supra id quod possumus: mul-
tùm igitur potuisse Francisca dicenda est, quæ tam
Patienter fert socerorum imperium; multis modis fuit tamque grauiter tentata & probata.
Nam primò intra puellares adhuc annos consistens, in
alienam translata est familiam, non tantùm mariti sui
B imperijs, sed soceri quoque socerúsque voluntatibus
subiicienda eorumque ingenijs aptatura sese: quod illa
iugum placidissimè tulit. Domum deinde fortunæ bo-
nis omnibus copiosissimam penè momento temporis
euersam vidit, & omni prioris felicitatis ornatu spolia-
tam. Etenim cùm sub Ladislai Neapolitani Regis ty-
rannide gemeret Romanus populus, & Vrbs Pontifice
domesticã calamitatem, pulso velut viduata mœreret; non potuêre sic contine-
ri eorum animi, qui patriam adhuc libertatemque ama-
bant, quin eorum affectus in verba quandóque, & à
verbis prosiliret ad facta, de quibus tamquàm Regis
inimici possent accusari. Hos inter Laurentius fuit
Franciscæ maritus, inter ciues tunc facilè potentissi-
mus, atque adeò partium ducibus adnumerandus: qui
mariti vulnus, cùm à iurgijs aliquando ventum esset ad arma, vulnus
accepit ex quo collapsus in terram aliquamdiu pro
mortuo habitus est. Et quamuis posteà viuere depre-
hensus, ad domum relatus sanitatem quoque recupe-
rauerit, vxoris diligenti curâ precibusque adiutus: con-
& exilium; ualescenti tamen indictum exilium est æquè ac fratri
eius Paulutio, & Baptista filius obses petitus. Poterant
hæc etiam generosum viri alicuius animum frangere;
Franciscæ non potuerunt tollere vel minimam par-
tem internæ quietis: sed coram alijs quoque sereno
C semper atque hilari vultu eiusmodi accipiebat noua,
tamquàm totidem beneficijs affecta à Deo.

bonorum deprædationem, 52 Elucebat hoc maximè tum cum viri sui ar-
mentarij, bubulci atque opiliones (equis enim ac buba-
lis, bobus & vaccis, ouium ac porcorum gregibus, quæ
tunc præcipuæ erant Romanorum diuitiæ, abundabat
Laurentius atque Paulutius fratres) illata agris ac gre-
gibus damna nuntiaturi venirent: ad hæc enim (vt
suo ipsamet Confessario declarauit) non magis com-
mouebatur, quàm si nihil ad se ista pertinuissent, pla-
cidè illud Iobi vsurpans: Dominus dedit, Dominus
Iob. 1, 21 abstulit: sicut Domino placuit ita factum est: sit no-
men Domini benedictum. Hanc tamen virtutem suã,
domesticæ pacis gratiâ solerter occultabat, quò posset
efficaciùs alios consolari, si & ipsa pati aliquid videre-
tur & sustinere partem doloris. Neque in externis tan-
tùm fortunæ bonis probauit illius patientiam Deus;
morbos, sed in ipso quoque illius corpore multiplex sumere
voluit experimentum per morbos, quibus diuturnis
grauibusque, vt dictum est diceturque deinceps, fuit ex-
ercita: sic tamen vt nullus impatientiæ motus in
eâ obseruatus sit vmquam, nulla displicentia alicuius
obsequij quantumuis ineptè sibi exhibiti.

liberorum luctum, 53 Prætereà per filiorum, quos tenerrimè dilige-
bat, immatura funera constantiam suam Francisca pro-
bauit, animo semper tranquillo diuinæ sese voluntati
aptaris & gratias agens in ijs quæ accidebant. Pari cō- D
stantiâ maledicorum ac sibi detrahentium, deque ip- *EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.*
sius viuendi modo malè loquentium linguas pertulit:
ne minimæ quidem auersionis indicium ab ijs demon-
strans personis, quas de se suisque rebus perperam sen- *obloquia maleuolorum,*
tire ac loqui nouerat; sed bonum pro malo reddens,
solebat Deum pro ipsis continuò deprecari. Sed qui
penitius nosse desiderat adamantinam illius fortitudi-
nem, conflictus ipsius cum dæmonijs legat, quos prio-
ra Acta exhibuerunt, qui cùm tam horrendi sint, vt vel *infestationes dæmonum.*
eorum simplex commemoratio terrorem incutiat ani-
mo; per totam tamen vitam ab eadem generosè exce-
pti, superati, imò contempti fuêre.

CAP. XXII 54 Nunc quoniam ipsam non elegerat Deus vt
Mirâ sermonis gratiâ pollet ad animos componendos; sibi soli sancta foret, sed vt collata sibi diuinitus dona
in proximorum spiritualem ac corporalem salutem
conuerteret: tantâ illam amabilitate instruxerat; vt
cuicumque agere cum ipsâ contigisset, is illicò sentiret
illius amore æstimationeque captum se, atque ad om-
ne ipsius arbitrium flexilem. Eâ namque verbis suis
diuinæ virtutis efficacia inerat, vt breui sermone affli-
ctis & ægris animis solamen faceret, inquietos sedaret,
mitigaret iratos, reconciliaret inimicos, inueterata odia
rancorésque extingueret, & meditatam paratámque E
vindictam sæpè sæpius impediret: verbo vno vt frenas-
se hominum quorumcumque affectus, & eos quo-
cumque vellet ducere posse videretur. Quare ex om-
ni parte recurrebatur ad Franciscam, velut ad azylum
tutissimum, nec ab eâ quisquam nisi consolatus rece-
debat, quamuis liberè ipsa & peccata reprehenderet, &
quæ noxia erant Deoque ingrata citra formidinem
castigaret.

55 Si fortè sermonibus aliquando inutilibus aut
virtuti contrarijs interesset Francisca, citra dissimula-
tionem ostendebat neque ijs delectari se posse, neque *Vanitatem Rom. matronarum*
non offendi supremum Numen, in quibus animæ col-
loquentium læderentur. Itaque conuertebat illa ser-
monem aliò tam gratiosè, vt molesta nemini, omnibus
esset ædificationi. Pari dexteritate cum matronis agens
ornandi corporis nimiùm studiosis, abijciebat dissipa-
batue quæ ad manus habere poterat instrumenta va-
nitatum: cum virginibus autem maiori vtens libertate, *& virginum liberè castigat;*
etiam capitis nimis compti ornatum suis ipsa manibus
destruens, in modestiorem formam reponebat. Quo in
genere hoc memorabile accidit. Erat Romæ matrona
nobilis, Gentilesca nomine, cuius cum nimiam vanita-
tem sæpè Francisca, sæpè Confessarius arguissent, ne-
que profecissent aliquid; Deus eorum se parti adiun- F
gens, curauit vt misera, infelici casu ex scalis lapsa & to-
to afflicta corpore, maximè tamen læderetur in capite; *cuidam post casum periculosũ resipiscenti*
in cuius superfluo cultu plus illa deliquerat: eratque
eò formidabilior hic lapsus, quòd partui vicina mulier,
& sibi & fœtui metueret ipsa, nec minorem sollicitudi-
nem incuteret medicis, incertis quam in partem priùs
auxilium ferre. Audiuit quid gestum esset Beata; &
corporis animique curandi spe mota, adijt decumben-
tem, eamque dulcibus verbis solata, mox eò venit vt
ostenderet, quàm iusto Dei iudicio hoc sibi accidisset,
quæ nullis benè suadentium monitis aures dare volue-
rat, vt modum poneret vanitati. Quibus commota
infirma suum continuò erratum agnoscere, & inscru-
tabilia Dei iudicia reuerenter adorare, Beatæque ro-
gatæ vt sibi succurreret sanctè polliceri quamcumque
in futurum exigeret emendationem. Vidit Francisca *sanitatem impetrat.*
seriò agi & ex animi sensu loqui Gentilescam: ergo
conuersa ad Deum per preces impetrauit ab eo, vt bre-
ui tempore conualescens feliciter filiam eniteretur;
quæ malo edocta, & propositi tenax omni deinde va-
nitati nuntium remisit.

56 Ad eiusmodi effectus mirè proderat videre, *sermones vanos in spirituales commutat;*
quàm soluto à rebus terrenis animo Francisca ageret,
omnesque affectus & desideria sua reposita in Deum
résque diuinas haberet, numquàm audita loqui nisi de

A paradiso, de magnalibus Dei, de animarum salute omni studio procurandâ: à quibus si diuersa loquebantur alij, videre ipsam erat afflictam sollicitamque quomodò pro terrenis ac temporalibus rebus, spirituales atque cælestes inferret in colloquium; quod si non posset obtinere quandoque, efficiebat vel silentio sancto vel opportuno discessu ne mens sua, Dei habitaculum facta, quidquam labis ex talibus colloquijs traheret. Efficaciam porrò verborum eius multi iurarunt fuisse tantam, vt post consolationem semel ex ijs acceptam, numquàm deinde consuetas senserint afflictiones. Quandoque etiam occultissimas cogitationes declarabat ijs, quibuscum loquebatur, quarum illi conscientiam in Franciscâ demirati, multâ cum consolatione abibant, omnino persuasi Sanctam ipsam esse, & humanâ maiorem eam virtutem, quæ per os eius loqueretur.

EXITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

occultas cogitationes retegit:

57 De quodam Angelo illustrissimæ inter Romanas familiæ viro legitur in processibus, quòd ab aduersario grauiter sauciatus, siue superatum se non ferens siue priores odij caussas reuoluens, nullâ poterat ratione induci, vt positâ vltionis sumendæ voluntate, offensam inimico condonaret: ad quem visitandum accedens Beata tam suauiter prudenterque cum

odium obstinatum tollit,

B eo egit, vt priùs penè quàm sentiret quid ageret, professus sit, se reconciliatum ei quem oderat, omnem ex animo inimicitiam ponere: post eius autem discessum admirans circumstantibus dixit, diuino spiritu loqui visam. Mox singulari contritione atque deuotionis affectu motus petijt & accepit Ecclesiæ Sacramenta, atque intra quinque dies extinctus est, in locum, vt sperare nobis licet, salutis per preces Beatæ huius translatus. Valuit autem hic & alij huiusmodi casus, vt quicumque aliquid cum altero controuersiæ haberent, animi rancorem Beatæ exponere, & remedium ab eâ referre non dubitarent.

58 Quidam consanguineus eius, Ioannes Antonius Laurentij nominatus, certus vindictam sumere de quodam Romano à quo per inimicitiam dissidebat, eiusque cædem quacumque ratione curare, præuentus fuit à S. Franciscâ, rem omnem in spiritu edoctâ: eum enim cuius vitæ periculum nouerat imminere ad se accersitum monuit, vt vitæ suæ cauendo consuleret: deinde mediam interposuit sese componendæ paci, quod est feliciter assecuta. Nec minùs feliciter res ei cum marito suo Laurentio cessit, quem graui accensum iracundiâ contra alium Romanum primæ notæ nobilem, diu frustrà studuerat mitigare: donec tandem cre-

inimicos reconciliat,

C scente corporis infirmitate, animi obdurati detumuit contumacia, & pax conciliata est per Franciscæ suasiones: tantò melioris ad publicam ædificationem exempli, quantò propius res ea Franciscam tangebat, palàm murmurantibus non paucis, quòd quæ foris pacare omnia & sopire studeret, gliscens domi incendium non extingueret.

59 Omitto huius generis infinita, quæ proferre possem ad proximorum salutem procurandam piè per Franciscam acta esse: inter quæ multis doceri posset, quàm potenter peccatis immersos homines è luto fœcis atque damnationis extraheret, & peccatores ad diuinorum mandatorum obedientiam reuocaret: vnum tamen omittere non debeo, quod cum quodam Religioso Oliuetano egit, Hippolyto nomine. Vixerat hic per annos decem in S. Mariæ-nouæ monasterio, varijsque muneribus in eo perfunctus tandem sacrario curando est præfectus: cùm nescio quæ melancholici humoris intemperies ita iudicium illius euertit, vt leue eatenùs obedientiæ iugum intollerabile existimaret, & velut trahendæ per omnem vitam seruitutis pertæsus deliberatum haberet, potiùs habitum Ordinemque dimittere, quàm in illo Sacristani officio diutiùs deseruire, alienis semper imperijs obnoxium. Priùs tamen quàm cogitata ad effectum deduceret, decreuit animi

peccatores ad pœnitentiam reducit,

Monachū à cogitatâ apostasiâ abducit.

sui angustias aperire ei, quàm in suo templo sæpè confitentem communicantemque nouerant omnes Religiosi propter eximiæ deuotionis exemplum; & ipse tamquàm Sacristanus poterat familiariùs alloqui. Ergo petitâ impetratâque alloquij potestate, benignè auditus ab eâ monachus est, itaque tractatus, vt cum multâ veræ humilitatis sinceræque compassionis signa daret Francisca, quibus in illius animum insinuabat sese, tandem exhibitâ facinoris cogitati enormitate, ab eâ mente prorsùs deduxerit, profitentem in eius se planè futurum potestate; quod & fuit, tanto cum feruore spiritualis vitæ cursum resumens, admirantibus omnibus, quibus eius inquies & inobedientia præcedens nota erant, vt Prioris primum in conuentu Vicarius, dein & Prior fuerit; orationibus S. Franciscæ plurimùm adiutus, quæ eum velut rem suam sibique acquisitam habebat. D

a Comes Troiæ cum nonnullis suorum per Campaniam fugiens suburbana Trans-tiberina adeò vastauit, vt C. M. florenorum summâ æstimarentur sola tantùm animalia, quæ is abegerat aut occiderat. *Ita ad annum* 1405 *Bzouius: sed & alijs ante ac post annis pares illatas agro Romano clades credere cogunt perturbatissima illac tempora & frequentes vrbis inuasiones.*

CAPVT VII.

Ægris magnâ caritate inseruit, Assisium peregrinatur, Ioannem Mattiotti Confessarium eligit.

60 QVid nunc eximiam erga ægrotos infirmosque caritatem dicam? Grassabantur Romæ morbi varij, mortales passim & pestiferi habiti: in quibus non dubitauit sancta spreto contagionis periculo exhibere viscera misericordiæ erga miseros & opis indigos alienæ: quos facilè repertos primùm ad expianda per compassionem peccata inducebat, sedulo deinde iuuabat ministerio, amanter exhortans vt de manu Dei hoc qualecumque incommodum libenter acceptarent, & pro eius amore tolerarent, qui tam multa prior pro ipsis tulisset. Cùmque nihil humanæ prætermitteret industriæ aut diligentiæ, quod posset restaurandæ sanitati conducere, accidebat non rarò, vt supra natura vires essent, quæ sequebantur curationes. Creuit eo facto fama sanctitatis eius, & latiùs vulgatum est donum curationum ipsi diuinitus concessum: quare magnus erat infirmorum numerus ad ipsam auxilij caussâ accurrentium, nec ipsa poterat à suæ caritatis visceribus excludere quemquam. Modum igitur reperit, vt in domo mariti cubicula aliquot aptari curaret, in quibus receptos ægrotantes omni ope foueret: quorum multi aut omnino præter spem suam, aut longè citiùs quàm sperauerant integræ redditi sanitati, cum miraculo adscriberent beneficium; ipsa eiusmodi opinionem extinguere cupiens, vnguentum quoddam excogitauit, quo ex cerâ, oleo, rutæque & amaraci succis confecto ad quæuis infirmitatum genera curanda vtebatur: futurum rata vt naturali huius vnguenti virtute restituta valetudo crederetur. Quod tantùm abest, vt factum fuerit, vt econtra magis aucta hinc fuerit æstimatio meritorum eius, dum multi, qui nequibant ad ipsam curandi venire, vnguentum illud sibi dari flagitant, eoque vsi quam citissimè voti sui compotes fiunt. Quod in hodiernum diem experiuntur plurimi, qui à Sororibus Turris-speculorum pharmacum istud, in eodem in quo Sancta solebat vase confectum, deuotè petunt & cum fiduciâ vsurpant.

CA. XXIII *Côtagionis tempore inseruit ægris,*

successu sæpè miraculoso:

F

domi suæ nosocomiū instruit:

vnguentū quibusuis morbis curandis parat:

61 Non erat contenta ijs, quos domi suæ colligere poterat, infirmis curandis Franciscæ caritas: sed in suis illos mapalibus atque hospitalibus publicis requirebat, ibique inuentis refouebat sitim, componebat lectos, obligabat vlcera; quæ quanto fœtentiora erant

ministrat hospitalibus:

&

A & magis stomacho suo contraria tantò diligentiùs accuratiusque tractabat. Solebat etiam in Campum-sanctum iens cibos & delicatiora obsonia deferre secum, inter magis indigos distribuenda: domum autem reuertens referebat detrita indusiorum fragmina & pauperes pannos immunditiâ plenos, quos diligenter elutos probèque relartos, tamquam ipsi Domino suo seruituros, curiosè complicabat atque inter odores reponebat. Euenit autem aliquando, vt nauseantis ad similia stomachi vincere volens rebellionem, faciem eiusmodi lotione aspergeret, ex eâque partem aliquam bibendo hauriret. Sed pius Deus declarare volens quàm sibi grata esset istiusmodi victoria, hanc sordidissimam eluuiem quouis sapidissimo edulio iucundiorem ei videri fecit.

ægrorum pannos lauat:

62 Per annos omnino triginta, vt in Processibus continetur, hoc inseruiendi infirmis atque hospitalibus ministerium secuta Francisca est, dum scilicet in sui mariti domo esset, frequens ad hospitalia S. Mariæ & S. Ceciliæ in Trans-tiberim, ad aliud S. Spiritus in Saxeâ, quartumque in Campo-sancto. Et quoniã eiusmodi contagionum tempore non solùm difficile erat inuenire medicos, qui curarent corpora, sed etiam Sacerdotes, qui necessariam animabus medicinam facerent: ipsa eos requirebat adducebatque ad tales, qui B iam ad suscipienda Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta dispositi erant: quod vt pro arbitrio suo commodiùs faceret, alebat suis impendijs Sacerdotem, qui ad prædicta accedens hospitalia præscriptos à se infirmos visitaret. Incredibile autem est, quàm multas ea caritas animas è propinquæ damnationis faucibus eruerit. Singulare imprimis fuit, quod ipsi cum infelici quadam muliere accidit: iacebat hæc in quodam hospitali desperabunda, quia filio per scelus concepto maiori scelere vitam abstulerat. Nouerat rem spiritu prophetico Francisca: quare propensioris erga eam compassionis affectum exerens, saxeum atque obstinatum pectus emolliuit paullatim, sic vt suum vltrò delictum aperiens salutaria monentem audire inciperet, paullatimque persuasa sperandum esse in Dei misericordiâ infinitâ, admisit Confessarium, ac demùm extremis munita Sacramentis placidè ad meliorem, vt confidimus, vitam emigrauit. Plura huius generis referuntur in Processibus, quæ breuitatis causâ transmittimus.

conducit Sacerdotem qui ægros audiat:

mulieri de salute desperanti succurrit.

CAP. XXIV

Ipsa in morbum grauissimum incidit,

63 Dum in hoc infirmorum curandorum pijssimo opere tanto cum amore ac diligentiâ versatur Francisca, cuicumque egenti operam opemque sine discrimine præstans, ipsa quoque in grauissimam incidit infirmitatem, quæ ei per plures menses adhæsit: in quâ C ad patientiæ cumulum non defuit, qui eam imprudentiæ temeritatisque argueret, & dignum operæ pretium referre diceret, propterea quòd sapienter monentium consilia audire neglexisset. Quæ ipsa ex caritate dici existimans, humili gratoque excipiebat animo: ad eos verò qui suadebant vt corpori sic infirmo plùs aliquid faceret deliciarum, ne mortem aliàs ipsa sibi accelerasse diceretur: Domine mi Iesu, respondebat, fiat sanctissima voluntas tua. De cetero eam vultus serenitatem cunctis se visitantibus exhibebat, vt nemini dubium esse posset quin altissimâ interiùs quiete frueretur. Hoc autem morbo dum in hunc modum detinetur, desiderium ipsam incessit sub vesperam, relaxandi tantisper animi causâ ascendere in oratorium, quod recens in domum mariti traductam diximus eam in summis ædibus adaptasse. Mox verò vt hic in orationem se dedit, rapta quoque in extasim fuit, in quâ deducta est ab Angelo Raphaële ad inferni supplicia sub quadam corporeorum simulacrorum specie, vt ei dicebat Angelus, contemplanda: non quia reuera eiusmodi instrumẽta torquendis in inferno animabus sint; sed quia in mortali corpore aliter concipi nequeat, quàm dira & horrenda patiantur damnati *a*.

& ad spectanda inferni tormenta deducitur.

64 Quæcumque ei contigit in horribili istâ visione cognoscere, scripto Confessarius illius excepit: ast de susceptâ Assisium peregrinatione nihil vspiam in antiquis monumentis reperio litteris à quoquã consignatum: in ijs tamen, quæ de S. Franciscâ typis aliquando vulgata fuêre *b*, ex Confessarij testimonio relatum inuenio, quod S. Francisco deuotissima, non tantùm propter eiusdem Communionem nominis, sed propter singularem quo excelluit affectum erga sanctissimam Domini Passionem, quam corde & corpore Sanctus hîc circumferebat, decreuit aliquando ad locum illius natalem proficisci. Expectato igitur eo tempore, quo Dominæ Angelorum solenne festum reuehit toto orbe celeberrimas Portiunculæ Indulgentias, secundâ Augusti Fidelibus proponendas; circa finem Iulij mensis pedes sese dedit in iter, comitantibus Vannotia cognatâ ac familiari discipulâ Ritâ; & piè partitæ tempus, vel sacris illud meditationibus impendebant, vel religioso de Deo ac rebus diuinis colloquio. Quodam igitur die dum factæ termino propriores, quod supererat itineris per spatiosam Fulginatis agri planitiem decurrunt, assecutus eas venerabilis quidam Frater, eo in habitu, quo vti Franciscani consueuere, post datam acceptamque salutem & caussam itineris exploratam captauit ex responsione occasionem pium colloquium auspicandi, in quo singulari cum feruore cœpit disserere de eximiâ caritate nobis per Saluatorem exhibitâ.

D

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

Assisium Religionis ergò proficiscens,

b

S. Francisci alloquio recreatur,

E

65 Cognoscens autem Sancta eum, qui de Christi Passione talia tamque inflammato loqueretur affectu, ipsum Sanctum Patrem Franciscum esse, intimis commota visceribus, nec minùs exhilarata est. Exhilarabat etiam socias tam gratæ sermocinationis suauitas, neque sinebat itineris molestias sentiri. Non ideò tamen minùs arescentibus faucibus per istos Iulij extremi calores sitim patiebantur corpora, cui prospectum volens sanctus viator, proximam itineri siluestrem pyrum scipione percussit & pyra decussit tam formosa, tam grandia, vt singula vix stringere possent vtraque manu deuotæ peregrinæ: eoque facto ex admirantiũ comitum disparuit oculis, quæ tum primum etiam ipsæ cognouere, non esse è mortalium vulgò, quem loquentem audiuerant, atque vnà cum B. Franciscâ gratias reddiderunt Deo de fauore tam singulari. Perrexerunt igitur in itinere cœpto, & ecclesiâ S. Mariæ Angelorum religiosè visitatâ Indulgentiarum beneficium consecutæ, ascenderunt ad templum, in quo Seraphici Patris corpus requiescit; & tot alia piæ memoriæ ibidem loca venerabundæ obiuere: ac demùm cõsolationum deuotorumque plenæ affectuum rediuere domum; incertum quo præcisè anno: hoc tamen pro certo dici potest, decimi quinti seculi anno vigesimo quinto posteriorem, priorem verò eiusdem seculi anno trigesimo hanc, quam diximus, peregrinationem fuisse.

qui illius & sociarum siti leuanda,

pyra præbet;

ipsa pia Assisij loca visitant.

F

66 Infra quod item tempus ex hac miserâ vitâ ad meliorem transijt Fr. Antonellus B. Franciscæ Confessarius, cuius virtuti multùm tribuebat illa, nec minùs ab illius obedientiâ pendebat. Hunc an moriendo præuerterit an secutus sit Fr. Michaël, S. Clementis Prior, domi ferè solitus illius excipere confessiones incompertum manet. Vtrique mortuo scimus Domnũ Ioannem Matteotti successisse ecclesiæ S. Mariæ Canonicum & Curatum, quem, ne obedientiæ bono careret, stabilem sibi Confessarium Sancta elegit; inuitata opportunitate istius ecclesiæ, domui mariti suæ magis vicinæ, quàm ædes S. Mariæ-nouæ: eoque id faciebat magis, quòd susceptâ in se familiæ totius administratione, non leues ex maiori istâ adeundi templi vicinitate commoditates experiretur: nec quidquam ea mutatio templi derogaret suæ erga Virginem Mariam pietati, quando vtraque ecclesia erat ipsius nomini consecrata.

CAP. XXVI

Mortuis S. Franciscæ Confessarijs

succedit Io. Matteotti;

a ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. verum quidem spiritualium imperitus, vtilis tamen;

A 67 Fuit hæc procul dubio diuina electio: nam quamuis iuuenis esset eo tempore Ioannes, nec nisi trigesimum tertium ætatis annum egressus cùm primùm audiendis Franciscæ Confessionibus aures cœpit accommodare, quod anno Christi millesimo quadringentesimo vigesimo nono contigit; quia tamen illius Parochiæ Pastor erat, poterat ei pro arbitrio suo diuina communicare Mysteria, nec petitâ aliundè indigebat facultate. Erat ille quidem ducendarum ad sublimiorem perfectionem animarum imperitus, & exiguâ spiritualium rerum cognitione præditus, imò earumdem intelligendarum parùm admodùm capax, ideoque ancipiti semper plenus formidine hærebat ad omnem passum ambiguus, & quidquid præter vsum ordinarium esset, de eo continuò dubitabat. Hoc ipsũ tamen vehementer iuuit, vt virorum intelligentium iudicia prudenter consuleret: & partim ex ijs, quæ ipso S. Franciscæ vsu didicit, partim ex lumine diuinitus per illius preces impetrato tantùm profecit, vt magnarum etiam rerum factus sit non ineptus arbiter.

& qui primus in scripta redegit, quæ vidit:

68 Probatissimæ certè vitæ inter ecclesiastici Ordinis viros exemplo refulsit, eiusque operâ Deus vti voluit ad manifestandas mundo gratias & fauores, quas in deuotam famulam suam liberali manu spargebat B sparsurusque deinceps erat; eumdemque destinauerat instrumentum præcipuum Canonizationis futuræ. Cùm enim ad hoc vsque tempus, id est, annum vitæ S. Franciscæ quadragesimum quintum, nullus quidquam scripto consignasset eorum, quę supra communem naturæ ordinem ei accidebant; primus hic diuino motus instinctu, compendio collegit quidquid de Sanctæ huius suæ pœnitentis actionibus, antequàm se Confessario vteretur scire potuit: deinde fusè distinctèque descripsit, quidquid per vndenos post id annos cognouit accidisse, nisi cum morbo prohiberetur huic rei attendere, & ijs, quæ agebantur præsens interesse. Adeò vt huius vnius potissimùm singulari diligentiæ debeamus, tum illa pleraque quæ de B. Franciscæ vitâ scripta habemus, tum principium statim ab eius morte procurandæ Canonizationi datum sub Eugenio Papâ. Habuit hunc Confessarium Sancta vsque ad mortem; sub illius obedientiâ semper vixit; eiusdem consilium directionemque secuta, erexit congregationem Oblatarum Turris-speculorum, vt infra dicemus; ipsumq; constituit Confessarium ordinarium Filiarum suarum spiritualium. Quoties autem in rebus vel ad spiritum vel ad Congregationem prædictam spectantibus diuersum à Sanctâ sentiebat; quamuis ipsa diuinam voluntatem certò aliundè cognouisset, nihil tamen C exequebatur priùs quàm Ioannem, persuasum id ita esse, in suam adduxisset sententiam c.

quàm exactè ei obediuerit Sancta.

* *Huius visionis seriem hoc cap. 24 breuiter & dilucidè proposuit Anguillaria: eam tamen hic omittimus, quia plenam illius descriptionem, prout est à Confessario litteris excepta, superiùs dedimus.*

b *Vita scilicet per Iulium Vrsinum lib. 3 cap. 6.*

c *Sequebatur liber 2 de conflictibus cum dæmonijs, & liber 3 de Visionibus.*

CAPVT VIII.

Oliuetani Ordinis initia: sub hoc Oblatarum Congregatio à S. Francisca designatur. Mors Vannotiæ cognatæ.

CAP. XXV B. Bernardus Ptolomei cum socijs duobus,

69 ANnus agebatur à nato Salutatore millesimus trecentesimus decimus nonus, quando in Senensi Vniuersitate Philosophiam prælegens eruditionis laude celeberrimus Doctor Bernardus a Ptolomęi, ex nobili apud Senenses familiâ originem ducens, in publico vrbis gymnasio nobilem habuit orationem de rerum mundanarum vanitate: fuitque ea diuino spiritu loquentis efficacia, vt duo iuuenes ex eâdem vrbe, D pari iuuentutis flore & nobilis prosapiæ claritudine insignes (quorum vni Ambrosio Piccolomineo, alteri Patricio de Patricijs nomen fuit) decreuerint animo nuntium mundo remittere, & æternæ felicitati consequendæ vnicè adlaborare; collatisque cum ipso Bernardo consilijs, placuit simul omnibus adire montem b, Oliuetum dictum, quindecim passuum millibus procul ab vrbe, in Comitatu Montis-Alcini; vbi vitam eremiticam cœperunt ducere in multâ vitę austeritate, ieiunijs atque orationibus; ipsâ loci solitudine adiuti & magis diuinâ gratiâ, quam in ipsos cælum copiosè infundebat.

eremiticam in Monte-Oliueti instituit,

70 Excitauit eâ notitas multorum ad imitationem studia, Senensium præsertim per se in omnem virtutẽ procliuium, nec paucos eisdem socios aggregauit è primâ nobilitate. Verùm tam sanctis principijs obuiam sibi eundum ratus boni omnis inimicus sathan, diffamare eos per Italiam cœpit, tamquàm nouarum superstitionum inuentores, eoque nomine accusari eos fecit apud Ioannem eius nominis Papam XXII. Ergo Auenionem, vbi tunc residebat ille, proficisci statuunt; simul amoturi obiectam calumniam, simul remedium quæsituri ceteris impedimentis, quæ obijci similiter possent, & sua sancta desideria remorari. Quorum re- E ctitudinem cùm candidè sincereque supremo Sacerdoti exposuissent, is cumulatè sibi ab ipsis satisfactum testatus, Apostolicis eos litteris instruxit, atque ad Guidonem Petra-malam, Aretinum Episcopum, in cuius diœcesi mons erat, eosdem direxit, vt Regulam ipsis suo præscriberet arbitratu, secundùm quam proposito suo priori vitam possent conformem ducere. Reuertentibus ipsis, Beatissima Virgo Episcopo apparuit, & Angelicorum spirituum numeroso cincta comitatu, habitum eidem album attulit, codicemque in quo S. Benedicti Regula continebatur.

& iussu Ioannis XXII

ab Ep. Aretino à Deiparâ premonito,

71 Hæc autem quid sibi vellent tunc Episcopus intellexit, quando nobiles hosce eremicolas coram se positos vidit, multumque eorum aspectu recreatus, magnâq; cum animi teneritudine amplexus singulos, in templum Sanctissimæ Trinitatis deduxit, & populo omni inspectante habitum eis album portandum, & S. Benedicti Regulam obseruandam præcepit; addens vt sub Deiparæ Virginis patrocinio semper viuerent: cuius rei memoria in prædicto templo cernitur coloribus adumbrata. Discessêre Arretio multâ consolatione perfusi Eremitæ nouelli, atque intra breue spatium temporis adeò sunt multiplicati, vt, quamuis Italiam F egressa non sit eorum congregatio, sexaginta tamen hodie monasteria numerent. Et Romæ quidem concessa ipsis à Pontifice sunt templum ac monasterium S. Mariæ-nouæ in Campo-vaccino, vbi primùm alij Religiosi habitarant: tantumque boni exempli inde totam in vrbem sparserunt odorem, vt multi ad eos confluere cœperint Confessionis obeundę & Eucharistiæ suscipiendæ causâ, ac diuini Officij audiendi; vulgoq; Fratres Eremitæ ab instituto, Fratres S. Mariæ-nouæ à loco, Monachi albi à vestitus colore dicebantur.

Regulam Benedict. accepit.

Oliuetani Romæ constituuntur,

72 Inter matronas nobiles, quæ hanc ecclesiam frequentare consueuerant, Iacobella fuit B. Franciscæ mater, sibique ac filiabus suis ibidem elegerat Confessarium, Fr. Antonellum de Monte-Sabello, vt alibi dictum. Creuit interim Francisca, & matrimonio iuncta in aliam quidem vrbis Regionem, Trans-tiberinam videlicet, translata est, perrexit tamen Confessario vti, cui ab infantiâ tenellâ assueuerat. Quæ vt inter ceteras dignitate præstabat & mirâ pollebat affabilitatis gratiâ, aliarum in idem templum venientium matronarũ facilè in se oculos animosque traxit raro modestiæ, humilitatis, deuotionisq; exemplo: cum eâque libenter ad spiritualia colloquia considebant. Accidit verò aliquando,

ex his Confessarium sumit mater S. Franciscæ:

eodem vti pergit ipsa

A aliquando, anno millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, vt inter easdem, maiori solito feruore accensas, pium de rebus Sacris sermonem exorsa Francisca, in medium attulerit, quam bonum Deoque gratum facturas crederet, si vnanimiter omnes Virgini Matri dedicarent sese, & sub illius clientelâ coniunctæ sodalitium inter se pium conflarent in istâ ecclesiâ, qualia in alijs alibi passim videntur, Rosarij, Cordulæ, Cinguli aut Scapularis, in templis Fratrum Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Carmelitarum.

& alijs auctor fit sodalitij instituendi.

73 Placuit omnibus cogitatio pia, & tamquam cęlitus inspirata visa est digna quam sine cunctatione amplecterentur: cuius auctor Francisca cum promouendi negotij curam in se totam suscepisset, deliberatura de modo, quo id confici posset, ad suum Confessarium detulit sanctum piarum istarum matronarum votum: quod ille sic laudauit, vt tamen, quoniam per se quidquam statuere ipse non poterat, satis haberet addicere operam ad rem Superiori suo declarandam, eiusque responsum referendum. Erat tum monasterij Superior cum titulo Vice-prioris, Fr. Hippolytus, is cuius *c* superiùs facta mentio est, qui multùm se Franciscę obligari agnoscens, felicitati magnę duxit aliquod gratum obsequium eidem se posse redhibere, B prompteque respondit, non solùm illius sociarumque voto se libenter annuere, sed etiam ad superiorem Magistratum, si opus foret, libenter hac super re daturum litteras, vt in plenâ atque legitimâ formâ in istius monasterij filias acceptatæ, meritorum quoque & suffragiorum communione gauderent.

quod probante Confessario,

c & Fr. Hyppolyto Vice-priore,

74 Accepit retulitque responsum istud, magno cum suo & earum ad quas remittebatur gaudio, Frater Antonellus: domumque reuersæ è templo singulæ, nihil iam præstolabantur auidiùs quàm eum diem, quo sese possent sanctissimæ Virgini dedicare. Creditur is decimus quintus Augusti fuisse, assumptæ in cælos Mariæ sacer, & templo illi præ ceteris solennis: quo prædictæ matronæ, post expiata Confessione peccata, sub Missæ sacrificio per Superiorem celebrato sanctissima refectæ Eucharistiâ, Deiparæ seipsas obtulerunt, cum singulari deuotionis sensu. Tacitène oblatio ista ab ipsis facta sit, an certis concepta & expressa verbis, in processibus atq; antiquis monumentis scriptum haudquaquam reperio: est tamen posterius probabilius multò. Sunt etiam qui scribant formulam nuncupandæ professionis, quâ ipsi vtebantur monachi, iisdem fuisse communicatam, eamdem scilicet quam C nunc quoque Sorores Turris-speculorum vsurpant, à communi monachorum omnium sanctimonialiumq; in Ordine S. Benedicti formulâ hoc vno discrepante, quòd vbi alij dicunt PROFITEOR, istæ dicant ME OFFERO *d*.

videntur 15 Augusti fecisse,

seipsas Deiparæ offerendo:

d

75 Ex hoc porrò tempore quotquot piæ oblationis participes fuerant, aut in eiusdem adlegebantur Communionem, Franciscam vt matrem atque magistram filiæ ac discipulæ respiciebant, & eius sequebantur directionem, velut Superioris à Deo sibi diuinitus ordinatæ. Itaq; cùm post mortem Fr. Antonelli Francisca directorem spiritus sui & Confessarium elegisset Presbyterum Ioannem Matteotti, ipsę quoque eiusdem regimini subiecere sese. Quas vnâ ex parte adeò sibi deuinctas Francisca videns, ex alterâ verò spem omnem præcisam vitæ in solitudine, quod semper exoptauerat, traducendæ; cogitare diuinâ inspiratione cœpit, fieri non ita difficulter posse, vt, quoniam à matrimonij legibus erat viri sui assensu soluta, in vnam cũ suis istis discipulis domum reduceret ipsa se, itaque initium daret nouæ congregationi mulierum Virgini Deiparæ Oblatarum. Ea cogitatio altiùs paullatim altiusque in animum dimissa, firma stetit potissimùm ex eo tempore, quo se priuatam circumspexit suauissimo cognatæ Vannotiæ consortio, qui cum totos triginta

cum quibus se magistrâ secutis,
LIB. IV CAP. I

communem vitam instituere cogitat Francisca.

D annos tantâ cum pace vixerat, vt vna vtriusque anima cor ambabus idem esse videretur.

EX ITAL. M. MAGD ANGVILLARIÆ.

76 Habuerat quædam huius mortis præsagia prophetico spiritu illustrata Francisca: nam & nocte quâdam in oratione constituta, crucem ante ædes suas viderat apparentem, quales preferri funeribus solent: & ex iisdem ædibus vnam earum trabium, quibus tota ædificij machina potissimùm innitebatur, conspexerat eijci in plateas: atque ex vtrâque visione manifestè cognoscens quid futurum esset, rem omnem Confessario aperuerat suo. Annus tunc currebat seculi decimi quinti supra trigesimum primus, & à prænarratis visionibus pauci dies effluxerat, quando infirmari Vannotia cœpit, lectoque decumbere: ex quo non surrecturam cùm sciret Francisca, non solùm extremæ caritatis obsequia eidem quàm studiosissimè exhibebat, sed induxerat etiam Ioannem Presbyterũ, vt frequens ad ægrotantem reuiseret, nec non aliæ spiritui ac deuotioni addictæ personæ: quæ res magno solatio fuit ægræ, à diuinis rebus tenerè affectæ, nec modicos in virtute progressus habenti. Inter hæc felix illa anima & impolluta attigerat vitæ spatia extrema, quando dæmonem Francisca vidit turbandæ illius conscientiæ intentum, & quædam præteritæ vitæ delicta grauiùs exaggerantem, velut nunquam condonandæ aduersùs Deum ingratitudinis argumenta. Monuit illicò Con- E fessarium Sancta, qui infirmæ appropians & inquietam repe riens, serenitatem opportunâ ad benè sperandum cohortatione reduxit: vnde confusus dæmon, & mœstitiam ipso vultu præferens recedere aliquantũ compulsus est, maiori, si posset, animo ac meliori successu denuò certamen repetiturus.

Vannotia cognata mortem præsciens,
LIB. III C. XXVIII

infirmæ sedulò ministrat,

eam, per se & alios,

77 Extrema intereà Sacramenta suscepit Vannotia, & quamuis ipsi dæmon insidiaretur, facilem tamen de eo victoriam sacri Olei inunctio dedit, tum autem vel maximè, cùm extremis in labijs tenuis dumtaxat spiritus superesset: nam Francisca, Religiosis viris lectum circumsidentibus, & cruentam Domini passionem aliaque pro illius articuli exigentiâ ex vsu Ecclesiæ recitantibus, in omnes dæmonis motus intento vigilabat oculo: eumq; iterùm videns ad lectum proximè accessisse, & intelligens quantam ad eius molimina subuertenda vim haberet aquæ benedictæ fidelis vsus, suggessit Confessario, vt eius aspersione retunderet inimici insolescentis superbiam. Quod vbi factum est, Franciscæ Archangelus potenti nutu prostrauit aduersarium, qui in vilem conuersus formicam discessu suo vacuum liberè decedendo spatium moribundæ reliquit. Quo in transitu consolari fidelem F famulam suam Deus voluit, eique ipso quo expirauit cognata momento temporis, videndam exhibuit nubem toti circumfusam corpori, ex quo per modum fulgidissimæ lucis egrediebatur anima, & intra nubem velut curru triumphali subuecta, intrauit cælum, Dei conspectibus fruitura ęternum. Concurrit ad exequias venerandæ huius matronæ multa populi Romani multitudo, auida vel solis rosarijs contingere corpus: quod non vt cetera cadauera obriguerat, sed per omnia sua membra flexile, mouebat adeuntes, vt aliquam vestimentorum funebrium partem reliquiarum nomine tollere ac seruare vellent. Factæ sunt autem in Aracæli solennes exequiæ, sub quibus nusquam à sarcophago Francisca recessit: sed coram omni populo rapta in extasim ita vsque ad finem Officij perstitit, oculis semper in cęlum defixis. Eo autem finito cùm mandaret Confessarius, vt domum infirmis seruitura abiret, subitò assurrexit & domum redijt.

liberat ab infesto in extremis dæmone:

videt mortuæ animā in cælum ferri:

dumq; fiunt exequiæ,

in extasim rapitur.

78 Non est porrò hoc loco omittendum, quòd filij Baptistæ vxor Mobilia, post mortem Vannotiæ arrogantior effecta, totius administrationem familiæ sibi cœperit vindicare, & contemptis prouidæ socrus consilijs omnia pro arbitrio agere. Solicitudinem ea res nonnullam S. Franciscæ ingessit, videnti non rarò haud ita

Insolescentiam nurûs.

haud ita

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

A haud ita, vt conueniens erat & voluisset ipsa, multa in domo administrari; animi tamen sui quietem non perturbauit, sed caussæ iudicium Deo commisit: qui humile ipsius silentium respiciens, non diu impunè siuit Mobiliam matrem familias agere cum Franciscę iniuriâ: sed ad ignem cum marito soceroque Laurentio assidenti tantos subito dolores immisit, vt eorum sustinere violentiam nequiens, & vindicem in se Dei manum agnoscens, delicti veniam humilis postularit à socru: Eia, inquiens, mater, animam tibi meam corpusque commendo, & quidquid possideo voluntatis tuæ submitto arbitrio, vt de me rebusque meis facias quod tibi visum fuerit. Liquefecit tam humilis oratio cereum ad compassionem animum optimæ matris: itaque blandè amplexa nurum, manum capiti eius imposuit, ac mox omni dolore liberam fecit. Quæ ex illo tempore numquàm à consilijs maternis recessit, iisque eò libentiùs paruit, quòd crebrâ cognouisset experientiâ sic feliciùs multò cuncta succedere: quemadmodùm ipsa in processibus post mortem formatis iurata affirmauit.

idcircò punitam — *restituit sanitati.*

a *Colitur vt Beatus die 22 Augusti.*
b *Ad Vmbronem, nobilem Tusciæ fluuium Plinio alijsq.*
c *Num. 69.*
d *Oblatio itaque est non votum quod sub hac formula Deo præsentatur, ideoq. exinde nascens obligatio nec solennis est nec perpetua.*

B

CAPVT IX.

Consilium instituendæ Congregationis Oblatarum crebris diuinis visionibus approbatur promoueturque.

LIB. IV CAP. I Ordiendæ Congregationi tres Procuratores in cælo,

79 Interim parturiendæ eius, quam spiritu agente diuino Fracisca cóceperat, Congregationis appropinquabat tempus: de quo ne vel ipsa dubitare posset, vel Confessarius eius, crebris visionibus quarum supra relatæ sunt aliquæ, vtriusque mentem illustrauit ac certificauit Deus: monitis vtrumque per se suosque Sanctos ad propositum finem vtilibus instruens, & quid agendum sequendumque foret hoc in negotio manifestans. Voluit autem gloriosa Virgo Maria, vt tres huius operis adiutores, procuratores, instructores ac defensores haberet in cælis, S. Paulum videlicet Sanctumque Benedictum & Dei amantissimam Mariam Magdalenam: in terris verò tres veluti testes suarumque actionum & reuelationem iudices atque arbitros consiliariosque in primâ spiritualis huiusce fabricæ molitione: primum scilicet præcipuumque ipsum Confessarium Sanctæ Ioannem Mattiotti, tum Fr. Bartholomæum Bondij ex Ordine Obseruantium S. Francisci, ad templum S. Mariæ de Ripâ habitantem, & Fr. Hippolytum supra nominatum.

& tres in terris testes designantur. C

CAP. II Ioannes Mattiotti in vigiliâ S. Benedicti,

80 Quamuis porrò & ab ipso Domino Iesu & ab eius sanctissimâ Matre satis superque diuinæ voluntatis beneplacitum Francisca intellexerat, pro suâ tamen humilitate, & quia timidum nouerat Confessarium atque in istiusmodi rebus parùm versatum, non audebat ei quidquam horum manifestare. Itaque vt laboranti hac in parte Beatæ Deus succurreret, vigesimo die Martij anni millesimi quadringentesimi trigesimi secundi primam huiusce rei notitiam dari Ioanni voluit hoc, qui sequitur, modo. Post receptam in peruigilio S. Benedicti, cuius Ordini se suasque obtulerat Sancta, in capellâ toties nominatâ, Dominici Corporis communionem, in extasim rapta aliquanto temporis spatio immobilis adstitit: deinde verò submissâ voce loqui exorsa (quod prorsus insolitum & hactenus in eâ obseruatum numquàm fuerat, vt alienata à sensibus aliquid effaretur) dixit S. Gregorium Papam cum duobus Angelis aduenisse atque dixisse: Ego B. Gregorius sum, missus à Deo vt suam tibi voluntatem enuntiem. Aduoca eum qui te gubernat, & aliam omnem à te societatem amanda, ne impedimento sit in iis quæ nuntiaturus adueni. D

ex ore S. Gregorij,

81 Aduocato igitur Presbytero Ioanne, dixit S. Gregorius: Eâ gradere viâ, quâ Christus præcessit: sis humilis & patiens, totusque ad ipsius voluntatem compositus. Caue inimicos qui nunc circumeunt: si tentationes ingruant, prudens esto; si mundus contemnat, noli tamen verecundari quò minùs quod tibi iniunctum est peragas. Habes cur tibi sollicitè attendas, & ab iis qui intrò sunt cauendum tibi scias, ne suo te veneno inficiant. Sume animos & paratus omnino esto ad id quod tibi nunc dicetur; quia ostendetur tibi modus earum rerum, quas effectui te mancipare oportet. Propone tibi exemplum apis, quæ sedulò inquirit locum in quo fructificet, eoque inuento familiam sibi ordinat. Noli terreri: fac vt apis, quæ familiam colligere parat. Primò locum sibi inuenit, id est, alueare, ibique curat vnicuique suam ædiculam fieri, tunc singulis partitur officia; & omnes emittens ad colligendos florum dulcissimos succos, easdem reduces in sua singulas remittit habitacula, vbi eas fructificare facit, suumque mel producere, dein nouæ generationi curandæ attendere, ac semper vnitas inter se concordesque manere. Hanc vnionem caritas facit, & pulcrum hunc fructum producit humilitas. E

docetur, — *exemplo apis, quid facere,*

82 Vnum hoc noli imitari in ape, quòd examen recens educens ex alueari, ad arborem aliquam fortuitò quietura adhæreseat, & veniens homo qui libet abscissum ab arbore ramum defert quocumque uisum fuerit. Hoc ne feceris vide: sed tali te constitue loco, vbi securus esse possis. Sæpè accidit vt extinguantur & moriantur apes, nec fructum aliquem faciant: verùm tu bonam curam gere negotij tibi commissi, & quid agas circumspice: cumque firmum & securum elegeris locum, nihil metuens eum constanter tene atque confide in Iesu Christo, qui diriget te facietque cognoscere veritatem. Ingens thesaurus est Dei secreta cognoscere & intelligere. Si quid tibi occurrerit intellectu difficile, & capere atque explicare solus nequis, diligenti examine id expendite inter vos, vt istud meliùs concipere possitis, & prospicite vt eadem in voluntate vniti inueniamini: quod autem ne sic quidem poteritis comprehendere, pro eo discernendo ad sapientem aliquem virum referte, vt quod ambiguum est vobis declaret. Dictabat hæc Francisca consistens in extasi, oculis semper eleuatis in cælum, & quæ S. Gregorius suggerebat, hæc pronuntiabat ipsa. Confessarius autem eorum quæ dicebantur capiebat nihil, & rei attonitus nouitate, permanenti in eodem raptu Franciscæ imperauit, vt clariùs sibi explicaret, quid illud esset in quo operam suam collocare iubebatur. F

quid caueri debeat,

83 Postulauit igitur prædictorum declarationem à S. Gregorio secum loquente Francisca, eamque Confessario enarrauit. Tù in personâ prædicti S. Gregorij eidem suo Confessario dixit: Istud, quòd legis & non intelligis, ne te commoueat: habe puritatem cordis, & fidem in Deum, & spera in eum, qui tibi potest cuncta reddere manifesta. Hæc fuit prima præceptio diuinitus data Confessario sub apis similitudine, additâ declaratione quòd in hunc modum colligere ipse deberet Franciscæ Filias, iisque idoneum locum inuenire, in quo per suas quæque distributæ cellulas & ministeria inter se partitæ, fructum facere & prosapiam possent. Et primo quidem consternatus ille, rem viribus suis maiorem difficillimamque esse credidit, & cui se minimè posset ingerere: paulatim tamen sensimque animosior effectus est per varias reuelationes & monita, quibus per diuersos Sanctos instruere eum perrexit Deus, dum esset in extasi posita Francisca; nā anno eodem ad finem vergente, in celebritate Sanctorum omnium docuit eum S. Maria Magdalena, quales esse deberent eæ quæ ad ineundam societatem admitti

vt Congregatio rectè instituatur, — *S. Maria Magd. explicat quales admitti debeant: CAP. III*

A ti postularent; quantum in ijs obedientiæ studium, quàm absolutum perfectæ paupertatis exercitiū Deus requireret. Triduo autem pòst S. Ioannem Euangelistam audiuit per os Beatæ, & per balistarij similitudinem sibi declarantem, quantâ curâ deberet demandatum sibi munus adimplere.

Regulam S. Paulus dictat,

84 Eiusdem anni mensisque Nouembris die decimo quinto, S. Franciscæ in extasi positæ per S. Paulum declarata est vitæ Regula, quam eius discipulę sequi deberent, prout latè narratur in visione XLIV. At verò in die Natalis Domini cùm (vt narratur Visione XLV) Dominus de brachijs suæ dilectæ recessisset, gloriosus Paulus & S. Benedictus & Maria Magdalena ad eam venerunt, tamquam procuratores ipsius, quæ sic retulit: Gloriosus Apostolus Paulus & S. Benedictus & Maria Magdalena, qui sunt nuntij Iesu Christi & cælestis Reginæ, ex parte summi Dei vos salutant & ex parte suæ Matris: stetis attenti ad ea quæ ipse Dei nuntius dicet. Dic Fratri Bartholomæo: Esto virilis & fidelis: nam quæ secreta sunt non expedit vulgari; quia non credentur ab omnibus. Estote simul omnes cum Presbytero Ioanne, eiusque socius sit Fr. Hippolytus, cuius & consensus accedat in ordinandis

Quaedam monita ipsis Oblatis,

B animabus istis vt benè ijs prospectum sit. Dicite eis necessariò requiri vt omnis earum parentela consentiat, & mandate illis vt semper obedientiæ viam teneant, per quam cœperunt ambulare, vt non inueniant in ijs, quod meritò vituperent detractores. Dæmones ex inuidiâ, quâ ferentur aduersùs ipsas, animos hominum occupabunt: ideoque opus est eas benè stabiliri, & magnam ijs securitatem procurari. Honestæ mulieres haberi velint: velint Oblatæ Virginis dici.

item Bartholomæo & Hippolyto, socius Ioanni datis.

85 Fratri autem Hippolyto dicite vt animos sumat, & se cum suis maioribus coniungat. Matronis hisce non est necesse regulam dari: quia ipse Dominus hanc eis dedit: tantùm opus est prouidere, de fauore hominum necessario, vt ne murmurationes contra ipsas suboriantur. Fr. Hippolytus à viris Deum timentibus consilium petat. Repugnabitur illi: sed constet sibi, neque curet eos qui formidinem præseferunt. Procurabit dæmon vt Oblatis varia offeratur conuersatio: sed facilè erit inuenire modum vt nulli superfluæ conuersationi se dedant. Presbyter Ioannes illarum sit Capellanus, easque in stabili loco collocet, sitque in ipsarum societate cum firmâ fide & puritate. Ipse earum director hactenus fuit & in bonam deduxit viâ. Dicite Fr. Bartholomæo vt & ipse adiuuet in conspe-

C ctu Dei, quatenus animæ illæ stabiles maneant in veritate. Cumq; iam fuerint collocatæ & vnâ simul in domo iunctæ (istic scilicet vbi commoraturæ sunt) facite illas examinari. Examinentur autem an sint contentæ, & examini tres simul præsentes adsitis: quia testes estis sacti ssimæ Trinitatis & gloriosæ Matris Dei. Nullo discrimine virgines admittetis & viduas, quæ modò iustam habebunt ætatem, vt dicere possint, Ita ac Non; & hilari corde contentæ viuant, nihil ea quæ extrinseca sunt curantes: viriles etiam animos habeant, vt tentationibus dæmonum resistere valeant. Vobis quatuor demandata est huius Congregationis cura vt augeatis diuinam gloriam in spiritu perfectæ humilitatis. Confortate Fratrem Hippolytum, eumque animate, vt animæ istæ firmæ consistant in eo quod vos ordinaueritis; itaque facietis grande sacrificium Redemptori nostro Iesu Christo, qui vobis præscribit, vt cùm aliquam in hanc Congregationem voletis assumere, curetis perspectam habere puritatem mentis eius. Addidit dein S. Paulus alia, quæ in prædictâ visione XLV possunt ipsis Presbyteri Ioannis verbis descripta legi.

CAP. VI idem eosdē hortatur ad constantiam;

86 Die vigesimo septimo Ianuarij mensis anni millesimi quadringentesimi trigesimi tertij, tres consueti testes visitatum venere Dei famulam; Presbyter Ioannes Mattiotti videlicet cum Fr. Bartholomæo ac Fr. Hippolyto: dumque spirituali cuidam collationi

D vacant, rapta à sensibus fuit Beata. Gratum hoc accidit Confessario, gaudenti quòd particeps communis solatij futurus esset Fr. Hippolytus, qui eo die præsens non fuerat, quo istic adfuerat Fr. Bartholomæus. Dum autem sic extra vsum sensuum sublata consistit, S. Paulus cœpit hosce tres adhortari, per os dilectæ Deo ancillæ, vt fortes essent, constantes & vnanimes, humiles quoque & mansueti in opere, quod diuinitus sibi iniunctum fuerat. Deinde Presbytero Ioanni sigillatim dixit: Quandoquidem à Deo tibi datum est rectè has animas gubernare, quas in summâ puritate ad vsque diem præsentem seruasti, & contra dæmonum insultus defendisti: deinceps quoque similiter eas custodi ab omnibus, qui ipsas quoquo modo contaminare præsument, aut aliquâ in re iisdem aduersari. Fac vt perseuerent in proposito, aptumque ei tenendo locum & habitationem obtineant: vtiles eis hac in parte Oliuetani monachi esse poterunt. De suppellectili autem domesticâ sollicitus ne sis; quia Dominus poterit singularum necessitatibus facere satis.

EXITATI. M. MAGD. ANGVILLARIA.

iterumque Ioannem specialiter instruit.

87 In recessu Apostoli sancti desolata prorsus remanebat Beata: sed Confessarius imperauit vt quiesceret, eodemque in loco, dum reuerteretur, maneret. Permansit igitur in eo raptu: qui ne nimiùm ipsius fatigaret corpusculum sollicita Rita, sæpiusculè dixit; Mandat Pater spiritualis vt in lectum te tuum quietura

E recipias. Sed nequaquam verè id dici cognoscens, quāuis à sensuum vsu alienata Francisca, Deo tamen permittente respondit: nequaquam alterius iussu id facturam sese quàm eius qui sic manere imperauerat. Sequenti porrò die manè Rita ad Ioannem se contulit in trans-Tiberinam Virginis Mariæ ædem, & quid actū sit totâ octe exposuit; ab eoque surgere iubente regressa: mox ipsam sibi morigeram habuit; Deo vtique reuelante edoctam, nunc demum verè à Confessario imperari: quod & aliàs sæpè vsu venit. Proximis deinde Kalendis Martij contemplationi vacans in cubiculo Beata, cælorum Reginam alto in solio considentem vidit in magno Seraphicorum spirituum comitatu, assistentibus eidem tribus illis, quos suprà diximus, Sanctis procuratoribus: seque ac filias suas sub Beatissimæ Virginis pallium receptas gauisa, S. Paulum audiuit easdem adhortantem edicentemque, quòd eas Virgo Annuntiata expectaret.

à quo sic vt erat manere Francisca iussa,

totam noctem agit in extasi.

CAP. VII B. Virgo inuitat Oblatas in diem Annunt.

88 Post hæc octauo mensis Martij die, postquàm Corpus Domini sumpsisset Beata in capellâ sæpius nominatâ, ab extasi immobili ad mobilem transiens, & gloriosissimam Virginem Mariam cum tribus Sanctis Procuratoribus intuens, Confessario suo hæc

F verba dixit: Hæc ait sublimis cælorum Regina: Esto fortis & constans, atque in omnibus tuis laboribus prouidus, semperque attentus ipsi tibi; quia diabolus cupit se rebus nostris ingerere. Verùm tu vide vt teipsum custodias, & in diuino timore radicatus animæ puritatem immaculatam conserues. Semper boni aliquid operare, ne fortè imprudens impingas in scopulum, ad quem salutis naufragium facias. Ita cum ipsis conuersabere, vt modestiam semper & virtutis solidæ rigorem teneas, sensuumque omnium custodiæ inuigiles, vnum semper Deum præ oculis habens. Atque vtilis tibi erit cum hisce mulieribus conuersatio: tantùm superflui amoris complacentiam reseca, omnemque affectum tuum in ea transfer quæ spiritus sunt; vt nulla tibi obrepat deceptio. Mores etiam externos compone; & quamuis interiori exultes gaudio, id caue ex gestu vultuque patefacias: sed in risu sobrius maturam semper grauitatem præfer.

CAP. VIII eadem vtilia monita Ioanni dictat

89 Quantò magis videbis honorem Dei per te tibique commissas amplificari, tantò te profundiùs ipse humilia. Homines spirituales benè semper compositi, honestatem omnibus in membris & motibus obseruant, & veram vultu humilitatem exhibent, Dei vbique præsentiam reueriti. Oportet magis cautum te esse

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

A esse quam fueris hactenus, in conuersatione tuâ non satis consideratus: oportet vt purum atque innocentem te serues prudentiamque secteris. Mandat Domina, auxiliatrix tua: Eleua mentem, vacuamque tui & inuariatam fige in Deum. Quidquid audies purâ mente accipe, nec velis suprà quàm oportet sapere: sed animum tranquillum in pace constitue, quidquid tibi euenerit. Non est quod te aliquo prætextu excuses, aut de præsenti negotio dubites: quia ad tuum spirituale solatium hoc in loco te posuit Deus. Quare sume animos: in eoque quod tibi agendum est, semper cogita operi præfixum finem; & quod melius fuerit atque securius elige in rebus, siue te siue personas tibi commissas spectantibus. Perseuera firmus in benè cœptis & Creatori tuo gloriam redde.

a *Quatuor hi sunt, præter tres Sacerdotes nominatos ipsa S. Francisca.*

CAPVT X.

Probato per Visitatorem consilio instituendæ Congregationis, Oblatæ in Turrim-Speculorum conueniunt festo Annuntiationis.

Oliuetanus Visitator

B 90 DVm hæc aguntur, Romam appulit Oliuetanorum Patrum Visitator, & S. Mariæ-nouæ monasterium lustrans, varias de Fr. Hippolyto querimonias audiuit, quòd Supprioris officio fungens, in Oblatas istius monasterij suscepisset Franciscam, mulierem coniugatam, aliasque ipsius discipulas sociasque, olim Fr. Antonelli pœnitentes: quin & regulam cum iisdem communicasset, totusque earum implicaretur negotijs, etiam postquàm derelictâ priori ecclesiâ Confessarium in S. Mariâ trans-Tiberinâ delegerant. Quibus motus Visitator, rem totam seriò discutiendam suscepit, quæsiuitque non tantùm ex Fratre Hippolyto, cuius testificatio poterat suspecta haberi; sed ex alijs quoque atque ipsâ Beatâ: tantumque perspectis omnibus satisfactionis retulit, vt quæ gesta hactenus fuerant mirè probans atque collaudans, suum quoque fauorem obtulerit tam præclarè cœptis apud Abbatem Ordinis Generalem promouendis; quod eo deinde successu fecit, qualem rei exitus comprobauit.

in rem inquirit, & omnia probat.

B. Virgo iubet gratias agi Fr. Hippolyto,

91 Sub idem tempus die decimo quinto Martij, post Communionem in extasim sublata Fràcisca, vidit sacrosanctam Christi Domini nostri humanitatem, & in aperti lateris lucentissimâ plagâ profundissimum pelagus: ipsa vero humana Redemptoris naturâ erat
C huic Beatæ pro speculo ad contemplandam Diuinitatem. Vidit prætereà cæli Reginam tribus consuetis Sanctis, nouæ Congregationis Procuratoribus, comitatam; & S. Paulus ex parte dulcissimæ Matris ipsi mandauit, vt Fratri Hippolyto significaret, quòd Beatissimæ Virgini perquàm gratus fuisset labor ab eodem susceptus, vt Patri Visitatori rei veritas innotesceret: moneri autem eumdem volebat, ne refrigesceret: sed magis ac magis semper ipsum se conaretur accendere in caritate ad cœpti prosecutionem operis, & animos alijs addere ne desineret. Posthæc S. Benedictus Domini Iesu vice loquens, iniunxit Franciscæ, vt ipsi Patri Visitatori diceret, quòd illa delectatio & interna dulcedo, quam perceperat ex negotio piarum istarum animarum in Oblatas admissarum rectè composito, diuinum fuisset donum, pro quo Deo gratiarum deberet actiones referre: quodque impletis accuratè omnibus, quæ ab ipso sanctissima Virgo fieri voluerat, non modicam apud eamdem vicissim gratiam iniuisset.

ipsique Visitatori,

quem ad cœpta vrgenda animat:

92 Dixit etiam Franciscæ futurum, vt hæc intelligens Visitator nouo perfunderetur gaudio: cui hoc insuper suo nomini referri volebat: caperet animos, & quem inspirauerat ipsi Deus erga Filias hasce suas spirituales affectum, eum studiosè conseruaret: nihil
D formidans, sed potiùs è contrario certus, quòd diuini brachij sustentaretur virtute & ipse & omnes, qui cum verâ deuotione huic operi promouendo sese impenderent: pro quo luculentam mercedem certissimò essent ab eius diuinâ maiestate recepturi, si perfectam cordis humilitatem tenerent, & cum purâ diuini honoris intentione in benè cœptis perseuerarent. Addidit etiã S. Benedictus de pretiosis animabus illis, quas Virgo ad inchoandam Congregationem collegerat, quòd quicumque eas adeò in verâ humilitate fundatas considerarent, confundendi intra seipsos essent, & boni exempli odore recreandi: quo fructu carituri essent qui actiones earumdem sinistrè interpretando, de ipsis aut instituto ipsarum malignè detraherent. Denique fautores exhortabatur, vt magnis animis pergerent ea quâ cœperant viâ, nihil dubitantes quin amplioris exinde consolationis fructus essent quotidie degustaturi: & quamuis eis sese oppositurus dæmon esset, earumque constantiam (si fortè posset labefactari) multis machinis tentaturus; ne metuerent tamen, sed inter se concordibus animis, quæ facto opus essent deliberarent. Concludens autem hæc verba protulit: Habete pacem in Domino semper, & alta Regina vobiscum permaneat: cui ego Benedictus continuò supplex preces pro vobis facio.

vti etiam ceteros fautores & adiutores:

93 Eiusdem Martij mensis die vigesimo secundo, post cælestes thesauros B. Franciscæ in eâ visione ostensos, quæ est inter Visiones quadragesima octaua, cùm multa Oblatis per S. Paulum data sint monita, quæ ibidem referuntur; tum tribus illis religiosis viris, testibus seu procuratoribus diuinitus ad negotium Congregationis electis, speciatim inculcatum est, vt priùs quàm aliquid aggrederentur, orationem ad Deũ funderent; deinde in cõsultationem adducto eo quod decernendum occurrebat, de eodem cum S. Franciscâ conferrent; in quâ sapientiam suam istum in finem Deus collocaturus esset. Post tot igitur tamque frequentes diuinæ voluntatis testificationes tandem datum est Congregationi principium, eumque in finem comparata domus in regione Campitelli, eo in loco vbi Turris est, speculorum vulgò dicta: non quidem vt istic perpetuò remanerent; sed interim dum alia opportunior, quæ tunc studiosè quærebatur, inueniri posset. Non absque magnis difficultatibus multàque contradictione, quemadmodùm Sanctæ fuerat præsignatum, inita est domus istius possessio: quæ vt primùm quàm potuit meliùs aptata fuit, obitis simul omnes Confessionis & Communionis Sacramentis in eamdem se recepêre, & Congregationem instituêre; quæ ab eâ, quam cœperant inhabitare domo dicta est Turris-speculorum, & eodem deinceps dici nomine perrexit; quoniam inde numquàm est emigratum: ipsæ verò mulieres in illam Congregationem allectæ, cognominantur Dominæ siue Oblatæ Turris-speculorum.

E CAP. X *qui iubentur prævia oratione cuncta agere.*

CAP. XI *Comparatur Turris speculorũ,*

F

94 Quo anno, mense, die primùm in hanc Congregationem conuenerint, nullo antiquo scripto signatum reperitur: ideoque in varias varij abiêre sententias. Fuêre qui anno millesimo quadringentesimo trigesimo secundo adscriberent Congregationis exordia; quod ne probabile quidem videri potest, quando non solùm needum tunc data erat Regula, partim die decimo quinto Nouembris partim vigesimo quinto Decembris de cælo allata; verùm etiam ex Visione in die Natalis Domini S. Franciscæ oblatâ, iisque quæ S. Paulus Fr. Hippolyto ipsique Domino Ioanni Mattiotti dicenda curauit, quæ superiùs iam retulimus manifestè constat, nihil dum constitutum tunc fuisse de loco, qui adhuc quærendus, præscribebatur. Nihilo propiùs vero est, quòd aliqui crediderunt, sequẽtis anni Ianuario mense in die Epiphaniæ illas in vnũ locum recepisse sese, postquàm simul omnes cum Francisc â

In quam se conferunt Oblatæ non an. 1432,

nec Anni sequentis Ianuario,

A Franciscâ sacram Eucharistiam in S. Mariæ trans-Tiberim suscepissent; quasi id ex Ioannis Mattiotti scriptis colligatur: quod tantùm abest à vero, vt ne minimum quidem reperiatur indicium eorum in his quę de isto festo Ioannes scripsit. Imò ex eo quòd dicat aliquas S. Fraciscæ Filias spirituales fuisse præsentes, quę verborum à Sanctâ prolatorum sensu & efficaciâ ad amaræ compunctionis lacrymas commotæ fuerint, rectè infertur, non igitur omnes tunc istic fuere si aliquę dumtaxat. Sed longè efficaciùs hoc ex eo reuincitur, quod vigesimo septimo eiusdem mensis Ianuarij die gestum diximus, & quòd inter alia tribus Procuratoribus commendatum legatur, vt de aptæ habitationis loco soliciti sint.

sed anni 1433 die 25 Martij.

95 Quòd si mihi in re incertâ aliquid licet per coniecturam pronuntiare, affirmare ausim longè verosimiliùs credi posse, quòd vigesimâ quintâ mensis Martij die, anni millesimi quadringentesimi trigesimi tertij; præcipuo B. Virginis Mariæ, cui ipsæ se olim obtulerant, festo hanc societatem inierint, atque ad dictam domum se receperint. Moueor verbis Visionis XLVII die Kalendarum Martij consignatæ, in quâ cùm Virgo Beatissima S. Franciscam sic salutasset: Bene veniat ista à me dilecta, & meo filio Oblata. Ipsis deinde B Filiabus, quas in Christo eius ancilla genuerat, dici iussit: O animæ benedictæ à summo Creatore, iste ipse Dominus vos acceptauit in suâ vnione: estote semper diligentes in meâ vocatione. Domina Annuntiata vos omnes expectat. Eadem pro festo Annuntiationis cõiectura inde quoque roborari potest, quòd Confessarius eius, accuratè solitus scripto excipere quæcumque post datam Franciscæ Communionem notatu digna in eius raptu accidissent, de hoc die nihil scriptum reliquerit; quo tamen eam communicasse vix cuiquam dubium esse potest: quod mihi indicio est ponendis nouæ Congregationis principijs ita occupatam fuisse Sanctam eiusque Confessarium, vt huic vni rei eos potissimùm vacare conuenerit. Adde quòd post eam diẽ nulla deinceps in Visionibus mentio fiat quærendi aut inueniendi loci, in quo communi habitatione iungantur, qualis anteà sæpè facta fuerat.

monetur Francisca vt eas inuisat:

96 Certè Martio exeunte suum eas locum obtinuisse penè euidenter habetur ex eo, quòd tertio die Aprilis, Francisca (quæ non potuerat facultatem impetrare à marito, vt ab eius domo recedens suis se filiabus adiungeret) noctu in oratione & extasi existens à S. Paulo Apostolo audiuerit: Visita & reuisita Filias tuas, quas in Christo genuisti: voca eas omnes ad te, C quia non placet Deo quòd stes sic sine onere: fac quòd aduertas benè & fac eas intelligere veritatem, quia sic placet Diuinæ maiestati. Quas autem iubetur visitare identidem, fortè quia per dies aliquot officium istud intermiserat, quis dubitabit an simul vnum in locum collectas habuerit? Meritò autem officij sui admonebatur Francisca, quòd primarum istarum Oblatarum vna graui victa tentatione, à ceterarum sese abiunxisset consortio, & consilij incerta graui exponebatur periculo desperationis incurrendæ: ideoque in eodem raptu S. Paulus iussit Confessario dici, vt examinaret ac probaret benè eas, quæ huic Congregationi aggregari vellent: propterea quòd anima ista per inuidiam & præsumptionem sic tentata erat, oportebatque ei suũ errorem manifestare. Quæ rationes simul omnes efficiunt, vt probabile videatur festo Annuntiationis die in lucem esse editam Congregationem nouellam, eoque fortasse respexerunt quicumque fuerunt auctores mysterij huius, in altari ecclesiæ ipsius depingendi.

quarũ vna tentatione victa recesserat.

D

CAPVT XI.

Subnascuntur quædam difficultates: quibus remedium diuinitus datur.

Præfectura defertur Agneti de Lelijs:

97 QVales & quot fuerint primæ huius horti plantæ ex Pontificio diplomate infra patebit: hic satis est admonuisse Superiorem, ceterarum regimini exiguo illo tempore præfectam, fuisse Agnetem de Lelijs, ab ipsâ Franciscâ constitutam. Nam licet ipsa omnium caput foret, quamdiu tamen ab iis habitatione seiungebatur, opus fuit aliquâ, quæ absentis vice socias regeret. Eadem autem Agnes post ipsius S. Franciscæ mortem prima Præses est ordinata, quemadmodùm infrà suo loco dicetur. Mirum porrò fuisset si contra hæc tam bona principia nihil inuidia dæmonis mouisset. Primùm igitur impedire omni modo conatus est, ne multæ in hanc societatem se darent: nam quia vel noua erat & ignota Congregatio, vel tenuiter in eâ parcęque admodùm viuebatur, paucæ fuerunt quæ ei iungi optarent: sic vt quamdiu Beata vixit, ægrè quindecim fuerint numeratæ: & in illis paucis fuerunt aliquæ, quarum occasione graues turbæ subnatæ sunt.

paucæ nouæ accedunt:

CAP. XII

E

vna ex his matre sese occisura

98 Vna imprimis, Augustina nomine, filia Angeli de Viterbo, quamuis vt creditur ex suæ matris consensu cooptata (nam pater quantum è scripturis nouimus mortuus erat) tanto sui desiderio eamdem torsit, vt iacturæ quam sibi fecisse videbatur impatiens, totam se desperationi atrâ bili armatæ traderet, sibique ipsi manus violentas pararet. Iamque arrepto cultro ingressa erat cubile, letalem sibi plagam factura: sed cùm eo tempore Francisca incumberet orationi, vidit in spiritu quid ageretur, Deoque supplex, vt scelus auerteret, Angelum impetrauit è cælo mittendum, qui elatam in vulnus manum continuit, sensibili voce miseram alloquens & dicens: Vade in trans-Tiberim ad Franciscam de Pontianis. Priùs tamen quàm veniret illa accersiri fecit Augustinam Francisca, eique quid euenisset narrans, mandauit ad matrem consolandam accedere. Quod obediens illa tam abundè præstitit, vt corde compuncta mater, & sanæ prorsus menti reddita, non modò fuerit à dolore releuata: sed multâ cum benedictione remiserit filiam, de perseuerantiâ in proposito tenendâ admonitam.

per Angelũ coërcet Francisca

& filiam ei consolandã mittit.

99 Totam Romanam Vrbem commouisset infortunium, quod dæmon fuerat machinatus, nisi Franciscæ orationes illud prohibuissent. Nũc autem eâ spe excidisse se videns aliam telam eamque magis periculosam exorsus est, persuadens Ioanni Mattiotti & socio eius Fr. Bartholomæo satiùs facturos eos dimittendo pauculas istas iam congregatas, quàm si porrò procedentes in maiores se curas difficultatesque ingererent. At non Fr. Hippolyto potuit eadem facilitate imponi: siquidem occasione quæstionis per Visitatorem, vt suprà diximus, institutæ, & eorum quæ decimâ quintâ Martij S. Paulus sibi dicenda mandauerat Christi & Matris illius nomine, firmior in proposito & benè animatus manebat. Videbatur autem Fr. Bartholomæo, quòd noua hæc Congregatio non eam haberet approbationem atque concursum qualem sibi fuerat imaginatus, verebaturque ne intra eam paucitatem maneret numerus Oblatarum. Considerabat etiam quod absque vllo temporalium facultatum fundamento datum esset fabricæ huic spirituali initium, & aperta domus, in quam ad propulsandam paupertatem extremam nihil inferebatur, nisi quod de suo quotidie subministrabat Francisca. Quæ cùm defecisset, quâ tandem ratione inchoatum opus durare posset & porro promoueri, nequaquam cognoscebat.

F

CAP. XIII Ioannes & Bartholomæus vacillant

exiguo verò successu exanimati

99 Ioannes verò Mattiotti, spiritualium rerum non

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

& S. Francisca tentationibus diffidentes

A non valdè peritus, neque in regendis animabus antehac versatus, videns aliquas ex Oblatis vacillare in proposito, alias grauissimis pulsari tentationibus, omnes quacumque in molestiâ & difficultate ad se recurrere, lassabatur oppidò & despondebat animum, imparem se tam continuæ solicitudini existimans. Hac igitur pusillanimitate occupati ambo, cœperunt etiam dubitare, à Deóne essent quæ videre se atque audire Francisca asseuerabat, an diabolicis illusionibus adscribenda. Iamque se damnabant nimiæ facilitatis in iis credendis executionique mandandis: sic vt nihil pronius esset quàm vt, subductis duabus hisce noui ædificij columnis, vniuersa structura in terram corrueret: cùm interim neuter quidquam formidinis & dubitationis suæ retegeret Franciscæ. Sed placuit Deo præuertere ruinam, & vtrique de salubri remedio prouidere, decimo quinto post inchoatam Congregationem die, qui fuit nonus Aprilis; quando recepto Corpore Dominico Francisca in consuetam extasim rapta, sequentia ad eos verba habuit.

CAP. XIV

hunc S. Paulus admonet de æquanimitate;

100 Dicit S. Paulus nomine Dei omnipotentis, eiusque dulcissimę Matris aduocatæ nostræ. Dicite Fr. Bartholomæo, vt dubitationem à se repellat, neque velit finem imponere rei diuinâ ordinatione constitu- B tæ, neque nimiùm admiretur illius opera: Omnipotens enim est, & quod sibi placuerit facere, id efficit. Non hæreat in iis quæ videt & quæ audit attonitus, nec plus intelligere cupiat quàm datum sibi diuinitus fuerit: sed semper recogitet viam per quam Deo duce ambulat, per eamque purâ intentione gradiatur. Stabilem se faciat in Dei conspectu, & fortis ac constans efficiatur. Stet firmus fide cum perfectâ humilitate, & loco suo contentus maneat. Duci se sinat rectâque ambulet, nec vmquàm in via defatigetur. Diligenter quidquid potuerit faciat, & faciat purâ intentione. In rebus prosperis moderatè lætetur: in aduersis quoque sit hilari animo. Æquilibrium mentis habere studeat: & quidquid acciderit ædificabitur in spiritu ac roborabitur.

& constantiâ necessariâ;

Dicit S. Paulus ex parte altæ Reginæ: quòd mens benè ordinata semper firma consistat & nihil ei noceat aut malè cedat, nisi id quod de suo iudicio adiunxit. Damnosum est enim cùm facere vult id quod sibi videtur: & præsentem omnino pestem adfert, quando sub laruâ apparentis boni malum celatur.

& Deiparæ grata esse ostendit quæ facta hactenus;

101 Dicit quoque Beatus Apostolus quòd cælestis Regina ipsos roget, vt quoniam multùm iam laborarunt in colligendis & huc reducendis animabus illis, à se remoueant suspiciones, quæ magnum ipsis damnum inferunt. Placet Reginę opera huc vsque im- C pensa, & discretio quâ res promota est laudabili cum caritate. Dicit ipsa quòd sibi curam Oblatarum sumpserit, & successum longè optimum habituræ sint, quamdiu in sanctis propositis simul omnes perseuerabunt. Ideoque tu Frater Bartholomæe vnà cum Presbytero Ioanne & Fratre Hippolyto animos eis & robur addite. Manete autem inter vos ipsos vniti, vt vnus alteri præsidio esse possit in iis, quæ vobis facienda præscribentur. Interponere se inter vos dæmon conabitur, & astu vario suspectos vobis vos inuicem reddere: verùm estote soliciti vt lumen veritatis vos non destituat: quia mundus vos impugnabit frequenter, vt auferat à vobis perseuerantiam, quæ sola coronatur, & virtutum omnium apex est. Præterea Apostolus vobis promittit futurum vt summus omnium moderator Deus in his, quæ facturi estis, vos protegat; modò rectâ incedatis viâ, bonam sequentes intentionem. Dux vobis semper Virgo aderit, pergetque vobiscum: tantùm sapienter ambulate, & benè compositi state in diuinis secretis; atque in filiali timore, qui tollit errores, perseuerate. Confortamini in Cruce Domini nostri, in quâ ipse obediens acquieuit Patri.

eiusque & filij auxilium promittit.

CAP. XV

102 Tertio pòst die, duodecimo Aprilis, ipso Resurrectionis Dominicæ festo, simili in raptu alienata à sensibus suis Francisca, ex ore S. Pauli hæc ad D Confessarium suum Ioannem verba pronuntiauit: Dico tibi, Sacerdos, vt vigorem concipias & in die ambules, non autem in nocte; luminosa enim dies est & in ea nemo labitur: qui verò per tenebras graditur cadere potest ex improuiso. Qui lucem sequitur in veritate stabilitur, nec incidit in errorem. Frater modicam curam adhibuisti: cur non in diuinum intueris speculum, & in Iesum Christum qui te potest illuminare? Iubeo igitur solicitum te esse, ne refrigescas in eo quod per te exorsus est Deus: & quoniam cœpisti velle honorem eius, esto vegetus in amore caritatis, neque te cuiusquam dicta commoueant. Variæ vobis occurrent sententiæ eorum quibuscum versabimini: hic vnum, iste aliud dicet: vos autem semper firmiter confidite, quòd veritas vos iuuabit; modò mentem puram habeatis & Dei metuentem, eiusque semper voluntati subiectam, non autem scrupulis inquietam, quod ei displicet. Nihil in diuinis secretis dubites, sed fidem habe animosam atque spem firmam cum humilitate & caritate. Noli in animum admittere suspiciones semper noxias, aut spinam superbiæ, spiritu præsumptionis inflatæ: sed in obedientiâ solidare, si vis benè ambulare. In omnem occasionem intentus dæmon speculatur, quâ te possit parte subuertere, quem iam in E aliquibus infirmum cognouit, ideoque circuit explorans aditum, quò zizania possit seminare in te. Ipse quidem creaturis vtitur diuersimodè tamquam instrumentis: sed tu cautus attende ad cogitationes tibi immissas, & omnem sensitiuum amorem expurga; hoc vnum curans vt Dei possis amplificare honorem. Per orationem ad ipsum recurre, vt tibi det gratiam mentemque stabiliat.

Idem Ioannem arguit imprudentiæ,

& vtilibus in futurum monitis instruit.

CAP. XVI.

Ob puellam præmature admissam

103 Talibus aliisque monitis cùm redditus animus procuratoribus istis duobus esset & mens serenata, successit res memoratu dignissima. Quædam exiguæ ætatis puella, sed magnarum opum, allecta boni exempli efficaciâ quod à S. Franciscæ discipulis latè spargebatur, petiit in earum admitti numerum: quæ istis in principiis graui pressæ egestate, & hanc eius leuandæ compendiosissimam esse viam ratæ, tanto cum rationum pondere rem proposuerunt sanctæ suæ fundatrici, vt Fratribus Bartholomæo & Hippolyto probantibus, in eius consenserit admissionem. Cùm ecce murmurationes vndique & turbæ oriri aduersùs pusillum Franciscæ gregem, quæ sexto Maij nocturnæ contemplationi vacans in cubiculo suo, Reginam cælorum vidit cum tribus suis aduocatis, Sanctis videlicet Paulo, Benedicto & Magdalenâ; ex quibus seuero vultu ad ipsam conuersus Apostolus: Anima, inquit, F à summi Dei nuntio ipsâque Virgine, quæ te in numerum suarum allegit, destinata mundo; qui fieri potuit vt diuinam voluntatem non melius intelligeres? Vin' ergo vt ea sigillatim per puncta explicetur tibi? neq; sufficit quantum tibi dictum est hactenus? Numquid satis sæpè admonita es, quâ prudentiâ ac ratione res tuas debeas ordinare? Qui igitur factum est, vt imprudens in hoc negotio peccans, teque per discipulos tuos siueris deuiam à rectâ ratione abduci, earum fragilitati consentiendo?

à S. Paulo reprehenditur Francisca:

104 Hæc Apostoli verba S. Benedictus excipiens: O anima, inquit, à summo Deo, qui te vocauit, benedicta, & ab excelsâ cælorum Reginâ edocta diuinam voluntatem, scito quòd specie boni apparentis delusa ipsam te excæcari permiseris, & humanæ condescendens infirmitati, cui videbatur amplectenda hæc pecuniæ maioris occasio, penè euersũ iueris quod benè fuerat inchoatum. Si nondum restituta libertati puella est, confestim dimittite eam, atque in futurum cauete, ne solo prætextu conseruandæ virginitatis, vllas admittatis. Impugnabimini vndique & ab vnoquoque, donec dimissa domum puella fuerit & reddita suis. Equidem vos sublimis Reginæ nomine compello, planeque

S. Benedictus iubet illam suis restitui.

A neque vero, ne vllam imposterum admittatis, quæ non sit benè maturæ ætatis. Non incliniet animos vestros amor aut metus! non mentem offuscet honor aut verecundia: sed vnicam Dei gloriam ante oculos vestrôs semper tamquàm speculum obiectam habete. Non audiatur inter vos, meum ac tuum. Simul omnes quatuor concordes estote in ijs quæ decernenda atque agenda erunt; & veritas iuuabit, vt id quod optimum est sequamini. Factum igitur continuò est quod Sancti imperarant, & simul puella consanguineis & tranquillitas Congregationi reddita est, auersaque incommoda quæ eidem impendebant.

& nullas deinceps nisi maturæ ætatis admitti.

CAPVT XII.

Apostolicæ Sedis auctoritate & opportunis priuilegijs munitur Congregatio.

CAP. XVII S. Francisca Pontifici supplicandum,

105 FRancisca autem ex prædictis alijsque euentis cognoscens, quot modis tartareus hostis conaretur nouæ huius familiæ progressus & incrementa impedire; considerans etiam quàm multos scrupulos, anxietates & dubia idem quotidie immitteret in animos trium illorum, qui sibi dati diuinitus fuerant B velut consiliarij arbitrique & procuratores ac promotores ædificij istius spiritualis; sciens denique crebros per Vrbem rumores spargi hominum nouæ huic viuendi formæ obmurmurantium, & futuras persecutiones atque impedimenta rebus cœptis obijcienda præuidens; vt simul & his omnibus obuiàm iret, & detrahentium ora obstrueret, suorumque Procuratorum animos confirmaret, Congregationem, quam à Iesu & Mariâ acceperat ordinatam in cælis, ab illius Vicario stabiliendam credidit in terris. Ideoque accersitis ad se tribus illis iam sæpè nominatis Domno Ioanne Mattiotti Confessario suo, Fr. Bartholomæo ac Fr. Hippolyto, suam eis mentem aperuit, exposuitque, quod, si eorum consensus approbatioque accederet, supplicandum existimauerit Sanctissimum Dominum vt congruis Congregationem nouellam priuilegijs communiret, per quæ viuere in communi possent, alias ad eamdem vitam communem admittere, Superiorem eligere & Confessarium; ac denique domesticum habere oratorium obeundis Confessionis atque Eucharistiæ Sacramentis, exemptum à potestate Pastoris Parochialis.

prauià consultatione decernit:

106 Placuit omnibus Franciscæ propositio, & C in hanc ceteri iuêre sententiam, libelli Sanctissimo offerendi curam committendam esse Ioanni, ipsius Beatę atque Oblatarum Confessario, eò etiam magis quòd is iam esset Pontifici notus, non semel aliàs legatus à Sanctâ in ijs, quæ circa præsentes perturbationes Ecclesiæ eidem Pontifici voluerat ipsa Dei nomine indicata: imò recentissimè ipso illo Iunij mense infra Octauam Dominici Corporis, cùm fœtas gigantibus nebulas & dirè oppugnatam ab ijs Sanctam Matrem Ecclesiam in Visione conspexisset Francisca, iussus ille fuerat eius rei commonefacere Papam, quod & fecerat. Restitit nihilominus Mattiotti & iniuncti à socijs negotij curam recusauit admittere, siue naturali suæ timiditati obsecutus, quæ rebus in omnibus eum cogebat formidare; siue reuelationibus Franciscæ diffisus, quasi non certus eas esse à Deo; seu denique auribus non semper æquè pronis à Pontifice auditus, magis etiam vereretur hoc tempore importunus videri, quo grauissima Petri Sedem mala discriminàque circumdederant.

cui cura Ioanni demandatur à socijs;

hic tergiuersatur.

107 Pontificatum gerebat temporibus illis Eugenius IV, origine Venetus, domo Condelmarius, Professione vnus ex Canonicis ijs, qui à S. Gregorio in Algâ nomen apud Venetos habent; à Gregorio Papâ XII, cuius erat ex Sorore nepos, primum Thesaurarius, tum Senensis Episcopus, dein S. R. E. Cardinalis Tituli S. Clementis creatus: quo in gradu sub Martino Papâ V ex familiâ Columnensium Legationem Anconitanam ac posteà Bononiensem multâ cum laude gessit, itaque se probauit, vt mortuo Martino, à Cardinalibus, in conuentu supra Mineruam collectis, die III Martij anni MCCCCXXXI, ad summum Ecclesiasticæ dignitatis apicem sit sublimatus; & mutato ex more Gabrielis nomine Eugenius dictus, Apostolicam Sedem annis circiter sedecim tenuit, maximis interim calamitatibus ac publicæ rei concussionibus exercitus. Nam quemadmodùm illius æui scriptores referunt, eò processere populares tumultus, vt communi conclamatione, libertatem, libertatem poscentium, amoti ab officio ipsâque ex Vrbe eiecti sint Magistratus, quos Pontifex creauerat; & septem Romanis ciuibus suprema in Vrbe potestas tradita; ipseque Franciscus Cardinalis Condelmarius Camerarius, idemque Eugenij nepos ac S. R. E. Vice-cancellarius coniectus in vincula sit: ipse demùm Papa, nihil sibi tutum videns in Vrbe relictum, in societate cuiusdam Arsenij monachi, monachum etiam indutus, maluerit se cymbæ non magnæ committere per Tiberim descensuræ, quàm diutiùs inter rebelles inimicosque subsistere cum vitæ discrimine euidenti: quod ipsum in viâ agnitus non E euasisset, nisi suorum audacia, secundo currentem fluuio cymbam egisset in hostes, obruturos aut obruendos, nisi cedere loco maluissent, contenti iaculis saxisque impetere præteruolantes.

Perturbatissimus tunc Ecclesiæ status;

D

EX ITALI. M. MAND. ANONYMI LATIN.

& Pontificis fuga;

108 Hos porrò motus in eumdem annum MCCCCXXXIII incidisse, quo Beatæ agendum fuit de suæ Cōgregationis stabilimento, auctores consentiunt; quamuis Pontificiam fugam alij ad septimum Iulij anni huius referant, alij ad tertiū Iulij anni sequentis: vt vt est, potuit Ioannes etiam ex prægredientibus illum discessum tumultibus caussam sumere refugiendi oneris, quod sui sibi socij volebant imponere; donec duplici Beatæ raptu, cui præsens interfuit die vigesimâ quintâ Iunij, & eiusdem mensis die vigesimâ nonâ confirmatus, atque à SS. Ioanne Baptistâ & Paulo increpitus, inflexit animum ad consensum: libellumq; supplicem, earum quæ iam in Congregationem conuenerant matronatum nomine formatum (nam Francisca etiamnùm apud maritum commorans illis annumerari non potuit) Pontifici obtulit, ex parte quoque ipsius Franciscæ rem eidem oretenùs commendans. Inter tot perturbatæ reipublicæ tristissimas concussiones grátū fuit Pōtifici de Religionis ac pietatis incremento audire eo tempore, quo illas tot modis perditum ibat dæmon: F & Archiepiscopo Consentino, tum in Vrbe præsenti ad se vocato, negotium omne accurato examine trutinandum, & prout in Domino visum fuisset, postulatas gratias supplicantibus concedendas permisit, expedito, vt nihil non iure ac ritè fieret, super hâc re Breui, cuius hic est tenor a.

ante quàm diuinitus impulsus Ioannes,

rem Pontifici proponit;

a

109 Eugenius Episcopus, seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Gaspari Archiepiscopo Consentino, in almâ Vrbe residenti, salutem & Apostolicam benedictionem.

hic Archiepisc. Consentino committit,

Cùm ex parte dilectarum nobis in Christo filiarum, Anastasiæ, vxoris quondam Thomæ Clarelli nunc viduæ; Agnetis, filiæ Pauli Lelli; Anastasiæ, filiæ Antonij Lelli Petruccij; Iacobillæ, filiæ Franciscæ; Augustinæ, filiæ Pernæ; Pernæ, vxoris quondam Antonij Collutij; Catharinæ de Manettis; Vannotiæ, vxoris quondam Sabbæ de Maroccinis Romani; Ritæ de Cellis; Franciscæ de Verulis; mulierum Oblatarū monasterij S. Mariæ-nouæ in vrbe Româ, Ordinis S. Benedicti, qui Montis-oliueti dicitur: ante paucos hosce dies oblata supplicatio esset, continens quomodò ipsæ zelo Dei accensæ, desiderantes famulari Altissimo in spiritu humilitatis, & quatenùs ipsarum fragilitati concessum est vitam Apostolicam imitari, vt seipsas

vt supplicantium caussâ examinatâ,

A ipsas demum Christo lucrentur, cupiant insimul habitare in domo aliquâ ad hoc idoneâ & conuenienti in hâc Vrbe: atque in commune conferre bona omnia, quæ sibi largitus est Deus, ex ijsque vitam communem ducere in caritate, sub obedientiâ alicuius ipsarum, quam ad id idoneam iudicaturæ & pro tempore electuræ sunt. Quare ex parte dictarum mulierum humiliter fuimus requisiti, vt sibi benignitate Apostolicâ supra prædicta opportunè prouidere dignaremur.

EXITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

110 Nos itaque non habentes certam rerum dictarum notitiam, & ipsarum nihilominùs precibus inclinati, Fraternitati tuæ hac Apostolicâ Bullâ ordinamus, vt de rebus prædictis ex nostrâ auctoritate diligentem sumas informationem: post quam si preces niti veritate inueneris, & verosimiliter iudicaueris præfatas mulieres licitè posse simul habitare, seque conseruare cum Dei honore & salute animarum suarum; concurreritque ad ea consensus Prioris ac Fratrum monasterij prænominati (in quo tuam grauamus conscientiam) auctoritate Apostolicâ plenam & liberam tibi concedimus facultatem, tenore præsentium, vt prædictis mulieribus possis concedere licentiam eligendi & retinendi in perpetuùm domum vnam, vsui & habitationi earum idoneam, in eo loco, qui tibi in hâc ciuitate honestus conueniensq; videbitur; & eligendi vnam ex ipsis probatæ vitæ, quæ præsideat ceteris, eamque quoties opus erit & legitima caussa aderit, remouendi, aliamque in eius locum eligendi, vitæ similiter approbatæ; recipiendique & retinendi alias fæminas, quæ instituto viuendi ipsarum se aptare voluerint & conformare; viuendi quoque in commune ex dictis ipsarum bonis, sub statutis, ordinationibus & formâ aliarum Oblatarum dicti Ordinis absq; particulari proprietate. Eligendi item bonum aliquem & discretum Sacerdotem, Religiosum vel secularem, prouectæ ætatis, in Confessarium: qui auditis diligenter earumdem mulierum confessionibus, quoties opportunum fuerit, absolutionem illis impendat (si tamen commissa peccata eiusmodi non fuerint, vt meritò pro ijs ad Sedem Apostolicam recurri debeat) & salutarem iniungat pœnitentiam, ipsisque & alijs mulieribus pro tempore in dictâ domo commoraturis, alia ministret Sacramenta. Saluis tamen semper & per omnia rationibus Ecclesiæ Parochialis, intra cuius fines contingeret dictam domum inueniri aut alterius cuiuscumque ecclesiæ. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus monasterij & Ordinis prædicti, quamuis iuramento confirmatis, aut corroboratis Apostolicâ vel aliâ quacumque in contrarium firmitate: per quod tamen non intendimus statum dictarum mulierum approbare. Datum Romæ apud S. Petrum, anno ab Incarnatione Domini MCCCCXXXIII, IV Nonas Iulij, Pontificatus nostri anno III.

& approbatâ,

B

earum postulatis annuit.

absque præiudicio.

C

111 Ad huius effectum Breuis consequendum, Abbatis seu Prioris & Monachorum S. Mariæ-nouæ, vt patet, requirebatur consensus: conditum igitur Instrumentum est pactorum conuentionumque inter ipsos & matronas prænominatas, & manu Ioannis Vallati, ciuis Romani atque Notarij publici firmatum, oblatumque Archiepiscopo Consentino: qui eo conspecto expediuit diploma secundùm potestatem sibi à Pontifice factam, inter alia nominatim indulgens, vt commorari possent in domo vicinâ ecclesiæ S. Andreæ funariorum in regione Campitelli, cui ex vnâ parte adiacebat domus Iacobelli Clarelli, ex alterâ Iacobellæ Ludouici, sitâ ad publicam plateam; vsque dum commodiorem alteram reperissent in regionibus Pontis vel Parionis, vel Arenulæ, vel Trans-tiberim, S. Angeli, S. Eustachij, Pignæ, aut Campi-Martij: in quarum aliquâ repertam & electam ex nunc pro tunc possidendi & incolendi plenam dabat facultatem. Acta fuerunt hæc in ipsâ Archiepiscopi domo in regione Campitelli, anno MCCCCXXXIII, die vigesimo primo mensis Iulij.

CAP. XIX Archiepiscopus,

Oblatis Turris-speculorum concedit,

dum aliam domum acquirant:

112 Facilè est æstimare cogitando, quantæ consolationi S. Franciscæ & pijs illius in Christo Filiabus fuerit tam felix negotij illius successus: quæ proinde omnem adhibuerunt diligentiam, vt qualem optabant domum in vnâ prænominatarum regionum inuenirent. Interim tamen magis quotidie magisque placebat is ipse, in quo residebant locus, & earum vsibus fiebat accommodatior: supplicandum igitur censuerunt, vt is sibi confirmaretur, & Dominum Andream de Sanctâ-Cruce, Legum eo tempore Doctorem celeberrimum & Aduocatum Consistorialem, qui vnà cum Pontificiâ curiâ Bononiam se transtulerat, rogauerunt, vt ipsarum nomine prædicto Archiepiscopo Commissario hoc exponeret. Quo agente obtentum est & expeditum diploma authenticum hâc super re & Notarij publici manu consignatum vigesimo secundo Iulij anno MCCCCXXXVII, quod in hunc diem conseruatur. Post hæc cùm scrupulus incidisset an Confessario, quem sibi in dictâ domo simul commorantibus ex vi Apostolici indulti elegerant, facultas maneret absolutionem impendendi ipsis, propter infirmitatem aliquam in suas aut parentum domos aliquando ad tempus reuertentibus: hunc eis scrupulum Eugenius Pontifex benignè sustulit, per Breue anno MCCCCXLIV Romæ ad S. Petrum, die Maij trigesimo, datum.

D

deinde illa ipsis in perpetuum confirmat:

CAP. XX scrupulum de Confessario tollit Papa.

E

113 Pacta quoque conuenta, quorum facta superiùs mentio est, approbata & confirmata fuerunt à Fr. Hieronymo de Neapoli, Oliuetani Ordinis tunc temporis Abbate Generali: cui in officio succedens Fr. Baptista de Podio-bonzi decessoris sui Acta & totius Ordinis statum recognoscens, cùm deprehendisset obligationem recipiendi alias, quæ sese ad Congregationem vellent adiungere, ex vi pactorum istorum incumbere Priori ac monachis S. Mariæ-nouæ, idque non satis cum Apostolicæ Bullæ tenore congruere, (cùm ipsis Oblatis, earumq; pro tempore Præsidi, quæ tunc ipsa S. Francisca erat, quam religiosissimam Dominam nuncupat, integra relinqueretur facultas admittendi quas vellent) cauit ne huic negotio immiscerent se Fratres, aut immiscere se deberent. Cetera denuò approbauit, per Instrumentum datum Florentiæ ex monasterio S. Miniatis, anno MCCCCXXXIX die nonâ Augusti. Neque eâ cautione contentus fuit: sed anno deinde consequenti vigesimo sexto Iulij, nouam pleniorémque omnium declarationem ad ipsas Oblatas expediuit, quâ eas ab omni prorsùs subiectione absoluit; cauens ne earum rebus vllâ ratione se ingerant monachi, visitationis, correctionis, confessionis aut alio quocumque prætextu: saluo dumtaxat, quod ab ipsis Oblatis earumque Superiore admissæ, censeri debeant quàm optimo iure monasterij prædicti Oblatæ, & omnibus Ordinis priuilegijs ac beneficijs gaudeant, æquè acsi ad earum admissionem ipsius Generalis Abbatis consensus nominatim requisitus accessisset.

CAP. XXI Oliuetan. Generalis ratificat pacta conuenta:

liberasq; ab omni subiectione declarat Oblatas.

CAP. XXII

F

1 *Ex Italicâ versione Anguillariæ rursum à nobis Latinè redditus: quoniam Oblatæ Turris-speculorum sæpiùs, antequàm hæc imprimerentur, & per varios requisitæ textum originalem exhibere, hactenùs detrectarunt: quod nonnemini ex requirentibus suspicionem mouit, Bullam ipsis casu aliquo perijsse.*

CAPVT XIII.

S. Francisca marito viduata Oblatis in Turri-speculorum se iungit: fit earum Præses.

114 Remanserat, vt dictum est, in sui mariti domo Francisca, cùm ipsius Filiæ ad Turrim-speculorum conuenerunt; non sine diuinæ Prouidentiæ nutu:

LIB. V CAP. I

A nutu: quippe quæ, si domo discessisset suâ, eodem mox reuocanda fuisset à marito, paullò pôst in grauem & diuturnum morbum prolapso, cui præsentiam suam nec voluisset nec potuisset subtrahere. Volens igitur Deus implere famulæ suæ desiderium, eiq; præbere facultatem aliquanto antequàm moreretur tempore à seculi curis recedendi, circa principium anni millesimi quadringentesimi trigesimi sexti Laurentiū de Pontianis, maritum eius ab hac mortali vitâ absoluit. Mensem & diem, quo obijt, nullis litterarum monumentis consignatum, posterorum obliuio vna cum defuncto sepeliuit: non item memoriam virtutum eius, quam vel ex ijs, quæ pro Romanæ Vrbis libertate pertulit, licebit æstimare. Erat enim, vt inter ciues primarius, sic in eorum immunitate tuendâ princeps; eique tyrannidi, quam Romæ Ladislaus Neapolitanus Rex & qui post eius excessum Regis vice Vrbem tenuit Petrinus Troiæ Comes exercuerat, animosè se palamque opposuit. Ergo & in congressu quodam ab aduersarijs percussus est grauiter, ex eoque vulnere, licèt interuenientibus sanctæ vxoris orationibus & medicorum industriâ vitam non amisit, amisit tamen valetudinem priorem, quam deinceps infirmam
B semper morbidamque habuit.

Principio anni 1436 obit Laurentius de Pontianis,

laudandus à filiis patriam,

115 Huc accesserunt labores alij ex suâ filijque & fratris captiuitate, ex illius eiusdem fratris exilio, ex iacturâ rei familiaris & pecuariæ, ex incarceratione Baptistæ filij: quibus omnibus exhaustæ sunt modicæ illæ vires, quas mors propemodùm tolerata reliquerat; & egregia data est Franciscæ materia explicandæ caritatis suæ, quamuis & ipsa ieiunijs esset pœnitentijsque emaciata. Quàm verò Christianè Laurentius ex hac vitâ migrarit ex reliquo vitæ contextu cognoscimus: neque enim ideò tantùm discrimini se regiæque violentiæ obiecit, quòd Vrbis libertatem conseruatam vellet; sed multò magis quòd pulsum ex eâ Christi Vicarium videre non sustineret. Deinde ad mortem vulneratus, coniectus in carcerem, ablegatus in exilium numquàm de inimicis suis vindictam sumpsit: sed omnibus magnanimâ caritate dimisit, qui aliquid in se deliquerant: quod & fecit statim ab accepto vulnere, ad vxoris persuasionem Confessione expiatus. Præterea cùm ipse eo in gradu & æstimatione esset apud Romanum populum, domumque & diuitijs & famulorum turbâ copiosam haberet, sustinuit tamen quòd vxor sua, formâ & ætate florens, non ad eum se coleret modum, quo aliæ multò etiam inferio-
C ris conditionis matronæ: sed inornata atque inculta quotidie per ecclesias, per hospitalia, per pauperum casas oberraret; imò ex ipsâ domo suâ faceret hospitale, cuiusuis generis ægris in eam inductis, quibus ministrabat ipsa non sine magno impendio domesticarum facultatum: quod denique vitam duceret, pœnitentijs asperam, sui ipsius despectu vilem, in caritatis operibus laboriosam, qualem huc vsque sumus prosecuti.

ærumnarū toleratiā,

generositate in condonandis iniurijs,

indulgentiâ erga vxorē contra seculi sensum.

CAP. II
Post viri exequias Francisca,

116 Ipsa verò matrimonij iam libera vinculo, & ætatis annum quinquagesimum secundum prægressa, iustis funebribus marito persolutis, constituit animo, quamprimùm discessu suo vacuam Baptistæ filio domum relinquere, seque ad dilectum & pridem desideratum Filiarum suarum conuictum recipere. Nec erat quod eam filij moraretur respectus, qui annos natus erat triginta sex, atque ab annis sedecim coniunctus puellæ Romanæ nobili, cui Mobilia nomen, prudentiâ & experientiâ familiæ regendæ sufficiens. Huic verò Mobiliæ imprimis debemus, quòd socrum suam per tot annos cognoscens familiarissimè, & domestica virtutum illius admiratrix, post mariti obitum natis ex eo liberis adhærens, bis in iudicio legitimè audita, testataque sit varia, quæ sciri absque illius testimonio aut non potuissent omnino, aut multò minùs certò. Sensit tamen vt debuit hanc optimæ matris voluntatem filius: nurus autem, quæ plusquàm matrem perditura erat, eius auxiliarem virtutem suis in puerperijs, ægritudinibus alijsque infirmitatibus experta, grauissimè tulit ab eâ separari, nec poterat lacrymas singultusque continere. D

domum filio & nurui vacuam relinquens,

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

117 Vicit nihilominùs Franciscæ virtus omnem naturalis amoris teneritudinem, & diuinum amorem secuta ducem, ipso S. Benedicti festo, die vigesimo primo Martij, ad caras Filias suas abijt, relictâ domo & cognatione suâ: ingressaque intra primam portam veteris habitationis, quæ est in Turri-speculorum, ad infimos scalarum per quas ascenditur gradus aliquantulùm substitit, dum clauso ostio discingeret atque excalcearet ipsa se, pullamque indueret quam adferebat vestem. Ita nuda pedes, caput propemodùm discooperta, effusaque in lacrymas interiorem subijt domum; vbi proiecta in terram, brachijs in Crucis formam expansis, lugubri voce & singultibus crebris interruptâ, rogare atque obtestari Sorores cœpit, vt se suam in societatem admitterent tamquàm mendicam & peccatricem, quæ ætatis florem mundo dedisset, nunc autem effœtæ senectutis fæces oblatura Deo adueniret. Mouit ad lacrymas quotquot adfuêre spectaculum tam inopinatum: quæ interiorem virtutum ipsius thesaurum vel hinc magis doctæ æstimare, humo sustulêre Matrem, introque in domum lætanter induxêre. E

21 Martij,

humillimè postulat inter Oblatas admitti.

118 Regebat tunc paruulum Oblatarum cœtum cunctis cum titulo Præsidis præposita, & tamquàm spiritualis omnium Mater, Agnes filia Pauli de Lelijs: quæ statim vt domi habuit, quam omnium esse caput & cui familiæ totius regimen quodam iure naturæ competere iudicabat; conuocauit in vnum Sorores suas, & coram eis officium abdicans, auctor fuit Franciscam Superiorem eligendi: quod omnium communi consensu est factum. Verùm humilis Christi ancilla, quæ ministrare venerat, non ministrari, nullâ ratione tunc induci potuit, vt illarum acquiesceret voluntati: quod tamen paullò pôst fecit, persuasa hanc esse Dei voluntatem. Qui sanè hoc ipso intuitu videri potest eodem die sublimioris gratiæ & dignitatis Angelum eidem socium addidisse: in regendâ nouâ illâ familiâ peculiari futurum auxilio, prout in libro visionum eius num. 151 Visione LXVI narratur. Viuebat porrò sancta hæc familia tenui arctoq; dimenso, quoniam præter exiguum illud quod decem primæ illius fundatrices in commune detulerant, & quod ex diuendito manuum suarum labore, vel corrogatâ mendicato stipe nancisci poterant, nihil erat vnde vitæ necessaria sibi compararent; hæc ipsa sæpè desideraturæ, nisi crebris largisque, quas suâ è domo submittebat, eleëmosynis Francisca prouidisset. F

CAP. III
Recusat esse earum Superior:

accipit Angelum superioris Ordinis:

CAP. IV
viuit in magnâ paupertate

119 Verùm postquàm & ipsa, derelictâ splendidæ familiæ abundantiâ, ad illarum se numerum aggregauit, facta est quoque earumdem particeps ærumnarum; eò deinceps grauiorum, quòd hæc beneficentiæ vena erat præcisa. Accidit igitur quodam die, quo Francisca de Verulis è decem primis socijs vna suo in ordine culinæ ministrabat, sicut hebdomatim facere solebant singulæ: accidit, inquam, vt cùm eidem incumberet cura sternendæ ad communem refectionem mensæ, vix modica duri panis fragmenta reperiret, ægrè personis tribus suffectura, etsi quindecim tunc Sorores ibidem numerarentur. Huius tam necessariæ rei defectum contulit illa cum Sanctâ, & simul ambæ decreuerunt domo confestim egredi, eleëmosynæ nomine quæsituræ per Vrbem quod opus erat: & egrediendi facultatem postularunt ab Agnete, tunc adhuc omnium Superiore ac Matre. Hæc verò tantam animi promptitudinem simul admirata & reuerita: Ne tu eas, inquit; ibo ego, aut mandabo, vt eat quæcumque altera: tu autem domi quiesce secura. Cui Francisca respondit: Si tibi non placet, vt ego vadam, neque aliam mittito: quia futurum spero vt prouideat Omnipotens:

deficiente ad mensam pane,

se offert ad eum mendicandum

A Omnipotens: accéptisque in manu paucis illis frustulis, ea per mensam distribuit inspectantibus cunctis, dictâque de more benedictione accubuerunt mensæ omnes, comederuntque & satiatæ sunt: deinde gratias Deo egêre de genibus, & collectis, quæ superauerant fragmentis, impleuêre canistrum quasi mediæ quartæ capacem: vnde in sequentem etiam diem acceptum est, quantum Sororibus cunctis satis fuit; quemadmodùm iuramento testatum inuenitur articulo trigesimo processus tertij.

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. necpermissa, multiplicat quæ aderât fragmina.

120 Interim nullam capturæ videbantur quietem optimæ matris pientissimæ Filiç, quin haberent eamdē domi superiorem, quam foris habuerant vitæ spiritualis magistram: instabant enim nunc seorsim singulæ, nunc coniunctim omnes vt regendam ipsa familiam susciperet, quæ fuerat auctor instituendæ: iamque in suas partes Confessarium traxerant, vt ipse quoque faciendum iudicaret, quod omnes tam ardenter cupiebant. Ipsa igitur omnes eius nutus obseruare solita, obedientiæ postposuit humilitatis studium, aut potiùs ipsam sublimiùs extulit, & magis conspicuam cunctis fecit, quando omnium voluntate prçterquàm suâ prçlata ceteris, ceteris omnibus se perpetuò æstimauit viliorem; omnibus seruiens, prospiciens omnibus, nullique non cuiuscumque necessitati seu corporali seu spirituali succurrens, caritate maternâ, sedulitate plùs quàm famulari. Hortabatur Sorores insigni cum animi dimissione & pari demonstratione amoris, vt in diuinis obsequijs constanter perseuerarent: si verò verbulo otioso vel actione minùs ad perfectæ virtutis normam exactâ delinqueret aliqua, admonebat errantem cum tantâ caritate, vt quæ arguebatur, aperiri sibi vitæ æternæ ianuam æstimaret: si tamen materna lenitas quandoque in peruicaciorem incidisset, tum verò assumebat animos leoninos, ne quod opportunæ seueritatis defectu detrimentum caperet integritas disciplinæ Regularis.

CAP. V Instantiis rogata ab omnibus, tandem admittit Præfecturam, & gerit magnâ cū caritate, B

121 Quot noctibus, cùm somnum Sorores caperent, obibat solicita quiescentium lectulos, non modò semel iterumque, sed ternis sæpè, quandoque & quaternis vicibus, singulas admonens orationis aliorumque actuum Deo acceptorum per interualla offerendorum. Solebat eadem iam Superior, mensæ ad quam Sorores accubituræ erant, precando benedicere: quod cùm facere vellet, contigit non rarò vt ad quamdam se fenestram conuerteret, per eamque prospiciens raperetur in Deum alienata à sensibus, totoque inflammata vultu quamdam solaris fulgoris C speciem præseferret: tum verò subsidebat in genua & manibus ante pectus iunctis, ad duas tresúe horas eo in statu persistebat. Hoc ne nimium mirarentur Sorores, confessa ipsis ingenuè est, quòd per illam fenestram tunc sese conspicuam ipsi offerret Deipara cum glorioso Euangelistâ Ioanne: quos clariùs manifestiùsque videret quàm videbat corporeis oculis illas: quodq; eo aspectu magnis perfunderetur solatijs.

& solicitudine: frequentibus raptibus impedita,

122 Vt verò humilitatis euidentiori præiret exemplo, quouis vespere coram omnibus prouoluebatur in genua, iunctisque supplicum ritu palmis, petebat humiliter sibi ignosci quidquid eo die prudens imprudensúe per defectum excessumúe poterat commisisse: & quantum ferre poterat humana fragilitas nihil omittebat eorum, quæ videbantur perfectionis viam expeditiorem Sororibus posse efficere. Quoniam tamen bonam temporis sui partem domesticis curis eripiebant frequentia exercitia orationum easque subsequentes extases, neque minor eiusdem temporis pars danda erat infirmis aut alijs, ad quæ vndecumque accersebatur, operibus misericordiæ (prout ex primis processibus supra eius vitam formatis liquet) verita ne quid ex eo capite res domestica pateretur, regiminis sociam & quasi Vicariam Agnetem assumpsit, eam quæ ante aduentum suum domui præfuerat cum potestate supremâ, communi cum ipsâ cubiculo vtens, & magis communi in rebus administrandis ordinandisq; consilio. Et hanc regendi rationem tenuit quanto superfuit tempore, quod fuit quatuor fermè annorum. D

& humilitatis studiosa, Præfecturæ sociam Agnetem assumit.

123 Erat inter ceteras quæ in eâ domo habitabant Catharina de Manettis, ex regione Pontis, ætate grandiori adiuncta collegio. Hæc intra non magnum ab aduentu Sanctç temporis spatium graui correpta infirmitate eò reducta est, vt amissâ loquendi facultate, vitam quoque breui videretur amissura: & aberat ab Vrbe spiritualis Pater Ioannes Mattiotti, qui agonizanti extrema ministraret Sacramenta. Ergo ad orationem conuersa Mater ita Deum precari instituit: Omnipotens & misericors Deus, hanc mihi ne hoc eripias, obsecro, tempore, quo abest extra ciuitatem ecclesiæ Presbyter. Mirum dictu! mansit in eodem statu infirma per dies quinque vel sex, vsque dum reuersus Ioannes extrema Eucharistiæ atq; Vnctionis præsidia decumbenti contulit: quibus peractis pia Mater diutiùs cum morte luctantis filiæ miserata, librum poposcit, ex eoque, Sororibus, quæ præsentes aderant deuotè respondentibus, Litanias prælegit: ac demùm conuersa ad moribundam: Filia mea Catharina, inquit, vade in pace, ac Deum pro me ora. Quæ mox, E velut nutum obedientiæ ad moriendum præstolata, placidè expirans, ad Dominum, vt piè credimus, emigrauit.

CAP. VII Sorori, absente Confessario morituræ, vitam producit, dum ille redeat.

CAPVT XIV.

Cælestes gratiæ, quæ magnam S. Franciscæ auctoritatem ad regimem peperêre.

124 CONsueuerat exercendi corporis & humilitatis ergò, nec non domesticæ necessitatis caussâ foras quandoque ad vineam ducere Sororum aliquas, ibique eas in colligendis sarmentorum fascibus, quos domum capiti impositos referrent, habere occupatas. Hoc ergo modo cùm octo è suis, Trans-tiberim extra portam Portuensem egressa, ad vineam, cui vulgò ab imagine nomen est, eduxisset, ibique habuisset à primo manè vsque in vesperam occupatas, nec quidquam attulisset, quo famem earum sitimúe leuaret: earum vna veniam postulauit aquam quærendi ex proximo fonte, qui publicâ in viâ scaturiebat. Cui respondit Sancta modicum vt sustineret, quòd longiùs à vineâ fons ille abesset: eoque dicto per vineam ambu- F lans & sarmenta colligens, secessit à ceteris aliquantulùm, subsequente vestigia euntis Pernâ, Petri Vincentij filiâ, quæ paullò antè ad Congregationem accesserat; matremque in genua positam audiuit in hæc verba orantem: Domine Iesu Christe, quando meâ incuriâ factum est, vt hæ Sorores meæ huc adductæ sint à me, ciboque & potu nunc destitutæ langueant: obsecro te, vt hac in necessitate constitutis misericordia tua dignetur succurrere. Ad quæ Perna tacita ipsa secum: At meliùs foret nos domum redire. Sed cogitationes quoque arcanas cognoscentem illa non latuit: iterumq; loquentem, sed sibi, audiuit: Modicæ fidei, attolle oculos.

CAP. VIII Sorores in vineam lignatum ductas, & siti deficientes,

125 Sustulit illa: viditque ex vite vuæ rubeæ recentissimæ ingentes botros Ianuario mense (is enim tunc agebatur) pendere: & Matri appropians conuocauit Sorores, quæ & ipsç vuas prædictas conspicatæ plurimùm eas admiratæ sunt; propterea quod totâ die proximè ad illam vitem occupatæ, nihil in eâ fructuum viderant: nec verò tempus erat vt videre in vitibus vuas speraret aliquis. Ipsis autem in hunc modum mirantibus imperauit Francisca, vt colligeret vnaquæque quantum sua ferebat necessitas, de cetero nemini verbum dicerent. Tum super terram expandit

impetratis in Ianuario vuis, reficit.

A dit mappulam, quæ ad manum erat, ac supra eam Perna sociæque decerptos, pari quot ipsæ erant numero, botros apposuerunt; Deumque laudantes comederunt, atque omni famis sitisque depulsâ molestiâ, miraculi euidentiam agnouêre.

CAP. IX Culpam occultam vnius cognoscit:

126 Non modico Franciscæ ad rectam filiarum gubernationem adminiculo fuit rerum cognitio arcanarum, tentationumque quibus à diabolo pulsabantur. Per hanc quid Perna, quindecim annorum puella fateri erubuisset cognouit; eamque leniter percutiens Fatere, inquit, culpam tuam: quia malus dæmon tibi guttur stringit, vt suffocet. Augustinæ alteri ex filiabus noctu oranti dæmon in formâ auis apparuerat, vel læsurus eam vel impediturus. Durauit aliquamdiu conflictus iste, vidente eum, dum alibi in oratione vigilaret, Franciscâ: quæ postero manè nihil cuiquam dicentem vltrò interrogauit, num quid passa esset nocte istâ. Ad hanc quæstionem stabat attonita Augustina, incerta responsi. Tum verò rem ordine narrauit Francisca, fatentiq; rem ita se habuisse, dixit: Da gloriam Deo, cuius imperio tristi per bonum Angelum liberata. Quod non dubitauit illa pijs quoque sanctæ Matris suæ precibus adscribere, cui datum fuerat rem, quæ secretò agebatur, cognoscere.

alterius tentationē;

B

alij os brachij loco motum esse,

127 Alio quodam die ad ædes Baptistæ filij profecta erat Francisca, dumque abest domo, audit Iacobilla, cum aliâ ex Sororibus colloquens, sonum pulsantis ad ostium, & ait: Vado vt videam quis fores pulset. Socia autem retinere ipsam volens tam infeliciter eius apprehendit brachium, vt eius os loco suo emotum ingenti cum cruciatu fuerit, nec potuerit vestis nisi dissuta reduci. Cognouit Deo reuelante Francisca quid domi se absente turbatū esset, eóq; reuertens aliquantò interiùs perturbata contra Sororem prædictā, arripuit brachium, manumque suam super humerum collocans, suæ illud iuncturæ restituit, ac subitò sanam fecit: & Sororibus dixit, dæmonis eum astum fuisse, qui hâc ratione sperauerat dissensiones inter ipsas seminaturum se; quas proinde seriò adhortata est ad studium pacis & caritatis reciprocæ. Plura huius generis acciderunt alia, ex quibus euidenter cunctis patuit nihil in domo, nihil ab vllâ filiarum suarum agi, quod ipsa non cognosceret.

quam tactu sanat.

CAP. XI Graues à dæmonibus vexationes

128 Quæ vt erant admirationi Sororibus, sic intimæ compassionis affectum eisdem commouebant conflictus cum malignis dæmonibus frequentes admodùm, quorum aliqui ab eius Confessario Ioanne Mattiotti referuntur: & de quibus eædem illius filiæ sub iuris-iurandi religione non pauca in processibus
C deposuêre. Testata est in primis Agnes, quod vice quâdam genuflexa ad sui lectuli spondam Francisca, prostrata in terram fuerit, magnâque cum violentiâ strepituque raptata per terram vsque ad ostium cubiculi: cui volens ipsa auxiliari cùm trepidè accurrisset, neminem præter ipsam vidit iterùm in oratione positam, quæ & sibi dixit: Abi, ora: quia nihil est. Simili modo Sororibus alijs solitam fuisse respondere constat, & multâ cum animi serenitate dicere: Abite, abite. Audiebant etiam inuocantem Iesu nomen quandoque, quandoque etiam agentem gratias ob victoriam sibi de inimicis concessam. Fuit cùm super lectulum suum infirmæ, coram Agnete prædictâ alijsque, dæmon strati operimenta abstulit, cubiculi fenestram identidem claudens referansque: & illæ quidem fenestræ ac stragulorum motum videbant, mouentem verò conspicere nequibant: stragula cùm diu frustrà requisiissent, tandem sub ipsum lectum simul conuoluta repererunt. Sancta verò aliud nihil dixit quam diuinam fuisse voluntatem.

constanter sustinet:

ijsdem aquâ ipsi paratâ muscis implenâ,

129 Testatur Perna vidisse se Matrem à malignis spiritibus satis altè sublatam in aërem, ijsdemq; dimittentibus non sine strepitu in pauimentum cameræ prolapsam Deo laudes gratiasque referre. Augustina asseruit quòd in vsum beatæ Matris, quæ vinum bibebat numquam, solita fuerit diligenter eluere vasculum eius, illudque recenti & clarâ aquâ implere quotidie, ac probè coopertum occludere, ne quid sordium illaberetur: quod tamen cùm sumere vellet Sancta ex eo bibitura, muscis semper reperiebat plenum; ipsique afflictæ, quòd tantâ suâ diligentiâ non posset aquam Matri mundam seruare: Ne turberis, inquit illa, quia dæmon hoc agit, vt ne aquam bibam à fonte puram. Videbat autem ipsos dæmones Francisca, professaque est sæpiùs electuram se, si optio daretur, fornacem potiùs ardentem subire quàm horrendas, sub quibus apparebant, formas conspicere. Vannotia certè meminit se audiuisse, quòd dæmoni diceret: O quàm fœdus es! Confessarium autem suum monebat, vt si quando contingeret aliquas ex pœnitentibus eius quid simile pati, doceret eas firmas constantesque perseuerare in conflictu: nam si fugerent præ timore, futuras semper plenas formidine, nec tamen extra periculum duriorum etiam ac grauiorum verberum.

D *EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ*

horribili formâ apparere solitā,

130 Nec minùs ex insignibus Dei fauoribus dabatur Filiabus eximiam Matris sanctitatem cognoscere: anno MCCCCXXXVIII in Vigiliâ SS. Apostolorum Petri & Pauli egressa Francisca ad visitandam S. Pauli ecclesiam, comites, vt solebat, ex ijsdem aliquas habuit, Agnetem, Iacobellam, Vannotiam atque Pernam: hanc enim omnibus iuniorem magisque eiusmodi recreationis indigam secum semper amabat ducere: cumque deuotioni suæ fecissent satis ac domum regrederentur, intrauit Sancta in vineam Paulinæ molæ proximam, & ad quemdam aquæ riuulum accedens: Adhuc per Dei gratiam, inquit, currit hic riuulus. Subitò autem in extasim rapta per horas plures ibidem substitit genuflexa, tamque vicina aquæ, vt illa augmentum capiens totam cingeret, & nihil dubitarent Sorores, quin humentibus penitùs vestibus inde egrederetur. Egressa est autem indumentis tam siccis, quasi numquàm ea contigisset aqua: quod ipso explorantes tactu quæ aderant, supra modum miratæ sunt.

ad riuulum orans,

E

circumuenitur ab aquâ,

nec madescit.

131 Eodem anno eademque in vineâ mense Septembri, cuidam manuali operi vacantibus Agnete, Iacobellâ, Augustinâ, Pernâ prædictâ alijsque nonnullis, ipsa in partem secessit aliam; promptisque è thecâ conspicilijs atque Horario libro, consuetum Virgini pensum cœpit obambulando persoluere. Interim subitus imber vehemensque superuenit: diffugiunt sub tectum sociæ, neque planè effugiunt ex improuiso deprehensæ. Vt autem sub tectum venientes non parum compluta, respexerunt matrem recitandis Horis porrò insistentem, exclamauit Perna admonuitque vt festinaret se subducere pluuiæ. Audiuit ipsa inuocari se, quæsiuitque quid esset; cur clamarent. Quia pluit, inquit promptior Perna. At illa: Pluuiam, reponit, ego nullam video: ingressa est tamen vbi ceteræ erant, ad eamque mox Iacobella: Num mades, inquit, Mater? Cur madeam? Illa: num pluuia decidit? Magna, reponunt, simulque & librum eius & vestes inspiciunt, in quas nec minimam quidem aquæ guttulam decidisse admirationis plenæ obstupuerunt.

Officium sub dio recitans,

F

non tangitur à pluuiâ.

132 Par auctoritatis gradus S. Franciscæ accessit à prophetico spiritu quo fuit diuinitus decorata. Quædam Catharina de Perusio, Ordinis S. Francisci Tertiaria, similium sui instituti Sororum piè honesteque viuentium monasterium Romæ habens, à Dominâ Ritozzâ de Fabricâ requisita fuit, vt filiam suam, Franciscam nomine, in suum admitteret contubernium. Respondit illa, velle priùs eâ de re cum Sanctâ deliberare; quæ ei dixit: Auctor tibi sim vt eam non recipias: recipietur illa quidem ab alijs, earumque habitu induetur; verùm antequàm elabatur annus probationis dimittet habitum, quem assumptura est. Anno MCCCCXXXVIII cùm mortua esset ex pestilentiâ infantula, filia Andreæ de Tozzulis, & mater Perna eodem morbo

CAP. XVI Quamdam in proposito non perstituram prædicit:

A morbo contacta decumberet, visitans eam Francisca dixit: Esto hilaris, quia filia vestra in loco salutis est: tu verò quomodò habes? Vtique, inquit, sat male, quia sub brachio pestem habeo, & febri æstuo. Eia, reponit Francisca, confortare & animos sume, fidemque in Iesum Christum excita; cum Dei gratiâ liberaberis. Eoque dicto locum contagij manu attigit, moxque omnis illa mali lues euanuit vnà cum peste, ipsaque admirante familiâ omni, sana surrexit.

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. aliam à peste attactu sanat:

133. Anno MCCCCXXXIX ad mortem ægrotabat Laurentius quidam ex antiquâ & nobili Alteriorum familiâ, ætatis anno quadragesimo secundo: quem à medicis depositum videns Paulutia vxor, ad orationes S. Franciscæ recurrit, dicens multis se implicandam difficultatibus, si sibi eriperetur maritus in istis rei domesticæ angustijs, & alijs incommodis incumbentibus. Hunc vbi domi suæ Francisca vidit, dixit eius vxori: Equidem tui me miseret: verùm missam facito seculi vanitatem atque adiungere Deo, & gratiam obtinebis à Domino, vt ne hac vice moriatur vir tuus, sed sepulturæ meæ præsens intersit. Conualuit, interfuit, & funeri operam suam contulit. Paulutia verò corde compuncta constituit apud se, moriente marito, discipulis S. Franciscæ se iungere: quamdiu verò is sibi superstes relinqueretur, vanum, cui assueuerat, corporis ornatum non adhibere, neque sponsalitijs vel nuptialibus aut alijs quibuscumque festis interesse: nec minùs quã animo proposuit, diuinâ adiuuante gratiâ, executa est.

cuidam nõ moriturum maritum promittens ipsam à vanitate abducit:

B

134 Soror quædam Catharina S. Francisci Tertiaria (eadémne quæ suprà, an alia non explicant manuscripti processus, mulier certè bona honestæque vitæ) grauissimam persecutionem patiebatur à personâ & re & nomine Superiore, quam ne nominare quidem tutò poterat. In hunc modum afflicta metuensque vt posset locum suum gradumque in Dei seruitio obtinere, consilij caussâ ad Franciscam accessit, eique statum exposuit rerum suarum. Cui Sancta: Ne dubites, inquit, neq; de loco tuo deserendo cogites: sed patientiâ habe fiduciamque In Deo: quia qui tibi molesti sunt, molestias ipsi breui patientur ab alijs: itaque tibi victoria stabit. Neque multi fluxêre dies, quin omnia, vt prædixerat, euenirent.

grauis persecutionu finem alteri prænuntiat:

135 Anno MCCCCXL adolescens nobilis, Hieronymus nomine, filius Lelij Magdaleni mulæ insidens, ferebatur per eam plateam, quæ proxima est téplo S. Stephani in regione Pignæ: vbi mula ad murum propiùs quàm ipse sessor volebat accedens, penitus eum attriuit, in terramque deiecit, & altero pede intra stapedem hærente per saxa raptauit: ad quæ illius caput sic concussum est, vt amissâ subito loquendi facultate expirarit. Erat in cubili suo ad Turrim-speculorum Beata, indeque progressa vbi adstabant Sorores aliæ, exclamauit: O Rex altissime, da patientiam & animi robur miseræ illi matri. Nesciebant, quid ea verba significarent, tum quidem audientes: verùm vt famâ rem diuulgante cognouêre casum, & illius infortunij tempus contulêre cum eo, quod dicentem istâ horâ matrem audiuerant; non dubitarunt, quin eidem Deus reuelasset quid circa iuuenem foris ageretur.

absens videt infelicẽ alicuius casum & mortem.

C

CAPVT XV.

Donum prophetiæ & variarum curationum S. Franciscæ concessum.

136 QVadam die in S. Cæciliæ æde Missæ sacrificium auditura Beata, Sacerdotem vidit è sacristiâ prodeuntem, sed turpi leprâ coopertum: quo in statu videre eum visa est vsque ad verba consecrationis: inter quæ propter præsentiam Dominici Corporis lepra illa tantisper disparuit, redijt autem post illius sumptionem. Ergo abijt ad Confessarium suum Fr. Antonium de Monte-Sabello, eique quæ videra enarrauit. Hic verò sub obedientiæ præcepto iniunxit, vt Sacerdotem illum conueniens, rei totius admoneret: eum enim in damnabili peccati mortalis statu tremenda mysteria peregisse, apparebat Sanctę reuelatum istâ ratione fuisse.

Sacrificantẽ in mortali, leprâ opertũ videt.

D

137 Dominus Franciscus dello Schiauo, Romanus ciuis atque Sacerdos, vitæ tam exemplaris, vt publicâ famâ Virgo ab omnibus crederetur, sicut est in processibus, diu noctuque grauiter anxiabatur, à quibusdam sibi notis personis tribulationes aliquas patiẽs, ex quibus & scandala & corporum animorumque pericula non leuia metuebat: eoque animi processit dolor, vt integrâ nocte vix vllum oculis somnum caperet. Manè sequenti surgens Francisca, sociamque sumens cognatam Vannotiam, ipsius Francisci amitam materteramue, ad eum adijt, ac subitò recognouit animo ipsum perturbato esse, caussamque diuinitus omnem edocta, exprobrare ei cœpit pusillos animos. Dissimulare adhæc Franciscus, nec quidquam suarum curarum reuelare. At Sancta, quidquid de ijs Deo reuelante cognorat apertè edisserens, tandem subiungens, Ne cures, inquit, aut præsentium molestiarum frangaris tædio: supra eos enim qui te affligunt diuina breui apparebit vltio. Fuit hoc satis componendo aliquãtulum Francisci animo: vt autem illius prædictioni etiã fieret satis, intra breue tempus mortui sunt quotquot pium illum Sacerdotem persequebantur.

Pij sacerdotis afflictionem cognoscit eumd. spe cita liberationis solatur

E

138 Narrabat Fr. Antonellus spiritualis Pater & Confessarius Sanctæ, duas sibi res ab eadem fuisse prędictas: vna fuit, quòd solitus in S. Angeli ad Forum-piscarium Missam dicere, indeque ad sacellorum vnũ se conferre, excipiendis confessionibus vacaturus, præmonitus fuerit à Beatâ, sibi vt attenderet: iniuriam enim ei parari à dæmone, neque addidit qualem. Sed breui res patuit: in ipsam enim capellam, in quâ Confessiones audiebat, iacta per fenestram est grandis petra: ipsum tamen nequaquam attigit. Cùm autem nemo alius illius petræ iactum obseruasset, pro certo credidit, emissam illam fuisse à dæmone, in necem ipsius intento, nisi fuisset diuinitus impeditus. Prædixit eidem B. Francisca (& hoc alterum est eorum, quorum meminerat) noctu ipsum euocandum esse ad aliquam Confessionem audiendam: futurum autem, si egrederetur domo, vt in plateâ incurreret periculum vitæ amittendæ. Et vocatus ille quidem est, vt fuerat præsignatum; sed sequi noluit, ideoque non patuit, quid mali euasisset: Dominę tamen, Zantina Sabelli & Vannotia Itelli, quibus rem eam Fr. Antonellus narrauit, legitimè testatæ sunt, sciuisse se, quòd si vocantem fuisset secutus, fuerit de vitâ periclitaturus: qui nam autem hoc ei malum parauerint, omnino noluerunt reuelare.

Confessariũ præmonet de periculo à dæmone, & alio ab hominibus ipsi parato.

F

139 Agebat ad S. Mariæ-nouæ Priorem Bernardus, à Vercellis cognominatus. Aduenit eò ex Franciâ nouitius, Fr. Petrus de Mont-pellier dictus, in vtroque Iure ciuili & canonico Bacalaureus, expletoque probationis suæ tempore volebat facere Professionem. Propositus igitur in capitulo est: & Prior quidem fauebat eius admissioni: ceteri autem Fratres eidem se vnanimi opponebant sententiâ, multos illius defectus recensentes, ob quos admittendus omnino non esset. Re in hunc modum controuersâ, incertus Prior quid consilij caperet, Fr. Hippolytum aduocat, eique mandat vt prædictum Petrum socium secum duceret ad S. Franciscam, simulque ex eâ secretò inquireret, admittendusne ad profitenda vota, an reijciendus videretur. Iuit ille, & eminus cõsidere nouitio iusso, Prioris mandata Franciscæ voce submissâ exposuit. Ipsa verò vt ea audiuit, fixis oculis adolescentem intuita eo spatio téporis quo posset Angelica salutatio recitari, dixit Hippolyto: Dic Patri Priori quod huius nouitij conuersatio idonea non sit conuentus istius Fratribus ac Religiosis.

Nouitij cuiusdam ad religionem inepti dimissionẽ suadens,

omissa eius vitia declarat.

A ligiosis. Deinde cœpit sigillatim enumerare defectus quos in eo Fratres obseruarant, & eius admissioni putabant esse debere impedimento. Ad conuentum autem reuersus cum eo responso Hippolytus, Priorem eiusque subditos omnes admiratione compleuit, quòd illa quæ numquàm nouitium viderat, tam distinctè illius vitia explicuisset: ac mox extra Ordinem dimissus est reus, tam sublimis professionis indignus beneficio.

a Quæ Bononiæ ageret & pateretur Confessarius suus Romæ videt

140 Profectus erat Ioannes Mattiotti Confessarius Beatæ propter quædam Congregationis, quam velut Pater spiritualis regebat, a negotia ad Eugenium Papam Bononiæ residentem; ibique in grauem inciderat morbum. Nemo eâ de re litteras, nemo nuntium miserat: dixit tamen discipulis ac Sororibus suis ægrotare Ioannem, nec minùs animo ægro esse quàm corpore, quem anxietates quædam importunæ exercerent: proinde preces suas pro eo funderent. Rediit ille valetudine recuperatâ, animo serenato; atque ad Turrim speculorum accedens, rei à se gestæ rationem redditurus Beatæ, priùs quàm verbum proferret vllum: Nihil opus est, inquit Francisca prior, vt mihi quid Bononiæ egeris referas, ipsa tibi rem omnem narrabo, prout eam mihi dignatus est Dominus reuelare: & ordine cœpit exponere singula, tamquàm si B præsens omnibus adfuisset: testante postmodùm ipso Ioanne, non potuisse se, si describere voluisset acta, ordinatiùs ea exactiusque referre.

moribunda filii arguit occultorum delictorum.

141 Denique cùm ex morbo Francisca decumberet, eo quem subsecuta mors est die, venit ad eam Baptista filius, quem ipsa fixè intuita dixit: Etiamne cum pecuarijs tibi res est? nec sufficit quod hactenus factum est? Paulò verò pòst subiunxit: Tu diabolicis operationibus vteris, & omnipotenti Deo gloriam subtrahis. Non capiebant adstantes quid ea verba significarent, & febrilis ardoris esse credebant deliria: verùm ipse sibi conscius Baptista intellexit, & fassus circumstantibus est, quòd ad quædam sua iuisset prata verberibus mulctaturus custodes pecudum, qui damnum sibi in ijs inferebant: de eoque se reprehendi à matre. Item quòd eam in tam præsenti discrimine moriendi constitutam sciens, ad maleficos recurrerit, vt eorum carminibus vitam infirmæ longiorem compararet: quod vtique absque diuinâ reuelatione non poterat cognouisse, quippè qui rem omnibus secretam habuerat.

Prædicit recuperandam sanitatem aridæ puellæ;

142 Quatuor annorum puella, filia Gregorij (qui Pauli Lelij) & Dominæ Gentilescæ ex regione Campitelli, à cingulo ad pedes arida, nequibat se vllo pacto mouere: duxit igitur eam ad S. Franciscam mater. Illa verò misellæ compatiens, Felicem te, inquit, C matrem, Gentilesca, quæ inimici persuasionibus nequaquam credula, filiam tuam noluisti istarum incantatricum manibus committere: ego tibi denuntio, quòd eam intra triduum sanam videbis: quod & reipsâ factum est. Natus Iacobo Clarelli est filius, cui nomen Thomæ parentes posuêre: verùm totis decem diebus nec sugere lac potuit, nec tenello nimium corpusculo medicinam vllam facere medici. Rem Francisca intellexit, sumptisque comitibus Agnete & Catharinâ, parentes inuisens, inconsolabili dolore reperit prægrauatos: quos illa in Deum sperare iussit, futurum asserens vt ex eâ infirmitate non moreretur filius: hic verò mox sugere mammam cœpit perfectè sanus. Ast intra menses aliquot gibbosus apparuit, quem sollicita mater ad Franciscam detulit. Ipsa autem infantem complexa brachijs, modicum stuppæ humeris infirmis imposuit. Sic eum retulit domum mater, ibique omni gibbo liberum inuenit, & multis deinde annis superstitem habuit.

paruulo non valenti lac sugere,

deinde gibboso:

benè precãdo succurrit steriles abortienti;

143 Agnes, Laurentij Mazzabufali coniux, ex occultâ infirmitate septem vtriusque sexus proles mortuas ediderat in lucem: diuino instinctu monita cum Franciscâ contraxit amicitiam, & viuas deinde D valentésque peperit. Puellam quamdam Stephanotiam nomine, statim à nuptijs in morbum lapsam reijciebat sponsus, aut energumenam dicens aut intoxicatam: nec malo remedium poterant medici excogitare. Visit eam ex caritate Francisca, atque immobilem in lecto reperiens, dixit: Confide in Deo, filia, quia potens est hac infirmitate te liberare. Posteà iterum reuersa ad eamdem, eadem verba repetijt: & subitò reddita est puellæ plena atque integra sanitas. Cuidam iuueni Afinati mortui erant fratres duo, alter medicus, Paulus nomine; Iurisperitus alter, nomine Franciscus: & ipse aggrauatus febri similem cum fratribus sortem expectabat, idemque metuebant consanguinei & affines. Rogata Francisca est vt eum visitare vellet: nec grauatè præstitit quod rogabatur. Infirmus autem diuino admonitu eam orare cœpit, vt pro spirituali filio assumi ab eâ mereretur. Quod vbi illa annuit, etiam addidit: Eia ne vlla deinceps medicamenta adhibeas: sed spera in Deo, certus quia ex hac infirmitate non morieris: & fides verba secuta est.

EXITAE. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

noua sponsæ aliàs repudiandæ:

præmaturam mortẽ exemplo fratrum metuenti.

puero ab equo prostrato & penè exanimi.

144 Nobilis cuiusdam matronæ famulus, equo insidens, iuuenili impetu eum stimularat in cursum, ferebaturque tam violenter, vt in ciuem quemdam Paulutium incurrens, qui filiolum manu apprehensum ducebat, hinc patrem inde infantem prostrauerit in terram: periculosior tamen puerili casus fuit, cui inuersi E in capite oculi & vehemens vomitus nihil nisi mortem vicinam nuntiare videbantur: in eoque statu horam permansit integram, & cereo benedicto signatus identidem, adhuc vtcumque respirabat. Sensit tam acerbum casum, equi ac famuli domina, Francisca nomine, atque ad cognominem sibi familiaremque recurrens Sanctam, rogauit à Deo impetrare vellet, ne puer iste moreretur. Quæsiuit illa viuumne an mortuum puerum reliquisset? Viuum, inquit. Ergo, subridens respondit Beata: Vade in pace: quia plenam gratiam tibi Dominus dabit. Reuersa autem inuenit paruulum vbera matris suæ placidè sugentem absque vllo mali casusue vestigio.

Tactu puncturam sanat.

145 Francisca quædam in regione Pontis, mater Iacobillæ, vnius ex spiritualibus S. Franciscæ filiabus, ex puncturis ægra decumbebat in lecto, quando Dei famula ad ipsam accessit visitandi causâ, manuque ad pectus infirmæ admotâ locum tetigit infirmitatis, dicens: Qui vales? quomodo te habes? At ægra, quæ Sanctam minimè cognoscebat, ex assistente sibi filiâ Iacobillâ quæsiuit, ecqua ea mulier esset: Sum, inquit Beata ipsa, paupercula illa quæ trans-Tiberim habito. Filia verò matri ait: Hæc est Mater mea spiritualis, Domina Francisca de Pontianis. Tum infirma: Gratiæ F Deo sint, quia ex quo illa me tetigit omni malo me liberam sentio: & subitò persanata apparuit. Dimiserat ad negotium aliquod Ritam Couelli sancta Mater, à quo domum redeuntem circa ecclesiam SS. Apostolorum ingens inuasit canis, & tibiæ eius tam grandem infixit morsum, vt aliquot vnciarum tasta debuerit adhiberi. Sancta verò aliam ei non adhibuit curam, quàm quòd acceptum oleum bullire fecerit, bulliensque infuderit plagæ: ad cuius rei aspectum exhorrescentibus, quæ aderant, cunctis, Rita dixit: Sciatis oleum istud sic bulliens aquam mihi rosaceam videri; & ita sanata est.

admorsam tibiam oleo bulliente:

arthritim quoque, à supplice verecundè recedens:

146 Angelella, vxor Petri Crescimonij ex Regione trans-Tiberinâ, grauissimum in brachio ac manu dextrâ dolorem patiebatur, nec vti eodem vllâ poterat ratione, vel quidquam manu continere quin excideret. Præcipui autem Romanæ Vrbis medici super eo consulti malo, arthritim esse pronuntiarunt humanis remedijs incurabilem. Eo in statu posita Angelella vidit S. Franciscam, quæ die Veneris sancto rediens à S. Petri basilicâ, præ lassitudine substitit ad podium ecclesiæ S. Iacobi in Septimiano, ad eamque accurrens summâ

A summâ cum deuotione flexit genua, eamque manu contingens rogauit pro se vt Deum precaretur. Nihil poterat humillimæ Christi ancillæ accidere grauius quàm eiusmodi signa reuerentiæ sibi delata videre: ergo surgens eam continuo reliquit, quæ tamen liberatam dolore se reperit, neque ex brachio aut manu deinde vllatenus laborauit.

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

a *Anno 1437 vt dictum num. 112. Addit Anguillaria, etiam iuisse vt Pontifici indicaret remedium, quod D. Virgo ad incumbentes Italiæ calamitates tollendas suggesserat. Verùm ea apparitio spectat ad annum 1434, quando non Bononiæ, sed Pisis Pontifex residebat; vt diximus in Notis ad Visionem 62.*

CAPVT XVI.

Alia miracula à S. Franciscâ adhuc viuente facta.

Abortiendi periculum rogata auertit:

147 Catharina Guidolini quartum mensem grauida, grauiorem viribus laborem assumpsit, frumentum quoddam ex eo in quo repositum fuerat loco exportans: vnde subito sentire cœpit dolores partus cum abortiendi periculo, in quo ad B. Franciscæ B intercessionem recurrit. Increpuit illa acriter temerariam: aliud autem dicere aut facere verecundata est, propter Patris sui spiritualis præsentiam: qui dixit Catharinæ: Eia abi, quiesce; & confide quia Dominus prouidebit. Iuit, decubuit, obdormiuit: sensitque se inuisibili manu stringi, ac velut fasciis vtrimque circumligari: experrecta verò, & suaue Iesu nomen inuocans, sensit restitutum sibi vterum ab illâ commotione, & legitimo tempore filiam peperit, cui Ceciliæ nomen fuit, & triennium duobus supergressæ mensibus singularis supra ætatem deuotio: ita vt infirmata, porrecta à medicis pharmaca sumere detrectaret, dicens: Vos viuere me vultis; ego mori desidero, atque ad Iesum Christum abire: itaque innocentem animam suo reddit Creatori.

nata proles post biennium sanctè moritur.

In Tiberim delapsus,

148 Eiusdem Catharinæ filius, Paulus nomine, cùm quadam vice intumuisset Tiberis, intendebat colligendis lignis, quæ secum deuoluebat impetus fluminis; & in magnam quamdam trabem iniiciens funem, quo vtebatur, non modò eam sistere atque adducere non potuit, sed ipse ab eadem abductus in flumen protractus est, ab eoque delatus à loco, cui Scalellæ nomen, vsque ad Pontem-ruptum, indeque sub aquâ C reuolutus ad prædictum locum. Casum filii mater intelligens accurrit, iisque quibus obuiabat dixit: Misereminі mei, atque ite ad Dei famulam deuotissimam Franciscam, eique me commendate, vt Deum deprecetur, ne pereat hæc anima. Mouit aliquas miserabilis lamentatio: euntes & redeuntes confestim, inuenerunt Catharinam eò descendisse, vbi filius erat sub quadam lignorum congerie, integram sesqui horam in flumine demersus; ibique adstabat vt mortua, neque loqui neque mouere se poterat. Dixerunt igitur quæ ad Franciscam iuerant: Bono animo esse te iubet illa Deo acceptissima anima, & confidere quòd hac vice moriturus non sit filius tuus. Reuixit ad hæc verba matris mœstissimæ spiritus, & plurium adstantium subsidio adiuta, filium ex eo loco eduxit, atque ad ignem detulit: medici autem aduocati vt ei remedio aliquo succurrerent, negarunt se manum admoturos ei, qui manifesto miraculo per Dei potentiam seruatus in viuis, auxilio non indigeret humano, vt porrò viuere ac valere posset.

& S. Franciscæ commendatus,

post sesqui horam viuus educitur.

Curatur ab eadem tumor tibiæ.

149 Aggregata quoque est eadem Catharina spiritualibus S. Franciscæ Filiabus, in eoque collegio viuens plures à Sanctâ obtinuit gratias: quarum non minima fuit, quòd graues ex inflatâ mirum in modum tibiâ dolores patiens, & genu carbonis instar nigrescere videns, medicos quidem & medicinas corpori suo noluit adhibere; sed ad expertam Franciscæ virtutem D recurrens familiariter, ei tibiam suam monstrauit: quæ dixit: Ne metuas, Filia: descendet enim hoc omne malum, & per maioris digiti vngulam exhalabit: itaque factum est, & ipsa sanata. Aliâ vice vultus eidem fœdè intumuerat, integrumque mensem hæc ei durabat, non sine magno cruciatu, deformitas. Quotquot videbant eam suadebant à medicorum arte remedium poscere: sed illa, vt erat Beatæ Matri deuotissima, satis habuit illius se offerre conspectui, quæ subridens, leniter eam attigit in facie, dicens: Nihil mali erit: subitoque cessauit dolor, & ipsa conualuit.

& faciei

150 Laurentia, filia Dominici sartoris in regione Pignæ, à pueritiâ cupiens seruire Deo in statu virginali, prohibita à matre ac fratribus fuit; eorumque minis territa in coniugium, quamuis inuita, consensit. Tertio post anno maritus moritur, & ipsa relicta vidua volebat exinde totam se vitæ spirituali dare, vniceque vacare audiendo Dei verbo, Stationibus obeundis, ecclesiis visendis: sed impedimento erant iidem qui priùs ad matrimonium renitentem coëgerant, & quotidianas ei creabant molestias: tantumque aberat vt eam arbitrio suo conciones sinerent frequentare ac templa, vt ne ad obeundam quidem Confessionem li- E beram ipsi relinquerent facultatem: mater autem tigride ferocior etiam venenum minabatur filiæ. Quid ageret hisce malis obsessa mulier? Franciscam adit: domesticam ei persecutionem, quam patiebatur, exponit: remedium ab eius orationibus petit. Cui illa caritatis plenissima: Confide inquit, & statue, filia, Deo seruire ex toto corde, & ipse de remedio prouidebit opportuno. Ita consolata domum redit Laurentia, fratresque & matrem reperit sic immutatos, vt quos leones antea experta fuerat, nunc agnos crederet: & ab eisdem summâ deinceps cum beneuolentiâ & mansuetudine habita sit: sic vt ipsa etiam mater, filiæ ad Beatæ domum ire cupienti comes veniret: & quieta deinceps domi omnia atque tranquilla fuerint, per merita S. Franciscæ.

mulieri piè viuere cupienti

domesticæ insectationis finem

promittit Francisca.

151 Augustina Angeli de Viterbio ex regione Pontinâ, S. Franciscæ spiritualis Filia, inflatum fœdè guttur ferebat nullo alio cum incommodo suo. Mater autem eius carnalis Perna, non sustinens eam in filiâ deformitatem videre, continuò eidem molesta instabat, vt vel à medicâ vel à magicâ arte curationem admitteret. Vtrumque recusauit illa, satis habens spirituali Matri suæ rem totam exponere; quæ requisiuit, tantone desiderio teneretur ipsa malum istud effugiendi, F quanto mater illud sublatum volebat. Negauit Augustina: Ergo vade, inquit Francisca, & animo deinceps esto tranquillo. Durauit per annos duos tumor ille: post quos molestus patienti esse cœpit, eamque in cibi sumptione nō leuiter impedire. Adiit ergo iterum matrem suam spiritualem, quæ guttur eius manu tetigit, omnemque solo tactu tumorem abstulit. Et id quidem priùs quàm in vnam familiam Franciscæ spirituales filiæ conuenirent. Postquàm vero instituta Congregatio est, eadem Augustina tam vehementer cœpit diuinum iudiciū, quod seuerissimum sibi deberi existimabat, pauere ac formidare, vt ex apprehensionis vehementiâ in febrim incideret, anno quinto quo cœperat molestiis illis cogitationibus pulsari. Rem intellexit Francisca, atque ex viri sui domo ad eam visitandam veniens, imperauit ei ne timeret amplius: quod illa obedientiæ studio dum conatur, subitò & timore & febre solutam se gauisa sensit.

inflationem gutturis licet deformē iubet tolerari,

eamdem posteà molestam curat,

& animi angorem tollit.

152 Matrona quædam, Catharina Laurentii Pozzolanti nomine, ex regione S. Eustachii, emotæ mentis correpta vitio, mortem sibi aut præcipitio aut ferro aut alio quocumque modo intulisset furiosa, nisi consanguineorum cura prouidisset, compedibus eam manicisque coërcendo. Ita exegerat mensem vnum, quando Laurentius illius nepos ad Sanctam iuit, & orationibus

Rabidæ mulieri

A orationibus eius suam amitam commendauit: quæ solitâ caritate ipsi dixit: Vade in pace: quia per Dei gratiam breui ei meliùs erit quàm possis credere. Dies Sabbatinus erat cùm ista dicerentur: nocte autem sequenti liberam se illâ phrenesi sensit ægra, & Dominicâ die Franciscum dello Schiauo accersiuit vt ei de suis peccatis confiteretur: receptisque sacramentis omnibus condidit testamentum, atque sensui naturali perfectè restituta paullò pòst ex hac vitâ Christianè ac piè emigrauit. Domina Iacoba Matthæi de Rossis ex regione Pignæ, Filia spiritualis Franciscæ, grauem octiduo passa dolorem, subitum experta remedium est, oleo inuncta ab optimâ Matre suâ.

breui optimè futurū prædicit:

viduano dolori medetur:

153 Antonia, Colutij vxor, filiam peperit, quæ omnia epileptici mali signa præferens spumabat ore, tremebat oculis & cetera patiebatur quæ solent eiusmodi morbo correpti. Detulit mater infantulam ad Franciscam, eique rem omnem, vt erat, narrauit, rogans vt sua inter brachia reciperet filiam. Recepit illa libens, oculósque in misellæ vultum defixos primùm, per omnia ex ordine membra circumtulit, matríque reddidit prorsus sanam, nec morbo illi vlteriùs obnoxiam: quod cùm post aliquam temporis experientiam reuertens mater cum gratiarum actione nuntiaret: Confide filia respondit illa, quia numquam ampliùs tale quid patietur: & sua verbis fides stetit. Possent etiam alij multi referri, quorum est in processibus mentio & indubitata veritas, ex quibus constaret plures multò fuisse quos Sancta doloribus stomachi, viscerum cruciatibus, podagræ tormento liberarit; alij quorum grauia & periculosa sanarit vulnera: sed hæc desumpta ex processu anni MCCCCXL, ipso quo mortua est anno in ordine ad Canonizationem formato, abundè sufficient.

epilepticam sanat:

B *pluribus aliis miraculosè medetur.*

154 Non tamen omnino prætereundi videntur Confessarius eius Ioannes Mattiotti, liberatus à podagrâ, quâ diu fuerat cruciatus, postquàm ei Sancta animos verbis consolatorijs addidit: Frater Hippolytus, eidem Sanctæ amicissimus, vno alloquio recreatus subitò à dolore capitis, qui per tres menses grauiter eum exercuerat: Andreatia Pauli de Lelijs à simili dolore eoque continuo post semestre spatium subitò liberata: Rita Cauelli, Dei famulæ familiarissima discipula, quatuor mensibus in manu afflicta, soloque manus tactu cum inuocatione sanctissimi Iesu nominis sanata per Franciscam: Agnes denique de Ciaglia, quā octo annorum spatio cum febre & vomitu continuo C conflictatam, visitauit Francisca, auditoque illius malo adferri sibi fasciam iussit, ipsamque cum illâ cingens ventrem illius leni pertentauit tactu, adhortans vt fiduciam recuperandæ sanitatis collocaret in Deo: vix autem egressa domo Francisca fuit, quando, malo omni cessante, credita est & febrem & stomachi in vomitum procliuis infirmitatem vnà secum extulisse è domo.

inter quos ipsius Confessarius, Fr. Hippolytus,

& quadam ipsi deuota fœmina.

CAPVT XVII

Extremus S. Franciscæ morbus & felix abitus ex hac vitâ.

CA. XVIII *Filium ægrū visens*

155 IAmque aduenerat tempus, quo Dominus fidelem famulam suam, quam meritorum copiâ locupletauerat in terris volebat coronâ gloriæ redimire in cælis: quod eo qui sequitur modo actum est. Intellexit Francisca filium suum Baptistam, ardenti correptum febri, lecto decumbere, statuitque ad eum visitandum ire, & ipsum ad suscipienda extrema Sacramenta disponere. Igitur proximo die Iouis manè, qui fuit dies secundus Martij anni MCCCCXL, sociam sumpsit Augustinam Angeli de Viterbio, atque ad filij ædes trans-Tiberim se contulit, in ipsâ plateâ per Confessarium suum obseruata. Filium autem multò meliori in statu reperit. Et hic quidem paulò pòst surrexit è lecto, ipsa verò apud eum permanens, necdum finito die, peiusculè habere se ac præter consuetum debiliorem esse sensit: voluit tamen vesperi ad suam Congregationem redire, iuxta legem quæ in eâ hoc quoque tempore viget inuiolata, vt eæ quæ parentes aut consanguineos infirmos habent, manè quidem ad eos auxilij & solatij caussâ adeant, vesperi verò reuertantur ad Turrim-speculorum. D

EX ITAL. M MAGD. ANGVILLARIÆ. ipsa se debilem sentit,

156 Inuitarunt eam quidem Baptista atque Mobilia vt apud se eâ nocte maneret, quandoquidem debilitatem tantam ipsa sentiret: sed persuadere non potuerunt, vt secum in lege communi dispensaret. Propinquitas verò ecclesiæ Mariaftæ suasit, vt ex eâ regione discessura adiret Confessarium pro obtinendâ benedictione eius. Reperit autem eum in sacello S. Angeli, eique bonam filij valetudinem annuntians, suam quoque indicauit debilitatem. Quare is considerans longiorem esse viam, quæ ad Turrim-speculorum ducit, quàm vt tam sero vespere à tam debili commodè confici posset, eidem iniunxit vt ad ædes filij sui reuersa istam ibidem noctem duceret. Graue erat abesse à dilectis discipulis: potiùs tamen fuit obedientiæ studium; vt quam virtutem exactissimè coluerat in omni vitâ, eam vsque ad mortem teneret. Redijt igitur simul cum sociâ ac morbo suo, qui nocte inter quintam ac sextam feriam mediâ in grauissimam erupit febrem, & puncturam detexit: manè autem sequenti aduocari Beata Confessarium suum iussit, & de suâ infirmitate moneri discipulas, hoc ipsum præsagientes, quoniam præter solitum noctem alibi egerat: quarum mox quatuor adfuerunt Agnes, Rita, Catharina & Anastasia: cum quibus & Confessarius aduenit, cui Francisca dixit: Pater, tu curam suscipe earum rerum quæ animæ meæ sunt necessariæ.

& volens ad Turrim speculorum redire

à confessario iubetur redire in domum filij,

E *vbi nocte febri correpta ipsum & Oblatas accersit:*

157 Grauiter eæ voces filiarum amantissimarum affecerunt animos, formidantium iacturam, quam erant in tali Matre facturæ, totumque illum diem apud eam mansêre lacrymabundæ: vesperi autem domum redeuntes, ad eius obsequia reliquerunt Augustinam, in eodem cubiculo dormituram ista nocte, quâ dilectæ suæ sponsæ apparens Christus eam ad cæli gaudia inuitauit, & ingenti lætitiâ plenam reliquit. Sensit Augustina loqui Franciscam; sed cui, aut quid loqueretur intelligere non potuit tum quidem, cùm ista agerentur. Manè verò eius diei, qui sabbatinus & quartus Martij mensis fuit, rem totam intellexit; quando reuersus ad ægram Confessarius ex eâ didicit totius visionis ordinem, & quod septimo à morbi initijs die migratura esset ex hoc mundo ad Deum. Ipse enim reuersis eodem Agneti, Iacobillę, Vannotiæ, ac ceteris eius in Christo filiabus indicium sibi factum secretò aperuit. Quin & Francisca propiùs ad lectum accedenti Agneti in aurem dixit: Ora pro me, nam infra diem septimum seiungi me oportet à vobis, iuxta diuinæ beneplacitum voluntatis. Quæ nuntia quo pias hasce sanctasque animas sensu affecerint, quas ex oculis lacrymas, è corde suspiria die illo expresserint, facilè quiuis concipiet.

nocte sequenti ex Christo intelligit se morituram,

F *& filio manè reuersò indicat:*

158 Eodem die Ioanni Presbytero obuiàm venit Alexius Pauli de Mentabonis Romanus, ipsius Sanctæ vel amicus vel consanguineus, qui trans-Tiberim veniens, & ex Ioanne intelligens tertium iam diem ægrotare Franciscam eo morbo, ex quo decessura esset; Eamus, inquit, & visitemus eam. Inuenerunt autem eam hilari planè ac rubicundâ facie, exigua tam propinquę mortis indicia præferentem; & ipsa vt primum Alexiū vidit, tam constanti voce eum cœpit ad diuinorum mandatorum obseruationem exhortari, vt ille cum Ioanne digressus, statim ac foras prodierunt subriserit, dixeritque: Tam hilárem valentemque relinquimus Franciscam, vt pro certo habeam non morituram. At

dubitat de eo quidam:

ego

EXITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

postridie rursus dicit se morituram.

A Ego pro certo habeo, inquit Ioannes, non victuram vltra septimum infirmitatis diem. Nihil porrò ea quæ secuta est nox nouæ attulit mutationis: & Dominicâ manè rediens ad decumbentem Ioannes, iudicauit eam multò habere meliùs quàm prioribus diebus: quod cum ei diceret, addidit fortassis placere Domino, vt diutius in hac vitâ maneat. Cui clarâ vegetâque voce, tamquàm nihil mali patiens, Francisca respondit: Laudetur Deus, Mercurij vel Iouis dies terminum vitæ meæ adferet.

susceptis Sacramentis

159 Posteà Sacramenta extrema conferri sibi petijt & obtinuit, præsente ad omnia nuru eius Mobiliâ, cuius in domo hæc agebantur, & cuius proinde de multis particularibus circumstantijs testimonium, Agnetis, Iacobellæ, Vannotiæ, Augustinæ, Ritæ & Anastasiæ attestationibus roboratum, omni est acceptione dignissimum. Dixit autem quòd receptis, vt petierat, Sacramentis, ad quosdam Fratres de Obseruantiâ S. Augustini ibidem præsentes se conuertens Francisca, sic eos allocuta sit: Obsecro, Patres, simul omnes mecum gratias Deo agite de tam singulari fauore mihi exhibito, quòd in hoc lectulo moritura decumbens, digna facta sim sanctorum Ecclesiæ Catholicæ Sacramentorum. Totâ autem hac aliisque diebus ibant & redibant iugiter piæ discipulæ, & modò hæ, modò illæ extrema dilectissimę Matri impendebant obsequia, certatim ei ministrare & gratificari cupientes. Nox verò etiam sequens inter Dominicam ac lunæ diem media eodem tenore peracta est: indies tamen magis extenuari infirmam manifestò apparebat, remanente quantumuis eadem vultus & oris serenitate.

gratias Deo agit:

B

quarto morbi die in extasim rapitur:

160 Dies Lunæ morbi quartus fuit, & nobilissimâ visione catenæ igneæ à cælo ad terras tensæ & ardentissimam Franciscæ caritatem denotante insignitus: eodem die sub sacrum quod Confessarius in ægrotantis cubiculo fecit, extasim passa est; ab eoque & discipulis enixè rogata, longiorē vt vitam à Deo peteret: transactus est autem dies ille cum nocte sequenti inter creberrimos inflāmatissimi amoris, contritionis & gratitudinis affectus, etiam oris voce explicatos. Et quoniā numquā in vitâ suâ aut medicis aut medicinis vsa fuerat Frācisca, nec hac quidē vltimâ infirmitate eorum vsus fuit vllus. Die verò Martis, cùm iam per Vrbem sparsa esset fama morbi, finem, vt credebatur, vitæ eius allaturi; cohiberi non potuit multitudo hominum religiosorum ac secularium, ad eam visendam accurrentium; quorum multi in corporeâ aut spirituali necessitate eius caritate & potentibus apud Deum adiuti meritis, testari cupiebant gratam beneficiorum memoriam; alij amicitiæ aut alio quouis nomine eidem familiariùs noti, optabant illius aspectu deuotionis suscitare affectum, seque morientis precibus commendare.

quinto à plurimis visitur,

C

quos semper constanti serenitate excipit:

161 Crescente intereà infirmitate, eamque paulatim consumente, manebat ipsa vultu serena, animo imperterrita, & internæ pacis tranquillitatisque signa foris emicantia dabat: & quamuis grauissimos dolores patiebatur in corpore, numquàm tamen vel minimum exhibuit deficientis patientiæ indicium, imò nec naturæ inter dolores arctatæ. Audiebat omnes accedentes ad se, & solitâ excipiebat humanitate, & quibus opus erat, salutaria dabat monita, aut pro iis se Deum oraturam promittebat; vt nemo non plenus consolatione abiret. Quoniam verò malignorum aspectus spirituū maximo ei semper fastidio fuerat, solicitus Confessarius sæpè eam interrogauit, num aliquid ab iis pateretur molestiæ. Illa verò respondit semper, quòd nec videret eos: idemque ex familiarioribus vni asseuerauit. Quod si spatium ei temporis aliquod liberum ab adeuntibus relinquebatur, continuò illud destinabat Horis canonicis Beatæ Virginis recitandis: numquàm enim in hac vel aliâ quacumque infirmitate eas prætermisit. Reliquo tempore repetebat identidem orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ formulas; quarum calculum suis supputabat digitis, animo semper eleuata in Deum. Interim verò eam animi monstrabat in re quacumque fortitudinem, vt scripserit Confessarius eius: Erat illius in articulo isto tam circumspecta sibique in omnibus præsens prudentia, vt eam numquàm satis potuerim demirari: magnique doni instar habiturus sim, in illâ extremâ necessitate, modicam etiam partem magnanimæ constantiæ & intrepidæ prudentiæ illo in tempore ab ipsâ conseruatæ.

liberaq; à dæmonum aspectu,

vacat Horis B. V. aliisq; precibus recitandis:

D

die sexto extrema monita dat suis discipulis,

162 Transierat Martis dies & nox accesserat: sciens tamen Frācisca sibi in æternis tabernaculis perpetuam requiem præparatam, de dandâ corpori requie aliquâ nullam voluit cogitationem admittere: itaque nox illa tota in continuo pietatis & religionis exercitio peracta est. Sequenti manè maturarunt adesse Filiæ eius omnes, vt extrema morituræ Matris monita exciperent: vna tamen ex omni numero defuit Francisca de Verulis, iam inde ab initio Decembris anni præcedentis propter febriles æstus affixa lecto in Turri-speculorum: quæ quantumcumque cupida esset viuam suam Matrem videndi, ab eaque extremam benedictionem accipiendi, numquam tamen assurgere valuit. Ceteræ autem cùm venissent & seorsim singulæ audiuissent ea quæ vnicuique priuatim vsui esse poterant, ad extremum simul omnes affata, adhortari eas cœpit ad caritatis mutuæ robustæque in diuinis obsequiis perseuerantiæ studium, inprimis verò (vt Franciscus dello Schiauo testatur) commendauit obedientiam, in hæc verba exclamans: Væ illi quæ obedientiam non obseruat.

E

Confessario gratias agit,

163 Ad quæ cùm filiæ eius carissimæ solas reponerent lacrymas, ad Confessarium ipsa vertit sermonem, actisque pro labore ac studio sibi impenso gratiis, Filias ei suas enixè commendauit: multa eum in particulari monens: Quæ, inquit, fuerunt, eruntque in corde meo semper velut inæstimabilis pretij thesaurus. Post hæc in cubiculum illud filius eius Franciscus ingressus, à matre reprehensus est de duobus, quorum suprà meminimus, delictis: atque ita in vesperam inclinauit dies, deficientibus paulatim viribus, & glorioso illius Angelo mirum in modum properante absoluere telam, quam videbatur esse exorsus. Porrò quæ vitam suam omnem laudando Deo studiosissimè impenderat, extrema quoque vitæ mortalis momenta eodem exercitio addicta habuit, modò Dominicam orationem aut salutationem Angelicam recitans, modò quietæ contemplationi insistens: quin etiam paullò antequàm expiraret, Confessarius suus labia mouentem interrogauit: Num quid vellet? Cui illa: Vesperas inquit, Beatæ Virgini persoluo. Ita carnis vinculis soluta est sancta illa anima, die nonâ Martij, feriâ quartâ sub primam a horam noctis, ad feriam quintam sequētem ducentis, & exordientis septimum infirmitatis extremæ diem, anno ætatis quinquagesimo sexto.

& inter diuinas laudes moritur

F

post noctis principium. a

a *Secundùm horologium Romanum: cui media nox hoc 9 Martij est post horam sextam ab occasu solis: nobis autem & ceteris transmontanis, vt nos Itali vocant, horas à meridie ad mediam noctem numerantibus, censenda est S. Francisca obiisse inter horam sextam ac septimam vespertinam.*

CAPVT XVIII.

Exequiæ, sepultura, & canonizatio S. Franciscæ.

CAP. XIX. Apud defunctam peruigilantes sanatur brachium

164 REmansit sacrum corpus suâ peregrinatione defunctæ Franciscæ in ædibus filij eius Baptistæ; cum eoque ibidem mansēre eius filiæ atque discipulæ, nec non personæ honestissimæ complures, quę morienti adesse voluerant: quas inter Soror Margarita S. Francisci Tertiaria fuit, atque ad venerandi depositi contactum sanari subitò sibi brachium sensit, quod

A quod anno iam dimidio infirmum gestabat: prima in quâ exorsa est Sancta post mortem hominibus se inuocantibus benefacere. Interim vulgata sunt per omnem Vrbem obitæ à Franciscâ mortis nuntia, populumque summo manè innumerum vndique exciuerunt, videre, tangere, osculari mortuam cupientium: quos cùm non satis ædes caperent, maturata sunt omnia ad exequias necessaria, arcæque ligneæ impositum decenter corpus, in honorabili Sacerdotum & monachorum comitatu, delatum fuit ex trans-Tiberinâ regione ad templum S. Mariæ-nouæ, vbi sepeliendam se diuinâ reuelatione intellexerat.

deducuntur exequiæ ad ædem S. Mariæ-nouæ:

165 Impleuerat plateas, quà transitus erat, innumerabilis turba, domuumque exedras atque fenestras spectatores funebris pompæ impleuerat. Facilè itaque Francisca de Verulis ex ipso in quo iacebat lecto prætereuntis vulgi exaudiuit fremitum, & quid rei esset intelligens, oculos animumque ad cælum sustulit, instantissimè rogans, vt quæ viuam Matrem videre non potuerat ante mortem, post mortem saltem conspectu eius supremo non priuaretur: eâque prece factâ tentat num mouere se possit, vestes induit, gradi incipit: vnamque è Sororibus, Iacobellam nomine, aduocatam rogat auxilio sibi vt esse velit, ad S. Mariam-nouam ituræ. Eunt ambæ, & quæ infirma fuerat, ad contactum corporis materni admissa, omnino sana validaque permansit, multisque diebus perseuerauit pio illud affectu visitare. Maius erat vndantis populi in ecclesiâ murmur, interim dum funebre cantatur Officium, quàm vt sineret Clericorum aut monachorum exaudiri voces: augebaturque continuò numerus accedere & contingere desiderantium; quin & vestes, quas erat induta, discerpebantur in partes; nec videbatur à delibando corpore abstentura manus incensa pietas vulgi circumfrementis. Pluribus ergo opus custodibus fuit, qui ex nobilitate rogati libenter se adiunxerunt Sororibus, semper iuxta sanctum Corpus adstantibus. In his Laurentius Alterius fuit, vt viua etiamnum Sancta prædixerat: item Alexius Pauli Montaboni, per duos dies atque vnam noctem, vt fassus est ipse, ad illud obsequium ibidem continuus, & Petrus Paulus della Molara, de quo agédum paullò pòst erit.

quas vt sequatur ægra soror — *vires impetrat, dein sanitatem.* — B — *cohibendo populo statuuntur custodes corporis,*

166 Non potuit fieri vllo pacto vt sepulturæ traderetur isto die Sancta: sed victi populi clamoribus monachi, coacti sunt illud insepultum relinquere vsque ad S. Gregorij festum, quod tunc in Sabbatum incidebat: interim verò patrata sunt plurima supra naturæ vires miracula, & corpus tractabile semper permanens, non modò graueolentiam spirabat nullam sed suauissimo accedentes propiùs odore recreabat; adeò vt matronæ quædam primariæ Hieronyma, Laurentia, Francisca, aliaque Laurentia, Vrsinæ omnes; nec non ex aliis Romanis familiis aliæ curiosè quæsierint, num quæ odorum commixtio artificiosa cadaueri addita esset. Intelligentes autem nihil simile adhibitum, tenero pietatis affectu commotæ, in effusos solutæ sunt planctus, dicentes: Verè Sancta fuit ista. O beatam illam & beatas nos si ipsam potuerimus imitari. Opus autem fuit (vt Petrus Paulus prædictus testatur) cratem ferream capsæ superponendam, & clauis affigendam aptare, ne quis temerario ausu præsumeret sancti corporis violare integritatem: ad quod plurima inspectante populo prodigia operatus est Dominus, & contactu corporis aut panni funebris duo fuêre à morbo caduco ipso in loco liberati, alij dimissi à febribus, alij à dæmonibus possessoribus vacuati: multi tibiarum aut pedum, manuum vel brachiorum aut totius corporis motu vel sanitate priuati, expeditum membrorū vsum diebus illis accepêre: prout continuò testati sunt, allatis ad sarcophagum plurimis de cerâ imaginibus anathematisque votiuis.

cuius sepultura differtur in 12 Martij: — C — *interim suauis odor sentitur* — *& multi miraculosè sanantur:*

167 Quantò autem magis crescebat multitudo & euidentia miraculorum, tantò plus sumebat incre-

D mentì popularis deuotio, ne nocturnis quidem horis intermittens sanctum corpus visitare: quæ res cùm esset monachis maximo ad diuina Officia celebranda impedimento, decreuit Abbas die Sabbati manè, quamprimùm terræ mandandum esse cadauer. Igitur ex medio templo, in quo conspicuum cunctis prostabat, ablatū sub meridiem collocatumq; est ante aram principem, vbi erat sepeliendum: perceptusque in eo motu maior gratiorque quàm antea odor est ab omnibus, qui conuenerant, ægreque patiebantur terræ infodi tam pretiosum thesaurum. Aderat, vt dictum est Petrus Paulus de Molariâ & dum in dimetiendo longitudinis ac latitudinis spatio occupantur alij, ipse pietatis ardore succensus ligonem arripit, & designato loco terram incipiens excauare permissus est suo affectui obsequi, quem sibi fuisse gratum post vndecim menses testata est Sancta, quando (prout ipse in secundo tertioque processu testatur) ardenti febre correptus est, atque intra decimum quintum morbi diem ad extremam vitæ metam deductus: semisopito namque adstitit Francisca gloriosa, & Tu, inquit, Petre Paule, necdum pro effosso mihi sepulcri loco mercedem retulisti: nunc eam tibi daturus adueni; eoque dicto infirmum tetigit atque disparuit, ex integro sanum eum relinquens.

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. — *eidem ante maius altare humanda* — *fossam faciens nobilis* — *quam mercedem tulerit.* — E

168 Sepulto corpore nihil elanguit accurrentis populi veneratio, crebris & identidem innouatis prodigijs excitata: quorum ea multitudo est, publicis legitimorum processuum excepta tabulis, vt ingens ea volumen possint per se conficere: toto post mortem eius septiduo, non solùm Verbi Dei per Quadragesimam totâ Vrbe præcones sanctitatem illius deprædicarunt, vt cuique visum est opportunum: sed etiam in ipsâ ecclesiâ S. Mariæ-nouæ ab eximijs concionatoribus virisque Religiosis habitæ panegyres sunt, & nomina eorum, qui in hoc argumento suam exercuere eloquentiam, ista in processibus expressa inueniuntur: Ioannes Mattiotti Canonicus in S. Mariæ trans-Tiberim, Fr. Thomas de Regno Ordinis Prædicatorum in Theologiâ Magister, Fr. Matthæus Ordinis S. Augustini itidem Magister, alijque, inter quos ante omnes nominandi, beatus Frater Ioannes de Capistrano, & S. Bernardinus Senensis, vterque ex Ordine S. Francisci, quorum hic quarto post Franciscam anno mortuus est: qui sæpius mentionem eius suis in concionibus facientes, incunctanter asseuerarunt, dignam esse quæ in numerum Sanctorum Pontificiâ auctoritate referretur.

Laudes defunctæ à varijs concionatoribus dicuntur. — F

169 Fuit in istâ sepulturâ S. Franciscæ corpus à die duodecimo Martij vsque ad vigesimum septimum Iulij sequentis: sed cùm neque miraculorum celebritas nec populi erga defunctam veneratio quidquam remitteret, visum est quibusdam & prudentiâ & dignitate eximijs personis, omnino curandum esse vt sepulcrum illud pretioso vestiretur marmore, & ferreis cratibus muniretur, ad custodiam simul & ornatum. Die igitur Iulij iam nominato, coram Romanis ciuibus publicâ auctoritate ad hoc deputatis, Sanctæque socijs ac spiritualibus Filiabus Agnete, Catharinâ, Ritâ atque Perna, aliisque Religiosis viris, quos suus erga defunctam affectus aduocarat, refossâ humo retectus à fabris sarcophagus est, & inspectantibus Fr. Hippolyto ex S. Mariâ-nouâ, Fr. Clemente ab Auximo, Fr. Laurentio de Brixiâ, Domino Francisco dello Schiauo, & Ioanne Mattiotti, magnâ cum veneratione reductum operculum; quo sublato, apparuit integerrimum illius corpus, quasi recens sepultum & nihil grauis odoris exhalans; sed cum odore suauissimo, quem afflabat naribus, animis etiam intuentium diuinioris iucunditatis dulcedinem aspirans. Postquàm verò illius inspectione eorum qui aderant pietati factum est satis, intenderunt artifices operi suo, & sepulturam ornauerunt in eum modum, quò vsque in hodiernum diem elabo-

refoditur corpus 27 Iulij honestius collocandum, — *incorruptū inuenitur,*

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. marmoreo sepulcro epitaphium insculpitur.

rata conspicitur, numquàm ex eo tempore mutata aut mota *a* epitaphium verò istiusmodi linguâ Latinâ insculpserunt *b* In isto loco requiescit venerabile corpus Beatæ Franciscæ de Româ, dictæ aliàs de Pontianis, quæ felicissimo transitu migrauit ad Dominum anno à natiuitate eiusdem MCCCCXL, die nono mensis Martij, cuius vita Angelica multis miraculis fulget in terris, eiusque beata anima æternis gaudijs exultat in cælis.

CAP. XXI Postulatur canonizatio proximis à morte annis,

170 Cœpit etiam mox ab obitu Sanctæ de illius Canonizatione tractari, intraque decennium triplex super eo negotio formatus processus est, sub Pontificibus Eugenio IV & Nicolao V. Ab hoc autem vsque ad Clementis Papæ VIII tempora nihil quidem progressum in opere est; constat tamen ex Pij II Commentariis, rogatum eum pro hac canonizatione fuisse, & Volaterranus lib. 2. suorum Commentariorum affirmat, se in Vaticanâ bibliothecâ, manu Ioannis Broccardi Ceremoniarum Magistri anno MCCCCLXXXVII quædam notata reperisse, circa ordinem in illâ canonizatione seruandum, vnde appareat Innocentio Papæ VIII decretum fuisse ad eam procedere: quod cùm factum non fuisset, supplicationem suam coram Clemente VIII Populus Romanus innouauit; cui, interim dum magno feruore res ista agitur, Paulus huius nominis Quintus successit, qui Domino Garziæ Mellino sacræ Rotæ Auditori, quem cum titulo Nuntij ablegabat in Hispaniam, substituit Dominum Ioannem Baptistam Pamphilium, & ipsum posteà Cardinalem creatum *c* à quo aliisque duobus Rotæ Auditoribus prolata sententia est, dignam videri Franciscam, quæ Sanctorum catalogo adscriberetur, eaque sententia ad suam Sanctitatem relata est vndecimo Aprilis anno MDCVI. Eadem relatio ex eiusdem voluntate facta est coram sacrorum Rituum congregatione, die octauo Augusti anni eiusdem: vbi pluribus super eâ re coactis cœtibus, probatum confirmatumque est id quod in Rotâ iudicatum fuerat.

eadem caussa efficaciùs resumitur circa an. 1606

& in triplici Consistorio coram Papa tractatur:

171 In vtroque illo tribunali finitam esse, quæ agebatur, caussam lætatus Pontifex; cùm & ipse priuatim esset in honorem S. Franciscæ propensissimus, conuentum Cardinalium (Consistoria vocant) ter coëgit: primum secretum anno MDCVIII, vigesimo octauo die Aprilis, in quo Dominicus Cardinalis Pinelli, sacri Collegij Decanus retulit ad Pontificem Patresque purpuratos de sanctitate, vitâ & miraculis piæ memoriæ Franciscæ Romanæ: publicum alterum sexto die Maij, in quo Hieronymus de Rossis Romanus nobilis, Aduocatus Consistorialis, & Populi Romani, ipsius Populi nomine de genibus supplicauit Sanctitati suæ vt Franciscam accenseret Sanctis: qui cùm dicere desijsset, Petrus Strozzius Secretarius Pontificius reposuit, gratam fuisse Sanctissimo Domino supplicationem populi: sed quoniam caussa agitabatur grauissima, velle eam maturo librare iudicio: proindeque etiam Cardinales aliosq; Prælatos præsentes hortari, vt & ipsi ieiunijs, eleemosynis, orationibusque apud Deum conentur successum illius gloriæ profuturum emereri. Tertius conuentus *e* semipublicus fuit, vigesimo primo die eiusdem mensis, cui præsentes adfuerunt Cardinales viginti nouem, Patriarcha vnus, triginta quinque quà Archiepiscopi quà Episcopi, Protonotarij participantes, Auditores Rotæ, alijque in similibus interesse solitì: quibus post accuratam Pontificis super rei definiendæ grauitate orationem, postulata suffagia sunt, quæ in vnam hanc omnia conuenêre sententiam, dignam esse Franciscam Romanam Sanctorum catalogo.

Card. Bellarmini suffragium pro canonizandâ Franciscâ

172 Et quoniam cognita est orbi vniuerso eximia virtus atque doctrina Roberti Cardinalis Bellarmini, votum eius, prout illud in manus meas deuenit, hoc loco duxi inserendum: Versamur hodie, inquit, Pater Beatissime, in negotio arduo & difficili, fortasse etiam in negotiorum omnium maximo. Quamuis enim Sanctorum, qui cum Christo regnant in cælis, tam ingens sit numerus, vt B. Ioannes in Apocalypsi dixerit *Apoc. 7, 9* Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat: tamen pauci sunt, quos Deus singulari suâ prouidentiâ elegit, vt eis per Vicarium suum in terris publici decernerentur honores. Neque enim ad hanc excellentiam satis est, vt coram Deo Sancti sint: sed oportet vt certissimis documentis probetur, eos, dum viuerent, veræ sanctitatis gloriâ alijs præluxisse; & in eadem sanctitate diem extremum clausisse; & demum post mortem carnis, animas eorum ad æternam gloriam peruenisse. In horum paucorum, sed felicissimorum hominum numerum B. Franciscam Romanam referri posse, meritò iureque optimo credimus. Nam ex diuturnâ & accuratâ discussione satis constitit, eam non solùm vitæ sanctitate, sed etiam signis & prodigijs diuinis, & dum viueret & post obitum, claruisse. Accedit etiam quòd, cùm ij qui in Album Sanctorum referuntur, quasi faces clarissimæ in edito loco ponantur, vt multis mortalibus viam ad perfectionem ostendant; B. Francisca omni ætati, omni gradui, omni sexui virtutis exemplar proponetur: quippe quæ ab ipsâ infantiâ multis annis virginitatem coluit; alijs non paucis in casto coniugio conuersata est, posteà etiam laboriosam viduitatem exercuit; ad vltimum vitam Religiosam & perfectam in monasterio duxit. Itaque & virginibus & coniugatis & viduis & sanctimonialibus eius declarata sanctitas mirificè proderit. Quare censeo finem huic tanto negotio per Sanctitatem vestram omnino esse ponendum.

f prout factâ 29 Maij,

173 Factus est eò consuetus omnis *f* apparatus, & die vigesimo nono Maij eiusdem anni, anniuersario Coronationis ipsius Pauli, in Vaticanâ S. Petri basilicâ ipsam solenniter canonizauit Pontifex, cum incredibili Vrbis totius plausu atque lætitiâ. Et quoniam Populi Romani expensis res peracta est, multorum nobilium virorum interuentu varias ad rem conficiendam personas deputari necesse fuit, quarum non est æquum nomina ingratâ taciturnitate præteriri. Igitur qui publico in Vrbe magistratu tunc fungebantur hi fuerunt: Conseruatores Mutius Matthæi, Horatius Farinacius, Robertus Capizucchi & Vincentius Mutij de Papazzurris Prior: Regionum-Principes Ioannes Celsi & Petrus Vincentius Caualieri: Cancellarij inclyti Populi Romani, Fabritius Nari & Franciscus Serlupi: Deputati electi pro negotio huius canonizationis Eques Octauianus Crescentius; Domini Alexander Mutij, Tiberius Astalli, Prosper Iacouacci, Raphael Casali, Paulus Millini, Ioannes Petrus Caffarelli, Marius Matthæi, qui in eo munere Fabio patri successit, zelantissimo totius istius negotij.

sub quibus magistratibus & actoribus

a *Id est, vsque ad annum 1641 quo scribebat Anguillaria, needum confecto speciosissimo illo Mausoleo, quod post inuentionem corporis anno 1638 designari cœptum, decimo deinde perfectum fuit.*

b *Epitaphium hoc apud Valladerium pag. 77 sic inuenitur: Anguillaria illud solùm Italicè exhibet.*

c *Quæ facta 1605, ipso festo Pentecostes, 13 die post electionem.*

d *De his P. Henricus Lindanus põtificius ad S. Petrum in Vaticano Pœnitētiarius, apostolico deinde labori immortuus in Daniâ ita ad nos 24 Sept an 1650.* Quæritis ad quid præcipuè valeant rotulæ illæ ex reliquijs S. Franciscæ Romanæ: & ad quid mensuræ? Præcipuum est, deuotio erga Sanctam: secundùm, rotulæ illæ portatæ à collo, vel redactæ in pulueres, & sumptæ in vino, plurimos liberant à febribus: mensuræ (quæ ostendunt honestè proceram supra quinque pedes & dimidium fuisse) applicantur vel capiti contra dolores, vel laborantibus in partu, & plurima miracula in hisce faciunt.

e *Eam appellationem inditam Valladerius ait, quòd non solùm Cardinalibus, sed etiam Prælatis alijs fores pateant.*

f *Hunc apparatum totumq; sacræ pompæ ordinem, qui volet minutim descriptam videre, Valladerium legat à p 81 singula explicantem vsque ad finem panegyrici sui: nam vt ea huc transcribatur non permittit vanissimi scriptoris prolixitas verbosa & iustum tadium motura lectori: testemq; alioqui rerum tunc gestarum oculatum se profitetur.*

CAPVT

A

CAPVT XIX

Corporis post duo ferè secula inuentio & eleuatio.

Inuentio corporis S. Franciscæ

174 Miris semper modis declarat Deus Sanctorum suorum merita: quos inter haud infimi momenti est sacrorum corporum, postquàm longiori tempore sub terrâ latuerunt, inuentio; vt eâ occasione recalescat populorum erga eos, quos pridem Sanctos venerabantur, deuotio, & nouo feruore concepto, noua de cælis obtineat beneficia, eorumdem Sanctorum memoriam factura illustriorẽ. Quoniam igitur etiam S. Franciscæ ossa, binis seculis obscuram intra arcam clausa, tandemque in lucem fauore diuino prolata, vniuersam Vrbem nouo deuotionis igne inflammarunt; visum mihi est exponi hoc loco accuratè debere, quâ id ratione factum sit: neque id meliùs fieri à me posse quàm oculati testis, Marij scilicet Gabrielij, ad amicum, virum religiosum, epistolam proferendo: ea igitur ex Italico Latina sic habet.

descripta à Mario Gabrielio,

B 175 Decreui tandem vrgentissimæ vestræ voluntati cedere, quâ requiris accuratam distinctamque notitiam eorum, quæ in felici inuentione corporis S. Franciscæ Romanæ gesta sunt, cum publicâ Vrbis Romanæ lætitiâ. Poterat quidem alius maiori eloquẽtiâ eadem enarrare: maiori fide, certitudine & accuratione potest nemo. Quia quæcumque acta sunt, ea me cooperante & præsente facta sunt omnia. Atque vt à principio rem exordiar, nouit Paternitas Tua, vulgò notum fuisse Romæ, quòd sacrum S. Franciscæ Romanæ corpus sepultum fuerit in medio tribunæ, quæ est circa aram maiorem in æde admodùm Reuerendorum Patrum Oliuetanorum S. Mariæ-nouæ in Campo-vaccino; vt affirmant omnes historiæ de vitâ eius conscriptæ: & quòd in eò loco multâ fidelium deuotione fuerit honoratum. Fuerat quidem felicis & gloriosæ memoriæ Paulo Papæ V, quando ipsam in Sanctorum Album solenniter retulit, propositum à nonnullis, placerétne inquiri in corpus illius, vt conspicuo atq; honorato in loco collocari posset, quemadmodum ad aliorum Sanctorum promouendum cultum sæpè factum scimus: neque enim decere videbatur, vt sacra membra obscuro manerent inclusa sepulcro, dum anima regnat gloriosissima in cælis, & nomen per aras & templa à Sacerdotibus alijsque fidelibus celebratur in terris. Nihilominus formidans Pontifex ne fortè non inuentum eo in loco, in quo esse credebatur, corpus (quod aliàs quoque similibus in casibus factum meminerat) vtpote cautè prouideque reconditum aduersus pias, vt quidam appellant, fidelium rapinas: metuens, inquam ne suâ expectatione frustratum desiderium abiret in neglectum, parum à contemptu discrepantem; cauit ne prædictum sepulcrum reseraretur: Domino hanc felicitatem reseruante temporibus nostris ad maiorem ipsius Sanctæ honorem.

teste oculato teste.

sub Paulo V frustra optata

C

Oblatæ Turris speculorum desiderium

176 Equidem dum singulas rei gestæ circumstantias mecum ipse attentiùs expendo, non possum non admirari diuinæ prouidentiæ œconomiam, summâ cũ suauitate & felicitate ad finem suum attingentis. Atque vt ne diu suspensam teneam Paternitatem vestram, ante omnia sciendum, quòd iam pridem diuino nutu factum sit vt Dominæ Oblatæ Turris-speculorum, dilectæ & deuotæ Filiæ huius inclytæ Sanctæ, ingens animo conciperent desiderium corpus beatæ Fundatricis suæ supra humum eleuatum cernendi: vnde frequenter eâ de re inter se conferebant sermones. Neque solum per diem habebant defixas in huius sui desiderij scopum mentes; sed noctu quoque dormientibus eadem per somnum obuersabatur cupido. In hũc modum hærebat inter sermones affectusque negotium, cùm mihi vsu venit ad Turrim-speculorum accedere, quarumdam inibi consanguinearum mearum visendi caussâ. Vt autem pleni erant eiusmodi, quos dixi, affectuum animi, facilè Dominarum illarum eodem dilapsus sermo est, & me paullatim inflammauit, valdeque efficaciter inuitauit, vt operâ meam huc conferendam decernerem; maximè cum diceret quædam, somniasse se quòd corpori cuidam Sancto refodiendo intenderem, & illud solerter quærendo feliciter inuenirem.

D

ex ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. indicant Mario:

177 Reuersus domum cogitare ipse mecum sollicitiùs cœpi, quâ ratione certiùs secretiusque possem executioni mandare tam piam voluntatem. Alio deinde die quæ mihi in mentem venerant retuli materteræ meæ Sorori Ceciliæ Lancellotti, mulieri prouidæ & circumspectæ, cui intra breue tempus ingressuræ in officium Camerariæ incumbebat onus accurandæ solennitatis annuæ B. Franciscæ, eiusque sepulcrum cereis, floribus, & alio congruo apparatu ornandi. Obstupuit illa postquàm me audijt easdem ipsas difficultates proponentem, quas ei Pater Faustus Latinus in S. Mariæ-nouæ Sacerdos exposuerat super eodem negotio secretò secum conferenti: cuius ego Patris nec nomen noueram. Decreuimus tamen dandum aliquod huic operi principium, quàm fieri posset dexterrimè occultissimeque: & bonâ cum gratiâ Matris Præsidis, Sororis Mariæ Magdalenæ Anguillariæ, statui in me suscipere negotium vniuersum; parui æstimans quantumcumque impendium, quod meæ erga Sanctam deuotionis tributum exiguum futurum esset in huius procuratione caussæ. Non distuli deinde diu quin agerem cum Reuerendo Patre Abbate S. Mariæ-nouæ Domino Siluio Fauillâ Neapolitano, qui non tantùm gratum sibi futurum declarauit, si nomine Matris Præsidis requirerem sanctæ Fundatricis corpus: sed etiam addidit triennium esse, quòd huic regendo monasterio cum titulo Abbatis præfectus, continuum huius operis desiderium fouerat. Visum tamen eidem est nihil esse tentandum absque consensu Eminentissimorum Cardinalium Burghesij & Barberini, quorum hic Sanctissimi nostri Nepos esset, iste Ordinis Oliuetani Protector. Cui eius monito accuratè parui, in omnibus prædictorum Eminentissimorum nutui & arbitrio aptare volens consilia mea. Denique cum Domino Ioanne Baptistâ Altieri, Romani Pontificis Vices-gerente, fusè contuli de ratione ac modo, qui posset in eo negotio teneri; vtilibusque in rem præsentem monitis ab eodem, pro eius singulari ad rem quantumuis arduam dirigendam prudentiâ, instructus, facultatem obtinui faciendi quantum ad desideratum finem opportunum iudicarem.

qui susceptâ huius rei curâ,

E

agit cum Abbate S. Mariæ-nouæ,

Card. Burghesio & Barberino,

Altierio Vices-gerente:

F

178 Hac resolutione habitâ Abbatem S. Mariæ-nouæ adij: qui vt secretiùs res ageretur apud monachos suos prætexuit, quod Domini Vices-gerentis iudicio excauanda humus videretur, vt humidi soli sublato vitio aptior foret vtiliorque rebus sacris seruandis sacristia. Ita clam omnes fuit vera caussa, datumque fossioni initium est per quemdam magistrum, non solùm ob peritiam artis suæ, sed etiam ob pietatem & secreti seruandi tenacitatem à me delectum, decimo septimo die Martij ipsâ Octauâ S. Franciscæ. Neque res tam fuit expedita vt credebamus: fossores enim in prædura ex antiquo Pacis templo rudera incurrerunt, in quibus perfringendis vsque ad diem Veneris 4 sanctum desudandum fuit: quando quidam sonantis caui auditus reboatus spem fecit inueniendæ tumbæ tanto desiderio quæsitæ. Haud facilè dixero quãto mihi gaudio pectus impleuerit ea spes, à primâ luce ad seram vesperam instanti operarijs animandis: quod gaudium maius etiam fuit sequenti die, quando aduocatus fui, vt per duorum circiter palmorum hiatum inspicerem venerabile pignus humi extensum: illudque veneratus cum Patre Abbate, haud absque extraordinariâ voluptatis

17 Martij quæri cœptum corpus,

4

inuentum 3 Apr.

A ptatis & numquàm antehac gustatæ suauitatis sensu, credidi officij mei esse participes lætitiæ huius facere Sororem Ceciliam Larcellotti & Matrem Præsidem: ac deinde Dominum Vices-gerentem totius successus reddere certiorem, qui velut testium Alleluia die Sabbathi sancto nuntium istud excepit. Cardinalis Burghesius, quamprimùm quid actum esset cognouit, voluit etiam ipse habere partem in veneratione sacri pignoris, & suo Cubiculario nonnullisque monachis comitantibus, sanctas Reliquias adorauit; emicante per oculos vniuscuiusque gaudio, quo corde persundebantur.

Ex ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ. adoratur, à Card. Burghesio.

179 Tandem conclusum est à Domino Vices-gerente eam aperturam lateribus denuo obstruendam ac sigillo obsignandam esse, vsque dum statuerent Superiores quid porrò opus facto esset. Postridie verò Paschatis admonitus Cardinalis Patronus est, qui Pontificatui patrui sui Vrbani Papæ VIII ad felicitatem & gloriam tribuendum credens, quòd eo Ecclesiam gubernante intra annos paucos refossa essent duarum Sanctarum Romanarum corpora, S. Bilianæ videlicet ac S. Martinæ, nunc quoque credidit Beatitudinem suam haud modicè hoc tertio thesauro re-B perto recreandam: cui proinde voluit rem omnem quantocyùs renuntiari, & voluntatem ipsius exquiri. Statim autem vt res tam læta in Palatio vulgata fuit, ad Turrim-speculorum Vices-gerens descendens, ad Sorores Oblatas, in Capituli locum conuocatas, hisce verbis exorsus est: Annuntio vobis gaudium magnum. Et verò demissus è cælo Angelus non potuisset lætiora noua honorabili illi sanctæque Congregationi ferre, quàm hæc erant de corpore sanctæ suæ Fundatricis reperto. Quare simul omnes prostratæ in terram cum tenerrimæ deuotionis affectu & iucundissimarũ abundantiâ lacrymarum, diuinæ bonitati egere gratias, & laudes eidem decantauere per consuetum Ecclesiæ in rebus feliciter gestis hymnum, Te Deum, à verbis initialibus dictum, cui congruam orationem Vices-gerens concludendo subiunxit. Similem autem gratitudinis affectum demonstrarunt Patres Oliuetani in ecclesiâ suâ, digni tam pretiosæ gazæ depositarij.

nuntiatur inuentio Card. Barberino; dein Oblatis Turris-speculorum à Vices-gerente: canitur, Te Deum:

180 Non potuit diutiùs occulta seruari sancti corporis optatissima inuentio: igitur Matri Præsidi placuit Dominorum Protectorum concilium aduocare, quorum hæc sunt nomina, Bernardinus Maffei, Marchio Valerius Sancta-croce, & Brutus Gottifredi: quo in cœtu decretum est, cum sacro Cardinalium C collegio, cum serenissimâ Domo Farnesiâ, tamquam Romanâ, cum Populi Romani Senatu communicandam hanc esse lætitiam: quod ex eorumdem voluntate à me factum est, aut verbo coram, aut ad absentes per litteras debitæ obseruantiæ ergò. Domini verò Conseruatores Vrbis non solùm gratulati sunt Sanctimonialibus Turris-speculorum felicissimam hanc sortem: sed pluries etiam conuenere, decreturi ingentia munera, solennes pompas, triumphales arcus, sumptuosum mausolæum sacris Reliquijs quàm festiuissimè transferendis, & honestissimè collocandis: quæ omnia Sanctissimus Dominus rata grataque habuit, & liberaliter adiecit è suo quantum opus erat ad istiusmodi opus.

Ex consilio Protectorũ Coll. Cardinalium, Domui Farnesiæ, & Senatui Rom. res indicatur:

181 Intereà temporis quoniam non ita poterant parata esse omnia quæ fuerant designata; ne tamdiu absque honore relinqueretur depositum, omnium cultu dignissimum, fabricata est cypressina arca cramesino, vt vocant, vt panno conuestita, & ingens ad humani corporis longitudinem ex argento peluis, in quam sacra ossa trans-ponerentur cum hâc *b* inscriptione. Æternæ memoriæ. Anno salutis MDCXXXVIII III. Non. Aprilis S. Franciscæ Romanæ in æde S. Mariæ-nouæ repertum corpus: ingenti Quiritium plausu per Vrbem triumpho mirabili circumductum, Ioãnes Baptista Alterius Episcopus Camerinus & Sanctissimi Domini nostri Papæ Vicarij Vices-gerens ex D humili in splendidiorem locum, Vrbano VIII Pontifice Maximo annuente, transtulit. Soror Maria Magdalena de Anguillaria Domus Turris-speculorum Præses, ære ab eiusdem S. Franciscæ alumnis spontè oblato, argenteam arcam Parenti optimæ faciendam curauit: Bernardino Maffeio, Valerio Sancta-crucio, Bruto Gottifredo eiusdem domus Protectoribus.

arca cypressina, & peluis argentea cum inscriptione paratur:

182 In hanc arcam siue argenteam peluim translata sunt ossa veneranda, S. Bartholomæi Apostoli festo die, qui vigesimus quartus Augusti fuit, præsentibus Eminentissimo Cardinali Burghesio, Domino Vices-gerente, Patre loci Abbate cum aliquot monachis suis, Dominis Protectoribus & Cõfessarijs Turris-speculorum, nec non Ioanne Baptistâ Mutij de Papazzurris, tamquam consanguineo ipsius Sanctæ; meque cum aliquot administris. Quibus omnibus admirationi summæ fuit ipsorum ossium soliditas maxima, quamuis in loco admodũ humido tam diu iacuissent: vbi non tantùm area penitus in puluerem redacta disparuerat; sed ipsi etiam claui ita macerati erant, vt omnino friabiles comminuerentur ad contactum: vt certiùs appareat quàm verè dictum sit à Prophetâ: Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non cõteretur. Horæ omnino sex impensæ sunt ossibus in prædictâ pelui ad humani corporis modum extendendis. Quo facto reposita est peluis intra cypressinam arcam ad hoc præparatam, & proximo die manè horâ nonâ Dominus Bernardinus Maffei & ego maturauimus in S. Mariæ-nouæ templum venire, excepturi ibidem Dominas Oblatas Turris-speculorum, quæ composito ordine, vt supplicantes solent, ad Matris suæ corpus visendum processerunt. Quod postquàm reuerenter & deuotè adorarunt, accinxerunt se ad induendum consueto Oblatarum habitu ornandumque venerabilem ossium conuenienter vnitorum compagem: quod ita feliciter successit, vt quod anteà visum fuerat deforme sceletum, id in suo habitu plenam maiestatis speciem præseferret, plenam sanctitatis & religionis.

in quã transponitur sacra ossa 24 Aug. *Ps. 33, 21* E *25 ab Oblatis spectantur, atque habitu suo induuntur:*

183 Non fuerunt eo die præter Oblatas Turris-speculorum aliæ ad spectaculum admissæ quàm Dominæ Anna & Constantia Barberinæ: interim spargitur per Vrbem fama exstare sublime ab humo & spectabile S. Franciscæ Romanæ corpus, qui continuò omnem cuiuscumque ætatis conditionis ac sexus populum inflammauit desiderio, ipsis oculis capiendi partem communis lætitiæ: & ardentes per se animos magis etiam accendit sanctissimus Dominus, propositâ ex thesauris ecclesiæ plenariâ Indulgentiâ omnibus ijs, qui intra proximos duos dies ad visitandum sacrum corpus adirent S. Mariam-nouam. Igitur torrentis instar fluminis, vrgente pietatis affectu, affluere vndique cœpit vulgus promiscuum, nec potuisset intra modestiæ terminos contineri, nisi maturè aduocata fuisset è palatio custodia Pontificia, prohibitura confusionem & violentiam in eiusmodi occasionibus studiosè cauendam. Corpori sacro continuò assistebant Abbas cum monachis suis, & mecum aliqui ex Protectoribus: inprimis verò ipse Vices-gerens non minori promptitudine animi quàm corporis defatigatione constanter adfuit ordinatè inducendis, quorum id conditio & dignitas merebatur, in sacellum spectatoribus: neque enim persona aliqua eminentioris quocumque tituli gradus fuit, quæ non crediderit officij sui esse, humili genuflexione adorare tam illustres reliquias.

26 & 27 propositis Indulgẽtijs inuitatus populus E *ad spectaculum affluit:*

184 Ad extremum obseruatũ dignissimum est, quod licet his nostris temporibus varia Sanctorum Sanctarumue corpora sint reperta, ingentique pompâ circumlata per Vrbem, nullius tamen inuentio fuerit tam multis, tam magnis, tam euidentibus miraculis cælitus cohonestata quàm huius sanctæ Dei famulæ. Etenim oculis nostris vidimus complures ab incurabilibus

abundant miracula omnis generis:

A libus prorsus morbis liberatos, quemadmodum distinctiùs exponetur in Vitâ quantocyus prælo subijciendâ. Neque exaruit ab illo tempore fons iste cælestium gratiarum: deuotæ enim ipsius filiæ, Turris-speculorum Oblatæ, acceptam terræ glebam, quæ sacris ossibus proxima iacuerat, varij generis reliquiarijs insuêre, mensuras etiam sancti corporis sumpsêre & capitis: quæ omnia per Vrbem sparsa inter indigenas aduenasque, & in alias quoque ciuitates delata multorum miraculorum fuerunt instrumenta. Plurimi etiam infirmi potui suo commiscentes exiguum de terrâ sepulcrali puluerem, sanitatem, quam à medicis obtinere ac ne sperare quidem potuerant, salutari hoc pharmaco acceptam retulêre.

distribuitur pro reliquiis terra sepulcralis.

185 Hæc sunt quæ Paternitati tuæ possum referre de felici inuentione gloriosi istius corporis, hoc quoque obseruans non sine diuino numine factum videri, quòd cùm ad primam S. Franciscæ sepulturam operam suam, prout ipsa prædixerat, contulerit Laurentius quidam Alterius, ipsius meritis à graui infirmitate liberatus; iam alterius Laurentij Alterij, tunc viuentis & nunc (vt spes est) æternâ in cælis requie perfruentis filius, huic actioni tam gloriosæ præfuerit. B Item quòd cùm pater meus apud Paulum Papam V primus pro huius Sanctæ canonizatione institerit, mihi obtigerit felicissima sors requirendi & inueniendi eiusdem reliquias. Vt meritò familia vtraque, tam Alteriorum, arcto consanguinitatis vinculo mihi adstrictorum, quàm Gabrieliorum, sperare possit, perpetuam S. Franciscæ protectionem sibi adfuturam, quorum grata sibi esse obsequia in terris toties dignata est demonstrare. Sciendum deniq; quod ex imperio Sanctissimi Domini, per chirographum hoc præsenti anno die vigesimâ quartâ Augusti signatum, Præsidi Turris-speculorum, Sorori Mariæ Magdalenæ Anguillariæ constituta sint ad quinque scutorum millia, ex quibusdam, vt vocant, montibus accipienda, vt ad arbitrium Dominorum Protectorum; Illustrissimorũ scilicet Bernardini Maffei, & Valerij Marchionis Sanctacrucij in ecclesiâ S. Mariæ-nouæ constituatur stabile atque honoratum corpori tam sancto monumentum, cui nunc ex egregiâ illustrium artificum designatione conficiendo allaboratur.

Alteriorum & Gabrieliorum hac in re officia expenduntur.

Vrbanus 8 scuta 5000 destinat fabricando monumento.

a 2 *Aprilis, cùm Pascha eius anni in diem 4 caderet.*

b *Abest hæc inscriptio ab epistolâ Marij, qui satis habuit illius argumentum suis verbis Italicè dare: fortè quia plus in eâ continetur quàm reuerà actum sit. Accepimus ergo eam ab imagine ipsi huic* C *vitæ præfixâ ab Anguillariâ, quæ sub hac inscriptione exhibet incisam æri delineationem machinæ triumphalis, transferendo per vrbem sacro corpori vel designatæ vel paratæ; intra quam machinam ponenda erat nauicella argentea, sanctarum reliquiarum custos, isto titulo insculpta: quamuis (vt ibidem additur) illa solennis translatio, quæ facta significatur, in aliud tempus iustis de caussis dilata fuerit.*

CAPVT XX.

Miracula post sancti corporis inuentionem patrata.

186 INuentionem sancti corporis prænarratam multa, vt dictum est, subsecuta miracula sunt, & quamuis non potuerit distincta haberi notitia cæcorum, claudorum, energumenorum & aliter infirmorum, qui receptam sanitatem S. Franciscæ meritis in illâ innumerabilis populi confusione adscripserunt, & eorum sola publica fama testis remanserit; de ceteris tamen ferre iudicium licebit ex ijs, quæ ad maiorem certitudinem perpetuamque memoriam coram iuratis arbitris delata examinataque auctoritate Domini Ioannis Baptistæ Alterij Vices-gerentis in publicum Instrumentum relata fuêre à Pamphilio Thomasij, Eminentissimi Cardinalis Vicarij notario, signataque die duodecimo Ianuarij anni MDCXXXIX ad D instantiam Domini Antonij Gerardi, ciuis Romani, procuratoris ad hoc specialiter deputati: sunt autem sequentia.

Ex multis pauca miracula an. 1639 conscribuntur.

IX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

187 Anno MDCXXII die secundo Nouembris, morbus, qui gutta dicitur, omne corpus occupauit Sorori Theodoræ Celsi, Romanæ, Oblatæ Turris-speculorum; vnde membrorum omnium vsu intercepto, nec cibum quidem poterat, nisi alienis manibus, capere. Adhibiti sunt medicorum & chirurgorum, quos Roma habebat, expertissimi, qui post varias medicinas tandem effecerunt, vt dextri lateris motu quadamtenùs recuperato, ipsa se, partim portata brachijs, partim ijs innixa, promouere vtcumque ad ecclesiam posset, recipiendæ Communionis ergô. Post aliquod tempus in ipsâ S. Franciscæ Vigiliâ recruduit malum, & hanc qualemcumque dexteræ partis vitam sensumque sustulit: iterumque medicinarum efficaciam subsecuta modica melioratio est; sed cuius parum diuturnus extitit fructus. Nam circa finem vnius anni manum impegit ægra in cuspidem forficis, vnde acceptum vulnus illâ ipsâ nocte spasmum attulit miseræ, qui manum iam dictam omninò clausit, atque cum E reliquo brachio prorsus immobilem reddidit: ita vt definierint medici chirurgique extra humani remedij spem positum esse malum. Ceterùm reddita iam omnino inutilis ad annum vsque MDCXXXVIII, cunctis vltrò piæ fœminæ calamitatem commiserantibus, immobilis & sibimet ac ceteris onerosa, toto integro decennio perstitit, dum interim complurium oculis res tota explorata est.

Per annos decem vsu membrorũ carens

189 Demum recurrente festiuo S. Bartholomæi Apostoli die, cùm sacrum B. Franciscæ corpus publicæ venerationi in ecclesiâ S. Mariæ-nouæ expositum fuisset, Consororibus adnitentibus atque ipsâ monasterij Præside suadente, supra gestatoriam sellam ad sacra pignora veneranda deducitur. Et vt rei euentus magis magisque oculatis testibus comprobaretur, aderat ibi Eminentissimus Cardinalis Alterius, tunc Vices-gerens: qui, cùm incommodam Theodoræ desperatamque valetudinem probè nosset; destitutas omni vigore manus, alterius adminiculo, sacro Franciscæ capiti admouendas edixit. Quod vbi præstitum est, res mira! nouo tentata paroxismo est, brachiaque repentino tremore corripi, & sponte in altius prosilire ac erigi, simulque ad inuicem supplicantis in modum iungi visa sunt; ita vt commodè seipsam Cruce obsignaret, & liberam exinde brachiorum ac manuum, quâ hactenus destituta fuerat, facultatem recepisse ostenderet. F Mirantur interim qui aderant, & sibi ac Virgini ob insigne inauditumque portentum gratulantur; festiuas in cælum voces attollendo, & Dei virtutem Christique famulæ merita deuotis præconijs concelebrando.

apportatur ad sacrum corpus,

& brachiis primum,

190 Verùm cùm ex parte dumtaxat vegeta atque incolumis domum regressa Theodora, de omnimodâ tandem sanitate Franciscæ meritis obtinendâ spem cõcepisset; duobus præterlapsis diebus, in præmemoratam ecclesiam ad sacrum corpus iterum à Consororibus deducitur: vbi prope sacra pignora toto animi feruore intendens precationi, iterum tremore subito corripi membra, & ossa quodam veluti glutino, quo iam pridem detinebantur, solui protinus sensit. Nec res quidem beneficio vacua nec spes voto frustrata est; illicò enim mulier, quæ diu contractis membris immobilis omnino perstiterat, suâ sponte è sellâ prosiliens, nullius, vti consueuerat, adminiculo in pedes constitit, & prouolutis subinde humi genibus, sanctissimæ Parenti promeritas gratiarum actiones deuotè persoluit: cunctis interim ad rem inusitatam obstupescentibus, & Euangelicum illud præ lætitiâ certatim exclamantibus: Quia vidimus mirabilia hodie. Incolumis igitur reddita (vt res magis explorando pateret) Luc. 5, 26 sustinet pedibus, nulloque sibi manum porrigente, domum

deinde etiã reliqui corporis

integram recipit sanitatem:

A mum reditura exiuit ab ecclesiâ ad currum quo vehenda erat, & singulis membris pristinæ sanitati ac officio redditis, ex tunc libera deinceps, ne reliquias quidem sensit mali prioris *a*.

EXITAL. M. MAGD. ANGVILL. LABIÆ.

a tuber coxæ innatum

191 Ioannæ, filiæ Laurentij de Ferrarijs, Romanæ, annorum viginti, res quædam nigra supra coxam accreuit vnius Iulij magnitudine, quam ipsa vlcus rata, quod cicolinum vocant Itali, parui æstimauit, quamuis iugiter augeretur, nec exiguam ipsi crearet molestiam; impediens ne suendi gratiâ cussinum commodè posset tenere. Necessarium erat vt alicui medico chirurgoúe malum inspiciendum offerretur, quod ingenua virginis erubescentia tamdiu distulit quamdiu per instantissimas matris preces & absolutum Confessarij mandatum licuit: quibus coacta cum se illorum manibus permisisset, vsi sunt illi quidem omni artis suę industriâ, sed tandem pronuntiarunt cancrum esse inueteratum, qui iam ad magnitudinem vnius marignani (est id genus cerulei fructus Hebræis vsitati, prunum fortasse maius) excreuisset. Remedijs igitur humanis curandam cùm speraret nemo, & paucos vitæ dies ei superesse iudicarent plerique, persuasa fuit extremis Sacramentis animam parare ad exitum: quibus acce-

& pro incurabili cancro habitâ,

B ptis vna sororum eius ad B. Franciscam recurrendum esse cogitauit, atque vt illius vnguento inungi peteret sororem hortata est. Fecit votum infirma, simul & vnguentum adhibuit, & subito aliquid melioris spei ac rei sensit. Vnde crescente fiduciâ quodam matutino tempore in hæc verba prorupit: O S. Francisca hanc mihi gratiam facito, vt istud noxiæ carnis frustum excidat. Dixit & discooperta curationis ergo plaga, adolescentem perfectè sanam exhibuit, putrido illo tubere vltro delapso. Hoc in statu qui eam iuuenere medicus, chirurgus & confessarius integris rursum viribus validam, quæ sex continuis mensibus viribus prorsus exhausta languerat tendebatque ad mortem; solius Sanctæ intercessioni adscribendam esse sanitatem testati sunt.

S. Francisca vnguento tollitur.

192 Brigida, Thomæ Ferri Reatini filia, viginti annis à maligno spiritu possessa, grauiter identidem ab eodem vexabatur. Nihil exorcismi sacri iterum iterumque adhibiti profuerant, cùm intellexit S. Franciscæ corpus spectandum prostare: venit igitur etiam ipsa, & extemplo liberata recessit. Catharina Melanzi Romana, quia in locis ab exundante fluuio humidis habitarat; toto intumuerat corpore & maximos patiebatur dolores: qui continuo penitus sublati sunt, postquàm Excellentissima Domina Sannesij Ducissa quasdam B. Franciscæ reliquias ad collum infirmæ, multam fiduciam in eius meritis concipientis, appendit.

energumena liberatur.

curatur tumor totius corporis

C

193 Helena Burgarelli, Romana, triennio integro fluxum sanguinis passa, atque ad extremam vitæ metam perducta, iam visum amiserat oculorum. Huic binis vicibus S. Francisca apparuit: & primâ quidem eam admonuit Confessionis faciendæ, nominatim de vno, quod ipsi indicabat, peccato: nihil tamen melioris spei exinde secutum est; sed quotidie magis tendenti ad mortem, & mortalia deliquia crebriùs patienti exhibita sunt ecclesiastica Sacramenta. Secundâ autem vice sanam prorsus reliquit; sic vt ægra potuerit statim surgere, & ad sepulcrum Beatæ gratias Deo ipsique actura procedere.

fluxus sanguinis triennalis,

194 Thomas Ferrus Venetus Octobri mense *a* Capranicam adierat vindemiæ caussâ, istic eum dolores acerbissimi inuaserunt; qui totum corpus tinxerunt nigredine, & sublatâ per dies septem dormiendi facultate exiguam reliquerunt comedendi. Rescijt hoc vxor eius Leandra de Reate, ad eumque veniens: Bono, inquit, sis animo quia penes me habeo de sepulcro S. Franciscæ puluerem, qui te mihi sanum restituet. Neque sua ipsam fefellit fides: sumpsit in potu quod offerebatur maritus, eademque nocte decem continuis horis dormiuit, & sanus postridie surrexit è lecto.

a dolores vsû somni & cibi prohibentes,

194 Dominus Stephanus de Gasparis iuratus affirmauit, filium suum, Petrum Ludouicum Felicem nomine, duodecim mensium puerulû, nocte quadam cœpisse expuere copiosum sanguinem, floridum spumosumque, idque per triduum durasse cùm molestâ tussi & præsentissimo vitæ periculo: nam præterquam quòd ætas tenera non permitteret efficaciora medicamina, ne modicum quidem contriti cum rosis saccari ingeri sibi patiebatur. Desperari igitur de puerulî vitâ intelligens Illustrissima Domina Magdalena Capponi de Naris, genitorem sibi hæc referentem induxit vt obtinendam filio salutem per merita S. Franciscæ speraret, eò magis quòd ipso Sanctæ festo die, nono Martij videlicet, natus is esset. Et fuit res solatio plenissima videre quam auidè reciperet infans oscularetúrque oblatas reliquias: nec minus admirationis habuit intueri modis omnibus & magno eiulatu obnitentem, ne sibi ad collum appenderetur iaspis argento ac bullæ ornatissimæ inclusus, quem tantâ vehementiâ pluribus reiecit vicibus, vt ea sola sufficere posset aperiendæ iterum venę prouocandoq; sanguineo sputo; quod tamen cessauit prorsus, statim atque impositæ ei reliquiæ sunt.

D *sputum sanguinis*

195 Mauritius Perretti, natione ac religione Hebræus, à quibusdam Neophytis inuitatus fuit, vt comes veniret ad S. Mariam-nouam corpus B. Franciscę spectaturus. Sed ille rideri se ratus venire noluit, quamuis varia sibi narrarentur miracula; maluitque ad festû quod *b* Casularum appellant lucri alicuius sperati caussâ abire. Verùm cùm rursus ijsdem neophytis obuiam venisset in areâ Matthæorum, ab ijsdem tandem persuasus eosque secutus est, *c* Iudaicum pileum sub pallio abscondens. Mirum dictu! ad conspectum sanctarum Reliquiarum ita interiùs est immutatus, vt ab ecclesiâ egressus socijs dixerit velle se Christianum fieri, atque ad Catechumenorum domum deduci. Cuius domus Præfecti minimè sincerè agi rati, Quomodò, inquiunt, tun' vt velis Christianus esse? Quibus ille seriò: Imò verò. Atque sub vesperam in *d* Ghiettum iuit abducturus inde paruulum, quem habebat, vnius anni filium, cum eoque ad Catechumenos abijt; ac baptizatus dimissam pertinaciam susceptamque fidem adscribit meritis S. Franciscæ.

E *Iudæus ad adspectum Corporis conuersus. b c d*

196 Soror Maria Hieronyma Auila, Sanctimonialis in monasterio, quod Romæ est sub nomine S. Catharinæ Senensis, lecto decumbebat, cum intensissimis doloribus in genu tibiâque, sic vt nisi cum ipsis lodicibus moueri non posset, quoties opus erat ex vno in alterum latus eam verti. Ob quos dolores cùm nocte dieque vociferaretur, sublatâ dormiendi facultate, & remedijs nihil proficientibus; tandem succurrit animo auxilium S. Franciscæ, cui multùm deuota erat, implorare, quò posset à tantis cruciatibus liberari. Eum in finem omnium Sanctorum festo *e* circa tertiam noctis horam vnxit se vnguento ipsius Sanctæ: ac paullò pòst clausis in somnum oculis totam reliquam noctē dormiendo traduxit: Manè autem facto coxarum vnam sudore fluentem reperit, seque ab omni dolore liberam. Surgens igitur è lecto pedibus ambulare cœpit atque clamare: Miraculum, miraculum. Accurrêre monachæ ad vocem clamantis, miratæque sunt persanatam illam subitò videri, quam vesperi in tam misero statu reliquerant; & Deo ac B. Franciscæ pariter gratias retulerunt.

ingentes in genu ac tibiâ dolores

F

e vnguento prædicto sanantur;

197 Ioannes Matthæus Buxus, Romanus, ex Pontificijs leuis armaturę equitibus, à grauissimâ febre lecto affixus iacebat, iamque depositus erat ac desperatus à medicis, nullum ampliùs remedium inuenientibus, aut febri, aut quæ febrim caussabat rupturæ tam insolenti, vt per sedis locum intestina effluerent. Miserum fratris statum intellexit soror, eumque visitatura secum detulit aliquid ex Reliquijs S. Franciscæ. Quod ille vbi accepit cum magnâ animi deuotione, statim

item febris & ruptura attactu reliquiarum.

statim ad primum illius attactum ingens toto corpore refrigerium accepit, ac respirare cœpit; receptâ etiam quam amiserat facultate loquendi: ac paullò post multò meliùs habere visus intra vnius diei spatium plenè conualuit ab omni prorsus incōmodo absolutus.

In Turre-Alsinâ eodē vnguine curat. 9 dysenteria,

198 Cùm iam sub prælo versaretur hæc Vita, ex Turre-Alsinâ Vrbitanæ diœceseos allatæ sunt quæ sequuntur gratiæ ad inuocationem S. Franciscæ impetratæ. Dominus Bernardinus Eusebius Sacerdos, Hospitalis in dicto loco Rector, fastidiosâ ac vehementi dysenteriâ laborans, Dominum Michaëlem Angelum Solimani, ecclesiæ S. Mariæ Curatum, rogauit aliquid ex vnguento S. Franciscæ, illudque tertio morbi die, cùm maior erat secessuū molestorum frequentia, ore acceptum deglutiuit, ac subitò liberatus est anno MDCXXXIX *f* die VIII Decembris Paucis diebus pòst Domina Vrsula, filia Ascanij Federici, & vxor Francisci Sebastiani, eiusdem vnguenti virtutem experta est: nam ex graui mensium aliquot febri decumbens, & ingentibus per genua, pedes ac brachia doloribus cōflictata, sic vt nisi in lodice moueri conuertique in latus nequiret, cùm sua apud prædictum Curatum peccata confessa, ab eoque oleo dicto inuncta est horâ diei *g* vigesimâ quartâ, sequenti manè surrexit è lecto, & absque molestiâ abijt ad Missæ sacrificium, alioque quò opportunum videbatur. Domina Maria vxor Sancij Mariotti mense Ianuario anni MDCXL simili modo post Confessionem vnctionemque sanata est ab eodem Curato, & intolerabilibus genuum, pedumque & brachij dextri cruciatibus liberata.

f grauis febris, *g intolerabilis cruciatus,*

febris & gutturis dolor,

199 Neque minores sunt gratiæ, quas ipse Sancius Mariotti recepit, ætatis suæ anno circiter trigesimo quinto: nam primò anni MDCXL mense Maio à doloribus quos toto corpore patiebatur ingentibus cum acutissimâ febre & mouendi sui omnimodâ impotentiâ; deinde à gutturis dolore, quem anginam fore metuebat, sequentis anni mense Iulio liberatus est vnctione prædictâ. Eodem quoque anno MDCXL Aprili mense, Domina Bernardina vxor Sebastiani Fabritij, in ipsâ quam sustinebat febri filiam pariens atque à secundinis, quas expellere non potuerat, tam grauiter patiens, vt nullo in situ posset consistere, & certo moritura crederetur; liberata à febri & quocumque alio incommodo est per vsum vnguenti iam dicti; vti etiam mense Maio eiusdem anni Domina Laodamia annorum quinquaginta quinque vidua, vsque adeo surda, vt dictæ ecclesiæ campanas, quamuis magnas, non exaudiret; audiendi recuperauit facultatem postquam obitis Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, dictum vnguentum adhibuit. Simile beneficium, post Confessionem vnctionemque à Curato prędicto sibi factam, obtinuit Domina Iustina, ætate par priori, vxor Ioannis Baptistæ Buttioli, & febri laborans, cum dolore vnius auris ac totius capitis inflatione; sic vt metueretur ne morbus esset; quem boaticum dicunt. Eadem Oruietum misit modicam eiusdem vnguenti portiunculam ad iuuandum Hieronymum, bimulum circiter Bernardini Chianari filium, cui ex variolis brachium dextrum impeditum ac malè inflatum remanserat; quod miraculosè sanatum est.

periculum à secundinis, surditas, febris cum tumore capitis, item brachij:

contractio digitorum

200 Vigesimo quinto die Iulij anni MDCXLI, Ægidio Augustini, dum in ecclesiâ filium luget præcedenti die occisum fulmine, retracti sunt manuum digiti, itaque constricti vt mouere eos nullatenùs posset. Ductus igitur est ad habitationem Domini Michaëlis Angeli, Curati iam nominati, qui vngere eum vnguento cœpit: eodemque ordine quo vngebantur digiti, erecti etiam sunt, & ipse Ægidius cunctis videntibus planè liberatus. Denique in eadem terrâ eodem vnguento vsæ personæ complures à doloribus colicis alijsque morbis exemptas se testantur, & sanitatem acceptam meritis S. Franciscæ tribuunt. Quæ omnia Romam transmissa sunt in formâ authenticâ, & signata sigillo Eminentissimi Cardinalis Crescentij Episcopi Vrbeuetani, sub cuius diœcesi Tor-alsina est. Atque hæc sunt quæ ex processibus scripturisque publicis haberi possunt circa Vitam, miracula & corpus S. Franciscæ vt ipsi deuoti qui tanto affectu instituerunt vt hęc historia imprimeretur, heroicas eius virtutes admirari & imitari valeant, Deumque in Sanctis suis mirabilem collaudare.

& alij, plures morbi.

EX ITAL. M. MAGD. ANGVILLARIÆ.

Ann. 1648 munificentia Innoc. Papæ X

201 Demum cùm venerandum cadauer iterum splendidiorem in locum inferendum esset; locus, qui vulgari voce Confessio dicitur, ante maximam ecclesiæ B. Mariæ-nouæ aram pretiosis ac versicoloribus marmoribus egregiè excultus, pauimentum miro ornamentorū genere substratum, nobilissimum Matronæ sanctæ mausolæum, quatuor pretioso è lapide columnis ad tumulum concinnandum dispositis, in theatri formam erectum est, vbi Innocentius X Romanus Pontifex conciui suæ lectissimæ, promerenti, magnificentissimi operis thecam ex ære, auro superinducto, studiosè elaboratam statuit: addito eiusdem B. Franciscæ simulacro, quod eius ad viuum ex ære inaurato imaginem, triumphantis instar ac rediuiuæ è tumulo prodeuntis, contemplandam exhibet. Ibidemque anno MDCXLVIII sacrum corpus recondi voluit, *i* [clam tamen atque priuato cultu] ne dum Romanus populus pia deferre eidem obsequia contendit, si publico id apparatu ac pompâ præstandum foret, Vrbs deuotionis affectu permota tumultum pateretur. Huius autem quo Franciscæ corpus obtegitur conspicui mausolei iconem tabulis exceptam Marius Gabriellius Romanus, vir pari pietate ac nobilitate præditus in perenne deuoti animi erga Matronam sanctissimam obsequium ac monumentum extare, & hic tibi Lector ob oculos contemplandam proponi curauit.

in nouam arcam & mausoleum transponitur corpus, i

202 *Hæc postrema amicus noster Paulus Aringhus Romanus Congregationis Oratorij Presbyter tomo secundo Romæ subterraneæ, in cuius libro 4 cap. 3 imaginem prædictam lector inueniet: vt nihil necesse sit magnificum illud opus, quod oculis ipsi nostris anno* MDCLXI *vsurpauimus, verbis prolixioribus describi. Vnum sufficit hic moneri: quæ ipsi Papæ Innocentio tribuuntur ab Aringho, ea ex parte saltem sorori eius adscripta esse per æneā quam diximus arcæ titulum cuius ad nos ecgraphum transmisit R. D. Cherubinus Magister Nouitiorum in monasterio S. Mariæ-nouæ, estque huiusmodi:* S. Franciscæ Romanæ Agatha Pamphilia, Innocentij X germana soror, sub ipsius Sanctæ instituto monialis, pij cultus monumentum dedicauit anno Domini MDCXLVIII.

A *Miraculum hoc Româ etiā ad nos perscriptum fuit à P. Laurentio Celer Societatis nostræ pro Germanicis Prouincijs ibidem Procuratore: qui addidit testem illius oculatum fuisse P. Siluestrum Petrasancta.*

a *Distat ab Vrbe Româ 15 passuum millibus versus Orientem inter Tibur & Palestrinam in Campaniâ, vt vocant, Romanâ.*

b *Quæsiuimus Româ, ecquod illud? Responsum est festum esse Tabernaculorum quod & nomen indicat diminutiuum à casâ.*

c *Id est flauum, quo Romæ & alijs locis nonnullis coguntur vti Iudæi, à Christianis eo signo discernendi.*

d *Locus in Vrbe est, in quo Hebræi seclusi & separati habitant ab alijs ciuibus.*

e *Ea nobis esset hora ferè octaua vespertina: quia noctem tunc inchoant Romani quadrante post nostram quintam.*

f *Vnius numeri, in Italico contextu incuriâ typothetarum omissi, defectus facit, vt dubium sit an octauus dies mensis, an verò annus 38 signetur: ex sequentibus tamen colligimus in anno potiùs numerum 9 desiderari, eumque ex coniecturâ suppleuimus.*

g *Id est post medium quinta Vespertina more nostro.*

h *Petrus Paulus nomine, Cardinalis creatus anno 1611, anno verò 1621 Episcopus, & anno 1644, cùm primum Italia sacra tolumum vugaret Ferdinandus Vghellus, adhuc superstes.*

i *Hæc verba apud Aringhum deficientia ad sensum vtcumque complendum addidimus.*

RELATIO

trium Romanæ Rotæ Auditorum coram S.D.N. Paulo Papâ V

in qua processuum Acta & probationes expenduntur, & iudicium super canonizatione facienda interponitur ad præscriptum sacrorum Rituum Ecclesiæ Romanæ, pro illa instantibus & humiliter supplicantibus Inclyto populo Romano & Congregatione Oblatarum Turris-speculorum à B. Francisca instituta.

§ I *Introductio in caussam: synopsis duarum primarum partium.*

BEATISSIME PATER.

Caussam pridem cœptam

1 Cum superioribus annis inclytus populus Romanus fel. recordat. Clementi Papæ VIII, Sanctitatis vestræ prædecessori, humiles preces porrexisset, vt caussam canonizationis piæ memoriæ nobilis mulieris Franciscæ Romanæ, ab Eugenio Papâ IV inchoatam & à Nicolao Papâ V prosecutam, sed temporis iniuriâ intermissam, ad felicem, quem optabat, finem perducere dignaretur; idem Clemens de more tribus & senioribus Rotæ Auditoribus Seraphino Oliuario Razalio, Hieronymo Pamphilio, & Ioanni Garziæ Mellino per speciale rescriptum commisit; vt caussam eamdem in statu & in terminis, in quibus reperiebatur, assumentes & quasi ab initio repetentes, processus & acta omnia & probationes expenderent, & super canonizatione petitâ, an iuxta præscriptum sacrorum Canonum & receptam sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem celebrari posset, iudicium suum interponerent. Qui tunc Auditores Sanctitatis suæ iussionibus, vt par erat, obtemperantes, inter se habitis congregationibus, quibus C Franciscum Peniam, Rotæ quoque Auditorem, semper interesse voluerunt, processus antiquos & probationes in eis contentas examinauerunt, & tandem concluserunt, huius seruæ Dei excellentiam vitæ sanctitatem & miracula per eius intercessionem à Deo facta ita fuisse probata, vt meritò, si Sanctitati suæ placuisset, ad eius consecrationem siue canonizationem deueniri potuisset.

Clemens VIII resumi iubet

à tribus Rotæ Auditoribus:

quorum 2 Cardinales creati,

2 Ceterùm cùm ab eodem Clemente VIII Seraphinus Oliuarius & Hieronymus Pamphilius, ob præclara eorum merita, ad Cardinalitiam fuissent dignitatem euecti, & solus in caussâ remansisset Ioannes Garzias Mellinus, eodem inclyto populo Romano postulante, placuit eidem Clementi, in eorumdem Auditorum Cardinalium creatorum locum, eumdem Franciscum Peniam & Horatium Lancillottum, humillimos Sanctitatis vestræ seruos, subrogare, vt vnà cum prædicto Mellino & inchoata prosequeremur, & ea quæ à viris illis absoluta non fuerant perficeremus. Cùm verò postmodùm Ioannes Garzias Mellinus à Sanctitate vestrâ Nuntius Apostolicus in regno Hispaniarum destinatus abfuisset; nos duo, qui soli in caussa superfueramus eadem repetentes, & in ordinem redigentes & in iam decisis & constitutis persistentes, reliqua quæ deesse videbantur suppleuimus. Neque enim gestorum aut decisorum relatio perfectè fuerat confecta, neque stabilita quædam, quæ maturiùs D consideranda supererant.

tertius in Hispaniam legatus

duobus aliis relinquunt negotium:

3 Postremò vt, sicut ab initio tres in totâ caussâ Auditores interuenerant, totidem in reliquo cursu ac fine interuenirent, placuit Sanctitati vestræ Ioannem Baptistam Pamphilium, Rotæ Auditorem, per speciale quoque rescriptum adiungere. Ceterùm, quoniam omnia iam ordinata & constituta fuerant, ei hoc in primis onus subeundum fuit, vt processus ipse diligenter euolueret atque consideraret, ne anteà ad relationem Sanctitati vestræ faciendam deueniremus, quà huic Auditori perinde ac nobis totius caussæ status plenè cognitus & exploratus foret.

quibus adiungitur alius tertius.

4 Atque vt rem satis vetustam, memorabilem tamen & relatione dignam, faciliùs & dilucidiùs proponeremus, visum fuit inprimis, distinctim & ordinatim procedendo, prout rei grauitas & qualitas materiæ requirebat, vniuersam caussam in tres potissimùm partes diuidere: in quarum primâ de processibus; in secundâ de pondere probationum in ijs contentarum circa sanctitatem & excellentiam vitæ seruæ Dei, in tertiâ de miraculis eius intercessione factis agendum censuimus ... Ex quibus tandem patebit sic esse omnia disposita, præparata atque probata, vt si Sanctitati E vestræ placuerit, hanc seruam Dei atque conciuem suam, clarissimum Vrbis mox totius orbis sanctitatis sidus, in Sanctorum & Sanctarum numerum referre, eamque venerandam & colendam Ecclesiæ vniuersali proponere possit. Vt autem iudicij & relationis huius veritas patentior & clarior habeatur, morem secuti maiorum, ab exordio natiuitatis inchoantes, piæ memoriæ mulieris vitam & primarias vitæ actiones breuiter & dilucidè Sanctitati vestræ proponere decreuimus.

Caussa tripartita proponitur,

cui summario vitæ & virtutum Sanctæ.

5 *Sequebatur ergo Summarium vitæ: quod quia totum & pene iisdem verbis, sed aliquanto contractioribus, in bullâ exprimitur, malumus eò lectorem remittere, si quem fortè contingat epitomen requirere post Vitæ historiam tam prolixam. Quod igitur attinet ad processus, quæ prima huius relationis pars est,* quatuor diuersi diuersis temporibus facti fuerunt in hac caussâ. Primus anno MCCCCXL quo beata serua Dei ab hac vitâ migrauit, à Sanctio Episcopo Bouensi & Fr. Ludouico Ordinis Carthusiensis Priore monasterij Sanctæ Crucis in Hierusalem de Vrbe: quos ad recipiendum testes super vitâ & miraculis beatæ seruæ Dei deputauit Andreas Episcopus Auximanus, Eugenij Papæ IV tunc in Vrbe & eius districtu in spiritualibus generalis Vicarius. Circa hunc processum modicus nobis fuit labor suscipiendus: nam F licet hic, tamquàm fundamentum futuri status caussæ, initium dederit alijs processibus: tamen de eo, tamquàm inualido, non fuisse habendam rationem censuimus: quia non habet solennitates necessarias; cùm sit processus informatiuus ad effectum inquisitionis, qui, iuxta veterem & probatum ritum Sedis Apostolicæ, præcedit commissionem caussæ & fit sine iuridicâ testium examinatione.

1 Processus informatiuus,

cur non adducatur in caussam

6 Secundò quia testes non deposuerunt medio iuramento, quod neque fuerat ab eis petitum: solum enim dicebatur eos prædicta deposuisse & testificatos fuisse in iudicio animæ suæ, pro solâ veritate dicendâ, omni humanâ gratiâ depositâ.... Tertiò, quia testes non fuerunt singulatim & separatim vnus ab alio & secretò examinati: sed plures simul constituti coram iudicibus; & interrogati super articulo eis vulgari linguâ lecto, simul respondebant; & Notarius vnicâ scriptione plurium testium attestationes recipiebat, contra formam à Iure præscriptam.... Diximus tamen hunc processum posse deseruire pro adminiculo veritatis, & alijs deinde legitimè confectis quasi prælucere, & indicare beatæ seruæ Dei coruscantem in vniuersâ Vrbe sanctitatem: cùm audito eius obitu, nemine impellente aut artificiose procurante, ingens hominum vtriusque

quamuis præluceat aliis.

A vtriusque sexus ad eius funus cohonestandum & sepulcrum piè venerandum concursus factus fuerit: quamobrem optimo iure tunc Vrbis Vicarius informationem super sanctitate & operatione miraculorum in genere, iuxta præscriptum sacrorum rituum Ecclesiæ Romanæ capiendum putauit.

2 anno 1443, in quo iurati testes 38 legitimè auditi.

7 Secundus processus fuit factus anno MCCCCXLIII: quo tempore quidam Ioannes de Bucceâ, tamquàm Procurator & syndicus Religiosorum Fratrum & Conuentus monasterij S. Mariæ nouæ de Vrbe ordinis Montis-Oliueti, coram Dominico Cardinali Firmano, vti subdelegato à Cardinale de Albertis, cui caussa commissa fuerat, comparuit & exhibuit septuaginta articulos, super quibus petijt testes examinari ad habendam veritatem, tam de gestis in vitâ quàm post mortem B. Franciscæ de Pontianis... Prædictos articulos sic productos recepit Ioannes Saffan Notarius. Deinde idem procurator produxit triginta octo testes super prædictis articulis examinandos: ex quibus testes masculi iurauerunt in manibus prædicti Cardinalis Firmani per acta cuiusdam Adriani Notarij: testes verò fœminæ iurauerunt in manibus Leonardi Nicolai de Buccamatijs notarij, qui omnes testes examinauit.... B Et licet hoc processu rarò vsi fuerimus in hac caussâ, cùm omnia in ipso contenta ordinatiùs & copiosiùs fuerint articulata & probata in tertio processu; quia tamen eo vtendi occasio se offerre poterat, visum fuit agere de illius validitate & respondere ad singulas difficultates, quibus oppugnari posse videbatur.....

3 an. 1451 ordinatior in quo testes 132.

8 Tertius processus ordinatus fuit anno MCCCCLI, anno videlicet IV Nicolai Papæ V, & anno XI ab obitu beatæ seruæ Dei. Iudices commissarij, deputati ad prosequendum negotium huius canonizationis cœptum tempore Eugenij Papæ IV & ad faciendum alium processum, fuerunt Episcopi Spoletanus & Mindoniensis.... coram quibus Magister Michaël de Prado, syndicus & procurator monasterij S. Mariæ nouæ de Vrbe, coram prædictis Commissarijs produxit positiones & articulos super quibus petijt testes pro parte suâ producendos examinari.... Produxit autem coram eisdem iudicibus testes masculos quadraginta quatuor & fæminas octoginta octo: qui omnes, tam masculi quàm fæminæ, coram prædictis iudicibus siue in eorum manibus, tactis scripturis sacrosanctis ad sancta Dei Euangelia iurauerunt dicere veritatem. Quod examen fuit cœptum die V Aprilis anni C MCCCCLI, & hoc ordine in hoc processu dispositum est: primò ponitur articulus & mox subsequuntur dicta testium, qui super articulo testificati fuerunt: & sic seruatur super omnibus articulis.

totius huius processus summarium.

9 In hoc autem processu distinctè ordinata sunt & vitæ sanctitas & operatio miraculorum, quæ ad effectum canonizationis probādæ erant, Nam I ponuntur XLVII articuli super actionibus beatæ seruæ Dei eiusdem sanctitatem indicantibus, quibus singulariter articulatur & per testes introductos probatur quidquid ipsa gessit in vitâ, vnde illius sanctitats elucceret. II ponuntur XXXVII articuli continentes miracula facta intercessione beatæ mulieris, dum in humanis ageret; in quibus articulantur XXXVII miracula, & super his testes deponunt. III subsequuntur LXXVIII articuli, quibus articulantur totidem miracula edita post felicem transitum beatæ Matris, computatis tamen XIII articulis additionalibus, quos idem procurator exhibuit producens prætereà XVII testes, qui similiter vt priores præstiterunt iuramentum legaliter de veritate dicendâ. IV continetur repetitio articulorum aliàs exhibitorum coram Dominico S. Mariæ in Via-latâ Cardinale Capranicensi, vulgò Cardinale Firmano nuncupato, iudice subdelegato à Cardinale de Albertis, de quibus fuit actum in secundo processu. V tandem continentur attestationes duorum Notariorum D Enrici & Danielis, qui iuramentis & examinibus testium in dicto processu contentorum interfuerunt, simulque sua signa apposuerunt, eidemque processui fuerunt inserta & suspensa sigilla prædictorum Iudicū Commissariorum cum cordulis rubei coloris: quæ sigilla licet hodie non reperiantur appensa, apparent tamen foramina quibus cordulæ inserebantur vnde sigilla dependebant. Prædictos verò Enricum & Danielem fuisse legales & publicos Apostolicâ & Imperiali auctoritate creatos testificantur Ioannes de Mazanchellis Auditor Cameræ: & ab his dictus processus fuit publicatus, & authenticatus die XIX Aprilis anno MCCCCLIII.

PER AVDITORES ROTÆ.

& approbatio.

10 Post maturam autem discussionem firmauimus, huic processui esse adhibendam fidem, illumque esse in formâ probanti, & testes fuisse rite & rectè examinatos: quia concurrunt omnes solennitates necessariæ... & quamuis contra eum fuerint à nobis aliquæ obiectiones consideratæ, tamen illas censuimus non esse releuantes, neque aliquo pacto obstare....

4 recens formatus.

11 Quartus processus nuper fuit à nobis factus annò proximè præterito. Cùm enim fuisset iudicatum oportere examinare aliquos testes ad probandam continuationem famæ sanctitatis & operationis miraculorum beatæ seruæ Dei, à tempore obitus illius & factorum processuum antiquorum vsque ad præsentem E diem; eo potissimùm consilio ordinatus hic fuit: de cuius validitate non dubitauimus: quia nos, qui præsentes fuimus & per nos ipsos testes examinauimus, omnem diligentiam adhibuimus, vt omnia legitimè fierent; eâ imprimis adhibitâ cautelâ, vt, quia de caussâ sacrâ agebatur, in loco sacro, scilicet in conuentu B. Mariæ supra Mineruam hoc iudicium exerceretur.

ad probandam continuationem famæ.

Harum probationum examen.

12 Post stabilitam fidem processuum & postquàm firmatum fuit testes fuisse rite & rectè examinatos, superest, iuxta seriem initio propositam videre pondera probationum in dictis processibus contentarum, respectu duorum ad canonizationem requisitorum, videlicet excellentiæ siue sanctitatis vitæ huius beatæ mulieris, & operationis miraculorum. *In hac parte tractantur & per articulos quatuordecim expenduntur singula puncta summarij in introductione adducti: quæ nihil attinet hic repetere: vti nec huius operis prolixitatem augere describendis eorum probationibus: cum ordinatiùs cuncta legi possint in Vitâ præcedenti, quæ tota ex his processibus est desupta. Satis igitur sit hîc admonere generaliter singula ferè probari per testes, qui vel visu vel auditu se cognouisse iurauerint cùm tertius processus formaretur, designato paginarum numero in* F *quibus singula continentur: exprimuntur etiam quandoque testium nomina, ac denique hoc vbique agitur vt cunctis pateat sic esse probata, vt iis in tali iudicio fides possit ac debeat adhiberi. Adduntur etiam Sanctorum Patrum & Doctorum loca, qui vel de talibus egere virtutibus, definiendo earum perfectiones & gradus, vel in productis actionibus singularibus, quales exercuisse B. Francisca probatur, perfectionis excellentiam sitam esse docuerunt. Sanctorum etiam quandoque admiscentur exempla, quorum sanctitas ex eiusmodi operibus declarata fuit & Ecclesiæ fidelibusque probata. Denique pars tota his verbis concluditur.* Et ex his omnibus censuimus probatum fuisse sufficienter, tum quia immaculatam & ab omni immunditiâ liberam vitam duxit, tum quia in omni virtute sese exercuit, tum quia corpus suum castigauit, & spiritus deuotionem & affectus pietatem coluit: tum denique quia firmam & constantem fidem bonis operibus cumulauit, atque munitam piè fideliterque retinuit & conseruauit.

hic omissum

qualis sit,

& quomodo concludatur.

§ II

A

PER AVDITORES ROTÆ.

§ II Partis tertiæ synopsis & miracula quædam in specimen aliorum plurium ritè probatorum.

Diuisio partis 3.

13 *Septem articulos hæc pars complectitur, quorum vltimum dabimus sequenti paragrapho, ex penultimo potiora quædam speciminis causâ hic excerpimus: primum in quibusuis recentioribus relationibus simili occasione excusis lector inueniet, ceteros intermedios censuimus nihil nouæ cognitionis adferre posse supra eam quæ ex præcedenti Vitâ habetur, nisi fortè testium numerum & nomina quæ tanti non esse putamus: ipsorum articulorum tituli hi sunt.*

ARticulus I De miraculis in genere.
II De miraculis beatæ seruæ Dei in vitâ.
III De tempore obitus beatæ famulæ Dei Franciscæ.
IV De modo eius obitus.
V De honorabili eius sepulturâ.
VI De miraculis beatæ famulæ Dei post felicem illius dormitionem.
VII De continuatione famæ sanctitatis & operationis miraculorum beatæ famulæ Dei Franciscæ.

B

Suauedentia mortui corporis

14 Consequenter egimus de miraculis, quæ omnipotens Deus dignatus fuit operari per merita famulæ suæ post felicem eius dormitionem in Domino. Ex multis autem pauca quędam, quę nobis visa sunt clariora, recensuimus: atque, vt, quantum fieri posset, in ijs recensendis ordo temporis seruaretur, initium ducere voluimus ab illo, quo Deus seruam suam recenter vitâ functam decorauit, suauissimo odore de illius corpore prodeunte.... quem sufficienter probatum & insigne continere miraculum pronuntiauimus: quia de cadaueribus mortuorum, pręsertim recenter vitâ functorum, fœtores potiùs quàm suaues odores prodire solent. Ceterùm Deus ad seruorum suorum sanctitatem manifestandam huiusmodi suauibus odoribus eos decorare solet: sunt enim non obscura sanctitatis indicia: ideoque in Vitis Sanctorum & Martyrum & Cõfessorum frequentia extant exempla similium odorum, quos Catholici miraculo tribuerunt....

miraculosa fuisse probatur

Faber lignarius à labenti trabe oppressus

15 Secundo loco referre placuit, quod contigit in personâ Petri Pauli de Molariâ carpentarij; qui, cùm in altum tolleret magnam trabem in ædificio, quod fiebat in domo Congregationis filiarum spiritualium B. Franciscæ, trabs cecidit super eum, & ab eâ ita oppressus remansit, vt insensibilis esset & mortuus videretur. Commendatus tamen famulæ Dei Franciscæ ab vnâ ex Consororibus eius, subitò reassumpsit vires & loquelam & liberatus fuit. Sic deponunt Iacobella quæ eum commendauit, & Paulus Collesonæ qui fuit præsens, & deponit quòd ipse cum alijs illum pro mortuo recolligebant, trabem cum magno labore amouendo, & quod cum maximâ admiratione huiusmodi miraculum receptum fuit à vicinis. Et ipse Petrus Paulus deponit quòd erat insensibilis, & firmiter credit se fuisse liberatum miraculosè precibus & meritis B. Franciscæ: quia trabs quæ super eum ceciderat, non solùm illum sed decem etiam homines, iudicio circumstantium, interficere debuisset. Mater etiam quæ cucurrit ad periculum filij dicit, quòd miraculosè euasit meritis B. Franciscæ: quia aliàs erat impossibile. Factum hoc censuimus sufficienter probatum & miraculo adscribendam Pauli huius incolumitatem: quoniam isti casus & oppressiones à rebus ponderosis supercadentibus non solent cõtingere sine læsione & conquassatione oppressorum; qui tametsi naturaliter viuere possint, non sine temporis interuallo vires salutemque recipiunt.

C

vi sine miraculo sanus euadit.

Peste tactus conualescit

16 Iacobus de Clarellis erat grauiter infirmus ex peste & medici de eius salute desperabant: Gentilesca eius soror eum commendauit B. Franciscæ, vouens visitare eius sepulcrum & offerre imaginem ceream & subitò meliorare cœpit & sanatus est: vt deponunt Vannotia eius vxor, quæ firmiter credit miraculosè fuisse sanatum meritis & precibus B. Franciscæ: quia iam à medicis derelictus in articulo mortis constitutus erat, & subitò post votum sanatus fuit. Et Iacobella de Claromontis dicit, quòd cùm Iacobus erat in articulo mortis constitutus, ipsa fuit vocata secundâ horâ noctis, quia crediderunt parentes illâ horâ infirmũ moriturum: & ipsa videns eum in periculo mortis prout etiam medici iudicabant, dixit Gentileschæ quòd eum commendaret B. Franciscæ: & de manè audiuit dici publicè à Gentilescâ, quod illâ nocte eadem horâ quando commendatus fuit B. Franciscæ subitò meliorare incepit, & sanatus est in totum infrà duos dies. Et Agnes dicit articulum verum: quia omnia vidit & præsens fuit, & à medicis audiuit quòd Iacobus moriturus erat: & quòd, postquàm commendatus fuit B. Franciscæ, audiuit dici publicè, quòd illius precibus & meritis liberatus fuit. Et Anastasia dicit etiam articulum verum: quia vidit Iacobum in periculo mortis cõstitutum ex peste, & præsens fuit quãdo Gentilesca cum deuotione commendauit eum B. Franciscæ pro recuperandâ sanitate & subitò meliorare cœpit, & sanus fuit, prout ipsa credit, miraculosè meritis B. Franciscæ. Idem etiam Iacobus in cuius personâ miraculum contigit, medio iuramento examinatus affirmauit, credere se miraculosè meritis seruæ Dei Franciscæ sanatum, ob magnam deuotionem quam erga eam habebat, cuius propterea imaginem in suo cubiculo depingi curauit. Factum hoc sufficienter probari & miraculo adscribendum censuimus, tum ex naturâ morbi iuxta ponderata superiùs, tum ex modo subsecutæ sanitatis, quæ fuit in instanti.... cetera verò naturali cursu acquisita deinde solidæ sanitatis præsidia non euacuauerunt miraculum.

D

statim ac votum pro eo fit.

E

Desperata ex peste

17 Angelotia similiter infirma ex peste propter incisionem morbi incurrit dolorem acerbissimum, & iam amiserat vnum latus, & caput continuò agitabat, ita quòd omnes eam aspicientes ex compassione plorabant: vouit si ab illâ infirmitate liberaretur ingredi Congregationem filiarum B. Franciscæ eique se commendauit, & facto voto visum fuit ei B. Franciscâ audire dicentem: Filia non morieris. Et subitò meliorare incepit, & successiuè sanata fuit: vt deponunt ipsa Angelotia, & alij plures testes: ex quibus aliqui dicunt, quòd erat in tali statu, quod Presbyter volebat ei dare extremam Vnctionem, & ipsa dixit quod non erat necessaria, quia ex illâ infirmitate non debebat mori. Et in specie Rector ecclesiæ S. Andreæ de Funarijs, qui vocatus accesserat pro dandâ extremâ Vnctione, quia erat constituta in articulo mortis, deponit, quòd Angelotia ei dixit: Non oportet, quia ex hac infirmitate non moriar: nam apparuit mihi B. Francisca, quę retulit quòd mori non debeo: & die sequenti vidit ipsam liberam, sibique locuta est cum admiratione fidelium: & credit miraculosè meritis B. Franciscæ, quia aliàs erat impossibile secundùm cursum naturæ. Prænarratũ factum probatum inuenimus per quinque testes idoneos, & non contigisse sine miraculo pronuntiauimus: quoniam grauitate morbi inspectâ non fuit possibile per consuetum naturæ ordinem in tam breui temporis interuallo ægrotam sanari....

F

intelligit se non morituram.

Adhibito panno B. Franciscæ

18 Angelotia, filia Antonij dello Cieco, vna ex consororibus B. Franciscæ, cùm per aliquot dies passa fuisset & continuò pateretur intensissimas febres, accidit sibi gutta super linguam & brachium, & statim muta effecta fuit: & cùm esset diffidata à medicis, affirmantibus quòd nocte sequenti erat moritura, Iacobella vna ex Consororibus eam commendauit B. Franciscæ, & accepto libro in quo Officium dicere consueuerat illa Beata eoque supra pectus posito, subitò recepit loquelam: & postea ponens illum super eius caput in totum liberata fuit sine recidiuatione. Ita deponunt ipsa Angelotia, Ioanna vxor Antonij dello Cieco, Hieronyma

A ma & Iacobella, quæ fuerunt præsentes: & comprobatur per plures alios testes, quorum primus Fr. Bartholomæus Prior monasterij S. Sabinæ de Vrbe dicit articulum verum, quia præsens fuit, & vidit ipsam Angelotiam in extremis, vt articulatur, constitutam, & interfuit quando medicus dixit quòd ei daretur extrema Vnctio, asserens quòd non erat in eâ spes vitæ: & incontinenti ipse testis audiuit ab Angelotiâ hæc verba: Credo firmiter quòd B. Francisca est Sancta, sicut dicitur. Et ignorans de appositione libri admiratus fuit de subitâ cõualescentiâ, & audiuit dici à Iacobellâ & alijs consororibus, quòd cum deuotione apposuerant librum B. Franciscæ, cui eam recommiserant orationibus; quodque ipse fuit admiratus de miraculo laudans Deum.

sanatur infirma

19 Et Rentia, Relicta quondam Hieronymi speciarij deponit, quòd vidit Angelotiam pati hanc infirmitatem & præsens fuit quando medicus dixit & iudicauit horâ Vesperarum quod nocte sequenti moreretur: & propterea ipsa videns quòd amiserat loquelam & in eâ non remanebat spes vitæ, redijt domum: & reuerà manè sequenti credens illam decessisse, intellexit ab illis de domo qui sibi obuiã venerunt, quòd Angelotia reconualuit & perfectè loquebatur. Ipsa verò laudans Deum intrauit cameram infirmæ, in quâ ipsam liberam à dictâ infirmitate inuenit, & perfectè loquentem pluribus præsentibus audiuit: & admirata de subitâ conualescentiâ audiuit à consororibus, quòd postquàm fuerat B. Franciscæ commendata cœpit loqui & meliorari. Et similiter Rector parochialis ecclesiæ S. Andreæ de Funarijs deponit, vidisse ipsam in articulo mortis constitutam, eique extremam Vnctionem [tulisse] & audiuisse à Magistro Simeone, medico expertissimo, quòd de dictâ infirmitate sanari non poterat nisi miraculosè: & eadem die in sero vidit illam liberatam, & audiuit à consororibus prout res successerat. Hoc etiam probabat Palotia Antonij Cecci, quæ dicit vidisse Angelotiam infirmam, prout articulatur & à medicis derelictam: & posteà eadem die vidit & audiuit ipsam loquentem & melioratam, & audiuit ab illis de domo, quòd postquàm fuit recommendata B. Franciscæ cœpit conualescere vt articulatur. Hoc etiam factum & legitimè probatum & vero miraculo deputandum censuimus.

B *amissâ loquelâ morti proxima*

20 Miracula hactenus relata ex antiquis processibus, de quibus in primâ parte huius relationis abundè dictum fuit, desumpta selectaque fuerunt: sed cùm nec recentia defuissent eorum quoque mentionem facere oportuit. Nam sicut à tempore obitus huius famulæ Dei, vsque ad præsentem diem fama sanctitatis deriuata, semper eam laudabiliter commendauit; ita operatio miraculorum eamdem famam illustriorem effecit ac roborauit. Quamquàm autem plura in vltimo processu probari potuissent, quia tamen id instituti ratio non exigebat, alijs omissis, vnum quod visum fuit illustrius in hæc Acta referendum & hoc loco recensendum censuimus.

Alia quoque recentia facta miracula,

C

21 Fuerat quidam Bely natione Turcus, valdè in suâ sectâ obstinatus: qui cùm ante viginti annos in triremibus Turcarum piraticam exerceret, à Christianis captus & ad hanc vrbem deductus, à multis magnæ auctoritatis viris, etiam Patribus Purpuratis, sæpè inductus & rogatus fuit, vt Christianus fieret. Sed cũ ille obdurato corde & rebelli animo omnes pias admonitiones sæpè repulisset: tandem anno MDCIII carneum induens cor, intercessione seruæ Dei Franciscæ, Christum per Dei misericordiam agnouit. Seruiebat eodem tempore Bely Marchioni Malaspinæ, triremium Sanctissimi Domini nostri Præfecto. Nobilis Matrona Catharina Malaspina Marchionis soror eum ad domum Oblatarum Turris-speculorum cum quibusdam munusculis, vt fieri solet, aliquibus dicti monasterij Oblatis & præsertim Sorori Maximillæ Accarombonæ offerendis sæpè mittere solebat. Inde sumptâ occasione, cùm aliquæ ex dictis Oblatis cuius sectæ esset cognouissent, frequenter inducere conabantur, vt relictis Mahometanæ sectæ tenebris, ad Euangelij lucem respiceret; offerentes se Deum ac B. Franciscam pro eius conuersione rogaturas: quod ille animo obstinato repellendo & in suâ induratione persistendo semper se facturum negauit. Denique per plures persuasiones Soror Maximilla hoc solum obtinere vix potuit ab infideli, vt hæc verba sæpè pronuntiaret: B. Francisca recordare mei.

in quibus conuersio Turci obstinati,

agreẜ. inducti

D *PER AVDITORES ROTÆ.*

vt saltem S. Frãciscæ se commendaret:

22 Interim dum hæc verba infidelis, sicut promiserat, repeteret, & Oblatæ Turris-speculorum Deum & B. Franciscam orarent, vt hominem paganum illuminaret; meruit quodam noctis tempore circa horam septimam, dum alto somno tenebatur, puerum in eâ formâ, quâ Angelus vnà cum B. Franciscâ depingi solet, in somnis videre, qui à se eleëmosynam peteret. Post quam visionem expergefactus valdè admiratus fuit de visis in somno. Manè autem facto visionem narrauit conseruis & Dominæ Catharinæ, quæ illum iuxta solitum ad domum Oblatarum transmisit: ad quam magnâ cordis lætitia Turcus accessit, & narrans Sorori Maximillæ quæ viderat in somno, & describendo habitum pueri qui sibi apparuerat, conuersus ad imaginem B. Franciscæ ibidem existentem, deprehendit puerum quem viderat eumdem esse cum illo qui cum B. Franciscâ depingitur: & Christianum se velle fieri professus est. Et sine morâ fidei rudimentis instructus, vnà cum baptismo Francisci nomen accepit, eò quòd B. Franciscæ ope & intercessione tantum beneficium accepisset.

quo facto videt Angelum eius in somnis,

E

& baptizatur,

23 Hanc infidelis conuersionem, quam idem ipse Bely & duæ consorores Turris-speculorum conformiter retulerunt, nos consideratis omnibus circumstantijs quæ in eâ interuenerunt miraculosam fuisse censuimus. Nam licet S. Thomas dicat iustificationem propriè loquendo, tametsi à solo Deo fiat, non dici miraculum, quia naturaliter anima est gratiæ capax: nihilominus tamen idem verè asseruit, tunc dici miraculosam, quando iustificationis modus à communi cursu recedit: sicuti nobis istius conuersionis modus, consideratis pluribus circumstantijs recedere visus fuit: tum propter longam & inueteratam hominis obstinationem, qui sæpè hortationes & admonitiones repudiauit: tum quia diu inter Christianos versatus numquàm eorum moribus & religioni se accommodauit: tum quoniam muneribus quandoque inuitatus obstinatâ mente in suâ perfidiâ perseuerauit: tum etiam quia ista conuersio fuit subita & incontinenti executioni demandata. Cùm enim, vt inquit idem S. Thomas, consuetus cursus iustificationis sit, vt Deo mouente interiùs animam homo conuertatur ad Deum; primò quidem conuersione imperfectâ, vt postmodùm ad perfectam deueniat; quia caritas inchoata meretur augeri, & aucta meretur perfici: in hac conuersione iste modus non videtur sic fuisse seruatus, vt dici possit sine miraculo contigisse. Cùm Deus huius infidelis animam tam efficaci motione interiùs mouerit, vt non ampliùs cunctando sed diuinæ motioni consentiendo, Christi fieri lætabundus & voluntarius adhærere decreuerit, sicuti euentus subsecutus demonstrauit....

quod miraculo tribuendum

F *propter subitã mutationis modum insuetum.*

§ III *De continuatione famæ & miraculorũ attestantium sanctitatem B. Franciscæ.*

24 QVoniam ab anno MCCCCLI, in quo fuit factus vltimus processus, non extabat iuridica probatio super continuatâ famâ sanctitatis & operatione miraculorum huius humilis seruæ Dei.... propterea super hoc articulo anno MDCIV nouum processum formandum censuimus: in quo super formatis priùs à nobis

An. 1604 noui testes affirmant Franciscã vt Sanctã,

PER AVDITORES ROTÆ.

A nobis opportunis articulis, multi testes ciues Romani & Nobiles prouectæ ætatis, medio iuramento examinati, testificati fuerunt, & concludentes probauerunt seruam Dei Franciscam semper fuisse habitam & nominatam pro Sanctâ : eius sepulcrum in ecclesiâ S. Mariæ-nouæ semper fuisse habitum ac haberi in magnâ veneratione, & sanctæ mulieris sepulcrum reputari: eius imaginibus (quas Romæ Ritractos vocant) fieri inclinationes & genuflexiones, sicut imaginibus aliorum Sanctorum & Sanctarum; & tamquàm tales in multis ecclesijs & sacellis iam olim fuisse depictas.

imagines & sepulcrũ honorari,

seruari festum,

25 Adhæc diem obitus eius haberi festum. & magnâ populi Romani frequentiâ singulis annis die IX Martij celebrari, & de laudibus eius cum interuentu multorum Cardinalium & Prælatorum orationem haberi, Populumque Romanum in illius honorem eodem die donare calicem argenteum, cum quadam ceræ quantitate: sicut in diebus festis aliorum Sanctorũ Romanorum fieri consueuit. Eodem die festo in Curiâ Capitolinâ ius non reddi, sed feriari perinde ac in festis multorum aliorum Sanctorum. Eiusdem beatæ Dei famulæ indumenta cum magnâ veneratione seruari in domo consororum Turris-speculorum & tamquàm reliquias Sanctorum honorari, & ad ægrotantes sæpe deferri, ex eo quòd Christi fideles in suis infirmitatibus & tribulationibus magnam in eis fiduciam habeant. In eadem domo Turris-speculorum ex instituto eiusdem Franciscæ quoddam vnguentum cõfici, quod plurimùm valet ad sanandas infirmitates oculorum, ideoque pro eo habendo frequentem concursum ad eamdem domum fieri solere. Cùm enim ista omnia non alijs quàm Sanctis conueniant, apertè declarant opinionem & famam eius sanctitatis absque fraudibus & illusionibus vsque ad præsens tempus fuisse continuatam.

vestes pro reliquijs haberi, B

vnguentũ confici,

miracula iam olim depicta extare,

26 Præter testium legitimas depositiones concurrebant plurima alia, eamdem continuationem non obscurè persuadentia: nam anno MCCCCLXIX in eadem domo consororum Turris-speculorum in quadam camerâ, quæ fortasse pro ecclesiâ seruiebat, depicta fuerant, sicut adhuc conspiciuntur, multa miracula, quæ Deus illius meritis & intercessione facere dignatus fuerat, cum inscriptionibus vulgari sermone conceptis, quo tunc populus Romanus vtebatur. Anno MCCCCLXXXVII Ioannis Broccardi Magistri ceremoniarum sacri Palatij annotatio in bibliothecâ Vaticanâ reperta fuerat cum hac inscriptione: Ordinanda pro canonizatione B. Franciscæ Pontianæ mulieris Romanæ. In hac annotatione continebatur catalogus impensarum in canonizatione faciendarum, & nota eorum quæ sunt necessaria pro canonizatione celebranda. Quæ præparatio cùm fieri non consueuerit nisi paullò ante actualem canonizationem, facilè inferebatur caussam tunc sic fuisse instructam, vt ad actualem canonizationem deueniri potuisset.

an. 1487 cuncta pro canonizatione fuisse ordinata, C

& 1494 decretum fuisse festũ Romæ:

27 Supradictis accedebat antiquum statutum Populi Romani, conditum anno MCCCCXCIV & confirmatum à Sede Apostolicâ tempore Alexandri Papæ VI vbi lib. 4 cap. 27 inter alios dies, festus huius seruæ Dei dies seruari iubetur his verbis: Mense autem Martij S. Agathæ quintum diem & B. Franciscæ, Nobilis Romanæ, nonum diem inter festos dicauit. Hæc ibi. Et cùm initio eiusdem statuti dicatur, quòd pia & laudabilis consuetudo plurimos dies festos in honorem Sanctorum recepit, consequenter inferebamus, iam tunc consuetudine receptum fuisse, vt in honorem B. Franciscæ dies festus in Populo Romano ageretur. Neque potest dici id temerè aut subreptitiè, latenter & fraudulenter factum: cùm Populus Romanus, qui semel à Beatis Apostolis Petro & Paulo receptam Catholicam fidem constanter retinuit ac retinet, omnem hæresim ac vanam superstitionem viriliter repellendo, non aliter quàm consulto Romano Pontifice & caussâ cognitâ id in suis legibus municipalibus relaturus foret. D

28 In diarijs eiusdem Ioannis Broccardi & Paridis de Grassis, Magistrorum ceremoniarum sacelli Pontificij, anno MDV & MDVI, MDXXXVI, VII & VIII notatum legebatur, quòd pro anniuersario obitu Franciscæ Romanæ aliàs Ceccarellæ fuit celebrata Missa solennis ab Episcopo in ecclesiâ S. Mariæ-nouæ cum interuentu multorum Cardinalium & oratione in eius laudem. Libro V Commentariorum Pij II in hæc quoque verba scriptum reperimus: Nobis supplicatum est vt Catharinam Senensem, Rosam Viterbiensem, & Franciscam Romanam sanctis Christi Virginibus seu Viduis adscribamus. Digna res! nam & virtutes suas id credimus meruisse. Hactenùs ibi. Raphael quoque Volaterranus lib. 11 Commentariorum Vrbanorum scribit, Iulium II statuisse iamiam referre in catalogum Sanctorum Franciscam Romanam Matronam, quæ sub Eugenio prodigijs ac sanctitate claruerat.

Missam solennem in anniuersario solitam celebrari:

mentem de Beatâ Canonizandâ Pij II E *& Iulij II,*

29 Communem & frequentem hanc famam augebant & grauiter confirmabant plures imagines iam olim in multis ecclesijs & sacellis Vrbis cum diademate depictæ, quod solis Sanctis conuenire notum est. Beatrix quoque Gaetana nobilis matrona Romana, anno MDCIV in hoc processu examinata referebat, se inter scripturas Angeli de Cæsijs Aduocati Consistorialis habuisse Orationẽ vel partem illius, quæ de more habenda erat in Consistorio publico tempore Clementis VII pro petendâ actuali Canonizatione huius beatæ mulieris, quam etiam orationem Dominus Cardinalis Cæsius eius filius verbo affirmabat se vidisse, & præ manibus quandoque habuisse. Postremò his quoque temporibus à Summis Pontificibus reperiebantur sæpè concessæ Indulgentiæ visitantibus ecclesiam B. Mariæ-nouæ, vbi venerabile corpus Franciscę requiescit, in die quo migrauit ad Dominum. Ex quibus omnibus sufficienter collegimus probari continuationem famę sanctitatis huius seruę Dei à tempore obitus illius vsque ad pręsentem diem.

diadema in imaginibus

Orationem pro canonizatione scriptam,

Indulgẽtias concessas in die festo.

30 Prędictis omnibus maturè discussis, vno assensu conclusimus, Pater Beatissime, processus in hac caussâ productos, excepto primo, fuisse legitimè ordinatos, & probationes in eis contentas esse sufficientes & caussam benè instructam consequenter esse in tali statu, vt si Sanctitati vestrę placuerit, possit hanc famulam Dei Franciscam solenni ritu, vt moris est, canonizare & vniuersali Ecclesię proponere colendam ac venerandam &c. F

Conclusio totius relationis.

Et ita referendum esse Sanctitati vestræ censuimus

Ego Franciscus Penia Rotæ Decanus.
Ego Horatius Lãcellottus Rotæ Auditor.
Ego Io. Bapt. Pamphilius Rotæ Auditor.

X MAR-

X MARTII.

SANCTI QVI VI IDVS MARTII COLVNTVR.



SANCTVS Caius, S. Alexander, — Martyres Apameenses in Phrygiâ.

S. Codratus, S. Dionysius, S. Cyprianus, S. Anectus, S. Paulus, S. Crescens, — Martyres Corinthi in Peloponneso.

S. Quirion, S. Candidus, S. Domnus, S. Meliton, S. Domitianus, S. Eunoicus, S. Sisinius, S. Heraclius, S. Alexander, S. Ioannes, S. Claudius, S. Athanasius, S. Valens, S. Helianus, S. Ecditius, S. Acacius, S. Vibianus, S. Helias, S. Theodulus, S. Cyrillus, S. Flauius, S. Seuerianus, S. Valerius, S. Chudion, S. Sacerdon, S. Priscus, S. Eutychius, S. Eutyches, S. Smaragdus, S. Philoctimon, S. Aetius, S. Nicolaus, siue Micallius, S. Lysimachus, S. Theophilus, S. Xantheas, S. Angias, S. Leontius, S. Hesychius, S. Caius, S. Gorgonius, — XL MARTYRES Sebastiæ in Armeniâ minore.

S. Petrus Episcopus Sebastenus in Armeniâ minore.

S. Meliton, & socius. — Martyres, Venetiis

S. Gorgonius Palatinus, S. Firmus, siue Firminus, — Martyres Nicææ in Bithyniâ.

S. Agapa, S. Mariana, seu Marina, — Virgines & Martyres Antiochiæ.

S. Marcianus Martyr. apud Græcos Sancti Quadraginta duo Martyres in Perside.

S. Palatinus, S. Firmianus, S. Rusticus, — Martyres Nicodemiæ.

S. Victor Martyr, in Africâ.

S. Macarius, Episcopus Hierosolymorum.

S. Kessogus, Episcopus in Scotiâ.

S. Droctoueus, Abbas Monasterij S. Germani Parisijs.

S. Anastasia Patricia, in Ægypto.

S. Attalas, Abbas Bobiensis in Italiâ Ordinis S. Columbani.

S. Æmilianus, Abbas Latiniaci in territorio Parisiensi.

S. Hemelinus Presbyter Fenaci in Brabantiâ.

B. Andreas, Abbas Congregationis Vallis-vmbrosæ in Hetrutiâ.

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Anctæ Agnetis Virginis Translatio ad ciuitatem Catanensium. *Ita additiones MSS. Carthusiæ Bruxellensis ad Martyrologium Vsuardi, ab Hermanno Greuen Carthusiano Coloniensi auctum, & anno* MDXV *&* MDXXI *excusum. Verùm hæ additiones sunt suspectæ circa hanc* S. Agnetis Translationem. *Egimus latè de* Reliquiis S. Agnetis XXI *Ianuarij, quarum aliquæ Romæ sunt in variis templis, sed potissimùm in suburbano à S. Constantiâ filiâ Constantini Magni ædificato, & à Pontificibus Liberio, Honorio I, Adriano I, Iulio II, Leone XI & Cardinale Sfondrato ornato, vbi Paulus V sacras has exuuias in arcâ argenteâ pretij quinque millium nummorum aureorum recondidit. Aliquæ etiam Reliquiæ fuerunt in Galliâ apud Villam-Viduam iuxta Ligerim, inde Vltraiectum translatæ à Baldrico Episcopo. Aliæ dicuntur Constantinopolim & inde in Hispaniam translatæ: & harum Translationum historias edidimus. Suspicamur autem hîc legi debere* Translationem S. Agathæ Virginis ad ciuitatem Catanensium. *Cùm Siciliam à Saracenis occupatam recuperasset Maniacus Exarchus à Michaële* IV *siue Paflagone Imperatore missus, S. Agathæ Reliquias transtulit Constantinopolim circa annum Christi* MXL. *Verùm ob mandatum S. Agathæ apparentis Gislibertus Calaber dictas reliquias cautè abstulit anno* MCXXVI, *quæ multis claræ miraculis fuerunt Catanam translatæ* XVII *Augusti: cuius Translationis historiam, auctore Mauritio Episcopo Catanensi scriptam edidimus ad diem eius natalem. Potuit hoc die aut noua ibi contigisse translatio; aut alia ratio venerationis obtigisse ob miracula aut apparitionem ipsius Sanctæ. Coluntur autem dicta S. Agnes Virgo & Martyr Romana* XXI Ianuarij *& S. Agatha Virgo & Martyr, Catanæ occisa* V Febru.

S. Phronis Smyrnæ *ponitur apud Bedam excusum & Rabanum &* Phonis *seu* Phionis *in Martyrol. S. Hieronymi & eodem Parisiis editio iterùm* Pionis. *Refertur* XII *huius in variis MSS. & auctario Greueni ad Vsuardum* S. Pionius Presbyter & Martyr Smyrnæ, *cui & alius* Pionius, Pionis *aliis aut* Pœnis *adiungitur, qui fortè hîc* Phronis *&* Phonis *dicitur: quod hîc monuisse sufficit. Acta dedimus* I Febru.

S. Apollonia Virgo *Officio nouem lectionum colitur secundùm Breuiarium S. Isidori Muzarabicum. Edidimus Acta eius in* IX *Lectiones distributa ex Breuiario Ecclesiæ Eborensis in Lusitaniâ anno* MDXLVIII *excuso, sed in hisce multa memorantur, quorum nullum alibi vestigium extat, quæ videntur ex gestis S. Eulaliæ (quæ* XII *Februarij dedimus) conformata. Fuerunt aliquæ S. Apolloniæ reliquiæ in Hispaniam delatæ, & asseruantur etiamnum in Ecclesiâ Placentinâ. Reliqua de S. Apolloniâ latè deduximus* IX Febr.

S. Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis Translatio. *prima facta triginta post eius obitum diebus, recolitur in MS. Martyrologio Bruxellensi Ecclesiæ primariæ S. Gudilæ vrbis Patronæ dicatæ, quando ex monasterio Altimontensi prope oppidum Malbodium in Hannoniâ, ad quod fuerat à Pippino Herstallio in exilium missus, ad Fontanellense S. VVandregisili monasterium est delatum. Dedimus Vitam eius* IX Febru.

Equitius Abbas *inscriptus MS. Kalendario Sanctorum S. Benedicti. Vitam dedimus* VII Martij.

B. Stephanus Abbas Obazinæ *Ordinis Cisterciensis memoratur à Menardo, Bucelino, Saussaio; vt diximus ad vitam* VIII Martij.

Felix, Philippus, } Martyres *inserti MSS. Martyrologiis. vt diximus, cùm eos inter Afros Martyres retulimus* IX Martij.

Bosa Archiepiscopus Eboracensis, *memoratur à Menardo & aliis. De eo egimus* IX Martij.

Domitiani Martyris reliquias Tuscaniæ adseruari *&* hoc die celebrari eius solennitatem *asserit Ferrarius ex eius Ecclesiæ tabulis. Duos Martyres Domitianos & Presbyteros referimus* XIII *Martij, an aliquis horum sit, num diuersus, nos latet. Potiùs credimus esse illum, qui inter Martyres Sebastenos hoc die refertur.*

Gorgonius, Firmus, Antonius, Agapa, } Martyres in Asturibus vrbe Britoniâ, *aut alibi in Hispaniâ passi, aut saltem eò translati ex vrbe Nicæâ referuntur in Martyrologio Hispanico. Est in his* Agapa *passa* Antiochiæ, *pro quâ vrbe positus* Antonius *infrà ad reliquos Martyres ostenditur, & res tota dilucidatur.* Gorgonius *in aliquibus* Gordianus *videtur dici.*

S. Creticia, S. Criduana, } Virgines & Martyres *memorantur à Greueno in Auctario Vsuardi. Hactenus ignotæ. An Vrsulanæ, necdum audemus coniectare.*

S. Cypriani Martyris festum Bononiæ ad S. Franciscum, vbi eius corpus requiescit. *Ita Masinus in Bononiâ perlustratâ. Vidimus ipsi in ecclesiâ S. Francisci reliquias certè admodum illustres, ac petiuimus Catalogum Sanctorum, quorum Officia celebrantur ob insignes reliquias ibi adseruatas: quem accepimus cum nomine Guardiani, qui tunc temporis, id est anno 1660, erat Frater Innocentius, absque mentione huius S. Cypriani, quod hîc indicare voluimus, ne aliquid Sancto huic detraheremus: imò ad epistolas posteà hac de rescriptas, responsum non obtinuimus*

Siluia *siue* Syluania Virgo, soror Ruffini Præfecti Ægypti, in Thebaide austeram vitam duxit, diligens in bonis libris perlegendis. *Laudatur in Lausiacâ historiâ Palladij c.* 142 *&* 143 *& in Paradiso Heraclidis c.* 42. *Inter Sanctos, quorum diem natalem ignorauit, retulit Petrus de Natalibus lib.* II *cap.* 51: *eamq; ad hunc diem Martyrologio Anglicè scripto inseruit VVitfordus.*

Syluester Episcopus *hoc die inter Hibernos sanctos primùm in Tamlactensi martyrologio locum tenet: eum Colganus S. Palladij socium facit, quem ex S. Patricij Actis habemus cum Salonio socio in Hiberniâ relictum à suo magistro, atque in ecclesiâ de Domnach-Arde honorari: sed hunc vel* X *Martij obiisse vel Episcopali gradu ab aliquo subuectum fuisse nusquam legitur: vnde nec constat eum esse, qui nominatur hoc loco.*

Sedna, *quem Hibernica Hagiologia hoc die memorant, Colganus dubitat, an ille sit de quo S. Fintani Vita* XVII *Febr. data: quemque ipse credit Sagirensem Episcopum esse in S. Moluani Cluainfertensis Vitâ nominatum: an verò alius S. Senani discipulus, de quo nos in actis magistri egimus* VIII *huius mensis die. Sed Colgano dubitante, eò minus possumus definire quidquam, quòd nulla sufficiens appareat ratio dicendi, vnum è duobus vel tribus illis esse, qui hîc nominatur.*

Failbeus exiguus Abbas Hiensis, *Tamlactensi martyrologio & Mariano Gormano nominatus, S. Killeno circa annum* DCCXLVII *vitâ functo succedens, septennio dicitur Archi-cœnobio illi præfuisse: an aliquo speciali cultu sui eum fuerint à morte prosecuti, non satis nobis liquet ex fastis citatis.*

Fersugillum Episcopum *ex modò citatis fastis habet Colganus, Sedem verò de Cluaindolcain (quæ est in finibus Lageniæ nunc Episcopatui Dublinienis annexa) tenuisse, atque anno* DCCLXXIII *excessisse ex hac vitâ à Quatuor-Magistrorum Annalibus sumpsit. Nos Ecclesiastici cultus indicia certiora requirimus.*

Macruadenus *quamuis in Tamlact. Martyrol. & apud Marianum nomen habeat hoc die: est tamen Colgano æquè ac nobis ignotus.*

Finianus *aliquis in* Hiberniâ *traditur hoc die coli à Colgano*

gano ad diem 15 *Februarij, pag.* 347 *notatione* 24: *cuius interim hoc die non meminit.*

S. Crode ex monacho Episcopus in Angliâ. *Bucelinus citato Andreâ Bambergensi: neque aliud ait licuisse indagare.*

Ioannes Eremita Cellarum *Ordinis Vallis-vmbrosæ hoc die in fastis Benedictinorum refertur cum titulo* Sancti *vel* Beati: *nobis quia de cultu non constat, satis habuimus quædam de eo subiungere dicendis hoc die de B. Andreâ de Strumis, eiusdem Ordinis Abbate, & titulo abstinere.*

Richardus in cœnobio S. Victoris prope Parisios Canonicus Regularis, *obijsse traditur* VI *Idus Martij anni* MCXXXII, *vir eruditionis doctrinâ & virtutum exercitijs conspicuus. Ipsi apud religiosissimos huius cœnobij Canonicos, quorum humanitati & beneuolentiæ plurimum debemus, nullam venerationem Ecclesiasticam huic tribui didicimus.*

Wirnto Abbas Formpacensis, *miraculis & sanctitate clarus, hoc die anno* MCXXVII *mortuus, refertur cum titulo* Beati *à Bucelino: apud quem maius elogium legi potest.*

Christiana, Virgo Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis Monasterij Nazareth, *cum titulo* Beatæ *memoratur à Chrysostomo, Henriquez, Bucelino & Arturo. Inter pias censetur à Saussaio.*

Petrus à Catanio S. Francisci Socius, & Vicarius Generalis, *quinque ante illum annos mortuus, & clarus miraculis refertur à Iacobillo de Sanctis Vmbriæ, & ab Arturo à Monasterio in Martyrologio Franciscano: à quibus varij, qui de eo scribunt, referuntur,* Beatus Confessor *etiam appellatur, non indicatâ tamen facultate publica ei concessæ venerationis.*

Andreas Guez à Caluinistis in Normanniâ occisus,
Alphonsus de Salonâ in Mexico,
Antonius Laicus in Hispaniâ,
Christina in Vmbriâ,
} Ordinis S. Francisci *memorantur cum titulo* Beati *in Martyrol. Franciscano Arturi, vti iterum Christina in eius Gynecæo.*

Ioannes Abbas Pasleus
& alius Abbas Sauliensis
} *Ordinis Cisterciensis, Lancastriæ anno* MDXCVI *occesi memorantur cum titulo* Beati *ab Henriquez & Bucelino: vti etiam*

Gelasius Abbas Ordinis Cisterciensis in Hiberniâ anno MDLXX mortuus.

Ioannes Ogilbeus Societatis Iesu Presbyter *hoc die anni* MDLXV *Glasguæ in Scotiâ ab hæreticis in odium fidei orthodoxæ in patibulo suspensus obijt: cuius vita & & Martyrium extat Duaci & Herbipoli excusum. Vidimus Romæ epistolam eius propriâ manu exaratam, quam ibi descriptam, ne pereat, hîc damus. Et est huiusmodi.* Catholice Lector. Pax Christi. Ego Iohannes Ogilbeus, Societatis Iesu Sacerdos, pro verâ fide ante quatuor menses captus Glasgouij, centum & ampliùs librarum ferro terræ affixus iaceo, supplicium exspectans. Testor harum latorem Gulielmum Monteth, multa in libertate pro fide fecisse, multaque in carcere quatuor his mensibus tulisse, insuper & Iudicis sententiâ morti damnatum fuisse. Quare si euadere illum contingat, memores erunt Catholici, ad quos venerit, charitatis Christianæ, dabuntque operam, ne quid ipsi deerit eorum, quæ sunt ad vitæ vsum necessaria. Datum è carcere Glasgouiensi furtim & raptim. 29. Ianuarij 1615. *Idem, qui suprà Ioannes. Filius huius Guilielmi, natus illo anno* 1615 *in Martio, seruabat dictam epistolam, & ipse Guilielmus Montesius, Societatis* IESV *Sacerdos, Romæ anno* 1661 *Socius P. Athanasij Kircheri in libris edendis. Vnde tunc profectus in Northumbriam, inter Sacros labores in conuertendis hæreticis, & orthodoxis conseruandis mortuus est.*

S. Heraclius
S. Zosimus
} Martyres *referuntur in MS. S. Hieronymi, & apud Rabanum & Notkerum & Alexandriæ attribuuntur: coluntur in plerisq; Martyrologijs, sed* Carthagini *adscripti* XI Martij.

S. Candidus,
S. Valerius,
S. Petrus,
S. Marcianus,
Socij XII
} Martyres *referuntur in MS. S. Hieronymi & Richenouiensi: in hoc Sociorum non est mentio. Est* Candidus *in Adone MS. Reginæ Sueciæ, & Treuirensi S. Martini. At* Candidus & Valerius *in MSS. Tornacensi & Laetiensi leguntur. Qui hîc* Petrus *est,* Petronius *dicitur, alijs & corruptè* Pennus. *An Alexandriæ, num verò Carthagine passi, inquirimus* XI Martij.

S. Kennocha Virgo in Scotiâ *memoratur in Gynecæo Arturi à Monasterio, sed referenda ad* XIII Martij.

Longinus miles ex prouinciâ Isauriâ, sub Claudio anno 45, *passus refertur hoc die in Kalendario Molani citatis Iannensi, Vincentio & Antonino. De eo agemus* XV Martij.

Hugo Archiepiscopus Rotomagensis *memoratur in Martyrologijs MSS. Bruxellensi, Neapolitano, Florentino, Pulsaniensi & Florario. Colitur* IX Aprilis.

S. Suiberti,
S. Tamconis,
& VI aliorum
} Episcoporum Verdensium in Saxoniâ inferiore corpora *hoc die translata sunt anno* MDCXXX *à Francisco Guilielmo Episcopo Verdensi. De eâ translatione agemus ad Vitam dicti S. Suiberti die* XXX Aprilis.

S. Congellus Abbas in Hiberniâ *memoratur à Molano in Auctario Vsuardi primæ editionis, citato ad marginem* capite 3 Vitæ S. Columbani: *quo loco agitur de* Congello Abbate Benchorensi. *Molanum sequuntur Canisius in Martyrologio Germanico, Dempsterus in Scotico, & Ferrarius in Catalogo generali: quem reprehendit Colganus in Actis Sanctorum Hiberniæ ad hunc diem, ac negat vel verbum de Congello apud Molanum haberi, sed hanc editionem non videtur vidisse. Asserit verò Colganus S. Congellum coli* X Maij.

Luciani & Antonij corpora *inuenta hoc die Calari in Sardiniâ, quos Dionysius Bonfantus in Triumphis Sanctorum regni Sardiniæ arbitratur Martyres fuisse lib.* I *cap.* 8 & 16, *& dies obitus Antonij deest, Luciani indicatur, quando, si martyrij certa scientia proferetur, de vtroque agi poterit* XXVIII Maij.

S. Viti Martyris Translatio ad Corbeiam Saxonicam, *inscripta est MS. Florario, antiquo Martyrologio Coloniensi, Auctario Greueni ad Vsuardum, Fastis Gelenij & Canisij, Calendario Breuiarij Moguntini. Colitur cum socijs* XV Iunij.

S. Anatolius Episcopus Laodiceæ *memoratur in fastis Maurolyci, Felicij, Galesinij, Ferrarij. Ast in Martyrologio Romano* III Iulij.

S. Ansbaldus Abbas Prumiensis & S. Huberti *refertur hoc die cum elogio satis illustri à Bartholomæo Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, & in Martyrologio Belgico VVilloti. At mortuus est, quo die alij eum celebrant* XII Iulij.

Mariæ Magdalenæ conuersio *ritu Officij duplicis peragitur in Ecclesiâ Augustanâ. De eâ agendum* XXI Iulij.

Sarani Episcopi in Scotiâ, cuius pretiosæ reliquiæ in Tungland recondebantur. *Ita citato Breuiario propria Ecclesiæ Dempsterus, cui soli non audemus fidere. A Camerario aliquis Saranus, (num hic dubium) refertur* XXX Iulij.

Angelus Custos *hoc die colitur Cordubæ teste Martino Roa in Cordubensibus. De eo agi poterit* I Octobris.

Facundus,
Primitiuus
} Martyres in Gallæcia. *Missale Muzarabicum & Martyrologium Leonij Gallicè excusum. Coluntur* XXVII Nouemb.

S. Chrysanthi,
S. Thrasonis
} Martyrum Romæ. *Ferrarius in Catalogo Generali & libro Stationum Vrbis Romæ. Sunt celebres ambo Romani Martyres, licet diuersis temporibus occisi, quorum tamen aliquæ Reliquiæ in aliquâ Ecclesiâ forsan hoc die venerationi exponuntur: coluntur* Chrysanthus XXV Octobris, *&* Thrason XI Decemb.

DE SS. CAIO ET ALEXANDRO

MARTYRIBVS APAMEENSIBVS IN PHRYGIA,

Commentarius historicus.

POST ANNVM CLXXI X MARTII



1 *Ptolemæus lib. 5 Geographiæ cap. 2 dum Phrygiæ magnæ ciuitates in suo singulas situ ordinat, coniungit* Ἀπάμειαν Κιβωτὸν & Ἱεράπολιν. *De hac pluribus egimus* VII *Februarij ad Vitam S. Claudij Apollinaris Episcopi Hierapolitani, qui eam Ecclesiam seculo Christi secundo rexit, vir doctrinâ, scriptis, & zelo contra Cataphryges hæreticos clarus: cuius scripta & certamen contra hos Cataphryges ibidem* § 3 *edidimus ex lib.* 5 *Histor. Eccl. Eusebij cap.* 15. *vbi num.* 20 *de* SS. Caio & Alexandro *ista S. Apollinaris tradit:*

Prope Apameam est Hierapolis: cuius Episc. S. Apollinaris.

2 Simul atque viri verè Ecclesiastici & Catholici persecutionis temporibus ad testimonium fidei, quæ est ex veritate, vnà cum quibusdam Cataphrygum hæresi cæcatis (quos illi hæretici pro Martyribus habebant) essent fortè vocati, ab illis planè dissenserunt plurimùm: & ne cum Montani & mulierum illarum Spiritu vllâ ex parte consentire viderentur, cum illis communicare ad extremum vsque spiritum prorsus recusarunt. Atque hoc verum esse, & nostris temporibus Apameæ, quæ iuxta Meandrum sita est, gestum, Caius & Alexander Eumeniæ prognati, qui tunc martyrium subibant, satis perspicuè declararunt.

docet procul ab hæresi Cataphrygum auersos fuisse

SS. Caium & Alexandrum Martyres.

B

3 *Hæc S. Apollinaris, cui ea scripta vindicauimus* § 4 *ad eius Vitam, vbi* § 2 *num.* 8. *diximus hæresin Cataphrygum exortam esse secundùm S. Epiphanium sub* annum XIX Antonini Pij Imperatoris, *qui est annus Christi* CLVI, *aut certè* Seuero II & Herennio Coss. anno XI M. Aurelij, *Christi* CLXXI, *ad quem annum Eusebius in Chronico.* Pseudoprophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, auctore Montano, & Priscillâ Maximillâque insanis vatibus. *de horum erroribus & feralibus mysterijs ibidem egimus, & illis ante secessionem à quibusdam affictam sanctitatem reiecimus num.* 29 *&* 30, *ostendimusq́; verbis S. Apollinaris* Montanum, *cùm* primùm *sine* recentissimè ad fidem conuersus *esset*, repentè, *vt exponit Ruffinus*, in quodam excessu mentis effectum, & velut Spiritu actum, proloqui cœpisse noua & diuersa ab his, quæ ex successione Maiorum Ecclesiæ tradita fuerant, velut prophetali specie proferentem: ita vt duas meretrices (*quæ verbis S. Apollinaris retulimus num.* 15) ad illud idem scelus impulerit, spirituque compleuerit adulterino, quo non aliter quàm Montanus ipse, furiosè, ineptè, & nouo ac peregrino modo garrirent: spiritu illo veteratorio eos, qui in eo se oblectarent & effusè gloriarentur, interdum beatos prædicante & promissorum magnitudine inflante; interdum dextrè & rationibus ad persuasionem appositis, apertè eorum peccata coràm redarguente, vt putaretur eorum corrector vitiorum.... Vbi fideles, qui Asiam incolebant, sæpenumerò & multis in locis Asiæ in vnum conuenerant, & doctrinam prædictam examinarant, & eam profanam ac detestabilem ostenderant, & hæreseos damnarant; fuerunt isti tum ab Ecclesiâ extrusi, tum à communione penitus depulsi.

sec. Chr. 2 cœpta hæresis à Montano & 2 meretricibus,

C

damnata ab Ecclesiâ:

4 *Horum communionem auersati duo prædicti* Martyres, Caius & Alexander, prognati Eumeniæ, *quæ eiusdem Phrygiæ versùs Hermum Fluuium vrbs est, &* Apameæ iuxta Meandrum (*cui Fluuio adiacet etiam Hierapolis*) *pro fide Christi interempti. Sunt aliæ vrbes* Apameæ *dictæ in Pisidiâ & Bithyniâ, Asiæ prouincijs. Est & Apamea Syriæ* II *metropolis, vti alia in regno Galliæ ac comitatu Fuxensi. Sed vt à prioribus potissimùm distingueretur horum Martyrum palæstra, à S. Apollinare dicitur* Apamea iuxta Meandrum, *à Ptolomæo cognominatur* Cibotos. *Adscripti hi Martyres omnibus ferè fastis sacris ad* X *Martij, quo die MS. Vallicellanum:* Apud Apamiam natale SS. Alexandri & Gaij. *At Florus in supplemento MS. Bedæ, cum martyrologio Rosweidi:* Apamiæ Alexandri & Caij de Eumeniâ. *Ado, Notkerus alijque cum Bedâ excuso ista habent:* Natale sanctorum Martyrum Alexandri & Gaij de Eumeniâ, qui apud Apamiam persecutione Antonini Veri martyrio coronati sunt, vt scribit Apollinaris Hieropolitanus Episcopus in libro aduersùs Cataphrygas. *Conueniunt passim alia Martyrologia manu exarata & typis cusa, Vsuardi, Bellini, Maurolyci, Galesinij & aliorum, & persecutio* Antonini Veri *assignatur. In hodierno Martyrologio paullò aliter illa persecutio explicatur:* Apameæ in Phrygia natalis sanctorum Martyrum Caij & Alexandri, qui (vt scribit Apollinaris Hierapolitanus Episcopus in libro aduersùs Cataphrygas hæreticos) in persecutione Marci Antonini & Luci Veri glorioso martyrio coronati sunt. *Mortuo anno Christi* CLXI *Nonis Martijs Antonino Pio Imperatore, successit Marcus Aurelius Antoninus Verus illius gener, à quo consors imperij assumptus eius itidem gener Lucius Ælius Verus, circa annum* CLXIX *apoplexiâ extinctus: à cuius obitu secundùm Eusebium hæresin Cataphrygum exortum diximus, atque ita persecutioni solius Marci Aurelij Antonini Veri martyrium SS. Caij & Alexandri attribuitur proximo alicui anno post* CLXXI. *De his* XI *Martij agitur in MS. Vaticano S. Petri his verbis:* Natale sanctorum Martyrum Alexandri & Gaij de Eumeniâ, qui apud Apamiam in persecutione Antonini Veri martyrio coronati sunt.

Apameæ in Phrygiâ passi SS Caius & Alexander,

E

martyrologijs ad 10 Martij adscripti.

F

& 11 Martij.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

CODRATO, DIONYSIO, CYPRIANO, ANECTO, PAVLO, CRESCENTE, CORINTHI IN PELOPONNESO,

Commentarius præuius.

CIRCA ANNVM CCLVIII. X MARTII



1 *Llustres hi Martyres in MS. Menologio Basilij Porphyrogennetæ Imperatoris exornantur ad diem* X *Martij isto elogio:* Certamen sanctorum Martyrum Codrati, Cypriani & Sociorum. Sub imperio Decij persecutione motâ, Christiani omnes aut capti mactabantur, aut fugientes in montibus ad tempus abscondebantur. Tunc etiam mater Codrati, ex vrbe Corintho oriunda, fugâ elapsa, venit

Elogium ex Menologio Basilij Imperat.

A nit in montem & in latebris degit;& quia nupta erat, peperit filium, quem Codratum nominauit, nec diu posteà vixit relicto filio adhuc infante mortua. Nutriebatur autem ille à nubibus supra ipsum coëuntibus, & aquam adferentibus, & potum ei præbentibus. Accedente verò tempore cùm ætatem iuuenilem attigisset, cognouerunt eum aliqui, & ad eum accesserunt: ex quibus erant Cyprianus, Dionysius, Anectus, Paulus & Crescens: quos omnes regebat Codratus & veritatem docebat. Post aliquod dein tempus ab idolorum cultoribus traditi sunt Præsidi, & vincti Corinthum abducti, ac dein quæstioni ac torturæ subiecti: sed quia constanter vsque ad finem Christum prædicarunt, capite plexi, vitam amiserunt.

aliud de solo Dionysio. *Eodem in Martyrologio de S. Dionysio pridie, seu* IX *Martij, illud elogium habetur:* Dionysius Christi Martyr vnus ex illis fuit, qui S. Codratum cognouerunt & ad eum accesserunt. Proditus verò ad Præsidem vrbis Corinthiorum adductus est, quòd mandato Imperatoris non obediret, ac magnos deos contemneret, & alium Deum, eumque crucifixum, prædicaret, dicens: hunc esse Deum, qui creauit cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt; quique è cælo venturus esset cum gloriâ, & iudicaturus viuos & mortuos, & redditurus vnicuique secundùm opera sua. Posteà B vinculis constrictus stetit coram Præside, & vrgebatur modò promissis & adulationibus, modò minis Christum negare, & thus idolis immolare: sed priori proposito adhærens & Christum magnâ voce confitens, gladio interemptus, martyrium consummauit. *Hæc ibi.*

aliud ex MS. Synaxario. 2 *In MS. Græco Synaxario Parisiensi Collegij Claromontani Societatis Iesu ad hunc* X *diem illud encomium continetur;* Certamen sanctorum Martyrum Codrati, Dionysij, Cypriani, Anecti, Pauli & Crescentis. Vixerunt hi tempore Decij & Valeriani & Præsidis Græciæ Iasonis: quando S. Codratus, mortuâ matre, planè infans derelictus, mirabiliter nutriebatur, nube supra eum coëunte & pabulum præbente. Iam verò adultam ætatem adepto, familiares ei facti sunt memorati Sancti, quos omnes regebat ac veritatem docebat S. Codratus. Elapso dein aliquo tempore ab idolorum cultoribus delati sunt & comprehensi, propterea quòd Christum confiterentur. Crudeliter dein verberati ac torti, gladio capitibus amputatis, martyrium consummarunt. *& in aliis Menæis.* *Alia, sed breuiora elogia continentur in Menologio Sirleti & magnis Menæis excusis & varijs manuscriptis, item in Anthologio & Vitis Sanctorum à Maximo Cytheræo editis, in quibus nomen* Pauli Martyris *deest.*

nomina in fastis Latinis. 3 *In Martyrologio Romano ita recensentur:* Corinthi sanctorum Martyrum Codrati, Dionysij, Cypriani, Anecti, Pauli & Cresentis, qui in persecutione Decij C & Valeriani sub Iasone Præside gladio cæsi sunt. *Inscripti etiam Martyrologio Molani, Felicij, & cum longiore encomio Galesinij.*

Vita Græcè scripta, 4 *Vitam horum Martyrum reperimus Græcè scriptam Venetijs in antiquo codice MS. bibliothecæ S. Marci, quam eamdem indè habuit Aloysius Lipomanus, quam à Petro Francisco Zino Veronensi Latinitate donatam edidit tomo* VII *Vitarum Sanctorum Patrum, & ex eo ad hunc diem Surius, quam ambo & post illos Baronius in Notis ad Martyrologium attribuunt Metaphrastæ, quod non est certum, maximè si solum ille ediderit sex priores menses quos Græci numerant à Septembri.* *an à Metaphraste?* *Ita nobis asseruit Romæ Leo Allatius in hisce scriptis admodum versatus. Hic in Diatribâ de Simeonum scriptis pag.* 88 citat Μαρτύριον τοῦ ἁγίου Κοδράτου τοῦ ἐν Κορίνθῳ τῆς Πελοποννήσου. *Auctore Nicephoro Gregorâ, cuius hoc initium adfert:* Ἐμοὶ δὲ τὸν τοῦ ἁγίου Κοδράτου βίον διηγεῖσθαι προελομένῳ. *alia à Nicephoro Gregorâ.* *Quam Vitam ab hac planè diuersam arbitrati, litteris missis ad dictum Leonem Allatium non potuimus impetrare, excusantes forsan ex ijs esse, quarum solum titulos se subinde annotasse respondit. Daturi ergo aliam solùm eramus quam* egregium martyrium *appellauit Baronius. Interim beneficio nostri Reinoldi Dehnij Hebraicè, Græcè & Latinè eruditi, accepimus Vitam horum Martyrum quam is & Græcè à Nicephoro Gregorâ conscriptam & à se Latinitati traditam nobis transmisit.* D *DATVR EX MS* *Eam nos alteri subiungimus; quia Gregoras iunior altero scriptore, in vnum videtur collegisse varios Sanctos Martyres, qui eodem aut saltem proximè subsequenti tempore palmam Martyrij adepti fuerunt in eadem vrbe Corinthiorum, à Gregorâ distributi in duas turmas, quarum prior septem continet Martyres sub Tertio Proconsule passos, & sunt* Victorinus, Victor, Nicephorus, Claudius, Diodorus, Serapion, Papias*: de quibus egimus* XXV *Februarij, & agi adhuc posset cum Græcis ad diem* V *Aprilis. Posterior turma numerat octo Martyres sub Venusto Duce coronatos, & sunt* Leonides, Chariessa, Nunechia, Basilissa, Nice, Galena, Cales, Theodora, *qua coluntur* XVI Aprilis.

VITA

Ex MS. Græco Veneto edita à Lipomano, interprete Petro Francisco Zino.

CAPVT I

Prooemium. S. Codrati infantia. Studium medicinæ.



1 Omnes quidem Sanctorum celebritates, si verum fatendum est, laudibus prosequi debemus, vt à nobis pro viribus exornentur: sed hanc tamen potissimùm, quæ sanctorum Martyrum concursu peragitur. *Ex MS GRÆCO* *Martyrum excellens virtus,* Deo enim ab initio consecrati, ad id, quod omnium pulcherrimum est, peruenerunt. Nam cùm & temporis longitudine grauitatem essent assecuti, & exquisitâ viuendi ratione ad pietatis fastigium peruenissent, nihil tamen à se præclarè gestum, nihil laude dignum existimarunt, nisi priùs sacra certamina subijssent. Itaque cùm magnam magnis in rebus virtutem præstitissent, hac tamen victoriâ ceteras obscurarunt: imò verò apud eum, qui præmia certaminibus proponit, hac reliquas etiam illustrarunt. Declarati sunt enim Martyres generosi & Dei maximi imitatores. Ad summum igitur virtutis culmen prouecti, meritum à Deo præmium, melioremq; finem, & quæ potest in hominem cadere, immortalitatem obtinuerunt. Qui enim apud Deum virtutis obtinet testimonium, is assequitur immortalitatem. *& fortitudo* F Quamobrem Martyres ex operibus admiramur, qui virtutes amplexi, voluptatibus renunciarunt; & animos suos fortitudine armantes, omnem ignauiam repulerunt; totique in spem victoriæ erecti, atque alacriter aduersa omnia perpetientes, in eâ, quam sibi ab initio proposuerant, pietatis ac religionis lege immobiles perstiterunt. Vbi enim præstat se fortiter gerere, quàm cùm se Deus ducem præbet? Vbi satiùs est dare virtutis specimen, quàm vnà cum Iesu Saluatore? Quæ porrò dulcior corona, quàm illa, quæ nos cum præstantioribus coniungit? Ad hoc igitur signum Martyres respicientes, & ardentiori quodam sanctæ gloriæ desiderio inflammati, rerum turpium cupiditates reiecerunt, & in virtutis atque honestatis studio incumbentes, pulcherrimum posteris exemplum ad imitandum reliquerunt. Quæ enim tempore atque vsu sunt antiquiora, nos magis ad rerum honestarum studium incendunt. *& de hostibus victoria:* Virtutum igitur inimicus, qui in multis sæpe petulanter agens, & ciuitates euertit, & falsos rumores disseminauit, & mentes hominum immutauit, & grauitatis pulchritudinem infecit, & omnia in deterius traxit, admirandis Christi pugnatoribus

EX MS GRÆCO

A toribus inuentus est imbecillior, cùm nec ab honesto illos proposito posset abducere, nec rationem ipsorum subuertere, quos Christus armabat. Itaque impetus eius aduersùs Sanctos nihil naturam illorum læsit. Quinetiam quemadmodùm inuidia pulchritudinem corporis obtutu, tamquàm morbo, frustrà conatur inficere atque corrumpere, cùm decor ipsius pristino in statu conseruetur; sic etiam Martyribus accidit, quorum animi pulchritudini nec impetus inimici, nec res istæ caducæ quidquam obfuerunt.

S. Codratus infans cælitus nutritur:

2 Nihil igitur metuens sanctorum Martyrum cœtus, pari consensu ad fortiter agendum se comparauit, & strenuè ad sanctam gloriam honoremque contendens, præmium est consecutus. Vbi primùm enim ad virtutis specimen exhibendum vocati sunt, (quod quidem fuit, cùm militiæ Christi fuerunt adscripti) videre licuit, Christi chorum antecedentem militem Codratum, qui seipsum Deo primum dicare festinabat, illic velle educationis gratum animum ostendere, vbi Deo placuisset. Neque enim æquum est, vt rem admiratione dignam silentio prætereamus. Nam cùm educationem præter naturam habuisset, quantopere Deo esset carus, manifestum fuit. Hic enim iaminde ab ipsis incunabulis nutrimentum incertum habuit, quippe qui matrem adhuc infans amisit, & maternis vberibus caruit. Christus autem illi signis minimè obscuris alimenta subministrauit, cùm eius iussu nubium globus è cœlo infantem amplecteretur, alimen-
B tumque suppeditaret, vnde ipse, quantum satis esset in futurum, percipiebat.

Studet medicinæ.

3 Verùm cùm adoleuisset, ætati congruentem disciplinam percepit, & in primis rudimentis didicit medendi facultatem. Vir autem effectus, pariter cum disciplinâ naturam diuiniorem & perfectiorem assumpsit continuóque declarauit, quisnam esset futurus. Omnes enim labores fortitudinemque complexus, factis gloriam confirmauit, cùm à Christo, quò ipsi placebat, duceretur.

CAPVT II

S. Codrati congressus cum Præfecto: fidei mysteria explicata.

ab Iasone Præfecto in fide tentatus,

4 IAson igitur Græciæ Præfectus, post immane Decij & Valeriani Imperatorum mandatum, ad crudelitatem se instruens, insurrexit aduersùs Christianos, timoremque singulis inijciens, tormenta atq; cruciatus minabatur, nisi eos dicto audientes reperisset. Ac primùm quidem pulcherrimi cœtus principem sic est aggressus: Codrate, quæ te vesania ducit, vt tantam cruciatuum acerbitatem velis experiri? At quæ te spes mouet, vt intrepidè carcerem ac vincula
C negligas, sponteque patriam amittas, & ab amicorum consuetudine diuellaris? Cur non potiùs Imperatorum decretis obtemperans, & dijs immolans, nobiscum eligis beatus esse, & amabili vitæ præsentis iucunditate frui? His ille conabatur sanctum virum à rectâ ratione deducere. Codratus verò blandâ Præfecti oratione, quâ nefarius animus tegebatur, neglectâ, respondit: Nemo, inquiens, cui naturæ ratio cognita sit, iucundam esse vitæ gratiam negabit: sed tamen hanc Deus largitus est. Quamobrem necessarium est, vt tanti muneris largitorem virtutis studio commendemus, & eius gloriam testimonio nostro propagemus. Neque verò tanti faciendum est huius vitæ tam breue curriculum, vt illius amittendæ metu adorationem, quæ Deo soli conuenit, idolis tribuamus. Quem porrò Deum meliorem possumus appellare illo, qui summis nos ab initio perpetuisque beneficijs cumulauit? Ex tot autem ac tantis beneficijs, quem nisi

generosè respondet

Christum possumus Saluatorem cognoscere? Aut quem Saluatorem prædicare fas est, nisi Iesum, qui pro nobis cruciatus & mortem pertulit? Illud inprimis ad virtutem nobis propositum est, vt pro verâ pietate ac religione tormenta superemus, nec vllis vnquam difficultatibus ab eâdem deficiamus. Qui autem diuinorum mysteriorum studiosos amantesque conantur corrumpere, eorum & animus impius est, & oratio detestanda. Præstat autem, quæ meliora sunt, imitari. Illud item cogitandum est, non eos protinus sequendos esse, qui probitatis speciem præ se ferunt, sed res & facta esse perpendenda: quæ si praua sint, maior periculi timor est. Scito igitur, nos Maiorum instituta complectentes ad ea, quæ meliora sunt, tendere. Quare ne studeas nobis inimicissimis persuadere, vt ad partes tuas transfugiamus, neque vt Christum relinquentes, aliò nos conferamus. Veritas enim nobis adest consiliaria, pietatisque leges ad persuadendum vim habent maximam. Hæ nos genere moribusque similes Deo coniungunt. Illud prætereà consideremus, communi naturæ lege omnibus esse moriendum, & ab eâ quidem necessitate liberum esse neminem. Quæ autem fortiter & ex virtute geruntur, ea viris bonis gloriam parere sempiternam. In hoc animi proposito permanentes, & in hac sententiâ confirmati, præclarum imitari volentibus exemplum relinquemus. Nam qui rectè sentiunt, nihil student, nisi vt ad ea, quæ præstantiora sunt, habeant occasionem. D E

Saluatorem præ vitâ amandum:

5 Ad hæc Præfectus: Codrate, inquit, si iam indè ab ipsâ pueritiâ Dei beneficijs adductus, eum tibi meritò colendum putas, rectè facis, teque gratum hominem præbes. Verùm vide, ne dum alterum Christum prædicas, inaniorem Dei naturam asseras. Tunc Codratus: Si vis, inquit, Præfecte, indignatione depositâ, veritatem adspicere, & animum à crudelitate ad mansuetudinem reuocare, quamuis magnis de rebus loqui difficile sit, & ego tanto oneri sustinendo impar sim, tamen aliquid dicam. Admirabilem, ait Præfectus, naturæ Christi rationem perspicuè declarato. Tum Codratus: Principium, inquit, mundi procreationis Deo quidem cognitum erat, Verbo autem perfectum fuit. Ac Patris quidem voluntas fuit, procreationis autem actio à Filio habuit constitutionem opere confirmatam. Cùm igitur præfinitum à Deo tempus affuit, ceteræ quidem res omnes præclarè factæ sunt, quas quidem opifici Verbo placuit in mundum inducere, initio atque fine singulis constituto. Sed cùm rerum vniuersitatem mente ac scientiâ immensâ perfecisset, eáque ratione diuinâ regeret ac gubernaret: vellet autem aliquos esse, qui bonis fruerentur, & in ijs, quæ fabricauerat, habitarent, opifex ipse condidit hominum genus, vt ei totam hæreditatem assignaret: & cùm ratione quadam sensus dimensus esset, & genus ipsorum corporibus varium effecisset, animas immisit, eosque in loco deliciarum collocauit. At illi, rerum vniuersitatis perspectâ varietate, statim gauisi sunt, & plantis fruendi potestatem acceperunt. F

Deum omnia creasse, *Et cum ijs homines,*

6 Cogitantes autem, quàm præclarâ conditione atque ordine constituti essent à Deo, æquum esse iudicarunt, vt sese illi gratos præstarent, atque ita virtutis viam ingressi sunt. Verùm impostor ille callidissimus rabie furens, & oris veneno dolos illinens, dolores, quos intus gerebat, in eos euomuit, & pro viribus cupiditates illis iniecit, vt à diuinâ vitæ conditione miseros exturbaret. Dignitatem igitur ipsorum polluens, volentibus errorem immisit. Ex quo factum est, vt qui cum Deo versabantur, in exilium eijcerentur; & qui bonâ mente gloriæ diuinæ participes extitissent, cupiditatibus inuoluerentur. At Deus misericordiâ motus, & imbecillitatis humanæ rationem habens, non diuinitate nudâ, sed carne con-

quos inuidiâ diaboli corruptos, vt liberaret, *hominem factum.*

A contectâ, voluit nobiscum versari, vt ad nos miseros ac perditos accedens, à seruitutis vinculis liberaret, & mortis imperio subditos in libertatem restitueret. Itaque sanctum Verbum suum extremis temporibus in casto Virginis Dei genitricis vtero sic voluit inhabitare, vt totum hominem indueret. Quæ quidem Virgo concipiens è Spiritu sancto, Deum humanâ formâ indutum edidit; atque ita oculis verè perspectus est, quem Christum esse dicimus. Hic ita se hominum cognitioni patefecit, vt cùm Deus sit, corpoream è Virgine nascens formam assumpserit. Et aduersùs instabilem potestatem pugnans, amplissimos sibi benè merendi terminos statuit, eos nimirùm, quos illi Pater præfiniuerat, mortis decreta abrogans, eiusque fila rescindens diuinitatis potestate: à quâ quidem benignitatis communione neminem repulit, & Saluator vocatus est primus, qui populos vniuersos, & integras regiones ab interitu atque periculis liberauit, & humanitatis thesauris patefactis, munera sua voluit omnibus esse communia. Cùm igitur omnes à tyrannicâ confusione liberauerit, omnem hæreditatem suam ab exitio liberam incolumemque conseruat. Nihil enim Christi præsentiam cognitionemque fugit, non ortus initium, non vitæ spatium, non mortis exitus, non aliud quippiam, quod in cognitionem cadat: sed quæ Patris decreto facta sunt, hæc filio

tamen Christum esse.

B sunt ad opus perspicua. Hic est ille Christus, quem prædicamus. Hic est ille, cui generis humani salus curæ fuit. Hic est ille, qui gratiæ nobis magnitudinem elargitur, qui ad benè merendum semper & vbique præstò est, ne rectam viuendi rationem negligamus.

CAPVT III

Verbera ac tormenta Martyribus inflicta: Omnium generosa constantia.

7 PRæfectus, etsi Codrati responsum admirabatur, tamen cùm ad veritatis fidem venire non posset. De rebus, inquit, sublimibus, Codrate, mihi videris nugas confingere, qui perturbationibus humanis Deum subijcias, eumque dicas mulierculæ gremio potuisse comprehendi, quæ vterum gerens, Christum pepererit, atque ita Deum in terrâ visum esse corporis formam gestantem, alibi autem esse verum Deum. Pietatis arcana perscrutari profanis non licet, inquit Codratus: nec eius cognitio parua est, aut facilè comparatur; neque nos permittemus, vt homines impuri sacris perspiciendis admittantur. His se filius Dei sponte subiecit, vt Deus idem atque homo esset, & vt nos è dæmonum eriperet seruitute. Tu autem

C istâ tuâ peruersâ audaciâ impietatis indicium in te moues: neque enim improbitate tuâ studium nostrum corrumpis. Natura enim vbique dominatur, & actiones seruiunt voluntati. Præfectus autem, vt à virtute alienus, & veritatis rationem non intelligens, egregium Christi seruum virgis cædi iussit. Ministri verò homines ignauissimi, virgis admotis, cruciatuum immanitate sæuiebant. At Codratus tormentorum victor; Ignoras, inquit, Præfecte, quidquid à violentiâ proficiscitur, esse contrarium libertati, nec vllam ad persuadendum vim obtinere? Qui enim cogit, se iniustum atque improbum esse significat: qui verò suadet & hortatur, is se mansuetum humanumque declarat. Quamobrem cùm te virtutis expertem indices, indignum ostendis, cui fides habeatur. Ne putes, nos metu virtutem atque honestatem deserturos, aut morum abiecturos grauitatem. Cùm enim Christi studiosi amantesque simus, eum solum confessionis habebimus adiutorem. Is nobis ærumnas omnes præmiorum spe leniet ac mitigabit, docebitque nos,

Codratus virgis ceditur,

constans in amore Christi.

non esse cedendum aduersarijs. Tantùm in periculis virtus valet, & viris constantibus præclara proposita sunt præmia. D

EX MS GRÆCO

8 Tum Præfectus primi fortitudine territus, ad alterum sese conuertit, & blandâ dulcique oratione in sententiam suam adducere conabatur. Cyprianus autem adolescens, quamuis primo pubesceret ætatis flore, tamen libertatis dignitatem considerans, sese ad perferendos cruciatus parabat. Et Codratus hic item animo ad Christum properans, socijs generosis, rectéque secum ac piè sentientibus consilia tempori conuenientia suggerebat: Moneo, inquiens, vos, ô rerum pulcherrimarum socij, vt memineritis, quàm multa vobis bona proposita sint, tum gloriæ propter religionem, tum honoris, quem à Deo consequemini, tum auxilij, quod vobis à Christo de cælis præsens aderit, inprimisque quòd Iesu misericordiâ digni existimemini. Nunc igitur virtus exploranda est: nunc tempus postulat, vt vos maiore dignos admiratione præbeatis, vt alacri animo legem adimpleatis, vt morum vestrorum specimen detis, vt re ipsâ atque factis professionem vestram comprobetis: nunc boni à malis discernentur: nunc in conseruandâ pietate custodia maior adhibenda. Cauete, ne dispari morum ratione discrepetis: sed eamdem pietatis normam sequimini, vt qui à tali Deo iudicandi sitis; virtutis E viam ne deseratis, qui iamiam cum Christo perfecti estis futuri. Deum bonum bonâ mente comprobate. Nolite propter adolescentiam ignauiæ succumbere. Cogitate in foribus esse certamen, & iuuentuti pro pietate, quæ nos Deo coniungit, pericula iucunda esse debere, cui vires suppetunt, & nerui vigent. Vos igitur mutuò cohortamini, certatim in hoc pietatis studium incumbite, idem sentite, tormentorum formidine nolite deficere: sed cruciatibus corpora tradentes, dolores æquo animo tolerate, vt victoriam adepti, gloriam consequamini, in Martyrum ordine ac numero collocati. Hâc Codrati cohortatione iuuenes alacriores & fortiores reddebantur.

socios adhortatur:

9 Præfectus autem hortatorem & consiliarium audiens, cruciabatur, quòd se ab eo, quod sperabat, depulsum intelligebat. Iracundiâ autem sæuiebat, quòd adolescentes decipere non posset. Quamuis enim singuli ætate essent iuuenes, virtutis tamen proposito se viros præbebant. Itaque cùm & Cyprianum multis verberibus tentasset, ab eo victus erubescebat. Primus igitur pugil ante alios confessionis coronam adeptus est. Alter autem æmulationis pulchritudine primum imitatus, magno tempestatis æstu superato, cum illo in Christo sese coniunxit. Nec tertius, nomine Dionysius, inferior fuit: sed illos spectans, socius eorum fieri festinauit, quamuis tortores eum à Christo studerent abalienare. Quartus verò, qui Anectus appellabatur, ductus est: qui cùm torquentium crudelitate victoriam amissurus existimaretur, neglexit vim tormentorum, nec vllam cruciatuum acerbitatem recusauit. Quâ re perspectâ, Princeps fortitudinem hominis admiratus, atque impietate furens, quintum ad quæstionem adduci iubet, cuius præstantiam vel nomen ipsum declarabit: Paulus enim vocabatur. In hunc item crudelitatem suam tortores vt exercerent, Præfectus imperauit. At Martyr futura contemplans, propositi sui excellentiam ostendit. Neque enim tyranni contumeliâ fractus, grauitatem abiecit: sed præcedentes socios assequendi studio incensus, libenti animo certamen subijt. Inuidia verò rectè factorum inimica, hunc frustrà propositis cruciatuum doloribus territans sequebatur. At Crescens cùm consideraret, semper esse difficile Principibus aliquid persuadere, in medio stans, virtutis specimen dedit. Cùm enim ad maiora tenderet, egregium se pugilem, & sacro sociorum cœtu dignum præstitit, & firmam futuri præmij spem habens, victoriam reportauit.

S. Cyprianus verberatur.

torquentur SS. Dionysius, Anectus

F

Paulus,

Crescens

CAPVT IV.

Martyrium impletum. Miracula ac celebritas post mortem.

EX MS GRÆCO

Adiudicantur morti.

10 Ceterùm dum carcere tormentísque constantiam Martyrum exploraret Princeps insanus, & singulis periculorum terrorem incuteret, eos salutis cursum perfecturos non putabat. Verùm vbi animos ipsorum intrepidos vidit cruciatuumque victores, non dubitauit ampliùs, quin victoriæ præmia apud Deum essent habituri. Itaque suprà quàm decet irâ permotus, talem in viros innocentes sententiam tulit, vt capite plecterentur, & singuli singulos sequerentur carnifices. Sanctos igitur Martyres totidem numero fraudis ministri, vt facerent imperata, traxerunt ad locum, vbi in homines sceleratos solet animaduerti, vbi damnati bestijs objiciuntur, & vbi gladiatores mutuis ictibus, quos pedum celeritate & saltu declinare non possunt, sese trucidant, vt spectantium oculi immani voluptate delectentur. At Martyres, hoc etiam in loco difficultatibus superatis, hymnum victoriæ signum Christo canere studuerunt, vt ei precibus initiarentur: & ministros, vt studio suo obsequi vellent, obsecrabant. Qui licet acerbi B sæuique essent, tamen eorum optatis acquieuerunt.

preces fundunt:

11 Sancto igitur Spiritu afflati, sic vnà omnes voce precabantur: Deus, qui diuinam harmoniam concordem indissolubilemque fecisti, & labentem ordinem nutu confirmas tuo: qui varios cæli cursus ita moderaris, vt mutuò inter se coniuncti, diuersis necessitatibus seruiant, & perpetuas eximis naturæ inimicitias: qui Solis ortus & occasus intueris, & cursum eius instabilem dirigis: qui cæli stellas & sidera, & pulchritudinem Lunæ, & amplitudinem ætheris, & quidquid à diuinâ quiete seiunctum est, fabricatus es atque exornasti: Pater cælestis, qui rerum terram ambientium motus perpetuâ celeritate confirmas, qui temporis spatia quaternis tempestatum varietatibus temperas, cuius mandato ex arboribus flores fructusque prouenniunt: qui grauissimi hostis diaboli impietatem à nobis repulisti, qui peccati maculas nobis abstersisti, vt arcanis nos signis renouares: Christe Iesu, qui ex antiquo peccati genere nos eruisti, & meliorem spem in futurum adiecisti: qui ea, quæ Patre sunt digna tuo, perficiens, in immensum potestatem tuam propagasti: qui tutam & facilem viam proponis, & per illam iter facientes ad teipsum trahis: qui tuo egentibus auxilio promptus ades, maioremque gratiam tribuens, nobis, tamquam amicis, quæ commo- C da opportunaque sunt, subministras. Tu nobis vitam educatione dignam dedisti, & facta professioni congruentia largitus es. Tu nobis sacrorum sermonum, & exercendæ pietatis es auctor. Tu nunc ordinem nobis ostendisti, & ad præbendum virtutis specimen euocasti, vt quod honestum atque vtile est, eligamus. Tu non permisisti, vt aduersarij credulitati atque minis succumberemus. Tu perfecisti, vt omnes tormentorum acerbitates victoriæ præmijs inferiores iudicaremus, vt ad seruorum tuorum numerum adscribamur. Deus, qui antequàm pateremur, effecisti, vt quæ futura sunt, omnem spem superantia cerneremus: qui te ipsum dignis fruendum, & sanctam personarum Trinitatem in vnâ essentiâ cognoscendam, studiosè contemplantibus præbes, & bis trinam profectò societatem nostram vnâ mente coniunctam tibi conciliasti; vt libero pietatis cursu confecto, & decurso veræ victoriæ stadio, regnis cælestibus admitteremur. Largire per sanctum Filium tuum, vt in hoc pio proposito constantes simus, quò puris lucis radijs in cælum sublati, apud te victoriæ præconium concinamus.

12 Hac precatione absolutâ, malorum operarijs D ceruices obtulerunt. Qui gladijs dexteras manus armantes, singulis ictibus, magnâ spectantium commiseratione, capita Sanctorum obtruncarunt. Madebat subiecta terra sanguine passim irrigata, & locum illum ingens occupabat mœror, & tristes quædam tenebræ ciuitatis oculis, ciuium suorum cædem indignè ferentis, offundebantur.

plectuntur capite:

13 Rem nobis memoratu dignam diuinorum Martyrum celebritas suggerit, quæ rerum gestarum certissimum posteris testimonium afferet. Nam simul ac à sacris pugnatoribus certamen peractum est, & corpora sunt exuta, Christus maximum illis remunerationis signum dedit: quod quidem omnes, qui ad spectandum accedunt, admirantur. Quemadmodum enim Deus incolis concessit, vt sancti Martyres apud eos certamen absoluerent; sic etiam dignis magnam gloriam confirmauit. Duplici igitur spectaculo, qui præsentes erant, variè sunt affecti, tum misericordiâ, tum admiratione: misericordiâ, calamitatem humanam considerantes: admiratione, id quod Christus incredibile ac nouum effecerat, obstupentes. Prædicabant omnes diuinum opus, quod spontè Deum cognoscentibus apparuerat. Nam vbi Martyres mirabile lucrum perceperunt, ibi Dei iussu clari fontis latices emanarunt. Ibi decliuis fluento aditus patuit, vbi sacrati Deo viri gloriam pertulerunt. Prope sacram ædem nimirùm, quæ seruando sanctarum E reliquiarum pignore digna fuit.

Celebritas horum Martyrum:

fons erumpit:

14 Ita Christus iustum se iudicem præbens, eos, qui mutuâ & piâ beneuolentia coniuncti sunt, qui sacra nunc certamina subeunt, lætantes accipit: sacrisque coronis redimitos, Martyrum laudibus exornat: vltores autem ac vindices inimicis suis in futurum parat. Sic illi, qui virtutem complexi, se viros fortes ac strenuos in rebus arduis præstiterunt, & cum Christo coniuncti sunt, non solùm à præsentibus laudantur; sed ex vltimis terrarum finibus visuntur: & tamquàm mundi stellæ, cœtu suo coronam conficiunt. Certatim igitur homines pij & omnes, qui rectè factis dignam mercedem propositam esse conspiciebant, congredientes, corpora Sanctorum sacris in loculis collocarunt, vbi sanctorum Martyrum cœtus celebratur.

peregrinationes ad reliquias.

Æquum est igitur, fratres, vt considerantes præsentia sic à Christo disponi & gubernari, vt perpetuò nobis afferant vtilitatem, eos qui lege diuinâ ipsi consecrati sunt, quique se cæteris hominibus præstantiores exhibuerunt, & Christi ærumnas delicijs prætulerunt, meritis laudibus celebremus, eosque ad maiora contendentes, studeamus imitari. Quoniam est glo- F ria, honor & imperium Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

ALIA VITA

Auctore Nicephoro Gregorâ ex MS. codice Ducis & Electoris Bauariæ, eruta ab interprete Reinoldo Dehnio Societatis IESV.

CAPVT I.

S. Codrati patria, vita ante martyrium.

1 ENimuerò magni Martyris Codrati vitam narrare aggredienti mihi; non humanis dumtaxat rebus immorari, sed miraculorum etiam quorumdam excellentiorum Dei, quibus & recentes & antiqui libri abundant, meminisse

Mirabilia Dei homines carnales non capiunt,

A nisse necessum est; ne auditor intelligens, quàm inusitata, quámque diuini plena Numinis fuerit ratio rerum omnis, quæ à primis infantiæ annis illi obtigerunt, fidem habere mihi reformidet. Ac illos quidem, qui secularem & humanis affectibus planè obnoxiam materiæ massam redolent, quidquid à nobis dicatur ad naturæ normam exigentes, inducere difficillimum fuerit, vt aliquid cogitent illâ sublimius: quòd quibusdam quasi vinculis, nullatenùs tolerabilibus, tyrannicum in modum adstricti, atque in terram proni, omnia quæ humanitatis regulam excedunt, etiamsi Dei digitum habeant opificem, vix non nugas esse existiment. Alij autem pijs cogitationibus innutriti, quorum occupatio est diuina meditari, negotio haudquaquàm arduo se præparabunt, vt, quemadmodùm Deo dignum est, mirabilia excipiant; quæ ille & plurima, & quibuscumque voluit temporibus, & circa homines quoslibet, quibusque placuit modis, ostendit ac operatur.

sed ij, qui Spiritu Dei aguntur.

S. Codratus in Isthmo Peloponnesi,

2 Vt à patriâ exordiar, quæ magnum nobis hunc virum produxit, Isthmus quidam longior quàm latior ad occidentem solem spectat, extremis vtrimque suis, quasi manibus porrectis, boreæ hinc, inde austro occurrens, & Peloponnesum cum reliqua Græciâ ita connectens, vt neque hanc ab illâ discedere omninò, neque Peloponnesum insulam esse patiatur, dum imminentibus
B vtrimque aquis medium se quasi obicem murumque interponit. Temporum autem anni constitutio quàm benigna ibi sit, quanta aliarum rerum quæ ab hominibus cum voluptate non mediocri audiuntur, gratia ac amœnitas, quis Græcorum olim statis annorum periodis ad certamina simul & præmia concursus, cùm sciatur ab omnibus qui sapientiâ Græcâ quomodocumque labra proluerunt, non est fortè nunc narrare opportunum. Huius igitur Isthmi ad austrum fines vrbs Corinthus attingit, primis ab initijs clara & populo frequens, ardentique affectu dijs addicta, quorum omni superstitione fanaticorum in morem correpta erat: donec tandem Euangelici præconij piscatoribus, rete salutis nostræ per vniuersum orbem laxantibus, ipsa quoque extemplò salsuginis abyssum omnem excutiens, ad Pauli sese latices transferret. Hic Codrati genitores, pietate, & instituto vitæ ad virtutis normam exacto, nobilitate item luculentisque opibus floruerunt: nec tamen illi orto tali patriâ talibusque parentibus perfrui istis multùm licuit.

Corinthi natus,

Christianis parentibus:

quibus mox vitâ functis,

3 Annis infantiæ necdum absolutis, moritur illi mater, moritur & pater, breui planè interuallo naturæ debitum vterque soluens, vt gignendo tantùm Codrato vitam adepti viderentur, quo nato migrandum ipsis ac præter natiuitatem nihil filio exhibendum esset eorum, quibus natura insitusque parentibus in fœtus amor defungi cogunt, totâ educationis
C spe reiectâ in Deum. Itaque suscepit illum Dominus omni hominum ope destitutum (neque enim solet hominem in lucem semel editum Deus negligere, qui dat escam omni carni, qui iumentis producit fœnum, & cunctis in tempore opportuno cibum præbet) paruuloque à vulgari conuersatione in agrum quemdam abducto mirabiliter prospexit, & ineffabilibus modis, sicut alumnum illum eremi olim Saluatoris prodromum, enutriuit. Vnde curæ & prouidentiæ Dei commissus, sapientiâ simul & gratiâ crescebat ac proficiebat, varijs circa eum miraculis quotidie contingentibus.

in eremo

instar S. Ioannis Baptistæ educatur:

& sicut olim Israëlitæ, de die protegitur nube

4 Atque hic, non possum equidem, oratione ipsâ occasionem subministrante, non recordari eorum, quæ à Deo ille electus Israël, dum post fugam ex Ægypto frui beneficijs deserti incipit, diuinitus est expertus, his de quibus agimus neutiquam, si comparentur, dissimilia. Nubes nempe hic quoque interdiu solem subiens & cum eius æstibus depugnans efficiebat, vt meridianis horis Sanctus ver haberet: noctis autem tenebræ, aduentu cuiusdam quasi lampadis, in meridiem conuertebantur. Cumque Scripturâ teste in Israëlitarum tribubus nemo tunc infirmus esset, hic quoque desertis in locis, nulla sanitatis subsidia ministrantibus, habitans, coætaneam tamen semper sibi conuictricemque habebat sanitatem. Veste enim verò, & tunicâ, & alijs huiusmodi rebus, quæ homini ad amictum corporis necessaria sunt, toto hoc montanæ rusticæque vitæ tempore numquam indiguit: sed quâ parentes ipsum antequam morerentur, instruxerant, ea illi vestis sola suffecit, ineffabilem in modum cum crescente Codrato, ipsa quoq; crescens & vigens semper. Quid multa? Prouidentię erga ipsum tanta fuit immensitas, miraculum tantum, quantum esse conuenit erga eum, qui Deo semel consecratus est, dextræque eius ductu totus regitur.

D

EX MS GRÆCO

& nocte lampade illustratur:

Ps. 104. 13

semper sanus

accrescit cum vestibus simul auctis:

5 Aderat iam perfectior ætas, lanugine malas, mystace labrum obtegente, cùm ad vrbem ille descendit, ac cum hominibus conuersari cœpit, diuina oracula in cibum ipsis apponens, rus olentem quidem, at fertile, & cui, vt admirandus a Salomon ait, Dominus benedixit. Itaque, quasi à diuinâ quadam visione recens redijsset, ab eius ore homines pendebant, & in eum intenti erant non secus ac Israëlitæ in magnum Dei contemplatorem Moysen. Ista sic dum fierent, iam ipsi aliquot adhæserant illorum, quos consuetudine & moribus coniunctos quasique conspirantes, ijsdem quibus ipsum passibus viæ huic insistere iuuabat, cum quibus modò excurrebat in agros, modò ad vrbem redibat, ita tamen vt inæqualibus ista temporum spatijs definirentur. Frequentior in campis, rarior in vrbe commoratio erat; dum sapienter turbam fugit, plebis tumultum amandat, & diuinæ conuersationi hinc tranquilliùs cursum vitæ omnem impendit.

a

reuersus Corinthum, alios docet:

E

socios acquirit:

sæpius ruri degit.

a *Imò Patriarcha Iacob Gen. 27, 27, vbi filio benedicens ait:* Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: *itáque habet loco textus Græcus ἀγρȣ̃ .... πλήρȣς*

CAPVT II

S. Codrati & sociorum martyrium.

in persecutione Decij

annis & virtute prouectus,

CVm autem sceptra Imperij Romani impius ille Decius nuper suscepisset, ac Iason Græciæ præesset, pietatemque eius dogma contrarium premeret validiùs, multi quidem alii, vt discipulos Christi decebat, virilem exhibuerunt animum, periculumque non inuiti subierunt; alacriùs tamen præ reliquis diuinus Codratus, cum amicis & morum similitudine socijs: promptissimus scilicet annoso etiam in corpore athleta, senio & asceticis laboribus, in quibus vitam pene omnem transegerat, etiam tum colluctans. Vinctus igitur ad Iasonis tribunal vir beatus sistitur, eumque alloquens, Vnde, inquit, ô scelestum caput, tantus tibi in Christum meum nosque eius famulos furor exurgit? Cur ad tribunal trahis? Cur sæuitiam intentas, mancipiumque efficere conaris mentem liberam & nemini cessuram? Hoc etenim scire intensum nobis animum tuum quàm manifestissimè velim; faciliùs quidem tibi nos, quàm te nobis esse persuasurum: quod si tamen fortassis illud primum sit difficile, alterum profectò fieri numquàm poterit. Nihil ergo cunctatus, nullum penitus tormentum ex ijs, quæ tuus te sapiens dæmon docet, omittito; siue illud ferrum sit, siue flamma, siue marini fluctus, siue alia quæcumque, quibus grassari contra nos soletis. Adhibe nobis omnia, atque sic scelesto tuo parenti ac ductori magnifice ministra: nos ad ista, non minùs quàm ferrum ad robustos fabrorum malleos, durabimus.

F

vinctus Iasonem Præsidem alloquitur:

paratus ad quodlibet tormenti genus,

7 Hæc cùm dicerentur, gaudebant quidem in cælo

EX MS GRÆCO

A lo Angeli, tamquàm athlothetæ ex summo theatro despectantes; sæuus autem Dux, quasi turbine quodam omnia circa ipsum obruente, consternabatur, & iam tum ea, quæ contra illos hactenus machinatus fuerat, cuncta ludibrio fore existimans, reijciebat: dumque redeuntes alterni cogitationum fluctus mentem eius non secus ac nauim, iactant hinc inde & conturbant, aduerso quasi vento retrorsum actus spiritus ille superbiâ & audaciâ tumens, conuocato frequentibus interuallis consilio omni, fortiùs denuò insurgebat, reuoluebatque secum, quibusnam abstinere magis expediret, quænam cum spe successus & absque metu, sannis hominum manifestò se tamquàm à potentiori aduersario deiectum, propinandi, posset experiri. Et nunc quidem illi animus erat, vno ictu Martyres vitâ, se molestiâ exuere: paullò pòst autem retrahebat impetum, experientiæ periculo summam rei committere formidans, vbi quemadmodum in talorum lusu, si quid eueniat sequius, tantò minùs est inexpectatum, quantò magis felicior casus expectationi congruit.

cum magno stupore Præsidis,

à suo consilio exquirentis genera tormentorum:

8 Sed palæstram Martyrum adire tempus est certamina ipsorum numeraturis. Carnifices primò Codratum cum sanctis socijs viribus omnibus connixi verberant. Hinc sublimes pedibus suspendunt, vngulisque ferreis carnium compage dilaceratâ, ignem succendunt: operâ vnâ eâdemque corpora illorum se cocturos simulantes, & meatibus respirationi dicatis acrem dolorem infligentes. At Martyr mentem suam à corpore prorsus segregans, ad Christum ablegabat: in cuius gratiam ista perpetiebatur. Vnde facile illi erat corporis cruciatus spernere, solùm athlothetâ respicere, in corpore diffluente gloriari, & victoriam liquidam existimare tātùm eam, quâ caro ob Christi anteà pro nobis passi nomen plexa despicitur. Talis erat Codratus quoad dolores sui corporis: ad socios autem certaminis conuersus, huiusmodi vtebatur verbis, tamquam aliptes aliquis ad nouos & inusitatos conflictus incitans, & incendium vehementissimum animis ipsorum inserens. Viri, dicebat, qui stadium idem, quod & ego, decurritis, idem brauium respicitis, si & naturæ nostræ fluxa nobis conditio ignota, & vitam mortis expectatione liberam perpetuò prorogandi certa fiducia esset, meritò nos fortè eius moueret caritas, vt carni nostræ cuperemus esse consultum, & pericula hæc ingentia metu, quem nemo reprehendat, declinaremus. Cùm verò euitanda nulli lex naturæ etiam nobis incumbat, quâ iubente, etiamsi vitam hoc fortasse tempus indulserit, aliquando tamen aut senectus finiet, aut morbus incidens, quales plurimi varijque miseræ carni huic ordine materiæ perturbato imminent, demum abrumpet: cur quod meliùs est peiori non præferimus? Quòd si mortem quàm natura immittet expectabimus, ingloria ista profectò erit, vitæque nostræ memoriam sepulcro vnà cum corporibus recondet, cum incertum insuper sit, an fortunâ fauente, superstites vsuri simus. Si verò mortem quàm pericula intentant, elegerimus: vitæ quidem nostræ perennis manebit gloria, idque viuere magis erit quàm mori; Deus autem immortalibus præmijs nos remunerabitur.

inter verbera & vngulas ferreas

B

constans in amore Christi,

socios ad generosè moriendum adhortatur:

C

9 Hisce ille sermonibus tamquàm belli dux sociorum accendebat fiduciam, & ad certamina imminentia ipsos reddebat animosiores. Nec cessabat interim effera tyranni crudelitas affirmantis, eorum quæ contra Sanctos moliebatur nonnisi exiguum se apparatum præmisisse. Minabatur etenim alia non mediocria sed acerba supplicia, & omnino talia, quæ corpus humanum ferre neutiquam posset. Ad quem Codratus animi generosi proposito exardescens, Nullâ quidem nos, inquit, mortis curâ angimur, quam naturæ calculo etiam ante tuum, nobis decretam esse scimus; cùm nulli penitus rei, quæ gignitur, corruptioni se subducere liberum sit. Quare tormenta quidem multa & varia in nos comminisci, tui est arbitrij: at contra omnia ista prodire in aciem, carnemque vilipendere, nostrum est, ac adamante duriores nos offendes. Quin & cumulasse te supplicia, nobis beneficium erit, qui pro illorum numero coronas quoque nobis annumeraturum athlothetam Deum expectamus.

Præsidis nouas & graues minas contemnit:

D

10 Adeò non emolliebant verba hæc tyrannum, vt furorem eius etiam magis accenderent, non secùs ac materia incendijs apta flammam solet. Ac illius quidem faciem ira rubore suffuderat: Martyres autem subridebant. Iaciebat ille conuitia: hi autem par pari non reddebant. Iubebat ille carnifices supplicia addere supplicijs: hi autem cumulatis & diu protractis ampliùs gaudebant: cùm firma animi spes debile corpus sustentaret, ac erigeret, persuadens ipsis, vt tormenta nihil aliud esse existimarent, quàm gymnasium virtutis. Bestijs prætereà in cibum obiecti, hinc quoque indemnes euaserunt, Angeli diuinitus submissi auxilio, qui ferarum ora obstruxit.

Fortes omnes supplicia expectant,

bestijs obiecti non læduntur:

11 Tandem igitur, cùm nihil ferè excogitatum sibi omittens tortor iste, à victoribus tamen illis vinceretur vel inuitus, supinos pedibus alligatis raptari per vrbem mandat. Trahebantur itaque athletæ Christi immitissimè, & à promiscuâ turbâ iuuenibusque circumforaneis, lapidibus, lignis & alijs, quæ ad manum erant, petebantur: donec tandem extra vrbem ventum est, vbi capitibus gladio abscissis, finem vitæ inuenerunt. Atque sic diuino Codrato & socijs vrbe eiectis, ad ipsa eius mœnia spicarum instar capita demessa sunt, Martij die decimâ, vere denuò terram inuisente. Saxum quidem, quod defluentem ipsorum sanguinem excepit, aquæ fontem confestim emisit, nostrisque etiam temporibus emittere ad morborum omnis generis remedia perseuerat. Venerandas autem reliquias ipsorum pij viri collegerunt, & in templo, quod propè vrbem Deo extructum ab ipsis postmodùm est, collocauerunt, maximam vrbi tutelam, & sanationum thesaurum sacrosanctum.

rapti per plateas,

E

lapidibus impetuntur:

capite plectuntur 10 Martij.

è saxo sanguine resperso fons erumpit:

reliquiæ miraculis clarent.

CAPVT III

Martyrium aliorum XV, exemplo S. Codrati passorum.

11 Atque hæc de Codrato eiusque socijs. Superest, vt certamina quoque paucis exequamur eorum, qui magisterio Codrati bonoque exemplo, ad pugnandum pro Christo viriliter temporibus ijsdem inualuêre, mentibus in illius æmulationem accensis. Ad vnum itaque Iudicem omnes quidem adducti, Tertium nempe Proconsulem Græciæ, diuersis tamen supplicijs toleratis, vitâ excesserunt. Victorinus primùm, Victor, & Nicephorus, innumeris antea lacerati tormentis, in mortario tandem corporibus violenter contritis, Deo reddiderunt animas saluas & incolumes. Secundo loco Claudius, manibus pedibusque abscissis ad Deum quem quærebat currens, vitæ valedixit. Tertius Diodorus, amore Dei mentem inflammans, medium in rogum sibi paratum insiliuit, igni ignem, vt ita dicam, opponens, materiâ carentem materiali: qui cùm paululùm superuixisset, vtrique igni se ipsum distribuit, terreno quidquid in se terrenum erat donans, spiritum autem diuino, atque per hunc Deo. Quartus Serapion plexus capite, ad Christum tanquam genuinum caput suum, transijt. Quintus Papias maris fluctibus submersus, diuinos & corruptionis fluctibus non obnoxios portus occupauit. Atque isti eodem, quo diuinus ipsorum Doctor Codratus, loco depositi, inæstimabiles Corinthiorum diuitiæ sunt, solitam inde Martyribus benefi-

Exemplo S. Codrati,

sub Tertio Proconsule Græciæ

F

Martyres obierunt SS. Victorinus, Victor, Nicephorus, Claudius, Diodorus,

Serapion

Papias,

A scentiam per totum terrarum orbem explicantes.

11 Effulserunt ex eodem cœtu & panegyri plures alij Martyres, quorum certaminibus Corinthus exornata est. Postquàm enim pura & sincera iam olim pietatis semina à Paulo suscepisset, latices etiam Codrati ad satietatem imbibisset, ramos protulit Catholicæ Christi Ecclesiæ gloriosos, quos neque infidelitatis hyemes, neque efferati & impetuosissimi venti, quales temporibus illis aduersarius sacræ militiæ graui cum violentiâ incumbens emittebat, ratione vllâ euertere potuerunt: cùm ipse potiùs hostis, clade in seipsum versâ fractus, & sui sibi mœroris auctor, cum ignominiâ fugam corripuerit. Ac Tertius quidem ille, qui implere dextram sanguine Martyrum studuerat, morte illi perpetuum exilium indicente, vitâ pellitur, & tormentis numquàm finem habituris addicitur. At mali istius hominis malus successor, Venustus nomine, Dux factus, mandatis ab Imperatore sanguinarijs contra pios acceptis, Corinthum plenis, vt ita dicam, velis appellit, ac impietatis facibus quàmplurimis accensis, cùm multos Christi Martyres faceret, vnà cum omnibus illis, etiam alios non paucos sacræ Codrati scholæ discipulos comprehendit: ex quorum numero primus Leonides occurrens, in altum quoddam lignum initio eleuatus, crudeliter laniatur, & lampadibus ardentibus amburitur. Tum demissus, tantisque excar-B nificatus tormentis, inhumanum tamen Ducem ad misericordiam adeò non commouit, vt etiam cruciatus illi decerneret longè maiores; quasi nullos hactenus tolerasset.

& Tertio mortuo.

sub duce Venusto

Leonides

12 Exutis igitur vestibus, supra ferreos tribulos extenditur, partes autem corporis superiores virgis immaniter cæduntur, ne superesset aliquid in illo expers doloris: sed inferna quidem membra, aculeis tribulorum ad ipsa ossa penetrantibus, acerbissimo sensu configerentur: supernè autem continuis & alternis virgarum ictibus miserandum in modum carnes eius discerperentur. Nec tamen ipse dolorem (ô animam nobilem, & generosissimam tolerantiam, ad quam omnis natura, siue terrena siue cælestis, obstupuit!) vel minimo prodebat gestu: gaudebat potiùs, dum carnem pretioso illo sanguine vndique madefactam intueretur, tamquàm prætextatus aliquis sponsus, vestem indutus auro intertextam. Verumtamen sacrum hoc & certaminibus dicatum corpus alijs adhuc tormentis exerceri debebat, nec dissolui, antequàm carnificem istum immanemque tyrannum satiasset, ac furorem animi illius impij & belluini expleuisset, qui ad pessima quæque consilia semper connitebatur. Et nunc vide mihi, quænam temerarij isti sint ausi, & quales circa Martyrem lusus ediderint. Corpus eius, cruciatus tantos expertum, supra focum, in quo ac-C census erat ignis, neglectim explicant, ne omnino diffluat, animoque deficiens fatiscat: sed riui quidem sanguinis fluere cessent, si quis autem efferuescens & putrefactus supersit, omnis quasi in sartagine frixus excoquatur. At cùm nihil tyrannus efficeret, sed omnia tentans, in omnibus vinceretur: tandem in mare ipsum iubet proijci cum sanctis mulieribus haud paruo numero, quæ tum certamen idem pro pietate consummabant, & theatri illius Martyrum non minima pars erant, ex virilibus Codrati monitis, tamquàm irrigationibus, masculo robore concepto: quarum nomina, quòd memoriâ digna sint, hîc iuuat addere.

post plurima tormenta

in mare proiectus:

13 Erant igitur, Chariessa & Nunechia, gratiâ & mente sobriâ repletæ. Basilissa & Nice, quæ regiè contra impietatem decertarunt, & victoriæ coronis redimitæ sunt. Cale & Galene, quæ aquas vitæ huius salsas benè transierunt, & in portum appulerunt nulli expositum perturbationi. Theodora denique, donum illud Corintho vnà cum ceteris à Deo concessum. Tunc enimuerò, tunc etiam mare, Martyrum illa corpora reueritû, fertur ea absorbere noluisse, D sed triginta stadiorum spatio, terræ ad instar, ipsis ministrasse. Chariessa quoque fluctibus inambulans, canticum hoc Domino, succinentibus reliquis, voce altâ cecinisse dicitur: Vnum milliare percurri Domine, & exercitum persecutus es Domine, & non negaui te Domine, salua spiritum meum: verba, quibus similia Moysis & Aaronis soror protulit. Itaque lapidibus ad ceruices alligatis, Martyres vi in profundum detruduntur, vt cum vinculis & fluctibus colluctando deficientes, viuere desinerent, Deoque victimæ perfectæ sisterentur.

vti Chariessa, Nunechia, Basilissa, Nice, Cale, Galene, Theodora,

EX MS. GRÆCO.

14 Istiusmodi sunt messes diuini Codrati & laborum fructus; talia germina, quæ doctrina eius produxit; tantum lucrum, quo talentum gratiæ auxit. Ac Paulus quidem doctrinæ fontes ex illo, qui est ipsa sapientia, hauserat; hic autem à Paulo acceptam, communicauit alijs, talentumque gratiæ, non tricies & sexagies tantùm; sed centies multiplicauit. Adeò vt firmiter nobis persuadeamus, quòd nunc omnibus bonis apud Deum liberè illi perfrui liceat, ac mansiones non has vel illas dumtaxat, sed ad eumdem modum omnes inhabitando occupet, tamquàm hæres & filius, in quo Deus Pater sibi complacuit, qui in omnibus eius mandatis ambulauit, & omnium optimè omnia, quæ alij seorsim singula, perfecit. Vnde etiam E frui illum seorsim rebus ijs dicimus, quibus non omnes, & vnà cum alijs, quibus singuli fruuntur: cùm symbola in illo quilibet consuetæ sibi virtutis agnoscat. Recipiunt eum in societatem chori sui ascetæ, lætitiæque suæ faciunt participem, irrecusabile hoc quasi debitum & Codrato dignum soluentes; quòd & ipse multam illis lætitiam pepererit, dum idem stadium, quod ipsi olim, decurreret, contra potestates tenebrarum seculi huius in acie consistens, & incruenta singulis momentis trophæa erigens. Apostoli autem, & ante omnes magnus ille prædicator ac coryphæus Paulus, in consessum & societatem communis conuiuij, quod ex nouâ magnâque hostiâ instructum est, ipsum admittunt: vt qui post illos secundus præconem Euangelij illorum feruentiorem egerit, Paulique voces illustrauerit; qui non sua tantùm quæsiuerit, Domini autem talentum, quemadmodum seruus ille nequam, defoderit; aut seminauerit quidem, at non in benedictionibus, sed malignè super aquas, petras & senticeta, vbi frustaneus labor & fructus est expectationi non respondens: qui multorum conditiones ad Lydium rationis lapidem exigens, tum dijudicans singula, spiritusque gladio bonum à malo diuidens, nudum inde protulerit Euangelium, veritatem proposuerit, quæ solis instar illunes noctes omnis malitiæ pelleret; atque sic populum omnem ad Deum perduxerit, alios quidem sine athletico sanguine, alios autem postquam illum profudissent; vtro-F rumque dux factus non verbo tantùm, sed ipsis etiam operibus edocens illos exercitationem, quæ est secundùm Deum, hos certamen, quod propter Christum suscipitur, ne, quod Paulus ait, prædicans alijs, ipse reprobus esse videretur, atque hanc ob caussam & æs & cymbalum propalam audiret. Sigmata Domini in carne etiam ipse portans, præco fuit, vt ita dicam, ineffabilis, & magister factis erudiens, verbi quidem minùs indigus, aut dumtaxat quantum ad veritatem animis auditorum adumbrandam ac delineandum opus esset; opere autem plurimo post verba vtens, vt post vmbras coloribus pictores, ad integram atque dilucidam veritatis manifestationem & perspicuitatem. Frueris tu quidem nunc, ô benedicte Patris cælestis, præparatis tibi bonis æternis fatoque nulli obnoxijs, quæ neque oculum humanum vidisse, neque in cor terrenum descendisse didicimus; & gaudes, dum athlothetâ Christo sine omni obstaculo potiris. Verumtamen etiam nostri recordare, qui gestarum à te rerum memo-

S. Codratus in his coronatur.

à S. Paulo & Apostolis exceptus.

EX MS. GRÆCO.

A memoriam festo die recolimus, & insultum omnem hostium, siue ex insidijs illi siue apertè nos impetant, ad abyssum perditionis relega, & quidquid in vitâ difficile asperumque est, complana: vt salsis eius aquis superatis, in diuinos portus appellamus, directi tuâ, atque per te Christi dexterâ, Saluatoris ac Dei nostri, cui conuenit gloria, honor & adoratio in secula. Amen. D

DE SANCTIS XL MARTYRIBVS SEBASTENIS

QVIRIONE, CANDIDO, DOMNO, MELITONE, DOMITIANO, EVNOICO, SISINIO, HERACLIO, ALEXANDRO, IOANNE, CLAVDIO, ATHANASIO, VALENTE, HELIANO, ECDITIO, ACACIO, VIBIANO, HELIA, THEODVLO, CYRILLO, FLAVIO, SEVERIANO, VALERIO, CHVDIONE, SACERDONE, PRISCO, EVTYCHIO, EVTYCHE, SMARAGDO, PHILOCTIMONE, AETIO, NICOLAO, SIVE MICALLIO, LYSIMACHO, THEOPHILO, XANTHEA, ANGIA, LEONTIO, HISICHIO, CAIO, ET GORGONIO,

Commentarius præuius.

§ I *Varia horum Martyrum Acta, & de ijs homiliæ sanctorum Patrum.*

SVB LICINIO IMP. X MART. *Martyres passi Sebastiæ,*

Lysiâ Duce & Agricolao Præside.

1  *Ebastiam alijs habitam Armeniæ minoris vrbem, alijs Armeniæ primæ metropolim, à nonnullis etiam Cappadociæ olim adscriptam fuisse, docuimus die* III *Februarij ad Acta S. Blasij Episcopi Sebasteni, qui gloriosum ibidem martyrium subijt in eadem Licinij Imperatoris persecutione; quâ hi quadraginta Martyres illustre pro Christo certamen compleuêre. Cædi perficiendæ ijdem vtrobique præfuêre, Lysias Dux & Agricolaus Præses; quos ad eadem S. Blasij Acta diximus Græcos genere, ingenio & eloquentiâ promptos; sed indole feroces, ac superstitionibus idolorum mirè deditos, à Diocletiano ad extindendam Christianam religionem in Armeniam & Cappadociam missos, atque in ijsdem muniis & dignitatibus fuisse sub Licinio detentos. De varijs sub horum regimine peremptis Christianis sæ-* C *piùs agendum erit. Præcipuorum Martyrum catalogus texitur ad dicta Acta S. Blasij, cui mox ab obitu successit Episcopus S. Petrus. Huic Acta posteriora Latina infrà num.* 19 *tradunt* reuelatum fuisse, vt iret ad fluuium, & sacra pignora horum XL Martyrum studiosissimè releuaret; *de quo itidem ista habent Acta apud Lipomanum:* Tertio pòst die ciuitatis Episcopo Petro per visum Martyres aperuerunt, quo in loco reliquiæ seruarentur. *De S. Petro seorsim hoc die agimus: cui non diu pòst successit* Eulogius, *alijs* Eulalius, *qui* Sebastenus Asiæ minoris Episcopus *anno* CCCXXV *Concilio Nicæno subscripsit. Cardinalis Baronius tomo* 3 *Annalium refert ad annum Christi* CCCXVI *martyrium, & S. Blasij & horum* XL *Martyrum, asserens* vnum mensem & sex dies *interfuisse, à die* III *Februarij, ad* IX *Martij.*

tunc S. Petro Episcopo Sebasteno.

Acta antiquiora Latina ex MSS.

2 *Acta horum Martyrum extant varia: antiquiora Latina arbitramur, quæ damus ex vetusto MS. monasterij Gladbacensis, & altero MS. codice nostro, quem Amplissimus Dominus Gauleus Cancellarius Gelriæ nobis anno* MDCXLVIII *donauit. In hoc tamen MS. nonnulla sub medium desunt, foliculo ex codice exciso. Eadem Acta habemus, sed phrasi subinde diuersâ, ex MS. itidem vetusto monasterij S. Maximini apud Treuiros, ac contulimus cùm MS. codice Bernardi Rottendorffi V. CL. quem is pro suâ humanitate Monasterio VVestphaliæ ad nos transmisit. Legimus eadem Acta in MSS. duobus Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ; quorum alter maior num.* 482, *alter minor num.* 569. *insigniti distinguebantur. Extant etiam Andaini, siue in monasterio S. Huberti apud Arduennates. Acta Latina alia damus ex codice MS. Longobardico monasterij sanctimonialium S. Ioannis in vrbe Capuanâ, ex quo illa suâ manu descripsit ac nobis transmisit D. Siluester Ayossa Sacræ Theologiæ Licentiatus, Canonicus Presbyter Capuanus; ac nepos D. Michaëlis Monachi, optimè etiam de antiquitate Capuanâ meriti. Sunt hæc Acta Moguntiæ anno* MDCIV *per Gerardum Vossium Borchlonium, & Ecclesiæ Tungrensis Præpositum edita inter Miscellanea aliquot Patrum, adiecta S. Gregorij Thaumaturgi operibus. Asserit autem Vossius se vsum fuisse quatuor codicibus MSS. Romanis, scilicet peruetusto Passionario bibliothecæ Vaticanæ, & alio antiquissimo monasterij S. Cæciliæ Transtiberini, ac duobus Statianis, tunc Patrum* F *Congregationis Oratorij; reperiri etiam in Regiâ Parisiensi bibliothecâ, alijsque pluribus. Idem Vossius in scholiis ad Orationem S. Ephræm Syri de his Martyribus, tradit alterum codicem Statianum ab annis* DCC *aut ampliùs exaratum fuisse.*

alia ex MSS. collata

cum editione Vossianâ ex 4 MSS.

Latinè versa à Ioanne Diacono iussu Ioannis Abbatis S. Seuerini

3 *Occasionem scriptionis horum Actorum ita indicat auctor in prologo:* Domnus Ioannes spiritalis noster Pater, Abbas quoque monasterij S. Seuerini, cùm me infelicissimum Ioannem Diaconum, seruum S. Ianuarij Martyris diligeret. . . . præcepit, vt passionem eorum Martyrum Latinis transferre sermonibus, minimè recusarem. *Floruêre ambo &* Ioannes Abbas & Ioannes Diaconus *sub Episcopis Neapolitanis Athanasio* II *& Stephano* III *fratribus, quorum patruo* S. Athanasio, *fastis Martyrologij Romani ad diem* XV *Iulij adscripto, successit* Athanasius II, *qui, teste Leone Ostiensi lib.* I *Chronici Casinensis cap.* 45, *vixit cum* Angelario Abbate, *quem is asserit ab anno* DCCCLXXXIV *ad annum* DCCCXC *præfuisse. Huius iussu è Græco in Latinum transtulisse* Ioannem Diaconum Acta SS. Eustratij & sociorum, *tradit Baronius in* Notis *ad* XIII *Decembris: sed in Prologo versionis (cuius ex Logobardico Emin. Card. Francisci Barberini exemplum*

A *emplum ipsi transcripsimus) non Ioannem, sed* Guarimpotum *se vocat interpres: quod potuit cognomen Ioannis fuisse. Ipse autem* Ioannes Diaconus *ad prædictum vsque Athanasium deduxit Chronicon Episcoporum Neapolitanorum, quod penès nos descriptum habemus. Eodem Athanasio* II *procurante extructum est Neapoli monasterium S. Seuerini, inducto per* Acculsarium Abbatem *quindecim monachorum collegio. Acculsario vitâ functo, præfecit* Athanasius *memoratum* Ioannem Presbyterum; *quo Abbate* Stephanum III Episcopum transtulisse Neapolim corpus S. Seuerini anno XXIV Imperatorum Leonis & Alexandri, *Christi* DCCCCII, *scribit Ioannes Diaconus in Historiâ Translationis S. Seuerini, quam ex MSS. Neapolitanis edidimus tomo* I *Ianuarij inter Addenda ad* VIII *Ianuarij pag.* 1098 *& sequentibus hoc exordio:* Scripturus, Domine Ioannes Abba, qualiter ex castro Lucullano dudum euerso translatum, tuoque in Monasterio S. Seuerini corpusculum sit collocatum &c. *Et num.* 9 *ista habentur:* Ioannes venerabilis Abbas monasterij S. Seuerini Parthenopæ constructi, vir per omnia strenuus, suis efflagitabat precibus, vt corpusculum eiusdem Confessoris non alibi nisi in suo collocaretur monasterio. *Huius suæ historiæ meminit idem* Ioannes Diaconus *in Actis S. Sosij Diaconi* & sociorum Martyrum *ad diem* XXIII *Septembris, quæ eodem* Abbate Ioanne efflagitante *scripsit, testatus se* Translationi corporis *eiusdem* S. Sosij sub Stephano Episcopo factæ interfuisse. *Huic*

circa annum 900.

B *Stephano subrogatus* Athanasius III, *pleraque de exordio monasterij S. Seuerini commemorat in litteris testimonialibus de Translatione corporis S. Seuerini, datis* Indictione XI, die XVII Decemb. anno XXX Imperij Leonis & Alexandri, *ergo anno Christi* DCCCCVII. *Dictas litteras testimoniales edidit Bartholomæus Chioccarellus lib. de Episcopis Neapolitanis in Athanasio* III *sed qui, nescio quibus fastis aut Chronicis abreptus, initium Episcopatus Stephani* III *collocat ad annum* DCCCCXX: *cui dein elapsis* XVII *annis successisset Athanasius* III. *Verùm memorati iam Imperatores Leo & Alexander priùs vitâ functi sunt, vnus anno* DCCCCXI, *alter sequenti. Hæc pro certiori notitiâ ætatis Ioannis Diaconi dicta sufficiant: qui asserit in dicto Prologo se* Abbati Ioanni præcipienti, *vt* Passionem *horum Martyrum* Latinis transferret sermonibus, respondisse, esse illam satis Latinitate donatam: *sine dubio intelligens Acta antiquiora de quibus suprà egimus, & adstipulantur vetusta Martyrologia infrà proferenda.*

in quibus antiquiora Latina citantur,

4 *Leo Allatius in Diatribâ de Simeonum scriptis asserit pag.* 126 *Martyrium sanctorum Quadraginta Martyrum à Metaphraste scriptum esse hoc exordio.* Εἶχε μὲν τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα Λικίνιος καὶ βασιλέων τῶν πάλαι. Habebat quidem Romanorum sceptra Licinius & antiquorum Imperatorum &c. *Ea Acta necdum licuit videre. Alia Acta perperàm sub nomine Metaphrastæ indicat idem Allatius pag.* 122, *quæ sic incipiunt.* Κατὰ τοὺς καιροὺς

Græca per Metaphrasten,

C Λικινίου τοῦ βασιλέως ἦν διωγμὸς μέγας τῶν Χριστιανῶν. Tempore Licinij Imperatoris magna fuit in Christianos homines persecutio. *Sunt hæc ex MSS. Græcis Venetis Latinè reddita à Petro Francisco Zino Veronensi, & ab Aloysio Lipomano tomo 7 de vitis Sanctorum vulgata, & à Surio ad* IX *Martij translata. Et hæc more nostro editioni nouæ aptaueramus, sed cùm apud dictos auctores legi possint, atque admodùm parùm ab antiquis codicibus Latinis discrepent, malumus his omissis, inedita antiqua monumenta Latina proferre. Nolumus etiam recensere auctores varios, qui ea aut in alias variarum nationum linguas transtulerunt, aut suo stylo, & quidem in compendium decurtata, scripserunt. Ex Græcis scriptoribus, inter quos intelligimus Armenos, Cappadoces, aliosque Asiæ viros eruditos, omnis horum Actorum scientia deriuata est: ac primò arbitramur ab Ecclesiâ Sebastenâ historiam martyrij horum* XL *pugilum conscriptam fuisse, & peruetusto Asianorum more ad alias Ecclesias instar epistolæ encyclicæ missam. Gerardus Vossius in suis scholijs ad encomium S. Basilij Magni de his* XL *Martyribus asserit:* Acta martyrij à Ioanne Diacono Latinè versa

alia apud Lipomanum & Surium, hic omissa.

Græcè *extare* in magno MS. Vaticano sub numero 908 antiquo charactere descripta, *esseque* vetustissima Acta Martyrum, *quæ idem Vossius in Scholijs ad encomium S. Ephræmi Syri de eisdem Martyribus tradit* à doctis adscribi Euodio, Sancti ac Magni Basilij discipulo, & in Episcopatu eius successori, sub cuius etiam nomine in bibliothecâ Sfortianâ Græcè reperiantur. *Ita Vossius, qui addit eamdem historiam martyrij haberi etiam* in Passionario Græco bibliothecæ Statianæ, Manuscripto antiquissimo, *item* in Græco MS. bibliothecæ Cardinalis Sirleti, *tunc* Cardinalis Columnæ, *& nonnulla ex ijs allegat, quæ tamen non exactè respondent vlli Latinæ translationi à nobis hactenùs indicatæ.* D

alia adscripta Euodio successori S. Basilij.

5 *Prolixi sunt sancti Patres atque admodùm eloquentes in efferendâ constantiâ alijsq́; virtutibus horum Martyrum. Magnus Basilius suum erga hos Sanctos affectum & docto encomio ostendit, & alijs qui eosdem suâ scriptione honorarent, infudit. S. Ephræm Syrus in encomio dè S. Basilio fatetur per hunc* sibi inditum sensum ac cogitationem pariendi XL Martyrum laudes. Omnem enim, *inquit*, rationem ac modum tolerantiæ ipsorum meis infudit auribus vir ille egregius, quemadmodùm sibi mortem pro Christo delegerint, quantaque pericula despexerint, vt ipsum lucrifacerent: tum quot numero Sancti fuerint, reliquaque eorum commemorabat certamina. Quod ergo ad eiusmodi insignem effectum nos dignos censuerit fidelis Pontifex, vt triumphantium istorum virorum de tam illustri martyrij sui reportatâ victoriâ, in aliâ oratione laudes descriptas relinqueremus; est quòd Sanctum hunc Christi, eiusdemque cum illis admirationis pariique honoris virum, beatum prædicemus atque felicem. Nam quemadmodùm Sancti isti viriliter Licinio restiterunt tyranno, & Duci ac Præsidi; ita & Sanctus hic se opposuit Valenti, Ario ac Audaci Præfecto. *Omittemus reliqua, in quibus res gestæ S Basilij cum illustribus horum Martyrum facinoribus comparantur. Idem Ephræm ad hunc locum alludit in suâ de his* XL *Martyribus oratione, dum in eius exordio ait:* Non enim oblitus sum mei promissi, quo vobis de egregijs pollicitus sum triumphatoribus, quando ea, quæ Sancti ac fidelis sunt Basilij, electi viri Dei, enarrabam. *Et implorato patrocinio Martyrum ad virtutes illorum dignè recensendas addit;* Nam ad hoc præclarum munus obeundum nos vocandos censuit fidelis Pontifex Basilius. *Vossius in Scholijs fatetur* à S. Basilio luculenter encomia atque trophæa horum insignium Martyrum descripta esse, *fusiùs tamen ac pleniùs à S. Ephræmo. Ac Lectorem ad vtriusque perlectionem atque collationem, vt meliùs cognoscat decernatque, inuitat & cohortatur.*

De eisdem Martyribus homilia S. Basilij,

laudata à S. Ephræmo Syro: E

huius homilia:

6 *Plures etiam orationes de* XL *hisce Martyribus scripsit S. Gregorius Nyssenus S. Basilij frater, & ipse illustris scriptor. Harum prima est potiùs exordium orationis sequentis: nam cùm tumultu ac strepitu multitudinis certatim ad venerationem Martyrum confluentis, & sese in templo constipantis, exaudiri præterquàm à proximè adstantibus non posset, in posterum diem rem distulit, & proximâ oratione absoluit. Alia eiusdem S. Gregorij Nysseni oratio laudatoria dicta in Martyrio siue Ecclesiâ eorumdem Martyrum ex MSS. eruta est à Iacobo Gretsero nostro, & cùm eius interpretatione Latinâ edita: in cuius exordio præclara virtus ac doctrina S. Basilij commendatur, vt* quem ante se *asserit* beatos hosce Martyres laudibus extulisse, & quasi coronasse: *Ceterùm* non ideò se tacere debere, quia ille priùs magnificè Martyrum admiranda facta deprædicauit: non enim se in præsenti cum illo certare instituisse; sed aliquid etiam vtilitatis adferre auditoribus ex horum Martyrum trophæis voluisse. *Aliqua hinc excerpimus, quæ ad horum Martyrum cultum, reliquias ac miracula spectant. De sanctis hisce Martyribus pulchrum etiam encomium scripsisse* S. Athanasium *asserit sæpiùs memoratus Vossius, ac se* Romæ in bibliothecâ quondam Cardinalis Sirleti, *tunc* Ascanij Cardinalis Columnæ F

plures S. Gregorij Nysseni

an alia à S. Athanasio scripta?

A Græcè inueniſſe, nondum, de quo conſtet, impreſſum.

Latina à S. Gaudentio Ep. Brixienſi.

7 *Inter antiquiores Patres Latinos floruit* S. Gaudentius, *ſatagente S. Ambroſio* Epiſcopus Brixienſis *circa annum* CCCLXXXV *creatus: inter cuius opera extat homilia de Sanctis hiſce Martyribus habita die dedicationis baſilicæ ad honorem illorum à ſe erectæ. Retexitur ab eo hiſtoria martyrij, indicaturq; occaſio reliquiarum ab ſe ex Oriente ad ſuam Eccleſiam delatarum: quam ſaltem partem mox proferemus. In alijs S. Baſilium fermè ſecutus eſt, de quo iſta ſcribit:* planè habent idoneum ſuis meritis digniſſimumq; præconem beatæ recordationis virum, Confeſſorem Baſilium, Eccleſiæ Cæſareenſis Antiſtitem: cuius eloquentia ſingularis, & ſermo Apoſtolico ſale conditus, paupertatem mei retundat ingenij. Quid enim inferri à me nouum poteſt, quod non ille in eorum laudibus vbertate eloquij ſui opulenter effuderit, copioſè ornauerit, ſignanter impreſſerit? Aggrediar tamen inſtituendæ dilectionis veſtræ cauſsâ vel hiſtoriam replicare geſtorum. *Nos omiſſis tot Patrum antiquorum diſertis orationibus, ſolùm damus à reliquis laudatum encomium S. Baſilij hiſtoricâ methodo exornatum: & extat inter opera illius cum antiquâ paſſim tranſlatione, & Notis Frontonis Ducæi & Andreæ Schotti, in quibus allegant ex hac verſione citata verba tum ab Anaſtaſio in Synodo 2 Nicænâ Actione 4, tum ab Epiſcopis in Synodo Pariſienſi collectis: ac nonnulla loca cum Græcis collata oſtendunt emendari debere, neque Ianum Cornarium in ſuâ editione ſatis aptè id præſtitiſſe. Gerardus Voſſius ex antiquiſſimis MSS. Græcis inter ſe collatis nouam verſionem molitus eſt, atque inter Miſcellanea aliquot Patrum ſuprà indicata vulgauit. Eam verſionem vtpote minùs notam hîc damus. Aliquarum etiam reliquiarum horum Martyrum inuentionem deſcribit Sozomenus lib. 9 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 2 & ex eo Nicephorus lib. 14 cap. 10. Eam ex priore & antiquiore ſcriptore addimus.*

excerpta ex homiliâ S. Baſilij,

hic dandâ ex verſione, non antiquâ,

B

ſed Voſſianâ.

Inuentio reliquiarum ex Sozomeno.

§ II Reliquiæ, templa, miracula, & veneratio horum XL Martyrum apud Græcos.

8 NE vlla hiſce Martyribus *apud poſteros veneratio haberetur, imò omnis eorum memoria tolleretur, collaborauit dæmon apparens; qui, ne aliquæ etiam eorum reliquiæ reperirentur, corpora comburi debere & in flumen proijci, perſuaſit. Hæc infrà in Actis leguntur. At S. Ephræm Syrus in ſuâ de his Martyribus homiliâ aſſerit,* contra conturbantem inimicum Angelos ſtagnum cuſtodiuiſſe; *hinc* Gabrielem, *inde* Michaelem, & ab alto Chriſtum vniuerſorum inſpectorem adfuiſſe. *Hac diuinâ prouidentiâ reliquiæ Sanctorum, in flumen ab impijs proiectæ, ad gurgitem vnum collectæ, & lumine cæleſti reuelatæ, à Petro Epiſcopo Sebaſteno eiuſq; Clericis alijſq; viris religioſis eleuatæ ſunt, ac loculis impoſitæ, per orbem vniuerſum venerationem obtinuerunt. Certè S. Gregorius Nyſſenus in has voces erumpit:* Combuſta ſunt corpora, eaque flamma excepit. Cineres verò illi & incendij reliquiæ in orbem terrarum ita diuiſæ ſunt, vt fermè quælibet prouincia benedictionem inde participet. Hi ſunt, *inquit S. Baſilius infrà num. 12,* qui noſtram regionem continentes, non vno ſolo loco ſeipſos concludentes, at multis iam locis hoſpites effecti, multaſque regiones exornantes. *Hinc templa horum nomini ac cultui paſſim erecta fuêre.* In ipsâ maximâ Cappadociæ ciuitate Cæſareâ eoſdem beatiſſimos inſigne martyrium, *ſiue eccleſiam,* habuiſſe *teſtis eſt S. Gaudentius in ſuâ homiliâ. In hac* Martyrum Eccleſiâ paratum Chriſtianis auxilium *ſcribit num. 13. S. Baſilius,* Qui aliquâ premitur anguſtiâ, ad quadraginta Martyres confugit, qui lætatur ad ipſos recurrit: *quæ dein exactiùs explicantur. De reliquijs quas S. Baſilius Sanctimonialibus neptibus ſuis donârat, dein in Italiam tranſlatis, mox agemus.*

Fruſtrà obſtante dæmone

Reliquiæ horum conſeruatæ,

C

& delatæ ad varias eccleſias illis extructas,

vt Cæſareæ in Cappadociâ,

9 *Eſt altera Cappadociæ vrbs Nyſſa etiam Martyrio ſiue eccleſiâ horum Martyrum celebris, in quâ S. Gregorius Epiſcopus eorum certamina populo expoſuit, teſtatus* ſe habere particulam huius ſacri muneris, & corpora, *inquit,* parentum meorum iuxta horum militum reliquias poſui, vt tempore reſurrectionis cum opitulatoribus ſpe & fiduciâ plenis reſurgant. Scio enim illos poſſe: & quâ libertate & fiduciâ apud Deum valeant, dilucida argumenta vidi: ex quibus vnum commemorare lubet clarum videlicet teſtimonium, quid efficere queant. Eſt ad me pertinens vicus, in quo beatiſſimorum Martyrum reliquiæ requieſcunt. Non procùl abeſt parua ciuitas, quam Iboran vocitant. In hac cùm ex receptâ Romanorum conſuetudine cenſus militum inſtitueretur, quidam ex militibus ad prædictum vicum venit à Tribuno ad cuſtodiam vici deſtinatus, vt commilitonum ſuorum inuaſiones & iniurias propulſaret, quas milites ruſticanis audacter inferre ſolent. Ægrotabat autem iſte altero pede & claudicabat: eratque affectio diuturna & immedicabilis. Porrò poſtquàm diu in martyrio & loco requietionis Sanctorum fuit, preceſque ad Deum fudit, Sanctorum quoque interceſſionem implorauit; & ecce noctu apparet ei vir venerandâ ſpecie, & poſt alia, quæ dixit, Claudicas, ait, ô miles, & curatione eges: ſed da vt tangam pedem. Et apprehenſum in ſomnis pedem fortiter attraxit. Et cùm nocturna viſio hoc faceret, vigilantibus talis excitatus eſt ſonitus, qualis exiſtere ſolet oſſe ex naturali ſuâ ſede reuulſo, deinde violenter reſtituto: vt & illi, qui vnà dormiebant, expergefierent, & ipſe etiam miles confeſtim ſomno ſolueretur, ſanuſque more aliorum incederet. Hoc miraculum ego ipſe vidi, cum ipſo milite verſatus, qui vbique & apud omnes hoc beneficium à Martyribus acceptum diuulgabat & prædicabat & commilitonum ſuorum benignitatem celebrabat. Si verò quid, quod me peculiari modo attingat, apponere oportet, haud omittam. Quando enim primum feſtum diem ob reliquias acturi eramus, & vrnam in ſanctam Eccleſiam illaturi, mater mea (huius enim vita cum Deo erat, quæ etiam omnem diem feſtum eximiè ornabat) iuſſit me ad rerum gerendarum participationem venire. At cùm procul abeſſem, adhuc iuuenis & in laicorum ordine, prout fieri conſueuit rebus vrgentibus, occupationibus diſtentus, grauiùs vocationem inſipiens accepi, ſubaccuſans matrem, quòd hanc celebritatem in aliud tempus non diſtuliſſet: ſed me à varijs negotijs abſtractum huc abduxiſſet, & quidem ante vllam ſynodum. Veni ergo in pagum: & cùm peruigilium obiretur in horto, vbi etiam Sanctorum reliquiæ pſalmis honorabantur, mihi in vicinâ ædiculâ dormienti huiuſmodi ſecundùm quietem viſio oblata eſt. Videbar intrare in hortum, vbi peruigilium agebatur: & cùm ad fores eſſem, apparuit multitudo militum ad introitum excubantium, qui è veſtigio aſſurgentes, virgaſque quatientes, & minabundi in me irruentes, aditum non concedebant: quin & plagas accepiſſem, niſi deprecatione vnius, qui, vt videbatur, ceteris humanior erat, ereptus fuiſſem. Vbi verò ſomnus me reliquit, inque memoriam reuocaui, quæ circa vocationem deliqueram, tum quid terrifica militum apparitio ſibi vellet intellexi: multis autem lacrymis defleui meam inſipientiam, ipſamque ſacrarum reliquiarum thecam lacrymis amaris aſperſi, vt & Deum mihi propitiarem, & à ſanctis militibus commiſſi obliuionem obtinerem. Hæc recenſuerim, vt credamus Martyres viuere, & Dei quaſi ſtipatores & aſſeſſores eſſe, qui hodie Eccleſiæ & emolumento & ornamento ſunt.

D *& Nyſſæ*

cum miraculo claudi ſanati,

E

& S. Gregorij Nyſſeni obiurgati:

F

10 *Hæc aliaque S. Gregorius Nyſſenus, quibus antiquam reliquijs horum Martyrum impenſam venerationem exponit, ac tandem lætatur* præſidio horum quadraginta Martyrum, qui ſunt validi contra aduerſarios propugnatores, & fide dignæ interceſſionis apud commu-

nem

patrocinium implorarum à SS. Patribus:

A nem Dominum aduocati. *His similia S. Ephræm Syrus habet, & tandem hac breui precatione suam homiliam concludit:* Intercedite, ô triumphatores Christi, pro minimo ac miserabili Ephræm, vt misericordiam inueniam, Christique gratiâ saluus fiam. *Eosdem S. Basilius infrà num.* 15 communes generis humani custodes, bonos curarum socios, precationum suffragatores, & potentissimos intercessores *nobis ostendit. Horum exemplo S. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, vt gratus in patriam foret,* oppidum Phrygiæ, quod Pagus-diuinus dicitur, muro inexpugnabili circumdedit, & templum in eo sanctorum Quadraginta Martyrum exædificandum curauit, vt locus ipse multis de caussis diuinus vocari debeat, & refugium fiat salusque multarum animarum. *Hæc Eustathius Presbyter coæuus in illius Vitâ ad* VI *Aprilis illustrandâ.* Constantinopoli duplex *hisce* Martyribus sacrum *extitisse* templum *tradit Georgius Codinus de Originibus Constantinopolitanis: horum aliud fuit* apud Thermas Constantianas, quod Anastasius Imperator cum Ariadne coniuge condidit. *At de altero ac præcipuo ista habet:* Ecclesia sanctorum Quadraginta Martyrum, prætorium erat. Tiberius verò Thrax cum Anastasiâ vxore, eductis inde captiuis, locum purgauit, & nouo posito fundamento, muros extruxit vsque ad altitudinem quatuor

Templa erecta in Phrygiâ,

& Constantinopoli duo.

B cubitorum. Quo mortuo, Mauricius eius gener Imperio potitus, structuram ecclesiæ absoluit, soliumque in eâ posuit. *Theophanes in Chronographiâ asserit* Mauritium anno Imperij VIII, *Christi* DXC, Indictione VIII, sanctorum Quadraginta Martyrum ecclesiam, à Tiberio exædificari cœptam, absoluisse.

Cultus solennis apud Græcos.

11 *Solennissimo Officio coluntur à Græcis ad* IX *diem Martij cum præclarissimis odis & canticis, quæ æque in Anthologio nouo, quàm in magnis Menæis continentur, additurq; martyrij eorum illustre ex Actis sumptum compendium, in cuius fine ista recitantur:* τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν ἁγιωτάτῳ αὐτῶν μαρτυρίῳ τῷ ὄντι πλησίον τοῦ χαλκοῦ τετραπύλου. Agitur festus illorum dies in sanctissimo ipsorum templo, quod est iuxta æreum Tetrapylum. *De Tetrapylo multa disputat Petrus Gillius lib. 3 Topographiæ Constantinopoleos cap. 6, dubitatq; num vrbs duo tetrapyla habuerit vnum aureum, alterum æreum; an dumtaxat vnum, quod fuerit primò aureum, dein auro sublato æreum remanserit. Extra vrbis Constantinopolitanæ mœnia fuisse conseruatas horum Martyrum reliquias, ac cælesti apparitione inuentas, atque in templo S. Thyrsi, procurantibus S. Proclo Patriarchâ & S. Pulcheriâ Imperatrice, depositas, infrà ex Sozomeno referimus. De S. Thyrso & sociis Martyribus egimus* XXVIII *Ianuarij.*

reliquiæ in templo suburbano.

§ III Reliquiæ, templa, veneratio horum Martyrum apud Latinos. Nomina singulorum.

12 NON *minorem in Ecclesiâ Latinâ obtinuêre venerationem* XL *hi Martyres, quibus S. Gaudentius*

C *Brixiæ extruxit basilicam, & in eius dedicatione suprà memoratam homiliam habuit, ex quâ ista hîc describimus:* Iam quid de Quadraginta Martyribus dignum loquar, qui se itineri meo, cùm per vrbes Cappadociæ Hierusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt? In ipsâ enim maximâ Cappadociæ ciuitate, quæ appellatur Cæsarea, vbi habent ijdem beatissimi insigne Martyrium, reperimus quasdam Dei famulas, monasterij sanctarum Virginum dignissimas Matres, prorsus Mariæ & Marthæ consimiles, quas meritò diligat Iesus, naturâ, fide & studio & castitatis integritate germanas: quibus ab auunculo suo, Sacerdote ac Confessore Basilio, olim traditæ fuerunt horum Martyrum venerandæ reliquiæ: quas desiderio nostro incunctanter ac fideliter tribuerunt, idoneos veneratores tanti nos esse muneris approbantes, simulque sub

S. Gaudentius reliquias, à neptibus S. Basilij acceptas,

D testificatione Domini confitentes, se semper orasse Deum nostrum, vt hæc tam pretiosa possessio in tales transfunderetur hæredes, qui eas consimili fide diligentiâque imitarentur, qui studij ac venerationis ipsarum & successores & augmentatores existerent, & transmigrationem de hoc mundo suam quotidie expectarent. Exaudita est ecce fidelis oratio venerabiles ipsas Martyrum Quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus perpendendas: licet eis ex illo iam tempore celebritas debita numquàm defuisse nostri cognoscatur officij, præclaris eorum beneficijs salutariter mancipata.

SUB LICINIO IMP. X MARTII

13 *Relatâ dein historiâ passionis ista sub finem addit:* Cùm cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluuium iacerentur, non defuerunt religiosæ manus, quæ partem cineris vel furto eriperent, vel pretio compararent. Hinc & Ecclesia Cæsareensis exultat, & nostra fraternitas non immeritò gloriatur, reseruatum sibi prouidentiâ Dei salutare munus intelligens. Portionem reliquiarum sumpsimus, & nihil nos minus possidere confidimus, dum totos Quadraginta in suis fauillis honorantes amplectimur. Sicut illa in Euangelio fidelis mulier, quæ per fimbriam Christi saluata est, oram tenuit vestimenti, & virtutem Diuinitatis exegit: attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, & salutem quam præsumpserat, acquisiuit. Itaque pars ipsa, quam meruimus,

Brixiam detulit:

E plenitudo est: diuidi enim Quadraginta isti Martyres ab inuicem nullo modo possunt, quorum sunt inseparabiles & indiscretæ reliquiæ. Nam sicut animas eorum igneus ille Spiritus Dei, salutaris fidei vnitate coniunxit (erat enim omnium credentium cor vnum & anima vna) ita etiam membra eorum concremans ignis in vnum fauillæ corpus redegit. Habemus ergo & hos Quadraginta & prædictos decem Sanctos ex diuersis terrarum partibus congregatos, vnde hanc basilicam eorum meritis dedicatam, Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus. Dignum est enim, vt ad tantorum Martyrum venerandas reliquias processuri, ad concilium Sanctorum nos procedere fateamur. Tot igitur iustorum patrocinio adiuuandi, totâ fide omnique desiderio supplices, secundùm eorum vestigia curramus, vt ipsis intercedentibus, vniuersa, quæ poscimus, adipisci mereamur, magnificantes Christum Dominum, tanti muneris largitorem. *Hæc S. Gaudentius, in historicâ relatione martyrij secutus S. Basilium; in quo cùm cinerum in fluuium proieciorum miraculosa conseruatio deesset, aliam suam coniecturam de hisce reliquijs in aquas non proiectis dedit, dum* partem cinerum vel furto ereptam, vel pretio comparatam, *uti sæpe solebat fieri, indicauit.*

templum illis erectum Concilium Sanctorum appellat.

14 *Romæ duo hisce* XL *Martyribus erecta sunt templa; arreptam occasionem ex reliquijs, quas S. Gaudentius Romanis dedisset, arbitratur Octauius Pancirolius in Thesauro abscondito vrbis Romanæ, regione 8, ecclesiâ 11, vbi trans Tiberim fuit primum horum Martyrum templum, datum Confraternitati Recommendatorum B. Mariæ Virginis, Confalonis nuncupatæ, & anno* MDCVIII *innouatum, picturisque martyrij horum* XL *Sanctorum illustratum; soletque quotannis, die illorum certamini dicato, pro maiori solennitate distribui eleemosyna panum ac fabarum. De hac Confraternitate legi possunt litteræ Apostolicæ Gregorij* XIII *tomo 2 Bullarij num. 38. Alterum templum est regione 14 di Pignas cognominatâ, vbi hæc ecclesia 2 est, data Confraternitati Stigmatum S. Francisci. Eandem horum Martyrum in Ecclesiâ Latinâ antiquam venerationem indicant Breuiaria Romana tam manu exarata, quàm mox atque typis excudendi libros inuenta ars fuit, impressa: ex his habemus anno* 1479, 1490 *& sequentibus excusa, in quibus omnibus, etiam MSS. historia martyrij in sex lectiones, quæ ad Matutinum recitabantur, distributa continetur: quæ dein historia, cùm Breuiarium iussu Pij V è decreto Concilij Tridentini recognitum ederetur, tribus lectionibus secundi Nocturni*

Romæ duo templa ijs extructa;

F

Veneratio in antiquis Breuiarijs.

SVB LICINIO IMP. X MART.

A *Eluri absoluenda, fuit contracta & hactenus, sed aliquâ mutatione introductâ, de quâ infrà agendum, constanter obseruata. In Breuiario etiam à Cardinali Quignonio abbreuiato tertia Lectio de hisce XL Martyribus recitanda præscribitur. Oratio propria in omnibus planè Breuiarijs eadem assignata, etiamnum eadem legitur.*

& Martyrologijs ad 9 & 11 Martij

15 *Natalis horum Martyrum celebratur in omnibus planè Martyrologijs Latinis aut* IX *Martij aut certè* XI *eiusdem. Prait antiquissimum MS. S. Hieronymi his verbis*: VII Idus Martij. In Armeniâ Sebastiæ militum XL, quorum gesta habentur. *Hac gesta Beda habuit, & ex illis illustre encomium inseruit Martyrologio suo, cuius genuinum exemplar hactenùs ineditum ista habet*: VII Idus in Sebaste, in Armeniâ minore, quadraginta militum, tempore Licinij Regis sub Præside Agricolao, qui post vincula & carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum, vbi gelu constricta corpora eorum nocte dirumpebantur, & manè crurifragio martyrium consummarunt. Deinde corpora eorum combusta, & in fluuium proiecta sunt: sed diuinâ dispensatione reliquiæ sunt eorum integræ repertæ, & honore digno conditæ. Erant autem nobiliores inter eos Quirion & Candidus. *Quæ eisdem verbis referuntur in MSS. Martyrologijs Tornacensi S. Martini, Laetiensi in Hannoniâ, Leodiensi S. Lamberti, Aquisgranensi & Vaticano Ecclesiæ S. Petri: quæ Martyrologia sunt sub nomine Bedæ, sed à posteris aucta insertis aliorum Sanctorum nominibus. Eadem habet Rabanus* IX *Martij, & paucis omissis Vsuardus. Plura tradit ex Actis Ado cum* B *nominibus Martyrum, quæ in Beda excuso adiecta. Notkerus, & iterùm Rabanus* XI *huius, longum encomium habent, & præterea omnes nominatim recenset Rabanus ad* V Idus Septembris, temporibus Licinij Imperatoris & Agricolai Præsidis & Lysiæ Ducis passos, *sed quod miramur,* Romæ *tribuuntur, forsan quod eo die aut sint eò reliquiæ illorum translatæ, aut aliquod illis templum dicatum.* *Nunc ex* IX *Martij, ob festum duplex S. Franciscæ Romanæ, solennitas horum Martyrum, quod & fatimus, est in sequentem diem translata. Omittimus posteriorum auctorum Martyrologia recensere.*

& 10 Martij

16 *Nomina Martyrum adiungo, quæ ordine diuerso à varijs collocantur, & ferè conueniunt apud Metaphrasten, & in Menæis & Anthologio Græcorum cum Adone & nonnullis Latinis. Infrà in primis Actis sub finem nomina magis corrupta recensentur errore amanuensium, quæ ipsis Actis posteà videntur adiecta. Qui* nobiliores *suprà feruntur, præerant alijs,* Quirion *in psalmodiâ & orationibus,* Candidus *in responsionibus dadis.* Quirion *ab alijs* Cyrion, Cyrius, *&* Cyrinus *dicitur.* Candido *ad respondendum in Actis alijs; & apud Lipomanum datur socius* Domnus, *alijs* Dominus. *Quartus in Actis nominatur* Meliton, *quibusdam* Militon, Mellitus, Melicius: *quem semiuiuum derelictum, generosa mater ad reliquos Martyres portauit. Alij hisce nominibus referuntur*: Domitianus, *qui &* Domicianus *&* Diometianus *scribitur*, Eunoicus, *aliquibus* Eunoichus, *& magis corruptè* Eunomius *&* Euodius. Sisinius *siue* Sisinnius. Aeraclius *siue* Eraclius, & C *corruptè* Eradius & Erachilis, Alexander, Ioannes, Claudius, Athanasius, Valens *satis constanti apud omnes lectione, pro* Claudio *tamen* Cladius *reperitur, & pro* Valente *alibi* Valerianus *ponitur.* Helianus, *siue* Elianus. Ecdicius, Editius, Etdicius, Hecdicius *&* Deditus. Acacius, Achacius *&* Accacius. Vibianus, Bibianus, Biuianus, Viuianus *&* Iulianus, *Græcis* Βιβιανός. Helias, Helius, Heluius *& alter* Helianus, *Græcis* Ἡλίας. Theodulus, *&* Theodorus, *Græcis* Θεόδουλος. Cyrillus, *alicubi* Quirillus. Flauius *nonnemini* Flauianus. Seuerianus *alibi* Seueriacius, *pro quo etiam* Meander *&* Nicander *ponitur.* Valerius *vbique eadem scriptione.* Chudion, *alibi* Chudius *&* Cadonius. Sacerdon, *siue* Sacerdos *&* Sacerdonius. Priscus, *pro quo vitio amanuensium alibi* Dianius *legitur.* Eutychius *&* Eutyches *duo diuersi, Græcis* Εὐτύχιος *&* Εὐτύχης, *quorum alter apud Bedam omissus, alijs* Eutycius, *&* Euticius, *alicui* Euatius *est.* Smaragdus *alicubi* Zmaragdus D *&* Vmerandus. Philoctimon *aliquibus* Philocinion, Filoctimus *&* Vlloctemonius. Aëtius, *alijs* Aëthius, Ethius, Etius, Ecius, Aërius. Nicolaus, *varijs* Micallius, Michallius, Nichalius, Nicallianus, *Græcis* Νικόλαος. Lysimachus, *aliquibus corruptè* Lisimachus, Lisimmachus, Lisanacus, Bysimachus. Theophilus *nullâ vsquam mutatione.* Xanthias, *alijs*, Xanthius, Xandius, Xanctius *&* Sanctinianus. Angias, *alijs* Aggias *&* Aggius *nonnemini* Candidus, *Græcis* Ἀγγίας. Leontius *omnibus idem est.* Hesychius, *alijs* Hysichius, Hysitius, Isitius, Esicius, Vsitius *est, Græcis* Ἡσύχιος. Caius, Gaius, Gaias, Cauius *etiam dicitur. Demum* Gorgonius *etiam* Gordianus *nominatus legitur. Apud Rabanum ad* IX *Septembris desunt* Domnus *&* Smaragdus, *eorumque loco leguntur* Iuuenalis *&* Basilides. *Sed ne nimis operosè diligentes videamur, omittimus quo ordine quâue scriptione apud singulos auctores aut in varijs MSS. recenseantur. Præposuimus illos, quorum dicta factáue in Actis memorantur, quibus reliquos addimus eo ordine, quo ab Adone alijsq́; Latinis proponuntur.*

§ IV *Genus supplicij in stagno his* XL *Martyribus illatum.*

17 **Q***Vod supplicij genus hi Martyres in stagno subierunt, hîc examinandum duximus: num scilicet stantes supra glaciem, solo frigore cruciati sint; an verò corpora eorum nuda aquæ frigidæ imposita fuerint, & glacie accedente attrita. Acta infrà ex MS. Gladbacensi num. 7 ista habent*: Tunc iubet Præses alligari eos, & funes mitti in ceruicibus singulorum, & adduci omnes simul in stagnum habentem aquam multam. Tempore autem illo, quando Sancti martyrizabantur, habebat glaciem magnam. Adducentes autem eos statuerunt in medio stagno nudos in glacie. Erat autem ventus frigidus & hora noctis proxima. *Verùm absque mentione glaciei ista referuntur in alijs MSS. his verbis*: Iussit ergo Præses vinctos, & in colla eorum funibus missis duci simul omnes ad stagnum. Est enim in Sebastiâ stagnum habens aquam multam. Illo verò tempore, quo Sancti passi sunt, habebat frigus nimium & adducentes eos statuerunt in medio stagni nudos. Erat autem & tempus hyemis, & hora acrior: ad vesperum verò erat iam dies. *Quæ apud Lipomanum ita exponuntur*: Tunc Præfectus imperauit, vt funibus omnes vincti in lacum traherentur. Est enim apud Sebasten lacus, in quo est magna aquæ copia. Et quo tempore sancti Martyres cruciabantur, vehemens erat frigoris vis. Nudi igitur in medio lacu sunt constituti, cùm hiems esset & diei hora acerbissima: iam enim vesper appetebat. *At Ioannes Diaconus infrà num.* 12 *ista ex Græco vertit*: Tunc Agricolaus furibundus præcepit eos E funibus collo tenus ligari, & ad stagnum pertrahi, quod secus Sebastiam plurimis redundabat aquis, ibidemque illos proijci nudos: illis enim diebus tantâ glacie coagulabatur ac si tempus hyemis esset... Mox autem ministri iussa complentes, miserunt Sanctos in medium stagni. Sed quia inclinata dies procliuior erat ad vesperam, quando Martyres sunt aquis impressi (*siue vt MS. Capuanum habet*, sunt aquis ingressi) necdum noctis hora prima præterierat, & Sanctorum corpora niuali tabescebant algore, ita quippe vt caro eorum exangui quodam distenta tumore altiùs scinderetur. *At variante lectione alibi habetur*, caro eorum & sanguis, *siue* caro eorum exanguis cruore. *Quæ vltima in MS. Gladbacensi infrà num.* 8 *ita leguntur*: Horâ autem noctis primâ constringebat glacies Sanctos, & intumescentes carnes eorum dirumpebantur. *Quæ in alijs MSS. ita variantur*: Horâ autem primâ noctis constringebantur Sancti à glacie, & distentum corpus

Aquis stagni Martyres immersi, glacie accedente constricti, dicuntur in Actis:

A pus corrumpebatur. *Ast apud Lipomanum ita transferuntur:* Horâ noctis primâ Sancti frigore cruciabantur, & corpora illorum disrumpebantur.

18 *His consentiunt Græca exemplaria: quorum aliquot sententias profert Vossius in scholijs ad orationem S.Ephræmi: ex quâ oratione pauca transcribo: ac primò dum cum tribus pueris Babylone in fornacem missis hos* XL *Martyres comparat, sic exclamat:* Illos flamma tamquàm ros illustrauit, *hos* verò purificauit amnis fluentum, τὸ ῥεῖθρον τοῦ ποταμοῦ, *at sæpissimè* τὴν λίμνην stagnum *appellat*, & *ad aquas, quibus impositi erant, alludit, uti hac sententiâ:* Non reliquit eos gratia superni auxilij; mentem eorum consolans in aquis, ἐν τοῖς ὕδασιν. *Et posteà;* Μάρτυρες ἔνδοθεν τῶν ὑδάτων ἐνθαλαμευόμενοι, οὐ κατεποντίσθησαν. Martyres intra aquas, quasi in thalamo suo diuersantes, non sunt submersi. *Ita* signum stagni *appellat* receptaculum eorum & suscipiendos *ait* hos Sanctos in medio aquarum μέσον τῶν ὑδάτων, & τὰ λίμνια ὕδατα stagneas aquas *nominat. Græci in magnis Menæis & Anthologio similia habent.* Τρέχοντες πρὸς λίμνην κρυώδη, ὡς πρὸς θάλψιν. Currentes ad rigens stagnum, tamquàm ad oblectamentum. τῷ γὰρ ὕδατι τῆς λίμνης εἰσῆλθον θαρσαλέως, καὶ τῷ κρύει σφιγγόμενοι, τὴν ᾠδὴν ἀνέμελπον τῷ κυρίῳ· Μὴ ἐν ποταμοῖς ὀργισθῇς ἡμῖν, κύριε. Aquam enim stagni confidenter sunt ingressi, & dum frigore constringebantur, hoc canticum Domino dicebant: Ne in fluminibus irascaris nobis,

B Domine &c. *Quæ ubique in Actis ex Prophetâ Habacuc referuntur. Eodem modo antiqua Breuiaria Romana manu exarata, quorum aliqua citat Vossius, aliud penès nos est, ista habent:* Missi sunt in stagnum, vt gelu constricta corpora eorum nocte disrumperentur. *Consentiunt Breuiaria ante* CLXXX *annos & deinde excusa. In Breuiario iussu Clementis* VII *& Pauli* III *à Cardinali Quignonio concinnato verba suprà allata ita explicantur:* In stagnum missi sunt, instante brumâ, vt aquâ nocturno frigore concrescente, constricta ipsorum corpora dirumperentur: *In Breuiario iussu Pij V edito traduntur* in stagnum gelidissimum coniecti. *Accedunt omnia antiqua Martyrologia; in quibus dicuntur* in stagnum missi; & *hæc apud Bedam, Adonem, aliosque adduntur:* vbi gelu constricta corpora eorum nocte disrumpebantur.

apud S. Ephræmum,

in Menæis & Anthologio Græcorum,

antiquis Breuiarijs.

& Martyrologijs.

19 *Quæ dein diuinitus patrata miracula fuere, Martyres in aquis stetisse confirmant. Ea ita in Actis ex MS. Gladbacensi infrà num. 9, explicantur:* Et cùm facta esset hora tertia noctis, sol illuxit super eos sicut in æstate calidus, & soluta est glacies, & facta est aqua calida. *Quæ in alijs MSS. ita referuntur:* Et circa horam tertiam noctis sol splenduit circa eos, feruens sicut æstate, & glacies dissoluta facta est & aqua calida. *Quæ apud Metaphrasten ita leguntur:* Circiter tertiam noctis horam sol eos circumfulsit, ita calidus vt est in æstate, frigusque dissoluit, & aquam calidam reddidit. *Ioannes Diaconus ista sic exponit:* Lapsa est super eos de cælo lux magna, & quasi per æstiuum solem sic, dissolutâ penitùs niue, incaluit aqua. *Quæ in antiquis Breuiarijs ita*

C *efferuntur:* Circa horam verò nonam resplenduit, velut sol, lumen feruens super eos, & glacies dissoluta est. *Similia leguntur in Martyrologijs Adonis, Rabani, Notkeri & alijs. Claniculariùs hac luce & coronis de cælo delapsis, ad fidem conuersus, loco desertoris se alijs adiunxit, & abiectis vestimentis,* saliuit introiens in stagnum, *alibi* exiliuit in stagnum, *apud Lipomanum*, insilijt in stagnum, & ad eos insilijt. *Apud Ioannem Diaconum*, prosiliens proiecit se in lacum inter Sanctos. *In Græcis Actis apud Vossium* τῇ λίμνῃ ἐφάλλεται, & εἰσεπήδησεν εἰς τὴν λίμνην, *id est, mutatâ phrasi*, insilijt in stagnum. *Ita in antiquis Breuiarijs ac varijs Martyrologijs dicitur* exilijsse in stagnum, *ex quo, vt Acta priora habent*, tracti ad littus educuntur, *aut* iubentur ad ripam trahi, *aut sicuti Ioannes Diaconus è Græcis vertit*, Principes iusserunt ex aquâ eos foras pertrahi. *Sed & Martyres in oratione fatebantur* aquas vsque ad animam intrasse.

Frigore omni sublato

incaluit aqua:

cui insilijt Clanicularius:

ex aquâ extracti Martyres.

20 *Demum fluuium aut amnem, qui vix vllius nominis apud scriptores agnoscitur vrbi Sebastiæ vicinus, non fuisse glacie constrictum, docent ipsa antiqua Acta num. 13 vbi tortores* reliquias Sanctorum tulerunt, & proiecerunt in flumine, & collectæ sunt reliquiæ ad gurgitem vnum fluminis, & nihil earum perdidit fluuius. *Et* lucebant reliquiæ in aquâ fluminis, sicut luminaria in cælo, *dum monitus* Episcopus educeret de flumine. *Quin etiam, vt in alijs MSS. habetur:* fulgebant sanctorum Martyrum reliquiæ in aquæ profundo, sicut luminaria: ipsa quoque aqua decurrebat super eas, sicut sub sinum fluuij habens eas. *Et apud Lipomanum*, Reliquiæ Sanctorum in aquâ tamquàm stellæ fulgebant. *Eas demum* in profundissimas aquas iactatas, *sed frustrà, insultatur tyrannis apud Ioannem Diaconum num. 19. Similia leguntur in magnis Menæis Græcorum, in Martyrologijs Bedæ, Rabani, Notkeri, Adonis aliisque, & Breuiarijs suprà memoratis.*

D

Reliquiæ in aquas fluminis coniectæ.

21 *Petrus de Natalibus, qui ante trecentos circiter annos floruit, lib. 3 Catalogi cap. 185 egregium horum Martyrum edidit encomium, ex quo pauca hæc verba excerpo:* Missi in stagnum gelidissimum sunt, vt gelu constricta corpora eorum nocte superueniente dirumperentur... Circa horam noctis tertiam resplenduit, velut sol, lumen super eos, & glacies dissoluta est... Clauicularius se Christianum profitens exiliuit in stagnum... Ossa in fluuium sunt dispersa... Episcopus inuenit Sanctorum reliquias in alueo fluminis subtus aquas, sicut luminaria, splendentes. *Mombritius etiam, diligens Vitarum Sanctorum ante ducentos annos collector, tomo 2. Acta passionis horum Martyrum habet: in quibus ista leguntur:* Circa Sebasten erat stagnum habens aquam multam, quod tunc vehementer frigidum erat tempore hyemis. Positi sunt Sancti in medio nudi ad vesperum... Clauicularius exiliuit nudus in stagnum... Cineres iactati sunt in amnem, sed in loco præcipiti & vadoso restiterunt & congregati sunt, & nihil eorum imminuit fluuius... Viderunt reliquias in aquâ fulgentes, tamquàm luminaria, super quas aqua decurrebat, illarum nihil secum trahens.

Eadem confirmantur apud Petrum de Natalibus,

E

Mombritium

22 *Gerardus Vossius in scholijs ad orationem S. Ephræmi varijs testimonijs allatis, sub finem ista habet:* Ita & in picturis non solùm Orientalium sed & Occidentalium hi sancti Martyres in stagno nudi depicti visuntur: sicut etiam Romæ in ecclesiâ XL Martyrum in regione Transtyberinâ, in ecclesiâ item S.Stephani in monte Cælio, & in ecclesiâ S. Vitalis videre licet. Postremò probatur eadem veritas à consensione omnium nationum ac populorum. Ita hactenùs tenent ac semper tenuerunt non solùm Latini, sed & Græci, Syri, Chaldæi, Maronitæ, Armeni & quicumque Orientales alij. Credatur antiquissimis ipsorum Ecclesiasticis Officijs ac libris, Menæis, Troparijs ac Breuiarijs. Credatur Syrorum & Chaldæorum monumentis. Credatur Maronitis Chaldæorum Officium legentibus atque sequentibus. Credatur non solùm Armeniæ populis, idem de Sanctis hisce, quòd in stagno apud ipsos passi sint, adseuerantibus: sed & eorum antiquis Passionarijs atque Hymnarijs, idem prorsus continentibus. Credatur denique antiquissimæ in his traditioni Ecclesiæ, cui contradicere non licet. *Hæc aliaque Vossius, acer propugnator lectionis in oratione S.Basilij de his Martyribus repertæ* in longè antiquissimo MS. Græco exemplari Cryptæ-ferratæ Sub littera M. *quam* verè γνήσιον ac germanam *arbitratur*, *atque ita legit:* Ἐκέλευσε πάντας γυμνωθέντας ὑπὸ τὸ αἴθριον ἐν μέσῃ τῇ λίμνῃ πηγνυμένους ἀποθανεῖν. Iussit omnes denudatos sub dio, in medio stagno congelatos mori. *Quam lectionem* incuriâ imperiti alicuius antiquarij deprauatam atque corruptam *eruditè censet, dum pro his verbis* ἐν μέσῃ τῇ λίμνῃ, in medio stagno, *positum est* ἐν μέσῃ τῇ πόλει, in mediâ ciuitate: *quod mendum passim adhuc est in codicibus S.Basilij hactenùs Græcè editis, aut Latinè translatis.*

& Vossium

ex antiquis picturis,

& traditione Orientis & Occidentis:

F

Stagnum erat non in ciuitate, sed prope eam.

SVB LICINIO IMP. X MART.

A *latis. Sed mox apud eumdem S. Basilium describitur* stagnum (circa quod ciuitas erat ædificata) in quo hæc martyrij certamina Sancti decertarunt. *Græcè* λίμνη περὶ ἣν ἡ πόλις κατῴκισται, ἐν ᾗ ταῦτα διήθλουν οἱ ἅγιοι. *Ita iam suprà* ad Sebasten, secus Sebastiam, circa Sebasten *legimus, & Græci in Menæis asserunt* condemnatos, pernoctare nudos in medio stagni, quod erat ante ciuitatem: μέσον τῆς λίμνης, τῆς πρὸ τῆς πόλεως. *Denique hic modus torquendi Martyres in stagno apud Sebastiam Armeniæ illo eodem tempore adhibebatur.* Nam S. Blasius Episcopus Sebastenus *eadem hieme, sub eodem planè Præside & tyranno Agricolao*, in lacum missus, signauit aquam, & mox stetit sicut arida. Eò sedente in medio lacus, ingressi sexaginta quinque viri mox demersi sunt in profundo aquæ... Tunc surgens B. Blasius ab aquâ & ambulans sicut in aridâ, egressus est. *Vti ea* III *Februarij in varijs Actis S. Blasij leguntur. Ita Græci in magnis Menæis & Menologio Basilij Imperatoris & alio à Cardinali Sirleto verso, colunt* XXVIII *Nouembris* S. Irenarchum sub Diocletiano Sebastiæ in lacum coniectum ἐν τῇ λίμνῃ ἀπορριφθῆναι.

in illud etiam iniecti S. Blasius,

& S. Irenarchus.

23 *Hactenùs dicta planè conuincere videntur, corpora horum Martyrum vestibus exutis denudata, sub dio fuisse aquæ frigidæ stagni imposita, ac glacie accedente attrita. At S. Basilius infrà num. 8 ipsum frigus ac glaciem adeò verbis extollit atque exaggerat, vt* stagnum *tradat*, velut campum aliquem, planum agendisque equis accommo-B dum fuisse effectum, & in continentem & firmam quasi terram redactum, liberam atque securam accolis super terga eius gradiendi viam præbuisse: fluuios verò à fluxu cessasse, teneramque aquæ naturam in lapidum duritiem transmutasse. *Interim num.* 12 *scribit.* Martyres adhuc spirantes, igni illuscente die traditos esse, & ignis reliquias in fluuium proiectas easque aquam excepisse: *vbi eas* diuinâ virtute adseruatas *& post triduum elatas præterit. Silet etiam:* horâ noctis tertiâ, luce de cælo lapsâ instar æstiui solis dissolutâ penitus niue, glacie ac frigore, aquam incaluisse. *Quæ tamen antiqua Acta constanter inculcant. Basilium secutus S. Gaudentius, asserit:* stagnum validissimo gelu durante iter solidum plaustris gementibus accommodasse, *ac* Martyres nudatos corporibus, religatos in aperti aëris pruinosâ duritie pernoctasse. *Interim addit,* cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluuium iactos fuisse. *Multus etiam est S. Gregorius Nyssenus in glaciei ac frigoris exaggeratione*, atque ita, *inquit*, mors eis paullatim ac sensim progrediens protrahebatur tribus diebus durans. *At contrà vnâ solùm nocte in stagno cruciatos fuisse Martyres Acta euincunt. Fuerunt sacræ illorum reliquiæ* tribus diebus *in flumine conseruatæ: quos forsan dies ad illorum cruciatus transtulit Nyssenus. Ob horum tamen Patrum auctoritatem aliqua in hodierno Martyrologio ac Breuiario Romano mutata sunt. Non cùm antè traderen-*C *tur* in rigens stagnum missi, *aut* in gelidissimum stagnum coniecti, *nunc legitur*, suprà stagnum rigens pernoctare iussi. *Interim Lectiones ita etiamnum concluduntur:* Eorum reliquiæ proiectæ in profluentem, cùm mirabiliter in vnum confluxissent locum, saluæ & integræ repertæ, honorifico sepulchro conditæ sunt.

Supra stagnum durâ glacie constrictum,

Martyres cruciatos fuisse

innuunt S. Basilius,

S. Gaudentius,

S. Gregorius Nyssenus.

24 *His ita discussis, profecti Romam sumus, vbi de vrbe Sebastiâ, & lacu & accursu ægrorum sequens scriptum reperimus, quod hîc inserimus.*

Die vigesimâ octauâ mensis Decembris anno millesimo sexcentesimo primo, Reuerendissimus Iacobus Episcopus Eruan Armenus, ætatis octoginta annorum & ampliùs, in S. Mariâ Ægyptiacâ, solito Armenorum loco, Romæ ad tempus residens, honoris ergo fuit visitatus à Reuerendo Domino Gerardo Vossio, & inter alia, me Bartholomæo Abagaro præsente & interprete, interrogatus super varijs circumstantijs ciuitatis Sebastiæ minoris Armeniæ, & stagni siue laci, in quo Sancti Quadraginta Martyres ibidem martyrium gloriosum sunt passi. Sebastia qualis sit ciuitas? D Respondit Episcopus supradictus, esse ciuitatem vetustam & amplam, continentem hoc adhuc tempore focos circiter quindecim mille, quæ sub se habet circa trecenta castella habitata circumcirca, & habent suum Vice-regem, siue Bassiam, à quo reguntur, in eadem ciuitate Sebastiâ residentem. An Sebastia sit figuræ orbicularis, an quadrangularis? Respondit Episcopus, ciuitatem veterem Sebastensem esse figuræ orbicularis, nouam autem (quæ iam amplificata est) esse hoc tempore quadrangularem, satis magnam circiter quindecim millium focorum. An ipse Sebastiæ fuerit, & lacum ibi viderit? Respondit Episcopus, se frequenter Sebastiam transiuisse, & lacum, in quo Quadraginta Martyres passi sunt, oculis proprijs vidisse.

Situs & magnitudo vrbis Sebastiæ

& stagni vicini,

De situ laci, eius magnitudine, ac formâ; Respondit Episcopus, lacum in quo passi sunt Quadraginta Martyres, situm esse non in ipsâ ciuitate, sed extra ciuitatem veterem, sed prope eam, quantùm distat Romæ ecclesia sancti Spiritus in Saxiâ à Basilicâ S. Petri; & sicut se habet mons Caluariæ in suo situ ad ciuitatem Hierusalem veterem, ita & lacus cum ciuitate vetere Sebastiâ. Quoad formam laci, seu stagni, dixit Episcopus esse figuræ orbicularis, sed exire aliquantulùm, & brachium vnum in longum facere. An aliquod signum sit circa lacum, in quo Martyres sunt passi, & quodnam ibi signum appareat? Respondit Episcopus, ibi extare signum quoddam, seu petram E grandiusculam ad lacum, quo in loco Martyres constitisse, & martyrium in congelatione aquæ affirmantur esse passi, & ibidem ex deuotione populorum sæpe quadraginta cereos accendi, multosque illum lacum frequentantes, varijs languoribus atque infirmitatibus liberari, sicut ipse præsens vidit.

vbi 40 cerei sæpe accenduntur, & ægri sanantur,

An etiam Turcæ infideles ipsum lacum frequentent? Respondit Episcopus, illum etiam à Turcis, & infidelibus in suis languoribus & infirmitatibus sæpè visitari, & multos ex illis sæpe sanari, ac etiam secretò post sanitatem ibi miraculosè recuperatam, sacrum baptisma suscipere & Christianos fieri; multaque indies miracula apud eumdem lacum meritis Sanctorum Quadraginta Martyrum videri.

etiam infideles:

Cæsarea Cappadociæ quantum distat à ciuitate Sebastiæ Armeniæ? Respondit Episcopus distare itinere quatuor bonorum dierum. Edessa patria sancti Ephræm quantùm distat à Sebastiâ? Respondit Episcopus Edessam Syriæ distare inde itinere septem, vel octo dierum, aut circiter.

distantia Sebastiæ à Cappadocia & Edessa?

Ad omnia supradicta interrogata ita per me Bartholomæum Abagarum interpretem Armenum respondit supradictus Episcopus Armenus: ita attestor ego idem Bartholomæus Armenus manu propriâ F die & anno vt suprà.

COMPENDIVM MARTYRII

Translatum ex linguâ Armenâ per Bartholomæum Abagarum Armenum

1 SAnctorum gloriosa Quadraginta Martyrum nomina hæc sunt, *a* Domitianus, Cyrillus, Oualenus, Isicius, Eunuckus, Elianus, Flauius, Smaragdus, Kilandrus, Sisinius, Leontius, Melithon, Seuerianus, Philothenus, Anceus, Eraclius, Epichius, Addius, Iomnas, Cirion, Alexander, Acatius, Valerius, Nicolaus, Euticius, Ioannes, Bibianus, Chution, Lysimachus, Caius, Illitus, Athanasius, Priscus, Candidus, Sacerdon, Gorgonius, Theodulus, ac Theophilus. Erant illi ex regione Cappadociæ, & omnes merebant sub Licinio impio Rege: itaque Agricolaus Iudex iussit duci eos ad ciuitatem Sebasten, & magnis cruciatibus cogebat eos immolare

Nomina Martyrum: a

Constantes in fide,

A lare dijs, & nullo pacto potuit separare eos ab amore Christi, & eius fide: & sic detrudi iussit eos in carcerem, & orantibus illis apparuit Saluator, & corroborauit eos. Et post dies octo venit Prætor à Cæsareâ, & sederunt simul, & palàm ante se iusserunt duci, & interrogabant eos de Christi fide, an vellent negare, an sacrificium dijs offerre: & iusserunt ora eorum obtundi lapidibus, & cœperunt milites alter in alterum lapides conijcere, & accipiens impius Prætor lapidem iniecit in Sanctos, sed percussit Iudicem, & faciem eius vulnerauit, & iussit eos duci in carcerem, & vacabant orationi. Iterùm apparuit eis Saluator, & ait? Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Confortamini, & nolite timere eorum malos cruciatus, quia adhuc parùm superest temporis. Expectate adhuc paullulùm, & è cælo vobis venient coronæ. Et manè statuerunt eos ante satellitem, cui dixerunt: Quod facturi estis facite, quia nolumus nos Christum negare. Tunc vinxerunt manus & ceruices vinculis, & ad lacum eos duxerunt, & exutos in aquam miserunt hiberno tempore, & inglaciente lacu, vehementer torquebantur corpora eorum in magnâ glacie, & eorum versabatur sanguis super pedes suos in primâ vigiliâ noctis, & Sancti non cessabant orare. Et ex eis vnus non potuit ferre glaciem; qui exiens ex lacu in balneum se transtulit, quem præparauerant impij; & B sic ex calore destructa est glacies: & circa horam tertiam refulsit sol feruens super eos, & glacies resoluta est, & vnus ex militibus, qui custodiebant Sanctos, & solus vigilabat, mirabatur, vnde eorum lux haberetur: & videbat super Sanctos coronas descendentes triginta nouem, & nouit quomodo vnus ex numero quadraginta in balneum transierat; & exuens se indumentis properauit in lacum ingressus in medium Sanctorum, clamans & dicens: Etiam ego Christianus sum. Et summo manè traxerunt eos ad ripam lacus, & ingenti ferro crura & dorsum ac ossa eorum fregerunt vehementer, & omnes simul animas suas ad Deum emiserunt die nona Martij. Sed vnus, nomine Milithon, adhuc superuiuebat, & mater eum rogans hortabatur, dicens: Dulcissime fili mi, modicum sustine, & tu cursum perficies cum Sanctis: noli timere, quia iam Christus in auxilium tuum stat. Et cùm duxissent vehiculum, & posuissent corpora eorum desuper ad comburendum, Melithonem, quia adhuc viuebat, reliquerunt, & mater tollens super humeros filium suum, virili gressu, sequebatur. Is gaudens emisit spiritum: & proiecit eum mater super Sanctos. Et postquàm combusserint corpora eorum, in proximum fluentem proiecerunt, & nullo modo dissipata sunt corpora eorum, sed in vnum coaluerunt, & post tres dies apparuerunt Sancti Petro Episcopo Sebastes, & dixerunt: Corpora nostra conseruantur in fluente; ibis illuc, & abstrahes nos. Exiens Epis- C copus secretò ab ecclesiâ, nocte adiuit ripam fluminis, & micabant Reliquiæ Sanctorum in medio aquarum sicut astra: collegit, & si aliquid remanebat ex reliquijs, signo luminis inueniebatur, & accipiens posuit in arcam. Qui es corona Sanctorum tuorum, istorum intercessione, Christe, miserere nostri.

à Christo inter verbera animantur: — *missi in aquam, glaciem frigidam,* — *calore calesti mitigatam:* — *post accessum custodis* — *extracti ex aqua occiduntur;* — *corpora combusta in aquam proiecta,* — *extrahuntur.*

a *Desunt duo Martyrum nomina, & sunt* Eutyches *&* Xanthias, *aut certè* Claudius, *nam pro alterum* Kalandrus *hic legitur. In nonnullis alijs nomina satis discrepant. Ita qui in titulo sunt* Domnus, Eunoicus, Valens, Ecditius, Helias, Aëtius, Angias, *hic appellantur,* Iomnas, Oualenus, Epichius, Illitus, Addius, Anceus. *Reliqua nomina aut eadem sunt, aut via differunt.*

ACTA MARTYRII

Ex MSS. Gladbacensi & Antuerpiensi, collata cùm alijs codicibus MSS.

CAPVT I

Martyrum comprehensio, & inter oblatos honores & minas constantia.

1 * IN tempore igitur Licinij Regis erat persecutio magna Christianorum: & omnes, qui piè viuebant in Christo, cogebantur sacrificare dijs, Agricolao agente in Sebastiâ præsulatum impium, & crudelem executorem & velocem diaboli administratorem. Milites verò omnes, qui erant in militiâ, cogebantur sacrificare dijs. Erant autem quadraginta milites de Cappadociâ regione, in numero vno viuentes venerabiliter secundùm Deum, inuicti & fortissimi in bello *b*. Hi comprehensi à Præside cogebantur sacrificare dæmonibus. Cœpit autem Præses dicere illis: Consensum vestrum ostendistis in bello omnibus per vnanimitatem concordiæ & victoriam: omnes vos vniuerso exercitui præfuistis: ostendite ergo & nunc consensum E vestrum, & consentite legibus Regum, & sacrificate dijs ante tormenta. Responderunt Sancti & dixerunt ad Præsidem: pro mortali Rege pugnantes vincebamus, sicut & tu nosti: quantò magis pro immortali certantes, vincemus tuam malignam voluntatem? Agricolaus dixit: Vnum e duobus propositum est vobis aut sacrificare dijs & honorem magnum habere, aut non sacrificantes amoueri à cingulo & à militiâ. Cogitate ergo & eligite quod vobis expediat. Sancti responderunt: Quid nobis expediat Dominus prouidebit. Præses dixit: Nolite mihi multiloquia adducere, sed crastinâ die accedentes sacrificate dijs. Et iussit eos mitti in carcerem. Intrantes autem Sancti in carcerem, flectentes genua deprecati sunt Dominum dicentes: Eripe nos, Domine, à tentationibus, & ab scandalis operantium iniquitatem.

2 Cùm autem serò factum fuisset, cœperunt psallere hunc psalmum: Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum &c. Et cùm complessent psalmum, orauerunt. Et exurgentes iterùm psallebant, vsque in mediam noctem. Prior autem eorum erat *c* S. Quirion; ad responsum autem reddendum erat B. Candidus *d*. Et apparens eis *e* Saluator dixit: Propositum vestrum bonum est, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Omnes autem F audierunt hanc vocem & facti sunt in timore, & sine somno perseuerauerunt vsque ad lucem.

3 Conuocans autem Præses omnes amicos suos, iussit adduci Sanctos. Et venientes omnes quadraginta steterunt ante Præsidem, & cœpit eis dicere Præses: Quæ habeo vobis dicere, dico in facie sicuti est. Quicumque milites sunt sub Imperatore, non sunt sicuti vos, nec sic laudati, nec sic amicissimi nobis. Nolite ergo amorem in odium vertere. Hoc enim in vobis est, vtrùm vos velitis odire, an diligere. S. Candidus dixit: Aduersùs mores tuos & nomen tibi impositum est: Agricolaus, hoc est, aggrestis *f* blanditor. Præses dixit: Numquid non dixi, in vobis est, vtrum vos volitis odio habere an diligere? Candidus dixit: *g* Eò quòd in nobis est odire & diligere, te enim odimus & Deum diligimus. Tu ergo aliene à Deo, cùm oderis, ne velis diligere, impie, inuide nec nominande. Audiens hæc autem Præses rugiens tamquàm leo, ius-

Ex MSS — *a* — *In persecutione Licinij* — *40 milites Cappadoces* — *b* — *inter minas & blanditias constantes,* — *carceri includuntur* — Psal. 90. — *à Christo inuisuntur* — *c* — *d e* — *euocati, gratiam Præsidis spernunt* — *f* — *g*

A sit alligari eos & tractos duci in carcerem. S.Quirion dixit : non accepisti potestatem trucidandi nos, sed interrogandi nos tantùm. Tunc timens Præses iussit eos duci in carcerem, præcipiens Clauiculario, *b* diligenter custodire eos. Expectabat enim & Ducis aduentum. Die autem & nocte docebat eos S.Quirion. Dicebat autem eis : Secundùm dispositionem Dei, amici fuimus in militiâ hac temporali: non ergo separemur ab inuicem, sed sicut viximus vnanimes & concordes, sic martyrizemur; & sicut hic optimi fuimus, & paruimus Regi temporali, sic festinemus inueniri in conspectu Regis Dei.

Ex MSS reducuntur in carcerem: b

4 Cùm transissent autem dies septem, & Sancti essent in carcere, superuenit Dux à *i* Cæsareâ in Sebastiam : Et sedens cum Præside, octauo die iussit adduci Sanctos. Et cùm adducerentur, monebat eos S. Quirion, dicens: Fratres, stemus viriliter & adiuuemus nos inuicem. Nonne cùm in bello iremus, inuocabamus Dominum, & ipse nobis auxilium præstabat, & vincebamus? Commemoramini quando commisimus in maiori bello & omnes fugerunt, & nos soli in medio eorum inuenti sumus, nos tantùm quadraginta : & cum lacrymis inuocauimus Dominum & dedit nobis virtutem, & quosdam eorum occidimus, quosdam in fugam vertimus, & vnus de nobis non est læsus à tanto populo. B Et nunc tres aduersarios habemus qui nos debellant, Sathan & Ducem & Præsidem, & hi tres vnum sunt: & ab his tribus vinci habemus? Absit. Nolite, obsecro vos: inuocemus, sicuti semper, & nunc Dominum, & non dominabuntur nobis tormenta, neque pœnæ, neque vincula. Nonne semper cùm iremus ad bellum vel ad pugnam, dicebamus hunc psalmum : Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tuâ libera me. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei? Et nunc hunc dicamus psalmum, & exaudiet nos, & adiuuabit nos. Et cùm ducerentur ad tyrannum, hunc dicebant psalmum.

i *educendi animantur à S. Quirione.*

Psal. 53.

5 Et omnes conuenerunt ad spectaculum; & cùm stetissent ante Ducem & Præsidem, aspiciens ad eos Dux dixit: Hi suaderi volunt, vt maiorem honorem consequantur, : habetis à me honores magnos & dona multa plusquàm alij; de cetero vnum de duobus propono vobis, aut immolantes dijs, dona multa & honores consequi à me; aut non obedientes moueri à cingulo & à militiâ, & tradi in pœnis. B. Candidus dixit: *k* Suscipe cingulos nostros & corpora, neminem habemus honorabiliorem & digniorem Christo. Tunc iussit Dux facies eorum lapidibus cædi. Candidus dixit: Dux tenebrarum & doctor iniquitatis, incipe hoc facere, & videbis pœnam tuam. Fremens autem Præses aduersùs milites, qui ministrabant, dixit: O mali ministri, quare non celeriùs facitis, quæ vobis iubentur. C Tollentes autem lapides ministri seipsos cædebant. Cùm autem factum fuisset, Sancti Dei fiduciam acceperunt in Domino. Commotus autem Dux in furore tulit lapidem, vt percuteret aliquem de Sanctis in faciem : & percutiens maxillas Præsidis Dux, confregit illi faciem. Et ait S.Quirion: Domine, qui expugnant nos inimici nostri, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Verè gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Præses dixit: *l* per deos, magica ars præualuit in eis; per impudicas enim phantasias loquuntur aduersùs Dominos suos iniquitatem, & ignominia repleuit nos, vt non sentiant tormenta nostra, sed ad nosmetipsos retorqueant. Responderunt Sancti: Obscurate diabole, & aliene ab hæreditate Christi, redde commissor scandalorum; caput diaboli tu es Agricolae, cauda est chiliarchus Dux qui tecum est, qui ambo ministri estis sathanæ. Si autem non cognouistis ab initio tormentorum, præsumite vobis & alia. Ministri autem dixerunt ad Sanctos : Stulti & omni benignitati deorum inimici, quare non sacrificatis dijs. Et S.Quirion dixit : Nos vnum Deum colimus, & Iesum Christum Filium eius, & Spiritum sanctum, qui potens est os nostrum dirigere ad veritatem: vt accipiamus coronas incorruptibiles, vincentes vestram malignam adinuentionem. D

inuicti inter oblatos à Duce Lysia, honores & minas:

k

Lapidibus in tortores resilientibus illæsi:

Ps. 26, 3.
Ps. 36, 14.

l

fidem liberè profitentur

a *In alijs MSS. preponebantur nomina Martyrum, quæ sub finem hic collocantur, & sic incipiunt* : In Sebastiâ ciuitate martyrio consummati sunt: quorum nomina hæc sunt Domitianus.,. Hi omnes simul XL passi sunt temporibus Licinij Imperatoris, & Agricolao Præside & Lysiâ Duce. *Quæ assuta videntur. Et tum sequebatur* : Temporibus Licinij Imperatoris erat persecutio magna. *Hic dicitur* Licinij Regis *more Græcorum.*

b *Apud Lipomanum hoc loco inseruntur nomina Martyrum.*

c *Alijs* Cyrion. d *In aliquo MS. additur,* & S. Domnus.

e *In MS. Gladbacensi errore amanuensium legebatur* S. Candidus.

f *Græcè κόλαξ, adulator.*

g *S. Ephrem hæc ita refert* : Deum diligimus, te autem odio habemus: nobis verò cùm sis odio, noli diligere nos.

h *In alijs MSS. vocatur* Aglaus, Aglaius *&* Aglaccus.

i Cæsar a Cappadociæ, *vt in alijs additur.*

k *S. Ephrem :* Sume zonas nostras, accipe & corpora: nobis enim nihil optabilius Christo est. *Quæ dein amplificantur.*

CAPVT II

Tormentum stagni congelati toleratum. Miraculosa substitutio custodis in locum vnius deficientis.

6 TVnc Dux iussit eos duci in carcerem vt consiliaretur quid de ipsis faceret. Missi ergo in carcerem, cœpit S. Quirion psallere cum commilitibus suis. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ; & quæ sequuntur exequentes, psalmum per ordinem psallebant. Et vox facta est ad eos, & manifestauit se eis Christus Saluator, & dixit: *a* Qui credit in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, si mortuus fuerit, viuet. Confidite & nolite timere pœnas eorum; temporales sunt enim. Patientes estote modicùm, vt coronemini. Agebant autem ipsam noctem in exultatione & delectatione Christi.

Reducti in carcerem, Psal. 122

a *à Christo apparente animantur:* Ioan. 11.

7 Manè autem facto iussit eos Dux educi de carcere. Et adducti stantes ante tyrannum dixerunt ei: Quæ habes facere, fac. Apparuit autem & diabolus, in dexterâ manu tenens gladium, in sinistrâ autem draconem. Dicebant autem ad aurem Agricolai: Meus es tu, viriliter certa. Tunc iubet Præses alligari eos, & funem mitti in ceruicibus singulorum, & adduci omnes simul in stagnum habentem aquam multam. Tempore autem illo quando Sancti martyrizabantur, habebat glaciem magnam. F Adducentes autem eos statuerunt in *b* medio stagno nudos in glacie. Erat autem & ventus frigidus & hora noctis proxima, ad vesperam enim erat. Et constituerant super eos custodes milites, & Clauicularium iuxta stagnum. Erat autem & lauacrum, de quo calefierent : vt si quis eorum voluisset præuaricari, refugeret ad lauacrum caloris, & calefaceret se.

nudi mittuntur in stagnum congelatum

b

8 Horâ autem noctis primâ constringebat glacies Sanctos, & intumescentes carnes eorum disrumpebantur. Vnus autem de numero ipsorum deficiens animo, dubitauit, & refugiens ad lauacrum cùm attigisset calorem, statim dissoluta sunt membra eius, & confestim reddidit spiritum. Sancti autem videntes illum, quia defecit, dixerunt tamquàm ex vno ore, vnâ voce: Non in fluminibus irasceris nobis, Domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari impetus tuus. Quia qui separatus est à nobis, sicut aqua effusus

vno deficiente, & mox moriente.

A fus eſt, & diſperſa ſunt omnia oſſa eius: nos autem non diſcedimus à te, donec viuifices nos, & nomen tuum inuocabimus: quia te, Domine, laudat omnis creatura, dracones & omnes abyſſi, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum tuum: qui ambulas ſuper mare ſicut per arida, & eius ferocitatem ſpiritu manus tuæ mitigas: & nunc tu es, Domine, qui exaudiſti Iacob orantem te cùm fugeret minas Eſau: qui cum Ioſeph venundato fuiſti & ſaluaſti eum: qui exaudiſti Moyſem, cùm daret ſigna & prodigia in Pharaone & in omni populo eius, & diſrupiſti mare, & in deſerto tranſtuliſti populum tuum: qui exaudiſti ſanctos Apoſtolos tuos, Domine exaudi nos, vt non nos demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat nos profundum, quia pauperes facti ſumus. Adiuua nos, Saluator noſter, quia æſtimati ſumus in profundum maris, & tincti ſunt pedes noſtri in ſanguine noſtro. Releua grauitudinem & acerbitatem huius frigoris, Domine Deus noſter: vt cognoſcant omnes, quia ad te clamauimus: & ſalui facti ſumus, quia in te ſperauimus, & non ſumus confuſi.

alij ardentius opem Dei implorant:

9 Et cùm facta eſſet hora tertia noctis, ſol illuxit ſuper eos ſicut in æſtate calidus, & ſoluta eſt glacies, & facta eſt aqua calida. Omnes autem, qui eos cuſtodiebant, à ſomno tenebantur: ſolus autem clauicularius erat vigilans, & auſcultabat omnia cùm orarent, & cogitabat in ſemetipſo, quemadmodùm ille qui refugerat ad lauacrum ſtatim mortuus eſt in calore, & illi qui in glacie orabant viuerent. Et videns lucem circa eos, reſpexit in cælum, vt videret vnde lumen luceret: & vidit coronas deſcendentes de cælo numero triginta nouem, & cogitabat intra ſe dicens: Quomodò cùm ſint quadraginta, vna minùs eſt corona? Et cognouit quia ille, qui refugerat ad lauacrum, reprobatus eſt, & non eſt annumeratus cum quadraginta. Et ſuſcitans cuſtodes, qui ſecum erant; proiecit eis res ſuas, ſaliuitque introiens in ſtagnum clamans: Et ego Chriſtianus ſum. Et vadens in medio eorum ſtetit & dixit: Domine Deus, credo in te, in quo & hi credunt; & me annumera cum ipſis, & dignum me fac, vt propter te patiar tormenta & tentationes; vt ego inueniar in te.

luce magnâ exortâ, B *& coronis 39 de cælo labentibus,* *conuerſus clauicularius, in ſtagnum inſilit:*

a *In alijs MSS. & apud Metaphraſtem*: Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet.

b *S. Ephram: Martyres* intra aquas, quaſi in thalamo ſuo diuerſantes non ſunt ſubmerſi.

CAPVT III

Martyrum cædes, corpora combuſta, Reliquiæ repertæ, nomina.

10 a SAtanas autem victus conuertens ſe in hominem alligauit genua ſua, & venit clamans & dicens ante omnes: Væ mihi miſerabili, victus ſum à Sanctis & factus ſum deriſui, qui non habui vtiles miniſtros: nam non fuiſſem victus ſi fuiſſent vtiles miniſtri. Et nunc conuertam cor Iudicis, vt comburat corpora Sanctorum, & in flumine proijciantur: vel hoc faciam, vt ne reliquiæ eorum inueniantur. Sanctus Quirion dixit: Quis Deus ſicut Deus noſter? aut quis Dominus ſicut Dominus noſter? aut quis Deus præter Deum noſtrum? Tu es Deus qui facis mirabilia magna ſolus, & aduerſarios noſtros deduxiſti ad nihilum, & Satanam confudiſti. Et cœpit pſallere. Saluum me fac, Domine, quoniam defecit ſanctus &c.

a Dæmone victo C *laudant Deum Martyres;* *Pſ. 11, 2.*

11 Mane autem facto venerunt impij tyranni, & viderunt Clauicularium in medio eorum ſtantem, & conquirebant à militibus, dicentes: Quid vidit, quia hoc fecit? Dicunt milites: Nos velut mortui oppreſſi ſumus à ſomno, ille autem per totam noctem vigilabat, & ſubitò ſuſcitauit nos; & vidimus lumen magnum circa eum. Ille autem ſtatim proijciens veſtimenta ſua, introiuit ad eos in ſtagnum clamans: Et ego Chriſtianus ſum. Iuſſit autem Præſes Agricolaus tractos eos deduci ad littus, & crura eorum confringi. Vnius autem eorum mater aſtabat iuxta eos: erat autem filius eius omnium iunior, nomine Militon, & timebat de eo, ne fortè trepidaret, & ad eum iugiter manus ſuas expandens tenebat, dicens: Fili dulciſſime, adhuc puſillùm ſuſtine, vt perfectus fias: noli timere, ecce Chriſtus adſtans adiuuat te. Cùm autem confringerentur crura eorum & animas redderent, dicebant: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus; adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Et omnes ſimul dicentes, Amen, reddiderunt animas Deo.

D *ex MSS.* *extrahuntur:* *cruribus fractis moriuntur:* *Pſ. 123, 7*

12 Iunior autem, qui mouebatur à matre ſuâ, nomine Militon, adhuc reſpirabat. Et iuſſum eſt vt adducerentur vehicula, & imponentes corpora Sanctorum attulerunt, & poſuerunt iuxta fluuium. Relinquentes autem iuniorem ſperantes valere eum: mater autem eius videns eum derelictum ſolum, proijciens muliebrem infirmitatem, & accipiens virilem ſexum & virtutem, tollens filium ſuum ſuper humeros ſuos viriliter, ſequebatur vehicula, vbi erant corpora Sanctorum. Et incendentes flammam miniſtri combuſſerunt corpora Sanctorum.

Matre filium apportante, E *corpora comburuntur:*

13 Et conſiliati ſunt ad inuicem dicentes: Has reliquias ſi dimiſerimus, tollent eas Chriſtiani, & totum mundum replebunt. Venite ergo, proijciamus in flumine. Et radentes pauimentum ſcopis, tulerunt Reliquias Sanctorum, & proiecerunt in flumine. Collectæ ſunt autem Reliquiæ Sanctorum ad gurgitem vnum fluminis, & nihil earum perdidit fluuius. Poſt dies autem b ſex, reuelatum eſt Epiſcopo ciuitatis illius: Veniens ad fluuium, ſaluas inuenies Reliquias noſtras in tali loco. Nocte ergo educ nos de flumine. Et accipiens quoſdam ex Clericis ſuis & viros religioſos, venit nocte ſuper fluuium: & ecce lucebant Reliquiæ in aquâ fluminis, ſicut luminaria in cælo. Et vbicumque relictum aliquid Reliquiarum fuiſſet, ſplendoris magnitudine manifeſtabantur. Et ſic educentes Reliquias beatiſſimorum Martyrum, poſuerunt in loculis. Sicque certantes conſummati lucent, ſicut luminaria in mundo, credentes in Patre & Filio & Spiritu ſancto. Compleuerunt autem martyrium ſuum 11 Idus Martij, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Reliquiæ in flumen deiectæ, b *cæleſti monitu* *& luce reperta efferuntur.*

14 Nomina autem eorum hæc ſunt. Candidus, Domitianus, Dianius, Quirion, Valens, Vinerandus, Alexander, Eſicius, Siſinnius, Valerius, Melitius, Euticius. Vlloctemonius Bibianus, Eraclius, Lyſimachus, Claudius, Flauius, Ioannes, Helius, Sanctinianus, Cadonius, Domninus, Leontius, Caiuius, Athanaſius, Seuerianus, Candidus, Quirillus, Ethus, Sacerdonius, Eutychius, Achacius, Gorgonius, Eunochius, Nichalius, Theodorus, Theophilus, Militon c.

Nomina 40 Martyrum. c

a *S. Ephram*: Tunc amarè fleuit iuxta palaſtrum herbam... deliteſcens ſerpens. Tunc corde diſſecabatur, quod accedere nequiret, & funditus glorioſum illorum exercitum ſuccendere. Tunc ſtridebat in conflictu oppreſſus... inſtar paſſeris illuſus à ſeruis Dei. Sibilabat draco.... ſed ne conturbaret Martyres Chriſti inimicus, Angeli ſpatium ſtagni cuſtodiebant. &c.

b *Alijs infrà*, Poſt dies tres.

c *Hic videtur finis fuiſſe Sunt autem nomina valdè incorrectè à poſteris ſubiuncta, de quibus ſuprà actum.*

VITA

VITA ALIA

auctore forsan Euodio Episcopo Cæsareæ, interprete Ioanne Diacono Neapolitano, ex MS. Capuano & editione Gerardi Vossij.

PROLOGVS

AVCTORE EVODIO. INTERPRETE IOANNE DIACONO.

1 Artyrium quadraginta Sanctorum scripturus, adiutorem inuoco Spiritum sanctum, (qui à Patre procedens, & à Filio accipiens, vbi vult spirat, & vocem eius nemo audit) quatenus ille, qui eorum corda virtute constantiæ in passione roborauit, ipse ariditatem mei pectoris stillicidijs suæ irriget gratiæ: vt hoc, quod humili simplicitate inchoaui, digno percurram sermone, decentique fine concludam. Sanè operæ pretium reor studiosis insinuare lectoribus, cuius id auctoritate fieri compertum sit, vt insolentium latratus facillimè concludamus. Dominus enim Ioannes spiritalis noster Pater, Abbas quoque monasterij S. Seuerini, cùm me infelicissimum Ioannem Diaconum, seruum S. Ianuarij Martyris, non meis meritis, vnicè diligeret, & crederet suis iussis in nullo me ire sinistrum; cœpit sæpissime coram me deuotionem referre, quam erga prædictos haberet Martyres, & nec plenè præcipiens, nec plenè dubitans, medius incedebat. Tandem hilariter, sed reuerenter mihi præcepit, vt passionem eorum Latinis transferre sermonibus minimè recusarem. Cui cùm ego respondissem, esse illam satis Latinitate celebratam, illicò Pater prouidus tali me responsione conclusit: Nec me latet, sed non sedet animo meo. Vnde etiam volo, vt non te pigeat ad fontem recurrere, id est, ad Argolicum stylum, & nobis purissimum *a* exantlare liquorem. Huiuscemodi responso accepto conticui, & *b* accito Græco peritissimo, affectum tanti Patris implere curaui; paruipendens eorum vesaniam, qui solito more cùm nihil ipsi facere sciunt, studium habent illos carpere, qui in tabernaculo Domini si nequeunt pretiosum monile, tamen pro vili portione vilissimum texere cilicium satagunt. Ergo qui *c* supercilium tumens, huius martyrij seriem displicere sibi asseruerit; sciat non cuilibet alij, nisi prædicto seruo Dei id me scripsisse. Ob cuius amorem, cum meo Hieronymo, Scylleios canes surdâ aure transibo.

Petente Abbate S. Seuerini, — B — *hæc Acta è Græcis translata sunt.* — *Exod. 35, 36*

a *Aliquod MS. apud Vossium*, exantlant
b *Ita MS. Capuanum, alia apud Vossium*, auito Græco peritissimo, *aut* accepto Græco purissimo.
c *Aliud MS.* supercilio tumido.

C

CAPVT I

Occasio persecutionis. Martyrum nomina. Quæstio sub Agricolao Præside.

2 TEmporibus Licinij Imperatoris feruebat ingens persecutio Christianorum, & omnes, qui sub Christianâ religione viuebant, sacrificare idolis compellebantur. *a* Sed quia non abs re arbitramur differere, qualiter huiusmodi mouerit procellam; ex historijs & chronicis Græcis & Latinis breuiter carpsimus, breuiterque digerere studemus. Cùm autem Diocletianus & Maximianus Herculeus depositâ purpurâ, priuatam elegissent vitam, & *b* Maximinus Galerius, qui cum eis regnauerat, tenens Italiam, duos Cæsares fecisset, Maximinum in Oriente, & in Italiâ Seuerum; tunc Constantinus in Britanniâ, ciuitate Eboraci, patre *c* mortuo, factus est Imperator; Romæ verò à Prætorianis militibus Maxentius, prædicti Maximiani Herculei filius, Augustus appellatus est: contra quem Seuerus Cæsar adueniens, militum proditione *d* Rauennæ peremptus est. Ob cuius interitum prædictus Galerius Licinium regni fecit consortem: qui in ipsis imperij sui primordijs, varijs prælijs & rebus alijs valdè prouectus, *e* Constantiam Constantini sororem duxit vxorem, ac per hoc omnis se pietatis & Christiani dogmatis sectatorem adeo simulabat, vt etiam plurimos eiusdem religionis quasi amicissimos secum haberet,

a Quâ occasione in regni consortem assumptus Licinius: — *b* — D — *c* — *ductâ Constantiâ vxore, se Christianum simulat:* — *d* — *e*

3 Postquàm verò Constantinus in congressione Pontis Miluij peremit Maxentium, & Romanos à nefandis eius liberauit cladibus, prædictum Licinium affinem suum à Quiritibus *f* Cæsarem appellari fecit, & ei Orientales commisit regiones. Sed vbi à prædicto Galerio Carnuti est Imperator constitutus, fas omne abrupit, & *g* contra Constantinum tumultuari cœpit: & æstimans posse illum contristari, si calamitatem inferret Christianis, illicò omnes de suo palatio propellens Christianos, plurimos Sacerdotum afflixit, multos quidem & aliorum, præcipuè tamen de collegio militari. Sed huius rabidi canis vesaniam citò diuina compescuit vltio. Nam in bello Bythiniæ facto, tanto suffragatus est cœlesti Constantinus adiutorio; vt per terram & mare vinceret: Licinius verò reueritus a facie eius, semetipsum in Nicomediâ tradidit, & priuatus decore Regio, aliquanto tempore Thessalonicæ permanens, ibidem crudeli morte diem *h* clausit extremum. His hac clausulâ terminatis, conuertamur nunc ad narrationis seriem.

Cæsar — *f* — *& Imperator factus, persequitur Christianos:* — *g* — E — *Thessalonicæ perimitur.* — *h*

4 Agricolao denique callidissimo, & omni crudelitate Christianis infesto, in amentiæ suæ Præsidatum reuecto, illicò Christicolæ cuncti, qui sub lege militari viuebant, sacrificare compellebantur. Quâ feueritate, nimiùm nimiumque inter scholares alas grassante, quadraginta milites Cappadociæ, compellebantur sacrificare, quorum vocabula sunt: Diometianus, Theophilus, Eutychius, Lisymachus, Gordianus, Xanthius, Cyrius, Helianus, Flauianus, Chudius, Heraclius, Eunomius, Alexander, Angias, Biuianus, Esychius, Smaragdus, Filoctimus, Athanasius, Domnus, Ioannes, Etius, seu † Quirianus, Meander, Candidus, Helia, Acacius, Valerius Claudius, Euticius, Leontius, Sisinnius, † Nicallianus, Priscus, † Sacerdos, Etdicius, Theodulus, Melittus, Gaias, Valerianus. Hi sub titulo Christianitatis & vno caritatis vinculo ita insolubiliter conglutinati erant, vt etiam in prælijs crebrò suâ constantiâ adipiscerentur victoriam. Qui cùm à prædicto Agricolao essent arctati ad immolandum, omnimodò compellebantur. Sed cùm omni nisu resisterent sic callidus Præses ad eos auspicatus est loqui: Sicut vestræ animositatis vires in procinctu exerentes, sæpe victoriam militibus præstabatis; ita nunc vnitam vestræ mentis constantiam pandite, vt quantocyùs Imperiali obedientes decreto immoletis ante supplicia. Cui Sancti tale dedêre responsum: Et si pro Rege mortali ideò pugnabamus, sicut tu ipse nosti, vt prostratis inimicis, victoriam nostris commilitonibus ministraremus, multò magis conandum nobis est, vt pro immortali Rege, superborum vincamus tyrannidem.

sub Agricolao Præside — *hi 40 milites Cappadoces: Diometianus &c.* — *† al. Quirinus.* — *† al. Nicander.* — *† al Sacerdon, Edicius. &c.* — F — *arctati ad sacrificandum,* — *animosè responso renuunt:*

5 Quibus Præses: Ad eligendum vnum è duobus, in vobis procul dubio manet, aut immolantes, eminentiori gradu eritis digni; aut consentire nolentes, priuabimini cominus vitâ præsenti. Et idcircò vos cogitare conuenit, vt commodum eligatis vestrum. Cui Sancti è contrà, Dominus, inquiunt, gratuitò prouidit commodum nostrum. Et Præses: Non pluribus abutamini verbis: accedite, & sacrificate. Nec plura his: statim iussit eos retrudi. Qui cùm ingressi fuissent

inter blanditias & minas constantes,

A fuissent carcerem, continuò flexis poplitibus Deum postulabant vnanimiter, dicentes: Libera nos, Domine Deus noster ab omni tentatione & à scandalis operantis iniquitatem. Vbi autem vespertinalis hora diem claudere festinaret, cœperunt omnes consonâ psallere voce: Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Completo itaque psalmo, suppliciter orationem fuderunt. Deinde surgentes psallebant vsque ad mediam noctem. Et cùm prolixæ psalmodiæ S. Cyrius vellet imponere finem (Ipso enim in psalmis & orationibus vtebantur auctore, ad loquendum verò i S. Domno & S. Candido) tunc apparuit eis Saluator, dicens ad eos: Bonum est initium vestrum; sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hac itaque voce auditâ, tanto sunt pauore perculsi, vt peruigiles vsque ad diluculum reliquam noctis transigerent partem.

carcere inclusi psallunt:

i

à Christo inuisuntur:

6 Lucescente verò die, Præses matutinum agens, accersitis Magnatibus suis, iussit eos præsentari suo conspectui. Quibus astantibus, taliter vultu in terram demisso, eloqui cœpit: Hoc, quod dicturus sum, testor me nullius dicere gratiâ, sed tantummodò sicut se B veritas habet. Quanti enim milites sub Imperiali degunt potestate, non sapientiores, vel pulchriores, neque vobis sunt electiores: Et ideò vos recordari volueram, vt nullatenus melleam vestri amoris dilectionem in felleam commutetis iracundiam. Quippe in vobis est, vt aut diligi, aut abominari debeatis. Sic Præses. Et Præsidi contrà, sic Candidus orsus: Meritò secundùm mentis tuæ nigredinem à tuis genitoribus præsagatum habuisti vocabulum: Agricolaus enim agrestis illector interpretatur. Mox Præses: Numquid non dixi esse in vobis, vt vel diligi, vel abominari debeatis? Et Sancti: Quia in nobis est, inquiunt, ideò te odimus: Dominum autem Deum nostrum diligimus: tu autem exose, & omnium nequitiarum tenebris cooperte, nullo modo nos amare te dicas. Auditis Præses iniurijs suis, illicò fremens vt leo, præcepit eos arctiùs vinciri, & præcipites omnes in carcerem trahi. Quod dum fieret S. Cyrius Præsidi dixit: Non ad puniendum, sed ad interrogandum scimus tibi collatam esse potestatem. Hoc dicto, Præses extimuit, continuoque commutatâ sententiâ, iussit cuidam Aglaico Clauiculario, releuatis eorum nexibus, diligenter eos custodiri, vsquequò Lysias reuerteretur: qui Ducatum partis Cæsareæ illo agebat tempore. Carceralibus itaque mancipati ergastulis, quotidie à S. Cyrio his monebantur sermonibus: Viri fratres, quantum spectat ad seculum, nullus nos exteros ambigit esse: sed tamen sub hoc militiæ collegio ita C spiritualiter coniungebamur, vt germana crederetur nostra concordia. Idcircò precor instantiùs, & iterùm iterùmque moneo, vt illo quo semper conglutinati amore fuimus eo nitamur perpetuum Martyrij capere diadema. Numquàm ignauia nostris suppeditet viribus; sed sicut huic mortali Regi temporaliter seruiendo placebamus; ita Regi æterno æternaliter contendamus placere.

laudes & gratiam Præsidis contemnunt:

reducuntur ad carcerem:

S. Cyrij monitis animantur,

a Hæc ab Ioanne Diacono vsque ad num. 4 inserta videntur.

b Imò Maximianus Galerius, qui & Armentarius cognominatus, Diocletiani gener, ductâ Valeriâ eius filiâ in vxorem, cum Constantio Chloro & Cæsar declaratus est anno 291, & Augustus renuntiatus anno 304.

c Anno Christi 306, à quo anni Constantini numerantur, licet sequenti tantùm Augustus declaratus.

d Zosimus, cùm Rauennâ Romam abiret, ad Tres-tabernas interemptum refert. Quod factum an. 307

e Anno 313, cùm Constantinus anno præcedente 312 Maxentium superasset.

f Imò Licinius à Galerio Maximiano Cæsar constitutus est anno 307, ac dein non Carnuti, quod Galliæ oppidum est, sed Carnunti in Pannoniâ, anno 308 Idibus Nouemb. Imperator creatus.

D g Anno 315, at pax dein reconciliata, iterùm fracta est anno 324.

h Anno 325.

i Ita MS. nostrum. erat vitiosè excusum, & Candido sanctis

CAPVT II

Quæstio sub Lysiâ Duce. Inter lapidandum Martyres illæsi.

7 INtereà quasi diebus septem exactis, Dux Lysias a Sebastiam superuenit. Cui cùm fuisset de eis suggestum, alterâ die cum Præside sedens pro tribunali, Sanctos exhiberi sibi præcepit. Hoc audito, S. Cyrius mox in hanc prorupit pectore vocem: Eia nunc fratres, dimicemus viriliter, neminem paueamus, neminem formidemus: memores estote, quia quando ad pugnam properabamus, inuocabamus Altissimum, & ipse auxiliabatur nobis: eoque opitulante nostros prosternebamus inimicos: & nunc consuetis misericordiam illius petamus precibus, & nulla nos percellet tentatio. Numquidnam excidit menti, qualiter in maximo illo conflictu dudum commisso totus fugit populus; & nos tantùm quadraginta inter medios hostium cuneos sumus derelicti? Et si tunc inuocato Christi adiutorio ita exauditi sumus, vt fugatis alijs alijsque peremptis, tanto extolleremur tripudio, quod nec vnus saltem de nobis à tantâ multitudine vulneratus fuisset: quare modò formidandi sunt nobis hi tres, qui dimicant contra nos; hostis videlicet antiquus, Dux, & Præses? Sed tamen hi tres qui dimicant contra nos, vnus esse probatur solus inuisibilis inimicus. Ergo fratres mei, nolite, obsecro, nolite tergiuersari vt ab vno vincamini, qui non superabamur à multis. Cantemus socij, cantemus Domino illum Psalmum, quem in omni congressione cantabamus, & pro nihilo ducemus ferocis impetum inimici. His exhortationibus corroborati, cœperunt mentis deuotione vocisque exultatione canere. Deus in nomine tuo saluos nos fac, & in virtute tuâ libera nos. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris nostri.

a

Sistendi Duci exitantur

E

psalmum cantant: Psal. 53.

8 Necdum psalmum compleuerant, & coram Duce Præsideque sunt perducti. Quos obliquè Dux intueri se simulans, ait: Ideò isti se aliquantulùm patiuntur affligi, vt in potiorem dignitatem promoueantur; reuerà enim & digni sunt. Dixit, & in dicto se totum conuertens ad illos: Non, inquit, vestri qualibet gratiâ, sed veritate hoc quod dicturus sum, prouocor fari. Cuncti proculdubio milites, qui Regalibus subduntur imperijs, non vobis pulchriores, neque sapientiores, neque expeditiores existunt. Et ideò, F quia vestrum est, vt aut odio, aut amore digni habeamini; vnam è duobus conuenit vobis eligere optionem; vt sacrificantes, magnis donis, magnisque sublimemini honoribus; aut abnuentes, cingulis priuati, tantis addicamini supplicijs, vt quantociùs huius vitæ luce careatis. Mox Candidus Sanctus, pro cunctis sic breuiter respondit solus: Ecce c cingulos; ecce & corpora nostra: nos verò nihil præponimus Christo.

à Duce oblatos honores & terrores spernunt:

c

9 Tunc Dux illicò furibundus mandauit eorum vultus vehementer lapidibus cædi: Cui Candidus; Incipe, inquit, arbiter tenebrarum, & totius nequitiæ Iudex, exercere versutias tuas, vt cernas pœnam tuam. Ad hæc Dux infremuit, superque ministros hac intonuit voce: Desides & maligni, quare non celeriter impletis, quæ vobis iubentur? At illi perterriti, sumentes lapides, dum vellent percutere Sanctos, quâ nescio resultatione, semetipsos percutiebant. Hinc quantùm milites Christi ad agonizandum confortabantur, tantò magis Dux atrox furebat; adeò vt manu suâ saxum arriperet, atque vt quemlibet vulneraret

lapidibus in tortores resilientibus, illæsi:

A ret Sanctorum, toto connixus corpore, in illorum conuertit aciem: sed resiliens lapis, faciem ipsius percussit. Confestim S. Cyrius canere cœpit: Qui tribulant nos inimici nostri, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Gladius eorum perueniat in corda ipsorum, & arcus eorum contritus est.

AVCTORE EVODIO, INTERPR. IOA. DIAC.

Psal. 26.

Psal. 36.

10 His Dux auditis, ingemiscens, Testor, ait, virtutem deorum, quia maleficia sunt facta. Ad quem S. Domnus: Ego veritatem testor, quia Deus noster vicit; quia ora vestra, impudenter aduersus Iustos iniquitatem replicantia, repleuit opprobrio & despectione. Cur ergo tu, impijssime Agricolaë, dux scandali, hortator scelerum, nullo modo revereris Deum; & vnà cum isto Duce Lysiâ resipiscentes ab hac quâ induti estis deceptione, fiduciâ reuocamini nostrâ? Quòd si nec primâ colluctatione cohibiti estis, exhibete secundam: vt cognoscatis cuius virtutis sit Deus noster, qui operatur in nobis. Talibus Dux & Præses auditis, exarserunt in iram. Cumque diu baccharentur, astantes satellites his sermonibus increpabant Sanctos: Caduci, & totius deorum benignitatis ingrati, quare non acceditis, & libantes omnipotentibus dijs, eritis domestici Imperiales? Sed hanc *d* verbosantium vocem, sic compescuit Sanctus Cyrius: Nos domestici Dei, adminiculante Iesu Christo Domino nostro, nitimur bonâ voluntate cursum implere certaminis nostri: quatenùs incorruptibilem Imperatoris æterni adipisci mereamur coronam.

ad Dei notitiam adhortantur Ducem, Præsidem.

à satellites:

d

B

a *Ita correximus ex alijs Actis. Error in excusis & MS. nostro idem erat, quo* Palæstinam *legebatur.*

b *Alibi* profli̇ctu, *in MS.* procincti

c *Etiam* singulos, *vti antè*, singulis *pro* cingulis priuati.

d Verbosare *&* verbosari *in ecclesia* pro fabulari, *vsurpant SS. Augustinus & Cæsarius Arelatensis.*

CAPVT III

Martyres in stagnum frigidum immissi. Vno deficiente accessit Clauicularius. Miracula lucis & coronarum. Martyrium.

11 HIs dictis, Dux eos mandauit retrudi, vt exitiale de illis consilium haberet. Ingressi verò carcerem, inchoante S. Cyrio, consonâ voce psallebant: Ad te leuauimus oculos nostros, qui habitas in cælo. Decursoque psalmo, cantauerunt ex more seriatim & ceteros. Cumque grandior noctis hora esset exacta, vident Saluatorem clarâ voce dicentem: Qui credit in me, etiamsi moriatur, viuet: Quapropter certate viriliter, pro nihilo ducentes horum tormenta, quæ sunt temporalia: modicum enim aliquantulùm sustinete, vt æternis coronemini laureis. Hac sponsione acceptâ, noctem illam transegerunt vigiles.

Reducti in carcerem, psallunt:

à Christo apparente confortantur:

12 Vbi verò inchoauit aurora lumine spargere terram, Ducis ad imperium conuentus est actus. Deinde sedentes ambo pro tribunali, præceperunt coràm statui Sanctos. Qui cùm introire cœpissent, vident tetrum dæmonem vtrisque *a* manibus gladium tenentem, atque ad aurem Agricolai instigantem: Meus es, agoniza. Stantes autem Martyres in medio populi, aiunt ad Principes: Cur moras patimur? facite quod facturi estis. Tunc Agricolaus furibundus præcepit eos funibus collo tenus ligari, & ad stagnum pertrahi, quod secus Sebastiam plurimis redundabat aquis, ibidemque illos proijci nudos: illis enim diebus adhuc tantâ glacie coagulabatur, ac si tempus hyemis esset. Circa idem verò stagnum erat lauacrum, quod calefieri mandauerat, quatenùs si quislibet ab incepto desisteret, calore balnei recrearetur. Mox autem ministri iussa complentes, miserunt Sanctos in medium stagni. Sed quia inclinata dies procliuior erat ad vesperam, quando Martyres sunt aquis impressi; necdum noctis prima hora præterierat, & Sanctorum corpora niuiali tabescebant algore, ita quippe, vt caro eorum, exangui quodam distenta tumore, altiùs scinderetur.

dæmone instigante Præsidem,

a

C

mittuntur in stagnum frigidum:

D

13 Proh dolor: vnus eorum amisso caritatis igne, nequaquam tolerans, ad balneum fugit, tactusque calore statim liquefactus, spiritum exhalauit. Cernentes autem Christi milites sic suum perijsse collegam, toto conuersi ad Deum corde, vnâ voce cœperunt dicere: Ne in fluminibus irascaris nobis, Domine, neque in fluminibus furor tuus sæuiat. Nos autem non recedimus à te, quia tu viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Te enim, Domine, omnes creaturæ tuæ laudant, dracones, & omnes abyssi. Cuncta etiam Domine; verbo tuo obtemperant, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quoniam tu solus ambulas super pennas ventorum: cuius vestigia ita mare, ac si aridam calcant. Exaudi nos Domine, exaudi, qui exaudisti Iacob, cùm fugeret Esau germanum suum vehementer sibi infestum. Libera nos Domine, qui liberasti Ioseph in similitudinem tui venditum, à tentatione: qui Moysen in Ægypto facientem portenta, & mare diuidentem, populumque tuum per desertum exaudisti ducentem. Exaudi nos Domine, & sicut implorantes Apostolos tuos cælitus exaudire dignatus es, cùm prohiberentur ab impijs loqui in nomine tuo; sic nos modò misericorditer exaudi & libera; vt non demergat nos tempestas aquæ, neque absorbeat ista glacies. Auxiliare nobis, Domine Saluator noster, quoniam demersi sumus in hoc profundo: pedes nostri contabuerunt, nostri cruoris expertes. Releua misericors incommodum elementi huius, vt cognoscant omnes, quia clamauimus ad te, & liberati sumus.

vno transfugiente extincto,

reliqui ardentius orant:

E

14 Illis talia supplicantibus, lapsa est super eos de cælo lux magna, & quasi per æstiuum solem sic dissolutâ penitùs niue, incaluit aqua. Tunc Clauicularius ceteris custodibus somno depressis, vigilabat solus, secumque reuoluens qualiter ille vnus calore lauacri resolutus, & isti omnes in tanto algore sospites essent; apertis diuinitus oculis aspexit super eos lucem, & curiosè intentus, vidit per eamdem lucem, descendere triginta nouem coronas super eos. Mox ipse pertractans, non illum qui fugit, dignum cœlesti fuisse diademate; repentè suscitatis custodibus, & abiectis indumentis ante illos prosiliens clamabat: Et ego Christianus sum. Hæc dicens, proiecit se in lacum inter Sanctos, & cœpit voce clarâ sic Deum supplicare: Domine Deus meus, in te credo, in quem & isti verissimi famuli tui credunt. Suscipe ergo Domine Deus, & connumera me cum istis, vt particeps efficiar tentationibus & passionibus horum, quatenùs dignus merear tuo frui regno. Illicò S. Cyrius hanc prorupit in laudem: Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia magna solus: quia eos, qui contra nos erant, pro nobis esse fecisti, supplens misericorditer quartæ decadis numerum: quatenùs ne lætaretur malignus spiritus se nostrum imperfectum reliquisse collegium, sed se gemat opprobrio æterno confusum.

in luce magnâ

delapsis 39 coronis

Clauicularius abiectis vestimentis, insilit in stagnum,

martyr efficitur

F

15 Verùm quid ad hæc humanæ salutis æmulus? quid nisi sæuitiam suæ compulsus est exhibere nequitiæ: Humanâ enim specie assumptâ, sedebat manibus complicatis & genibus, secus stagnum illud, & hæc secum reputabat: Væ mihi, væ misero, quia superatus ab his almis viris, factus sum omnibus in derisum. Nam ministri hebetes, meæ virtutis expertes, si conatus vester vnanimus extitisset, nullo modo quieueram vinci sed tamen solitas reuertor ad artes. Ibo, & Principum corda meis inflammabo facibus, vt horum crementur corpora, & illa fluminis in loco proijciantur, vbi nec minima talium reliquiarum possit particula inueniri. Dixit, & in tenuem, vt fumus, euanuit auram.

Incitante dæmone,

A ram. Posterâ igitur die, crudelissimi venientes tyranni, & videntes Clauicularium consistere in medio inter Sanctos, sciscitati sunt alios custodes, quâ se animaduersione damnatis immisisset. At illi, Nobis, inquiunt, alto sopore detentis, solus ille vigilans pernoctabat, qui subitò exclamans, nos suscitauit. Cumque expergefacti, diligentissime intueremur, vidimus super eos radiasse clarissimam lucem, & hunc, vestimentis propulsis, Christianum se clamantem, ad illos introisse. Mox stimulis Principes amarissimis agitati, continuò iusserunt ex aquâ foras eos protrahi, & cum baculis eorum c capita confringi. Nec mora; accelerantes famuli exitiale complere imperium, cominùs Martyrum capita conterebant bacillis: sed patiens grex Christi, Pastorem imitatus suum, qui sicut ouis ad immolandum ductus est, læti inter horrenda verbera canebant: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Illis autem hæc crebrò dicentibus, & Amen respondentibus, ministrisque incessanter cædentibus, spiritu migrabant ad cælum.

concremandi.

c capitibus confractis,

canentes moriuntur:

a *In alijs Actis* dextrâ gladium, sinistrâ draconem *tenet. S. Ephraim eum sub serpentis formâ describit.*

B b *Apud Vossium* & sanguis. *&* exangui cruore.

c *In alijs Actis* crura, *& consentiunt Martyrologia antiqua, In Passionario Armenorum apud Vossium habetur, quod* summo manè traxerint eos ad ripam lacus, & ingenti ferro crura, dorsum, ac ossa ipsorum fregerint vehementer.

CAPVT IV

Corpora combusta. Reliquiæ diuinitus repertæ.

16 INtereà vnius Sanctorum mater, qui iunior videbatur, cui nomen Mellitus erat, præstolans, sic filium, ne paueret; monebat: Fili dulcissime, sustine paullulùm, vt proueharis in cælum, quia te Christus tuus præstolatur adiutor. Mira fides mulieris, mira constantia matris, &, dum orbis voluitur, omni laudanda præconio. Prolem enim suam, quam semiuiuam tyranni reliquerant, putantes eam post tantas cædes victuram, & suæ voluntati consensuram, virili animata robore, sumpsit in collo, & properans, in vehicula, quibus membra Sanctorum, iussu Principum, in flumen præcipitanda ferebantur, proiecit iam defunctum: expirauerat autem in baiulantis vlnis.

Confortat mater filium ad martyrium:

ad alios defert,

17 Ecce nunc lætare chorus Angelorum: lætare chorus Sanctorum, comitibus vestris vobiscum tripudiantibus. Adhuc scelestissimi desæuiunt homunciones, & maligno in pectore maligna versantes consilia, imperant ministris, vt accenso igne Sanctorum crementur corpora. Eia misertimi arbitri, ostendite iustam vestræ censuræ libram, vt pateat mundo, quâ æquitate populo præfuistis. Sæuite, & contra famulos eius, qui vos ad tempus præesse voluit, irasci non desinatis. Hoc erit, credite mihi, hoc erit, quod vos modò formidatis.

corpora cremantur:

C

18 Postquàm verò incensa sunt corpora Sanctorum, Dux & Præses talia secum reuoluunt: Si sic relinquimus cineres istos, curiosè Christicolæ aggregantes, totum ex eis replebunt mundum: sed altioribus eos imprimamus lymphis, vt tale quid nullo modo fieri possit. Dicite ergo mihi, nefandissimi tyranni; Quid vobis huiusmodi profuit consilium? Numquidnam illi, in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ, vesaniam vestram conferre vultis? Attendite cœlum ex nihilo factum: attendite terram libratim suspensam. Et si non dico ista, sed nec qualiter vos ipsi ex vtero matrum processistis, considerare valetis. Cur contra eum stabilire vultis consilium, qui cuncta simul creauit ex nihilo. Sed persequimini Sanctos, vt nulla vestræ perfidiæ desit adinuentio: iactate reliquias Martyrum in profundissimas aquas; vt perpendatis euidentiùs, quia illi Regi seruierunt, cuius potestati sunt cuncta subiecta.

Reliquiæ in aquas proijciuntur:

D

AVCTORE EVODIO, INTERPR. IOA. DIAC.

19 Transactis itaque diebus tribus, postquàm cineres almi in fluuium sunt deiecti, reuelatum est beatissimo Petro eiusdem Vrbis Episcopo, vt iret, & sancta illa pignora exinde studiosissimè reuelaret. Qui nihil de visione hæsitans, congregatis Clericis religiosisque viris, ad ripam peruenit fluminis. Mira res; vbicumque ex ipsis Reliquijs iacebat, ita coruscabat, ac si clarum lumen fuisset. Quas curiosissimè colligentes, in præparatis loculis summâ cum veneratione recondiderunt.

cælesti monitu & luce reperta efferuntur.

20 Libet ergo in fine opusculi insultare aliquatulùm sæuissimis tyrannis, non vt de illorum perditione gratulemur, sed vt Sanctorum victoriosissimam gloriam admiremur. Dic, rogo te, Lysia, & tu quoque Agricolae, quid vobis cernentibus Sanctos tanto fulgore coruscos, suggerit sensus? Numquid non illos retrudi, lapidari, occidi, & in fluuium mergi cogitatis? En illi paradisiaca regna tenentes, Agnum dealbatis stolis sequuntur quocumque ierit. Vos tetricam Cocyti possidentes habitationem, vermibus edemini numquam morientibus. Illi Angelicâ vtentes lætitiâ, in æternum cum Deo gaudebunt: vos verò gehennæ flammis exusti, semper lugebitis. Illi terreni Imperij dignitatem respuentes, gloriam sunt adepti perpetuam: vos sæculari Regi fauentes, & honorem transitorium & vitam perdidistis æternam. Isti sunt quippe fortissimi Christi athletæ, qui vestram & vestri patris stropham vincentes, vobis æternam confusionem, & credentibus in Trinitatis vnitatem forte reliquerunt exemplum. Sed quia iam liber claudendus est, vos iusto iudicio dignam vltionem persoluentes relinquimus: & illorum petimus suffragia, quatenùs calcatis secularibus, conregnemus cum eis. Per Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto vnus est Deus, in secula seculorum, Amen.

Apostrophe in tyrannos.

E

ORATIO S. BASILII

Latinè reddita à Gerardo Vossio

CAPVT I

Martyrum XL vnanimis constantia, patria, militia. Virtus laudanda & imitanda.

1 MArtyrum memoriam recolendi, quænam Martyrum studioso atque amatori possit esse satietas? Siquidem honor in bonos conseruos collatus beneuolentiæ erga communem Dominum significationem continet. Perspicuum est enim, eum, qui generosos ac fortes viros excipiat, in similibus occasionibus nec imitari eosdem detrectaturum. Celebra igitur ac venerare legitimè eos, qui martyrio affecti sunt: vt & Martyr ipse saltem voluntate efficiaris, ac etiam sine persecutione, sine igne, sine flagellis ac plagis, eodem quo illi laudum præconio dignus habearis.

F

AVCTORE S. BASILIO, Martyres honorans, cum ijs honorabitur.

2 Nobis porrò hîc iam non vnum dumtaxat propositum est admirari, nec duos solos, neque ad denarium vsque, numerus tantum Beatorum, qui martyrium passi sunt, procedit: sed a quadraginta celebrandi sunt viri, qui tamquam vnam in diuersis corporibus animam habentes, in vnâ conspiratione ac concordiâ fidei, vnam etiam aduersùs res duras tolerantiam,

Martyres 40 in pietate & constantiâ vnanimes,

a

AVCTORI S. BASILIO.

A rantiam, & pro veritate ac pietate constantiam demonstrarunt. Cuncti inter se consimiles, mente atque sententiâ pares, & certamine æquales: quare etiam æqualibus gloriæ coronis digni effecti sunt. Quis igitur verbis istorum dignitatem assequi possit? cùm ne quadraginta quidem linguæ tantorum virorum virtuti celebrandæ sufficiant. Quin etiam si vel vnus tantùm foret oratione commendandus, nostri facilè sermonis eloquentiæque vim superaret; nedum tanta multitudo, phalanx militaris, cuneus inexpugnabilis, in bellis æquè insuperabilis, & in laudibus inenarrabilis.

3 Eia igitur, in medium eos per commemorationem adducentes, communem ab ipsis vtilitatem præsentibus exhibeamus, demonstrantes cunctis velut in quadam picturâ fortia virorum illorum gesta. Nam & præclara in bellis facinora sæpè etiam scriptores siue historici, atque pictores perbellè commonstrant: *optimè laudantur* isti quidem sermone ornantes, hi verò ea tabulis exprimentes: & vtrique multos ad fortitudinem imitandam excitant. *b* Quę enim historię sermo per auditum exhibet, eadem pictura tacens per imitationem demonstrat. Sic sanè & nos vobis hîc præsentibus virtutem istorum virorum in memoriam reducentes, & B velut sub aspectum facta ipsorum constituentes, eos *c* qui sunt animo generosiores, ac voluntate ipsis coniunctiores, facilè ad eorumdem imitationem permouebimus. Hoc enim verum est Martyrum encomium, *ab iis, qui eorum virtutes imitantur:* eos, qui congregati sunt, ad virtutem eorum imitandam exhortari. Non enim encomiorum legibus seruiunt sermones, qui de Sanctis celebrandis suscipiuntur. Nam qui laudant alios, ex mundi huius rebus atque occasionibus, principia laudationum desumunt: at quibus mundus crucifixus est: quomodò quidquàm ex eo, quod ad laudis splendorisque ipsorum materiam faciat, depromi poterit?

4 Non vna his Sanctis patria erat: nam alius aliunde prodierat. Quid igitur, sine patriâ eos dicemus? aut orbis ciues? *dicendi patriam habere cælum,* Quemadmodùm enim in symbolorum atque conuiuiorum collationibus, quæ à singulis collata sunt, communia cunctis, qui attulerunt ea, redduntur; ita etiam in Beatis hisce, vniuscuiusque ipsorum patria communis omnibus erat, & omnes erant vndiquaque natale solum inter se commutantes. Sed quid necesse est terrestres hîc patrias inquirere; cùm liceat eam, quæ nunc vera ipsorum patria ac ciuitas est, intelligere? Ciuitas igitur istorum Martyrum, *patrem Deum,* Dei ciuitas est, cuius opifex ac conditor est Deus, superna Hierusalem, quæ libera est, quæque mater Pauli, & cunctorum illorum qui ei sunt consimiles. Genus autem humanum quidem, aliud aliùs: spiritale verò, vnum est omnium. Communis quippe ipsorum pater est Deus, & fratres omnes, non quidem ex vno & vnâ generati: verùm ex adoptione *& ipsi fratres in spiritu sancto:* Spiritus, in vnam inter se concordiam per caritatem coaptati. Chorus paratus, accessio magna eorum C qui à seculo Dominum glorificant; non sigillatim congregati, sed aceruatim simulque translati. At quæ tandem translationis fuit ratio? Hi corporis magnitudine, & ætatis vigore ac flore, viribusque quia cunctos sui temporis superabant, ad militares copias ducendas destinati erant: cumque ob bellorum experientiam, animique fortitudinem, iam primos hono- *illustres in militiâ.* res ab Imperatore consecuti essent, celebres apud omnes propter virtutem euaserunt.

a *In Synodo 2 Nicenâ actione 4 hæc ita ab Anastasio Latinè redduntur*: Nam honos, quem in bonos conseruos conferimus, beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet. *Eadem in aliâ translatione habentur. Consule Notas Frontonis Ducæi & Andreæ Schotti.*

b *Hunc locum citari & in dictâ Synodo Nicenâ, & aliâ Parisiensi tradunt ijdem Ducæus & Schottus.*

CAPVT II

Constantia Martyrum: reiecta blandimenta & minæ.

5 POstquàm verò impium illud atque iniquum denuntiatum est edictum, ne quis Christum confiteretur, periculaque cum omni *a* suppliciorum genere confitentibus proponerentur; & multa ab iniustis iudicibus ira ac feritas aduersùs pios moueretur; *In magnâ contra Christianos persecutione.* *a* variæ quoque insidiæ ac doli contra eosdem struerentur, & diuersi generis tormenta pararentur; tortoresq; implacabiles adessent, ignis insuper paratus, gladius exacutus, crux posita, fossa, rota, & flagella; alij fugiebant, alij succumbebant, alij fluctuabant; aliqui etiam *variis deficientibus,* ante periculum ad solas comminationes deterriti sunt: nonnulli cùm vicini periculis essent, trepidare cœperũt: alij verò in ipsis iam certaminibus constituti, deinde vsq; ad finem laborum perdurare non valentes, circa medium fermè certaminis pugnam atque periculum detrectarunt: & velut in pelago naufragantes, etiam *b* eas, quas iam virtute patientiæ acquisierant merces, deperdiderunt. Tunc igitur hi *b* quadraginta inuicti ac *40 milites in fide constantes,* generosi Christi milites in medium prodeuntes, cùm Præfectus litteras Imperatoris ostenderet, ac obedien- F tiam exigeret, liberâ voce audacter ac fortiter, nihil eorum quæ viderant reformidando, neque minas intentatas curando, in medium progressi, sese Christianos esse professi sunt. O linguas beatas, quæ sacram *se Christianos esse professi sunt.* illam emiserunt vocem; quam aër excipiens, sanctificatus est, Angeli audientes applauserunt, diabolus cum dæmonibus vulneratus est, Dominus verò eam in cælis descripsit. Quilibet igitur illorum in medium procedens, dixit: Christianus sum. Et sicut, qui in stadijs ad certamen prodeunt, simul dicunt sua nomina, & in locum pugnæ transeunt; ita sanè & hi tunc abiectis nominibus, quæ à natiuitate ac genere ipsis imposita erant, à communi omnium Saluatore sese denominarunt, illudque omnes consequenter fecerunt ordine, ita vt vna cunctorum facta sit appellatio: non enim ampliùs talem ac talem, sed Christianos se cuncti appellarunt.

6 Quid igitur tunc Præfectus? vafer enim erat ac varius, vt partim blandis eos verbis tentaret, partim *Obiectis à Præside blandimentis* comminationibus in errorem impelleret: primùm quidem ipsos adulationibus decipere aggreditur, firmitatem pietatis euertere tentans. Nolite (inquit) iuuentutem vestram sic deperdere: neque mortem intempestiuam cum dulci ac iucundâ hac vitâ commutaueritis. Absurdum namque est; eos qui in bellis fortiter se gerere consueuerunt, facinorosorum morte vitam finire. Ad hæc, pecunias promittebat, partimque præbebat: honores item ab Imperatore, & dignitatum distributiones offerebat, infinitisque eos inuentis at- F que astutijs oppugnabat. Cùm autem nihil ad hæc *& minis* tentamenta concessissent, ad aliud machinæ genus transibat, plagasque eis ac mortes, & tormenta intolerabilia intentabat. Atque is quidem talia. Quæ verò martyres egerunt, qualia? Quid, inquiunt, inescare atque decipere nos studes, ô Dei hostis, vt à Deo viuente discedamus, ac perniciosis dæmonibus *forti animo resistunt,* seruiamus, tua nobis bona palàm offerens? Putasne *c* tantùm te daturum, quantùm eripere conaris? *c* Tua respuimus dona, quæ damna nobis conciliant: non suscipimus honorem, ignominiæ matrem. Pecunias tribuis non permanentes, & gloriam deflorescentem. Notos Imperatori nos vis reddere? sed à vero Rege abalienare intendis. Quid præparcè pauca ex rebus mundanis offers? totus nobis mundus est contemptui. Non sunt cum ijs, quæ spes nobis expetenda proponit, comparanda cuncta quæ oculis cerni possunt.

A sunt. Vides hoc cælum, quàm pulchrum aspectu sit, quàm magnum; & terram, quanta, quæque in ipsâ sunt admirabilia? Nihil ex his omnibus æquiparari potest felicitati ac beatitudini iustorum: hæc enim citò transeunt; at nostra continuò durant ac permanent. Vnum concupiscimus donum, coronam iustitiæ; circa vnam gloriam, quæ in regno est cælorum, in stuporem rapimur. Ad supernum honorem consequendum ambitiosi sumus; supplicia gehennæ timemus: ille nobis ignis horrendus est. Qui verò à vobis intentatur, conseruus est: nouit reuereri eos qui idola contemnunt. Sagittas infantium vestras reputamus plagas. Corpus enim cædis, quod si diutiùs restiterit, clariore coronâ donabitur: at si citiùs defecerit, discedit liberum à Iudicibus ita violentis: qui cùm corporum vtamini ministerio, etiam in animas dominari contenditis: & nisi etiam Deo nostro præferamini, non secùs quàm si extremâ à nobis affecti essetis ignominiâ, indignamini: & hac ratione formidabilia ista supplicia intentatis, pietatem nobis tamquàm crimen objicientes. Verumtamen non cum timidis, neque cum huius vitæ amatoribus, neque cum ijs, qui facilè consternantur, congrediemini: pro caritate ac dilectione in Deum, ecce nos & in rotam agi, B ac torqueri, & comburi, & omne tormentorum genus perferre parati sumus.

præferunt æternam felicitatem,

parati amore Dei omnia pati,

a *Similia tormentorum genera & certantium varij exitus describuntur ab Eusebio lib. 8 hist. Eccl. cap. 3 & 4*

b *S. Ephram:* Habebant signacula quòd strenui & inuicti essent, & interiora cordis eorum Crucifixi figurâ insignita erant.

c *Similia habent SS. Ephram, Nyssenus & Gaudentius.*

CAPVT III

Tormentum in stagno congelato subitum.

7 VBi verò ista superbus ille ac barbarus audiuit, non ferens virorum in dicendo libertatem, furore percitus, considerat secum quamnam excogitaret machinam, vt longiorem simulque acerbiorem ipsis mortem compararet. Inuenit itaque consilium, & considerate quàm sæuum ac durum. Circumspiciens enim ille regionis naturam, quòd frigore horrida esset, annique tempus, quòd hibernum, noctemque obseruans, in quâ maximè malum ipsum intensum esset (Boreâ tunc per eam multò etiam magis spirante) iussit omnes denudatos sub dio in medio stagno congelatos mori. Nostis autem cuncti, qui hiemis asperitatem experti estis, quàm intolerandum illud sit tormenti genus. Neque enim alijs possibile est illud demonstrari, quàm ijs, qui similibus priùs experti sunt exemplis quæ dicuntur. Corpus enim algore dilapsum, primùm quidem totum in liuorem atque pallorem concreto sanguine vertitur: deinde C turbatur ac efferuescit, dentes concutiuntur, fibræ conuelluntur, & tota corporis moles per vim contrahitur. Dolor autem quidam acutus, & cruciatus inenarrabilis ipsas medullas penetrans, intolerabilem efficit sic congelatis sensum doloris. Deinde extremitates obrigescunt, vt quum extremæ partes ab igne aduruntur. Calor enim ab extremis corporis partibus depulsus, & ad interiora ac penitiora confugiens, membra à quibus recessit, mortua relinquit: ea verò, ad quæ depellitur, doloribus affligit, morte paullatim per eiusmodi congelationem procedente.

Nudi in stagnum gelidum proijciendi,

graue tormentum frigoris

8 Tunc igitur sub dio pernoctare condemnati sunt, quando stagnum (circa quod ciuitas ædificata erat) in quo hæc martyrij certamina Sancti decertarunt; a velut campus aliquis planus agendisque equis accommodus, effectum erat: cùm glacies ipsum transmutasset, & per frigus in continentem ac firmam quasi terram redactum, liberam atque securam accolis super terga eius gradiendi viam præbebat: fluuij D verò perpetuò fluentes, glacie constricti à fluxu cessârant, teneraque aquæ natura in lapidum duritiem transmutata erat. Asperi autem atque acuti Boreæ flatus animata omnia ad interitum impellebant. Tunc itaque audito damnationis mandato (cerne iam mihi hic inuictam virorum constantiam) cum gaudio, vltimâ etiam nuditatis veste abiectâ, singuli per horridum frigus ad mortem contendebant, & velut ad spolia diripienda se inuicem incitabant ac cohortabantur. Non enim vestem, aiebant, exuimus; sed veterem hominem deponimus, qui per fraudis concupiscentias corrumpitur. Gratias agimus tibi, Domine, quòd cum isto amictu simul & peccatum abijcere licet: quoniam ob serpentem eum induimus, propter Christum verò exuimus: ne vestes retineamus, propter paradisum quem amisimus. Quid retribuemus Domino? exutus est & Dominus noster: quid magnum seruo, si ea quæ passus est etiam Dominus, subeat? Imò verò nos sumus qui ipsum Dominum suâ veste exuimus: militum enim illud est facinus: illi exuerunt, & vestes diuiserunt: accusationem igitur nostram perscriptam & in acta relatam per nos ipsos deleamus, oportet. Aspera ac dura est hyems? sed dulcis est paradisus. Permolesta est congelatio? sed periucunda E fruitio. Modicum sustineamus, & sinus nos Abrahæ Patriarchæ confouebit: vnam noctem cum æuo sempiterno commutabimus. Aduratur frigore pes, vt cum Angelis perpetuò tripudiet: diffluat manus, vt liberam facultatem habeat se ad Dominum attollendi. Quot commilitones nostri in acie ceciderunt, Regi mortali fidem seruantes? nos autem pro fide in Regem verum seruandâ, vitam hanc non proijciemus? Quàm multi in sceleribus deprehensi, morte facinorosis debitâ multati sunt? nos verò pro iustitiâ mortem non subibimus? Ne obsecro, ô commilitones, declinemus: neque locum diabolo demus. Carnes sunt, ne parcamus. Quoniam omnino mori oportet, moriamur vt viuamus. Fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, Domine: & suscipiamur velut sacrificium viuum, gratum & acceptum tibi, dum hoc sæuo frigore ac gelu instar holocausti, immolamur. Pulchrum sacrificium, pulchra oblatio, nouum holocaustum, quod non per ignem sed per gelidum frigus consumitur.

in summo frigore

læti vestes abijciunt.

& cum gratiarum actione

se se inuicem consolantur

9 Hosce consolatorios sermones mutuo inter se colloquio conferentes, & se inuicem adhortantes, velut quamdam in bello custodiam excubiasque peragentes, noctem illam traducebant: fortiter ac generosè præsentia aduersa perferentes, spe futurorum bonorum gaudentes, ac hostem deridentes. Vna autem omnium erat precatio: Quadraginta in stadium ingressi sumus, vtinam & quadraginta simul, ô Domine, coronemur; nec deficiat ab hoc numero ne vnus quidem. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum ieiunio honorasti, per quem & diuina lex F in orbem intrauit. Helias item cùm quadraginta diebus in ieiunio Dominum exquisiuisset, aspectum eius consecutus est. Et hæc quidem illorum talis erat oratio.

orant pro perseuerantia.

a *De hac glacie suprà pluribus actum § 4*

CAPVT IV

Apostasia vnius. Accessus alterius.

10 VNus porrò ex eorum numero, tormentorum grauitate fractus, ordine deserto, abscessit, luctu inenarrabili Sanctis relicto. At non permisit preces ipsorum irritas fieri Dominus. Nam is cui Martyrum custodia concredita erat, è propinquo lo-

Vno transfugiente

A co in quodam gymnasio se calefaciens, exitum rei spectabat, paratus milites excipere, si qui ad eum confugerent. Nam & hoc excogitatum erat, vt propè lauacrum aquæ calidæ adesset, quod repentè auxilium ijs, qui mentem mutassent, compromitteret: quod sanè nequiter etiam ab aduersarijs excogitatum erat, vt talem inuenirent certaminis locum, in quo paratum refugij solatium esset, quod decertantium constantiam eneruaret atque dissolueret: sed hoc ipsum martyrum patientiam clariorem illustrioremque reddidit. Non enim qui necessarijs indiget, tolerans est ac patiens: sed qui in fruitionis ac oblectationis abundantiâ constitutus, dura perferre potest. Vt autem hi quidem in certamine persistebant, ille verò exitum obseruabat, spectaculum peregrinum vidit; copias scilicet quasdam è cælis descendentes, & velut à Rege munera magna militibus distribuentes: quæ alijs quidem omnibus dona diuidebant, vnum verò solum indonatum dimiserunt, indignum cœlestibus eum honoribus iudicantes; qui statim laboribus fractus ac debilitatus transfugit ad hostes. Lugubre iustis spectaculum, miles transfuga, fortis ac strenuus in bello captiuus, Christi ouicula à feris direpta: quodque miserabilius, & à cælesti vitâ excidit, & neque huius B præsentis diu particeps fuit, carne ipsius mox ad appulsum caloris dissolutâ. Et hic quidem vitæ amans cecidit, frustrà lege violatâ.

Auctori S. Basilio. ad balneum calidum.

reliqui ab Angelis donantur coronis.

11 At lictor vt conspexit iam illum declinasse, & ad balneum incurrisse, seipsum in locum eius, qui ab ordine defecerat, subrogauit, abiectisque vestimentis seipsum nudis immiscuit, eamdem ac Sancti vocem clamoris edens, Christianus sum. subitâque mutatione, simul ijs qui aderant stuporem incutiens, tum numerum compleuit, tum dolorem illorum ob emollitum transfugam, suâ accessione deliniuit: eos imitatus, qui in acie belli subitò, vbi is cecidit qui in primâ acie steterat, statim eum locum explent, ne propter eum qui deest, acies interrumpatur. Tale sanè aliquid etiam ipse egit. Aspexit cælestia miracula, agnouit veritatem, confugit ad Dominum, inter Martyres adnumeratus est. Et illud discipulorum exemplum renouauit; Abijt Iudas, & pro eo introductus est Mathias. Imitator factus est & Pauli, qui heri persecutor, hodie factus est euangelizator. Supernè & ipse vocationem habuit, non ab hominibus, neque per homines. Credidit in nomine Domini nostri Iesu Christi, baptizatus est in ipsum, non ab alio, sed à propriâ fide: non in aquâ, sed in proprio sanguine.

accedit lictor, fit Christianus,

Act. 1.

Act. 9. Galat. 1.

baptizatur in proprio sanguine.

CAPVT V

Corpora combusta: reliquiæ honoratæ. Pietas matris in filium Martyrem.

C 12 Atque ita illucescente die adhuc spirantes, igni traditi sunt, & ignis reliquiæ in fluuium proiectæ, vt per omnem creaturam beatorum certamen penetrauerit. In terrâ decertarunt, in aëre tolerantiam ostenderunt, igni traditi sunt, aqua eos excepit. Illorum vox est ista: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Hi sunt qui nostram regionem continentes, quasi quædam turres simul iunctæ, securitatem ab aduersariorum incursu præstant, non vno solo loco seipsos concludentes, ut multis iam locis hospites effecti, multasque patrias exornantes: & quod admiratione dignum est, non sigillatim separati ad suscipientes accedunt, sed inter sese permixti, coniunctim choros ducunt. O rem miram. neque deficiunt numero, neque redundant: nam si in singulos eos diuiseris, proprium numerum non excedunt: si in vnum congregaueris, quadraginta etiam sic remanent, qualis est ignis conditio ac natura: nam & is ad eum transit qui ab alio mutuatur, & totus est apud habentem. Sic & hi quadraginta, & omnes simul sunt, & omnes sunt apud vnumquemque. D

Corpora comburuntur.

Psal. 65.

reliquiæ in varijs locis sunt.

13 Largum ac amplum Dei beneficium, gratia quæ non consumitur: paratum Christianis auxilium, Ecclesia Martyrum, exercitus triumphantium, chorus glorificantium Dominum. Quantum laborares, vt vel vnum aliquem reperires, qui pro te Dominum oraret atque placaret? quadraginta hîc sunt, concordem orationem simul emittentes. Vbi duo, vel tres congregati sunt in nomine Domini, ibi est in medio ipsorum: vbi verò quadraginta, quis de Dei præsentiâ dubitet? Qui aliquâ premitur angustiâ, ad quadraginta Martyres confugit, qui item lætatur, ad ipsos recurrit: ille, vt à molestijs atque difficultatibus liberetur; hic, vt in rebus lætis ac prosperis conseruetur. Hîc, mulier pia pro filijs orans deprehenditur, quæ marito peregrinanti reditum, & ægrotanti salutem deposcit. Cum martyribus vestræ iungantur preces; adolescentes, suos æquales imitentur: patres, talium esse filiorum parentes exoptent: matres, bonæ matris exemplum addiscant. E

Sancti Martyres pro nobis orant.

Matth. 18.

ad eos confugiendum.

14 a Mater vnius illorum Beatorum, cernens alios iam gelido frigore consumptos, suum autem filium adhuc spirantem, præ robore & aduersùs res duras tolerantiâ, cùm ipsum lictores relinquerent, velut qui posset adhuc mutare consilium; ipsa suis manibus sublatum imposuit plaustro, in quo reliqui compositi ad pyram ac rogum ferebantur. Martyris reuera mater: non enim lacrymam effudit degenerem, neque humile quid & indignum tempore prolocuta est: Sed abi, inquit, ô fili, ac bonum iter cum æqualibus, cum contubernalibus tuis confice: ne à choreâ deseraris, néue posterior alijs Domino appareas. Reuerà bonæ radicis bonum germen. Ostendit generosa mater, se pietatis institutis eum magis quàm lacte educasse. Et hic quidem ita enutritus, sic à piâ matre præmissus atque deductus est: diabolus verò confusus recessit. Cùm enim omnem aduersùs ipsos commouisset creaturam, cuncta reperit eorum virtute superata: noctem horridam ac ventosam, patriam hibernalem, tempus anni frigidissimum, corporum nuditatem.

a Mater filium Martyrem ad alios defert.

piè adhortatur.

15 O chorus sanctus, ô sacer ordo, ô constipatum & inuictum agmen, ô communes generis humani custodes, boni curarum socij, precationum suffragatores, potentissimi intercessores, astra mundi, flores ecclesiarum. Vos non terra contexit, sed cœlum excepit: apertæ sunt vobis paradisi portæ. Dignum sanè exercitibus Angelorum spectaculum, dignum Patriarchis, Prophetis, iustis; viri in ipso iuuentutis flore, vitam despicientes, ac super parentes, super liberos Dominum diligentes, ipsumque ætatis vitalem cursum ducentes. Spreuerunt temporariam ac F momentaneam vitam, vt Deum in suis ipsorum membris honorarent ac glorificarent, mundo simul & Angelis atque hominibus spectaculum facti, lapsos erexerunt, dubios confirmarunt, pijs desiderium auxerunt: vnum pro pietate cuncti trophæum erigentes, vnâ quoque iustitiæ coronâ exornati sunt, in Christo Iesu Domino nostro: cui gloria & potentia, in secula seculorum, Amen.

apostrophe auctoris.

a *Generosus animus huius piissimæ matris multis encomijs extollitur à SS. Ephræmo, & Gregorio Nysseno.*

HISTO-

HISTORIA INVENTIONIS RELIQVIARVM.

Ex Sozomeno lib. 9 Histor. Eccl. cap. 2

Reliquiæ Martyrum prope Constantinopolim depositæ latent:

MVlier quædam, Eusebia nomine, hæreseos Macedonianæ ministra, domum & hortum habebat extra mœnia ciuitatis Constantinopolitanæ: & sanctas Reliquias hic asseruabat Quadraginta militum, qui apud Sebastiam Armeniæ tempore Licinij martyrium fecerant. Ea cùm esset moritura, locum hunc reliquit monachis sibi in religione conformibus, & eos iureiurando adstrinxit: vt se ibidem sepelirent, atque vt supra caput in sublimi loculum suum priuatim expolirent, & secum vnà Martyrum Reliquias reconderent, ac nemini rem indicarent. Ac monachi quidem fecerunt sicuti mandatum fuerat. Vt autem debitum cultum Martyres consequerentur, & externi tamen rem nescirent, secundùm datum Eusebiæ iusiurandum, oratorium sub terrâ construxerunt ad illius loculum: in ædificio autem conspicuo supernè coctis lateribus vestitum pauimentum; B & ex eo descensum clancularium ad Martyres. Post hæc *a* Cæsarius: vir eâ tempestate cùm primis potens, qui & ad Consularem & ad Præfectoriam dignitatem peruenerat, defunctam vxorem suam iuxta loculum Eusebiæ sepeliuit: hoc enim illis ita decretum erat, dum adhuc in viuis essent, cùm & miro amore inter sese mutuò tenerentur, & in religione ac doctrinâ concordes essent. Et hinc Cæsario huius loci emendi data occasio fuit, vt & ipse propè vxorem sepeliretur. Prædicti ergò isti monachi aliò emigrarunt, neque tamen de Martyribus quidquam indicarunt. Domo posteà collapsâ, terrâque ac ruderibus ingestis, vniuersus ille locus exæquatus fuit, quia templum inibi magnificum Deo Cæsarius ipse in honorem *b* Thyrsi Martyris ædificârat. Deus autem, vt apparet, hunc locum ita obscurari, & tantùm temporis elabi de industriâ voluit, vt & Martyrum inuentionem & inuentricis pietatem admirabiliorem illustrioremque redderet. Et erat imperatrix *c* Pulcheria, soror Imperatoris. Huic enim cùm tertiò apparuisset admirandus ille Thyrsus, eos qui sub terrâ absconditi latebant, indicauit, & ad se transferri iussit, vt & eiusdem loci & eiusdem quoque honoris secum participes essent: simul & ipsi quoque Quadraginta Martyres, militaribus vestimentis candidis induti, semetipsos illi conspicuos fecerunt. Hæc verò res & supra fidem, & prorsus inextricabilis esse videbatur: neque enim aut Clerici, qui hoc in loco seniores erant, quamuis C sæpè rogati, aut alius quisquam indicare Martyres poterat. Ad extremum cunctis iam desperantibus, Polychronio cuidam Presbytero, qui olim ex familiaribus Cæsarij fuerat, in mentem Deus redegit, istos monachos, qui hunc locum quondam incoluerât: qui quidem ad Macedonianorum Clericos veniens, sciscitatur de ipsis. Omnibus autem illis iam defunctis, cùm vnum dumtaxat superstitem reperisset, qui in hoc ipsum videbatur in vitâ conseruatus, vt quæsitos Martyres indicaret: orabat, vt diceret, cognouissétne sanctas Reliquias sub indicato loco reconditas? sed cùm eum propter datum Eusebiæ iusiurandum subdetrectantem videret Polychronius, diuinam illi apparitionem, & perturbationes Imperatricis, & ipsorum desperationem commemorat. Tum ille vera esse confitetur ea, quæ Deus Imperatrici reuelârat. Nam se, quia adolescentulus tum ibi sub senibus præceptoribus ad monasticam institutus esset, certò scire, Martyres iacere circa loculum Eusebiæ: ignorare tamen, vtrúmne sub delubro, an verò alibi defossi sint: proptereà quòd multùm temporis effluxerit, & prior loci facies in eam sit mutata, quæ nunc est. Atqui, inquit Polychronius, mihi non idem accidit. Recordor enim me forte adfuisse sepeliendæ coniugi Cæsarij, & ex vicinâ viâ publicâ rationem ducens, conijcio eam iacere circa ambonem, quod est suggestũ lectorum. Proinde, respondens monachus, etiam Eusebiæ loculus (inquit) prope vxorem Cæsarij quærendus est: quandoquidem & viuæ plerumque vnà erant, & post mortem se coniunctum sepulchrum habituras pactæ sunt. Cùm itaque secundùm hæc, quæ dicta sunt, fodere, & sanctas istas Reliquias inuestigare oporteret, Imperatrix facta certior, opus vrgeri iussit. Effosso igitur illo circa ambonem loco, repertus fuit loculus vxoris Cæsarij, sicuti coniectârat Polychronius. Paullulùm autem hinc distans ex transuerso stratum coctis lateribus pauimentum erat, & ad huius ambitum æquali mensurâ respondens tabula marmorea, sub qua ipsius Eusebiæ loculus ostendebatur, & huic imminens delubrum perquamscitè marmoribus leucoporphyris incrustatum. Ipsum porrò loculi tegmen, velut in E mensam sacram fabrefactum erat. In summo autem, vbi Martyres iacebant, exiguum foramen apparebat. Astans igitur quidam de familiâ Imperatoris virgulam, quam fortè habebat, per foramen immisit, & extractam naribus admouit, & vnguentum fragrantissimum olfecit: ex quo statim tum laborantibus, tùm astantibus bona spes suborta fuit. Itaque cùm loculum auidè aperuissent, Eusebiam inueniunt. Illud verò quod ad Caput eius eminebat, in arcæ formam cælatum, proprio intus tegebatur operculo: & vtrimque ei ad labra circumdatum, plumbo conglutinatum ferrum, ipsum continebat. In eius medio rursus foramen istud apparens, etiamnum manifestiùs declarabat intus haberi Martyres. Hæc vbi annuntiata essent, e vestigiò accurrunt Imperatrix & Episcopus ad martyrium. Tum solutis per artifices ferreis istis vinculis, confestim sine negotio operculum extractum fuit. Sub hoc autem multa vnguenta, & in his pyxides argenteæ duæ repertæ sunt, in quibus sanctæ Reliquiæ iacebant. Tunc igitur Imperatrix Deo preces gratulatorias fundebat, tum quòd se tantâ reuelatione dignatus esset, tum quòd sanctarum Reliquiarum inuentionem assecuta esset. Post hæc pretiosissimâ thecâ Martyres honoratos, iuxta venerabilem Thyrsum composuit; publicâ festiuitate, vt æquum erat, cum debito honore ac pompâ ac psalmodijs celebratâ: cui & ipse ego interfui. Atque hæc quidem sic esse gesta, testabuntur illi, qui huic festiuitati interfuerunt: omnes enim fermè adhuc supersunt, cùm multò posteà gesta fuerint. *d* Proclo scilicet Ecclesiam Constantinopolitanam gubernante.

à S. Thyrso reuelantur S. Pulcheriæ:

Polychronio Presbytero omnia indagante,

inuenta in pyxidibus argenteis:

pompâ solenni eleuantur.

a *Fuerat Flauius Cæsarius cum Nonnio Attico Consul anno 397. qui forsan idem Cæsarius, Præfectus Palatij, Theodosij senioris, ab hoc Antiochiam missus est, vt ciuibus ob deiectam Augustæ statuam extrema minaretur: ita Theodoretus lib. 5 hist. Eccl cap. 19, & nos ad 24 Ianuarij in Vitâ S. Macedonij anachoretæ. At 28 Februarij dedimus Acta S. Proterij Patriarchæ, & § 4 diximus reos cædis eius punitos, misso à Leone Imperatore anno 2 regni, Christi 458 Cæsario Alexandriam, qui linguis mutilatis, relegauit eos, qui Proterij cædi communicauerant: vti illa apud Theophanem leguntur. Forsan ab vtroque hic diuersus Cæsarius fuit, qui medius inter vtrumque floruit circa an. 438.*

b *Acta varia SS. Thyrsi ac sociorum dedimus 28 Ianuarij, ac de hoc alioq; templo ad eius honorem Constantinopoli erecto egimus § 3.*

c *Colitur S. Pulcheria Augusta 10 Septemb.*

d *S. Proclum factum Episcopum anno 434, 12 Aprilis, sedisse annos 12, menses 6, ac mortuum esse 24 Octob. anno 446 probauimus 28 Februarij ad Acta S. Flauiani successoris num. 29.*

DE S. PETRO EPISCOPO SEBASTIÆ IN ARMENIA.

INITIO SEC. IV X MARTII, *S. Petri Ep. Sebasteni antiqua veneratio:*



Enerationem & cultum huius Sancti Episcopi suggerit S. Gregorius Nyssenus in epistolâ ad Flauianum Episcopum his verbis: Tandem cùm memoriam beatissimi Petri, quæ tum primùm celebrari cœpta est, apud Sebastenos peregissem, itidemque sanctorum Martyrum, qui vt eodem cum Petro vixerunt tempore, ita celebrari vnà cum ipso consueuerunt; conuerso itinere ad meam me Ecclesiam recipiebam. *Existimauit quidem Cardinalis Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium* IX *Ianuarij, Petrum, SS. Basilij, & Gregorij Nysseni fratrem, hic significari:* quem propterea censuit tempore Valentis Imperatoris, adeoque fratri vtrique præmortuum *: sed sicut istic ostendimus Petrum hunc, moriente Basilio, recens dumtaxat ab eodem fuisse Presbyterum consecratum: ita non satis certum est, an esset, scribente ad Flauianum Gregorio, Sebastenus Episcopus: tantùm abest, vt eius iam vitâ functi festum ageretur. Qui autem fuissent illi Sebasteni eodem tempore Martyres?* B *At Quadraginta nostri iam ante annos minimùm sexaginta celebrem istic, atque per totam Armeniam, vicinasque Ecclesias, cultum habebant: & eorum, vt mox videbimus, Reliquias Episcopus* Petrus *diuinâ reuelatione admonitus recollegit. Vnicus ex citato Nysseni loco moueri posset scrupulus circa tempus festiuitatis, Martyribus pridem institutæ, deinde cum Petro communicatæ; quòd scilicet Gregorius in eâdem Epistolâ conqueratur de æstu, quo pressus fuerat, in reditu versus Ecclesiam suam ad vicinos diuertens montes, (videlicet Antitauri iuga inter Nyssam & Cæsaream media) vbi Helladius Episcopus Martyrum commemorationem celebrabat, vtique vno alterôue post Sebastenam festiuitatem die. Sed huic scrupulo facilè occurritur dicendo, quòd vti frigus, quo cruciati sunt Martyres, insolens fuit ac præter illius temporis rationem in Armeniâ, quæ in in eadem cum Hispanijs, eleuatione poli, tum vel maximè vernâ consueuit amœnitate frui; ita non valdè insolens videri debeat, si alio anno dies aliqui fuerint sereniores mense Martio, feruentiori sole, qui per illas regiones iter agentibus molesti fuerunt, ipso viæ labore æstum augente.*

diuersus à fratre S. Basilij, de quo 9. Ian.

Petrus porrò prænominatus, quem respectu posterioris sub Theodosio ad Episcopatum euecti, Primum possumus appellare, S. Blasij, cuius Acta III *Februarij dedimus, fuit successor: de eoque Quadraginta Martyrum Passio ex Ioannis Diaconi versione num.* 19 *hæc habet:* Transactis itaque diebus tribus, postquàm cineres almi in fluuium sunt deiecti, reuelatum est beatissimo Petro eiusdem vrbis Episcopo, vt iret, & sancta illa pignora exinde studiosissimè reuelaret. E Qui nihil de visione hæsitans, congregatis Clericis religiosisque viris ad ripam peruenit fluminis. Mira res: vbicumque ex ipsis reliquijs iacebat, ita coruscabat, ac si clarum lumen fuisset. Quas curiosissimè colligentes in præparatis loculis summâ cum veneratione recondiderunt. *Similia, sed nomine Petri non expresso, habent Acta eorumdem Latina, in quibus* Dei cultor *cognominatur. In ijs quæ suprà ex testimonio Iacobi Episcopi Armeni retulimus, inque Actis sub Metaphrastæ nomine vulgatis,* Petrus *appellatur: ei successisse videtur.* Eulogius, *siue* Eulalius, *qui anno* CCCXXV *Concilio Nicæno primo interfuit.*

collegit reliquias 40 Mart.

DE S. MELITONE ET SOCIO MARTYRIBVS, VENETIIS.

X MARTII



Nno millesimo sexcentesimo sexagesimo Venetijs aliquot diebus subsistentes, inter alia pia loca inuisimus templum S. Lazari in Ptochotrophio, seu Piâ domo Mendicantium, sub directione venerabilium Sacerdotum Somaschensis Sodalitatis: ibique prope aram S. Sebastiani reperimus varias Sanctorum Reliquias, in ligneâ arcâ inauratâ & intrinsecus præclarè exornatâ honorificè collocatas, & aptis loculamentis in perlucenti crystallo, vt spectari & debitâ honorari veneratione possint, reconditas. C *Nec procul inde appensam legimus bullam Ioannis Francisci Mauroceni Patriarchæ Venetiarum, Dalmatiæque Primatis, quâ dictæ reliquiæ vt legitimæ approbantur. Hanc bullam nobis curauit describi Petrus Maurus Somaschensis Sodalitatis Sacerdos, & dicti Ptochotrophij Rector, ac suâ manu attestatus est post recognitionem & approbationem in bullâ annotatam, dictas Reliquias ad aram S. Sebastiani fuisse delatas mense Ianuario anni* MDCLIII. *Testatus item de ijs Sanctis, quorum insignes ibidem reliquiæ sunt, Officium ritu duplici diebus in Martyrologio annotatis celebrari.*

Venetijs in templo S. Lazari.

2 *Inter has Reliquias, vti in Bullâ Patriarchæ exprimitur, est* Corpus S. Melitonis vnius ex Quadraginta Martyribus, *&* brachium alterius ex Quadraginta Martyribus, Quæ reliquiæ *cum alijs variorum Sanctorum* ex Antiochiâ seu Bithyniâ, Natoliâ nuncupatâ, aliàs translatæ, per Dominum Nicolaum Orlandum mercatorem & coniunctum Domini Vincentij de Busis, concessæ fuerunt Domino Dominico Biauæ per hæredes Domini Ioannis Baptistæ Combi: qui Dominus Combi dictas reliquias, anteà depositas in sacristiâ interiori ecclesiæ venerabilium monialium S. Mariæ in Cælestibus, Venetijs, vbi cum alijs Reliquijs honorabantur; posteà verò ab ipsâ sacristiâ translatas ad chorum venerabilium monialium sanctissimi sepulchri Venetijs, de licentiâ Domini Ioannis Theupoli Patriarchæ die IX Februarij anni MDCXXVIII, habuit à dicto Vincentio Busis deponente, & F vsque ad mortem custodiuit deuotè in capellâ magnificè constructâ in propriæ habitationis domo: *quam ipsi etiam lustrauimus à Domino Ioanne la Noue, dicti Combi genero, beneuolè excepti: à quo & alijs hæredibus ex voluntate D. Combi dictæ Reliquiæ donatæ fuerunt memorato templo S. Lazari. Vbi hoc die Officium Ecclesiasticum de ijs ritu duplici celebrari ibidem intelleximus.*

corpus S. Melitonis & brachium socij, adseruantur:

3 *Haud tamen satis persuasum est nobis* S. Melitonem Martyrem eiusque socium, *quorum ibi* Corpus & brachium *adseruantur, eos esse, qui inter* XL Martyres Sebastenos *numerantur. Nam corpora illa* XL *Martyrum igni iniecta fuêre & in cineres redacta. Errore communi quæsitum nomen* Melitonis *in Martyrologijs, cùmque aliud nullum inueniretur, creditum est debere illius esse* Melitonis corpus. *Idem in S. Gorgonio factum, cuius corpus Româ ad vrbem Turonensem translatum est, vt dicetur infrà* XI *Martij.*

sed non videntur esse ex 40 Sebastenis Martyribus.

DE SS. GORGONIO PALATINO ET FIRMO, SIVE FIRMINO

MARTYRIBVS NICÆÆ IN BITHINIA.

Commentarius historicus.

X MARTII. 1 Elebratur horum Sanctorum Sacra memoria in pluribus Martyrologijs ob suam antiquitatem æstimandis, qualia sunt Martyrologium S.Hieronymi Parisijs & Lucæ excusa, item MSS. eiusdem S.Hieronymi, quorum aliud apud nos adseruatur ante mille propè annos exaratum, aliud apud Henricum Iulium Blumium extat. Item Martyrologia MSS. monasterij Casinensis charactere Longobardico: Romana, aliud ecclesiæ S.Petri in Vaticano, aliud Ducis Altempsiani, aliud Bibliothecæ Vallicellanæ Patrum Congregationis Oratorij, quod olim fuit monasterij S. Cyriaci, quo plurimùm vsus est Baronius in ordinando Martyrologio Romano: Item MSS. Reginæ Sueciæ, & Corbeiense, quorum priore vsi sumus Romæ, posteriore Parisijs in monasterio S. Germani de Pratis. In his Martyrologijs ista leguntur: VI Idus Martij, In Nicæâ Gorgonij Palatini, & Firmi. Loco Gorgoni etiam Gurgonij, & semel Golgoni legitur, vti & semel pro Nicæâ scribitur Niceria. Ast omisso Firmo, legitur in MS. monasterij Richenaugiensis, siue Augiæ-diuitis prope Constantiam: In Nicæâ Gorgonij Palatini. At contrà prætermisso Palatino, ista sunt in MS. Vaticano charactere Longobardico, codice 5949. In Nicæâ SS. Gorgonij & Firmini. Verùm in MS. Augustano monasterij S. Vdalrici & Parisiensi Labbæi nostri: Niciâ Gorgonij, Firmi. Non indicatâ etiam palæstrâ, martyrij, referuntur SS. Gorgonius & Firmus Martyres in MSS. Leodiensi S. Lamberti & Aquisgranensi, vtroque sub nomine Bedæ: item in MSS. Romano Ferdinandi Vghelli, Parisiensi S. Victoris, Rotomagensi V. CL. Bigotij, Bruxellensi S. Gudilæ, Aquicinctino & alijs diuersis sub nomine Vsuardi: demum in Florario MS. & Martyrologijs Coloniæ & Lubecæ anno MCCCCXC excusis. Ita etiam SS. Gorgonius & Firminus leguntur in MS. Pleschionensi, quo Neapoli charactere Longobardico vsi sumus in bibliothecâ Clericorum Regularium, & Vsuardo Reginæ Sueciæ: in cuius Reginæ altero codice MS sub nomine Adonis solus Gorgonius memoratur. Hactenus Martyrologia antiqua, in quorum alijs cùm legatur Palatini nomen, ab alijs omissum, nos S. Gorgonio instar appellatiui illud adiungimus, quod monere voluimus Lectorem, maximè quia alius Palatinus inter Martyres Nicomedienses hoc die colitur. Florentinus potiùs nomen Martyris, quàm dignitatis esse arbitratur.

Nomen horum in antiquis Martyrologijs X Martij.

B

C

2 Relatis hisce Martyribus immediatè in pluribus iam adductis Fastis subiungitur: In Antiochiâ Agapæ Virginis. At loco Antiochiæ legit Galesinius nomen Antonij, & citatis in Notis vetustis Martyrologijs manu exaratis sic scribit: Nicææ in Bithyniâ beatorum Martyrum Gorgonij, Firmi, Antonij & Agapæ Virginis. Citato Galesinio, eoque solo ista scribit in Catalogo generali Ferrarius: Nicææ in Bithyniâ sanctorum Martyrum Antonij & Agapæ Virginis. Omittit Gorgonium & Firmum, quod de ijs arbitretur agi in Martyrologio Romano die proximè sequenti, vti iam dicemus. Reliqua de Antonio loco Antiochiæ intruso clariùs infrà patebunt, cùm de Agapâ ibidem passâ agemus.

perperàm ijs adiuncti Antonius & Agapa.

3 Iterum XI Martij ijdem Martyres referuntur, ac primò in Martyrologio Richenouiensi, in quo diximus hoc die legi, In Nicæâ Gorgonij Palatini, tunc ista habentur: In Nicæâ Gorgonij & Firmi. Alibi omissâ vrbe Nicæâ memorantur. Ita MS. Casinense, aliud à suprà allegato, sed charactere etiam Longobardico exaratum: Natale S. Gorgonij Martyris & S. Firmini Martyris. At Bellinus, Maurolycus, Molanus, Canisius, & cum ijs hodiernum Martyrologium Romanum ista tradunt: Item Sanctorum Gorgonij & Firmi. Solius Gorgonij Martyris mentio fit in MS. Treuirensi S. Martini. Ast ambo in alijs etiam Martyrologijs iunguntur Martyribus alibi passis. Martyrologium S. Hieronymi Parisijs excusum: In Nicomediâ Eunuculi, Euchi. Et Gurgoini, Firmi, Pauli, Fortunati. Vbi per copulam Et videtur alibi notari. In MS. nostro eiusdem S. Hieronymi ita legitur: In Nicomediâ Eunuchi. Et Gorgonij, Firmi, Agapiti. Hisce Notkerus ferè consentit, dum ista profert: In Nicomediâ Eunici. Et Gorgonij, Firmi. Et Agapiti. In his Agapitus videtur loco S. Agapæ collocatus, quòd hæc, vt infrà patebit, SS. Gorgonio & Firmo in pluribus Martyrologijs sit substituta, & Agapita etiam appelletur. Denique MSS. Tornacense S. Martini & Latiense omisso Firmo, & Eunuculo & Eucho, siue Eunucho aut Eunico, nihilominus Nicomediæ adscribit Gorgonium adduntque Eraclium & Alexandrum, quos illo die Carthagine passos dicemus. Est interim Martyr Nicomediensis, alius Gorgonius, qui S. Petro cubiculario Diocletiani & alijs Martyribus Nicomediensibus reperitur in varijs Martyrologijs adscriptus ad diem XII Martij, vnde facilè ad diem præcedentem potuit nonnullis Martyrologijs insertus esse, maximè cùm idem Martyr Nicomediensis Gorgonius eodem XI Martij solitus fuerit solenni Officio Ecclesiastico coli in Ecclesiâ Mindensi ob Reliquiarum eius aduentum. Inscriptus est dictus Gorgonius cum S. Dorotheo Martyrologio Romano alijsque antiquis ad diem IX Septembris. De Hispanis, qui in suâ regione SS. Gorgonium & Firmum vnà cum SS. Antonio & Agapâ passos dicunt, mox in Commentario de S. Agapâ agemus.

Memoria SS. Gorgonij & Firmi XI Mart.

E

quibus etiam alij iuncti.

Alius Gorgonius Nicomedia passus.

F

DE SS. AGAPA ET MARIANA, SIVE MARINA

VIRGINIBVS ET MARTYRIBVS ANTIOCHIÆ

Synopsis historica.

X MARTII 1 Artyrologiorum verba proferimus, vt nihil Sanctorum venerationi, aut scriptorum auctoritati detrahatur. Ac primò Martyrologia MSS. Casinense, Vaticanum S.Petri, Altempsianum, S.Cyriaci, Augustanum, Parisiense, & Reginæ Sueciæ, de quibus iam egimus, post relatos Martyres Nicææ passos Gorgonium & Firmum, immediatè addunt: In Antiochiâ S. Agapæ Virginis: quam ineptè adiunxit Galesinius dictis Nicænis Martyribus, pro vrbe Antiochiâ assumpto Antonio, quasi is vnà passus fuisset: sed reijcimus, quem consensus Martyrologiorum non admittit: quorum aliqua, vti MSS Leodiense S. Lamberti, Coloniense Carmelitarum, MS. Vsuardus Cluniacensis & alius Reginæ Sueciæ omisso loco

seorsim à Nicænis Martyribus celebratur S. Agapa Antiochiæ passa.

A *loco celebrant solum* S. Agapam Virginem. *Ante dictos Martyres Nicænos hæc celebratur in MS. Romano Vaticano num.* 5949, *Neapolitano Clericorum Regularium, vtroque charactere Longobardico his verbis:* In Antiochiâ S. Agathæ Virginis. In Nicæâ S. Gorgonij & Firmini.

2 *In Martyrol. Hieronymi Lucensi & Blumiano, relatis eisdem Martyribus Nicænis, adiungitur:* In Antiochiâ S. Agapæ Virginis & Marianæ. *At loco huius in MS. nostro, quod etiam est S. Hieronymi, legitur:* & Marcianis. *In excuso Parisijs, etiam S. Hieronymi, ita habetur:* In Antiochiâ S. Agapæ Virginis & Martyris. Mariani. *At* Marini *legitur in MS. Richenouiensi. Verùm cum prioribus apographis Rabanus & Beda excusus, vti MSS. Lætiense & Tornacense S. Martini ita tradunt:* In Antiochiâ natalis S. Agapæ Virginis & Marianæ. *At* Marinæ *habet Notkerus. MS. Coloniense S. Mariæ ad Gradus:* In Antiochiâ Agapæ & Maurinæ Virginum. *Ita inscribitur* Marina Virgo *Calendario antiqui Breuiarij MS. quod penes nos est. Hermannus Greuen in Auctario Vsuardi meminit sub nomine* Agapitæ Virginis & Marinæ Virginis. *Denique* S. Agapa, *sed alijs Sanctis Martyribus huius diei immista in MSS. Treuirensibus S. Martini & S. Maximini & Aquisgranensi colitur. Vtramque*, Agapam & Marianam *Menologio sacrarum Virginum inscripsit Laherius noster.*

& Mariana,

siue Marinæ

B

3 *Die proximâ sequenti, siue* XI *Martij MS. Centulense, siue S. Richarij*, S. Agapen Virginem Antiochiæ *celebrat. MS. Bruxellense S. Gudilæ:* Et in Antiochiâ Agapæ Virginis & Marinæ. *At in MS. Aquicinctino, in quo hoc die* Antiochiæ *adscribebatur* Agapa, *proximo, siue* XI *die iterum, quasi de aliâ, mentio fit* SS. Agapitæ & Marinæ Virginum. *Quo etiam die post* SS. Gorgonium & Firmum *in MS. sub nomine S. Hieronymi, & apud Notkerum refertur nomen* Agapiti, *pro quo* Agapita, *siue potiùs* Agapa, *legi debere videtur. Memoria* S. Agapis *facta est* XXV *Ianuarij in Martyrologio Romano, cui assignantur socij* SS. Donatus & Sabinus. *Alia* Agape Virgo & Martyr *colitur Interamnæ in Vmbriâ* XV *Februarij; alia cum* XXVIII *socijs relata est* XVII *Februarij. Aliæ huius nominis Sanctæ postmodum proferentur, ex quibus celebrior est* S. Agape, *socia* S. Chioniæ, III *Aprilis Thessalonicæ passa. Duas etiam hactenùs produximus* Marinas *Martyres, singulas in magno Martyrum comitatu, alteram* XXVII *Ianuarij in Africâ, alteram* XXII *Februarij Nicomediæ passam: aliæ in posterum referendæ occurrent.*

relata etiam XI *Martij:*

aliæ SS. Agapæ & Marinæ:

4 *Huc reieci controuersiam ab Hispanis motam post edita Fragmenta, siue Aduersaria sub nomine Luitprandi siue Eutrandi: in quorum editione Madritensi num.* 67, *& Antuerpiensi num.* 75 *ista habentur:* In Asturibus Hispaniæ vrbe Britoniâ, sanctorum Martyrum Gorgonij, Firmi, Antonij & Agapis Virginis, natorum in Nicæâ Bithyniæ, casu ad Hispaniam delatorum, in persecutione crudelissimi Decij, qui decimo Martij per varios & terribiles cruciatus palmam martyrij tandem consecuti sunt. *Hæc ibi. Occasio huius assertionis, ne dicam figmenti, arrepta est, partim ex Bellino, Maurolyco, Molano referentibus die* XI *Martij cum Martyrol. Romano* SS. Gorgonium & Firmum Martyres, *nullo addito martyrij loco; partim ex Galesinio ijs adiungente* Antonium & Agapam Virginem *&* Nicææ *adscribente.*

eædes SS. Agapæ, Gorgonij, Firmi & Antonij Hispaniæ afficta.

C

D *Verùm contra vnum Galesinium*, S. Agapam Virginem *separandam, atque* Antiochiæ, *vbi passa est, adscribendam esse persuadent suprà indicata Martyrologia suprà viginti antiqua, tam manu exarata, quàm typis cusa: in quorum varijs socia martyrij assignatur* S. Mariana *aut* Marina Virgo. *At nusquam vel vmbra alicuius* Antonij *apparet, quod nomen vitio & negligentiâ amanuensium in locum vrbis* Antiochiæ *irrepsit. His non obstantibus Tamaius Salazar cum aliquâ textus Luitprandi correctione ita inscripsit Martyrologio Hispanico ad diem* X *Martij:* Britoniæ in Asturibus Hispaniæ, SS. Gorgonius, Firmus: Antonius & Agapis Virgo, qui ex Nicæâ Bithyniæ illò delati in persecutione Decij Imperatoris pro Christi gloriâ martyrio coronantur. *Arguit dein errorem Luitprandi in impressione Ramir*[illegible] *sed qui etiam in editione Tamaij de Vargas reperitur*, & restituendus locus *asseritur, si solum* corpora sacra Britoniam *ferantur* delata, *ac ipsi* Martyres Nicææ coronati. *Coluntur* II *Martij SS. Lucius Episcopus & alij Martyres Cæsareæ in Cappadociâ occisi, &* XX *Martij S. Martinus Episcopus Dumiensis, qui in eisdem Fragmentis aut Aduersarijs dicuntur Episcopi Britonienses, vbi* errare Luitprandum, aut glossema infertum Mentiri *asserit Tamaius Salazar suprà ad Acta S. Lucij* II *Martij citatus. Quæ, ob hactenus à nobis allata, de totâ assertione Luitprando afflictâ dici possent. Alia asserit Higuera apud Tamaium in Martyrologio Hispanico his verbis:* Noeglæ in Bœticâ, vt aliquorum est opinio, Noëgæ Vlecæ in Asturibus, corpora ex Nicæâ Bithyniæ delata Sanctorum Martyrum Gorgonij, Firmi, Antonij & Agapes Virginis in pace quiescunt. *Sed* erraffe Higueram *addit Tamaius.* E

5 *Arturus du Monstier sacro Gynecæo* S. Agapam Virginem & Martyrem, Nicææ passam *inscripsit cum hac annotatione:* Illius meminerunt Menologium Græcorum, Galesinius in suo Martyrologio & Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum. Passa est cum sanctis Martyribus Antonio, Gorgonio & Firmo, de quibus in Martyrologio Romano die sequenti anno CCLIII. Quorum corpora Britoniam in Asturibus Hispaniæ translata fuisse scribit Ioannes Tamaio in Martyrologio Hispano hac die. *Hæc omnia absque delectu, sed non absque mendis Arturus: ac primò pro his citat* Menologium Græcorum, *forsan ex præcipitanti lectione Ferrarij abductus, qui annotauit* Galesinium à Græcis accepisse *: sed ipse Galesinius consulendus erat, qui* Martyrologia vetusta manu exarata *allegat. Secundò profert Galesinium, quem poterat fateri ducem errorum suorum. Quidni potiùs secutus est Rabanum, Notkerum, Bedæ exemplaria excusa, Hermannum Greuenum, quibus quàm plurima antiqua Martyrologia MSS. consentiunt, & cum* Agapâ *acquisiuisset alteram suo Gynecæo inserendam,* Marianam *scilicet, siue* Marinam, *& didicisset* Antiochiæ, *non* Nicææ *passas. Præterea* Gorgonius & Firmus *solùm inscripti sunt Martyrologio Romano, non* Antonius, *quem illis præponit à Galesinio loco vrbis* Antiochiæ *insertum. De corporum translatione in Hispaniam, glossema Ioannis Tamaij arbitramur. Quæ de anno martyrij dicuntur nihil nisi figmentum est commentatoris Aduersariorum Luitprandi.* F

& perperàm in Gynecæo sacro exposita

DE S. MARCIANO MARTYRE

X MARTII

MVltos diebus varijs Marcianos Latinorum fasti & Græcorum celebrant: sed cui idem genus mortis Martyrij coronam dederit omninò nullum: itaque eum hic tamquam singularem damus ex Meneorum Græcorum fide, vnde & Maximus Cytheræus accepit, quem & in MS. Petri Francisci Chiffletij nostri Synaxario ijsdem plane verbis reperimus: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος μαρκιανὸς ξύλον θλασθεὶς τελειοῦται. Eodem die S. Marcianus lignis seu fustibus contusus consummatur. *Tempus & locus certaminis in obscuro latent.*

DE SAN-

DE SANCTIS XLII MARTYRIBVS
IN PERSIDE,

X MARTII 1  *Agnus omnium penè Latinorum consensu est in Sanctorum horum Martyrum Natali die ad* X *Martij assignando, at nulla temporis aut urbis seu prouinciæ peculiaris, persecutionis, aut vllius nominis notitia suggeritur. Ista vbique ferè indicantur:* In Perside natale sanctorum Martyrum numero quadraginta duorum. *Ita Vsuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Vetus Romanum Rosweydi & hodiernum Baronij, cum Martyrologijs MSS. plurimis. In Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excuso dicuntur* Martyres XLVII, *contrà in MS. nostro* Martyres XXII, *at rectius cum alijs in Lucensi & Blumiano eiusdem S. Hieronymi scribuntur* Martyres XLII. *consentit Florus. MS. in supplemento Bedæ, & passim alij. De varijs in Perside motis persecutionibus sæpius egimus, & ipsam Assyriam Regibus Persarum subiectam sub Perside comprehendi dictum est* XXI *Ianuarij ad Vitam S. Anastasij Persæ. VVandelbertus hoc eos distichò olim laudauit:*

Sancti adscripti fastis sacris.

B


Quadragena & bina cohæret turba cruore,
Quos pariter sæuâ celebramus Perside cæsos.

2 *Antiqui codices MSS. dictorum Martyrologiorum liberant nos aliquo quo angebamur scrupulo, ne hi* XLII *Martyres forent, ijdem, qui à nobis suprà ad diem* VI *relati sunt, Amorij capti & in Syriâ occisi. Sunt etenim numero etiam* XLII *Martyres, apud Græcos valdè celebres, Latinis antiquioribus ferè ignoti, à Molano inserti additionibus suis ad Vsuardum. Secuti Galesinius ac Baronius, qui vt diuersos ad istum & hunc diem inscripsit Martyrologio Romano: & rectè, cùm Amoriani Martyres sint à Saracenis occisi circa annum* DCCCLXI, *ante quod tempus integro seculo & ampliùs exaratum est apographum nostrum S. Hieronymi, vt sæpius indicauimus.*

diuersi à 42 Amorij captis, & in Syriâ occisis.

D

DE SS. PALATINO, FIRMIANO, ET RVSTICO
MARTYRIBVS NICOMEDIÆ.

X MARTII  N *Martyrologio S. Hieronymi post relatos Martyres Persas, subduntur tres Nicomedienses, de quibus agitur ita in Lucensi.* In Nicomediâ Palatini, Firmiani & Rustici. *In MS. codice quem penès nos habemus, legitur* Firmani: *quo omisso, ita legitur in Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excuso:* In Nicomediâ Palatini, Rustici, Pionis. *Verùm primam lectionem confirmant Martyrologia Rabani & Bedæ excusi:* In Nicomediâ Palatini, Firmiani & Rustici. *Quibus adiungitur* Martyrum *in MS. Richebergensi, & apud Galesinium & Ferrarium. MS. Tornacense S. Martini:* In Nicomediâ Firmiani & Palatini. *In MS. Aquisgranensi & Blumiano solus* Palatinus *est, qui apud Greuenum in Auctario Vsuardi* Palastinus *scribitur. Hoc eodem die in citatis Martyrologijs S. Hieronymi, codicibus & alijs antiquis MSS. referuntur* in Nicæâ passi Gorgonius Palatinus & Firmus. *Ita etiam* XXII *Februarij dedimus* XXXII *Martyres Nicomedienses suis nominibus indicatos, quorum primus & reliquorum Antesignanus est* Euterius Palatinus, *quasi is ita appellatus esset, quòd in palatio militaret, aut militiæ Palatinæ esset adscriptus, quod etiam de dicto Gorgonio statuimus, si fortè aliqua huius nominis esset repetitio facta. Interim hunc* Nicomediensem Palatinum *proprio nomine ita appellatum arbitramur, quòd reliquis aut præponatur, aut particulâ coniunctiuâ* Et, *vt distinctus athleta, in societatem aliorum duorum admittatur.*

Nomina in Martyrologijs.

Alij Palatini cognominati.

Qui loco Firmiani *in Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excuso suppositus est* Pion, *à nobis omittitur, quòd à* Pione *seu* Phione Smyrnæo, *in eodem Martyrologio ad hunc diem & iterùm ad* XII *Martij relato, non videatur alius statuendus, vitio amanuensium hisce adscriptus.*

an adiungendus Pion?

Iterùm XI *Martij* Rusticus & Palatinus *referuntur in MS. Leodiensi S. Lamberti, & ijs adiunctus* Firmianus *in MS. antiquo S. Maximini.*

cultus II. *Martij.*

DE S. VICTORE
MRTYRE IN AFRICA.

X MARTII 1  *Ossidius S. Augustini discipulus, à cuius erudito calamo habemus Vitam eius præclarè scriptam, confecit Indiculum librorum à S. Augustino conscriptorum, in cuius capite vltimo indicat Sermones eius & quidem de varijs Sanctis elucubratos, vbi inter alios titulos hunc proponit:* De Natali S. Victoris & de versu Psalmi centesimi decimi quinti, Pretiosa in conspectu Domini. *Quis hic Sanctus fuerit, hactenus ignoratur. Dedimus in Ianuario nouem Sanctos, nomine S. Victoris, in Africâ passos, duos in Februario, multos alijs decem mensibus daturi, præter illos qui Victorij aut Victorini appellantur: ast hactenus non reperimus vllos antiquos Martyrologos, qui hunc S. Augustini sermonem allegarent. In hodierno Martyrologio Romano, vt nomen & memoria eius non periret, adscriptus est ad hunc diem* X *Martij his verbis:* In Africâ S. Victoris Martyris, in cuius solennitate S. Augustinus ad populum tractatum habuit.

Memoria ex S. Augustino

in Martyrologio Romano.

2 *Masinus in Bononiâ perlustratâ assignat duas ecclesias vrbis Bononiensis, in quibus hoc die aliqua S. Victoris memoria recolitur, quòd S. Victoris, (huius an alterius non explicat) reliquiæ nonnullæ adseruentur. Harum prior ecclesia appellatur* S. Mariæ de Gratiâ, *quæ vulgò appellatur* ecclesia Scholarium, *quòd hi isthic soleant conuenire, antequàm studia sua auspicentur: & est anno* MCCCCLVI *assignata Patribus Fesulanæ Congregationis. Altera ecclesia est Fratrum Conuentualium S. Francisci, in quâ ipsi conspeximus plurimas Sanctorum reliquias eximiè exornatas.*

An huius reliquiæ Bononiæ.

DE S. MA-

DE S. MACARIO
EPISCOPO HIEROSOLYMORVM,
Commentarius historicus.

§ I Tempus Sedis. Fides orthodoxa contra Arium propugnata.

CIRCA ANNVM CCCXXXV X MARTII

1 

SAnctissimus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus Macarius hoc die proponitur in fastis Martyrologij Romani, qui quamplurimos pro Ecclesiâ Dei, contra Arium eiusq; asseclas propugnandâ, labores sustinuit, & victor contra hæreses vexilla triumphalia in varijs templis Hierosolymis, suâ cooperatione à Constantino Magno Imperatore eiusque matre S. Helenâ extructis, appendit. Eusebius Pamphilus, qui eius tempore vixit, in Chronico assignat initium Episcopatus sub Consulibus Volusiano & Anniano, is est annus Christi CCCXIV, quo itidem anno S. Siluester Papa Romanus Pontificatum suscepit Kalendis Februarij, de B quo etiam ante ipsos Consules, vt citiùs more Orientalium incipiebat annum, egerat Eusebius, ac dein subiunxit Ἱεροσολυμῶν λθ' κατέστη ἐπίσκοπος Μακάριος. Hierosolymarum trigesimus nonus constituitur Episcopus Macarius. Consentit huic nostro calculo Theodoretus lib. 1 Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3 his verbis: Eodem tempore Siluester Romanæ Ecclesiæ gubernaculum tenuit, successor Melchiadis... Episcopatus verò Hierosolymorum post Hermonam delatus fuit Macario, qui ob beatam viuendi rationem, & multiplicia bona, quibus exornatus fuit, verè nomini suo respondit; scilicet vt Macarius siue Beatus, diceretur.

Creatur Episcopus anno 314.

ob virtutes meritò Macarius dictus.

2 Pullulabat eo tempore hæresis Ariana, paullò antè ex Meletij Ægyptij Episcopi factione exorta: quæ maximè innotuit, vt Idatius scribit, Gallieno & Basso Consulibus, siue anno Christi CCCXVII, quando S. Alexander Episcopus Alexandrinus, concilio habito, Arium pertinacem cùm asseclis vrbe expulit, scriptis eâ de re ad varios Episcopos septuaginta epistolis, atque vt asserit S. Epiphanius hæresi 69, scripsit inter alias ad Eusebium Cæsareæ Episcopum, qui adhuc supererat, & ad Macarium Hierosolymorum... & alios. Ast Arius scriptis ad omnes Episcopos litteris, ab omnibus passim exclusus, præterquàm à fautoribus suis suscipiebatur: quorum princeps erat Eusebius, grandi admodùm natu Episcopus Nicomediensis. Ad hunc scripsit Arius epistolam relatam à Theodoreto dicto lib. 1 cap. 5, cui hîc addit, aduersarios ab illo vocatos Philogonium Antiochiæ Præsidem, & Hellanicum Tripolis, & Hierosolymorum Macarium: C hosque falsò in crimen adductos propterea quòd Filium Dei, cùm æternum & ante secula esse dixerunt, tum eiusdem cum Patre honoris participem & ei consubstantialem esse. Hoc patrocinium S. Macarij laudat S. Athanasius Episcopus Alexandrinus disputatione primâ contra Arianos, vbi de illo & alijs orthodoxis Episcopis asserit sincera & simplicia Apostolicorum virorum ingenia esse. Ea optimè potuit agnouisse in Concilio Oecumenico Nicææ anno CCCXXV habito: vbi inter Episcopos Palestinæ primus subscripsit Macarius Hierosolymitanus. De ordine quo sedit inter alios præcipuos Episcopos, coniecturam suam profert Bellarminus lib. 1 de Concilijs cap. 19. In Catalogo sanctorum Episcoporum, per quos sancta magna & vniuersalis Synodus Nicææ coacta misit omnibus in toto orbe terrarum Ecclesijs, ea quæ ab ipsis per Spiritum sanctum in eâ constituta sunt, post Hosium Pontificis Romani Legatum & Alexandrum Alexandriæ Episcopum, tertio loco scribit Macarius Hierosolymorum cum Eusebio Pamphili Episcopo Cæsareæ Palestinæ, Ecclesijs in Palæstinâ, Arabiâ & Phoenicia, vti eâ leguntur paginâ 471 & sequenti in editione regiâ. Damnata est in eâ Synodo hæresis Arij, & de Paschate celebrando alijsque rebus controuersia dirempta: inter quas fuit de præeminentiâ Sedium Alexandrinæ & Antiochenæ canone sexto præscriptâ, & quæ dein canone septimo de Sede Hierosolymitanâ adduntur his verbis: Quia consuetudo obtinuit & antiqua traditio, vt Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, saluâ Metropoli propriâ dignitate. Erat Metropolis Cæsarea Palæstinæ, cuius Episcopus Eusebius cum S. Macario memoratur in suprà relato Catalogo Episcoporum. Verùm honos ex antiquâ traditione debitus Sedi Hierosolymitanæ explicatur in epistolâ Synodali Concilij proximi Oecumenici Constantinopoli habiti ad Damasum Papam: in quâ E attentâ eius antiquitate, Mater Ecclesiarum habetur, ibidem à Christo Domino fundata.

Arij aduersarius,

inter Apostolicos viros habitus:

interest Concilio Nicæno

inter primos

damnat Arium,

honoratur cum æstimatione Sedis.

§ II Industria S. Macarij in extruendâ basilicâ Dominicæ Resurrectionis & in Inuentione crucis Christi. Tempus obitus; cultus sacer.

4 HIs in Nicænâ Synodo gestis Constantinus Imperator, vt in eius Vitâ scribit Eusebius lib. 3 cap. 25 & sequentibus, beatissimum Resurrectionis Dominicæ locum, qui est Hierosolymis, illustrem ac venerabilem cunctis efficere, sui officij esse existimauit, nec dubium, quin plurimùm à S. Macario incitatus, cui epistolam ab Eusebio cap. 30 relatam scripsit his verbis: Victor Constantinus Maximus Augustus Macario, tunc temporis, vt antè ibidem dictum, Episcopo Hierosolymorum. Tanta est Seruatoris nostri gratia, vt nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimæ illius passionis monumentum, sub terrâ iampridem occultatum, tot annorum spatio delituisse, quoad communi omnium hoste sublato, famulis eius in libertatem vindicatis affulgeret, omnem reuerà admirationem superat. Nam tametsi omnes, quotquot vbique terrarum sapientes habentur, in vnum coacti, aliquid pro huius rei dignitate dicere instituerint; ne ad minimam quidem eius partem aspirare posse mihi videntur. Quippe huius miraculi fides omnem humanæ rationis capacem naturam tantùm excedit, quantùm humanis diuina præcellunt. Quocirca hîc vnus mihi ac præcipuus semper est scopus, vt, quemadmodùm veritatis fides nouis quotidie miraculis inclarescit, sic etiam mentes omnium nostrum ad sanctissimæ legis obseruantiam cum omni modestiâ & concordi alacritate incitentur. Quod quoniam omnibus perspectissimum esse confido, illud tibi inprimis persuasum velim, nihil mihi antiquius esse, quàm vt sacrum illum locum, quem Dei iussu turpissimâ adiectione simulacri, velut graui quodam pondere, exonerans, & qui ab initio quidem Dei iudicio sanctus fuit, posteà verò multò sanctior effectus est, ex quo Dominicæ passionis fidem in luce protulit, eum, inquam, locum fabricarum pulchritudine exornemus. Decet itaque prudentiam tuam singula ad opus necessaria ita disponere & curare, vt non modò basilica ipsa omnium, quæ vbique sunt, pulcherrima, sed & reliqua membra eiusmodi

In epistolâ Constantini Imperatoris ipsi scriptâ,

F

constituitur architectus basilicæ Resurrectionis Dominicæ extruendæ:

A modi sint, vt omnes quantumuis eximiæ singularum vrbium fabricæ, ab hac vnâ facilè superentur. Ac de parietum quidem substrictione & elegantiâ Draciliano amico nostro, agenti vices Præfectorum Prætorio, & Præsidi prouinciæ, scias à me curam esse demandatam. Iussit siquidem pietas nostra, vt artifices & operarij, & quæcumque ad hoc opus necessaria esse, ex prudentiâ tuâ cognouerint, protinùs instante illorum solicitudine dirigantur. De columnis verò & marmoribus, quæcumque & pretiosiora & vtiliora esse ipsius aspectu iudicaueris, cura, vt ad nos perscribas: vt, cùm ex litteris tuis cognouerimus, quot & qualibus opus sit, ex vndequaque possint comparari. Æquius est enim, vt qui præ totius orbis locis maximè admirabilis est locus, pro dignitate suâ exornetur. Porrò cameram basilicæ, vtrùm laqueatam, an alio quopiam operis genere faciendam censeas, certior à te fieri velim. Nam si laqueata fiet, auro quoque poterit exornari. Restat igitur, vt sanctitas tua suprà memoratis Iudicibus quamprimùm significet, quot operarijs & artificibus & sumptibus opus erit: vsque ad me celeriter referat, non modò de marmoribus & columnis, sed etiam de lacunaribus, si hoc opus venustius esse censueris. Diuinitas te seruet, frater carissime.

B 4 *Addit Eusebius cap.* 33. Et hæc quidem ab Imperatore scripta sunt. Ceterum effectus verba ipsa statim subsecutus est, & in ipso Seruatoris nostri Martyrio noua fabricata est Hierusalem, ex aduerso veteris illius celeberrimæ, quæ post nefariam Domini cædem, vltimam vastitatem experta, pro incolarum impietate pœnas persoluerat. Contra hanc igitur Imperator tropæum victoriæ, quam Seruator noster de morte retulerat, ambitioso cultu erexit. Atque hæc forsitan fuerit recens illa ac noua Hierusalem, Prophetarum vaticinijs prædicata, de quâ in sacris voluminibus tot præconia ab ipso diuino Spiritu pronunciata leguntur. Primùm igitur sacram illam speluncam, vtpote totius operis caput, exornauit diuinum scilicet monumentum: iuxta quod olim cælesti luce radians Angelus, regenerationem, quæ per Seruatorem ostendebatur, omnibus nuntiauerat. *Reliqua, quæ sequuntur de fabricâ templi, septem capita omittimus, quia ex dictis satis constat, ea omnia è prudentiâ S. Macarij Episcopi fuisse ordinata & ad debitam perfectionem deducta. Meminit & Socrates lib.* 1 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 13 epistolæ Constantini Magni scriptæ ad Macarium Episcopum vt ædificia maturet.

omnia ad effectum deducit

5 *Alterum eximiæ prudentiæ & caritatis documentum effulsit, quando S. Helena mater Constantini Magni Hierosolymam peregrinata, ab eodem Macario excepta, instructa & adiuta fuit, maximè in Crucis Christi inuentione. Nam tres cruces, vt ait Theodoretus lib.* 1 *cap.* 18, repertæ sunt. Quòd autem vna ex his Domini nostri & Seruatoris Iesu Christi crux fuit, reliquæ verò duæ latronum, qui pariter cum eo crucibus suffixi fuerant, ad vnum omnes sine controuersiâ crediderunt: sed tamen ignorarunt prorsus, quæ illarum corpus Domini sustinuisset, & guttis pretiosi Sanguinis eius aspersa fuisset. Ceterùm sapientissimus ille & planè diuinus Macarius, vrbis illius Antistes, tali viâ illorum animos dubitatione liberare aggressus est. Mulieri cuidam nobili, morbo diuturno oppressæ, vnumquamque crucem sigillatim, precibus ad Deum simul ardenter fusis, admouens, crucis Seruatoris virtutem facilè perspexit. Nam vt primùm ea mulieri adhibita fuit, illicò grauis ille morbus depulsus est, & ipsa ad integram valetudinem restituta. *Hæc ibi, quæ aliquot circumstantijs adiunctis ita enucleatiùs explicat Rufinus lib.* 10 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 7 *&* 8 Accidit, *inquiens*, in eadem vrbe primariam quamdam loci illius fœminam, graui ægritudine confectam, seminecem iacere. Macarius per idem tempus Ecclesiæ illius Episcopus erat: is vbi cunctantem Reginam atque omnes pariter, qui aderant, videt, Afferte huc, inquit totas, quæ repertæ sunt, cruces: & quæ sit, quæ portauerit Dominum, nunc nobis aperiet Deus. Et ingressus cum Reginâ pariter & populis, ad eam, quæ decumbebat; defixis genibus, huiuscemodi precem effudit. Tu Domine, qui per vnigenitum Filium tuum salutem generi humano per passionem crucis conferre dignatus es, & nunc in nouissimis temporibus adspirasti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit, ostende euidenter ex his tribus, quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterint ad seruile supplicium: vt hæc mulier, quæ semiuiua decumbit, statim, vt eam lignum salutare contigerit, à mortis ianuis reuocetur ad vitam. Et cùm hoc dixisset, adhibuit vnam ex tribus, & nihil profecit: adhibuit secundam, nec sic quidem aliquid actum est. Vt verò admouit tertiam, repentè apertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium receptâ, alacrior multò, quàm dum sana fuerat, totâ domo discurrere & magnificare Domini potentiam cœpit. Sic euidenti indicio Regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat, regiâ ambitione construxit. *Hæc Rufinus, quæ etiam narrantur à Socrate loco suprà indicato, Sozomeno lib.* 2 *cap.* 1, *Nicephero lib.* 8 *cap.* 29 *& alijs posterioribus.*

S. Helenam in inuentione Crucis Christi adiuuat,

C

D

ad sanat seminecem

E

6 *Nicephorus in suâ Chronologiâ annos* XX *Macario tribuit: sed numeri annorum in plerisque Hierosolymitanis Episcopis apud ipsum vitiati hoc loco fidem non merentur, nisi vtcumque eos saluari posse sequentium Pontificum verior chronologia doceret: nam Macarij successorem Maximum plusquàm* XX *annis sedisse demonstrat Baronius, alij* XXIII *ei concedunt: non vixit autem vltra principia anni* CCCLV, *vt ostendemus* XVIII *Martij ad S. Cyrillum successorem. Ergo vel annum* CCCXXXIII *vltimum habuit Macarius & cum primo Maximi anno communem; vel certè anno* CCCXXXIV *excessit è viuis, expletoque* XX *Episcopatus sui, alios item annos* XX *plenos successori Maximo reliquit. Eius nomen ad* X *diem Martyrologio Romano insertum est cum hoc elogio:* Hierosolymis S. Macarij Episcopi & Confessoris, cuius hortatu loca sancta à Constantino & Helenâ expurgata, & sacris basilicis illustrata sunt. *Quo etiam die hoc eum disticho exornat in Martyrologio Poëtico Brautius Episcopus Sarsina.*

vixit ad ann. circiter 335

inscriptus Martyrologio Romano,

Purgatas Solymas Præsul curauit, vt aris
Ornaret Magni Principis alma Parens.

DE S. KESSOGO EPISCOPO IN SCOTIA.

SECVLO VI X MARTII.

1 

D*Auid Camerarius lib.* 3 *de Scotorum pietate in Menologio ad hunc diem de S. Kessogo ista tradit:* Eodem die S. Makkessogus, qui & Kessogus dictus est, Confessor & Episcopus in Boina Scotiæ prouinciâ, miraculorum gloriâ celebris, qui cùm magnâ apud Congallum, Scotorum Regem hoc nomine secundum, esset in gratiâ, multa per eum gessit ad Dei gloriam, multaque publicum ad exemplum: multis etiam viris principibus auctor fuit concordiæ & pacis: Regemque adeò pietati addictum Scotis efformauit, vt is moderatione animi morumque probitate cum ipsis monachis decertasse videretur. Superis dedit Makkessogum Boina prouincia

Veneratio apud Scotos,

A uincia sub annum Christi DLX, anno Congalli Regis secundo. Agunt de S. Makkessogo Paslatensia Chronica & Aberdonense Breuiarium, quod ita de illo loquitur: Beatus Christi Confessor nobili natus familiâ à primæuâ ætate multis fertur claruisse miraculis *&c. Verum non satis fideliter verba Aberdonensis Breuiarij allegat*, *omissâ* origine ex Mamonensi ciuitate & Regum Hibernensium illustrium stemmate *quos* Momeniæ *Reges fuisse vix dubitamus: & prouinciæ nomen, cuius regia sedes Casselia erat, facili in eiusmodi traditionibus errore, acceptum pro nomine ciuitatis: nam* Mamonia *ciuitas in Hiberniâ nulla est. Dein in titulo huius Vitæ apponitur* annus DXX. *quo tempore Conradus successor Congalli primi & huius patruus statuitur à Leslæo & alijs regnasse. Thomas Dempsterus in Menologio itidem Scotico hoc eum elogio honorat:* In Leuiniâ Makkessagi Episcopi: cuius nomen à militibus operosè imploratur, & ipse militari habitu cum sagittis arcu tenso depingitur. *Est Leuiniâ aliter Lennoxiâ dicta, ad antiquæ Northumbriæ terminum, cuius oppidum Dumbritonium satis notum est. At procul inde in Boreali Scotiâ est Boina regio & Boinum castrum vltra Buthaniam prouinciam.*

& externos Martyrologos.

2 *Eiusdem Episcopi meminerunt alia Martyrologia: & his quidem MS. Florarium his verbis:* In Angliâ Kessegij Episcopi & Confessoris: *& alijs interpositis*, In Scotiâ B B.Bessogi Episcopi *&* Confessoris. *Martyrologium Coloniæ anno* MCCCCXC *excusum, vti & Doctrinale Clericorum eodem anno Lubecæ editum:* In Scotiâ S. Kessogi Episcopi & Confessoris. *Eadem habent Hermannus Greuen in Auctario Vsuardi, & Canisius in Martyrologio Germanico. Greuenus iterùm* XII *Martij asserit eum secundùm aliquos referri. Duos etiam recenset Ferrarius in Catalogo generali, dum illa habet:* In Scotiâ S. Kessogi Episcopi. In Leuiniâ regione S. Makkessagi Episcopi. *Pro primo citat Canisium, pro secundo Martyrologium Scoticum, scilicet Dempsteri cuius verba describit. Priorem videtur tribuere velle Hibernis: & mirum est, quòd à Colgano non referatur, cùm tamen ex Hiberniâ natus in Scotiam hodiernam dicatur venisse. Inscripsit Catalogo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ Henricus Fitz-Simon noster &* Bissogum *appellat. Quod subijcimus ex Breuiario Aberdonensi elogium, est initium maiorum Actorum, quæ perierunt: in quo* Kessogus *in titulo &* vulgò Makkessage *dici prænotatur.*

VITÆ INITIVM

Ex Breuiario Aberdonensi.

filius Regis in Hiberniâ vrbis Mamonensis,

1 Essogus Christi Confessor perspicuus, ex Mamonensi ciuitate, & Regum Hybernensium illustrium stemmate originem duxit & nomen: qui à suâ pueri- C tiâ, primæuæ ætatis exordio, virtutum miraculis claruisse legitur, ac multorum præsagijs varijs languoribus subsidio fuisse. D Pater siquidem eiusdem viri sancti dum prædictam ciuitatem regio diademate & sceptro vltrò regeret, caritatis & dilectionis amore, quem erga alios eiusdem patriæ conreges continuè habuerat, conuiuandi gratiâ eosdem ad secum epulandum incitauit & hortabatur apprimè, vt suos filios secum adducerent. Prædicti igitur Reges cum duobus suis filijs corpore satis pulcherrimis, quos indubitanter apprimè dilexerant, versus prædicti Regis ciuitatem sese disponebant: quos cum omni reuerentiâ & honore, ingenti triumpho & tubarum clangore, ac musicalium instrumentorum sonitu & strepitu regio, lætando recepit, & quàm amicabiliter traxit. Et cùm dicti Regum filij cum S. Kessogo adhuc iuuene iuxta quoddam stagnum solatiandi gratiâ pertransirent, mirabilis satis contigit euentus. Nam hi tres Regum filij soli adinuicem ambulantes, duo fortè fortunâ in stagno natantes demersi sunt, & Kessogus viuus euasit solus, qui singula patri secretè retulit. Audiens hæc quidam, Elinthus nomine, eiusdem ciuitatis ciuis, ne inter eiusmodi Reges maius malum inde oriretur, pertimuit: cupiens quantùm potuit, Regum de morte filiorum mitigare dolorem. E Tamen Beatum excusando Kessogum, totalem rei seriem & euentum eiusdem lamentabilem lacrymando eisdem Regibus nuntiauit. Qui cùm factum ipsum intelligerent, tanto furore affecti sunt, vt, si eorum filios viuos non haberent, quòd totam ipsius Mammoniæ Regis ciuitatem & regnum incendio & cladi pessimæ darent, solenniter vouerint. Beatus igitur Kessogus ne in ipsorum Regum, aut sui patris odio aliquo incideret, & de ipsius ciuitatis & regni sui patris per dictos Reges subuersione condolendo cogitans, patris hortatu & persuasione in oratione ad Deum se prostrauit: vbi integrâ nocte vsque ad galli cantum perseuerabat. Vbi tandem cœlestis nuntius eumdem Dei virum contemplando excitauit dicens: Kessoge, surge velociter ab oratione, quia tuas Dominus exaudiuit preces: nam Regum filij, pro quibus deprecatus es, reuiuiscunt & incolumes existunt: quos euigilans cum omni humilitate dictis Regibus deliberauit, ex quo non minimam lætitiam consecuti sunt. Quamplurima interim per eumdem Dei virum alia fiebant miracula, quæ in eius latiùs describuntur Vitâ. Tandem plenus gratiâ cœlos penetrauit æthereos, & in Ecclesiâ de Lus solenni traditur sepulturæ, F & ibidem requiescit.

cum 2 filijs Regum ambulat:

quos in stagno submersos

vt Regum parentum iram auerteret,

precibus resuscitat.

alijs miraculis clarus,

in ecclesiâ de Lus quiescit:

DE S. DROCTOVEO ABBATE

MONASTERII S. GERMANI PARISIIS.

CIRCA ANNVM DLXXVI X MARTII

1 *Onasterium Parisijs celeberrimum visitur S. Germani de Pratis, nunc Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti, olim sub nomine S. Vincentij Leuitæ & Martyris conditum à Childeberto Rege, filio Chlodouæi primi Regis Francorum: cuius exequiæ celebratæ sunt, cùm ecclesia à S. Germano Episcopo Parisiensi dedicaretur. Constitutus postmodùm Abbas S. Droctoueus, hoc* X *Martij ibidem sanctè diem extremum obijt, varijs Fastis sacris adscriptus, de quo Vsuardus ibidem monachus in suo Martyrologio ista habet:* Parisius depositio S. Droctouei Abbatis, discipuli B. Germani Episcopi. *Labbæus in Martyrologio Franco-Galliæ* Chroctouerum *appellat. Longiore encomio, & ferè ex Vitâ aut Historiâ Aimoyni desumpto, celebrat eum Saussayus in Martyrologio Gallicano.*

Cultus sacer,

Eumdem suis Martyrologijs inscipserunt Maurolycus, Galesinius, Felicius, Canisius, auctor Florarij, & consentit Martyrologium Romanum. In nonnullis Fastis etiam pridie sub nomine Droctonij *colitur. Inter Benedictinos recensent VVion, Dorganius, Menardus, Bucelinus. Verùm mox in Vitâ num. 5 dicitur, cum hic monachus esset sub Abbate S. Germano,* necdum illis in partibus notum fuisse S. Benedictum. *Præclarè tamen faciunt, dum eos Sanctos colunt, qui in illis vixerunt monasterijs quæ posteà regulam S. Benedicti susceperunt.*

etiam apud Benedictinos:

Vita ex MSS. codice:

2 *Vitam damus à nobis Parisijs in huius S. Germani monasterij bibliothecâ repertam in codice pergameno signato numero* 464. *Deplorat auctor priorem Vitam tempore* Danorum cum alijs bibliothecæ libris disperijsse: ceterùm hanc magno cum iudicio selegit, indicatis in

A *prœmio auctoribus, quos secutus est. Quanti Droctoueum Abbatem iam senio confectum & morti vicinum æstimarit S. Fortunatus Episcopus Pictauiensis, indicat lib. IX Carminum poemate XI his verbis:* *[encomium ex S. Fortunato]*

Vir venerande, sacer meritis & honore colende,
Droctouee, mihi semper amore Pater:
Qui de discipulis Germani iure Beati,
Norma magisterij factus es ipse sui:
Cuius Pontificis sacra per vestigia currens
Despicis hunc mundum, dum cupis ire polo:
Perge libenter iter cæli, mansurus in orbem,
Et pro me famulo, quæso, precare Deum.

VITA

Ex MS. Parisiensi monasterij S. Germani.

PROLOGVS

1 PRiscorum permaxima semper cura fuit & intentio, ne ingenij sui sagacitas ac facundiæ claritudo omninò deperiret inertiâ vel silentio. Vnde monumentum sui relinquere posteris, non B moribus vel operibus probis, sed potiùs rerum figmentis & scriptis studebant. Si ergo hos fingere falsâ non puduit, cur veridica Christi fidelium monumenta nos litteris mandare pigebit? Vitam igitur sanctissimi Droctouei Abbatis, discipuli scilicet Germani Patroni nostri, quæ in euersione ecclesiæ nostræ tempore *a* Danorum cum alijs bibliothecæ libris incendio disperijt, ne aliquatenùs mentio eiusdem almifici viri in reliquum æuum oblitteraretur, stylo digessi: illius deuotione magis instigatus, quàm præsumptionis supercilio vsus. Et insuper operam dedi eius laudem quibusdam deflorare virtutibus. Et hoc quidem non puto fore indignum. Si enim laus Sanctorum Deus est, Deum verò laudare dignum est: Sanctos igitur laudare non indignum est: dùm enim sanctus vir laudatur, Deus vtique laudatur, quia iuxta Psalmistam semper laus Christi fuit in ore eius. Sed ne quispiam refragetur huic nostro operi, cùm non perpendit ibidem digesta miracula Sancti, quia, cùm liber vitæ eius, vt dixi, incendio crematus sit, longo senio, cui eius gesta tradita obliuioni, nullum penitus memoriale sui nostræ mandauêre ætati. Extant tamen quidam de eo versiculi à B. Fortunato editi, sibique ab eodem directi, quos in calce huius operis annotare curaui. Porrò haud dubium constat, illum sanctimoniæ ditatum munere, quem peritorum peritissimus studuit in suis opusculis commendare. Addidi præterea etiam illud, quo videlicet instinctu nostrum à gloriosissimo Rege Childeberto sit fundatum cœnobium, quia hoc reperitur in gestis Francorum. Nec C verò illud omisi qualiter idem pijssimus vir Droctoueus à B. Germano primus Abbas delectus sit ibi, sicut in tomis reperitur antiquissimis, qui seruantur in archiuis nostri monasterij. *[Alia S. Droctouei priora incendio perierunt: a]* *[Ps. 33, 2]* *[hæc vnde digesta.]*

2 Iuuat autem in Christi laude paucis præludere versibus, sanctumque virum obnixis deposcere precibus, quatenùs operi de se cœpto opem ferat propitius, nostrumque memoriale commendetur in futuris generationibus, sicque finiatur huius operis prologus. *[Inuocatur Sanctus.]*

Gloria, vita, salus Sanctorum, spes, bonitas, lux,
In Genitore, pio Genito, vel flamine sacro
Subsistit, trinus colitur, qui semper & vnus.
Laus cuius superis simul & celebratur in imis:
Et sceptrum regni retinet sine fine perenni.
Magnificat proprios hic cœli dote ministros,
Aurea pro meritis concedens prœmia iustis.
Reddere nunc decet his, sed in ipso, munia laudis:

Virtutis specimen quia Sanctis contulit idem. D
Sanxit quippe suis, sine me nihil esse potestis.
Ergo laudandi parili problemate Sancti,
Dum diuina manus cunctorum vindicat artus:
Illorumque sibi laudes laudabilis addit.
De quibus excolimus, veneramur pectore, cultu,
Inter præcipuos te, Doctrouee, patronos.
Te flagrant animi calamis extollere nostri,
Haud tibi digna meis referam præconia verbis.
Agnoscis fragiles, quas noli spernere, vires.
Exiguos apices, exiles accipe laudes.
Commendans Domino, qui te commendat in æuo
Pars horum prima præsignat omina vatis.

a *Obsessa fuit vrbs Parisiensis anno 886. & soluta anno sequenti. De quâ obsidione edidit libros 2 Abbo Monachus S. Germani testis oculatus, & inter alia de suo monasterio lib. 2 canit:*
Efficitur bostar Germani Antistitis aula,
Completur tauris, suculis, simisque capellis.

CAPVT I

S. Droctouei pia edicatio. Vota monastica Augustoduni sub S. Germano Abbate.

3 INter agmina Christocolarum, quorum dogmate edocta & pio exemplo illustrata fulget vt Sol & Luna, Sancta mater Ecclesia, conspicuus nitet beatissimus Droctoueus, velut clarissima stella: cuius iubare obumbrantur cetera astra. Qui vir pietatis eximiæ Occiduas partes, scilicet Galliæ, suo exortu irradiauit, Domino muniente, respersusque vitali lauacro, linitus etiam Christi oliuo, flagrabat virtutum E nectare sacro. Nam benè excolens hortulum suæ mentis, studebat illic serere multimoda semina virtutis, vnde extirpabat noxia quæque germina carnis. Hic igitur tantus ac talis meruit secus decursus aquarum transplantari, vt velut palma floreret in Domo Domini, & fructum suum daret in tempore suo in atrijs Dei nostri. *[S. Droctoueus, in Gallia natus,]* *[piè educatur,]*

4 Nam eâ tempestate vrbs *a* Ædua speciali nitebat decore, redimita viro Sanctitatis præcipuæ, Germano scilicet, pollenti nobilitatis stemmate, qui veluti cedrus in Libano, & quasi cypressus in monte Sion infima spernendo, cœlestia amplectendo, tendebat ad alta virtutum augmenta. Cùmque folia eius, scilicet verba semper veritate virentia, cunctis ferrent medelam, & fructus eius, opera videlicet, satietati forent fame periclitantibus, non modica insonuit auribus *b* Nectarij prædictæ ciuitatis Antistitis tanti viri excellentia. Est in eadem vrbe Christi testis *c* Symphoriani monasterium insigne, qui olim sub persecutione martyrium passus est sub Aureliano Principe, qui ceu rosa, decoris & præcipui odoris purpureo sanguine tinctus, cœlumque meritis nactus in eadem ecclesiâ iacet humatus. Huius anima felix iuncta ciuibus æthereis cùm vnâ concrepet *d* alalagnia Tonanti supernâ dispositione, qui Sanctos suos & in hac vitâ mirificat, meritò iugiter turba fratrum Monastici Ordinis F ante eius mausolæum concinit æterno Regi dulciflua carmina laudis. Horum itaque fratrum à Pontifice iam dicto Germanus præficitur Pastor, sacraturque Abbas *e* nomine dignus & merito. *[a Augustoduni]* *[sub disciplina S. Germani,]* *[b à S. Nectario]* *[c constituti Abbatis monasterij S. Symphoriani,]* *[d]* *[e]*

5 Sanctitatis igitur præconio venerandus Pater oues sibi cōmissas monebat sagaciter, corrigebat prudenter, tolerabat patienter, & ad pascua vitæ æternæ inuitabat alacriter: qui inter reliquos, quos hortatu simul & exemplo Christi mancipauit tyrocinio, beatissimum Droctoueum insignire studuit schemate monastico, atque asciuit discipulatui suo: quem piè, vt verè pijssimus, aluit, & iuxta normam sanctorum Patrum, Antonij scilicet & Basilij (nam Sceptriger huius Ordinis, Beatus scilicet Benedictus, necdum his erat in *[monachus in omni virtute exercetur:]*

A in partibus *f* notus) viuere instituit, tradensque sibi iura obedientiæ, inculcans lenitatem patientiæ, replicans munditiam continentiæ, hortans sectari iter iustitiæ, edocens amplecti virtutem prudentiæ, iubens insigniri stabilimento constantiæ, suadens moderari placore temperantiæ. Inter omnia etiam monebat viam humilitatis tenere, quæ omnia aure sedulâ percipiebat vir sanctissimus, atque animo ruminabat frequentiùs, nec non opere complebat attentiùs. Erat igitur flos candens innocentiæ, pollens astutâ simplicitate vigensque animi sinceritate. Præceptoris verò sui existens imitator sedulus, carnem ieiunijs attenuabat crebriùs, corpus domabat pernoctationibus, nimijsque afficiebat algoribus. Cuius plectrum linguæ organa Dauidica semper resonabat, & infatigabiliter Christi præcepta relegebat: sicque diuino munere ditatus virtutibus, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, odore sancto fragrabat omnibus.

f

S. Germani sedulus imitator

a *Ædua vrbs est Augustodunum Æduorum caput, populi Iulio Cæsari alijsque antiquis scriptoribus notissimi.*

b *S. Nectarius Episcopus interfuit* Concilio 5. *Aurelianensi anno* 547. *colitur* 13 *Septembris.*

Alalagnia.

c *Festum S Symphoriani incidit in* 22 *Augusti, quo die in Fastis Romanis dicitur* tempore Aureliani Imperatoris Martyrium consummasse.

d Alalagnia, *iubilatio. Est Græcis ἀλαλὰ interiectio iubilan-* B *tium, hinc Græcis ἀλαλάζω, clamo Alala, & ἀλάλαγμος, quod hîc* alalagnia, *aut meliùs* alalagmia *dicitur: nisi fortè librario mendo scriptum sic fuerit pro* Aleluia, *nota in Apocalyptico iubilo voce, & in ecclesiastico festiuiori cantu toto orbe vsitatissima.*

e *Aimoinus lib.* 1. *De Gestis Francorum cap* 24. Dehinc à venerabili Pontifice Nectario Abbas Germanus ad S. Symphorianum adsciscitur. *Quæ à Fortunato in huius Vitâ* 28 *Maij eisdem verbis dicuntur.*

f *Imò iuuenis tunc accrescebat, vt dicetur* 21 *Martij in eius Vita.*

CAPVT II

Occasio ædificati templi & monasterij S. Vincentij, nunc S. Germani Parisiis.

6 PORRÒ illo in tempore Francigenum regnum *a* Childebertus Rex inclytus suâ tenebat ditione, qui torrens pulchritudinis, fonsque præcipuæ vbertatis, speculum etiam extitit pietatis & æquitatis. Recolens etenim viri sapientis dictum, quòd redemptio viri propriæ diuitiæ sunt, non pluris habuit thesaurizare copiosum censum gazarum, quàm illum distribuere in vsus egenorum. Christo igitur erat subditus, hostibus erectus, Christicolis carus, perfidis inuisus. Humiles autem sibique parentes exaltabat, proteruos atque rebelles forti dextrâ proterebat. Religiosis etiam Christoque sinceriter famulantibus, non C se vt principem & dominum, quin magis exhibebat se vt fidelissimum famulum. Huic itaque cùm non fortuitu, sed, vt creditur potiùs, superno nutu Germanus beatissimus occurrisset aliquando, eique sanctitatis præconium attolleret populi multitudo, Princeps Serenissimus iocundatus in Domino, sanctum virum Præsulatu *b* Parisiacæ Sedis sublimauit illicò. Decesserat enim nuperrimè Eusebius, Episcopus ciuitatis prædictæ. Fit indè permaximum tripudium Ecclesiæ, quæ tali se cernebat donatam Antistite. Gratulabatur plebeia turba, quæ tali Rectore fuerat commissa. Felix plaude Lutetia, quæ dum nites Dionysij *c* macarij gloriâ, hac etiam ditaris pretiosissimâ gemmâ.

a

Childebertus Rex pijssimus.

b

S. Germanũ constituit Episcopum Parisiensem:

c

7 Procedente igitur tempore *d* Childebertus Iberorum regnum petijt cum validâ expeditione, iuncto sibi Clothario fratre, qui Cæsaraugustam ciuitatem aggressi, vndique eam vallarunt validâ manu militari. At ciues vrbis obsessi, cùm non quirent tantæ resistere multitudini; ei, qui oraculo prophetico hortatur vnumquemque, inquiens; Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te & magnificabis me, spem suæ commisêre salutis. Nam conuersi ad Dominum, indictoque ieiunio sibi, induti etiam cilicijs, cum tunicâ beati Vincentij Martyris, eiusdem ciuitatis olim Archidiaconi, cum hymnodijs circuibant muros ciuitatis. Mulieres quoque pullis amictæ pallijs, cinerem imponentes capiti, sparsis crinibus sequebantur reliquum vulgus, eiulando planctibus nimijs. Cùm verò ita spem suam omninò in Domino statuerant, vt diceretur ibi Niniuitarum ieiunium celebrari, non dubium fuit alicui, quin eorum precibus, interuentu sancti Martyris Dominus misertus, eos ab imminenti exitio liberaret quantocyùs. Quæ res nequaquàm eos fefellit. Nam hostes ignari, quid obsessi agerent, dum eos ciuitatis muros processionaliter circuire viderent, putabant quòd aliquid maleficij perpetrarent, apprehensúmque vnum de ciuibus, cœperunt quid hoc esset perquirere attentiùs: qui ait, Tunicam B. Vincentij, deportamus, & vt nobis Sancti Martyris precibus misereatur Dominus, flagitamus. Quod cùm relatum esset Regi pijssimo, flexus ad misericordiam pectore mitissimo, à Cæsaraugustanis accipiens stolam sancti Leuitę & Martyris in munere gratissimo, vnà cum fratre se reddidit genitricio solo.

d

Cæsaraugustam obsidet:

D

à ciuibus deuotè Deum orantibus

accipit stolam S. Vincentij,

E

8 Veniens igitur Parisius in suburbij loco, qui olim nuncupabatur *e* Lucotitius, in honore B. Vincentij ecclesiam accelerauit construere propensiùs. Oppresserat verò idem Rex inclytus dudum *f* Amalricum Regem Gothorum caussâ sororis, quam idem Almaricus cum consensu amborum fratrum, *g* Childeberti videlicet & Chlotarij, in matrimonium iunxerat sibi: sed cùm esset Arianæ sectæ, dum Regina venerabilis frequentaret limina Catholicæ Ecclesiæ, eam vir suus diuersis *h* contumelijs afficiebat quotidiè: quem, vt prælibauimus, Rex Christianissimus opprimens bellico iure, receptâ sorore ex Toletanâ vrbe, quâ idem Amalricus sedem habebat, asportauit crucem auream pretiosis gemmis redimitam, nec non in opere Salomonis, vt fertur, triginta calices, quinque patenas, viginti quoque Euangeliorum capsas: quæ omnia, vt verè princeps Christo omninò deuotus, maluit Ecclesiæ distribuere potiùs, quàm retinere in proprios vsus.

e

f

Amalrico Rege Gothorum deuicto,

g

h

Toleto defert Crucem,

Calices aliasq; res,

9 Gratiâ igitur viuificæ Crucis, Ecclesiam sanctissimi Martyris, vbi ipsam cum alijs pretiosissimis ornamentis delegauit, in modum Crucis ædificare disposuit. Cuius Basilicæ opus mirificum describere nobis videtur superfluum: qualiter scilicet distincta fenestris, quibus pretiosissimis marmorum fulta columnis, quóue modo crispante camerâ compta auratis laquearijs, nec non parietes, vt Christi decebat aulam, quo decore nitebant picturâ aurei coloris, strato inferius pulchro emblemate pauimento. Tectum verò ipsius basilicæ apprimè deaurato cupro ære, repercussum solis iubare, sic flammigero rutilabat fulgore, quatenùs intuentium aciem reuerberaret nimiâ claritudine. Vnde præ nimio decore non immeritò olim ipsa domus per metaphoram inaurati Germani aula vocabatur vulgi ore. Sed ne quis incredulus existat nostræ assertioni, proferamus in medium, quid de hac domo disertissimus vir Fortunatus in suis opusculis ediderit. Ait enim:

ædificat templum in honorem S. Vincentij,

F

lib. 2 *cap.* 11 *poëmate à S. Fortunato exornatum:*

Si Salomoniaci memoretur machina templi,
 Arte licet par sit, pulchrior ista fide.
Nam quæcumque illic veteris velamine Legis
 Clausa fuêre prius, hîc reserata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo:
 Claruit hæc Christi sanguine tincta nitens.
Illam aurum, lapides ornarunt, cedrina ligna:
 Hic venerabilior de Cruce fulget honor.
Constitit illa vetus ruitum structa metallo,

Hæc

A Hæc pretio mundi ſtat ſolidata domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis;
Et quia pura manet gratia, maior ineſt.
Prima capit radios vitreis ornata feneſtris,
Artificiſque manu clauſit in arte diem.
Curſibus auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque ſuis radijs & ſine ſole micat.
Hæc pius egregio Rex Childebertus honore
Dona ſuo populo non moritura dedit:
Totus in affectu diuini cultus inhærens,
Eccleſiæ miles amplificauit opes.
Melchiſedech noſter meritò, Rex atque Sacerdos,
Compleuit laicus relligionis opus.
Publica iura regens, ac celſa palatia ſeruans,
Vnica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens illic meritorum viuit honore:
Hic quoque geſtorum laude perennis erit.

10 His ita prælibatis (videlicet de pulchritudine miri operis noſtræ eccleſiæ, quæ poſteà peccatis exigentibus non ſemel, ſed bis incendio penè diſperijt Danorum tempore) proſequamur reliquum cœpto ordine. Hunc itaque locum Princeps Sereniſſimus ditatum plurimis pretioſiſque ornamentis, affluentiſſimis quoque villarum copijs beatiſſimo Germano Pariſiacæ vrbis Antiſtiti delegauit. Supplicanſque obnixè ſanctiſſimum Prçſulem, gregem monaſtici ordinis ibidem inſtitui, poſt regni gubernaculum, quod adminiſtrauerat, heu! paruo tempore, diu vexatus miro modo febris Pariſius ciuitate, decimo Calend. Ianuar. feliciter *k* migrauit, regnaturus cum cæleſti Principe. Quàm beata Reſpublica foret, ſi tantæ pietatis Principem adhuc ſeruare valuiſſet. Sed quia vita iuſtorum in terris non eſt, ſed in cœlo (ſanctis enim viuere Chriſtus, & mori lucrum) dolendum eſt, quòd citò terris raptus ſit; conſolandum, quòd ad meliora tranſierit.

id pro monaſterio adiungendo donat S. Germano, B *moritur.* k

11 Ad eius itaque exequias funeris non ſolùm vicina vrbanitas vtriuſque Ordinis, verùm etiam limitanei & extimi vndique affuêre populi innumeri. Inſtabat quippe natalis Domini dies ſacratiſſima, & ad Regis præſentiam, quem adhuc vitâ exceſſiſſe ignorabant, tam Epiſcoporum quàm Principum & Procerum occurrerat multitudo quamplurima. Cernens igitur beatus Germanus tantam multitudinem populi, ſatiùs duxit ſub eadem die eccleſiam dedicare commiſſam ſibi: cumque priùs patefeciſſet cunctis huius cauſſam negotij, dùmque exultantibus animis vniuerſos conſpiceret annuere ſuæ benigniſſimæ voluntati, adminiculantibus ſibi ſanctis Præſulibus, videlicet *l* Nicetio Lugdunenſi Archipræſule, & *m* Prætextato Cabillonenſi Antiſtite, *n* Eufronio Niuernenſi Epiſcopo, *o* Felice Aurelianenſi, Domitiano Carnotino, Victorio Cenomannico, anno Incarnationis Verbi *p* DLIX, in honorem viuificæ Crucis, almique Vincentij Leuitæ & Martyris prædictam eccleſiam conſecrauit.

Dedicat eccleſiam S. Germanus, l m n *cum multis Epiſcopis,* o p *anno 559.*

C 12 Et quia, vt prætaxatum eſt, eadem baſilica in modum Crucis ædificata fuerat, quatuor altaria continebat, ex quibus principalem aram in honorem ſanctæ Crucis ſanctique Vincentij Martyris, vbi etiam ipſius ſtolam, quam glorioſus Rex Childebertus aſportauerat ab Hiſpanis, recondidit; eam verò quæ ad aquilonem in veneratione ſanctorum Martyrum *q* Ferreoli & Ferrutionis; porrò illam quæ ad meridiem ſub titulo Sancti Martyris *r* Iuliani Briuatenſis; nec non illam quæ ad Occidentem Domino in honore SS. Geruaſij *ſ* & Protaſij & Celſi pueri ſanctique Georgij Martyris conſecrauit. Ad meridianam quoque plagam ędificatum fuerat quoddam oratoriũ in honore S. Symphoriani Martyris, vbi idem Dei ſacer Germanus poſtmodùm ſepeliri ſe mandauit. Nec non ad Aquilonis partem erat oratorium Domino in veneratione S. Petri Apoſtoli conſecratum; vbi ſicut declarabitur in ſequentibus, quondam Dominus ſingulis noctibus ob ſpeciale meritum ſancti Apoſtoli inuſitatum patrabat miraculum. Expletis igitur ſolennijs dedicationis apparatu Regi congruo, aſtante vniuerſo populo complentur à Pontifice & reliquis Prçſulibus funeris exequiæ, omni ætate & ſexu fletui indulgente. Sed ne fortè demus triſtia funebria glorioſo Principi, quem diuitum & pauperum ſimul vox deplangebat flebilis, ſuperſedendum eſt vnius Sanctorum lamentationi.

& in eâ 4 altaria, q r ſ *& duo oratoria* D *exequiæ Regis celebrat.*

a *Childebertus mortuo patre Chlodoueo 27 Nouemb. anno 509 cum tribus fratribus regnare cœpit, factus ipſe Rex Pariſiorum.*

b *Eadem de Epiſcopatu eius & deceſſore Euſebio leguntur apud Aimoinum lib. 2 cap. 18.*

c *Colitur S. Dionyſius 9 Octobris.*

d *Narratur hæc bellica expeditio à Gregorio Turonenſi lib. 3 Hiſtoriæ Francorum cap. 29. Aimoino & alijs, & nos ea deduximus 22 Ianuarij ad Vitam S. Vincentij pag. 398.*

e Locatitiæ *appellatur in diplomate Childeberti Regis, de quo mox.*

f *Amalaricus filius Alarici à Chlodoueo deuicti.*

g *Imò cum conſenſu 4 fratrum vt innuit Gregorius lib. 2 cap. 8 duxit Chrotildem mox ab obitu Chlodouei.*

h *Hæc omnia continentur apud Gregorium lib. 2 cap. 10.*

i *Omnia ea latè enarrantur in diplomate Childeberti Regis, quod in antiquis editionibus Aimoini, & in illa, quam Iacobus Brulius excudi curauit anno 1603 cum fuſa explicatione, vti & in Antiquitatibus vrbis Pariſinæ. Datum diploma anno 48 regni Childeberti.* E

k *Aimoinus lib. 2 cap. 29 ait defunctum anno regni 49, necdum dedicatâ hac eccleſiâ. At Marius in Chronico aſſerit* tranſijſſe Indictione VI anno poſt Conſulatum Baſilij XVII. *Is eſt annus Chriſti 558. Cuius regni initium ſaltem ab anno 510 numeramus, vti etiam hinc liquet.*

l *Colitur S. Nicetius 2 Aprilis.*

m *Nonnulla hîc difficultas, quòd hic Prætextatus non fuerit Cabillonenſis Epiſcopus, quia huic Eccleſiæ tum præfuit S. Agricola, vti conſtabit ex Actis infrà 17 Martij dandis. Arbitramur S. Prætextatum Rotomagenſem eſſe, cuius Acta dedimus 24 Februarij.*

n *Eufronium rectè collocauit Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, at quorſum expunxerint Sammarthani, non explicant.*

o *Ex tribus Epiſcopis Felix Aurelianenſis collocatur, alij duo deſunt in Catalogis vt videatur in hiſce cùm nomina ſolùm haberentur, loca ſiue Sedes Epiſcopales non rectè adiunctas fuiſſe: aut catalogos etiamnum incorrectos haberi.*

p *Imo* DLVIII, *vt iam probauimus.*

q *In diplomate Childeberti referuntur reliquiæ S. Ferreoli donatæ. Coluntur SS. Ferreolus & Ferrutio 16 Iunij.*

r *Inſcriptus Martyrol. Romano 28 Auguſti S. Iulianus Briuatenſis ſub Diocletiano paſſus, cuius etiam reliquiæ tunc donatæ.*

ſ *Horum omnium ibi reliquiæ depoſitæ, imò tam Nazarij quàm Celſi, qui coluntur 28 Iulij, vti Geruaſius & Protaſius 19 Iunij, & S Georgius 23 Aprilis, cuius ibi brachium aſſeruari tradit Brulius pag. 180.*

CAPVT III

S. Droctouei Abbatis conſtituti virtutes & obitus.

13 QVamuis igitur longâ ſerie Orationis, neceſſariâ tamen huic operi, à propoſito cœpto digreſſi, iam nunc ad idem reflectamus intentionem ſermonis. Beatus ergo Germanus locum ſibi delegatum à præfato Rege non ſegni ſtuduit ordinare diſpoſitione. Inſtituens enim ibi gregem monachorum Deo iugiter famulantium, *a* Patrem eis inſtituit ex ſuis diſcipulis vnum, de quo in principio ſermonis cœpimus exordium, Beatum ſcilicet Droctoueum. Sed ne fortè alijs Præſulibus ipſius vrbis in hac re daretur occaſio, quò ſcilicet per ſuccedentia temporum curricula ibi Abbatem, quem velint inſtituere, aut aliquid vel ipſi vel alius cuiuſlibet dignitatis præter regiam Maieſtatem ibi præſumant diſponere; priuilegium immunitatis procurauit manu propriâ deſcribere, & Regis Clotharij auctoritate, Epiſcoporumque vel nobilium virorum, qui interfuerant eccleſiæ dedicationis ſolemnitati, ſtuduit corroborare ſtipulatione.

F *S. Droctoueus conſtituitur Abbas monaſterij ibi extructi.*

A 14 Venerandus itaque vir Droctoueus gregis sibi commissi curam peruigili procurabat solertiâ. Nam veluti Paradisus fructibus lætitiæ ac varijs floribus gratus, ita cumulo virtutum refertus, pabulum doctrinæ ministrabat omnibus, exemplumque præbebat pijs operibus. In eius quippe sacro pectore sapientia sibi sedem locauerat, & ideò vnde proferret noua & vetera, sciebat, vnguine etiam Spiritus sancti delibutus, cuius vnctio, vt ait Apostolus, docet nos de omnibus. Dulcedine alloquij sui solabatur mœstos, firmabat dubios, releuabat profligatos, pacabat inimicos, tolerabat improbos, de virtute in virtutem sedulò commemorabat conscendere pios. Munitus nec non dilectione Dei & proximi, quasi fons perlucidus & aquis exundantibus multitudinem arborum irrigans, ita auditorum corda rigabat, & vt à mandatis Dei non declinarent, docebat; sed potiùs legē eius sibi in corde retinerent, suadebat. Auaritiam omninò vitabat & dapsibiliter miserorum inopię subueniebat. Hilaris erat in dando, reminiscens illud apostolicum, quia hilarem datorem diligit Deus.

vir omni virtute dotatus,

1 Io. 2, 27

2 Cor. 9, 7

15 Stabilitus igitur hic vir beatissimus à Domino super Sion montem Sanctum eius prædicabat omnibus, vt iam taxauimus, præceptum eius, perque iter iustitiæ gradiens, nec non offendiculum iniquitatis cauens (Lux enim Dei, vt ait Iob, in tabernaculum mentis eius scilicet resplendebat) Psalmographi oraculum pio animo reuoluebat, Lucerna inquit, pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Nec soli sibi vtilis existebat, sed quibuscumque poterat prodesse satagebat. Erat enim quasi ciuitas super montem posita, & veluti lucerna non sub modio sed super candelabrum constituta. Fratres sibi commissos non vt alienos, sed potiùs procurabat vt filios. Delinquentes corrigebat sagaciter, rectum autem tenentes callem, ne declinarent, hortabatur alacriter. Obedientiam subiectis imperans priùs idem studebat opere perficere, quæ iusserat. Inobedientiæ malum, quod cunctis mortalibus intulit mortis dispendium, propellebat monitis & correptionibus à cœtu suorum; Superbiam vitare mandans, humilitatis in se exemplum prætendebat. Continentiæ munditiam subditis amplecti imperans, in se omnem motum carnis superno auxilio refrænabat: semper enim verebatur, ne alijs prædicans ipse reprobus efficeretur. Parcus erat sibi, largus verò alijs, non quærens sua, magis autem aliorum vtilia. Internorum curam gerebat, externorum etiam solicitudinem non negligebat. Patientiæ quoque quantæ fuerit, non est nostrę exponere possibilitatis: nulli vnquam machinabatur malum, sed enim cunctis exhibebat prout poterat bonum. Nec verò vllis frangebatur aduersis, nec extollebatur prosperis: vnus idemque semper erat, quia vni Deo semper adhærere gaudebat. Canens cum Psalmista, Mihi autem adhærere Deo bonum est ponere in domino meo spem meam, Legem profectò Dei in corde retinebat, & idcircò gressus eius supplantari nequibant. Ad postremum dignus iam repræsentari in conuiuio æternæ felicitatis *b* sexto idus Martij, ab huius seculi cœno manibus Angelorum vectus, in astris cum Christo regnat sine morâ pro certo felix. Sepultus est autem idem Dei gloriosus sacer Droctoueus ad occidentalem plagam basilicæ, retro S. Germani altare, *c* vbi virtute ipsius diuina multipliciter præstantur beneficia, ad laudem & gloriam nominis Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen. E

instruit subditos. B

Iob. 18, 6

Ps. 118. 105

præit exemplo:

D

Ps. 72, 28.

b 10 *Martij moritur:*

sepelitur. *c*

a *Aimoinus lib. 2 cap. 20 sub finem ista habet:* Ædificatâ igitur & multis prædijs & ornamentis ditatâ ecclesiâ, Abbatem ibi constituit, Autharium nomine, magnæ nobilitatis virum, qui præesset ibi Deo famulantibus. *Et dein cap. 36 eiusdem lib. 2.* Defuncto Authario, *inquit*, S. Germani cœnobij primo Abbate, venerabilis vir Droctoueus, ex discipulis videlicet beatissimi Germani, ab eodem sancto Pontifice, annuente gloriosissimo Clothario Rege, loco eius subrogatur.

b *Circa annum 576 aut sequentem. Nam Aimoinus lib. 3 cap. 16 relatâ morte S. Germani, quem constat anno 575 aut saltem 576 mortuum esse, ista subiungit:* Per idem tempus defuncto sanctissimo Droctoueo Abbate, Scubilio Abbas ei successit.

c *Iacobus Brullius & Claudius Malingreus in Antiquitatibus Parisiensibus lib. 2 pag. 180 tradunt in ecclesiâ S. Germani etiamnum* adseruari capsam reliquiarum S. Droctouei secundi Abbatis.

DE S. ANASTASIA PATRICIA

IN ÆGYPTO

AN DLXVII X MARTII

Patricia dignitas qualis fuit

1 *Agna in vtroque Imperio fuit olim Patricij dignitas, & , vt VValafrido Straboni & visum, Cæsaribus proxima: nihilo minorem eam in Imperatorio fuisse Gynæceo vel inde colligas, quòd Iustinianus Cæsar, propudiosis cum Theodorâ præludens nuptijs, infame illud prostibulum ad Patriciæ euexerit dignitatem, vt auctor est Procopius in Anecdotis cap. 8: donec Euphemia Imperatrix, vnicum infelicis matrimonij obstaculum, excederet è viuis: & lege latâ Senatoribus connubia cum scenicis & meretricibus permissa sunt. Eamdem dignitatem Antonina Belizarij vxor tenuit: eoque cum titulo semper nuncupatur ab Anastasio, scribente de rebus contra Syluerium Papam ab ipsâ maritoque in gratiam impiæ Theodoræ gestis, anno* DXXXV: *vt autem Patricij plures, sic & Patriciæ: non tantùm ratione natalium (quoniam ad hanc appellationem singulariter alicui tribuendam nulla in historijs Græcis habita ratio inuenitur) sed ex speciali prærogatiuâ dignitatis: quâ nostram quoque Anastasiam circa hoc ipsum tempus ornasse Iustinianus Imperator videtur, moribus eius & formâ captus.*

C

suspecta Imperatrici Anastasia fugit:

2 *Sed erat hæc aliter atque Theodora instituta: itaque facilè quidem virtute suâ omnem pudoris labem euasit: at zelotypæ Imperatricis inuidiam effugere omninò non potuit; iam olim solita* in mulierculas eiusdem theatri, vt truculentiùs se gereret, liuidâ maleuolentiâ vsque stimulari: *quantò magis quando imperij consors omnia pro libidine administrabat? Ad hæc opes ingentes & catholicæ religionis studium in Anastasiâ ingens, auaræ illi & Catholicis infensissimæ harpyiæ satis esse potuerunt (quamuis alia omnis suspicio abesset) vt non æquis oculis illam aspiceret. Ergo Alexandriam profugit Anastasia: ibique ex facultatibus, quas subducere potuit, monasterium construit in Quinto: id est in vico sic dicto, quia intra quintum ab vrbe milliarium situs sit: ita ex Moscho suspicamur, qui cùm cap.* 105 *Prati spiritualis dixisset*, Accessimus in cœnobium, quod dicitur Calamo, nono ab Alexandriâ milliario, *tum cap.* 177 commorantibus nobis, *inquit*, in Nono Alexandriæ *& cap.* 184. eramus in Nono Alexandriæ. *Ita varij in Italiâ vici, imò & oppida nonnulla, nomen à numero milliarium habent, quo distant ab aliquâ vrbe celebriori. Simili ex caussâ reor* Quinti *nomine castella duo appellata, in Dardaniâ vnum, in Mysiâ alterum, quorum Procopius Cæsariensis mentionem facit. Qui tamen & hoc & posterioribus duobus Moschi locis aliquam ipsius vrbis portionem, in plura* κλίματα *seu regiones nominibus numeralibus insignitas, diuisæ, intelligendum contenderet, vti fortè aliquando alibi; ei hoc vnum responderi posset, vrbanam frequentiam non ita ad S. Anastasiæ propositum valuisse.*

F

monasterium iuxta Alexandriam extruit

in Quinto

3 *Hæc non multis ante obitum Augustæ annis gesta fuisse,*

A *fuisse, credere iubet illa tam studiosa Anastasiæ perquisitio, de mandato Imperatoris illam in vxorem optantis: hæc enim satis recentem memoriam arguit, ætatemq; Sanctæ adhuc florentem. Verùm frustrà omnis diligentia fuit: fugit enim in interiorem solitudinem Schetin, quam tom. 1. Ianuarij ad Acta S. Macarij Abbatis descriptam ex Rufino dedimus num. 34 ibique Anastasius Eunuchus dicta annos viginti octo sola egit cum Deo, inclusa ab Abbate Daniele; eo ipso, vt credimus, de quo initio seculi septimi Ioanni Moscho Sanctus senex Abbas Ioannes de Petrâ narrauit, quòd vigintiquinque dierum infantulum loqui fecerit, vt est in Prato spirituali cap. 114. Congruunt enim Iustiniani Imperatoris, & huius Ægyptij Danielis tempora: ex anno autem mortuæ Theodoræ, qui in XXII Iustiniani, Christianæ Æra DXLVIII incidit; colligimus Anastasiam, annis viginti octo superstitem, anno DLXXVII feliciùs ex hac mortali vitâ excessisse. Quantus autem in Scithi temporibus ijs disciplinæ rigor, & numerus fuerit monachorum: idem Ioannes Senex Moscho prædicto declarans:* Cùm adolescens, *inquit,* Morarer in Scithi, quidam senum splene indoluit, & modicum aceti quæsitum est in quatuor eius loci monasterijs, & inuentum non est: tanta erat in ijs paupertas & nuditas & continentia: erant autem ibi Patres quasi ter mille & quingenti.

monachi habitu occultata recluditur à Daniele.

Quis ille?

Scithanorum rigor & numerus.

4 *Alios distinctiores rerum ac temporum charactêres nusquam exhibent Menæa Græcorum, ex quibus plenam hanc,* B *& præter morem Synaxariorum prolixam vitæ summam damus ex interpretatione Matthæi Raderi nostri: miramur interim, quòd neque in versiculis, neque in odis vlla eius mentio reperiatur hoc die: sed nempe multis in locis imperfectum est opus, quod excusum habemus, & fortasse solâ tam mirabilis exempli commemoratione contenta Ecclesia Constantinopolitana, noluit quidquam circa S. Codrati ac sociorum cultum eo die primarium, immutari: quod subinde in alijs Sanctis, quorum prolixiora elogia vltimo loco referuntur, similiter factum obseruamus: cuius rei fortasse causa in hoc casu esse potuit, quòd procul in solitudine conditum corpus, celebrem nusquam cultum habuerit: vt erat habiturum si occasione quapiam inde translatum fuisset ad nobilem aliquam præcipuamq; ecclesiam. Præponitur autem elogio huic consuetum* Sanctæ Matris nostræ *epithetum, vti & in Vitis sanctorum Maximi Cytheræi hoc die. Fuit eodem Iustiniano regnante, Anastasia alia, & ipsa nobilitate in seculo & rarâ vitæ sanctimoniâ illustris in monte Oliueti; illius Pompeij, qui Imperatoris consobrinus fuit, olim vxor; de quâ, vt notâ & adhuc viuente, eorumque, quæ scribit, teste loquitur auctor vitæ S. Sabæ apud Lipomannum capite 75: quam tu caue cum hâc confundas virgine, vt par est credere; certè innuptâ: habuit & Theodora Augusta sororem, communi cum sanctis hisce mulieribus nomine eò magis indignam: quò moribus sibi similem magis: siquidem ad maturam illa peruenit ætatem, vt videtur præcitato loco Procopius indicare; cum ait,* matrem vidam filias formâ venustas Comito- C nam, Theodoram atque Anastasiam, non sub idem tempus omnes; sed vt quæque erat viri potens, immisisse in scenam.

vita ex Menæis:

alia eodem tempore Anastasia.

VITA

Ex magnis Menæis Græcorum,

1 IVstiniano imperante fuit matrona Constantinopoli, quam Anastasiam dixêre, singularis Dei cultrix, generosis & opulentis nata parentibus, inter palatinas Imperatoris Patricia. Quæ in primis cæleste numen reuerita, præcepta eius diligenter custodiebat; præstantis femina pulchritudinis, & adeò ad clementiam & mansuetudinem propensa, vt omnes ex eius virtutibus magnam animo caperent voluptatem, ipseque Imperator mirè erga illam afficeretur. Sed quia sator scelerum semper consueuit virtuti excellenti inuidere & obtrectare, nec potest quietem & concordiam animorum ferre; factum est, vt D & hæc in inuidiam apud Imperatricem adduceretur. Quod cùm illa per quemdam resciisset, vt Deo Deique sapientiâ plena, suis ipsa cogitationibus in consilium vocatis, seipsam alloquitur: Anastasia, opportunâ datâ occasione & causâ, seruans serua animam meam: Imperatricem inuidiâ, quamuis stolidâ, libera, & tibi ipsi cæleste imperium procura. Hæc cùm apud animum suum deliberasset, conducto nauigio, parteque aliquâ auri secum acceptâ, cæteris omnibus relictis, Alexandriam venit, vbi in Quinto condito cœnobio telam cælestem cœpit texere, & hoc vnum studere, vt Deo se probaret. Et visitur hodie monasterium illud, quod & ab eius nomine Patriciæ cœnobium dicitur.

Anastasia genere, dignitate, formâ, spectabilis:

EX MENÆIS Zelotypiam Imperatricis fugit:

2 Verùm cùm aliquanto post tempore Imperatrix mortem cum vitâ commutasset, regressus Imperator in memoriam Patriciæ, in omnes oras quaqueversùs mittit, qui illam diligentissimè inquirant. Quod vbi rursum illa Dei agna sensit, relicto sub noctem monasterio, in Scetanam properauit solitudinem ad Abbatem Danielem, vitæque suæ statum beatissimo seni exponens, virilem ab eo induta vestem; dictaque pro Anastasiâ Anastasius eunuchus, deducta est in antrum quoddam admodùm à Laurâ remo- E tum, ibique inclusæ leges viuendi præscripsit, interdixitque ne vmquam è cellulâ suâ pedem efferret, neque quemquam vnquam ad se admitteret: vnique ex fratribus discipulo locum designauit, qui hebdomatim illi vas aquæ deferret, atq; ante ædiculam eius deponeret, & mox acceptâ ab eâ piâ imprecatione, recederet. Ergo adamantina & inuicta illa generosaque anima octo & viginti annos, per neminem adita visâue, à præscriptâ Danielis normâ ne latum quidem vnguem discessit.

deinde quæsita ad Imperatorias nuptias

ab Abbate Daniele recluditur,

3 Quæ iam mens, quæ vox viginti octo annorum studia, in virtutum exercitatione posita, vel animo complectatur vel oratione exponat? aut in litteras, scripta mittere possit, quæ illa quotidie Deo per se sola obtulit? illas lacrymas, inquam, & gemitus ac planctus; illa peruigilia vota precésque, illas stationes & geniculationes; illam abstinentiam, & ieiunia? Et præ cunctis præter cetera alia cacodæmonum congressiones & insultus; corporis repressas voluptates, abiectas animo delitiarum formas, & quæ sunt eiusdem è contrario momenti: illam ab omni societate, & accessu hominum tot annis penitùs exclusam fuisse, matronam Senatorij ordinis, in palatijs regijsque Imperatorum semper versatam, in tantis virorum fœminarumque turbis iactatam! Quæ omnia vltra modùm, animum, mentemque nostram percellunt. Ergo in hac palæstrâ tantâ cum laude exercitata Spiritus F Sancti tabernaculum effecta est.

& annis 28 mirabili in sanctitate actis,

4 Cùm verò diuinitus sibi extremum vitæ diem instare didicisset, scripsit in testulâ ad Danielem Abbatem epistolium in hæc verba: Venerande Pater, adduc tecum quamprimùm alumnum illum tuum, qui mihi ministrare aquam consueuit, & sume instrumenta sepulturæ, & veni, vt cures funus Anastasij eunuchi. Scripto hoc epistolio, & præ foribus cellæ suspensô, Daniel per nocturnam speciem edoctus, discipulum alloquitur: Propera, inquit, ad specum in quo frater noster Anastasius eunuchus degit, & animaduerte ad speluncæ ostiū pendere testulam litteris exaratam, quam ad me reuersus, quàm potes celerrimè deferas. Abijt frater, retulitque. Pater Schedâ lectâ, illacrymans cum discipulo, rebus ad fodiendum tumulum comparatis ad locum est profectus, apertâque cauernâ offendit eunuchum febrientem.

mortem suam imminere absenti indicat,

5 Hic Pater in pectus illius procumbens plorauit; & Felix es, inquit, frater Anastasi, quod de hac horâ semper sollicitus terrarum regna contempseris: nobis ergo tuis votis Dominum propitia. Tum illa: Ego potiùs,

EX MENÆIS

A potiùs, inquit, Pater in hoc articulo mortis multis precibus indigeo. Et senex: Si ego ante te diem meum obiissem, rogassem pro te cæleste numen. Tum residens in tegete Anastasia, senis caput osculata, bene precata est ei. Et Pater alumnum suum ad pedes illius collocauit, &, Benedic: inquit, huic discipulo meo, filio tuo. Et illa, Deus, inquit, Patrum meorum, qui in hac horâ migrationis meæ ex hoc corpore mihi astitit, qui nouit statum vitæ meæ in hoc antro propter nomen suum, & hunc morbum & ærumnas meas, faciat vt quiescat Spiritus Patrum super eum, quemadmodum requieuit spiritus Eliæ super Elisæum.

ipsi & discipulo bene precata,

6 Et versus ad Patrem eunuchus, Per Dominum, inquit, rogo te Pater: nolite mihi post mortem detrahere vestes, quibus tegor; nullique aperias conditionem sexus & status vitæ meæ. Perceptisque sacris mysterijs; Signa me, inquit, signo Christi; & preces ad Deum pro me fundite: respectansque versùs Orientem perinde vultus illius in specu radiauit, atque si lampas illi præferretur. Signauit deinde se sanctâ cruce, & dixit: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, vnáque cum dicto animam exhalauit. D

vetat corpus suum nudari:


7 Et tumulo ante cellam effosso, Pater exutâ quam ferebat veste, Age, inquit ad discipulum, indue fili fratrem defunctum à superiori parte, illâ, quam gestare solebat, veste. Quod discipulus cùm faceret, apparuerunt quidem vbera Anastasiæ velut arentia folia, nec tamen quicquam Patri renuntiauit, sed humato iam corpore, cùm reuerterentur: Nostin, inquit discipulus, Pater, illum eunuchum fœminam fuisse? & senex, Noui, inquit, fili, sed ne res vndique propalaretur de eâ, ob eam caussam virilem illi cultum indui, & Anastasium eunuchum appellaui, vt extra omnem esset suspicionem; diligentissimè enim ab Imperatore per omnes oras & regiones, maximè verò in his partibus, inuestigabatur: sed ecce per diuinam gratiam apud nos securè latuit; deinde totum vitæ cursum, & quæ quantaque fuisset gessissetque matrona, singillatim enarrauit.

quod tamen fœminam esse agnoscit discipulus.

DE S. ATTALA ABBATE
BOBIENSI IN ITALIA
ORDINIS S. COLVMBANI.

Commentarius præuius.

CIRCA ANNVM DCXXVI X MARTII



1 IN *Galliâ apud Italos Cispadanâ inter alios fluuios, qui in Padum confluunt, est Trebia, nobilitatus olim clade Romanorum, quam hîc à Poenis Duce Hannibale acceperunt. At meliorem modo sanctioremq́; famam obtinet à Bobio monasterio, à SS. Columbano & Attalâ primis huius loci Abbatibus extructo.* Quo in loco, *inquit Paulus Diaconus lib.* 4 *de Gestis Longobardorum cap.* 43, multæ possessiones à singulis Principibus siue Longobardis largitæ sunt, & magna ibi facta est congregatio monachorum. *Petrus Maria Campi tomo* 1 *Historiæ Ecclesiasticæ Placentinæ, in cuius diœcesi Bobium est, refert lib.6. fol.* 603 *diploma Flauij Agilulfi Regis, quo* Columbano vel eius socijs donat basilicam S. Petri Bobij sitam, & vnà per milliariâ quatuor in circuitu omnem vicinam ditionem. *Habitarat antè* S. Columbanus *cum* S. Attalâ *in monasterio Luxouio, quod sibi in diœcesi Vesontionensi apud Burgundiones extruxerat. Inde, vt Ionas in eius Vitâ* XXI *Nouembris asserit, cùm vidisset Theodebertum Regem Austrasiorum à fratre suo Theoderico Rege Burgundionum deuictum, quod anno Christi* DCXII *factum est, relictâ Galliâ & Germaniâ, in Italiam venit, ab Agilulpho Rege honorificè exceptus. Intereà Mettis profluuio ventris mortuus est Theodoricus Rex anno* DCXIII, *cui suffectus Chlotharius, factusque Monarcha misit S. Eustasium Abbatem Luxouiensem ad S. Columbanum, per quem eumdem ad se venire desiderauit: quod excusauit vir Sanctus, totus pro monasterij sui ædificatione sollicitus: in quo anni curriculo expleto, vitâ beatâ functus est* IX *Kalend. Decembris anni* DCXIV, *eiq́; Suffectus S. Attala, opus cœptum promouit. Quamdiu Bobiensi monasterio Abbas præfuerit, aut quo anno è vitâ decesserit, nusquam legimus. Successit illi S. Bertulphus, sed neque in huius Actis* XIX *Augusti dandis vllus character initium regiminis prodit. Vixit hic Abbas tempore Honorij* I *Papæ & Arioualdi Regis Longobardorum, sed ambo in illâ dignitate traduntur fuisse ab anno* DCXXVI *ad* DCXXXVIII. *Habuit & difficultatem cum Proculo Dertonensi Episcopo, quem asserit Vghellus ab anno* DCXIV *vsque ad annum* DCLX *isti Ecclesiæ præfuisse. Sub S. Attalâ Abbate vixit Ionas scriptor annis nouem, sed quamdiu antè rexerit monasterium, nusquam indicatur.*

S. Attala cum S. Columbano

Luxouio in Italiam discessit anno 612,

C

Bobij à morte S. Columbani factus Abbas anno 614,

quamdiu rexerit, incertum.

2 *Res gestas dictorum quatuor Abbatum scripsisse Ionam, testatur in Prologo Vitæ secundæ S. Præiecti Episcopi Aruernorum,* XXV *Ianuarij à nobis editæ, auctor coætaneus his verbis:* Ionas etiam nostræ memoriæ tempore vir eloquens Vitam B. Columbani & discipulorum eius Athalæ, Eustasij & Bertulfi luculentissimè edidit. *Non fuit Ionas, ut perperàm scripsit Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis, natione Scotus, neque socius peregrinationis S. Columbani, eiusue discipulus: sed Italus Segusij, vulgo Susæ, iuxta radices Cenisij montis in Alpibus natus: quò infrà in Vitâ num.* 9 *à S. Attalâ se missum indicat* ad matrem ac fratrem *inuisendos: quod factum est ante obitum illius,* cùm iam nouem annorum curriculum in monasterio conuersatus fuisset. *Idem* Ionas Abbas anno III Chlotharij III filij Baltichildis Reginæ, *is est annus Christi* DCLXIV, *cùm ad vrbem* Cabilonensem mitteretur, ac per monasterium S. Ioannis, quod Reomaus dicitur, præteriens paucis diebus quiesceret, Vitam eiusdem S. Ioannis conscripsit, *siue, vt ad illam Vitam* XXVIII *Ianuarij probauimus, recognouit & interpolauit, ac* se disciplinis B. Columbani eruditum *asserit in* Prologo, *vbi alia allegata legi possunt. Edimus Vitam S. Attalæ ex codicibus MSS, Treuirensi S. Martini, Audomarensi Ecclesiæ Cathedralis, Rubeæ-Vallis Canonicorum Regularium, & Antuerpiensi domus Professæ Societatis Iesu, & continetur in isto ad diem* XXI *Nouembris, ac dicitur liber secundus post Vitam S. Columbani, ac liber tertius continet Vitam S. Burgundoforæ Virginis ab eodem Ionâ scriptam. Ediderunt etiam eamdem S. Attalæ Vitam collector operum Venerabilis Bedæ, & huic attribuit: sed absque vel minimâ recognitione Vitæ, cùm satis scire debuerit Bedam non fuisse monachum Bobij, aut natum Segusij in Italiâ. Eamdem Vitam ediderunt Vincentius Barali Salernus, in Chronologiâ Sanctorum Insulæ Lerinensis, & ad hunc diem Laurentius Surius. Sed hinc inde stylo parùm mutato, licet non indicarit. Huius Vitæ epitomen habet Vincentius Bellouacensis lib.* 23 *speculi Historialis cap.* 20, *Petrus de Natalibus lib.* 3 *Catalogi cap.* 190, *& passim recentiores, cum Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ.*

Vita scripta à Ionâ discipulo,

Susæ nato,

qui annis 9 sub ipso vixit:

F

edita ex varijs MSS.

perperam Bedæ attributa:

3 Idem

A 3 *Idem Ionas in Vitâ S.Bertulphi Successoris, iter S. Attalæ Abbatis ex Italiâ Luxouium ad S. Eustasium factum, ita narrat:* Aduentante B. Attalâ ex Ausoniæ partibus cum voluntate & pacis vinculo venerabilis viri Eustasij, eius societati subiunctus est *Bertulphus*, quia erat illis cor vnum & anima vna, nec quidquā discordiæ manebat, sic vt mutuò ac vicissim subiectos sibi commutarent. Abijt ergo post vestigia venerabilis Attalę, Ausoniæque finibus receptus, in Bobiensi cœnobio sub obedientiâ B. Attalæ permansit. Cumque Repertor rerum sæpe-fatum Patrem Attalam ad cælestia regna post ærumnas seculi vexit, omnis concio monachorum voce animoque vnito, In paterno honore, aiunt, Bertulphum sublimamus. Qui per tredecim annos omni diligentiæ studio plebem docere ac imbuere salutaribus monitis non omisit. *Huic videtur successisse Bobolenus, quo Abbate, Ionas scripsit Vitam S. Columbani: ipse Ionas se* Abbatem *appellat, quod & facit auctor Vitæ S. VValerici Abbatis 1 Aprilis, qui Ionam Abbatem asserit discipulum discipulorum S. Columbani. An Boboleno successerit, necdum legimus.*

sub S. Bertulpho successore Ionas vixit annos 13.

dein sub Boboleno:

an ipse etiam Abbas,

4 *Nomen S. Attalæ inscriptum antiquis Fastis Martyrologiorum. Quod habemus S. Hieronymi ante mille ferè annos scriptum, adiunctam sub finem diei habet memoriam* S. Attalę Abbatis, *deest in MS. Blumiano & editionibus Parisiensi & Lucensi. In MS. Martyrologio Centulensi siue S. Richarij, ista leguntur.* In Italiâ monasterio Bobio Natalis S. Attalæ Abbatis. *Addit Notkerus:* magnæ sanctitatis viri, discipuli B. Columbani: *in Martyrologio Romano dicitur* miraculis clari. *Similia passim leguntur apud Vsuardum, Bedam excusum, Bellinum, Maurolycum, Felicium, Galesinium, Canisium, Saussaium, Miræum, & passim alios collectores Martyrologiorum. Trithemius eumdem suo Ordini Benedictino adscripsit libro 3 Virorum illustrium cap. 71. Secuti VVion, Dorganius, Menardus, Bucelinus in suis Fastis Benedictinis. At secundum regulam & institutionem S. Columbani vixit & rexit monasterium Bobiense, quod & posteri diu obseruarunt. Extat Codex Regularum sub Ludouico Pio Imperatore collectus à S. Benedicto Anianensi Abbate, in tres partes à Lucâ Holstenio digestus, ac typis Romanis anno* MDCLXI *editus: in cuius parte secundâ sunt Regulæ S. Benedicti Abbatis Casinensis & S. Columbani Abbatis, & aliæ plures: quas si quis considerarit, reperiet institutum S. Columbani à regulâ Benedictinâ ita differre, atque hoc tempore inter se differunt Constitutiones Ordinum Mendicantium. Non meretur Dempsterus citari, qui Scotico Menologio inscripsit, quòd* Scotus putetur. *Fortè Burgundiones olim non in Galliâ, sed Scotiâ consedisse etiam arbitratus est.*

S. Attala fastis sacris adscriptus,

B

non Benedictinus,

sed rexit

5 *Apud Ferrarium in Indice topographico ad Catalogum Sanctorum Italiæ sub voce Bobio referuntur* Attala Ab. Bertulphus Ab. Columbanus Ab. *ac dein additur* Translatio eiusdem 1. Septemb. Translatio aliorum, *scilicet Attalæ & Bertulphi*, XVI *Martij. Quo die hæc Translatio etiam inscripta Catalogo generali eiusdem Ferrarij.*

Translatio 16 Martij.

C

VITA
auctore Ionâ discipulo
ex quatuor codicibus MSS.

CAPVT I

S. Attalæ educatio, vita monastica, Præfectura. Refractarij diuinitus puniti.

1 Vm ergo venerabilis Columba de hac luce migrasset, in eius locum Attala suffectus est, omni religione laudabilis; cuius post Magistrum virtutes clarè fulserunt. Ex Burgundiorum genere nobilis natione; sed nobilior sanctitate, perfectè vestigia Magistri secutus. Sed qualiter rudimenta illius inter ipsa primordia vberem profectum quæsierint, prætereundum non est. Itaque dum patris studio liberalibus litteris imbutus fuisset, *a* Arigio quondam Pontifici à genitore commendatus est. Sed cùm nihil vtilitatis agi cerneret, cœpit rudis affectus potiora anhelare, deditque operam, vt postpositis phaleramentis seculi, monachorum iungeretur cohorti. Clàm ergo à sodalibus progressus, duobus pueris contentus, ad Lirinense cœnobium venit. Quo aliquamdiu vitam degens, cùm nequaquàm cerneret regularis disciplinæ habenis ceteros colla submittere, cœpit anxio animo trutinare, quò potioris consilij aditus viam panderet. Progressus ergo inde ad B. Columbanum Luxouium tenus venit: quem cùm vir sanctus ingenij sagacis solertem esse cerneret, suo ministerio iunxit, ac in omnibus diuinis monitis erudire tentauit.

S. Attala nobilis Burgundio,

D

a

apud Arigium Episc. degit

dein Lirini

& Luxouij.

2 Ergo cùm egregiè post B. Columbanum supradictum cœnobium regeret, & in omni disciplinâ regularis tenoris erudiret, contra eum antiqui anguis versutia letiferum discordiæ virus noxijs ictibus laxare cœpit, excitans aliquorum contra eum corda subditorum, qui se aiebant nimij feruoris auctoritatem ferre non posse, & arduæ disciplinæ pondera portare non valere. At ille sagaci vt erat animo, pia fomenta præbere & salutaris antidoti, quo sanies putrefacta abscinderetur, potum dare studens, tumentia corda mollire nitebatur: diuque castigatos cùm secum tenere non valeret, mœrore animo turbatus, multis precibus cum pietatis obsequio prosequebatur, vt se non relinquerent & ab ardui itineris calle non deuiarent: meminissentque Patres per mortificationem & contemptum præsentis vitæ regna cælorum possidere.

Abbas factus,

E

refractarios subditos pijs monitis instruit

3 Cùm nihil iam proficere cerneret, nec alibi trahentes animos, suæ societatis habenis irretire posse vidisset; pertinaces ire siuit: qui postquàm segregati sunt ab eo, alij eorum marinis sunt recepti *b* finibus, alij locum eremi ob libertatem habendam petiêre: qui temeritatis ac arrogantiæ inibi positi mox *c* obtecti damna sensêre. Nam cùm his in locis morarentur & virum Dei suis detractionibus laniarent, vnus eorum, qui *d* Roccolenus dicebatur, qui & iurgiorum, vt credebatur, incrementa ministrabat, subito ictu igne febrium accensus, inter pœnæ incendia clamare cœpit, se, si valuisset, ad B. Attalam venire velle, & admissi criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Nec mora, vix hæc dicere licuit, obmutuit, ac extremum halitum dimisit. At hi qui aderant, videntes viri Dei iniurias diuinâ vltione vindicari, plurimi eorum ad virum Dei remeant, suasque noxas confitentur seque in omnibus, si recipiantur, emendaturos pollicentur. Quos vir sanctus miro gaudio acsi è luporum ore ereptas oues recepit, suisque locis suas culpas agnoscentes restituit.

in malo obduratos dimittit:

b

c

d

aliquos, vno subitâ morte extincto, reuertentes admittit:

F

4 At verò alij, qui verecundiâ *e* premente, vel temeritate ac arrogantiæ vitio maculati, redire noluerunt, & ad locum datum pœnitentiæ redire contempserunt, diuersis mortibus sunt direpti, vt manifestè daretur intelligi, socios eos fuisse eius in excitanda contumaciæ incrementa, quem vltio diuina percusserit; propterea cum ceteris veniam non meruisse. Nam vnus eorum, *f* Theudomundus nomine, securi percussus interijt. Alius dum parui fluminis alueum transmearet, irretitus poplitibus perparuulâ vndâ necatus est. Tertius verò, qui *g* Theutharius dicebatur, cùm se in mare portaturum tradidisset carinæ, demersus est. Videntes hæc, qui adhuc supererant, verecundiâ submotâ, post socios ad B. Attalam repedant, qui ab ipso, vt superiùs rétuli, benignè recepti & saluati sunt.

e

tribus alijs morte punitis,

f

g

alios redeuntes recipit:

AVCTORE IONA DISCIP.

Arigius Lugdunensis Episcopus.

a *Hic est Arigius Lugdunensis Archiepiscopus, quo* instigante à Brunechilde S Desiderium Episcopum Viennensem deiectum anno 8 regni Theodorici, *id est Christi* 603; *tradit Fredegarius, qui dein cap.* 32 *huius* perfidi consilio S. Desiderium lapidatum, *ait* anno 12 Theoderici, *Christi* 607 *Hic etiam S. Romarico pedem cum irâ in faciem impegisse dicitur in huius Vitâ, 18 Decembris. Interim Arigius potuit maculas illas pœnitentiæ lixiuio eluisse, cùm x Augusti inter Sanctos Lugdunenses colatur.*

b *MS. Rubea-vallis* finibus. c *Idem* obiecti *MS. S. Maximini* intentui.

d *MS. Audomar.* Roccoleus. e *Idem & Antuerp.* præueniente.

f *Aliquibus* Theodemundus. g *Alijs etiam* Theucarius.

CAPVT II

Varia à S. Attala patrata miracula.

5 ALia ab eo patrata miracula, omnium in supradicto monasterio Fratrum testimonio approbantur: inter quos ego positus, & beati viri ministerio deputatus, tenebar. Cùm quodam tempore fluuiolus, cuius *a* superiùs mentionem fecimus, Bobius nomine, turgidis aquarum molibus violenter ac rapaci cursu defluens, vt solent torrentes ex Alpium cacuminibus dilapsi & imbrium effusione aucti, ita iste saxorum rupes & arborum congeries nimiâ tumescens vi coaceruaret, *b* molendinumque monasterij rapido cursu suffodere, ac totam officinam quatiens demergere nitebatur. Quo fragore audito, custos molendini, nomine Agibodus, ad molendinum pergit, vt videret, si tanti fragoris moles inibi dispendij damna generaret. Vbi cùm venisset, vidit, nisi celeri auxilio subuenirent, cuncta diripi, festinusque Patri nuntianda credidit: vt solamen præbeat, *c* qui opportunâ necessitate ex aquarum fluctibus liberarent. Ad quem vir Dei ait: Vade, inquit, voca mihi Sonoaldum Diaconum, tu verò stratui receptus, somnum cape, nec metu aliquo detentus, mœrori corda subdas. Erat enim manè priusquàm aurora funderet grata lumina terris. Venit ergo Sonoaldus ad virum Dei, cui B. Attala ait: Apprehenso baculo, quo sustentor, vade ad Bobium, imperantisque voce digito signo Dominicę Crucis prælato, dic, vt istas desinat perfodere ripas: nec præsumptæ audaciæ modos suppleat, sed alia cædens latera, ista sinat illæsa: imperijsque se noscat Domini recessurum. Quo viri Dei imperio supradictus vir obediens, cum fidei adminiculo pergit: imposito ripæ baculo imperat, se ex viri Dei præceptis, annuente diuinâ potentiâ, illo promoueret ex loco, aliaque collis latera violenti conatu cædat. Moxque obediens fluuius, relicto alueo, collis latera cædens, fluenta per ardua collis latera velut ales strictis laticibus sustentabat, quoad vsque concaua aluei paterent, quoadusque liquidò fluerent. Itaque prorumpens aurora mundo, vt lumen panderet, surgebat: cœpit Sonoaldus semetipsum intrà cogitans, Vadam, vt videam, si viro Dei violenti fluctus obedierint: venitque ad ripam aluei, vacuum cernens, spectabat qualiter alterius collis latera cæderet; vt sibi alueum, quo flueret, aperiret; festinusque ad virum Dei venit, apertæ victoriæ triumphum nuntiauit. Cui vir Dei: Nullatenùs hoc me, inquit, in seculo viuente, vlli dicere præsumas: procul dubio vt ne fauor adulatorum corda plena virtutibus macularet. Quod vitium, quamuis diuersis virtutibus sint ditati, ab omnibus est studiosè Sanctis fugiendum. Nam hoc callidus hostis malitiosè studet, vt, dum in maioribus ac certis culpis Sanctos Dei maculare non valet, saltem vel in occultis, quæ minora videntur, polluat.

a In periculo molæ deijciendæ,

missio Diacono

fluuium curat signo Crucis in aduersum ustus reijci:

factum sileri iubet:

6 Factumque est deinceps, cùm aliquo in tempore vnus monachorum, nomine Fraimerus, ad frumenta suscipienda vomere tellurem excoleret; subitò stiuæ firmitatem duræ glebæ asperitas peremit atque confregit. Quod cùm supradictus Frater componere conaretur, subitò inopinato ictu ferramenti pollicem ex læuâ præcidit, soloque conditum, suppositâ glebâ, velut funus sepulturæ tradit, relictoque vomere ad monasterium pergit, Patrique per confessionem humo prostratus prodit. Quod videns vir Dei, Vbi est, inquit, pars abscissi pollicis? At ille fatetur, terræ conditum sulcoque sepultum. Malè, ille ait, fecisti: cur mihi non detulisti? Concito ergo gradu, nulli caussam indicans, perge, sumptoque eo huc deporta. Ille itaque egressus pergit, impetratumque pollicis damnum deportat. Erat enim spatium per ardui montis dorsa flexuoso itinere tendentia, vel interfluentis *d* Triuiæ quasi miliarium vnum. Porrò vir Dei suspiciens frusta pollicis; suis saliuis illitum, manui iunxit, coniunctusque pollex carnis glutino velut anteà fuerat, adhæsit: tacitoque silentio, vt abeat, imperat. O mira virtus omnipotentis Dei, vt sic suos in terris glorificet, vt frigida abscissaque membra eorum interuentu pristino decori reddat.

pollicem inter arandum abscissum, & terrâ obrutum;

curat ad se deferri:

sanum manui adiungit.

7 Idem etenim vir cùm quodam in tempore ad Mediolanum vrbem venisset; ibi quidam puerulus in extremis febrium anxietatibus positus, vitę tantùm expectabat exitum: cuius parentes audito B. Attalæ aduentu, festino ad eum properant cursu, eumque precantur, vt illis subueniat. Quod cùm vir Dei dissimulare voluisset, fletibus ac terribilibus sacramentis eum compellant, vt priùs eat quàm noxius ardor supremis eum priuet ab auris. Anxius ergo, & popularis fauoris rumores fugiens, Ite, inquit, ego vt potuero, vos prosequar. Veniens ergo, basilicas & Sanctorum loca circuit, pro infirmo precatur, vt protinus sanitati reddatur. Deinde vt promissæ fidei impleret effectum, ad infirmum festinus venit. Ne quis verò largitori muneris præco existeret, domum latenter ingressus, infirmum attigit: moxque virtus diuina sanctis precibus fauens, sospitati pristinæ ægrum reddit. Gratis simul parentes Conditori referunt, qui sic suorum ad petitionem famulorum pietatis suæ accommodat aures. Erat enim is vir gratus omnibus, singularis alacritatis, singularis feruoris, singularis caritatis, in peregrinis, in pauperibus: nouerat & superbis resistere & humilibus subditus esse: sapientibus condigna rependere, & simplicibus mystica aperire. In soluendis ac opponendis quæstionibus sagax, *e* hæreticorum aduersùs procellas vigens ac solidus, fortis in aduersis, sobrius in prosperis: temperatus in omnibus, discretus in cunctis: redundabat amor & timor in subditis, redolebat doctrina in discipulis, nullus iuxta eum vel mœrore tegebatur, neque nimiâ lætitiâ extollebatur.

Declinans ostentationem,

clàm ægrum à febri liberat:

eximijs virtutibus dotatus:

a *In Vitâ S, Columbani, cui hac Vita instar libri secundi coharet.*

b *In nonnullis MSS.* Molinum *tertiò ponitur ex lingua Italica ac Francica idiotismo* Molino, Moulin

c *Videtur de esse* mittens qui molendinum. *aut quid simile:*

d *Antiquis Trebia fluuius, de quo suprà actum.*

e *Idem Ionas in Vitâ S. Eustasij 29 Martij narrat* Aggrestinum schismate imbutum, venenosam epistolam increpationibus plenam ad B. Attalam direxisse: quam B. Attala perlectam ridiculo habuit.

CAPVT III

Morbus vltimus, & pius obitus S. Attalæ.

8 CVm iam eum ab ærumnis seculi rerum Imperator liberare vellet, monstrare per visionem voluit, vt de mundo egressurus, paratum in omnibus iter haberet: quinquaginta dierum spatio suspenso, quo iter pararet venturum. Sed non apertè viri Dei animus cognouerat iter, istum esse exitum vitæ, an ad alium quemcunque locum progressurus. S. Vtrum-

Præscit obitum suum sub obscurâ reuelatione.

A Vtrumque vir Dei præpararat, septa monasterij densat, tegumenta renouat, omnia roborat; vt si abeat, nihil imbecille dimittat: vehicula quiete fouet, libros ligaminibus firmat: supellectilia ablui, dissuta assui, corrupta componi, calciamenta parari, vt omnia præstò sint, iubet. Ipse verò ieiunijs & vigilijs ac orationibus corpus afficit, ita vt numquàm sic anteà in oratione visus sit desudare: & ne cui ridiculum videatur, referam quid idem vir in me egerit.

Scriptorem adparentes dimittit,

9 Cùm iam nouem annorum curriculum in monasterio conuersatus fuissem, & sæpè à parentibus postulantibus, vt eos ex permissu suo viserem, non impetrauissem, nullo exinde mentionem faciente, ait: Vade festinus, fili, & matrem fratremque visita manè, & nullâ morâ præpediente reuertere. Cùmque differrem, & temporis opportunitatem euenire, in proximo dicerem, erat enim tempus a nimij frigoris, tempus Februarij; ait ille: Accelera egredi iter quod dixi tibi; nescis vtrùm postmodùm liceat agere. Datis ergo comitibus b Blidulpho Presbytero & Hermenoaldo Diacono, de quorum religione nihil dubitabatur, ad destinatum peruenimus locum. Erat enim locus c Sigusia vrbs, nobilis quondam Taurinatum colonia, à monasterio distans centum quadraginta B millibus. Vbi vt peruenimus, gratuitè à genitrice post tantorum interualla annorum suscepti sumus. Sed non diu genitrix optato fruitur dono. Nam eadem nocte febre correptus inter incendia clamare cœpi, me viri Dei precibus torqueri, ne inibi contra interdictum aliquantisper morarer: si non me citò moueam, quocunque potuissem conamine ad monasteriū repedare, me citò morte præuentum iri. Mater ad hæc: Meliùs mihi est, fili te inibi sanum scire, quàm hîc mortuum deflere. Fateor, longum fuit diei expectare aduentum; vix erumpente aurorâ, retrò repedare studuimus. Nec quicquam cibi per triduum capiens, donec medij penè itineris loca pertingeremus. Festinantibus ergo ac iter vrgentibus nobis, sospitatem rursum recepi.

non sinit diu hærere.

febri decumbit:

10 Venientes ad monasterium, patrem iam febribus detentum reperimus, ac morti proximum. Quibus visis gratulatus est. Sicque apertè cognouimus viri Dei in hoc præualuisse preces, vt me vis febrium vrgeret citò ad monasterium ante eius exitum redire. Qui cùm supremis vitæ præsentis horis fungeretur, cùm adhuc vigens halitus superesset, se foras cellulam pertrahi iubet: surgensque de stratu, quo valebat conamine, sustentantibus vndique Fratribus, foras cellulam est progressus: accipiensque Crucem, quam ipse in eodem loco poni præceperat, vt egrediens ingrediensque cellulam tactu eius suam frontem muniret, cœpit immensas lacrymas fundere, ac trophæum C Crucis memorare. Aue, inquit, alma Crux, quæ mundi pretium portasti, quæ vexilla ferens æterna nostrorum vulnerum medicinam attulisti: tu cruore illius illita es qui, vt humanum genus saluaret, è cælo

solitus se attactu Crucis munire, hanc salutat:

in hanc lacrymarum vallem descendit, qui te in primi D Adæ rugam extendit dudum secundus Adam, lauacro nouo veterem maculam abluens. Dumque hæc ageret, precatur omnes vt abeant, seseque cellulæ reddant, sibique paulisper locum quietum præbeant.

AVCTORE IONA DISCIP.

11 Abeuntibus ergo omnibus vnus tantummodò, nomine Blidemundus, post tergum viri Dei tacito anhelitu sterit, cogitans si viri Dei poplites fessi, vt erat fractis conatibus, casum indidissent, se ad suscipiendum eum fore paratum. Cùm ergo nullum superesse putaret, cœpit Conditoris clementiam cum lacrymarum vbertate conquærere, vt largitatis suæ sibi, acsi indigno, dona largiretur, & veteres maculas delens, omni saluti redintegraret, ac antiquam misericordiam exercens, se à cœlesti munere non abdicaret. Tunc inter mœsta suspiria & fluentes lacrymas cælos intuens vidit sibi apertos. Quos multarum horarum spatio intuens, vberes cordis rugitus premebat. Gratias deinde referebat Omnipotenti, qui sibi ianuas cæli apertas monstraret, quas post paullulùm corporis membris anima exuta penetratura esset.

Preces ad Deum fundit:

videt cælos apertos:

12 Facto deinde signo, vt Fratres aduenirent, qui eum cellulæ redderent, hęc nobis supradictus Frater eadem die retulit. Hanc quippe consolationem E famulo suo Christus ostendit, vt extremos halitus securus de futurâ veniâ, imò gloriâ dimitteret. Quod vir Dei occultare voluisset, si supradictus Blidemundus abditè post eius dorsum non remansisset. Alterâ verò die valedicens omnibus Fratribus, exhortabatur eos, vt cœptum iter non relinquerent, sed in melioribus actibus roborati quotidiè perseuerando firmarent. Consolatus ergo cunctos, vitæ præsentis nexibus absolutus animam cælo reddidit sexto Idus Martij. Meritò enim rerum Reparator Sanctos suos virtutum copiâ adornat, sicut scriptum est, spiritus eius ornauit cœlos: quia illi ad cælestem vitam anhelantes, eius præceptis parere student: vt de labore obedientiæ fructus recipiant vitæ æternæ. Amen.

adhortatus suos,

piè moritur 10 Martij.

Iob 26.

a *MS. Rubea-Vallis* niuei frigoris.

b *In Vitâ S. Bertulphi successoris S. Attalæ, dicitur* Blidulphus Presbyter ab Attalâ Ticinum missus, *ibi quòd contra* Ariovvaldum Ducem, Arianæ sectæ studiosum, *præclarè* fidem de sanctissimâ Trinitate esset confessus, *dirè casus & diuinitus mirè curatus*, percussore à dæmonio arrepto & diuersarum pœnarum incendijs flagellato: *quem* Ariovvaldus cum socijs ad B. Attalam misit, orans pro se, vt admissum crimen condonet, affirmansque se paratissimum ad præstanda illis officia, si eius dona recipere velint. Videns autem B. Attala membri sui iniurias diuinitus vltas, rogat, vt cuncti pro pestifero orent, vt vis aduersæ potestatis à misero homine pellatur: porrò impij hæretici munera se numquàm accepturum respondet. Cunctorum ergo orationibus Dominus placatus, ad tempus homini pepercit. Statim enim reualescens, sospes abijt. *Hæc ibi. Reliqua legi etiam possunt ad diem 2 Ianuarij, quo die S. Blidulphus colitur.* F

c *Alij Segusium, vulgò Susa, propè montem Cinisium, vt suprà dictum.*

DE S. ÆMILIANO ABBATE

LATINIACI IN TERRITORIO PARISIENSI.

CIRCA ANNVM DCLX X MARTII



I LAtiniacum *oppidum Franciæ ad Matronam fluuium in Comitatu Briâ, quod suam originem debet monasterio ibidem seculo Christi septimo à S. Furseo extructo, cuius Acta illustrauimus* XVI *Ianuarij; ex quibus nonnulla, quæ ad* S. Æmilianum, *qui etiam* Eminianus, Emmianus *&* Emianus *scribitur, spectant; hîc repetimus: ac primò in Historiâ miraculorum post primam Vitam ista num.* 14 *habentur:* S. Furseus Latiniacum suis manibus construxit, ac non multò pòst audientes hæc vltramarini cognati atque amici, simul cum S. Eminiano acceleuerauerunt venire ad sanctissimum virum Furseum: qui eos honorificè suscipiens, & simul cum eis manibus operans, magnopere construxit illum locum. *Quæ latiùs in secundâ Vitâ ita exponuntur:* Vnde Iesu Domini athleta inuictissimus Furseus non solùm per totam Galliam vel Saxoniam magnis attollebatur laudum præconijs; sed etiam illud Hibernense natiuum solum talem se lætabatur habuisse Dominum: cuius sanctitatis famam, vt audiuit,

Ex Hiberniâ venit Latiniacum:

A diuit, aliquot ad id cognoscendum commouit. Nam B. Æmilianus, omni simplicitate ditissimus, dilecti Fursei sanctitatem], quam dudum compererat, quia hanc quotidie augmentari audiebat, per seipsum id scire quantocyùs cupiens, assumptis quibusdam Fratribus, ad Beati properat visendam præsentiam deuotus. Tandemque post longos viarum recursus, illa peregrina felixque Hiberniensis cateruula Latiniacum veniens, Sanctum Dei amplioribus, quàm comperissent, vident florere virtutibus; quos lætabundo suscipiens animo, eos inibi diutiùs in Christi Domini formauit seruitio.

à S. Furseo beneuolè exceptus:

2 Succedenti verò tempore, postquàm eumdem locum Deus noster per beati viri meritum multâ probabilium virorum honestauit numerositate, eiusdem beato viro velle voluit, vt Saxoniam reuertens, Foillanum & Vltanum socios egregios visitare deberet. Qui sanctum virum Æmilianum Latiniacensi congregationi præferens, iter accelerat; & in fundo Haimonis Ducis, nomine Macerias, hospitat... vbi aliquantisper commorans, graui infirmitate deprimitur: *ex quâ mortuus est circa annum Christi* DCLIII: *unde tempus, quando S. Æmilianus constitutus est Abbas Latiniacensis, colligitur.*

constituitur Abbas:

B 3 *Post quatuor ab sepulturâ annos, vt in priore Vitâ num. 39 dicitur*, constructâ ad orientalem altaris partem domunculâ, ibi post tot annos immaculatum & integrum corpus à reuerendissimis subiectum Episcopis, Eligio scilicet & Autberto, & à Foillano & Emiano (*imò* Æmiliano) Abbatibus, & alijs sanctis viris transfertur sine vllâ putredine. *Coluntur S. Eligius Episcopus Nouiomensis & Tornacensis* I *Decemb. S. Autbertus Episcopus Cameracensis* XIII *Decemb. S. Foillanus* XXX *Octobris & antè momoratus Vltanus* III *Maij. Hæc in antiquis Actis Latinis S. Fursei habentur: ex quibus sua desumpserunt alij, quorum præcipuus est Iacobus Desmaius Doctor Sorbonicus & Canonicus Peronensis in Vitâ S. Fursei Gallicè à se editâ: vbi capite* XVIII S. Æmilianum *asserit fuisse* religiosum deuotum, & virum magnæ sanctitatis habitum, præcipuè ob eximiam simplicitatem & contemptum sui. D

transfert cum alijs corpus S. Fursei.

4 *Medardus eum inscripsit Martyrologio Benedictino ad* X *diem Martij his verbis:* Latiniaci in territorio Parisiensi S Æmiliani Abbatis, *& libro* II *Obseruationum annotat*, hac die monachos Latiniacenses eius solennitatem celebrare: *quod potuit ipse Parisijs eiusdem Ordinis monachus optimè scire. Andreas Saussaius & ipse Parisinus, hoc eum in Martyrologio Gallicano celebrat elogio:* Latiniaci in eodem territorio *Parisiensi* S. Æmiliani Abbatis itidem & Confessoris, qui ex Hiberniâ in Gallias eâ occasione transiens, quòd à S. Furseo, sub cuius magisterio sacræ religionis elementa imbiberat, monasticæ vitæ studia propagari audierat; pias suppetias ferendi caussâ ad ipsum profectus, se iterùm eius assectis adiunxit. Quem, cùm eius perspectam haberet sanctimoniam B. Furseus, monasterij, quod Latiniaci Chlotharius Rex nuper suo hortatu condiderat, præesse iussit: ratus fausta fore primordia huius cœtus, cuius vir tantę religionis regimen teneret. Nec abs re: Æmiliani enim dictu, breui tempore noua hæc societas copioso religionis decore ornata emicuit: tantùmque subinde in Christianâ philosophiâ profecit, vt nonnullos cœtus annosiores famâ santitatis vinceret. Ceterùm Æmilianus tantæ prouectionis opifex, vberi adeò fructus exultatione plenus, manipulos messis Dominicæ referens copiosos, ad æternum euectus est gaudium. E *Hæc Saussaius magnificâ amplificatione, nisi aliqua antiqua Acta præter S. Fursæi Vitam habuerit. Bucelinus in Menologio Benedictino Saussaium, quem perperàm Carolum appellat, describit mutatâ sub finem parùm phrasi. An tamen fuerit ordinis Benedictini, num potiùs regulam S. Columbani aut aliam Hibernicam SS. Furseus & Æmilianus amplexi fuerint, disquiri potest. Iam certè Latiniacum cum alijs itidem monasterijs ordini S. Benedicti innexum est, vt vel inde priores suos Sanctos iure possint ac debeant venerari. Colganus de eodem Sancto agit in Actis Sanctorum Hiberniæ hoc* X *die Martij.*

inscriptus Martyrologio Menardi.

Saussai.

Bucelini.

Colgani.

DE S. HIMELINO PRESBYTERO

FENACI IN BRABANTIA.

SECVLO VIII

X MARTII



1 FLoruit à ducentis annis inter Canonicos Regulares cœnobij Rubeæ-Vallis in Soniâ Siluâ, altero ab vrbe Bruxellensi lapide, Ioannes Gillemannus, qui summâ industriâ atque labore plurimas Sanctorum Vitas collegit. Ex his est Hagiologium Brabantinorum, in cuius secundâ parte edidit *Vitam S. Hymelini Presbyteri & Confessoris, apud Wessenaken in Brabantiâ quiescentis: *quam hîc damus. Post tempora dicti Gillemanni fastis varijs inscriptus est Himelinus, ac primò in MS. Florario Sanctorum, sed nomine malè expresso.* Apud Wassenake, *inquit*, villam Brabantiæ S. Hadelini Confessoris. *Molanus in priore editione Vsuardi à se aucti ista scripsit anno* MDLXVIII. In Vissenaken iuxta Thenis-montem S. Himelini Confessoris, qui natione Scotus, & B. Rumoldo carne propinquus, præfato loco febre pestilentiali tactus, diem obijt, mirificante Domino obitum eius multis signis & miraculis. *Quæ etiam repetuntur in duabus sequentibus editionibus, & descripsit Canisius in Martyrologio Germanico anno* MDLXXIII *& dein iterum excuso. Idem Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij anno* MDXCV *edito* De S. Himelino ex relatione incolarum & consensu scriptorum in Rubeâ-Valle & Throno *ista refert*: Fenaci, obitus B. Himelini Scoti, Presbyteri: qui B. Rumoldo carne propinquus, aut vt alij dicunt, eius affinis, febre pestilentiali tactus, obijt, mirificante Domino obitum eius multis signis. Non est per Episcopum eleuatus, aut Apostolicâ auctoritate Sanctis adscriptus: locus tamen dicitur vulgò, S. Himelini Vissenaken, vbi in cryptâ sub campanili quiescit, & in altari imaginem habet, ac frequenti ad eius memoriam concursu multùm est honoratus, etiam à longè dissitis. In registris locus nominatur Fenacum S. Martini; subest autem Archipresbytero Thenarum in Montibus. *In posteriore editione additum à Doctoribus Duacensibus* à Gallis nominari hoc oppidum Thiel-es-mons. F *Vnde à nonnullis* Tillemontium *appellatur, Distat Louanio, vbi Molanus scripsit, tribus leucis, siue horis itinerum. Molanum passim alij descripserunt: Miræus in fastis Belgicis, VVillotius & alius in fastis Gallicè editis, Saussaius in supplemento Martyrologij Gallicani, Ferrarius in Catalogo generali.*

Vita scripta: C

in fastis Molani & aliorum:

2 *In Breuiario Aberdonensi pro Scotis edito relatâ Vitâ S. Kessogi de quâ iam egimus, additur:* Eodem die S. Himelini Confessoris Scoti sub Rege Dungallo anno DCCCXXII. *At Gillemannus refert ad tempora Pippini Regis Francorum anno* DCCLXVIII *mortui. Eumdem suis Menologijs Scoticis inscripserunt Thomas Dempsterus & Dauid Camerarius, qui eius apud Brabantos prædicationes extollit, de quibus nulla in Vitâ mentio. Contrà Scotos insurgit Colganus in Actis Sanctorum Hiberniæ, & duplicem Vitam edidit, priorem ex Belgicâ Heriberti Rosweydi Latinam reddidit,*

Scotorum,

Hibernorum,

A *dit, alteram nonnullis omissis ex MS. codice Rubeæ-Vallis transcripsit: ex quâ simul & obseruationibus Molani suam composuerat Rosweidus, quam omittimus. In Martyrologij Anglicani vtraque editione* ex Hiberniâ *dicitur prognatus: tui S. Rumoldum Molanus adscribit: Scotiæ magis fauet Miræus: quod ad Kalendas Iulij est discutiendum.*

VITA

Auctore Ioanne Gillemanno,

Ex MS. codice monasterij Rubeæ-Vallis.

Prologus scriptoris.

1 CVm corpus sancti Confessoris Christi Hymelini in Brabantiâ quiescere didicissemus, nihil tamen de gestis ipsius memoriâ dignum reperissemus; Theologum quemdum famosum conuenimus, obsecrantes, vt in villâ, vbi corpus eius tumulatum est, perquiri faceret, si illic aliquid scriptum de vitâ seu transitu eiusdem inueniri potuisset: quod cùm ille per Terminarium a ipsius loci, ac per B Priorem Ordinis Carmelitarum conuentus Thenensis inuestigasset, nullum memoriale in scriptis inuenit: verumtamen, sicuti præfatus Prior à custode ecclesiæ veterano summatim acceperat, qui sese id ab auis & proauis didicisse meminerat, memoriæ commendauit, ac nobis fideliter per prædictum Theologum, qui id nobis curauit, eo modo, quo sequitur transcribere intimauit.

Tempore Pipini Regis

2 Beatus Hymelinus confessor, & Sacerdos Deo dignus, floruisse creditur tempore Pipini primi Regis Francigenarum, de stirpe Karolidarum: qui ex quinto Archiduce Sancti Zachariæ Papæ auctoritate, ac Francorum electione obtinuit sceptra regalia, deposito Hilderico tamquàm ignaro & ignauo, qui vltimus de stirpe Clodouei primi Regis Christiani, non re, sed solo nomine imperauerat. Extitit itaque B. Hymelinus natione Scotus, & B. Rumoldo Archiepiscopo cognatione propinquus, ac nihilominùs virtutibus, ac moribus admodùm ornatus: Hic cùm quadam vice summâ cum deuotione limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli visitasset, contigit eum per partes Brabantiæ ad locum, de quo exierat, tendere, atque ad villam, in quâ corpus eius modò quiescit, diuertere.

B. Hymelinus Scotus,

redit Româ in Brabantiam:

ex itinere lassus,

3 Cùmque illic lassus & sitibundus, ac squallore macieque confectus & extenuatus subsisteret, obuiàm habuit ancillam cuiusdam deuoti Presbyteri, qui pro tunc extitit verus Curatus loci illius, quæ ad hauriendum aquam fontis cuiusdam irrigui, illic ad duos iactus lapidis scaturientis, destinata fuerat à domino C suo: acceperat etiam in mandatis ab eo, quatenus nulli hominum ex hydriâ suâ potum daret propter pestem, quæ in tempore illo grassabatur circumquaque. Petijt itaque S. Hymelinus vir Dei potum à muliere: sed illa, vt iussa fuerat, renuit, nec ei haustum præbuit. Cùmque ille non cessaret à petitione suâ, illa satisfacere volens ei, dixit: Amice non possum tibi dare aquam, de hydriâ meâ propter præceptum, quo constricta sum à Domino meo. Verumtamen rogo, vt domum nostram intretis: illic enim refectionem optimam non solùm de potu, quem solùm requirere videris, verùm etiam de cibo inuenies abundanter. Qui renuit, sed mulieri fiducialiter dixit: Esto D secura, filia, & da mihi, quod postulo, quia dominus tuus optimè de hoc contentabitur. Tandem mulier precibus rogantis acquiescebat, & B. Hymelinus cœptum iter continuabat. Itaque mulier domum redijt, & aquam, quam de fonte contiguo hauserat, domino suo præsentauit. Mox autem vt Curatus gustauit, non aquam, sed vinum inuenit, & interrogauit ancillam suam, cur sibi vinum pro aquâ offerre præsumpsit. Cui illa respondit, se ipsi aquam præsentasse fontalem, & non alium liquorem: expressit quoque illi, qualiter quidam peregrinus ex hydriâ eius instanter potum petierat & obtinuerat, & quod contentationem domini sui sibi promiserat.

haustum aquæ petit instanter;

& impetrat:

aquam in vinum conuertit:

4 Considerans igitur Curatus, quia verè sanctus homo esset hic, velociter cucurrit post eum, & cùm inuenisset, cœpit constanter rogare illum, quatenùs ad hospitium suum diuertere dignaretur: qui tandem precibus eius acquiescens, ingressus domum eius discubuit, & ille bonam ei refectionem ministrauit. Sanctus itaque Hymelinus, cum tandem se quieti dare deberet, lectum & singula mollia recusauit, ac in horreo quodam super nuda stramina se cubitum collocauit, ibique infirmitatibus fatigatus, vsque ad tertium E diem permansit: qui tandem æstimans se ex hoc seculo migraturum, à præfato Curato hospite suo Sacramenta Ecclesiastica petijt & obtinuit: & postremò cùm solus iaceret, spiritus eius redijt ad Creatorem, qui miserat illum.

hospitio excipitur.

lecti mollitiem recusat:

ægrotat:

Sacramentis munitus, moritur.

5 Quo defuncto singulæ campanæ, nemine mortalium tangente, per se sonuerunt, adeò vt audientes attoniti mirarentur, cur tam solenniter præter solitum pulsarentur: tandem cognoscentes singuli, pulsum illum non ab hominibus fieri, nimiùm obstupuerunt. Cogitans autem Curatus ille, ne fortè propter pauperculum hospitem suum hæc fierent, præsertim cùm nosset eum esse virum vtique virtuosum, & per omnia tali honore dignum, ait ad suos parochianos: Habeo quemdam peregrinum decumbentem in horreo meo, videamus an propter eum hæc fiant. Conuenientes igitur singuli in horreum, ipsum beatum virũ faciẽ rutilantem & exanimem inuenerunt, & gratias agentes de loco sepulcri condigno cogitare solicitè cœperunt. Prætereà ingressi quidam ex eis ecclesiam, inuenerunt locum sepulturę aptatum corpusculo eius, ac diuinitus fabricatum, nullam terram egestam deprehendentes in circumferentiâ sepulcri, & eum illic honorificè sepelierunt, vbi diuinâ cooperante gratiâ plurima fiunt miracula.

Campanis per se sonantibus,

reperitur facie rutilans,

sepelitur in loco vltrò aptato:

miraculis claret:

6 Igitur ô beate ac Deo digne Hymeline, Confessor Christi, pro nobis seruulis tuis ad Dominum preces fundere dignare, quatenus eius dono, qui te ma- F gnificauit & simul beatificauit, gratia conferatur: vt qui tua inter huius mundi lubricas vias gesta recolimus, tecum gaudere mereamur æternaliter sine fine in cælestibus. Amen.

inuocatur à scriptore.

Terminarij

a *Habent singuli singulorum Ordinum mendicantium Conuentus in Belgio descriptos circumiecti territorij pagos, intra quos dumtaxat eleemosynas colligere vnicuique liceat, ne cum iacturâ caritatis & periculo scandali mutuis officiant commodis: hinc eos qui habendis per agros cuique Conuentui addictos concionibus destinantur,* Terminarios *nominant.*

DE B. AN-

DE B. ANDREA ABBATE CONGREGATIONIS VALLVMBROSANÆ IN HETRVRIA.

Commentarius historicus.

§ I. S. Arialdi Martyris discipulus, extrema Magistro officia impendit.

AN. M. XC. VII. X MARTII B. Arialdi Mart. discipulus,

1 Vo tempore S. Arialdum, aduersùs Simoniacam hæresim & deprauatos Cleri mores acerrimè decertantem, Mediolanensis ciuitas mirata est, eodem virtutis suæ zelique specimen egregium dedit B. Andreas, Ligur, ab Hieronymo Radiolano cognominatus; communiter autem de Strumis dictus, ab eâ, quam posteà tenuit, Abbatiâ; Parmensis à Patriâ. B. Arialdi discipulum fuisse scribit Arnoldus VVion in ligno Vitæ, ex eoque Ferrarius in Catalogo, ipséque testatur de seipso. Nec discipulum tantùm, sed socium laboriosæ prædicationis, gloriosique certaminis extitisse vel maximè ex eâ constat epistolâ, quam ad ipsum Syus Presbyter scripsit, quamq; ex antiquis membranis, vnà cum B B. Arialdi Vitâ ab Andreâ conscriptâ, typis vulgauit Ioannes Petri Puricelli, Laurentianæ Basilicæ Archipresbyter; in quâ sic habetur:

eius causâ ter periclitatur de vita:

2 Porrò de obitu eius clam peracto, quis te certior existit? qui pro hoc, mortis periculo ter te dedisti. Etenim semel vtcumque incaptus euasisti: aliâ vero vice quia dicebatur quòd in Traualliâ, arce inexpugnabili, occultè detineretur; eius desiderio accensus longo itinere confecto, multis montibus transactis, te ante eiusdem portas obtulisti; in quam quia inspicere es ausus; quis esses, cognitus, ideóque captus, atque in altissimam eiusdem turrim deductus, per foramen cum funibus in ipsius es depositus profundum; quod magis videbatur esse sepulcrum quàm habitaculum: nam lectuli fulcrum erat cœnum, capitale saxum: nec enim ibi erat vnde digestio occultaretur, nec desuper tectum à quo pluuia pelleretur. Ibi quippe præ nimio horrore vultus tuus & stomachus sic elanguit & emarcuit, vt cibum per funes tibi demissum gustare minimè posses, ideoque nocte mediâ te subtraxêre, & sic semiuiuum dimisêre. Alterâ autem vice lacum transfretasti; iterùm cognitus & captus, donec te pretio non emisti, euadere nullo modo potuisti.

carcerem difficilem sustinet;

3 Hæc ille, gesta post Arialdi mortem pleraque (nam inter hanc & eius captiuitatem non plus intercessit spatij quàm C inter noctem Vigiliam SS. Apostolorum præcedentem sequentemq; intercessit) de quâ tamen quia non omninò sic certè constabat, vt non esset suspicio aliqua, iactari ab inimicis atrociora verò, vt animos Arembaldi aliorumque rectè sentientium perterrefacerent; hæc adijsse Andreas videtur pericula, dum explorat studiosiùs vbinam esset vel viuus vel mortuus: quamuis ea ipse, laudis suæ contemptor prætermiserit: de primo autem periculo, quod ita cum S. Arialdi captiuitate & morte coniunctum erat, vt sine historiæ damno taceri non posset: ipse capite 29 sic loquitur, vt virtutem suam cautè dissimulet, studium autem erga magistrum egregium declaret manifestiùs; Quod ego audiens (captum scilicet atque ad lacum maiorem perductum Arialdum) tumultuosam & confusam protinùs reliqui vrbem, eúmque prosecutus sum. Die igitur eodem nocteque sequenti festinè properans, ad præfatum, iam sole oriente, perueni lacum: supra cuius dum incederem littus, & Stationæ, vbi parentela mali Guidonis habitabat, essem propinquus; obuium habui virum, nomine Martinum, qui se dicebat fore Presbyterum. Hic me interrogauit, vnde essem, quoue pergerem: cui vt veritatem securus ab eo inquirerem, ex parte mentitus sum dicens, Ex illâ Plebe sum, & compares mei huc me direxerunt, vt manifestè valeam scire, vtrùm verum sit, quòd apud nos de Arialdo, Clericorum inimico, nouiter insonuit; scilicet quòd extinctus sit, & si eis super hoc pleniter lætandum sit.

inquirit in mortuum,

& ex conscelerato Presbytero

4 At ille reuertere, inquit mecum; & cùm ad ecclesiam, quàm paululùm post te reliquisti, redieris, optimè de hoc instructus eris. Et tunc mihi secum reuertenti ait: Hesternâ namque die vox lætifera nostro insonuit loco dicens, Arialdus Clericorum aduersarius vinctus habetur in naui, & in ipsâ ripâ laci. Ad quem illicò cum multis alijs decurri; & arrepto palo optimè acuto, manuque erectâ, in pectore illius illum defigere volui: sed non sum permissus. Missi sunt quidem quinque protinus viri à Dominâ nepte Archiepiscopi, de quorum ferocitate ipsa non dubitabat, qui eum à militibus diuiderent, & in locum, quo ipsa eis iusserat, ducerent. Quod sine morâ completum est: & in tantam illicò est ductus solitudinem, vt vix ibi sit aliquando accessus hominum, & tantummodò nauigantium; sed syluestrium solummodò habitatio bestiarũ. Quid te verbis longiùs protraham? Ibi cadauer eius sine auribus, sine naribus, sine oculis, sine dexterâ manu, sine membro genitali esse fecêre. Si absque omnibus his membris aliquandò quemquam vidisti viuere, hunc esse mortuum noli credere. Nam serò nullo modo quiescere quiueram, donec ij, qui in eum hæc patrarant, sic me securum fecêre, quatenus vltrà non sit, vnde mea mens iam dubitare possit. Tu verò ad tuos reuertere, hæc eis intimans, eosque redde securos lætosque. Et post hæc alterutrum diuisi sumus, &, donec ecclesiam est ingressus, me redire finxi.

modum cædis cognoscit

E

5 Posteà verò nolens verbis confidere perfidi, regressus sum ad iter quod reliqueram. Cùm autem in iam præfatum ingrederer vicum, iuxta viam reperi ecclesiam in honorem S. Petri dedicatam, ad quam tunc Clericorum laicorumque multitudo cum processione exibat. Ibi quidem seorsim duas inueni mulieres, de his, quę acciderant, conferentes & plorantes: quibus appropinquans inquisiui, quid haberent, & cur flerent? Quarum vna ait: Verè tu ex illo es Ordine, qui cùm deberet suis bonis dictis factisque omnes leuare in cælum, econtrà malis exemplis cunctos F pręcipitat in infernum: in hoc enim loco, machinante suo Ordine peruerso, in his diebus tantum est perpetratum scelus, quatenùs pro hoc omnipotens Deus omnes in abyssum demergat, anxiè expectamus: & tu dicis: Cur flemus? Videns igitur mulierum fidem, ipsis quod discipulus essem illius, de quo flebant, intimaui; easque, si vera essent, quæ à prædicto audiueram viro, inquisiui. Quæ statim factæ apud me nimis gratæ, omnia testantur esse vera, præter hoc quòd de eius morte adhuc erant incertæ. Viam igitur mihi contra præfatam tendentem solitudinem ostendunt, multùmque deposcunt vt reuertens eas facerem scios, vnde eis adhuc inerat dubietas. Verùm ingentium præpeditus obstaculis saxorum, illuc accedere eundo per terram nequiui; quique per nauem illuc me transferre

ac similia ex alijs eum plorantibus intelligit.

A ferre auderet; reperire non potui: ideóque præter quæ dicta sunt pleniter de illo tunc scire non valui.

Post decem menses reperto corpore,

6 *Hæc anno millesimo sexagesimo sexto Christianæ Æræ, mense Iunio, gesta cùm essent (ad quem mensem Vitam S. Arialdi seruamus) & decimo postea mense narrarentur mirabilia circa Martyris corpus incorruptum conspecta:* Hæc ego, qui hæc scripsi (*prosequitur B. Andreas*) dum audissem, sumpto comite illuc perrexi concitè: repertosque pastores: vtrumnam vera essent, quæ audieram, diligenter cautéque inquisiui: qui cuncta esse procul dubio vera respondentes asseruerunt: & ego: Si vera sunt, inquam, vbi ergo est ille? at illi: Ecce, inquiunt, locus vbi nobis videntibus serò est positus: manè verò reuertentes, locum quidem inuenimus, de eo autem nihil. Hoc tantùm putamus, quòd nocte eadem sursum delatus sit in arcem. His auditis velociter reuersus Herlembaldo viro prudenti, quæcumque audieram, per ordinem cuncta enarraui. *Fuit hic Herlembaldus S. Arialdi & discipulorum eius protector præcipuus, magnisq; opibus ac clientelâ subnixus, ab Alexandro Papâ II Ecclesiæ Romanæ creatus Vexillifer hoc ipso anno, contra schismaticum Guidonem eiusq; asseclas perduelles, eâdemq; in caussâ decennio post mortem obijt gloriosam.*

curat eius translationem;

B *Quomodò autem sancti Martyris corpus in Mediolanensem adduxerit vrbem pompâ solenni, cui interfuit semper Andreas, nihil hic magnopere attinet explicare: vnum addo quod à se nominatim factum scribit capite 32.*

eiusq; incorruptionem explorans

7 In vnâ autem harum noctium (*quibus scilicet in Ambrosianâ basilicâ corpus venerabile populi accurrentis pietati spectabile prostitit*) timens valdè ne fortè ad opprobrium Christi seruorumque ipsius, ibi per æstiuum tempus diu permanens fœteret: assumpto lumine, paucis admodùm vigilantibus, ad ipsum accessi, & reperto foramine, quod eius germanus ipsi sub axillâ fecerat, vt sciret qualiter illius haberentur interiora, intus prospexi: & ecce eius exta, vt nix, erant candida, iecur verò æreum habebat colorem, quæ cùm intromissis duobus digitis confricassem, eosq; retractos naribus apposuissem: testor veritatem, quæ Deus est, tantam talemque odoris fragrantiam ex ipsis digitis emanare sensi, qualem quantamúe nunquàm me alibi sensisse reminiscor. Et sicut mea conscientia tunc testabatur, & nunc testatur, si ipsi digiti gladij bis acuti acumen habuissent, nares absque vulnere nullo modo euaderent: quia odoris suauitas tam erat delectabilis, vt nares valentiores essent ad odoriferos digitos intra se attrahendum, quàm brachij virtus ad retrahendum. Namque plures dies, vt diu delectarer tanto odore, eos ab omni custodiui

odorem sentit prodigiosum.

C liquore.

§ II *Factus monachus scribit Vitas SS. Arialdi & Ioannis Gualberti. Miracula, cultus B. Andreæ.*

Factus monachus Vallumbrosanus

8 *Dum hæc aguntur Mediolani, & per Insubriam Herlembaldo duce de perduellibus religio incontaminata triumphat; paria per Hetruriam, atque in primis Florentiæ contra simoniacam pestem certamina S. Ioannes Gualbertus eiusq; discipuli suscipiebant; quæ ad XII Iulij plenè descripta dabimus in illius Vitâ, horum autem famâ allectum credo fuisse B. Andream, vt ad eum iret, socio vel hortatore (vt insinuat Locatellus capite 10 libr. 2 historiæ suæ) Rudolpho, Moschettani monasterij pridem Abbate, in eiusdem Ioannis Gualberti Actis noto, atque ipsius deinde successore dignissimo: de quâ re ita in citatâ superius epistolâ Presbyter Syrus;* Quis tam vecors inueniretur, qui diceret te scripsisse falsa? si sciret te ideò reliquisse seculum, vt non solùm à verbis vacares mendacibus, sed etiam ab otiosis: præsertim cùm non ciuilia monasteria & dissoluta petijsti, sed famosum & celebre Vallis-Vmbrosæ cœnobium, itinere dierum quinque à naturali solo semotum. D

Acta S. Arialdi

9 *Scripserat hic Syrus* cum Herimberto socio de Venerabili Arialdo, *vt in epistolâ ad ipsum datâ Andreas ipse præfert: scripseratque iam olim, id est, statim ab Arialdi Mediolanum reuecti gloriosissimo triumpho; quæ cùm legeret Andreas, ipse pars magna rerum gestarum, præsertim circa atque post mortem; reperit eum* multa præterisse, quæ dici oporteret: Vnde factum est, *inquit*, vt iubente Beatæ memoriæ Rodulfo Patre, cuius anima iam cum Christo gaudet, multa tam de his, quæ omisistis, quàm quæ dixistis, exprimere conatus sum: quæ ad te mittens obsecro per caritatem, vt diligenter inspicias, & si vera sunt, testimonium feras: nam sicut ipsum habui, vt hæc facerem, præceptorem; sic te habere volo, vt vera sint, assertorem: quatenus, si iure pro inculto sermone eius putredinis & vermis qui cōposuit, contemnitur; pro reuerentiâ duorū sanctorum Sacerdotum, vnius præcipientis, alterius asserentis, suscipiatur. *Hanc autem sumptionem exorsum esse Andream viuente adhuc Rudolfo, atque adeò ante anni millesimi septuagesimi sexti Nouembrim, cuius XII die illum expirasse scribit Locatellus, patet ex præliminari epistolâ.*

inscribit Rudolfo Abbati,

& eo adhuc viuente absoluit,

10 *Neque exorsum tantùm, sed & opere suscepto defunctum illa videntur indicare verba: quibus, post redditam rationem nominis sui toto libello celati;* quia in hoc, *inquit*, plurima sunt in verbis & factis ædificationi vtilia; duodecim monasterijs, quibus te supernus iudex præposuit, oro vt ad legendum tribuas: quatenùs dum audierint in defensione veritatis, quid alij nostro tempore dixerunt & perpessi sunt; accendantur & ipsi, vt talia dicant, & si necesse fuerit, pro eâdem veritate similia patiantur. E *Adultus tamen his annus fuit cùm ista cœpit scribere: capite namque 16 de Herlembaldo loquens, qui circa Paschalia festa isto anno fuerat interfectus:* Multa, *inquit*, bona de hoc viro familiariter cognoui: sed quia nuper in defensione iustitiæ martyrio est coronatus, ea alteri tam volumini quàm scriptori relinquo, quia B. Arialdi vitam perficere velociter cupio: *in quibus quia Eminentissimus Baronius, inemendato vsus apographo, legerat:* in altero volumine scripta relinquo: *coactus est de huius vitæ auctore dubitare, eamque Presbytero Syro adscribere: non dubitaturus si legisset epistolas, quas ex ipso veteri autographo transcriptas, hoc loco citauimus.*

sed mortuo Herlembaldo.

Rusticus Abbas

11 *Mortuo Rudolfo, Rusticus Abbas successit, & ipse Beatis Vallumbrosanis annumeratus, de quibus coniunctim agemus die primâ Augusti, quando eorum solennis eleuatio ecclesiastico Officio colitur, quoniam de singulorum cultu & cultus die non satis certa possumus testimonia proferre. Tenuit autem Rusticus Monasterij & Ordinis sui gubernaculum vsque ad Æræ vulgaris annum millesimum nonagesimum secundum, XII Martij translatus ad superos: dumque tenuit, decessoris sui æmulatus exemplum, qui nouem monasterijs sub B. Ioanne Gualberto vel ædificatis vel Congregationi vnitis, tria adiunxerat: eidem adiunxit alia septem, in ijsque Abbatiam S. Fidelis de Strumis in Aretinâ diœcesi, prope castrum Puppi, ad Arnum fluuium; monachisque Abbatem Vallumbrosâ petentibus B. Andream dedit.* F

Abbatiæ S. Fidelis de Strumis Andream præficit,

12 *In cuius regimen inciderunt perturbatissima illa Italiæ tempora, sub Henrico Imperatore III contra Christi vicarios, Romanos Pontifices arma mouente; inter quæ cùm difficile esset seruari per vicinas ciuitates concordiam, distractis hinc inde in partes animis,* diabolico instinctu inter Florentinos, *Pontificijs partibus constanter adhærentes,* & Aretinos aliosque tyrannos atque homines factiosos discordia orta est, *inquit in opusculo de Beatis Ordinis sui Hieronymus;* aduersùs quos neq; imperia magistratuum, neque ciuitatum leges valebant: adeò vt metu & pauore suspensa essent omnia ad tantam seditionem: cui cùm ipse sanctus Pater interesset, nunquàm mutuis preci-

qui inter Florentinos & Aretinos

A precibus destitit, quoad inter eos agi de pace decretum est. Cúmque fœdus demum inter vtramque partem percussum esset, in tantam omnium gratiam breui peruenit, vt vtrique parti vehementer carus existeret; & etiam (quod maius est & laudabilius) dum vitam hanc miseram vixit, suis optimis precibus & exemplis eos inter se pacatos & carissimos deuinxit. *Quâ omnium gratiâ vsus opportunè, non tantùm insignibus priuilegijs suum S. Fidelis monasterium auxit: sed eius iuribus varias etiam ecclesias, prioratus & hospitalia, tam in Casentino territorio quàm in Aretina, Florentinâ, atque Tifernensis diœceseos finibus adiunxit, vt ait Locatellus.*

pacem componit;

13 *His alijsque publicis priuatisque distentus curis, non omnino cessauit à scriptione: sed ad scribendam S. Ioannis Gualberti Vitam applicuit animum: tum propriâ erga Magistrum sanctissimum pietate impulsus, tum Abbatis Rustici inductus hortatu: quem dubium vix est hoc ab eo postulasse, cùm in B. Arialdi Actis conscribendis ingenij sui atque iudicij specimen tam egregium toti Ordini Andreas præbuisset. Verùm hoc tam præclarum opus nunc frustrà desiderari meritò Iacobus de Franchis queritur: extabat certè adhuc anno* MCCCCXVIII, *quando ex eo atque ex vitâ per S. Attonem Episcopum Pistoriensem conscriptâ, & Archiuij Vallumbrosani monumentis eam Vitam conscripsit Andreas de S. Ambrosio, cuius autographum feliciter recuperatum idem Iacobus de Franchis sibi gratulatur. Atque vtinam sola isthæc nunc Vita desideraretur, cuius defectum supplere potest illa altera, quam per B. Attonem conscriptam scimus fuisse, & non ita pridem typis excusam: leuior profectò iactura foret: nunc verò periêre omnia, quæ de ipso Andreâ conscriptâ fuêre monumenta; quæ nisi vidisset Hieronymus Radiolanus, circa finem decimiquinti sæculi aut decimisexti scribens, non potuisset profiteri,* se prætermittere in hoc, sicut in alijs, plurima signa atque mirabilia, quæ per ipsum Dominus Iesus ostendit.

& scribit Vitam S. Ioannis Gualberti. B

claret miraculis:

14 *Quibus quidem signis commeritus est, vt corpus eius eleuatum de terrâ, magnâ in veneratione esset toti Casentino atque Vall-arnensi districtui, quamdiu in primo illo loco* de Strumis *monachi permansêre; cùm autem inde migrauêre in ipsum* Puppiense *oppidum, eóque transtulêre Abbatiam S. Fidelis, à quo vetus de Strumis ecclesia in parochiam conuersa dependeret, alicuius belli scilicet vel incendij occasione: ossa quidem illius veneranda eodem pariter transtulêre (quæ nos in quatuor thecis inauratis venerati, intelleximus super Altare populo veneranda exponi in maioribus quibuscumque festiuitatibus) sed nullum particularis cultus diem aut ritum seruauêre, fortassis quòd B. Torelli Puppiensis, de quo* XVI *Martij maior apud contribules suos veneratio in hac nouâ ecclesiâ, cultum memoriamque Beati Andreæ, aliunde, quamuis è vicino ac pene suburbano aduecti, obscurarit. De eo agens Eudoxius Locatelli de S. Sophiâ in historiâ Florentiæ anno* 1583 *excusâ, præter Hieronymum Radiolanum, citat neminem, ac ne diem mortis quidem adiungit, quam obitam ab ipso fuisse dicit circa annum millesimum nonagesimum septimum.*

ossa Puppium translata: C

Arnoldus VVion in ligno vitæ impresso Venetijs anno 1595 *nomen illius ad hunc diem retulit, Tabulas Vallis-Vmbrosæ recitans, quas si superstites reperissemus, non vtique neglexissemus describere: nunc illæ vt multa alia eiusmodi periêre, ac ne anno quidem* MDCXIII *superfuisse videntur, quando confectus processus est super inuentione corporũ Beatorum, quem* I *Augusti dandum promisimus, in quo inter puncta iudicibus proposita quintum fuit:* Qualiter ab anno MDXXX in obsidione & bello Florentiæ dicta Abbatia (*vallumbrosana*) fuit in maximis partibus demolita & combusta, & præsertim bibliotheca, & successiuè libri & ferè omnes scripturæ fuerunt combustę & incensæ; adeò vt fuerint deperditæ scripturæ, documenta & recorda Beatorum dictæ congregationis, quæ inibi conseruabantur.

inscriptus fastis 10 Martij.

§ III *De Joanne Eremitâ Cellarum*

Ioannes Eremita Cellarum

16 *Ex prædicto VVione easdem tabulas citante, acceperunt Gabriel Bucelinus in Menologio, & Benedictus Dorganius in Kalendario Benedictinorum* S. Ioannem, ex Abbate *S. Trinitatis Florentiæ, vt auctor est Locatellus,* eremitam miraculis clarum: *quem Ferrarius videtur omisisse in catalogo, quòd nihil de eo Vallumbrosæ inuenerit: neque nos in ipsâ Abbatiâ quidquam de eo audiuimus, aut in prædicto processu illius mentionem reperimus: tantùm dubitamus an dictum nobis non sit in ecclesiâ Cellarum (quas incisas saxo rupis, monasterio impendentis, adire propter temporis angustias non licuit) caput illius asseruari vnà cum capite B. Melioris, cuius expressa est in illo processu mentio. Quod si verum est, probabilis quoque coniectura foret, reliquum corpus inter cetera Beatorum corpora asseruatum fuisse, & deficientibus inscriptionibus nequaquàm agnitum: quod tamen non temerè pronuntiauerim. Itaque neque Sanctum eum cum prædictis auctoribus, neque cum Locatello Beatum dicemus: ne tamen egregiæ pœnitentiæ exemplum posteritati inuideamus hoc Vitæ compendium ex Hieronymo Radiolano accipe, prout illud in Mediceâ S. Laurentij Bibliothecâ Florentiæ descripsimus, circa initia anni* 1662.

an Beatus? E

17 Hanc quam diximus Cellarum eremum alter Ioannes nomine incoluit, cuius in primis tetra & obscœna facinora, deinde celeberrima & honesta fuêre; vt si vellem singula, quod sanè faciendum esset, aperire, profectò tempus maturiùs quàm res me desereret. Quare paucis quid Florentiæ, deinde in eremo fecerit, perscribam. Hic itaque Florentinus extitit: & cùm ingenij mirâ perspicacitate preditus esset, inter multos codices & volumina, quæ diuturnâ & diligenti lucubratione volutauerat, etiam necromantiæ diabolico instinctu quædam volumina perlegit: in quibus cùm longè insaniret, quod dictu quoque turpe est, puellam virginem ad se portari & ingredi in tenebris per dæmones vehementi intemperie faciebat. Demum, dæmone fallente, tanto vitio detecto, Vallis-vmbrosæ Abbas (*Michael, à sancto fundatore vigesimus quartus, qui ad S. Saluij vicinum Florentiæ monasterium hâc de causâ descenderat, vt est apud Locatellum*) tam tetri facinoris certior factus, eum de more consilij capiendi causâ ad se accersiri iussit, & vultu immiti in eum inquit: Impudens & scelerose, & Iesu Christi beneficijs ingrate, in puram vitam hactenus ducere te non puduit? Hic itaque in primis pertinaciâ ductus negare: ceterùm vbi nouit scelus suum verè deprehensum, humi prostratus cum lacrymis vera esse omnia confessus est. Quem ex hoc per annum carcer teterrimus inediâ & siti & odore fœdo adeò sentum, adeò squallidum, adeò ægrum & macilentum reddidit, vt vix pedibus se suis sistere posset.

hic propter graue flagitium

carceri mancipatus;

18 Demum Pater Abbas, multorum cum monachorum tum ciuium precibus impulsus, è carcere trahi iussit: quem trementem ante pedes eius castigat, obiurgat, minitaturq; posthac mortem, ni à tam turpi re & nefariâ deinceps absistat. Ceterùm cùm eum monasterio & monachis suis restituere vellet, renuit penitùs, asserens se illam, quam in carcere duxerat vitam, imitari velle: & hæc addebat: Hoc enim in tetro & diuturno carcere didici, solitudine nihil melius, nihil sanctius esse; in eâque diuina studia perdiscere atque æmulari magnopere intendo: liber enim iam seculi vinculis, Christo Domino opem ferente, nullum tempus vacuum fluere patiar. Probat consilium eius Abbas, probant qui aderant omnes: & ex ipsius voluntate & omnium consilio, versâ vice, alter vir venerabilis (*qui deinde mortuo Michaele in Abbatiâ Vallumbrosanâ, atque adeo Ordinis Generalatu successit anno* MCCCLXX, *& per annos septemdecim gradum illum supremum tenuit*) etsi inuitus (ne eam, quam multis laboribus acquisierat, quietis dulcedinem amitteret) in locum sui instituitur;

vnde dimissus, F

eligit eremiticam vitam ducere,

A tuitur; cui deinde hic beatissimus eremita Ioannes epistolas, hortatorias & eremi vitam laudabilem in se habentes, scribit: erat enim illi nomen Simon & eremita cellarum.

in quâ seueram pœnitentiam egit: 19 Sic igitur summâ spe suâ & omnium monachorum eremum cellarum petens, ita breui profecit, vt ceteris eremitis admirationi & stupori esset. Nam pars continentiam, pars legendi assiduitatem, vigilias, ieiuniaque admirabantur: & quod in longo carcere didicerat, iam sponte & libenti animo ipse sibi indixerat: humi enim super paleas, coopertus sago laneo, vestitus quiescebat: carnis verò lasciuiam ieiunijs & corporis laboribus supprimebat, & iam continuatis studijs diuina tantùm legens, & quid crediderint quidue optauerint sacri scriptores mente semper voluens, adeò doctus & peritus breui euasit, vt nullius sacræ disciplinæ expers videretur. Exemplis igitur & graui sermone & epistolis, Florentinis ciuibus eleganter tum vernaculâ linguâ tum latinâ scriptis omnium animos ad diuina monumenta & Iesu Christi cultum excitabat: malos verò & vitijs varijs corruptos reprehendebat & acriter damnabat. Extant etiam nostrâ tempestate epistolæ & prædicationes eius vernaculâ B linguâ scitè & ornatè scriptæ, & præsertim ad Guidonem quemdam de Guidis, magno natu virum; in quo, sicut nunc in te, (*Laurentium Medicem alloquitur*) spes & opes ciuitatis sitæ erant: & Florentiæ & alibi penès multos tum ciues tum religiosos, continuatâ lectione leguntur: *epistolas scribit,*

20 *Ita quidem tunc: at modò opera eius, inquit anno 1640 scribens Iacobus de Franchis, illa perierunt in manibus Antonij Benciuieni Vicarij Archiepiscopi Florentini, secundum quod scribit Abbas Valerianus Salaini in Chronico Passinianensi paginâ 13.* Scripsit & ad alios quos prætereo, præsertim ad Domitillam Monialem sanctissimam; quas omnes credo, quia optimus es & religiosus, penes te connumerari. Hic etiam vitam S. Domitillæ, neptis Domitiani Imperatoris, non inconditâ & tumultuariâ oratione & sermone incomposito vt quidam; verùm latino & summâ dignitate ornato, cum omnibus, quæ ad Officia ecclesiastica pertinent, edidit: *pro quo opere vereor ne apud prædictum Didacum de* *& S. Domitillæ vitam,*

D *Franchis irrepserit tractatus de conuersatione sanctissimæ Virginis, idque alij antonomasticè pro B. Virgine Mariâ acceperint: faciliùs crederem diuersum ab epistolis esse opus, quod idem ait inscriptum fuisse de Pœnitentiâ; aut potiùs illas priores epistolas hortatorias esse, de quibus ad Simonem scriptis, superiùs facta est mentio.* Huius autem sanctissimæ Virginis (*scilicet Domitillæ*) adeo extitit familiaris, vt per visum ei sæpiùs se conspici dignaretur. *Addit Locatellus, multis post hæc annis, cùm cellæ eius oratorium S. Domitillæ dedicatũ, casu arsisset, imaginem sanctæ illæsam à flammis conseruatam fuisse, imò Angelorum manibus in præcipuam Cellarum ecclesiam deportatam: quod Ioannis eremitæ meritis tributum fuerit, qui tot lacrymas super altare istud inter sacrificandum sparserat, propter quod imago illa magnâ adhuc in veneratione eo loci seruetur.* *cuius conspectu sæpè fruitur:*

21 *Fuit etiam S. Catharinæ Senensi familiaris, vt in eius Vitâ quâdam legitur his verbis:* Vir quidam sanctissimus, monasterij Vallumbrosani grandæuus monachus, huius sanctissimæ Christi sponsæ mortem plurimùm lugens, consolationem ab eâ meruit, eiusque gloriam manifestò cognouit: prout recitat pater ille sanctissimus in epistolâ ad quemdam Barducium Florentinum: *atque hoc est quod Arnoldus VVion innuit in Tabulis Vallumbrosanis quoque significari, familiarissimum Sanctæ prædictæ fuisse. Pergit autem Hieronymus elogium* E *eius hoc modo pertexere.* Inerat huic, inter ceteras præclarissimas animi & corporis artes, natura quædam pro tempore proq; personâ, clementia admirabilis, festiuus sermo, & senectus oppidò iucunda, vt alterum Socratem diceres. Verùm iam ętate, & incredibili pœnitentiâ corpore semicorroso & penè fracto, tempus resolutionis eius venit, & inter Fratrum psalmos & orationes commendatitias ad superos, comitante Domitillâ suâ sanctissimâ, feliciter emigrauit. *De miraculis autem quibus anno* MCCCLXXVI *claruerit, vt habet VVion, apud Hieronymum Radiolanum vel Eudoxium Locatelli verbum reperio nullum: qui autem ab eodem VVione exprimitur annus, si pro anno mortis accipiatur, aberrat à vero: cùm S. Catharina Senensis anno* MCCCLXXX *tantùm mortem dicatur obijsse, quod pleniùs* XXX *Aprilis ad eius Vitam examinabitur.* *S. Catharinæ Senensis gloriam cognoscit. mortuus post an. 1380*



XI MARTII.

SANCTI QVI V IDVS MARTII COLVNTVR.

SAn. Heraclius,
S.Zosimus,
S.Alexander,
S.Philomus Ep.
S.Candidus,
S.Valerius,
S.Quirillus,
S.Petronius,
S.Caius,
S.Martianus,
S.Yficus, siue Sicipus,
S.Peperion,
& alij XV,
} Martyres Carthagine, aut forsan aliqui Alexandriæ.

S.Constantinus Confessor, Carthagine.

S.Gorgonius Martyr, Turonibus in Galliâ.

S.Trophimus, S.Thalus, } Martyres, Laodiceæ in Asiâ minore.

Plurimi sancti Martyres, Antiochiæ in Syriâ.

S.Georgius Theophorus & Thaumaturgus apud Græcos.

S.Vincentius Abbas, S.Ramirus Prior, & XII monachi, } Martyres, Legione in Hispaniâ.

S.Constantinus Rex, monachus & Martyr in Scotiâ,

S.Sophronius, Patriarcha Hierosolymorum.

S.Vigilius Martyr, Episcopus Autissiodorensis in Galliâ,

S.Euthymius Martyr, Episcopus Sardiorum in Asiâ.

S.Vindicianus, Episcopus Cameracensis & Atrebatensis in Belgio.

S.Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis in Italiâ.

S.Ængussius Keledeus, Abbas & Episcopus in Hiberniâ.

S.Eulogius Presbyter Martyr, Cordubæ in Hispaniâ.

S.Firmianus, vel Firminus, aut Firmanus, Abbas.

S. Petrus Confessor Babuci in Hernicis.

B.Auria Virgo in Hispaniâ.

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES REIECTI.

SAncta Amata Virgo in Thebaide *refertur hoc die à Guilielmo Gazæo in Cimeliarchio. Ea est* Amma Talida *de quâ egimus* V Ianuar.

S.Arsberti Archiepiscopi Rotomagensis *hoc die Fontanellæ in ecclesiâ S. Pauli reconditum est corpus: vt annotauit M.S Florarium, & nos in eius vitâ diximus* IX Febru.

S.Georgia Virgo Aruernis. *Galesinius, Molanus, Canisius, Ferrarius. De eâ egimus* XV Februar.

XLII milites Martyres *leguntur in* IV *Kalendario Capuano à Michaële Monacho edito. Sunt hi Martyres suprà cum Martyrologio Romano relati* VI Martij.

S.Victoris natalis *refertur in auctario Carthusiæ Bruxellensis, & dicitur esse qui* pridie Nonas Martij ponitur, *scilicet cum alijs* Nicomediæ *passus, vti latè dictum* VI Martij.

S.Sternani Abbatis & Confessoris *memoria habetur in Auctario* Carthusiæ *Bruxellensis. Videtur is esse* S. Sennanus Abbas, *imò &* Episcopus in Hiberniâ, *cuius Vitam dedimus* VIII Martij.

Rogatus } Martyres, *inserti hoc die post Martyres Car-*
Cendeus } *thaginenses tribus exemplaribus Martyrologij S.Hieronymi, quos, vt ibi diximus, arbitramur eosdem esse, qui cum alijs Martyribus Afris coluntur* IX Martij

S. Gregorius Episcopus Nyssenus *memoratur in MS. Vsuardi Neapolitanæ Ecclesiæ & in Bedâ excuso. Alijs* IX Martij.

S.Pacianus Episcopus Barcinonensis *suum cultum habet in Breuiario Eborensi, apud Bedam excusum & alios. Egimus de eo* IX Martij.

Quadraginta Martyres Sebastiæ in Armeniâ passi *suam hoc die venerationem varijs locis habuerunt, inscripti Martyrologijs Vsuardi, Adonis, Rabani, Notkeri & aliorum, Acta illorum dedimus* X Martij.

Domitianus cum socijs *inscriptus Kalendario Breuiarij Moguntini, Florario, Martyrologio Germanico. Sunt & hi ex* XL *Martyribus* IX Martij.

S.Rusticus, S.Palatinus, S.Firmus, } Martyres *referuntur hoc die, & duo priores in MS. Leodiensi S. Lamberti, ast omnes* Nicomediæ *passi in MS. S. Maximini paruo.* S.Firmus, *alijs* Firmianus *est. Coluntur simul* X Martij.

Gorgonius Palatinus } Martyres *reperiuntur hoc die*
Firmus siue Firminus } *in varijs Martyrologijs, nullo indicato loco, in aliquibus* Nicomediæ, *in vno* Nicææ *adscripti. Reliquiæ dicuntur* Bononiæ *esse*, S. Firmi in ecclesiâ collegiatâ Ioannis in Monte, S.Gorgonij apud Franciscanos, *quos in Bononiâ perlustratâ Masini ad hunc diem relatos arbitramur, quòd nullo loco in Martyrologio Romano sint adducti.* Nicænos *esse ostendimus* X Martij.

S.Agapa

S. Agapa } memorantur in MSS. Bruxellensi & Antiochiæ adscribuntur, & absque loco in Aquicinctino; sed prior Agapita dicitur.
S. Marina }

Agapa Virgo Antiochiæ refertur etiam in MS. Centulensi. De vtraque egimus x Martij.

S. Attalus Abbas Bobiensis memoratur in varijs Martyrologijs MSS. & excusis. Vitam dedimus x Martij.

Lois auia } S. Timothei laudatæ ab Apostolo Paulo, quas 24 Ianuarij ad illius Vitam mirati fuimus nullis fastis Latinis aut Græcis inscriptas; eas iam inscripsit Gynæceo sacro Arturus à Monasterio.
Eunice mater }

Alexander filius Simonis Cyrenensis, qui post Christum eius crucem baiulauit, patitur Carthagine Spartiariâ cum Candido, Zosimo & socijs martyrium. Ita Chronicon sub L. Flauij Dextri nomine editum ad an. 112 num. 10, vbi Biuarius annotat locum Equilini lib. 3 cap. 191, asseritq; coli xi Martij. Omninò arbitror ex Equilino hæc à compilatore Chronici desumpta esse, sed qui errorem non aduertit, quo Alexander pro vrbe Alexandriâ sumptus est. Interim Biuarium secutus Tamaius Salazar, etiam animaduerso eius errore inscripsit Martyrologio Hispanico. De S. Candido & Zosimo infrà agimus.

Proba vidua Romana ex Anicianâ familiâ laudata à Patribus antiquis, inscripta est Gynæceo sacro Arturi. Necdum reperimus eam in antiquioribus Martyrologijs.

Eulogius 2 Episcopus Ambianensis cum titulo Beati refertur à Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonicorum: de cuius veneratione nihil alibi legimus.

Finnchanus, Airc-isiremh cognominatus Tamlactensi martyrologio, quod Colganus interpretatur eum qui fuit in angustijs siue cruciatibus diuturnis; à Mariano Gormanò appellatur, virgo purus & amarosus. Hinc Colganus credit hunc esse Findchanum Presbyterum fundatorem, monasterij de Ardt-chain, cui manus, quam ordinando contra canones Aido Nigro temerè imposuerat, iuxta S. Columbæ vaticinium ab Adamnano l. 1 cap 32 descriptum, computruit: quod vti nobis incertum est, ita incertius multò, an iste aliquem vnquam habuerit Ecclesiasticum cultum.

Libanus Abbas Hiensis,
Libernus de Cluainfodâ,
Mosenocus vel Senocus Beshech,
Gellocus vel kellochus,
Cuanna Dal, id est, cæcus:
} quinam sint, & quando vixerint Colgano ignotum; qui duos tamen primos referens, tacet ceteros; ex quibus Senocum eadem habent, quæ duos priores, Martyrologia; postremos duos solus Marianus Gormanus retulit: Cuannæ mentionem Colganus facit, tamquàm eius, qui hoc die colatur ad IV Februarij, agens de alijs huius nominis pluribus.

S. Paschasius Confessor in Beneuentanâ ciuitate. Ita Carthusiani Bruxellenses in quodam Auctario ad Vsuardum & Greuenum non ita pridem collecto. Eius non meminit Marius de Vipera in Catalogo Sanctorum Ecclesiæ Beneuentanæ: neque in Martyrologio MS. eiusdem Ecclesiæ, quo in Vaticanâ bibliothecâ vsi sumus, eius saltem ad hunc diem mentionem reperimus.

Mamertus Abbas S. Petri prope Gumialem Ordinis Cisterciensis, frater S. Dominici, fundatoris Ordinis Prædicatorum memoratur in Kalendario Ordinis Cisterciensis Diuione anno 1617 excuso, in Menologio Chrysostomi Henriquez & Bucelini: ac dicuntur sacra eius ossa auctoritate Ecclesiasticâ eleuata inter Sanctorum corpora in altari eisdem dicato, honorificè adseruari. Interim deest in Martyrologio Hispanico Tamaij Salazar, & in Laureâ Euangelicâ Manriquez Hispani, qui lib. 3 discursu 7 Sanctos & Beatos Ordinis enumerat. Scriptores Ordinis Prædicatorum hunc non norunt, sed Antonium in Hospitali sanctè mortuum.

Iulianus ex Ordine Augustiniano transgressus ad Cisterciensem, in Clarâ-valle dicitur sanctitate & miraculis fulsisse, & à Philippo Seguino Sanctus, à Chrysostomo Henriquez, qui illum citat, & Bucelino Beatus compellatur. In Martyrologio Gallicano Saussay, inter Pios memoratur.

Palumbus monachus Sublacensis in Italiâ } memorantur vt viri venerabiles in Menologio Bucelini.
Henricus ex Morimundensi monacho Episcopus Trecensis }

Suatacopius Rex Morauiæ vt Sanctus inscriptus est nuper edito Menologio Benedictino Bucelini. De eo egimus in Actis S. Cyrilli Morauiæ Apostoli IX huius, & laudatur, vt vir pius, non tamen vt Benedictinus monachus: neque hactenùs eius nomen vllis fastis sacris insertum reperimus.

Wolframi monachi & omnium Sanctorum & Beatorum quiescentium Reinharsborni in Thuringiâ & diœcesi Moguntinâ memoria annotatur ad hunc diem in Menologio Benedictino Bucelini, qui Wolframi miracula narrat, & Sanctum pronuntiat. Interim nuspiam venerationis Ecclesiasticæ potuimus vestigium assequi, ac proinde si habeat, nullum à nobis cupimus præiudicium inferri.

Guilielmus puer Nerdouici in Angliâ Martyr à Iudæis occisus, refertur in Calendario quodam Molani, & in Catalogo generali Ferrarij, qui allegat Polydorum Virgilium & Chronica Regum Angliæ ad annum 1235. quando à Iudæis is cruci affixus esset. Habentur ea in Epitome Chronices Anglorum Regum per Georgium Lilium, vnà cum Polydoro excusâ. Ast hic lib. 16 ad dictum annum 1235 tradit puerum integro anno enutritum, vt aduentante Paschâ in cruce affigeretur, sed re detectâ Iudæos meritâ pœnâ affectos. Hinc nusquam in Martyrologio Anglicano huius pueri mentio est facta.

Simon Rolandus ex vrbe Parisiensi oriundus, ob assiduas ad aram imaginis miraculosæ B. Mariæ Vigilias, Hispanis Simon Vela dictus. qui anno MCCCCXXXIV imaginem illam, à Deiparâ Virgine edoctus, reperit, & in Rupe Gallicâ, Hispanis Peña de Franciâ, in Extremaduræ limitibus collocauit: vbi ob multiplicia miracula templum extructum est & monasterium Ordinis Prædicatorum adiunctum. Ibidem dicti Simonis, anno MCCCCXXXVIII, die XI Martij mortui, corpus cum solennitate sepultum est in maximo sacello prope altare, in quo dicta imago venerationi est exposita. Refertur à Ioanne Marietta Dominicano lib. 6 Historiæ Ecclesiasticæ Sanctorum Hispaniæ cap. 39 ac Sanctus inter Sanctos Confessores non Pontifices recensetur. Vita eiusdem Simonis in libro de sacræ huius imaginis inuentione Salmanticæ sæpius recuso, latè deducitur, eiusque compendium exhibetur à Tamaio Salazar in Martyrologio Hispanico ad diem XVIII Maij, quo recolitur memoria inuentionis dictæ imaginis: verùm ibidem solum Venerabilis appellatur: neque omisisset ad hunc diem suo Martyrologio inscribere Tamaius, si de publicâ veneratione ei concessâ aliquid potuisset scire.

Tres anonymi in Galliâ ab Hugonottis occisi.
Michaël à Perusio Viennæ in Galliâ,
Raphael Varthæ in Poloniâ,
Bartholomæus Lucensis in Etruriâ,
Gasparinus Insuper In Apuliâ,
Ioannes à Louanio in Belgio,
} Ordinis Minorum cum titulo Beati, memorantur in Martyrologio Franciscano Arturi du Monstier, & de Beatificatione Raphaelis agi in Curiâ Romanâ additur. Vnde ergo Beatus cum alijs habetur?

Balbina discipula S. Claræ inscripta est cum titulo Beatæ Martyrologio Franciscano & sacro Gynæceo eiusdem Arturi, quem secuti sunt Laherius in Menologio Virginum, & Iacobillus de Sanctis Vmbriæ.

Eunuculus, siue Eunicus, } referuntur sub finem Martyrologij S. Hieronymi Parisijs excusi, & in alijs MSS. codicibus, & apud Notkerum vt Nicomediæ passi. Videntur esse Euengulus & Eu-
Euchus, siue Eunuchus }

renus inter Martyres Nicomedienses xii Martij.
Paulus } ultimo loco sunt in Martyrologio S. Hiero-
Fortunatus } nymi excuso, desunt in MSS. duobus eiusdem S. Hieronymi, unde ex alijs diebus adiunctos credimus. Est Paulus Martyr xiii Martij.
& Fortunio xiv Martij.
Endenus refertur in Kalendario Hibernico Henrici Fitz-Simon. Forsan est Endeus à pluribus relatus xxi Martij.
Abdas & Beniamin cum socijs Martyres in Perside sub Isdegerde ponuntur hoc die in Chiffletiano Synaxario MS à pluribus cum elogio referuntur xxxi Martij.
Helenæ Martyris Translatio Bruxellas ad templum Societatis Iesv indicatur in Gynecæo Arturi. Colitur secundâ Dominicâ Maij, proinde referenda est ad diem viii Maij.
S. Pelagia, eiusque soror & mater Martyres Antiochię inscriptæ sunt eidem Gynæceo occasione aliorum Martyrum Antiochiæ passorum, de quibus hoc die agimus. Iterum S. Pelagiam cum Martyrologio Romano celebrat Gynæcei auctor Arturus ix Iunij.
S. Gumpertus electus Episcopus Herbipolensis memoratur in varijs Martyrologijs: ast colitur in Ecclesiâ Herbipolensi xv Iulij.
Oswini Regis Northumbriæ & Martyris Translatio corporis contigit hoc die, & inscripta est Martyrol. Anglicano, & Calendario Ferrarij. Natalis eius celebratur xx Augusti.
S. Eberhardus, qui suam mortem S. Vdalrico prædixit, est inscriptus Martyrologio monastico VVionis, Dorganij, Menardi. Citatur Trithemius lib. 3 de Viris illustribus Benedictinis cap. 225. Est is S. Eberhardus primus Abbas Einsidlensis, ab Henrico Muret in Helvetiâ sanctâ & Bucelino relatus ad diem xxii Augusti.
S. Eleutherius Abbas, quem S. Gregorius refert mortuum suscitasse dæmonemque à puero fugasse memoratur in Kalendario MS. Ordinis S. Benedicti. In Martyrologio Romano vi Septemb.
S. Gorgonius Martyr Nicomediensis sub Diocletiano, solebat solenni Officio Ecclesiastico in Ecclesiâ Mindensi hoc die coli ob aduentum reliquiarum eius ad illam Ecclesiam. De eo agetur ix Septembr.
Gerontiæ Martyris Translatio Bergas S. Winoci ad ecclesiam Societatis Iesu inscripta est Gynæceo Arturi. At recolitur quotannis Dominicâ infra Octauam Natiuitatis B. Mariæ, proinde referenda est ad diem ix Sept.
B. Eberhardus opilio in Bauariâ, occasione alterius S. Eberhardi iam memorati recolitur à Ferrario in Catalogo generali. Eius gesta paucis narrat Matthæus Raderus tomo 1 Bauariæ Sanctæ pag. 22, asseritque annum & diem obitus ignorari, ac potissimùm coli circa festum S. Michaelis, differimus ergo, si certius aliquid intelligamus, ad diem xxviii aut sequentes Septembris.
S. Gorgonij Ducis & Martyris ex societate Vrsulanâ Coloniæ in ecclesiâ S. Maximini celebritas habetur, uti in Fastis Agrippinensibus indicat Gelinius. De eo agendum erit cum reliquis Vrsulanis xxi Octobris.
Epimachi Martyris translationem Constantinopolim disticho uno Menæa celebrant: è pluribus huius nominis non reperimus de quo potius suspicemur, quàm de Pelusiotâ Alexandriæ passo xxxi Oct.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

HERACLIO, ZOSIMO, ALEXANDRO, PHILOMO EPISCOPO, CANDIDO, VALERIO, QVIRILLO, PETRONIO, CAIO, MARTIANO, YSICO, SIVE SICIPO, PIPERIONE ET ALIIS XV, CARTHAGINE, AVT FORSAN ALIQVIBVS EORVM ALEXANDRIÆ,

Commentarius historicus.

XI MARTII

Carthagine omnes passi dicuntur in MSS. antiquis Martyrologijs,

1 Artyrologium S. Hieronymi Parisijs excusum, ab his Martyribus auspicatur hunc diem istis verbis: v Idus Martij In Carthagine Heraclij, Zosimi, Alexandri, Philomi Episcopi, Candidi, Valerij, Quirilli, Petronij, Gay, Martiani, Ysici Piperionis & aliorum quindecim. Rogati & Cendei. Eadem leguntur in MS. nostro eiusdem S. Hieronymi & alio, quod apud nos extat ante mille ferè annos exaratum. In hoc C Gaius præfertur Philomo, siue, ut ibidem legitur Pilomo Episcopo, & sub finem adduntur xii pro xv, sed hos xv etiam habent Codices Lucenses, & Blumianus. In his deest nomen Heraclij & legitur Syci, Ysici. In reliquis magnus reperitur consensus, & ubique nomen Alexandri ut Martyris, non Alexandriæ urbis legitur, in quâ voce hîc magna controuersia mouetur. Consentit dictis Martyrol. MS. Corbeiense: ex quo ista damus: v Idus Martij. In Carthagine Heracli, Zosimi, Alexandri, Philomi Episcopi, Candidi, Valeri, Quirilli. Præterea Martyrologia MSS. Treuirense S. Maximini, Pragense Ecclesiæ Cathedralis, Albergense Canonicorum Regularium, Francofurtense quod Coloniæ apud Carmelitas asseruatur, Louaniense Societatis Iesu, Bruxellense S. Gudilæ, item Leidense S. Ceciliæ, & alia quatuor, quæ apud nos extant. Item Martyrologia excusa Lubecense anni 1475, Parisiense anni 1490, Bellini anni 1498, Hermanni Greueni, Maurolyci, VVitfordi, Canisij, & excusum Molani, eisdem ubique verbis ita habent: In Carthagine sanctorum Martyrum Heraclij, Zosimi, Alexandri, Candidi, Piperionis & aliorum viginti. In Martyrologio Coloniensi & Doctrinali Clericorum anno 1490 excusis additur, pro Christo coronatorum. Apud Galesinium de tempore martyrij nonnulla adduntur, ut infrà dicetur. E In MS. Vltraiectino S. Hieronymi deest nomen Alexandri. In MS. Treuirensi S. Paulini ista leguntur: In Carthagine Heraclij & aliorum viginti nouem. Imò cum ipso Heraclio non sunt nisi viginti nouem, etiam adiunctis Rogato & Cendeo, qui post numerum aliorum quindecim subiunguntur, & forsan ijdem sunt, qui cum alijs Martyribus die x Martij coluntur, ideòque hîc prætermittendi. Ita etiam in viginti codicibus iam assignatis præter quinque nominatos indicantur alij viginti: secundum triplex Martyrologium S. Hieronymi forent viginti duo, aut si addantur Rogatus & Cendeus, essent viginti quatuor. In Martyrologio seu Kalendario MS. bibliothecæ Vallicellanæ Congregationis Oratorij Romæ præfixo libro S. Isidori de Officijs Ecclesiasticis legitur: In Carthagine Eradi, Zozimi.

In

A In MS. Augustano monasterij S. Vdalrici absque loco & inuerso ordine recensetur memoria istorum; Alexandri, Agapi, Philomi, Candidi, Valerij, Quirilli, Petronij, Heracli, Zosimi, Martiani. *Iidem & isto ordine referuntur in MS. Parisiensi Labbæi, sed loco* Agapi *melius cum alijs est nomen* Gay; *loco* Alexandri, *quod hactenus non est factum, legitur* Alexandriæ: *de quâ voce mox plura dicentur. In MS. Casinensi fit mentio* SS. Candidi, Valeriani & Alexandri. *At loco* Valeriani *apud alios est nomen* Valerij.

2 *Petrus de Natalibus lib. 3 Catalogi cap.* 191, *citato Adone, ista tradit*: Hiradus, (*imò* Heraclus *aut* Heraclius) Zosimus, Alexander, Candidus, Piperion, & alij eorum viginti apud Carthaginem pro Christi nominis confessione passi, victoriæ triumphum à Domino consecuti sunt quinto Idus Martij. *Baronius pro Martyrologio Romano diuisit in duas classes, citato vtrobique Petro de Natalibus, & ista iam leguntur*: Carthagine sanctorum Martyrum Heraclij & Zosimi. Alexandriæ passio SS. Candidi, Piperionis, & aliorum viginti. *In Notationibus monet* seorsum eos ponendos esse ob antiqua manuscripta: *scilicet monasterij S. Cyriaci, in quo ita memorantur*: Carthagine Eracli, Zosimi. Alexandriæ Gagij, Candidi & alij xv. *Consentit MS. Vaticanum ecclesiæ S. Petri sub Bedæ nomine*: Carthagine Eraclij, Zosimi. In Alexandriâ Gagi, Candidi, *absque numero sociorum. Interim si cùm xx aut pluribus Martyrologijs legatur* Alexandri, *loco* Alexandriæ, *eadem vbique ratio erit: & suadent* socij xv *ex Martyrologio S. Hieronymi desumpti. Omissi interim in hoc sunt nominibus proprijs alijs octo Martyres indicati. Denique in Martyrologio Romano in locum* Gagij *aut* Gagi, *nomen* Piperionis *ex alijs substituitur, & pro anonymis* xv *leguntur* xx.

Aliqui Alexandriæ, attribuuntur:

B

3 *Alia erroris scaturigo videtur hausta ex iam memorato MS. Martyrologio S. Hieronymi, quod apud nos extat: quod in eo pridie siue ad* x *diem Martij ista legantur*: In Alexandriâ natale Candidi, Valerij, Petri, Marciani & aliorum xv Martyrum. *Verùm hæc alicuius amanuensis inscitiâ malè intrusa esse colligimus, quòd ea omnia desint in codicibus Lucensi & Blumiano eiusdem S. Hieronymi, & in huius etiam Martyrologio Parisijs excuso. Interim ex simili scaturigine error irrepsit in Martyrologia alia MSS. & sic in Adone MS. Reginæ Sueciæ legitur ad* x *Martij*: In Alexandriâ S. Candidi: *in MSS. Tornacensi & Latiensi additur*, & Valerij: *in MS. Richenouiensi plenius describitur, additis* Petri & Marciani. *Est* Petrus *suprà* Petronius *dictus. Iterùm in eisdem exemplaribus Martyrologij sub finem diei* x *Martij legitur*: In Alexandriâ Eraclij, Zosimi, Alexandri & Gaipe, *siue* Gaipen, *aut* Gai Penni: *nam ita variant codices. Holstenius in Animaduersis ad Martyrol. Romanum ita reperit in MS.* Alexandriæ Zosimi & Alexandri cum alijs tribus, *& sic euitatur controuersia de Gaio adiuncto. Notkerus, qui eosdem tradit, solum* Gaij *habet: at Rabanus* Gayperij, *pro quo in margine excusum*, Candidi & Piperionis; *sed potius* Gay & piperionis *siue* Perionis, *atque ita omnes ad hos Martyres Carthaginenses possunt spectare. Si tamen quis dictos iam Martyres à Carthaginensibus alios velit statuere, per nos*

vel x Martij.

C

licet. Verùm quia in Bedâ excuso tres priores ad hunc diem xi *memorantur his verbis*: In Alexandriâ Eracli, Zosimi, Alexandri, *planè arbitramur mendum subesse & legi debere* In Carthagine: *quia de his seorsim non agitur in dicto Bedâ excuso.* D

4 *Iterùm in Martyrologio Coloniensi, Doctrinali Clericorum, Auctario Greueni, & nonnullis MSS. ista ad hunc diem* xi *habentur*: Apud Alexandriam SS. Philomi Episcopi, Candidi, Valerij & aliorum xx Martyrum. *In nonnullis codicibus, omisso* Candido, *adduntur alij* xxi. *Pro* Philomo, *etiam scriptum est nomen* Philonij *&* Philoromi. *In MS. Tornacensi noua distinctio vrbium est intrusa his verbis*: In Nicomediâ natalis SS. Gorgonij, Eraclij, Alexandri. In Carthagine Zosimi, & in Alexandriâ SS. Candidi, Marciani, Quirilli. *In MS. Latiensi leguntur ijdem Sancti Martyres, at desunt verba interposita* In Alexandriâ: *ita vt tres posteriores tradantur cum Zosimo martyrio* Carthagine *coronati, ad quos etiam referendi* Eraclius & Alexander. *Vnus Gorgonius huc non spectat, ac videtur is esse, qui die sequenti* xii *Martij a pluribus refertur & colitur* ix *Septembris. De alio Gorgonio & Firmo, Nicænis Martyribus egimus* x *huius. Denique in MS. Pleschionensi hi Martyres recensentur.* Alexandriæ SS. Caij, Candidi, Alexandri, & Neonas Diaconi & aliorum xv. *Verùm inter Martyres, Alexandriæ* xii *Martij passos, sunt* Alexander & Neonas Diaconus *vt vel inde potuerit etiam arrepta esse occasio adscribendi plures ex dictis Martyribus Vrbi Alexandrinæ. Ceterum relinquimus omnia iudicio eruditi lectoris. VVandelbertus duos ex his hoc versu honorauit.*

alij attribuit Alexandriæ

aut Nicomediæ.

E

Candidus hic quinas sibi Valeriusque retentant.

5 *Tempus horum Martyrum assignat Galesinius, quando* Valerianus & Gallienus fidei hostes imperabant. *Verùm cùm in Notationibus nullam sui dicti rationem proferat, videtur id ex solâ coniecturâ fecisse. In MS. Coloniensi S. Mariæ ad Gradus videtur insinuari persecutio* Licinij Imperatoris. *Sed ipsi etiam Martyres Nicomediæ tribuuntur his verbis*: In Nicomediâ SS. Eracli, Zosimi, Candidi, Cyrilli, Claudij & aliorum xxv tempore Lucini Regis. *Vbi nomina* Cyrilli & Claudij *videntur in locum* Quirilli & Gagi *posita. Sin minùs aliquis Martyr nomine* Claudius, *est inter Quadraginta Martyres sub Licinio Sebastiæ passos, qui in multis Martyrologijs etiam* xi *Martij celebrantur.*

quo tempore dicantur coronati.

6 *Nouam difficultatem creauit, qui nuper Chronicon sub L. Flauij Dexteri nomine protrusit: cui ad annum Christi* cclxviii *ista inserta sunt*: Carthagine in Hispaniâ sub Gallieno & Valeriano Imperatoribus, Heraclius & Zosimus insignes fiunt pro Christo Martyres. *Intelligi verò, quos priore loco suprà retulimus, tradunt Biuarius & Rudericus Carus in suis Notis, Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico, & alij ab hoc citati. At quæ latè deduximus Martyrologia solùm statuunt palæstram Carthaginem, nullâ factâ Hispaniæ mentione. At quorsum non adiuncti reliqui socij Martyres? nisi quia reperti seorsum in hodierno Martyrologio Romano, cui ex Galesinio tempus martyrij adiectum.*

an aliqui in Hispaniâ

DE S. CONSTANTINO
CONFESSORE CARTHAGINE.

XI MARTII



1 RElatis Martyribus Heraclio, Zosimo aliisque, Carthagine pro fide Christi martyrio coronatis, substituitur S. Constantinus Confessor *in pluribus Martyrologijs MSS. Bruxellensi S. Gudilæ, Vltraiectino S. Hieronymi, Leidensi S. Cæciliæ, Albergensi Canonicorum Regularium, Louaniensi Societatis Iesu, & nonnullis alijs sub nomine Vsuardi: item in MS. Florario, & varijs excusis, vt Lubecensi anni* 1475, *Coloniensi & Parisiensi anni* 1590, *vti etiam in Martyrologijs Greueni, Galesinij, Canisij, Molani, quo solum citato inscriptus est hodierno Martyrologio Romano his verbis*: Carthagine S. Constantini Confessoris: *in alijs plerisque additur*, clarissimi viri & cælestium ac diuinarum actionum gloriâ illustris. *Constantinus Ghinius eumdem in Natalibus Sanctorum Canonicorum protulit, citatis solum Molano, Galesinio,*

Nomen in Martyrologijs.

A *nio & Martyrologio Romano, appositâ etiam Cruce, quæ indicat nullam eius mentionem fieri in Catalogo Nigrauallis.*

2 *Nonnulli apud Hispanos, tum præfatos Martyres* Heraclium & Zosimum *absque* Constantino *inscripsissent* Chronico *Pseudo-Dextri, hunc postmodum cum illis inseruerunt Aduersarij, siue Fragmentis, quæ sub nomine Luitprandi, siue Eutrandi, nuper collecta prodierunt. In his cap.* 4 *ex editione Madritensi, aut cap.* 5 *ex Antuerpiensi ista leguntur:* Carthagine Spartariâ S. Constantinus Confessor, vir clarissimus, multarum virtutum gloriâ clarus, migrat Confessor sub Valeriano XI die Martij. Eodem die passio sanctorum Martyrum Heraclij & Zosimi passorum pro Christo ibidem. *Secutus id Chronicon Tamaius Salazar, in Martyrologio Hispanico ista tradit:* S. Constantinus Confessor Carthagine Spartariâ V. C bonorum operum cumulum coaceruauit quo coronam vitæ promeruit. *Addit in Notis annum* CCLVII Imperante Valeriano. *Quæ omnia ex merâ coniecturâ dicuntur.* B

an in Hispaniâ mortuus?

DE S. GORGONIO MARTYRE

TVRONIBVS IN GALLIA.

XI MARTII



Hesaurum huius Martyris hactenus vix cognitum, inuenimus Parisijs in bibliothecâ Canonicorum Regularium S. Victoris in codice MS. signato numero 877 *& in alio MS. codice num.* 851 *in secundâ parte Lectionarij, in quo deerat Prologus. Agitur de Rainaldo Abbate Maioris-monasterij à S. Martino apud Turones extructi, Romam anno* DCCCXLVI *profecto, & reuerso anno sequente cum corpore* S.Gorgonij Martyris, *& miraculis, quæ illâ occasione contigerunt. Scripta ea sunt ab oculato teste, monacho dicti monasterij & socio Rainaldi Abbatis: huius nomen poterunt hinc addiscere, qui Catalogum Abbatum imposterum texere desiderabunt. Cultus Martyris sumptus est* XI *Martij, quo die memoria* Gorgonij Martyris *inscripta erat Martyrologijs varijs ac primo* SS. Gorgonij & firmi *siue* Firmini Martyrum, *quos Nicææ passos retulimus die præcedenti* X *Martij. Suum etiam cultum habuit hoc* XI, *& magis* XII *Martij* S. Gorgonius Martyr Nicomediensis *cum* SS. Dorotheo, Petro, Migdonio *& alijs, vti dicitur* XII *Martij: at potissimum eius festum celebratur* IX *Septembris. Præterea in quamplurimis Martyrologijs suam venerationem habent* XL Martyres Sebasteni in Armeniâ: *inter quos etiam fuit aliquis,* Gorgonius *appellatus. En Nicænum, Nicomediensem & Armenum Martyres, quibus nomen* Gorgonius *fuit: à quibus hunc arbitramur diuersum: cuius corpus Romæ repertum est, & quidem, vt videtur,* viâ Appiâ inter duas lauros iuxta ecclesiam S. Cæciliæ. *Auctor, reiectis miraculis S. Alexandri, (quæ asserit* se subter annotare curauisse, *sed in MSS Victorinis desunt, & iam fortè alibi nusquam extant) conclusionem adiunxit, coniectans* corpora Sanctorum XL Martyrum tempore persecutionis ab Agabo Episcopo delata fuisse, *& hoc S.Gorgonij corpus, quod Turones delatum est, fuisse alicuius ex dictis Martyribus. Verùm cùm corpora illa fuerint planè in cinerum* C *massam redacta, nihil vnquam discerni potuit qui cuiusque Sancti indicarentur fuisse; multò minùs solida ossa, quæ transferri possent, tum superfuerunt.*

Historia ab oculato teste scripta editur ex MSS

B

cultus S. Gorgonij XI Martij cum alijs Gorgonijs.

à quibus diuersus est.

HISTORIA TRANSLATIONIS.

Ex II *MSS. codicibus Pariensibus S. Victoris*

PROLOGVS

1 PLerique ad scribendum gesta priscorum Patrum vberiori materiâ producuntur, dum per multiplices sensus locupletati, ingentia cognoscunt. Sanctorum tamen memoriam calamo exarare, eorumque actus & virtutes seu merita posteris propalare, scriptis etiam condignis derelinquere, præmium æternæ remunerationis accumulat, & benè viuendi exemplum demonstrat, ac laudem omnipotentis Dei in Sanctis suis sine fine multipliciter celebrat. Attamen virtutes nec nō miracula, quę Christus instanti tempore fecit per seruum suum gloriosum Martyrem Gorgonium nobis præsentibus atque corporeis obtutibus cernentibus, scripto notare cupientibus, incutitur pro miraculorum numerositate trepidatio: primóque curandum est pudorem conscientiæ humiliter custodire, & ne quid in fide quis dubitet, omni cautelâ prouidere, atque quò nihil erroneum ac temerarium tantæ veritati misceatur, summopere studendum: quòd si non secundùm velle expeditur, vt impleatur pro posse. Bonum namque opus, quibus est in voluntate, ex Dei auxilio proueniet in profectione. Excuset ergo eiusdem materiæ scriptorem, dum constat parua narrasse pro magnis, & non labori cedendum, sed tempori. Quoniam quidem supernâ largiente clementiâ, quotidiè augentur virtutes, ac fama pretiosissimi Gorgonij Martyris in Occidentis partibus vsquequaque diffunditur: tantùm superest, vt ea simpliciter simul & breuissimè cognoscantur ab omnibus esse notata, quæ & labor continuus nobis permisit fessis, ne à memoriâ exciderent, breuiter elucidare: & quæ in commoditatis tempus sunt, paullulùm omnibus aperire beneuolis. Præstabit igitur prædicti Martyris interuentu superabundans omni potentis Dei largitas, vt cumulum atque largitatis magnitudinem illius virtutum prolixiori stylo & luculentiori eloquio apto temporis spatio valeamus explicare: nec qui maiora contulit, minora denegabit: quique margaritum fulgens, videlicet Martyrem nobilissimum, nostris in finibus immeritis nobis condonare disposuit, vt condignis illi in omnibus pareamus famulatibus, & digno lepore digna de eo proferre queamus, fauebit.

Auctor ipse visa scribit.

E

NARRATIO HISTORICA

1 ANno igitur incarnationis D. N. Iesu Christi DCCCXLVI diuinâ administrante gratiâ contigit, vt Rainaldus Cellæ Maioris monasterij Venerabilis Abba, simul cum aliquibus Presbyteris & Diaconibus reliquisque Clericis ex prefato monasterio sibi commisso causâ orationis Romam pergeret, & si Dominus permitteret, & Romana seu Apostolica potestas fineret, corpus alicuius Martyris Christi ad memoratum monasterium S.Martini, quod ipse pręciosissimus Confessor Christi à nouo fundamento summopere ædificauit, secum deferret, sicuti Domino donante & fecit. Et ordinante Deo festiuitate ipsius S.Martini in loco prædicto nouiter constructo celebratâ, iam dictus Abba cum suis Clericis Romam perrexit. Peragratis etenim oratorijs Ecclesiæ Romanæ potestatis, & thesauro quem cupiebat impetrato, decimo quarto Kal. Iunij recedentes à Româ, & beatissimi Martyris Christi Gorgonij corpus secum deferentes, celeriter Domino iuuante, cum summo gaudio summáque lætitiâ, ad S.Alexandrum peruenerunt: cuius F

Corpus S. Gorgonij Martyris Româ delatum in Galliam:

A cuius inquam confessoris Christi miracula, ne fortè inobedientiæ & negligentiæ nobis imputarentur, quę palam omnibus acta sunt subter annotare curauimus. Sequenti verò die equum Rainulfi, Magistri pincernarum hominis Abbatis, validissimus languor arripuit, ita vt vix à tribus seu ampliùs hominibus à loco moueretur, qui oblatus ante sanctum Christi Martyrem sanitate receptâ herbam carpere, & omninò nil mali sentiens currere cœpit, ita vt omnes qui aderant nimiùm mirarentur.

sublatus equi languor:

3 Aliâ verò die Garnerius monachus, qui acutissimis quartanis febribus per aliquod tempus torquebatur, beatissimum Christi Martyrem pro suâ ægritudine deprecatus est, eademque febris quasi illum tetigisset, extincta est: qui Deo gratias agens, cognouit se incunctanter beati Martyris Christi meritis liberatum. Gerbertum namque Presbyterum, qui Turonis, sicut multi eius vicini nouerunt, languidus Romam in eodem comitatu abijt, languor deinceps in eundo vsque adeò inuasit, atque per totum corpus intumuit, vt vita illius iam ab omnibus secum comitantibus desperaretur. Qui cùm locum congruum quærendo postularet, vbi remaneret ac sepeliretur, si obire contingeret; hortatus est à commeantibus sibi, vt fidem & spem suam per Deum in meritis B. Gorgonij poneret. Quo facto, sanitatem impetrare statim cœpit, & validiùs suis pedibus in reuertendo quàm equitando in eundo ire valuit: cuius conciues, cùm ad propria peruenit, incolumitatem illius multùm mirati sunt. Denique Irmgardum Presbyterum ex cœnobio iam dicti Abbatis Rainaldi vehementissimâ podagrâ laborantem, idem sanctissimus Christi Martyr in momento mirificè liberauit, idemque posteà eidem Martyri deuotissimè famulatur. Milo verò Bridacensis oppidi Vicarius, qui dum renum dolore ita torquebatur, vt nec pedibus nec equitando vllo modo se posse ire profiteretur, deuouit se orando ante sanctum Christi Martyrem, & mox sanitate receptâ cum comitibus suis incolumis perrexit.

curantur febris quartana monachi, languor Presbyteri, B *podagra Monachi, dolor renum:*

4 Transuadato igitur flumine, quod vocatur *a* Thar, & ad Boilanam quandam villam nobis peruenientibus, deportatus est in viâ quidam homo, qui iam per annos nouem paralysi assiduè detinebatur, & nil operis exercere valuerat: proiectusque à portantibus subtus ipsius sanctissimi Martyris feretrum, & aliquamdiu orantibus circumstantibus, atq; Clericis qui ad erant Letaniam canentibus, precibus peractis, interueniente S. Gorgonio eadē die, qui per tot annos omnium membrorum viribus caruerat, sanus effectus est. Pertranseuntes verò Placentinam ciuitatem, cùm ad refocillandum de itinere fessi residentes, & cibum sumentes detenti essemus, subsequuta est nos quedam puella contractis poplitibus & brachijs, etiam gibbosa sub scapulis, Giliza nomine, deportata à patre suo Gislando, seu à matre sua Raganibertâ, & proiecta sub ferculo gloriosissimi Martyris Christi, aliquantisper patre & matre orantibus, cœperunt ligata dissolui membra: cui cùm Dominus Rainaldus venerabilis Abba panem in manu porrigere iussisset, acceptum diutiùs manu tenens, nihil tamen ex eo gustans, subitò surrexit, atque panem matri currendo portauit: sexennis enim erat & sic nata fuerat. Quo audito omnes ad miraculum Sancti gaudentes, & præ gaudio flentes cum festinatione cucurrimus, & agentes Deo gratias, peractis laudibus, singuli ad solita tentoria remeauimus. Arrepto deinde itinere obuiauit nobis quidam puerulus, in quamdam villam deportante matre, omnium membrorum carens viribus, protenusque sursum donante Deo arripuit scalam, diutiùs perrexit, & in crastino Papiam ciuitatem pedibus post nos ambulauit. Iuxta Papiam quoque tentorijs fixis, deportata est quedam puella, Eua nomine, Agiæ Abbatissæ neptis, quæ quotidianis febribus acerrimè laborabat, ante ferculum beatissimi Martyris prolata, mirificè sanata est. Transeuntibus nobis demum Vercellensem ciuitatem, delata est quædam fœmina ante ferculum sancti Martyris Christi, quæ dextrâ parte paralysi ligata erat, attamen sanitatem, Domino donante, illicò promeruit. Inde igitur nobis promouentibus, deducta est ante sanctum Christi Martyrem quædam fœmina lumine oculorum carens, Augusta nomine, quæ statim visum recepit, agensque Deo gratias ad sua cum gaudio repedauit. Iuxta ciuitatem vero *b* Augustam cucurrit quædam dæmoniaca vsque ad feretrum beatissimi Martyris Christi, coacta tamen à matre: cædendo namque tantùm vexata erat, vt eamdem matrem suam sæpissimè conuitijs atque maledictionibus seu flagellis nequissimè vexaret: quæ cùm ferculum coacta tetigisset, signaculum Crucis in fronte suâ egit, & cum magno fœtore, à quibus detinebatur ligata, soluta est, & ad pedes matris suæ prostrata, veniam petijt. Indultâ verò veniâ à matre, Domino gratias agens gauisa recessit.

a *In Italiâ paralysis,* *contractio membrorum cum gibbo:* C *paralysis,* *febris quotidiana:* D *paralysis:* *cæcitas;* *b* *energumenâ liberatur:*

5 Transeuntes autem *c* lacum S. Mauricij, nauigio ad portum vsque peruenimus, qui duobus ferè millibus à ciuitate Lausanâ distat. Deportata est autem quædam mulier cœca atque contracta, & sub B. Martyris ferculo proiecta, ex vtrisque passionibus sana redijt. Inde verò ad Vobam flumen venientes, pernoctauimus, & in crastino peractis Missis quidam homo, Haringisus nomine, lumine oculorum carens visum ante feretrum ipsius, Domino donante, recepit. In ipso quoque loco quidam dæmoniacus, Lanfridus nomine, per totam diem strepens & frendens, Domino donante, ab ipsâ vexatione dæmonum liberatus, & in crastinum S. Martyris corpus sequutus est, donec Dominus eius, acceptâ licentiâ, ad propria incolumem reduxit eum. Milliario etenim vno, antequàm Salinis villam peruenissemus, occurrit nobis quædam puella, iam decennio contracta, & ante feretrum beatissimi Martyris Christi prostrata, statim à membrorum debilitate soluta, & sanata est. Pertranseuntes postmodùm præfatam villam stationem ad pernoctandum fecimus, vbi quidam manu debilis & dextro pede claudus, & locutione mutus adijt. Prostratus autem ante S. Martyrem Christi & ambulare cœpit & loqui, qui in crastino per totum diem nobiscum congratulando perrexit. Appropinquantibus verò nobis Loa fluuium, quedam, Griminildis nomine, candelam manu gestans eam super feretrum sancti Martyris proiecit, quæ absque humano igne ex se flammas emisit palam omnibus, & qui viderunt mirati sunt dicentes: Mirabilis Deus in Sanctis suis omnibus. Transeuntes igitur *d* Sogonnam fluuium subsequuta est nos quædam anus, Adalrada nomine, quæ similiter, vt suprà, candelam super scalam posuit, & absque humano igne flammas similiter emisit.

c *sanantur in Burgundia cæca & contracta* E *cæcus,* *dæmoniacus,* *contracta,* *claudus & mutus.* *candela vltrò accensa.* *d*

6 Igitur appropinquantes mœnibus ciuitatis Aurelianensis, subsequuta est nos quædam fœmina visu carens, quæ antequàm peruenisset ad B. Martyris feretrum, ipso interueniente lumen recepit. Peragrantibus intereà nobis prefata mœnia, in medio foro, qui omni Sabbato in mediâ publicâ agitur, sedens quidam puerulus, Benedictus nomine, poplitibus contractis & omni eorum virtute carens, gressum meruit atque post nos incolumis ire cœpit: ita vt multum stuperent ciues ipsius regionis. Inde verò peruenientes ad locum, vbi pòst etiam tentoria fiximus, in prato videlicet *e* S. Maximini, è latere ipsius monasterij, ibique duabus nos persistentes noctibus, adijt quædam vidua, Domnina nomine, debilis manu, sed, Domino donante, sana & incolumis redijt. Ibi etiam quidam, Adalmadus nomine, mutus veniens ante fores tentorij, quo idem beatus Martyr Christi quiescebat, absolutionem linguæ & loquutionem, ipso interueniente, promeruit. Ibi quoque & Godelindis fœmina

à capite

Apud Aurelianenses sanantur cæca, F *contractus,* *e* *debilis manu,* *mutus,*

A à capite deorſum omni membrorum virtute carens, ſuperuenit & dorſo curua, erecta & ſana ad propria remeauit. Hildeberga quoque contracta, atque in eodem loco ante beatiſſimi Martyris feretrum deportata, ſanitati eſt reſtituta. Mox igitur Adaltrudis lumine cæca & illuc deducta, in momento viſum recepit. Illò etiam & Laudiadus quidam contractus veniens, ſanus rediit. Ibi & Gisbildis greſſu carens virtutem eundi promeruit. Otbertus etiam contractus illuc deuotus adiit, & Domino donante, illæſus rediit. Gumbalda etiam cæca & cingulo tenus deorſum contracta, vſque ad beatiſſimi Martyris feretrum deportata, in momento viſum recepit & omnium membrorum virtute receptâ, ſana & incolumis rediit. Nouiſſimè ergo in eodem loco quedam fœmina, Emiltrudis nomine, cruribus & poplitibus contracta, à portantibus delata, ſana eſt facta. Martinus denique contractus Martyrem Christi expetiit, & ſanus nos vſque ad Maius-monaſterium proſequutus eſt. Cùm autem inde progrederemur, deducta eſt ante beatiſſimum Christi Martyrem quædam fœmina à natiuitate ſurda & muta & cæca, ibique auditum, loquelam, viſumque recepit, cuius nomen requirentes, ſcire nequimus, ſed cùm nec ipſa proprium nomen aut locum ſuæ natiuitatis innoteſcere ſciret, Benedi-B ctam nomen impoſuimus.

6 contracti, 2 cæca claudaque. Surda, muta & cæca.

7 Pergentes igitur ad Calniacum villam S. Martini Maioris-monaſterii vel eiuſdem glorioſiſſimi Martyris Christi peruenimus, ibique pernoctantibus & biduo conſiſtentibus, deportata eſt quædam puella, Ermenfrida nomine, contracta de villâ Fratrum eiuſdem monaſterii in quodam grabatulo ante ferculum B. Gorgonii, quæ poplitibus erectis, Domino donante, incolumis ire cœpit, gratulabunda: ibique & Bernehardus cæcus deductus eiuſdem villæ vernaculus ac municeps, Deo donante, per eumdem Sanctum viſum recepit.

Calniaci contracta, & cæcus.

8 Igitur Domino fauente, ad monaſterium S. Martini, quod vocatur Maius, beatiſſimus Christi Martyr cum ſummo honore ac reuerentiâ deportatus eſt, atque in medio eccleſiæ gremio poſitus eſt, vbi interueniente Ioanne Baptiſtâ, quem in Lateranenſi eccleſiâ, quæ intra mœnia Romanæ ciuitatis veneratur & colitur, ſuper hoc exornauimus, & B. Petro Apoſtolo permittente, in vigiliâ S. Martini miſſus eſt quinto Nonas Iulii, cuius dilectio à Deo & deliberatio habebatur, vt non anteà illuc deferretur, quàm pridie Nonas eiuſdem menſis: ſed quia id nutu Dei factum eſſe credimus, vt vbi ſepeliendus & venerandus ſeu in perpetuum permanendus erat, mutari non potuit, quin diem *f* feſtiuitatis pretioſiſſimi Confeſſoris Christi, cui ſociandus erat, præueniret, vt cunctis appareret, vbi ei in perpetuum manere placeret: & qui de medio Principum Apoſtolorum ſponte ſubtrahebatur, dignum erat, vt nobili in loco conderetur iuxta C ſummum Confeſſorem Christi: in loco ſcilicet, vbi aduentus B. Dei Genitricis & Virginis Mariæ viſitandi gratiâ eumdem Christi Confeſſorem vſque in præſens veneratur & in obſequio Apoſtolorum Petri & Pauli & SS. Virginum Agnetis & Theclæ eadem viſitatio & collocutio recolitur, corpus pretioſiſſimi Martyris humaretur: vt & locus & religio per eum in quibuſcumque indigebat, redintegrari mereretur: quia in loco, vnde allatus eſt, talis fuit promiſſio: & ideò interueniente B. Martino tam facilis fuit impetratio: & ne fortè, quod abſit, infimo reconderetur in loco, vbi per ſucceſſiones hæredum ſuccederetur, eueniret eis qui fecerint vel qui conſenſerint hoc, quod in Pſalmo Propheta intulit, dicens de his, qui dixerunt: Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti: ſicut ignis, qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tuâ, & in ira tuâ turbabis eos: imple facies eorum ignominiâ & quærent nomen tuum, Domine: erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant & reliqua. Peractis igitur vigiliis & celebratis Miſſis, conſiderauerunt tam Clerici quam monachi ſimul cum *g* Landraino, Turonenſis ciuitatis Archiepiſcopo, & *h* Aitardo Nannetenſis Eccleſiæ Coëpiſcopo, & Domno Rainaldo eiuſdem loci Venerabili Abbate, ſeu Viuiano illuſtri Comite & Monaſterii S. Martini Rectore, vt in aperto extra mœnia monaſterii loco pro vtriuſque ſexus concurſu ad tempus deferretur: quod cum magno honore à Sacerdotum ac Leuitarum reliquorumque populorum ac Clericorum turmis actum, in Salicto videlicet vel territorio iuxta præfata mœnia eiuſdem monaſterii, quouſque eius tempus ſepeliendi in eccleſiâ iuxta idem monaſterium, Christo diſponente, conſtructâ eueniret. In præfato igitur Salicti loco infraſcripta miracula, miſerante Domino, acta ſunt. D

Corpus defertur ad Maius-monaſterium, pridie feſti S. Martini. Pſal. 82. 13 & ſeqq. deponuntur in Salicto,

9 Iſembardus igitur quidam puerulus, contractus cum ſcabellulis ante feretrum B. Gorgonii Martyris veniens, erectus donante Deo, incolumis rediit. Iſenberga deinde quædam fœmina cauſſâ orationis ad præfatum Martyrem iuit, & contigit vt cum aliâ fœminâ commoto animo litigando cauſſaretur: quæ antequàm perueniret ad locum vbi ibidem glorioſiſſimus Martyr quieſcebat, obmutuit, & per totum diem muta permanens, orantibus populis aduenientibus, veſperè loquelam recepit, & de talibus deinceps ſe emendatam fore promiſit. Berthala intereà quædam fœmina cæca acceſſit, & recuperatis luminibus, rediit. Ibi etiam & Agildis fœmina dæmoniaca aduenit, & libera à quibus detinebatur, orantibus Clericis & populo, ſana receſſit. Ibi & Godabelus contractus ex vtriſque poplitibus acceſſit, & ex vno eorum membrorum nil per decem annos ſentiens, omni virtute reſtitutâ, erectus & incolumis rediit. Adueniens itaque quidam homo dudum mutus, qui dixit ſe in itinere loquelam recepiſſe, cùm ad eumdem Christi Martyrem vt ſanaretur properaret, eius ſolius teſtimonium cùm non reciperetur, ſubſequuti ſunt eum teſtes idonei, qui dixerunt, quòd per multum tempus vidiſſent eum mutum inter ſe conuerſari. Quidam namque puer, Franco nomine, poplitibus curuis & gibboſus ſub ſcapulis, cùm à matre ſuâ de villâ cum amico ante Christi Martyrem deportaretur, cùm ad littus perueniret Ligeris, cœperunt ſolui membra pueri, aſcendenteſque nauim, meliùs ac meliùs ſanari cœpit, & tranſito flumine, ante ſanctum Corpus peruenit erectus. Eodem verò die deductus eſt ibi quidam puer à dominâ ſuâ à natiuitate ſurdus & mutus, qui ſtatim cùm ad locum feretri peruenit auditum & locutionem, interueniente S. Gorgonio, promeruit. Contigit denique ſuadente hoſte iniquo, vt quædam fœmina, de quâ ſuperiùs mentionem fecimus, quæ à natiuitate ſurda & muta & cæca fuerat, & de his omnibus ante corpus S. Gorgonii ſanitatem impetrauerat, quoddam munuſculum argenteum à capite ipſius furtim abſtulerit. Quo ſublato, lumen amiſit, quæ ſtatim præfatum munuſculum reddidit, & lugens, quę commiſerat, pro lacrymis ſanguinem fundendo, amariſſimè fleuit. Ipſâ quoque die & ſequenti nocte & aliâ mediante die, ipſâ flente, & aliis qui aderant orantibus, lumen Deo donante recuperauit. Ibi namque quidam puerulus, Betto nomine, iam triennio contractus aduenit, & ſolutis poplitibus, qui cum ſcabellulis aduenerat, erectis pedibus ire cœpit. Fœmina igitur, Plectrudis nomine, virtute renum carens, curua ſuper croceos quodam veſpere acceſſit, & recuperatâ virtute, dimiſſis croceolis, à quibus ſuſtentabatur, erecta & incolumis rediit. Quidam etenim homo, Giſlebertus nomine, de Maiore-Monaſterio domum ſuam pergens, & villam eiuſdem monaſterii, quæ

E, F. ſanantur contracti, muta, cæca, dæmoniaca, contractus, mutus, contractus & gibboſus, ſurdus & mutus, ob furtum cæca facta, contractus, incuruata,

A quæ vocatur Asmarias, transiens, domum cuiusdam hominis intrauit, & manipulos segetis ipsius hominis ante caballos suos posuit. Vxor verò eiusdem hominis proclamare cœpit, ne eis suam paupertatiunculam tolleret, etiam flendo S. Gorgonium inuocare cœpit, vt vltor illius esset, si suos manipulos ei auferret: quorum equorum vnus segetem carpere cœpit, & statim ore obserato cœpit tremere, vsque dum declinans foras, mortuus cecidit. Quo viso, prædictus Gislebertus timore perterritus, cum suis fugam quantocyùs iniit.

segetem monasterij carpens punitur.

10 *i* Quamuis sit nobis incognitum, quomodò corpora sanctorum quadraginta Martyrum Romæ sunt delata, tamen habemus scriptum quod Agabus Dei cultor & eiusdem patriæ Episcopus, cum reuerentissimis viris condiderunt cum aromatibus pretiosis corpora eorum in loco, qui dicitur viâ Appiâ, inter duas lauros iuxta ecclesiam S. Cæciliæ Virginis ab vrbe Româ milliario, donec impiorum in Christianos per annos plurimos persequutionis turba transiret, vbi Deum diligentes Christoque credentes, ac sancto Spiritui confitentes, glorificant Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen. D

a *Thar, siue Tarus fluuius, irrigat agrum Parmensem; ac dein in Padum defluit. At nota recto itinere vrbes Placentia, Papia, Vercella.*

b *Hæc est* Augusta Prætoria, *vulgò* Aoste, *in Italiæ limite constituta.*

c *Lacus Lemani pars, qua versùs Agaunum, siue S. Mauritij monasterium vergit, inde versùs Lausanam nauigatum, vnde iter fit Salinas vrbem hodierni Comitatus Burgundiæ.*

d *Sagonna, Latinis Arar fluuius, Ducatus Burgundiæ, qui Lugduni Rhodano illabitur. Ammiano,* Arar, quem Sauconam appellant, *vulgò* Saone, *seu* Saune *dicitur.*

e *Miciacense monasterium à S. Maximino fundatum. Colitur* 15 *Decemb.*

f *Est illud ordinationis festum, imo & Translationis Corporis.*

g *Hic est Landrannus* II, *Vrsmari successor, & hoc eodem anno* 847 *interfuit Concilio Parisiensi, & anno* 849 *Turonensi præsedit.*

h *Aitardus, siue Actardus successor Gunhardi anno* 843 *à Normannis occisi.*

i *Hunc epilogum reiectis miraculis S. Alexandri adiectum vide suprà diximus.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS

TROPHIMO ET THALO

LAODICEÆ IN ASIA MINORE.

XI MARTII CIRCA AN. CCC.



1 *Vm multæ hoc nomine vrbes sint, de quibus in Thesauro Geographico Ortelius: eam tamen, quæ in Cariâ est, horum Martyrum certamine fuisse præ ceteris illustratam, persuadet vrbis Stratonices eadem in regione vicinia: ex quâ oriundi Sancti illi dicuntur in elogio quod subiungimus; & ad quam post triumphum memorantur translati. Baronium tamen eius, quæ in Syriâ est, Laodiceæ celebritas maior induxit, vt primus nullo præeunte scriberet:* Laodiceæ in Syriâ sanctorum Martyrum Trophimi & Thali, qui in persecutione Diocletiani post multa sæuaque tormenta coronas gloriæ sunt assecuti: *quæ paulò pluribus verbis, sensu eodem priùs scripserat Galesinius:* Laodiceæ sanctorum Martyrum Trophimi & Thali, qui in persecutione Diocletiani religionis Christianæ accusati, eoque nomine variè ac grauiter excruciati, in summâ tormentorum acerbitate liberiùs Christi fidem profitendo, insigni martyrij coronâ ornantur. *Nulla hic Syriæ mentio: nec apud Græcos vlla, quorum menologium ad hunc diem:* SS. Martyrum Trophimi & Thalæi, qui Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, sub Præside Laodiceæ Asclepio, pro Christianâ fide passi sunt: *Baronius citato in annotationibus eodem Menologio, Asclepiadem vocat: pari vtique accuratione quâ antea* Laodiceam Syriæ. *Referuntur iterùm, nullo indicato loco,* XVI *Martij in Menelogio Basilij Imperatoris, Synaxario Claromontani collegij, & alijs Menæis MSS.* C

Horum memoria in sacris Fastis die 11

& 16 *Martij.*

2 *Est porrò ea, quam diximus, Cariæ Vrbs inter Lycum atque Mæandrum Asiæ Minoris flumina, quatuor vel quinque passuum millibus ab vrbis Occidentali latere confluentia, in confinijs Cariæ Lydiæque, cui etiam à Suidâ attribuitur: sed Philostratus & Ptolomeus Lydiæ tribuunt: in quinquagesimo nono altitudinis gradu, latitudinis verò trigesimo octauo; &* Rhoas *olim, & priùs etiam* Diospolis *dicta, si Plinio credimus:* Laudichiam *hodie esse credit Ortelius: Leunclauius* Noue-Leske *interpretatur: ab hâc non plus quam nonaginta circiter passuum millibus, seu leucis horarijs triginta, Stratonica remouetur in ipso regionis meditullio, Laodiceæ ad Austrum sita: medioque inter vtramque spatio videtur eiusdem nominis fuisse altera* Stratonica, *ignota Ptolomeo, sed Straboni & Stephano cognita, atque distinctionis gratiâ* ad Taurum *cognominata; cuius extrema iuga in Cariam proijciuntur, &* Cadmi *nomen peculiariter obtinent apud Ptolomæum. In Syriâ huius nominis nullam reperies: itaque dubium vix vllum relinquitur, quin ex alterutrâ prognati Martyres Cares sint, & in Cariâ passi; quibus hoc Menæa atque ex Menæis Maximus Cytheræus elogium recitant, quod Matthæus Radeus noster Latinè sic reddidit.*

Laodicea, non in Syriâ

sed in Cariâ

ELOGIVM EX MENÆIS

Diocletiani & Maximiani temporibus, Præside Asclepio Laodiceæ, sæuiente in Christianos tyrannide, comprehensi sunt Trophimus, & Thalus, & propter Christianam fidem ad multas horas lapidibus appensi, sed clypeo tutelæ diuinæ defensi, illæsi perstiterunt. Quos admiratus, cum Concilio Prætor eosque veneratus, dimisit ad tempus impunè agere, sed rursum delati & ad tribunal iudicum rapti, cùm Christum verum Deum liberâ voce publicè testarentur & idola explode rent, cultoresque eorum seu tyrannos damnarent, omnes ad iram accenderunt, vt nudos ab equuleo suspenderent, & corpora eorum vehementer cæderent & lacerarent. Sed Sancti precibus interriti paganos irridebant, & Prætorem propè in rabiem egerunt. Proinde sententiâ latâ iussit illos in crucem agi; quos ad locum supplicij ductos, maxima populi multitudo comitata est. Sancti porrò è cruce suspensi precabantur, & cum populo tractabant, quæ ad animarum salutem pertinebant. F Ita plebs properabat sacra illorum corpora contingere; alij guttas sanguinis, alij illorum sudaria, alij annulos, alij alia, pietatis & venerationis causâ, velut malorum omnium amuleta rapiebant. Sancti verò omnes precabundi animas præmittendo, Deo commendauerunt. Dein ex religiosis pijsque viris nonnulli illorum reliquias vnguento delibutas, & linteis inuolutas in templo reposuerunt. Ipsius Prætoris Asclepij vxor, tumbam Sanctorum pretiosis odoribus impletam nobilissimâ telâ vestiuit. Quidam autem viri Zosimus & Artemius, Sanctorum olim populares & ciues, vrnam sacram reliquiarum secum ad suam vrbem Stratonicam detulerunt, & in latomijs vno milliari à ciuitate remotis, collocarunt.

post prima tormenta dimissorum,

iterùmque captorum,

& crucifixorum,

corpora Stratonicam delata.

DE PLVRIMIS SANCTIS MARTYRIBVS

ANTIOCHIÆ PASSIS.

CIRCA AN. CCCIV XI MARTII

1  *Vsebius libro* VIII *Historiæ Ecclesiasticæ, quasi tædio affectus in recensendis Martyribus, ita exorditur caput* XXIV *secundùm antiquam editionem, aut certè caput* XII, *prout seiunxit Valesius Martyres Palestinæ:* Quid nunc opus est, *inquit*, reliquos nominatim commemorare, aut multitudinem hominum recensere, aut varias tormentorum species orationis penicillo depingere? *Et summatim perstrictis Martyribus in Arabiâ, Cappadociâ, Mesopotamiâ & Alexandriæ pro fide Christi coronatis, addit quæ huc spectant:* Iam verò ea, quæ Antiochiæ gesta sunt, quid opus est in memoriam reuocare, vbi alij craticulis impositi, non ad mortem vsque, sed ad diuturnitatem supplicij torrebantur. Alij dexteras suas in ignem immittere maluerunt, quàm impia libamina contingere. *Hæc ibi: quæ ita à Nicephoro narrantur:* Quis verò Antiochena supplicia memoret? vbi ignes & craticulæ fiebant, B non confestim mortem accelerantes, sed sensim Martyrum corpora torrentes, suppliciaque & pœnas in longum extrahentes. Fuerunt ibi etiam, qui dexteras citiùs igni ardenti comburendas immitterent, quàm execranda sacra & sacrificia attenderent. *Ruffinus etiam in Historiâ suâ Ecclesiasticâ lib. 8 cap. 12 hæc martyria attingit.*

Martyrium relatum,

Martyrologio inscriptum

2 *Non est nobis vllum dubium, quin sæpè in hoc nostro opere de hisce Martyribus, etiam suis nominibus, ex antiquis Martyrologijs, Latinis & Græcis, manu exaratis & typis excusis mentio fiat, tamen ne memoria illorum deficiat, renouatur in Martyrologio Romano ad hunc* XI *Martij his verbis:* Antiochiæ, commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, quorum alij Maximiani Imperatoris mandato candentibus craticulis superpositi, non ad mortem, sed ad diuturnum cruciatum assati, alij alijs sæuissimis affecti supplicijs, ad palmam martyrij peruenerunt. *Brautius Episcopus hoc eos celebrat disticho in Martyrologio Poëtico:*

Non omnes eadem tormenta tulere; Coronam E
Martyrij certè promeruêre parem:

DE S. GEORGIO THEOPHORO

ET THAVMATVRGO APVD GRÆCOS

XI MARTII

 *Atent huius Sancti Acta & miracula, quæ ei duo gloriosa cognomina pepererunt. Dedimus Kalendis Februarij Vitam & martyrium S.* Ignatij Episcopi Antiocheni, *qui* & appellatione & reipsâ Theophorus fuisse *dicitur in Actis Græcis. Qui etiam Traiano Imperatori sciscitanti,* Quare Theophorus vocaretur, *respondit*, illum Theophorum esse, qui Christum circumfert in animâ, *aut secundùm Acta Latina,* qui Christum habet in pectore. *Hac ergo de caussâ hunc* S. Georgium *fuisse* Theophorum *cognominatum arbitramur. Aliud autem* Thaumaturgi *vocabulum passim Sanctis dari solitum ob frequentia miracula, quæ ad eorum reliquias patrabantur, ex hoc opere nostro luce clariùs constat. De hoc autem Sancto ista solùm leguntur in magnis Menæis excusis.* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Γεωργίου, Θεοφόρου καὶ Θαυματούργου, τοῦ ἐν τῷ Ἱπτίῳ λεγομένου τοῦ Νεοφανοῦς. Eodem die sancti Patris nostri Georgij Theophori & Thaumaturgi, qui in Hiptio appellatur Neophanes. *Eadem leguntur in Vitis Sanctorum Maximi Episcopi Cytheræi. Ceterùm vbi sit Hiptius, siue Hiption nos latet.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS

VINCENTIO ABBATE

RAMIRO PRIORE ET XII MONACHIS,

LEGIONE IN HISPANIA.

Commentarius præuius.

CIRCA AN. DLV XI MARTII

1  *Egio vrbs Hispaniarum in Asturibus, & regni proprij caput, inter alios Sanctos colit* XXX *Octobris tres illustres Martyres, Claudium, Lupercium, & Victoricum fratres, in persecutione Diocletiani coronatos: quorum corpora postmodùm, datâ Ecclesijs pace, in basilicâ suis nominibus dicatâ, honorificè fuerunt sepulta, cui etiam adiunctum deinde monasterium est, cui præfuerunt S. Vincentius Abbas, & sub eo S. Ramirus Prior, cum* XII *monachis à Sueuis, in hæresim Arianam delapsis, in odium orthodoxæ fidei occisi. Hunc suum Martyrem S. Vincentium Abbatem Officio Ecclesiastico colit sub ritu duplici vrbs & diœcesis Legionensis hoc* XI *Martij: ad quem diem obseruat Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico,* vetusta Breuiaria & Kalendaria, Abulense, Placentinum, Asturicense, Compostellanum, & omnium ferè Castellæ Ecclesiarum exhibere cultum S. Vincentij. *Et Acta eiusdem allegat ex Breuiario Compostellano, in quo traditur* passus V Idus Martij. *Eodem die colitur Officio* XII *Lectionum in Breuiario monastico regnorum Portugalliæ, Conimbricæ anno* MDCVII *excuso. Eumdem itidem martyrij diem ex aliquo epitaphio, de quo infrà, indicat Ambrosius Morales lib.* 12 *Chronici Generalis Hispaniarum cap.* 19. *eumque secuti Athanasius Lobera in Historiâ Legionensi cap.* 30, *Ioannes Marietta lib.* 3 *de Sanctis Hispaniæ cap.* 11, *Prudentius Sandouallius libro de Fundationibus monasteriorum Benedictinorum in monasterio Legionensi S. Claudij, Antonius Yepes tomo* 1 *Chronici Benedictini ad annum* 554 *cap.* 1 *& Fran-*

Cultus sacer in Breuiarijs Hispanicis

A Franciscus Padilla tomo 2 Historiæ Ecclesiasticæ Hispaniarum centuriâ 7 cap. 17, aliique. Non diu post cædem S. Vincentij vixerunt SS. Ramirus & alij XII monachi, postridie aut certè proximo aliquo die martyrio coronati. Natalem XI Martij ita Martyrologio monastico inscripsit Arnoldus VVion: In Hispaniâ passio SS. Vincentij Abbatis & Martyris & Ramiri monachi, qui ab Arianis occisi sunt. Quæ eadem habet Bucelinus. Adiunxit Ferrarius in Catalogo generali, & aliorum. Exactiùs Menardus. In Hispaniâ, inquit, passio SS. Vincentij Abbatis, Ramiri & duodecim aliorum monachorum. Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico his eos verbis celebrat: Legione in monasterio S. Claudij, floret memoria Martyrum SS. Vincentij Abbatis & Ramiri monachi, eius socij, qui cum Catholicam fidem noluissent deserere, & Arianis erroribus adhærere, ab eorum sectatoribus comprehensi, coronam fidei adepti sunt.

2 Conqueritur idem Tamaius Acta S. Vincentij recludi in bibliothecis Hispanicis S. Benedicti, quorum copias nec visu permittunt religiosissimi & obseruantissimi Patres, fortè ne euulgentur; contenti quòd in marsupijs seu scrinijs, puluere & aranearum telis occludantur potiùs, quàm in commune patriæ bonum demonstrentur. Hieronymus Romanus in Historiâ Ecclesiasticâ Hispaniæ apud Yepes, qui illam ait necdum editam, B asserit sibi Legione in monasterio S. Claudij scrutanti chartas, oblatum esse quaternionem de membranâ, charactere quasi Gothico exaratum, qui præcipuè Vitam S. Vincentij exhibebat, Abbatis huius monasterij atque Martyris, vt constans ac verissima fama est. Yepez inde excitatus ipsa Acta S. Vincentij conquisiuit. Hausi, inquit, hanc historiam ex ipso fonte, nimirùm ex antiquissimo libro MS. cuius copiam mihi monasterium S. Claudij fecit; vbi se S. Ramiri sepulcrum vidisse ait. Eam Historiam Hispanicè translatam inseruit suo Chronico, quam ex illo Latinè nuper edito damus: aliàs imploraturi fuissemus beneuolam caritatem R. P. Francisci de Cachupin, Prouinciæ Castellæ, sub quâ Legio continetur, Societatis nostræ Prouincialis, per quem obtinuimus Vitam S. Rudesindi ad Kalendas Martij editam. Huic Vitæ S. Vincentij addimus Acta S. Ramiri ac XII monachorum, prout illa edidit Tamaius Salazar ex peruetusto MS. codice, quem apud se habuit, abhinc CCCXX annis, scilicet cùm scriberet, exaratum. Contulimus priora Acta cum quatuor Lectionibus in allegato Martyrologio monastico Conimbricæ excusis, & alijs Breuiarij Compostellani ab eodem Tamaio descriptis.

3 De tempore martyrij controuersia est inter viros eruditos, ob aliquod eius epitaphium ab Ambrosio Morales erutum, & à varijs descriptum, quod ille ante trecentos annos, cùm anno MDLXXII Chronicon vulgaret, fuisse exaratum affirmat: ex cuius carmine admodùm rudi nomen Vincentij in primo versu tollendum est, & tunc ita legendum.

Hoc tened ornatum venerandum corpus Abatis
Sed tua sacra tened anima cæleste, Sacerdos,
C Regnum; mutasti in melius cùm gaudia vitæ.
Martyris exempla signant quòd membra sacrata
Demonstrante Deo vatis hic repperit index.
Quater decies quinos & duos vixerat annos,
Mysterium Christi sincerâ mente minister:
Raptus æthereas subitò sic venit ad auras.
Sic simul officium finis vitamque remouit
Spiritus adueniens Domini, quo tempore Sanctus
In regionem iam deduxit, animamque locauit.
Omnibus his mos est de flammis tollere flammas.
Obijt in præceptis Dei V Idus Martij Æra DCLXVIII.

Annus is foret Christi DCXXX, quo tempore regnum Sueuorum, sub quibus Acta tradunt hosce Martyres fuisse coronatos, erat excisum. Hinc torquet se Tamaius Salazar ac per verbum, obire, translationem corporis vult intelligi. Quid si numeros Æræ turbatos dixerimus, ac pro Ærâ DCLXVIII, substituendam æquali numero characterum Æram DLXXXIII dicamus? Foret is annus Christi DLV. Antonius Yepes ad annum huic præcedentem DLIV refert, ac planè reijcit epitaphium memoratum, vtpote vel per ignauiam vel per ignorantiam auctoris quingentis aut pluribus post martyrium S. Vincentij annis perperàm lapidi insculptum, præsertim, inquit, cùm veritatem ambabus manibus teneamus. Sunt igitur hi Martyres sub Riciliano vltimo Ariano Sueuorum Rege interempti. Regum Sueuorum Catalogum texuit S. Isidorus Hispalensis, sed noluit multorum Regum, quòd Arianâ impietate infecti essent, nomina prodere, quæ aliunde adduci debent, & duorum vltimorum notitiam suggeri in his Actis plurimùm gaudet suprà memoratus Hieronymus Romanus, & cum illo Yepes. Postmodùm regnum Sueuorum, inquit Isidorus, suscepit Theodomirus, qui fidem Catholicam adeptus, Arianæ impietatis errore destructo, Sueuos vnitati fidei reddidit. Huius temporibus Martinus monasterij Dumiensis Episcopus fide & scientiâ claruit: cuius studio pax Ecclesiæ reddita est, & multa monasteria condita. Vitam S. Martini damus XX Martij, eumque ex Gregorio Turonensi dicemus vitâ functum esse anno V Childeberti Regis, Christi DLXXXI, vnde aptè hæc tempora conciliantur. Vnum adhuc inquiri posset, quomodò hi Ariani Reges noua ibidem monasteria à Benedictinis monachis, quorum Ordo non diu constiterat, permiserint erigi? Quid si ibidem antiquum extiterit monasterium, postmodùm ad Benedictinos translatum? Ita alibi sæpiùs factum fuisse constat.

4 Corpus S. Vincentij adseruatur Oueti in Camerâ sanctâ Ecclesiæ Cathedralis arcæ argenteæ inclusum, cum hac isti incisâ inscriptione: Hoc opus fecit fieri Magister Garsias, huius almæ Ecclesiæ Archidiaconus, ad honorem S. Vincentij Martyris, quondam Abbatis S. Claudij Legionensis ciuitatis: cuius corpus reconditur in hac arcâ Æra MCCCVI. Est annus Christi MCCLXVIII. Quo anno corpus eò translatum sit, non constat. Colitur in vrbe & diœcesi Ouetense sub ritu Officij duplicis XI Septembris: quo die ista leguntur in Martyrologio Romano: Legione in Hispaniâ S. Vincentij Abbatis & Martyris. Sequuntur VVion, Bucelinus & Dorganius in Martyrologijs monasticis. Præiuit Thomas de Trugillo in Thesauro Concionatorum. Quo etiam die ista habet Tamaius Salazar: Legione in Hispaniâ citeriori S. Vincentij Abbatis, qui mirabilis apud omnes ob virtutum cumulos, & mirabilior in constantiâ confessionis fidei in hæreticorum manibus Martyr celebris vitam reliquit. In Notis nonnulla de Translatione adferuntur ex Chronico Maximi; vti de obitu ad XI Martij: quæ vt planè friuola & nuper excogitata, omittimus.

5 De Translatione corporis S. Ramiri ex Yepes & Sandoualio tradit ista Tamaius Salazar XI Martij: Anno MDXCV F. Alphonsus del Corral, Abbas monasterij S. Claudij, deuotionis affectu ad S. Ramiri lipsana, ingrauescente infirmitate, promisit ea ex humili, quo detinebantur loculo, ad sublimiorem, adeptâ sanitate, subleuare. Deus per merita sancti Martyris Abbati salutem restituit. At ipse aut Ordinis negotijs implicatus, aut alijs occupationibus præpeditus, ad longiora promissionem tempora dilatauit. Sed cùm Sanctorum vota non sint tempore prosperitatis contemnendâ, euenit, vt dictus Abbas in maiorem inciderit ægritudinem: iterùm promissionem effecit, & salus per ostia voti intro se recidiua coniecit. Denique ne tertiò Martyris exploraret auxilium, adueniente visitandi gratiâ Ordinis Generali, votum explicat, & translationem exponit. Annuit Prælatus, concessit Episcopus, & omnes vno concordes spiritu, die XXVI mensis Aprilis anni MDXCVI, actum auctorantibus Episcopo, & Ecclesiæ Cathedralis Capitulo, Clero & populo, qui processionaliter in cœnobium cum Parochialium insignijs, labaris & crucibus perrexêre, aperto sarcophago, corpus cum capite S. Ramiri conspexerunt, nihil mutilum, omne integrum, ossa nec putrida, nec corruptionem redolentia, quin potiùs aliquot sanguinis notulis interlinita. Omnia (præter aliquas

Margin notes: & Martyrologij. — Acta martyrij — eorumque compendia. — epitaphium. — al. Ministerium. — martyrij tempus. — sub Rege vltimo Sueuorum Ariano. — Corpus S. Vincentij est Oueti in Camerâ sanctâ. — Corpus S. Ramiri anno 1596 translatum 26 Aprilis.

A aliquas exuuias, quas Ecclesiæ Cathedrali,& Domino Regi obtulit cœnobiū)in affabrè factâ illustriori manu thecâ,quam Abbas fabricari fecerat,reclusâ,in Capellę altaris tabernaculo,S.Ramiri nomine vocitatæ,collocata quieuerunt, & adhuc quiescunt. Nec erit silentio relinquendum,quod in huiusmodi euenit translatione miraculum: nam cùm quidam Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconus, aliquot inordinata de hac translatione verba dixisset, quibus pauculi affectus symbolum indixisset; successit irrisioni supplicium. Quia cùm cursum ipso die equitum inspectaret, & vnus effrænato equi lupo ex arena discederet,tanto impetū Archidiaconum conculcauit, vt elinguis è vitâ, sine vitâ decesserit. *Refert Ferrarius ad XI Octobris* S. Ramyrum Martyrem *citatis Tabulis Ecclesiæ Legionensis: quo tamen die de eo in ordine recitandi Officium Madriti sæpiùs recuso nihil indicatur.*

ACTA MARTYRII

Ex MS. Legionensi edita ab Antonio Yepes, collata cum Lectionibus Breuiarij monastici Conimbricæ excusis.



1 S Veui, Alani ac Wandali, aliquot Hispaniæ prouincijs subactis, sic arma diuiserunt, Vt Wandali traiecerint in Africam, Sueui sedem fixerint inGalliciâ ac parte Portugalliæ. Tenentibus deinde sceptra Regibus Catholicis successerunt Ariani. Postremi fuerunt Hermenericus & Ricilianus, qui hæreticos sinu tulerunt: insolentis atque crudi Hermenerici similis filius Ricilianus(quidam Richilam appellant) omnes Catholicos, quotquot regnum ipsius colerent, acerbè vexauit, nec templa tantùm æquauit solo, sed etiam mortales vitâ per supplicium exuit, nisi in hæresin iurassent. Insuper viros litteris quomodocumque tinctos è toto regno in conciliabulum contraxit,quod tamen is Concilium vocauit, vt dictis actisque conciliaret auctoritatem, & vel è styge auxilia cogeret. Vastare &, si fortuna sequeretur, radicitus Catholicos vellere animus fuit. Olim,vt hoc etiam admisceam, Gallicia non tantùm Leonem,sed etiam Sahagunum vsque exporrigebatur. Ergo Leonem suos mystas exciuit Ricilianus. Hic tripodi insidere & oracula palmis tensis ab omnibus excipienda edere iussit. Porrò Ariani monasteria superioribus annis tolerarunt: vnde mo- G nasterij S.Claudij nemo Sueuorum aliquot annis admolitus est manus, *a* cui S. Vincentius præerat, cùm Synodum ageret Ricilianus.

A Ricilianо Rege Sueuorum Ariano ad conciliabulum euocatur S. Vincentius:

2 Fuerunt ergo, qui bilem mouerent Regi,Abbatem hunc cum suo cœtu à parte Catholicorum stare, nouas leges à Synodo sancitas hunc non admissurum. Accitus S. Vincentius sese infert: ab inimico Rege barbarum in modum excipitur,præsente conciliabulo collectâ bile aspergitur: Numnam tu es,tumido ore vociferante Riciliano, cedo, num tu es Vincentius ille, qui leges à me latas pedibus subigis & doctrinâ nouâ, nec verâ, aures imbibis? Ego verò, subiecit S.Vincentius, sanctorum Apostoli Petri & Pauli fidem profiteor, nec non S. Iuliani, qui cùm duceretur,preces fudit rogauitque Christum, pro quo supplicium subibat, destrueret templum inimicorum; eos verò, qui personarum æqualitatem & coæternitatem candidè confiterentur, amore prosequeretur atque defenderet: se cum Episcopo Athanasio profari: Patris & Filij est Spiritui sancti vna est Diuinitas, æqualis gloria,coæterna maiestas. Capto deinde hoc argumento,laruam Arianæ hæresi detraxit, inæqualitatem personarum Sanctissimæ Trinitatis non secùs quàm D fumos per orbem venditanti.

fidem Catholicam profitetur:

flagellis diri cæditur:

3 Turgida ad hæc colla Rex sustulit multùm indignatus in suo regno esse, qui tam liberè errores incusare ac condemnare auderet. Quocircà vt litaret iræ, negotium dedit lictoribus, raptum è vestigio Vincentium tamdiu proscinderent flagris,donec carne discussâ in conspectu ossa venirent. Dictum, factum. At corpore flagellis miserè secto, natanteque solo cruore innoxio,regia ira restincta haud fuit: in *b* carcerem compingi virum rlerâ obsignatâ iussit, die altero supplicijs nouis promendum, nisi vlularet cum lupis Arianis.

carceri includitur: b c

ab Angelo inuisitur & sanatur:

4 Exclusit,vti aiebam, omnes mortales: penetrauit tamen in carcerem Diuina bonitas, ac eâ gratiâ S,Vincentium prosecuta est, quâ rarò Martyres potiti sunt. Scilicet Angelum cælo demisit, qui obscuro carcere collustrato, cæli candidatum ferro exemit, collapsam cutem & diffluentiâ viscera restituit, animumque erexit, iterumque astra petiuit. Vincentius acceptò insigni beneficio, totam eam noctem fatigauit, benigno Numini gratias ac laudes persoluendo.

5 Prouectâ iam luce reditum in Concilium fuit. Recilianus è carcere cæco erutum Vincentium accer- E sit, vel à sententiâ dimouendum, vel è medio tollendum. Hic nominis sui & victoriæ iam semel partæ haud immemor, tantùm abest, vt vel latum vnguem à fide Catholicâ discesserit, vt non secùs, quàm si foret Antistes Concilij, in hæresin Arianam summis viribus sit inuectus: rem verò Ecclesiæ acerrimè propugnauit. Quin illud quoque notum in hostes iecit: Odiui congregationem malignantium, & cum impijs non sedebo. Psal. 25. Quo dicto iugulum decretorum conciliabuli petiuit foditque. Non sibi temperauit vnus de impio cœtu, quin colaphum loquenti infringeret strictissimâ manu. Alios insuper in necem sancti viri accendit, Ario haud consulturos, si parcerent. Inde vocibus per calumniam effusis obruitur: doctrina Catholica differtur maledictis, ipse cum Athanasio ringentibus occinit: In Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Hic omnes insano furore corripi: monachum mortis reum pronuntiare: sublatoque ferali clamore isto Concilio excedere. Rex pariter ardens, insontem duci iussit. Mos pridem obtinuit,vt criminibus magnis affines ibi persoluant pœnas, vbi flagitium designarũt,vt alijs iniiciatur metus: hac caussâ Vincentium ad monasterij fores raptarunt, vt acerbum sic exemplum in Abbatem statuendo, ceteros monachorum timore perculsos, ad ingenium Arij fingerent.

professus intrepidam fidem,

colaphis cæditur:

condemnatur ad mortem:

6 Volens, lubens, pedeque pruriente in arenam F contendit Vincentius, vtque Christum Iesum, quà posset, sequeretur, non modò lictoribus veniam dedit, sed etiam Seruatoris vsus verbis, Domine, dixit, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Bona verba noui furoris materia fuere. Quidam enim, ceu fulmine ictus, ferrum duxit, inque caput Vincentij librans, tam altum imposuit vulnus, vt illicò concideret, humique fusus laureatam animam efflarit. *d* Discipuli, quamuis ægrè tanto Magistro carerent, hanc tamen ei clausulam vitæ congratulati sunt. Tantum verò potuit amor erga pium Patrem, vt noctu præsens periculum adeundo, sublegerint corpus, & clàm subductum, in templo, quà Occidentem spectat, proximè SS. Claudium, Lupercium & Victoricum, condiderint. Debebatur enim ipsi locus inter Martyres.

consummat martyrium. d

sepelitur à suis.

apparens suos ad martyrium excitat:

7 Fortè vigilem noctem ducebant, quibus Pater magis cordi erat. Tristitiam intendebant imminentes ac inhiantes luporum Arianorum dentes,quibus volupe fuisset, in oues quoque inuadere, deglubere, dilaniare. His itaque S. Vincentius radijs vallatus, cum Martyrum choro se objiciens, tempus sacrificij adest,

A est, mei filij, dixit. Quisquis statuit pro Christo experiri tormenta, pedem in monasterio figat: supplicia in expedito sunt & palmæ simul. Ceteri maturâ fugâ sese in montes conferant. Ego vitâ fruor æternâ, & me cinctum Martyribus videtis. Hæc vbi verba fecit, in astra se sustulit.

alijs fugientibus

8 Inde in vtramque partem versari monachorum animi: tandem qui vim se ferre posse diffidebant, in pedes se coniecerunt. Non autem sparsi vagabantur vel diuersi, sed vnum ad locum, veluti ad metam, confluebant, nouumque monasterium struxerunt in Gallicia, quod S. Clodio dicarunt. Ramirus Prior cum duodecim firmi pectoris monachis animum induxit, corpus offerre quibusuis tormentis: intenderet Tyrannus discrimina mille, subituros. Iam enim cæli ambrosiâ inescatus erat, spectando Patrem suum, luce insolenti vndantem, beatis Martyribus hinc & hinc septum, æternis gaudijs diffluentem. In decretoriam pugnam etiam socios accendit, vt non modò terga hostibus fidei non verterint sed insuper effusi obuiàm iuerint, arduâ hac viâ ad Superos vltrò nitentes. Non traxerunt vota carnifices, solas in pœnas ingeniosi, citò desiderij compotes fecêre. Nec enim sæuitia cum sanguine S. Vincentij truculento hominum generi effluxit, sed irritata ea vehementiùs fuit.

S. Ramirus & XII monachi

Martyres occumbunt.

B Globus igitur hic infamis parricidarum non obsedit innocentes monachos patre orbos, sed moræ impatiens subitò inuasit ceciditque. Porrectis hac illac corporibus, animæ magnis virtutibus, denique martyrij palmâ effultæ, in cælum sublimes abiuerunt. Alijs fugâ dilapsis, nemo erat, qui funera curaret, atque loco certo conderet, posteris colenda. Vnde non immeritò etiamnum hodie dolet monasterio S. Claudij, tot gemmarum se iacturam fecisse. Vbi enim depositæ sint, nemo est qui sciat. Abbatis tamen & Prioris maior habita curà, quòd vulgò magis noti essent. A Catholicis enim sepulti, Sueuisque ad fidem Romanam traductis, loco nobiliore donati sunt e:

a *Breuiarium monasticum Conimbricæ excusum ita exorditur Lectiones 2 Nocturni*: Vincentius Abbas cœnobij sanctorum Martyrum Claudij, Luperci & Victoris in suburbio Legionis vrbis, vir orthodoxæ fidei, monasticæque disciplinæ obseruantissimus, cùm Arianorum perfidiam detestatus, publicis concionibus & disputationibus in his profligandis totus incumberet, ab eis in conciliabulum adductus &c. *In Breuiario Compostellano, dicitur* vir orthodoxæ fidei obseruantissimus sub Diui Benedicti regulâ.

b *Idem Breuiar. monast.* carcerem obscurissimum *appellat.*

c *Breu. Compostellanum*: Obsignatis annulo regio carceris foribus.

d *In Breuiar. monastico additur*, anno sexcentesimo trigesimo.

C e *Idem finitur his verbis*: Posteà autem diuino monitu repertum est Martyris corpus, & Ouetum deportatum in Cathedrali ecclesiâ argenteâ thecâ reconditum asseruatur.

COMPENDIVM MARTYRII S. RAMIRI ET XII MONACHORVM.

Ex MS. Codice editum à Tamaio Salazar.

S. Ramirus, Gothus,

1 RAmirus ex etymologiâ nominis fuit origine Gothus, in monasterio SS. Claudij, Lupertij & Victorici Martyrum, in vrbe Legionis, cucullum Ordinis P. N. D. Benedicti induit. Subsequentibus temporibus vitam tam perfectè monasticam egit, vt omnibus Fratribus vitæ speculum & virtutis specimen præberetur. Prioratum cœnobij acceperat, quando gloriosissimus Pater noster Abbas, & Martyr Vincentius habenas Ordinis in S. Claudio moderabatur, quo per martyrium, vt diximus, sublato, ipse Pater noster Ramirus, qui tamquàm Prior in locum Martyris Vincentij gubernabat, vocatis Fratribus, post apparitionem sancti Abbatis, hæc illis verba intimauit: Iam vidistis, Fratres carissimi, visionem, quam Dominus per ministerium Patris nostri dignatus est reuelare, & audistis, quæ oporteat fieri, vt qui constanti animo sunt, morti corporeæ vitam sacrificent, & qui spiritu pusilli vitam conseruent. Vnde si libero aspectu Deum cernere anhelamus, priùs fide corda purificanda sunt, operibus consecranda, & muro caritatis hinc inde vallanda; quibus profectò illius sacri Euangelij sponsione incunctanter condigni habeamur, quâ dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Vnde quæso vos, carissimi fratres, ne perdatis coronam vobis paratam, nec vos à caritate Christi cuiuspiam rei mundialis oblectatio segreget, sed æquo animo cum Apostolo dicamus: Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, quoniam propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus vt oues occisiones. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.

D *Prior monasterij,*

suos animat ad martyrium:

Matth. 5, 8

Rom. 8, 35.

E Quin potiùs ista omnia propter æternam retributionem, alacrioribus animis votisque ardentibus & quærenda sunt & ferenda. Manet enim vnicuique apud Dominum reposita laboris sui corona, & pro qualitate certaminis repensabit ille fructum mercedis. Ne terreamini, Fratres, furoribus persequentium, neque formidetis à faciebus eorum, neque enim timere vos faciet Dominus vultum illorum. Vobiscum ille est, qui vos armauit, idem propter vos pugnat, qui incitauit, nec adiuuare desistet ille ipse, qui vos ad peragendum hunc agonem elegit: quo deuictis aduersitatum stimulis secum iure perenni conregnare faciet temporibus infinitis.

aliquot dimissis,

2 His dictis segregatis imbecillibus osculo, & benedictione porrectâ, ad interiora Gallæciæ montana remisit: & secum XII Fratres, quos Spiritus sanctus ad trophæi agonem selegerat, ad Ecclesiam reduxit. Ibidem orationi instantes, & congressum propter fidem Catholicam Christi auxilio contemnentes, Arianorum furorem spectabant. Quo audito Ramirus illicò portas monasterij aperiens cum XII Christi militibus, dæmonis ministros adspiciens, altâ & intelligibili voce monastico more concinebat, sequentibus monachis alternatim: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, Consubstantialem Patri.

cum alijs 12 fidem profitens,

F *interimitur;*

Quibus iterùm atque iterùm repetitis, omnes quotquot venerant ex Arianis, in sanctos monachos impetum facientes, vt rabidi canes, Sanctorum corpora discerpserunt, posteà in cœnobium intrantes, omnia igni tradentes & diripientes, quæ ad commodum profutura repererunt.

seorsim ab alijs sepelitur.

3 Quibus absolutis in propria remearunt, relictis sanctorum Martyrum corporibus in campo dilaniatis. Quæ adueniente nocte pia Catholicorum caritas congregauit, & in ecclesiâ conglomeratè sepelierunt. Excepto corpore S. Ramiri, quod lapideo licet busto & rudi marmore inclusum, requiescit, donec in resurrectione mortuorum suæ sanctissimæ animæ adunetur, vt, sicut ipsa æternam gloriam adipiscatur, per merita Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit laus, gloria & potestas in secula seculorum. Amen.

DE S. CONSTANTINO REGE
MONACHO ET MARTYRE IN SCOTIA,
Commentarius historicus.

CIRCA AN. DLXXVI XI MARTII

Regnum filio tradit:



1 Emoratur sanctus hic Rex in Breuiario Scotico Ecclesiæ Aberdonensis ad hunc XI Martij cum hoc elogio: Constantinus Paterni Regis Cornubiæ filius, Regis Britanniæ minoris filiam duxit in vxorem. Sed ecce sinistrante fortunâ moritur Regina: de cuius mortis dolore cùm Rex consolari noluerit, filio suo regnum & ipsius regimen consultiùs commisit & tradidit. Tunc valedicens omnibus, relicto regno, in Hiberniam transfretauit, veniensque ad quamdam domum religionis, humiliter laborem sustinuit, quo molenda quæque de granario ad molendinum ferret per septennium & referret, de regno ad molendinum descendens. Sedens autem Constantinus molendinarius quodam die in molendino, & neminem videns, dixit: Sumne ego Constantinus Rex Cornubiæ, cuius caput tot galeas, cuius corpus tot loricas sustulit? Sumne ego se interrogans, respondit: Non sum. Cùmque hæc secum replicasset, quidam in molendino latitans, quæ audiuit, Abbati exposuit. His auditis, occurrunt omnes, & extractum de molendino in claustrum ducunt, litteras docent, & ad Sacerdotij gradum, Spiritu sancto inspirante, subleuant. Nec mora: cunctis valefactis, inde recessit, & ad S. Columbam, virum siquidem Deo carissimum, peruenit: deinde ad prædicandum verbum Dei in Galuediam à S. Kentigerno dirigitur, vbi cùm in Abbatem esset electus, gregem sibi commissum verbo & exemplo studuit reformare. Iamque Constantino ad decrepitam ætatem prouecto, quod diu in mente habuerat, petijt à Domino vt Martyr pro Christi Ecclesiâ moreretur, audiuitque vocem de cælo dicentem, quòd sic fieret, vt rogauerat. Cùm autem vir Dei hinc inde patriam perlustrando, verbum Dei prædicaret, & in insulâ Kintyre moram traheret; quidam maligni conuenerunt in vnum, & ad insulam properabant, vt iniquè explerent, quod vir Dei piè petierat. Venientes igitur ad virum Dei, manum ministri sui amputabant; quam statim solo tactu sanabat. Sæuientes igitur in virum Dei, plagis varijs affecerunt, & inter cetera lethalia vulnera, & brachium eius truncauerunt, & tamquàm mortuum relinquentes abierunt. Tunc Sanctus Fratres suos conuocans, & in caritate consolatus est, & sic coràm positis Fratribus obdormiuit in pace, inter sanctos & electos Dei Martyres dignè computandus. Obijt autem circa annos Domini quingentos septuaginta sex. *Hactenus ex Breuiario Aberdonensi.*

in Hiberniâ molenda fert & refert

B

in monasterio eruditus fit Sacerdos:

adit S. Columbam, & S. Kentigernum.

fit Abbas,

in insulâ Kintyre

cupidus martyrij læditur:

moritur.

C

2 *De eodem Rege arbitramur agi in Vitâ S. Dauidis Archiepiscopi Meneuensis, à nobis ad Kalendas huius mensis Martij illustratâ, in quâ num. 7 ista habentur:* Auditâ boni odoris famâ S. Dauidis, Reges, Principes, seculares deserunt sua regna, eiusque monasterium petunt. Hinc contigit, vt Constantinus Cornubiensis Rex suum desereret regnum, ac se in huius Patris cellâ obedientiæ subiugaret. *Ioannes Tunnemuthensis in eiusdem Dauidis Vitâ à Capgrauio editâ accessum Regis ac discessum ita explicat:* Constantinus Cornubiensium Rex, relicto regno suo, in eius monasterio monachus effectus est: ibique diuino conuersatus seruitio, tandem in aliam longinquam patriam migrans, monasterium fundauit. *Latiùs hæc explicat in Chronico Ioannes Fordonus apud Colganum his verbis:* Contemporaneus fuit S. Columbæ *Abbati* S. Constantinus Rex Cornubiæ, qui relicto regno terreno, regnū cæleste meditari cœpit: & cum S. Columbâ ad Scotiam peruenit, & fidem Scotis prædicauit & Pictis. Monasterium Fratrum in Gouane instituit iuxta Cludium, quibus ipse Abbas præfuit. Totam terram Kintire conuertit: vbi ipse Martyr pro fide occubuit, & in suo monasterio apud Gouane sepelitionem accepit.

vixit in monasterio Meneuensi sub S. Dauide,

Pictis & Scotis prædicauit:

3 *Memoria eiusdem S. Constantini peragitur apud Hermannum Greuenum anno* MCCCCLXX *in Carthusiâ Coloniensi vitâ functum: hic in additionibus ad Vsuardum ista habet:* In Scotiâ S. Constantini Regis & Martyris. *Eadem leguntur in Martyrologio Coloniæ & Doctrinali Clericorum Lubecæ anno* MCCCCXC *excusis, & in Martyrologio Germanicè à Petro Canisio collecto. In MS. Florario Sanctorum ita legitur:* In Scotiâ S. Constantini primi, Regis & Martyris. *Meminit & Ferrarius secutus Canisium.*

Martyrologijs inscriptus cum titulo Martyris.

E

4 *Et hæc certiora nobis videntur monumenta: ex quibus colligimus hunc* S. Constantinum primum, *aliquem seniorem esse, qui ibidem seculo Christi sexto floruit inter alios minores Reges, quales sub Vthero, & Arturo Regibus Britanniæ plures vixisse statuit Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ anno* 501 *num.* 3. *Hic ergo relicto regali dominio, quod in Cornubiâ siue Cornwalliâ possidebat, venit ad S. Dauidem Archiepiscopum Meneuensem, & sub illo in monasterio Meneuensi* diu conuersatus, migrauit in longinquam patriam. *Interim Rege Arturo vitâ functo circa annum* DXL, *inter Britanniæ Reges (non hîc agimus de Anglo-Saxonibus) primarius habebatur Constantinus alius, à Gildâ in excidio Britanniæ, vbi eius vitia describit,* Tyrannus Dammoniæ *cognominatus. Incolebant antiqui Dammonij prouincias Deuoniam & iam dictam Cornubiam. An & quo gradu consanguinitatis attigerit priorem Constantinum, non liquet. Tempore huius Constantini posterioris à viuis discessit S. Dauid Meneuensis anno* DXLIV, *vt ad eius Vitam diximus. Illo ergo tempore S. Constantinus* in longinquam patriam migrârat, *quam* Hiberniam *esse ex suprà dictis constat; vbi postmodum in notitiam venit S. Columbæ Abbatis, ac tandem cum illo in hodiernam Scotiam discessit: quod ab isto factum esse anno* DLXV *docet Beda lib.* 3 *Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap.* 4, *& lib.* 5 *cap.* 10 *asserit,* transmontanis Pictis ad Aquilonem primum Christianæ fidei Doctorem fuisse Columbam: *quo tempore S. Kentigernus excolebat alios versùs meridiem in Albaniâ Pictos, vti ad huius diem natalem diximus* XIII *Ianuarij, & IX Iunij dicendum erit ad Vitam S. Columbæ Abbatis. Ac tandem* Constantinus in decrepitâ ætate, *è vulnere pro fide Christi inflicto, mortuus est* circa annum DLXXVI. *Hector Boethius lib.* 9 *Historiæ Scotorum, videtur vtrumque* Constantinum *in vnum conflasse, asseritque cùm Scotos* Christi dogmate erudiret, impiorum manibus passum martyrium: eique aliquot post secula relato in Diuorum numerum, templa nonnulla sacrorum Pontificum auctoritate dicata, adhuc conspici.

Primus aut senior Constantinus.

alius à Constantinus Arturi successore:

F

templa ei dicata.

5 *Alius fuit inter Reges Scotiæ Constantinus, quem asserit Ioannes Maior de Gestis Scotorum lib.* 3 *cap.* 2 *relicto sceptro* in S. Andreâ religiosum effectum, illic quinquennio vsque ad mortem stetisse. *Idem scribunt Leslæus, qui Regem* LXXV *statuit & Constantinum appellat, & Boethius, qui anno* DCCCCXLIII *tonsum & cœnobio* sacratum *asserit. Hunc Dempsterus & Camerarius suis Menologijs, omisso alio, inscripserunt, & iterùm Camerarius* XX *Decembris, & in Indice vt duo distincti indicantur. Gormanus Marianus in Martyrologio MS. Hibernico hoc die collocat primo loco* Constantinum Britannicum Abbatem

Alius Constantinus R. Scotiæ seculo 10 monachus.

A Abbatem de Rathen S. Mochuddæ. *de quo in fastis Tamlactensibus ita legitur*: Constantinus Brito vel filius Fergussij de Cruthenis; *apud Ængussium* Constantinus Rex Ratheniæ *dicitur*: *ex quibus nihil certi proferri potest, nisi* S. Constantinum *hoc die coli, cui singuli suas explicationes adiunxerunt.*

13 *Hermannus Greuen iterum ad* XIII *Martij ista habet*: Constantini Regis Protomartyris Scotiæ: *quem vnum eumdemque arbitramur, qui hoc die ab eodem auctore erat relatus.* D *memoria 13. Martij*

S. SOPHRONII
HIEROSOLYMORVM PATRIARCHÆ
VITA EX VARIIS COLLECTA.

CAPVT I

Communia cum magistro suo Ioanne Moscho studia Alexandriæ; vnde Prati spiritualis auctor dictus?

1 Ophronium, *Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum sexagesimum secundum*; Ex ciuitate Damasco, multiplici eruditione, diuinarum litterarum scientiâ & pietate insignem *natum esse, asserit Græcorum Menologium hoc die; assentiuntur & Menæa: à quibus parentum nomina proferuntur, quæ patri* Plinthas, *matri* Myro *fuere. Sacrarum doctrinarum studium in eo ingens fuisse, nec minorem studio peritiam posterioris vitæ Acta luculenter probant: dialecticarum quoq; præceptionum atque rhetoricæ artis professionem in adolescentiori, & necdum monasticâ vitam professo, indicat honorifica Sophistæ appellatio; sub quâ eius, nomini Pratum spirituale inscribit Ioannes Moschus: siquidem Sophronius Ioannis discipulus sociusque hic est, de quo agimus. Esse autem maximâ cum probabilitate creditur S. Ioanni Damasceno,* τὸ λειμωνάριον τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων *citanti ac producenti, in fine libri quem pro imaginibus conscripsit, altero dumtaxat à morte Sophronij seculo, eâdem autem in Palæstinâ viuens.*

An. DCXXXVIII XI Martii S. Sophronij natales.

Sophistæ cognomen.

2 *At quâ ratione, qui Ioannis Moschi certò esse cognoscitur tam ex Photio vol.* 199 *quàm ipsa prologi ad Sophronium inscriptione; Sophronio ipsi tribuitur à Damasceno, nec nô à Nicænâ secundâ Synodo ad sacrarum imaginum cultum restituendum, non multò pòst quàm Damascenus scripserat, celebratâ? In huius enim Actione* IV, *suggerente Eustachio, Hegumeno mansionis Maximi, Stephanus monachus* è Limonario Patris nostri Sophronij *legit ad verbum ea, quæ cap.*45 *Prati, vt diximus, spiritualis continentur. Respondet Aloysius Lipomanus, Veronensis Episcopus, cuius studio præclarum illud opus ex Hieronymi Camuldulensis versione primum Latinis typis subiectum fuit*: Sophronio his de caussis attribui; Vel quia ad ipsum per carissimum socium inscribitur; quemadmodum & Rhetorica Ciceronis ad Herennium, & eiusdem ad Atticum epistolæ, Ad Herennium & Ad Atticum libri appellantur: sic Sophronij liber hic dicatur, quia ad Sophronium dirigitur: atque ex eo maximè, quòd ad vsum illius in primis conscriptus est. Namque auctor ipse in epistolâ, quam libro præmittit, fatetur se ex hoc Prato coronam Sophronio contexuisse, ac per eum alijs deinceps obtulisse. C

Pratum spirituale cur Sophronio attributum?

quia ipsi dicatum,

3 Seu quia in hoc libro dicta & gesta ipsius Sophronij pro maiori parte continentur: nam is totius itineris libri huius auctoris fuit indiuiduus comes; & quæcumque ambobus ambulantibus occurrerunt, vel quærentibus responderi contigit, diligentissimè descripta sunt. Quare etiam hæc verba sæpissimè iterata videbis: Venimus ego & dominus meus Sophronius sophista ad Abbatem talem, &c. Et ideò semper etiam plurali locutione vtitur, dicens: Perreximus, accessimus, vidimus, narrauit nobis senex monasterij dux. Per quæ omnia conspici datur, scriptorem numquam solum fuisse in his quæ narrat perquirendis. Sicut ergo Platonis Phædrus, Timæus, Gorgias, & Parmenides, & Tullij liber de senectute Cato Maior inscribuntur à personis, quæ ibi colloquentes & disputantes inducuntur; quid obstabit huic libro, quin Sophronij dicatur; cùm in eo is ambulans, visitans, operans, interrogans & respondens vbique ferè asseratur? Aut demum ex illâ caussâ Sophronio adscribitur, quoniam vnà cum Ioanne prædicto conscriptor, vt ita dicam, fortè eiusdem libri fuit. Lege huius voluminis caput LXXVII. & in eius principio ita scriptum reperies: Ego & dominus meus Sophronius perreximus ad philosophi Stephani domum doctrinæ gratiâ: &c. Deinde in fine eiusdem capitis hoc modo scriptum legitur: Ista cùm audiuimus, innuit mihi dominus meus Sophronius, & recessimus, & dixit mihi: Verè, Abba Ioannes, hodie nihil vltrà studeamus; satis enim ædificati sumus. Hæc ergo scripsimus, vt & vos pariter ædificemini. E

auctoris indiuiduo comiti in itineribus,

fortè & adiutori in opere,

4 Vnâ ergo ex his rationibus, seu potiùs omnibus simul acccdentibus, iure meritoque liber iste Sophronij nomine inscriptus videtur: *quibus Lipomani rationibus hæc quoque adiungatur si placet: quòd Sophronij operâ vulgari liber ac celebrari primùm cœperit, quem ipse à Magistro Romæ, vbi perfectus demum est, moriente, velut testamento acceptum, vnà cum defuncti cadauere in Palæstinam attulerat, quemadmodùm paullò pòst videbimus. Quod tamen pro secundâ ratione assumit Aloysius, fuisse Sophronium indiuiduum auctoris comitem, id post ea intelligendum est tempora, quibus hic illi sese in Ægypto coniunxit: nam credibile non est omnibus ijs, quæ in Palæstinâ Syriâque narrata fuere, audiendis (quamuis comites adfuisse indicet Ioannes pluraliter loquens) comitem semper habuisse Sophronium qui necdum monasticæ professionis voluntatem susceperat, & nusquam in ijs nominatur. Dicunt quidē Græcorum Menæa* quòd ad Magni Theodosij cœnobium se conferens, ibi in quiete & silentio diuinarum litterarum meditatione roborarit animum: & prætereà (cùm maiori adhuc studio discendæ Philosophiæ arderet) Alexandriam nauigârit: *verùm perturbatis rebus temporibusque, in eo elogio memorantur plura; & quod à viro factum mox constabit, adolescenti tribuitur, siquidem de suscepto habitu monastico intelligere Menæa volumus: nam alioqui sciendi proficiendique auidum adolescentem patriæ suæ vicina monasteria non infrequenter adijsse, ipsumque illud S. Theodosij, & in eo iam tum famosum Ioannem, Limonarij posteà auctorem cognouisse, colligitur ex hoc initio capitis* 91 Narrauit nobis venerabilis Pater noster Abbas Gregorius Archimandrita monasterij S.P.N. Theodosij, mihi scilicet & fratri Sophronio Sophistæ. F

nam tam in Palæstinâ,

quàm in Ægypto

5 *Vbi quòd eum appellet fratrem, haud aliter potest accipi quàm per anticipationem quamdam eius vocis, quâ inter se vtebantur Romæ, cùm ista scriberentur: aliàs* Dominum *appellat capite* 69. Perreximus vnà ego & Dominus Sophronius, priusquam sæculo renuntiaret, in Alexandriam ad Abbatem Palladium. *Et expressiùs cap.*77 *suprà*

vbi secularem habitum,

Ex varis

A *suprà citato, & cap.* 110 Assumpsi, *inquiens*, Dominum meum Sophronium, & perreximus in monasterium, quod ab Alexandriâ decem & octo passuum millibus distat, ad senem quemdam magnæ virtutis, Ægyptium genere, dixique seni: Dic nobis verbum, Pater, quomodò debemus simul habitare: quia Dominus Sophista voluntatem seculo renuntiandi habet. Ait senex: Benè facis, fili, renuntians seculo, saluansque animam tuam: sedete igitur in cellâ, vbi vultis, sobriè & vigilanter, quietem ac silentium seruantes, & sine intermissione orantes.

cum monastico permutat:

6 *His porrò alijsque similibus monitis excitatum Sophronium credo monasticum habitum assumpsisse: atque huc spectare, quod de visione eidem oblatâ per viam legitur cap.* 102. Cùm interrogatus esset Abbas Sophronius Sophista, frater meus, assistebamus propè illum ego & Abbas Ioannes Scholasticus, & Abbas Quiricus & alij quidam ex Patribus, dixitque nobis; Pergebam modò in viâ & ante me adolescentulæ choream agebant, tripudiabantque dicentes: Benè veniat Sophronius: coronatus est Sophronius. *An autem deinceps quoties Limonarij auctor in plurali dicit:* iuimus, perreximus, *&c. intelligi debeat Sophronius adfuisse, etiamsi hoc non exprimatur, ambigi meritò potest; nec enim de nihilo esse videtur*

B *quòd cap.* 262 *tam clarè hoc addat:* Vidimus Abbatem Theodorum Pentapolitanum (erat autem nobiscum Sophista Sophronius) & interrogauimus eum *&c.*

atque virtutum exempla

7 *Atque ex his, historiæ elucidandæ caussâ hîc prolatis, alterum quoque intelligi potest: videlicet, quale studium fuerit, cuius in vtroque cupiditas par tam arctâ illos inter se necessitudine copularit: hoc agebant nempe vt ex ijs, quæ vbique videbant audiebantque, selectiores, vt sic loquar, flosculos carperent, & in illud quod meditabantur pratum transferrent, ad suum aliorumque profectum: cuius rei exempla possent ex nominato libro proferri varia: vnum hîc pro omnibus est, quod capite vndecimo reperitur, his verbis:* Ego & sodalis meus Sophronius cùm in Alexandriâ essemus, die quadam perreximus ad Theodosij ecclesiam, obuiumque in viâ habuimus in vico virum quemdam caluum, indutum sacco vsque ad genua: videbatur autem quasi fatuus & amens. Dixit igitur mihi Abbas Sophronius: Da mihi nummos, & videbis virtutem venientis. Dedi ego illi quinque nummos; qui acceptos dedit illi, qui videbatur vt amens: accepit autem eos ille, nihil omnino loquens: nos autem clàm illum secuti sumus è vestigio: ille verò cùm flexisset à viâ, extendit in cælum manum suam dexteram habentem nummos, & post hæc prostrauit se coram Deo, positisque in terrâ nummis abijt.

eum Magistro studiosè obseruat:

ex quibus Pratum spirituale confectum.

8 *Circuibant nempe tamquàm apes argumentosæ æquè discipulus atque magister: & in spirituales fauos iunctim referebant quæ collegerant. Eoque alludit pars illa hymni à Græcis soliti hoc die decantari, cuius initiales litteræ hunc versum constituunt:*

Σωφροσύνης μέλπω τὸν ἐπώνυμον αἴσιμα ῥέζων

Sapientiæ nomen ferentem cano, quod æquum est

C faciens.

huius inquam hymni versus à fine decimus tertius huc alludit, cum dixit: ὅλος ἀνάθημα θεῷ τὰς τῶν ἀσκητῶν φυτουργίας περιπτάμενος, σοφὲ, λειμῶνα τὸν σὸν κατεφύτευσας, ἀρετῶν ἐμμελέτημα τῷ θεῷ τῷ ἐν ὑψίστοις καθιερώσας. Totus Deo deuotus, ascetarum circum volitans plantationes, limona, id est, pratum tuum conseuisti, studiosam exercitationem virtutum Deo, qui est in altissimis, offerens: *vt hîc Limonarij opus Sophronio non obscurè tribuatur, tamquàm alteri illius auctori.*

Quis Ioannes Moschus?

9 *Primi porrò auctoris elogium (quod bonâ ex parte Photius Bibliothecæ suæ inseruit; integréque ex MS. Codice Vaticano antiquo à Francisco Oliuario Latinè redditum, Heribertus noster Rosweydus edidit inter vitas Patrum) hîc iuuat proferre; quoniam ad res discipuli illustrandas non parùm conducere videtur, vt eius magistri historia cognita ex parte aliquâ habeatur. Sic igitur habet:* Conscriptus est hic liber Prati, seu Vitæ sanctorum ac virtute præditorum D Deoque placentium Patrum, qui in ipso continentur, reliquæque perutiles animæ narrationes, ac scitè dicta sacrorum iustorum, Christique amantium Patrum & Fratrum, à Ioanne sanctæ memoriæ Presbytero, & monacho cognomento Moscho: qui principio quidem seculo renuntiauit in monasterio sancti Patris nostri Theodosij, Abbatis & Archimandritæ omnium, quæ sunt Ierosolymis, cœnobiorum siue monasteriorum: cùm autem in deserto ad sanctum Iordanem non exiguo tempore versatus esset cum sanctis Patribus, qui illic degunt, eorumque virtutes collegisset, eas huic operi inseruit. Cumque habitaret in Nouo, quod dicitur, monasterio, quod à sancto & magno Patre nostro Sabâ eiusque discipulis constructum ad hoc vsque tempus permanet, audiens quâ tyrannide Persæ Romanos oppressissent, occasione cædis Mauritij Imperatoris eiusque liberorum, à Nouo-monasterio secedens, perrexit ad partes Antiochiæ magnæ.

Limonarij auctor?

10 Atque inde rursùs, cùm præualere gentem videret, Alexandriam se contulit; & totâ quæ circa illam est solitudine peragratâ (fuerat enim iam à principio Imperij Tiberij missus in Ægyptum ad ministerium obeundum) & vsque ad Oasim, proximamque illi solitudinem perueniens; postquàm eos qui illic erant Patres inuisit, atque inde rursùs audiuit sancta loca fuisse occupata, & Romanos metu correptos Alexandriâ relictâ, ad magnam Romanorum vrbem nauigio appulit vnà cum carissimo discipulo suo Sophronio. Dum autem essent in itinere, diuersas insulas lustrarunt. Tali verò donatus à Domino gratiâ fuit vir beatus, vt si quid de vitâ rebusque gestis virtute insignium virorum audijsset vel vidisset, id scriptis mandaret: quo factum est, vt & Romæ cùm esset, idem consilium sit executus. *Hactenus elogium, cuius pars altera propiùs Sophronij vitam attingens sequenti paragrapho proferetur. Hîc tantùm obseruo Tiberium, quo regnare incipiente, visendi Ægypti occasionem Moschus habuit, Æræ Christianæ anno* DLXXIX *exeunte, Imperij habenas suscepisse: Mauritium autem, cuius mortem secutæ clades eidem Moscho necessitatem attulêre Palestinæ deserendæ, ex vitâ sublatum circa finem anni* DCII.

E *eius itinera,*

ad quæ tempora spectent?

11 *Quòd autem Antiochiam discedens socium Sophronium duxerit, atque adeò testem habuerit multorum, quæ visa à se auditaque scribit à Patribus circa Antiochiam degentibus; ab eoque adhuc seculari sumptibus ad iter necessarijs adiutus sit, suspicari possumus, affirmare nequaquàm; cùm Menæa dicant ipsum Alexandriæ inuentum à Sophronio: quod tamen magnam apud nos vim non habet propter alios in isto elogio, quod ex Menæis inferiùs subijciemus, parachronismos: aliud autem nullum in contrarium est argumentum: neque ratio vlla temporum repugnat, quominùs iam tum Moscho potuerit adhærere: nam si annos saltem sexaginta vixisse Sophronium concedas, fuit ille, moriente Mauritio, viginti trium ampliùs annorum: quæ sanè ætas itinerum studiorumque laboribus maximè est opportuna.* F

an cum eo è Palestinâ abierit Sophronius?

CAPVT II

SS. Cyri & Ioannis miracula scribit, S. Ioanni Eleemosynario familiaris: Romam abit: redit in Palestinam.

Miracula SS. Cyri & Ioannis,

12 O*Missis igitur coniecturis, hoc certi habemus ex præcedentibus, Moschi contubernio vsum esse Sophronium in Ægypto, primùm quidem secularem, deinde monachum: item vtrumque simul obijsse regionis illius monasteria, atque in ipsa vsque deserta penetrasse: quid autem Alexandriæ speciatim egerit Sophronius, partim ex argumento Prati spiritualis liquet, maximè ex capitibus præcitatis* 77, 110,

A 110, 111 *aliisque: partim ex D. Ioannis eleemosynarij Vitâ, insigniq; de SS. Cyro & Ioanne volumine, ibidem per Sophronium scripto; quod ad XXXI Ianuarij, quo die Sancti isti coluntur, frustrà desideratum, & perijsse creditum, feliciter reperimus in Romano itinere nostro, & quidem vtraque linguâ, seruamusque ingentis thesauri vice suo tempore proferendum, cùm supplementum operi semper crescenti non contemnendum adyciemus: illius autem scribendi occasionem & quæ scriptionem comitata sunt mirabilia, ex protheoriâ seu præfatione cognosce:*

oculorum ægritudine ab ijs liberatus,

13 Propter ægritudinem oculorum ad Cyrum & Ioannem Martyres accurrentes apud eorum basilicam morabamur, miraculorumque exundantiam intuentes, hæc memorantia scripta volebamus legere, quæ nos Martyrum certamen instruerent, quæue de præcedentibus miraculis prædicarent: nihilque inuenientes quæ diximus, nisi tantùm duos breues sermones magni Cyrilli, qui propugnator & præco extitit veritatis, ad zelum sumus intolerabilem excitati. Si pagani quippe falsa conscribentes, cùm nihil verum nec fabulis liberum dicant, tot libros super dæmonijs conscripserint: nos ad instar quadrupedum, secundùm amicos iusti Iob, tacebimus tanta ac talia veritatis, quæ Christus Deus noster est, opera magnifica B continentes per veros famulos eius effecta? ... idcircò & nos flagrantiori zelo feruentes ad confessionem Sanctorum cucurrimus piè procidentes in faciem, totoque animo deuouentes, vt si nobis concesserint visionis officium, de certamine eorum, quæque ab eis fiunt, eorum miracula conscriberemus, diuinâ gratiâ cooperante nobis....

scripturum se vouet Sophronius:

14 Vnde assurgentes, & apud nos postmodùm recollecti; hinc quidem Martyrum celsitudinem spectabamus, & miraculorum quæ fiebant multitudinem cernebamus: inde imbecillitatem nostram.... vnde recusare hanc, quæ in votis Deo & Martyribus eius à nobis promissa est, redemptionis oblationem voluimus: sed hæc nos agere volentes Salomon coërcebat, dicens: Iuxta quod vouisti Deo, votum tuum ne tardaueris exoluere..... His igitur viris obstrictus, interdum quidem scribere propter priora perterritus, interdum non scribere propter sequentia contremiscens, & quid agerem nesciens, atque ad eosdem Martyres confugiens, quid agendum esset ab eorum sanctimoniâ deposcebam. Illi verò affectus suscipientes propositum, scribere præcepêre, præsidium & consilium suum conferre pollicentes. Multoties itaque scribentibus nobis apparuêre, quod repromiserant adimplentes: nunc quidem atramentum & calamum porrigentes, nunc verò quaternionem sumentes, & quæ nos fefellerant corrigentes: interdum, vtpote narrationibus aggaudentes, vultus hilaritate monstrabant ea se cum delectatione discutere: quod & nos sæpiùs patimur, dum lætis oculis perueneramus ad loca gratiam relationis habentia. Millies quippe nobis, dum in alijs occuparemur, conquesti sunt, & tamquàm negligentem increpauere, dicentes: Quousque non perficis veritatem? hæc de scripturâ & laude sui nominis C defendentes: quæ omnia si scribere velimus, eos qui lecturi sunt onerabimus. Sufficit autem per hæc modò, sæpiùs nobis ab eis collatum præsidium, dum scriberemus, adstruere; Deumque atque eos testes veritatis, quæ in his est, habentes.

ab ijs adiuuatur in opere:

Operis partitio,

15 Inprimis ergo horum martyriale certamen conscripsimus, & quod in templo sint venerabilis Marci depositi, & quomodò demum in ædem Euangelistarum sunt deinde transpositi: horum occasiones & semina ex vocibus S. Cyrilli colligentes. Post quæ, has septem decadas miraculorum conscripsimus; millia decadum multarum habentes describere; si vtique nos dicere possemus, audire verò, qui hæc lecturi sunt, valuissent.... & harum quidem septem decadum tres primariæ ea, quæ post martyriale certamen sepulturamque & translationem gesta sunt, continent: sed & quartæ dimidium Cyri & Ioannis, quæ in Alexandrinis factæ sunt virtutes, enumerat; quartæ verò residuum & decas quinta ea, quæ in Ægyptijs & Lybicis acta sunt, prædicant: sexta autem & septima beneficia, quæ aduenis concessa sunt, intimant.... Nos autem non ignoramus quod sacris miraculorum narrationibus mollis stylus magis congruat & solutus: sed nos hunc relinquentes, extensum suscepimus, vt per hunc concitum Sanctorum feruorem & ad curas egentibus conferendas, designemus instantiam.

D EX VARIIS

Modus redditæ sanitatis.

16 *Hæc ibi atque alia plura, breuitatis caussâ hîc prætermissa, punctisque signata: in ipso verò de laudibus dictorum Sanctorum sermone, qualis fuerit oculorum infirmitas & quomodò ab eâ curatus sit, clariùs sic exponit:* Nos quippe oculis infirmati, quos Saluator totius corporis appellauit lucernam... & cæcitatem afferre infirmitatem hanc à Medicis audientes, quorum alij quidem vitium hoc effusionem, alij vero platycorian, seu pupillæ dilationem nominabant; ad hos benè operantes Sanctos, Cyrum scilicet & Ioannem, profecti sumus, omnem nostram videndi spem in diuinitus illis datâ gratiâ suspendentes, & humanum auxilium, tamquàm infirmum & contra passionem minùs validum, repellentes: at illi fidem admittentes... celerem præbuêre sanitatem languoris, & de futuris, quòd hinc nihil essemus passuri, quæ Asclepiadæ nos passuros dixêre, certos reddidêre: Homericam nostram cæcitatem per visiones & ænygmata, vt illis gratum est, effugantes. E

S. Ioannis Eleemos. consiliarius,

17 *Sed hæc priuata Sophronij studia fuêre, quæ nemo mirabitur alienis sæpè occupationibus fuisse interrupta: qui modò legerit quantò, tam ipse quàm eius Magister Ioannes, in pretio fuerint apud S. Ioannem Eleemosynarium, Alexandrinæ vrbis Archiepiscopum: & quantâ publicarum curarum pars ad eos pertinuerit. De quibus hæc Leontius num. 60 in Vitâ à nobis editâ ad XXIII Ianuarij.* Misit ei Deus viros sapientes & semper memorandos, Ioannem & Sophronium: consiliarij enim erant veraciter boni, quibus & tamquàm patribus indiscretè obediebat, & gratias agebat tamquàm constantibus maximè & viriliter agentibus militibus pro pietate religionis. Etenim sancti Spiritus virtute freti, cùm Seuerianitis ac ceteris circa regionem nostram existentibus immundis hæreticis sapientiâ suâ ac disputationibus pugnas habentes & conflictum, multa quidem castella pluresque ecclesias, similiter & monasteria ab ore talium bestiarum, tamquàm boni pastores, euellere studuerunt: propter quod & maximè plurimùm honorabat Sanctos hos ille verè sanctissimus.

imò domesticus,

18 *Imo domesticos illos videtur habuisse: ita familiariter in Vitâ per Metaphrasten conscriptâ num. 9. eum sub vesperam domi suæ mœstum interrogat, quod alius audebat nemo,* diuinus qui aderat Sophronius: Quid est, *inquiens,* ô vir diuine, quod te afficit molestiâ? ... ille autem miti & leni voce, Hodie, inquit, miserandus Ioannes non ab aliquo vllam accepit mercedem, neque vllum vel minimum piaculum potuit offerre Christo pro multis & magnis suis delictis... Cùm itaque sacrosanctus intellexisset Sophronius, quid sibi vellet, quod ab eo dictum fuerat: Te potiùs, inquit, lætari oportet & non tristitiâ affici, ô Beatissime Domine, quòd tibi commissum gregem feceris viuere in tantâ pace, vt nullus de re aliquâ cum vicino habeat controuersiam: sed tamquàm Angeli aliqui absque vllâ lite & contentione homines viuant in terrâ. F

mortui laudes scribit:

19 *Quem igitur habuit in hierarchico munere ministrum probatissimum, & suarum virtutum arcanorumque conscium dum viueret: eumdem etiam habuit à funere laudatorem:* in eius enim (*vt testantur Menæa*) beatâ pace sopiti mortem hic Sophronius de immenso ipsius eleemo-

A EX VARIIS

eleemosynarum thesauro excellentissimâque virtute funebrem laudationem scripsit, ipseque multis lacrymis obitum eius est prosecutus. *Huius laudationis Leontius meminit num.* 2. Iam quidem, *inquit*, & alij ante nos de hoc admirabili viro & summo Sacerdote Ioanne philosophati sunt, potentes existentes in opere & in sermone. Dico enim Ioannem & Sophronium Dei cultores, & amatores virtutum, & pietatis propugnatores: attamen quamuis tales essent, de dignitate & merito viri istius multa omiserunt.... deinde verò, quia sapientes & potentes in opere & sermone, amatores historiæ erant, sapienter & sublimiter materiam depinxerunt.

Persis Alexandriæ imminentibus,

20 *Priùs tamen, quàm emigraret è viuis Antistes sanctissimus, Alexandriam reduces Ioannes atque Sophronius, peragratâ interiori Ægypto, inuenêre turbata omnia:* cùm Persæ Iordanis loca, Palæstinam & sanctam ciuitatem armorum vi subegerunt. Capto verò Hierosolymorum Patriarchæ Zachariâ, pretioso etiam & viuifico Crucis ligno locis illis erepto, captiuorum hominum multitudinem innumeram in Persidem abduxerunt, *& vniuersam populati sunt Syriam.* Qui autem eorum manus effugere potuerunt, (*vt ex Metaphraste describit Baronius, quamuis auctores confundens Leontium nominet*) & laici, tam ij, qui magistratum gerebant quàm priuati; & Clerici cum Episcopis confugerant Alexandriam. *Sed nec illic diu tutis esse licuit: anno enim sequenti Persæ* Ægyptum, Alexandriam, & Libyam ad vsque fines Æthiopiæ subegerunt. *Id futurum Ioannes Moschus præuiderat: ergo cum Sophronio ceterisq; discipulis nauim conscendens Romam nauigat, & in Cyprum quidem vna cum Ioanne Patriarchâ recepisse se, eoque defuncto, per Ciliciam aliosq; Asiæ tractus, qui in Limonario memorantur, Samumque & Archipelagi insulas, demum in Italiam peruenisse facilè crederem, siquod pro eâ opinione argumentum offerretur.*

B

inde cum magistro socijsq; discedit:

an etiam cum S. Ioanne Patriarchâ

21 *Nunc autem in alto auctorum silentio diuinare non licet: quod tamen inter tam multa, quæ in Cypro facta auditaq; narrat Moschus, nulla fit mentio discessus ab Alexandriâ in comitatu Patriarchæ, non me commouet: video enim, quod toto illo opere ne semel quidem Ioannes Patriarcha nominetur: ideò fortassis, quod quæcumque de eo commemoranda nouerant Moschus & Sophronius, retulerint in Vitam eius à se conscriptam Romæ: quòdsi ab hâc diuersa fuit Laudatio funebris per Sophronium, eamque constaret in exequijs dictam, tum verò certum penè foret simul cum Episcopo in Cypro adfuisse Sophronium. Verùm de his nihil liquet. Fortassis etiam Limonarij opus non integrum ad nos peruenit; sed bonâ parte mutilum: nam vt Photius ait:* Non eumdem narrationum numerum seruatum in omnibus libris deprehendas: cùm in quibusdam ad duo & quadraginta supra trecentas sese extendant (*hodie autem solùm nouemdecim supra ducenta capita numerantur*) idque vel ex capitum quorumdam diuisione, vel certè aliorum interiectione adaucto numero.

C

Quid Romæ egerint Ioannes & Sophronius:

22 *In exitu erat Papæ Deus-dedit Pontificatus, vel Bonifacij V inchoatus, quando Romam cum suis Ioannes appulit, vbi credibile est, non infructuosam tantorum virorum fuisse præsentiam, vt de gliscentibus repullulantibusq; indies per Orientem hæresibus Romana Sedes pleniùs informaretur: quas Sophronij præcipuè partes fuisse existimo; nam deuexa magistri senectus quietem potiùs postulabat: qui interim, ne posteritati esset inutile senile otium suum, ex omnibus quæ viderat, audierat, annotarat ad ædificationem profutura, Limonarium seu Pratum spirituale conscripsit, cùm* suæ ad Deum migrationis tempus præuidisset, *inquit Elogij superiùs prolati auctor, quod in hunc modum prosequitur:* Non tamen iuxta ordinem eorum, quæ audita vel spectata à se fuerant; sed vt paria erant inter se, tam quæ audita quàm quæ spectata fuerant, sibi inuicem copulata scriptis mandauit. Cùm autem ab his terrestribus secessurus esset tumultibus, atque ad tranquillam & quietam vitam transiturus, aduocato carissimo

hic magistri mortui corpus

D

suo discipulo, librum hunc ei tradidit, quo sanctorum Patrum Vitæ ac res gestæ Deo acceptæ continentur: eique mandauit, vt Reliquias suas ne Romæ relinqueret, sed arcâ ligneâ inclusas ad montem Sinæum transferre conaretur, quantùm in eo situm esset, vt cum sanctis, qui illic sunt, Patribus deponerentur. Quòd si quem exoriri barbaricum tumultum accideret, quo id fieri prohiberetur; in monasterio S. Theodosij, in quo ab initio seculo nuntium remiserat, ipsas deponi.

refert in Palæstinam

22 Hoc igitur implere mandatum cùm studeret carissimus discipulus, assumpto secum Ioanne cum suis condiscipulis (erant quippe duodecim numero) magnum Ioseph imitatus est, qui cum fratribus suis Israëlem sumens ex Ægypto transtulit ad patres suos, quemadmodùm ipsi fuerat à genitore mandatū. Cùm autem ille Ascalonem appulisset, & fieri non posse didicisset, vt ad sanctum montem Sina perueniret, propter tyrannicas incursiones eorum, qui vocantur Agareni; assumptis B. Ioannis Reliquijs, initio octauæ Indictionis Ierosolymam venit; & inuento Antistite magni monasterij sancti Patris nostri Theodosij Georgio Presbytero, postquàm illi cuncta renuntiauit, quæ sibi fuerant à sene præcepta, cum illis Fratribus monasterij, qui tum inuenti in vrbe fuerunt, & monachis, qui cum ipso degebant, B. Ioannem deuexerunt: & sicut iusserat, in S. Theodosij cœmeterio deposuit, vnà cum sanctis Patribus, qui illic iacent, reliquumque vitæ suæ tempus in eodem cœnobio transegit. *Hactenus præfixum Prato spirituali elogium, cuius postrema verba, nisi alium à Sophronio Hierosolymitano Moschi socium fuisse velimus credere (contra totius penè Græcæ antiquitatis consensum, quem sequitur auctor Menæorum) necesse est benigniùs interpretemur de longe maximâ vitæ reliquæ parte, cuius tredecim omnino anni in cœnobio acti sint; tres autem dumtaxat in Patriarchatu.*

E

anno 620.

23 *Annum reuersionis significat octauæ Indictionis character vigesimum supra sexcentesimum fuisse; quod sanè admiratione non caret: cùm non minùs de hoc quàm sequenti anno credibile sit verum fuisse, quod ait Theophanes ad annum Heraclij* XI, Chosroëm dominationis suę iugum omnibus intolerabile per crebras cędes atq; vectigalia fecisse. *Ad annos porrò in monasterio traductos à Sophronio potiùs quàm ad breue tempus episcopatus, pleraque illius, quæ nunc periisse dolemus, opera existimo pertinere: nec non Sanctorum Vitas: si quidem præter taxatas hactenus, scripsit aliquas: prout S. Mariæ Ægyptiacæ Vitam, quæ nunc in manibus est ab eo descriptam Nicephorus Callistus auctor est historiæ eccles. lib. 17 cap. 5 idemque de Anastasij Persæ Vitâ suspicatur ad annum 622 Eminentissimus Baronius: quam vtramque talem esse fatemur, vt nihil contineat, vnde Sophronij esse vel non esse certò possit negari vel affirmari: multùm alioqui diuersus est stylus ab eo, quo SS. Cyri & Ioannis laudationem atque miracula descripta per eumdem auctorem gaudemus nos reperisse, & quidem indubitata.*

Vitas aliquas scripsisse dicitur

F

CAPVT III

Patriarchatus Sophronij & certamina aduersus Monothelitas.

Ierosolymis à Cosroe captiuis.

24 *GEmebat interim sub immani Persarum seruitute captiua Hierosolyma & cum eâ Syria vniuersa, donec iniurias suas vlciscens Deus, blasphemum Cosroëm ter prælio victum, per parricidales filij Sirois manus vitâ simul & regno expulit; redditisque vtrimque captiuis pax inter Heraclium Siroëmq; coaluit, anno Christianæ Æræ* DCXXVIII, *captiui Zachariæ locum implente Modesto cum Vicarij nomine (Episcopum quidam minùs rectè scribunt statim ab vrbe captâ) monasterij Theodosiani Abbate, qui difficillimo tempore afflictissimæ diœceseos curas sustinens, monachorum regimen*

redit Sophronius

A *men transtulerat in Georgium; quamuis illi ex cœnobio, vt ea ferebant tempora, nec murato, nec aduersus quotidianas Persarum infestationes ullâ ex parte tuto, intra vrbem se receperant; qua Sophronio Româ reuertenti cum magistri corpore eiusque socijs caussa fuit veniendi Hierosolymam, &, vt mihi quidem videtur, ibidem remanendi vsque ad conclusam pacem, quando licuit monachis ad veteres sedes aut potius vetustarum sedium ruinas remigrare: & episcopatui suo restitutus Zacharias est ab Heraclio Imperatore, salutiferæ Crucis lignum ad suum locum referente.*

ijsdem ab Heraclio receptis.

deperditos sacri Officij libros restaurat.

25 *Hæc anno* DCXXIX *contigêre, quando etiam existimo Sophronium, ex Zachariæ Pontificis, Vicarijque Modesti mandato, sacris codicibus restituendis, in ordine ad diuinum Officium toto Hierosolymitano Patriarchatu prisco more decoreq; continendum, intendisse: id enim ex Simeonis Thessalonicensis verbis constat, citatis à Leone Allatio dissert. 1 de libris Græcorum pag. 7 qui eum auctorem hactenus ineditum, & ante sexcentos annos clarum, in dialogo contra hæreses sic loquentem inducit.* Ordinatior & suauior... ex Hierosolymitano monasterij S. Sabæ Typico ordo præscribitur, qui etiam ab vno eóque solo perfici potest... & absque cantu... Etenim S. P. N. Saba eum ordinem præscripsit à Sanctis Euthymio & Theoctisto acceptum: hi porrò à maioribus & homologetâ Charitone desumpserunt. Sacri verò Sabæ constitu-
B tionem, vt audiuimus, locis illis irruptione barbarorum vastatis deperditam, Sophronius sanctæ ciuitatis Patriarcha studio laboreque restituit: & post eum rursus... Ioannes Damascenus renouauit, scriptoque demandatam tradidit: *quia scilicet Saraceni fidem Sophronio datam non seruantes, simul & sancto Patriarchæ, sancta à canibus conculcata videre non sustinenti, viuendi finem ex mœrore attulerant; & libris quoque ac rebus omnibus sacris vastitatem maximam, primo barbaricæ irruptionis impetu: nam posteà, constabilito in Syriâ ac Palæstinâ Saracenorum imperio, egere modestiùs, & facilè Damasceno fuit deperdita instaurare. Et hæc quidem diu in solâ Hierosolymitanâ Ecclesiâ fuere vsurpata: nunc autem postquam extincta propemodùm est Orientalis Ecclesia, sub imperio Turcarum*, reliquis aliarum Ecclesiarum ritibus obmutescentibus, *inquit Allatius*, ille qui S. Sabæ fuisse dicitur, vti melior & rebus accommodatior, ideóque plausibilior apud Græcos inualuit; quo non tantùm qui S. Sabæ regulis nomina dedere, sed ceteri etiam aliorum Ordinum sectatores, & Sacerdotes in seculo vitam agentes, & quod maximum est, vniuersâ ferè Græciâ ad recitanda diuina officia diriguntur.

iterumq; post Saracenorum inuasionem

S. Ioannes Damascenus.

Athanasius Iacobita Heraclium circumuenit

26 *Anno* DCXXX *Imperatorem adhuc Hierapoli morantem conuenit Athanasius, Iacobitarum Patriarcha, & simulans Chalcedonensem se admittere Synodum, duas in Christo naturas profitendo, vafrâ suâ interrogatione circumuenit, quærens vnicane an gemina in Christo operatio atque voluntas dicenda foret: incautúmque in Monothelitarum protraxit hæresim, cuius incendio totum penè Orientale conflagrauit Imperium: ne autem deflagraret, Sophronij potissimum*
C *operâ factum, Catholici omnes scriptores agnoscunt. Ipse enim tectos primus dolos aperuit, latebrasq; quærentem hæresim in lucem protraxit, prout ad hunc annum, quo perniciosam scintillam in animum Heraclij Athanasius iniecit, refert Theophanes, totam Monotheliticæ flammæ historiam sub vnum hîc aspectum ponens, & quæ annis pluribus quàm quinquaginta gesta sunt, vsque ad* DCLXXXII *scilicet, continuâ narratione pertexens; vt nemo existimare debeat ex mẽte Theophanis principium sedemtis Hierosolymæ Sophronij ad hunc annum esse referendum, quamuis id dici videatur, quo adiunctæ tabulæ chronographicæ Zachariam Pontificem exhibent, vti & anno sequenti.*

Modestus Patriarcha

27 *Anno autem* DCXXXII *habemus in ijsdem tabulis Episcopum ecclesiæ Hierosolymitanæ Modestum: eum qui Zachariæ Vicarius antehac fuerat, & duobus annis sedisse indicatur. Huius quoque Antistitis Patriarchatus omnino turbulentus fuit nouis ex Arabiâ motibus per Saracenos, contra quos per suos duces pugnans Heraclius, alternante fortunâ victus victorque aliquoties, tandem anno* DCXXXIV, D
substituto in locum mortui Modesti Sophronio, quasi rebus in desperatis Syriâ relictâ, & venerandis lignis Hierosolymâ asportatis, Constantinopolim recessit, *vt inquit ad hunc annum Theophanes. Interim viuente adhuc Modesto, quem ex die cultus sacri eidem in Menæis delati, XVIII Decembris mortuum suspicamur; adeoque anno* DCXXXIV *apud Græcos iam à trimestri inchoato: Modesto, inquam, adhuc viuente, Cyrus Alexandrinus Patriarcha collegit Alexandriæ Synodum mense Maio, vt ex sextæ Synodi Actis docemur; & Monothelitarum hæresi, hactenus clàm gliscenti, viam aperuit; eo simulato pretextu, quòd hæreticos omnes in Ægypto positos Ecclesiæ Catholicæ iungere posset, si duarum voluntatum & operationum voces silentio supprimeret; satis esse dicens, si in Christo tantum theandrica voluntas & operatio diceretur, ex quâ duarum in Christo naturarum exacta satis professio ederetur; eò quòd, etsi non voces, res ipsæ tamen expressæ haberentur.*

ex variis substituitur Sophronius:

Cyrus vitiatè aperit Monotheliticæ hæresi.

28 Res visa est, *inquit ad hunc annum Baronius*, speciem præferens pietatis & caritatis; si (vt dicebant) absque detrimento Catholicæ fidei, voces interdum tacerentur, quibus discordiæ nutrirentur. Verùm dolo malo cuncta tunc acta esse, exitus declarauit: *nec fraudulenter agi Sophronium latuit:* Gloriabantur siqui-
E dem inde Iacobitæ & Theodosiani, *inquit Theophanes*, palàm iactantes se non quidem cum Chalcedone, at Chalcedonem secum doctrinâ communicare: & vnâ operatione admissâ, vnicam quoque Christi naturam docere. *Itaque agnoscens hæreticorum dolos atque fallacias pacis inuolucro tectas, scripsit ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham; qui Catholicam simulans pietatem, etsi occultum in pectore venenum foueret, orthodoxus ab omnibus habebatur, miroque plausu exceperat missum ad se Alexandrinæ pseudosynodi decretum &* vnionem aquâ malè tinctam, *vt loquitur Theophanes; rogans vt illud de vnicâ operatione capitulum Synodi Alexandrinæ deberetur; imò & Constantinopolim eâ de caussâ ad eumdem Sergium profectus est, vt ipse Sergius testatur in Epistolâ ad Honorium Papam. Cuius ex sextæ Synodi actione* XII *hîc proferimus verba.*

cui se opponens Sophronius

scribit ad Sergium CP.

29 Sophronius venerabilis monachus apud Alexandriam tum temporis positus, cùm præfato sanctissimo Papâ (*Cyrum intelligit*) quando, vt diximus, admirabilem illam circa eos, qui dudum hæretici fuerant, Dei beneplacito vnitatem componebat; atque cum eo de ijsdem capitulis pertractabat, aduersatus est; & contrà dixit ad vnius operationis capitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri.... Quia igitur pro hoc cum litteris eiusdem sanctissimi comministri ad nos coniunxit, de hoc quoque apud nos sermonem mouendo insistens, vt de talibus adimeretur capitulis, post factam vnitionem, vox vnius operationis: durum nos hoc arbitrati sumus: quomodò enim non esset durum & valdè onerosum, quando hoc resoluere euertere erat futuram quidem omnem illam concordiam, quę benè fuerat effecta, tam apud Alexandrinam ciuitatem quàm per vniuersas sub eâ prouincias; quæ nullo tempore acquieuerant vsque nunc, nomen saltem simplex diuini atque laudabilis Patris nostri Leonis, aut sancti & magni atque vniuersalis Chalcedonensis Concilij mentionem facere. Multis igitur à nobis de hoc motis sermonibus, ad prænominatum venerabilem Sophronium, postremò adhortati eum sumus, testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter Doctores confitemur, & quorum dogmata legem sanctæ Dei cognoscunt Ecclesiæ, duas nominatim & ipsis verbis operationes in Christo dicendas tradentia. Ille autem hoc facere penitus non valuit....

Sergius ad Honorium Papam

refert querelas Sophronij: F

eid. de vnà vel duabus naturis silentium indicit:

30 Hanc igitur contentionem incipientem accendi videntes, necessarium iudicauimus attritas potiùs sanctorum Patrum voces & synodicè definitas semper

Ex variis acquiescit Sophronius

A semper sequi: & neque quæ rarò à quibusdam Patribus dicta sunt, & non circa hæc intentionem habentibus, quasi planam & inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam & legem per omnia dogmaticam reducere; quale est & quod de vnâ operatione ab eis dictum est: neque iterùm quæ nullatenùs dicta sunt à probabilibus Patribus, nunc verò ab aliquibus proferuntur, duas, inquam, operationes proferre. Et ad vltimum stetit ac placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis nullum sermonem de cetero, de vnâ siue duabus operationibus mouere debeat: sed ei sufficiat præfata cautaque ac trita sanctorum Patrum recta traditio atque doctrina. His itaque contentus sæpè nominatus venerabilis vir, & hæc custodire certificans, petimus nos etiam per epistolam de his ei præbere responsum; quatenus huiusmodi epistolam (vt ait) ostendat ijs, qui forsitan interrogare eum de prædictâ quęstione voluerint: quod & alacriter egimus, & ille quidem in his hinc enauigauit. *Hactenus Sergius cautè ac vafrè: qui & sensa sua in sequentibus Romani Pontificis iudicio subijcit: & vtrique dumtaxat parti indicat indicendum silentium: licet obscurè innuat primas ac potiores partes eorum esse, qui vnicam asserebant operationem in Christo.* B

Sed Patriarcha effectus

31 *Sophronius autem quamprimùm Constantinopoli redijt in Palæstinam (quod vix ante finem Iulij vel etiam Augusti vel Septembris factum possumus arbitrari) & Modestus morte suâ vacuam Sedem Patriarchalem reliquit, ad eumdem euectus est: id quod in suprà citatâ epistolâ Sergius audituse didicisse commemorat, nec dum autem de ordinatione illius Synodicas litteras suscepisse. Suscepit autem non multò post: nam vt Theophanes ait:* Sophronius Hierosolymorum Episcopus institutus, congregatis quibus præerat Episcopis, Monotheliticum dogma condemnauit, Synodicaque Acta Sergio Constantinopoleos & Ioanni (*Honorium voluit dicere: nam Ioannes eo nomine Tertius ante annos sexaginta duos vitâ functus erat, cùm fortè adhuc puer esset Sophronius: Quartus verò non nisi triennio post Sophronij mortem elapso electus fuit: & tamen hunc calami seu memoriæ lapsum ex Theophane Anastasius bibliothecarius transcripsit, ex Anastasio historiæ Miscellæ auctor, ex his alijsque pari errore seductis Baronius in notis ad Martyrologium: sed ipse se in Annalibus correxit.*) Acta, *inquam*, Synodica Sergio Constantinopoleos & & Honorio Romæ Episcopo transmisit per *Procuratorem Leontium, sanctæ Resurrectionis Diaconum, & secretarij Cancellarium, primumque Notariorum; eique additum socium Polyeuctum litteras Sophronij deferentes. Quæ quidem litteræ in Actis sextæ Synodi integræ recitantur;* in quibus, *vt ait Photius*, orthodoxam sententiam accuratè expendit, & sacrorum dogmatum doctrinam minimè vulgarem demonstrat.... rogat autem corrigi si quid in epistolâ vel omissum vel aliter dictum quàm par sit.

Synodicam monothelismi damnationem Sergio mittit & Honorio,

32 *Nempe de Sergio nihil sinistri adhuc suspicabatur Sophronius, ideòque de nouis vocibus silentium optanti sine fuco fallacijsque consentiens, ab eo discesserat, & nunc ad eumdem litteras fide bonâ mittebat: quod idem & Honorius Pontifex fecerat: atque ad priorem Sergij respondens epistolam:* C Litterarum, *inquit ad eumdem Sophronium directarum* suscipientes exemplar, & intuentes satis prouidè circumspectèque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus nouitatem vocabuli auferentem, quòd posset scandalum simplicibus generare: nos enim: in quo peruenimus oportet ambulare... confitentes Dominum Iesum, Christum operatum diuina, mediâ humanitate, Verbo Dei naturaliter vnitâ; eumdemque operatum humana, ineffabiliter atque singulariter assumptâ carne discretè, inconfusè atque inconuertibiliter plenâ diuitate. *Hæc Honorius pacis atque tranquillitatis ecclesiasticæ causâ, nec ipse de Sergio quidquam suspicans mali: verùm eius iniquitatem retexit tempus, & Synodus œcumenica prædicta multoties condemnauit: Actione autem XIII hoc de Sophronio testimonium Patres congregati tulere:* Pertractauimus autem & Synodica Sophronij venerabilis memoriæ, quondam Archiepiscopi sancti Dei Hierosolymorum ciuitatis, & hæc reperientes cum verâ fide conuenientia, Apostolicisque & sanctorum atque probabilium Patrum doctrinis paria, vtpote quæ sunt orthodoxa, recepimus, & vt salubria sanctæ Catholicæ Ecclesiæ suscepimus, & nomen eius inseri sanctis diptichis sanctarum Ecclesiarum iustum esse iudicauimus. D

Sergij consilium probanti.

Sophronij sententiam Concilium suscipit.

CAPUT IV

Romam mittitur Stephanus à Sophronio: hic vrbe à Saracenis captâ moritur.

Sophronius iterùm se Monothelitis opponens

33 *Ceterùm cùm minimè quiesceret Cyrus illiusque asseclæ, vnam predicare in Christo voluntatem, non ampliùs indicti à Sergio silentij legibus se teneri Sophronius credidit, eorumque temeritati obuiàm ire volens,* dedit in duobus libris sexcenta testimonia ad euictionem impietatis eorum & veritatis ostensionem, *vt in Concilio Lateranensi sub Martino I. Pontifice testatus est Stephanus, olim super hisce legatus ad Honorium missus ab ipso Sophronio, qui* Reuocare, *inquit*, minimè eos valuit: commouit autem contra se ad insidias & malignam detractionem: *dum scilicet omnium turbarum in ecclesiâ per ipsos exurgentium causam esse clamitant Sophronium; qui (vt Pyrrhus Constantinopolitanus post illius mortem in disputatione cum S. Maximo ait)* tempore inopportuno sermonem de operationibus excitauit: *à quâ calumniâ egregiè idem Maximus Sophronium vindicauit, ostenditque omnem culpam refundendam in Sergij* mutabilitatem & inconstantiam, in alias alio tempore transeuntis sententias, & nullo sensu permanentis, *dum scilicet vult orthodoxus videri: nec tamen ab eâ, quam Heraclio instillauerat, opinione recessisse.* E

eorum calumnijs petitur:

Prou. 28, 1.

adiurat Stephanum,

34 *Quid autem Sophronius? pergit Stephanus:* Nullo modo propter hoc reueritus est omnino ille, nec timuit timorem vbi non erat timor: quoniam iustus sicut leo, confidit. Zelo autem Dei & fiduciâ repletus, duxit me indignum & statuit in sanctæ Caluariæ loco, vbi propter nos, ipse qui super nos secundùm naturam Deus est, Dominus noster Iesus Christus sponte crucifigi secundùm carnem dignatus est; & ibi alligauit me vinculis insolubilibus dicens: Tu dabis rationem ipsi, qui propter nos secundùm carnem in hoc sancto loco sponte crucifixus est Deus, quando cum gloriâ in terribili eius aduentu iudicaturus est viuos & mortuos, si distuleris & postposueris fidem eius periclitantem: licet ego hoc facere corporaliter, vt nosti, propter emersam ex nostris peccatis incursionem Saracenorum præpedior. Quantocyùs ergo de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apostolicam Sedem, vbi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, peruenias, nòn semel, non bis, sed multò sæpiùs; aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundùm veritatem, quæ in istis partibus mota sunt: & non quiescas instantiùs expetens atque exorans eos, donec ex Apostolicâ prudentiâ, quæ in Deo est, ad victoriam iudicium perducere debeant, & nouiter introductorum dogmatum perfectam faciant secundùm canones destructionem... F

vt Romam pergens causam fidei agat:

quod ille satagens

35 *Hâc sui Patriarchæ adiuratione adactus Stephanus, quid egerit passusque sit, pergit in hunc modum Synodo explicare:* Igitur in his pertimescens ego atque perterritus, propter impositam mihi terribilem in tremendo ac venerabili loco coniurationem, nec non & creditum mihi ex Dei permissu Episcopale ministerium (*Dorensis Ecclesiæ videlicet*) considerans, sed & supplicationes omnium penè habitantium Orientalem tractum reuerendissimorum Episcoporum, & Christianorum populo-

A populorum consonanter prædicto beatę memoriæ Sophronio ad hoc me inuitantium, vtpote primum Hierosolymitanæ diœceseos (*sacerdotali scilicet in officio cùm à Sophronio adiuraretur, prout præfatur in principio*) non

Ps. 131. 14 studiosè impletis,

dedi secundùm Scripturam somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, quatenus adimplere debuissem eiusmodi desiderabilem iussionem. Sed absque vllâ morâ propter hoc ipsum tantummodò huc properaui: à quo tempore tertiò visus sum vestris Apostolicis adesse vestigijs, expetens ac deprecatus, quod ille & omnes libenter postulare noscuntur, hoc est, fidei Christianorum periclitanti manum porrigere.

multis insidijs petitus

36 Quod addiscentes contrarij, non leuibus me implicuerunt afflictionibus, præceptiones propter me per loca & prouincias dirigentes, quatenùs comprehendi, & ferris constrictus ad eos deberem destinari, sicut omnes cognoscunt: sed Dominus auxiliatus est mihi, & liberauit me ab omnibus persequentibus me, ad propositum currentem, & ad brauium properantem vestræ Apostolicæ Sedis. Neque despexit Deus

Romam peruenit:

preces cum lacrymis oblatas supplicum suorum, sed excitauit non equidem mediocriter præcessores Apostolicosque Præsules in commonitione, nec non contestatione prædictorum virorum. B *Hos Apostolicos Præsules arbitramur fuisse Seuerinum, Ioannem, & Theodorum, quorum primus non modò non suscepit Heraclij Imperatoris à Sergio socijsque concinnatam ecthesim, ad quod per Isacium Italiæ Exarchum coactum illum esse mendaciter gloriatur Cyrus, in epistolâ ad Sergium, in Concilij Lateranensis Secretario 3 productâ: sed, vt ibidem ait Martinus,* eam condemnauit & anathematizauit. Ioannes, *quoque teste Theophane,* conuocatâ Episcoporum Synodo, Monothelitarum sectam inflicto anathemate damnauit; *atque, vt ex S. Maximo docet Baronius, ad annum 640 operam dedit, vt requisitus is qui Honorij primam epistolam scripserat, illius sensum dilucidè interpretaretur ad Imperatorem Constantem scribens, vt sic ansa tolleretur hæreticis calumniosè ventilandi nomen Romani Pontificis, velut pro se facientis. Theodorus denique, qui Pyrrhum, S. Maximi disputatione conuersum, benignè exceperat,* eiusdem, mox vbi Rauennam appulit, ad vomitum reuersi, ceterorumque, qui cum eo communicauerant, abdicationem & condemnationem propriâ manu exarauit; ex viuifico Christi sanguine stillam excutiens in atramentum, idque ad Coryphei Apostolorum sepulcrum inter Missarum solennia calyce afferri iusso, atque in vniuerso ecclesiæ conuentu ad id conuocato, *vt habemus ex Theophane.*

ad successores Honorij Seuerinum,

Ioannem IV.

Theodorum,

37 *Cùm autem Paulum æquè hæreticum Constans fecisset Patriarcham, eique adhærens Ioppensis Episcopus Sergius (qui Patriarchalem auctoritatem iam inde à Persarum recessu, viuente videntéque Sophronio, seculari potestate nixus arrogarat, & Episcopos sibi consentientes sacrilegè ordinarat) ijsdem adiutoribus mirè turbaret subiectas Hierosolymitano Patriarchatui ecclesias; tum denuò Orthodoxorum rogatu secundâ vice (nam primâ ad indictum à Ioanne Concilium venisse crediderim anno* DCXL) *Romam appulit, caussâque expositâ, loci sacri seruator ordinatus à Theodoro Papâ, de* C *mandato eius in hæresi pertinaces deposuit, eosq; recepit tantùm,* qui libellum pœnitentiæ obtulerunt, quorum libellos, *inquit in Concilio Lateranensi,* nuper deferens obtuli sacratissimæ præsidenti Sanctitati vestræ, Martino ter Beatissimo Papæ *anno* DCXLIX: *atque hæ tertiæ vices fuerunt, quibus se dicit Stephanus Apostolicis Patrum Romæ congregatorum vestigijs adesse, ex quo tempore fuerat à S. Sophronio adiuratus: atque huc eæ insidiæ pertinent, quas sibi Romam venturo positas, superiùs est conquestus.*

ac denique ad Martinum.

38 *Verùm hæc ad posteriora pertinent tempora & S. Sophronij mortem sequuta, ad illius autem historiam pertinet propiùs, quòd anno* DCXXXV *Saraceni, cæsis duobus Prætoribus Sacellario & Bahane, quadraginta millia militum ducentibus, splendidè triumphantes, Damascum, Sophronij patriam, benè composito exercitu aggressi, eàque potiti sint, & reliquâ simul Phœniciæ prouinciâ: in quâ cùm proprias sedes constituissent, mox in Ægyptum tendunt, & ipsam quoque sibi subijciunt: sequenti autem anno Vmarus in Syriam destinauit Iasdium, & totam Saracenico adiunxit Imperio: per se verò expeditionem suscepit in Palæstinam: in quâ cùm omnia passim oppida præsidijs occuparet, agros verò viasq; haberet latrocinijs infestas, non potuerunt sanctæ ciuitatis incolæ diem natalem Domini in Bethleem solitâ pietate peragere; sed ad eos Saracenorum metu intra vrbem conclusos, habuit orationem Sophronius, quæ in magnâ Patrum bibliothecâ extat, & illius temporis calamitates graphicè enarrat: nusquam tamen obsidionis vel oppugnationis in eâ fit mentio, eòque magis mouemur, vt credamus non nisi post Ianuarium anni* DCXXXVI *datum esse obsidioni principium, quâ per biennium continuatâ, hoc scilicet anno, &* XXXVII *fortassis toto (saltem iuxta Græcos annum à Septembri inchoantes) Vrbem fide datâ Vmarus obtinuit, vt narrat Theophanes, vmari ingressum, & sequutam Sophronij mortem describens his verbis:*

Saracenis obsidentibus ... Phœniciâ & Ægypto

D EX VARIIS

Hierosolymas obsident, obtinentq;

39 Sophronius autem Hierosolymorum Antistes fidem ab eo pro totius Palæstinæ incolumitate acceperat. Vmarus itaque cilicinis camelorum vestibus, ijsque laceris & sordidis opertus, & hypocrisim planè diabolicam pietatis velamine ostentans, sanctam ciuitatem ingreditur; & mox templum à Salomone constructum, in impietatis & blasphemiæ oratorium illud conuersurus, sibi ostendi postulauit. Hunc cùm Sophronius vidisset: Hæc est verè, inquit, abominatio desolationis à Prophetâ Daniel prænuntiata, quæ modò stat in loco sancto: multâque simul lacrymarum copiâ insignis ille pietatis propugnator Christianam gentem deflebat. Intra templi igitur septa dum ille moraretur, precibus apud eum agebat Patriarcha, vt acceptam à se syndonem ac vestem indueret: quam cùm assumere detrectasset, Episcopus vix exorauit, vt ista gestaret, donec solita indumenta lauarentur; & proprijs resumptis, statim ista Sophronio restituit.

Vmari Hypocrisim arguit Sophronius E

40 In eâ rerum calamitate Sophronius preclaris verbis & gestis Hierosolymorum Ecclesiam olim amplificans, de Heraclio & Monothelitarum ipsi addictorum prauitatibus & commentis, deque Sergio & Pyrrho confutatis clarissima trophea referens, defunctus est, *magno vtique rei Catholicæ detrimento, quæ fortissimum pugilem amisit eo tempore, quo Antiocheno, Alexandrino, Constantinopolitanoque Patriarchis vnà cum Heraclio contra ipsam certantibus, maximè vacillabat: cum Pyrrho tamen necdum Patriarchâ Sophronio fuit, si qua fuit, contentio: huius namque annus primus cum* XXIX *Heraclij componitur à Theophane, atque adeo cum anno Christi* DCXXXIX; *cùm intra paucos ab vrbe deditâ menses expirauit Sophronius, mense, vt credimus, Martio anni præcedentis: neque enim Baronio possumus assentiri ad annum Heraclij* XV *cœptam obsideri vrbem statuenti: nam quòd ad annum* XXVI *Heraclij Theophanes susceptam referens in Palæstinam expeditionem, etiam sanctæ ciuitatis deditionem & Sophronij mortem narret, id non aliâ facit de caussâ, quàm quòd huius expeditionis historiam noluerit per plures annos distrahere, satisque habuerit indicasse, hoc anno sic cœptam obsideri Hierosolymam, vt non nisi sequenti, id est biennij spatio capta sit: quo posito omnino consequens est, vt Sophronius (siquidem est Martio mense, eo, quo colitur die, ex hoc seculo translatus) annum* XXXVIII *viuendo ingressus sit tribus integris in Patriarchatu expletis: quibus addi si menses vel hebdomades non multæ eorum quibus ordinatus mortuusque est annorum fortassis vix dimidium annum aut etiam trimenstre constituent: namque contra Cyrum post Alexandrinam Synodum Sophronius egisse legitur, dum eunt redeuntque nuntij totum ferè annum* DCXXXIV *abstulere.*

& moritur

anno 638.

F

41 *Hierosolymitanorum Patriarcharum catalogus apud Nicephorum Constantinopolitanum Patriarcham, finem accepit*

succedente ei

A *cipit in Sophronio: post cuius mortem pastore viduatam remansisse Ecclesiam quidam ex Zonarâ colligunt, qui sub Constantino Pogonato Oecumenici Concilij, anno* DCLXXXIX *celebrati, Principes enumerans, & excusans cur Hierosolymitanus & Alexandrinus Patriarchæ non adfuerint, ait:* Neque Alexandria neque Hierosolyma Patriarcham habebant à Saracenis occupatæ: *sed vt tunc nulli in ijs ecclesijs fuerint: non tamen rectè dixeris nullos omnino sub Saracenis fuisse: cùm varij in historijs nominentur: quâ de re pluribus ad Acta Martyrum Sabaitarum 20 Martij, vbi de Heliâ eiusque successoribus. Quare nihil vetat Theodorum, Theodori Pontificis Romani anno* DCXLI *electi patrem, S. Sophronio suffectum credere, quem Florarium Sanctorum MS.* XV *Kal. Aprilis Diuis addit his verbis;* Item S. Theodori Hierosolymorum Episcopi, patris S. Theodori Papæ. *Neque refragantur Pontificum Romanorum catalogi, siue in antiquissimis olim Palatina, nunc Vaticana Bibliotheca membranis, siue apud Anastasium Bibliothecarium; qui simili ferè exemplo vsus, ita de hoc Pontifice scribit:* Theodorus natione Græcus, ex patre Theodoro, Episcopo de Hierosolymâ, *siue* de ciuitate Ierusalem, *vt est in præcitatis membranis. Sed nec filium nec patrem alibi reperimus Sanctis adnumeratos.*

EX VARIIS

fortasse Theodoro

B 42 *Celebris autem S. Sophronij cultus hoc die apud Latinos æquè ac Græcos est: atque in Martyrologijs Galesini, Molani secundæ editionis, Baronijque Romano recensetur hoc die: à Græcis autem in Anthologio, Menologio, maioribusque Menæis, ex quibus hoc vitæ compendium damus, quamuis rerum ordine non nihil perturbato conscriptum, maximè vbi de Hierosolymitano Patriarchatu agitur, velut ante captam à Persis sanctam ciuitatem suscepto, quod, vt iam vidimus, ad vltimos vitæ annos pertinet: commoratio verò Alexandrina cum Ioanne Eleemosynario ad media ætatis annos: vt ex hactenus deductis clarè liquet.*

S. Sophronij cultus sacer.

VITÆ EPITOME.

Ex Menæis Græcorum.

Sophronij natales.

HIc maximum Ecclesiæ sidus ex Phœnice thuriferâ, vrbe Damasco originem traxit, piorum, & frugalium soboles parentum. Patri nomen erat Plinthas, matri Myro. Sophronius per præstantem vim ingenij, studio tamen & curâ auctam, mox ad omnium scientiarum culmen quasi vltra fines naturæ, euasit. Cùm adhuc Damasci degeret, virtutem eorum tamen, qui in solitudine erant, æmulabatur. D Deinde ad magni Theodosij cœnobium se contulit, vbi in quiete & silentio cum Deo familiariter agebat, & pectus diuinarum litterarum meditatione, mentemque constabiliebat; cogitationesque omnes, & sensus in obsequium Christi redigebat. Præterea cum maiori adhuc studio discendæ philosophiæ arderet, Alexandriam vrbem nobilissimam nauigat, ibique Ioannem quemdam sapientiæ, & prudentiæ laude florentissimum clarissimumque virum conuenit; cuius & contubernalis & conuictor sociusque factus, cum eo concordi planè animo vixit; à quo & ipse sapientiam hauriebat, & vicissim quæ norat, magistro suo impertiebatur. Factum inde, ex assiduâ lectione, vti nescio quæ nox, & caligo oculos eius occuparit, sed à SS. Cyro & Ioanne diuinitus curatus est, qui aliud sostrum ab eo non petiuêre, quam vti quotidiana per eos patrata miracula litteris consignaret, quod præstitit diligenter. Posteà Hierosolymorum Pontifex ob singularem vitæ sanctimoniam creatus est; sed ciuitate sanctâ ab impijs Persis captâ, Alexandriam se ad Ioannem, qui ab eleemosynâ nomen inuenit, & thronum Apostolicum administrauit, profectus est. E In cuius beatâ pace sopiti mortem hic Sophronius de immenso ipsius eleemosynarum thesauro, excellentissimâque virtute funebrem laudationem scripsit, ipseque multis lacrymis ipsius obitum est prosecutus. Posteaquàm verò in sanctam ciuitatem reuertit, exprimi non potest quantâ curâ, laboreque Ecclesiam sibi à Deo commendatam texerit: somnum enim oculis non dedit, nec palpebris dormitationem; neque enim cõtra vim, impetumq; hostium æternorum; sed contra hæreticorum quoque exitialia dogmata illi depugnandum erat; quos scriptis, & auctoritate Patrum in viam reuocabat, suisque ipse disputationibus exarmabat, & frangebat. Interim plurima, & nobilia ingenij monumenta ad Ecclesiæ vtilitatem reliquit, quibus & cum virtute viuere, & ex præcepto diuino tractare præsentia docemur. Ex quorum numero est liber ille omni admiratione deprædicandus, quo res gestas Mariæ Ægyptiacæ cum Angelis meritò comparandæ, & vltra humanæ vitæ modum progressæ, explicauit. Hæc illius viuendi ratio, quâ se Deo probauit, alios erudiuit, Christi linguam vicariam exhibuit, commissumque sibi gregem rexit & intra triennium Pontificatus beatâ potius pace ad Dominum est translatus.

educatio

doctrina.

scripta.

commoratio Alexandrina

Hierosolymitanus Patriarchatus

pugna cum hæresi.

DE S. VIGILIO EPISCOPO

AVTISSIODORENSI IN GALLIA,

Commentarius historicus.

ANNO DCLXXXIX XI MARTII

1 *Hilippus Labbeus in Nouâ bibliothecâ Manuscriptorum librorum vulgauit tomo* 1 Gesta Pontificum Autissiodorensium diuersis temporibus ab anonymis scriptoribus exarata: *in quorum parte* 1 *cap.* 22 *de S. Vigilio ista traduntur.*

Vigilius sedit annos viginti quinque, menses quinque. Fuit enim temporibus Martini Papæ & Eugenij atque Vitaliani, regnante apud Francos, siue Burgundiones, Chlothario Iuniore. Nam & genere nobilis extitit & sanctitate præclarus. Inter cetera namque virtutum suarum insignia, etiam monasterium in suburbio ciuitatis Autissiodorensis extruxit, quod pluribus ditatum muneribus, vt testamenti ipsius series demonstrat, in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicauit: quod etiam muro circumcingens, monachorum esse constituit, simulque Xenodochium pauperum ibidem esse præcepit. Fertur de eodem sancto viro veridicâ relatione, quòd iubẽte Waratone Principe Palatij, qui Ebroino in eodem Principatu successerat, in Cotiâ siluâ martyrium sit perpessus. Imitatus videlicet est eumdem antecessorem suum Ebroinum, qui olim S. Leodegarium Augustodunensem Episcopum gladio animaduerti præceperat. Martyrizatus est autem S. Vigilius sub die v Iduum Martiarum. Cùm autem sacrum corpus eius ad propriam veheretur vrbem, contigit eius transitum per vrbem fuisse Senonicam; cùmque pertransiret quamdam domum, quâ rei vincti catenis tenebantur, subitò omnia vincula disrupta sunt, sicque miserorum turba ergastuli illius noctes euadens, sacri cœpit corporis exequijs deseruire: extant hodieque in testimonium tanti

Extruit monasterium & Xenodochium.

occiditur à VVaradino?

liberat captiuos.

A tanti miraculi eædem catenæ, sacro eius inhærentes sepulcro. Sepultus est autem in basilicâ sanctæ Dei genitricis Mariæ, quam ipse construxerat: fuitque ciuitas sine Episcopo dies quinque. *Hactenus illa Gesta Pontificum Autissiodorensium, quæ eadem leguntur in Breuiario Autissiodorensi, quod habemus anno* MDLXXX *excusum: in hoc citantur* Pontificale Autissiodorense,& Hugonis Chronicon. *Eadem aliquantò contractius continentur in lib.* 23 *Speculi historialis Vincentij Bellouacensis cap.* 126,*& lib.*2 *Chronici S. Antonini tit.* 13 *cap.*6 § 28,*& in codice MS. Serenissimæ Christinæ Reginæ. Prior etiam pars de monasterio & Xenodochio extructis narratur eisdem verbis in Chronologiâ Monachi Autissiodorensis: plura descripsit Petrus de Natalibus lib.*6 *Catalogi cap.* 11.

interemptus anno 689. 2 *Ex dictis præter hunc* XI *diem Martij, etiam certum habemus martyrij tempus, quando è viuis sublato Ebroino, Maior-domus seu Princeps Palatij Theodorici Regis creatus est VVarado siue VVaratto, quod contigit anno* DCLXXXVIII. *Supplantatus is à filio Gislemaro fuit, sed cùm hic non diu posteà morte pervicaciam lueret, priorem dignitatem recepit VVarado, qui post obitum S. Audoëni anno* DCLXXXIX *vitâ functi, non diu vixit, nactus Bertharium generum suum successorem; qui anno sequenti* DCXC *Maioris-domus dignitatem obtinebat, vti alibi accuratè probauimus.* B *Ex quibus colligimus probabilius anno* DCLXXXIX *S. Vigilium fuisse occisum* in Cotiâ Siluâ; *quæ sita dicitur in Breuiario* prope Compendium: *vbi etiam eamdem collocat Gregorius Turonensis lib.*4 *historiæ Francorum cap.*21. *Si autem S. Vigilius sederit annos* XXV, *menses* V, *creatus est anno* DCLXIII *circa* XI *diem Octobris.* *creatus Episcopus anno 663.* *Cùm iam anno secundo regnaret apud Francos Neustrios & Burgundiones Chlotharius* III *seu Iunior, cui successerunt eius fratres Theodoricus, eoque pulso, Childericus, atque hoc interempto, iterùm Theodoricus. At iam pridem mortui erant Pontifices Romani S. Martinus & Eugenius, & præsidebat Ecclesiæ S. Vitalianus, cùm ordinaretur S. Vigilius, quo viuente, fuerunt deinceps Romani Pontifices Adeodatus, Domnus, Agatho, Leo* II, *Benedictus* II, *Ioannes* V, *Conon, & qui tunc præerat S. Sergius creatus* XXI *Decembris anni* DCLXXXVII, *mortuus* IX *Septemb. anni* DCCI.

3 *Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano exornat eum longo encomio, in quo varia aut contrariantur iam relatæ narrationi, aut in hac non contenta referuntur his verbis:* *sub Ebroino occisus à Saussaio dicitur.* In tractu Compendiensi in siluâ Cotiâ, trophæum S. Vigilij Episcopi Autissiodorensis & Martyris, ibi ab Ebroini tyranni satellitibus illiusque iussu, ob pietatis & iustitiæ cultum crudeliter necati. Hic beatus Antistes genere nobilis & sanctitate præclarus, Palladio, notæ etiam sanctitatis Præsuli, succedens, D totus in id incubuit, vt quem Apostolus expressit Episcopum, sanctissimis moribus, castissimâque religione imitaretur. Pauperum pater Ptochodochion condidit: religionis fautor eximius, monasterium in suburbano Autissiodori construxit, quod pluribus ditatum muneribus, in honore sanctæ Dei Genitricis dedicauit. Iustitiæ animosus zelator, oppressorum defensor strenuus, Cleri pius vindex ac populi verus amator extitit: propter quos pastore optimo dignos affectus in odium inimicorum iustitiæ incidit: efferatamque rabiem prædicti tyranni, qui pios quosque Episcopos persequebatur, expertus est: cuius quod impia scelera vigore Sacerdotali redarguisset, ab Warachone ab illo misso sicariorum Duce, cùm ab aulâ rediret sanctissimus Præsul, dirè ac impiè trucidatus, redditâ Deo animâ, aureolam gloriæ obtinuit perennem. *Hæc Saussaius, penès quem sit rei narratæ fides. Fauent eidem Galesinius, eumque secutus qui auxit Martyrol. Germanicum, & vtroque citato Ferrarius: sed hi non videntur inter Principes Palatij siue Maiores-domus Regum Franciæ agnouisse VVaradonem, siue VVarattonem, & ideò omnia attribuisse Ebroino.*

4 *Pergit Saussaius constanter in opinione semel conceptâ, & ista habet in Supplemento die* XXVI *Iunij;* *memoria 26 Iunij* Autissiodori è Compendio susceptio corporis S. Vigilij Episcopi & Martyris in siluâ Cotiâ impiè interempti iussu Ebroini tyranni quinto Idus Martij. E *Colitur die* XXVI *Iunij* S. Vigilius Episcopus Tridentinus, *cuius elogium cùm edidisset Petrus de Natalibus lib.* 6 *cap.* 10, *more suo adiunxit alios tres eiusdem nominis Sanctos, scilicet* Vigilium Episcopum Autissiodorensem & Martyrem, Vigilium Papam & Martyrem, & Vigilium Diaconum & Confessorem. *Secuti dein alij sunt, & hunc saltem Episcopum Autissiodorensem Tridentino adiunxerunt auctor Florarij MS. Maurolycus, Greuenus, & Canisius in priore editione Martyrologij Germanici, qui addit Vigilium Diaconum & Confessorem. Meminit & Ferrarius, sed nulla vspiam Translationis fit mentio, quæ etiam in Breuiario Autissiodorensi non reperitur.*

5 *Iterùm Ferrarius ad* XVII *diem Iulij, citato quodam Kalendario Galesinij, ista habet:* Apud Compendium in Galliâ S. Vigilij Episcopi Autissiodorensis & Martyris. *& 17 Iulij.* *In Notis conijcit* fortè esse Translationem. *Sequitur iterùm Saussaius & in Supplemento sic scribit:* Autissiodori Translatio S. Vigilij Episcopi & Martyris. *Altum interim in Breuiario Autissiodorensi silentium est ad illum diem.*

DE S. EVTHYMIO MARTYRE,

EPISCOPO SARDIVM IN ASIA,

Commentarius historicus.

CIRCA AN. DCCCXL. XI MARTII

1 Ardis, *seu Sardeis Lydiæ metropolis, ad radices montis Tmoli sita, vna ex septem Asiæ vrbibus, quæ fidem Christi primæ suscepêre. S. Ioannes, vti cap.* 3 *suæ Apocalypseos scribit, reperit* In Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & vestiendi erant vestibus albis, & quorum nomen non delendum erat ex libro vitæ. *Sardium Episcopus S. Euthymius* *Talis ibidem* Episcopus Euthymius *seculo* IX *floruit: de quo in tabulis Martyrologij Romani illud encomium est* XI *Martij.* *colitur 11 Martij* Sardis S. Euthymij Episcopi, qui ob cultum sanctarum imaginum à Michaële Imperatore iconoclastâ in exilium missus, demum Theophilo imperante, martyrium consummauit. *Addit in Notis Baronius* Græcos etiam de hoc agere in Menologio hac die. *Sed aliud necessariò illud est à Menologio operâ Canisij in lucem edito:* in quo neque hoc die, neque vllo alio nomen eius proditur. *At Græci in magnis Menæis & apud Maximum Cytheræum* ἐν βίοις ἁγίων *celebrant eius sacram memoriam die* XXVI *Decembris, & hoc illustre tradunt elogium.* *& 26 Decemb.*

2 Memoria sancti Patris nostri Euthymij Episcopi Sardium & Confessoris. Floruit hic Sanctus imperantibus Irene & Constantino Augustis, ac primùm in vitâ monasticâ instar sideris refulsit: *è monacho Episcopus.* dein Episcopus creatus, in secundâ Synodo Nicænâ hæreticos funditus euertit. Quod vbi Imperatores viderunt, illius operâ & publicis conuentibus & varijs legationibus vsi sunt. *& Legatus Imperatorum,* Imperante posteà Nicephoro cum alijs Episcopis in Patalaream ad Occidentem sitam exulatum missus est, quòd Virginem quamdam attonderit. *Exul missus Patallaream,* Ab illo tempore vsque ad palmam salutis obten-

A obtentam elapsi sunt anni nouem & viginti, quibus sanctus Episcopus ad Sedem suam Pontificiam non est reuersus. Sublatis interim è medio Imperatoribus, & Leone, ferarum cognomine, Romani Imperij sceptra accipiente, Sanctus ab exilio reuocatur, & ab Imperatore interrogatur, an imagines coleret? Sancto autem pro more suo liberrimè respondente, & illum etiam anathemate feriente, concitatus irâ tyrannus, illum in Ason iterùm exulatum ablegat. *(iterum in Ason,)* Leone pòst improbissimo gladio cæso, ab ipsius successore denuò reuocatus ex Aso, beatus iterùm cogitur sanctis imaginibus cultum negare. Hic Sanctus denuò hunc quoque Imperatorem fulmine orationis prosternens, illud Synodi decretum magnâ voce proclamauit: Si quis Dominum nostrum Iesum Christum in imagine descriptum non adorat, anathema esto. Hinc cæditur & exul in Acritam amandatur, *(denique in Acritam.)* & in tenebricosissimũ carcerẽ detruditur. Posteà à quatuor corporis partibus extensus, crudis boum neruis vehementer contunditur, ita vt Sanctus ex intolerabilibus illis plagis & verberibus instar vtris intumuerit, nec post hoc patientię certamen vltra octiduum vixerit. Itaque solem splendore superans, animam suam in manus Dei tradidit. B *Hactenus Menæa.*

3 *Cœpit imperare Constantinus sub tutelâ Irenes matris, anno Christi* DCCLXXX, *sub quibus Nicæna secunda Synodus œcumenica coacta est anno* DCCLXXXVII, *in cuius Actione primâ habitâ* VIII *Kalendas Octobrias, post Legatos Apostolicæ Romanæ Sedis, & S. Tarasium Archiepiscopum Constantinopolitanum, & vicarios Patriarcharum Orientalium, quintus sedit* *(in Synodo Nicænâ 2 inter primos Episcopos sedit:)* Euthymius Episcopus Sardis, *cùm vniuersim ad illam Synodum conuenerint* CCCL *Patres. In eadem actione sunt Ecclesiæ Catholicæ conciliati tres Episcopi, Basilius Ancyræ, Theodorus Myrorum & Theodosius Amorij, & cùm singuli fidei suæ professionem legissent, approbauit eam Synodus, ac nominatim post S. Tarasium de Theodoro* *(conciliatos Episcopos approbat:)* Euthymius sanctissimus Episcopus Sardis dixit: Benedictus Deus, qui vniuit eum Catholicæ Ecclesiæ. *Cúmque hi tres à Synodo iussi essent sedere in gradibus ac sedibus suis,* Euthymius reuerendissimus Episcopus Sardis dixit: Orthodoxum Deus benè adduxit. *Dein Actione secundâ* VI *Kalendas Octobrias habitâ post lectam epistolam Hadriani Pontificis Romani sextus inter Episcopos* *(Pontificis Romani sententiæ adhæret:)* Euthymius sanctissimus Episcopus Sardis dixit: Et ego prælectas epistolas sanctissimi Papæ senioris Romę sincerè ac indubitanter sequens, polliceor ac confiteor ita me sapere, tam de orthodoxâ fide, quàm de sacris iconis: *(in cultu imaginum:)* non quasi quiddam nouum dogma admittens, sed tamquàm certissimè sciens de illis traditionem sanctorum Apostolorum & sacratissimorum Magistrorum, qui has reliquerunt, in sanctâ Dei Ecclesiâ cõstitutam. Propter quod totâ animâ recipio huiusmodi venerabiles iconas cum conuenienti honore ac salutatoriâ adoratione. Eos autem, *(ei aduersantes, hæreticos denuntiat:)* qui aliter vel aduersè sapiunt aut dogmatizant contra sanctas iconas, alienos à Catholicâ Ecclesiâ æstimans C abijcio & hæreticos denuntio. *Hæc ibi à versione Anastasij.*

4 *Iterùm Actione 3 habitâ* IV *aut* III *Kalendas Octobris inter Episcopos sextus,* Euthymius sanctissimus Episcopus Sardis dixit: Vt in omnibus veritatem executus & in traditionibus sacratissimorum Apostolorum & Patrum educatus, *(eamdem Patriarcharum Orientis doctrinam laudat:)* consentio etiam his exarationibus, quæ modò lectæ sunt, tam scilicet Tarasij sanctissimi ac beatissimi Archiepiscopi & Patriarchæ, quàm his, quæ ad has missæ sunt ab Orientalibus Patriarchis: & eorum ac meum sensum super sacris dogmatibus & sanctis iconis vnum & immutabilem existimo: eos verò, qui præter hæc vana loquuntur & garriunt contra sanctas imagines, & non conueniunt cum sanctissimis Patriarchis, hæreticos & peruersos agnosco, & ab eorum communione longè me pono. *Præterea Actione* IV *habita Kalendis Octobris* Euthymius sanctissimus Episcopus Sardis dixit: Librum sancti D Confessarij Maximi habeo præ manibus & offero eum ad legendum. *Et cùm ex varijs Patribus & Vitis Sanctorum quamplurima lecta essent, inter Episcopos octauus subnotauit hac formula.* *(scripta sanctorum Patrum,)* Euthymius indignus Episcopus Sardorum libenter omnia, quæ præscripta sunt, suscipiens, subscripsi. *(& Vitas Sanctorum,)* *Item Actione* V *habitâ* IV *Nonas Octobris cùm obtruderentur fabulæ ex falsis superscriptionibus Itinerariorum sanctorum Apostolorum, irridens* Euthymius sanctissimus Episcopus Sardorum dixit: Decebat conuenticulum illud habere librum istum in testimonium. *Denique Actione 7 die* III *Idus Octobris statutâ approbat his verbis:* *(& traditiones Ecclesiæ admittit:)* Euthymius indignus Episcopus Sardorum paterna dogmata sequens & traditionem Catholicæ Ecclesiæ, definiens subscripsi. *Ex quibus sincerus eius animus in rebus fidei cognoscendus est.*

5 *Constantino Imperatore anno* DCCXCVII *excæcato, & paullò post vitâ functo, & Irene Imperatrice anno* DCCCII *Imperio fortunisque omnibus exutâ, Nicephorus Imperium arripuit, & in bello à Bulgaris circumuentus vitam & Imperium amisit anno* DCCCXI. *(ab exilio primo redux,)* *Sub huius Imperatoris primis annis in exilium actum S. Euthymium esse infrà constabit.* E *Nicephoro successit Michaël Curopalates, sed eo à Bulgaris victo anno* DCCCXIII, *imperium capessiuit Leo Armenus, impius iconoclasta, qui sacrarum imaginum excidium conceperat. Quare, vti Menæa ad* VIII *Martij in elogio S. Theophylacti Episcopi Nicomediensis tradunt,* S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, lectissimum quemque Episcopum ad se euocauit, *(Leonem Armenum cum alijs Episcopis accedit:)* Æmilianum Cyzicensem, Euthymium Sardium, Iosephum Thessalonicensem, Eudoxium Amoriensem, Michaëlem Synadensem, & dictum Theophylactum Nicomediensem aliosque multos, qui omnes Imperatorem conuenerunt, & multa illi ex oraculis sacrarum litterarum pharmaca salutaria propinarunt. *In Vitâ S. Nicetæ Abbatis ad* III *Aprilis illustrandâ Theosterictus eius discipulus refert, quid singuli Episcopi protulerint: inter quos de B. Euthymio acerrimo & fidei & sacrarum imaginum propugnatore ista traduntur:* Posthæc, *inquit,* sacer Euthymius Sardensis Episcopus liberiore vsus oratione, sic Imperatorem affatus est: *(pro veneratione imaginum perorat:)* Audias Imperator, ex quo tempore Christus in terram descendit vsque ad hunc diem, per octingentos annos & ampliùs, in ecclesijs, quæ vbique gentium sunt, Christus ipse depingitur & in imaginibus adoratur. Et quisnam tam arrogans est, qui audeat tot annorum traditionem, à sanctis Apostolis, Martyribus ac pijs Patribus profectam, dissoluere, vel paullulùm mouere, Apostolo ipso dicente: State igitur, fratres, & tenete traditiones, quas edocti estis, siue per personam, siue per epistolam nostram. *(2 Thes. 2. 14)* Et alio loco: Quamuis Angelus de cælo euangelizet vobis præter id, quod accepistis, esto anathema. *(Gal. 1. 8)* F Quamobrem aduersùs eos, qui ante nos hæresim hanc excogitarunt, Synodus apud Nicæam vrbem iterùm collecta est sub Irene & Constantino pijs Imperatoribus. Hanc Synodum ipse Dei filius proprio digito signauit. Quicumque audebit aliquid ex ipsâ mouere vel expungere, anathema esto. *(anathemate percellit aduersantes:)* Cùm hæc audisset Imperator, facilè se hæc pati dissimulauit. Respondit autem & Theodorus, vehemens Ecclesiæ Magister, Dux Studitarum *&c.*

6 *De vtroque Leo Grammaticus in Chronographiâ in Leone Armeno ista addit:* Imperator Nicephoro laude digno Patriarchæ, & qui cum ipso erant Episcopis coram Senatu vocatis, ait: Nullatenùs vos latet emersisse quosdam, Imagines non adorandas asserentes. De repentè verò sacer Euthymius Sardium Episcopus cum fiduciâ perorans, ex diuinis Scripturis obiurgauit: *(Imperatorem obiurgat:)* cum eo Theodorus feruens orthodoxæ fidei defensor & Studij Præpositus ait: Ne Imperator Ecclesię statum immutes: tibi rerum politicarum status & exercitus incumbit cura: horum satage: Ecclesiam verò in fide orthodoxâ esse permitte. Tyrannus

his

A his auditis furore accensus, leonum more, cùm simius esset, infremens, cunctos euomitis iniurijs eiecit, magnumque Nicephorum ciuitate pulsum, & Theodorum pariter Studij Præpositum in exilium egit. *Colitur S.Theodorus XII Nouemb. Socius exilij fuit S.Nicolaus Studita, in cuius Vitâ IV Februarij hoc certamen ita describitur num. 15.* Cùm in sacrâ quadam palatij æde Sacerdotum ac Patrum nostrorum, circumquaque ipsum stipante milite, turbam congregasset, medius ipse præsidens, arroganti ac fremebundo sensu aduersùs magnum Pontificem sociosque, quòd per errorem in venerabilium imaginum restitutionem consensissent, velut pro concione orabat. Tumque deinde videns, vt ij Spiritus gladio nugarum eius garrulitatem variè mediam secarent, eâ re miser in furorem actus, omnes ad vnum, multâ irâ exæstuans, regiâ expellit, ac quamprimùm singulis locum exilij sancit. *Ea omnia latè in Vitâ S.Nicephori Patriarchæ XIII Martij ab Ignatio, tunc Diacono, postea Episcopo Nicæno, describuntur; vbi inter alia dicitur* Leo Imperator inuictam veritatem ac planè insuperabilem reperisse. Quamobrem nugas eiusmodi, quæ nihil è re essent, præclaris illis æmulatoribus in ruinam impellendis congerens, vbi suam ipse cladem resarcire nequiuit, minis incussis, palàm eos foribus expulit... Mox etiam, vt ipsorum animum spectes, volentes fortissimos pugiles exilio relegat, aliosque alijs locis, procul ab ecclesiæ atrijs semotos, addicit. *Hæc ibi.*

regiâ cum alijs expellitur,

& in exilium relegatur:

B

7 *Leone Armeno inter sacra ipso Natalis Dominici die, anno DCCCXX ad finem vergente, miserè trucidato, Michaël Balbus regnauit, sub quo exulibus licitum fuit redire. Tunc, vti apud Cedrenum legitur, ad eum* Nicephorus epistolam misit, petens eâ sacrarum imaginum instaurationem & pietatis reuocationem. Respondet Michaël se neque vllum decretorum de fide conuellere statuisse, neque etiam quidquam eorum, quæ tradita iam & confessa haberentur, damnaturum vel mutaturum: quiuis securè id sequeretur atque ageret, quod sibi probaretur atque liceret. Nõ tamen in hoc proposito perseuerauit: quippe qui ne initio quidem verus fuerit Christianus. Sed quamdiu Imperium tenuit, bellum Christianis & gentilibus suis animo malo atque crudelissimo mouit: modò monachos despuens, eosque variè affligens, aliaque in eos super alia statuens supplicia, modò alios pios in carceres conijciens extorresue agens. Inter hos Methodium, qui non multò pòst ad Solium Patriarchæ euectus est, ac Euthymium eo tempore Sardium Præsulem: quòd suæ voluntati non obsequerentur, neque sacris imaginibus deberi honorem diffiterentur, vrbe eiecit. Et Methodium quidem in insulâ Acritæ in custodiam dedit: Beatum verò Euthymium operâ proprij filij Theophili crudis boum neruis acriter verberatum, necauit. *Hæc Cedrenus, quæ planè eadem habet Ioannes Scylitzes Curopalates, imò & Ioannes Zonaras, qui mortem S. Euthymij ita refert:* Præter multos alios crudeliter tractatos, etiam in D.Methodium grassatus, Euthymium Sardium Archiepiscopum ob sanctarum imaginum cultum in exilium misit. Deinde Methodium in Acritâ conclusit: inclytum verò Euthymium à filio suo Theophilo crudeliter flagris cæsum, Martyrum morte affecit. *In Acritam etiam ablegatum fuisse suprà ex Menæis traditum. Fuit autem* Actita *promontorium Bithyniæ ad initium Propontidis, in quo monasterium extabat, in quo abductus à S.Michaële Episcopo Synadorum S. Gregorius, inde Acritensis, nuncupatus, vitam austerissimam duxit, vti IV Ianuarij die eius natali dictum est. Et SS.Theodorus & Nicolaus Studitæ, cùm Michaële* Balbo Imperatore iubente, iterùm vel inuiti in regiam vrbem fuissent reuersi; non diu pòst inde abeuntes vicinam Acritę promontorio peninsulam, magni Martyris Tryphonis nomine appellatam petierunt, vbi tandẽ multis certaminibus gloriosum Patrem ac beatissimũ Theodorum communis vitę finis excepit. *Ita Vita S.Nicolai Studitæ nu. 32. Michaëli Balbo anno DCCCXXIX vitâ functo, Imperium suscepit filius eius Theophilus, cuius iussu dirè cæsus S.Euthymius, martyrium consummauit circa annum DCCCXL, cùm ab exilio primo sub Nicephoro, qui anno DCCCXI cœpit regnare, elapsi statuantur viginti & nouẽ anni, imò & ipse Theophilus, anno DCCCXLI labente aut sub initium sequentis sit extinctus. In Notis ad Synodum Nicænam II pag. 679 tomi 19 editionis Luparææ præ reliquis* Patribus confessionis gloriâ celeberrimi *censentur* Plato & Theophanes monachi, item Euthymius Sardicensis Episcopus: qui tempore Constantini Copronymi vincula & exilia, Sediumque priuationem passi fuerunt. *Imperauit Copronymus ab anno DCCXLI ad annum DCCLXXV, sub cuius Imperio natum S.Euthymium & adultum agnoscimus, vtpote qui sub nepote illius, Constantino & Irene monachus fuerit, ac dein Episcopus creatus. Quare in illâ ad Synodum notâ addendum foret, hos* sub Copronymo aut alijs Imperatoribus *vincula & exilia passos esse.*

à quo reuersus,

coram Michaële Balbo honorem imaginum propugnat:

D

in Acritam exul ablegatur:

E

sub Theophilo Imp. Martyr obit circa an. 840.

sub Constantino Copronymo natus.

DE S. VINDICIANO EPISCOPO

CAMERACENSI ET ATREBATENSI,

Commentarius præuius.

ANNO DCCXII XI MARTII

Tempus Sedis & obitus.

1 *INter antiquos Episcopos Cameracenses & Atrebatenses, zelo diuino & vitæ sanctitate illustres, à S.Vedasto, de quo actum est VI Februarij, numeratur octauus S.Vindicianus: qui S.Autberto, XIII Decembris anni DCLXXV defuncto, successit, saltem sequenti anno DCLXXVI, cùm apud Francos post obitum Chlotharij III regnaret Theodoricus, quo dein pulso, regnum illud suscepit Childericus: vti ad Vitam S. Sigeberti Regis, I Februarij num. 89 latè deduximus. Sedisse eum annis sex & triginta, atque è vitâ discessisse anno DCCXII, tradit Coluenerius in Notis ad caput 28 libri I Chronici Balderici de Episcopis Cameracensibus & Atrebatensibus, vt qui anno DCCX S.Hadulphum Abbatem monasterij Vedastini consecrarit: quod accuratiùs ad huius diem natalem XIX Maij comprobandum erit. Dies obitus S.Vindiciani assignatur XI Martij: inscriptus MSS. Martyrologijs Ecclesiæ Cathedralis Atrebatensis, & monasteriorum Marchianensis & Aquiscinctini his verbis:* In pago Atrebatensi depositio S.Vindiciani Episcopi. *Locus depositionis est Mons-S.Eligij sesquimilliari ab Atrebato, Abbatiâ Canonicorum Regularium illustris. Eumdem referunt hoc die Hermannus Greuen & Molanus in additionibus ad Vsuardum, auctor Florarij MS. Galesinius, Canisius, Balinghemius, item Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij, Miræus in Fastis Belgicis, Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, Ferrarius & alij.*

cultus sacer:

2 *Officio nouem Lectionum celebratur S.Vinditianus hoc die in ecclesiâ Cathedrali Atrebatensi, eiusque diœcesi: & solennissimo ritu primæ classis apud Canonicos Regulares Montis-Eligiani: cuius Abbatem conuenimus Atrebati anno MDCLXII, ab eoque accepimus Vitam S.Vinditiani cum Chronico Montis-Eligiani, collectam ex varijs monumentis ab illius decessore Francisco Doresmieux. Hunc conuenit* Ioan. Gamansius *circa annum MDCXXXIII, vt tum nobis scripsit,* reperitque hominem iam tum ab annis quatuor & viginti

Officium ecclesiasticum.

Vita scripta:

A viginti historiarum sui monasterij & annexorum Prioratuum ita studiosum peritumq́ue, vt primus ipse omnes in certos libros digesserit, & præsentissimam etiam minutissimi temporis haberet memoriam. *Hanc ergo Vitam S. Vindiciani curauimus nobis describi, damusq́ue, deletis nonnullis parergis & ad institutum nostrum minus necessarijs. Multa de eodem Episcopo habent Baldericus lib. 1 cap. 20 & sequentibus, & VValterus Abbas sancti Sepulchri apud Cameracenses, qui ambo vndecimo Christi seculo floruerunt. Accepimus è dicto sancti Sepulchri monasterio Vitam S. Vindiciani à VValtero collectam, sed planè mutilam, quam cum alterâ à nobis dandâ contulimus. Eamdem à se contractam ediderunt Lippelous, Haræus, Gazetus, Rosweidus alijque. Aliqua sacra ossa S. Vindiciani adseruari Cameraci in ecclesiâ S. Autberti Canonicorum Regularium traditur in Hierogazophylacio Belgico Arnoldi Rayssij paginâ* 81. *De corpore apud Montem-Eligianum in veneratione summâ hactenus habito agitur in ipsis Actis; vbi num.* 24 *dicitur Translationis anniuersariam feriam celebrari Nonis Iulij, quo die in Martyrologio Eligiano ita legitur apud Molanum:* Eodem die Translatio sanctissimi Patris nostri Vindiciani. *Meminit eiusdem Balinghemius in Calendario Mariano.*

[Reliquiæ: dies Translationis.]

V I T A

Auctore Francisco Doresmieux Abbate Montis-Eligiani.

CAPVT I

S. Vindiciani vita ante Episcopatum, Virtutes in eâ dignitate eximiæ.

1 CONstat ex sacris scriptorum nostratium monumentis, Ecclesiam tum Atrebatensem, tum Cameracensem, a S. Vedasti operâ & prædicatione fundatam, & diuturno deinceps tempore vtramque ab vno dumtaxat Episcopo administratam, complures habuisse Pastores, continuâ serie sibi mutuò succedentes, omni doctrinâ & pietate præstantissimos: quibus disseminando & propagando per has regiones Dei verbo, & procurandâ animarum salute, nihil fuit antiquius. Inter hos maximè eminuit sanctissimus Pater Vindicianus, Atrebatensium & Cameracensium Episcopus longè clarissimus: qui Apostolici instituti æmulus, nihil priùs habuit, quàm diuino pabulo ouilia sibi credita assiduè reficere, pijsque operibus continenter vacare, & nullum denique laborem detrectare: quo populares Christo lucrifaceret, atque immunitates & iura Ecclesiastica sarta tectaque tueretur. Non hîc libet inutili curiositate indagare, num ipse nobili stemmate prognatus, quandoquidem b Baldericum Nouiodunensem Episcopum, & c Walterum sancti Sepulchri Abbatem, qui pleraque eius gesta litteris consignarunt, eâ de re omnino C siluisse videam: sors enim nascendi non est in nostrâ potestate sita. At quoniam iuxta vetus dictum, fortes creantur fortibus & bonis; haud est dubium, quin vir tantus, ab optimis pijssimisque parentibus sit in lucem editus, non secùs ac generosiores fructus ex nobilioribus quibusque plantis prodire conspicimus.

[a Post alios Episcopos] [S. Vindicianus præfuit Ecclesiæ Atrebatensi & Cameracensi] [b] [c] [Horat.]

2 Circiter annum Domini sexcentesimum vicesimum nascitur Vindicianus noster apud Bullecurtium Artesiæ vicum, qui in Bappalmensi territorio est positus. Neque temerè illud nomen sortitus censetur, ad imitationem scilicet istius Vindiciani celeberrimi quondam Medici, cuius Diuus Augustinus in epistolâ ordine quintâ meminit. Is enim veluti ad profligandos corporis morbos, curandaque vulnera, solertissimus simulque rigidissimus habebatur. Sic & Vindicianus noster ad hoc natus videbatur, vt aliquando D Ecclesiæ Præpositus, in spiritalem medicum admodùm famosum euaderet: qui salubria remedia & antidota, tum dulciora, tum amariora, pro re natâ varijs personis præscriberet: quòd reipsa erga Theodoricum Francorum Regem animosè præstitit. Ipse ab ineunte ætate pietatem vnà cum nutricis lacte imbibisse videbatur; adeò vt tener etiamnum adolescens, in professionem Ecclesiasticam resque sacratas totus propenderet. Crescentibus annis, creuit pariter timor Domini, quo extimulatus, cunctis voluptatibus, quibus adolescentia plerumque solet esse obnoxia, vltrò abdicatis, id vnum curabat, vt frequenter ex rure suo Bullecurtiano in conterminam Atrebatiam ciuitatem commearet per viam quamdam, id temporis, nullis hominum vestigijs detritam, quæ etiam hodiè ab eius nomine Vindiciana appellatur. Illic templa orandi gratiâ adire, atque inprimis sacris concionibus attentâ aure animoque audiendis vacare erat solitus. Construxerat sibi apud Anziacum haud procùl ab eâ ciuitate oratorium quoddam anachoreticum, quò tranquilliùs totam mentem ad rerum cælestium contemplationem conferret. In eo secessu auditas conciones cùm ruminaret, simulque veterum Patrum volumina diligenter versaret, carnis petulantiam assiduis vigilijs ieiunijsque refrænabat. Hisce exercitijs occupatus, E cùm omnia caritatis officia proximo etiam præstaret, vix dici potest, quantùm in ceteris virtutibus acquirendis exiguo temporis interuallo profecerit. Quâ in re plurimùm Diui d Eligij Nouio-dunensium Episcopi alloquio & consortio iuuabatur, qui ad montem quemdam Squavijs contiguum, incolis eâ tempestate carentem & desertum (is postmodò Eligianus dictus est) frequenter orationis & meditationis ergo solebat diuertere. Etenim in eo oratorium sibi etiam cùm parasset, virosque pios numero decem sibi constituisset, qui instar veterum anachoretarum, separatim viuerent, Deoque inseruirent, eos crebrò vnà cum B. Vindiciano inuisere consueuerat. Is verò idem vitæ genus professus, magis magisque eos imitari, & seipsum, vt ita dicam, superare indies enitebatur. Quod vt maiore cum fructu præstaret, crebrò cum Diuo e Autberto peculiari suo Episcopo, alijsque viris sanctimoniæ laude florentibus versabatur; atque instar apum, quæ mella ex varijs flosculis conficiunt, singulas eorum dotes exprimere, & quamdam virtutum omnium encyclopædiam sibi comparare studebat. A quibusdam enim patientiam, mansuetudinem, atque indefessum in iuuando proximo zelum; ab alijs verò modestiam, castimoniam, opportunum silentium, rerumque fluxarum contemptum perdiscere satagebat.

[natus Bullecurtij circa annum 620] [cum pietate & timore Dei accreuit:] [instructus à SS. Eligio d] [e & Autberto:]

3 Tantis virtutibus instructus diu latere non potuit. Erat per id tempus in ciuitate Atrebatiâ Diuus f Amandus, Episcopus Traiectensis ad Mosam, vnà cum diuâ Rictrude, quæ priusquàm monasterium suum g Marchianense ingrederetur, testamentum eius operâ condere, bonis omnibus piè distributis, decreuerat. Ad hanc rem conficiendam, præter Autbertum Episcopum, & Honoratum Archidiaconum, euocauit etiam Vindicianum Amandus, præclarâ eius famâ permotus: qui in eo negotio, solertis iudicij, ingenijque facultates abundè exercuit, comprobato subsignatoque D. Rictrudis testamento. Eâ ætate sancti duo illi Episcopi in hanc curam potissimùm incumbere videbantur, vt scilicet in varijs vtriusque diœcesis locis complura templa & monasteria, dote additâ, eo euentu erigerentur, vt quamplurimi cuiuslibet ordinis, sexus & ætatis homines, ad ea tamquàm certa tutaq; suæ salutis asyla, repudiatis fallacibus huius seculi illecebris, spontè confugerent: quos optimi illi Pastores summo affectu omnique beneuolentiâ & ope prosequebantur. Imo Diuus Autbertus de successore

[F] [f euocatus à S. Amando subscribit testamento S. Rictrudis: g]

A cessore sibi diligendo, instar Diui *h* Amandi solicitus, quò expeditiùs rerum diuinarum meditationi totum sese addiceret, in vnum Vindicianum, propter præclaras animi dotes, oculos animumque coniecit, iam inde iudicans eum tanto oneri ferendo fore parem. Nouerat enim, quantùm doctrinâ, quantùm eloquentiâ valeret, & quo feruore & spiritu impulsus, ad excolendam Domini vineam accederet. Euocatum itaque in ciuitatem ex suo secessu Squauiensi, Vicarium Atrebatensem renuntiauit. Quo in munere ita se gessit, vt peculiares Diui Autberti virtutes sibi imitandas omnino proposuisse videretur. Proinde eâ pietate & indole cùm foret præditus, verisimile est Vindicianum per id tempus ad S. Vedasti fanum & monasterium construendum, suum consilium & facultates contulisse: eius *i* translationi ex æde Deiparæ Virginis ad hoc monasterium, vnà cum Diuo Audomaro alijsque sanctis viris interfuisse. Item Diuo Eligio, qui ad hoc à Diuo Autberto euocatus fuerat, in translatione *k* Diui Fursei etiam adfuisse: ipsum denique perpetuum extitisse D. Eligij comitem, cùm ille incredibili studio & labore & Martyrum & Confessorum corpora passim conquireret.

h à S. Autberto

Vicarius Atrebatensis constituitur:

adest in Translatione S. Vedasti

i

k & S. Fursei.

B

4 Iam verò ab istâ corporis Diui Vedasti translatione, *l* tempus effluxerat, cùm viuendi finem fecit Autbertus, maximo bonis omnibus relicto sui desiderio, tum ob deplorandam tanti Antistitis iacturam, tum potissimùm, quòd monasterium Vedastinum ab eo inchoatum, morte præuentus perficere non potuisset. Verùm B. Vindicianus in Sedem eius Episcopalem suffectus, ne latum quidem vnguem à sectandis antecessoris sui vestigijs sibi discedendum existimauit. Ingenti ergo animo & industriâ, neque vllis parcens sumptibus, opus istud interruptum vrgere aggressus, feliciter tandem absoluit. Hinc suæ conditionis memor, nihil earum rerum prætermisisse censebatur, quæ ad complendum eximij Pontificis officium poterant desiderari. Ipse enim oues sibi commissas pascere, easque in vberrima pascua deducere, quod perierat requirere, & quod abiectum erat reducere, & quod confractum fuerat consolidare, & quod forte & pingue custodire; eaque omnia denique præstare, quæ Deus Optimus Maximus per Ezechielem Prophetam à bonis Pastoribus exigit. Nihil enim Vindiciano erga bonos humanius, nihil erga malos seuerius, nihil ad pauperum famem sedandam & nuditatem tegendam munificentius, nihil denique ad cetera caritatis obeunda munia, quæ à D. Paulo Apostolo Episcopis præscribuntur, extitit propensiùs. Solebat frequenter per suæ diœcesis oppida & vicos obambulare; verbum Dei serere; hominesque ærumnosos re & alloquio subleuare. Et cùm ipse foret ab heroicâ corporis formâ planè amabilis, vix fando exprimi possit, quàm modestè & suauiter erga quodlibet hominum genus, prout res locusque postulabant, sese gerere consueuisset. Tam pijs operibus intentus, nominis sui famam, non modò per vrbes conterminas, sed & prouincias longè dissitas, celeriter extendit. Et licet assiduis etiam secularibus distineretur negotijs, non raro tamen relictâ Episcopali curiâ ad Religiosos Vedastinos secedebat, quorum consortio mirificè capiebatur. Eos verò tanto amore affectuque complectebatur, vt instar indulgentissimi parentis huic familiæ bona omnia procuraret, quæ vel à proceribus sine alicuius iniuriâ obtinere, vel ipse suâ frugalitate & parcimoniâ poterat corradere. Neque id præstare destitit, donec *m* Hatta Abbatum Vedastinorum primus, eam domum administrare cœpit.

l

ordinatur Episcopus:

perficit Vedastinum monasterium:

explet officium boni Pastoris:

C

benefacit Vedastinis:

m

5 Intereà Diuus Amandus tamquàm mortis sibi iam impendentis foret præsagus, Ecclesiam monasterij sui Elnonensis à se ædificatam, consecrare statuit. Et quò ea dedicatio esset celebrior, *n* Reolum Remensium, & Vindicianum Cameracensium siue Atrebatium Episcopos euocauit. Quâ peractâ, *o* testamentum etiam condere voluit, quò sanctè cauit sub anathematis pœnâ, ne post obitum corpus à quoquam extra monasterij septa aliò transferretur, sed ibi apud Fratres suos, cum quibus maximâ concordiâ vixerat, quiescere sineretur, donec Angelica tuba vniuersum hominum genus ad resurrectionem horrendumque supremi Iudicis tribunal vocaret sisteretque. Eius testamentum tum à ceteris Episcopis, tum peculiariter à B. Vindiciano in hæc verba fuit subsignatum. Ego vindicianus vtpote peccator, Episcopus, ad petitionem Domini mei Amandi, hanc epistolam confirmaui & subsignaui. Sub id tempus Ioannes Toparcha Hasnoniensis, Eulaliæ sororis pijssimæ matronæ opibus adiutus, cùm in *p* contractu insigne monasterium extruxisset, vocatus eò fuit Vindicianus, qui Ecclesiam consecraret, simulque selectos viros & mulieres intra cœnobij istius claustra introduceret, vt nimirùm in eo sacro loco separatim habitarent Deoque militarent. Quod à B. Vindiciano magnâ celeritate, alacrique quàmplurimorum Ecclesiasticorum & secularium hominum concursu peractum est.

subscribit testamento S. Amandi:

n

D

o

p consecrat Ecclesiam Hasnoniensem.

a *Colitur S. Vedastus 6 Februarij, vbi in Commentario præuio § 1 & 4 latè deducuntur, quæ de Episcopis vsque ad S. Vindicianum vtriusque Sedis hic innuuntur.*

E

b *Baldericus Gerardo I, B. Lietberto, & Gerardo II Episcopis Atrebatensibus & Cameracensibus fuit à secretis, ac chronicon deduxit vsque ad monasterium Cameracense sancti Sepulchri à B. Lietberto anno* 1060 *fundatum, nisi reliqua hactenùs latent. Fuit Baldericus dein* Canonicus *&* Cantor *Ecclesiæ Morinensis, posteà Archidiaconus* Nouiomensis, *denique Episcopus Nouiomensis & Tornacensis consecratus anno* 1097, *mortuus anno* 1112. *Pro* Nouiomo *multi cum hoc auctore dixerunt* Nouiodunum.

c *VValterus infrà num. 21 primus* Abbas *sancti Sepulchri, è vitâ discessit 7 Martij anni 1095.*

d *Consecratus est S. Eligius Episcopus 14 Maij, Dominicâ ante Ascensionem Domini 646, mortuus anno 665.*

e *S. Autbertus circa annum 640 factus Episcopus Atrebatensis &* Cameracensis.

f *Fuit S. Amandus Episcopus initio* Apostolicus, *dein ab anno 646 ad 650 Episcopus Traiectensis, vti ad eius Vitam diximus 6 Februarij, vbi Cathedram vrbi Traiectensi, vti hic auctor rectè appellat, vindicauimus.*

g *Circa annum 652, vti ad S. Amandi Vitam diximus § 13. Colitur S. Ricirudis 12 Maij.*

h *Qui curarat sibi substitui S. Remaclum in Sede Traiectensi.*

i *Translationem S. Vedasti factam anno 667 probauimus ad huius Vitam § 5.* Agit *Fulbertus de eâ Translatione in Vitâ S. Autberti, nullâ tamen S. Vindiciani factâ mentione.*

k Colitur *S. Furseus 16 Ianuarij, cuius Translationi, factæ post 4 ab obitu annos circa 657, adfuisse* SS. Eligium & Autbertum cum alijs sanctis viris *habet Vita num. 39.*

l *Tempus octo annorum: quia S.* Autbertus *mortuus est 12 Decemb. anno 675.*

m *Est* Hatta Abbas *constitutus anno 690, an. 691* solenniter à S. Vindiciano benedictus, *vti ad Vitam S. Vedasti probatum § 6.*

n *S. Reolus Episcopus Remensis consecratus est anno 679. S. Mummolenus, qui etiam adfuit, Episcopus* Nouiomensis *& Tornacensis factus anno 666, vti S. Vindicianus anno 676.*

F

o *Est id confectum anno Theodorici Regis secundo Christi 681. vt in Appendice ad Vitam S.* Amandi *pag. 902 correximus.*

p *Inter oppidum & monasterium* Amandinum, *& Marchianas extructum anno quarto Theodorici,* Christi 683 *Hasnoniense cœnobium.*

CAPVT II

Illustriora in Episcopatu gesta.

6 EOdem autem *a* anno, *b* tertio Nonas Nouembris, inauditum contigit facinus, quod hic paucis memorare libet. Harduinus quidam apud Cameracenses nobili ortus genere, Maxelendem Virginem, etiam generosis pijsque prognatam parentibus, perditè cùm deperiret, & in coniugium frustrà ambiret (ea enim Iesu Christo corpus animamque dicauerat, pa-

a b Corpus S. Muxellendis Virginis,

A rata potiùs mortem oppetere, quàm fidem tanto sponso datam violare, certa in omnem euentum duplicatam virginitatis & martyrij palmam in cælo consequi) furore præceps puellam propriâ manu interfecit. *ex amore castitatis Martyrio,* Verùm simulatque cruorem ex casto corpore emanare vidit, oculis captus est, socijs confestim præ nimio metu diffugientibus, ne & ipsi simile quidpiam paterentur. Mox parentes ingenti mœrore perculsi adfuerunt, corpusque trucidatæ filiæ in templo *c* Pomerellensi tumularunt, vbi totum triennium quieuit, donec Almaldrudis matrona illustris & religiosa, diuinitus admonita, Vindiciano indicauit, placere Deo, vt ipse sanctum Virginis corpus, ad eum *d* locum, vbi passa fuerat, referret; asserens eum varijs propediem illustrandum miraculis. *solenni pompâ transfert:* Haud grauatim Almaldrudi acquieuit Vindicianus: imò nullâ interpositâ morâ, magnam Cleri populique aduocauit multitudinem, atque indictis priùs ieiunijs & orationibus, sacras Virginis reliquias, vti iussus fuerat, transferre cœpit. In eâ pompâ, ante turbam primus ipse incedebat, spirituali gaudio plenus, adeò, vt Dauidem Regem quondam ante fœderis arcam psallentem & exultantem quodammodò referre videretur. Sed ô stupendum prodigium! Ecce huius rei factus certior Harduinus, B ille virginicida cœcus petijt, vt ad sacratum corpus deduceretur. Quò postquàm peruenit, facinus suum cum amarâ lacrymarum profusione seriò detestatus, visum recepit. Hinc Vindiciani pedibus aduolutus, totius rei seriem confessus est, & expiatus. *virtutes eius è concione diuulgat:* Populus autem tanto miraculo attonitus, cùm de huiusce Virginis virtute & potentiâ Vindicianum prolixè disserentem audisset, lætabundus in Dei Optimi Maximi laudes effundebatur, quòd scilicet Episcopo suo, puritatis & castimoniæ per totum æuum studiosissimo & obseruantissimo, hanc peculiarem contulisset gratiam, quâ honoranda B. Maxellendis ossa suis manibus sepelire meruisset.

7 In Hannoniâ *e* Humbertus Abbas Marollensis, cùm ab auiâ suâ *f* Andelinâ agros, prædia, pascua, nemora, iuraque omnia, quæ in territorio *g* Xindunensi iuxta Iseram flumen possidebat, numeratâ pecuniâ coëmisset, ea cuncta magnis imprecationibus adhibitis, cœnobio suo (quod olim Diuus Humbertus inchoauerat) liberaliter addixit, eamque donationem, quo in perpetuum foret rata & valida, coram B. Vindiciano, præclarisque viris alijs, quos expresse euocauerat, sanctè confirmauit *h*. *donationes Marollenses confirmat:*

8 In Franciâ Theodoricus Rex, Chlothario fratri *i* successerat; Franci verò, motâ seditione ab eo secesserunt, odio Ebroini potissimùm adducti; qui meram tyrannidem sub Chlothario Rege nuper exercuerat. Hinc Chilpericus Rex Austrasiæ in Theodorici; & S. Leodegarius Episcopus Augustodunensis in Ebroini locum ab eis suffectus est. Chilpericus dein Rex, *k* ob luxum vitamque perditissimam à suis interficitur, coortis passim per regnum ingentibus C turbis. Theodoricus itaque regnare iterùm iubetur, *Theodoricus Rex* & Ebroïnus pristinæ dignitati restitutus, Palatij Maior rursus euasit. Hic nihil ad vindictam exercendam intentatum, nihil ad patrandum quodlibet flagitium inausum prætermisit: S. Leodegarium quoq; vnà cum Gerino fratre in vrbe Augustodunensi captum, in suam potestatem redegit. Gerinum coram se lapidibus obruit: deinde S. Leodegario teterrimi carceris squallore & fame propemodùm enecto, oculos effodi, *permittit ab Ebroino* labra & linguam amputari, plantasque ferro discindi eo consilio iussit, vt ille tormentorum atrocitate victus in desperationem prolaberetur, eâque ratione *S. Leodegario occidi:* martyrij palmam, ad quam vir insons & innocens anhelabat, amitteret. Ebroinus necdum tot malis satiatus, sed magis magisque vindictæ succensus cupiditate, Theodorico Regi persuasit, vt conuentum quemdam apud Compendium indiceret. Eò præter Magnates seculares, accessere complures Episcopi, à qui- D bus Ebroinus alieno erat animo. *S. Vindicianus procurauit,* Contigit autem diuinâ quadam prouidentiâ, vt in istâ qualicumque Synodo plurima ad publicam salutem conducentia constituerentur; atque Vindicianus noster admirabili suâ dexteritate, tum Regis tum Procerum, & Episcoporum beneuolentiam sibi conciliaret. Et quoniam nouerant illi, quanto ad domum Dei condecorandâ flagraret zelo & desiderio, quandoquidem ipse ex proprio censu Cathedralem suam Atrebatensem Ecclesiam iampridem agris, nemoribus, villis & molendinis collocupletasset: haud ei fuit difficile, Regi in animum inducere, vt eamdem amplioribus ditaret possessionibus & immunitatibus. *Ecclesiæ Atrebatensi Rex possessiones & immunitates concedit:* Quod non modò Rex præstitit, sed & hanc Ecclesiam à seculari iugo & iurisdictione prorsus exemit. Præterea Vindiciani rogatu priuilegium istud solennibus tabulis confirmauit, quod etiam Ioannes eius nominis quintus Pont. Max. primo sui Pontificatus anno ab Rege interpellatus *l* comprobauit, atque adeò vnà cum pluribus Episcopis subsignauit Vindicianus noster, ita iubente tum Rege tum Pontifice: *à Pontificibus confirmatas:* vnde profectò satis liquet, quantâ ipse eo tempore, ad promouendam Dei gloriam valeret apud Principes gratiâ & auctoritate.

9 Sed Ebroinus, humani cruoris sitibundus, S. E Leodegarium, quem irreconciliabili odio prosequebatur, iam anteà ad ædes cuiusdam Chrodeberti relegauerat, è quibus post menses aliquot per quatuor equites iussit extrahi, atque per loca deserta & auia crudeliter raptari. *post S. Leodegarium occisum,* Illic vnus equitum, educto gladio innocentissimum virum *m* obtruncauit. Stetit corpus reciso capite (dictu mirabile) genibus innixum, toto adhuc vnius horæ spatio, donec barbarus ille pedis impulsu truncum prosterneret: qui eodem momento præsentem magni numinis vindictam expertus est. Sublatum corpus sepelijt vxor Chrodeberti in exiguo quodam oratorio, haud procul Hursinghâ vico, qui ad diœcesis Atrebatensis limitem est positus. Eo in loco, huius Martyris intercessione & meritis Deus tot & tam prodigiosa operatus est miracula, vt ægri homines quamplurimi à quibuslibet morbis sanarentur. Rumor ille, posteaquàm Compendium ad Regiam curiam delatus est, in quâ etiam aderat Ansoaldus Pictauiensis, Ermenecharus Augustodunensis, alijque Episcopi, Vindicianum etiam præsentem impulit, vt omni diligentiâ studioque adhibito, martyris corpus solicitè vestigaret, inuentumque penès se retineret, quandoquidem in suâ diœcesi foret occisum & tumulatum. At Deus, qui illi anteà S. Maxellendis ossa peculiari beneficio tradiderat, certis indicijs significauit, sibi placere vt S. Leodegarij reliquiæ venerabili Ansoaldo *n* committerentur. Nec diu tot cædibus superfuit Ebroinus; qui iusto Dei iudicio, à maleficijs cùm non temperaret, à quodam Hermenfrido trucidatus, diras flagitiorum suorum pœnas *o* luit, *& Ebroinum trucidatum,* verumenimverò, quoniam Theodoricus Rex in cul- F pæ consortium etiam trahebatur, quòd eo conniuente, & Leodegarius interemptus, & cetera ab Ebroino admissa scelera crederentur; statuerunt Episcopi, vt Vindicianus Regem adiret, eique liberè exponeret, *S. Vindicianus rogatu Episcoporum* quàm enormibus peccatis coram Deo obstringeretur, nisi tempestiuâ ductus pœnitentiâ resipisceret, & ad meliora consilia sese recipere maturaret. Hic Vindicianus, etsi haud ignoraret, quàm periculosum foret (iuxta Satyrici dictum)

Auriculas Regum mordaci radere vero;

nihilominus salutem publicam priuatæ anteponens, Prouinciam istam, tametsi duram, intrepidus suscepit. Posteaquàm ergo in conspectum Regis prodijt, fiducia plenus coram Proceribus, & compluribus, qui aderant, Episcopus tanto feruore & facundiâ cœpit orare, vt Regis & omnium auditorum animos statim ab initio, non sine manifesto sancti Spiritus subsidio *Regem monet ad pœnitentiam & expiationem criminis,* com-

commouisse, & in suam sententiam rapuisse omnino videretur. Inter disserendum, in eam orationem ingressus est, vt diceret: Sacerdotis esse, reum noxæ admonere, ne in eâ moriatur, & Sacerdos pro eo plectatur. Oportere Regem æquis auribus hæc monita admittere, ob inhumanam S. Leodegarij cædem, eo conscio perpetratam: crimen istud adeò grande & horrendum esse, vt Episcopi ad hanc Synodum congregati, ignorarent, quodnam cataplasma tam periculoso vulneri foret adhibendum: necesse esse Regi cum omni submissione Deo reconciliari culpamque agnoscere & cum iusto Iob (qui etiam in suâ regione olim Princeps erat) dicere: Ego peccatum meum non abscondi, sed illud coram omni populo annuntiaui. Postremò, ipsum debere Dauidem Regem in re simili imitari, noxamque palàm confiteri, & cum eo hęc verba vsurpare: Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos. Vt scilicet Rex cum Dauide cælitus audire mereretur: Ecce quia peccati te pœnitet, illud tibi remittitur: neque morieris. Hæc & alia monita ex intimis animi penetralibus deprompta, magno affectu proferebat Vindicianus, non vt Regem pudore suffunderet, sed eum ad culpæ agnitionem, veramque metanœam adduceret. Quâ in re voti compos factus est: Rex enim iustam esse sancti huius Episcopi reprehensionem iudicans, sese eius statutis & iussionibus vsque adeò submisit, vt ab auditoribus ambigeretur, vtrùm Vindicianus ad arguendum foret liberior, an Theodoricus ad obsequendum propensior.

[*exemplo Iobi* — Iob 31, 33 — *& Dauidis* — Psal. 94. 6 — 2. Reg. 12. 13 — *felici euentu.*]

10 Ceterùm pro peccatis expiandis, iubetur Rex nouum Benedictinis monachis cœnobium iuxta Teruanam Morinorum condere, addito sufficienti censu. Item quoniam effuso D. Leodegarij Martyris sanguine, publicam Ecclesiæ pacem, iampridem Diui Vedasti sacris concionibus in diœcesi Atrebatiâ stabilitam, perturbauerat, ei iniunxit Vindicianus, vti monasterium suum Atrebatense (postmodò Vedastinum nuncupatum) quòd id temporis ipse Principis & Cleri permissu regebat, muris & ædificijs, amplioribusque possessionibus & priuilegijs exornaret. Hisce mandatis non solùm obtemperauit Theodoricus, sed etiam monasterium illud ab Regali potentiâ, & iurisdictione seculari, fore inposterum immune & liberum pronuntiauit, scriptis super eâ re litteris & diplomatibus à Vindiciano, ceterisque Prælatis, qui aderant, eius iussu confirmatis: imò Vindicianus, ne in conferendo tanto beneficio à Rege superatus videretur, hoc etiam cœnobium ab Episcopali iurisdictione exemit. Et quoniam Sedem Apostolicam singulari obedientiâ & submissione venerabatur, Romam contendit, & coram Sergio Pontifice Maximo, curam & onus monasterij Vedastini, tam pro se quàm successoribus Episcopis, deposuit: vt illud deinceps foret dumtaxat sub Sedis Apostolicæ tutelâ. Assensit Sergius, iussitque expediri bullas Indictione tertiâ datas: quæ à *q* Constantino & Georgio (qui post Sergium tiaram Pontificiam gestarunt) atque ab Ioanne Episcopo Portuensi, & Bonifacio itidem Episcopo, simulque Consiliario sunt subsignatæ. Hæc acta fuêre anno Domini sexcentesimo nonagesimo.

[*mandat extrui Teruanense monasterium, & Vedastinum dotari, Romam profectus curauit ab Episcopali iurisdictione eximi:*]

11 Ceterum Vindicianus ad proferenda Ecclesiastica numquàm non intentus, locum idoneum nactus *r* Hunelcurtium vicum in ipso Franciæ confinio, aurâ quadam diuinâ afflatus, monasterium ædificauit. Cui latifundia, aliaque bona assignauit, ad alendos vtriusque sexus ascetas, qui ex varijs prouincijs eò conuenerant, vt sub regulari disciplinâ, & S. Petri Apostolorum Principis patrocinio Deo Optimo Maximo inseruirent. Ita statuit Vindicianus, aduocatis eo nomine aliquot Episcopis, vnà cum B. Lamberto Traiectensi ad Mosam Antistite. Impetrauit etiam à Summo Pontifice Ioanne quædam diplomata ad sui monasterij vtilitatem spectantia, quæ altero suscepti Pontificatus anno in vrbe fuêre descripta. Neque ita multò pòst Almefridus & Childeberta coniux monasterium hoc suis possessionibus, quæ non erant mediocres, amplificarunt, quoniam Auriana filia, assentiente Vindiciano, eius loci Abbatissa fuerat renuntiata.

[*Hunelcurtium monasterium extruit:*]

12 Eâ tempestate peculiari Dei gratiâ, multa crebraque fiebant miracula, quæ *ſ* B. Eusebiæ meritis & precibus adscribebatur. Ea B. Richtrudis erat filia. Itaque propter infinitam populi ad Hamagium Vicum confluentis multitudinem, peregrinationis ergo, *t* Gertrudis Abbatissa omnem diligentiam & studium adhibuit, vt eius templi spatium laxaretur, quo tot excipiendis peregrinantibus foret capax. Hinc à Vindiciano enixè contendit, vt illud consecraret, simulque B. Eusebiæ & *u* amitæ suæ corpora humo eleuaret. Excusauit ille serias occupationes, quibus id temporis omnino distinebatur. Eò tamen Hattam Abbatem Vedastinum cum aliquot Prælatis alijs transmisit. Hi post tridui ieiunium effusasque preces manû quamdam humanæ similem, loculos sanctarum harum mulierum mouentem animaduerterunt, tamquàm isto signo monerentur, hasce reliquias aliò esse transferendas. Quod vbi consuetis cæremonijs peractum fuit, tandem ad præscriptum consecrationis diem adfuit Vindicianus, fanumque illud Deiparæ Virgini dicauit. Et mox sacrosancto Missæ sacrificio decantato, ingenti pompâ, summâque animorum alacritate ossa hæc veneranda in constitutum locum transtulit.

[*dedicat Ecclesiam Hamagiensem & eleuat corpora SS. Eusebiæ & Gertrudis.*]

a *Eodem anno 4 Theoderici Regis,* Christi 683.

b *Imò Idibus Nouembris seu 13 die colitur natalis S. Maxellendæ.*

c *Baldericus lib. 1 cap. 23, vbi hoc martyrium narrat,* villam, Pomeriolas *vocat. Vulgò* Pommereal *dicitur, locus inter castrum Cameracesium & Landracum situs.*

d Calderiacum, *vulgò* Caudri, *inter* Cameracum *& castrum* Cameracesium, *æquè ab vtroque distans.*

e *Hic locus plenius elucidatur ad Vitam S. Humberti 25 Martij.*

f Haudiliana auia S Humberti *in diplomate ad huius Vitam edendo.*

g *In Superiori Picardiâ.*

h *Anno Childerici* 12, *Christi* 676.

i *Anno* 676.

k *Baldericus cap.* 20, propter leuitatem & insolentias suas, Optimatibus Palatinis *minùs gratum alij notant. Interfectus autem est anno 679 in æstate.*

l *Ioannes V comprobauit 8 Idus Maij, Theodorici anno 7, Christi 685. Priuilegium editum est à Balderico lib. 1 cap 25. Subscriptiones Episcoporum posteà intrusa sunt, ex pietate erga sanctos Episcopos tum pridem mortuos.*

m *Die 2 Octobris anni 884.*

n *Translatum corpus est Pictauium ad monasterium S. Maxentij anno 688, 16 Martij.*

o *Ebroinus occisus est sub finem anni 687 aut initio sequentis.*

p *Coronatus est Sergius ipso die Natiuitatis Christi in fine anni 687. cuius tertius annus conuenit in Indictionem 3 & annum mox notatum 690.*

q *Inter Sergium & Constantinum fuerunt tres Pontifices: fuit hic creatus anno 708, eiq; successit anno 714 Gregorius II, cuius Vitam illustrauimus 11 Februarij.*

r *Hunecurtium in confinijs agri Cameracensis, Artesiæ & Picardiæ prope Scaldim, quod Almefridus fundator obtulit S. Bertino 8 Februarij anno Theodorici 11, Christi 690, & Rex Theodoricus confirmauit 1 Aprilis anno regni 14, Christi 693. Ita Iperius in Chronico MS.*

ſ *Colitur S. Eusebia 16 Martij, vbi hæc accuratè traduntur, & de Hamagio agitur.*

t *Fuit hæc antè coniugata Ingomaro viro illustri.*

u *Imò proamita S. Gertrudis Hamaticensis, quæ colitur 6 Decembris.*

CAPVT III

Obitus S. Vindiciani. Corporis eleuatio & veneratio: miracula.

13 HActenùs Vindicianus tot ac tantas res pro domo Dei gesserat, vt ceteros suæ ætatis Antistites, benefactis aut superasse aut certè æquasse meritò videri possit. Toto enim vitæ spatio, nullum detrectauit sumptum aut laborem, quo suæ diœcesis Ecclesias & monastèria secularibus spiritualibusque bonis compleret, & quamplurimos vtriusque sexus ascetas Christo lucrifaceret. Postremò, quoniam iuxta Sapientis dictum, Suadet loquentis vita, non oratio, ipse id vnum præcipuè curare videbatur, vt boni Pastoris functus officio, verbo & exemplo ad omnem pietatem & virtutem gregi suo præiret; neque intereà destitit priuatas opes, quæ sanè haud erant exiguæ, in egenos ærumnososque homines munificâ manu erogare, eâq; ratione Euangelici oraculi dicto obaudire, sibique thesaurum numquàm interiturum cælo recondere. Hoc dum agit, partâ latè præclarâ nominis famâ, & iam melioribus vegetioris suæ ætatis annis pedetentim elapsis, cùm tandem senuisset, statuit in vetus suum Squauiense prædium remeare, ibique ab omni mundi tumultu strepituque procul remotus, veram Philosophiam, quæ est mortis meditatio, sectari. In eâ solitudine, modò in propinquo D. Martini Delubro orationi vacare, modò in monte Eligiano cum ijs Clericis, quos ad vitam regularem adduxerat, magnâ cum animi suauitate & tranquillitate versari solebat. Hic forti animo cunctis voluptatibus contemptis, & longè abdicatis, & vnis tantummodò rebus immortalibus intentus, cælestes delicias quodammodò prægustare videbatur, vsque adeò, vt ad illud summum æternumque bonum anhelans, crebrò suspiraret, & cum Paulo Apostolo, corporis ergastulo eximi, & esse cum Christo præoptaret.

Intentus vt cunctis benefaciat, c — Luc.12,33 — B — *secedit ad mortis imminentis præparationem.* — Phil.1.23

14 Intereà ob quædam magni momenti negotia, affectâ iam valetudine ad vrbem a Bruxellanam profectus, quæ id temporis ad suam diœcesim pertinebat, lentâ ibi febre corripitur, quâ admonitus haud procùl abesse mortem, maturè domesticam familiam ad omne obsequium Deique timorem iamdudum edoctam, aduocauit, & efficaci oratione consolatus est: cui etiam suam benedictionem impertijt, quæ à tanto viro non potuit non esse eximij ponderis. Inter postrema mandata statuit, vt post obitum, funus ad montem oratorium Eligianum, quod haud procul Atrebato abest, deportaretur, & ibidem sepeliretur: vbi etiam Honorati sui nuper Archidiaconi corpus quiescebat. Venerabatur enim istum locum cumprimis Vindicianus, propter celeberrimam S. Eligij Nouiodunensium Episcopi famam & memoriam, cum quo inibi familiarissimè vixerat, neque ab eo etiam post mortem omnino separari sustinebat. Rebus ita compositis, inter suorum preces lacrymas & suspiria, expirauit Vindicianus quinto Idus Martias. b Corpus verò, sicut iusserat, loculo conditum, & honorificâ pompâ, cantuque lugubri ad Eligianum collem delatum, ab Episcopis & Prælatis, qui aderant, in præparato monumento deponitur: vbi tamdiu quieuit, donec, diuinâ prouidentia ita statuente, humo fuit elatum propter creberrima, quæ eo in loco, tanti Pontificis meritis obueniebant miracula.

Bruxellas profectus, a — *in febrim incidit:* — *eligit sepulturam:* — C — b *moritur 11 Martij.* — *sepelitur in monte S. Eligij*

15 Quoniam hæc regio, sub Franciæ Regibus & pecularibus Dominis diuturnâ iam pace & opibus floruerat, vix credi potest quàm frequentibus incolis, tum Ecclesiasticis tum secularibus, qui eò religionis ergo confluxerant, Mons-Eligianus habitabatur. Eâ de caussâ permotus c Alegarius Atrebatium Episcopus ordine decimus septimus, vir & vitæ sanctimoniâ & varijs legationibus longè clarissimus, ibidem etiam post obitum voluit sepeliri: qui incidit in septimum diem ante Calendas Iulias anni DCCCXXX. Tanta erat huius loci celebritas, vt d Hincmarus Lugduni Clauati Episcopus (veluti in archiuis istius Ecclesiæ legitur) publicâ plurimorum prodigiorum, quæ ad BB. Auberti & Vindiciani sepulcra crebrò edebantur, famâ adductus, neptem suam oculis captam eò transmitteret, atque e Ioanni Episcopo nostro commendaret. Placuit autem Deo, vt puella horum Beatorum meritis & precibus restituto lumine, sanaretur. Quamobrem Ioannes scriptâ ad Hincmarum epistola, vti ab eo rogatus fuerat, testatus est beatos Confessores istos, toto vitæ spatio, fuisse eximiâ virtute & doctrinâ admirandos: sed Vindicianum præcipuè diuino zelo, & feruentissimis concionibus commendatum, ceteris Antistitibus sibi coæuis dicto & exemplo præluxisse.

c — D — d — e *Illuminatur cæca, neptis Hincmari Episcopi:*

16 Verùm vti est rerum omnium humanarum vicissitudo, tranquilla & beata hæc tempora, exceperunt alia longè turbulentissima, simulque calamitosissima. b Normanni enim & Dani, etiamnum ethnici, infestâ classe aduecti, instar rapidissimi torrentis, per vniuersam prouinciam longè latèque effusi, repugnante nemine, ædificia omnia, delubra, monasteria, vicos, castella, munitasque vrbes, & inter has Teruanam, Cameracum, Atrebatum, cum vicini Montis-Eligiani sacris profanisque ædibus, igni ferroque exciderunt. Passim videre erat templa expilata, pretiosa ornamenta conuasata, Sacerdotes trucidatos, ascœtas vtriusque sexus profugos sine duce, sine pastore aut custode, huc illuc per agros & nemora oberrare & palari; aut in antris trepidanter latitare. Imò tanta calamitas eò atrocior euadebat, quòd insano barbarorum, cædibus & flammis immaniter omnia miscentium, furori auderet nemo obsistere: imò coactus est Carolus Simplex aliquam Franciæ prouinciam istis habitandam relinquere, quæ etiam hodie ab eorum nomenclaturâ vocatur Normannia. Vastatis ad hunc modum locis omnibus, Mons etiam Eligianus tot quondam incolis, prodigijs & sacris monumentis inclytus, cum iam in miserandam solitudinem foret redactus, contigit vt enatis passim frutetis, & dumetis totus siluesceret, & proinde subsecuto sexaginta annorum spatio D. Vindiciani sepulcrum vepribus obsitum, quonam in loco lateret, penitus ab omnibus ignoraretur.

E — *vastatur Mons-S.Eligij à Normannis:*

17 Tandem post euolutum tanti temporis interuallum, placuit Deo (qui fideles seruos non solùm in cælo remunerat, sed & in terris eorum reliquias vult esse in pretio & honore) vt B. Vindiciani monumentum admirabili euentu fuerit rursus repertum. Etenim circiter annum Domini DCCCCXL sub g Fulberto Atrebatium & Cameracensium Episcopo, quoniam liberalium artium studia Atrebati quàmmaximè florebant, scholares aliquot siue Clerici, natalibus clari, præceptorum suorum permissu, ad hunc montem animi relaxandi gratiâ pariter processêre. Quem cùm inuenissent totum rubis & sentibus torridum, iuuenili quodam ardore concitati, cœperunt per fruteta & arbusta huc illuc excurrere, ad grana quædam vestiganda, conficiendo atramento idonea. Hic vnus istorum, nescius quòd inter ruinosa veteris ecclesiæ rudera consisteret, nimiâ fortè ductus curiositate, baculi ferratâ cuspide B. Vindiciani sepulcrum fodicare temerè aggressus est, & quoniam minùs reuerenter sese gerebat, repentè vtroque lumine fuit orbatus. Tum miser, tanto perculsus infortunio, gemere & eiulare, socij verò trepidare, eumque hortari, vt maturè ad opem diuinam confugeret, locique genium supplex deprecaretur. Paruit monitis cæcus adolescens, sodalesque pari formidine correptos obnixè rogauit,

g *circa annum 940* — F — *aliquis scholarium temerè fodicans sepulcrum S. Vindiciani, excæcatur.*

A gauit, vti se ad B. Vindiciani monumentum reducerent sisterentque. Illic prostratus humi, factumque detestatus, profusis vbertim lacrymis, palàm profitebatur, se indignum esse, sacratum hunc locum, quem ipse suâ temeritate violasset, contingere. Neque prius lamentari & nomen Domini inuocare destitit, accedentibus etiam attonitorum sociorum suorum precibus & suspirijs, quàm ipse, suffragante haud dubiè B. Vindiciano, visum cœlitus reciperet. Itaque summo mœrore in summum gaudium commutato, scholares illi exultabundi, diuinasque laudes pariter merito cebrantes præconio, in vrbem rediêre. Publicato tanto prodigio, vix quisquam credat quàm variè ciuium Atrebatium animi sint affecti. Pars enim B. Vindiciani formidabant manus vindices: pars ingenti lætitiâ perfundebantur; quòd insolens à Deo miraculum suis in finibus contigisset: vtrique autem magno concursu ad hunc montem properabant, vt Diui Tutelaris patrocinium & fauorem sibi conciliarent.

eius meritis visum recipit:

excitatur Atrebatensium deuotio: a

18 At Fulbertus Episcopus, id simulatque inaudijt, lacrymis præ gaudio ex oculis prolabentibus, manibusque in cælum protensis, cœpit Deo Optimo Maximo depromptas ex imo pectore gratias agere, quòd Ecclesiam suam scilicet tanto munere condecorare dignaretur. Neque vllam sibi moram attulit, B quin per epistolam, aduocatis finitimis Episcopis & Prælatis, cum Optimatibus, & numerosâ promiscuæ multitudinis turbâ Montem-Eligianum maximâ pompâ adiret. Subsecutam noctem Clerus suauissimâ symphoniâ psalmos & hymnos decantando, cum insomni populo fundendis votis precibusque occupato, posteaquàm totam absumpsit; manè Fulbertus, exorto sole ad septimum Calendas Iulias eiusdem Anni, ad sanctissimi Patris B. Vindiciani monumentum cum maximâ reuerentiâ accessit: sublatoque eius operculo, scriptum quoddam deprehendit, quod certò indicabat Vindicianum eo in loco quiescere. Iuxta enim iacebat, tametsi separatim, tumulatus beatus Honoratus quondam eius Archidiaconus, cuius loculum non attigit Fulbertus. Verùm tantummodò cum omni submissione & veneratione Reliquias S. Vindiciani, ritu solenni humo eleuatas, in præparatam capsam argenteam intulit, quam altari recens à se extructo imposuit; quò tanti Pontificis memoriam & tumulum, apud posteritatem efficeret celebriorem & augustiorem veneranda hæc Eleuatio, quoniam apud populum incredibilem excitasse videbatur deuotionem, propter singularia, quæ eius meritis & suffragijs hominibus ibi supplicantibus conferebantur cælitus beneficia. Fulbertus eodem in loco, senticetis syluisque repurgato, magno molimine sumptuque nouam à fundamentis excitauit ecclesiam, & SS. Petro & Paulo & S. Vindiciano consecratam, octo Clericis, siue Canonicis, tamquàm æditius custodiendum commisit.

à Fulberto Episcopo

25 Iunij

corpus S. Vindiciani capsa argentea inclusum, altari imponitur: g

noua ecclesia illi dicatur:

8 Canonici constituuntur:

a *Baldericus cap. 28 appellat* Brosellam diœcesis suæ territorium, *quia vrbs Bruxellensis fuit olim in diœcesi Cameracensi.*

C

b *De anno obitus eius suprà egimus.*

c Halitcharius *Balderico, qui huius sepulturæ meminit cap. 4.*

p *Est Hincmarus iunior Episcopus Laudunensis, Hincmari Archiepiscopi Remensis nepos, qui præfuit tempore Caroli Calui.*

e *Sedit Ioannes ab anno 866, ad annum 878, mortuus 5 Augusti, & Sanctus à nonnullis indigetatur.*

f *Anno 881 de quo consulenda Gesta Normannorum ante Rollonem.*

g *Fulbertus sedit ab anno 933 ad annum 956. Quæ hîc referuntur, contractiùs habent Baldericus cap 29 & 30, & VValterus Abbas, addens testes harum rerum ad sua vsque tempora superfuisse. Gazetus, sed perperàm; ista ad annum 885 refert.*

CAPVT IV

Varia miracula. Reliquiæ exportatæ & reportatæ.

19 TAli rerum statu, *a* mulier quædam Atrebatia audiens miracula quæ varijs personis, Vindicianam opem implorantibus, diuinitùs contigerant, filium vnicum, qui à multis annis cæcus erat, plena spe & fiduciâ S. Vindiciano sanctè deuouit, & mox ad eius sepulcrum deduxit. Cui ille cum lacrymis & suspirijs supplex aduolutus, cereum ardentem eius altari imposuit. Quo facto, omnibus qui aderant stupentibus, aperti sunt eius oculi. Ipse verò conspecto sole, quem tantoperè intueri iampridem concupierat, nullo vsus duce, non sine prolixâ gratiarum actione, parentem suam lætus domum reduxit. Huic prodigio accessêre & alia maiora: Nobilis enim & locuplex matrona Pontiuij territorij iampridem oculorum vsu priuata Romam contendere meditabatur, in certam spem vocata, se ad sepulcra & reliquias Apostolorum & Martyrum visum recepturam. Proinde Deum assiduis precibus obtestabatur, vti suam profectionem prosperaret, quam postridiè inire decreuerat. Verùm eâ nocte in somnis *b* ab Angelo fuit admonita, vt consilium istud Romam adeundi abijceret, & breuioris itineris compendio, ad D. Vindiciani monumentum cum oblationibus pergeret: fore enim, vt ibi voti sui compos fieret. Paruit mulier Angelicis monitis, & sine morâ propter tenuissimam corpusculi valetudinem ex ipsâ cæcitate obortam, conscensâ rhedâ, eò peruenit, spe bonâ & gaudio repleta. Mox eius altari admota, & cum sincerâ animi demissione crebra figens oscula, ecce inter preces & suspiria, non solùm oculorum, sed & ceterorum artuum integram recepit sanitatem; quam secundùm Deum S. Vindiciani meritis verè cùm adscriberet, vix verbis explicari potest, quantis cum laudibus & præconijs, domum cum suo comitatu hilariter reuersa, diuulgatoque passim prodigio, per reliquum totius æui spatium sit prosecuta. Subsecuta sunt & alia miracula ex eodem fonte promanantia, veluti breuiter dictum imus.

a Illuminatur cæcus

E

b & cæca:

20 *c* Balduinus Flandriæ Comes, eius nomis *d* quartus, quoniam Arnulpho *e* Comiti Valentianam ciuitatem ademerat, Henricus Imperator eius nominis secundus eam obsedit. Huic autem bello sese immiscuit Robertus Franciæ Rex, vnâ cum Richardo Normanniæ Duce, qui infinitas suæ gentis Normannicæ copias secum trahebat. Is per Artesiam infestum agmen cùm raptaret, latrones aliquot Normanni à signis digressi obuia quæque, siue sacra siue profana, crudelissimè deuastarunt. Nonnullis autem cùm suboluisset, quamplurimam supellectilem in ecclesiam Eligianam à colonis comportatam, ibique prætereà congesta esse & alia magni pretij donaria, Vindiciano monumenta addicta, perditissimi illi homines, insitâ latrocinandi & rapiendi auiditate incitati, eò statim conuolant, atque irruptionem moliuntur. Verùm à Canonicis strenuè repugnantibus turpissimè reijciuntur. Quo in congressu, Canonicorum vnus hostili telo traiectus occubuit. Ei confestim ceteri, relato in templum cadauere, dum parant exequias: ecce miles alius diris agitatus, conscenso tecto & superiore tabulato perforato, in Ecclesiam armatus sese dimittit, magnoque impetu in Canonicos funeri procurando intentos, stricto ferro irruit. Ibi quantumuis inopinato casu forent attoniti, furiosi hominis tamen impetu tamdiu sustinuerunt, donec reliqua hostium multitudo effractis foribus intra templum violenter irrumperet. In eo tumultu interfecti sunt & alij Canonici, vasaque omnia cum pretiosis ornamentis direpta

c d e

Normanni irruentes in ecclesiam Montis S. Eligij,

F

mactant Canonicos, diripiunt omnia ad aram & sepulcrum S. Vindiciani

A repta, totumque templum cum ipsâ S. Vindiciani arâ & sepulcro, humano cruore perfusum: nullum denique immanitatis genus ab istis barbaris, innatâ feritate & auaritiâ insanientibus, memoratur prætermissum. At impij sicarij haud diu impunè tantum facinus tulerunt. Vix enim ex eo loco discesserant, prædam & sacra spolia partituri, quando diuinam vltionem in procinctu adesse, tremebundi sensêre, magno scilicet Numine illatâ Confessori suo contumeliam atrociter puniente. *miserè puniuntur:* Alij enim à cacodæmone correpti immaniter cruciabantur; alij capite instar cucurbitæ inflato, humi allidebantur, spurcissimam mephitim ex ore blasphemo exhalantes: alij rursus pigrâ omnium artuum capti torpedine intolerandis doloribus à sacro quodam & occulto igne torquebantur. Omnes denique crescente cruciatu tamquam furibundi tauri, cœperunt per agros & nemora huc illuc ferri præcipites. Imò quidam sibimet linguam suis manibus euellebant: multi verò poplites ferro succidebant, lamentabili clamore eiulantes sese in Deum & Sanctos eius ministros infanda admisisse flagitia. At ceteri, qui isti sacrilegio sese non miscuerant, tali spectaculo exterriti, atque vindices haud iniuriâ Vindiciani manus extimescentes, sibi mutuò gratulabantur, quòd tanti sceleris haud fuissent participes. Porrò exercitus cùm iam ex Artesiæ finibus excessisset, Richardus demum quæ B acciderant intellexit. Et mox edicto cauit, vt bona omnia à suis rapta, quantumlibet forent minuta, è vestigio Ecclesiæ Eligianæ penitùs restituerentur. *iussu Ducis restituunt* Paruerunt omnes, suo malo abundè edocti, quàm durum esset aduersùs stimulum calces iactare.

21 At horum vnus peruicacioris animi nebulo, *detinens campanulam,* campanulam æneam è loco sacro sublatam, contempto Principis edicto: penès se retinuit. Et licet ea res exigui momenti videri poterat, non iste tamen iustitiam Diuinam effugit. Quippe miser sacro igne correptus *igne sacro affligitur:* ambustam corporis sui medietatem penè amisit. Cùm verò ita affectus, mortuo similis humi iaceret, multi misericordiâ moti, ad eum accesserunt, opem ferre cupidi. At malum illud quodlibet remedium respuens, magis magisque ingrauescebat, donec ille doloris impatiens, furtum palàm fateretur, & illud oblato duplicis pretij munere redimeret. *fassus culpam liberatur.* Receptâ enim animi corporisque incolumitate, campanulam argenteam pro æneâ S. Vindiciani monumento appendit. Vnde liquet, Deum hisce signis pro suâ clementiâ bonos admonere, vt amicos suos iam cælo donatos debito obsequio & honore in terrâ prosequantur; malos verò deterrere, ne quid simile cum Normannis inposterum audeant; vsque adeò vt à S. Vindiciano, flagellum huiuscemodi sacrilegis minaciter intentante, illud meritò posse vsurpari videretur

Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

Quatuor ista, quæ iam recensuimus stupenda miracula fusè à Waltero, primo sancti Sepulchri apud Cameracum Abbate, compendiosiùs autem à Balderico Historico referuntur. Is erat à secretis *g* Gerardo, & Lieberto Atrebatium & Cameracensium Episcopis. *g* Porrò vterque, puta Abbas ille & Baldericus, abundè C scriptis suis testantur, quantopere indignarentur, quòd præclara Pontificis Vindiciani Acta indigno inuoluerentur silentio; siue istud socordi scriptorum illius ætatis negligentiæ, siue vastationi ciuitatum huius prouinciæ per Normannos & Danos non semel editæ, siue denique damnosis bellorum nostrorum ciuilium iniurijs adscribi debuerit.

22 Id etiam memoratu dignum videtur, quòd vir quidam pius & eruditus circiter annum millesimum ducentesimum quadragesimum (velut ex manuscriptis Breuiarijs colligitur) hymnum in Patroni nostri laudem conscripserit, cuius est initium: DVX NOSTER VINDICIANE, &c. In eo autem hymno, per verba hęc, quę subsequuntur, VT IN VNO PROBENT FACTO TERNA TER MIRACVLA, auctor iste videtur innuere Deum D quondam voluisse Confessorem suum insignibus nouem illustrem fieri miraculis. *Claudus sanatur* Hinc est fortasse, quod Bulletus Abbas Eligianus eius capsæ argenteæ, quam fieri curauerat, effigiem hominis claudicantis insculpi iusserit, qui luxatâ coxendice, inuocatoque Vindiciano domum sanus reuerterat.

23 Quàm verò foret passim eius nomen celebre, vel hinc etiam apparet, quod decimoquinto Calendas Nouembris anno millesimo trigesimo Gerardus Episcopus eius nominis primus, Cathedralem ecclesiam Cameracensem, quam ipse à fundamentis excitauerat, consecrare parans, eò inter complures Sanctorum Reliquias, S. Vindiciani feretrum deportari, & illud in sede Episcopali honorificè collocari curauerit, in memoriam scilicet Ecclesiæ ab eo quondam prudentissimè & sanctissimè administratæ. *reliquiæ deportata Cameracum,* Legimus etiam eamdem capsam, ad similes actus solenniores condecorandos, ad diuersa loca fuisse comportatam, vt patet ex donatione mansi de Insulis nobis factâ à Balduino Pio Comite. *& ad alia loca:*

24 Labentibus continuo fluxu seculis, tandem ad ea tempora deuentum, in quæ Ioannis Burgundiæ E Ducis à Carolo Delphino ex insidijs inhumaniter *h* trucidati miseranda, cædes incidit. *h* Ob quam inter Burgundos & Aurelianos Principes, ciuile dissidium longè luctuosissimum exarsit, quod vniuersam Galliam & hasce prouincias funditus euertit. *& tempore belli* Et quoniam Angli in huius belli societatem venerant, diuturnum fuit, & in multos annos protractum. Quapropter Michaël Dalennes Abbas, qui tunc monasterio Eligiano præerat, pretiosiorem domus suæ supellectilem in loca tuta munitaque deferri iussit. At inter præcipua Ecclesię suę decora, cùm nullum foret capsâ S. Vindiciani excellentius, nullũ sanctius, statuit, vt ea Duacum deuecta, ad asylum Eligianum deponeretur: *ad refugium Duacense;* quo in loco triginta quatuor annorum spatio posteà emansit. Tandem post istud tempus euolutum, Ioannes Bullotus Michaëlis successor, quò frequentibus ascetarum suorum interpellationibus satisfaceret, sacrum hoc depositum ex vrbe Duacensi accersitum, antiquo domicilio reddere decreuit; *noua capsa* sed fabricatâ priùs eximij operis nouâ capsâ, argento, auro, gemmisque insigni artificio distinctâ. Post hæc conuentum est inter Bullotum Abbatem, & Hugonem de Cayien Atrebatum Episcopum, vt sacri eius pignoris Relatio siue Translatio ad Cathedralem Deiparæ Virginis ecclesiam fieret ipsis Nonis mensis Iulij anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio. *Atrebati imponuntur anno 1453* Ea dies vbi aduenit Hugo coram Legato Apostolico, qui tum Atrebati aderat, & Abbate Vedastino, & Martelano, alijsque Prælatis, vniuersoque cœtu Eligiano, & maximâ populi cuiuscumque ordinis turbâ, Sancti nostri Vindiciani Reliquias ex vetere capsâ exemit omnique adhibito honore & debitâ reuerentiâ puro puto serico panno inuolutas, in recens feretrum transtulit, & ritè composuit. Intereà modulante choro, organa ceteraque nablia suauissimè personabant. F Hîc videre licuit flagrantissimam ascetarum nostrorum totiusque populi pietatem, qui osculando feretro, fusis etiam præ lætitiâ lacrymis, satiari vix poterant; imò comminuto veteris capsæ ligneo tegumento, certabant omnes frustum aliquod religionis ergo domum referre: *solenni processione referuntur in Montem Eligianum.* Episcopus verò, ne ceteris tanto Pontifice honorando cedere videretur, Capsam solenniter cum omni Clero, ad suburbana vsque pomaria deduxit, campanis omnibus tum ecclesiæ Cathedralis, tum Vedastini monasterij læto sonitu perstrepentibus. Hinc pompa magno apparatu Eligianum montem versùs procedere cœpit. Præcedebat vrbana ordinariorum Balistariorum cohors vnà cum suo Rege, & Connestabili, explicatis vexillis, signisque volitantibus non sine grato lituorum auras & aures demulcen-

A mulcentium clangore. Sequebantur congruo ordine ascetæ omnes, cantica & hymnos decantantes, vnà cum suo Antistite, qui instar quondam Dauidis Arcam Domini præcedentis, spiritalem lætitiam, quâ in sinu agitabatur, vultu gestuque abundè prodebat. Postremò agmen claudebat, cælo admodùm sereno, tanta populi multitudo, vt via militaris tota hominibus constrata & cooperta conspiceretur. Postquàm autem ad ecclesiam Eligianam ventum est, sacrata Capsa in egregio tabernaculo ad id nuper præparato, reuerenter admodùm fuit collocata. Et quò tanti Pontificis memoria apud posteros foret augustior, statutum est ab Abbate & Capitulo, vt huiusce translationis feriæ anniuersariæ Nonis Iulijs inposterum celebrarentur, suppresso scilicet Eleuationis die; quæ quotannis etiam ad septimum Calendas Iulias recolebatur.

hac Translatio celebrata 7 Iulij.

a *Continentur hæc duo miracula apud Baldericum cap. 31 & 82, & VValterum Abbatem.*

b *Baldericus.* diuinitus commonetur.

c *Meminit sequentium Baldericus cap. 33 & 114.*

d *Barbatus cognomine, filius Arnulphi Iunioris, ac pater Balduini Insulensis.*

e *Valentinianensi* Comiti, *alij à Comitibus Montium, qui Hannonia solent* Comites *appellari. Infrà num. 27 dicitur hac obsidio facta anno* 1006, *alij ad annum* 1004 *referunt.* Consule *Doutremanuum lib. 1 Historia Valencenensis cap. 15.*

B

f *S. Henricus colitur 14 Iulij.*

g *Gerardo primio anno* 1049 *mortuo, successit Lietbertus vitâ functus* 1076.

h *Anno* 1415.

CAPVT V

Varius S. Vindiciani cultus. Fures puniti.

25 PRæterea fuit constitutum, vt semel singulis septimanis fieret simplex trium lectionum Officium, si nullum aliud occurreret impedimentum. Id quod deinceps fuit perpetuò obseruatum, donec hac ætate receptum est à nostris Breuiarium Romanum sub Reuerendo Abbate D. Adriano du Quesnoy. Tunc enim præscriptum fuit, vt semel in hebdomade post Primam Missa S. Vindiciani decantaretur, si modò per alias occupationes liceret. Porrò Legatus Apostolicus, cuius mentionem suprà fecimus, centum dierum indulgentias ijs concessit, qui annuis huiusce translationis recurrentibus ferijs, aut alioquin quibuscumque totius anni solennioribus Festis S. Vindiciani Reliquias veneraturi, hæc loca adirent. Item biennium postea Nicolaus Cardinalis titulo S. Crucis in Hierusalem, qui tunc Atrebati ad pacis fœdera inter Carolum septimum Franciæ Regem & Philippum Burgundiæ Ducem conficienda occupabatur, quo populi zelum & studium excitaret augeretque, pares conditiones impertijt omnibus, qui factâ contrito animo exomologesi, aut eleemosynâ egenis erogatâ, ad ecclesiam Eligianam, intra Translationis octauas Superis & Patrono suo supplicaturi accederent. Iamdudum verò anteà Innocentius quartus sui Pontificatus nono, & Incarnati Verbi anno plus minus millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, quadraginta dierum Indulgentias ab ijs pariter percipiendas promulgarat, qui festum eius religiosè coluissent.

Singulis hebdomadis recitatum Officium,

aut Missa cantata,

Indulgentia concessa à Legato Apostolico,

Cardinale S. Crucis,

C

& olim ab Innocentio 4

26 Temporibus nostris post bellum inter Philippum secundum Hispaniæ & Henricum quartum Franciæ Reges exortum, quod toto quadriennio in hisce potissimum finibus gestum est, non sine singulari & Artesiæ & monasterij nostri detrimento, tandem apud Veruinium, sublato dissidio, in pacis conditiones ab vtraque parte descensum est, postridie Calendas Maias anno millesimo quingentesimo nonagesimo octauo: quæ demum Atrebati proclamata fuit septimo Idus Iunias. Quo die instituta est maximo apparatu publica supplicatio, cui intererat infinita hominum multitudo. Inter sacratas reliquias primò S. Vedasti caput, hinc eiusdem Diui item S. Vindiciani & S. Bertiliæ corpora, cum sacro Atrebatensi cereo, circumferebantur. At Vindiciani Capsa à sex ascetis nostris, indutis pretiosioribus suis dalmaticis, gestabatur, comitantibus ministris domesticis cum splendidis facibus & fumalibus. Hos proximè sequebatur D. Adrianus du Quesnoy Abbas Eligianus, tiarâ & Pontificali amictu venerabilis. Vbi verò ad augustum Deiparæ Virginis fanum pompa substitit, feretrum S. Vindiciani fuit aræ impositum. Ibi mox populus magno concursu studioque cœpit illud certatim deosculari, piéque deuenerari. Porrò Balistarij Atrebatenses à Monteligianis efflagitauerant, vt liceret ipsis feretrum hoc in eâ supplicatione humeris deferre. Sed Præsuli & ascetis aliter visum, ne forte in tantâ inconditi vulgi turbâ, iurgium aut tumultus suborirentur. Illi tametsi repulsam passi, tædis nihilominus accensis, varijsque luminaribus prælatis, palàm eo die ostenderunt, quanto honore & cultu S. Vindicianum, veterem sodalitij sui Patronum, prosequerentur. Ceterùm Veruiniano fœdere sublato belli metu, & securitate huic Prouinciæ redditâ, actum est inter Eliganos de capsâ S. Vindiciani, clàm & sine vllo strepitu, ex Channensi Asylo domum reducendâ, constituto etiam die ad duodecimum Calendas Iulias anno millesimo sexcentesimo primo. At consilium hoc Balistarijs secretò indicauit Magister Ioannes le Ricque, qui tunc Monasterij erat Bailliuus. Itaque hi illo die egregiam rhedam nostris obtulêre; cui sacrum hoc pignus fuit impositum: adeoque omnes militariter instructi, cum signis & vexillis, illud ad Montem-Eligianum deduxerunt. Posteaquàm verò ventum est ad vicum De le Warde, adfuit cum omnibus Ascetis Abbas Eligianus Pontificali veste indutus: ibique feretrum duorum ascetarum humeris fuit exceptum, qui inter ceteros erant honoratiores. Et mox chorus non sine lacrymis, in Psalmos & in conuenientia Responsoria effusus, ecclesiam versùs cœpit progredi, rursusque exoptata hæc tantopere capsa ad aram principem fuit deposita, eodemque momento S. Ambrosij & Augustini hymnus, præeunte Præsule, cum incredibili exultatione spiritali, modulantibus organis est decantatus. Intereà incolæ Montani non minori gaudio & pietate impulsi, eam impressis osculis, fusisque votis sunt venerati, sibi mutuò vdis etiam genis gratulantes de sanctis Diui Tutelaris ossibus domum rursus postliminio reportatis. Balistarij autem in operæ nauatæ pretium lauto epulo fuêre excepti, & ab Antistite honorario munere donati. Hinc eodem apparatu domum reuersi, Eligianorum humanitatem & munificentiam apud suos ciues, non sine applausu prædicauêre.

Reliquia Atrebati in Processione delata anno 1598.

D

solenni pompa relata anno 1601 E

27 Priusquàm verò huic narrationi finem imponam, illud silentio nequaquàm prætereundum videtur, quòd scilicet S. Vindicianus monasterium hoc in suâ peculiari tutelâ perpetuò habuerit: quandoquidem à compluribus seculis Eligianam domum in eo statu & splendore, quo etiam hodiè clarere conspicitur, hactenùs conseruarit: eiusque sacra profanaque bona, non modò aduersùs veteres, tum bellorum tum Procerum nobis infestantium contumelias, sed & nuper aduersùs recentes inferioris notæ hominum iniurias & sacrilegia, non sine mox subsecutâ atroci vindictâ, egregiè defenderit. Quod hic paucis, factâ vtriusque comparatione, memorare haud abs re fuerit. Nam veluti anno millesimo sexto, hæc ecclesia pretiosis donarijs referta, ob crebra, quæ ad monumentum S. Vindiciani fiebant miracula, à Normannis violenter irruentibus, non sine multâ cæde, penitus eo consilio fuit expoliata, vt prædam scilicet comparatam inter se partirentur: sic & nostris temporibus, anno videlicet millesimo sexcentesimo vigesimo F

A nno septimo, simile quippiam contigisse vidimus. Siquidem scelerata quædam deploratorum caterua, ex Mareolo & contermino Squauiensi vico adunata, certior facta, aram nostram principem, omni sacrâ supellectile, tum argenteâ, tum deauratâ esse exornatam, ad celebrandas postridie Deiparæ Virginis in cælum assumptæ ferias, audax & impium facinus iampridem decretum, & sæpius animo recoctum, tandem aggreditur, obseruato etiam constitutæ noctis idoneo momento, cùm post decantatas ab ascetis preces matutinas, templum hominibus esset omnino vacuum. Itaque sub auroram adfuêre præ foribus cum ferramentis rustici isti prædones, quibus trium portarum seras, cunctaque repagula perfregerunt. Hinc scalis tribus muris superatis, clatrum ferreum etiam comminuerunt, quo in cryptam siue fanum inferius patêret descensus. Inde superioris chori ostia cùm reperissent aperta, rectà ad altare contendunt, atque sacro-sanctam Eucharistiam ex thecâ deauratâ detractam, nefarijs manibus indignè attrectant. Item crucem argenteam, cui Spina Dominica includebatur, vnà cum imaginibus & sex candelabris ex argento B conflatis, rapiunt, atque sub effossam in nemore Squauiensi & Gondofrido scrobem recondere trepidanter festinant. Certè si olim Normanni in conuasando huius Ecclesiæ thesauro, multa impiè & immaniter perpetrauerint: non videntur ijs cessisse Squauienses & Mareolanenses sacrilegi. Etenim non modò imagines & cetera spolia argentea in varia frusta dissecuerunt, sed etiam diuino humanoque iure proculcato, execranda, infandaque flagitia erga venerabilem Eucharistiam, & Spinæ dominicæ Crucem admiserunt. Refert fama Normannos post sacrarum rerum expilationem, diuinâ quadam, occultâque vi agitatos, neque satis mentis compotes è vestigio ex templo, quod profanauerant, compulsos fuisse excedere. Non secus nostratibus vsuvenit, qui more furum ad quemlibet strepitum vel leuissimum trementium, perpetuo vicini horologij motu exterriti, & timore quodam panico correpti, relictis præ nimiâ formidine supra & infra altare iconibus aliquot argenteis, mox sese ex eo loco, perturbatis proculdubio sensibus, certatim eiecerunt.

Fures anno 1627.

direptâ ecc. sia supellectili.

exterriti fugiunt.

28 Rursus Normanni, veluti post admissum sacrilegium à malis geniis omni tormentorum genere excruciati, statim coacti sunt, ea, quæ rapuerant, ad sacrum monumentum referre: sic & nostri, mente diuinitus obcœcatâ, dum existimant sese asportata vasa arcano tutoque loco defodisse; ecce contigit vt illa eodem die, diligentissimâ indagatione, sint ab ascetis & incolis Eligianis deprehensa, & aræ suæ, cui dicata erant, reddita. Normanni quidem iusto Dei iudicio absque vllâ morâ atroces suæ temeritatis pœnas dedêre. At nostri, tametsi ad tempus domi impunè re- C manserint, falsò arbitrati factum suum celari posse; ipsi intereà nihilominùs tantorum scelerum sibi conscij, intrinsecus perpetuo metu lancinabantur, atque D reipsâ experiebantur nullum grauius esse facinorosis hominibus tormentum, quàm noctè dieque suum gestare in pectore testem. Porrò Normannis immania fuêre à cacodæmonibus irrogata supplicia: pariter nostris, tum Atrebati, tum Burburgi à publicis lictoribus fauces laqueo elisæ, sed priùs & equuleo, & infami carcerum pœdore penè exanimatis. Ad hæc Normannorum nonnulli furibundi & ad insaniam redacti, linguas sibi & poplites ferro dissecuisse memorantur: idem verò vni ex isto grege contigisse videtur, cui nomen erat Morontus Durasnel. Huic enim lictor, priusquàm in malam crucem ageretur, manum securi præcidit. Prætereà Normannorum quidam, propter sublatum ex loco sacro tintinnabulum à corporis totius sæuissimis, quibus diuinitus affligebatur, doloribus, priùs liberari, quàm illud restituisset, nequaquàm potuit: eadem passus est & iste, cuius suprà meminimus, qui aliquot candelabra igne fusa in laminas argenteas transmutarat: quas deinde in Montrolio Picardiæ oppido venales cùm exponeret, in vincula coniectus est, & posteà Atrebatum transmissus, reste luit, nec nisi post eius supplicium, argenteæ E hæ laminæ, Eligianis fuêre restitutæ. Ferunt Richardum Normannorum Comitem, auditâ magni numinis tam rigidâ in suos animaduersione, seriò edixisse, vt res omnes ablatæ cœnobio prorsus reponerentur. Quod Richardi factum imitata videtur Serenissima Hispaniæ infans, Isabella Austriaca, Belgicarum Prouinciarum Gubernatrix. Etenim intellecto tam enormi sacrilegio, non modò suum Audientiarium ex vrbe Bruxellanâ huc transmisit, vt diligenter de totâ re gestâ inquireret: verùm etiam Amplissimis Cameræ Artesiensis Senatoribus per literas sedulò iniunxit, vt maturè in reos istius criminis conuictos lege agerent, atque seuera statuerent exempla. Postremò quemadmodùm olim pars Normannorum sanior, quæ à maleficio abstinuerat, in patriam posteà redux, attonitis popularibus suis enarrauit, quanta mala furacibus socijs ad Montem-Eligianum ex manifestâ S. Vindiciani vindictâ obuenerunt; sic & hac ætate, simul atque sparsa fuit per Artesiam & remotiores prouincias nuperi sacrilegij fama, vix dici potest, quanta bonorum animos incesserit religio, qui vnis S. Vindiciani secundùm Deum meritis acceptum ferebant, quòd & sacræ reliquiæ essent recuperatæ, & rustici latrones tam citò capti punitique. Certè hinc liquidò constat Eligianam domum ab Tutelari suo Patrono, aduersùs quorumlibet aduersariorum sed precipuè sacrilegorum impios conatus & rapinas, fuisse quouis tempore prodigiosè vindicatam; vsque adeò vt à nostratibus Distichon istud haud abs re iam vsurpetur:

recepta supellectile.

capti & morte puniti.

præscriptâ executione ab Serenissimâ Isabellâ.

Discat posteritas: en Vindicianus ab æuo F
Prædonum vindex vt fuit, est & erit.

DE S. BENEDICTO

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

CIRCA AN. DCCXXXV XI MARTII

1 *Issale Mediolanense, ad morem sanctissimi Domini & Pontificis Ambrosij anno* MDLX *excusum, refert in Kalendario præfixo ad* XI *diem Martij memoriam* S. Benedicti Episcopi & Confessoris. *quem postmodum Martyrologio suo inscripsit Galesinus his verbis:* Mediolani S. Benedicti Episcopi, qui Ecclesiâ Mediolanensi ad Dei voluntatem piè administratâ, miraculis clarus, & virtutum laude in omni Italiâ florens, quieuit in Domino. *In Martyrologij Germanici Canisij secundâ editione,* S. Benedicti Episcopi Mediolanensis *cultus notatur: quod etiam fit in Martyrologio Romano. Illustre testimonium de eo præbet Paulus Diaconus lib. 6. de Gestis Longobardorum cap.* 29. Tunc quoque, *scilicet tempore Regis Ariperti*, venit Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis Romam & caussam egit pro Ecclesiâ Ticinensi. Sed victus est, eò quòd à priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romanâ fuerant Ecclesiâ consecrati. Fuit autem isdem venerabilis Benedictus Archiepiscopus, vir egregiæ sanctitatis, de quo per vniuersam Italiam bonæ opinionis fama flagrauit.

Nomen in Martyrologijs.

testimonium Pauli Diaconi

2 De-

A 2 *Decessor eius in Sede Mediolanensi fuit S. Mansuetus, mortuus post annum* DCLXXX, *die* XIX *Februarij, vbi de eo egimus.* Post Mansuetum, *inquit Vghellus tomo 4 Italiæ sacræ*, promotus est S. Benedictus Crispus Mediolanensis, tum doctrinâ tum sanctimoniâ clarus. Hunc suæ iurisdictionis acerrimum defensorem grauis lis coram Pontifice Romano exercuit. Cùm enim contenderet Ticinensem Episcopum Mediolanensi throno subesse; ille verò contrà niteretur, se ad arbitrium Romani Pontificis ex antiquo iure immediatè spectare, felicior litis euentus à Ticinensi stetit. Benedictus verò cùm caussâ cecidisset, reuertitur Mediolanum, vbi S. Benedicti cœnobium ædificauit, quod hoc tempore pœnitentibus mulierculis est pro domicilio ac sepimento pudoris... Codoaldi Anglo-Saxonum Regis epitaphium ipse composuit, qui abiuratâ idololatriâ, ad Christum se conuerterat, sacroue fonte à Sergio Pontifice ablutus fuerat, defunctusque paullò pòst, apud S. Petrum cum eiusinodi epitaphio est tumulatus. Ceterùm Benedictus è viuis exemptus est anno sui Pontificatus XLIII, vel, vt alij volunt, XLVII, D quinto Idus Martij anno DCCXXV, sepultusque est in basilicâ Ambrosianâ & in numerum Sanctorum relatus. *De Rege Cadoaldo siue Ceadwallâ latè omnia discutit Alfordus in Annalibus Anglo-Saxonum ad annum Christi* 687, *quo mortuus est* XX *Aprilis, & ad illum diem inscriptus Martyrologio Anglicano. Interim epitaphium, quod huic Regi composuit S. Benedictus Episcopus Mediolanensis, apud eumdem Alfordum, Baronium & plurimos alios legi potest. De S. Benedicto eadem, quæ dedimus, ferè habent Tabulæ Archiepiscoporum Ecclesiæ Mediolanensis ex decreto Concilij Prouincialis* IV *sub S. Carolo Borromæo habiti, Franciscus Besutius, Ioannes de Deis alijque scriptores Historiæ Pontificalis vrbis Mediolanensis; & cum ijs Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui annotat* Benedictum Officio Ecclesiastico non celebrari. *Brautius Episcopus Sarsinæ in Martyrologio Poëtico eum elogio isto veneratur:*

alia res gesta.

Hic Benedictus erat factis & nomine Præsul,
Maxima qui cessit post benefacta senex.

DE B. ÆNGVSSIO KELEDEO

ABBATE ET EPISCOPO IN HIBERNIA.

CIRCA AN. DCCCXXIV XI MARTII

ÆNgussium *ab insigni in Deum pietate* Keledeum *cognominatum, titulo Abbatis ornat antiquus ipsius scholiastes: Episcopum autem Martyrologia tam Mariani Gormani quàm ipsum Tamlactense: auctum videlicet Sanctorum aliquot iuniorum accessione post auctoris sui, id est, ipsius Ængussij mortem. Hunc Colganus* Hagiographum *non immeritò vocat, scripsit enim de Sanctis Hiberniæ opuscula varia: quorum præcipuum maiorisque in rem nostram auctoritatis Festilogium metricum est; in quod nobis persuademus præcipuos omnes, & quibus singularis aliquis cultus deferretur, esse relatos: cùm in alijs opusculis & Hibernicis martyrologijs* Sancti *appellatio latiùs accepta videatur fuisse quàm vsus, non hodierni tantum, sed etiam antiqui temporis tulerit per Ecclesiam reliquam. Itaque locus ei inter Sanctos dandus, tum quia eum tenet in Hibernicis Martyrologijs, tum quia egregio suo circa honorem Sanctorum studio ea adiunxit eximiarum virtutum, præsertim humilitatis exercitia, & ijs dicitur claruisse miraculis, quæ persuadent talem virum, in natione ad constituendum Sanctorum suorũ cultum minimè rigidâ, obtinuisse post mortem eos honores, qui solis ab Ecclesiâ canonizatis Sanctis nunc permittuntur. Et quoniam, qui de eo extat Hibernicus hymnus perantiquus, necdum Latinè redditus est, satis habebit lector Vitâ à Colgano cõscriptam videre; donec ille Hymnus, cum ipso quod promittitur Festilogio, publici aliquando iuris fiat.*

C

VITA

A Ioanne Colgano ex antiquis monumentis collecta.

CAPVT I

Res præclarè gestæ à S. Ængussio

Ængussij, nobili genere nati,

1 Loruit in Hiberniâ, seculo octauo ad exitum declinante, vir antiquâ generis nobilitate, & virtutum splendore clarus, patrio sermone Ængus, Latinè Æneas, & Ængussius appellatus, qui sanctis operibus & scriptis æternam sibi comparauit memoriam, & patriam egregiè nobilitauit. Ængussio pater erat Ængauanus, auus Hoblenius, Fidhrao natus, ex regio Dal-aradiorum in Vltoniâ sanguine oriundus, generisque seriem per auos atauosque viros principes ad Coelbadium, vltimum è suâ familiâ Hiberniæ Regem, referens. Hic ab ipsâ pueritiâ charismata æmulatus meliora, militiæ Christi suum inscripsit nomen, Monachum professus in nobili monasterio de Cluain-edhneach in regione Lageniæ, Hisalgiâ appellatâ: vbi in studijs virtutum pariter ac litterarum sub sancto Abbate Mal-athgenio circa annum septingentesimum sexagesimum septimum è viuis erepto, insignes fecit profectus: quibus tandem tantum sibi sanctimoniæ & doctrinæ comparauit nomen, vt neminem suo æuo in patrio solo habuerit omnigenæ eruditionis laude parem, neminem sanctitatis opinione superiorem. Licet enim integra acta, dubio procul olim extantia, & luce dignissima ad nostram notitiam non venerint; tamen quidam alius priscus scriptor, ipsi quantum colligimus synchronus & homonymus, (Ængussium enim se nuncupari indicat) qui eius laudes vetusto metro descripsit; & alius vetus auctor, qui præfationem siue argumentum eius operibus præfixit; talia de eo posteritati reliquerunt virtutum signorumque testimonia ac doctrinæ encomia, quæ eum virum fuisse rarò tum sui tum etiam mundi contemptu mirabilem magis quàm imitabilem; cœlestium insuper visionum gratiâ illustratum; eximio zelo ac singularis sapientiç dono prçditum; nec non signis & virtutibus clarum abundè demonstrent.

ac primùm in Cluain-edhnaich monachi;

vita ex antiquis collecta.

2 Ab ineunte ætate summæ addictus austeritati, propriæ carnis sensum cõtinuis castigationibus reprimebat. Non procul à Monasterio de Cluain-edneach coluit eremum, ex eius nomine Disert Ængus, id est, Desertum Ængussij appellatum: vbi diuinis laudibus, & continuis cum carne & sathanâ conflictationibus ita intentus erat, vt diebus singulis totum psalterium decantârit, & trecentas genuflectiones inter alias diuinas precationes piaque exercitia fecerit. Psalterium in tres partiebatur quinquagenas, ex quibus primam in oratorio, secundam sub dio iuxta proceram arborem oratorio adiacentem, tertiam dolio aquæ gelidæ immersus, & fune seu reti ad collum cinctus atque ad palum alligatus persoluebat. Et cùm eius sanctitas his alijsque cælestis vitæ arduis exercitationibus cœpisset vulgò propalari, & in ore omnium cum admiratione & laude versari; concepit popularis auræ & mundi spretor eximius modum, quo mundo ignotus

Raræ austeritatis studio clarescens,

& clam Tamlactum profugiens,

A ignotus populi acclamationes & omnem vanæ gloriæ ventum declinaret. Audiens nempe S.Moelruani Abbatis nomen, monastici instituti rigore, & eximiâ vitæ sanctimoniâ eo tempore inter Hibernos longè celebre; iter suscepit versùs Tamlactense Monasterium tertio milliario à Dublinio vrbe, vbi magnum monachorum cœtum S. Moelruanus, regularis disciplinæ eximius restaurator & pietatis promotor, sanctissimè regebat.

Angelicâ visione

3 Dum conceptum iter suscepisset, diuertit in viâ ad Ecclesiam de Buil-bennchuir in regione Hisalgiæ; vbi circa cuiusdam recens defuncti tumulum conspicatus ingentem Angelorum multitudinem ad cælos vsque diffusam, & diuinam melodiam ac cælestia cantica concinentem; petijt à loci præfecto Presbytero qui vel qualis esset, qui in isto recenti tumulo iaceret sepultus. Respondet Presbyter esse quemdam Conuersum, qui ex seculi milite miles Christi factus, in pœnitentiâ & laudabili conuersatione perseuerans, finem pœnitentiali vitæ paullò antè posuisset. Et cùm inquireret ampliùs, qualia fuerint eius opera & quibus deditus exercitijs; respondit præter consueta pœnitentium exercitia, se nihil aliud in eius operibus no-
B tanter obseruasse, præterquàm quòd in more habuerit, dum se ad quietem componeret, omnes Sanctos, quorum memoria occurrebat, vt sibi sint intercessores propitij, per nomina inuocare: quam consuetudinem & vesperi & manè quotidiè iterabat. His auditis, cogitauit secum vir Dei, quantâ mercede repræmiaretur, qui panegyrico eorum in laudem composito, singulis diebus imploraret opem & intercessionem præcipuorum Ecclesiæ Sanctorum: & cogitatum suum posteà opere exequutus est, iuxta mox dicenda.

ad quotidianam Sanctorum inuocationem excitatus.

Tamlachti inter Conuersos receptus,

4 Intereà susceptum iter prosecutus, habitumque ementitus, venit ad S.Moelruanum: ab eoque, nomen aliàs ex famâ notum & clericale institutum occultans, petijt & obtinuit, vt inter Conuersos in monasterio admitteretur. Veteranus ergo Christi miles, tamquàm nouitius tyro, probationis caussâ, deputatur ad quæuis viliora & difficiliora monasterij opera: quæ ille munera lubens & sedulus obibat. Applicatur inprimis horrei & granarij durioribus & vilioribus operibus: quæ mundi rarus contemptor & sui persecutor spatio septennij ita executus est, vt seruus Dei electus, reconditæ sapientiæ arca, & summus cælestium inter agrestia opera contemplator, ad nihil aliud quàm ad vilis mancipij munia obeunda idoneus videretur. Nunc maturam messem in sudore vultus metebat, nunc collectos manipulos dorso vectos, ad horreum adportabat, nũc spicis tribulario flagello obtusis, grana exprimebat: expressa demùm euentilatione à paleis segregabat, segregata trituratione repurgabat, repurgata saccis inclusa, velut asinus, hodie ad granariũ, cras ad molendinum, dorso vehebat. In his omnibus laboribus seminudus, sudans, sordibus & cineribus perfusus, nullâ corporalis cultus vel exterioris compositionis habitâ ratione, perseuerabat adeò, vt proli-
C xis pilis impexo promissoque capillamento (quo membra diutino squalore horrentia potissimùm obtegebat) implexa grana paleasque non priùs abs se excuteret, aut extricare satageret, quàm vel ex se deciderent, vel (quod nonnumquàm contigisse animaduersum est) carni iam coalita germinascere viderentur: ratus vir sanctus, præclarum monastici specimen instituti, tum se pro meritis honoratum, cùm ab omnibus non iam vilis abiectusque homuncio, sed horridum hirsutumque monstrum haberetur.

laboriosissimam & rigidissimam vitam agit.

5 In mira austeritatis studia sapientissimum virum adegit, quâ interiùs æstuabat, diuini amoris flamma; quam probè norat in mortificatâ carne & spiritu humiliato ardere feliciùs, & lucere gloriosiùs. Et hinc meritò cognomentum illud adeptus est, quo vulgò Kele-De indigetatur: quæ vox Latinè reddita, Dei-
D colam seu Amadeum designat. Nec Dominus, cuius amore tanta humilitatis & abdicationis fiebant argumenta, permisit ea præteriri sine euidentibus approbationis testimonijs. Quâdam enim vice dum hic vir sanctus in vicinâ syluâ in vsum monasterij ligna cæderet, casu contigit, vt, dum ramum trunco abscindere vellet, non ramo, quem manu sinistrâ abscindendum tenebat, sed proprio brachio securis ictum incautus inferret, illudque planè dissectum à reliquâ compage abscinderet. Res duplici miraculo miranda subsequitur. Aues istius syluæ viro Angelicæ innocentiæ & puritatis antè (vt apparet) familiares, inopinatum illum casum & miseriam, auctore naturæ earum naturalem instinctum immutante, quasi miserantes & ingemiscentes accurrunt; stridioribus & sonoris vociferationibus se, quà licuit, compati indicant & contristari. Vir autem sanctus, cogitatum suum in creaturæ omnis Conditorem mirificum & pijssimum reparatorem sine hæsitatione conijciens, alterâ manu abscissum brachium suo loco adaptat, & mox plenè coadunatum & redintegratum, quasi numquàm auulsum, reperit: & in mirifici creatoris & reparatoris omnium laudes resoluitur.

amputatum brachium ipse sibi restituit;

6 Contigit & ibidem alius casus, & subsequens prodigium, quòd lucernam illam sub modio adhuc positam, super candelabrum posuit, virtutemque eximiam, quam occultare tam operosè studuerat, omni- E
bus patefactam reliquit. Erat inter Moelruani discipulos quidam puer, qui, quòd diurnum lectionis à magistro præfixæ pensum addiscere vel neglexerit vel non valuerit, seueri magistri animaduersionem pertimescens aufugit, & in granario, in quo S. Ængussius manuali operi insistebat, se abscondit. Vir sanctus ab eo petijt sui recessus vel fugæ caussam: quam vt puer, prout erat, aperuit; vir Dei blandè illum consolatus, iussit accedere, somnoque in sinu suo parumper indulgere. Acquieuit puer: & posteà à somno excitatum iubet Sanctus, vt præfixum recitet pensum. Paret ille, & fideliter recitat prælectionem; additque sibi videri se iam plenè instructum in omnibus, quæ à magistro ediscenda possunt proponi. Mandat vir sanctus, vt puer scholam frequentet, & nulli aperiat, quæ circa ipsum diuinæ bonitatis indulgentia dignata est operari. Scholam igitur frequentans, inuentus est non solùm suum pensum optimè calluisse, sed & raro infusæ scientiæ dono illustratus. Quod cùm nimiùm admirans S. Moelruanus aduerteret, petijt ab eo, vt enarraret, quid sibi contigerit, quæue sit tantæ immutationis & illustrationis caussa. Et cùm puer conaretur aliquamdiu occultare rei, vt contigit, circumstantias, magistri minis coactus, totam rei gestæ seriem enarrauit.

alteri scientiam infusam impetrat:

7 Ad hæc nimiùm stupefactus, & aliquamdiu præ admiratione hærens S. Moelruanus; diuinitus illuminatus, tandem exclamauit dicens: Ecce filius promissionis & vas electionis Ængussius est, quem tamdiu mancipij loco & granarij custodem habemus! Et cùm vno tantùm esset indutus calceo, non remoratus est F
intantùm, vt alterum indueret; sed illicò surgens cucurrit ad granarium, & irruens in amplexum Ængussij ait: O electe Dei, quomodò nos ita decepisti? qualiter nobis imposuisti? nónne iustitiæ & æquitati magis erat consentaneum nos humiles & pusillos venerabili tuæ paternitati, quam te magnum & electum Christi seruum nostræ paruitati & abiectioni inseruire? Et cùm vir Dei sic detectus, præ verecundiâ & confusione nihil valeret loqui, S.Moelruanus adiecit & aliud, quo magis adhuc confundebatur. Coram illo enim prostrauit se in genua prouolutus, & humiliter veniam erroris deprecatus est. Post hæc erubescentem, & reluctantem perduxit secum ad monasterium, & in summâ de cetero habuit veneratione ac

& hinc notus S.Moelruano

eidem cum Abbatis & Episcopi titulo videtur successisse.

A ac respectu: ictoque cum eo spiritualis necessitudinis fœdere, intimâ deinceps coluit amicitiâ. Licet S. Ængussius, vt iam vidimus, summo studio contenderit, omnes mundi effugere honores; fugientem tamen virtutis semper comites secuti sunt. Legitur enim & multorum monachorum Pater & Abbas extitisse, & ad Episcopalis dignitatis apicem insuper euectus. Munus Abbatis in monasterio de Cluainedhneach vel saltem in cœnobio de Disert-Ænguis, videtur exercuisse: & licet Martyrologiorum auctores, qui eum appellant Episcopum, non exprimant cuius Sedis fuerit Antistes, existimo ipsum dignitatem illam eodem loco, in quo & munus obijt Abbatis, sustinuisse.

CAPVT II

Varia à S. Ængussio exarata monumenta.

8 SCripsit hic sanctissimus vir varia opuscula, quibus non minùs quàm meritis & virtutibus patriam illustrauit, & nomen suum apud posteritatem, de quâ benè meritus est, longè famosum reliquit. Inter hæc notissimum, & apud conciues in summo semper pretio habitum est, illud Martyrologium, siue, vt ipse vocat, Festilogium, vetusto patrij idiomatis metro conscriptum, quod non continet ad singulos dies nisi aliquot ex præcipuis Sanctis, siue, vt ipse loquitur, aliquot Sanctorum Principes. Breuitatis autem tantæ caussâ fuit, quòd per modum diurnæ precationis intenderit, & consueuerit ipse illud singulis diebus recitare ad imitationem viri Sancti, cuius suprà fecimus mentionem. Si enim omnes illo concluderet Sanctos, esset ei impossibile cum toto psalterio alijsque quotidianis exercitijs iam memoratis, totum illud Festilogium diebus singulis recitare. Addidit posteà aliquis vetus scholiastes glossemata ad hoc Festilogium; in quibus aliquando aliquas memorabiles virtutes, aliquando pleniora gesta eorumdem Sanctorum compendiosè refert.

scripsit Festilogium metricum

B

9 Sed ne vir sanctus alijs Sanctis, quos in iam memorato Festilogio metrico omiserat, videretur iniurius, eorumue sanctitatem in dubium vocare, vsus operâ S. Moelruani, compilauit solutâ oratione aliud Martyrologium longè copiosius, pluresque complectens Sanctos omnis gentis & ætatis quàm vllum aliud, quod vidimus vnquàm prodijsse. In eo enim longâ serie primò recenset ad singulos dies nomina Sanctorum aliarum gentium: & posteà seorsim adiungit nomina Sanctorum Hiberniæ, vt hinc meritò liceat conijcere, quòd prior eius pars continens innumeros Sanctos in Martyrologio Romano & alijs omissos, sit Martyrologium illud Hieronymi vel Eusebij, à multis vetustis scriptoribus sæpe laudatum, & à modernis diu desideratum; vel saltem ex eodem compilatum. Ængussius enim in secundâ præfatione vel appendice sui Festilogij metrici, citat & Eusebij & Hieronymi Martyrologium. Et in duobus huius Martyrologij exemplaribus, ijsque mutilis, quæ adhuc supersunt, solùm nuda Sanctorum nomina plerumque leguntur.

postquam vna cum S. Moelruano compilasset,

C

10 Nos tamen illud sub nomine Martyrologij Tamlactensis duximus citandum, quatuor moti argumentis. Primum, quòd in Monasterio Tamlactensi, in quo hi duo viri sancti (vt suprà vidimus) simul habitabant, sit compilatum. Secundum, quòd sine tædio & etiam confusione (quandoquidem aliud Ængussij Martyrologium ab ipso solo compositum, sæpius citemus) non posset sub vtriusque nomine continuò citari. Tertium, quia arbitramur illud à priscis scriptoribus eodem nomine appellatum esse: nam Marianus Gormanus (qui ante quingentos annos vixit) in præfatione ad suum Martyrologium scribit S. Ængussium compilasse suum metricum Festilogium ex Martyrologio Tamlactensi antè composito; ex quo perpaucos desumpsit, & ad quem lectorem remittit: illud autem Tamlactense non aliud à præsenti arbitramur, cùm hoc fuerit, vt diximus, Tamlacti compilatum; & nullum aliud extet hodie Martyrologium, quod Tamlactense appelletur, vel potuerit extitisse, quod potiori iure Tamlactense appellari posset. Quartum quòd hoc Martyrologium contineat natales ipsorum Sanctorum Moelruani & Ængussij, & aliquot aliorum Sanctorum, qui eodem seculo cum ipsis vixerunt, quos & constat post ipsos obijsse: hanc autem additionem factam arbitramur ab aliquo Tamlactensi monacho, qui sub finem seculi noni vixit, & sub initium decimi decessisse videtur. Meminit enim sancti Corprei Episcopi Cluanensis, qui anno octingentesimo nonagesimo quarto obijt: non tamen S. Corbmaci Regis & Episcopi anno nonagesimo tertio mortui, vel vllius Sancti, quem constat vixisse post seculum nonum.

Martyrologium Tamlactense

D

11 Quod verò quidam tradunt non solùm hoc Martyrologium solutâ oratione compilatum, sed & aliud metricum, de quo primo loco diximus, fuisse à S. Ængussio Tamlacti, dum ibi curam granarij sub S. Moelruano ageret, compositum; triplici nobis argumento improbatur. Primo, quia in eo tradit natalem S. Moelruani, (quem lucidum Hiberniæ solem appellat) celebrari die VII Iulij: non igitur existens sub S. Moelruano, sed post eius mortem illud scripsit. Secundo, quia S. Ængussius in primo prologo sui Festilogij scribit Dunchadum Domnaldi filium, Hiberniæ Regem iam mortem obijsse, quando ipse composuit vel absoluit illud opus: Dunchadus autem, iuxta nostros Annales, & alios historicos, obijt anno septingentesimo nonagesimo secundo, & S. Moelruanus septingentesimo octogesimo septimo. Post mortem igitur S. Moelruani opus illud fuit compositum, vel saltem absolutum. Tertio, quia ipse Scholiastes Festilogij Ængussiani, qui primus asseruit illud opus fuisse compositum Tamlacti tempore S. Moelruani, tradit idem opus fuisse absolutum & euulgatum eo anno, quo Aidus Sextus, cognomento Oidnidhe, Hiberniæ Rex, suscepit expeditionem versùs fines Lageniæ, Commacho Archiepiscopo Ardmachano, B. Fothadio, multisque alijs Cleri & populi proceribus Regem ad illam expeditionem comitantibus.

Molruano nempe iam mortuo

E

& B. Fothadio illud exhibet

12 Refert enim tunc illud Festilogium fuisse à S. Ængussio, primò præsentatum B. Fothadio viro ob summam sanctitatis & doctrinæ opinionem inter Hibernos suo tempore clarissimo, & Fothadium etiam S. Ængussio exhibuisse aliud opusculum, quod eodem tempore ad eumdem Regem pro Cleri defensione & immunitate conscripsit; & quo meruit Clerum, quem abusiuâ quâdam consuetudine solebant Reges ad bellicas expeditiones in magnum Ecclesiasticæ immunitatis præiudicium trahere, à tali iugo imposterum liberari. Illam autem expeditionem, Clerique exemptionem in annum septingentesimum nonagesimum nonum referunt nostri Annales. Ex his ergo relinquitur illud metricum Martyrologium fuisse post mortem S. Moelruani primò absolutum & euulgatum. Secus est de illo alio opere S. Ængussij, quod Martyrologium Tamlactense vocamus; nam illud, licet posteà ab aliquo, qui seculo sequenti vixit fuerit auctum aliquot Sanctorum adiectione, fuit compositum ab Ængussio, viuente & cooperante S. Moelruano, ante annum septingesimum octogesimum septimum, quo S. Moelruanum decessisse domestici tradunt Annales, vt colligitur ex titulo operi præfixo, qui talis est: Incipit Martyrologium Ængussij, filij Hua-oblenij & Moelruanij hic. Vnde Marianus Gormanus in præfatione sui Martyrologij rectè obseruauit S. Ængussium desumpsisse Sanctos in

F

anno 792

A in suo metrico Festilogio recensitos ex Martyrologio Tamlactensi priùs composito.

item varios de Sanctis libellos

13 Nec solis iam memoratis Martyrologijs, de patriâ, & Dei Ecclesiâ benè meritus est S. Ængussius, sed & pluribus alijs egregijs opusculis, etiamnum extantibus, & luce perdignis publicâ, quâ Numinis fauente gratiâ breui donabuntur. Scripsit enim de Sanctis Hiberniæ quinque libellos, innumeræ multitudinis Sanctorum illius regni, & nominis Insulæ Sanctorum iustissimè ei impositi indices & testes locupletissimos. Primus libellus tribus capitulis recenset Sanctos diuersorum ordinum siue Classium. Primò Episcopos numero circiter trecentos quadraginta quinque; secundò Presbyteros & Abbates ducentos nonaginta nonem; tertiò Diaconos septuaginta octo sanctitatis laude conspicuos. Secundus libellus Homonymorum dictus, complectitur Sanctos inter se homonymos siue cognomines in duas diuisus partes; prima pars per capita quinquaginta recenset Sanctos homonymos, secundâ verò per duodecim capita sexaginta duo Sanctas homonymas. Et hic liber, (quod fidem penè superat) licet contineat diuersa Sanctorum nomina, recenset in vniuersum Sanctos octingentos quinquaginta quinque, quorum nullus sit quin habeat plures alios homonymos ibidem recensitos. B

1. Sanctorum diuersi Ordinis

2 Sanctorum Homonymorum

14 Tertius liberorum siue filiorum appellatur, in tres classes distinctus: classe primâ continet plures filios Sanctos eodem parente progenitos, secundâ vnicos sui parentis filios, quorum quisque proprio nomine suppresso non aliter quàm talis determinati parentis filius consueuit appellari; tertiâ plures filias eodem parente natas, & sanctitatis opinione celebres. Et licet numerus Sanctorum, de quibus in hoc libello agitur, sit incertus; parentum, qui vnum vel plures Sanctos genuerunt, nomina nonaginta quatuor exprimuntur, omissis aliquot alijs, quæ præ nimiâ exesi codicis vetustate legi non possunt. Quartus libellus continet maternam ducentorum decem circiter Sanctorum Hiberniæ genealogiam: quod indicio est paternam Sanctorum genealogiam vel ab eodem, vel ab aliquo antiquiore auctore fuisse antè contextam. Quintus libellus est litaniarum, in quo longâ serie per modum diurnarum precationum, inuocantur aliquot Sanctorum cœtus, qui fuerunt vel condiscipulatus sub eodem magistro, vel societatis causâ fidei inter gentes propagandæ sub eodem duce, vel sepulturæ in eodem monasterio, vel Ecclesiæ communione, aliouè simili titulo inter sese coniuncti. Et hinc aliquot milleni sub talibus titulis Sancti inuocantur.

3 filiorum Sanctorum

4 de materna genealogia Sanctorum

5 litaneuticus

quæ simul omnia

15 Opus ex iam memoratis opusculis conflatum in quibusdam antiquis patriæ membranis patrio sermone in titulatur Saltuir-na-rann: quæ vox latinæ C reddita, nunc Psalterium metricum, nunc Psalterium multipartitum denotat. Et in vtroque sensu, diuersa D S. Ængussij opera rectè sic inscribi poterant. Præter enim iam memorata scripsit hic vir deuotissimus metrico & eleganti stylo historiam veteris testamenti; quam, omnia Dei opera in Creatoris laudem finaliter referendo, mentemque legentis & recitantis in eius laudem & amorem accendendo, ita in formam orationis efformauit, & in partes distribuit; vt aptissimè in vtroque sensu Saltuir-na-rann vocari posset; vti & de facto in alterutro vel vtroque sensu nuncupari & intitulari consueuit. Aliud etiam opus ex quinque iam memoratis opusculis conflatum, & in formam orationis quasi Sanctos ipsos inuocando, succinctè redactum ob varias partes in quas diuisum est, rectè in posteriori sensu Psalterium multipartitum inscribi potuit: & sic inscriptum, & à S. Ængussio compositum esse, & auctoritas testatur, & ratio persuadet.

aquâ ac metricam eiusdem historiam veteris Testimenti

Psalterium metricum seu multipartitum vocari

16 Auctoritas est vetusti codicis membranei, ex quo libellus homonymorum descriptus, nobis nuper ex patriâ missus est, cum tali inscriptione; Homonymi Hiberniæ Sancti ex Saltuir-na-rann, id est (vt ego interpretor) ex Psalterio multipartito; quod composuit Ængussius Keledeus. Ratio etiam suadet Ængussium esse huius conflatilis operis auctorem: E nam nullus in aliquâ eius parte recensetur Sanctus, qui non decesserit ante tempora Ængussij, vel saltem eodem cum ipso tempore floruerit; vt ex diligenti totius operis collatione cum nostris Annalibus alijsque domesticis monumentis probauimus. De nullo enim Sancto in his libellis recensito, quem post annum octingentesimum constat vixisse, agunt Annales vel alia monumenta domestica, præter solum S. Tigernachum Doire, Mellensis monasterij fundatorem, quem tradunt anno octingentesimo quinto obijsse: quo tempore S. Ængussium superuixisse, non est cur ambigamus. Licet enim referant S. Moelditribium decessisse anno octingentesimo quadragesimo; incertum tamen est, an is sit, cuius mentio fit in laudato opere libello secundo cap. XL.

auctoritate

& ratione probatur

17 Ex hactenùs dictis constat hunc clarissimum virum de patriâ & posteritate, cui tot innumerabilium Sanctorum, aliàs ex magnâ forte parte perituram, reseruauit memoriam, optimè meritum, proindeque æternâ memoriâ dignissimum; ad æternæ felicitatis præmia vocatum, migrasse post seculi noni initium. Et licet mortis eius annum obseruatum non reperiamus, ex eo tamen quòd natalis eius celebratur die XI Martii, & Feriâ sextâ decesserit secundùm alterum Ængussium, qui addit quòd in Monasterio de Cluain-edhneach sepultus iacet; possumus conijcere quòd anno DCCCXIX, XXIV vel XXX decesserit: cùm illis annis dies XI Martij in feriam sextam inciderit. F

DE S. EVLOGIO PRESBYTERO

MARTYRE CORDVBÆ IN HISPANIA,

Commentarius præuius.

§ I *Tempus vitæ & martyrij. Vita scripta. Cultus sacer.*

ANNO DCCCLIX XI MARTII



1 *Occupatâ ab Saracenis Hispaniâ, sedes regni, quæ Hispali paucis annis constiterat, Cordubam per Abdalazim translata fuit, quam barbari sublimi vndique magnitudine & maiestate attollere sunt conati, relicto etiam Christianis suæ religionis cultu, & templis plerisque ac monasterijs intactis. Paullatim tamen praualentibus impijs Saracenis, oppressa & afflicta Christianorum libertas est, & cæde Martyrum irrigata Corduba, potissimùm vltimis annis regni Haldarahmani, eiusque filij Mahomadi. Qualia tunc fuerint Cordubæ Martyrum certamina & trophæa, declarat S. Eulogius libris tribus Memorialis Sanctorum, in quibus ab Ærâ* DCCCLXXXVIII, *siue anno Christi* DCCCL, *regni Habdarrahgmani* XXIX *vsque ad Æram* DCCCXCIV, *siue annum Christi* DCCCLVI, *singulorum Martyrum Acta describit, à nobis toto hoc opere ad diem vniuscuius-*

scibit S. Eulogius Acta martyrum sub Saracenis occisorum

ab anno 850 ad 857

A cuiusque natalem proferenda. Scripsit etiam, Eulogius Apologeticum sanctorum Martyrum, eique inseruit martyrium SS. Ruderici Presbyteri & Salomonis; qui passi sunt Æra DCCCXCV, siue anno Christi DCCCLVII, die XIII Martij, uti tunc latius explicamus. Quo adhuc anno, sed ultimo die mensis Decembris VVistremirus Episcopus Toletanus, uti ex eius epitaphio constat, è vitâ discessit: in cuius locum anno DCCCLVIII electus est S. Eulogius; sed ut in Vitâ num. 12 dicitur, dispositio diuina, quæ eum sibi ad martyrium reseruabat, quibusdam repagulis obuiauit. Anno ergo proximo DCCCLIX, gloriosam martyrij palmam assecutus est, & quidem quinto Idus Martij, die Sabbato, horâ nonâ, ut infrà num. 20 in Actis obseruatur; & rectè: nam eo anno cyclo Solis XXVIII & litterâ Dominicali A, dies XI Martij incidit in Sabbatum.

anno 858 eligitur in Episc. Toletanum:

anno 859 occiditur:

Vitam & martyrium scripsit Aluarus eius familiaris

2 Vitam & martyrium S. Eulogij composuit Aluarus Cordubensis, intimus & maximè eius à iuuentute amicus, & omnium gestorum eius conscius. Videtur in aliquâ dignitate Ecclesiasticâ constitutus fuisse, ut qui scribis nu. 90 Vitæ, se cuidam Diacono præcepisse, ut legeret epistolam aliquam S. Epiphanij. Huic misit S. Eulogius Documentum martyriale, quod Virginibus Floræ & Mariæ scripserat, è carcere epistolâ missâ: quia propterea, inquit, quòd milites Christi viriliter inimico iustitiæ restiterunt, B crudelitas nos tyranni carceralibus mancipauit ærumnis, nostris deputando hortamentis, quod in eos diuinitus inspiratum est. Eidem Aluaro misit Martyrum Floræ & Mariæ passionem, iam tum è carcere liberatus. Eidem in carcere misit prædicti Memorialis Sanctorum librum primum, censuram & limam eius expetens. Extat cum his epistolis duplex Aluari ad S. Eulogij responsum, affectu singulari erga illum plenum, quo etiam ipsa Vita mox danda abundat. Scripsit idem Aluarus præterea librum Scintillarum, collectum de sententijs sanctorum Patrum per locos communes de virtutibus & vitijs: cuius triplum exemplar manuscriptum se vidisse testatur Ambrosius Morales in suis Obseruationibus ad opera S. Eulogij; uti etiam excusum Basileæ, sed mutilum; & sine nomine auctoris. Eidem etiam Aluaro tribuitur opus egregium Cordubæ anno DCCCLIV scriptum, cum mentione variorum Martyrum ibidem ob fidem Christi tunc occisorum. Titulus huic operi est Indiculus Luminosus, quem Gothicis literis Cordubæ in bibliothecâ Fani maioris, sed sine auctoris nomine adseruari scribit idem Morales. Hæc de Aluaro scriptore Vitæ S. Eulogij, cuius duo habuit Morales exemplaria: alterum in vetustissimo codice Ouetensi, alijs S. Eulogij operibus absque ullo titulo annexum: alterum illi commodauit Michaël Ruizius Açagra, Serenissimorum Principum Bohemiæ Rodulphi, postea Imperatoris, & Ernesti à secretis. Erat hic codex itidem vetustissimus, & litteris Gothicis in membranis descriptus, & cui hic titulus erat præfixus: Vita vel passio beatissimi Martyris Eulogij Presbyteri & Doctoris; qui passus est Æra DCCCXCVII, anno Incarnationis Domini DCCCLIX sub Rege Mahomad, C die quinto Idus Martij, auctore Aluario Cordubensi. Extabant in eisdem MSS. codicibus Hymnus in diem S. Eulogij Presbyteri, quinto Idus Martij, & Epitaphium cum oratione Aluari: quæ omnia existimat Morales ab Aluaro composita: certè digna ad complementum historiæ ut simul edantur.

è 2 MSS. edidit Morales,

cum hymno & epitaphio.

Cultus sacer XI Martij,

3 Ecclesia Cordubensis celebrat hoc XI Martij festum S. Eulogij Officio Ecclesiastico sub ritu duplici: at Toletana sub semiduplici, ut suum olim Episcopum electum. Lectiones secundi Nocturni ex Vitâ per Aluarum contractâ in compendium recitantur. Martyrologium Romanum hoc elogio eum veneratur: Cordubæ S. Eulogij Presbyteri, qui eiusdem urbis Martyribus in persecutione Saracenorum adiungi meruit, quorum pro fide certamina scribendo fuerat æmulatus. Addo & encomium Martyrologij Hispani à Tamaio Salazario confectum his verbis: Eulogius sanctissimus Presbyter Cordubensis, electus Episcopus Toletanus, vir omnium virtutum genere insignis, eloquentiæ plausu singularis, qui ad martyrium Martyres exhortando, & horridam mortis feritatem demulcendo, Martyr Martyribus associatur. D Idem Tamaius reprehendit Arnoldum VVionem & Hugonem Menardum (addi possent Dorganius & Bucelinus) quòd S. Eulogium credant monachalem S. Benedicti induisse cucullum & inter Sanctos huius felicissimæ familiæ coniungant: at meliùs Antonium de Yepes tomo 4 Chronici Benedictini anno 859 cap. 1 hanc penitus explosisse opinionem, & procurasse ut Clericis Martyr sanctissimus restitueretur. Erroris occasionem præbuit VVioni Mariana lib. 7 Rerum Hispanicarum cap. 15; ubi post relatam necem S. Eulogij additur: Cordubæ sanè in Eulogij locum Sampson Presbyter, consequentibus annis S. Zoili Abbas, suffectus est. Scripsit Sampson Apologeticum opus, in quo se Abbatem Ecclesiæ S. Zoili Martyris Æra DCCCCI, hoc est anno Christi DCCCLXIII factum ostendit. Is autem annus est post S. Eulogij martyrium quartus: uti ista refert Morales in Scholijs ad librum Memorialis Sanctorum Eulogij nu. 9. Verùm non constat inde Sampsonem successisse S. Eulogio, cùm hic nusquam Abbas appelletur, licet ut num. 2 Vitæ dicitur, iuuenis Ecclesiæ ministerio mancipatus, in S. Zoyli æde deseruierit in collegio Clericorum. Et num. 16 in basilicâ S. Zoyli terrâ tenus prostratus orans, noctes insomnes duxerit: in eadem denique dicitur num. 22 tumulatus. E Ceterùm in domo eadem cum sorore suâ Anulone, Virgine Deo dicatâ, viuebat, cùm ibi S. Leocritiam exciperet, & simul cum illâ captiuus abduceretur. Clericus fuit basilicæ S. Zoyli, ubi primarius Cleri director Abbas appellabatur: quod ad monachos non spectat. Et quamuis monachi ibi fuissent, non continuò Benedictinis adscribendi.

quo errore Benedictinis adscribitur:

Inscriptus S. Eulogius Martyrologijs 20 Septemb.

4 Die XX Septembris inscriptus est primarijs codicibus MSS Martyrologij Vsuardi his verbis: Cordubæ B. Eulogij Presbyteri ob Christi martyrium decollati; siue, ut non nulli codices, ob fidem Christi decollati. MS. Vltraiectinum Ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ: Ciuitate Cordubâ B. Eulogij Presbyteri, pro Christi amore laureati. Eumdem isto die referunt Vsuardum secuti Bellinus, Maurolycus, Canisius, Ferrarius & cum sequenti elogio Galesinius: Cordubæ S. Eulogij Presbyteri & Martyris, qui pro fide Christi quinto Idus Martij securi percussus, hodierno die diuinis statarum Horarum Officijs ex Ecclesiæ Cordubensis usu, ut à nobis narratum est, celebratur. Et ad hunc XI Martij ista habet: Cordubæ S. Eulogij Presbyteri, cuius hoc ipso die martyrium extitit: sed XII Calendas Octobris, anniuersario precum Officio illius celebritas agitur, ut tota huiusce rei ratio eo die narrabitur. Tamaius hos omnes redarguit a verò deuiantes. At Morales in scholijs ad Vitam S. Eulogij expendit cur in Martyrologio Vsuardi, & in Romano XX Septembris eius festum reponatur, & Breuiarium Cordubense etiam eodem die habeat. Huius rei caussam, inquit, eam fuisse crediderim, quòd cùm eo ipso die, Septembris videlicet vigesimo, S. Eulogij Presbyteri (eius qui inter priscos eremi cultores insignis fuit) obitus fuisset annotatus in libro, qui Vitæ Patrum inscribitur, & Diuo Hieronymo attribuitur, & in Martyrologio Romano; quidam eumdem illum & hunc Cordubensem esse credentes, veritatis alioqui ignari, eidem diei F eius festum attribuerunt: & in Romano quidem utriusque eodem die festum annotatur. Quodnam Romanum intelligatur Martyrologium, nescimus, nisi illud fuerit, quod Maurolycus edidit: in quo utriusque Eulogij memoria recolitur. Antiquior apud Ægyptios Eulogius Presbyter refertur à Ruffino lib. 2 de Vitis Patrum cap. 14, & à Palladio in Historiâ Lausiacâ cap. 75, & his citatis à Petro de Natalibus lib. 8 Catalogi cap. 99 asserens, quieuisse XII Calendas Octobris: quem alij secuti sunt. Morales præterea arbitratur nomina S. Eulogij & aliorum Martyrum, qui eius tempore Cordubæ passi sunt, à posteris intrusa fuisse Martyrologio Vsuardi, quod hîc inscripsit Domino Regum piissimo Karolo Augusto, quasi hic fuisset Carolus Magnus, cùm videatur intelligendus Carolus Caluus, anno

A Christi DCCCLXXV Imperij coronâ donatus. Verùm eo tempore Martyrologijs inscriptum fuisse nomen Eulogij eremitæ non arbitramur. Certè nullum hactenus vestigium potuimus intelligere.

§ II. Variæ Translationes SS. Eulogij & Leocritiæ.

Translatio S. Eulogij facta, non 20 Septemb.

5 Constantinus Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum S. Eulogium ad hunc XI Martij longo encomio celebrans, asserit martyrium compleuisse V Idus Martij anno DCCCL eiusque corpus translatum XX Septembris anno DCCCLX. *Verùm vt de anno martyrij planè aberrat, ita videtur reliqua ex merâ coniecturâ adiecisse, & negat Morales vllam isto XX Septembris Translationem factam. Ac primam Translationem arbitratur illam, quam in altero Codice Vitæ S. Eulogij, quem à Michaële Açagra habuerat, annotatam reperit cum hoc titulo:* Translatio corporis S. Eulogij Presbyteri. Translatio facta est S. Eulogij Martyris & Doctoris in basilicâ S. Zoyli titulo principali. Calendas Iunias Æra DCCCXCVIII. Celebratur autem dies VII natalis eius in supradicto loco, eò quòd omni tempore in diebus Quadragesimæ occurrit illius solennitas. *Est hæc Translatio siue Corporis Eleuatio anno post martyrium proximo solenni pompâ Cordubæ facta & videtur per Octauam aut VII dies sequentes celebritas continuata, quod XI Martij ob tempus Quadragesimale non licebat: & hic videtur* annuus festiuitatis recursus *esse, in quo, vt martyrium S. Eulogij legeretur, à se scriptum innuit Aluarus num.* 13. *Hanc Translationem suis fastis inscripsit Galesinius his verbis:* In Hispaniâ Translatio S. Eulogij Martyris, *sed in Notis cum mox indicandâ ad vrbem Ouetensem confudit: quem dein Ferrarius est secutus.*

sed 1 Iunij anno 860

B

Corpora SS. Eulogij & Leocritiæ Ouetum translata anno 883

6 *Altera Translatio corporum SS. Eulogij & Leocritiæ (cuius martyrium in Actis illius recensetur) facta fuit ex vrbe Cordubensi ad regiam tunc temporis vrbem Ouetensem, in Montanis Asturum sitam: cuius Translationis historia in antiquis lectionibus Breuiarij Ouetensis ita continetur:*

Cùm anno Domini octingentesimo octuagesimo tertio, vigesimum quartum post martyrium Sanctorum Eulogij & Leocritiæ Magnus Adephonsus Oueti Rex quemdam Presbyterum, Dulcidium nomine, Cordubam, vt coram Mahomat Cordubæ Rege nonnulla ad vtriusque statum pertinentia tractanda dimitteret; Presbyter Dulcidius, cùm esset in vrbe, quomodò ipsorum corpora Sanctorum Eulogij & Leocritiæ Martyrum in suam peruenire potestatem possent, curauit. Intentum cuidam Muzarabi Christiano cognomine Samuel, patefecit: qui promisit sanctum Dulcidij votum implere. Oblata compleuit Samuel: & dispositis negotijs, Dulcidius Adephonsum de sacris reliquijs certiorem fecit, qui cũ Hermenegil-

C do Episcopo Ouetensi & Clero, solenni processione ordinatâ, illis extra vrbem Ouetum obuiam fuit. Quibus receptis & in capsam cypressinam translatis, & in capellâ S. Leocadiæ sub aræ tabulâ conditis, Regis & Procerum deuotio occupauit lætitiam. Quæ Translatio facta fuit die IX Ianuarij, quo sacra corpora peruenerunt Ouetum. *Hactenus lectiones relatæ à Tamaio Salazario ad dictum IX Ianuarij. Gonzales Dauila tomo 3 Theatri Ecclesiastici, paginâ 123 dicta horum Martyrum Translationis meminit: quam ex suprà relatis lectionibus eodem modo Hispanicè edidit Ioannes Marietta de Sanctis Hispaniæ lib. 4 cap. 26. Citat eamdem Morales in sæpius memoratis scholijs, addit que* saxeum sepulcrum subtus altare fuisse excauatum, quod nunc etiam vacuum conspicitur. *De eadem Translatione tractat idem Morales lib. 15 Historiæ Generalis Hispaniæ cap. 15, ac dein cap. 21 narrat fundationem monasterij Tunonensis factam ab eodem* Aldephonso Rege eiusque coniuge Xemena, die nono Kalendas Februarij Æra DCCCCXXVIII. *cui post*

9 Ianuarij.

Regem & Reginam subscripsit Hermenegildus Sedis Regiæ Oueto Episcopus: *quem secundum illius nominis numerat memoratus Dauila. Hanc verò Translationem celebrat hoc elogio in suo Martyrologio Tamaius Salazar:* Oueti in Hispaniâ apud Astures Translatio sacrorum pignorum SS. Eulogij electi Archiepiscopi & Leocritiæ eius alumnæ Martyrum Cordubensium ex ipsâ vrbe Patriciâ ad illam Regalem, vbi honorificâ obseruatione in sanctâ occluduntur Camerâ. *Sed hæc vltima verba ad sequentem Translationem spectant. Ferrarius etiam per errorem ad proximum diem X Ianuarij hactenus indicatam Translationem collocauit.* D

alia in Cameram sanctam anno 1300

7 *Tertia Translatio quâ occasione facta fuerit, ita narrat Marietta, & ex eo Tamaius Salazar, vterque loco iam citato:* Posteà verò anno millesimo trecentesimo, elapsis post priorem ad illam vrbem Translationem quadringentis ac septemdecim annis, cùm Archidiaconus Ouetensis Ecclesiæ, Rudericus Gutteri nomine, neruorum dissolutione laboraret, taliter quòd os auriculæ vicinius extitisset, quò vocis deuinctis organis, penitus loquelæ facultatem amiserat: deuotionis ergo sanctorum Martyrum Eulogij & Leocritiæ ardore succensus, protinus ad horum reliquias lacrymabundus accessit: & deprecationibus corde confectis, illicò integram sanitatem assecutus est. Quo miraculo intellecto Fernandus Aluari, tunc Episcopus Ouetensis, feruore caritatis motus, Sanctorum corpora in Cameram sanctam transferri curauit. *De Camerâ sanctâ ab Adelphonso Casto Rege extructâ & sacris in eâ repositis reliquijs legendus est Morales lib. 30 Historiæ Hispanicæ cap. 38. Idem in scholijs ad hanc Vitam asserit,* arcam argenteam, in quâ sacra hæc corpora recondita sunt, se anno MDLXXII oculis suis, spectaculi sanctitate perstrictis, contemplatum fuisse, & manibus vtrisque venerabundum sustulisse: ac testatur thecam benè magnam esse, argento vndique obtectam, signisque perbellè exornatam: in cuius summitate hæ litteræ argento insculptæ leguntur: ANNO DOMINI MCCC TOS QVANTO NONAS IANVARII, DOMINVS FERNANDVS ALVARI OVETENSIS EPISCOPVS TRANSTVLIT CORPORA SS. MM. EVLOGII ET LVCRICIÆ IN HANC CAPSAM ARGENTEAM. *Vbi duo verba vetustate oblitterata scilicet* corpora SS. *ex coniecturâ suppleta sunt. Quæ eadem tradunt Morales lib. 15 Historiæ cap. 15, Gonzales Dauila in Episcopis Ouetensibus, Marietta suprà indicatus, Martinus Roa in S. Leocritiâ, qui verba illa* Quinto Nonas Ianuarij *explicant nonum diem Ianuarij. In scholijs Morales omissâ voce* Nonas, *legitur* Quinto Ianuarij. *Verùm cùm non sit dies quintus Nonas Ianuarij quid si legatur* anno MCCCV, die nono Ianuarij *translatio facta, aut certè alia emendatio adhibenda. In ordine recitandi diuinum Officium Madriti anno MDCXXXV excuso præscribitur ad diem XVI Ianuarij sub ritu duplici* SS. Eulogij & Lucretiæ Martyrum. *Verùm in simili ordine recitandi diuinum Officium anno MDCXLVI recuso, non 16 sed 10 dies Ianuarij dictæ venerationi præfigitur: quod aliquâ typothetarum negligentiâ videtur contigisse. Obseruat denique Morales Ouetenses pro Leocritiâ scribere Lucretiam, de quâ XV Martij iterùm agemus.*

E

F

VITA

Auctore Aluaro, teste oculato.

Ex II codicibus MSS. ab Ambrosio Morales edita.

PRÆFATIO

1 Beatissimi Martyris & Doctoris Eulogij passionem disponens scribere, priùs vitam eius putaui dirigendam in ordine, quàm sui finis agonem pulcherrimum designare: vt quis vel quantus

A tus fuerit antè lectoribus innotescat: & sic deinceps adeptum ex merito palmam victoriæ euidentissimis a elucescat indicijs. In cuius operis principio, Domini fretus & Redemptoris nostri auxilio, profiteor me non audita & dubia, sed visa & per me probata retexere: quoniam, gratiâ Dei cooperante, à primæuo adolescentiæ flore, caritatis dulcedine & Scripturarum amore vno vinculo concordi innexi, huius vitæ, licet non pari ordine, tamen pari affectu, in cunctis quæstionibus duximus iugum. Sed ille Sacerdotij ornatus munere, pennis virtutum in sublime euectus, altiùs euolabat: b ego luxuriæ & voluptatis luto confectus, terrâ tenus repens, hactenùs trahor. Et inde est, quòd non incerta & quorumcumque hominum narratione comperta, sed mecum gesta & per me cognita narrare disposui. Quia sicut de incertis temerè referre sententiam periculosum fore profiteor, ita de cognitis supprimere ea, quæ c nosci debent, vacuum periculis esse non reor. Est quoque & laudabilis pro exemplo prædicanda omnibus veritas, & nihilominùs detestanda Rhetoricorum composita falsitas. Quoniam melius est de multis præclaris facinoribus nihil dicere, quàm ex paruis bonis multa falsa disserere: tutiusque est, omnia, quæ gesta sunt, præterire, quàm ea, quæ non d fuerunt, aliqua fingere. Et mitiùs errat, qui non malitiæ voto, sed segnitiæ fastu vera suprimit, eo, qui disertè falsa confingit. Veritas enim, si studio veritatis, & non vanæ gloriæ iactantiâ dicitur, dicenti coronam implodit: falsitas autem, si ab aliquo intentatur, coniectantem occidit. Et ideò, sicut me veritatem dicentem remunerandum esse congaudeo, ita falsitatem si dixero, condemnandum esse non nego. Quibus ergo caussis ad falsitatem retexendam insilirem, ipse non habui, qui veritatem in omnibus, non mendacium, remunerare cognoui. B

b Auctor S. Eulogij ab adolescentiâ familiaris, à se visa & certa scribit

a *In altero MS. erat* clarescat, *de quo intelligendum, deinceps dum MS. citatur.*

b *Hinc colligit Morales Aluarum vxorem duxisse, & ita humiliter de se loqui.*

c *Aliud MS.* nori debentur. d *Ibidem* fuerint.

CAPVT I

S. Eulogij pia educatio, studia, Sacerdotium, titulus Doctoris, notitia cum Aluaro Vitæ scriptore.

2 IGitur beatus Martyr Eulogius nobili stirpe progenitus, Cordubæ ciuitatis a Patritiâ Senatorum b traduce natus, Ecclesiæ ministerio mancipatur, sancti ac beatissimi c Zoyli æde deseruiens, & in eiusdem collegio Clericorum vitam deducens, multis & clarissimis virtutibus floruit, magnis & laudabilibus operibus viguit. Ab ipsis enim incunabulis litteris Ecclesiasticis hærens, & quotidie per studia bonorum operum crescens, perfectionem adeptus est, ac super omnes coætaneos doctrinę scientiâ clarens, & eruditionis lumine florens, Magistrorum d Doctor est factus. Quippe qui mentem senilem paruissimo corpore gerens, vincebat, etsi non ætate, certè scientiâ, vniuersos. Erat enim studiosissimus Scripturarum scrutator, & intentissimus sententiarum inuestigator: ita vt nihil Scripturæ præponeret sanctæ, nihil magis eligeret, quàm in lege Domini meditari die ac nocte. C

S. Eulogius Cordubensis. Ecclesiæ minister, studet: sacram Scripturam scrutatur

3 Nec contentus magisterio Doctorum suorum, alios si quos fortè audiret, procul positos, requirebat; & ne offenderet proprios, furtim se horis, quibus poterat, subtrahebat. Nam & Abbatem bonæ recordationis & memoriæ Speraindeum, opinabilem & celebritate doctrinæ præconabilem virum, sæpiùs inuisebat, auditorioque more ex illius ore disertissimo dependebat: qui ipso tempore totius Bæticæ fines prudentiæ riuulis dulcorabat. Ibi eum primitus videre merui, ibi eius amicitiæ dulci inhæsi, ibi illi indiuiduâ sum nexus dulcedine. e Eram namque iam dicti illustrissimi viri auditor: & dum frequentiùs eius limina tererem, incultumq; ingenium acuerem, tandem respectione diuinâ huius tanti viri societate coniungor. Et catenatim f insolubili nexu non innector tantùm, sed vnior, factique sumus auditores viri, inquisitores veri, amatores nostri intantùm, vt illa ætas indocta sibi non concessa præsumeret. Agebamus vtrique Scripturarum delectabilem lusum, & scalmum in lacu nescientes regere, Euxini maris credebamur fragori. Nam pueriles contentiones pro doctrinis, quibus diuidebamur, non odiosè sed delectabiliter epistolatim in inuicem egimus, & rythmicis versibus nos laudibus mulcebamus: & hoc erat exercitium nobis melle suauius, fauis iucundius, & in antè nos quotidie extendentes, multa g inadibilia tentare in scripturis, pueriles immatura docibilitas egit; ita vt volumina conderemus, quæ posteà ætas multa abolenda, ne in posteros remanerent, decreuit. D

Speraindeum Abbatem sibi Doctorem eligit: f in notitiam Scripturis familiarem venit: & mutuo studio excitatur:

4 Sed cùm iam annos iuuentutis attingeret Eulogius, Diaconij ministerio fungitur, atque in breui merito vectus ad superos, gradu Presbyterij sublimatur: moxque Magistris ordine & vitæ moribus sociatur. Quanta illi humilitas, quanta bonitas, quanta inhæserat caritas, amor omnium ostendebat. Et hinc cœpit se acriori vitæ austeritate constringere, & modestiæ legibus in vniuersis actionibus perornare: Scripturis vacare diuinis, & corpus suum vigilijs ac ieiunijs castigare: monasteria frequentare, cœnobia inuisere, regulas Fratrum componere: hinc inde cuncta eo modo curare, quo, si fieri posset, vtrobique adesset. Ita clericatum agens proprium, vt regularem Ordinem non dimitteret alienum: ita monachis adhærens, vt Clericus probaretur, ita in Clero degens, vt monachus videretur: vtrobique aptus accurrens, & vtrorumque professiones vnus sufficientissimè complens, currebat sæpiùs ad cœnobiorum sacratissimos greges. Sed ne proprium Ordinem contemnere putaretur, ad Clerum iterùm remeabat: in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis secularibus eneruaretur, itidem monasteria repetebat. Hic doctrinâ oris Ecclesiam ornans, illic vitam propriam h excutiendo decorans, in cunctis virtutibus positus, viam seculi mœrens incedebat & anxius: & quotidie ad cælestia volare cupiens, corporeâ sarcinâ grauabatur intantum, vt Romam ire disponeret, vt adolescentiæ næuos lacrymis, & peregrinationis itinere domaret, imò domitos deleret. Sed ecce omnes hinc inde insistimus, & eum magis corpore quàm animo retinemus. E F

fit Presbyter, & Doctor constituitur: versatur cum Clericis & monachis. proponit Romam peregrinari.

a Ex gente vel familiâ Ordinis Senatorij. *Morales opinatur* Senatores *ab illorum temporum scriptoribus dictos nobiles, qui ex antiquâ Romanorum stirpe essent prognati.*

Senatores Corduba.

b *Ita* S. Auream Virginem & Martyrem *ipse Eulogius lib. 3 Memorialis Sanctorum appellat* fastu Arabicæ traducis exornatam.

c *Colitur S. Zoylus* XXVII *Iunij: in cuius æde corpus eiusdem Sancti adseruabatur.*

d *Et mox Sacerdos factus* Magistris sociatur. *Scilicet, vti in Cæsaraugustano Concilio I cap. 7 decretum, publicâ auctoritate titulus & nomen* Doctoris *conferebatur.*

e *In altero MS.* Sperandeum, *cuius meminit Eulogius in suo Memoriali, & latè Morales de eo agit lib. 14 Historia generalis Hispaniæ cap. 2.*

Doctores.

f *MS.* inadibili. g *Ibidem* ex Scripturis. h *Ibid.* exculpendo.

CAPVT II

S. Eulogij captiuitas liberatio. Martyribus constantia data: Acta conscripta.

a *Carceri cum alijs includitur:*

5 VErùm dum ista & alia referuntur, tandem *a* Reccaffredus Episcopus super Ecclesias & Clericos quasi turbo violentus insiluit: omnesque Sacerdotes, quos potuit, carcerali vinculo alligauit. Inter quos vt electus aries ducitur, & cum Pontifice suo vel alijs Sacerdotibus vincitur. In quâ retrusione magis orationibus & lectionibus operam dedit, quàm vinculis. Ibi sanctis Virginibus Floræ & Mariæ, pro fide comprehensis, illud *b* Documentum Martyriale vno libro composuit: in quo eas ad martyrium verbis tenacissimis solidauit, easque & per se verbis & per epistolas mortem contemnere docuit. Seque, suosque socios, earum suffragijs vinculo soluendos commisit, quod & obtinere mox post sextum diem passionis earum promeruit: Nam illæ *c* octauo Calendas Decembris expleuerunt martyrium, Sacerdotes verò Domini tertio Calendarum, earumdem solutionem adepti sunt.

b *confortat ad martyrium SS. Floram & Mariam:*

c

B *liberatur:*

d *Vitam illarum scribit:*

e

f *numquam otiosus.*

6 Extat super hoc illustriore stylo confecta, & mihi his diebus directa epistola, *d* passionem earumdem Virginum, & ereptionem Sacerdotum ipsarum Virginum meritis continentem. Ibi *e* metricos, quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniæ, pedes perfectissimè docuit, nobisque post egressionem suam ostendit. Inde & mihi pro libris illis, quos in *f* defensionem Martyrum dederat, epistolam facundo locutionis genere dictatam direxit. Nam cùm omnes, qui cum eo erant Sacerdotes, vacarent otio & quieti, ille non noctibus, non diebus à lectione cessabat; noctes diesque ingeminans, Scripturarum mella lambens, ore & corde spiritualiter ruminans.

Martyrium aggressuros corroborat:

g

Acta Martyrum conscribit:

7 Verùm operæ pretium reor, si paullò altiùs incedentes, tempore persecutionis qualiter probatus extiterit, inseramus. Nam dum Episcopi, Sacerdotes, Clerus, & sapientes Cordubæ in martyrio nuper exorto deuio calle incederent, ac timoris impulsu penè fidem Christi, si non verbis, nutu tamen negarent; hic tamen inadibilis numquàm vacillare vel tenui est visus susurro: sed omnibus pergentibus ad agonem occurrens, vniuersorum animos roborans, cunctorumque ossa venerans & componens, intantùm ardescebat *g* ardore martyrij vt ipse incentor ipsis diebus videretur esse Martyrum. Pro quo rectitudinis zelo multis extitit contumelijs propulsatus, magnisque terroribus fatigatus. Nam vnus ex proceribus illum impetens, & minis exasperans, diuino iusto iudicio in reprobum sensum conuersus, fidem, quam tenens nesciens impugnabat, mox miser & stultus amisit. De quo pleniùs in libro Memoriale Sanctorum tertio iam dictus beatissimus disputauit. In quibus libris & C passiones sigillatim Martyrum claro fonte locutionis explicuit, & prosecutione sufficienti quæcumque acta sunt in Martyribus Domini & dicta, secuturis generationibus propalauit. Quantus autem, vel quàm excellens fuerit scientiâ, luce clariora eius pandunt opuscula, quæ sale Attico & prosatico lepore, imò diuinâ inspiratione composuit.

plerisque fugore Regis cedentibus:

h

8 Sed redeundum est ad Reccaffredi Episcopi tempora, & quâ arte à sacrificio se suspenderit, ne eius glutinaretur errori, proferendum. Namque ipsis diebus cuncti ei & vi & potestate addicti, iussu regio subditi, iniquo videbantur hosti adiuncti: & qui priori insurrectione aduersi & erecti contra eum steterunt, tunc terrore *h* conciti, quasi familiares hærebant non mente, sed corpore; nec dilectione cordis, sed compulsione terroris; & ne aditus ei nocendi daretur in ampliùs. *i* Ita quoque Rex contra nos desæuiens legibus, necessitatem induxerat, & liberum arbitrium interpellans, omnes truci subdiderat hosti. Cuius historiæ veritas in alio opere enucleatiùs differetur. D i

9 Nunc verò huius admirabilis viri tantùm enodare sanctissimam cupimus artem. Is enim graui instinctu doloris, dum vndique circa se dolosum cerneret ipsius Episcopi grassari ingenium, & ceteros ei communicantes deprehenderet, nec resistendi sibi copiam inesse videret, nec amouendi licentiam (vtpote *k* fideiussoribus datis) remanere sibi conspiceret; cœpit se graui atterere gemitu, magnoque intrinsecus, vt diximus, mactari dolore. Sed nutu Dei contigit, vt quadam die præsenti Episcopo B. Epiphanij Cypriæ Salaminæ Episcopi, Ioanni Episcopo Hierosolymitano directa *l* epistola legeretur. Quam ego cuidam Diacono præceperam legere: in quâ idem beatissimus Pontifex Origenis nenias arguens, & ordinationem cuiusdam Presbyteri, in monasterio iam dicti Hierosolymitani adsignato à se consecrati; defendens, caussam ordinationis retexuit, beatissimorumque Presbyterorum Hieronymi & Vincentij continentiam sacrificandi laudando innexuit. Quam narrationem tum iam dictus Eulogius auidâ mente magis arripiens quàm suscipiens, & sibi à Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percussus, ab intimo corde trahens suspiria meque intuens, conuersus Episcopo dixit: Si lucernæ Ecclesiæ, & fidei nostræ hoc egerunt columnæ, quid nobis facere conuenit, quos delicti onera grauiter deprimunt & affligunt? Cognoscat ergo vestra Paternitas interdictam à me ipso mihi sacrificandi licentiam. Sicque huiusmodi ingenio tempore Reccafredi se ipse suo ligauit arbitrio. Cuius professionis licet hoc modo ordinem sumeret; delectabili tamen vsu perfunctus, nolebat posteà statum reiectum recipere. Sed Pontifex propriusin tantùm eum ad omissum officium sacrificandi compulit repedare, vt eum anathemate ferire non vereretur, nisi citiùs redire promitteret.

prudenti constantiâ vitur: k l *exemplo S. Hieronymi* E *interdicit sibi licentiam sacrificandi.*

a Reccaffredus, *vt annotat Morales*, Metropolitanus fuit Episcopus, cuius ministerio Habdarrahgman Rex Christianos voluit compescere. Ille autem aut zelo prauo instinctus, aut infideli metu compulsus, Ecclesiam Cordubensem atque alias grauiter afflixit: Episcopum Cordubensem, cuius nomen nusquam proditur, aliosque templorum ministros in vincula coniecit. *Ea cœpta sunt agi ab anno Christi* 850. *qui erat 29 regni Habdarrahgmani.*

Reccaffredus Episcopus

b Documentum martyrij *vnà cum* Oratione *ad dictas Virgines extat.*

c *Ærâ* 889, *& anno Christi* 851.

d *Passio harum extat lib.* 2 *Memorialis Sanctorum cap.* 8. *& seorsim in epistolâ ad Aluarum.*

e *Intelligit Morales* hymnos ijs carminum generibus scriptos, quæ Hispanis eo tempore essent incognita. F

f Memorialis Martyrum *librum primum intelligit, quem Aluaro misit, in epistolâ exposcens eius limam & censuram.*

g *Excusum,* vt dote martyrij & ipse incentor.

h *MS*, concisi. i *Ibidem* itâ quoque Regis.

k *Vadium interuentu non poterat seiungi à Reccaffredo Eulogius è vinculis exemptus.*

l *Extat ex epistolà à S. Hieronymo Latinitate donata.*

CAPVT III

S. Eulogij doctrina & virtus: peregrinatio, electio in Archiepiscopum Toletanum.

10 ET erat vir ille in omnibus professionibus principaliter, & nô mediè decoratus, cũctis ex æquo deseruiens & cùm præiret omnes scientiâ, humilior certè etiam nimis videbatur. Clarus vultu & honore præcipuus, eloquentiâ fulgidus, & vitæ operibus luminosus. Incitator Martyrum & laudator, tractator peri-

Summâ eruditione præditus.

A peritissimus & dictator. Quis ardorem ingenij, quis decorem eloquij, quis fulgorem scientiæ, quis affabilitatem vsualem officij, quocumque poterit prudentiæ dicere flumine? Quæ enim illi non patuêre volumina? quæ potuerunt eum latere ingenia Catholicorum, philosophorum, hæreticorum, nec non & gentilium? Vbi libri erant metrici, vbi prosatici, vbi historici, qui eius inuestigationem effugerent? Vbi versus, quorum ille ignoraret canora? vbi hymni, vel peregrina opuscula, quæ eius non percurreret pulcherrimus oculus? Quotidie enim noua & egregiè admiranda quasi à ruderibus & fossis effodiens, thesauros elucidabat inuisos. Quanta docibilitas tam pretioso munere ornatæ inesset animæ, quanta & inexhausta cura solertiæ, nullus sapiens comprehendere poterat. Et ô admirabilis suauitas mentis, numquàm priuatim scire aliquid volens, nobis omnia præstabat. Vitiata corrigens, fracta consolidans, inusitata restaurans, antiqua repriorans, neglecta renouans, & quæque poterat ex antiquis viris gesta competere, satagebat operibus adimplere. Seueritatem Hieronymi, modestiam Augustini, lenitatem Ambrosij, patientiam Gregorij in corrigendo errores, in sustentando minores, in demulcendo maiores, in sufferendo horrores, vnus idem se multipliciter varium exhibebat.

Illustrat eximiam in omnibus virtutem.

B

11 Nec ei suffecit monasteria patriæ suæ inuisere, quin potiùs *a* occasione *b* fratrum suorum, qui ipsis diebus in *c* Franciæ finibus exulabant, indeptam viam arripuit, & in Pampilonensium territoria vltrò progrediens, *d* monasterium S. Zachariæ ingressus, & aliorum *e* cœnobia ipsarum regionum gliscenti voto percurrens, multorum Patrum est amicitiâ dulcoratus. Quorum conuersationem in epistolâ, quam Episcopo Pampilonensi in carcere positus dedit, nominatim *f* locatimue digessit. In quibus locis multa volumina librorum reperiens abstrusa, & penè à multis remota, huc remeans, suo nobis regressu adduxit. Ibi beati *g* Odoarij est fruitus colloquio, cui centum quinquaginta regulares monachi militabant. Inde secum librum Ciuitatis beatissimi Augustini, & Æneidos Virgilij, siue Iuuenalis metricos itidem libros atque Flacci *h* saturata poëmata, seu Porphyrij *i* depicta opuscula, vel Adhelelmi *k* Epigrammatum opera, necnon *l* Auienni fabulas metricas, & *m* hymnorum Catholicorum fulgida carmina, cum multis minutissimarum caussarum ex sanctis quæstionibus multorum ingenio congregatis, non priuatim sibi, sed communiter studiosissimis inquisitoribus reportauit. Idem prætereà fulgorem operis & coruscationem ingenij resplendentibus semitis præsentialiter cunctis præsentibus, & visualiter sequentibus, specificis semper ostentans indicijs, & luminosis deducens vestigijs, vbique lucidus gradiens, vndique fulgidus rediens, limpidus, dulcorosus, nectareus, Christi coronatus emicabat omnibus famulus.

proficiscitur in Nauarram:

affert plurimos libros

C

12 Nec illud omittendum in hoc opere reor, quod post diuinæ memoriæ *n* Wirstremiri Toletani sedis Episcopi, *o* in eamdem Sedem ab omnibus comprouincialibus, & confinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus & pro relatu omnium comprobatus. Sed dispositio diuina, quæ eum sibi ad martyrium reseruabat, quibusdam repagulis obuiauit. Cùmque iam ipsa communis electio eum sibi consecrare in episcopio adclamaret, rerum obuiantium aduersitate impediti, alium sibi eo viuente interdixerunt eligere. Qui licet argutè frustraretur ab Ordine, tamen non priuatur eiusdem Ordinis munere. Siquidem Episcopatum cælestem adeptus est, dum per martyrij gloriam Christo coniunctus est. Omnes namque sancti Episcopi, non tamen omnes Episcopi Sancti. Ille verò sanctitatem per cruoris fusionem inueniens, Episcopij Ordine fungitur, dum cælo receptus æternis promissionibus muneratur.

eligitur Archiepiscopus Toletanus:

D

13 Cùmque his virtutibus & dogmatibus insigniretur, & omnibus quasi lucerna super candelabrum posita, ac veluti ciuitas in montis sita cacumine, procùl altiùs emicaret, & vt doctus scriba de thesauro domini sui noua & vetera vniuersis familijs præuideret; in Sacerdotibus primus, in Confessoribus summus, in Iudicibus residens non extremus: tandem voti compos effectus, diuinâ sibi cooperante clementiâ, inopinato iudicio, sed deliberatiuo studio euectus est ad superna. Et ea, quæ à Martyribus fusis postulauerat lacrymis, & per tota sua opuscula more sparserat precis, obtinere meruit operibus sanctitatis. Quod veriùs poterit noscere, qui ipsa eius egregia opera curauerit legere. Et quoniam expedit, & dignum vobis visum est pro vtilitate legentium, & pro anniuo festiuitatis suæ recursu, passionem eius breuiter explicare: ideò sequestratim, purè & sinceriter agonis sui pulcherrimum induximus finem.

meritis promouetur ad martyrium:

a *Occasio ista fuit anno* 844, *quando Carolus Caluus Rex Francorum Bernardum Comitem Barcinonensem, donatum à Ludouico Pio Ducatu Septimaniæ incautum interemit; ac filius eius, fretus auxilio Habdarraghmani Regis, multo sanguine & flammis vltus est paternam necem. Consule epistolam S. Eulogij ad VVilensindum Episcopum Pampelonensem hic citatam, & Annales Francicos.*

Discessus in Nauarram anno 844.

E

b *S. Eulogius in dicta epistolâ* Aluarum & Isidorum *appellat.*

c Apud Moguntiam, *inquit ibidem S. Eulogius,* nobilissimam Baioariæ ciuitatem, *quòd scilicet tunc subesset Ludouico seniori Caroli Calui Fratri, Regi Germaniæ & Baioariæ.*

Moguntia.

d Monasterium S. Zachariæ, *ait S. Eulogius in dicta epistola* situm ad radices montium Pyrenæorum, Serasiense dictum.

S. Zachariæ monasterium

e *Nominat S. Eulogius ibidem* Legetense monasterium *eiusque* Abbatem Fortunium.

f *In dicta epistola nominantur* Cæsaraugusta, Segouia, Complutum, Toletum, *eorumque Episcopi* Senior, Sisemundus, Venerius, VVistremirus.

g Odorius Abbas Serasiensis S. Zachariæ, *cuius & monachorum virtutes latè describit in citata epistola Eulogius*

h *Morales arbitratur hoc verbo alludi ad Iuuenalis versum:* Satur est, cùm dicit Horatius, ohe. *Sed potiùs videtur sermo esse de Horatianis Satyris.*

i *Idem Morales* picta opera, *ait,* quæ ad eloquentiam [illegible]ctantia recensuit Suidas.

k *Sunt S. Aldelmi carmina de Virginitate, de quibus sæpiùs egimus. Colitur is 25 May.*

l Rufus Festus Auienus siue Abydnus poëta, Hispanus vt nonnulli volunt Virgilianas fabulas Iambicis versibus descripsit, & Æsopi fabellas, quæ Elegiaco carmine circumferuntur, huius esse multi affirmant. *Ita Morales*

m *Intelligit hymnos à S. Prudentio alijsq. Hispanis potissimùm, compositos.*

n *VVistremirus dicitur defunctus anno* 858 die 31 Decembris, *ad quem inscriptus est Martyrologio Hispanico Tamay. Vbi & epitaphium eius exhibetur.*

o *Deest* obitum, mortem *aut quid simile.*

CAPVT IV

Noua in Christianos sub Rege Mahomete persecutio. S Leocritia à S. Eulogio eiusque sorore instructa & adiuta.

14 TEmpore igitur, quo sæua dominatio Arabum calliditatis astu omnes fines Hispaniæ miserè deuastabat, quo Rex *a* Mahomad incredibili rabie & effrenatâ sententiâ Christicolum genus delere funditus cogitabat; multi terrore cruentissimi Regis metuentes, eiusque insaniam modificare nitentes, per trucem voluntatis iniquæ officium diuersis & exquisitis occasionibus gregem Christi impetere tentauerunt. Plerique Christum negando se præcipitio commiserunt: alij duris tormentis agitati, commoti sunt: porrò alij florenti virtute stabiliti sunt, & fundati. In cuius (vt diximus) tempore martyrium fidelium coruscando resplenduit, & error negantium fluctuauit. Non-

In persecutione Mahometis Regis Saracenorum,

alijs deficientibus

A Nonnulli enim, qui fidem Christi tantùm mentibus retinebant, instinctu Dei quod celauerant, luminositer & patulè proferebant, nullo disquirente ad martyrium prosilientes, & coronam sibi ex tortoribus rapientes. Ex quibus, Arabs genere, *b* B. Christophorus extitit, cuius passionis ordinem alibi digerere cogitamus. Sed & ex eorum numero B. Aurelius & Sanctus extitit Felix, qui cum vxoribus ad passionis gloriam post multa & prolixa latibula prodierunt. Ex ipsis etiam florens virtutibus Flora Virgo beata, quæ contemnens secularem labilem pompam, æternam meruit sine fine coronam. Quorum hic noster sanctissimus Doctor agonem *c* singulatim exposuit, & actus vitasque corusco sermone explicauit.

AVCT. ALVARO. martyrium subierunt SS. Christophorus, Aurelius, Felix Flora.

15 Hoc tempore puella nomine Leocritia quædam genere nobilis, mente nobilior, ex Gentilium fæce progenita, & ex luporum visceribus prodita, dudum per quamdam sibi genere proximam Christo dicatam nomine *d* Litiosam, aquis salutaribus tincta, & occultè fide Christi induta enituit, odoremque nectareum notitiæ suæ cunctis adspersit. Etenim cùm ad iam dictam religiosam in annis infantiæ more propinquitatis recurreret, eamque, quibus illa sermonibus poterat, quotidie instrueret; tandem respectione cælesti fidem Christi mente suscepit: & ardore amoris susceptam, pectore conseruauit. Quæ dum ad annos sapientiæ veniret, & scientiæ contingeret limina; B fidem illam, quam tenerrimis institutis occultè didicerat, quotidiè fomentis spiritualibus auctam in ampliùs crescentem alebat, primùm occultè, deinceps patulè & apertè. Quam parentes sedulè admonentes, & nihil omnino proficientes, conati sunt eam flagellis & verberibus impetere, vt, quam per blandimenta amouere non poterant, saltem terroribus coërcerent. Sed ignis ille, quem Christus in corde fidelium misit, nullis minis cedere nouit. In hoc conflictu dum diebus vapularet & noctibus, seque acerrimis impetendam vltionibus & duris vinculis præpeditam videret, metuens ne non propalatâ publicè fide, cauterio vreretur perfidiæ; per internuntios beatissimo Eulogio, opinatissimo iam multis talibus operibus viro, vel sorori eius *e* Anuloni Virgini Deo dicatæ caussam suam innotuit: & quia ad tutiora loca fidelium, in quibus fidem suam posset interrita propalare, ire vellet, exposuit.

S. Leocritia in fide Christi instruitur:

à parentibus Gentilibus dirè verberatur:

S. Eulogium consulit:

16 Illicò B. Eulogius solitum officium recognouit; & vt erat fautor anhelantissimus Martyrum, hanc exire clàm per eosdem internuntios ordinauit. Illa concitè artem fingens, & parentibus quasi consentiens, nostramque fidem verbis impetens, & datâ operâ omnia selecta ornamenta induens, seque more illorum quasi placitura & nuptura seculo ostendens, nisa est eorum inflectere animos, & sibi exosos commere gressus. Cùmque sibi omnia iam tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorumdam propinquorum suorum, C quæ ipsis agebantur diebus, fingens, vt eidem officio congruit, ornatè procedere, celeri cursu se beatissimo Eulogio vel sorori eius Anuloni tutandam exhibuit. Quam mox grato animo suscipientes, occulendam probatissimis tradiderunt amicis. At vbi pater eius & mater expectantes filiam non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inauditâ & dolore inuiso semetipsos cruciantes, cuncta disturbant, vniuersa contaminant, currentes per ignotos & cognitos, & potestatiuè ac iussione Præsidis quosque impetendos putabant, carceribus & vinculis onerabant, viros, mulieres, Confessores, Sacerdotes, deuotas, vel quos poterant, flagellis & carceribus affligebant, si quo modo possent filiam suam per hæc & ampliora recipere. Ille verò Sanctus immobilis ei loca diuersa mutabat, & ne traderetur ouis luporum in manibus, omni intentione curabat. Illa tamen ieiunijs & vigilijs insistens, & cilicio membra tegens, vel puluere cubans, seuerè membra corporis elimabat. Sed & vir beatissimus, cum reuerentiâ nominandus Eulogius, nocturnas vigilias appetens, & in basilicam S. Zoyli terrâ tenus prostratus orans, noctes insomnes ducebat, auxilium Domini & fortitudinem Virgini imprecans, & se per hæc exercitia Domino consecrans. D

fugit ad eum, & sororem Anulonem:

occulitur in latibulis,

alijs propter ipsam dirè passis:

S. Eulogio pro eâ orante in basilicâ S. Zoyli.

17 Inter hæc Virgo serenissima B. Eulogij germanam, quam ardenti desiderio diligebat, videre voluit, & ad eorum habitacula nocte deuenit, reuelatione Domini prouocata, & auiditate consolationis perducta, vt vno die tantummodo cum eis moraretur, & iterùm ad solita latibula repedaret. Quibus & retulit, sibi vnâ & aliâ vice oranti, liquore mellis os repletum fuisse, quod ista se non ausu temerario expuisse, sed inglutijsse, crassi elementi admirando speciem referebat. Cui ille Sanctus hoc esse præsagium, regni cælestis dulcedinem perfruendam disseruit.

redit ad S. Eulogium eiusque sororem.

a *S. Eulogius lib. 2 Memorialis Sanctorum relatâ cap. 13 nece SS. Rogelli & Serui-Dei, illatâ 16 Kalend. Octob. arâ 890, siue anno Christi 852, adiunctoque duobus sequentibus capitibus nouo consilio Regis de dispersione Christianorum & bonum perturbatione, addit cap. 16 Regem Habdarrahgmanum subitò & miserè obijsse,* relicto imperij hærede Mahomad primogenito, hoste Ecclesiæ Dei & Christianorum maleuolo persecutore. *Hic ergo* incredibili rabie & effrænatâ sententiâ (*an* sæuitiâ *legendum*) Christocolum genus delere cogitabat.

mors Habdarrahgmani Regis.

b *Coluntur hi Martyres, Chrystophorus 20 Augusti, Aurelius & Felix cum vxoribus 27 Iulij, anno 852 occisi, & Flora Virgo 24 Nouemb. anno 851, omnes sub Habdarahgmano.* E

c *Libro 2 Memorialis Sanctorum, capitibus* 8, 10 *&* 11.

d Elitiosa *in altero MS.*

e *Eulogius in citata suprà epistola memorat tempore peregrinationis anno* 844 *Corduba relictas* piam matrem Elisabeth, sorores duas Niolam & Anulonem cum iuniore fratre Ioseph.

CAPVT V.

Martyrium S. Eulogij & S. Leocritiæ. Corporum sepultura.

18 VErùm dum alio die redire Virgo disponeret, actum est, vt comes itineris non horâ suetâ, sed inlucescente aurorâ veniret: nec potuit aditum exeundi habere, quippe quæ nocturno tempore pro euitandis insidijs solebat incedere. Prouisum est, vt eadem die vsque dum sol metam sui luminis terræ subduceret, & nocturnæ tenebræ quietudinem optatam indulgerent; Virgo Dei eo, quo manebat loco, persisteret. Humano quidem consilio, sed diuino retinebatur iudicio: vt & suam sibi coronam, & B. Eulogio imponeret gloriæ diadema. Nam eo die, nescio cuius instinctu, quorumue insidijs & proditione locus Præsidi latibuli indicatur, & à militibus ad hoc missis ex improuiso omnis illa eorum habitatio circumdatur. Actumque est, vt electus & prædestinatus Martyr præsentialiter adfuisset. In cuius præsentiâ iam dictam Virginem educentes, eumque vnâ pariter comprehendentes, verberantes, multisque contumelijs affligentes, iniquo Præsidi, & scelerato Iudici præsentarunt. Quem mox Iudex per flagella occidere cogitans truculento vultu & impatienti animo, vehementi furore accensus, furiosis verbis interrogat, Virginemque cur domo retinuerit minitando disquirit. Cui libentissimè & patientissimè, more locutionis suæ, splendidè rei veritatem hoc ordine pandit: Præses, ordo nobis prædicationis iniunctus est, & nostræ hoc fidei conuenit, vt disquirentibus à nobis lumen fidei porrigamus, nullique ad vitæ itinera properanti, quæ sancta sunt, denegemus. Hoc Sacerdotibus competit, hoc religio vera deposcit, hoc etiam Christus Dominus noster nos docuit: vt quisquis sitiens fidei haurire flumina voluerit, in duplo potum inueniat potiùs, quàm quem quæsiuit. Et quoniam hæc Virgo

S. Eulogius capitur cum S. Leocritiâ.

Præsidi rationem dat instructæ à S. Leocritia

A go fidei sanctæ regulam à nobis inquirere visa est, necessarium extitit, vt illi nostra eò se libentiùs applicaret intentio, quò eius in ampliùs incenderetur affectio. Nec decuit talia desiderantem reijcere, præsertim illi, qui ad hoc Christi electus est munere. Vnde &, vt posse mihi extitit, illustraui & docui: & fidem Christi viam regni esse cælestis exposui. Quomodò & tibi, si me disquirendum putasses, libentissimè facerem.

minas virgarum spernit:

19 Tunc Præses turbido vultu virgas inducere iussit, eum minitans flagellis perimere. Cui Sanctus dixit: Quid istis virgis exercere cupis? Animam, inquit, tuam per has educere volo. Gladium, ait, acue & compone, quo animam à vinculo corporis expeditam ei reddas, qui dedit. Nam flagellis membra *ad palatium trahitur:* dissecare non æstimes. Et mox clarâ inuectione & sufficienti eloquio falsitatem Vatis sui & legis improperans, & prædicationis verbum ingeminans, sub omni velocitate in palatiū ducitur, & ad Regis Consiliarios vsq; pertrahitur. Vbi vnus ex ipsis, illi familiarissimè notus, compatiendo insiluit: Si stulti, inquit, & idiotæ in hanc mortis deflendam ruinam deuecti sunt; tu sapientiæ decore præcinctus, & vitæ moribus illustratus, quæ te dementia huic mortifero casui, oblit- B terato naturali vitæ amore, committere compulit? *ne vel semel fictè vt viuam ferret, vult loqui in fide.* Audi me, obsecro, & ne præcipiti casu corruas, rogo: dic tantùm verbo in horâ huius tuæ necessitatis, & postea tuâ, vbi vbi potueris, vtere fide: promittimus te nuspiam inquirendum. Cui beatissimus Martyr subridens: O, inquit, si scire potuisses, quanta fidei nostræ cultoribus maneant reposita, aut si possem, quod meo retineo, tuo committere pectori; tunc iam non me à proposito reuocare conareris, sed libentiùs te ab hoc mundiali honore amouere cogitares. Et cœpit eis Euangelij æterni verbum porrigere, & prædicationem regni constanti libertate infundere. Qui illicò eum nolentes audire, gladiò iubent transfigi.

percutienti porrigit alteram maxillam:

20 Cumq; duceretur, vnus ex eunuchis Regis alapâ eum percussit. Cui ille alteram faciem præparans, Obsecro, inquit, vt hanc iterùm verberando, priori coæques. Quam cùm secundò feriret, ille patiens & mitis iterùm priorem parauit. Sed impetu militum ad locum occisionis deducitur, vbi genua in oratione curuans, & manus ad cælos extendens, signoque Crucis totum se muniens, paucis verbis intra se orans, ceruicem mucroni tetendit, & celeri ictu mundum con- *capite plectitur 11 Martij.* temnens, vitam inuenit. Compleuit martyrium suum quinto Idus Martij, *a* die Sabbato, horâ nonâ. Et ô felicem & admirabilem nostro seculo virum, qui & præmisit in multis sui operis fructum, & reliquit in Virgine se sequendum. Secum victoriæ vexillum manibus eleuans, & manipulum laboris sui pro se Domino libans, oblationem puram & pacificas hostias offerens, & in se, quæ alios docuerat, Christo rerum Domino repræsentans.

Columba in D. Eulogij corpore insidet.

21 Mox verò, vt proiectum est cadauer è loco eminentiori in ductum aluei, columba miro candore niuescens, videntibus omnibus, secans aëra pennis, C super corpus Martyris aligerans sedit. Quam omnes missilibus petris hinc inde abigere conantes, & nihilominùs consistentem repellere non valentes, manibus voluerunt cominus effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans, sed saliens, super turrim corpori imminentem propiùs resedit, & ad corpus beatissimi viri vultum conuertit.

prope corpus psalmodiam Sacerdotes visi peragere.

22 Nec silendum est miraculum, quod ad laudem sui nominis Christus est super corpus Martyris operatus. Etenim vnus *b* Astigitanæ ciuitatis incola, dum inter ceteros palatinum *c* lunatim mansionis seruitium ageret, ibique cursum suum vigilijs expediret, nocte aquam potare desiderans, surrexit, & ad *d* prominentem canalis ductum, qui super illa loca producitur, peruenit, vbi vidit desuper super corpus eius, quod deorsum iacebat, Sacerdotes miro candore niuentes, luminaria coruscantia retinentes, & psallentium more psalmos grauiter recitantes. Quâ visione perterritus, ad mansionis locum magis fugiens, quàm rediens, repedauit. Et socio omnia renuntians, cum eo iterùm ad locum reuertere voluit: sed iam secundò cernere illud non valuit. Cuius beatissimi caput alio die curiositas Christianorum redemit; corporis verò reliquias tertio die collegit, & sub vmbrâ beatissimi martyris Zoyli tumulauit. D *AVCT. ALVARO* *Corpus sepelitur:*

23 Beatissima verò Virgo Leocritia multis oblectationibus delinita, multisque promissionibus impulsata, tandem diuino munere soliditate fidei roborata, quartâ post eius martyrium die extitit decollata, ac in flumine Bætis proiecta. Sed aquis nec submergi potuit, nec celari, erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visum præbuit. Et sic à Christianis educta, in *e* basilicâ S. Genesij Martyris, quæ sita est ad locum *f* Tertios, extitit tumulata. Hic fuit beatissimi Doctoris Eulogij finis: iste admirabilis exitus, huiusmodi plenus opere transitus. *S. Leocritia capite plectitur 15 Martij.*

a *Anno 859, vt suprà probatum*

b Astygi, *vulgò* Ecia, *in territorio Hispalensi, vrbs olim Episcopalis.*

c *Morales menstruas excubias intelligit in palatio fieri solitas. Ita S. Eulogius lib. 1 sui Memorialis ait,* lunariter soluere tributum.

d *Aqua ductus hic erat prope arcem, quæ Arcarum appellatur, & etiamnum extat, vbi inferiùs ad ripam fluminis iacebat corpus S. Eulogij: vt ea pluribus explicat Morales.* E

e *De ea infrà iterùm 15 Martij agemus.*

f *S. Eulogius in Apologetico appellat* Viculum Tertios, quo monasterium S. Genesij fundatum est *in ipsa Cordubensi vrbe. Coluntur 25 Augusti* S. Genesius *ex mimo Romæ Martyr, & S.* Genesius *ab officio exceptoris Arelatæ martyrium consecutus: à quibus tertius Genesius statuitur Corduba sub Nerone miles pro Christo eodem die passus, atque ad eius honorem ibidem templum erectum. Verùm non audemus subscribere Tamaio, quòd antiquorum desint testimonia: certè neque Morales neque Roa, etsi Cordubenses, agnoscunt talem Genesium.*

CAPVT VI

Aluari scriptoris erga S. Eulogium affectus, & inuocatio.

24 NVnc restat in fine voluminis Regi omnium seculorum gratias agere, qui ab initio fidei suam ornans Martyribus Ecclesiam, dat lassis virtutem, & de se nihil præsumentes perducit ad gloriam sempiternam. Ipsi Domino nostro gloria & imperium per infinita semper secula seculorum. Amen. *Aluarus gratias Deo agit:*

25 At nunc, quia sermone pedestri & incultâ oratione agonem Doctoris nostri, & Martyris nostri expleuimus: restat, vt ad eumdem amicissimum nobis Patronum, quasi ad audientem & precibus nostris præsentem, sermonem vertamus, & familiaritatem nostram ei cognitam referamus. Certe potens est audire rogantes, & patrocinari miseris & afflictis: si merita nos adiuuauerint propria, si delicta non obuiauerint dura, si affectio hoc postulauerit pura. Ergo Martyr Dei excelse, dulcis nomine Eulogi, Aluarum tuum clamantem intende: & quem hic tenuisti caritate animi fixum, illic tibi adsocia seruum. Non aliorum, quàm tuis te interueniam verbis. Certe ego sum ille, quem tecum vnitum esse dicebas, ad quem & pro quo hoc modo locutus es: Vt non sit, inquis, alter Aluarus, quàm Eulogius: nec alibi quàm penes intima Aluari totus sit conlocatus amor Eulogij. Valeat, valeat, Christe Domine, hæc suauis fidelisque, inter vtrosque dilectio. Valeat perenni culmine sanctitatis, & quasi lux splendens procedat & crescat vsque ad perfectum diem. Ecce, Domine, testimonium tuum præ manibus habeo, litteris aureis, & sententiarum *inuocat S. Eulogium.* F

A tiarum gemmis depictum, sed desidero patrocinij tui complementum. Iam enim, quod in terris positus oratione, vt valeret, indesinenti orabas, in cælis translatus, poteris in me suffragio, quod in te impletum est, obtinere. Seruat namque amor verus, vt ipse dixisti, in absentem fideliter caritatem, & quod sibi poterat, hoc exhibet in amantem.

spiritualia dona petit

26 Ergo Martyr egregie, & amice carissime, dum licet, & adhuc misericordiæ imminet tempus, intercessionis tuæ amico porrige munus: vt sit hic mihi concessa remelioratio morum, sint crebra munera lacrymarum, sit affectio labili menti inlata virtutum, sit affectiua compunctio iugis, sit purus pœnitendi affectus, sit locus optabilis ritè concessus, sit opportunus aditus nullis obicibus disrumpendus. Soluantur perplexionum omnium vincula, resiliant impeditionum cunctarum molimina, retinaculorumque obstacula; immutatione dexteræ excelsi in obsequentum mutentur auxilia. Aperiantur ianuæ cordis ad suscipiendum regnum Dei altissimi: inclinetur ceruix superba, & colla subdantur ad ferendum iugum suauissimum Christi. Vellem adhuc poscere maiora, sed temeritatis vereor incurrere notam. Sed tu, ô serue Dei excelse, qui vultu Dominico satiaris, eiusque dono perpetuo iucundaris; illud adscisce misero interuenientibus dignis, quo nosti millena delicta purgari. Vitam quoque æternam desidero, & regni cælestis requiem sitio. Quocumque ergo tormento aut flagello cura remedium impendere seruo, & eo ardoris B igne dilectum purgare desidera, quo hîc nobiscum videbaris nexus in terrâ: vt dilectio illa clariori luce nunc emicet, quando & ampliori lumine lucet, & potiori suffragio prorogare quæsita valet.

& pro labore impenso in Actis componendis,

27 Ego autem, mi dulcis Eulogi, memoriam nominis tui, quantùm potui, lustraui, vitam digessi, doctrinam expressi, agonemque pulcherrimum explicaui: & vt nominis tui delectabilis semper in mundo memoria floreat, & perenni splendore, sicut in cælo vita, ita hic mentio rutilet; & si non enucleatissimis sermonibus, tamen euidentissimis, quibus valui, nisibus dedicaui. Construxi enim ære perennius monumentum gloriæ tuæ, quod nec nimbosus turbo, grandoque lapidea destruat, nec rogus flammarum quocumque igne liquefaciat. Ædificaui nomini tuo memoriam ex auro obrizo & lapidibus omnigenis pretiosis, quam nullus violentissimus valebit diruere prædonis more tyrannus. Composui fabricam culminis tui, & in sublime turrim habitationis tuæ erexi, vt sis speciosa pharus, cunctis *a* virtutibus hinc inde relucens. Ornaui titulum decoris tui vnionibus miro candore niuentibus & topazione fulgenti, vt vniuersis emicet finibus terræ. Adsparsi cineres sanctos nectareis flosculis, nullo æstu fatiscentibus, nec indito cedentibus igne. Vnxi pretiosum corpus nardi pistico pretioso, ac diuerso thymiamatum genere, amomo, balsamo, *b* bisamoque commiscens, vt flagrans sanctitatis tuæ suauissimus odor diffusus, per omnia refertus secula nullo fine tepescat. Impleui amicitiæ C vinculum, & charitatis tuæ nolui nudum seculo dimitere nomen; vt sicut cælo vitâ resplendes & opere, ita mundo linguâ elucescas & nomine. Vt generatio subsequens te laudatum inueniat, imitandum respiciat, & quantus fueris doctrinâ, nostro tenui ingenio recognoscat. Neque priscorum studio corporalibus beneficijs, speciebus & floribus constipatum te ætas sequutura mirabitur, quæ consumuntur temporum vetustate; sed spiritualibus donis decoratum, & immortalibus sublimatum titulis venerabitur.

mercedem optat vitæ æternæ.

28 Tu ergo venerabilis Domine, æquiparando nobis redde mercedem, vt quia seruitio nostro tuæ decorantur reliquiæ, & ornantur exequiæ, illustremur deinceps respectione felici, visitemur dono cælesti: vt ego ille, qui per prona hactenus, & abrupta non liquidè fluens, ab iniquitate meâ defeci, & tabidus hucusque in malis meis manens, à vultu Domini mei recessi, maligno adhærens hosti; præuenienti gratiâ illustratus, & gratuitâ misericordiâ quocumque vitæ termino consummatus, merear ita cælestia indisrupta communiter tecum possidere gaudia, sicut hîc pari fletu & gemitu terrenâ maceratus angustiâ, traxi diuturna & longa suspiria. Vt etsi non æquali datum est mihi fulgere gloriâ, saltem vel delictorum meorum mihi illata sit venia; quatenus non pœnali doleam barathro mersus, sed in cælesti gaudeam requie, tibi vel ceteris Dominis meis, socijs tuis, condonatus. Amen. D

a *In margine appositum,* viantibus.
b *In altero MS.* visamo. *Quid sit, fatetur Morales se ignorare.*

EPITAPHIVM S. EVLOGII.

HIc recubat lepidus Martyr, Doctorque refulgens,
Eulogius, lumen, magnum per secula nomen.
Qui zelo fidei rutilans, virtute piorum
Accendit mentes magno fulgore virorum.
Hic mactè celeber libris laudetur, & hymnis:
Et vitâ rigidus, & fini sole coruscus:
Qui temnens mundum, conscendit lucida cæli. E
Nec gladio perijt, sed viuit sede perenni.
Credite, quæso, mihi, Viuit per secula, Viuit;
Quisquis conscendit Superûm cælestia regna.

ORATIO ALVARI.

NVnc te, Sancte, rogo, recolas, vt nomen amici,
Quem tua hic tenuit dulcis amicitia fixum,
Aluari extremi, qui multâ clade reati
Infectus vitijs pergit per deuia mundi.
Prex tua hunc teneat lapsum ad pascua vitæ,
Vt solitè Sancto digno nectatur amore,
Quo tibi coniunctus mansit per secula carus,
Præsta Deus Deorum regnans per secula. Amen.

HYMNVS.

ALmi nunc redeunt festa polifera
Nostri Eulogij Martyris inclyti:
Soluamus Domino carmina Principi
Concentu fidei cælico munere.
Laudamus varia musico carmine,
Quæ non sunt Domini prædita lumine:
Hîc nunc sat melius res ipsa panditur,
Cùm Christum resonant chordulæ metricæ.
Hîc nunc est animus magna reuoluere:
Splendenter anhelat balsama fulgidè
Gliscens egregia clangere liberè,
Vt dulci roboet musica flamine.
Bellator Domini verbo potentior,
Doctrinâ & pariter fine celebrior:
Christi sic igitur gloriâ cingitur, F
Vt florens vigeat, licet in æthere.
Rector dum populos doctè reficeret,
Gypsum cùm diceret, fagmine prodiens,
Turbam multiplici germine lauream
Cælesti rutilus agmine, prouehit.
Vstus sic Domini zelo, fidelium
Conuertens fluidos mores rebellium,
Adsciscens opibus munere nobili
Abstractos barathro sublimat æthere.
Sed iam cùm meritis digna rependere
Christus cunctipotens vellet, Leocritiam
Rectè mox lepidam Virginem extulit,
Quæ clarum famulum axe reconderet.
Tunc celsus solitum ritè solatium
Præstat, & placidum comptæ remedium,

Cultum

A Cultum tunc fidei dogmate ingerit,
Aduersans populis iusta rebellio.
Ex templo præconans prædo peranxius
Conturbat patriam, iussuve plebium
Per cunctas plateas longè reuoluitur,
Quod Princeps rabidus excitus imperat.
Regnantem tumidum respuit inclyta
Cælestis famuli mens, Deo prædita:
Tandem præcipiti & ductu notabili
Comprensus, sonuit mox quoque liberè.
Dicens: O Proceres temnite impium:
Christum æthereum credite Principem:
Vatem impudicum rectè repellite;
Qui tantos populos igne recondidit:
Gaudens hæc resonat culmine gnauiter,
Necnon, & alia conquerens fortia:
Hunc mandat gladio vertice tundere,
Ne sancta valeat turba recipere:
Adest intrepidus belliger annuens,
Tundunt, quem alapis, sed rogat horridum,
Extendens faciem, verbere, vt alteram
Alternans gemino palma relideret:
Tunc signo fidei pectora seruulus
Armat Deificæ, aurea roseo
Colla lactentia, sanguine prædita;
Incuruat Domino: instat, & obsecrat. B
Sic ictu gladij sidere conditur,
Sic verbo fidei clarè reuoluitur.
Adesto miseris, quæsumus affatim,
Perplexos precibus soluere concitè.
Adsiste gemitis; poscimus, excitis
Inflectens animis, nunc quoque Numinis
Auditum placidum, atque serenius
Mentem, vt precibus sanctè refocilet:
Vt Rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia;
Aspiret fidei comptæ refulsio
Quâ cæli referet culmina fulgida.
Vt torquens hæresis longè resiliat,
Vt cultus Domini altiùs emicet:
Rectores patriæ flore redoleant,
Aduersùs cunctos liberè ventilent:
Sit vita probis; sit quoque prouida
Sanctis religio, per iuge tempora;
Sit trino Domino gloria sedula
Æternùm dominans inclytè secula. Amen.

DE S. FIRMIANO VEL FIRMINO

AVT FIRMANO ABBATE.

XI MARTII 1  Ntêr alia monumenta, quæ nobis anno MDCLXI Neapoli summâ cùm beneuolentiâ Reuerendi Patres Theatini; seu Clerici Regulares, communicarunt ex varijs circumquaque locis ab Antonio Carracciolo collectâ; fuit antiquum Martyrologium Pleschionense charactere Longobardico in membranis exaratum: ex quo, pro hoc die præter varios Martyres, de quibus suprà egimus, ista descripsimus: Eodem die natalis S. Firmiani Abbatis. Eumdem, & quidem solum, S Firmianum Abbatem inscriptum reperimus antiquo Kalendario MS: quod præfixum erat operibus S. Isidori Hispalensis, adseruatis Romæ in bibliothecâ Vallicellensi Patrum Congregationis Oratorij. In Martyrologio MS. bibliothecæ Medicææ Magni Ducis Etruriæ ita legimus: Item S. Firmini Abbatis. Ex alio Martyrologio MS: Florentino Illustrissimi Caroli Strozzi, & in Martyrologio Florentiæ excuso anno MCCCCLXXXVI per Franciscum de Bonaccursijs Presbyterum, ista descripsimus: Item S. Firmini Abbatis, magnæ sanctitatis viri.

Nomen in Martyrologijs MSS.

2 En antiqua testimonia venerationis S. Firmiani siue Firmini Abbatis: sed cui is ordini aut regioni sit adscribendus, in dictis Martyrologijs non additur. Galesinius primus fuit, qui cum loco adiuncto ita illum refert: in Ambianensium finibus S. Firmini Abbatis & Confessoris. In Notis indicat Galesinius se ista habere è Calendario Ambianensi. Galesinio credidit Baronius, & eisdem verbis, omisso nomine Confessoris, inseruit Martyrologio Romano; & in Notis ista adiunxit: De eo Kalendarium Ambianensis Ecclesiæ, aliaque vetera monumenta eiusdem.

num is Ambianis vixerit,

C Habemus Breuiaria ad vsum Ecclesiæ Ambianensis excusa anno MDL & MDLIV, quorum Kalendaria ad hunc XI Martij vacant. Sed Kalendis Septembris celebratur festum S. Firmini Episcopi & Confessoris, & XXV Septembris S. Firmini Episcopi & Martyris, & Idibus Ianuarij festum Inuentionis eiusdem S. Firmini, vtrobique cum Octauâ siue vt ibi dicitur Septauâ, quòd septimo die solennitas absoluatur. Prætereà dum viros Ecclesiasticos Ambianenses consuluimus, responsum tulimus, nihil de Firmino Abbate sciri. Interim ob auctoritatem duplicis Martyrologij iam citati, idem S. Firminus Abbas inscriptus est Martyrologijs monasticis à VVione, Dorganio, Menardo, Bucelino, vii & à Saussaio Martyrologio Gallicano, cum hac amplificatione: In Ambianis S. Firmini Abbatis, qui vitam monasticam sanctissimè coluit, & postquàm multos filios Christo peperisset, sub regulari disciplinâ, pijs laboribus perfunctus, quieuit feliciter in Domino. Nos in titulo omisimus locum, veriti ne propter S. Firminum Episcopum Ambianensem in errorem lapsus sit Galesinius, quem reliqui secuti sunt.

3 Alias cogitationes, cum suprà relatis Martyrologijs in Italia scriptis conferendas, suggerit Ferrarius tam in Catalogo Sanctorum Italiæ, quàm in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt: in hoc ista pauca habet: In Piceno S. Firmani Confessoris. In priore aliquantò plura refert his verbis: Firmanus Firmi in Piceno natus, admirabili floruit sanctitate, qui inter Confessores non solenni ritu, sed solà altaris sacelliue erectione relatus est. Eius meminit S. Petrus Damianus, ante cuius tempora vixit. In Noti ad Catalogum Generalem addit eum referri ex Tabulis nonnullarum Ecclesiarum, illum patriâ Firmensem dici, licet in Tabulis Ecclesiæ Firmanæ minimè descriptus sit. Agit de eo S. Petrus Damianus opusculo 6 ad Henricum Rauennatem Episcopum; vbi cap. 29 de nonnullis viris Sanctis, qui tunc floruerunt, sic scribit: Nostrâ quippe ætate beati viri, videlicet Romualdus Camerinensis, Amicus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & quam plures alij sanctæ conuersationis: super quorum videlicet veneranda cadauera; ex Sacerdotalis concilij auctoritate, sacra sunt altaria erecta, vbi nimirùm diuina mysteria miraculis exigentibus offeruntur. Baronius, eo loco in Annalibus ad annum 993 num. 8 adducto, asserit, concedere licentiam ex Synodali decreto, vt supra corpus defuncti erigeretur altare, hoc ipsum fuisse inter Sanctos annumerare: vt anniuersaria memoria de ijs agi posset. F Ex his primus videtur esse S. Romualdus fundator Ordinis Camaldulensis, in monasterio Castri de Valle in Camerinensi ditione mortuus: in cuius Vitâ ab eodem Petro Damiano scriptâ & à nobis ad VII Februarij illustratâ, dicitur num. 105 post quinquennium à sancti viri obitu data monachis ab Apostolicâ Sede licentia, vt supra venerabile corpus eius altare construerent. Factum id anno MXXXII. At pro Romualdo in aliquibus editionibus Petri Damiani legitur Rondaldus, quasi à S. Romualdo alius. Ita qui secundo loco dicitur Amicus Ramibonensis, à Ferrario in Catalogo Sanctorum Ita-

an potiùs in Piceno

à S. Petro Damiano memoratus?

A *lia ad diem 2 Nouembris relatus, dicitur* Arabonensis *ab Araboná Abbatiâ in Piceno. At S.* Guido Pomposianus Abbas *in agro Rauennate mortuus est anno* MXLVI, *siue postridie siue pridie Kalendas Aprilis, nisi hæc dies sit Translationis, quod ibi examinabimus. Eo igitur seculo S.* Firmanus *vixit, qui nobis* Firmensis *videtur dici, quòd alicubi* in Firmensis monarchiæ partibus *(vti in Vitâ S. Romualdi num. 53 vocat Petrus Damianus) aut (vt S. Antoninus appellat)* in Firmensi Marchiâ Abbas *vixerit, suprà* Firmianus *&* Firminus *dictus, & ab omnibus ad hunc XI diem Martij relatus.* D

DE S. PETRO HISPANO EREMITA.

BABVCI IN HERNICIS.

XI MARTII

Babucum à Bouillis diuersum,

1 Abucum *Hernicorum ciuitas, Verulanæ diœceseos & Pontificij iuris est in confinijs hodiernæ Campaniæ Romanæ, non procul à Sorâ regni Neapolitani vrbe dissita, vulgò Bauco dicta.* Bouillarum nomine apud Liuium notam *esse asserit Blondus Flauius in regione 3 Latinâ Italiæ suæ illustratæ de Hernicis, quod in Descriptione Italiæ in Latio repetit Leander Albertus,* si, *inquit,* Blondo credimus. *Ferrarius etiam in Topographiâ ad Martyrologium Romanum, & ex eo Tamaius asserunt* Babucum primò Bouillas dictum. *Verùm procul à Babuco abfuisse Bouillas in antiquo prope Vrbem Latio docet Tabula itineraria, in quâ Româ Bouillas seu Bobellas iter* X *millium passuum dicitur, Bouillis Ariciam tribus, quæ loca coniungit Tacitus lib. 4 Historiarum.* Præmissi, *inquit,* Ariciam equites: agmen legionum intra Bouillas stetit. *Consule Cluuerium lib. 3 Italiæ antiquæ cap. 4. Meminit citatus Flauius lib. 4 decadis 3* Babuci castelli à Pontificijs recuperati. B

Filonardorum patria;

à quibus S. Petri notitia in Martyr. Rom. deriuata.

2 *Hunc locum suâ natiuitate nobilitarunt tres Episcopi Aquinates è familiâ Philonardorum,* Flaminius, Philippus & Alexander, *quorum duo priores in numerum Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fuerunt adsciti, & Babuci siue Bauci, apud suos Maiores elegerunt sepeliri: de quibus plura legi possunt apud Vghellum tomo 1 Italiæ sacræ. Laudatur etiam* Flaminius *vt* vir optimus & eruditus *à Baronio ad hunc diem in Notis ad Martyrologium Romanum, asseritque se res gestas S Petri ab eo accepisse, cuius memoriam ideò inscripsit Martyrologio Romano his verbis:* Babuci in Hernicis S. Petri Confessoris, miraculorum gloriâ insignis.

Vita compendium ex Ferrario.

3 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ,* ex Vitâ illius MS. à Babucensi Ecclesiâ acceptâ, *ista edidit:* Petrus natione Hispanus, & nobilis, primùm militiæ nomen dedit. Verùm ad meliorem frugem conuersus, vitam militarem & secularem deseruit, aliam militiam experturus. Susceptâ itaque peregrinatione, in quâ varia loca deuotionis inuisit, in Latium venit, & in Hernicis apud Babucum demoratus, in montem vicinum conscendit: vbi loricâ super nudam carnem indutus, & numquàm pœnitentiæ caussâ eâ exutus, asperam in specu quodam vitam duxit: donec vniuersæ carnis debitum persoluens, ibi sepultus est. Cuius reliquiæ in Ecclesiâ ibi suo nomini extructâ adseruantur & piè coluntur. *Addit in Annotatione* tempus, quo in humanis fuerit, se nondum didicisse.

C 4 *Tamaius Salazar agnoscit eum hactenus in Hispaniâ incognitum, neque ab eius scriptoribus compertum, ex Ferrario restitui ut nouum filium agnoscat, & antiquũ, licet deperditum, Protectorem veneretur: quare hoc eum elogio honorat:*

elogium ex Martyrol. Hispan.

Babuci in Italiâ Natalis S. Petri Confessoris Hispani, qui relicto militiæ stadio, ad æternæ contemplationis studium auocatus, taliter se in ipso præbuit acerrimus & strenuus pholidoticus miles, vt deuictis dæmonum infectationibus, gloriâ victoriæ in cælum coronatus, ingrediatur. *Ac deinde pluribus agit de loricis hamatis siue squameis, & ex Lipsio de militiâ Romanâ lib. 3 dial. 4 ait* Pholidotos milites, id est squamatos propter loricarum contexturam appellatos: *quæ nolumus pluribus prosequi. Brantius Episcopus Sarsinæ in Martyrologio Poëtico hoc eum disticho honorat:*

Vir clarus bello, petijt montana, retentâ
Ad carnem tunicâ, quam grauat æris onus.

Vita ex MS. Babucensi.

5 *Res eius gestas, quia in Vallicellanâ Patrum Oratorij bibliothecâ non reperiebantur, Sorâ requisiuimus per Rectorem Collegij nostri R.P. Ioannem Nicolaum de Marinis; qui eas Italicâ linguâ descriptas transmittens die* XXX *Septemb. anni* MDCLXV: Obtinui illas, *inquit,* curâ & fauore Illustrissimi Episcopi Sorani, qui eas per fidelissimos amanuenses ex probatissimis Babucensis Ecclesię memorijs transumpsit: quarum diligentissimi scriptores fuêre Præsules Filonardi, alijque ex eâdem familiâ, penès quos extant Acta; quæ hac ipsâ historiâ referuntur: nec alia prѣter hæc peruenerunt ad manus Cardinalis Baronij. *Potest hoc ex Latinâ clausulâ confirmari, quæ Vita ex Italico Latinè dandæ, subiecta legebatur hac formulâ:* Hæc accepimus ab Illustribus de Filonardis, hominibus..... & precipuè ab Illustrissimo Episcopo Flaminio Filonardo. *Quæ verba cùm videantur esse Babucensium, penès quos originale scriptum seruatur cum Corpore; meritò ambigimus, an non aliqua antiquiora monumenta apud Filonardos extent, ex quibus ea iam dictus Flaminius eleganti stylo vernaculè exceperit, & habere cupientibus Babucensibus miserit; vti & Baronio, aliquam dumtaxat notitiam huius Sancti, ad locupletandum Romanum Martyrologium requirenti.* E

miraculorum collectio adhuc speratur.

6 *Certè Romanorum amicorum aliquis spem nobis fecit prolixorum ad centum folia Actorum, quæ (nisi deceptus ipse fuit) oportet credere non tam Vitæ quàm Miraculorum esse: cùm ex infra proferendis satis patere possit, quàm pauca de S. Petro haberentur explorata; quando Illustrissimo Flaminio, tantâ verborum pompâ vtenti, quantam Latinè noluimus verbotenùs exprimere, materia defuit, quâ paucas etiam sic pagellas impleret. Interim properantes ad prælum operæ vlteriorem moram non ferunt: quare, si quid prætereà Româ accipiamus, id in huius tomi appendice Lector inueniet: necdum enim spem omnem ponimus: nam qui dandam mox Vitam ad nos transmisit, à Francisco Oliuerio Vicario foraneo Babucensi ex autographo transumptam & Episcopo Sorano missam, sic prosequitur epistolam suam.* De miraculis, de quibus in Vitâ fit mentio, non extant authentica in formâ Iuris: neque aliæ Lectiones præter ipsam Vitam Latinitate donatam, quæ asseruatur in archiuio D. Marij Filonardi, qui præest cuidam oppido Pophi dicto, & eadem omnino est de verbo ad verbum cum hac ipsâ Italica. Absentia illius Domini non permisit eam habere: sed nihil obstat veritati historiæ & fidelitati. Quamobrem, testimonijs iam missis nixi, poteritis absque scrupulo texere Sancti huius viri historiam ad gloriam Dei. *Hæc ille, quibus quod modò possimus addere non occurrit: tantùm indicamus, quod hæc Vita in genere dumtaxat meminerit innumerabilium ferè miraculorum,* quorum fides authenticis probata testimonijs apud varios, sed in primis apud Filonardum seruetur: *quæ authentica sane optamus nancisci, etsi non sint in formâ Iuris concepta.* F

VITA

VITA

Humana salutis amator Deus

Æternum Dei Verbum, quod pro ingenti suo erga humanum genus amore nostrâ se mortalitate vestiuit, iam inde quidem à principio creatum à se hominem singularibus extulit prærogatiuis, imaginem ei suam & similitudinem imprimens, & participem faciens sui in res omnes creatas dominij; cùm scilicet eum dotauit scientiâ, iustitiâ ornauit originali, ac paradisi terrestris constituit incolam, citra moriendi necessitatem pollicens eidem vitam æternam; eâ dumtaxat lege vt creatorem suum revereretur & coleret. Post præuaricationem tamen protoplastorum parentum, dilectionem suam erga nos multò exhibuit euidentiùs, hominum, quantumuis exaggerarentur peccata, haud vnquam obliuiscens; sed identidem diuinis suis præceptis communiens, atque ad sempiternam in cælesti patriâ gloriam consectandam inuitans & exhortans; vsque eo, vt se ipsum quoque euangelizandæ salutis nuntium indulserit mundo, in similitudinem hominum factus, verus homo æquè ac Deus. B

magnum hunc Sanctum Babuco dedit,

2 Eadem diuinæ bonitatis infinitudo Angelicum virum S. Petrum Hispanum misit Babucum, vt in ipso, tamquam in imagine & puro sine maculâ speculo, intueri possemus ineffabilem Diuinitatis suæ pulchritudinem. Hic est ille Sanctus, in quo expressum relucet exemplar veritatis, sapientiæ & clementiæ Diuinæ. Quis autem inter fideles Christianos enumerare sufficiet heroicas S. Petri virtutes, puritatem animæ, compositionem ordinatissimam sensuum, corporis virginei custodiam atque decorem? Quis poterit explicare quantæ erga Deum pietatis, reuerentiæ erga Sanctos, seueritatis erga seipsum, humanitatis, beneuolentiæ erga omnes fuerit? Quis deinde exponere quantâ vicissim gratiâ & benedictione eum in hac vitâ repleuerit Deus, quantis quamque admirandis eum prodigijs glorificauerit, infirmis atque languentibus restituendo sanitatem, mortuosque resuscitando per illius merita, totis Hernicis Campaniæque & maritimæ oræ Prouincijs notissima?

in Hispaniâ nobili genere natum,

3 Natus porrò huic mundo est Petrus in eâ Hispaniæ parte, quam fluuius Bœtis irrigat, ex parentibus Catholicis, & antiquâ nobilissimorum maiorum prosapiâ illustribus: mox autem vt disciplinarum percipiendarum capax ætas affuit, insignibus commendatus magistris, statim præbere indicia cœpit magnæ indolis, & Deo potiùs quàm seculo natæ. Etenim, quamuis inter paternæ domus diuitias delitiasque nutritus puer, maturæ tamen ætatis præseferebat grauitatem: vnde citò promeruit inter Hispanicæ militiæ Tribunos adscribi, iuuenis aspectu gratiosus & sapientiâ plenus, affabilis & benignus cunctis, pauperibus clemens atque misericors. Induebatur ille quidem vestibus, secundùm natalium & ordinis sui gradum, splendidis, intexto auro alijsque ornamentis spectabilis: sed despiciebat ipse interiùs sese, & omnium vilissimus sibi abiectissimusque videbatur Christi verus miles: cuius exemplo cum humilibus atque pauperioribus conuersabatur libentiùs. C

militiâ & opibus clarum,

alienæ salutis zelatorem:

4 Erat ex ijs, quæ sibi à fortunâ obtigerant, bonis largus atque munificus: seque non sibi vni, sed toti Christianæ plebi viuere debere existimans, nihili faciebat quantumcumque pecuniarum & terrenarum facultatum dispendium, ac ne ipsius quidem corporis, modò dilecto suo Iesu quamplurimos lucraretur: nihil artis, studij, diligentiæ prætermittens, vt indigenas ab inolitis auerteret vitijs, in ijsque reaccenderet extinctam propemodùm Catholicæ fidei sanctitatem. In contemplandis Christi patientis cruciatibus assiduus, sumebat ab eo regulam vitæ, Angelico potiùs quàm humano modo instituendæ. Virginitatis seruandæ cupidissimus cùm esset, planè contra mentis suæ propositum accidit, quòd ei parentes sui paris opulentiæ & nobilitatis coniugem desponsarint. Itaque inter nuptialis festiuitatis gaudia; dum tota familia lætitiæ indulget, ipse inductus in thalamum, facilè modum reperit ab sopitâ sponsâ domoque paternâ subducendi se; postquàm ad pedes virginis dormientis prostratus in genua, ipsam ardenti oratione commendasset Deo; instanter supplicans, vt, quam intactam pro eius amore dimittebat, seruare virginem perpetuò vellet, in cælesti deinde regno sibi feliciùs restituendam. D

EX MS. ITALICO,

qui, ipsâ nuptiali nocte dimissâ sponsâ,

profugit in Italiam:

5 Ibat profusis vbertim lacrymis & diuinâ consolatione plenus Petrus, velut nouus Alexius, per ignota viarum, vni fretus Deo; & Christum quærebat, vt thesaurum absconditum, pro cuius desiderio dimiserat omnia: vsque dum multis terrarum peragratis spatijs, sedem sibi mansionemque Babuci elegit infrà humilem, obscuram profundamque specum, in quam per foramen exiguum vix vnâ per diem horâ solares se radij inferebant. Hic nuda tellus corpori lectum, saxi durities ceruical capiti, non tam reclinando quàm cruciando præbebant: quin etiam sæpè quietem sumebat sub dio, nocturno frigori & aërijs intemperijs expositus, cilicio indutus ac ferro cinctus. Adhæc sæuiebat in seipsum flagellis, & totas sæpè noctes traducebat orando, vt contra dæmonum insultus insidiasque varias victoriam obtineret. E

& Babuci in speluncam ingressus,

vitam asperrimam pœnitentijs duxit:

6 Quamdiu ibi vixit, numquàm membra frigida ad focum calefecit: nec nisi nocte egrediebatur ad sitim raro Masenæ fluminis, infrà Babucum labentis, haustu sedandam: quo eodem tempore sustinebat vtcumque famem suam quernis glandibus herbarumque radicibus, non alio cibo multos per annos vsus. Inde in suam redibat fossam, exquisitis cruciatuum generibus corpus macerans, & totum Deo in sacrificium offerens. Neruis enim vinculisque ferreis ita constringebat brachia & suras, vt discissâ cute, ipsam penetrarent in carnem. Reliquo corpore obtectus erat militari sago, ex ferreis annulis contexto, quibus attriti humeri ac cetera membra, vndique lacera ac ferè continuo vno vulnere saucia apparuere post mortem, cum horrore & admiratione intuentium omnium. Quo in martyrio spontaneo perseuerans, Campaniam vniuersam inprimisque Babucensis oppidi indigenas replebat famâ sanctitatis suæ, quamuis humanos oculos laudesque studiosissimè fugeret: quia quò magis ipse abdebat se, eò requirebatur ardentiùs ab ijs, qui virtutem eius semel cognouerant.

prouincia fame afflicta

7 Accidit vt Prouincia omnis & circumiectum Babuco territorium ingenti fame premeretur: quâ occasione ad placandum lacrymis ac precibus Deum conuersus Petrus, multis miraculis claruit: inter quæ haud reticendum illud, quòd à muliere eleemosynæ nomine frustum panis aliquando petierit: quâ excusante, indigentiam suam & proximum à fame periculum mortis, cùm ille vrgeret instaretque vt saltem aperiret arcam: ipsa plenam eam recentissimo & candidissimo pane reperit. Diuinam ergo misericordiam & miraculum magnis cœpit vociferationibus propalare, ipsos manibus panes præferens, meritis viri sancti in arcâ, ante id vacuâ, repertos. sed subduxit se Petrus à concurrentis multitudinis præsentiâ, secretusque Deo gratias curauit reddere, pro impetrato mulieri egenti subsidio. F

arcam plenam pane inueniri fecit:

magna, in sanctitate

8 Suam verò in cauernam receptus, intendit prioris vitæ rigorem, & diuinis contemplationibus totus intentus, non cessabat pugnis pectus percutere; donec à Deo impetrasset plenam conscientiæ pacem, atque animi serenitatem; oculos identidem attollens in cælum, vnde malis præsentibus postulabat remedium. Fuerunt qui ex ore cauernæ ascendentes eodemque descendentes Angelos vidisse se testarentur; nec

A nec vnquam inde egrediebatur, quin esset admirationi spectantibus hilaris semper vultus tranquillitas, maximè cùm ægris infirmisque obsequium suum, vt perlibenter solebat, impenderet ex caritate. Denique cùm eum Deus cælestium choris iungere decreuisset, & in vitâ æternâ, fidelibus promissâ famulis, requiem ei à laboribus præteritis indulgere; prostratus in terram gratias Domino reddidit, & eleuatis in cælum manibus, animam reddidit creatori; in comitatu Martyrum, Confessorum, Angelorumque ad cælestes mansiones deducendam.

EX MS. ITALICO. mortuus

9 Tanta & tam multa mortem eius secuta prodigia sunt, vt æquè ac ea, quæ viuus patrauit, silentio preteriri pleraque debeant: fides tamen eorum, authenticis probata testimonijs, conseruatur apud scriptores varios, & inprimis apud Illustres Filonardos, iam inde ab antiquo Babucensis oppidi primarios ciues, aliosque per Campaniæ oppida, villas & castella ætate ac religione præcipuos. Cùmque populari famâ sparsum esset per vicinas regiones quòd mirabilium signorum indicio repertum esset S. Petri corpus, & facies non vt hominis mortui, sed vt gloriosi Sancti mirabiliter refulgeret; accurrit hominum multitudo infinita, & solo corporis sacri aspectu mouebantur ad pœnitentiam multi. Fuit tamen in his vnus, qui

miraculis clarnit:

manum ab osculô facinorosi retraxit,

B facinoribus enormibus inquinatus, ex vicinâ Babuco villâ, Strangolagallâ dictâ, ad figendum sacræ illius D manui osculum se impœnitens inclinauit: sed retraxit manum Sanctus, eoque prodigio admonuit sceleratum, vt per veram de peccatis suis contritionem placato Deo, dignum se redderet contactui sacro.

10 Quid plura? dum corpus eius sacrum solenni pompâ circumducitur per oppidum, mulier quædam infantem filium in balneo abluens, relicto in aquâ paruulo, accurrit ad fenestram: sed inde reuertens reperit suffocatum. Ergo magnâ fide & recuperandæ filio vitæ spe plenâ, in vlnas sustulit extincti cadauer, atque ad ecclesiam cucurrit, Sancto supplicans, vt viuum restitueret sibi, quem illius honorandi studiosior amiserat. Non fuerunt irritæ mulieris preces: resuscitatus enim extemplò est puer, & multa alia sunt consecuta miracula, quæ & ipsius Sancti grandia apud Deum merita testabantur præsentibus, & certam obtinendæ gratiæ fiduciam ingenerant vniuersis, ad ipsius reliquias piè venerandas cum fide accurrentibus. Conseruantur eæ in ecclesiâ S. Petri Illustrium Dominorum Filonardorum: in quâ transitus eius recolitur die vndecimâ Martij; & memoria translatorum solenniter sacrorum ossium secundo die Pentecostes, ad laudem & gloriam Dei, ac gloriosissimæ Matris eius E nec non S. Petri Hispani, Protectoris almi oppidi Babucensis. Amen.

mortuum puerum suscitauit:

& Babuci patronus colitur. 11 Martij.

Translatio 2 die Pentecostes.

DE B. AVRIA VIRGINE
IN HISPANIA

CIRCA AN. MC. XI MARTII Monasterium S. Æmiliani

1 *Ancti Æmiliani celebre est totâ Hispaniâ monasterium, inter asperrimos montes, qui Ibero fluuio latus septentrionale obuertentes Castellam reliquam ad meridiem habent; eâ in parte, quæ Calagurritano subiecta Episcopatui, Montes* Cogollæ *siue* Cucullæ *dicuntur: quod nomen traxisse ab eo Æmiliano, cuius Vitam scripsit Episcopus Braulio, XII Nouembris dandam, multis ostendere conatur Prudentius Sandouallius parte I de Monasterijs Ordinis S. Benedicti in Hispaniâ. Nolim hic cum ipso sustinere, quod iam inde ab anno* DLXX *vel* LXXX, *Benedictini instituti monachos habuerit Hispania: certum enim videtur, & nobis in presentiarum satis est, saltem XI seculo Benedictinæ regulæ obseruantiam inductam fuisse à Rege Sancio: qui (vt est in quâdam donatione ab eo factâ Ærâ* MLX, *id est Christi* MXXII, *quam ipse Sandouallius § 42 allegat)* Audiens B. Benedicti doctrinam vbique rutilare, cogitauit qualiter in regionibus suis eam posset transplantare, & mittens ad Cluniacense cœnobium, euocauit inde Abbatem Paternum, & cum illo gregem monachorum, quos in Ascysterio S. Ioannis Baptistæ constituit.

Benedictinis subiectum circa 1060,

2 *Circa hæc igitur tempora indubitatò credi potest etiam* C *S. Æmiliani monasterium Ordini huic fuisse adiunctum; proindeque B. Auriam, quæ in vicino virginum Asceterio, huius monasterij Abbatibus subiecto, vitam duxit, Benedictinis Sanctis audebimus annumerare: etsi à Bucelino alijsque præteritam, qui tamen non dubitant S. Æmilianum ijsdem accensere. Et quidem à primo monasterij fundatore sacrarum quoque virginum curam fuisse susceptam, in eius habemus Vitâ, cap. 23, cui titulus* de exprobatione dæmonum cur cum fœminis habitaret: *vbi hæc leguntur:* Vtique habitabat cum sacris Virginibus, & cùm esset ab octogesimo vitæ suæ & deinceps anno labore sancto doloreque constrictus, omnia officia, vt pater poterat, Ancillarum Dei ministerio suscipiebat blandus.

etiam sacras Virgines aluit, & ante,

3 *Vtrumque tam monachorum quam virginum cœtum, ceteris per Hispaniam vastatis euersisque monasterijs, non fuisse à Mauris dissipatum, eodem ob locorum asperitatem vel non audentibus vel contemnentibus accedere, existimat Sandouallius: à primis Hispanicæ libertatis restauratoribus, si non restitutum, cultum certè monasterium hoc constat; quod seruitutis tempore, si steterit incolume, refugium fuisse crediderim monachis Virginibusque sacris; qui, vt primùm cœpit religio respirare, in frequentes se mox dimisêre colonias, quas prædictus auctor curiosè enumerat: quarum antiquissima est monasterium* S. Michaëlis Petrosi, *ad Tironij riuulum prope Veleradum, septem à S. Æmiliano leucis; quod Domna Nunnia Bella fundauit anno Christi* DCCLIX, *prima illius Abbatissa, huic loco se suaque tradens cum sororibus suis, quas nominatim recenset viginti septem, & à S. Æmiliani Parthenone traductas par est credere quarto Froylæ Regis anno.*

4 *Quo tempore in illo Parthenone B. Auria vixerit non est ex Sandouallio facile definire: quamuis enim Petrum Abbatem nominet inter eos, qui adstitêre morienti; ambiguos tamen nos reliquit, vtrum è duobus intelligi velit: Primumne, qui anno* MLXII *Gometio Abbati mortuo successit, & ad annum* MLXX *tenuit Cœnobij regimen: an secundum, qui Æra Christianæ anno* MCXVIII *in locum demortui Ioannis suffectus est, cuius Prælaturam Sandouallius vltra annum* MCXLII *prorogat ex publicis documentis. Atque vtinam vel vetusta Latina Acta protulisset, qualia in vetustissimo Codice reperiri præfatur, vel Hispanicè saltem integra reddidisset; nec ita horruisset styli barbari frequentes solœcismos; sed, vt* F *aliàs sæpè, hic quoque ignouisset seculi potiùs quàm auctoris vitio! quem Monachum huius cœnobij fuisse ait, dictumque Amunium: in margine autem annotauit hanc historiam à Gonsaluo itidem monacho versibus illigatam fuisse, quos ipsos nollemus desiderari, pro eo quo similia vetustatis monumenta complectimur studio. Interim quod suppetit hoc damus, & Sandouallij Hispanicum textum Latinè reddimus, ea pro conclusione adiungentes ex quibus huius Beatæ Virginis Ecclesiasticus cultus, & antiqua Beatæ appellatio satis probatur, vt potuerit Franciscus Lahier nomen illius Gallico suo Virginum Menologio intexere.*

& post Maurorum incursionem.

ex his B. Auria sub Abbate Petro.

Acta à Sandouallio edita.

5 Fuit S. Auria ex Villa-velayo oriunda, prope Mansillam, sex leucis à S. Æmiliano procul, parentibus probis atque nobilibus, Garciâ Nunnio & Amuniâ, orationum feruentium merito impetrata: quæ iam inde à primâ adolescentiâ virtutis amantior, & paternæ domus contemnens delicias, vili asperoque pan-

A panno gaudebat vestiri, in lectione & oratione continua, in ieiunijs frequens, pietatis affectu tam tenero inflammata, vt duobus fontibus similes oculi viderentur. Eleemosynas quantas poterat largiebatur, non inuitis parentibus, qui haud absque cælesti præsagio Auriæ nomen imposuerant virgini, hausto ex solo iustitiæ caritatis ardore in aurum septies purgatum conuertendæ. Etenim non contenta eâ macerandi affligendique corporis austeritate, cuius paternis in ædibus facultas non maxima aderat, habitum induit monachalem, vitam actura perpetuâ sub clausurâ in monasterio S. Æmiliani de Suso, iuxta temporum consuetudinem; quæ à monachorum habitatione propiùs abesse permittebat Virginum sacrarum contubernia.

monachatus,

6 Hinc virtutis illius atque miraculorum fama, quę orationum illius operabatur efficacia, longè latéque diffudit sese per vniuersam regionem: quantóque ipsa arctiùs incluserat sese, tātò minùs latere potuit ciuitas supra montem, lucerna super candelabrum posita. His nihilo minores erant fauores, quibus sponsam suam cælestis sponsus recreabat. Fuit cum tertio Natalitiorum die, quo S. Eugeniæ festum recolitur, post Matutini Officij preces decantatas orationi insistens Auria, in somnum profundum rapta est (extasim veriùs dixeris) & conspicuas habuit tres formosas virgines, quę se profitebantur nominibus proprijs, Agatham, Eulaliam, Cęciliam dici, & B pretioso indutæ cultu stellisque splendidiores, albam singulæ columbam manu sustinebant. Obstupuit ad visionis insuetæ nouitatem Auria; vt autem ipsa collegit sese, & quęnam essent ausa est percunctari, earum intellexit nomina; quódque pro eo, quo ergo ipsam ferebantur, amore, de cęlo descendissent in terras, suam ipsi societatem oblaturæ; cui iam esset destinata à Deo: ostensurǽque quantùm in diuinâ ęstimatione sit pretium ciliciorum, ieiuniorum, solitudinis atq; lacrymarum. Gratias etiam eidem agebant pro eo affectu, quo Vitas ac Passiones suas solita erat legere, quarum quæ premia possiderent in cælis, ipsi se monstraturas pollicebantur.

miracula,

visiones,

7 Tanto se fauore indignam cùm respondisset Auria: Ne dixeris, inquit S. Eulalia: quia multos in cælis amicos atque amicas habes: & vitæ tuæ insignis rigor, iustâ Dei æstimatione appensus, æterni inter superos præmij coronam tibi promeruit. Itaque istud à me velut amicâ, consilium accipe: hanc, quam porrigo, columbam ducem sequere omnibus diebus vitæ tuæ: quia te suam esse voluit Iesus Christus. Mox autem attollens oculos admirabunda Auria, formosam non procul inde columnam conspexit, altitudinis tantę, vt terræ cęlum iungeret: cui circumducebantur scalæ quædam, quales in vetustis turribus quandoque conspiciuntur, audiuitque dicentes: Iste sunt scalæ per quas Beatorum animæ conscendunt cęlos; & continuò columba, quam B. Aurię Eulalia Sancta obtulerat, per eam sursùm volare cœpit, oculis eam suis prosequente Auriâ, vt quò tenderet, intueretur, donec subuecta altiùs è conspectu euanuit. Tum verò per easdem scalas subeuntes Sanctæ, & sociam secum Auriam deducētes prǽiuerunt per loca amœna, iucundéque virentia & admirabili pulcherrimorum florum C varietate visenda, in quibus cœlitum multitudinem maximam gloriosa virgo conspexit.

austeritatis egregia meritum,

8 Hoc à Virginum sponso Christo beneficio prouocata Beata, magis etiam intendere cœpit rigorem pœnitentiæ sponte susceptæ, & asperiorem, quàm anteà, vitam ducere; rerum omnium terrenarum vanitatem fastidiens, & corporis huius sarcinâ desiderans exonerari quam primùm, quò posset ijs perfrui bonis, quorum specimen aliquod illâ in visione, somno, vel raptu conspexerat: intra vndecim verò à prǽnarratâ visione menses, ipsâ nocte primam Decembris diem S. Saturnino sacram præcedente, Aurię in oratione constitutæ cælorum Regina apparuit, eâ in gloriâ, D quam mortali in hâc vitâ capere nemo possit, speciosissimis comitata virginibus, eique dixit: Par est, filia, vt vitæ tuæ asperitas aliquo mitigetur ac temperetur solatio: atque vt è duro illo, in quo dormis, strato consurgens, fatigato corpusculo requiem indulgeas aliquam. Quibus dictis, accessêre ad Auriam, quæ Dei matrem comitabantur Virgines, ipsamque (renitentem licet, & humiliter excusantem quòd hic, cui incubabat, lectulus sibi, maiores nequaquam merenti delicias, abundè sufficeret) in aliud cubile superbissimè instratum transtulêre: addiditque Deipara, vitæ terminum propè adesse, breui autem futurum vt infirmitate corriperetur extremâ, per quem esset in æternam requiem transitura.

vitæ futuræ desiderium,

ex Sandoval.

ad æternam requiem euocatio,

9 Non caruit euentu cælestis prędictio: successit enim molesta atque diuturna ægritudo, quam diuinarum consolationum copiosa dulcedo leuem videri faciebat; donec spiritum suum sponso suo reddidit coram Amuniâ matre suâ, Domno Petro S. Æmiliani Abbate, Amunio monacho huius historiæ scriptore & Gometio Oeconomo, atque vniuerso Monachorum & Eremitarum S. Æmiliani conuentu non sine signis atque ostentis illius gloriæ, ad quam euehabatur expirans. Sacrū autem illius corpus sepultum fuit, E prout hodie cernitur, in monumento in ipsâ rupe viuâ exciso, & propter loci humidi naturam non parùm deformato: in quo intra non multos dies mater Amunia, filiam suam moriendo secuta, etiam ipsa est condita, cùm priùs eamdem à morte conspicuam seq; solantem habuisset. Quæ aliæque reuelationes tam viuenti Auriæ, quàm ab ipsâ iam mortuâ alijs factę, in historiâ Vitę ipsius narrantur: quas propter styli scabritiem, quo vsus Poeta est, describere supersedi. Petrę autem sepulcrali insculpti sunt versus sequentes.

mors beata,

communis cùm matre sepultura,

epitaphium,

Hunc quem cernis lapidem sculptum, sacra tegit membra,
Beata simul Auria Virgo cum matre Amunnâ quiescunt
In vrnâ, & quia pro Christo arctam duxerunt vitam,
Simul cum eo cum Beatis lætantur in cælestia regna.

10 Similiter in magnæ vetustatis scripto hæc verba leguntur: B. Auria quæ fuit reclusa in cœnobio S. Æmiliani Superioris, requiescit ibi in quadam specu post basilicam eiusdem loci; quæ multa vidit mirabilia & secreta ante corporis sui finem, quæ habentur scripta in transitu vitæ suæ. *Hactenùs ex antiquis monumentis Sandouallius: deinde autem ex suorum vel alienorum oculorum testimonio subiungit:* Locus, in quo sepultura S. Auriæ eiusque matris Amuniæ visitur, est ad ingressum ecclesiæ de Suso (*id est superioris*) in eumque descenditur per arctas triginta quinque graduum scalas: sub quibus excauata petra quatuor antiqua sepulcra continet: minora quidem tria; quartum autem maius, quod est S. Auriæ: qualia autem ossa in tribus illis prioribus contineantur, an Sanctorum Sanctarumúe huius loci, F an Regum Principumúe aliquorum (cuiusmodi plures, sanctam hanc terram existimantes, in eâ condi voluerunt) hactenùs incertum latet. Quoniam verò idem est nomen Auria & Oria, vetustiori æuo vsitatissimum inter primæ nobilitatis homines; quodam in loco, in quo erat huic Sanctæ dicatum templum, Soria pro Sant-oria dictum est oppidum.

Vita conscripta,

locus sepulturæ.

11 *Est illud haud longè à veteris Numantiæ ruinis, ad duorum riuulorum coniunctim Durium fluuium constituentium confluxum, quatuordecim fortè à S. Æmiliani monasterio leucis: antiquius tamen esse existimo, quàm vt à templo huic Sanctæ dicato nomen traxerit, potiùs quàm ab* Aureâ *siue* Aureliâ *aliquâ vetustiori: quarum vna* XIV *Iulij sub Nerone, alia* XIV *Octobris sub Saracenis occurrit, vtraque Cordubæ passa.*

An ab ea nomen habeat Soria oppidum?

XII MARTII.

SANCTI QVI IV IDVS MARTII COLVNTVR.



Anctus Mamilianus, siue Maximilianus, Martyr Romæ.

S.Egdonus, siue Egdunius, Presbyter, & VII socij, } Martyres Nicomediæ in Bithyniâ.

S.Zonus Episcopus,
S.Alexander Diaconus,
S.Dunus,
S.Neon Diaconus,
S.Iulius,
S.Orion Diaconus,
S.Caius, } Martyres Alexandriæ.

S.Ioannes, & XLIV socij, } in Africâ,
S.Saluianus, siue Siluanus,
S.Andus, siue Andinus,
S.Minandus, } Martyres.

S.Innocentius,
S.Rasus,
S.Iulianus, } Episcopi, } Romæ.

S.Petrus Cubicularius Diocletiani,
S.Migdonius Presbyter,
S.Migdonius alius,
S. Euticius, siue Eunenus,
S.Maxima, siue Maximus,
S.Domna, siue Donata, Virgo,
S.Ruginus,
S.Marius,
S.Smaragdus,
S.Hilarius,
S.Euengolus, siue Vingelosinus,
S.Quirinus,
S.Mareasus,
S.Nestorius,
S.Eugenius, } Martyres Nicomediæ

S.Dorotheus,
S.Gorgonius,
S.Matulus, } in Bithyniâ.

S.Petronius Episcopus,
S.Modestus,
S.Domitianus,
S.Eustasius Presbyter,
S.Carpus.
S.Firmus, siue Confirmus,
S.Paulus,
S.Macedonius,
S.Patricius,
S.Felicion,
S.Iouinianus,
S.Hilarius,
S.Concessus,
S.Basilissa, } Martyres in Asiâ.

S. Paulus Episcopus Leonensis apud Armoricos.

S.GREGORIVS MAGNVS, Pontifex Romanus, & Ecclesiæ Doctor.

S.Petrus, Diaconus S.Gregorij Magni, Romæ.

S.Murus, siue Muranus, Abbas Fathenensis in Hiberniâ.

S.Theophanes, Presbyter Magniagri in Sigrianâ prope Cyzicum Hegumenus & Confessor.

S.Elphegus, cognomento Caluus, Episcopus Wintoniensis in Angliâ.

S.Bernardus, Episcopus Calinensis in Campaniâ Felice.

S.Fina, Virgo in Hetruriâ.

B. Iustina Reclusa Aretij in Hetruriâ.

Venerabilis Dionysius Carthusianus, Ruremundæ in Belgio.

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Ancti Marcelli Papæ & Mart. *memoria inscripta Calendario MS. Breuiarij Montensis S.VValdetrudis in Hannoniâ, in cuius prouinciæ monasterio Altimontensi adseruari eius Reliquias diximus ad Vitam eius* XVI Ianuarij.

S.Pionius Presbyter ac Martyr Smyrnæ *refertur in antiquo MS. Martyrologio S.Hieronymi, & MSS. Tornacensi, Lætiensi, Aquisgranensi, Parisiensi Sabbæi nostri, Tamlachtensi, & excuso Auctario Greueni ad Vsuardum. Dedimus Vitam* 1 Februarij.

S.Fau-

S. Faustinus Confessor Brixiensis, qui corpora SS. Faustini & Iouitæ collegit. *De eâ collectione egimus* xv *Februarij ad Acta horum Martyrum* § 1 *num.* 5. *At respectu S. Faustini Martyris dicitur S. Faustinus Episcopus, Confessor, vti ad eius Acta diximus die, quo colitur* xvi Februarij.

S. Lucij Papæ & Martyris Translatio *memoratur in MS. Florario Sanctorum. De eo & varijs Translationibus egimus* iv Martij.

Philippus Martyr *inscriptus Fastis Tamlactensibus. De eo egimus inter Martyres Afros* ix Martij.

Kessogus Episcopus in Scotiâ, *inscriptus Auctario Vsuardi per Hermannum Greuen: eius Acta dedimus* x Martij.

Heraclij *nomen inscriptum Martyrol. MS. Tamlactensi qui forsan ille est, qui colitur* x Martij.

Festum Sanguinis Domini nostri Iesu Christi Mantuæ & Venetijs. *Ferrarius. De eo agit Baronius ad an.* 804.

Trophimus } Martyres Romæ. *Ferrarius in Catalogo*
Calocerus } *generali*, ex libro Stationum Romæ, *at cuius ecclesiæ, non addit. Varij horum nominum Martyres sunt, quorum forsan aliquæ reliquiæ ad aliquam Ecclesiam translatæ.*

Diocles è philosopho monachus *in Thebaide in speluncâ vixit. Palladius in Historiâ Lausiacâ cap.* 98 *ait se cum illo collocutum, Petrus de Natalibus in Catalogo cum titulo* Sancti *refert lib.* 11 *cap.* 53, *& ad hunc diem VVitfordus in Martyrologio Anglicè scripto. Nos certiora venerationis monumenta desideramus.*

Sisinnius Cappadox Elpidij discipulus monumento se inclusit, dein Sacerdos ab hospitalite laudatus *à Palladio in Historiâ Lausiacâ cap.* 109, *& à Petro de Natalibus in Catalogo lib.* 11 *cap.* 51 *cum titulo* Sancti, *qui ad hunc diem refertur à VVitfordo in Martyrologio Anglicè edito. Si certiora venerationis signa accedant, poterit* v *Septembris de eo agi cum Elpidio Magistro.*

Bossula Socrus S. Sulpitij Seueri Archiepiscopi Bituricensis, *laudata, dum viueret, ab ipso Sulpitio & S. Paulino Episcopo Nolano, & ideò nuper cum titulo* Sanctæ *inscripta sacro Gynæceo Arturi du Monstier; & quidem primo loco, non minùs atque templa & altaria sibi dicata haberet: quod non probamus.*

Killenus de Lilcaich, *Colgano ad* xiv *Febr.* Killianus *hîc prætermittitur; vti & memorati* Mochua *à Tamlactensi martyrologo,*

Dochualenus *à Mariano Gormano,*

Moelcorgusius *ab vtroque nominatus.*

Fethni *S. Columbæ socius ad conuersionem Pictorum cum alijs vndecim nominatur in Vitâ S. Columbæ per Adamnanum absque titulo Sancti; quem ei hodie tribuunt, Camerarius, VVilsonus, VVithfordus, Ferrarius, Colganus, qui corruptum à librarijs nomen existimat pro eo, qui in Hibernicis Fastis* xxx *Martij legitur* Fiechna *seu* Fiechno apud Pictos: *quod uti certum non est, ita nec de speciali illius cultu satis ex prædictis auctoribus constat.*

Brianus Rex & Martyr in Hiberniâ *hodie nominatur in Martyrologio Anglicano, solum nomen in catalogo Henrici Fitz-simon exprimitur ad diem* xxii. *Colganus aut Hibernici fasti nusquàm eius meminerunt vt Sancti. Videtur tamen is esse, de quo in Notis ad Colmanum Lismorensem* xxii *Ianuarij hæc Colganus:* Hic inclytus Rex Brianus anno 10 à Danis in famoso prælio de Cluaintarb interfectus occubuit: victor tamen gloriosus existens liberauit Hibernos à Danorum oppressione.

Elias Martyr cum Enosbo *inscriptus* 2 *Calendario Coptico, cum Synedrijs veterum Hebræorum à Seldeno excuso. reliqua latent.*

Eradus, } *inscripti antiquo MS. Tamlactensi, quos,*
Zesanus, } *quia non occurrit apud alios mentio, aliunde*
Antonius } *huc translatos arbitramur.*

Metrodorus cum S. Pionio Smyrnæ hoc die igni traditus, *cum eodem inscriptus Martyrologijs MSS. Toruatensi & Laetiensi, imò sub nomine* Metrodi *aut* Petrodi *Martyrologijs S. Hieronymi, sed non in MS. Lucensi. Omittitur ab alijs, quia Marcionis hæresi infectus traditur ab Eusebio & Metaphraste in Actis S. Pionij ad Kalendas Februarij editis.*

Muridanus, Murianus, *aut* Mirdanius Presbyter *dicto* Metrodoro *seu* Metrodo *aut* Petrodo *iunctus est* cum lx socijs *in Martyrologio vno S. Hieronymi, sed abest ab alijs sub nomine S. Hieronymi. Est etiam in Tamlactensi MS. & sine socijs in Richenouiensi. Sunt cum S. Pionio, cui cum Metrodoro iungitur, relati Kalendis Februarij* socij xv, *sed num inde error hos* xl *numerandi exortus, nescimus resoluere. Maiorem certitudinem desideramus, ne ob hæresin Metrodori forsan* Muridanus *posset suspectus videri.*

Theophanus Episcopus Sanctonensis *cum titulo* Sancti *honoratur à Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonicorum, & ante* Godranum *sedisse traditur. Verùm in Galliâ Christianâ Arnulphus est, & ob simoniam depositus: neque vllus Theophanus Sanctonensis Episcopus fuisse notatur.*

Beatrix sanctimonialis Ordinis Præmonstratensis cœnobij dicti Portæ-Angelicæ in tractu Mosellano, *refertur inter Pios ab Saussaio in Martyrologio Gallicano, vti sequenti die à Gelenio in Fastis Agrippinensibus.*

Gregorius Prior Villariensis *cum titulo* Beati *inscriptus est Menologijs Chrysostomi Henriques & Bucelini. Memoratur, sed absque titulo* Beati, *in Auctario Raisij ad Natales Sanctorum Belgij. A Saussaio in Martyroll. Gall. inter* Pios.

Edmundus monachus Pontiniaci Ordinis Cisterciensis *cum titulo* Sancti *refertur à Montalbo, apud Chrysostomum Henriques, qui vti & Bucelinus* Beatum *compellant, meliùs è iudicio, quod Pontiniaci hausimus, solùm inter* Pios *recenset Saussaius.*

Bernardus monachus in Cistercio. *Kalendarium Cisterciense Diuione excusum. Omissus est à Chrysostomo Henriques, licet id Kalendarium adhuc die præcedenti allegarit.*

Iordanus Bettonij in Vmbriâ,
Benedictus Bulcanij in Aprutio,
Ægidius Strigonij in Hungariâ,
Seruus-Dei Anconæ in Piceno,
Ioannes de Martello Camerini,
Bernardus Scarlatensis Florentiæ,
Matthæus Sanctor cazius in Castellâ,
Ioannes Smolha in Poloniâ,
Antonius Ortizius Toleti,
Claudius in Galliâ,
Appollonia tertiaria Bononiæ.
} Ordinis Minorum *cum titulo* Beati *celebrantur in Martyrologio Franciscano Arturi du Monstier. An nomen vllius sit in Curiam Romanã pro Beatificatione delatum, non scribit.* Ioanni *aliqua veneratio tributa dicitur in Camerinensi Concilio, decreto Rectorum:* Apollonia *iterùm ab eodem Arturo in Gynæceo sacro memoratur.*

Raphaëla de Sassoli Ordinis Dominicani Florentiæ, humilitate & desiderio cælestis patriæ conspicua, *inscripta est Sacro Gynæceo Arturi cum titulo* Beatæ, *citato Seraphino Razzio, qui nec diem obitus indicat, neque titulo* Beatæ *seorsim honorat.*

B. Gregorij Spoletani sub hoc altari sunt ossa, qui cùm in eremo Montis-Luci ad extremam vsque senectutem sanctissimè vixisset, Angelorum colloquijs & miraculis clarus obijt anno mccccLxxiii. *Hæc verba imagini eius in Cathedrali Spoletanâ atque sacello Conceptionis legi testis est Ludouicus Iacobillus in libro de Sanctis Vmbriæ: cetera nobis ignota: nec scimus quo fundamento vel ad hunc diem referatur, vel ei tribuatur inuentio sacri claui Christi, quem sumus anno* mdclxi *in Conuentu FF. Prædicatorum venerati: habemus historiam huius inuentionis MS. auctore quodam Fr. Petro Martyre an.* 1576 *ex merâ traditione, in qua nusquam Gregorij nomen reperitur.*

Sabinus vel Sabinianus *Martyr in Scamandro demersus, hodie*

hodie legitur in quibusdam MSS. Menæis, sed in impressis & Martyrologio Romano xiii Martij.

Ephrasia Virgo in Thebaide memoratur in Martyrologio MS. Carmeli Coloniensis, & in Calendario alio Carmelitano. Nos cum Martyrologio Romano xiii Martij.

S. Geraldus de Magh-eo hodie nominatur in Martyrologio Tamlactensi; à ceteris conformiter ad Acta eo, quo mortuus est, die xiii Martij.

S. Viuentia, coloniæ genere ac multis gratiæ donis illustris: Arturus du Monstier in Gynæceo sacro, à Gelenio in Fastis Agrippinensibus xvii Martij.

Heina sanctimonialis Angliæ memoratur in Menologio Bucelini. In Martyrologio Anglicano xxx Maij.

S. Florentina soror S. Leandri Episcopi refertur in Gallico Kalendario Gazeti. Florentia dicitur in Martyrol. Rom. xx Iunij.

S. Goluenus Episc. Leonensis colitur i Iulij.

S. Ydultus S. Pauli Leonensis magister vi Nouemb.

Mabbo Leonensis Episcopus his duobus iungitur hoc die in supplemento Martyrologij Gallicani, vbi Sanctus nominatur: auctorem alium necdum reperimus.

S. Henrici Imperatoris Canonizatio memoratur in MS. Florario & Breuiario Bambergensi. Colitur xiv Iulij.

S. Naboris, S. Nazarij, S. Gorgonij, } Martyrum, susceptio reliquiarum, quas S. Godegrandus Episcopus Metensis Româ in suam diœcesim aduexit: earum meminit Saussaius in Supplemento ad hunc diem. Coluntur SS. Nabor & Nazarius xxviii Iulij.

At S. Gorgonij translationem annotarunt præterea Greuen in Auctario Vsuardi, Canisius Ferrarius. Colitur ix Sept.

Innocentij I Pontificis Romani memoria inscripta est varijs Martyrologijs. Nonnulla de eo dicimus cùm de SS. Innocentio & Raso Episcopis agimus. Ceterùm celebratur eius natalis xxviii Iulij.

S. Ignatij Societatis Iesu Fundatoris, S. Francisci Xauerij Indiarum Apostoli, S. Theresiæ Ordinis Carmelitani Reformatricis, S. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris, S. Isidori Agricolæ Hispani, } Canonizatio facta à Gregorio XV, relata in Calendario Mariano Balinghemij, & quatuor Hispanorum in Martyrologio Hispanico. Ex his coluntur S. Ignatius xxxi Iulij. S. Franciscus Xauerius ex decreto Alexandri VII iii Decemb. S. Theresia xv Octobr. S. Philippus Nerius xxvi Maij. S. Isidorus x Maij.

Phinees iustus disticho laudatur in Menæis: videturque esse Aaronis nepos, cuius & patris Eleazari memoria iterùm recurrit ii Septemb.

Moyses legislator in nonnullis Fastis legitur. Est in Martyrologio Romano iv Septemb.

S. Dorotheus, S. Gorgonius } Martyres Nicodemiæ sub Diocletiano, adiunguntur hoc die alijs Martyribus Nicomediensibus in Martyrologijs MSS. S. Hieronymi, Tamlachtensi, Coloniensi S. Mariæ à Gradus, Treuirensi S. Maximini & veteri Romano à Rosweydo excuso. Ast alij cum Martyrologio Romano diem passionis & venerationis statuunt ix Septembris.

S. Dagani Ep. Acta ad hunc diem, quem putat esse Translationis Colganus, collegit ex varijs: nos si fortè interim aut Acta propria, aut certiùs aliquid reperiamus de cultu, differemus illum in diem depositionis suæ xiii Septemb.

Ioannes Episcopus Valentinus in Galliâ memoratur in MSS. Additionibus Carthusiæ Bruxellensis. Ab alijs v Octobris.

S. Maximiliani Laureacensis Episcopi & Martyris Translatio. MS. Florarium. Dies natalis celebratur xii Octobris.

Siluia mater S. Gregorij. Caietanus in Martyrologio Siculo, at Martyrol. Romanum iii Nouemb.

DE S. MAMILIANO, SIVE MAXIMILIANO

MARTYRE ROMÆ.

XII MART.

1 Emoria huius Martyris, nullo addito passionis loco, reperitur in Martyrologijs MSS. Ecclesiæ Pragensis & Bruxellensis: Et S. Maximiliani Martyris. Ado verò & Beda excusus: Passio S. Maximiliani Martyris. Eadem ferè habentur in MS. Martyrologio S. Maximini, & excuso Coloniæ & Lubecæ anno 1490. Notkerus addit: & aliorum plurimorum. De alijs plurimis hoc die agimus. Maurolycus ista habet: Romæ Innocentij Papæ & Mamiliani Martyris; vt dubium sit, an Romæ hic designetur passus. Hermannus Greuen in Additionibus ad Vsuardum: Eodem die B. Mamiliani Martyris. At MS. Martyrologium Caroli Strozzi Senatoris Florentini & Martyrologium Florentiæ anno MCCCCLXXXVI editum, ita habent: Romæ S. Mamiliani Martyris. Canisius Maximilianum appellat: reliqua eadem sunt. Galesinius post relatum S. Gregorium Magnum, de quo infrà, ista addit: Romæ præterea S. Mamiliani Martyris, cuius certamen nobile admodùm fuit. Bellinum in Martyrologio ad vsum curiæ Romanæ secuti Molanus in Auctario Vsuardi, & Baronius in Martyrologio Romano sic habent: Romæ S. Mamiliani Martyris. Addit Galesinius de ipso agi in Actis S. Vrbani Papæ. Et Baronius tradit de eo agi in Actis S. Vrbani Papæ & S. Cæciliæ, die xxii Nouemb. apud Surium tomo 6. Hinc Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ista scribit: Mamilianus, qui Maximilianus apud Bedam & Vsuardum nominatur, sub Seuero Alexandro Imperatore, quo tempore, quantum ad persecutionem attinet, S. Cæcilia Virgo vnà cum Valeriano & Tiburtio passa est, martyrio coronatus fuit. Et dein alio charactere. Ex gestis S. Vrbani Papæ & passione S. Cæciliæ Virginis, idque ex Baronij annotatione, vti mox indicatur. Verùm in illis Actis nulla fit mentio vllius Mamiliani aut Maximiliani, sed Maximi, qui ex cubiculario Almachij Præfecti Christianus, tamdiu globis igneis verberatus est, donec spiritum emitteret, & quia dies eius natalis non indicatur, inscriptus est Martyrologijs vnà cum SS. Valeriano & Tiburtio ad diem xiv Aprilis. Credidit ergo Baronius, vt aliàs sæpiùs, Galesinio, & illi Ferrarius, & neuter inspexit Acta S. Cæciliæ apud Surium. Ferrarius etiam allegat Vsuardum, cùm sit Molanus in Additionibus ad Vsuardum. Interim non arbitramur à veritate aberrare, si qui opinentur eumdem esse dictum S. Maximum in Actis S. Cæciliæ, qui hîc appellatur Maximilianus & contractè Mamilianus, aut etiam apud Felicium Maximinus. Certè in antiquis MSS. Codicibus Treuirensibus semper loco Maximi legitur Maximianus, Cornicularius Præfecti: unde reliqua vocabula potuerunt corrupta fuisse. In Historiâ Passionis S. Cæciliæ ab Antonio Bosio editâ & apud Mombritium Maximus appellatur Cornicularius Præfecti, non Cubicularius, vti excusum à Surio. Noluimus tamen ex proprio sensu inter Prætermissos collocare, & ad xiv Aprilis remittere: sed cum iam indicatâ animaduersione proponere lectori, vt qui postmodùm plura repererint, dignentur nouam lucem adferre.

Nomen in Martyrologijs.

An maximus appelletur in Actis S. Cæciliæ.

2 In MS. Florario Sanctorum annotatur S. Maximiliani Episcopi Laureacensis & Martyris Translatio: cuius dies natalis celebratur xii Octobris. Forsan auctor huius Florarij arbitratus est omnia de illo Episcopo Martyre intelli-

Alius ab eo videtur S. Maximilianus Episcopus Laureacensis.

A telligenda. Iterum ad XXIX Octobris ista in Martyrologio Romano leguntur: Eodem die sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris & Valentini Confessoris. Quos Sanctos sine vllo loco præpositos aduertit, qui nuper Chronicon sub Dextri nomine conflauit, & mox Hispaniæ adscripsit: quem sequitur Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico. Verùm eos Baronius desumpsit ex Molani additionibus ad Vsuardum, in quibus sic legitur: In ciuitate Patauiensi triumphus sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris & Valentini Confessoris. Sed is est Maximilianus Episcopus Laureacensis, & Valentinus habitus, Passauiensis, quorum corpora anno MCCLXXXV in ecclesiâ Passauiensi in honorabili tumbâ collocata sunt; vti diximus ad Vitam S. Valentini VII Ianuarij, pag. 568 & in Appendice pag. 1094. Quæ huc non videntur spectare, quòd nusquam suprà relatus Maximilianus aut Mamilianus legatur Episcopus. D

DE SS. EGDONE, SIVE EGDVNIO PRESB. ET VII SOCIIS NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

XII MART. AVspicantur diem XII. Martij à Martyribus Nicomediensibus quatuor apographa Martyrologij S. Hieronymi his ferè verbis: IV Idus Martij In Nicomediâ Egdoni Presbyteri & aliorum septem suffocatorum. In vno codice omissâ litterâ legitur Egoni, in alio additis duabus litteris Eggedoni, in tertio codice, nouem suffocatorum. Verùm relatum encomium etiam habetur in MS. Casinensi charactere Longobardico exarato, & in B MSS. Altempsiano, Vaticano ecclesiæ S. Petri sub nomine Bedæ & plurimis alijs. Vsuardus aliquanto plura suggerit. Item Nicomediæ, inquit, Sanctorum Egduni Presbyteri & aliorum septem, qui diebus singulis suffocati sunt, vt ceteris metus incuteretur. Eadem habent Ado, Notkerus, Beda excusus, & quamplurima MSS. sed variâ scriptione, Egdoni, Agdoni, Agodoni, Egdomi, Egduni, Egdunii, quod post Molanum elegit Baronius, & ita inscripsit hodierno Martyrologio Romano. Eumdem in Notationibus censet Migdonium Presbyterum, quem infrà referemus ab hoc planè diuersum. Reliqua Acta latent. E

DE SANCTIS MARTYRIBVS ALEXANDRINIS

ZONO EPISC. ALEXANDRO DIACONO, DVNO, NEONE DIACONO, IVLIO. ITEM ORIONE DIACONO, GAIO.

XII MART. 1 RElatis Egdono socijsque Martyribus Nicomediæ passis, subditur in Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excuso: In Alexandriâ Zoni Episcopi, Alexandri Diaconi, Duni & Neonas Diaconi, Iulii. In Blumiano & Lucensi, etiam S. Hieronymi, omisso Iulio, reliqui referuntur, at loco Neonas legitur in Lucensi Netar Diaconi. Qui etiam cum Iulio deest in MS. S. Hieronymi, quod apud nos extat. Veneratio trium priorum Zoni, Duni, Alexandri indicatur in antiquo Tamlactensi apud Hibernos Martyrologio: in quo priores menses Martij dies desiderantur. In MS. Parisiensi Labbæi nostri ista leguntur: Alibi Zoni, Neonis, Pioni. Est huius Pioni siue Pionis mentio apud alios hoc die, sed Smirnæ adscripti. MS. Augustanum monasterij S. Vdalrici tres tali modo profert: Alibi Zosimi, Neonis, Ponij. Vbi pro Zosimi, alij habent Zoni, & pro Pionij substituendum Pioni vel Pionis; vti C iam dictum. MS. Aquisgranensis Ecclesiæ, relato S. Gregorio Papâ, ista subdit: Egroniæ, Zeni, Neonis, Pioni, vbi pro Egroniæ legendum videtur Egdoni, loco Zeni, apud alios est Zoni. Hermannus Greuen in Auctario Vsuardi meminit Zemmeonis, pro quo restituendum Zeni siue Zoni & Neonis. In MS. Richenouiensi fit mentio Neonis, sed sequentibus Martyribus Afris adiuncti: vti præcedenti die adiungitur Neon Diaconus Martyribus Caio, Candido & Alexandro, qui Alexandriæ dicuntur passi, ab alijs Carthagine vt ibidem dictum.

Martyrum prima classis.

2 In memorato Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excuso iterum, sed interpositis alijs Martyrum classibus, de quibus mox agemus, illa subdit: In Alexandriâ Orion Diaconi, Gai. In codice Lucensi scribitur Orionis, in Blumiano Orion, in nostro codice Arionis. Et in his deest nomen Gai. Videntur hi cum præcedentibus eodem die, sed diuerso forsan anno, Alexandriæ martyrij palmam adepti, quos simul propterea iunximus. Quid si dicuntur eodem etiam anno passi, sed alijs ex vrbibus aut locis Alexandriam adducti. Nam certum est Zonum non fuisse Alexandrinum Episcopum, at cuius vrbis fuerit, latet. F

secunda classis.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

IOANNE ET XLIV. IN AFRICA. ITEM SS. SALVIANO SIVE SILVANO, ANDO, SIVE ANDINO, ET MINANDO.

XII MART. 1 TErtia est hæc classis Martyrum in quatuor apographis Martyrologij S. Hieronymi: in quo ita referuntur: In Africâ Ioannis & aliorum quadraginta quatuor. Quæ eadem leguntur in antiquo MS. Martyrologio Reginæ Sueciæ, in Appendice Adonis apud Rosweidum, & in Tamlactensi MS. sed loco omisso, vt fermè in illo Martyrologio contingit. In MS. Richenouiensi negligentiâ amanuensium loco Ioannis, legitur nomen Neonis Diaconi, ex iam relatis Martyribus Alexandrinis transcriptum. In MS. Parisiensi Labbæi nominantur quinquaginta Martyres, nullo aut nomine vllius Martyris aut loco addito: forsan quadraginta legendum, minore numero etiam omisso.

Martyres Afri.

2 His relatis, in Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excu-

A *cuso ista subijciuntur* : In Albuâ Saluiani, Andi, Minandi. *In Blumiano non sunt Socij, in Lucensi ista habentur*: Et in Albuâ Siluiani. *In codice nostro eiusdem S. Hieronymi, sic legitur*: Andini, Albucæ, Siluani. *Est aliquis Siluanus* VIII *Martij inter Afros Martyres, iterùm* IX *Martij Siluanus alijs Afris iunctus erat apud Hermannum Greuen, quem ab altero non fuimus ausi diuersum indicare. Hoc die* Siluanus *etiam refertur in antiquo MS. Tamlachtensi in Hiberniâ. Quis locus Albua sit necdum scire potuimus.* D *Meminit Victor Vticensis* Albulensis vrbis in Mauritaniâ Cæsariensi *ab Ortelio in Geographiâ citatus : an illa hîc intelligenda ? Omissâ ergo* Albucâ, *inter Martyres restant* Saluianus *siue* Siluanus, Andus *siue* Andinus, *&* Minandus : *quos ob codicis antiquitatem proponimus iudicio lectorum.*

an hi alteri loco attribuendi.

DE SS. INNOCENTIO ET RASO EPISC. ET IVLIANO ROMÆ.

XII MART.

Nomina in Martyrologijs:

1 

Rosequimur ordinem Sanctorum, prout hi in suas classes reperiuntur distributi in Martyrologio S. Hieronymi : in quo, sicuti Parisijs excusum est, ista leguntur: Romæ depositio S. Innocentij Episcopi, Rasi Episcopi, Iuliani. *In Blumiano & Lucensi omissum est nomen* Iuliani, *ac secundum* Rasij *in Lucensi est scriptum. In apographo nostro ante mille ferè annos exarato, ita habetur* : Romæ S. Innocenti Episcopi, Rasi Episcopi, *non factâ* depositionis *mentione. Quibus relatis,* B *agitur in dicto Martyrologio S. Hieronymi de Martyribus Nicomediensibus in persecutione Diocletiani & Maximiani passis, vti ex sequentibus constabit. Hîc iam mouetur difficultas de hisce Sanctis, vbi fuerint Episcopi, ac quo genere mortis sublati. Scimus* S. Innocentium *à posterioribus creditum fuisse Pontificem Romanum, & erasum* S. Rasum. *Mortuus est Innocentius I anno* CCCCXVII, *die* XXVIII *Iulij. Eius corpus translatum est à Sergio* II *Pontifice, qui creatus est anno* DCCCXLIV, *ante quod tempus nostrum apographum S. Hieronymi fuit exaratum. Imò valdè probabile nobis videtur allata verba in Martyrologio S. Hieronymi ante obitum S. Innocentij I fuisse scripta. Quibus circumquaque discussis, etsi nihil certi possimus concludere, inducimur tamen in hanc opinionem, quòd hi duo Episcopi Innocentius & Rasus vixerint tempore persecutionis, & aliunde Romam aduenerint, ibique aut sanctè in pace quieuerint, aut martyrio etiam sint coronati, aut saltem corpora eorum, si alibi sint passi, Romam delata tunc & deposita fuerint. Si aliunde certiora indicentur, ea vt lector amplectatur, suademus.*

Vbi vixerint hi Episcopi.

2 *Mentio horum Episcoporum fit in Appendice Adonis apud Rosweidum hisce verbis*: Romæ depositio SS. Innocentij & Rasi Episcoporum. *In MS. Parisiensi Labbei ita legitur*: Romæ Innocentij, Rasi Confessoris : *& in MS. Augustano S. Vdalrici*, Romæ Innocentij, Ruasi Conf. E *Inscripta etiam nomina* Innocentij & Rasi *antiquo MS. Tamlactensi in Hiberniâ. An propter nomen* Confessoris *in peruetustis codicibus possint censeri in carceribus aut alio modo sub Iudicibus extincti, etiam inquiri posset.*

etiam Confessores dicti.

3. Depositio *aut* Natalis Innocentij Episcopi *reperitur seorsum in Martyrologijs MSS. Casinensi, Altempsiano, Cyriaciano, Tornacensi, & Reginæ Sueciæ, omnibus valdè vetustis, in aliquibus præfigitur* Romæ. *Quidquid sit, thesaurum ostendimus, quem optamus ab alijs in maiorem lucem proferri.*

solius Innocentij mentio.

DE SANCTIS MARTYRIBVS NICOMEDIENSIBVS

PETRO CVBICVLARIO DIOCLETIANI IMPERATORIS, MIGDONIO PRESBYTERO, ITEM MIGDONIO, EVTICIO SIVE EVNENO, MAXIMA SIVE MAXIMO, DONATA SIVE DOMNA VIRGINE, RVGINO, MARIO, SMARAGDO, HILARIO, EVENGVLO SIVE VIMGELOSINO, QVIRINO, MAREASO, NESTORIO, EVGENIO, DOROTHEO, GORGONIO, MATVLO.

Commentarius historicus.

AN. CCCII XII MART.

Nomina in Martyrologijs:

1 

Rogredimur cum Martyrologio S. Hieronymi & alteram classem Nicomediensium Martyrum adducimus : de quâ ista leguntur in Lucensi & Blumiano dictis S. Hieronymi Martyrologijs In Nicomediâ Migdoni Presbyteri, item Migdoni, Eutici, Maximæ, Domnæ Virginis, Rugini, Mari, Petri, Smaragdi, & Vingelosini, Helari, Quirini & Mareas, Nestori, Eugeni, Dorothei, Gorgoni. *Qui ijdem paucis mutatis, ita in Martyrologio S. Hieronymi Parisijs excuso, habentur:* In Nicomediâ Migdoni, Euticij, item Migdoni, Domnæ Virginis, Rugini, Marij, Petri, Smaragdi & Vingelosini, Hilarij, Mariæ, Ner... Eugini, Dorothei, Gurgoni, Matuli. *Aliquantò maior diuersitas est in MS. nostro Martyrologio eiusdem S. Hieronymi, ex quo & ista damus* : Item Nicomediæ Migdoni Presbyteri, item Migdoni, Euneni, Maximi, Donatæ, Rugini, Mari, Petri, Smaragdi, Hilari, Euenguli, Inquirini, Mareasi, Nestori, Eugeni, Dorothei, Gorgoni. *Ex his Sanctis inscripta antiquo MS. Tamlachtensi in Hiberniâ nomina* Migdoni, Mari, Dorothei, Gorgonij, Eunci, Maximi, Rugini, Petri, Ilarij, Smaragdi, Marias, Nestorij, Eugenij, Quirini, Donatæ. *Desunt in hoc MS. alter* Migdonius, Euticius *siue* Eunenus, *&* Matulus, *qui est in solo Martyrologio excuso. Et tum* Euncus *debet censeri, qui suprà* Euengulus, *alijs* Vengelosus *aut* Vengelosinus *est. ita* Marius *alijs* Mareas, Marensus *&* Maria. *Quæ etiam in tribus est* Domna Virgo, *in alijs duobus dicitur* Dona-

A Donata. *Qui è duobus est* Maximus, *in alijs duobus est* Maxima, *& deest in excuso. In quo etiam deest* Quirinus *in tribus relatis, in alio* Inquirinus. *Demum in Tamlachtensi,* Petro *adduntur alij* x *anonymi, quorum in reliquis altum silentium: ac forsan decem intelligendi suis nominibus expressi.*

2 *Præcipui inter hos Martyres sunt S. Migdonius, qui hîc Dux & Antesignanus aliorum, tum SS. Petrus, Gorgonius & Dorotheus, de quibus apud Nicephorum lib. 7 Hist. Eccl. c. 5 hæc leguntur:* Imperatorum domestici & familiares, Petrus, Dorotheus, Mygdonius & Gorgonius, omnium, qui vnquam apud Græcos & barbaros celebrati sunt, fortitudinis laude maximè præstantes, cùm abundè gratiâ & existimatione apud heros suos ita pollerent, vt illis non minùs quàm germani filij cari essent: pro nihilo tamen ea omnia, reliquamque vitæ huius scenam duxêre pro eo, vt pro Christo paterentur, & ad nouos carnificum cruciatus, nouam etiam animorum afferrent promptitudinem & alacritatem. *Coluntur* XXVIII *Decembris apud Græcos plures Martyres socij* SS. Indes & Domnæ, *inter quos* Gorgonius & Petrus cum Inde alligatis ad collum saxis in mari demersi. Migdonius in scrobem deiectus, *&* Dorotheus securi percussus: *qui ab his diuersi videntur, vt mox ex genere mortis illatæ constabit. Ex his socijs Indes & Domnæ, SS. Mardonius & Migdonius in Martyrologio Romano habentur die* XXIII *Decembris. At qui hîc referuntur Dorotheus & Gorgonius, habent solennem & propriam venerationem* IX *Septembris, quando illorum Acta dabuntur: & hoc die cum S. Petro inscripti etiam sunt in veteri Martyrologio à Rosweido edito, item in Martyrologijs Coloniensi S. Mariæ ad Gradus & Treuirensi S. Maximini: in hoc longum encomium additur potissimùm de S. Petro, qui seorsum hoc die in plurimis Maryrologijs celebratur, vti infrà patebit.*

aliqui domestici Imperatorum:

B

3 *Habemus in varijs antiquis codicibus Acta Martyrij SS. Dorothei & Gorgonij, ex quibus ad alios prædictos Martyres hæc paucula spectantia proferimus:* Diocletianus in seruos Dei, velut leo, rugiens, in consistorio palatij iussit sibi solium parari, & Confessores, qui in vinculis & in carceribus habebantur, suis aspectibus præsentari: statuas etiam vel effigies deorum suorum iussit apponi, quibus thura deberent incendi. Sed sancti Martyres spem suam in Domino ponentes, & eius machinas, quasi stercora, despicientes, constanter clamabant, dicentes: Dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Ad hæc Diocletianus indignatus, quosdam eorum taureis iussit & plumbatis cædi, quosdam verò suspensos vngulis lacerari, alios viuos excoriari. Vnum tamen, quem constantiùs & fortiùs suæ vesaniæ resistentem videbat, hunc præ ceteris crudelioribus supplicijs cruciari præcipiebat. Tunc B. Gorgonius constanter & liberè prorupit in hanc vocem, dicens: Cur, Imperator, crudeliùs & sæuiùs in hoc solo punis mentis sententiam, quæ viget in omnibus nobis? Vt quid in illo crimen dicitur, quod à nobis omnibus firmiter confitetur? Hæc nobis fides, hic cultus & vnanimis eademque sententia. Hactenùs, Imperator, tibi militauimus, iam nunc permitte, vt Deo seruiamus, cuius creaturæ sumus. Hactenùs tui eramus, iam deinceps, velis nolis, Dei erimus. Ipsi quidem militiam deuouimus, & militiæ illius signum accepimus. Tolle militiæ tuæ cingulum, vt absolutè sequamur Christum Regem nostrum. *Hæc in illis Actis de nostris Martyribus ac potissimùm S. Petro, quem clarè Ruffinus lib. 8 Histor. Eccl. cap. 6 indicat his verbis:* Huius, *Petri,* Institutor in disciplinâ & Magister in Officijs, quæ intra palatium exhibebantur, Dorotheus erat, cubiculi Regis præpositus, habens secum officio, fide & magnanimitate parem Gorgonium. Quorum institutionibus optimis omnes penè cubiculi ministri in fide Dei vigilanter & liberè persistebant. Dorotheus igitur & Gorgonius cùm Petrum tam crudelibus viderent atque immanibus supplicijs cruciari, constanter & liberè: Cur, aiunt, Imperator, punis in Petro mentis sententiam, quæ in nobis omnibus viget: Vt quid in illo crimen dicitur, quod à nobis omnibus confitetur? *Hæc ibi; in quibus dum sermo ad plures athletas extenditur, verosimile est illos ipsos esse, quos SS. Petri, Dorothei & Gorgonij socios martyrij protulimus: imò illos videri etiam cubiculi Imperatorum ministros, qui horum institutionibus constantes perstiterunt, dum aut* taureis plumbatisque cæderentur, *aut* suspensi vngulis lacerarentur, *aut* viui *etiam* excoriarentur.

Constantia & dira supplicia Martyrum indicata in Actis SS. Gorgonij & Dorothei.

C

& Histor. Eccl. Ruffini:

D

4 *Eusebius lib. 8 Histor. Eccles. cap. 3 sacra Martyrum certamina expositurus, ista præponit:* Anno decimo nono Imperij Diocletiani *(is est annus Christi trecentesimus primus)* mense Dystro, qui à Romanis Martius nominatur, cùm salutaris passionis Dominicæ festum iam pro foribus esset, omnibus in locis per Imperatoris litteras palàm edictum fuit, vt tum deturbarentur ecclesiæ soloque æquarentur, tum Scripturæ absumerentur igni, tum qui honorem adepti fuissent, de gradu turpiter deponerentur, tum priuati, si modò in professione Christianâ perstarent, libertate penitùs priuarentur. Non longo tempore pòst, alijs litteris exeuntibus mandatum est, vt omnes Ecclesiarum Præsides vbique gentium primùm conijcerentur in vincula; deinde omnibus machinis adhibitis, idolis victimas immolare cogerentur. *Dein cap. 5 asserit,* edictum contra Ecclesias Christi Nicomediæ propositum esse, *& mox capite 6* quæ in aulâ Imperatoris acciderunt, *narrat his verbis:*

Persecutio Diocletiani proposita ex Eusebio:

E

5 Ex omnibus, qui vnquam vel apud Græcos, vel apud Barbaros propter animi magnitudinem illustres & hominû sermone celebrati sunt, nullus cum diuinis & eximijs nostri temporis martyribus, Dorotheo & suis sodalibus, Imperatorum ministris, comparari potest: qui quidem cùm summum honorem apud dominos adepti fuissent, & amore essent apud illos liberis proprijs & ingenuis non inferiores, probra & afflictationes pro pietate corporibus impositas, noua & multiplicia mortis genera contra ipsos excogitata, splendidiores reuerà existimarunt diuitias, quàm gloriam, quàm delicias, quibus hominum vita soleat diffluere. Mortem igitur vnius ex illorum numero, qualis fuerit, commemorare placet, eamque lectoribus spectandam relinquere, vt inde, quæ reliquis etiam eius sodalibus contigerint, animaduerti possit. Quidam illorum in ciuitate suprà commemoratâ coram Imperatoribus, quos diximus, in medium adducitur: qui, cùm iussus idolis immolare, omnino recusaret, mandarunt nudum in sublime tolli, ac flagellis eousque toto corpore dilaniari, quoad supplicio euictus, etiàm animo inuito, quod erat imperatum, præstaret. Sed vbi ista perpessus, constans & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius iam carne denudatis, acetum sale permistum, in corporis membra cruciatu attenuata & propè contabefacta, infuderunt. Atque vt istos dolores protriuerat, & veluti pedibus conculcârat, inde craticula & ignis vnà in medium trahuntur, & reliquiæ eius corporis, tamquàm carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio, non raptim, vt breui è vitâ decedens omni dolore liberaretur, sed paullatim absumptæ fuerunt. Neque qui eum imposuerant in rogum, etiam post tot tamque grauia cruciamenta, ei vllum respirandi locum dare in animo habebant, nisi priùs se ipsorum imperata facturum annueret. Sed ille proposito suo mordicus adhærescens, victor in tormentis animam efflauit. Tale vnius regiorum famulorum martyrium extitit, quod appellatione suâ (Petrus erat nominatus) fuit reuerà dignum. Ceterorum autem sociorum eius martyria, quæ non inferiora sunt, quo orationis terminemus modum, missa in præsentiâ faciemus.

ex aulicis Imperatoris

S. Petrus grauissima tormenta patitur.

F

6 *Hæc Eusebius, quem describunt suprà citati Ruffinus & Nicephorus, & omnes penè Martyrologi, Beda, Vsuardus,*

A *dus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, cum quamplurimis MSS. & cum iisdem tabulæ Martyrologij Romani, cuius solum verba addo:* Nicomediæ passio B. Petri Martyris, qui cùm esset cubicularius Diocletiani Imperatoris, & liberiùs de immensis Martyrum supplicijs quereretur, iubente eodem, in medium adducitur, ac primò suspensus, diutissimè flagris torquetur: deinde aceto ac sale perfusus, ad vltimum in craticulâ lento igne assatur, sicque verè Petri extitit & fidei hæres & nominis. *Hinc manifestum est Acta SS. Indes & Domnæ & Menæa Græcorum, in quibus* appensis saxis in mare deiectus *dicitur, esse de alio Martyre intelligenda.* D

plerisque Martyrologijs inscriptus.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

PETRONIO EPISCOPO, MODESTO, DOMITIANO, EVSTASIO PRESBYTERIS, CARPO, FIRMO SIVE CONFIRMO, PAVLO, MACEDONIO, PATRICIO, FELICIONE, IOVENIANO, HILARIO, CONCESSO, ET BASILISSA, IN ASIA PASSIS.

XII MART. IN *codice perantiquo bibliothecæ Reginæ Sueciæ signato* CCCXIII *post alios Sanctos, de quibus egimus, ista legimus:* In Asiâ Petronij Episcopi, Modesti, Domitiani, Eustasij, Presbyterorum. *Quæ ex illo codice excerpta ab Holstenio, & in Animaduersis ad* B *Martyrologium Romanum edita sunt. Iidem quatuor cum præmissâ dignitate inscripti sunt Martyrologio S. Hieronymi, & plura adduntur nomina Martyrum, scilicet* Carpi, Firmi, Pauli, Macedonij, Patricij, Felicionis, Iouenniani, Hilarij, Concessi, *aut aliâ in hac lectione,* Confirmi, Iouiani *&* Patriciæ. *Ex his in MS. Tamlachtensi fit memoria* Macedonij, Iouiani, *&* Felicis, *qui suprà* Felicio *dicitur. In posterioribus additur nomen* Basilissæ, *& quidem in duobus,* filiæ Conis, *siue* Clonis, *seu potiùs, ut in antiquo MS. nostro legitur,* Eustasij Presbyteri, Basilissæ filiæ, Cionis: *vt filia possit ad vtrumque referri. In Martyrologijs Parisijs & Lucæ excusis habetur:* Eustasij Presbyteri, Basilissæ vxoris eius, Felicionis &c. *In MS. Blumiano* Basilissæ vxoris *Felicionis. Sed difficultas* E *inde exoritur quòd in quatuor apographis S. Hieronymi sequenti die,* XIII *Martij, primo loco referantur Martyres Nicomedienses, in quibus mentio fit* Eustasij Presbyteri & Basilissæ vxoris eius, *vt in editione Parisiensi & MS. Blumiano legitur. Verùm, quia in alijs duobus codicibus tunc* Basillæ *est, & in altero absque adiunctâ voce* vxoris, *lectionem nobis dubiam fatemur, nisi aliunde lux maior hisce rebus obscuris affundatur.*

DE S. PAVLO EPISCOPO

LEONENSI APVD ARMORICOS,

Commentarius historicus.

§ I S. Pauli Sedes, Acta, Translatio.

AN. DLXXIII. XII MART. Britones à Saxonibus pulsi

1 POstquàm Saxones, *conuersis in Britones armis ad quos à Pictorum Scotorumque violentiâ tuendos aduenerant, Romani nominis ac fidei Christianæ reliquias, partim ad alias in Aremoricis quærendas sedes partim in extremos insulæ angulos (qui nunc VValliæ ac Cornuwalliæ nominibus appellantur) compulissent; duo penè fluxere secula, antequàm residuam Britannici imperij partem suo subijcerent dominatui. Britones interim, neque in patriâ, neque in exilio ita tutum habuerunt receptum à barbaris, quin istic assiduis victricis gentis attererentur incursibus, hîc piraticas Danorum classes haberent infestas, à quibus infessa infe-* C *rioris Aremoricæ littora, Britannico obiecta oceano, tradunt istius gentis Annales; donec pellerentur à Riuallone quodam, tempore Clotharij Francorum Regis nouam fugitiuorum coloniam ex Cornubiâ vicinisque regionibus deducente: qui nemine repugnante, earum partium vel regnum vel principatum sibi vindicarit, atque ex veteri patriæ suæ nomine Domnoniam nuncuparit.*

ad Aremoricos

Osismiorum pagum occupant:

2 *Huius regionis incolas ante-lapsis temporibus* Osissimos *Cæsar & Ptolomæus,* Osismios *Melas,* Sismios *Solinus, ac fortè etiam Strabo dixêre, quamuis nunc* Timij *apud eum legantur: quorum præcipua sedes* Osissimum *dicta Antonino, Britannis verò ipsis* Ocismor; Legio *deinde creditur appellata à Romanâ Legione, olim istic ad Aremorici littoris præsidium collocatâ, vt alibi aliæ: nunc nobilius nomen habet à S. Paulo, primo illius Episcopo: ac vulgò dicitur* S. Pauli Leonensis vrbs, Saint Paul de Lion. *Nam Leonis seu Legionis nomen tota retinet diœcesis, à Boreâ in meridiem circumducta, & extremum procurrentis in Oceanum Galliæ constituens angulum: cuius pars occidentalior Achmensis pagi nomine appellatur in S. Pauli Actis, pars altera Leonensi pago adscribitur.*

cuius caput nomen deinsumit à S. Paulo.

3 *Huic autem VVithurus Comes Childeberti Francorum Regis beneficio dicitur præfuisse, cùm illuc S. Paulus aduenit: vnde colligo hosce inferioris* Letauiæ *(nam hoc quoque nomen inter Britannos obtinuit) seu Reges seu Principes, Riuallonis posteros Francorum potestati quadantenus fuisse subiectos, æquè ac ceteros à Conano descendentes. Hinc cùm Comorrus Comes, VVithuro successor datus, ab eodem (vt videtur) Childeberto, Ionam Riuallonis pronepotem sustulisset è* F *medio, & filium Induualum coniecisset in vincula, ad Childebertum, tamquàm supremum Dominum, institiæ obtinendæ caussâ confugisse dicitur S. Sampson in Actis* XXVIII *Iulij proferendis. Hinc etiam S. Paulo Episcopo consecrato Childebertus Achmensem Leonensemque pagos subiecit, Induualus nihilominùs in libertatem auitasque ditiones restitutus, vrbis ipsius possessionem eidem S. Paulo vel donauit primus, vel factam ab alio donationem ratam habuit.*

Comites à Francis constituti

4 *An porrò Induualus hic aliique eum prægressi aut subsecuti, siue hîc siue in superiori Letaniâ, regio dignandi sint titulo, multa est inter Francos Armoricosque scriptores contentio: his quidem asserentibus Conani ac Riuallonis posteros & dictos fuisse & dici potuisse Reges, eodem iure, quo postremi Merouingici sanguinis, reipsâ Regum vmbræ potiùs quam Reges: istis verò negantibus, propereà quòd*

præter quosalios hæreditarios vel Reges

A quòd S. Gregorius Turonensis l. 4 cap. 4 dicat, semper Britannos sub Francorum potestate post obitum Regis Chlodouæi fuisse, & Comites esse appellatos nō Reges. *vel Duces habuerunt.* Nec leue pro hac sententiâ præiudicium sumitur ex ipsis S. Pauli Actis quæ ex Britannicis scriptis accepisse se profitetur auctor, non omissurus Regum facere mentionem, si quos hoc nomine dictos reperisset. Induualum tamen non Comitem nominat (vt nominantur alij, & hîc & apud Gregorium Turonensem, vnius maioris ciuitatis territorium sub ditione tenentes) sed Domnonensis patriæ magnâ ex parte Ducem nobilissimum. Vt destinctionem aliquam facere videretur inter eos, qui hæreditariæ successionis beneficio latius, vel reipsâ vel nomine tenus dominabantur, ac Regum quandoque nomen sibi leguntur vsurpasse: & alios, ex liberâ Regum Francorum institutione vel violentâ vsurpatione, rerum in Aremoricâ potientes.

S. Pauli Acta, 5 Præfata Acta si in Gallicam linguam simpliciter conuertisset Albertus le Grand, plus fidei inueniret in aliorum Sanctorum Vitis, quas ex similibus Actis accepisse se dicit: nunc autem cùm de suo addit, non ad Childebertum Regem missum esse S. Paulum Episcopatui designatum, sed ad Induualum tum fortè Parisijs in aulâ Childeberti commorantem, cum quo honoris caussâ commendatum sibi à VVithuro negotium communicauerit Induualus, suspectū ipse se nobis facit, ne nulla apud eum Vita sit, quam simili ratione interpolatâ non aptauerit chronologiæ suæ præconceptisq; de Regum Britannorum B serie opinionibus atque incertis popularium traditionibus. *in MSS. accepta,* Accepimus autem Latina hæc Acta ex duobus MSS. collatis cum eorumdem fragmento, apud Boscium in bibliothecâ Floriacensi edito, ac duobus alijs MSS. decurtatâ hinc inde sententiarum prolixitate, maiori sub compendio res easdem ac penè eodem verborum tenore narrantibus. Et integri quidem textus exemplar alterum ex MS. Codice monasterij Vallis-lucentis in diœcesi Senonensi submisit nobis R.P. Petrus Franciscus Chiffletius, alterum ex Senatoris cuiusdam Rotomagensis membranis R.P. Fredericus Flouetus, Societatis nostræ Sacerdotes. Aliorum duorum Manuscriptorum alterum ex Nicolai Belfortij collectaneis MSS. habemus, alterum à R.P. Iacobo Bernard nostræ itidem Societatis ex Aremoricâ accepimus, multò quàm priùs illud Belfortij contractius, & parte ferè dimidiâ postremâ mutilatum; quod in annotationibus nonnumquàm tertium MS. vocabimus.

auctore Monacho Floriacensi. 6 Auctor eorum in ipsâ præfatione indicat se monachum esse illius monasterij, quod pretioso corporis eius munere donatum erat, cùm scriberet: hoc autem monasterium Floriacense fuisse legitur in fragmento Historiæ Franciæ, per Franciscum du Chesne editæ, in quo dicitur: Huius (*VVlfadi scilicet Abbatis*) temporibus Mabbo Britannorum episcopus, ex oppido, quod S. Pauli dicitur, corpus eiusdem S. Præsulis Pauli ad Floriacense detulit cœnobium cum multis ornamentis. *Albertus nihilominus Vitam S. Pauli concludens ait:* Non diu sub terrâ abditus latuit pretiosus iste thesaurus, Deo frequentibus miraculis illum manifestante: quibus motus Goluenus, Cetomerini successor, sacrum corpus è sepulcro sustulit, *Non ad S. Florentij monasterium,* ossaque veneranda pretiosis inclusa thecis, inter cetera Diuorum Lipsana, quibus Leonensis munitur & deC coratur Ecclesia, voluit reuerenter collocari: vbi asseruata fuêre, magnoque tum Britonum tum peregrinorum concursu honorata vsque ad annum gratiæ DCCCLXXVIII: quando Danis in Britanniam Armoricam ingressis, & per sacra atque profana omnia ferro flammâque grassantibus, Liberalis tunc Legionensis Episcopus S. Pauli Reliquias ad monasterium S. Florentij auexit; vbi & permansêre, donec anno MDLXVII Hugonotti monasterio illo potiti, thecas quidem auro atque argento diuites, conuerterunt in prædam; Reliquias verò aut disperserunt impiè aut igni sacrilegè tradiderunt.

vt auctor est Albertus, sibi ipsi contrarius, 7 Hæc Albertus, magnâ cum personarum ac temporum confusione, valdè in speciem contraria ijs, quæ ipse, tum antè tum post, in eodem suo de Sanctis Armoricis opere scribit: nam in Vitâ Felicis Abbatis IX Martij, eiusdem Sancti votiuam peregrinationem Floriacum ad SS. Pauli ac Benedicti corpora narrat: hic verò scribit ad S. Florentij monasteriū iter illud fuisse susceptum. D Præterea in Catalogo Leonensium Episcoporum dicit, Liberalem anno DCCCLV in Concilio Rhedonensi ab Episcopatu deiectum propter simoniacæ promotionis vitium, & peiora metuentem secretò reuersum esse Leonensem ad Vrbem, indeque furtim abstulisse S. Pauli Reliquias, ijsque in monasterio Floriacensi collocatis, ad Carolum Caluum se contulisse: *sed Floriacum,* absque mentione Danicæ irruptionis, quæ ab anno DCCCXLIII ad LXII eiusdem seculi nulla memorabilis fuisse legitur: deinde verò cùm ad Mabbonem Episcopum peruenit, anno CMXL ordinatum, Claudium Robertum citat in Galliâ suâ Christianâ asserentem, ab hoc Episcopo factam esse Corporis sacri Floriacum translationem: idq; ipsum in S. Felicis præcitatâ Vitâ scripserat.

partim à Liberali Episcopo, 8 In quâ tamen ne videatur contrarius ijs, quæ dixerat de Liberali, monet de sacri corporis parte reliquâ hunc locum esse intelligendum: cui explicationi fauent Acta num. 47 vbi dicitur: Corpus eius multis temporibus intactum & incorruptum permanens... speciem & integritatem, quam assumptâ animâ habere visum est, longo tempore seruauit: quâ verò caussâ nunc diuisum sit, huic operi minimè est inserendum. *Diuisionem igitur corporis factam scriptor hic innuit, eius autem faciendæ dum caussam subticet, satis innuit, non talem eam fuisse Vitali, istius diuisionis (vt videtur) auctori, quam decens sit litteris commendari.* E *partim à Mabbone.* De Mabbone verò aliter se res habet: ex quo enim Normanni anno DCCCCXII per Caroli simplicis cessionem pacatam adierunt occupatarum à se regionum possessionem, caussati eadem cessione sibi supremam in Britannos potestatem competere; continuis incursionibus eos vexare cœperunt, & anno quidem DCCCCXLIV cæsos Britones à Normannis Dolamq; occupatam scribit Frodoardus & admittit Albertus; licet multùm repugnet Argentræus: qui eam cladem suadere vult ad annum MCCVIII pertinere; hoc verò tempore ac multis pòst annis, ab expulsis totâ prouinciâ barbaris liberos fuisse Britannos.

9 Sed vti nihil vetat vtroque anno captam vrbem fuisse: ita Britannicorum scriptorum aut Crantzij silentium, quo nititur Argentræus, non satis idoneum est argumentum, vt ea victoria habeatur pro commentitiâ: *Post clades anno 944 à Normannis illatas,* maximè si quinque antehac annis Britanni Normannos, vt ait ipse, totâ Aremoricâ victores expulerint. Quis enim credat gentem vinci insuetam non intendisse animos in omnem occasionem reponendæ quamprimùm vltionis? Et verò prælio victos à Britannis Normannos anno DCCCCXXXIX Frodoardus dicit, ac quoddam Nordmannorum castellum captum: cuius victoriæ eâ lætitia fuit, vt diem I Augusti festum exinde Britanni habuerint, teste Argentræo, nescio an non supra veritatem eam victoriam exaggerante: quam secuta fœdera ne seruarent Normanni occasionem Britones dedêre, Berengarij atque Alani discordiâ inter se diuisi; ab hostibus igitur peruasi (*inquit Frodoardus anno DCCCCLXVI vitâ functus; vt ridicula sit Argentræi euasio ad cladem anni MCCVIII*) & magnâ sunt cæde attriti: ciuitas eorum, Dolus nomine, capta, & Episcopus eiusdem confugientium in ecclesiam multitudinum stipatione oppressus & enecatus est. Reparatis deinde Brittones viribus certamen ineunt, in quo F superiores Nordmanni extitisse visi sunt. Tertiâ tandem congressione initâ, magna ex vtraque parte cecidit multitudo: victoriâ verò potiti Nordmanni, Britones ad internecionem cædunt, & eos à terra ipsorum disperdunt, ipsique Normanni, qui nuper è transmarinis venerant regionibus, eorum terram inuadunt.

10 *Itaque post has clades, easq; secutam Normannorum irruptionem in Aremoricam (cui repellendæ nullæ Britannis vires supererant) tutiora circumspiciens Mabbo, Floriacum se contulit ad VVlfaldum, quem Odoni anno DCCCCXXXVII terris erepto, post Arcambaldum iam tunc successisse, quamuis nulla eius certa referantur initia, ex hoc loco colligimus. Quem quidem* Mabbonem Britannorum Episcopum, *vt præcitati fragmenti auctor loquitur, vitam post hæc vsque*

A ad annum istius seculi xcv produxisse asserit Albertus le Grand, sed absque testimonio difficulter persuadebit maximè quia ex Claudio Roberto (quem Sanmarthani fratres sequuntur) credi vult quòd Paulinianus Britanniæ Episcopus, anno DCCCCLIV diplomati instaurationis monasterij S. Petri de Valleâ subscriptus, Episcopus fuerit Leonensis. Etenim eumdem esse Paulinianum atque Mabbonem prorsus sine fundamento asseritur: nam etiamsi constaret Mabbonem tamdiu vixisse: tamen multò probabilius esset Mabbonem & hostilium incursionum tædio & monasticæ quietis desiderio Episcopatu abdicasse sese, eumque in Paulinianum transtulisse: hoc certè suadet Caput 11 lib. 3 de miraculis S. Benedicti, auctore Aymoino Floriacensi, ubi S. Pauli translatio his verbis refertur.

& Paulinianum ordinatum,

11 S. Paulus in loco Britanniæ, qui Oppidum dicitur, multis in vitâ suâ clarus virtutibus, ibidem per diuinam designationem tumulariam meruit sepulturam: cuius corpus, post longa obitus ipsius transacta tempora, à Mabbone ipsius loci Pontifice ad hoc nostrum Floriacense translatum est cœnobium. Huius translationis seriem, quia occasio se præbuit, licet multis anteà temporibus gesta sit; sicut à prioribus nostris eam auditu comperimus, referre dignum duximus. Memoratus denique venerabilis Mabbo Pontifex, amore diuino contemplatiuæ succensus vitæ, hæsitabat animo, quonam potissimùm in loco suum posset explere propositum: cui diuinitus inspiratum est, nusquam aptiùs id posse eum perficere, quàm in præsentiâ Corporis sanctissimi Patris nostri Benedicti, qui dux & signifer illius esset institutionis, quam ipse sectari cupiebat. Sumptis igitur Euangelijs & sacrarum vestium non contemnendo ornatu, simul cum sacratissimo corpore egregij Præsulis Pauli ad sibi desideratam peruenit habitationem. Quem Abbas istius sacri cœnobij, præcedenti libro nominatus Vulfaldus, cunctaque congregatio gratissimo dilectionis suscipientes obsequio, quoad vixit tempore, honorificè secum detinuerunt: qui peracto laudabilis vitæ cursu, ante altare S. Ioannis Euãgelistę in basilicâ sanctę Dei Genitricis Mariæ tumulariam adeptus est sepulturam. Corpus autem antè dicti Confessoris Pauli cum proprio loculo post loculum sanctissimi Patris Benedicti posuerunt; vno tamen ampliori scrinio, quod etiam argento tectum erat, vtrumque concludentes.

facto monacho,

B

& mortuo Floriaci.

12 Quod autem hæc Aymoini de Mabbone relatio suadet, omnino persuadet historia translationis S. Matthei Apostoli ex Æthiopiâ in Britanniam, indeque in Italiam, ac demum anno DCCCCLIV Salernum, descripta à Paulino (quem cum Pauliniano eumdem credere possumus) Episcopo Legionensi, vt habet titulus in antiquâ membranâ bibliothecæ Vallicellanæ, eiusdemq; miracula, per eumdem tempore Gisulphi I Salernitani Principis, qui vltra DCCCCLXXIV non superuixit: quem Paulinum similis caussa potuit in Calabriam expulisse, quæ Mabbonem suum decessorem in Franciam; cui demum Eudo, vt vult Albertus, anno DCCCCXCV sit suffectus. Liberalis autem fine ad Francos transfuga seu profugus à Danis Ecclesiam suam deseruerit, nihil est cur ad S. Florentij Abbatiam prope Salmurium, ad ostium Theodæ in Ligerim influentis, thesaurum hunc translatum credamus, cùm is locus Britanniæ finibus tam sit vicinus; Floriacense verò cœnobium in Aurelianensi diœcesi situm, ac penè in Meditullio Franciæ, tutum vndequaque offerret receptum. Itaq; Floriacenses, qui pridem ad se translatas esse S. Benedicti Reliquias iactabant; duobus post S. Mummolum Abbatem seculis, nono hoc pignore sunt ditati: quod an Hugonottorum furori eâdem felicitate, quâ illud subductum fuerit, nobis est incompertum. Varia S. Pauli miracula, in S. Iaouæ fauorem gesta, atque in eius Vitâ II Martij relatâ, hîc non censuimus repetenda, tantùm subit mirari, quomodò omnes Hiberniæ ac Britanniæ Aremoricæ Sancti, vnum aut plures prodigiosæ magnitudinis, & formidandæ cunctis sæuitiæ dracones legantur extinxisse: & magnitudini quidem plerumque hyperbolen grandem subesse existimo, aut diabolicam illusionem maligni spiritus, sub eiusmodi specie formidari gaudentis: circa frequentiam vehementer metuo, ne, quod est istis gentibus familiare, rem ab vno Sancto gestam transtulerint ad plures: ita repressarum à Paulo miraculum anitum in minùs antiquâ S. Iltuti vitâ Pauli condiscipulo Sampsoni tribuitur.

eius successor in Calabriam se confert,

C

Reliquiæ S. Pauli an supersint

miracula circa dracones qualia?

D

§ II S. Pauli patria, ætas, cultus.

13 Patriam S. Pauli Penhoen vocant Acta, & Caputbouum interpretantur: quam regionem VValliane an Cornubiæ adscribere velim, incertus hæreo; in vtraque enim Prouinciâ frequentissima sunt à Pen (quod caput seu collem significat) inchoata locorum nomina: & walliæ extrema cuspis Penbrochia dicitur; Cornubiæ finis Penvvith appellatur. Pro Cornubiâ facit, quòd vnà cum Domnoniâ Cornualliæque nominibus in Osismiorum ac Corisopitensium regiones migrasse Cornubienses videantur: atque ita ad gentiles suos, Deo sic ordinante, translati fuissent Paulus ac socij & VVithurus Comes Leonensis verè S. Pauli, vt dicitur in Actis, posset fuisse consobrinus. Albertus le Grand S. Paulum quoque Cornubiensem facere videtur, cùm eius diœcesanum, à quo sacros acceperit Ordines, fingit fuisse Episcopum VVintoniensem: est enim VVincestria, occiduorum Saxonum vrbs, Cornubiæ quàm walliæ vicinior multò: fingit, inquam: quia certum est nec Christianos nec Episcopum eo loco ac tempore existitisse: ac ne ciuitatem quidem tunc fuisse constat. Econtrà pro walliâ fortius argumentum præbet S. Iltuti schola, seu potiùs monasterium, Lan-ilted Cambdeno, supra vrbem Neath, ad eidem cognominem fluuium, in orientali eius ripâ: quod sicuti Demeticæ nobilitati (ex quâ Gildas sapiens & Sampson Dolensis, Pauli condiscipuli, genus duxêre) fuit propter viciniam opportunam valdè, vt illuc filios erudiendos mitteret; ita longiùs aberat à Damnonijs seu Domnonijs, Cornuvalliam inhabitantibus; nec adiri poterat nisi traiecto intercurrentis Oceani sinu, vel longiori terrarum circuitu.

Patria eius Cornubiane fuerit,

an verò VVallia?

E

14 Ab huius autem quæstionis resolutione petendum est responsum ad aliam nihilo faciliorem, quâ quæritur quæ fuerit Regi illi Marco (apud quem Paulus noster Christianam fidem vel prædicauit abolitam, vel iacentem erexit) regni sedes; nam ab Australi oceano remotiorem fuisse, quàm esset S. Pauli patria, ex eo colligitur, quòd transmissurus in Armoricam necesse habuerit ad sororem suam venire, paterno in fundo, vt est credibilius, Deo seruientem. Regem quidem in loco, qui Bannedos dicitur, conuenisse S. Paulus dicitur: sed huius nominis appellationem nusquam locorum inuenio superesse, aut memoriam alibi in scriptis relictam: tantùm suspicari licet ban, pro lan vsitatissimo Britannis vocabulo, transcribentium aut linguam ignorantium vitio irrepsisse, ac fortè locum hunc esse Lanidios, oppidum circa Sabrinæ fluuij principia, Cambdeno notum in Montgomeriensi comitatu, quadraginta circiter Anglicanis leucis distans à S. Iltuti monasterio versùs Boream, & medium fermè locum obtinens inter ipsum Montgomeriensem & tres conterminos Comitatus: quod si verum esset, facilè intelligeretur, quomodò quatuor gentibus Rex Marcus imperitasse dicatur in Actis, etsi tamquam imperitum glossema reijciendum sit, quo illa linguâ quoque discrepasse scribuntur; sumptâ scilicet occasione sic loquendi ex eo quòd illo tempore Picti, Scoti, Saxones ac Britones, linguis moribusque diuersi, Britannicam insulam suâ quique in parte obtinerent.

Quis fuerit Rex Marcus à Paulo in fide instructus.

F

15 Ad ætatem S. Pauli quod attinet, eam centum annis maiorem faciunt Acta; Albertus duobus supra centum definit, & mortuum esse censet anno DXCIV; atque ita pulchrè eum facit suis condiscipulis coætaneum; Gildæ scilicet, quem ex suismet scriptis natum esse demonstrauimus anno CCCCXCIII; & Sampsoni, qui (si verè Parisiensi Concilio interfuit, nec perperàm accipitur pro aliquo eiusdem nominis inter Francos Episcopo) credi potest anno DLVI vel VII, quo illud Concilium celebratum est, fuisse sexagenarius; hic autem viginti

S. Pauli & condiscipulorum natiuitas circa finem seculi V.

A ginti annos supra centum vixisse dicitur: quod quamuis minimè mirum in Britannis Hiberniśue videri debere contendant aliqui, ex solâ tamen Actorum fide non libenter credimus: quia istarum gentium scriptores passim reperimus admodùm liberales in augendâ supra veritatem ac fidem Sanctorum ætate. Itaque suspecta nobis etiam est tanta S. Pauli ætas, nulli alteri fundamento innixa, & plus quam annorum quadraginta vacationem ipsi relinquens à pastorali officio, post Ieouæ institutionem; aut saltem viginti septem post Cetomeri ordinationem, anno (vt vult Albertus) seculi illius sexto supra LX factam.

ætas an centum annis maior?

16 Dubium autem hoc nostrum firmat Florarium MS. & ferè ex ipsis Sanctorum, quæ auctor legit, Actis collectum, vbi post hæc verba: Eodem die depositio Pauli Leonensis Episcopi, magnæ abstinentiæ viri, *sequens ex num.* 12 *elogium legitur:* nam cibus eius post longam macerationem panis extitit æquâ trutinâ libratus cum sale sicco: diebus solennibus pro magno apparatu paucos pisciculos addidit: *pro conclusione verò additur:* obijt anno salutis DLXXII: *quo calculo sex annis vixisset post abdicatum postremâ vice Episcopatũ, & mortuus esset iuxta nos (qui annos à Ianuario auspicamur, quos istius temporis Franci, vnde ista accepta, ordiebantur à Paschate) anno vulgaris Æræ* DLXXIII, *quo præcisè anno* XII *dies Martij incidit in Dominicam: quæ ab hâc longiùs abfuit eo, quem Albertus nobis signat, anno, quando* XII *Martij fuit Feria* VII: *moriturum autem Dominicâ die Paulum Angelus prædixerat.* B *Hæc porrò ratiocinatio nostra si cum veritate subsistat, nihil obest quò minus intra octogesimum ac nonagesimum annum S. Paulus dicatur excessisse è viuis, satisq; hoc est vt ætate decrepitus, viribusque exhaustus credatur Episcopatui renuntiasse: quis enim hoc non admittat de eo, qui tunc septuaginta & plures annos viuendo transegerat?*

videtur mortuus Paulus an. 573.

12 Martij die Dominicâ.

17 *Quibus à morte claruerit miraculis, Acta non referunt: vnum singulare admodùm in monasterio Floriacensi patratum principio seculi* XI *in fauorem Felicis, cœnobij Ruyensis deinde restauratoris, retulimus inter S. Gildæ miracula* XXIX *Ianuarij, nec pigebit hîc repetere:* Cùm esset idem Felix in supradicto Floriacensi monasterio tempore Abbonis Abbatis, & languore graui deprimeretur, & desperatus à medicis nullo modo viuere crederetur, apparuit ei vigilanti & oranti B. Paulus Episcopus, assistens ante lectum ipsius cum magno lumine, eique dixit: Quomodò te habes, frater, vel vbi te tenet hoc malum? At ille: Quis es Domine? Ego, inquit, sum Paulus Episcopus, quem quærebas. Domine ecce, inquit, in hoc latere me diu tenet malum: & ostendit ei locum. At ille appropinquans digito leuiter de latere eius putrefactam abstulit costam, & ei ad lumen lampadis ostendit, dicens: Hæc ampliùs non te nocebit, & hoc dicens proiecit eam, & ab admirantis oculis cum lumine suo disparuit; odor verò suauissimus permansit totâ nocte in eâdem domo. Sanus itaque cùm esset factus, nemo præuenit eum ad vigilias C nocturnas. Mirantur omnes, quem sperabant iam mortuum, viuere; & interrogant quomodò sanatus fuerit. Ille à B. Paulo se visitatum, & quid sibi dixerit, qualiter etiam de suo latere fractam putrefactámque abstraxerit costam. Et, en illam, inquit, & eleuans à terrâ omnibus ostendit eam. Mirantur cuncti factum, simulque laudes Domino cum sonitu reddiderunt cymbalorum.

claret miraculis post mortem.

18 *Sanctis Gildæ atque Sampsonis tertius additur condiscipulus* Dauid, *cognomento* Aquarius, pro magnâ corporis abstinentiâ ac frequenti aquæ potatione; *quem celebrem illum Meneuensem Episcopum esse, cuius Acta dedimus* I *Martij, omnino non possum Colgano assentiri: nam præterquàm quòd ipso cognomento vterque videatur manifestè distingui (quid ni enim vt in Sampsone, sic & in Dauide dignitas nominaretur Episcopalis, si hæc ei competeret?) & quòd Meneuensem Dauidem constet non Ilduto, sed Paulino instructore vsum (quæ nomina Colganus gratis accipit pro eodem) ratio temporis omnino repugnat, vt simul cum tribus iam dictis litteras didicerit Dauid Meneuensis; quem anno* CCCCXLVI *natum, mortuum* DXLIV *fuisse ostendimus, atque adeò ætate grandæuum tum, cùm illi adhuc pueri essent.* D

non fuit S. Dauidis Menen. condiscipulus.

19 *Cultum porrò S. Pauli Ecclesiasticum probant nouem Britannicorum Episcopatuum Breuiaria antiqua, ab Alberto citata: quorum vnum antiquissimæ impressionis penès nos est, Vitam continens Sancti huius Episcopi per nouem lectiones distinctam, & ex Actis proferendis verbotenus concinnatam: idem Albertus, Leonensis, Tricoricensis, ac Nannetensis Ecclesiæ MSS. Legendaria adducit in testimonium: quibus addi potest Vsuardus ad variarum Ecclesiarum vsum auctus, qualis est is, qui apud Carmelitas Colonienses Manuscriptus extat, & alius quem anno* 1490 *Coloniense Carthusiani in lucem dedêre: noua anni* 1521 *subsecuta editio per Hermannum Greuen ad hæc verba (quibus Molanus anni* 1573, *& Galesinius ac Ferrarius ferè vtuntur)* In Britanniâ minori S. Pauli Leonensis Episcopi & Confessoris, *addidit:* cuius tanta fides extitit, vt lapillos in littore maris ponens, interdixerit mari, ne vltra illos terminos occuparet: quam eius prohibitionem mare vsque hodie cernitur obseruare.

Cultus in Breuiarijs & Martyrologijs

20 *His nunc accedunt omnes Ordinis Benedictini (ad quem cœnobium Floriacense, corporis sacri thesauro nobilitatum, cognoscitur pertinere) scriptores de Sanctis, Trithemius, VVion, Buzelinus, Yepez, Gonnonus aliique, pro indubitato Ordinis sui Sancto Paulum Leonensem Episcopum proferentes; quod quidem fuisse non credimus, sed nec magnoperè admiramur dici. At quod Sanctum quoque Hiltutum eo tempore Abbatem in Britanniâ, quò necdum Benedictinorum quisquam pedem in eam insulam intulerat, Buzelinus huc trahat, minùs ferendum forsitan videbitur. Colitur autem S. Hiltutus* VI *Nouembris: sed quoad diem secutus est Buzelinus Andream Saussayum, qui cùm, in Martyrologio Gallicano elegans S. Pauli elogium, historiam vitæ summatim complexum, protulisset: in illius Martyrologij supplemento ad hunc diem addit ad Sanctos Leonij in Aremoricâ colendos Goluenum & Mabbonem, istius Vrbis post S. Paulum episcopos; atque concludens:* Item in minori Britanniâ, *inquit, memoria* S. Ydulti Confessoris, qui S. Paulum Leoniensem Episcopum prælibatum ab adolescentiâ in monasterio erudiuit, cuique aditum æternitatis puris vestigijs indicauit, omnis gratiæ & virtutis nitens decore.

at Benedictinorum Hagiologijs E

quibus & S. Hiltutus adscriptus.

21 *S. Golueni, Rhedonibus in S. Melanij monasterio quiescentis, festum diem primâ Iulij agunt Britanni cum Officio nouem Lectionum, inquit Albertus ad illum diem Vitam proferens; licet Breuiarium Rhedonense Officium illud habeat die* VIII. *S. Ydulti siue Hiltuti memoriam in aliquâ apud eosdem veneratione esse, si sciuisset, non vtique credo tacuisset: nec satis hîc audemus Saussayo vel Ferrario fidere, qui tam fidenter Armoricis Sanctis Mabbonem annumerant: hic Leonensis Ecclesiæ tabulas citans, iste insigne ei elogium texens: quem Albertus post excussa omnium Britannicarum ecclesiarum Archiuia de Aremoricis inter Aremoricos scribens, & Episcoporum Leonensium catalogum texens, ne Beati quidem appellatione dignatur: ac ne minimum quidem verbum adiunxit, quo indicet cum virtutis laude aliquâ vel vixisse vel obijsse.*

nec ipse nec S. Goluenus pertinent ad hunc diem.

nec Mabbo ad Sanctorum Catalogum. F

VITA

Auctore Monacho Floriacensi.

Ex MS. Vallis-lucentis cum alijs MSS. collato.

PRÆFATIO

1 PRæclarum virtutis documentum suis posteris relinquere satagunt, qui litteris commendare intelligibiliter student gesta Sanctorum: nam

Vita S. Pauli

A ad cælestis gloriæ patriam peregrinantium via est vita bonorum. In sacris etenim Scripturis normam inuenimus iure viuendi: in exemplis verè præcedentium Patrum formam assumimus benè operandi. Siquidem quæ scribuntur, ad vtilitatem aliorum scribuntur, vt per consolationem Scripturæ spem teneamus repromissæ patriæ. Vnde B. Pauli vita exemplorum plena refulget, quæ nobis veram simplicitatem prudentiæ acumine temperatam exhibet, & ad superna gaudia humilitatis semitam demonstrat. Huius sancti viri gesta scripta quidem reperi, sed Britannicâ garrulitate ita confusa, vt legentibus fierent onerosa. Negligebantur ergò virtutum clara insignia, scriptoris ignaui culpâ. Inconueniens enim verborum sententiarumque compositio, nullâ attentionis, docilitatis, aut beneuolentiæ delectatione sibi lectorem comparabat. Nouus casuum ordo, inauditum locutionis genus quosque studiosos à lectione summouebat: erant igitur tota neglectui omnibus.

confusè à Britonibus cripta; f

2 Pro quâ re vtilitate multorum commoniti, & corporali præsentiâ B. Pauli prouocati (gaudemus enim nos pretioso corporis eius munere à Deo donatos) longitudinem sententiarum abbreuiare curauimus & verborum ordinem, prout potuimus, ad vnguem direximus. In quo opere nemo nos arguat omnium sensibus minimè paruisse; quia hoc attendentes nihil B omnino scripsissemus. Vt enim omnibus est discolor vox & vultus, ita vniuersis dispar extat ingenium & sensus. Nec turbetur lectoris animus absonis Britonum nominibus, quæ interposuimus; quia hæc vitare ex toto nequiuimus: in ipsis enim operis materia consistit. Vitauimus equidem plurima: nam ipsius viri Dei fratrum nomina, quia barbara & nostro labori non necessaria visa sunt, transsiuimus intacta; & Presbyterorum nomina, qui eidem Sancto vbique adhæsisse leguntur, reliquimus; quia magis oneri fore credidimus quàm vtilitati, etiamsi in hâc præfatiunculâ annotarentur.

breuius hic aptiúsq; digesta.

omissis superfluis nominibus barbaris.

CAPITVLA LIBELLI SEQVENTIS

CAPVT I

Acta S. Pauli sub magisterio S. Hilduti.

CAP. I Nobili stirpe editus, a b

3 Sanctus Paulus, cognomento Aurelianus, clarissimi Britonum viri, nomine Perphij a filius, dignam Deo studuit ducere vitam; qui ortus in Prouinciâ, quæ linguâ eorum Pennohen b dicitur, latino verò eloquio, Caput-boum interpretatur, diuinitus, velut alter Dauid, ex generosâ fratrum progenie electus, in teneræ infantiæ diebus Spiritus Sancti gratiâ est perfusus: in quâ ætate cœperunt arcana eius pectusculi perfectè diuinæ seruitutis igne feruere: qui D cordis sui desiderium confestim patri insinuare curauit. At ille filij auditâ voluntate, & in amore vel studio litterarum visâ intentione mœstus, primò eius petitionem abnegauit fieri: sed victus sancti perseuerantiâ pueri, erga seruitium Christi feruentis, amicorúmque prudentibus monitis, quandoque vt sacris imbueretur puer litteris, iuxta suum velle, genitor assensit. Eum quippe bonorum suorum hæreditarium custodem post se habere sperabat: quia præ ceteris diligebat, quem Creator rerum iam ab vtero matris sibi sanctificans, elegerat. Cum plurimis itaq; votis Omnipotenti Deo pater filium suum, tamquam alter Abraham Isaac sanctum, offerens, diuinis informandum eloquijs tradidit: exultans de suo germine Christo offerre, qui pro suâ suorumque salute ipsum auctorem vitæ valeret viciniùs exorare.

traditur sacris litteris erudiendus,

4 Traditur ergo beato viro Hyldutoc, qui sui temporis fermè doctissimus, doctrinâ & moribus plurimos informabat in illis diebus: nam eius magisterio, quique nobiles suos commendabant filios, in Christi seruitio enutriendos. In quâ virtutum scholâ tres præcipui tunc emicuerant clientes, Sanctæ Trinitatis amore feruentes, qui magistri sectatores meritorum fulgore radiabant, ceu immensæ lucis lampades; Dauid videlicet, qui pro magnâ corporis abstinentiâ, ac frequenti aquę potatione, Aquarius d appellabatur: Samson quoque, qui posteà Pontifex e factus, Angelorum vitam meritis exequebatur in terris: Gildas E etiam, cuius sagacitas ingenij & industria animi refertur fuisse admirabilis f. Inter quos Paulus litterariæ disciplinæ tyro nouellus, scholæ admissus, teneritudinę ætatis dulcibus refouebat cælestis doctrinæ alimentis. Libabat tenero cordis palato mella scientiæ, ludosque sacræ infantiæ exornabat iocundâ morum maturitate. Præueniebat ingenij vigilantiâ dies imminentis adolescentiæ; suamque dignè cum scholasticis gaudebat paulatim conferre sanctam solertiam. Denique magistro erat totus admirabilis, sodalibus delectabilis, & iocundus in scholis. Nullius ei oberat inuidia, quia omnes suâ simplici demulcebat vitâ. Paucis verò diebus nulli condiscipulorum extitit secundus; vtpóte quem illuminabat doctor cordium Spiritus Sanctus.

CAP. II B. Hilduto SS. Danielis Dauidis Samsonis magistro c d e f & egregiè proficit.

5 Locus autem insulæ, quem vsque hodie monasterium Hylduti dicunt, in quo magnæ, quasi modio, Christi Domini latebant lucernæ, marinorum fluctuum g accessu malè arctabatur: super quâ re inito consilio prædicti discipuli, Dauid videlicet, Samson & Gildas, venerabilisque Paulus, magistrum humiliter adeunt; quem, vt Deo orationem funderet pro quantulâcumque loci ampliatione, sapienter hortati sunt. Quod ille audiens, vitæ eorum conscius, secum eos iubet orare idemque exposcere. Longéque protractâ oratione, pater Hyldutus sic orsus est dicere: Pater omnium Deus, qui Verbo tuo aquarum moles terris diuisisti, & lege æternâ mare coërcuisti, ne terminos transgrederetur, quos posuisti: præsta nobis F seruis tuis, vt iste nocuus maris accessus in profundum constringatur abyssum, situm relabendo in alueum, & nunquàm deinceps nostrum audeat adire confinium; annuente Filio tuo cum Spiritu Sancto. Discipulis respondentibus Amen, protinus mare à loco discedere cœpit, & è vestigio comitantibus eisdem discipulis, vsque ad littus aluei magister cum baculo peruenit: quo signum faciens in margine maris, ne denuò transiret facti signi terminum, legem mari sanctus homo imposuit; quam vsque hodię virtute Sanctæ Trinitatis præstante, custodit.

CAP. III Hildutus discipulis petentibus, g

importunum maris affluxum coërcet.

6 Quam virtutem magistro venerabili discipulis ascribentibus, ijsdemque sancto præceptori, talis inter eos amica altercatio exorta est, qualis legitur fuisse olim inter legislatorem monachorum Benedictum & disci-

A discipulum eius Maurum, in ereptione pueri *h* fluuio tolerati. Tellus autem marinis euacuata fluctibus, sancti viri Hylduti seruiebat vsibus. In cuius latâ planitie triticum studuit serere, quod vastare cœperunt insatiabiliter alites marinæ: quas nullâ arte valens abigere, curæ quatuor discipulorum defendere messem imposuit, sicque solicitudinem laboris distinxit, vt neminem filiorum paterna iussio grauaret. Cúmque spicarum maturitas iam appropinquaret, vnâ noctium exercitus auium ita campum deuastauit, vt nulla spes colligendæ frugis remaneret; quæ nox B. Paulo deputata fuerat. *i* Qui ante auroram consurgens campum adijt, detrimentúmque segetis mox agnouit, seque accusans pigrum custodem, biduo à præceptoris sui præsentiâ abstinuit, gratiâ iuuenilis pudoris.

b — CAP. IV — *iisq; messem seruandam committit:* — *i*

7 Tertio autem die condiscipulos conueniens, ait: Humilis Pauli dolor, super communis magistri dispendio, vestra quæso viscera tangat. Vlciscamur vnanimiter, si vos dolet damnum doctoris æqualiter: adest hostis, qui mihi commissæ segetis fructus, & magistri triticeam spem deuastauit. En campum quasi insultans repetijt, demoliturus quod reliquit: de quo satisfaciam magistro, si vos adiutores habuero. B Sentiat debitas pœnas, qui magistri nostri deuastauit aristas. Consodales autem benignissimi, eius parentes monitis, campum confestim cum eodem cingunt, & infestarum auium immensam multitudinem, velut ouium gregem, ad claustra monasterij acsi reos, pariter deducunt. Diriguntur pennata animalia ad caulas, velut inertia quædam pecora. Vbi autem ventum est ad limen carceris, tamquam captiui, cælum repleuerunt clangore miserabili. Ad quod spectaculum confestim accitus magister, quorsum nam huiuscemodi præda deduceretur, inquirit; cui Paulus ait: Ij sunt hostes tuæ segetis vastatores, quos tibi deduximus, vt tuo imperio debitas luant pœnas, ob commissa magnæ præsumptionis flagitia. Ad cuius verba stupefactus pater hæsit, & sinapi comparandam fidem in dulci filio admirans, de tali miraculo expauit.

cui infestas aues Paulus ad magistrum cogit:

8 Conuersusque in laudem Domini Iesu Christi, qui suis fidelibus promisit: Quidquid petieritis patrem in nomine meo fiet, & per quem Beatus Paulus potuit quod fecit, carmine sacro suo allusit non iam discipulo sed patri in Christo: non enim censebat habendum loco discipuli, quem cernebat à Domino mirabilibus signis decorari in terris.

qui Deo benedicens

Omnipotens, virtute tuâ qui cuncta gubernas,
Quod confert tellus, continet atque polus;
Te celsis humiles laudamus vocibus omnes;
Te benedixit ouans sensus, & infima mens.
Qui magnum pietate virum per secula Paulum
Illustrans, sanctis condecoras meritis.
C Namque tuo dono domuit sub carceris antro
Indomitas volucres, pacificans vt oues.
Quod per te valuit, Rex Regum Christe benigne,
Qui valeat pariter iungere nos tibimet:
Vt meritis eius superis necti valeamus,
Dante Deo summo, Amen vbique pio.

9 Cúmque finito laudum carmine, fratrum fauorem declinare vir Dei vellet, nec posset, lacrymis infusus, eorum non suis meritis rei gestæ miraculum adscribere cœpit, & vt aues sineret abire, magistrum humiliter exorauit. Cuius ingenitam liberalitatem pater Hyldutus considerans: Desiste, inquit, flere fili nam cordis tui deuotionem erga suum amorem pius conditor omnium Deus hominibus intimare disposuit per huius signi indicium, ne lateret tibi commissum cœlestis doctrinæ talentum in obscuro, quasi lucerna sub modio. Gradibus bonorum operum beatitudo tua indies de virtute in virtutem crescat, nusquam enim superna tibi aberit clementia. Infans hunc locum nostræ scholæ petisti, vbi præstante Deo, qui te elegit, sensu excessisti mensuram annorum tuæ ætatis. D Gaudeo autem, quòd tuam Fraternitatem specialiùs sibi Omnipotens asciuit de grege nostro: placabis quippe eum nobis tuis orationibus, quem formidamus valdè pro nostris reatibus. Munus prætereà diuinæ sapientiæ, quod animæ tuæ cælestis arbiter contulit, impertire solicitè elabora proximis, quocumque potueris. Nam ita naturæ benignitas te à cunis beatæ infantiæ extulit, vt plurimos sanctæ exhortationis verbo lucrari valeas, qui te redemit, Christo. Locum verò hunc pueritiæ tuæ alumnum, tuæ libens cedo sanctitati, vbi fructus animarum Prælatus quærere possis. Mihi autem præstabit Rex cælestis, quo finiam tantum senilis quantum superest ætatis. Aues quoque, vt obsecras, propria repetere concedo loca, eo pacto ne aliqua nobis vlteriùs inferant damna.

S. Paulo locum offert, — AVCT. MONACHO FLORIAC.

10 Ad hæc verba beatissimus Paulus cum reuerentiâ subiectionis, responsum subintulit summæ humilitatis: Perpetuæ felicitatis munus tuæ beneuolentiæ, Pater pijssime, recompenset omnipotens Deus, qui meæ infantiæ teneritudinem paterno fouisti affectu, & clementer vsque hodie me extulisti salutaris doctrinæ pastu: paternæ in me caritatis benignè effudisti viscera, quæ me instruxerunt suauiter ad appetenda vitæ perennis commoda, E quæ nisi per tuam gratiam, ó Pater, hodie forsitan necdum agnoscere valuissem. Quapropter illa te sine dubio merces expectat in cælo, quæ repromissa est ad iustitiam erudientibus plurimos: in quorum ordine singulariter sedebis, meritorum qualitate. Gratias denique iuxta meæ intelligentiæ modulum tibi refero pro mihi oblato monasterio, quod felix possidens, feliciter gubernaturus es in sempiternum. Nam meæ iuuentutis possessio cęlestis est regio, ad quam totâ spe tẽdo, & quam totâ mente expoto. Pro illâ enim paternas opes & reliqui & penitùs relinquo. His dictis, & volucres, iubente magistro, grato concentu astra recognitis pennis petierunt, quæ nec posteà ibidem visæ sunt; & qui conuenerant, ad propria remeauerunt, per omnia laudantes Deum, mirabilia operantem per famulum suum Paulum.

hic vero modestè excusat oblatum admittere.

a *In MS. tertio & apud Albertum le Grand* Porsius, *&* Porphus *legitur.*

b *VVallia vel Cornubiæ pars, quam adhuc Britones tenebant, vtcumque se tuentes contra inualescentem Saxonum potentiam.*

c *Vitam eius dabimus* VI *Nouembr. ex Capgrauio, qui* Iltutum *scribit. MS. Belforestij &* Albertus Hydultum: *quin &* Helculem *vocatum dicit idem* Albertus.

d *Alium hunc esse à Dauide Meneuensi diximus in Prolegom. n.* 16.

e *Dolensis in Britanniâ* Armoricâ XXVIII *Iulij recolendus.*

f *Vnde & sapiens cognominatus: cuius vitam dedimus* XXIX *Ianuarij.* F

g *Abest à mari trium horarum itinere: quare marinos fluctus illud alluentes intelliges esse Oceani, in flumen Neath ad plura milliaria ingerentis sese, æstumq; marinum inferentis: qualem videmus Antuerpiæ, etsi tanto longiùs à mari remotæ: vnde inferiùs dicitur inundans mare vsque ad* littus aluei *fluuialis compulsum fuisse: & in Vitâ S. Iltuti* fluuialis alluuio *nominatur.*

h *S. Placidi: vide Acta S. Benedicti ad* XXI *Martij.*

i *In Vitâ S. Iltuti res hæc tota Sampsoni tribuitur, isq; eo miraculo vulgato dicitur in Dolensem Episcopum postulatus: verùm in ipsius Actis S Sampsonis, longè quàm Capgrauiana probatioribus, nihil simile legitur, quare nec est cur huic narrationi fidem derogemus.*

CAPVT II

Gesta in Britanniâ & discessus in Aremoricam.

11 POsthæc, Sancto Spiritu inspirante, summo desiderio voluit tanquam miles in Christi Domini timore perfectus, vastitatem eremi petere solus: tantò

CAP. V — *S. Paulus ad desertum recedit,*

AVCT. MONACHO FLORIAC.

A tantò enim familiarius omnipotenti Deo cupiebat vacare: quantò remotior fieri posset à mundi huius societate. Super quâ re Doctorem suum conuenit, eique cordis sui desiderium intimauit, atque licentiam expetijt, vt conditori omnium sua magis placeret deuotio, Patris spiritualis fulta consilio. A quo verbum exhortationis plenè accipiens, & perfectè edoctus; quia non inchoans, sed perseuerans in bono certamine coronatur, acceptâ Christo duce licentiâ, & dato pacis osculo Patri Fratribusque vniuersis, sexto decimo ætatis suæ anno seiunctus à magistro, plenus Spiritu sancto, secessum petijt cuiusdam deserti, paternis finibus adhærentis. In quo loco habitacula construxit loco & tempori congrua. Oratorium quoque inibi, quod sub posteris eius adhuc florere perhibetur, aptis decoratum ædificijs fabricauit.

ibique austeram vitam sanctè ducit:

12 Vbi etiam gradum Presbyterij meritis dignissimus suscepit, atque cum duodecim Presbyteris, sub suo imperio deuotissimè Deo famulantibus, aliquamdiu illic permansit. Qui sacræ lectioni assiduè operam dabat, Patrumque sanctorum cælestibus informabatur exemplis, meditationi quoque inuigilans, reuocabat ante oculos mentis, quæ totâ voluntate amplectebatur, mandata Domini. Orationum prætereà studijs B inuigilabat indefessus, ne aliquâ callidissimi hostis fraude munitum vndique eius animæ violaretur quoquomodò claustrum. Biduano denique sæpiùs vel triduano corpus affligebat ieiunio, vt purum contriti cordis sacrificium tantò digniùs immolaret omnipotenti Deo, quantò studiosiùs carnis sugillaretur delectatio: cibus namque eius post longam corporis macerationem panis erat æquâ trutinâ pensus cum sale sicco: diebus verò solennibus addebat huiusmodi dapibus tantummodo paucos pisciculos pro magno apparatu. Bipedis autem, vel quadrupedis carnem, in omni vitâ suâ nec gustu legitur contigisse: vinum quoque, & omne quod statum mentis possit vexare, exceptis Missarum solennijs, numquàm penitùs libauit; quippe qui nullo modo vel aquam sumebat, quantum naturę necessitas exposcebat.

a CAP. VI *Rex Marcus de eo aduocando deliberat:*

13 Rex quidam, Marcus nomine, in vicino *a* florebat eodem tempore, cuius imperij dominatus leges dabat quatuor gentibus, linguarum famine dissidentibus: hunc ergo minimè latuit fama celebris Pauli beatissimi, qui conuocatos suæ potentiæ optimates, ita allocutus est: Animæ meæ intentio diuersas apud se examinans fidei sectas, ex omnibus solam elegit sequi vnitatem Catholicam, quę & regna nostra pace tueri, & nobis valet felicem vitam largiri. Quare si meæ deuotioni, ô fideles, concordatis & plenè fauetis, B. Paulum vobis huius sanctæ institutionis eligite magistrum, quem felix opinio meritorum omnibus celebrat venerandum. Et sicut me in terrenis negotijs terrenum principem per Dei voluntatem habetis, ita eum C eligite perpetuò habere præuium & doctorem in cęlestibus mandatis. Fauentibus eius sententiæ cunctis principibus, Rex subsecutus ait: Mittantur ergo strenui viri, qui eidem beato viro nostram voluntatem prudenter aperiant, & totius imperij nostri deuotionem & affectum erga fidem sanctæ Trinitatis humiliter manifestent edicantque salutem animarum nostrarum in eius manu subsistere, aduentum præsentiæ ipsius nos omnes orare; & vt venire acceleret, suppliciter obsecrare.

quem Paulus cum suis in fide instruit;

14 Exultantibus vniuersis, & animo Regis hoc sanctum propositum cœlitus infusum acclamantibus, iuxta quod imperatum fuerat, humilibus verbis euocatur Paulus sanctissimus. Cui cùm graue videretur, quod imperabatur, occurrit illud Apostoli præceptum; Quia qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; annuensque Regis sancto mandato, comitantibus duodecim Sacerdotibus secum degentibus, peruenit ad locum, qui Vannedos *b* dicitur, Regem petiturus.

Rom. 13, 2

b

A quo benignissimè est susceptus, & pro vitæ sanctitate condignè est habitus; qui vniuersis sanctæ religionis doctrinam tradens, pauco in tempore, tam Regem quàm vniuersos circum manentes, & Catholicæ fidei documento, & bonorum operum plenè instruxit disciplinâ & exemplo: *c* nam vitæ meritis commendabat, quidquid verbo annuntiabat: Nec poterant ei fidem cordis non adhibere, qui stupebant miracula virtutum, quæ fiebant quotidie. Cùmque magno studio diu inibi verbo & vitâ instrueret, fidelium mentes, Rex Marcus tanto magistro gloriosus tam per se quàm per suos principes cœpit eiusdem beatissimi Pauli aures, vt pastoris officium super eos susciperet, pulsando orare. Quæ res multis ei vicibus repetita plus exeundi quàm ibi manendi extitit causa: fertur quippe eum sæpè dixisse, per plurima maris nauigando spatia libentiùs se remotam petere cuiuslibet eremi vastitatem, quàm Pontificalis suscipere oneris curam. D

c

CAP. VII *donec imponendum sibi Episcopatum metuens*

15 Sanctorum namque deuotio tantò puriùs diuinæ contemplationi mentis solet infigere oculos, quantò studiosiùs pedem subtrahit à mundanæ conuersationis laqueo: non enim quieta valet apud se manere anima, dum ad diuersa rerum rapitur studia: Vnde sancti viri seculi certant fugere frequentiam, vt cultum iustitiæ silentium creatori suo cum carnis maceratione offerre puriùs valeant. Inter quos singulariter emicans sanctissimus Paulus vitæ meritis gloriosus; dum supradicti Regis societate à proposito sanctæ conuersationis aliquantulùm diuersis occurrentibus negotijs reuocaretur, remota eremi expetere desiderabat votis omnibus. E

monetur ab Angelo alio migrare,

16 Exire ergo velut alter Abraham de terrâ natiuitatis suæ studiosè cogitabat; sed locū, in quo secretiùs posset vacare Deo, totâ mente reuoluebat: se namque & suum velle ita omnium factori commiserat, vt more Israelitici populi, suum stare, suumque de loco transire, ipsius præstolaretur fieri imperio. Quod dum longâ orationum vigiliarumque instantiâ exposceret, quâdam nocte membra sopori dans, ecce angelici decoris iuuenem sibi assistere conspicit; qui mentis eius votum replicans: Vade, inquit, & secundùm voluntatem tuam mutare istum locum ne dubites: Dominus quippe tecum est, à quo nusquam tua discrepat sententia. Quòd si de loco hæsitas quem petere debeas, me præuium & ducem iussu summi Imperatoris te habere scias vbique, teque ad locum deducam, quò ire mandat Omnipotens. Qui somno sese excutiens, & de tam clarâ visione exultans, Christo Domino gratias egit, qui semper adesse consueuit fidelibus suis.

impetrat à Rege licentiâ

17 Facto autem manè, visionem Regi Marco per familiarissimos mandat, & vt ei licentiam exequendi mandatum Domini amicabiliter donet, humiliter exorat. Sed Rex, gratâ sancti viri familiaritate illectus, & visionem timuit, & quod petebatur ad præsens denegauit. Quod cùm venerabili viro Dei renuntiatum fuisset, per sese Regem adijt, & se differre nullo modo posse diuinum oraculum edicit. Parui, inquiens, tuæ iussioni, O Rex Serenissime, dum huc venire properaui in obsequio tuæ libertatis, & si tibi parui, quantò magis cælorum Regis parere me oportet imperijs, qui me locum mandat mutare, cui nullatenus debeo contraire. Sed à vobis abscedens corpore non mente, beneuolam vestram expeto licentiam, cuius perpetuam complector amicitiam. Noui nempe in nullo vos velle Dominicæ voluntati dissentire. F

non tamen tintinnabulum concupitum:

18 His dictis abeundi licentiam, licet inuitus, Rex ei tribuit. Quâ acceptâ, vnum tintinnabulum pro benedictione à Rege beatus vir petijt. Mos quippe erat septem tintinnabula pulsari ad mensam Regis discumbentibus famulis, quod minimè Rex tribuit, sperans virum, cuius abscessum ægrè ferebat, ad se reuer-

A reuersurum pro caussâ huiusmodi. Sed Rex regum & Dominus virtutum; qualiter vnum excellentius, & & clarius ex eisdem famulo suo donauerit; posterus styli ordo enarrabit. Venerabilis autem Dei amicus, se suumque iter gubernatori omnium committens, viam aggressus, prospero cursu ad domum suæ germanæ, super littus maris Britannici sitam, lætus peruenit *d*. Erat autem eadem soror eius ab infantiâ Christo diuinis mandatis insistens mente deuotâ; apud quam frater gloriosus tamdiu hospitatus est, quamdiu pararentur omnia itineri congrua.

CAP. VIII ad sororem suam nauigat,

19 Perfectis omnibus, & paratâ iam naui in littore maris, B. Paulus inter salubria vitæ cælestis colloquia, inter fraternæ caritatis dulces affectus, sorori suæ in crastino se velle discedere dixit. Quo verbo conturbata Dei ancilla fraterno desiderio plena, respondit: Si me ita disposuisti relinquere, vt in præsenti vitâ nequeam ampliùs angelicam vultus tui faciem cernere, quæso vel vnius hebdomadæ spatiolo dona mihi præsentiam tuam, vt cælestibus mandatis pleniùs informes animam meam. Cui frater ait: Vides, sanctissima soror, quemadmodùm me solum expectenit vniuersa, nauis apparatus, sociorum comitatus, & auræ inuitantis congruus flatus. Sed ne tuam B dilectionem offendam, tres dies tecum faciam. Orto autem die tertio, prænoscens Dei famula fratrem in proximo discessurum, obortis lacrymis inter cetera fraternitatis eloquia, eum humiliter sic obsecrare cœpit: Quia difficile est, frater carissime, te mutare sententiam, quâ semel decreuisti amore omnipotentis Dei patriam penitùs fugere & propinquos; præsta quæso mihi, tuæ dilectæ sorori, paruæ emolumentum virtutis, quod tuum erga me longum testetur amorem & fraternam dilectionem. Confido enim in Domino, quia quidquid ab eo petieris, impetrabis.

ab eâque rogatus,

20 Cui frater respondit: Quidquid illud est quod obsecras, si mea infirmitas præstare valet, libens annuo; quod si vltra vires nostras fuerit, gratiam & auxilium Domini nostri implorabimus, vt ipse perficiat, in quo minùs valemus: tu tantùm quod velis edicito. Hâc sponsione lætificata soror, non sibi soli, sed & omnibus eiusdem insulæ incolis vtile donatiuum petijt, dicens: Hæc quam incolo insula, & mundo semota, & Christo famulantibus apparet quàm sit iocunda: arctatur autem hinc malis cohæredibus, hinc immensis marinorum fluctuum inundationibus, nostra hæc confinia plus solitò cooperientibus. Te verò Omnipotentem inuocante, incunctanter credo hoc tantillum locum tuis precibus dilatari posse. Facilè enim impetrabis quod desidero, si preces conuerteris ad Deum super hac re vt obsecro, vt & fluctus maris statuto coërceantur alueo, & terra optata aliquo nobis amplietur spatio. Ad quam frater venerabilis inquit: Quia petitio tua maxima est, & vitæ nostræ meritis impar, iunge preces, & communi oratione Dominum nostrum inuocemus, vt gratia sua quod petis præstare dignetur.

expulso mari, terræ spatium laxare,

C

21 Quibus in orationem prostratis, & adhuc orantibus, subitò per Dei misericordiam, quæ semper seruis suis adesse assolet, mare vndas retrahere, tellus sicca apparere mirabili ordine cœpit. Quo audito & reuerà per discipulos agnito, ab oratione surgunt, & deuoto animo diuinæ virtutis præconia collaudantes, gratias supernę maiestati referunt; indéque germanâ comitante cum discipulis vsque ad littus sequi fugientes vndas est aggressus beatissimus Paulus. Appropinquantes autem ripæ, venerabilis frater dilectæ sorori imperat, vt in manibus lapillos de nouâ tellure vsque ad summum marginem maris deferat. Quò cùm peruenissent, iussit eos in latitudinem ripæ spatiosæ deponere. Nam mille passibus vel paulò ampliùs aquis exhausta, in opus sanctimonialis fœminæ per orationem B. Pauli dilata est terra.

eidem satisfacit:

usquesq; ad mille passus, remotas.

22 His peractis, genua Deo in orationem super D ripam maris flectunt. Quâ finitâ Paulus ad mare conuersus, ait: Lapilli, quos tuis finibus imposui, sint in signum inter me & te, vt denuò nunquàm eos transgredi, nec hæc nostra territoria audeas ingredi. Cuius sermonis imperium, vsque hodie conseruat inuiolabile horrendum maris elementum. Cúmque reuerterentur domum, subitò, mirabile dictu! habuerunt in prospectu lapillos, quos beata soror deportauerat, diuinâ virtute, quæ cuncta creauit ex nihilo; factos lapideas miræ magnitudinis columnas. Miro modo agente diuinâ clementiâ, vt res simplex postulata, redderetur duplicata, & perpetuò cerneretur virtus secunda, si torpore negligentiæ aboleretur prima. Viam quoque quam eâ die tenuerunt per medias illas columnas incedentem, adhuc à transmarinis Britonibus veris, semita Pauli vocitatur. Vbi verò ventum est domum benedicentes Dominum cum gaudio sumpserunt cibum; noctem denique illam in Dei laudibus penè totam duxerunt peruigilem.

AVCT. MONACHO FLORIAC.

natis mirabiliter scopulis coërcet;

23 Orto autem matutinali Sole, sibi vale dicentes, germanâ in suo proposito perseuerate, Paulus beatissimus mare petijt, nauim maturè conscendit, portúmque alacriter reliquit, Deóque cursum eius operante, iocundè ad quamdam insulam applicuerunt, nomine E Ossam *e*, ab Armoricâ regione sexdecim millibus, aut paulò ampliùs distantem. Erant autem cum eo duodecim Christi Sacerdotes, eius fidei commilitones, & alij plures affinitate carnis quàm caritatis affectu eidem sancto viro adhærentes cum sufficienti mancipio. Expositis omnibus, in loco, qui dicitur Portus boum, confestim vir sanctus insulam cultoresque eius imperat diligenter explorari, & quo iure viuendi quoque cultu vtantur agnoscere. Ipse verò cum paucis sibi aptum solitariúmque locum certauit explorare. Et penè totâ peragratâ insulâ, fundum tandem reperit, in quo fons triumphabat, limpidissimam aquam ebulliens & gratam fœcundo germine camporum superficiem decenter irrigans; in quo loco tum amœnitate loci, tum fatigatione itineris prouocatus, paruo oratorio ædificato cum modicis appendicijs, vir beatissimus aliquantulo tempore permansit.

& cum socijs versus Armoricam nauigans,

locum sibi solitarium eligit in insula.

a *Romanum Marci nomen Britonem indicat ex ijs aliquem, qui in VValliâ collecti libertatem suam vtcumque tuebantur.*

b *fortè* Lanidios *in Comitatu Mont-Gomeriensi inferioris VValliæ.*

c *Non crediderim aut Regem aut subditos eius planè fuisse gentiles: sed Christianæ religionis cultum, perturbatis rebus publicis valdè obsoletum, restaurandum fuisse à Paulo, potius quàm primò instituendum.*

d *Vide Commentarij præuij num.* 13.

e Osam *scribit Aimoinus Floriac.* Huessam: *Albertus le Grand* Ossa *insula hodie* Ouessant *& quandoque* Heissant *appellatur, & Pomponius Melas* Senam *vocat Britannici maris insulam Osismicis ob ectam littoribus: sed errasse videtur in nomine: hæc enim probabiliùs dicetur minor insula hodie* l'isle de sainct *siue* de sing *Corisopitensis tractus promontorio obiecta, cùm ista* Gobeo F *promontorio sit proxima; Brietio nostro* Vxantus, Vxanta *Thuano Comitatus titulo clara: habitationi, inquit Argentraus, idonea quam quæ maximè propter amœnitatem, fertilitatem ac magnitudinem: raros tamen incolas numerans propter infestas pyratarum incursiones, tempore belli præsertim. In hac S. Pauli monasterium vltra seculum* x *perseuerauit, vt constat ex Aimoino prædicto, lib. 3 de mirac. S. Benedicti cap, 12 Felicem S. Gildæ Ruyensis Abbatem ex hac insulâ Floriacum deducente, ad corpus* S. Pauli.

CAPVT III

Primæ in Aremorica S. Pauli sedes, & miracula.

24 ANxius autem cogitabat, vtrum is esset locus, quem ei Dominus per Angelum suum promiserat. Pro quâ re vt certior fieret, atque securiùs inibi

CAP. IX

AVCT. MONACHO FLORIAC.

A inibi construeret, singulis diebus ac noctibus Deo supplices offerebat preces. Quâdam itaque nocte, cùm membra crebris ieiunijs atque vigilijs fessa modicę quieti composuisset, Angelus Domini assistens, talia ei refert: Salubri consilio instituisti consulere omnipotentem Deum, super negotio in quo hæsitabat cor tuum: Non enim iste tibi designatus est locus. Alius quippe te expectat, in quo multiplex diuersi generis populus per te edocendus Christo acquiretur. Ne ergo timeas hinc abire: nam ad paratum tibi locum, in quo tantis finem imponere curis valeas, facili viâ perducet te cælestis potentia. In illo siquidem certam tibi in terris sedem delegit omnipotens, pro cuius amore parentes abiecisti pariter & patriam. In cælis quoque dignâ mercede, tuos refrigerabit sudores, recompensando æternæ beatitudinis pręmia inter felices aulæ cælestis Senatores. His prolatis, visio colloquentis ablata est. Ast vir Domini somno sese mox excutiens, socios conuocat, & quæ viderit & audierit patenter enarrat.

iussus ex insula porrò migrare,

25 Iubet ergo nauim instruere, iter accelerare, vt quantocyus promissam sedem capientes, tantis laboribus valeant terminare finem. Hic, inquit, noster erit extremus Deo iuuante per maria cursus. Hæc fatus, B ratem cum suis ingressus, à terris recessit, & per alta maria hymnos & laudes gubernatori decantare cœpit. Tandem autem prospero cursu ad rupem quamdam peruenit, *a* quæ Admachen dicitur, iuxta insulam quæ & ipsa Medonia *b* nuncupatur. Repertoque ibidem placito portu littori appropiare proram imperat, cunctosque mox secum ripę exponit. Denique patriam quam intrauerat perlustrans, deuenit ad quandam plebem pagi Achmensis, antiquè Telmedoniam appellatam. Ipse verò pagus Domnonensis *c* patriæ non modica pars est, Occidentem versùs constituta: in quo pago fundum reperit fontem habentem clarissimum atque suauissimum. Ipse autem locus in quo fons manat, modò Villa Petri nuncupatur, qui, vt fertur, ipsius beati viri fuit consobrinus. Ibi tandem Deo gratias agens paruum oratorium construxit, ac paucis diebus permansit.

nouam sedem in Aremorica figit:

CAP. X.

& Vinehini discipuli cellam d

26 Quidam etiam ex suis comitibus varia in diuersis locis ædificauêre habitacula. Quorum vnus remotissimum exquirens locum Vinehinus *d* nomine, qui propter arctissimam vitam & solitariam consuetudinem ab omnibus monachus appellabatur, quemdam inuenit fontem prælucidum, syluis obumbratum: qui amœnitate loci & fontis iocunditate ductus, cœpit ibi habitare constructo tuguriolo. Sed antiquus hostis bonorum semper inuidus, benigno fratri mox dispendium parauit. Quidam namque bubalus, in eis- C dem saltibus assiduus, ad fontem venire solitus, vnâ die affuit, tugurium serui Dei rabiosus deiecit, dissipauit, & cornibus hac illacque ventilauit: cuius tantus erat terror in circumhabitantibus, vt nemo auderet spectare præsentiam eius. Sed Dei seruus ab opere manuali reuersus, vt damnum vidit, aduersarij dolos intellexit, & domum resarcire patienter cœpit. Feralis autem bestia denuò ibidem reuersa, quasi insultans, omnia restaurata, absente Fratre diruit penitùs, & abijt.

à fero bubalo identidem euerti intelligens,

27 Hæc pugna, hæc altercatio inter virum Dei & bubalum vsque quater processit: iste ædificabat, ille diruebat; iste restaurabat, ille destruebat. Prædictus itaque Vinehinus cernens hostem præualere, magistrum adijt: rem tanti certaminis indicauit, vtque ad locum illum per se ire dignaretur, suppliciter orauit. Qui fratris conspiciens anxietatem, ad locum pugnæ, ceu armatus, ire disposuit. Vbi cùm venisset & iocundę amœnitatis gratiam, gramineosque campos circumspexisset: Frater, inquit, Vinehine, nisi tibi displicet, mutemus nostras habitationes. Sit mea tua, & ego manebo in sede istâ pace tuâ. At ille, magister ait, vt tuæ beatitudini dignum videtur fac. Nam tuæ voluntati in omnibus parendum censeo. Cui vir Dei: Immò non meæ, sed Dei obediendum est voluntati. Et frater, Ergo & tuæ, quæ nullo modo probatur à Deo discrepare. D

ipsum locum sibi petit,

& feram abigit.

28 Adhuc illis colloquentibus, horrenda bestia illa venire visa est; quæ cùm B. Paulum de longè ante fores tugurij penè iam restaurati astare prospexisset, pauens & tremens ad terram procidit; & propiùs demùm mansuetissimè accedens, tertiò genua flectens, flexo capite, ante pedes illius terræ prosternitur, tamquàm commissæ culpæ veniam efflagitans. Sanctus autem vir nihil moratus, satisfacienti culpam indulsit dicens: Hanc tibi noxam indulgeo: vade in pace: tantùm autem caue, ne in his locis ampliùs appareas. At bubalus caput inclinans, quasi vale dicens, abijt & penitùs recessit; ita vt à nemine postea ibidem visus sit. Fugato hoste & ad alia misso fratre, victor ibidem aliquantisper habitauit, locum fontemque benedixit, atque ibi oratorium iuxta morem construxit. Qui locus vsque hodie monasterium, siue quòd notius est linguæ Britonum, Lanna-Pauli vocatur; vbi omnipotens Deus plurima præstat beneficia, si adest petentium fides integra.

CAP. XI

discipulis siti pressis,

29 Non longo pòst tempore rursus ab Angelo admonitus, Principem regionis, ad quam venerat, adire festinauit. Locum etiam quærere iam dudum desiderabat, in quo secretiùs posset operam dare E deuotis orationibus. Iter ergo prosequens cum suis omnibus peruenerunt ad quamdam plebem, quam circumadiacentes incolæ Lapidos appellant, in vltimâ parte pagi Leonensis, iuxta littus maris Britannici constitutam: in cuius plebis finibus longa via fatigatus assedit Beatus vir Paulus. Discipuli autem eius, licet grauiter fessi, cogente siti, syluas passim peragrantes, aquam, si fortè inueniant, exquirunt; & nusquam reperientes, ad virum Dei cum dolore redeunt, & in articulo mortis suam vitam laborare proclamant præ sitis necessitudine, quam solis ardor augebat nimio feruore. Numquàm sese è tanta solitudine regressuros protestantur, nisi mox adsit aliquod potandi genus, quo possint sitim restinguere ardentem diutiùs.

aquam de terra elicit,

30 Quorum lamentationibus vir mirabilis misericorditer commotus, in oratione prostratus, Domini clementiam efflagitare cœpit attentiùs: Omnipotens, inquiens, rerum conditor, qui populo Israel in eremo aquam de venâ silicis per manum Moysi produxisti, quique in aquarum baptismate salutem animarum nostrarum præparasti, miserere huius gregis, & da nobis de visceribus præsentis telluris fontem modicæ aquæ; quo refici queat, vt de tuâ semper benedictione gaudeat. F His dictis ab oratione surgens, confidenter tribus in locis terram baculo suo percussit, tresque glebas effodi præcepit, singulas de singulis: quas euulsas protinùs tanta aquarum largitas secuta est, vt non solùm sitim adstantis cateruæ reficeret, & omninò extingueret, sed etiam copioso ductu totam patriam decoraret. Quam rem admirantes vniuersi qui aderant, gratias multiplices Deo agebant, qui semper mirabilia operatur per manus suorum famulorum.

CAP. XII

& secretioris loci opportunitatem quærens,

31 Cùmque in eodem loco membra pausaret, & potum aquæ auidè haustæ per artus discipuli diffunderent, dispositione Dei quidam locorum peritus homuncio affuit, qui sciscitatus cuius esset familiæ, quóue principe patria ipsa regeretur, postremóque de vnius loci secretissimi ostensione multùm rogatus, humiliter caput inclinans, Paulum sanctum, vultu & sermone Dominum præseferentem respiciens, ita fari adorsus est. Ego, ô Deo carissime, cuiusdam Christianissimi viri, nomine Vuithuri, porcos sequor, cuius etiam dominio tota hæc famulatur regio, donante Imperatore Childeberto *e*, cuius potentiæ tunc tem-

A temporis bellicosa parebat Francia: quòd si faciem eius videre quæritis, me præuium si placet habebitis. Locum perinde gratissimum, & remotissimum vobis, vt poscitis, ostendam. Et ne delusor videar & vaniloquus; en sequimini me, & mea libens complebo promissa. Quo præeunte S.Paulus cum suis comitibus viam publicam ad occasum *f* vergentem aggressus, vsque ad oppidum, modò de nomine eius dictum, peruenit: cuius portam ingressus, quæ ad Occidentalem plagam nobiliore structurâ modò fabricata est, continuò fontem conspexit lucidissimum, quem protinus in nomine Sanctæ Trinitatis crucis signo sacrauit: ex cuius sacrâ infusione debiles & ægroti crebrò sanantur à diuersis infirmitatibus.

f Leonensis Vrbis fontem benedicit:

32 Quod oppidum illo tempore muris terreis circumdatum, nunc cernitur locis necessarijs lapideo robore honorificè communitum. Est namque in quâdam insulâ *g*, cuius aditus solâ patet australi plagâ. Alijs quippe partibus mari Britannico alluitur, deflexo sinu in modum bene tensi arcus; situ pulcherrima, pascuis plena, seminibus grata, & omni dignitate conspicua. Dignum præterea duximus paucis designare, quos habitatores ibidem veniens offenderit S.Paulus, B nam interiùs castellum illud antiquæ structuræ diligenter perscrutanti, sus siluatica iacere visa est, ad cuius vbera sugentes dependebant porcelluli. Quo tempore cùm sit ferocissima, beati viri manu molliter blanditâ, ac si prioribus annis fuisset edomita, deinceps permansit domestica, ita vt per plures annos illic durauerit progenies eius, inter reliquos patriæ porcos quasi regalis & præcipua. Aluearium quoque in cuiusdam arboris antro inuenit, mellis apumque benigno munere refertum: quo sine violentiâ partito, innumera referuntur repleta vascula. Bestias autem naturâ ferociores quas reperit, solo imperio procùl fugauit. Vrsus namque in illis regionibus immanis factus, præsentiam sancti viri aufugiens, in paratam fossam præceps corruit, collùmque perfregit. Nam & bubalum iam ab altero loco proturbatum interdicto expulit. Quem locum eiectis pestiferis monstris, aquâ benedictâ foris & intùs aspersit, & benedixit, suumque in perpetuo consecrauit.

g & feras in loco repertas cicures reddit.

a *In 3 MS. nostro sic habemus:* ad ripam... quæ Amaceda dicitur.

b *Ab insulâ Ouessant sursum versùs boream nauiganti, trans* Gobæum *promontorium hodie* cap du Four *dictum, nulla vllius nominis hodie inuenitur insula vel apud auctores vel apud Geographos. Suspicor insulam pro peninsulâ seu potiùs prominentiâ quadam continentis accipi circa portum* kernic, *vbi exscendisse S.Paulum Albertus scribit, tribus leucis ab vrbe Leonensi distantem.*

c *Id est Britannia inferioru, sic dicta à veteri incolarum, huc* C *ex insula Britannica transgressorum, patriâ.*

d *In 3 MS.* Ioeuinus verò Presbyter in remotis tugurium construens habitauit: *atqui hic Iaoua siue Iouinus est, cuius Vitam 2 Martij dedimus, & de quo infrà iterum sub nomine Iohanij.*

e *Chlodouei magni tertio genito, cuius regnum ab anno 510 auspicandum vsque ad 558 extendi, ostendimus ad* Acta *S. Sigeberti 1 Febr. num. 64.*

f *Id est secundùm occidui maris littus: alioqui versùs septentrionem tenendum iter S. Paulo fuit, vt ad locum destinatum perueniret.*

Vrbis Leonensis situs.

g *Vereor vt in reliquâ huius capitis parte Britannicorum Scriptorum obscuritatem satis explicatam sibi auctor habuerit, ita videntur perturbata omnia: quam enim habere potest verisimilitudinem, quòd secretissimum locum requisitus & promittens subulcus, ad vrbis frequentiam Paulum deduxerit, aut quòd in ipsa vrbe stabulantes feras Paulus inuenerit? Qua autem hac insula foret? Suspicari tamen posset aliquis vrbem Osismiorum seu Leonem ad mare fuisse, vbi nunc portus est,* Roscou *dictus. Paulum verò in eo, vbi nunc Vrbs eius est, loco consedisse, aliquot passuum millibus ab vrbe & mari: ad quem deinde locum, priori fortassis per Danorum piraticas incursiones desolato, paulatim incolæ commigrarint.*

CAPVT IV

Alia S. Pauli apud VVithurum Comitem miracula.

33 POsthæc petere principem contendit, qui in quâdam insulâ, quæ quatuor millibus à supradicto castro aberat, nomine Batha, cum paucis habitans, meditationi Scripturarum inseruiebat: nam honestè refertur floruisse tā in liberalibus quàm in spiritualibus disciplinis; vnde & tumultus hominum, negotiorumque secularium lites fugiebat. Cúmque vir Dei ad eum præuio porcario iam appropinquaret, contigit obuios ei fieri cæcos, quos quidam puerulus ludificando per deuia pariter trahebat: qui vt audierunt tumultum transeuntium, quasi vno clamauerunt ore: Si principi socijsque dona in promptu sunt quæ erogentur, quæsumus nostri misereri. Quod audiens benignissimus Paulus, misericordiâ motus, genua flectens diutiùs orauit: surgens autem, ait ad illos: Dona, quæ poscitis, minimè habentur: sed quod vtiliùs est præstet vobis Omnipotens Deus. Et accedens ad illos, dixit: Qui aperuit oculos cæcorum clamantium; E Iesu fili Dauid miserere nostri, ipse vobis lumen amissum reddere dignetur. Statimque supposito oculis eorum baculo, quem gerebat, aperta oculorum lumina mirantur peregrinum solem, & suum deuotè collaudant creatorem.

CAP. XIII Ad VVithurum Comitem proficiscens

duos cæcos illuminat,

34 Paruo quoque viæ emenso spatio, rursùs offendit duos, qui linguæ carebant officio, & pro plectro manuum vtebantur signo. Quibus æquè misertus, Domini gratiâ & linguæ beneficium reddidit & proprio factori grates exsoluere admonuit. Inde procedens, quatuor iterùm paralyticos in grabatis portari conspicit: qui cùm eleëmosynam peterent, illud Apostoli Petri responsum audire meruerunt: Argentum & aurum non possideo, quod autem per Dei clementiam valeo, hoc vobis do. In nomine Iesu Christi Domini surgite & ambulate. Qui mox exsurgentes ambulabant, & gressibus pedum & melioratione morum. Qui vniuersi præfati ne nomen suum diuulgarent, ab eo sunt admoniti: sed abeuntes impossibile duxerunt non prædicare, in se ostensam virtutem.

totidem mutis loquelam donat,

quatuor paralyticos sanat.

35 Transiens autem vir Domini cum comitibus suis quemdam vadum, Globam dictum, peruenit ad locum, propriè Secretum appellatum, in quo diu quæsitum reperit Comitem Withurum, describentem studiosè libros quatuor Euangelistarum *a*. Quem vir Domini humili salutauit eloquio, & mox ab eo F cognitus, resalutatus est sermone congruo; profusisque lacrymis præ gaudio, caritatis diu inhærentes osculo, tandem consederunt alterno imperio. Nam geminæ astringebantur vinculo dilectionis; quoniam & consobrinos fecerat eos carnis alta origo, & fratres coniunxerat alternus amor in Christo. Cúmque vir mitissimus, sciscitanti Principi suos suorúmque labores viarúmque cursus, perorans, ad id loci peruenisset, quo à Marco Principe recedens tintinnabulum petisset, & non impetrasset; subitò is, cui piscium gurgustij cura commissa erat, vtrâque manu oneratus introiuit. Nam hâc grandem esocem, alterâ clocam portabat mirificam.

CAP. XIV & benignè susceptus à Comite a

accipit tintinnabulum,

36 Quod cernens Comes, & gratias Deo agens, tanta munera diuinitus Pauli meritis missa, licet auersantis, attestari cœpit dicens: Paule frater, donec huc venisti, nec tanti pretij piscem, nec aliquam clocam aut hoc pelagus aut piscator mihi præsentauit. Dum autem iubente Principe vt pulsaretur sonum illius amicus accepisset, plus solito paululùm exhilaratus, honesto vultu ridere cœpit: qui interrogatus curnam rideret, respondit: Cymbalum præsens spiritum

AVCT. MONACHO FLORIAC.

A tum meum exhilarauit, hoc enim verè est illud, quod me prædixi à Rege dudum petisse, & minimè impetrasse. *quod à Marco Rege petierat,* Gratias autem omnium rectori refero, qui, cui vult & quando vult, sua dona largitur. Omnia enim nutu ipsius ordinantur: vnde & ab homine frustrà quid petitur, quod nolente ipso adipisci nequaquàm meretur. Versis igitur precibus ad Deum, quod piè desideramus humiliter queramus; quia eo fauente facilè consequemur. Quod si orata aliquoties differuntur *b*, nobis desperandum non est, sed deuotiùs in eius misericordiâ confidendum: nam idcircò vtique fit vt mirabiliùs concedantur, dum nostram patientiam approbauerit omnipotens Deus, quod & in præsenti signo claré manifestatur. Nam ad te mirabiliter allatum est, vt tantò cariùs suscipiatur, quantò fideliùs ab ipso, & non altero nobis transmissum & creditur & videtur.

ac Deo gratias agit:

37 Quod libenter Comes audiens, ait ad illum: Paule omnipotentis Dei amice, Quis hominum insanior eo, qui contraire vult Deo? nulla quippe prudentia, nullum consilium procedit contra Deum. Tu ergo libenter munus suscipe, quod licet per nos tribuatur, tibi tamen transmissum diuinâ virtute cognoscitur. At ille gratias Deo debitas reddens, Comiti pro tali dono benedixit. Hæc verò cloca, à populo Letanorum *c* Hyrglas, à colore metalli & à formâ compositionis nomen accepit: B viridis enim & oblonga esse conspicitur. Cuius sonitu, obtinentibus meritis S. Pauli, non solùm languores vsque nunc fugantur; sed etiam tactu quemdam mortuum reuixisse, qui viderunt, attestantur.

CAP. XV *serpentem isstic loci horribilem,*

38 Posthæc inter amicæ familiaritatis grata colloquia, Comite referente, cuiusdam serpentis intercessit mentio inaudita: cuius ferocitas magnâ ex parte Orientalem eiusdem insulæ plagam sibi vi vendicarat: crudelitas autem & ingluuies eius tanta erat, vt binis hominum totidemque boum cadaueribus vix pacari posset. Ad quem expugnandum sæpè ego, inquiens Comes, & pueri mei armati processimus, & non solùm eum in aliquo lædere non valuimus, sed multis necatis, vix pauci euasimus. Talis namque est natura illius, vt cùm pedibus careat, squammis, quę ei vsq; ad imam aluum ferè protenduntur, quasi vnguibus, costis verò velut cruribus innitatur. Neque tamquàm serpentes reliqui gradatim, nunc porrigendo nunc contrahendo partibus corporis motum explicat, sed alternis conatibus velociter circumfert. Vt per spinæ curuaturam costarum aciem tendere videatur, & ita costis sursum erectis, squammas vt vngues terræ infigat.

& valdè noxium

39 Quod celeriter agendo, non tantùm plana perlabitur, sed etiam conuexa conscendit, tot vestigijs viam signans quot costis. Et ideò à tergo, vt à silice missa resiliunt iacula, omniáque inaniter resultant tela; C tumque irâ feruente, morsu comminuere & proterere & halitu pestifero quæque obuia perdere assolet. Sonitum verò alicuius mox vt audierit, tumida colla saxo molari, si fortè inuenerit, superponit, posterioribus eius longè extensis; est quippe immensæ magnitudinis, ita vt à capite vsque ad extrema caudę, centum viginti *d* aut eo amplius pedes referatur habere. Quod audientibus incredibile iustè putaretur, nisi qui viderunt, attestarentur. Nam vt fides adhibeatur, locus ipsius habitationis modium ac semissem sementis *e* hordei, quod in eâdem insulâ abundare perhibetur, capere dicitur, colonis adiurantibus. Sed B. Paulus vt hæc audiuit, illicò surrexit, & se velle talem bestiam videre dixit. Extirpanda sunt, inquit, semina huiusmodi monstri quantocyùs: caput siquidem illius citò Deo auctore prosternetur *c* tantùm adsit, qui mihi præbeat ducatum itineris.

aggreditur:

40 Contradicente Principe, cum iuramenti assertione vir Dei protestatus est nec panem nec aquam se gustaturum, donec iniquum Christiani populi vastatorem cerneret, & aut ipse vinceretur aut vinceret, D plebem vniuersam liberando à tam diræ depopulationis dominio. Hæc locutus multis comitantibus, quid ageret videre volentibus *f*, peruenit tandem ad locum in quo rapinam exercere, vltra terminos solitos exierat: ast vt tumultus aduentantium audiuit, de more caput eleuat, & ad pugnam sese continuò præparat. Intuens autem Beatum virum sibi, tamquàm valentiorem, vexillo crucis armatum occurrere, flexis luminibus contremuit, fugæque subsidium quærenti effectus est protinùs similis. Sanctus verò Paulus memor Dominicæ promissionis, quâ milites proprios Christus Dominus corroborat, quia calcabitis, inquiens, super serpentes & scorpiones, & non nocebunt vos, propiùs illi incunctanter assistens, Quid hîc, inquit, maligne hostis machinaris? Cur has hominum sedes inuasisti? Quomodò hæc nostri iuris territoria adire, inhabitare, postremò deuastare præsumpsisti? En cognosce, miser, Dei mei virtutem, & depositâ elatione, quâ hactenùs tumuisti, seruuli eius statim perfice vocem.

atque alligatum, ad mare deducit.

41 His dictis, stolâ, quâ induebatur, collum serpentinum astringens, baculúmque suum arripiens, viâ quæ Borealem plagam respicit, velut canem furiosum, sæpè feriendo, tamquàm inuitum sequi, vsque ad mare serpentem venerabilis homo deduxit: E quem in confinio terræ & maris Sanctus respiciens, ait; Antequàm marinis charybdibus demergaris, cærulea extende colla, & mea recipiam indumenta. Quo recepto, in præcipitium maris iussit eum abire *g*, cum interdicto præcipiens, ne vllis Christianorum regionibus denuò accederet, aut quemquam hominum quolibet pacto ampliùs noceret. Quo dicto, citiùs disparuit. Eo præcipitato, qui ad tam mirum spectaculum venerant, gratias Saluatori omnium Christo retulerunt, exultantes sese ab ipso propè mortis articulo liberatos. Videns verò præfatus Comes Insulam à mortifero hoste mirabiliter ereptam per B. Pauli intercessionem, cum eadem scilicet insula & prædictum oppidum, & quem ipse conscripserat Euangeliorum textum perpetuâ donatione eidem beatò viro libentissime impertiuit, censumque illic debitum pariter delegauit.

a *Ita MS. cetera præter tertium, in quo* insula baiz *nominatur: vulgò* l'isle de Bas *: à baculo S. Pauli, inquit in Vitâ S. Iaoua Albertus, cui circumligatum serpentem ille enecauit, quod nescio an fidem mereatur. Scripturarum autem, cui eum VVithurus vacabat, studium inferiùs exponit de libro quatuor Euangeliorum, quem idem Comes à se conscriptum S. Paulo donauit; & Albertus testatur in Leonensis Ecclesiæ thesauro conseruatum, anno 1352 argenteis laminis inauratis fuisse coopertum, liberalitate Guilielmi de Rochefort Episcopi Leonensis.*

b *Boscius in Bibliothecâ Floriacensi ex eiusdem monasterij membranis antiquis fragmentum habet Vita ab hisce verbis ad finem.* F

c *ita* Aremorici, *præsertim inferiores, circa Leonensem tractum vocantur: de cuius nominis origine alibi à nobis actum est: seruari autem dictum Tintinnabulum in thesauro Ecclesiæ Leonensis, ait Albertus.*

d *citat Boscius in huius rei confirmationem de magnis serpentibus agentes Thomam Bosium p. 1. Tom. 2. de signis Ecclesiæ sign. 72 cap. 17. ex Plinio & Solino, & Philippum Camerarium Medit. Hist. parte 2 lib. 1. cap. 19: quæ tanti apud nos non sunt, vt non credamus ementienti superiectione adiectos esse pedes vt minimùm centum: etenim prodigiosè longus fuerit qui ad mensuram pedum viginti peruenerit. Albertus pedes sexaginta vel reperit, vel fecit, ne nimiùm impudens hyperbole foret.*

e *Id est quantum terra tali hordei mensurâ solet conseri.*

f *Addit Albertus, ceteris eminus subsistentibus, nobilem vnum ex Parochiâ Cleder comitem S Paulo iuisse: cui propterea VVithurus nomen* Ker-gour-na-tokh *fecerit, quod eum significat qui nescit fugere: vnde genus se trahere iactat huius nominis familia, cui inter alias prærogatiuas ius exinde manserit Dominicâ post Octauam SS. Petri & Pauli ad oblationem accedendi cum gladio & calcaribus aureis: quæ non magnam apud nos fidem obtinent.*

g *Ait idem verticem aquarum ad borealem insulæ angulum etiam hodie ab illo euentu* Touil-ar-sarpant, *serpentis abyssum dici.*

CAPVT

CAPVT V

S. Pauli Episcopatus Legionensis, in eoque Vicarij.

CAP. XVI *S. Paulus Episcopus consecrandus,*

42 IN quibus locis venerabilis, in seruitio omnipotentis Dei perseuerans diebus ac noctibus, vsque ad vitæ suæ finem permansit: ipse autem Withurus cum eiusdem benedictione Sancti ad alia loca habitaturus commigrauit. In quâ Insulâ & ecclesiam decenter, adiectis alijs ædificijs, fabricauit, & sibi dilectum prædictum oppidum basilicâ honestauit, & habitatoribus plurimis decorauit. Cúmque orationibus dies noctesque continuaret, & virtutum radijs totam patriam illustraret (erat enim verè lucerna ardens & lucens) iniji totius populi multitudo consilium, eum sibi constituere Episcopum & suæ salutis fideique magistrum: sed præuenti sunt saniori consilio sui Principis Withuri. Nam ex hâc re sæpè orauerat: sed quod nequiuit precibus impetrare, arte vsus est, vt quomodolibet iuxta votum populi Episcopus efficeretur.

ad Childebertum Regem dirigitur.

43 Veri enim similia fingendo ad sanctũ virum peruenit, & coram eo humiliter suas preces fudit, dicens: Ex quo, vitâ mihi carior Paule frater, Francorum Rex Childebertus hanc regionem meæ solicitudini regendam commisit, nec per me, nec per fidum aliquem Legatum cum eo colloquium habui: quapropter diuersa meum animum vrgent incommoda, super quibus ipsum Dominum meum consulere perutilis est mihi sententia: nullúmque reperio vtiliorem te ad eum dirigere, si inueni gratiam in conspectu tuo, cùm intimus mihi sis, & hoc negotium solus efficaciùs peragere possis: omnia autem itineri tuo necessaria, à me tibi subministrabuntur. Prædictum verò regem vbi adieris, litteras annulo ipsius, quem mihi à se discedenti donauit, signatas, quas tecum portabis, ei mox præbebis; ipse verò protinùs suum recognoscet indicium. Perlectis litteris, quidquid verbis aut reciprocis litteris meæ humilitati mandauerit, sagaci animo referes nobis.

B

Ad eumd. profectus

44 Litteræ autem in hæc verba scriptæ erant. Cùm acceperis, Domine mi Rex, hanc epistolam, scito quòd miserim ad te, ego famulus tuus VVithurus, istum virum Dei, nomine Paulum; vt, licet inuitum, nobis orantibus, ante tuam præsentiam ordines Episcopum. Hoc enim officium, cùm sit dignus & idoneus, multis vicibus admonitus, se abnuit accepturum: nam præ omnibus nostræ vel ætatis vel patriæ huic ministerio attestamur, tum sapientiæ doctrinâ tum vitæ merito, eum esse dignissimum. Paulus autem eius mandatis annuens, assumptis duodecim Presbyteris & pluribus mancipijs, Dei fretus auxilio, viam aggressus est. O beata simplicitas, quæ omnia credis, & neminem fallis. Ecce venerabilis Dei famulus causæ ingenium efficitur, per quam recipiat quod non vult: & tamquam veræ innocentiæ paruulus, portat quodammodo vinculum, quo ligetur, vt alios absoluat. Nam vicem Beati Petri Apostolorum principis suscepturus in terris est, vt quod ligauerit, ligatum, quod absolueret, fiat absolutum in cælis. Iter ergo prosecutus tandem peruenit Parisios, vbi regem suppliciter adijt, cui, quod ferebat, tradidit.

C

cogitur Episcopatum admittere:

45 Rex verò sigillum protinùs soluit, & lectis litteris, ad Paulum conuersus ait: Paule Christi amice, vt quid diuini muneris talentum tibi cœlitus commissum fratribus impendere distulisti? Cur iugum Domini suaue, & onus eius leue hactenùs ferre noluisti? Quem locum excusationis habiturus eris in illo districti examinis die, cùm habeas posse vt plurimis valeas prodesse, quare deest tibi velle? Respice & cognosce Deum nostrum sua largientibus præmia repromittere, auaris autem & fratribus minimis nihil indulgentibus supplicia minari. Tu ergo vt audire vales: Euge bone serue & fidelis supra multa te constitutam, pauca quæ tibi commissa sunt fratribus impertire stude, susceptâ per me eorum curâ & solicitudine. Sanctus verò Paulus culpæ, quâ arguebatur inscius, stupefactus ad terram prosternitur, veniam orans, promittendo sese omnia perfecturum, si hæc quæ dicebantur apertiùs sibi redderentur.

D AVCT. MONACHO FLORIAC.

& consecratur.

46 Childebertus rex eum de terrâ eleuans & Præsulis cuiusdam baculum accipiens, Suscipe, inquit, pastoralem gradum, quo officio queas prodesse saluti plurimorum. Et euocatis tribus Episcopis, qui eum benedicerent, vir Dei perfusus lacrymis, volens nolens suscepit, quod multo tempore distulit. Cui benedicto, statim Rex gloriosus *a* Agnensem, Leonensemque pagos, cum sibi debito reditu, regiæ auctoritatis præcepto tradidit. Singulis verò diebus eum honorificè mandauit suscipere per regias sedes, quousque suam diœcesim intraret. Sicque acceptâ reuertendi licentiâ, Regi gratias agens valedixit. Ingrediens autem diœcesim sui Episcopatus, cum multâ exultatione totius populi susceptus, & in suâ sede locatus, per plurima tẽpora pastoralis curæ officio functus, tot & tantas virtutes operatus est, vt si eas scribere velimus nec lingua ad loquendum, nec manus sufficiet ad scribendum. *b* Destructa sunt igitur templa idolorum, quia per totam Britanniam Paulo doctore effulsit claritas operum bonorum. Nam quique insignes certabant creatori Deo deuotis animis ecclesias fabricare, monasteria construere, in quibus se suosque diuinæ manciparent militiæ. Confundebatur si quis paganus inueniebatur, Pauli sanctissimi signis admirabilibus & stupendis virtutibus: molliebat perfidorum corda prædicatio sancta, cui consonabat prædicantis vita. Demulcet enim hominis mentem videre, quod audit, in prædicante.

a

reuertitur,

E

b

CAP. XVII *Diœcesim Leonensem excolit*

Iohannium,

47 Cùm iam per totam regionem vnius fidei gratiâ Ecclesia polleret, æternáque vnius cantilenæ concordia consonaret, beatissimus Paulus senectute fessus coram omni populo vnum ex discipulis suis, Iohennium nomine, vt suo officio fungeretur, instituit: cui per vnum annum ministranti, & in Christo dormienti, alium ex suis Tiernomailum appellatum, honorificè subrogauit; qui per annum & diem vnum functus iniuncto sibi officio, quieuit in Domino: quo defuncto, vir venerabilis paruo tempore suo rursus inseruiit officio. Sed deficientibus viribus, iterum quemdam ex suis Cetomerinum nomine, vt pro se ministraret, ordinauit. Die autem ordinationis eius quid contigerit enarrare dignum duxi. Indgualus *c* cognomento Candidus, Domnonensis patriæ magnâ ex parte Dux nobilissimus, Sancti Samsonis consobrinus, fortè tunc aduenerat, vt Pauli orationibus sese commendaret: in cuius præsentiâ dum quidam cæcus clamaret, miserere mei, Paule serue Dei; tactus manu Sancti continuò lumen recepit. Viso hoc miraculo Dux, territorium quod modò dicitur ex nomine Pauli, mox pro redemptione animæ suæ eidem viro venerabili tradidit. Qui eius orationibus commendatus, benedictione acceptâ, remeauit ad propria.

Tiernomailum,

& Cetomerinum loco suo instituit:

c

F

Atque in Batham insulam migrat:

48 Beatus autem Dei famulus: Sedem suam prædicto Cetomerino relinquens, migrauit ad Batham insulam, vbi cum plurimo grege monachorum, sub magisterio ipsius iure viuentium, multum temporis peregit, ita vt præ grauitate senectutis penè consumptis carnibus, cutis arida videretur adhærere ossibus, & quasi per vitrum lucidum, ita per palmam eius cerneres micare solis radium: hoc ita esse sacrosanctum corpus eius multis temporibus intactum & incorruptum permanens, pluribus fidem præbuit. Nam speciem & integritatem quam assumptâ animâ habere

visum

AVCT. MONACHO FLORIAC.

visum fuit, longo tempore seruauit. Quâ verò causâ nunc diuisum sit, huic operi minimè est interserendum.

prophetia Spiritu illustratus.

49 Inter cetera quoque sancti Spiritus dona, cùm eidem beatissimo appropinquaret terminus vitæ: continuis orationibus promeruit assequi gratiam prophetiæ. Nam quæ erant in proximo ventura populis circumhabitantibus prænuntiabat. Gladium, terræ sterilitatem, & diuersas pestes precauere orationibus & eleemosynis suadebat: multa etiam de his, quæ post mortem eius fierent, multò antè prædixit: nam futuram concertationem inter monachos ipsius insulæ & oppidi clericos cum suo Episcopo circa corpus suum præmonuit, & quâ pace eorum altercatio dirimeretur, designauit. Normannos quoque ad eamdem insulam venturos fore, & omnia ædificia eius destruere, comburere, & pessumdare vsque ad solum, denuntiauit. Quod ita contigisse, sicut vir Dei prophetauerat, notum est vniuersis: nam post eius transitum breui tempore emenso *d*, crebris irruptionibus eamdem insulam vastare, diripere, & grauiter non deficiunt affligere.

a *Ita Boscius & omnia MSS credo tamen eumdem esse qui superiùs* Achmensis *dicitur: nam & Albertus* Akh *vertit; quod quidem nomen nusquam exprimunt tabulæ: Leonensi tamen agro proximum ab occasu versus meridiem territorium omnino censeo hic designari.*

b. *Alia quædam narrata vide in Vitâ S. Iohauij, seu Iahoua 2 Martij.*

c *Induualum semper vocat Albertus, auum S. Iudicaëlis sub Dagoberto primo florentis circa annum* 630.

d *Imò ducentis ferè annis: spectant enim ad nonum seculum, & quidem vltra medietatem productum Normannorum incursiones.*

CAPVT VI

Beatus S. Pauli obitus & sepultura.

de vicina morte admonetur ab Angelo:

50 ERat quædam cellula iuxta monasterium constructa, in quâ Beatus senex fessa penè iam fracti corporis membra post longas vigilias recreare solebat: vbi dum vnâ nocte protractis diutius vigilijs, somnum aliquantisper capere desideraret, volens eum Deus à tantis laboribus transferre ad veram requiem, per Angelum designauit ei extremum sui obitus diem. Cui in somnis apparens, tam corusco lumine domum illam repleuit, vt totius noctis tenebras amoueret, diemque lucidissimum repræsentaret, qui ad eum respiciens, dixit: Bonum certamen certasti, Sancte Dei, & felicem vitæ cursum peregisti: iam tempus est vt præmium laboris percipias cum Sanctorum choris: imminet tibi proximus dies, in quo tuæ animæ expectata recompensabitur æternæ beatitudinis merces. Lætus ergo lætum præstolare diem Dominicum, in quo tuus spiritus à corporeo carcere absolutus, ingredietur feliciter diu desideratum perennis vitæ gaudium.

de eaque discipulos admonet.

51 His dictis, angelica visio disparuit; sed lumen ablatum cum sancto viro permansit; qui sole terris infuso, discipulis in vnum congregatis, egressionis suæ à corpore diem vltimum prædixit. Præcepit autem vt, dum spiritum exhalaret, corpus eius ad monasterium, quod in agro situm erat, deportaretur, ibique sepulturæ traderetur; quod videlicet monasterium vsque hodie nuncupatur *a* Pauli oppidum. Hæc verò extitit causa translationis, ne populus ad eius Reliquias veniens maris violentiam pateretur. Sciebat quoque sicut & prædixerat circa corpus suum tam monachos quàm clericos altercari. Deinde vsque ad horam nouissimam lectione diuinâ eos instruere, mysticæ intelligentiæ sententias docere non cessauit: noctibus verò orationi incumbebat.

52 Adueniente autem exitus sui horâ, astantibus Fratribus dixit: Filioli mei nouissima exitus mei hora appropinquat. Ecce enim quod amaui iam video, quod quæsiui iam intueor; Regem Dominum Christum, cui quod sum debeo, iam contemplor. Et vniuersis flentibus & dicentibus, Quid faciemus, Pater; cui nos relinquis? respondit: Nolite filij lugendo commendare spiritum meum. Non vos mea moueat visibilis absentia, vbique enim vobis præsens adero spiritu. Habetis prætereà vobiscum pastorem electum, & in Domini fide & amore probatissimum, aliosque viros omni doctrinâ spirituali eruditos. Scitis quæ ostenderim vobis exempla vitæ, & quæ tradiderim dogmata cælestis disciplinæ. Hæc agite, hæc facite & Deus pacis erit vobiscum. Cùm hæc dixisset, acceptis diuinis Sacramentis, manum vt eos benediceret leuauit, dicens: Benedictio Dei Patris, & filij, & Spiritus sancti super vos descendat. Cumque respondissent omnes, Amen, in conspectu omnium, qui aderant, absque vllo membrorum dolore sanctam Christo animam reddidit. Quarto itaque Idus Martij, Beatus in pace quiescens, Confessor & Virgo cælum intrare promeruit. Vixit autem vt accepimus centum annis & eo ampliùs.

eisque extrema dat monita,

ac benedicit,

CAP. XX inter monachos & Clericos orta de corpore controuersia

53 Eo dormiente in Domino, exorta est inter monachos Insulæ & oppidi clericos grandis de corpore eius altercatio. Oppidanorum autem talis erat ratio: nobis iure debetur, quia noster extitit Episcopus: nobis cæcos illuminauit, & claudos proprijs officijs ditauit. Quod vobiscum circa finem conuersatus est, gratias agere debetis, quia nostrum beneficium fuit. Ipse prætereà ad vltimum commendauit, vt corpus eius nobiscum poneretur. Postpositâ igitur simultate, quod ipse præcepit, finite nos peragere. Quibus Insulani tali respondebant sententia: Si pro virtutibus eum vendicare cupitis, nobis plures patrauit. Nam quid mirabiliùs quàm quod nobiscum fecit, vbi serpentem velut canem in mare præcipitauit, & à mortis periculo totam patriam liberauit. Scimus autem quia vobis est constitutus Episcopus; sed circa finē vos reliquit, nos adijt, apud nos est defunctus, nobis iustiùs debetur: nisi apud nos iacere deliberasset, minimè vos reliquisset. Possessiones, quas vobis reliquit, diuidite: nobis cum Christo mortuis, vel mortuum finite habere, & abite.

miraculo dirimitur:

54 Episcopus verò venerabilis Cetomerinus, recolens quid sibi vir Dei adhuc viuens, commendare super hac re studuisset, duo vehicula præparari iussit, totidemque bobus subiugatis vnumquodque imposuit: quæ ita fuerunt ordinata, vt vnum ad Insulam, alterum spectaret ad oppidum. Positoque super vtrumque æquâ lance sancti corporis feretro, in ipsius Sancti electione reliquerunt, quo loco se iuberet deduci tumulandum. Mirâ autem Dei virtute ita subitò feretrum cum corpore disparuit, vt nemo animaduerteret in quorum vehiculo fuerit transpositum: sicq; vnaquæque pars suum sequens vehiculum, sperabat habere corpus depositum, pro quo priùs exercebat bellum. Sed Insulanis spe suâ frustratis, venientibus domum, vacuum apparuit vehiculum *b*. Oppidani autem cum laudibus sancti corporis thesaurum deduxerunt ad oppidum, vbi cum summo honore est sepultum: cuius meritis multa præstantur beneficia fidelibus tam ibi quàm in alijs eius sanctæ memoriæ locis, ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in secula seculorum, amen.

& corpus ad Vrbem deuehitur. b

a *Ex hoc loco clarè & clariùs ex num. 53 habetur, quod ad cap. 3 suspicabamur, vetus Leonium in ipsâ insula ad mare fuisse: monasterium autem in continenti, quod deinde per deuastationem insulæ in oppidum excreuerit: cuius loci incolæ monachi hic anticipatè dicuntur* Oppidani.

b *Idem circa S. Patricij corpus factum esse narrans Vitæ auctores.*

DE S. GREGORIO MAGNO,

PONTIF. ROMANO ET ECCLES. DOCTORE.

Commentarius præuius.

§ I Veneratio sacra apud Latinos & Græcos.

AN.DCIV XII.MART.

1 *SAnctus Isidorus, qui viuo adhuc S. Gregorio creatus est Hispalensis Episcopus, ita in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 27 auspicatur huius Doctoris elogium :* Gregorius Papa, Romanæ Sedis Apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate summus, tantoque per gratiam sancti Spiritus scientiæ lumine præditus, vt non modò illi præsentium temporum quisquam Doctorum, sed nec in præteritis quidem illi par fuerit vnquam. *Quæ eadem repetit S. Ildefonsus Episcopus Toletanus, S. Isidori discipulus, in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro, & ista addit :* Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt, exclusis omnibus illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas : vicit enim sanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, sapientiâ Augustinum. *Ob hanc eius sanctitatem nomen ipsius Gregorij omnibus planè Martyrologijs Latinis ac Menæis siue Menologijs Græcis inscriptum reperitur. Quod à nobis sæpiùs ad singulos dies profertur Martyrologium S. Hieronymi, à posteris auctum, sub calcem istius diei habet nomen S. Gregorij, & quidem in codice nostro circa annum* DCC *exarato, ista adduntur :* S. Gregorij Papæ Romensis. *In eodem Martyrologio Parisijs & Lucæ excuso, & MS. Blumiano hæc subduntur :* Romæ depositio S. Gregorij Papæ beatæ memoriæ. *Quæ planè eadem in genuino Martyrologio Bedæ absque alterius Sancti mentione leguntur, ac forsan inde ad dictum S. Hieronymi Martyrologium transcripta sunt. Eodem modo post alios Martyres refertur memoria S. Gregorij in Martyrologijs antiquioribus MSS. Lucensi, Richenouiensi, Corbeiano, Augustano, Labbeano, passim in hoc opere citatis. In reliquis Martyrologijs primo loco proponitur elogium aut saltem natale* S. Gregorij Papæ, *similia sunt MSS duo Casinensia charactere Longobardico, aliud Reginæ Sueciæ à Lucâ Holstenio maximi æstimatum, aliud S. Cyriaci à Baronio sæpiùs citatum : ita Vaticanum Ecclesiæ S. Petri, Treuirensia S. Maximini & S. Martini; Tornacense item & Laetiense. Vsuardus coniunxit cum S. Innocentio his verbis :* Romæ beatorum Pontificum Gregorij Doctoris ac Apostoli Anglorum & Innocentis *siue* Innocentij. *Quæ Notkerus aliique longis encomijs exornarunt. Bellinus aliique de S. Gregorio tantùm agunt, de quo ista apud Rabanum leguntur :* Romę, depositio S. Gregorij Papę, qui in lege Dei luculentissimus Doctor extitit, & gentem Anglorū per Augustinum & Mellitum & Ioannem seruos Dei ad fidem conuertit. *Longo eoque eximio encomio laudauit eum Ado in suo Martyrologio alijq́, postmodùm recentiores : quorum ne quidem nomina proferri debere arbitramur. In hodierno Martyrologio Romano ista habentur :* Romæ S. Gregorij Papæ & Ecclesiæ Doctoris eximij, qui ob res præclarè gestas atque Anglos ad Christum conuersos, Magnus est dictus & Apostolus Anglorum habitus.

Elogium à S. Isidoro, B *à S. Ildefonso.* *Memoria in omnibus Martyrologijs,* *vltimo loco in antiquioribus addita,* *in alijs primo loco posita,* C

2 *Cuthbertus Archiepiscopus Cantuariensis, aliique vndecim Anglo-Saxoniæ Episcopi, anno* DCCXLVII *in Synodo Clouesbouiæ congregati, inter alios Canones condiderunt hunc* XVII de festiuitate colendâ S. Gregorij & Augustini, *his verbis :* Septimo decimo constitutum est pręcepto, vt dies natalitius beati Papæ Gregorij & dies quoque depositionis, qui est VII Kal. Iunij S. Augustini Archiepiscopi atque Confessoris, qui genti Anglorū missus à præfato Papâ & Patre nostro Gregorio, scientiam fidei, baptismi Sacramentum, & cælestis patriæ notitiam primus attulit, ab omnibus, sicut decet, honorificè venerentur : ita vt vterque dies ab Ecclesiasticis & monasterialibus feriatus habeatur : nomenque eiusdem beati Patris & Doctoris nostri Augustini in Letaniæ decantatione post S. Gregorij vocationē semper dicatur. *Hactenùs Canon Synodi, quam ex vetusto codice charactere Saxonico exarato edidit Henricus Spelmannus, & confirmant Geruasius Dorobernensis in Actis Pōtificum Cantuariensium, & VVilhelmus Thornus in Chronicis. Illius ista verba sunt de Cuthberto Archiepiscopo :* Statuit inter alia Conciliorum capitula festum S. Gregorij Papæ & S. Augustini Anglorum Apostoli solenniter in Angliâ celebrari. *Apud Thornum cap. 3 §. 7 ista leguntur :* Cuthbertus anno DCCXLVII mense Septembris, in Synodo apud Cloueshof, omnibus Anglorum Episcopis subscribentibus, inter cetera illius synodalia decreuit, vt festiuitates S. Gregorij Papæ & S. Augustini Anglorum Apostoli perpetuis temporibus præcipuâ solennitate obseruentur, Rege Ethelbaldo Merciorum tunc cum Optimatibus præsente & hoc approbante. *Vbi Thornus præcipuam solennitatem appellat, prout suo tempore circa annum* MCCCLXXX *vidit obseruari. Hiberni à vicinis Anglis venerationem S. Gregorij assumptam, vt suæ genti propriam constituerent, inscripserunt suis Chronicis maiores S. Gregorij ex Hiberniâ oriundos fuisse : quæ merè apocryphorum somnia arbitramur. Colitur* XXV *Februarij S. Felix III Papa, mortuus anno* CCCCXCII, *qui fuit S. Gregorij atauus, & ipse natus Felice, Presbytero de titulo Fasciolæ, qui S. Gregorij tritauus. An vlteriùs familia ad Anicium Tertullum deduci possit, ibidem inquisiuimus.*

solemnis veneratio apud Anglos constituta anno 747. E *& Hibernos;* *non tamen maiores inde sunt oriundi.*

3 *Græciam voluerunt præ reliquis Latinorum Sanctis hunc Ecclesiæ Doctorem Gregorium annuâ solennitate celebrare, eiusque diem sacrum inscripserunt Menæis excusis ac varijs manuscriptis, alijsq́, Synaxarijs & Menologijs. At pridie, siue XI Martij memoratur in Menologio Græcorum, iussu Basilij iunioris Imperatoris circa annum* DCCCCLXXXIV *conscripto, è quo sequens elogium hactenùs ineditum damus.* Memoria sancti Patris Nostri Gregorij Papæ Romani. Imperante Iustiniano factus est hic sanctus Gregorius monachus in monasterio propè Romam. Erat autem virtutibus valdè excellens, ac potissimùm misericordiâ erga pauperes. Voluit Deus eum probare, misitque ad illum in habitu naufragi Angelum, & reperit animum ad eleëmosynas addictum. Dedit autem illi, pro vt petierat, nummos quinquaginta, deinde sex, ac tertiò alios, adeò vt marsupium monasterij auro euacuaret. Creatus posteà Romanus Pontifex conuocabat quotidie duodecim pauperes, quibus aliquando decimus tertius accessit ipsi Pontifici solus visus : cuius nomen vt sibi indicaret cùm interrogasset, audiuit quòd esset Mirabile ; & sic tacuit, intelligens quòd Angelus Dei foret. Erat prætereà omni doctrinâ instructus, & Scripturæ scientissimus, & plures lucubrationes posteris reliquit ; à se quidem sermone Latino exaratas, sed in Græcum idioma etiam translatas. Cùm ita vixisset, plurima etiam miracula operatus, in pace ad Dominum migrauit. *Hæc ibi. Ex eius voluminibus Græcè transtulerunt libros quatuor Dialogorum*

Cultus sacer apud Græcos. F

A S. Zacharias Papa Romanus, librum de Cura pastorali S. Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, de quibus infrà in Actis agitur. De tempore monachatus mox agemus.

Ordinatio S. Gregorij 29 Martij

4 Refertur eius veneratio ad diem XXIX Martij apud Hermannum Greuen in additionibus ad Vsuardum, & in Tamlactensi apud Hibernos Martyrologio, nullâ additâ caussâ. Verùm Ordinatio eius appellatur in Martyrologijs MSS. Aquisgranensi & Bruxellensi & MS. Florario. Quo etiam die ista habet Saussatus in Martyrologio Gallicano: Leodij & Suessione hoc die colitur ex antiquâ obseruatione Ordinatio S. Gregorij Papę. At meliùs eius Ordinationem ad diem III Septembris, quo peracta est, referunt alij. Ita Vsuardus in primario codice MS. Parisiensi monasterij S. Germani: Romæ Ordinatio S. Gregorij Papæ. Additur in MS. Centulensi: Diuini totius Ecclesiæ Doctoris, Anglorum Apostoli. In MS. Vaticano Ecclesiæ S. Petri ista habentur: Romę Ordinatio præclari & doctissimi Gregorij Papæ. Similia leguntur in Martyrologijs varijs manu exaratis & excusis, item apud Bellinum, Maurolycum, Canisium, Galesinium aliosque. In hodierno Martyrologio Romano isto honoratur elogio: Romæ Ordinatio incomparabilis viri S. Gregorij Magni, in Summum Pontificem, qui onus illud subire coactus, è sublimiori B throno clarioribus sanctitatis radijs in orbe refulsit.

& meliùs 3 Septembris.

§ II Vita S. Gregorij à varijs scripta. Tempus Sedis & reliquæ ætatis.

Vita S. Gregorij scripta à Gregorio Turonensi:

5 Res præclarè gestas à S. Gregorio plurimi litteris consignarunt, quorum primus posset censeri S. Gregorius Episcopus Turonensis, sed pluribus ante illum annis è vitâ ereptus. Hic libro X historiæ Rerum Francicarum ad annum XV Regis Childeberti, seu Christi DXC, describit Ordinationem S. Gregorij in Romanum Pontificem, & hac occasione vitam ad illud vsque tempus peractam: quæ hîc omissa apud illum sæpius recusum legi possunt, maximè cùm eadem in sequentibus repetantur. Primo ergo loco Vitam post eius obitum scriptam damus ab auctore Synchrono sed anonymo. Ita enim num. 26 asserit: Post obitum eius narratum didicimus à fideli & religioso viro & huic nostro Patri familiarissimo, scilicet Paulo Diacono, quem constat non diu post obitum S. Gregorij in vitâ permansisse: de quo infrà seorsim agimus. Extant hæc Acta in quamplurimis codicibus MSS. eisque peruetustis, quorum aliqui ad nostram bibliothecam spectant. Habemus eadem etiam ex MSS. Ecclesiæ Cathedralis S. Audomari, & Ecclesiæ Treuirensis S. Martini; contulimusque cùm duplici codice Reginæ Sueciæ signato numero 81 & 569, item cum præclaro codice monasterij Bonifontis in Galliâ. Huic constitueramus adiungere Vitam eiusdem S. Gregorij à Venerabili Bedâ compositam; verùm quia hæc extat inter huius opera, & simul cum lucubrationibus S. Gregorij solet excudi, statuimus omittere, ne moles operis excresceat: maximè cùm pleraque videantur ex iam C citatâ Vitâ transcripta. Græci etiam, vti opera eius varia in suam linguam habuerunt translata, ita etiam Acta eius Græcè conscripta: ex his reperimus aliqua in bibliothecâ Vaticanâ iterùm Latinè reddita, quæ ex codice 6073 nobis describenda curauimus, & hîc ederemus, nisi eadem ex bibliothecâ Dominij Venetorum descripta, & à Francisco Zino Veronensi Latinitate donata, licet alijs verbis edidisset Aloysius Lipomanus tomo VII Vitarum Sanctorum, & ante opera S. Gregorij forent recusa, vbi communi errore attribuuntur Metaphrastæ, quia iudicio virorum eruditorum ne quidem collectio Vitarum Sanctorum mensis Martij ab eo facta est. Agitur in hac Vitâ potissimùm de eleëmosynis à S. Gregorio factis, & ex eâ desumptum arbitramur elogium suprà ex Menologio Basilij Imperatoris relatum.

alia, auctore anonymo synchrono,

ex MSS. editur:

alia à Beda exarata,

alia è Græcis translata.

6 Horum omnium loco damus Vitam à Ioanne Diacono libris quatuor conscriptam, & notationibus nostris illustratam. Eam cum duobus potissimùm codicibus MSS. contulimus, horum alter vetustior ad nostram bibliothecam pertinet, alterum habemus ex bibliothecâ Corsendoncanâ cœnobij Canonicorum Regularium prope Turnhoutum. Reperimus D eamdem Vitam bis Romæ in Archiuio S. Petri, ac nonnulla loca contulimus, vidimus & passim in varijs bibliothecis. Præfigi solent duodecim disticha, quæ epilogi loco veriùs subiungenda fuerant: in quorum nono auctor ista habet:

alia à Ioanne Diacono scripta cum MSS. codicibus collata,

Ludere me libuit variabilis ordine campi,
Postquàm Prosa fugit, Musa iocosa redit.

ex quo non incongruè deduci videtur, similem epilogo prologum fuisse ab eodem auctore præfixum huic operi: nisi fortè maius aliquod prolixiusque poëma de S. Gregorij laudibus elucubrarit, priùs quàm ad Vitam scribendam se applicaret: nam quod in iam dicto epilogo habet,

Carminibus clarum concinimusque virum,

fortè in præterito accipiat quis, vt licentiâ poëticâ quadam, concinimus, dixerit pro, concinuimus. Hinc sollicitè inquisiuimus numquid vspiam tale reperiremus: sed frustra. Inuenimus tamen Brugis in Dunensi Ordinis Cisterciensis monasterio, ex Thosanæ bibliothecæ reliquijs vetustum in membranâ libellum, hoc titulo inscriptum: Incipit Vita S. Gregorij in duabus personis Discipuli & Magistri metricè exarata: in quo Dialogi isagogici hoc erat principium: Cùm omnis Ecclesiasticæ disciplinæ profectus verbo & exemplo eorum, qui summa requirunt, proueniat. Vitam ipsam sic exorditur Magister:

qui etiam aliquid carmine scripsit,

non tamen Vitam metricam quæ Brugis MS. extat,

Ex Romæ roseo prorupit flosculus horto,
Viuificis teretem qui replens fructibus orbem,
Exatiat plebes per germinis alta fideles,
Flos hic Gregorius, cuius per secula fructus
Crescit in exemplum celestia dona secutum. E

7 Vastum opus & vltra bis mille quingentos versus complectens: quos tamen omnes, ex præconceptâ opinione quòd essent quæsitum Ioannis Diaconi poëma, pridem Rosweidi curâ ex mendosissimo originali mendosiùs transcriptos, ad ipsum autographum diligenter contulimus, expurgatumque & ex probabilissimis coniecturis infinities emendatum, nostróque more distinctum in capita pauciora, & notis ac marginalibus illustratum, prælo parabamus: donec tandem, vt desisteremus suasit stylus, in leges metricas grammaticasque sæpiùs impingens, ac præterea tam barbarus, vt numquàm videatur Ioannes sic fuisse scripturus: omnino autem persuasit caput 80 & 81 secundùm originalem diuisionem respondens libri 4 numero postremo: in quo Ioannes narrat, quid sibi opus suum complenti cum apparente dæmone negotij fuerit. Nam vt non dicatur, quòd hic saltem locus fuerit Poëtæ (si is ipse Ioannes fuisset) in personâ propriâ, vt fit in prosâ, de se loquendi: euidens erat, ante Vitam prosâ conscriptam, non potuisse hanc metricam scriptam fuisse, quæ contineret historiam pertinentem ad tempora tribus dictæ Vitæ libris, atque ipso penè quarto posteriora. Denique considerantes huius metri auctorem per omnia sequi eumdem rerum narrandarum ordinem (omissis dumtaxat epistolis) quem Ioannes tenuit; & quod in medio ac fine versuum similes amet cadentias frequentare, vt in versibus, quos Leoninos dicimus, fieri consueuit; quodque alibi nusquam eiusmodi poëma sciretur extare: credidimus probabilem formari posse coniecturam de F auctore, quod ante annos circiter quadringentos, vel quingẽtos, quibus istud carminis genus inolescebat apud veræ Latinitatis imperitos, Thosanus aliquis monachus, exercendi styli qualiscumque caussâ, Vitam à Ioanne conscriptam sumpserit sibi reddendam carmine; vt in alijs pluribus circa eadem tempora factum scimus. Quarè viro Ordinis Cisterciensis erudito, & Dunensis monasterij Brugis Priori, Edmundo Schipman, de metricâ illâ Vitâ sigillatim edendâ illustrandâque cogitanti, sed propter characterum exilitatem obscuritatemque, vocum transpositionem, abbreuiationum incerta compendia, & mendorum frequentiam resilienti ab incepto, libenter concessimus tum ecgraphum nostrum, sic vt erat emendatum exornatumque, tum breues nostras in illud notationes. Quo nunc consilium prius resumente, facilè excusabit lector, quòd prolixitatis vitandæ studio, poëma istud hîc omiserimus.

indigna Ioanne,

ante annos fortè 400 ex ipsius opere translata in versus.

8 Tempus, quo Gregorius Summus Pontifex Ecclesiæ præfuit, est planè certum & indubitatum, à die III Septembris anni DXC, vsque ad XII Martij anni DCIV, vti infrà ad ipsa

Tempus sedis

A *ipsa Acta ostendimus. At qualem moriens vitæ suæ ætatem nactus fuerit, non liquet? multam infra ante mortem de varijs morbis mentionem fecit S. Gregorius: at nusquam de senio aut decrepitâ ætate conquestus est: ideoque solum septuagenarium aut septuagenario iuniorem credimus fuisse, ut dici posit circa annum* DXL *aut aliquot annis citius in lucem editus, imperante tunc Iustiniano, & vitam in regno protrahente usque ad annum* DLXV: *ante cuius obitum videtur cœpisse extruere sua monasteria, ut vel inde Græci tradant eum, imperante Iustiniano, & monachum factũ esse & monasterij Abbatem siue Hegumenum, uti in Menæis magnis legitur: quibus consonant verba Menologij Basilij Imperatoris suprà allata. Vt autem de tempore monachatus S. Gregorij aliquid statui posit, pauca de Episcopis Mediolanensibus & schismate Aquileiensi sunt indicanda. Tempore igitur dicti Iustiniani anno* DLIII *habitum Constantinopoli Concilium V œcumenicum de tribus Capitulis alibi sæpiùs explicatis. Quod Concilium traditur in Pseudosynodo Aquileiensi damnatum, quando & à Vitale Episcopo Mediolanensi Paulinus consecratus est Aquileiensis Episcopus. Quæ controuersia à nobis excussa est die* V *Februarij ad Vitam S. Ingenuini, Episcopi Sabionensis. Vitale Episcopo Mediolanensi circa annum* DLV *è viuis erepto, successerunt S. Auxanus, & huic post triennium S. Honoratus, cuius Acta illustrauimus ad diem* VIII *Februarij, quo colitur; statuimusque eum, Mediolano à Longebardis occupato, exulem apud Ligures anno* DLXX *vitâ functum esse: in cuius locum videtur Laurentius ibidem exul à Clero populoq; Mediolanensi tunc electus. Interim Sedem Mediolanensem malis artibus occupauit & Pseudo-episcopus diu tenuit Iunctus Frontonius (quem aut terrâ hiante absorptum, aut igne cælesti consumptum tradunt) inter Episcopos non numerandus. Laurentius vixit usque ad annum* DXCI, *cui subrogatus est Constantius, ad quem S. Gregorius plures epistolas scripsit, inter quas huc spectat epistola 2 libri 3, quam sic exorditur:* Dilectissimus filius meus Bonifacius Diaconus quiddam mihi ex scripto fraternitatis tuæ secreto nuntiauit, quòd exquisitâ occasione potius, quàm inuentâ, tres se Episcopi à piâ fraternitatis vestræ communione separauerint, dicentes, vos in damnationem trium Capitulorum consensisse, atque cautionem fecisse. Et quidem si quid de tribus Capitulis in quocumque vel verbo vel scripto nominatum est, benè fraternitas tua reminiscitur: quamuis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicæ emiserit, in quâ viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt: inter quos ego quoque tunc Vrbanam præfecturam gerens, pariter subscripsi. *Hæc S. Gregorius: è quibus verbis certum est eum sub Iustiniano Imperatore, aut viuente Honorato Episcopo Mediolanensi, id est ante annum* DLXX, *non fuisse vitam monasticam amplexum, imò constituto Laurentio Episcopo, adhuc Vrbanam Præfecturam gessisse. At controuertitur, num Pseudo-Episcopo Frontonio mortuo, intelligatur quieta possessio Laurentij in suâ Sede Mediolanensi, cui annus* DLXXXI *assignatur, num potiùs dum in Liguribus exul legitimè à Clero populoq; Mediolanensi electus, ordinatusque Episcopus est: in quam magis inclinamur sententiam: ut diutius & ipse monachus sub duobus Abbatibus vixerit, ac dein reliquis Abbas præfuerit.*

& monachatus initi,

B *post obitum S. Honorati, & successionem Laurentij in Sede Mediolanensi,*

C *non æstimato intruso Frontonio;*

8 *Subfuisse illum saltem uni Abbati indicat prior Vita ex MSS. eoq; mortuo substitutum esse S. Gregorium clarè explicatur in poëmate. Nomen Abbatis Valentionem fuisse ipse sæpius indicat in libris Dialogorum: certè lib.* 1 *cap.* 4, *vbi S. Equitij Abbatis aliquod miraculum scribit,* Abbate, *inquit,* quondam meo reuerendissimo Valentione narrante, cognoui. *& lib.* 3 *cap.* 22. In prouinciâ Valeriâ res est hæc gesta, quam narro, mihique beatæ memoriæ Abbatis mei Valentionis relatione cognita. *Et clariùs lib.* 4 *cap.* 21, Vitæ namque venerabilis Valentio, qui post in hac Romanâ vrbe mihi, sicut nosti, meo quoque monasterio præfuit, prius in Valeriæ prouinciâ suum monasterium rexit. *Pro hoc Abbate* Valentione, *legitur in Vitâ excusâ* Hilarione, *in MSS. nostro Antuerpiensi & Corsendocano* Laurione, *utrobique mendosè contorto. Præter hunc* Valentionem, *additur &* Maximianus, *cui successisset* S. Gregorius, *qui sub Benedicto I Pontifice S.R.E. Diaconus est ordinatus, uti ea leguntur in Vitâ lib.* 1 *num.* 25. *Sedit S. Benedictus ab anno* DLXXIII *ad* DLXXVIII, *quo mortuus est* 31 *Iulij. Quæ omnia necessariò exigunt; quamuis, Laurentio suprà memorato circa annum* DLXX *Episcopo constituto, S. Gregorius adhuc Vrbanam Præfecturam gesserit, non diu tamen post monasticam Vitam auspicatum esse. Benedicto successit Pelagius II Papa, à quo Constantinopolim Apocrisiarius ad Tiberium Imperatorem missus est. Constituti ambo sunt eodem anno* DLXXVIII, *at Pelagius sedit usque ad annum* DXC; *cui tunc successit S. Gregorius: Tiberius verò vitâ cum Imperio functus est* XIV *Augusti anno* DXCII *Indict.* XV. *ante quem S. Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum mortuum esse* VI *Aprilis eiusdem anni, clarissimè tradit Theophanes. Hic est ille Eutychius, quem perperam de Resurrectione mortuorum sentientem conuicit & conuertit S. Gregorius. Mirum est Baronium aliter sentire, & obitum Tiberij Imperatoris & S. Eutychij reijcere in annum* DLXXXVI, *imò asserere S. Gregorium Præfecturam Romanam adhuc administrasse anno* DLXXXI, *ac tum habitum monasticum suscepisse.*

sub Abbate Valentione

D *& forsan Maximiano;*

quando Constantinopolim missus;

§ III Monachatus S Gregorij.

9 Alteram monet quæstionem idem Baronius, *dum ibidem conatur probare* S. Gregorium non fuisse institutionis S. Benedicti professorem: *sed secundùm* monastica instituta S. Equitij *vixisse. Vitam S. Equitij dedimus* VII *Martij ex suprà citato capite* IV *libri* I *Dialogorum S. Gregorij. Verùm esto, S. Equitius proprium institutum viuendi habuerit, non inde certò concluditur Valentionem, etsi in eadem prouinciâ Valeriâ Abbas fuerit, imò etiam de S. Equitio nonnulla S. Gregorio retulerit, vixisse* secundùm monastica instituta S. Equitij: *cùm S. Gregorius loco suprà indicato dicat,* Valentionem priùs in Valeriæ prouinciâ suum monasterium rexisse, *suum, inquam, non Abbatis Equitij: & forsan à se erectum. Sed parùm interest ad dictam controuersiam dirimendam, siue suum siue S. Equitij monasterium rexerit Valentio. Quod Cassianus lib.* 2 *de Institutis cænobiorum cap.* 2 *centum annis antè dixerat,* tot propemodùm in Occidente typos & regulas se vidisse vsurpatas, quot monasteria cellasque conspexerat; *hoc usque ad illa Valentionis & S. Gregorij tempora videtur obseruatum, ut fundatores cænobiorum regulas suis monachis pro diuersitate moru atque ingeniorum diuersimodas præciperent. Ita S. Romanus qui S. Benedicto in specu Sublacensi latitanti seruiuit,* in monasterio sub Theodati Patris Regulâ degisse *traditur à S Gregorio in S. Benedicti Vitâ ad* XXI *Martij elucidandâ. Interim Summi Pontifices aut etiam alij Episcopi, potissimùm in Synodo aliquâ congregati, obseruanda varia monachis præscribere solebant. Ita S. Gregorius creatus Pontifex scripsit Anthemio Subdiacono epistolam, quæ est* XLVIII *libri primi Registri, hoc exordio:* Sicut regiminis locum, Deo vt ipsi placuit disponente, suscepimus; ita nos oportet de commissis nobis animabus esse solicitos: *ac dein per ipsum impediri cupit, vt* mulieres in insulâ Orphiariâ, Palmariâ, alijsque non permittat habitare commanereue circa monasteria monachorum: *imò quòd magis ad propositam controuersiam spectat,* prohibuit pueros in monasterijs ante decem & octo annorum tempora suscipi. *Verùm cùm sequentibus annis libro* 2 *Dialogorum scriberet Vitam S. Benedicti, ab hoc admissos laudat S.* Maurum iuniorem, *& S.* Placidum pueriliis adhuc ætatis: *addit* puerulum monachum *è lapsu arboris oppressum ab eo ad vitam reuocatum: alterius etiam* pueruli monachi *extincti corpus è sepulcro eiectum, communione Dominici corporis missâ, in eo detentum fuisse. Imò & S. Benedictus capite* XXX *Regulæ à S. Gregorio laudatæ, præscribit, quâ pœnâ sint* pueri huiusmodi vel adolescentiores ætate, *dum delinquunt, affligendi. An ergo si secundùm Regulam S. Benedicti vixisset monachus, ac præfuisset*

Controuersia indicatur de monachatus eius regulâ;

olim valdè multiplici.

F *Præscripta monachis à regula S. Benedicti diuersa:*

A *fuisset alijs, ita mox Pontifex creatus prohibuisset pueros in monasterijs ante* XVIII *ætatis annum suscipi, & posteà laudasset eam à S. Benedicto vsitatam consuetudinem.*

10 *Interim alij ex hac potissimùm ratione, quòd S. Gregorius res gestas S. Benedicti integro libro secundo Dialogorum* compulsus à Fratribus, qui secum familiariter viuebant, *vt epistolâ* 50 *libri* 2 *ait, diligentissimè & copiosissimè prosecutus sit, in eoque cap.* 36 Regulam monachorum ab eo scriptam *pronuntiarit* discretione præcipuam & sermone luculentam, *eum censent sub Regulâ S. Benedicti monasticam vitam fuisse professum. Addi etiam potest, videri* S. Benedictum *per quamdam præeminentiam* Magistrum optimum arctissimæ vitæ *appellatum à S. Gregorio in libro* 4 *Expositionis in libri* 1 *Regum caput* 9, *vbi post illa verba,* Quia petistis vobis Regem, *paucis interpositis,* notandum censet, quia *omnipotens Deus, dum ius Regis præcidit, religiosis Præpositis* formam institutionis impendit. Quare? vt qui arctissimam conuersationis viam imperant, nouiter accedentibus facilè aditum non impendant. Quare & eiusdem arctissimæ viæ Magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus, præcidit, dicens: Probate spiritus, si ex Deo sint. Et item: Nuntientur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum. *Hæc ibi, quæ duo monita leguntur in Regulâ* LVIII *S. Benedicti sub titulo:* De disciplinâ suscipiendorum Fratrum. *Ex his tamen omnibus euinci non potest S. Gregorij monasterium ab initio sub Valentinione primo Abbate vixisse* B *secundùm Regulam S. Benedicti. Quid enim si Pontifex secundùm illam opponatur reformasse suum monasterium? Responderi potest asserere S. Gregorium* se gesta S. Benedicti agnouisse referentibus quatuor illius discipulis, *& primus statuitur* Constantinus, qui in monasterij regimine ei successit, *& septemdecim post S. Benedictum annis mortuus traditur anno* DLX, *alius indicatur* Simplicius, *quem* in Casino Abbatem, Regulam, quam suus Magister condiderat, publicè legendam omnibus monachis tradidisse *scribit Petrus Diaconus de Viris illustribus Casinensibus cap.* 5. *Et fuisse temporibus* Iustini Imperatoris: *quem è vitâ excessisse, anno* DLXXVI *tradunt Casinenses: è quibus colligunt S. Gregorium etiam necdum monachum amplam notitiam tam vitæ quàm regulæ S. Benedicti potuisse habere. De Simplicio intricata res est, num hic alius à socio S. Mauri statuendus sit, num verò in Lateranensi monasterio post Valentinianum & quidem ab eo tertius & ante Honoratum, vti inter hos à S. Gregorio collocatur, dicendus sit præfuisse.*

hæc à S. Gregorio laudata.

& cognita:

11 *Sed his alijsque argumentis, quæ in vtramque partem agitari possunt, reiectis, vnum illud adhuc suggerimus infrà à Ioanne Diacono lib.* 4 *Vitæ num.* 82 *prolatum, scilicet S. Augustinum eiusque socios in Angliam missos, ex monasterio S. Gregorij, fuisse Ordinis S. Benedicti: & hæc additur ratio:* Quod in illis partibus vix aliquem monachum sit reperire, à quo non obseruetur tam in proposito quàm in habitu Regula S. Benedicti. *Verùm cùm scriberet ista Ioannes Diaconus, elapsi erant trecenti anni à condito S. Gregorij monasterio Romano, eiusq; in illo suscepto* C *monastico habitu: ante quod tempus, maximè sub Ludouico Pio Imperatore, relictis alijs institutis, in pluribus monasterijs regulam S. Benedicti assumptam fuisse diximus ad S. Benedicti Anianensis Abbatis Vitam* XII *Februarij illustratam: & hîc quæri posset, an idem in Angliâ factum fuerit. A varijs multa in vtramque partem congeruntur, quæ non lubet omnia adferre & discutere. In suprà memorato Concilio Episcoporum Angliæ, anno* DCCXLVII *Clouesho uiæ sub Cuthberto Archiepiscopo Cantuariensi habito, plurima præscribuntur Abbatibus & Abbatissis, atque eorum subditis* de moribus & habitu monasteriali & eorumdem honestate, lectionis studio per singula monasteria, ac vitâ regulari, *nullâ S. Benedicti eiusue Regulæ factâ mentione. Vixerat iam diu antè S. Aldelmus Episcopus Schirburnensis anno* DCCIX, *mortuus, qui anno* DCLXXV *fuerat, Abbas Malmesburiensis creatus. Hunc virum, eiusque libros de Virginitate laudat Beda lib.* 5 *Historiæ cap.* 19. *Edidit autem & strictâ & solutâ oratione, atque inter alios illustres viros recenset* Benedictum, *de quo in carmine ita exorditur:* D

an hanc Regulam habuerunt missi ab eo in Angliam.

fauent S. Aldelmus,

Temporibus Faustus Benedictus claruit isdem,
Quem Deus Ausoniæ clemens indulserat auctor,
Vt populum Domini vadentem tramite recto
Ferret ad æterni ductor vestigia regni.

At relatis varijs eius miraculis ita concludit:

Primò qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia normam,
Quoque modo properet directo tramite sanctus,
Ad supera scandens cælorum culmina cultor;
Cuius præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præsul chartis descripserat olim;
Donec æthralem felix migraret in arcem:
Huius alumnorum numero glomeramur ouantes,
Quos gerit in gremio fœcunda Britannia ciues:
A quo iam nobis baptismi gratia fluxit,
Atque Magistrorum veneranda caterua cucurrit.

Et quamuis vltimi sex versus videantur de S. Gregorio explicandi, in prioribus tamen insinuat S. Benedicti Regulam siue normam viuendi cœnobia tenere, atque in illâ statuisse nostræ certamina vitæ, *quæ de Anglicanis monachis possunt intelligi. Viuebat eodem, quo S. Aldelmus, tempore S. VVilfridus Archiepiscopus Eboracensis, qui apud Malmesburiensem lib.* 3 *de Gestis Pontificum Anglorum asserit* se primum fuisse, qui verum Pascha in Northanhimbriâ Scotis eiectis docuerit, qui cantus Ecclesiasticos antiphonatim instituerit, qui sanctissimi Benedicti Regulam à monachis obseruari iusserit. *Vbi quasi certum supponit in alijs Angliæ regnis cum vero Paschâ & cantu Ecclesiastico obseruatam fuisse S. Benedicti regulam.* E

& S. VVilfridus.

12 *Idem Malmesburiensis paullò inferiùs scribit* S. Oswaldum apud Floriacum in Galliâ in beatissimi Benedicti monasterio cœnobialem suscepisse habitum: à quo, *inquit,* religionis huiuscemodi sumpsit exordium. *Floruit S. Oswaldus ex Episcopo VVigorniensi Archiepiscopus Eboracensis sub finem seculi decimi: cuius Acta ad vltimum diem Februarij edidimus: in quibus dicitur mandato S. Benedicti, piscatori apparentis, monasterium Ramesiense ædificasse, & eiectis Clericis septem monasteria in suâ diœcesi VVigorniensi construxisse, monachos introduxisse, & Abbates eis præfecisse, cum S. Ethelwoldo Episcopo VVintoniensi præfectus reformationi Cleri in Concilio generali Angliæ anno* DCCCCLXIX *sub S. Dunstano Archiepiscopo Eboracensi, & Rege Edgaro, qui per regnum Anglorum quadraginta construi fecit monasteria: quando & S. Abbo Floriacensis monachus euocatus in Angliam* in Rameseiensi S. Benedicti cœnobio *docuit; vti in eius Vitâ ad* XIII *Nouembris dandâ tradit Aimoinus. Fuit tunc sub Edgaro Rege & S. Dunstano alijsque Episcopis* Regularis concordia Anglicæ nationis monachorum sanctimonialiumque *formata: cuius procœmium tum Saxonicè tum Latinè edidit Seldenus in Notis ad Eadmeri historiam, vbi asseritur reformatio facta accitis Floriacensibus & Gandensibus monachis. Ipsa verba procemij sunt:* Nam illicò eius Egdari imperijs toto mentis conamine obtemperantes, sanctique Patris nostri Gregorij documenta, quibus B. Augustinum monere studuit, vt non solùm Romanæ, verùm etiam Galliarum honestos Ecclesiarum vsus rudi Anglorum Ecclesiâ decorando constitueret, recolentes; accitis Florensis B. Benedicti, nec non præcipui cœnobij, quod celebri Gent nuncupatur vocabulo, monachis, quæque ex dignis eorum moribus honesta collegerunt.... & cum magnâ ac subtili nationis discretione exiguo apposuerunt codicillo. *Hanc igitur* Regularem concordiam Anglicæ nationis *Regulæ S. Benedicti accommodatam, videtur Malmesburiensis suprà appellasse* exordium religionis. *Sed iam pridem antè vixerant SS. Aldelmus & VVilfridus, imò etiam Ioannes Diaconus, scriptor Vitæ S. Gregorij. E quibus omnibus multa ad fauorem disceptandæ potiùs proponuntur, quàm quæ absolutè conuincant contradicentes, in Beda & aliorum coæuorum scriptorum silentio.* F

An obsit Regularis concordia 10 *seculo facta.*

13 Edi-

A

& qua citatur approbatio Regulæ à S.Gregorio facta.

13 *Editus typis Parisinis anno* MCCCCXC secundus Dialogorum liber B.Gregorij Papæ de Vitâ & miraculis beatissimi Benedicti. Eiusdem almi Patris Benedicti Regula, & speculum Bernardi Abbatis Casinensis, de his ad quæ obligatur in professione monachus. *Hisce post approbationem præponebantur sequentia, sub hoc titulo:* De approbatione Regulæ B. Benedicti Diuus Gregorius Papa. *Et tum hæc Bulla inserebatur:* Ego Gregorius Sanctæ Romanę Ecclesię Pręsul scripsi Vitam B.Benedicti, & legi Regulam, quam ipse sanctus manu propriâ scripsit. Laudaui eam & confirmaui & in sanctâ Synodo & per diuersas partes Italiæ, & vbicumque Latinæ litteræ legerentur, præcepi vt diligenter obseruarent, quicumque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsque ad finem mundi. Et confirmo duodecim monasteria, quæ ipse Sanctus construxit. *Sequebatur rubro charactere expressum:* Hæc Gregorius in quodam priuilegio monasterio Sublacensi concesso. *Baronius in Annalibus ad annum* 595 *num.* 59 *meminit* scripti codicis Sublacensis, *quo indicatur* S.Gregorium Papam in Concilio Romano probasse & confirmasse Regulam S. Benedicti. *At cui parti dissidentium hæc Bulla, si legitima censeatur, faueat, lectorum iudicio relinquimus.*

§ IV Corpus S. Gregorij an hactenus Romæ adseruetur. Templa, reliquiæ, veneratio Romæ, Bononiæ & in Siciliâ.

Corpus S. Gregorij sepultum ante secretarium,

14 PRimò *indubitatum est testimonio omnium*, S.Gregorij venerabile corpus ante secretarium basilicæ B.Petri Apostoli fuisse sepultum. *Ioannes Diaconus lib.*4 *Vitæ num.*68 *collocat* secretarium *ad* extremam porticum basilicæ. *Sed controuertitur an inde, & quidem anno* DCCCXXVI, *in Gallias ad Suessionense S. Medardi cœnobium fuerit delatum, num vero à Gregorio* IV *(qui præfuit Ecclesiæ à* XXIV *Ianuarij anni* DCCCXXVIII, *vsque ad* XXIII *Ianuarij anni* DCCCXLIV) *fuerit corpus solum eleuatum & intra ecclesiam S.Petri collocatum. Anastasius S.R.E. Bibliothecarius, qui dicto seculo* IX *Historiam de Vitis Pontificum scripsit, in Gregorio* IV *ista scribit:* Perficiente illo hæc, quæ superiùs dicta sunt, ad alia tunc Pontificalis eius animus Sanctorum opuscula summoperè cœpit attendere. Et quoniam tunc diuino ignis amore succensus corpus B.Gregorij, huius vniuersalis Ecclesiæ Præsulis, per quem sancti Spiritus gratia toto orbe terrarum inextinguibile sapientiæ munus induxit, ex loco, sepultum quo priùs fuerat, tulit; & non longè ab eo in alium nouiter constructum infrà ecclesiam B.Petri Apostoli, summo honore perduxit, eiusque sacrum altare argenteis tabulis vndique perornauit, & oratorium suo sancto nomine titulauit, absidamque eiusdem super aurato musiuo depinxit: in quo scilicet oratorio Sanctorum corpora, beatorum Martyrum Sebastiani, Gorgonij ac Tiburtij ex cœmeterijs, in quibus antè iacebant, perduxit, & vnumquodque eorum separatis altaribus collocauit: pro quibus denique Pontificatus sui tempore decreuit, vt monachi, qui ad officium persoluendum in Ecclesiâ B.Petri Apostoli sunt constituti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non desistant. Obtulit autem in eodem oratorio vela maiora vel modica serica decem & octo: vestes super altare, sub quo sanctissimi Gregorij Papæ corpus quiescit, tres, vnam cum chrysoclauo habentem historiam... & super vnumquodque altare prædictorum Martyrum vestem de fundato vnam: imagines denique desuper deargentatas, nec non auro perfusas tres, habentes vultum Domini & eorum depictos, quorum specialia ibidem corpora humata miraculis ac virtutibus pollent.

Gregorius IV

defert intra ecclesiam S. Petri ad altare S.Gregorij:

C

quod ornat varijs vestibus,

& imaginibus:

15 *Hæc Anastasius Bibliothecarius Romæ eodem sæculo, quo contigerunt, scripto mandauit: quando & Ioannes Diaconus eadem scripsit in Vitâ lib.* 4 *num.*80 *relata, ex quibus Bernardus Guidonis in MSS. Gestis Pontificum ista scribit in Gregorio* IV. Hîc etiam corpus B. Gregorij Papæ & Doctoris translatum ante nouellum secretarium, constructis absidibus, sicut modò cernimus, sub altari sui nominis collocauit: quo eius anniuersaria solennitas cunctis certatim pernoctantibus veneratione gratissimâ celebratur: in quâ pallium eius & philacteria, sed & baltheus, consuetudinaliter osculantur. *At Platina ista sic exponit:* Transtulit idem sanctissimus Pontifex B.Gregorij corpus, atque eo loci collocauit, vbi nunc iacet, magnis adhibitis ornamentis: quo in loco multi temporibus illis, religionis aut voti caussâ, excubare consueuerant. Ferunt & ab eodem corpora Sebastiani & Tiburtij à cœmeterijs, in quibus antè iacebant, ad basilicam Petri translata fuisse. *Eadem, sed paullò contractiùs, leguntur apud Ioannem Stellam libro de Summis Pontificibus: at multò plura ex Anastasio transtulit in Basilicæ veteris Vaticanæ descriptionem auctor Romanus eiusdem Ecclesiæ Canonicus: quod opus ex MSS. eruit & notis illustrauit Abbas Paulus de Angelis, qui arguit Onufrium Panuinium, quòd libro de* 7 *Ecclesijs cap.* 4 *oratorium & altare non sub nomine sanctissimi Pontificis tantùm, sed etiam S.Andreæ scribat erectum. Verba Onufrij pag.*44 *sunt ista:* In Ecclesiæ fine, vbi sedent pœnitentiarij, est oratorium & altare SS. Andreæ & Gregorij à Gregorio IV factum, sub quo iacet corpus eiusdem sancti Doctoris. In ciborio verò, quod est supra altare, extat caput S. Andreæ Apostoli à Pio II locatum. *At nullâ altaris S. Gregorij factâ mentione, Ferrarius in Notis ad elogium S. Gregorij in Catalogo Sanctorum Italiæ relatum, asserit* tradi corpus huius sanctissimi Pontificis à Gregorio IV translatum, ac sub arâ S. Andreæ Apostoli conditum fuisse. *Idem habet Ciaconius. Contrà Ioannes Diaconus lib.* 4 *Vitæ cap.* 8 *affirmat* sub altari sui nominis collocatum, *absque vllâ S.Andreæ mentione, quod idem suprà facit Anastasius. Memoratus Paulus de Angelis in declaratione Ichnographiæ basilicæ veteris S. Petri num.*85 *collocat* altare S.Gregorij Papę à Gregorio IV factum, supra quod est caput S. Andreæ Apostoli à Pio II *locatum, forsan ob singularem venerationem, quâ hunc Apostolum prosecutus est Gregorius. At Pius II Pontifex fuit octingentis & ampliùs annis post Gregorium IV, ad quod non reflexerunt Onuphrius, Ciaconius & Ferrarius.*

D

vbi & pallium eius aliaq. adseruantur:

E

ibidem vbi à Pio II locatum caput S.Andreæ:

16 *At modò in nouâ basilicâ S. Petri, euntibus ad huius Confessionem, ad sinistram est* altare S. Andreæ, vbi eius caput asseruatur. Altare verò priuilegiatum S. Gregorij Magni *est ad ipsum sacrarium maius*, vbi reconditum esse eius corpus *obseruat dictus Paulus de Angelis in Declaratione Ichnographiæ noui templi Vaticani. Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium in Gregorio IV indicat*, Clementem VIII corpus S. Gregorij in recentiori D. Petri basilicâ in sacelli Gregorij arâ voluisse esse repositum, è regione aræ, ad quam Gregorius XIII S.Gregorii Nazianzeni lipsana ab æde sanctimonialium S. Mariæ in Campo-Martio transferenda curauit. *Ioannes Seueranus parte* 1 *Memoriæ sacræ* 7 *ecclesiarum Romæ, pag.*135 *tradit*, corpus S. Gregorij Magni pretereà die VIII Ianuarij anni MDCVI à Paulo V Pontifice translatum fuisse in oratorium & altare, quod est è regione Gregoriani; & eò delatum ex altari S. Andreæ, *in quo fuisset non à Gregorio IV, sed postmodùm in nouâ aliquâ translatione à Pio II depositum anno* MCCCCLXIV, *antequam caput S. Andreæ Apostoli ad idem altare portaretur die* XV *Iunij: eaque referri lib.*8 *Commentarij Pij II, quem habemus editum anno* MDCXIV *ex Officinâ Aubrianâ: verùm in eo de vltimâ capitis S. Andreæ depositione nihil aut nos reperimus aut etiam Andreas Saussaius, qui parte* 2 *de gloriâ S. Andreæ Apostoli lib.*3 *cap.*5 *omnia, quæ ad dicti capitis translationem spectant, ex isto Commentario descripsit. Paulus de Angelis in citatâ Declaratione ichno-*

iam in proprio altari depositum.

F

Corpus S. Gregorij in sacellum Gregorianum delatum à Clemente VIII,

& anno 1606 à Paulo V.

A *ichnographiæ veteris templi collocat num.* 153 altare S. Andreæ, vbi summi Pontifices solennia quædam peragebant, *nullâ tunc capitis S. Andreæ factâ mentione; quod antè dixerat supra altare à Pio II collocatum: quod altare, vti ab Onuphrio appellatur SS. Andreæ & Gregorij, ita à Ferrario & Ciacconio vocatur solius Andreæ, vnde alijs plura adiungendi videtur arrepta occasio. Demum quidquid sit de hac altaris appellatione, hoc certum & indubitatum apud Romanos est, corpus S. Gregorij Magni adseruari in ecclesiâ S. Petri, seu sacrosanctâ basilicâ Vaticanâ, & ita quotannis imprimi in Ordine diuini Officij in eâ basilicâ recitandi, vti hæc scribo ex Ordine à Iosepho de Fide, Magistro cæremoniarum pro anno* MDCLXV *composito.*

in Ordine diuini Officij memoria renouatur.

17 *Peculiari veneratione honoratur præterea Romæ in tribus eius nomini dicatis ecclesijs, ac potissimùm in Cælio monte, vbi in monasterio à se olim ad honorem S. Andreæ extructo, & vitam monasticam duxit & Abbas ceteris præfuit. De his ecclesijs legendus est Octauius Pancirolus in Thesauro abscondito Vrbis, regione 5 ecclesiâ 21, & regione 9 ecclesiâ 3 & 28. Addi his potest noua ecclesia Patrum Congregationis Oratorij in Vallicellâ, Deiparæ Virgini & S. Gregorio dicata. Masinus in Bononiâ perlustratâ indicat festum S. Gregorij Magni solenni cultu Bononiæ celebrari in varijs siue ecclesijs siue altaribus ei dicatis, & quidem in ecclesiâ parochiali SS. Gregorij & Satyri aliquas illius reliquias adseruari, quemadmodùm & partem Dalmaticæ eiusdem in ecclesiâ S. Stephani. In ecclesiâ Casinensis archimonasterij sacrificium Missæ obtulimus anno* MDCLXI *in altari S. Gregorij Magni. Nec dubium est, quin in varijs Italiæ locis singularem obtineat S. Gregorius solennitatem, imò vel maximè in Siciliâ, vbi sex monasteria fundauit & sufficientibus prædijs dotauit.*

templa illi Romæ dicata,

vti Bononiæ.

B

cultus alibi.

18 *Baronius ad an.* 827 *num.* 34 *Annalibus inserit translationem corporis S. Gregorij Magni ab Anastasio bibliothecario & Ioanne Diacono relatam: & tamquàm nihil opponi posset, securus progreditur, solùm solicitus circa corpus S. Sebastiani; quod in Gallias anno* DCCCXXVI *delatum dixerunt antiqui scriptores: & Anastasius, qui eodem seculo floruit, asserit etiam à Grogerio IV, anno sequenti creato, ad basilicam S. Petri portatum & in proprio altari collocatum: vnde infert Baronius, non integrum corpus intelligi translatum, sed tantùm eius partem: vti etiam, qui in Gallijs eodem seculo vixit, suo scripto testatus est Ado Episcopus Viennensis: quod necessariò in sequentibus de corpore S. Gregorij dicendum.*

Monitum pro sequentibus.

§ V *Corpus S. Gregorij quo fundamento credatur ad Suessionense S. Medardi monasterium in Gallias delatum.*

19 *Illustrem sacræ venerationis S. Gregorij memoriam celebrant Franci, & meritò, dum sacras eius reliquias ex Italiâ intra suum regnum credunt olim delatas, & gloriantur etiamnùm asseruari. Hinc Saussayus in Martyrologio Gallicano diem* XII *Martij ita auspicatur:* Suessione festiuitas S. Gregorij Papæ, cognomento Magni, Doctoris Ecclesiæ egregij: cuius sacrum corpus ibidem in monasterio S. Medardi magno honore repositum est. *Fuisse hoc corpus in Gallias translatum vnà cum corpore S. Sebastiani Martyris, docet in historiâ huius Translationis, à nobis ad diem* XX *Ianuarij editâ, auctor coæuus, ac in dicto S. Medardi cœnobio monachus. In hac historiâ latè explicatur legatio Rodoini Præpositi ex mandato Ludouici Pij Imperatoris anno* DCCCXXVI *instituta, quando is è suo monasterio Romam profectus, corpus S. Sebastiani impetrauit. Quibus peractis,* Rodoinus, *vt dicitur num.* 31, quem vis amoris & desiderium impatiens pro adipiscendis Sanctorum pignoribus affectu piæ deuotionis animarat, obæratis affatim æedituis, quorum tunc erat officij S. Petri seruare basilicam, sub nocte eadem beatissimi Gregorij Papæ tumulum, quod ante secretarium erat, audacter aggressus, corpus eius cum summâ reuerentiâ sublatum ac decenter compositum, super altare B. Petri perlatum, iuxta iam dicti Martyris venerabile corpus depositum est. Dehinc fidei pactum Rodoinus cùm suis rogatus gratanter tulit, superque eosdem Martyris *Sebastiani*, atque Pontificis *Gregorij* sacratissimos artus iurisiurandi sacramentum libenter exoluit, vt nulli vnquam mortalium, quod gestum erat, proderent aut publicarent: sed perenni silentio sepultum haberent. Hinc nostrates piâ fraude laudabiles, duplicato gaudio, tacito sub pectore magnanimes, sanctis inde sublatis Corporibus, nullo præpediti obstaculo ad monasterium Ingoaldi transtulerunt.

C

Corpus S. Gregorij Suessionis delatum esse traditur:

anno 826

cum corpore S. Sebastiani,

D

acceptum sub iuramento, vt sileretur:

20 *Describitur deinde iter ex vrbe Romanâ ad monasterium Suessionense S. Medardi, & narrantur in dicto itinere illustria diuinitus patrata miracula: sanati namque sunt tres cæci, & quatuor claudi, quorum vnus præterea mutus erat & surdus, & ab omnibus malis liberatus: alij etiam quàm plurimi ægri sanitatem optatam sunt adepti: energumenus quoque à diabolico suo hospite liber euasit. Depositio horum sanctorum corporum in Suessionensi S. Medardi cœnobio facta est* IX *Decembris die Dominicâ suprà allegato anno* DCCCXXVI. *Quæ subsecuta sunt innumera cuiuscumque generis miracula, S. Sebastiano tribuuntur, forsan ob iurisiurandi sacramentum, quo obstringebantur, ne vlli corpus S. Gregorij proderent. Non potuit interim thesaurus ille pretiosus diu latere. Degebat iam tum* Ostroldus, *alijs* Ostrualdus *&* Astrualdus, Episcopus Laudunensis: *cui peregrinationem ad S. Sebastianum dissuadenti* apparuit sanctus Martyr, & his eum *legitur num.* 66 verbis increpando affatus: Ego sum Sebastianus, defensor Ecclesiæ, qui Romæ olim pro amore Christi oppetij, quâ & corpore hactenus sepultus iacui; nunc verò Dei prædestinatione ob amorem Medardi Nouiomagensis Episcopi, quem ad læuam stare vides, ego & hic dexterior Gregorius, Romanæ vrbis Papa, Suessionis missi sumus, vt locum illum & eius incolas nostro patrocinio custodiamus, & custodiendo foueamus.

post miracula in itinere facta

depositum 9 Decembris,

E

per apparitionem reuelatum.

21 *Viuebat eodem tempore Nithardus, Ludouici Pij Imperatoris nepos, qui lib.* 3 *historiæ apud Andream Chesnæum tomo* 2 *Scriptorum historiæ Francorum, post relatam pugnam inter filios Ludouici Pij anno* DCCCXLII *factam, ista pag.* 372 *relata scribit:* Cùm Karolus Rex Suessionicam peteret vrbem, monachi de S. Medardo occurrerunt illi, deprecantes, vt corpora SS. Medardi, Sebastiani, Gregorij, Tiburtij, Petri & Marcellini, Marij, Marthæ, Audifax & Abacuc, Honesimi, Marcesinæ & Leocadiæ, Mariani, Pelagij & Mauri, Floriani cum sex fratribus suis, Gildardi, Sereni & Domni, Remigij Rotomagorum Archiepiscopi in basilicam, vbi nunc quiescunt, & iam tunc maximâ ex parte ædificata fuerat, transferret. Quibus acquiescens, inibi remansit, &, vti postulauerant, Beatorum corpora proprijs humeris cum omni veneratione transtulit. *Hæc Nithardus, quæ confirmantur in Chronico S. Medardi à Dacherio tomo* 2 *Spicilegij edito, vbi pag.* 785 *ista habentur:* Iste Carolus Caluus posteà fuit Imperator Romanorum: ipse enim mutare fecit corpora SS. Medardi & Sebastiani & Gregorij & aliorum, & ponere in cryptas VI Kalendas Septembris. *Sed eam Translationem hactenus celebrari* VII *Kal. Sept. infrà constabit.*

à Karolo Caluo cum alijs sacris corporibus translatum:

F

22 *De aduentu & susceptione corporum sanctorum Martyrum Tiburtij, Marcellini & Petri & aliorum decem scripsit epistolam Odilo monachus ad Ingrannum: in cuius prologo asserit* depositionem eorum factam in monasterio SS. Medardi & Sebastiani atque Papæ Gregorij. *Incipit dein narrationem ab encomio prolixo Ludouici Pij Imperatoris, & post alia inserit ista:* Multa quoque corpora Sanctorum de pluribus Italiæ partibus in regnum Franciæ detulit: vbi maximè populus nobilitate superbus, armorum strenuitate decorus, non minimâ laude sapientiæ, simul industriæ & prudentiæ pollet & præualet: vtique cuius ingenij solertiâ beatissimi

monasterium SS. Medardi, Sebastiani & Gregorij dictum sec. 12

A tissimi & omnifariâ laude dignissimi Sebastiani Martyris corporalis gleba, simul & beatæ memoriæ Gregorij Papæ sanctissima membra penès Suessorum mœnia in basilicam summi Confessoris Christi Medardi deportata pariter & conlocata videntur & habita. *Hæc Odilo monachus ad Ingrannum, & quidem, vt passim volunt, Abbatem monasterij SS. Medardi, Sebastiani & Gregorij Papæ, vti tunc, cùm is seculo Christi duodecimo præesset, vidimus appellari. Claudius Dormainus lib. 4 historiæ Suessionensis cap. 10 inter munera Ludouici Imperatoris dicto monasterio oblata, recenset* librum aureis litteris exaratum, *&* laminis etiam aureis obductum, *quo dein cooperculo sublato, curauisse dictum Ingrannum laminis argenteis, eisque inauratis obduci: in quibus etiamnùm hæc verba leguntur:* Hæc tabula facta est à D. Ingranno Abbate huius loci anno MCLXVIII, Alexandri III decimo, regni Ludouici Iunioris XXXII. Librum autem ipsum obtulit Ludouicus Imperator B. Sebastiano in receptione eiusdem Martyris inclyti & Papæ Gregorij vrbis Romæ. *Ingrannus ex Abbate Marchianensi effectus est Abbas S. Medardi anno duodecimi seculi XLVIII, & eidem Abbatiæ renuntiauit anno LXXVII. Ita suprà citatum Chronicon S. Medardi.*

Liber adhuc seruatur à Ludouico Pio Imp. oblatus in receptione corporu.

23 *In Fastis sacris monasterij S. Medardi Suessionensis nobis Corbeiâ à R. D. Ildephonso Vrayet transmissis, varij dies venerationi S. Gregorij assignantur, è quibus solennior est duodecimus Martij, quo eum vt* Patronum monasterij *colunt: proximus huic est* III *Septembris*, Ordinationi *eius* in B Pontificem Romanum *dicatus, quæ solennitas per totam Octauam continuatur. Eadem interim* Ordinatio ex antiquâ obseruatione recolitur XXIX *Martij. Alij dies sunt eidem cum S. Sebastiano communes, scilicet* IX *Decembris, quo* Aduentus corporum eò delatorum *in veneratione est, vti &* XIII *Octobris ob certam dictorum* Corporum eleuationem. *Aliam solennitatem habet die* XXVI *Augusti* Translatio Sanctorum ibidem quiescentium: *demum* XII *Calendas Maij seu* XX *Aprilis recolitur* sanctorum Corporum, quæ per annum humi prostrata iacuerant, Releuatio & Glorificatio *anno* MXXXVIII *facta. In MS. codice Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, cui numerus 1466 erat adscriptus, historia & occasio sacrorum corporum humi depositorum & dein glorificatorum continetur, quæ ex iudicio & sententiâ à S. Gregorio prolatâ peracta dicitur: hîc ideò lectori proponenda, cum breui præmonitione de Odone primo Palatij regij Consule, eiusque filijs & Gothelone Duce vtriusque Lotharingiæ: quorum bella tomo 4 Scriptorum historiæ Francorum ex fragmento Chronici MS. ita paginâ 97 narrantur:* Anno Incarnationis Domini MXXXVII memoratus Princeps Campaniæ, Comes videlicet Odo, contra Alamannos & Lotharingos nimio fastu ducens exercitum, magnum de se eis præbuit triumphum. Nam commisso prælio cum potentissimo Alamannorum Duce Gothelone, multâ suorum amissâ copiâ terga vertit, & confossus occubuit. Quo C defuncto, Tetbaldus filius natu maior Carnotensem vrbem & Turonensem sibi vindicauit: minor frater Tetbaldi Stephanus Meldensium & Tricassinorum sortitus est ciuitates. Sed hi ambo contra Regem Henricum rebellare cœperunt. *Similia continentur in alio fragmento historiæ Francorum eodem tomo 4 pag. 86. Quo tempore Rex Henricus, vt Gothelonem Ducem sibi obstrictum detineret, præposituram Doncherianam prope Sedanum vrbem eidem donauit. Quibus præmissis ipsa historia danda suam habet fidem, & est huiusmodi.*

Variæ solennitates S. Gregorij apud Suessionenses:

à quibus Reuelatio & Glorificatio reliquiarum

post abalienatam Præposituram Doncherianam.

24 Post mortem gloriosissimi Francorum Regis Rotberti, regnante Henrico filio eius, cùm iam in regno profecisset, & iura reipublicæ iusto moderamine disponeret; aliquot iam euolutis annis, contigit obire sui palatij primum Consulem Odonem: cuius filij Theubaldus & Stephanus, cùm paterni honoris dignitatem ad integrum possidere cuperent; discordantibus animis arma corripere contra regalem potentiam, multo vallati milite, nullo modo formidauerunt. Rex autem ea, quæ pater in pace possederat D suo dominio multa vindicans: inter cetera præ nimiâ animi perturbatione, abiecto æquitatis iure, de possessione monasterij S. Medardi Sanctique Sebastiani, quod illorum ditioni subditum erat, famosissimam possessionem quamdam super Mosam fluuium sitam, quæ Donchredius nominatur, palatio suo seruituram proprijs ministris delegauit: quam demû à fundis, rerû & frugum abundantiam regalibus palatijs exuberanter subministrantibus, longè positam considerans, cùm eius reditibus minimè ad vsus proprios egeret; néue videretur Sanctorum prædia, nisi vlciscendi furoris caussâ suo dominio vendicasse; Duci cuidam Lothariensis regni, nomine Gotzeloni in beneficio possidendam contradidit: qui nullo Dei timore correptus, temerè suscepit, quod de sanctuario Dei iniustè ablatum nouerat.

Inter bellicos tumultus.

monasterij S. Medardi possessionem Doncherianam

al. Doncherieius,

Henricus I Rex donat Gotheloni Duci Lotharingiæ.

25 Contemplans igitur Abba monasterij præfatorum Sanctorum tantam regalis potentiæ violentiam, quæ sibi commissæ Ecclesiæ illata erat, cum omni congregatione monasterij gaudia mutans in luctum, & organum Deo seruientium in vocem flentium, nimio est animi mœrore affectus. Ignorans autem quâ parte se verteret; à quo super tantam violentiam iustitiam expeteret (vtpotè quem & regalis E indignationis censura premebat, & aduocatorum nulla spes subleuabat) omnipotentis Dei cum omni congregatione expetit auxilium: qui numquam derelinquit sperantes in se; & indefessus est adiutor in opportunitatibus & in tribulatione. Inito ergo consilio cum Fratribus fieri disposuit, vnde & Rex terreretur de iniustâ dominatione, & qui Sanctorum res possidendas susceperat, de iniustâ & temerariâ susceptione; in luctu & gemitu se cum Fratribus constituens, Ecclesiam, cui seruiebat, diuinis priuauit officijs: & Sanctorû corpora, quæ in condigno sibi loco condita erant, quasi rerum suarum damnum secum gementia humi prostrauit: quatenùs omnipotentis Dei misericordia & afflictæ subueniret Ecclesiæ & Sanctorum suorum Reliquias aliquando cum sui nominis glorificatione, rebus restauratis, in proprio recondere faceret honore.

Abbas cum monachis contristatus,

Sanctorum corpora humi deponit.

26 Euoluto denique anni curriculo, cùm Sanctorum res prænominatus Dux securè & quasi hæreditarias possideret; contigit Paschalem solennitatem Dominicæ Resurrectionis, omnibus Christicolis solenniter recolendam, suo occurrere in tempore. Imperiale verò edictum Ducem illum, vt curiæ suæ interesset apud palatium, quod Neomaia appellatur, vocauit. Proficiscente autem illo cum omni apparatu suo, & iam propinquante quo ibat: nocte, quæ Cœnam Dominicam præcessit, dum ad vigilias matutinorum celebrandas Christianâ monitus religione surrexisset, peractis matutinorum solennijs, & extinctis secundùm Ecclesiasticum morem candelis, obtenebratâ omni domo, ad orationem se rogaturus Deum prostrauit: qui cùm oraret, arreptus à somno, vidit in F mentis excessu hos Sanctos, Sebastianum & Gregorium ad dexteram, Medardum ad læuam: quos præcedebat multitudo albatorum cum crucibus & cereis: audiuit autem eos inter se conquirentes, quid de eo facerent, qui res suæ Ecclesiæ à Rege, non æquo iure iam tunc moderamina reipublicæ disponente, accepisset, & iniustè eas vt à parentibus relictas possideret. Conquirentibus autem eis inter se, quid de eo ageretur: beato Papâ Gregorio præcipiente, sanctus & inuictissimus Christi Martyr Sebastianus eum hastâ, quam tenebat, cum quadam seueritate percussit: quo ictu expergefactus, sanguinem per nares & os elicitum à corpore suo sensit: & conuocatis sui itineris socijs, qui ei more solito adhærebant; innotuit eis lamentabili clamore quid audisset vel vidisset: quid verò passus esset, sanguis ab ore & naribus fusus ostende-

Dux Gothelo proficiscens ad Cæsarem,

in Cœnâ Domini inter orandum obdormiens,

in visione ex præcepto S. Gregorij

à S. Sebastiano percussus,

sanguinem ex ore & naribus fundit:

& possessionem Doncherianum restituit.

A stendebat. Accepto denique ibi diuino suæ consilio salutis, terram Ecclesiæ Sanctorum, cui iniustè subtracta fuerat, deuotus possidendam in perpetuum reddidit; temeritatem suam duriter accusans, & Sanctorum merita vbique prædicans.

Corpora Sanctorum releuantur.

27 Hoc modo possessio Sanctis reddita est: & ecclesia, quod tristis amiserat, læta recepit. Sanctorum denique corpora, quæ humi prostrata iacuerant, cum summâ veneratione, & nominis Dei glorificatione in condigno honoris sui loco restituta sunt: & diuina laudis præconia, quæ diu in eadem ecclesiâ siluerant, cum laudibus & hymnis Deo gratias referentibus Fratres insonuerunt.

In lectionibus istius Releuationis encomia S. Gregorij miscentur:

28 *Hactenus historia sanctorum Corporum humi depositorum & ad priorem locum relatorum, reperta in MS. codice Reginæ Sueciæ, cui præponebantur duodecim lectiones, quæ in hac solennitate ad Matutinum solebant recitari cum hoc exordio:* Omnium Sanctorum, Dominorum nostrorum, hîc quiescentium merita veneranda, diuinæ virtutis potentiâ triumphabiliter sublimata, præsentis diei præcipua manifestant solennia. *Dein relatis varijs de Præpositurâ Doncherianâ auulsâ & receptâ, & triumpho Sanctorum indicato, lectio IX integra est de encomijs S. Gregorij, qui dicitur* Procurator nostræ salutis, vas electionis, habitaculum Spiritus sancti, Organum Spiritus sancti, Doctor summæ veritatis & catholicæ fidei, *& tandem finitur lectio:* Summe Pastor & Pontifex B tuâ, quæsumus, protege clementiâ, quibus exhibere dignatus es tuam præsentiam. *In lectione XI* recoluntur nomina sanctorum Confessorum ibidem quiescentium, & beatus Papa Gregorius, quia sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis præcipuus, prætitulatione sui nominis prætitulatur in ordine primus. *Hæc ibi, quæ alibi integra erunt edenda.*

in processione anno 1530 Reliquiæ S. Gregorij magnificè circumferuntur:

39 *Illustris cum sacris reliquijs & corporibus Sanctorum, in dictâ S. Medardi ecclesiâ quiescentium, instituta est anno MDXXX processio à Ioanne Oliuerio Abbate monasterij S. Medardi, cùm inter Carolum V Imperatorem & Franciscum I Regem Francorum, post huius ad vrbem Ticinum captiuitatem ac filiorum obsidum relaxationem, pax cum maximâ omnium lætitiâ fuisset sancita. In hac processione feretrum duodecimum continens S. Gregorij reliquias, portabatur ab Abbate Vrsicampensi Ordinis Cisterciensis in diœcesi Nouiomensi, Pontificalibus indumentis cum mitrâ vestito, & Magno Decano Ecclesiæ Cathedralis Laudunensis, adiuuantibus ab vtroque latere in onere ferendo duobus Presbyteris, dalmaticis Diaconorum indutis. Cælum, quo feretrū tegebatur, è panno aureo confectum gestabant quatuor ex illustri nobilitate viri, & cingebantur ab alijs duodecim nobilibus personis, dictæ S. Medardi Ecclesiæ vasallis, partim scipiones partim tædas gestantibus: ante quos præcedebat Sacerdos detinens pedum dicti Abbatis. Sequebantur Prior S. Petri ad Calceatam Ordinis Cluniacensis, & latera eius cingentes Prior & Subprior Abbatiæ S. Ioannis de Vineâ, pretiosis ex telâ aureâ amicti Diaconorum tunicis. Fuerunt omnia, in illâ processione peracta,* C *typis olim Parisiensibus, & nuper Suessionensibus excusa.*

ab Hugenottis anno 1564 dispersa.

30 *Non potuit Cælitum gloriam æquo animo permittere hostis infensissimus diabolus; sed contra sacra lipsana excitauit furibundos Hugenottas, qui è Caluini cloacâ prorepentes, Suessionem anno MDLXIV, die XXVII Septembris proditione ceperunt, ac mox sceleratas manus in res sacras iniecerunt, & eas fecerunt ecclesiarum deuastationes, quarū diu posteà, & forsan ad hunc vsque diem vestigia cernuntur. Irruentes dein in ecclesiam S. Medardi, altaria & imagines Sanctorum destruxerunt & comminuerunt, & capsas reliquiarum SS. Sebastiani, Gregorij & Medardi è latibulo extractas, expilatis diuitijs, fœdè violarunt, disperserunt aut in aquas proiecerunt. At verò per Dei gratiam sacræ hæ exuuiæ non omnino perierunt: aliæ namq; supra aquas fluitantes, fuerunt à viris pijs & Catholicis extractæ, aliæ & potissimū* S. Gregorij in vineâ sunt repertæ in sacculo ex damasceno violaceo, segmentis aureis decorato, longitudine pollicum cir- D citer quindecim & latitudine octo: in quo erant cineres partis alicuius corporis S. Gregorij à Romanis in cineres redacti, *& factâ omnium diligenti inquisitione,* Dominus Episcopus dixit & asseuerauit illas esse veras SS. Sebastiani, Gregorij & Medardi reliquias, præcepitque eas tribus diuersis capsis reponi: & vnicuique capsulæ charta membranea Latinè scripta affixa fuit, supra scriptam verificationem exponens, & subsignata quælibet per Baptistam Petit, scribam dicti Domini Episcopi: qui etiam Petit structuram & processum verbalem dictæ attestationis confecit. *Quæ omnia in commentarium redegit Alexander Salnoueus, & Latinè reddidit Nicolaus Bezanconius, ac nos ex MS. Nicolai Belfortij edidimus ad diem XX Ianuarij pag. 295 & sequenti.*

in vineâ reperta, capsulis includuntur.

§ VI *Caput S. Gregorij ad monasterium S. Petri-Viui Senonense creditur translatum.*

31 *Hactenus egimus de corpore S. Gregorij Magni, quod & Romani asserunt in basilicâ Vaticanâ adhuc adseruari, & Suessionenses contendunt ad se olim fuisse delatum: qui videntur dictâ sententiâ Alexandri Salnouei contenti, admittere ad se delatos* cineres partis alicuius corporis S. Gregorij à Romanis in cineres redacti, *& Romæ præcipuam partem corporis relictam fuisse cum eius venerabili capite, quod sibi vendicant Lusitani, Bohemi, Franci, & forsan alij. Saussaius in Martyrologio Gallicano ad hunc diem, cùm de corpore S. Gregorij Suessione deposito in monasterio S. Medardi egisset, ista subdit:* Senonis caput eiusdem venerandum condigno cultu seruatur in monasterio S. Petri: vbi ab Ansegiso Metropolitâ huius Sedis, qui id Ioannis Papæ dono acceperat, fauore Caroli Calui Christianissimi Regis ac Imperatoris, dudum religiosâ pompâ reconditum fuit. *Hæc ibi. Creatus est Ansegisus Archiepiscopus Senonensis anno DCCCLXXI, è vitâ discessit anno DCCCLXXXIII, cuius tempore Carolus Caluus Rex Franciæ anno DCCCLXXV ipso Natalis Dominici die in Imperatorem coronatus est à Ioanne VIII, qui præfuit Ecclesiæ ab anno istius seculi LXXI ad LXXXII, ante quem Carolus Augustus extinctus est anno LXXVII. Hæc de tempore. At rem gestam ita narrat Oderannus in Chronico S. Petri-Viui:* Ansegisus ab vrbe Româ caput S. Gregorij Doctoris plumbo inclusum cum brachio S. Leonis Doctoris deferens, in eodem monasterio S. Petri conseruandum reposuit.

E

Caput S. Gregorij Senones ad monasterium delatum fuisse circa an. 876, tradunt Oderannus,

32 *Quæ pluribus explicat Clarius monachus in altero Chronico S. Petri-Viui apud Dacherium tomo 2 Spicilegij pag. 716, vbi ista scribit:* Postulauit autem idem Ansegisus à Ioanne Papâ dari sibi Reliquias Pontificum atque Doctorum Gregorij atq; Leonis, quod & impetrauit: plerumque enim Missarum solennia in Sede Apostolicâ celebrauit. Dedit autem ei Ioannes Papa caput B. Gregorij Papæ vniuersalis, filij Gordiani, plumbo inclusum, & brachium S. Leonis Papæ & Doctoris. F Suscipiens autem hoc munus idem Ansegisus detulit Senones in basilicam S. Petri, quod vsque in hodiernum diem illic cum magno honore seruatur. *Robertus etiam monachus Antissiodorensis in suâ Chronologiâ prædicta confirmat his verbis:* Senonensi Ecclesiæ post Egilem præfuit Ansegisus monachus, vir in cunctis optimè agens: cuius tempore Senonensis Ecclesia magno & pacifico viguit honore. Siquidem Ioannes Papa totius ei Galliæ & Germaniæ primatum contulit, vt esset primus post Papam, Synodumque Præsulum euocaret, & de fortioribus quibusque ac grauioribus iudicaret: cui resistere voluit Hincmarus Remorum Archiepiscopus, sed Apostolicâ auctoritate compressus est. Huic etiam Ansegiso venerabili Præsuli præfatus Papa dedit caput beati primi Papæ Gregorij, & brachium S. Leonis Papæ & Doctoris, quas ille veneran-

Clarius, monachus Antissiodorensis.

A nerandas Reliquias Senones detulit, & in ecclesiâ S. Petri-Viui cùm debitâ veneratione reposuit. *Hac ibi. Solennitas translationis capitis S. Gregorij celebratur in dicto monasterio S. Petri-Viui die* XIX *Martij.*

Solennitas 19 Martij.

33 *Plures sancti huius capitis de veteribus thecis in nouas factæ sunt translationes: de quarum vnâ mentio fit in codice MS. membraneo istius cœnobij, sub Rege Francorum Ludouico VI, Grosso dicto, circa annum* MCIX *exarato: in quo pag.* 120 *ista leguntur:* Item hoc anno MXCV iubente Domno Richerio Archiepiscopo, in monasterio S. Petri-Viui factus est conuentus solennis, & sacratissimum caput beatissimi Gregorij Doctoris, quod erat repositum in quodam scriniolo, vnà cum osse de corpore sancti Patris nostri Benedicti Abbatis, palam omnibus ostensum, & exinde in VI Kalendas Maij, vt solenniter hæc dies in eodem monasterio agatur, stabilitum. *Gaufridus à Colone in Inuentario reliquiarum huius cœnobij ita narrat rem gestam:* Dominus Ansegisus vir laudabilis, Senonensis Archiepiscopus à Ioanne Papâ impetrauit caput prædicti S. Gregorij, quod in monasterio S. Petri-Viui posuit. Posteà anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo quinto, factus est conuentus solennis Clericorum, monachorum & populi, iubente Domno Richerio Archiepiscopo, & tunc prædictum caput sacrum repositum fuit in quodam scrinio argenteo, quod posteà Domnus Gaufridus Abbas honorabiliter renouauit. *Sedit Richerius ab anno* LXII *ad annum* XCVI *seculi vndecimi: at Gaufridum siue Goffridum de Montiniaco creatum Abbatem anno* MCCXL *cœnobium illud reparasse, tradunt Chronica dicti monasterij & ex ijs Sanmarthani.*

Translatio facta an. 3095

24 Aprilis.

B

& repositio in scrinio argenteo:

34 *Seculo sequenti Archiepiscopus Senonensis floruit Guilielmus de Brosse, ordinatus anno* MCCCXXX, *mortuus anno* VIII *sui Pontificatus. Hic anno* MCCCXXXIII *solennem visitationem instituit cuius acta à duobus notarijs signata etiamnum in membranâ extant cum illustri de capite S. Gregorij testimonio. Similia peracta iterùm sunt à Ludouico Melunio Archiepiscopo anno* MCCCCXXXIX, *& quæ postmodum ab eodem Archipræsule facta est eiusdem capitis translatio, in antiquâ membranâ legitur:* Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, more Gallicano; Indictione VII, mensis verò Martij die vigesimâ, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri, D. Pij diuinâ prouidentiâ Papæ III anno primo, regnante Christianissimo & Serenissimo Domino nostro Francorum Rege Carolo, & Carissimo nobis in Christo Filio, Fratre Oliuerio Chapperon, Abbate in dicto monasterio S. Petri-Viui præsidente; Nos ad ecclesiam S. Petri-Viui dicti monasterij declinantes (cuius ecclesiæ dedicatio olim à Deo & Angelis suis dedicatę & cōsecratæ, ipsâ die celebrari solenniter consuetum est: ob cuius reuerentiam in ipsâ ecclesiâ generalis & plenaria indulgentia ab omni æuo dicitur esse & piè creditur; & ad eam acquirendam annis singulis plebis multitudo copiosa à diuersis regni partibus affluere consueuit) pro parte dictorum Abbatis & Conuentus prædictorum nobis fuit instanter supplicatum, vt nunc ipsi deuotione moti pridem desiderassent prædictum gloriosissimum caput S. Gregorij in quadam magnificâ capsâ argenteâ deauratâ, nobis ob hoc traditâ & exhibitâ, ad modum capitis propè constructâ, cum coronâ Papali seu tiarâ desuper, quam ad laudem & decorem omnipotentis Dei & egregij Doctoris prædicti fabricari & construi fecerant, prædictum sacrum caput in eadem capsâ nouâ reponi vellemus & dignaremur &c.

Visitatio capitis an. 1333

& an. 1439.

olim translatio anno 1459

C

in nouam capsam:

35 *Diploma hoc signatum est à duobus Notarijs Ioanne Picon & Theobaldo Laurent in præsentiâ Abbatum Guichardi S. Columbæ, & Guerini S. Remigij Ordinis Benedictini, & Petri Abbatis S. Ioannis Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini; & seruatur etiamnum paruæ capsulæ insertum, & cum eâ ipsi capiti inclusum. In ipsâ autem capsulâ simul seruantur minuta fragmenta eiusdem capitis S. Gregorij, & alia instrumenta ad idem caput spectantia: quorum apographa aut indicem nobis submisit Corbeiâ suprà nominatus R. D. Ildephonsus Vraiet: qui addit Vrbanum Papam VIII desiderasse particulam eiusdem sacri capitis sibi donari; eâque de caussâ D. Spadam Nuntium suum in Franciâ Apostolicum (qui postmodùm est in numerum Cardinalium adscitus) cum Breui Apostolico ablegasse ad Archiepiscopum Senonensem Octauium de Bellegarde: cuius petitioni vt fieret satis, fragmentum aliquod à capite abstractum, VI Decemb. anno* MDCXXVIII *liberali donatione in manus dicti Nuntij traditum fuisse, & ab eo Romam ad Summum Pontificem transmissum, ab eoque postmodùm donatum ecclesiæ S. Mariæ & S. Gregorij in Vallicellâ Patrum Congregationis Oratorij: quod & ipsi Patres litteris* XXIX *Ianuarij anni* MDCLVII *Româ missis testati sunt. Vidimus ipsi Romæ anno* LXI *huius seculi sacras huius Ecclesiæ reliquias, & sequenti anno in ipso S. Petri-Viui monasterio sacrum S. Gregorij caput venerati sumus.* D

particula capitis donata anno 1628 Vrbano VIII:

ab hoc in ecclesiâ Vallicellana deposita.

§ VII Reliquiæ S. Gregorij in Germaniâ adseruatæ: an etiam Caput?

36 E *Galliâ progredimur in Germaniam ad monasterium Petrohusiense seu Domus-Petri appellatum, quòd secundùm formam basilicæ Principi Apostolorum constructæ esset conditum in suburbio Constantiensi ad ripam Rhemi circa finem seculi ad honorem S. Gregorij Magni Ecclesiæ Doctoris, cui addictissimus erat eius fundator* S. Gebhardus Episcopus Constantiensis: *Hic* Romam properauit, vt & de Apostolorum liminibus Sanctorum exuuias priuilegiúmque libertatis perciperet, quod & magnificè impetrauit... Inter ceteras verò, quas Ioannes Pontifex beato viro Sanctorum dederat reliquias, caput quoque sanctissimi Papæ sibi condonauit Gregorij, sed hoc paucis & sibi familiarissimis cognoscentibus. Vir autem Dei, tanto munere accepto, maximo delibutus gaudio, festinus vrbem egreditur, verens hoc, quod etiam contigisset, nisi diuinâ ministratione profectus fuisset. Romani enim cognoscentes se tanto pignore priuatos, se quasi orbatos gementes ciuitatem egressi, virum Dei vnanimiter prosequuntur, *vti ea Felix Manilius in eius Vitâ ad* XXVII *Augusti elucidandâ tradit: quæ in Chronico Constantiensi à Ioanne Pistorio inter sex Scriptores rerum Germanicarum edito, ita leguntur:* Anno DCCCCXCII B. Gebhardus ecclesiam in honore S. Gregorij Papæ in magnâ gloriâ dedicauit. Affectione quoque, quâ eidem loco singulariter deuinctus erat, mens ei fuit monasterio ipsi immunitatis priuilegium ab Apostolicâ Sede conquirere, atque idcircò proprio corpore vrbem petijt Romanam; Romamque veniens à Papâ Ioanne... pro sui veneratione adeò est honoratus, vt non tantùm priuilegium, quod ipse petebat ei concederet, verùm & gratiâ Pontificis ei permissum est, vt manum mitteret ad corpus B. Gregorij Papæ hac conditione, vt quidquid vno tactu de sacris ossibus manu leuaret, hoc secum deferret. Itaque Dei gratiâ caput eius cum alijs magnificis de corpore eius reliquijs sustulit, omnibusque ad eius libitum impetratis, quæ volebat, lætus remeauit. Hoc siquidem sanctum caput, pluribus posteà temporibus lapsis, inuentum est in capsâ, firmiter olim solidatâ, sed præ antiquitate & sine cautelâ prorsus resolutâ, quæ pristinis temporibus, vt dicebatur, in altari S. Petri in plagâ meridianâ recondita erat. Apertâ autem capsâ, in ipsâ altera capsa rubricata inuenta fuit, Sanctorum reliquijs plena, inter quas dilectissimus thesaurus capitis sanctissimi Gregorij Papæ comminuti repertus fuit, aliæque plures reliquiæ in eadem capsâ repertæ fuerunt. Obijt S. Gebhardus VI Kalend. Septemb. anno DCCCCXCVI, sepultus in basilicâ S. Gregorij à se constructâ: *quæ ideò etiam S.* Gebhardi *postmodùm fuit appellata. Ceterùm Ioannes Papa* XV

E

Constantiâ ecclesia S. Gregorij

ibi creditum fuisset Caput S. Gregorij,

S. Gebhardo Episcopo Romam profecto donatum

F

à Ioanne XV Papa an. 989.

A *XV fuit, pro quo perperàm VI legebatur, cuius annus quartus cum Indictione secundâ conuenit in annum* DCCCCLXXXIX, *quando priuilegium summi Pontificis S. Gebhardo Romam profecto datum indicatur.*

à Carolo IV Imperatore

37 *De capite S. Gregorij Constantiâ Pragam delato, ista adduntur ad hunc diem in Martyrologio MS. Pragensi:* Huius Sancti caput Serenissimus Princeps Carolus IV Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex obtentum in monasterio S. Gebbardi in ciuitate Constantiensi, & decoratum auro atque argento donauit Ecclesiæ Pragensi. *Retulimus in Appendice tomi primi Ianuarij paginâ* 1084 *festum reliquiarum à dicto Carolo IV Imperatore Pragæ depositarum: inter quas refertur* caput S. Gregorij Magni, *adeoque cum alijs Sanctis suam ibi venerationem habet die secundâ Ianuarij.*

delatum Pragam.

38 *Ægidius Gelenius in libro de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ, recenset in ecclesijs septem aliquas S. Gregorij Magni adseruari reliquias, & quidem* de capite eius *in ecclesiâ SS. Ioannis & Cordulæ, articulum digiti apud S. Pantaleonem,* dentem, os magnum *&* os paruum *esse in veneratione apud Patres Carthusianos. In Belgicis varijs ecclesijs esse eiusdem S. Gregorij aliquas reliquias, monet in Hierogazophylacio Belgico Raissius. Eminent Canonici Regulares S. Autberti in vrbe Cameracensi, & Rutilenses Carthusiani prope Mosam fluuium: apud hos dicitur adseruari* os magnum, *apud illos eiusdem* Sancti brachium. *Sed verendum est, ne ab alijs Sanctis, nomine Gregorij appellatis, ad hunc præcipuum, vt passim fieri sæpius obseruamus, translatæ videantur. Thomas à Kempis post sermonem* VIII *ad Nouitios, narrat varia miracula meritis & patrocinio S. Agnetis Virginis & Martyris patrata, à nobis cum Actis eiusdem ad* XXI *Ianuarij edita: vbi num.* 6 Sacerdos *dicitur* speciali affectu dilexisse S. Gregorium Papam, quia in eius festo scholas ad discendum alphabetum cum alijs pueris primùm intrauit. *Quæ pia consuetudo etiamnùm multis in locis Belgij obseruatur, vbi* S. Gregorius *habetur Patronus addiscentium litteras. Ea religio videtur inoleuisse, quia S. Gregorius Anglos pueros venales redimere litterisque imbuendos tradere solitus erat: & forsan ea pietas ab Anglis ad Belgas emanauit, qui ab illis olim fuerunt aut in fide aut pietate instructi.*

reliquiæ Coloniæ,

& in Belgio.

B

patronus addiscentium litteras.

§ VIII. Veneratio S. Gregorij apud Hispanos. Caput eiusdem etiam dicitur in Lusitaniâ adseruari.

Cultus S. Gregorij apud Hispanos

39 CElebrem omni tempore fuisse apud Hispanos S. Gregorij Magni memoriam, obseruat Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico, enumerans præcipuarum Ecclesiarum Breuiaria antiqua, in quibus eius veneratio præscribitur. Originem huius transfert in affectum, quo S. Gregorius prosequebatur SS. Leandrum, Isidorum & Fulgentium fratres, aliosque Hispaniarum Episcopos, Abbates ac viros illustres, & ipsum Regem Catholicum Reccaredum: cuius fratrem S. Hermenigildum Martyrem honorauit, dum eius pro fide Catholicâ agonem martyrij lib. 3 Dialogorum cap. 11 enarrauit: vti ad huius diem natalem* XIII *Aprilis dicetur. Multa de mutuo eius S. Leandri amore proferimus proximo die* XIII *Martij, ad huius Vitam. Aliud indicatur munificentiæ S. Gregorij erga Hispanos monumentum, imago siue icon sanctissima Dei genitricis Mariæ, quæ apud Guadalupum in Estremadurâ miraculis claret: quam asserunt S. Leandrum à S. Gregorio vnà cum huius Commentarijs in Iobum adse missam accepisse: de quâ re legi potest Tamaius Salazar ad diem* VIII *Septembris, quâ Inuentio huius iconis solenniter celebratur. Nos aliqua attigimus* XIV *Ianuarij in Vitâ S. Fulgentij cap. 3 litt. b &* XI *Martij inter Prætermissos pag. 53, vbi de Simone Rolando, Hispanis Simone Vela, imaginis huius repertore egimus.*

C

40 *Sunt Vlysipone in Lusitaniâ in templo Domus Professæ Societatis Iesu plurimæ variorum Sanctorum reliquiæ: inter quas & S. Gregorij Papæ, vti dictum est* XXV *Ianuarij inter Prætermissos & in alios dies reiectos. Vlysipone distat* XIX *leucis ad fluuium Tagum conuentus Carmelitarum Nouo-Turrensis, in quo solennis est veneratio S. Gregorij, nomenque à Georgio Cardoso Hagiologio Lusitano inscriptû, quòd ibidem antequàm conuentus in honorem B. Mariæ Deiparæ Virginis pro dictis Carmelitis extrueretur anno* MDLVIII, *fuerit ædicula S. Gregorio dicata, in quâ caput eiusdem sanctissimi Doctoris & Pontificis alteri argenteo capiti inclusum adseruatur in peculiari altari prò animabus, vt vocant, priuilegiato; vnde & monachi S. Gregorij communiter appellantur. Verùm quomodò caput sacrum eò delatum fuerit, factâ diligenti inquisitione fatetur memoratus Cardoso se assequi non potuisse: num in antiquâ ædiculâ illud olim fuerit venerationi expositum, an verò, quod videntur monachi asserere, illud à suo habeant fundatore, qui fuit D. Iacobus de Lancastro Episcopus Septensis, ibidem in choro sepultus. Quidni huic præcipuo Sancto præ reliquis Gregorij nomine appellatis, applicarint & venerationem dicti capitis, imò & vetustæ ædiculæ nomenclaturam; licet forent alterius cuiuspiam S. Gregorij, aut forsan eremitæ, qui ibidem sanctam vitam egerit. De fundatione dicti conuentus plura congerit idem Cardoso in Notis ad* XII *Martij.*

D *quomodò dicatur caput eius esse in Lusitaniâ.*

E

VITA

Auctore anonymo sed synchrono

Ex pluribus vetustis codicibus MSS

CAPVT I

S. Gregorij ortus, studia, vita monastica, legatio Constantinopolitana.



1 GRegorius *a* vrbe Romanâ, patre Gordiano, matre Siluiâ editus, non solùm spectabili Senatorum prosapiâ, verùm etiam religiosâ originem duxit. Nam *b* Felix istius Apostolicæ Sedis Antistes, vir magnæ virtutis, & Ecclesiæ in Christo gloria, eius atauus fuit. Sed tamen hanc Gregorius tantæ nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decorauit. Denique vt pòst in propatulo claruit, non sine magno præsagio tale sortitus est nomen: Gregorius namque ex Græco eloquio in nostram linguam Vigilator seu *c* Vigilans sonat. Re etenim verâ vigilauit sibi, dum diuinis inhærendo præceptis, laudabiliter vixit: vigilauit & fidelibus populis, dum doctrinæ affluentis ingenio eis, quo tramite cælestia scanderent, patefecit.

a Illustribus maioribus natus, *b*

rectè Gregorius appellatus,

2 Disciplinis verò liberalibus, hoc est Grammaticâ, Rhetoricâ, Dialecticâ ita à pueritiâ est institutus, vt quamuis hîc eo tempore potissimùm florerent studia litterarum, nulli in vrbe hac putaretur esse secundus: inerat ei in paruâ adhuc ætate maturum iam studium, adhærere scilicet dictis maiorum; & si quid dignum potuisset auditu percipere, non segniter obliuioni tradere, sed tenaci potiùs memoriæ commendare: hauriebatque iam tunc sitibundo doctrinæ fluenta pectore, quæ pòst congruenti tempore, mellito gutture eructaret. Hic in annis adolescentiæ, in quibus solet huiusmodi ætas seculi vias ingredi, Deo cœpit deuotus existere, & ad supernæ vitæ patriam totis desiderijs anhelare. Sed dum diu longeque *d* conuersionis gratiam differret, & postquàm cælesti afflatus desiderio, seculari habitu contegi meliùs putaret, velletque præsenti mundo, quasi specie tenùs deseruire, cœperunt multæ contra eum eiusdem mundi curæ succrescere, vt in eo iam non specie, sed vt ipse

vnà cum doctrina virtutem hausit: F

d

mundanis curis detinetur.

A ipse de se asseruit, retineretur & mente.

3 Tandem cùm & *e* parentum iam dudum obitu liberam disponendarum rerum suarum haberet facultatem, quod mente priùs *f* gestabat, aperuit: quodque iam in diuinis erat obtutibus, humanis etiam visibus ostendit. Mox etenim cuncta, quæ habere potuit, ad pietatis opus distribuit, vt Christum pro nobis factum egenum, egens ipse sequeretur: sex denique in Siciliâ monasteria construens, fratres illic Christo seruituros aggregauit; septimum verò intra vrbis huius muros instituit, in quo & ipse postmodùm Regulari tramite, multis sibi sociatis fratribus, sub Abbatis imperio militauit: quibus monasterijs tantum de redditibus prædiorum suorum delegauit, quantum posset illic commorantibus ad quotidianum victum sufficere. Reliqua verò cum omni domus prædio vendidit, ac pauperibus erogauit, nobilitatemque illam, quam ad seculum videbatur habere, totam ad nanciscendam supernæ gloriam dignitatis diuinâ gratiâ largiente conuertit: & qui antè serico contextu, ac gemmis micantibus solitus erat per vrbem procedere trabeatus, pòst vili contectus tegmine ministrabat pauper ipse pauperibus. Etenim repentè, mutato seculari habitu, monasterium petijt, & ex mundi huius naufragio nudus euasit; in quo tantâ perfectionis gratiâ cœpit conuersari, vt iam tunc in ipsis initijs perfectorum numero posset computari. Inerat denique ei tanta abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in ieiunijs, vt infirmato stomacho, vix consistere posset. Sustinebat præterea assiduas corporis infirmitates, maximeq; eâ pulsabatur molestiâ, quam medici græco eloquio *g* syncopim vocant: cuius incommodis ita vitalium cruciabatur incisione, vt crebris interceptus angustijs per singula penè horarum momenta ad exitum propinquaret.

septem monasteria condit:

fit monachus:

B

ex nimiâ abstinentiâ periculosè ægrotat:

4 Qualis autem in monasterio fuerit, quamque laudabili studio vitam direxerit, ex ipsius verbis possumus colligere; quibus ipse in Pontificatu iam positus, dum cum Petro suo Diacono colloqueretur, flendo vsus est, dicens: Infelix quippe animus meus, occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit qualis in monasterio aliquando fuit: quomodò ei labentia cuncta subter erant: quantùm rebus, quæ voluuntur, eminebat: quòd nulla nisi cælestia cogitare consueuerat: quòd etiam retentus corpore, ipsa iam carnis claustra contemplatione transibat: quòd mortem quoque, quæ penè cunctis pœna est, videlicet vt ingressum vitæ & laboris sui præmium amabat. At nunc ex occasione curæ pastoralis, secularium hominum negotia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus puluere fœdatur. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quid amisi: cùmque illud intueor quod perdidi, fit hoc grauius quod porto. Ecce etenim nunc magni maris fluctibus quatior, atque in naui mentis, tempestatis validæ procellis illidor: & cùm prioris vitæ statum recolo, quasi post tergum deductis oculis, viso littore suspiro: quodque adhuc est grauius, dum immensis fluctibus turbatus feror, vix iam portum valeo videre, quem reliqui. Hæc autem ipse de se referre consueuerat, non profectum iactando virtutum sed deflendo potiùs defectum, quem se pro pastorali curâ incurrisse metuebat. Sed quamuis de se talia ex magnæ humilitatis intentione dixerit, nos tamen credere decet, nihil eum monachicæ perfectionis perdidisse occasione curæ pastoralis; imò potiorem tunc sumpsisse profectum de labore conuersionis multorum, quàm de propriæ quondam quiete conuersationis habuerit.

in Prologo Dialogorum.

ipse vitam hanc monasticam præfert Pontificiæ:

C

5 Sed qualiter hic sanctus vir ad Diaconatus Officium, & pòst ad Pontificatus culmen ascenderit, subsequens sermo declarabit. Denique cernens *h* Romanus Pontifex, qui tunc Ecclesiæ præerat, virtutum gradibus B. Gregorium alta conscendere, eum abstractum à monasterio, Ecclesiastici Ordinis officio sublimauit, Leuitamque *i* septimum ad suum adiutorium asciuit: nec multò pòst pro responsis Ecclesiasticis ad vrbem Constantinopolim *k* Apocrisiarium direxit. Nec tamen ille, quamuis in terreno conuersaretur palatio, vitæ cælestis intermisit propositum. *l* Secuti namque sunt eum multi ex monasterio Fratres sui, germanâ deuincti caritate: quod diuinâ factum dispensatione conspicitur, vt eorum videlicet exemplo ad orationis placidum littus, quasi anchoræ fune, constringeretur: vt, dum caussarum secularium incessabili pulsu fluctuaret, ad illorum consortium, velut ad tutissimi portus sinum, post terreni actus volumina fluctusque refugeret. Et licet eum ministerium illud, ex monasteriò abstractum à pristinæ quietis vitâ, mucrone suæ occupationis extinxerit; inter eos tamen, per studiosæ lectionis alloquium, quotidianæ aspiratio compunctionis animabat. Horum ergo consortio non solùm à terrenis est munitus incursibus, verùm etiam ad cælestis vitæ exercitia magis magisque succensus.

creatur Diaconus Cardinalis:

D

mittitur Constantinopolim Apocrisiarius

inter socios monachos seruat spiritum monasticum:

6 Tunc ab eisdem Fratribus enixè rogatus, maximéque à *m* Leandro venerabili viro, Hispalensi Episcopo, qui pro caussis Wisigothorum Legatus eo tempore Constantinopolim aduenerat, compulsus est, vt librum beati Iob, multis inuolutum mysterijs, enodaret: neque ille negare potuit opus, quod sibi caritate interueniente amor fraternus multis imponebat vtile futurum; sed eumdem librum, quomodò iuxtà litteram intelligendus, qualiter ad Christi Ecclesiæque Sacramenta referendus, quo sensu vnicuique fidelium sit aptandus, per triginta quinque librorum seriem mirandâ ratione perdocuit: in quibus libris ita de virtutibus vitijsque disseruit, vt non solùm videatur eadem verbis exponere, sed formis aliquo modo visibilibus demonstrare. Vnde non est dubium eum perfectionem ipsarum assecutum esse virtutum, quarum ita efficaciter intimare valuit effectum.

exponit librum Iobi:

E

7 Qui cùm esset adhuc in eadem regiâ vrbe positus, nascentem ibi nouam hæresim de statu nostræ Resurrectionis, cum ipso, quo exorta est initio, adiuuante gratiâ Catholicæ veritatis attriuit. Siquidem *n* Eutychius eiusdem vrbis Episcopus dogmatizabat corpus nostrum in illa Resurrectionis gloriâ impalpabile, ventis aëreque subtilius esse futurum. Quod ille audiens, & ratione veritatis & exemplo Dominicæ Resurrectionis probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodis esse contrarium: Catholica etenim fides habet, quod corpus nostrum, in illâ immortalitatis gloriâ sublimatum, subtile quidem sit per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ, iuxta exemplum Dominici Corporis, de quo resuscitato à mortuis dicit ipse discipulis suis: Palpare, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habent, sicut me videtis habere. In cuius assertione fidei venerabilis pater Gregorius intantùm contra nascentem nouam hæresim laborare contendit, tantâ hanc instantiâ, iuuante etiam pijssimo Imperatore Tiberio Constantino, comminuit, vt nullus sit exinde inuentus, qui eius resuscitator existeret.

hæresin circa statum Resurrectionis exortam extinguit.

Luc. 24, 39

F

a *Aliqua MSS.* in vrbe Româ.

b *Est* S. Felix III, *cuius Vitam dedimus* 25 *Februarij.*

c *Aliqua MSS.* Vigilantius. d *Alia MS.* conuersationis.

e *Imò patris morte, & matris secessu in Cellam-Nouam: vti in aliâ Vitâ dicitur.*

f *Mombritius cum MS.* gestiebat.

g Σύγκοπις *Gelso* animæ defectio *dicitur.*

h Benedictus *à Ioanne Diacono dicitur. Sedit is ab anno* 575 *ad* 579.

i Diaconos *septem solitos adesse Pontifici scripsit S. Cornelius Papa contra Nouatum apud Eusebium lib.* 6 *hist. Eccl. cap.* 35.

k Apocrisarius, *siue* Apocrisiarius, *Hincmaro ep.* 3 *cap.* 13 Responsalis, *quod illius esset* ἀποκρίνεσθαι, *siue* ἀπόκρισιν ποιεῖσθαι *responsum dare. At missum à Pelagio II Papa anno* 579 *Pontifice con-*

Apocrisarius.

A *constituto tradit infrà Ioannes Diaconus.*

l *Hæc desumpta sunt ex præfatione in Iobum ad S. Leandrum.*

m *Vitam S. Leandri damus 13 Martij, vbi de hac legatione plura.*

n *Claruit multis miraculis S. Eutychius, etiam ob fidem exilium passus: colitur 6 Aprilis.*

CAPVT II

S. Gregorij piæ exercitationes tempore pestis: electio in Pontificem: libri scripti, morbi.

Post inundationem Tiberis, a

8 IGitur postquàm Romam venerandus Leuita regressus est, aliquanto tempore interiecto, tantâ inundatione Tiberis fluuius aluei sui cursum egressus est, tantúmque excreuit, vt eius vnda super vrbis muros influeret, atque in eâ maximam partem regionis occuparet, ita vt plura antiquarum ædium mœnia destrueret: quâ etiam aquarum violentiâ horrea ecclesiæ subuersa sunt, in quibus nonnulla modiorum tritici millia perierunt. Tunc siquidem multitudo serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ per huius fluuij alueum in mare descendit; sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, nec mora in littore eiectæ sunt. Subsecuta est è vestigio clades, quam inguinariam vocant: nam *b* medio mense vndecimo adueniens, primò omnium, iuxta hoc quod in Ezechiele legitur: A sanctuario meo incipite, Pelagium Papam perculit, & sine morâ extinxit: quo defuncto, tanta strages populi facta est, vt passim subtractis habitatoribus, domus in vrbe plurimæ vacuæ remanerent.

B — *à peste inguinaria* b — Ezech. 9, 6 — *Pelagio Papa extincto,*

inuitus eligitur S. Gregorius:

9 Sed quia Ecclesia sine Rectore esse non poterat, B. Gregorium, licet totis viribus renitentem, plebs omnis elegit: quem ille apicem attentiùs fugere tentans, esse se omnino indignum tali honore clamabat: metuens videlicet, ne mundi gloria, quam priùs abiecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modo subrepere posset. Vnde factum est, vt epistolam ad Imperatorem Mauritium dirigeret, cuius *c* filium ex lauacro sancto susceperat: adiurans, & multâ prece deposcens, ne vnquàm assensum populis præberet, vt se huius honoris gloriâ sublimaret. Sed Præfectus vrbis, Germanus nomine, eius nuntium anticipauit, comprehensóque, ac disruptis epistolis, consensum, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia Diaconi, eò quòd locum deferendi honoris ei vt cupiebat, reperisset; datâ illicò præceptione, eum institui præcepit.

c — *per Imperatorem conatur liberari:*

adhortatur populum ad pœnitentiam:

10 Cúmque in hoc restaret, vt benediceretur, & lues populum deuastaret, verbum ad populum pro agendâ pœnitentiâ hoc modo est exorsus: Oportet, Fratres carissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus: conuersionis aditum nobis dolor aperiat, & cordis nostri duritiam, ipsa, quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim Prophetâ teste prædictum est: Peruenit gladius vsque ad animam. Ecce etenim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentinâ singuli cæde vastantur: nec languor mortem præuenit, sed languoris moras, vt cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quippe antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo, qualis ante conspectum districti Iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrûm ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quidquid errando commisimus, & quod nequiter egimus flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Deum: ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia absterfit, & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsâ sententiâ suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse, quod petimus: citiùs ad precem Iudex flectitur, si à prauitate suâ petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, Iudici veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult à se precibus exigi, qui, quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicitur: Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te; & honorificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia se inuocantibus misereri desiderat; qui admonet, vt inuocetur.

C — Ier. 4, 10 — D — Thr. 3, 41 — Ezech. 33, 11 — Ps. 49, 15

11 Proinde Fratres carissimi contrito corde, & correctis operibus ab ipso feriæ quartæ diluculo septiformis Litaniæ deuotione ad lacrymas veniamus, vt districtus Iudex, cùm culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententiâ propositæ damnationis parcat. Quam exhortationem B. Gregorij ideò huic opusculo inserendum putauimus, vt à quantâ perfectione prædicationis initium sumpserit, monstraremus. Igitur dum magna multitudo Sacerdotum, Monachorum, diuersique sexus & ætatis, iuxta præceptionem B. Gregorij die constitutâ Dominum rogatura venisset, intantum lues ipsa, diuino iudicio deseuit, vt intra vnius horæ spatium, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emitteret, octoginta homines in terram corruentes spiritum exhalarent. Sed non destitit Sacerdos tantus populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione diuinâ pestis ipsa quiesceret.

septiformem Litaniam indicit: E — *in magna hominum strage in oratione persistit:*

12 Cúmque adhuc futurus Antistes fugæ latibula præpararet, vrbi solicitudo, & portis vigiliæ deputantur, donec oportunè & gloriosè, vt Ordo sacer exposcit, in eo diuina munia complerentur. Obtinet is à negotiatoribus, vt in craterâ occultatus educeretur ab vrbe, sicque latebrâ triduò se occultauit, donec illum populus Romanus ieiunijs & orationibus, columnâ lucis tertiâ super eum nocte cælitus emissâ obtinuit: quæ non paruo noctis spatio à summo cæli vsque ad eundem ipsum lineâ rectâ effulgens, quærentibus votum optabile demonstrauit. Sed & cuidam sancto anachoritæ vrbi contiguo Angeli ascendentes & descendentes per præfatam columnam super illum sunt visi, qui mox felix sacrumque sumens auspicium de eâ, quam vidit in somnis S. Iacob, scalâ, ibidemque domum Domini dixit fore, Rectorem domus Dei, quæ est Ecclesia, immò ipsum Dei templum inibi esse absconditum, exclamauit. Tandemque electus & dilectus Domini inuenitur, capitur & trahitur, & ad B. Petri basilicam ducitur, ibique ad Pontificalis gratiæ officium consecratus, Papa vrbis efficitur.

in latebris absconditur, — *proditur columna ignea,* — *& ascensu & descensu Angelorum:* — F — *Pontifex consecratur.*

13 Quo in tempore dum à Ioanne Rauennatis vrbis Episcopo reprehensus fuisset, cur à Pastorali officio delitescendo se subducere tam idoneus voluisset; hac occasione compulsus, volumen egregium, quod liber Pastoralis appellatur, composuit; in quo manifestâ luce patefecit, qualis ad Ecclesiæ regimen assumi, qualiter ipsi Rectores viuere, quâ discretione singulas quasque audientium personas instruere, quantâque consideratione propriam quotidie debeant fragilitatem pensare. Sed & Homilias Euangeliorum numero quadraginta composuit, quas in duobus codicibus

scribit librum de Cura pastorali: — *Homilias in Euangelia,*

A dicibus æquâ forte distinxit. Libros etiam Dialogorum quatuor edidit, in quibus rogatu Petri Diaconi sui, virtutes Sanctorum, *d* quos in Italiâ clariores esse nouerat, ad exemplum viuendi posteris collegit: vt sicut in libris expositionum suarum, quibus sit *e* insudandum virtutibus, edocuit; ita etiam descriptis Sanctorum miraculis, quæ virtutum earumdem sit claritas, ostenderet. Primam quoque & vltimam Ezechielis Prophetæ partes, quæ videbantur obscuriores, per homelias viginti duas, quantum lucis intus habeant, demonstrauit. Scripsit prætereà & alia nonnulla, sed & epistolas quamplures, quæ singulariter cuncta edicere, breuitatis studio omisi.

d 4 libros Dialogorum, e in Ezechielem Prophetam: varias epistolas:

14 Quod eò magis mirum est tot eum ac tanta condere volumina potuisse, qui omni iuuentutis suæ tempore, vt verbis ipsius loquar, crebris viscerum doloribus cruciabatur; horis etiam momentisque singulis fractâ stomachi virtute lassescebat, lentis quidem, sed tamen continuis febribus anhelabat; frequens etiam eum gressuum dolor vehementer affligebat. Verùm inter hæc dum solicitus pensaret, quia Scripturâ teste, Omnis filius, qui recipitur, flagellatur, quò malis præsentibus durius premebatur, eò de æterna certius præsumptione respirabat. Fatigabat eum prætereà de ordinandis vrbis vigilijs, ne ab hostibus caperetur, solicitudo continua. Vrebant quoque eius animum incessanter filiorum hinc inde discrimina nuntiata: sed tamen ille inter tot & tanta deprehensus incommoda, numquam otio indulgebat, quin aut filiorum vtilitatibus inseruiret, aut aliquid dignum Ecclesiæ scriberet, aut per contemplationis gratiam cęli secretis interesset.

multis interim morbis afflictus, & alijs solicitudinibus occupatus. B

a *Anno 589 mense Nouembri.*

b *Ianuario anni 590, ac VI Idus Februarij Pelagium mortuum esse tradit Anastasius.*

c *Hic est* Theodosius *natus anno 595, dein anno 600, die 26 Martij coronatus, ætatis annorum 4 cum medio.*

d *Aliqua MSS.* Quos (*alibi* quas) in Italiâ clariores nosse vel audire poterat.

e *Aliqua MSS.* insinuandum.

CAPVT III

Exules & egeni à S. Gregorio adiuti: Angli eius industriâ ad fidem conuersi.

15 Denique dum de totâ penè Italiâ, Longobardorum gladios metuentes, plurimi vndique ad Romanam vrbem confugerent, solertem pro omnibus curam gerebat, & vniuersis cum verbi pabulo corporis subsidia ministrabat. Intantùm namque eius animum misericordiæ amor deuinxerat, vt non solùm horum, quos præsentes habebat, necessitatibus succurreret; sed insuper longè positis opem suæ largitatis impenderet: adeò vt etiam in monte Sinai Dei famulis constitutis, quæque erant necessaria, transmitteret. Nam alij quidem Pontifices, construendis ordinandisque auro & argento Ecclesijs operam dabant: hic autem & ijs insistebat; & quasi ijs omissis, totus erga animarum lucra vacabat; & quidquid pecuniæ habere poterat, sedulus dispergere & dare pauperibus curabat, vt eius iustitia maneret in sęculum sęculi, & cornu eius in gloriâ exaltaretur; ita vt illud beati Iob veraciter dicere posset: Benedictio perituri super me veniebat; & cor viduæ consolatus sum, Iustitiâ indutus sum, & vestiui me sicut diademate & vestimento iudicio meo. Oculus fui cæco & pes claudo. Pater eram pauperum; & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Et paullò post: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ; quia ab infantiâ creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.

Succurrit exulibus à Longobardis pulsis, C *etiam alijs in monte Sina degentibus, & passim quibuscumque egenis:* Iobi 29, Iob 31,

16 Ad cuius iustitiæ & pietatis opus pertinet, quod Anglorum gentem per prædicatores, quos illuc direxit, de dentibus antiqui hostis eripiens, æternæ libertatis fecit esse participem. Etenim, quia qui Deo nostro fideliter adhæret semper ex eius largissimo munere ad potiora feliciter conscendit; dum Sanctus iste beatissimus Gregorius ardenti studio pro colligendis particulatim fidelium animabus satageret, donauit illi pius Dominus, vt totam pariter conuerteret gentem: cuius conuersionis, vt putatur, facta diuinitùs hæc occasio fuit. Cùm die quadam, aduenientibus nuper mercatoribus, multa venalia in foro Romæ collata fuissent, multique ad emendum hinc inde confluerent; contigit & B. Gregorium, antè scilicet quàm Pontificale decus haberet, per forum transitum facere, ac inter alia vidisse pueros venales positos, lactei corporis ac venusti vultus, capillos quoque præcipui candoris habentes: quos cùm aspiceret, interrogauit de quâ regione vel terrâ essent allati: dictúmque est, quia de Britanniâ insulâ; cuius terræ incolæ tali omnes decore niterent. Rursus interrogauit, vtrùm idem insulani Christiani essent? an Paganorum erroribus impliciti? dictumque est, quod essent Pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria: Heu pro dolor! inquit, quòd tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet; tantaque frontis speciei gratia mentem ab internis gaudijs vacuam gestat. Rursus ergò interrogauit, quod esset vocabulum Gentis illius? Responsum est, quod Angli vocarentur. Et ille: Benè, inquit, nam Angelicam faciem habent, & tales in cælis Angelorum decet esse cohæredes. Quod habet, inquit, nomen ipsa Prouincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quòd *a* Deiri vocarentur ijdem prouinciales. Et ille: Bene, inquit, Deiri, de ira eruti; & ad misericordiam Christi vocati. Rex, ait, illius Prouinciæ quomodò vocatur? Responsum est, quod *b* Alle vocaretur. At ille alludens ad nomen Alle, ait: *c* Ad laudem Dei Creatoris Alleluia oportet decantari in partibus illis.

D *Procurauit conuersionem Anglorum: quorum aliquos pueros venales olim inuenit,* E *doluerat Paganos esse cum gente vniuersâ & Rege:* *a* *b* *c*

17 Accedensque ad Pontificem huius Romanæ & Apostolicæ Sedis, rogauit, vt genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum conuerterentur, mitteret: asserens & seipsum in hoc opus, Domino cooperante, perficiendum paratum esse; si tamen eidem Apostolico Papæ, hoc, vt benignè fieret, complaceret *d*. Quod cùm ei primò minimè Pontifex annuisset, postremò infatigabilibus eius precibus deuictus assensit. Qui ciuibus profectionis suæ celans negotium; quoniam si id nossent, nullatenùs illi quolibet pacto acquieuissent: quantò celeriùs potuit, iter cum Apostolicâ benedictione arripuit. Hæc intereà ad notitiam populi veniunt, vnanimi condicto omnes vrbici ac suburbani, vel quique audientes occurrere potuerunt, sese in tres partes diuidunt, & proficiscenti Apostolico *e* Pelagio ad Ecclesiam S. Petri terribili voce conclamant: Eia, Apostolice: quid fecisti? S. Petrum offendisti: Romam destruxisti: B. Gregorium non tàm misisti quàm expulisti. Ijs ergo vocibus horribiliter permotus Pontifex, populúmque vehementissimè metuens, post eum summâ cum festinatione, & obligationis, vt quantocius Romam rediret, interdictione direxit. Sed antequàm Missi eum adissent, trium dierum iam confecto itinere, dum idem vir Domini B. Gregorius, vt iter agentibus moris est, circa sextam horam in prato quodam socijs quibusdam quiescentibus, alijs autem illi assistentibus vel necessarijs rebus occupatis, sederet & legeret; venit ad eum locusta, & dans saltum, paginæ quam percurrebat insedit: cernensque eam beatus vir Domini Gregorius tam mansuetè loco, quo asséderat, permanere; cœpit, collætans sodalibus, ipsius nomen reciprocans quasi interpretari: Locusta, inquam, hæc dici potest, quasi loco sta. Et subiungens: scia-

& acceptâ à Pontifice facultate, *d* *versùs Angliam profectus,* F *e* *sed incitatis à populo Romano, vt reuocaretur,* *vrbi se reuocandum prædixerat,*

A sciatis, inquit, non progressiùs nos iter cœptum licere protendere: verumtamen surgite, & iumenta sternite, vt quantum licuerit, quò tendimus, properemus. Cùm autem hinc mutuò confabularentur, & secum quærerent; peruenerunt Missi Apostolici equis sudantibus, & admodùm fatigatis: statimque illi cum magnâ celeritate epistolam, quam detulerant, porrexerunt; quâ perlectâ: Ita est, inquit, socij, vt prædixeram; Romam celeriùs remeabimus.

reuersus fuerat.

18 Talique ordine interim dilato suæ deuotionis effectu, mox vt ipse Pontificatus Officio functus est, opus desideratum perfecit; alios quidem prædicatores mittēs, sed ipse prædicationem, vt fructificaret, suis exhortationibus ac precibus seu muneribus fulciens. Deniq; direxit ad eamdem insulam f seruos Dei, Mellitum, Augustinum, & Ioannem, cum multis alijs Deum timentibus monachis; qui intra breue temporis spatium g Regem illum, qui in capite illius insulæ morabatur, h cum suo populo conuerterunt. Quibus Omnipotens Dominus tantam faciendorum miraculorum gratiam contulit, vt verbum fidei, quod ore prædicabant, signorum efficaciâ confirmarent. Vnde factum est, vt paucis elabentibus annis etiam i ceteri insulæ illius Reges cum ijs, qui eis subiecti erant, ad Christi Domini fidem B accederent. De cuius Gentis conuersione simul & miraculorum prodigijs, quæ ibidem fiebant, ita B. Gregorius in libris Moralibus perhibet, dicens: Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat, quàm barbarum frendere, iam dudum in diuinis laudibus Hebræa cœpit verba sonare. Ecce quondam tumidus, iam substratus Sanctorum pedibus seruit Oceanus, eiusque barbaros motus, quos terreni Principes edomare ferro non poterant; hos pro diuinâ formidine Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantium infidelis nequaquàm metuerat; iam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cælestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur; eiusdem Diuinitatis terrore refrænatur, vt prauè agere metuat, ac totis desiderijs ad æternitatis gloriam venire concupiscat. Quod totum vt fieret ita eidem B. Gregorio gratia diuina concessit, vt meritò ab Anglorum populis debeat Apostolus nuncupari, quia etsi alijs non est Apostolus, sed tamen illis est; nam signaculum Apostolatus eius, ipsi sunt in Domino.

Pontifex mittit viros Apostolicos.

& Reges ad fidem conuersos esse gaudet:

Anglorum Apostolus appellandus:

a Deira, *Anglis* Deirland, *est pars regni Northumbrorum, cuius altera pars Bernicia dicitur, fuit singulis subinde Regibus vnaquaque subiecta. Capitur Deira etiam pro regno Northumbria. Ita apud Monachum Egolismensem in Vita Caroli Magni* Eardul- C phus Rex Nordanimbrorum, id est de Irlandâ insulâ (*imò* de Deirlandâ prouinciâ) Britanniæ pulsus ad Imperatorem anno 808 venit.

b Alla *siue* Alle *Rex Northumbrorum seu Deirorum fuisse dicitur circiter* 30 *annos, ab anno* 559 *ad annum* 589.

c *Aliqua MSS.* Laudem Domini nostri Iesu Christi, omnium visibilium & inuisibilium conditoris oportet decantari in illis partibus.

d *In MSS. Audom. & altero nostro hæc adduntur:* Quod dum perficere non posset, quia etsi Pontifex concederet illi, quod petierat, non tamen ciues Romanos, vt tam longè ab vrbe secederet, putarat permittere. *Ea alibi desunt.*

e *Ioannes Diaconus Benedicto Papæ huius decessori hæc tribuit.*

f *Misit anno* 596 SS. *Augustinum, Laurentium, & cum ijs alios plures, inter quos Ioannem hîc relatum censemus, vt S. Laurentio Romam reuerso, adiunxit illi anno* 601 *nouos operarios S. Mellitum & alios, vti accuratè deduximus 2 Febr. ad Vitam S. Laurentij. Coluntur S. Augustinus* 26 *Maij, Mellitus* 24 *Aprilis.*

g *S. Ethelbertum Regem* C*antiorum, baptizatum anno* 597, *die Pentecostes: huius Vitam illustrauimus* 24 *Februarij.*

h *Baptizatis* 10000 *Anglorum in festo Natiuitatis Christi.*

i *Ita MSS. ac Mombritius:* ceteræ etiam insulæ & ipsarum Reges. *Inter hos primus fuit S. Eduuinus Northumbrorum, ductâ in vxorem S. Ethelburgâ, filia S. Ethelberti Regis: baptizatus est anno* 627 *à S. Paulino, iam anno* 625 *Northumbrorum Antistite constituto. Coluntur Eduuinus* 4 *Octob. Ethelburga* 8. *Septemb. Paulinus* 10 *Octob.* D

CAPVT IV.

Miracula à S. Gregorio circa Eucharistiam & Reliquias ac signo Crucis patrata.

19 IAm verò vtrum aliquibus vir iste tanti meriti miraculis claruerit, superfluò quæritur, quòd luce clariùs constat, quòd is, qui virtutum signa suis meritis valuit, alijs quoque, largiente Christo, acquirere, si exegisset oportunitas, faciliùs poterat hæc etiam ipse promereri. Sed ne ijs, qui cum Iudæis signa visibilia ad ostendendum sanctitatem expetunt, satisfactio desit; & illis, qui Sanctorum exemplis ad meliora accendi & prouehi quærunt, ædificatio prosit; quædam autumo referenda, quæ per eum Dominus ad excitandum, & corroborandum nostræ mentis teporem, & destruendam multorum infidelitatem potiùs quàm ignorantiam, fieri & manifestari decreuit. Mater-familiâs quædam nobilis erat in hac ciuitate Romanâ, quæ religionis & deuotionis studio oblationes E facere, & die Dominicâ ad ecclesiam deferre, summoque Pontifici ecclesiasticæ consuetudinis & familiaritatis gratiâ eidem offerre solebat: quæ cùm quadam die ex more ad communicandum de manu Apostolici ordine suo accederet, illique Pontifex offam Dominici Corporis porrexisset, dicens: Corpus Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in remissionem peccatorum, & in vitam æternam; subrisit. Quod Vir Domini cernens, illi communionem sacram retraxit, & separatim super altare posuit, eamque Diacono seruandam, vsque dum cuncti fideles communicarent, tradidit. Expletis verò sacris mysterijs, interrogauit eam B. Gregorius, dicens: Dic rogo, quid cordi tuo emerserit, cùm communicatura risisti? at illa: Recognoui, inquit, portiunculam illam ex eadem oblatione fuisse, quam ego meis manibus feci, & tibi obtuli. Et cùm eam, te intellexissem Corpus Domini appellare, subrisi. Tunc sanctus Domini Pontifex sermonem exinde fecit ad populum, & exhortatus est eum, vt suppliciter Dominum exoraret, quatenùs ad multorum fidem corroborandam carnis oculis ostenderet, quid infidelitas huius mulieris mentis oculis videre & fidei luminibus conspicere debuisset. Quod cùm fuisset oratum, ipse vnà cum populo & eadem muliere ab oratione exurgens, ad altare cunctis cernentibus, & sese ad cernendum cæleste specta- F culum comprimentibus venit: corporalem pallam releuat a, & vniuerso populo, ipsâque muliere contuente, partem digiti auricularis sanguine cruentatam inuenit, ac mulieri dixit: Disce, inquam, veritati vel modò iam credere contestanti: panis, quem ego do, Caro mea est; & sanguis meus verè est potus. Sed præscius Conditor noster infirmitatis nostræ, eâ potestate, quâ cuncta fecit ex nihilo, & Corpus sibi ex carne beatissimæ Virginis Mariæ, operante sancto Spiritu, fabricauit. Panem & vinum aquâ mixtum, manente propriâ specie, in Carnem & sanguinem suum, ad Catholicam precem, ob reparationem nostram, Spiritus sui sanctificatione conuertit. Indéque vniuersos iussit diuinam precari potentiam, vt in formam pristinam Sacrosanctum reformaret mysterium, quatenùs mulieri ad sumendum fuisset possibile: quod & factum est. Vnde sæpefata mulier plurimùm in sanctâ religione ac fide proficiens, participatione Dominici Sacramenti consecrata est; & omnes, qui viderant, in diuino amore & orthodoxâ credulitate feruentiùs excreuerunt.

Miracula claret:

mulierem in fide Eucharistia dubiam confirmat,

sacra hostia in carnem precibus transformata,

& deinde in pristinam formam redacta:

20 Qui-

A 20 Quidam quoque nobilissimus secundùm carnis prosapiam, & potentissimus iuxta regiam in suo modo magnificentiam, cùm per internuntios familiaritatem Apostolicæ Sedis adeptus fuisset, & frequenti admonitione, epistolarum etiam à B. Gregorio transmissarum instructione, erga Dei & Sanctorum cultum sufficienter fuisset imbutus; misit per strenuos & deuotos Missos condigna exenia ad sedem Pontificalem, petens Reliquias beatorum Apostolorum ac Martyrum sibi transmitti. Cuius Legatos sanctus Apostolicus honorabiliter & gratanter suscipiens, aliquamdiu secum morari fecit, atque indesinenter sanctorum Apostolorum memoriam, atque cœmeteria Martyrum ex more prisco pro huiusmodi negotio Missas celebrando, & Reliquias in eorum veneratione circuiens consecrando, præfatos Legatos comites sibi semper habens, cùm explicuisset eorum celebrationes quorum Reliquiæ petebantur, particulatim eosdem pannos consecratos, super quos Sancta celebrauerat, diuidit, & singulis singillatim *b* buxtulis imposuit, munitisque eis sigillo suæ sanctæ auctoritatis, petitoribus vsu Ecclesiastico tradidit. Qui debitâ cum veneratione benedictionem petitam & acceptam suscipientes, profecti sunt viam suam gaudentes.

Petenti per legatos sacras reliquias,

mittit pannos, quibus hæ inuoluta fuerunt: b

B 21 Sed dum per aliquantos dies regressionis suæ iter carperent; ei, qui primus ceteris habebatur, amica humanitati subripuit curiositas, dicens sodalibus se stultè laborem itineris subisse, cùm nescirent, quid pretiosi Domino suo referrent. Pedetentim autem crescente collatione verborum, & virescente suggestione sociorum, confractis Apostolicæ dignitatis sigillis, apertæ sunt buxtulæ, & in singulis singulæ panni repertæ sunt portiunculæ. Moxque cum indignatione Romam reuersi, Archidiaconem adeunt conquerentes: Vt quid, inquiunt, Domnus Apostolicus tam vilipendit Dominum nostrum, qui tantam gratiam se apud eum obtinuisse sperauerat, quòd sic voluerit illudere, & nos dehonorationi & offensioni suæ addicere. Existimauimus siquidem nos ossa Apostolorum vel Martyrum pretiosa hinc deferre, sicut decuerat tantum virum, vti Dominus noster est, à tantâ nihilominùs Sede quæsita tam longo & difficillimo satis itinere: & datæ sunt nobis panni modici portiunculæ, acsi huiusmodi panniculi genus apud nos nequiuerit inueniri. Nisi enim cauta solicitudo nobis subuenisset, vt, quod gerebamus, cognosceremus, & sic stolidè ad nostrum Dominum nobis contigisset venire, dubium non est periculum honoris & gratiæ suæ nos debuisse incurrere. Quos Archidiaconus modestâ increpatione redarguit, cur in tantam præsumptionem eruperint, vt Apostolica sigilla corrumperent, hortans eos, vt redirent, & quæ acceperant, Domino suo cum honore deferrent. Sed ij nullatenùs monitis eius acquiescentes, vsque ad Domni Gregorij venêre præsentiam, factóque comperto patientissimè eorum tulit stultitiam, eosque sacrosanctis Missarum sollennijs præcepit interesse.

quos ab ijs cum indignatione relatos,

C

patienter recipit,

22 Inde cùm ad locum sui sermonis est ventum, suadet populo, Dei & Sanctorum gratiam implorare, quatenùs in hac re dignetur apertissimè sic suam potentiam patefacere, vt quid mereatur fides, euidentiùs minus creduli & ignorantes possint cognoscere. Et factâ oratione, accepit ab eo cultellum, qui temerauerat signa, & super altare Corporis S. Petri acceptam vnam portionem panni per medium pungens, secuit: ex quâ statim sanguis decurrit, & omnem eamdem particulam cruentauit. Videntes autem suprascripti Legatarij, & omnes populi stupendum & arcanum fidei sacræ miraculum, ceciderunt proni in terram, adorantes Dominum, & dicentes: Mirabilis Deus Israël in Sanctis suis, Deus Israël Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.

& precibus impetrato ex eis sanguinis fluxu,

D Et facto silentio, inter alia fidei documenta dixit ad eos B. Gregorius, qui ante has venerandas Reliquias parui duxerant: Scitote Fratres, quia in consecratione Corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, cùm ob sanctificationem Reliquiarum in honore Apostolorum vel Martyrum ipsius, quibus specialiter assignabantur, quando supra sacrosanctum altare libamina offerebantur, semper illorum sanguis hos pannos intrauit, qui effusus est pro nomine Christi Domini nostri. Et ædificatis in fide cunctis qui viderant, munitisque iterùm buxtulis signo suo, tradidit eis incomparabilia munera voti sui. Et cum magno gaudio reuersi, hæc omnia, quæ viderant & audierant, Domino suo nuntiauerunt, & sui desiderij compotem reddiderunt; qui pretiosa Sanctorum patrocinia reuerenter suscepit, & honorabiliter in loco venerabili condidit: in quo frequentiora, quàm in S. Petri ecclesiâ, operari miracula dignatur Deus ad laudem & gloriam nominis sui vsque in hodiernum diem.

confirmatâ fidem illorum.

23 Pater nihilominùs familias erat Romæ, valdè rebus ditissimus, sed religione nimis egenus, qui non vitijs minùs plenus quàm rebus, cum vxor sua ei displicuisset, fecit ab eâ contra præceptum Domini nostri Saluatoris Iesu Christi diuortium. Res verò beatissimum Gregorium Pontificem pijssimum latere non potuit, quia & magnitudo mali, & agnitio personarum se facilè prodidit: quem B. Gregorius multis & suauissimis monitionibus, seu districti diuini examinis terroribus studiosissimè & sæpissimè, immò indesinenter persuadere contendit, vt vxorem suam in pacatam gratiam reciperet, à quâ quoquo modo diuelli nisi morte, aut amborum consensu intercedente nequiret. Sed is diabolicâ præuentus irremediabiliter pertinaciâ, monita beatissimi Gregorij, viri Dei spreuit. Quem ipse sanctissimus Papa Gregorius Apostolicâ auctoritate ab Ecclesiâ sub anathemate, nisi resipisceret, sequestrauit. Quam excommunicationem idem ægrè admodùm ferens, & peccata peccatis accumulans, duos magos pecunijs ex placito locat, vt in sanctum Apostolicum ad vindictam eius apodixem suæ artis exercerent. Qui eum faciè ignorantes, dum quadam die ad processionem ex more pergit B. Gregorius, secùs transitum illi eminùs stantes, sibi eum rogant insinuari. Quibus responsum est ipsum esse, qui solus Pontificali dignitate equitans, præcedentem & subsequentem cuneum Ecclesiasticorum virorum haberet. Et intuentes eum, repentè equum illius maleficijs suis à dæmonibus vexari fecerunt: statimque B. Gregorius, inuocato nomine Domini nostri Iesu Christi, & edito signo Crucis, ab equo perturbauit dæmonia, respiciensque in partem, mox vt magos est contemplatus, illi cæcati, ab eisdem dæmonijs peruasi, ceciderunt retrorsum. Intellexit inde Vir Domini eorum id perpetratum nequitiâ: & cùm iussisset eos ad se adduci, interrogati, rei ordinem prodiderunt. Quibus respondit beatissimus Pontifex: Perpetuò cæci esse debetis, ne videntes, ad consuetam peruersitatem redire tenteris: in nomine autem Domini nostri Iesu Christi, operante beato Petro, liberi à vexatione dæmonum sitis. Qui confestim à dæmonibus liberati, & credentes, fonte salutari perfusi sunt, ac permanente cæcitate damnati, iubente B. Gregorio, de cetero stipe sunt ecclesiasticâ aliti.

Adulterum frustrà sæpius monitum, anathemate perculit:

E

ideò equitans incantationibus infestatur:

Crucis signo equum sistit,

F

magos cæcitate plectit:

24 Sed & Tyrannus quidam multam oppressionem penè importabili importunitate quieti ingerebat sanctæ Romanæ Ecclesiæ, possessionesque eidem & mancipia pertinentes crudelissimè deuastabat. Quâ de re beati Pontificis per internuntios admonitione correptus, maiori exarsit insaniâ, adeò vt Vrbem depopulandam adiret. Cui aduenienti B. Gregorius, vt colloqueretur, occurrit; tantamque vim nutu diuino eius verbis inesse expertus fuit, vt cum humillimâ indulgentiâ religioso Apostolico satisfaceret, seque deinceps

rebellem Ecclesiæ reconciliat,

A deinceps sibi subditum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotum famulum spopondisset. Is denique posteà vsque ad exitum infirmatus, venerandi Papæ orationem poposcit; atque in responsum accepit, quod ei Dominus adhuc spatium pœnitentiæ largiretur; & vt pleniùs conualesceret, illis, quibus fuerat nutritus cibis, indulgere studeret, qui iussis obtemperans, conualuit, & in reliquum deuotiùs vixit.

agrɔ valetudinem recup. rat:

a *Aliqua MSS.* reuelat.
b *Tria MSS.* Buxtis, *ut Mombritius* Buxetis, *aliud MS.* Buxis, *alia 2* Bustis. *Sed mox in omnibus MSS. dicuntur* Buxtulæ apertæ, *&* munitis buxtulis: *vbi Mombritius* vascula *habet. Ita reliquias S. Mauri fuisse* in buxtulâ ligneâ reconditas *scripsit S. Odo Abbas in miraculis eiusdem editis 15 Ianu. cap. 4 pag. 1056, Ioannes Diaconus* pyxides *habet:* Bussulos *videbimus infrà 20 Martij ad Acta S. Ambrosij Senensis.*

CAPVT V

Oratio pro animâ Traiani. Libri scripti, Obitus.

25 IDem verò perfectissimus, & acceptabilis Deo B Sacerdos, cùm quadam die per forum Traiani, quod opere mirifico constat esse constructum, procederet, & insignia misericordiæ eius conspiceret: inter cetera memorabile illud comperit, videlicet quòd, cùm idem orbis Princeps in expeditionem circumuallatus militum cuneis pergeret, ibidem obuiam habuerit vetustissimam viduam, senio simulque dolore ac paupertate confectam, cuius lacrymis atque vocibus sic compellatur; Princeps pijssimè Traiane, ecce ij sunt homines, qui modò mihi vnicum filium, senectutis meæ scilicet baculum & solatium, occiderunt; méque cum eo volentes occidere, dedignantur mihi pro eo etiam aliquam rationem reddere. Cui ille festinatò, vt res exigebat, pertransiens: Cùm rediero, inquit, dicito mihi, & faciam tibi omnem iustitiam. Tum illa: Domine, inquam, & si tu non redieris, ego quid faciam? Ad quam vocem substitit, & reos coram se adduci fecit: neque, cùm suggereretur à cunctis accelerare negotium, gressum à loco mouit, quousque & viduæ à fisco, quod Iuridicis sanctionibus decretum est, persolui præcepit: demúmque supplicationum precibus & fletibus super facto suo pœnitentes, viscerali clementiâ flexus, non tantùm potestate quam precatu & lenitate, vinctos Prætorialibus catenis absoluit. Cuius rei gratiâ compunctus venerabilis Pontifex, cœpit lacrymosis gemitibus secum inter verba precantia hæc siquidem Prophetica & Euangelica euoluere oracula: Tu Domine dixisti, Iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me: dimittite, & dimittetur vobis. Ne immemor sis, quæso peccator ego indignissimus, propter nomen sanctissimæ gloriæ tuæ & fidelissimæ promissionis tuæ in huius deuotissimi viri facto. Perueniensque ad C sepulcrum B. Petri Apostoli, ibidem diutiùs orauit & fleuit; atque veluti grauissimo somno correptus, in extasi mentis raptus est, quò per reuelationem se exauditum discit, & ne vlteriùs iam talia de quoquam sine Baptismate sacro defuncto præsumeret petere, promeruit castigari. Quâ in re licet animus perfectæ fidei, & curiosus quilibet valeant conqueri, credentes Veritati maiora ijs promittenti & dicenti: Quæ apud homines impossibilia sunt, vel videntur; possibilia sunt apud Deum: tutiùs tamen in hoc actu videtur diuinæ pietatis & potestatis iudicium venerari, & à nemine debere a discuti.

Memor mansuetudinis Traiani

deflet errorem eius,

an exauditus?

26 Denique à fideli & religioso viro, ac huic nostro Patri sanctissimo pro suæ religionis & vtilitatis merito valdè familiarissimo, fideliter post obitum eius nobis narratum didicimus. Quòd, cùm idem vas electionis, & habitaculum sancti Spiritus visionem vltimam Prophetæ Ezechielis interpretaretur, oppansum velum inter ipsum & eumdem exceptorem tractatus sui, illo per interualla prolixiùs reticente, isdem D minister eius stylo perforauerit, & euentum per foramen conspiciens, viderit columbam niue candidiorem super caput eius sedentem, rostrumque eius ori diu tenere appositum, quæ cùm se ab eiusdem ore amoueret, incipiebat sanctus Pontifex loqui, & à Notario graphium ceris imprimi. Dum verò reticebat sancti Spiritus organum; minister eius oculum foramini iterum applicabat, eumque, acsi in oratione leuatis ad cælum manibus simul & oculis, columbæ rostrum conspicabatur more solito ore suscipere. Quod tandem eodem spiritu reuelante, beatus Gregorius Pontifex sanctissimus cognouit; & vehementissimè tristis effectus, interminatus est auctoritate Apostolicâ miraculi diuini in se perpetrati conscium, ne in vitâ suâ id alicui quoquo modo patefaceret. Quod ipse interim secretum custodiens, post defunctionem ipsius sanctissimi Sacerdotis compulsus quorumdam inuidiâ, qui obtrectabant virum beatissimum præsumptionis tumore tanta ac talia de cælestium arcanorum mysterijs fuisse locutum; hæc ita se per omnia vidisse, fideliter reuelauit.

a instruitur à Spiritu sancto in specie columbæ apparente.

27 Migrato ad Dominum sæpedicto Reuerendissimo Pontifice, cùm fames validissima non modò in E hac ciuitate Romanâ, verùm & in omnibus circà regionibus satis superque grassaretur, & ipse, qui ei in Sede Pontificali successerat, horrea Ecclesiæ ementibus frumenta aperiret; & illis, quos beatus Gregorius per monasteria & xenodochia seu diaconias vel hospitalia stipendijs alendos Ecclesiasticis ordinauerat, clauderet; cœperunt famis compellente inopiâ Apostolici aurem inquietare, dicentes: Domne Apostolice, quos Pater noster, antecessor tuus, sanctissimus Gregorius hactenus studuit pascere; tua sanctitas fame non sinat perire. Quos vociferationum clamores idem molestè ferens, respondit: Si Gregorius antecessor meus ad famam suæ laudis cunctos populos curauit suscipere; nos omnes non possumus pascere; sicque vacuos iussit abire. Quæ verba responsionis, cùm sæpiùs ad se clamantibus iterans redderet, apparuit ei in visu beatissimus Dei famulus, Romanæ Sedis dignitatis Papa Gregorius, tertiò, illumque blandè increpans super suâ detrectatione, ac ipsius tenaciâ, seu miserorum indigentiâ admonuit, atque corripuit. Qui nec cor ad misericordiam flexit, nec ori ab obtrectatione adhibere custodiam voluit, nec manum ad largitatem extendit. Inde illi quartâ vice apparens beatissimus Papa Gregorius, vir miræ sanctitatis ac pietatis adornatus, horribiliter eum redarguit; & comminans de virgulâ, quam manu tenebat, in capite eum leniter percussit: cuius dolore pariter & cordis rancore vexatus b, in breui defunctus est.

à morte apparens successorem corripuit.

28 Hæc breuiter de vitâ beati Gregorij, & actibus dicta sunt. Ceterùm quamdiu mundi huius orbita voluitur, eius laudabile meritum semper accipit F incrementum; quia ipsius sine dubio gloriæ ascribitur, quòd hæc etiam Romana ciuitas, vnà cum sanctis Apostolis, eius precibus constare videtur. Et quòd Anglorum Ecclesia nouâ semper sobole fœcundatur, & quòd illius doctrinis per orbem vniuersum multi de peccato elongati, & ad sanctam Confessionem peccatorum suorum, pariterque ad veram pœnitentiam reuocati, ad Christi clementiam (qui est pius & misericors in omnibus suis, & cuius sapientiæ, testante Psalmistâ, non est numerus) reuertuntur. Et quod boni, quique & spirituales homines eius suasionibus, donante Domino nostro Iesu Christo, omnium visibilium & inuisibilium Creatore summo, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, inflammati, cælestem patriam, vbi est laus & gaudium sine fine, dies sine nocte, sol resplendens sine nube; satietas

Epilogus,

A satietas sine famâ, desideranter & pijssimo cordis affectu requirunt. Qui beatissimus Pontifex & pijssimus Dei famulus postquàm Sedem huius Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex & diebus decem gloriosissimè rexit, ex hac luce substractus, atque ad æternam, & regni cælestis sedem, comitantibus Angelis, congaudentibus feliciter omnibus Dei electis, trāslatus est. Sepultus verò in Ecclesiâ B. Petri, Apostolorum Principis, ante Secretarium, die quarto Iduum Martialium, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit, & regnat in vnitate perfectâ per infinita seculorum secula. Amen.

a *Hoc monitum mouit nos, vt à longâ inquisitione animum calamumq́; abstraheremus. Potuit namque, post barbarorum etiam incursionem, talis pictura altaris tabulâ extitisse: potuit S. Gregorius eius adspectu commotus fuisse, & cum gemitu ac mentis affectu ad Deum adspirasse, vti visis Anglis, quòd adhuc Pagani essent, eum fecisse suprà relatum est. Potuit idem Sanctus, quasi in somnio aliquam extasin passus, didicisse, Deum suæ promissionis memorem, Traiano, licet infideli & Ecclesiæ Christi persecutori, congruum aliquod beneficium præstitisse: at promeruit ipse castigari, ne talia petere præsumeret. Potuit de potentiâ absolutâ Dei aliud & maius beneficium præstari, sed quis consiliarius eius fuit? Fauent huic historiæ S. Ioannes Damascenus serm. pro defunctis, S. Antoninus, S. Thomas aliiq́; ob uti Baronius ad annum 604. aliiq́.*

b *Hic est Sabinianus, qui sedit mensibus 5, diebus 19. mortuus* B *anno 605, die 19 Februarij.*

VITA ALIA

Auctore Ioanne Diacono,

Collata cum MSS.

PROLOGVS

Beatissimo ac felicissimo Domino Ioanni, Sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Præsuli, Ioannes vltimus Leuitarum.

NVper ad Vigilias B. Gregorij Romani Pontificis, Anglorum scilicet gentis Apostoli, Lectione de *b* Paulino, ciuitatis Nolanæ Præsule consuetudinaliter personante, visus es à venerabilibus Episcopis, diuino quodam instinctu commotus requirere, cur tantus Pontifex, qui multorum Sanctorum Vitas texuerat, gestis proprijs in propriâ dumtaxat ecclesiâ caruisset: præsertim cùm & apud Saxones, & apud Longobardorum sibi prorsus infensissimam gentem, gestis proprijs vbique polleret. Cum- C que venerabiles Episcopi has ab vtrisque gentibus haberi quidem, sed compendiosissimè, responderent: meam quoque paruitatem consciscens, præceperas, vt Vitam ipsius de scrinio sanctæ Sedis Apostolicæ tantò pleniùs, quantò & certiùs carpere studuissem. Sed dum ego propriæ inertiæ conscius, me meis prioribus, ac per hoc sapientioribus, qui Vitam eius, licet breuiter, tamen pio conatu pulcherrimoque stylo descripserant, conferre penitùs dubitarem; identidem, iubendo vehementer hortatus es, vt Romanæ Sedis Pontificem, eiusdem Sedis Præsulis auctoritate describerem: cui Deus omnipotens probandorum seu repellendorum scriptorum omnium specialem dederit proculdubio potestatem. Itaque tam imperiosis auctoritatibus tandem compulsus, vix primum librum Gregorianæ Vitæ compleueram, quando hunc in eiusdem Vigilijs, annuâ vertigine reuolutis, tua probauit pariter ac publicauit auctoritas.

Auctor iussu Romani Pontificis scribit Vitam S. Gregorij:

Ergo sollicitior factus ad cetera, pauca de multis, te incentore, te præceptore, te fautore, teque iudice colligens, in libris quattuor, auxiliante Domino, coarctaui & secundùm distributionem eiusdem Docto- D ris, qui librum Regulæ pastoralis quadripartitâ ratione distinxerat, ego quoque illum, qualiter ad culmen regiminis venerit, in primo huius operis libro perhibui: & ad hoc ritè perueniens, qualiter vixerit, in secundo disserui: & benè viuens qualiter docuerit, in tertio designaui: & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quantâ consideratione cognouerit, in quarto conclusi. Neque magnoperè tempora temporibus contuli, sed rebus similibus similia coaptaui: quoniam reuerà non tantùm, quando fecisset, sed quantum fecisset, sollicitus deflorare curaui. In quibus quamquàm multa & varia memoratu digna studio breuitatis omiserim, nihil me posuisse memini, quæ scriptorum veterum nequeant auctoritate defendi, exceptis illis miraculis, quæ nostris temporibus facta multorum adhuc superstitum viuis vocibus celebrantur. Si cui tamen aliter visum fuerit, vt assolet, ad plenitudinem scrinij vestri recurrens, tot chartaceos libros epistolarum eiusdem Patris, quot annos probatur *d* vixisse, reuoluat. Et quia quædam illarum vario tempore destinatæ, varietatem sensuum retinent: eædemque nonnullis integræ, quibusdam verò parte aliquâ diminutæ pro personarum, locorum siue temporum E dispensatione videntur, finetenus relegendo conspiciat: sicque demùm lucidam veritatem cognoscens, me aut cum amasijs defendat, aut cum osoribus arguat. Quamquàm in eo, quòd tuo iudicio placeo, cunctis veritatem tuentibus me perpetuò placiturum fore præsumam. Peto igitur, vt, sicut tuis iussionibus humiliter parui, sic B. Gregorij precibus *c*, & in hoc seculo ab æmulorum insidijs & in futuro à peccatorum nexibus merear misericorditer liberari, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen *e*.

eam in 4 libros distinxit:

secutus alios Auctores:

Addit miracula tunc patrata:

a *Ioannes Papa 8 creatus 14 Decemb. anni 872, mortuus 5 Decemb anni 882.*

b *Colitur S. Paulinus 22 Iunij, ante hac scriptoris tempora circiter annos 440 mortuus.*

c *De iniurijs & persecutionibus, quas S. Gregorius & Romani à Longobardis perpessi sunt, infrà sæpiùs agitur.*

d *In Pontificatu scilicet, vt tredecim annis respondeant totidem libri epistolarum, prout ab aliquibus distingui lib. 4 num. 7 dicitur.*

e *Post Prologum sequebantur Capitula libri primi in Vitâ ante opera eiusdem editâ: quæ etiam continentur in MS. Corsendancano, sed simul cum capitulis sequentium librorum. Nos hîc quæ ad librum primum spectant, proponimus.*

Capitula libri primi.

1 De genere B. Gregorij.
2 De nomine, quod is habuit conueniens vitæ studijs: alijs. Quod [illegible] fuerit.
3 De institutione eius.
4 Vbi Prætor Vrbanus exprimitur.
5 Vbi sex monasteria in Siciliâ fecit.
6 Vbi sub Abbatibus in suæ domus monasterio militans, postmodùm Abbas fuit. F
7 Vbi Paschali Sabbato ieiunare non valet.
8 Vbi à Domino ieiunandi fortitudinem impetrat.
9 Vbi mater Siluia ei consuetudinaliter legumina mandat.
10 Vbi duabus vicibus ab Angelo Dei tentatur, tertiâ verò liberalissimus comprobatur.
11 Vbi Frater furtum faciens à dæmonio vexatur & à Gregorio liberatur.
12 Vbi fugitiuus Frater cæcatur & à nigri canis morsibus liberatur.
13 Vbi Frater fugam molitus à dæmone corripitur, à Gregorio liberatur.
14 Vbi Fratrum latebræ immobilitate caballorum cognoscuntur.
15 Vbi Frater Iustus pro re peculiari seueriter in morte punitur.
16 Vbi eius anima de inferni cruciatibus liberatur.
17 Vbi dimissis peccatis, Antonius mori iubetur.
18 Vbi Gerontius cum quibusdam Fratribus se asserit moriturum.
19 Vbi Ioannes ab Apostolo sanatus à defuncto vocatur.
20 Vbi Frater Merulus ex albis floribus se somniat coronatum.
21 Vbi de venalibus Anglorum pueris percunctatur.

Ceterùm more nostro Vitam in maiora capita distinguimus, & pro numeris, quos alibi singulis Actis addimus, hic Capitula iam indicata inserimus.

LIBER I

Vita S. Gregorij vsque ad Pontificatum inuitè assumptum.

CAPVT I

S. Gregorij progenies, studia, Pratura administrata, vita monastica, Abbatis munus.

Nobilissimâ & sanctâ stirpe progenitus.

1 GRegorius genere Romanus, arte philosophus, Gordiani viri clarissimi, & beatæ Siluiæ filius, præfuit Romanæ Sedi *a* annis tredecim, mensibus sex, diebus decem, temporibus *b* Tiberij, Mauritij & Phocæ Augustorum. Iste Senatoriâ stirpe progenitus, tam nobilissimam quàm etiam religiosissimam genealogiam duxit, ita vt *c* quartus Felix Apostolicæ Sedis Pontifex, vir magnæ in Christi Ecclesiâ reuerentiæ *d* [qui Basilicam SS. Cosmæ & Damiani Martyrum, viâ sacrâ iuxta templum Romuli, sicut hactenùs cernitur, venustissimè fabricauit] eius atauus fuerit, & B. *e* Tarsilla Virgo, quæ moritura promissionis cælestis audiuit harmoniam, & Iesum Christum ad se recipiendam videre meruit, amita nihilominus eius extiterit.

2 Quam Gregorius geminæ nobilitatis lineam pijs moribus extulit, probis actibus exornauit: adeò vt præsagio quodam Græcè Γρηγόριος, quod Latinè Vigilantius resonat, vocaretur. Nam recta, quæ docturus erat, dum viuis operibus adimpleuit, sibimet ipsi vtique se vigilasse perdocuit. Dum verò recta, quæ faciebat, docendo quoque disseruit, vigilasse quoque dignoscitur, non solùm sibi, sed & futuri temporis Christianis.

D *Gregorius, id est Vigilantius, dictus:*

scientijs imbuitur:

3 Siquidem inerant ei in tenerâ ætate matura iam studia, & auditurus incognita, religiosis senibus indagator solertissimus adhærebat: sumptaque doctrinæ semina, tenaci memoriâ ruminanda, quæ post in populos mellito declamaret gutture, congerebat. Denique docilis adolescens, cùm transmisso communiter stylo surgentis infantiæ, ad biuium Pythagoricæ litteræ peruenisset, incunctanter sinistrum tramitem, cum seculi voluptate relinquere, & ad dextrum cœpit cum cælesti desiderio totis viribus anhelare.

fit Prætor vrbanus:

4 Sed dum conuersionis suæ gratiam longiùs protrahens, tutiùs se Christo famulaturum putaret, si sub Prætoris vrbani habitu mundo specie tenus deseruiret, cœperunt multa contra eum ex eiusdem seculi curâ succrescere: ita vt non iam, sicut proposuerat, specie, sed in eo retineretur & mente.

E *condit 6 monasteria in Siciliâ,*

5 Tandem patre orbatus, vbi liberam disponendarum rerum suarum nactus est facultatem, sex monasteria in Siciliâ fabricans, sufficientibus Fratribus cumulauit. Quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium sine indigentiâ suffragari.

f aliud Romæ

6 Septimum intra Romanæ vrbis mœnia, sub honore S. Andreæ Apostoli, *f* iuxta Basilicam SS. Ioannis & Pauli ad cliuum Scauri monasterium in proprio domate fabricauit. In quo, relictis sericis, auro gemmisque radiantibus togis, simulque supellectilibus reliquis in vsum pauperum erogatis, ex huius mundi naufragio nudus euasit: diuque desideratum monachicum capiens indumentum, primò sub *g* Hylarionis, deinde sub Maximiani venerabilium Patrum regimine, multis sibi sociatis Fratribus, regulari tramite militauit *h*. Pòst verò, cùm subesse mallet, Fratrum votiuâ concordiâ imminente, præesse non renuit, sicut in consequentibus apparebit.

in eo monachus degit, dein Abbas: *g* *h*

ex abstinentia & laboribus ægrotat:

7 Erat ei abstinentia tanta ciborum, sedulitas orationum & ieiuniorum, studiositas tam desiderata sacrorum librorum, vt infirmato stomacho lassescens, vix subsistere proculdubiò videretur. Nam, cùm quodam tempore incisionem vitalium, quam Græci dicunt συγκοπὴν, pateretur, crebrisque angustijs per horarum momenta deficeret, & ad exitum appropinquaret, ac nisi eum Fratres frequenter cibo reficerent, vitalis ei spiritus funditus intercipi videretur; Paschalis superuenit dies: & dum sacratissimo Sabbato, in quo omnes etiam paruuli pueri ieiunant, ipse ieiunare non posset, cœpit plùs mœrore quàm infirmitate deficere.

F *Sabbato Paschæ nequit ieiunare:*

precibus morbum pellit:

8 Mox accersito viro sanctissimo Eleutherio, dudum penès Spoletum multis præposito, tunc verò eiusdem sui monasterij monacho, à quo videlicet audierat fuisse mortuum suscitatum, oratorium petijt, seseque cum lacrymis, vt saltem die illo ad ieiunandum sibi virtus daretur, in orationem dedit. Et pòst paullulùm completâ oratione digressus, tantam virtutem suum stomachum percepisse cognouit, vt ei cibus & morbus funditùs de memoriâ tolleretur. Cœpit secum mirari, quis esset, quis fuerit: & cùm ad animum rediBat infirmitas, nihil in se ex his, quæ meminerat, recognoscere præualebat. Cumque in dispositione monasterij occupata mens esset, obliuiscebatur funditùs ægritudinis suæ. Si verò rediret ægritudo ad memoriam, cùm tam fortem se esse sentiret, mirabatur si non comedisset. Qui ad vesperum veniens, cognouit sibi tantam fortitudinem permanere,

A manere, vt ad diem alterum transferre potuisset ieiunium, si voluisset. Verùm quamquam penè quotidiano languore tabesceret, nullam tamen corpori suo cupiebat quietem, quò minùs aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret.

quotidiano languore occupat:

9 In huius sacri monasterij penetralibus idem vir omnipotentis Dei Gregorius à matre *i* Syluiâ (tunc temporis iuxta portam B. Pauli Apostoli, loco, qui dicitur Cella-noua, quo hactenùs oratorium nomini eius dedicatum, & famosum S. Sabæ Confessoris Christi monasterium, cuius laus est in sextâ & septimâ synodo, constitutum videtur, degente) crudis leguminibus pascebatur.

i crudis victitat leguminibus.

10 Vbi hunc de more quadam scribentem Angelus Dei reperiens, misereri sibi flebiliter sub habitu naufragi postulabat. Cui Gregorius ex intimo corde compatiens, bis ternis numismatibus datis, abire præcepit. Nec multò pòst eadem die idem naufragus rediit, seque multa perdidisse, pauca verò recepisse perhibuit. A quo senis pari modo numismatibus sumptis, lætabundus abscessit. Sed die tertiâ rediens, identidem adiutorium naufragus importunis vocibus requirebat. Cui liberalissimus pater, accersito vestiario, alia sex numismata dari præcipiens, cognouit in vestiario nil numismatum, vnde posset consolari naufragum, remansisse. Quid faceret, nesciebat. Æstuabat Deo deuoti pectoris pietas, non sufferens vacuam proximi reliquisse miseriam. Rursus vestiarium suum, si fortè vas quodlibet aut vestimentum haberet interrogans, audiuit nil penitùs remansisse, præter matris argenteam, quæ cum infusis leguminibus mitti solita erat, scutellam. Mox alacrior factus: Ergo, inquit, Frater hanc defer, ne tristis abeat, qui consolari quærit, pauper. Itaque delatam scutellam Gregorio satis hilariter largiente, pauper qui putabatur, lætus amplectitur, non iam ad expetenda, sed ad conferenda suffragia rediturus. A quo videlicet Angelicæ visitationis tempore, tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, vt omnibus secum viuentibus & exemplo fuerit & terrori. Quippe qui non solus, sed socialiter cum B. Andreâ Apostolo, suo monasterio signis euidentibus sit præfuisse putatus.

Angelo sub habitu naufragi sæpius dat eleemosynam,

Angelo scutellam argenteam matris,

ab Angelo dein & S. Andrea adiutus.

B

a A 3 Septembris anni 590 ad 12 Martij anni 604, vtque sint dies decem hic assignati, vterque terminus, id est dies consecrationis & dies obitus includuntur: in aliquibus MSS. Anastasij Bibliothecarij dies nouem leguntur.

Anni & dies Pontificatus.

b Imò tempora Tiberij non spectant ad eius Pontificatum: sed ad illud Diaconatus Constantinopolim Apocrisiarius missus est.

Tiberius Imp.

c Imò tertius Felix, vt dictum suprà, & ad eius Vitam 25 Februarij.

d Hæc parenthesi inclusa, expungenda, quæ spectant ad S. Felicem 4 cuius Acta dedimus 30 Ianuarij.

C

e De S. Tarsilla, alteraque amita S. Æmiliana agitur plenius infra lib. 3 cap. 6.

f De his locis agit Pancirolus in Thesauro nouo vrbis Romæ regione 9 ecclesia 30 & 32. Et pluribus Antonius Yepez tom. 1 ad an. 576 cap. 1. Fuerunt in Cælio monte.

g MSS. nostrum & Corsenduncanum Lantionis, at legendum esse Valentionis suprà dictum est.

Valentio.

h Marino Abbati subrogatum fuisse in Polmate legitur.

i Inscripta est S. Syluia Martyrologio Romano ad diem 3 Nouembris.

CAPVT II

Varij monachi ob scelera diuinitus puniti; à S. Gregorio adiuti.

11 NAm vt pauca de multis loquar, quadam die duos exinde Fratres transmisit, qui aliquid emere pro eiusdem monasterij vtilitate debuissent. Vnus iunior, qui prudentior videbatur: alter senior, qui custos iunioris esset. Perrexerunt vtrique, & de pretio, quod acceperunt, ipse, qui custos iunioris missus fuerat, nesciente altero, furtum fecit. Qui mox, vt in monasterium sunt reuersi, atque ante oratorij limen venerunt, arreptus à dæmonio is, qui furtum fecerat, cecidit. Dimissus autem à dæmonio, concurrentibus monachis, Abbatis iussu requisitus est, an fortè de eo, quod acceperat, furtum fecisset. Negauit, & iterum vexatus est: dimissus, atque iterum requisitus negauit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negauit, octo viribus vexatus est. Post octauam verò negationem, *a* Gregorio interrogante, confessus est, quòd nummos furto abstulerat: eique prostratus, se peccasse testatus est: perceptâque pœnitentiâ, vlterius ad eum dæmonium non accessit.

Monachum furto facto, à dæmone correptum,

D

AVCTORE IOANNE DIACONO.

post varias negationes ad confessionem adducit,

a

12 Alio quoque tempore, dum in die natalitio eiusdem Apostoli, iam meridianis horis Fratres requiescerent, subitò quidam Frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere: quibus vocibus testabatur ferre se non posse, quod patiebatur. Cucurrerunt Fratres, viderunt cæcum oculis apertis, & trementem & clamantem, & à præsentibus alienum, nihilque, quod foris agi poterat, sentientem. Hunc in manibus leuauerunt, ante altare S. Andreæ Apostoli iussu *b* Gregorij proiecerunt, ipsique pro eo in orationem prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, confessus est, quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilacerandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumque euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, & eumdem senem pro me rogauerunt: qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Hic etiam sæpe confessus est postea, dicens, quòd eo die, quo ista pertulerat, consilium habuerit de monasterio fugiendi.

fugam in monasterio meditantem, cæcum factum & tortum,

b

E

precibus sanat:

13 Alius quoque monachus discedere ex eodem monasterio latenter disponens, oratorium ingredi voluit, sed dæmone corripiente nequiuit. Relinquebatur à dæmonio, quamdiu extra oratorium stabat: si ingredi conabatur, statim maligno spiritui traditus, vexabatur. Hoc dum sæpiùs fieret, tandem *c* Gregorio inquirente, se de monasterio fugere voluisse confessus est: eiusque per triduum simul cum Fratrum precibus ita pietate diuinâ curatus est, vt ad eum postmodùm malignus spiritus numquàm accedere tentaret.

item alium ex eadem caussa à dæmone correptum,

c

14 Alij quoque duo Fratres de eiusdem Patris monasterio fugerunt: qui aliqua priùs colloquendo Fratribus signa dederant, quòd per Appiam viam descendentes, Hierosolymam tenderent. Hi exeuntes, diuerterunt de itinere, & vt à sequentibus inueniri minimè possent, retrusas cryptas iuxta Flaminiam portam inuenientes, in eis se occultauerunt. Cùm verò vespertinis horis iussu *d* Gregorij requisiti, minimè in congregatione inuenti fuissent, ascensis caballis eos quidam Fratres secuti sunt. Per Metrouij portam exeuntes, vt eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur, subitò eis consilium ortum est, vt eos in Salariâ viâ extra ciuitatem requirere debuissent. Igitur pergentes deflexerunt iter, & in Salariâ eos vetere non inuenientes, per portam Flaminiam decreuerunt redire. Cumque reuerterentur, mox vt equi ante cryptas illas venerunt, in quibus se monachi absconderant, fixerunt gradum. Pulsati & compulsi, passum mouere noluerunt. Cōsiderauerunt equites rem talem sine mysterio esse non posse. Attendentes ergò ad cryptas, viderunt earum aditus missâ maceriâ prædamnatos: sed caballis suis nusquam ire volentibus, descenderunt, & lapides, qui ad ora cryptarum compositi fuerant, deponentes, ingressi sunt, eosque in eisdem tenebrosis latibulis consternatos terræ inuenerunt. Qui ad monasterium reducti, tam stupore miraculi, quàm exhortatione venerabilis Patris Gregorij, sic meliorati sunt, vt eis multùm profuerit ad paruum tempus de monasterio recessisse.

duos monachos apostatas in crypta latentes,

d

F

prodigiose equis inuentos,

exhortatione emendat:

AVCTORE IOANNE DIACONO.

Iustus monachus contra Regulam suam proprietarium reperitur:

A 15 e Alio quoque tempore quidam monachus, Iustus nomine, medicinali arte imbutus f, B. Gregorio sedulè obsequi, atque in assiduis ægritudinibus eius excubare consueuerat. Hic itaque corporis languore præuentus, ad extrema deductus est. Cui in ipsâ molestiâ frater germanus, Copiosus nomine, g seruiebat. Sed prædictus Iustus, cùm iam se ad extrema peruenisse cognosceret, eidem Copioso fratri suo, quia occultos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum Fratribus celari non potuit. Qui subtiliter indagantes, atque illius medicamenta omnia perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerunt in medicamine absconditos. Quod mox, vt Gregorio nuntiatum est, tantum malum de Fratre, qui secum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valuit. h Quippe qui eidem monasterio iam dudum Regulam constituerat, vt cuncti Fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc Gregorius nimio mœrore perculsus, cogitare cœpit, vel quid ad purgationem morientis faceret, vel quid ad exemplum viuentibus prouideret. Specioso igitur eiusdem monasterij i Præposito ad se accersito, dixit: Vide vt nullus ex Fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat: sed cùm in morte constitutus Fratres quæsierit, ei suus frater carnalis dicat, quia pro solidis, quos occultè habuit, à cunctis Fratribus abominatus sit: vt saltem in morte de culpâ suâ mentem illius amaritudo transuerberet, atque à peccato, quod perpetrauerat, purget. Cùm verò mortuus fuerit, corpus illius cum Fratrum corporibus non ponatur: sed quamlibet fossam in sterquilinio facite, ibique super eum tres aureos, quos reliquit, iactate, simul omnes clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione, & sic eum terrâ cooperite. In quibus vtrisque rebus solertissimus Pater Gregorius vnam morienti, alteram verò viuentibus Fratribus prodesse decreuit: vt & illum amaritudo mortis à culpâ solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio misceri talibus prohiberet. Quod ita factum est. Nam cùm idem monachus peruenisset ad mortem, atque anxiè se quæreret Fratribus commendare, nullusque Fratrum ei applicare vel loqui tentaret, ei suus carnalis frater, cur ab omnibus esset abominatus, aperuit. Ille protinus, vt audiuit, de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsâ tristitiâ de corpore exiuit. Qui ita est sepultus, vt Gregorius iusserat: sed Fratres omnes eadem eius sententiâ perterriti, cœperunt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud se esset, vnde reprehendi potuissent.

morienti adesse alios non permittit:

mortuum in sterquilinio cum pecuniâ sepeliri mandat:

elapsis 30 diebus,

iubet pro eo offerri sacrificium: totidem diebus,

C 16 Cùm verò post mortem fratris triginta iam essent dies euoluti, cœpit animus Gregorij misericorditer ei compati, eiusque cum graui mœrore supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium, inquirere. Tunc euocato ad se eodem Specioso, monasterij sui k Præposito, tristis dixit: Diu est, quod frater ille Iustus, qui defunctus est, in igne cruciatur. Debemus ei aliquid caritatis impendere, & ei inquantum possumus, vt eripiatur, adiutorium nostrum accommodare. Vade itaque, & ab hodiernâ die continuis triginta diebus offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius salutaris hostia non mactetur. Qui protinus abscessit & paruit. Gregorio autem alia curante, atque euolutos dies minimè numerante, idem Frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo Copioso per visum apparuit. Quem ille cùm vidisset, inquisiuit, dicens: Quid est frater? Quomodò es? Cui ille respondit: Nunc vsque malè fui, sed iam modò benè sum, quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicauit in monasterio Fratribus. Fratres verò sollicitè computauerunt dies, & ipsum diem inuenerunt fuisse, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta: cùm & Copiosus nesciret, quid pro eo Fratres auctore Gregorio agerent: & Fratres ignorarent, quid de eo Copiosus vidisset. Vno igitur eodemque tempore dum agnoscit ille oblationem, l isti audiunt somnium, trigesimumque diem cognoscunt, concordante simul visione & sacrificio, res apertè claruit, quia Frater, quem sub animaduersionis sententiâ, Gregorius mori permiserat, per salutarem hostiam à supplicio liberatus esset. D

Liberatur ille à pœnis Purgatorij.

a Gregorio *scilicet* Abbati, *in poëmate* Magistro *dicto.*

b Gregorij Abbatis, *in poëmate* Patroni.

c *In poëmate* Magister & Patronus *dicitur eiusdem famuli monachi, vt Abbas indicetur tunc fuisse.*

d *Et hic* Pastor *in poëmate vocatur Gregorius, eiusque* oues *monachi.*

e Triennio *antequam scriberet libros Dialogorum, vt asserit lib. 4 cap. 55 vbi hanc historiam narrat; ergo circa annum 590 cùm iam pridem Constantinopoli esset reuersus.*

f Mihi, *inquit S. Gregorius*, in eodem monasterio constituto: *qui in poëmate* Pastor, Patronus, Pater, Magister *appellatur.*

g Qui ipse quoque nunc in hac vrbe per eamdem medicinæ artem, temporalis vitæ stipendia sectatur. *Ita S. Gregorius.*

h *S. Gregorius.* Quippe quia eiusdem mei monasterij semper Regula fuerat, *quod argumentum assumitur de Regula S. Benedicti non assumptâ.*

i *Zacharias Papa in Dialogis Græcè translatis* [illegible] monasterij œconomum *appellat, quem perperam* [illegible] *à recentioribus dicitur.*

k *Iterum Græcè:* τὸν αὐτοῦ οἰκονόμον.

l *S. Gregorius.* Isti cognoscunt, quod ille viderat.

CAPVT III.

Monachi & discipuli S. Gregorij sanctè mortui. Eius ad Anglos conuertendos iter susceptum, impeditum.

Discipuli S. Gregorij ac monachi cælitus præmoniti moriuntur: S. Antonius

17 SEd quia, idem venerabilis Pater quemadmodum Fratribus terrori fuerit, ex parte iam tetigi, qualiter eius exemplis ijdem profecerint, breuiter indicandum putaui. Frater quidam in eodem monasterio a, Antonius nomine, B. Gregorio sedulus adhærebat: qui tanti Patris verbis exemplisque commonitus, multis quotidianisque lacrymis ad gaudia patriæ cælestis anhelabat. Cùmque studiosissimè & cum magno feruore desiderij sacra eloquia, duce Gregorio, scrutaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis quærebat: quatenus per hæc incitata mens eius exardesceret, & ima deserens, ad contemplationem cælestis patriæ peruolaret. Huic per nocturnam visionem dictum est: Paratus esto; & quia Dominus iussit migrare te. Cùmque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audiuit, dicens: Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod dum semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret; nocte quoque aliâ in eisdem est verbis admonitus. Post quinque verò dies febre correptus, cunctis Fratribus flentibus orantibusque, defunctus est. F

Gerontius præuidens secum alios morituros.

18 In eodem monasterio b Frater quidam Gerontius dicebatur: qui dum graui molestiâ corporis fuisset depressus, in visione nocturnâ albatos viros & clari omnimodo habitus in hoc ipsum monasterium descendere de superioribus adspexit. Qui dum coram lecto iacentis assisterent, vnus eorum dixit: Ad hoc venimus, vt de monasterio Gregorij quosdam Fratres in militiam mittamus. Atque alteri præcipiens, dixit: Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, atque alios, quorum ego cognitionem non habeo. Quibus expletis, addidit dicens: Scribe & hunc ipsum, qui nos adspicit. Ex quâ visione Gerontius certus

A tus effectus, facto manè innotuit Fratribus, quot & qui essent ex eodem monasterio morituri, seque illos continuò secuturum. Cùm die altero prædicti Fratres mori cœperunt, atque sub eodem ordine se in mortem secuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati: ad extremum verò & ipse obijt, qui eosdem Fratres morituros præuidit.

c S. Merulus;

19 Alius etiam Frater in eodem monasterio c Merulus dicebatur, vehementer lacrymis atque eleemosynis ex Gregorij viri venerabilis doctrinâ intentus. Psalmodia verò ex ore illius penè nullo tempore cessare consueuerat, excepto cùm aut alimenta corpori aut membra dedisset sopori. Huic nocturnâ visione apparuit, quia ex albis floribus corona de cælo in caput illius descendebat. Qui mox molestiâ corporis occupatus, cùm magnâ securitate animi atque hilaritate defunctus est. Ad cuius sepulcrum dum post annos quatuordecim Petrus, d qui pontificatus istius B. Gregorij tempore monasterio eidem præfuit, sibi sepulturam facere voluisset, tanta de eodem sepulcro Fratris Meruli fragrantia suauitatis emanauit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congesta. Ex quâ re manifestè patuit, quia verum fuit,

B quod per nocturnam visionem tanti Patris discipulus vidit.

S. Ioannes antè diuinitus sanatus.

20 Alius quoque Frater in eodem monasterio, Ioannes dictus est, magnæ indolis adolescens, qui ætatem suam intellectus & humilitatis dulcedine & grauitate morum, docente Gregorio, transcendebat. Huic ægrotanti atque ad extremum perducto, per nocturnam visionem sub habitu senis beatus Apostolus Andreas apparuit, & hunc virgâ tetigit, eique dixit: Surge; ex hac enim molestiâ modò minimè morieris. Sed paratus esto, quia longum tempus hic facturus non eris. Qui dum iam esset à medicis desperatus, repentè sanatus est atque conualuit. Rem, quam viderat, narrauit, seque per biennium in Dei seruitio, sicut prædixi, vltra ætatis suæ annos exhibuit. e Euolutis autem duobus annis, cum quidam Frater fuisset mortuus, atque in cœmeterio eiusdem monasterij f à Gregorio Fratribusque sepultus, cunctis inde discedentibus, idem Ioannes, sicut postmodùm pallens & tremens Gregorio & Fratribus indicauit, solus inuentus ab eodem Fratre, qui sepultus fuerat, de sepulcro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis ostendit. Nam post dies decem correptus febribus, moriendo vocantem subsecutus est. Verùm quia longum est, & multa restant, quæ de huius viri sanctimoniâ certis possunt attestationibus prædicari, quæ etiam ex relatione maiorum scriptisue priorum compererim his inserenda decreui.

S. Gregorius pueros Anglos venales intuitus,

21 Quadam die cùm aduenientibus nuper negotiatoribus multa venalia in foro Romanæ vrbis fuissent proposita, multique ad emendum vndique con-

C fluxissent, contigit & Gregorium virum Deo dignissimum præterire. Qui cernens inter alia pueros corpore candidos, formâ pulcherrimos, vultu venustos, capillorum quoque nitore perspicuos esse venales, interrogauit mercatorem, de quâ patriâ illos attulisset. Ille respondit: De Britanniâ insulâ, cuius incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit: Christiani sunt ijdem insulani, an adhuc paganis tenentur erroribus implicati? Mercator respondit: Non sunt Christiani, sed paganis tenentur laqueis irretiti. Tunc Gregorius grauiter ingemiscens: Heu pro dolor! inquit, quàm splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet, tantaque frontis species vacuam ab internâ Dei gratiâ mentem gestat. Rursus interrogauit, quod esset vocabulum gentis illius. Mercator respondit: Angli vocantur. At ille: Bene, inquit, Angli quasi Angeli, quia Angelicos vultus habent, & tales in cælis Angelorum decet esse conciues. Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa prouincia.

dolet paganos esse,

cum gente & Rege:

D Mercator respondit: Prouinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius: Bene, inquit, Deiri, quia de irâ sunt eruendi, & ad gratiam Christi conuocandi. Rex (ait) illius prouinciæ quomodò nuncupatur? Mercator respondit: Aelle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen, dixit: Bene, quia Rex dicitur Aelle: Alleluia enim laude Creatoris oportet illis in partibus decantari.

AVCTORE IOANNE DIACONO

g ad eos conuertendos

22 Mox itaque accedens ad g Benedictum, Apostolicæ Sedis Pontificem, cœpit vehementer expetere, vt in Britanniam aliquos verbi ministros emitteret. Quò cùm neminem ire velle cognosceret, semetipsum quoque non dubitauit ingerere, dummodò Pontifex sibi licentiam commodaret. Qui, licet cum magnâ cunctatione totius Cleri ac populi, Gregorium spontè proficisci cupientem abire permisit, imprecatus ei diuinitus prospera ministrari.

abit versus Britanniam:

sed à Pontifice reuocandum prædicit:

23 De cuius absentiâ Romani plurimùm perturbati, deliberato consilio, trifariè per loca viæ contigua, vnde Pontifex ad B. Petri profecturus erat basilicam, partiuntur, eumque turmatim taliter alloquuntur: Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti. Quibus sententijs omnino Papa perterritus, misit continuò nuntios, qui virum Domi-

E ni reuocarent Gregorium, quod ipse sibi commeantibus iam prædixerat fore futurum.

reuocatur.

24 Iamque trium dierum itinere profligato, ad quemdam locum requieturi fortè diuerterant. Quò singulis quiescentibus, Gregorius lectitabat. Quem locusta superueniens, coegit paullulùm à legendo quiescere, & ex cõsideratione sui nominis docuit eum in eodem loco restare debere. Tunc fertur dixisse: Locusta, inquit, dici potest, quasi loco sta. Statimque comites adhortatus; festinantiùs ire certabat: sed præuenientibus Apostolicis nuntijs, licet magnoperè tristaretur, redire ad proprij compulsus est monasterij curam.

creatur Diaconus. h

25 Denique cernens Benedictus h venerabilis Pontifex virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, violenter eum à quiete sui monasterij abstrahens, Ecclesiastici Ordinis officio sublimauit, Leuitamque septimum ad suum adiutorium consecrauit, In quo venerabilis Pater Gregorius tantâ humilitate viguit, tantâ solertiâ ministrauit: vt in Ecclesiasticæ hierarchiæ ministerio videretur diuinis Angelis non solùm nitore habitus, verùm etiam claritate morum probabilium veraciter coæquari.

a *Colitur S. Antonius 17 Ianuarij, vbi hæc explicantur, quæ S. Gregorius refert lib. 4 Dialog. cap. 47.*

b Ante decennium *addit S. Gregorius lib. 4 Dial. cap 22, vbi hæc narrat: Annus indicatur 583, quo Constantinopoli erat.*

c De *SS Merulo & Ioanne agit S. Gregorius memorato cap. 47 lib. 4 cùm de S. Antonio egisset, cum quo etiam coluntur 17 Ianuarij.*

F

d *S. Gregorius;* Qui nunc monasterio meo præest, *anno scilicet 593. ergo elapsis quatuordecim minimùm annis, consendus obijsse ante annum 580.*

e *S. Gregorius;* Ante hoc autem triennium, *ergo circa annum 590.*

f *S. Gregorius:* A nobis sepultus, cunctis nobis ab eodem cœmeterio abeuntibus.

g *In priore Vitâ hæc, tempore Pelagij Papæ huius successoris, contigisse referuntur post S. Gregorij ex vrbe Constantinopolitanâ reditum.*

h *Hæc etiam ad Pelagium Papam transfert prior Vita. Huius Pelagij Ordinatio in calamitosissima planè tempora incidit: cùm (vti inquit Anastasius Bibliothecarius) Longobardi obsiderent ciuitatem Romanam, & multa vastatio ab eis in Italiâ fieret.*

CAPVT

CAPVT IV

Legatio S. Gregorij Constantinopolim. Expositio in Iobum cœpta. Eutychius Patriarcha de Resurrectione carnis malè sentiens, emendatus. Epistola Pelagij Papæ. Tempestas maris.

Agit apocrisarium Constantinopoli.

26 NEc multò pôst pro responsis Ecclesiasticis ad vrbem Constantinopolim à Pelagio Præsule destinatur; vbi quamuis in terreno conuersaretur palatio, vitæ cælestis non intermisit propositum. Secuti namque sunt eum multi ex suo monasterio Fratres, germanâ deuincti caritate, quod diuinâ factum dispensatione conspicitur: vt eorum videlicet exemplo ad orationis placidum littus, quasi anchoræ fune, stringeretur: & dum caussarum secularium continuatis vertiginibus fluctuaret, ad illorum consortium, velut ad tutissimi portus sinum, refugeret. Et licet illud ministerium eum à monasterio abstractum à pristinæ quoque quietis vitâ, mucrone suæ occupationis extingueret, inter eos tamen perstudiosæ lectionis alloquium, quotidianæ adspiratio compunctionis animabat.

Incipit scribere expositiones in S. Iob,

27 Horum ergo consortio non solùm à terrenis est munitus incursibus, verùm etiam ad vitæ cælestis exercitia magis magisque succensus. Nam ab eisdem Fratribus enixè rogatus, maximéque Leandro Hispalensi Episcopo, qui pro causis Wisigothorum Legatus eodem tempore Constantinopolim venerat, compulsus est, vt librum B. Iob multis inuolutum mysterijs, enodaret. Neque ille negare potuit opus, quod sibi amor fraternus multis vtile imponebat futurum. Sed eumdem librum quomodò iuxta litteram intelligendus, qualiter ad Christi & Ecclesiæ Sacramenta referendus, quo sensu vnicuique fidelium sit aptandus, per trifarias intelligendi species, mirandâ ratione perdocuit. In quibus tamen ita de virtutibus vitijsque disseruit, vt non solùm videatur eadem verbis exponere, sed verbis quodammodò visibilibus seu palpabilibus demonstrare. Vnde non est dubium, perfectionem ipsarum eum consecutum fuisse virtutum, quarum tam efficaciter valuit indicare profectus.

petente S. Leandro.

Eutychium Patriarchâ perperàm de Resurrectione carnis sentientem oppugnat:

28 Præthereà venerabilis Leuita Gregorius, in eadem Vrbe regiâ constitutus, nascentem nouam hæresim de statu nostræ resurrectionis, cum ipso, quo orta est, initio, iuuante gratiâ nostri Redemptoris, atteriuit. Siquidem Eutychius, eiusdem ciuitatis Episcopus, libro de Resurrectione mortuorum confecto, dogmatizabat corpus nostrum in illâ resurrectionis gloriâ impalpabile, ventis aëreque subtilius esse futurum. Quod Gregorius audiens, & ratione veritatis & exemplo Dominicæ resurrectionis, probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodis esse contrarium. Catholica etenim, inquit, fides habet, quod corpus nostrum in illâ immortalitatis gloriâ sublimatum, subtile quidem erit per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ: Iuxta exemplum Dominici corporis, de quo à mortuis resuscitato, dicit ipse discipulis suis: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Luc. 24. Cúmque hoc Euangelicæ veritatis testimonium Gregorius protulisset, Eutychius ait: Idcircò hoc Dominus fecit, vt dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoueret. Cui Gregorius dixit: Mira est res valdè, quam adstruis: vt inde nobis dubietas surgat, vnde discipulorum corda fuerunt à dubitatione sanata. Quid enim deterius dici potest, quàm vt hoc nobis de eius verâ carne dubium fiat, per quod discipuli eius ad fidem ab omni sunt dubietate reparati? Si enim hoc non habuisse adstruitur, quod ostendit, vnde fides discipulorum eius confirmata est, inde nostra destruitur. Eutychius ait: Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari potuit, in subtilitatem aliquam est redactum. Ad hæc Gregorius respondit: Scriptum est: Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Rom. 6 Si quid ergo in eius corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam, Dominus redijt in mortem post resurrectionem. Quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis eius resurrectionem negat? Tunc Eutychius obiecit, dicens: Cùm scriptum sit, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, quâ ratione credendum est resurgere veraciter carnem? 1. Cor. 15 Cui Gregorius respondit: In sacro eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam, atque aliter iuxta culpam vel corruptionem. Caro quippe dicitur iuxta naturam, sicut scriptum est: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne meâ. Gen. 2. Et: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioan. 1. Caro verò iuxta culpam, sicut scriptum est: Non permanebit in hominibus istis spiritus meus, eò quòd sunt caro. Gen. 6. Et sicut Psalmista ait: Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens. Psal. 77. Vnde & discipulis Paulus dicebat: Rom. 8. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Neque enim in carne non erant, quibus epistolas transmittebat: sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, iam liberi per virtutem spiritus, in carne non erant. Quod ergo Paulus Apostolus dicit: Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt; carnem secundùm culpam intelligi voluit, non carnem secundùm naturam. 1. Cor. 15 Vnde & mox, quia carnem secundùm culpam diceret, ostendit, subdens: Neque corruptio in corruptelam possidebit. In illâ ergo cœlestis regni gloriâ caro secundùm naturam erit, sed secundùm corruptionem vel etiam passionis desideria non erit: quia deuicto mortis aculeo, in æternâ incorruptione regnabit. Quibus auditis, Eutychius consentire se protinùs respondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat. Qui etiam in libello, quem scripserat, Pauli quoque testimonium indiderat, dicentis: Tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quia non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum. Hoc nimirùm ostendere festinans, quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit. Dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloriâ, non corpus, quod futurum est, seminari dixerit, sed nudum granum. Sed ad hæc citiùs Gregorius respondit: Paulus Apostolus dicens: Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, hoc insinuat, quod videmus: quia videlicet granum cum culmo & folijs nascitur, quod sine culmo & folijs seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse, quod erat, sed adesse, quod non erat. Tu autem dum verum corpus resurgere denegas, nequaquàm dicis adesse quod deerat, sed deesse quod erat.

Variam carnis in Scripturâ acceptionem explicat:

aliam obiectionem soluit:

29 Tunc itaque Gregorius Romanus Diaconus, & Eutychius Constantinopolitanus Episcopus, hac de re in longâ *a* contentione perducti, grauissimâ cœperunt ab inuicem *b* simultate resilire. Tum piæ memoriæ Tiberius Constantinopolitanus Imperator, secretò vtrumque suscipiens, quid inter eos discordiæ versaretur, agnouit. Et vtriusque partis allegationem subtiliter pensans, eumdem librum, quem Eutychius de resurrectione conscripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberauit vt flammis cremari debuisset. A quo videlicet pijssimo Imperatore vt simul egressi sunt, post longissimæ disputationis

librum Eutychij comburi iubet Imp. Tiberius. *a b*

A nis conflictum pariter ægrotantes, in lectulum deciderunt.

Eutychius resipiscens moritur.

30 Dum ergo Gregorius validissimis febribus æstuaret, Eutychius cum morte confligens, pellem manus suæ tenebat, coram omnibus dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus. Post quam Catholicæ fidei confessionem c defunctus est. Quo mortuo, quia pene nullus erat, qui eius dicta sequeretur, Gregorius dissimulauit cœpta persequi, ne in fauillas videretur verba iaculari.

Laudatur à Pelagio Papâ.

31 Quantâ autem auctoritate ministerium sui Apocrisiariatus impleuerit, quantæ reuerentiæ apud Augustos extiterit, quantâque solicitudine afflictæ Italiæ succurri sæpiùs fecerit, si quis plenius nosse desiderat, epistolas antecessoris sui Papæ Pelagij, ad eum super multimodis Ecclesiæ Dei necessitatibus destinatas, quæ hactenùs in scrinio sanctæ Sedis Apostolicæ studiosissimè conseruantur, percurrat. Ex quarum multitudine hic d vnam insero, quatenùs & illius ministerij qualitas, & reliquarum quoque consequentia cognoscatur.

eiq; Resp. commendatur contra infestationes Longobardorum.

32 Quæ ita se habet: Pelagius Episcopus, dilecto filio Gregorio venerabili Diacono. Omnia quidem, quæ necessaria fuerunt, per Honoratum notarium tibi curauimus indicare, quem cum fratre & Coëpiscopo e Sebastiano, ad dilectionem tuam direximus: vt quia in illis partibus ad Rauennam vsque B nunc cum viro glorioso domino Decio Patritio fuit, ipse suâ relatione studeat te ex omnibus informare, vel si qua necessaria iudicaueris, possit Domino Imperatori suggerere. Quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis à perfidiâ Longobardorum illatæ sunt, contra suum proprium iusiurandum, vt nullus possit ad referendum sufficere. Prædictum autem Fratrem Sebastianum quomodò susceperimus vel in quali apud nos te suggerente fuerit caritate, ipsius poteris relatione cognoscere. Qui etiam iam promisit nobis necessitates vel pericula totius Italiæ pijssimo Domino Imperatori suggerere. Loquimini ergo & tractate pariter, quomodò nostris celeriter possitis subuenire periculis. Quia ita hìc coangustata est Respublica, vt nisi Deus pijssimus in corde Principis inspirauerit, vt insitam sibi misericordiam suis famulis largiatur, & super illam f diacoposim vel vnum Magistrum militum & vnum Ducem dignetur concedere, in omni simus angustiâ destituti. Quia maximæ partes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur, & Exarchus scribit nullum nobis posse remedium facere, quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere. Imperet ergo illi Deus, nostris velociter periculis subuenire, antequàm nefandissimæ gentis exercitus loca, quæ adhuc à Republicâ detinentur, Deo sibi C contrario (quod absit) præualeant occupare. Presbyterum autem ad nos transmittere Deo iuuante festina, quia & in monasterio tuo, & in opere, cui eum præposuimus, necessarius esse omnino cognoscitur. Data quarto Nonarum Octob. g Indict. III.

S. Maximianus aliq; à S. Gregorio videndus.

33 Huic siquidem monasterio, cuius hic Papa Pelagius meminit, h Siculus Maximianus, qui pòst Syracusanus Episcopus extitit, eodem tempore præfuit. Qui ad Venerabilem Leuitam Gregorium in eiusdem regiæ vrbis palatio, pro responsis ecclesiasticis desudantem, visitationis gratiâ cum Fratribus venit; & dum ad monasterium eius, sibi quoque commissum, Romam rediret, in mari Adriatico nimiâ tempestate deprehensus, inæstimabili ordine atque inusitato miraculo erga se cunctosque, qui secum aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit & gratiam. Nam cùm in eorū morte ventorum nimietatibus fluctus eleuati sæuirent, ex naui clauus perditus, arbor abscissa est, vela in vndis proiecta, totumque vas nauis nimijs quassatum fluctibus, ab omni fuerat suâ compage dissolutum. Rimis itaque patentibus intrauit mare, atque

tempestate graui quatiuntur:

vsque ad superiores tabulas impleuit, ita vt non magis D nauis inter vndas, quàm vndæ iam intra nauim esse viderentur. Tunc in eadem naui residentes, non iam ex mortis viciniâ, sed ex ipsâ eius præsenti visione turbati, omnes sibimetipsis pacem dederunt, corpus & sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, vt eorum animas benignus susciperet, quorum corpora ita pauendæ morti tradidisset. Sed omnipotens Deus, qui eorum mentem mirabiliter terruit, eorum quoque vitam per meritum famuli sui Gregorij, pro cuius speciali amore venerant, mirabiliùs reseruauit. Nam diebus octo nauis eadem, vsque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatauit. Nono autem die, i ad Crotonensis castri portum deducta est, ex quâ exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto Maximiano, viro venerabili nauigabant. Cùmque post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in eiusdem portus profundum nauis demersa est, acsi illis egredientibus, pro pondere subleuatione caruisset, & quæ plena hominibus in pelago aquas portauerat atque natauerat, Maximiano cum Fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu, nec portare valuerit nec natare. Vt hinc omnipotens Deus ostenderet, quia per meritum Gregorii, quem Fratres visitauerant, hanc onustam suâ manu tenuerat, quæ ab hominibus vacua, permanere non potuit E super aquas.

AVCTORE IOANNE DIACONO

sacrâ Eucharistia muniuntur:

9. die liberantur,

naui dein in portu submersâ.

a *MS.* concertatione. b *Ibidem* simulatione.

c *Mortuum esse S. Eutychium anno 4 Tiberij, 6 Aprilis, Indict. 15 scribit Theophanes, ergo anno Christi* 591.

d *Extat ea sola in tomis Conciliorum hinc recusa.*

e *De eodem, vt videtur, Sebastiano agitur lib.* 3 *num.* 13 & 49.

f *Διακόπωσις discissio: nam à διακόπτω discindo fit διακοπή scissura. & hinc διακοπόω, scissuram facio.*

g *Anno* 584.

h *Additur* Siculus, *vt distinguatur à priore Maximiano, cui S. Gregorius successit. De hoc S. Maximiano eiusq; obitu infrà agemus. Referuntur hæc à S. Gregorio lib.* 3 *Dial. cap.* 36, *omisso nomine* Siculi: *vti etiam fit in MSS. Vaticanis.*

Maximianus Siculus.

i *Cortona vrbs antiqua Bruciorum ad mare Ausonium, nunc* Crotona *dicta in Calabria vlteriore. In Dialogis nostris MSS. dicitur* portus Chotronensis castri, *in editis Dialogis* Cothronensis. *In MS. nostro & Corsend.* Crotonensis, *apud Surium* Cortonensis: *alibi* Crotoniensis.

Cortona.

CAPVT V

Inundatio Tiberis & Athesis. Pestis inguinaria. Monachus malè vita emendatus. Litaniæ institutæ. Pontificatus S. Gregorij.

34 Igitur postquàm Romam Gregorius venerabilis F Leuita reuersus est, aliquanto interiecto tempore, tantâ inundatione Tiberis fluuius alueum suum egressus est, tantumque excreuit, vt eius vndæ super muros vrbis influerent, atque in eâ regiones maximas occuparent, & antiquarum ædium plurima monumenta deijcerent: ecclesiastica quoque horrea violenter subuerterent, in quibus nonnulla modiorum tritici millia periêre.

Inundant Romam Tiberis,

35 Tunc siquidem apud Veronensem vrbem fluuius Athesis, vt idem Gregorius a refert, excrescens, ad B. Zenonis Martyris atque Pontificis ecclesiam venit. Cuius ecclesiæ dum essent ianuæ apertæ, aqua in eam minimè intrauit. Quæ paulisper crescens, vsque ad fenestras ecclesiæ, quæ erant tecto proximæ, peruenit. Sicque stans aqua, ecclesiæ ianuam clausit, acsi illud elementum liquidum, in soliditatem parietis fuisset immutatum. Cumque essent multi interiùs inuenti, sed aquarum magnitudine circumdatâ omni ecclesiâ, quâ possent egredi, non haberent, ibique se siti

Veronam Athesis.

a lib. 3 Dial. cap. 19

aquâ ante ecclesiæ ianuas apertas subsistente.

AVCTORE IOANNE DIACONO.

A siti ac fame deficere formidarent, ad ecclesiæ ianuam veniebant, & ad bibendum hauriebant aquam; quæ vsque ad fenestras excreuerat; & tamen intra ecclesiam, vt aqua, defluere nullo modo præualebat. Stans autem ante ianuam, ad ostendendum cunctis meritum Martyris, & aqua erat ad adiutorium, & aqua non erat ad inuadendum locum. Quod nimirùm miraculum, Babylonici illius ignis miraculo non dissimile poterit æstimari, qui trium puerorum & vestimenta non tetigit, & vincula incendit.

ob aërem infectum;

36 Tunc etiam innumerabilis multitudo serpentium cum magno dracone, in modum trabis validæ, per Tiberini fluminis alueum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidissimi fluctus, sine morâ in littore desederunt, suâque putredine totum aërem corruperunt.

peste inguinaria exorta

37 Sequuta est è vestigio clades inguinaria, quæ Romanam vrbem adeò vehementi pestilentiâ laniauit, vt etiam corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos quosque percutere viderentur. Quæ in *b* mense vndecimo veniens, primum omnium, iuxta illud, quod in Ezechiel Prophetâ legitur, A sanctuario meo incipite; Pelagium Papam perculit, & sine morâ extinxit. Quo defuncto, ita in reliquum vulgus deseuit, vt subtractis habitatoribus, domos B in vrbe plurimas vacuas omnino reliquerit.

b

moritur Pelagius Papa.

c

Theodorus monachus mala vita,

38 *c* Eodem tempore in monasterio venerabilis Leuitæ Gregorij, puer inquietus valdè, Theodorus nomine, cum Fratre Religioso magis necessitate quàm voluntate degebat, cui nimiùm grauis erat, si quis ei pro suâ quidquam salute dicebat. Bona autem non solum facere, sed etiam audire non poterat. Numquàm se ad sanctæ conuersationis habitum venire, iurando, irascendo ac deridendo testabatur. Qui tamen eiusdem pestilentiæ clade percussus in inguine est, & perductus ad mortem. Cùmque extremum spiritum ageret, conuenerunt cum Gregorio Fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extremâ fuerat parte præmortuum: in solo tantummodò pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem, qui aderant, tantùm pro eo cœperunt enixiùs orare, quantùm eum iam videbant sub celeritate discedere. Cùm repente cœpit eisdem Fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam me deuorare non potest. Caput meum in suo ore iam absorbuit. Date locum, vt me ampliùs non cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc Fra- C tres cum Gregorio cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris Frater? signum tibi sanctæ Crucis imprime. Respondebat ille cum magnis clamoribus, dicens: Volo me signare, sed non possum, quia squamis huius draconis premor. Cùmque hoc Fratres audirent, vnà cum Leuitâ Dei Gregorio in terram prostrati, cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs Dominum deprecari. Et ecce subitò cœpit æger cum magnis vocibus clamare, dicens: Gratias Deo: ecce draco, qui me ad deuorandum susceperat, fugit, orationibus vestris expulsus est, stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditùs relinquere. Homo ergo, qui, sicut dictum est, ab extremâ fuerat parte præmortuus, Gregorij precibus, & morte corporis caruit & salutem animæ acquisiuit.

morti vicinus à diabolo suffocandus,

precibus S. Gregorij & aliorum liberatus conuertitur.

S. Gregorius planè nolens, eligitur Rom. Pontifex,

39 Sed pestilentiâ supra modum sæuiente, quia Ecclesia Dei sine Rectore esse non poterat, Gregorium, licet totis viribus renitentem, Clerus, Senatus, populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus euitare decernens, sese indignum omnino tali honore clamitabat: videlicet metuens, ne mundi gloria, quam prius D abiecerat, ei sub Ecclesiastici colore regiminis aliquo modo subrepere potuisset.

per Imperatorem conatur eximi:

40 At vbi decretum generalitatis euadere nequiuit, consensurum se tandem aliquando simulauit, & Imperatori Mauritio, cuius filium ex lauacro sancto susceperat, latenter litteras destinauit, adiurans & multâ prece deposcens, ne vnquàm assensum populis præberet, vt se huius honoris gloriâ sublimaret. Sed Præfectus vrbis, Germanus nomine, eius nuntium anticipauit, comprehensisque ac disruptis epistolis, consensum, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitiâ Diaconi, eò quòd locum deferendi ei honoris, vt cupierat, reperisset, datâ præceptione, ipsum ordinari præcepit. Interim dum ab vrbe regiâ Imperatoris præstolaretur assensus, & lues ipsa populum vehementiùs deuastaret, venerabilis Leuita Gregorius verbum ad plebem exorsus est, dicens:

peste adhuc grassante adhortatur populum ad pœnitentiam:

41 Oportet, Fratres dilectissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa, quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim Prophetâ teste, prædictum est: Peruenit gladius vsque ad animam. Ecce etenim Ier. 4 cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & re- E pentinâ singuli cæde vastantur. Nec languor mortem præuenit, sed languoris moras, vt cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque antè rapitur, quàm ad lamenta Pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo, qualis ante conspectum districti iudicis peruenit, cui non licet flere, quod fecit. Et habitatores quidem non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes adspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus antè oculis mentis, quidquid errando commisimus: & quod nequiter egimus, flendos puniamus. Preueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet: Leuemus corda nostra cum manibus ad Thren. 3 Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: Nolo mortem Ezech. 18 peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit, & conuersus latro vitæ præmia, etiam in ipsâ sententiâ suæ mortis, emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus: citiùs ad precem Iudex flectitur, si à prauitate F suâ petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio nos importunis precibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudicio veritatis placet: quia pius ac misericors Deus vult à se precibus veniam exigi, qui, quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & glorificabis me. Ipse ergo sibi testis est, Psal. 49 quia inuocantibus misereri desiderat, qui admonet vt inuocetur. Proinde Fratres reuerendissimi, cum contrito corde & correctis operibus, crastinâ die primo diluculo ad septiformem Litaniam, iuxta distributionem inferiùs designatam, deuotâ cum lacrymis mente veniamus. Nullus vestrûm ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præsumat: quatenùs ad sanctæ Genetricis Domini ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus: vt districtus Iudex, dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse à sententiâ propositæ damnationis parcat.

septiformem Litaniam indicit.

42 Lita-

A 42 *d* Litania clericorum exeat ab ecclesiâ S. Ioannis Baptistæ. Litania virorum, ab ecclesiâ sancti Martyris Marcelli. Litania monachorum, ab ecclesiâ SS. Ioannis & Pauli. Litania ancillarum Dei, ab ecclesiâ beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani. Litania fœminarum coniugatarum, ab ecclesiâ beati primi Martyris Stephani. Litania viduarum, ab ecclesiâ beati Martyris Vitalis. Litania pauperum & infantum, ab ecclesiâ beatæ Martyris Cæciliæ *e*.

d ex varijs templis institutam:

43 Igitur dum magna multitudo diuersæ ætatis, sexus atque professionis, iuxta præceptionem Leuitæ Gregorij, die constitutâ Dominum rogatura venisset; intantùm lues ipsa iudicio diuino deseuit, vt intra vnius horæ spatium, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emitteret, octoginta homines ad terram corruentes, spiritum exhalarent. Sed nequaquàm destitit facundissimus Rhetor populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione diuinâ pestis ipsa quiesceret.

e 80 hominibus pesse subitò prostratis, ab oratione non cessat:

45 Enimuerò cùm adhuc futurus Antistes putaret se Principem à consensu consecrationis suæ penitùs auertisse, cognouit tandem suas literas à Germano Præfecto Vrbis interceptas fuisse. Cuius rei gratiâ Imperiale responsum, quod videlicet voluntati suæ B contrariũ rebatur, preueniens, quia palàm egredi portas ciuitatis non poterat, à negotiatoribus exponendum se dissimulato, vt fertur, habitu callidus impetrauit; siluarum saltus expetijt, cauernarum latibula requisiuit. In quibus dum ab omnibus summâ solicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ, super se iugiter à cælo dependentis, agnoscitur, capitur, trahitur: & apud B. Petri Apostolorum Principis templum Summus Pontifex consecratur.

I latebris extractus reductus, Pontifex consecratur.

a *Colitur S. Zeno 12 Aprilis.*
b *Mense Ianuario anni 590.*
c *Hac descripsit S. Gregorius homilia 38, in lib. 4 Dial. cap. 37 sed nulla facta mentione sua præsentia, qua hic inseritur.*
d *Aliter hac Litania disposita legitur apud Gregorium Turonensem. Baronius tom. 8 an. 590 num. 12 arbitratur* non semel eiusmodi Litanias fuisse indictas; proque diuersitate dierum diuersas affixas in ecclesiâ inscriptiones, singulas singulis diebus, atque ex aliâ Diaconum Gregorij Turonensis descripsisse, ex aliâ alium retulisse inter epistolas.

Litania.

e *Baronius ex veteri lectione addit:* Facta sunt hæc in basilicâ S. Sabinæ sub die quarto Kal. Septemb. Indictione octauâ, *De Antiphonâ Reginâ cæli, in Litanijs ab Angelis cantatâ, legenda qua in Ritualibus scripta sunt.*

CAPVT VI

Testimonia ipsius S. Gregorij de Pontificatu declinato, & inuitè assumpto.

C 45 VErùm quia sunt nonnulli Longobardorum perfidi, qui Gregorium appetisse magis pontificium autument quàm fugisse; operæ pretium reor pauca de multis inserere, quibus, inquantum sine pertinaciæ vitio potuit, noluisse Pontificium, imo quasi pondus importabile penitùs cauere voluisse, luce clariùs manifestem. Ait enim, penè in ipso consecrationis suæ principio, in epistolâ Paulo Scholastico: Quidquid mihi ex honore sacerdotalis officij extranei arrident, non valdè penso. De vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minimùm doleo, qui desiderium meum plenissimè scitis, & tamen profecisse creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui; si voluntatem meam, quàm dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem. At nunc quia honoris huius vinculis in ciuitate teneor Romanâ religatus, habeo aliquid, quòd etiam vestræ gloriæ exultem. Quia viro eminentissimo Domino Leone Exconsule veniente, vos in Siciliâ remanere non suspicor, & cùm ipse quoque tuo honore religatus, D Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patiar, agnosces. Veniente autem viro magnifico domino Maurentio chartulario, ei quæso in Romanæ vrbis necessitate concurrite, quia hostilibus gladijs foris sine cessatione confodimur, sed & seditione militum interno periculo grauiùs vrgemur.

Fugisse Pontificatum S. Gregorium

lib. 1. ep. 3 ostenditur ex eius epistolis, ad Paulum Scholasticum,

AVCTORE IOANNE DIACONO

46 Item Gregorius *a* Ioanni Patriarchæ Constantinopolitano: Si caritatis virtus in proximi dilectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos iubemur, quid est, quod me Beatitudo vestra non ita vt se diligit? Quo enim ardore, quo studio Episcopatus pondera fugere voluerim, scitis. Et tamen hæc eadem episcopatus pondera ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo, quia non me sicut vos diligitis: quia illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis. Sed quia vetustam nauim vehementerque confractam indignus ego infirmusque suscepi (Vndique enim fluctus intrant, & quotidianâ ac validâ tempestate quassatæ, putridæ naufragium tabulæ sonant) per omnipotentem Dominum rogo, vt in hoc mihi periculo orationis tuæ manum porrigas: quia tantò enixiùs potestis exorare, quantò & à confusione tribulationum, quas in hac terrâ patimur, longiùs statis. E

a Lib. 1. ep. 24 ad Ioannem Patriarchā Constantinopolitanū,

47 Item Gregorius *b* Theoctistæ sorori Imperatoris: Mens mea vestræ Venerationi quantâ deuotione substernitur; explere verbis nequeo. Nec tamen me prodere laboro, quia & me tacente, in vestro corde legitis quid de meâ deuotione sentiatis. Miror autem, quòd in me collatas dudum continentias vestras, ex hac modernâ pastoralis officij continentiâ distraxistis: in quâ sub colore Episcopatus ad seculum sum reductus, in quâ tantis terrenis curis inseruio quantis me in vitâ laicâ nequaquàm deseruisse reminiscor: alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exteriùs videor. Vnde me à Conditoris mei facie longè expulsum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phātasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre. Et non solis vocibus, sed totis medullis cordis ad Dei speciem anhelans, dicebam: Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuũ, vultum tuum Domine, requiram. Nihil autem in hoc mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita vt in me penè impletum crederem, quod pollicitante Domino ex Prophetâ didicissem: Sustollam te super altitudines terræ. Super altitudines etenim terræ sustollitur, qui & ipsa, quæ alta ac gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. Sed repentè à rerum vertice tentationis huius turbine impulsus, ad timores pauoresque corrui: quia etsi mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, multùm formido. Vndique caussarum fluctibus quatior ac tempestatibus deprimor, ita vt rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post caussas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum. Et hoc ergo mihi longè factum est, quod intra me est, ita vt obedire nequeam Propheticæ voci, quâ dicitur: Redite præuaricatores ad cor. Sed stultis pressus cogitationibus, solummodò exclamare compellor: Et cor meum dereliquit me. Contemplatiuæ vitæ pulchritudinem velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram. Quæ etsi per quietem suam minùs generat, lucem tamen subtiliùs videt. Sed quo iudicio nescio, Lia mihi in nocte coniuncta est, actiua videlicet vita, fœcunda, sed lippa; minùs videns, quamuis ampliùs pariens. Sedere ad pedes Domini, cum Mariâ festinaui verba oris eius percipere: Et ecce cum Marthâ compellor in exterioribus ministrare, atque erga multa satagere. Expulsâ

b lib. 1. ep. 5. Theoctistam sororem Imperatoris,

Psal. 26.

Esa. 58.

F

Esa. 46.

A AVCTORE IOANNE DIACONO pulsâ à me, vt credidi, legione dæmonum, volui obliuisci quos noui, & ad Saluatoris pedes quiescere: & ecce mihi nolenti atque compulso dicitur: Reuertere in domum tuam, & annuntia quanta tibi fecerit Dominus. Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula prædicare, cùm iam mihi difficile sit saltem recolere? Pressus namque in hoc honore, tumultu secularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Neque enim dixit, Deiecisti eos, postquam alleuati sunt: sed, dum alleuarentur. Quia praui quique dum seculari honore suffulti, foras videntur surgere, intus cadunt. Alleuatio ergo ipsa, ruina est: qui dum gloriâ falsâ subnixi sunt, à verâ gloriâ vacuantur. Hinc iterum dicitur: Deficientes vt fumus deficiant. Fumus quippe ascendendo deficit, & se dilatando euanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur. Quia vnde ostenditur, vt altus sit, inde agitur, vt non sit. Hinc rursus scriptum est: Deus meus, pone illos vt rotam. Rota quippe ex posteriori parte attollitur, in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quæ reliquimus: anteriora verò sunt æterna & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo attestante, qui ait: Quæ retro

Psal. 72.
Psal. 67.
Psal. 82.

B oblitus, in ea quæ sunt priora, extendens me. Peccator ergo cùm in præsenti vitâ profecerit, vt rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex posterioribus eleuatur. Nam cùm in hac vitâ gloriam percipit, quam reliquit; ab illâ cadit, quæ post hanc venit. Et quidem multi sunt, qui sic exteriores profectus regere sciunt, vt per eos nequaquàm interiùs corruant. Vnde scriptum est: Deus potentes non abijcit, cùm & ipse sit potens. Et per Salomonem dicitur: Et intelligens gubernacula possidebit. Sed mihi hæc difficilia sunt, quia & valdè onerosa. Et quod mens voluntariè non recipit, congruè non disponit. Ecce serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem iussit. Et quidem pro iussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Vnde necesse est, vt omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit.

Phil. 3.
Iob. 36.
Prou. 1.

c li. 1. ep. 6. Narsem Patricium

48 c Item Gregorius Narsi Patricio: Dum contemplationis dulcedinem altè describitis, ruinæ meæ mihi gemitum renouatis. Quia audiui quod intus perdidi, dum foras ad culmem regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me perculsum mœrore cognoscite, vt vix loqui sufficiam; oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est, quidquid adspicitur: quidquid delectabile creditur, cordi meo la-

C mentabile apparet. Penso enim, ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quàm deiectum exterioris profectus culmen ascendi. Et pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus, quasi destructæ Iudææ vocibus cum Prophetâ dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me. Quòd verò causæ & nominis similitudinem faciendo per Scripturam, clausulas declamationesque formatis, certè, Frater reuerendissime, simiam leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspicimus, quo scabiosos sæpe catulos, pardos vel tigres vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidi, quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noëmi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine plenius sum.

Thren. 1.
Ruth. 1.

d Lib. 1. ep. 7. & 25. Anastasium Patriarcham Antiochenum,

49 Item Gregorius d Anastasio Patriarchæ Antiocheno: Scripta vestræ beatitudinis vt fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, vmbram æstuans inueni: Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic spiritualem erga me amorem suum, quem mens gestabat, aperuit, acsi per semetipsam loqueretur. Sed durum valdè fuit, quod secutum est: quia amor vester terrena me portare onera præcepit: & quem priùs spiritualiter diligebatis, pòst vt æstimo, D temporaliter amantes, vsq; ad terram me superposito onere depressistis: ita vt omnem mentis rectitudinem funditùs perdens, contemplationisque aciem amittens, non per Prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque. Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, vt ad superna animus nullatenùs erigatur. Multis caussarum fluctibus quatior, & post illa quietis otia, tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, ita vt rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Periclitanti igitur mihi orationis vestræ manum tendite vos, qui in virtutum littore statis. Quod verò me os Domini, quod lucernam dicitis, quòd loquendo multis prodesse multisque posse lucere perhibetis, æstimationem meam mihi fateor in dubietatem maximam perduxistis. Considero namque quis sum, & nihil in me ex huius boni signo deprehendo. Considero autem qui estis, & vos mentiri posse non arbitror. Cùm ergo credere volo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea. Cùm discutere volo quod in laude meâ dicitur, contradicit mihi Sanctitas vestra. Sed quæso, vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conueniat: vt si non quod dicitis, ita est; sit ita, quia dicitis: E

Psal. 37.
Psal. 68.

e lib. 1. ep. 29. Andream Illustrem,

50 Item Gregorius Andreæ illustri e: Omnipotens Deus dulcissimo cordi vestro indicet, quia & absens corpore, à caritate vestrâ animo non recessi. Bona enim vestra, etiamsi volo, obliuisci non valeo. Hoc autem quòd me ad Episcopatus Ordinem cognoscitis peruenisse, si me diligitis, plangite: quia tantæ hic huius mundi occupationes sunt, vt hic per Episcopatus Ordinem penè ab amore Dei videam me esse separatum. Quod incessanter defleo, atque vt pro me Dominum exoretis, rogo.

Lib. 1. ep. 30. Ioannem Exconsulem, Patricium, & Quæstorem,

51 Item Gregorius Ioanni Exconsuli & Patricio atque Quæstori: Bona vestræ excellentiæ expertus, tanto erga vos amore constringor, vt vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenùs possit. Sed contra amorem non modicè contristor, quia hoc bono animo fecistis, bona æterna retribuat: sed me à tanto loci huius periculo, qualiter voluerit, absoluat. Quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum sed Longobardorum Episcopus factus sum. Quorum syntychiæ spathæ sunt, & gratia pœna. Ecce vbi vestra patrocinia me perduxerunt. Gemo quotidie occupationibus pressus, & respirare non valeo. Sed vos, qui adhuc valetis, mundi huius occupationes fugite: quia quantum in eo quisque profecerit, tantum, vt video, ab amore Dei ampliùs decrescit. F

lib. 1. ep 41. S. Leandrũ Episcopum Hispalensem,

52 Item Gregorius Leandro Hispalensi Episcopo: Respondere epistolis vestris totâ intentione voluissem, nisi pastoralis curæ ita me labor attereret, vt mihi magis flere libeat quàm aliquid dicere. Quod vestra quoque reuerentia in ipso litterarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco huius mundi fluctibus quatior, vt vetustam ac putrescentem nauim, quam regendam occultâ Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenùs possim. Nunc ex aduerso fluctus irruunt: nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt: nunc à tergo tempestas insequitur. Inter quæ omnia turbatus, cogor modò in ipsam clauum aduersitatem dirigere, modò curuato nauis latere minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio, quòd, negligente me, crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obuiante, iam iamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quòd perdidi meæ placidum littus quietis, & suspirando terram conspicio: quam tamen, rerum ventis aduersantibus, tenere non possum. Si ergo me, Frater reuerendissime, diligis, tuæ mihi orationis in his fluctibus manum

A num tende: vt quo laborantem me adiuuas, ex ipsâ vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas.

53 Sed quia Gregorium non solùm declinare voluisse, quin etiam cum magno angore animi summum Sacerdotium suscepisse, satis (vt opinor) probatum est: quâ discretione id fecerit, videtur breuiter indicandum, ne scilicet tantus vir aut pertinaciæ aut pusillanimitatis vitio saltem leuiter succubuisse putetur. Ait enim in epistolâ ad Anastasium Corinthiorum Archiepiscopum: Iudicia Domini quantò sunt inuestigabilia, tantò debent humanis mentibus esse metuenda. Et quia ea ratio mortalis comprehendere non valet, his se necesse est humili cordis ceruice substernat: quatenùs quò eam regentis voluntas duxerit, illud obedientibus mentis gressibus prosequatur. Ego autem considerans infirmitatem meam ad Apostolicæ Sedis culmen non posse pertingere, onus hoc malui declinare, ne in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberem. Sed quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum, quòd misericors de me regentis manus voluit operari. Nam Fraternitati vestræ, etsi præsens non eueniret occasio, necessariò fuerat indicandum, quod licet indignum, me Apostolicæ Sedi Dominus præesse dignatus est.

lib. 1. ep. 26 Anastasium Archiepiscopum Corinthiorum,

B

54 Item idem de eadem re f Philippo Comiti Excubitorum: Inquantum homo discutere & inuestigare iudicia superna non sufficit, intantum sub eis debet ceruicem cordis inflectere. Et quia id, quod sibi tribuitur, quo iudicio disponatur ignorat, nec ad appetendum locum procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inueniri. Vnde indignus ego, ad suscipienda Episcopatus onera iussioni omnipotentis Dei vestræque voluntati me subdidi, cui me præesse largitate magis gratiæ quàm iudicij æstimatione voluistis. Potens est enim Deus, propter quem me indignum diligitis, hanc vobis in perpetuum repensare mercedem, vt gratiam, quam indignis famulis eius impenditis, apud eum multipliciùs inuenire valeatis.

f lib. 1. ep. 31. ô Philippum Comitem Excubitorum.

At ego hic à deflorationis opere paullulùm respirabo, vt quæ specialiter de Pontificio eius dicenda sunt, in libello alio, suffragante Domino, referantur g.

g

a *Consecratus est 12 Aprilis anno 582, cum quo S. Gregorius aliquot annis Constantinopoli vixerat. De eo infrà sæpiùs mentio fit.*

b *Eidem scripsit epistolam 39 lib. 9.*

C

c *Narses potente Chosroë Rege Persarum à Mauritio Dux exercitus constitutus est. Ita Simocatta lib. 5 cap. 3 & 5, & nos 10 Ianuarij ad Vitam S Domitiani Episcopi Melitenai*

d *Est hic S. Anastasius Sinaita, cuius infrà sæpiùs fit mentio. Colitur 21 Aprilis.*

e *In Registro additur* de Dibiriâ. *A quo alius est Andreas Scholasticus, cui plures epistolæ missæ sunt.*

f *Ita MS. Corsendonc. Et Epistola S. Gregorij edita. Surius* Philippico.

g *In MS eodem addebatur*: Explicat liber primus, incipit secundus. *In alijs excusis apponebantur hæc,* Capitula libri 2.

Capitula libri secundi.

LIBER II

CAPVT I

Modestia S. Gregorij in titulis Pontificijs. Epistola Synodica Patriarchis missa. Professio fidei. Cantus Ecclesiasticus ordinatus.

1 Ge iam nunc, quoniam athletæ Christi Gregorij, viriliter in gymnasio sanctæ ipsius Ecclesiæ desudantis, prælato libello torosa membra descripta sunt: qualiter in palæstrâ quoque conflixerit, adspirante Domino proferatur. Siquidem mox vt summum Pontificium felicissimæ Romanæ vrbis, Christo mortalibus consulente, sortitus est, superstitiosum Vniuersalis vocabulum, quod *a* Ioannes Constantinopolitanus Episcopus insolenter sibi tunc temporis vsurpabat, more antecessorum suorum Pontificum, sub districtissimę interminationis sententiâ refutauit: & primus omnium se in principio suarum epistolarum Seruum seruorum Dei scribi satis humiliter diffiniuit, cunctisque suis successoribus documentum suæ humilitatis, tam in hoc quàm in mediocribus pontificalibus indumentis, quod videlicet hactenùs in sanctâ Romanâ Ecclesiâ conseruatur, hæreditarium reliquit.

Lib. 2. S. Gregorius titulum Vniuersalis inhibet Patriarchæ C P. — a — B

2 Denique in speculâ sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vir totius humanitatis & autoritatis ac orthodoxæ fidei, vnde videri & audiri clariùs Euangelicus præco valeret, consistens, oris sui diuinissimo gladio & rectam fidem munijt, & cunctas hæreses vno symbolo dissipauit. Quod videlicet sacræ confessionis symbolum ita se habet: Credo in vnum Deum omnipotentem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, tres personas, vnam substantiam: Patrem ingenitum, Filium genitum; Spiritum vero sanctum nec genitum, nec ingenitum: sed coæternum, de Patre & Filio procedentem. Confiteor vnigenitum Filium consubstantialem, & sine tempore natum de Patre, omnium visibilium & inuisibilium Conditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, splendorem gloriæ, figuram substantiæ: qui manens verbum ante secula, perfectus homo creatus est iuxta finem seculorum, conceptus & natus ex Spiritu sancto & Mariâ virgine: qui naturam nostram suscepit absque peccato, & C sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus: tertiâ die resurrexit a mortuis: die autem quadragesimo ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: inde venturus est iudicare viuos & mortuos, positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum, daturus iustis perpetua præmia regni cælestis, iniquis autem supplicia ignis æterni: innouaturus seculum per ignem, & carnis resurrectionem. Confiteor vnam fidem, vnum baptisma, vnam Apostolicam & vniuersalem Ecclesiam, in quâ solâ possunt laxari peccata in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

2 In speculâ vniuersalis Ecclesiæ edit symbolum fidei:

3 Synodicam quoque suam Gregorius, secundùm priscam prædecessorum suorum consuetudinem, Ioanni Constantinopolitano, *b* Eulogio Alexandrino, Gregorio *c* Antiocheno, *d* Ioanni Hierosolymitano, & Anastasio Patriarchæ Antiochiæ destinauit. Quæ ita se habet: Consideranti mihi, quòd impar meritis, ac toto animo renitens, pastoralis curæ pondera portare compulsus sim, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud nisi eas, quæ videre nil sinunt, tenebras videt. Nam quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Quâ itaque fiduciâ ad eum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de proprijs securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui & sibi iratus & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinùs responderem: Ad intercedendum venire nequeo, quia eius notitiam ex sedulâ familiaritate non habeo. Si igitur rectè homo apud hominem, de quo minimè præsumpsissem, fieri intercessor erubescerem: quantę hoc audaciæ est, quòd apud Deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me per vitæ meritum non agnosco? Quâ in re est mihi adhuc aliud grauiùs formidandum, quia sicut cuncti liquidò nouimus, cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Et valdè pertimesco, ne commissa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depereat, cuius vsque nunc Dominus æquanimiter delicta tolerabat. Cùm verò vtcumque hunc timorem supprimo, & consolatam mentem ad Pontificalis operis studia accingo, consideratâ ipsâ rei immensitate deterreor. Perpendo quippe, quod omni curâ vigilandum est, vt Rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis in contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum rectitudinis erectus, & cætera, quæ latiùs pòst in libro Pastorali prosequitur.

litteras Synodicas mittit ad Patriarchas Orientis, — b — c d — *lib. 1. ep. 24* — *magnâ animi demissione scriptas:* — D — E

4 Prætereà quia corde, inquit, creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem: sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor: Nicenum scilicet, in quo Arij peruersum dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur: Chalcedonense verò, in quo Eutychis Dioscorique prauitas reprobatur, totâ deuotione complector, integerrimâ approbatione custodio. Quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit: & cuiuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. *e* Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur; & Theodorus, personam Mediatoris Dei & hominum in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur. Scripta quoque Theodoriti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu *f* inuidentiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, complector. Quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se, non illa, destruit, quisquis præsumit aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit anathema sit.

vti 4 Euangelia ita & 4 Concilia prima admittit: — e — f — *quintum etiam veneratur:* — F

5 Hoc modo postquàm Gregorius fundamentum fidei suæ, secundùm pristinum prædecessorum suorum Pontificum morem luculenter Apostolicis thronis exposuit, animaduertens ideò se à Domino super gentes & regna Summum Pontificem constitutum, vt iuxta illud Propheticum, vitiorum radices euelleret, destrueret atque disperderet: sicque demùm ædificaret plantaretque virtutes: omnes consuetudines, quas contra priscam traditionem Apostolicam nouiter pullulasse cognouerat, videlicet de ministris, de cantoribus, de laicis Pontifici familiariter adhærentibus, de titulandis præiudicialiter quibuslibet rebus: de contegendo dalmaticis Apostolico feretro, de *g* pastillatico pro Pallio vel consecratione Pontificum, & de non admittendis passim laicis ad Ecclesiastici iuris officium: primò quidem à Romanæ Ecclesiæ, postmodùm verò, *h* collectis circumquaque positarum prouinciarum Episcopis, à totius sanctæ vniuersalis Ecclesiæ corpore segregauit, eaque sub interpositione terribilis anathematis, tam generaliter quàm perpetuę

Ierem. 1. Traditioni Apostolicæ contrarias tollit consuetudines. — g — h

A perpetualiter condemnauit.

scholam cantorum constituit: Antiphonarium ordinat.

6 Deinde in domum Domini, more sapientissimi Salomonis, propter musicæ compunctionem dulcedinis, antiphonarium centonem cantorum studiosissimus nimis vtiliter compilauit, scholamque cantorum, quæ hactenus eisdem institutionibus in sanctâ Romanâ Ecclesiâ modulatur, constituit; eique cum nonnullis prædijs duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus Ecclesiæ S. Petri Apostoli, alterum verò sub Lateranensis patriarchij domibus fabricauit. Vbi vsque hodie lectus eius, quo recubans modulabatur, & flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congruâ, cum authentico antiphonario reseruantur. Quæ videlicet loca per præcepti seriem, sub interpositione anathematis, ob ministerij quotidiani vtrobique gratiam subdiuisit.

Cantus alibi depravatus.

7 Huius modulationis dulcedinem, inter alias Europæ gentes Germani seu Galli discere crebroque rediscere insigniter potuerunt: incorruptam verò tam leuitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quàm feritate quoque naturali, seruare minimè potuerunt. Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altisonè perstrepentia, susceptæ modulationis dulcedinem propriè non resultant, quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus & repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quasi plaustra per gradus confusè sonantia, rigidas voces iactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat. B

in Angliam illatus, Reformatus ibidem à Ioanne Romano.

8 Hinc est, quòd huius Gregorij tempore cum Augustino, tunc Britannias adeunte, per Occidentem quoque Romanæ institutionis cantores dispersi, Barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis, occidentales Ecclesiæ ita susceptû modulationis organum vitiarunt, vt Ioannes quidam Romanus cantor cum *i* Theodoro, æquè ciue Romano, sed Eboraci Archiepiscopo, per Gallias in Britannias à *k* Vitaliano sit Præsule destinatus: qui circumquaque positarum Ecclesiarum filios ad pristinam *l* cantilenæ dulcedinem reuocans, tam per se quàm per suos discipulos, multis annis Romanæ doctrinæ regulam conseruauit.

m & in Gallijs à Carolo Magno instructis Romæ 2 Clericis:

9 Sed & Carolus noster Patricius, Rex autem Francorum, dissonantiâ Romani & Gallicani *m* cantus Romæ offensus, cùm Gallorum procacitas cantum à nostratibus quibusdam nænijs argumentaretur esse corruptum, nostrique è diuerso authenticum antiphonarium probabiliter ostentarent: interrogasse fertur, quis inter riuum & fontem limpidiorem aquam conseruare soleret? Respondentibus, fontem, prudenter adiecit: Ergo & nos, qui de riuo corruptam lympham vsque hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios Clericos Adriano tunc Episcopo dereliquit: quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem metropolim ad suauitatem modulationis pristinæ reuocauit, per quam illam totam Galliam suam correxit. C

& alijs 2 missis Româ ab Adriano Papâ.

10 Sed cùm multa post tempora defunctis his, qui Romæ fuerant educati, cantum Gallicanarum Ecclesiarum à Metensi discrepare prudentissimus Regum vidisset, ac vnumquemque ab alterutro vitiatum cantum iactantem aduerteret; Iterùm, inquit, redeamus ad fontem. Tunc Regis precibus, sicut hodie quidam veridicè adstipulantur, Adrianus Papa permotus, duos in Galliam cantores emisit: quorum iudicio Rex omnes quidem corrupisse dulcedinem Romani cantus leuitate quadam cognouit: Metenses verò solâ naturali feritate, paullulùm quid dissonare peruidit. Denique vsque quantum Romano cantui Metensis cedit, tantum Metensi cedere Gallicanarum Germaniarumque cantus, ab his, qui meram veritatem diligunt, comprobatur. Hæc ergo per anticipationem retulerim, ne indiscussam Gallorum leuitatem videar præterisse. D

AVCTORE IOANNE DIACONO

S. Eulogius Alexandrinus.

S. Anastasius & Gregorius Antiocheni.

Ioannes Hierosol.

Synodus 5.

cantus in Anglia & Gallia.

a *De hac imprudentiâ Ioannis vsurpantis titulum Vniuersalis infrà lib. 3 num. 51 pleniùs agitur.*

b *Sedi S. Eulogij annos 27 tribuit Theophanes, ab anno 2 Tiberij Imp. Christi 580, vsque ad annum 7 Phocæ Imp. Christi 608. De eo infrà sæpiùs agitur. Colitur 13 Septemb.*

c *Duo hic referuntur Patriarchæ Antiocheni: è quibus S. Anastasius exul degebat, at Gregorius præsidebat: Initium Sedis S. Anastasij statuit Theophanes ad annum Iustiniani 33 Indict. 8, qui annus Christi est 570. Ad annum verò Iustini quintum ista refert de depositione.* Cùm magnus ille Anastasius Antiochiæ Episcopus in Synodales Epistolas Ioannis Constantinopolitani Episcopi (*qui S. Eutychio in exilium pulso, sedebat*) quòd Ioannem Alexandrinum *dicti Eulogij decessorem* consecrasset, atque etiam in ipsum Ioannem Alexandrinum, qui ordinatus fuerat, suis rescriptis inuectus fuisset; Iustini mandato Sede depulsus est, & in eius locum Gregorius monachus & Byzantiorum monasterij Apocrisarius promotus. *Consulendus Euagrius lib. 5 c. 5 & 6, qui lib. 6 cap. 23 relato S. Anastasij reditu, finem historiæ suæ imponit. S. Gregorius lib. 4 Registri ep. 27 illi reditum gratulatur Indict. 13, anno Christi 595, cui anni quinque à Theophane, at sex in Catalogo Nicephori à restitutione assignantur.*

d *Ioanni Hierosolymitano annos 20 assignat idem Theophanes à Iustini Imp. anno 8, Christi 573 ad an. Mauritij 11. Christi 593.*

e *De 5 Synodo & tribus Capitulis in eâ damnatis, scilicet Ibæ Edesseni, Theodori Mopsuesteni, & Theodoreti Cyrensis Episcoporum egimus 5 Febru. ad Vitam S. Ingenuini Ep. Sabionensis.* E

f *Ita MS. nostrum cum Surio: alibi excusum,* dementiæ.

g *De Pastillatico à Simoniacis dari solito, infrà pleniùs agitur lib. 3 num. 5.*

h *Tunc Seuerum Episcopum Aquileiensem cum suis sequacibus iussit Romam venire, vti infrà lib. 4 num. 38 dicitur.*

i *S. Theodorus natus Tharsi in Ciliciâ, Archiepiscopus non Eboraci, sed Cantuariæ: colitur 19 Septemb. vti tradit Beda lib. 4 cap. 1 & 2 & lib. 5 cap. 8.*

k *A S. Vitaliano Papâ ordinatus 7 Kalend. April. Dominicâ, anno 668. Ita Beda lib. 4 cap. 1. Vitam S. Vitaliani dedimus 27 Ianuarij.*

l *Beda.* Sonos cantandi in ecclesiâ, quos eatenùs in Cantiâ tantùm nouerant, ab hoc tempore per omnès Anglorum Ecclesias discere cœperunt.

m *De cantu in Gallijs sub Pippino Rege patre Caroli Magni instituto diximus 19 Ianuarij ad Vitam S. Remigij Episcopi Rotomagensis, fratris eiusdem Pippini.*

CAPVT II

A S. Gregorio Consiliarij è Clero assumpti. Præscripta laicis & militibus circa functiones Ecclesiasticas. Varia circa Missam & Stationes ordinata.

S. Gregorius Clericos suis adhibet consiliis;

11 Ceterùm prudentissimus Rector Gregorius, remotis à suo cubiculo secularibus, Clericos sibi prudentissimos Consiliarios familiaresque delegit: inter quos Petrum Diaconum coætaneum suum, cum quo posteà disputans, quatuor Dialogorum libros composuit: Æmilianum quoque Notarium, qui quadraginta Homilias Euangelij cum socijs suis *a* excepit: *b* Paterium æquè Notarium, qui ab eo secundicerius factus, ex libris ipsius aliqua vtilissima deflorauit: Et Ioannem Defensorem, qui eius iussu in Hispanias Cognitor destinatus, *c* Ianuarium Episcopum ciuitatis Malacitanæ, ab Episcopis suis compatriotis depositum, Sedi propriæ restaurauit, & depositores eius cum eo, qui in locum eius obrepserat, pari sententiâ condemnauit. Monachorum verò sanctissimos sibi familiares elegit: inter quos Maximianum monasterij sui Abbatem, quem Syracusis Episcopum fecit, eique per Siciliam *d* vices suas commisit: Augustinum eiusdem monasterij sui Præpositum, & Mellitum, per quos Anglorum gentes ad Christianismi gratiam conuocauit: Marinianum eiusdem monasterij sui monachum, quem in Rauennati metropoli Episcopum *e* conse-

monachos habet familiares:

A AVCTORE IOANNE DIACONO

f g

consecrauit: *f* Probum, quem subitò Abbatem Spiritu reuelante constituens, pro construendo Xenodochio Hierosolymis destinauit: simulque *g* Claudium Classitanæ ciuitatis Abbatem, qui de Prouerbijs, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris Regum, & de Heptateucho, Papâ disputante, multa, licet non eodem sensu, composuit.

imitatus Apostolos & primos Christianos

12 Cum quibus Gregorius die noctuque versatus, nihil monasticæ perfectionis in palatio, nihil pontificalis institutionis in Ecclesiâ dereliquit. Videbantur passim cum eruditissimis Clericis adhærere Pontifici religiosissimi monachi, & in diuersis professionibus habebatur vita communis: ita vt talis esset tunc sub Gregorio penès vrbem Romanam Ecclesia, qualem hanc fuisse sub Apostolis Lucas, & sub Marco Euangelista penès Alexandriam Philo commemorat.

nitorem linguæ Latinæ & studia reducit

13 Tunc rerum Sapientia Romę sibi templum visibiliter quodammodò fabricabat, & septemplicibus artibus veluti columnis, nobilissimorum totidem lapidum Apostolicæ Sedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famulantium à minimo vsque ad maximum, barbarum quodlibet in sermone vel habitu præferebat, sed togata Quiritum more seu trabeata Latinitas, suum Latium in ipso Latiali palatio singulariter obtinebat. Refloruerant ibi diuersarum artium studia, B & qui vel sanctimoniâ vel prudentiâ fortè carebat, suo ipsius iudicio subsistendi coram Pontifice fiduciam non habebat.

sapientes, non diuites consilio suo adhibet,

14 Arcessebantur Pontificalibus profundis consilijs prudentes viri, quos perhibui, potiùs quàm potentes: & paupere Philosophiâ intrinsecùs, quid potiùs aut potissimùm in vnoquoque negotio sequendum putaretur, artificiosis argumentationibus rationabiliter inquirente, diues inertia, quæ modò se de sapientibus pari sorte vlciscitur, pro cubiculi foribus despicabilis remanebat. Sola deerat interpretandi bilinguis peritia; & facundissima virgo Cecropia, quæ quondam suæ mentis acumina, Varrone cœlibatum suum auferente, Latinis tradiderat, imposturarum sibi præstigia, sicut ipse in suis epistolis queritur, vindicabat.

laicos à functionibus Ecclesiasticis excludit:

15 Nemo laicorum quodlibet palatij ministerium vel ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia ecclesiastici iuris munia Ecclesiastici nihilominus viri subibant: nimirùm laicis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli Procerum, sub obtentu religionis, primò tonsurare cœperunt. Quorum tergiuersationi Mauritius Imperator prudenter occurrens, datâ per Longinum Stratonem lege præcepit, vt, quisquis publicis fuisset administrationibus implicatus, ei ad ecclesiasticum venire officium non liceret. Quam legem C Gregorius super hoc valdè laudauit, dicens: Qui secularem habitum deserens, ad ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere cupit seculum, sed mutare.

Milites cupientes in Clerum admitti, vult diu probatos, in monasterijs viuere, dein in Clerum adsciscit:

16 Verùm dum ad Clericalem professionem, tam ex Ecclesiasticâ quàm ex seculari quoque militiâ, diuersis occasionibus quotidie penè innumerabilis multitudo conflueret; Pastor ad omnia prouidus, nequaquàm eos ad ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodò monachicum propositum suscipiendos esse censebat, dicens: Multos ex Ecclesiasticâ seu seculari militiâ nouimus ad omnipotentis Dei seruitium festinare, vt ab humanâ seruitute liberi, in diuino seruitio videantur familiariùs conuersari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi Ecclesiastici vel secularis iuris dominium occasionem præbemus. Si verò festinantes ad omnipotentis Dei seruitium incautè retinemus, illi inueniemur negare quædam, qui dedit omnia. Vnde necesse est, vt quisquis ex iuris Ecclesiastici vel secularis militiæ seruitute ad seruitium conuerti desiderat, probetur priùs in laico habitu constitutus: & si mores eius atque conuersatio bono desiderio illius testimonium perhibuerint, absque D vllâ retractatione seruire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, vt ab humano seruitio liber recedat, qui in diuino obsequio districtiorem subire appetit seruitutem. Si autem & in monachico habitu secundùm Patrum regulas inreprehensibiliter fuerit conuersatus, post præfixa à sacris canonibus tempora, licenter iam ad quodlibet ecclesiasticum officium promoueatur: si tamen illis non fuerit criminibus maculatus, quæ in testamento veteri morte mulctantur.

h Codicem Gelasianum coarctat:

17 Sed & *h* Gelasianum codicem, de Missarum solennijs multa subtrahens, pauca conuertens, nonnulla adijciens pro exponendis euangelicis lectionibus, in vnius libri volumine coarctauit. In Canone apposuit, Diesque nostros in tuâ pace disponas, atque ab æternâ damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.

i stationes ordinat,

18 Stationes per basilicas vel beatorum Martyrum cœmeteria, secundùm quod hactenùs plebs Romana quasi eo viuente certatim discurrit, solicitè ordinauit. Per quas & ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui præualeret, viginti Homilias Euangelij coram Ecclesiâ diuerso tempore declamauit. Reliquas verò eiusdem numeri dictauit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, alijs pronunciandas commisit. E

concionatur populo:

19 Sequebatur exercitus Domini vltrà citràque B. Gregorium præeuntem, & audituræ verbum doctrinæ innumerabiles vndique diuersi sexus, ætatis ac professionis voluntariæ confluebant cohortes. Quibus ille, vtpote ductor cælestis militiæ, cunctis dumtaxat arma spiritalia suggerebat. Pauperibus verò & aduenis, qui pro conditione temporum Romæ influxerant, quotidiana stipendia ministrabat.

super corpora Apostolorum Missas celebrat:

20 Super corpora autem BB. Petri & Pauli Apostolorum, Missarum solennia celebrari decreuit, acquisitis numerosissimis oliuetis, quorum summam in tabulis marmoreis pro foribus eiusdem basilicæ annotauit. Luminaria superaddidit, officia sedula deputauit, de sepulturâ iuxta ecclesiam commodum sperare prohibuit, septem ex defensoribus honore regionario decorandos indixit. Alleluia extra Pentecostes tempora dici ad Missas fecit: Subdiaconos expoliatos procedere statuit: Kyrie eleison cantari præcipit, & Orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari.

in quo quare dicantur Alleluia,

21 De quibus cùm posteà quosdam murmurare sentiret, tamquàm qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudines sequeretur, pijssimus Pater non dedignatus est reddere rationem, dicens: Nos in nullo horum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam & Alleluia hîc vt diceretur, de Hierosolymorum Ecclesiâ ex F B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideò magis in hac Sede illam consuetudinem amputauimus, quæ hîc à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem vt spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. Sed placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit. Nam Siciliæ Ecclesiæ numquid à Græcis traditionem acceperunt? Vnde habent ergo hodie, vt subdiaconi in lineis tunicis procedant, nisi quia hoc à Matre suâ Romanâ Ecclesiâ perceperunt? Kyrie eleison autem nos neque diximus neque dicimus, sicut à Græcis dicitur: quia in Græcis omnes simul dicunt: apud nos verò à Clericis simul dicitur, à populo respondetur. Et totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis, alia, quæ dici solent, tacemus: tantummodò Kyrie eleison & Christe eleison dicimus, vt in his deprecationis vocibus paullò diutiùs occupemur. Orationem verò Dominicam idcirco mox post precem dicimus,

Kyrie eleison,

quia

A quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valdè mihi inconueniens visum est, vt precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus; & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius Corpus & Sanguinem non diceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos verò à solo Sacerdote. In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparauimus, aut nouas & vtiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari? Ergo vestra caritas, cùm occasio dederit, vt ad Catanensem ciuitatem pergat, vel in Syracusanâ Ecclesiâ eos, quos credit aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt, factâ collatione doceat, & quasi aliâ ex occasione eos instruere non desistat. Nam de Constantinopolitanâ Ecclesiâ quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus Dominus Imperator, & Frater noster eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui ideò se primum existimat, vt bona, quæ viderit, B discere contemnat.

Oratio Dominica.

a *De exceptoribus harum Homiliarum agit S. Gregorius in Prologo earumdem ad Secundum, Episcopum Taurominitanum.*

b *Passim creditur hic esse S. Paterius Episcopus Brixiensis, qui colitur 21. Februarij, vbi de eo egimus.*

c *Ianuarium vrbis Malacitanæ 4 Episcopum, iniustè depositum, Ioanne quodam intruso, & anno 603 restitutum narrat Martinus de Roa cap. 12 Historiæ Malacitanæ.*

d Mense Decemb. Indict. 10 *ergo an.* 591, *vti infrà lib.* 3 *num.* 25 *constat.*

e Consecratum *aiunt anno* 595, *Deo eò sæpiùs infrà agitur.*

f *De eo & Xenodochio Hierosolymitano iterum infrà agitur nu.* 52 *&* 55.

g *De eo legendus Rubeus lib.* 4 *historiæ Rauennatum, qui mortuum asserit anno* 602.

Missale antiquum.

h *Gelasius I Papa, creatus an.* 492, *antiquum Missale seu Codicem de Missâ recognouit, vti posteà fecit S. Gregorius, & post hunc quamplurimi Pontifices, & vltimò Clemens VIII & Vrbanus VIII: hinc* codex Gelasianus, *& dein* liber Sacramentorum S. Gregorij *appellatus: hic doctis Commentarijs Hugonis Menardi editus est, sed post obitum S. Gregorij auctus, cùm inter Sanctos ipsius dies natalis refertur.*

Stationes.

i *Hæ stationes etiamnùm in Missali annotantur; vti statis diebus in Aduentu, Quadragesimâ, Quatuor temporibus, diebus Rogationum, festis Christi nati & circumcisi, eiusdem Epiphaniæ, Paschate, Ascensione & Pentecoste obseruantur.*

CAPVT III

Liberalis animus S. Gregorij in dandis eleemosynis. Ecclesia dedicata. Miracula.

Aduenas suscipit, & inter eos Christum:

22 Tantæ hospitalitatis Gregorius in ipso etiam patriarchio permansit, vt exceptis his, quos tam per diuersas regiones, quàm Romæ quoque, Longobardorum perfidiæ gladios fugientes, Ecclesiæ stipe misericorditer nutriebat, quotidie ad mensam suam peregrinos quoslibet inuitaret. Inter quos die quadam vnus accessit, in cuius manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, conuersus vrceum accepit: sed repentè eum, in cuius manibus aquam fundere voluerat, inuenire non potuit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.

a peregrinis 12 inuitatis, adiunctum Angelum intelligit,

23 Alio quoque tempore idem Gregorius iuxta consuetudinem suam præcepit *a* Sacellario, vt duodecim peregrinos ad prandium inuitaret. Qui pergens, iussa compleuit, eosque ad mensam pariter ordinauit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa, tredecim numerauit. Et accersito Sacellario, cur contra iussionem suam tertiumdecimum inuitare præsumpserit, inquisiuit. Ille obstupefactus, conuiuantes peregrinos curiosiùs numerauit, & duodecim solos inueniens, veluti securus respondit: Crede mihi, honorabilis Pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse iussisti. Ergo dum conuictus sæpius duodecim identidem numeraret, ac tertiumdecimum, quem solus Papa videre poterat, non videret; animaduertens spiritualis Pater Gregorius virum propiùs discumbentem, vultus crebrò conuertere, & nunc adolescentem, nunc verò se vetulum venerandâ quadam canitie simulare, finito conuiuio, duodecim quidem abire permisit: tertiumdecimum verò manu suscipiens, in cubiculum suum induxit, vehementer adiurans, vt ei se nomenque suum simpliciter prodere dignaretur. Qui respondens, dixit: Et cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile? Verumtamen scito memoriâ recognoscens, quia ego sum naufragus ille, qui quondam veni ad te, quando scribebas in cellâ monasterij tui ad cliuum Scauri, cui dedisti duodecim numismata & argenteam scutellam, quam tibi miserat cum infusis leguminibus B. Syluia mater tua. Et hoc tibi pro certo sit cognitum; quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo tribuisti, destinauit te Dominus fieri Præsulem sanctæ suæ Ecclesiæ, pro quâ & proprium sanguinem fudit, & esse te successorem atque Vicarium Apostolorum principis Petri, cuius & virtutem imitatus es, cùm substantias offerentium diuideret, prout cuique opus erat. Hæc audiens Gregorius, dixit: Et tu quomodò nosti, quòd tunc me Dominus præesse sanctæ suæ Ecclesiæ destinarit? At ille, inquit: Quoniam ego Angelus eius sum, & tunc ab eo ad tuum inquirendum propositum destinatus. Tunc Gregorius, quia nondum manifestè viderat Angelum, prorsus expauit, sibique hunc taliter dicentem audiuit: Ne timeas, neque formides. Ecce enim remisit me Dominus, vt sim tibi custos quamdiu fueris in isto mortali seculo: quatenùs quamcumque rem petieris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare. Illicò Gregorius in faciem suam corruit, dicens: Si propter pusillum meæ paruitatis munusculum tanta mihi retribuit omnipotentissimus Dominus, vt & Pontificem me sanctæ suæ Ecclesiæ faceret, & custodem mihi suum Angelum deputaret, quanta putem mihi restitui, si in præceptis eius totis viribus permanens, plura studuero de pluribus erogare.

D *AVCTORE IOANNE DIACONO*

& se ob eleemosynas ad Pontificatum assumptum s.

E

binumque sibi custodem datum:

quater singulis annis liberalissimas eleemosynas dat.

24 Igitur incipiens tantùm largior esse de collato temporali commodo, quantùm certior de recipiendo præmio sempiterno, cunctorum patrimoniorum prædiorumque reditus, ex Gelasiano *b* polyptycho, cuius nimirùm studiosissimus videbatur pedissequus, adærauit, eorumque pensionibus in auro argentoque (collatis omnibus ordinibus Ecclesiasticis vel palatinis, monasterijs, ecclesijs, cœmeterijs, diaconijs, xenodochijs, vrbanis vel suburbanis) quot solidi quater in anno distribuerentur, Pascha scilicet, natali Apostolorum, natali S. Andreæ, natalitioque suo, per polyptychum, quo hactenùs erogantur, indixit.

F

vnà osculum pacis impertiens:

25 Extra quos, primo Dominicæ Resurrectionis diluculo, in basilicâ quondam doctissimi Papæ Vigilij, iuxta quam consuetudinaliter habitabat, ad impertiendum pacis osculum residens, cunctis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, alijsque axiomaticis, aureos erogabat. Natalitio verò Apostolorum vel suo, mixtos solidos offerens, peregrinis nihilominùs vestimenta donabat.

varias primo die singulorum mensium distribuit:

25 Omnibus omnino Calendis, pauperibus generaliter easdem species, quæ congerebantur ex reditibus, erogabat. Et suo tempore frumentum, suo vinum, suo caseum, suo legumen, suo lardum, suo manducabilia animalia, suo pisces vel oleum, paterfamilias

A AVCTORE IOANNE DIACONO

lias Domini discretissimè diuidebat. Pigmenta verò aliaque delicatoria commercia primoribus honorabiliter offerebat, ita vt nihil aliud quàm communia quædam horrea, communis putaretur Ecclesia.

3 millia sanctimonialium alit:

27 Tribus millibus ancillis Dei, quas Græci Monastrias vocant, quindecim libras auri pro lectisternijs dedit, eisque pro quotidianis stipendijs octoginta libras annualiter conferebat. De quibus Theoctisto Patricio scribens: Harum, inquit, talis vita est, atque intantùm lacrymis & abstinentiâ districta, vt credamus quia si ipsæ non essent, nullus nostrûm iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset. lib. 6, ed. 23

dietim per veredarios cocta stipendia destinat:

28 Quotidianis quibusque diebus per omnium regionum vicos vel compita, infirmis seu qualibet corporis parte debilibus, cocta stipendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus verò, antequàm ipse cibum caperet, à mensâ suâ benedictionis Apostolicæ ostiatim dirigere curabat scutellam: ita vt neminem prorsus exciperet misericordissimi beneuolentia prouisoris, quem ad fidem traxerat omnipotentis cognitio Creatoris.

d pauperis obitu affligitur:

29 Horum dum quemdam pauperem in angustis *d* andronarum recessibus à vespillonibus inueniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopiâ perijsse, ita per aliquot dies, vt dicitur, à Missarum celebratione vacando tristatus est, tamquàm si eum proprijs manibus, quod dictu nefas est, peremisset. B

librum remunerationum conficit.

30 Extat vsque hodie in sacratissimo Lateranensis Palatij scrinio, huius confectum temporibus chartaceum prægrande volumen, in quo communis sexus cunctarum ætatum ac professionum nomina, tam Romæ quàm per suburbana ciuitatesue vicinas, necnon longinquas maritimæ vrbes degentium, cum suis cognominibus, temporibus & remunerationibus expressiùs continentur. Quorum summam, ne videlicet fastidiatur, ego transferre diffugio, meique lectoris oculum ad illius venerandi scrinij plenitudinem, cuius ipse penè in cunctis auctoritatem, Papâ largiente, secutus sum, transmitto.

e Ecclesiam ab Arrianis vsurpatam, illatis reliquijs expiat & dedicat:

31 *e* Præterea cùm Arianorum basilica in regione vrbis huius, quæ Suburra dicitur, clausa vsque ad Gregorij Pontificatus tempora remansisset, placuit ei, vt in fide Catholicâ, introductis illuc B. Sebastiani & S. Agathæ Martyrum reliquijs, dedicari debuisset: quod factum est. Nam cum magnâ populi multitudine Gregorius laudes canendo perueniens, basilicam præfatam ingressus est. Cùmque venerabilis Pontifex iam Missarum solennia celebraret, ac propter eiusdem loci angustias populi se turba comprimeret; quidam ex his, qui extra sacrarium stabant, porcum subitò inter suos pedes huc illucque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idem porcus ecclesiæ ianuas petijt, & omnes, per quos transijt, in admirationem conuertit. Sed videri nihil potuit, quamuis sentiri potuisset. Quod idcircò diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia veniente cum reliquijs Sanctorum Gregorio, de loco eodem immundus habitator exiret. C

porci instar, diabolus fugit:

terrorè sonitu euanescit:

32 Peractâ igitur Missarum celebratione, Papa cùm plebe recessit. Sed adhuc nocte eadem magnus in eiusdem ecclesiæ tectis strepitus factus est, acsi in eâ aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte grauior sonitus excreuit, cùm subitò tantus terror insonuit, acsi omnis illa ecclesia à fundamentis fuisset euersa. Et protinùs recessit, ac nulla illic vlteriùs inquietudo antiqui hostis apparuit: sed per terroris sonitum, quem fecit, innotuit, à loco, quem diu tenuerat, quia per inuocationem Gregorij coactus exibat. Post paucos verò dies in magnâ serenitate aëris super altare eiusdem ecclesiæ nubes cælitus descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque ecclesiam tanto terrore ac suauitate odoris impleuit, vt patentibus ianuis nullus illuc præsumeret intrare. Et Sacerdos atque custodes, vel hi, qui ad celebranda Missarum solennia venerant & rem videbant, ingredi minimè poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die verò aliâ in eâ lampades sine lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies, cùm expletis Missarum solennijs, extinctis lampadibus custos ex eadem ecclesiâ egressus fuisset, post paullulum intrauit, & lampades, quas extinxerat, lucentes reperit. Quas negligenter extinxisse se credidit, atque eas iam solicitiùs extinxit. Qui exiens, ecclesiam clausit: sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, inuenit: vt videlicet ex ipso lumine apertè claresceret, quia per Beatum Gregorium locus ille de tenebris ad lucem venisset. D

nubes odorifera accedit:

lampades diuinitus accenduntur:

a *Apud S. Antoninum* Saccellarius *dicitur, est* Thesaurarius Ecclesiæ, *quo munere functus erat ante Pontificatum S. Gregorius II, vti 13 Februarij ad eius Vitam § 1 num. 3 diximus cum vocis huius expositione. In poëmate* dispensator *appellatur.* *Saccellarius.*

b Polyptychon *libellus siue album, in quo continebantur nomina ciuium vrbis, ex quo, quibus subueniri debebat, poterat sciri: nomen illi à multis plicis inditum. S. Gregorius lib. 7 Registri ep. 40. ait,* notitiam donationis non esse de polytychis charaxatam. *Polyptychon.* E

c *MS. Corsend.* Theoctisti Patricio *lib. 6 Registri titulus epistola 23 est,* Gregorius Theotistæ pariter & Andreæ.

d Ἀνδρὼν *locus, in quo soli viri degunt, hinc* androna *formatum.* *Androna.*

e *Hac pluribus referuntur lib. 3 Registri cap. 30, & latè à nobis explicantur ad 5 Februarij in Commentario de Reliquijs & Ecclesijs S. Agathæ § 1 pag. 631 & seq.*

CAPVT IV

Anglorum conuersio missis à S. Gregorio viris Apostolicis procurata.

a Mittit ad conuertendos Anglos S. Augustinum & socios,

33 SEd cùm S. Gregorius pro conuertendis Anglis Saxonibus, quemadmodùm in monachatu suo proposuerat, assiduis cogitationum fluctibus vrgeretur; mox vbi, Ecclesiæ statu composito, *a* quartum sui Pontificatus annum intrauit, Augustinum cum alijs domus suæ monasterij monachis in Britanniam euangelizandi gratiâ destinauit. Qui susceptæ peregrinationis post dies aliquot inerti tædio prægrauati, redire domum potiùs, quàm barbaram, feram, incredulámque gentem, cuius nec linguam intelligerent, adire decreuerunt. Nec mora, Augustinum, quem eis Episcopum consecrandum, si ab Anglis exciperentur, indixerat, Romam remittunt; summum Præsulem deprecantes, vt tam laboriosam, tam incertam, tamque periculosam peregrinationem sibi nuper impositam remoueret, & ad suos reuerti permitteret. Quibus ille rescripsit, dicens: F

b litteris confirmat à se missos.

34 *b* Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, seruus Domini nostri Iesu Christi. Quia meliùs fuerat bona incipere, quàm ab his, quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire: summo studio, dilectissimi Filii, oportet vt opus bonum, quod cœpistis, auxiliante Domino compleatis. Nec labor vos ergò itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant, sed omni instantiâ omnique feruore, quæ inchoastis, Deo auctore peragite: scientes, quòd laborem magnum maior æternæ retributionis gloria consequetur. Remeante autem Augustino Præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quidquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus suâ vos gratiâ

A gratiâ protegat, & vestri laboris fructum in æternâ me patriâ videre concedat; quatenùs etsi vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare scilicet volo.

35 His exhortationibus Augustinus cum Fratribus roboratus, per *c* Etherij Arelatensis vatis, perque aliorum Episcoporum Galliæ Regumque, quibus eos pijssimus Pater proprijs litteris commendarat, hospitia, Britanniam petijt; & ad Ethelbertum Regem Cantuariorum veniens, Dei cooperante gratiâ, non solùm licentiam prædicandi, verùm etiam victus & mansiones in ciuitate Doruernensi, quæ erat regni eius *d* metropolis, facilè impetrauit. Ad quam Augustinus cum socijs, prælatâ Cruce seu Saluatoris imagine, appropinquans, cecinit dicens: Deprecamur te, Domine, in omni misericordiâ tuâ, vt auferatur furor tuus & ira tua à ciuitate istâ & domo sanctâ tuâ, quando peccauimus. Prædicantibus autem eis, & in nomine Iesu miracula facientibus, crediderunt multi & baptizati sunt, mirantes innocentis vitæ simplicitatem, complectentesque dulcedinem cælestis doctrinæ.

c humaniter accipiuntur in Angliâ,

d

36 Quapropter Augustinus *e* Arelatem venit, & secundùm Gregorij iussionem, ab Etherio Episcopus consecratus in Britanniam remeauit: illicoque *f* per Laurentium Presbyterum & Petrum monachum, Papæ Gregorio conuersionem gentis Anglorum seque consecratum innotuit, suggerens vt mitteret plurimos verbi ministros, eò quòd messem quidem multam haberet, operarios autem paucos.

e S. Augustinus ordinatur Episcopus,

f

B

34 Quibus relationibus Gregorius in Christo lætificatus, misit Augustino plurimos verbi ministros, in quibus præcipui erant *g*, Mellitus, Iustus, Paulinus & Rufinianus: & per eos vniuersa, quæ ad cultum erant Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra & vestimenta altarium, ornamenta Ecclesiastica, vestimenta clericalia, Apostolorum & multorum Sanctorum reliquias & codices multos. Misit ei & Pallium, iubens vt sub metropoli suâ Cantiæ duodecim Episcopos ordinaret: ad Londoniam & Eboracum singulos Episcopos mitteret, qui sub se duodecim nihilominus Episcopos consecrantes, Pallium ab Apostolicâ Sede perciperent: & post Augustini obitum ipse inter eos primus haberi debuisset, qui priùs consecrari meruisset. Præcepit quoque, vt in Anglorum gente idolorum fana non destrueret, sed sanctificatis aquis respersa, in basilicas dedicaret. Et quia solebant Saxones in sacrificio dæmonum boues multos occidere, iussit vt in die dedicationis vel natalitijs sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponerentur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum facerent, & religiosis conuiuijs solennitates debitas celebrarent. Et quia super quibusdam capitulis Augustinus eum interrogans, qualiter Episcopus cum suis conuersari deberet Clericis, requæsiuit, Doctor humillimus inter cetera sic rescripsit: Quia tua Fraternitas monasterij regulis erudita, seorsum viuere non debet à Clericis suis; in Ecclesiâ Anglorum, quæ nuper ad fidem perducta est, hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris: in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Cùm vna fides sit, cur super Missarum celebratione Gallicanâ à Romanâ discordet Augustino requirenti, Gregorius ait; Nouit tua Fraternitas Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in quâ se meminit enutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romanâ siue in qualibet Ecclesiâ aliquid inuenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesiâ, quæ adhuc noua est ad fidem, institutione præcipuâ, quæ de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesijs quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt eligas, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum gentes in consuetudinem vertas. Interrogatus etiam, quomodò ea, quæ fures de ecclesijs abstulerint, reddere debeant: mitissimus Pater, Absit, inquit, vt ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærat. Sanè requisitus ad eodem Augustino, vsque ad quotam generationem fideles debeant copulari, Gregorius dispensatoriè sic rescripsit: Quædam terrena lex in Romanâ republicâ permittit, vt siue frater & soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur: sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde necesse est, vt in tertiâ vel quartâ generatione, generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam secundâ, quam prædiximus, omnimodò debet abstinere.

g Pallium ei mittit S. Gregorius & Episcopatus designat:

mandat fana idolorum in ecclesias consecrari:

C

lib.12.ep.31

omnia Episcopo & Clericis communia esse:

optimas aliarum Ecclesiarum consuetudines eligendas;

D

AVCTORE IOANNE DIACONO

gradus consanguinitatis in matrimonio obseruandos,

38 Verùm post multum temporis à *h* Felice Messanæ Siciliæ Præsule requisitus, vtrùm Augustino scripsisset, vt Anglorum quartâ generatione contracta matrimonia minimè soluerentur, humillimus Pater Gregorius inter cetera talem reddidit rationem: Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alumno videlicet, vt recordatus es, tuo, de consanguinitatis coniunctione ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono, quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter ceteris, me scripsisse cognoscas. Vnde & mihi omnis Romana ciuitas testis existit. Nec eâ intentione hæc illis scriptis mandaui, vt postquàm firmâ radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inuenti fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam generationem iungantur. Sed adhuc illos neophytos existentes, sæpissimè eos priùs illicita docere vitare, & verbis ac exemplis instruere, & quæ pòst de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam iuxta Apostolum, qui ait: Lac vobis potum dedi, non escam: ista illis modò, non posteris, vt præfixum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum, quod infirmâ adhuc radice plantatum erat, erueretur, sed cœptum firmaretur, & vsque ad perfectionem custodiretur. Hæc ego idcircò perstringenda curaui, vt hi, qui occasione nouæ dispensationis illicita matrimonia contrahunt, eruditissimum Papam Gregorium non regulariter, quartæ generationis copulam concessisse, imò venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant. Cuius nimirùm precibus Deus omnipotens tantam Augustino, eiusque socijs faciendorum signorum contulit gratiam, vt verbum vitæ, quod ore prædicabant, signorum efficaciâ confirmarent. Vnde factum est, vt paucis elabentibus annis, etiam ceteri Saxones ad Christi Domini fidem per discipulos eius accederent.

h cum aliquâ in neophytis dispensatione:

lib.12.ep.32

E

1.Cor.3

F

39 De cuius gentis conuersione simulque miraculorum prodigijs, quæ ibidem fiebant, ita Gregorius in libris Moralibus perhibet, dicens: Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat, quàm barbarum frendere, iamdudum in Dei laudibus Hebræa cœpit verba sonare. Ecce quondam tumidus, iam substratus Sanctorum pedibus, seruit Oceanus, eiusque barbaros motus, quos terreni Principes edomare ferro nequiuerant, hos pro diuinâ formidine Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantium infidelis nequaquàm metuerat, iam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cælestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiusdem diuinitatis terrore refrænatur, vt prauè agere metuat, ac totis desiderijs ad æternitatis gratiam venire concupiscat. Eulogio

lib.27.c.8 miracula facta deprædicat,

A AVCTORE IOANNE DIACONO

lib.7.ep.30

logio quoque Patriarchæ Alexandrino de doctrinâ suæ Ecclesiæ, conuersione hæreticorum, concordiâque fidelium plausibilia referenti, Gregorius ita rescripsit: Quoniam in bonis, quæ agitis, scio quòd & alijs congaudetis, vestræ quoque gratiæ vicem reddo: Quia dum gens Anglorum, in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc vsque remaneret, ex vestræ mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam monasterij mei monachum transmittere, Deo auctore, debuissem. Qui datâ à me licentiâ, à i Germaniarum Episcopis Episcopus factus, cum eorum quoque solatijs ad prædictam gentem in fine mundi perductus est. Et iam nunc de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt, quia tantis miraculis vel ipse vel hi, qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, vt Apostolorum virtutes in signis, quæ exhibent, imitari videantur. In solennitate autem Dominicæ Natiuitatis, quæ k primâ Indictione transacta est. plusquàm decem millia Angli ab eodem nuntiati sunt Fratre & Coëpiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narraui, vt cognoscatis, quid in Alexandrino populo loquendo; & quid in mundi finibus agitis orando. Vestræ enim orationes sunt in eo loco, vbi non estis, quorum operationes sanctæ monstrantur in eo loco, vbi estis.

& Apostolorum miraculis comparat.

B

lib.9. ep.58

40 Nihilominùs eidem Augustino pro eisdem miraculis inter alia scribit, inquiens: Scio quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Vnde necesse est, vt de eodem dono cælesti & timendo gaudeas & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas verò, ne inter signa, quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se eleuet, & vnde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat.

a *Imò sextum annum iam diu egerat, cùm illos anno 596 mitteret, vt suprà dictum.*

b *Refertur hac epistola à Bedâ lib.1 cap.22, & scripta dicitur* x Kalend. Augusti, Indict.xiv, *anno 596.*

c *Iter hoc per Gallias deduximus 2 Februarij ad Vitam S. Laurentij, tunc socij itineris, dein Archiepiscopi Cantuariensis, vbi § 2 ostendimus Etherium fuisse Archiepiscopum, non Arelatensem sed Lugdunensem, & caussam erroris indicauimus.*

d *Metropolis Cantuariorum Doroverna, posteà Cantuaria dicta est.*

e *Imo Lugdunum, vbi Etherius erat Archiepiscopus.*

f *Anno 598.*

g *Ex his fuère dein Archiepiscopi Cantuarienses S. Mellitus &* C *Iustus, quorum ille 24 Aprilis, hic 10 Nouemb. colitur: ac S. Paulinus primus Archiepiscopus Eboracensis 10 Octobris. Discesserunt Româ anno 601.*

h *Extant ad Felicem Messanensem Episcopum epistola 38 & 64 lib.1 Indictione 9 scripta anno 591, & epistola 10 & hac 32 Indictione 7, vltimo ante mortem tempore scripta. Sed num duo fuerint Felices Messanenses infrà lib. 3 cap. 2 litt. b inquirimus.*

Lugdunum Germania.

i *Sidonius Apollinaris lib.5 ep. 7* Lugdunensem Germaniam *appellat, quòd in eâ regione Burgundiones origine Germani dominarentur: quem loquendi modum imitatus S. Gregorius.*

k *Anno 597 finiente.*

CAPVT V

Miracula à S. Gregorio circa Eucharistiam & Reliquias, ac per signum Crucis patrata. An Traianus Imp. eius precibus adiutus?

S. Gregorij precibus in confirmationem fidei hostia in carnem transit.

41 QVæ autem de Gregorij miraculis penès easdem Anglorum Ecclesias vulgò leguntur, omittenda non arbitror, ne studiosi lectoris animus, aut defraudasse peruicaciter aut negligenter præterisse me cognitionem congruam, suspicetur. Matrona quædam B. Gregorio, per Stationes publicas Missarum solennia celebranti, solitas oblationes obtulerat. D Cui pòst mysteria traditurus, cùm diceret, Corpus Domini nostri Iesu Christi conseruet animam tuam, lasciua subrisit. Ille continuò dextram ab eius ore conuertens, partem illam Dominici Corporis super altare deposuit. Expletis verò Missarum solennijs, Matronam coram populo inquisiuit, quamobrem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa diu mussitans, tandem prorupit: Quia panem, inquiens, quem proprijs manibus me fecisse cognoueram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum totâ plebe se in orationem prostrauit. Et post paullulum surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam reperit. Quam coram cunctis incredulæ Matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam reuocare potuit quàm totum populum confirmare curauit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformauit.

denuò in hostiam;

item ex reliquiarum brandeis, sanguis emanat.

42 Alio quoque tempore vir Dei Gregorius miraculum penè huic simile perpetrauit. Nam cùm, petentibus quibusdam occidentalibus, per Legatos, in singulis pyxidibus, sub nominibus petitorum Martyrum, brandeum solito more concludens, desuper sigillasset, Legatis largitus est. E Illi susceptas Reliquias veneratione congruâ deferentes, postquàm quædam itineris milliaria consumpserunt, stultè se tantùm viaticum confecisse murmurare cœperunt, si nesciant vtrùm Sanctorum ossa, an magis carnes à Romano Pontifice suscepissent. Itaque communi consilio, remoto Pontificali signaculo, reseratisque pyxidibus, particulas brandei repererunt. Mox ad vrbis mœnia cum furore nimio reuertentes, per Archidiaconem à Gregorio se delusos fuisse, vt pro Reliquijs vilem pannum susciperent, flebiliter querebantur, dicentes: Dominos suos pulcherrimis pallijs abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brandeis non egere. Fortè tunc Gregorius Missarum solennia celebrabat: quibus expletis, ab eisdem Legatis brandeum coram cunctis recipiens, super altare composuit, seque cum omnibus in orationem dedit, vt Deus omnipotens vtrùm quod à liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro Reliquijs Martyrum venerari deberet, quantocyùs indicaret. Deinde ab oratione surgens, incredulos Legatos propiùs adstare fecit, cultellum petijt, more sanctissimi Papæ a Leonis brandeum pupigit, de cuius punctionibus sanguis protinùs emanauit. Quo miraculo tam Legati confusi quàm omnes qui aderant tremefacti, iussu Gregorij cum eo terræ prostrati sunt; F nec anteà ab oratione cessauerunt, quàm cuncta brandeorum foramina diuinitus clauderentur.

Equitatus magorum incantationibus occidendus,

43 Quidam præterea diuitum Romanorum, relictâ coniuge, fuerat à Pontifice communione priuatus. Quod ille molestissimè ferens, & auctoritatem tanti Pontificis euacuare non præualens, magorum suffragia requisiuit: qui magnis muneribus persuasi, posse se suis carminibus agere, vt immisso dæmone, tam diu caballus Pontificis vexaretur quovsque cum sessore suo periclitaretur, fiducialiter promiserunt. Hac incestus iudex pollicitatione lætatus, magos iuxta viam, per quam Pontifex ad stationem profecturus erat, in abdito & edito stare permisit, vt videre transeuntes, non videri à transeuntibus potuissent. Cumque magi ex planetatorum mappulatorumque processionibus magnum Pontificem cognouissent, immisso dæmone tam fortiter eius equum vexari fecerunt, vt nequaquàm à sessore siue à stratoribus teneri posse putaretur. Tunc Gregorius, reuelante Spiritu sancto, dæmoniacam immissionem cognoscens, facto Crucis signaculo, tam caballum à præsenti rabie liberauit quàm maleficos ex latenti culmine iubens

Crucis signo equum sistit, & magos cæcitate plectit:

A bens deponere, perpetuâ cæcitate mulctauit. Quos reatum suum suggestione incesti iudicis confitentes, ac postmodùm ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem, ne magiam relegerent, reddere noluit, eos tamen ecclesiasticâ stipe nutriri præcepit.

An memor mansuetudinis Traiani,

44 Legitur etiam penès easdem Anglorum Ecclesias, quòd Gregorius per Forum Traiani, quod ipse quondam pulcherrimis ædificijs venustarat, procedens, iudicij eius, quo viduam consolatus fuerat, recordatus atque memoratus sit. Quod scilicet, sicut à prioribus traditur, ita se habet *b*. Quodam tempore Traiano ad imminentis belli procinctũ vehementissimè festinanti, vidua quędã processit, flebiliter dicens: Filius meus innocens te regnante peremptus est. Obsecro, vt quia eum mihi reddere non vales, sanguinem eius digneris legaliter vindicare. Cumque Traianus, si sanus reuerteretur à prœlio, hunc se vindicaturum per omnia responderet, vidua dixit: Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præstabit? Traianus respondit: Ille, qui post me imperabit. Vidua dixit: Et quid tibi proderit, si alter mihi iustitiam fecerit? Traianus respondit: Vtique nihil. Et vidua: Nonne, inquit, meliùs tibi est, vt tu mihi iustitiam facias, & pro hoc mercedem tuam accipias, quàm alteri hanc transmittas? Tunc Traianus ratione pariter pietateque commotus, equo descendit, nec antè discessit, quàm iudicium viduæ per semet imminens profligaret. Huius ergò mansuetudinem iudicis asserunt Gregorium recordatum, ad S. Petri Apostoli basilicam peruenisse, ibique tam diu super errore tam clementissimi Principis defleuisse, quousque responsum sequenti nocte cepisset, se pro Traiano fuisse auditum, tantùm pro nullo vlterius Pagano preces effunderet. Sed cùm de superioribus miraculis Romanorum sit nemo qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur, huius precibus Traiani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maximè dubitari videtur, quòd tantus Doctor nequaquàm præsumeret pro Pagano prorsus orare, qui quarto Dialogorum suorum libro docuerit, eamdem caussam esse, cur non oretur à Sanctis in futuro iudicio pro peccatoribus, æterno igne damnatis, quæ nunc etiam caussa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impijsque defunctis. Non aduertentes, quia non legitur pro Traiano Gregorium exorasse, sed tantùm fleuisse. Sic enim cùm non orauerit, Gregorius plangendo potuit exaudiri, sicuti cùm Moyses dolendo taceret, potuit clamasse videri. Cui Dominus tacenti labijs, Quid clamas, inquit, ad me? Nimirùm Deus omnipotens corda renesque scrutatur, & frequenter ea misertus concedit, quæ homo quamuis vt carnalis desideret, ea tamen petere non præsumit. Vnde Psalmista: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, & desideria cordis eorum exaudiuit auris tua. Et notandum, quia non legitur Gregorij precibus Traiani anima ab inferno liberata & in Paradiso reposita: quod omnino incredibile videretur, propter illud, quod scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: sed simpliciter dicitur ab inferni solummodò cruciatibus liberata, quod videlicet potest videri credibile. Quippe cùm ita valeat anima in inferno existere, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicuti vnus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere, sed per Dei iustitiam cunctos æqualiter non valet exurere. Nam vniuscuiusque quantum meruit culpa, iusto Dei iudicio tantum sentietur & pœna.

[margin: B — defleuerit errorem eius, — C — Exo.14. — Psal.7 — Psal.9 — & cruciatibus liberarit — Ioan.]

a *S. Gregorius lib.3.ep.30 asserit* S. Leonem dum Græci quidam dubitarent, brandeum altaris forficibus incidisse, & ex ipsâ incisione sanguinem effluxisse. *Colitur S. Leo* XI *Aprilis*

b *Anglo-Saxones scilicet, siue Anglos. De hac historiâ ad priorem Vitam aliqua diximus.*

CAPVT VI

Zelus S. Gregorij in monachi proprietarij emendatione: in Paganorum & Iudæorum conuersione.

45 Nihilominùs ex libro, qui à Græcis λειμών dicitur, à Latinis verò intelligitur campus vel *a* pratum, præceptor meus inter alia, toto orbe diffamata iam miracula, interpretatus est mihi, scribens: Enarrauit nobis Presbyter nomine Petrus, de S. Gregorio Papâ Romano (illinc enim erat reuerentissimus hic Presbyter) Is, inquit, effectus Papa, ædificauit monasterium virorum magnum, & dedit mandatum, vt nullus monachorum proprium aliquid haberet vsque ad vnum obolum. Frater ergo de monasterio habebat fratrem secularem, & postulauit eum, dicens: *b* Casulam non habeo, sed fac caritatem, eme mihi. Dicit ei secularis frater: Ecce tria numismata, suscipiens compara, qualis tibi placet. Acceptis itaque monachus tribus numismatibus, habebat ea apud se. Alius autem Frater videns eum habentem tria numismata, pergens nuntiauit Abbati. Abbas verò audiens, retulit beatissimo Papæ. Beatissimus autem Gregorius discens hoc ab Abbate, segregauit eum à communione, tamquàm eum, qui soluerat regulam monasterij. Igitur post modicum temporis, moritur Frater segregatus, nesciente Papâ. Post duos ergò aut tres dies pergens Abbas, nuntiauit ei quia Frater requieuit. In hoc itaque non mediocriter tristatus est, quia antequam exiret de hac vitâ, non soluit eum ab excommunicationis *c* epitimiâ. Et scribens orationem in pictatio, dedit vni Diaconorum suorum, iubens ei ire, & super Fratrem eam legere. Erat autem oratio, soluens ab excommunicatione defunctum. Vadit ergò Diaconus, sicut præceptum ei fuerat, & super tumulum Fratris legit pictatium, habens orationem. Et ipsâ nocte vidit Abbas Fratrẽ illum defunctum & dixit ei: Non es mortuus Frater? Ille respondit: Etiam. Et iterùm interrogat eum Abbas: Vbi eras vsque hodie? Respondit Frater: Verè Domine in custodiâ, & vsque heri non sum absolutus. Notum itaque factum est omnibus, quia in horâ, quâ Diaconus orationem dixit super sepulcrum, in eâ horâ absolutus est ab excommunicatione, & liberata est à damnatione anima eius.

[margin: a — Monachum proprietarium excommunicat: — b — E — c — mortuum absoluit & animam liberat:]

46 Igitur Gregorius non solùm Saxones, in proprijs sedibus commanentes, Christo Domino dedicauit: verùm etiam pueros eorum, per exteras regiones diffusos, suis pretijs comparans annualiter, ad cognitionem fidei deducebat. Vnde Candidum Presbyterum commonet, dicens: Pergens auxiliante Domino nostro Iesu Christo ad patrimonium, quod est in Gallijs, gubernandum, volumus vt dilectio tua ex solidis, quos acceperit, vestimenta pauperum vel pueros Anglos, qui sint ab annis decem & septem vel decem & octo, vt in monasterijs dati Deo proficiant, comparet: quatenùs solidi Galliarum, qui in terrâ nostrâ expendi possunt, apud locum proprium vtiliter expendantur. Si quid verò de pecunijs redituum, quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris: ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus, vel sicut præfati sumus, pueros, qui in omnipotentis Dei seruitio proficiant. Sed quia Pagani sunt, qui illic inueniri possunt, volo vt cum eis Presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis contingat in viâ: vt quos morituros conspexerit, debeat baptizare.

[margin: F — Anglos pueros mandat emi, & in monasterijs instrui: — lib.3.ep.10]

47 Sardiniæ quoque *d* rusticos mitissimus Rector Gregorius in errore vetustatis adeò permanere condoluit,

[margin: d]

AVCTORE IOANNE DIACONO

lib.3. ep.26 præcipit Episcopis Sardiniæ, vt conuersioni rusticorum inuigilent:

A doluit, vt Ianuarium Caralitanum Episcopum pro negligentijs increpando, inter cetera scriberet: Accidit aliud valdè lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia, nunc vsque in infidelitate remanere negligentia Fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo, vt ad Dominum extraneos adducatis, qui vestros corrigere ab infidelitate negligitis? Vnde necesse est vos per omnia in eorum conuersione vigilare. Nam si cuiuslibet Episcopi in Sardiniâ insulâ Paganum rusticum inuenire potuero, in eodem Episcopo fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus, vt ad Deum venire minimè consentiat; tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsâ exactionis suæ pœnâ compellatur ad rectitudinem festinare.

e lib.4.ep.6 Iudæis conuersis pensiones imminuit:

48 Quod cùm Gregorius fructuosè simulque salubriter in Sardiniæ rusticos processisse cognosceret, etiam in Iudæos patrimoniorum suorum rusticos non dissimiliter est conatus extendere. Vnde Cypriano Diacono *e* scribit, dicens: Peruenit ad me, esse Hebræos in possessionibus nostris, qui conuerti ad Dominum nullatenùs volunt. Sed videtur mihi, vt per omnes possessiones, in quibus Hebræi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quod quicumque ad verum Deum & B Dominum nostrum Iesum Christum ex eis conuersus fuerit, onus pensionis eius ex aliquâ parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, vt si quis ex eis conuersus fuerit, si solidum pensionis habet, tremissis ei relaxari debeat; si tres vel quatuor, vnus solidus relaxetur. Si quid ampliùs, iam iuxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certè iuxta quod dilectio tua præuiderit, vt & ei, qui conuertitur, onus releuetur, & Ecclesiastica vtilitas non graui dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro leuandis pensionis oneribus, eos ad Christi gratiam perducamus. Quia etsi ipsi minùs fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, iam fideliùs baptizantur; aut ipsos ergo, aut filios eorum lucrabimur. Et ideò non est graue, quidquid de pensione pro Christo dimittimus.

f lib.7.ep.24 g

49 Enimuerò tam leuigationibus dationum quàm promissionibus regni cælorum Iudæi per diuersa loca ad Christum, quem Patres eorum negauerunt, venire cœperunt. Quibus cum salute animæ vestimenta quoque baptizandis habilia conferebat. Vnde *f* Fantino Defensori, Domina, inquit, Abbatissa monasterij S. Stephani, quod in *g* Agrigentino est territorio con- C stitutum, indicante comperimus, multos Iudæorum ad Christianam fidem, diuinâ gratiâ inspirante, velle conuerti: sed esse necessarium, vt aliquis illuc ex nostro mandato debeat proficisci. Proinde huius tibi auctoritatis tenore præcipimus, vt omni excusatione summotâ, ad prædictum locum pergere, & desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adiuuare festines. Quibus tamen si longum vel triste videtur solennitatem sustinere Paschalem, & eos nunc ad baptisma festinare cognoscis, ne, quod absit, longa dilatio eorum certò possit animos reuocare, cum Episcopo loci ipsius loquere; vt pœnitentiâ ac abstinentiâ quadraginta diebus indictâ, aut die Dominico, aut si celeberrima festiuitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordiâ protegente, baptizet. Quia & temporis qualitas propter eam, quę sibi imminet, *h* cladem impellit, vt desideria eorum nullâ debeant dilatione differri. Quoscumque verò ex eis pauperes & ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis vestem, quam ad baptisma habeant, comparare volumus ac præbere, in quibus pretium, quod dederis, tuis noueris rationibus imputandum. Si verò sanctum Pascha elegerint expectare, item cum Episcopo loquere, vt modò quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque sollicitudinem, & animos eorum admonitione suæ adhortationis accendat: vt quantò quæ expectatur, elongatur festiuitas, tantò se præparare & eam desiderio feruenti debeant sustinere. Item Petro Episcopo Corsicæ, inter alia. Transmisimus, ait, Fraternitati tuæ quinquaginta solidos, ad vestimenta eorum, qui baptizandi sunt, comparanda.

præscribit baptizandis præuiam abstinentiam.

h

D *eisque vestimenta largiri præcipit*

conuersioni collaborat

i lib.1. ep.17

lib.2. ep.2

k

50 Nihilo minùs pro Arianorum paruulis, fidei Catholicæ sociandis, Gregorius pastoralis curæ sollicitudinem prorsus extendit. Quapropter vniuersis Episcopis Italiæ scribens, ait: Quoniam nefandissimus *i* Autharith in hac, quæ nuper expleta est, Paschali festiuitate, Longobardorum filios in fide Catholicâ baptizari prohibuit: pro quâ culpâ eum Diuina maiestas extinxit, vt solennitatem Paschæ vlteriùs non videret, vestram Fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia grauis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Arianâ hæresi baptizatos, ad Catholicam fidem concilient, quatenùs iram super eos Dei omnipotentis placent. Item *k* Præiectitio Episcopo Narniensi: Peruenit ad nos, peccatis imminentibus, in ciuitate vestrâ mortalitatem omnino grassari, quæ res nos nimis afflixit. Quamobrem salutantes Fraternitatem vestram, instantissimè suademus, vt à Longobardorum siue Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione, nullâ ratione cessetis, & maximè à gentilium & hæreticorum, vt ad veram rectamque fidem Catholicam conuertantur. Sic enim aut Diuina misericordia pro suâ forsan eis conuersione & in hac vitâ subueniet, aut si eos migrare contigerit, à suis, quod & magis optandum est, transient facinoribus absoluti. E

a *Pratum spirituale Ioannis Moschi, vbi cap. 92. hæc habentur.*

b *In Prato*: Tunicam non habeo. *Græcè καμίσιον οὐκ ἔχω. S. Hieronymus epist. ad Fabiolam*: Solent militantes habere lineas tunicas, quas camisias vocant. *Isidorus lib.* 19 *Orig. ca.* 22 Camisias *appellat*, *quòd* in his dormimus in camis, id est in stratis nostris. C*onsule Onomasticon Rorvveidi: est autem* cama *etiam hodie Hispanis lectus, cubile.*

c *Ita MSS. Græcè οὐκ ἔλυσεν τὸ τοῦ ἀφορισμοῦ ἐπιτίμιον. In Prato Spirituali* excommunicationis vinculum. *Apud Surium* epitonum *corruptè legitur.*

d *Hos infrà lib.* 3 *num.* 1 barbaricinos *appellat vbi aliqua annotantur & de Ianuario Episcopo sæpiùs infrà agitur.*

e *S. Gregorius addit*, & Rectori patrimonij Siciliæ. *ita num. num.* 53 *appellatur.*

f *MS. Corsend.* Fautino, *at* Faustinus *& Fantinus scribitur in epistolis S. Gregorij. De eo agitur num.* 53 *&* 55.

g *De Agrigento actum à nobis est* 29 *Ianuarij ad Vitam S. Potamionis Episcopi, & potissimùm* 25 *Februarij ad Vitam S. Gerlandi Episcopi.* F

h *Ita MSS. & epistola S. Gregorij. Surius* damnationem.

i *Ita MSS. At Surius & passim Vita excusa* Antarith. *S. Gregorius in epistolâ citatâ* Autaris, *quem*, postquàm sex annos regnauerat, Nonas Septembris apud Ticinum accepto veneno mortuum tradi *refert Paulus Diaconus lib.* 3 *de Gestis Longobardorum cap.* 36 *& quidem anno* 590, *ex successione Agilulfi Regis probauimus* 5 *Febr. ad Vitam S. Ingenuini Episcopi Sabionensis* § 1 *pag.* 670. *Autaris Rex.*

k *MSS*, Præiecto, *at* Proiectitius *dicitur Vghello tomo* 1 *Italia sacra in Narniensibus Episcopis in Vmbriâ, qui addit illum sedisse ab anno* 565 *ad* 595.

CAPVT VII

Prudentia S. Gregorij in præficiendis & dirigendis Præfectis xenodochiorum, & patrimoniorum Ecclesiæ, & Præpositis monasteriorum.

Concedit Priuilegia præfectis xenodochij.

51 IGitur prudentissimus paterfamilias Christi Gregorius, singulis diaconijs vel xenodochijs viros idoneos deputauit. Quos etiam, vt securiùs, imò sagaciùs

A gaciùs in opere pietatis ac misericordiæ laborarent, huiusmodi priuilegijs muniendos esse decreuit. Licet eos, qui piâ intentione solicitudinis curam debilibus ac egenis impendunt, sua apud omnes valeat tueri deuotio, meliùs tamen est, si pro quiete suâ de his fuerint muniti, quæ gesserint, ne inde eis inquietudinis occasio, vnde magis laudandi sunt, oriatur. Quia igitur te virum religiosum, intentionis tuę studio prouocati, mensis pauperum exhibendæ diaconiæ elegimus præponendũ, ne qua tibi ex hac nascatur administratione dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum: constituentes, vt de hoc, quod ad mensas pauperum vel diaconiæ exhibitione percepisti, siue subinde perceperis erogandum, nulli vnquàm hominum quolibet modo seu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestiam sustinere. Sed quia humanis te ita omnibus esse volumus rationibus absolutum, vt Deo nostro de his, quæ tibi commisimus, rationem te noueris positurum: hortamur, vt fidei in te sinceritas vigeat: sit mens in rebus intentior, cura propensior, studium vigilantius, deuotio clârior, exhibitio efficacior: quatenùs dum diuino intùs auxilio, hoc opus solerter impleueris, & illi, pro quibus solicitudinem geris, studij tui solatio vtiliter consolentur, & tu mercedis tuæ bonum in æternâ vitâ, B Redemptoris nostri gratiâ compensante, recipias.

& variis muniis incalcat:

52 Hæc quidem Gregorius intra vel extra vrbem studio pietatis exercuit. Ceterùm Probum Religiosum Abbatem cum multis pecunijs Hierosolymam destinauit, cuius instantiâ venerabile xenodochium constituit. Et tam ibi quàm in monte Sina penes Arabiam, Dei famulis sub regimine Palladij constitutis, quotidiani victus & vestimenti copiam, quamdiu viuere potuit, annualiter mittere procurauit.

Xenodochium Hierosolymis extruit:

53 Nihilominùs per diuersas prouincias pro custodiâ sacræ Religionis rebusque pauperum strenuè gubernandis, Ecclesiæ suæ viros industrios rectores patrimoniorum adsciuit. In quibus & Cyprianum Diaconum patrimonij Siculi, *a* Pantaleonem notarium Syracusani, Fantinum defensorem Panormitani, *b* Sergium defensorem Calabritani, Romanum notarium Apuli, Benenatum defensorem Samnitici, *c* Anthemium Subdiaconem Neapolitani, Petrum Subdiaconem Campani, Candidum defensorem Tusci, Vrbicum defensorem Sabini, Optatum defensorem Nursini, Benedictum defensorem Garseolani, Felicem Subdiaconem Appiæ, *d* Castorium chartularium Rauennatis, Castorium notarium Hystriani, Antonium Subdiaconem Dalmatini, Ioannem notarium C Illyriaciani, Symmachum defensorem Sardiniæ, Bonifacium notarium Corsicani, Pantaleonem notarium Liguriæ, Hieronymum defensorem Alpium Cotiarum, Hilarium notarium Germaniciani, & Candidum Presbyterum Gallicani. Hæc autem prudentissimus Pater Gregorius non solùm in Romanâ, sed & per diuersas Ecclesias perpetualiter obseruanda censebat. Vnde Ianuario Caralitano Episcopo inter cetera scribit, dicens: Indicatum nobis est, quòd laicis quibusdam curam vestri patrimonij committentes, postmodùm in rusticorum vestrorum deprædationibus atque per hoc & fatigationibus fuerint deprehensi. Quod si ita est, districtè à vobis discuti conuenit, atque inter eos Ecclesiæque vestræ rusticos, caussam examinari subtiliùs, vt quidquid in eis fuerit fraudis inuentum, cum pœnâ legibus statutâ reddere compellantur. De cetero verò cauendum à Fraternitate vestrâ est, ne secularibus viris, atque non sub Regulâ degentibus, cuiuslibet res Ecclesiæ committantur, sed probatis de vestro officio Clericis: in quibus si quid reperiri poterit prauitatis, vt in subditis emendare, quod illicitè gestum fuerit, valeatis. Quos videlicet apud vos habitus sui officium magis conueniat, quàm excuset.

Rectores industrios patrimoniorū Ecclesiæ constituit:

a *b* *c* *d*

lib.7.ep.67

non Laicos sed clericos.

54 Singula quoque Ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis singulatim committi debere dicebat, asserens: quia sicut in vno corpore multa habemus membra, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita in Ecclesiæ corpore, secundùm veridicam Pauli sententiam, in vno eodemque spiritu alij conferendum est hoc officium, alij committendum est illud. Neque vni quantumlibet exercitatæ personæ vno tempore duarum rerum officia committenda. Quia si totum corpus oculus, vbi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diuersa officia & robur corporis seruat & pulchritudinẽ repræsentat: ita varietas personarum, per diuersa nihilominùs officia distributa, & fortitudinem & venustatẽ sanctæ Dei Ecclesię manifestat. Et sicut indecorum est, vt in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio; ita nimirùm noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Hinc est, quod quibusdam ambitiosis, sicut in suis litteris, quas ego studio breuitatis omisi, poterit inueniri, moderationis fręna frequenter imposuit. Vnde Anthemio Subdiacono pro Paschasio Episcopo, qui per semetipsum sibimet Maior-domus & Vice-dominus permanebat, inter cetera præcipit, dicens: Volumus autem, vt Frater noster Paschasius, & Vice-dominum sibi ordinet & Maiorem-domus: quatenùs possit vel hospitibus superuenientibus, vel caussis, quæ veniunt, idoneus & paratus existere. Si verò vel negligentem eum prospicis, vel ea, quæ dicimus, implere differentem, omnis Clerus eius adhiberi debet, vt communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea, quæ prædiximus, valeant ordinari. Item Rauennatibus Clericis, ad monasteriorum regimina importunè tendentibus, restitit, *e* Ioanni Rauennati Episcopo scribens: Peruenit ad me, quòd in Ecclesijs Fraternitatis tuæ aliqua loca, dudum monasterijs consecrata, nunc habitacula Clericorum aut etiam laicorum facta sint: dumque hi, qui sunt in Ecclesijs, fingunt se religiosè viuere, monasterijs præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest & Ecclesiasticis obsequijs deseruire & in monachicâ Regulâ ordinatè persistere, vt ipse districtionem monasterij teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Proinde Fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum est, emendare festinet. Quia ego nullo modo patior, vt loca sacra per Clericorum ambitum destruantur. Item Mariniano Episcopo Rauennæ: Dudum ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria, in Rauennatibus partibus constituta, omnino Clericorum vestrorum dominio prægrauari: ita vt occasione quasi regiminis, ea, quod dici graue est, velut in proprietate, possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro litteras misimus, vt hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citiùs præoccupatus, ne hoc onus monasterio remaneret, Fraternitati vestræ eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, vt comperimus, in huius rei hactenùs correctione cessatum est, hæc ad vos iterum præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergo vt omni morâ omnique excusatione summotâ, ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenùs nullam deinceps in eis Clerici, vel hi qui in sacro sunt Ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodò caussâ, accedendi licentiam, aut si fortè ad peragenda sacra Missarum fuerint inuitati mysteria. Sed ne vel pro cuiuslibet monachi aut Abbatis promotione onus aliquod fortasse sustineant, studendum vobis est, vt si quispiam Abbatum aut monachorum ex quocumque monasterio ad Clericatus officium vel Ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat, vt diximus, vlteriùs potestatem: ne monasteria huius occasionis velamine, ea, quæ prohibemus, sustinere onera com-

D AVCTORE IOANNE DIACONO

Rom.12. 1.Cor.12.

duo officia prohibet vni committi:

lib.9.ep.66

E

e lib.4.ep.1

aut Clericos Ecclesiasticos monasterijs præfici.

lib.6.ep.46

F

AVCTORE IOANNE DIACONO.

A pellantur. Hæc itaque omnia vigilanti curâ emendare, iam secundò commonita Sanctitas vestra non differat, ne si post hoc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit, quia tantæ necessitati seruorum Dei congregationem amplius subiacere non patimur. Item Maximiano Episcopo Syracusano post aliqua: Presbyteros, Diaconos, ceterosque cuiuslibet ordinis Clericos, qui Ecclesijs quoquo modo militant, Abbates fieri per monasteria non permittas: sed aut omissâ Clericatus militiâ, monachicis prouehantur ordinibus: aut si in Abbatis loco permanere decreuerint, Clericatus nullatenùs permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si, cùm vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrumque iudicetur idoneus: sicque inuicem & ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & ecclesiasticis vtilitatibus Regula monachatus impediatur.

(lib.3.ep.11; aut Abbates constitui.)

a *De* Pantaleone *Notario agitur infrà num.* 58 *& lib.* 4 *num.* 24, *nisi alter ab eo, qui hîc refertur,* Pantaleon *intelligatur. De Cypriano & Fantino suprà actum.*

b *De Sergio infrà agitur num.* 40 *libri* 3. *Vti sapius de Romano.*

B *Quòd autem* Defensoris *munus erat explicat S. Gregorius epistolâ* 25 *lib.* 4 *& alibi.*

c Anthemius Subdiaconus *mox iterum refertur num* 54 *&* 55, *vti lib.* 3 *num.* 37 *& lib.* 4 *num.* 31 *Ita etiam Petrus mox refertur num.* 55, 58 *&* 59.

d *Infrà num.* 55 *dicitur* Castorius Diaconus & Chartularius Rauennæ. *Deeo etiam agitur lib.* 4 *num.* 2 *&* 6.

e *Electus est Ioannes anno* 575 *mortuus III Idus Ianuarij anni* 595 *cui Marinianus successit. Consule Rubeum lib.* 4 *Histor. Rauennat.*

CAPVT VIII

Variæ à S. Gregorio datæ eleemosynæ, ex eiusdem scriptis indicatæ.

(*Eleemosynas S. Gregorij distribuunt vel accipiunt Anthemius Subdiaconus.* lib.1.ep.37)

53 QValiter sanè Gregorius per procuratores Ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem suæ pastoralis solicitudinis oculos circumtulerit, non ab re forsitan duxerim perstringendum. Ait enim in epistolâ Anthemio Subdiacono: Discedenti mandauimus tibi, & postmodùm præceptis discurrentibus iniunxisse me memini, vt curam pauperum gereres, & si quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus C indicares, & vix de paucis hæc facere curasti. Volo autem, vt Domnæ Patriarchiæ meæ mox, vt præsentem iussionem susceperis, offeras ad calceamenta puerorum solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos: Domnæ Palatinæ relictæ Vrbici, solidos viginti, & tritici modios trecentos: Domnæ Viuianæ relictæ Felicis, solidos viginti, & tritici modios trecentos. Qui omnes simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur. Summam verò pensionis sub festinatione transmitte, & ad Paschalem diem, Domino auxiliante, occurrito. Item eidem: Insinuatum nobis est, ancillas Dei quasdam Nolanæ ciuitatis, in Aboridanâ domo commanentes, nimiam victus vestitusque penuriam sustinere. Quibus ex præcepto Dei subuenire nos conuenit, & inopiam earum, quantum possumus, donante Domino, subleuare. Proptereà experientiæ tuæ præsenti iussione mandamus, vt de hac præsenti nonâ Indictione quadraginta in auro eis solidos dare debeas, & deinceps succedentibus Indictionibus annuatim viginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Prætereà Paulino Presbytero monasterij S. Erasmi, quod in latere montis Soractis situm est, sed & duobus monachis, in oratorio sancti Archangeli seruientibus, quod in Callano castro iuxta S. Petri basilicam esse

(lib.1.ep.23; *Paulinus Presbyter.*)

D dignoscitur, binos te in præsenti solidos dare præcipimus, qui & ipsi tuis rationibus imputentur. Ita ergo fac, vt impensæ mercedis tuæ quoque participium sortiaris. Item eidem: Si in proximorum necessitatibus habitâ compassione benignâ mente concurrimus, in nostris proculdubio petitionibus clementem Dominum reperimus. Palatina siquidem illustris fœmina, continuâ hostilitate insinuauit se plurimis necessitatibus subiacere. Propterea experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, vt ei pro sustentatione eius annuos triginta solidos dare non differas, qui tuis possint postmodùm rationibus imputari. Ita ergo fac, vt & tu benè ministrando commodum mercedis suscipias, & nostra ad effectum præcepta perducas. Item Petro Subdiacono: Insinuatum nobis est, Marcellum a Barruntitanæ Ecclesiæ, ibidem in ciuitate Panormitanâ in monasterio S. Adriani in pœnitentiam deputatum, non solùm victus necessitatê pari, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro quâ re necesse habemus strenuitati tuæ præsenti iussione præcipere, vt ipsi pro victu ac vestimento stratoque ad continentiam, pueroque eius annonam, quantum prospexeris satis esse, constituas, vt inopia nuditasque eius tali prouidentiâ possint habere consultum: & vt ea, E quæ eidem viro deputaueris, tuis postmodùm possint rationibus imputari. Ita ergo fac, vt & nostram iussionem impleas, & tu quoque hoc ipsum benè disponendo, hac ipsâ possis participari mercede. Item eidem: Monasterium sancti Archangeli, quod in Tropęis est constitutum, indicante præsentium portitore, victus habere necessitatem didicimus. Ideoque experientia tua diligenter inuigilet: & si eiusdem loci monachos benè se tractare cognoueris, in quibus eos necessitatem habere manifestâ veritate patuerit, eis subuenire, hac auctoritate suffultus, modis omnibus festinabis: sciturus tuis esse rationibus, quidquid nostrâ præceptione præbueris, imputandum. Sed & terrulam Ecclesiæ nostræ vicinam sibi, quam solidum vnum & tremisses duos pensitare asserunt, si ita est, libellario nomine ad summam tremissis vnius habere concede. Studij ergo tui sit, hæc omnia ita complere, si sicut diximus, eius monachi in Dei seruitio, sicut decet, solertes perstiterint. Item eidem: Diuina præcepta nos admonent diligere proximos tamquàm nosmetipsos: & cùm hac eos præcipiamur caritate diligere, quantò magis debemus his in subsidijs necessitatum carnalium subuenire, vt eorum angustias, si non ex omnibus, saltem aliquibus sustentaculis subleuemus? Quoniam ergo Godelstadij dignissimi filium F non solum amissione visus, sed etiam inopiâ victus egestatem pati cognoscimus, necessarium duximus, inquantùm possibilitas suppetit, ei prębere consultum. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione præcipimus, vt ei annis singulis vigintiquatuor modios tritici, fabæ quoque modios duodecim, & vini decimatas viginti pro sustentatione vitæ debeat ministrare: quod tuis postmodùm possit rationibus imputari. Ita ergo fac, vt præsentium lator nullas de percipiendis Domini donis moras sustineat, & tu in die Domini benè dispensatę mercedis possis particeps inueniri. Item Gregorius Cypriano Diacono: Cosmas ex varijs periculorum necessitatibus multis se dicit debitis obligatum, ita vt pro eis à creditoribus suis suos dicat filios detineri. Quæ res si ita est, nos omnino commouet. Quamobrem hortamur dilectionem tuam, vt quia de rebus pauperum dandis agitur, caussam eius cum summâ subtilitate perquiras: & si inueneris eum prædictis debitis veraciter ita inuolutum, vt non sit substantia, vnde possit hæc ipsa persoluere, prædictos creditores eius adeas, & propter recolligendos filios eius, quantâ cognoueris quantitate componas. Et quia ipse, sicut dicit, non habet vnde restituat, de rebus pauperum ex præsenti nostrâ auctoritate persolue. Sciens quid-

(lib.1.ep.51; lib.1.ep.18; a *Petrus Subdiaconus.*; lib.2.ep.1 Ind.10; lib.1.ep.44; lib.2.ep 56 *Cyprianus Diaconus.*)

quid

A quid illic te prouidente datum fuerit, patrimonij nostri pensionibus esse reputandum. Item eidem: Zeno Frater & Coepiscopus noster quosdam in ciuitate suâ alimoniarum necessitatem innotuit sustinere. Quibus quoniam, vt possibile est, aliquod ferre desideramus consultum, idcircò dilectionem tuam antedicto Fratri & Coepiscopo nostro mille modios tritici, aut si plus leuare potuerit, vsque ad duo millia, scriptis te dare præsentibus deputamus. Hortamur ergo, vt in his præbendis nullam moram aut excusationem adducas, quatenùs dum tempus finit, & hîc cum Dei adiutorio sine periculo ad propria remeare, & citiùs necessitatem valeat patientibus subuenire. Item Gregorius Eusebio religioso Abbati: Credat mihi caritas tua; quia valdè contristatus sum de tristitiâ tuâ, &c. Propterea centum solidos per Petrum Subdiaconum dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto vt absque iniuriâ suscipiat. Item Gregorius Candido defensori: Necessitatem patientibus pontificale conuenit adesse subsidium. Pro quâ re experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, quatenùs Albino priuato luminibus, filio quondam Martini coloni, singulis annis duos tremisses sine aliquâ dilatione præstare non desinat: *B* non dubitatura, suis hoc sine dubio rationibus imputari. Item Gregorius Fantino defensori: Lator præsentium Cosmas Syrus in negotio, quod agebat, debitum se contraxisse perhibuit. Quod & multis alijs & lacrymis eius attestantibus, verum esse credimus. Et quia centum quinquaginta solidos debebat, voluit vt creditores illius cum eo aliquid pacíscerentur: quoniam & lex habet, vt homo liber nullatenùs pro debito teneatur, si res defuerint, quæ possint eidem debito addici. Creditores ergo suos, vt asserit, ad octoginta solidos consentire possibile est. Sed quia multum est, vt à nihil habente homine octoginta solidos petant, sexaginta tibi solidos per notarium tuum transmisimus, vt tu cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris, & rationem reddas, quia filium eius, quem tenere dicuntur, secundùm leges tenere non possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minus, quàm nos dedimus, condescendant: & quidquid de eisdem sexaginta solidis remanserit, ipsi trade, vt cum filio suo exinde viuere valeat: si autem nil remanet, vel ad eamdem summam eius debitum incidere stude, vt possit sibi liberè postmodùm laborare. Hoc tamen solerter age, vt acceptis solidis, ei plenariam munitionem scripto conficiant. Item Gregorius Castorio Diacono, & chartulario Rauennæ, inter cetera: Valerianum monachum, quem emendatum in monasterio B. Ioannis in Classe posito tradidisti, in eodem eum *C* monasterio volumus sine dubio permanere. Præterea ne quam necessitatem in expensis tua experientia patiatur, de redditibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui illic te prouidente aggregati sunt, omnes expensas tuas te facere volumus: & si quid superfuerit, nobis, cùm veneris, defer. Item Gregorius Romano defensori: Diuinorum nos admonent eloquia præceptorum, necessitatem patientibus ecclesiasticum præbere subsidium. Quia ergo dilectissimus Filius noster Cyprianus Diaconus Gaudiosum defensore Sedis nostræ, qui Syracusis degere comprobatur, paupertatis asserit inopiâ constringi: idcircò experientiæ tuæ præsenti auctoritate mandamus, vt à præsenti secundâ Indictione sex solidos annis singulis ei dare non differas: vt & ille huius remedij solatio potiatur, & tu, quod dederis, tuis sine dubio noueris rationibus imputandum. Item Gregorius Libertino Expraetori: Quanta vos seculi huius premat angustia, incognitum non habemus. Sed quia in summâ tribulatione positis sola est consolatio misericordia Creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsum totâ vos mente conuertite: qui & iustè quem vult, permittit affligi, & confidentem in se misericorditer liberabit. Ipsi ergo gratias agite, & patienter quæcumque illata sunt, sustinete. Nam rectæ *D* mentis est, Deum non solùm in prosperis benedicere, sed etiam in aduersitatibus collaudare. In his igitur, quæ patimini, nullum contra Deum murmur cordi vestro subrepat: quia ad quid hoc Creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim, magnifice Fili, aliquid illum in prosperis positus offendisti, vnde te clementi amaritudine vult purgare. Et ideò nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna discrucient: quia si in aduersis gratias referens, Deum tibi patientiâ feceris esse placabilem, & quæ amissa sunt, multiplicata reddentur, & super hæc gaudia æterna præstabuntur. Peto autem, ne iniuriosum ducatis, quòd viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus præberi: quia de B. Petri Apostoli rebus, quamuis parua sint quæ offerantur, pro magnâ semper benedictione suscipienda sunt. Quoniam & hic vobis valebit maiora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare. Item Gregorius Philippo Episcopo: Suscepi epistolas dilectionis tuæ, in quibus mihi innotescere curasti, quòd vir venerabilis Andreas Presbyter de hac luce migrauit. De cuius ereptione gauisus sum, quia ad ea, quæ semper expetijt, gaudia æterna peruenit. *E* De solidis vero, qui pro faciendo ᵃxenodochio à Filio nostro Probo Abbate Hierosolymis relicti sunt, hoc quod deliberatum fuerat, vt fieri debuisset, immutare non potui: sed benedictionem paruulam Sanctitati vestræ quinquaginta solidos transmisi.

lib.5.ep.4 — *lib.2.ep.24* — *lib.3.ep.28 Candidus defensor.* — *lib.3.ep.43 Fantinus defensor.* — *lib.4.ep.24 Castorius Diaconus.* — *lib.7.ep.38 Ind.1. Romanus defensor.* — *lib.8.ep.31 Libertinus Expraetor.* — *AVCTORE IOANNE DIACONO* — *lib.11.ep.28 Philippus Episcopus.*

a *In MS. Cosend.* Barimitanæ *in epistolis S. Gregorij* Barbicanæ, Barubicanæ *&* Barolitanæ.

CAPVT IX

Alia liberalis animi S. Gregorij beneficia, diuinitus approbata. Fraudes aliorum impeditæ.

56 Longum est nimisque difficile, si eleemosynarum eius saltem huiusmodi prosequar actiones. Hoc breuiter assero, quia & non petentibus vltrò distribuit, & omnibus petentibus hilariter ministrauit. Vnde Eliæ Presbytero & Abbati prouinciæ Isauriæ, Euangelia, inquit, sicut mandastis, transmisimus. Et post pauca: Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus Cellæ quinquaginta transmitti. Quod multum esse æstimantes, ex eis nobis decem donastis, vt quadraginta mitteremus: sed ne forsitan *F* vel hoc graue esset, alios decem nobis ex eis adhuc dignati estis largiri. Sed quia vos valde in continentiâ vestrâ benignos inuenimus, eidem benignitati vice simili respondentes, quinquaginta transmisimus. Et ne forsitan minùs esset, alios decem superaddidimus: ne verò & hoc adhuc minùs esset, alios duodecim iungi fecimus. In hoc autem cognoscimus caritatem vestram, quia de nobis ita præsumitis, sicut vos præsumere debetis.

57 Item idem Iuliano: Gloriæ vestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui, sed tristis perlecta replicaui. In eis quippe dicebatur, quòd pudoris caussa fuerit, mihi vos ea, quæ dicenda erant, tempore longo tacuisse. Et certum est (quia minùs amatur, qui adhuc erubescitur) absque modo contristatus sum: quia me à vobis comperi minùs, quàm æstimaueram, amari. In hoc autem valdè me continetis, si mercedis caussas mihi assiduè prouidendas studiosè requiritis: nec debet esse verecundiæ, ei aliquid de eleemosynis importunè dicere, quem constat non suas, sed ad dispensandum res pauperum habere. De caussis itaque mercedis apud Episcopum liberè agere debuistis, etiamsi

lib.4.ep.30 Petentibus eleemosynas liberaliter erogat. — *lib.11.ep.23 item non petentibus.*

AVCTORE IOANNE DIACONO

A etiamsi meum animum, qualis in amore vestro existeret, nesciretis. Postquàm & nos omnino gloriam vestram diligimus, & dispensationis locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus, vestra fateor verecundia valdè accusabilis fuit: quam ideo tot verbis increpando insequor, vt hanc à corde vestro funditus repellam, & in mercedis caussis magnum solatium vestræ prouisionis habeam. Monasterio itaque vestro, quod à vobis in Catanensi vrbe constructum est, per Adrianum notarium & rectorem patrimonij emissâ præcepti paginâ, decem annuos solidos deputauimus. Quos petimus sine iniuriâ suscipi, quia non hoc vobis nostra oblatio, sed S. Petri Apostolorum Principis benedictio offert.

aduigilat ne per exactores fraus admittatur:

58 Sanè quia sunt nonnulli, qui ea quidem, quæ habent tribuunt, sed aliena, quæ non habent, rapere non desistunt; & dum valdè videri munifici appetunt, violenter ab habentibus auferût, quæ quasi misericorditer non habentibus largiantur: duas hîc Gregorij epistolas insero, quibus liberalitatis eius innocentia mirabiliter doceatur. Ait enim in epistolâ Pantaleoni notario: Experientia tua, quod vel quale apud sacratissimum corpus B. Petri Apostoli iusiurandum præbuerit, memor est. Vnde nos quoque securi, ei discussionis caussas in patrimonio partis Syracusanæ commisimus. Oportet ergo te fidem tuam, & eiusdem B. Petri Apostoli timorem semper ante oculos habere, atque ita agere, vt neque ab hominibus in præsenti vitâ, neque ab omnipotenti Deo in extremo iudicio valeas reprehendi. Valerio siquidem chartulario nostro narrante cognouimus, quia modium, cum quo coloni Ecclesiæ frumenta dare compellebantur, vigintiquinque sextariorum inueneris, quod omnimodò execrati sumus, atque eamdem discussionis caussam te tardè fecisse doluimus. Quia verò eumdem modium te fregisse, & iustum fecisse commemoras, gauisi sumus. Sed quia prædictus chartularius summam quoque vobis indicare studuit, quæ de fraudibus conductorum apud experientiam tuam iam de duobus territorijs est collecta, sicut te studiosè fecisse fracto iniusto modio gaudemus, quia de futuro nobis proderit; ita etiam de peccatis præteritis cogitamus: ne si ea, quæ fraudulenter conductores à rusticis abstulerunt, ad nos perueniunt, peccata, quæ ab ipsis perpetrata sunt, ad nos trahantur. Et ideò volumus cum omni fide omnique puritate, considerato timore omnipotentis Domini, reductâ ad memoriam districtione B. Petri Apostoli, per vnamquamque massam colonos pauperes & indigentes experientiam tuam describere, atque ex eis pecunijs, quæ in fraudibus sunt inuentæ, vaccas, oues, porcosque comparare, & singulis colonis pauperioribus ea distribuere. Quod facere te cum consilio viri reuerendissimi Ioannis Episcopi atque Adriani chartularij nostri & rectoris volumus. Si autem necesse propter consilium fuerit, etiam filius meus Dominus Iulianus debet adhiberi: ita vt nullus alius hoc cognoscat, sed omnino secretum sit. Vos igitur inter vos pertractate, vtrum in auro, an certè in pecunijs eisdem colonis pauperibus dari eadem continentia debeat. Quidquid vero communiter steterit, priùs descriptionem, sicut dixi, facito, & postmodùm singulis iuxta qualitatem suæ paupertatis distribuere stude. Ego enim, sicut Magister gentium testatur, habeo omnia & abundo: nec pecunias, sed mercedem quæro. Ita ergo age, vt in die iudicij de eadem caussâ mercedis, quæ experientiæ tuæ commissa est, mihi fructum, quem feceris, ostendas. Quod si purè ac fideliter & strenuè egeris, & hîc illud in filijs tuis recipies, & postmodùm retributionem plenariam in æterni iudicij examine habebis. Item idem Petro Subdiacono: Quod responsalem tuum tardè dimisimus, Paschalis festiuitatis occupationibus implicati, eum relaxare citiùs minimè valuimus: caussas

li. 11. ep. 41 — B — *sed restitutio integerrimè fiat* — C — Philip 4 — lib. 1. ep. 42

D vero, de quibus indicandum curasti, omnes subtiliter perquirentes, qualiter disposuerimus, inferiùs agnosces. Cognouimus rusticos Ecclesiæ vehementer in frumentorum pretijs grauari, ita vt instituta summa eis in comparatione abundantiæ tempore non seruetur. Et volumus, vt iuxta pretia publica omni tempore, siue minùs siue ampliùs frumenta nascantur, in eis comparationis mensura teneatur. Frumenta autem, quæ naufragio pereunt, per omnia volumus reputari: ita tamen, vt à te negligentia ad transmittendum minimè fiat: ne, dum transmittendi tempus negligitur, damnum ex vitio vestro generetur. Valdè autem iniustum & iniquum esse perspeximus, vt à rusticis Ecclesiæ de sextariaticis aliquid accipiatur, & ad maiorem modium dare compellantur quàm in horreis Ecclesiæ infertur. Vnde præsenti admonitione præcipimus, vt plusquàm decem & octo sextariorum modio numquàm à rusticis Ecclesiæ frumenta debeant accipi: nisi fortè si quid est, quod nautæ iuxta consuetudinem superaccipiunt, quod minui ipsi in nauibus attestantur: a & cetera, quæ in ipso sanctissimi viri Epistolarum opere requiruntur.

& modiorum mensura debita, adseruatur

59 Hactenùs de Gregorianæ liberalitatis innocentiâ me retulisse sufficiat. Ceterùm, quia famis tempore, vt videlicet haberet vnde Christi pauperibus subueniret, frumenta comparare studebat, nullo modo prætermittam. Ait enim in aliâ epistolâ eidem Petro Subdiacono inter cetera: Quinquaginta auri libris noua frumenta ab extraneis cõpara, & in Siciliâ in locis, in quibus nõ pereant, repone, vt mense Februario illuc naues, quantas possumus, dirigamus, vt eadem ad nos frumenta deferantur. Sed etsi nos transmittere cessamus, ipse naues prouide, & ad nos, auxiliante Domino, Februario mense hæc eadem frumenta transmitte: exceptis dumtaxat frumentis, quæ nunc mense Septembrio vel Octobrio iuxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ita ergo tua experientia faciat, vt sine vexatione alicuius coloni ecclesiastici frumenta congregentur. Quia tam hic parua natiuitas fuit, vt nisi auxiliante Domino, de Siciliâ frumenta congregentur, fames vehementer immineat.

vt fami succurrat, frumenta 50 libris auri comparat — E — lib. 1. ep. 7

60 Huius liberalitatis multitudinem quidam eremitarum, vir magnæ virtutis, qui nihil in mundo possidebat præter vnam cattam, quam blandiens crebrò quasi cohabitatricem in suis gremijs refouebat, cognoscens, orasse fertur ad Deum, vt sibi ostendere dignaretur, quam futuræ remunerationis mansionem sperare debuisset, qui pro illius amore seculum deserens, nil ex eius diuitijs possideret. Cumque nocte quadam dormiret, cognouit sibi reuelatum fuisse, vt cum Gregorio Romano Pontifice mansionem sibi præparandam sperare debuisset. At ille fortiter ingemiscens, parum sibi profuisse voluntariam rerum inopiam, tantaque suæ remotionis ieiunia putabat, si cum eo mansionem reciperet, qui tantis mundialibus diuitijs redundaret. Cùm verò Gregorianas diuitias suæ paupertati die noctuque suspirando conferret, aliâ nocte quiescens, audiuit sibi Dominum in somnis dicentem: Quando diuitem non possessio faciat diuitiarum, sed cupido, cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitijs comparare? Qui magis illam cattam, quam habes, quotidie palpando, nullique conferendo diligere comprobaris, quàm ille, qui tantas diuitias non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo dispergit? Ita solitarius increpatus, Deo gratias retulit, & qui meritum suum decreuisse putauerat, si Gregorio conferretur, orare vehementiùs cœpit, vt cum eo mansionem quandoque percipere mereretur. Sed & istius secundi iam libri finis adueniat, vt quæ secutura sunt, auxiliante Domino, tertius prosequatur b.

sancto eremita, contemptori seculi præponitur — F — *ob diuitiarum contemptum & sanctam in pauperes dispensationem.*

a *Hic dubij hæremus, num sequentia verba sint Ioannis Diaconi, an solum Surij, qui illam epistolam admodum prolixam omiserit.*

ferit; habetur ea integra in MS. Corsendoncano, & in Vitâ ante eiusdem opera excusâ: sed potuit etiam à posteris inserta esse. Quidquid sit cùm ea extet in Registro Epistolarum, & moles hæc admodùm excrescat, & nihil ferè historicum contineatur, monuisse lectorem putamus sufficere.

b *MS. Corsend. addit*: Explicit liber secundus; & incipit tertius: *cuius sunt sequentia Capitula.*

Capitula libri tertij.

1 Quibus Gregorius studijs commissam sibi regebat Ecclesiam.
2 Quantis auctoritatibus contra simoniacam & neophytorum hæreses dimicarit.
3 Quòd pro eisdem fieri Synodum iusserit.
4 Quòd contra easdem totis viribus non pugnantes, cum Simone Mago portionem habituros prædixerit.
5 Quàm sapienter etiam pastellaticum pro vsu pallij vel consecratione Pontificis dari siue accipi prohibuerit.
6 Quòd tria genera simoniacæ dationis notauerit.
7 Quòd in ordinandis episcopatibus, neque Cardinalibus Ecclesiæ suæ, neque monachis pepercerit.
8 Quòd violenter neminem omnino promouerit.
9 Quòd violenter promotos, in pristinum gradum reduxerit.
10 Quòd Cardinales in forensibus parochijs promotos, ad cardinem reuocauerit.
11 Quòd vndecumque meliores eligere poterat, Episcopos consecrabat.
12 Quantâ districtione consecrandos examinaret.
13 Quòd etiam alterius diœcesis Episcopos ad regendas suæ diœcesis Ecclesias inuitabat.
14 Quemadmodùm episcopatuum Sedes vnierit.
15 Quòd vacantes Episcopos vacantibus incardinarit Ecclesijs.
16 Quod inthronizatis Episcopis expulsos Præsules inuexerit.
17 Quòd Sedium loca mutauerit.
18 Quòd nullâ occasione Pontifices ab vnâ in aliam Ecclesiam aut mutauerit aut mutari permiserit.
19 Quòd alterius parochianum sibi Cardinalem sacrauerit.
20 Qualiter alterius Ecclesiæ Clericos alijs incardinari permiserit.
21 Quòd numquàm prioribus Clericis posteriùs ordinatos prætulerit.
22 Qualiter defunctorum Episcoporum Ecclesias vicinis visitatoribus committebat.
23 Quòd pro inuentario faciendo nihil accipiendum decreuerit.
24 Quòd consuetudines dationum vel xeniorum repulerit.
25 Quòd Episcopos ad vrbem Ro. non nisi semel in quinquennio venire statuerit.
26 Quòd etiam rerum pretia suscipere recusarit.
27 Quòd suffraganeis suis Episcopis necessaria prærogarit.
28 Quàm curiosè ab eisdem sanctitatem, sapientiam & liberalitatem quærebat.
29 Vbi Marinianum Episcopum auaritiâ notat.
30 Vbi Serenum Episcopum pro confractis imaginibus arguit.
31 Vbi Ianuarium Episcopum suas iniurias vindicantem deterret.
32 Vbi eumdem pro exaratione messis die Dominico exasperat.
33 Vbi Desiderium Episcopum pro lectione librorum gentilium corripit.
34 Vbi Natalem Episcopum de negligentiâ simulque conuiuijs reprehendit.
35 Quòd facetissimè eumdem proprijs assertionibus obligat.
36 Quòd Episcopos ab ecclesiâ suâ deesse vetuerit.
37 Quòd Episcopos per diuersa loca non vagari censuerit.
38 Quòd lapsum propriæ amitæ non dubitauerit memoriæ commendare.
39 Vbi Vitalianum Episcopum pro fœminâ, quæ religiosum habitum mutauerat, arguit.
40 Vbi Sergium defensorem pro negligentiâ reprehendit.
41 Vbi Paschasium Episcopum pro fabricâ nauis & sui vtilitate compescuit.
42 Vbi Campanorum Episcoporum & Victoris Panormitani negligentias increpat.
43 Quàm moderatè Andream Episcopum pro concubinâ diiudicat.
44 Quòd à prauis consiliarijs abstinendum censuerit.
45 Quòd lapsos vel criminosos ab Episcoporum familiaritate repulerit.
46 Quòd restringendam Præpositorum iram, & vnius culpam alij non esse nociuam statuerit.
47 Quòd liberos homines verberari vel includi vetuerit.
48 Qualiter iudicum vitia redarguens publicarit.
49 Quòd instigante diabolo Iudices contra eum sæuierint.
50 Vbi Mauritio Imperatori, pessimam legem ferenti, viriliter contradicit.
51 De hypocrisi Ioannis Constantinopolitani Episcopi, se Vniuersalem fatentis.
52 Vbi Augustales litteras pro eo supplicantes redarguit.
53 Vbi tempora Mauritij moresque deturpat.
54 Vbi superbiam hypocritæ Ioannis sapienter eneruat.
55 Vbi constantiam suam demonstrans, asserit se pro Imperatore fidem nullatenus perditurum.
56 Quamobrem postulatas Reliquias Imperatrici non dederit.
57 Quòd vsque ad illa tempora Romanus Pontifex pro Reliquijs Brandeum conferebat.
58 Quantis miraculis vestes sancti Ioannis claruerint.
59 Quid sit de eisdem vestibus sentiendum.
60 Quòd Gregorius pestem vniuersalis nominis à totius Ecclesiæ suæ vniuersitate repulerit.

LIBER III

CAPVT I

Impensi à S. Gregorio labores in extinguendâ simoniâ.

S. Gregorius reducit schismaticos, conuertit paganos,

1 TALibus venerabilis Papa Gregorius commissam sibi diuinitus Ecclesiam studijs efficaciter gubernabat. Iam Ligures, Venetos, *a* Hiberos, aliosque à schismate sub libello confessos, Chalcedonensem Synodum venerari compellens, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ reuocarat. Iam *b* Barbaricinos, Sardos & Companiæ rusticos, tam prædicationibus quàm verberibus emendatos, à paganizandi vanitate remouerat. Iam *c* Donatistarum hæresim penes Africam, Manichæorum penes Siciliam, Arianorum penes Hispaniam, *d* Agnoitarum verò penes Alexandriam, scriptorum suorum validissimis auctoritatibus importunisque legationibus, Domino suffragante, à corpore totius sanctæ Matris Ecclesiæ sequestrarat. Sola penes Galliam *e* Neophytorum hæresis, quot simoniacis muneribus, quasi tot radicibus pullulans, longè lateque prorsus excreuerat & manebat: contra quam venerabilis Pater apud *f* Brunichildem Reginam, Theodoricum quoque & Theodebertum Francorum Reges fortiter expugnauit, donec collectâ generali Synodo, hanc sub anathemate damnandam penitùs impetraret. Nec antè *g* Syagrio Episcopo Augustudunensi, Reginâ & Regibus pallium multis precibus flagitantibus, dedit, quàm præsente Cyriaco suo Abbate ipsi, quod de propellendis hæresibus moniti fuerant, adimplerent.

hæreticos coërcet,

li. 7. ep. 114 vt Simonia extirpetur in Galliâ litteris admonet Brunichildem Reginam,

2 Nam pro his Brunichildi Reginæ inter cetera scribit, dicens: Sacerdotale officium in tantam illic, sicut didicimus, ambitionem perductum est, vt Sacerdotes subitò, quod graue nimis est, ex laicis ordinentur. Sed quid isti acturi, quid populo præstaturi sunt, qui non ad vtilitatem, sed fieri ad honorem Episcopi concupiscunt? His igitur, qui necdum quod docere debeant, didicerunt, quid aliud agunt, nisi vt paucorum prouectus illicitus, fiat multis interitus, & in confusionem Ecclesiasticæ moderationis obseruantia deducatur? Quippe vbi nullus ordo regularis seruatur. Nam, qui ad eius regimen improuisus vel præcipitatus accedit, quâ admonitione subiectos ædificet, cuius exemplum non rationem docuit, sed errorem? Pudet profectò, pudet alijs imperare, quod ipse nescis custodire. Nec illud quidem, quod simili emendatione radendum est, præterimus, sed omnino execrabile & esse grauissimum detestamur, quod sacri illic

AVCTORE IOANNE DIACONO

A illic ordines per simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta, & districtâ maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur, vt sacerdotalis dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit: & nefariâ ambitione, honorabilis sacerdotij ducitur in depratationem censura. Nam quis denuò veneretur, quod venditur? Aut quis non vile putet esse, quod emitur? Vnde valdè contristor & terræ illi condoleo: quia dum Spiritum sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed præmijs assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam vbi dona supernæ gratiæ venalia iudicantur, ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Item de eisdem, Theodorico & Theodeberto Regibus Francorum post aliqua: Fertur simoniaca hæresis; quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolicâ plantatione surrepsit, & in ipso ortu suo, telo Apostolicæ vltionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari: cùm in Sacerdotibus fides sit eligenda cum vitâ: quæ si deest, fides meritum non habet, beato Iacobo attestante, qui ait: Fides sine operibus mortua est. Quæ enim opera esse valeant Sacerdotis, qui honorem tanti Sacramenti conuincitur obtinere per præmium? Ex quâ re agitur, vt ipsi quoque, qui sacros Ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed diuitias, quibus honor sacer emitur, congregare. Hinc fit etiam, vt insontes & pauperes à sacris Ordinibus prohibiti despectique resiliant: & dum innocentia pauperis displicet, dubium non est, quòd præmium illic delicta commendet: quia vbi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non solùm in ordinatoris & ordinati animam letale vulnus infigitur, verùm etiam excellentiæ vestræ regnum, Episcoporum culpâ, quorum magis intercessionibus iuuari debuerat, prægrauatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copiæ suffragantur; restat, vt nihil sibi in honores ecclesiasticos grauitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. Et dum vitia honore munerantur, in locum vltoris is, qui fortasse fuerat vlciscendus, adducitur: atque hinc Sacerdotes non proficere, sed perire potiùs iudicantur: vulnerato namque pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? Aut quando populum orationis clypeo tuebitur, qui iaculis se hostium feriendum exponit? Aut

lib. 7. ep. 115

Act. 8.

B

Iacob. 2

Theodoricum & Theodebertum Reges.

C qualem de se fructum producturus est, cuius graui peste radix infecta est? Maior ergo metuenda est locis illis fore calamitas, vbi tales inter ceteros ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam prouocent, quam per semetipsum populis placare debuerant. Nec hoc quoque malum solicitudo nostra patitur negligenter omittere, quod quidam, instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repentè habitu sacerdotij honorem arripiunt: &(quod dicere pudet, & tacere graue est) regendi, Rectores; & qui docendi sunt, Doctores nec erubescunt fieri nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota Doctoris est, & quò vel ipsi gradiantur ignari sunt. Nam dum Dux exercitus non nisi labore & solicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui Episcopatus culmen immaturâ cupiunt festinatione conscendere, huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores timeant: ne cæca honoris ambitio & ipsis in pœnâ sit, & alijs pestifera erroris semina iaciant, quippe qui non didicêre quod doceant. Proinde paterno salutantes affectu, petimus præcellentissimi Filij, vt tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excusa-

& ne ex laicis repente fiant Sacerdotes.

D tio, nulla contra animas vestras suggestio locum inueniat: quia facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Item pro eisdem hæresibus Siagrio episcopo Augustudunensi. Nuntio apud nos olim discurrente vulgatum est, quòd in Galliarum partibus sacri Ordines per simoniacam hæresim conferantur, & vehementi tædio mœroris afficimur, si in Ecclesiasticis officijs quemquam habet locum pecunia, & fit seculare, quod sacrum est. Quicumque ergo hoc pretij studet datione percipere, Sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. Quid scilicet, quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, nulla sit de vitâ discussio: sed ille solummodò dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur? Ex quâ re, si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat vtilitatis arripere, eo ipso magis, quod honorem quærit, indignus est. Sicut autem is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus; sic qui vltrò ambit, vel importunum se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit, nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs, interiùs in profunda descendat?

lib. 7 ep. 110 Eodem Siagrio Episcopo inculcat.

Simoniacos comparat vendentibus columbas.

E Itaq; Frater reuerendissime, in Sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat: sit simplex sine venalitate cõsensus, pura præferatur electio: vt ad summa sacerdotij non suffragio venditorum prouectus, sed Dei credatur esse iudicio. Nam quia graue omnino sit facinus, Dei donum vel pretio comparare vel vendere, Euangelica est testis auctoritas. Templum enim Dominus & Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas euertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere, & sanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venumdare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum vtique patenter euersione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitiæ prauitas vires suas: nam cogit vendere, quos decepit, vt emerent. Et dum non attenditur, quod diuinâ voce præcipitur, Gratis accepistis, gratis date, agitur vt crescat, & geminata fiat in vno eodemque delicto conditio, ementis scilicet & vendentis: & cùm liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestiferâ surrepsisse, atque in ipsâ suâ origine Apostolicâ esse detestatione damnatam, cur non cauetur? cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus, promouetur? Plerumque

Matth. 21

Matth. 10

sæpè virtutis specie à diabolo illudi.

F igitur aduersarius animarum, dum non potest in his, quæ ad faciem sunt praua, subrepere; callidè, specie quasi pietatis iniectâ, nititur supplantare: suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, vt sit, quod possit non habentibus erogari, dummodò vel sic venena mortifera, eleemosynæ celatâ obumbratione, transfundat. Nam nec venator feram, nec auem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si ille laqueum in in aperto proponeret, aut ille hamum in escâ absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda & cauenda est hostis astutia, ne quos apertâ nequit tentatione subuertere, latente telo sæuiùs valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, vt quasi benè dispenset, grauatur potiùs quàm iuuatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & benè acquisitis impenditur. Vnde etiam illud certum est, quia, etsi monasteria aut Xenodochia vel quid aliud de pecuniâ, quæ pro sacris Ordinibus datur, construatur, mercedi non proficit: quoniam dum peruersus & emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad sui similitudinem sub commodi datione constituit, plura malè ordinando destruit, quàm ille

A ille potest ędificare, qui ab eo pecuniam Ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, apertè sacra Scriptura nos prohibet, dicens: Hostiæ impiorum abominabiles Domino, quæ offeruntur ex scelere. Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei iracundiam non placat, sed irritat. Hinc rursus scriptum est: Honora Dominum de tuis iustis laboribus. Qui ergo malè tollit, vt quasi benè præbeat, constat sine dubio, quia Dominum non honorat: Hinc quoque per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substantiâ pauperis, acsi victimet filium in conspectu patris. Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in eius conspectus filius victimetur, & hinc facilè cognoscimus, quanto Deus omnipotens dolore exasperatur, quando ei sacrificium ex rapinâ tribuitur. Nimis ergo declinandum est, dilectissime Frater, sub obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæresis perpetrare. Nam aliud est, propter peccata eleemosynas facere; aliud, propter eleemosynas peccata committere. Hoc quoque ad nos peruenisse non dissimili dignum detestatione complectimur, quod quidam desiderio honoris inflammati, defunctis Episcopis, tonsurantur & fiunt repentè ex laicis Sacerdotes, atque inuerecundè Religiosi; Præpositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt. Quid putamus, quid isti subiectis præstaturi sint, qui antequàm discipulatus limen attingant, tenere locum magisterij non formidant? Quâ de re necesse est, vt quamuis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distincta Ordinis Ecclesiastici exerceatur officia. Videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat, vt posteà non debeat errare, qui eligitur viam errantibus demonstrare. Diu ergo religiosâ meditatione poliatur, vt placeat: & sic lucerna super candelabrum posita luceat, vt aduersa ventorum vis irruens, conceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat. Nam cum scriptum sit: Vt priùs quis probetur, & sic ministret: multò ampliùs antè probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant caussa ruinæ populis Sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio: quia cunctis liquidò notum est, quæ sit in huius rei negligentiâ egregij solicitudo Doctoris, qui neophytum ad Ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat *h* eruditione plantatus: sic modò neophytus habendus est, qui repentè in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinatè ergo ad Ordines ascendendum est. Nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum. Et cùm idem Apostolus doceat inter alia sacri Ordinis instituta discipulum, manum non esse cuiquam citiùs imponendam: quid hoc celeriùs, quidue præcipitantiùs, quàm vt exoriatur à summitate principium, & antequàm esse incipiat discipulus, sit magister? Quisquis igitur Sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, priùs vires suas cum eo, quem est subiturus, honore metiatur: vt & impar abstineat, & ad id cum metu, etiam qui se sufficere existimat, accedat. Ab re autem non facimus, si ad argumentum rationabile, vsum rerum irrationabilium colligamus. Apta namque ædificationibus de siluis ligna succiduntur, nec tamen adhuc viridibus ædificij pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccauerit, & apta ad necessarium vsum effecerit. Quæ si obseruantia fortè negligitur, citiùs superimpositâ mole franguntur, & gignit ruinam ad auxilium res prouisa. Hinc etenim medici, qui corporum curam gerunt, quædam adiutoria, recenti adhuc confectione formata, indigenti non offerunt, sed maturanda temporibus derelinquunt. Nam si immaturè quis dederit, dubium non est, quin sit caussa periculi res salutis. Discant itaque, discant in officio suo Sacerdotes, quibus animarum credita est cura, seruare quod diuersarum artium homines docente ratione custodiunt, & à præcipiti se ambitione; etsi non metu, saltem pudore contineant. Sed ne forsitan ad hoc prauæ se consuetudinis quisquam velit obiectu defendere, Fraternitatis tuę discretio rationis eos freno coërceat, & labi in illicitis non permittat: quia quidquid vltione dignum est, non ad imitationis, sed potiùs ad exemplum debet correptionis adduci. Et post pauca:

Prou. 15. / Prouer. 3. / Eccl. 34. / *non debere repente ex laicis fieri Episcopos.* / B / 1. Tim. 3 / *h* / C / 1. Tim. 5

D AVCTORE IOANNE DIACONO

3 De ijs itaque, quæ superiùs dicta sunt, Fraternitatem vestram auctore Deo volumus Synodum congregare, atque in eâ reuerendissimo Fratre nostro *i* Aregio Episcopo, & dilectissimo Filio nostro Cyriaco Abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnentur. Id est, vt nullus pro adipiscendis ecclesiasticis Ordinibus dare aliquid commodum præsumat vel pro datis accipere. Neque ex laico habitu quisquam repentè audeat ad locum sacri regiminis peruenire, neque vt aliæ mulieres cum Sacerdotibus habitent, nisi hæ, quæ à sacris canonibus sunt permissæ.

Greg. l. 7. epist. 110 & 111. *i* *Synodum conuocari iubet pro eradicandâ simoniâ.*

4 Has pestiferas hæreses cernens prudentissimus Doctor Gregorius, per Sacerdotum conniuentiam siue taciturnitatem, magis magisque diffusis muneribus quasi pestifer cancer, non solùm infirma posse corrodere, verùm etiam fortia membra mucrone pulcherrimarum rerum corrumpere; diuino zelo commotus *k*, Victori Episcopo generalem sententiam protulit, dicens: Quisquis ad hoc facinus, videlicet simoniacæ neophytorum hæresim emendandum, officij sui consideratione vehementer non arserit, cum ipso se habere non dubitet portionem, à quo priùs hoc piaculare flagitium sumpsit exordium.

E *culpat conniuentiam Episcoporum.* lib. 10. ep. 35 *k*

5 Cùm verò quosdam cognosceret ad euitanda simoniacæ hæresis crimina, pestiferæ negotiationis munera *l* pastellaticum callidè vocitare, ac huiusmodi mutato nomine, suæ cupiditatis auaritiam velle contegere; prudentissimus doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui Pontificatus coram Synodo promulgauerat, iteratò protulit, dicens: Antiquorum Patrum regulam sequens, nulli quidquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallij, neque ex traditione chartarum, neque ex eâ, quam noua per ambitionem simulatio inuenit, appellatione pastelli. Quia enim in ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Euangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit; sicut non decet Episcopum manum, quam imponit, vendere; ita minister vel notarius non debet in Ordinatione eius, vocem suam vel calamum venumdare. Pro ordinatione ergo vel vsu pallij, seu chartis atque pastellis, eumdem, qui ordinandus est vel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere vel petere fortè præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subiacebit. Item Ioanni Episcopo Corinthiorum post multa: Nouit, inquit, Fraternitas vestra, quia priùs pallium nisi dato commodo, non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus B. Petri Apostolorum Principis, tam de hoc quàm de Ordinationibus aliquid accipere, sub districtâ interdictione vetuimus. Oportet ergo, vt neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros Ordines consentiatis vel permittatis adduci.

l *præscribit nihil, etiam à notarijs, pro sacris Ordinibus accipiendum.* F lib. 4. ep. 56

6 Sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens tantis se commodis, licet turpissimis imò periculosissimis, angustari, commentum satis artificiosum reperit: quo scilicet illos Sacerdotio sublimaret,

A ret, qui sibi post consecrationem tantò subiectiores esse debuissent, quantò non diuino, quin potiùs humano, iudicio se fuisse promotos ipsi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in Euangeliorum tractatibus, vt scilicet frequentiùs legi vel audiri potuisset, disputat, inquiens: Sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros Ordines pro humanâ gratiâ largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodò retributionem quærunt. Hi nimirùm quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis expetunt nummum fauoris. Vnde benè cùm iustum virum describeret, Propheta ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. Neque enim dixit, Qui excutit manus suas à munere: sed adiunxit, ab omni. Quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ. Munus quippe ab obsequio, est subiectio indebitè impensa. Munus à manu, pecunia. Munus à linguâ, fauor. Qui ergo sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam
B gratiam requirit.

AVCTORE IOANNE DIACONO homil. 4 in Euangelia. *ne quidem obsequium aut fauorem posteà impendendum spectari posse.* Esa. 33.

Hiberni a Imò Hibernos *legi debere arbitramur: extat ad hos S. Gregorij epistola* 36 *lib.* 2 *Indict.* 10 de caussâ Trium-Capitulorum. *Porro hos ad Catholicam communionem & vnitatem relicto schismate reuersos inde colligimus, quòd ex Hiberniâ Episcopi de rebus dubijs, vt passim alij orthodoxi, consuluerunt S. Gregorium, vti constat ex huius prolixâ epistolâ* 61 *lib.* 9.

Barbaricini. b *De Barbaricinorum conuersione agit S. Gregorius lib.* 3 *epist.* 25 *ad Zabarbam, Ducem Sardiniæ, vbi se* valde lætatum, *ait,* quòd cum Barbaricinis facere pacem disponat, & eosdem Barbaricinos ad Christi seruitium adducat. *Petitque* adiuuari eos, quos ad conuertendos Barbaricinos transmiserat.

c *De hac hæresi scribit Victori & Calumbo Episcopis Africæ lib.* 3 *ep.* 32 *&* 35 *adhortatur Pantaleonem Præfectum Africæ vt eos compescat.*

Agnoitæ. d *Agnoitæ dicti, quòd Christum ignorare diem iudicij dicerent. Contra hos scripsit S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus, cuius librum ad se missum laudat S. Gregorius lib.* 8 *ep.* 42.

e *Hæc latè in subiunctis epistolis explicatur.*

Brunechildis f *Brunechildis filia Athanagildi Regis VVisegothorum in Hispaniâ, nupta Sigeberto I Regi Austrasiorum, peperit Childebertum patrem Theodorici & Theodeberti cum auiâ ab anno* 596 *imperantium.*

g *Colitur S. Syagrius* 27 *Augusti.*

h *In editione epistolarum,* conuersatione.

S. Aregius Ep. Vapincensis. i Aregius, *alijs* Aredius, *Episcopus Vapincensis, in superiore Delphinatu, cuius festum notari Calendis Maij obseruant Sanmarthani ex Proprio Vapincensis Ecclesiæ. Pro Aregio in epistolis S. Gregorij etiam tomo* 13 *Conciliorum typis Liparæis legitur* Syagrius, *cùm ad Syagrium sit scripta. Ad Aregium extat sequens epistola* 112, *in alijs editionibus* 113, *vti libro* 9 *epistola* 51 *&* 62.

C *Victor Ep. Panormit.* k *Est hic Episcopus Panormitanus, cui hac epistola, vti lib.* 4 *ep.* 4, *lib.* 5 *ep.* 92 *& lib.* 7 *ep.* 92 *inscripta sunt.*

Pastillus. l *Est* Pastillus *massula in formam panis parui cocta, pro hoc dicitur etiam* pastellus, *& inde* pastellatium, *donum hic indicatum.*

CAPVT II

Ratio obseruata à S. Gregorio, alijsque præscripta in optimis Episcopis constituendis.

Optimos quosque constituit Episcopos.

7 HÆ sunt Gregorij super simoniacis & illicitis ordinationibus doctissimi Papę sententię, quas ipse summo cultu seruasse docetur in eo, quòd ab ipso suæ consecrationis exordio per omnem diœcesim suam Episcopos, vndecumque meliores inuenire potuit, studiosissimus ordinauit. Et si quando necessitas ordinandi Sacerdotis obrepsit, neque Cardinales Ecclesiæ suæ, neque monachos monasterij sui penitùs excusauit, quò minùs illis Ecclesiam regendam committeret, qui exemplis & verbis pariter illam ædificare meliùs potuissent. Nam vt pauca de multis contin-

etiam ex Cardinalibus & monachis:

gam, ex Presbyteris Cardinalibus Ecclesiæ suæ consecrauit Episcopos Bonifacium Rhegij, *a* Habentium Perusij, & *b* Donum Messanæ Siciliæ. Ex Subdiaconibus verò *c* Gloriosum Ostiæ, *d* Festum Capuæ, Petrum *e* Trecas, & *f* Castrorum Armini. At verò ex monachis monasterij sui Marinianum Rauennæ, Maximianum Syracusis, & Sabinum *g* Callipoli Præsules ordinauit; sed & Augustinum penès Anglos à Galliarum Episcopis ordinari præcepit. Post quem nihilominùs ad episcopatum in eadem gente, monachi eiusdem Patris tempore diuerso prouecti sunt, Mellitus, Iustus, Laurentius & Paulinus. Solis Diaconibus Apostolicæ Sedis super hac quodammodò parte parcebat: quorum cum decem & nouem plenitudine redundaret, ipse Bonifacium, Florentinum & Epiphanium consecrauit. Nec quemquam eorum ab officio, nisi Laurentium Archidiaconum pro superbiâ reliquisque criminibus, in basilicâ Lateranensi, quæ dicitur aurea, vbi mox Honoratum Archidiaconum constituit, sequestrauit. D a b c f e f g

8 Cumque Gregorius, perceptâ occasione, suæ Ecclesiæ Cardinales, si tamen consentirent, satis voluntariè proueheret, neminem prorsus quantumcumque necessitate coactus, violenter promouere certabat, ne sub huiusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur. Vnde Scholastico Duci Campaniæ scribens, ait: Dum de Neapolitanæ ciuitatis curâ, destitutæ Sacerdotis solatio, vehementiùs angeremur, superuenientes præsentium latores cum decreto, in Florentium Subdiaconum nostrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationis pondere reuelationis inuenerunt. Sed dum præfatus Subdiaconus noster, refugiens ciuitatem ipsam, ordinationem suam lacrymabiliter euitasset, quasi ex maiori quadam desperatione nostram cognoscite creuisse mœstitiam. Atque ideò salutantes hortamur magnitudinem vestram, vt conuocantes Priores vel populum ciuitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus possit cum Dei solatio ad Sacerdotium promoueri. In quo decreto solenniter facto, atque ad hanc Vrbem transmisso, ordinatio illic tandem Christo auxiliante proueniat.

Violenter neminem promoueri permittit: E lib. 2. ep. 15

9 Ab alijs quoque violenter promotos, in gradus pristinos reuocabat. Vnde Antonino Subdiacono scribens, dicit: Honoratus Archidiaconus Ecclesiæ *h* Salonitanæ à sanctæ memoriæ decessore meo missâ supplicatione poposcerat, vt ab Antistite suo inuitus prouehi ad fortioris gradus Ordinem contra morem nullo modo cogeretur. Hoc enim fieri sibi non prouehendi gratiâ, sed caussâ ingratitudinis prohibebat. Pro quâ re tunc sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali Fratri Coepiscopoque nostro interdixerat, ne prædictum Honoratum Archidiaconum inuitum proueheret, néve dolorem conceptæ ingratitudinis diutiùs in corde retineret. Cúmque & à me hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solùm mandata Dei negligens, sed etiam scripta nostra contemnens, præfatum Archidiaconum quasi ad fortiorem honorem proueheris, conatus est callidè degradare. Vnde actum est, vt eo de Archidiaconatus loco summoto, alium accersiret, qui eius obtemperare moribus posset. Quem Honoratum Archidiaconem arbitramur Antistiti suo aliunde displicere non potuisse, nisi quòd eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam caussam subtili voluimus & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego indagatione discutere. Sed ipse suorum actuum conscius, personam ad iudicium postposuit destinare. Proinde experientiam tuam præsentis præcepti auctoritate duximus fulciendam, quatenùs conueniens in Salonam, Natalem Fratrem Coepiscopumque nostrum, saltem tot scriptis admonitum studeat adhortari, vt suprà memoratum Archidiaconum in suo statim loco suscipiat,

lib. 2. ep. 16 h F *& violenter promotos in pristinum gradum reducit:* Greg. I. 2. e. 16.

A suscipiat. Quod si facere hoc contumaciter, vt consueuit, fortè distulerit, vsum ei Pallij, qui ab hac Sede concessus est, ex auctoritate Sedis Apostolicæ contradicito. Quem si, etiam amisso Pallio, adhuc in eadem pertinaciâ perseuerare perspexeris, Dominici quoque Corporis ac Sanguinis eumdem Antistitem participatione priuabis. Eum verò, qui contra iustitiæ regulam ad locum alterius prouehi consensit, ab eiusdem Archidiaconatus honore deponi præcipimus. Qui si vlteriùs in loco eodem ministrare præsumpserit, Communionis sacræ participatione priuamus. Æquum enim est, vt asperos de iustitiâ sentiat, quos erga se positos in caritate contempsit. Restituto ergo loco suo Honorato Archidiacono, instructam personam supradictus Antistes, te compellente, dirigat, qui intentionem eius esse vel fuisse iustam, suis nobis allegationibus possit ostendere. Sed & eumdem Archidiaconum ad nos venire præcipimus, vt quidquid iustum, quicquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium, decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed auctore

lib.2. ep.32 Ind.11. Deo, normam iustitiæ, postpositâ cuiuslibet acceptione personæ, seruamus. Item Honorato Salonitano, iam ex presbyterio in diaconatum reducto: Du-

B dum quidem decessoris nostri nostraque præceptio ad dilectionem tuam cucurrerat, in quâ & de obiectis tibi calumniosè capitulis fueras absolutus, & in tui gradus ordinem sine aliquâ te instituimus altercatione restitui. Sed quia rursus ante non multum temporis spatium ad Romanam ciuitatem veniens, de quibusdam illic actis incongruè, & de sacrorum es conquestus alienatione vasorum; atque dum pro hac re, quæ tuis obiectionibus respondere potuissent, sustineremus in hac ciuitate personas, Natalis Episcopus tuus de hac luce migrauit; necessarium iudicamus, easdem præceptiones tam decessoris nostri quàm nostras, quas dudum, vt dictum est, pro tuâ absolutione transmisimus, præsentibus deinceps apicibus confirmare. Quamobrem à cunctis tibi obiectis capitulis te pleniùs absoluentes, in tui te ordinis gradu sine aliquâ volumus altercatione permanere, vt nihil tibi penitùs mota à præfato viro quæstio qualibet occasione præiudicet.

Cardinales in forensibus parochijs promotos ad cardinem reuocat: lib.11.ep.36

10 Item Cardinales, violenter in parochijs forensibus ordinatos, in pristinum cardinem Gregorius reuocabat. Quapropter *i* Ioanni Episcopo Syracusano scribens, ait: Quorumdam ad nos relatione peruenit, Cosmam, qui ex monacho monasterij S. Luciæ, à decessore tuo venerandæ memoriæ Maximiano, in Ec-

C clesiâ Syracusanâ Subdiaconus factus, atque à te posteà in possessione, quæ Iuliana vocatur, Presbyter dicitur ordinatus, ita nimiâ tristitiâ & loci qualitate vehementer afflictum, vt vitam sibi pœnam existimet, & contritioni suæ, fugæ quærat auxilium. Et ideò quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nos, si subiecti fuissemus, nostros volueramus esse Præpositos: magnæ benignitatis est, si eum in Ecclesiam, vbi Subdiaconi est functus officio, Sanctitas tua reducere, atque illic Presbyterum studuerit constituere Cardinalem. Quod & facere, quantùm arbitramur, debes, si nihil est, quod iustè contra ipsum animum tuum exasperet. Si verò aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis Fraternitas tua, vt scire possimus, insinuet.

idoneos constitui Episcopos commendat: lib. 2. ep. 8 Ind.10.

11 Quantâ curiositate Gregorius idoneos quosque ad regimen destitutarum quæsierit plebium, breuiter indicabo, vt tantus vir non solùm doctrinis, quin & operibus verus paterfamilias fuisse gregis Dominici probabiliter colligatur. Ait enim in epistolâ Maximiano Episcopo Syracusano: Felix vir clarissimus, præsentium lator, edocuit nos, esse quemdam in illis partibus Presbyterum, qui ad Episcopatus Ordinem prouehi probatæ vitæ merito dignus appareat. Hunc

D ergo Fraternitas tua coram se deduci faciat, & eum, sicut certus sum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc prouehi gradum dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare; vt eum Domino disponente; loco, cui præuiderimus, possimus ordinare Pastorem. Item Cypriano Diacono: Amantissimas dilectionis tuæ epistolas de Domini Maximiani obitu mense Nouembri suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata peruenit: sed infelix populus Syracusanæ ciuitatis lugendus est, qui Pastorem talem diu habere non meruit. Proinde dilectio tua solicitudinem gerat, vt in eadem Ecclesiâ talis debeat ad ordinandum eligi, qui post Dominum Maximianum eiusdem regiminis locum non indignus videatur aut immeritus sortiri. Et quidem credo, quòd Traianum Presbyterum maxima pars eligat: qui, vt dicitur, bonæ mentis est, sed quantum suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inueniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur inuolutus, condescendi ad eum, cogente nimiâ necessitate, potest. Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secretè indico quod volo, quia nullus mihi in eadem Ecclesiâ post Dominum Maximianum

AVCTORE IOANNE DIACONO

lib.4.ep.19

E tam dignus videtur, quàm Ioannes Archidiaconus Catanensis Ecclesiæ. Qui si fieri potest, vt eligatur, credo quòd apta valdè persona inueniatur. Sed ipse quoque priùs de criminibus, quæ impedire possunt, à te secretiùs requirendus est, à quibus si liber inuentus fuerit, eligi iure potest. Quod si factum fuerit, etiam Frater & Coepiscopus noster *k* Leo ei cessionem facere debebit, vt liber ad ordinandum valeat inueniri. Item Clementinæ Patritiæ: *l* Amandum Presbyterum à Surrentinis ad Episcopatum, gloriosa Filia, electum esse cognoscas. Quem quia huc scripsimus debere transmitti, contristari de eius absentiâ non debetis, quia nec abscedere creditur, qui mente vobiscum est. Et quoniam Pastorem quærentibus is, qui vobis olim placuit, gratus est, omnipotentem Deum benedicentes, Christianâ magis in hoc deuotione gaudete: Et vt ad nos celeriùs alijs profuturis venire debeat, hilariter studete: quia sinceræ caritatis est exultare, quando is, qui diligitur, ad hoc vocatur vt crescat. Item *m* Passiuo Episcopo: Benè nouit Fraternitas vestra, quàm longo tempore Aprutium pastorali sit solicitudine destitutum. Vbi diu quæsiuimus qui ordinari debuisset, & nequaquàm potuimus inuenire. Sed quia *n* Oportunus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis valdè laudatur, & religiosam vitam omnimodò agere dicitur: hunc

k lib.8.ep.17 *l*

li.10.ep.13 *m*

n

F volumus vt Fraternitas vestra ad se faciat venire, & de animâ suâ admoneat, quatenus in bonis studijs crescat. Et si nulla ei crimina, quæ per legis sacræ regulam morte mulctantur, obuiant, tunc hortandus est, vt vel monachus vel à nobis Subdiaconus fiat, & post aliquantulum temporis; si Deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoueri. Item Venantio Patritio Panormitano, petenti sibi quemdam Presbyterum Episcopum consecrari, rescribit, inter cetera dicens: Hunc Presbyterum dare omnimodò vobis excellentia vestra sciat esse difficile, quia personarum nos necessitas, ad ordinanda alia loca Pastoribus destituta, non leuis angustat.

lib.11.ep.14

eosdem priùs magnâ districtione examinari præcipit: lib.12.ep.6

12 Sed quia necessitate ordinandarum se angustatum meminit personarum, ne indiscussè quemquam promouisse putetur, vno exemplo videtur docendum. Ait enim in epistolâ Ioanni Episcopo: Ne incauta eorum Ordinatio, qui ad Episcopatum eliguntur, valeat prouenire, vigilanti de eorum personis est solicitudine requirendum. Indicatum siquidem nobis est, Florentinum Archidiaconum Ecclesiæ Anconitanæ, qui ad Episcopatum electus fuerat, Scripturæ quidem sacræ scientiam habere, sed ita ætatis esse senio iam confractum, vt ad regiminis officium non possit assurgere.

AVCTORE IOANNE DIACONO

A gere. Adijcientes etiam, ita illum tenacem existere, vt in domum eius amicus ad caritatem numquàm introeat. Rusticus autem, Diaconus eiusdem Ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur: sed quantùm asseritur, psalmos ignorat. Florentinum verò Diaconum Ecclesiæ Rauennatis, qui electus ab omnibus memoratur, solicitum esse nouimus: sed qualis sit interiùs, omnino nescimus. Ideoque Fraternitas tua vnà cum Fratre & Coepiscopo nostro Armenio, suprascriptæ Ecclesiæ Anconitanæ Visitatore, illuc festinet accedere, & diligenter de vitâ ac moribus singulorum requirere, si de nullo sibi sunt crimine conscij, quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est, si hoc, quod de præfato Archidiacono dictum est, quia numquàm amicus domum eius ingressus est, ita feueritas habeat. Et vtrùm ex necessitate an ex tenaciâ talis sit: aut si ita senex est, vt ad regendum non possit assurgere, vel si tactis sacrosanctis Euangelijs (sicut nobis nuntiatum est) iusiurandum præbuit, numquàm se ad Episcopatum accedere. Sed & de Rustico Diacono, quantos psalmos minùs tenet, scrutandum est. Florentino autem Diacono Rauennati, si nullum, sicut diximus, crimen est quod obsistat, apud Episcopum B eius agi necesse est, vt ei debeat cessionem concedere. Non tamen ex nostro mandato vel dicto, ne contra suam eum voluntatem concedere videatur.

a *Adfuit Habentius morienti S. Florido Episcopo Tifernatensi, eiusq; sepulturæ, vti in huius Vitâ dicitur 13 Nouemb.*

Donus Ep. Messana.

b *Huic sunt inscripta epistolæ 8 libri 5. ep. 35 lib. 6, ep. 4 lib. 7, ep. 54 lib. 8, & Epistola 46 libri 9. Et quia priore epistolâ Pallij vsum ei concedit Indictione 14, videtur tùnc, anno 596 Episcopus constitutus. In tribus sequentibus Epistolis* Bonus *pro* Donus *perperàm scribitur. In MS. Corsenduncano* Domnus *legitur. At quomodo cum Felice Episcopo etiam Messanensi anni huius sint componendi, grauis apud Messanenses & Siculos controuersia est. Non displicet sententia illorum, qui medium inter duos Felices statuunt. Nam Felici Episcopo Messanensi extant inscripta Epistolæ 38 & 64 lib. 1 Indict. 9, ergo anno 591, cui hic Donus subrogatus est dicto anno 596, & saltem quatuor sequentibus sedit. Iterum lib. 12 sunt epistolæ 19 & 32 datæ Indictione 7, id est vltimo vitæ S. Gregorij anno. At quæ legitur libro 7 epistola* 102 Felici Episcopo in Siciliâ *inscripta, ad alium* Felicem *spectat, cùm tum* Donus *præfuerit. Ita inscriptio epistolæ 22 libri 11 videtur suspecta, aut ad hunc* Donum *non spectare. Est hæc eiusmodi*: Gregorius Leoni Episcopo, Secundino, Ioanni, Donno, Lucido, Traiano Episcopis Siciliæ,

c *Glorioso Ep. Ostiensi scripsit epistolam 11 libri 7.*

d *Festum Romæ mortuum esse tradit S. Gregorius epist. 12 & 13 lib. 4 Indict. 13, id est anno 596. fuisse ob suam auaritiam à Clericis contemptum tradit ep. 24 lib. 2 & ep 26 lib. 4.*

C

Petrus Trecensis Ep.

e *Legitur* Trecas & Trecis. *Est celebris in Campaniâ Galliarum vrbs, sed tùm* Augusta Tricassium, *seu vrbs* Trecassina & Trecassium *ferè dicta: vnde errorem in hunc locum irrepsisse arbitramur, cùm inter Episcopos Tricassinos seu Trecenses nullus hoc tempore sedisse Petrus referatur. Forsan est Petrus Subdiaconus antè Campaniæ in Italiâ, cui plures S. Gregorius scripsit epistolas, dein Episcopus factus.*

f *Castorio scripta epistola 9 libri 2, & 43 libri 4. Huic successit Agnellus, cui scripta epistola 10 libri 6.*

Callipolis. Salona.

g *Est Callipolis vrbs Calabriæ antiqua ad sinum Tarentinum.*

h *Est Salona metropolis olim Dalmatiæ, cuius Episcopo Natali S. Gregorius scripsit epistolas 19 & 20 libri 1, & alias plures.*

i *Colitur S. Ioannes Ep. 23 Octobris: de eo infrà sæpiùs agitur: factus is est Episcopus anno 596.*

k *Ad Leonem Episcopum Siciliæ extat epistola 22 libri 11, vt suprà indicatum.*

l *Eiusdem electionis meminit ep. 18 libri 8.*

m *Passiuus fuit Episcopus Firmanus in Piceno. Eidem inscripta etiam epistola 72 libri 7, & epist. 12 huius libri 10.*

n *Aprutium ipsa regio Italiæ, à quo Aprutini Episcopi, quorum Sedes est in vrbe Interamnensi vulgò Teramo dicta, cuius primus Episcopus statuitur hic citatus* Opportunus, *alijs* Importunus.

CAPVT III

Variæ Sedes Episcopales à S. Gregorio vnitæ. Sedium loca non Episcopatus permutari concessum. Adiuti exules Episcopi.

Alterius diœcesis Episcopos, ad regendas suæ diœcesis Ecclesias inuitat: lib. 35 ep. 35

13 ET quidem Gregorius prudenter cognoscens, totum corpus Ecclesiæ tam per bonos Episcopos feliciter stare, quàm per malos infeliciter cadere; non solùm diuersarum gentium diuersi Ordinis Clericos, verùm etiam vacantes Episcopos in suæ diœceseos Episcopatus inuitabat. Vnde Sebastiano Episcopo a Rhiziniensi inter cetera scribit, dicens: Debitum salutationis alloquium soluens, indico, quòd ad me, Bonifacio defensore referente, peruenerit, quia vir sanctissimus Frater noster Dominus Anastasius Patriarcha in vnâ suarum ciuitatum regendam vobis Ecclesiam committere voluit, & consentire noluistis. Quem sensum atque sapientiam vestram, valdè ego libenter amplexus sum, & laudaui vehementer, & vos felices, me infelicem esse deputaui, qui tali hoc tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi. Si tamen E animus vester fortassis Fratribus condescendendo, & misericordiæ operibus intentus, ad hoc vnquàm consentire decreuerit, peto vt amori meo alium minimè præponatis: Sunt enim in Siciliâ insulâ Ecclesiæ vacantes Episcopis. Et si vobis placet, auctore Deo, Ecclesiam regere, iuxta B. Petri Apostoli limina cum eius adiutorio meliùs potestis: si verò non placet, feliciter state, & pro nobis infelicibus exorate.

Episcopales Sedes, lib. 1. ep. 8 Formianam & Minturnensem,

14 Intereà Gregorius locis munitis Episcopis constitutis, dissipatas Ecclesias adunabat. Quapropter b Bacandæ Formiensi Episcopo scribit, dicens: Et temporis necessitas nos perurget & imminutio exigit personarum, vt destitutis Ecclesijs salubri ac prouidâ debeamus dispositione succurrere. Et ideò quoniam Ecclesiam Minturnensem funditus tam Cleri quàm plebis destitutam desolatione cognouimus, tuamque pro eâ petitionem, quatenùs Formianæ Ecclesiæ, in quâ corpus B. c Erasmi Martyris requiescit, cuique Fraternitas tua præsidet, adiungi debeat; piam esse ac iustissimam præuidentes, necessarium duximus, consulentes tam desolationi loci illius quàm tuæ Ecclesiæ paupertati, reditus supradictæ Ecclesiæ Minturnensis, vel quicquid ei antiquo modernoque F iure vel priuilegio potuit potestiue qualibet ratione competere, ad tuæ Ecclesiæ ius potestatemque hac præcepti nostri auctoritate migrare, vt à præsenti tempore, sicuti de propriâ Ecclesiâ debeas cogitare, eique competenti tuâ prouisione disponere: quatenùs deinceps quod perire nunc vsque potuit, pauperum Ecclesiæ tuæ vtilitatibus Clerique proficiat.

lib. 2. ep. 31 Ind. 10. d Cumanam & Misenatē

15 Item Benenato Episcopo: Et temporis qualitas & vicinitas nos locorum inuitat, vt d Cumanam atque Misenatium vnire debeamus Ecclesias. Quoniam hæ non longo à se itineris interuallo seiunctæ sunt, nec peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, vt singulos, sicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes. Quia igitur Cumani castri Sacerdos cursum vitæ huius expleuit, vtrasque nos Ecclesias præsentis auctoritatis paginâ vnisse, tibique commisisse cognosce, propriumque vtrarumque Ecclesiarum scito te esse Pontificem. Et ideò te quæcumque tibi de earum patrimonio vel Cleri Ordinatione promotioneue iuxta Canonum statuta visa fuerint ordinare atq; disponere, habebis, vt propriùs re verâ Sacerdos, liberam ex nostræ auctoritatis consensu atque permissione licentiam. Vbi verò commodiùs ac vtiliùs esse perspexeris,

A ris, habitato: ita sanè, vt alteram Ecclesiam, à quâ corporaliter ad præsens absens es, solicitâ prouidentique curâ disponas, quatenùs diuina illic mysteria solenniter auxiliante Domino peragantur. Fraternitas ergo tua tantò in adhortatione populi lucrandisque animabus solicitiore curâ semper inuigilet, quantò se vnitarum Ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit. Item Ioanni Episcopo *e* Veliterno: Postquàm hostilis impietas diuersarum ciuitatum ita peccatis facientibus desolauit Ecclesias, vt reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit, maiori valdè curâ constringimur, ne defunctis earum Sacerdotibus, reliquiæ plebis, nullo pastoris moderamine gubernatæ, per inuia fidei, hostis callidi rapiantur, quod absit, inuidiâ. Huius ergò rei solicitudine sæpè commoniti, hoc nostro sedit cordi consilium, vt vicinis eas mandaremus Pontificibus gubernandas. Ideoque Fraternitati tuæ curam gubernationemq; Trium-Tabernensium Ecclesiæ præuidimus committendam. Quam tuæ Ecclesiæ aggregari vnirique necesse est, quatenùs vtrarumque Ecclesiarum Sacerdos & Rector, Christo adiutore, possis existere: & quæcumque tibi de eius patrimonio vel Cleri ordinatione seu promotione vigilanti ac canonicâ visa fuerint

B curâ disponere, quippe vt Pontifex proprius, liberam habebis ex præsenti nostrâ permissione licentiam.

e lib.2.ep.35 Ind.10. Veliternensem & Trium-Tabernensium.

Vacantes Episcopos vacantibus incardinare Ecclesijs. lib.1.ep.77

16 At verò ciuitatum desolatarum Pontifices Gregorius vacantibus ciuitatibus incardinare curabat. Vnde Martino Episcopo Corsicæ inter cetera scribens: Quoniam, inquit, Ecclesia Tamitana, in quâ dudú fuerat honore Sacerdotali tua Fraternitas decorata, ita est delictis facientibus hostili feritate occupata & diruta, vt illic vlteriùs spes remeandi nulla remanserit; in Ecclesiâ te *f* Alariensi, quæ iamdiu Pontificis est auxilio destituta, Cardinalem secundùm petitionis tuæ modum hac auctoritate constituimus sine dubio Sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundùm Canonum præcepta cuncta dispone & ordina, vt & Fraternitas tua suis desiderijs se gaudeat fuisse potitam, & Ecclesia Dei alterno gaudio repleatur, Cardinalem te suscepisse Pontificem. Item Ioanni Episcopo *g* Squillaceno: Pastoralis officij cura nos admonet, destitutis Ecclesijs proprios constituere Sacerdotes, qui gregem Dominicum pastorali debeant solicitudine gubernare. Propterea te Ioannem, ab hostibus captiuatæ *h* Lisitanæ ciuitatis Episcopum, in Squillacenâ Cardinalem necesse duximus constituere Sacerdotem, vt & susceptam semel ani-

C marum curam intuitu futuræ retributionis impleas: & licet à tuâ, hoste imminente, depulsus sis, aliam, quæ pastore vacat, debeas Ecclesiam gubernare: ita tamen, vt si ciuitatem illam hostibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit reuocari, in eam, in quâ priùs ordinatus es, Ecclesiam reuertaris. Si autem prædicta ciuitas continuâ captiuitatis calamitate prematur, in hac, in quâ à nobis incardinatus es, debeas Ecclesiâ permanere. *i* Item Gratioso *k* Numentano Episcopo curam gubernationemque S. Anthemij Ecclesiæ in Curium Sabinorum territorio constitutæ incardinando coniunxit. Itē Agnello Episcopo Fundano post aliqua: Quoniam propter cladem hostilitatis nec in ciuitate nec in Ecclesiâ tuâ est cuiquam habitandi licentia; ideò te auctoritate nostrâ *l* Terracinensis Ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem. Et post pauca: Illud quoque Fraternitatem vestram scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Terracinensis Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus Sacerdotem, vt & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque eius prætereas.

f

g lib.2. ep.25 Ind.10.

h

i

k lib.2.ep.20 Ind.11. ibid.ep.13.

l

Episcopos expulsos alijs commendat.

17 Sed & expulsos Episcopos, quos tam citò Gregorius vel incardinare non poterat, vel quorum reditum ad Sedes proprias contingere posse sperabat,

D alijs Episcopis, qui tunc videlicet in locis suis degebant, interim pro sustentatione ac stipendijs præsentis vitæ iungebat, generaliter dicens: Fratres & Coepiscopos nostros, quos & captiuitatis diuersarumq; necessitatum angustiæ comprimunt, studete consolandos cōuiuandosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: non quidem vt per communionem Episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab Ecclesiâ iuxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesijs auctoritatem tribuimus, sed tantùm vestris solatijs eis continueri summopere hortamur.

AVCTORE IOANNE DIACONO

Sedium loca mutat. lib.2.ep.11 Ind.10.

18 Loca quoque Sedium prudentissimus Pontifex, acceptâ iustâ occasione, mutabat. Vnde Ioanni Episcopo Veliterno scribit, dicens: Temporis qualitas admonet, Episcoporum Sedes, antiquitus certis ciuitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus, eiusdem diœcesis loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum faciliùs declinare. Propterea te Ioannem Fratrem Coepiscopumque nostrum Veliternensis ciuitatis Sedem-

E que tuam in locum, qui appellatur *m* Arenata, ad S. Andream Apostolum præcipimus exinde transmigrare: quatenùs & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinum solennium festa disponas. Et notandum quòd Gregorius, licet monasteria & episcopatus vnierit, atque vacantes Episcopos vacantibus ciuitatibus incardinare studuerit, numquàm tamen Episcopum ab integritate suæ Ecclesiæ, vel ipse in aliam commutauit, vel sub quacumque occasione migrare consensit. Nam postquàm *n* Demetrium Neapolitanum Episcopnm super criminibus manifestis deposuit, cùm ab eisdem Neapolitanis incardinari sibi *o* Paulum Nepesinum Episcopum magnopere quæreretur, discretissimus Pontifex visitatione ciuitatis Nepesinæ *p* Ioanni Episcopo delegatâ, eumdem quidem Paulum Visitatorem illis tribuit; Cardinalem verò constituere tam primò dispensatoriè distulit, quàm posteà penitùs recusauit. Cui postmodùm licentiam reuertendi ad suam diœcesim concedens, centum solidos de Neapolitanâ Ecclesiâ & vnum puerulum orphanum, qualem ipse de familiâ eiusdem Ecclesiæ voluisset, dari præcepit.

m

n

o

p

F

a *Ita Sedes in Registro Epistolarum indicatur. Est vrbs Mesopotamia in confinio Syria haud procul Edessa.* Rhisina *dicitur Ptolemao lib.5 cap.18* Rhesina *ab aliquibus scribitur. Apud Surium & passim in Vita hactenùs excusa* Smyrnensis Episcopus, *sed hac Sedes suberat Patriarcha Constantinopolitano, non Antiocheno, vti hic dicitur. Et* Antióchus Episcopus Rhesinatis *subscripsit Antiocheno primo. In MS. Corsendonc: & in margine apud Surium dicitur* Seriniensis Episcopus, *litteris* r *&*, s *per errorem transpositis. Eidem Sebastiano Ep. Rhizsiniensi scripta est epistola 25 lib.1 vbi etiam de S. Anastasio Patriarcha Antiocheno agitur. De eodem infrà agitur num.49, vbi in MS. Corsend. legitur.* Syriniensi *pro* Rhysiniensi.

Rhisina vrbs

b Bacanda *excusum in Registro ep.4 & 8 hîc citata libri primi. At* Bacauda *ep 18 libri 12. In MS. Corsendonc. & Vita excusa ante opera* Bagauda, *apud Surium* Bagauda. *Erant Formia & Minturna vrbes Campania prope Latium ad mare inferum siue Tyrrhenum.*

Bacanda Ep. Formuensis & Minturnensis

c *Hic est S. Erasmus, qui Officio Ecclesiastico colitur 2 Iunij, cuius corpus, Formiana ciuitate seculo 9 euersa, Caietam vrbem vicinam delatum est cum Sede Episcopali.*

S. Erasmus.

d *Fuerunt vrbes Campania è regione Ischia insula: ex his Cumas anno 1207 excisas fuisse tradit auctor coauus in Historia Translationis S. Iuliana Virg. & Mart. 16 Febru. pag.882. at Misenum oppidum à Saracenis seculo 9 fuisse demolitum scribit Ioannes Diaconus in Historiâ Translationis S. Sosij, 23 Septemb.*

Cuma. Misenum.

e *Velitra antiquum Volscorum in Latio oppidum, quà Terracinâ Romam est iter: at Tres-Taberna (quarum mentio fit cap. vltimo in Actis Apostolorum) apud Asturam flumen vicinum fuêre, vbi locus nunc Cisterna appellatur. Fuit autem Veliternus Episcopus olim ex septem Episcopis Cardinalibus, qui Romano Pontifici vicariam operam*

Velitra Tres-Taberna.

A *ram solebanit impendere. Hanc Sedem Eugenius 3 Papa Ostiensi coniunxit.*

Aleria. f *Aleria vrbs antiqua Corsica maritima ad Orientem sita, etsi ferè diruta sit, suos hactenùs habet Episcopos sub Archiepiscopo Pisano.*

Scyllacium. g *Scyllacium antiqua Brutiorum, etiamnum vrbs Episcopalis in Calabriâ vlteriore ad mare Ionium, cuius sinus Scylacius appellatur.*

Lisita. h *Carolus à S. Paulo in Geographiâ sacrâ coniÿcit hanc vrbem Lisitam, esse Listam Sabin rum, quæ olim fuit circa Velinum amnem in Aprutio Vlteriore prope limitem Vmbriæ, vbi nunc Ciuitas Caliensis seu Deicalis sita est. Sed quidni aliquod tunc oppidum Scyllacio vicinum Lusitanum, vt appellat Vghellus in Scyllacensibus, adiunctum est?*

i *Sequentia huius numeri desunt apud Surium, habentur in Vitâ ante opera excusâ, & in MS.* Corsendoncano *: sed alio ordine.*

Nomentum. k *Nomentum, Latinis & Sabinis adscriptum, distat circiter* XV *M. P. Româ: inde versùs Vmbriam iter facientibus occurrit* Cures *vrbs antiqua Sabinorum, cuius incolæ* Curites; *vnde Latina formatione* Quirites *dicti creduntur.* Tiberius Curium Sabinorum & Seruus-Dei Nomentanus *Epp. interfuêre Concilio Romano sub Hilaro Papa anno 467. At quis hic* Anthemius *colatur nescimus. Leander Albertus in Vmbria* Ecclesiam D. Eutimij *appellat,* Cures. *Concilio Romano anno 595 habita & relata lib 4 Registri ep. 44. subscribit* Gratianus Episcopus ciuitatis Numentanæ: *quem hic relatum* Gratiosum *censet Vghellus, sed perperàm Episcopis Hu-* S. Anthemius. *manatensibus adscribit. Fuit Humana, antiquus Numana vrbs Piceni ad mare Hadriaticum: quam Sedem Martinus V Papa An-* B *conitana subiecit*

Terracina. Fundi. l *Memorato Concilio Romano anno 595 subscribit* Agnellus Episcopus ciuitatis Tarracinensis. *Habebat vtraque vrbs suos hoc tempore Episcopos; Tarracina in limite ditionis Pontificiæ, & Fundi in vicino regno Neapolitano.*

Arenata. m *In epistolis S. Gregorÿ* Harenata *dicitur, in MS. Corsend.* Arerata. *An* Aricia *vicina intelligatur antiquis & hodiernis eodem modo appellata?*

n *Extat ad Demetrium ep. 14 lib. 1 & de eius depositione ad Neapolitanos ep. 3 lib. 2 Ind. 10,*

Nepis. o *Extant ad* Paulum Episcopum *epistola 7 & 12 libri 2 Ind 10, vti de eo ad Neapolitanos ep. 6 eiusdem libri. Sed qui epistola 7 præponitur titulus,* Gregorius Paulo Episcopo Neapolitano, *videtur corrigendus, & legendum* Nepesino, *aut omittendum, vti epistola 12 factum. Est* Nepis *vrbs antiqua Etruriæ, vix* XX *M. P. Româ dissita, in ipsa Patrimonÿ S. Petri ditione, etiamnum Sede Episcopali illustris.*

p *Huic eam visitationem iniungit ep. 20 lib. 2 Ind. 10.*

CAPVT IV

Ordinationes S. Gregorÿ seruandæ in promotione Clericorum, obitu Episcoporum, & xenÿs accipiendis.

Diaconum detinet in Ecclesiâ in quâ ordinatus: *lib. 4. ep. 30*

19 ALiarum parochiarum Clericos, sibi & alÿs discretissimus Pontifex, discretissimè iudicare curabat. Quapropter Eliæ Presbytero & Abbati prouinciæ Isauriæ post aliqua scribens: Filium, inquit, vestrum Epiphanium mandastis, vt ad sacrum Ordi-C nem prouehere deberemus, vobisque retransmittere, sed in vno vos audiuimus, in altero verò minimè potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac Ecclesiâ sacrum Ordinem acceperit, egrediendi ex eâ vlteriùs licentiam non habet. Si ergo videre vos non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio vestro requiesco.

lib 3. ep. 14 *Clericos, vrgentes ob rationes alÿs Ecclesÿs adscribi permittit*

20 Item Maximiano Episcopo Syracusano: Præsentium lator Felix Diaconus, cùm nullatenùs in hæreticorum dogmata lapsus sit, nec à Catholicâ fide discesserit, prauis illectus aduersùs Constantinopolitanam Synodum suspicionibus, in Istricorum se separatione remouerat. Qui cùm Romam venisset, receptâ à nobis, iuuante Domino, ratione, excessum suum receptâ Dominici Corporis & Sanguinis communione correxit. Quia ergò, vt dictum est, non in hæresim incidit, sed à sacris generalis Ecclesiæ mysterÿs quasi rectæ studio intentionis errauit, imbecillitati eius atque necessitatibus consulentes, maximeque sustentationi eius pietatis intuitu prouidentes, in tuâ Syracusanâ Ecclesiâ eum præuidimus cardinandum.

Item *a* Fortunato Episcopo Neapolitano: Fraterni- D tatem tuam à nobis petÿsse recolimus, vt Gratianum *a* Ecclesiæ *b* Venafranæ Diaconum tuæ concederemus *lib. 5. ep. 11* Ecclesiæ cardinandum: & quoniam nec Episcopum, *b* cui obsecundare, nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere; petitionem tuam non præuidimus differendam: idcircò scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus concedendum, habituro licentiam Diaconē illum, nostrâ interueniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere Cardinalem. Item Cypria- *lib. 5. ep. 20* no Diacono: Sicut dilectio tua studiosè laborauit pro personâ Fratris & Coepiscopi nostri Ioannis, vt in Syracusanâ Ecclesiâ, auctore Deo, debuisset ordinari; ita nūc necesse est, vt per dilectionis tuę studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quemdam enim Presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen à Fratre & Coepiscopo nostro *c* Leone in Cata- *c* nensi Ecclesiâ dicitur ordinatus. Et quia in nouam Ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est, vt, dum caussarum tumultibus premitur, in secreto suo inueniat vbi requiescat; prædicto Fratri & Coepiscopo nostro Leoni blandè & leniter persuadere debes, vt ei præfatum Presbyte- E rum cedere debeat, ne, quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destituere fortasse videatur.

Clericis priores, posterius ordinatis præfert.

21 Antiquissimum Ecclesiasticę consuetudinis ordinem Gregorius, ab Apostolis traditum, & ad sua vsque tempora solenniter conseruatum, adeò studiosissimè retinebat, vt nullum quantalibet sanctitate, sapientiâ, nobilitateue polleret, anterioribus Clericis in conuentu, consessu, statione siue subscriptione præponeret. Vnde Ianuario Caralitano Episcopo scribens: Liberatus, inquit, de quo nobis Fraternitas tua indicauit, qui Diaconi fungi perhibetur officio, si à de- *lib. 1. ep. 81* cessore tuo non factus est Cardinalis, ordinatis à te Diaconibus nullâ debet ratione præponi: ne eos, quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodammodò videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantiâ ab intentionis suæ prauitate compesce, & vltimum inter Diaconos stare constitue; ne, dum se illicitè præferri contendit, immeritus loco, in quo nunc situs est, iudicetur. Cuius tamen si obedientiâ fueris inuitatus, & eum post hoc facere Cardinalem volueris, nisi Pontificis sui cessionem solenni more meruerit, abstinendum ab omni eius incardinatione memineris. Quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt alÿs seruare non F differas, quod ipse quoque tibi seruari desideras.

Defunctorum Episcoporum Ecclesias vicinis Visitatoribus committit: *lib. 2. ep. 19 Ind. 10.*

22 Cuius videlicet antiquissimæ consuetudinis ordine Gregorius prouocatus, defunctorum Episcoporum Ecclesias pro faciendo inuentario, & eligendo legitimæ opinionis Episcopo, vicinis Episcopis commendabat, hoc modo scribens: Obitum illius Antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ Ecclesiæ Fraternitati tuæ operam solenniter delegamus. Quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus Clericorum, reditu, ornatu, ministerÿsque, vel quidquid illud est in patrimonio eiusdem, Ecclesiæ à quoquam præsumatur. Et ideò Fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus Clerum plebemque eius admonere festinet, vt remoto studio, diuersarum partium vno eodemque consensu, talem sibi præficiendum expetant Sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri & à venerādis Canonibus nullatenùs respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati & dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos veniat consecrandus: prouisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis vel meriti laicæ perso-

næ

A næ adſpirare præſumant, & tu periculum Ordinis tui, quod abſit, incurras. Monaſteria autem, ſi qua ſunt in ipſius parœciâ conſtituta, ſub tuâ curâ diſpoſitioneque, quouſque illic proprius fuerit Epiſcopus ordinatus, eſſe concedimus: vt ſolicitudinis tuæ vigilantia propoſito ſuo congruâ, Deo adiuuante, actione

Ibid.ep.27

reſpondeat. Item Clero, ordini & plebi: Veſtri Antiſtitis obitum cognoſcentes, curæ nobis fuit deſtitutæ Eccleſię viſitationem illi Fratri & Coepiſcopo noſtro ſolenniter delegare: cui dedimus in mandatis, vt nil de prouectionibus Clericorum, reditu, ornatu, miniſterijſque à quoquam vſurpari patiatur. Cuius vos aſſiduis adhortationibus conuenit obedire, quatenùs in Eccleſiaſtico obſequio Sacerdos exquiratur, qui à venerandis canonibus nullâ diſcrepet ratione. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti, omnium ſubſcriptionibus roboratì, & viſitatoris paginâ proſequente, ad nos veniat ordinandus. Prouiſuri ante omnia, ne cuiuſlibet vitæ vel meriti laicam perſonam præſumatis eligere: etenim non ſolùm ille ad Epiſcopatus apicem nullâ ratione prouehetur, verùm etiam vos nullis interceſſionibus veniam poſſe promereri cognoſcite: ſed omnes, quos ex vobis de B laicâ perſonâ adſpirare conſtiterit, ab officio & à communione alienos faciendos procul dubio noueritis.

Pro inuentario faciendo nihil accipiendum decernit. lib.3.ep.11

23 Nullâ occaſione Gregorius quidquam de donarijs ſiue prædijs quarumlibet Eccleſiarum patiebatur auferri. Idcircò Maximiano Syracuſano Epiſcopo inter alia ſcribit, dicens: Caritatem tuam commonere curauimus, vt ſi quiſpiam Epiſcoporum de hac luce migrauerit, vel, quod abſit, pro ſuis fuerit motus exceſſibus, conuenientibus hierarchicis cunctiſq; Cleri Prioribus, atque in ſui præſentiâ inuentarium rerum Eccleſiæ facientibus, omnia, quæ reperta fuerint, ſubtiliter deſcribantur: ne, ſicut anteà fieri dicebatur, ſpecies quædam aut aliud quodlibet de rebus Eccleſiæ, quaſi pro faciendi inuentarij labore, tollatur. Sic namque ea, quæ ad munitionem facultatis pauperum pertinent, deſideramus expleri, vt nulla penitùs in rebus eorum ambitioſis hominibus venalitatis relinquatur occaſio. Viſitatores Eccleſiarum, Clerici quoque eorum, qui cum ipſis per non ſuæ ciuitatis parœcias fatigantur, aliquod laboris ſui capiant, te diſponente, ſubſidium. Iuſtum namque eſt, vt illic conſequantur ſtipendium, quo pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium.

C

Conſuetudines dationum, vel xeniorum repellit. lib.1. ep.64

24 Conſuetudines dationum vel xeniorum à ſuis Epiſcopis accipere Gregorius, quaſi pondus quoddam peſtiferum, toto mentis conamine detrectabat. Vnde Felici Epiſcopo Meſſanenſi: Conſuetudines, inquit, quæ Eccleſijs grauamen noſcuntur inducere, noſtra nos decet conſideratione remittere: ne illic aliqua cogantur inferre, vnde ſibi referenda debent potiùs expectare. Clericis quidem tuis vel aliorum, conſuetudinem te oportet illibatam ſeruare; eiſque annis ſingulis, quæ ſunt conſueta, tranſmittere: nobis verò de cetero, ne quid tranſmitti debeat, inhibemus. Et quoniam non delectamur xenijs, *d* palmatianas, quas tua direxit Fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepimus. Sed eas, ne quod exinde ſentire potuiſſes diſpendium, digno fecimus pretio venundari; & id tuę Fraternitati tranſmiſimus ſigillatum. Sed quia caritatem tuam ad nos velle venire cognouimus, ſcriptis præſentibus admonemus, vt ad veniendum non debeas laborem aſſumere: ſed ora pro nobis, vt quantò nos itineris interualla diſſociant, tantò animis noſtris adinuicem, Chriſto adiuuante, ſimus in caritate coniuncti: quatenùs alternâ nos obſecratione iuuantes, ſuſceptum officium venturo integrum Iudici reſignemus. Item Ioanni Epiſcopo *e* primæ Iuſtinianæ, cui

e lib.4.ep.8

& Pallium mittit, & vices ſuas committit, poſt multa ſcribit: Xenia autem veſtræ ſanctitatis ſuſcipere omnino nolueram, quia valdè eſt incongruum, vt à Prælatis & afflictis Fratribus munera percepiſſe videremur. Sed Reſponſales veſtri alio me argumento vicerunt, ad eum illa deferentes, à quo non poſſent oblationes veſtræ Fraternitatis repelli.

D *AVCTORE IOANNE DIACONO*

lib.2. ep.4 Indict.

25 Hinc eſt, quòd Gregorius Epiſcoporum neminem ad Vrbem fatigare delectans, Maximiano Syracuſano Epiſcopo vices ſuas per Siciliam totam commiſit, præcipiens, vt omnes Epiſcopi ſemel in quinquennio Romam venirent. Vnde Cypriano Diacono ſcribens, ait: Nouit dilectio tua hanc olim conſuetudinem tenuiſſe, vt Fratres & Coepiſcopi noſtri Romam ſemel in triennio de Siciliâ conuenirent, ſed nos eorum labori conſulentes, ſcias conſtituiſſe, vt ſuam hic ſemel in quinquennio præſentiam exhiberent; &c. Vbi notandum, quia ſi B. Gregorius xenia, quod credi nefas eſt, anhelaret, non Epiſcoporum aduentus à triennio in quinquennium protelaret, imò à triennio in biennium procul dubio feſtinaret.

lib.6.ep.15 Epiſcopos è Siciliâ Romam venire ſemel in quinquennio ſtatuit.

Verùm pretia ſuſcipere recuſat.

26 Sed quando xenia gratè ſuſciperet, qui quamtis diſpenſandas alterius eleemoſynas recuſare timeret, eas tamen & timendo ſuſcipiebat & cautiſſimè diſpenſabat? Quique adeò ſua dare, & aliena non accipere conſueuerat, vt etiam rerum quarumdam pretia penitùs refutaret. Vnde Eulogio Patriarchæ Alexandrino inter cetera ſcribit, dicens: De lignis quod ſcribitis, quia breuia fuerint: nauis, per quam tranſmiſſa ſunt, qualitas fecit. Quia ſi maior nauis veniſſet, potuiſſem ligna etiam maiora tranſmittere. Quod autem dicitis, quia ſi maiora tranſmittimus, pretium datis: largitati quidem gratias agimus, ſed accipere pretium, Euangelio interdicente, prohibemur. Nos enim ea, quæ tranſmittimus, ligna non emimus: & quomodò poſſumus pretium accipere, cùm ſcriptum ſit, Gratis accepiſtis, gratis date? Nunc ergo iuxta modum nauis per nauclerum parua ligna tranſmiſimus: ſequenti verò anno, ſi omnipotenti Deo placuerit, maiora præparamus.

E

lib.3. ep.29

Matth.10

Suffraganeis ſuis Epiſcopis neceſſaria curat. li.10. ep.52

27 Non mirum, ſi liberaliſſimus Pontifex nullas conſuetudines à ſuis ſuffraganeis, nulla xenia capiebat, quibus ipſe, ſi qua neceſſaria habere videbantur, ſatis hilariter miniſtrabat. Vnde Venantio Epiſcopo Peruſino ſcribit, dicens: Fratrem & Coepiſcopum noſtrum Eccleſium frigore omnino laborare cognouimus, pro eo, quòd hyemalem veſtem non habeat, & quia aliquid ſibi à nobis petijt debere tranſmitti, Fraternitati tuæ ad hoc per latorem præſentium tranſmiſimus *f* amphimallum, tunicam & pectorale; vt à te ei debeant ſine morâ tranſmitti; & ideò ad prædictum Fratrem noſtrum ſub omni illud celeritate ſtude tranſmittere, atque nobis hoc ipſum quia tranſmiſeris, tuis renuntiare epiſtolis non omittas. Sed ita fac, vt ad tranſmittendum, quia vehemens frigus eſt, moram aliquam minimè facias. Item eidem *g* Eccleſio Cluſino Epiſcopo: Scripta Fraternitatis veſtræ ſuſcipientes, contriſtati ſumus, quòd vos per ea & grauiter infirmatos & adhuc debiles eſſe cognouimus. Et licet ſanctitatem veſtram videndi deſiderium haberemus, bene tamen feciſtis iſto vos illic tempore continere, ne venientes huc, de ægritudinis veſtrę moleſtiâ recidiuam nobis triſtitiam faceretis. Et poſt pauca: Vnum autem caballum vobis, qualem inuenire potuimus, de benedictione S. Petri tranſmiſimus, vt habeatis, cum quo poſt infirmitatem vectari poſſitis.

F

g lib.8.ep.46

a Fortunatus Epiſcopus Neapolitanus factus anno 593. quem de modo in Eccleſia ſua conuerſandi inſtruit S. Gregorius ep. 61 lib.2 Ind.11. Eidem plurimas epiſtolas inſcripſit. — *Fortunatus Ep.*

b Eſt Venafrum in eadem cum Neapoli Campaniâ Sedes Epiſcopalis, ad montem Apenninum haud procul Vulturno flumine. — *Venafrum.*

c Leontius meminit S. Gregorius ep. 70 libri 1. Illi ſcripſit ep. 34 lib 3.

A *lib 3. ep. 31 lib. 5, ep. 21 lib 8, ep. 5 lib 9 & ep. 22 lib 11.*

d *Palmariana, forsan flores similesue res ex palmarum folijs confecta.*

e *Iustiniana prima, vrbs Illyrici Orientalis, à Iustiniano Imp. inde oriundo dicta, cùm Achrida antè appellaretur, dicitur & regia Bulgaria. At Ioanni eius Episcopo S. Gregorius subijci Felicem Episcopum Sardicæ mandat ep. 10 lib. 4.*

f Amphimallum, *vtrimque villosum, vti* heteromallum *ab alterâ solum parte villosum. Surius habet* amphimachum, *MS. Corsend.* amphibalum, *quæ vox etiam pro veste accipitur.*

g *In epistolâ hac S. Gregorij per errorem* Eulogius, *excusum est, melius in superiori* Ecclesius, *quem miramur ab Vghello in Catalogo Episcoporum Clusinorum omissum. Est Clusium vrbs Etruriæ in ditione nunc Senensi prope agrum Perusinum.*

CAPVT V

Vitia aliquorum Episcoporum à S. Gregorio reprehensa.

In Episcopis quas virtutes requirat;

28 TAli Patrono tunc illius temporis Pontifices ampliati, tam nouas Ecclesias à fundamentis construentes ornare, quàm veteres quoque splendidissimè renouare cœperunt. Nam Gregorius nihil in B suis Coepiscopis magis, quàm sanctitatem, sapientiam & liberalitatem curiosissimè quæritabat. Quod vt significantiùs elucescat, quasdam epistolarum eius adhibeo, quarum testimonio lector meus quorumdam Episcoporum vitia reprehensa cognoscat. Ait enim in epistolâ a Secundino seruo Dei inter cetera.

a lib. 5. ep. 29 *Marinianum auaritiæ notat:*

29 Fratrem nostrum Marinianum Episcopum verbis, quibus vales, excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venêre quidam ad me, in quibus erant quidam senes mendicantes. Qui à me discussi sunt, à quibus quid acceperint: & per singula retulerunt quanta eis & à quibus in itinere data. Quos dum solicitè de prædicto Fratre requirerem, quid eis dedisset: responderunt se eum rogasse, sed ab eo nihil accepisse: ita vt neque panem in viâ acceperint, quod dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis, dicens: Non habeo, quod vobis dem: & miror si is, qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet; quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo illi, vt cum loco mutet mentem: non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu nihil fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus occurrat, alienam inopiam suam C credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.

b lib. 9. ep. 9 *Serenum de confractu imaginibus arguit,*

30 Item b Sereno Episcopo Massiliensi post aliqua: Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quòd eas adorari vetuisses, omnino laudauimus: fregisse verò reprehendimus. Dic Frater, à quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit reuocare, ne despectis alijs Fratribus, solum te sanctum esse crederes & sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsâ ignorantes vident quod sequi debeant: in ipsâ legunt, qui litteras nesciunt. Vnde & præcipuè Gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te, qui inter Gentes habitas, attendi decuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocioribus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit, quod non adorandum in Ecclesijs, sed ad instruendas solummodò mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses, sine D dubio & ea, quæ intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed dispersum potiùs poteras congregare: vt Pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Hinc autem, dum in hoc animi tui incautè nimis motus exequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, vt maxima eorum pars à tuâ se communione suspenderet. Quando ergo ad ouile Dominicum errantes oues adduces, qui, quas habes, retinere non præuales? Proinde hortamur, vt vel nunc studeas esse solicitus, atque ab hac te præsumptione compescas, & eorum animos, quos à tuâ disiunctos vnitate cognoscis, paternâ ad te dulcedine omni annisu omnique studio reuocare festines.

harum vsum explicat; — *& antiquitatem docet.*

lib. 2. ep. 34 Ind. 10. *Ianuarium iniurias suas vindicantem deterret:*

31 Ianuario quoque Caralitano Episcopo post aliqua scribit, dicens: Inter querelas multiplices Isidorus, vir clarissimus, à Fraternitate tuâ frustrà se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod quamobrem factum fuerit, dum à Clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nullâ aliâ causâ, nisi pro eo, quòd te iniuriauerat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit. Quia si ita est, nil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conuersationem habere significas, dum E pro vindictâ propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de cetero omnino esto circumspectus atque solicitus, & talia cuiquam pro defensione iniuriæ tuæ inferre denuò non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias pòst vindicandum.

lib. 7. ep. 2 Ind. 2. *Et pro exaratione messis die Dominico, reprehendit*

32 Item eidem: Prædicator omnipotentis Domini Paulus Apostolus præcipit, dicens: Seniorem ne increpaueris. (1. Tim. 5.) Sed hæc eius regula in eo seruanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi enim senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districtâ increpatione feriendus est. Nam scriptum est: Laqueus iuuenum omnes vos. (Esa. 42.) Et rursum Propheta dicit: Puer centum annorum, maledictus erit. (Esa. 66.) Tanta autem nequitia ad aures meas de tuâ senectute peruenit, vt eam, nisi adhuc humanitus pensaremus, fixâ iam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est, quòd Dominicorum die priusquàm Missarum solennia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti, & post exarationem eius Missarum solennia celebrasti: post Missarum verò solennia etiam & terminos possessionis illius eradicare minimè timuisti. Quod factum quæ pœna debuit insequi, omnes, qui audiunt, sciunt. Dubij autem de tantâ hac peruersitate fueramus: sed Filius noster Cyriacus Abbas, à nobis re- F quisitus, dum esset Carali, ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur, aliquandò resipisce, senex, atque à tantâ leuitate morum & operum peruersitate compescere. Quia quantò morti vicinior efficeris, tantò fieri solicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ sententia in te fuerat iaculanda: sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus.

c lib. 9. ep. 48 *Desiderium quod Gentilium libros legat, corripit:*

33 Omnes omnino Pontifices à lectione librorum Gentilium Gregorius inhibebat: Quapropter c Desiderio Galliarum Episcopo, Pallium postulanti, scribit, inquiens: Cùm multa nobis bona de vestris fuissent studijs nuntiata, ita cordi nostro est nata lætitia, vt negare ea, quæ sibi Fraternitas vestra concedenda depoposcerat, minimè pateremur. Sed post hoc peruenit ad nos, quod sine verecundiâ memorare non possumus, Fraternitatem tuam Grammaticam quibusdam exponere. Quâ rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementiùs aspernati, vt ea, quæ priùs dicta fuerant, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in vno se ore, cum Iouis laudibus, Christi laudes non capiunt. Et quàm graue nefandumque sit Episcopis canere, quòd nec laico Religioso conueniat, ipse considera.

Nam

A Nam quamuis dilectissimus Filius noster Candidus Presbyter postmodùm veniens, hac de re subtiliter inquisitus negauerit, atq; vos conatus fuerit excusare; de nostris tamen adhuc animis non recessit. Quia quantò execrabile est hoc de Sacerdote narrari, tantò vtrum ita necne sit, districtâ & veraci oportet satisfactione cognosci. Vnde si post hoc euidenter hæc, quæ ad nos perlata sunt, falsa esse claruerint, neque vos nugis & secularibus litteris studere constiterit; & Deo nostro gratias agemus, qui cor vestrum maculari blasphemis nefandorum laudibus non permisit, & de concedendis, quæ poscitis, securi iam & sine aliquâ dubitatione tractabimus.

d lib.2.ep.14 Ind.10 Natalem de negligentia & conuiuijs reprehendit:

34 Nihilominùs *d* Natali Salonitano Episcopo scribit, dicens: Multis ab vrbe tuâ venientibus, Frater reuerendissime, didici, pastorali curâ derelictâ, solis te conuiuijs occupatum. Quæ audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia lectioni nequaquàm studeas, nequaquàm exhortationi inuigiles, sed ipsum quoque vsum Ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimonium, quod eis, sub quibus es positus, seruare reuerentiam nescis.

B

Ibid.ep.37. & se excusare molientem perstringit:

35 Sed cùm Natalis per inanem Philosophiam scriptis proprijs se niteretur inculpabilem demonstrare; mitissimus Doctor Gregorius ita rescripsit: In conuiuiorum defensione vestra Fraternitas Abrahæ conuiuium memorat, in quo, teste sacro eloquio, tres Angelos suscepisse perhibetur. Sed hoc exemplo neque nos beatitudinem vestram reprehendimus, si hanc suscipere Angelos in hospitalitatem cognoscimus. Rursum narrat tua Fraternitas Isaac satiatum, filio benedictionem dedisse. Quæ vtraque veteris Testamenti, quia ita sunt gesta per historiam vt tamen significarent aliquid per allegoriam, vtinam valeamus sic res gestas legendo percurrere, vt possimus etiam gerendas præuidendo sentire. Ille quippe in tribus Angelis vnum salutans, Trinitatis subsistentias vnius substantiæ esse declarauit. Iste verò satiatus benedicit filium, quia qui diuinis epulis repletur, illius sensus in Prophetiæ virtutem extenditur. Diuinæ autem epulæ, sacri eloquij verba sunt. Si igitur assiduè legitis, si exemplum ab exterioribus trahentes interna penetratis, quasi de agri venatione satiati mentis ventrem repletis: vt anteposito filio, suscepto videlicet populo, possitis ventura nuntiare. Sed iam in hoc seculo caligat, qui de Deo aliquid prophetat: Quia profectò dignum est, vt hìc iam per concupiscentiam minùs videat, cuius sensus per intelligentiam intùs coruscat.

Gen.8. Gen.27. ostendit epulas diuinas Scripturam sacram esse,

C Hæc ergo ad vosmetipsos trahite, & si vos tales agnoscitis, nihil est, quod de vestrâ æstimatione dubitetis. Gaudere quoque beatitudinem vestram inuenio, si voracis nomen cum rerum auctore sustineat. Quod ego breuiter expono, quia si de vobis falsum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum auctore sustinetis: si verò de vobis verum est, quod de illo falsum fuisse quis dubitet, absoluere vos non valet par nomen, quorum dispar est caussa. Nam cum eo crucem etiam periturus latro suscepit: sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absoluit. Ego tamen quantis valeo precibus deposco, vt sanctissimam Fraternitatem vestram auctori nostro Deo non solùm nomen, sed etiam caussa coniungat. Conuiuia autem, quæ ex intentione impendendæ caritatis fiunt, rectè vestra sanctitas in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc veraciter ex caritate prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur, nullus irrisione reprehenditur, & non in eis inanes secularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cùm non plus quàm necesse est, seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque si vos in vestris conuiuijs agitis, abstinentium (fateor) magistri estis. Quod ergo

Matth.11.

& conuiuia ex caritate facienda.

D Pauli Apostoli ad me testimonium posuistis, Qui non manducat, manducantem non iudicet: omnino existimo incongruum fuisse: quia neque ego non comedo, neque ob hoc à Paulo Apostolo dictum est, vt membra Christi, quæ in eius corpore, id est, in Ecclesiâ sibi caritatis compage connexa sunt, nullam de se vllo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, iure tacere compellerer: vt eum non reprehenderem, qui emendari non posset. Hæc ergo sententia propter eos solummodò dicta est, qui illos iudicare student, quorum cura sibi commissa non est. At postquàm nos auctore Domino vnum sumus, si vobis ea, quæ corrigenda sunt, tacemus, valdè delinquimus.

AVCTORE IOANNE DIACONO

Episcopum ab Ecclesiâ suâ abesse vetat:

36 Neminem sanè Pontificum à parœciâ suâ saltem parumper absque ineuitabili prorsus necessitate discedere Gregorius permittebat, quos nimirùm in caussis mundialibus occupari vehementissimè prohibebat. Vnde *e* Romano defensori scribit, dicens: Perlatum ad nos est, reuerentissimum Fratrem nostrum Basilium Episcopum, velut vnum de laicis, in caussis secularibus occupari, & prætorijs inutiliter obsecundare. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit & reuerentiam Sacerdotalem annihilat, statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad reuertendum districtâ executione compellat, quatenùs ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat: ne, si quolibet modo eum ibidem ampliùs moram habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.

e lib.8. ep.11

E

f lib.5. ep.23 Pimenium Amalphitanum Episcopum per diuersa loca vagantem increpat:

37 Item Anthemio Subdiacono: Peruenit ad nos, Pimenium, *f* Amalphitanæ ciuitatis Episcopum, in Ecclesiâ suâ residere non esse contentum, sed foras diuersa per loca vagari. Quod videntes alij, nec ipsi in castro se retinent: sed eius exemplum sequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes, ipsi potiùs ad suam hostes deprædationem inuitant: idcircò hac tibi auctoritate præcipimus, vt suprascripto Episcopo interminari non desinas, quatenùs hoc de cetero facere non præsumat, sed in Ecclesiâ suâ Sacerdotali more resideat. Quem si fortè non emendari post tuam interminationem cognoueris, in monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, vt quid facere debeas, nostrâ iterum præceptione cognoscas.

a *Secundino seruo Dei incluso scripta est longa epistola 54 lib. 7. Ind.2.*

F

b *Sereno Episcopo antè epistolâ 52 lib. 5 commendarat S. Augustinum, quem in Angliam ab eo missum suprà diximus. Colitur 2 Augusti.* — *S.Serenus.*

c *Hic videtur esse S. Desiderius Archiepiscopus Viennensis & Martyr, cuius Vita illustranda est ad 23 Maij.* — *S. Desiderius.*

d *Natali Salonitano Ep. scripta epistola 19 & 20 lib.1, alia infrà lib. 4 num.28 refertur. Fuit Salona vrbs Dalmatiæ, palatio Diocletiani celebris, sed ea intercidit.* — *Natalis Epi Salona.*

e *Defensori Siciliæ inscribitur epistolâ.*

f *Amalphis in Principatu interiore regni Neapolitani vrbs, Ducatus titulo insignis, sed corpore S. Andreæ Apostoli eò translato illustrior.* — *Amalphis.*

CAPVT VI

Exemplo amitarum, arguuntur à S. Gregorio socordia & secularia desideria Episcoporum.

Hom.38 in euangelia. Tres amitæ S.Gregorij.

38 NOn mirum, si Gregorius ex ministerio sibi credito, curabat vitia quorumlibet Præpositorum verbis salubribus increpare, qui lapsum propriæ amitæ non dubitauerit ad instructionem populi poste-

AVCTORE IOANNE DIACONO

A posterorum memoriæ commendare. Siquidem Euangelicâ sententiâ, quâ dicitur, Multi sunt vocati pauci verò electi, volens multorum vocationem à paucorum electione formis exemplorum discernere, perhibet dicens: Pater meus tres sorores habuit, quæ cunctæ sacræ Virgines erant. Quarum vna Tharsilla, alia Gordiana, alia Aemiliana dicebatur. Vno omnes ardore conuersæ, vno eodemque tempore sacratæ sub districtione Regulari degentes, in domo propriâ socialem vitam ducebant. Cumque essent diutiùs in eadem conuersatione, cœperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui a Tharsilla & Æmiliana succrescere, & cum solo essent hic corpore, quotidie animo ad æterna transire. At contrà Gordianæ animus cœpit ab amore caloris intimi per quotidiana detrimenta tepescere & paulisper ad huius seculi amorem redire. Crebrò autem Tharsilla dicere Æmilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat: Video Gordianam sororem nostram, de nostrâ sorte non esse. Perpendo enim, quia foras defluit, & cor ad quod proposuit, non custodit. Quam curabant blandâ quotidie redargutione corripere, atque à leuitate morum ad grauitatem sui habitus reformare. Quæ qui-

Mat. 22.

B dem resumebat vultum subitò grauitatis inter verba correptionis, sed cùm eiusdem correptionis hora transisset, transibat protinùs & superducta grauitas honestatis: moxque ad leuia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valdè onerosa erat, quæcumque huic mundo dedita non erat. Quadam vero nocte huic Tharsillæ amitæ meæ, quæ inter sorores suas virtute orationis continuæ, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singularis, grauitate vitæ venerabilis, in honore & culmine sanctitatis excreuerat, sicut ipsa narrauit, per visionem atauus meus Felix, huius Romanæ Ecclesiæ Antistes, apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ subsequenti mox febre correpta, ad diem peruenit extremum. Et sicut nobilibus fœminis virisque morientibus multi conueniunt, qui eorum proximos consolentur: eadem horâ, eius exitum præstolantes, viri ac fœminæ lectulum circumsteterunt, inter quas mater quoque mea adfuit. Cum subitò sursum illa respiciens, Iesum venientem vidit, & cum magnâ animaduersione cœpit circumstantibus clamare, dicens: Recedite, recedite, Iesus venit. Cùmque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima carne soluta est. Tantaque subitò fragrantia miri odoris adspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet, illic

8 Tharsilla à S. Felice monita,

à Christo apparente moritur:

C Auctorem suauitatis venisse. Cùmque corpus eius ex more mortuorum, ad lauandum esset nudatum, longæ orationis vsu, in cubitis eius & genibus camelorum more inuenta est obdurata cutis excreuisse: & quid viuens eius spiritus semper egerit, mortua caro testabatur. Hæc autem gesta sunt ante Dominici Natalis diem. Quo transacto, mox Æmilianæ sorori suæ per visionem nocturnæ visitationis apparuit, dicens: Veni, vt quia Natalem Dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam iam tecum faciam. Cui illa protinùs, de Gordianæ sororis suæ salute solicita, respondit: Etsi sola venio, Gordianam sororem nostram cui dimitto? Cui tristi vultu iterum dixit: Veni: Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis est secuta, atque ita, vt dictum fuerat, ante Dominicæ Apparitionis diem, eadem molestiâ ingrauescente, defuncta est. Gordiana autem mox vt solam remansisse se reperit, eius prauitas excreuit: & quod priùs latuit in desiderio cogitationis, hoc pòst effectu prauæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, oblita consecrationis, conductorem postmodùm agrorum suorum maritum duxit. Ecce omnes tres vno priùs ardore conuersæ sunt, sed

S. Æmiliana ab illâ euocata obit:

Gordiana deserit Professionem, diuini timoris oblita:

D non omnes in vno eodemque studio permanserunt: quia, iuxta Dominicam vocem: Multi sunt vocati, pauci verò electi.

39 Subditorum quoque negligentias Gregorius subtiliter inquirebat, & districtissimis redargutionibus emendabat. Vnde Vitaliano Episcopo b Sipontino scribens: Si custos, inquit, Religiosi habitus, aut esse nosses Episcopus, filiæ gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ te illic posito, nec proiectis religiosis vestibus ad secularem reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolam destinare. Sed quia nimiâ desidiâ, nimioque torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impunè commissa est. Nam si, vt præfati sumus, solicitus extitisses, priùs ad nos vltio mulieris prauissimæ, quàm culpa debuit peruenire. Quia ergo tantùm hebes, tantùmque es negligens, vt nisi canonicam in te fueris coercitionem expertus, in alijs districtionem & disciplinam nescias custodire: qualiter debeas esse solicitus, congruo tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrabimus.

lib 7. ep. 9 Ind. 1. huic alia similis indicatur: b

40 Item Sergio defensori: Si homo esses aut discretionem aliquam habuisses, ita Regularis disciplinæ debuisti custos existere, vt ea, quæ illic illicitè committuntur, antè vindicta corrigeret, quàm ad nos eorum nuntius perueniret. Sed dum nimia te facit stultitia negligentem, non solùm de illis offendimur, sed etiam ad vlciscendum desidiam tuam nihilominùs prouocamur.

ibid. ep. 10 alterius negligentia reprehenditur: E

41 Item Anthemio Subdiacono Campaniæ: Peruenit ad nos Fratrem & Coepiscopum nostrum Paschasium, ita desidem negligentemque in cunctis existere, vt in nullo quia est Episcopus agnoscatur: adeò vt neque Ecclesia ipsius, neque monasteria, siue filij vel oppressi pauperes, eius erga se dilectionis studium sentiant, nec aliquam supplicantibus sibi, in quibus iustum est, opem defensionis accommodet: &, quod adhuc dici est grauius, consilia sapientium & recta suadentium nullâ patiatur ratione suscipere: vt, quod ipse per se nequit attendere, ab alio saltem possit addiscere: sed rebus, quæ ad Pastoris curam pertinent, prætermissis, ad fabricandam nauim toto se studio inutiliter occupet. Vnde, sicut fertur, contigit quadringentos aut eo ampliùs illum iam solidos perdidisse. Hoc quoque eius culpis adiungitur, quod ita quotidie despectus, cum vno aut duobus Clericis dicitur ad mare descendere, vt apud suos in fabulâ sit, & extraneis sic vilis ac despicabilis videatur, vt nihil habere Episcopalis vel ingenij, vel reuerentiæ iudicetur. Quod si ita est, non sine culpâ tuâ esse cognoscas, qui eum obiurgare atque coërcere, vt dignum est, distulisti. Quia ergo hoc totum non solùm ipsum reprobat, sed etiam ad Sacerdotalis officij pertinere probatur opprobrium; volumus, vt eum coram alijs Sacerdotibus, vel quibusdam filijs suis nobilibus contestari debeas ac hortari, vt vitio torporis excusso, deses esse non debeat; sed in Ecclesiæ suæ ac monasteriorum curâ sit vigilans, paternam filijs suis caritatem exhibeat, in defensione pauperum sit alacer cum discretione: in quibus iustitia suaserit, sit erectus: consilia sapientum libenter suscipiat: quatenùs & ciuitas illa eius queat solicitudine consolari, & ipse desidiæ suæ culpas valeat operire. Si verò, quod non credimus, post hanc adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse tentauerit, ad nos est modis omnibus transmittendus: vt hic positus discere possit, quid vel qualiter secundùm Dei timorem agere conueniat Sacerdotem.

lib. 11. ep. 31 item Paschasii Episcopi

secularia studia culpantur:

F

42 Item eidem: Quoties illa de Fratribus Coepiscopisque nostris audimus, quæ & illos reprehensibiles ostendere, & nobis tristitiam valeant generare, de eorum nos emendatione non mediocriter cogit necessitas cogitare. Quia ergo nuntiatum nobis est,

ibid. ep. 33 increpatur negligentia Campanorum Episcoporum

A est, Campaniæ Episcopos ita negligentes existere, vt immemores honoris sui, neque erga Ecclesias neque erga filios suos paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum se pauperum tuitionem impendant. Ideò hac tibi auctoritate præcipimus, vt eis ad te conuocatis, ex nostro illos mandato districtè commoneas, quatenus desides vlterius esse non debeant, sed Sacerdotalem se habere zelum & sollicitudinem opere doceant. Atque ita in his, quæ eos iustè secundùm Deum agere conuenit, vigilantes existant, vt nullum nos de eis denuò murmur exasperet. Si quem verò eorum post hæc negligentem cognoueris, ad nos eum sine aliquâ excusatione transmitte: vt quàm sit graue nolle ab his, quæ reprehensibilia & valdè vituperanda sunt, corrigi, regulari in se valeat districtione sentire. Item c Victori Episcopo Panormitano post aliqua: Cuius, inquit, iam culpæ sis intelligis, vt ego tam longè positus, quæ in ciuitate tuâ aguntur, agnoscam; & tot curis occupatus, quæ fieri debeant, disponam.

c Panormitano: lib.4.ep.4

43 Notandum sanè, quia sicut manifesta crimina discretissimus Præsul Gregorius aut vix aut numquàm sine vindictâ laxabat; ita nimirùm in rebus dubijs numquàm aliquando certam sententiam proferebat. B Quapropter Andreæ Tarentino Episcopo scribit, dicens: Tribunal Iudicis æterni securus adspiciet, quisquis reatus sui conscius, dignâ eum modò placare pœnitentiâ contendit. Habuisse te siquidem concubinam, manifestâ veritate comperimus. De quâ etiam contraria est quibusdam nata suspicio: sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiæ eligimus committendum. Quâ de re si in sacro Ordine constitutus, eius te permixtione esse recolis maculatum, Sacerdotij honore deposito, ad ministrandum nullo modo præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculum ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huius sceleris conscius, in eo, quo es, Ordine, celans veritatem, permanere volueris.

Tarentinus ob concubinam diiudicatur. lib.1.ep.44 Ind.11.

a De SS. Tharsilla & Æmiliana, & S. Felice Papa suprà actum.

b De Siponto vrbe Apuliæ iam euersa actum 7 Februarij ad Vitam S. Laurentij Ep. Sipontini. Meminit huius Vitaliani Vghellus.

c Victori Ep. Panormitano scripta etiam ep. 41 lib. 5, ep. 94 lib. 7 & 32 lib. 10. De eius primatu agit Rocchus Pirrus.

CAPVT VII

Præcepta S. Gregorij de malis Consiliarijs, prauorum familiaritate cum Episcopis, irâ Præpositorum & protectione liberorum hominum.

44 OB hoc solicitissimus Ecclesiæ Dei custos Gregorius vniuscuiusque Consiliarios arguens, quantùm in se erat, omnes omnino saluare certabat. Vnde Venantio ex monacho Patricio, post aliqua scribens, ait: Scio quia cùm epistola mea suscipitur, protinùs amici conueniunt, litterati clientes vocantur, & de caussâ vitæ consilium à fautoribus mortis quæritur. Qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales etiam fuêre, sicut ipse reminisceris, dudum Consiliarij, qui te ad tanti facinus perduxêre delicti. Et vt tibi aliquid secularis auctoris loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed priùs de ipsis: si verò in caussâ tuâ hominem Consiliarium quæris, Consiliarium me, rogo, suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non tua, sed te diligit. Item Ioanni

Consilia à prauis consiliarijs abstinendum, lib.1.ep.33

D Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo post nonnulla: Ego beatissimo viro Domino Ioanni rescripseram: sed credo, quia mihi familiaris vester ille iuuenculus rescripsit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera caritatis nescit, qui in cælestibus rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diuersorum mortibus per occulta testamenta nec Deum metuit, nec homines erubescit. Mihi crede, Frater reuerendissime, si zelum veritatis perfectè habes, ipsum priùs debes corrigere: vt ex his, qui vobis vicini sunt, etiam hi, qui vicini non sunt, exemplo meliùs emendentur. Illius linguam noli recipere. Ille ad consilium vestræ sanctitatis debet dirigi, non autem vestra sanctitas ad verba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis Fratribus habere non poterit. Item Ianuario Caralitano Episcopo: Eos, inquit, quorum consilijs messem alterius exarasti, & eradicare terminos minimè timuisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus: ita vt si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus euenerit, benedictione viatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum consilijs cautus existe, teque solicitè custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ nec vlteriùs E senectuti parcamus. Item a Callinico Exarcho Italiæ post nonnulla: Illud verò cognoscite, quia me non modicè contristauit, quòd Maior-domus, qui petitionem Episcopi, volentis à schismate reuerti, suscepit, eam se perdidisse professus est, & postmodùm ab aduersarijs Ecclesiæ tenebatur. Quod ego non negligentiâ, sed venalitate eius factum arbitror. Vnde miror, quia in eo culpam hanc minimè vestra excellentia vindicauit: sed tamen quia hoc miratus sum, memetipsum citiùs reprehendi. Nam vbi Dominus Iustinus consilium præbet, qui pacem cum catholicâ Ecclesiâ non habet, ibi non possunt hæretici addici. Prætereà S. Petri Apostolorum Principis natalitium diem in Romanâ ciuitate vos facere velle perhibetis. Et oramus omnipotentem Dominum, vt suâ vos misericordiâ protegat, & vota vestra vos implere concedat. Sed prædictus vir eloquentissimus peto vt simul veniat. Qui si non venerit, à vestis obsequijs recedat: vel certè si vestra excellentia fortasse emergentibus caussis venire nequiuerit, ipse tamen sanctæ Ecclesiæ vnitati communicet. Bonum enim virum audio, si pessimi non esset erroris.

AVCTORE IOANNE DIACONO lib.2.ep.31 Ind.11

lib.7.ep.1 Ind.2.

45 Item Sereno Massilitano Episcopo post multa: Peruenit ad nos, quòd dilectio tua libenter malos homines in societate vel consilio suo recipiat: adeò vt Presbyterum quemdam, qui, postquàm lapsus est, in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus, quia qui talem recipit, scelera non corrigit, F sed magis alijs talia perpetrandi videtur dare licentiam. Sed ne fortè aliquâ tibi subreptione vel dissimulatione, vt à te reciperetur atque adhuc haberetur gratus, suaserit; non solùm hunc à te longius expellere, verùm etiam excessus ipsius Sacerdotali te zelo modis omnibus conuenit resecare: alios verò, qui praui esse memorantur, paternâ adhortatione à suâ prauitate compescere, & ad viam stude rectitudinis reuocare. Quòd si, quod absit, salubri monitu eos videris in nullo proficere, & hos quoque curabis à te procùl abjicere, ne prauitates eorum ex eo, quòd recipiuntur, displicere minimè videantur: & non solùm ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alij corrumpantur. Et considera, quàm & hominibus execrabile & periculosum ante Dei sit oculos, si per eum, à quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur. Hæc igitur, dilectissime Frater, diligenter attende, & ita agere stude, vt prauos salubriter corrigas, & scandalum de malorum societate filiorum tuorum animis non inducas.

lib.9.ep.9 *Lapsos & criminosos ab Episcoporum familiaritate remouendos,*

AVCTORE IOANNE DIACONO

lib. 8. ep. 12 *restringendam præpositorum iram, & vnius culpam alij non debere esse nocivam:*

A 46 Pro vnius culpâ vindicari alium rectissimus Iudex Gregorius minimè permittebat. Ideoque Godescalco Duci Campaniæ scribens, ait: Illa Præpositorum solicitudo vtilis, illa est cautela laudabilis, in quâ totum ratio agit, & furor sibi nil vendicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quidquam agendum, priusquàm concitata ad tranquillitem mens redeat. Nam commotionis tempore iustum omne putat ira, quod fecerit. Peruenit itaque ad nos, magnitudinem tuam vsque ad hoc esse impetu furoris impulsam, vt non solùm frangi ianuas monasterij sancti Archangeli, verùm etiam diripi exinde, quod ibi inuentum est, feceris. Insuper autem sic contra Abbatem eiusdem monasterij diceris exarsisse, vt, nisi occultans se, iracundiæ tuæ tempore latuisset, non leue discrimen incurreret. Denique vt metu tuo perterritus, de domo, in quâ olim se receperat, exire nuncusque non audeat. Quod ne frustrà fecisse forsitan videreris, fugam monachi ipsius, qui ad hostes abijt, ad eius, quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quòd illius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & valdè vestram sapientiam miramur. Nam si licitum putatis, vt aliorum culpa alij sit nociua, multi huic possunt crimini subiacere. B Diuersorum enim nobilium serui, multarum Ecclesiarum Clerici, diuersorum monasteriorum monachi, multorum iudicum homines, sæpè se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, seruorum vtique domini, Clericorum Episcopi, monachorum Abbates, diuersorum fugacium iudices, omnes sub culpâ sunt & crimine constituti. Numquid & diebus magnitudinis tuæ multi de ciuitate, in quâ consistis, ad Longobardorum milites fugâ non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantæque possit stultitiæ reperiri, vt eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam?

lib. 8. ep. 51 *liberos homines non includendos & verberandos:*

47 Libertatem vniuscuiusque hominis Gregorius contra iudicum insolentias, liberis vocibus nihilominus similiter defendebat. Vnde Leontio Exconsuli post aliqua scribens, ait: Si Libertinus in istâ caussâ cautionis culpabilis inuenitur, de alijs caussis quid pro se alleget, nescio. Vnum tamen hoc benè atque constanter noui, quia &, si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia eius cædi debuit, non libertas. Nam in hoc, quod liberi homines cæduntur vel includuntur, vt taceam, quòd omnipotens Deus offenditur, vt taceam, quòd vestra opinio vehementer grauatur; pijssimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges C Gentium, & Imperatorem Romanorum distat, quia Reges Gentium domini seruorum sunt; Imperator vero Romanorum, dominus liberorum. Vnde & vos quidquid agitis, priùs quidem seruatâ iustitiâ, deinde custoditâ per omnia libertate agere debetis. Scriptum
Tob. 4. est enim: Quod tibi non vis fieri, vide ne alteri facias.
Matth. 7. Et per semetipsam veritas dicit: Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. In libertate ergo eorum, qui vobis in discussione commissi sunt, vestram specialiter attendere debetis: & si ipsi à Maioribus vestris iniuriari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum libertatem honorando custodite. Scimus enim qui dixit: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Cuius
Matth. 24. quia verba non transeunt, sed per omnia implentur,
Matth. 7. metuamus quod iterum dicit: In quâ mensurâ mensi fueritis, in eâ remetietur vobis. Quid autem gloria vestra existimat, quia si superbè, si crudeliter agimus, despecto Deo, nobis hominem placamus? Nullo modo. Nam ipse, qui despicitur, eum contra nos, quem despecto Deo placare volumus, irritat. Curemus ergo per omnia placare Deum, qui potens est & iratos homines ad mansuetudinem reducere: nam, sicut dixi, etiam mansueti homines, indignante Deo, ad iracundiam prouocantur. Si autem dicitur, quia sine verberibus atque terroribus fraudes publicæ inueniri non possunt: hoc admittere poteram, si in ratiociniorum caussâ Dominus Leontius non venisset: nam verum etiam est, quia illi solent manibus excedere, qui in sensu & linguâ deficiunt. D

a Romano *Exarcho anno 598 successit* Callinicus, *Surio* Gallinicus, *S. Gregorio longè magis quàm Romanus, obsequentior, mortuus anno 602. De eo fit mentio infrà lib. 4 num. 12.* *Callinicus Exarchus.*

CAPVT VIII

Solicitudo S. Gregorij in apostatis ad monasteria reducendis, & exactionibus minuendis. Protectio vitæ monasticæ contra edictum Imperatoris.

Monet Exarchum Italiæ, ne apostatam à monasterio,

48 CVnctorum Iudicum cupiditates vel scelera Gregorius, quasi camo frenoque, pontificij sui validissimis auctoritatibus restringebat: & si quos dulciter à prauitate corrigere non valebat, scriptorum suorum redargutionibus publicabat. Vnde a Romano Exarcho Italiæ residenti Rauennæ scribit, inquiens: a lib. 4. ep. 18 Apud excellentiam vestram prauorum audacia correptionis debet aculeos magis, quàm defensionis inuenire solatium. E Nam satis graue est, illic habere prauam vt contingat actionem refugium, vnde disciplinæ decet prodire censuram. Peruenit itaque ad nos, Speciosum quemdam Presbyterum, qui caussâ poscente in monasterio à b Ioanne Fratre & Coepiscopo b nostro fuerat deputatus, contra sui Pastoris exinde voluntatem exisse, & Ecclesiasticæ constitutionis vigore despecto, antedicto Episcopo, vestrâ fretum tuitione, resistere. Quod quia excellentiæ vestræ sine dubio pulsat inuidiam, necesse est, vt ab eius vos, habitâ discretione, debeatis tuitione suspendere: ne, si nominis vestri occasione Pastori suo inobediens vel contumax fuerit, ad tempus & vestros contra vos iudices defensare, atque excellentiam vestram hac ex re cogatur offendere, & nos pariter de vestrâ discordiâ contristari. Comperimus etiam, quod dici nefas est, *aut sanctimoniales nubentes, protegat:* quasdam mulieres, quæ nunc vsque in Religioso atque monachico habitu permansêre, religiosam vestem deponere, & coniugibus, quod sine graui referre dolore non possumus, sociari. Sed hoc quidem vt dicere vel attentare præsumant, fauoris vestri patrocinio fulciri dicuntur. F Quod nos credere, peruersitatis ipsius acerbitas non permittit. Petimus ergo, vt in tanto vos peccato miscere nullatenùs debeatis. Nam huiusmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo patimur remanere. Vnde iterum quæsumus, vt excellentia vestra in talium caussarum se defensione non misceat: ne & Deus suam defendat iniuriam, & inter nos aliorum pariat culpâ discordiam. Item Venantio ex monacho Patricio: Multi homines stulti lib. 1. ep. 33 *alienum apostatam grauiter ad reditum in monasterium adhortatur.* putauêre, quòd, si ad Ordinem episcopatus eueherer, te alloqui ac per epistolas frequentare recusarem: sed non ita est. Quia ipsâ iam loci mei necessitate compellor, vt tacere non debeam. Et post pauca: Hac igitur consideratione compulsus, velis nolis, locuturus sum. Quia omni virtute, aut te cupio saluari, aut de tuâ morte me eripi. In quo enim habitu fueris, recolis, & supernę districtionis animaduersione postpositâ, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergo tuā pensa dum vacat; districtionem futuri Iudicis dum vales, exhorresce: ne tunc illam amaram sentias, cùm eam iam nullis fletibus euadas. Et infra: Teste Euangelio scis, quia Matt. 12. diuina seueritas de otioso sermone nos arguit, & de Actor. 5. verbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pensa ergo, quid

A quid facturus est de peruerso opere, si quosdam in iudicio suo reprobat de sermone. Ananias Deo pecunias vouerat, quas pòst, diabolicâ victus persuasione, subtraxit: sed quâ morte mulctatus est, sapis. Si ille igitur mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit; considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum omnipotenti Deo, cui te sub monachico habitu deuoueras, subtraxisti. Quapropter si correctionis meæ verba secuturus audieris, quàm sint blanda & dulcia, in fine cognosces. Ecce fateor, mœrens loquor, & facti tui tristitiâ adductus, edere verba vix valeo: & tamen animus tuus actionis suæ conscius, vix sufficit ferre, quod audit; erubescit; confunditur, auersatur. Si ergo ferre non valet verba pulueris, quid facturus est ad iudicium Conditoris? Fateor tamen, quia supernæ gratiæ esse misericordiam maximam credo, quòd te effugere vitam conspicit, & tamen adhuc ad vitam reseruat: quòd superbientem te videt & tolerat. Cùmque Venantius, in eadem apostasiâ permanens, obortis quibusdam simultatibus, oblationes suas à Ioanne Syracusano Episcopo execratas cognosceret, contra Episcopum hostili more commotus est, eúmque non timuit Gregorio accusare.

B

lib.5.ep.42 Cui ipse rescribit, dicens: Multùm nos ea, quam direxistis, iam nos contristatos inuenit epistola, quòd inter vos & Ioannem Fratrem & Coepiscopum nostrum, de quorum desiderabamus gaudere concordiâ, scandalum prodiisse cognouimus. Quæuis enim caussa fuisset, non vsque ad hoc debuit furor erumpere, vt armati homines vestri, sicut audiuimus, in Episcopum irruerent, & diuersa hostili more mala committerent, atque vos hæc res à paternâ interim caritate diuideret. Numquid non poterat, si quælibet contentio fuit, tranquillè disponi, vt nec partium vtilitas detrimentum, nec sentiret gratia læsionem? Cuius autem grauitatis, cuius sanctitatis, cuius mansuetudinis suprascriptus Frater noster sit, non habemus incognitum. Ex quâ recolligimus, quia, nisi vis eum doloris nimia coëgisset, ad hanc rem, de quâ vos contristatos asseritis, eius Fraternitas nullo modo peruenisset. Nos tamen, vbi hoc eo scribente comperimus, illicò ei scripsimus, admonentes, vt & oblationes vestras, sicut antè, susciperet, & Missas in domo vestrâ non solùm celebrari permitteret, sed si velitis, etiam ipse peragere, & cet. Verùm Venantius cum Episcopo in concordiam rediens, cùm per vndecim annos à Gregorio multiplicibus litteris exhortatus, redire ad monachicum propositum detrectaret, in grauissimam ægritudinem cecidit. [*per vndecim annos,*]

C

lib.9.ep.31 Quod à Ioanne Syracusano Episcopo Gregorius audiens, rescripsit, dicens: Fraternitatis vestræ scripta suscepi, quæ mihi de dulcissimi filij mei Domini Venantij ægritudine loquebantur, & cuncta erga eum qualiter acta sunt, enarrabant. Sed vno tempore auditis, & illum desperare ac grauiter ægrotare, & in rebus orphanorum, filiorum scilicet eius, homines iniquos insistere, vix se in corde meo dolor capere poterat. Sed in hoc solatium fuit, quòd lacrymæ mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas primam, quam decet, curam negligere non debet, vt de animâ eius cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile iudicium proponendo, ineffabilem eius misericordiam promittendo, vt ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ne ei reatus tantæ culpæ in æterno iudicio obsistat. [*etiam ægrotantem, ne pereat:*] Si quos tamen iudicum à suis prauitatibus inconuertibiles Gregorius aduertebat, eos scriptis proprijs penes Principes denotabat.

lib.4.ep.33 Vnde c Constantinæ Augustæ queritur, dicens: Dum in Sardiniâ insulâ multos esse Gentilium cognouissem, eosque adhuc prauæ gentilitatis more idolorum sacrificijs deseruire, & eiusdem insulæ Sacerdotes ad prædicandum Redemptorem nostrum torpentes existerent, vnum illuc ex Italiæ Episcopis misi, qui multos Gentilium ad fidem, Domino cooperante, perduxit. [*c deprecatur apud Augustam iniuriam nationum in Sardinia,*]

D AVCTORE IOANNE DIACONO

Sed quidam rem mihi sacrilegam nuntiauit, quia hi, qui in eâ idolis immolant, iudici præmium persoluunt, vt hoc eis facere liceat. Quorum dum baptizati essent, & immolare iam idolis d desciuissent, adhuc ab eodem insulæ iudice, etiam post baptismum, illud præmium exigitur, quod dari priùs pro idolorum immolatione consueuerat. Quem cum prædictus Episcopus increparet, tantum se suffragium promisisse respondit, vt nisi de caussis etiam talibus impleri non possit. Corsica verò insula tantâ nimietate exigentium, & grauamine premitur exactionum, vt ipsi, qui in illâ sunt, eadem, quæ exiguntur, complere vix filios suos vendendo sufficiant. [*Corsica*] Vnde fit, vt derelictâ piâ republicâ, possessores eiusdem insulæ ad nefandissimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim grauius, quid crudelius pati possunt à barbaris, quàm vt constricti atque compressi suos vendere filios compellantur? In Siciliâ autem insulâ Stephanus quidam marinarum partium chartularius tanta præiudicia, tantasque oppressiones operari dicitur, inuadendo loca singulorum, atque sine dictione caussarum per possessiones ac domos titulos ponendo, vt si velim acta eius singula, quæ ad me peruenêre, dicere, magno volumine hæc explere non possim. [*& Sicilia*]

E

Quæ omnia serenissima Domina solerter adspiciat, & oppressorum gemitus compescat. Et post pauca: Quæ enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt, perpendite, quando filios suos distrahunt, ne torqueantur: qualiter autem miserendum sit filijs aliorum, hoc benè sciunt, qui habent proprios. Vnde mihi hæc breuiter suggessisse sufficiat, ne si ea, quæ in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum Iudicem silentij mei culpa mulctaret.

49 Hinc est, quod huius Gregorij tempore tot Sacerdotes & laici per diuersas regiones miraculis coruscasse, Dialogo teste, probantur, quot numquàm sub posterioribus Pontificibus inueniri posteà potuerunt. [*incitatum odium Iudicum:*] Tantis igitur Ecclesiæ Dei felicitatibus hostis humani generis inuidens, nonnullos Pontificum, simulque secularium iudicum ad eius inuidiam conflagrauit. Super quorum afflictione Ioanni Rauennati Episcopo inter cetera queritur, dicens: Peccatis hoc meis reputo, quia iste, qui nunc interest (haud dubium, quin Romanus Exarchus) & pugnare contra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pacem vetat. [*lib.2.ep.3 Ind.10.*] Quamuis iam modò, etiam si velit, facere omnino non possumus: quia e Ariulfus exercitum f Autarith & Nodulfi habens, sibi dari precariò desiderat, vt nobiscum loqui aliquid de pace dignetur.

F

Item Sebastiano Episcopo Rhiziniensi post aliqua: Quæ sanctissime Frater de amici vestri Domini Romani personâ in hac terrâ patimur, loqui minimè valemus. [*lib.4. ep.35*] Breuiter tamen dico, quia eius in nos malitia gladios Longobardorum vincit: ita vt benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quàm reipublicæ Iudices, qui nos malitiâ suâ, rapinis atque fallacijs in cogitatione consumunt: & vno tempore curam Episcoporum atque Clericorum, monasteriorum quoque & populi gerere, contra hostium insidias solicitum vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cuius laboris sit, cuius doloris sit, vestra Fraternitas tantò veriùs pensat, quantò me, qui hæc patior, puriùs amat. Item Anastasio Patriarchæ post multa: Quæ mala à barbarorum gladijs, quæ à peruersitate iudicum patimur, beatitudini vestræ narrare refugio: ne eius gemitum augeam, quem minuere consolando debueram. [*lib.7.ep.3 Ind.1.*] Item Palladio Presbytero de monte Sinâ post plurima: Peto vt pro me orare debeas, quatenùs omnipotens Deus, & à malis me spiritibus, & à peruersis hominibus custodire dignetur. Quia in hac vitæ meæ peregrinatione, mala me simul [*lib.8.ep.45*]

AVCTORE IOANNE DIACONO

A & multa circumdant: ita vt cum Psalmistâ iure dicam: In me transierunt iræ tuæ & terrores tui conturbauerunt me. Circumdederunt me sicut aqua totâ die, circumdederunt me simul.

Psal. 87

contradicit Mauritio Imperatori prohibenti militibus vitam monasticam. lib 3. ep. 62 Ind. 11.

50 Porro Mauritio, tunc auarissimo simulque rapacissimo Principi, suggestionibus inimicorum suorum funestissimam legem ferenti, vt nulli militum, qui videlicet in manu signatus fuisset, conuerti liceret, inter cetera sic respondit: Ad hoc potestas super omnes homines pietati Dominorum meorum cælitus data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cælorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cælesti regno famuletur. Et ecce apertâ voce dicitur, vt ei, qui semel in terrenâ militiâ signatus fuerit, nisi aut expletâ militiâ aut pro debilitate corporis repulsus, Christo militare non liceat. Ad hæc ecce per me seruum vltimum suũ & vestrum respondet Christus, dicens: Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, & non solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, pijssime Domine, seruo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio

B Domino tuo? Et post pauca: Requirat ergo Dominus meus, quis prior Imperator talem legem dederit, & subtiliùs æstimet, si dari debuerit. Item *g* Theodoro Medico post aliqua; Peccatis, inquit, meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio nescio, talem in republicâ suâ legem protulit Imperator, vt nullus, qui actionem publicam egit, nullus, qui optio, vel manu signatus vel inter milites habitus est, ei in monasterio conuerti liceat, nisi fortè militia eius fuerit expleta. Quam legem primùm, sicut hi dicunt, qui leges veteres nouêre, *h* Iulianus protulit. De quo scimus omnes, quantùm Deo aduersus fuerit.

g ibid. ep. 65

a *Romanus anno 587 creatus est Exarchus, mortuus an. 598.*

b *Hic est Ioannes Ep. Rauennatium, de quo eiusq; obitu pluribus agitur infrà lib. 4 cap. 15.*

c Constantina *filia Tiberij Imperatoris, nupta Mauritio post Imperatori declarato, à Phocâ anno 606 cum tribus filiabus gladio occisa. Surius* Constantiam *appellat. De eâ infrà sæpius agitur.*

Constantina filia Imperatoris.

d *Surius & MS. Corsend* deseruissent.

e Ariulfus *Dux Spoletinus 2, successor Faroaldi, mortuus anno* 601. *De eius contra Romanos bello agit Paulus Diaconus lib. 4 rerum Langobard. cap.* 17. Pro Ariulpho *ab alijs* Arnulphus *legitur.*

Ariulfus Dux.

C f *Regis Langobard. sed iam vltra annum vitâ functi, quem Nonis Septembris anni 590 mortuum esse diximus. Post hunc forsan Nodulfus exercitui præfuerat.*

Autarith Rex.

g *Per hunc Medicum, non per suum Apocrisarium, curabat relatam epistolam tradi in manus Imperatoris. Hæc acta sunt anno 593.*

h *Iulianus impijssimus apostata, qui in ea perfidia sesquianno circiter vixit, occisus 26 Iunij anni 365.*

CAPVT IX

Fortitudo S. Gregorij in redarguendo Patriarchâ C.P. assumente titulum Vniuersalis Episcopi.

Resistit & Ioanni Patriarchæ C.P. titulum Vniuersalis assumenti.

51 Confortabat insaniam iudicum siue fouebat Ioannes, tunc ex monacho regiæ vrbis Antistes, qui eo tempore, quo Gregorius à Pelagio Præsule destinatus Apocrisarius, penes Constantinopolim morabatur, fugere se summum Sacerdotium quasi humiliter finxit. Sed eo *a* suscepto, vsque adeò in superbiam dolosæ mentis excreuit, vt ex caussâ aliâ occasionem quærens, *b* Synodum faceret, in quâ se Vniuersalem appellare conatus est. Quod mox Papa Pelagius vt agnouit, directis epistolis ex auctoritate S. Petri Apostoli, eiusdem Synodi acta cassauit: Diaconum verò, qui iuxta morem, pro responsis Ecclesiasticis faciendis, Imperatoribus adhærebat, cum eo Missarum solennia celebrare prohibuit. Cuius sententiam Beatus quoque Gregorius sequens, prædictum Ioannem sæpè commonitum, acquiescere differentem, sententiâ pari mulctauerat, omnibusque Pontificibus sub interminatione proprij honoris mandauerat, ne vnquam Vniuersalis profanum vocabulum aut scriberent aut scriptum susciperent, aut vbi fuisset scriptum, subscriberent. Quapropter Ioannes, multis fallacijs ad suam hypocrisim consensum auarissimi Imperatoris redimens, obtinuit, vt Imperator Gregorio scriberet, quòd sibi pacificus existeret. Quapropter ipse Imperatrici Constantinæ inter alia scripsit, dicens: Sabiniano Diacono responsali meo scribente cognoui, in caussis B. Petri Apostolorum Principis contra quosdam superbè humiles, fictè blandos, quantâ se iustitiâ vestra Serenitas impendat. Vnde adhuc peto, vt nullius præualere contra veritatem hypocrisin permittatis. Quia sunt quidam, qui iuxta egregij Prædicatoris vocem, per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Qui veste quidem despecti sunt, sed corde tument: & quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt, cuncta simul adipisci quærunt. Qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed priuatis vocabulis contenti esse non possunt: quia illud appetunt, vnde omnibus digniores esse videantur. Et post pauca;

D

lib. 4. ep. 34

E

52 Prætereà indico, quia pijssimi Domini scripta suscepi, vt Fratri & Consacerdoti meo Ioanni debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum Dominum decuit, vt Sacerdoti ista præciperet. Sed cùm se nouâ præsumptione atque superbiâ idem Frater meus Vniuersalem Episcopum appellet, ita vt sanctæ memoriæ decessoris mei tempore adscribi se in Synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamuis cuncti illius Synodi, Sede Apostolicâ contradicente, soluta sint: triste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quòd non eum corripuit, qui superbit; sed me potius ab intentione meâ declinare voluit, qui in hac caussâ Euangeliorum & Canonum statuta humilitatis atq; rectitudinis virtute defendo. Quâ in re à prædicto Fratre & Consacerdote meo, contra Euangelicam sententiam, contra Beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias canonumque statuta agitur. Sed est omnipotens Deus, in cuius manu sunt omnia, de quo scriptum est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et quidem sæpefatus sanctissimus Frater serenissimo Domino multa suadere conatur; sed benè noui, quia tantæ illæ orationis eius lacrymæ nil ei à quoquam contra rationem aut animam suam subripi permittunt. Triste tamen valdè est, vt patienter feratur, quatenùs despectis omnibus, prædictus Frater & Coepiscopus meus, solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac eius superbiâ quid aliud, nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designantur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: Super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo? Vnde per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari, neque tam peruerso vocabulo vllum quoquo modo præbeatis assensum. Atque in hac caussâ nequaquàm me pietas vestra despiciat: Quia etsi peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat, Petri Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati talia mereatur. Vnde iterum atque iterum per omnipotentem Dominum rogo, vt sicut priores Principes S. Petri Apostoli gratiam

Augusti literas, pro eo supplicanti, redarguit.

Prouer. 21

F

Esai. 14.

Sedem Apostolicam semper fuisse venerabilem Imperatoribus ostendit.

A tiam quæsierunt, vos quoque hanc vobis & quærere & seruare curetis: & propter peccata nostra, qui ei indignè seruimus, eius apud vos honor nullatenùs minuatur: qui & modò vobis adiutor esse in omnibus, & postmodùm vestra valeat peccata dimittere. c Viginti autem iam & septem annos ducimus, quod in hac Vrbe inter Longobardorum gladios viuimus: quibus quàm multa ab hac Ecclesiâ quotidianis diebus erogentur, vt inter eos viuere possimus, suggerenda non sunt. Sed breuiter indico, quia sicut in Rauennæ partibus Dominorum pietas apud primum exercitum Italię sacellarium habet, qui caussis superuenientibus quotidianas expensas faciat: ita & in hac Vrbe in caussis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamen hæc Ecclesia, quæ vno eodemque tempore Clericis, monasterijs, pauperibus, populo atque insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum afflictione premitur: quæ de vnius hominis superbiâ multùm gemunt, etsi dicere nil præsumunt.

lib. 4. ep. 32 *primatum Rom. Ecclesiæ defendit,* 53 Auarissimo quoque Principi Gregorius voce liberâ contradicit, post aliqua scribens: Ecce claues regni cælestis haud dubium, quin Petrus accepit. Potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen B Vniuersalis Apostolus non vocatur: & vir sanctissimus, Consacerdos meus Ioannes, vocari Vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor & dicere: O tempora, ô mores! Ecce cuncta in Europæ partibus barbarorum iuri sunt tradita, destructæ vrbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ. Nullus terram cultor inhabitat, sæuiunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum: & tamen Sacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & nouis ac profanis vocabulis gloriantur. Numquid ego in hac re, pijssime Domine, caussam propriam defendo? Numquid specialem iniuriam vindico? Caussam omnipotentis Dei ago, causam vniuersalis Ecclesiæ quæro. Quis iste est, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta nouum sibi nomen vsurpare præsumit? Vtinam vel sine imminutione vnus sit, qui esse appetit vniuersus. Et certè multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem cecidisse nouimus Sacerdotes, & non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum Christum Iesum duas esse personas existimans, quia Deum hominem fieri potuisse non credidit, vsque ad Iudaicam perfidiam erupit. C Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & filio Spiritum sanctum Deum esse denegauit. Si igitur illud nomen in eâ Ecclesiâ sibi quisquam arripit, vnde tot hæresiarchæ prodisse noscuntur, vniuersa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is, qui appellatur Vniuersalis, cadit. Sed absit à Christianis cordibus nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro B. Petri Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est: sed nullus eorũ vnquàm hoc singularitatis nomine vti consensit; ne, dum priuatim aliquid daretur vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergo, quòd nos huius vocabuli gloriam & oblatã non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiã non oblatam præsumit? Ille ergo magis est pijssimorum Dominorum præceptione flectendus, qui pręceptis Canonicis obedientiam præbere cõtemnit. Ille coercendus est, qui sanctæ vniuersali Ecclesiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque Imperij vestri se per priuatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad viam igitur rectam reuertatur auctor scandali, & omnia Sacerdotum iurgia cessabunt. Ego enim cunctorum Sacerdotum seruus sum, inquantùm ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Deum per inanis gloriæ tumorem, atque contra statuta Patrum suam ceruicem erigit, in omnipotente Domino confido, quia meam sibi nec cum gladijs flectet. Quid autem nuper in hac vrbe ex huius vocabuli auditu gestum sit, Sabiniano Diacono ac Responsali meo subtiliùs indicaui.

D AVCTORE IOANNE DIACONO

lib. 4. ep. 38 *admonet Ioannem Vniuersalis titulum sibi assumentem.* 54 Item Ioanni Episcopo Constantinopolitano: Eo tempore, quo Fraternitas vestra in Sacerdotali honore prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quoue tumore nescio, nouum sibi conata est arripere nomen, vnde omnium Fratrum corda potuissent ad scandalum peruenire. Quâ in re vehementer admiror, quia, ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse te velle memini: quem tamen adeptum ita exercere desideras, acsi ad eum ambitioso desiderio decurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, vt despectis Fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et paulò pòst: Verè enim flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quòd ille meus Frater nunc vsque reduci ad humilitatem non valuit, qui ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, vt aliorum animas ad humilitatem reducat: quòd ille, qui veritatem docet alios, semetipsum docere, nec me quoque deprecante, consensit. Item post aliqua: Quis, rogo, in hoc tam peruerso vocabulo nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus, secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt nulli subesse, & solus præesse omnibus videretur? Qui etiam dixit: In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim Fratres tui, omnes Ecclesiæ vniuersalis Episcopi, nisi astra cæli sunt, quorum vita simul & lingua, inter peccata erroresque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent? Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elato præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi in cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis pluunt, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra Fraternitas despiciens, sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendam super altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cum flens conspicio, & occulta Dei iudicia pertimesco, augentur lacrymæ, gemitus se in corde meo non capiunt; quòd vir ille sanctissimus, Dominus Ioannes, tantæ abstinentiæ atque humilitatis, familiarium seductione linguarum, ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbè esse Deo similis voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit, & veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsiuit. Certè Petrus Princeps Apostolorum, primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud, quàm singularum sunt plebium capita? Et tamen sub vno capite omnes membra, atque vt cuncta breui cingulo locutionis adstringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratiâ, omnes hi perficientes corpus Domini sunt in membris Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquàm Vniuersalem vocari voluit. Vestra ergo sanctitas agnoscat, quantùm apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Item post pauca: Certè olim clamatur per Apostolum: Filioli, nouissima hora est: &, secundùm quod Veritas prædicit. Pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgunt gen-

E *Detestatur eius superbiam:*

Esai 14.

F

1. Ioan. 2.
Luc. 21.

AVCTORE IOANNE DIACONO

A gentibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis, terrâ dehiscente, sorbetur, omnia quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ propè est: & quod dici nefas est, Sacerdotum ei præparatur exercitus: quia ceruici militant elationis, qui positi fuerant vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re etiamsi nostra lingua minimè contradicat, illius virtus contra elationem in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Et infra: Considerare nos conuenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinentur multi: Quod tamen si nos considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem iudicia superna vigilabunt. Item eidem in aliâ epistolâ post multa: Sed etiam nunc dico: aut easdem personas, videlicet Ioannem Chalcedonensem, & Athanasium Isauriæ Presbyteros, in suis Ordinibus suscipe, eisque quietem præbe; aut si hoc fortasse nolueris, omni altercatione postpositâ, de eorum causâ statuta maiorum aut Canonum terminos custodi: si verò neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamen venientem à vobis non deuitamus. Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, Canones dicant, benè Fraternitas vestra nouit. Pastores etenim facti sumus, B non percussores. Et egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa, cum omni patientiâ & doctrinâ. Noua verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

lib. 2. ep. 52 Ind. 11.

2. Tim. 4.

55 Item Aniano Diacono Constantinopolitano: De causâ Fratris nostri, viri reuerendissimi Ioannis Episcopi Constantinopolitani, duas epistolas facere volui: sed vna breuiter facta est, quæ vtrumque habere videretur admixtum, id est, & rectitudinem & blandimentum. Tua itaque dilectio eam epistolam, quam nunc direxi pro voluntate Imperatoris, ei dare studeat: nam de subsequenti talis alia transmittetur, de quâ eius superbia non lætetur. Ad hoc enim vsque peruenit, vt sub occasione Presbyteri Ioannis gesta huc transmitteret, in quibus se penè per omnem versum œcumenicum Patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisim illius superna maiestas dissoluet. Miror autem, quod dilectionem tuam fallere potuit, vt permitteres Domino Imperatori persuaderi, quatenùs ad me sua scripta de hac causâ transmitteret, in quibus admoneret, vt cum eo pacem habere debuissem. Qui si iustitiam tenere vult, illum debuit admonere, vt se à superbo vocabulo compesceret, & protinùs inter nos fieret pax. Tamen quâ calliditate à prædicto Fratre nostro Ioanne fa- C ctum sit, vt suspicor, minimè pensastis. Idcircò enim hoc ille fecit, vt aut audiretur Dominus Imperator, & ille in suâ vanitate confirmatus esse videretur; aut non à me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenebimus, nihil in hac causâ aliud, nisi omnipotentem Dominum metuentes. Vnde tua dilectio in nullo trepidet, omnia, quæ in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat, & omnipotentis Dei gratiâ atque B. Petri Apostoli adiutorio confidat, vocem veritatis recolat dicentis: Maior est, qui in vobis est, quàm qui in hoc mundo: & in hac causâ quidquid agendum est, cum summâ auctoritate agat. Postquàm enim defendi ab inimicorū gladijs nullo modo possumus, postquàm pro amore reipublicæ argentum, aurum, mancipia vestesque perdidimus, nimis ignominiosum est, vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud, quam fidem perdere. Vnde sicut iam transactis epistolis scripsi, cum eo numquàm procedere præsumas:

lib. 4. ep. 39 *constans pro veritate & fide.*

1. Ioan. 4. *perituri à si alius inducatur primatu.*

a *Consecratus 12 Aprilis anni 582.*

b *Habita ea Synodus anno 587, à quo elapsos octo annos asserit S. Gregorius epistola 36, libro 4, indictione 13, id est anno 595 qua epistola adhortatur Patriarchas Antiochenum & Alexandrinum, vt superbiam huius insectentur ob nomen Vniuersalis assumptum.*

c *Ab anno 568 quo potissimùm Italiam inuaserunt, ad 595.*

CAPVT X

Corpora SS. Petri & Pauli clara miraculis: eorum brandea, & catenæ in veneratione, vti tunica Pontificia S. Ioannis Euangelistæ. S. Gregorij modestia in titulo Vniuersalis Episcopi non vsurpando.

56 At verò Ioannes, nouæ præsumptionis inuentor, vbi Mauritium Deo aduersum, Gregorio cum suis complicibus fecit infensum, cernens Constantiam Imperatricem totis conatibus Romanæ Ecclesiæ seruanda priuilegia suadere, quantis valuit artibus incitauit, vt propter eam, quam in honorem S. Pauli Apostoli in Palatio ædificabat Ecclesiam, à Gregorio caput eiusdem Apostoli aut aliud quid de ipsius corpore sibi dirigi postularet. Quam calliditatem beatissimus Papa cognoscens, Imperatricis animo taliter satisfecit: Dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram ergæ me potuissem gratiam ampliùs prouocare; E maior me mœstitia tenuit, quòd illa præcipitis, quæ facere nec possum nec audeo. Nam corpora S. Petri & Pauli Apostolorū, tantis in Ecclesijs suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus S. Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore ferè quindecim pedibus, mutare voluit, signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus S. Pauli Apostoli meliorare volui: & quia necesse erat, vt iuxta sepulcrum eiusmodi effodi altiùs debuisset, Præpositus loci illius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro coniuncta, reperit. Quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subitâ morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus idem ad corpus S. Laurentij Martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbi corpus esset venerabile collocatum, effoditur exquirendo, & subitò sepulcrum ipsius ignoranter apertum est. Et hi qui præsentes erant atque laborabant monachi & mansionarij, quia corpus eiusdem Martyris viderunt, quod quidem tangere minimè præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita vt nullus vitæ superesse potuisset, qui semiustum corpus illius viderat. F Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, vt quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodò in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima Sanctorum corpora ponitur. Quod leuatum in Ecclesiâ, quæ est dedicanda, debitâ cum veneratione reconditur. Et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, acsi illic specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis a Leonis Papæ tempore, sicut à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus incidit, & ex ipsâ incisione sanguis effluxit. In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora quisquam tangere fortasse voluerit: quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro quâ re de Græcorum consuetudine, qui ossa leuare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus: nam quidam Græci monachi huc ante biennium venien-

Corpora SS. Petri & Pauli miraculis clara:

lib 3. ep. 30

vt & S. Laurentij,

tangi aut alio transferri nequeunt:

sed eorum brandea, miraculis etiam clara:

A nientes, nocturno silentio iuxta Ecclesiam S.Pauli, corpora mortuorum in campo iacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, seruantes sibi dum recederent. Qui cùm tenti, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt; quòd illa ossa ad Græciam essent tamquàm Sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut prædictum est; maior nobis dubietas nata est, vtrùm verum sit, quòd leuari ossa Sanctorum dicuntur. De corporibus verò beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum; dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut ciuium suorum repeterent? Quæ ducta vsque ad secundum Vrbis milliarium, in loco, qui dicitur Catacumbas; collocata sunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris terruit ac dispersit, vt talia denuò nullatenùs tentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauêre, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo, serenissima Domina, tam temerarius possit existere, vt hæc sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenùs præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi à vobis præ-

B cepta sunt, de quibus parere nullatenùs potuissem, quantùm inuenio, non vestrum est, sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, vt mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent: & propterea quæsiuerunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens inuenirer. Sed in omnipotenti Domino confido, quia nullo modo benignissimæ voluntati subripitur, & sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, non ex corporali præsentiâ, sed ex protectione semper habebitis. Sudarium verò, quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est: quòd ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia Serenissimæ Dominæ tam religiosum desiderium vacuum esse non debet, de catenis, quas ipse sanctus Apostolus Paulus in collo & in manibus gestauit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem vobis aliquam transmittere festinabo; si tamen hanc tollere limando valuero. Quia dum frequenter ex catenis eisdem multi veniunt, & benedictionem petunt, vt parum quid ex limatura percipiant, assistit Sacerdos cum limâ, & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis excutitur, vt mora nulla sit. Quibusdam verò petentibus, diu per catenas ipsas lima ducitur, & tamen vt aliquid inde exeat, non obtinetur.

pars catenæ S.Pauli donatur Constantiæ Augustæ:

C 57 In quibus Gregorij, veracibus vtique, verbis apparet, quia vsque ad illa tempora pro Reliquijs brandeum Romanus Pontifex conferebat, cùm posteriori tempore de vestibus, quæ sub altari S. Ioannis in basilicâ Constantinianâ seruantur, particulæ cœperunt pro sacris Reliquijs petentibus dari.

58 Quæ quidem vestes vsque hactenùs tantis miraculis coruscare probantur, vt siccitatis tempore foras excussæ, pluuiam conferant: inundationis verò, serenitatem reducant. Nam super hæc, quæ per singulas Ecclesias faciunt, quæ in oratorio domus meæ in Suburrâ positæ, per eas Dominus omnipotens fecerit, non celabo. Nuper *b* Adriani Pontificis tempore visum mihi est, vt altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quod extra oratorium S.Ioannis in apertissimo atrio positum, congruis luminaribus honorari non poterat, intra oratorium locari debuisset. Accersitus verò *c* Gaudericus Veliternus, qui adhuc superesse videtur, Episcopus, cum hymnis & canticis ab altari veteri pyxidulas duas sigillatas excussit quarum alteram, me deprecante, nimiùm timoratus aperiens, de illis tunicis, quantùm ex similitudine curiosis oculis potuit deprehendi, particulas reperit, quas solenniter sub nouo altari deposuit. Vbi ex tunc; sicut multi norunt, qui adhuc superstites esse probantur, diuinitus accensæ lampades frequentiùs solito patuerunt. Nam istâ *d* octauâ Indictione in hebdomadâ ante Dominici natalis diem, cùm ego super huiusmodi parum quid dubitarem; completis Matutinalibus hymnis, mansionarius candelam extinxit: quam post vesperum succendere cupiens, accensam reperit, eamque se negligenter extinxisse perpendens, die alterâ solicitiùs prorsus extinxit, & obseratis ianuis, ad vesperum succensurus lampadem remeauit. Quam vbi nihilominùs accensam reperit, ex conscientiâ seruatę à se clauis & miraculo non diminuti olei profectò cognouit, quia lampadem ille succenderat, qui ne oleum in eâ diurnâ succensione minui potuisset, diuinitus ampliarat.

vestis S.Ioannis Euang. miraculis clares,

b

c

D *AVCTORE IOANNE DIACONO*

d etiam lampadibus cælitus accensis:

59 Harum quidem vestium, sicut opinor, altera, quæ strictioribus manicis constat, veraciter S.Ioannis est tunica: quam B.Gregorius suo tempore, quodam Episcopo deferente, suscepit. Vnde Ioanni Abbati inter cetera scribit, dicens: De tunicâ S.Ioannis omnino gratè suscepi, quia solicitus fuisti mihi indicare: sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut, quod est meliùs, eumdem Episcopum, qui eam habet, cum Clericis suis & cum ipsâ ad me transmittere: quatenùs & benedictione tunicæ perfruamur, & de eodem Episcopo vel Clericis mercedem habere valeamus. Altera verò quæ largioribus manicis, non tunica, sed videtur planè esse dalmatica; nisi fallor, *e* S. Paschasij Apostolicæ Sedis Diaconi constat. Qui, iuxta quod idem B. Gregorius in quarto Dialogorum libro meminit, cùm temporibus Symmachi Papæ fuisset defunctus, eius dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est. Sed quamobrem ambæ vestes S.Ioannis dicantur, ideò priscam consuetudinem obtinuisse crediderim, quòd sub eius altari consuetudinaliter recondantur. Nam quòd eorum altera Ioannis Euangelistæ, non autem Baptistæ sit, nemo est qui dubitet: præsertim cùm omnis sapiens nouerit, Baptistam camelorum pilis pro vestibus vsum fuisse: Euangelistam verò, qui per tot annos post Passionem Domini Pontificium gerens, Missarum solennia frequentissimè celebrabat, sine Sacerdotalibus esse nequaquàm vestibus potuisse. Si autem dicitur; quòd tunica & dalmatica, quia Pontificalia sunt indumenta, vtraque S.Ioannis credi debeant, considerandum est, quia Gregorius Ioanni Abbati non dalmaticam, sed tunicam nominarit. Qui si dalmaticam quoque S. Ioannis fuisse sentiret, eius tunicam quærens, consequenter habere se ipsius dalmaticam non taceret.

est tunica Pontificia:

lib.2.ep.3 Ind.11

E

eid. adiuncta dalmatica S.Paschasij Diaconi:

e

lib.4.ep.40

ad Missarum vsum.

F

60 Hæc de S.Ioannis vestibus, de quibus à quamplurimis dubitatur, me vtcumque in B.Gregorij gestis inseruisse sufficiat. Ceterùm Ioannes Constantinopolitanus hypocrita, qui ab Vniuersalis nominis ambitione conuerti multis tergiuersationibus recusabat, iuxta eiusdem Patris Prophetiam, iudicia Domini super se vigilare cognoscens, post non multi temporis spatium, *f* subitâ morte defungitur: & cuius ambitiosam superbiam totus capere mundus vix poterat, in vnius sepulcri angustiâ facile collocatur. Post cuius paullatim discessum, cùm Mauritius Imperator, Sacerdotum videlicet Christi contemptor, pro *g* Cyriaco, qui Ioanni successerat, suaderet, ne pro caussâ tam friuoli nominis Gregorius laboraret, ipse tamdiu Pontificatus sui auctoritatibus restitit, quousque pestem Vniuersalis nominis ab ipsis etiam subdolis adulatorum labijs penitùs abstulisset. Quapropter Eulogio Patriarchæ Alexandrino post aliqua scribens, ait: Indicare vestra beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt: & mihi loquitur, dicens: Sicut iussistis: quod verbum iussionis, peto, à meo auditu remouete: quia scio,

Ioanni Episcopo C P. mortuo, succedit Cyriacus.

f

g

lib.7.ep.30 Ind.1.

S.Gregorius abstinet titulo Vniuersalis,

A scio, qui sum, qui estis. Loco enim mihi Fratres estis; moribus Patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui. Non tamen inuenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè tenere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere. Et ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbū, Vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltrà non faciat, quia vobis subtrahitur, quòd alteri plusquàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem meum esse deputo, in quo Fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor Vniuersalis Ecclesiæ. Meus honor est, Fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, caritatem vulnerant. Et quidem in sanctâ Chalcedonensi Synodo atque pòst à subsequentibus Patribus, hoc decessori-B bus meis oblatum vestra sanctitas nouit: sed tamen nullus eorum vti hoc vnquàm vocabulo voluit: vt dum in hoc mondo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.

AVCTORE IOANNE DIACONO

Annuis in Concilio Chalcedonensi fuerit concessus.

a *Sedit S. Leo ab anno* 440 *ad* 461.

b *S Hadrianus* 1 *creatus Pontifex* 9 *Febru. anni* 772, *mortuus anno* 795.

c *Alijs* Iadericus, *sedit tempore Hadriani* 2 *& Ioannis* 8 *Pontificum, ab hoc cum alijs Episcopis missum eum fuisse anno* 876 *ad Carolum* Caluum, *vt ad Augustalia insignia accipienda Romam euocaret, legimus apud Odorannum & alios. Idem Commonitorium Legatis Sedis Apostolicæ transmissum pro recipiendo Photio approbauit anno* 879.

d *Indicatur annus* 875.

e *Adscriptus est S. Paschasius Diaconus Martyrologio Romano ad* 3 *Maij. vbi in Notis latè disserit de dalmaticâ Baronius.*

f *Præfuit Ioannes Patriarcha annos* 13, *creatus* 12 *Aprilis anni* 582, *mortuus anno* 595, 2 *Septemb. quo die Græci in magnis Meneis & Menologio Basilij Imp.*, *eosq; secutus Molanus eius memoriam sacram celebrant, varijs miraculis enarratis. At contrà sentit Baronius ad an.* 595 *num.* 27 *& seqq. & anno* 596 *num.* 1 *&* 2 *Quę hoc loco monuisse sufficit.*

g *Est etiam Cyriacus Menæis Græcorum adscriptus ad* 27 *Octobris. Ob huius electionem gratias agit S. Gregorius Mauritio Augusto ep.* 6 *lib.* 6, *& eidem Cyriaco scribit epistolas* 4, 5 *&* 28 *eiusdem libri* 6 *& ep.* 47 *lib.* 11, *& ferè agit de pace & vnitate Ecclesiæ & titulo Vniuersalis fugiendo.*

h *In MS. Corsend. hæc subnectuntur*: Explicit liber tertius:
C incipit quartus: *cuius hæc capitula indicantur.*

Capitula libri quarti.

58 Quòd

LIBER IV

CAPVT I

Prudentia S. Gregorij in vsu pallij Episcopo Rauennatum certis temporibus concedendo.

1 HÆc est Gregorij, de refutatione nominis Vniuersalis, plena rationis humilitatisque sententia. Qui videlicet contra superbos prudenter vti nouerat serpentis astutiâ, & à columbæ simplicitate circa humiles minimè recedebat. Quapropter suę temperantiæ conscius, Dominico Carthaginensi Episcopo post cetera: De Ecclesiasticis, inquit, priuilegijs, quod vestra Fraternitas scribit, hoc postpositâ dubitatione teneat: quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura seruamus. Nec cuilibet fauente gratiâ vltrà quàm meretur impertior, nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu stimulante derogo: sed Fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo honore singulos subuehi, dummodò non sit quod alteri iure ab altero possit opponi. Item Eulogio Alexandrino & Anastasio Antiocheno Patriarchis scribit, dicens: Cùm Prædicator egregius dicat: Quamdiù quidem sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo: qui rursùs alias dicit, Facti sumus paruuli in medio vestrûm: exemplum procul dubio nobis sequentibus ostendit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore: quatenùs nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. & cetera. Quod Gregorius, sicut ex præcedentibus ac subsequentibus manifestissimè colligi poterit, & fecit & dixit.

S. Gregorius iura singulis Ecclesijs seruat: lib. 2. ep. 39 Ind. 10.

E

lib. 4. ep. 36

Rom. 11. 1. Thess. 2.

2 Nam a Ioannem Rauennatem Episcopum, typho superbię Pallium frequentantem, suosque Presbyteros ac Diaconos in mappulis procedere permittentem, primò quidem per Castorium chartularium familiariter arguit, pòst ex consuetudine siue priuilegio sibi hæc concessa pertinaciter defendentem, tali sententiâ post nonnulla mulctauit: Vt enim, inquit, ea, quæ superiùs dixi, breuiter colligam, admoneo quatenùs, nisi decessorum meorum munificentiâ tibi hæc per priuilegium attributa docueris, vti in plateis Pallio vlteriùs non præsumas, nè non habere & ad Missas incipias, quod audacter & in plateis vsurpas. De secretario autem, quod Fraternitas tua retedisse cum Pallio, & filios Ecclesiæ suscepisse se & fecit & excusauit, nunc interim nihil quærimus: quia Synodorum sententiam sequentes, minores culpas, quæ negantur, vlcisci recusamus. Hoc tamen quia semel & iterum sit factum, cognouimus. Fraternitas autem tua sit omninò solicita, ne hoc, quod præsumptioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiente deteriùs vindicetur. Et post pauca: Illud autem, quod pro vtendis à Clero vestro mappulis scripsistis, à nostris est Clericis fortiter obuiatum, dicentibus nulli hoc vnquàm alij cuilibet concessum fuisse Ecclesiæ, nec Rauennates Clericos vel illic vel in Romanâ ciuitate tale aliquid cum suâ conscientiâ præsumpsisse: nec si tentatum esset, ex furtiuâ vsurpatione sibi præiudicium generaretur. Sed etiamsi in qualibet Ecclesiâ hoc præsumptum fuerit, asserunt emendandum, quod non con-

a redarguit Ioannem Ep. Rauennat. ob abusum pallij.

F

lib. 2 ep. 54 Ind. 11.

& mappularum in Clero.

Q

A AVCTORE IOANNE DIACONO

concessione Romani Pontificis; sed solâ subreptione præsumitur. Sed nos seruantes honorem Fraternitati tuæ, licet contra voluntatem antedicti Cleri nostri, tamen primis Diaconibus vestris, quos nobis quidam testificati sunt etiam antè eis vsos fuisse, in obsequio dumtaxat tuo mappulis vti permittimus: alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissimè prohibemus.

vsum Pallij in litanijs aliquot diebus ei concedit:

lib. 4. ep. 10

3 Quam sententiam vir vanæ gloriæ cupidissimus, molestissimè ferens, per quoscumque poterat, vsum Pallij sibi restitui magnoperè flagitabat, Cui Gregorius ita scripsit: Fraternitatem vestram valdè inuenio contristatam pro eo, quòd in Litanijs induere Pallium rationis censurâ prohibetur. Sed per excellentissimum Romanum Patricium, & per eminentissimum Præfectum, atque per alios ciuitatis suæ nobiles viros importunè expetit, vt hoc debeat concedi. Nos autem solicitè requirentes ab Adeodato, quondam Diacono Fraternitatis tuæ, cognouimus, quia numquàm consuetudo fuerit decessoribus tuis, vt in Litanijs Pallio, nisi in solennitate B. Ioannis Baptistæ, B. Petri Apostoli, & B. Apollinaris Martyris vterentur. Cui quidem nequaquàm credere debuimus, quia

B

multi apud ciuitatem Fraternitatis vestræ Responsales sæpiùs fuerunt, qui se fatentur tale aliquid numquàm vidisse. Et hac de re multis potiùs credendum est, quàm vni pro suâ Ecclesiâ aliquid attestanti. Sed quia nos Fraternitatem vestram contristari nolumus, & petitionem Filiorum nostrorum apud nos minimè frustrari, vsum pallij, donec subtiliùs veriùsque aliquid cognoscamus, in Litanijs solennibus, id est, die natalitio B. Ioannis Baptistæ, B. Petri Apostoli, & B. Apollinaris, atque in ordinationis vestræ celebratione concedimus. In secretario verò secundùm morem pristinum, susceptis ac dimissis Ecclesiæ filijs, induere vestra Fraternitas Pallium debeat, atque ad Missarum solennia ita proficisci, & nihil sibi ampliùs ausu temerariæ præsumptionis arrogare: ne, dum in exteriori habitu inordinatè aliquid ambitur, ordinatè etiam, quæ licere poterant, amittantur.

eiusdem prauos mores arguit:
lib. 4. ep. 15 Ind. 13.

4 Sed idem Ioannes ab inanis gloriæ ambitione fræno Apostolicæ moderationis coërcitus, ad detractionem Pontificis totus conuertitur. Vnde prudentissimus Pontifex sic eum admonet, dicens: Primùm me hoc contristat, quia mihi Fraternitas tua duplici corde scribit: & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in linguâ suâ seculariter ostendit. Deinde graue mihi est, quia irrisiones illas, quas habere notarii adhuc pueri solent, vsque hodiè Frater meus Ioannes in linguâ suâ retinet, mordenter loquitur, &

C

quasi de tali astutiâ lætatur: amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertiò graue mihi & omnino execrabile est, quia seruis suis, quâ horâ fuerit commotus, turpia crimina imponit, vt effœminati, & adhuc grauiter hoc apertiùs vocentur. Post hoc accessit, quòd disciplina ad vitam Clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodò Clericis suis dominium exhibet. Vltimum verò est, quod tamen pondere elationis primum est: scilicet de vsu Pallij extra ecclesiam, quod temporibus decessorum meorum facere numquàm quisquam præsumpsit, numquàm à decessoribus eius præsumptum est, sicut Responsales nostri testantur, excepto nisi Reliquiæ codecentur, quòd tamen de Reliquijs vnus tatummodò potuit inueniri, qui meis diebus in despectum meum cum summâ audaciâ non solùm faciebat, sed etiam frequentabat. Ex quibus omnibus inuenio, quia honor Episcopatus vestri totus foris in ostensione est, non in mente. Et quidem omnipotenti Deo gratias ago, quia eo tempore, quo ad me hoc peruenit, quod ad aures decessorum meorum numquàm peruenerat, Longobardi inter me & Rauennatem ciuitatem positi fuere. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse discretus. Ne autem credas, quia ego Ecclesiam tuam in aliquo grauari aut minui volo, recordare inter Missarum Romanorum solennia, vbi Rauennas Diaconus stabat, & require, vbi hodie stat, & cognosces, quia Rauennatem Ecclesiam honorare desidero: sed vt quicumque quodlibet ex superbiâ arripiat, hoc ego tolerare non possum. Tamen hac de re iam Diacono nostro Constantinopolim scripsi, vt per omnes, qui sub se etiam tricenos & quadragenos Episcopos habent, requirere debeat. Et sicubi iste vsus est, vt in Litanijs cum Pallijs ambulent, absit vt per me honor Rauennatis Ecclesiæ in aliquo minuatur. Hæc ergo omnia, quæ superiùs dixi, Frater carissime, recogita, diem tuæ vocationis attende, quas rationes de sarcinâ Episcopatus redditurus es considera. Emenda illos mores notarij. Vide quid in linguâ, quid in actu Episcopum deceat. Esto totus purus Fratribus tuis. Non aliud loquaris, aliud in corde habeas. Nec appetas vltrà videri quàm es, vt possis vltrà esse quàm videris.

D

Ioanne mortuo, Marinianũ Episcopum consecrat: pallio donat.

5 Hæc quia Ioannes emendare superbiæ fastu despexit, eodem anno, iuxta quod Gregorius ei prædixerat, diem suæ vocationis dum non attendit, incurrit *b*, & antè tumidus crepuit, quàm meruisset amictu Pallij saturari. Cuius rei gratiâ Gregorius visitationem Rauennatis Ecclesiæ Seuero *c* Siculino Episcopo secundùm consuetudinem priscam committens, *d* Marinianum monachum familiarem suum Rauennatibus Episcopum consecrauit, cui & Pallium dirigit scribens: Apostolicæ Sedis beneuolentiâ, & antiquæ consuetudinis ordine prouocati, Fraternitati tuæ, quam in Rauennati ecclesiâ gubernationis constat suscepisse officium, Pallij vsum præuidimus concedendum. Quo non aliter vti te memineris, nisi in propriæ tuæ ciuitatis ecclesiâ, dimissis iam filijs Ecclesiæ, procedens à salutatorio ad sacra Missarum solennia celebranda. Peractis verò Missis, id in salutatorio rursum curabis deponere. Extra ecclesiam verò non aliter illo tibi, nisi quater in anno, in Litanijs, quas ad decessorem tuum Ioannem expressimus, vti permittimus.

E *b c d*
lib. 4. ep. 54 Ind. 13.

contra Pallij abusum testes ad iurandum adigit:
lib. 5. ep. 33

6 Sed Marinianus Clericorum suorum suggestionibus delinitus, tam per Andream virum magnificum, quàm per quoscumque potuerat, restitui suæ Ecclesiæ vsum Pallij flagitabat. Quapropter Gregorius Castorio chartulario inter cetera scribit, dicens: Tua Experientia nullius personam, nullius verba consideret: solùm Dei timorem & rectitudinem ante oculos habeat, & seniores personas eiusdem Ecclesiæ & Archidiaconum, quem non suspicor pro alterius honore peierare, & alios antiquiores, qui in sacris Ordinibus ante Ioannis Episcopi tempora fuerant, requirat, vel si qui maturiores sunt extra sacros Ordines, & veniant ante corpus S. Apollinaris, & tacto eius sepulcro iurent, quæ consuetudo ante Ioannis Episcopi tempora fuerit. Quia, sicut scis, idem vir multum præsumptor extitit, & multa sibi per superbiam conabatur arrogare. Et quidquid à fidelioribus viris & grauibus iuratum fuerit, secundùm indiculum, qui subter annexus est, hoc voluimus in eadem Ecclesiâ conseruari. Sed vide ne negligenter agas, ne quis fidem aut deuotionem tuam in hac causâ corrumpat. Zelum enim tuum scio: age solicitè, ita tamen, vt prædicta Ecclesia contra iustitiam non grauetur, sed vsus, qui ante Ioannis Episcopi tempora extitit, ei conseruetur. Personas autem non duas vel tres ad satisfaciendum tibi, sed quantas antiquiores & grauiores inueneris, require: vt neque quòd vsus fuit antiquitus eiusdem Ecclesiæ denegemus, neque quod nouo ausu appetitum est, concedamus. Sed omnia age blandè & dulciter, vt & actio tua districta sit & lingua mitis: Iuro ego N. per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, inseparabilem diuinæ potentiæ Trinitatem, & hoc corpus

F

præscribit formulam iuramenti ad corpus S. Apollinaris.

A pus B. Apollinaris Martyris, me pro nullius fauore personæ, neque commodo aliquo interueniente testari: sed hæc scio, & per memetipsum cognoui, quia ante tempora Ioannis quondam Episcopi, Rauennas Episcopus præsente Apocrisiario Sedis Apostolicæ, illo atque illo, illis & illis diebus consuetudinem vtendi Pallio habuit, & non cognoui, quia hoc latenter vel absente Apocrisiario vsurpasset.

7 Hoc Gregorius per Indictionem quartamdecimam iusiurandum præceperat: quod quia, sicut rei exitus manifestat, deficientibus testimonijs per tres continuos annos infectum remanserat, iterum Marinianus, suorum suggestione compulsus, vsum Pallij, quem ex consuetudine, sicut conuenerat, vindicare non poterat, importunitate precum se posse recipere confidebat. Quapropter Gregorius in eadem sententiâ permanens, eidem chartulario per indictionem secundam scribit, dicens: Dum Florentinus Rauennatis Ecclesiæ Diaconus apud nos pro reuerendissimo Fratre Coepiscopo nostro Mariniano de vsu Pallij ageret, requisitus à nobis, quæ esset antiqua consuetudo, respondit, quod in omnibus Litanijs Pallio Rauennas Episcopus vteretur. Quod ita non esse, & ab B alijs didicimus & ex epistolis Ioannis quondam Episcopi, quas ei ostendi fecimus, euidenter apparuit. Sed hoc asseruit, quod dicere iussus est. Nam tempore, quo à te idem Ioannes quondam Episcopus est inhibitus, ne Pallio inordinatè ac temerè vti præsumeret, scripsit nobis, hanc fuisse priscam consuetudinem, vt ciuitatis ipsius Episcopus Pallio in Litanijs solennibus vteretur. Quarum tibi litterarum exemplaria pro tuâ informatione transmisimus. Adeodatus verò, prædictæ Ecclesiæ Diaconus, dum apud nos tempore, quo hîc fuit, similiter de eiusdem Pallij vsu agere enixiùs studeret, volentes cognoscere veritatem, eum similiter, quæ esset consuetudo, curauimus requirendum. Qui vt credi sibimet suaderet, atque à nobis valeret, quod petebat, exigere: sub iureiurando testatus est, antiquam consuetudinem fuisse, vt in quatuor aut quinque solennibus Litanijs Pallio ciuitatis suæ Episcopus vteretur. Experientia ergo tua diligenter inuigilet, & cum omni solicitudine, quot Litaniæ solennes ab antiquitate fuerint, requirat. Nec eas solennes nominando requirere studeat, sed maiores: vt per hoc, quod nobis præfatus Adeodatus Diaconus testatus est, & prædicti Ioannis Episcopi fatetur epistola, dum constiterit quantæ Litaniæ solennes fuerint, quoties indui solebat in Litanijs Pallio C cognoscentes, libentissimè concedamus. Sed hoc non ab illis perquirat, qui ab Ecclesiasticis exhibentur, sed ab alijs, quos sine fauore partis suæ esse cognouerit: & quæque solicitâ indagatione reppererit, nobis subtiliter indicet: vt veritate, sicut diximus, cognitâ, Fratris & Coepiscopi nostri reuerentissimi Mariniani animos reuelemus. At quia prisca consuetudo à nostratibus subtiliter inquisita, à Rauennatibus probari nullo modo potuit, Gregorium in suâ sententiâ permansisse proculdubio illud ostendit, quòd neque ob hoc; quantum ex apicibus eius dignoscitur, à quoquam solicitatus extitit, neque à semetipso commotus, vlteriùs omnino rescripsit.

lib. 7. ep. 79 Ind. 2.

vberiùs de Pallij vsu apud Rauennates inquiri iubet:

& quidem ab Ecclesiæ procurat.

Ioannes Ep. Rauennas. a *Ioannes Romanus creatus est Episcopus anno 575. traditurq; à S. Gregorio obtinuisse corpora SS. Northasij, Crispini, Felicis & Hemilij Martyrum. Consule Vghellum, Rubeum aliosq;*

b *Mortuus anno 595, sepultus in ecclesiâ* Classensi S. *Apollinaris, ante altare SS. Marci, Marcelli & Feliculæ, quorum in illo reliquias collocarat.*

Ficulea & Ficulinus Episcopus. c *MSS. nostrum & Corsend.* Siculinus. An *pro aliquo Siculo? Vita excusa ante opera & apud Surium,* Ficulinus, *uti & infrà num.* 90 Lucidus Episcopus Ficulinus. *Videtur* Ficuleæ *prope Romam ad Nomentanam viam resedisse. De Ficulea testimonia antiquorum congerit* Cluuerius *lib. 2 Italiæ antiquæ cap. 9.*

d. *Martinianus nepos defuncti Ioannis & ipse Romanus vixit vsque ad annum* 606. *Consule iterum Rubeum & Vghellum.* D

CAPVT II

Maximus inuasor Sedis Salonitanæ à S. Gregorio excommunicatur, pœnitens in gratiam recipitur.

8 Non solùm in magnis rebus Gregorius solicitudinis suæ oculos conuertebat: verùm etiam ne impunè præsumerentur quandoque maiora, hoc in rebus minimis curiosissimè præcauebat. Vnde Ioanni Syracusano Episcopo scribit, dicens: Ecclesiastici vigoris ordo confunditur, si aut temerè illicita præsumantur, aut impunè non concessa tentantur. Peruenit itaque ad nos, Diaconos Ecclesiæ Catanensis, calceatos *a* compagis procedere præsumpsisse. Quod nulli hactenùs per totam Siciliam licuisse, nisi solis tantummodò Diaconibus Ecclesiæ Messanensis, quibus olim à prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, benè recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus non est leuiter attendendus; cum omni hoc Fraternitas vestra perquirat subtilitate: & si ita, sicut ad nos peruenit, inuenerit, vtrùm à se vel alicuius hoc auctoritate præsumpserint, nobis subtiliter innotescat: vt cognitâ veritate, quid fieri debeat, disponamus. Nam si negligenter ea, quæ malè vsurpantur, omittimus, excessus viam alijs aperimus. E

lib. 7. ep. 28 Ind. 1.

Diaconos Catanenses pro vsurpatione compagarum arguit:

9 Intereà Natali Episcopo defuncto, cùm Dalmatinorum generalitas *b* Honoratum Archidiaconum, quem ipse ex Presbytero in Diaconum conuerterat, sibi præficiendum concorditer elegissent, eorumque decretum Pontifex approbasset, factione Malchi Episcopi, Rectoris Apostolici patrimonij, manuque militari Maximus multis criminibus inuolutus, Episcopatum Salonitanæ ciuitatis inuasit. Quod Gregorius audiens, Dalmatinis & Iadertinis Episcopis, ne illi manum imponerent, sub magnâ interminatione prohibuit. At verò Maximus, qui Episcopatus Sedem contra Canones inuaserat, etiam Sacerdotium contra Deum per simoniacam hæresim ab Episcopis duntaxat excommunicatis corruptisque non timuit promereri, fauente sibi occasione temporum ex cupiditate simul insolentiâque Augusti: quem, dispergendo facultates inuasæ Ecclesiæ, adeò defensorem scelerum suorum effecit, vt à Gregorio non solùm frequenter postularet, quatenùs indiscussam Maximi promotionem relinqueret, verùm etiam Romam, satisfacturum pro simoniacâ hæresi alijsque criminibus, venientem cum honore susciperet. Gregorius verò faciem nullius contra veritatem custodiens, ipsum Maximum primò à Missarum solennijs, post à communione Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quousque suam præsentiam exhiberet, priuauit. Maximus autem Imperialibus militijs fultus, post excommunicationem & Missas cecinit & Sacramenta satis indignus accepit. Quapropter Constantiæ Augustæ post multa alia scribit, dicens; F

b Salonitanum Episcopum electum approbat:

Maximum inuasorem impedit:

simoniacè ordinatum excommunicat:

10 Salonitanæ ciuitatis Episcopus, me ac Responsali meo nesciente, ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit. Quod ego audiens, ad eumdem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinùs misi, vt omnino Missarum solennia celebrare nullo modo præsumeret, nisi priùs à serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me atque despecto, in audaciâ quorumdam secularium hominum, quibus, denudatâ suâ Ecclesiâ, præmia multa præbere dicitur, nunc

lib. 4. ep. 34 apud Constantiam Augustam expostulat:

AVCTORE IOANNE DIACONO

A nunc vsque Missas facere præsumit, atque ad me venire secundùm iussionem Dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc, quod in Ordinatione suâ me vel Responsalem prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxaui, acsi me auctore fuerit ordinatus. Alia verò peruersa illius scilicet mala corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pecunijs est electus, vel quia excommunicatus Missas facere præsumpsit, propter Deum irrequisita præterire non possum. Sed opto & Dominum deprecor, quatenùs nihil in eo de his, quæ dicta sunt, valeat inueniri, & sine periculo animæ meæ caussa ipsius terminetur. Priùs tamen, quàm hæc cognoscantur, serenissimus Dominus discurrente iussione præcepit, vt eum venientem cum honore suscipiam. Et valdè graue est, vt vir, de quo tanta & talia nuntiantur, cùm antè requiri & discuti debeat, honoretur, & si Episcoporum caussæ mihi commissorum apud pijssimos Dominos aliorum patrocinio disponuntur, infelix ego in Ecclesiâ istâ quid facio? Sed vt Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad seculares iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulùm expecto, & si ad me venire diu distulerit, exercere in eo districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotente autem Domino confido, quia longam pijssimis Dominis vitam tribuet, & nos sub manu vestrâ non secundùm peccata nostra, sed secundùm suæ gratiæ dona disponet.

iniquo Mauritij Imp. fauore defensum:

B

11 Hæc Gregorius dissimulatrici Augustæ. Ceterùm eodem Maximo in suâ præsumptione manente, Consecratores atque omnes Dalmatinos & Iadertinos Episcopos ab eius communione sub excommunicatione disiunxit: adeò vt ne nomen quidem Maximi inter sacra Missarum solennia memorarent. Quo facto, ita omnes consternati sunt animo, vt sub poenitentiæ satisfactione, relicto Maximo, veniam postularent. Vnde misericordissimus Pontifex Sabiniano d Iadertino Episcopo scribens: Sicut, inquit, perseueranti culpæ debetur iure vindicta: ita resipiscentibus est venia concedenda. Nam vt res illa contra se meritò potest iracundiam excitare, sic hæc in suâ prorsus dilectione solet concordiam propagare. Et ideò quia Fraternitatem tuam à consortio & communione Maximi, vbi te priùs neglectus impulerat, intantùm postea grauitas Sacerdotij ad animum reducta suspendit, vt eius solâ nullatenùs patereris esse segregatione contentus, nisi & in monasterij te claustra recipiens, dudum commissa defleres, ea propter in nostrâ te gratiâ ac communione receptum esse non dubites. Nam quantùm nos priùs culpa tuæ caritatis offenderat, tantùm poenitentia mitigauit.

ab eius communione alios Episcopos separat:

d lib.7. ep.12 Ind.1. Iadertinum Episcop. poenitentem in gratiam recipit:

C

12 Itaque Maximus cernens tandem aliquando durum esse contra stimulum calcitrare, relictis imperialibus adminiculis per Gallinicum Exarchum satis humiliter concedi sibi poenitentiam, simulque veniam à Gregorio postulauit. Quem ipse Romam fatigari nolens, caussam eius discutiendam Rauennam commisit, e Constantio Mediolanensi Episcopo scribens: Maximus, inquit, Salonitanæ Ecclesiæ præuaricator, postquàm per potestates maiores seculi obtinere nil valuit, ad minores se contulit, nobisque tam nimietate precum, quàm attestatione bonorum operum præualere contendit. Ex quâ re inhumanum credidi, si is, qui se quasi multùm timere me dicit, in aliquo me temperatiorem minimè inuenire potuisset. Et ideò decreui, vt reuerentissimus Frater & Coepiscopus noster Marinianus, eius caussam debeat in Rauenati vrbe cognoscere. Si autem persona eius suspecta forsitan habebitur, volumus, vt vestra quoque Fraternitas, si ei laboriosum nō est, ad eamdem ciuitatem fatigare se debeat, & cum prædicto Fratre in eodem iudicio pariter sedere. Quidquid autem vestræ vtrorumque sanctitati placuerit, scitote mihi modis omnibus placiturum, & vestrum ego iudicium meum deputo.

Maximi supplicis caussam Rauennæ præcipit ventilari.

e lib.7.ep.69 Ind.2.

D

13 Inter hæc præuaricator Maximus anno septimo excommunicationis suæ, post castigationes & flagella Gregorij ad cor reuertens, Rauennam petijt, & iactauit se tensus intra ciuitatē in mediâ silice, clamans & dicens: Peccaui Deo & beatissimo Papæ Gregorio. Et agente eo poenitentiam tribus horis, cucurrit Gallinicus Exarchus & Castorius chartularius Ecclesiæ Romanæ cum Mariniano Episcopo, & eleuauerunt eum de silice: qui etiam coepit ampliorem poenitentiam agere coram eis. Quod Gregorius vt audiuit, ad misericordiam protinùs redijt, Mariniano Episcopo inter cetera scribens: Qualis de caussâ Maximi Fraternitatis vestræ voluntas sit ac magis petitio, præsentium latore Castorio chartulario nostro renunciante cognouimus: ideoque si idem Maximus coram vobis & prædicto chartulario nostro de simoniacâ hæresi præstito se Sacramento purgauerit, atque de alijs ante corpus S. Apollinaris tantummodò requisitus, liberum se esse responderit: caussam ipsius, Fraternitatis vestræ de eo, quòd excommunicatus Missarum solennia agere præsumpsit, iudicio committimus, quâ debeat poenitentiâ talis culpa purgari. Et ideò quidquid vobis secundùm Deum placet, securi disponite, nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quidquid à vobis hac de caussâ fuerit ordinatum, nos & gratè suscipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen, vt debeatis esse soliciti, & ita quæ fienda conspicitis temperetis, quatenùs & illi, si ita videbitur, communionem præstetis, & vigoris Ecclesiastici genium congruâ, vt oportet, dispensatione seruetis. Suprascriptum verò portitorem in præsenti, quid vobiscum ei sit agendum, instruximus: à quo cuncta subtiliter addiscentes, sic vos in omnibus exhibete, vt in vestrâ solicitudine nostram fuisse præsentiam sentiamus.

ob poenitentiam publicam.

lib.7.ep.79 Ind.2. eum in gratiam suscipiendum scribit Mariniano Episcopo:

E

14 Item Castorio Notario & chartulario Rauennæ: Quanto credi tibi à nobis, & necessarias vides caussas iniungi, tanto te magis strenuum debes & solicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus, præstito sacramento, firmauerit simoniacâ se hæresi non teneri, atque de alijs ante corpus S. Apollinaris tantummodò requisitus, innoxium se esse responderit, & de inobedientiâ suâ poenitentiam, sicut deputauimus, egerit; volumus, vt ad consolandum illum epistolam, quam ad eum scripsimus, vbi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse signauimus, experientia tua dare debeat. Quia sicut in contumaciâ persistentibus seueros nos esse conuenit, sic iterum humiliatis, & poenitentibus negare locum veniæ non debemus.

lib.7.ep.80 & Castorio Notario;

F

15 Cùmque Maximus penes corpus B. Apollinaris secundùm iussum Gregorij de cunctis humiliter satisfecisset, Castorius chartularius consolatoriam ei epistolam præbuit, verbis Gregorij asserentem: Quamuis culpabilibus Ordinationis tuæ primordijs graue malum per inobedientiæ culpam addideris, nos tamen Sedis Apostolicæ auctoritatem eo, quo decuit, moderamine temperantes, numquàm contra te vsque ad hoc, quod caussa poscebat, exarsimus. Sed vt longiùs se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitasti, produceret, credita nos solicitudo vehementer angebat, ne quædam illicita, quæ de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quæ si benè consideres, ipse per te satisfacere differendo firmabas, atque ex hoc aduersùm te zelum nostrum acriùs incitabas. At vbi salubri tandem consilio vsus, iugo te obedientiæ humiliter summisisti, & dilectio tua poenitentiam agens, dignâ se, vt deputauimus, satisfactione purgauit, redditam tibi gratiam Fraternæ caritatis intellige, atque in nostro te receptū consortio gratulare. Quia sicut perseuerantibus in culpâ districtos, ita resipiscentibus nos decet

eumdem litteris scriptis recipit; lib.7. ep.81

A decet esse ad veniam. Postquàm ergo Fraternitas tua Apostolicæ Sedis communionem se reparasse cognoscit, personam ad nos transmittat, quæ Pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodùm illicita perpetrari non patimur, sic ea, quæ sunt consuetudinis, non negamus. Licèt autem ad hæc concedenda dispensatio nos loci nostri vocauerit, multùm tamen à nobis petitio dulcissimi atque excellentissimi Filij nostri Domini Gallicini Exarchi, vt temperatiùs erga te ageremus, exegit: cuius carissimam voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contristare.

ad receptionem Pallij inuitat.

a Compagi genus calceamenti, quo vtebantur Diaconi Romani. *Ita Papias. Et Concilium Toletanum* 4. Compagis calceari absque Apostolicâ licentiâ non permittitur Diaconis *Hinc proprius vsus Episcoporum. Anastasius in Vitâ Stephani 3 Papæ ait* Maurinianum Subdiaconum compages Constantini *Antipapæ* abscidisse.

Campagi.

b *De Honorato Archidiacono & Natali Episcopo actum suprà lib.3.num.9.*

c *Id factum à Mauritio Imp. anno 595. vti aduertit Baronius num.62.*

d *Iadera vrbs Liburniæ Archiepiscopalis & caput sub Venetis ad oram maritimam valdè munita. At mirum Sabinianum non haberi inter Episcopos Iadertinos apud Vghellum.*

Iadera vrbs.

B e *In MSS. nostris & apud Surium* Constantinus *dicitur, at* Constantius *in Vita excusa ante opera & in Registro. Sedit ab anno 592 ad 600.*

CAPVT III

Mauritius Imperator à S. Gregorio admonetur: pœnitentiam agit, occiditur.

S. Gregorius à Mauritio Imp. reprehensus,

16 PRæterea cupidissimus ac tenacissimus Imperator, qui consuetudinibus antiquissimis dationum, legionum quoque milites frequentissimè, sicuti Romanorum narrat historia, defraudabat: cernens Gregorium contra omnes mundi strepitus Augustalibus defensionibus, quarum suffragio ad arcem Pontificatus hunc se prouexisse iactabat, penitùs non egere, imò canonicis auctoritatibus, sanctitatis ac prudentiæ suæ virtutibus, Christo propitio cunctis alta sapientibus præualere; ad odium detractionemque famæ illius magis magisque conuersus est, liberalitatem Pontificis, quia famelicis militibus tam Ecclesiastica quàm publica frumenta diuiserat, subdolis assertionibus reprehendens. Cui Gregorius (vtpotè qui prouectionem suam diuino iudicio, in cuius nimirùm manu corda Regum consistentia, quocumque C voluerit, inclinantur, non caducis humanis fauoribus deputabat) voce liberâ contradicens, his eum responsionibus fregit, deturpauit, atque nonnulla de futuro Dei iudicio differendo, deterruit: In serenissimis, inquit, iussionibus suis Dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis vrbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In Scripturâ etenim sacrâ, cùm in bonâ intelligentiâ simplicitas ponitur, vigilanter sæpè prudentiæ aut rectitudini sociatur. Vnde etiam de B. Iob scriptum est: Erat vir simplex & rectus. Et beatus Apostolus admonet, dicens: Estote simplices in malo, & prudentes in bono. Et per semetipsam Veritas in Euangelio admonet, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: esse valdè inutile indicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Vt ergo seruos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos & simplices sicut columbas, & prudentes vt serpentes voluit: quatenùs in eis & columbæ simplicitatem astutia serpentis, & serpentis astutiam simplicitas columbæ temperaret. Ego igitur, qui in serenissimis Dominorum iussionibus ab a Arnulphi astutiâ deceptus,

lib.4. ep.31

respondit: simplicitatem virtutem esse.
Iob.1.
Rom.16.
Mat.10.

D non adiunctâ prudentiâ simplex denuntior, constat procul dubio, quia fatuus appellor. Quod ita esse, ego quoque ipse confiteor: nam si hoc vestra pietas taceat, caussæ clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda, quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minimè venissem. In eâ autem re, quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed etsi Sacerdos nō * essem, scio grauem esse hanc iniuriã Sacerdoti, vt veritati seruiens fallax credatur. Et dudum noui, quoniam Arnulpho plùs est creditum quàm mihi, Leoni ampliùs quàm mihi. Et nunc eis, qui esse ad medium videntur, plusquàm meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione meâ atque irrisione lætus tacerem. Sed hoc me vehementer affligit, quia vnde ego crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorum iugo captiua: dumque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen pijssimo Domino suggero, vt de me mala omnia quælibet existimet: de vtilitate verò E reipubl. & causâ ereptionis Italiæ, non quibuslibet facilè pias aures præbeat, sed plùs rebus quàm verbis credat. Sacerdotibus autem non ex terrenâ potestate Dominus noster citiùs indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquijs Sacerdotes aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur. Et per Moysen de eo, qui ad iuramentum adducendus est, dicitur: Applica illum ad Deos, videlicet ad Sacerdotes. Et rursùm scriptum est: Dijs non detrahes, scilicet Sacerdotibus. Et Propheta ait: Labia Sacerdotes custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos aut Deos ipse etiam appellat Deus? b Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cùm piæ memoriæ Constantino Principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij estis à vero Deo constituti. Ite & inter vos caussas vestras disponite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. In quâ tamen sententiâ, pij Domini, sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reuerentiâ impensâ. Ante F eum quippe Pagani in Republicâ Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant: & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus Imperator, veri Dei cultor, Sacerdotes dignetur honorare, dum, vt prędixi, pagani Principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui dijs ligneis & lapideis seruiebant? Hæc ego pietati Dominorum non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero. Ego enim peccator homo sum, & quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen ipsius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo, quia eumdem omnipotentem Dominum tantò vobis ampliùs placatis, quantò me ei malè seruientem districtiùs affligitis. Multas enim iam plagas acceperam, & superuenientibus Dominorum iussionibus inueni consolationes, quas non sperabam. Si possum, has celeriter plagas enumero. Primò, quòd mihi pax subducta est, quam cùm Longobardis in Tusciâ positis sine vllo Reipublicæ dispendio feceram. Deinde corruptâ pace, de Romanâ ciuitate milites ablati sunt: & quidem alij ab hostibus occisi, alij verò Narnijs & c Perusij

AVCTORE IOANNE DIACONO

** impressum*

Imperatores Pontificibus debere reuerentiam:
Ex.22.
Mal.2.

b exemplo Constantini Imp.

agnoscit se peccatorem esse:

enumerat incommoda quæ passus ipse est.

AVCTORE IOANNE DIACONO

A *c* Perusij positi, & vt Perusium teneretur, Roma felicta est. Post hæc plaga grauior fuit, *d* aduentus Agilulphi, ita vt oculis meis cernerem Romanos, more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos, qui intra ciuitatem sumus, Deo protegente, manus eius euasimus, quæsitum est, vnde culpabiles esse videremur: videlicet, cur frumenta defuerint, quæ in hac vrbe diu multa seruari nullatenus possunt, sicut in aliâ suggestione pleniùs indicaui. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientiâ, fateor aduersa quælibet pati paratus sum, dummodò hæc omnia cum salute dumtaxat meæ animæ euadam. Sed de gloriosis viris, Gregorio Præfecto & Castorio Magistro militûm, non mediocriter sum afflictus. Qui & omnia, quæ potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum & custodiæ ciuitatis in obsidione eadem vehementissimos pertulerunt. Et posthæc omnia graui Dominorum indignatione percussi sunt: de quibus patenter intelligo, quia eos non sua acta, sed mea persona grauat: cum quo quia pariter in tribulatione laborauerant, post laborem pariter tribulantur. Quòd autem Dominorum pietas illud mihi pauendum & terribile omnipotentis Dei iudicium intentat, rogo per eumdem omnipotentem Dominum, ne hoc vlteriùs faciat. Nam adhuc nescimus, quis ibi, qualis sit: & Paulus egregius prædicator dicit: Nolite iudicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hoc tamen breuiter dico, quoniam peccator & indignus plùs de venientis Iesu misericordiâ, quàm de vestræ pietatis iustitiâ præsumo. Et sunt multa, quę de iudicio illius homines ignorant: quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Intermitto ergo incerta: ad solas lacrymas redeo; petens, vt idem omnipotens Deus pijssimum Dominum nostrum & sua hìc manu regat, & in illo terribili iudicio liberum ab omnibus delictis inueniat: & me ita placere, si necesse est, hominibus faciat, vt æternam eius gratiam non offendam.

& alij propter se,

B *extremo Dei iudicio terret Mauritium,*

1. Cor. 4.

17 Denique Mauritius Imperator libertatem vocis tanti Pontificis reprehensionis constantiam admiratus, quia de futuro Dei iudicio se terruerat, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur: cùm protinùs eodem anno vir quidam, monachicis vestimentis indutus, diuinâ quadam virtute commotus, dextrâ spatham cepit: quam videlicet à foro vsque ad æneam statuam gladiatoris nudam circumferens, Imperatorem gladio cunctis moriturum prædixit. Quod Mauritius vt audiuit, à tyrannide Gregorio inferendâ semet continuit, & iudicium diuinum, quod ei minatus fuerat, citò se subiturum tantò magis timuit, quantò Gregorium credidit non posse mentiri.

hic de nece à monacho mnitus,

C

18 *e* Mox itaque scripto preces compositas, tam eidem quàm cunctis Patriarchis, Episcopis, & monachis ciuitatum siue solitudinũ pecunias multas, cereos & thymiamata destinauit: hoc potissimùm deprecans, vt Domino supplicarent, quatenùs in hoc seculo merita suorum malorum reciperet: tantùm vt à futuris cruciatibus redimi meruisset. Cùmque hoc & ipse vehementiùs per multa tempora cum lacrymis postulasset, quadam nocte dormiens, vidit apud æneam palatij portam se coram multo populo æneæ statuæ Saluatoris assistere. Tunc vox terribilis facta est ex ipso incarnati Verbi charactere, dicens: Date Mauritium. Et capientes eum iudiciorum ministri, posuerunt iuxta purpureum vmbilicum, qui illic erat. Cui eadem vox characteris ait: Vbi vis reddam tibi mala, quæ in hoc seculo perpetrasti? Ille respondit: Amator hominum Domine & Iudex iuste, hìc potiùs ea mihi, & non in seculo futuro, retribue. Statim diuina vox iussit tradi Mauritium & Constantiam vxorem eius cum filijs & filiabus, omnique cognatione ipsius Phocæ militi. Euigilans ergo Mauritius, misit *f* parocœmomenum, & vocauit ad se Philippicum generum suum, quem dudum suspicatus fuerat *g* Imperium sibi velle subripere. At ille pro suspicione se perdendum conijciens, aduocatæ Gordiæ vxori suæ, tamquàm non se reuisuræ, vltimum vale dixit. Sacramentoque communionis accepto, ad palatium venit, & cubiculum Imperatoris ingrediens, ad pedes eius procidit. Cui Imperator assurgens, ad pedes eius nihilominùs corruit, dicens: Ignosce, deprecor, mihi, quia nunc profectò diuinâ reuelatione doctus cognoui, quòd nihil in me, vnde suspicabar, commiseris: sed si quem in agminibus nostris cognoscis, qui Phocas soleat vocitari, dicito mihi. Et Philippicus diu apud se recogitans, ait: Vnum Phocam cognosco, qui, nuper Procurator ab exercitu nuncupatus, contradicebat tuo Imperio. Cùm verò Mauritius de qualitate eius inquireret, Philippicus ait: Est quidem iuuenis & temerarius, at timidus. Et Mauritius: Si timidus, inquit, profectò & homicida. Dumque super huiusmodi titubaret, in crastinum Magistrianus ab Eremitis, quibus Imperatoris preces portauerat, rediens, responsum retulit, dicens: Deus receptâ pœnitentiâ tuâ, saluabit animam tuam, & cum Sanctis te cum totâ domo tuâ constituet: ab Imperio verò cum ignominiâ & discrimine decides.

e eleemosynas largitur:

petit à Christo apparente in hac vitâ puniri:

D *f g*

Philippico parcit:

Phocam inquirit:

E

19 Quibus auditis, Mauritius Dominum glorificans, pœnitentiam tenuit, sed à cupiditatis auaritiâ vsque adeò non recessit, vt exercitus in periculosis locis hyemarent, & transito Danubio, victum sibi de Sclauorum regione periclitabundè quærerent, ne videlicet alimenta publica manducarent. Quod cùm Petro Prætori feralibus litteris *h* imminerer, ille *i* Taxiarchis vocatis, ait: Nimis mihi videntur grauia Imperatoris præcepta, Romanos in alienâ terrâ hyemare iubentia. Nam illi non obedire, sæuum est; & rursus obedire, sæuissimum. Nullum bonum parit auaritia, quia mater omnium malorum consistit: quâ Imperator languens, horum maximorum malorum caussa Romanis efficitur. Exercitus itaque, hoc per Taxiarchas audito, ad seditionem conuertitur, exaltatumque super clypeum Phocam Centurionem, Exarchum acclamarunt, fugatoque Prætore, Theodosio filio Imperatoris & Germano socero eius dirigunt, vt alter eorum sibi imperare studeret. Illi nullo modo consenserunt: imò hoc Mauritio retulerunt. At ille Germanum perdere voluit: qui quoniam in ecclesiam fugerat, filium tamquàm proditorem sui consilij flagellauit, multosque ad hunc ab eadem ecclesiâ extrahendum transmittens, numquàm permittitur; imò multis conuicijs à populo laceratus, Marcionista hæreticus appellatur. Et commoto intra Constantinopolim graui tumultu, Mauritius, dissimulato habitu, cum vxore & filijs noctu dromonem conscendit, & fugiens apud S. *k* Autonomum venit. At verò Phocas cum exercitu in Septimium veniens, Imperator efficitur: à quo Mauritius cum filijs, vxore ac filiabus penes Chalcedonem, quemadmodùm sibi denuntiatum fuerat, decollatur. Et quia oratio Gregorij, quâ illum petierat in terribili Dei iudicio liberum à delictis omnibus inueniri, vacua esse non poterat, idem Mauritius id recepit, quod meruit, & in cunctis suis incommodis Dominum benedicens, à sempiterno supplicio meruit liberari.

h i

ob milites tumultuantes,

incurrit in calumniam populi,

F

cum suis occiditur.

a *Arnulphus Dux Longobardorum in Tusciâ, de quibus mox agitur.*

b *Est hæc Rufini historia Ecclesiastica, in quâ ista memorantur lib 10 cap. 2, à Constantino Imperatore in Concilio Nicæno peracta.*

c *Perusium Longobardis ereptum à Patricio Exarcho, sed dein ab Agilulpho Rege obsessum & captum tradit Paulus Diaconus de* *Perusium.*

Gestis

A *Gestis Longobardorum lib.4 cap. 7.*

d *S. Gregorius in Præfatione in librum 2 super Ezechielem ait se* cognouisse Agilulphum ad obsidionem Romanæ vrbis summoperè festinantem, Padum transijsse.

c *Sequentia eodem planè modo leguntur apud Theophanem: ex quo Ioannes Diaconus descripsit.*

Paracœmomenum.

f *Theophanes* παρακοιμώμενον, accubitorem, *corruptè apud Surium parochœnum, in MSS. etiam* paracenum *&* paratenum.

g *Caussam dat Theophanes, quia* nomen à φ litterâ exordium sumebat, *quasi à tali perimendus: quem iam Phocam dixerat fore.*

h *MS. nostrum,* imminuerat. *Theophanes* κελεύοντος, *iuberet. Videtur* innueret *legendum.*

Taxiarchi.

i *Taxiarchi, Ordinum Præfecti, Theophanes* Γυνδέων *habet, forsan è Præfectis præcipuum.*

S. Autonomus.

k *S. Autonomus Episcopus in Bythiniâ Martyr sub Diocletiano colitur 12 Septemb.*

CAPVT IV

Imperium Phocæ: ad eum litteræ S. Gregorij. Huius in Episcopis consecrandis consensus.

B

Phoca Romæ acclamato Imperatori, lib.11.ep.38

20 IGitur septimo Calendarum Maiarum, a Indictione sextâ, imago Phocæ & Leontiæ Augustorum cum eorumdem fauorabilibus litteris Romam delata est. Et postquàm à Clero & Senatu acclamatum est eis in basilicâ Iulij, iussu Gregorij in oratorio S. Cæsarij Lateranensi palatio constituta reponitur. Qui etiam Phocæ Imperatori ita rescripsit: Gloria in excelsis Deo, qui. iuxta quod scriptum est, mutat tempora & transfert regna, & qui hoc cunctis innotuit, quod per Prophetam suum loqui dignatus est dicens: Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit, ipse dat illud. In omnipotentis quippe Dei incomprehensibili dispensatione, alterna vitæ mortalis moderamina consistunt; & aliquando cùm multorum peccata ferienda sunt, vnus erigitur, per cuius duritiam tribulationis iugo subiectorum colla deprimantur: quod nos in nostrâ diutiùs tribulatione probauimus. Aliquando verò, cùm misericors Deus mœrentia multorum corda suâ decernit consolatione refouere, vnum ad regiminis culmen prouehit, & per eius misericordiæ viscera in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De quâ exultationis abundantiâ roborari nos citiùs credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad Imperiale fastigiũ peruenisse gaudemus. Lætentur cæli, & exultet terra, & de benignis vestris actibus vniuersæ Reipublicæ populus, nunc vsque vehementer afflictus, hilarescat. Comprimantur iugo vestræ dominationis superbæ mentes hostium releuentur vestrâ misericordiâ contriti ac depressi animi subiectorum. Virtus cælestis gratiæ inimicis vos terribiles faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris in vniuersâ Republicâ prolata sub caussarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus proprijs secura possessio, vt sine timore habere se gaudeant, quæ non sunt ab eis fraudibus acquisita. Reformetur iam singulis sub iugo pij Imperij libertas sua. Hoc namque inter Reges Gentium & Reipublicæ Imperatores distat, quòd Reges Gentium Domini seruorum sunt: Imperatores verò Reipublicæ, Domini liberorum.

Dan.2.

Dan.4.

gratulatur S.Gregorius

C

lib.11.ep.38 mittit Constantinopolim Apocrisiarium S.R.E.

21 Cumque Phocas mandari sibi Romanæ Sedis Diaconum cum magnâ humilitatis reuerentiâ postularet, Gregorius ita rescripsit: Considerare cum gaudijs & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti Domino laudes debemus, quòd remoto tristitiæ iugo, ad libertatis tempora sub Imperiali benignitatis vestræ pietate peruenimus. Nam quòd permanere in palatio, iuxta antiquam consuetudinem Apostolicæ Sedis Diaconum vestra serenitas non inuenit, non hoc meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit. Quia dum ministri omnes huius Ecclesiæ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, vt ad Vrbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquàm vestram clementiam, omnipotentis Dei gratiâ disponente, ad culmen Imperij peruenisse cognouêre, ipsi quoque suadente lætitiâ, ad vestra vestigia venire festinant, qui illuc priùs accedere valdè timuerant. Sed quia eorum quidam ita senectute sunt debiles, vt laborem ferre vix possint: quidam verò Ecclesiasticis curis vehementer implicantur, & lator præsentium, qui primus omnium Defensor fuit, benè mihi ex longâ assiduitate compertus est, vitâ, fide ac moribus approbatus, hunc aptum pietatis vestræ vestigijs esse iudicaui. Vnde eum auctore Deo Diaconum feci, & sub celeritate transmittere studui, qui cuncta, quæ in his partibus aguntur, inuento opportuno tempore, valeat clementiæ vestræ suggerere. Cui rogo vt serenitas vestra pias aures inclinare dignetur, vt tantò nobis celeriùs valeat misereri, quantò afflictionem nostram veriùs ex eius relatione cognouerit. Qualiter enim quotidianis gladijs, & quantis Longobardorum incursionibus ecce iam per triginta & quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus. Sed in omnipotente Deo confidimus, qui ea, quæ cœpit, consolationis suæ nobis bona perficiet, & qui suscitauit in Republicâ pios Dominos, extinguet crudeles inimicos.

D

E

li.11. ep.44 gratulatur Leontiæ Augustæ.

22 Item Leontiæ Augustæ: Quæ lingua eloqui, quis animus cogitare sufficiat, quantas de serenitate vestri Imperij omnipotenti Deo gratias debemus, quòd tam dura longi temporis pondera ceruicibus nostris amota sunt, & Imperialis culminis leue iugum redijt, quod libeat portare subiectis? Reddatur ergò Creatori omnium ab hymnidicis Angelorum choris gloria in cælo, persoluatur ab hominibus gratiarum actio in terrâ: quia vniuersa Respublica, quæ multa mœroris pertulit vulnera, iam nunc consolationis vestræ inuenit fomenta. Vnde nobis necesse est omnipotentis Dei misericordiam enixiùs exorare, vt cor vestræ pietatis suâ semper dexterâ teneat, eiusque cogitationes cælestis gratiæ ope dispenset: quatenus tranquillitas vestra tantò rectiùs valeat sibi seruientes regere, quantò Dominatori omnium nouerit veriùs deseruire. In amore Catholicæ fidei faciat defensores suos, quos fecit ex benigno opere Imperatores nostros. Infundat in vestris mentibus zelum simul & mansuetudinem, vt pio semper feruore valeatis, & quidquid in Deo exceditur, non inultum relinquere: & si quid in vobis delinquitur, parcendo tolerare.

commendat zelum & mansuetudinem principibus.

F

solicitus vt Synodicæ epistolæ à Patriarchis nouis mitterentur,

23 His Gregorius laudibus aut ideò nouos Principes demulcebat, vt audientes, quales esse debebant, fierent mitiores, quàm Mauritius fuerat, cuius tot criminibus inuoluta tempora cognoscebant: aut quia eos sibi suæque Ecclesiæ deuotissimos cernens, non eos ad tyrannidem ruituros esse putabat. Qui sicut quorumlibet vitia liberis vocibus arguebat, & contra Canones priscasue consuetudines venire neminem permittebat; ita quæ consuetudinis fuerant, nulli penitus denegabat. Nam mox vt Episcopus Apostolicæ Sedis enituit, Patriarchalibus Sedibus suam Synodicam destinauit, & postmodùm Secundino seruo Dei incluso, inter cetera scribens, dicit: Hinc est, vt quoties in quatuor præcipuis Sedibus Antistites ordinantur, Synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum alijs generalibus Synodis custodire fateantur. Item Athanasio Presbytero de Isauriâ post multa: Fratri nostro Cyriaco,

lib.7.ep.53

li.6. ep.64

A AVCTORE IOANNE DIACONO lib.3.ep.64 Ind 4.

riaco, Constantinopolitanæ ciuitatis Antistiti, qui nuper in Ioannis reuerentissimi Episcopi loco ordinatus est, nostra volumus scripta transmittere. Sed quia non est consuetudo, vt priusquàm ad nos eius Synodica deferatur, ei scribere debeamus: idcircò nunc distulimus, posteà autem indicabimus. Quam videlicet consuetudinem, sicut nostri quoque, qui ante biennium, ab *b* Adriano liberalissimo Papâ missi, in sanctâ *c* octauâ Synodo præfuêre, testantur: ita orientales præcipuè retinent vsque hactenus Sedes, vt in suis diptychis nullius Pontificis nomen describant, quousque Synodicam ipsius suscipiant, & tamdiu defunctum Pontificem inter viuentes annumerent, quamdiu successor illius suas litteras studuerit destinare.

b c vt possent diptychis inscribi.

24 Hinc est nimirùm, quod Gregorius à consuetudine priscâ non discrepans, Ioanni Subdiacono, rectori patrimonij Liguriæ scribit, dicens: Quantò Apostolica Sedes, Deo auctore, cunctis prælata constat Ecclesijs, tantò inter multiplices curas & illa nos valdè solicitat, vbi ad consecrandum Antistitem, nostrum expectatur arbitrium. Defuncto *d* igitur Laurentio, Ecclesiæ Mediolanensis Episcopo, suâ nobis relatione Clerus innotuit, in electione se Filij nostri Constantij Diaconi sui vnanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio, ne quid, quod ad cautelam pertinet, omittamus, idcircò huius præcepti auctoritate suffultum Genuam te proficisci necesse est, & quia multi illic Mediolanensium coacti Longobardorum barbaricâ feritate consistunt, eorum te voluntates oportet, conuocatis eis in commune, perscrutari. Etsi nulla eos diuersitas ab electionis vnitate disterminat, siquidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensus perdurare cognoscis, tunc eum à proprijs Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, solatiante Domino, facias consecrari: Quatenùs huiusmodi seruatâ consuetudine, & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat & à se concessa alijs sua iura non minuat. Sed cùm post annos aliquot Constantius functus insigniter Pontificio, *e* dormisset in Domino, Clerus & plebs Mediolanensis Deusdedit Diaconum eligentes, ab Agilulpho Rege terrebantur, quatenùs illum eligerent, quem Longobardorum barbaries voluisset. At illi decretum suum Gregorio dirigentes, consilium & licentiam petunt: quibus ipse inter cetera sic rescripsit: Illud quod vobis ab Agilulpho indicastis scriptum, dilectionem vestram non moueat: nam quod nos vtilitati vestræ salubriter consulere velimus, in hominem, qui non à Catholicis & maximè à Longobardis eligitur, nullâ præbebimus ratione consensum: quia Vicarius S. Ambrosij indignus euidenter ostenditur, si electus à talibus ordinatur. Et post pauca: Vt igitur in ordinando Deus-dedit Diacono, qui à vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pantaleonem notarium nostrum transmisimus, qui eum, vt moris est, adnitente consensus nostri auctoritate, faciat consecrari.

lib.2.ep.30 Ind.11. intellecta legitima electione, iubet consecrari Episcopos Mediolanenses Constantium, d B *e* *& eo mortuo Deus-dedit: lib.8.ep.65. Ind.3* C

a Anni 603.

b *Adrianus II Sedit ab anno 867 vsque ad Kalendas Nouembris anni 872.*

c *Est 4 Constantinopolitana, inchoata 5 Octob. anno 869 & finita 8 Februarij anni 870. in ea Photio cum suis damnato restitutus est S. Ignatius. Post Synodum vixit Hadrianus biennio & 8 mensibus. Hinc voces* ante biennium *intelliguntur, à reditu missorum omissis mensibus, quasi diceretur, necdum est triennium.* (*Synodus 8.*)

d *Anno 591.* e *Anno 600.*

CAPVT V

Varij Episcopi iniustè depositi, à S. Gregorio restituendi. Regula præscripta in criminibus obiectis strictè examinandis.

25 Ab aduersis potestatibus prægrauatos fortissimus miles Christi Gregorius viriliter defendebat: iniustèque deiectos non solùm inter depositos non habebat, verùm etiam pristinis gradibus auctoritatis suæ priuilegio reformabat. Nam *a* Anastasium Antiochenum Patriarcham, qui Ioannem Constantinopolitanum Præsulem voce liberâ reprehendens, Imperatoris Iustini iussu detrusus in exilium, ab ipsius Ioannis Papæ temporibus vsque ad sui Pontificatus tempora permanebat, mox vt summum Sacerdotium meruit inter Patriarchas eum reputans, scriptis talibus animauit: Præterea, inquit, sicut Patriarchis alijs paribus vestris, Synodicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quòd ex voluntate hominum putamini non esse. Item eidem in aliâ epistolâ post non multa scribens ait: Fraternitati tuæ indico, quia à serenissimis Dominis quantis valui precibus postulaui, vt vos honori proprio restitutos, ad S. Petri Apostolorum Principis limina venire, & quousque ita Deo placuerit, hic mecum viuere concedant: quatenùs, dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium, de æternâ patriâ inuicem loquendo, releuemus. Denique studiosissimus Pater Gregorius tam diu penes Mauritium Imperatorem suggestionibus suis imminuit, donec post multorum annorum curricula magnus Anastasius throno proprio redderetur. Cui congratulabundus rescripsit, dicens: Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis: quia magnus ille fluuius, qui quondam arentia Antiochiæ saxa reliquerat, ad proprium alueum reuersus, subiectas & iuxta positas valles rigat, vt vnum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud verò centesimum fructum ferat.

Anastasium Patriarcham Antiochenum exulem, litteris animat, a *lib.1.ep.23* *lib 1. ep.7* E *propria Sedi restitui curat: lib.4.ep.37.*

26 Adrianum Thebanæ ciuitatis Episcopum, à Ioanne *b* primæ Iustinianæ, atque altero Ioanne *c* Larissæo Episcopis iniustè depositum, non solùm Sedi propriæ reddidit, verùm etiam ipsius Ecclesiam Romano iure defendens, à Larissæi Episcopi potestate subduxit, inter cetera dicens: Adrianum Episcopum reperimus, & tuo contra Sacerdotales mores odio laborasse, & nullo iure pecuniarijs in caussis eum Fraternitatis tuæ condemnatum fuisse sententiâ. Quia igitur & ab antefato Ioanne, primæ Iustinianæ Episcopo, contra ius Canonesque depositus, honoris sui gradu carere non potuit, in suam eum reformari Ecclesiam, atque in propriæ dignitatis ordinem decreuimus reuocari. Et cùm oportuisset te ex eo Dominici Corporis communione priuari, quòd admonitione sanctæ memoriæ decessoris mei contemptâ, per quam eum Ecclesiamque eius potestatis de tuâ iurisdictione exemit, rursus in eis aliquid tibi iuris & ditionis seruare præsumpseris: tamen nos humaniùs decernentes, communionisque tibi Sacramentum interim conseruantes, decernimus, vt Fraternitas tua ab eo Ecclesiâque eius omnem ante habitam suæ potestatem iurisdictionis abstineat: sed secundùm scripta decessoris nostri, si qua caussa vel fidei vel criminis vel pecuniaria aduersùs præfatum Adrianum Consacerdotem nostrum potuerit euenire, vel per eos, qui nostri sunt vel fuerint in vrbe regiâ Responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur; vel huc ad Apostolicam Sedem, si est ardua, deducatur: quatenùs no-

b c Episcopum Thebanum iniustè depositum Episcopatui suo reddit: F *lib.2.ep.7 Ind.11.*

stra

A strę audientiæ sententiâ decidatur. Quod si contra hæc, quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet occasione vel surreptione venire tentaueris, sacrâ te communione priuatum, nec eam te, excepto vltimo vitæ tuæ tempore, nisi concessâ Romani Pontificis decernimus iussione recipere. Hoc enim consonâ sanctis Patribus diffinitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire Canonibus, nec sacris administrare vel communionem capere sit dignus altaribus. Item Ioanni Episcopo primæ Iustinianæ: Post longas tribulationes, quas Adrianus Thebanæ ciuitatis Episcopus è Consacerdotibus suis velut ab hostibus pertulit, in Romanam ciuitatem confugit. Et licet aduersùs Ioannem Larissæum Episcopum eius fuisset prima suggestio, non ab eo in caussis pecuniarijs lege esse iudicatum; tamen posthac magis contra personam Fraternitatis tuæ, à quâ non iustè se Sacerdotij gradu flagitabat esse deiectum, grauissimè querebatur. Et infrà: Quod verò, inquit, ad præsens attinet, cassatis priùs atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Apostolorum Principis Petri auctoritate decernimus, triginta dierum spatio sacrâ te communione priuatum, ab omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summâ pœnitentiâ B & lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognoueris impleſſe remissiùs, non iam tantùm iniustitiam, sed & contumaciam Fraternitatis tuæ cognoscas, adiuuante Domino, seueriùs puniendam. Præfatum verò Adrianum, Fratrem & Coepiscopum nostrum, ex tuâ sententiâ, vt diximus, nequaquàm Canonibus atque legibus subsistente damnatum, in suum locum atque ordinem reuerti, Christo comitante, disponimus; vt nec illi Fraternitatis tuæ noceat contra iustitiæ tramitem prolata sententia, nec caritas tua, pro placandâ futuri indignatione iudicij, incorrecta remaneat.

Episcopos iniustitiæ reos seuerè monet

lib.2.ep.6

aut suspendit à sacris ad 30 dies:

27 Hinc est, quòd exceptis criminibus, neminem de Sacerdotio Gregorius deponebat, imò pro qualitatibus delictorum venialiter communione priuabat. Vnde Ioanni Episcopo *d* Calliopolitano post aliqua scribens, ait: Matriculam, quam Frater & Coepiscopus noster *e* Andreas Tarentinus Episcopus fecit fustibus castigari, quamuis exinde post octo menses hanc obijsse non credamus; tamen quia eam contra propositi sui ordinem huiusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus à Missarum solennitate suspende: vt vel hæc eum verecundia, qualem se de cetero exhibere possit, in-C stituat.

alium ad 2 menses:

lib.2.ep.45 Ind.11.

e

28 Si quando super Sacerdotum criminibus erat aliquid ventilandum, cum summâ districtione grandique cautelâ Gregorius vniuscuiusque Capituli modulos quærens, sententiam suam magis difficulter quàm faciliter promulgabat. Vnde Natali Salonitano Episcopo scribens, ait: Cùm cuncta negotia indagandæ solicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad deiectionem Sacerdotalium pertinent graduum, sunt districtiùs trutinanda: in quibus non tam de humanis constitutis, quàm de diuinæ quodammodò benedictionis refragatione tractatur. Nuntiatum siquidem nobis est, Florentium *f* Epitauranæ ciuitatis Episcopum, à quibusdam fuisse in caussis criminalibus accusatum, & nullis Canonicis probationibus exquisitis, nec Sacerdotalis concilij præueniente iudicio, eum honoris officio non iure, sed auctoritate depositum. Quia ergo non potest quemquam Episcopatus gradu, nisi iustis ex caussis, concors Sacerdotum summouere sententia, hortamur Fraternitatem vestram, vt præfatum virum ex eodem, in quod detrusus est, eijci faciatis exilio, caussamque eius Episcopali disceptatione perquiri. Et si in his, in quibus accusatus est, Canonicâ fuerit probatione conuictus, Canonicâ procul dubio est vltione plectendus. Quod si aliàs,

Nemo examini subijci eius crimina Episcopis imposita:

lib.2.ep.8 Ind.11.

f

quàm de eo æstimatum est, Synodali fuerit inquisitione compertum, necesse est, vt & criminatores iusti districtionem iuris exhorreant, & in criminato innocentiæ suæ seruentur illibata suffragia. Executionem verò antefati negotij Antonino Subdiacono nostro ex nostrâ præceptione mandauimus, quatenùs eius instantia, & quæ sunt legibus Canonicis placita, decernantur: & decreta, iuuante Domino, mancipentur effectui. Item Constantio Mediolanensi: Relectis epistolis, quas ad nos per Maurinum latorem præsentium transmisistis, gratam nobis solicitudinem vestram fuisse rescripsimus, quòd eam, quæ ad vos de Fratre & Coepiscopo nostro Pompeio, qui à nobis ita est nominandus, peruenit, caussam dissimulare minimè pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc, quod de eo dictum est, fuisset ambiguum, sed vtrum verum, an esset compositum, patuisset. Quia iam contra ipsum dudum in Siciliâ apud reuerendæ memoriæ Fratrem nostrum Maximinianum Episcopum talis quæstio, vt cognouimus, mota est: sed quia caussa ipsius subtili omnino inuestigatione quæsita est, inuentus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniam illa, quæ contra eum dicta sunt, non sub illâ, quâ decuit, districtione quæsita sunt & gesta, quæ exinde apud Fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem eius probantur posse sufficere: non leuis res agitur, vt incautè vel in transcursu debeat diffiniri. Nã graue est satis & indecens, vt in re dubiâ certa dicatur sententia. Et hęc quidem gesta esse poterant ad diffiniendum satis idonea, si accusati ea confessio sequeretur: si tamen eamdem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit, vt noxios se fateri etiam cogantur innoxij. Nam postquàm præfatus Episcopus, vt dicitur, custodiâ cruciari cremarique se fame asserit, scire debetis, si ita est, vtrùm noceat, si sic fuerit extorta confessio. Numquid quando sententiam tales caussæ suscipiunt, & ad Sedem Apostolicam appellatur, non & persona, quæ iudicatur, præsens est, vt districtissimè atque ab omni latere veritas requiratur, vti tunc, si debeat nécne manere sententia, decernatur? Nec non etsi prædictus Episcopus ad Sedem Apostolicam appellare voluerit, caussa ipsius interiùs & cum omni est diligentiâ perscrutanda? Et ideò postquàm & persona absens est, & gesta, quæ ad nos transmisistis, nobis, sicut præfati sumus, idoneè satisfacere non videntur, temerè aliquid de Episcopi personâ decernere nec debemus, nec possumus: ne, quod absit, reprehensibiles inueniamur in nostris, quibus aliorum iure competit retractare sententias. Item Ioanni Defensori post aliqua: Quia, inquit, Stephanus Episcopus in odio suo quædam ficta, & de falsis se capitulis accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed iniustè se asserit condemnatum, diligenter quærendum est, primò si iudicium ordinabiliter est habitum, si alij accusatores, alij testes fuerunt. Deinde caussarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit, si eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium dictum est: si scriptis actum est, si ipse licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est; cuius vitæ, cuius conditionis, cuiusque opinionis, aut ne inopes sint, ne fortè aliquas contra præfatum Episcopum inimicitias habuissent. Vtrùm testimonium ex auditu dixerunt aut certè se scire specialiter testati sunt. Si scriptis iudicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si fortè hæc solenniter acta non sunt, neque caussa probata est, quæ exilia vel depositione digna sit, in Ecclesiam suam modis omnibus reuocetur.

D AVCTORE IOANNE DIACONO

lib.8.ep.30

E

monet de dubijs non certam ferendam sententiam:

F

lib.11.ep.30

& omnes circumstantias diligenter discutiendas:

a Est

A

AVCTORE IOANNE DIACONO

a *Est hic S. Anastasius Sinaita, quem suprà diximus coli 21. Aprilis.*

Iustiniana prima.

b *Iustiniana prima extructa à Iustiniano Imperatore apud Dardanos, vbi natus erat, & facta est vniuersa Prouincia metropolis & Sedes Archiepiscopalis Illyriorum, vti tradit Procopius libro 4 de Ædificijs pag. 67.*

c *Larissa erat Metropolis Thessaliæ, sub quâ Thebana ciuitas.*

Callipolis.

d C*alliopolis aut meliùs* C*allipolis vrbs Thraciæ ad Propontidem è regione Lampsaci in Asiâ oppositâ. Verùm hîc agitur de Callipoli vrbe Salentinorum, vbi à Melâ* vrbs Graia Callipolis *collocatur, vulgò nunc incolis* Gallipoli *dicta, in littore maris haud procul à Iapygio siue Salentino promontorio. At Ioannis Episcopi hîc memorati obitum describit S. Gregorius lib. 5 ep. 21 Ind. 14 ad Petrum Hydruntinum Episcopum.*

e *Andreas 6 Episcopus Tarentinus apud Vghellum, ad quem extat epistola eiusdem S. Gregorij 44 libri 2, eiusq; successori Honorio scripta est epistola 24 libri 11 Indict. 6 siue anno Christi 603.*

Epidaurus.

f *Ita MSS. nostrum & Corsend. In Vita cum operibus excusa* Epitauritanæ. *Hinc vitiosius apud Surium* Tauritanæ. *Est* Epidaurus *vrbs Dalmatiæ, vulgò* Ragusa, *Emporium liberum cum Sede Archiepiscopali.*

CAPVT VI

Monita Episcopis & alijs Præpositis à S. Gregorio præscripta. Lex talionis in falsò accusantes retorquenda. Clericis debita stipendia conferenda.

Auctoritatem Episcoporum sua auctoritate firmat:

29 AVctoritatem quorumlibet Summorum Pontificum Gregorius auctoritatis suæ magnitudine nullo modo minuebat, quin potiùs multipliciter roborabat. Et quamuis inter culpabiles auctoritatem sui prioratus agnosceret, tamen inter insontes Episcopos se præbebat prorsus æqualem. Quapropter Ioanni Syracusano Episcopo inter cetera scribens, ait: Quòd Primas Byzacenus à suis Episcopis impetitus, se Sedi Apostolicæ dicit subijci; si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit: cùm verò culpa non exigit, omnes Episcopi secundùm rationem humilitatis æquales sumus, & cet. Item in libro regulæ pastoralis: Liquet, inquit, quòd omnes homines naturâ æquales genuit, sed variante meritorum ordine, alios alijs culpa postponit. Ipsa autem diuersitas, quæ accessit ex vitio, diuino iudicio dispensatur: vt quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero. Vnde cuncti, qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis: nec præesse hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim Patres nostri non Reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur: & cum Noë Dominus filijsque eius diceret, Crescite & multiplicamini, & replete terram; protinùs adiunxit: Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Quorum videlicet terror ac tremor, quia esse super animantia terræ præcipitur, profectò esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus ceteris naturâ prælatus est. Et idcircò ei dicitur, vt ab animalibus & non ab homine timeatur: quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Et tamen necesse est, vt Rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt: vt humanâ saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Nequaquàm tamen Præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subiectorum iustitiam quærunt. In eo enim, quòd metum sibi à peruersè viuentibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur. Quia videlicet ex quâ parte bestiales sunt subditi, ex eâ debent etiam formidini iacere substrati. Sed plerumque Rector eo ipso, quo ceteris præminet, elatione cogitationis intumescit: & dùm ad vsum cuncta subiacent, dum ad votum velociter iussa complentur, dum omnes subditi, si qua benè gesta sunt laudibus efferunt, malè gestis autem nullâ auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam quæ reprobare debuerant, seductus ab his, quæ infrà suppetunt, super se animus tollitur: & dum foris immenso fauore circumdatur, intùs veritate vacuatur, atque oblitus sui, in voces se spargit alienas; talemque se credit, qualem foris audit, non qualem intùs discernere debuit: subiectos despicit, eosque æquales sibi naturæ origine non agnoscit: & quos sorte potestatis excesserit, transcendisse etiam vitæ meritis credit: cunctis se æstimat ampliùs sapere, quibus se videt ampliùs posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum, & qui æquâ ceteris naturæ conditione constringitur, ex æquo ceteros respicere dedignatur: sicque vsque ad eius similitudinem ducitur, de quo scriptum est: Omne sublime videt, & ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ, Qui singulare culmen appetens, & socialem Angelorum vitam despiciens, ait: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Miro ergo iudicio intùs foueam deiectionis inuenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatæ quippe Angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum, in tumore superbiæ culmine potestatis excreuit: per humilitatem quippe prælatus est & per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: Nonne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? Paruulum se priùs in suis oculis viderat: sed fultus temporali potentiâ, iam se paruulum non videbat. Ceterorum namque comparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo cùm apud se paruulus, apud Deum magnus; cùm verò apud se magnus apparuit, apud Deum paruulus fuit. Plerumque ergo dum ex subiectorum affluentiâ animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur: quam videlicet potentiam benè regit, qui & tenere illam nouerit, & impugnare. Benè hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illâ ceteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cùm nullâ potestate fulcitur. Quantò magis in altum se erigit, cùm se ei etiam potestas adiungit? Quam tamen potestatem rectè dispensat, qui solicitè nouerit, & sumere ex illâ quod adiuuat, & expugnare quod tentat: & æqualem se cum illâ ceteris cernere, & tamen se peccantibus zelo vltionis anteferre. Sed hanc discretionem pleniùs agnoscimus, si Pastoris primi exempla cernamus. Petrus namque auctore Deo, sanctæ Dei Ecclesiæ principatum tenens, à benè agente Cornelio & sese ei humiliter prosternente, immoderatiùs venerari recusauit, seque illi similem recognouit, dicens: Surge, ne feceris: & ego ipse homo sum. Sed cùm Ananiæ & Saphiræ culpam reperit, mox quantâ potentiâ super ceteros excreuisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit: & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quòd honore sibi vehementer impenso, coram benè agentibus Fratribus non agnouit. Illic quippe communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus vltionis ius aperuit potestatis. Et paullò pòst: Sed cùm delinquentes subditos Præpositi corrigunt, restat necesse est, vt solicitè attendant, quatenùs per disciplinæ debitum, culpas quidem iure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis Fratribus, qui corriguntur, agnoscant. Quamuis plerumque etiam dignum est, vt eosdem, quos corrigimus, tacitâ nobis cogitatione præferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur: in his verò, quæ ipsi committimus, ne verbi

Margin notes (left column): lib. 7. ep. 64 Ind. 2. — par. 2. cap. 6 — C — Genes. 9. — *Præpositos vult memores sua conditionis:*

Margin notes (right column): D — *ne intumescam* — Iob. 41. — *cum Lucifero* — Esai. 14. — E — *& Saule* — 1. Reg. 15. — *sed peccantibus zelo correctionis se præferant* — F — *exemplo S. Petri* — *timentes magis, quòd ipsi simulia peccamus,*

A verbi quidem ab aliquo inuectione laceramur. Tantò ergo apud Dominum obligatiores sumus, quantò apud homines inultè peccamus. Et reliqua.

lib. 9. ep. 32 *Clericorum controuersia inter sese aut cum Episcopis quomodò decidenda:*

30 Hac Gregorius æqualitate seruatâ, Romano Defensori Siciliæ scribit, dicens: Peruenit ad nos, quod si quis contra quoslibet Clericos caussam habeat, despectis eorum Episcopis, eosdem Clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Quod si ita est, quia valdè constat incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus, vt hoc denuò facere non præsumas. Sed si quis contra quemlibet Clericum caussam habuerit, Episcopum ipsius adeat, vt aut ipse cognoscat aut certè ab ipso iudices deputentur. Aut si ob hoc fortasse ad arbitros eundum est, partes ad eligendos iudices ab ipso executio deputata compellat. Si quis verò vel Clericus vel laicus contra Episcopum caussam habuerit, tunc te interponere debes, vt inter eos aut ipse cognoscas, aut certè te admonente, sibi iudices eligant. Nam si sua vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur, quid aliud geritur, nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri ordo debuerat, confundatur.

B *Falsarij delatores talione mulctandi:* lib 9. ep. 66

31 Sicut conuictum de crimine sine vindictâ Canonicâ Gregorius neminem relinquebat, sic nimirùm falsarium delatorem regulari tramite puniebat. Vnde Anthemio Subdiacono scribens, ait: Cùm fortiùs punienda sint crimina; quæ insontibus, & maximè sacris Ordinibus ingeruntur, quàm sitis culpabiles omnes, qui in caussâ Ioannis Diaconi resedistis, attendite, vt Hilarium criminatorem eius, nulla ex definitione vestrâ pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram esse credatis idoneum, quòd vobis quasi iudicare volentibus, solus Frater & Coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse: nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, faciliùs vni à multis rationabiliter suaderi, quàm multi ab vno poterant sine caussâ differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum non debet sine vltione transire, suprascriptum Fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, vt eumdem Hilarium priùs Subdiaconij, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum, faciat in exilium deportari: vt vnius pœna multorum possit esse correctio. Cuius si fortè leuitatem Diaconij sui adhuc opinio lacerata non commouet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit, experientia tua hæc, quæ diximus, faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet. Idcircò Gregorius non probantem, quod obiecerat, Subdiaconum officio iubet priuari:

C quia iuxta Canonicas Patrum sententias, qui calumniâ illatam non probat, pœnam debet incurrere, quam, si probasset, reus vtique sustineret. Ac per hoc quia Subdiaconus crimen Diaconi probare non potuit, quoniam impositionem manus, quâ carere potuisset, non habuit, non Sacerdotio, sed officio caruit, & tamquàm reuerà infamis, meruit verberibus castigari. Nam cui cum tribus testibus veluti laico crimen quodlibet approbatur, non est mirum, quod obiecit, dum probare non sufficit, si corporali infamiæ, quemadmodùm laicus, ex iuris similitudine subiugatur. Quod enim esset Diacono gradum amittere, hoc fuit Subdiacono famæ plenitudine caruisse.

lib. 2. ep. 38 Ind. 11. *ingesta crimina indiscussa præterire non patitur, & calumniatores mulctat:*

32 Crimina semel audita Gregorius indiscussa nullo modo præteribat, etiamsi accusatus cum accusatore suo redisset in gratiam. Quapropter vniuersis Episcopis Corinthi scribens, ait: Desiderij nostri est ad concordiam redigere discordes, & vnitos esse in gratiâ eos, quos diuisos ab alterutrâ dilectione voluntatis facit esse diuersitas. Scripta igitur Fraternitatis vestræ relegentes, agnouimus, quòd hi, qui contra Adrianum Fratrem & Coepiscopum nostrum aliqua dixerant, modò cum eodem Episcopo in amicitiam conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate lætitia. Sed quoniam ea, quæ dicta sunt, indiscussa remanere non patimur, Sedis nostræ Diaconum ad ea inuestiganda dirigimus: quia nuntiati nos facinoris qualitas vehementer impellit, vt ea, quæ audiuimus, dissimulare nullatenùs debeamus. Præsertim cùm accusatores & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis, hoc nobis necesse est subtiliùs perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia. Quæ si, quod absit, non ex caritate, sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est. Nam nos, qui Canonicè, reuelante Deo, mala, si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus, commissam postmodùm culpam sine vindictâ nullâ ratione dimittimus. Item Ioanni Episcopo Corinthiorum post aliqua: Paulum, inquit, Diaconem, latorem præsentium, quamuis culpa sua vehementer confundat atque redarguat, quòd deceptus promissione, ab accusatione nuper depositi quondam Episcopi sui destiterit, & cupiditatis studio silere contra animam suam potiùs, quàm prodere vera consensit; tamen quia pios plùs nos esse conuenit, quàm districtos, hanc ei culpam ignoscimus, atque eum in ordine locoque suo recipiendum censemus. Nam ei à tempore prolatæ sententiæ afflictionem, quam pertulit, credimus ad vindictam huius culpæ posse sufficere. Euphemium verò atque Thomam, qui pro deferendâ accusatione sacros Ordines acceperunt, eisdem Ordinibus priuatos esse, atque ita, sicuti sunt depositi, volumus permanere: nec vmquàm eos sub qualibet excusationis specie in sacros Ordines reuocari decernimus. Nam nimis indignum & contra Ecclesiasticæ regulam disciplinæ est, vt honore, quem non ex meritis sed pro sceleris præmio percepêre, fungantur. Quia tamen plus misericordiæ quàm districtæ nos conuenit operam dare iustitiæ, eosdem Euphemium atque Thomam in ordinem locumque tantummodò, vnde ad sacros Ordines promoti fuerant, volumus reuocari: & cunctis diebus vitæ suæ eorumdem locorum continentiam, sicut consueuerant antè, percipiant. Clematium verò Lectorem similiter benignitatis intuitu in ordinem locumque suum reuocandum esse constituo. Quibus etiam omnibus, id est, Paulo Diacono, Euphemio, Thomæ, atque Clematio commoda sua secundùm locum & ordinem, in quo quisque eorum est, sicut solitus erat accipere, à præsenti Indictione Fraternitas vestra sine aliquâ studeat imminutione præbere.

D AVCTORE IOANNE DIACONO

lib. 4. ep. 50

E

F *consueta stipendia infirmis Clericis iubet ministrari:* b lib. 2. ep. 5 Ind. 10.

33 Consueta Clericorum stipendia nullis quarumlibet ægritudinum occasionibus misericordissimus Pater Gregorius retrahebat. Vnde Candido Episcopo *b* Vrbis veteris scribens, ait: Cùm percussio corporalis, vtrum pro purgatione an pro vindictâ contingat, Dei in hoc iudicium ignoratur, non debet à nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. Et quia præsentium lator Calumniosus pro hac percussione, quam sustinet, consueta sibi commoda ab Ecclesiâ vestrâ asserit denegari, idcircò Fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenùs nihil eum ad percipienda quæ consueta sunt, hæc ægritudo debeat impedire. Quia diuersis in Ecclesiâ militantibus, varia, sicut nosti, sæpè contingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cetero, qui Ecclesiæ militet, poterit inueniri. Sed secundùm loci eius ordinem quæque ei, si sanus esset, poterant ministrari: de ipsâ exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accidere, Fraternitas tua, diuini contemplatione iudicij, ægrotanti præbere non desinat.

lib. 11. ep. 40 c

34 Episcoporum venerabilium factas proprijs Clericis sponsiones, Gregorius Apostolicæ Sedis auctoritatibus roborabat. Vnde *c* Ioanni Panormitano Episcopo scribit, dicens: Implenda semper sunt postulan-

A AVCTORE IOANNE DIACONO

cautiones Episcoporum suis Clericis factas auctoritate Apostolica roborari vult, eisque quartas pleniter dari iubet.

stulantium desideria, quoties illa poscuntur, quæ à ratione non deuiant. Et ideò quia quædam capitula, quæ seruaturum te Clericis tuis petentibus promisisti, nostrâ ab eis postulatur auctoritate firmari: Fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt ea, quæ præsentia scripta continent, sine aliquâ debeat refragatione seruare. Primùm, vt de reditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem Ecclesiæ tuæ Clericis, secundùm meritum vel officium siue laborem suum, vt ipse vnicuique dare prospexeris, sine aliquâ præbere debeas tarditate. De hoc verò, quod ex fidelium oblatione accesserit, itidem quartam partem in solidis vel cellario eis, iuxta pristinam consuetudinem, dare non differas. Reliqua autem mobilia omnia in tuâ retineas potestate: immobilia cuncta Ecclesiasticis reditibus aggregentur: vt multiplicatâ quantitate, Clericorum tuorum vsibus, Deo largiente, proficiant. Tabellarium autem vnà cum consensu seniorum & Cleri memineris ordinandum, qui annis singulis, ad amputandam fraudis suspicionem, solenniter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum verò tempore idem Clerus emendi vinum de possessionibus Ecclesiæ tuæ ad iusta pretia, inquantùm vendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est, vt quod potest extraneis venundari, Clericis dato pretio denegetur. Possessiones igitur, vel si qua sunt alia Ecclesiastico iuri competentia, & ab extraneis indebitè detinentur, cum omni studio, seruatâ ciuilitate, in ius Ecclesiæ tuæ reparare festina, vt negligés in aliquo videri non valeas. Si quid verò de quocumque Clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè possit offendere, facilè non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita: sed præsentibus Ecclesiæ tuæ senioribus, diligenter est veritas perscrutanda; & tunc si qualitas rei poposcerit, Canonica districtio culpam feriat delinquentis. Hæc itaque omnia sic solicitè ac mansuetè studij tui sit custodire, quatenùs nec tu promissionis tuæ videaris immemor extitisse, nec illi iustam contra te occasionem inuenire valeant murmurandi. Item Maximiano Episcopo Syracusano post pauca: Cognouimus de reditibus, Ecclesiæ nouiter acquisitis, Canonicam dispositionem quartarum minimè prouenire, sed Episcopos locorum tantummodò distribuere quartam antiquorum redituum, nunc verò quæsita suis vsibus retinere. Quamobrem prauam subintroductam consuetudinem Fraternitas tua viuaciter emendare festinet: vt siue de præteritis reditibus, siue de his, quæ nouiter obuenêre, vel obuenientibus, quartæ secundùm distributionem Canonicam dispensentur. Incongruum namque est, vnam eamdemque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodò iure censeri, id est, vsurpationis & Canonum,

B (margin letter beside "dendum est")

lib. 3. ep. 11 (margin beside "valeant murmurandi. Item Maximiano Episcopo Sy-")

C (margin letter beside "nem Fraternitas tua")

a Clematicum & Clemacium, *MSS. Surius* Clementium.

b Vrbs-vetus, *vulgò* Oruieto, *vrbs Etruriæ antiqua, in ditione Pontificiâ, seu Patrimonio S. Petri: cuius primi Episcopi Ioannes & Candidus solùm ex epistolis S. Gregorij noti.*

c *Ioannes Episcopus Panormitanus successit Victori, de quo actum lib. 3 num. 4 mortuo anno* 603.

CAPVT VII

Hæretici & Schismatici ad veram cum Ecclesiâ Catholicâ concordiam à S. Gregorio perducti aut inuitati.

35 AB alijs Episcopis communione priuatos Gregorius communioni pristinæ reformabat. Quapropter Magno Presbytero Mediolanensis Ecclesiæ scribens, ait: Sicut exigente culpâ dignè quis à Sacramento communionis abigitur, ita insontibus nullo modo talis irrogari debet vindicta. Comperimus siquidem, quod Laurentius Frater & Coepiscopus noster, nullis te culpis extantibus communione priuauerit. Ideoque huius præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus perage, & communionem sine aliquâ sume formidine.

li. 2. ep. 26 Ind. 11. (margin beside § 35)

D *Iniustè excommunicatos ab alijs, absoluit.*

36 Purgantes se à crimine cuiuslibet hæresis Gregorius non solùm recipiebat: imò etiam Catholicos declarabat. Vnde Ioanni Constantinopolitano Episcopo scribit, dicens: Sicut hæreticorum prauitas zelo rectæ fidei comprimenda, ita veræ confessionis est integritas complectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores incautâ districtione mortiferi generantur. Et hinc non solùm errantes oues ad caulas minimè Dominicas reuocantur, sed etiam intùs positæ, ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo subtiliter, Frater reuerendissime, perpendamus, vt sub prætextu hæresis affligi quempiam, veraciter profitentem fidem Catholicam, non sinamus. Valdè enim mirati sumus, cur hi, qui in caussâ fidei iudices contra Ioannem Chalcedonensis Ecclesiæ Presbyterum à vobis fuerant deputati, negligentes veritatem opinioni crediderunt, & credere districtè profitenti noluerunt: maximè cùm accusatores ipsius a Marcionistarum, quam memorabant, hæresim, vnde eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ esset, nescire se manifestâ professione responderint. Ex quâ re euidenter cognoscitur, quia personam ipsius sine Dei respectu non iustè, sed contra animas suas solâ grauare voluntate tantummodò voluerint. Nos itaque facto concilio, sicut gestorum apud nos habitorum tenor ostendit, cuncta, quæ erant necessaria, subtiliter perscrutantes atque tractantes, quoniam in nullo antè dictum Presbyterum reum inuenire potuimus, præcipuè quia libellus, quem delegatis à vobis iudicibus obtulit, rectæ fidei per omnia synceritati concordat; ea propter eorumdem iudicum reprobantes sententiam, nostrâ eum diffinitione Catholicum, & ab omni hæreticorum crimine liberum esse, Christi Dei Redemptoris nostri gratiâ reuelante, denuntiamus. Item Mauritio Imperatori post pauca: Relatis in Concilio, quæ contra Ioannem Ecclesiæ Chalcedonensis Presbyterum acta sunt, simul & seriè iudicatis, maiorem illum iustitiam sustinuisse cognouimus. Quippe quem clamantem se atque monstrantem esse Catholicum, non reatus culpa, sed diu accusatio incerta protriuit intantùm, quia accusatores ipsius Marcionistarum, quam memorabant, hæresim nescire se apertâ responsione professi sunt. Et qui illicò in ipso iudicij fuerant limine repellendi, in accusatione eius incerti permanere permissi sunt. Sed ne ficta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellũ fidei obtulit, in quo se patenter ostendere fidei rectę professorem studuit & sequacem. Sed hunc à sanctissimo Ioanne Coepiscopo meo iudices deputati, iniustè ac irrationabiliter negligentes, dum in eius se nisi sunt occupare grauamine, se potiùs reprehensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. Item Narsi Comiti de eodem post alia: De Ioanne verò Presbytero cognoscite, quia caussâ illius per Synodum decisa est, in quâ apertè cognoui, quia eius aduersarij eum facere hæreticum voluerunt, & diu conati sunt, sed minimè potuerunt. Item Athanasio Presbytero de Isauriâ: Sicut de eis, quos ab vnitate Ecclesiæ hæreticæ prauitatis error abscidit, affligimur & dolemus: ita de his, quos intra sinum suum Catholicæ fidei professio continet, congaudemus. Et vt pastorali solicitudine illorum nos oportet impietatibus obuiare, sic horum professionibus congruit fauorem impendere, &

lib. 5. ep. 15 (margin beside "Episcopo scribit")

E *Ioannem Chalcedonensem Presbyterum Catholicum declarat.*

lib. 5. ep. 16 (margin beside "Item Mauritio Imperatori")

F (margin letter)

lib. 5. ep. 14 (margin beside "Item Narsi")

lib. 5. ep. 64 (margin beside "Item Athanasio Presbytero")

A & sincera esse, quæ sapiunt, declarare. Atque ideò, dum tibi ab Athanasio Presbytero Monasterij S. Melæ, cui est vocabulum Tannaco, quod in Lycaoniâ est prouinciâ constitutum, contraria integræ fidei orta suspicio est, vt professionis tuæ potuisset integritas apparere, ad Apostolicam Sedem, cui præsidemus, elegisti recurrere: asserens etiam te corporaliter verberatum, aliqua iniustè ac violenter fecisse. Et quamquàm ea, quæ vi impulsionis fiunt, Canonū minimè censura recipiat, & iure habeantur infirma, quia ipse ea dissoluit, qui iniustum fateri compellit: sed magis illa est suscipienda & amplectenda confessio, quæ ex spontaneâ monstratur voluntate procedere, sicut apud nos fecisse dignosceris. Ne quid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo Ioanni, quondam Fratri nostro Constantinopolitanæ ciuitatis Antistiti, de te præuidimus scribendum, vt suis nos quid actum esset epistolis informaret: qui sæpè à nobis admonitus, rescribens innotuit, quemdam codicem apud te fuisse inuentum, quo plura continebantur hæretica: & ob hoc aduersùs dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores eius partes B solicitâ lectione percurrimus. Et quoniam manifesta in eo hæreticæ infectionis venena reperimus, ne denuò debuisset legi, vetuimus. Sed quia hunc te simpliciter legisse testatus es, & ad amputandam ambiguæ suspicionis materiam, libellum nobis manu tuâ porrexisti perscriptum, in quo fidem tuam exponens, omnes generaliter hæreses, vel quidquid aduersùs Catholicæ professionis integritatem est, apertissimè condemnasti, & cuncta, quæ sanctæ quatuor Vniuersales Synodi recipiunt, te semper recepisse ac recipere, quæ condemnauerunt, condemnasse condemnaréque professus es: eam quoque Synodum, quæ Imperatoris Iustiniani temporibus de Tribus capitulis facta est, te & suscipere & custodire promisisti: & prohibitus à nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferæ fraudis virus innexum est, libentissimè consensisti: reprobans etiam atque condemnans omnia, quæ in eo contra Catholicæ fidei integritatem dicta vel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuò promisisti. Hac ratione permoti, postquàm etiam ex probatâ à te libelli paginâ, & fides tua nobis Catholica Deo custodiente perclaruit, ab omni te hæreticæ peruersitatis maculâ, iuxta professionem tuam, liberum esse decernimus, & Catholicum atque synceræ in omnibus fidei professorem ac sequacem, Iesu Christi Saluatoris gratiâ, claruisse pronuntiamus: liberam C quoque tribuendo licentiam, ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominùs remeare.

a extortam confessionem infirmam censens,

Athanasium Presbyterum ab hæresi absoluit.

37 Schismaticos ad recipiendam satisfactionem venire Gregorius inuitabat. Quibus, etiamsi numquàm ad vnitatem Ecclesiæ redire voluissent, nullam se facturum violentiam promittebat. Vnde Petro & *b* Prouidentio Episcopis de Istriâ scribens, ait: Deus, qui lætatur in vnitate fidelium, & reuelat quærentibus veritatem, cordi vestro, dilectissimi Fratres, aperiat, quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ vniuersalis Ecclesiæ contineri, & in eius manere vnitate concordes. Quod fore non dubito, si abiecto contentionis stimulo, satisfieri vobis veraciter de his, de quibus est dubietas, intendatis. Remeantis autem Castorij notarij mei relatione edoctus sum, Fraternitatem vestram ad me habere desiderium veniendi, si promissum fuerit, quia nullam molestiam sustinebit. Hoc ego cognoscens, & opto & succensus ardore caritatis inuito, vt ad me veniendi debeatis laborem assumere, quatenùs pariter conferentes, quæ vera & Redemptori nostro sunt placita, & communiter loquamur & modis omnibus teneamus. Ego verò Diuinæ gratiâ protectionis suffragante, satisfacere vobis, de quibus dubitatis, paratus sum: & confido de omnipotentis Dei nostri clementiâ, quia illa vobis satisfactio mea interiùs inhærebit, vt nihil caritati vestræ de cetero possit ambiguum remanere. Nam illa, quæ sanctissimæ quatuor Synodi sapuerunt atque diffiniêre, & prædecessor noster Leo sanctissimus Papa, ita & nos sapimus, sequimur ac tenemus, nec ab eorum fide aliquo modo dissentimus. Sed quia plùs persona præsens, quàm epistola satisfacit: hortor, dilectissimi Fratres, vt ad me venire, sicut præfatus sum, debeatis, dummodò ratione perceptâ, à concordiâ sanctæ vniuersalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet. Hoc tamen certa vestra sit caritas, quia vos & cum affectu, quo decet, suscipio & cum gratiâ relaxabo. Nec aliquam vos vel quoscumque alios, qui pro hac ad me causâ venire voluerint, afflictionem vel molestiam sustinere permitto. Sed seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia diuina compunxerit, siue, quod absit, in eâ vos durare dissensione contigerit, ad propria vos remeare, quando volueritis, iuxta promissionem meam, sine læsione vel molestiâ relaxare curabimus.

Schismaticos ad satisfactionem inuitat.
lib.4.ep.49
b

D

38 Seuerum Aquileiensem Episcopum, caput totius schismatis existentem, Romam venire compellit, E dicens: Sicut gradientem per deuia, carpentem denuò rectum tramitem, totâ Dominus auiditate complectitur; ita demùm de deserente cognitam veritatis viam, maiori mœrore quàm gaudio, quo de conuertente lætatus fuerat, contristatur. Quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quàm in eadem agnitâ non manere: aliudque est, quod ab errante committitur; aliud, quod per scientiam perpetratur. Et nos siquidem quantò incorporatum te iam pridem fuisse in vnitate Ecclesiæ gauisi fueramus, tantò abundantiùs nunc dissociatum à Catholicâ societate confundimur. Pro quâ re imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi & serenissimi rerum Domini iussionem, ad B. Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, vt auctore Deo aggregatâ Synodo, de eâ, quæ inter vos vertitur, dubietate iudicetur. At Seuerus Apostolicâ simul imperialique iussione coactus, imminente Smaragdo Exarcho, simulque Antonio Ecclesiæ Romanæ Defensore, Rauennam perducitur. Vbi veritus cum Gregorio Synodalem subire conflictum, ad vnitatem sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, mediante Ioanne Rauennati Pontifice, remeauit. Sed cùm post anni spatium ad propria redisset, ab alijs schismaticis persuasus, non solùm ad pristinum vomitum redijt, verùm etiam Mauricij, Deo semper aduersi, iussione surreptâ, quâ iubebatur, vt schismatici redire ad vnitatē Ecclesię minimè cogerentur, reliquis F Episcopis Ecclesię se iungentibus, maximas seditiones conflabat. Quapropter Gregorius neminem iam reuertentium sine cautione iuratoriâ penitùs suscipere satagebat. Quâ præstitâ huiusmodi litteris eidem Patricio Exarcho commendabat: Firminus Frater & Coepiscopus noster, *d* Tregestinæ Antistes Ecclesiæ, ante aduentum vestræ excellentiæ salubri consilio à schismate, cui inhæserat, resipiscens, atque ad vnitatem Matris Ecclesiæ rediens, nostris est epistolis confirmatus, quatenùs in veræ, quam agnouerat, sinu Matris Ecclesiæ fortitudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo audito, Seuerus *e* Gradensis Episcopus, eiusdem caput schismatis, eum diuersis primùm cœpit, si posset, suasionibus à bono reuocare proposito. Quod dum perficere auctore Deo minimè valuisset, seditionem illi suorum ciuium excitare non timuit. Quanta verò prædictus Frater & Coepiscopus noster Firminus ex eadem immissione pertulerit, pleniùs illic ac veraciùs è vicino poteritis agnoscere. Directis itaque excellentiæ vestrę iussionibus, his qui in Istriæ partibus locum vestrum agere, Deo auctore, noscuntur, districtiùs iubete, quatenùs & sępedictum

Seuerum Aquileiensem Episcopum schismaticum Romam venire compellit,
lib.1.ep.19

c ab aliqua resipiscentia ad vomitum reuersum.

d
lib.11.ep.38
Firminum Ep. Tergestinum sincerè conuersum iuuat:
e

AVCTORE IOANNE DIACONO

A Fratrem nostrum ab illatis debeant defensare molestijs, & quietem illius, multis ad imitandum profuturam, modis omnibus procurare. Vt hæc vestra prouisio & conuersorum sit optata securitas, & occasio *f* oborta sequentium. Denique Seuerus quia ad vnitatem sanctæ vniuersalis Ecclesiæ redire non meruit, ad scindendum quoque suæ ipsius diœcesis vnitatem, Romanum Pontificem suâ vecordiâ suscitauit: adeò vt ab ipso illius obitus *g* tempore, Aquileiensis diœcesis in *h* duos metropolitanos, Catholicorum videlicet & schismaticorum, diuisa sit. Neque potuit postmodùm, licet omnes generaliter ad vnitatem de schismate repedauerint, ad pristinæ coniunctionis vnionem vsque hactenus reformari.

Sede Aquileiensi ob schisma diuisâ.

a *Marcionistæ dicti à Marcione, qui seculo* Christi 2 *vixit: cuius hæreses refutata à Tertulliano, Irenæo & alijs.*

b *Ita MSS. cum Surio. In editione operum* Prudentio. *Ceterùm in Istriâ Sedes etiamnum Episcopales sunt Tergesti, Parentij & Ciuitate-nouâ olim Æmonia. Sed horum Catalogi nullum ex his habent, vtpote valdè imperfecti.*

Episcopi Istriæ.

c *Seuerus anno 589 creatus est* Aquileiensis *Episcopus, de quo egimus 5 Februarij ad Vitam S Ingenuini num.*14.

d *In editione operum* Trigestinæ. *At MSS.* Tegrestinæ. *Quidni &* Tergestinæ. *Certè à Trigesto ablata littera fit* Triestium, *vulgò* Triest, *vrbs maritima Istriæ sub ditione Austriaca. Interim deest* Firminus Episcopus *in Catalogo Episcoporum apud Vghellum.*

Tergestum.

B

e *Seuerus* Aquileiensis *suprà, iam Gradensis, quia & Helias decessor & Seuerus in insula Grado degebant, timentes iniuriam Longobardorum.*

f *Ita MSS. excusum* oborta & apta.

g *Id est, ab anno circiter* 605.

h *Aquileiæ sedit* Ioannes & *Gradi* Candianus. *Hinc vtraque Sedes Patriarchalis habita.*

CAPVT VIII

Documenta S. Gregorij circa renuntiationem Episcopatus ob morbos, circa stuprum & dissolutionem coniugij.

39 SIcut nulli Clericorum pro infirmitate corporis quartarum subsidia Gregorius minuebat, ita nulli Pontificum pro ægritudine qualibet succedendum fore docebat. Vnde Anatolio Constantinopolitano Subdiacono rescribens, ait: Scripsit mihi dilectio tua, pijssimum Dominum nostrum reuerentissimo Fratri nostro, primæ Iustinianæ Episcopo, pro ægritudine capitis, quam patitur, præcipere succedi, ne fortasse dum Episcopi iura eadem ciuitas non habet, quòd absit, ab hostibus pereat: & quidem nusquàm Canones præcipiunt, vt pro ægritudine Episcopo succedatur. Et omnino iniustum est, vt si molestia corporis irruit, honore suo priuetur ægrotus. Atque ideò hoc per nos fieri nullatenùs potest, ne peccatum in meâ animâ ex eius depositione veniat: sed suggerendum est, vt si is, qui est in regimine, ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit eius curam omnem agere & locum illius in regimine Ecclesiæ, ipso non deposito, ac in custodiâ ciuitatis implere, vt neque Deus omnipotens offendatur, neque ciuitas inueniatur esse neglecta. Si verò idem reuerentissimus Ioannes fortasse pro modestiâ suâ petierit, vt ab Episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est: aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodò non valemus. Quod si hoc petere ille noluerit, quod pijssimo Imperatori complacet, quidquid lubet facere, in eius est potestate, sicut nouit, ipse prouideat. Nos tantummodò in depositionem insontis non faciat permisceri. Quod verò ipse fecerit, si Canonicum est, sequimur: si vero Canonicum non est, inquantùm possumus sine peccato nostro, portamus. Pontificibus voluntariè suis renuntiantibus Sedibus, successores Gregorius nullo modo denegabat, eosque postmodùm de reditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat. Vnde Mariniano Rauennati Episcopo significans, ait: Qualiter ordinati à nobis Sacerdotis, corporis quâ notum est impediente molestiâ, Ariminensis Ecclesia Pastorali hactenus sit regimine destituta, dudum Fraternitas vestra cognouit: quem dum, habitatorum loci illius precibus permoti, sæpiùs hortaremùs, vt si de eadem capitis, quâ detinebatur, molestiâ melioratum se esse sentiret, ad suam, auxiliante Domino, reuerteretur Ecclesiam, datis inducijs, in hoc quadriennio expectatus est. Quem dum monitu Clericorum vel ciuium illinc venientium, nosque precibus arguentium, instantiùs hortaremur, vt si valeret, cum eis auxiliante Domino, remearet, datâ in scriptis supplicatione nos petijt, vt quia ad eiusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium pro eadem, quâ detinebatur, molestiâ assurgere nullatenùs posset, Ecclesiæ ipsi ordinare Episcopum deberemus. Vnde quia cunctarum Ecclesiarum iniuncta nos solicitudinis cura constringit, ne diutiùs gregi fidelium desit custodia pastoralis, illorum precibus, huiusque ex sui impossibilitate renuntiatione compulsis, visum nobis est, eidem Ariminensi Ecclesiæ debere Episcopum ordinari. Et datis ex more præceptis, Clerum plebemque eiusdem Ecclesiæ non destitimus admonere, quatenùs ad eligendû sibi Antistitem concordi prouisione concurrant. Item Eleutherio Episcopo: Quamuis triste nobis sit valdè, quod loquimur, atque Fraternâ nos magis compassione vrgeat, quàm de auditis aliquid diffinire permittat: suscepti tamen solicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magnâ nos Ecclesijs curâ prospicere, & antequàm harum possit vtilitas deperire, quod fieri debeat Deo auctore disponere. Peruenit igitur ad nos, quemdam Episcopum ita passionem capitis incurrisse, vt quæ mente alienatâ agere soleat, gemitus & fletus audire sit. Ne ergo languente Pastore, grex, quod absit, insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius vtilitates depereant, cautâ nos necesse est prouisione tractare. Et ideò quia viuente Episcopo, quem ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen, abducit, alium loco eius, nisi recusante eo, nulla sinit ratio ordinari; si interualla ægritudinis habere est solitus, ipse datâ petitione, nec se vlteriùs ad hoc ministerium, subuertente infirmitate, nec ad alia officia posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, omnium solenni electione alter, qui dignus fuerit, Episcopus consecretur: sic tamen, vt quousque eumdem Episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesiâ ministrentur. Enimuerò si nullo tempore ad sanæ mentis redijt officium, persona fidelis ac vitæ est probabilis eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum vtilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ vindictâ restringere, Ecclesiasticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem se in omnibus exhibere. Qui etiam, si Episcopo, qui nunc ægrotat, superstes extiterit, loco eius debeat consecrari.

lib.9.ep.41

C

Præscribit ob corporis ægritudinem Episcopum deponi non posse:

et Episcopatui renuntiantibus, successores non denegãdos:

D

lib.7.ep.41 Ind.2

Ecclesiarum omnium curam demandatam Rom. Pontifici significat.

E

lib.11.ep.7

F

40 Virginem stupratam Gregorius iubebat vxorem percipere, aut stupratorem eius, castigatum verberibus, in monasterio deputare. Vnde Felici *a* Sipontino Episcopo scribit, dicens: Expectabamus Fraternitatem tuam suâ aliquos ad Deum prædicatione conuertere, & malè agentes ad rectitudinem reuocare. Quâ de re nimis contristamur, quia è diuerso in nepotis tui Felicis prauitate, tua euidenter, qui talem nutristi, culpa monstrata est. Peruenit itaque ad nos, quod suprascriptus Felix, Euangelici Diaconi tui filiam stupro deceperit. Quod si verum est, quamuis graui esset de lege pœnâ plectendus, nos tamen aliquate-

Pœnam, qui virginem vitiarat, indicit:

lib.2.ep.44 Ind.11.

A quatenùs legis duritiam mollientes, huiuſcemodi diſponendo præcipimus, vt quam ſtuprauit, vxorem habeat: aut certè ſi renuendum putauerit, diſtrictus ac corporaliter caſtigatus excommunicatuſque, in monaſterium, in quo pœnitentiam peragat, retrudatur, de quo ei nulla ſit egrediendi ſine noſtrâ præceptione licentia.

Non permittit virum abſque vxoris conſenſu monaſticam vitam ſuſcipere. lib.9.ep.44

41 Virum ſine vxoris propriæ voluntate conuerſum, etiamſi fuiſſet iam tonſuratus, Gregorius vxori reddi iubebat. Quapropter Adriano Panormitano notario ſcribens, ait: Agathoſa latrix præſentium queſta eſt maritum ſuum contra voluntatem ſuam in monaſterio Vrbici Abbatis eſſe conuerſum. Quod quia ad eiuſdem Abbatis culpam & inuidiam non eſt dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquiſitione diſcutiat, ne fortè cum eius voluntate conuerſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit. Etſi hoc reperit, & illum in monaſterio permanere prouideat, & hanc, ſicut promiſit, mutare compellat. Si verò nihil horum eſt, nec quondam fornicationis crimen, propter quod viro licet vxorem dimittere, prædictam mulierem commiſiſſe cognoueris, ne illius conuerſio, vxori relictæ in ſeculo, fieri poſſit perditionis occaſio, volumus, vt maritum ſuum illi, etiamſi B iam tonſuratus eſt, reddere omni debeas excuſatione ceſſante. Quia etſi mundana lex præcipit, conuerſionis gratiâ vtrolibet inuito, ſolui poſſe coniugium, diuina lex fieri non permittit: nam exceptâ fornicationis cauſsâ, virum vxorem relinquere, nullâ ratione concedit. Quia poſtquàm copulatione coniugij, viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non poteſt ex parte conuerti, & ex parte in ſeculo permanere.

a De Siponto vrbe Apuliæ euerſa latè egimus 7 Februarij ad Vitam S. Laurentij Epiſcopi Sipontini.

CAPVT IX

Iudæi quâ ſint ratione tolerandi & coercendi. Non Sabbatum, ſed dies Dominica veneranda.

a b Vim nullam Iudæis inferendam ſtatuit: lib.1.ep.45

42 IVdæorum perfidiam rationibus magis, quàm violentijs excutere Gregorius decertabat. Quapropter *a* Virgilio & *b* Theodoro Epiſcopis Galliarum poſt aliqua ſcribens, ait: Plurimi Iudaicæ religionis viri, in hac prouinciâ commanentes, ac ſubinde in Maſſiliæ partibus pro diuerſis negotijs ambulantes, ad noſtram perduxêre notitiam; multos conſiſtentium C in illis partibus Iudæorum, vi magis ad fontem baptiſmatis, quàm prædicatione perductos: nam intentionem quidem huiuſcemodi & laude dignam cenſeo, & de Domini noſtri deſcendere dilectione profiteor. Sed hanc eamdem intentionem niſi competens Scripturæ ſacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliquid animarum, quas eripi volumus, quod abſit, diſpendia ſubſequantur: dum enim quiſpiam ad baptiſmatis fontem, non prædicationis ſuauitate, ſed neceſſitate peruenerit, ad priſtinam ſuperſtitionem remeans, inde deterius moritur, vnde renatus eſſe videbatur. Fraternitas ergo veſtra huiuſcemodi homines frequenti prædicatione prouocet, quatenùs mutare veterem magis vitam de doctoris ſuauitate deſiderent: ſic enim & intentio noſtra rectè perficitur, & conuerſi animus ad priorem denuò vomitum non mutatur. Adhibendus ergo illis eſt ſermo, qui & errorum ſpinas in ipſis vrere debeat, & prædicando, quod in his tenebreſcit, illuminet: vt pro his admonitione frequenti mercedem Fraternitas veſtra capiat, & eorum, quantas Deus donauerit, animas ad regenerationem nouæ vitæ perducat. Item Victori D Epiſcopo Panormitano: Sicut Iudæis non debet eſſe licentia, quidquam in Synagogis ſuis vltrà quàm permiſſum eſt lege, præſumere: ita in his, quæ eis conceſſa ſunt, nullum debent præiudicium ſuſtinere.

AVCTORE IOANNE DIACONO lib.7. ep.26 Ind.1.

Chriſtianos Iudæis ſubeſſe non patitur: lib.2.ep.37. Ind.11.

43 Quemadmodùm Iudæos violenter baptizari Gregorius denegabat, ita Chriſtianos eis quoquomodò ſubijci nullatenùs permittebat. Vnde Libertino Prætori Siciliæ ſcribens, ait: Fertur, quòd Naſas quidam ſceleratiſſimus Iudæorum, ſub nomine B. Eliæ oratorium puniendâ temeritate conſtruxerit, multoſque illic Chriſtianorum ad adorandum ſacrilegâ ſeductione deceperit. Sed & Chriſtiana, vt dicitur, mancipia comparauit & ſuis ea obſequijs ac vtilitatibus deputauit. Dum igitur ſeueriſſimè in eum pro tantis facinoribus debuiſſet vlciſci, glorioſus Iuſtinus medicamento auaritiæ, vt nobis ſcriptum eſt, delinitus, Dei diſtulit iniuriam vindicare. Gloria autem veſtra hæc omnia diſtrictâ examinatione perquirat, & ſi huiuſcemodi manifeſtum eſſe repererit, ita diſtrictiſſimè ac corporaliter in eumdem ſceleratum E feſtinet vindicare Iudæum, quatenùs hac ex cauſsâ & gratiam ſibi Dei noſtri conciliet, & his ſe poſteris pro ſuâ mercede imitandum monſtret exemplis. Mancipia autem Chriſtiana, quæcumque eum comparaſſe patuerit, ad libertatem, iuxta legum præcepta, ſine ambiguitate perducite: ne, quod abſit, Chriſtiana Religio Iudæis quoquomodò ſubdita polluatur. Item Venantio Epiſcopo *c* Lunenſi: Multorum ad nos relatione peruenit, à Iudæis in Lunenſi ciuitate degentibus, in ſeruitium Chriſtiana detineri mancipia: quæ res nobis tantò viſa eſt aſperior, quanto à Fraternitate tuâ & patientiâ operoſior. Oportebat quippe te reſpectu loci tui ab Chriſtianæ religionis intuitu, nullam relinquere occaſionem ſuperſtitioni Iudaicæ, ne ſimplices animæ non tam ſuaſionibus quàm poteſtatis iure quodammodò deſeruirent. Quamobrem hortamur Fraternitatem tuam vt ſecundùm pijſſimarum legum tramitem, nulli Iudæo liceat Chriſtianum mancipium in ſuo retinere dominio: ſed ſi, qui penes eos inueniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum ſanctione ſeruetur.

lib.3. ep.21 *c*

Chriſtianos ſeruos à Iudæis emptos redimi iubet: lib.6. ep.21

44 Si quos Chriſtianorum pro longitudine itineris per Prouincias ab Hebræorum ſeruitio per legalem violentiam Gregorius liberare non poterat, ſuis pretijs redimendos eſſe cenſebat. Vnde Candido Presbytero per Gallias ſcribens: Dominicus, inquit, F præſentium portitor, lacrymabiliter nobis innotuit, quatuor Fratres ſuos de captiuitate à Iudæis redemptos eſſe, atque eos nunc Narbonæ in eorumdem Iudæorum ſeruitio detineri. Et quia omnino graue exerandumque eſt Chriſtianos eſſe in ſeruitio Iudæorum, dilectionem tuam ſcriptis præſentibus adhortamur, vt cum omni ſubtilitate & ſolicitudine ſtudeat perſcrutari, & ſi reuerà ita eſt, atque manifeſtâ tibi veritate conſtiterit, quia neque ipſi vnde ſe rediment, neque ſupraſcriptus portitor habet, eos ſtudij tui ſit redimere, ſciens quia quidquid in eis dederis, tuis ſine dubio rationibus imputabitur.

d lib.3. ep.9 *Iudæorum mancipia ad Eccleſiam confugientia reddi vetat:*

45 Iudæorum mancipia ſemel confugientia ad Eccleſiam, numquàm quibuſlibet ſuaſionibus reddi iubebat. Vnde Ianuario *d* Caralitano Epiſcopo inter cetera ſcribens, ait: Peruenit ad nos, ſeruos ancillaſque Iudæorum fidei cauſsâ ad Eccleſiam refugientes, aut infidelibus reſtitui Dominis aut eorum, ne reſtituantur, pretium dari. Hortamur igitur, vt nullatenùs tam prauam conſuetudinem manere permittas: ſed cùm quilibet Iudæorum ſeruus ad venerabilia loca fidei cauſsâ confugerit, nullatenùs eum patiamini præiudicium ſuſtinere. Sed ſiue olim Chriſtianus ſiue nunc fuerit baptizandus, ſine vllo Chriſtiano-

A rum pauperum damno, Religioso Ecclesiasticæ pietatis patrocinio, in libertatem modis omnibus defendatur.

AVCTORE IOANNE DIACONO

Paganorum mancipia Iudæis vendi prohibet.

46 Non solùm Christiana mancipia Gregorius in libertatem pristinam legaliter reuocabat, verùm etiam pagana, ad fidem venire volentia, vendi nullo modo permittebat. Vnde *e* Fortunato Neapolitano Episcopo inter cetera scribens, ait: Fraternitatem vestram oportet esse solicitam, & si de Iudæorum seruitio non solùm Iudæus, sed etiam quisquam Paganorum fieri voluerit Christianus, postquàm voluntas eius fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Iudæorum venumdandi facultas sit: sed is, qui ad Christianam conuerti fidem desiderat, defensione vestrâ in libertatem modis omnibus vindicetur. Hi verò, quos huiuscemodi oportet seruos amittere, ne forsitan vtilitates suas irrationabiliter æstiment impediri, solicitâ vos hoc conuenit consideratione seruare: vt si Paganos, quos mercimonij caussam de exteris finibus emerint, intra tres menses, dum emptor, cui vendi debeant, inueniatur, fugere ad Ecclesiam fortè contigerit, & velle se dixerint fieri Christianos, vel etiam extra Ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, pretium eorum à B Christiano scilicet emptore percipiant. Si autem post præfinitos tres menses quisquam huiuscemodi seruorum Iudaicorum velle suum edixerit, & fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodùm emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venumdare, sed ad libertatis procul dubio præmia perducatur: quia hunc non ad vendendum, sed ad seruiendum sibi intelligitur reseruasse.

e lib. 5. ep. 31

& ad fidem conuersa, à seruitute & eorum libera censet:

47 Pagana mancipia Iudæos, videlicet dominos suos, ad fidem præcedentia, in eorum seruitium etiamsi ipsi eos ad Christianitatem subsequebantur, nullo modo reuocabat. Vnde *f* Ioanni Syracusano Episcopo: Felix, inquit, præsentium portitor questus nobis est, cùm sit de Christianis natus parentibus, à quodam Christiano, Samaræo se, quod dici scelus est, esse donatum: & dum huiuscemodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere nec ratio legis nec reuerentia religionis admittat, se tamen per decem & octo annos in eius asserit seruitio permansisse: sed cognoscente hoc decessore vestro sanctæ memoriæ Maximiano, ab eo se zelo, sicut decuit, Sacerdotali commoto, de Samaræi nefario seruitio dicit liberatum. Sed quia eiusdem Samaræi filius post quinque annos factus dicitur Christianus, & suprascriptum Felicem in eius seruitium, quantum ipse C dicit, quidam nituntur redigere, sanctitas vestra hæc, quæ edocti sumus, diligenter inquirat: & si ita ei esse constiterit, eum tueri studeat, & à nullo sub qualibet occasione grauari permittat: quia dum superstitiosæ sectæ mancipia, dominos suos ad fidem præcedentia, seruitio eorum apertè redigi iura prohibeant, quantò magis hic de Christianis parentibus natus, & factus à paruulo Christianus, hanc non debet quæstionem aliquo modo sustinere? maximè quia nec patris esse seruus potuit, quem liquet ex prauâ potiùs præsumptione pœnam posse venientem de legibus sustinere.

f lib. 7. ep. 22 Ind. 1.

g Circumcidi paganorum neminem permittit.

48 Circumcidi saltem Paganorum neminem Gregorius permittebat. Quamobrem *g* Leoni Catanensi Episcopo: Res, inquit, ad nos omnino detestabilis & legibus inimica peruenit, quæ si vera est, Fraternitatem tuam vehementer accusat, quia eam de minori solicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem, quòd Iudæi vel Samaræi degentes Catanæ, pagana mancipia emerint, atque ea circumcidere ausu temerario præsumpserint. Idcirco necesse est, vt omnimodò zelum in hac causâ Sacerdotalem exerceas, & cum omni hoc viuacitate ac solicitudine studeas perscrutari. Et si ita reperreris, mancipia ipsa sine morâ in libertatem modis omnibus vendica, & Ecclesiasticam eis tuitionem impende. Nec quidquam dominos eorum de pretio quolibet modo recipere patiaris: qui non solùm hoc damno mulctandi, sed etiam aliâ erunt pœnâ de legibus feriendi. D

Iudæorum munera execratur, li. 7. ep. 110 Ind. 1.

49 Sanè quia Iudæorum perfidia zelum Christianorum, datis contra se muneribus ludificare solebat, non solùm nil ab eis penitùs capiebat, quinimò eorum munera Gregorius execrabilia iudicabat. Vnde *h* Recharedo regi Wisigothorum posteà scribit, dicens: Præterea indico, quia creuit de vestro opere in laudibus Dei hoc, quod dilectissimo Filio meo Probino Presbytero narrante cognoui: quia cùm vestra Excellentia constitutionem quamdam contra Iudæorum perfidiam dedisset, hi de quibus prolata fuerat rectitudinem vestræ mentis inflectere, pecuniarum summam offerendo, moliti sunt: quam Excellentia vestra contempsit, & omnipotentis Dei placere iudicio quærens, auro innocentiam prætulit. Quâ in re mihi Dauid Regis factum ad memoriam venit, cui dum concupita aqua de cisternâ Bethlehemiticâ, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset oblata, protinus dixit: Absit à me, vt sanguinem istorum hominum bibam. Quam quia fudit, & bibere noluit, scriptum est: Libauit eam Domino. Si igitur ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit. Itaque Fili excellentissime, fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere nullo modo voluisti, &c. 2. Reg. 23. E

h

exemplo aliorum Pontificum

50 Hinc est, quòd, sicut à maioribus traditur, & nos vsque ad nostra tempora, dum adhuc pubescerernus, oculis nostris conspeximus, consuetudo vetus obtinuit, vt omnes superstitionis illius homines, quantumcumque pulcherrima mercimonia detulissent, numquàm Pontificalibus alloquijs fruerentur, numquàm obtutibus Apostolicis potirentur: sed extra velum longissimæ porticus, non quidem in scamnis, sed in marmoreo pauimento sedentes, suscepta pretia numerabant, ne videlicet viderentur aliquid de manu Pontificis accepisse. Nam reuerendæ memoriæ *i* Nicolaus Pontifex *k* Arsenium quondam, *l* Hortanæ ciuitatis Episcopum, Iudaicas tunc primùm pellicias introducere molientem, adeò auersatus est, vt ei palatinam processionem vellet adimere, nisi superstitiosæ gentis vestibus abiurando, cum Sacerdotalibus infulis consuetudinaliter procedere studuisset.

i *k l*

F

opponit se ijs qui sabbatum obseruandū prædicabant: lib. 11. ep. 3 Ind. 6.

51 Antichristi præcursores, obseruari debere Sabbatum prædicantes, Gregorius comminando taliter refutauit: Peruenit ad me, quosdam peruersi spiritus homines praua inter vos aliqua & sanctæ fidei aduersa seminasse, ita vt die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud, nisi Antichristi prædicatores dixerim? qui veniens diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se simul & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum. Et quia Iudaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum. Hoc enim, quod per Prophetam dicitur, ne inferatis onera per portas vestras die Sabbati; tamdiu teneri potuit, quamdiu legem licuit iuxta litteram custodiri. At postquàm gratia omnipotentis Domini nostri Iesu Christi apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta sunt, iuxta litteram seruari non possunt. Nam si quis dicit hoc de Sabbato esse seruandum, dicat necesse est, etiam carnalia sacrificia persoluenda, dicat præceptum quoque de circumcisione corporis adhucusque retinendum. Sed contra se Paulum Apostolum audiat dicentem: Si circumcidamini, Christus vobis Ier. 17. Gal. 5.

A vobis nihil prodest. Nos itaque hoc, quod Sabbato scriptum est, spiritualiter accipimus, spiritualiter retinemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem Sabbatum, ipsum redemptorem nostrum Iesum Christum Dominum habemus. Et qui lucem fidei eius cognoscit, si peccata concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die Sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die Sabbati onera per portas introducimus, si in Redemptoris nostri gratiâ constituti, pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac Redemptor noster, multa in die Sabbati legitur operatus, ita vt Iudæos reprehenderet, dicens: Quis vestrûm bouem aut asinum suum non soluit in die Sabbati, & ducit adaquare? Si ergo ipsa per se veritas non custodiri iuxta litteram Sabbatum præcepit, quisquis otiosus Sabbatum secundùm legis litteram custodit, cui alteri, nisi ipsi veritati contradicit? Aliud quoque ad me perlatum est, vobis à peruersis hominibus esse prædicatum, vt Dominicorum die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxu animi atque voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus: si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus. Scriptum quippe est: Nemo vnquàm carnem suam odio habet, sed nutrit & fouet eam. Et rursum scriptum est: Carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Qui igitur carnis curam in concupiscentijs fieri prohibet, profectò in necessitatibus concedit. Nam si Dominicorum die corpus lauare peccatum est; lauari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc, exigente necessitate, toti corpori denegetur? Dominicorum verò die à labore terreno cessandum est, atque omnimodò orationibus insistendum: vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

Luc.13.

Qui quis lauari possit Dominico die.

B

Ephes.5.

Rom.13.

Dominico die quid agendum.

a *Hic est S. Virgilius Episcopus Arelatensis, cuius Vitam dedimus 5 Martij.*

b *Hic est Theodorus Episcopus Massiliensis, vir præclarus, inscriptus Martyrologio Gallicano ad diem 2 Ianuarij.*

c Luna *vrbs fuit Etruriæ ad confinia Lucæ, quâ destructâ, Sedes Episcopalis Sarzanam proximam ciuitatem translata est. Vghellus* Sanctum *appellat, ac dubitat num. ad 13 diem Octobris spectet, quo S. Venantius Abbas Lunæ adscribitur apud Ferrarium.*

Luna vrbs.

d Caralis, *& sæpiùs* Calaris *vrbs primaria Sardiniæ versùs Africam.*

e *Fortunatus 28 Episcopus Neapolitanus fuit ab anno 593 ad 600.*

C

f *Ioannes 33 Epis. Syracusanus, Pallij sacri beneficio à S. Gregorio anno 596 decoratus, qui illi plures epistolas misit. Mortuus est anno 609. Colitur 23 Octobris.*

g *Leo 7 Episc. Catanensis in Siciliâ.*

h *Reccaredus Rex Gothorum Catholicus regnauit ab anno 586 vsque ad an. 601. Consule Marianam lib 6 de Rebus Hispaniæ cap. 1.*

i *Est hic Nicolaus I, qui Sedit ab anno 858 ad annum 867.*

k *Arsenius à Nicolao Papâ in Gallias missus est, vt Lotharium Regem à nefario Thuetbergæ amore reuocaret. Anastasius in Vitâ istius.*

l *Horta vrbs Etruriæ propè fluuium Tiberim, in hodierno Patrimonio S. Petri.*

CAPVT X

Compassio S. Gregorij erga ægros Episcopos aliosque afflictos. Futuræ calamitates prædictæ.

lib.2.ep.22 Ind.10.

Solicitus curat valetudinem Castorij Episcopi Ariminensis,

52 TAntâ compassionis gratiâ circa omnes Gregorius redundabat, vt alterius infirmitatem in suo corpore hunc sustinuisse, si velis, aspicias. Vnde Ioanni Rauennati Episcopo scribens, ait: Dominicis mandatis præcipimur proximos, sicut nosmetipsos diligere, eorumque languoribus tamquàm proprijs infirmitatibus condolere. Quorum memor vestra Fraternitas, competenti sibi more a Castorium Fratrem Coepiscopumque nostrum, & priùs per compassionem studuit visitare, & eum postmodùm pro excrescente molestiâ corporis in Rauennati vrbe suscipere. Vnde non solùm nos impensæ caritatis, sed & Deum vobis fecistis procul dubio debitorem, cui in Fratris infirmitate condoluisse probamini, ipsumque ægrum in sui membri molestiâ non solùm visitasse, sed etiam suscepisse. Quem quidem ipse pro suâ simplicitate illic ordinare omnino renuebam, sed petentium importunitas fecit, vt nullatenùs contra dicere potuissem. Si autem fieri potest, multùm mihi & ipsi consulitis, si eum ad me vel per Siciliam transmittatis. Item b Leontio Episcopo Vrbinati: Castorium Fratrem Coepiscopumque nostrum Romæ pro corporis sui molestiâ retinemus. Et quia nunc ad suam non valet Ecclesiam remeare, propterea eo absente, Ecclesiæ ipsius Fraternitati tuæ visitationis operam præuidimus delegandam. Item vniuersis habitatoribus Arimini: Si culpam vestram, Filij dilectissimi, intentiùs velitis attendere, assiduâ vos apud Deum debetis oratione purgare, quod Episcopum vestrum non deuotâ mente, nec vt filij, suscepistis: quem inquietudo & tribulatio à vobis illata, ad hoc vsque perduxit, vt molestiam corporalem incurreret. Quamuis in eo nihil de his, quæ nobis sunt scripta, cognouimus, sed solam inesse debilitatem vidimus, pro quâ eum hìc retinere curauimus. Item Eulogio Patriarchæ Alexandrino: Ante hoc temporis Bonifacij chartularij Responsalis mei, qui in vrbe regiâ demoratur, vehementer me scripta turbauêre; quæ dicebant dulcissimam mihi atque suauissimam sanctitatem vestram defectum corporei luminis pertulisse. Ex quibus scriptis graui mœrore perculsus sum: sed subitò Creatoris ac Redemptoris nostri gratiâ prosperante, beatitudinis vestræ suscepi epistolam, & sanum de eâ corporis molestiâ, quam audieram, agnoscens, exultaui vehementer: quia tanta lætitia cordis secuta est, quanta priùs tristitiæ amaritudo præcesserat. Scimus enim, quia in omnipotentis Dei adiutorio, multorum salus est vita vestra. Item Rusticianæ Patriciæ: Quoties de vrbe regiâ ad nos aliquis venit, curæ nobis est de corporis vestri sospitate requirere: sed peccatis meis facientibus, semper audio, quæ me tædet audire: quia in tantâ tenuitate ac debilitate, adhuc in vobis referunt podagræ dolores excrescere. Sed oro omnipotentem Deum, vt omnia, quæ in vestro corpore aguntur, ad salutem animæ dirigantur. Flagella temporalia æternam vobis præparent quietem, & per eos dolores, qui cum fine sunt, gaudium vobis sine fine concedat. Item Mariano Episcopo Rauennati: Venientes quidam Ranennates homines grauissimo me mœrore inuenerunt perculsum, quia Fraternitatem tuam retulerunt de vomitu sanguinis ægrotare. Ex quâ re solicitè & singulatim eos, quos hic doctos lectione nouimus, medicos fecimus requiri: & quid singuli senserint, quidue dictauerint, sanctitati vestræ scriptum misimus. Qui tamen quietem & silentium præ omnibus dictant: quam si tua Fraternitas in suâ Ecclesiâ possit habere, valdè sum dubius. Et ideò videtur mihi, vt ordinatâ illic Ecclesiâ, vel qui Missarum solennia explere valeant, vel qui Episcopij curam gerere, hospitalitatem & susceptionem possit exhibere, quiue monasterijs custodiendis præesse norint, tua Fraternitas ad me ante æstiuum tempus debeat venire, vt ægritudinis tuæ ego specialiter, inquantùm valeo, curam geram, quietemque tuam custodiam: quia huic ægritudini æstiuum tempus medici vehementer dicunt periculosum: & valdè pertimesco, ne si curas aliquas cum aduersitate corporis ceperis, ampliùs ex eadem molestiâ pericliteris. Ego enim ipse valdè sum debilis, & omnino est vtile, vt cum Dei gratiâ sanus ad tuam

D

lib.2.ep.24 Ind.11.

Ibid.ep.25

E

lib.11.ep.47 Eulogij Patriarchæ Alexandrini,

lib.11.ep.44

F

Mariniani Episcopi Rauennatis lib.9.ep.28 Ind.4.

A tuam Ecclesiam redeas: aut certè, si vocandus es, inter manus tuorum voceris: & ego, qui me proximum morti video, si omnipotens Deus ante vocare voluerit, inter tuas manus debeam transire.

AVCTORE IOANNE DIACONO

53 Pro barbarorum incursionibus bis in hebdomadâ fieri Litanias Gregorius decernebat. Quapropter vniuersis Episcopis Siciliæ scribens, ait: Super afflictiones & gemitus, quos annosâ hic continuatione de hostibus sustinemus, maior nos metus excruciat, quòd inimicos nostros omni annisu ad Siciliæ inuasionem cognoscimus festinare. Sed ne hoc illis molientibus, prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad Redemptoris nostri remedia conferamus, & quibus virtute resistere non possumus, lacrymis obuiemus. Nam quid vobis cauendum, quidúe sit vehementiùs formidandum, ex istius Prouinciæ debetis desolatione colligere. Itaque hortor, Fratres reuerendissimi, vt omni hebdomadâ quartâ & sextâ feriâ Litaniam inexcusabiliter indicatis, & contra hos barbaricæ crudelitatis incursus, supernæ protectionis auxilium imploretis.

lib 9. ep. 45 contra barbarorum incursiones Litanias indicit:

B 54 Eamdem Siciliam simoniacâ hæresi libidineque sordentem, Gregorius, sicut c modò cernitur, perituram prædixit, Maximiano Syracusano Episcopo scribens: Tanta nobis subinde mala, quæ aguntur in illâ prouinciâ, nuntiantur, vt peccatis facientibus, quod auertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus.

lib. 1. ep. 12 prædicit Siciliæ interitum c

55 Sed & peiora prioribus esse futura, præsago spiritu Maximo Salonitano Episcopo scribit, dicens: Ad Romanam Vrbem veniens communis Filius Presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, vt Fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenùs valuissem. Et quidem de Sclauorum gente, quæ vobis valdè imminet, & affligor vehementer & turbor. Affligor in his, quæ iam in vobis patior: conturbor autem, quia per Istriæ aditum iam ad Italiam intrare cœperunt. De Iuliano autem Scribone quid dicam, quando vbique video, quia nobis peccata nostra respondeant, vt & foris à Gentibus, & intùs à peruersis iudicibus conturbemur? Sed nolite de talibus omnimodò contristari, quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita vt in comparatione sui temporis, felices nos æstiment dies habuisse. Inquantùm verò præualet Fraternitas tua, opponere se pro oppressis debet. Quæ etiam si prodesse minimè C valuerit, ipsa omnipotenti Deo mentis deuotio sufficit, quam dedit. Scriptum est enim: Eripe eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Quod si dixeris, Vires non suppetunt: qui Inspector est cordis, ipse intelligit. In omni ergo, quod agis, Inspectorem cordis appete habere placatum: quidquid est, vnde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores & gratiæ, fumo sunt similes, qui leni aurâ raptus euanescit. Hoc certissimè scito, quia placere Deo & prauis hominibus nullus potest. In tanto se ergo æstimet Fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se peruersis hominibus displicuisse cognouerit. Ipsa tamen defensio pauperum moderata & grauis sit, ne, si quid nimis rigidè agitis, ex iuuentute vos arbitrentur homines superbire. Sed talis necesse est vt inueniatur pro oppressis vestra defensio, quatenùs & humiles protectionem sentiant, & oppressores non facilè inueniant, quod ex maleuolâ mente reprehendant. Attende ergo quod ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Et beatus Iob ait: Frater fui draconum, & socius struthionum. Et Paulus discipulis dicit: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. Tantò ergo debemus cautiùs ambulare, quantò nos scimus inter Dei inimicos viuere.

lib. 8. ep. 56 contra deteriora tempora, quæ prædicit, alios animat:

Prouer. 24.

Ezech. 2.

Iob 30.

Phil. 2.

56 Huius cautelæ suæ conscius, Romano Defensori Gregorius ait: Peruenit ad nos, quia quidam homines minorem omnimodò discretionem tenentes, in suis nos periculis implicari desiderent; atque ita volunt ab Ecclesiasticis personis defendi, vt ipsæ quoque personę Ecclesiasticę ex eorum culpâ teneantur. Idcircò præsenti te præceptione admoneo, & per te Fratrem & Coepiscopum nostrum dominum Ioannem, vel ceteros, qui interesse possunt, vt patrocinia Ecclesiastica, siue mea suscipiatis scripta, siue etiam ea minimè fuerint directa, sub tãto moderamine debeatis impendere, quatenùs si qui in furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniustè defẽdi, ne opinionem malè agentium ex indiscretę defensionis ausu in nos vllo modo transferamus. Sed quantum decet Ecclesiam, admonendo, verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, vt & illis opem feratis, & opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis.

D lib 7. ep. 34. Ind. 2. *iniustè neminem à b Ecclesiâ defendi permittit.*

57 Item Ioanni Episcopo post aliqua: Si qui eorum, de quibus est aliqua quæstio, in Ecclesiam forsasse refugerint, ita debet caussa disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur, nec hi, qui dicuntur oppressi, damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, vt eis sacramentum ab his, quorum interest, de seruandâ lege & iustitiâ promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. Quibus etiam Ecclesiæ vestræ Defensorem deputare vos conuenit, cuius solicitudine ea, quæ illis fuerint promissa, seruentur.

confugientibus ad Ecclesiam, quale velit subsidium conferri. E

a *Castorius 8 Ariminensis Episcopus consecratus à S. Gregorio anno 592, qui ob morbum cessit anno 593 & electus est successor Agnellus.*

b *Leontius 2 Episcopus Vrbinas collocatur.*

c *Anno 873 cùm auctor scriberet. Erat sub Saracenis, ab his anno 828 occupata.*

CAPVT XI

Summa in verbis & operibus S. Gregorij humilitas.

58 QVantæ humilitatis Gregorius fuerit, cùm ex multis, tum ex his manifestissimè poterit deprehendi, quòd omnes quidem Sacerdotes, Fratres & Comministros; Clericos autem diuersi Ordinis, dilectissimos Filios: at verò laicos viros, dominos; & & fœminas, dominas in suis litteris nominabat: neque ab aliquo se Summum Pontificem, aut Vniuersalem siue Dominum vocari ęquanimiter permittebat. Nam vt ea, quæ super huiusmodi comprehensa sunt, prætermittam, Rusticianæ Patriciæ scribens, ait: Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in grauissimâ ægritudine positum, de salute, de deuotione, ac de dulcedine suâ omnino releuarunt. Vnum verò ægre suscepi, quia in eisdem epistolis ad me, quod semel esse poterat, sæpius dicebatur, Ancilla vestra & Ancilla vestra. Ego enim, qui per Episcopatus onera seruus sum omnium factus, quâ ratione te mihi ancillam dicis, cuius ante susceptum Episcopatum proprius fui? Et ideò rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis vestris inueniam.

S. Gregorius pro humilitate non admittit titulos honoris: F

lib. 9. ep. 38

59 Huius humilitatis mansuetudine Gregorius non solùm a Theudelindæ Reginæ Longobardorum pro tribus Capitulis, verùm etiam inter alios Sauino quoque suo Subdiacono satisfacere non temnit, dicens: Exeuntes maligni homines, turbauêre animos vestros, non intelligentes neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant: adstruentes, quod aliquid de sanctâ Chalcedonensi Synodo piæ memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutum: quam nos omni fide

a lib. 2. ep. 10 Ind. 11. *Theudelindæ Reginæ & Subdiacono satisfacit in caussa fidei.*

A fide omnique deuotione ueneramur, & sic quatuor Synodos sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Euangelij, recipimus. De personis verò, de quibus post terminum Synodi aliquid actum fuerat, eiusdem piæ memoriæ Iustiniani temporibus est ventilatum, ita tamen, vt nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliud aliquid ageretur, quàm apud eamdem sanctam Chalcedonensem Synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem, si quis ex definitione fidei, quæ in eadem Synodo prolata est, aliquid imminuere præsumit, vel quasi corrigendo eius sensum mutare: sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo, Fili carissime, decet ad vnitatem fidei remeare, vt finem tuum valeas in pace concludere, ne malignus spiritus, qui contra te per alia opera præualere non potest, ex hac caussâ inueniat, vnde tibi in die exitus tui in aditu regni cælestis obsistat.

lib.8.ep.22 indignum se reuelatione diuina iudicat.

60 Item Gregoriæ cubiculariæ Augustorum post cetera: Quod dulcedo tua in suis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere, quousque scribam mihi esse reuelatum, quia peccata tua dimissa sint, rem & difficilem & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non B debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida, metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare.

lib.6.ep.29 se magnum peccatorem agnoscit & peccata subditorum portat.

61 Item Anastasio Presbytero Isauriæ post aliqua: Tua itaque Fraternitas quantum in caritate perfecta sit, scio. Et quia omnipotentem Deum multùm diligit, oportet vt de proximo multùm præsumat. Non enim loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt: sed ei nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt. Quia ergo adhuc incertum est, quis interiùs qualis sit, cur non audeas scribere, dum inter me & te quis sit superior, ignores? Et quidem benè te viuere scio, me autem multis oneratum peccatis cognosco: sed etsi ipse peccator es, me tamen multò es melior: quia tua tantummodò, ego vero & eorum, qui mihi commissi sunt, peccata porto. In hoc ego te altum, in hoc magnum adspicio, quia ante humanos oculos in magno atque in alto loco minimè profecisti: in quo sæpè dum exteriùs ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia C curis discerpentibus grauatur. Tibi autem omnipotens Deus, iuxta hoc quod scriptum est: Ascensus in corde disposuit in conualle lacrymarum. Multò namque mihi altior, multò sublimior videri poteras, si neque ducatum monasterij, quod Neas dicitur, suscepisses.

Psal. 83.

laudari renuit in vita: lib.6.ep.8 Eccli. 11.

62 Item Stephano Episcopo inter alia: Multùm mihi & vltrà, quàm indignus audire debui, fauorem in vestris epistolis demonstrastis. Et scriptum est: Ne laudes hominem, quamdiu viuit. Tamen etsi audire talia dignus non fui, orationibus vestris peto, vt dignus efficiar: vt si bona in me non ideò dixistis, quia sunt: ideò sint, quia dixistis.

63 Sed ne solis verbis tanti Præsulis humilitas inculcari credatur, superest, vt Græcorum relationibus ad me nuper interpretatis, eadem Patris humilitas viuis operibus demonstretur: in quibus videlicet ita refertur: *b* Enarrauit nobis Abbas Ioannes Persa, sanctus & reuerendus vir existens, de magno Gregorio beatissimo Papâ Romano, dicens: Quoniam iui Romam ad adorandum loculos sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & vnâ dierum cùm starem in medio ciuitatis, video Papam Gregorium per me transiturum, & cogitaui me mittere ante eum. Cùm ergo appropinquasset mihi Papa, videns, quia pergerem vt mitterem me ante eum, sicut coram Deo dico, Fratres, primus misit se ante me super terram, & non antè surrexit, quàm ego prior surgerem: & amplexatus me cum multâ humilitate, tribuit mihi per manum tria numismata, & iussit dari mihi casulam & necessitates meas omnes. Glorificaui ergo Deum, qui donauit ei talem humilitatem circa omnes, & eleemosynam, & caritatem.

b flectis cum flectente Abbate:

D AVCTORE IOANNE DIACONO

innocens à cæde cuiusque. lib.7.ep.1 Ind.1.

64 Hinc est, quod patientissimus Pastor Gregorius penès Imperatorem Mauritium, sibi prorsus infensum, dudum accusatus, quod Malchum Episcopum, sui patrimonij prouisorem, pro retentis pensionibus tamdiu in custodijs afflixisset, quousque spiritum exhalaret, Sabiniano suo Constantinopolitano Diacono scribens, ait: Vnum est, quod breuiter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia, si ego seruus eorum in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summâ confusione diuisa esset. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem idem Episcopus neque in custodiâ fuit, neque in aliquâ afflictione; sed die, quâ caussam dixit, & addictus est, nesciente me, à Bonifacio notario in domum eius ductus est, ibique prandit, honoratus est ab eo, & nocte subitò mortuus est inuentus. E

a Theudelinda *filia Garibaldi Regis Baioariæ, primò nupta Authari Regi; tum huius successori Agilulpho. Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib. 4 cap. 2 scribit S. Gregorium libros Dialogorum huic Reginæ misisse.* *Theudelinda.*

b *Hæc planè eadem leguntur apud Ioannem Moschum in Prato spirituali seu libro 10 de Vitis Patrum cap. 151.*

CAPVT XII

Clades & ruina Imperij Romani, & Vrbis Romanæ à S. Gregorio indicantur vt prænuntiæ extremi iudicij.

65 IGitur in omnibus suis dictis vel operibus Gregorius imminentem futuræ retributionis diem vltimum perpendebat, tantòque cautiùs cuncta cunctorum negotia ponderabat, quantò propinquiùs finem mundi insistere, ruinis eius crebrescentibus, aduertebat. Quapropter in Homilijs Euangelicis perhibet, dicens: Exurget gens contra gentem, & regnum aduersùs regnum, & erunt terræ-motus magni per loca, & pestilentiæ, & fames. Et quibusdam interpositis, adiunxit: Et erunt signa in sole & lunâ & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum. Ex quibus profectò omnibus alia iam facta cernimus, alia è proximo ventura formidamus. Nam gentem super gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus iam in nostris tribulationibus inuenimus, quàm in codicibus legimus. Quòd terræ-motus vrbes innumeras subruat, ex alijs mundi partibus, scitis, quàm frequenter audiuimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Signa verò in sole & lunâ & stellis adhuc apertè minimè vidimus: sed quia hæc non longè sint, ex ipsâ iam aëris immutatione colligimus. Quamuis priùs, quàm Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsum, qui posteà humani generis fusus est, sanguinem coruscantes. Confusio autem maris & fluctuum necdum noua exorta est. Sed cùm multa iam prænuntiata completa sint, dubium non est, quin sequantur etiam pauca, quæ restant: Quia sequentium rerum certitudo, est præteritarum exhibitio. Et paullò pòst: Ecce Fratres mei iam cernimus, quod audiebamus. Nouis quotidie & crebrescentibus malis mundus vrgetur. Ex illâ plebe innumerâ quanti remansistis,

Hom. 1. in Euang. F

Indicat signa prænunciantia extremi iudicij varias orbis ruinas esse.

AVCTORE IOANNE DIACONO

A titis, aspicitis: & tamen quotidie flagella vrgent, repentini casus opprimunt, nouæ nos & improuisæ clades affligunt. Sicut enim in iuuentute viget corpus, forte & incolume manet pectus, torosa ceruix, plena sunt brachia; in annis autem senilibus statura curuatur, ceruix exiccata deponitur, frequentibus suspiriis pectus vrgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercidit (nam si languor desit, plerumque senibus ipsa salus, ægritudo est) ita mundus in annis prioribus velut in iuuentute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentiâ rerum pinguis; at nunc ipsâ suâ senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestijs crebrescentibus vrgetur. Et iterum: Euntes prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Hoc iam Fratres dilectissimi, etiamsi Euangelium taceat, mundus clamat. Ruinæ namque illius, voces eius sunt: qui enim tot attritus percussionibus à gloriâ suâ cecidit, quasi iam nobis è proximo regnum aliud, quod sequatur, ostendit. Ipsæ enim eius ruinæ prædicant, quod amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illâ habitaret, fugeret: & qui stantem dilexerat, recedere quantocyùs à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando amplectimur: opprimi B volumus potiùs, quàm habitare. Quia nulla nos ratio à ruinâ illius separat, quos in eius passionibus amor ligat. Facilè est ergo nunc iam cùm destructa omnia cernimus, animum nostrum ab eius dilectione disiungere. Sed hoc illo in tempore difficillimum fuit, quo tunc Apostoli prædicare cæleste regnum inuisibile mittebantur, cùm longè latéque omnia cernerent florere regna terrarum.

& generales euersiones,

66 Quæ autem de istius Vrbis Gregorius incommoditate descripserit, indicabo, quatenùs hi, qui nunc in ruinis eius habitantes, eam ordinatiorem, ac per hoc valentiorem fuisse non autumant, contremiscant. Ait enim in expositionis Ezechielis Homiliâ decimâ octauâ sic: Quid est iam, rogo, quod in hoc mundo libeat: vbique luctus aspicimus, vndique gemitus audimus. Destructæ vrbes, euersa sunt castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris incola, penè nullus in vrbibus habitator remansit. Et tamen ipsæ paruæ generis humani reliquiæ, adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cælestis iustitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ. Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici vi- C demus. Quid est ergo, quod in hac vitâ libeat, Fratres mei? Si talem mundum adhuc diligimus, non iam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem, quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma, conspicitis. Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione ciuium, impressione hostium, frequentiâ ruinarum, ita vt in eâ completum esse videamus, quod contra Samariam per Ezechielem Prophetam prædictum est: Pone ollam, pone, inquam, & mitte in eâ aquam, & congere frusta eius in eâ. Et paullò pòst: Efferbuit coctio eius, & decocta sunt ossa illius in medio eius. Atque iterum: Congere ossa, quæ igne succendam. Consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius. Tunc enim nobis olla posita est, cùm hæc est ciuitas constituta. Tunc in eâ aqua missa est, & frusta eius congesta sunt, quando ad eam vndique populi confluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi ferueścerent, & quasi frusta carnium in ipso suo feruore liquarentur. De quâ bene dicitur: Efferbuit coctio eius, & decocta sunt ossa illius in medio eius. Quia prius quidem in eâ vehementer incaluit actio gloriæ secularis, sed postmodùm ipsa gloria cum suis sequacibus defecit.

nec tamen cessari à sceleribus.

Ezech. 24.

D Per ossa etenim, potentes seculi: per carnes verò, populi designantur. Quia sicut carnes portantur ossibus, ita per potentes seculi infirmitas regitur populorum. Sed ecce iam de illâ omnes huius seculi potentes ablati sunt. Ossa ergo excocta sunt. Ecce populi defecerunt: carnes eius liquefactæ sunt. Dicatur itaque: Congere ossa, quæ igne succendam. Consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. Vbi enim senatus? Vbi iam populus? Contabuerunt ossa, consumptæ sunt carnes. Omnis in eâ secularium dignitatum ordo extinctus est: excocta ergo est vniuersa compositio eius. Et tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladij, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergo: Pone quoque eam super prunas vacuam. Quia enim senatus deest, populus interijt, & tamen in paucis, qui sunt, dolores & gemitus quotidiè multiplicantur, iam ergo vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cùm ruinis crebrescentibus, ipsa quoque eius destrui ædificia videmus? Vnde aptè de ciuitate iam vacuâ subditur: Incalescat & liquefiat æs eius. Iam enim & ipsa olla consumitur, in quâ priùs carnes consumebantur & ossa: quia postquàm defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Vbi enim sunt, qui in E eius aliquando gloriâ lætabantur? Vbi eorum pompa? Vbi superbia? Vbi frequens & immoderatum gaudium? Impletum est in eâ, quod contra destructam Niniuen per Prophetam dicitur: Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? An eius duces ac principes leones non erant, qui per diuersas mundi prouincias discurrentes, prædam sæuiendo & interficiendo rapiebant? Hinc leonum catuli inueniebant pascua: quia pueri, adolescentes, iuuenes, seculares & secularium filij huc vndique concurrebant, cùm proficere in hoc mundo voluissent. Sed ecce iam desolata, ecce contrita, ecce gemitibus oppressa est. Iam nemo ad eam currit, vt in hoc mundo proficiat: iam nullus potens & violentus remansit, qui opprimendo prædam diripiat. Dicamus ergo: Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum? Contigit ei, quod de Iudæâ nouimus per Prophetam dictum: Dilata caluitium tuum sicut aquila. Caluitium quippe hominis, in solo capite fieri solet: caluitium verò aquilæ, in toto fit corpore: quia cùm valdè senuerit, plumæ eius ac pennæ ex omnibus illius membris cadunt. Caluitium ergo suum sicut aquila, Roma dilatat, quia plumas perdidit, dum populos amisit. Alarum quippe pennæ ceciderunt, cum quibus volare ad prædam consueuerat: quia omnes eius potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. F Item Dialogorum libro secundo: *b* Prætereà, inquit, Antistes Canusinæ Ecclesiæ ad Benedictum Domini famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valdè diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem ciuitas ista destruetur, vt iam ampliùs non inhabitetur. Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus ac terræ-motu fatigata, marcescet in semetipsâ. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, quia in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas ecclesias turbine cernimus, eiusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternuntur, videmus. Item in epistolâ Ioanni Episcopo Rauennati post aliqua: Si quando est aliquando locus obtinendi, agat apud Exarchum Fraternitas vestra, vt pacem cum Arnulpho, si aliquid parum possumus, faciamus: quia miles de Romanâ Vrbe ablatus est, sicut ipse nouit: Theodosiani vero, qui hìc remanserunt, togam non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam se accommodant: & destituta ab omni-

clades vrbis Romæ enumerat:

Nahum. 2.

Mich. 1.

b & Prophetiam S. Benedicti de ea refert.

lib. 2. ep. 32 Ind. 10.

A omnibus ciuitas, si pacem eius non habet, quomodò subsistet?

a *Ita MSS. Surius*, in nostris tribulationibus patimur. *In textu Homiliæ*, in nostris temporibus cernimus.
b *Est in Dialogis S.Gregorij de Vita S. Benedicti, infrà 21 Martij plenius elucidanda.*

CAPVT XIII

S.Gregorij morbus, obitus, sepultura.

Barbarorum incursione & ægritudine grauatus, ab expositione Ezechielis desistit:

67 Tantis curarum tumultibus pro animarum pariter ac ciuitatis custodiâ Gregorius grauabatur, vt in coli molestias corruens, non solùm, sicut proposuerat, per ordinem Ezechielis mysteria minimè pertractaret, verùm etiam hostilibus incursionibus, multisque corporis debilitatibus aggrauatus, à studio expositionis omnino desisteret, & ad dies illos se peruenisse defleret, atque dissolutionem sui corporis totis conatibus flagitaret. Quapropter eidem Ioanni Episcopo queritur, dicens: Quòd multis vestræ beatitudini minimè respondi, non hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus eo B tempore, quo Agilulphus ad Romanam Vrbem veniens, alios occidit, alios detruncauit, tantâ mœstitiâ affectus sum, vt in coli molestiam caderem. Item in expositione vltimæ visionis Ezechielis Prophetæ: (In Præfat. lib. 2.) Quia multis curis prementibus Prophetæ librum coram caritate vestrâ totum per ordinem perscrutari non licuit, bonis vestris desiderijs placuit petere, vt saltem extrema eius visio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est visionibus eius obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestræ me parere necesse est, sed duo sunt, quæ hac in re perturbant animum meum. Vnum, quòd hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, vt vix in eâ aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud, quòd iam Agilulphum Longobardorum Regem ad obsidionem nostram summoperè festinantem, Padum transisse cognouimus. Vnde pensate, Fratres charissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata? Quantò enim circa terrena plùs satagit, tantò in his, quæ sunt cælestia, minùs videt: & pro eo, quòd curis suis extra se ducitur, valdè intùs minor est. (Sap. 9.) Quia scriptum est: Deprimit terrena in habitatio sensum C multa cogitantem: quæ enim superiora penetrare etiam collecta non sufficit, pensate quid agere poterit diuisa. Scimus omnes, quia & fluuius, qui in multis riuis diuiditur, à suo alueo siccatur. Item idem in eiusdem Prophetæ tractatibus, Homiliâ XI: (Hom. 11. in Ezechielem.) Siue, inquit, iustus in culpam, siue peccator in mortem corruat, speculatori timendum est, ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter inuoluat. Sed interim dum loquor, auertere à memetipso oculos volo, & ecce iterum sermo diuinus me impingit in memetipsum, vt meam negligentiam videam, & mihi dici hæc, quæ audio, pertimescam. Sicut enim superiùs dixi, cuius cor innumeris curis sparsum, se ad se colligat? Quando etenim possum & ea, quæ circa me sunt, sollicitè omnia curare, & memetipsum adunato sensu conspicere? Quando possum prauorum nequitias insequendo corrigere, bonorum actus laudando & admonendo custodire: alijs terrorem, atque alijs dulcedinem demonstrare? Quando valeo, & de his, quæ sunt necessaria, Fratribus cogitare, & contra hostiles gladios de Vrbis vigilijs sollicitudinem gerere, ne incursione subitâ ciues pereant, prouidere, & inter hæc omnia pro animarum custodiâ plenè atque efficaciter verbum exhortationis impendere? Loqui etenim de Deo, quietæ valdè & liberæ mentis est. Tunc namque benè lingua dirigitur in sermone, cùm securè sensus quieuerit in tranquillitate: quia nec concussa D aqua imaginem respicientis reddit, sed tunc in eâ vultus intendentis adspicitur, cùm non mouetur. Quam ergo exhortationem vobis speculator vester, Fratres carissimi, faciat, quem tot rerum confusio perturbat? (AVCTORE IOANNE DIACONO) Et paullò post: Sacerdos etiam post compunctionem ac lacrymas cogitur necessaria quæque Filiorum suorum cognoscere, & ea, quæ refugit animo, patienter audire, atque post suspiria cælestium, quorumlibet carnalium hominum onera portare, & sæpè cum superuenientibus cor in diuersam qualitatem transfundere. (*studet se suis subditis accommodare.*) Nam aliquando de lucris spiritualibus gaudet: sed cum quilibet mœrens superuenerit, nisi eius mœrorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget, sed repentè superueniunt, qui de suis prosperitatibus lætantur: quorum si lætitiæ Sacerdos non congaudet, minùs amare creditur filios, in quorum gaudio non exultat, præcipuè cum Paulus dicat: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. (Rom. 12.) Nihil ergo tam onerosum in ordine Sacerdotum video, quàm rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis superuenientibus animum mutare. Et tamen hoc valdè est necessarium: nam quando ex prædicatione eius ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse, qui E prædicat, videtur ingratus? Item in fine eiusdem voluminis: (Homil. 22.) Ecce hæc, vt Domino largiente potuimus, coram vobis, Fratres carissimi rimati sumus. Nemo autem me reprehendat, si posthac à locutione cessauero: quia sicut omnes cernitis, nostræ tribulationes excreuerunt, vndique gladijs circumfusi sumus, vndique imminens mortis periculum timemus. Alij detruncatis ad nos manibus redeunt, alij capti, alij interempti nuntiantur. Iam cogor linguam ab expositione retinere, quia tædet animam meam vitæ meæ. Iam nullus in me sacri eloquij studium requirat, quia versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Iam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat, quia dormitauit anima mea præ tædio: iam minùs lectio animo dulcis est, quia oblitus sum manducare panem meum à voce gemitus mei. Cui autem viuere non licet, de Scripturæ sacræ sensibus loqui mystica qualiter libet? & qui cogor quotidiè amara bibere, quando possum dulcia propinare? Item idem Italicæ Patriciæ & Venantio ex monacho Patricio: (lib. 7. ep. 27 Ind. 2.) Quosdam de Siciliâ venientes, affectu, quo debui, de sospitate vestræ excellentiæ requirere curaui: sed de assiduitate ægritudinum F mihi tristia responderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de meipso inuenio aliud, quod debeam nuntiare, nisi quod peccatis meis facientibus, ecce iam vndecim menses sunt, quod valdè rarum est, si de lecto surgere aliquando potui. (*podagræ doloribus lecto affigitur XI mensibus,*) Tantis enim podagræ doloribus tantisque molestiarum premor angoribus, vt vita mea mihi grauissima pœna sit: quotidiè enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando suspiro. In Clero verò huius Vrbis & populo tanti febrium languores irruerunt, vt penè nullus liber, nullus seruus remanserit, qui esse idoneus ad aliquod officium vel ministerium possit. De vicinis autem vrbibus strages nobis mortalitatis quotidiè nuntiantur. Africa autem qualiter mortalitate & languoribus vastetur, quantò viciniores estis, tantò credo quòd subtiliùs cognoscatis. De Oriente vero qui veniunt, grauiores desolationes nuntiant. In his itaque omnibus, quia appropinquante fine mundi generalem percussionem esse cognouimus, affligi nimis de proprijs molestijs non debemus. Item Eulogio Patriarchæ Alexandrino: (lib. 8. ep. 35 *imò biennio,*) Transacto anno suauissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respondere nunc vsque non valui: ecce enim iam biennium penè expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis

A AVCTORE IOANNE DIACONO *adspirat ad salutem æternam, preces exposcit Patriarcha Alexandrini.*

festis vsque ad horarum trium spatium surgere valeam, & Missarum solennia celebrare. Mox autem tam graui compellor dolore decumbere, vt cruciatum meum non possim gemitu interrumpente tolerare: qui dolor interdum lentus est, interdum nimius: sed neque ita lentus, vt recedat, neque ita nimius, vt interficiat. Vnde fit, vt qui quotidiè in morte sum, quotidiè repellar à morte: nec mirum, quia peccator grauis, talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Vnde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, Domine. Sed quia meis adhuc precibus obtinere non mereor, rogo vt vestræ sanctitatis oratio suæ mihi intercessionis adiutorium præbeat, meque à peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illam, quam benè nostis, libertatem gloriæ Filiorum Dei. Item eidem: Peto autem, vt pro me enixiùs vestra sanctitas orare debeat, quia podagræ doloribus, & barbarorum gladijs, & curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestræ opem impenditis, credo quòd me contra omnia aduersa fortiter iuuetis. Item eidem: Rogo ergo, vt pro me peccatore enixiùs oretis, quia & dolor corporis & amaritudo cordis & immensa vastitas mortalitatis, inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit: inter quæ omnia non temporale, sed æternam cōsolationem requiro: quam per me impetrare non valeo, sed per intercessionem vestræ beatitudinis hanc me obtinere confido. Item *b* Mariano Episcopo Arabię: Multum iam tēpus est, quo surgere de lecto non valeo. Nam me modò podagræ dolor cruciat, modò nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit: & fit plerumque, vt vno in me tempore ardor cum dolore confligat, & corpus in me animusq; deficiat. Quantis autem alijs necessitatibus extra has, quas protuli infirmitates, afficiar, enumerare non valeo. Sed breuiter dico, quia sic me infectio noxij humoris imbibit, vt viuere mihi pœna sit & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo remedium. Proinde, Frater carissime, diuinæ pro me pietatis misericordiam deprecare, vt percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat: ne nimio, quòd absit, tædio in impatientiam cor erumpat, & quæ curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure. Item Rusticianæ Patriciæ: De podagræ molestiâ, quam vobis euenisse signastis, & contristatus vehementer sum & lætatus: lætatus, quia humor noxius inferiora petens, superiora profectò deseruit: contristatus verò, quia in tam tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Vbi enim deest caro, quæ virtus esse poterit doloribus resistens? Me etenim, quem qualis fuerim nostis, ita amaritudo animi & assiduа exacerbatio, atque præter hoc podagræ molestia affecit, vt corpus meum tamquàm in sepulturâ siccatum sit: vnde fit, vt iam rarò de lecto surgere valeam. Item eidem: Ego in tanto gemitu & occupationibus viuo, vt ad dies, quos ago, me peruenisse pœniteat, solaque mihi in consolatione sit mortis expectatio. Vnde peto, vt pro me orare debeatis, quatenùs de hoc carnis carcere citiùs educar, nę tantis laboribus diutiùs torquear. Item Anastasio Antiocheno: Rogo, vt pro mei cordis infirmitate enixiùs oretis, quatenùs omnipotens Deus mentem meam ab omnibus malis pro vestrâ intercessione tueatur, & citiùs me de tot procellis huius tempestatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducat.

lib. 7. ep. 78 Ind. 2.

li. 11. ep. 47

B

b lib. 9. ep. 27

sit corpore planè exsiccatus: lib. 9. ep. 38

C

lib. 11. ep. 24

lib. 7. ep. 3 Ind. 1.

moritur 12 Martij.

68 Tantis precibus Gregorius tandem aliquandò diuinitus exauditus, postquàm Sedem sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanę Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex & diebus decem, doctrinis pariter ac operibus felicissimis illustrauit, anno imperij Phocæ secundo, Indictione septimâ, quarto Iduum Martiarum, à carnis corruptione subtractus est, incorruptionis perpetuæ gloriâ sublimandus. Qui videlicet omni vitę suę tempore sicut nouas basilicas minimè fabricarat, ita nimirùm fabricatarum veterum sarta tecta cum summo studio annualiter reparabat. Quas reditibus, luminaribus, officijs atque donarijs cumulans, in basilicâ B. Petri Apostoli fastigium de argento purissimo, quod à *d* Leone tertio Pontifice in basilicâ Sixtianâ, sanctæ Mariæ nomini dedicatâ, translatum est, fabricauit: & in basilicâ B. Pauli Apostoli super altare nihilominùs aliud fastigium procurauit. Huius prætereà venerabile corpus in extremâ porticu basilicæ B. Petri Apostoli ante secretarium tunc antiquissimum, quo videlicet *e* Leo, Simplicius, Gelasius atque Symmachus, Apostolicæ Sedis Episcopi, cum nonnullis alijs, tumulati suis hactenùs epitaphijs prædicantur, sepultum tali titulo decoratur:

c

D

d

sepultus in porticu S. Petri,

e

cum hoc epitaphio:

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus astra petit: lethi nil iura valebunt,
Cui vitæ alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis Sūmi hoc clauduntur membra sepulcro,
Qui innumeris semper viuit vbique bonis.
Esuriem dapibus superauit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris:
Implebatque actu, quidquid sermone docebat,
Esset vt exemplum, mystica verba loquens.
Anglos ad Christum conuertit mente benignâ,
Sic fidei acquirens agmina gente nouâ
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc, Pastor, agebas,
Vt Domino offerres plurima lucra gregis:
Hisque Dei consul factus lætare triumphis,
Nam mercedem operum iam sine fine tenes.

E

a Coli molestias *intelligit, quas* colicas *diximus.* κῶλον *laxius intestinum.*

b *MSS. cum Surio,* Mariano: *in Registro,* Maximiano.

c *Cœpit Phocas anno Christi 602 Indict. 6 Nouemb. die 23, feria 6 à Cyriaco Patriarcha coronatus, ergo Martij* XII *erat annus adhuc Imperij 2, cum Indictione 7. Si subtrahantur anni 13 menses 6, dies 10, quibus Pontifex fuit, peruenietur ad annum 590, ac diem 3 Septembris, quo consecrationis memoria inscripta est, Martyrologio Romano.*

tempus Pontificatus S. Gregorij.

d *Leo 3 sedit ab anno 795 ad annum 816.*

e *Præfuerunt Ecclesiæ S. Leo 1 ab anno 440 ad 461, quo mortuus & colitur* XI *Aprilis. S. Simplicius ab anno 467 ad 2 Martij anni 483. S. Gelasius ab anno 492 ad 21 Nouemb. anni 496, & S. Symmachus ab anno 498 vsque ad annum 514. Colitur 19 Iulij.*

f *Romanus Canonicus addit dicto epitaphio ista fuisse subiuncta:* Hic requiescit Gregorius primus Papa, qui sedit annos tredecim, menses sex, dies decem, depositus quarto Idus Martij.

F

CAPVT XIV

Libri à S. Gregorio scripti. Modestia illius de hisce libris.

69 QVo scilicet liberalissimo Pastore defuncto, vehementissima fames eodem anno incubuit. Et quanto Patrono tunc Roma caruerit, licet rerum inopia toto penè mundo monstrauerit, inuidorum tamen feritas minimè recognouit. Nam sicut à maioribus traditur, cùm calumniarum veterum incentores Gregorium prodigum dilapidatoremque multiplicis patriarchatus thesauri perstreperent, deficiente personali materie, ad comburendos libros eius cœperunt pariter anhelare: quorum dum quosdam iam combussissent, & reliquos vellent exurere, Petrus Diaconus familiarissimus eius, cum quo quatuor Dialogorum libros disputauerat, creditur vehementiùs obstitisse: dicens, ad obliterandam eius memoriam librorum exustionem nihil proficere: quorum exemplaria, diuersis petentibus, mundi ambitum penetrassent. Subiungens, immane sacrilegium esse, tanti Patris tot & tales

Scripti libri insidente capiti eius Spiritu sancto in columba specie.

A & tales libros exurere, super cuius caput Spiritum sanctum ipse in similitudine columbæ tractantis frequentissimè perspexisset. Cúmque dudum deuotum populum Diaconus cerneret occasione temporis cum inuidis resultare, in hoc omnium sententiam dicitur prouocasse: vt, si quod dixerat iureiurando confirmans, mori continuò meruisset, ipsi à librorum exustione desisterent: si verò superstes sui testimonij extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Itaque cum Euangelijs in amboniem venerabilis Leuita Petrus ascendens, mox vt Gregorianæ sanctitati testimonium præbuit, inter verba veræ confessionis spiritum efflauit: & à dolore mortis extraneus, iuxta pyrgi basim, sicut hactenùs cernitur, Confessor veritatis meruit sepeliri.

testante id morte sua Petro Diacono.

70 Hinc est, quòd consuetudinaliter Spiritus sanctus in specie columbæ super scribentis Gregorij caput depingitur: & quòd expositionum illius pars maxima, quæ vtique ab inuidis exusta recolitur, non habetur. Quarum ipse summam Ioanni Subdiacono Rauennæ Responsali suo significare videtur, inter cetera sic describens: Quia carissimus quondam filius meus Claudius aliqua, me loquente, de Prouerbijs, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptatico audierat; quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu dictauit, ne obliuione deperirent: vt apto tempore hæc eadem mihi inferrentur, & emendatiùs dictarentur. Quæ cùm mihi legisset, inueni dictorum meorum sensum valdè in multis fuisse permutatum. Vnde necesse est, vt tua experientia omni excusatione atque morâ cessante, ad eius monasterium accedat, eumque venire faciat, & cum omni veritate, quantascumque de diuersis scripturis chartulas detulit, ad medium deducat: quas tu suscipe, & mihi celerrimè transmitte. Enimuerò quia studiositas Gregorij, qui post hæc tribus fermè annis superfuit, falli non potuit, constat nimirùm, quia plures libros, quàm nunc habeantur, composuit. Quorum memoriam quidam in Episcopali suo perstringens, ait: Iob, Ezechiel, Euangelia & Pastoralem exposuit & multa alia: vt subaudias, quæ iam *b* inueniri non possunt. Quoniam reuerà antè succensa sunt, quàm edita, sicut reliqua ipsius opera, quæ nunc in sanctâ Romanâ retinentur Ecclesiâ adhuc sub custodiâ, ne penitùs vulgarentur.

li. 10. ep. 22 Ind. 5. an varij interciderint?

B

71 Itaque si curiosiùs perpendatur, omne Gregorij tractandi tempus, quo libros, qui nunc habentur, exposuit, à * Diacono suo vsque ad penultimum sui pontificatus annum extenditur. Et licet Longobardorum perfidiâ sæuiente, post Ezechielis Tractatus ab expositione librorum destiterit, ab exponendis tamen epistolis, quamdiu viuere potuit, numquàm omnino cessauit: quarum videlicet tot libros in scrinio dereliquit, quot annos aduixit. Vnde *c* tertiumdecimum epistolarum librum septimæ Indictionis imperfectum reliquit, quoniam ad eiusdem Indictionis terminum non pertigit. Ex quarum multitudine primi *d* Adriani Papæ temporibus quædam epistolæ decretales per singulas Indictiones excerptæ sunt, & in duobus voluminibus, sicuti modò cernitur, congregatæ. Et Gregorius iamdudum in monasterio positus, vbi eum Angelus Domini sub habitu naufragi scribentem repererat, nimirùm quædam dictauerat, vt ad expositionem tantæ profunditatis, quam in libro Iob penetrare potuit, eò paratior, quò ex dictandi consuetudine doctior, perueniret.

** an Diaconatu? 12 libri epistolarum,*

C

72 Ergo Gregorius in Diacono suo, dum illum in Constantinopolitanâ vrbe Sedis Apostolicæ responsa constringerent, & *e* Leandrum Hispanum Episcopum iniuncta pro caussis fidei Wisigothorum ibi legatio perduxisset, eodem Leandro, sicut in primo libro dixisse me recolo, cum Fratribus tunc Gregorio adhærentibus, importunissimè compellente, librum beati Iob cœpit exponere. Quibus coràm positis, priora libri sub oculis dixit: & quia tempus paullò vacantiùs reperit, posteriora tractando dictauit. Cúmque ei spatia largiora suppeterent, multa augens, pauca subtrahens, atque ita, vt inuenta sunt, nonnulla derelinquens, ea quæ se loquente excepta sub oculis fuerant, per libros emendando composuit. Qui cùm iam factus Episcopus, Romæ postrema dictaret, quo stylo prima dixerat, solicitè attendens egit, vt ea, quæ locutus fuerat, studiosâ emendatione transcurrens, quasi ad similitudinem dictantis erigeret, & ea, quæ dictauerat, non longè à colloquentis sermone discreparent: quatenùs dum hoc tenditur, illud attrahitur, edita modo dissimili, res non dissimilis formaretur. Quamuis tertiam ipsius operis partem, vt colloquendo protulit, penè ita dereliquit: quia dum eum Fratres ad alia exponenda pertraherent, hanc subtiliùs emendari noluerunt. Quibus multa iubentibus, dum parere modò per expositionis mysterium, modò per contemplationis ascensum, modò per moralitatis studeret instrumentum, hoc opus per triginta & quinque libros extensum, in sex codicibus expleuit: quorum exemplaria primò per Vrbis monasteria subdiuisit, postremò verò eidem Leandro Episcopo destinauit.

expositiones in Iobum quando compositæ: e

D AVCTORE IOANNE DIACONO

E

73 Sed in ipso sui Episcopatus exordio, dum à Ioanne Rauennatis vrbis Episcopo humiliter reprehensus fuisset, cur Pastoralis curæ delitescendo pondera fugere vir tam idoneus voluisset, librum Regulæ pastoralis composuit: quam quadripartitâ ratione distinguens, valdè pensandum esse perdocuit, cùm rerum necessitas exposcit, ad culmen regiminis quisque qualiter veniat, atque ad hoc rite perueniens, qualiter viuat: & benè viuens, qualiter doceat: & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quantâ consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruentioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Primum ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium, quod à non quærente suscipitur, vita commendet. Deinde necesse est, vt Pastoris bonum, quod viuendo ostenditur, etiam loquendo propagetur. Ad extremum verò superest, vt perfecta quæque opera consideratio propriæ infirmitatis deprimat, ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Et quia quosdam imperitos ad Sacerdotium conspirasse cognouerat, quosdam conspiraturos esse præuidebat, qui metiri se nescientes, quæ non didicerunt, docere concupiscerent; quique pondus magisterij tantò leuiùs æstimarent, quantò vim illius magnitudinis ignorarent; hos in ipso libri sui reprehendit exordio: vt si quando indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetissent, à præcipitationis suæ ausibus in ipsâ Gregorianæ locutionis ianuâ pellerentur. Hunc librum Anatolius Diaconus., eius Apocrisarius, quærenti ac iubenti Imperatori quondam obtulerat, quem magnus *f* Anastasius Antiochenus Episcopus in Græcam linguam transfudit, & Orientalibus Ecclesijs opus venerabile procurauit.

liber Pastoralis curæ

F

Græcè translatus: f

74 Deinde, sicut in secundo huius operis libro iam retuli, dum adhuc Gregorius ad loquendum voce, flatuque sibi sufficeret, per stationes discurrens, XX Homilias Euangelij diuerso tempore coram populo declamauit: reliquas verò eiusdem numeri dictauit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, alijs pronuntiare permisit: quarum exemplaria Secundo, seruo Dei, petenti mandauit.

Opus 20 Homiliarum in Euangelia:

75 Cumque à suis familiaribus, vt aliqua de miraculis Patrum describeret, Gregorius enixiùs rogaretur,

lib. 2. ep. 50 Ind. 11.

A AVCTORE IOANNE DIACONO

retur, Maximiano Syracusano Episcopo scripsit, dicens: Fratres mei, qui mecum familiariter viuunt, omnimodò me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italiâ facta audiuimus, sub breuitate describere. Ad quam rem solatio vestræ caritatis vehementer indigeo, vt quæque vobis in memoriam redeunt, quæque cognouisse vos contigit, mihi breuiter indicetis. De Domno enim g Nonnoso Abbate, qui iuxta Dominum Anastasium de Pentomijs fuit, aliqua retulisse te memini, quæ obliuioni mandaui. Et hæc ergo, & si qua sunt alia, tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti, si tamen ad me non proficisceris. Hinc Gregorius roboratus, sanctorum miracula Patrum cum Petro suo Diacono, quæ per inquisitionem atque responsionem protulerat, expositionis altius studium interrumpens, solâ nominum prænotatione distinxit, & in libros quatuor ordinauit: vt sicut in libris expositionum suarum, quibus esset virtutibus insudandum, docuerat, ita etiam, descriptis Sanctorum miraculis, quæ virtutum fuisset earumdem claritas, luce clariùs ostentaret. Quos libros h Zacharias, sanctæ Ecclesiæ Romanæ Episcopus, Græco Latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini Imper. post annos fermè centum septuaginta quinque in Græcam linguam conuertens, Orientalibus Ecclesijs diuulgauit: Quamuis astuta Græcorum peruersitas, in commemoratione Spiritus S. à Patre procedentis, nomen Filij suapte radens abstulerit.

lib. 2. ep. 50 Ind. 11.

Dialogorum libri de miraculis Patrum Italicorum.

h à Zacharia Papa Græcè translati:

B

76 Primam quoque & vltimam Ezechielis Prophetæ partes, quæ videbantur obscuriores, Romanis postulantibus pertractauit, easque per Homilias viginti & duas distinguens, quantum lucis intùs habeant, demonstrauit: & in his tractandi, sicut superiùs patuit, finem fecit.

Homilia in Ezechielem.

77 Qui libri dum à doctoribus sequentis temporis tam rectissimis sententijs editi quàm luculentissimo Rethoricæ facundiæ stylo compositi veraciter doceantur, eos B. Gregorius ex humilitatis suæ dulcedine incultos perhibet, Leandro Episcopo inter cetera scribens? Quæso vt huius operis (haud dubium quin Moralium) dicta percurrens, in his verborum folia non requiras: quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti procul dubio scimus, quia quoties in folijs malè lætæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Vnde & ipsam loquendi artem, quam magisterium disciplinæ exterioris insinuat, seruare despexi. Nam sicut huius quoque epistolæ tenor enuntiat, non i metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem deuito, situs motusque præpositionum casusque seruare contemno: quia indignum vehementer existimo, vt verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab vllius temporis interpretibus in Scripturæ sacræ auctoritate seruata sunt. Ex quâ nimirùm, quia nostra expositio oritur, dignum profectò est, vt quasi edita soboles speciem suæ matris imitetur. In quibus verbis agnoscitur Gregorius non affectasse locutionem pompaticam, sed ex pristinâ secularis exercitij consuetudine potiùs incurrisse. Cuius facundiæ consonantiam Isidorus, Hispalensis vrbis Episcopus, in expositione Geneseos admiratus: Sumpta, inquit, sunt hæc ab auctoribus, Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Cassiano, Augustino, Fulgentio, ac nostris temporibus insigniter eloquente Gregorio. Sed & Beda Presbyter in libro de schematibus oratores homœoteleuton facere perhibens, exemplum proposuit, dicens: Beatus Iob Deo soli sibique cognitus, in tentatione ad nostram notitiam perducendus, tactus est vulnere, vt odorem suarum virium tantò latiùs spargeret, quantò more

Deut. 16. in scriptis asseris se pompaticam locutionem non affectasse.

C

i

At eloquens habetur ab alijs.

D

aromatum meliùs ex incensione flagraret. Quo schemate ipse, qui hoc dixit, beatus Papa Gregorius sæpissimè vsus fuisse cognoscitur. Et huiusmodi orationes esse reor, quas B. Hieronymus concinnas rethorum declamationes appellat.

78 At Gregorius humilitatis suæ cautelâ commonitus, non solùm facundiæ suæ redolentiam contemnebat, verùm etiam in comparatione tractatus alterius, dictatum suum, furfurem nominans, libros suos legi, quamdiu viueret, vehementissimè prohibebat, Innocentio Præfecto Africæ inter cetera scribens: Quòd in expositione S. Iob transmitti vobis codicem voluistis, vestro omnino studio congaudemus: quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini patriotæ vestri opuscula legite: & ad comparationem siliginis illius, nostrum furfurem non quæratis. Item Ioanni Episcopo Syracusano: Præterea audio, quòd aliqua de his, quæ scripsisse me memini, Fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat. Quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc, quod vos pro caritate facitis, possunt quidam, quantùm ad me est, vanæ gloriæ deputare: ideóque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant, qui audiunt, informari. Item Ioanni Subdiacono Rauennæ post multa: Illud, inquit, quod ad me quorumdam relatione perlatum est, quia reuerentissimus Frater & Coepiscopus meus Marinianus legi commenta B. Iob publicè ad vigilias faciat, non gratè suscepi: quia non est illud opus populare, & auditoribus rudibus impedimentum magis quàm prouectum generat. Sed dic ei, vt commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes secularium ad bonos mores præcipuè informant. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facilè hominibus innotesci.

Scripta sua furfurem appellat:

lib. 1. ep. 37

lib. 6. ep. 9

non cupit extraneis legi,

E

li. 10. ep. 22

imò ne vino legi in vigilijs vetat:

79 Quantâ sanè consideratione Gregorius, qui ad culmen regiminis humiliter peruenisse, ad hoc opus perueniens, benè vixisse, benè viuendo rectè docuisse, satis vt opinor, monstratus est, infirmitatem suam cognouerit, in extremo libro Moralium manifestat, cùm dicit: Expleto itaque hoc opere, ad me mihi video esse redeundum: multùm quippe mens nostra, etiam cùm rectè loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Integritatem namque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia trahunt extrinsecus, minuunt. Igitur à publicò locutionis redeundum est ad curiam cordis, vt quasi quodam concilio consultationis ad meipsum discernendum conuocem cogitationes mentis: quatenùs ibi videam, ne aut incautè mala aut bona non benè dixerim: tunc enim benè dicitur bonum, cùm is, qui dicit, soli ei, à quo accepit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua etsi dixisse non inuenio, tamen quia omnino non dixerim, non defendo: bona verò si qua diuinitùs accipiens dixi, meo videlicet vitio minùs me benè dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecùs rediens, postpositis verborum folijs, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex eâ me summoperè placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni, quâ Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodò, intentio humanæ laudis interserit. Quod cùm iam postmodùm tardeque discerno, inuenio me aliter agere, quòd scio me aliter inchoasse: sic enim sæpè intentionem nostram, dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè subiuncta, & eam velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis assequitur. Sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur. Vnde plerumque contingit, vt refectionem corporis,

li. 35. ep. 16

F

conqueritur in conscribendis etiam recta intentione operibus, nonnihil vanæ gloriæ se immiscuisse.

A poris, quam salutis caussâ cepimus, caussâ voluptatis expleamus. Fatendum est igitur, quòd rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnumquàm intentio minùs recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his diuinitus districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra, pura mala sunt, & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquàm possunt? Sed hoc mihi operæ pretium credo, quòd Fraternis auribus omne, quod in me latenter ipse reprehendo, incunctanter aperio. Quia enim exponendo non celaui quod sensi, confitendo non abscondo quod patior: per expositionem patefeci dona, per confessionem detego vulnera. Et quia in hoc tam magno humano genere, nec parui desunt, qui dictis meis debeant instrui: nec magni desunt, qui cognitæ meæ valeant infirmitati misereri: per hæc vtraque alijs Fratribus, quantùm possum, curam confero, ab alijs quæro: illis dixi exponendo, quod faciant: istis aperio confitendo, quod parcant: illis verborum medicamenta non subtraho, istis lacerationem vulnerum non abscondo. Igitur quæso, vt quisquis hoc legerit, apud districtum Iudicem solatium mihi suæ orationis impendat, & omne, quod in me sordidum deprehendit, fletibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collatâ, Lector meus in recompensatione me superat, si cùm per me verba accipit, pro me lacrymas reddit.

cum humilitate & modestiâ de se loquitur.

B

petit preces eorum, qui legent opera.

a *De eo infrà seorsim agimus.*

b *Si statim post obitum sint isti libri combusti, neque potuerint alibi inueniri, mirum non debet videri, si illorum mentio non fiat apud Isidorum aliosq́; qui libros eius recensuerunt.*

c *Extant libri solùm 12 epistolarum, aliter digesti, atque tunc erant in codice, quo vsus Ioannes Diaconus.*

d *Hadrianus 1 Sedit ab anno 772 ad annum 795.*

e *Vitam S. Leandri damus 13 Martij, vbi de VVisigothis agetur.*

f *Hic est S. Anastasius Sinaita, de quo suprà actum, mortuus anno 599, 21 Aprilis.*

g *S. Nonnosus colitur 2 Septemb. de eo agitur lib. 1 Dialogorum cap. 7.*

h *S. Zacharias fuit Papa ab anno 741 vsque ad annum 752 qui mortuus est 15 Martij, de quo tum agemus. Extat hac translatio Græca post ipsos Dialogos Latinos.* — *S. Zacharias Papa.*

i Metacismi *in MS. nostro & Suric, in MS. Corsend.* Metatisini, *in Vitâ cum operibus editâ* Meotocismi. *Est propriè littera M repetita condensatio seu collisio etiam quarumcumque litterarum. Dicendum* Myracismus, *siue* Motacismus, *quia littera μῦ aliter μυ etiam dicitur teste Eustathio.* — *Metacismus.*

C

CAPVT XV

Veneratio S. Gregorij: Eiusdem ac parentum statuæ.

80 HVius beatissimi Gregorij venerabile corpus, à *a* Gregorio quarto, Sedis Apostolicæ Præsule, post annos *b* plurimos translatum ante nouellum secretarium constructis absidibus, sicuti modò cernitur, sub altari sui nominis collocatur, quo eius anniuersaria solennitas, cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratissimâ celebratur: in quâ pallium eius & phylacteria, sed & balteus eius consuetudinaliter osculantur. Quæ singulatim considerata, & antiquitatem viri, & mediocritatem habitus, & speciem regularis propositi signis perspicuis repræsentant. Nam in eo, quòd pallium eius bysso candente contextum, nullis fuisse cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obuolutum fuisse, non autem confixum, dignoscitur, sicuti vetustissimis musiuis vel picturis ostenditur. Quòd autem Reliquiarum phylacteria, tenui argento fabricata, vilique pallio de collo suspensa fuisse videntur, habitus eius mediocritas demonstratur. Porrò in exilitate baltei, quæ vnius pollicis mensuram nunquàm excedit, speciem propositi Regularis, *c* olim à S. Benedicto statuti, cuius ipse vitam describens in Dialogo, Regulam quoque laudauerat, eum seruasse luce clariùs manifestat: præsertim cùm idem venerabilis doctor Gregorius Græcam linguam nescierit, & sui monasterij monachos, Benedicti vtique regulis mancipatos, in *d* Saxoniam destinarit.

a b S. Gregorij corpus translatum. annua veneratio. modestia in vestitu.

D *AVCTORE IOANNE DIACONO. c an fuerit Benedictinus monachus. d*

81 Siquidem quòd Græcam linguam nescierit, ipse testatur in epistolâ, Eusebio Thessalonicensi Episcopo scribens: Lator præsentium Theodorus, Ecclesiæ vestræ Lector, ad sanctorum Apostolorum limina veniens, dum omnes, quippe vt homo nouus, haberet incognitos, Andreæ monacho, qui ad S. Paulum inclusus fuerat, res & chartas, quas detulit, vt reuerà olim noto, innocenter deposuit, credens quòd mens ipsius, sicut & nos antè putaueramus, cũ habitu concordaret. Sed tamẽ ille prauitatis inuentus est, vt si eius stultitiæ sub inclusionis specie paullò adhuc ampliùs licuisset, multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet, & quæcumque potuisset, non leuia scandala generaret. Nam inter alia, quæ idem Andreas pessimè cogitauit & fecit, eam quoque, quam ad nos misistis, dum apud ipsam à præfato lectore esset deposita, infalsauit epistolam: vt quicumque eam legeret, vos nec catholica, nec recta sapere euidenter argueret. Ex quâ re contigit, vt dum veritatem studiosè quæreremus, eius, quæ latebat, iniquitas vulgaretur, & tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocumque laico crederentur. Et quia inter diuersa mala, aliquos etiam sermones scripsit, atque eos ex nostro nomine titulauit, & suspecti sumus, ne eos alicubi transmiserit, Fraternitas vestra solicitudinem gerat, & si quid tale repererit, eos excindi, & omnino facit aboleri: vt quod imperitus litterarum, & Scripturæ diuinæ nescius, nostro, sicut diximus, nomine prænotauit, quorumdam animos non possit inficere: nam nos nec Græcè nouimus, nec aliquod opus aliquando Græcè conscripsimus.

lib. 9. ep. 89. aboleri iubet libros falsò sub suo nomine Græcè scriptos:

E

82 Quod verò monachi, qui à Gregorio in Saxoniam missi sunt, S. Benedicti Regulæ fuerint mancipati, inter alia etiam illud ostendit, quòd ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus monachus aliquis inueniri, à quo non obseruetur tam in proposito quàm in habitu Regula Benedicti. Quapropter sicut constat Gregorianum monasterium à Latinitate in Græcitatem, necessitate potiùs quàm voluntate conuersum: ita fideliter præstolatur, in Latinitatis cultum, fauente Domino, denuò reuersurum.

an Benedictinos Gregorius in Saxoniam miserit.

F

83 In cuius venerabilis monasterij atrio, iussu Gregorij, iuxta *e* nymphæum duæ *f* iconæ veterrimæ artificialiter depictæ vsque hactenùs videntur: in quarum alterâ beatus Apostolus Petrus sedens conspicitur, stantem Gordianum, *g* regionarium, videlicet patrem Gregorij, manu dexterâ per dexteram nihilominùs suscepisse. Cuius Gordiani habitus, castanei coloris *h* planeta est, sub planetâ dalmatica, in pedibus *i* caligas habens: statura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condensi, vultus grauis. In alterâ verò mater Gregorij sedens depicta est Syluia, candido velamine à dextero humero taliter contra sinistram reuoluto contecta, vt sub eo manus tamquàm de planetâ subducat, & circa pectus sub gulâ inferior tunica *k* pseudolactinei coloris appareat, quæ magno sinuamine super pedes defluat, duabus *l* zonis ad similitudinem dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta: statura plena, facies rotunda quidem & candida, sed senio iam rugosa, quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat: Oculis glaucis & grandibus, supercilijs modicis, labellis venustis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem mithram, candentis

e f Forma Gordiani, patris S. Gregorij. g h i & Syluia eius matris. k l

AVCTORE IOANNE DIACONO.

A dentis, brandei, raritate *m* hiblatam; duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens: In sinistrâ vero patens psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. (Psal. 118.) A dextero verò cubitu vsque ad sinistrum circa scapulas versùs ascendens, reflectitur, qui ita se habet: GREGORIVS SYLVIÆ MATRI FECIT.

84 Sed & in absidiculâ *n* post Fratrum cellarium, Gregorius eiusdē *o* artificis magisterio in rotâ gypsea pictus ostēditur. (*o ipsius S. Gregorij.*) Statura iusta & benè formata, facie de paternę faciei lōgitudine & maternę rotūditate ita mediè temperatâ, vt cum rotunditate quadā decentissimè videatur esse deducta, barbâ paterno more subfuluâ & modicâ: ita caluaster, vt in mediâ fronte gemellos cincinnos rariusculos habeat, & dextrorsùm deflexos: corona rotunda & spatiosa: capillo subnigro & decenter intorto, sub auriculæ medium pendente, fronte speciosâ, elatis & longis, sed exilibus, superciliis: oculis pupillas furuis, non quidem magnis, sed patulis, subocularibus plenis, naso à radice vergentium superciliorum subtiliter directo, circa medium latiore, deinde paullò recuruo, & in extremo patulis naribus
B præminente: ore rubro, crassis & subdiuiduis labijs, genis compositis, mento à confinio maxillarum decibiliter prominente. Colore aquilino & viuido, nondum, sicut ei posteà contigit, *p* cardiaco. Vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, & habilibus ad scribendum. Præterea planeta super dalmaticam castanea, Euangelium in sinistrâ, modus Crucis in dexterâ, pallio mediocri, à dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito: cuius pars altera super eumdem humerum veniens, propriâ rectitudine non per medium corporis, sed ex latere pendet: circa verticem verò, tabulæ similitudinem, quod viuentis insigne est, præferens, non coronam. Ex quo manifestimè declaratur, quia Gregorius, dum adhuc viueret, suam similitudinem depingi salubriter voluit, in quo posset à suis monachis non pro elationis gloriâ, sed pro cognitæ districtionis cautelâ frequentiùs intueri, vbi huiusmodi distichon ipse dictauit:

Christe potens Domine, nostri largitor honoris,
Indultum officium solitâ pietate guberna.

a *Gregorius IV præfuit Ecclesiæ ab anno* 827 *vsque ad annum*
C 843.

b *Ita MSS. habent. Excusum* annos circiter quinquaginta *magno errore, cùm ab anno* 604 *siue obitu S Gregorij sint elapsi vsque ad initium Pontificatus Gregorij* IV *anni* 223.

c *Florebat, cùm scriberet auctor, Institutum S. Benedicti, post restauratum sub Gregorio III Papâ Casinense monasterium, & ab huius successore Zacharia codicem sanctæ Regulæ, quam S. Benedictus propriâ manu conscripserat, collatum. De S. Benedicto agemus* 21 *Martij: in cuius Regulâ legitur*: Cincti singuli cingulis aut funibus, *vt hac auctor, prout tunc gerebat adiunxerit.* (Regula S. Benedicti.)

d *Suprà lib.* 1 *&* 2 Britanniam, *& incolas* Anglos-Saxones *appellat*

e Nymphæum *pro lauacro seu fonte accipitur: quia Nymphæ aquarum Deæ erant,* (Nymphæum.)

f *Imagines hic descriptas S. Gregorij eiusque parentum Gordiani & Siluiæ, expositas in ædiculâ S. Andreæ ad viuum expressas curâuit Angelus Rocca Camers edi Romæ typis Vaticanis anno* 1597. *cum suis Commentarijs, in quibus ait illas tum ante trecentos circiter annos fuisse depictas ex ijs, quas hic Ioannes Diaconus testatur suo tempore extitisse. E Roccâ inter opera S. Gregorij inueniuntur.* (Imagines.)

g *Regionarius Diaconus ob indumenta Ecclesiastica videtur fuisse. Hi Diaconi singularum Vrbis regionum diaconijs vel Xenodochiis præerant, viduarum inopiâ laborantium & pupillorum ministri; de quibus eorumque priuilegiis suprà actum lib* 2 *num.* 51. (Regionarius.)

h Planeta *siue* Casula, *quam etiam tribuit Diaconis Alcuinus & Clericis Amalarius, hic à Roccâ Camerte indicati.* (Planeta.)

i *Caligæ in pedibus sandalia sunt, quod ipsa nominis etymologia indicat: dici enim videntur caligæ quòd calci alligentur seu astringantur, vnde paulatim ad suras sursum ducta lora partem quoque tibiarum tegunt. Ita S. Petrus Act.* 12 *iussus sibi subligare sandalia his verbis*: Περίζωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Præcingere & calcea te caligas tuas. (Caligæ in pedibus.)
D
k Pseudolactineus color, *subalbidus seu cinericius.*

l *Zonæ sunt hîc fasciolæ extremitatem tunicæ circumquaque ambientes, uti Dalmatica pro ornatu in extremitate limbum habet.*

m *Rocca Camers asserit in omnibus MSS. certè in nostris, legi* niblatam, *pro quâ voce coniectat legendum* nimbatam: *vt sit* Mitra ex sudariolo quodam aut velo, *brandeo hîc dicto*, contexta, seu fasciata vel turbinata *quid si* nubilata *legatur: quia subtilis tela alba in alterius coloris fundo, nubis similitudinem refert.* (Niblatam nimbatam.)

n *MSS.* super. o *In excusis* aurificis.

p *Cardiacus color est pallor croceatus, seu giluo partim tinctus, quem contraxit ex cardiaco morbo, seu stomachi languentis affectione, quia se laborasse sæpius scripsit.* (Cardiacus color.)

CAPVT XVI

Miracula S. Gregorij; maleuoli puniti: alij de morte imminente moniti; alij sanati.

85 IBi etiam tempore iam Petri Archidiaconi & Ioannis œconomi, Saturninus monachus dextrâ E
læuâque B. Gregorij, effigies sanctorum Apostolorum, quemadmodum modò videntur, depinxit. Quo scilicet loco nonnumquàm diuinitus candela succenditur, & in eiusdem similitudinis effigie pro regimine sui monasterij sæpè B. Gregorius præsentatur. (Candela diuinitus accensa.)

86 Nam vt pauca de multis contingam, *a* Leonis quarti Pontificis tempore, cùm Megistus Ostiensis Episcopus & Apostolicæ Sedis Bibliothecarius, eidem monasterio præesset, Ioannes Presbyter eiusdem Prępositus, cum quadam fœminâ turpiter viuens, vehementissimo podagræ dolore correptus est. (*a* Presbyter malè viuens.) Qui medicorum manu cauteriatus, per exustionis vulnus calcem cœpit effundere: quam restringere nullis artibus præualens, in tantam desperationem perductus est, vt ab omni illius fœminæ visitatione desisteret, & illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum Presbyter ad pristinam sanitatem reuertens, quamquàm propositum sibi fuisset, vt vlteriùs nullam contingeret, ad eamdem tamen misso nuntio, futuro die Dominico se redire professus est. Quo recepto, vbi suo desiderio votum quoque mulierculæ conuenire gauisus est, ad balnea processit. Vnde reuertens, tantùm lætitiæ potionibus & cantionibus se dissoluit, vt subrepente somno, interesse nocturnis cum Fratri- F
bus numquàm potuisset Officijs. Eadem nocte cuidam Presbytero & monacho B. Gregorius in somnis apparens, ait: Surge, & dic Præposito, vt pœnitentiam agens, peculium suum, quod eum aggregare non puduit, pro peccato conscientiæ suæ dispergat, quia die tertiâ funditùs extinguetur à vitâ. (per S. Gregorium cuidam monacho apparentem.) Quod Præpositus vehementer, vt audiuit, expauit, & quia mandato Gregorij incredulus esse non poterat, pœnitentiam cepit, cunctaque sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, vt à diluculo diei tertij vsque ad horam tertiam cum ingenti fragore præ incendio linguam ab ore proijciens, vltimum flatum protraheret. (diem mortis intelligit.) Quem Presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic monachis, qui cum psalmodijs ejus exitum commendarent, ipsi pro eo studuêre omnipotenti Domino solennes hostias immolare. Sed monachi psalmodiam deserentes, non timuerunt inter se morienti Fratri detrahere. Cùm ecce Presbyteri à Missarum solennijs circa horam septimam remeantes, Ioannem Presbyterum, quem incredibiliter cum morte luctantem reliquerant, leuiùs se habere mirati sunt, eumque nominatim clamare cœperunt. Mox ille oculos subridendo concutiens, Parcat, inquit, vobis Dominus, Fratres: quare me solicitare voluistis? qui ab ipso hu-

A ius die principio vsque nunc, coram Christo præsidenti multis millibus Angelorum, cum diabolo ad iudicium steti, & adiuuantibus me SS. Andreâ & Gregorio, cunctis eius obiectionibus benè respondi. Sciatis autem, quia monasterij sextarium, modium, libram, consuetudinem eleëmosynarum & luminum, omnemque mensuram curiosissimè Christo quærenti vsque ad scabellum pedum eius portaui: sed de vnâ obiectione fateor conuictus erubui: de quâ me nimiùm, sicut vidistis, laborando vexaui, & me adhuc liberare non potui. Cumque Fratres de eâ requirerent, ait: Non audeo dicere, quia quando vos me clamastis, & à S. Gregorio redire iussus sum, vt vobis etiam de mensuris & consuetudinibus monasterij ponerem rationem, diabolus conquestus est, putans quòd me Pater Gregorius ad pœnitentiam remisisset: Quapropter B. Gregorium vadem dedi, ne commotam calumniam cuilibet reuelarem. Illis magis imminentibus, & se pro eo deprecaturos Dominum promittentibus, vt caussam Fratribus reuelaret, defunctorum quorumdam domos & viuentium merita proferebat, dicens: Iste dignus, iste indignus est. Rursus interrogatus, ad monachos, qui pridem secum remanserant, conuersus est, dicens: Omnia, in quibus mihi

moribundus iudicio extremo sistitur,

ob detractatoribus interturbatur:

B detraxistis, Fratres, audiui, quamquàm respondere nequiuerim, & impedimentum mihi non modicum generastis, quia tam à vobis quàm à diabolo sub vno tempore accusatus, nesciebam cui calumniæ primitus responderem. Sed si quando quemlibet migrantem videritis, compatimini sorti communi, & nolite de eo iudicare, qui ad tam districti Iudicis cum criminatore suo iudicium vadit. His expletis, cunctos iubet abscedere, solum Presbyterum, qui sibi mortem prænuntiauerat, secum tenens: qui solus remanere pauescens, alterum secum tenuit, hortatus vt caussam, pro quâ conflixerat, saltem sibi pandere non timeret. At ille vehementer ingemuit, & conuerso ad parietem capite, clamabat, dicens: O Andrea, Andrea, hoc anno pereas, qui me prauo consilio ad periculum compulisti. E vestigio Zacharias medicus, qui anno præterito ad suos, videlicet Saracenos, apostatando reuersus est, affuit, tactisque temporibus, iurare cœpit Presbyterum ex eadem valetudine minimè moriturum. Quem languidus vt audiuit, cum ingenti animaduersione repulit, dicens: Fratres, iam omne corpus meum est mortuum, in extremis faucibus spiritum permissum retineo, continuò moriturus. Tantùm psallite, vt reuideam Angelos, quos

imprecatus dira Andreæ,

C videbam, & innuens vobis ostendam. Quibus orantibus totus cœpit tremere, pallescere, sursum desideranter adspicere. Cùm subitò spiritus aduentare conspiciens, reuolutis terribiliter oculis, monachis innuit, & abscessit: eosque tanto terrore perculsos dimisit, vt multis noctibus ibi iacere timuerint.

moritur:

87 Eodem die, sicut posteà deprehensum est, eodemq; momento, quando Presbyter moriens Andreæ periculum fuerat imprecatus, idem Andreas fundi Barbiliani, positi scilicet in viâ Ostiensi, conductor, in lectulum decidit, in quo per multum temporis cótinuo languore correptus, ita totus emarcuit, vt omne corpus eius particulatim videretur dissolui. Cúmque defluentibus carnibus consumi posset, mori autem nó posset: vxor, quæ fœtorem vulnerum viriq́ue cruciatus iam sustinere non poterat, intellexit tanti languoris incommoda sine diuinæ vltionis sententiâ hunc nullatenùs incurrisse: quem flendo curauit inquirere, vt, quoniam à moriente Præposito frustrà vocari non poterat, quid cum ipso commiserat, monachis reuelaret, si fortè Dominus eius confessionem recipiens, eum à tantis cruciatibus liberaret. At ille cognoscens malum, quod fecerat, latere non posse, monasterij monachos conuocari rogauit, eisque

hic eodem die diuinitus castigatus, ob chartulas monasterij raptas & extraneis venditas,

D confessus est, cum eodem Præposito quasdam monasterij chartulas rapuisse, ac receptis pretijs, extraneis tradidisse: seque certum existere, quia pro hoc flagitio mori non posset, quousque hoc coram omnibus reuelaret. Quod videlicet verum fuisse, rei exitus euidenter ostendit. Nam mox vt tantum facinus cunctis innotuit, is, qui dudum mori volens, non poterat, inter verba suæ confessionis spiritum efflauit. Quem idcirco omnipotens Deus diu cruciari voluit, mori autem, donec reatum suum confiteretur, non posse permisit, vt exemplo sui cruciatus ostenderet, quid consumptores rerum Gregorij de semetipsis vtique sperare debuissent.

AVCTORE IOANNE DIACONO

in confessione delicti expirat.

88 Ipsius quoque Pontificis tempore eiusdem Patris monasterio Athanasius præfuit, vir quidem castitate perspicuus, & sui monasterij cautissimus executor. Qui cùm sæuientis inopiæ tempus agnosceret, ne monachis necessitas fortassis incumberet, quadraginta pauperum, quos B. Gregorius pasci semel in anno decreuerat, refectionem subduxit. Quod impunè se fecisse perpendens, etiam duodecim pauperum totidem denarios, qui die depositionis B. Gregorij pro commemoratione duodecim ab eo quondam inuitatorum, quorum tertiusdecimus Angelum se esse

Athanasius monasterij Præfectus eleemosynas subtrahit pauperibus:

E professus, consuetudinaliter pascebantur, penitùs intercepit. Cùm eiusdem Quadragesimæ tempore B. Gregorius eidem Presbytero, cui suprà & monacho in somnis apparuit, dicens: Vade, & dic œconomo, quia diminuit consuetudinem, quam ego constitui, Dominus quoque dies eius diminuit. Quod œconomus vt audiuit, primò quidem contremuit, pòst verò tantò minùs credidit, quantò longiùs vitam suam cognoscebat extendi. Et ecce sub ipsis Albis paschalibus in oratorio S. Seuerini cum Fratribus vespertinis assistens Officijs, ardere parietem vidit, quem Fratribus extinguere imperauit. Quibus hunc vinolentum credentibus, ipse tandem ferulam, quam tenebat, proijciens, manusque per parietem circumducens, conabatur foris flammas extinguere, quas constabat intima eius depascere. Denique tandem ad hospitium rediens, tantæ febris ardore succensus est, vt peruenire ad diem septimum nullatenùs potuisset. Quia ergo dum consuluisse putauit se monachis, pauperibus nocuisse non timuit; ac per hoc, quo se placare posse Gregorium credidit, prorsus offendit: frustrà flammas parietis extinguere voluit, qui tenacitatis suæ flammas extinguere recusauit.

à S. Gregorio apparente moneri iussus

morte punitur.

89 Eodem nihilominùs tempore pòst absidem oratorij S. Mariæ semper Virginis, oratorio S. Barbaræ, vbi Gregorius laudes Domino celebrare

F solebat, coniuncti, dæmon apparuit, sibique in antro, quod illic cernitur, hospitium faciens, nocturnis horis tanto crepitabat fragore, vt omnia fundamenta monasterij putaretur conuellere. Nonnumquàm equos de stabulis auferens, audiebatur totâ nocte discurrere, quorum duos præcipitio demersisse probatus est. Cumque pauore tanti sonitus monachos à triclinio, in quo ad auram propter feruorem caumatis iacere solebant, penitùs auertisset, vnus eorum confisus in virtute Dei omnipotentis, ante foramen decumbens, oratione factâ, cœpit dormire. Cui dæmon in similitudine catti apparuit, eumque vnguibus est aggressus discerpere: quo monachus oratione repulso, identidem sopori se tradidit. Cùm subitò dæmon in similitudine cuiusdam Æthiopis lanceâ minando apparuit, dicens: Ego quidem hinc vado, sed te vulneratum dimitto. Quo dicto, lanceam vibrauit, monachusque eiulauit, tamquam si reuerà percussus extiterit. Accurrentibusque monachis, licet pauidus, quod viderat indicauit, & deinceps ibi vlteriùs dæmonium non accessit.

Infestatione mali dæmonis oratorium liberat

monachis in eo dormiens:

90 *b* Benedicti quoque Pontificis tempore, Lucido *c* Ficulino Episcopo eidem monasterio præminente, *b c*

A AVCTORE IOANNE DIACONO

nente, cùm peſtilentiâ faucium multitudo quotidie maxima deperiret, idem monachus præcluſis faucibus venit ad mortè. Cui deſperanti B.Gregorius in ſomnis apparuit, dicens: Vis ſanus fieri? At ille ſe velle reſpondit. Et B. Gregorius: Si mihi, inquit, promiſeris ea, quæ tibi dixero, fore dicturum, ſcito, te eſſe ſanandum: ſin verò, citiùs moriturum. Cùmque ille ſe dicturum totâ certitudine promitteret, audiuit: Ito denuntians Sabæ, Ioanni, Benedicto, Aiartino, Palumbo & Antonio monachis, Laurentio coco, Gemmoſo carpentario, Accepto piſtori, Andreæ, Romano & Leoni laicis, quoniam à craſtino incipientes, omnes dietim ſe moriendo ſubſequentur. Poſt quorum deceſſum denuncia Lucidum Epiſcopum, qui tenet id monaſterium, die ſeptimo moriturum. His dictis, monachum oſcitare præcipiens, duos digitos in faucem coniecit, vulnuſque diſrumpens, vt excrearet iniunxit. Ille tuſſiens, partem coagulati ſanguinis in morem lapidis reuerà proiecit, & ab ipſis penè mortis ianuis liberatus, eadem nocte contra ſpem omnium Matutinalibus hymnis interfuit. Mirantibus Fratribus, ſanitatis ſuæ modum innotuit: quos, quando, & qualiter ex monaſterij familiâ morituros præuiderit, indicauit. De ſolâ interim Epiſcopi morte dubitando, conticuit. Et è veſtigio in cunctorum morti deputatorum auribus volans fama diſcurrit, & dum ex relatione monachi ſe morituros certo die cognoſcerent, diſpoſitis ſuis reculis, ita ſe in mortem ſecuti ſunt, ſicut fuerant in ſomno nominati.

a æger à S Gregorio ſanatur;

iuſſus indicare mortem monachis 12, ſucceſſiuè vita functis:

B

91 Cùmque Presbyter & monachus Lucido Epiſcopo tam dirum nuntium reuelare timeret, tacere autem penitùs non auderet, monaſterio ſe tandem proripuit, & ad domum Epiſcopi non longè à flumine Tiberi, regione videlicet iuxta baſilicam SS. Cyri & Ioannis ſitam, ſomnium nuntiaturus acceſſit. Quem ſcilicet vbi cum Pontifice in palatio prandere cognouit, expectans redeuntem Sacerdotalibus veſtimentis indutum, colore fulgidum, valetudine quoque ſaniſſimum ſalutare curauit. Cui Epiſcopus ait: Iam nunc in totâ Vrbe pro diuino haberis; quia de eis, quos morituros pronuntiaſti, ſolus vnus remanſit. At ille: Vtinam ſicut & ille, quem viuere putas, defunctus eſt: ſic ipſe, qui hunc ſequi prædictus eſt, exiliret. Cumque Epiſcopus de eo totâ curioſitate requireret, & monachus dicere palpitaret, tandem vbi die ſexto ſe moriturum cognouit, expalluit atque contremuit, reſumptiſque viribus, contra monachum frenduit, quem redire volentem retinuit, interiora cubiculi peruagus penetrauit, paullatim ſibi fauces dolere perſenſit. Deinde tacto ſibi pulſu, mox febris ſigna cognouit, monacho credidit, domum ſuam diſpoſuit, ad monaſterium, cui præerat, eiſdem redimitus, quibus à patriarchio reuerſus fuerat, venit; ſecundâ feriâ, cunctis tam ſubitam conuerſionem mirantibus, monachicum habitum ſuſcepit: & paulatim ingraueſcente moleſtiâ, ſextæ feriæ diluculò ſubdormiuit. Ac denuò ſuſcitatus, apparuiſſe ſibi S. Andream Apoſtolum, ſeque circa horam tertiam vocandum eſſe, ſibique præceptum perhibuit, vt quia ſuæ mortis expectatione ſuſpenſi monachi, S. Fabiani munia ſolita celebrare non poterant, mox corpus ſuum ſepulturæ traderent, acceptiſque à ſe cereis ac thymiamatibus, ad peragenda ſolennia feſtinarent. Horâ itaque tertiâ Epiſcopus lætus defungitur, vt in ipſâ vultus eius lætitiâ, conuerſio ipſius Deo fuiſſe placabilis cunctis videntibus monſtraretur.

b Lucido Epiſcopo,

C

aſſumpto habitu monaſtico,

piè extincto.

92 Eodem tempore germanus cuiuſdam monachi mentis inſaniam paſſus eſt, ita vt humana conſortia fugiens, multo tempore peruagus per cryptas ſolitarias ac cœnoſa monumenta diſcurreret. Cuius inſaniæ Frater nimiùm condolens, quotidie S. Gregorium profuſis lacrymis precabatur, vt ſibi Fratrem

Inſanus meritis S.Gregorij curatur:

D

ſoſpitem reddere dignaretur. Itaque cùm nocte quadam poſt huiuſmodi fletus quieſceret, B. Gregorius apparuit ei, dicens: Videns lacrymas tuas, ſuſcepi orationem tuam: Et ecce germanum tuum tibi hodie reducam ſanum: & hoc tibi ſignum, quia ſtatim vt dies illuxerit, iuſſu Pontificis Presbyter, qui hic incluſus eſt, extrahetur: qui ſurgens, matutinali tempore Fratribus indicauit. Fortè tunc idem Presbyter Campanus de loco, qui Clauſtrum non longè à Terracinâ vocatur, à ſuis pro quodam crimine accuſatus, in eodem monaſterio tenebatur, & temporibus multis labentibus, à ſuis accuſatoribus iam contemptus, à cunctis quoque ſuis fuerat in obliuionem ductus, cùm nullum propinquum, nullum in Vrbe cognitum habere potuiſſet, qui de eo Pontifici ſuggeſſiſſet, & monachi quidem pro eo ſatagerent, ſed perficiendi aditum non haberent, Pontifex diuinitùs recordatus eiuſdem, diluculò hunc ab ergaſtulo iuſſit extrahi, liberumq; dimitti. Nec multò pòſt monachi Frater ita ſanus reuerſus eſt; vt videretur hactenùs in eiuſdem Patris monaſterio tantò fideliùs deſeruiſſe, quantò ſe illius adminiculo meminit ad ſanitatem priſtinam remeaſſe.

E

93 Reuerendæ quoque memoriæ, d Nicolai Pontificis tempore, regimen eiuſdem monaſterij Zachariâ ciuitatis Anagninæ Præſule, ſicut f hodie ſupereſt, procurante, fundum Barbilianum, cuius ſuperiùs feceram mentionem, pro incolarum ſceleribus dæmon aggreſſus eſt, & in ſimilitudine taurelli de pratis mugiendo ad domum recurrens, inuiſibiliter ſuis corniculis virum ſentiebatur noctu percutere, oueſque à præſepijs extrahens, per contiguos campos & compita curſu velociſſimo fatigare. Cùmque hoc diutiùs faceret, crebróque ruſticis noxius immineret, huiuſmodi percuſſionibus Saxulum quemdam, eiuſdem prædij conductorem, affligendo diſperdidit. Deinde bubulcos aggreſſus, tantâ cæde perdomuit, vt intra trium menſium ſpatium neminem illic, præter vnum tantùm, Vrſellium nomine, quem ſimiliter affligebat, reliquerit. Qui Romam veniens, dum tantæ cladis periculum Fratribus indicaret, interrupto ſermone, monaſterij portis egreſſus eſt, & obſtupeſcentibus monachis, non niſi manè facto reuerſus eſt. A quibus curioſè diſcuſſus, quonam ſe pridem tam ſubitâ velocitate proriperet, confeſſus eſt, dicens: Dum vobis inſaniam dæmonis reuelarem, taurellus affuit, anterioribuſque pedibus me complectens, ac ſuis corniculis tundens, ante ſe cœpit minare, & totâ nocte me ſubire muros coëgit & arbores. Cùmque nouiſſimè per pontem me conaretur demergere, de complexibus ipſius exiliui, eumque toto conamine fugiens, ad portas, quas Euthymius œconomus fecerat, monaſterij huius perueni. Quas clauſas inueniens, ambabus manibus ambos eius annulos apprehendi, & dum ab eis me luctaretur diuellere, quidam caluus Pontifex obliquo latere ſe inter portarum rimas excutiens, ferulâ caput taurelli percuſſit, eumque in fugam compellens, me ab illius perſecutionibus liberauit. Ergo dum incolæ deperiſſent, & nullus ibidem habitator accederet, ac per hoc monachi pro deſolatione loci ſatagerent, cuidam eorum Gregorius in ſomnis apparens, iubet, vt ſi dæmonem à monaſterij fundo voluiſſent depellere, ab oratorio S. Martinæ in eodem fundo, vſque ad oratorium S. Mariæ, ibidem in Dominico inſtitutum, Fratres cum Litanijs aquam ſpargentes exorcizatam, procederent. Quo facto, ita dæmon ab omni monaſterij poſſeſſione repulſus eſt, vt poſteà per confinij limites ore, naribus atque oculis flammas eijcere, porcoſque cogere à ſubulco notatus ſit, ſed intra fines monaſterij numquàm intrare permiſſus.

f dæmon in tauri ſpecie multos infeſtans etiam inuiſibiliter,

F

iuſſu S. Gregorij.

Litanijs, & aqua benedicta profligatur.

a Leo IV præfuit ab anno 847 vſque ad an. 855.
b Benedictus 3 ſucceſſit dicto Leoni anno 855. vita fun-

A *Hic anno 858.*

c Ficulino *in excusis aut* Ficuleno, *oppidi Ficulea vt suprà dictum, in MS. nostro* Ficudino, *in Corsend.* Sicundino: *vitio amanuensium.*

d *Nicolaus dicto Benedicto successit anno 858. mortuus an. 867.*

e *Zacharias à Nicolao Papa Constantinopolim missus perfidè egit, & Photio adhæsit: vt pleniùs Anastasius in Vita Nicolai.*

f *Hinc colligitur necessariò post 8 Synodum anno 870 sub Hadriano 2 habitam, vixisse Zachariam; & Albinum Episcopum, qui eidem Synodo subscripsit, perperàm referri inter Anagninos Episcopos.*

CAPVT XVII

Alia miracula S. Gregorij. Puniti iura monasterij eius violantes. Epilogus scriptoris.

Tergaudus Treuirorum Episcopus excommunicatus, a

94 Alio quoque tempore Tergaudus, quondam Treuirensis Episcopus, qui cum Gunthario, Agrippinæ Coloniæ Episcopo, à reuerendæ memoriæ Nicolao fuerat Sacerdotali *a* priuatus officio, liberalitate Adriani Pontificis in eodem monasterio mansionem suscepit. Cui B. Gregorius in somnis apparens, maximum terrorem, quo de suo monasterio concitus egrederetur, incussit. Ille perpendens visum fuisse phantasticum, oratione factâ, rursus dormire cœpit. Cui Gregorius pontificali habitu redimitus apparens: Nonne, inquit, dixi tibi, vt à monasterio meo, quod in rebus proprijs per inuocationem S. Andreæ Apostoli Domino dedicaui, recederes, quia diuersorium fieri nullo modo licuisset? Cumque Tergaudus hospitandi ibi licentiam suscepisse se à Pontifice respondisset, Gregorius ait: Et tu qui petisti, & ille qui dedit, vtrique contra Deum fecistis, cuius vindictam citiùs incurres. Euigilans Tergaudus, intremuit, & factâ oratione, sopori se reddere voluit: cùm repentè venientium sonitum audiens, vehementer expauit, seque dormire simulauit. Appropinquans ergo Gregorius, S. Andream Apostolum per dexteram tenens, præcepit Subdiacono, qui se præibat cum lumine, dicens: Corripe illum. Qui dum correptus in lectulo clausis oculis resedisset, Gregorius ait: Adspice in nos. Intuitus in eos Tergaudus, magis intremuit, cumque sibi taliter comminantem audiuit: Quia secundò commonitus, verbis oris mei credere noluisti, & me tuâ inobedientiâ adeò prouocasti, vt hunc Apostolum Dei huc fatigare studuerim; scito cognoscens, quia nisi hodie ab hoc monasterio meo recesseris, futurâ hebdomadâ cum tuis omnibus vitâ priuaberis; si verò recesseris, ab hac quidem momentaneâ sententiâ liberaberis, sed neque tu, neque aliquis hic tecum degentium suam patriam reuidebit. Mox Tergaudus lectulo se proripuit, & primò suis, deinde monasterij monachis, postremò quibuscumque potuit, somnium reuelauit. Et quia aliud hospitium citiùs à Pontifice impetrare non potuit, apud Sabinos concedens, eodem *b* anno cum suis omnibus vitâ priuatus est.

à S. Gregorio apparente, iubetur ex eius monasterio abire:

& ex eius sententia cum suis moritur:

vii & Faraldus ob meretrices in eius monasterium inductas:

95 Eodem quoque tempore Suppo Piceni Comes ibi applicuit: qui monachis quidem plurimam dapsilitatem ostendit, & in rebus tam venerabilis monasterij vsurpationem suorum prohibuit. Huius familiaris quidam, nomine Faraldus, existens, si quando Suppo ad palatium processisset, fornicarias illuc, detestantibus monachis, non verebatur inducere, atque cum eis comessationes & saltationes illicitas celebrare. Is denique noctis principio secessum petens, à spiritibus immundis in aëre per capillos appensus est. Cumque totâ nocte pendens, vocis officium non haberet, Matutinalibus horis B. Gregorius ei videndum se præbuit, dicens: Inimice Dei, non tibi sufficiunt alia mala, quæ in meo monasterio pertinaciter perpetrasti, nisi insuper scenicas meretriculas in claustro monachico, tamquàm in theatro, conducas? Crede mihi, hoc anno peribis. Tunc ille magnis cœpit viribus pœnitentiam supplicare, & de cetero plenam correctionem promittere. Continuò Gregorius iussit eum dimitti: qui ad terram decidens, quia corrigi noluit, eodem anno veram fuisse Gregorij sententiam moriendo probauit.

AVCTORE IOANNE DIACONO

& Indulphus, ob res monasterij combustas

96 Eiusdem Comitis homo sub alio tempore Indulphus vocatus est. Cui dum cocus pro comparandis lignis denarios peteret, nullo modo potuit impetrare: sed nefario iure percepit licentiam, vt attegias & fenestras, & vicini dormitorij tabulas aggressus diripere, earum ignibus sibi prandium prepararet. Cùm sequenti nocte idem Indulphus ad secessum pergens, cur monasterij tabulas tam petulanter incendi præcepisset, à quodam sene discussus est. At ille more Gallico sanctum senem increpans *c* follem, ab eo quidem virgâ leuiter percussus est: sed vir superbus tanto pondere lapsus est, vt semiuiuus humi decumberet. Eodem momento sub eadem specie cuidam Clerico foris dormienti, idem senex apparuit, dicens: Surge, & dic Comiti, vt ab hoc meo monasterio, in quo diuersorium fieri omnino non licet, antequàm me ad iracundiam prouocet, saluus recedat. Ecce ego familiari eius mihi obnoxio, quem videlicet percussum ante secessum dimisi, congruam medelam refundam. Quem cùm quis esset, Clericus inquirens, ipsum se esse perhibuit, qui ex picturâ, quæ eius lectulo præminebat, facilè potuisset agnosci. Statim Clericus surgens, lumen arripuit, & ex picturæ similitudine S. Andream Apostolum sibi apparuisse cognouit. Itaque ad Indulphum iacentem perrexit, eumque semiuiuum iam reperit. Quem magnis eiulatibus clamare incipiens, tàm Comitem, quàm cunctos, qui sub eisdem domibus dormiebant, miserabili vociferatione venire coëgit. Et in faciem iacentis aquam suffundens, per inuocationem S. Andreæ Apostoli tandem aliquando loqui fecit, atque cuncta, quæ sibi reuelata fuerant, cum eo pariter Comiti reuelauit. Qui die facto, monachos euocauit, quid contra S. Andream commiserit, querelabundis cœpit vocibus inquirere. At illi deletum dormitorium cocorum manibus ostenderunt. Cùmque Deo deuotus Comes eos vellet supplicio subiugare, confessi sunt, se illud ædificium Indulphi iussionibus deleuisse. Pro cuius reparatione dum Comes monachis argentum voluisset tribuere, Sergius Magister militum restitit, promittens illud se pro eo continuò meliùs refecturum. Mox Comes humiliter à monasterij claustro secedens, ad domum Petri filij quondam Caroli cum omnibus suis secessit, neque vlteriùs in eodem monasterio hospitium sibi dari concessit. Indulphus verò in domo eiusdem Sergij Magistri militum derelictus disperijt, sibique S. Apostolum præualuisse suo ipsius detrimento monstrauit.

à S. Andrea apparente percussus,

eo inuocato sanatur.

Dominicus Presbyter cum sanctimoniali fornicatus,

97 Nuper Dominicus quidam Presbyter, Zachariâ Episcopo, de quo præfatus sum, Gregoriani monasterij curam gerente, Præpositus extitit monasterij: qui carnis fragilitate corruptus, Eupraxiam quamdam sanctimonialem à monasterio S. Andreæ Apostoli, quod appellatur Cliuus-Scauri, diripuit vel subduxit, & in regione septem viarum loco, qui dicitur Vipera, collocauit. Cui cùm corrupta sanctimonialis, quia latrinam & furnum contiguum non habebat, crebrò videretur esse molesta, infelix Presbyter peccatum peccato connectens, vt meretriculæ placere potuisset, B. Gregorium non recusauit offendere. Cuius mirabilis, imò saluberrimi fontis tegulas diripiens, secessum & furnum prostitutæ fœminæ non erubuit fabricare. Quibus peractis, cùm sequenti nocte iam securior à querelis lasciuæ mulieris,

AVCTORE IOANNE DIACONO *& regulas fontis S. Gregorij furatus.* *d*

A ris, in eadem domo dormiret; vidit duos quosdam terribiles cubicularios se ligatis manibus ad venerabile monasterium reducentes: quos interrogans, cuius præcepto sibi talia facerent, audiuit, hoc Romanum Pontificem præcepisse. Fortè tunc *d* Ioannes Sanctæ Sedis Apostolicæ Pontifex, contra Saracenorum incursus littora peragrabat: cuius absentiæ ligatus Presbyter recordatus, increpando subiunxit: Dominus Papa pridie contra Saracenos perrexit, & vos quomodò dicitis, quòd ipse me ligari iusserit, qui eum posteà non vidistis? At illi dixerunt: Si Ioannes Papa hinc abijt, S. Gregorius hic remansit: qui monasterij sui claustra solito more perlustrans, à te suum fontem reperit dissipatum, & nos ex eius tegminibus tuæ meretriculæ furnum ac necessarium vidimus coopertum. Quod Presbyter vt audiuit, erubescens intremuit, eorumque violentiâ se in corte monasterij teneri conspiciens, quemdam Subdiaconum ab intimis egredientem, atque cubicularijs dicentem audiuit: Extendite eum, & quadraginta rubricis ventrem, totidemque dorsum fornicatoris atque sacrilegi Presbyteri verberate. Quarum doloribus reuerà Presbyter iam febricitans excitatus, ad monasterium caballo impositus, dextrâ læuâque ab alijs sustentatus recurrit, reatus sui sententiam Fratribus indicauit, & inuisibilibus verberibus sub febris specie laniatus, nil aliud dicere poterat, nisi, Domine, reficio, Domine, reficio. Cumque interrogaretur, cur hoc tam frequenter repeteret, dicebat se sub continuo verbere gemere: sicque sexto die sub hac miserabili voce defunctus est. Siquidem plurimis documentis probatum est, in eodem venerabili monasterio fornicationis contagione pollutos, diu subsistere omnino non posse.

à spiritibus apparentibus dirissimè casus.

B

moritur.

98 In quo scilicet hactenùs libra omnisq; mensura, quam idem B. Gregorius instituit, cum modio reseruatur. De cuius mensurâ si quis ad opus monasterij panes velit efficere, triginta & quinque fiunt, singuli dumtaxat trium librarum: si quis verò ad opus alterius, ad eumdem numerum numquàm pertingit. Quod cùm præfatus Zacharias Episcopus pro certo vellet addiscere, pro celebrandâ festiuitate S. Andreæ Apostoli decem modiorum tritici mensuram pistoribus dedit: è quibus pro vndecim modijs multiplicatos, obstupescentibus eisdem pistoribus, panes recepit. Qui vtique solicitè priùs dinumerantes, si superfluos aliquot inuenissent, sibi procul dubio reseruarent.

Panes multiplicantur diuinitus.

C 99 Sanè quàm frequenter B. Gregorius tam illic, quàm in Apostolorum basilicis, nec non & in patriarchio nunc exhortans innoxios, nunc verò deterrens obnoxios, in ipsâ suæ cognitionis effigie apparescat, quia nunc narrare non valeo, hic huius operis, adminiculante Domino, terminum facio, & reliqua eiusdem Patris miracula post me doctioribus memoranda relinquo. Cuius nimirùm venerabile meritum, quousque mundi huius orbita voluitur, vt cum Paulo viro disertissimo fatear, semper accipiet incrementum: quia ipsius sine dubio gloriæ asscribitur, vel quòd Anglorum Ecclesia nouâ semper sobole fecundatur, vel quòd illius doctrinis per orbem vniuersum multi à peccatis elongati ad Christi clementiam conuertuntur, vel quòd boni quique ipsius suasionibus inflammati cælestem patriam desideranter inquirunt.

merita S. Gregorij continuò augentur.

100 Ecce studiose Pontificum, iussionis tuæ virtute coactus, dum quædam gestorum B. Gregorij prędecessoris tui, Saxonum videlicet Gentis Apostoli, deflorare desidero, virum descripsi rhetoricum scriptor ignarus. Sed deprecor, vt eâ curiositate, quâ me dudum hæc decerpere iusseras, ad omnium, sicut cœpisti, facias peruenire notitiam; vt in eo, quod sacrosancto vestro iudicio placuisse me gaudeo, nulli penitus diiudicandus addicar, quin potiùs iudicaturus inueniar. Siquidem nuperrimè, quando hunc quartum librum, cooperante Domino, claudere gestiebam, nocte, quâ Dominicæ resurrectionis dies venerabilis lucescebat, in somnis describens, quidam sub effigie cuiusdam veteris insidiatoris palàm videndum se præbuit, & candidissimâ tunicâ simulque tenuissimâ (cuius nimirùm raritate nigredo subterioris tunicæ extrà lucebat) Sacerdotaliter insignitus, mox propiùs adstitit, & inflatis buccis risum continere non potuit. Cui dum *e* curulem præparare cogitarem, hunc supra modum cachinnantem conspiciens, compellare videbar, quamobrem nocturno silentio tam petulanter vir officij grauioris perstreperet. At ille: Quia, inquit, tu scribis de mortuis, quos viuentes aliquando numquàm vidisti. Cumque ego tantò me veraciùs scribere, quantò incognitum facie, non autem incognitum lectione, sine vllo liuoris vel adulationis vitio, retulissem; respondit: Tu, sicut video, quod voluisti, fecisti: at ego quæ facere potero, non cessabo. Hæc dicens, lucernæ flammas, cuius lumine fortè fruebar, prorsus extinxit. Et lychnum quidem totum extinguere non potuit, me tamen in tenebris constitutum ita perterruit, vt putarem me gladijs ab eo protinùs iugulari. Cùm post paullulum desperanti mihi B. Gregorius, comitante secum dextrorsum reuerendæ memoriæ Papâ Nicolao, sinistrorsum verò, sicut mihi videbatur, Petro suo Diacono, multo lumine clarificatus apparuit, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Cui dum ego priori pauore perculsus, respondere non possem, beneuolus mihi Pater Nicolaus latentem aduersarium post cortinam, quæ tunc meum lectulum circumdabat, digito manifestans: Quia, inquit, hic inuidus lucernæ ipsius flammas, quantùm in se fuit, extinxit. Mox Gregorius manum Diaconi, quâ magnam facem tenere videbatur, arripiens, eiusque flammis os faciemque petulantis exurens, ad instar Æthiopis denigrauit. Quâ exustione ab ore petulantis paruissima scintilla descendens, candentem tunicam dictò citiùs conflagrauit, sicque nigerrimus totus apparuit. Cumque Diaconus diceret satis aduersarium denigratum, B. Gregorius: Nos, ait, illum non denigrauimus, sed nigrum fuisse monstrauimus. Deinde infortunium meum diuersis cósolationibus exhortatus, abscessit. Et facem quidem secum detulit, sed tanto lumine locum, in quo dormiebam, reuerà fulgentem dimisit, vt expergefactus, pueros ante me dormientes crebriùs inclamarem, nec antè quidquam sub graui sopore quoquo modo responderent, aut surgere potuissent, quàm relictæ lucis copia paullatim se subtrahens, penitùs effluxisset. At de ijs Deus viderit. Ego tamen diuinæ spei fiduciâ roboratus, quia *f* Gaudericus Episcopus Veliternus expostulat, ad clementem Romanæ Sedis Antistitem, suffragante Domino, stylum conuertam: quatenùs qui continuis infortunijs tenuatus, amicis meis, à quibus vtcumque sustentor, meritum rependere nequeo, saltem verba, quæ valeo, minimè denegasse cognoscar.

D *scriptori damones apparens irrisus.* *e* *lucerna extincta,* E *à S. Gregorio eidem apparente recreatur.* F *f*

a *De excommunicatione horum Archiepiscoporum extat ipsius Nicolai Papæ epistola in Concilijs, & apud Baronium ad an. 866. num. 67 & seqq. relata: quòd Lothario Regi, repudiatâ legitimâ coniuge Theutbergâ, nouas cum VValdrada pellice permisissent nuptias.*

b *Brovverius in Annalibus Treuirensibus ex antiquis MSS tradit* anno 870 exulem & inglorium, & extrema vitæ alimenta vix obtinentes, miserè spiritum sub alieno cælo deposuisse.

c Follem, *id est stultum appellans: hinc stultitia Gallicè* foullie: fola *Italis fabula est.*

d *Hic est Ioannes VIII, Hadriani successor, cui hæc Acta sunt inscripta.*

e Curulem *subintellige* sedem.

f *Gaudericus, alijs Gaudentius, à Ioanne Papa ad Carolum Caluum ablegatus est: censetur 12 Veliternensium Episcopus.*

EPI-

EPILOGVS

in quo carminum de eodem argumento priùs à se scriptorum videtur auctor meminisse.

Svscipe Romuleos, Pastor venerande, triumphos:
Gregorij Sancti suscipe gesta tui:
Qui nituit factis, verbis, scriptisque beatis,
Vt iubar auricomi solis in orbe cluit.
Norma, decus, speculum tibi sit, via, vita per æuum,
Si cupis æternum ferre sacerdotium.
Nam qui non huius sequitur vestigia Præsul,
Ante Deum Præsul non erit, imò pecus.
Ps. 48. 13 Hinc Psalmista canit hominem similare caballis,
Ignauum stultis, qui sub honore perit.
Nocturnum dedimus Sancto, cantumq; diurnum,
Carminibus clarum concinimusque virum.
Redde vicem scriptor, seruans cola, commota, puncta, D
Ne tua mendosum pagina seruet opus. AVCTORE IOANNE DIACONO
Dissimilis cunctis vox, vultus, vita, voluntas,
Mens sociata bonis, dissociata malis.
Ludere me libuit variabilis ordine campi,
Postquàm prosa fugit, Musa iocosa redit a.
Hæc mihi tu tribuis, Doctor pretiose Gregori,
Qui bona das famulis, sed mala nulla tuis.
Vestitus cœpi, nudus tua munia dixi:
Indue me factis, velleribusque tuis.
Et quia mortalis desunt commercia carnis,
Da mihi sub pedibus posse iacere tuis.

a *Persuasit nobis hoc verbum*, redit; *non tantùm aliquid ab eodem auctore priùs carmine scriptum, fortè per modum prologi (quod multò clariùs indicatur sequenti versu*: vestitus, *scilicet poëtico schemate*, cœpi: nudus *eodem*, tua munera dixi.) *Sed etiam hos versus per modum epilogicæ allocutionis esse subnectendos vitæ iam datæ.*

DE SANCTO PETRO
DIACONO S. GREGORII MAGNI
ROMÆ ET IN DIOECESI VERCELLENSI,
Commentarius historicus.

ANNO DCV XII MART.



1 Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, *in Catalogo Sanctorum circa annum* MCCCLXX *à se conscripto, cùm lib. 3 cap. 192 narrasset præcipuas res gestas S. Gregorij Papæ, capite sequenti 193 proponit titulum de* S. Petro Diacono & Confessore, *& dictum caput ita exorditur*: Petrus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus & B. Gregorij discipulus fuit: ad cuius instantiam ipse Doctor librum Dialogorum composuit, & vtriusque mutuas collocutiones in eo inseruit. Hic sanctitate conspicuus bonus Magistri imitator extitit. Hic aliquando B. Gregorio prædicante vel dictante, Spiritum sanctum vidit in columbæ specie super caput Doctoris verba in eius auribus inserentem. Qui cùm B. Gregorio visa narrasset, admonuit eum Doctor, vt visa silentio tegeret: quia, quacumque horâ visum referret, confestim spiritum exhalaret. *Addit dein dictus Episcopus quâ occasione & visum narrarit & spiritu exhalato mortuus fuerit, quæ malumus inserere ex libro 4 Vitæ S. Gregorij à Ioanne Diacono scriptæ, & iam à nobis editæ, vbi ista habentur, num. 69.* Cùm calumniarum veterum incentores Gregorium prodigum dilapidatoremque multiplicis patriarchatus thesauri, perstreperent, deficiente personali materie, ad comburendos libros eius cœperunt pariter anhelare: quorum dum quosdam iam combussissent, & reliquos vellent exurere; Petrus Diaconus familiarissimus eius, cum quo quatuor Dialogorum libros disputauerat, creditur vehementiùs obstitisse: dicens, ad obliterandam eius memoriam librorum exustionem nihil proficere: quorum exemplaria, diuersis petentibus, mundi ambitum penetrassent. Subiungens, immane sacrilegium esse, tanti Patris tot & & tales libros exurere, super cuius caput Spiritum sanctum ipse in similitudine columbæ tractantis frequentissimè perspexisset. Cùmque dudum deuotum populum Diaconus cerneret occasione temporis cum inuidis resultare, in hoc omnium sententiam dicitur prouocasse: vt, si quod dixerat iureiurando confirmans, mori continuò meruisset, ipsi à librorum exustione desisterent: si verò superstes sui testimonij extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Itaque cum Euangelijs in ambonem venerabilis Leuita Petrus ascendens, mox vt Gregorianæ sanctitati testimonium præbuit, inter verba veræ confessionis spiritum efflauit: & à dolore mortis extraneus, iuxta pyrgi basim, sicut hactenùs cernitur, Confessor veritatis meruit sepeliri. *Quæ vltima verba ita concludit Petrus de Natalibus*: Corpus Petri iuxta Magistri tumulum sepelientes, ipsum veluti Sanctum venerari cœperunt.

Res gestæ. C. obitus.

2 *Richardus VVitfordus Martyrologio Sarisburiensi Anglicè Londini anno* MDXXVIII *excuso, ad* XII *martij ita eum inscripsit*: Romæ festum S. Petri Diaconi & discipuli S. Gregorij. *Petrus Galesinius citato MS. Martyrologio ista habet*: Romæ etiam S. Petri Diaconi, qui proposito sibi B. Gregorij Magni Pontificis exemplo, cuius discipulus extitit, in omni sanctitate eluxit. *Hæc in secundâ editione Martyrologij Germanici Canisij ex Galesinio referantur. Ferrarius in Catalogo generali ista tradit*: Apud Vercellas S. Petri Diaconi. *Idem in Catalogo Sanctorum Italiæ, narratis eius gestis, ista addit*: Corpus cùm apud Magistri tumulum conditum fuisset, posteà Cæsarianum oppidum Vercellensis diœcesis delatum, diu latuit: ac demùm repertum anno Salutis MCCCCLXXX Salutiolam pagum eiusdem diœcesis, in ecclesiam eius nomini dicatam, ac multis redditibus pro alendis Canonicis præditam, translatum fuit: ibique miraculis fulget. Nam & castrum & templum ab igne ab hostibus accenso, columbis tribus circumuolitantibus visis, immunia seruata sunt. Filius Dominorum Salutiolæ mutus à natiuitate, ad S. Petri tumulum delatus, fandi obtinuit facultatem. Quidam factus amens, ad eiusdem sepulcrum deductus, mentis compos euasit. *Hæc Ferrarius ex libro de Sanctis Vercellensibus, & annotat Salutiolæ festum Translationis maximè solenne esse & celebrari* XXX *Aprilis, quo die idem Ferrarius in Catalogo generali ista habet*: Salutiolæ apud Vercellas S. Petri Diaconi. *VVion, Dorganius, Menardus, Bucelinus ad* XII *Martij eum etiam referunt, & Benedictinis adscribunt quod apud antiquos non legimus.*

veneratio. F. corpus in diœcesim Vercellensem delatum: miracula.

DE S. MVRO SIVE MVRANO,

ABBATE FATHENENSI IN HIBERNIA.

CIRCA AN. DCL XII MART. *In Inis-Eoguin Vltoniæ.*



1 IN Borealibus Vltoniæ finibus, *inquit Ioannes Colganus ad hunc diem.* In isthmo siue peninsulâ Inis-eoguin vulgò appellatâ, post seculi septimi initium claruit vir sanctus, nomine Murus siue Muranus, nobilissimâ oriundus prosapiâ; qui generis splendorem virtutum claritate longè superauit. Et licet hic vir sanctus inter præcipuos suæ Prouinciæ Sanctos habeatur, ita vt & in viridi obseruantiâ ad nostros vsque dies eius cultus ibi vigeat, & festum celebretur; tamen quia Acta eius olim certò extantia, nondum vidimus, paucula, quæ de eo adnotanda occurrunt, placuit sequentibus punctis producere.

claris natus parentibus,

2 De clarissimâ O-Nellorum natus prosapiâ; patre ortus est Feradacio Ronani filio: Ronano pater erat Eugenius; non primus ille huius inclytæ familiæ conditor, sed eius ex Muredacio filio nepos, qui distinctionis caussâ cognomento Merchrom appellatus est. B Etsi verò monumentorum antiquorum penuria & temporum iniuria nobis substraxerint notitiam tum magistrorum, tum discipulorum, aliorumque gestorum S. Murani; constat tamen Abbatem extitisse, & cœtum monachorum in monasterio Fathenensi Diœcesis Derensis, quinto milliario versus Occidentem ab ipsâ Sede & vrbe Derensi distante, rexisse. Illud monasterium multis agris & prædijs dotatũ, fuit pluribus seculis in magnâ veneratione, tum ob reuerentiam sanctissimi Murani, cui vt Patrono loci basilica dicata fuit; tum ob præclara antiquitatis monumenta, quæ ibi vsque ad rabiem hæreticorum omnia sacra execrantium, diruentium, & rapientium, asseruabantur. Sed temporum iniuriâ, & moderantium incuriâ illud nobile diu monasterium posteà vastatum & diritum, tandem cessit in Ecclesiam parochialem.

Fathenensis Abbas extitit,

scriptis claruit

3 Inter alia monumenta, quæ in illo monasterio asseruabantur, erat libellus, quem de Actis S. Columbæ-Kille S. Muranus patrij idiomatis metro conscripserat: cuius & fragmenta hodiè extant sæpius citata in alijs eiusdem Sancti Actis: & alius magnus & peruetustus Codex Chronicorum, aliarumque totius patriæ historiarum in magno pretio ab antiquariæ rei studiosis semper habitus, & sæpe laudatus. C Extabant etiam ibidem vsque ad moderna tempora diuersæ S. Murani, aliorumque Sanctorum eiusdem loci incolarum Reliquiæ; sed quâ ex parte furori hæreticorum subtractæ adhuc reseruentur, me hodie valde distantem, in Belgio nimirùm agentem, aliàs ipsius loci olim satis peritum, latet. Extat hodie & instar pretiosissimi thesauri, asseruatur huius sancti Antistitis baculus seu pedum pastorale (quod vulgò Bachull-Mura, id est, baculus Murani appellatur) gemmis deaurato tegumento obductum & exornatum; quo plurima fiunt miracula, & per quod, tamquàm falsitatis vindicem certumque veritatis indicem, quando à sua assertione omnem ambiguitatem secludere vel litem aliquam iuramenti sacramento concludere volunt, pius populus & proceres, præsertim ex O-Nellorum familiâ oriundi, iurare consueuerunt. Extabat etiam ante turbida hæc tempora de hoc Sancto Officium proprium: cuius fragmentum olim vidimus, in quo plura eius continebantur signa & virtutes. Sed quia nec hoc ipsum modò extat ad manum, nec alia monumenta, ex quibus eius miracula vel gesta colligere valeamus, sufficiat monere, quòd S. Muranus communis O-Nellorum familiæ, ex quâ originem traxit, Diuus sit Tutelaris: & quòd in ecclesiâ Fathenensi in regione, de Inis-eoghuin eius festum, tamquam Patroni loci, hac die XII Martij celebretur.

& miraculis:

Officio proprio cultus,

eius ætas,

4 *Hæc Colganus, qui ætatem S. Murani ad seculi* VII *initium fortè & medium refert: partim quia S. Columbæ Vitam scripsit sub finem* VI *seculi ad superos translati, partim quia ordine Genealogico quinque gradibus distat ab Eugenio Principe, Nielli filio, fratre Leogarij Regis, mortuo iuxta Quatuor-magistros* CCCCLXV: *ita enim mendum à Colgano typographicum tollendũ, quo* DLXV *legitur errore manifestissimo: quia patri defuncto successisse Regem Leogarium constat anno* CCCCXXVIII. Mater autem Murani, *inquit idem Colganus,* Derinilla vocabatur primariæ nobilitatis prosapiâ clara, sed proprij vteri felici beatâque fœcunditate clarior: genuit siquidem hæc felix matrona sex liberos, omnes Dei seruitio mancipatos, omnes Cœlitum veneratione & cultu à posteritate cultos, etsi non eodem omnes thoro natos: *quos deinde ex S. Ængussio enumerat his verbis:* Derinilla cognomento Chicheach mater fuit Sanctorum Domangarti filij Eochodij; & Ailleani, & Aidani & Murani de Fathen, & Machumnæ de Druimbo & Cilleni de Achadhcail in regione Leith-cathuil ad ripam æstuarij de Duindromâ. *Tum maternum explicat cognomentum à quatuor mamillis sumptum, quasi eo indicentur liberi ex quatuor thoris suscepti: cùm nobis videatur talis nominis ratio abundè inueniri posse inter duplicis dumtaxat thori filios.*

E

& fratres

an in his S. Domangartus

Verùm vel malè omnes hi filij vni tribuuntur matri, vel falsæ sunt Hibernorum genealogiæ, quæ statuunt Ferallachium Derenillæ maritum quatuor gradibus remouendum ab Eugenio Leogarij fratre, atque adeò circa medium seculi F *VI natum: vel, quod omnium maximè est verisimile, Domangartus Eochodij filius aut omnino frater S. Murani non est, aut diuersus est ab eo, quem* XXIV *Martij recolimus, tempore prædicantis Patricij natum ex Eochadio Vlidiæ Rege. Interim Aillenus, fratrum secundus, festum suum dicitur à Colgano habere* XXIV *Iulij, ceterorum inter synonymos plures incerta esse celebritas. Martyrologium Tamlactense S. Murani non meminit; nisi fortè sub nomine* Mochuæ *aliàs ignoti: meminit autem eius ad hunc diem Marianus Gormanus, Luthensis Abbas, addito cognomine de* Faithen-mura: *quo indicatur tam celebrem in eâ ecclesiâ Sancti huius cultum fuisse, vt ab ipso apud posteros nacta sit appellationem.*

Nomen fastis inscriptum.

DE

DE S. THEOPHANE MAGNI AGRI IN SIGRIANA PROPE CYZICUM HEGUMENO ET CONFESSORE.

Commentarius historicus.

§ I. S. Theophanis nomen, scripta, ætas vsque ad monachatum.

CIRCA AN. DCCCXX. XII MART.

Cultus eius Constantinopoli

1 

Estum S. Theophanis Hegumeni & Confessoris diem ad XII *Martij referunt omnes Græcorum Fastorum libri, tam editi quàm manuscripti: Synaxarium autem Parisiensis Collegij nostri MS. signanter addit, festum ipsius agi tum* in magnâ Constantinopolitanâ Ecclesiâ, tum in eo, quod ipse construxit in Sigrianâ, monasterio. *Est autem* Sigriana *regio montuosa prope Cyzicum in Asiâ minori ad Propontidis littora, ab* B *Olympenâ Rhyndaco fluuio diuisa, vt patet ex vtrorumque Actorum à nobis proferendorum primo capite: maximè autem ex ijs, quæ Metaphrasti falsò adscribuntur: nam num. 8. dicitur Theophanem audiendo Gregorio diutiùs occupatum, cùm tardior hora esset, domo regredi fuisse prohibitum; coactumque eo, in quo nox ipsum deprehenderat, loco cum socijs requiescere: domum námque habebat Cyzici, & Gregorius in Sigrianâ commorabatur. numero autem 26 corpus eiusdem relatum dicitur,* in locum quemdam 12 stadiorum interuallo â monasterio dissitum, cui nomen esse aiunt Hiera. *Porrò apud Ptolomæum inuenitur* Hieragerma, *ex eiusdem supputatione in eodem cum Cyzico longitudinis & latitudinis gradu, ab eâdem distans quoad longitudinem 15, quoad latitudinem 21 scrupulis. Atque adeò mediterranea minoris Mysiæ: quod non satis exprimit Stephanus de Vrbibus simpliciter asserens Cyzico vicinam.*

& in Sigriana

Mysia regione.

2 *Ex his colligas monasterium à Cyzico circiter viginti duo passuum millia abfuisse, totidemque à mari:* Sigrianos *autem* montes *(quorum Constantinus Porphyrogenetà apud Ortelium meminit) ab Olympi montibus ac regione* Rhyndaco *fluuio separari, qui in secundis Actis num. 9* Magnus-fluuius *dicitur: & Sigrianam* regionem *partem esse Mysiæ minoris à Propontide inter fluenta* Rhyndaci & Æsepi *siue* Æsapi, *Troadem à Mysiâ diuidentis, pro-*C *currentem. In hâc regione quia celeberrimum deinceps inter alia fuit hoc, quòd Theophanes in loco, qui* Ager *antiquitus dicebatur, exstruxit monasterium: ipsum aliquando simpliciter* Sigrianum *absque addito vocatur: vt apud Nicetam in Vitâ S. Ignatij Patriarchæ; & Theophanes sæpissimè* Sigrianæ *siue* in Sigrianâ *appellatur* Hegumenus, *vt in Anthologio, tituloque secundæ Vitæ: cùm tamen eo tractu plura fuerint monasteria, atque inter alia* Polychronium, *cui Strategius, ac* Paruus-ager, *cui Christophorus præerat, prout ex Actis infrà videbimus. Huius posterioris respectu credibile est hoc S. Theophanis monasterium,* Magni-agri *nomine cœptum vocari: vnde* Megalagritæ *cognomen Theophani Confessori apud Allatium dicitur additum reperiri in Analectis pseudophotianis.*

monasterium Magni-agri

cui Theophanes præfuit.

3 *Quæ propterea iuuerit obseruare, ne ex illâ appellationum diuersitate, quæ Baronium ad an. 814 n. 31 & 816 n. 1 induxit, vt* Theophanem Sigrianes *&* Theophanem Agri *Abbates crederet duos diuersos, & ipse in errorem inducaris: vnum enim eumdémque vtroque signari nomine, etsi non satis clarè pateret ex dictis: vel sola probarent Menæa, quæ vti & Synaxarium MS. huius Sancti memoriam hoc modo signant* μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοφάνους τοῦ ὁμολογητοῦ τοῦ τῆς Σιγριανῆς, τοῦ ἐν τῷ μεγάλῳ ἀγρῷ κειμένου *& in Vitâ S. Ioannicij apud* Surium: Nauigauit adoraturus S. Theophanis tabernaculum, quod est in Sygrianâ. *Idem &* Isaacius *dicitur ab Actorum Græcorum interprete apud Lipomanum, quem Surius Baroniusque secuti: sed, vt rectè obseruat in suis annotationibus Goar, istud* τοῦ καὶ Ἰσαακίου *reddendum Latinè non erat,* qui & Isaacius dictus *sed* qui & Isaacij, *subintellige* filius: *Phrasi Græcis vsitatâ; quibus ex aduerso insolens duplici aliquem insignire nomine, aut patris nomen in recto cognomenti vice adiungere filio.*

sæpè simpliciter Sigrianes dictus

4 *Et hoc quidem dictum sit ex supposito quod & in codice Veneto & in illo, quo vsus est apud Lipomanum vitæ interpres, omnino legendum sit* τοῦ καὶ Ἰσαακίου: *nam hoc ne omni careat scrupulo, facit Anastasij Bibliothecarij Historiæ Ecclesiasticæ textus anno 1659 typis regijs Parisijs editus, ex MS. Vaticano cum alijs MSS. collato; quod priùs cum antiquissimo Casinensi, vnde ipsum transscriptum constabat, collatum fuerat: hic enim auctor, qui totum penè Theophanem Latinè reddidit, vt ipse in Præfatione se facturum professus fuerat, post breuia ex Georgio Syncello analecta hunc præfert titulum ab anno Mundi 5777.* Ab hinc Isaurius *(alia in margine lectio* Hysaucius) qui & Theophanes: *vnde alicui videri possit, vel ipsi Anastasio ita intellectum fuisse textum Græcum, vt Isaacium quoque vocari Theophanem putarit, pro quo transcribentium vitio irrepserit* Hysaucius: *vel eumdem Theophanem cognominatum fuisse* Isaurium, *quòd aut ex illâ gente, aut ex ipso Leone Isaurico Imperatore genus duceret (nam Imperatoribus sanguine coniunctissimum fuisse ex eo apparet, quòd moriens pater triennis filij tutorem scripserit Constantinum Copronymum Leonis filium) vel denique ipsum, antequàm monachus fieret, dictum eodem cum patre nomine: licet id à Græcorum consuetudine alienum esset, & mirum foret à Vitæ auctoribus reticeri, cùm in eius compendio tam expressè tradatur, quòd vxori, quæ Megalo antea dicebatur, in monacham attonsæ nomen imposuerit Irenes.* E

an Theophanes etiam Isaacius dictus?

vel Isaurius?

5 *Ceterùm siue Isaaci filium, siue Sigrianes aut Agri-* F *magni in Sigrianâ Hegumenum dixeris, aut etiam Isaurium: sufficienter hunc, de quo agimus, distingues ab alijs huius nominis, quà Sanctis quà scriptoribus, quos Goar recenset in Notis ad paginam primam: tres videlicet hoc nostro antiquiores (quorum præcipuus is, qui seculo sexto memoratur à Photio bellum Persicum resque Romanas sub Iustino Iuniore, id est, tempore suo gestas decem libris complexus fuisse) & suppares quatuor, scilicet, Theophanem Graptum, Theodori fratrem, Niceæ Episcopum, egregium sub Theophilo Confessorem, cum hoc nostro confusum in ipso (quod mireris) Græcorum Triodio, in lectione sermonis super festum orthodoxiæ Dominicâ primâ Quadragesimæ: alterum sub Michaële Theophili filio S. Nicephori encomiastem, Monachorum nescio quorum Præpositum siue Hegumenum: tertium sub Basilio Macedone Tauromenitanum in Siciliâ Præsulem, dictum Ceramenum: quartum denique Presbyterum Monachumque, à quo S. Iosephi Hymnographi Vita conscripta.*

alijs septem cognomine ab hoc distinguendis

6 *Porrò præter eam laudem, quæ ab illustri genere, testâque per fidei præclaram confessionem virtute desumitur, celebrem hunc nostrum Theophanem fecit opus Chronographicum, quod ab anno Diocletiani primo (ad quem Georgius Syncellus inchoatum ab orbe condito opus perduxerat) ad exitum vsque Leonis Armeni (vt habent exemplaria, non-*

scripsit chronographiam.

nullâ

A nullâ fortassis appendice aucta ab alio) persequitur historiam vniuersalem Orientalis potissimùm Imperij: atque in annis supputandis calculum sequitur Alexandrinum, cuius erat in Ecclesiâ atque apud Monachos vsus præcipuus: qui vt ad ciuilem Romanum reuocetur, adijciendi sunt anni sedecim ad annos ante Christum ab Alexandrinis numeratos: octo autem anni ad annos, quos ijdem à Christi natiuitate recensent. Obseruabis tamen in Theophane alijsque simili chronologiâ vtentibus, quòd ab anno Phocæ quinto (qui reuerâ sextus fuit, & nostro ann. DCVIII respondet) propter vnum Phocæ annum omissum nouem annorum discrimen sit inter nostros & Alexandrinos annos, vsque dum venias ad penultimum Copronymi, qui supplendo prioris chronologiæ defectui adijcitur à Theophane: quæ in præfatione huius tomi plenè explicata vide, cum varijs ijsque vtilibus in Chronographiam prædictam obseruationibus.

Æra vsus Alexandrinâ.

7 Circa S. Theophanis annos, incertum omnino est quàm multos ille viuendo expleuerit: senectute grauem fuisse, cùm tyranno sistendus auferretur ex monasterio, Acta insinuant: sed controuersum hoc faciunt Menæa, cùm asserunt vigesimum primum ætatis egisse Theophanem, cùm Leo Chazares moreretur: quo pacto natus esset anno Christi DCCLVIII, Constantini Copronymi anno XVII: mortuus est enim Leo iste DCCLXXIX: cum autē obierit Theophanes anno DCCCXVII, B vix annum ætatis sexagesimum potuisset attigisse. Verùm non apparet quomodo tantilla ætas tempore morientis Leonis consistere possit, sine cum ipsius Theophanis de semetipso narratione, siue cum eodem illo quod ex Menæis assertur elogio, aut Vitæ Actis. Nam primò ad annum Copronymi XXIII, Christi DCCLXIV, narrat quomodò ab exordio mensis Octobris, anni Latini initium præcedentis, tantum fuerit frigus, vt in borealibus Ponti maritimis mare ad centum millia in longum, in profundum verò ad cubitos triginta in lapidis duritiem concreuerit... sequenti verò Februario mense, eiusmodi glaciem in multa ac varia frusta, montium speciem referentia, esse disruptam, quæ ventorum vi.... per Ponti fauces in Vrbem delata maritimas omnes oras impleuerint. Cuius de visu, *inquit*, testes extitimus: in vnum quippe illius fragmentum quasi triginta coætanei ludibundi conscendimus: *hos autem quis credat omnes sexennes pueros fuisse (quod tamen ex suprà relato ætatis anno* XXI *cum morte Leonis coincidente necessariò sequeretur) & non potiùs maiores multò, atque adolescentiæ spatia pridem ingressos iuuenes?*

Error in anno 21 Theophanis cum morte Leonis componendo

refellitur 1 ex ipso Theophane,

8 *In prædicti autem elogij principio dicitur Theophanes cum desponsâ sibi tam pridem atque ab ipso duodecimo ætatis anno puellâ (in maternæ videlicet domus gynaceum receptâ) octo annis vixisse: quibus expletis, cùm mater moreretur, coactum à socero, Imperatoriâ auctoritate interpositâ, vt nup*C*tiarum expleret solennia: ijs autem celebratis, cùm virginitatem nihilominus pergerent communi consensu seruare, facultatesque liberaliùs erogarent in pauperes, de ijs apud Imperatorem conquestum socerum curauisse, vt Cyzicum publicæ cuiusdem procurationis causâ amandaretur, eo fine videlicet, vt iuuenem negotijs secularibus implicitum à proposito flecteret: vbi vnius ferè anni moram necesse est concipi; post quam expeditis negotijs sibi commissis redierit Constantinopolim: demùm dicitur mortuum esse socerum & Leonem, cùm necdum tres anni à Theophanis reditu effluxissent. Ex quibus hic annorum subducitur numerus, vt sponsalitiorum tempore duodennis, nuptiarum saltem vicennis fuerit: post quod, quia opus est non modo triennium illud à reditu, sed alios quoque inter nuptias & reditum annos inueniri; apparet eos vltra viginti quinque aut sex excurrere debere, antequàm per Leonis & soceri mortem potuerit iuris sui effici.*

2 ex Actis.

9 *Denique rationi omnino repugnat, vt de annorum vix octodecim adolescente conqueretur apud Imperatorem socer, quòd ab eo liberis gignendis minimè vacante spe posteritatis ex filiâ consequendæ frustraretur; quandoquidem, ipsis studiosè celantibus propositum suum, nequiuerit id socer suspicari nisi ex annorum aliquot absque prole labentium experimento, si sponsi tam erant ætate iuuenes. Præterea quî fieri potuit, vt penè puer adhuc Cyzicenæ arcis exstructioni præficeretur ab Imperatore, prout in elogio dicitur post illam soceri querelam factum esse? Adde quòd in Actis num.* XI. *expressè* D *dicatur ex itinere Cyziceno ad magnum se recepisse Strategium degentem in Polychronio, quod ei iam olim ipse dederat: quis enim non videt à puero, eoque sub tutelâ Imperatoris, monachorum omnium hostis infensissimi, constituto nullam futuram fuisse eiusmodi donationem: quam proinde oportet ab eo iam maiorenni factam, siue ante siue post celebratas nuptias; puta, post Copronymi mortem, cùm, Leone impietatem suam adhuc per dissimulationem premente, respirarunt breuibus inducijs concessis orthodoxi. Denique ab anno ætatis L dicitur calculi morbo cœpisse torqueri, inter quem & comprehensionis annum necesse est plures quàm quatuor interponere, vt ipsa elogij verba subsistant, & maximè quòd in Actis num.* 21 *dicitur morbo ac senectute confectus: quis enim de viro vix egressò annum ætatis* LV *ità loquatur? vt nihil dicamus de magnâ illa auctoritate, quâ refertur valuisse in Synodo Nicenâ, anno* DCCLXXXVIII *celebratâ; quam nemo facilè tantam concipiet in annorum triginta iuuene, inter tot ætate, famâ & dignitate venerandos Patres.*

3 ex ratione:

10 *Itaque non verebor asserere mendum irrepsisse hoc loco eorum vitio, qui pro* AA *31 legerunt scripseruntque* KA *21: ita comprehensus ætatis anno* LXV *iam expleto, & mortuus anno* LXVII, *iustum vitæ spatium in seculari æquè ac* E *religiosâ vitâ exegerit, & rebus in vtrâque gestis sufficiens: natus enim fuerit anno Christi* DCCXLVIII, *& quatuordecim annorum iuuenis conscenderit prodigiosam illam glaciem: ad nuptias autem celebrandas coactus fuerit primo statim Leonis anno, qui est Christi* DCCLXVI *viginti octo annos natus cum eâ puellâ, cui, procurante tutore Copronymo, duodennis desponsus, eodemque vt domum sponsa duceretur vrgente, octennio integro fuerat commoratus; celebrandarum nuptiarum nouas identidem moras excogitans; donec ad imperium Leo eueheretur: hâc autem in ætate adeo & gignendis liberis, & rebus gerendis maturâ non multis opus fuit, non dico annis, sed ne mensibus quidem, vt socer cognosceret irritam suam esse spem videndorum è filiâ suâ nepotum. Cætera autem, quæ posteà cõtigêre, iustum obtinent temporis spatium: nam primum Leonis annum continenti in matrimonio exegisse si dicatur Constantinopoli, secundo deinde missus Cyzicum fuerit, ibique in publicis negotijs dimidium saltem egerit annum; atque post hæc reuersus non integrum Constantinopoli triennium expleuerit; quin è viuis Leo socerque excederent.*

credibilius est fuisse tunc annorum 31

§ II Annus mortis: Vitæ Acta:

11 Circa annum quoque S. Theophanis extremum, offusæ sunt à scriptoribus tenebræ, accurato rerum temporumque examine dispellendæ. Baronius DCCCXVI statuit; F Goar XVIII eiusdem seculi: hic quia Auctoris incerti Appendicem secutus, coronatum Leonem asserentis die Iunij X Indictione VII: iste, quia primo statim Imperij anno suscitatam à Leone persecutionem credidit: quorum neutrum subsistere cum veritate facilè deprehendes: si obserues primò, Auctorem istum incertum asserere, Michaëlem anno Imperij sui secundo Indictione VI aduersùs Bulgaros profectum, eam retulisse cladem, à quâ in vrbem redux Imperium cedere coactus est Leoni Armeno; quem vel Theophanes ipse, vel qui ei supplementum adiecit, rem ipsam tum cùm gereretur describens, die XI Iulij Indictione VI feriâ II à Nicephoro Patriarchâ coronatum scribunt. Cùm autem euidens sit ex ipsâ, quæ diuersum dicere videtur Appendice, itemque ex Theophane vel eius supplemento, solum viginti dierum interuallum inter Michaëlis reditum & Leonis coronationem intercessisse, & vtrumque in annum Christi DCCCXIII cadere (quod & Baronius tenet, perperàm relatus à Goar, quasi hæc haberet ad annum DCCCXIV) necesse est fateri, mendum aliquod irrepsisse in Appendicem, per quod illa dicuntur acta X Iulij Indictione VII: atque adeo nullum esse Goaris pro anno DCCCXVIII fundamentum: cui tamen quoad rem ipsam nihil

Quæstio de anno mortis

falso ratiocinio intricata.

A hil oppono, cum paullò post dicturus sim potuisse S. Theophanis mortem in hunc annum incidere.

12 Hoc constituto, pergo ostendere contra opinionem alteram, Leonem non nisi duos annos in Imperio exactos persecutionem mouisse, atque adeò Theophanem anno Christi DCCCXVI non fuisse defunctum: idque ex illâ ipsâ incerti auctoris Appendice, quæ (si mendum illud unicum tollas de tempore coronationis) omnia Leonis gesta accuratissimè penè de die in diem prosequitur: narrat igitur quomodò statim à dictâ coronatione Vrbs obsessa à Bulgaris sit; Crumno autem duce eorum penè per insidias interfecto, metu quidem illo soluta fuerit: sed ruina à barbaris vindictæ cupidis in omnes circumiacentes partes, nihil se ad ista mouente Leone, sed Imperium tyrannicè tenente: qui celebratis festis (Natalitijs videlicet) filium adhuc pusillum, Symbatem nomine, Constantinum vocari mentitus, coronauit.... Nondum imminente vere... circa Feriam magnam quintam, Bulgariæ Princeps Crumnus, qui Vrbem occupare destinabat, vitæ finem accepit... His elatus Leo ecclesiam depopulari cœpit, & anno Imperij secundo, inito clàm consilio de imaginibus abolendis; Ioannem Pancratij sciastæ filium adiutorem ascisit, per eumque veteres undique libros colligens, Pseudosynodi Copronymianæ codicem reperit, & alios sibi adiungit socios, hoc vnum studentes, quomodò populo persuaderent ex veteribus libris, imagines adorandas non esse. Contendebant igitur, inquit, qui Ioannem & Hylilam sequebantur, contra veritatem coaceruare libros: Iulio verò mense socium adiunxerunt Antonium, & deinceps ad Decembrem occultum gerebant dolum (vides secundum Decembrem ante quem nihil dum contra imagines publicè actum?)

Persecutio Leonis Armenii non, primo.

B

persecutio illius anno suscitata.

13 Circa Decembrem verò mensem Leo Patriarchæ significat, imaginum causâ populum offendi: amouetur ex æneâ Palatij portâ Christi imago. Monachi & Episcopi ad Patriarcham congregati re discussâ coniurant in fidei defensionem; monitus à Patriarchâ Leo in Christi Natalitijs ad ecclesiam progreditur & coram altari adorat, & osculatur corporale, sacrâ D. N. Iesu Christi natiuitate in eo depictâ insigne; quod, depositâ tandem laruâ, insequenti Luminum, 1. Epiphaniæ festo facere neglexit: peractisque festorum solennijs cœpit velut Pharao Israëlem aggredi, & Episcoporum quosdam blanditijs trahere in partes suas..... Hæc dum gererentur in infirmitatem decidit Patriarcha... sed releuatum intelligens, Leo milites in Patriarchium clàm immittere disposuit, cumque silenter abducere. Erat porrò Ieiuniorum initium. Hoc expulso, cùm Ioannem Pancratij filium propter iuuentutem & ignobilitatem recusarent Patricij Patriarcham admittere, Theodoti Ordinatio celebrata est Paschatis festo. Post Pascha pseudo-synodus coit, ex cuius decreto immanis illa aduersus imagines eorumque defensores & monachos exorta persecutio est, de quâ plura ad sequentem diem, cùm de S. Nicephoro Patriarchâ agemus, nunc sufficit dicta hactenus confirmare Leonis Grammatici testimonio, cuius hæc sunt ipsissima verba: Leo post Imperij annos duos (non tamen integrè expletos) Nicephorum, à quo coronam susceperat, egit in exilium: Theodotum verò Patriarcham hominem ignarum, & supra pisces voce carentem eius vice ordinauit; persecutionemque inducijs non interrumpendam aduersùs Ecclesiam suscitauit.

In quâ pulsus Nicephorus Patr.

C

14 In hac persecutione, cùm nemini Orthodoxorum, cuius aliqua inter Clericos Monachosue auctoritas esset, versipellis tyranni nequitia parceret: sed omnes in suam partem traducere niteretur minis blanditijsue, Theophanis quoque celebre nomen ad eius peruenit notitiam: quare omnem dedit operam, vt eum ad se euocatum deduceret à constantiâ: alijsq; frustrà tentatis medijs, demum biennali carcere maceratum, in Samothracem relegauit; vbi intra paucas hebdomades ærumniarum finem felicioris vitæ initium reperit, gloriosæ confessioni immortuus. Quo autem id anno? est id sanè difficile dictu, cùm persecutio annos quinque durauerit, numquàm remissior, sed piorum proscriptionibus, tormentis ac mortibus sæuiens semper, quamdiu vixit tyrannus. Hoc igitur dicimus, ad anni vsque DCCCXX Martium viuere Theophanem potuisse, non potuisse ante DCCCXVIII mortem oppetere, saluâ actorum veritate: si quidem biennium integrum in carcere egerit. Neque verò verisimile est longiùs in Mysiâ absentem Theophanem, morborumq; acerbissimorum doloribus impeditum, quò minùs vltro posset in certamen prosilire, inter primos fuisse, in quos se tyranni furor exercuerit. Potiùs crediderim primam iræ rabiem effusam in eos, qui intra circaque Vrbem Constantinopolitanam Sancti impijs eius decretisq; opponebant sese: inde se paulatim diffudisse crudelitatem, ac demum etiam abditos latentesq; in lucem protraxisse alios, qui longiùs remoti à periculo quoque viuere se credebant remotiores; iuxta quam rationem, si ponas circa Ianuarium anni DCCCXVI (neque enim potes citiùs) aut, quod verisimilius anni XVII vel etiam XVIII initio adductum esse Constantinopolim Theophanem; biennium ille iacuerit in carcere, similia S. Theodoro Studitæ patiens, & circa vigesimum Februarij diem eiectus in exiliu XII Martij expirarit, vno aliquo è tribus vltimis Leonis Armeni annis. Credenus inferiùs proferendus magis pro anno DCCCXVIII quàm XX facit.

Theophanes adductus Constantinopolim.

D

sed non ante annum 816:

mortuus circa 820.

E

15 His circa temporum rationem difficultatibus explicatis, venio ad ipsa S. Theophanis Acta: de quibus Anastasius Bibliothecarius in Præfatione ad Historiam suam Ecclesiasticam, in quâ Theophanem penè totum Latinè reddidit, ita loquitur: Porrò de altero quid dicam? (priùs de Georgio Syncello egerat) cùm & eius conscripta Vita, qualiter videlicet amplis patrimonijs venditis crucem suam tulerit, qualiterue secutus Christum, Abbatis in monasterio Agri functus officio, virtutibus fulserit, miraculis coruscauerit, & Confessor obierit, satis aperteque per Byzantium & circumquasque regiones, his qui propè & his qui longè sunt, clamet: sed & studia eius ad nos perlata quis vel quantus vir ille fuerit, solertibus manifestant. Floruit autem Anastasius circa annum post mortem Theophanis quinquagesimum. At quænam hæc Vita? an ea quam sub nomine Metaphrastis habemus latinè redditam apud Lypomanum ac Surium, quæq; à Baronio ad an. 777 dicitur per Theodorum Studitam conscripta credi: ad annum verò 816 incerto eiusdem temporis auctori tribuitur?

Acta S. Theophanis laudata ab Anastasio

an edita sub nomine Metaphrastis?

16 Equidem existimo aliam pleniorem atque accuratiorem multò quàm ea sit ab Anastasio designari; ex quâ desumptum sit compendium illud, quod ex Menæis daturi sumus § sequenti: propterea quòd varias rerum ac temporum contineat circumstantias, quæ in neutrâ, quam dabimus, Vitâ seu veriùs encomio, reperiuntur. Quis plenioris istius vitæ auctor fuerit, quamdiu latet ipsa, diuinare non debemus. Encomij ex Codice Sfortiano præferendi auctor (quem doctissimus Allatius in suâ de Simeonum scriptis diatribâ ex styli charactere ipsum censet esse Metaphrastem, cuius nomen antiquior alia, quæ apud Lipomanum est, falsò præferat, satis verosimili coniecturâ sustinet) huius, inquam, encomij auctor in principio præfatur, Vitam ipsius omnem, sapientibus sanctisque viris nonnullis adnitentibus distinctè expositam haberi: ex quibus, quæ per varios dispersa erant, collegerit ipse præcipua, ac deinde num. 11 excusat se, quòd vxoris iam monacham indutæ certamina & miracula (de his autem nihil in vitâ Theophanis) scribere prætermiserit, eò quòd præclarè ab ipsâ factorum pars ad legentium vtilitatem vulgata noscatur à sanctissimo Patriarchâ Methodio in eâ scriptione, quam de ipsâ beatoque ipsius viro composuit.

an potiùs ab his diuersa:

F

qualia Methodius Patr. conscripserit

17 Conscripsit ergo Methodius, qui anno DCCCXLVII ex hac vitâ discessit, iam inde ab anno DCCCXXIX multiplici clarus confessione, Vitam S. Theophanis: conscripserunt & alij, ex quibus Metaphrastes vel quicumque alius anonymus auctor encomium potiùs quàm vitam desumpsit, cui præferendam vetustiorem, sublato quòd perperàm præfigebatur Metaphrastæ nomine, damus ex MS. Græco Veneto Chronographiæ præfixo per Franc. Combefis, eiusdem interpretatione vt plurimum vsi: in quo cum eadem planè reperiantur lacuna,

priora vnde hic editae

A *cunæ, quæ in versione Petri Francisci Zini Lenati Archipresbyteri apud Lypomanum, meritò indicauit Combefis ipsum eodem illo Veneto codice vsum quod & nos indicaueramus, cùm inter codices à Cardinali Bessarione Reipublicæ relictos illos de vitis Sanctorum inuenissemus. Auctorem eius, si non Theodorum Studitam, styli haud disparis scriptorem, certè monachum fuisse indicat possessiua particula, quâ ordini suo Theophanem vindicat, cùm* Sanctum Patrem nostrum *appellat: antiquum autem ac penè supparem ætate fuisse apparet, ex eo quòd ipso in prologo profitens se multorum suasione laudationem hanc scribendam suscepisse, nusquam insinuet alios id antea fecisse: in hac tamen quia varia desiderabantur, credi possit Methodium plenius accuratiùsque scribere voluisse aliquid, quo vsus fit tum Metaphrastes tum elogij breuioris, quod in Menæis est, auctor.*

unde encomium alterum?

18 *Metaphrastæum autem, vt Allatio diximus videri, encomium Romæ curauimus excipiendum ex MS. Codice Bibliothecæ Sfortianæ, & secundo loco dandum putauimus, eò quòd habeat plurima in priori Vitâ prætermissa, aut minùs expressè tradita. Priori tamen potius standum existimamus, si quando res diuersimodè narratur, donec constet vnde eam diuersitatem Metaphrastes acceperit: licet profiteatur nihil se dicturum de suo, sed excerpturum ex iis, qui ante ipsum huius* B *Sancti res gestas attigerant. Elogium ex Menæis excerptum, quod in Anthologio ac Synaxario MS. contractius extat, etsi vtroque fortasse recentius sit, præmittendum tamen putauimus ceteris, quòd illis quamdam veluti chronotaxeos facem præferat, & notis necessarijs illustratum expeditiorem faciat per encomia illa prolixiora transitum. Quoniam verò neq; in vllo horum, neque in S. Nicephori vitâ annotatum reperitur, id quod de vtroque narrat Cedrenus: illud ipsum tibi hîc exhibemus.*

Theophanes & Nicephorus neuter alterum videns, se salutant.

19 Cùm autem Proconnesum abduceretur (*Nicephorus scilicet*) Theophanes Confessor, monasterij Magni-Agri Præfectus, eum nauigio præteruehi diuinò instinctu sentiens, cum in parte prædij quâdam ipse ageret, suffitu & cereis prosecutus est; sed & Nicephorus intentis manibus vicissim Theophanem salutauit, flexisque genibus summè veneratus benedixit; cùm quidem neuter alterum videret: sed acie spiritus mutuò sese cernentes dignum inuicem honorem exhibuerunt. Et cùm quidam vnà nauigantium quæreret, quemnam ita manibus in sublime eleuatis salutaret; sanctissimum, respondit, Theophanem Confessorem & Agri Præpositum, qui nos facibus & suffitu excepit. Neque multò pòst exitus veram Nicephori C prædictionem ostendit: nam mox cum multis alijs Theophanes quoque ecclesiâ eiectus, infinitisque vexatus modis, Confessionis coronam reportauit, neque ei datum est Patriarcham porrò videre: ne eius vel hâc in parte falleret vaticinium. *Eadem aliquantò succinctiùs referuntur à Zonarâ. Et comprehensionem quidem eius intra non longum tempus secutam esse habemus ex Actis: sed quia idem de morte credidit intelligendum, Baronius diuersum eum fecit à Sigriano, nullo, vt apparet, iusto fundamento.*

§ III.

COMPENDIVM VITÆ EX MENÆIS.

Sponsæ duodennis iungitur: *a* *b* *c*

20 HIc Isaacio patre natus est, matre autem Theodotâ. Patre mortuo, dum *a* Ægæopelagitarum Præfecturam gerit, sub matris curâ instituitur, ac educatur. Annorum factus duodecim *b*, puellæ despondetur, & cum eâ annis octo vitam *c* agit socialiter. Erant ambo opibus locupletissimi. *c* Porro famuli cuiusdam domestici consilijs inductus, ingenti desiderio tenebatur amplectendi status monastici. Matre viuis exemptâ, immensisque filio relictis diuitijs, cogebat socer, vt nuptiarum legitima impleret. Ergo dum constituta dies aduenisset, D ponitur thalamus, Hymenæus occinitur, reliquaque nuptiarum solennia peraguntur. Postquàm verò iam virum beatum tempus vrgebat cum coniuge thalami secreta petere; tum ille animi arcanum detegit, puellæ lubenter assentienti, certóque affirmanti, quidquid ille velit, se promptè facturam. Quod ille audiens, Deo gratias agit: exinde igitur ambo simul diurnis nocturnisque vacabant precibus. Hæc *d* Leo impius Imperator, & illius socer intelligentes, à proposito adolescentes prohibere aggressi sunt. Misit namque Imperator Theophanem ad castrum Cyzicenum, suam operam collaturum ad eius, quæ tum præ manibus erat, molitionem. Abiens eò præclarus iuuenis, suis sumptibus, quod ex Imperatoris erat obsequio, perfecit.

& mortuis parentibus ad nuptias cogitur,

d *& Cyzicum amandatur.*

21 Ætatis porrò illius anno *e* vigesimo primo, cùm Leo Imperator, tum viri socer vitam commutant, ac deinceps nedum iuuenis, sed & orbis ipse liber agit, Irene Augustâ sceptra postmodùm moderante. Cùm itaque ex voto cuncta successissent, egenis ac pauperibus substantiam distribuit, seruosque libertate donauit. Nobilissimæ autem coniugi elargitus multas pecunias, in eo, quod *f* Principis dicitur, monasterio detondit, *g* Megalus nomine in Irenem illi commutato. Ipse verò se Domino munus consecrat in monasterio, quod in *h* Singrianorum monte situm Polychronij nuncupationem habet. Factus monachus, præesse nullo modo sustinuit: sed in cellulâ sedens, manuum labore victum parabat, scribendis codicibus sese impendens annos sex continuos in insulâ *k* Calonymo, in eo monasterio, quod ipse exstruxerat: iterumque reuertitur ad Singrianæ montem *m*.

e *mortuo Imperatore* E *f* *g* *h* *i* *vitam monasticam cù uxore amplectitur.* *k* *l* *m*

22 Ætatis anno quinquagesimo infirmitatem incurrit vesicæ petrascentis, ac renum molesto illum dolore torquentium; quo morbo afflictâ valetudine, totam deinceps vitam lecto decumbens atque immobilis egit. Posteo Leo Armenius Imperij sceptra capessit *n*; cui qualia acciderint, nemo nescit. Hic, vt erat demens, scelestusque, ad Dei virum mittit, iubetque veniat, ac sibi benè precetur, quòd aduersùs hostes *o* expeditionem suscepturus sit. Ille, quòd ægro corpore sese mouere non posset, è *p* plaustro in scapham transfertur, inque vrbem regiam vehitur: nec tamen tyranno in conspectum venire concessum; sed ministro ad eum misso: Si, inquit, hortanti mihi annueris, cùm tibi tum monasterio tuo benè faciam: sin autem, probro publico è furcâ laqueo suspendam, ac reliquis in terrorem exponam. Ad hæc Confessor: Noli, inquit, tuorum munerum thesauros effundere: patibuli verò lignum, siue etiam ignem expedi hodie: id enim impensè desidero pro eâ, quâ in Christum feror, dilectione. His auditis, impudens tyrannus eum tradidit *q* Ioanni ariolo, multùm se verbis iactanti & pleno odij Iconomachis aduersùs fideles insiti, futurum existimans, vt suâ eum versutiâ in contrarium flecteret *r*.

Inter calculi dolores *n* *o* *p* *ad Imperatorem venire compellitur:* F *& variè tentatur,* *q* *r*

23 Assumptus ille in Hormisdæ Sergij ac Bacchi monasterium, quod palatio adiacet, ac disputatione cum ariolo congressus, vicit eum eximiæ sapientiæ vi perculsum, præclaréque constantiâ suâ proditâ, ad insanum tyrannum ablegauit confusum, quippe qui rustici magis, quam oratoris nomen sibi miser referret. Ascendens itaque ad Imperatorem: Faciliùs, inquit, ferrum cerâ emollias, quàm viri animum in id, quod tibi collibitum est, transferas. Quod audiens tyrannus ad *s* Eleutherij eum palatia traducit, inque tenebricosam quamdam ædiculam concludit, datis etiam custodibus, ne quod ei à quoquam ministerium impenderetur. In hunc modum exacto biennio *t*, ærumnis doloribusque confectus, tyranno pudorem etiam sic incussit. Cumque quotidie vis adhiberetur, vt

post biennij carcerem *s* *t*

A vt illius cõsilijs animum accommodaret, nec is quidquam è mentis firmitate remitteret, exilio tandem in *a* Samothracem insulam relegatur. Eam in exilium abductionem, breui secuta est eductio è corpore: post dies enim tres supra viginti, consummato eâ in insulâ vitæ curriculo, illic requieuit, sanctè ac pacatè ad Dominum commigrans. Quid autem refert dicere quantâ locum benedictione impleuerit, quàm multa sanationum munera per illum consecuta sit regio illa?

in exilio moritur.

a *In notitiâ Imperij inter Asianarum Prouinciarum Præsides septimo & vltimo loco nominatur* Præses Insularum; *vtique in Archipelago, seu Mari Ægæo ad Asiam pertinente.*

Sponsalia post septennium legibus valida.

b *Immeritò locum hunc falsitatis suspectum Goar habet, eò quòd Romanis legibus, duodenni inire coniugium non liceat: patet enim ex sequentibus non de coniugio hic, sed de contractu sponsalitio agi, de quo hæc sunt verba Modestini lib. 4 Differentiarum* l. *in sponsalibus. ff de sponsalibus.* In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, vt in matrimoniis: quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt; si modo id fieri ab vtrâque personâ intelligitur, id est, si non sint minores quam septem annorum. *Et quamuis Augustus, vt ex Dione lib. 54 Zonara & Suetonio Demsterus docet*, ea demum sponsalia B probari admittique constituerit, quibus biennio post iustæ ac legitimæ nuptiæ possent accedere, vt proinde minores natu decem annorum virgines frustra sponsæ haberentur: hoc tantùm eò cautum fuit, ne sponsaliorum ante eam ætatem contractorum nomine commodi aliquid lucriue statim percipi posset: *adeo vt si duodennis Theophanes, decennis sponsa fuerint omnes etiam iuris apices dici possint in eo contractu obseruati ab ijs, qui fructum vtilitatemq; solam spectabant.*

c *Lacunam hic habent* Acta *prima: in secundis nulla huius famuli mentio.*

Leo Chazares persequitur orthodoxos

d *Leo Chazares Copronymi filius, natus an. 749, eodemq; Anastasij Patriarchæ operâ à Patre in imperij & coronæ consortem admissus, solus post patrem imperat annis quinque à 14 Septembris anni 775 numerandis: qui vltimo demùm imperij sui anno* circa mediam ieiuniorum hebdomadem audauit in publicum, quam huc vsque delitescentem gestauerat impietatem, *vt ait Theophanes*: Iacobo Protospathario, & Pappiâ, Strategio, & Theophane Cubiculario atque Accubitore: nec non Leone & Thomâ Cubicularijs, & alijs viris religiosis comprehensis, quasi sanctas imagines coluissent: eosque verberibus inclementer cæsos ac tonsos, atque per mediam vrbem cum ignominiâ traductos, in prætorium custodiendos coniecit: inter quæ Theophanes prædictus moritur, Confessor obtentâ martyrij coronâ effectus; reliqui omnes post Imperatoris obitum probatissimi monachi euasêre.

e *Imò trigesimo primo vel saltem vigesimo quinto aut sexto, vt §. 1 est demonstratum num 7, anno Christi* DCCLXXX.

principis ins. olim Pityodes, eius & proximarum insularum situs,

f Ἐν τῇ Πιγυκίᾳ *varijs in locis Theophanes habet: nomen, Latinum cùm sit, non videtur antiquius* Constantini temporibus. Ar*temidoro & Plinio* Pityodem *dictam antiquiori vocabulo à picearum seu pinorum multitudine existimat Gyllius; nec immeritò: nam quamuis vicinam sibi habeat paruulam quatuor stadiorum in cir*C*cuitu insulam, quæ etiam hodie* Pitijs *dicitur, minimè tamen conueniens est, vt eos existimemus & maximè Artemidorum, qui Pityodem, Chalcitem, Antigoniam ordine recenset, exiguæ huius insulæ voluisse memoriam facere, neglectâ longè maiori: & fortè Pityodes apud Plinium pluraliter accipiendum est, vt maiorem minoremq; communi nomine dicatur comprehendisse. Distant insulæ omnes nominatæ (sicut & Prote sic dicta quod Byzantio Chalcedoneque venientibus* Prima *occurrat) à Bithynico littore stadijs ferè sexagin-*

an hodie Pauonarae

ta: itaque sunt inter se collocatæ, vt ex Protes latere Principem versus prospiciens, ad solis ortum vnam sinuosam insulam videre te putes, vt ait Gyllius l. 3 de Bosphoro Thracico, non obseruatis nisi propius accesseris euripis interiectis: quod quia etiam Cyaneis siue Symplegadum scopulis ad exitum Bosphori in Ponto sitis accidit, (quas propterea in mari mobiles concurrere iterumq; ab inuicem recedere finxit antiquitas) hos cum illis confudit Benedictus Bordonus in suo Insulario: vnde fit vt nescias hi an illæ nouo nomine hodie Pauonare *illo teste dicantur; quamuis eos collocet eo loco in tabulâ, vbi sitas esse iam dictas quatuor insulas omnes consentiunt. Distant à Byzantio ad* 30. *vel* 40 *passuum millia iuxta Bordoni & Ortelij descriptionem: nec minorem distantiam videtur Nicetas supponere cum Latinis Constantinopoli profugis plenas triremes ex portu-*

monasterium Principis.

busVrbis in Hellespontum prouectas eo die ad insulas Principis & Protam ceterasque vicinas vrbi non in alto sitas appulisse, *narrat. Ex his Princeps vicum sibi cognominem habet:* in eius littore vergente ad Ortum spectantur, *inquit Gyllius* fundamenta sumptuosa antiqui monasterij, vbi amplius quingentæ solitariæ fœminæ, ac ferè Principum filiæ viuere solebant. *Monasterij auctorem Cedrenus & Theophanes Iustinum Curopalatem faciunt, qui illud anno Imperij sui* V, *Christi* DLXX *in* D *hac sui iuris suburbicariâ insulâ ædificarit: quod idem ab Irene Imperatrice vel restauratum vel nouis ædificijs auctum (nisi aliud ibidem ab ipsâ ædificatum malis) imperio deinde pulsæ receptum præbuit, ac deinde ex Lesbo translatæ tumulum & venerationem; vt apud Theophanem, Zonaram, & Cedrenum videre est, circa annum* 804.

g *Hanc nominis commutationem tacent* Acta: *sed nec prius nomen exprimunt.*

h Sigrianorum *ferè in Actis scribitur & in omnibus titulis: nonnumquàm tamen &* Singrianam *reperio in MS. Sfortiano.*

i *Huic Strategius Abbas præerat vt in Vitâ dicitur num.* 11.

Calonymus Insula aliàs Besbycus.

k *Huius insulæ mentionem reperio apud Nicetam narrantem quomodo Sicula classis circa an.* 1186 incensâ Calonymo insulâ & finitimis in sinu Hellespontio locis, domũ petrexerit. *Hodie* Calomio *dicitur: sub eâque nuncupatione à Benedicto, Bordono & Hieronymo. Perro refertur; itemque à Bellonio & Mercatore citatis ab Ortelio, qui addit Stephano, Plinio, Straboni* Besbycon *dici, quo nomine etiam Gyllius ex Dioscoride vtitur. Bordonus totam montuosam esse dicit, atq; à bestijs dumtaxat habitari: sed in eius situ definiendo multùm à ceteris Geographis discrepat, atque ab ipsis suis quas proponit tabulis: dicit enim Proconnesum* 60 *millibus Sesto distare, atque ab hac ad Calonymum milli[a] esse* 30 *Orientem versùs; à Calonymo ad Bosporum millia* 30. *Atqui Sesto Byzantium duorum tantùm graduum siue* 120 *millium interuallum est rectè itineris. À quo si deflectas ad Mœsiæ littora, medio ferè itinere occurrit Rhyndaci fluminis ostium, cui Calonymus seu Besbycus insula obijcitur.* E *Vide consequens est Sesto Byzantioque millia circiter* 70 *distare.*

l *Et in quo post mortem constituti à se Hegumeni recusauit admittere Prælaturam.*

m *Circa annum ætatis suæ quadragesimum ac constituto ibidem nouo Magni-Agri monasterio illud cum Hegumeni potestate rexit: quod in Vita secunda νεουργηθὲν nouiter exstructum vocatur, atque adeò non multò ante Synodi* VII *conuocationem siue annum* 787.

n *Anno Chr.* 815, *cuius res gestas accuratissimè describit Anonymus in Appendice ad Theophanem.*

o *Bulgaros scilicet eo maximè tempore imperio graues ipsiq; minitantes Constantinopoli, cuius circumiectam regionem, repetitis identidem incursionibus ad ipsas vsque vrbis portas, impunè fuerant Crumno duce populati.*

p *Trusile illud fuisse crediderim, atque instar lecticæ super duas rotas formatum, quo ab vno alteróue è Fratribus promoto quacumque visum ferret, per monasterium circumducebatur: neque enim vi morbi ad res agendas fuisse inutilem ipsa eius chronographia testari potest, saltem ad Nicephori exitum perducta, quando ille iam* LX *annum agebat ætatis.*

Ioannes iconomachiæ incentor præcipuus, & pseudopatriarcha,

q *Leo Grammaticus* Ioannem vel Simonem *vocatum ait:* diuinationibus ex peluí, præstigijs & spurcitijs celeberrimũ: *sed hæc duo nomina magiæ & simoniæ caussa ei adiecta in Theophilo declarat, agens de eius promotione ad Patriarchatum.* Antonio vitâ functo, in eius locum ordinatus est Ioannes Syncellus: verè dicam nouus Iannes & Iamares (*lege & corrige* Mambres) præstigijs & per peluies diuinationibus omnique impietate nominatissimus. *De cuius infelici exitu accuratè agemus ad diem* VII *Apr. in Vita S. Georgij Episcopi Mitylenes. Similе prioribus de hoc Ioanne encomium habes in Vitâ S. Theodori Studitæ cum titulo* Lecanomantis & Coryphæi Iconomachorum. *Et sanè, iuxta Appendicem Theophani subiunctam, primus, quem Leo Armenus ico-* F *nomachiam meditans sibi adiunxit, Ioannes hic fuit*, Pancratiæ Sciastæ filius, qui à puero dæmonem inhabitantem habuerat; incompositis moribus agitatus, menteque priuatus, quem Hylilam dicebant: quique, vt alij ferunt, Hebraicè redditur Præcursor & Diaboli adiutor: hunc, factâ Patriarchatus in eum transferendi spe, ad conquirendos ex Ecclesijs & monasterijs vndequaque libros veteres dimiserat, hunc Orthodoxis Patribus cum Antonio præcipuè solebat ad disputationem offerre, iactantem certas & ineluctabiles sese in veteribus libris reperisse auctoritates, quæ à colendis imaginibus deterrerent.

Hormisdæ aula.

r *Græcè ἐν τῇ* Θερμιδι *μονῇ,* Σεργίου καὶ Βάκχου τῇ παρακειμένῃ τῷ παλατίῳ. *vbi* Θερμιδι *pro* Ὁρμιδα, *aut per errorem subingressum aut sequiori seculo vsurpatum existimo:* Iustinianus, *inquit de ædificiis eius scribens Procopius,* principio Diuis Petro & Paulo templum extruxit iuxta regiam aulam, quæ Hormisdæ olim nominabatur: hanc enim domum suam propriâ effecerat, vt palatium structuræ decore sumptuosum videretur: post verò quàm Imperator factus est, eam alijs regijs adiunxit: vbi sanè etiam templum aliud construxit illustribus Diuis Sergio & Baccho: *quæ duo templa deinde pergit accuratè describere; ego hâc descriptione prætermissâ, locum hunc ex Gyllij fideliori quam vulgatâ sit interpretatione acceptum, considero; ex eoq; mihi colligere videor Monasterio huic assignatas ipsas Hormisdæ ædes, Pala-*

SS. Sergij & Bacchi templum & monasterium,

tio vicinas, imò contiguas; nec non SS Sergij ac Bacchi templo, idq; monachis ad vsum sacrorum attributum fuisse: vnde vel alterutro vel vtroque simul nomine ipsum monasterium consueuerit nominari. Tunc Cedrenus ita de iisdem loquens: Templo Sergij & Bacchi,

A Bacchi, ea quæ à Palatio ſunt verſus mare; & proximo huic SS. Apoſtolorum templo, eam quam propriam priùs domum habuerat; ac binis hiſce templis omnem ſubſtantiam ſuam priorem conſecrans, monaſterium illuſtrium virorum ex ijs dotauit. *Hormiſda autem nomen credibile eſt ijs ædibus manſiſſe à filio ſecundo Narſetis Perſarum Regis, elapſo ex cuſtodia fratris ſui Saporis, ad regnum graſſantis per fratrum iniuriam, qui naſcendi conditione potiores erant; atque à Romanis benigniſſimè ſuſcepto.*

Eleutherij palatium.

ſ Pars eſt ciuitatis, eo (vt videtur) loco, vbi nunc præcipuum eſt Magni Turcæ Palatium, Seraglium dictum: hîc ædes Imperatrix Irene conſtruxerat, teſte Zonarâ, in quas à Conſtantino filio, imperium ſibi ſoli arrogante, vitam iuſſa fuit priuatam degere.

t Non omnino plenè ſi hic, quo colitur, dies quoque mortis illius ſit: nec enim ante medium Aprilem (in cuius diem primum anno 815 inciderat Paſcha Theodoti conſecratione profanatum) poteſt concipi Theophanes in Vrbem aduectus.

Samothracia Inſ.

u Eſt ea in Mari Ægeo, media inter Lemnum & Hebri fluminis oſtia, vtrimque iuxta Ptolomei calculum diſtans 20 circiter millia paſſuum, vulgò Samandrachi, *exiguo 20 millium ambitu optimè habitata, copioſo melle & capris abundans: vt ait Bordonus, Ptolomei calculum in eo corrigens, quòd dicat quadraginta milliaribus diſtare à Lemno; paſſuum 60 millibus (vt recentiores omnes Geographorum habent tabulæ) à continenti remotâ.*

V I T A

Auctore S. Theodoro Studitâ aut alio monacho coæuo.

ex MS. Græco Bibliothecæ S. Marci Venetijs.

P R O L O G V S.

Quod tempeſtate iactatis,

1 Vemadmodùm mercatoribus ſolet accidere, vt aſpectabile hoc pelagus mariaque longinqua maioris emolumenti gratiâ traijcientes, ſi in tempeſtate ineluctabili, fluctuumque inter ſe atq; cum ventis furentibus vehementiſſimè decertantium procellâ deprehenſis, ſic vt ſalute iam propè deſperatâ, naufragiū expectent, ſalutaris alicundè refulſerit ſtella, ſereniori aliquantum cælo; ipſi quidem propter apparentis fulgorem ſideris recreati, animo nimiam illam ſeponunt mœſtitiam; rectorem verò nauis ad gubernacula ſedentem, hortantur vt alacriùs munere fungatur ſuo: qui ſublatos illuc intendens oculos, eoque fulgore vſus tamquàm viæ duce, ſatagit vt ſæuitiam hyemis arte vincere, rectumque poſſit curſum nauigationis tenere. Ita ferè ijs quoque vſuuenire conſue-

ſtella ſalutaris,

C uit, qui illud, quod intellectu concipimus, vitę pelagus nauigant, & ad tranquillum futuri ſeculi portum peruenire contendunt.

id in huius vitæ vitæ pelago

2 Ineffabili namque tentationum æſtu iactatis, & denſiſſimâ caligine inter infeſtantium dęmonum inſidias circumfuſis, res à Sanctis geſtæ, velut ob oculos poſitæ, ſuo quidem ſplendore eorum diſcutiunt tenebras; doctrina verò diuiniori perturbatorum affectuum fluctus componentes, iucundiſſimâ implent tranquillitate, atque ad deſideratam facilè prouehunt patriam, pretioſis mercibus onuſti atque lætantes.

præſtant lecta Sanctorum vitæ.

Inter hos, quos dixi, Sanctos alium alijs reperias ornatum virtutibus: hic abſtinentiæ rigorem ipſis operibus ſuis ſequendum manifeſtiùs confirmat: ille quâ ratione ſuperetur intęperantiæ dominatus; aut quantus continentiæ ſplendor ſit, ſtrenuiſſimè docet: eſt qui vitam humanam, velut principem tabulam, variarum acquiſitione virtutum, tamquam coloribus, diſtinguēdam monet: alter ad totius ſeculi contemptum erudit: alius denique ad inanem gloriam ſpernendam efficaciter inſtituit. Verùm ſi ad Sanctiſſimi P. N. Theophanis res geſtas conſiderandas acceſſeris, omnis honeſti in eo reperies ſpeciem, quaſi in floriD do horto plantatam excultamque.

maximè S. Theophanis:

3 Has ego vt laudatione proſequerer ſuadentibus prompto animo parui precum ipſius ſubſidia me percepturum confidens: non vt conciliaturus ei gloriam (quam enim gloriam adferret ſermo magno interuallo inferior rebus ab illo præclarè geſtis?) ſed cōtrà potiùs tamquàm eius commemoratione tum ipſos meos exornare ſermones, tum vtilitatis maximę argumentum cupiens ſubminiſtrare omnibus eius imitandi ſtudioſis. Verùm priuſquàm orationis prætergreſſus limen, ipſi incipiam laudationi laborioſiùs inſudare, animis me deficere ſentio: nam qui laudandus proponitur nobis, eum & patria, & genus & quæ vtroque eſt præſtantior indoles, & hanc rurſum longè præcurrens virtus ſibi cum clamore depoſcunt: ſic vt ex omnibus ſimul in principio oblatis haud facilè ſit reperire, quid cui congruentiùs poſſit, debeatque præferri. Patria enim laudationum armata legibus, tamquàm quę prima eius cauſſa fuerit, primas quoque contendit auferre præ ceteris, atque ne proprio fraudetur ornamento cum obſecrationibus ſupplicat: parentes verò vltra hæc etiam educatione ipſius & inſtitutione gloriantes, cubito eam poſt ter-

à patriâ, parentibus, indole ac virtutibus laudandi.

E gum pellunt: *a* virtutes autem ipſius, à quo rebus omnibus præponebantur, poſſeſſione iactantes ſeſe & magnificè circumſpicientes, glorioſam attollunt ceruicem atque aduerſantibus magno inſtant clamore, vt ſolum illius ſtudium animumque ſpectantes, facilem de ſe victoriam cedant. Mihi itaque inter res, quæ ſe vinci non patiuntur, iudici conſtituto, quid agendum reſtat? haud aliud vtique, quàm vt parumper prioribus immorer, eâ dumtaxat gratiâ, vt oſtendam, quanta ille contempſerit Creatoris adſtrictus amore, ac deinde pro illius propoſiti ratione, totus virtutibus eius exponendis inſiſtam.

a Vt enumeratarum partium priori numero poſterior reſpondeat, deſiderantur paucula de ind[illegible]le, quæ f[illegible]rtè per excipientis deſidiam excidere.

C A P V T I.

Caſta & religioſa Theophanis vita in coniugio, adminiſtratio Cyzicena, acceſſus ad Sigrianos monachos frequens.

S. Theophanis patria Conſtantinopolis,

4 TVlit virum hunc admirabilem illa patria, quæ imperij dignitate decorata, ceteris omnibus tantùm antecellit, quantùm reginam ſubditis præſtare par eſt. De quâ me multa dicere volentem impedit, F tum quòd nullâ poſſunt oratione explicari, tum quòd omnibus, quaſcumque Sol aſpicit terræ partes, habitantibus ſunt cognita. Parentibus ortus eſt tali patriâ dignis, qui & diuitiarum copijs, & gloriâ militari, & virtutibus omnibus affluebant. Hos diligebant non ſolùm omnes illi, qui Deo ſunt cari, quique virtutis ſtudio atque honeſtatis conciliantur; aut qui paribus erant dignitatibus inſignes, licet peſſimo eſſent animo præditi, atque amicitiam proprijs vtilitatibus mentirentur: ſed ipſi Principes atque Imperatores virtutis eorum præſtantiam venerantes, eos inprimis diligebant. Iſaacius, & Theodota, ſi quid vobis etiam nomen eſt curæ, vocabantur. His ampliſſimæ hereditatis natus eſt hæres ille, qui nobis in præſentiâ laudandus eſt. Autumni tempore ex vtero matris in lucem editus, eximiâ corporis pulchritudine, ſimilem animi præſtantiam indicabat. Neque enim mortalis, hominis, ſed Dei filius eſſe videbatur, ex ventre matris *a* (quod de magno illo Prophetâ Hieremiâ ſcriptum legimus) ſanctificatus, & iam inde ab ipſo ortu ad extremum vſque vitæ finem virtutibus omnibus excellens.

Parentibus Iſaacio & Theodotâ natus:

a

A 5 At pater ipsius cùm exiguo temporis spatio in hoc mundo vixisset, puerum ipsum, cùm trimulus adhuc esset, Imperatori curandum ac gubernandum relinquens, præfinitum omnibus peregrinationis terminum absoluit. Mater autem.

Desunt nonnulla

illud canticum expresserunt, quo tres Pueri post Symphoniæ regiæ concentum, tyrannicam contemnentes iussionem, *b* vniuersæ creaturæ hymnum seruatori suo accinebant.

b

post nuptiarum solemnia

Celebrabant omnes illud nuptiale conuiuium ad hilaritatem lætitiamque profusi; sed ijs nequaquàm obtundebant mentem diuinis inhærentem rebus, animique decretum ad effectum deducere satagentem. Noctu itaque ad cubiculum simul sponsamque accedens, postquàm supra lectum genialem consedit, totum se Deo permisit; gemituque quo ageretur animi affectum testatus, sic eam alloqui est aggressus.

sponsam ad mundi contemptum hortatur,

6 Vitæ curriculum, Coniux, vt omnibus patet, exiguum est, prorsusque incertum: nemini enim mortalium manifestum est quando accessura mors sit, ipsumque hinc ad futurum illud, quod omnibus est B commune, amandatura iudicium, seueris rerum gestarum quæstionibus subijciendum. Hinc quandoque contingit imparatum hominem & magnâ prægrauatum sarcinâ peccatorum extorrem fieri in perpetuum à beatificâ pulchritudine Creatoris, & æternis, heu me! addici incendijs; atque eum, qui exigua solúmque in speciem bona possederat, innumeris implicari molestijs, quæ vitæ finem velut sibi proprium vindicant. Quidnam verò ex ijs quæ huic suppetunt bonis, firmum ac stabile? Num diuitiæ? At certè illæ, quæ vitij magis, quàm virtutis ministræ sunt non rectè administratæ, cùm multorum insidijs obnoxiæ existant, nondum ex voto partæ sæpiùs dilabuntur. An pulchritudo corporis, quæ ex quadam coloris suauitate, atque aptâ figurâ membrorum exurgit? Verùm illa aut tempore extinguitur, aut morbo deflorescit. Humanæ gloriæ ostentatio? Quid verò illâ abiectius, ô coniux carissima, præsertim si cum æternâ illâ, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, compararetur? Quæ enim eiusmodi est, vt cùm eam manè adeptus sis, nescias an vsque ad vesperam sit permansura, quid est cur in bonis numeretur? Hæc cùm ita sint, si videtur, tantisper naturæ obsecuti legibus, nobis ipsis supernisque studeamus, ijs omnibus oppor- C tunè reiectis, quæ futuro æuo minimè perseuerant.

quæ vicissim virginitatem asseruandam proponit:

c

7 Hæc, atque alia multa ille corpore iuuenis, sed prudentiâ senex loquebatur; cùm pura, atque integra Christi columba ac turtur; solitudinis, & castitatis cupidior quàm nuptiarum, atque Mardarij *c* Martyris vxoris accensum in Christum amorem longè superans, quantò quod meliora *d* consulebat, in omnibus illis viro socia verbis eiuscemodi respondit: Quantò æquius esset, sponse carissime, virginitatis pulchritudinem semper integram seruare, quàm eam inquinare maiori ex parte? Quis namque spondeat fore vt huic seculo seruientibus & liberorum procreationi vacantibus illud, quod incertum est, bonum obtingat; & non potiùs optimæ spei præreptum eam arguat vanitatis. Præclariùs profectò erit; si leue Christi iugum tollentes ab adolescentiâ, secuturâ inde beatitudine nos dignos fecerimus, quàm si vanis illis velut ad breue inhærentes tempus, cogitatione interim firmiter se in ijs figente, in deterioribus permanserimus. Ad hæc dicta obstupuit adolescens; quippe qui rem nouam, omnique maiorem expectatione audisset. Ac primùm quidem humi prostratus cum lacrymis gratias egit Creatori; deinde lætiori vultu coniugem intuitus, ac pollicitus, se illam honestis

d

& cum eo vitam religiosè instituit.

omnibus in studijs, atque in futuro seculo sociam habiturum, vnà cum ipsâ præclarum opus auspicatur. D Statimque monasticum institutum in seculari vitâ cōsectantes, omni virtutum genere vitam excolunt. Sanctum profectò par ad hoc coniunctorum, vt spirituales sulcos proscinderent, inque cælestibus horreis reconderent messem itidem spiritualem. Oblectabant illi Christum, bonus illius odor effecti; vicissimque vnguentorum illius percipientes fragrantiam, eius præsentiâ fruebantur.

EX MS. VETERI GR.

8 Cùm igitur prosponsorum more noctem illam simul traduxissent, repleta est vniuersa domus odore optimo, qui longo interuallo omnem superans suaueolentiam, Domini præsentiam indicabat, admirabilium coniugum approbantis propositum, & suâ eos visitatione recreantis. Prosternentes igitur humi sese, vt sibi manarent fontes misericordiæ, obsecrabant: *e* ac mox, vbi diuina illa præterijt apparitio, suos euacuantes thesauros pauperum eos consignarunt manibus, seque ad recessum cœperunt studiosè præparare: sed aduersabatur communis hostis inuidia, bonis omnibus inimica; nec non & socer, qui omnem in ijs solis repositam habebat huius vitæ spem, molestè adeò quod fiebat ferens, vt ipsum quoque Imperatorem in magnam indignationem impulerit. Leo hic fuit Copronymi filius atque successor, is adolescentis vicem dolens, suoque amico gratificari cupiens, iureiurando comminatus est, oculis se iuuenem priuaturum, nisi desisteret à proposito. Misit itaque Cyzicum, honestissimorum *f* negotiorum administratione eidem demandatâ, vt vanis rebus atque cum tempore præterfluentibus ignauiter occupatus, obliuioni traderet semper subsistentium præcellentiam.

Cælesti odore & visione confirmatur:

e

E

Cyzicum mittitur, à proposito abducendus:

f

9 At ille egressum ab vrbe velut oblatum amplexus lucrum, atque ad Sigrianam digressus ex itinere, in virum per omnia admirabilem incidit, *g* Gregorium nomine (si quidem & nomen refert non ignorare) præter alia quibus resplendebat dona, etiam prophetiæ gratiâ illustratū; qui sudoribus multis animum à perturbationibus liberum, seque tum ad rerum contemplationem diuinarum, tum ad eorum, quę ventura essent, cognitionem aptum reddiderat. Huic Theophanes animi sui propositum significat, ac se fugâ meditari subindicat. At ille, Sancto, vt consueuerat, Spiritu illuminatus *h*: Nihil tibi, inquit, ô iuuenis fugâ opus est, quando post tempus exiguum futura tibi est nullo prohibente facultas exoptati recessus: tuus namque socer atque ipse Imperator præsenti vitâ functi, ad eam, quæ in alterâ eos manet, societatem transferentur. Tum ei *i* quæ aderat, exiguo labiorum motu insusurrat, fore vt præclarus iuuenis opportuno tempore Martyrum quoque coronas reportaret.

g

cui Gregorius in Sigriana

h

mortem soceri & Imperatoris prædicit:

F

i

10 Ipse interim senioris subseruiebat *k* iumento; eâque procuratione magis, quàm *l* regio equorum ministerio, quo erat ornatus: gloriabatur in eiusdem autem doctrinâ audiendâ diutius occupatum, & aliorum patrum visitationibus immorantem, tardior aliquando horâ domum rediturum prohibuit, & loco, vt fors tulerat & ipse instructus erat, cum socijs compulit remanere. Ergo æstu multo sitique correptus est tam ipse quàm socij: nec tamen aut inopinato tristatus est casu, aut propter aquæ absentiam in solicitudinem versus, sed nec vt sitim propulsare liceret Dominum obsecrauit suum: verùm consuetas eidem preces fundens super eum, qui ad manus erat, tapetem recubuit, vt sitis molestiam modico somno releuaret. At rerum admirabilium effector Deus, iuuenem intuitus propter se libenti animo labores ferentem, magno illum miraculo decorauit. Qui enim improbo populo ex durissimâ petrâ latices effudit, cur probo iuueni necessaria non subministraret?

k

l

ab hoc aliquando redeunti,

aqua diuinitus subministratur ad sitim leuandam.

11 Propè igitur, vbi ille iacebat, diuino iussu fons mirabilis emanauit, tactuque suo Dei seruum excitans,

tans,

EX MS. VETERI GR.

A tans, sese illi patefecit; qui socijs conuocatis sitis remedium à Deo datum ostendit. Cauis igitur manibus aquæ copiam haurientes, debitas bonorum omnium largitori Deo gratias egerunt. Ac ne quis posset suspicari, fontem illum, cùm occultè lateret, repentino casu in apertum prorupisse, ipsâ nocte sic repentè euanuit, vt ne vestigium quidem eius vllum manè relinqueretur. Hoc amoris, quo Sanctus hic iam inde ab ipsâ adolescentiâ Deum prosequebatur, signum fuit, tantò maius illis, quæ Moses Dei inspector edidit, quòd ipse precibus ea impetrauit, hic autem nè id postulans quidem. Præterea ille murmurantium adductus necessitate, Dominum ad largiendum impulit; hic autem patientiâ, & gratiarum actione vtens cum socijs suis, proprium Dominum mouit. Ad hæc illi (vt ne Mosem dicam) concessum munus dubitatione coinquinarunt; hic autem cæleste donum honestatis proposito commendauit.

a Ieremiæ 1,5. Priusquàm te formarem in vtero noui te, & antequàm exires de vulnâ sanctificaui te. *Et Isaiæ* 49.1. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. *Ad vtrumque locum respexisse videtur auctor*

B *hæc scribens, vel vtrumque fallente memoriâ confudisse.*

b *Græcè* παγκόσμιον. i. ornatissimum, venustissimum; *id enim positiuè significat* κόσμιος. *Videtur tamen adiectiuum illud hic quasi à* κόσμος Mundus *deriuatum accipi: verè enim totius quasi mundi hymnus hic est, in quo creaturæ omnes sigillatim inuitantur.* Dan 3. *versu* 5 *& sequentibus.*

S. Mardarij vxor virum ad martyrium animat,

c *Colitur hic* XIII *Decembris cum Eustratio & socijs in Armeniâ passus sub Diocletiano & Maximiano, quorum Acta ab Eusebio Monacho Sebasteno descripta ad eum diem daturi sumus, ex antiquâ Ioannis Neapolitani versione: interim ea vide per Metaphrastem mutato stylo apud Lipomanum vel Surium edita, & antiquæ versionis sub Athanasio iuniore circa finem seculi noni concinnatæ hoc specimen accipe.* Mardarius intereà quidam vir idiota, in sufficientiâ viuens, domum sibi in illis diebus construxerat, quam domate degebat: prospiciens Sanctos cernit in medio eorum, quasi fulgens sidus, Eustratium, & confestim exiliens ex domate, dixit vxori suo Armenio sermone; Cernis, ô mulier, conuicaneum nostrum tantâ generis gloriâ & possessionum qui fuerat gloriosus, quantâque militiâ splendidus, quomodò spretis omnibus holocaustum vadit fieri Deo, quo dignus fiat polici regni. Beatus ille &c. Cui vxor: Mi dulcissime vir, quid prohibet te illum consequi, eam denique maturiùs scandere viam, vt dignus cum eo fruaris beatitudine? eris tutor, credo, mei, & horum paruulorum infantium, omnisque generis tui.

d *Quàm scilicet ea erant, quæ sibi fuerant à Sponso proposita: cùm illa Mardarij vxor optimam viri voluntatem dumtaxat assentiendo confirmarit: neque enim existimo auctoris mentem esse, virginitatem, quamuis tali tamque arduâ ratione seruatam, præferre martyrio: constat tamen illud Ambrosij effatum l. 1. de Virginitate.* Non ideò laudabilis virginitas est, quia in Martyribus repe-

C ritur: sed quia ipsa Martyres facit.

e *Etiam hic aliquid hiat & lacunæ suspicionem confirmat Angelica visio, quæ in Vitâ sequenti refertur nu. 7, quam hoc loco excidisse insinuat hæc de apparitione diuini mentio.*

Gregorius Agaurorum Præses.

f *Arcis scilicet nouæ ibidem ædificandæ, vt habes in compendio Vitæ.*

g *Cùm hæc circa annum Ch. 776 contigerint, & ex vita S. Ioannicij habeamus Gregorium Monasterij Agaurorum in Olympo monte Hegumenum, ad quem se contulit Ioannicius monachus futurus, post cladem Constantini Irenes filij à Bulgaris Cardamo duce acceptam, quam anno 784 constat ex Theophane accidisse, videri alicui posset hunc illum ipsum fortassis esse: propterea quòd vtrobique celeberrima quædam sanctitas tamquàm viri omnibus notissimi celebretur; & fieri potuerit, vt ex Sigrianâ post Theophanis discessum se contulerit in Olympum, vix ampliùs quàm diei vnius itinere distantem.*

h *Sequentis vitæ num.* 10 *hæc prædictio tribuitur Angelo, qui eidem solitariè oranti apparuerit: sed nihil obstat quo minùs vtrumque verum sit.*

i *An coniugi? eam quidem consentaneum est sociam Cyzicum proficiscenti iuisse: neque enim verosimile est socerum voluisse disiungere, quos ad matrimonij vsum tantoperè conabatur inducere: sed solum exscendisse è naui, Vita sequentis contextus supponit: quamquàm de socijs fortassis illud, non etiam de vxore omnium viri secretorum consciâ intelligi possit.*

k *Cùm scilicet vel in Sigrianâ ipse per internalla moraretur, disciplinæ spiritualis gratiâ; vel senex Cyzicum vicissim accederet, ad tantæ expectationis discipulum confirmandum.*

l Erat dignitatis in regiâ non vulgaris alicuius: sed curator equorum regiorum elegantiorum inter eos quos D Stratores consueuit ordo nominare: *ita Vita sequentis num.* 9.

CAPVT II

Factus monachus; virtutibus & miraculis clarescit.

12 NOndum anni tres præterierant, *a* cùm socer eius, & Imperator à præsenti gloriâ depulsi sunt, & ad domicilium illis conueniens sunt transmissi. Irene autem mulier illa fortis atque diuina cum filio Imperij gubernacula suscepit: si tamen mulier dicenda est, quæ aduersùm hostes, atque perturbationes virilem animum gessit. Tunc humanum genus, quod diuturnis laborauerat bellis, cùm secum ipsum tum cum Deo conciliatur *b*; illoque penitus perpurgato, lætiorem omnia induebant faciem. Tunc Sol, qui cuncta lustrat, clariorem liberioremque diem extulit, & mœrorem atque tristitiam, quæ diu orbem occupauerat, exuens, nitidus illuxit. Tunc igitur hoc quoque castum par coniugum, sanctorum suorum consiliorum monilibus ornatum, suique iuris effectum, copiosas, quæ domi aderant, opes proferens, eas omnibus inopiâ laborantibus distribuit. Sic vna Dei amantium domus, multis, quæ victui erant necessaria, subministrans, & pauperum, qui se Deo dediderant, calamitates eximiè subleuans, Deum ipsum, qui hæc ipsis propria fecerat, vehementer oblectabat.

a Rebus Ecclesiæ cum imperij immutatione mutatis,

b

E

velatâque vxore,

13 Hæc & alia multa cùm perfecissent: illa quidem in eo, quod est in Principis insulâ, monasterio consedit, facultatibus suis eidem collatis: hic verò ad magnum regressus est *c* Strategium, degentem in *d* Polychronio, quod est in Sigrianâ, atque olim ei ab ipso datum fuerat, otij quietisque gratiâ, & ibidem manibus eius attonsus est, aut potiùs oblatus in hostiam, magni Isaaci sacrificio tantò sanctiorem, quantò voluntarium est, eò quòd fit præter voluntatem, præstantius, & id quod re ipsâ peractum est eo cui operis absolutio defuit. Illi itaque cùm monasterium ex suis constituisset facultatibus, quas plurimas eum in finem obtulit, eiusdem consilio ac voluntate, in insulam dictam Calonymum transfretauit, prædiolumque, quod ibi paternum habebat, in monasterium ex ijs, quæ sibi reliqua erant commutans, monachos ibidem collegit ex monasterio Theodori illius, quem Monacherarium ij, qui nouêre, vocitant; quantæ autem plenus is esset virtutis etiam vulgare prouerbium manifestè declarat.

c d ipse in Polychronio fit monachus:

in Calonymo ædificat monasterium:

F

14 His cùm monasterij dominium consignasset, Præsidemque ex ipsis omnium probatissimum constituisset, reliquis seipsum exhibuit exemplar obedientiæ, & humilitate quidem tantâ præstitit, vt aliorum neminem crederet quàm se miserabilem magis: austerioris verò exercitijs vitæ atque humi-cubatione adeò claruit, vt longo post se omnes relinqueret interuallo. Diuinorum librorum scriptioni vacans assiduè, eam non ex humanâ disciplinâ, sed assiduo labore diuinâque gratiâ plenè calluit, & tractauit diligentiâ singulari. Oratione quoque purissimâ seipsum excedens, noctibus integris ferebatur in Christum, metam desideriorum suorum; illiusque sibi conciliabat beneuolentiam. Cúmque aduersùs dæmones animique ægritudines iram haberet velut militari Sacramento auctoratâ, erga ceteros, velut alter Moses mitis mansuetusque apparebat. Rerum terrenarum cupiditate penitus abdicatâ, dumtaxat inhærebat diuinis: quantâ porrò fortitudine eniteret, laborumque & ærumnarum contemptu, extrema ipsius tempora potissimùm indicarunt.

vbi vni virtutum exercitio vacans,

15 Sic

A 15 Sic igitur illo virtutibus florente, temporalem hanc vitam dimittens monasterij Preses, ad immortalem transijt requiem, concursusque ad eum continuò factus omnium est & lacrymis mixta supplicatio, rogantium ipsis vt præesse, salutisque se ducem præbere vellet, qui extremum hactenus locum tenens, virtutum actionumque suarum splendore præiuerat vniuersis. Verùm nihil istis flexère animum in humilitatis proposito firmum, idque vnum satagentem, vt quantò rebus omnibus est excelsior virtus, tantò eâ magis exornaret seipsum. Ergo caduca omnia flocci faciens, & baculum apprehendens manu ac spe, cui per omnem innitebatur vitam, Christum pro thorace sibi congruo induens, in Sigrianæ montem se contulit, prædioloque, cui ab antiquo Agri nomen, ab agricolà quodam empto (pecuniâ nempe mutuò à viris religiosis acceptâ, cùm præter animum vilesque pannos, quibus corpus tegebatur, possideret nihil; compressis, ne obstreperent, sensibus carne ac mundo excedens) suam in eo ad vitam reliquam habitationem constituit: datâque diuinitùs sibi manibus operandi industriâ tantùm profecit, vt, nondum elapso anno, & ijs, qui mutuum dederant, debitum reddere, & quæ sibi necessaria essent cōparare ex earumdem manuum
B suarum fructu posset. Indies autem seipso euadens melior, & quæ retrò sunt (vt Apostoli verbis vtar) obliuiscens, ad anteriora contendebat: neque enim perseuerantiam in benè cœptis profectum æstimabat suum; sed nisi in ijs progrederetur, miseriam maximam *t* coadiutricem in omnibus habens gratiam, quæ à puero requieuerat super illum, eumque iugiter illustrabat.

oblatam renuit Prælaturam:

recessus in Sigrianam Agri monasterium construit.

In vtroque magis facit ad virtutem progressus. Phil. 3, 13.

16 Quis explicare pro dignitate queat, quales essent mentis illius propter orationis instantiam excessus in Deum, qui à terrenis prorsùs emundatum, diuinarum operationum efficiebant aptissimum instrumentum? quis enarrare possit castimoniæ decus, quæ incorporeis eum coniungens, purissimum Deo constituebat in ipso habitaculum; atque ad ipsius numinis conspectum euehens, futura ei vt præsentia exhibebat? Quæ verò oratio, etiamsi acceptis alis æthera transcenderet, explicare præsumeret inexplebilem illius erga Deum & proximum caritatem; aut fidei firmitatem ab omni duplicitate alienam: vel spei constantiam, quâ ille iam inde à puero munitus, ac futurorum fruitionem vt præsentem existimans, roborabatur? Ceterùm tanta viri virtus lucidis irradians facibus, ad imitationem plures inuitabat, vnde qui suaue Christi iugum subierant, vitæ eum suæ institutorem, à quo
C animarentur ad virtutem, gloriabantur possidere: accuratæ enim erga proximum caritatis munitus præceptis, vincebat per eam cuiuscumque humilem de se sensum: sic enim eorum agebat Præfectum, vt quamuis impensior submissio animi potiùs videretur negligentiam apta ingenerare ijs, quos ad virtutem ducendos susceperat; virtutem tamen ipsius reueriti, obedientiam eidem exhiberent, ei, quo erga ipsos ferebatur, amori respondentem.

quæ imitati plurimi, eius se disciplinæ subijciunt:

17 Vt autem diuinâ illustratus gratiâ eo erat ingenio præditus, quo consentanea cuique facillimè perspiceret, dum monasteria per Bithyniam viseret, atque alibi cum alijs religiosæ Professionis viris ageret familiariùs, coniectis in eos, velut in virtutum prata, luminibus, rosarum instar, quibus prælucebant, decerpebat certamina, domumque ad suos reportabat; perfecta caritatis, & sublimis humilitatis in se circumferens documenta. Iugi autem abstinentiâ duratus, cùm amicorum inuisentium præsentiâ ad cibum percipiendum vocaret, illius honestatem in secundis habens, virtutum dominam illi prælatam volebat: qui magni Pauli more sciret satiari, & penuriam pati, inanisque gloriæ dominatum fugeret. Pulcherrimum illius factum me penè præterijt: cùm enim Nicææ

ipse interim aliorum studet exemplis proficere.

Phil. 4, 12.

D Synodus secundò coacta esset, ad eam ipse *e* quoque cum alijs Patribus vocatus est. Cùmque omnes equis præstantibus, & splendidis vestimentis ornati venirent, ipse solito cilicino sacco indutus, atque asinæ insidens, lætus iter suscepit. Vt autem omnes viderent eum, qui priùs diuitiarum copijs abundauerat, vili nunc habitu gloriantem; maiore ex illo, quàm ex reliquis perceptâ vtilitate, ingenti lætitiâ repleti sunt. Ipse verò, strenuè propugnatâ veritate, atque errore euerso, redijt ornatus fide, quæ virtutum est generosissima.

EX MS. VETERI GR.

e

& Nicenæ Synodo raræ humilitatis exemplum exhibet.

18 Verùm cùm malitiæ auctores dæmones præclaris ipsius factis inuiderent, ei noctu parumper dormienti impudenter illudere conati sunt: manus enim ipsius pollicem, tamquàm sues agrestes, dentibus corripientes, acerbum dolorem inusserunt, in eâque corporis parte luxatâ, dentium reliquerunt vestigia. At ille Dei amore confixus, atque animum gerens nequitiâ dæmonum superiorem, ne sic quidem eâ re gloriari inuidos dæmones permisit: sed quàm properè licuit *f* venerandæ Crucis vnguento manum luxatam vngens, dicto citiùs omni plagâ liberam reddidit. O rem miram! gratia enim diuina illius semper laboribus, summissique animi motibus præsens, Apostolicorum eum munerum gratiâ illustrabat, rerumque admirabilium præstabat effectorem. Equidem si omnia, quæ diuina gratia in hoc sancto viro inhabitans elargita est, munera enumerare voluero, & laudandi leges transiliam, solutaque instar nauigij oratio mea peribit ingenti in pelago nauigans: at si pauca quædam, pluribus omissis, commemorauero, & oratio tamquàm littora legens versabitur in tuto, & ex ijs quæ dicta fuerint, reliqua facilè conijcientur.

dæmonum vexationes virtute Crucis superat.

f

E

19 Oppressus sæui dæmonis impetu quidam eorum qui illic erant sodalium, repentè mentis vim amiserat, carnesque proprias velut alienas lanians, cunctis adeuntibus molestus erat. Coniunctis igitur plurium viribus vinxerant eum, compedesque iniecerant asseruando à custodibus ad id constitutis. At vesperæ vnius fusa ad Deum supplicatio, à vexante spiritu liberatum, vinculis repentè dissilientibus, & ad Ecclesiam sano sensu redeuntem ostendit eum, cuius priùs mente capti occursus omnibus erat formidabilis. Visuenit, vt vir sanctus ad *g* oppidulum proficisceretur: sed in medio cursu tempestas ingens oborta est, quâ pelagus immane quantùm intumuit; sæuoque excitato fluctu insuperabile iter redeunti effecit. At vir sanctus solitâ fide fretus, proprium explenti ministerium ait: Conseruo denuntia, vt frænet tempestatem, & terga nobis tranquilla substernat, quò iter domum versùs placidè conficere valeamus. Vix verbum dixerat, &
F secutus effectus est; vt Christus ac Deus noster hâc item in re, quemadmodùm in reliquis omnibus, vera dixisse demonstraretur, cùm maiora seruos suos, quàm ipse faceret, pollicitus est effecturos.

energumenum sanat,

tempestatem sedat.

g

20 Ceterùm cùm omnibus virtutibus excelleret, curandis tamen & subleuandis pauperibus maiorem diligentiam adhibebat. Cùm enim amore fraterno maximè teneretur, misericordiam ex eo proficiscentem in primis complectebatur. Ac sanè salutarem accedentibus manum porrigens, quarto mense quod monasterio suppetebat frumentum, modicum illud, vt vix familiæ vsibus sufficeret, largè effundebat. Cùmque ministerio domestico Præfectus rem ægrè ferret, atque illud ne familiæ quidem satis esse iureiurando affirmaret, miti voce frumentum numerare iubet: quod ille cùm fecisset, eumdem, qui ante distributionem fuerat, numerum reperit, ne vno quidem modio deficiente. Verùm faciliùs sit, vndas maris enumerare, aut cauâ manu dimeteri pelagus, quàm rerum ab eo mirabiliter gestarum multitudinem laudatoriâ oratione complecti. Quamobrem alijs alia relinquentes commemoranda, quæ rei insti-

frumentum in pauperum vsus multiplicat.

A institutæ magis conueniunt ac præcipua sunt, prosequemur.

EX MSS. VETERI GR.

a *An à primo in Sigrianam appulsu, aut à reditu Constantinopolim; neque ex hac neque ex sequenti Vitâ definiri potest.*

b *Cum ipso imperij huius initio respirare & restaurari cœpisse orthodoxam fidem testis est ad annum 781 Theophanes: caput autem palàm extulit, cùm quinto Imperij eiusdem anno S. Tarasius in Patriarcham electus præclaram illam habuit, pro restituendâ Ecclesiarum concordiâ & imaginum cultu Synodicâ auctoritate stabiliendo, orationem; quam apud eumdem Theophanem vide: qui & pacem narrat anno 782 cum Arabibus initam, à quibus tum solis bellum inferebatur Imperio*

Tres Strategij pro imaginum cultu passi,

c *Tres apud Theophanem Strategios reperio, omnes Patricios, quorum priores duo sub Copronymo illustre martyrium jubiêre; vnus Excubitorum Domesticus, cum Fratre Constantino publici cursus Logotheta Podopaguro cognominato, post ignominiosam deductionem per circum capite plexus est anno 765: alter prioris ex prædicto Constantino nepos fuit, & biennio post eum morti addictus cum Macario S. Auxentij Incluso, quo ad expianda obscœna cum Imperatore consuetudinis crimina vsus in confessione fuerat. Tertius anno 780 inter eos numeratur, quos verberibus ignominiâque mulctatos Leo Copronymi filius in Prætorium inclusit, quique post eius mortem probatissimi monachi omnes euasêre. Ex quibus colligas gratum & frequens eo tempore nomen illud Romanæ nobilitati fuisse, à quâ mihi persuadeo hunc quoque Strategium ortum & simili aliquâ occasione ad solitariam vitam compulsum, ac Theophani notum. In sequenti Vitâ is, à quo habitum monasticum suscepit Theophanes, Christophorus vocatur, & posteà vt Parui-Agri Hegumenus inter* B *Nicænæ Synodi Patres numeratur. Ego diuersos esse censeo & vtrumque à Theophane cultum & fundis auctum: de habitu verò suscepto malim priori textui quàm posteriori stare.*

d *Quid interpretem apud Lipomanum mouerit vt omitteret* Principis *insulæ ac* Strategij *nomina, &* Polychronij *nomen* magnum senem *redderet, diuinare non possum; cùm eodem ipsum textu vsum aut eius apographo constet ex lacunis, & textus ipse clarissimus sit.*

e *Quadragenario maior, vt suprà in Prologem. num. 9 insinuauimus. Acta quidem concilij edita nusquam illius nomen in subscriptionibus exprimunt: sed cùm in vnâ dumtaxat Actione IV subscripti monachi reperiantur, ijque nec omnes, nec in Græco & Latino textu ijdem, mirum non est multos ex ea professione Concilio præsentes ibidem non inueniri nominatos.*

τίμια ξύλα i. S. Crucis ligna,

f *Græcè ξύλων τιμίων* venerandorum seu pretiosorum lignorum: *verùm ne naturalem ex alicuius ligni virtute medicinam intelligas caue: quia, cùm τὰ τίμια ξύλα absque addito dicunt Græci, non alia quàm Sanctæ Crucis ligna intelligunt: quod cùm omnibus notissimum sit, satis est, testem adducere Theophanem, eum cuius hic vitam tractamus, non vno in loco ita ea verba vsurpantem, & nominatim ad annum 626 & 757, qui nobis 634 & 765. Huius autem particulis per orbem Christianum sparsis aqua aut oleum benedicebatur, à fidelibus deinde solitum vsurpari; quod hodiernus vtriusque Ecclesiæ vsus satis probat.*

g *Græcè πρὸς τὸ πολίχνιον: sic vt non pro aliquo oppidulo indeterminatè, vt alij vertêre: sed determinatè pro certo ipsique monasterio vel Cyzicenæ vrbi vicino loco, cui aliud nomen non esset,* C *accipiatur.*

CAPVT III

Confessio, mors, miracula, translatio.

Optimum Ecclesiæ statum,

17 ABundabat Ecclesiæ ager bonis omnibus, doctrinâ orthodoxâ copiosè irrigatus, & factis congruentibus exuberans: Imperatores quippe Dei amantes illis potiùs gloriabantur, quàm imperij amplitudine; & qui ad Pontificij sublimem cathedram erat euectus *a*, solis instar accendebat virtutis lumina per vniuersum orbem terrarum: nec minùs qui sub ipso censebantur Antistites sine reprehensione suos quique greges, velut nauem quamdam tutos perducebant in portus: Monasteriorum quoque Rectores, quorum Præses &, vt sic dicam, sol lucidissimus erat vir hic admirandus, docebant discipulos suos ducentem in cælos viam, demonstrantes nudum opibus eum, qui priùs malè fuerat dominatus. Sed inuidus serpens Ecclesiam tam multis bonis florentem videre non poterat: itaque plurimam multorum nequitiam sociam sibi asciscens in opere, peruertere aggressus est Ecclesiæ pulchritudinem, Deo sic permittente.

Leo Armenus turbat,

18 Virum ergo quærit totius nequitiæ suæ capacem, & aptiorem inuenit quàm optabat: Leonem, inquam, scelestissimum hominem, qui ab Armenijs *b* & Assyrijs genus ducens, alterius gentis vafritiem ac dolos, alterius imitatus feritatem; imò longo vtrosque prægressus interuallo, immanitate vincebat fraudes, & fraudibus *c* immanitatem: ad mentiendum promptus, & ad persuadendum ea, quæ mentiebatur idoneus: decipiendi facultatem pro virtute habens, eâque vtens etiam aduersùs coniunctissimos sibi. Hic in imperium, tranquillum hactenus & vnde multum ei honoris deferebatur, *d* insurgens ornatissimum quidem inocciduumque solem *e* eijcit ab Ecclesiâ; cum eo verò simul exturbat Antistites penè omnes: ac nihili ducens deriuatam ad nos iam inde ab Apostolis traditionem, Christi in carne versantis diuinam iubet exscindi imaginem, eademque operâ & matris eius & Sanctorum omnium veneranda simulacra comminuit; implens Ecclesiam densissimis tenebris longéque quàm Ægyptiæ fuêre grauioribus. Hinc tyrannorum, quos tulit gentilitas, violentiæ patriam iungens vecordiam, iniquitatem quidem loquebatur in sublime, veterum illum Rapsacem superans: Dei autem ciuitatem, Ecclesiam inquam, multis machinamentis concutiendam suscipiebat: itaque Respublica omnis, ne resistere quidem conata violentiæ, statim sub illâ procellâ naufragium patitur, & qui virtutum sublimium merito ceteris duces ad cælestia erant, nequitiæ illius abripiuntur fluctibus, quamuis noxam posteà resarciuerint pœnitentiâ: eorum autem, qui terrenarum rerum nullam, ac ne sui ipsorum quidem rationem habentes, mentis solertiâ scelus vicerant, quidam fame confici, alij verberibus dirè excruciari, nonnulli per noctem præcipitari in mare *f*.

dira persecutione contra Orthodoxos suscitata,

E

f accersitur Theophanes,

19 Tali igitur tempore hic quoque vir admirandus vocatur ad Vrbem, non violentâ quidem aut tyrannicâ potestate, sed blanditijs Imperatori consuetis fortasse emolliendus. Aduersùs hostes, inquit, expeditio mihi est, & tuis priùs precibus obarmari opus habeo, quàm cum inimicis confligam. Cognoscebat hominis improbitatem Theophanes: ad hæc inueterato renum dolore atque vrinæ difficultate tantâ laborabat, vt medici humido excremento viam expeditam, si fieri posset, arte facturi, instrumenta per naturalem meatum immitterent in vesicam, concretis in ea lapidibus comminuendis partim, partim foras emittendis. His ille cum affligeretur molestijs, lectóque assiduè ægrotus decumberet, scaphâ nihilominùs trajecit in vrbem regiam. Quod cùm scelestissimus ille intellexisset, eumque in conspectum suum vereretur adducere, eximiam (vt arbitror) viri fortitudinem animo reputans; per quemdam è familiaribus hæc ei significat.

vesicæ grauiter laborans: F

promissisque & minis tentatur,

20 Si morem gesturus precibus meis venisti, quod vt de te sperem facit ea quâ præditus es lenitas morũ, scito tam multis te bonis fruiturum, quàm multis frui par est eos, qui propriæ pertinaciæ consilium postulationemque Imperatoris præponunt. Monasterio prætereà tuo omnis generis gratijs exaltato, & cognatis tuis honore maximo condecoratis, primas apud me amicitiæ ac fauoris partes consequeris. Sin, quod vix cogitare fas est, peruicacem animum precibus meis præferens, & consilium despexeris meum, & quæ tibi proponuntur bona fueris aspernatus, maximi tibi ipsi dedecoris atque calamitatis auctor exsistes, cùm vel inuitus feceris, id quod sponte facere recusaras.

& ad hæc immotus,

21 At vir sanctissimus irridens eum, à quo tam fatua dicerentur, missum ad se nuntium cum his verbis remisit: Ego nec pecunijs, nec possessionibus, nec vllis alijs vitæ huius bonis indigeo: quæ enim adolescens, cùm ijs frui possem, amore Christi occupatus repudiaui, quomodò iam complectar senex, repudiato eo quem desideraui? præsertim cum morbi corporis

A ris ingrauescentes breui hinc exeundum significent, & vanam esse demonstrent illorum, quæ dixi, possessionem. Monasterij & cognatorum meorum Deo cura erit; cui eos commendo: vtpote qui melius eis possit succurrere quàm Reges ac Principes. Quod si, quemadmodum pueros parum generosos Magistri scuticâ perterrefaciunt, ita tu ac morbo & senectute confectum minis territum iri speras; rogus accendatur, tormenta parentur, & omnia cruciatuum genera, eaque eiusmodi vt vim bonitem propositi superent, artificiososque cunctos modos excedant: vt sciat planissimè Christi virtutem in meis infirmitatibus perfici, Ego, qui in terrâ gradi omnino non valeo, valetudinis infirmitate præsenti per animi promptitudinem superatâ, in rogum vt insiliam properabo.

cum Ioanne committitur: 22 His auditis, turpissimus ille constantiam quidem animi fortis admiratus est, de victoriâ tamen spem non abiecit, suorum athletarum strenuissimo fretus, qui magicis præstigijs, ac Sophisticis imposturis, Græcorumque auspicijs, atque iecinoris inspectionibus quàm disciplinis instructior, apud Imperatorem tamen primas tenebat potentiæ, quem ad impietatis barathrum infelix pertraxerat: quique & beatum ei B Theophanem tradidit, sperans illius verborum lenocinio omnino deceptum iri. Verum ille tamquàm asinus ad lyram deprehensus, & inuictam in viro sancto dicendi libertatem vehementius admiratus, antequàm congrederetur, se victum esse confessus est: nuntiauitque Imperatori, eum præstantiorem esse, quàm vt oratione aut minis vllis superari posset: quin etiam, si ibi diutius commoraretur, fore, vt aliorum animos in sententiam iamiam concessuros, à proposito absterreret. O mentem adamante firmiorem, & nullis cedentem machinis oppugnantibus veritatem! O amoris vim erga Creatorem incredibilem, quæ nullis seculi tentationibus dissolui potuit.

sed à hoc superato,

conjicitur in carcerem: 23 Cæterum ab impugnatione non destitit homo tyrannicâ plenus crudelitate: sed virum sanctum arctissimo iubet carceri mancipari in Eleutherij palatio, adhibitis etiam custodibus, ne quis humanitate ductus, ei propter Christum patienti consolationem vllam afferret. Itaque corpus eius diuturnâ fame confectum, paullatim vergebat ad corruptionem, & ipsius mortis citò sustinendę patiebatur detrimentum. Morbi porrò per medicorum absentiam grassandi licentiam nacti grauius sæuiebant, eumque vindicabant sibi mortuum potius quàm viuentem. At ipse eius, qui desiderabilium primatum tenet, desideratissimam pulchritudinem in delicijs habens, quæ nec C auditu reliquis tolerabilia sunt, patienti ac æquo animo perferebat. Gaudebat Angeli, cùm tolerantię vim, quæ longo tempore ab humanis exulauerat, postliminiò reuersam felicissimo longè spectaculo cernerent: atque eius præstanti aduersus hostes virtute lætantes, victoriæ præconium illi concinebant. Horrebant dæmones, quòd Sanctos, quorum vel nomina audire non poterant, & imagines oppugnabant, rursum ipsis factis florentes spectare cogerentur, miseréque acti inuidiâ satellites suos ac ministros imbecillitatis arguebant. Christus denique triumphali coronâ pugilem exornabat suum, exornans eum gratijs omnem vim dicendi superantibus.

inuictus ad omnia,

ac demum in Samothraciam relegatus moritur, 24 Duos igitur annos acerbissimo defunctus carcere, in Samothracem insulam deportatur: quod ipse mentis oculo prospiciens, ei, qui sibi ministrabat, prænuntiauerat: vbi cùm tres supra viginti dies egisset, tamquam suauis hostia communi Domino oblatus est: illiúsque manibus sacrum ac sanctissimum spiritum suum tradens, ad hæreditatem olim desideratam contendit. Neque sua præmia ipsi defuêre, quà licuit, corpori, in quo victoriam ipse retulerat, quodque animo comes fuerat ad omnem honestatem. Nam piorum virorum manibus in ligneâ arcâ compositum, & conuenientibus cantibus, vt tempus ferebat, elatum, admirandis gratijs à Deo fuit illustratum. Cùm enim lues in insulæ pecora desæuiret, adeò vt mortua repentè conciderent, aquam extremis illius arcæ oris superfusam (neque enim corpus ausi erant contingere) laborantibus inspergebant, eaque liberabant à pestilentiâ incumbente.

& miraculis clarus.

D

EX MS. VETERI GR.

25 Haud multò pòst inimicis ille Ecclesiæ Christi aper, multorum reatum scelerum vno supplicio luid inque sacris locis, in quæ nequiter debacchatus fuerat, g turpiter vitam amisit. Quare, densâ caligine paulisper disiectâ, obscurus quidam libertatis sol, tenuissimis nubibus sublucens emersit. Tunc igitur sancti viri discipuli assumptâ fiduciâ in insulam nauigio aduecti, præclarum illud, & splendidissimis gratijs effulgens corpus cum arcâ sublatum, adducunt in locum quemdam duodecim stadiorum interuallo à monasterio dissitum, h cui nomen esse aiunt Hiera i & in templo S. Procopij Martyris deponunt.

Leonis obitu, g

corpus refertur Hieram in ædem S. Procopij: h i

26 Hic ille, qui eos, à quibus honoratur, honoribus afficit, vt futuræ illius gloriæ Sancti sui statum declararet, incolas omnes illius regionis munerum ipsius fecit esse participes. Confluebant enim, vndarum instar qui morbis grauissimis, nec vllam curationem admittentibus, laborarites, illius impertiri bonis satagebant; & quidem à dæmonibus vexati, inuitis, ac dolorem suum clamore nimio gemituque testantibus, cùm adhibitâ vi huc pertraherentur; solo arcæ contactu, siue etiam aquâ arcæ attactu delibutâ, ab spirituum nequam vexatione soluti, Deo, qui per illum sanos effecisset, quas par erat gratias agentes, domum reuertebantur: qui autem clàm eâ peste laborabant, eâdem se necessitatę prodentibus dæmonibus, athletæque iussu diffugientibus, ab ijs liberi reddebantur. Paralytici, qui vix in lectulis suis gestari poterant, Sancti virtute corroboratis membris, lectulos humeris reportantes, reuertebantur cum laudibus. Cæci, qui omni corporis lumine destituti, aliorum manibus ducebantur, & oculos, veros vtique duces suos, quæsituri aduenerant, voti compotes facti, sine labore ita redibant, vt ductricis manus necessitatem vnà cum cæcitate effugerent.

E *ubi miraculis clarit;*

27 Claudi, qui vt accedere illuc possent, ea membra corporis, quibus gradi insuetum est, humi fœdè traxerant, aut alienas manus ad iter fuerant mutuati, caprearum in morem, rectis tibijs saliendo discedebant: aurium verò alij vel loquelæ priuatione mulctati, aliorum fabulantium cùm sermones audirent, pari cum eis voce gratias referebant. Fæminæ quoque, quæ perpetuo fluxu sanguinis laborantes, insiti caloris discessu tendebant ad mortem, non Domini fimbriam, sed serui contingentes arcam, mirabiliter exsiccato fluxu, in referendis memori animo gratijs perennes ęmulabantur fontes. Chirographum flagitiosis actionibus plenum, cùm obsignatum arcæ admotum esset, sic omnes mundum aspexerunt, acsi nihil vnquàm in eo fuisset scriptum: cunctique Apostolicam k potestatem ex huius arcâ manantem suspexerunt. Verùm, quis sermo eorum, quæ tunc ab ipso gesta sunt, multitudinem sigillatim valeat enarrare, cùm ne in genere quidem exponi facilè queant? Quis ea consignare scripto sufficiat, quamuis illi linguæ decem, decemque ora felici fato obtigissent?

F

k

28 Integrum igitur annum in templo illustris Christi Martyris Procopij commorati, ne supplices à diuinis beati viri muneribus exquirendis retraherent, vix tandem aliquando iter ad monasterium illius rectà intenderunt, quadripartito ordine circa feretrum ipsius collocantes sese: medio enim inter Patres loco constituti viri nobiles in humeros sublatum, velut arcam quamdam gestabant; in quâ non vrna erat ingrati populi cibum conseruans, & lapideas tabulas, & virgam.... l corporis, qui virtutem omni reprehensione

& post annum in monasterium reuehitur.

l

A superiorem ostenderat, innatâque tranquillitate obtuderat aculeos inuidentiæ; qui caritatis insignijs eximiè claruerat; qui fide, qui nihil ambiguum est, in primis obarmatus, aduersariorum per eam munitiones euerterat; qui spe Christi firmissimâ velut thorace munitus atque protectus, hostium tela prorsus inania stultaque ostenderat; qui donorum Spiritus fluminus erat; qui pectus omne, quibus affluebat gratijs, exhilarabat; qui in Ecclesiæ firmamento sol erat occasum nesciens, ac lucidus semper; qui hæreticorum oculos doctrinæ splendore perstrinxerat, piorumque animos ad fidem inculpatam direxerat. *Ex MS. Veteri Gr.*

33 O ægrotantium medice: ô peccatorum propitiatio, largire mihi celerem mearum ægritudinum curationem: vt recuperatâ sanitate, rursùm ad te supplex accedam, grati animi testimonium afferens. Libera me à periculis, quæ quotidie imminent, vt cùm pulcherrimis factis pro viribus incubuero, illorum te auctorem perspicuè agnoscam. Ignorantiæ, ac iuuentutis meæ delicta diuinâ aboleri clementiâ exorans, vti quondam illius, qui tuo chartam imposuit loculo, præclarum te mihi patronum ante Iudicis tremendum tribunal ostendito. B Pessima incitatæ contra nos inuidiæ tela mirâ dexteritate retundens, ab inuidorum peste tutos integrosque conserua: vt salutis semitam præsidio tuo citra offensionem conficientes, venerandi tui certaminis trophæa lętis animis celebremus; in Christo Iesu Domino nostro: cui gloria & imperium.... *Oratio Auctoris ad Sanctum.*

a *S. Tarasium significat, qui annis* XXII *sedem tenuit ab anno* V *Constantini & Irenes vsque ad annum Nicephori similiter* V, *quo toto tempore inconcussa constitit pax Ecclesiæ. Vitam dedimus* XX *Februarij.*

b *Vtpote filius Bardæ Armeniacorum Ducis, qui Anno Chr. 781 Irenes & Constantini I ob coniurationem pro asserendo in imperium Nicephoro Excæsare initam, cum complicibus post verbera & detonsos capillos relegatus legitur apud Theophanem.*

c *Quas vide accuratè descriptas in Appendice ad Theophanem: & propter quas Nicephorus Patriarcha Chamaleontem eum vocitare consueuerat.*

d *Michaelem Curopolatem intelligit, piissimum optimumque Imperatorem, cuius laudes multis Theophanes celebrat, qui* Leonem filium Bardæ Armeni, *vt ait auctor appendicis,* qui læsæ maiestatis reus plagis impositis à Nicephoro tonsus in monachum & in exilium eiectus fuerat, demùm reuocauit, & Patriciatus honore decoratum, Orientalis exercitus creauit Ducem. *Quo ille honore contra benefactorem abusus, cladis à Bulgaris accipiendæ causa fuit, vt Imperium in se auerteret à Michaele, tamquàm ignauo & Reipublica administranda inepto.* C *Michael Imperio spoliatur à Leone Armeno.*

e *Nicephorum Patriarcham, eum ipsum, à quo ante menses* 22 *fuerat Imperator coronatus, vt in eius Vitâ die mox secutura videbimus.*

f *Facta sunt hæc auctoritate Pseudosynodi ad Blachernas conuocata, quam septimam dicebant, ad quam conuenientes irreligiosi Episcopi quidam omnia ad tyranni egêre libidinem,* Metropolitas & Episcopos orthodoxos per vim tractos in medium conculcauerunt pedibus, & proprio sanguine infectos militibusque traditos in custodias & carceres detruserunt, ibique diebus aliquot detentos, rursùm eductos, & examinatos, morem dictis suis gessisse non reperientes, in exilium miserunt; monito de ijs Imperatore, quos ille insuper in exilio positos missis tortoribus varijs affecit supplicijs. *Hæc & plura auctor Appendicis sub finem.* *Iconomachorum insolentia,*

g *Audi Cedrenum:* Imperator insidias sentiens in penetrale altaris se subduxit dereptâque thuribuli catenâ, aut (vt alij perhibent) diuâ Cruce ictus percussorum excepit: verùm illi non singuli sed facto cuneo irruentes, alius capiti, ventri alius, alius alij corporis parti plagas intentabant. Leo aliquamdiu Cruce se defendit ictibus gladiorum repulsis, donec feræ instar vndequaque appetitus succubuit. *Leonis cædes.*

h *Qui ex Veneto Codice textum Græcum descripsit* ἱερὰ *legit, punctisque notatis indicauit paucula quædam sequentia à se legi minimè potuisse; vnde suspicor non* ἱερὰ *sed* ἱερὰν *legendum fuisse: maximè cùm primus apud Lipomanum interpres verterit* in locum quemdam sacrum dictum. *Ptolemæus vt in Prolegomenis dictum* Hieram Germam *appellat, Stephanus simpliciter* Germen, *ad quem locum sitè. Hellesponto enauigato, fluuio deinde subuecti sunt ij, qui corpus afferebant, sive eo vitato, per Troadem terrestri ad sua rediêrunt itinere, consequens est monasterium 12 stadijs longiùs abfuisse Cyzico quàm Hiera aberat.* *Hiera-germa,* D

i *Hæc in apographo impresso deficientia ex prima versione texto supplentur.*

k *Peccata scilicet remittendi Ioannis 20 v. 23 Apostolis concessam.*

l *Folium hîc vnum desiderari Combefis obseruat, eumdemque in Lipomano esse defectum, etsi, quo ille vsus est, interpres cuncta connectat, velut si nulla esset lacuna: responderit illud alteri folio quod in principio deesse vidimus, & vt illud habere debebat desponsationem ipsius, matris mortem, nuptiarum solemnia: ita hoc miracula quædam habuerit in ipso monasterio post relationem patrata.*

ALIA VITA

auctore (vt videtur) Metaphraste.

Ex MS Græco Biblioth. Sfortianæ Romæ.

PROLOGVS

1 QVemadmodùm vernans pratum, varijs distinctum floribus, dispositarum aptè inter se areolarum fragrantiâ inspicere volentes oblectat, locumque commutantes è loco, eodem vnde abierant cogit recurrere, aut saltem oculos spontè obliquatos reflectere, eumdem planè in modum Christi Ecclesia, eorum, qui à seculo sunt Sanctorum multiformis exempli compta ornatu, ad diuinæ laudis confessionem audientes impellit, ijsque quibus vnum ex alio festum indicitur, exultabundi incitantur suum cuique dierum mutatis appellationum vicibus honorem deferendum publicare. Ad hoc enim, & ij, qui ceteris magis sunt religiosi, concurrunt, satagentes suam adaugere virtutem & desides alias atque insensati conuersationis suæ damnantes ignauiam, animum coguntur inducere ad pietatem. Volenti igitur dilectissimi sanctum prædicare virum attentas præbete aures, atque hodiernæ diei, de eo narrationem promptè sapienterque suscipite? Hic autem quis? ille, ille inter ascetas celebratus Theophanes, magnus orthodoxæ defensor religionis, verè propugnator doctrinæ; qui sæuire volentibus alacriter se tradidit, & regnantis impietatem facundâ redarguit eruditione; qui à primâ pueritiâ in vitâ, opere, ac sermone excultus, ea, quæ vulgò videntur suauia, omnino despexit, continentiam coluit in coniugio, & temporales diuitias dispartiens pauperibus, iustitiam, vt ait inter Prophetas Psalmista, manentem in seculum seculi sibi thesaurizauit. *Vitæ Sanctorum Ecclesiam ornant.* *in his Theophanes,* E *Ps.111,8.*

2 Cùm igitur memoria iusti sit recolenda cum laudibus, ne meæ quæso imputetis præcipitantiæ laudibus efferentis eum, cuius nedum vitam enarraui. Et verò congruum fuerat eam præmittere: sed quoniam sapientibus sanctisque *a* viris nonnullis adnitentibus distinctè expositam habemus huius beati ab ipsis vsque natalibus conuersionem, propensionemque ad Dei cultum: ipsam quoque eius in monasticâ vitâ exercitationem conuersationemque purissimam; nec non deficientiam imperfectionum, & rectæ fidei ostentationem atque in molestijs perferendis constantiam, quibus vita eius magis quàm auro, margaritis, lapidibus pretiosis ornatur: equidem vt ijs adderem aliquid, minimè adduci potui: sed quæ dispersa fuerant: ex illis ipsis narrationibus in vnam, vt lapidarij solent, compagem colligenda putaui: sciens quòd qui impossibilia facienda suscipit, omnem agendi rationem indecorè peruertat. Compendiosâ igitur narratione *Prou.10,7. descriptus à varijs,* *a* *hic compendio propositus.*

A ratione vsus rudem dumtaxat quamdam rectè factorum eius complexionem concinnaui.

a Inter alios S. Methodius Patriarcha; vt dictum in Proleg. num. 16.

CAPVT I

Natales, coniugium, vita in seculo.

Parentibus nobilibus & orthodoxis,

3 BEatus iste, Patres Fratresque carissimi, ab Christianæ religionis signaculo nomen adeptus, nobilium & dignitatibus conspicuorum parentum filius fuit, quique Constantini Copronymi tempore vitam ex rectæ fidei regulis, occultè tamen, instituebant. Et verò ex tali suæ natiuitatis principio debebat refulgere hæc stella, quæ à Deo in carne manifestati mysterij congruum habitura nomen erat: neque enim purissima hæc margarita hodie proponeretur nobis, si in illâ peruersarum opinionum caligine genitores eius propalàm non coruscassent pietate. Cùm autem ijs vnigenitus esset, à puero diuinas edoctus litteras atque ad totius Scripturæ initiatus cognitionem, ne profanâ quidem sapientiâ deficiebatur: sed quidquid in eâ B esset pulcherrimum colligens, id intra mentis suæ thesaurum abdidit; quod verò fabulosum erat, longè illud valere iubens, prout conueniebat, despexit. Eo admodùm iuuene adhuc & necdum pubertatis annos ingresso, parentes eius hinc ad Dominum emigrarunt, & solus ipse inter copiosas remansit diuitias; supernâ forsitan id ita disponente prouidentiâ, ne eorum amor obex ei fieret rectâ ad Deum viâ perrecturo.

pupr orbatus,

4 Postquàm verò sacrilegus Constantinus a turpem turpiter efflauit animum, imperium Leo suscepit, materno cognomine b Chazares appellatus; quo regnante patricius quidam ipsi cognominis fuit, barbarus omnino atque efferis moribus, hæreticique agminis infidelitate socius, auctoritate defensor: quæ eum impietas ita Imperatori conciliauit, vt & conuiuam quotidianum ad mensam, & amicum in omnibus coniunctissimum haberet. Hic, vbi quanta esset beati iuuenis opulentia didicit, filiam suam Theophani iunxit, Imperatoriæ iussionis terrore vsus ad eas nuptias conciliandas; quibus pro vtriusque dignitate instructus est thalamus genialis; Theophane ægrè quidem atque reluctanter, ex metu tamen potentioris, ea vt fierent permittente. Ergo nuptiarum solen- C nijs ritè auspicatoque celebratis, cùm vesper incubuisset, pientissimum iuuenem atque illustrissimam virginem solos inducunt in conclaue, ad delicias voluptatemque eo, quo decebat, apparatu instructum. Vbi dum omnes sopor altus & nox profunda latè diffusa tenet, per illa consilijs suis opportuna silentia ad puellam conuersus adolescens, eam est in hunc modum allocutus.

tandem vxori inuitus coniungitur:

ipsam ad religiosæ vitæ propositum post breuem coniugij vsum adhortatus,

5 Præsens quidem vita, coniux carissima, breuis est, vt notum omnibus, & magnâ plerumque futuri incertitudine tenetur; iudicium autem seuerum manet eos, qui in hac vitâ bonis & voluptatibus affluunt. Ideo, quamuis coniugij vsus minimè reijciatur à Deo, ipse tamen, quæ eum comitantur seculi curæ, plenam diuino spiritu mentem euacuant alienantque, nec sinunt puris oculis intueri futura. Nouimus Lazarum in Euangelijs per eas, quas hic tolerauit miserias, in Abrahæ sinum fuisse delatum; & in gehennâ ardentem diuitem ne hoc quidem obtinere potuisse, vt ad se dimitteretur Lazarus: cui, cùm etiam aquæ gutta negaretur, illud funestū insonuit: Recipisti bona in vitâ tuâ. Neque verò ex Euangelicis beatitudinibus vlla continet bonorum promissionem diuitibus factam; sed flentibus nunc, quia istic ridebunt; aut pauperibus spiritu, aut persecutionem sustinentibus propter iustitiam, vel contumeliâ propter Christum D affectis. Atque: vt vno semel verbo absoluam, Angusta porta & arcta est via, quę ducit ad vitam: lata verò & spatiosa, quę ducit ad perditionem, adeò vt impossibile omnino sit nobis tribulationem euadere. Si namque in hac vitâ iucundè vixerimus, in futurâ nos tribulatio excipiet. Quapropter, si placet, carissima, corporibus ad modicum tempus coniuncti propter patris tui insolentem ferociam, subducemus nos ipsos salebrosæ huic atque inquinatæ conuersationi, vitamque monasticam amplectemur, vt æternâ requie perfruamur.

EX MS. GR. SFORTIANO

Mat. 7, 14.

vicissim ad eas,

6 Quid ad hæc pia mulier? num renuit? num aliquid præter decorem locuta, Cur speciem inuentutis meæ obscuras, dixit; méque speratâ felicitate excludens, gaudium meum in lamenta conuertis? Si tu hac, quæ dicta est, ratione saluti tuæ consulere decreueras, non tu solus inter nobiles adolescens es: oportebat ergo, antequàm coniugium iniretur, renuntiare sponsioni, nec meam recens efflorescentem pulchritudinem, velut marcidam reddere. Nihil horum illa; sed, quemadmodum bona terra suscipiens semen, multum fructum profert; ita venerabilis fœmina, egregiâ sponsi adhortatione roborata, alacriter annuit, atque E respondens, Haud equidem diuinarum, inquit, ignara sum promissionum, suauissime sponse: etenim manifestè in Euangelijs clamat Saluator noster, qui non relinquit patrem & matrem & vxorem & filios & fratres & sorores & domos & agros, & tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Quin igitur puros, si placet, atque incoinquinatos nos sistimus cælesti sponso, etiam externum hominem nostrum immaculatum conseruantes? Quid nobis proueniet emolumenti, si opus est vt nos, quamuis ad breue tempus mutuo, sicut inquis, fruamur amplexu? Quis enim futurum spondebit, quod in illo exiguo tempore sobolem facturi non simus, quæ nata nobis impedimento sit? & quidem si mascula fuerit, pars illi facultatum & affectus resecanda erit: si autem muliebris, en geminum malum; oportebit namque & idoneam matrimonio expectare ætatem, & reliquam ei sollicitudinem impendere. Atqui vitæ finis, vt ipsemet paulò antè dicebas, incertus est, & vitæ huius innumerabiles laquei. Quod si castitatem clàm colentes vixerimus; certa sum, desiderium nostrum ad optatum finem perducendum à Deo.

ad virginitatem mutuo consensu seruandam impellitur.

Luc. 14, 26.

7 Obstupuit ad tam generosam puellæ mentem beatissimus iuuenis, gratioseque respondens, Quod vtile fuerit, inquit, manifestabit nobis Deus. Ergo totam egêre in precibus noctem, Deum inuocantes, vt sibi eam in rem consulere atque prospicere dignaretur: circa auroram verò contigit, vt obdormiscerent F ambo, & vnum idemque eo tempore somnium viderent: viderunt autem quemdam eximio fulgentem decore, qui placidâ ad eos voce vtens: Dominus, inquit, propositum animi vestri suscipiens, misit me, vt signarem vos ad hoc, vt intactos vos integrosque sibi offerretis. Et continuo per totum corpus eos consignans ex oculis euanuit intuentium: qui cùm euigilassent, & quæ viderant sibi inuicem absque vllâ diuersitate narrassent; datâ Deo gloriâ, qui tam facilè inuenitur quærentibus se, de cetero specie quidem vt coniuges, reapse vt germani inter sese vixêre. O rem miram! Nouit Dominus qui sunt eius, & quoniam solum Deum exquisierunt, continuò auxiliator atque adiutor pro desiderio ipsis inuentus est. Quid hoc inferius eo miraculo, quod circa tres pueros in fornace gestum admiramur? istic Angelus vrentem flammam ignis in ventum roris flantem commutans, illæsos seruauit illos: hic similiter Angelus concitum igneumque voluptatis ardorem in rorem continentiæ transformans, sponsos custodiuit innoxios, atque ignem cum fœno docuit citra damnum coniungere.

ad quod diuinitus vterque per Angelum animatur:

Dan. 3, 50.

8 Nunc

A EX MS. GR. SFORTIANO

largis eorumdem eleemosynis offensus socer,

8 Nunc quoniam conuersationem Sancti à natiuitate ad matrimonium vsque abundè declarauimus: agite, Christo dilecti, & ex certaminibus eius specimen demùm aliquod auditui vestro ad communem admoueamus instructionem. His igitur diuino nutu ad eum modum constitutis, cùm magnos breui thesauros pauperibus latenter diuidissent, aut potiùs ipsis sibi per eorum manus condidissent; latere diutiùs puellæ patrem non potuêre, seuerum vtique, immitem, inhumanum, atque ab omni commiserationis alienum affectu. Cognoscens ergo infelix eam, quam noui nupti optimam instituerant, mercandi viam, & quod cognouerat non pietati imputans, sed infelicitati maximæ: in palatium ad Imperatorem progressus, ita fatur: O me calamitosum, Imperator, propter generi mei in inertiam! opes enim suas pessimis dilapidans modis; ne filiæ quidem neç substantiâ abstinuit, & eius maximam iam partem disperdidit: sed neque liberorum ex eo procreatione infelix filia mea digna inuenitur: ideòque per omnia miserum eum atque ignauum censeo, quem omine planè infausto cognouit. Sed si maiestas tua annuat, vt senectus mea ab eiusmodi paululùm respiret & releuetur inertiâ,

de genero queritur apud Imperatorem,

B procul eum iubebis amandari, publicis alicubi negotijs vacaturum, ne demùm penitus spoliatis filiola mea annumeretur. Equidem vnde edoctus sit, insanam illam viuendi normam intelligere nequeo, qui instar æneæ statuæ immobilis permanet ad desideria voluptatum; quodque etiam molestius accidit, velut vsuuenit sæpè, quidquid ab obuio quouis fuerit postulatus facillimè præbens, vt mente capti facere sæpe solent, suis quotidie priuatur opibus, in eos maximè liberalis, qui pauperiem simulant. Profectò ne filiorum quidem ei copia suppetet, nisi quantocyùs ab eâ quâ cingitur inopiâ factus prudentior, idoneus fiat rebus suis retinendis.

qui eum publici negotij caussâ Cyzicum ablegat,

9 Ergo accersitus continuò ad Imperatorem Beatus, ablegatur ab eo in partes Cyzicenas, publicorum quorumdam negotiorum gratiâ: erat enim regiæ dignitatis in aulâ, non tamen eorum, qui principem locum apud eum obtinebant, sed minister equorum regiorum *c* elegantiorum inter eos, quos *d* Stratores consueuit *e* Ordo nominare. Quod cùm ille mandatum accepisset, lætitiâque ex eo esset non vulgari perfusus, tamquàm cui noua diuinitus offerretur occasio mundi penitùs deserendi: quidquid ad iter necessarium erat quàm breuissimè apparauit, simulatoque infirmitatis prætextu famulos omnes suos per Cursum

C præmisit, ipse verò celocem conscendens, ad Magni *f* fluminis peruenit ostium: ac denique ei quæ istic est regioni appropinquans, tranquillo cursu iter conficiebat suum, quando lustrans prærupta eius, qui in Sigrianâ est, montis littora, diuinâ quâdam prouidentiâ profundi cuiusdam præcipitij lucum inuenit, siluestrem planè ac cauernosum; ad quem è nauigio descendens, atque exscensione factâ, solus tædio itineris compulsus abijt, ceteris in naui imperans, sese vt ibidem quieti expectarent.

ille ad Sigrianam exscendit,

10 Recognoscens verò diligenter locum, atque ad exercitationes spiritus peridoneum vtilémque inuenisse gauisus, in partem sese oraturus recepit; Deum deprecans, vt, quod expediens esset, id sibi reuelaret. Diuturnâ autem multarum horarum genuflexione deficiens cùm paullulùm resedisset, velut in ecstasi factus est, oculisque vigilantibus vidit eum, qui priùs in thalamo sibi apparuerat, splendidissimum virum; qui manus extentæ digito locum designans: Tuus quidem, inquit, socer, eiusdemque cum eo mentis Imperator intra exiguum tempus ex hâc vitâ discedent: tunc autem bonis tuis, nemine se opponente, in pauperes liberè distributis, huc adueniens acceptam Deo vitam institues. Hoc igitur apparitione edoctus Beatus, quæ ad suam conducebant vtilitatem, atque

& de vita istic ducenda diuinitùs monetur:

D ad Cyzicenas partes paullò pòst appulsus, iniuncto sibi negotio quàm citissimè confecto, rectum Constantinopolim cursum tenuit: & quæsitorum à se congruam reddens Imperatori rationem, altiori etiam gradu est ab eo honoratus, atque inter *g* Spatharios allectus, ibidem deinde vixit cum sponsâ, præstolans exitum visionis, quem & subsecutum vidit.

a Anno 775 contra Bulgaros egressus, correptus est anthracum morbo, in crura sibi diuinitus immisso, & febri subinde vehementissimâ, & ardore Medicis ob incendij vim ignoto afflictus, subditorum humeris grabbato delatus Arcadiopolim, inde Selymbriam profectus 14 Septembris, naue conscensâ ad Castellum Strongylum deuectus, infelicem in in nauigio mortem obijt, vociferans ac dicens: Etiam viuens igni numquàm extinguendo addictus sum. *Hæc Theophanes.*

Copronymi mors,

b *Non proprio, sed gentis nomine Leonis matrem* Chazaram *vocatam existimo: fuit enim, vt Theophanes ait,* Chagani Chazariæ Principis filia, *Christiano dein nomine dicta Irene, laudatissima Imperatrix, ob restitutam Leone mortuo orthodoxiam.*

Irene Leonis mater,

c *Eorum scilicet, quos συγτὺς βασιλικοὺς ἵππους* equos regios ad manum ducendos *appellat Codinus Curopalata c. 5. n. 11 in quorum vnum cùm Imperatorem Stratores leuassent, sequebatur vacuorum equorum magnificus comitatus: cuius instituendi originem Codinus ad Imperatorem Theophilum refert, qui cùm aliquando equum, cui insidebat, cessisset mulieri, eum vt vi raptum vindicanti; eóque coactus esset primò obuium conscendere, constituerit vt in omnem euentum deinceps sequerentur equi sessoribus vacui.*

equi συγτὺς βασιλικοί.

E

d Stratorum munus erat equum freno tenere & conscendenti Imperatori opem ferre: *ita in Cedrenum Goar, nominatis quos sequitur auctoribus, explicans quid muneris haberet* Protostrator, *quem* Stratorum *&* Comitem *&* Domesticum *vocari nonnumquàm, & Senatorij ordinis haberi, & decrescente imperio, aciem sæpe duxisse ostendit.*

Stratores,

e *.1. Officiorum ac ministeriorum curialium nomenclatura ac distributio.*

f *Fluuius hic Olympenos diuidit à Sigrianis: Ptolemeo & Plutarcho (inquit in Thesauro Ortelius)* Rhyndacus *nominatur: olim* Lycus *dictus, Plinio teste: at recentiori nomine, vt est apud Apollonij Scholiasten,* Μέγιστος Maximus.

Rhyndacus fluuius.

g *Ita dicti à spathis id est latioribus gladijs, quos gestabant, Imperatori ad custodiam corporis circumpositi nobiles: quorum Præfecti Protospatharij nominantur: & plures fuisse colligit Goar ex Eustratio in Iure Græcorum quatuor simul nominante: ex quo tamen non puto rectè deduci omnes Spatharios Protospatharij titulo honestiori consueuisse appellari: quidni enim Spatharij maiori numero fuerint; quibus in centurias distributis sui sub vno capite centuriones essent, etiam ipsi vel Sparthàrij vel Protospatarij nominati? quidni plures non ad ministerium sed ad dignitatem fuerint Protosphatarij dicti; cùm his sæpè prouincias commissas legamus? vt Sergium illum Siciliæ Ducem sub Leone Isaurico apud Theophanem.*

Spatharij,

CAPVT II

Theophanis monachatus & pro imaginum cultu certamina.

11 Neque enim multum effluxit temporis, quin finem vterque viuendi faciens, plenam ipsis relinqueret libertatem, suis pro arbitrio rebus vtendi; quas continuò inter pauperes diuiserunt, famulis etiam domesticis libertate donatis: ipsi verò pannoso induti habitu sibi inuicem valedixêre; beato viro mulierem piam confirmante monitis salutaribus, vt diuina obseruaret mandata, spiritualem erga proximum exerceret caritatem, orationi sinceræ atque imperturbatæ vacaret pro viribus, vitam irreprehensibilem, summamque teneret humilitatem: eique in recessu dicente: Saluans salua animam tuam. Ita illi conuictu sunt ab inuicem seperati: qualem autem vitam duxerit pientissima illa mulier norunt omnes, quotquot *a* Bithyniæ regionem incolunt: quomodò scilicet voluntariè diuendita ad seruilem se gradum dimisit: agnita verò ab aliquibus inde aufugit. Quis porrò complecti scripto posset omnia eius siue in Principe, siue in Calonymo certamina, vbi patrandorum quoque miraculorum in eâ eluxit gratia: maximè cùm præclarè ab eâ factorum pars ad legentium vtilitatem vulgata

Secedit ab vxore:

qua sanctitate clara,

laudatur à S. Methodio,

A vulgata noscatur à sanctissimo Patriarchâ Methodio in eâ scriptione, quam de ipsâ beatoq; ipsius viro composuit.

Ipse in Sigrianâ fit monachus,

12 Quid autem beatæ memoriæ Theophanes? conscensâ naui Sigrianæ expetijt littora, atque excensione ibidem factâ; celeriter properauit ad præcipitium illud siluosum, in quo corpus suum multis domans annis, monasticoque indutus habitu, à *b* Christophoro, splendidissimo illius æui & regionis astro, & ipse quoque celebris exinde effectus est: neque enim abscondi poterat ciuitas supra montem posita. Cùm verò de die in diem confluerent ad eum, qui angelicam viuendi formam sub eius institutione amplexabantur, solitudinem illam conuertit in monasterium, quod vsque nunc & deinceps diuinis efflorescens virtutibus monstratur monstrabiturque. In hoc spiritualiter decertans, germanus sanctissimæ Trinitatis mystes, maximarumque visionum contemplator effectus est. Sufficiebant autem ei vilis in lectum storea, cilicium in operimentum & lapis pro puluinari: nulla fuit in amictu eius ostentatio, nulla mollities, nec fuit in eo fullonibus laborandum; B non equum, non mulum vnquam ad suum possedit vsum; coquorum artificia in congrui sibi victus apparatu nesciuit, nec odorato vino palatum irrigauit suum; sed cibus ac potus ei durissimus panis & aqua permodica fuit.

atque cum socijs asperrimè vitam instituit,

Ad Synodum VII, in quâ restituta sunt omnia,

13 Intereà contigit vt Imperatore vitâ functo, atque Irene cum filio Constantino regni gubernacula piè moderantibus, post mortem *c* Pauli, eius, qui Monachus fuerat ex Patriarchâ effectus, ab Imperatrice, Senatu toto, eorumque qui rectam in opinionibus doctrinam tenebant delecto cœtu, Patriarcha Constantinopoleos crearetur Tarasius, veræ fidei sanctissimum lumen, Synodusque Oecumenica conuocaretur, à quâ cõfirmatæ sunt eæ, quæ ipsam præcesserant, sanctæ sex Synodi; anathemati subiecti *d* Constantinus *e* & Nicetas hæresiarchæ & fraudulenti Patriarchæ; Germanus *f* sanctissimus Patriarcha inscriptus diptychis; stultusque iconomachorum error submotus è medio, & tamquàm aranei tela est dissolutus. Conuenerant autem ex omni vndique regione Patres *g* atque magistri, & Apostolicarum Sedium Vicarij, ac Monachorum Primores: *h* Plato, inquam, illustrissimum illud sidus ex ijs, qui sunt Sacudeonis, *i* Nicetas C atque Nicephorus cunctis memorandi Patres ex monasterio Medicij, præfatusque *k* Christophorus ex Paruo-agro. Tunc spiritualis huius congregationis euocatione Beatus quoque Theophanes ad Synodum venit, velut lucidissimum sidus; vi quidem coactus ille; venit tamen: quamuis quietem sectaretur semper summeque diligeret, strepitum multitudinis exosus.

accedit humili in habitu,

14 Et illi quidem omnes adueniebant cum magno equorum, mulorum, pedissequorum ac *l* veredorum multitudine: Pater autem sanctus, vt verè Pater, cilino pallio suo ac baculo pastorali. Ceterùm cùm veneranda Synodus consedisset, non despexêre Patres, humili quamuis habitu conspectum, Patrem, cùm præ omnibus pietate coruscasset; sed ad edicendam publicè sententiam inuitarunt. Nouerant enim, & optimè nouerant, quàm dignus Spiritus sancti operarius esset. Ille verò paucis multa complexus, rationibus ex naturâ, Scripturâ ac disciplinâ petitis redarguit & obmutescere fecit arrogantes execrabilesque Iconomachos, Ecclesiæque pristinum restituit decus. O miraculum! quid eo dici magnificentius potest? nempe spirat vbi, & quantum vult Spiritus sanctus. Quibus ita gestis, Patribusque ad sua reuertentibus, rursùm se Beatus recepit in monasterium recens à se fundatum, ipsique simillimum cælo: vt enim in cælo sol cum astris lucet, orbem illuminans vniuersum illustrationis suæ splendore; eodem modo in terrâ Beatus, cum suis in spiritu delectis monachis, & in sancto D agone sodalibus, toti resplendens orbi, eum angelicæ suæ conuersationis fulgoribus illustrabat.

& magna cum energia sententiam dicit.

EX MS. GR. SFORTIANO

Leo Armenus iterum ecclesiam turbat, imagines euertendo,

15 Diffundebantur igitur quaquauersùm Orthodoxiæ radij: post annorum verò aliquantorum decursum diuinâ permissione surrexit Priori cognominis Leo, qui statim vt declaratus est Imperator, sacras imagines subuerti præcipiens, Ecclesiæ pulchritudinem exstinxit: & tamquàm ferus aper afflixit cœtum orthodoxorum, quibus verè tunc dicere licebat: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, & ea quæ sequuntur. *Ps. 78,1.* Orthodoxæ enim fidei defensores propugnatoresq; Patres malâ morte sustulit, multis eos verberibus pressurisq; subijciens, in quibus & Theodorũ sanctissimum Studij Archimandritam, quòd stultum eius edictum damnaret, post diuturnam vexationem in exilium expulit: fraudulento verò animo ad B. Theophanem blandas destinauit litteras, quibus eum rogabat, vt pessimæ suæ subscribens sententiæ, ad se accedere ne grauaretur: ad quas ille in hanc formam rescripsit.

cuius litteris

generosè Theophanes respondens,

16 Noueris Imperator eum, qui tibi Imperium E largitus est, per quem Reges regnant, & tyranni dominantur in terris: Noueris, inquam, quomodò Deus incircumscriptus cùm sit, tamen circumscribi dignatus sit, nostram assumendo naturam, similis nobis factus per omnia, nisi quòd peccatum non habuerit. Secundùm quam naturam suscitauit mortuos, illuminauit cæcos, mundauit leprosos, cetera; ex ordine operatus est miracula sua: secũdùm quam eamdem spontè mortẽ subijt, Iudæorum illatam vesaniâ, tertiâq; resurgens die in cælos gloriosè ascendit, à paternæ dexteræ numquàm seiungendus consessu. Hanc naturã quia Euangeliorum nos codex docet, ipsum reuerenter amplectimur, credimusque Christo nos exhibere honorem. Quòd si illum amplexi non accusamur: quomodò iure merito accusabimur, si voluerimus suscipere & venerari eiusdem sententiæ historiam imaginibus adumbratam, per quas ij quoque, qui ad nos ex barbaris fide Christi imbuendi accedunt, totam rei gestæ veritatem facillimè edocentur? Quàm multi litterarum rudes dum diuina miracula, ipsis, vt sic dicam, conspiciunt oculis, eum qui pro nobis passus est glorificant Christum, quorum tu saluti inuidisti? Quod vnquàm Concilium pronuntiauit infandum id esse sacrilegium? Numquid non ipse Christus proprij vultus imaginem nullo formatam manuum adminiculo *m* Ancaro transmisit? numquid non Deiparæ Virginis expressam coloribus similitudinem *n* Apostolus Lucas nobis tradidit? Quid verò & traditæ à Patribus F doctrinæ oppones? Etenim *o* Basilius ille ineffabilium scrutator mysteriorum, Imagini, inquit, delatus honor ad prototypon transit: similiter aureo suo ore Ioannes: Ego fusam quoque è cerâ imaginem dilexi. Nec non *p* Cyrillus Spiritus sancti cythara: Sæpiùs vidi, ait, expressam imaginem passionis, nec absque lacrymis visam transiui: & reliqua. Si ergo priora sex Concilia sacras imagines relatiuè ad sua prototypa adorari minimè improbarint, tu illis sapientiorem te reputas? Tuum est, Imperator, bellare aduersùs hostes: doctrina Ecclesiæ Patribus curæ erit.

rationes,

& auctoritate adstruit imaginum vsum,

ideo euerso monasterio, comprehensus,

17 *q* Hæc missis ab Imperatore litteris cum reposuisset Beatus, tantam viri constantiam non perferens tyrannus, quemdam in dignitate constitutum ablegauit, per quem monasterium ad ipsum vsque pauimentum exussit, monachos verberibus mulctatos dispersit, Beatumque virum comprehensum ac vinctum Byzantium adduxit, atque de mandato tyranni in obscurum cõpingens carcerem, multis afflixit diebus. Quâ id fiduciâ? nempe quòd speraret emollitam animi sancti fortitudinẽ facilem fore ad consensum impietati præstandum. Pridie igitur quàm ipsum accerseret Imperator, adduci *r* iussit prædictum Theodorum Studij

Hegu-

EX MS. GR. SFORTIANO

A Hegumenum, quem diu multumque propositis terroribus tormentisque tentatum, ijs percellendum existimans, cùm ipse ab eodem econtrà liberè increparetur, velut qui intuentem corda Deum non cognosceret, exilio confusus addixit, prolatâ aduersùs Sanctum sententiâ. *& pòst exilio mulctatum*

18 Posterâ verò die Beatum quoque Theophanem coram se sisti iusserat: compellatus autem Imperator à symmistis suggerentibus, quòd indecens omnino esset maiestatem imperatoriam ab aliquo vilium istorum hominum redargui ac vilipendi; maximè ab hoc iam accersiri iusso, qui præ ceteris omnibus in eius conspectum adductis, insolens sit; & propter peruicacem proteruiam suam austeritatemque insigni aliquâ contumeliâ affecturus potestatem ipsius, impetum suum repressit: mittens quemdam è primoribus cum imperio, vt trecentis taurearum plagis pectore ac dorso laceratum, denuò recludi iuberet in carcerem. Postridie verò cùm idem denuò tormentum esset illatum Sancto, nec quidquam eum remisisse appareret de firmâ in Deum fiduciâ, desperans infelix propter tantam sancti viri alacritatem, sententiâ contra ipsum B latâ, misit eum exulem in insulam Samothracem, quæ in eius, quod ad *f* Maroniam est, maris partibus sita est, squallida admodùm *t* & grauis omnibus accedere volentibus: in quâ fame, siti, & augustijs pressus Beatus per annos aliquot; ex hac vitâ demigrans ad meliorem transijt, corpore & animâ absque noxâ seruatis: cuius sanctis precibus, auditores dilecti, corroboremur, Christo benignissimo Deo nostro, vnàque Patri principij experti, atque viuifico Spiritui gloriam & gratiarum actionem referentes, nunc & semper, atque per omnia & interminata secula seculorum. Amen.

S. Theodorum Studitâ, sisti iubetur, *sed deinde accessu prohibitus post verbera,* *in exilio sancto moritur.*

a *Asiæ minoris regio est Prouincijs Phrygia, Ponti & Galatia cincta, quam Sangarius multiplici flexu interluit; donec per Pontum tandem in Euxinum deuoluatur.* *Bithynia.*

b *Gregorium habent præcedentia Acta.*

c *Hic* Cyprius *genere, gradu* Lector, doctrinâ & virtute præstans *vltimo Leonis Chazares anno, Christi* 780, quamuis ob hæresim, quæ tunc obtinebat, multum reluctaretur, Patriarcha fuit per vim institutus. *Vim autem in eo potissimum passus cognoscitur, quòd inter Ordinationis solennia imagines se numquam adoraturum subscripserit: permansit autem in ea dissimulatione, sanctis alioqui & religiosissimis moribus exemplum Ecclesiæ optimum præferens, ad annum vsque* 784: *quo conscientiæ stimulos mutum pastorem redarguentes diutius non sustinens, atque ex dolore* in morbum incidens, throno nuntium remisit, atque in Flori monasterium se conferens Imperatrice propositi eius insciâ, monasticum habitum induit: ac paullò pòst seriò mo- C nitis, qui ad ipsum fuerant submissi ab Imperatrice, de Synodo conuocanda & corrigendo errore in pace obdormiuit, magno omnium luctu. *Hac ferè Theophanes.* *Paulus Patr. C.P.*

d *Fuerat hic Silai Episcopus atque ab impio Copronymo, post Spendosynodum pro abrogando imaginum cultu in Hieriâ celebratam ann.* 753, 8 *Augusti in Ambonem templi Blachernensis deductus, ipso Imperatore faustam precationem præeunte his verbis:* Constantino Oecumenico Patriarchæ multi anni. *Anno deinde* 764 *ab eodem inductus, vt publicè imaginum cultum abiuraret, multaque suo gradu indigna committeret, paullò pòst in eius, à quo promotus fuerat, odium incidit, ac throno deiectus in Principum insulam est relegatus: anniq; sequentis Octobri mense reuectus in Vrbem, damnatus à successore atque ad ludibrium circumductus, tandem capite plexus est; quam tragœdiam vide apud Theophanem accuratè descriptam.* *Pseudopatriarcha C.P. Constantius & Nicetas.*

e *Hic è Slauis oriundus* 16 *Nouembris anni præfati* 764, *eunuchus cùm esset, præter fas Canonum Imperatoris suffragio coronatus, impietatem suam imaginibus eradendis probauit, mortuus* 6 *Febr. an.* 780.

f *Festum eius agitur* 12 *Maij: de cuius præclarâ confessione in tuendo aduersùs Leonem Isauricum imaginum cultu acturi sumus ad eum diem. Ceterùm de hac illius in diptycha relatione nulla fit in Actis Concilij, prout hoc tempore extant, mentio: sunt autem Diptycha Græcis, quæ Latini Tabulas ecclesiasticas nominant: hac duplicis fuisse generis obseruat Io. Meursius in Glossario, alia viuorum (quales apud nos baptismales libri) in qua nomina baptizatorum atque suscipientium seu Patrinorum referebantur, vt patet ex Pachymeri in Paraphrasi Dionysij: alia mortuorum, non quorumcumque, sed Patriarcharum duntaxat; nec eorum quidem omnium, sed quos fidei integritas ac singularis virtus dignos probauerat publico illo inter Sanctos cultu, quem Latini Canonizationem vocant: hinc grauis illa & diuturna de Ioanne Chrysostomo in Diptycha referendo difficultas, de quâ in Prolog. ad Vitam S. Attici* VIII *Ian. §.* 6 *&* 7, *vnde hac ex Theodoreto hic repeto.* Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti & Orientis & Bospori & Thraciæ communicare voluerunt quàm nomen illius sanctissimi viri in tabulas, quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent. *Donec tandem inquit Socrates* Atticus Episcopus præcepit, vt de Ioanne, sicut de alijs Episcopis solet, in precibus mentio fieret. *in Diptycha referri quid sit?* D

g *Fuit ea Synodus Episcoporum* CCCL; *Hegumenorum aliorumq; è Clero aut monachatu illustrium personarum ratio inita non est, solùm ad finem Actionis* IV, *postquam Episcopi circiter* CCLX *subscripsissent, subscripsisse quoque reperiuntur monasteriorum Præsides supra* CXXX, *quos longè maiori numero fuisse necesse est.* *Synodus VII, Nicena II.*

h *Græci memoriam huius* 4 *Aprilis recolunt: Surius encomium à S. Theodoro Studita conscriptum retulit ad* 6 *Decembris. Actioni* IV *subscripsisse reperitur in hac verba* Plato Præses & Archimandrita Saccudeorum *similiter vt habet textus Græcus, pro quo in Latinis editionibus Conciliorum, etiam Regiâ Parisiensi, legitur* sacri &c: *fueritne* Sacudio, *vt hic scribitur siue* Sacudeo, *vt in Concilij versione Latina (nam in Græco* Σακκουδίων *est* Saccudeorum) *monasterij cui S. Plato præerat fundator, aut aliâ ex causâ hoc nomen tractum sit, non habeo definire.* *monasteria Saccudensis.*

i *Quinq; omninò Nicetas reperio prædictæ Actioni in ordine Hegumenorum subscripsisse, quorum primus* τῦ ἁγίε Ἀλεξάνδρε, S. Alexandri; II τῶν Γαδιλᾶ, Gudilaitarum; III τῦ ἁγ. Ἠλία, S. Eliæ; IV τῶν Ὀκτάων, Octaorum; V τῆς ἁγίας Θεοτόκε τῆς μονῆς τῦ κάστρε τῦ Τίν S. Dei Genitricis monasterij Castri Ty: *ex quibus ne vnus quidem reperitur in editionibus Latinis: omnes tamè existimo ab hoc diuersos; quippe qui coniungitur cum Nicephoro velut eiusdem monasterij quod S. Medicij vocant editiones Latinæ, vbi Nicephori huius subscriptionem habent: in Græco autem textu legitur* τῦ ἁγίε Σεργίε τῦ Μηδικιῶνος S. Sergij Midicionis: *de quo quid vlterius dicam non magis suppetit, quàm de Saccudeone. Addi ista videtur ad distinctionem aliorum monasteriorum ab eodem Sancto nominatorum: sic enim Ioannes Presbyter* τῦ ἁγίε Σεργίου τῶν Γερμιῶν S. Sergij Germiorum *eidem Actioni subscribit: sed cognomentorum eiusmodi ratio hactenus inuenienda restat.* E *& S. Sergij Medicionis.*

k *Vnicum inter omnes Hegumenos Christophorum reperi, eumque* τῶν Καυδήλων Caudelarum, *vt Latina vertunt, quem non est verosimile cum hoc esse eumdem.*

l *Hos esse equos cursui velociori destinatos & assuetos, quibus publici cursores vtuntur, hinc* veredarij *nominati, qui tamen à* vehendis *rediâ nomen acceperint, teste Festo, obiter insinuatum est in* XVI *Ianuarij ad num.* 13. *Actorum priorum S. Marcelli Papæ. Festi sententiam multis doctè confirmat in suo Etymologico Vossius, certis auctoribus demonstrans antiquis cursoribus cursum publicum vehicularem fuisse.* *Veredi equi vnde dicti.*

m Augarum *vel* Abgarum *Edessenæ ciuitatis Principem passim scriptum reperias, apud Latinos etiam* Abagarum *&* Agabarum: *huius imaginis festum Græci celebrant* 16 *Augusti & Historiam in Menæis referunt, quo die Edessâ Constantinopolim est translata: vnde acceptam Genuenses nunc in suburbano S. Bartholomæi de Armenis templo, PP. Bernabitarum cura, amotis Basilianis monachis, ante annos non multos commisso, religiosè venerantur. Miraculum eius ab igne seruata sub Cosroë ex ecclesiastica Historia Euagrij in Niceno Concilio* II *Actione* V *prælectam inuenimus, & alibi passim illius mentionem. Vide Gretserum nostrum in insigni tractatu, quem de Imaginibus non manufactis edidit, qui pro maiori parte de hâc vnâ totus est, & nunc regiâ magnificentia Parisijs recusus reperitur post Georgium Codinum Curopalatem, de officijs Ecclesiæ & Aulæ C.P. eiusdem Gretseri commentarijs & Notis Goarij illustratum.* F *imago Christi ad Augarum.*

n *Hanc ab Eudociâ Augustâ Imperatrici Pulcheriæ Hierosolymis missam, eiq; templum* τῶν ὁδηγῶν. I. *via ducum ab hâc Constantinopoli ædificatam refert Nicephorus: de eâ accipienda videntur illa S. Germani Patriarchæ verba in Vitâ S. Stephani Iunioris relata:* Ab Euangelistâ Lucâ imaginem Virginis Dei Genitricis pictam nouimus, quæ ab Hierosolymis missa est. *Vide eumdem Gretserum prænominati tractatus cap.* 18 *de hâc agentem, & Cuspiniani nugas sequenti capite refellentem.* *& D. Virginis à S. Luca pictæ.*

o *Vtrumque hunc Basilij & Chrysostomi locum etiam Gregorius Papa allegat in Epistolâ ad S. Germanum Patriarcham C. P. lectâ in Concilio Niceno* II. *Actione* IV. *qua etiam Actione hoc Chrysostomi effatum profertur à Theodosio Præside S. Andreæ ad Nesium, vt desumptum ex oratione, cuius argumentum,* Quod veteris & noui testamenti vnus sit legislator.

p *Imò Gregorius Nyssenus: huius enim esse locum illum, de Abrahamo Patriarcha sermonem facientis, Adrianus Papa profitetur in sua ad Constantinum & Irenem Augustos Epistola, Actione* II *prædicti Concilij recitata. Sed hic memoriæ lapsus ignoscendus est elogij huius Auctori præ alijs, quibus vltimum pulcherrimumq; Confessionis huius actum videtur confudisse: nam prima Vita auctori ætate suppari potiùs standum est, nec omnino credendum, aut primis vexatos monachos, euersumq; monasterium esse quàm suam Theophanes*

A *phanes constantiam Byzantij probasset; sed potius ei affligendo hac deinde acta: aut tertio à Theodori electione die ipsum quoque expulsum in Samothraciam fuisse Theophanem.*

r *Mirum est in Vita S. Theodori Studita vltima huius ad Imperatorem adductionis nullam omnino mentionem fieri, in qua illud duntaxat, post narratos eius in confirmandis fratribus verbo & scripto conatus, breuiter subiungitur, offensum in tyrannum ac nescium quo se verteret, cùm hominis libertatem ac fiduciam ferre amplius non posset, Byzantium expelli carcerique tradi iussisse. Vitam dabimus ad XI Non. diem, quo mortuus est anno 826.*

s *Ea est Thracia ciuitas, etiam hoc tempore vetus nomen retinens, à quâ propterea tamquam celebriori meritò mare illud nominetur: distat alioqui à Samothrace insulâ 20 fermè milliaribus amplius quàm ipsa insula à proximâ continenti iuxta Ptolemai calculos. Sunt qui existiment Ismarum esse Homeri: sed Plinius diuersam facit.* Hipparchiam *nominatam aliquando docet Ortelius in Thesauro.* D

Maronea Thracia ciu.

t *Etiam hoc per exaggerationem dictum esse patet ex relatis in Proleg § 3 de praesenti eius etiamnum statu, saltem si natura loci praecise spectetur.*

DE S. ELPHEGO, COGNOMENTO CALVO,

EPISCOPO WINTONIENSI IN ANGLIA,

Commentarius historicus.

§ I S. Elphegi Episcopatus: spiritus Prophetiæ. S. Dunstano collata vestis monastica: dein illi & alijs presbyteratus.

B 1 

ANNO DCCCCLI. XII MART.

R*Egno Occiduorum Saxonum præfuit primus Episcopus vir Apostolicus Birinus: à quo Cinegelsus Rex fidei Christianæ mysteria edoctus, & sacri baptismatis fonte ablutus fuit. Sedem is Dorcestriæ (siue, vt Beda loquitur, Dorciniæ) locarat, vrbe in Oxoniensi sitâ Comitatu, ad confluentiam Tamæ & Isis fluuiorum; vnde deinceps defluit celeberrimus Tamesis. Colitur S. Birinus III Decembris. Dorcestriâ dein vrbe ad Merciorum regnum translatâ, Sedes Episcoporum Occidentalium Saxonum posita est* Wintoniæ, *clarissimâ Britannorum Belgarum vrbe in Comitatu Hamptoniæ, quæ Ptolomæo & Antonio* Venta Belgarum, *Britannis* Caer-Gwent, *Anglis* Wintchester *dicta.* Huic Sedi, *inquit Cambdenus in Belgis,* præfuerunt Episcopi non minùs opulentiâ & honore, quàm sanctimoniâ clari: *ac post plures alios anno* DCCCCXXV religiosus monachus Elphegus, cognomento Caluus, B. Dunstani propinquus, suscepit Episcopatum Wintoniensis Ecclesiæ. *Ita Simeon Dunelmensis in Historiâ de Gestis Regum Anglorum, Florentinus VVigorniensis & Rogerius Houedenus. At VVestmonasteriensis contractiùs ad annum præcedentem,* Birstano, *inquit,* Wintoniensi Episcopo successit Ælfagus vir religione insignis. *Colitur S. Dunstanus eius propinquus, postmodùm Archiepiscopus Cantuariensis, XIX May, in cuius Vitâ ab Osberno Præcentore Cantuariensi, qui circa annum* MLXX *floruit, de inductione ad monachatum S. Dunstani sequentia leguntur, hactenus necdum typis vulgata, à nobis integrè ad illum diem elucidanda. Ita ergo scribit Osbernus:*

Wintonia in Hamptonia.

S. Elphegus fit Episcopus an. 935.

C

S. Dunstano cognato, adhuc iuueni, conatur suadere monachatum:

2 Profectus autem Dunstanus, cognatum Pontificem adijt Elphegum, qui tunc Wentanæ præsidens Ecclesiæ, vitam virtutibus decorabat: à quo frequenti supplicatione rogatus, vt monachum indueret, quatenùs, qui Angelicæ conuersationis initia haberet, perseuerantiam in habitu demonstraret; respondit ille, excellentioris gratiæ esse, qui in seculo consenuit, & tantùm quæ monacho digna sunt, fecit, eo qui se monasterio dedit, nec quidquam aliud, præterquàm, quod sibi statutum est, posthæc facere potuit. Alterum, inquit, necessitatis est, alterum verò libertatis. Ad hæc Episcopus: Omnibus, ait, in commune summa necessitas est, vt, qui ignem gehennæ voluerit effugere, ignem concupiscentiæ studeat extinguere. Ignis verò concupiscentiæ non multùm extinguitur, si fomenta illius humanis sensibus non subtrahuntur. Sicut enim ligna ad ignem, sic ea, quæ sensibus subiacent, ad concupiscentiam. Sed nulla fomentorum subtractio, si secularium negotiorum non fuerit renuntiatio. Ex quibus omnibus id elicitur, vt, si ignem gehennæ volueris extinguere, seculo studeas renuntiare. Ad hæc quod præcipuè in mundo appetitur, libertas est hominis: hac enim caussâ cetera possideri nequeunt: quod si possidentur, illa non desinit haberi. Quapropter quamdiu illam retinueris, illud Deo non dedisti, quod maximè dilexisti. Vt ergo des quod maximè diligis, illa desinat haberi. E

3 Cùm ergo his & huiusmodi verbis per singulos dies Episcopus insisteret; quadam die vehementer hoc cogitationis ambiguo pulsatus est, vt quid in vitâ quàm maximè appetendum fuisset, virtus an voluptas, vxor an virginitas, magnoperè deliberaret. Quem sub tali ambiguo positum grauissima febris inuasit, atque ad desperationem vitæ perduxit. Iacebat itaque siue expectatione salutis ægrotans, nec vllum intuentibus viuentis sensum præbens. Tunc ex insperato recalescens: Hic, ait, legibus voluptatis renuntio: hic me sempiternum sibi aduersarium promitto. Nil cum vxore fœderis paciscar: sola me virtus militem habebit. Insanum quippe est, illam animi mei dominatricem sustinere, quæ nec viuentes reddit sacratos, & morientes relinquit desperatos. Virginem me Virginis Filius huc vsque sanauit: Virginem me Virginum Regina Maria habebit. Confestim accito ad se Episcopo, postulat sibi dilatæ religionis benedictionem dari. Episcopus immensâ lætitiâ pro salute simul & conuersione iuuenis perfusus, celeriter illum monachali ac Sacerdotali gratiâ promouit, attitulâs ecclesiæ B. Mariæ Virginis, cui eum ab initio parentum suorum sponsio dicauit. Consummatis autem primis inceptis conuersationis diebus, cùm eum Episcopus aduersùs insidias diaboli & sermone instruxisset & auctoritate roborasset, dimisit illum proficiscentem ad locum suæ generationis principium: ibique in ecclesiâ præfatæ Virginis mansitabat, operans ea, quæ piæ religionis norma exigebat. F

à morbo periculoso sanatum vestit habitu monastico:

4 *Hæc Osbernus: Qua aliquantò iunior Osbertus Monachus VVestmonasteriensis circa annum* MCXXX *ita narrat:* Dunstanus malignorum hominum iracundiæ cessit, & ad cognatum suum Elphegum VVentanum Episcopum, cognomine Caluum, profecturus curiâ regali decessit. *Et nonnullis interpositis sic pergit:* Profectus dehinc, venit ad memoratum Episcopum, & aliquanto tempore degit apud ipsum. Erat autem Episcopus idem magnæ in Christo religionis, & apud omnes ibi locorum conuersantes magni nominis. Egit igitur industriâ, quâ vigebat, vt Dunstanus monachus fieret. Proposuit ei inter alia, monachi vitam, viam esse perfectionis, de quâ Dominus illi, qui se omnia legis mandata seruasse dixit: Vnum, ait, tibi deest. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Et adiecit: Ita fili, si vis, vt ea, quæ in te iam magni boni spem

summâ sanctitate & industria,

Mat. 19, 21

A spem præstant, perfectionis culmen attingant, necesse habes, omnia quæ in seculo possides relinquere, & Christi vestigia nudus sequi. Ad hæc ille quædam, quæ sibi rationis videbantur, cùm objiceret, nec subitò assensu his, quæ dicebantur, animum submittere vellet; tamen non parùm in ipso verba Pontificis operata sunt. De nuptijs quippe, quas se facturum certò sibiipsi antè promiserat, iam vtrùm eas faceret an non, dubius fluctuabat. In quâ dubitatione constitutum, nutu Dei, valida febris inuasit, & intantùm corpus eius attenuauit, vt nihil minùs quàm de ducendâ vxore cogitaret. Cùm iam aliquantùm sopito languore, verba Pontificis & duritiam sui cordis, in se reuersus, ad mentem reduceret, suspirans grauiter erubuit, quòd potentior in eo fuit tertianæ febris igniculus ad extinguendam carnis suæ concupiscentiam, quàm ille ignis, quem, vt in fidelium cordibus vehementer arderet, Dominus venit mittere in terram. Versâ igitur vice, ardorem ignis diuini in se succendens, carnalibus illecebris funditùs renuntiauit, seque perpetuò virginem perseueraturum, diuinitatis confisus auxilio, vouit. Mittens itaque, Episcopum fecit ad se venire, & apud eum pœnitentiam egit, quòd B illi viam perfectionis suadenti non statim obtemperarit, quòd habitum religionis monasticæ ad verbum eius non susceperit. Quibus Antistes auditis, gaudio gauisus est magno, & de conuersione iuuenis immensas grates persoluit largitori omnis boni Deo. Dunstanus ergo monachus sine dilatione factus est, & deinde legitimo tempore per Canonicas sacrorum Ordinum successiones, etiam ad sacerdotij gradum ab eodem Episcopo prouectus.

id peragit:

ordinat Presbyteros SS. Dunstanum & Ethelvvoldum,

5 *Hæc Osbertus. At quæ Malmesburiensis lib. 2 de Gestis Pontificum Anglorum in Episcopis VVintoniensibus relatu digna protulit, hîc addimus.* Ordinauit, *inquit*, Elphegus ad Presbyteratus gradum tres monachos, Dunstanum, Ethelwoldum, & quemdam Ethelstanum, qui postmodùm monachicę vestis apostata, cœlibatu contempto, in meretricijs amplexibus vitam effudit. Completis solennijs, sanctæ recordationis Præsul adhęrētes alloquitur: Hodie coram Deo tribus viris manus imposui, quorum duo Pontificialis Ordinis gratiam nanciscentur, vnus in ciuitate Wigorniâ, dein in Cantuariâ; alter meam Sedem implebit quandoq; successione legitimâ, tertius voluptatū volutabro se ingurgitans, miserabilē sortietur exitum. Hîc Ethelstanus, qui, cùm pro familiaritate cognationis pręsens esset, proteruâ cōsultatione Sacerdotē inuasit. Num ego ero vnus ex duo- C bus, qui Episcopali dignitate sublimandi sunt? Non, inquit, erit tibi pars, neque sors in eo, quem præfatus sum, ordine: neque permansurus eę in eâ, quâ hominum oculis lenocinaris, veste. Quanta sanctissimæ mentis dignitas, vt euidenter & sine fuco cælorum efferret secreta! neque enim in terram ceciderunt verba ista, sed omnia rerum solidauit consequentia, quòd Dunstanus & Ethelwoldus angustam viam, quæ ducit ad vitam, tenentes, insignes in prædictis Episcopatibus emicuêre: tertius latas seculi semitas cursitauit. *Hæc Malmesburiensis, quæ ferè eadem ante ipsum scripserat VVolstanus monachus VVintoniensis in Vitâ S. Ethelwoldi, illustrandâ ad Kalendas Augusti. A morte S. Elphegi successerunt Elsinus, eoque ad Sedem Cantuariensem non satis licitè promoto, Brithelmus, eoque intra biennium mortuo S. Ethelwoldus: cui anno* DCCCCLXXXIV *vitâ functo subrogatus est alter Elphegus, ad Sedem Cantuariensem promotus anno* MVI, *tandem à Danis anno* MXII *occisus, Martyr occubuit* XIX *Aprilis.*

prædicto illis Episcopatus:

cum Ethelstano,

prædicto huic exitio:

habet inter successores SS. Ethelvvoldum & Elphegum 2 dein Martyrem.

6 *De priore S. Elphego alia profert memoratus Malmesburiensis:* Elphegus, *inquit*, ad ceterarum virtutum cumulum, quibus tam laudabiliter quàm abundè pollebat, etiam prophetiâ clarus fuit. Huiusmodi dicti duo erant caussa exempli. *Vnum retulimus, alterum est tale.* Dies erat cinerum, & Pontifex pro more pœnitentes ecclesiæ liminibus excludebat: ceteros adhortatus D est, vt ieiunio & castitati vacantes, etiam vxorias delicias abijcerent: illis diebus fructum dignum pœnitentiæ esse, si qui multa illicita commiserint, etiam licitis abstineant. Doctrinâ reuerenter audientibus ceteris, vnus, ioculari voce emissâ, alijs risum excussit, dicēs Nō posse se temperare conuiuio simul & coniugio: vt pariter abstineat cibis & venere: quin imò vxorem, quam cubili aliquamdiu submouisset, in proximo ad vsum noctis reuocaturum, petulanti & vulgari verbo fatuitatem suam exaggerans. Tum vox Episcopi submurmurantis ab astantibus audita & intellecta est: Contristas me miser, nesciens quid ventura pariat dies. Duram prophetiam vicina mors nebulonis excepit. Postero enim manè in cubiculo repertus est exanimis, incertum an à diabolo guttur elisus. *Hæc ibi. Porrò* S. Elphegi *adhortatio erat ex communi Ecclesiæ vsu. Nam* Sacerdos, *etiam qui nuptias benedicit, ex præscripto post Missam pro sponso & sponsâ*, debet eos monere, vt sibi inuicem seruent fidem, & orationis tempore & præsertim ieiuniorum ac solennitatum casti maneant.

irridenti doctrinam suam

prædicit interitum.

§ II S. Elphegi nomen subscriptum Regum diplomatis, testamentum, obitus, veneratio sacra.

7 *Præerat Rex Ethelstanus Eduardi senioris filius, cùm S. Elphegus susciperet Ecclesiam VVintoniensem, cui* XXVII *Octobris, feriâ* IV *anno* DCCCCXL *vitâ functo, successit in regnum Edmundus eius frater, cui primò regni anno nupta fuit S. Elgiua. Extant aliqua huius Regis diplomata, quibus inter alios subscripsit S. Elphegus: ex his ad dictum annum* DCCCXL *profertur ab Alfordo in Annalibus Ecclesiæ Anglicanæ donatio facta* venerabili familiæ VVintoniæ ciuitatis, quæ habitat in monasterio, quod ibidem dedicatum est Deo & S. Petro Apostolo. *E quibus verbis & alto monachorum silentio colligit Alfordus* VVintoniensem Ecclesiam & monasterium, cui facta donatio, penes Canonicos adhuc & secularem clerum fuisse: *pro quibus filius eius Edgarus monachos induxit: vti legitur in Monastico Anglicano pag. 33. Ast huic donationi post Regem matrem & fratrem Edredum, Archiepiscopum Cantuariensem & Episcopum Lundinensem, subscribit S. Elphegus hac phrasi* † Ego Elpheah VVintoniensis Ecclesiæ Episcopus triumphalem trophæum hagiæ † Crucis impressi. *Alia eiusdem Regis ad annum* DCCCCXLV *facta donatio est, quâ* cuidam Presbytero suo, cui nomen Ætelnodus, *varias possessiones contulit, quæ deinde* F *bonis VVintoniensis monasterij accesserunt. Huic donationi inter alios subscripsit appositâ* † *Cruce* Ælfeah Episcopus. *Edmundo* XXVII *Maij anni* DCCCCXLVI *mortuo, successit frater eius Edredus. Extat huius Regis Charta anno* DCCCCXLVII *signata, quâ venerabili Sacerdoti, Edulfo nomine, varia prædia concedit eâ lege, vt post mortem eius transeant partim ad monasterium* sanctimonialium, quod in VVintoniâ vrbe situm est, *partim ad illud*, in quo corpus eius sepulturæ traditum fuerit. *Huic donationi ita subscripsit S. Elphegus:* † Ego Ælfeah VVintoniensis Ecclesiæ Episcopus testitudinem sanctę † Crucis subscripsi & confirmaui. *Cùm postmodùm idem Rex in suos aulicos ac ministros esset munificus, & cuidam ex his, Adelstano nomine, quasdam terras anno* DCCCCXLIX *donaret, accessit munificentiæ regiæ sanctus Episcopus testis & signauit:* † Ego Alfech VVintoniensis Episcopus consigno. *Qui demum anno* DCCCCLI, *qui fuit vltimus vitæ suæ alijs eiusdem Regis Edredi donationibus subscripsit eisdem verbis, quibus Edmundi primam à nobis relatam donationem approbando signauit.*

Subscribit donationibus Regum Edmundi anno 940,

& 945.

& Edredi anno 947.

949,

& 951.

8 *Scripsit ante mortem vltimæ voluntatis suæ tabulas; quas ex VVintoniensis Ecclesiæ Annalibus Alfordus hunc in modum recitat.* Ista est vltima voluntas Elphegi Episcopi. Inprimis volo, quòd omnes seruientes homines

condit testamentum:

A nes inhabitantes Episcopatum sciant ac recognoscant, pariterque sint testes pro iure Episcopatus & illorum, qui in Episcopatum imposterum succedent, ac pro me ac consanguineis meis, quod est: ego ad præsens ius meum hæreditarium duplici modo dispono: Terras has apud Tauntune Ecclesiæ Episcopatus assigno permanendas: qui per prius mihi ab ipsa Ecclesia tradita erant. Et insuper do terras illas apud Crundele post obitum meum Elphego, & post obitum ipsius transeat in ius veteris monasterij Wintoniæ. Et cognatæ meæ dono terras illas apud ambas Wardias quamdiu vixerint. Et postmodum soror mea & cognatus meus, vterque habeant apud Cliere cum omnibus alijs terris, quas pater meus de proprio iure tenuit. Insuper illas terras apud Tycheburn trado Wulfrico Cusinge ad habendas illas toto tempore vitæ suæ, & post eius decessum transeat in ius veteris monasterij Wintoniæ. Et ipsas terras apud Kyngwoode, secundum quod per prius legauimus, transeat in ius veteris monasterij Wintoniæ. Et Alfwigo concedo ipsas terras apud Cyltingtone post viduæ decessum, & Wulfrico de Wikam terras ipsas apud Leteleæ. Et ego præcipio tibi, dilecte mi Elflethe, vt sis testis amborum meorum cognatorum, quæ sunt eorum terræ: &
B ne permittas quemquam istud testamentum alio modo conuertere. Si quis enim aliter fecerit, Deus illum destruat, & tam corpus eius quàm animam diabolus in inferno possideat. *Huc vsque testamentum S. Elphegi.*

9 *Obitum eius ita consignat Dunelmensis.* Anno DCCCCLI S. Elfegus, cognomento Caluus, Wentanus Episcopus, qui B. Dunstanum monachatus & Presbyteratus gradu decorauit, huic vitæ modum fecit: cui Elfinus in Episcopatu successit. *Quæ eadem apud VVigornensem & Houedenum leguntur, & vbique* Elfegus *appellatur* Sanctus, *&* Dunstanus *solum* Beatus. *Præfuit ergo S. Elfegus sedecim annos Ecclesiæ VVintoniensi ab anno* DCCCCXXXV *ad annum* DCCCCLI. *Ac proinde mendum arbitramur in Euidentiâ Ecclesiæ Christi Cantuariensis post Chronicon Guilielmi Thorni excusâ, vbi diploma refertur anno* DCCCCXXVII *signatum, vbi* Ecclesiæ Christi in Dorobernia Ethelstanus monarcha totius Britanniæ concedit Fokastanum in Cantiâ supra mare situm, *ac subscribit* Elfegus Wintoniensis Episcopus. *Sed maiori errore signat* Odo Schirburnensis Episcopus, *cùm nullus inter Episcopos Schirburnenses* Odo *sciatur fuisse. Perperam etiam obitum S. Elphegi ad annum* DCCCCXLVI *assignat VVestmonasteriensis, addito elogio suprà ex tribus antiquioribus Chronologis relato. Verum* anno gratiæ,
C DCCCCXLVII post Sanctum, *ait*, Ælfegum Wintoniensem Præsulem Ælfsinus successit. *Baronius, citato hoc Florilego, ad eumdem annum* DCCCCXLVII *tam illius obitum quàm huius successionem tradit num. 4.* Moritur hoc anno, *inquit*, Sanctus Ælfegus Wintoniensis in Angliâ Episcopus, sanctitate clarus & spiritu prophetiæ imbutus *&c. Sed ex suprà dictis constat ad annum vsque* DCCCCLI *S. Elphegum vixisse.*

moritur anno 951.

non anno 946,

neque 947,

D 10 *Diem eius natalem assignant hunc* XII *Martij Martyrologia manu exarata sequentia: primum Gemmeticense in Normanniâ his verbis:* Depositio S. Elseai Episcopi Wintoniensis & Confessoris. *Alterum Vltraiectinum, cuius vsus olim erat in Ecclesiâ Collegiatâ S. Mariæ Virginis. In hoc ista leguntur:* Ipso die depositio Elfeagi Wintoniensis Ecclesiæ Episcopi & Confessoris: qui sanctis virtutibus ornatus, beato fine quieuit & ibidem condigno honore sepultus est. *Tertium est MS. Romanum, quod reperimus in illustrissimâ bibliothecâ Ducis Altempsiani, sed quod planè cum præcedenti conuenit; nisi quòd* S. Elphegum, *non* Elfeagum, *appellet. Et hoc Elogium ex tabulis Martyrologij ipsius VVintoniensis desumptum arbitramur, addique titulum* Confessoris, *vt ab* Elphego *II huius nominis Episcopo, dein Archiepiscopo Cantuariensi &* Martyre *distinguatur: quod non est factum in MS. Florario Sanctorum, in quo tam hoc die quàm* XIX *Aprilis celebratur* S. Elphegus Martyr, *nec dubium quin occasione huius S. Elphegi Episcopi & Confessoris hoc die de ipso agatur, reperto, forsan absque elogio, ipsius Sancti nomine, vti habetur ad hunc diem in antiquo Martyrologio MS. Hibernico Mariani Gormani,*

Natalis 12 Martij

in Martyrologijs MSS.

11 *Quia verò splendor nimius huius diei, quo S. Gregorium Magnum Anglisuum Apostolum colunt, facilè occultare*
E *minus obuios Sanctos potuit, maximè cùm Martyrologia MSS. à paucis conquirantur, alius dies huius Sancti venerationi à recentioribus attributus est. Præiuit Ioannes VVilsonus in Martyrologio Anglicano concinnando, nullum cupiens diem absque aliquo Sancto Angliæ præterire: quare hunc Episcopum attribuit Kalendis Septembris, quæ aliàs vacuæ fuissent. Secuti alij, Ferrarius in Catalogo Generali, & nonnulli Benedictini, Edouardus Maihew in Trophæis Congregationis Anglicanæ Ordinis S. Benedicti, Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, & Gabriel Bucelinus in eiusdem Ordinis Menologio. Annum obitus ferè statuunt* DCCCCXLVI *aut sequentem, moti auctoritate VVestmonasteriensis aut Baronij: Menardus adhæret Houedeno rectè consignanti annum* DCCCCLI, *quod itidem facit Edouardus Maihew, additque* non esse dubitandum, quin fuerit inter Sanctos ab Ecclesiâ Anglicanâ antiquitus recensitus, quamuis in Martyrologijs ipsius nomen Ecclesiasticis tabulis consignatum non reperiatur: *cuius contrarium, scilicet nomen esse inscriptum Martyrologijs, iam ostendimus.*

alijs 1 Septemb.

12 Elphegum religiosum monachum *ante Episcopatum fuisse, tradunt suprà relati auctores, sed quo in monasterio silent: Bucelinus ex merâ coniecturâ resoluit fuisse* monachum Wintoniensem. *Verùm in Annalibus Glastoniensibus apud Alfordum ad annum 935 num. 7 dicitur* ex monacho Glastoniæ assumptus. *Interim nulla eius*
F *mentio fit inter Archiepiscopos & Episcopos & Abbates, qui enumerantur in Monastico Anglicano paginâ 8 de conuentu Glastoniæ ad diuersas Sedes electi.*

vbi monachus fuerit

DE S. BERNARDO
CALINENSI IN CAMPANIA FELICI,
Commentarius præuius.

ANNO MCIX

1 *Calinum siue Calenum, alijs Carinulum seu Calinulum, vrbs est Campaniæ Felicis Episcopalis sub Metropoli Capuâ, à quâ octo circiter millibus passuum distat. Episcopatus Calinensis inchoatus est à S. Bernardo, traductâ Sede è vicinâ semidirutâ vrbe Foro-Claudij, cuius Episcopus Ioannes S. Bernardi decessor interfuit consecrationi Ecclesiæ Casinensis anno* MLXXI *ab Alexandro II Papâ celebratæ, & subscripsit* Ioannes Episcopus Fori-Claudiensis. *Huic successit S. Bernardus anno* MLXXXVII, *vt qui anno Episcopatus sui* VIII, *Christi* MXCIV, *transtulit ex Marsico monte corpus S. Martini, alijs Marcij solitarij. Præfuit vniuersim annis* XXIII, *mortuus* XII *Martij anni* MCIX, *sepultus in ecclesiâ Cathedrali à se extructâ, vbi quiescit in marmoreo sarcophago & sacello eius nomini dicato, factus Patronus Calinensis vrbis & diœcesis: ad cuius sepulcrum etiamnum indies obsessos à dæmone liberari tradunt Ferdinandus Vghellus in Italiâ sacrâ tomo 6 pag. 588, & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ad hunc* XII *Martij.*

Duplex Sedis Episcopalis.

tempus Sedis.

Cultus sacer.

A 2 *Acta eius aliqua edita sunt à Michaële Monacho in Sanctuario Capuano à paginâ 423, & iam citato Vghello, qui ambo citant vetus Officium Ecclesiasticum recitari solitum. Eadem nacti sumus aliquantò vberiora, & Neapoli à Nicolao Beatillo Societatis nostræ Sacerdote, & Capuâ à Siluestro Ayossâ dicti Michaëlis Monachi ex sorore nepote, nobis transmissa: suntque illa in vtroque apographo in Lectiones ad Matutinum recitandas distributa. Adduntur in exemplari Neapolitano varia Responsoria & Antiphonæ, Hymnus duplex cum propriâ Oratione. Quæ omnia ex Vitâ dandâ desumpta sunt, à nobis, ne moles accrescat, omissa.*

Ab aliis: S. Bernardus Episcopus, Capuæ. 3 *In Martyrologio Romano ista ad hunc diem leguntur:* Capuæ S. Bernardi Episcopi & Confessoris. *Credunt Capuani eum* nobilem Capuanum fuisse *aut* saltem ex longo incolatu ius Capuanæ ciuitatis acquisiuisse. *Ita Michaël Monachus, qui addit nomen* Bernardi Episcopi *Kalendario Capuano reperiri adscriptum litteris nigris & minu recentiori. Ceterum obseruat Cardinalis Bellarminus Bernardum non posse cooptari inter Episcopos Capuanos, neque celebrari Officio duplici, vti alij sancti Episcopi huius ciuitatis coluntur. Quæ pluribus dictus Michaël narrat.*

VITA

Ex MSS. codicibus Capuano & Neapolitano

CAPVT I

Res in vitâ vsque ad obitum gestæ.

a b c 1 RAtionabilis creatura ad imaginem Dei formata, & quodam *a* participio *b* numinis *c* insignita, suum semper deberet inuestigare principium, & ibi figere deuotionis desiderium, vbi religionis consequatur augmentum: nam ab ipsis seculi rudimentis, cùm primi parentes nostri contra voluntatem Conditoris vetitum consumpsêre, tota laborat corrupta posteritas, & non valet attingere puritatis pristinæ dignitatem, nisi deuincat cordis censura libidinem, & carnis abstinentia voluptatem. *d* Cuius rei caussam antiquorum Patrum fides orthodoxa cõsiderans, perpetuũ inijt cum carne conflictum, corpus fecit seruire spiritui, & legem membrorum sub lege mentis compulit ancillari. Ex quorum collegio vir valdè venerabilis Bernardus existens, tãtùm in vitâ suâ se bonis operibus mancipauit, vt patenter posset mundus vniuersus agnoscere, quàm irradiatus esset animus eius superni luminis claritate: cor enim hominum ex operum qualitate cognoscitur, & formas mentium species detegit actionum. Sciens enim B. Bernardus arborem infœcundam à securi non esse securam, sed manibus *e* irascentis agricolæ subcidendam, summoperè studuit fructuum fertilitate pollere, ne terram diceretur, velut arbor sterilis, occupare. Porrò carnalem eius originem non est nostræ facultatis euoluere; quia vsque ad *f* nostram generatio illius non est deducta notitiam: sed de nobilitate corporeâ nulla est inquisitio facienda; cùm videamus ipsos nobiles pretium nobilitatis amittere, si nobilitatem suam morum non tenuerint honestate. Apud Dominum enim generositas virtute pensatur; quia nullum esse potest maius fastigium libertatis, quàm exhibere Deo munus & obsequium seruitutis.

d Corporis mortificationi deditus:

C

e

f

2 Ea propter de progenitoribus B. Bernardi, quos planè non nouimus, tacere debemus. Illud autem magnanimiter affirmamus, quòd idem Sanctus gloriosior extitit, quòd postpositâ dignitate terrenâ solam cæli gloriam requisiuit. Quamquàm nec terrenus honor, quem tam diuersis studijs fallax affectat humanitas, ei defuerit. Quippe quem tunc temporis vir magnifici nominis *g* Richardus, filius Iordani Principis Capuani, in suum asciuit consortium, vt eius haberet consilium, & ille pro Principe illius hostiæ offerret sacrificium, quæ totius mundi tulit immolata peccatum. Eâ etenim tempestate B. Bernardus Sacerdotali fungebatur officio, quem ideò præfatus Princeps habere voluit Capellanum, quia ipsius plenè cognouerat cœlibatum. Qui tantam viro Dei pro meritis reuerentiam exhibebat, vt nihil tractaret vel ageret, vnde priùs Sancti consilium non haberet. Verùm B. Bernardus tantâ tanti viri familiaritate donatus, in gloriam non est elatus humanam: sed veræ humilitatis fundamento subnixus, tantò magis humiliare se studuit, quantò maiorem gratiam à superno Largitore percepit.

fit Capellanus & Consiliarius Principis Capuani, D *g*

3 Dum hæc itaque agerentur, accidit vt Calinensis ciuitas, cui Ionathas præfati Principis *h* filius præerat in regimine seculari, suo destituta Pastore, idoneum quæreret Pontificem, sub quo perciperet spiritualis gratię sospitatem. Diuinâ igitur gratiâ prouidente, quę ciuitatem supra montem positam non facit absconditam, B. Bernardum, de quo fama tam celebris habebatur, memoratæ ciuitatis Clerici in Pontificem elegerunt: & solenniter inthronizatum pastoralis infulę dignitate ritu canonico *i* sublimarũt. Sublimatus autem, & positus in officio pastorali, sicut ait Apostolus, non dominans in Clero, sed forma factus gregis, subditis suis quasi solare iubar apparuit, duplici virtute præradians, lumine videlicet cognitionis & feruenti desiderio caritatis. Prædicationem verò suam iuxta Apostolicam studuit dispensare doctrinam, verbum Dei opportunâ voce disseminans; sagacitate mirabili, sicut ad eum spectabat, mansuetos colligens, & corripiens inquietos: quæ autem subditis suis sciebat esse contraria, in suis ostendebat actibus non agenda; sciens quod vulgus cum Principe, & Clerus mutari soleret cum Pastore, & per quas ductor semitas graderetur, per eas etiam turba subsequens raperetur.

h ordinatur Episcopus Calinensis E *i* *1. Pet. 5, 3.* *præit suis exemplo virtutum.*

4 Eo igitur tempore Episcopalis mansio loco, qui forum-Claudij dicebatur, videlicet stratâ publicâ euntibus Romam & Neapolim, planum vsque hodie monstrat accessum: qui locus à Calinensi ciuitate duobus ferè millibus distat. Videns autem Sanctus Dei populum suum, longè à se remotum, frequens ab eo consolationis non habere consilium, cœpit intra se magnâ cum deliberatione versare, vtrum posset Episcopatum ad prædicta ciuitatis claustra transferre: ad hunc etenim effectum mancipandum necessarium fore considerans Principis voluntatem, virum nobilissimum Ionatham, cuius superiùs mentionem fecimus, adijt, & quod sancto concepisset proposito, mansuetè auribus patefecit. Quod audiens vir illustris, valdè iocundatus est, & diuinæ inspirationis gratiâ perlustratus, locum pro construendâ ecclesiâ & ecclesiæ domibus piâ largitione concessit, spondens liberaliter se Pontifici adiutorium semper impendere, & ipsi Ecclesiæ libertatis priuilegijs prouidere. Corroboratus verò Episcopus dono Principis pariter & promisso, in honorem sanctę & intemeratæ Virginis Marię, & B. Ioannis Baptistæ fabricauit ecclesiam & domos cõpetentes, in quibus Episcopus cum suis Clericis habitarent, vt competentiùs ad diuinum seruitium tempore officij Matutinalis occurrerent. S. Bernardus de operis inchoati consummatione solicitus, quasi apis officiosa, quæ de diuersis pratis diuersos flosculos colligit, paruo vectus asello, ad diuersa loca pergebat, & quidquid ei fuisset pro Dei amore collatum, ad nidum propriæ mansiunculæ deferebat.

Sedem à Foro-Claudij, Calinum transfert: F *ecclesiam & episcopium ædificat:*

5 Peractis igitur ædificijs Sanctus Dei de virtute in virtutem procedens, de die in diem ad fastigium sanctitatis ascendens, iuxta Apostolum, quæ retrò erant oblitus, semper in anteriora spectabat, mundum

Corpus S. Martini Marsicani,

&

A & desiderium mundi non appetens, sed carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigens. Vnde superno placuit Conditori, vt qui carnem suam sanctificabat in terris, eius corpus haberet, cuius carnis mole depositâ spiritus lætabatur in cælis: nam sanctissimi viri k Martini corpus, cuius in Dialogo beatus meminit Papa Gregorius, de monte Marsico ad suam Ecclesiam transtulit, pium religionis officium exequens, adiutorio diuini muneris, reclamantibus & repugnantibus Suessanis. Quæ res ita gesta est. Auditâ B. Martini famâ, Arachis Princeps Beneuentanus, vir honestatis præcipuus, vnà cum vxore suâ & famulis magno venientes apparatu, montem Marsicum, in quo pretiosam sanctissimi corporis glebam latere cognouerat, petijt, intentionem habens venerabile corpus arripere, & cum dignissimo honore delatum intra Beneuentana mœnia collocare. Cùm autem montis superciliū ascendisset, & celebratis Missarum solennijs, vnà cum suis ante Sancti corpus oraret; subitò tellus tantis est concussa tremoribus, vt Princeps, qui aderat, vehementer expauesceret, & mortem quasi in ianuis positam expectaret. Agnoscens ergo diuinæ voluntatis non esse, vt sanctum corpus ad aliud territorium deferretur, cessante terræ motu ad propria reuersus est. Tunc Bernardus Episcopus, assumptis secum Theano, & Caluensi Episcopis & vniuerso Clero, cum psalmis & hymnis montem ascendit, & thesaurum sanctissimi corporis ad Ecclesiam delatum, intra altare recondidit: & ipsum altare in honore Virginis Matris & ipsius S. Martini solenniter dedicauit.

quod Beneuentum auehi non potuit,

B

ad suam ecclesiam transfertur;

6 O felix ciuitas Calinensis, quæ tanto es dotata Patrono, quæ in Martino habes singularis defensionis præsidium contra diabolicæ tentationis, & totius nequitiæ spiritualis assultum: sed Dominus sibi adiecit ad gloriam, vt iuxta consuetudinem domesticarum eius esses vestibus duplicibus & bicoloribus adornata; duplici etenim polles honorificentiâ: ideò tui defensor Bernardus datus est cum Martino. Bernardus igitur supernis desiderijs inflammatus, præsentem vitam reputabat exilium: & corpus suum habens pro carcere, vehementiùs affectabat ab istâ subleuari peregrinatione. Sciens enim quòd, quamdiu in hoc corpore esset, peregrinaretur à Domino, cupiens erat dissolui, & esse cum Christo. Cuius desiderium intuens mentium Scrutator & cordium, post multos labores, in quibus Sanctus non frustrà sudauerat, ipsum de valle lacrymarum ad montem gaudij subleuauit ex hac luce, imò potiùs ex hac caligine migrare fecit ad lucem. Nam vigesimo tertio Pontificatus sui C anno plenus Spiritu sancto migrauit à seculo, carnis exutus cilicio, æternitatis indutus vestimento, de sterquilinio raptus ad solium, de puluere ad pauimentum, de mari ad portum, de exilio ad regnum, de cœno ad cælum.

anhelat ad cælum:

sanctè moritur:

a *MS. Neapolit.* principio. b *Vghellus* nominis.

c *MS. Capuan.* insignata.

d *MS. Neapol.* quam rem. *MS. Capuan.* cuius rei caussata.

e *Vghellus.* noscentis agricolæ subijciendam.

f *Hinc colligit Vghellus* Acta hæc post multa ab eius obitu secula videri conscripta. *Sed vel vnicum sufficit, aut minus etiam temporis spatium.*

g *Richardus II à patre Iordano in consortem Principatus assumptus anno* 1080, *At patre mortuo, solus Principatum administrauit ab anno* 1090, *ad* 1106, *quo è viuis excessit.* Consule *Michaelem Monachum, & Camillum Peregrinum de Abbatibus Casinensibus.*

h *Principis Iordani filius alter, & Richardi frater, vti clarè exprimit* Chronicon *Casinense.*

i *Anno* 1087.

k *At S. Gregorio lib. 3 Dialog. cap.* 16 Marcius *dicitur* solitarius: *colitur* 24 *Octob.*

l *Arachis Principatum Beneuentanum accepit anno* 758. *Eum studiosissimum fuisse in transferendis Sanctorum corporibus ad ecclesiam S. Sophiæ Beneuentanam, ex Heremperto in Chronico Casinensi constat.* D

CAPVT II

Miracula post mortem patrata.

7 CVius miraculum in ipso migrationis exordio factū euidenter apparuit, nam cùm iuxta morem corpus beatissimum lauaretur, quidam languidus, membrorum destitutus vsu, præsto erat; qui inter alios, quos in vitâ suâ Sanctus misericorditer sustentabat, Patris, atque benefactoris obitum deplorabat. Hic subitò diuinâ visitante clementiâ erectus, & membris consolidatus est, ita vt peluim vbi aqua continebatur acciperet, qui manum & pedem hactenùs mouere nequiuisset. O caritas Sancti miro flagrans ardore, quæ illos, quibus in vitâ suâ beneficium præstitit, in morte penitus non reliquit, & quos viuus adiuuit, adiuuare non destitit defunctus.

Sanatur membrorum vsu destitutus:

8 Diaconus quidam, quem sæpenumerò Sanctus pro suâ corripuerat lenitate, cum Sancti corpus in loculum poneretur, vt Bernardum sepeliret adfuit: & sancti viri caput arripiens, tam durè intra sepulcrum ire dimisit, vt marmori illud allideret, & de ipso capite cruor profluus emanaret: aliud addens opprobrium, quòd annulum bonum in digito positum, abstulit, & quemdam alium plumbeum posuit: quod factum vltio condigna secuta est, nam prædictus Diaconus elephantino morbo percussus est, & leprosus factus est in carne, qui ad Sancti commonitionem lepram non fugauit de mente, & pœnam acerbissimam tulit de eo quòd sanctum in vitâ contempsit, & inhonestè in morte tractauit.

ob iniuriam illatam corpori sancto,

E

lepra incutitur

9 Tertiâ igitur die post humationem B. Bernardi, mulier quædam, cuiusdam clientulæ Sacerdotis, graui gutturis infirmitate detenta, ferè officium vocis amiserat; quæ veniens ante sanctum corpus orationem fundit ad Dominum, & Præsulis merito euasit valetudinis periculum, & plenum reportauit sospitatis effectum.

Curatur malum gutturis:

10 Matrona quædam illustris, Beatrix nomine, prosapiæ & honestatis immensæ, & præcipuę venustatis; luminarium, quæ naturæ conditor in fronte corporis, quasi in quodam posuerat firmamento, tristis amisit officium, & aliquo tempore patiebatur absentiam solis, priuationem luminis, tenebras orbitatis: quę res omnibus amicis eius magnæ desolationis discrimen ingesserat, quia plurimùm erat verecundiâ grauis, castitate laudabilis, & cunctas exuperans moribus probitatis. Verùm quadam die cum ceteris matronis Calinensibus ad curationis opificem Bernardum deducta est: quæ mox vt ecclesiæ limen intrauit, antè meruit visum recipere quàm auxiliū Sancti poposcisset in Oratione. O venerandum Pontificem, qui suos nouit famulos beneficijs pręuenire, qui tum magnifica tum munifica præbet adiutoria sanctitatis, vt languidorum vota studio pietatis anticipet, exuperet merita munere largitatis.

visus amissus redditur:

F

11 Mulier quædam, Gaudia nomine, energiæ spiritu vexabatur: quæ ad sanctum sepulcrum deducta, statim sanata est & sic iuxta nomen proprium inuenit Gaudia gaudium, cùm euasit obsessa dæmonium, & Sancti meritis recuperauit visum, quem diu amiserat propter execrabilis hospitis incolatum a.

sanantur, energumena cæca,

12 Mutus quidam, Ioannes nomine, à natiuitate suâ loquendi munere destitutus, ad beatissimum corpus accessit, & vt linguæ suę vincula soluerentur mente potiùs, quàm sermone Bernardi meritum postulauit: qui protinus visitatus à Domino, qui nesciebat sermonis originem, soluto guttere ad formanda plenè verba suscepit, & sanatorem suum voce suâ primitus collaudauit,

mutus,

13 Homo

A 13 Homo quidam, Stabilis *b* Ceratus nomine, hydoprico languore vexatus, & multis calamitatibus plenus, sicut habet illa infirmitas, ventre & membris intumuerat vniuersis; sine compendio sanitatis miseram gerens vitam, præordinatâ peste deficiens, dies suos finiens in mærore. Hic ad B. Bernardum ductus est, & ad sepulcrum illius aliquantulùm commoratus, plenè sanatus est: ita vt posteà videretur de imbecilli fortis, de turgido gracilis, de inualido validus, de lugente & misero gaudiosus.

b hydropicus,

energumena,

14 Mulier quædam, quæ Martha dicebatur, multo tempore à dæmonio fatigata, temporalis vitæ perdiderat requiem & intra se mortis continebat auctorē. Hæc deducta ad sanctissimi Præsulis tumbam, in integrum mentis statum reformata est, & inquilino damnationis expulso, intra aulam pectoris illum recipere meruit, cui olim Martha circa ministerium frequens ministrauit.

leprosus,

15 Homo quidam, Ioannis nomine, cuiusdam viduæ filius, lepræ infirmitate percussus, & multis visceribus perfusus membra, in medicorum & medicinarum expensis omnem substantiam profuderat: adeò vt consumptis omnibus rebus mobilibus, habiti patrimonij prædia liguriret, & cùm vitæ subsidium non haberet, quotidiani victus stipendia per vicinarum ostia mendicaret. Eiulationibus igitur inauditis & clamoribus assiduis consternatus miser, lugubrem ad Dominum fundebat orationem, & misericordiarum Patrem contribulato spiritu deposcebat hoc modo: Deus, voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, qui ponis humiles in sublimi, & reddis corda mœrentia sospitati; erue me à malis, quæ patior: vel si miserum flagellare decreuisti, desidero potiùs non tam vitæ spatium, quàm festinæ mortis occasum: meliùs enim arbitror vnius mortis metam attingere, quàm infirmabiles pœnas quotidianis morsibus deperire. Hoc miserabilis mater aure percipiens, corde & visceribus scindebatur, & patienti filio compatiens, inquiebat: Fili, matris pœna, parentis sarcina, procuratricis tortura, genitricis ærumna, noli tabescere lacrymis, noli languere suspirijs, noli gemitibus anhelare, sed adeamus languorum curatorem Bernardum Pontificem: quia tibi non negabit, quod omnibus tribuit; sed nobis suffragium exhibebit, qui ceteris pius, & non tardus adiutorium impendit. Præceptis igitur salutaribus monitum, & maternæ institutionis informatum filium, mater asello imposuit, & Calenum vsque deductum, ante sepulcrum Bernardi Pontificis collocauit. Ex illo, aliquantulùm commoratus, plenè mundatus est, & ad tumbam beatissimi Præsulis etiam recepit gratiam curationis, quam olim Naaman Syrus reperit ad fluenta Iordanis.

B

C

paralyticus,

16 Homo quidam, Raynaldus nomine, qui de Sangro erat, à quodam latere paralysis languore perculsus, corporalem amiserat desperatione virtutem, & priuatus totius beneficio actionis, suum colebat in infirmitate grabbatum: quia standi, sedendi, gradiendi non habebat officiale possibilitatis solatium. Admonitus siquidem in somnis, vt ad venerandi Pontificis sepulcrum pergeret, illo deuenit: & ibi aliquantulùm commoratus, emissionem sanguinis quemdam de tibijs sibi minuisse conspexit, & plenam sanitatem, merito Pontificis suffragante, recepit.

paralytica,

17 Posteà quædam mulier Beneuentana, nomine Calandra, à pectore infrà per paralysim penitùs amissa erat: cui ter in visione dictum est, quatenùs ad locum, vbi sanctum Corpus B. Bernardi requiescebat, veniret: quæ in quodam die Sabbati ad ipsum locum venit, & in sanitatem, quam priùs habuit, restaurata est.

18 Ingruente aliquotiens famis inediâ, & regiones plurimas pro alimentorum inopiâ deuorante, vrgente necessitate vt victum quæreret ventri, famelica circumquáque vagabatur pauperum multitudo: inter quos paupercula quædam Calinum adueniens, quotidianum panem ad ostia ciuium quærebat: quæ, cùm grauida esset ventre, & partus tempora peregisset, naturalis doloris incommodo vexabatur, & difficultate pariendi luebat conceptionis voluptatem, & sustinebat antiquæ maledictionis, quam Eua promeruit, passionem. Quid faceret miserabilis nesciebat, cùm ad puerperium eliciendum, nec medicinarum suffragia, nec obstetricum prodesset clientela. Admonita in somnis, vt infirmantium curatorem Bernardum Pontificem visitaret: illò deducta est, & cùm orationem fudisset ad Dominum, largiente Domino fudit & partum: suffragante deuotione Pontificis salutem exonerata consequitur, ne velut Rachel in partu Beniamin moriatur.

D

puerpera adiuuatur.

19 Vnus homo placido resolutus membra sopore,
Dum iacet & dormit, anguem suscepit in ore.
Lubricus immergens dilabitur intùs in aluum,
Non patiens hominem torquendo viuere saluum:
Hospite tam duro plangit miser, & lacrymatur,
Vndique quærit, abest medicus, sibi qui medeatur:
Expetit auxilium Sancti, miserabilis orat,
Vt vincat pestem, per quam moriendo laborat.
Pontificis Sancti dum voluitur ante sepulcrum,
Factum monstrauit pulchro satis ordine pulchrũ,
Ore gemens patulo supra Sancti monumentum,
Anguem, quo lædebatur, vomit ore cruentum.
Sic requiem cuncta post detrimenta laborum,
Cepit, qui petijt votorum summa suorum:
Et redijt sanus Pastore sacro mediante,
Qui fuerat dudum miser, & miserabilis antè.

E

Anguis euomitur.

Epilogus.

20 Sed iam hic totum decurrat ingenium, & remissiori stylus respergatur eloquio, vt lucidâ maiestate verborum sanctissimi Patris vita mirabilis consummetur, & imprimatur audientium mentibus suauitatis æternæ dulcedo, ad habendam perpetuam de Bernardo recordationem. Amen.

a *Carmen infrà num. 19 relatum apud Vghellum & in MS. Neapolitano hic inseritur.*

b *MS. Neap.* Cerratus, *quod cognomen omittitur apud Vghellum.*

RELATIO TRANSLATI CORPORIS S. MARTINI.

Ex Officio Ecclesiastico à Michaele Monacho edita.

1 ANno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo quarto, in anno quarto decimo Principatus Richardi, Filij Iordani Principis, Forum-Claudij regente venerabili Episcopo Bernardo, in octauo Pontificatus sui anno, Indictione secundâ, quod dudum animo suo proposuerat idem venerabilis Episcopus, replicare cœpit: decreuerat enim vt consilium à Domino *a* Guimando, Auersanæ Sedis Episcopo, magnæ auctoritatis viro, per Archipresbyterum suum Ioannem acciperet, vt S. Martini corpus, cui crescente Præpositorum iniquitate non more solito debitum soluebatur obsequium, ad ecclesiam S. Mariæ & S. Ioannis, cui præerat, transferret. Sciebat enim frequentiora ibi & à Clero & populo sanctis persoluenda membris obsequia. Ionathâ itaque Richardi Principis *b* filio, qui tunc Caleni præerat, accersito, equitum prudentissimo, consilium ab eo qualiter hoc fieri posset, expetijt. Ionathas verò, vt magnæ inter seculares vir prudentiæ, eum comprouinciales Episcopos ad id secum agendum inuitare commonuit. Seque quidquid melioris super hoc consilij & auxilij

a

b

A auxilij posset, daturum efficaciter spospondit. Conuocatis itaque Theanensi & Caluensi Episcopis, constituto die, quo scilicet Sanctorum Martyrum Ioannis & Pauli erat celebranda solennitas, montem ascendit, ad Sancti Corporis tumulum cum maximâ reuerentiâ deuotionis accedens. Primus itaque Bernardus Episcopus thesauri tam nobilis amore succensus, oratione completâ, ictum marmori, quo venerabile corpus tegebatur, incussit: & quæ pluribus anteà difficilis fuerat, tam facilis prædicto Venerabili Episcopo, & comitibus suis Sancti corporis est facta reuelatio, vt ipsius Sancti ad suæ reuelationis effectum consentanea voluntas facillimè posset agnosci. Omnes verò, qui aderant, tanto iucundæ suauitatis odore sunt repleti, vt Paradisi ciuem & cælicolam, cuius corpori assistebant, esse non ambigerent. Abstractis igitur diu desideratis sancti viri reliquijs, gratiam agens Episcopus Bernardus Domino, & vltrà quàm dici posset exhilaratus, omnibus etiam, qui cum eo ierant, lætâ voce Dominum laudantibus, ossa venerabilia diligenter in mundo posuit linteamine: & sicut qui victoriâ potiuntur, beati redire solent, omnes de tam insperatâ thesauri tanti inuentione alacres descendunt. D Cùm autem populus ciuitatis aduentum sacri corporis agnouisset, omnes viri & mulieres, paruuli, iuuenes & senes obuiàm processerunt: Ionathas etiam cum vxore suâ & militibus suis gratias agens Deo, pedibus nudis occurrit, & sic cum maximo honore reliquiæ sanctæ ad basilicam vsque Episcopij delatæ sunt, in quâ plurima per eumdem Sanctum petentibus fiunt beneficia. c

a *Guimundus seu Guitmundus, aut Guismundus scripsit de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistiâ, & alia, quæ in Bibliothecâ Patrum legi possunt.*

b *Alijs* Fratre, *vt suprà dictum.*

c *Reliqua danda erunt ad diem 24 Octobris, quo S. Martinus seu Marciui colitur.*

DE S. FINA VIRGINE

IN HETRVRIA.

Commentarius præuius.

AN. MCCLIII. XII MART.

1  *Aud longè ab occiduâ fluminis Elsæ ripâ perhonestum est in Hetruriâ oppidum, Senensium ditionis olim, vt auctor est Leander, nunc Florentinorum; ab his passuum millibus vigintiquinque, ab istis non nisi quindecim dissitum, quod à S. Geminiano, Vrbis Mutinensis Episcopo, nomen habet illustrius quam olim habuisse à Syluio Romano iactatur; verè an falsò in dubio est.* (*S. Geminiani oppidum in Hetruria,*) Syluiæ *antiquum nomen fuisse traditio habet popularium: quam sequens Theodorus Ferroni à Cutiliano Augustiniani Ordinis, mox citandus, iam inde à Catilinæ temporibus initia eius repetit:* (*an Syluia olim?*) *mutandique nominis caussam vult acceptam ab illustri beneficio, quo sibi prædictus Sanctus loci incolas obstrinxit, ruinam ac cædes spirantem Totilam procul repellens, supra eam, quæ à fonte cognominatur portam visibiliter apparendo: cuius beneficij memoriam conseruet marmorea eiusdem Sancti statua, suprà prædictam portam eo in habitu collocata, quo visus est barbaros in fugam agere, eleuatâ ad crucem formandam dexterâ, quare nunc digitum eiusdem Sancti inter sacras Reliquias incolæ venerantur.*

C 2 *Leander à nobis* XXXI *Ianuarij ad Vitam S. Geminiani citatus*, à Desiderio Longobardorum Rege conditum, *ait*, vti alabastretica tabula Viterbi Longobardicis inscripta litteris docet. (*quo tempore conditum hoc nomen acceperit*) *Equidem facile crediderim Desiderium loci amœnitate delectatum, quem ædificijs ipse murisque ornauerat, aliquam è corpore S. Geminiani particulam eodem transtulisse: & nomen imposuisse ignobili anteà ac syluoso colli: frustrà autem quæri aliam quocumque ex capite antiquitatem. Nam quod de fugato Totilâ refertur miraculum, simile est ei quod in S. Geminiani habetur Vitâ patratum contra Attilam, Mutinenses obsidione prementem; ratione cuius annua Mutinæ agatur solennitas, die Februarij* XVIII, Victoria S. Geminiani *nuncupata. Sic enim ferè videmus fieri vt celebriorum omnium locorum exordia aut obscura sint aut fabulis permixta: facileque fuit ex ipsâ statuâ sic collocatâ occasionem nasci apud Sangeminianenses vt aliquis inueniretur, qui popularibus suis persuaderet mortuum fecisse hoc loco, quod viuus fecerat Mutinæ, Attilaque & Totilæ confunderet nomina, vix vno elemento differentia: quorum tempora non integro dirimuntur seculo, ac penè eadem barbaries fuit.*

3 *Huius municipij sacra profanaque ædificia, ornamenta, amplitudinem plenius descriptam videre qui volet; Theodori Ferroni caput primum legat, à quo ille exorditur S. Finæ Vitam, quam Florentiæ anno* 1644 *Italicè edidit Serenissimæ Ducissæ dedicatam, & panegyrici in modum deductam: ex eâ, quam Iacobus Manduccius Pisanus anno* 1598 *typis Italicis secundâ iam vice vulgarat, verbotenus transsumptam ab originario Latino textu Fr. Ioannis de S. Geminiano Ordinis Prædicatorum, de quo Sixtus Senensis in bibliothecâ:* (*scriptores Vitæ S. Finæ*) Vir de litteris benè meritus, plurimarum rerum notitiâ illustris, in Theologiâ scholasticâ & in sacris litteris non mediocriter peritus, & concionator egregius: floruit anno MCCCX. Scripsit opus insigne de exemplis & similitudinibus rerum duobus magnis voluminibus in folio, impressum Venetijs anno 1499: libros Sermonum de tempore, de Sanctis, de opere sex dierum, funebrium orationum &c: *non meminit autem huius Vitæ Sixtus, quia obscura delituit intra parietes illius Hospitalis, cuius Rectori roganti conscripta fuerat priuatim in patriâ.*

4 *Eamdem Vitam, ab eo, quem diximus, Iacobo Manduccio Italicè versam, habuit Syluanus Razzius de Hetruscis Sanctis scribens. Eamdem Philippus Ferrarius citat in Catalogo Sanctorum Italiæ, editam Florentiæ* 1598: *concinnatum autem à Ferrario elogium Annalibus suis intexuit Abrahamus Bzouius, tacito auctoris nomine, quod similiter fecit in Menologio Benedictino Bucelinus: nisi quod ad* F *hæc verba Ferrarij:* Paternâ in domo velu in monasterio viuens, (*an Benedictina?*) *adiecerit de suo*, rigidum sectari visa est Reclusorum nostrorum institutum: *nempe vel inuenienda erat vel fingenda ansa, per quam ad Ordinem Benedictinum adduceretur, quamuis ille abundans proprijs, peregrinis non egeat ornamentis. Ferrarij textum Gallicè reddidit in suo Virginum Menologio Franciscus Lahier. Arturus in Gynæceo breviori contentus elogio satis habuit S. Finam* à mirâ patientiâ & vitæ perfectione *commendare.*

5 *Sangeminianenses, præter* XII *Martij diem, quem (vt habetur in Actis num.* 23) *à seruilibus operibus vacuum religiosè seruant: eidem primam Augusti Dominicam habent dedicatam, vt ex Theodoro Ferroni videbimus: ex quo eodem discimus in Collegiatâ oppidi prædicti ecclesiâ insigne atque inter cetera longè præcipuum sacellum visi, vbi è candido marmore erectum altare, pretiosam sustinet vrnam virginei depositi conseruatricem; cui ex eâdem materiâ circumducti Seraphini coronam texunt: est enim* Finæ *nomen abbreuiatum Hetrusco more vocabulum, quemadmodum &* Ciardi *fratris, pro* Guicciardo, *& quamuis verosimiliùs acceptum à* (*eiusdem apud ciues cultus,*) (*sacellum,*)

 Rufinâ,

A Rufinâ; *tamen ex Seraphinâ quoque potuit sumptum videri. Caput porrò eiusdem Sanctæ pretiosæ includitur herma, cui candida atque subtilis tela pro velo est, & diues corona pro ornamento; atque ita bis quotannis popularium venerationi exponitur; qui etiam suo in solo candidos flores legunt, quos S.* Finæ violas *nominant; similes ijs quales ex tabulâ germinarant, cui computrescens caro viuentis adhæserat: nec desunt, vt idem Theodorus testis, ardentes ante aram lampades crebræ, & plurima circumcirca impetratorum beneficiorum argumenta votiua, & frequentes peregrinantium ad Sanctam venerandam cateruæ populorum.*

Reliquiæ, *flores.*

6 Primigenij styli Latina Acta Florentiæ exsistentibus nobis subministrauit MS. Pergamenus codex non parua antiquitatis, repertus in instructissimâ sacris profanisque monumentis bibliothecâ Illustrissimi Senatoris Caroli Strozzi, qui, de nostro aduentu per litteras Reuerendissimi Abbatis Ferdinandi Vghelli admonitus, primus ab itinere respirantibus adfuit, atque ad sua MSS. perlustranda inuitans, non contemnendam operi nostro materiam suppeditauit; in quâ vtiliter occuparemur, interim dum ad Laurentianam Magni Ducis bibliothecam aditus & describendi facultas per amicos impetratur. Vidit hæc Acta & Sapphici carminis strophis octodecim non minori elegantiâ quam breuitate ac claritate reddidit Cantalycius Poëta Italus, Venetijs anno 1493 *excusus,* B *lib. 2. epigrammatum ad Polydorum Tibertum: idemque lib.7 duplex B. Finæ epitaphium conscripsit, Elegiaco vnum, alterum Phalencio metro: digna omnia, quæ huic operi inserantur, si post primum fontem inuentum aliquid in ijs esset nouæ auctoritatis. Prologo subiungimus veterem capitulorum diuisionem, vt nobis liceat nostrum institutum tenere.*

Acta primigenia vnde accepta.

VITA

Auctore Fr. Ioanne à S. Geminiano Ord. Prædicatorum.

PRÆFATIO

Religioso in Christo viro, Fratri Goccio *a*, Rectori hospitalis *b* S. Finæ de S. Geminiano, Frater Ioannes de eodem loco, in Prædicatorum Ordine Frater inutilis, salutem & Sanctorum vestigia feliciter consectari.

a b

1 TVa dudum à me Fraternitas cum instantiâ requisiuit, vt beatissimæ Finę Virginis, quam, velut fructum pretiosissimum Deo, pomifera terra nostra produxit, collectis in vnum pariter tam illis, quæ de vitâ ipsius à quibusdam senioribus verbotenùs narrabantur, *c* quàm etiam ipsius miraculis, quæ in quaternis quibusdam & schedulis scripta erant, Legendam breuem sub idoneo stylo componere laborarem. Quamquàm igitur sim ad hoc insufficiens, de ipsius tamen Virginis suffragatione cōfisus, & eiusdem prouocatus amore, caritatis quoque tuæ precibus inclinatus, quibus libenter adnuo, tuis satisfaciam pijs votis. Ecce gratanter opus offero, quod petisti, rudi quidem, sed veridico stylo breuiter compilatum. Quia verò, quæ scribuntur cum ordine, discuntur faciliùs, & meliùs retinentur: tam virtutes, quibus fulsit dum viueret, quàm ea, quæ post obitum apparuêre miracula, præmissis primò singulorum rubricis *d* sub certorum capitulorum ordine comprehendi. D Sic autem seruare medium in omnibus pro viribus studui, vt neque verborum rusticitas historiæ nobilitatem diminuat, nec etiam ornatus superfluus suspicionem pariat veritati. Hoc autem contestor legentibus, quòd quæcumque hoc in opere posui de beatâ Virgine Finâ, diligenter examinata fuerunt; & eorum, qui vel oculis viderant, vel à videntibus saltem audierant, fide digno testimonio singula comprobata. Suscipiat igitur tua cara Fraternitas quod exegit: & felicissimam Christi sponsam B. Finam, coruscantem miraculis pariter & exemplis, habitatores nostræ patriæ vniuersi venerentur laudibus, & operibus imitentur, ad honorem Sponsi sui & gloriam Domini nostri, scilicet Iesu Christi, qui Sanctam suam fœcundauit in meritis, & æternis in cælis præmijs coronauit.

Occasio scriptionis, *c* *ordo,* *d* *fides.*

a *Diminutiuum, pro* Hugone Hugoccius, *& per prima syllabæ aphæresim* Goccius.

b *Est istud, testimonio Theodori Ferroni, è tribus, quæ eo in oppido sunt, primarium, quocumque morborum genere laborantibus extructum, sub huius S. Finæ in morbis patientissimæ inuocatione; cùm alia duo vel colligendis peregrinis, vel expositijs nutriendis seruiant.* E

c *Cùm auctor floruerit initio seculi* XIII *aut etiam citiùs multò, potuit non paucos videre superstites, qui S. Finam viuentem nouerant.*

d *Id est indiculo capitulorum, quem subnectimus.*

Capitulum. I. de origine & nomine B Finæ.
II De honestate conuersationis eius in ætate puellari.
III De infirmitate & patientiâ eius.
IV De lætâ paupertate ipsius.
V De obitu matris eius, & de visione serpentis.
VI De reuelatione factâ B. Finæ de die transitus sui.
VII De transitu B. Finæ, & de odore corporis sui.
VIII de miraculis eius ante sepulturam.
IV De sepultura ipsius, & de miraculis eius in genere.
X De contractis, & fracto, & paralytico liberatis.
XI De dæmoniacis liberatis.
XII De liberatis à carceribus.
XIII De liberatis à submersione & periculis maris.
XIV De incendio ignis extincto.
XV De curatione cuiusdam fistulæ & aposthematis.
XVI De iumentis curatis.
XVII De sanatione cuiusdam vulnerati.
XVIII De resuscitatione pueri mortui.

CAPVT I

Virtutes S. Finæ: morbus diuturnus: miracula post mortem.

1 POstquàm mundo Sol iustitiæ Christus nube carnis contectus apparuit, & aridam atque sterilem terram, humanam naturam videlicet, largifluâ suæ gratiæ pluuiâ fœcundauit; in nostræ mortalitatis substantiam, quæ, velut humus maledictioni subiecta, vitiorum spinas & passionum nobis tribulos germinabat, flores apparuerunt, id est, homines Deo gratissimi, virtutum varijs vernantes coloribus, & exemplorum odoribus suauiter redolentes. Inter quos Virgines, velut niuea lilia, candore puritatis mirabilis nituerunt; & sancti Martyres, tamquàm rosæ purpureę, rubro sui martyrij sanguine rutilarunt: beatorum autem Confessorum humilitas, ad instar quasi violarum olentium, odoris nos amabili fragrantiâ recreauit. Ceterùm nouissimo tempore, quo in nos seculorum fines B. Paulus deuenisse commemorat, in florido S. Geminiani castello, quod est in patriâ Tusciæ, quæ dicitur Vallis-Elsę, Virgo quædam, nomine Fina, Deo nitens & hominibus redolens, velut nouum munditiæ lilium, est exorta. Quæ & tamquàm rosa gratissima, neque sacræ virginitatis honore, neque diutinis attrita laboribus vigore pœnitentiæ caruit vel sanctæ opinionis odore. Fuit namque cum interiori munditiâ circumdata virginali decore, & cum fidâ

F *Sancti in ecclesia,* *quod flores in hortis:* 1. Cor. 10, 11 *ex quibus B. Fina.*

A fidâ humilitatis custodiâ, mirandæ patientiæ robore communita.

diu parem-tes, 2 Huius quidem carnalis pater Cambius dictus est; qui licet esset ex paupertate despectus, ex nobilium *b* tamen progenie traxisse fertur originem. Mater verò ipsius Virginis *c* Imperiera vocata est. Germanum etiam, nomine Ciardum, habuit Virgo Christi: qui diu tam laudabilẽ vitam in insulâ Siciliæ duxit, quòd tamquàm Sanctus, non tam viuus quàm etiam mortuus, ab omnibus colebatur. *d* Parentes igitur Virginis memorati cùm hanc felicem sobolem suscepissent, quasi quodam futurorum præsagio, vocandam esse Finam ab ipso sacri baptismatis lauacro statuerunt. Nam vulgaris multitudinis vsus, quem sapientes seculi in nominandis rebus dicunt esse sequendum, communiter obtinuisse videtur, vt id, quod excellentem vel optimum gradum obtinet bonitatis, finum vel finissimum vulgariter appelletur. Quapropter *& nominis ratio:* sancta iuuencula rectè vocata est Fina, quæ continentiæ gradum optimum, virginitatem meruit conseruare. Nam quamquàm bona sit honestas coniugalis, melior tamen dicitur continentia vidualis; sed optima censetur puritas virginalis. Abstinentia à nuptijs Angelorum est imitatio: & quantò Angelus est homine B superior, tantò virginitas est honorabilior. Rectè quoque vocata est Fina, quasi finem assecuta, quia diuersorum meritorum gradibus vsque ad finem vitæ proficiens, finem tandem beatitudinis vltimum feliciter est adepta *e*.

3 Hæc igitur Christi sponsa carissima, velut aurora consurgens, vt noctis culpæ relinqueret tenebras, & in perfectam diei gratiæ proficeret claritatem, in puellari constituta ætate, pueri libus se iocis non miscuit, sed iuuencularum mulierum lasciuiam penitùs declinauit. *puella modestia,* Vt enim puritatem cordis, quæ fundamentum est omnium virtutum, sanctæque virginitatis thesaurum, in vase sui corporis fictili conseruaret, domi libenter manens, externos quantùm poterat deuitabat excursus, & impudicos aspectus hominum abhorrebat. Si quando verò cogebatur exire, ne *pudicitia,* internam pudicitiam mentis exterior aspectus inficeret, cùm oculis fœdus pepigerat, vt non ad latera, sed ad pedes respicerent, & semper eius palpebræ præcederent gressus suos. Et quamuis esset venusta facie, totóque corpore pulchra, exteriorem tamen apparatum abhorrens, interiori mentis compositioni studebat: non externis adspectibus hominum, sed Sponsi cælestis oculis cupiens complacere. Sed ne seruus delicatè C nutritus proteruiret in dominum, videlicet caro in spiritum, corpus suum affligebat ieiunijs, & membra *pœnitentia,* cum B. Cecilia cilicio perdomabat. Ne verò per desidiam otij hostilibus pateret insidijs, manualibus mulierum operibus, non tam ad subleuandam inopiam quàm ad otiositatis vitandam malitiam, crebriùs insi- *sedulitas.* stebat. In quo profectò Reginæ Virginum, Matris Dei sequebatur exemplum: de quâ Beatus testatur Hieronymus, quod colo & acu operans opportunum sibi victum quotidie lucrabatur.

Grauis infirmitatis 4 Sed quia virtus in infirmitate perficitur, vt eam Dominus ad perfectionem perduceret, dum magis robusta videbatur & sana, grauissimâ in corpore passione percussit. Nam subitò toto corpore perdito, præter caput, sic tota contracta est, vt non tantùm de lecto surgere, sed nec etiam posset vllatenùs se vertere vel mouere. Quod quidem Dominus fecisse dignoscitur; vt non tantùm Dei famula locuples esset meritis operum, sed etiam locupletior fieret meritis passionum. Quamquam autem sic esset infirma, non tamen super lecti mollitiem, sed super nudam tantummodò tabulam *f* decumbebat. Verùm vno latere cor- *& diuturnæ* poris vehementibus repleto doloribus, per quinque annorum spatium in altero semper latere iacuit, à nullo se vnquàm aliter verti vel mutari permittens. Quapropter ex carnis humore substratâ sibi tabulâ putre- D factâ, caro etiam adhærens computruit, ita vt ea pars lateris vermibus scaturiret. Mures quoque ad eam concurrentes, si non aderat qui eos abigeret, ipsius carnes putridas corrodebant. Vnde multæ fide dignæ personæ, quæ frequenter ad famulam Dei gratiâ visitationis accesserant, se mures illos vidisse testatæ sunt, ex concauitatibus corporis, quas corrodendo fecerant, prodeuntes.

AVCT. IO. A S. GEMINIANO. incredibilis tolerantia.

5 O verè patientia mira & cunctis præferenda miraculis, quæ in fragili fœmineo sexu masculinum animum reperit: quo scilicet Dei Virgo, cum ex vnâ parte corporis tam diris torqueretur doloribus, à vermibus verò ex alterâ & muribus roderetur, sic tamen *Mentis & vultus serenitas,* lætâ facie tranquillâque mente manebat, vt numquàm vel signum tristitiæ in vultu suo monstrauerit, vel verbum lingua eius protulerit conquerentis. Non igitur in ore ipsius resonabat impatientiæ murmur, sed semper gratiarum actio & vox laudis. Propter quod sine ferro & flammis quasi Martyr fuisse videtur, quam etsi *in summis doloribus,* gladius persecutoris non abstulit, tormentum tamen diutinum multiplicium dolorum afflixit: quod ipsa non cum mentis tristitiâ, sed lætâ patientiâ tolerauit. Porrò vt exemplo Ioseph in terrâ suę paupertatis ex- E crescerent, extremam, quam patiebatur, inopiam tam *& in extremâ paupertate* lætâ mente ferebat, vt iam non esse in paupertatis angustijs, sed immensis abundare diuitijs videretur. Sciens namque quòd pauperibus spiritu promissum est regnum cælorum; pauperiem læto animo ferens, quod intulerat necessitas, voluntarium faciebat. Virgo itaque prudens luculenter aduertens, pro gloriatione in paupertatis inopiâ cælestis exuberantiæ gloriam esse reddendam, pietatis munera & eleemosynas datas, quas viri misericordiæ vel fœminæ transmitte- *erga pauperes liberalitas.* bant, cum metu suscipiebat & lacrymis: & quasi mœsta de eleemosynis magnis, in paruis datis vberiùs exultabat. Nihil autem de quotidiano victu reseruans, vt de crastino non esset solicita, quidquid sibi de collatis supererat, pauperibus erogabat.

6 Ceterùm cùm de virtutibus eius antiquus ser- *matre subitò extinctâ,* pens inuidiâ torqueretur, nequitiæ suæ virus pestiferum, quod in Dei famulam efflare non poterat, in matrem eius effudit. Nam vnâ dierum accidit, quòd mater ipsius Virginis, de quâ suprà facta est mentio, cùm deforis rediens limen domus intrasset, subito lapsu corruit, acsi cuiusquam violento impulsu fuisset ad terram proiecta. Cùmque sic iaceret immobilis, cœpit Virgo Domini Fina, quæ in loco superiore manebat, ad mulierem quamdam honestam, Bonauenturam nomine, quæ sibi diu ex pietatis affectu eleemo- F synas quærendo seruiuit, & tunc temporis ibidem adstabat, cum clamore & instantiâ dicere: Surge soror, descende inferiùs & quid de matre meâ sit actum agnosce. Ad cuius dictum cùm descendisset ad eam, non tantùm ad terrâ prostratam, sed illam vitâ reperit penitùs destitutã. Tunc vocem extollens mulier, clamauit fortiter, dicens. Heu, heu! Quid actura es Fina, cùm mater tua mortua est in terrâ. Quam vocem lugubrem audiens Dei Virgo, cùm ad tectum leuaret ocu- *serpentem supra tectum videt:* los, immanem serpentem conspexit, super quamdam trabem extensum, in eam terribilibus oculis intuentem: quem illa priùs ex columbinâ simplicitate, quæ inerat cordi eius, non monstrum esse diabolicum, sed verum serpentem existimans, ex cuius morsu mater esset extincta, ad prædictam, quam miserat, fœminam adhuc exclamauit, dicens: Veni Bonauentura, huc veni: & vide virulentam hanc feram, quæ matrem meam extinxit. Et adhuc post hæc verba subiunxit, dicens: Vade soror concitè, vade, voca huc Magistrum Guineldum, qui scalam ponat, & ad tectum adscendat, & hoc venenosum animal, quod matrem meam momordit, percutiat & occidat. Cùm igitur acces-

A accessisset Gulieldus, qui conuicinus quidam erat à prædictâ muliere vocatus, vtrique famula Dei, tam scilicet mulieri quàm ei, serpentem illum terribilem, quem ipsa cernebat oculis, digito demonstrabat, dicens: Videte illum, videte, qui matrem meam peremit. Cúmque illi monstrum huiusmodi nullatenùs videre se dicerent, intellexit Virgo Christi apertiùs, non esse quod videbat serpentem viuum, sed nequissimi hostis portentum, qui per serpentis speciem primos parentes decepit. Vnde mox, Crucis facto signaculo contra eum, euanuit ob oculis eius. Perpendit igitur ex his Christi ancilla, huiusmodi mortem matris non tam ex nequitiâ dæmonis, sed magis occultæ Diuinæ dispensationis iudicio prouenisse. Quapropter Deo gratias agens, durum casum non cum tristitiâ, sed æquâ mente portauit.

AVCT. IO. A S. GEMINIANO. & signo crucis dæmonem fugat.

7 Denique verò tempus aduenit, quo eam de suis laboribus Dominus remunerare decreuit, & post longi probationem certaminis coronare. Id quod olim sanctus Propheta suppliciter postulauit, dicens: Notũ fac mihi, Domine, finem meum; hoc sancta Domini famula ex speciali Dei munere meruit obtinere. Nam per dies circiter octo ante sui obitus horam almus Pontifex & Doctor Gregorius, ad quem ipsa dilecta Deo singularem deuotionem habuerat, cuique in diuturnis languoribus quoddammodò conformis extiterat, sibi desuper resplendens apparuit, dulcissimâ voce dicens: Parata esto filia, quia in die solennitatis meæ ad nostrum es ventura consortium, cùm sponso tuo perenniter in gloriâ permansura. Cuius illa confortata conspectu & auditu sponsionis dulcissimæ recreata, leuatis ad Dominum manibus, & oculis sursum erectis, deuotas & humiles gratias reddidit Redemptori, qui ancillam suam tam abiectam & humilem ad tam sublimem & ineffabilem gloriam suâ dignatus fuerat clementiâ inuitare: deinde prout poterat, reuerenter inclinans caput sancto Pontifici, eiusdem se deuotiùs gratiæ commendauit. Quo facto disparuit visio, quam ipsamet Dei famula quibusdam sibi familiaribus fœminis, & spirituali sibi familiaritate coniunctis, cum multâ humilitate posteà reuelauit. Quod totum dictæ fœminæ post sacrum illius obitum, sicut audierant à Domini famulâ, pluribus retulerunt: de quo etiam postmodùm examinatæ solenniter, sub sacramenti fide idipsum, quod priùs dixerant, iterum confirmarunt.

Ex S. Gregorio intelligit, Ps. 38, 5. B se in eius festo morituram:

8 Ab illâ ergo die, quâ, vt dictum est, ancilla Domini cælestem reuelationem suscepit, cœpit corpus iam penè consumptum, magis ac magis præ debilitate C deficere, & dolorosâ capitis inquietudine cruciari. Quapropter illi compatiens quædam laudabilis mulier, nomine Beldia, quæ laude digno caritatis & sanctæ deuotionis affectu illius curam longo tempore gesserat, cùm manu suâ & brachio tam diu caput Virginis tenuit subleuatum, quòd manus sua vehementer intumuit, ita vt eam sine magno dolore nec claudere nec agitare valeret. Tandem verò cùm dies instaret iam dictæ solennitatis beatissimi Doctoris Gregorij, quo sanctissima Virginis anima, iuxta promissum cælitus sibi factum, à corpore debebat absolui; vicinum præsentiens exitum, totum suum deuotissimum spiritum ad Dominum recollegit, aduentum Sponsi & vocationem expectans, ad quem sibi exiens obuiam, ad cælestes cum eo nuptias introiret. Verùm prudentissima Virgo, vt in horâ sui exitus parata reperiretur, generali priùs confessione præmissâ, Sacramentum Dominici Corporis & tandem Vnctionis extremæ cum mirabilis deuotionis dulcedine petijt & accepit: post quæ arma secura facta de prælio mortis, agonem hilariter expectabat. Cúmque se oratione continuâ Domino commendaret, inter ipsa orationis verba immaculatum spiritum reddidit Creatori, in annis Domini MCCLIII, de mense Martij, in die festiuitatis B. Gregorij D Papæ.

tandemq; deficiens, susceptis Sacramentis moritur.

9 In ipsâ verò horâ, quâ transijt, videntes potestates aëreæ, quòd eius spiritum detinere nequiuerant, vtpote in quo nihil iuris aut potestatis habebant, confusi & furibundi recedentes ab eâ, tempestatem ventorum & pluuiarum tam validam in aëre concitarunt, vt non parùm in illis partibus homines terrerentur. Sacrum autem illius corpusculum, quod diuturnis pœnis iam fuerat attritum, sic ipsi tabulæ ligneæ, super quam diu iacuerat, ex parte putrefacti lateris affixum & incorporatum remansit, quòd ab eâ nullatenùs potuit integrum separari: in quo nimirum Christi sponsa gratissima est sponsi sui Christi transitum imitata, qui Spiritum tradidit Patri recommendatum, pœnis attrito & ligno affixo corpore remanente. Ceterùm partes carnium putridæ, quæ præfatæ iam tabulæ inhærentes, remanserunt à reliquo corpore separatæ (prout posteà relatione veridicâ contestati sunt plurimi, qui viderunt) nequaquàm vel aspectu horrendæ, aut cuiusquam fœtentes olfatu, sed plenæ candidissimis floribus, suauitatis odorem spirantibus, remanserunt. Erat etiam tota tabula florida ex parte illâ, cui caro inhæserat, & redolens mirandâ fragrantiâ. E Vnde vnum ex illis floribus, quem ex tabulâ quidam euulserat, cùm eum ad ostendendum absentibus longiùs detulisset, & appositum plurium naribus spirare odorem euidentiùs comprobasset, ad præfatam tabulam rediens, acceptum florem in loco, vnde acceperat, reposuit reuerenter. Reliquum quoque corpus virgineum, quod ex parte, quâ tabulæ hæserat, remanserat laceratum, vbi quoque apparebant non paucæ corrosiones murium & fossuræ, odoris consimilis suauitate fragrabat. Decebat namque quòd membra virginea, quæ grauissimis attrita languoribus spiritualiter redoluerant Deo, corporaliter fragrarent & mundo: & ex illâ præcipuè parte vbi magis percussa fuerant, velut aromata, quæ pilo contusa odorem suum pleniùs circumfundunt.

tabula cui caro putrescens adhæserat, flores emisit, corpus defunctæ suauiter redolet,

10 Non est autem prætereundum silentio miraculum, quod tunc temporis plurimum diuulgatum, pro certo compertum est in huius Virginis obitu contigisse. Nam antequàm corpus eius ad Ecclesiam fuit delatum, campanæ maioris ecclesiæ & omnium aliarum per se ipsas pulsari cœperunt, non tractæ manibus hominum, sed viribus Angelorum. Factus est ergo diuinitus ad corpus beatissimæ Virginis concursus populorum multorum, ita vt, etiam postquàm fuit cum reuerentiâ & honore decenti ad dictam maiorem ecclesiam deportatum, obstante cum clamore populo, F non potuerint Clerici sacrum corpus tradere sepulturæ, & primò diebus aliquibus super feretrum collocatum in choro manserit Ecclesiæ memoratæ. Quo in tempore hoc insigne miraculum coram multorum oculis accidisse refertur, quòd cùm biduo post obitum Virginis, custos & nutrix eius Beldia, de quâ parum suprà mentio facta est, velut comes indiuidua Virginis, non tantùm viuæ sed mortuæ, iuxta illius feretrum consedisset, & pro sanatione suæ manus B. Finam fiducialiter exorasset; illa licet mortua iacens, suum brachium leuauit à feretro, manuque propriâ coram oculis omnium manum nutricis tumidâ apprehendit, eamque tribus vicibus strinxit, singulis eius digitis studiosâ perscrutatione palpatis: factumque est post trinum contactum, vt reductâ suâ manu ad feretrum, stupentibus qui aderant omnibus, ab omni dolore pristino & tumore, quam strinxerat manum, dimitteret penitus liberatam.

campanarum sonus vltroneus, manus sanata miraculum:

11 Eodem quoque tempore antequàm corpus Virginis tumulo clauderetur, puella quædam, Melina nomine, filia Guidialdi, quæ genu ex casu quodam habebat cum læsione ossis horribiliter tumefactum, propter quod sine magno dolore, nec etiam claudicans,

tumens genu curatum.

A cans, poterat ambulare. Cùm ad corpus sanctum reducta fuisset, manu S. Finæ apprehensâ & appositâ super tumidum locum discessit, & ad propria rediit plenariè liberata. Quidam etiam nomine Saladuccius cùm in aliquâ parte corporis iterum ei caro excresceret, quæ annuatim debebat excidi: ex quâ quidem incisurâ, dum fieret, tam vehementes patiebatur dolores, quòd ferè semper infirmabatur ad mortem: cùm audisset Virginis obitum primitus nuntiari, voto supplici ad eam emisso, quòd si eum suis meritis Dominus liberaret, semper in pane & aquâ festi eius vigiliam ieiunaret, ac etiam quòd eius sepulcrum filo cereo annualiter cingeret, assecutus est illicò plenissimam sanitatem.

& carnis excrescentia.

a Fluuius hic in Senensi territorio oriens in Arnum se præcipitat, inter oppida S. Miniatis & Empoli, eo loco vnde æquum ferè hinc Pisam inde Florentiam interuallum est.

b *Ex nobilissimâ Ciardorum familiâ, inquit Ferronius, fortè quia fratri Finæ Ciardo nomen fuisse reperit.*

c *Quod Imperatricem sonat Italis. Italica impressa ei præfigit litteram M. haud dubiè iuxta originalem textum: quam litteram Florentini codicis descriptor compilatorq; omisit, quia sibi non intellectam: existimo, quia similiter alijs omnibus fœminarum nominibus in eadem editione inuenio præfixam, pro* Madonna, *id est,* Dominæ *appellatione honorificâ poni.*

B d *Est tamen Octauio Caetano ignotus, Siciliæ Sanctos diligentissimè scrutato.*

e *Aliam nostram de origine nominis coniecturam vide in Comment. num. 6.*

f *Ex Robore eam fuisse fingit Ferronius, vt occasionem habeat ludendi in nomine gentilitio de* Rouere *Iuliæ Victoriæ, Vxoris Ferdinandi II Magni Hetruriæ ducis, & filiæ atque hæredis Frederici, vltimi Vrbinatium Ducis, cui suum opusculum inscribit.*

CAPVT II

Miracula post sepulturam.

sepulcrum S. Finæ deuotè frequentatum,

12 POsthæc autem beatissima Fina in terrâ suæ originis, in plebe videlicet Castri superiùs nominati S. Geminiani, infra dictæ plebis ecclesiam cum lætitiâ fuit & laudibus & magnâ tam Cleri quàm populi veneratione sepulta. Post quæ cœperunt cum deuotione mirabili ad sacrosanctas illius reliquias vniuersi confluere populi, & cateruatim non tantùm de Castro prædicto, sed de omnibus ciuitatibus Thusciæ, è quibus multi cùm vexillis & musicis organis veniebant, gloriosum sepulcrum Virginis visitantes, & copiosa ibi dona & munera offerentes. Vbi etiam diuinâ virtute cœperunt ad inuocationem ipsius & C sanctarum eius Reliquiarum contactum innumera miracula coruscare. Nam eius meritis omnipotens Dei virtus contractis & ruptis salutem integram reddidit, paralyticis & corpore perditis sensum & motum restituit, ab obsessis corporibus dæmones effugauit, inclusos carceribus potenter eripuit, submersos ab aquis illæsos eduxit, naufragantibus portum salutis indulsit, ardores ignium flammantes extinxit, aposthemata quoque ac fistulas mirâ celeritate curauit, ab infirmitatibus plurimis bestias liberauit, & tandem vulneratos lethaliter ad sanitatem perfectam, & quod insuper est maius omnibus, mortuos reuocauit ad vitam. Sed omnia ista miracula, quæ generaliter enumerando perstrinximus, consequenter & eodem ordine specificanda sunt per specialium exempla signorum.

miraculis claret,

a Curati contracti tres,

13 Mulier quædam, de Monte-Vultrano *a*, nomine Benefacta, cùm esset manibus pedibusque contracta, & ad sepulcrum fuisset Virginis cum dignâ deuotione deducta, eiusdem se meritis recommendans, reportauit inde subsidium plenissimæ sanitatis. Quidam etiam propter contractionem omnimodam, quam in manibus patiebatur & pedibus, cùm fuisset ad tumulum Virginis super asellum delatus; eiusdem Virginis meritis, cui se recommendauerat reuerenter, D suis inde recessit pedibus, totaliter liberatus: ibatque Deo gratias agens, & cunctis illius terræ hominibus benedicens. Alius quidam ab vtero matris retortum habens brachium & contractum, sic vt ipsum nec flectere posset, nec cum eo valeret aliquid operari, sanitatem, quam deuotè petiuit, ante sepulcrum prædictum B. Finæ meritis integrè reportauit. Vir alius, vocatus Bertinus, cuius brachium momorderat animal venenosum, habens ipsum ex huiusmodi morsu perditum & contractum, B. Finæ postulato præsidio, consecutus est eius meritis omnimodam sanitatem.

AVCT. IO. A S. GEMINIANO.

14. Homo quidam de Comitatu Pisano & loco, qui dicitur Alica, *b*, nomine Benaffare, cùm esset in manibus contractus & pedibus, & insuper esset mutus; portatus est ad sepulcrum Virginis in asello suo ligatus: vbi fusis ad eam precibus, pro suâ curatione sanitatis beneficium ad libitum est adeptus *c*. Quidam quoque vir alius, nomine Galganucius, sic contractus, quod sine baculorum sustentaculo, qui crocciæ dicuntur vulgariter, non poterat ambulare, ad Virginem fusâ prece deuotâ, sanitatis est gratiam plenariè consecutus. Infantulus quidam adhuc vbera sugens, E dum die quadam lauaretur à matre, rupturam ventris subitò passus est, per quam interna viscera videbantur, & cùm effluere de ventre cœpissent, facto à matre voto ad Virginem, mirâ fuit consolidatione sanatus. Paralyticus quidam & tremulus, qui supra pedes suos non poterat se tenere, sed statim quando fuisset dimissus, tremens cadebat in terram; cùm delatus aliorum subsidijs ad B. Finæ tumulum deuenisset; postquàm eius cum reuerentia suffragium postulauit, receptâ eius meritis sanitate, ad propria suis pedibus incolumis remeauit. Multos quoque alios homines, eadem infirmitate detentos, ad sepulcrum eius venerabile cum reuerentiâ venientes, liberauit misericorditer pijssima sponsa Christi.

item mutus, b

c

debilis,

ruptus,

& paralyticus,

15 Bertellus *d* quidam de villâ Campilliæ, quæ in districtu est Castri de *e* Colle, crudeliter vexatus à dæmone, cùm ad Dei famulæ tumulum esset quasi violenter deductus, & annulus quidam *f*, quem in digito suo B. Fina tenuerat, in ipsius esset digitum ab aliquo immissus; mox dæmon qui eum vexauerat, per dierum quindecim spatium quo illum annulum tenuit, ab eiusdem vexatione cessauit. Sed ei, qui præstiterat, annulo restituto, statim dæmon ad illum rediit, fortiùs vexans eum; propter quam caussam à suis iterum reductus ad Virginem, per ipsum malignus spiritus F clamare cœpit, dicens: Cur me torques Finucia? ecce recedam ab isto, ex quo me hîc esse non finis. Cumque adstantes peterent, quale sui recessus signum ostendere deberet; respondit nequam spiritus dicens: Birrettum *g* vnum de capite alicuius hîc adstantium auferam, & vnam istius ecclesiæ lampadem percutiendo perfringam. Cuius veritatem eloquij confestim subsecutus, vt dixerat, rei probauit euentus. Nam illicò ab homine malignus spiritus exiens, vtrumque signum, prout antè prædixerat, tam de biretto quàm de lampade adimpleuit. Quædam etiam dæmoniaca mulier, quæ de S. Miniate imperiali castello ad B. Finæ reliquias fuit ducta, ab ipso quo tenebatur spiritu, dato signo quòd in recessu suo lampadem frangeret, fuit, eiecto dæmone & impleto signo de lampade, ipsius Virginis meritis protinus liberata.

d

e

f energumenus liberatus:

g

item energumena dua,

16 Consimile quoque miraculum circa mulierem aliam iuuenem, quæ nouiter virum acceperat, in Portu S. Viti de Pulignano, qui est in Apuliâ in contrata de Bari *h*, dignatus est per suam famulam Dominus operari. Nam cùm mercator quidam, Cinus nomine, de terrâ ipsius Virginis oriundus, ad dictum portum applicuisset in naui, & de naui exiens descendisset in terram; in Abbatiâ S. Viti prædicti, quæ est in loco illo, inue-

simili miraculo in Apulia facto, h

AVCT. IO. A S. GEMINIANO.

A inuenit dictam fœminam iuuenem à dæmone occupatam, omnes quidem qui ibi aderant suis clamoribus non modicum molestantem. Ad quam dictus Cinus accedens, dæmonem, qui eam vexabat, adiurare cœpit, huiusmodi verba dicens: Adiuro te, dæmon, per Deum & ob reuerentiam S. Finæ Virginis de S. Geminiano, vt confestim ab hâc iuuenculâ, quam occupasti, discedas. Ad cuius vocem malignus spiritus cum magno clamore respondens, ait: An credis me hinc repellere? Profectò, si resistere potero, nullatenus exibo. Cúmque illum sub eisdem verbis iterum adiurasset, clamauit dæmon, dicens: Da mihi vel modicum terminum, quo hinc exire debeam: & tunc de meo exitu & liberatione istius manifestum videbitis signum. Et post hæc verba facto silentio modico, ab eâ nequam spiritus exijt, & pro signo, quod promiserat, lampadem quamdam, quæ pendebat in altò, cum magno sonitu fregit. Sed oleum de lampade fusum, cùm super pauimentum solidum ecclesiæ cecidisset, ad modum terræ condensatum apparuit, nigrum quidem, sed minimè vnctuosum: propter quod nec tingebat tangentes ipsum vel adhærentes eidem. Illa verò iam dicta iuuencula B. Finæ gratias agens, recessit, eiecto spiritu totaliter liberata. Abbas autem loci prædicti, viso tam grandi miraculo, præfatæ S. Finæ imaginem in ecclesiâ pingi fecit: cui hucusque ab indigenis loci exhibetur reuerentia magna, & plura ibidem eiusdem Dei famulæ meritis miracula sunt ostensa.

etiam ibi incipiunt Beatam inuocare:

B Multi quoque alij tam viri quàm mulieres ab immundis occupati spiritibus, ad sepulcrum venerabile Virginis venientes, recesserunt inde eiectis illis, & ibidem pro signo vestibus aut capillis dimissis, redeuntes ad propria penitus liberati.

4 viri carcere exempti:

17 Viri quatuor in carceribus positi & fortissimis ligati compedibus, cùm se B. Finæ deuotiùs commendassent; non humano opere, sed diuinâ virtute amotis è pedibus vinculis, de ipso mirabiliter carcere sunt educti. Propter quod ad sepulcrum Virginis deuotiùs accedentes, persolutis gratijs debitis, sua ibi pro testimonio vincula reliquerunt. Plures quoque diuersis temporibus ad sanctæ Virginis venerunt reliquias, compedes ferentes & vincula, à quibus eius meritis asserebant se fractis carceribus fuisse liberatos.

mercatori à flumine abrepto,

18 Magnum & turbidum fluuium mercator quidam pertransiens, dum non in vadum debitum fluminis, sed in locum introisset profundum, ab aquâ tractus in pelagus, est totaliter submersus: vbi iam, ab aquis incipiens suffocari, voto cordis, vt affectuosiùs poterat, B. Finæ Virginis auxilium inuocauit. Quo

C facto, manum quamdam persensit se per capillos ad superiora trahentem, & sic de aquis validis B. Finæ præsidijs incolumis est eductus. Vnde postmodùm ad eius sepulcrum cum muneribus & oblationibus veniens, & quod acciderat miraculum fideliter retulit, & ibidem de beneficio præstito gratiarum persoluit debitas actiones. Mercator etiam alius de S. Geminiano, nomine *i* Lotharingus, fide dignâ relatione narrauit, quòd, cum esset quædam nauis in mari, in quâ ipse cum multis alijs pariter nauigabat, & eos nocturni temporis obscurissima caligo contegeret, tam validè à ventis & fluctibus nauigium iactabatur, vt omnes se naufragio proximos existimarent. Quapropter mercator præfatus, vicinæ mortis periculum metuens, B. Finæ suffragium deuotâ mente quæsiuit: nec frustratus à suâ fiduciâ: nam illicò dum extra respiceret in mari, propè nauim immensum quoddam lumen apparuit, velut ignis, quo lucente serenatus est aër, siluerunt venti ac fluctus, & omnis protinus tempestas abscessit.

i

& alteri naufragium timenti succurritur:

alij à simili periculo saluati:

19 Consimile quoque miraculum accidit de aliâ quadam naui quassatâ ventorum & fluctuum grauissimâ tempestate: quia cùm hi, qui erant in eâ intolerabilem maris sæuitiam formidarent, hortatu cuiusdam, qui aderat, qui sacræ Virginis nomen agnouerat, eamdem pari voto suppliciter inuocantes, mox eius auxilio tempestate sedatâ, mirandam assecuti fuerunt maris tranquillitatem. Vnde quidam eorum de tanto beneficio non ingrati, vsque ad sepulcrum eius postmodùm accesserunt; vtpotè receptam à Dei famulâ gratiam recitantes, & ibidem cum gratiarum actione imaginem pro signo facti miraculi relinquentes. Quatuor quoque consimiles diuersis temporibus imagines nauium ad sepulcrum ancillæ Dei portatæ sunt à quibusdam, asserentibus sibi salutari suffragio beatam Virginem Finam in marinis periculis adstitisse: vt ex ijs, quod de sponso legitur, in sponsâ quoque eius possimus consimiliter admirari, dicentes: Qualis est hæc, quia venti & mare obediunt ei. D Mat. 8, 27.

incendium exstinctum,

20 Cùm in partibus cuiusdam villæ crudeliter ignis esset accensus, & ventis agitata latè vndique se flamma diffunderet, vt totius villæ incendium irreparabile timeretur; Sacerdos, qui in villæ illius ecclesiâ Rector erat, cum haberet de panno camisiæ cuiusdam, quę fuerat S. Finę (quam scilicet tamquàm caram Reliquiam præ magnâ deuotione seruabat) videns ignis inextinguibiles flammas, summitati cuiusdã perticæ pannum appendit camisiæ prælibatæ, & quasi quodam erecto vexillo, dictæ sacræ Virginis virtuti confisus, audacter contra ignem processit. Mira res, E sed ab illo facta, qui facit mirabilia magna solus. Nam statim in se redijt ignis, nec vltrà processit, vt cœperat, ac si res quædam animata fuisset, quæ viso vexillo hostis territa retroisset; imò insuper post modicum spatium fuit ignis per seipsum extinctus. In quo profectò signo B. Agathæ Virginis videtur miraculum renouatum, *k* cuius velum contra ignem portatum, retrocedere coëgit incendium, & etiam tandem extinxit. k

apostema sanata,

21 Quidam homo, cui fistulæ morbus incurabile vlcus induxerat, cùm B. Finæ clementiam pro liberatione suâ precibus pijs pulsasset, mox ab eâ consecutus est gratiam sanitatis. Hoc in loco inserendum videtur beneficium alterius sanationis consimilis, quam exhibuit Virgo Dei Fina cuidam fœminæ, Bonauenturæ nomine, filiæ scilicet nutricis suæ Beldiæ, de quâ supra pluribus vicibus fecimus mentionem. Nam cùm pateretur prędicta mulier aposthema quoddã horribile in mamillâ, quæ quidem medicorum iudicio curari nullatenus poterat sine grauioris incisione doloris. Illa incisionem huiusmodi pertimescens, suauioris medicaminis suffragia requisiuit: nam ad matris suæ dilectricem & sociam B. Finam confugiens, eiusdem toto corde subuentionis auxilium postulauit: quam Virgo F Dei clementer exaudiens, sine vllo medicamine protinùs sanam fecit.

iumenta curata:

22 Ceterùm virtute illius, qui saluat non solùm homines, seu etiam & iumenta, in ipsis quoque bestijs & iumentis vim suæ virtutis ostendit famula Dei Fina. Nam multorum hominũ boues & asinos atq; equos, grauissimis infirmitatibus occupatos, cùm pro illorum sanatione eiusdem ancillæ Christi gratiam implorassent, mirâ celeritate sanauit. In quo facto sancta Dei Virgo Beati Christi Martyris Blasij *l* similitudinem tenuit, qui in curandis huiusmodi bestijs spirituali dono gratiæ noscitur claruisse. Nam quæ secuta est illius patientiam, profectò congruum fuit, vt illius obtineret & gratiam. l

in pœnam neglecti festi,

23 In sanandis quoque vulneribus hominum admirabilem Virgo Dei exercuit chirurgiam. Nam cùm felix eius obitus dies in S. Geminiano potissimùm festiuus annualiter & celebris habeatur, ita vt à seruilibus operibus communiter omnes vacent, accidit semel, quod huiusmodi die homo quidam, nomine Cambius, vxoris suæ stimulatus hortatu ad incidenda ligna propter frigus, quod imminebat tunc temporis potissi-

A potissimè illo anno, cùm securi perrexit ad syluam: vbi cùm lignum quoddam fortiter cœpisset incidere, secundo ictu percutiens, non ligno, sed cruri suo crudele vulnus inflixit: cuius acerrimo dolore permotus, & vehementer seipsum obiurgans, quòd solennitatem nõ custodierat Virginis venerandæ, voto nihilominùs supplici eiusdem misericordiam petijt, quò in dolore tam acri ei pro suâ clementiâ opportunę subuentionis subsidium largiretur: quem Virgo Domini confestim exaudiens, tam mirâ consolidatione sanauit, vt nec vestigium vulneris vlteriùs appareret. Id quoque vir de seipso testatus est, quòd cùm vndecies in bellis fuisset, in quibus semper altera partium, & sua frequentiùs extitit debellata; in maximis sæpè periculis & quasi ineuasibilibus positus, quia semper huic famulæ Dei deuotè se commendauit, ab his periculis illæsus euasit: vbi socij eius, qui posse magis effugere videbantur, mortui remanserunt. Vnde quòd sibi hæc gratia ancillæ Christi meritis obuenisset, qualitates considerans casuum, minimè dubitabat.

acceptum vulnus soli datur pœnitenti. — *eidemque in bellis succurritur.*

24 Denique contra id, quod Philosophus terribilissimum asserit, & finem dicit esse totius, mortem videlicet corporis, sui quoque roboris manum Virgo B Dei potenter extendit. Nam filius cuiusdam Lombardi, qui in S.Geminiano tunc temporibus morabatur, in contratâ m hospitalis, quod nunc dicitur S. Finæ, consistens in puerilibus annis, ad extrema deductus est, diemque clausit extremum: quod mater eius anxia, lacrymisque perfusa conspiciens, cum amplâ mentis fiduciâ emisso voto, ad Virginem eiusq; postulato suffragio, mox suum recepit filium restitutum vitæ pariter & saluti. Quod quidem tam grande miraculum plures testati sunt, qui puerum primò mortuum, deinde vitæ redditum suis oculis conspexerunt. Multa quidem & alia signa per suam dignatus est famulam Dominus operari, quamuis in huius non sint opusculi compendio comprehensa. Hæc autem scripta sunt breuiter, non tantùm ad sanctæ Virginis præconium extollendum, sed etiam ad commonitionem legentium: vt eius vitæ consectantes exemplum, & ipsius gratiæ impetrantes suffragium, ad eius tandem feliciter mereantur peruenire consortium, Domino nostro Iesu Christo fauente, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

puer à morte suscitatus, — *alia signa.*

a *Vicus est ad Austrum S.Geminiani, octò circiter passuum millibus ab oppido, tribus à Volaterris dissitus.*

b *Medio ferè inter Pisas & S Geminianum itinere, vtrimque ad* C *viginti passuum millia distans locus.*

c *Huius miraculi legitimam probationem speciatim habes infra num.* 26.

d *Benellum habent omnes Italicæ versiones.*

e *Abest vnius circiter horæ itinere inter Ortum & Meridiem, Episcopali titulo insigne, cui S. Geminiani oppidum subijcitur, nomen habens à situ.*

f *Putat Ferronius hunc à Virgine gestatum tamquàm sponsalitium.*

g *Id est pileolum. Videtur diminutiuum à* birrho: *cuius in sacris vestibus iam inde à S. Cypriani tempore inuenitur memoria: origo nominis à colore rubeo subobscuro, πυῤῥὸν Græci dicunt: sed per* b *Latini.* (Birettum,)

h *Ad mare Adriaticum sita est Vrbs, S.Nicolai Myrensis Reliquijs famosa, à qua milliaribus quindecim versùs Orientem oppidum Pulignianum abest, & ei ab occasu vicinum S.Viti monasterium.*

i Lattaringus *Italicis, & inferiùs inter testes* Ser-Luiteringus.

k *Vide illud in* 1. *Tomo Februarij nostri ad diem* v.

l *Et de hoc eumdem tomum vide ad diem* III.

m *Id est vico seu regione oppidi: in latiori tamen & magis genuinâ significatione Italis districtum significat seu territorium, quasi à multorum simul vicorum & oppidorum (quæ ijsdem Italis* terræ) conterrata *dicatur; sicut* Commarca *collectio similis vicorum oppidorumq; intra easdem* Marcas *seu limites.* (Contrata.)

SVBSIGNATIONES TESTIVM.

25 IN nomine Domini Amen. Infrascripta sunt nomina testium deponentium attestationem prædictorum miraculorum. Quæ nomina in hoc libro scripta sunt ad perpetuam rei memoriam singulariter & distinctè. Inprimis.

Dominus Neapoleo, Presbyter, olim nobilis viri a Domini Ranuccij, de filijs Rodulfi de Monte-Grossoli, & antiquus Castri-S.Geminiani terrigena & Castellanus. *Testium nomina.*

Domina Benuenuta, vxor olim Magistri Martini de S.Geminiano.

Cinus Montancolli de S.Geminiano.

Cambius Rustichelli de S.Geminiano.

Domina Dirindescha, vxor olim Bechalessi, & nunc vxor Bandelli Comitis de b Corlegarli, & filia olim Dirindonis de S.Geminiano.

Bonnome Nicolai de S.Geminiano.

Presbyter Benintende, olim Fortis c de S. Geminiano,

Rector Ecclesiæ S.Luciæ de Catignano.

Domina Benuenuta, vxor olim Simonis de la Santiâ de S.Geminiano, & filia olim Dominæ Beldiæ, nutricis S.Finæ prædictæ: E

Presbyter Thomas olim Iacobi Giangalli.

Ioannellus Ranerij de S.Geminiano.

Saladuccius Beni de S.Geminiano.

Domina Melina filia quondam Guidialdi de S. Geminiano.

Domina Bonauentura, quæ moratur in castro veteris curiæ S.Geminiani.

Ser-Luiteringus Beninati de S.Geminiano.

Cinis Bonachursi de S.Geminiano.

26 In nomine Domini Amen. Hoc est exemplum cuiusdam publici Instrumenti: cuius tenor talis est. In Dei nomine Amen. His publicis litteris sit omnibus manifestum, quòd Presbyter Scholaris, Rector Ecclesię S. Mariæ de Alicâ, Plebatus e S.Geruasij Lucensis diœcesis, suâ propriâ & liberâ voluntate, iuramento testatur & dicit, se vidisse & cognouisse Bonaffarem, quondam Bonacursi, eiusdem loci, sanum in omnibus membris suis rectéque loquentem, & posteà, à decem circiter annis, vidit eum paralyticum, & loquelam, sicut Deo placuit, vidit eumdem continuè non habentem. Quare dictus Bonaffare pergens apud S.Geminianum ad locum, vbi corpus B.Finæ dicitur F requiescere, ibique meritis eiusdem liberatus est diuinâ gratiâ largiente. Et dicit quòd de his omnibus factis est publica fama in plebeio prædicto. *miraculosæ sanationis,*

Dardus quondam Sinibaldi iuratus testatur & dicit illud idem, quod Presbyter suprascriptus. *testes iurati,*

Bertus quondam Bernardi de Alicâ iuratus testatur & dicit illud idem quod Presbyter suprascriptus.

Vitalis quondam Vguiccionis de Alicâ iuratus testatur &c.

Martinus filius Vpecini f de Alicâ iuratus testatur &c.

Corsus quondam Charthonis de Alicâ iuratus testatur &c.

Gaitothus quondam Marchanni de Alicâ iuratus testatur &c.

Recepti sunt & examinati testes prædicti à me Lupardo Notario, de parabolâ g supradicti Presbyteri apud Forcolum in foro, præsentibus Bartolomęo Notario quondam Bonalbergi & Mathæo quondam Ildobergi, Dominicæ Incarnationis eius anno MCCLIV, h Indictione XI pridie Idus Maij.

Ego Lupardus de S. Geruasio in i Forcolo.

a *Subintellige filius, itaque interpretatur hoc loco Iacobus Manduccius.*

A

b Corlegalli *legit Manduccius.*

c *Filius scilicet.*

d *In nostro MS. malè transcriptum patris nomen hic ex Manduccio restituimus, apud quem cetera, quæ sequuntur, desiderantur omnia: concludit autem cum erectione Bernardini Mainardi, quæ suis temporibus contigit.*

Plebatus, e *Commune est Italis tam parochias, quam singularum parochiarum ecclesias* Plebes, Pieue *nominare: quod hic* plebatum *reddidit, & infrà* plebeium.

f *Videri posset acceptum à* Lupicino*: ab alterutro certè per aphæresim existimo vsurpari* Cini *nomen, suprà recurrens aliquoties.*

g *Id est, de verbo, sermone seu fide: Italis* parola, *Hispanis* palabra *pro* parabola: *vtrumque ab hac origine, per vnius syllabæ omissionem: &* parlare *tamquam* parabolare.

h *Imò Indictione* XII, *vel si* XI *volumus retinere, anno* MCCLIII, *vtrumuis accipias intra duos aut quatuordecim à morte S. Finæ menses hæc accidisse apparet: ex quo non immeritò possemus suspicari non multis ab eadem morte annis scriptam esse hanc Vitam: aut dicere debemus miraculorum frequentiâ factum, vt nulla eorum deinceps ratio haberetur, postquam solemnis Sanctorum cultus Virgini fuit legitimè decretus: certè ad sua vsque tempora nihil prætereà scriptum videtur reperisse Manduccius, qui quod sequitur addit ex suâ fide atque memoria.*

i *Montem Foscoli reperio in tabulis Geographicis, vnius fermè leucæ itinere propinquiorem Pisæ quàm Alica sit.*

ANALECTA EX INTERPRETIBVS ITALIS.

Aridas per multos annos tibias,

27 Nihilo prædictis inferiora fuere miracula, quæ singulis successiuè temporibus facta esse cognoscimus ex votiuis imaginibus atq; tabellis & anathematis alijs, delatis ad prænominatam ecclesiam, & circum Sanctæ sacellum appensis: speciatim autem temporibus nostris puer quidam, nomine Bernardinus, filius Bernardini Mainardi, tibiarum, quæ exaruerant, destitutus vsu, eas ex fascijs, ad collum supra humeros ligatis, portabat pendulas, à quibus fuerat ipse portandus: curam eius gerente præcipuam quadam illius sorore, à quâ ad destinatam naturæ necessitatibus sellam aliquando deportatus, cùm iam septemdecim esset vel octodecim annorum, & animaduertens sororem diuturni laboris tædio intra seipsam obmurmurare; statim vt recessit illa, cœpit deuotè rogare Deum, per merita Iesu Christi & S. Finæ martyrium, adeò patienter ab eâ toleratum, vt sibi vel mortem concederet, vel ab eâ infirmitate solutionem: *Inuocata S. Fina* & suam prosecutus orationem, Si, ego, inquit, indignus sum, qui gratiam obtineam; tu Virgo & Martyr Fina, tuis intercede precibus, atque effice, vt ne cui deinceps molestus viuam, & diuino famulatui prorsùs inutilis. Vix ea dixerat, cùm solutis subitò vinculis cecidêre deorsum tibiæ; sanguis in venas, vigor cucurrit ad neruos, suoque fungi omnia cœpêre officio: neminem interim Bernardinus videbat, qui istis manum admoueret; solùm splendoris subiti magnique fulgetro senserat perstringi oculos, confestimque assurgens in pedes, accepit cereos quosdam, ad domesticam Mariæ Virginis affixos imaginem, & domo egressus inuitauit coætaneos, qui se visere solebant, vt nunc se comitarentur ad templum, pariter gratias S. Finæ acturi pro tam manifesto, quod in se fuerat operata, miraculo. Prædictusque Ser-Bernardinus viuit a hodie sanus & liber ab omni infirmitate, maximè tibiarum, factusque Sacerdos Missas celebrat & plenam cuicumque roganti fidem facit eorum mirabilium, quæ se expertum profitetur. D *muneri suo restitutæ,*

28 Anno MDCXXXI pestifera lues, bellum Mantuanum secuta, plurimas Italiæ vrbes inuaserat: & in his S. Geminiani oppidum sic infecerat, vt mortem omnibus, solitudinem tectis minitaretur: cùm nulla penè esset domus, quæ non suos vel mortuos vel moribundos numeraret. Humanis inter hæc remedijs destituti ciues, ad clementissimæ patronæ expertum sæpè aliàs patrocinium confugiunt: caput Beatæ proferunt, & processionali in pompâ circumferunt supplicabundi. Non vanam fuisse fiduciam depulsum mox malum declarauit: obseruatum enim est, quod illo ipso die, qui primam Dominicam Augusti refert, à Sangeminianensibus ciuibus huius virginis honori dedicatam, omnis contagio cessauerit ita perfectè, vt ipsę etiam dirâ lue extinctorum vestes, innoxię crederentur & essent: atque post quadragesimum diem fuerit oppido restitutum commercium à circumiacentibus vrbibus oppidisque, quod metu mali sublatum fuerat. *patriam à peste liberat.* E

a *Id est anno 1575 quo primùm impressa hæc Vita: Ferronus autem, qui solam editionem 2. vidit, annum 1598 expressit: & quod sequitur de suo addidit sui temporis.*

DE B. IVSTINA RECLVSA
ARETII IN HETRVRIA.

Commentarius præuius.

AN. MCCCXIX. XII MART. *Cuius studio,*



1 Opportunè accidit, vt post S. Finæ Acta ex MSS. Strozzianis prolata & Illustrissimi Caroli Strozzi, Senatoris Florentini laudatam humanitatē, B. Iustinæ de Arretio sit proferenda Vita, & Illustrissimi Francisci Redi Patricij Arretini erga nos commemoranda officia: vt vno vtriusque nomen iungatur die, quorum vnum idemque studium extitit Sanctorum honorem in nobis iuuandis promouendi: etenim non contentus gratiam, quâ apud Principes suos summâ valet, propter raram peritiam non tantùm medicæ artis rerumque ad naturalem Philosophiam spectantium, sed cultiorum omnium disciplinarum linguarumque Latinæ ac Græcæ (vt de Tuscâ taceam) minimè vulgarem scientiam: non contentus, inquam, eam gratiam impendisse nobis ad Magnum Hetruriæ Ducem Ferdinandum, introducendis; & amplissima ab eodem facultate impetratâ Laurentianæ Bibliothecæ Manuscriptis vtendi: voluit etiam è litterario thesauro suo, quæcumque ad Arretinos spectabant Sanctos, suo ære curare describenda: in quibus *accepta Vita,* hæc B. Iustinæ Vita ex peruetusto pergameno codice, signato 114, accepta, atque eiusdem iussu collata cum recentiori alio MS. quod vnà cum Beatæ Corpore seruatur apud Moniales Benedictinas sanctæ Crucis Arretij.

2 Idem nos cetera omnia docuit, quæ ad prædictam Vitam congruè illustrandam & ecclesiasticum honorem eidem Beatæ legitimè delatum cognoscendam spectabant: atque inprimis ex publicis Vrbis Aretinæ monumentis instrumentum subsequens, in libro sanctimonialium S. Crucis MS. reperiendum suggessit, hoc tenore: In Dei nomine, Amen. Anno Dominicæ Natiuitatis millesimo trecentesimo sexagesimo, Indictione IX, die X Iunij per consilium Populi & Communis super quadam petitione exhibitâ pro parte Sororum S. Iustini de Arretio...sic in effectu legitimè reformatū videtur, quòd ad honorem Dei & B. Iustinæ, & vt inter Religiosas ciuitatis Arretij nulla sit differentia occasione oblationis, petitio earum procedat, & quòd dictæ sorores habeant à Commune Arretij singulis annis proprio die festi B. Iustinæ prędictæ *& notitia cultus.* *ac festi pauló post mortem instituti.*

A dictæ in oblationem ceræ libras decem denarium, & Camerarius Communis Arretij prædictam pecuniam soluere teneatur, ad iussum Dominorum Priorum & Vexilliferi ciuitatis Arretij, qui pro tempore fuerint:

Ego Christophorus, qui fui Andreæ de Prato, Imperiali auctoritate Notarius & Cancellarius Communis Arretij, prædictis interfui & ea publicaui, subscripsi rogatus.

varia migrationes sanctimonialium,

3 *Ex quibus ante omnia colligimus laudabilem Aretinæ ciuitatis pietatem, iam olim religiosis omnibus statas oblationes facientis in præcipuis singulorum solennitatibus: deinde publico festo statim a morte coli cœpisse B. Iustinam. Quod verò attinet ad sanctimoniales, inter quas religiosam vitam annis aliquot Iustina duxit, eas, prout occasio ferebat & temporum turbulentissimorum ratio, nunc huc nunc illuc transijsse: nam ex ipsis quidem Actis habemus eas à monasterio, quod sub appellatione S. Marci habitabant, ad monasterium Omnium Sanctorum vnà cum B. Iustinâ transijsse: quò etiam ipsius corpus videtur fuisse delatum post mortem: sed posteà maioris vel securitatis vel venerationis ergò ad ecclesiam S. Iustini translatum; in quâ & miracula nonnulla patrata: nam. num. 8 dicitur Vannez, qui in hâc ecclesiâ frustra petierat* (*cum ipso corpore sæculo 13,*) B *sanitatem, eamdem obtinuisse,* corpore relato ad monasterium vnde extractum fuerat. *Et fortè cum ipso Corpore eodem se sanctimoniales contulerant ex monasterio Sanctorum omnium, vt hinc in præfato Instrumento à S. Iustino indigitentur; & redditâ vrbi tranquillitate nonnullâ, vel caussâ, quæ migrationem suaserat, sublatâ, in priùs relictas sedes remigrarunt.*

& 14.

4 *Etenim Iacobus Burali in historiâ Episcoporũ Aretinorum enumerans sanctimonialium cœnobia decem, quæ tempore Ioannis Albergotti extabant Aretij circa annum* MCCCLXXX, *inter ea recenset monasterium S. Crucis, eique vnitum aliud, S. Thomæ de Fumagio dictum, & monasterium Sanctorum omnium: ab hoc autem postremo eæ, quæ S. Iustinæ corpus seruabant, Sorores credi possunt in primum S. Marci redijsse centum circiter post annos à Pontificatu prædicti Ioannis: siquidem sub Gentili de Bechis, vt auctor est Vghellus* cœnobia S. Marci & S. Claræ, quas Aretini muratas vocant, extructa sunt. *Quidquid tamen sit de hâc coniecturâ, hoc certum est, quòd diu ante annum primum Leonis* x, *Christi* MDXIII, *non in S. Marci sed in monasterio S. Thomæ de Fumagio, cuius hodieque ecclesia superest, habitarint: inde autem, ob nescio quæ scandala, migrare compulsæ, transierint ad ecclesiam & conuentum sanctæ Crucis extra vrbem, vicinum portæ, quæ Colcitrona dicitur; quæ ecclesia olim fuit Ecclesiæ parochiali S. Iustini subiecta, vnde etiam ad S. Cru-* C *cem spatio non longo recta ferebat platea, nunc intercisa parte aliquâ murorum ciuitatis, istac non ita pridem ductorum, adeò vt supersint adhuc qui duci viderint.*

ac tandem 16 in vrbem

5 Verùm (*vt est in MS. earumdem Monialium codice*) cùm anno MDLIV, die XXIII Iulij agrum Arretinum infestaret Petrus Strozzius, à Iacobo de Medicis, cognomento Boccale, Commissario Imperiali, inductæ in ciuitatem sunt ad parochiam S. Mariæ, ibique in ædibus consanguineorum relictæ: qui mox accessiri iussit Rectorem Societatis S. Hieronymi, Gasparem Spadari, ab eoque nomine Ducis Cosmi claues omnes ad eam Societatem spectantes exegit, ac tradidit D. Antonio, dictarum Religiosarum Sacellano & Plebano Lucinianensi, hic autem sorori Antoniæ Florariæ Abbatissæ: & ibi decem mensibus fuerunt, ac deinde redierunt vnde exierant, cùm necdum finitum esset monasterium S. Marci, veteris dictum, quod iuxta ecclesiam S. Hieronymi strui cœperat. Anno porrò sequenti, die XXIII Maij à D. Chiappino Vitelli ijsdem ex parte Ducis mandatur, vt funditùs destruerent sanctæ Crucis, quod eatenus extra Vrbem steterat, monasterium: quod quia peregrinum omnibus videbatur, expectatum tertium mandatum est: eoque allato XXX Aprilis anni MDLVII, factum est quod imperabatur; & completo iam S. Marci monasterio, (*ad ecclesiam S. Hieronymi,*) nunc sanctæ Crucis dicto, eò est immigratum XXIII Maij anni MDLIX. *Vt videantur post tot migrationes demùm eodem rediuisse, & S. Iustinæ corpus retulisse, vbi ipsa Beata Religiosam cœperat vitam colere, sub eâdem probabiliter S. Benedicti Regulâ, sub quâ ibidem nunc viuitur.* D

vbi Vita extat.

6 *In hoc olim S. Marci, nunc nouo nomine sanctæ Crucis cœnobio, ecclesiæ S. Hieronymi adhærente, ea, quam nos Latinè hîc damus Vitam, etiam Italicè inuenitur descripta, atque hæc sub calcem eodem Italico sermone verba adduntur:* Corpus huius gloriosæ Beatæ requiescit modò in ecclesia S. Hieronymi Aretij in monumento (*depositum Itali dicunt*) ad manum sinistram è latere altaris dictæ ecclesiæ, in arcâ seu capsâ ferreâ ad modum craticulæ fabrefactâ, & forinsecùs tabulis ligneis opertâ, ac duabus clauibus obseratâ, quæ sunt penès Reuerendas Matres Sanctæ Crucis. (*& Corpus seruatur,*) Atque omni anno videtur corpus ipsum integrum in die mortis ipsius, qui fuit XII Martij anni MCCCXIX, in quem etiam incidit festum S. Gregorij Papæ. Quo die prædictæ Reuerendæ Matres in honorem dictæ Beatæ celebrari curant Officium, Vesperas & Missam de S. Gregorio. (*in magna populi veneratione.*) Ad eius sepulcrum frequentia pendent ex argento & chartâ anathemata, indicia gratiarum, quas indies fideles re- E cipere se fatentur per merita & intercessionem Beatæ huius. Sæpissimè verò ardet ante tumulum accensa lampas vel cereus aliquis, curantibus ijs, qui eiusdem interuentu beneficium aliquod vel impetrandum sperant à Deo, vel impetratum grati agnoscunt.

7 *Vita, quam damus, innominatus nobis auctor manet: styli simplicitas & aspersi vbique idiotismi Italici suspicionem fecerant tres simul Sorores, quarum nomina titulo præfigi videbantur, collatâ operâ ipsam scripsisse aut scribendam dictasse: ita enim habebat ecgraphum nostrum:* Iustina Bezzola Francuccia de Aretio. Incipit Vita & miracula B. Iustinæ de Arretio. *verùm suspicionem hanc discussit, qui cetera nobis illustrauit Franciscus Redi, monuitque litteris Kal. Iunij anno 1665 datis, à Bezzolâ gente Francucciam deriuari: ex quâ oriundam Beatam apud sanctimoniales, quæ corpus retinent, velut per manus traditum seruetur: & extare monumentum à Francisco Francuccio conditum, vbi reliquiæ coluntur cum tali inscriptione,* B. Iustina Bizzola Francuccia: *esse autem familiam Francucciam ex patricijs nobilioribusque Aretinis.*

VITA ET MIRACVLA

Ex MS. Francisci Redi Patricij Aretini.

collata cum MS. sanctæ Crucis Aretij.

1 LAudabile reputatur & vtile, si sanctarum personarum vita & miracula publicè diuulgentur, quibus audientium corda ad salutem proficiant animarum.

Iustina anno 13 ætatis,

Iuuenis quædam, tertium decimum annum suæ iuuentutis attingens, Iustina nomine, æterni Iudicis spiritu inspirata, mundanas proposuit vitare illecebras, & se in Dei seruitio collocare; & sic deliberata persistens accessit ad monasterium S. Marci, in quo personæ religiosæ Altissimo seruiebant. (*fit monacha,*) Et dum monasterium ingrederetur prædictum, columba candida, multis personis adstantibus, in caput eiusdem iuuenis conuolauit; & in prædicto monasterio per quatuor annos cum omni honestate, abstinentiâ & caritate Altissimo seruire curauit. Infestatis igitur & molestatis plurimùm Sororibus ipsis à latronibus nocturno tempore ac diurno, de loco discedentes prædicto ad monasterium, quod nunc monasterium

EX MSS. ARETINIS

A d'Ogni Sancti *a* vulgariter nominatur, se personaliter conuenerunt. Et ibi hæc cum suis sororibus vitam degit per plures annos omni sanctitate repletam.

a *iungit se Luciæ solitariæ,*

2 Ipsa verò Iustina diuino magis feruore compuncta, vitam asperiorem eligens, obtentâ primò licentiâ, ad quamdam cellulam non longè à castello Ciuitellæ distantem accessit, in quâ cellulâ quædam sancta persona, Lucia nomine, solitaria residebat, Altissimo seruiendo; quæ cellula adeò arcta erat & bassa, quòd sorores ipsæ se non poterant erigere, nec rectè manere, vt possent sæpius ad genua & orationes intendere, & sic ab ipsis non cessare. Et sic dum ducerent vitam suam in ieiunijs, cilicio, & orationibus continuis asperam, Lucia soror prædicta, sicuti Domino placuit, infirmatur: quæ per annum, & vltra grauissimâ corporis infirmitate opprimitur. Iustina verò prædicta diu noctuque ministrabat eidem, & ab orationibus & vigilijs non cessabat. Soror autem Lucia prædicta sic infirma, sicut Domino placuit migrauit in eo. Stans autem Iustina sic sola in speluncâ prędictâ molestabatur multoties in nocte à lupis, qui tectum cellulæ adscendebant, quos malos spiritus reputabat, & eâdem causâ, cùm sola esset, in magno timore manebat; & dum sic sola solitaria trepidaret, B quidam eidem apparuit gerens habitum peregrini, & confortans eam dixit: Noli timere, Iustina, de aliquo; quia semper Christi auxilium tecum erit.

& infirmæ seruit:

vexatur à lupis,

3 Itaque affamine peregrini prædicti extitit plurimùm confortata, & in cellulâ prædictâ incepit ieiunijs, orationibus, & vigilijs quodammodò lumine oculorum priuari; & soror ipsa, quia sic solitaria residebat, prę timore ad quamdam *b* muratam, quæ tunc temporis iuxta ecclesiam S. Antonij *c* facta erat, in quâ sorores aliquæ residebant Domino seruientes, accessit; & ibi more solito in ieiunio, cilicio, & abstinentiâ, orationibusque continuis Domino seruire totâ mente studebat: & quidquid habere poterat pauperibus impendebat, & in Dei seruitio collocabat. Insuper quia ipsa soror Iustina, & sorores alię ibi stâtes adhuc fortiùs vexabantur, & intantùm à latronibus & personis pessimis, quòd decenter Domino seruire non valebant, ad quamdam aliam muratam cellulam, cuius locellum quidam Magister Bencasa Medicus fieri fecerat, accesserunt, & ibi soror ipsa Iustina cum suis sororibus in præfato Dei seruitio insudabat, & talem inde vitam degebat apertam: nam continuò quasi tempore ieiunabat, & cilicium faciebat, & silentium retinebat, & catenâ ferreâ nodosâ tam fortiter corpusculum suum strictum tenebat, quòd ex vno corpore C duo corpora videbantur.

oculis infirmata:

b

c

accedit Inclusas,

& cum ipsis aliò migrat,

4 Grauissimâ etiam infirmitate corpus eius tenebatur oppressum, & his omnibus stans contenta rogauit Dominum, quòd lumine totaliter priuaretur: cuius Dominus preces impleuit, & oculorum lumine totaliter est priuata, & grauissimâ corporis infirmitate oppressa. Hæc autem omnia cum tantâ patientiâ supportauit, quòd nullum verbum intra se, vel cum suis sororibus seu alijs personis superbum vel iracundum emisit: sed in aduersatibus & prosperitatibus Dominum collaudabat, & omni nocte in medietate noctis, & vsque ad medietatem insequentis diei instabat ad orationes solitas silentium retinendo, & nil à prædictis poterat eam remouere. Dum quâdam verò die suæ sorores contra ipsam irascerentur, quia panem non habebant, vt illâ die sustentari valerent, & ab orationibus non cessarent, turbatæ quodammodò dicerent, quia panem non habebant, vt sustentari valerent; ipsa soror Iustina cum omni mansuetudine dedit eis responsum, dicens. Nolite meæ sorores dubitare de aliquo, quia Dominus nos conducet: & in verbis huiusmodi persistentibus quidam ad fenestram loci pulsauit, ad quam vna ex sororibus confestim accessit, & in fenestrâ quamdam *d* Panerettam inuenit

plenam cæcitatem petit & impetrat:

panem in sororibus obtinet:

d

plenam albis panibus: itaque illâ die sororum omnium corpora substentauit, nec scire aliqualiter potuerunt, quisnam esset collator, de quo dono laudes debitas Domino effundunt. D

5 Ipsa soror Iustina, vt sorores suæ in orationibus continuis insudarent, quod sibi acciderat voluit nuntiare: dixit enim eis, quod vox quædam eam sæpiùs excitabat in nocte, dicens: Surge Iustina, quia dilecti Dei ad orationes solitas iam surrexerunt, & sic surgere festinabat. Item dum quâdam noctę in suo remoto loco ad orandum maneret, vna ex suis sororibus surgens locum oratorij prædicti aspiciens, vidit adeò immensum splendorem, quòd tota cella refulgere solis radijs videbatur. Item quidam de Crocis comitatus Arretij quamdam filiam habebat, quæ grauiter patiebatur in oculis, ita quòd vermes habebat in eis. Pater verò ipsius ad sororem prædictam venire fecit eam, precans deuotè, quòd suos Pater noster fricaret ibidem, quæ confestim fecit, & *e* capellinam suam commodauit eidem, cum quâ iaceret de nocte, & eam portans, & de nocte tenens, liberata est per gratiam Iesu Christi, quæ per aliquos Medicos non poterat liberari, & vermes ex oculis ipsius exierunt. E Item ipsa Beata soror Iustina cùm plorare vellet, pro lacrymis pluries sanguis exibat de oculis eius, & grauissimis infirmitatibus grauata erat, & hęc omnia cum patientiâ maximâ sustinebat.

eas ad orandi studium exemplo inuitat.

miracula patrat:

e

6 Dum autem ad suæ vitæ exitum appropinquaret, & Horas suas diceret, visum ad cælum erigens, deuotè dixit: Domine suscipe animam meam, & spiritum meum: quibus verbis sic dictis migrauit ad Dominum. Stetit enim in dictis locis ad seruitium Iesu Christi quadraginta nouem annis, & viginti annis oculorum lumine destituta, obdormiuit enim in Domino Anno MCCCXIX, Indictione II, die duodecimâ mensis Martij. Franciscus infans Ser-Federici, Brettuldi filius, sic tumore magno in testiculis grauabatur, quòd sine *f* bracheriolo manere non poterat. Mater verò ipsius tantæ *g* sanctæ sorore intimis precibus commendauit, & ad corpus eiusdem portatus extitit: itaque exauditis precibus, virtutibus dictæ Sanctæ liberatus est, & restitutus pristinæ libertati. Item aliud, quod non est omittendum. *h* Duccia, mulier de *i* Anglare, Arretij moram trahens, infirmitatis causâ in renibus sic erat curuata, quòd sine sustentatione baculi incedere non valebat. Auditâ morte, & sanctitatis famâ sororis præfatæ, confestim prout poterat cum omni fiduciâ *k* liberandi ad ecclesiam sanctę Iustinę se personaliter contulit, vbi corpus ipsius iacebat, F & apponens manus illius Sanctę ad infirmitatis locum, & manum illius osculans, se ei cum lacrymis commendauit, & factis precibus, multis videntibus extitit liberata, & baculum sustentaculi sui Presbytero dictæ ecclesiæ assignauit.

piè moritur.

rupturam sanat:

f

g

h

i

& renibus infirmam

k

7 Insuper Testa, carnifex Arretinorum, erat brachij infirmitate grauatus, intantùm quòd manum illius brachij in altum vsque ad caput vllo modo erigere non valebat: auditâ prædictæ sanctæ sororis famâ, cum spe liberandi ad corpus illius accessit, & manu illius ad infirmitatis locum appositâ, sicut Altissimo placuit, liberatus est virtutibus dictæ Sanctę; & in liberationis signum brachij manum portauit ad locum. Item & aliud est narrandum. Donna Felenda mulier, Venturæ Molendinarij vxor, habens in oculis *l* cataractas, sic quòd oculorum lumine priuabatur, se illi Sanctæ deuotè commendans, & ad locum, vbi iacebat corpus eius accedens, illius virtutibus & meritis à Deo liberata est, & visioni pristinæ restituta cereos oculos portare *m* fecit ad locum. Item & Restorus de Casale lumine oculorum priuatus, auditâ sanctitatis famâ & miraculorum, quæ faciebat soror sancta prædicta, ei em *n* de serò se deuotissimè commendauit, vt dignaretur sibi lumen reddere oculorum, qui surgens de

item brachium,

l

& oculos malè affectos,

m

item cæcum,

A de mane, se reperit liberatum; & cum deuotione & lacrymis ad corpus ipsius accessit, & regratiatus Altissimo de gratiâ iam concessâ, imaginem ceream oculorum dimisit ibidem.

8 Item *o* Gorus nomine, qui vnius oculi lumine totaliter priuabatur, dum in campo ad *p* laborerium insudaret, intelligens miracula, quæ Sancta præfata faciebat, se fiducialiter genuflexit in terram; deuotè precans, quòd in oculo dignaretur concedere sanitatem, & factis precibus sanatus est oculus; sicut fieri postulauit; & lumine reddito, ad Monasterium, vbi corpus eius iacebat tumulatum, deuotè accessit, & de tantâ gratiâ debitas reddidit gratiarũ actiones, & imagine ceream oculi dimisit ibidem. Item Vannes Vbertini nomine de Sancto Zeno, qui morbo paralytico tenebatur oppressus, ad corpus dictæ Sanctæ accessit, quod in ecclesiâ Sancti Iustini residebat, stansque ibidem precabatur sollicitè, quòd sanitatem non consequebatur petitam. Corpore igitur dictæ Sanctæ ad Monasterium reportato, de quo extractum fuerat, confestim Vannes ipse accessit ad illud, & reiteratis precibus sanitatem pristinam est assecutus meritis dictæ Sanctæ, & imaginem ceream portauit ad locum.

B Item non est silentio prætereundum, quòd filius Sergiani de Fighino, qui vno oculo se non videre dicebat, ad corpus dictæ Sanctæ accedens, & ei se deuotè commendans, cum omni deuotione manum illius apposuit oculo, & confestim, sicut Altissimo placuit, pristinæ sanitati restitutus est perfectè.

9 Item Mulier quædam, nomine Domina Nobile, de Monte-acuto erat *q* mutula, quæ vt posset consequi sanitatem, ad dictum corpus accessit deuotè, & ibi cum lacrymis ingemiscens, se ibi ei in mentis archiuio fideliter commendauit, vt sibi loquelam concedere dignaretur, & in huiusmodi oratione perseuerans vocem emisit liberam, dicens: Sancta Iustina libera me, & sic linguæ expressio perfectè restituta est ei per gratiam Saluatoris. Item Gerardus de Raggiuolo, qui à malis spiritibus grauiter tenebatur, adductus est ad tumulum, vbi corpus illius Sanctæ iacebat, & dum ibi fortiter teneretur, clamorem immensum emittens, sicuti multi videbant adstantes, immundi spiritus dimiserunt eumdem, & sic liberatus est meritis dictæ Sanctæ. Item Petrus quidam de Bibbiena ab immundis spiritibus miserabiliter torquebatur, & dum per plures dies ad tumulum dictæ Sanctæ per violentiam teneretur, immundi spiritus dimiserunt eumdem, & tam magnum fœtorem dimiserunt ibidem, quòd Sorores dicti Monasterij vix poterant sustinere. Item puer quidam, nomine Feus *r*, demens ac fatuus omnibus apparebat,

C qui Sanctæ prædictæ commendatus extitit, & confestim conualuit.

10 Item Domna *ſ* Cecca mulier Arretina, morbo carbunculi tenebatur grauissimè, sic quòd de morte dubitabatur potiùs, quàm de vitâ, quæ dum se intimis precibus commendaret dictæ Sanctæ, eius precibus exauditis languor euanuit, & liberata est Domino concedente. Item non est aliud omittendum, velut quidam Vannes *t* de Planettulo, dum ad Beatorum Petri & Pauli visitanda limina dirigeret gressus suos, in ecclesia sancti Petri præ multitudine personarum sudarium Christi *u* cernentium, grauiter pedem fregit, ita quòd nullo modo incedere, nec repatriare poterat præ dolore: & tantæ Sanctæ se humiliter recommendans intimè deprecatus est, quod sibi sanitatem concederet, vt ad propria remearet, & factis precibus, restitutus est statim, meritis & intercessione supradictæ Sanctæ Deo propitio, qui dignè laudatur in Sanctis eius, hic, & in æternum. Amen.

Marginalia: *o alias, altero oculo priuatum,* — *p* — *ò paralyticum,* — *ò coecitatem,* — *ò mutam,* — *q* — *s ò energumenos duos,* — *atque amentem,* — *r* — *ſ* — D EX MSS. ARETINIS *item moribundam:* — *t* — *ò pedem fractum,* — *u*

a *Id est, omnium Sanctorum: agit de hoc monasterio Baralius in Vitis Episcoporum Arretinorum: pag. 104.*

b *Ita vidimus ab Arretinis sanctimonialium claustra dici. Vnde hoc porro? An quia recto Assurgentes ex omni parte muro nullas habent fenestras, per quas foras prospectus sit, qualem vnam meminimus Florentiæ vidisse: cuius incola vulgari appellatione ibi dicuntur* Muratæ, *id est, muro inclusa?* — Murata E

c *An Magni? non existimo: sed eius, qui cum S. Paulino Lucensi Episcopo Presbyter & eremita Hetruriam suis virtutibus illustrauit. & in persecutione Neronianâ colligendis Martyrum corporibus operam legitur impendisse, & Luca colitur* XXVII *Aprilis.* — S Antonino Presb.

d *Diminutiuum à paniero canistro:* panera *Hispanis, Francis* panier: *quasi* panarium.

e *Ita precatoriorum globulorum quibus Virginem salutamus, sertum appellant Itali, est diminutiuum formatum à* capello *pileo: sic Franci* Chappelet; *Belgæ* Roosen-hoeyken *dicimus, quasi pileolum ex rosis confectum.* — Capellina

f *Id est cingulo seu fasciâ inguinali: .. ad caue ne à* brachio *deductum Latinam putes habere originem: Lombardica vox est, à* brak *rupturâ,* braker *ruptura vinculo, iuxta leges diminutiuorum formata.* — Bracherellum

g *Italicismus est, quo tanto, tanta adiectiuum eamdem habet significationem, quam Latinum aduerbium tam.*

h *Pro* Balducciâ *vel* Gerarduccia *aut alio simili nomine diminutiuo, formato ex desinente in da.*

i *Oppidum millibus passuum quindecim Aretio dissitum ad Euro-boream, haud procul à Tiberi fluuio.*

k *Id est,* libertatem consequendi, *propriâ Italis phrasi.*

l *Pelliculas intellige pupillis adnascentes.*

m *Ex lingua Italica proprietate, pro* portari curauit.

n *Ita etiam Franci dicunt* du soir, *id est* vesperi.

o *An contractum ex* Gregorio? *Belgis nostris esset* Georgius.

p *Id est* consuetum laborem.

q Mutola *Italis mutam significat.*

r *Pro* Massæo.

ſ *Id est.* Francisca: *cuius diminutiuum* Ceccolella: *quo nomine solitam S. Franciscam Romanam à cognata Vannuzzia familiaribus compellari, habemus in eius Vitâ ad IX Martij.* — F


t *Id est,* Ioannes, *quod* Iouannem *Itali scribunt.*

u *Vidimus illud cum alijs Basilica Vaticanæ Reliquijs ex ambone populo innumerabili exhiberi spectandum, Feriâ 2. Paschæ anno 1661.*

DE VENERABILI
DIONYSIO CARTHVSIANO
DOCTORE ECSTATICO
RVREMVNDÆ IN BELGIO.

Commentarius præuius.

ANNO MCCCCLXXI XII MART.



1 *Ex Italiâ reuersuri in Belgiũ, deuenimus per Sabaudiam in vrbem Gratianopolitanam, atque inde deflex imus in archimonasterium Carthusianum in vicinis montibus situ: vbi inter sacras reliquias variorum Sanctorum venerationi domesticorum in altari sacelli interioris expositas, reperimus aliquot ossa venerabilis Dionysij Carthusiani, quæ Ruremundâ eò miserat venerandus Pater Prior Iosephus Raymundi in signum grati animi, cùm à Reuerendissimo Generali Ordinis & magnæ Carthusiæ Priore accepisset aliquam partem mandibulæ S. Brunonis Ordinis Fundatoris. Est Ruremunda Ducatus Gelriæ vrbs Episco-* — *In magna Carthusia ossa Dionysij in veneratione.*

A *Episcopali ad Mosam fluuium, in quem se ibidem exonerat Rura minor fluuius, à quo quasi* Ruræ os *nomen sortitur. In huius vrbis cænobio Carthusiano vixit ad extremum vsque ætatis tempus Venerabilis Dionysius, & sicuti de eo scribit Miræus in Auctario de scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 479, vniuersæ sacræ Scripturæ libros illustrauit, & adeò multa varijs de rebus posteritati legenda reliquit, quàm vt legere quidquam alienum inter tot diurnas nocturnasque monasticas exercitationes potuisse videatur, ac retrò plura legisse, quàm vt otium scribendi suppeteret. *Solebant in Carthusiâ Ruremundensi adseruari centum & quinquaginta volumina librorum ab illo composita, ac propriâ eius manu exarata: quorum aliqua ad alia monasteria honoris ac reuerentiæ causâ delata sunt: Extant pleraque typis cusa ac recusa.*

vixit Ruremunda,

scriptor Ecclesiasticus,

2 *Militauit Christo Dionysius in ordine Carthusiano annos octo & quadraginta, ac tandem anno* MCCCCLXXI *in festo S. Gregorij Pontificis atque Ecclesiæ Doctoris,* XII *Martij ad beatam vitam transijt, vti ea accuratè tradit Theodoricus Loërius à Stratis, eiusdem sacri Ordinis Coloniæ monachus & Vicarius, in Vitâ illius Coloniæ anno* MDXXXII *primùm excusâ: quam hîc damus more nostro distinctam & notationibus illustratam. Edidit eiusdem Dionysij Vitam in tredecim capita subdiuisam Bartholomæus Fisen è Societate Iesu in Floribus* B *Ecclesiæ Leodiensis, in cuius diœcesi infrà num.* 1 *natus dicitur, & vrbs Ruremunda, dum ipse viueret, necdum proprios nacta Episcopos, suberat Leodiensibus Antistitibus. De eodem agunt Petrus Sutor, Petrus Dorlandus, alijque rerum Carthusianarum scriptores.*

mortuus anno 1471.

Vita eius scriptores.

3 *Arnoldus Hauensius Carthusiæ Gandensis Prior, in Commentario de nouorum in Belgio Episcopatuum erectione, lib.* 3 *cap.* 10 *describit studium Henrici Cuyckij secundi Episcopi Ruremundensis in inueniendis Reliquijs siue ossibus venerabilis Dionysij, atque ista tradit:* Prætereà non minùs Antistite dignum opus aggressus est, quodammodò imitatus S. Ambrosium Mediolanensem Episcopum, qui admonitus per visum à Deo, SS. Geruasij & Protasij sacra corpora inquisiuit, inuenit, ac debito honore eleuauit, atque in basilicam, quam Ambrosianam appellant, transtulit... Similiter Episcopo nostro Ruremundensi Deus in mentem dedit, vt seriò cogitaret, omnemque operam nauaret, orationibus alijsque pijs operibus incumbendo, vt Deus signo aliquo dignaretur ossa, quæ adhuc laterent, demonstrare beatæ memoriæ Dionysi Rickelij, viri nimirùm vitæ sanctimoniâ & doctrinâ clarissimi, Carthusiani Ruremundensis, vt videlicet possint eleuari & à Sede Apostolica canonizatio impetrari. Talia enim tamque præclara ipsius merita esse iudicabat prudentissimus Antistes, vt eiuscemodi illi honos iure debeatur ad augmentum gloriæ Dei, Ordinisque nostri Carthusiensis, cuius ipse est perquàm studiosus, honorem: ideoque litteras dedit ad Nostrum Reuerendum Patrem totius Ordinis Ministrum Generalem, extimulans eum ad omnia pietatis officia per totum Ordinem obeunda & exercenda: quatenùs à Diuinâ bonitate hoc ipsum, quod ipse intendit & summis votis exoptat, obtineamus; hoc est, vt quamprimùm viri sancti ossa, signo aliquo diuino queant inueniri....

Henricus Cuyckius Episc. Ruremundensis magni æstimat eius sanctitatem:

optat ossa eleuare:

C

4 Itaque Reuerendissimus Cuyckius mense Octobri, veniens ad monasterium nostrum Carthusianorum, altare illud, in quo beatæ memoriæ Dionysius olim solitus fuit sacrificare, quodque per temporum iniuriam & bellicos motus neglectum destructumque erat, curauit renouari & restaurari, & in festo S. Brunonis, Ordinis Carthusiani primi post Christum Institutoris, nouo & integro superposito lapide, solenni benedictione Episcopali denuò consecrauit, quatenùs in eo frequentiùs sacrosancta hostia Corporis & Sanguinis Christi Deo Patri offeratur, & diuinum officium peragabatur ad memoriam S. Dionysij Areopagitæ iuxtà ac Dionysij Rickelij, eâ nimirùm intentione, vt eius sacra ossa inueniri possint & eleuari ad maiorem Dei gloriam, sacrique Ordinis incrementum. Quod ipse Episcopus primùm sequenti die fecit, & deinceps se facturum sæpiùs decreuit, vti sui voti & desiderij compos efficiatur, propter singularem amorem & deuotionem, quibus erga tantum tamque præclarum & excellentem virum, singulari vitæ sanctitate atque exquisitâ doctrinâ ornatum, afficitur. Atque hoc quidem initium fecit inquisitionis sacrarum reliquiarum viri sancti, insuper litteras dans ad eos, quos pietati deditos & orationibus suis apud Deum plurimùm posse confidebat, vt pium hoc suum institutum Deo in suis ad eum precibus sedulò commendarent.

altare dedicat in honorem S. Dionysij Areopagitæ, & huius memoriam:

D

5 *Hactenùs relata sunt anno Christi* MDCVII *gesta: at quomodò ipsa ossa anno sequenti fuerint inuenta atque eleuata, capite* XI *ita apud Hauensium legitur:* Porrò quantùm profecerit Reuerendissimus Dominus Cuyckius in inuestigandis & reperiundis ossibus beati Patris nostri Dionysij Rickelij ex subiectâ epistolâ vel copiâ illius, quam ipse ad Reuerendum Patrem nostrum Generalem, Priorem scilicet Maioris Carthusiæ, hoc anno MDCVIII dedit, quæ ita habet, manifestum euadere poterit.

scribit ad Generalem Ordinis:

Admodvm Reverende Pater Prior. Non sine fructu Carthusiani Patres & Fratres pro D. Dionysij Rickelij reperiundis ossibus Deum orasse videntur. Qui in hac Carthusiâ Ruremundensi hactenùs superfuit senior Sacerdos, Frater Henricus Kerckenus, quinquagesimum annum in Ordine superans, & locum quietis Rickelij, vti à maioribus acceperat, in quadam latitudine designare solebat; nuperrimè verò, hoc est vigesimo secundo mensis Martij die, anno MDCVIII in Domino obdormiuit. Quam occasionem prudenter accipiens venerandus huius Carthusianæ familiæ Prior, Dionysianæ sepulturæ à Kerckeno demonstratum locum aperiri iussit & inuestigari, vt Kerckenum (qui Dionysij quoque cellam ad mortem vsque inhabitarat) eodem in loco, quem Dionysij esse dixerat, conderet: idque ex aduerso altaris illius, in quo viuens Dionysius sacrificare solitus erat: quando ante quinquaginta quatuor annos, quando vniuersa penè Ruremundensis ciuitas cum monasterio ac templo illius incendio conflagrauit, fissum, disruptum profanatumq; erat: quoad eodem in loco ante proximos sex annos in die S. Dionysij Areopagitæ ac Martyris ac ad illius memoriam, aliud est erectũ, & à nobis consecratũ altare. Cùm ergo vigesimo secundo Martij die (qui stylo veteri Magni etiam Gregorij & Richelij mortis fuisset dies) è viuis excessisset Kerckenus, perticas seu stipites duos eo in loco, vbi Dionysiana ossa quiescere putabantur, defixit Prior: quibus post profundam admodùm fossionem (cui incendij rudera ansam dedisse videntur, vt iam altius multò & eleuatius sit cœmeterium, quàm fuerit anteà) Dionysij cranium & plantæ è directo infernè respondebant: reliquis etiam totius corporis ossibus, ordine & naturali situ, post centum & triginta septem exactos annos, concinnè adhuc dispositis, iisque omnibus inde extractis, in loculum Dionysij Frater Henricus Kerckenus humatus est. Caluaries autem Dionysij & reliqua ossa proceri & robustissimi viri specimen referunt, & signum habent hominis balbutientis propter prominentes anteriores mandibularum dentes: quo vitio Dionysium laborasse auctor est, qui Vitam illius conscripsit Theodorus Loërius Stratensis. Ossa ergo hæc religiosè nunc in Ruremundensi Carthusiâ asseruantur, donec Diuina bonitas illustrioribus ea miraculis coruscare fecerit: quò possint ad maiorem Dei gloriam, Sedis Apostolicæ interueniente auctoritate, honorificentiùs eleuari. Quod superest, oro clementissimum Deum, vt Carthusias omnes per vniuersum Christianum orbem diffusas, suis donis adaugeat, & me meritorum omnium faciat

occasione sepulturæ parandæ anno 1608,

inuenitur corpus,

F

extrahitur,

religiosè asseruatur.

A ciat participem. Ruremundæ x Aprilis anno MDCVIII.

6 *Hactenus epistola Henrici Cuyckij Episcopi Ruremundensis: cui ista Hauensius addit:* Porrò Eximius Magister Noster, Doctor Petrus Pollino, Decanus Ecclesiæ Cathedralis Ruremundensis, nostris enarrauit, Caput, cui peculiaris reseruatus est honos, perpulchrè exornatum, etiam insignem odoris fragrantiam redolere. Et sanè mirabile est, quòd cum magno labore sublatis priùs ruderibus, corpus erueretur, illud inuentum fuerit integrum, suis adhuc pro maiore parte membris cohærens, post annos, quibus vir sanctus obdormiuit in Domino centum triginta septem, & præsertim pollex & index, duo nimirùm librorum scribendorum instrumenta quàm maximè necessaria, quibus ille vsus est ad Ecclesiæ vtilitatem & multorum salutem, integriores sunt reperti. *Huc vsque Hauensius, quo citato, Arnoldus Raißius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgij compendium eius exhibet* XII *Martij sub hoc titulo:* Appendix de Eleuatione corporis Beati Dionysij Rickelij Carthusiani: *at quem ille titulo Beati indigetat, solùm* beatæ memoriæ *&* virum sanctum *appellarat Hauensius. Inscriptus etiam est ad* XII *Martij Natalibus Sanctorum Belgij Ioannis Molani, Fastis Belgicis Autberti Miræi, Martyrologio Germanico Canisij, Calendario Mariano Balinghemij, Catalogo generali Sanctorum Ferrarij, Martyrologio Gallicano Saussay & Gallobelgico VVilloti, alijsque similibus Fastis: & ferè,* beatæ memoriæ, sanctitate conspicuus *aut* venerabilis *habetur, quo eum nos solùm titulo honoramus. Ceterùm ossa venerabilium reliquiarum hoc tempore Ruremundæ post altare adseruantur honestæ cistulæ imposita & loculo inclusa: varia tamen ex ijs distracta sunt & alijs communicata.*

Caput fragrat odore.

pollex & index maximè integri

Beatus etiam appellatur.

B

fastis sacris inscriptus.

ossa post altare deposita.

7 *His scriptis & prælo paratis, ad amantissimum, vti confidimus, amplexum Sanctorum à supremo vitæ necisque Domino euocatus est Ioannes Bollandus, huius vasti operis de Actis Sanctorum præcipuus auctor: qui pro suo erga Venerabilem Dionysium affectu ac reuerentiâ aliquas eius reliquias ad annos sex & quadraginta piè religioséque adseruauit. Professus is Ruremundæ fuerat artem Rhetoricam, è quâ cùm anno* MDCXIX *à R. P. Carolo Scribanio Prouinciæ Flandro-Belgicæ Societatis Iesu tunc Præposito Prouinciali mitteretur Antuerpiam, vbi biennio sequenti eiusdem oratoriæ facultatis præcepta tradidit; dictas Reliquias è Carthusiâ Ruremundanâ ad Collegium Societatis sibi dono missas accepit cum adiunctâ epistolâ, quam cum dictis Reliquijs ab obitu eius repertam hîc addimus. Est autem eiusmodi.*

aliquas reliquias adseruauit Ioannes Bollandus,

8 Venerando Domino Magistro Bollando suo intimo & carissimo. IESVS. In eodem, Venerande Domine, mitto Dominationi Vestræ pro valedictione & apprecatione fausti itineris Mnemosynon Reliquiarum B. P. nostri Dionysij, quæ meum in Caritatem Vestram amorem semper testari poterunt & debebunt: non enim huiusmodi sanctum munus darem nisi amico singulari. En manum meam secundò habet Dominatio Vestra, mittat & suam chartulæ vel imagini impressum pro memoriâ, ac in Domino IESV optimè valeat & felicissimè mei memor viuat. Ex Carthusiâ &c.

C

cum epistolâ Carthusiani Ruremundensis.

Vestræ Dominationis humilis Frater & Amicus, Fr. Seruatius Moster Carthusianus.

VITA

auctore Theodorico Loërio à Stratis, Carthusiano Coloniensi.

CAPVT I.

Natiuitas, studia, Libri conscripti. Vita Carthusiana.

1 Dionysius, Carthusiensium Ordinis alumnus, vir magnâ sanctitate clarus contemplatione sublimis, eruditione copiosus, mirabilis ingenio, memoriâ singularis, pietate incomparabilis, circa annum Domini millesimum quadringentesimũ, quinquagesimum, tam vtilis mundo quàm Deo carus floruit. Huic in Hasbaniâ Leodiensis diœcesis Rickel vicus patria fuit, distans ab oppido S. Trudonis stadijs non minùs viginti. Parentes habuit admodùm honestos, secundùm seculi fortunam non infimę sortis, quibus auitum genus de Leuwis indidit cognomen.

Dionysius in Hasbaniâ natus:

E

2 Ab his adhuc puellus extra patriam litteris traditur erudiendus. Inerat autem illi incredibile discendi desiderium adeò vt noctu quoque (quemadmodùm in libro de Munificentiâ Dei confitetur) ad fulgorem lunæ sæpenumerò excitatus, surgeret ad scholas exiturus, atque diem æstimasset, nisi domus fores inuenisset obseratas. Erat etiam memoriâ præditus admirabili, quâ semel quidquid legerat, sine graui labore tenebat. Vnde factum est, vt tam felicitate ingenij quàm studij assiduitate, breui mox tempore, non sine multorum admiratione, tam doctus euaserit, vt perfectis philosophis possit adnumerari.

diligens & felix in scientijs acquirendis:

3 Verùm quia optimæ indolis adolescentulo, non solùm scientia, verùm etiam pietas cum ætate accreuerat; quod ab infantiâ meditatus fuerat, iugo Domini statuit innocentiæ suæ colla submittere. Cupiebat enim antè relinquere mundum, quàm mundi laqueis irretiretur. Eam ob rem Carthusianæ eremi desiderio flagrans, quid ageret, quomodóve id impetraret, nesciebat: nam vigesimum necdum attigerat annum, quam ætatem Ordo ille in suscipiendo exquirit alumno. Porrò in seculo manere, & inter castitatis naufragia tutum enatare, haud possibile videbatur. Itaque amore Carthusiani instituti indies crescente, visum fuit, licet nimiùm adhuc adolescenti, duabus in domibus Carthusiensium instando tentare, si illorũ sodalitio ac institutis sociari mereretur. Festinat igitur ad Carthusiam montis S. Ioannis Baptistæ in Zeelem prope Diest. Inde Ruremundam, quæ est Geldriæ oppidum, concedit; in vtraque preces offerens, sed vtrobique ab earumdem domorum Patribus, quia per ætatem aliter non licuit, receptio eius potiùs differtur, quàm negatur. Itaque desiderio suo tunc frustratus Dionysius, quod animo cœperat, non propterea abiecit, sed in tempus magis distulit opportunum.

flagrat desiderio Carthusianæ Religionis,

F

4 Verumtamen quid ageret intereà, quomodóve tutus mundo imponeret, & Carthusianæ aptiorem se redderet solitudini, dum animo tractare cœpisset, in mentem ei venit, quòd post exercitia illa spiritus ad Deum affectiua, quæ maximè in Ordine illo, quem erat ingressurus, frequentantur, nihil sibi foret dulcius, nihil commodius, quàm intelligentia Scripturarum: igitur nihil moratus, è vestigio Coloniam Agrippinam, vbi Academiam nouerat Germaniæ celeberrimam, se contulit: in quâ Theologiæ studijs se applicans, vt fieret doctissimus, operam omnem nauauit: vbi quantus euaserit, testatur liber quem de

Coloniæ studet Theologiæ:

A Ente & essentiâ illicò post adepta magisterij insignia scripsit: testantur & libri eius ceteri, quos in Ordine subinde scripsit Carthusiano, à doctis semper laudati, potissimè super vtriusque Testamenti paginis, alijque varij ac penè innumeri: adeò, vt in Ecclesiâ Dei, qui tantumdem scribendo sudauerit, qui tot libros eruditione iuxtà ac pietate refertos ediderit, parem habuerit neminem. Cui tametsi *b* Abbas Spaenhemensis solum præferat Augustinum, quem nos quoque, si de eruditione ac pietate certetur scribentium, præferimus, certissimum est tamen, ex his quos ipse in suo de Ecclesiasticis scriptoribus recenset libro, neminem quanta Dionysius hic Carthusianus, scripsisse. Vnde conijcio Abbatē Spaenhemensem Dionysij libros non omnes vidisse: quorum profectò tantus est numerus, vt iuranti etiam mundo non crederem possibile fore, tot libros eodem auctore natos prodijsse, inter quos grandia plurima sunt volumina, nisi vnius Dionysij & ingenium & stylum, manum quoque ac characterem, prorsus eadem vbique conspexissem. Suos enim ipse conscripsit libros, relegit, correxit, rubricâque illuminauit. Quæ omnia notissima, singularis manus eius & character testantur. Et hoc quidem pro constanti relinquimus. Vnde neminem audiui, qui viri huius

b Libros plurimos scripsit,

B laborem sine stupore viderit, qui non senserit mecum, absque ingenti miraculo fieri non potuisse, vt vnus vir tot scripserit libros, quantum ipse æstimandus est non habuisse temporis, imò (vt veriùs dicam) quantum incredibile videtur etiam quemlibet alium ab omnibus feriatum posse legere. Nam vt ceteras eius occupationes, quibus à scribendo fuit remoratus taceam, certè in Ordine illo Carthusiano, à cuius diuino Officio, quod satis est prolixum, numquàm absfuit, in quo Procurationis & Prioratus officia aliquanto tempore obiuit, de monasterio abstractus à Domino Cardinale Nicolao de Cusâ, Summi Pontificis Legato, aliquamdiu Ecclesiæ negotijs seruiuit. Contemplationi prætereà ac orationi modo peculiari fuit deditissimus. Porrò lectioni ac studio, quod in libris eius manifestissimum penè assedit, continuus. Ad hæc ex totâ penè Germaniâ pro consilijs ad eum confluebant innumeri, adeò vt in dandis consilijs & epistolis scribendis ferè nunquàm nō fuerit impeditus. Accedit postremò, quòd in monasterio tunc suo non habuit quibus indigebat, quibus & vsus est libris. Inde illi occupatio immodica parabatur pro codicibus aliundè conquirendis.

magnis etsi occupationibus impeditus:

5 Verùm hæc de multitudine librorum, in quibus si diligens sit lector, si non inuidus spectator, perinde

C inueniet quod possit mirari: adeò namque plenus est eruditione, adeò copiosus varietate, adeò pietate refertus, vt nihil suprà. Videbis plane quàm nihil quod ceteris perspicuum fuerit, illum fugerit: quàm multa insuper quæ non quæsieris, quæ non speraueris, ad suauitatem & pro desiderio tuo administret. In lucubrationibus tamen suis vbique circa Scripturę textum versatur, nec ostentandi se vllam admittit occasionem, quâ ab instituto diuagetur. Accedit prætereà ad Dionysij laudem, quòd in illius libris nihil fucatum, nihil tumidum, nihil habeatur à pijs moribus alienum, sed, vt dixi, eruditio tam lucida quàm abundans: adeò vt nihil in illius libris tibi desiderandum restet, nisi fortasse elegantia verborum stylusque venustior. In quo tamen potest excusari, quippe qui suo scripsit seculo, suæ ætatis hominibus, atque eo tempore, quo lingua Latina, præsertim politior, neque in vsu, neque in pretio doctis fuit. Nam si in nostra incidisset tempora, si præceptores litteratos & libros sortitus fuisset Latinos, cùm ipse fuerit litterarum desiderantissimus, crederemus etiam in politioribus illum vix alicui fuisse secundum. Obsecro autem eos, qui hæc sunt lecturi, per Christum, ne ita me putent velle extollere Dionysium, vt ceteros deprimam, aut quibus

mirandus etiam in qualitate librorum.

anteferendus non est, huic anteponam. Manet singulis sua præminentia, quæ non superatur ab alijs. D Pari modo huic nostro Dionysio tribuendum est, vt in ipso præmineat aliquid eidem singulare, quod desideretur in ceteris. Hunc virum, ô lector, huiusque eruditionem, & Carthusiana Religio & Ecclesia omnis Catholica, acceptum referre meritò debet Academiæ Agrippinensi, in quâ studia sua initiatus, tantus euasit, vt in eremo etiam Carthusianâ posteà fieret notus orbi, cunctisque & doctis & pijs celebris haberetur. Nam de illo Summus etiam Pontifex *c* Eugenius dixisse fertur, quando librorum eius quemdam sibi vidit oblatum: Lætetur mater Ecclesia, quæ talem habet filium.

ab Eugenio Papa laudatur: *c*

6 Igitur vt ad enarrandam vitæ eius conditionem pergamus, ab Agrippinâ Coloniâ recedens, Ruremundam concessit, ibi Carthusiam desideratam repetens, posthabitis omnibus, monachum se Deo consecrauit. Vbi mox vt sacrum habitum suscepit, tam religiosè, tamque integrè vixit, vt etiam perfectis viris in se ostenderet, quod dignum foret imitari: adeò namque se à mundi amore abstraxit, adeò ab otiosis sermonibus temperauit, adeò ab immoderato creaturarum vsu abstinuit, adeò se inu- E tilibus non occupauit, adeò denique nudum liberumque à vitijs animum Deo obtulit, vt diuini amoris dulcedine ebrius, frequentes pateretur ad Deum mentis excessus, & diuinis consolationibus continuè illustraretur. Siquidem in oratione sæpenumerò raptus ad Deum tres aut plures horas stetit sine sensu immobilis, viribus animæ in Deum abstractis. Quid multa? adeò carus Deo factus est in solitudine, vt supernis illum reuelationibus dignatus sit, & merita eius ac preces quantum apud se valerent, etiam mundo ostenderit. Sensēre eius orationum virtutem desolati ac tristes, senserunt item inferni potestates: sed illi vnde gaudebant, hæ vnde inuidebant. Porrò siue loqueretur, siue scriberet, licet tenui esset facundiâ prędius, eruditionis nihilominùs gratiâ eminebat singulari. Orationi verò tanto instabat feruore, vt præter eas preces, quas Ordo ille habet prolixas, Dauidicum sæpenumerò eodem die perorarent Psalterium.

Ruremundæ Ordinem Carthusianum ingressus:

excellit in omni genere virtutum:

7 Erat autem procero ac robusto corpore, laborum vigiliarumq; patientissimus. Vnde iuxta Ordinis sui priscum illum rigorem, post cantatas cum Fratribus preces matutinas, quidquid superfuit noctis, non quieti aut somno, sed studijs ac orationibus dedit. Nonnumquàm etiam integras noctes in oratione repertus est vigilasse. Atque ideò cùm ceteri in hoc F illum mirarentur, respondisse fertur: Ego ferreum habeo caput & ęneum stomachum. Constat sanè optimis ac robustis illum naturæ viribus fuisse, quibus arduum singularemque viuendi modum humilitatis ac modestiæ causâ tribuit. Verumtamen deuotionis gratia in illo longè fuit potentior, quæ ad hæc alia complura, ceteris fortasse haud possibilia, ipsum magno impulit feruore. Fuit & mirum in modum humilis, quippe quem magni facientibus cunctis, ipse se contemnebat. Nec quòd de seipso vilia sentiret contentus, cupiebat etiam in aliorum oculis vilis haberi: idcircò pro defectibus vel maximè exiguis grauiter se accusans, & palàm & secretè humiliabat. Nec aliter modica delicta, in quibus plerique solent gloriari, ac ceteri magna, plangebat. Conuersationis internæ semper illi studium fuit: ideò satagebat, vt secum habitans, semper Domino sabbatizaret. Quo fiebat, vt sensuum oblectatio in illo ferè mortua esset: nam & ea, quæ citra nauseam ceteri vix possint intueri, ipse pro cibo sumebat. Butyrum tabefactum vermibus, cerasa, & alia id genus multa à limacibus prægustata, comedere non respuit: dicens, hoc genus vermium nihil habere lethalis veneni, nec metuendum cum eiusmodi

maximè deuotione, humilitate & abstinentia,

A eiusmodi sumere eumdem cibum. Haleca si quando salsa fuissent nimium, aquis immergi atque in aërem iussit suspendi, nec edebat donec cellam putore oppleuerant. Monitus ne sumeret illa, Malo, inquit, putentia in cibum sumere quàm salsa. Abdicauerat enim iampridem à se omnem delectum cibi, & ob feruorem exercitiorum spiritualium, diem sæpenumerò ad noctem vsque transigebat mediam. Adeò namque in legendis scribendisque libris erat assiduus, adeò in oratione feruidus, vt prandium propter illa nonnumquàm differret, & frigido sæpiùs vteretur cibo. Semper etiam, siue vestiret siue exueret se, aut aliud quid operis ageret, nihilominùs orabat. Abstinentia eius in cibo potuque fuit mirabilis, nec multis imitanda.

a Zelemensem Carthusiam *fundauit anno* 1328 *Gerardus Toparcha Disthemiensis, & Castellanus Antuerpiensis, cum coniuge Ioannâ, Comitis Lossensis filiâ.*

b *Trithemius.*

c *Hic est Eugenius* IV *qui sedit ab anno* 1431 *vsque ad an.* 1447.

CAPVT II

Iudæus conuersus. Duæ mulieres diabolis ereptæ.

8 SEd quid opus est ad præconium viri nostris verbis, quandoquidem scripta eius præclara hunc nobis abundè satis commendant? Dionysij integritas longe manifestiùs ex eius codicibus, quàm nostris sermonibus prædicatur. Vnde visum est aliquando Patribus domus suæ, propter viri dexteritatem, illum officio Procurationis præficiendum. Qui licet contemplationi aptior foret quàm actioni; ne tamen propriæ voluntatis quàm obedientiæ tenacior videretur, officij huius prouinciam obiuit. Verùm de colligendis animabus maior illi atque de pecunijs cura fuit. Nam Iudæum magno tunc studio conuertens, ad orthodoxam fidem sacrumque adduxit baptisma. Hanc ob rem Iudæus ne Dionysij zelo ac paternæ sollicitudini haberetur ingratus, Patris sui spiritualis nomen sibi in baptismate imposuit; vocatus est enim Dionysius Dionysij. Hic creditur Dionysiorum familiæ in Ruremundâ, quæ hodie propagata cernitur, & nomen & posteritatem dedisse.

Procurator factus, conuertit Iudæum.

9 Ceterùm, quia spiritus eius generosus distractiones rerum caducarum temporaliumque non poterat ferre, relicto officio, exercitijs deuotissimis cellæ, libris scribendis, & cupitæ solitudini est restitutus. C In quâ tamen non potuit adeò latere, quin Pontifices & Principes, atque alij inferioris gradus, vndique ad illum confluerent, scriberent, nuntiarent, atque certatim suis consilijs admouerent. Quippe quorum nemo, qui semel illi adfuisset, quantæ sinceritatis quantique apud Deum meriti foret Dionysius, ignoraret: nemo, qui non ad illum redire gestiret. Vnde factum est, vt Reuerendissimus Dominus Cardinalis de a Cusa, in Germaniâ Apostolicæ Sedis legatione fungens, dum huius viri eruditionem & sanctitatem comperisset, ipsum è claustro eductum suo contubernio in vtilitatem Ecclesiæ asciuit. Verùm Dionysius non impiger, datam sibi hanc occasionem in lucra conuertit animarum. Nam in contubernio Domini Legati constitutus, quod de seipso quoque scribit, vtriusque sexus monasteria multa, reformationis gratiâ visitauit, atque de reformatione monialium perutilem tunc edidit librum.

omnibus gratus,

degit apud Cardinalem de Cusa a

monasteria reformat:

10 Propter hæc & alia multa, quibus gloriam Dei, animarumque salutem zelabatur Dionysius, diabolum in sui persecutionem excitauit. Hinc namque bonorum omnium inimicus moliebatur multa, vt inuisum atque exosum redderet mundo Dionysium: D sentiebat enim inuidus, quantæ castris suis quotidiè per Dionysium animarum copiæ abducerentur. Referam igitur seculis inauditum, posteris mirabile, & quod hodie quoque nemo crederet, nisi veritate atque reipsâ vinceretur. Mulier quædam Gebula (id enim erat illi nomen) diabolo consentiens, inito fœdere, eidem homagium fecerat, atq; vt longiùs à spe recuperandæ salutis abduceretur, persuasa diabolo, chirographum sanguine proprio scripsit. Itaque pessimo huic incubo mulier facinorosa diu sociata, ducebatur in remotissimas mundi partes, & vbicumque vel in Asiâ, vel in Africâ ludi aut spectacula publica exhiberentur, ibi diabolo duce mox aderat. Pugnabat hastâ, imò quocumque armorum aut pugnandi genere expeteretur, congrediens vincebat. Deijciebat equis tenera mulier armatos viros, & suo clàm adiuta amatore, mundo sic diu illusit. Sed quid misericordiâ diuina profundius? Quid consilijs eius super filios hominum inuestigabilius? Hæc tandem in se reuersa, consilio viri Dei, cùm Reuerendissimus dominus Cardinalis de Cusâ adesset, quem (vt suprà dixeram) comitabatur iam Dionysius, ad pœnitentiæ remedia confugit. Siquidem Dionysij monitis & orationibus confortatam, non propria facinora, non sacrilega promissa, non scriptum chirographum, non denique ex amatore iam hostis minæ poterant illam à spe diuinæ miserationis absterrere. E Sed post innumera flagitia, post fœdissimas abominationes, post spurcissima cum diabolo commercia, rupto sacrilego fœdere, ad diuinæ clementiæ sinum peccatrix lacrymabunda cucurrit. O Dionysij zelum ac sapientiam! O mulieris fidem! O Christi infinitam misericordiam! Quis crederet hanc diaboli iam faucibus absorptam, posse aliquando emergere? Quis speraret eam, quæ diabolo se dediderat, ex illecebroso eiusdem stupro, quo fuerat polluta, in adoptionem filiorum Dei posse redire? Verùm quod hominibus videtur impossibile, facillimum benignissimo est Creatori. Itaque hæc infusa lacrymis, ad Cardinalem est adducta. Ibi amatori suo diabolo abrenuntians, iterum se Christo deuouit, factâque eidem criminum suorum confessione, & pœnitentiæ haud exiguo labori astricta, à peccatis omnibus & diaboli pactis absoluta est. Et ita quidem licet esset Christo reconciliata, non tamen ab improbissimi incubi est penitus vexatione liberata: diuinâ, quod reor, iustitiâ id permittente, vt cui se olim vltrò consignauerat ad culpam, per hunc modò vel inuita peteretur ad pœnam. Itaque sæpenumerò improbus ille ad eam veniens, aut futura nuntiabat, aut quocumque poterat modo, à F pietatis studijs illam impediebat. Vnde venerandus Pater Dionysius (quia tunc morabatur extra monasterium suum cum Cardinale, & libertate, quâ potiebatur, seruire Christo cupiebat) cùm Fratres suos in Ruremundâ adiret, sæpius quoque hanc pœnitentem mulierem confortaturus visitabat. Verùm diabolus inuisum habens Dionysium, quòd prædâ hac tam nobili & alijs compluribus per eumdem fuisset spoliatus, cùm illum sentiret aduenire, præcurrens ad Gebulam: Ecce, inquit, *der Taterbeck vnde wynsuper compt vch besuecken.* Quod Latinis sonat; Impeditæ linguæ homo, vinique ingurgitator, inuisurus te accedit. Hęc autem dicebat, nitens Dionysium aut probris ad indignationem commouere, aut ab eius veneratione mulierem auertere: reuerà enim Dionysius minùs expeditam habuit linguam, minùsque facundam. Vtebatur etiam tunc vino ad refocillationem corporis, ex labore studiorum exercitiorumque aliorum attenuati: quamobrem calumniam illi diabolus struere nitebatur. Verùm nihilominùs parum diaboli calumnias vir Dei formidabat, quin etiam magnoperè illa agere contendebat, quæ diabolus calumniaretur. De hac muliere Dionysius in secundo, quem super Sententias

AVCTORE LOERIO

Mulierem fœdere diabolo adstrictam,

conuertit:

calumnijs à dæmone impetitur:

AVCTORE LOERIO

A tias scripsit, libro refert se vidisse cicatricem, vnde sanguinem ipsa, homagium diabolo scriptura, eduxerat.

11 Postulat nunc res, vt huic facto simile aliud virtutum eius referam, licet non eodem tempore gestum. Est castrum Hornæ, non longè à Ruremunda trans Mosam ædificatum, cui *b* præfuit olim generosus Dominus Godefridus de Vlodorp, Carthusiæ Ruremundensis & amicus & benefactor. Ad hunc locum Dionysius, dum ex Busco-Ducis (vbi Carthusiæ iampridem ædificari cœptæ præfuerat) reuerteretur, amicitiæ gratiâ quasi ex itinere diuertitur. Contigit tunc Præfecti vxorem, Dominam Catharinam, grauî infirmitate tentam, & paullò pòst morituram, horribilibus signis motibusque se huc illucque in lectulo vertere, & quasi aut fugæ aut defensionis præsidium quærere. Erat enim timore nimio perculsa, & propemodùm desperatione victa. Adductus Pater Dionysius, confestim vt intrat cubile, videns multitudinem horrendorum spirituum, haud aliter atque examen apum volitantium, exituramque animam expectantium, magnâ voce clamauit: Filioli, quid video? Sine morâ omnes, quæso, accurrite, festinate, B & ad orationem genua flectite; hic locus, vt atomis radij solis, dæmonibus plenus est. Hæc dicens, cùm exire vellet cubile, mulier ægrota, quâ tum poterat virtute, vestes Dionysij apprehendens, tenuit illum & clamauit: Heu Pater, noli me derelinquere, in fide tuâ hodie serua me. Conuersus Dionysius stetit, & fide solitâ in dæmones armatus, oratione quâ potuit ardentissimâ ad Deum fusâ, vi deuotionis ac caritatis pugnabat. Ad cuius orationem diuina mox virtus adueniens, turmam illam immundorum spirituum omnem profligauit: nam dæmones orationum eius violentiam cùm diutiùs non possent ferre, clamauerunt: Heu heu, quam violentiam ab hoc cucullato patimur fere! Et excutientes baculum, cui innitebatur, de eius manibus, procùl iecerunt. Cunctis quoque astantibus reliquis (licet nullus horum dæmones videret) & rei finem expectantibus, spiritus infernales oranti Dionysio alapam dederunt violentam, vehementerque grauem, cuius vestigijs cicatriceque, dum vixit, visus est numquàm carere. Ad hanc tamen iniuriam nihil motus Dionysius, perstitit in oratione: spiritus verò maligni, patientiâ eius territi, fugerunt, mulierem deserentes. Redijt igitur intereà ad spem veniæ, & animosior facta est, quæ paullò antè desperatione fuerat perculsa, nec aliud expectabat, quàm infernali se puteo iam iamque absorbendam: fuerat enim in C vitâ non minùs vitijs quàm opibus abundans: amori quoque seculi, ceterisque vanitatibus, atque adeò illecebris carnis seruierat nimiùm occupata. Verùmtamen Dionysij orationibus, vt dixi, munita, fugatis tenebrarum ministris, tranquillitati mentis & fiduciæ bonæ in Deum restituta est. Tunc astatibus dicit Dionysius: Laudate carissimi & magnificate misericordiæ viscera Dei nostri, qui huic animæ donauit salutem. Mulier etiam magnâ contritione & spe veniæ roborata, mox spiritum in manus reddidit Creatoris. Posthæc descendens de castro Dionysius, aduenientem habuit obuium Dominum Godefridum, defunctæ maritum. Cui blandiendo apprehensam illius trahens auriculam: Quid agis, inquit, hîc ô fili? non tibi hîc expedit diutiùs morari. Festina hinc egredi, ne te pelora inuoluant. Paruit ille iussionibus viri Dei, atque locum continuò mutauit.

circa moribundam:

volitantes dæmones videt:

precibus obsistit.

excusso sibi baculo,

& inflicta alapa fugat:

salutem moribundæ procurat:

discessum marito suadet:

12 Hæc pauca dicta sint ex multis, ne videatur mirum, quamobrem virum Dei Dionysium diabolus odio sit persecutus: continua enim inter illos versabatur pugna, quorum studia fuêre contraria. Diabolus enim moliebatur animas dispergere, Dionysius studebat colligere: ille vulnerabat, hic sanabat: ille iugulabat, hic per gratiam Dei resuscitabat: atque ideò sanctis non solum orationibus & exhortationibus Dionysij inuidebat diabolus, sed etiam quibuslibet eius pijs studijs erat molestus. Maximè autem ferebat molestè, quòd Dionysius scribendis libris pijs, elucidandisque Scripturis sanctis assiduè assisteret: inde enim sibi formidabat maiorem spoliorum suorum iacturam. Quapropter aliquando terrore, aliquando strepitu, interdum ad ostium cellulæ, vbi scribebat, pulsu, Dei hominem ad impatientiam aut tædium, aut vt à scribendo cessaret, nitebatur perducere. At Dionysius fide munitus, semper illum contempsit. Semel etiam cùm dæmonis tanta vrgeret improbitas, atque quàm placuit Dionysio foret molestior, surrexit vir Dei, & occurrens contra diabolum se ingessit, dicens: Quid tibi visum est improbe; famulum Dei tantâ præsumptione inquietare, atque tuis incursibus molestijsque impedire? Tu animosum te simulas, cùm sis bulla & nihil: nobis verò Deus dedit animum & virtutem præstigia tua contemnere. Abi igitur hinc ocyùs, & post hac non rediturus ab hac dementiâ tuâ desiste. Paruit ille licet inuitus, nec deinceps scribenti Dionysio molestus fuit.

à diabolis impeditur in scriptione librorum:

D

a Cusa *municipium ad ripam Mosellæ, vnde Nicolaus de Cusa oriundus, ex Archidiacono Leodiensi creatus à Nicolao V anno* 1449 *Cardinalis, & Episcopus Brixinensis, Legatus Apostolicus missus ad Fredericum Imperatorem, è vita discessit* 1464.

Nicolaus de Cusa.

E

b *Hinc mox* Præfectus *dicitur, non Dominus. De stemmate Procerum & Comitum Hornensium. Consule Donationes Belgicas Miræi lib.*1 *cap.*128.

CAPVT III

Vita solitaria laudata. Bellum sublatum. Interitus Episcopi monita eius spernentis.

13 Dicet fortasse quis, illum profuisse mundo, dum extra monasterium, vel auctoritate Cardinalis euocatus, vel Ordinis sui Superioribus ad officia institutus, inter homines moraretur: non item profuisse, dum in cellâ sederet solus. Haud quaquàm. Quin potiùs multò vberiorem frugem credendus est intulisse in solitudine, quàm si vixisset in mundi perturbatione: quandoquidem tunc & animus eius ad Deum purior, & oratio potuit esse feruentior. Nam discursus, labores, curas, sermones, ad extremum conatus omnes, quis nesciat arduis in rebus sæpenumerò fuisse inanes, donec viri cuiuspiam Deo dilecti, vel procùl constituti feruida ad Deum fusa oratio ijs robur daret & fructum. F Moysis, Heliæ, Helizæi, Danielis (vt priscos aliquot ex multis recenseam) orationes, dicat, quæso, quid valuerint mundo, hoc est, quid afflictis contulerint liberandis, quid nocuerint aduersarijs superandis, quæ beneficia impetrauerint mundo, quæ mala sustulerint è medio, quoties denique mundum reconciliauerint Deo: & inueniet externis curis atque laboribus, quibus distrahitur animus, longo interuallo anteire orationem, hanc videlicet, quæ cum feruore deuotionis ac puritate cordis funditur. Quæ profectò solitudine, silentio, corporis castitate, continentiâ sensuum, ceterisque cùm eremi, tum monasticis institutis iuuatur atque fulcitur maximè. Hæc namque oratio, vtpote pura ac feruens, mox cælos penetrat, vim facit Omnipotenti: cogit inuincibilem: & immutabilem Deum à iustitiâ ad misericordiam flectit. Atque ideò, qui orationi atque contemplationi hoc modo vacant, haud quaquàm in Ecclesiâ Dei otiosi sunt, sed vtilissimi, quamlibet abditissimis etiam fuerint locis inclusi. Hæc dicta sint in eos, qui cùm dies suos nugis & fabulis conterant, aut gloriolæ humanæ studeant, audent quasi occu-

Vitam solitariam præferendam,

& in eæ efficaciam orationis,

A occupati contemplatiuorum sanctum otium calumniari. Quod si etiam absque malo animo plerique cum Marthâ in his conquerantur, non oportet tamen illorum dictis offendi, quæ Christus olim refellens, Mariæ partem, hoc est contemplationis & orationis officium, prætulit actioni. Eam ob rem adamauit Dionysius noster Rachel suam, prætulitque Liæ: nec sine stomacho ferre poterat, si quis vel de monachorum statu, vel de Religione minùs dignè videretur sentire. Quare cuidam monasticę Religionis æmulo Doctori scribens, temeritatis illum arguit his verbis: Dole de tam vsurpatis & periculosis iudicijs, nec pronus sis iudicare Religiosos. O quàm parum agnoscis, quid operetur Altissimus in veris solitarijs; quos abscondit in abscondito vultus sui à conturbatione hominum, & protegit eos à contradictione linguarum; quos ducit in solitudinem, vt loquatur ad cor eorum; quorum mentes perstringit, & ducit eas ad gaudia silentij, ad diem qui est sine tumultu, in regionem lucis immensæ, ad mysticas visiones, & theoriæ contemplationis sinceritatem, ad raptum & extasim; ita vt in sanctæ Deitatis, in æternæ veritatis abyssum demersi, supernaturales fidei veritates & ordinem credendorum Ecclesiasticæque hierarchiæ, ineffabiliter clariùs

contra contemptores demonstrat:

B ac certiùs intueantur, quàm ex scholasticâ notitiâ conspici queat. Nonnè fortius est lumen gratiæ, quàm naturæ? illuminatio, quàm exercitatio? supernaturalis inspiratio, quàm scholastica disputatio? Certè sicut in statutis nostri Carthusiensis Ordinis fertur, baptismata lacrymarum, feruores orationum, excessus contemplationum, nullâ re magis quàm solitudine iuuantur. Non ergo despicias talium scripta ac monita. Hęc Dionysius. Quibus reuerà non alia testatus est, atque in se fuerat expertus: nam in cellâ quamlibet inclusum, compertum est orationibus suis homines & loca varia sibi ignota protexisse. E quibus ne omnia simul tacere videar, vnum aut alterum commemorasse sufficiet.

a

14 Illustrissimus *a* Dux quidam, cuius nomen modestiæ caussâ tacemus, misso nuntio rogabat Dionysium, vt Omnipotenti supplicans, reuelationē sibi fieri peteret, atque instructionem de fine euentuque belli, quod parabat in Adolphum filium sibi rebellem, simulque oraret, vt bello gloriam daret patris victoriæ: iam enim palàm factum erat, Dionysium suâ apud Deum oratione posse multa, reuelationibusque dignum haberi. Itaque accepto nuntio, vir sanctus id nullo modo se facturum respondit, nec posse huic impietati, cuius inter patrem & filium auctor esset diabolus, orationibus suis opitulari. Orauit tamen per

bellum inter patrem & filium,

C integram ferme noctem, satagens calamitatem hanc infelicissimam imminentem, futurasque inde belli ærumnas, animarum excidia, ac postremò miserabilem patriæ destructionem deprecari. Neque enim id quod Dux rogauerat, sed quod Deo dignum, quòd patriæ foret salutare, æstimabat orandum. Orabat igitur, ne tam horrenda mala, cædes corporum, perditiones animarum, ne denique tot iniurias atque contemptus nomini suo glorioso fieri sineret Deus. Orabat ne paternas manus filij sanguine, aut è diuerso filius sanguine se paterno pollueret. Sic oranti ac flenti ecce apparuit Angelus Domini, qui Dionysio, si non resipiscant ad pacem Principes, & nisi cum Clero vulgus ad pœnitentiæ lamenta emendationemque vitæ se conuertant, mala futura per ordinem cuncta prænuntiauit. Docuit præterea quemadmodùm præmoneret Principes furore obstinatos, ac quomodò patria ipsa placatum sibi redderet Deum, iam olim sceleribus offensum. Ad hæc nihil moratus Dionysius, Ducibus epistolam scripsit, haud satis accuratam, tamen virtute & spiritu plenam. Eamdemque tam patri quàm filio misit. Interim verò, vt illorum corda emollirentur, Dominum rogauit. Paruerunt Princi-

oratione,

Angeli apparentis instructione,

epistolâ scriptâ,

pes monacho æquè humili ac sancto, nec aliter ab eo quæcumque monuit, quàm Dei iussa, vt erant, acceperunt. Multùm certè ac sæpiùs antè fuerat tentatum per Principes, per Proceres, per Doctores, idque modis omnibus quibus tractari poterat humanis, vt non solùm manifestâ persecutione, verùm etiam simultate quacumque extinctâ, pater & filius naturæ fœdera non violarent. Sed excludebatur omne consilium, nihilque erat reliqui, quàm vt sanguine manus impias commacularent. At Dionysius, imò virtus diuina in seruo suo Dionysio, quem glorificare coràm gente illâ instituerat, orando hortandoque, bello finem, Principibus amicitiam, patriæ reddidit pacem. Mirabantur omnes, ac nouis gaudijs tripudiabant, quòd inuisus bellorum apparatus felici omine in pacem subitò mutaretur. Nec tamen diu patriæ incolas latere potuit pacis auctor. Quapropter ad viri Dei venerationem conuersi, vocabant eum rustico more virum, qui Angelo loquitur.

D *AVCTORE LOERIO feliciter sedauit:*

15 Non ab re putari debet, quoniam Principum fecimus mentionem, si de Episcopo etiam Leodiensi narrationem historię prosequamur. Fuit hic, de quo loqui volumus (neque enim nominatim traduci par est) vir seculo quidem idoneus, atqui minùs quàm par fuit præstaret Episcopum. Hic spectacula, torneamenta, ceterosque id genus ludos militares in piâ illâ instituit Ruremundâ. Sic enim placet, nec immeritò quidem, pium illud vocari oppidum, quod hactenùs prædicatum fuit deuotioni aptius quàm vanitati: nec hodie puto tam refertum armis, quàm doctis pijsque viris. Itaque ad hanc Ruremundam vndecumque aduocatos nobiles dum ipse in oppido expectaret, necessariaque theatricis his ludis vir Ecclesiasticus prouideret, accidit illum intereà Carthusiam petere: vbi postquàm cum Dionysio, quem sanctitatis opinio magnum atque multis effecerat celebrem, varia contulisset, non erubuit se iactitare, quàm magnis impensis militaribus his ludis inhiaret, quamque daret operam nobilibus excipiendis & magnificè tractandis. Ingemiscens Dionysius: O, inquit, Reuerendissime Pater, hæc etsi admittenda sunt Principibus, Ecclesiasticis tamen viris, & præcipuè Episcopis penitùs non conueniunt. Indignissimum est ac prorsus iniquum, vt Christi patrimonium in scenicos hos vsus profundas. Parce igitur quæso reuerentiæ tuæ Pater, Episcopus es, parce honestati Clericali, parce vel tandem pecunijs, & ab hac dementiâ prorsus desiste. Ad hæc Episcopus: Scio me ipsum Episcopum, cui hæc profana spectacula iam olim sacri canones interdicunt. At fatearis etiam necesse est, me Principem esse, Ducem, Marchionem atque Comitem, quos arma venustant, quibusque iudicia imperiaque temporalia subsunt: horum nunc munus mihi obeundum est. Cui Dionysius: Non propterea, Pater, Episcopus es factus, vt Principem geras aut Ducem, sed vt præstantior digniorque habearis Episcopus, vtque malis terribilior, atque ad tuendas Christi Ecclesiæque leges sis potentior, datus est tibi ab Ecclesiâ Principis & gladius & honor. Itaque officium tuum est gregis Dominici curam agere, diaboli laqueis irretitas animas eruere, oues tibi commissas Dei verbo pascere, aberrantes reducere, resipiscere nolentes ad ouile compellere, præstare te Christi Vicarium; non mercenarium, sed Pastorem animarum agere; ouibus exempla sanctæ conuersationis, quasi iter ad sequendum ostendere; odore bonæ famæ præire; atque, vt simul multa dicam, gregem tibi commissum cælis introducere, non ad inferna detrudere. Inter hæc autem, cum omnia benè feceris, scire quod seruum te vocat inutilem Dominus. Vnde tibi cauendum est, nobisque vehementer mirandum, cùm tua solicitudo pro singulis animabus tibi commissis rationem sit redditura ne vel vna pereat, quomodò per ignauiam tuam quasi securus possis vel

E *Episcopum, ne spectacula Ruremundæ exhibeat,*

pluribus admonet:

F

munus Episcopi inculcat:

AVCTORE LOERIO

A vel audeas de ludis & spectaculis militaribus cogitare. Quid, quæso Pater, Deo respondebis pro animabus, quas intereà hoc diabolico negotio tuipse scandalizas? Quâ fronte audebis apparere coram, iudice Christo, cui tu animas, pretioso eius sanguine redemptas, abducis, ac morti æternæ tradis; quorum lacte & lanâ abstractis, tu in delicijs viuis? Vt quid Ecclesiæ bona, quæ pauperibus ac diuino cultui erogare deberes, in scenica hæc spectacula, ad Christi opprobrium, ad Ecclesiæ dispendium, in perditionem animarum luxu tuo profundis? Quod si omnino, quæ digna sunt Pontifice, renuis agere, parce saltem ouibus: quandoquidem minoribus impensis ac laboribus potes tu solus æterna tibi tormenta comparare.

æternam damnationem proponit:

16 Hæc Episcopus audiens, tam indignabundus quàm sui propositi pertinax abijt. Cui iam recedenti dixit Dionysius: Rogauimus te, Pater, vt, quoniam in religionis positus es exemplum, spectacula hæc vana non perficias in perniciem animarum, sed audire contemnis. Rogabo potentiorem Dominum, cui te quoque (velis nolis) subiectum esse oportet; hic me exaudiet, hic insipientiæ tuæ conatus, etiam te inuito, impediet. Surrexit Episcopus, & nescio quid secum stomachans, relicto Dionysio, quod cœperat moliebatur perficere. At contra Dionysius illum præuenire festinat. Siquidem ad Dominum conuersus, eisdem vtitur & contra diabolum & contra Episcopum armis, fletu videlicet & oratione. Quid moror? Nihil profuit Episcopo inflata potestas, nihil contulit ei, quod perficeret, industria accelerans: plus valuit oratione Dionysius. Nam Episcopus mox vt abierat, antequàm perueniffet ad domum suam, podagræ doloribus vehementissimis corripitur, adeóque pedibus dolet, vt ludos & torneamenta, quæ antè noluerat intermittere rogatus, nunc cogatur non exequi, etiam inuitus. Itaque post inutilem magnæ pecuniæ erogationem, post infamiæ notam, quidquid Episcopus præparauerat, quidquid instituerat, quidquid cœperat intermissum desijt. Ipse verò posteà doloribus aliquantulùm remissis, quamprimùm gressum potuit recuperare pedum; plenus irarum Carthusiam accessit, & conquerens cœpta sua Dionysij orationibus destituta, se verò doloribus propterea ac ignominiâ etiam affectum, verbis eumdem asperioribus multauit. Verùm æquanimiter hæc Dionysius tolerat, gaudens etiam, quòd pro Christi gloriâ dignus esset vel ab Episcopis contumelias pati. Vtinam tales hodie multi essent Dionysij, quomodò huic Episcopo nimium similes inueniuntur Pontifices. At qui miserabilem posteà huius defuncti sortem attenderent, nec aulicorum adulationibus acquiescerent, ad meliora fortasse quamprimùm se mutarent. Nam hunc, quem præfati sumus Episcopum, posteà defunctum, (cùm pro eodem Dionysius, post Matutinas in festo diuæ Catharinæ Virginis in cellâ vigilans, oraret) vidit à duobus teterrimis giganteæ formæ spiritibus ante se adductum, ac ardentibus flammis circumseptum: qui dixerunt: Ecce, pro quo oras, Dominus tuus. Intuens illum Dionysius diligenter, vidit circa ventrem & genitalia eius immensum agmen serpentum & bufonum, qui miserum corrodebant. Fuerat enim in vitâ, præter vanitates alias Episcopo indignas, in concupiscentijs fæminarum virginumque stuprator. Expauit vehementer vir sanctus, admirans æquitatem iudiciorum Dei: & cogitans illud, quòd potentes potenter tormenta patientur, aduertit illum esse damnatum. Quippe cùm nihil pro se miser flagitaret suffragij, nihil orationis, & subitò à nigerrimis illis Æthiopibus ab oculis intuentis abriperetur.

oratione impediturum se prædicit:

B

inflicta illi podagra:

obiurgatur ab eodem,

C

à morte apparentem videt crudeliter affligi.

a *Arnoldus Dux Geldriæ hic est, qui ab Adolpho filio captus, aliquamdiu in carcere detentus fuit: quorum res gestas latè describit Bockenbergius in Dynastijs Egmondanis. Ipsam Dionysij ad vtrumque epistolam tradit Dorlandus lib. 7 cap. 13. sed absque temporis charactere.*

D

b *Bartholomæus Fisen, & ipse Leodiensis, agnoscit hanc historiam & adscribit Ioanni Heinsbergio, neque vllus alius eo tempore, quo Dionysius vixit Carthusianus, Episcopus est mortuus. Consecratus est Heinsbergius anno 1420, triennio antè, quàm Dionysium fieret monachus, eoq; Episcopatum anno 1455 resignante, substitutus Ludouicus Borbonius, anno 1482 interfectus, vndecim post Dionysij obitum annis. Interim Heinsbergius à Suffrido Petri, Zantfliti aliisq; laudatur, vt qui feliciter officio Episcopali functus sit. At Cratepolius ait eum* ducentis equis albis magnificentiam suam ostendisse: *quæ huic monitioni videntur congruere. Dorlandus cap. 16 eamdem historiam habet, & dicto Ioanni de Heinsbergen attribuit.*

CAPVT IV

Auxilium præstitum animabus, ei apparentibus.

17 Ceterùm quia hic defuncti vnius memoriam fecimus, de spiritibus defunctorum hoc generaliter tenendum est, sæpissime Dionysio hos apparuisse, quæsisse etiam pœnarum remedia, quæ ille vir spiritu & corpore insatigabilis, liberalissimè impertiebatur. Interrogatus aliquando à Fratre Carolo, ministro suo admodùm dilecto, Deoque deuoto, an sæpenumerò animæ illi apparuissent defunctorum, respondit: Etiam: imò centies atque centies. Nouitius quidam, non longè ab oppido sancti Trudonis natus, Ruremundæ in Carthusiâ ex infirmitate ad extrema vitæ deuenit, huic Dionysius promisit post mortem duo legere Psalteria, quæ ille Nouitius, nisi morte fuisset præoccupatus, soluere debuisset. Verùm quia multorum tunc dubia conscientiarumque scrupuli varijs ex locis ad Dionysium continuè deferebantur, quibus sine morâ fuerat respondendum, contigit Dionysium sic occupatum quod promiserat differre. Defunctus igitur nouitius, quia suffragijs egebat, ad Dionysium redijt: & tarditatis illum arguens, durè obiurgauit. Ad hæc Dionysius cùm se iustam putabat excusationem producturum, adeò ad nouitij huius increpationem subitò obriguit, vt ne hiscere quidem auderet. Itaque intelligens defunctis suffragij debita nulla esse ratione differenda, & ipse deinceps tarditatem cauit, & alios vt cauerent præmonuit.

Sæpe visitatur ab animabus precem petentibus,

E

obiurgatus ob preces ad dictas diu dilatas,

18 Fratrem quemdam suæ domus, ex eorum professione, quos Donatos vocant, iampridem sepultum, post Matutinas in cellâ suâ reperit flammis ardentem. Quem interrogans, quis esset quidue peteret, audiuit: Frater sum tuus, nuper hac luce defunctus. Conqueror autem quòd negligentiùs iusto mecum agunt Fratres: nam non solùm caritate exuberante non mihi subueniunt, verùm etiam vincente socordiâ, quæ mihi debent ex obedientiâ Ordinis, differendo non exoluunt. Quapropter nisi correxerint se, & suas & meas posteà dabunt pœnas. Correpti Fratres hortatu Dionysij, defuncto suffragia ocyùs impenderunt.

F

monetur vt monachos ea de re obiurgaret:

19 Venerabili cuidam a Sacerdoti, in Ordine Carthusianò tunc nouitio, spiritus quidam in illius cellâ molestus fuit: siquidem strepitu & pulsu Fratrem à quiete somnoque deturbabat. Perlata est querimonia ad virum Dei Dionysium. Qui respondens: Dicite, inquit, nouitio, vt in hunc modum spiritui imperet: Vade ad Fratrem Dionysium. Res mira! Paruit Dionysio nouitius, paruit & nouitio spiritus. Nam relicto nouitio, ad Dionysium venit: Dionysius verò hunc adesse sentiens, tanto mox orationum feruore flagellauit, vt iam illi neque nouitium neque Dionysium liberet repetere: sed abiens pœnisque omnibus solutis, ad Deum auolaret.

animam liberat:

20 Captus ast aliquando Dionysius magno desiderio

A derio sciendi, quomodò haberet anima patris sui iampridem defuncti. Fiduciâ igitur, quam familiaritas quædam ad Deum illi pepererat, roboratus, post Vesperas die quadam in cellæ suæ oratorio procidens, vbi esset anima patris sui, certiorem se fieri precabatur. Cùm autem diu hoc desiderio in oratione perstitisset, vocem audiuit sibi respondentem: Quid pro animâ patris tui adeò te sciendi curiositas torquet? Numquid non pium est, pro defunctis orare: Ora igitur pro tuo patre, qui si in pœnis est, & in gratiâ Dei è vitâ excessit, tuâ oratione refrigerabitur: sin minùs, in sinum tuum oratio redibit. Hoc responso cœlitus accepto, Dionysius perseuerat, nihilominùs pro patre orans: non tamen, quomodò antè, de secretis Dei inuestigando, sed ut requies detur defuncto. Intereà quadam nocte dum leui teneretur somno, vidit patrem suum inter duos spiritus Æthiope nigriores teneri medium, atque validâ ad se voce clamantem: Fili amantissime, miserere mei, & tuis orationibus patri succurre. Quod verbum statim vt emisit, abstractus à dæmonibus, & camino ardenti iniectus, cæditur, virgisque ferreis flagellatur. Hæc licet in somnis viderit Dionysius, cuiusmodi visionibus numquàm arbitratus est tutum credere, nihil tamen de veritate huius dubitauit. Quapropter non destitit orare pro patre, donec ille desijt esse miser.

de patris sui salute sollicitus.
videt eum torqueri:
& perstitit pro eo orans.

B 21 Alia multa ex spiritibus sibi apparentibus didicit, multa quoque illis laborum & orationum suarum impendit, quæ nemini manifestauit. Hæc enim sola non tacuit, quæ ne taceret, necessitas imperauit. Sæpè namque necessarium fuit, nonnullis indicari, cur torquerentur certæ animæ defunctorum, vt viuentes & negligentiæ suæ pœniteret & mortuis opem ferrent. Quapropter operæ pretium est de Magistro *b* Ioanne Louaniensi adhuc referre, cuius post mortem ærumnam nec Dionysio licuit omnibus tacere. Hic æuo suo venerandus, vir bonæ ac integræ vitæ fuit, sobrietatis quoque honestatis ac pudicitiæ custos, religionis amator, iustitiæ tenax, & (quod rarissimum est) qui magnoperè publicum bonum suo anteferret. Huius hic laudem recenseo propterea, vt discatur, quibus meritis pericula euaserit æternæ damnationis. Siquidem nisi tam præclaræ fuissent in eo inuentæ virtutes, nisi tantâ etiam contritione pœnitens seculo emigrasset, ob Ecclesiastica beneficia, quæ multa possederat, supplicium æternum, quod multi hodie non formidant, non euasisset. Et licet ex beneficijs congestas pecunias in pijssimos expendisset vsus (nam Canonicorum Regularium in Ruremundâ ædificauit dotauitque *c* cœnobium, & Coloniæ atque Dauentriæ S. Hieronymi collegia) post mortem tamen diu & grauibus est cruciatus purgatorij pœnis. Nam & quia sepultus in choro Carthusiensium fuerat Ruremundæ, anniuersarium pro animæ eius salute annis singulis ab eiusdem loci Patribus celebratur. Itaque dum primum eius ageretur anniuersarium, & iam in Officio defunctorum ad canticum Zachariæ ventum esset, Dionysius vigilantibus oculis contuitus est super defuncti sepulcro in modum feretri flammas igneas se conglobasse, quæ fumi obscuritate atque sulphuris fœtore visu erant horribiles. Exterritus Dionysius, Fratrem, qui iuxta stabat, pulsans, spiritualis visionis esse mysterium intellexit, atque vehementer doluit, recolens defuncti sobrietatem atque integritatem. Flebat autem potissimùm, quòd nesciret, purgatorijne, an gehennæ incendia hæc visio significaret. Redit sequenti anno anniuersarius dies, quo perinde ac superiori speciem ignis iuxta defuncti monumentum Dionysius conspexit, flamma tamen erat magis tenuis, clarior ac mitior. Porrò tertio anno raptus Dionysius in extasim mentis, iam non vt antè, corporeis oculis, nec imaginariâ, sed intellectuali (vt ita dixerim) visione didicit futuram defuncti salutem, videns simul iudicia Dei mirabilia, occulta, inuestigabiliaque & certa alia, quæ fas non erat, nec possibile effari. Quapropter *d* scripsit cuidam, qui defuncti testamentum curare debuerat & exequi, admonens vt omni morâ posthabitâ, defuncto suffragia acceleraret.

Virum valdè bonum,
sub plures beneficia Ecclesiastica habentem,
3 annis in anniuersario collegit torqueri:
liberandum cognoscit.

D 22 Optarem hic plura ad legentium ædificationem narrare, ex his, quæ per virum Dei circa defunctorum animas gesta sunt; nisi quorumdam formidarem de prolixitate fastidium: tametsi præter hæc supersint alia penè innumera non circa defunctos tantùm, sed etiam circa viuentes, quæ illi reuelauit Deus, ab eodem semper abscondita, nobisque penitus occulta. Hæc enim sola de futuris aut etiam præsentibus manifestauit, quæ vt manifestaret, à Domino præceptum habuit. In quorum tamen reuelatione mirum quàm humilis fuit, nihil sibi tribuens præter vilitatem; quam ipse quoque expauit, admirans prouidentiæ diuinæ consilium, cui placeret vti se indigno & vniuersorum, quæ ad seculi prudentiam attinent imperito, tamquàm ministro, ad Ecclesiæ ædificationem.

In visionibus humilis fuit.

a *Hermannus Luttensis appellatur apud Dorlandum cap. 21.*
b *Dorlandus cap. 23 ait fuisse* Xantensem Præpositum.
c *Ex hoc cœnobio eiusq; reditibus erecta est Sedes Episcopalis Ruremundensis.*
d *Epistolam hanc exhibet Dorlandus cap. 22.*

CAPVT V.

E

Extases: gemitus ob calamitates Ecclesiæ.

23 FVit in extasim mentis sæpenumerò raptus ad multas horas, quod dum potuit, celauit. Verùm vbi Fratrum suorum aliquo aut conuentu præsente fuisset abstractus ad Deum, & ad humana mansisset velut mortuus ac immobilis, doluit, verecundusque latere non potuit. Quid tamen intereà senserit, quid didicerit, quid sibi reuelatum fuerit, nemini aut paucissimis, idque rarissimè, patefecit. Quæcumque etiam illi fuêre reuelata, quæcumque ostensa, non per similitudines, non per rerum imagines aut sensibiles visiones tradita sunt, sed nobiliori modo docebatur, sublimiorique ac puriori. Siquidem intellectus eius vt diuino lumine fuit illustratus, atque à seipso mens eius deficiens, per amorem in Deum absorpta Deoque vnita, didicit quæcumque diuinitatis radius illum docere voluit. Iuuabatur autem, imò (vt veriùs dicam) etiam renitens rapiebatur, occasione externâ quacumque præstitâ, vnde ad cælestium contemplationem, aut ad inuestigabilis sapientiæ Dei admirationem, aut bonitatis eius amorem mens eius erigeretur. Quapropter quandoque dum Ecclesiæ inciperentur Cantica, vt sunt: Veni sancte Spiritus, aut, Suscepimus Deus misericordiam tuam, atque id genus alia; aliquando dum in turbis esset & frequentiâ hominum, interdum in castris coram nobilibus (qui eius consuetudine, eruditione atque consilijs vehementer oblectabantur) inter loquendum de Deo, rapiebatur ipse in regionem lucis inaccessibilis & immensæ, alijs, qui aderant, interim circa sua humana hic relictis. Nonnumquàm etiam, vt alter Helisæus, dum organorum suauem audiret melodiam, facto in se spiritu Dei, ad cælestis illius melodiæ concentum aspirabat. Hinc subitò mens eius, quia intra se contineri non potuit, ad eorum gustum, quibus æstuanter inhiabat, secessit: atque adeò secessit, vt per aliquot horas fixa non reuerteretur.

multis horis sæpe in raptu extatico ellit.

F 24 Buscum-Ducis oppidum est Brabantiæ nobilissimum, in quo Diui Ioannis templum habetur miro modo ornatum. Siquidem nihil in illo cernitur neglectum, nihil desideratur, quod ad pietatem ad deuotionem, ad collectionem denique spiritus iuuandam pertinet. In hoc Dionysius fortè ingressus, quia ad diuina tunc in organis canebatur, melodiâ suaui auribus haustâ, confestim corde cœpit liquefieri, vultu & mente mutari, à seipso deficere & collectis animæ viribus,

Silua Ducis

A bus, totus in Deum ire. Aderat ei tunc Abbas S. Martini in Coloniâ: qui intelligens quod futurum erat, traxit illum in sacellum, quod iuxta aderat, vbi rigidus immobilisque horis fermè tribus mansit. Hoc autem eo tempore illi accidit, quo cœpta est Carthusia *a* extra ipsum oppidum ad honorem *a* sanctæ Sophiæ ædificari: cui idem, licet iam senex, propter sanctitatem suam initiator institutus fuerat & Rector. Reuelatum fuerat Dionysio iampridem, eo in loco quo nunc ædificatum cernitur, construendum esse Carthusiense cœnobium, vbi Deo sanctificarentur animæ & laudes canerentur diuinæ. Porrò occasionem huic cœnobio extruendo magnam dedit Dionysij sanctitas vulgata. Eam ob rem monasterij fundator ab Ordinis primate hunc nouæ plantationi Rectorem impetrauit. Quamdiu autem morabatur ibi Dionysius *b*, Philippus Magnus ille Burgundionum Dux, in magnâ eum habuit veneratione, euocatumque ad se in magnis, arduis ac secretis negotijs consuluit. Ceterùm, quia noua hæc ædificatio distrahebat eius animum, & ipse iam senex viribus erat exhaustus, obtento superiorum assensu, ad suæ tandem professionis domum redijt.

AVCTORE LORKIO — *raptus ad 3 horas:* — *incipit Carthusiam:* *b* — *gratus Philippo Bono:*

25 Tradunt ad huius reditum tunc chorum templi Carthusiæ Ruremundensis aliquot noctibus sub B Matutinis luce cœlitus superfusâ illustratum. Ignorantes monachi quid portenti hoc foret, attoniti stabant: quidam egressi, cælum contemplabantur: verùm nihil intueri videntes, tandem Dionysij reditum (qui Ordinis lux erat & mundi) intellexerunt. Videbat ipse quoque Dionysius sæpe post Matutinas ad cellas regredientes monachos comitari spiritus candidos, atque eum eisdem eorum intrare cellas, quos Angelos illorum non dubitabat esse custodes.

ornatur luce cælesti: — *videt Angelos custodes:* *c*

26 Eo tempore Mahumetes Turcarum Rex *c* Constantinopolim omnesque Orientalis imperij fines abstulit Christianis. Vnde fides Christiana ferè omnino concidit in Græciâ, magnusque inde timor ac dolor omnibus Christianis ortus est, præcipuè viro Dei Dionysio, qui diu noctuque iam senex flebat, quòd cultui Dei abrogatio, contumelia fieret nomini Christiano. Videbat prætereà in Occidente à priscis illis moribus sanctis Ecclesiam degenerare, atque à fidei calore caritateque tepescere. Eam ob rem formidabat iram Dei eis etiam locis venire, quæ Romano parent Imperio. Contra hæc mala vnum erat illi remedium oratio. Hac iram ab Ecclesiâ auertere, hac inter Ecclesiæ calamitates studebat semetipsum consolari. *d* Reuelauerat autem illi Deus peccata Christianorum, præcipuè Prælatorum & Cleri, iustitiâ suâ C impunè diutiùs tolerari non posse, sed è duobus alterum fore necesse: aut semetipsos Prælati & Clerus corrigerent, aut per eos indignè sinerentur castigari, quibus nulla esset in Clerum reuerentia, nulla auctoritas. Ad hæc cùm Dionysius illorum nomine emendationem Deo promitteret, atque vehementiùs hoc pacto pro misericordiâ flagitaret, audiuit: Iuxta mensuram emendationis vestræ, temperabitur iustitiæ meæ censura. Addensque Dominus: De emendatione, inquit, quod promittis nomine Prælatorum, hoc teneas: Etiamsi iurauerint in nomine meo, Viuit Dominus, hoc ipso falsò iurabunt. In hac autem reuelatione, de futuris malis atque Ecclesiæ calamitatibus, nonnulla didicit secreta, quæ fas non erat manifestari. Mittebat tamen epistolas ad Pontifices, ad Principes, ad Ecclesiæ Prælatos: & quoscumque poterat ad vitam correctiorem inuitabat. Nec suâ tantùm oratione contentus, hortabatur omnes quibus potuit modis ad emendationem vitæ, & vt à se Dei iram deprecarentur. Fuere tunc, licet pauci, ex Primatibus, qui huius monitis credentes, ad meliorem se vitam receperunt: reliqui, quamuis vsque ad Summum Pontificem reuelationes Dionysijque consilia nuntiata fuerint, surdis auribus & corde duro audierunt. Nec mirum, cùm hodie quoque, licet anno superiori Romæ, & in Germania aliquot iam annis Clerus ferat D non modò calamitatem, sed penè etiam excidium expectet, pauci corrigantur. Quotus est enim hodie in monasterijs aut Canonicorum collegijs, qui ex persecutione Cleri, ceterisque malis, quibus atteritur mundus, factus sit melior? Crebrescunt mala, premit nos profana potestas, persequitur violentia, & nihilominùs vitia nostra perseuerant. Verùm hæc maioribus relinquimus prædicanda, nobis ad Dionysium nostrum est redeundum.

deplorat Constantinopolim captam: — *& Occidentis periculum:* — *d* — *ob Prælatorum & Cleri mores:* — *ad emendationem excitare conatur:*

a *Ob Constantinopolim & in eâ primariam ecclesiam S. Sophiæ à Turcis occupatam, voluit domum & ecclesiam S. Sophiæ appellari. Estque monasterium 15, Belgij seu Germaniæ inferioris apud Miræum in originibus Carthusianis, vbi eius præcipuos fundatores recensit. Post exactum ex vrbe & territorio Siluaducensi religionis Catholicæ exercitium, migrarunt Carthusiani Antuerpiam, ibique nouum monasterium erexerunt.*

b *Philippus Bonus è vitâ decessit anno 1467. Successit Carolus Audax, qui anno 1471 fundationem probauit.*

c *Capta est Constantinopolis anno 1453.*

d *Reuelationes hæ fusè apud Dorlandum cap. 8, & seqq. narrantur: habitæ in festo Purificationis B. Mariæ, Dominicâ Passionis, Dominica 3 post Pascha.*

e *Extat ibidem cap. 11 epistola ad Prælatos missa.*

CAPVT VI

Morbus, obitus. Viri Ordinis illustres.

E

27 Hic inter eiusmodi studia, incommoda incidit senectutis, quæ deinceps crebris infirmitatum augebantur molestijs. Nam assiduis ex paralysi, calculo atque vesicâ, doloribus torquebatur. Accedebant prætereà vlcera, quæ vtrumque eius corroserant. Verùm inter hæc non est tacenda patientia Dionysij, qui licet grauiter, nec rarò (vt fit) læderetur, dum ligamina à ministro aut soluerentur aut stringerentur, haud quaquam tamen tunc vocem emisit aut gemitum: sed velut insensibilis ad dolores, nihilominùs orando scribendoue perseuerabat. Agebat tunc quadragesimum septimum annum, ab eo, quo Carthusiano initiatus fuerat instituto, nec hactenùs scribere desierat, licet corpore esset imbecilli, ac penè effœto: quippe quod vigilijs, abstinentijs, infirmitatibus atque exercitijs spiritus continuis fuerat consumptum: crescentibus quotidiè molestijs, ipse manum Domini patienter ferebat. Ad hæc etiam exultans, Domino gratias agebat, qui, quòd suis omnibus largitur amicis, non negasset illi, argui & castigari, bona agere & mala pati. Itaque anno vltimo vitæ suæ, parauit se, vt mediâ nocte venienti exiturus occurreret sponso, intraretque cum illo ad nuptias. F Et tunc etiam cessauit scribere: siquidem vltimus librorum eius fuit, quem de Meditationibus inscripsit: in cuius fine post innumeros alios iam editos libros, post ingentes labores ad quietem aspirans, in hæc verba desinit, dicens: Hoc meditationum mearum opusculum, quas non tam habeo quàm meritò haberem, gratanter suscipite carissimi Fratres, atque pro me iugiter exorate: qui de cetero ad securę taciturnitatis portum me transferre intendo, & ad securum exitum (prout Dominus dederit) plus solito parare, præsertim quia & vires corporis multùm deficiunt, & istud opusculum anno vitæ meæ LXVII finio, anno Domini MCCCCLXIX.

In morbis varijs patientissimus: — *vltimum librum scribit anno 1469.*

28 Hactenus Dionysius ab eo tempore, quia mortem sibi vicinam nouerat, quam etiam semper vt præsentem fuerat meditatus, lætus perinde ac olor canẽdo illam expectat. Vnde sciens certissimè hoc se anno moriturum, inter infirmitates, quibus premebatur, tria frequentabat Cantica, & nunc vnum nunc aliud repetens, canendo animũ solabatur. Primum horum, quod illi assiduũ erat, fuit: Requiem æternã dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Ad hanc enim sortem maximè aspirabat, vt lucis æternæ beatitudine frueretur.

3 Canticis æger se excitat:

Alte-

A Alterum, quo ad deuotionem compungebatur, fuit: Maria ergo vnxit pedes Iesu, & haud dubium Mariæ deuotionem ergà Iesum, atque rursus dulcedinem cordis Iesu ergà dilectricem suam recolens, exin amorem eorum mutuum, quo sese alterutrum vulnerabant, contemplabatur. Quibus ipse quoque sui cordis amorem ad illos, & quasi inter vtrumque tertium se intermiscebat. Carmen tertium, quod canere solebat, fuit: Sancti, qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient. Hoc excitabat spiritum, fiduciamque suam pascebat, assecutusque quod tot annis desiderarat, pro quo certauerat, sudauerat omnesque vires suas impenderat.

7 Martij accipit viaticum,

29 Itaque crescente infirmitate, mortem non longè abesse sentiens, in festo S. Thomæ Aquinatis in sacellum S. Dionysij, vbi Missæ sacrificium Deo multo tempore offerre solitus erat, ductus est. Ibi quâ solebat ardentissimâ deuotione auditâ Missâ, & sumpto viuifico Corpore Domini nostri Iesu Christi, tamquàm viatico iam præmunitus, ad iter, quo visurus erat salutare Dei, accinxit se. Reductus ad cubiculum, astantibus Fratribus dixit: Adest, carissimi Fratres, tempus quod prædixi, quod desideraui, quod denique expectaui. Si B diutiùs vixero, aliorū me duci manibus necessum est, eroque fratribus onerosus. Post hęc omnem fastidiens cibum, ęgritudine ingrauescente, & viribus semper magis deficientibus, ad extrema vitę peruenit. In festo igitur Diui Gregorij Dionysius virtutum ac meritorum plenus, circa duodecimam horam, superatis omnibus vitæ huius miserijs, sanctam Deo animam reddidit, anno Domini MCCCCLXXI, postquàm in ordine Carthusiano VIII & XL annos Christo militauerat.

moritur 12 Martij anno 1471.

Scriptor arguit Ordinem Carthusianum, quòd non edantur libri huius.

30 Hæc de vitâ beati Patris Dionysij, viri scientiâ pariter ac virtute clarissimi. Cuius scripta cur hactenùs lateant, vehementer admiror: quippe qui in Ecclesiâ Dei scribendo ferè plùs omnibus laborauit, cuius libri vberrimâ etiam scatent eruditione, atque adeò lucidâ, vt suâ ætate doctissimus ac planè admirabilis habitus sit. Quare, vt dixi, miror quòd lateant; quandoquidem aliorum scriptorum interim vndecumque nobis copia offertur: quorum tamen neque ingenium, neque eruditio quidquam ad hunc Dionysium accedit. Verùm hoc tuâ incuriâ atque negligentiâ fit, Ordo Carthusiensium, qui innumeros habuisti viros doctissimos pientissimosque, quorum bona pars cùm in vitâ tum post mortem claruerunt miraculis, reliqui doctrinâ excellentes posteris sui nominis immortalitatem dederunt, si per te id liceret, hoc est, si in medium tu illorum libros dares. Itaque hos tu intra sinus tuos recondis, C perinde acsi tibi dumtaxat aut vni monasterio tātùm, non item posteris, atque cunctis vixerint mortalibus: aut quasi quod ad vniuersæ pertinet Ecclesię decorem vtilitatemque, abscondere pietas sit. Verùm quid pro Dionysio hîc expostulo, quando Institutori tuo Diuo etiam Brunoni primo Carthusiano, reliquisque tuis alumnis ferè omnibus itidem feceris? Nam hunc Brunonem, quem omnis Calabria (illic enim curiam Vrbani Papæ, cuius fuerat olim Præceptor, simulque sarcinam Pontificalem fugiens, diem obijt extremum) veneratur, vt atrium etiam illud, quod pœnitentiæ & amoris lacrymis rigauerat, flexis circumeat poplitibus, osculisque lambat, hactenùs tu adeò seruabas ignotum, vt extra illam patriam, quis Bruno, quisue Ordinis tui fuerit auctor, penè mundus ignorauerit. Vnde factum est, vt non pauci historiæ veritatem ignorantes, illum ipsum *a* Doctorem, qui Parisijs post mortem damnatū se reuelauit, cuiusq; iudicio territus Bruno cum alijs sex, hoc genus viuendi, quod Carthusianum dicitur, instituit, *b* falsò putauerint fuisse Brunonem. Quem propterea tantùm abfuit existimari Sanctum, vt etiam impiè dicerent & damnatum & à Deo prorsus fuisse alienum. Intereà tu satis tibi putabas, quòd miracula Brunonem tuum viuere loquerentur, nec quid mundus ignoraret, aduertebas. Quid? quòd clarissima eius opera, præcipuè in Paulum, Psalterium & nonnulla alia, numquàm dedisses in lucem, nisi studiosorum tibi sagacitas imposuisset, eaque è manibus tuis prudenter satis eripuisset. D

& Vita aliorum,

imò & S. Brunonis fundatoris:

a pro Doctore damnato habiti, b

31 Adde nunc sanctissimos illos duos Episcopos *c* Hugones, quorum alterum Gratianopolitanum, nisi Innocentius suâ sponte, alterum verò, nisi instante Angliâ, Honorius tertius nunc Pontifex, miraculorum eminentiâ permoti, Sanctos etiam te dissimulante declarassent, quem quæso hodie illorum ædificarent sanctitatis exempla? Taceo nunc *d* Guigonem, Basilium, ceterosque primæ Carthusiæ tuæ Priores, qui hactenùs te magnâ sanctitatis opinione gubernarunt, quorum multi etiam tam claruêre miraculis, quàm fulsere doctrinis? quos tamen præter te, licet innumeros, nemo nouit. Prætereo Dominum *e* Bernardum, Priorem Portarum, quem ad vitam redeuntes mortui, tacente te prædicant; alia quoque complura, quæ per illum Dominus fecit prodigia, eius sanctitatem laudant. Huic Diuus Bernardus Claræuallensis vix habuit, quem tantopere diligeret *f*, similem. Nam ad huius preces Canticorum Cantica exposuit, & apud Romanum Pontificem vehementer egit, quòd epistolæ quoque eius testantur, vt Bernardus ad Episcopatum de monasterio extraheretur. E Omitto *g* Stephanum miræ sanctitatis Episcopum Diensem, *h* Antelinum quoque Episcopum Beticensem, cuius sanctitatem prętert alia miracula testabantur lumina ad eiusdem funus cœlitus accensa. Deficeret me tempus, si recensere vellem reliquorum illustrium virorum aliquot legiones, sanctitate conspicuorum, eruditione præstantium: quos cùm alieni magis laudibus efferunt, tu quasi in gremio absconsos tuos filios hactenus siluisti. Verùm noui quid respondeas: Humilitatis tutandæ gratiâ, tuos nullâ velle gloriâ ostentari, nullâ eminentiâ efferri. At quæ ista est humilitas, quæ religio, sub modio faces abscondere ardentes, ne luceant ijs qui in domo sunt: subtrahere oculis lumen, ne aut loci spectetur amœnitas, aut sine offendiculo ambuletur? Non iniuriâ hac ex parte eruditissimus quidam (quod tuâ pace dicam) te coarguat, quòd pietas in te lateat; & adeò lateat, vt vix conspici possit. Sanctissimorum virorum doctissimorumque libros, animarum thesauros penes te seruas absconditos, nec producis, vt ex te multi gaudeant, multi reficiantur. Quapropter (quod Sapiens monet) Deriuentur fontes tui foris, & in plateis F aquas tuas diuide.

c SS Hugonum Gratianopolitani & Lincolniensis,

d Guigonis, Basilij,

e Bernardi,

f

g h Stephani Ep. Diensis, Antelmi Ep. Bellicensis

32 Verùm hæc tuâ pace dixerim, idque quàm institueram diffusiùs. Equidem vnius Dionysij gesta enarranda susceperam. E quibus tamen sola quæ certissimâ veritate & gesta & scripta comperi, huc congessi. Nam referuntur alia quædam sanctitatis eius argumenta, non minùs præclara quàm stupenda: de quorum etiam veritate nihil prorsus ambigitur; quia tamen narratione solâ nobis tradebantur, haud quaquam huc inserenda decreui *i*.

auctor solùm certa narrauit.

a *De hac historia, quam ipsi in Carthusiâ didicimus non approbari, agendum erit 6 Octobris.*

b *Deest verbum,* assumpsit, *aut simile.*

c *Coluntur Gratianopol. 1 April. Lincolniensis 17 Nou.*

d *De his agit Dorlandus lib 4 cap 3 & 14.*

e *De Bernardo & cœnobio Portarum in diœcesi Lugdunensi agit idem Dorlandus lib. 4 cap. 9.*

f *Legenda S. Bernardi epistola 11 & 153.*

g *S. Stephanus colitur 7 Septemb: Annos Sedis examinat Ioannes Columbus in Episcopis Diensibus pag. 105, Gesta Dorlandus lib. 4. cap. 10 & seqq.*

h *S. Anthelmi Vita danda est 26 Iunij.*

i *Annectebantur reuelationes, & catalogus librorum: quod indicasse sufficit.*

XIII MARTII.

SANCTI QVI III IDVS MARTII COLVNTVR.



SANCTVS Sabinus siue Abibus, Martyr in Ægypto.

S. Vrpasianus Martyr, Nicomediæ in Bithyniâ.

S. Macedonius Presbyter,
S. Patricia vxor,
S. Modesta filia,
S. Cyrion Presbyter,
S. Saturninus,
S. Ianuarius,
S. Saluius vel Siluius,
S. Petronius,
S. Modestinus,
S. Zosimus,
S. Eustasius Presbyter,
S. Basilla,
S. Eppepodus Diaconus,
& alij duo.
} Martyres, Nicomediæ in Bithyniâ.

S. Carpistus,
S. Galatus,
S. Domisianus Presbyter,
S. Hyromeus,
S. Lucetella,
S. Zeddonus Presbyter,
S. Patricia,
S. Patyfrigia,
S. Basilissa,
S. Claonus,
S. Mineruinus,
} Martyres ad lacum Gerati.

S. Theusetes,
S. Horrus filius,
S. Theodora,
S. Nymphodorus,
S. Marcus,
S. Arabia.
S. Iulius Episcopus,
S. Alexander,
S. Pion aut Picius,
S. Maria,
& alij duo,
S. Dion,
S. Trabia,
S. Quartus,
S. Misetheus,
S. Nymphadoba,
S. Ariaba,
S. Poenis,
S. Parta,
S. Victuria,
S. Victurinus,
} Martyres Nicææ, aut forsan aliqui alibi.

S. Alexander,
S. Dion seu Dionysius,
} Martyres, Thessalonicæ.

S. Eufrasia,
S. Domitianus,
S. Macedonius,
S. Patricius,
S. Lucas,
S. Duonius,
S. Domitianus alius,
S. Scalleria,
S. Pacta,
S. Pionius,
S. Phronimus,
S. Callidus,
S. Dionius,
S. Seuerinus,
S. Petronius puer,
S, Saluianus,
S. Iulianus,
S. Felix,
S. Hilarius.
S. Concessus,
S. Martialis,
} Martyres, Nicomediæ in Bithyniâ.

S. Christina Persa, Martyr.

S. Maximus,
S. Martialis,
S. Syluanus,
S. Basileus,
S. Constantinus,
S. Fortunatus,
S. Saturninus,
S. Abundantius,
S. Gratiosus,
S. Ignatius,
S. Heremita,
S. Romanus,
S. Prosper,
S. Victor,
S. Primus,
S. Laurentia Virgo,
S. Aselus,
} Martyres, in Galliâ in Archicœnobio S. Antonij.

S. Hippo-

S. Hippolitus,
S. Speciosa Virgo,
S. Aurelius,
S. Fortunion,
S. Iustus,
S. Eustachius,
S. Felicitas,
S Septimius,
S. Marianus,
S. Bebion,
S. Romana Virgo,
Martyres, in Galliâ in Archicœnobio S. Antonij.

S. Edictius Martyr Calari in Sardiniâ.
S. Eupraxia, siue Euphrasia, Virgo in Thebaide.
S. Pientius Episc. Pictauij in Galliâ.
S. Leander Episc. Hispalensis.
S. Mochœmocus siue Pulcherius, Abbas Liatmorensis in Hiberniâ.
S. Geraldus Abbas & Episcopus Mageonensis in Hiberniâ.
S. Nicephorus Patriarcha Constant.
S. Ansouinus Episc. Camerini in Italiâ.
S. Rudericus Presbyter, S. Salomon, Martyres Cordubæ in Hispaniâ.
S. Heldradus Abb. Noualitij in Italiâ.
S. Kennocha, Virgo in Scotiâ.
B. Ericus siue Henricus, Perusij in Italiâ.

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Sanctus Emebertus Episcopus, consobrinus SS. VValtrudis & Aldegundis, refertur à quibusdam hoc die: de eo egimus xv Ianu.

Colmanus Beithec de Cluain-Tibrin in Tamlactensi martyrologio occurrit hoc die: à nobis inter omissos relatus & alijs ix Martij.

Constantini Regis Protomartyris Scotiæ. Ita Greuenus in additionibus ad Vsuardum. De eo egimus xi Martij.

Innocens Episcopus memoratur in MS. Bruxellensi. Videtur esse Innocentius, de quo & S. Ruso egimus xii Martij.

S. Paulus Leonensis Episc. hoc die est in varijs Breuiarijs, & apud Bucelinum: vitam dedimus xii Martij.

Labasij Martyris festum in Kalendario Coptico, ad calcem libri de Synedrijs per Io. Seldenum adiecto, notatur; aliunde ignotum.

S. Sabina Martyr ex MS antiquorum in Polonia festorum catalogo, qui penes Nicolaum Chiouinum nostrum Cracouiæ asseruatur, duplicis festi ritu cultam fuisse Posnæ intelligimus: ex varijs huius nominis, quænam hæc sit, aut cur hoc potissimùm die istic celebretur, ignoramus: fortè aliqua reliquiarum ex eo, in quo passa est, loco in Poloniam translatio initium cultui huic dedit.

Capiton Abbas, Amata Virgo, in Martyrologio Anglicano VVilsfordi, desumpti ex Heraclidis Paradiso cap. 47 & 48. Horum sanctitatem Antinoi in Thebaide sibi cognitam auctor scribit: vitium in posteriori nomine Rosweidus arguit ex Palladio, qui cap. 137 Aminam Tabidam nominat, cap. autem 99 agit de Capitone, neutrius nomen alibi reperimus in sacris fastis.

Damianus Rauennæ Episcopus à Mosandro, ex Hieronymi Rubei historiâ transcribente eius vitam, quæ inde in Surij editionem 3 transijt, Sanctissimus appellatur; Beatus vero ab Hæræo in Sanctorum Vitis: nihil simile habent scriptores Itali, nedum vllum cultus ecclesiastici signum proferunt: quod nec Hieronymus de Fabris fecit, qui editis nuper Rauennatium Antiquitatibus ipsum inter Sanctos hoc die nobis referendum non suggessit: ostenditque secundùm ipsum Rubeum anno 689 electum dici debere, & post annos 16 Episcopatus, non anno 702, sed 706 mortuum esse credendum.

Donatus & Aduocatus Martyres nominantur hoc die ab Hermanno Greuen in additionibus ad Vsuardum: fortè ex MSS. quorumdam Legendariorum fide, in quibus sub his nominibus legitur narratio repressæ coitionis seditiosorum Donatistarum Carthagine sub Cæciliano Episcopo, ad conflandam Catholicis inuidiam fœdus conspersæ mendacijs: nusquàm tamen in contextu hi nominantur.

Leo Papa in Martyrologijs Treuirensi S. Martini & Bruxellensi S. Gudilæ. Incertum quem velint: nemo enim ex vndecim huius nominis Pontificibus hoc die obijt.

Madefledis Abbatissæ, à S. Amato institutæ, felix transitus memoratur, in dictâ S. Amati Vitâ, dandâ ad 13 Sept. De ipsâ nihil in vllis Fastis publicis. Menardus, Bucelinus, Saussayus, & post hos Arturus in Gynecæo, Sanctis illam adscripsêre.

Cuangussius, Aililli filius Martyrologio Tamlactensi, Mac-dall, id est, filius cœcus Kalendario Casselensi, vir candidus & doctrinâ clarus S. Ængussio, anno DCCXLVI mortuus Quatuor-magistris; an aliquem in Lethmorensi cœnobio canonicum habuerit cultum, ignoramus.

Stephanus ex Abbate Ordinis Benedictini (quo nomine à Menardo & Bucelino refertur) Franciscanus, & in agro Tholosano ab hæreticis trucidatus est; teste Saussayo, qui longum ei elogium texuit. Sed fidere ei non ausus Arturus à monasterio, maluit tacitum præterire, vel certè diligentiam eius fugit Franciscanus hic, inter Benedictinos delitescens. Nobis cùm neque de tempore, neque de cultu constet, silendum porrò est.

Vincentius Presbyter & Confessor Niuernis, apud Maurolycum & Galesinium, quos Saussayus secutus elogium auxit. Optamus plus lucis de eo eiusque cultu.

Trebellio Bulgarorum Regi ethnico, M. Antonius Sabellicus, turpi ducentorum ferè annorum lapsu, Bogoris, post baptismum Michaëlis ac dein monachi, Acta attribuit: (quem errorem ad Acta S. Theodoræ Augustæ, sub quâ conuersi Bulgari, refutauimus xi Ianuarij) eum secutus Bucelinus præsumpsit adscribere Ordinis Benedictini Beatis, & cultum & diem cultus addens de suo, ne non satis magnus prior error foret.

Vigianus, inter viros moribus & doctrinâ illustres sub Malcolmo Rege, laudatur à Boëtio velut egregius concionator: Arnoldus VVion Ligni vitæ lib. 3 cap. 79 Sanctum appellat, & Congreg. Cluniacensis monachum: VVilsonus in Anglicano Martyr. regium genus addit, & hunc diem cultui: hunc secutus Ferrarius est & Bucelinus. Camerarius autem longum elogium est commentus: nemo profert aut probat vllum publici cultus argumentum.

Beatrix sanctimonialis Ordinis Præmonstratensis, cœnobij Angelicæ portæ dicti, *in tractus Mosellani* territorio, *cui à dorso camino nomen datur, prope oppidum Cocheim, vt* Beata *inscripta Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonstratensis à Chrysostomo Vander Sterre. Curauimus inquiri: sed nihil certi potuimus assequi præter descriptionem monasterij, & hanc illius annuam commemorationem*: Obijt piæ memoriæ beatissima Beatrix sanctimonialis: *quæ si procrastinetur, pulsatio & sonitus quasi admonentis è tumbâ fit, quæ ex pautis asseribus simplex omnino: nec cultus eius, quod sciamus alius vllus.*

Eustachius de Huyo, *S. Iuettæ, de quâ* XIII *Ianuarij, filius; ex iuuene discolo Cisterciensis monachus in cœnobio Trium-fontium, ac demum ad egregiam sanctitatem prouectus, à Chrysostomo Henriquez* Beatus *scribitur: quem Bucelinus & Saussayus secuti. Non tacuisset eum in Floribus Ecclesiæ Leodiensis Barth. Fisen, si sciuisset hunc ei titulum aliquo iure dari posse.*

Sancia Regina, *Sancij* I *Lusitaniæ filia, fundatis duobus monasterijs, altero Franciscani, altero Cisterciensis Ordinis; ab vtriusque Ordinis scriptoribus adsciscitur, &* Beata *nuncupatur*: *obijt hac die circa an.* 1290 *miraculis clara post mortem, inquit Labierius: qui hus duas alias synonymas refert, vnam Iacobi* I *Arragoniæ Regis, aliam Raymundi Comitis Burgundiæ filiam: nullam harum scimus ecclesiastico aliquo cultu honoratam.*

Angelus Pisanus, Ioannes Anglicus, Bartholomæus Agricola } *ex Ordine S. Francisci, isti Oxonij in Angliâ sæculo* XIII, *hic Neapoli in Italiâ anno* 1622 *vitam finiuêre, &* Beatis *ab Arturo annumerantur hoc die. Primi corpus dum transferre molirentur Fratres (honorisne ciuilis an religionis ergo, non constat) ossa reperta sunt oleo fragranti innatantia. Postremi sepulcrum veneratum se testatur VVaddinghus, & multis votiuis tabellis ornatum vidisse; Vitâ quoque compendium scriptum, ac plura alia: quæ quàm legitimè fiant aut facta sint, necdum didicimus. Prædictis hîc additur, & in Gynecæo repetitur*

Margarita Tertiaria *in Monte Falconis, de cuius ibidem cultu nihil inaudiuimus.*

Euphrasia, Virgo *ex Ordine Minimorum, Panormi piè mortua anno* 1534, *& inter Sanctas Virgines numerata ab Arturo à monasterio; non videtur ex Apostolicæ Sedis indulto* Beatæ *appellationem adhuc obtinuisse.*

Guilielmus Haddoc *monachus VVallensis, in Lancastriâ à Protestantibus patibulo affixus anno* 1536, *cum* Beati *titulo primum hodie locum habet in Martyrologio Cisterciensi Chrysostomi Henriquez.*

S. Frontina, S. Prion } Martyres, *MS. Martyrol. S. Cyriaci. Est hoc die* Pionius *infrà, sequenti* Pion *Antiochiæ passus &* Frontina *Nicomediæ. Videndus ergo dies* XIV Martij.

SS. Africanus, Publius, Terentius MM. *hodie occurrunt in Græcorum Menæis; videnturque ijdem, qui in Romano Martyrologio referuntur cum pluribus socijs sub Decio in Africâ passi, etsi secundus illic nominetur* Pompeius *à Latinis: nam eius nomen tacent Græci, quando pleniùs de duobus alijs agendum erit* X Aprilis.

S. Encratiæ Virg. ac Martyris ac sociorum inuentionem circa annum 1390 Cæsar-augustæ *recoli hoc die testantur Officia propria diœcesis Cæsar-augustanæ. Dies passionis est* XVI Aprilis.

Desiderius Episc. & Martyr *apud Hermannum Greuen memoratur. Nobis etiam ignotus est: nisi fortè est Viennensis, qui colitur* XXIII Maij.

Bonifacij Ep. M. Eboani Ep. & sociorum *eleuationem Brugis refert hoc die Saussayus: Acta dabimus* V Iunij.

S. Consortia Virgo *Cluniacum translata, festum ibidem hoc die obtinet, & in varijs martyrologijs memoratur: natalis autem* XXII Iunij.

S. Henricus Imperator *in Kalendario historico Constantij Felicij memoratur hoc die: colitur* XIV. Iulij.

Canocus, primogenitus Brachani Principis *apud Silures in Britanniâ, in Vitâ S. Keynæ sororis appellatur* Sanctus: *inscriptus Martyrologio Anglicano prioris editionis ad* XI *Februarij, posterioris ad* XIII *Martij. Fuit & huic altera soror* Almedha, *cui in Brechiniâ, Comitatu VValliæ Australis, ecclesiam fuisse dicatam, ac coli Kalendis Augusti, tradit Giraldus lib.* I *Itinerarij Cambrensis cap.* 2, *additque* Torquem S. Canauci indigenas habere pro reliquijs virtuosissimis, adeò vt nemo hoc coràm posito peierare præsumat. *Videtur* Canaucus *&* Canocus *vnus idemque dici posse. Reliqua latent. Dum certiora proferuntur differimus de illo agere, si ista præferantur, poterit agi aut cum S. Almedhâ sorore* I Augusti, *aut cum Keynâ sorore* VIII Octobris.

S. Conchennâ de Kill-slebbe, *iuxta radices montis Cuilin in Vltoniâ, hoc die ab Hagiologis Hiberniæ inter* Sanctos *relata, nominari videtur in Vitâ S. Munnæ illius soror, per eumque à mortuis suscitata; & anno* DCLIV *dicitur decessisse: nos S. Munnæ siue Fintani vitam dabimus* XXI Octob.

S. Solinæ Virg. & Mart. *translationem Carnuti factam habet hoc die Saussayus: plura de eius martyrio, reliquijs, cultu optamus discere in diem, quo fusius memoriam illius auctor dictus recolit (etsi in Appendice veluti sui oblitus eam posuerit inter sanctos nulli diei affixos) in diem, inquam,* XVII Octob.

S. Geraldus & S. Gerardus } *vt Sancti & Episcopi Bituricenses habentur in Florario Sanctorum MS. & prior quidem velut anno* 1123 *mortuus. Nullus vnquàm his nominibus Bituricensis Episcopus fuit: inter Bituricenses vnum inuenimus apud Sammarthanos, mortuum* 1122 *& Sanctum habent, cuius Legendam necdum nacti sumus, & dicitur natalis esse* V Nouemb.

DE S. SABINO SIVE ABIBO,

MARTYRE IN ÆGYPTO.

AN. CC-LXXXVII XIII MAR. *Acta cum Actis S. Ascla confusa.*

1 *SVb Arriano Thebaidis Præside, cuius Martyrium* VIII *huius narratum, & Diocletiani tyrannide passus est Sabinus Hermopolites: locum passionis Antinoum fuisse diceremus, si auderemus hoc credere Actis, quæ Latina hoc die apud Lipomanum & Surium extant: verùm hoc minimè audemus, propterea quòd ista, solo nomine mutato, S. Asclæ Acta sint, à nobis* XXIII *Ianuarij edita: quos martyrij genere similes, & eodem fortasse loco ac tempore passos, diuersos credere malumus, quàm diuersis nominibus vnum eumdemque: itaque Actis illis omissis, quæ ex miraculo defixa in medio flumine eius nauis, quâ Præses vehebatur, constat ad S. Asclam pertinere; sola ex Menæis elogia hîc dabimus; & primò quidem ex MSS. Synaxarijs seu Menologijs, tum eò quòd Basilij Imperatoris iussu conscriptum reperimus in monasterio Cryptæ-Ferratæ, tum altero quod ex Collegio nostro Claromontano accepimus ijsdem verbis vtrobique.*

2 Sabinus Christi Martyr ex regione Ægypti fuit: propter incumbentem verò persecutionis sæuitiam secularem vitam deserens recessit, & extra ciuitatem se abdidit in exiguam domunculam, cum alijs quibusdam Christianis: cùm verò magna fidelium multi- Elogium MSS.

A multitudo comprehenderetur, ab idololatris quæsitus etiam Sabinus est, nec inuentus haud leui infideles dolore affecit. Tunc Mendicus quidam, solitus ad Sabinum accedere, ab eoque accipere victui necessaria, idololatris dixit: Quid dabitis mihi, & ostendam vobis, quem quæritis, Sabinum? Dederunt autem ei nummos duos, eumque secuti irruerunt in domunculam, atque comprehensum Sabinum adduxerunt ad Præsidem. Dixit porrò ad eum Præses: Quare contemnens edicta Imperatorum, magnorumque Deorum maiestatem, ignotum Deum aliquem præsumis prædicare? Respondit Sabinus: Quia hunc, quem ego prædico Deum, præ omnibus confiteri eique credere oportet. Itaque post tormenta proiectus in fluuium, vitam finijt. *Hæc ad diem hunc Crypta Ferrata MS. codex: Claromontanus vero ad præcedentem* XII, *hoc autem die breuiter habet* ἡ τοῦ ἁγίου Σαβινιανοῦ & S. Sabiniani.

eadem ad hunc diem in Menæis. 3 *Hoc quoque die Menologium, quod Henricus Canisius Latinum edidit, & Cardinalis Baronius in Martyrologio Romano secutus est, memoriam habet* S. Sabini, aliàs Abibi, ex Hermopoli: qui saxo alligatus, & in flumen deiectus martyrio consummatus est, *de quo, sub solo Abibi nomine, eadem quæ supra, ad hunc diem dicunt Menæa ex-* B *cusa; atque hoc distichon eius honori subiungunt.*


Βληθεὶς Ἄβιβος εἰς ποταμὸν σὺν λίθῳ,
Εὐπηλὲ ποταμὸν συρφετώδη τοῦ βίου.
Abiectus Abibus cum lapide in flumen, D
Lutulentum huius vitæ fluuium enauigauit.

4 *Ad diem verò* XVI *Martij S. Sabini Officium cum hymnis, abstinentiæ ac ieiuniorum rigorem primâ quâque strophâ commendantibus, habent eadem Menæa cum hoc elogio:* Hic erat ex Hermopoli Ægypti, tempore Diocletiani Imperatoris, extra ciuitatem absconditus in paruâ domo: requisitus autem ab idololatris est, proptereà quòd multus esset de eo inter Christianos atque magnificus sermo: genus autem omnino præcipuum, & zelus tuendæ pietatis eximius. Tandem comprehensus, ad Arianum quemdam ciuitatis Præsidem ductus est, suamque in Christum confessus fidem, in eculeo suspensus, & vsque eò laniatus est, dum carnes eius in terram defluerent: deinde lampadibus vstulatus, postremùm lapidi alligatus, in Scamandrum immittitur & martyrij lauream adipiscitur. *Quod postremum de Scamandro verum non esse omnino credimus: procul enim à Phrygiâ Hermopolis Ægyptia: nec istic Præsidem Arianum legimus, sed in Ægypto: pro Nilo igitur qui antonomasticῶs fluuius dicitur: Scamandrum sciolus aliquis substituerit: quod temerè Menæorum compilatores secuti, etiam ad* XIII *Sabino seorsim ab Abibo distichon tale posuerunt.* *item ad* XVI *cum elogio ex iisdem.*

Ῥεῖθρον Σκαμάνδρου τὸν ἐλέγχους ὕδωρ
Εὐανδρίας ἔλεγχος ἦν τοῦ Σαβίνου. E
Flumen Scamandri, correptionis latex,
Animum Sabini comprobauit virilem.

DE S. VRPASIANO MARTYRE
NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

CIRCA AN. CCXCV XIII MAR.



1 ANtequam ad Nicomedienses Martyres, *quos turmatim persecutionis flamma consumpsit, ex antiquissimo S. Hieronymi martyrologio ad hunc diem referendos accedamus; iuuat lectori memoriam reuocare eorum, quæ fusè Eusebius lib. 8 Historiæ Eccles. cap. 4, 5, & 6 narrat, ex eoque Nicephorus lib. 7 cap. 3 & 4, de huius incendij, tum alibi per Orientem, tum maximè Nicomediæ gliscentis, initijs; quibus primùm illustriores pauci ex militiâ & Palatio ad certamen postulati,* non modò dignitatem amittere, sed mortem etiam pro veræ pietatis defensione oppetere voluerunt: at postquàm apertiùs rem, erant aggressi tyranni nullâ oratione aut C dicendi vi explicari potest, quos & quàm insignes Christi Martyres... oculis cernere licuisset. *Ex illis autem paucis ac primis non dubitamus Vrpasianum fuisse: quando passum eum Menæa dicunt haud multùm post ascitum à Diocletiano Imperij & crudelitatis consortem Maximianum Herculium: quod anno Diocletiani* IV, *Æra Alexandrinæ* CCLXXX, *qui vulgaris Æræ est* CCLXXXVIII, *factum scribit in suæ Chronographiæ principio Theophanes: septimo verò pòst anno suscitatam ab vtroque horribilem illam in Christianos persecutionem, quæ plurimas myriadas martyrum exquisitis omnium generum tormentis confecit.*

Vrpasianus, Nicomedia. initio persecutionis,

2 *Huius Vrpasiani agonem pro fide Menæa excusa, ex iisque ἐν βίοις ἁγίων Maximus Cytheræus, hoc ferè verborum Latinè redditorum sensu exponunt:* Susceperat nuper imperij Maximianus insignia, & circa Nicomediam tyrannidem exercebat, vindicem se professus ardentissimum idolorum. Eius quippe furorem contra Christianos, velut ingentem ignem, sufflaminabant illius familiares & combibones. Quare omnes ferè, quotquot sub eius imperio degerent, Senatorios viros atque Ecclesiasticos in concionem aduocatos, hunc in modum detonans, perterrefecit: Si quis vestrûm in eam, quam Christiani profitentur, superstitionem prolapsus, clementissimos deos studiosè venerari recusat, soluat zonam in conspectu omnium, & procul à palatio atque hac nostrâ ciuitate facessat: hæc enim ciuitas deos didicit à maioribus colere, non vnum solum, eumque crucifixum. Tunc omnes in Christum credentes horror peruasit, eratque videre, quinam essent in Christianâ pietate supra vulgus hominum exercitati: alij enim clanculùm se subduxêre periculò, alij verò tormentis succubuerunt. At qui dilectionem erga Christum sinceram fouebant, contemptis supplicijs irrisoque tyranno, humi proiecêre zonam, atque ab ipso recesserunt.

à Maximiano suscitata,

3 Ex his vnus magnanimus, & adamantino mentis robore insignis Vrpasianus, de numero Senatorum; cùm chlamydem simul abiecisset & zonam, elatâ voce Imperatorem affatus est in hunc modum: Quoniam, ô Imperator, hodie me profiteor alteri militiæ auctoratum, seruire sub Imperatoris cælestis, F Domini mei Iesu Christi, auspicijs, accipe tibi & zonam & dignitatem & gloriam; transitoria omnia, & nihil animæ profutura. Talia ex insperato cùm Imperator Maximianus audisset Vrpasianum loquentem, alienatâ mente velut mutus adstitit aliquamdiu, dein frontem perfricans, & toruo vultu intuitus Martyrem, velut immanis fera erupit in vocem tonitrui similem, & Suspendito, inquit, piaculum istud, eiusque carnes conscindite taureis. Id cùm fieret, & diu ac inclementer boum neruis conscinderetur martyr, oculis in cælum intentis, orantis in modum, tam placidè, vt ne gemitum quidem tormenta exprimerent, deponi eum iussit ab equuleo tyrannus, atque ad circumstantes conuersus, In obscurum, inquit, & firmum carcerem conijcite insensatum, atque istic neglectim habitum macerate, vsque dum despiciam, quo mortis genere tollendus mihi de medio sit. Detentus est igitur ad dies aliquot Martyr in carcere, gaudens atque exultans, & Dominum suum Iesum Christum deprecans.

Christianum se zonâ abiectâ professus. taureis cæditur.

4 Interim præparari iussit impius machinam crucíariam, caueam ferream scilicet, in eamque Marty- *suspensus in caueâ vstulatur:*

A rem de carcere eductum conijci altéque suspendi, & facibus per orbem ardentibus cingi, quibus totum corpus vstularetur. Ita suspensus in ferreâ istâ machinâ. Deumque supplicibus adorans precibus, vsque adeò tostus est, vt carnes illius velut cera diffluerent, terræque commistæ euanescerent; ossa autem instar pulueris in areâ comminuti dissipata perirent; dum animus à corpore resolutus, suauissimâ aërem replet fragrantiâ & cœlum ad instar sideris spectabilis ascendit; quemadmodùm ex fidelibus quidam videre meruerunt. Execrabilis autem Deoque inuisus Imperator, in suo persistens furore, ipsam, in quam carnes defluxerant, humum & ossium cineres iussit diligenter aceruari, atque ante oculos suos in pelagus spargi. Gesta sunt autem hæc in ciuitate Nicomediæ, *ad Propontidem sitâ.*

cineres in mare sparguntur.

5 *Machina, in quâ appensus est Sanctus, Græcè* κλωβὸς *dicitur, quod caueam vertimus ex Raderi nostri hoc elogium interpretantis, & Ioannis Meursij Glossas Græco Latinas citantis sententiâ, vnde apud Oppiani Scholiasten in Halieuticis* κλωβίον *diminutiuum pro nassâ: nempe cancellatim decussata filamenta similitudinem caueæ ex cancellis confectæ referunt. Est autem vox noua & barbara: sed medio æuo frequens, ac* κλοῦβος *sæpiùs scripta: quam tamen vt tomo 2* B *Februarij f. 772 in Vitâ S. Auxentij num.* 11 seram *verteremus, iam dicti Meursij auctoritas fecit,* κλοῦβον *sigillum interpretati; notauimus nihilominus etiam pro claustro accipi. Nunc autem à Reinoldo Dehnio nostro, viro linguæ Græcæ peritissimo, admoniti non ambigimus quin postrema illa significatio vnica ac vera sit: ideóque pro eo, quod istic legitur,* Iussit eis *(pueris ad se venientibus)* ædificari paruam cellam, & seram extrinsecus apponi cellæ, in quâ etiam fuit inclusus; *mallemus sic verti,* & caueam vel septum, cui ipse includeretur, fieri extra cellam, *illam scilicet puerorum: vt scilicet vel sic insisteret vestigijs Ioannis Monachi, qui, vt dicitur num. 2,* propè hebdomum stabat in clubo, *vbi manifestum est non seram, sed claustrum* D *seu locum cancellis septum esse intelligendum; vel modum caueæ? imò verissimam caueam.*

κλωβὸς & κλοῦβος cauea.

seu septum cancellorum.

6 *Suggerit idem Dehnius loca, quibus id confirmetur, varia atque in primis Ioannis Climaci, qui gradu 8 pag. 173 editionis Raderianæ dicit se audiuisse* Hesychastas, qui in cellâ ex amarore animi & iracundiâ, non secus ac perdices in caueâ pugnabant, κλουβομαχοῦντες. *Nota sunt, inquit ille in epistolâ quadam, perdicum commissiones ludicræ apud antiquos vel ex Lampridio in Vitâ Alexandri Seueri cuius* summam oblectationem *fuisse scribit* vt catuli cũ porcellis luderent aut perdices inter se pugnarent: *quin & locus Tzetzæ Chil. 5 versu 602, quem pro se allegat Meursius, contra ipsum est: quid est enim, quod Magnus Drungarius Constantinus dicatur auiam Tzetzæ, quam ex secundâ vxore generat, filiæ cuidam suæ, quam ex primâ vxore genitam valdè diligebat,* ἰσοτιμῶν καὶ τοῦ αὐτοῦ κλούβου συνεμβιβάζων *honore æqualem faciens & eumdem simul clubum intrare iubens? quid inquam hoc est si sigillum debeas hic intelligere, & non potius cancellos principibus fœminis seu domi seu foris in templis theatrisque sic proprios, vt nisi honore ac gradu æquales simul intra eos non versarentur?*

vocabulum κλουβομαχεῖν *in caueam certare.*

7 *Neque aliter intelligi potest in Basilicorum eclogâ 7* τὸ περικλουβίζειν, *nisi sicut Latinè diceremus* cancellare, *seu lineis cancellatim inductis delere: nam licet* τὰ περικλουβισθέντα *in titulo, in textu exponantur* τὰ περιχαραχθέντα ἢ περισφραγισθέντα ἢ ἀπαλειφθέντα ἢ μὴ κατὰ πρόνοιαν ἢ γνώμην τοῦ διαθεμένου; *quæ omnia pronuntur ἄκυρα esse: manifestum tamen est ijs verbis Latina hæc Vlpiani verba respondere* l. quæ in testamento. ff. de his quæ in testam. Id verò quod non iussu domini scriptum inductum deletumúe est, pro nihilo est: *vt vox* περισφραγίζειν, *simpliciter significans* obsignare, *metaphoricè etiam accipi dicenda sit pro eo quod est, includere seu innoluere sic vt videri non possit, & loco citato idem sit quod obliterare vel circumscribere; atque ita nihil faueat volenti* κλοῦβον *sigillum vel seram reddere.* E

περικλουβίζειν cancellare.

DE SANCTIS MARTYRIBVS NICOMEDIENSIBVS

MACEDONIO PRESBYTERO, PATRICIA ET MODESTA. ITEM CYRIONE SEV CIONE PRESBYTERO, SATVRNINO, IANVARIO, SALVIO SIVE SILVIO, PETRONIO, MODESTINO, ZOSIMO, EVSTASIO PRESBYTERO, BASILLA, EPPEPODO DIACONO, ET ALIIS DVOBVS.

XIII MAR.

Memoria omnium in Martyrol. S. Hieronymi.

1 Martyrologium *S. Hieronymi hunc diem à Martyribus Nicomediensibus auspicatur his verbis:* III Idus Martij. In Nicomediâ Macedonij Presbyteri, Patriciæ vxoris illius, & Modestæ filiæ. Cyrionis Presbyteri, Saturnini, Ianuarij, Saluij, Petronij, Modestini, Zosimi, Eustasij Presbyteri & Basillæ, Eppepodi Diaconi cum alijs duobus. *Ijdem planè, nullo dempto aut addito, leguntur in quatuor antiquis apographis passim à nobis citatis: variè tamen scribuntur aliqua nomina, vt* Macedonis, Matriciæ & Mitriciæ, Cioni, Petruni, Siluij, Basilissæ, *adiunctâ huic voce* vxoris, & Eppodi. *In MS. Tamlathtensi apud Hibernos reperiuntur ista:* Macedoni & vxoris eius Patriciæ, & filiæ Modestæ, Chioni, Saturnini, Silui, Ianuarij, Petroni, Zosimi, Modestini. *In Vsuardo Martyrologio MS. genuino ista habentur.* In Nicomediâ Macedonij Presbyteri, Patriciæ vxoris eius & filiæ Modestæ. *Quæ eadem leguntur in MS. Vaticano S. Petri & alijs sub nomine Bedæ; item in dupliciCasinensi charactere Longobardico, Altempsiano & Reginæ Sueciæ. Ex hoc notat Holstenius, in Animaduersis ad Martyrologium Romanum,* Macedonio *addendam vocem* Presbyteri. *Adiunxit id Vsuardus, sed* Patriciam & Modestam *non appellauit* vxorem & filiam: *quod fecerunt Rabanus, Ado, Notkerus & alij. In MSS. Treuirensi S. Martini & Vltraiectino S. Saluatoris additur:* Et aliorum triginta duorum. *Ex his infrà dabimus alios viginti,* Nicomediæ *passos, qui cum Sanctis hisce dictum numerum conficiunt. At dictis antè tribus additur ex antè nominatis memoria* Cionis Presbyteri *in MS. Corbeiensi,* Saturnini *in MS. S. Maximini.* Cioni *verò* Presbyteri, Saturi, Ianuarij *in MS. Richenouiensi,* Epipodi Diaconi, *in MS. Labbæano codice,* qui Epodus *alibi &* Epipodia *perperàm scribitur. Fuit* XII *Martij inter Martyres in Asiâ passos* S. Eustasius Presbyter & Basilissa, *vbi hunc locum examinauimus. Petrus de Natalibus lib. 3 Catalogi, cap. 198 confusè nomina horum & Nicænorum Martyrum aliquorum habet, citato Martyrologio Adonis, in cuius nullo codice, siue exarato manu siue excuso, simile quid continetur.*

aliquorum in alijs.

Confusa apud Petrum de Natal.

DE

DE SANCTIS MARTYRIBVS

CARPISTO, GALATA, DOMISIANO PRESBYTERO, HYROMEO, LVCETELLA, ZEDDONO PRESBYTERO, PATRICIA, PATYFRIGIA, BASILISSA, CLAONO, MINERVINO,

AD LACVM GERATI.

XIII MAR. — Memoria Martyrum.

1 *Altera hæc est classis Martyrum antiquo S. Hieronymi Martyrologio inscripta, & his verbis in editione Parisiensi:* Gerati lacus, Carpisti, Galatæ, Domisiani, Hyromei, Lucetellæ, Zeddonis Presbyteri, & Patriciæ vxoris eius, Patyfrigiæ. Item Basilissæ, Claonis, Miueruini. *In tribus alijs apographis eiusdem Martyrologij S. Hieronymi omittitur* Mineruinus, *&* Presbyter *appellatur* Domisianus, *& legitur* Zeddoni *&* Claoni *seu* Claonij. *In MS. nostro etiam* Lucetelli *&* Patræ *loco* Patriciæ, *neque addita voce* vxoris. B *In MS. Blumiano legitur* Lucæ, Tellæ, Patræ. *Hæc de nominibus Martyrum.*

Palæstra martyrij:

2 *An* Castacius *in Tamlachtensi MS. sit dictus* Carpistus, *nolumus diuinare. Palæstra martyrij satis obscura est, cum quis hîc sit* Gerati lacus *& vbi situs, non assequamur. Sed quis omnia & minima loca, quæ olim alijs vocabulis notabantur, poterit assequi? Quid si* Gerasæ lacus *siue* stagnum, *in quod grex porcorum præcipitatus apud Lucam cap. 8 legitur, hîc intelligatur? scilicet ea maris Galilææ pars, quæ alluit regionem Gerasenorum. Apud Lucam Dacherium in Indice dicti Martyrologij* Gerartilacus *vt nomen* Sancti *adfertur. Secutus eum est Florentinus in suis Notationibus ad hoc idem S. Hieronymi Martyrologium, quasi præcedenti turmæ Martyrum Nicomediensium essent hi addendi. Verùm quia turma illa* cum duobus alijs *anonymis concluditur, aliam hanc classem Martyrum opinamur, & palæstram martyrij statuimus* Lacum Gerati, *siue sint* E *in lacum præcipitati, siue supplicio alio interempti in loco ita appellato. Celebrauimus* XIV *Ianuarij S. Stephanum Fundatorem cœnobij, quod ab Anserum-lacu nomen acceperat. Græci appellant* μονὴν Χηνόλακκου. *Simili modo forsan Græcè nomen* Γερατολάκκου *inditum est ob horum athletarum martyrium, & Latinè esset* Lacus honoris aut remunerationis.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

THEVSETA, HORRO FILIO, THEODORA, NYMPHODORA, MARCO, ARABIA. ITEM IVLIO EPISCOPO, ALEXANDRO, PIONE AVT PICIO, MARIA, ET ALIIS DVOBVS. ITEM DIONE, TRABIA, QVARTO, MISETHEO, NYMPHADOBA, ARIABA, POENE, PARTA, VICTVRIA, VICTVRINO,

NICÆÆ, AVT FORSAN ALIQVORVM ALIBI.

C XIII MAR. — An diuidendi in tres turmas?

1 *Tertio loco referuntur hi Martyres in Martyrologio S. Hieronymi, & forsan in tres turmas subdiuidendi: quod quia incertum, eos simul proponimus. Sic ergo in dicto Martyrologio collocantur:* In Nicæâ ciuitate Theusetæ & Horis filij eius, Theodoræ, Nymphodoræ, Marci, Arabæ. Hi omnes igne cremati sunt. *Et hæc prima turma censenda. Dein subditur:* Iulij Episcopi, Alexandri, Pionis, Mariæ cum duobus alijs. *Hæc foret secunda turma, cui ita tertia subnectitur:* Dionis, Trabiæ, Quartæ, Misethei, Nymphadobæ, Ariabæ, Pœnis, Partæ, Victuriæ, Victurini. *Hæc ibi. Prima turba plerisque Fastis Latinis inscripta est; vt Vsuardi, Adonis, Notkeri, Bedæ excusi, Bellini, aliorumque: quibus consentit Martyrologium Romanum his verbis:* Nicææ Sanctorum Martyrum Theusetæ & Horris filij eius, Theodoræ Nymphodoræ, Marci & Arabiæ, qui omnes igni traditi sunt. *Arturus à Monasterio sacro Gynecæo adscribit nomina* SS. Theusetæ, Theodoræ Nymphodoræ & Arabiæ, *sed* Theusetam *viris potiùs adscribendum arbitramur, siue Theusetes aut Theuseta in recto dicatur, imò in MSS. etiam* Theuseti *&* Theusebij *scribitur.* F *Relatis hisce primæ turmæ Martyribus, adduntur apud Rabanum, Notkerum & MS. Richebergense sub nomine Bedæ,* Iulij Episcopi, Alexandri. *At solius* Iulij *ex hisce mentio additur in MSS. Augustano S. Vdalrici, & Parisiensi Labbæi.* Trabiæ *nomen legitur apud Maurolycum. At quod* Alexandro *proximè iungitur nomen* Pionis, *in alijs MSS. legitur* Dioni *aut* Picij. *In tertiâ turmâ habetur etiam* Pioni, Misthei *siue* Nisisthei, Arabæ *aut* Arabiæ; *loco,* Dionis, Misethei, Ariabæ. *MS. Blumianum S. Hieronymi ita exorditur hanc classem:* In Nicæâ ciuitate Theusetæ & Horisfulæ Virginis, Theodoræ *&c. quæ lectio non displicet, si in pluribus MSS. inueniatur. Florentinus mauult* Nymphadobam *diuidi, ac dici* Nympham *ac* Dobam.

DE

DE SS. ALEXANDRO ET DIONYSIO
MARTYRIBVS THESSALONICÆ.

XIII MAR. ORdinem prosequimur Martyrologij S. Hieronymi, in cuius editione Parisiensi, post iam relatos Martyres ista habentur; In Thessalonicâ ciuitate Alexandri, Dionysij. Eadem dicuntur in MSS codicibus S. Hieronymi, sed pro nomine Dionysij legitur in apographo Lucensi Dione, in Blumiano Dionæ cum diphthongo, in nostro Antuerpiensi Dioni, in quo ad diem sequentem ista repetuntur: In Thessalon. Dionysij, Alexandri Palatini. Quæ à tribus alijs absunt: sed ex illo descripta sunt in MS. Richenoniensi. Dedimus x Martij Palatinum Martyrem, & illud cognomen S. Gorgonio adiunctum. Ex vnico loco non possumus indicare, hîc malè inserta ista fuisse.

DE SANCTIS MARTYRIBVS NICOMEDIENSIBVS
EVFRASIA, DOMITIANO, MACEDONIO, PATRICIA, LVCA, DVONIO, ITEM DOMITIANO, SCALLERIA, PACTA, PIONIO, PHRONIMO, CALLIDO, DIONIO, SEVERINO, PETRONIO PVERO, SALVIANO, IVLIANO, FELICE, HILARIO, CONCESSO, MARTIALE.

XIII MAR. COncluditur Martyrologium S. Hieronymi hoc die cum hisce Sanctis Martyribus Nicomediensibus, qui sic ordinantur in editione Parisiensi: In Nicomediâ Eufrasiæ, Domitiani, Macedoni, Patriciæ, Lucij, Duonij. Item Domitiani, Scalleruæ, Pactæ, Pioni, Phronimi, Callidi. Item Dioni, Seuerini, Petroni pueri, Saluiani, Iuliani, Felicis, Hilarij, Concessi, Martialis. Iidem omnes sunt in tribus alijs apographis Martyrologij S. Hieronymi, solùm scribitur Lucæ loco Lucij, & in Antuerpiensi Duomini, Sallæ ruæ, Piomi, & Siluiani loco Duonij, Scalleriæ seu Scalleruæ, Pioni & Saluiani. In MSS. Augustano S. Vdalrici & Parisiensi sunt Eufraxia, quæ hîc Eufrasia, & Martialis. In Aquisgranensi sunt Eufraxia, & Macedonius. Notkerus ista habet. Item Nicomediæ multorum Martyrum. Hi triginta duo statuuntur in MSS. Treuirensi S. Martini & Vltraiectino S. Saluatoris: de quo numero egimus suprà, quando alios Martyres Nicomedienses retulimus. Qui in Tamlachtensi MS. referuntur Saliuus & Cionius, forsan sunt Saluianus & Pionius hîc memorati.

DE S. CHRISTINA
PERSA MARTYRE

XIII MAR. MEminit huius Græcorum Menologium, ex Sirleti interpretatione à Canisio editum, his verbis: Eodem die Christina pro Christi confessione apud Persidem Martyr effecta, migrauit ad Dominum. Hinc in Romanum Martyrologium transcripta est à Baronio: In Perside S. Christinæ Virginis & Martyris. Virginitatis titulum Græcis ignotum ex suâ sumpsit coniecturâ: Martyrij genus ex Menæis certiùs edocemur: in quibus sub hoc titulo, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἡ ἁγία μάρτυς Χριστίνα ἡ ἐκ Περσίδος μαστιζομένη τελειοῦται: Eadem die sancta Martyr Christina, ex Perside orta, flagris cæsa extinguitur: sed locus martyrij hoc loquendi modo incertus nobis redditur. Ceterùm supplicij modus & patria satis eam distinguunt ab alijs eiusdem nominis, similem alibi lauream adeptis.

DE SANCTIS MARTYRIBVS
MAXIMO, MARTIALI, SILVANO, BASILEO. ITEM CONSTANTINO ET FORTVNATO, SATVRNINO, ABVNDANTIO, GRATIOSO, IGNATIO ET HEREMITA, LAVRENTIA VIRG. ASELO, HIPPOLLYTO, SPECIOSA VIRG. AVRELIO, FORTVNIONE, IVSTO, EVSTACHIO, FELICITATE, SEPTIMIO, MARIANO, BEBIONE, ROMANA VIRGINE
COLLECTIS IN GALLIA IN ARCHICOENOBIO S. ANTONII.

XIII MAR. Anno 1662

1. ANni MDCLXII mensis Iunius agebatur, cùm ab Italiâ, conquirendis Sanctorum Actis perlustratâ reuertentes, iter habebamus per Galliam, in cuius primo aditu nihil fuit, quod magnoperè morari posset transeuntes per ea ferè loca, in quibus sacrilegus Hugenottarum furor vix quidquam sacræ antiquitatis reliquum fecerat in MSS codicibus: vt satis habuerimus quædam celebriora veteri religione monasteria adeundo cognoscere. Et quidem post digressus illum nobis, lustra-

A lustratam Carthusiæ solitudinem dignius aliquid non occurrebat quo vellemus divertere, quam celeberrimum Ordinis Antoniani in diœcesi Viennensi Archicœnobium, vbi magni illius monachorum Patriarchæ corpus tanto tempore fuerat in veneratione, & cuius in eas partes Translationem ad XVII Ianuarij diem, ipsamque institutionem Ordinis ab eo nominati commilitoni nostro in opere propositam, & insigni studio fuisse eruderatam.

2 Accidit autem pijs illis asceteis conspectus noster hoc quoque nomine iucundissimus; quod meminissent, veritatem possessionis à se venerandi Corporis contra Arelatenses, eiusdem possessionem sibi arrogantes, nullà magis re Romæ defensam fuisse, quam exhibitione Ianuarij nostri, quem Summus Pontifex inspici consulique iusserat. Ergo inter alia religiosæ hospitalitatis officia, præcipuâ beneuolentiâ ostensa nobis sunt Lipsanothecæ omnes; in quibus noui operis insignes tres ex affabre sculpto, argenteisque & aureis bracteis illuso ligno, maior vna ad corporis humani longitudinem, aliæ minores duæ, ad maioris minorumque altarium insigne ornamentum. Ad quatuordecim circiter Sanctorum corpora integra, totidemque aliorum insignes Reliquiæ dicebantur in illis contineri, partim Romà partim ex Sardiniâ acceptæ.

3 Quæ de ijs erant documenta authentica, singulorum reddatura rationem, per quos, vnde & quando accepta fuissent, non vacauit properantibus excutere curiosius: maximè B cum eum laborem suscipere se velle ipsi Religiosi profiterentur, accuratumque de omnibus commentarium transmittere, qui huic operi posset interseri: sed siue locorum distantiâ fecit, vt vel nostræ ad eos scriptæ litteræ, quibus promissa impleri petebamus, vel ipsorũ ad nostras responsoriæ perlatæ non sint, siue aliud aliquod impedimentum intercessit, hactenus nihil consecuti sumus, quod lectori proponeremus: itaque ad hunc diem, quo S. Maximus Martyr duplicis festi ritu istic colitur, simul omnes retulimus, acceptos ex Officiorum propriorum tabellâ ipso in loco donatâ nobis, & exhibente dies festos vnicuique eorum appropriatos: quorum quidam ex Romano videntur Martyrologio desumpti, prout aliqui istius nominis Sancti Romæ passi reperiuntur: alij ad arbitrium delecti. Rarum enim omnino est, vt ijs, quæ Romanis è cryptis nunc educuntur, corporibus, tempus diesue Martyrij adiuncta reperiantur: idemque ferè obtinet in Sardis, quos maluissemus à Romanis distingui ob rationes in Prolegomenis ad Februarium cap. 5 inueniendas.

4 Primus igitur nobis est Maximus, hoc die, quo nemo Romæ memoratur affectus Martyrio, nedum qui sic fuerit nominatus: quo tamen non obstante, si subsistant cetera, Martyribus Romanis eum adnumerare non verebimur: certi eorum qui nunc eruuntur perperàm in Martyrologio nomina requiri. In Sardinia duos lapides inuentos profert Dionysius C Bonfant Maximi inscriptos nomine: quorum primus fol. 126 nec Martyrij vllas notas præfert, nec cuius fuerit corporis sciri poterat: alius fol. 227 Martyris quidem esse videtur leonibus obiecti, sed v Kalendas (incertum cuius mensis) passi. Martiali assignatur Martij dies decimusquintus, vigesimus verò & octauus Syluano, vtriusque eadem quæ prioris est ratio, quantùm quidem ad Romanum Martyrologium attinet: in inscriptionibus autem Sardois apud Bonfantum nec nominantur quidem harum appellationum aliqui. Basilium Romanum Martyrum vnum dedimus secundo Martij, quando suum colunt Antoniani: vt tamen dicamus eumdem esse, nullum habemus fundamentum: est autem & hoc nomen inter Sardoa ignotum.

5 Reliqui in titulo suprà expressi hoc ordine describuntur, colendi æquè ac prænominati sub ritu Officij duplicis. Constantinus & Fortunatus die XII Februarij, Saturninus XIII, Abundantius XVI, Gratiosus XX, Ignatius & Heremita XXVI mensis prædicti. Mense porrò Aprili notantur Romanus ad diem IV, Prosper ad VI, Victor ad XVIII. In Iunio celebratur Primus die XXI; In Iulio Laurentia Virgo & Martyr die VIII. Septembris dies VI Aselo, XXV Hippolyto addictus est. Octobri adscribuntur Fortunio, Aurelius & Speciosa Virgo: hæc ad XXIV, iste ad XXVI, primus ad XXX mensis ipsius diem. Nouembris autem dies D XIII Iusto, XV Eustachio XXIII Felicitati, XXVIII Septimio, annui Officij honore venerandis destinati sunt. Kalendas autem Decembres Marianus occupat, eiusdem Nonas vno die præuenit Belio, Romana denique tertio post eiusdem mensis Idus die celebratur.

6 Ex his omnibus Eusebius, vt dixi, Felicitas & Marianus eodem die festum suum obtinuêre, quo aliqui eiusdem nominis in Romani martyrologij tabulis reperiuntur: vt propterea suspicari liceat horum corpora Romà fuisse accepta: ceterorum verò inde allatorum talia fuisse nomina, vt nullus eiusdem appellationis Sanctus Romæ passus inueniretur: ideoque electum diem, qui videbatur idoneus magis, & ordinario Officij ecclesiastici cursui seruando minus importunus. Et hinc porrò consequens fores Fortunatum, Saturninum, Abundantium, Maximum, Romanum, Victorem, Primum, Hippolytum, Iustum, & Eustachium, nomine, Romanis Fastis inter Romæ passos haud ignota, alio rum quam Romà aduectorum esse; in ceteris ne locum quidem esse diuinandi. Nam inter Sardos, quorum nomina lapidibus incisa fuêre, inuentaque erant, cum scriberet Bonfantius, nullus est quin aut aliud nomen referat, aut alium mortis suæ diem adscriptum habeat; tantum abest vt inter eos aliquis sit, qui sub eodem nomine ac die certam referat martyrij notam. E

7 Ceterùm vti quotannis noui & noui eruuntur Martyres, ex eorum numero propemodum infinito, qui Romanum solum suo sanguine rigauerunt, anonymi partim, partim certâ nominis notâ insigniti; ita & in Sardiniâ factum arbitramur, vt crescente ex successu quærendi cupiditate plurimi eruti sint, & per varias Europæ Ecclesias dispersi, postquàm Isquerdus Bonfantiusque scripsêre: vt mirum non sit eorum illos non meminisse. Hæc eatenus insinuasse sufficiat, vt viri illi religiosissimi, cùm hæc legerint, aliquam in eo ponere diligentiam velint, vt quos ipsi tam solemni persequuntur Officio, nobis quoque plus quàm ex nomine noti fiant, per nos in reliqui orbis Christiani notitiam proferendi, cum suis quique documentis.

8 Certam etiam aliquam cuperemus ab ijsdem haberè notitiam veteris illius capsæ, quam aurei stamini panno obductam continere aiebant corpora Tergeminorum Martyrum, Speusippi videlicet, Eleusippi, & Melasippi; & si adsint, monumenta proferri, quibus doceri possit illa aut partem eorum reuera penès illos esse. Egimus quippe de hisce Sanctis ad XVII Ianuarij diem, ibique § 2 docuimus ex auctore Vitæ S. Annonis 4 Decemb. apud Surium, lectionibusque in eorumdem festo recitari solitis Elwangæ in Sueuiâ, illuc translata esse sacra hæc pignora à B. Hariolpho Duce, Elwangensis monasterij fundatore. Quod licet de totis corporibus non sit necessariò intelligendum, nõ abs re tamen facturi videntur Antoniani, si arcâ quæ apud illos est inspectâ, repositaintus ossa F recognoscant, quaque & quot corporum esse ea videantur diiudicare ipsi, nobis indicare curent; vt neque falsi aut temerarij cultus ipsi alicui suspecti fiant, neque per contentionem plurium de eisdem Reliquijs inter se certantium debitus Sanctis alterutro in loco cultus imminuatur; cum pluribus vijs possit earum veritas conciliari, si constet quæ & quales vtroque in loco sint.

9 Miraremur in tabellâ Officiorum excusâ & nobis traditâ nullam horum Martyrum fieri mentionem: sed nec in eâ habetur solennissimum S. Antonij festum; cuius corpus quin reuerà possideant, eleganti ex ebeno argentoque inclusum tumbæ, quia nihil dubitamus; ideo conuincimur credere, prædictam tabellam eorum dumtaxat Sanctorum esse, quorum vno eodemque die facta fuerat solennis translatio in tres supradictas capsas ante annos paucos, ideoque in libris ac breuiarijs monasterij necdum inscripta notitia; quæ proinde debuerit seorsim impressa dari canonicum Officium istic cantaturis ac recitaturis: quod non habebat locum in ijs, quorum festiuitatem iam olim in eodem cœnobio, vt propriam, celebrabant.

[Marginalia, left:] Luminibus ornata magna. — exhibita nobis Sanctorum reliquia — sine documentis præmissis: — quibus nondum allatis: — simul omnes hic damus cum Maximo hoc die colendis, — tum qui in Martio alij sunt, — tum qui per reliquos menses recoluntur,

[Marginalia, right:] partim Romæ, — partim ex Sardinia acceptis — ibidem SS. Tergeminorum reliquiæ dicuntur esse, — de quibus plenius optaremus informari: — horum antiquior veneratio.

DE

DE S. EDICTIO MARTYRE CALARI IN SARDINIA.

XIII MAR.

Sub templo S. Ephysij,

I N eâ Calaritanæ urbis regione, quæ vulgò Estampache dicitur, mediocre templum visitur præclaro Martyri Ephysio sacrum, prout ad eius Acta diximus XV Ianuarij: sub eo crypta est incolis venerabilis, quam credunt prædicti Martyris fuisse carcerem. Cùm igitur huius sæculi initio ferueret in Sardiniâ sanctarum Reliquiarum requirendarum studium, multaque in varijs vrbis iam nominatæ locis inuenirentur; Sodales S. Ephysij considerantes antiquam huius loci religionem, iudicauerunt fieri vix posse, quin ibidem quoque inuenirentur aliquæ, si quærentium accederet diligentia. Quare præmissâ ad Deum oratione, manum admouentes operi, primò marmoream reperere columnam mediæ magnitudinis, vndique sanguine cruentatam: de quâ proinde nihil dubitantes, quin ad eam sancti Martyres flagellari pretiosam eidem purpuram contulissent, decreuerunt inter sacra lipsana asseruandam; & animis ipso successu crescentibus, accinxerunt se ad demoliendum altare, quod istic vetustissimum erat, & antiquâ cultum pietate frequenti per totum annum Sacrificio deseruiebat; sed potissimùm eo die, quo S. Ephysius palmam martyrij obtinuit: est enim è regione illius fornicis siue cubicelli, in quo Sanctus Martyr asseruabatur compeditus.

& sacro eidem altari, B

2 Destructo reuerenter altari, inuentum sub eo sepulcrum est; continens humani corporis ossa omnia, cum tabellâ ex candido marmore, palmum vnum latâ altâque dimidium, & claris insculptâ litteris in hunc modum:

inuenitur corpus S. Edictij:

✠ S. EDICTIVS M.
QVI VIXIT
ANNIS XXIX.

Ea inuentio vulgata magnam attulit voluptatem vniuersæ ciuitati, imprimis autem suburbij Estampachensis incolis & pijs S. Ephysij Sodalibus: quorum curâ venerandæ Reliquiæ in arculam affabrè factam, & holoserico panno aureis intercurrentibus limbis vestitam, decenter transpositæ sunt, & dies Translationi solenni indictus quarta Dominica ieiunij quadragesimalis, in XIII Martij incidens, quando in ipso S. Ephysij templo stetit erecta triumphalis machina, sumptuoséque adornata intra sacellum maius, excepit super se reliquiariam thecam, ad quam multis vndique facibus collucentibus cantata musicis modulis Missa est, & panegyricam de Sancti huius laudibus orationem habuit P. Michaël de Palatijs, è Societate Iesu Sacerdos.

& 13 Martij facta translatio,

3 Hæc acta sunt ante meridiem: post eam Vespertinâ psalmodiâ absolutâ (quam lætiorem facerat musicorum instrumentorum cum humanis vocibus concordans symphonia) iterum ad frequentem concionem verba fecit de eâdem materiâ auctor huius operis Capucinus: cuius dictionem secuta est pompa processionalis, ad quam vniuersus sacer Ordo confluxerat: Canonici scilicet ac Beneficiati & ministri reliqui Ecclesiæ Cathedralis ac ceterarum parochiarum, tum Religiosi omnes & piæ ciuium sodalitates cum suis quæq; labaris, & omnis sexus ac conditionis multitudine plurimâ; quę pompa tormentorum æneorum explosione multiplici interstrepente, ab ecclesiâ S. Ephysij progressa, circumductaque per suburbium, eodem vnde exierat regressa est: & sacram arcam cum sancto Corpore extulit in armarium, ad hoc paratum ornatumque supra tabulam aræ principis, vbi religiosè exinde asseruatur & colitur.

E *super altare maius deponitur,*

4 *Hactenus Squirrus lib. 3 Sanctuarij Calaritani cap. 18: addens dubium nemini esse debere, quin Sanctus iste origine Calaritanus fuerit atque ex S. Ephysij socijs vnus, qui sub Diocletiani tyrannide tormentis enectus in ipso carcere, ibidem fuerit à commilitonibus tumulatus: quæ an ex hactenus dictis possint erui, lector iudicabit. Fide dignium est, quod Dionysius Bonfant in Triumpho Sanctorum regni Sardiniæ lib. 12 cap. 33 scribit, hanc S. Editij (sic enim ipse nomen scribit) inuentionem contigisse, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo decimo sexto.*

anno 1616.

DE S. EVPRAXIA SIVE EVPHRASIA VIRGINE IN THEBAIDE

Commentarius præuius.

POST AN. CCCCX XIII MAR.



1 *Theodosij Senioris Imperium non solùm viri sanctitate eximij, sed & fœminæ illustrarunt: in his S. Domnica seu Dominica virgo, ex Palæstinâ cum socijs aliquot Constantinopolim aduecta, vbi S. Zachariæ Prophetæ, adnitente Nectario Patriarchâ, oratorium monasteriumque exstruxit: cuius Acta ad VIII Ianuarij diem adhuc latentia, nunc demum nacti, seruamus in supplementum: hîc tamen volumus indicare, vt sciretur dominatrix ciuitas eodem tempore eximiæ sanctitatis Virgines aliunde accepisse, quæ emittebat in Ægyptum matronalis pudicitiæ exemplar Eupraxiam, cum trimulâ vel quadrimulâ filiolâ matri cognomine: cuius matris putamus memoriam in Græcorum Menæis solâ nominis expressione signari ad XI Ianuarij: vitam autem, tum illius tum Antigoni mariti, sub compendio habent Filiæ Acta: vnde in Bodecensi MS. hic titulus legitur,* Vita & conuersatio Antigoni Senatoris & vxoris eius Euphraxiæ, nec nõ *&* filiæ eorumdem Euphraxiæ, cuius transitus colitur III Idus Februarij. *Imo Bibliotheca Vaticana Codex Græcus signatus 866 sola habet parentum nomina pro titulo,* βίος Ἀντιγόνου καὶ τῆς συμβίου αὐτοῦ Εὐπραξίας. *Quos tamen non audemus adscribere Sanctis, etsi vitæ sanctissimæ coniuges, quia sufficienti cultus Ecclesiastici destituimur argumento.*

S. Eupraxiæ parentes,

an Sanctis adscripti.

2 *Ad filiæ cultum quod attinet, in prætermissis ad XI Februarij indicauimus à Canisio alijsque nonnullis eius & nomen & diem confundi cum* Euphrosynâ, *alijs* Euphrosinâ & Euphrasiâ *Alexandrinâ Virgine, cuius tunc Acta dedimus: illius autem & nomen & elogium Synaxaria seu Menæa MSS. quæ vidimus, scilicet Ambrosiana varia, Claromontanum, Chiffletianum, Taurinensia duo, & vnum monasterij Cryptæ Ferratæ ad XXIV vel XXV Iulij exhibent: quod etiam elogium ex interpretatione Cardinalis Sirleti habetur in Menologio per Henricum Canisium inter antiquas lectiones edito, quale sequitur:* Eodem die S. Eupraxiæ, filiæ Antigoni cuiusdam senatorij ordinis, & Eupraxiæ, sub Theodosio Imp. cuius erat consanguinea: mortuo autem Antigono, mater Eupraxia Theodosio

cultus apud Græcos 25 Iulij:

A sio Imp. cuius erat consanguinea: mortuo autem Antigono, mater Eupraxia Theodosio illam commendauit, qui senatorio cuidam viro desponditt. Illa verò discedens cum matre, in Thebaidem Ægypti profecta, ad monasterium ingressa in quo erant virgines centum & quatuor parem Angelis vitam ducentes, æmulata earum virtutem, à monasterio ipso discedere passa non est: erat autem tunc virgo sexdecim annos nata. Mater verò illinc discedens, Orientis monasteria obeundo, possessiones multas & beneficia indigentibus contulit. Post hæc cùm in morbum incidisset, reuersa est ad mansionem, in quâ filiam reliquerat: cumque omnes facultates suas filiæ commisisset, requieuit in Domino. Eupraxia verò cùm bona omnia pauperibus & ecclesijs Dei distribuisset, monasticæ vitæ exercitationem egregiè amplexa, tantum in virtute profecit, & necessitates corporis subiugauit, vt per quadraginta quinque dies immobilis steterit, intentis ad cælum manibus. Itaque propter excellentem virtutem beata Eupraxia miraculorum gratiam accepit, quâ multos à varijs languoribus liberauit, & ipsa beatum finem assecuta, ad Dominum translata est.

Elogium ex MSS Menæis.

Huic elogio in MS. Chiffletiano hoc distichon præmittitur:

B

Εὐπραξία πρόσεισι Χριστῷ πλουσία,
Πολλαῖς κομῶσα ψυχικαῖς ἐργασίαις.
Accessit ad Christum Eupraxia opulenta,
Multis ornata spiritualibus operibus.

apud Latinos 13 Martij.

3 *Martyrologium Romanum hodiernum sequitur Vsuardum: in cuius quamplurimis MSS. exemplaribus* III *Idus Martij in* Thebaide depositio S. Euphrasiæ *vel* Euphraxiæ *reperitur: quam diei & fortè etiam nominis mutationem ortam suspicamur ex eo, quòd antiquiora Martyrologia, quale est S. Hieronymi vetustissimum, aliaq; superiùs relata, vltimam classem martyrum* Nicomediæ *passorum hoc die ab huius nominis Sanctâ ordiantur. Hoc contenti monuisse, Byzantinæ nostræ Eupraxiæ in Latinis Ecclesijs cultum retinemus hoc die, ex omnium penè post Vsuardum Martyrologiorum auctoritate, inter quæ Treuirense S. Maximini MS. sic concluditur:* Eodem die natale S. Euphrasiæ Virginis, cuius vita habetur plena virtutibus.

Acta ex MSS Latinis & Græco.

4 *Vidit hanc Rosweidus noster, & Vitas Patrum iteratò editurus cum MS eiusdem S. Maximini contulit quam eamdem nos damus cum alio duplici MS. Audomarensi, altero monasterij S. Bertini, Ecclesiæ Cathedralis altero collatam: quorum MSS. lectionem in multis sequi maluimus, quòd pressiùs conuenirent cum textu Græco, quem ex Bibliothecâ Vaticanâ accepimus. Nouam ex hoc elegantioremq; versionem potuissemus adornare: sed dandum antiquitati putauimus, vt in tot antiquis MSS repertam retineremus: in*

C *quâ quoties Audomarensia MSS ijs præferimus, quæ habuit Heribertus, rationem claram in notis addimus ex Græcarum vocum proprietate desumptam: ex quâ etiam* Eupraxiam *scribere quàm* Euphraxiam *maluimus;* Euphrasiam *tamen voluimus in titulo addere: quia ita legisse videntur in Græco Latinarum versionum auctores. Omnia interim Græca quæ vidimus* Eupraxiam *habent, à benefaciendo sumptum nomen, sicut à benedicendo* Euphrasia. *Eupraxiam etiam S. Ioannes Damascenus legit, qui in oratione* III *pro imaginibus; non compendio, vt visum Rosweido, sed verbotenus ex hâc Vitâ duos textus transcripsit, vnum ex medio numeri* 8, *alterum ex principio numeri* 9, *hoc ipso indicans, quanta eiusdem vitæ auctoritas suo tempore esset. Eamdem Agapius monachus ex veteri Græco in hodiernam dialectum transtulit inseruitque Elogio Vitarum pulchriorum, edito Venetijs an.* 1644. *Eamdem in Vitis Patrum priorum omnium editionum Surius inuenerat, itemque in MS insigni codice: sed maluit politiori stylo leniter immutatam dare: quòd ij, qui tertiæ illius editioni præfuerunt videntes non vsquequaque probari à doctis, veterem ex Rosweido textum restituerunt.*

S. Ioanni Damasceno cognita,

& mutato stylo ab alijs edita,

5 *Mortem S. Eupraxiæ post annum* CCCCX *Æræ Christianæ credimus accidisse; quippe regnante Theodosio nata, adeoque post annum* CCCLXXIX *ante illius mortem atque adeò ante annum* CCCXCV, *annos attigerat pubertatis, sic vt potuerit, suis possessionibus legitimè sese abdicare duodenni maior: ad trigesimum autem annum viuendo peruenit. Ab hac itemque ab Euphrasiâ Nicomediensi Virgine ac Martyre, quæ* XIX *Ianuarij colitur, aliâque eiusdem vrbis cognomine Martyre, de quâ hac die egimus, (si tamen est à præcedenti diuersa) distinguendam omnino putamus eam, cuius Reliquias in suâ Bononiâ illustratâ Masinus ait ad hunc diem coli ad S. Nicolaum à S. Felice cognominatum; quas crediderim Româ aduectas: & simili aliquâ ex causâ Meldensem in Gallijs Ecclesiam S. Euphrasiæ commemorationem, ad Vesperas & Laudes, hoc die inseruisse Breuiario suo anni* 1640. *Suspicari etiam quis posset Euphrasiam, primam Bituricensi in Vrbe Abbatissam monasterij S. Laurentij, à Carolo Magno fundati & à Ludouico eius filio dotati: quam Sanctam compellat Patriarchij Bituricensis ante annos* 120 *compilator, à Philippo Labbæo editus, & eiusdem Caroli Magni filiam naturalem fuisse tradunt; ideoque à Saussayo in Appendice ad Martyrologij Gallicani inter Sanctos nulli certæ diei addictos refertur cum titulo Beatæ: hanc, inquam, Bituricensem Euphrasiam suspicari posset aliquis istum cultum Meldis meruisse, translatis aliquâ occasione Reliquijs; quæ cuius & vnde sint, obliteratis temporum iniuriâ monumentis nunc ignorentur: nihil enim de ea in Lectionibus. Oratio autem & Antiphona cum Versiculis desumuntur ex Officio Communi Virginum, iuxta ritum Romani Breuiarij. Ægidius Gelenius in Fastis Coloniensibus ad hunc diem collocat S. Euphrasiam, cuius caput, vti & aliud S. Seraphiæ Coloniæ apud Capucinissas religiosè asseruetur: de quibus rectè hoc subiungit:* sed earum notitia est penès eum, cui nihil incognitum.

D *Alia Euphrasia hoc die culta Bononia.*

Meldis,


E *Coloniæ.*

VITA

Ex antiquis MSS. cum Græco textu Biblioth. Vaticanæ collata

CAPVT I

Parentes S. Eupraxiæ nobiles ac sancti. Illius desponsatio: cum matre viduâ recessus in Ægyptum.



1 IN diebus Theodosij, Imperatoris pijssimi, fuit vir quidam in regiâ ciuitate Senator, nomine Antigonus, eratque Imperatori genere & societate coniunctus, sermone sapiens simul & opere: & bona semper *a* Principi suadens, vt piè Romanæ Reipublicæ negotia gubernaret. Erat autem & compassibilis homo, egentibus cunctis necessaria præbens. Diligebatque eum Imperator non solùm tamquàm parentem ac senatorem, sed etiam tamquàm Christianum & pium, & semper consilia ei vtilia proferentem. Erat autem & locuples vehementer, ita vt ciuitas regia alium *b* diuitijs, sermone & opere similem non haberet. Hic accepit vxorem *c* nobilissimam ex genere proprio, ex eodem Imperiali sanguine descendentem *d*, cui nomen Eupraxia, mulier religiosa & timens Dominum nimis, & ecclesiæ *e* vacans, & offerens Deo preces cum lacrymis. Hæc multos in opere Dei *f* fecit idoneos, multasque oblationes in ecclesijs & sanctuarijs offerebat. Vehementer eam diligebat *g* Imperator & Augusta; præcipuè quòd ex eorum genere erat, necnon & moribus composita, & honesta, & valdè religiosa. Nata est autem eis filia, & vocauerunt *h* eam nomine matris suæ Eupraxiam.

F *S. Euphrasia nata Antigono Theodosij Imp. consanguineo,*

& matre Eupraxiâ.

a b c d e f g h

A 2 Cúmque habuissent hanc filiam, vnâ dierum dixit Antigonus Eupraxiæ: Nosti soror mea Eupraxia, quia nihil est ista vita, nihil diuitię *i*, nihil vanitas huius seculi temporalis. In octoginta namque annis hominis tempus impletur cum ruinâ: diuitiæ autem in cælo repositæ, in infinita seculorum secula timentibus Deum manent: & priuamus nos illis diuitijs, mundanis cogitationibus obligati; & in fallaciâ positi temporalium diuitiarum, dies nostros frustrà consumimus, nihil animabus nostris vtiliter acquirentes. Audiens autem hæc Eupraxia, dixit Antigono viro suo: Et quid iubes, domine mi, vt faciamus? Cui dixit Antigonus: Vnam filiam per Deum acquisiuimus, quæ sufficiat nobis, & nequaquàm vltrà conueniamus in infelicitate ac miseriâ seculari. Audiens hæc Eupraxia, consurgens extendit manus ad cælum, & ingemiscens dixit viro suo Antigono: Benedictus Deus, qui dignum te fecit timore suo, & ad cognitionem veritatis adduxit. Verè, domine, sæpiùs supplicaui Deo, vt cor tuum illuminaret, & mentem tuam pro hac causâ faceret elucescere; sed hoc tibi pandere non præsumpsi: quia verò ipse fecisti principium, iube me vt loquar. *k* Cui dixit Antigonus: Dic soror mea quod vis. Respondit: Nosti, domine meus, quia ante multas generationes Apostolus testatur, & dixit: Tempus breue est: reliquum est, vt qui, habent vxores, tamquam non habentes sint; *l* & qui gaudens in diuitijs tāquam non gaudentes; & ementes tamquam non possidentes: decidit enim schema huius mundi. Ad quam enim vtilitatem erunt hæ pecuniæ & tanta abundantia possessionum? Nihil horum cum quolibet poterit descendere in infernum. Cum bono ergo consilio tuo festina multa dare pauperibus, vt non illud consilium quod tractasti, inueniatur infructuosum. Audiens autem Antigonus, glorificauit Deum.

Ex MSS. — *i contemptoribus vanitatis & voluptatum* — *& in continentia dein viuentibus:* — B — 1.Cor.29

3 Cùm igitur adeptus esset *m* optimam conuersationem, & multa pauperibus erogasset Antigonus, vnum solummodò annum viuens, postquàm suæ renuntiauit vxori, vitam suam piè disponens, completo anno defunctus est *n*. Tunc Imperator pariter & Augusta *n* fleuerunt eum, tamquàm ex eorum genere descendentem, virum iustum & religiosum. Compatiebantur enim & Eupraxiæ, non solùm tamquam propriæ consanguineæ, sed etiam quia erat ætate iuuencula. Duobus namque annis & tribus mensibus vixit cum viro suo: nam vno anno ex constituto ab alterutro abstinentes, sicut fratres vixerunt. Igitur sepulto Antigono, Imperator & Augusta multùm consolabantur Eupraxiam. Illa verò sumens propriam suam filiam, dedit eam in manus Imperatoris & Augustæ: & prostrata ad pedes eorum, cum clamore & magno gemitu dixit: In manus Dei & vestras hanc orphanam nunc commendo. Memoriam ergo habentes Antigoni, qui fuit vester, suscipite eam atque tuemini: & estote ei in loco patris & matris. Multi autem flumina lacrymarum & voces emiserunt hæc audientes, ita vt etiam Principes lugerent.

m mortuo patre multis antè eleemosynis expensis. — C — *Amarè,*

4 Post paucum verò tempus *o* quiescente aliquantulùm luctu post mortem Antigoni, suasit Imperator ei, vt filiam suam Eupraxiam cuidam Senatori ditissimo *p* desponsaret. Et factum est, vt arrhas Eupraxia acciperet, & susceptis arrhis, puellæ ætas expectabatur. Erat enim nimis infantula, quando suscepit arrhas, quasi annorum quinque. Post aliquantulum verò tempus cogitauit *q* quidam Senatorum, vt vxorem Antigoni sibi crederet copulare: & per preces *r* matronarum mulierum persuasit Augustæ, vt sine notitiâ Principis mitteret, & Eupraxiæ coniugij huiusmodi verba pronuntiaret. Quæ cùm audisset, amarè fleuit, & dixit mulieribus quæ fuerant destinatæ: Væ vobis in futuro seculo, quæ mihi talia suadetis: *s* & ad talia concurritis contra mulierem, quæ secundùm Deum viuere festinat. Recedite à me *t*, quia extranea opera conuersationis vestræ nunc agitis. Illæ verò deformatæ *u* discedentes, nuntiauerunt Augustæ quæ gesta sunt. Cognoscens autem Imperator quod factum fuerat, grauiter inuectus est in Augustam: & indignatus aduersùs Augustam, dixit: Verè Augusta, extraneam rem à tuâ *x* conuersatione fecisti. Hæc sunt opera Christianæ Augustæ? Sic *y* promisisti Deo piè regnare? Sic recordaris Antigoni, qui nobis semper vtilis permansit? Alienam rem nostro imperio egisti, quòd mulierem in puellari ætate constitutam, quę pęnè solùmodò vno anno cum viro vixit, & mox ex constituto propter cæleste regnum se vtrique separauerunt à communi thoro, tu rursum ad mundi desideria redire compellis? Non *a* timuisti Deum, hanc iniquitatem volens facere. Quis audiens meum non deridebit Imperium? Quis satisfaciet hominibus; quia non per meas insidias factum est hoc? Indecentem & incongruam fecisti rem, quod nec oportuit vt in meo audiretur Imperio, propter sincerissimum meum amicum Antigonum.

o infantula per arrhas desponderur. — *dein à matre secundas nuptias respuente:* — D

5 Audiens hæc Augusta, nimiâ confusione, sicut lapis ferè per duas horas sine voce permansit. Et facta est magna tristitia inter Imperatorem & Augustam propter Eupraxiam Antigoni coniugem. Tunc Eupraxia agnoscens, quia magna tristitia propter eam inter Imperatorem & Augustam fuisset effecta, vultu omnino demisso, tristis facta est vsque ad mortem, & de ciuitate volebat discedere. Tunc flens acriter, dixit Eupraxiæ filiæ suæ: Filia mea, habemus in Ægypto copiosam magnamque substantiam: veni, eamus illuc, & visitemus patris tui possessiones & meas; & mea omnia, tua sunt, filia mea. Tunc assumens filiam suam Eupraxiam de regiâ ciuitate discessit, Principe nesciente, & venit in Ægyptum: & illic commorabatur sua prædia crebrò visitans. Et profecta est in interiorem Thebaidem cum procuratoribus suis atque ministris *b* habens curam suarum rerum. Quæ etiam illic vacans ecclesijs & sanctuarijs, & multas oblationes illic offerens per monasteria virorum ac mulierum, multas pecunias erogabat.

E — *abducitur in Ægyptum.* — *b quæ ibi erogat magnas eleemosynas.*

a *Rosvveydus*: præcipuè suadens, & piè Romanis legibus Lyciæ negotia gubernans: *in Græco textu (cum quo MSS. Treuirense, Audomarense & Bertinianum concordant) nihil de Lyciâ.*

b *Græcè* ἐν ἰυπορίᾳ *MSS. Audom. & Bertin.* similem alium in bonis operibus ditissimum.

c *Græcè* ἰδίαν αὐτῦ ἀνεψίαν, propriam suam cognatam vel neptem.

d *Addunt Græca* καὶ αὐτὴ ὑπῆρχεν πλουσία σφόδρα & hæc diues valdè.

F

e *Græcè* ἐν ταῖς ἐκκλησίαις καὶ ἐν τοῖς μαρτυρίοις in ecclesijs & confessionibus: *ita totâ passim Italiâ vocantur sanctuaria, in quibus Sanctorum quorumcumque corpora honorificè recondita sunt; quamuis à solis Martyribus ducatur Græci atque Italici nominis ratio: Interpretes nostri inferius simpliciter* sanctuaria *vertunt;, quæ hic suspicatus est Rosvveydus* σεμνεῖα, *id est,* monasteria *intelligi debere: scilicet carebat Græco, quem consuleret, textu.*

Confessionum.

f *In Græco est* πολλοὺς δὲ πτωχοὺς πλουσίους ἐποίησεν διὰ τῆς μεταδόσεως αὐτῆς: multos verò pauperes locupletes fecit largitate suâ: *rectiùs itaque in MSS. Bertiniano & Audomar. legebatur* inopes *quam* in opere Dei.

g *Conuenit cum Græco: citata 2 MSS.* valde etiam diligens Imperatorem pariterque Augustam: *quæ in Græco est* Δέσποινα Domina.

h *Græcè* ἐπωνόμασεν δὲ αὐτὴν Ἀντίγονος: vocauit autem eam Antigonus.

i *Græcè* οὐδὲν ὁ πλοῦτος τοῦ προσκαίρου καὶ ματαίου αἰῶνος τούτου, nihil diuitiæ vani huius & transitorij seculi.

k *Continuat in Græco suam orationem Eupraxia absque ullâ interruptione.*

l *Deest Rosvveydo & MS. Treuirensi reliquum huius loci, & sic finitur*: deficit enim cupiditas huius mundi: *sed ad originalem textum aptiùs vulgata,* præterit enim figura huius mundi.

m *Græcè* κατορθώσαντες τοίνυν ταύτην τὴν ἐνάρετον πολιτείαν, Cùm igitur hanc conuersationem ex virtute rectè ordinarent.

n *Addit Rosvveydus* & sepultus est in pace: *sed mox infrà* de

A *de sepulturâ.*

n *Galla Placidia Theodosij Senioris vxor.*

o *Rosvveydus* à luctu aliquanto quiescentem Antigoni. *Græcè* ἀναπαύσαντες τοῦ πένθους cùm luctum remisissent.

p *Idem* daret vxorem *Græcè* ἐκδοῦναι, *elocare.*

q *Ita cum Græco MSS. Audomar. & Bertinianum : Rosvveydus cum MS. Treuirensi* ipse Senator, *eumdem intelligens, cui desponsa fuerat paruula. Minùs rectè : hunc enim, etsi hic dicatur* Senator, *filium dumtaxat Senatoris fuisse patet ex num.13 & quidem impuberem adhuc atque æqualem puellæ colligo ex simili S. Theophanis desponsatione, de quâ die præcedenti.*

r *Græcè* συγκλητικῶν, senatoriarum.

s *Citata MSS.* & concurritis aduersùs mulierem piè viuere festinantem secũdùm Dei præceptum, *quod cum Græco conuenit.*

t *Rosvveydus cum MS. Treuir.* quoniam extraneam congregationem vestram nunc egistis. ἀλλότριον τῆς ἀπολογίας ὑμῶν ἔργον ἠργάσασθε opus vobis inexcusabile egistis.

u Ἀτιμασθεῖσαν *contempta.*

x Τῆς σῆς βασιλείας tuâ imperatriciâ dignitate.

y Συνήθεις *consueuisti.*

a *MSS. citata* non times Deum hanc iniquitatem cohortari. *clariùs Rosvveydus cum Græco.*

b *Idem* habentibus.

CAPVT II

Vita S. Eupraxiæ monastica: obitus matris.

6 ERat autem monasterium mulierum in vnâ ciuitate, habens *a* sanctimoniales centum *b* triginta, de quibus magnas & mirabiles virtutes homines prædicabant. In illo namque monasterio *c* nemo gustabat vinum, nulla illarum pomum, aut vuas, aut ficus, aut aliquid huiusmodi bonorum, quæ terrenâ nascuntur vbertate, edebat. Quædam *d* autem earum ab infantiâ renuntiantes seculo dicebantur neque ipsam speciem pomorum videre, quarum cibus erat aliquando legumina, aliquando olera, & hæc sine oleo; quædam verò earum post biduum edebant, aliæ post triduum. *e* Nulla earum pedes suos aliquando lauit aquâ. De balneo verò superfluum est loqui; audientes enim vehementer vituperabant, confusionis & opprobrij plenam censentes vel solam illius mentionem, & tamquam rei abominabilis nec auditum quidem volebant tolerare. Vnaquæque verò earum stratum in terrâ habebat, cilicium paruulum vnius cubiti latitudinis, & longitudinis trium, & paullulùm in *f* ipso requiescebat. Erant autem & vestes earum *g* de cilicio vsque deorsum, obstringentes pedum extremitates. Quantumcumque poterat, vnaquæque laborabat. Et cùm aliquam earum aliquando contigerat infirmari, non ei fomentum aut adiutorium aliquod medicinæ conferebatur: sed si quam contigisset ægrotare, tamquàm maximam benedictionem à Deo accipiebat, & tolerabat languorem, donec eam *h* visitatio Dominica præueniret. Nulla earum ianuas exibat. Erat autem ianitrix, per quam responsa omnia fiebant, *i* multæque sanitates ibi fiebant.

a b Inter sanctimoniales 130 — *c mira austeritatis in cibis,* — *d* — *e* — *strato,* — *f* — *g* — *veste ciliciná,* — C — *morbis,* — *h* — *claustro;* — *i*

7 Eupraxia igitur diligens monasterium sanctarum mulierum, propter mirabilem conuersationem earum, sæpiùs ad ipsum pergebat, thymiamaque illic offerebat & cereos. Vna quidem dierum rogabat Diaconissam *k* & Priores monasterij, dicens eis: Paruam benedictionem volo monasterio vestro præbere, redditum auri viginti aut triginta librarum, vt oretis pro istâ orphanâ, & pro Antigono patre eius. Cui Diaconatissa *l* respondit: Domina mi senatrix, *m* ancillæ tuæ non egent redditibus, neque pecuniam concupiscunt: proptereà namque omnia reliquerunt, & cuncta despiciunt in hoc seculo, vt æternis bonis frui mereantur: & nihil possidere volumus, ne cælesti regno priuemur. Sed ne te contristem, aut sine fructu dimittam, paucum oleum, & candelas & thymiama in oratorium confer, & hoc erit vobis pro mercede iustitiæ. Et his oblatis, rogabat Eupraxia Diaconissam, vt omnes Sorores orarent pro Antigono & filiâ eius Eupraxiâ. D

admittentes thymiama & cereos, — *k* — *l m* — *an auras munera.*

8 Vnâ verò dierum Eupraxiæ infanti Diaconissa dixit, tentando: Domina mea Eupraxia, diligis monasterium nostrum & omnes Sorores? Illa respondit: Etiam Domina, diligo vos. Dixit ei Diaconissa rursum cum ioco: Si nos diligis, esto nobiscum in nostro schemate. Cui infantula dixit: Verè si non contristaretur mater mea, vlteriùs non egrediar de loco isto. Cui Diaconissa dixit: Inter nos & sponsum tuum quem plus amas? Puella dixit: Neque illum noui, neque ille me: vos autem noui, & vos amo. Dicite mihi: vos autem quem diligitis, me an illum? Illæ verò dixerunt: Nos te diligimus, & Christum nostrum. Puella verò respondit: Ego verò & vos diligo, & Christum vestrum. *n* Sedebat verò Eupraxia mater eius, & fluminum lacrymarum eius non erat modus: libenter enim audiebat verba puellæ Diaconissa; quia cùm esset ætate infantula, talia loquebatur: nondum enim septem annos impleuerat, dum cum Diaconissâ loqueretur huiuscemodi verba. Tunc ingemiscens mater, & amarè deflens, ad filiam suam dixit: Filia mea, veni, pergamus ad domum; quia iam vespera est. Cui puella dixit: Ego hîc maneo cum Dominâ Diaconissâ. Dixit Diaconissa puellæ: Vade, Domina, in domum tuam, non potes hîc manere. Non enim quisquam manere potest hîc, nisi se deuouerit Christo. Cui puella respondit: Vbi est Christus? Illa gratanter ei Dominicam imaginem demonstrauit. Pergens autem Eupraxia, osculata est Dominicam figuram: & conuersa, dixit Diaconissæ: Verè & ego me deuoueo Christo meo, & vlteriùs cum Dominâ meâ matre non vado. Dixit ei Diaconissa: Filia, non habes vbi hîc possis dormire, & non potes hîc manere. Puella dixit: Vbi vos dormitis, & ego. Et cùm iam vespera esset, & multùm mater eius coëgisset *o* atque Diaconissa vt ambularet, nequaquàm potuerunt eam tollere de monasterio. Multùm ergo crebris diebus mater eius atque Diaconissa ei blandiebantur, & persuadere nequierunt, vt de monasterio egrederetur. Nouissimè verò dixit Diaconissa puellæ: Filia, si vis hîc permanere, litteras habes discere & Psalterium, & vsq; ad vesperam habes ieiuniũ ducere, sicut vniuersæ Sorores. Puella dixit ei: Ego & ieiuniũ & omnia disco: solummodò dimittite me hîc esse. Dixit ergo Diaconissa matri eius: Domina mea matrona, dimitte hanc puellam hîc: video enim, quia gratia Dei illuxit in eâ; & iustitia patris, & honestas tua, & orationes vtrorumque vestrûm, æternam vitam prouidere ei noscuntur.

Eupraxia infantula desiderat manere: — *n* — E — *septennis Dominicam imaginem osculatur, & Christo se deuouet:* — *o* — *parata discere & facere omnia imponenda:*

F 9 Surgens igitur Eupraxia, & assumens filiam suam, ad Dominicam eam imaginem adduxit: & extendens manus ad cælum, cum magno clamore & fletu clamauit, dicens: Domine Iesu Christe, habe curam istius infantulæ; quia te concupiuit, & tibi se commendauit. Et conuersa, dixit ad filiam suam: Eupraxia, filia mea; Deus qui fundauit immobiles montes, & te quoque in suo timore confirmet. Et cùm hæc dixisset, in manibus eam tradidit Diaconissæ: & flens, pectusque suum tundens, ita recessit à monasterio, vt omnis congregatio cum eâ ploraret.

à matre coram Dominica imagine Abbatissæ traditur:

10 Aliâ verò die Diaconissa sumens Eupraxiam, introduxit eam *p* in oratorium, & factâ oratione super eam, induit eam indumento monachali: *q* & extendens manus ad cælum, pro eâ supplicauit, dicens: *r* Rex seculorum, qui in ea cœpisti opus bonum, tu perfice hoc in pace: da vt ambulet secundùm nomen tuum, & fiduciam inueniat in conspectu tuo semper ista infantula. Tunc & Eupraxia mater eius orans, dixit: Filia mea, amas hoc schemate vestiri? Cui Eupraxia dixit: Vtique mater mea, quia (sicut *f* agnoui) Diaconissa & dominæ Sorores dixerunt, hoc schema pro arrhis præbet diligentibus se Dominus Iesus Chri-

p — *q r* — *induitur veste monachali.* — *f arrha sponsi cælestis:*

A Christus. Cui mater sua dixit: Cui desponsata es, ipse faciat te thalamo suo dignam. Et hoc dicens, & orans pro filiâ suâ, valedixit Diaconissæ & sororibus, & osculata est filiam suam. Et egressa, iuxta morem circuibat, præbens solatia pauperibus & egenis f.

EX MSS.

11 Vbique autem diuulgabatur Eupraxiæ optima conuersatio, quantum conferret monasterijs & venerabilibus locis, ita vt Imperator audiret, & omnis Senatus eam nimis admiraretur, atque glorificarent. Audiebant enim, quòd nec piscem gustaret, nec vinum biberet: sed post tanta dona, quę vniuersis conferebat & gloriam, à vesperâ vsq; ad vesperam ieiunium faciebat, aliquando sumens legumina, aliquando olera.

addicta sobrietati & virtuti.

12 Post paucos autem dies euocans Diaconissa matrem puellæ, dixit ei secretè: Domina, aliquam rem volo tibi dicere: non te conturbet. Cui respondit: Domina mea, quod iubes dic. Dixit Abbatissa: Si vis cogitare pro hac infantulâ, dispone: vidi enim in somnis Antigonum virum tuum in magnâ gloriâ constitutum, & rogauit Dominum Iesum Christum, vt egrediaris de corpore tuo, & de cetero sis cum illo: & fruaris illâ gloriâ, quam Antigonus meruit vir tuus propter optimam vitam suam. Audiens autem hæc u religiosa fœmina & vera matrona non solùm B non est turbata, sed lætitiâ magnâ gauisa est. Orabat enim, vt ab humanâ vitâ discederet, & de cetero esset cum Christo: & mox vocans filiam suam, dixit ad eam: Filia mea, sicut mihi dictum est à Dominâ Diaconissâ, vocat me Christus, & appropinquant dies obitus mei. Ecce omnem substantiam meam & patris tui dedi in manus tuas: dispensa eam piè, vt cælestem possis habere hereditatem. Audiens hæc Eupraxia à matre suâ, cœpit ingemiscere & flere, dicens: Væ mihi, quia peregrina sum & orphana. Dicit ei mater sua: Filia, habes Christum pro patre & sponso, ideò nec peregrina es nec orphana: habes & Dominam Diaconissam pro matris officio. Vide filia, festina quod promisisti adimplere. Deum time, & Dominas Sorores honora, seruiens eis cum omni humilitate. Numquàm in corde tuo cogites, De sanguine regio sum: nec dicas, Debent mihi seruire. Pauper esto in terrâ, vt in cælo diteris. Ecce omnia sub manibus tuis habes, si necesse fuerit, Possessiones & pecunias in monasterium confer, & ora pro patre tuo & pro me, vt inueniamus misericordiam apud Deum, & liberemur ab æterno supplicio. Hæc præcipiens filiæ suæ, tertiâ die defuncta est, & sepelierunt eam in monasterio in monumento.

à matre,

vt adsit marito in æterna gloria

cælitus per Abbatissam præmonita,

instruitur in dandis eleëmosynis,

in timore Dei & humilitate.

C a Ἀσκητρίας, *quasi dicas* exercitatrices: *sicut* ἀσκητήριον. *Rosvveydus* archhitria *cùm legisset, & in Vitâ S. Antonij* Archisterium, *primariam ipsius Antonij cellam esset interpretatus, hic cellulas signari suspicabatur: nos vocem à Græca puritate deflectentem, pro qua* Ascæterium *scribi debuerat, notauimus,* XVII *Ian. num.* 168. *& nunc Græci textus auctoritate confirmamur in ea censura, & insuper in MS Treuirensi mendum agnoscimus* archetria *pro* ascetrias *substituente.*

Ascetriæ.

b *Græcè* ρδ', 103 *pro quo interpretes videntur* ρλ' *legisse vel inuenisse. In Menæis & menologijs* ἑκατὸν καὶ τέσσαρες, 104. *In MSS. Audomarensi & Bertiniano, amanuensium vitio, centenarius excidit.*

c Ἐν τῷ ἀσκητηρίῳ ἐκείνῳ.

d *Rosvveydus*: Quædam earum abrenuntians seculo, neque oleum edere volebat: quædam earum à vesperâ vsque ad aliam vesperam ieiunium protrahabebat: aliæ verò post biduum edebant: *sed nostra MSS. conformiùs Græco & veritati; nisi quòd* δίχα ἐλαίου propter oleum *librarij imperiti scripserint; vbi fortassè* præter *inuenerant, pro quo claritatis causâ substituimus* sine.

e *Quæ sequuntur, quia non nisi perturbato sensu reperimus, ex Græco putauimus emendanda. Rosvveydus sic legerat*: aliquantæ vero earum audientes de balneo loqui, irridentes confusionem & magnam abominationem se audire indicabant, quæ neque auditum suum hoc audire patiebantur. *MSS. citata* 2. De balneo autem audientes confusionem & opprobria nuditatis irridentes (καταγελῶντες *vbi nos habemus* καταλέγοντες) etiam & abominationem corporum diiudicabant, vt nec auditu earum hoc venire patiebantur.

f. *Rosvveydus* in ipsis.

g Χιτώνια τρίχινα, tunicellæ cilicinæ.

h *Rosvveydo est* medicina: *Græco textui* βοήθεια auxilium. D

i *Addit Rosvveidus* matura.

k Τὴν διάκονον *Rosvveidus vbique Abbatissam legit: cæterùm eas, quæ Hegumenæ seu Abbatissæ constituebantur, priùs Diaconas solitas consecrari, habemus in Vita S. Irenes,* XIII *Augusti proferenda, quam Methodius C.P. Patriarcha consecraturus* de throno surrexit, & thuribulum postulans ac thymiama iaciens, & Deum benedicens, primus oblationis hymnum exorditur; & priùs quidem magnæ ecclesiæ Diaconissam ipsam ordinauit... posteà verò Hegumeniæ seu Prælaturæ signaculum eidem imposuit. *Puta peculiare Abbatissis vel capitis vel corporis indumentum, quo à reliquo Sororum vulgo secernebatur.*

Diacona Abbatissa.

l *In Græco nomen exprimitur* Θεοδούλη ἡ διάκονος, Theodule, Diaconissa.

m *Rosvveidus* matrona: *Græcè* συγκλητική.

n *MSS. duo*: sedens verò mater eius, lacrymarum flumine inundabatur.

o Κολακεύοντες, blandientes.

p Σεκρέτον *Rosvveydo* Secretarium.

q *Additur in Græco*: Ingrediens verò mater eius, & videns illam amictam isto Angelico habitu, extendit.... & talibus precata dixit: Filia.

r *In* 2 *MSS. Audom. & Bertiniano*: Rex cælorum & Dominus dominantium.

s Ὡς ἔμαθον παρὰ τῆς μεγάλης, vt didici à Magnâ, *scilicet, Domina Diaconissa: Abbates enim & Abbatissas frequentissimo vsu Orientis monasteria* Magnos *&* Magnas *absque addito nuncupabant: quod in hac Vita sæpissimè accidit.* E

t *Hinc vsque ad tertiam lineam numeri* 14 *lacunam facit in Græco MS. vnius paginæ iactura.*

u *Rosvveidus* reuersa est in domum suam matrona, vt religiosa femina & non solùm &c.

CAPVT III

Generosus animus S. Eupraxiæ in tentationibus frangendis: Obedientia eius cæca: Stricta ieiunia.

13 AVdiens Imperator, quia mortua fuisset Eupraxia vxor Antigoni, reuocans Senatorem, cui desponsata fuerat filia eius, indicauit ei, dicens: Quia puella conuersa est in monasterio. Ille verò rogauit Imperatorem, vt per veredarios scriberet puellæ, eique præciperet, vt ad ciuitatem veniret, & nuptias celebraret. Suscipiens autem Eupraxia Imperatoris epistolam, cùm legisset eam, derisit: & sedens scripsit manu propriâ epistolam aliam, sic habentem: Domine Imperator, suadesne ancillæ tuæ, vt respuam Christum, & homini corruptibili & vermibus consumendo coniungar, qui hodie est, & cras non erit? Absit ab ancillâ tuâ, vt hanc iniquitatem faciam. Quapropter, Domine Imperator, non vlteriùs vos vir ille fatiget: ego enim Christo consensi, & impossibile est eum me negare: sed supplico potestati vestræ, vt memoriam parentum meorum habeatis. Idcircò tolle omnem substantiam, & dispensa pauperibus simul & orphanis, & da vniuersa Ecclesijs. Noui enim quia recordaberis parentum meorum, maximè patris mei: audiui enim quia in palatio numquàm à te diuidebatur. Horum ergo recordationem habens, substantiam hanc benè dispone. Omnes constitutos sub iugo seruitutis manumitte, & eis legitima concede. Manda actoribus patris mei, vt omne debitum dimittant agricolis, quod à die patris mei vsque ad hanc diem reddebant: vt sine solicitudine mearum terrenarum rerum consistens, Christo sine quolibet seruire valeam impedimento, cui animam meam commendasse cognoscar. Orate pro ancillâ vestrâ, & tu & Augusta, vt mereatur Christo seruire, prout dignatur ancillam suam. Deinde signans epistolam, veredario dedit. Qui reuertens, obtulit Imperatori relegendam epistolam. Quam soluens & relegens in secreto cum Augustâ, multas lacrymas ambo effuderunt, nimis

S. Eupraxia à sponso repetitur per Imperatorem;

respondet se Christo nuptam: F

petit bona sua in pauperes distribui,

seruos manumitti, agricolis debitum dimitti.

oran-

A orantes pro Eupraxiâ. Manè autem facto, conuocans Imperator omnem Senatum & patrem pariter Eupraxiæ sponsi, iussit coràm epistolam legere. Illi verò audientes epistolam, omnes sunt lacrymis repleti, & velut ex vno ore dixerunt: Verè, Domine Imperator, filia est Antigoni & Eupraxiæ, genus tuum, & ex sanguine eius est hæc puella. Verè religiosorum parentum religiosa est filia, sanctæ radicis sanctus est ramus: & omnes quidem ex quadam concordiâ glorificauerunt Deum, & pro puellâ pariter orauerunt, & nequaquàm vlteriùs Senator ille ausus est ampliùs loqui pro illâ.

liberatur, molestia terreni sponsi:

14 Imperator ergo cuncta disponens piè, & substantiam puellæ benè distribuens pauperibus, & ipse defunctus est, & cum suis *b* patribus sepultus est in pace. Eupraxia verò magnificabatur, & secundùm Deum conuersabatur, abstinens se vltra mensuram suam *c*. Erat enim annorum duodecim quando ad certamina cœpit exercere seipsam. Et primùm quidem à vesperâ vsque ad vesperam comedebat, deinde post biduum, posteà post triduum. Nulla alia præter illam triclinia mundabat, & *d* cubilia Sororum sternebat: aquam è puteo hauriebat, & ad coquinam ipsa portabat. *e* Hæc autem consuetudo erat in monasterio: si quando contigerat aliquam Sororem tentari à

b *c* *duodennis pia in monasterio exercitia facit:* *d* *e*

B diabolo per somnum, mox Diaconissæ pandebat: illa verò cum lacrymis Deum postulabat, vt diaboli tentatio ab eâ recederet, iubebatque vt lapides portaret, & sub stratum *f* suum supponeret, & cinerem super cilicium spargeret: & ita dormiret vsque ad decimum diem. Vnâ verò dierum Eupraxia à diabolo tentata est, & *g* colligens lapides supposuit stratui suo, & deferens cinerem aspersit desuper. Videns autem Diaconissa cinerem super stratum Eupraxiæ, risit & ait ad vnam Sororem seniorem: Verè hæc puella tentari cœpit à diabolo, & orans Diaconissa, dixit: Deus, qui creasti eam secundùm tuam voluntatem, & permisisti ad hanc Regulam spiritualem venire, tu eam in tuo timore conforta. Et vocans eam Diaconissa, dixit ad eam: Quare non indicasti mihi tentationem diabolicam, sed occultasti à me? Illa verò cadens ad pedes Abbatissæ, dixit: Ignosce mihi, Domina mea, quia confusa sum indicare tibi hanc caussam. Dixit ad eam Abbatissa: Filia mea, ecce pugnare cœpisti aduersùs tentationes: viriliter age, vt vincas & coroneris.

f *in tentatione vt aliæ sanctimoniales solent,* *g*

ab Abbatissa corroboratur:

15 Post paucos verò dies denuò tentata est, & narrauit alicui Sorori, nomine Iuliæ, quæ multùm diligebat Eupraxiam: quæ etiam in certaminibus eam

C exercebat. Dixitque ei Iulia: Domina mea Eupraxia, non abscondas hoc Diaconissæ: *h* sed refer hoc, vt oret pro te. *i* Dicunt enim de eâ, quia & ipsa à iuuentute suâ multas tentationes diaboli sustinuit, & sicut refert, vnâ nocte tentata est vehementer, tulit se foris lectum, & stans sub aëre extensis manibus in cælum quadraginta tribus *k* diebus & quadraginta noctibus, neque comedit neque bibit, *l* neque consueta operata est: sed stans suppliciter Deum exorabat, donec diabolum superaret. Omnes enim tentamur à diabolo: sed speremus in Christi nomine, quia vincimus eum. Ergo Soror mea non *m* moreris, sed indica Diaconissæ caussam, & noli confundi. Audiens autem hæc Eupraxia, gratias egit Iuliæ, & dixit ad eam: Adiuuet te Deus, Soror; quia ædificasti me, & meam animam confortasti. Verè ingredior, & caussam Dominæ Diaconissæ pronuntio. Dixitque Iulia: Etiam sic fac, vt oret pro te, & adijciat *n* tibi abstinentiam. Illa verò ingrediens, indicauit Diaconissæ caussam. Dixitque ei Diaconissa: Non pertimescas, Filia, *o* omne bellum diaboli, quo contra nos nititur. Certa igitur fortiter immobili animo, & non præualebit aduersùm te. Multùm enim ab eo tentanda es: sed certa, vt vincas, vt victorias & triumphum accipias à Sponso tuo Christo, & quantum potes adijce abstinentiæ tuæ: qui enim *p* legitimè certauerit, præcipua dona percipiet. *q* Post quot dies comedisti Filia? Puella dixit: Post tres dies, Domina mea. Dixit ei Diaconissa: Adijce adhuc vnum diem. Illa verò iussionem eius cum lætitiâ magnâ suscipiens, discessit.

h *i* *k* *l* *rursus tentata Abbatissa tentationem patefacit:* *m* *n* *o* *iubetur abstinere:*

D *ex MS.* *p* *q* *quatriduo ieiunat:*

16 Cumque facta esset annorum *r* viginti, ætate confortabatur & virtute præualebat: erat enim nimis speciosa, tamquàm vera *f* matrona; & sanguine regio procreata. Denuò autem tentata, indicauit Diaconissæ caussam. Dixitque ei Diaconissa: Noli timere, filia, Deus tecum est. Erat autem in aulâ monasterij aceruus lapidum. Volens autem Diaconissa tentare Eupraxiam, & ad maiorem prouocare obedientiam: dixit ei: Veni, filia mea, istos lapides transporta hinc, & pone eos iuxta clibanum. Eupraxia verò mox accessit lapides transportare: erant autem & grandes lapides inter eos, quos duæ Sorores vix poterant agitare. Illa verò super humeros suos arripiebat eos, nullo adiutorio opus habens: erat autem iuuenis & valdè fortis, nec dixit Diaconissæ: Adiuuet me alia Soror: grandes sunt lapides, non præualeo. Nec dixit: Ieiuna sum & deficio, & opus hoc grande est: sed cum fiduciâ iussionem per obedientiam adimpleuit.

r *f* *vicennis rursus tentatur:* *simpliciter in arduis Abbatissæ obedit,*

B 17 Aliâ verò die dixit Diaconissa ad eam: Non est iustum, vt lapides isti iuxta furnum sint positi, sed reporta eos in locum suum. Illa verò denuò confidenter iussionem *t* Abbatissæ suæ compleuit, hoc ergo opus triginta *u* dies iussit eam facere, vt patientiam eius comprobaret. Omnes itaque Sorores videbant quod fiebat, & puellæ obedientiam admirabantur. Aliæ quoque Sorores deridebant, aliæ acclamabant, Viriliter age Eupraxia. *x* Ipsa verò gaudens & psallens obedientiæ opus agebat: triginta verò diebus impletis, denuò diuini operis celebratione factâ, die quadam pergente Eupraxiâ vt lapides portaret, dixit ei Diaconissa: Dimitte, Filia, hoc ministerium, & tolle farinam & consperge, & coque panes in furno, vt ad vesperum parati inueniantur in ministerium Sororum. Illa verò cum magnâ lætitiâ & gaudio iussa compleuit.

fert referetque cata obedientia lapides. *t* *u* *x* *pistrini opere exercetur:*

18 Rursus diabolus inueniens eam vacantem, huiusmodi per somnium tentationem ei immisit, quod quasi ille Senator, cui fuerat desponsata, superueniens cum *y* adiutorio militari abstraheret eam de monasterio, & eâ sublatâ abiret. Quæ cùm iaceret in sacco in cubili suo, violenter proclamabat. Diaconissa verò & Sorores quædam expergefactæ, audierunt violentiæ vocem, & excitantes eam, dixerunt: Vnde est tibi hæc anxietas, filia? Illa vero repentè somnium recitauit. Diaconissa vero excitans Sorores, stetit in oratione, donec fieret dies. Post completum verò ministerium vsque ad horam tertiam, tenens codicem Eupraxia, stabat legens sedentibus omnibus Sororibus & audientibus. Exurgens verò ad horam tertiam, & completo canone horæ tertiæ, mox Eupraxia Sororibus ministeria præparabat, munditiam in triclinia faciens, & lectos sternens, aquam hauriens, & ad coquinam portans: ligna frangens, & legumina coquens: farinam confermentans, & coquens panem in clibano. Et dum hæc omnia faceret, nec in nocturnâ psalmodiâ deerat, nec in tertiâ, nec in sextâ, nec in nonâ, nec in Vesperâ. Nam postquàm compleuit vespertinas orationes, per semetipsam omne ministerium adimpleuit, & temperatum singulis porrigebat. Cum quâ etiam & laborabat Iulia: satis enim diligebat Eupraxiam.

y *otiosa rursus tentatur:* F *etiam occupa ipsima nullus deest diuinis Officijs:*

19 Denuò siquidè diabolus per somnum vehementer eam, tentans, ei certamen immisit maximum. Quæ mox anxietatis suæ certamen Diaconissæ confessa est. Pro quâ dum oraret Diaconissa, dixit ei: Filia mea Eupra-

Denuò tentata ab Abbatissa confirmatur.

A Eupraxia, tempus certaminis est: vide ne molliat diabolus mentem tuam, & perdas laborem tuum. Adhuc enim paruo tempore dimicans tecum, dum fuerit superatus à te, rursum effugiet. Dicebatque ei simul Iulia: Domina & Soror mea, si modò ei non repugnamus & vincimus, in senectute quale bellum cum eo faciemus? Cui respondit Eupraxia: Viuit Dominus, Soror Iulia; quia si mihi præceperit Diaconissa, non gustabo in totâ septimanâ panes, donec eum Domino adiuuante vincam. Cui Iulia dixit: Verè Soror mea, totam septimanam abstinere non valeo. Si tu hoc potes implere, & in terrâ beata es & in cælo. In isto namque monasterio nulla potuit sine cibo totam septimanam permanere, nisi Domina Abbatissa. Tunc ingressa Eupraxia, nuntiauit tentationem diaboli factam per somnum Diaconissæ: eamque rogauit, vt ei præciperet quatenùs totam hebdomadam sine cibo persisteret. Cui Diaconissa dixit: Fac quidquid tibi videris facile esse, filia mea. Deus qui creauit te, confirmet te, & contra diabolum donet tibi victoriam. Cœpit igitur Eupraxia totam septimanam ieiunare, & neque psallendi officium dereliquit, nec Sororum ministerium: ita vt omnes tolerantiam ipsius mirarentur, & pulchritudinem simul & iuuentutem ætatis. Dicebant autem quædam de collegio earum:

EX MSS.

tota septimana ieiunat,

B Habemus hodie annum, obseruantes Eupraxiam, & sedentem eam non vidimus neque per diem neque per noctem, nisi solùm quando requiescebat in loco suo nocte. Numquàm enim sedit vel quando etiam panem comedit. Omnes ergo Sorores diligebant Eupraxiam, quia se ita humiliter exercebat, *x* & cum studio famulatum Sororibus exhibebat, dum præcipuè vtique de sanguine Imperiali descenderet. Pro quâ re intentè nimis pro eâ orantes, rogabant Dominum vt saluaretur.

toto anno numquàm sedere visa.

a *MSS 2. pro sequentibus verbis hæc habent:* Ora etiam, Christo amabilis Domina mea Augusta, pro Ancillâ tuâ Euphrasiâ: *ita enim semper in illis nomen scribitur, quod Rosvveido* Eupraxia.

b *Eadem MSS.* parentibus.

c *Hic desinit superiùs indicata textus Græci lacuna.*

d Τὰς κοίτας: *at Rosvveidus,* cubicula.

e *Additur in MSS 2 citatis:* ipsa autem hæc omnia adimplere studebat.

f *Rosvveidus:* substratum sub sago *Græcè* καὶ πηθίνας ὑπὸ τὴν κοίτην τῆς ἀδελφῆς ὑπὸ τὸν σάκκον.

g *Idem:* & superposuit stratui suo cinerem.

h Μὴ κρύψεις τὴν μεγάλην, non celaueris hoc Magnam, *id est Diaconissam, vt hîc & alibi sæpiùs, & suprà monuimus.*

i *Apud Rosvveidum & in MS. Treuirensi desunt hæc omnia de Diaconissâ.*

k *In vtroque MS. tantum est tribus: sed priorem numerum librariorum incuria excidisse conuincitur, non ex solo tantùm textu*

C *Græco, verùm etiam ex ijsdem MSS. num. 21, vbi longior hæc abstinentia denuò expressiùs inculcatur: cuius etiam alia exempla plura reperiuntur in Vitis Patrum; nominatim autem de S. Simeone Stylita v Ianuarij legimus, eum quadragesimo dumtaxat die ieiunium soluere solitum, talem abstinentiam multis annis continuasse: quod diuinæ indulgentiæ, non humanæ virtuti tribuendum esse nemo dubitabit.*

l *in Græco est* neque somnum cepit.

m Μὴ ξενίσῃ σε τοῦτο non tibi peregrinium hoc videatur: non te sua nouitate perturbet.

n *MSS. 2* in abstinentiâ tuâ: *Græcè* καὶ ἵνα προσθήσει σοι εἰς τὴν ἄσκησίν σου, vt adijciat tibi ad exercitationem tuam, *id est, vt augeat exercitationem.*

o Οὗτός ἐστιν. *Deest apud Latinos interpretes.*

p Μεγάλα ἀγωνιζόμενος qui magna certamina certauerit.

q *Orationem interrumpit Rosvveidus his verbis.* Post aliquantulum verò temporis spatium, interrogauit eam Abbatissa dicens: *quæ absunt à Græco & omnibus MSS.*

r *Hinc corrige mendum quod irrepsit in Græcis* δεκαετοῦς decennis.

s Συγκλητική, *ex quo apparet quòd suprà de Eupraxiæ sponso dicebamus, non semper titulo* συγκλητικοῦ *Senatorem, sed sæpe Senatorio genere procreatum significari.*

t Τῆς ἀρχιμανδριτίσσης.

u *Ita 2 MSS. sæpè citata: itáque etiam paulò pòst Rosvveidus: Græcus textus habet* λ, 20: *sed cùm alibi semper ferè denarium vnum deprehendamus deesse, quem alia MSS tam Græca quàm Latina exprimunt, non audemus illi hoc loco fidere.*

z *Sequentia Rosvveido deerant, ex MSS. & Græco accepta.*

y *Rosvveidus:* cum auxilio multo.

x *Idem:* per se ministerium faciebat inferendo.

D

CAPVT IV

Humilis mansuetudo S. Eupraxiæ. Vita illæsa diuinitus conseruata in varijs casibus, etiam à diabolo admotis.

20 FVit autem inter eas quædam, nomine Germana, quam dicebant ex ancillâ ortam. Hæc inuidiam habens aduersus Eupraxiam, insurrexit aduersùs eam in coquinâ secretè, & dixit ei: Dic Eupraxia, ecce tu semel in septimanâ comedis secundùm Regulam Abbatissæ, & nos hoc non possumus adimplere. Si coactæ fuerimus ab Abbatissâ quid faciemus? Cui Eupraxia respondit: Domina mea, Domina nostra Abbatissa dixit, vt vnaquæque sicut poterit decertet: non enim ex necessitate mihi hoc iugum imposuit. Dixit ei Germana: Impostrix & omni calliditate plena, quis nesciat, quia sub *a* imposturis hoc agis, vt post pausationem Abbatissæ tu ei succedas? Credo in Christo, quia te numquàm dignabitur ad Abbatissæ venire locum. Audiens hæc Eupraxia, prostrauit se ad pedes eius, & dixit ad eam: Ignosce mihi, Domina mea, & ora pro me: peccaui in te & in Deum, ignosce mihi. Cognoscens autem Diaconissa quod fuerat factum, Germanam coram omnibus vocauit; dixitque ei: Ancilla nequam, & à Deo extranea, quid tibi nocuit Eupraxia; quia festinasti studium eius abrumpere? Aliena es à Sororum consortio, indigna es *b* ministerio, & conuiuio Sororum extranea. Cui multùm supplicabat Eupraxia, quatenùs illi veniam largiretur: & non eam flexit, donec implerentur dies triginta. *c* Trigesimo verò die videns Eupraxia quia nil rogando proficeret, assumens secum Iuliam, seniores monasterij deposcebat, vt rogarent Diaconissam, quatenus reconciliaretur Germanæ. Quo facto euocauit eam Diaconissa coram omnibus, dixitque ei: Nónne diiudicasti in corde tuo, vt studium puellæ huius abscinderes? nec cogitasti, quia dum esset matrona, & ex Imperiali genere constituta, humiliauit semetipsam, & propter Deum seruiuit tibi? Omnibus ergo rogantibus repropitiata est Germanæ.

Æmuli insurgenti,

a

E *humiliat se*

b *& pro eadem Abbatissam deprecatur:*

c

21 *d* Diabolus itaque certare contra Eupraxiam non cessabat: valdè etenim furebat aduersùs eam. Vnâ verò nocte immisit ei *e* phantasiam errore seculari: quæ exiliens repentè & consignans seipsam, egressa est foris sub dio, & stans in aëre extensis manibus ad cælum, rogauit Deum, vt ab eâ remoueret diabolum. Nuntiatur Diaconissæ, quia Eupraxia sub dio staret, habens manus ad cælum. Quod audiens Diaconissa risit. Dixerunt ergo ei seniores: Eupraxia certamen suum vult implere. Tunc veniens Diaconissa ad locum, vbi stabat Eupraxia, dixit ei: Confortet te Dominus, & det tibi tolerantiam in suo timore. Omnes ergo Sorores orabant pro eâ valdè nimis; & quia condolebant ei, & quia esset ætate iuuencula quasi annorum viginti quinque. Et cùm stetisset vsque ad decimum diem, orauit Diaconissa cum Sororibus, tolerantiam expectantes, & completis triginta *f* diebus mirari cœpit Diaconissa, dixeruntque seniores: Verè, Domina, quadraginta diebus vult stare secundùm Regulam tuam, quam aliquando stetisti. Mox Diaconissa dixit: Confortet eam Dominus in suo timore. Completis autem triginta diebus, *g* consummatâ verò virtute per abstinentiam, cecidit in pauimento, & iacebat vt mortua: concurrentesque Sorores introduxerunt eam in triclinium: cuius neque pedes neque manus tendere valuerunt, sed tota, quasi lignum aridum, sine voce iacebat. Cui dum obtulisset Diaconissa cibum

d

e *vexata tentatione stat sub dio extensis manibus,*

F

f *diebus 30.*

g

refocillatur:

A bum, ait ei: Filia mea Eupraxia, in nomine Domini mei Iesu Christi hunc cibum comede, & mox gustauit. Tunc portantes eam introduxerunt *h* in oratorium, & paullatim sumens cibum, cœpit vires accipere: *i* erat enim magnum miraculum certaminis eius.

à diabolo præcipitata in puteum,

22 Videns itaque Diabolus tantam in eâ tolerantiam, nequaquàm vlteriùs ad tentandam eam accessit, sed velociter ad finem vitę perducere eam voluit. Vnâ siquidem dierum cùm ad hauriendam aquam descendisset ad puteum, arripiebat eam diabolus cum lagenâ, & deiecit eam deorsum in puteum, ita vt, *k* quomodo exponebat Eupraxia, perueniret caput eius ad fundum. Eleuata verò de aquâ, & tenens funem situlæ, ita clamauit de puteo; Christe adiuua me. Quâ voce factâ, cognitum est, quia Eupraxia corruisset in puteum: & cócurrentes Sorores cum *l* Diaconissâ, abstraxerunt eam de puteo. Quæ surgens exinde, & semetipsam consignans, subrisit & ait: Viuit Christus meus, quia non me vincis diabole, neque cedo tibi. Vsque nunc quidem vnam lagenam portabam cum aquâ in coquinam: ab hodie verò duabus lagenis aquam portabo. Et ita fecit.

Christi adiutorio euadit:

laborem contra diabolum duplicat:

23 Videns itaque diabolus, quia eam in puteo necare non valuit, rursum aliâ vice cùm descendisset ligna incidere, cumque iam pauca incidisset, astitit diabolus obseruans eam. Et dum leuasset securim vt lignum incideret, colligauit diabolus manus eius, & vsque ad eius calcaneum traxit, & peruenit vsque ad tibiam. Quæ cùm vidisset crudelissimum vulnus valdè, & sanguinem vehementer effundi, proijciens securim, angustiata & in terram prostrata est. Iulia verò cucurrit, & clamans Sororibus nuntiauit, quia Eupraxia accipiens securim, *m* mortua est. Cumque concursus clamorque factus fuisset, & vniuersæ circumstabant eam simul & flebant: Tunc accedens Abbatissa, aquam in faciem eius sparsit: & consignans eam atque complectens, ait ei: Filia mea Eupraxia, cur angustiata es? Recrea te, & loquere Sororibus. Illâ verò respiciens, Abbatissæ dixit: Noli flere Domina mea, Mater: anima mea namque in me est. Abbatissa autem faciens signaculum Crucis in fronte eius orauit sic: *n* Domine Iesu Christe, sana ancillam tuam, quoniam propter te multa patitur. Et cùm ligasset pedem eius de panno cilicino, leuauit eam: & dans ei manum, ducebat eam in monasterium. Illa verò respiciens ligna proiecta, dixit Sororibus: Viuit Dominus meus, nisi collegero ligna, & *o* vlnas meas impleuero, non ascendam. Cui Iulia dixit: Noli Domina Soror, non præuales: dimitte: ego colligam ea, tantùm tu ascende, requiesce propter dolorem. Illa verò non acquieuit, sed complens manus suas lignis, sic ascendit. Cui tamen diabolus non pepercit: nam cùm ascendisset superiores gradus scalæ, concussa à diabolo supplantante eam, & calcans summitatem tunicæ suæ, super ipsa ligna ruit quæ portabat: & fixum est lignum in adspectu eius, ita vt Sorores crederent, quia lignum eius oculum penetrasset. Tunc exclamans Iulia, ait ad eam: Domina mea, tibi dixi quia non potes requiescere, & non me audisti. Cui dixit Eupraxia: Noli contristari, soror, sed cautè subtrahe à me lignum, oculus meus sanus est. Traxit ergo ab eâ lignum, & sanguinis facta est effusio vehemens. Abbatissâ verò deferens oleum & sal, & factâ oratione, supposuit ei manum: rursumque dixit ad eam Iulia: Vade ad stratum tuum, requiesce, & ego Dominabus Sororibus ministrabo *p*. Eupraxia verò dixit: Viuit Dominus meus, quia non requiesco, donec officium meum compleuero. Multùm enim rogabatur à Sororibus, vt requiesceret propter plagas, quas habebat, & passa non est: sed sic vlcerata, ex vtraque plagâ sanguine procurrente, stabat ministerium faciens Sororibus, & neque in opere Dei deerat nec in alio ministerio.

B agente diabolo se ipsam securi grauiter lædit:

ab Abbatissâ consignatur:

etiam læsa opus explet:

C rursus læditur instigante diabolo:

non tamen ab opere cessat:

24 Rursus itaque aliâ vice, cùm adscenderet cum Iuliâ in *q* tertiam mansionem, arripiens eam diabolus, præcipitauit eam deorsum. Et cùm exclamasset Iulia, concurrentes Sorores, crediderunt se Eupraxiam mortuam inuenire. Quæ surgens, occurrit eis. Quam suscipientes, introduxerunt eam ad Abbatissam: interrogauitque eam, si in aliquo fuisset læsa. Cui Eupraxia respondit: Viuit Dominus, Domina mea, quia nec quomodò cecidi noui, nec quomodò surrexi. Audiens Abbatissa, quia de tantâ altitudine corruens nihil esset læsa, glorificauit Deum, dicens: Vade Filia ad opus tuum, & erit Dominus tecum. D

Ex MSS.

præcipitatur è solario à dæmone, sed illæsa

25 Rursus ergo inimicus volens eam occidere, sic adoriebatur. Cùm Eupraxia ollam feruentem teneret, in quâ olus coquebat, vt effunderet elixaturam in canalem *q* in vasculo: ablatis pedibus à diabolo, retrorsum cadens, ollæ illius elixaturam in faciem suam fudit. Et dum omnes Sorores in hoc facto expauescerent, exiliens Eupraxia, subrisit, & ait ad eas: Vt quid turbatæ estis? Abbatissa verò videns quia non fuisset læsa, respexit in ollam: & vidit quia quod remanserat, esset feruens. Et conuersa dixit: Eupraxia Filia, non te tetigit feruens illa aqua, Cui ait Eupraxia: Verè, Domina mea, quia velut aqua frigida venit in faciem meam. Admirata verò Diaconissa, & intuens in eam dixit: Filia, Deus te custodiat *r*, & det tibi vt sine intermissione colas suum timorem. Et, ingressa Diaconissa oratorium, conuocauit *ſ* priores Sorores, dixitque eis: Nostis quia Eupraxia promeruit gratiam Dei? Cognouistis enim quia nec præcipitata contristata est, neque nimietate feruoris exusta est. At illæ dixerunt: Verè ancilla Dei est Eupraxia, & curam eius habet Dominus: *t* nam in huiusmodi tentationibus liberata est à Domino. E

illæsa item coctione ollæ feruentis in faciem effusâ.

a Ε'ν φαυλότητι, sub nequitiâ; *Rosvveidus*, ingenio.

b Τῶν μυστηρίων τῆς λειτουργίας: *vt non quodlibet, sed sacrum diuinorum mysteriorum ministerium hîc intelligatur.*

c *In Græco bis est* λ, 20: *cur id non sequamur, rationem dedimus & rursus dabimus.*

d *Omnia numéro hoc relata desunt apud Rosvveidum & in MS. Treuirensi: damus ergo ea ex Græcis & MSS. Bertiniano atque Audomarensi.*

e *In græco est*, decipiens eam seculari phantasiâ vehementer conturbauit.

f *Ibidem* λ 20 *& paulo post* μ 30 *legitur: sed textus Menæorum consentiens cum Latinis MSS. & ratio numeri quadragenarij, plenum ieiunij cursum constituentis, vni huic MS. præponderat; præsertim alibi semper denario vno à 4 Latinis discrepanti.*

g *In Græco additur*: alios quinque dies post hos 30 stetit; *veriùs*, post hos 40.

h *Græcè* monasterium.

i *Abest à Græco hæc clausula.*

k *Rosvveidus*: ita vt nausearet Euphraxia & perueniret...

l Σὺν τῇ ἡγουμένῃ cum Hegumenâ, *quæ nobis Abbatissa est: quod deinceps aliquoties repetitur.*

m *Addit Rosvveidus* de securi.

n *Desunt Rosvveido sequentia: atque ita, quæ sunt proxima Abbatissæ verba, Eupraxiæ perperàm tribuuntur.*

o Τὰς ἀγκάλας *Rosvveidus* septimanam *legit, & annotat hinc* Hebdomadarios occurrere apud scriptores varios: *verùm patet ex sequentibus non hîc agi de complendo tempore Officij, sed de mensurâ oneris portandi.*

p *Idem* ministerium tuum iniungo: *&, omisso nomine Iuliæ, hæc vt Abbatissæ verba refert: nostra lectio cum Græco conuenit, estque duorum MSS.*

q Ε'ν τῷ τριστέγῳ: *sunt autem* tristega *ea, quæ sub tertiâ atque supremâ ædificij cuiusque contignatione sunt loca: Rosvveidus* tertium solarium *legit, & annotauit per* solaria *intelligi* tabulata: *Erasmus in Actis Apostol. cap.* 20 cœnaculum *vertit.* *tristega.*

q Τὸ ζέμα εἰς τὸν ὀχετὸν: *Rosvveidus*, coctionem olerum in vasculo: *sed de soli aquâ feruente oleribus iam coctis extra coquinam emittendâ textum Græcum intellexére MSS.*

r *Idem*: & tibi sine intermissione tolerare in suo timore concedat.

ſ Τὰς προεστώσας *Rosvveidus* Priores Seniores, *& iterum num. sequenti.*

t *Deest in Græco: MSS* 2. nam in his tentationibus aliter non exisset immunis.

CAPVT V.

Potestas liberandi energumenos data S. Eupraxiæ. Paralyticus, mutus & surdus sanatus.

Inter infirmos infantes ad hoc monasterium delatos vt curarentur.

26 OMnis itaque ciuitas atque prouincia consuetudinem habebat, vt infantes malè habentes, in illud deducerent monasterium, ad ancillas Dei miracula facientes: & suscipiebat eos Abbatissa, & ingrediebantur in oratorium, & supplicabant pro eis Dominum, & mox ab omni languore sanabantur infantes, & recipiebant eos matres propriæ sanos, proficiscentes, atque glorificantes Deum. Erat autem quædam in monasterio mulier energumena, ab infantiâ obligata in monasterio, quatenus saluaretur, quæ habebat spiritum principalem *a* dæmonium, & erat alligata catenis manus & pedes, & spumam faciens, & dentibus suis stridens, multumq; clamans, ita vt omnes audientes eam, timore conciderent. Et cùm frequenter Diaconissa cum Prioribus Sororibus pro salute eius praslet, nõ poterant sanare eam: quapropter nec valebant se ad eam iungere, vt ei vel cibum offerrent. Erat autem ligatum quoddam *b* vasculum in fune, & ipso vasculo legumina vel panes mittebant, & appendebatur ipsum vasculum ex virgâ, & sic ei de longè porrigebatur, & ita vescebatur. Frequenter autem abijciens ipsum vasculum, cum virgâ iaculabatur in faciem offerentis sibi cibum.

fuit energumena rabida

27 Vnâ verò dierum factum est, vt intraret ostiaria, nuntians Diaconissæ: Domina mea, mulier quædam infantem adduxit, & stans foris ad ianuam, deflet. Est autem paruulus quasi annorum circiter octo, paralyticus, surdus, & mutus. Videns autem Diaconissa, Spiritu sibi reuelante, quia gratiam promeruisset à Domino contra dæmones Eupraxia, dixit ostiariæ: Voca mihi Eupraxiam. Quæ cùm venisset ante Abbatissam, dixit ei: Vade, suscipe infantem à matre suâ, & defer huc. Illa verò egressa, & videns infantulum paralyticum & trementem, miserata est super eum: & ingemiscens dolenter, signauit infantem, & dixit ei: Qui te creauit, ipse te sanet, fili. Et sumens eum, pergebat ad Abbatissam. Infans verò dum portaretur ab Eupraxiâ, sanatus est, & clamauit matri suæ. Videns autem Eupraxia quia infantulus cœpisset loqui, perterrita proiecit eum in terram. Infantulus autem mox exurgens, cucurrit ad ianuam, quærens matrem suam. Currens autem ostiaria, nuntiauit Diaconissæ quod factum est. Quæ cùm vocasset matrem infantis, dicit ei: Dic mihi, inquit, Soror tentare nos venisti? Respondit autem mater infantis, dicens: Per Dominum nostrum Iesum Christum, Domina mea, quia neque ambulauit, neque locutus est, neq; audiebat hic infans vsque in præsentem horam. Sed cùm suscepisset eum hæc Domina Soror, mox locutus est. Illa verò proijciens eum in terram, stetit obstupefacta: infantulus verò surgens, venit ad me ancillam tuam. Dicit ei Abbatissa: Ecce ergo habes eum sanum, tolle eum, & vade in pace. Quæ assumens filium suum, pergebat, glorificans Deum.

Eupraxia puerum paralyticum, mutum & surdum signo Crucis curat:

28 Rursum ergo Abbatissa dixit ad seniores Sorores: Quid vobis de Eupraxiâ videtur? Quæ respondentes, dixerunt: Verè ancilla Dei est. Vocauitque eam, & dixit ei: Filia mea Eupraxia, volo vt huic patienti, quæ in monasterio est, per manus tuas cibum offeras, si non times eam. Cui Eupraxia respondit: Non timeo, Domina mea, quidquid mihi præcipis. Sumens ergo Eupraxia caucum leguminis & fragmen panis, obtulit ei. Illa verò repentè dentibus stridens, & valdè frèmens, fecit impetum super eam: & apprehendens caucum, volebat confringere. Eupraxia verò apprehendens manum eius, dixit: Viuit Dominus Deus, si tè posuero in terram, tollo virgam Dominæ Abbatissæ, & sic te flagellabo, vt numquàm præsumas *c* hoc agere. Videns autem illa patiens, quia præualuisset ei, quieuit. Postquàm autem cessauit, cœpit Eupraxia blandiri, & dicere: Sede Soror, comede & bibe, & noli turbari. Illaque sedit, comedit, & bibit, & requieuit. Ab illâ horâ non illi cibus cum virgâ dabatur, sed de manu Eupraxiæ accipiebat & sumebat. Omnes autem Sorores videntes quod fecerat Eupraxia, orabant pro eâ ad Dominum. Cùm verò cœpisset moueri & indignari, dicebant ad eam Sorores: Quiesce Soror, & noli malignari: nam si venerit Domina Eupraxia, flagellabit te; & repentè quiescebat.

energumena ministrat:

[illegible] prauo-lus, & Abbatissæ virgâ minatur

29 Rursùm autem Germana inuidiâ mordebatur, & cor eius vrebatur, dicebatque Sororibus: Nisi fuisset Eupraxia, non inueniebatur alia quæ cibum ei offerret? date cibos, & ego ministro. Sumens ergo cibos eius, accessit ad patientem, & dicit ei: Accipe cibos, Soror, & comede. Illa verò continuò exiliens in eam, vestes eius conscidit: & conterens eam, proiecit in terram: & irruens super illam, cœpit manducare carnes eius. Clamore autem facto, & nullâ præsumente ei appropinquare, currens Iulia ad coquinam, dixit Eupraxiæ: Festina Domina, quia Germana à patiente dilaniatur. Currens autem Eupraxia, tenens manus patientis & guttur, eripuit ab eâ Germanam cruentatã & vlceratam. Cui dixit Eupraxia: Benè fecisti, quia sic contriuisti Sororem? Illa verò stabat spumam faciens, & dentibus stridens. Dixit ei Eupraxia: Ab hac horâ si maligna fueris erga Sorores, non tibi cedo, neque misereor; sed virgam Abbatissæ tollam, & cum eâ te sine misericordiâ flagellabo. Illa verò sedens, repentè cessauit.

æmulatrix ab energumena grauiter læsam liberat.

30 Manè autem facto, completo sacro Officio, & egredientibus eis ab oratorio, visitans Eupraxia patientem, inuenit eam disruptam vestem suam in terram proiecisse, & sedentem super eam, & colligentem stercus, & comedentem. At Eupraxia vt vidit, fleuit: & quæ facta fuerant, Diaconissæ nuntiauit. Conuenientes verò Sorores, inuenerunt eam nudam, & colligentem fimum *d* stercoris & comedentem. Dixit autem Abbatissâ, vt daretur ei alia tunica, vt vestiretur. Sumens itaque Eupraxia tunicam, & *e* caucum leguminis, & panem obtulit ei, & dixit: Accipe Soror, & vesti te, & gusta, quare sic te deturpas? Quæ sumens, comedit & bibit. Et induens eam, ministrauit ei. Eupraxia verò à lacrymis non cessauit, vsque ad vesperam pro eâ gemens. Cumque superuenisset nox, supplicabat Domino cum lacrymis, vt illa patiens sanaretur latendo Sororibus. Diluculò verò Abbatissa vocans Eupraxiam, dixit ei: Cur me celasti, preces offerens Deo pro hac patiente? Si manifestasses mihi, & ego sine dubio tecum laborassem. Cui Eupraxia dixit: Ignosce mihi, Domina, vidi eam turpiter positam & fimum comedentem, & dolui super eam. Diaconissa verò dixit: Habeo tibi aliquid confiteri, & vide ne satanas tentet te, & elatio tibi generetur. Ecce tibi Christus potestatem circa hunc dæmonem dedit, vt eijcias eum. Audiens hæc Eupraxia, misit cinerem super caput suum: & prosternens semetipsam in terram, clamauit dicens: Quæ sum ego infelix & immunda, vt dæmonem tantum expellam, quem orantes per tantum tempus non potuistis expellere? Dicit ei Diaconissa: Filia mea, te expectabat hoc tempus: quia copiosa est tua merces in cælo.

energumenæ rursum ministrat:

potestatem accipit à Christo dæmonem expellendi:

31 Ingressa autem Eupraxia monasterium, proiecit semetipsam ante altare, supplicans Deo, vt precibus eius sanaretur, & de excelso daretur auxilium. Et surgens à pauimento, orans rursum, ibat ad patientem, secundùm iussionem Abbatissæ: & omnes Sorores

A res sequebantur eam, vt viderent quid esset factura. Ad quam accedens, ait: Sanet te Dominus meus Iesus Christus, qui te creauit. Et mox signum Crucis fecit in fronte eius. Dæmon autem clamauit coram omnibus: O l habui istam impostricem & fallacem, habitans in eâ plurimos annos, & nullus me expellere potuit: & hæc immunda atque luxuriosa conatur persequi me? Cui Eupraxia dixit: Non ego te persequor, sed Christus omnium Deus. Dixit ei dæmon: Non exeo, immunda: non enim accepisti potestatem eijciendi me. Eupraxia dixit; Ego immunda sum, & omni malignitate plena, vt tu quoque testaris: verumtamen iubente Domino egredere ab eâ: nam si sumo baculum Abbatissæ, flagellabo te. Ceterùm resistente dæmone, & exire nolente, sumens Eupraxia Abbatissæ baculum, dixit ei: Exi, aut certè torqueo te. Respondit ei: Quomodò ab eâ egredi potero, pactum cum eâ habeo & ab eâ recedere non possum? Mox igitur Eupraxia cœpit cædere. Et cum tertiò percussisset, dixit: Egredere à figmento Dei, spiritus immunde. Increpet te Dominus Iesus Christus. Dæmon dixit: Non possum exire ab eâ, quid me persequeris? vbi habeo proficisci? Eupraxia dixit: In tenebras exteriores, in ignem æternum, in infinita tormenta, parata B tibi & patri tuo satanæ, & facientibus voluntatem eius. Omnes itaque Sorores stabant respicientes in eam, & non præsumebant propiùs appropinquare. Eupraxia verò durè certabat cum dæmone resistente. Et respiciens in cælum, dixit: Domine Iesu Christe, noli me in hâc horâ confundere, vt non vincat me hic dæmon immundus. Et continuò dæmon spumans, & stridore facto, clamans voce magnâ, egressus est à muliere: & ab eâ horâ sanata est. Cucurrerunt autem Sorores, glorificantes in hoc Deum: magnus enim timor obtinuerat omnes. Eupraxia verò tulit mulierem, & abluit eam aquâ, & induit eam vestimento, & duxit ad Abbatissam: quæ vnà cum Sororibus introduxerunt eam in oratorium, & gloriam dederunt Deo pro facto miraculo. Ab illâ verò horâ humiliauit se se ampliùs Eupraxia, & sine somno totâ nocte persistebat: omnem verò hebdomadam ieiunabat, vt consueuerat, sine defectu faciens cunctis Sororibus ministerium, & cum omni studio atque lætitiâ in mansuetudine atque humilitate degebat.

signaculo Crucis energumenam signat. *humiliat se.* *baculo Abbatissæ energumenam pulsat.* *oratione dæmonem pellit.*

a *Πνεῦμα ἀρχοντικόν. Rosvveidus:* spiritum immundum dæmonem.

b *Καυκίον, quod retinuerunt MSS. 2 Græco textui pressiùs inhærentia, etiam in sequentibus. Est autem* Caucium *apud Bedam Hist: Eccl. lib 2 cap. 6 ansatus calix ad hauriendam aquam fontibus* C *appensus in vsum viatorum. Inuenitur etiam* Caucus, Cauca, Caucum: *item καυκάλιον. Vide Vossium de Vitijs sermonis l. 2 cap. 4.* *Caucium.*

c *Πονηρεύσασθαι,* malè facere.

d *Τὸν χόραγον. Rosvveidus legit* phlegma.

e *Idem* paropsidem cum legumine & fragmen panis.

CAPVT VI

Mors S. Eupraxiæ reuelata Abbatissæ. Obitus huius, Iuliæ sociæ & Abbatissæ.

32 VNâ verò dierum vidit Diaconissa somnium, & conturbata est vehementer: *a* & prostrauit se in oratorium cum lacrymis, & nulli quod viderat indicabat. Trepidabant Sorores interrogare eam. Et cùm hoc frequenter distolleret, rogare cœperunt eam omnes Sorores supplicantes & dicentes: Confitere nobis, Domina Abbatissa, cur sic ingemiscis, & nostras animas simul affligis. Et dixit: Non me cogatis dicere vsque in crastinum. Dixerunt ei seniores Sorores: Crede Domina, quòd si non annuntiaueris nobis, tribulationem magnam animabus nostris ingeris. Diaconissa dixit: Ego quidem quod futurum est, vsque in diem crastinum dicere non volebam: sed quia D cogitis me, nunc audite: Eupraxia nos deserit, cras enim hac vitâ priuabitur: nulla verò indicet ei, ne contristetur. His itaque dictis, magnus eiulatus per multas horas factus est. Vna autem Sororum cùm cognouisset, currens ad furnum, inuenit Eupraxiam panes coquentem: cui Iulia aderat secundùm consuetudinem. Dixit ergo illa Soror quæ venerat: Cognosce Domina Eupraxia, quia intùs magnus luctus est, apud Abbatissam propter te, & *b* Priores. Audientes autem hæc Iulia & Eupraxia, stupefactæ sunt, & diutiùs steterunt. Post hæc autem Iulia dixit: Putásne auditu audiuit Abbatissa, quia ex immissione illius, qui aliquando sponsus fuerat tuus, iussit Imperator te adduci ex monasterio, & propterea lamentantur? Cui Eupraxia respondit: Viuit Dominus meus Iesus Christus, quia si omnia regna *c* terræ moueantur, non mihi persuadere præualebunt, vt Christum Dominum meum derelinquam. Verumtamen, Domina mea Iulia, dum coquuntur panes, vade, vide fletus istos, vide quid contigerit, ne anima mea perturbetur.

a Commotionem de se esse apud Abbatissam & sanctimoniales. *ex MSS.* *b intelligit S. Eupraxiam.* *c adhærere Christo promittit.*

33 Illa verò pergens, & stans foris ante ianuas, audiuit Diaconissam somnium hoc modo referentem: Vidi, inquit, quasi duos boni schematis *d* viros huc aduenientes, qui quærebant Eupraxiam tollere, dixeruntque mihi: Dirige eam, quia Rex eâ opus habet. Rursum ergo & alij venientes, dixerunt mihi: Assumens tecum Eupraxiam, deduc eam ante Dominum: Quam mox assumens, properaui cum eis. Et cùm venissemus ad quamdam portam, cuius gloriam enarrare non valeo, spontè nobis aperta est, & ingressæ sumus. Vidimus autem ibi inenarrabile palatium cæleste, in quo & solium nuptiale non manu factum. Ego quidem interiùs appropinquare non potui: Eupraxiam verò assumentes, obtulerunt Domino: & procidens adorauit, & osculata est pedes eius immaculatos. Vidi ibi *e* myriades Angelorum, ac multitudinem Sanctorum innumerabilem, & omnes stabant respicientes: & vidi, & ecce mater Domini assumens Eupraxiam, adduxit eam ad thalamum nuptialem, in quo decoris coronam parabat, & audiui vocem ad Eupraxiam dicentem: Ecce merces tua. Nunc itaque perge, post decem dies veniens, fruêre his infinitis seculis. Et ideò, quia hodie nona dies est, ex quo visionem vidi, cras morietur Eupraxia.

per Iuliam sociam. *d* E *historiam visionis Abbatissæ facta de suo obitu & gloria cælesti* *e*

34 Audiens hæc Iulia recitantem secretè Abbatissam, tundens pectus suum & faciem, amarè deflens venit ad clibanum: & cùm vidisset eam flentem Eupraxia, dixit ad illam: Coniuro te per Filium Dei, Soror Iulia, indica mihi quid audisti, & quare plangis? Dixit ei Iulia: Plango, Domina mea, quia hodie separabimur à te: sicut enim audiui à Dominâ meâ Abbatissâ, cras morieris. Quod dum Eupraxia audisset, angustiata est, & pusillanimis facta, cecidit. Sedebat autem iuxta eam Iulia flens. Cui Eupraxia dixit: Soror, da mihi manum tuam, & leua me, & duc me vbi ligna sunt posita, & ibi me pone: & tolle panes de clibano, & porta in monasterium. Fecit Iulia hæc, & Diaconissæ non indicauit. Cùm ergo iaceret Eupraxia in pauimento, clamauit: Cur Domine abominatus es me peregrinam & orphanam? Cur despexisti me? Ecce tempus quando debebam cum diabolo pugnare, & anima mea à me expetitur. Misericors esto in me ancillâ tuâ, Domine Iesu Christe: dimitte vel vnum annum, quatenùs defleam peccata mea; quia sine pœnitentiâ sum, & ab omni pietate nudata. Non est in me opus salutis: nam nemo in inferno confitebitur tibi. Non est pœnitentia in sepulcro, non possum post mortem lacrymis præualere: non enim qui in inferno sunt laudabunt te, Domine, sed viuentes laudabunt nomen sanctum tuum. Dona mihi vel adhuc vnum annum, vt

intelligit. F *petit annò vno deflere peccata.*

A vt pœnitentiam agam; quia desolata sum sicut *f* ficulnea sine fructu. Cùm ergo defleret, audiens quædam Sororum, indicauit Abbatissæ atque Prioribus, quia Eupraxia prostrata in *g* repositorio lignorum, ita clamaret. Dixitque Iulia: Verè, Domina, audiuit quia cras morietur; propterea lamentatur. Dixit ergo Abbatissa Sororibus: Quis annuntiauit ei, & animam eius afflixit? Quis indicauit ei, & cor eius attriuit? Nónne vos rogaui, ne diceretis ei, donec eius hora veniret? Cur hoc fecistis & afflixistis animam eius? Ite, & adducite eam mihi. Illæ verò pergentes, dixerunt ei: Veni Domina Eupraxia, vocat te Abbatissa. Illa verò egressa est, plorans atque conturbata: & ingressa, adstitit Abbatissæ, deflens atque mœrens, & gemitibus nimis afflicta. Abbatissa verò respiciens eam, dixit: Quid habes, filia, quia sic ingemiscis? Eupraxia dixit: Plango me, Domina mea, quia sciuisti me morituram, & non indicasti mihi, vt plangerem peccata mea, cùm sim ab omnibus peccatis coinquinata. His dictis, se prostrauit in pauimentum, & tenuit pedes Abbatissæ, per quam omne consilium eius alacriter est perductum. Clamauitque Eupraxia, & dixit: Miserere mei, Domina, & deprecare Dominum, vt mihi concedat vel vnum annum: quia B sine pœnitentiâ sum, & nescio quæ me tenebræ cooperiant. Dixit ei Abbatissa: Viuit Dominus, quia cælesti senatu dignam te fecit rex tuus Christus. Et cœpit omnibus recitare, quibus bonis habet frui Eupraxia. Et rogabat eam, vt pro ipsâ Dominum supplicaret, quatenùs eius particeps esse mereretur. Orabat enim, vt cum eâ conuersaretur in illâ gloriâ cum Christo; & ipsis donis, quibus ipsa erat fruitura, & ipsa frueretur.

EX MSS.

Abbatissæ pedes amplectitur:

35 Eupraxia verò iacens ad pedes Abbatissæ, cœpit teneri frigore & rigore: post paullulum verò vehemens eam febris inuasit. Diaconissa verò Sororibus ait: Sumite eam, & ingrediamur in oratorium, quia iam appropinquat hora eius. Posuerunt ergo eam in oratorium, & obseruabant eam vsque ad vesperam. Vespere autem facto, cùm hora sumendi cibum iam aduenisset, præcepit Diaconissa, vt egrederentur panémque comederent, solummodò Iuliam secum retinens, ne aliquâ horâ relinquerent Eupraxiam: & clausis ianuis, vsque manè fuerunt cum eâ. Iulia verò rogabat Eupraxiam, dicens: Domina mi Soror, non obliuiscaris mei: memento quòd inseparabiliter tibi coniuncta sim semper super terram: supplica Deo pro me, vt me non separet à te. Memento quia ego tibi prouidi bona certamina. Deprecare Dominum, vt me absoluat ab hac sarcinâ carnis, vt merear tecum C abire cum fiduciâ.

infirmatur: defertur in oratorium:

rogatur à Iulia vt possit commori:

36 Manè verò facto, Diaconissa videns quia in nouissimâ respiratione esset Eupraxia vt moreretur, mandauit Sororibus per Iuliam, dicens: Venite Filiæ meæ, valefacite ei, quia iam deficit. Quæ venientes, valedixerunt ei, flentes dicentesque: Memento nostri, Domina Soror Eupraxia, nomen benedictum à Deo, qui te dilexit. Post omnes autem venit illa, quæ diu passa à dæmone fuerat, & per eam salua facta est: & lugens sicut & omnes, osculabatur manus eius, dicens; Istæ manus quantum mihi indignæ & peccatrici ministrauerunt: per Deum & per istas manus dæmonium expulsum est à me. Et cùm Eupraxia respondere non posset, dixit ei Abbatissa: Filia mea, non misereris vel huius Sororis? Quare non loqueris ei, quæ propter te ita tribulatur? Eupraxia verò respondit ad eam: Quare me luges, Domina Soror? Dimitte me requiescere, quia deficio: verumtamen tu time *h* Deum, & ipse te conseruabit. Et dixit: Ora pro me, quia magnum certamen est in animâ meâ in hac horâ. Cùm orasset Diaconissa, & omnes respondissent, Amen, reddidit animam. Erat autem annorum triginta *k*: sepelieruntque eam in tumulo, vbi & genitrix eius Eupraxia requiescebat: & glorificauerunt Deum, quia D promeruissent habere Sororem apud Deum.

accedentium sanctimonialium orationibus se commendat:

h

efflat animam tricennis:

k

37 Iulia verò magistra eius, tribus diebus flens, ab eius tumulo non recessit: hæc enim docuerat eam litteras & psalterium, & multùm eam diligebat, cùm eius esset discipula, atque ex genere Imperatoris. Quartâ verò die læta facta Iulia, accessit ad Abbatissam, & dixit ei: Domina mea, ora pro me, quia vocauit me Christus, intercedente beatâ Eupraxiâ pro me peccatrice. Et hæc dicens, osculata est cunctas Sorores. Quintâ autem die post obitum Eupraxiæ, defuncta est & magistra eius Iulia, & sepulta est in sepulcro, vbi posita erat beata Eupraxia.

quarta post die Iulia eam sequitur:

38 Post triginta verò dies euocans Diaconissa monasterij Priores, dixit ad eas: Filiæ meæ, eligite vobis Matrem, & constituite in locum meum, quæ vobis præesse possit. Illæ responderunt: Domina, pro quâ causâ hoc dicis, denuntia nobis: numquàm enim famulabus tuis hoc dixisti. Dixit eis Abbatissa: Vocat me Dominus: supplicauit enim pro me Domina Eupraxia, & multùm laborauit in suis precibus, quatenùs ego cælestem thalamum promererer. Nam & Iulia per S. Eupraxiam particeps eius effecta est, & ingressa est in illud palatium non manufactum: & ego festino digna fieri, & cum eis locum habere. Audientes Sorores de Eupraxiâ & Iuliâ, quia in maximâ essent gloriâ, gaudebant, & orabant pariter, vt & ipsæ mererentur ad E illum thalamum accedere. *l* Elegerunt ergo vnam Sororum, nomine Theogniam, quæ eis præesset. Quam euocans Abbatissa ad se, dixit ad eam: Ecce testimonium bonum, quod Sorores omnes de te dederunt, & posuerunt te ad principatum & præsulatum traditionis diuinę legis & in consequentiâ nostrâ. Coniuro te per intemeratam Trinitatem & consubstantialem, ne istius mundi quæras diuitias aut possessionem, neque occupes Sorores ad terrenas solicitudines: sed magis ut contemnentes temporalia bona, perpetua mereantur accipere. Et rursum Sororibus dixit: Quomodò perfectè nostis vitam & conuersationem Eupraxiæ, estote imitantes eam, vt participes eius efficiamini. Et cùm dixissent omnes, Amen, valedicens eis, intrauit oratorium: & claudens ianuas, præcepit vt vsque ad diluculum nulla illarum intraret. Manè autem facto ingressæ, inuenerunt eam obdormisse in Domino: & hymnum dicentes Domino, reposuerunt eam in sepulcro, vbi B. Eupraxia cõdita erat. Ab illâ autem die nequaquàm in illo tumulo alia sepelierunt corpora.

post triginta dies,

Abbatissa,

cum electam Abbatissam instruxisset,

l

obdormit in Domino:

39 Multa verò signa & sanitates fiebant in memorato sepulcro, & expulsi dæmones clamabant: Quia post mortem præualet contra nos Eupraxia, & persequitur nos. Hæc est reuerà Vita Eupraxiæ *m* matronæ, quæ cælesti senatui interesse promeruit. F Festinemus igitur & nos, tam Fratres quàm Sorores, huiusmodi conuersationem habere, & sectari humilitatem, obedientiam, laborem, mansuetudinem, longanimitatem; vt & nos ita Angelorum conuersationem mereamur, & cum gaudio magno fruamur Saluatore Domino nostro Iesu Christo: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

miracula ad sepulcrum Eupraxiæ.

m

a *Desunt Rosvveido vsque ad* rogare.
b *Παρὰ τῆς μεγάλης καὶ παρὰ τῶν πρεσβυτερίδων.*
c *Rosvveidus*, fundamenta.
d *Ἐν σχήμασι*, honesto habitu ac specie.
e *Ita habent Græca: Rosvveidus* dena millia: *MSS. duo* decies centena millia.
f *Idem*, sicut ficus sine adiutorio.
g *Εἰς τὴν ἀποθήκην τῶν ξύλων. MSS. duo in lignario.*
h *Rosvveidus*, benedic.
k *Hic & infrà num. 38 in Græcis est λʹ, 20. Sed nos huic numero diffidimus tum propter alibi dicta, tum propter ætatem 20 annorum expressam num. 6.*
l *MSS. Bertin. & Audomar.* Eugeniam.
m *Τῆς ὄντως συγκλητικῆς*, verè Senatoriæ.

DE

DE S. PIENTIO EPISCOPO
PICTAVIS IN GALLIA
EX VARIIS

POST AN. DXXI XIII MAR.

Pictauorum Episcopus,

1  *Itaniæ Pictonicæ, ab Henrico Ludouico Castanæo de la Rochepozay Pictauorum Episcopo continuatæ, dispositæ, quartâque editione anni* MDCXLII *notis additus illustratæ, post S. Michaelem, vniuersæ Christianæ Ecclesiæ tutelarem Angelum, & Petrum eiusdem in terris vice Christi rectorem ac Pictauensis Ecclesiæ Patronum specialem, Pictonumque Apostolum S. Martialem, inter Ecclesiæ illius Episcopos simili supplicationis formulâ inuocandos septimo loco proponunt* S. Pientium, *vulgò* Saint Pien: *atque in notis diem Martij* XIII *cultui eius assignant, &* obijsse in vrbe Metulo, quod nunc Melle dicitur, dum Diœcesim lustrat, ibidemque sepultum *docent. Honorabilem huius Sancti mentionem reperio in eo libro, quem de Vitâ S. Radegundis, apud Surium* XIII *Augusti, scripsit coæua Baudonivia his verbis*: Diuinâ inspiratione & Christi adiutorio Pictauis sibi monasterium construxit, *sancta videlicet Radegundis*: Clothario Rege iubente vt id fieret: quâ in re accelerandâ diligentem ei operam nauarunt iussu Regis Apostolicus Episcopus Pientius & Austrapius Dux.

S. Radegundim iuuat: B

per Austrapij ordinationem,

2 *Auctor est Gregorius Turonensis Historiæ Francorum lib. 4 cap. 18, quòd prædicti Regis Clotharij tempore iam nominatus Austrapius* ad clericatum accedens, apud Sellense castrum, quod in Pictauâ habetur diœcesi, fit ordinatus; vt decedente Pientio Antistite, qui tunc Pictauam regebat Ecclesiam, ipse succederet: sed Rex Charibertus (*videlicet post patris mortem anno* DXXI *regnum cum fratribus partitus, Parisiosque & hanc Aquitaniæ partem sortitus*) in aliud vertit sententiam. Deniq; cùm Pientius Episcopus ab hac luce migrasset apud Parisios ciuitatem, Pascentius, qui tunc Abbas erat basilicæ S. Hilarij, ei succedit ex iussu Chariberti, clamante frustrà Austrapio, sibi hunc redhiberi locum: sed parùm ei iactati profuêre sermones: ipse quoque regressus ad castrum suum, motâ super se Thæifalorum seditione, quos sæpè grauauerat, lanceâ sauciatus crudeliter vitam finiuit: diœceses verò suas Ecclesia Pictauia recepit.

diœcesis sua partem amittit;

apud Parisios mortuus C

3 *Hæc ille: quæ Ioannes Beslyus in Episcopis Pictauiensibus sic interpungit, vt non Pientius apud Parisios mortuus, sed Pascentius Pientio ibidem successisse intelligatur: verùm, cùm sensus alioqui clarissimus eiusmodi interpunctionis mutatione obscurus, ne dicam insulsus, reddatur: malumus priorem retinere, & mortuum apud Parisios Pientium asserere cum Saussayo, in Appendice ad Martyrologium Gallicanum: indeq; corpus, in eum, quem Castanæus morti eius assignat vicum, occasione aliquâ translatum credere; idque ibi mansisse, donec sacra omnia iconomachorum fœda barbaries per illas prouincias dispergeret ac profanaret. Est* Metulo *ad fluminis Butonij fontes, leucis Gallicis duodecim ab Vrbe Pictauiensi versùs Occidentem remotus,* Mesle *inscriptus topographicis tabulis & Alphabeto Francico P. Duual: cui proxima* Abbatia Celley *(si verè eius, quod apud Gregorium Turronensem* Sellense, *in Chronico autem MS Malleacensi* S. Celsi *dicitur, castri reliquias seruat) videri posset in eius viciniam delatum S. Pientij corpus, vt mortuus quodammodò reciperet possessionem Pictauiæ Superioris, quam viuus per Austrapij ordinationem amiserat.*

Metuli sepultus:

4 *Est in eadem Superiori Pictauiâ* Malliacus *insula, vulgò* Mallezays, *quam Antiza fluuius, in Rupellensem sinum paullò pòst refundendus, suo alueo complectitur, in eaq; Ordinis Benedictini cœnobium, à Guilielmo* IV *Aquitaniæ Duce in honorem S. Petri anno* MX *fundatum dotatumq; cuius Chronicon Petrus monachus conscripsit, & MS habuit Ioannes Beslyus. Hic ex eiusdem Chronici libro* 1, *qui de antiquitate insulæ Malleacensis inscribitur, capite* 6 *profert sequentia, non quidem satis certa omnia, sed quæ sufficiant ad antiquum S. Pientij cultum euidenter comprobandum. Verba autem hæc sunt*: Præterea in eadem insulâ alia cernitur ecclesia in honore B. Pientij, vt dicitur, Episcopi fundata, quæ ipsâ vetustate admodùm probatur antiqua. Cùm autem persona eiusdem fundatoris ecclesiæ, quisue B. fuerit Pientius quæritur, quantùm aduerto, vtriusque rei certitudo ab hominibus nescitur. Totius nempè vulgi ore prædicatur, quod Colliberti, de quibus superiùs dicebamus, eam ecclesiam ædificauerint, atque in eâ, quoties piscandi gratiâ illuc aduenissent, mysteria Missę audierint. Sed & de B. Pientio refertur, quòd cuiusdam custodis ecclesiæ B. Petri Pictauis fuerit filius, atque in eâdem, crescente religione vitæque merito, posteà officium susceperit Episcopatus. Verùm hæc vtrum sint vera, vt diximus, dubitatur.

E templum habet in insulâ Malleacensi.

Eiusdem natalis:

5 *At dubitari non potest quin Episcopus fuerit, & ipso titulo ecclesiæ sub nominis sui appellatione nuncupatæ constet, honorem ab Ecclesiâ Sanctis constitutum eidem vel synodali auctoritate, vel populi deuotâ religione attributum fuisse: quod hoc in opere potissimùm spectamus, ad quod proinde etiam pertinent Pientij cùm decessor Anthemius, tum successor (Pascentio Marulo atque Platone intermedijs) Fortunatus; hic* XIV *die Decembris, ille eiusdem mensis die* III *inter Sanctos memorandus.*

titulus Sancti. F

DE SANCTO LEANDRO
EPISCOPO HISPALENSI,
Commentarius historicus.

§ I *Cultus sacer & dies obitus. Libri conscripti. Iter Constantinopolitanum. Notitia cùm S. Gregorio Magno.*

SVB FINEM SECVLI VI. XIII MAR.

1 A*D diem* XXVII *Februarij, vt tum monuimus, S.* Leander Episcopus Hispalensis *inscriptus est Martyrologio Romano, itemque Bedæ excuso, Vsuardi, Adonis, VVandelberti,* Notkeri, *alijsque recentiorum quamplurimis: nosque pro eo die res ab eo gestas ex S. Gregorio, & Isidoro & alijs solidæ fidei scriptoribus colligere statueramus. Sed posteà deprehendimus ab nullâ Hispaniensi Ecclesiâ eo die coli. Verùm ab Ecclesiâ Hispalensi, cuius Antistes fuit, hoc die* XIII *Martij Officio duplici secundæ classis; à Carthaginensi, vnde erat oriundus, eodem die duplici item Officio celebratur.* Missale mixtum secundùm ordinem Almæ Primatis Ecclesię Toletanæ *Lugduni excusum anno* MDLI *in Kalendario præfixo ita habet ad* XIII *Martij*: Leandri

Nomen in Martyrologijs 27 Febr.

Cultus Ecclesiasticus 13 Martij.

A Leandri Episcopi Confessoris & Doctoris IV Capparum. *Consentit* Breuiarium secundùm Regulam B. Isidori, dictum Mozarabes, *excusum Toleti auctoritate Francisci Ximenes Archiepiscopi anno* MDII, *&* Missale mixtum secundùm Regulam B. Isidori, dictum Mozarabes, *excusum Toleti anno* MD *eiusdem Ximenes auctoritate. Sequuntur hæc recentiores quidam in suis Fastis ac Martyrologijs. Quamobrem & nos quoque illius Vitam distulimus in hunc* XIII *Martij: uti ea omnia inter Prætermissos & in alios dies reiectos die* XXVII *Februarij indicauimus. His addi possunt Flos Sanctorum seu Legenda, Hispanico sermone Hispali anno* MDXXXII *apud Ioannem Crombergerum recusa: item Flos Sanctorum ab Alphonso Villegas sæpius excusus, tum in Historiâ & antiquitatibus Hispalensibus Alphonsus Morgadus & Paulus de Espinosa, qui tradunt* S. Leandrum hoc XIII Martij ex hac vitâ in cęlos migrasse. *Reperimus Romæ in bibliothecâ Vallicellensi Patrum Congregationis Oratorij* Vitam S. Leandri Episcopi Hispalensis ex peruetusto Breuiario Romano *descriptam, in quâ dicitur* mortalis vitæ terminum clausisse die tertiâ Idus Martij: *pro quâ suspicamur alibi scriptũ fuisse* die tertiâ Kalend. Martij, *quæ est memorata* XXVII *dies Februarij. Errorem forsan fouit* S. Leander Martyr, *quem ex antiquissimis Martyrologijs ad illum diem retulimus cum SS.* Seruiliano & Datiano *Smyrnæ coronatum. Constat prætereà ex Vitâ in Breuiario Romano repertâ, antiquam huius in Ecclesiâ Romanâ venerationem extitisse diu ante ducentos annos, quia penès nos est Breuiarium Romanum Venetijs apud Franciscum Tennerum anno* MCCCCLXXIX *excusum: in quo tamen memoria S. Leandri non recolitur. Habemus etiam antiqua Breuiaria, aliud Ecclesiæ Burgensis in Hispaniâ anno* MDII *impressum, aliud Ecclesiæ Eborensis in Lusitaniâ anno* MDXLVIII *editum: in quo solennis cultus S. Leandri exhibetur ad hunc* XIII *Martij cum proprijs de illo Lectionibus; in quarum vltimâ legitur in Breuiario Eborensi* quieuisse tertio Idus Martij. *Denique Thomas de Trugillo in Thesauro concionum & Ioannes Marietta lib. 5 de Sanctis Hispaniæ cap. 19 eiusdem Vitam referunt ad hunc* XIII *Martij, quo eum mortuum scribit Trugillo. Et hæc de die obitus & veneratione sufficiant.*

& obitus eodem die notatus.

B

2 *Leandri Frater & in Episcopatu Hispalensi successor fuit S. Isidorus, qui libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 28 istud de eius vitâ & doctrinâ elogium habet:* Leander genitus patre Seueriano, Carthaginensis prouinciæ Hispaniæ, Professione monachus; & ex monacho Hispalensis Ecclesiæ, prouinciæ Bœticæ constitutus Episcopus, vir suauis eloquio, ingenio præstantissimus, vitâ quoque tantùm atque doctrinâ clarissimus, vt etiam fide eius atque industriâ populi gentis Gothorum ab Arianâ insaniâ ad fidem Catholicam reuerterentur. Hic namque in exilij sui peregrinatione composuit duos aduersùs hæreticorum dogmata libros, eruditione sacrarum Scripturarum ditissimos: in quibus vehementi stylo Arianæ impietatis confodit atque detegit prauitatem; ostendens scilicet, quid contra eosdem habeat Catholica Ecclesia, vel quantùm distet ab eis religione vel fidei sacramentis. Extat & aliud laudabile eius opusculum aduersùs instituta Arianorum: in quo propositis eorum dictis suas responsiones opponit. Prætereà edidit vnum ad Florentinam Sororem de Institutione Virginum & Contemptu mundi libellum, titulorum distinctionibus prænotatum. Siquidem & in Ecclesiasticis officijs idem non paruo elaborauit studio. In toto enim Psalterio duplici editione orationes conscripsit. In sacrificij quoque laudibus atque psalmis multa dulcisonè composuit. Scripsit & epistolas multas ad Papam Gregorium: de baptismo vnam, alteram ad fratrem, in quâ præmonet cuiquam mortem non esse timendam: ad ceteros quoque Coëpiscopos plurimas promulgauit familiares epistolas; etsi non satis splendidas verbis, acutas tamen sententijs. Floruit sub Reccaredo, viro religioso ac Principe glorioso: cuius etiam temporibus mirabili obitu actualis vitæ terminum clausit. *Hæc S. Isidorus eius frater iunior, ab ipso & S. Florentinâ sorore educatus, uti ad huius Vitam IV Aprilis discutietur: alius horum frater fuit S. Fulgentius, Episcopus Astigitanus & Carthaginensis: cuius Vitam dedimus* XIV *Ianuarij. At S. Florentina colitur* XX *Iunij, ad quem diem edidit in Martyrologio Hispanico* Tamaius *Salazar memoratum libellum S. Leandri de Institutione Virginum & Contemptu mundi: quam etiam Lucas Holstenius inseruit parti III Codicis Regularum, in quâ Sanctorum Patrum Regulæ ad Virgines continentur. Vtinam alia eius opera atque epistolæ extarent: ex quibus eius contra Arianos exantlati labores innotescerent.*

claret vita sanctitate & doctrinâ:

C

libros scribit:

D

habet Sanctos 2 fratres & Sororem.

3 *De his in peruetusto Breuiario Romano ista leguntur:* Cùm Arianæ hæresis feruorem tempore Leouigildi Regis Gothorum confutare B. Leander radicitus nequisset, pro confirmandis Sanctæ Trinitatis capitulis ad Constantinopolitani Præsulis cœtum transmeauit: vbi aderat Gregorius tunc vice Romani Pontificis agens, cũ quo ipse Leander amicitię fœdus pepigit, & ab eo postulauit, vt moralia Iobi sibi exponeret. *In Breuiario Eborensi dicitur* B. Leander de fidei negotijs Legatus à Wisegothis illuc missus. *Cum dicto Breuiario Romano consentit Lucas Tudensis in Chronico mundi: at quæ in Eborensi leguntur, eadem solum habet S. Gregorius in epistolâ, expositioni libri Iobi præfixâ, his verbis:* Reuerendissimo & sanctissimo Fratri suo Leandro Coëpiscopo Gregorius S. S. D. Dudum te, Frater beatissime, in Constantinopolitanâ vrbe cognoscens, cùm me illic Sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illuc iniuncta pro caussis fidei Wisigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus, quod mihi de me displicebat, exposui. *En legatio Leandri* pro caussis fidei: *non tamen eo tempore vllum scitur Constantinopoli fuisse Concilium; multò minùs, vt asserunt Trugillo & alij, Oecumenicum siue Vniuersale Constantinopolitanum II, quod anno* DLIII *de tribus Capitulis habitum est. Hic autem congressus SS. Gregorij & Leandri fuit tempore Pelagij II Romani Pontificis & Tiberij Imperatoris post annum* DLXXX, *quo anno, teste Gregorio Turonensi lib. 5. Histor. Franc. cap. 39*, magna Christianis in Hispanijs persecutio fuit. *At pergit S. Gregorius in dictâ epistolâ:* Tunc eisdem Fratribus, etiam cogente te, placuit, sicut ipse meministi, vt librum beati Iob exponere importunâ me petitione compellerent. *Et pluribus interpositis ista habet:* Quam expositionem recensendam tuæ beatitudini, non quia velut dignam debui, sed quia te petente memini promisisse, transmisi: in quâ quidquid tua sanctitas tepidum incultumq; repererit; tantò mihi celerrimè indulgeat, quantò hoc me ægrum dicere non ignorat.

adit Constantinopolim.

E

consessu fidei:

procuratur à S. Gregorio scribi moralia in Iobum.

§ II Conuersio S. Hermenigildi, dein Reccaredi Regis cum gente Gothorum. Synodus Toletana III.

4 *Regressus in Hispanias S. Leander, omnem industriam impendit in populo gentis Gothorum ab Arianâ vesaniâ ad fidem Catholicam conuertendo. Duxerat S. Hermenigildus Rex adhuc Arianus vxorem Ingundam, filiam Regis Austrasiorum Sigeberti, & Brunechildis amitæ suæ, huic circa annum* DLXV *nupta. Ingunda, etsi admodum iuuenis foret, in fide tamen Catholicâ adeò fuit stabilita, vt nec blandimentis nec minis aut verberibus potuerit peruerti. Tunc* Leuigildus, *vt suprà citatus Gregorius Turonensis tradit,* dedit eis vnam de ciuitatibus, in quâ residentes regnarent. Ad quam cùm abijssent, cœpit Ingundis prædicare viro suo, vt relictâ hæresis fallaciâ, Catholicæ legis veritatem agnosceret. Quod ille diu refutans, tandem commotus ad eius prædicationem, conuersus est ad legem Catholicam. *Hæc Turonensis: at S. Gregorius lib. 3 Dialog. cap. 31 totam hanc conuersionem attribuit S. Leandro his verbis:* Sicut multorum, qui ab Hispaniarum

S. Hermenigildus ab vxore ad fidem orthodoxam sollicitatur,

A rum partibus veniunt, relatione cognouimus, nuper Herminigildus Rex, Liuigildi Regis Wisigothorum filius, ab Arianâ hæresi ad fidem Catholicam viro reuerendissimo Leandro, Hispalitano Episcopo, dudum mihi in amicitijs familiariter iuncto, prædicante, conuersus est. Quem pater Arianus, vt ad eamdem hæresim rediret, & præmijs suadere & minis terrere conatus est. Cúmque ille constantissimè responderet, numquàm se veram fidem posse relinquere, quam semel agnouisset; iratus pater eum priuauit regno, rebusque expoliauit omnibus. *Hæc ibi, in quibus conuersio nuper facta, & amicitia dudum contracta, indicant, post S. Leandri ab vrbe Constantinopolitanâ reditum, S. Hermenigildum fidem amplexum Catholicam. Quæ ad eius diem natalem* XIII *Aprilis accuratiùs deducentur: quo die in Vigiliâ Paschatis interemptum arbitramur, saltem sub noctem præuiam Paschalis festiuitatis, cùm nocte præcedenti recusasset communionem sacrilegæ consecrationis ab Episcopo Ariano oblatam. Annus is est* DLXXXVI, *quo cyclo Lunæ* XVI, *Solis* VI, *& litterâ Dominicali G incidit Pascha Dominicæ Resurrectionis in diem* XIV *Aprilis. Exul tunc secundo aut tertio anno S. Leander scripsit duos contra Arianam hæresim libros.*

5 *Superfuit Leuigildus ad annum sequentem* DLXXXVII, *siue Æram Hispanicam* DCXXV, *vti asserit in Chronico Gothorum S. Isidorus, qui initium regni eius statuit* Æra DCVIII, *additque*, obijsse anno regni XVIII. *Hîc, teste S. Gregorio Papâ*, quia vera esset Catholica fides, agnouit, sed gentis suæ terrore perterritus, ad hanc peruenire non meruit. Qui obortâ ægritudine ad extrema perductus est: & Leandro Episcopo, quem priùs vehementer afflixerat, Richaredum Regem filium suum, quem in suâ hæresi reliquerat, commendare curauit; vt in ipso quoque talia faceret, qualia & in fratre suis exhortationibus fecisset. Quâ commendatione expletâ, defunctus est. *Gregorius Turonensis lib. 8 hist. Franc. cap. vltimo, iam tum in eâ scribendâ impeditus, ait*, aliquos asserere eum in legem Catholicam transijsse septem ante obitum diebus; *& tum* filium Richaredum pro eo regnasse anno Childeberti XII, Gunthramni XXVI, *qui est iam statutus annus* DLXXXVII. *Sed pergit S. Gregorius Papa*: Richaredus Rex non patrem perfidû, sed fratrem Martyrem sequens, ab Arianæ hæreseos prauitate conuersus est: totam quoque Wisegothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam prauitatem non timeret. *Tamaius Salazar ad diem* XIII *Aprilis pag. 615 adfert antiquam inscriptionem dedicatæ Toleti Ecclesiæ Cathedralis, ex quâ constat eam sub initium regni Reccaredi factam fuisse; quæ est eiusmodi*. In nomine Domini consecrata est ecclesia S. Mariæ in Catholico, die I Idus Aprilis, anno feliciter primo regni D. N. Gloriosissimi Flau. Reccaredi Regis, Æra DCXXV. *Erat eo ipso die annus elapsus ab Hermenigildi Regis martyrio, ac cadebat dies ille* XIII *Aprilis dicto anno* DLXXXVII *in secundam Dominicam post Pascha, die* XXX *Martij celebratam. Tunc ergo, vt suprà Isidorus tradit*, fide S. Leandri atque industriâ, populi gentis Gothorum ab Arianâ insaniâ ad fidem Catholicam sunt reuersi.

6 *Secuta est Synodus Toletana* III, *Episcoporum* LXII, *in quâ Gothi obiuratâ Arianæ hæreseos perfidiâ, orthodoxam fidem professi sunt, scriptique anathematismi* XXIII, *ac capitula totidem, quibus subijcitur edictum Reccaredi Regis de confirmatione Synodi, ac posteà omnia concluduntur illustri S. Leandri homiliâ in laudem Ecclesiæ ob conuersionem gentis Gothorum, quam infrà integram damus. Subscripserunt* Flauius Reccaredus Rex, Massona Ecclesiæ Emeritensis Metropolitanus, Euphemius Ecclesiæ Toletanæ Metropolitanus: *dein quarto loco & hac formulâ legitur*, Leander in Christi nomine Ecclesiæ Spalensis, Metropolitanus prouinciæ Bœticæ, his constitutionibus, quibus in vrbe Toletanâ interfui, annuens subscripsi. *De anno huius Synodi aliqua ob Æram Hispanicam & annum regni Reccaredi controuersia exorituri: ita quippe incipit Synodus*: In nomine Domini nostri Iesu Christi, anno IV regnante gloriosissimo Domino Reccaredo Rege, die octauo Iduum Maiarum, Æra DCXXVII, hęc sancta Synodus habita est in ciuitate regiâ Toletanâ ab Episcopis totius Hispaniæ vel Galliæ, qui infrà scripti sunt. *Quia verò suprà Æra* DCXXV *mense Aprili fuit primus annus regni Reccaredi, necessariò iam Æra* DCXXVII *debet conuenire in annum regni tertium, vt videatur loco puncti, post numerum* III *collocati, quarta vnitas accessisse, atque ita* IV *annus successisse apud amanuenses; & sic habita foret Synodus anno Christi* DLXXXIX. *Aut contrà, si quartus annus regni detineatur, constituenda foret Æra sequens* DCXXVIII, *& habita foret Synodus anno Christi* DXC. *in cuius mense Augusto annum regni octauum inchoauit Mauritius Imperator; ad quem annum Synodum hanc confert Ioannes Biclariensis sub finem Chronici his verbis*: Anno VIII Mauritij Imperatoris, qui est Reccaredi Regis IV annus, sancta Synodus Episcoporum totius Hispaniæ, Galliæ & Galletiæ in vrbe Toletanâ præcepto Principis Recaredi congregatur, Episcoporum LXXII. In quâ Synodo intererat memoratus Christianissimus Recaredus, ordinem conuersionis suæ & omnium Sacerdotum vel gentis Gothicæ confessionem tomo scriptam, manu suâ Episcopis porrigens, & omnia quæ ad professionem fidei orthodoxæ pertinent, innotescens: cuius tomi ordinem decreuit sancta Episcoporum Synodus canonicis applicare monumentis. Summa tamen Synodalis negotij penès S. Leandrum, Hispalensis Ecclesiæ Episcopum, & beatissimum Eutropium monasterij Seruitiani Abbatem fuit. *Hæc ibi. Interim optaremus seruare præfixum Synodo annum quartum regni Reccaredi & æram* DCXXVII. *Baronius eam ob caussam reijcit mortem Leuigildi & initium regni Reccaredi in annum Christi* DLXXXV, *imò apud Isidorum corrigit Æram* DCCXXV, *& vult substitui Æram* DCCXXIII, *quod fecit Iacobus du Breulin editione operum S. Isidori, factâ anno* MDCI. *Sed quidni correxit initium regni eiusdem Leuigildi? aut quorsum* obijsse *tradit* anno regni XVIII, *cùm mortuus esset anno regni* XVI? *Iterum annus regni Reccaredi* IV *non conuenisset in Æram* DCXXVII, *sed præcedentem* DCXXVI. *Prætereà Reccaredus non decessisset è vitâ anno* XV *regni & Æra* DCXL, *quia duorum iterum annorum discrepantia exoritur, & ita in sequentibus Regibus foret faciendum. Interim fauent sequentia Concilia*, Hispalense *Præside etiam S. Leandro habitum*, anno quinto regni Reccaredi, Æra DCXXVIII, primo Nonarum Nouembrium, *&* Cæsaraugustanum II *signatum* sub die Kalendarum Nouembrium Æra DCXXX, anno regni VII. *Quid ergo statuendum? Reccaredum arbitramur post martyrium S. Hermenigildi assumptum in consortem regni à patre Leuigildo, saltem ante diem* VIII *Iduum Maiarum, atque ita in Concilijs numerari annos eius: quos à morte patris solum cœpit digerere S. Isidorus, ne Chronicon Gothorum interturbaretur.*

§ III *Homilia S. Leandri de triumpho Ecclesiæ ob conuersionem Gothorum.*

7 FEstiuitatem hanc omnium esse solenniorem festiuitatum nouitas ipsa significat. Quoniam sicut noua est conuersio tantarum plebium caussa, & nobiliora sunt solita Ecclesiæ gaudia: nam multas solennitates per anni discursum celebrat Ecclesia: in quibus tametsi habeat gaudia consueta; noua verò, sicut in hac, non habet. Aliter enim gaudet de rebus semper possessis, aliter de lucris magnis hîc nuper inuentis. Pro quâ re & nos maioribus gaudijs eleuamur; quia repentè nouos Ecclesiam parturisse populos intuemur: & quorum asperitatem quondam gemebamus, de eorum nunc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudij nostri tribulationis præteritæ occasio

Margin notes: *conuersio*; *occisus anno 586.*; *Conuertit Reccaredum Regem,*; *(an etiam patrem Leuigildum mortuum anno 587?)*; *sub initium regiminis.*; *& gentem Gothorum:*; *interest Synodo Toletanæ,*; *quo anno*; *Gaudendum in aliorum conuersione cum Ecclesiâ:*

A sio fuit. Gemebamus dum grauaremur, dum exprobraremur: sed gemitus illi id egerunt, vt hi, qui per infidelitatem nobis erant sarcina, fierent nostra per suam conuersionem corona. Hoc enim gratulatiuè profert in Psalmis Ecclesia dicens: In tribulatione dilatasti

Psal. 4. 2 me: & Sara dum sæpè à Regibus concupiscitur, nec

Genes. 20 maculam pudicitiæ sentit, & Abraham causâ pulchritudinis suę diuitem facit: ab ipsis enim Regibus Abraham ditatur, à quibus Sara concupiscitur. Condignè ergo Ecclesia Catholica gentes, quas simul senserit, fidei suæ decore, ad sui eas sponsi, hoc est, Christi lucra transducit, & per ea regna suum virum diuitem reddit, per quæ se inquietari persenserit: sic enim dû ex initio lacessitur, vel inuidentium dētibus mordetur, dum premitur, eruditur, & dum insectatur, dilatatur; quoniam patientiâ suâ ęmulatores suos aut superat aut lucratur: dicit enim ad eam diuinus sermo: Multæ filiæ con-

hæc per persecutiones creuit.

Prou. 31. 29 gregauerunt diuitias, tu autem supergressa es vniuersas. Sed non mirum, quòd hæreses filiæ dicuntur, sed attendendum, quòd loco spinarum ponuntur: spinæ sunt, eò quòd foris à Dei paradiso, hoc est, extra Catholicam Ecclesiam nutriuntur: & hoc non lecturâ sensus nostri, sed Scripturæ diuinæ auctoritate pro-

Cant. 2. 2 B batur, dicente Salomone: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Ergo ne magnum vobis videretur, quod hæreses dixerit filias, continuò eas numerat esse spinas. Hæreses, inquam, aut in aliquem angulum mundi, aut in vnam gentem inueniuntur versari: Ecclesia verò Catholica, sicut per totum mundum tenditur, ita & omnium gentium societate constituitur. Rectè ergo hæreses in cauernis, quibus latent, congregant ex parte diuitias: Ecclesia autem Catholica in speculâ totius mundi locupletata, supergreditur vniuersis.

reductis hæreticis exultat:

8 Exulta ergo & lætare Ecclesia Dei: gaude & consurge vnum corpus Christi: induere fortitudine & iubila exultatione: quoniam tui mœrores in gaudium sunt mutati: tristitiæ habitus in amictum lætitiæ versus est. Ecce repentè oblita sterilitatis & paupertatis tuæ, vno partu populos innumeros genuisti Christo tuo: nam dispendijs tuis proficis, tuoque damno subcrescis: tantus denique est sponsus tuus, cuius imperio regeris, vt dum te patitur deprædari ad modicum, rursum prædam tuam ad te reducat, & hostes tuos tibi conquirat. Sic autem agricola, sic piscator, dum lucra attendit futura, quæ seminat, & quæ amodò ingesserit, non imputat damna. Tu proinde iam ne fleas, ne lugeas temporaliter quosdam recessisse à te, quos cernis cum magnis lucris redijsse ad te. Exulta ergo fidei confidentiâ & tui capitis merito:

C fide esto robustâ, dum quæ recolis olim repromissa, nunc cernis fuisse completa. Ait enim in Euangelio

Ioan. 11. 51 ipsa Veritas: Oportebat Christum mori pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Tu profectò in Psalmis proclamas, odientibus pacem dicens: Magnificate

Psal. 33. 4 Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in vnum.

Psal. 101. 23 Et rursum: In conueniendo populos in vnum & Reges, vt seruiant Domino.

8 Quàm dulcis sit caritas, quàm delectabilis vnitas, non nesciens per Prophetica vaticinia, per Euangelica oracula, per Apostolica documenta, non nisi connexionem gentium prædicas, non nisi vnitatem populorum suspiras, non nisi pacis & caritatis bona disseminas. Lætare ergo in Domino, eò quòd non sis fraudata desiderio tuo: nam quos tanto tempore, gemitu teste, & oratione continuâ concepisti, nunc post glaciem, post hiemem, post duritiem frigoris, post austeritatem niuis, velut iocundantium agrorum frugem & lætos veris flores, vel adridentes vinearum stipitibus palmites repentè in gaudio peperisti.

de laboribus fructus colligit:

9 Ergo, fratres, totâ caritate animi exultemus in Domino, & iubilemus Deo salutari nostro. De cetero per ea, quæ iam sublata sunt ea, quæ adhuc ex-

spes datur de conuersione totius orbis:

D pectantur implenda, vera esse credamus. Quæ enim Ioan. 10. 16 præfata sunt Domino dicente; Alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt sit vnus grex & vnus pastor; ecce contuemur fuisse completa. Pro quâ re non dubitemus totum mundum posse in Christo credere, atque ad vnam Ecclesiam conuenire. Quoniam rursus ipso testificante didicimus in Euangelio: Et prædicabitur, inquit, hoc Euange- Matth. 24. 14 gelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc, inquit, veniet consummatio. Si ergo remansit pars aliqua mundi vel gens barbara, quam fides non irradiauerit Christi, profectò credituram atque in vnam Ecclesiam esse venturam nullo modo dubitemus, si ea, quæ Dominus dixit, vera esse putamus. Ergo, fratres, reposita est loco malignitatis bonitas, & errori succurrit veritas: vt, quia superbia linguarum diuersitate ab vnione gentes separauerat, eas rursus gremio germanitatis colligeret caritas: & quemadmodum vnus possessor est totius mundi Dominus; ita & possessionis eius esset vnum cor & animus vnus. Pete à me, ait, & dabo tibi gentes hæredi- Psal. 2. 8. tatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: proptereà & ex vno homine propagatum est omne E hominum genus, vt qui ex vno illo procederent, vnum saperent, vnitatem quærerent & diligerent. Ordo ergo naturalis exposcit, vt qui ex vno homine trahunt originem, mutuam teneant caritatem: nec dissentiant à fidei veritate, qui non disiunguntur naturali propagine. Hæreses verò & diuisiones è fonte manant vitiorum: vnde quisquis ad lenitatem venit, ex vitio ad naturam redit: quia sicut naturæ est fieri ex pluribus vnitatem, sic est vitij fraternitatis declinare dulcedinem. Erogamur ergo totâ mente in gaudium: vt quia gentes studio decertandi perierant, sibimet in amicitiam Christus vnam Ecclesiam procuraret, in quâ eas rursus reduceret concordia caritatis. De hac profectò

consonant vaticinia,

Ecclesiâ vaticinatur Propheta, dicens: Domus mea, Isai. 56. 7 domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Et iterum: Erit, inquit, in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob. Mons enim Christus est, & domus Dei Iacob, vna Ecclesia est eius, ad quam & gentium concursum & populorum pronuntiat confluere conuentum: de quâ rursum in alio loco dicit Propheta: Surge, illuminare Isai. 60. 1 Hierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: & ambulabunt, ait, gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leua in F circuitum oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi: & ædificabunt, inquit, filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Qui vt notesceret, quæ ventura essent genti vel populo, quæ ab vnius Ecclesiæ communione recidissent, secutus est: Gens enim & regnum, quod non seruierit tibi, peribit. Alio denique loco similiter ait: Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & gentes, Isai. 55. 5 quæ non cognouerunt te, ad te current.

10 Vnus enim est Christus Dominus: cuius est vna per totum mundum Ecclesia sancta possessio. Ille igitur caput & ista corpus, de quibus in principio Genesis dicitur: Erunt duo in carne vnâ. Quod Aposto- Gen. 2. 24 lus in Christo intelligit & in Ecclesiâ. Dum ergo ex Eph. 5. 32 omnibus gentibus vnam vult Christus habere Ecclesiam, quicumque extraneus est ab eâ, licet Christi nomine nuncupetur, Christi tamen corporis compage non continetur. Hæresis enim, quæ respuit Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, eò quòd adulterino amore diligat Christum, non vxoris, sed concubinæ obtinet locum. Quoniam re verâ duos dicit Scriptura esse in carne vnâ, videlicet Christum & Ecclesiam: quo locum

Ecclesia vna in Christo.

A cum meretrix nullum inuenit tertium. Vna est enim, ait Christus, amica mea, vna est sponsa mea, vna est genitricis suæ filia. De quo item eadem Ecclesia pronuntiat, dicens: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Quærant nunc hæreses, à quo constuprentur, vel cuius sint prostibulum factæ: quoniam ab immaculato thoro recesserunt Christi. A quo quantò pretiosam esse nouimus copulam caritatis, tantò Deum hac celebritate laudemus: quòd gentes, pro quibus sanguis fusus est vnigeniti sui, non passus est extra vnum ouile diaboli dentibus deuorari. Lugeat igitur veternosus prædo suam prædam amisisse, quia impletum videmus, quod Prophetà vaticinante audiuimus: Equidem inquit, hæc captiuitas à forti tollitur, & quod ablatum fuerat à robusto, saluatur: parietem enim discordiæ, quem fabricauerat diabolus, pax Christi destruxit, & domus, quæ diuisione in mutuam certabat cædem, vno cum Christo lapide angulari coniungitur. Dicamus ergo omnes: Gloria in excelsis Deo, & in terrà pax hominibus bonæ voluntatis. Nullum enim præmium caritati compensatur. Inde omni gaudio præponitur, quia & caritas facta est, quæ omnium virtutum obtinet principatum. Superest autem, vt vnanimiter vnum omnes regnum effecti, tam pro stabilitate regni terreni, quàm felicitate regni cælestis Deum B precibus adeamus, vt regnum & gens, quæ Christum glorificauit in terris, glorificetur ab illo, non solùm in terris, sed etiam in cælis. Amen.

Cant. 6, 8

2, 16

tum hæreticorum pudore,

Isai. 49, 25

§ III. *Epistolæ S. Gregorij Papæ ad S. Leandrum. Huius obitus, sepultura, translationes.*

11 *Hactenus relata contigerant antequàm ad Summum Pontificatum assumeretur S. Gregorius Magnus: ad quem circa initium huius dignitatis indicatam à S. Isidoro epistolam de baptismo scripsit S. Leander: cui respondit sanctus Papa* Indictione IX mense Maio, *anno* DXCI. *Est ea epistola* 41, *libri* I *Registri, ex quà quid S. Leander ei scripserit colligimus: Ita illa incipit:* Respondere epistolis vestris totà intentione voluissem, nisi pastoralis curæ ita me labor attereret, vt mihi magis flere libeat, quàm aliquid dicere. Quod vestra quoque Reuerentia in ipso litterarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter scribo, quem vehementer diligo... Si ergo me, Frater carissime, diligis, tuæ mihi orationis in his fluctibus manum tende, vt quò laborantem me adiuues, ex ipsà vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas. Explere autem loquendo C nullatenùs valeo gaudium meum, quòd communem filium Recharedum gloriosissimum Regem ad Catholicam fidem integerrimà agnoui deuotione conuersum. Huius dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare me etiam, quem nescio, fecistis. Sed quia antiqui hostis insidias scitis, quoniam bellum durius contra victores proponit, nunc erga eumdem solertiùs Sanctitas vestra euigilet, vt benè cœpta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat, vt fidem cognitam vitæ quoque meritis teneat: & quia æterni regni ciuis sit operibus ostendat: quatenus post multa annorum curricula de regno ad regnum transeat. De trinà verò mersione baptismatis nihil verius responderi potest, quàm quòd ipsi sensistis: quia in vnà fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa... Dulcissimæ autem mihi fraternitati vestræ codices direxi, quorum notitiam subter inserui. Ea autem, quæ in beati Iob expositione dicta fuerant, & vobis dirigenda scribitis: quia hæc verbis sensibusque petentibus per homilias direxeram, vtcumque studui in librorum ductu n permutare, quæ nunc adhuc à librarijs conscribuntur. Et nisi portitoris præsentium

S. Gregorius scribit illi, vt suo primo amico:

gaudet ob conuersos Gothos:

approbat scripta de baptismo:

me festinatio coangustasset, cuncta vobis transmittere sine aliquà imminutione voluissem: maximè quia & hoc ipsum opus ad vestram Reuerentiam scripsi, vt ei, quem præ ceteris diligo, in meo iudicer labore desudasse. Præterea si vobis indulgeri tempora ab Ecclesiasticà occupatione cognoscitis, quid sit iam faciendum scitis: quamuis etiam absentem corpore, præsentem mihi te semper intueor: quia vultus tui imaginem intra cordis viscera impressam porto. Data mense Maij. D

faciendã innuit:

12 *Altera S. Gregorij ad S. Leandrum epistola, scripta Indictione* XIII, *anno* DXCIV *aut sequente, est* 45 *libri* 4: *quam hic vlterioris amoris tesseram adiungo, & est eiusmodi.* Quanto ardore videre te sitiam, quia valdè me diligis, in tui tabulis cordis legis. Sed quia longo terrarum spatio disiunctum te videre nequeo, vnum, quod mihi de te dictauit caritas, feci, vt librum regulæ pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi, & libros, quos in expositionem B. Iob iam dudum me fecisse cognouisti, Sanctitati tuæ cum communi Filio Probino Presbytero veniente transmitterem. Hos itaque Sanctitas tua studiosè percurrat, & peccata mea studiosiùs defleat, ne mihi culpæ grauioris sit, quòd quasi scire videor, quod agere prætermitto. In hac verò Ecclesià quantis caussarum tumultibus premor, ipsa caritati tuæ epistolæ meæ breuitas innotescit, quando ei parum loquor, quem magis omnibus diligo. E

mittit regulam pastoralem,

& expositionem Iobi;

13 *At quales reposuerit S. Leander litteras, indicat S. Gregorius epistolà* 123 *libri* 7, *cuius illud est exordium:* Sanctitatis tuæ suscepi epistolam, solius caritatis calamo scriptam. Ex corde enim lingua tinxerat, quod in chartæ paginà refundebat. Boni autem sapientisque viri, cùm legeretur, adfuerunt, quorum statim viscera in compunctione commota sunt. Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere: quia in illà epistolà tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur & mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat, qui fuerit ardor dicentis. Nisi enim priùs in se faces ardeant, alium non succendunt. Ibi ergo vidimus, quantà caritate tua mens arserit, quæ sic & alios accendit. Vitam verò vestram, cuius ego semper cum magnà veneratione reminiscor, minimè nouerant, sed eis altitudo vestri cordis patuit ex humilitate sermonis. *Et varijs interpositis sub finem ista habet:* De podagræ verò molestià Sanctitas vestra, vt scribit, affligitur: cuius dolore assiduo & ipse vehementer attritus sum. Sed facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæcumque fecimus ad memoriam delicta reuocamus: atque hæc non iam flagella, sed dona esse conspicimus, si quæ carnis delectatione peccauimus, carnis dolore purgemus. Præterea ex benedictione B. Petri Apostolorum Principis Pallium vobis transmisimus, ad sola Missarum solennia vtendum. Quo transmisso, valdè debui, qualiter vobis esset viuendum, admonere. Sed locutionem supprimo, quia verba moribus anteitis. Omnipotens Deus suà vos protectione custodiat, atque ad cælestis remunerationem patriæ cum multiplici animarum fructu perducat. Ego autem quantà occupatione deprimor ex debilitate, breuis attestatur epistola: in quà ei, quem multùm diligo, parum loquor. *Dein idem S. Gregorius in epistolà sequente* Rechàredo Regi Wisogothorum *inscriptà ista interserit:* Reuerendissimo Fratri & Coepiscopo nostro Leandro Pallium à B. Petri Apostoli Sede transmisimus, quod & antiquæ consuetudini & nostris moribus & eius bonitati atque grauitati debebamus. F

laudat eius epistolam caritate plenam:

consolatur ob podagram:

mittit Pallium.

14 *Datæ notantur hæ epistolæ Indictione* 2 *anno* 598 *aut sequente. Sed creduntur à nonnullis loco suo motæ, neque voluisse S. Gregorium tam diu differre aut missionem Pallij ad eum, quem præ ceteris & magis omnibus se dilexisse testatur: aut gratulationem Regi Reccaredo factam*

quando ob... S. Leandri:

A ob conuersionem ad fidem Catholicam, de quâ scripserat ad S. Leandrum in priore epistolâ anno DXCI. Accedit quod videatur S. Leandro vitâ functo successisse S. Isidorus frater anno DXCVI quem S. Hildefonsus libello de viris illustribus cap. 8 asserit ex certâ notitiâ annis ferè quadraginta tenuisse Pontificatus honorem. At Redemptus eius Clericus addit finem suum consummauisse in pace pridie Nonas Aprilis Lunâ XIX Æra DCLXXIV, hoc est anno DCXXXVI, cum demantur anni quadraginta, necesse est vt Episcopatum susceperit adhuc anno DXCVI, quo anno ex hoc calculo è vitâ discessisset S. Leander: non videtur autem potuisse fieri, vt eius obitus & successio S. Isidori latuissent S. Gregorium post tres quatuorúe annos. Obitus iterum S. Isidori confirmatur per successionē Honorati Episcopi, qui quinto Idus Ianuarij, anni Cinthilani Regis secundo Æra DCLXXVI subscripsit Concilio Toletano VI. vnde certum est S. Isidorum antè obijsse, saltem anno DCXXXVII, ad cuius diem natalem discuti ista accuratiùs poterunt: iam suffuit hæc indicasse & obitum S. Leandri assignare sub finem seculi sexti.

eximius virtutibus, 15 In suprà indicato peruetusto Breuiario Romano ista adhuc de virtutibus, obitu & sepulturâ S. Leandri memorantur: Sanctus verò Leander corpus suum in Dei seruitio quotidie macerabat: propter quod celebre nomen per totam Hispaniam obtinuit. Fuit enim vir timore plenus, prudentiâ summus, eleëmosynis deditus, in iudicijs æquus, in sententiâ parcus, in oratione iugis, & diuinis laudibus mirabilis, in dubietate diuinorum officiorum ad corrigendum facillimus, omnium Ecclesiarum defensor eximius, in comprimendis superbis erectus, in pietate multùm affluens, in riuis caritatis ita se carum exhibens, quòd ex caritate nulli postulanti aliquid denegauit. Floruit sub Recharedo viro religioso ac præcipuè glorioso, cuius temporibus mirabili obitu mortalis vitæ terminum Hispali clausit die tertiâ Idus Martij Æra DCXL, atque intra ecclesiam SS. Iustæ & Ruffinæ, in quâ diu Deo deseruierat, tumulatur: vbi multa beneficia ipsius & beatarum Virginum meritis præstantur. *sepultus in æde SS. Iustæ & Ruffinæ:* Hæc ibi. Coluntur SS. Iusta & Ruffina die XIX Iulij: in quarum ecclesiâ res præclarè à S. Leandro gestæ partim depictæ visuntur, partim versibus descriptæ leguntur, teste Antonio de Quintanaduenas in libro de Sanctis Hispalensibus. *translatum ad ædem Cathedralem.* Tradit vero idem auctor corpus S. Leandri ex dictâ SS. Iustæ & Ruffinæ ecclesiâ ad Cathedralem fuisse olim translatum, eiusq; Translationis memoriam in peruetusto Breuiario Hispalensi annonotari ad VI Aprilis: & dein cùm esset in sacello veteri nauis templi, transportatum fuisse anno MDXLIII die XI Nouembris in festo S. Martini ad aliud sacellum claustri versus occidentem: vnde iterum cum corporibus Regum anno MDLXXVIII illatum est in sacellum Deiparæ Virginis à Regibus cognominatæ, vbi sub altari maiori depositum asseruatur. Ast eius ecclesia gaudet se possidere sacrum caput argenteæ statuæ medij corporis inclusum. Hæc dictus Quintanaduenas. Meminit & Rodericus Carus lib. 2 Antiquitatum Hispalensium fol. 54 dictum S. Leandri corpus adseruari in sacello regio vnà cum corpore Sanctissimi Regis Ferdinandi gloriosi Conquæstoris istius regionis.

16 Hæc præcipua sunt, quæ de S. Leandro vt fide digniora reperimus. *Alia à varijs scripta.* Est aliqua eius Vita à Prudentio Sandonallio scripta & à Ioanne Horione Latinè translata, & à Christophoro Brouero edita: quam omittimus, quòd multa ex Maximo suppositio desumpta sint. Inter alia è constanti apud Hispanos famâ refertur à S. Gregorio missam ad Leandrum imaginem Virginis Dei parentis, quæ hodie Guadalupi visitur, singulare in his Castellæ regnis priscæ sanctimoniæ monumentum. De eâ imagine nonnulla attigimus ad diem XI Martij inter Prætermissos, vbi de Simone Rolando, alijs Simone Velâ actum est. De monachatu eius, cuius meminit S. Isidorus, varij varia inquirunt, quæ non indicamus opera pretium esse vt referantur.

DE S. MOCHOEMOCO, SEV PVLCHERIO

ABBATE LIATMORENSI IN HIBERNIA.

Commentarius præuius.

CIRCA MEDIVM SÆC. VII

XIII MAR.

S. Idæ nepos,



1 SExto æræ Christianæ sæculo in Momoniâ Hiberniæ prouinciâ S. Ita floruit, XV. Ian. à nobis relata, spiritu insignis prophetico & miraculorum gloria illustris: sed patriæ suæ haud paulò vtilior optimâ S. Mochœmoci nepotis educatione, quem suis precibus impetratum sorori pridem sterili filium, ipsa ad omnem virtutem egregiè informauit; donec ætate adultior, ad S. Comgalli Benchorensis Abbatis institutionem translatus, ita profecit, vt aptus inueniretur qui nouum Christo Duci exercitum collecturus, nouam virtutis palæstram iuberetur erigere: quod ille in Hellâ, extremæ ad Euro-Boream Momoniæ regione, felicissimè fecit Liathmorensi ibidem cœnobio constituto. *& S. Comgalli Benchor discipulus.* *Liatmorense cœnobium condit:* Ante finem seculi VI factum id concipiamus necesse est, siquidem anno DC ad superos hinc emigrasse Comgallum, Benthorensis monasterio ante annos quinquaginta fundatorem, demonstraturum se Colganus promittit.

2 Quo posito cùm S. Itam velint Annales Hibernici anno DLXIX vitâ functam esse, Mochœmocum autem eamdem protraxisse vsque ad annum DCLV: consequens esset eum, qui ante amitæ suæ mortem annos viginti expleuisset ætatis, centesimum vitæ annum supergressum fuisse cùm moreretur, aut fortè CXIV attigisse: *& post annum vitæ centesimum moritur,* vt non omnino reijcienda sit Colgani coniectura emendantis Hibernicum versum, quo annis quatuordecim supra quadringentos vixisse perhibetur, vnius numeri mutatione. Versum hunc Mariani Gormani Luthensis Abbatis hagiologio, metricè Hibernicâ linguâ conscripto, interpolatoris cuiusdam manu adiectum esse in margine, censet Colganus: vitiatum saltem esse nemo potest dubitare: quam pridem verò id factum sit, possemus indicare ex eorum ætate, quos Mendum istud in errorem abduxit; si quos nouerat Colganus, eos etiam nominasset scriptores.

3 Præter auctores Hibernicos, qui huius sancti ad hunc diem meminêre, meminit eiusdem in martyrologio Germanicè excuso Petrus Canisius his verbis: In Hiberniâ S. Confessoris Mothomagi, ex eoque Ferrarius in Catalogo: sed Mothemogum transcribens, citato Canisio, qui solus, inquit, inter omnes Martyrologiorum scriptores illius meminit, nullâ tamen loci aut temporis factâ mentione: *notus in Martyrologijs Germanicis Hibernicisq;* eoque satis indicat non esse à se visa Coloniensia Vsuardi per Hermannum Greuen Carthusianum aucti martyrologia anni 1515 & 1511; ex quibus Mothomogum scribentibus, Canisius nomen vitiosus transcripsit. Hibernica verò S. Ængussij & aliorum hagiologia, eodem hoc die XIII Martij, Mochœmoci successorem Cuangusium inter Sanctos recensent, mortuumque referunt annales partim anno DCCXLVI: *in quibus & S. Cuangusius successor.* qui annus cum integro ferè seculo distet ab eo, quem supra nominauimus, DCLV; euidens est hunc illi non successisse immediatè; vt mirum non sit nullam in S. Mochœmoci Actis Cuangusij fieri mentionem: de quo cùm alibi nihil quidpiam repererim, plura inquirere supersedeo, dum certioribus argumentis constet ecclesiastico eum Officio aut alio publico cultu fuisse suis venerabilem.

4 Quin neque fieri potuit vt illius meminissent Acta: *Acta vitæ à discipulo aliisue coæuo scripta,* quippe quæ eodem, quo S. Mochœmocus mortuus est, seculo esse conscripta, indicium habemus ex num. 34, vbi de S. Kainnicho, vnius diei iter ad S. Mochœmocum nullâ ferè temporis

A *temporis intercapedine emenso, sic loquitur:* Deus qui illum conduxit citissimè, ipse scit quid illi accidit; quia sibi & nobis latebat, nisi quod ipse viribus perambularet suis. *Atqui Sanctus hic decessit ante annum DC; de quo, tamquàm sibi dum viueret noto, scribere videtur huius Vitæ auctor, qui proinde æstimari potest ex primis S. Mochemoci discipulis aliquis fuisse. Certè nec Archiepiscopi titulus, Imleacensi tributus Episcopo, & posteà in Casselienſem translatus, horum Actorum derogat vetustati (dici enim potest seculo septimo Lageniis Mumoniisque ob frequentia cum Anglis commercia innotuisse honorificam hanc appellationem, Metropolitis Anglicanis à primâ ferè suâ institutione tributam) nec aliud quidquam in iis est vnde liquidò inferas recentiora illa esse: imò, quod est in scriptoribus Hibernicis rarum, nihil in his eisdem Actis tibi occurret, quod fidem auctoris suspectam reddat. Quamuis enim mira ac magna contineant: nullæ tamen miscentur circumstantiæ, quales in multis Sanctorum Hibernicorum Actis difficulter possumus excusare, quin fabulosum aliquid sonare fateamur.*

dia ex MS. Kilkenniensi: 5 *Acta hæc nobis communicata à R.P. Hugone Vardæo ex Codice Kilkenniensi damus, collata cum editione R. P. Ioannis Colgani in Actis Sanctorum Hiberniæ ad hunc diem: quæ quis scripsit, idem quoque videtur scripsisse nonnullas alias eiusdem Codicis Vitas, puta S. Ythæ & S. Maidoci: stylus enim omnibus illis similis, simplex & clarus, sed ad Grammatica* B *regulas minùs exactus; in eo præsertim quòd pro ablatino, vt vocant, absolutè sumpto frequentissimè nominandi casu in participiorum constructione vtatur. Pulcherij nomen, quod in hac & S. Ythæ vitâ crebriùs occurrit, idem Latinè sonat quod Hibernicum nomen Mochoemoci: an autem ab aliis quoque scriptoribus vsurpetur statuere non possumus ex iis, quos in Appendice Colganus laudat auctoribus, tamquàm S. Mochoemoci facientibus mentionem honorificam: nullius enim verba producit, nec ipse dicit quemquam eorum esse qui* Pulcherium *nominet.*

in quibus Latinum Pulcherij nomen.

VITA

Auctore Coætaneo Anonymo

Ex MS. Kill-kenniensi.

CAPVT I

S. Pulcherij conceptio, natiuitas, educatio sub amitæ S. Itæ curâ.

C 1 Eatissimus Abbas Mochœmoc de prouinciâ Connactorum, scilicet de gente Conmuhaicne *a*, paternam originem duxit; cuius pater patriam suam deseruit propter inimicitiam, & venit ad regionem Momoniæ, & habitauit in terrâ Hua-Conaill-Ghabhra cum suis, in plebe, quæ dicitur Corcobhaiskinn *b*. Ipse honorificus artifex in lignis & lapidibus erat, & audax in militiâ, cuius nomen Beoanus dicebatur. Ipse amauit quamdam pulchram fæminam, multùm pudicam & ingenuam de Momoniâ, videlicet de gente Nan-Desi, quæ erat soror sanctissimæ virginis Itæ. Ipsa fæmina vocabatur Nessa, quæ volebat viuere in castitate in æuum, sicut sanctæ virgines, quæ anteà virum nesciebant: sed sancta virgo Ita sua soror eam dedit Beoano in vxorem, egregio artifici: Beata enim Ita Dei prophetissa hoc sciebat nutu diuino esse.

Beoano artifici *a* *b* *ex sterili vxore Nessâ* *ab eius Sorore S. Itâ,*

2 Quodam tempore Beoanus artifex quoddam præclarum in monasterio S. Itæ construxit ædificium; quo peracto, ait ei S. Ita; Pete pretium, magister, quod vis pro tuæ artis labore. Ille ait; Promitte mihi in Christo, sancta Mater, quod petam. Et promisit ei virgo quidquid petiisset. Tunc Beoanus ait ad Sanctam Dei; scis tu ipsa pia Mater, quòd tua soror vxor mea sterilis est, & hæredem non habemus: roga ergo Deum pro nobis, vt filium habeamus. Ait ei sancta virgo; habebitis iam filium coram Deo & hominibus electum. Quod vaticinium post tempus completum est.

D *filius promittitur.*

3 Rex quidam crudelis nomine Crunmhoel, de Australi parte Hua-Conaill, multùm offendebat gentem, quæ dicitur Corcobhaskinn, & venit aliquando cum multo exercitu deuastare istam plebem; & fecit cædem magnam in militibus sibi resistentibus; inter quos Beoanus artifex decollatus est. Vxor autem sua adhuc erat sterilis & non habebat hæredem; quæ venit ad stragem cum suis quærere cadauer mariti sui: inueniens iam caput, corpus cognoscere non potuit. Quod duxit secum & ostendit S. Itę sorori suæ, flens & dicens; Non hoc, cara soror, promisisti nobis, dicens, quod iste dimitteret filium post se: & ecce vulua mea sterilitate clausa manet, cùm ipse sit occisus. Cui ait S. Ita; Noli soror flere; potens est Deus nos adiuuare & meum promissum implere. Vade igitur & compone caput ad corpus suum. Nessa soror sua respondit S. Itę; vtique non possumus corpus eius agnoscere in magnâ occisorum strage, prę E nimio sanguinis cruore. Ait sancta virgo: Voca eum nomine suo ter in memoriâ Sanctissimæ Trinitatis, & surget ad te, & veniet; & superpones ei caput, & dicet tibi; O mulier quid clamasti me? bene enim habui. Et secundùm hoc præceptum fecit fæmina. Et ille valens animâ & corpore sano & integro, perficiente Dei potentiâ, ait ad vxorem suam, quod dixit sancta prophetissa Ita *c*.

interim Beoanus in pugnâ cadit, *caput abscissum ad S. Itam fertur,* *qua iubet illud trunco suo aptari,* *& redintegro* *c*

4 Deinde ipse & sua coniux simul perrexerunt, & venerunt ad S. Itam gratias agentes & genua curuantes. Dixit B. Ita; Vis remanere, amice, in hâc vitâ, an vt nunc ad cælum pergas? Respondit ei Beoanus, dicens: Pro nihilo hunc totum mundum computo, & velut fumum in comparatione gaudij æterni. Tunc ait ei S. Ita; Bonum est tamen, vt pretium, quod promisi, tibi reddatur. Ibi S. Ita lauit eum aquâ, & posteà nullum in eo vulnus inuentum est: & benedixit eum, & consecrauit, & misit eum cum vxore suâ in domum suam. Et ipse Beoanus dormiuit cum vxore suâ: & aperiens Dominus vuluam eius, ipsa filium plenum Dei gratiâ ac venerabilem concepit.

benedicit ad filium procreandum,

5 Tunc temporis S. Fachnanus *d* sapiens & probus aliquo euentu factus est cæcus, & nihil videbat. Ipse Sanctus in Australi Hiberniæ plagâ iuxta mare in suo monasterio, quod ipse fundauit, (vbi creuit ciuitas, in quâ semper manet magnum studium scholarium, quæ dicitur Ross-alithre) habitabat. Ibi iam F S. Fachnanus fudit ad Dominum orationem, vt ostenderet sibi medicinam, quâ lumen oculorum reciperet suorum. Deinde Angelus Domini venit ad eum, dicens; Non poteris sanitatem oculorum inuenire tuorum, nisi oculos & faciem tuam laueris lacte vberum vxoris Beoani artificis, quæ etiam nunquàm peperit; sed dono Dei modo sanctum habet in vtero conceptum. Et hæc Angelus dicens abcessit. Sanctus autem Dei non cognoscebat Beoanum artificem, & nesciebat in quâ regione Hiberniæ ipse habitabat, vt indicabat ei Angelus.

d *S. Fachnanus cæcus effectus,* *lacte Nessæ prægnantis*

6 Et ait ad suos Sanctus: Scio quid faciam; ibo ad Dei Prophetissam B. Itam, & ipsa mihi indicabit quęstionem meam. Et direxit ad S. Itam iter suum, viâ quinque dierum *e*. Et cùm intraret plebem Corcobaiskind, audierunt discipuli eius homines in quodam molendino Beoanum nominantes artificem; & ipsi eos interrogauerunt si cognoscerent illum Beoanum artificem, vel si scirent vbi ipse habitaret? Tunc vnus illorum ait eis: Videtis illam mulierem ad villam euntem? Respondentibus illis, Videmus; ait eis: Ipsa est

e *& petito per S. Itam indicio inuento,*

AVCTORE COÆVO EX MS.

A Beoani vxor artificis. Currit tunc illorum vnus post illam, dicens ei: Expecta felix fæmina paulisper, donec sanctus senior noster veniat, qui te vult salutare. Illa stetit in loco dicens: Verè magna est mihi felicitas quòd me Dei famulus vult salutare. Sanctus iam veniens Fachnanus interrogauit illam, si ipsa Beoani artificis vxor esset? Illa respondit suo more sobriè & pudicè: Ego sum, Domine. Sanctus ait: Habesnè in vtero conceptum? Ait ei: Dominus Deus suâ bonitate mihi sterili concessit habere.

7 Tunc Sanctus indicans seipsum suo nomine, ei narrauit quæ sibi acciderant. Beata fæmina ait ei: Domine, vbera non dant adhuc lac. Sanctus ad eam inquit: In nomine Sanctissimæ Trinitatis & per tui sanctitatem partus, mulge ea, & pro re certâ lac dabunt. Illa agens iuxta viri Dei verbum, sua vbera vbertim lac fuderunt. Lauans igitur Sanctus lacte vberum B. Nessæ, vxoris Beoani artificis oculos suos, ibi illicò lumen recepit: & videns lucidè cælum & terram, gratias egit Deo suo, & benedixit illam fæminam & suum conceptum: & commendans per eamdem fæminam Nessam orationem suam, & benedictionem S. Itæ, reuersus est gaudens in Christo cum suis ad Monasterium suum.

oculos vngens visum recipit:

B 8 Cùm B. Nessa partui proxima esset, venit cum suo marito ad monasterium S. Itæ alloquentes eam: cúmque reuersi essent, tenuerunt dolores partus Nessam; & sedit in curru: cumque S. Ita sonitum currus audiuisset *f*, ait suis; Sub rege sonat iste currus: videte sub quo currit. Nuntij reuertentes ad Sanctam Dei dixerunt; Soror tua Nessa sola sedet in curru. Sancta ait: Verè sub rege sonat; quia filius, qui in vtero eius est, in regno cæli Dei gratiâ magnus sedebit.

ipsa Sororis benedictione munita, *f*

9 Veniens illa ad domum suam, peperit filium gratiâ plenum: & crastino die nuntiatum est S. Itæ quòd Soror sua Nessa parturijsset filium: Et Sancta multùm gauisa est, dicens: Vnde meruit Beoanus vt haberet talem filium, qui coram Deo & hominibus magnus erit, cuius memoria erit in æternum? Et addidit dicens: Ipse erit pulcher & senex. Inde dederunt ei nomen primum id est, Coemhghin *g*: sed hoc nomen euertit ipsa Sancta Dei, vocans eum per dilectionem nomine, quo vulgò nominatur, id est, Mochoemoc: quod Latinè dicitur, Meus pulcher iuuenis *h*. A fonte iam baptismatis gratia Dei in signis & prodigijs cum eo apparuit.

parit Mochoemocum seu Pulcherium: *g* *h*

10 Quodam siquidem die mater eius pergens foras, reliquit filiolum suum in conclaui solum dormire; retrò autem aspiciens, vidit globum igneum per domum sursum ascendere. Celeriter recurrens ad domum & clamans, ignis euanuit, & nullo modo apparuit: sed inuenit paruulum vultu hilarem, formâ rubicundâ, vt nec posset videre, vel attingere eum. Hoc modo ostensum est matri suæ. Omnes hoc videntes vel audientes non dubitabant sanctum infantulum igne sancti Spiritus visitari.

qui cælestis ignis globo collustratus, C

11 Post hæc pater & mater eius ad S. Itam venerunt, dicentes: Gratia Dei, ó Domina, in tuo puerulo, nostro filiolo, mirabiliter apparet, & non est conueniens nostris moribus carnalibus, & non potest nobiscum habitare: quia nos sumus carnales, ipse verò spiritualis. Quibus S. Ita ait: Ducite illum huc: me enim oportet nutrire eum: & per viginti annos Beatissima Abbatissa Ita in moribus honestis scientiâque litterarum instruit eum Deo, nominans eum nomine, de quo suprà diximus, Mochoemhog, vt Sacerdos fieret, & locum Deo ædificaret. Et prædixit Sancta Dei, quòd in hoc loco, in quo S. Mochoem hog ad cælum migraret, ciuitas in honore eius cresceret ibi. S. Mochoemhog ait ei: Fiet, pia mater, sicut tu dicis.

ad annum æt. 20 sub amita institutione manet:

a *Sumpsit ea originem à Conmaco, inquit Colganus, Vltoniæ Rege, qui regno pulsus à priuigno, & dux militia in Connaciâ sub Alildo, complures illustres tota in Hibernia familias de se propagauit: à cuius primogenito patri cognomine vasta olim regio Conmaicne dicta sit, nomine ex parte adhuc superstite in Galuiensi Comitatu.* D

b *Est ea regio (vt liquet ex S. Senani Vita* VIII *Martij) ad Borealem Sinanni ripam, eiq́; ad alteram ripam obiecta est ea, quæ simpliciter dicitur Hiconallia, atque ab Tuamonia, quæ hîc vocatur Hiconallia-Gabra, dirimitur amplo illo quinque ferè milliarium æstuario. Mirum est autem ex hoc loco inferre Colganum sub vno Domino fuisse vtramque regionem, quando ista scribebantur: cùm in Vita S. Itæ, quam ab eodem putat esse auctore, vtriusque gentis duces bello inter se decertasse narrentur. Eam Vitam dedimus* XV *Ianuarij, quo colitur, in eaq́; vidimus num.* 16 *eadem ferè, quæ hîc de Pulcherij parentibus narrantur, contractiùs tradita.*

c *Sed ibidem dicitur ipsa. Ita exiuisse in campum: quæsiuisse caput, quod se ad eius preces eleuarit in aëra, truncoq́; superimpositum à Sancta, eidem adhæserit; ac demum post horæ vnius spatium vitæ restitutum esse, qui mortuus fuerat.*

d *Colitur,* Colgano *teste,* XIV *Augusti: quo die plura dicemus de eius monasterio & ciuitate, in hunc vsque diem Episcopali, etsi multùm imminuta.*

e *Tacet auctor quòd S. Ita indicauerit, locum in quo esset Beoani vxor inuenienda: sed hoc satis clarè deducitur ex eo quod subiungitur: &* cùm intraret plebem Corcobaiskind: *quia huc non potuit perueniri, nisi transito æstuario cis quod B. Ita suum habebat in Hiconallia monasterium: vt priùs fuerit hac transeundum quàm illuc veniretur.* E

f *Vide simile quid circa S. Brigidam.* 1 *Febr. S. Coemgallum* X *Maij, S Maidocum* XXXI *Ianuarij & quod in Commentario ad Acta S.* Patricij *dicemus huc applica.*

g *Id est,* Pulcher natus, *inquit Colganus.*

h Mo *enim, vt obseruatum sæpiùs, particula est indicans amorem, obseruantiam, vel possessionem rei cui præfigitur, in nominibus proprijs apud veteres Hibernos vsitatissima.*

CAPVT II

Fit monachus sub S. Comgallo: cellam in Enchatrum, monasterium in Liath-mor ædificat.

12 TVnc cum benedictione & licentiâ parentum suorum & gloriosæ nutricis suæ Itæ, quæ sua matertera erat, acceptis quinque discipulis secum in aquilonarem Hiberniæ plagam, id est, in prouinciam Vltorum ad sanctum Abbatem multorum monachorum Comgallum *a* S. Pulcherius perrexit. Sanctus autem Comgallus accepit eum cum lætitiâ, & apud ipsum post plurimos dies S. Pulcherius ordinatus est Sacerdos.

Monachus sub S. Comgallo factus, a

13 Quâdam die S. Comgallus & S. Pulcherius simul orantes, Prior monasterij sui, in quo tunc erant illi, venit ad eos, dicens; Miror multum, ô amici Dei, visionem, quam Dei concessione iam vidi in viâ, quâ veniebam, & inde timore & horrore mea mens turbatur. Vnum enim dæmonem super castellum Regis, quasi in otio sedentem vidi; multitudo autem maxima dæmonum, supra circuitum huius nostri monasterij, quasi parata ad prælium constat atrociter. Gratia iam Dei illi Priori ostendit hanc visionem; sed species eius immutata est timore & horrore dæmonum. Tacens adhuc S. Pater Comgallus, ait S. Pulcherius; Surgamus, Pater, & agamus Deo gratias; quia fratres seruitium Dei tenent, & in nos iniquum surgit odium, quando diabolus multitudinem dæmonum ad locum nostrum congregat. Vbi autem diabolo inseruitur, vnus dæmon ibi in otio videtur, quasi præpositus expectans seruitium suum. Illuc enim mittit Rex milites suos in armis bellicosis, vbi contra eum fortiter pugnatur: vbi autem pacem habet, illuc tantum nuntium mittit. Ita iam agit Diabolus contra resistentes sibi.

visionem de vno dæmone aulam regiam, F *multis monasterium obsidentibus,*

14 Tunc ait sanctus senior Comgallus: Veraciter fili, quod Deus seruo suo ostendit, exposuisti: Ait ei S. Pulcherius; Surge Pater & arma spiritualia nostra fortiter

aptè exponit;

A fortiter teneamus & oremus ad Christum, vt videant Fratres virtute Christi dæmones hinc fugientes, & vt ipsi in Christum nobiscum confidant; hoc videntes cum Priore suo. Tu circumda monasterium à sinistrâ, ego autem ad dextram: & proijciamus dæmones, imperantes eis in Christi nomine, ne huc iterùm se congregent vsque ad diem Iudicij. Sic agentes Sancti, multi viderunt dæmones scurriles in fugam: & peruenientes ad castellum Regis sederunt ibi quasi in præsidio. Fratres hoc videntes, & deinde audientes, multum firmati sunt in Christo. Illud castellum Rath-Theammain vocatur, in quo erat Rex Vltorum: monasterium autem vocatur Beanchor, in quo & in cellis sub S. Comgallo tria millia Monachorum fuisse perhibentur *b*.

dimittitur ad noui monasterij erectionem,

15 Postquàm hoc vidit S. Pater Comgallus, dixit ad B. Pulcherium: Fili, patrem aliorum oportet te esse, & locum Dei ædificare, vbi ipse tibi annuerit. Et missi sunt simul hi Patres cum suis discipulis à S. Comgallo, vt in diuersis locis per Hiberniam Christi famulos nutrirent, id est, S. Pulcherius, & Beatissimus Lachteanus *c*, qui fundauit egregium Monasterium Achadhur, id est, ager viridis seu mollis, propter humiditatem riuulorum, qui transeunt ibi; & multa alia sancta loca ab eo constructa sunt; & S. Molua *d*, filius Cochei, & S. Finnbharrus *e*, & S. Luctichernus *f*: B hi omnes probati inuenti sunt in Christo Iesu.

ædificat in Enachtrum,

16 Sanctus quoque Pulcherius cum monachis suis ad locum, nomine Enachtrum *g*, qui est in monte Bladhma *h* in regione Lageniensium, venit, & cœpit ibi cellam ædificare. Quidam verò sæcularis homo venit ad eum dicens; Noli hîc in cassum laborare: quia locus iste tuus non erit. Cui S. Pulcherius dixit: Hîc iam manebo, donec quis manum meam trahens, me vi expellendo teneat. Tunc ille tenuit manum viri Dei, volens expellere eum. Ait ei S. Pulcherius; quo nomine vocaris, o homo? Ille ait: Bronach est nomen meum, quod Latinè dicitur tristis. Cui dixit vir sanctus; Congruum tibi nomen habes; quia hîc & in futuro tristis eris. Tu hinc iam Dei nutu & generatio tua à Duce huius regionis eris expulsus: ego verò ero in hoc loco, donec vir Dei, Coemhanus *i* nomine, ad me veniat: cui dimittam hunc locum, qui erit agnominatus, ex hoc loco, cuius resurrectio erit hîc. Ille homo audiens talem prophetiam, & sciens suum reatum contra Ducem, sine pœnitentiâ post iniuriam factam in irâ recessit; & illicò contigerunt ei omnia, quæ prædixerat vir sanctus. Et cum B. Coemhanus ad S. Pulcherium illuc venisset, dimisit ei locum illum; qui mansit ibi in magnâ sanctitate vsque ad obitum C suum; sanctus verò Pulcherius ad regionem Mumoniæ perrexit.

locum S. Coemhano cessurus.

In Heliâ regione

17 Veniens siquidem S. Pulcherius ad Orientalem plagam Mumoniæ, quæ dicitur *k* Eile, contra Occidentalem terram Laginensium, quæ Osfraighi nominatur, accepit ibi locum, qui vocatur Cluain-mor. Demùm vir sanctus Pulcherius perrexit salutare quemdam potentem Dominum, nomine Coemhanum, manentem prope in suo castro, quod dicitur Raith-eanaigh. Ille vir religiosus & fidelis erat, & ecclesiam habebat in suo castello; qui benignè suscepit virum Dei & honorificauit eum. Manens itaque sanctus vir in quodam noctis spatio in illâ ecclesiâ, vxor Coembani respiciens foras de solario, vidit ecclesiam muro igneo circumdari omni parte: & vocauit virum suum, & vidit ipse similiter. Tunc intellexerunt se mirabilem hospitem habere; & ipse visitatione Angelorum stans in ecclesiâ visitatur: & mirantes reuersi sunt, & Deo gratias egerunt. Crastinâ autem die vir ille dixit ad S. Pulcherium: Domine scimus, quia homo Dei es, & multi venient ad te, & non poteris spatiosum in hâc plebe meâ angustâ locum inuenire: sed amabo eamus ad Dominum meum, Ducem regionis Eile, vt det ipse tibi locum aptum & spatiosum: & hoc placuit viro Dei.

cælesti lumine cognitus,

D

AVCTORE COÆVO EX MS.

oblatam sibi ab Duce arcem respuit;

18 Antequàm ipsi venissent ad Ducem, suus magus dixit ad Ducem; Vir quidam ad te, Domine, hodie veniet; & si permiseris eum habitare in hâc regione, potestas huius terræ continget ei, & potens erit, & Dominus tuæ regionis semper. Dixit Dux ad magum; si ipse in armis venerit ad me, fortiter resistam ei: sin autem mitis prædicator Christi, cui credidimus, simpliciter venerit, mihi placet. Posteà S. Pulcherius cum suo ductore ad castrum Ducis peruenit, & Dux videns eum, lætus multùm in aduentu eius effectus est, & genua flexit ante pedes Sancti. Dux verò audiens S. Pulcherium, repletus Spiritu sancto ait; Serue Dei viui, ecce offero tibi arcem meam regalem cum omnibus, quæ in ea sunt, & cum agris suis. Cui vir sanctus ait; Gratias Deo agamus pro bonitate tuâ, cultor Christianæ fidei; sed tamen hîc non ero neque castrum tuum accipiam, sed quære mihi aptum locum in deserto; quia plus mihi placet.

desertum donatum admittit,

19 Post hæc Dux ait: Habeo quemdam locum in deserto valdè secretum, magnâ & densissimâ syluâ consitum iuxta grunnam stagni Lurgan positum, & ipsum tibi & Deo offero cum terminis suis, si placet tibi. Et hoc sancto Dei multùm placuit; & iussit Dux E subulco suo, qui bene sciebat deserta, ducere sanctum Dei cum discipulis suis ad prædictum locum; qui renuit, dicens: Non possum ire Domine cum eo, quia plurimi porcorum meorum desunt, quos debeo quærere, nesciens quid illis accidit. Cui Sanctus ait; Veni mecum, & cùm reuersus fueris, inuenies porcos tuos omnes, quos quæris, in plateâ huius castri incolumes. Subulcus iam credens verbis Sancti, lætus perrexit cum eo; & cùm reuersus esset cum benedictione, porcos suos, sicut dictum est sibi, inuenit.

& cymbali indicio,

20 Cum iam peruenit sanctus Pulcherius ad illum locum, cymbalum suum clarè sonuit. Veniens enim à nutrice suâ sanctâ Virgine Itâ sanctus vir Pulcherius, ipsa cymbalum paruum dedit ei, dicens; Hoc cymbalum mutum erit, donec peruenies, fili, ad locum resurrectionis tuæ: ibi autem clarè sonabit. Audiens autem vir Dei vocem cymbali sui, gaudens Christo gratias egit: sciens se resurrecturum ibi. Illicò S. Pulcherius inuenit illic sub vmbra cuiusdam arboris maximum aprum setis suis valde canum; qui deponens feritatem suam, mansuetus stetit ante Sanctum Dei. Tunc ad discipulos ait Sanctus: Sicut est color apri istius, ita erit nomen loci huius in æternum. Canus enim Latinè, Liath Scoticè dicitur, & nominatur ipse locus eodem nomine, id est Liath. In primis triduano ieiunio S. Pulcherius ipsum locum Deo consecrauit. F

Liathmor construit,

in loco angelicis apparitionibus pridem honorato,

21 Visitatio Angelorum anteà frequentabat ipsum locum, quod ostensum est S. Episcopo *l* Colmano, filio Daire. Ipse enim erat in suo monasterio, quod Scoticè dicitur Doire-mor, id est, nemus magnum: & est positum in confinio Mumuniensium & Lageniensium, sed tamen positum est in regione Mumuniensium, in regione scilicet Eile. Qui Colmanus Episcopus de gente regali Mumoniæ, id est, Eoganacht natus est. Quidam de fratribus eiusdem Episcopi perlustrans prædictam syluam, antequam illuc venisset S. Pulcherius, detulit inde dulcia poma: & dedit ea sancto Episcopo: interrogãs eũ Episcopus vnde attulit poma? ille inquit; De illâ syluâ attuli tibi Domine. Tunc ait ei S. Colmanus Episcopus; Multitudo Angelorum ascendentium & descendentium sæpiùs mihi de illâ syluâ apparet, quasi examen apum: ibi iam erit magnus de familiâ Domini exercitus. Ille ait; Da mihi pater licentiam eundi illuc, & manendi illic. Ait ei S. Colmanus; Vade in pace, & si potueris ibi habitare, vadam ipse ad te, vt sit ibi resurrectio nostra. Ille autem quinque monachos incipientes operari ibi inuenit,

AVCTORE COÆVO EX MS.

A uenit, quos videns nihil moratus reuersus est, & indicauit Colmano Episcopo. Beatus Colmanus dixit ei; ille locus à Deo seruatus est illis: Vade igitur, Frater, & interroga Abbatem illorum, si ipse veniet ad me, an ego ibo ad illum? Hoc audiens S. Abbas Pulcherius ait; Ego ad summum Pontificem ibo: ego enim debeo sanctis eius instrui exemplis.

& per Colmanum Episcopum oblata.

22 Et gauisus est sanctus Episcopus in aduentu eius multùm, & præcepit ei Pontifex in caritate balneare: & beatus Abbas propter obedientiam se balneauit. Posteà colloquentes inuicem Sancti, videlicet Episcopus Colmanus & Abbas Pulcherius, Episcopus prophetauit dicens: Mi Frater & conserue in Christo, frequenter iste locus meus desertus erit, vt nec saltem Presbyter possit hîc habitare, propter bella, quæ in confinio sæpiùs erunt: tuus autem locus semper habitabitur & in magis crescet. Dixit ei S. Pulcherius: Ego, Pater, propter honorem tuum præcipiam, vt de loco meo, vbi fuerit iste desertus, Sacerdos huc veniat, & celebret hic. Intersunt enim quatuor milliaria inter ista loca, & non plus. Deinde firmantes inter se inuicem amicitiam, & benedicentes se inuicem & loca sua, B. Pulcherius ad suum locum cum suis regressus est: B mansit autem in suo loco sanctus Episcopus. Inde cœpit S. Pulcherius ædificare monasterium in suo loco, & creuit ibi ciuitas sicut prædixit beatissima Prophetissa S. Ita, quæ Ciuitas Liath-Mochoemoc vocatur: Et dispersa est longè lateque fama religiositatis B. Pulcherij, & confluebant multi ad eum vndique, & subdebant se iugo Christi sub ipso.

a *Cœpit is in suo Benchorensi monasterio discipulos collegere circa annum* DXLIX; *& vsque ad* DC *eorum regimen ibidem tenuit, vti se ostensurum promittit*. Colganus.

b *Id ne mireris, nota in S. Comgelli Vitâ dici has cellas fuisse non solùm in regione Vltorum, sed per alias quoque Hiberniæ prouincias; per quas distributos monachos in vnum Benchorense cœnobium compingit* Colgani *marginalis nota.*

c *Vide dicenda de eo ad* XIX *Martij.*

d *Huius frequens mentio est in Vitâ S. Maidoci Fernensis Episcopi* XXXI *Ianuarij, qui eo vsus Confessario est: Vitam Colganus promittit ad* IV *Augusti: sed vereor ne ea S. Lugadij sit Abbatis* Clonefortensis, *qui fuit filius* Cartachi, *Comgalli discipulus etiam ipse.*

e *Corcagiensis Episcopus* XXV *Septembris colitur, in eumq; optimè conuenit ratio temporis, quod nescio an ostendi possit de Abbate istius nominis alio Iniedamblensi* IV *Iulij, vel Kill-cungano* IX *Septembris recurrente: quorum alterum Colganus mallet quàm istum Episcopum, cùm in eius Vitâ alij recenseantur magistri eius, & nulla mentio fiat de eiusdem apud S. Comgallum discipulatu: quod ei facilè concedam; si modo in illorum alterum Vitis aliqua fiat Comgalli mentio, aut saltem eodem cum Corcagiensi tempore ostendantur vixisse.*

C f *Apud* Colganum *mendosè* Luchernus: *is fortasse qui in Vitâ B. Itæ nominatur videturq; fuisse Inis-tomensis in Tuamonia* Abbas, *& coli* XXVIII *Aprilis.*

g *Est ecclesia, inquit Colganus, hodie parochialis Superioris Ossoriæ.*

h *In Vita S. Comgalli* Blæonia, *Cambdeno* Bloem, *apud Mercatorem montes* Blemy *&* Blaine.

i *Colitur is, teste Colgano, in loco prædicto* III *Nouembris.*

k *Aliàs* Elia *siue* Helia.

l *Colganus ait eum istic coli* XX *Maij.*

CAPVT III

Res cum Ducibus Eliæ & Rege Casseliæ gestæ.

Romanus volens Pulcherium pellere,

23 Posteà supradictus Dux, qui benignè suscepit S. Pulcherium & locum suum ei dedit cum alijs donis, mortuus est: alius quoque surrexit post eum Ronanus nomine filius Bledini, qui decreuit S. Pulcherium de finibus suis expellere: & venit cum militibus multis in furore iræ Sanctum Dei expellere cum contumeliâ: sed ipse descendens in locum, pedes eius adhæserunt solo, nec vllo modo potuit se mouere de loco: D videnſque quosdam monachos, vocati sunt ipsi ad eum, & dixit eis: Vocate sanctum Abbatem vestrum ad me; ecce enim miraculum in me factum est; quippe quia mala cogitatio contra Sanctum Dei erat in corde meo. Dixerunt ei monachi: Ipse Deo modo sacrificium offert; & posteà Tertiam cantabit Horam, & antequàm hæc fient non audemus ei indicare. Celebratâ igitur Tertiâ, indicauerunt Sancto Fratres quod accidit Duci. Respondit Sanctus: Hodie foras non egrediar, donec sit Nona celebrata; mansit itaque Dux eodem modo vsque ad Nonam immobiliter. Cantatâ iam Nonâ, S. Pulcherius venit ad Ducem, dicens ei: Tyranne, quid prodest tibi modò tua terrena potestas & crudelitas? tu venisti destruere hunc locum, in quo sepelieris vtique. Dixit ei Dux: Serue Dei, quæcumque mihi dixeris ego faciam; sed quæso solue me de hoc vinculo. Tunc iussit ei Sanctus abire, & illicò solutus est: statimque coram principibus suis eumdem locum, sicut antecessor suus, obtulit Deo, & seipsum suamque generationem in illo loco sepeliri decreuit, & benedicens eum vir sanctus, gaudens recessit; qui valdè erat obediens S. Pulcherio, & Sanctus multùm eum diligebat.

solo affigitur

& se sibique solutus Sancto offert.

E 24 Et factum est post tempus quòd mortuus est Dux Ronanus, & sepultus est apud S. Pulcherium, sicut ipse adoptauit. Post mortem autem Ronani, quidam scriba ad monasterium S. Pulcherij venit, & audiens ipse Sanctum Dei commendantem Ronani Ducis animam Deo, increpauit multùm Sanctum de commendatione animæ viri, qui in voluptatibus suis de seculo migrauit: & S. Finianus tunc in monasterio Liath cum alijs Sanctis erat, & ille scriba magnum conflictum ante S. Finianum contra B. Pulcherium de animâ Ronani Ducis suscitauit. Sed sanctus vir Pulcherius opponens multa exempla illi de clementiâ diuinâ, ait; Anima Ronani est in potestate Dei, vt indulgeat ei peccata sua propter me; vt scias, qui es cæcatus in tuâ scientiâ, quia ita est, & quòd tua contentio sit inutilis, mors tibi imminet, & sepulcrum tuum ignotum erit semper omnibus hominibus: sed te non execrabo, ne sis expers regni Dei. Et discedens ille scriba insperatus nutu Dei à suis mortuus est, & vbi sit sepultus omnibus ignotum est, iuxta verbum viri Dei S. Pulcherij.

pro quo defuncto orat Pulcherius,

25 Post hæc Suibhne, filius Diarmada, Ducatum regionis Eile arripuit. Ipse enim Foelanum filium Ronani Ducis de regione expulit, & erat exul ab eo. Sed post tempus S. Mochoemocus pacem fecit inter eos. Slebinus autem filius Suibhne occidit manu suâ F per dolum Foelanum filium Ronani, quem sibi & patri suo per fidem commendauit S. Pulcherius. Hoc audiens S. Pulcherius, nimis sibi displicuit, & ipse iuit ad corpus eius afferendum ad sepulcrum: & ponens S. Pulcherius mastigiam suam in terrâ, ibi oblitus est eam; quæ creuit in magnam arborem, quæ vsque hodie manet, & ipsa nomine Mochoemoc vocatur in signum virtutis. Venientes ad Monasterium S. Kanichus Abbas venit illuc, & volentes corpus humo tradere, B. Kainnichus dixit ad S. Pulcherium: Hunc hominem, qui repentè occisus est, non debes sepelire inter monachos tuos. Et respondit S. Pulcherius; nolo contradicere tibi, Pater; sed sepelietur corpus eius seorsim interim: sed tamen anima eius coram præsentiâ Dei in cælo est; & ideò resurrectio eius debet esse inter monachos, baculus meus & chrysmale cum ipso interim in externo loco sepelientur, & inde non soluentur, donec huc corpus Slebini, qui istum iuuenem occidit infideliter, veniet. Manus eius iam citiùs vindictâ Dei à latere suo cadet, de quâ istum occidit; & inde statim morietur, & hic sepelietur. Veniet autem iterum iste Foelanus, & posteà sepelietur inter monachos. Et sic omnia facta.

& filium eius occisum sepelit,

eumq; ad monachorum sepulcra transferendum,

& occisoribus pœnam prædicit:

Slebi-

A 26 Slebinus autem, cadente dextrâ manu eius à latere suo, mortuus est: & veniens corpus eius ad monasterium, euolutum est corpus Foelani de sepulcro, & tunc lauatum est aquâ & stantibus omnibus ipse ante Sanctum reuixit, & accipiens ipse sacrificium de manu S. Pulcherij, ait ei: Fili mi, vis hic in sæculo ad tempus viuere, an nunc ad cælum migrare? Ille autem dans clara testimonia de requie iustorum, & de pœnis impiorum, ait ad S. Pulcherium: Domine Pater, gloria huius sæculi nihil est, dimitte me ergo citiùs ad Christum migrare: & benedicens eum Sanctus illicò emisit feliciter spiritum; & sepultum est corpus eius in digno honore inter monachos. *quâ pater tyrannus ad pœnitentiam adducitur,* Slebinus autem occisor eius foris sepultus est, vbi erat priùs Foelanus humatus. Suibne autem Dux pater Slebini videns Dei vindictam repentè in filio suo euenisse, venit & egit pœnitentiam ante S. Pulcherium dicens; Domine, sancte pater & magister, Christi fidelium pastor, ego patiar libenter martyrium, seu in peregrinationem ibo longinquam si iusseris: & si quid mihi dixeris, Christo me iuuante, complebo. Videns vir Dei visitatum verâ pœnitentiâ, ait ei; Confitere peccata tua, & esto de cetero fidelis in omnibus, & eleëmosynas Christi Ecclesijs pro animâ Ronani antecessoris tui da; quia promptus est Deus ad se conuertentibus dare indulgentiam. Ipse iam Dux egit, quæ sibi B præcepta sunt, gaudenter, & in castello suo, in quâdam insulâ in medio fluminis Syure, bono fine obijt.

27 Aliquando Failbhe-Fland a Rex Mumenensium, *Rex Falbeus cum Pulcherio contendens,* qui regnabat in arce regali Cassel, iussit suis aurigis pascere equos suos in agro monasterij S. Pulcherij, in quo erat fœnum multũ. Hoc audiens S. Pulcherius properauit illuc, & asperè expulit equos de agro suo, & malè eos tractauit. Cum hoc nuntiatum esset Regi, iratus iussit suos obsides regionis Hele, quos tenebat in vinculis, interfici, nisi Dux Hele & parentes obsidum S. Pulcherium de suis finibus expellerent. Sciens vir Dei hoc edictum, perrexit velociùs ad ciuitatem Cassel alloqui ibi Regem, & irati altercantes ad inuicem, Rex ait sancto viro: Calue parue, tibi honor hic non dabitur, sed de regno nostro eris expulsus. Ait ei, Sanctus, si ego sum caluus, tu eris luscus. *oculo mulctatur:* Ad hanc vocem acerbi dolores vrere oculum Regis intolerabiliter cœperunt, & illicò exstinctum est lumen eius: & amici Regis magnis precibus virum sanctum rogauerunt, vt in Dei nomine Regem adiuuaret, & ait Sanctus: Dolores eius prohibebuntur; sed lumen non videbit. Tunc Sanctus benedixit aquam; & lauans Rex exinde oculum suum dolores sui releuati sunt, sed priuatus est lumine; de quo non curabat C Rex, quia dolores cessauerunt torquere oculum suum: & ita dormiuit sequenti nocte Rex.

28 *exhibentur ei Sancti* In ipsâ scilicet nocte visio mirabilis diuinâ dispensatione apparuit Regi; vidit enim seniorem pulcrum cum formâ fulgureâ ad se venientem, qui tenens manum Regis de sede suâ duxit eum ad australem murum arcis Cassel, & posuit eum ibi; & vidit totum campum Femyn, cui imminet arx Cassel, plenum synodo candidâ Sanctorum, excelsâ & pulcra formâ. Tunc interrogauit Rex seniorem, quæ esset illa Synodus venerabilis. Dixitque senex Regi; sanctus Archiepiscopus Patricius Patronus Hiberniæ, & omnes sancti Hiberniæ cum eo sunt in Synodo istâ, qui veniunt adiuuare Sanctum Pulcherium, quem tu despicis. Dico tibi, ô Rex, quia, nisi dederis ei placitum suum, citò morieris & eris mersus in profundo inferni.

29 *Sancti Hiberniæ ad Pulcherium iuuandum collecti:* Adhuc dormiebat Rex, & vidit quod iterùm tenebat senex ille manum suam, & ducens eum secum, statuit eum supra murum aquilonarem arcis: apparuitque visio similis priori, id est, campus Monael plenus choris pulcherrimis, qui candidis velaminibus tegebantur. Arx enim Cassel in confinio duorum speciosorum camporum constat, Femyn scilicet & Mossadhe. D *AVCTORE COÆVO EX MS.* Et interrogans iterum Rex seniorem, dixit ei senior; Gloriosissima Virgo Brigida ibi est, & S. Ita cum omnibus Virginibus Hiberniæ, quæ in adiutorium S. Pulcherij venerunt, quem tu offendisti iniustè. Et ecce prædico tibi, ô Pater patriæ, nisi dederis ei voluntatem suam, peribis, & nullus de semine tuo regnabit in æternum. Postea senex discessit ab eo, & surrexit Rex de somno: & euigilans quod vidit suis amicis & consiliarijs enarrauit: qui dixerunt ei; Nisi feceris, quod tibi præceptum est, dies tuus finitus est. Crastinâ siquidem die sedens pro tribunali Rex, vocatus est S. Pulcherius ante se, & narrauit ei coram omni populo ea, quæ ostendit ei Angelus in somnis. Vir sanctus gratias Deo egit, & Sanctis suis; & voluntatem S. Pulcherij Rex humiliter compleuit: & benedicens Sanctus Regem, remisit Rex eum ad suum monasterium cum magno honore.

30 Alio tempore Rex Cassel Failbe-Fland offendit Colmanum Episcopum filium Daire, amicum S. Pulcherij, *idem à Pulcherio increpitus,* cuius superiùs mentionem fecimus, & rogauit S. Pulcherium vt veniret secum ad Regem; & pergentes sancti ambo ad Regem venerunt. Rex tunc erat in supradictâ Ciuitate regali Cassel. Renuit iam Rex consentire Sanctis, sed superbè in suâ potestate respondit eis. Tunc ait ei S. Pulcherius: Non decet te ita respondere Summo Pontifici, qui est sanctissimus E secundùm Deum, & non est minor te secundùm nobilitatem huius sæculi; de vnâ enim natione orti estis sed duo dæmones dominantur tibi, equitantes super *fornicationis* te semper, id est, dæmon elationis & alter fornicationis. Respondit Rex, Quomodò sciam, si ita habitant in me. S. Pulcherius ait ei: Habebis signa, vna fœmina, quam diligis, hâc nocte morietur, & duo equites in equis albis cras primo manè ad te venient, & confabulabuntur tecum, & nescies vnde venient, aut quo vadent. Tunc Rex perterritus his dictis, petiuit indulgentiam, & voluntatem Sanctorum piè adimpleuit.

31 Hoc videns B. Pulcherius dæmoni, qui super- *& superbiæ;* biam Regi suadebat, ait; Fuge, seminator loliorum, de isto loco, & sede super lapidem illum, donec ad te veniet socius tuus, & loquar ego ibi vobiscum. Deinde alium dæmonem, qui libidinem in Rege incendebat, expulit post socium suum: qui dixerunt Sancto; quò ibimus modo? Dixit eis Sanctus; Ite in duas il- *dæmonibus liberatur;* las rupes, quæ sunt in latere aquilonari huius arcis Cassel, vbi non est accessus hominum, & nemini inde nocebitis vsque ad diem iudicij. Et ille locus ab illo tempore formidolosus est: & sæpè terrentur, & perturbantur animalia, quæ illuc difficilè scandunt, & cla- F mor & murmur eorum ibi sæpius auditur. Rex autem hæc omnia sciens gratias egit Deo, & Sanctos eius honorabiliter remisit ad sua.

a *Colganus ex Annalibus patriis hunc Regem obiisse ait anno Christi* DCXXXIII *regni* XIV *vel* XXIII.

CAPVT IV

Mortui suscitati: familiaritas cum S. Kainnecho.

32 QVidam de monachis S. Pulcherij ad Occidentalem plagam monasterij in syluâ propinquâ *Vt periculo Fratrem eximat,* laborabant; sed vnus eorum separabat se ab alijs seorsum, & abscidit solus magnam arborem: cadens autem arbor constrinxit caput Fratris contra aliud lignum; &, mirum dictu! caput non fregit, sed Frater inde non potuit se mouere, nec potuit loqui. Fratres autem, cùm venisset hora, reuersi sunt ad domum, putantes illum Fratrem secum venisse. Sedentes posteà in mensâ, respexit pius pater Pulcherius Fratres: non

A non videns illum Fratrem, interrogauit, vbi ipse esset: & profitentes omnes se nescire, ait Pater sanctus: O Filioli mei, Fratrem vestrum in magno obliti estis periculo. Hæc dicens, surrexit illicò de mensâ, & sequentes eum Fratres, perrexit recto itinere ad locum, in quo Frater erat in equuleo: sed nullo modo potuerunt eum iuuare: si enim lignum absciderent, statim Frater periret. Hoc magnum videns S. Pulcherius periculum, conuersus ad arborem, dixit: Præcipio tibi in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, surge & sta in gradu tuo pristino. Ad hanc vocem arbor illicò paullatim surrexit, & stetit in statu suo firmiter: sed signum scissionis in ligno multo tempore, quo stabat, videbatur. Pater iam sanctus & sui monachi recipientes suum Fratrem incolumem de tanto periculo, gratias Deo egerunt, & cum gaudio reuersi sunt ad suam cellam.

AVCTORE COÆVO EX MSS.

arborem cæsam verbo erigit:

32 Alio quoque die monachi S. Pulcherij metentes suam segetem, tres Fratres subitò in rure sunt mortui. Hoc videns sanctus vir, citiùs perrexit ad eos: displicuit enim sibi valdè quòd monachi sui subitaneâ morte perirent: & benedixit aquam, quæ diuinitus posteà vim vini habuit; & cùm aspergeret aquâ mortuos, surrexerunt viui, sed erant inualidi; gustantes autem illam aquam, firmi facti sunt, & cum ceteris B operati sunt, & comederunt, & in multis diebus posteà vixerunt. Rediens indè sanctus vir ad cellam, vidit quamdam arborem plenam fructu, qui erat hominibus inutilis præ amaritudine nimiâ; benedixitque signo sanctæ Crucis arborem, & fructus eius illicò in dulcedinem conuersi sunt. Hæc tria miracula vno die per sanctum virum diuino nutu facta sunt, id est, vinum de aquâ factum est, mortui resuscitati sunt, & amaritudo conuersa est in dulcedinem.

tres mortuos suscitat:

fructus amaros reddit dulces,

33 Duo Fratres aliquando in monasterio S. Pulcherij infirmabantur, iuuenis & senex decrepitus; absente verò sancto Patre, iuuenis ille mortuus est & sepultus: senex autem viuebat. Reuertente itaque S. Pulcherio, orans ipse ad Dominum ait: In quo merui Domine mi Iesu Christe, iuuenes meos, quos tibi vellem nutrire, vt tibi seruirent, mori in iuuentute firmos; & senes decrepitos, quos vis corporea deserit, viuere? Hæc dicens iussit sepulcrum aperiri, aitque mortuo suo: Surge in nomine Iesu Christi Filij Dei; & surrexit statim benedicens Christum Saluatorem omnium. Deinde interrogauit S. Pulcherius prædictum senem infirmum, si vellet migrare ad Christum: accipiensque tunc sacrificium senex emisit feliciter spiritum. Tunc Angelus Domini veniens ad S. Pulcherium C dixit; Sicut tu scis & vis, Christi famule, dispone & iudica quamdiu vixeris, familiam tuam. Hoc priuilegium sibi datum à Deo, vir sanctus Pulcherius dispensauit diuinitùs suis discipulis.

Fratrem iuuenem defunctum vitæ restituit: & senem decrepitum permittit migrare ad Christum.

34 Quodam die constituto B. Abbas Kainnichus promisit se venturum horâ Nonâ ad S. Pulcherium vsque ad Liath. Hanc promissionem S. Abbas Kainnicus oblitus est, vsque ad Nonam diei in suo Monasterio manens, Achadhbo videlicet in regione Osrige: recordatus autem ingemuit ad Deum, quia non adimpleuit quod promisit Sancto: & inspiratus Dei dispensatione cœpit currere: sed tam citò agitatus est, quòd ipsam Nonam in Monasterio Liath cum S. Pulcherio cantauit: Deus qui eum conduxit citissimè, ipse scit quid illi accidit, quia sibi & nobis latebat, nisi quod ipse viribus perambularet suis. Iter iam vnius diei multis peditibus inter ipsa duo Monasteria Liath & Achadhbo constat; & præcepit S. Pulcherius balneum præparari, & ait S. Kainnicho; Canta nobis, Frater, interim Missam, donec Fratres de obedientiâ redeant: sed S. Kainnichus noluit. Sedéres posteà in refectorio ad mensam, B. Kainnichus abscidit panem, sed sanguinis riuum de pane in terram concurrere Fratres viderunt: Tunc ei leniter dixit S. Pulcherius: Domine Pater, redeamus ad ecclesiam, & sacrifica Deo sacrificium laudis, quia hoc ego & Fratres valdè ambimus. D Et B. senior Kannichus tunc Missam Deo cantauit, sicut desiderabat S. Pulcherius. Reuersis autem Sanctis post sacrificium, panem nitidum sine abscissione viderunt: & gratias Domino Iesu Christo agentes, comederunt cum cum lætitiâ spirituali.

S. Cannichus conficit breui spatio iter vnius diei,

& coram S. Pulcherio sacrificat:

35 Alio tempore quidam Fratres ad monasterium Liath venerunt, volentes videre & alloqui S. Pulcherium. Tum sanctus vir cum fratribus suis laborabat in agro prope monasterium, & interrogantes quis esset S. Pulcherius, indicatus est eis. Videntesque eum super genua sua operantem mirabantur: alloquentes autem eum, prophetauit eis dicens: Fratres cogitate de remedio animarum vestrarum: mors enim imminet vobis, & citò omnes moriemini, nisi ille puerulus, qui est vobiscum. Illi de hoc vaticinio dubitantes pœnitentiam egerunt: & post paucos dies mortui sunt. Ipsi enim numero quinque erant, & puerulum eorum retinuit apud se S. Pulcherius, & ipsemet docuit eum, & posteà euasit in sanctum virum, quem S. Daganum Abbatem vocauit, qui iam *b* suo monasterio, nomine Inbher-Daoile in Oriente Hiberniæ plagâ in regione Lageniensium, scilicet in plebe Dalmascorb posito iuxta mare iacet, & alius puer cum S. Dagano apud S. Patrem Pulcherium legebat. E

qui tribus fratribus mortem prædicit,

b & Daganum discipulum sus.

36 Quodam quoque die S. Pater Pulcherius dixit B. Dagano: Fili, si bene legeris, Communionem Corporis & Sanguinis Christi antequàm morieris de manu meâ accipies. Sed post paucos dies iste puer sanctus occisus est. Gens enim Osraighe venit deuastare regionem Eile, & illo die S. Daganus cum suo sodali vitulos monasterij custodiebant: ceteri enim omnes in diuersis operibus occupabantur. Satellites autem Ducis Osraighe contingentes pijs pastoribus, decollauerunt S. Daganum, alter verò iniugulatus euasit. Tunc erat S. Kainnichus in monasterio Liath, & veniens iniugulatus, qui euasit, ad Sanctos Pulcherium & Kainnichum cum suis Fratribus, & gratia Dei illico ipsum per Sanctos sanauit. Corpus autem S. Dagani tamquam truncum reductum est ad monasterium & caput cum eo: & ait S. Pulcherius ad S. Kainnichum: Huic iuueni, sancte Pater, promisi Communionem Dominicam ante mortem dare, sed adhuc non compleui: diuina virtus in eo per nos magnificetur. Coniunge igitur, Pater, caput eius corpori suo, aut roga Deum vt reuiuat. S. Kainnichus ait; In Christi nomine caput coniungam corpori; tu verò pete Deum remittere animam suam huic. Componens B. senex Kainnichus caput fortiter adhæsit corpori, sicut F anteà; sed cicatrix, quasi circulus, circa collum vsque ad obitum suum permansit. Orans autem S. Pulcherius, tenensque S. Kainnichus eum adhuc suis manibus, felicissimus iuuenis Daganus surrexit viuus, & sanus ad Sanctos, benedicens Dominum: & accepit Communionem de manibus S. Pulcherij, sicut promissum est ei: & posteà longo tempore ipse S. Daganus vixit, cuius vita miraculis claret, & in suo loco memorato Pater multorum monachorum extitit.

ab hostibus decollatum,

cum S. Kainnicho orans resuscitat.

37 *c* Quodam tempore Colmanus, filius Feraidhe, Dux Osraighe, putans inimicum suum, nomine Finanum, ante se fugere ad monasterium S. Pulcherij, & ibi latere, venit: scrutatus est omne ædificium monasterij ad perdendum illum. Cui ait S. Pulcherius: Contra te à Deo meo tres petitiones petiui, sed duæ negatæ sunt, tertia autem mihi concessa est. Prima petitio mea contra te erat, vt citò morereris; sed S. Fachannano Deus donauit, vt adhuc viuas quatuordecim annos. Secunda verò petitio erat, vt ne cælum habitares, sed propter sanctum Kainnichum conceditur tibi cælum habitare. Tertia petitio iam est, vt ante finem huius mensis à regno tuo sis segregatus, quæ petitio mihi à Domino donata est modò. Hæc verba audiens,

c

immunitatem Ecclesiasticam violatam vlciscitur:

A audiens, Dux egit pœnitentiam, & obtulit oblationes Deo & S. Pulcherio. Et Sanctus ait illi: Eris iam expulsus potentiâ tuâ, & vix periculum mortis euades: sed quia sanctos viros amicos habes, in omni potentiâ tuâ post triduum dominaberis: & sanctus Kainnichus iam senex amicus meus in omnibus te adiuuabit. Posteà Dux de tali prophetiâ gaudens, cum benedictione recessit.

& cum alijs Sanctis,

38 Quamdam cellam S. Pulcherius suo commendauit discipulo, qui vocabatur Mochumbe, & ipse ædificauit ibi primitùs ecclesiam & refectorium. Interea S. Pulcherius & S. Kainnichus, & S. Molua filius Coche, & S. Mosecta conuenerunt vnâ nocte ad eamdem cellam; nullaque domus ibi tunc erat tecta nisi ecclesia sola. Et ille discipulus præpositus loci ait illis: Ite vos in ecclesiam, quia aliam domum paratam non habemus. S. Mosecta, qui dicitur & Fecheanus d, ait ei: Non; sed ibimus ad refectorium, quamuis sit nudum, & Deus noster non sinet ventum vel pluuiam super nos descendere hâc nocte. Comedentes ibi Sancti, id est, in refectorio nudo & manentes illic, posteà S. Molua dixit: In hoc loco, in quo facta est hæc nobis caritas tanta, abundantia diuitiarum semper erit.
B S. Pulcherius dixit: Hoc nudum culmen meum, sub quo Dominus nos hâc nocte tempestiuâ defendit à vento & pluuiâ, benedictum erit, & clarum ædificium hic non deficiet vsque in æternum. S. Kainnichus dixit: Filius mortis in hoc loco non morietur. Ita Sancti benedixerunt illum locum, & benedictio illorum semper non fallitur ibi. Et recedentes inde Patres, ille pius discipulus Mochumbe, magister loci, ait eis: Me solum, Sancti Dei, hic dimittitis? Dixerunt ei Sancti: Spiritualiter hic tecum erimus: & tu eris Sanctus in hoc loco, & tu nobiscum ad iudicium Dei conuenies: & hoc signum habebis. Tunc Sancti quinque paruos lapides posuerunt ibi in sancto cœmiterio, qui vsque hodie immobiles ibi gratiâ Sanctorum permanent, in signum suæ promissionis, & nemo potest illos inde mouere.

S. Mochumbe benedicit.

a *Colitur* XI *Oct. natus iuxta Colganum anno* DXV, *mortuus* DXCVIII, *cuius monasterium vocatur à fundatore suo deinde Kilkenny dictum, & vrbi & comitatui inferioris Osoria nomen dedisse: cùm priori nomine Achad-bo diceretur.*

b *Multa de eo Colganus ad* XII *Martij: nos in* XIII *Septembris ipsum differimus: dicitur anno* DCXXX *excessisse è viuis.*

c *Fuit hic, inquit Colganus, pater illius celebris Scanlani, Osoriæ Principis, quem obijsse anno* DCLX *tradunt Quatuor-magistri: regnasse autem annis* XXX *scimus ex S. Adamnano in Vita S. Columbæ: vt proinde, quæ hîc narrantur, gesta sint ante annum* DXCVI: *cùm Colmanus hic dicatur adhuc* XIV *annis superuixisse.*

C

d *Suspicatur Colganus S. Fechinum Abbatem Tobbarensem esse, qui* XX *Ian. colitur, & S. Pulcherij coætaneus fuit.*

CAPVT V

Magna apud Principes auctoritate, & mortuorum suscitatione clarescit Pulcherius.

Iuratum fœdus violans Comes,

39 Alio tempore comes Nepotum Ængussa de gente Nandese, de quâ gente mater S. Pulcherij erat nata, vt superiùs diximus, & alius Comes de eâdem gente, nomine Foelanus, filius Eatach, qui erant inimici inuicem, coniurauerunt pacem inter se in conspectu S. Pulcherij, & alter alterum de manu Sancti in fidem accepit: sed posteà Comes Nepotum Ængussa non custodiens fidem suam, occidit Foelanum filium Eatach. Hoc audiens sanctus Pater Pulcherius cum irâ magnâ venit maledicere eum, vel vocare ad pœnitentiam: sed induratum est cor illius, dicens: Non curo si quid facies Pulcheri, quia sanctissimus Cuminus a longus, filius Fiachna, benedixit me diligenter, & regnum cæli & terræ mihi promisit. Hæc dicta audiens S. Pulcherius, dixit: Quem sanctissimus Cuminus benedixit, non maledicam; sed vxorem tuam, & filium tuum maledicam. Tunc illa Domina cum filio venit ad S. Pulcherium flectentes genua ante eum, & dicentes: Parce nobis Domine in Christi nomine, & quidquid dixeris nobis libenter faciemus: & scis, Domine pater, quoniam Dominum nostrum, qui te offendit, nos non possumus corrigere. D

AVCTORE COÆVO EX MS.

factiq; impœnitens

40 S. Pulcherius accipiens satisfactionem eorum, dixit: Stagnum istud, quod circumdat eum, & est multum sibi tutamen; maledicam: castellum enim illius Comitis, tutum valde, in medio stagni profundissimi erat; & maledicens vir sanctus stagnum istud, statim terra absorpsit; & apparuit terra arida loco eius, illis nescientibus quò recessit aqua. Adhuc in duritiâ cordis ille Comes permansit, tunc Sanctus dixit: Maledicam filiam tuam, quam multùm diligis, & equum tuum fortissimum, & velocissimum, in quo ad bella confidis: & maledicens eos, statim mortui sunt. Hoc videns Comes corde pœnituit, & fecit satisfactionem Sancto, pro nomine Christi, rogans pro suâ filiâ, stagno suo & equo. Et ait Sanctus: Domino Deo nostro omnia possibilia sunt: sed ego orabo, vt fiat voluntas Christi mei. Et orans S. Pulcherius stagnum repletum est aquis suis repentè, sicuti anteà fuerat, & filia resuscitata est, & equus reuixit fortis & velox. Hoc videns Comes agrum Deo & S. Pulcherio obtulit ad ecclesiam construendam: & S. Pulcherius imponens illi pœnitentiam, ordinansque cellam illam, reuersus est, Deo gratias agens ad monasterium suum. E

filia mortis punitur:

donat pœnitens,

41 Alio tempore S. Episcopus Furseus b & B. Abbas Pulcherius iuuenem vnum multùm diligebant, qui dicebatur alumnus eorum; quia frequenter vitam suam à pueritiâ apud eos ducebat; & docebant, & nutriebant eum Sancti in verâ religione & honestate vitæ; ipse erat Scanlanus, filius Foelani de nobili genere. Cuanus iam Dux alligauit iuuenem illum, & posuit illum in custodiâ: timebat enim eum multùm; quia iuuenis Scanlanus debebat Dux esse, sicuti Cuanus. Hoc audientes Sancti Furseus & Pulcherius, illicò perrexerunt rogare Ducem Cuanum pro dilecto suo Scanlano, & ait S. Pulcherius Duci: Domine Dux dimitte nobis nostrum amicum incolumem, quia tibi innocens est. Et ait Dux: Verè adhuc mihi nihil mali fecit, sed timeo esse facturum, contendens contra meam regionem. Respondit S. Pulcherius, dicens: Ego promitto quod ipse non nocebit tibi in vitâ tuâ. Dux factus serenus, ait: Faciam quod vultis: sed venite mecum ad ciuitatem Cassel, & dimittam illum vobis coram Rege, vt sit ipse testis: & peruenientes illuc dedit eis coram Rege iuuenem Scanlanum, & pacem habentes discesserunt ab inuicem. F

b Pacem inter Cuanum & Scanlanum conciliat,

42 Cùm ergo S. Pulcherius rogaturus Cuanum Ducem pro Scanlano iuuene iuisset, tunc sanctus c Archiepiscopus ciuitatis Imleach manebat cum Rege in ciuitate Cassel, & dixit prophetice ad Regem: Domine Rex diligis Ducem tuum Cuanum? & ait Rex: Verè diligo. Dixit ei Episcopus: Mitte ergo ad eum citiùs, vt det placitum suum S. Pulcherio: quâcumque enim die displicuerit ei, morietur: sic enim factum est posteà. Offendens autem Dux Cuanus iterum S. Pulcherium, petensque vir sanctus diuinum auxilium contra eum, statim mortuus est. Scanlanus filius Foelani, alumnus Sanctorum, gratiâ S. Pulcherij Dux suæ regionis à Rege ordinatus est. Et ait Rex ad Episcopum prædictum: Qualis meriti putas, Domine Episcope, Pulcherium esse? Respondit sanctus Episcopus: Scio hoc verè, vt si dixisset S. Pulcherius, mons Cuach transiret in locum campi Femyn trans fluuium d Syure, & campus Femyn de loco suo pro eo exiret, hoc vtique Dominus pro honore ipsius fecisset. Tunc Rex benedixit Deum gratias agens ei.

c nouâ culpam morte Cuani punit,

ducatumq; transfert in Scanlanum,

43 Qui-

AVCTORE COÆVO EX MS.

Dimæ mortuo

A 43 Quidam vir bonus, nomine Dyma, amicus S. Pulcherij erat fidelis, cuius pater Fiechenus erat. Ipse Dyma in S. Trinitatis nomine rogauit S. Pulcherium, vt si quando infirmaretur, vir sanctus ad eum venire dignaretur, vt Communionem Dominicam de manu eius in horâ mortis acciperet, & hoc vir Dei illi promisit. Post multum verò tempus infirmatus Dyma, misit nuntium ad S. Pulcherium, vt veniret ad se: sed tunc vir sanctus in monasterio, quod Inis-leamhnacta e dicitur, in australi regionis Ossraighe plagâ, iuxta fretum maris, in quo f Heoir fluuius fluit, manebat. Illud audiens Pulcherius perrexit festinus: sed antequàm ipse veniret, Dyma amicus eius mortuus est, & planctus magnus erat super eum: sed non fuit sepultus, donec S. Pulcherius illuc peruenit; & vir sanctus illâ nocte cum ceteris circa corpus vigilabat. Mediâ nocte, acceptâ lucernâ ardente, surrexit S. Pulcherius ad feretrum solus, & signans signo sanctæ Crucis corpus, ait ad eum: Mi amice care, Dyma, surge in Christi nomine, vt accipias de manu meâ Viaticum diuinum, sicut fides tua requisiuit. Ad hanc vocem Dyma illicò, quasi de graui somno surrexit, benedicens Deum: & ait ei vir sanctus: Quid tibi modò placet, viuere cum tuis iterùm, an ad requiem, quam vidisti, reuerti? Audientes, qui erant in domo, collocutionem eorum, conuenerunt, & videntes Dominum suum viuum, gratias Deo egerunt. Ille autem eligens & orans migrare de seculo hoc, dedit ei S. Pulcherius coram omnibus Communionem, & ipse obtulit semen suum post se, semper sepeliendum apud Sanctum Dei, & redormiuit in pace, & sanctus Pulcherius cum suis corpus eius in suo monasterio Liath sepeliri curauit.

iterumq; suscitato

sacram Communionem impertit,

B

Defuncti monachi sui vt corpus impetret,

44 Aliquando B. Abbas Pulcherius vnum de monachis suis ad Occidentalem Hiberniæ plagam misit: sed ille rediens, mortuus est in ciuitate Imleach, quę est in planitie Mumeniæ, & sepultus est ibi. Ipse monachus vocabatur Cuanchear. Hoc audiens S. Pulcherius exiuit, vt adduceret corpus illius ad suum monasterium, sed Archiepiscopus illius ciuitatis non dimisit ei corpus sui monachi. Et disputantes inuicem, ait Pontifici S. Pulcherius: Putas iustum esse, vt corpus monachi mei, qui in meo monasterio corpus & animam obtulit, retineas? Dixit ei Pontifex: Deus scit, non ego. Hoc audiens S. Pulcherius dixit ei: Vt scias quòd iniquè agis, Domine Episcope, videbis virtutem Christi in eo, & accedens sanctus vir ad sepulcrum monachi sui, apertum est sepulcrum à Deo ante eum, & tenens manum Fratris sui sanctus Pater, Frater cum eo de sepulcro surrexit. Tunc Episcopus magnâ voce magnificans Dominum IesumChristum, dixit ad omnes: Viuum monachum, quem Deus meus pro meritis famuli sui secundum exemplum Lazari resuscitauit, non debeo retinere: scit Deus quòd non pro malitiâ feci, sed volens vt sanctæ Reliquiæ essent in cœmiterio huius Ecclesiæ. Postea acceptâ licentiâ & benedictione Pręsulis, S. Pulcherius & suus monachus Cuanchear gaudentes in Christo ad suum monasterium redierunt. Posteà ipse Cuanchear iussu magistri sui Pulcherij monasterium ædificauit, quod vocatur Gassmore g, & ipse ibi multis diebus in magnâ sanctitate & miraculis diuinis mansit, & in fine felici migrauit ad Christum.

ipsum in vitam reuocat,

C

D

45 Aliquo euentu virgo sacrata, nomine h Cainer, lumen oculorum suorum amisit, & erat cœca multo tempore: quæ ducta ad Sanctum Pulcherium rogauit eum in Christi nomine vt benediceret oculos eius: & consecrauit aquam vir Dei benedicens oculos eius, & iussit ei, vt faciem suam eâ lauaret. Illa sancta virgo lauans faciem suam inibi, illicò recepit lumen suum coram omnibus: & videns cęlum & terrã, regressa est ad cellam suam; gaudensq; ex corde benedixit Deum in miraculis suis per famulos suos sanctos. Postquàm S. Pulcherius lumen temporale reddidit Dei dono, ad æternum lumen Deus eum vocauit cohabitare cum Sanctis. Infirmatus autem, Fratres & loca sua benedixit, & coram collectâ multitudine Sanctorum tertio Idus Martij felicissimè sanctam suam animam Deo reddidit, & sepultus est cum debito honore in monasterio suo sancto Liath: vbi per eum à Christo multa miracula patrantur, cui est honor & gloria cum Deo Patre & Spiritu sancto in secula seculorum.

S. Canneræ visum reddit:

accepit mori tur.

E

a *Colitur* 11 *Nouemb. inquit Colganus, mortuusq; creditur anno* DCLXI.

b *Nihil impedit quo minùs hic esse potuerit ille, cuius celebris Peronæ in Galliâ cultus* XVI *Ianuarij: sed nec est ratio, quæ suadeat eumdem credere.*

c *Is fortasse, qui à Quatuor-magistris ad annum* DCLX *mortuus memoratur, Conangius; & ad* XXIII *Septembris nomen habere videtur in hagiologijs Hibernicis.*

d *Cùm hic fluuius Casselensis vrbis latus Occiduum praterfluat, consequens videtur, prædictum campum eidem vrbi fuisse Occidentalem.*

e *In Comitatu Tipperariæ illud VVaræus collocat, ad oram fluminis Siurij, vnde etiam quandoque* monasterium de Siurio *dicitur, Ordini Cisterciensi traditum circa annum* 1187 *à Donaldo Rege Limiricensi.*

f *Meliùs forsitan* Seoir *scriberetur, is, quem diximus,* Siurius; *qui infra vrbem VVaterfordiensem Berio Neriôque coniunctus, satis amplum milliarium aliquot fretum efficit.*

g *Rectiùs* Glais-mor, *inquit Colganus, celebre in regione Dessiorum monasterium; vbi qui* 10 *Febr. colitur Cronanus; hunc eumdem esse credit; asserens sæpiùs eumdem nunc Cronanum, nunc Mochua, nunc Cuananum dici, cui additum cognomen* kearr, Cuan-chear *facit.*

h *Idem Colganus putat hanc esse S. Canneram Fintani filiam, de quâ in Vitâ S. Mol... eius cognati ad* X *Nouemb agendum erit.*

F

DE S. GERALDO ABBATE

ET EPISCOPO MAGEONENSI IN HIBERNIA.

Synopsis historica.

§ I *Mageonensis Cœnobij ante Geraldum fundatio: pars prima Vitæ fabulosa vel dubia.*

CIRCA AN. DCC. XIII MAR.

S. Geraldi cultus in Mag-eo

1 *Vod occiduum solem respicit Hiberniæ latus, in tres distinctum prouincias exhibetur à Geographis; quarum media Connactia est, Maionensem Comitatum, velut pro centro, habens,* regionem amœnam fertilemque pecore, damis, accipitribus & copiâ mellis abundè diuitem, *teste Cambdeno: qui & nomen ei esse dicit à* Maio *vrbeculâ Episcopali, quæ* Mag-eo *in Prouinciali Romano dicta; nunc autem Archiepiscopatui Tuamensi adnexa sit. In hâc* x *Martij mensis die Natalem* S. Geraldi Abbatis celebrari, *notarique in eiusdem Ecclesiæ tabulis, inuenit Colganus in Elencho Ecclesiarum diœcesis Tuamensis; sed errorem suspicatur irrepsisse in numeris, tum quòd eius Vita,* Tertio Idus Martij in pace quieuisse *Sanctum, dicat; tum quòd Hagiologia quæcumque mentionem illius facientia, diem exhibeant* XIII *eius cultui designatum, videlicet Vsuardi Martyrologium ab Hermanno Greuen auctum excusumque anno*

ex Martyrologijs.

A anno 1521, præter nudum Geraldi Abbatis nomen, exhibens nihil: Florarium MS. SS. Abbatum Guidonis & Geraldi memoriam faciens: quorum prior prorsus nobis ignotus quis sit. Petri Canisij Germanicum Martyrologium, eadē quâ Hermannus vtitur breuitate, sed de eo latiùs agendum promittit XII Augusti. Quo die apud Bituricas eodem nomine celebris Geraldus colitur quidem, & à Florarij auctore etiam XIII Martij nominatur: sed (vt re meliùs expensâ ipse deinde notauit Canisius) valdè diuersus ab eo, qui in Martio colitur, atque in Martyrologio Tamlactensi notatur ad diem XII his verbis Giraldus de Magh-eo cum suis: à Mariano verò Gormano, XIII die Geraldus de Magh-eo Saxonum Abbas & Episcopus.

S. Colmannus de Paschate disputans vincitur,

2 Cur autem Magh-eo Saxonum vocetur, operæ pretium est ex Bedâ discere, simulque cognoscere illius monasterij primordia haud parùm diuersa ab ijs, quæ in malè consutâ S. Geraldi Vitâ non absque stomacho legimus. Beda igitur postquam Ecclesiasticæ Historiæ suæ lib. 3 cap. 25 disputationis de controuersiâ Paschali, coram Oswino Rege habitæ, successum exposuisset, caput 26 ita orditur. Finitoque conflictu ac solutâ concione... Colman (Lindisfarnensis Ecclesiæ missus ab Hiensi Abbate Episcopus anno DCLX aut LXI.) videns spretam suam doctrinam, sectamque esse despectam; assumptis his, qui se sequi voluerunt, id est, qui Pascha Catholicum & tonsuram coronæ (nam & de hoc quæstio non minima erat) recipere nolebant, Scotiam B regressus est, tractaturus cum suis, quid de his facere deberet... Facta est autem hæc quæstio anno Dominicæ Incarnationis DCLXIV, qui fuit Oswini Regis XXII; Episcopatus autem Scotorum, quem gesserunt in Prouinciâ Anglorum, annus XXX: siquidem Aidan decem & septem annis, Finan decem, Colman tribus Episcopatum tenuere.

atque cum suis in Hiberniam migrat,

3 Hæc illo capite: libro deinde 4. cap. 4 institutam prosequitur narrationem. Intereà Colmannus, qui de Scotiâ erat Episcopus, relinquens Britanniam, tulit secum omnes, quos in Lindisfarnensium insulâ congregauerat Scotos: sed & de gente Anglorum viros circiter triginta, qui vtrique monachicæ conuersationis erant studijs imbuti. Et relictis in ecclesiâ suâ aliquot Fratribus, primò venit ad insulam Hij, vnde erat ad prædicandum verbum Dei Anglorum genti destinatus: deinde secessit ad insulam quamdam paruam, quæ ad Occidentalem plagam ab Hiberniâ [haud] procul secreta, sermone Scotico Inhis-bofinde, id est, insula vitulæ albæ nuncupatur. In hanc ergo perueniens construxit monasterium; & monachos inibi, quos de vtraque natione collectos adduxerat, collocauit: qui cum inuicem concordare non possent (eò quòd Scoti tempore æstatis, quo fruges erant colligendæ, relicto monasterio, per nota sibi loca dispersi C vagarentur; at verò hyeme succedente redirent, & his, quæ Angli præparauerant, communiter vti desiderabant) quæsiuit Colman huic dissensioni remedium, & circumiens omnia propè vel longè, inuenit locum in Hiberniâ insulâ aptum monasterio construendo, qui linguâ Scotorum Mag-eo nominatur: emitque partem eius non grandem, ad construendum ibi monasterium à Comite, ad cuius possessionem pertinebat, eâ conditione additâ, vt pro ipso etiam, qui eis locum commodaret, consistentes ibi monachi Domino preces offerrent. Et constructo statim monasterio, iuuante etiam Comite & vicinis omnibus, Anglos ibidem collocauit, relictis in præfatâ insulâ Scotis. Quod videlicet monasterium vsque hodie ab Anglis tenetur incolis; ipsum nàmque est, quod nunc grande de modico effectum, Mag-eo consuetè vocatur: & conuersis iam dudum ad meliora instituta omnibus, egregium examen continet monachorum: qui de prouinciâ Anglorum ibidem collecti, ad exemplum venerabilium Patrum, sub regulâ & Abbate canonico, in magnâ continentiâ & sinceritate proprio labore manuum viuunt.

& Scotis in Inisbofinde constitutis,

Saxones ad Mag-eo transfert.

4 Hactenus Beda iuxta accuratissimam, & ad plura MSS. tam Latina quàm Saxonica collatam Cantabrigiensem editionem anni 1644, cui anno DCCXXXI Historiam suam finienti, & de rebus eo, quo natus ipse est, seculo gestis scribenti, maior haud dubiè fides esse debet, quàm Vitæ post septem eoque amplius secula compositæ ab Augustino Magraidin, vt Colganus existimat, Canonico Augustiniano cœnobij insulæ Omnium-Sanctorum, quæ Senanno fluuio circumfunditur in Occiduo limite Comitatus Longfordiæ; quem Iacobus VVaræus libr. 1. de scriptoribus Hiberniæ cap. 11 ait, inter ceteros studiorum fructus scripsisse Vitas Sanctorum Hiberniæ, ac die Mercurij proximè post festum Omnium-Sanctorum anno Domini 1405 decessisse. Eam nos Vitā ex eiusdem insulæ MS nacti ab humanissimo P. Hugone VVaræo delibauimus ad XX Ianuarij, agentes de S. Fechino, & hoc Martij die dandam promisimus: nunc verò, eâ pleniùs examinatâ, satis esse arbitramur illam extare inter Acta Sanctorum Hiberniæ à Ioanne Colgano edita: ne frustrà multiplicatis editionibus vulgetur scriptum primâ & potiori sui parte plures, eosque grauissimos, errores quàm paragraphos continens; vt si quod in eo lateat sinceræ veritatis granum, id in tanto palearum aceruo impossibile sit à reliquis secernere.

D Vita quæ fundatorem istius S. Geraldum facit.

5 Nam vt de capite primo nihil dicam, quo fabulæ similimā continetur natiuitas: scribit hic auctor secundo ca- E pite, defuncto apud Ionam insulam S. Columbæ successisse Colmanum, discipulum magistro; sed optimatum conspiratione pulsum ex Hiensi insulâ ad Anglicanam terram appulisse: cùm Beda habeat, eum ad prædicandam fidem missum inde & ordinatum Episcopum; sexagesimo minimùm anno post mortem S. Columbæ; cui aliunde habemus continuâ serie successisse SS. Baithenum, Fergnanum, Suibneum, Cumineum, quorum auctoritate sese in controuersiâ paschali defendens Colmanus: Numquid Reuerendissimum, inquit, Patrem nostrum Columbam, & successores eius viros Deo dilectos, qui eodem modo pascha fecerunt, diuinis paginis contraria sapuisse aut egisse credendum est? Addit deinde Biographus iste populum Clerumque Angliæ, compertis signis sanctitatis Colmani, illum vnanimi consensu Archiepiscopum fecisse totius Angliæ: quem ab Abbate Hiensi solis Northanhumbris de more missum scimus ex Bedâ, nec maiori quàm decessores suos Aidanum atque Finanum iurisdictione fuisse. Posteà Cusperium Regem Reginamque Beniciam nominat, Geraldi parentes, toti Anglo-Saxonicæ historiæ ignotis nominibus: nisi quòd septentrionalior Northumbriæ pars, in hodiernam vsque Scotiam procurrens, Bernicijs tribuatur, vnde Beniciæ nomen tractum videtur. His adiungit iuuenilem S. Geraldi & trium illius fratrum ætatem fuisse ab eodem Colmano tum liberalibus artibus tum etiam Theologicâ facultate instructam, habitumque monasticum & Ecclesiasticos Ordines ipsis collatos: F videlicet intra triennij spatium, quo solo in Angliâ fuit Colmanus.

fingit Colmannum primum à S. Columbâ Abb. Hiensem.

totius Angliæ electum Archiepisc.

6 Quæ tot simul absurda in vnum congesta caput, alterum multò absurdius sequitur, videlicet Giraldum propter suam sanctitatem constitutum esse Abbatem VVincestriæ; vbi quamuis fama miraculorum eius circumquaque diffusa multos ad eius obedientiam monachos adunasset, in Hiberniam tamen eum inde voluisse migrare: tum quia Prælati Angliæ vnà cum Clero contra Colmanum Sanctum Archiepiscopum, tamquàm extraneum, conspirauerunt, & eum temerè de finibus suis expulerunt; quem Geraldus cum fratribus suis & tribus millibus bonæ voluntatis virorum sequi voluerit: tum vt consortium scelerosi patris euitaret, qui matre eius defunctâ aliam in scelere tenebat. Est VVintestria haud procul à meridionali Angliæ littore ciuitas antiqua, trecentis passuum millibus (quanta scilicet totius Angliæ latitudo est) ab Lindisfarnensi insulâ, in quâ Colmanus residebat, dissita; vbi si vel Abbatem vel monachum agebat Geraldus, satis ille longè aberat ab infamis parentis, in extremâ, vt supponitur, Angliâ sub Colmano Episcopo viuentis, consortio: nec quidquam Geraldo potuit esse cum Colmano commune antequàm in Hiberniā conue-

ab ipsis delude Anglis expulsum,

sequutum cum 3000 Giraldo,

discipulo eius & Abbate VVincestriæ,

conuenirent; quò secutos Colmanum esse ter mille viros, non tacuisset Beda, si verè id scribere potuisset. Nequaquam verè ab Anglis esse expulsum Colmanum, sed zelo vel pudore stimulatum petiisse à Rege atque obtinuisse facultatem discedendi, satis ex Bedâ constat; cùm dicit abitum eum petiisse atque obtinuisse ab eodem, vt Fratribus, qui in Lindisfarnensi ecclesiâ abeuntibus Scotis maluerunt remanere, Eata vir reuerentissimus ac mansuetissimus præficeretur, vnus de duodecim pueris Aidani, quos primò Episcopatus sui tempore de natione Anglorum erudiendos in Christo accepit.

deinde Mageonensi in Hibernia:

7 Talia Vitæ huius exordia pari stylo auctor ille per septem prima capita prosequitur, narratoque miraculo regiæ filiæ à mortuis, mutato insuper sexu, suscitatæ: post aliam minus etiam verisimilem narrationem de ceruâ, quæ Elitherensi in Conactiâ monasterio appellationem dederit; tandem ad Mag-eonensis cœnobij primordia veniens, narrat quomodo à Ragallo Conactiorum Rege oblatam pro Abbatiâ construendâ terram acceperit, quæ postea Mageonia (Maguntiam habet MS.) sit appellata. Quæ Colganus arbitratur posse cum Bedæ Historiâ quadamtenus conciliari, dicendo primum quidem Mageonensis monasterij conditorem fuisse Colmanum; sed illius ad quam posteà excreuit amplitudinis, cuius idem meminit Beda, auctorem haberi debere Geraldum. Equidem existimo Colmanum intra annos non multos ad suos in monasterio Inisbofinde Scotos esse reuersum: Saxonum rebus in Mageo iam constitutis, & administratione demandatâ S. Geraldo: sed video vnum è duobus eligendum, quod scilicet vel anno DCLXIV non venerit in Hiberniam cum Colmano Geraldus, multò minus illius in Northumbriâ discipulus fuerit: vel quòd non interfuerit illi Synodo sub Regibus Dermitio & Blathmaco collectæ, in quâ S. Fechinus pro remedio famis pestem à Deo postulandam censuit, Geraldo (vt habetur in Vitâ) contra nitente.

qui tamen vel debuit diu ante Colmanum illic fuisse,

8 Quæ enim hanc deliberationem secuta est pestis, & Principum Præsulumque præcipuos quosque de medio sustulit, teste Bedâ l. 3 cap. 27; secuta quoque est illam solis eclypsim ab eodem Bedâ notatam anno Dominicæ Incarnationis DCLXIV, quæ accidit die tertio (primo scribi debere Petauius, Ricciolus, ceterique Astronomicarum legum periti asserunt) horâ circiter diei decimâ. Vidit hunc nodum hoc loco Colganus, eoque expeditus videri voluit dicendo, eam pestem anno quidem iam dicto inchoatam, non tamen finitam fuisse; sed in sequentem vsque annum durasse: quod, licet gratis ab eo assertum, libenter tamen ei concedimus: sed non videmus quid ea responsio ad quæstionem faciat: non enim quæritur an illâ mortalitate grassante in Hiberniam Colmanus aduenerit cum suis, eodemque sequi potuerit Geraldus: sed an potuerit eò aduenisse antequam ea clades mortalibus incumberet; & quidem tanto tempore antè, quantum necesse est concipi ab eo, qui Giraldum iam tum Abbatem tantæque inter Hibernos auctoritatis fuisse assereret, vt in publico regni totius conuentu S. Fechini sententiam impugnare præsumpserit: quod profectò non stat cum illo tam nupero aduentu, etiamsi disputationem de Paschate statim à principio anni factam dicas, & ante eiusdem anni Pascha, atque adeò ante exortam pestilentiam, Colmanum ipsumque Geraldum in Hiberniam appulisse.

vel non potuit Synodo anni 664 interfuisse.

§ II Vita & miracula S. Geraldi in Hiberniâ.

Ex VVintonia profectus in Conaciam circa an. 630,

9 Ergo, ne nihil omnino in totâ hac Vitâ esse dicamus, quod aliquam habeat speciem veritatis; in VVintoniensi prouinciâ, non quidem Abbatem fuisse Geraldum dico (id enim nulla suadet omnino ratio) sed vel monasticæ vitæ posuisse tyrocinium, vel saltem natum esse atque vixisse, donec sanctioris ac solitariæ vitæ amore ductus, cum illis tribus (qui in Vitâ eius secundum carnem Fratres vocatur, quosque satis est sanctæ conuersationis fraternitate eidem coniunctos credere) Balono, inquam III Septembris, Berikerto XVI Decembris, Hul-britanno XXIV Aprilis iuxta Hibernica martyrologia recolendis, & alijs forsan paucculis eiusdem propositi socijs deseruit patriam, atque in Hiberniam transijt, quod circa Christianæ Æræ annum DCXXX, ætatis verò ipsius XX factum concipias licet. Appulsus in Conactiam Geraldus an ibi Ailillum aliquem Regem inuenerit, cuius filiam suscitarit, & quidem mutato sexu masculum, non habeo vnde definiam: hoc video Elitherense monasterium, quod ab Elith ceruâ perperàm nuncupatum credidit auctor, ex fabulâ ad id persuadendum confictâ: ab Elitheir quod peregrinum significat, verè & congruè fuisse nominatum; eiusque nominis adhuc superesse vestigia in kill-an-elitheir capellâ, vt inquit Colganus, Comitatus & diœcesis Galuensis in Conactiâ: vbi etiam alium Geraldus obtinuerit locum, quem alijs ex occidentali orientalique Saxoniâ affluentibus discipulis Teghna-Saxon, id est, domum Saxonum nuncuparit, eique S. Balanum præfecerit, sacri depositi corporis eam ecclesiam venerabilem posteris redditurum, vt ex Mariano Gormano & Cathaldo Maguir colligitur.

Elitheriensi monasterium condit:

10 Forte etiam in Mageonensi planitie ille famosus Conactiensium Rex Ragallus (quem circa annum DCXL floruisse, & DCXLV mortuum Annales Hibernici scribunt, ipso teste Colgano; etsi eos, suppositâ horum Actorum veritate, errauisse fateatur) possessiones aliquas eidem contulit, vbi aliud Geraldus extruxerit oratorium, traductâ eodem discipulorum nouorum parte aliquâ; quæ caussa fuerit, vt Mageonense celeberrimi nominis cœnobium ab eo erectum crederetur, maximè cùm ipse in eo sepulturam cultumque obtinuerit, eidemque & ceteris ab eo dependentibus locis probabile sit summo iure fuisse præfectum, ideoque Colmani discipulum creditum, quod eius fuisse sciretur, in Abbatiali dignitate successor; quandoquidem verò diu ante conditum à Colmano monasterium, clarum esset Geraldi in Conactiâ nomen, iam inde à Ragalli Regis temporibus; eaque auctoritas, quantam requirunt gesta in Synodo anni DCLXIV; quæ ex ipsis Actis his verbis habe vnà cum miraculis nonnullis; quæ præcessisse ac subsecuta fuisse, possumus huic auctori, dum aliud nihil opponitur, credere.

circa 640 à Ragallo Rege locum accipit in Mageo

11 His quoque ac alijs pluribus prodigijs à viro Dei Geraldo ibidem ostensis, Rex terræ atque ceteri de terrâ reputabant virum sanctum, ac reuerentiâ dignum, & ad humanitus impossibilia potentem. Vnde Rex de quodam saxo durissimo ac grandi in medio fluminis, Muaydh nomine sito, conquestus est, quòd non modicam præbebat piscatoribus ceterisque ibidem nauigantibus molestiam. Lapis, inquit, offensionis, & petra scandali est nobis omnibus saxum præfatum; nam gregibus piscium de mari ad aquas dulces currere volentium, præstat impedimentum, & retia piscatorum frequenter dirumpit. Rogamus ergo vnanimiter vestram paternam pietatem, quatenus illud saxum per potestatem tibi à Domino traditam, de medio fluminis tollatur, ac per hoc Deus tuus in suis miraculis laudetur. Tunc S. Geraldus volens populum in fide solidare Trinitatis, lapillum, quem de vtero matris secum in manu portauit, super saxum illud grande proiecit, & mox in minutissimos lapillos grandis ille lapis diuisus est. Tunc omnes qui aderant in laudem omnipotentis Dei ac sui Sancti prorupêrunt, & Rex decimam piscationis illius fluminis S. Geraldo ac suis successoribus vsque in seculum obtulit.

scopulum piscatoribus incommodum comminuit,

12 In eadem quoque regione erat quidam famosus magus, qui multos suæ artis habebat discipulos: hic quoque in monticulo quodam iuxta monasterium Sanctorum cum suis habitabat, vendicans sibi ius hereditarium in eâdem terrâ: vnde vsque in hodiernum diem Collis-magorum appellatur. Sancti quoque monachi, qui cum viro Dei habitabant, cum feruore spiritus fruteta speciosa hinc inde spectantes, ignem maximum construxerunt. Huius quoque ignis fumum magus præfatus intuens, dixit ad socios, Ex arte magicâ didici, quòd ille ignis hodie accensus, nisi extinguatur citò vsque ad finem temporis non extinguetur. Exiens ergo & arma capiens equum ascendit, vt celeriùs ignem extingueret. Sed Dei voluntate factum est vt pedes equi sui in quâdam petrâ immobili firmis-

magum contra se venientem

A firmissimè, ac si essent saxo fixi, detinerentur; atque ipse magus sic dorso equi sui adhærebat, vt nequaquàm se inde mouere quiret. Stupefactus igitur magus de eo quod sibi acciderat, ac diuinam sentiens præualere suis viribus virtutem, ait ad suos: Aduertite amici mei; quod, qualescumque sunt spiritus magicis artibus suffragantes, à precibus istorum virorum apud Deum cæli vincantur. Quapropter his Christicolis suppliciter supplicate, vt me de hoc intolerabili tormento absoluant, & me ipsum & omne semen meum in seruitium eorum & successorum eorum vsque in sempiternum deuoueo. Voto ergo sic emisso, ipse cum equo de vinculis suis miraculosè absoluitur; sed in eâdem petrâ vestigia equi indelebiliter vsque in hodiernum diem impressa manent.

13 Post hæc vir sanctus suos fratres in tres diuisit turmas; quarum vnam ad Anglicanas deputauit partes, vt inde necessaria vitæ pro fratribus laborantibus adducerent; aliam quoque turmam ad murorum circa monasterium extructionem instituit; & aliam vt ipsi Missas & Horas Canonicas deuotè decantarent, & pro populo Christiano puro corde orarent, similiter deputauit. Talibus igitur ordinationibus à superno dispensatore sibi infusis, sub pio pastore Geraldo B caula dominica in sublimitate honoris & reuerentiæ creuit, & ad vltimum ipse compleuit.

rem monasticam ordinat:

14 Post hæc venerunt quidam latrunculi numero nouem, qui inter se cognati erant, ad territorium viri Dei, ac boues inde rapuerunt. Cùm vir Dei ordinem rei discussisset, eosdem è vestigio insequens, eosdem inuenit in insulâ cuiusdam stagni, vbi latrocinia sua abscondere solebant. Qui cùm introitum ex voluntate propriâ ei non præberent, Deus qui mare rubrum ad libitum voluntatis Moysi serui sui desiccauit, aquam illam, ac si nunquam ibi fuisset flumen, exsiccauit. Quod intendentes nouem latrones illi, corã viro Dei se prosternentes, pœnitiam egerunt, & se sibi ac suis successoribus seruituros in posterum vouerunt. Tunc S. Geraldus ait ad eos: Seruitium ac famulatum vestrum non respuo, sed ne iustitia Dei videatur rigorem suum amisisse, semen vestrum post vos non crescat vltra numerum nouenarium.

ablatos boues siccato stagno recipit:

15 Eodem tempore duo Reges Hiberniæ, qui tunc corregnauerant, videlicet Dermitius & Blathmachus, edictum fecerunt, vt omnes Clerici ac laici ad Temoriam ciuitatem venirent, vt edicti regalis caussam audirent. Erat enim tunc fames magna in terrâ; tanta enim tunc erat multitudo hominum, vt non sufficeret eis terra ad agriculturam. Vnde cuilibet colono in portionem legitimam dabantur nouem iugera, C vel septem de terrâ planâ, & octo de asperâ, & nouem de syluâ. Et ideò consilium fecerunt maiores terræ, vt populus conueniret ad vnum locum, & omnes tam laici quàm Clerici ieiunarent, & orarent ad Deum de illâ multitudine onerosâ inferioris populi tollendâ per aliquam pestilentiam, vt per hoc ceteri commodiùs possent viuere. Cumque conuenissent in vnum populus & Clerus, ac super hâc re diuersimodè, etiam viri sancti qui aderant, sensissent, duos famosos Abbates sanctitate perspicuos, videlicet S. Geraldum & S. Fechinum elegerunt, vt quod illi duo de petendâ re sentirent, omnes vnanimiter consentirent. Sed ipsi inter se sententiando non omnino concordabant: quia S. Geraldus dicebat non esse iustam petitionem, vt Deus tolleret homines per aliquam pestem, qui potens est de modicâ annonâ pascere plurimos, sicut filios Israël in deserto de mannâ, & sicut de quinque panibus quinque millia hominum, & etiam de modicis granis & tam paucis in terrâ seminatis totum genus humanum annuatim.

in Synodo pro quærendo famis remedio collectâ,

res ipsi & S. Fechino committitur:

qui contra Geraldi sententiam

16 Fechinus verò asserebat multitudinem petentium esse credendam, quia omnes maiores terræ petebant, vt nimia multitudo vulgi per infirmitatem aliquam tolleretur, quia numerositas populi erat occasio D famis. Cùm multitudo præualeret in petendâ pestilentiâ, ecce Angelus Domini in somnis apparuit cuidam viro, dicens: Heu quod non cibum à largitore omnium bonorum petistis; quia hoc vobis non denegaret: non enim Deo difficiliùs est cibos multiplicare, quàm homines. Sed quia contra voluntatem Dei petistis mortem inferiorum de populo, ideò iusto Dei iudicio maiores morientur; quod & factum est. Nam ira Dei in consilij illius suasores sæuiens, duos illos corregnantes in totâ terrâ, vnà cum Rege Vltoniæ & Rege Momoniæ, & cum multis alijs per infirmitatem, quæ ictericia vocatur, occidit: hæc enim infirmitas in hibernico dicitur budhe-Conaill. Hâc enim pestilentiâ mortui sunt tot homines, quòd non remansit tertia pars populi. Illa etiam passione mortuus est S. Fechinus, eò quòd consensum alijs præbuit, & multi alij de Clero. Et addidit Angelus: Quia verò S. Geraldus Abbas, qui rectus est in oculis Domini, rectum iudicauit, diuina ei pietas parcet: quod totum, vt Angelus ei prædixit, euenit.

petendam à Deo pestem persuadet,

quo ipse & primores quique extinguuntur;

17 Post hæc S. Geraldus ad terram Connaciæ properãs, in regione, quę Corand dicitur, inuenit magnam hominum multitudinem eâdem pestilentiâ detentam. Præerat illi multitudini quidam famosus Dux, Etranus nomine, qui eamdem incurrit cum E ceteris infirmitatem. Et quia multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt ad medicum, qui potens est & erat eorum tollere infirmitates. Videntes enim virum Dei Geraldum in finibus suis aduenisse, atque firmiter credentes eum sufficientem super morbo, quo grauabantur, potestatem habuisse; ecce vndequaque ad eum accurrunt dicentes: O Sancte vir Dei miserere, miserere nostri & medere languores nostros, quia potens es: grauis enim est infirmitas nostra, & citò morituri sumus nisi subuenias. Et ait plus Pastor ad Ducem; Tu cum prole tuâ sub tegumento cucullæ meæ festina, ac vos supponite. Dum Dux cum prole iussa pij Abbatis compleret, ecce omnes alij de plebe currunt, & se sub veste S. Geraldi ponere attentabant. Sed cùm modica cuculla omnes tegere non valeret, aut intra se capere; ecce diuinâ virtute tantam contulit vesti latitudinem, vt omnes capere intra se sufficeret, Quotquot ergo à cucullâ S. Geraldi sunt tacti, sanati sunt ab infirmitate illâ. Ne ergo ingrati beneficij liberationis viderentur, familiare suum obsequium, ac seminis post eos, S. Geraldo promiserunt.

Ab eâ Corandenses liberat Geraldus,

18 Post hæc sanctus Abbas perrexit ad monasterium suum, quod Elitheria dicebatur, vbi cùm mortem sororis suæ Segresiæ audiret, & centum Sancti- F monialium de eius collegio, vnà cum quinquaginta de suis discipulis, qui omnes ex illâ pestilentiâ obierunt, ad Mageonensem Ecclesiam ipse cum suis deuenit. *Est Corann Borealis Conactiæ trans Buellium regio nota nobis ex Actis S. Columbæ: sed ignotam sibi esse fatetur Colganus* Segresiam *istam, nisi Segneria sit, inquit, à Mariano Gormano nuncupata* de Domnach-kerne, *& ad* XVIII *Decembris relata.*

eius sororis Segresia.

19 *Hæc fortassis omnia ante Colmanni transmigrationem in Hiberniam, aliquot annis certè antè Mageonensis ab eodem exstructi cœnobij primordia, euenêre: nam supramemoratus Bedæ locus de dissidio Scotorum Anglorumque monachorum plusquàm vnius anni cohabitationem in Inisbofinde requirit: quare circa annum* DCLXX *crediderim à Colmanno primùm quæsitam Saxonibus socijs habitationem, eamque in Mageo vel ideò magis placuisse; quòd eam regionem insedisset cum monachis suis Geraldus, quorum propter communis patriæ vinculum, minùs formidanda vicinia nouæ huic coloniæ esset. Crediderim etiam S. Geraldum, Colmanni egregiâ sanctitate captum, quam* XVIII *Februarij ex Bedâ alijsque luculenter probatam lector habet, eidem, tamquàm Anglorum Episcopo & ætate maiori, se suaq. subiecisse cœnobia; vnde factum sit vt plurium caput Mageonense euaderet,*

Colmannus circa an. 670 Mageonense monast. condit,

illudq. post paucos annos Geraldo cedit.

A *deret, & magnis rerum ac personarum augeretur incrementis; præcipuè ex quo remigrante ad suos Scotos Colmanno, omnium in Mageonensi regione Saxonum regimen in Geraldum translatum est: quod paucis à condito monasterio annis accidisse oportuit; si quidem Annales Vltonienses, apud Vsserium in indice chronologico, rectè ad annum Christi* DCLXXVI Colmanni in insulâ Vaccæ-albæ pausam *retulêre.*

§ III Mors S. Geraldi; eius socij.

S. Adamnanus

20 **P***Ost Colmanni in Inis-bofinde reditum*, sanctus vir *Geraldus in Mageonensi cœnobio* vsque in finem vitæ moras trahens, in amore Dei & proximi permansit; *vt habet Vita sæpius citata: nec minus, vt credimus, in schismatici paschatis obseruatione sibi à Colmanno traditâ, multisque ex causis, quas Beda allegat, aliquamdiu excusabili; donec* Sanctus Abbas Adamnanus, post visitationem totius Hiberniæ, ad S. Geraldum perrexit, vt fraternam cum eo contraheret societatem: cui S. Geraldus fundum cum fonte limpido contulit, atque sibi suam commendauit ecclesiam, vt à persecutione laicorum post obitum suum eam defenderet: quod totum S. Adamnanus se completurum promisit, atque

B opere compleuit: *quæ lucem capiunt ex cap. 16. lib. 5 Ecclesiasticæ historiæ à Bedâ conscriptæ; sic enim loquitur.*

Canonicum Pascha edoctus in Anglia,

21 Hoc tempore (*scilicet Alfredo Northanhumbrorum Rege rerum inter suos potiente*) plurima pars Scotorum in Hiberniâ, & nonnulla etiam de Britonibus in Britanniâ rationabile & ecclesiasticum Paschalis obseruantiæ tempus, Domino donante, suscepit. Siquidem Adamnanus Presbyter & Abbas monachorum, qui erant in insulâ Hij, cùm legationis gratiâ missus à suâ gente venisset ad Alfridum Regem Anglorum, & aliquamdiu in eâ prouinciâ moratus, videret ritus Ecclesiæ canonicos; sed & à pluribus, qui erant eruditiores, esset solerter admonitus, ne contra vniuersalem Ecclesiæ morem vel in obseruantiâ Paschali, vel in alijs quibusque decretis, cum suis paucissimis & in extremo mundi angulo positis, viuere præsumeret; mutatus mente est: ita vt ea, quæ viderat & audierat in ecclesijs Anglorum, suæ suorumque consuetudini libentissimè præferret. Erat enim vir bonus & sapiens & scientiâ Scripturarum nobilissimè instructus; qui cùm domum redisset, curauit suos, qui erant in Hij, quiue eidem erant subditi monasterio, ad eum, quem cognouerat quemque ipse ex toto corde susceperat, veritatis callem perducere; nec va-

Hibernos plurimos errorem dedocet,

C luit. Nauigauit [ergo in] Hiberniam, & prædicans eis ac modestâ exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum, & penè omnes, qui ab Hiensium erant dominio liberi, ab errore correctos ad vnitatem reduxit Catholicam, ac legitimum Paschę tempus obseruare perdocuit.

& probabiliter etiam Mageonenses Anglos

22 *Quos inter Sancti quoque Geraldi fuisse monachos (quamuis Hiensibus subditi S. Columbæ instituta sectarentur sibi à Colmano Episcopo tradita) facilè credet quicumque considerabit plerosque eorum cum suo Abbate Saxones fuisse, non Scotos: maximè si (quod est probabile) seniores illi, qui pertinaces in recepto semel ritu abeuntem ex Angliâ fuerant Colmannum secuti; partim numero superuenientium ex Angliâ nouorum monachorum & ritui Catholico assuetorum victi, partim morte sublati credantur. Cur autem S. Adamnano cœnobium suum, ceterosque sibi subiectos per diuersa monachos commendaret Geraldus moriens, in promptu caussam est assignare; quòd totius Ordinis caput Adamnanus esset.*

eodem anno in suo Hiensi monast. obit. circa an. 700

23 *Verùm cùm institutum de Adamnano sermonem prosequens Beda hunc in modum finiat:* Cùm celebrato in Hiberniâ canonico Paschâ ad suam Insulam reuertisset, suoque in monasterio catholicam temporis paschalis obseruantiam instantissimè prædicaret, nec tamen perficere, quod conabatur, posset; contigit eum ante expletum anni circulum migrasse de seculo: diuinâ

D vtique gratiâ disponente, vt vir vnitatis & pacis studiosissimus, antè ad vitam raperetur æternam, quàm redeunte tempore Paschali grauiorem cum eis, qui eum ad veritatem sequi nolebant, cogeretur habere discordiam. *Hæc, inquam, cum Beda verba sint, ex quibus constat vnicum duntaxat Pascha, idque in Hiberniâ actum, intercessisse inter Adamnani abitum ex Angliâ, eiusdemque in Ionâ insulâ mortem; cumque ex eodem Bedâ lib. 5 cap. 19 constet, Alfredum Regem (ad quem legatus Adamnanus venerat) ad plures abiisse anno* Dominicæ incarnationis septingentesimo quinto: *non apparet quomodò saluari possit vel Quatuor-Magistrorum Chronologia, quâ Geraldus anno* DCCXXXVI, *Adamnanus* DCCXLIII *obiisse dicitur: vel Actorum S. Geraldi caput penultimum, quo supra inchoata sic prosequitur auctor:* Non multo enim pòst tempore post innumera miracula & monasteria constructa, S. Geraldus in Mag-eonensi Ecclesiâ in pace quieuit tertio Idus Martij. Post eius verò obitum S. Adamnanus Mag-eonensem Ecclesiam per septem annos indefessè rexit, claustrales in caritate perfectâ instruens, volumina conscribi faciens, atque manu propriâ librum quatuor Euangeliorum scribens: campanas etiam ad reuerentiam ecclesiæ fabricari fecit: inde ad Ionensem Abbatiam perrexit, & ibi feliciter in Domino obijt & sepultus est. E

non autem anno 743

post septennium prælaturæ Mageonensis.

24 *Nisi fortè suspicari velimus, Geraldo Adamnanum quidem successisse aliquem, qui per septennium tenuerit regimen, sed ab Hiensi Abbate diuersum, quos propter homonomiam Biographus, parùm vt ex hactenus dictis liquet accuratus, distinguere nequiuerit: quo concesso, alia nihilominus restat difficultas, circa Sanctos Hibernos minimè noua, videlicet* quod si Pontifex Muighe-Heo Saxonum Gerailt (*vt in suis annalibus ab Vsserio in indice ad annum 697 citatis habet Tigernanus*) obijt anno DCCXXXI, *vel, vt Quatuor-Magistri,* DCCXXVI *consequens sit, quòd vel quæcumque ante Colmani traiectionem in Hiberniam diximus ibidem gesta à Geraldo videri, gesta omnino ab eo non fuerint; sed ille iuuenis admodum, anno duntaxat* DCLXVI *Colmannum secutus, vix ante seculi septimi finem fuerit regendo monasterio idoneus: vel ille centesimum vitæ annum annis viginti aut triginta superauerit, antequàm moreretur: quare donec aliunde certior lux affulgeat dicimus SS. Geraldum Adamnanumque circa seculi* VII *finem aut* VIII *initium mortuos videri.*

Geraldus quoque non 731 vel 736,

sed circa finem seculi VII videtur obiisse,

25 Porrò S. Geraldus (*vt hoc quoque vltimum ex Vitâ caput hic attexamus*) quamuis multa in vitâ suâ perpetrauit miracula, post obitum tamen non minora ostendit, vbi fides & deuotio petentium non defuit. Post mortem eius Tergesius, Noruagiensis tyrannus valdè crudelis, totam deuastans Hiberniam, tandem ad Mag-eonensem deueniens Ecclesiam, templum F quod fuit ibi extructum à Sancto, & asseribus plumbeis contectum, in contemptu Dei & Sanctorum comburendo destruxit. In hoc quoque templo quidam vir à facie persequentis fugiens de incendio, tamquam alter Daniel, illæsus per merita S. Geraldi euasit. Quædam verò paupercula vidua, per merita S. Geraldi, per anni circulum solâ aquâ cum herbis refecta, ibi permansit. Cùm enim guerrarum commotiones cogerent ciues illam relinquere ecclesiam, ita vt durante persecutione ad propria redire per annum non auderent, solam illam viduam, non valentem pedibus per agros incedere post alios, sic miraculosè per suum Sanctum Deus pauit. In his & alijs multis signis mirificauit Deus illum Sanctum Abbatem Geraldum, cuius meritis & precibus dignetur Diuina pietas misereri nostri. Amen.

miraculis clarus etiam post mortem,

26 *Vbi obserua eum, qui Tergerius dicitur, alijs passim Turgesium esse, de cuius, anno* DCCCLX *mactati, infelici exitu vide dicta ad* VI *Martij in Actis S. Corprei num. 12. Testis verò Vsserius est in Chronologico indice ad annum 697 quod vti in* Maionensi vrbeculâ, Geraldi nomine Deo dicata ad hunc vsque diem superest ecclesia: *ita ibi-*dem

alius 100 scias.

A dem & Adamnani & S. Cormaci tempore centum Saxonicorum Sanctorum habitaculum extitisse secundùm libri Ballimontensis collectorem: *quo numero nequaquàm contentus opusculorum suorum libro quinto apud Colganum Ængussius, de Sanctis huius monasterij ita scribit:* Tria millia & trecentos, qui cum S. Geraldo Episcopo, & quinquaginta Sanctos de Lugniâ Connactorum, qui Mageone monasterium incoluerunt, per Iesum Christum inuoco &c. Non existimo tamen, *inquit Colganus,* tot Sanctos simul degisse in illo monasterio aliàs grandi & magnifico; sed vel successiuè diuerso tempore & sub diuersis Abbatibus, vel saltem eodem tempore in diuersis alijs monasterijs eidem archicœnobio subditis, sub eodem supremo Archimandritâ Geraldo.

S. Ængussius auget ad 1350, & sanctos facit:

27 *Addimus Hibernos non tam liberales futuros fuisse in canonizandis turmatim suis, cum aliquâ maioris vulgò virtutis specie mortuis; si vniuersalis Ecclesia toto orbe consuetudinem tenuissent, solis Martyribus eam prærogatiuam tribuentis, ut nullis singulorum spectatis in priori vitâ meritis, omnes, quos pro Christi amore mors obita coniunxit, nullo velit honoris discrimine separatos; quandoquidem moriendi caussa indubitatam reddat eorum beatitudinem, nosque certos faciat non vanè illos precibus aduocandos: at quibus laurea martyrij non cognoscitur obtigisse, eorum sigillatim prima, media, extrema expenditur vita, eamque comitata ac subsecuta miracula, & seorsim singuli vel Pontificio decreto, vel publico consensu populi Christiani, euidentibus crebrisque prodigijs in certam de alicuius sanctitate opinionem inducti, Sanctorum ritè inuocandorum numero aggregantur. Quam vsque adeò rectæ rationi congruam legem cùm pia Hibernorum simplicitas tam parum obseruarit, vt ex eiusmodi Sanctorum simul inuocandorum cœtibus totum quintum Ængussij opusculum conflatum sit; meritòque suspicemur nihilo maiori circumspectione vsos esse eos, qui Hibernica Hagiologia concinnarunt, quamuis Sancti ipsi, quamuis vetusti sint: ideò necessariò cogimur alia grauiora, requirere testimonia publici atque Ecclesiastici cultus, ab vniuersali Ecclesiâ solis Sanctis deferri soliti: quibus deficientibus titulum Sancti in Hibernicis auctoribus non aliter accipimus, quàm si ex temporis præsentis vsu Piæ memoriæ vel Felicis recordationis, aut Serui Dei epitheton alicuius Christianè pieque defuncti nomini præfixum reperiremus.* D

ex quo notatur Hibernorum abusus,

Sanctitatis titulum nimis temerè adscribentium sanctis,

quem probande sequi non possumus.

DE SANCTO NICEPHORO

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO,

Commentarius prævius.

AN. DCCCXXVIII. XIII MAR.

1 Elebris est hic dies veneratione S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani apud Latinos & Græcos: de quo Tabulæ Martyrologij Romani ista habent:* Constantinopoli S. Nicephori Episcopi, qui paternarum traditionum propugnator acerrimus, Leoni Armeno Imperatori iconoclastæ pro cultu sanctarum imaginum se constanter opposuit, à quo mulctatus exilio, ibidem quatuordecim annis longum ducens martyrium, migrauit ad Dominum. *Agunt de eodem Molanus, Felicius, Canisius, Ghinius aliique. Est autem hic dies, vt infrà in Actis posterioribus legitur,* duplici re memorabilis, *quòd tunc* in exilium eiectus fuerit, *at potissimùm, quòd sacrum eius* corpus Constantinopolim relatum, manibus S. Methodij, in celeberrimo Apostolorum templo, in sepulcro recens extructo hoc tertio Idus Martij compositum fuerit. *Græci in suis Menæis excusis ac manu exaratis celebrant hoc die eamdem* C *corporis translationem, encomio ex eisdem Actis desumpto. At primaria eius solennitas peragitur die secundo Iunij, quo exul hac mortali vitâ exutus, ad immortalem æternamque beatitudinem gloriosus migrauit. Quæ tum Græci longo & illustri encomio proferunt, ac varijs odis & hymnis decantant, in prioribus Actis continentur. Græcorum exemplo ad eumdem diem refertur à Molano in Auctario Vsuardi & Ferrario in Catalogo generali.*

Cultus sacer

13 Martij ob translationem,

& 2 Iunij die natali.

2 *Acta, vt diximus, duplicia damus, priora hactenus inedita scripsit* Ignatius, *teste Suidâ,* Diaconus & vasorum Custos magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, dein factus Nicænæ Metropolitanæ Grammaticus. *Hic addit idem Suidas,* scripsit Vitas Tarasij & Nicephori sanctorum & beatorum Patriarcharum, *& alia plura, vt diximus XXV Februarij ad Vitam S. Tarasij, in quâ asserit se huius discipulum, fuisse in arte poëticâ & carminibus pangendis exercitatum, sacras eius conciones celeri calamo exceptas in codicem retulisse, ac demum morienti adstitisse. Successit S. Tarasio Nicephorus, quem patrem suum appellat Ignatius, seque eius filium agnoscit sub initium Vitæ, & iterum sub finem ex singulari veneratione omnes interioris animi sensus effundit, & quòd aliquando in hæreseos errorem attractus fuerit, deplorat, eiusque patrocinio atque exemplo se ad viam veritatis reductum indicat. Nonnulla de eo in epistolâ interpretis mox dandâ continentur. Ceterùm eadem Acta damus more nostro in capita & numeros distincta, & vberioribus notationibus ex antiquis scriptoribus illustramus. Posteriora Acta conscripsit Theophanes Presbyter & Præpositus, in quibus paucis perstringuntur ea, quæ ad vitam & exilium spectant, quòd ea essent à dicto Ignatio accuratè narrata: at quæ postmodum in solemni translatione corporis peracta sunt, tradit auctor coæuus, vti ex epilogo colligimus, vbi ad arcam translati corporis cum desiderio accedit, & opem eiusdem inuocat, vt Ecclesia sancta in tranquillitate, quam tunc sub S. Methodio nacta erat, possit perseuerare. Dedimus XII Martij Acta S. Theophanis, Presbyteri etiam & Præpositi, imò & illustris scriptoris, sed quem circa annum DCCCXX, quo tempore Nicephorus in exilio superierat, vitâ functum fuisse diximus. Alius ergo hic noster Theophanes est & aliquantò iunior: cuius elucubrationem Græcam de S. Nicephoro reperit in bibliothecâ Venetâ Aloysius Lipomanus, atque à Petro Francisco Zino Latinè redditam edidit VII tomo Vitarum sanctorum Patrum ad hunc XIII Martij & ex eo Surius, quam nos nouo labore exornamus.* F

Acta hactenus inedita auctore Ignatio,

coæuo,

alia scripta à Theophane Presbytero & Præposito,

à Lipomano edita.

3 *Natus est S. Nicephorus post conciliabulum Copronymi circa annum DCCLVIII, ordinatus Patriarcha XII Aprilis, ipso die Paschatis anno DCCCVI, præfuit Ecclesiæ suæ annos nouem, dempto vnico mense, in exilium ablegatus anno DCCCXV die XIII Martij: in exilio vixit annis tredecim, decimo quarto exilij sanctè mortuus die secundo Iunij anni DCCCXXVIII: cuius corpus ab exilio relatum est anno DCCCXLVI. Quæ omnia infrà ex ipsis Actis constant. Libros ab eo conscriptos post alios enarrat Philippus Labbe in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis: quem curiosus lector consulat: plurima ex Confessione fidei ad Leonem Papam missâ, vti & ex opusculis eius aduersus Iconomachos, infrà in Actis referuntur. Familiaris S. Nicephoro fuit Magnus Theodorus Studita, cuius epistolam huic in exilio missam hîc damus: & est eiusmodi.*

S. Nicephori ætas:

scripta

4 Cùm sæpenumerò ad sacrum Beatitudinis tuæ verticem scribere instituissem; destiti ab incepto, partim indignitatis meæ consideratione, partim etiam ex infirmitate ex ærumnis natâ præpeditus. Nunc verò vtrumque parui pendens, & Trinitate fretus, miser

epistola S. Theodori Studitæ ad illum.

A hæc dico : Gaude , verè victor impietatis , qui virtu-
tum quadrigis fidei curſum conſummas. Salue magne
ſol doctrinæ orthodoxæ, cuius confeſſionis radijs vni-
uerſus orbis illuſtratur. Salue propugnator veritatis,
veterum Sanctorum inſtar virtutis pulchritudine col-
lucens. Reliquiſti excelſum thronum eius cauſsâ , qui
ſemetipſum humiliauit vſq;ad mortem,mortem autem
crucis. Reliquiſti miniſteria & oblectamenta Archie-
piſcopalia, & varijs incommodis Confeſſorum mo-
re exerceri maluiſti, quàm temporarijs frui delicijs
peccati. Ac certè, quoniam non ex illis , etſi in illis
viuebas, membra per vitam in Chriſto actam morti-
ficans, ſanctæ matris priuationem pertuliſti, caris fra-
tribus omnibus, ſimul in omnibus ſpoliatus. Necdum
opprobria tua Chriſti opprobrijs ſimilia commemo-
ro, immiſſas ab Imperatoribus oppugnationes, vexa-
tiones, anguſtias ac veluti ſuffocationes. Noctu cum
Chriſto abductus es : etenim proditus etiam ipſe re-
legatus es , in collis confinium redactus es Martyr
Chriſti. Sed euge , quàm in bonum tibi omnia! At-
tolle in orbem oculos ex ſpeculâ mentis , & aſpice fi-
lios tuos, ſeu mauis, oues, paſtor bone, quamuis cor-
pore diſperſas, animo tamen coniunctas , totam penè
Eccleſiã tuam varijs locis occupantes , & confeſſionis
tuæ fulgore , ſtellarũ inſtar, ijs, qui in nocturnis hęre-
B ſeos tenebris verſantur,orthodoxæ fidei lumen oſten-
dentes : alias quidem Deo immolatas per athleticam
conſummationem; alias decertantes ſine vllo præſen-
tium rerum metu , ſed Deum flectentibus precibus
tuis corroboratas. Hæc eſt gloria Eccleſiæ tuæ : hoc
inſigne ac ſymbolum martyrij , quod ſequens ætas
excipiens, Deum in te, vti nunc, glorificabit. Multa
tibi pro Chriſti imagine pugnanti encomia dicentur.
Sed ignoſce mihi , Dei imitator, quia hæc ex amore
auſus ſum, quæ dixi, ſacras preces tuas impertiens : vt
minimus filius tuus eſſe non deſinam , qui omnium
maximè inutilis ſum propter peccata. *Hæc ad Nicepho-
rum S. Theodorus Studita. Hinc ad Acta S. Nicephori pro-
greſſuri præponimus epiſtolam Reuerendi Patris Franciſci
Combefis Ordinis Fratrum Prædicatorum Pariſijs ad S. Ma-
riæ Annuntiatæ nobis miſſam.*

Epiſtola interpretis,

5 Prouocauit veſtris laboribus productus , mihi-
que aſpectus triplici grandi volumine Februarius , vt
& expectato Martio aliquid adiutricis operæ conferre
ſtuderem ; ac ſi quid mihi è Sanctorum Actis, quæ
vos deficerent, repoſitum eſſet ; id in rei Chriſtianæ
commodum, Chriſtique ac Sanctorum gloriam euul-
gandum, propenſiore animo ſubminiſtrarem. Occur-
rit autem cumprimis Sanctiſſimi Confeſſoris , Con-
C ſtantinopolitanæ Vrbis Archiepiſcopi ac Patriarchæ
Nicephori vita atque certamen , Ignatio Eccleſiæ
Maioris Diacono ac vaſorum Cuſtode, eidemque
Nicephoro æquali , non inculto aut minùs accurato
auctore : munus ſcilicet Leonis Allatij, viri doctiſſi-
mi ac amiciſſimi, Romanis ex codicibus, dum is me-
ditanti operæ aliquid in Nicephoro,eiuſque luce cla-
rioribus monumentis , vicem aliquam acceptorum à
me inclyti nihilominùs Confeſſoris Georgij Meto-
chitæ librorũ quinque, quibus tomum alterum Græ-
ciæ ſuæ Orthodoxæ Regijs ex codicibus præclarè di-
taret, rependit. Græca Ignatij quàm licuit clarè, fidâ-
que interpretis operâ reddidi. Haud obſcurè ipſe ſe
aliquando vim paſſum & hæreticis imaginum effra-
ctoribus communicaſſe prodit, tametſi à fidei verita-
te ſanoque Eccleſię ſenſu de earum numquàm animo
receſſerit. Tanta Leonis ſubindeque Theophyli vis
fuit exagitandis pijs fidelibus, vt vel ipſos, qui colum-
næ videri poterant , penè proſtrauerit : nec ita multi
fuerunt, quà ſe Romani per Orientem Imperij Maie-
ſtas proferebat ac ditio, quos illa immanis ruina non
inuoluerit. Quanti res negotij fuerit , piæ Theodoræ
viro malè pio eóque impio extincto , ἡ τῶν εἰκόνων
ἀναστήλωσις ; declarant Acta ad Dominicam τῆς ὀρ-
θοδοξίας Græcorum Eccleſiaſticis libris inſerta, mihiq; D
pridem ex ijſdem producta ; tum cùm & ſanctiſſimus
Confeſſor Methodius, nouâ affulgente luce depulsâ-
que terrâ hæreſis caligine , in Conſtantinopolitanâ
Sede dignus Paſtor & Nicephori ſucceſſor, abactis ab
eâ lupis ac incubatoribus , collocatus eſt ; quo etiam
tempore Ignatius pœnitudine ductus, præclarum hoc
Nicephoro, velut στηλιτευτικὸν, monumentum repo-
ſuit. Laudo iudicium eius de Nicephori operibus,
quorum luce ominatur depulſum iri illam erroris ca-
liginem. Nec dubium quin multum contulerint ei-
dem depellendæ,poſtquàm facultas ea legendi Augu-
ſtorum clementiâ ac pietate veritatis amantibus fuit
indulta: neque nunc minùs vtilia futura reor diſſlan-
dis nebulis, quas noui tenebriones eâdem in cauſsâ
ex orco reuocarunt , ſi quando Dei clementiſſimi in
fideles ſuos ac Eccleſiam munere , quâ ſcripta ſunt
luce , auctoritatum pondere, rationum vi, ſtylique
nitore in publicum prodeant: quod à Maximo forſan
dato ijſdem auſpicijs poteſt præſtandum expectari.

VITA

Auctore Ignatio Diacono , eius diſcipulo.

PROLOGVS AVCTORIS.

1 Niſi, Auditores, lacrymarum tempus
ad contritionem cordis vocaret, tri-
ſtitiæque parturitio animi ſenſus
ſupprimeret ; plano fortaſſis itinere
ac ſecundo flumine decurrens ora-
tio, quod illi propenſum eſt , etſi non ſatis pro argu-
menti dignitate, pro virili tamen ſuâ impleſſet. Nunc
autem tantis malorum affectuumque ineluctabiliter
obſepta incurſibus, quaſi iners ad linguam feſtæ lau-
dationi laxandam,næniam prætulit;pangendiſque de-
fecta laudibus,prorſus mœſtitiæ conceſſit. Quis verò,
ſodes, interpellauit? quæ cauſſa mœſtitiam æſtumque
eiuſmodi incuſſit , ac animo tenebras offudit? Nempe
diuini Deoque pleni Patris migratio,ac quod ille no-
bis ereptus ſit, lucidiſſimi ſideris ac Eccleſiæ Luciferi
extinctio : eius , qui Dei ſolummodò cultum præco
ſonaret, amiſſio : clariſſimæ tubæ , ad veram excitan-
tis fidem, vocis deſtitutio : pretioſiſſimi ſpiritalis do-
ctrinæ theſauri occultatio : labiorum , quorum mira F
pernicitas ad ſtolidæ vaniſſimæque incredulitatis præ-
dam, intermortuorum ceſſatio ; Ille , inquam , verè à
victoriâ nomen ſortitus , tametſi pro humanâ condi-
tione morte victus eſt , inertem ad laudationem lin-
guam effecit. Ea res eſt , quæ orationis vim mutam
reddidit : ea ad næniæ planctum abſonum , animum
deuocauit. Idcircò, niſi me ingratæ indolis crimen
deterreret, eâ ſcilicet ratione, quòd defuncto patre fi-
lius ſilentium amplectatur , magnumque adeò mira-
culum , quod nullo obliuionis modio obtegi poſſit,
neglectim prætereat ; hoc vtique mihi ipſe conſultò
imperaturus eram, vt, quem ignorantiæ nubes conte-
gat, longiuſque velut antiquum illum populum pec-
cati procella arceat , ad viri virtutem haud quaquàm
accederem, eiuſue aliquid contingerem : ne, qui indi-
gno conatu beſtiam audaciâ præferrem , lapidibus ia-
culiſque confoderer ac obruerer. Semel tamen animi
exilitate detectâ , intúſque flagrante animi deſiderio,
cùm Deo acceptum ſciam , quod è virili ſit, me ipſe,
quoad licuit, in celebratiſſimi Patris laudes , velut in
profundũ demiſi gurgitem. Faxit verò veſtris ad ipſum
ſupplicationibus diuinum numen , vt in eo latentem
margaritam capere, animoque ſoſpite emergere liceat,
ac nobis deſiderantibus incorruptas diuitias commu-
tare.

Luctus ex obitu tanti viri,

vigorem orationis impedit:

eam tamen virtus illius extorquet.

A mutare. Mihi ipse iniquus fuerim, nisi ab eo assumpto dicendi argumento, eam, quæ dicendi arte constat, vicem ei rependerim.

2 Eia igitur, omisso tantisper luctu næniaque, ad orationem accedamus, diuinique viri gesta per vitam, velut communem quamdam virtutis tabellam, æqui honestique studiosis proponamus. Cunctis enim cùm voluptati tum commodo futura sunt, quibus boni amor cumprimis curæ est, ac sinceræ fidei doctrina arridet: quia scilicet veritatis vim, ac robur palàm prætendunt; iisque, qui minùs rectè ad eam collineant, neruos excindunt. Complectetur enim ac collectis vndique monumentis referet, non tantùm quanta is præclaris moribus vitaque ritè institutâ peregerit, sed etiam quantum tuendæ veritatis caussâ ad sanguinem vsque desudarit. Velim autem, summéque gratum habeam, vt orthodoxæ fidei alumnos omnes auditores habeam, quotquot suo Ecclesia vbere, potiorum, inquam, doctrinâ exercitatos, spiritali ac solido cibo, ad boni malique discretionem impleuit. Illos verò procul abigo ac submoueo, quotquot sinistræ opinioni addicti, aliter, ac Pater, senserunt; velut nimirum qui Ecclesiæ basim frustrà conentur concutere, suamque ipsorum spem, vt verbis Prophetæ loquar, vendiderint mendacio: neque enim qui malè in virum affecti sint, inque illum quiduis sinistrum meditentur, eius lubenter laudes audient, eisuè præstabunt assensum. Execratio enim peccatoribus, vt Salomoni placet ac veritati videtur, cultura Dei. Inextricabilium enim illius sermonum cassibus pressi, argumentorumque labyrintho atque anfractibus, vt nullus vsquam euadendi locus suppeteret, circumdati, consilij inopes ad maleficia conuertebantur, stultorumque canum more incitati, nullum Sancto oblatrandi finem faciebant. Dura enim res, ac cedere nescia hæretica prauitas; vel si millies conuicta absorptaque sit, toties impudens emergit.

proponitur vita veris Catholicis.

Isai. 30. 12 B

Eccl. 1. 32

non obdurati hæreticis.

3 De his itaque sermo instituendus, circumductæ per multa orationis molestiam declinās, recto insistet calli; ita scilicet vt virum, hodierno conuentu laudationis argumentum sese offerentem, in medium producat. Porrò genus, vsque seculi mundanam claritatem, patriamque ac facultates, ea denique omnia, quibus æternæ leges quæ ornatui seruiunt laudatorias orationes definiunt mirari accuratiusque describere in eo, cui constitutum fuit, vt in eis nihil vnquam operæ poneret, solisque pietatis ornamentis, vt par est, cultum sibi adhiberet, haud puto pium sanctumque ducant, quibus virtutem laudare propositum sit. C Non enim Sophisticæ garrulitatis regulas sequitur, qui rebus ipsis ac operibus inculpatus, virtutum canon indexque dignoscitur. Quia tamen ipsa quoque terrenæ patriæ cognita claritas parentumque Christianâ pietate spectata virtus via est iucunditatem concilians, lucidamque, vt quodam loco Lyricorum quispiam effatus est, argumenti faciem reddit; age ex rudi generis delineatione, primaque vitæ, velut materiæ, informatione totam nobis cælestem ac spiritualem statuam effingamus.

in eo an de parentibus & facultatibus sit agendum.

CAPVT I

S. Nicephori parentes eximiâ pietate, & exilio pro fide subito clari. Ipsius in aulâ Imperatorum dignitas.

4 HVnc itaque vrbs princeps Augustaque tulit, pijs verè ac religiosis parentibus: eiusmodi scilicet, vt ex ipsis cunabulis in vitalis scintillæ modum, ac velut prælatâ face mundum illustraturus, & vix dum natæ hæreticæ prauitatis impios vortices flammamque extincturus cognosceretur. Porrò parentes, è rei ratione nomen sortitos, planè testis est nuncupatio ipsa: Eudocia enim ad nuptiarum copulam Theodoro coniuncta, probatum verè, ac Dei concessum munere Nicephorum partu effudit, ac velut cælestem plantam, prouexit in arborem: quorum adeò illustris notaque pietas fuit, vt tuendæ caussâ veritatis pericula, exiliaque, ac verbera ambierint adierintque. Id verò, vt mea fert sententia, vaticiniū quoddam erat futuri in filio euentus, velutque figura ac imago pretendens fore, vt pari caussâ atque animo, tametsi non eodem tempore, filius parensque periculis defungerentur.

Natus Constantinopoli.

D AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

parentibus piis, pro fide exilium & verbera passis.

5 Contigit enim per id tempus vt, a Constantino ad Imperij gubernacula assumpto, scribæ seu Notarij partes impleret regijsque secretis ministraret Theodorus: qui dum purissimâ rectæ in Deum confessionis atque fidei luce, haud secùs ac alter Abraham prænitet, graui apud eius sæuissimum hostem pulsatus est calumniâ, eo scilicet nomine, quòd Christum in imagine intemeratamque parentem ac Sanctos omnes venerationi haberet. Tyrannus itaque, vt qui veritatem odio habens audire talia non sustinebat, intumuit iracundiâ, & virum adesse quantocyùs iussit, & eorum nomine quæ fama vulgauerat caussam dicere. E Ille velut ad epulas vocatus, non vt caussam obnoxius diceret, ostendit palàm sic se rem habere, atque is inaudierat. Re in hunc modum certò deprehensâ, Imperator cùm viri obfirmata constantia, velut fomentum, nequitiam animi eius succenderet, minis insolitis tentatum Theodorum, verberibus quoque ceu reum addicit: quibus nihil emollitum hominem aduertens, penulam ac dignitatis insignia adimit, grauique prorsus exilio mulctat.

a Theodorus pater Copronymi Imperatoris scriba,

ob venerationem imaginum,

verberatus;

6 Postmodum, aliquanto temporis emenso spatio, è Molinâ; (hoc enim illi castrum addictum exilio) reduci virum, inque regiâ rursum versari præcepit; sperans, vt puto, dirâ attritum vexatione, didicisse quod illi ipse operæ pretium esse existimabat. Reuerà tamen adamante fortiùs resistentem, minisque ac audaciâ in eum suâ superiorem, atque ad alia quæcumque duriora, animi sui inuenta, si res ferret, sustinenda paratum inuenit. Hæc namque incitato animo persequebatur, ac Christi exornari plagis potius ducebat, quàm vt ab Ecclesiasticâ lege Apostolicâque ac Patrum traditione, congruè admodùm ritéque sanciente, Christum verum Deum nostrum eâ ratione, quâ homo est, pictis expressum coloribus adorandum esse, quidquam aberraret. F Vbi autem vir sanctus ore ad salutem confessus esset, seque Tyranno aduersanti parti studere abundè declarasset, ad alia vocatus est tormentorum genera: quibus animi maximo robore perfunctus, Nicæam in Bithyniâ extorris eijcitur. Quo in loco, quòd erat reliquum vitæ tempus, religiosè versatus, ac fortis animi in tuendâ verâ fide norma effectus vniuersis, ad beatam illam requiem commigrauit, vitamque in longa secula productam; laborum præmia tùm recepturus, cùm per vitæ compendium gesta iudicabuntur.

in exilium mittitur:

reuocatus;

in fide constans,

variè tortus

iterum in exilium missus Nicæam, vitâ functus est:

7 Quæ autem ex diuinæ legis præscripto illi coniux adhæserat, vt quæ religiosa, Deique ac viri amans existeret in cunctis, maritum secuta est in periculis, in exilijs, in ærumnis, in iustitiæ (vt Apostolus loquitur) dextris atque sinistris; scilicet in tristibus, æquè ac in lætis. Cùm enim par quoddam essent ad potiora atque ad virtutis agones sese incitantium, non minùs spiritu quàm corporum mixtione concreuerant. Hæc, viro beatâ sorte defuncto, annos non non paucos egit cum filio; cùm is recèns liberalium artium studia capessiuisset, manuque ac atramento scriptor non ignobilis euasisset. Electus namque Scriba est, qui Imperatoribus, vt Latinâ linguâ vocant, à Secretis minister esset. Quin & iam felix Mater

Mater vbique mariti socia.

2. Cor. 6. 7

vidua vidit S. Nicephorum,

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

Imperatoribus factum à Secretis, & Patriarcham:

A ter hunc ex se natum summi Sacerdotij candelabro velut lucidissimam lucernam impositum, semperque clarum lumen semitis nostris præferentem conspexit, ac debitum secundùm Deum parentibus honorem cultumque ad senium vsque ex ipso recepit. Interim verò seculi res fluxas velut aranearum stamina pio consilio fortis fœmina reputans, monasticæ se exercitationis studio dedidit, strenueque in eo desudans, victo aduersario, ac professionis cursu dignè consummato, morte functa immortalitatis coronam suscepit. Illic cum Virginibus in thalamum assumpta, læta choros agit, lampademque bonorum operum oleo semper accensam atque lucentem custodit. O natum, cui ex tantâ parentum pietate commendatio fausta accessit! O parentes, queis tantę virtutis ac laudis natum, adeóque spectabilem nancisci obtigit!

monasticam vitam amplexa, sanctè moritur

8 Ceterùm, hic de Iusti parentibus sermo, inferior longè quàm vt eorum exæquet merita, hactenus deductus sufficiat: nunc vt ipse supra virtutis fundamentum semet ædificauerit, atque in corde suo, vt verbis Prophetæ loquar, ascensiones disposuerit, superest dicendum. Quamquàm trepidat oratio, verita ne minùs pro dignitate partibus suis defungatur: tametsi ne id quidem quod ex dignitate sit atque merito, æquus auditor exegerit. Itaque exiguâ quadam subtilique viâ atque methodo abundantiam contrahens, vt quæ B consilij indigum inopemque faciat, vnum quid ex plurimis illius rectefactis conabor dispicere, atque ex parte totum, ceu leonem ex vngue, vobis declarare.

Psal. 83.6

S. Nicephorus hoc exemplo prouocatus,

9 Eum itaque Imperator Aulaque habebat ceu diuinum quemdam ornatum ac decus, sermone clarum atque illustrem, suprà quàm Philippus Rex, Atheniensium facundissimum *b* oratorem. Non enim blatero quidam erat ac locutuleius, qui ad adulationes modos, verba, sermonemque componeret, loquendóque ad gratiam, laudem quæreret: sed orationem ex ratione componens sic depromebat sermonem, vt non tam dictionis elegantiâ atque verborum ornatu auditorem mulceret, quàm salutis negligenti remissoque, quod operæ pretium vtileque esset, palàm ediceret atque suaderet. Itaque cùm eorum pars aliqua, qui per hoc tempus Romani Imperij sceptra moderati erant, circa sanam fidem essent naufragati; excitatam ab ijs, quoad licuit, tempestatem sedauit. Olim namq; Apostolicâ Patrumq; sanctione in inculpatâ Ecclesiâ vigentem traditione, sacras nimirùm pingendi atque colendi imagines, superbâ molitione abrogare conati, (velut quos metus incessisset, ne Christum corporalium proprietatum notis insignitum conspicerent sibi similem) aduersùs eius decorem vno agmine atque impetu processerunt. Dei enim virilem figuram omnem eiusque imaginem, qui per carnem nostras portauit imbecillitates, Christus verus Deus noster, immaculatissimæque eius Parentis, necnon Sanctorum, qui à seculo claruerunt, corporalia monumenta fœdantes atque oblinentes, localem seorsim conuentum atque, vt verè loquar, *c* Concilium Pharisaicum in vrbe Augustâ cogendum putauerunt. Phariseorum namque conuenticulum, incitatum furore contra Christum, parricidij reportauit crimen: hi autem aduersùs eius corporalem figuram peruerso contuentes aspectu, Christi hostium nomen atque titulum compararunt. Ita nimirum acta res, vt ex sacræ Scripturæ contextu nihil inconsequenti ratione euincendæ sententiæ suæ promerent: ex Patrum verò tractatibus aduersùs idola Gentiumque simulacra editis, sententiolas dictaque stultè decerperent, velutque in nubilo, id quod querebant videre se existimantes, præcoci definitione damnarent, &, vt verbis Scripturæ loquar, transferentes Patrum terminos, suæ dementiæ sensum in æternis tabulis exararent.

vir in aulâ eloquens, b

prudenter sanam doctrinam inculcat.

C *contra Conciliabulum sub Copronymo coactum c*

Pro. 22.28

D 10 Quia tamen supernæ opis vitio malis infesta, tum eos omnes, qui aduersùs Ecclesiam bacchati erant, tum illos maximè, qui aduersùs venerandam Christianæ fidei confessionem nequitiam struxerant, *d* vitâ pariter ac dignitate priuârat; ea, cui à pace nuncupatio fuit, vnà cum filio Constantino ceu paternam hæreditatem Imperij sceptra Dei nutu obtinuit: *e* Irene videlicet, fœmina illa robusti animi Deique amans; si modò fœminam appellare licet, quæ viros quoque pio superauit sensu. Cuius operâ Deus cuncta, quæ prior discordia, instar serpentis lubricissimæ Ecclesiæ irrepens, distraxerat, in rectæ fidei vnam confessionem clementissimâ benignitate adduxit. Hæc itaque cùm ex orbis vniuersi finibus *f* sacrorum virorum Synodum ad Nicæam Bithyniæ Metropolim, pestifero huic morbo abolendo, cogendam sanxisset, Deo deinceps opitulante rem ex voto confecit. Præsidebat Synodo *g* Tarasius vrbis Augustæ sacratissimus Antistes: aderant verò *h* Adriani senioris Romæ, *i* Politiani Alexandriæ, Theodoreti Antiochiæ, Eliæ Vrbis Eliæ Sanctissimi Vicarij. Porrò etiam *k* Nicephorus, præ multis æqualibus, Procerum huic choro comes delectus est, eique in sacrâ illâ Synodo, Regiâ acclamatione concreditâ, atque eius tenore sinceram omnibus fidem prædicans, & velut è sublimi speculâ E venerabilium imaginum antiquam religionem ac adorationem inclamans atque dilucidè explicans, confessor sacro consessui etiam ante sacras infulas effectus est. Hoc primum beato viro pietatis in Deum peractum certamen: hæc prima ei palma coronáque obtigit nullo auferenda casu, ijsque longe pretiosior, quæ lanâ, oleastro, apio plexæ victorum olim pugilum frontes solebant exornare.

d

e sub Constantino & Irene Imper.

f Concilio œcumenico Nicæno 2.

g h i k

adest Acclamationis Regiæ præco, ac promulgator;

11 Quia verò ille Patrum à Deo electus cœtus, diuini Spiritus aurâ afflante, in rectæ fidei portu Confessionis ratem incolumem deduxerat, ac rursus Ecclesiæ tunica varium ex sacris picturis recipiebat ornatum, præmortuo quem hæresis parturiebat informi fœtu; magnus hic Nicephorus nominis sui ferens insignia, clarum quoddam; bellicumque aduersus fidei hostes pepigit melos; Christum eâ quidem ratione, quâ deitate simplex est ac intangibilis, omni circumscriptione vacare & nullis efformandum docens colorum pigmentis; quâ verò per humanitatem tangibilis est atque compositus, circumscriptum esse & qui pingi possit: quibus planè consentaneus sit vsus imaginum, quo à Manetis sectatorum figmentis resiliamus atque somnijs. Hæc loquebatur, inque hunc modum sentiebat, cùm Imperatoribus, vt dictum est, à secretis nauaret operam, ac publicæ rei curis addictus esset. E

rectæ fidei defensor epistemicum canit

a *Is est Constantinus Copronymus, Leoni Isaurico 18 Iunij anni Christi 841 Indictione 9 mortuo suffectus, hæretico patre deterior filius.*

b *Demosthenem indicat.*

c *Conciliabulum illud habitum anno 754 Indict. 7, post quod S. Nicephorus circa annum 758 natus est.*

d *Mortui sunt Copronymus anno 775 die 14 Septemb. at Leo filius & impietatis hæres, anno 780 die 8 Septemb.*

e S. Irene *dicti Leonis vidua mater Constantini colitur à Græcis 13 Augusti: cuius nomen ijsdem significat* pacem.

f *Fuerunt in eâ Synodo anno 787 habitâ Patres 350.*

g *Acta S.* Tarasij *dedimus 25 Februarij.*

h *Sedit* Adrianus Papa *ab an. 772 ad an. 795. Erant ab eo missi Petrus Archipresbyter, alijs Primus Presbyter & Vicedominus, & Petrus monachus Præfectus siue Præpositus Monasterij Romani S. Sabbæ.*

i *Fuerunt missi ab his Patriarchis Thomas monachus & Presbyter dein Archiepiscopus Thessalonicensis, & Ioannes Syncellus Patriarchæ Antiocheni. De his actum pluribus ad Vitam S. Tarasij c. 5.*

k *Dicitur etiam in eadem Vitâ S. Tarasij inter Patres fuisse S.* Nicephorum, qui erat à secretis Imperatoris: qui cùm vixisset in sanctitate, & esset ornatus diuinis virtutibus, & doctrinâ ac dicendi scientiâ, Byzantij Sedis patriarchalis suscepit honorem post Tarasij sanctam consummationem.

CAPVT II

Monasterium à S. Nicephoro extructum. Eius ibidem conuersatio, scientia varia & virtutes.

Monasticam ambit:

12 QVia verò secretius sacratiusque præceptum nouerat, quod sibi ipsum attendere, ac Deo soli vacare iuberet (sic enim à terrenis abstrahi, iamque in Deum ferri liceat) ad desideratam vitæ monasticæ quietem omni se studio tentabat subducere: obsecrans omnemque supplicationis modum adhibens, quò eos, qui ad seculi negotia turbasque ex aduerso trahebant, eò adduceret, vt se voti compotem fieri non vetarent. Ac verò etiam impulit, breuique quod impendio desiderabat, obtinuit. Itaque fori molestias ac rerum turbas spernens, lanâque dignitatis suæ coronans insignia & cuncta quæ ad mollitiem atque delitias corporisque voluptatem prouocant valere iubens, in specum quamdam è regione Bosphori Thracij commigrat, præter Eliæ Meloten, paupertatem scilicet, ad similem Carmelum nihil inferens. Paupertatem, inquam, quæ primùm ad virtutem domicilium extruit; quam qui possidet, incorruptione donatur, atq; Angelicam viuendi rationem amplectitur. Hanc igitur comitem sociamque magnarum ille rerum negotiator nactus, iamque olim suprà quàm alij lapillos Ophir Serumq; fila pluris faciens, ad nouum, vti dictum est, Carmelum secedit: eiusmodi scilicet, qui situ ipso lociq; difficultate deforme quid præferret, inaccessoque & arduo montis accliuis vertice vix frugibus vllis esset propter sterilitatem idoneus, summâque siccitate ac penuriâ aquarum laboraret; quas conuehi eò oporteret; cum ipso quod ex nubibus est irrigationis commodo careret ob loci decliuitatem.

& in secessu paupertatem amat:

B *deligit locum horridum ac incultum,*

13 Verùm quid attinet soli duritiem, situsque incommoda proferri pluribus, cùm possit, si quis eò accesserit, loci indolem clariùs cognoscere & supra omnem orationis vim ipsis oculis æstimare atq; conijcere, qualis ex quali ab eo tempore mutatus sit. Etenim velut excissam pannosamque vestem, illum soli horrorem incultamque speciem exuens, & fertilitate glebæ sterilitatis appellationem deponens; qui antè erat aridus, cælesti imbre per terræ hiatus venasque sese inuicem subtùs excipientes irrigari cœpit, & alternante vbertate pinguis effectus, Alcinoi aulam aureamque Xerxis platanum delectabili aspectu tantum superauit, quantum veritas fabulosis commentis speciosior, maiorisque quàm illa honestatis existit. Martyrum porrò sacratus delubris, in quibus sæua illorum certamina vario artis ornatu luculenter exprimuntur, paradisum Dei, vt cum Scripturâ loquar, perpulchrè imitatur. Eius enim ad vitæ commentum sufficientiam, aptamq; domicilio compositionem, quis etiam antè quàm expertus fuerit non miretur? Sacrorum itaque virorum monasterium esse decreuit, qui assiduis Deū laudibus colerent, quibus & ipse iugi iunctus collegio, diu noctuque precibus ac sacris canticis vacans, optimæque abstinentiæ modo sese oblectans, diuinis lectionibus ac disciplinis animum adhibebat. Mensam verò Syracusanam ac dapibus lautiorem ne verbo quidem audire sustinebat; ijs alimentis, quæ vitæ vtcumque sustentandæ essent, parciùs vtens.

eum in fertilem commutat:

C

& virorum illic monasterium constituit;

14 Postquàm verò sacrarum disciplinarum mentio incidit, haud ingratum aut ab instituto alienum putem quanta viri in eis diligentia esset atque præstantia meminisse. Ad diuinarum enim Scripturarum meditationem secularis litteraturæ compendia adiunxit, tum vt faciliùs posset docēdo persuadere, tum vt ad errores coarguēdos euaderet expeditior. Quemadmodùm enim ea legis virtus est, vt iusti atque iniusti comprehensionem certamque scientiam profiteatur, quò dignam, vt quisque alterum sectatus fuerit, retributionem æqualiter rependat; ita etiam disciplinarū perfectio vtriusque cognitionem peritiamque requirit. Non ita tamen vt æquâ velut lance, quod absit, componamus vtramque: non enim pari cum dominâ honore ancilla certauerit: nec verò filius ancillæ cum filio liberæ, vt Abrahæ dicta commemorem, hæres extiterit. Quantus porrò in Grammaticâ eiusq; partibus & adminiculis esset, quibus recta, ab eâ quæ vitio laborat, scribēdi ratio discernitur, linguaq; Græca corrigitur, ac carminum basis regulatur, ijs perspicuè notum fit, qui vel modicùm eam artem calluerint. Quàm etiam multisonam Rhetorum cytharam tangens, suauis verbis esset ac dulcis eloquio, facilè quiuis perspiciat: superfluam namque garrulitatem ac verborum iactantiam & quidquid denique ad Sophistarum ineptas fictiones ac nugas vergit, procul ab oratione eliminans, ex distinctione ac puritate compositionis dulcedinem gratiamque captabat.

D *vtriusque litteraturæ studia amplectitur:*

Gal. 4. 30

accuratus Grammaticus ac Poeta,

eloquens Rhetor,

15 Quod autem ad quadruplicis Mathematicæ perceptionem attinet, quæ ex terminis continuis discretisque constat (aut enim mouetur res Mathematica, facitque Astronomiam: aut est immobilis, ac Geometriam constituit: aut iterum in proportione certâque comparatione existit, ac Musicam facit; aut deniq; proportione eiusmodi soluta est, atque libera, atque Arithmeticam efficit) adeò hic grauiter in eâ fuit exercitatus, vt vnum velut omnia colens, omniaque vt vnum, in vniuersis primas ferret. Musicam verò lyram aptauit, non qualem Pythagoras Samius, nec quali seductor Aristoxenus: sed nobiliorem illam centum ac quinquaginta chordarum, semperque eam pulsans morbum, quo Saul quondam laborauerat, à subditis depulit; ipsumque crudelissimum tyrannum erroris Spiritui mancipatum atque aduersùs Christi incarnati mysterium obstinatissimè insanientem, deliniuit, & ab eius lue incolumem conseruauit gregem.

subtilis Mathematicus,

E

ac Musicus,

16 His autem quatuor veræ scientiæ ancillis cùm operam diligentissimam dedisset, ad ipsam deinceps dominam, Philosophiam nempe, eiusque præcepta ac speculationes, facili certoq; processit itinere. Quinam enim ac quanti eius termini sint, accuratè rimatus; quænam sit illorum proprietas; quis subijciatur, quidue sit prædicatum, vt vocant, atque id an de omni aut de nullo, vel in totum, & similia. Quid verò in his sibi velint elementa; ac num solâ nominis communione cum ijs consentiant, quæ Physica vocant ac Geometrica: quot propositiones, quâue ratione conuertantur; quæ vis sit negationis; quæ verba substantiua; quæ circumstantiæ, ac quibus certâ quadam ratione proportioneque respondeant quòd in illis indefinitum est; quot modi syllogismorum; quæ ac quantæ figuræ: quis hypotheticus, quis syncategoricus siue simplex sit, & quomodò alter ab altero distinguantur; num item omnes reductione, quàm vocant, ad impossibile probari possint: quomodò, ac quot modis hæc misceantur; quomodò concludantur ac resoluantur; quæ fallaciæ compositio, quis syllogismus sophisticus, quâue ratione fallax simul atque probabilis sit; qualis vnâ constet assumptione, quomodò acceptus dialecticus syllogismus ea quæ videntur verique speciem habent concludat, & quænam horum sit reductio; quam necessitatem demonstratio habeat, vt à deterioribus captet veritatem; quæ horum problemata, quæ axiomata, quæ axiomatis similia; quænam materiam, mixtiones ac complexiones recipiant; quænam prima Physicorum principia sic vt demonstrari non possint: quæ quies sit; quot modis dicatur idem ac diuersum; vbi, Ad aliquid, quomodò, quandoq; continuusue principiorum processus, an vero non termi-

summus Philosophus

F

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

A terminetur ad continuum; quis motor, quæ vis organica, quæ vis genitalis; quid præuium, quid id quod eductum est, & quo medio; quò quid vergat, spontène an violentiâ? quid qualitates contineat, ex quanam hæc esse priuatione dicantur, & an ex nihilo prorsus nihil fiat; quę & quomodò ex contrarijs ortum habeant ac essentiam; & quomodò iterum contrarijs destruantur pariterque intereant.

in tantâ doctrinâ humillimus,

17 Hæc atque eius generis alia, sagaci mente summâque vigilantia, quoad licuit, rimatus, extremisque labris eorum vtilitate gustatâ, laudatissimum colebat silentium, inque cælum subuehentem sensus modestiam, id est, humilitatem exhibebat. Viri enim perfecta scientia est, vt grati animi sensu perfectam cognitionem Deo adscribat, sciatque se minimè res comprehendisse, vt illæ sunt secundùm essentiam. Sic indolis vi animique propensione ac diuinæ ope gratiæ disciplinarum scientiam adeptus, nihil minùs ad veras virtutes gradum facere contendebat. Haud enim suam in illis probatam operam, sibi ad virtutem incommodo forè existimauit; quin aptâ viâ serieque vsus, magno sese ad vtraque extendebat profectu, in vtrisque perfectionem summam adeptus.

ex disciplinarum scientia ad virtutem incitatur: castus & sobrius,

B 18 Abstinentiæ & ciborum parcitati castitatem naturæ contrariam socians, effrænium libidinum ingruentem ventris vmbilico tumorem collidebat. Omni ab irâ sedatum animum innatâ obtinens lenitate, cunctis se blandum atque suauem exhibebat, vultus iracundi specie profligatâ. Non enim illi furor secundùm similitudinem serpentis; in draconem tantùm, qui solus nobis ruinæ auctor extitit, totus ferebatur. Pecuniarum contemptum, quo ad vitæ spiritalis compendia homines pręparantur, non more Cynici illius Philosophi recondebat in dolio; sed iugi in pauperes erogatione, mõstrabat animo latiori se pecunias spernere, & eam quâ illæ parantur viam declinare. Opportunè enim eam virtutis adeptus summam, vt ostentationis gratiâ nihil faceret, eâque parte conscientiâ imperturbatâ pollens, non modo dexteram ad eleemosynæ opera instruebat, sed etiam sinistræ eius notitiam fidenter concredebat: quippe qui eò se prouexisset, vt insatiabilis huius ægritudinis affectio nulla titillaret animum.

mitis & suauis,

pecuniarum contemptor,

liberalis in pauperes:

ab inani gloria alienus:

curator hospitalis domus:

19 Quamobrem secundùm violentam Imperatorum iussionem maximi Regiâ in Vrbe hospitalis curatorem agere eum diuina gratia voluit, vt eâ re, ac functione ipsum præpararet; cui, vt verbo dicam, peculiari quadam administratione Catholicæ Ecclesiæ gubernationem erat concrediturus. Verùm hæc, deque his scriptores alij, qui amore ac desiderio, velut ex roseto floridissimo, apum instar eius excel-

C lentias colligant, atque ad faui, id est, diuinæ æmulationis delicias illarum qualitatem vi orationis reponant: fore enim existimo, vt eorum, quæ huc spectant, copia numquàm deficiat; cùm plura sint & magna, atque eiusmodi vt alterum sibi alterum præferri non sinat, quòd vniuersa ad summum euaserint. Nos autem cauentes prolixitatem tædio futuram auditori, ad sequentia, Deo benè propitio atque fauente, gradum faciamus.

a In eo monasterio exul vixit, mortuus & sepultus est, vt in alterâ Vitâ dicitur.

CAPVT III

S. Nicephori electio & ordinatio in Patriarcham Constantinopolitanum.

a S. Tarasio Patriarcha mortuo,

20 NVper quidem a Tarasius, Ecclesiæ ille Lucifer occasum nesciens, qui fidei ratem præclarè gubernans, hæresis furente procellâ superiorem effecerat, rectæque opinionis mercibus onustam felicissimè in portum eduxerat, è mortali ad meliorem cõmigrans sortem, appositus fuerat Pater Patribus, Patriarcha Patriarchis, quia tuendę veritatis caussâ Patriarchalem Sedem gradumque inierat; Sanctus Sanctis, quia quod sanctum est, quoad vita superstes fuit, sanctè obierat; veris Pastoribus verus Pastor, quia Pastorum Principem Christum imitatus, atque nominatim vocans ac cognoscens oues, sermonumque baculo lupos submouens, ad rectæ confessionis fideique caulam impellebat. Hic igitur ille vir cælestis, qui in terris, quoad licuit, vitam Angelis parem duxerat, cùm Sacerdotij habenas in Dei manus deposuisset vnàque animam; vt dignus Pontifex crearetur, atque Ecclesię Christo cõiunctæ inclytus præco eniteret, purâ, arbitror, supplicatione rogabat Deũ. Quia enim multis laboribus ac sudore in eâ enatas hæreseon sentes atque spinas radicitus exciderat, deque medio, Spiritu duce, scãdala sustulerat, atq; rationali aratro fidei aruum innouans, non in viâ aut supra petram vel in spinis, sed in bonâ ac fertili terrâ, qualem Scriptura centuplicis fructus feracem vocat, Dominicæ dispensationis symbola diuinitus tradita seminauerat: ideò etiam post mortem iam vitâ functus videre cupiebat ac satagebat virum qui agriculturam suam foueret. Nec verò voto frustratus est: Deus enim, qui quærentibus semper inuenitur ac pulsantibus ianuam aperit, verasque preces semper diuino digito ac spiritu perficit, sacrâ dignum vnctione Nicephorum ostendit ei, qui tum temporis Imperij Romani sceptra moderabatur eiusdem ac ipse nominis.

D *viro perfectissimo,*

aptus successor eius precibus petitus

E *à Deo datus S. Nicephorus:*

21 Solertiâ nempe inferior nemini hoc solicitè agebat, vt Ecclesiæ viduæ sponsum eiusmodi præficeret, qui docendo fidelem sermonem tenere idoneus esset, & eius, qui nuper Pastoris munus sapientissimè obierat, vestigijs insistere. Quamobrem etiam ad vniuersos cùm Sacerdotes tum monachos, quosque Senatorum primores ac reliquis præstantiores nouerat, rem deferebat: vt iustissimæ plurium electioni, quàm diuini Spiritus ratam haberet assensus, suo quoque ipse suffragio accederet. Ast illi (nec enim homines cùm essent, prorsus cauere poterant ne quid ad gratiam agerent) mutuam concordiam dissensione soluentes, alium sibi quisque designabat atque trahebat: non quem diuini nutus præscientia designauerat; sed quem cuiusque voluntas informabat ac prehabendum suadebat. Imperatori autem acre mentis quâ pollebat iudicium, Nicephorum gregis Principem suggerebat: in quem vt omnes conijcerent oculos compellebat ipse, præclaras viri dotes in memoriam reuocans; eloquentiæ scilicet tum sacræ tum profanæ vim maximam, morum modestiam ac lenitatem, conscientiæ ad omnes integritatem ab omni offensione remotissimam. Denique velut nimbo, continuis illis regij oris eloquijs, vniuersorum aures concludens, nulli vim faciens, velut in sagenam, in vnam omnes sententiam adegit: exinde enim omnium labijs oreque Nicephorus Patriarcha acclamatur.

sagaci Nicephori Imperatoris curâ,

dissensionem ortam dissipantis,

& virtutem eius proponentis,

F *ab omnibus Patriarcha acclamatur:*

22 Mittit itaque Imperator, qui denuntient iubeantque, vt semotâ omni cunctatione ac sine morâ sistat se Augustæ vrbi. Is verò, qui laudabilem obedientiam vituperandæ inobedientiæ potiorem haberet, quamquàm renitens, viros ductores itineris actutum secutus est. Vbi autem Imperator, id quod satagebat, effecit, ac coràm præsentem eum, cuius desiderio tenebatur, conspexit; in hæc verba, vt aiunt, ad eum locutus est: Mihi quidem, vir Deo acceptissime, siquidem fas esset Dei mandata in minimis habere eorumque opere neglecto publicam rem administrare, in promptu erat quædam seductrix ac lata via, quâ obuium quempiam, nullo anteriori merito vt Pontifex fieret commendabilem, sed qui solummodò vellet, vrbi Augustæ præficerem. Quia verò diuinis Scripturæ documentis eruditus scio, qualem esse opor-

à monasterio adducitur:

Imperatoris oratione:

oporteat futurum Sacerdotem & inprimis eum, cuius sit ad gradum eiusmodi prouehere alios; nimirùm sublimem, virtute ac labijs intactum, qui scientiam custodiat, atque exquisitam legem in ore ferens, Domini omnipotentis Angelus audiat; vereor ne sacrâ illâ admonitione spretâ, negligentiæ dein pœnas, inque meum caput diras incelitates arcessam. Nunc igitur cùm Deus Sacerdotij arce, cælestisque huius stadij vobis habenas concredat, ne quæso vocationem respueritis: sed diuinũ subeuntes certamen, in id potiùs respicite, quod è communi salute sit. Scimus enim vos iuxta illum ac communem præceptorem Paulum non decertasse aduersus aërem, eum verberando; nec ita cursu defunctos vt non comprehenderetis; sed potiùs ad eorum euasisse perfectionem, quorum anteacta corporis castigatione probata virtus super astra enituit. Nolite verò vestræ dumtaxat salutis causâ Deo supplicare; nec vitæ monasticæ compendio, quod est vestrum æmulemini, sed vt omnes salutem consequantur satagite. Sponsam formosissimam Ecclesiam existimate, cuius obsequentem autem, rectorum ac purissimorum decretorum margaritum adstringat; caput gratiarum corona, Patrum eloquijs ceu pretiosissimis capillis mirificè effulgens, præclarè cingat; pectus septena diuinarum Synodorum definitio atque regula, velut aureus torques, mysticè è collo pendens, magnificè exornet: quæ denique omnis ab intus gloriâ circumdata sit, sacratumque ac venerabilium imaginum vario amictu Euangelicâ è ratione honestata splendeat. Cauendum est nobis ne quis mœchus moribus hanc sibi eam despondeat, qui hæreticæ in eâ sobolis zizania serens, verorum filiorum eius pulchritudinem adulteret: ac blando ouis vellere sanam mentiens fidem, incredulitatis atque diffidentiæ lupum intus animo contegat, inque asperos montes & loca, quæ non visitat Dominus, gregem expellat. Cùm igitur agnum Dei Christum, verum Deum nostrum, pastoralis peritiæ adiutorem habeas, pedumque eius crucem, quâ fulcias gregem, vt recto fidei tramite incedat; ne vocationem respuas, neue supplicem nostram orationem spernens, Dei in te iram prouocare præsumas.

1. Cor. 9. 23

ad Patriarchatum accipiendum incitatur:

23 Ille Imperatoris monitis ac documentis, velut iaculis ex corde profectis, animo saucius: At mihi inquit, Imperator, is demùm dignus videtur, qui gregi rationali præficiatur, cui cum terrenis necessitudo nulla intercedit, & cui cælestes axes consequendi nullo carnali affectu retrahente, certus amor animo fixus est; qui dictis illis Prophetico ore aduersus Pastores intentatis, haudquaquam obnoxius deprehensus est: qui Christi Pastorum Principis soliusque Pontificis exemplo animam suam pro grege tradere paratus est: qui non ad mactandum atque perdendum per furtiuas doctrinas, aliunde quàm per ostium ingreditur in Ecclesiæ ouile; qui vnum hoc spectet, vt det vitam, seruetque gregem incolumem, & in fidei caulis oues faciat sæcundare; qui ad omnem indolem moresque gressum, aspectu, studium subditorum semetipse diuidat, atque ad singulorum curam Pastorali solicitudine varius suique dissimilis fiat: cuius pedi potior vsus sit vt emendet, atque à lapsu benignè fulciat; rariùs autem eo vtatur ad vulnerandum, quamuis interitu pro animâ conseruandâ; qui denique nullis dissidentiæ contrariorum affectuum vulneribus pateat. Ad hoc itaque bellum cùm rudis sim & imparatus, nolo ipse me in inuisibiles, iugique lacessentes pugnâ atque implacabiles acies ex aduerso instructas immittere. Quippe caro cùm sim, haud sum idoneus vt attere. Quippe caro cùm sim, haud sum idoneus vt arma spiritalia moueam aduersus eos, quorum insultum, atque impressionem nemo, licet quoad facultas est, vndique caueat, satis posse possit.

Onus sibi ex Patriarchatu graue proponit,

Ier. 23. 1.

Ioan. 10. 11

se deprecatur:

24 Tum vicissim Imperator: Nulla tibi contradictionis ratio aut prætextus relinquitur; si sacrum Christi iugum detractes. Ipse enim, vti modò dicebam, qui Verbum est, Pastorali munere adiutor accedet, addetque animos, quæ hactenus difficilia videntur, plana omnino & expedita faciens. Ergo Nicephorus, qui diuinis monitis omnibus semper morem gesserat, obtemperat tantis rationum momentis suadenti Augusto, eumque rogat, vt clericalem habitum monastici habitus angelicâ institutione ac disciplinâ mutare sibi liceat; adiuncturo videlicet vitæ hactenus accuratæ accuratiorem vitam, & laboribus, quibus laicus præclarè functus erat, laborum absolutionem maiorem. Annuit Imperator, sacrique capitis detonsos crines, filij sui dominatrice manu, tamquam eius quâ fulgebat purpuræ insignem ornatum, suscipi voluit ambitioso famulatu: decebat namque vt ex summitate diuinarum virtutum adulta coma, primis dignitatum supremarum verticibus stiparetur; atque ita illius gloria, qui ad summi Sacerdotij apicem ascensurus erat, eminentis obsequio gloriæ inclaresceret. Diuinâ itaque monachatus initiatione præeunte (iuxta quod sacrorum ille Antistes sapiensque Dionysius tradit) adhibitâque ex sacrorum præscripto Canonum, per graduum quorumdam seriem, consummatione Sacerdotali, Pontificalis demum consecrationis secutus est ornatus: quando autem ac quomodò, dicturus accedo.

Vrgente Imperatore,

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

acquiescit: monachum induit,

detonsis crinibus à filio Imperatoris:

sacros Ordines suscipit:

25 Interim namque Imperator, & qui ei pro maiestate aderat Senatus, in maximâ constitutus æde ad tremendæ Resurrectionis celebranda solennia, dum sacrum illum chorum aureo fulgore rutilantia lumina abundè aspergerent, luceque suâ immortalis illius claritatis splendores prædicarent, & omnis Ecclesiæ turba candido amictu micans, confluxisset; Nicephorus diuinum illum fidei tomum, abs se olim scriptum, cordisque ac oris confessione probatum, & Clero illi suo solenni acclamatione oblatum, præ manibus habens, ad diuinam manuum impositionem accessit, incorruptum eum testem inuocans edicensque, velle se, si quid eorum, quæ in illo scripta essent vnquam violasset, cùm verâ hac atque sincerâ professione cultuque astare in aduentu magni Dei ac Saluatoris nostri: ipsumque post celebrata super eo diuina mysteria, ponè sacram mensam velut consecrandum, roburque & auctoritatem à Deo ex ipsâ loci religione consecuturum, reposuit. Sacramentorum autem celebratione diuino afflatu ac nutu completâ, vociferans populus, Dignus super digno, trinâ acclamatione respondit. Exinde sacræ Sedis apicem conscendens, velut sublimem speculam, quam diuinæ custodiæ nomine admirandus Abacuc spiritualiter designauit, cunctæque plebi pacis bonum inclamans, & vicissim pacis vota excipiens, quod erat reliquum diuinæ rei peragendæ, ipse illic operans, prosecutus est.

Dominica Pascha ordinatur Patriarcha,

tenens manu librum de fide à se scriptum,

& in altari deponens:

Dignus ter acclamatur à populo,

Abac. 2. 11

cui pacem exoptat.

a S. Tarasius mortuus est Indictione 15, feria quarta primæ ieiuniorum hebdomadæ, seu die Cinerum, XXV Februarij anno 806.

b Nicephorus, eiectâ Irene, à quo filius Constantinus fuerat excæcatus, Imperium arripuit anno 802.

c Stauracius à patre particeps Augustæ maiestatis factus anno 803 mense Decembri.

d Die 12 Aprilis, cyclo Solis 18, Lunæ IX, litterâ Dominicali D, Pascha celebratum est.

e Antirrheticum eius, de quo suprà actum, videtur auctor intelligere.

CAPVT IV

Hæreses à S. Nicephoro oppugnatæ: disciplina monastica emendata: epistola Synodica ad Leonem III Papam.

26 Sic Deus, qui humilibus admetitur gratiam, illum quoque, cùm spiritalis astrinsus amore teneretur,

A neretur, supremam Ecclesiæ dignitatem capescere decreuit. Hanc autem adeptus, ac dignè Euangelio ædificare incipiens, fidei crepidinem tutam asseruit. Tranquillo namque statu nactus Ecclesiam, quòd iam ante, vti dictum est, Synodali Patrum diligentiâ deleta essent ac expurgata hæresis scandala, quietâ deinceps & ipse serenitate Ecclesiæ pelagus tolerabat, nullum aduersùs eam hæresis flatum contrarium timens. Quapropter etiam zelo impulsus, aliam init viam aduersùs incredulorum absonas hæreses, quorum tum recens suscitata dementia omni digna execratione mysteria impudenter præsumebat celebrare; aduersus Iudæos *a* Phrygasque videlicet, & eos *b* qui Manetis deliria sectantes turbidum incredulitatis calicem insipientibus propinabant. Fusiori itaque stylo librum conscribens, absonam eorum religionem ac superstitionem Imperatori declarauit, vt quæ vniuersum reipublicæ corpus gangrenæ instar lædere atque inficere posset, arreptâ semel agendi quod liberet licentiâ; eoque libello suppliciter oblato, deicidas Iudæos, & Phrygum portentosas nugas, *b* Manichæorumque somniata perculit, vt nec labijs nefanda proferre auderent; sed in abdito atque angulis erroris sui mussarent deliria. Ablata est B enim Regio edicto atque censurâ palàm loquendi agendique fiduciâ, eóque impij adducti sunt, vt ne occultè quidem quidpiam agerent.

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR.

Hæresicorum latens dominia.

Iudæos veteresque hæreticos exagitat,

27 Sic paullatim scelestorum hæreticorum subsidente procellâ, recta veræ confessionis nostræ fides clarè lucens, sabbatismum Dei Ecclesiæ præstabat. Quia verò quæ foris sunt rectè illi composita erant, ad ea quæ intus erant commodè aduertit animum, ad monastici scilicet instituti accuratam disciplinam. Viri quidam cæleste illud vitæ genus amplexi vel amplexuri, sacrarum *c* Virginum ædibus vicina monasteria exstruenda sibi putauerant, quodam vel affinitatis intuitu vel alterius cuiusdam necessitudinis respectu adducti. Et hi quidem manifestum cum eisdem contubernium haud difficulter cauere; suspicionem tamen effugere cogitationis occultæ omnino vitare non poterant. Erant enim illis omnia communia, tum prædia, tum facultates, secùs planè ac de fidelibus quondam vsurpatum fuerat. Illi namque præclarâ rerum abdicatione id præoptabant, quod commune erat: hîc verò malâ omnium communione fiebat, ne ista ritè abdicarentur; eratque præcelsi instituti confusio quædam, vsque adeò vt quæ virginitatem professa esset, cunctis stupri suspecta haberetur. Hæc itaque mens illa purissima secum considerans, nullâ interpositâ morâ prouidit, ne omnino casum aliquem in- C duceret malum periculosum, inque turpem libidinem affectus erumperet. Itaque Apostolicâ auctoritate vtens, addictos illi Episcopos, & qui Phinees æmulationem animo infixam haberent, sibi delegit præcones; qui subinde missi quò opus erat canonico pugione morbi nefas compungerent, atque admonitoriâ lenitudine sisterent contagionem. Hi ergo quaquauersum profecti, vbi is morbus increuerat, ac salubribus opportunè vsi remedijs, obscœnum vulnus vt obduceretur, studio effecerunt: procul à viris segregantes fœminarum contubernio addictas ædiculas, & eas rerum necessariarum copiâ abundè instruentes; ne illarum penuria occasio ipsis foret luxuriæ in memoriam reuocandæ, fierentque nouissima priore illâ consociatione peiora. Viros autem ad consueta ipsorum munia ac monasteria, aut potiùs ad internam cuiusque animi curam ablegauerunt, eis suadentes, vt tamquam à morsu colubri à fœminarũ conuictu fugerent, ne quis per cogitationũ ianuam libidinosus consensus subintrans, animo telum infigeret ac sauciaret. Hunc in modum isti castitatis duces omnem curam sacro monachorum gregi regendo adhibentes, vtiles sui operis merces cum laudabili fœnore apud Pastorum Principem incolumes receperunt.

emendat monasticam disciplinam.

monasteria fœminarum & virorum procul separari curat;

D 28 Quin etiam quibuscumque in vrbibus vigentem eâ luem inuenit Nicephorus, calamo atque atramento medicans, curationem illi impēdebat solicitam. Huius generis quippiam in Tauri montis *d* climate quodam, ac satrapiâ noscitur præstitisse. Præerat tum illi genti Dux vsque eo pessimo huic implicitus vitio, vt scortum quoddam introducturus à legitimâ coniuge diuortium meditaretur. Quem Nicephorus vt à fœdissimâ lue mundaret scripto admonens, scelus illi obiecit in faciem, adiecitque minas, quibus, nisi se continere vellet, meritò obnoxium fore statuit. Atque hæc quidem ad eum ferè se modum habebant.

d Adulterij magni Principis obsistit:

29 Quia verò rectæ fidei suæ sinceram professionem Patrum decretis diligenter componere studebat, consequenti ratione morem gerens canonicæ atque veteri consuetudini, quâ cauetur vt Apostolicis Sedibus communicentur quæ sunt fidei, Synodicis eam litteris exarans atque consignans, ad Romanæ tum Ecclesiæ Prælidem atq; Antistitem *e* Leonem Papam *f* misit eâ verborum efficaciâ expressam, vt hæreseon quidem traductio, ac sugillatio luculenta, orthodoxæ autem fidei illustrissimus titulus haberetur. Si cui E porrò lubet vim sermonis quantâ vir iste polleret ipso rei nosse experimento, *g* monumentum illud legat, & intelliget vberem illius in diuinis doctrinis fuisse venam. Hanc & Sacer ille Leo admiratus est, amplexúsque doctrinam, Petri Apostolorum Principis decretis clarissimè consentire promulgauit. Consubstantialis namque Trinitatis eamdem naturam, paremque dignitatem ita dilucidè explicauit, vt nihil ipsum ab eorum, qui primas in Theologiâ tulerunt, accuratâ doctrinâ deficiat. Vnius quoque è Sanctâ Trinitate personæ postremis temporibus ex castissimâ ac intemeratâ Virgine Dei Genitrice, Christi, inquam veri Dei nostri apparitionem sic explicauit, & consentaneè Oecumenicis Synodis palàm est professus, vt quod ad honestatem cultus spectaret, nihil suppressum sit. Porrò supplicationes ad Deum, venerandasque Dei parentis intercessiones, cælestiumque Virtutum, Apostolorum, Prophetarum, inclytorum Martyrum, atque omnium Sanctorum Iustorumque, necnon eorum adorandas reliquias, sacras item illorum imagines tanto digna honore pronuntiauit, quantum erat par consequi eos, qui sic vitam instituissent, atque apud Deum præclarè factis enituissent. Ita congruè aptéque euicit, vt solus Deus adorandus in spiritu & veritate ostenderetur: ita eius operâ atque industriâ contemperatus est lympidissimus potus sanæ F religionis; non vt quadam fœculentâ varietate mixtus, sed vt diuinis informationibus compositus planèque eiusmodi, vt omnem turbidæ hæreseos corruptelam in proximos aliunde deriuatam amoliatur ac sanet. Quid autem? an solâ vocis confessione veræ fidei Caput vir hic magnus explanauit? neque zeli vis ardentior confessioni comes fuit? An id quidem minimè ambiguum est; ita tamen fidem Nicephorus tenuit, vt nulla adierit eius causâ pericula, aut ad ea [illegible] dem ipse instar adamantis obdurauit, sed in dicendo timidior Deo se probatum exhibere neglexerit? Minimè gentium; sed ad confessionem accessit zelus, zelum probauêre pericula, & inter hæc sermo illi acer gladioque acutior animis impendebat eorum, qui diuina oppugnare vique deijcere statuissent, peruersa eorum dogmata radicitus exscindens.

Synodicas ad Leonem III Romanū mittit:

e f g

profitetur sanctissimam Trinitatem,

Incarnationem,

intercessionem Sanctorum,

venerationem reliquiarum & imaginum.

in periculis intrepidus.

a *Phryges seu Cataphryges* [illegible] *dicti Montanistæ hæretici, quia Montanus vico Phrygiæ Ardabau* [illegible] *Paracletum dicebat, secundas nuptias damnabat, Priscillæ & Maximillæ scripta libros propheticos appellabat. De eius erroribus late egimus 9 Februarij ad Vitam S. Claudij Apollinaris Episcopi Hierapoli* [illegible] *in Phrygia.*

Cataphryges.

b *Theophanes ad an. 9 Nicephori Imp. asserit eum Manichæorum, quos Paulicianos dicebant, & Athinganorum, ex Phrygiâ & Lycaoniâ iuxta patriam suam erumpentium, amicum*

Manichæi.

rotum

A rerum cupidine flagrantem extitisse, eorum vaticinijs & superstitionibus omnino deditum. Istos vt sibi deuinciret, Pontificem verò Nicephorum reliquosque ad Dei placitum vitam suam conformantes affligeret, studuisse. *In eosdem* Manichæos hortatibus S. Nicephori capitis pœnam à Michaële Curopalatâ Imp. pronuntiatam fuisse, sed impeditam *ait idem Theophanes.*

c *Annotarat Combefis* videri hæc duplicia vtriusque sexus cœnobia fuisse, qualia sunt à S. Brigittâ instituta.

d *Taurus notissimus Asiæ mons, ad Patriarchatum Antiochenum latè extensus. Forsan partes Pamphyliæ aut huic vicinæ hic indicantur.*

Leo Papa. e *Leo III Papa successit Hadriano anno* 795, *mortuus* 12 *Iunij anni* 816. *Huius & S. Nicephori tempore Nicephorus Imperator à Bulgaris circumuentus cum suis occisus* 26 *Iulij anno* 811 *cui Stauracius filius superfuit vsque ad* XI *Ianuarij, intereà* 2 *Octobris Imperator acclamatus est Michael Curopalates.*

f *Theophanes ad an.* 1 *dicti Michaëlis Imp.* Nicephorus sanctissimus Patriarcha ad Leonem sanctissimum Romæ Papam Synodicas litteras misit: ad hoc enim vsque tempus à Nicephoro Imperatore prohibitus fuerat, quò minus id præstaret; *quod statim ab obitu eius præstitit adhuc anno* 811.

Epistola ad Leonem Papam. g *Hanc epistolam luci publicæ primò procurarunt duo è Societate nostrâ viri eruditissimi; Theodorus* Peltanus *è codice MS. Græco Latinè redditam, edidit post Ephesinum Concilium typis Ingolstadianis anno* 1576 *excusum, at Fronto Ducæus è codice MS. Virdunensi Latinum exemplar olim, & forsan ab Anastasio Bibliothecario versum eruit, quod cum Græco collatum obtulit Baronio, ab eoque editum est ad dictum annum* 811 *à num.* 20, *cùm antè vtriusque exemplaris meminisset. In eâ epistolâ boni Præsulis forma*
B *præscribitur, & cur ipse Patriarchatum refugerit: tum preces Pontifici expetit, & quæ sibi impetranda exoptet, indicat, & post Romanæ Ecclesiæ præconia indicata, professionem fidei suæ latè deducit: sub finem Michaëlem Imperatorem laudat, & legatum suum Michaëlem Episcopum Synadorum (pro quo corruptè Simdchlorum legitur) enixè commendat. Est is dein illustris Confessor factus & ad* XXIII *Maij fastis sacris adscriptus. Denique mittit* in signum dilectionis encolpion aureum, cuius vna facies crystallum inclusum, altera picta nigello est, & intus habet alterum encolpion, in quo sunt partes honorandi ligni in figurâ Crucis positi: tum tunicam candidam, & penulam castaneam inconsutilem, stolam & simichenium auro variata, quæ in lineamine, ingeniosè inuoluta, præceperat plumbeo sigillo obsignari. *Per encolpion Baronius* crucem pectoralem ad pectus appendi solitam, *intelligit. Pro simichenio in margine notat Græcè legi* ἐγχείριον *quod manualem mappulam, siue vt in sacris nominatur manipulum posset significare.*

Encolpion.

CAPVT V

Imperium Leonis Armeni. Contra vocationem imaginum & S. Nicephorum cœpta persecutio.

C 30 Hæc Aduersarius ille considerans, qui bonis semper inuidet, qui stantibus decumanos fluctus adhibet, qui tranquillæ ac firmæ paci implacabile odium admetitur, qui fidei tunicæ nullam admittenti scissuram putridos hæresum pannos perperàm assuit; haud passus est, vt Ecclesiæ Imperijque status diutius tranquillo ordine regi conspiceretur: sed turbas audaciæ suæ pares excogitans, implacabile aduersus vtrumque bellum excitauit: non tela acuta gladiosque icon flandos, prout illis comparatum est, qui bello corpora fatigant: sed linguas maligna meditari doctas nequitiæ suæ cote acuens, ad animarum pericula aciem instruit, inducitque superbum recens arreptâ tyrannide Imperatorem, Leonem nomine: Leonem, inquam, virum eiusmodi vt variâ impietate multiformem chamæleontem præferens, veluti si ipsum illud, quo Imperator acclamatus est, præconium omnem sanum sensum ei abstulisset, sic continuò aggit, vt quotquot saniores erant, in impietatis suæ communionem traduceret: qui quidem quantum ad genus ac prosapiam attinet, antiquum Israëlem, Moyse Duce, afflixerat, & hunc nouo Israëli præ Amalecitis diriora ostendit, Sennacheribo crudelior, Rapsace detestabilior, ventrisque mancipio Nabuzardano turpior.

A diabolo excitus Leo Augustus, omnem Imperij & Ecclesiæ statum euertit:

31 His aduersus Imperatorem de se optimè meritum (quippe à quo honore auctus & primæ cohortis Dux & Ordinum seu *b* Thematum, vt vocant, constitutus erat antesignanus) in tyrannidis barathrum præceps actus est; nihili tum honorem acceptum ducens, tum eum qui contulerat. Etenim aduersùs *c* Hunnos Thraciam infestantes, multamque eius vrbibus vastitatem inferentes, susceptâ expeditione, primus in eâ cladis auctor Leo, vniuerso exercitui fugæ arripiendæ *d* caussam dedit. Tenebat tunc Imperator Vrbem, victoriâ commodisque exinde speratis frustratus; sed Leo verbis ad *e* defectionem spectantibus subornans populum, inanique spe mulcens ac decipiens, tyrannicâ vi rerum summam inuasit. Quâ potitus, mirâ celeritate ad Vrbem Augustam aduolauit; mœnijsque (quòd vtinam non fuisset vmquam!) miser exceptus, consuetâ satellitij pompâ in aulam deductus est, decessore dignitate moturus, virum innocentiâ simplici quàm purpurâ clariorem. Is porrò, vbi Leonem rugientem, & belluinâ feritate aduersus principatum frementem persensit, scissâ quâ Augustus fulgebat veste, comâque detonsâ, aureum habitum pullo commutat; seque cum vxore liberisque sacris septis inclusit. Ea res vix tandem Leonis inflexit animum, ne in eum crudeliùs statueret: dictoque citiùs exilio relegatis, in
E hoc vnum intentus erat, vt regium diadema imponeret capiti.

D *AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR.* b c *à Michaële Imperatore honoribus auctus:* d *caussa fit cladis exercitus illius illata:* e *& eum Imperio mouet, in exilium ablegat:*

32 Hanc itaque calamitatem diuinus Nicephorus sentiens, virique versatilem animum ac leuem intelligens, adtrahere cogitabat, vt ex *f* more fidem scripto profiteretur. Itaque prolato codice, inculpatæ fidei nostræ scriptum symbolum continente, illum per Episcopos quosdam obtulit Imperatori, hortans vt suâ ipse manu subscriberet. Simulabat ille omnibus quæ dicerentur se propensissimè annuere; præstare tamen indicabat, dum *g* diadematis honorem consecutus esset, rem eam differre; eo facto se omnino paratum Ecclesiastico iugo collum submittere. Interim verò conscientiæ quo pungebatur aculeo & mentem obscurante caligine, ceu calamo & atramento perperàm vsus; ante etiam quàm diadema solennemque susciperet inaugurationem, hæresis libello subscripsit: totum nempe se dæmonibus trahentibus dedens, atque ijs, quàm Patribus ad salutem ducere studentibus, magis obediens.

f *à S. Nicephoro confecto symbolo fidei subscribere negat nisi coronatus,* g *subscribit libello hæresis;*

33 Ad magnum igitur, quod à Sapientiâ nomen habet, templum solenni ritu inaugurandus *h* venit: & continuò Deus, cui futura prospicere insoporabilis oculus tribuit, magno Antistiti, viro vtique iusto, coronandi ritum peracturo concessit, vt quod ille futurus erat certò conijceret. Videbatur enim sibi vir sanctus, dum post fusas solenni inuocatione preces summamque in manus coronam eius, qui initiabatur, caput tacturus esset, quasi in spinas & tribulos manum inijcere, sicque coronam imponere; ideoque palam profitebatur ingenti se doloris sensu affectum esse. Nempe erupturam mox in Ecclesiæ damnum nequissimam eius asperitatem præsagiebat viro sancto, illud spinarum more hispidum pungensque caput attangenti.

h *coronatur à S. Nicephoro* F *quasi spinas & tribulos tangente caput eius;*

34 Ceterùm abijt ille regio diademate redimitus caput, in quo supremam iure plagam, qui ijs omne fasque spreuisset, accepit: altero autem ab assumptâ purpurâ die, iterum vir diuinus, recens creatum inauguratumque Imperatorem vt rectæ fidei subscriberet, vrgebat. Is se facturum fortiter pernegat: mendacio namque purpuram inficiens & primo experimento Proteum exhibens, alium se atque alium adeuntibus præbebat. O animum superstitiosum, quò fidei crepido nutat! O effrænem illarum mendium errorem, per quas rectæ confessionis sensus deprauatus est! O mendacij multifidam plexuram, cuius nexu omnis expers variationis rectorum decretorum veritas compeditur!

negat se fidei orthodoxæ velle subscribere,

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR.

A peditur! Non enim aduersus Reipublicæ hostes, qui sub id tempus ciuitatem bello cinxerant, primum desudat certamen; sed aduersus eum ipsum, qui (quibus nouit iudicijs) potestatis habenas concrediderat, aciem instruit. Hostes enim, vti modò dicebam, nihil parùmue curans, quippe qui signa conferre ac ne contueri quidem, ob acceptæ ab eis superioris cladis artificiosum commentum, *i* idoneus esset, aduersus vniuersorum Regem bellaturus processit; nullumque non mouit lapidem, quo eius ab *k* Ecclesiâ simulacrum proscriberet. Cùm enim rem veneratione dignam reuereri; cùm antiquæ traditionis religionem fouere; cùm diuini itineris, quo præcessissent Sanctorum vestigia, tutum callem tenere; cùm sanctissimi Pastoris atque Antistitis admirari constantiam debuisset: ille econtrà insaniæ furorisque serpentem fulcire, & sensu doloso mentem infectus tenaciùs proposito inhærere perseuerauit. Scilicet degeneris illius Roboami more, seniorum monita prudentumque consilia, quæ ex primâ statim congressione vtilitatem præferret à se repellens, atque ad iuniorum nullius ponderis verba anilesque eorum fabulas, qui non de cælo sed de terrâ loquebantur, conuertens animam, B longa sibi tempora ac victorias promittebat, si modò veteri rerum statui impietatem vomitu impuro aspersisset.

deses aduersus hostes Imperij.

Christo & sacris imaginibus bellum infert:

35 Vnum igitur in cœtum ij omnes coguntur, quos canonica regula ac districtio sacris altaribus arcebat; ij etiam omnes, quos inuitos fraus vi commixta inflectebat; quibus & locus intra palatij septa statuitur, & annona, quâ porcorum instar ventrem distenderent, copiosa decernitur, ab antiqui dogmatis desertore noua fidem condere gestiente. Illi regiâ illâ temeritate, haud secùs ac fabulosus ille *l* Ægeon, superbiâ elati, in *m* omnes ecclesias crudelissimè grassari, librosque exquirere atque auferre: & si quidem eiusmodi erant, qui aduersus idola editi essent, velut ipsorum caussæ sententiæque fauentes amplexari; sin vindicandis imaginibus scripti, tamquam illorum arguentes commenta flammis absumere plerosque.

conuenticulum impiorum hominum colligit:

36 Episcopos item arcessit Imperator, tyrannico ac seditioso conuentui patrocinio futuros. Hi porrò, vbi è regione Byzantij nauium stationem propiùs assecuti essent, vti moris erat, ad Pastorum Principem summumque Antistitem sponte profecti, ad eum transmittebant: sed in regium ex aduerso discrimen incurrentes, ad Echeti Phalaridisque pœnas vincti trahebantur: & siquidem ex eorum fidei ratione se sentire profitebantur, præstò erat malorum solutio C atque remissio; sin autem aliquis veritatis compungente stimulo tantisper impietati aduersabatur, carcere, fame, terrenis damnabatur terroribus, queis ad Empusæ spectra nihil molestiæ deesset. In hunc modum secundi Caiphæ coaluerat Concilium; sic Iannes & Mambres grandi-loquentiæ certamen aduersus nouum Moysem instruxerant; sic Sacerdotij sidus, orbisque Patrem Nicephorum tenebrarum inuentores atque Antichristi præcursores & patroni reprobant. Silentium namque, minis additis, Magistro indicentes, eos, qui nec discipulorum ordinem acceperant, in ecclesijs docere imperant, sermonisque ac doctrinæ aureum flumen secundum rationem ferri prohibentes, eos, qui seipsos perditionis lacus foderant, ac quibus sapientiæ aqua deerat, Ecclesiæ moderandæ præficere non exhorrescunt. Venerandum autem Antistitem sacris arcent, & quos nefas erat in Dei domum vel intrare, ijs Sanctorum penetralia credunt: Ecclesiæ consumpnas, quâ lubet amouent ac concutiunt, & vanis atque instabilibus delirijs suis eam se suffulturos gloriantur.

Episcopos Catholicos carceri includit:

S. Nicephorum arcet:

maleuolos Ecclesiæ præficit.

a Chamæleontem à S. Nicephoro appellatum Leonem Armenum tradit Auctor incertus Appendicis ad Theophanem.

b Theophanes: Michaël Imperator exercitum ex Thematibus cunctis collectum (Græcè ἐκ πάντων τῶν θεμάτων στρατιώτας) in Thraciam iussit traijcere: quod cuncti molestè ferebant maximè Cappadoces atque Armeniaci, & dein Leo Orientalium Dux & Patricius perijt Thematum regendarum sibi potestatem relinqui. [illegible] Dicebantur autem Themata legiones certis prouincijs impositæ. Ipsæ etiam prouinciæ legiones in se habentes coeptæ sunt Themata appellari

Themata legiones.

c In Vita S. Nicolai Studitæ 4 Febru. cap. 3 dicuntur Hunni ad Liba regiones vastasse, quæ scilicet in Thraciâ propè Constantinopolim erant. Alij pro Hunnis Bulgaros vocant, quorum Princeps erat Crummus.

Hunni

d Leo corruptis quibus præerat legionibus, & vnà cum ipsis relicto ordine, absque vllâ causâ fugæ se commisit: quod reliquus exercitus conspicatus, perculsus est, ita ve virtus eius languesceret, & Bulgari, qui iam terga versuri expectabantur, recepto animo, clamore Romanos inuaderent, & ita victoriam, quam amiserant, recuperarent. Ita Cedrenus & Curopalates. In Appendice Theophanis dicitur omnium prima legio Orientalium fugisse. Dissimulat Theophanes, qui cum hoc facto historiam finit, vt à Leone tyrannidem amoliatur, ita hic ad Vitam annotarat Combefis. Forsan ea sub finem à fautoribus adiecta sunt.

cladis auctor ciuis illata.

e In Vita S. Nicolai Studitæ: Cùm merentes sub ipso turmas, donorũ multâ largitione stultus homo decepisset, veniens ad partes Thraciæ extra vrbem, impiè scelestus aduersus pios Christianos, Imperator renunciatur, regiamque, iconoclasta palàm audiens, ingreditur. In Theophanis Appendice, Interim Orientalium (qui primi fugerunt è bello) legio, cui Bardæ Armeni filius præerat, tumultuabatur, & ipsum Leonem, Imperatorem faustis vocibus prosequebatur. Tum nullo se opponente in Vrbem confertâ multitudine induxerunt. Audiens autem hæc Michaël Imperator profugus in ecclesiam, fide acceptâ monachusque factus comam deposuit.

Leo Armenus Imp. E

f Ita apud Theophanem cùm decessor acciperet Imperium, Nicephorus Patriarcha cautionem propriâ manu scriptam à Michaële exegit, quòd ipse rectam fidem defensurus, manusque à Christianorum effundendo sanguine alienas seruaturus esset, hominesque ex sacro Clericorum ordine vel monachos, ceterosque omnes in Ecclesiasticum catalogum relatos, verberibus & iniurijs minimè læsurus.

g Hinc corrigendus Leo Grammaticus, asserens Leonem Armenum à Nicephoro Patriarchâ, quem de fidei suæ sinceritate, dato scripto, fecerat certiorem, coronatum imperauisse.

h Feriâ 2 hebdomadis, Indict. 6, Iulij die 11. Ita Theophanes, ergo anno 813 litt. Dominicali B.

i Incursiones Crummi & Vastationes in mensa adportas vsque Constantinopolitanas latè describuntur in Appendice Theophanis, quibus relatis dicitur: Hæc dum gererentur, vrbe non egressus est Leo, sed Imperium tyrannicè gerebat. Et [illegible] ferret non aduertit, neque vrbe egressus est, nec alios quoquis in auxilium summisit.

deses Leo.

k In Appendice Theophanis, narratâ morte Crummi Principis Bulgariæ, è vomitu sanguinis extincti, additur elatum Leonem, quasi ipse eum telo confodisset...postmodùm occasione captâ Ecclesiam depopulari cœpisse: [illegible]

l Hunc gigantem fabulantur Poëtæ centum manibus, totidem scopulos simul in Iouem intorsisse.

F

m Contendebant in veritatem à Pentecoste, qui Ioannem Hylilam sequebantur coaceruare libros; Iulio verò mense sociam adiunxerunt Antonium, & deinceps ad Decembrem occultum gerebant dolum. Ita in Appendice Theophanis in quâ dicitur Ioannes etiam Grammaticus, Præcursor & Adiutor diaboli appellatus, Pancratij Sciastæ filius; cui Patriarcharum Leo addicebat. Antonius verò ex [illegible] ob crimina obiecta monachus factus, dein Præpositus monasterij Metropolitanus tandem Episcopus Sylæi. Omitto alios [illegible] Consulantur Acta S. Nicetæ Confessoris 3 Aprilis.

persecutio cœpta:

CAPVT VI.

Preces à S. Nicephoro indictæ; animati subditi. Accessus eius ad Imperatorem.

37 HÆc Dei Famulus Nicephorus cùm aduerteret, nullum non supplicationis genus adhibebat quo Deus exoraretur; obsecrans atque adiutorem inuocans, vt Ecclesiam à labe puram seruaret, nec sincerum gregem scelestâ hæreticorum consuetudine & societate sineret inquinari. Quamobrem omnes ad se

S. Nicephorus precibus insistit.

A se trahebat, admonebat, obsecrabat, hortabatur non commisceri hæreticorum fermento; monebat extraneę doctrinæ abortiuam sobolem ceu venenatas viperarum proles fugere: non enim corporale vulnus ab iis infligi, quod medicorũ remedijs queat cedere; sed periculum eiusmodi esse, quod animi sinus atque recessus peruadens respuat cataplasma quod superficie tenus adhibetur. Non igitur temporis cedendum articulo, neque violentiæ potestatis: quamquàm enim tum Imperatorem, tum consertam errantium turbam illi comitem [illegible] trahat atque abducat, in nihilum tamen illi cessuram potestatem, nec cõtra Dei Ecclesiam eius habendam rationem. Neque enim in multitudine Deo beneplacitum esse, sed respicere in vnũ timentem [illegible] sermones eius, id est, in totam Ecclesiam, quæ velut vir vnus esse palàm ostenditur. Propitiandam precibus Dei clementiam, & peruigili noctis statione orando, ipsius iram mitigandam: flagitandum denique [illegible] quanta molitur persecutorum sæuitia. Dixerat, omnesque in templo vnanimes totam insomnes noctem concelebrant.

Ad gregem [illegible]

Indicit nocte solemnes stationes ad Dei placandam iram a

38 Imperator vbi deprehendit quam illi noctu [illegible] agebant; timor eum gelidusque pauor inuasit, ne reuerentiâ Antistitis ducti, seditionem ordirentur, pro singulari quo eum prosequebantur af- B fectu. Mox itaque ad galli cantum in templum mittit indignabundus, ac Pastorum Principem velut turbarum auctorem accersens criminis: [illegible], inquit, par erat, Imperatore cunctos ad pacem cogente, dissensionem vos & discordiam moliri, patique obtrectare. Quia igitur deprehensum est agere vos contra Imperatoris [illegible], vbi dies illuxerit, in Palatium pergite, vt & ille clarius de his cognoscat. Aduenit statim [illegible] cœtus, quid ista nuntij verba indicarent, [illegible] quàm pro rei [illegible]. [illegible] supplices lacrymas libare ex oculis, [illegible] omnium inspectorem [illegible] ut Catholicæ fidei [illegible] disponderet [illegible]. Absolutis autem precibus [illegible] stans eorum medius, Conuentum Ecclesiæ in hæc verba affatur.

Accersitus cum alijs Sacerdotibus in palatium,

39 Decebat quidem, diuinis ordinationibus [illegible] [illegible] ne insomnis quidem videremus in statu Ecclesiam, quo nunc conspicimus, ac qualem eam mala [illegible], quomodo nempe pro [illegible] [illegible] [illegible] pace in discordiam [illegible] [illegible] pastoris, refractarij gregis [illegible] & ad concordiam voluens hortans [illegible] opiniones. Ecclesiam, quam Christus acquisiuit sanguine proprio, quam C [illegible] & criminis [illegible] seruauit, quam Apostolis, Prophetis, Martyribus, cunctisque Iustorum spiritibus [illegible] Paradisum muris clausum [illegible] [illegible] videmus, [illegible] [illegible], se autem [illegible] [illegible] quæ [illegible] [illegible]. Modò namque [illegible] res [illegible] imagine atque figurâ exemplarique [illegible] honor imaginis ad exemplar [illegible]. Hodieque quoniam inde à primis temporibus verbo ac scripto [illegible] conseruata Ecclesiæ traditio [illegible] (quod scilicet ad veritatis inimicos attinet) inaudita que hactenùs traditione imbuuntur fideles. Ne autem, quæso, despondeamus [illegible] illorum [illegible] aliquid de [illegible] alacritate [illegible], quin possimus etiam [illegible], qui non carebit [illegible] bellum, auxilio. Haud [illegible] agitur cum hostibus veritatis quàm cum ijs, qui contra rapidissimorum fluminum cursum natare tentant: nam vt illi dum progressu [illegible] tur, inuiti etiam ipso aquarum impetu rapiuntur deorsum; sic hi sexcentas aduersus veritatem nugas commenti, ad eius concordiam vel inuiti trahuntur. Veritas enim res est inexpugnabilis, quæque ad omnia D valeat, & maximum in vtramque partem momentum afferat. Nouit, cùm honoratur, coronare; nouit expugnare, cum bello petitur. Hac comite vincat is etiam, qui nullis armis instructus est; sin autem hæc deficiat, etiam cataphractus miles facilè poterit expugnari. Testes dictorum ij ipsi, in quos oratio nostra collineat: nullam enim veritatis rationem habentes, ipsis quoque tirunculis atque elementa discentibus facti sunt ridiculi: dum nempe sibi ipsis ad contradictionem satis sunt, suisque se carnibus more insanorum ingurgitant b.

Catholicos adhortatur;

vt veritati semper victrici adhæreant:

40 Hæc concitâ oratione locutus, sacrum humeris impoSuit pallium, vniuersoque stipante Ecclesiæ cœtu, aulam petijt Imperatoris. Ille non pro eo, vt moris erat, oblatâ manu atque osculo, certis nimirùm veræ amicitiæ indicijs, virum excipit; sed, toruum quid atque furorem oculis prætendens, gradu præit, regiumque solium arripit, viroque iusto secundi ab eo consessus locum cedit. Quæ autem tunc d solus soli Imperatori collocutus sit, ac quibus eum ex E diuinis Scripturis eloquiorum veluti nimbis obruerit, vacante tempore modò dicturi sumus. Rebatur enim homo vilissimus & impietatis mancipium fieri posse, vt Sanctum expugnaret, modò solus cum solo congrederetur, quem omne auxilium armaque deficerent. Orditur ergo succensus iracundiâ talia, velut ex altissimo gurgite, irâ animum succendente, eructare dicendo: Quænam hæc à vobis fabricata discordia, & aduersùs Imperij sacratissimum culmen ac maiestatem plena temeritatis coniuratio atque coitio? [illegible] qui inconsultâ Maiestate nostrâ conuenticula agitis, aliterque quàm sentimus nos docere, atque [illegible] causâ religionis, quibus obloquatur, ad [illegible], manifestum est quod contra communem agat salutem. Si foret Maiestati nostræ consilium ad abolenda recta decreta quidpiam moliri, [illegible], vt dicitis, antiquitatem conuellere, non [illegible] forsan [illegible] tempus ac locus nos vituperandi, & [illegible] hæresis crimen nobis impingendi? nunc verò cùm rectitudinis amore ducti omnem cupiamus [illegible] discordiam, & cunctos vnum quid in fide sentire peroptemus; cur videmur hac parte iniuriam facere, Ecclesiæ paci studendo? Nescitis turbam plurimam tumultuari atque ab Ecclesiâ dissidere eo nomine, quòd imagines pingantur & erigantur; collatisque etiam libellis loca proferre Scripturarum, quibus probetur, quòd interdictum sit earum religione? horum autem obiecta si negligantur indiscussa, nihil vetat quin fidei consensus discordiâ soluatur, nec deinceps ad rectæ coalitionis vnionem respiciat. Quam- F obrem his, qui in animis fluctuant, omni morâ postpositâ, loqui vos atque cum eis iubemus disputare, quatenus vel eos in sententiam vestram adducatis vel ijs dicentibus ipsi auscultetis, & nos quoque quid rectiùs dicatur cognoscentes, ab eius stemus partibus, cuius iustior & æquior caussa fuerit, eique ad victoriam nostræ auctoritatis momentum conferamus. Id si præstare renuitis, in tenendo de his silentio pertinaces, haud obscurum est quò vestræ redigendæ res sint.

ad Imperatorem Abit;

Acriter reprehenduntur

cum hæreticis disputare iubetur:

41 Suscipiens autem lucifer veritatis Nicephorus, in hunc modum respondit: Ne, quæso, sacratissima Maiestas, eorum nos artifices putaueris, quibus discordia ac seditio conflatur. Neque verò aduersùs Imperium tuum armorum loco preces nostras mouimus, qui orare pro Regibus, non illis mala procurare Scripturæ documentis monemur. At neque ad prauæ doctrinæ hæresisque morbum, sanum fidei sermonem atque doctrinam traducimus: nam qui ea generetur ijs vel Aue dicere à veritatis Præceptore vetamur. Hoc verò scimus, vobisque nihilominus rem scientibus fidenter edicimus, cunctis mortalibus, quibus rationis vel mica insit, certum atque exploratum

respondet Imperatori,

1.Tim.2

2.Ioan.10

haberi,

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

A haberi, pacem primum bonum esse: quamobrem quisquis eius soluendæ auctor fuerit, is malorum opifex nō tantum vicinis, sed & generis necessitudine coniunctis extiterit. Is itaque optimus sit Imperator, qui ex bello pacem componere possit: tu autem Ecclesiæ rebus rite congrueque dispositis, vltro bellum inducere cogitastis rectisque decretis, quibus Christi Crux prædicatur, hac fulgentibus (nam neque Oriens, neque Occidens, non Aquilo, non Mare eius splendoris ac lucis experria sunt) obscuram ex aduerso perditissimorum hominum doctrinam excitare statuistis. *dum hæresis [illegible]*

Non enim Roma, primitiua Apostolorum Sedes, vt veneranda Christi Imago aboleretur, vobiscum conspirauit: nobiscum verò eam impensè honorat, & eiusmodi cultu delectatur. Non Alexandria, Marci Euangelistæ venerandum Sacrarium, Deiparæ Genitricis materiatam effigiem reuereri vnquam simili vobiscum ausu vetuit: nobis illa pij operis comes est nobisque consensit. Non Antiochia, Petri Apostolorum Principis ipsa quoque celeberrima Sedes, vt Sanctorum effigies contumeliis afficeretis permisit: sed antiquam eorum venerationem sanctam nobiscum probatamque custodit. Non Hierosolyma, Dei Fratris inclyta mansio, vt Patrum traditiones eliminaretur assensum præbuit. Quis Romanæ ditionis Sacerdos absque vi metuque in vestram sponte concessit sententiam? Quænam Catholicarum Synodorum, quibus verum fidei symbolum diuino Spiritu explanatum est, eadem vobiscum sanxit? harum autem suffragio destitutus nemo Ecclesiæ dogmata definire eaque in arctum cogere præsumpserit. *Sedium Patriarchalium, Synodorumque auctoritatem contulit.*

B Ast, ô Imperator, ne tantæ huius hæresi manum porrexeris, neue conuenienti damnatæ silentio vocem aduersus Ecclesiam inspirauerit. Procul abscedat cum suis inuentoribus, in malam rem abeat, ad Cynosarges facessat: Ecclesia autem omni semper maior comparatione magnificentia maneat. Nulla Ecclesiæ vniuersalis pars, vt modò Regiæ Maiestati tuæ verbis est insinuatum, à sacris imaginibus ipsam arcere studuit: bella aduersus eius legitimam compositionem Ecclesiasticique ordinis decorem turbas vnquam conflauit: vbique enim pacis ac constantiæ tenax, aduersus procellas fluctusque & ipsas inferni portas nouerit præualere. Ne ergo doctrinas ad æquitates turbas que spectantes immitatis aduersus antiquam traditionem nostram [illegible]; isti namque qui assentandi studio, non quia Domini sunt, loqui didicerunt, ex homicidarum vero abortiui fœtus prodierunt. Quod si hæreticæ suasionis afflatus aliquis rectam vestram subuerterit sobrietatem (non enim latet ante etiam assumptum Imperium inculpatæ Te fidei adhæsisse) & eiusmodi quispiam aures inficiendo perduxerit in confusum trahit, ac scandalum genuit cuius solutionem animus sit hæsitans; hanc nos diuinâ affulgente luce certò pollicemur. Hoc enim debito, eoque omnium maximè necessario obstricti sumus, vt Deo opitulante, quod vobis offensionem facit, penitus amoueamus.

C Os autem aperire, atque ea quæ sunt Spiritus, cum iis, qui à spiritu alieni sunt, conferre atque in disputationem vocare, haud operæ pretium esse ducimus, quacumque demum ad hoc necessitate compulsi fuerimus: neque tamen iis sententiis, quas ex Scriptura Patrumque libris decerpserunt, propterea cedimus. *satisfacturum se Imperatori recipit: cum damnatis hæreticis disputare renuit.*

a In Appendice Theophanis: Orthodoxi cuncti Clerici, monachi & Laici vigilias per totam noctem habuerunt, vt Deus eorum consilia dissiparet, deprecantes. Hæc ita geri à Patriarcha discens infelix Imperator significat Pontifici: Vt quid hæc agis? Respondet ille: Nihil mali fecimus, Deum rogamus, [illegible], vt Ecclesiam suam, modò illi placeat, imperturbatam conseruet. Eamdem cum S. Nicephoro in magna ecclesia per totam noctem orasse tradit Theosterictus in Vita S. Nicetæ. *Preces nocturnæ.*

b In Actis Appendice S. Nicephorus ad [illegible] istum [illegible]

D [illegible] Num habetis aliquid, quod verbis istis exprimatis, Fratres. Exclamauêre omnes: Nouimus & certi sumus veram esse fidem nostram, in hac morimur omnes. Ad illos Patriarcha: Superest, Fratres, vt concordes perseueremus, & animis coniuncti hac in confessione absque dissensu remaneamus: vt aduersæ partis homines nullum reperiant, quem separent à nobis, nec id consequi valeant. Gratiâ enim Christi plures illis sumus. Illi rursus cum clamore firmauerunt ad mortem vsque obstituros & pro Ecclesiâ dimicaturos, appositisque crucibus ad subscriptiones, scriptis sibi inuicem fidem fecere, numquam ab inuicem se separandos. *adhortatur ad perseuerantiam.*

c Græcè τὸ ἅγιον [illegible], quod Isidoro [illegible]. Sacrum fortè aut insigne patriarchale, quo augustius Dei confessionem coram hæretico Imperatore ageret. Ita hic Combefisius: Pallium vertimus, ex Latinæ Ecclesiæ vsu; cui respondet similiformis pannus, sed multò quàm Latinus latior & penè ad pedes defluens in Græcis Patriarchalium imaginum formis conspiciendus.

d Theosterictus in Vita S. Nicetæ: Iussit autem & Patriarcham solum imprimis ad se intrare, ignorans quanam inter ipsos seorsim dicta fuerant.

CAPVT VII.

Colloquium S. Nicephori cum Imperatore de sculptis ex præscripto Moysis non faciendis.

42 TVm Imperator suscipiens, ait: Age igitur, Moysis quidem [illegible] tibi de his doctus videtur sententia? Num dubitas Moysis verba Dei verba esse, qui præcipit non faciendum esse idolum sculptile ac similitudinem, idque non hominis tantùm, sed absolutè ac indefinitè rei alterius cuiuscumque in cælo aëreque volantium aut viuentium in terrâ, vel aquis innatantium? Quâ igitur ratione fabrilibus imaginibus ac simulacris honorem vos adhibetis, cùm Legislator etiam facere eiusmodi prohibeat? PATRIARCHA. Velut in altum vastumque disputationis pelagus, ô Imperator, nos ducis; quod multi quidem non [illegible] traiecerunt, nullius autem aduertentiam, quod nouerimus, diligentia sic enauigauit vt ad imperturbatum portum peruenerit. Nam alij quidem, quantum [illegible] difformem existiment Imaginum visum, & velut gentilici cultus fœtum secundus omnis iudicio criminantur, easque damnantibus assipulentur: vbi [illegible] aduersus vertitur, puppi, quod aiunt, inhibitâ se paulatim subducunt, contraria agentes his quæ consueuerant: habent enim imagines cùm in ecclesijs tum in foro atque domibus; quidam etiam [illegible] & [illegible] terrâ marique. Alij [illegible] penitùs [illegible], [illegible] fractâ congressione abijcientes arma hosti terga dedêre; & neque Prophetarum imagines honori habent, nec Apostolorum simulacra, neque Martyrum coloribus & penicillo ductas figuras: sed his omnibus liberè carentes templa citra vllum figurarum imaginumque aspectum, Deo inuisibili atque incorporeo [illegible] supplicationes offerre se [illegible]. At si placet, in huius rei indaginem ingressi, non negligamus [illegible] ne fortè in [illegible] [illegible] per [illegible] veritatem, [illegible] sermonem, ipsum [illegible] possimus capere. Audi igitur [illegible] sapientem [illegible] que sermonem, quem planè probaturus sis ac laudaturus; si [illegible] quod verum est, [illegible] desiderio teneris.

43 Nescio quis olim de Deo error Ægyptiorum mentes incesserit, vtque ij [illegible], omnique [illegible] tem materiâ Domini gloriam, [illegible] formam que deprimentes, hominis formæ simulacra colerent: Osiridis scilicet atque Typhonis, Orique [illegible] aut Isidis atque aliorum hominum, quorum Diuinitate adscriptorum luxuriam arguit institutum vitæ, auaritiam iniustaque studia, bella, opprimendis alijs suscepta [illegible] denique diuinitatis naturam, non *Ægyptiorum de Deo errorem Mosis præcepti occasionem atque rationem fuisse.*

obita

A obitas manifestissimè comprobat? Quin etiam eòque adeò abiectam æstimauêre Deitatem, vt brutorum quoque animantium habitu formâque, naturam Dei figurarent atque exprimerent. Nempe tamquàm Deum adorabant canem; laudabatur vitulus, apis, hœdus, Mercurius piscis, Minerua; quique bruta [illegible] cerentur affectione, brutas animantes in deos consecrabant. Quin & secum hæc mutuò componentes, multiformes quosdam diuersâque concretos naturâ deos confingebant: alium scilicet hœdinis pedibus fabricantes (Pan hic erat) alij canis faciem adhibebentes (Anubim puto vocabant) quem cæteroque toto corpore virum, nec verò perfectum canem esse admittebant. Mentior hæc narrans, an ceu veris adstipularis? IMPERATOR. Verum loqueris. PATRIARCHA. Quid igitur legislator Moyses? Cùm sibi traditum à Deo populum ex Ægypto reducens, quas illi Ægyptiacâ consuetudine fœdas animi sordes contraxerant, detergere cuperet, ne Deum humanâ virilique specie præditum putarent, neue ei alias animalium figuras tribuerent, hortatus eos taliter sacro sermone sanciuit: Nolite secundùm priorem vestram in Ægypto consuetudinem, quemadmodum ab Ægyptijs estis edocti, Dei imaginem in vobis fingere ex ijs animantibus, quæ vel aëra peruolant vel mouentur in terrâ B vel in aquis natant. Non illa Deus sunt, quidquid Ægyptij existiment, neque pictis imaginibus reddendum est, quod spectari non potest. Omni figurâ formâque caret, atque inuisibilis est Deus: nihil eorum est, quæ humanis oculis subiecta sunt, sed eiusmodi est, solâ mente contuendus sit, si cui etiam aliquando id contigerit. Sanè cùm Deus vniuersorum sit conditor, haudquaquàm ex omnibus vnum aliquid ipse existit, cumque omnia permeet, in vno minimè potest repræsentari. Itaque legislator Dei solummodò rationem, atque ita vt ipsemet pingi credatur, imaginum fabricam interdixit, nec aliam fuisse mentem suam, primus ipse ostendit, si modò quis ea quæ ab ipso scripta sunt, rectè inspexerit: nam quasi de Deo loquens, inque eum dumtaxat sermonem referens, ita quodam loco subiungit: Non adorabitis ea, & non seruies eis: ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator. Illa *Deut. 4.* plenamque temeritas ac planè absona cogitatio est, si quis vnquam Deum omni superiorem naturâ, atque essentiæ notitiaque, quem nemo vidit neque potest videre, sibi ipsi aliud [illegible] accepta [illegible] figurâ formâque ex rebus, quæ in oculos incurrunt, vt facere sæpiùs præsumpserunt, qui Gentilium errore tenebantur: si de Deum quærentes non inuendo C sunt: furiam attinxi adiecta, neque super æthera cælumque mente crescunt illo desiderium inuestigarunt, sed ad terram atque materiâ concretas depressi, & omnem sapientiam suam humi effundentes, res sub obtutum cadentes Dei nomine indigetarunt. Sin autem quispiam eâ ratione, quòd vel Imperatorem honore prosequatur, vel Ducem celebret, aliorumque virorum fortium admirationi habeat, illorum simulacra conficiat; nihil iniuriæ facturum puto, aut peccatum inire, si [illegible] laudat animo, itemque oculis, penicillo ac coloribus repræsentet: eo modo dumtaxat, vt quòd talis picturæ arte efficitur, numquàm vt Deus colatur; ita [illegible] nugas atque deliria. Idenim verò olim etiam Moysis verbis, & nunc dicit ex Christiana, Deus autem hoc indignè ferens: Gloriam meam, inquit, alteri non dabo. Qui sic Legislatoris dicta intelligit, pium & serenum animi oculum seruat, atque ei omnium dubitationis aleam fugit immutabiliter considerans, itaque eo cogitans nulla cum figura nullusque color afficias, nondum [illegible] tempus vel si quæ eiusmodi corporum propria coloribus ministerio vsque alliciant animum: sed illi inhærens, qui omni vacat corpore, immobilis ac quietus circa bonum consistit, quodque operatus [illegible]

Gentiles Deos brutorum specie fingunt.

Ab Israelitis inclinatum ne eum errorem amplecterentur.

Deut. 4.

Licere tamen Imperatorum, Ducum, aliorumque pingi posse.

Isai. 42. 8.

turbatum plerumque custodit. Qui verò hæc alia ratione audit, atque ad Dei naturam figurâ omni ac intelligentiâ superiorem præ animi imbecillitate exerrans à Dei excidit intellectu, instabilis peruagatur obliuionis campum, ita vt circa corpora humumque velut cœno mersus, attollere sese ad veram diuinitatis cognitionem non possit. D

44 Quid autem si ipsos quoque sanctos viros, qui ex Mosis institutis vixerunt, eam non detulisse legem ostendero, nec ab eorum simulacris cauisse, quæ in cælo sunt inque terrâ ac mari, vt quidem iuxta quod ipse indefinitè intelligis, sermo accipiatur, legisque sententia? IMPERATOR. Quomodò, quâue ratione? PATRIARCHA. Numquid te fugit, ô Imperator, quomodò Salomon templum extruens, mare æneum intra templi septa fabricatus sit, in quo Sacerdotes victimarum sanguine fœdatas manus proluerent? Qui igitur basi illud tantum opus suspendit? nonne bobus duodecim ære fusis, ijsque suppositis, super illos mare explicauit? Quâ igitur ratione legem obseruat, bouis similitudinem faciens, in ijs quæ consecrauit? His puto ille indicauit, paris numeri chorum Apostolorum, qui velut è bouini operis ad serendum verbum sapientes magistri, mundum hunc, id est, mare, pietatis cultum sublevant, inque altum tollentes, pollutas victimarum sanguine Sacerdotum manus mundant, deterguntque limpidissimis doctrinæ laticibus, vt ab illis abducti incruentam domini hostiam offerant. Quid verò, diuersas longeque pretiosas sedes struens, nonne leonum in eis figuras collocabat; ita scilicet, vt alios quidem supernè, vbi cubitorum flexura erat, figeret; alios in imo per gradus, aptè disponeret? Porrò leonum materia ebur erat. E

45 At quid est cur de alijs ista disseram, cùm ipsum Legislatorem, tuo illo sensu, sese ipsum minimè secutum leges ostendere liceat? An enim nescis fabricatum esse propitiatorium ex auro puro, illudque arcæ, quæ ex auro quoque conflata erat, imposuisse? At is, vt Pauli sententia est, in Saluatoris ac domini nostri typum accepit Propitiatorium. Nonne deinde sub propitiatorio duo Cherubim expansis alis ipsum obumbrantia ac tegentia, mutoque clamoris silentio abditam atque ignotam eius, quia in terris videndus esset, Diuinitatem prædicantia fecit? Hæc autem numquid admittis esse illas intellectus facultate præditas potestates, quæ circa lucidos cæli axes coram Deo choros ducunt, propriâ tranquillitate ac scientiæ copiâ, quâ circa desideratum bonum versantur, lætantes? Quâ igitur ratione Legislator, qui, vt vis, simulacra vetuit, horum simulacra fecit? Ad hæc etiam F cùm aliquando Israeliticum populum interire in deserto videret, serpentum videlicet plagâ sæuiente, qui è latebris obrepentes haud secus ac tela mortifera magno impetu infestè agentes se iniectabant, æneum serpentem fabricatus, in signum extulit, in quem aspicientes contrariæ virtutes ipsæ interirent, & quos illæ ex insidijs vulnerauerant, à veneno morsu repentè incolumes fierent. Id verò aiunt, mei Iesu symbolum ac figura erat, quem virtutes eiusmodi in crucis ligno conuertentes, confestim velut emortuæ deficiunt spiritu, frustraque collectum aduersus humanum genus nequitiæ copiosæ venenum euomunt, despiciuntque illos autem in eum respicientes: itaque illæ [illegible] ignitas plagas aut non recipimus omnino, aut etiam iis accepti sospitati redditi. Enimuerò serpentum proles draco, serpentis in ligno suspensi fortitudinem cogitans, memorque quanta inde iacta excepit iacula, retrò fugit, veterisque plagæ metu nouam semper calamitatem luget. Vides non vacare periculo, quod à Legislatore dicta sit temerè atque indefinitè intelligantur.

46 Sed & illud, ô Imperator, intelligis quamobrem

AVCTORE ION. DIAC. EX MS. EA.

Simulacra in lege veteri innoxiè usurpata.

Boues in mari æneo.

Leones in throno Salomonis.

Hebr. 9. 4.

à Moyse constituta ad propitiatorium duo Cherubim.

& erectum serpentem ante Christi in cruce figuram.

A obrem Moses Legislator aduersus populum Israeliticum indignaretur? IMPERATOR. Noui sæpius indignatum fuisse; cuiusnam autem caussæ modò meminers, haud scio. PATRIARCHA. Tunc quando aureum vituli caput conflauerunt, rectissimè illis indignatus est. Obliti enim quæ in Ægypto fuerant patrata miracula, apertum inter medios gurgites iter, datos subitò necí primogenitos, mutataque elementa; interim dum Legislator eorum commodis in monte studet, vituli caput Deum proclamarunt. Num igitur hoc tibi peccare videntur, vel hoc illis Legislator dat crimini, quòd temerè ac simpliciter vituli simulacrum effinxissent? IMPERATOR. Quorsum id? PATRIARCHA. Quia nimirum si illos eo nomine criminis insimulauerimus, necesse erit vt & Salomonem pariter eiusdem arcessamus, cum etiam ipse boues cuderit. Ergo illos tum ipsi eo nomine accusamus, tum Legislator in crimen vocauit, quòd bouem Deum proclamarint, par [illegible] in Ægypto salutem impiè ipsi acceptam retulerint. Non igitur simulacrum quouis modo facere interdicitur, sed Dei facere simulacrum. Idcircò etiam ait Scriptura, detractis mulierum inauribus aureis, illud vituli caput fuisse conflatum; obscurè significans innuensque, vt puto, quòd istius populi aures, quæ sincerum de Deo sermonem doctrinamque susceperant, in alias postmodum opiniones prolapsæ ornatum amiserint. Quin ipse quoque Legislator, vt hæc eadem Scriptura commemorat, comminuto vitulo, missisque in aquam cineribus, eâ populum potauit. Quid eo ritu significans? nempe, vt mea quidem sententia est, cum videret ignorare illos suæ idololatriæ errorem, nec illius damnum quantum esset cogitare, subtilius atque minutius illius rationes explicans, faciensque vt in animo eas complecti possent, has edoctum populum potauit quodammodo institutione salubri, illam eis intra pectus recondens; ne qua similis impietatis ignorantia illis deinceps accideret atque obreperet.

a Græcè [illegible] S. Nicephorum [illegible] maximo eiusmodi sensibus mysticis eximio verèque maximo. Cuius Maximi opera omnia eiusdem Combefis diligentiâ eruta & Latinè reddita, eruditisque obseruationibus illustrata publica luci breui danda expectamus.

CAPVT VIII.

Vlterior imaginum defensio à S. Nicephoro facta, maximè Christi, Angelorum & Sanctorum. Horum apud Deum intercessio.

47 NVnc porrò quæ tunc mihi etiam illud responde. IMPERATOR. Quidnam illud? PATRIARCHA. [illegible]

[illegible]

quidpiam Deum putauerit, nonne statim aut lapidibus [illegible] aut crudeliori modo [illegible]

bestiarum faucibus obijciemus?

48. Plana itaque via est, ô Imperator, dum probè statuamus intelligamusque, ac nouerimus, hoc solummodò Legislatorem prohibuisse, ne Dei simulacrum aliquod & imagines ederentur. Atque adeò (modò sic loquamur) neque eos, qui ex legis ratione vixerunt, vituperabimus, neque nos Christiani peccabimus, qui Martyrum sanctorumque hominum imagines effingimus, & figurâ oculis conspicuâ, quæ in illis obscura sunt, designamus. At si mihi plus aliquis fidem habeat, ita hic distinguendus sermo ac diuidendus est, vt tamquam duæ quædam regulæ statuantur ac definitiones, quas nemo euertere ac confundere possit. IMPERATOR. Quo id modo ac quâ ratione? PATRIARCHA. Nimirùm, nullas Dei imagines seu simulacra esse facienda: sed & si quis eiusmodi aliquid præsumat, vt qui erroris Gentilium socius sit, extremis mancipandum supplicijs. Pingendos verò esse, qui sanctitate claruerunt, quippe qui fiduciâ ad Deum ac vitæ munditiâ magnificè polleant, mediique quodammodò ac velut oratores nobis ad illum existant: qui scilicet nostras Deo aduehant orationes, Deique ad nos dona deferant. Non enim omninò, ô Imperator, vnus modus est eorum, qui ad Deum accedunt, quique à Deo honorem consequuntur; sed fiducia pro [illegible] ratione modum obtinet, congruaque merces conuersationem sequitur. Nam Deus quidem cùm semper sit, ortum non habet: quod autem non semper, sed postea factum est, ex nihilo acceperit vt esset. Atque adeò hac ratione, quod fit semper atque oritur, dici potest famulari Deo; quod enim factum est atque editum, eius quod fecit atque edidit seruituti subiectum meritò æstimatur. Sin autem quæ ad Deum est necessitudo diuersaque, inde luminis perceptio spectetur, diuersa quoque nomenclatura accidentibus competit. Cuncti enim qui se supplicij metu à peccatis abstinent, Dei famuli appellantur, & his [illegible] verèque serui existunt, quòd nimirum verberibus & carcere earumque minis egeant, vt reuocentur à peccato: qui verò spe illecti futurorum honorum, animum conferunt ad virtutem, mancipia haud ritè appellarentur, sed mercenarij, quippe qui lucri atque mercedis caussâ quod est officij sui faciant. Si qui autem his superiores, id ipsum quod honestum est sincerè attendentes, non exercitij metu supplicij, nec eorum bonorum quæ in futurum reposita sunt spe illecti, in id quod bonum est feruntur, & boni ipsius gratiâ bonum operantur, hi in mortalibus sapientiæ thesauris repleti, Dei verò filij appellentur, Dei scilicet hæredes & Christi cohæredes effecti. Hi E sunt homines, pro hominibus tamen supplicatione ad vniuersorum Deum defungentes, magis inflectunt atque exorant, cùm etiam nunc erraticum [illegible] verò [illegible] mortaliter [illegible] grauj [illegible] reddentes ad clementissimum benignissimumque Dominum, puri purè [illegible]

49 IMPERATOR. Quid ergo? numquid non, vt ais, erroris gentilium socij sunt, qui eorum hominum, quos sanctitas commendat, simulacra atque imagines faciunt? PATRIARCHA. Non sic tamen ac simpliciter [illegible] consideratione vtendum [illegible] IMPERATOR. Quâ ratione Christiani simulacra eiusmodi ac imagines faciunt? quonam modo pingunt? PATRIARCHA. Num, quæso, Imperator, eos quos coloribus delineant ac pingunt, arcanâ illâ vi atque omnem sermonis ac rationis superante imperatam essentiâ? IMPERATOR. Haud sanè. PATRIARCHA. Nonne eos homines mortales existimant? IMPERATOR. Maximè. PATRIARCHA. Quid igitur criminis est, si, eum hominem sciamus, ceu hominem penicillo coloribusque exprimimus? Dei autem singulare

Margin notes: a AVCTORE ION. DIAC. EX MS. OR. — In vitulo aureo crimen fuisse quòd Deum proclamatus cultusque sit. — b ex mulierum inauribus [illegible] — & ideò [illegible] redactum fuisse. — Picturæ [illegible] que imagines vbique receptas esse. — si nihil deitatis illis tribuatur. — Dei ipsius vetita simulacra, non Christi & Sanctorum. — qui Deo seruiunt: — non vt flagriones, — & mercenarij [illegible] — sed vt filij; — precibus Deum inflectunt. — Imaginum Christianam religionem vindicat ab errore gentilium.

A lare atque eximium nomen, quod creatis propriè adhiberi est impossibile, in essentia omnium suprema, (quod solum soli congruit) relinquentes illam quidem nullis figuris, lineamentisque depingimus (quomodò enim pingamus, quod nec oculis nouimus) Martyrum verò, seu alioquin virorum sanctitate illustrium simulacris atque imaginibus vtimur; non ita vt deos reputemus (absit enim vt ita animis atque sensibus deprimamur) sed Dei probatissimos famulos; vt & fortitudinis illis rependamus vicem, & quæ ipsi peccatis obnoxij à summo Rege impetrare non valemus, illorum, tamquam Regis satellitum eique assistentium ministrorum, intercedente pro hobis suffragio reportemus.

De sanctorum cultu sententia.

50 Quin & si lubet, etiam ab humana consuetudine atque vita petitis exemplis, sermo expendatur. Nonne fateris ipse, atque admittis, Deum, qui rerum hanc vniuersitatem condidit, & bonus cùm sit atque in huius vitæ pelago nauigantium tranquillitati studeat, vt illi ratis instar, saburræ pondere destitutæ varijs agitati fluctibus, seculi fluctibus obruendi lacerentur, Imperatorem seu Regem, velut sui simulacrum viuumque coloribus expressum characterem, in terris statuisse? IMPERATOR. Ita sane. PATRIARCHA. Is porrò, qui Deus quidem minimè est, Deum tamen, quoad homini concessum, refert quodammodo & imitatur; idemque licet certo definitus loco & simpliciter homo existat, Præfectis tamen alijs atque magistratibus à se institutis, vniuersam ditionem ita sui præsentia implet, vt & absens cunctis adsit, longèque distans præsentem subditis timorem injiciat. Hic inquam, feremne vmquam vt quos ille Præfectos constituit, ac magistratu fungi iussit, Imperatores appellemus, Regiumque illis nomen atque insignia tribuamus? IMPERATOR. Minimè gentium. PATRIARCHA. Num verò accusabit, si quos ille creauit vt ita negotia gerant sicuti illi visum fuerit, adierimus eisque supplicemus, & quas ipsimet Regiæ Maiestati petitiones offerre non possumus, per eos offeramus? IMPERATOR. Nequaquam. PATRIARCHA, sic ergo, Imperator, nobis quoque existimandum, Deum scilicet indignè ferre, si eius incommunicabilis nominis gloriam alteri tribuamus; laudare verò probareque & gratum habere, si eius famulos honoribus prosequendos esse in animum nostrum sapienter induxerimus.

... in ... & sanctis ... ... qui est Dei imago ac simulacrorum,

B

... Præfectorum ac Magistratuum ...

intercedentium apud Imperatorem:

51 Quin & sapientissimus Paulus huic affinis sententiæ noscetur, dum ad Romanos scribens, non omnino atque simpliciter imagines reprobat aut vituperat ijs vtentes, sed quia commutauerint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Reuera enim temerarij atque insulsi homines, cum Dei figuram & formam neque viderint, neque cogitatu assequi quiuerint; Terrigenæ enim cum essent temereque sati, ac sensuum serui & carnes, vt sic loquar, anima ac motu carentes, deficiebat eos ratione, quo immaterialem immateriali ratione attingerent, rerum oculis aspectabilium naturam transcendendo) externis dumtaxat sensibus obiectas res vt Deum coluerunt. Vbi etiam sapiens planè Apostoli sensus, atque consilium admirationem ingerit: illud namque COMMVTAVERVNT perinde significare existimo, ac si dicat: Insitæ hominum mentibus de Deo cogitationes, quæque ipso ab initio iam obtinuerunt primorum hominum traditiones, vnum dumtaxat verum Deum cognoscendum dabant: terrenæ verò sapientiæ amatores, insulsa nihilique ratione ducti, eorumque temerario ausu pietatis radicibus, eiusmodi cogitationes naturæ insitas verissimasque traditiones commutauerunt, euerteruntque, & plurium numinum impietatem velut noxias plantas inseuerunt animis, ipsamque, qua erant instructi, veritatem prodiderunt, vt hominis similitudinem volucrumque ac serum deinceps aliarum Deo tribuerent. Commutat

Rom. 1. 23 quomodo Gentiles commutauerint gloriam Dei

C

in similitudinem creaturæ

enim id quod ante habebat is, qui ei quod adest, id quod non adest præfert: commutare enim quod non habet, nemo in animum inducat suum.

D

AVCTORE ION. DIAC. EX MS. GR.

52 IMPERATOR. Hoccine est quod sermone contendis, de solo Deo accipiendum verbum, eiusque dumtaxat pingendis imaginibus, ac simulacris ducendis interdictum esse? PATRIARCHA. Hoc planè dico, nec vmquam cessaturus sum dicere. IMPERATOR. Quid verò, nonne Christum verum Deum profiteris? PATRIARCHA. Maximè. IMPER. Nonne verò Christi imagines ac simulacra pingis? PATRIARCHA. Ita planè. IMPERATOR. Quomodò igitur, qui verum Deum Christum profiteris, Christi imagines pingis: cum Legislator Dei imagines pingendas vetuerit? PATRIARCHA. Benè tibi sit, ô Imperator, quam enim quæstionem mouisti, doctrinam clarius confirmabit. Nam, amabo, nonne Christum verum Deum verumque hominem profiteris? IMPERATOR. Ita sane. PATRIARCHA. Christus homo factus, nonne perinde Deus atque homo perfectus existit, quando neque suam ipse naturam minuit, nec quam assumpsit in deitatis naturam conuertit? IMPERATOR. Planè. PATRIARCHA. Nonne pariter confiteris aisque, numquam nos alium atque alium Christum dixisse, sed vnum eumdemque secundùm aliud atque aliud tum passibile tum nulli obnoxium passioni dicere; alterum scilicet quâ ratione est Deus, alterum quâ homo est? Quid igitur? quâ ratione Deus est, nonne inaspectabilis, intractabilis, solâque mente intelligibilis est; quâ autem homo, nonne eiusmodi, qui oculis videri, tangique manibus possit, ac sensu conspicuus existat? Nonne igitur, etiam eum qui pingitur, verum Deum noscimus? Verè enim Christus Deus est, quamuis & carne præditus sit. Haud tamen Christum eâ ratione pingimus, quâ Deus est, vel ei imagines & simulacra appendimus: sed dumtaxat, quâ erat idem homo atque in terris est visus, vtimur imaginibus eius: & neque quod aspectabile ac definitum est, commensuramus ei quod inaspectabile ac incircumscriptum existit, ne in salutis negotio erremus: nec rursus, quod illi intractabile, inaspectabile, ac incircumscriptum existit, ad contactus aspectusque ac circumscriptionis rationes deprimentes, furentium more coloribus atque pigmentis effingere nitimur. Quin potius minimè ignorantes vnius Christi esse, quod aspectabilis sit & non aspectabilis, quod circumscriptus & incircumscriptus, idque citra confusionem, iuxta naturarum, quæ in ipso sunt, proprietates, prout iam explicatu est (quod suum est) cuique tribuere nouimus. Id quod earu ipsarum, quæ pinguntur atque ponuntur imaginum modus ostendet: aut enim illæ in præsepi iacentem repræsentant, aut Deiparæ parentis sugentem vbera, aut discipulos alloquentem, vel astantem Pilato, aut in ligno pendentem, aut si quâ eiusmodi alia eius in terras aduentum declarant; quorum nihil est eâ ratione quâ Deus est, sed quâ idem vnusque ipse homo existebat. Nisi enim quandoque homo factus esset, hominisque figuram ac formam in terra assumpsisset, numquam hæc picturæ arte effecta essent, nec locus fuisset vt in eo talia fierent. Cum autem verbum caro factum sit, ac in terra apparuerit, humanaque forma, qui olim Deus incorporeus & carnis expers erat, visus sit; nihil ad iniuriam fecisse videri possumus, si ea quæ oculis vidimus, coloribus quoque ac penicillo reddere statuamus.

pingendum Christus, quà homo perfectus existit,

quamuis idem Deus sit,

E

& vt talis coloribus exprimi nequeat:

F

neque hoc sed illud Catholici faciunt.

53 IMPERATOR. At quid de Angelorum pictis imaginibus, eorumque dices simulacris? Nec enim puto dicturus es, etiam Angeloru figuras pictoribus exploratas esse, sicque illos pingere, velut in propria forma conspiciuntur. PATRIARCHA. Ego sanè illos Angelorum nec formam nosse, nec figuram libens admittam: atque adeo nec sic pingere tamquam

Pingendos esse Angelos, quâ formâ visi in Scriptura.

 sciant,

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR.

A sciant, pingere tamen puto humanâ formâ, vt Scripturæ sacræ morem gerant. IMPERATOR. Vnde hæc alis? PATRIARCHA. Nescis quomodo de Angelis, qui Abrahæ ad quercum apparuerunt, quodam loco dicat Scriptura, respicientem tres viros vidisse oculis sibi astantes? Quid verò nonne Loth virili specie apparentes Angelos in Sodomis domo suâ excepit? Non ergo pictores figmento ludunt, nec alieni à ratione conatus proles est, quòd ita pingunt; sed quales Angeli apparuerunt, tales etiam pictis coloribus eos exhibent ac repræsentant. IMPERATOR. Vnde verò etiam alarum illis additamentum accessit? PATRIARCHA. Omnino existimo, ad discretionem, ne penitus homines putarentur, alas addidisse. Quin ne id quidem opinor, minus congruè extraque rationem illos inuenisse; sed vt vim illam, quâ aëra peruolant, eorumque in cælis diuinum conuictum subnotarent, vtque innuerent, quòd inde ad nos iugiter descendant rursumque veloces ascendant in cælum, sic instructos alis pingendos statuisse. Quin etiam cùm Moses quoque alata struxerit Cherubim (quæ ipsa pariter Angeli sunt, cùm cælestes omnes atque intelligentes Virtutes Dionysio auctore vocentur Angeli) non absone puto, affine exemplum vsurpasse pictores. B Nunc itaque Imperator, horum meminisse oportet, atque animo firmiter retinere, nobis qui Angelorum imagines pingimus, creaturam esse quod coloribus atque penicillo effingimus, & sic ipsos adire me, non tamquàm supremam primamque essentiam suo iure obtineant (absit enim vt eò dementiæ ferar, & quod creatum est, Deum censeam) sed velut qui conserui magnâ apud communem Dominum virtutis abundantiâ & suffragij polleant potestate.

cum alis, more Cherubinorũ apud Moysen.

CAPVT IX.

S. Nicephori & aliorum Episcoporum & monachorum cum Imperatore de imaginibus colloquium. Horum exilium.

54 TVm Imperator respondendi inopiâ penè elinguis, vix languidum quid ac stridulum effatus: Atqui, inquit, plurimas Patrum auctoritates nobis offerunt, qui aduersæ sententiæ sunt: placetque actutum ac sine morâ, vt eas coram illis nobisque dissoluatis. Ad hæc diuinus Pater: Diximus iam, sacratissima Maiestas, iterumque dicimus, nos, quibus curæ sit vestra salus, tum Scripturæ tum Patrum loca, Deo auspice atque adiutore soluturos; C haud tamen commissuros, vt cum ijs conferamus sermonem, qui ab Ecclesiâ sese eijcientes, diro anathemati fecerunt obnoxios. Nec enim ita comparati sumus, vt demi aliquid aut moueri ex ijs, quæ canonicè decreta atque sancita sunt, permittamus. Sin autem perspicuè libet cognoscere, non solum tantum nos eum in modum sensisse, nec solos iam in sermonis arenam procurrere, sed copiosum atque præstantem *a* Episcoporum ac monachorum cateruam nobiscum in rectæ confessionis viâ firmo gradu consistere; en adstant hi ad aulæ fores: quos si adesse annueritis, ex ipsorum quoque ore intelligetis, nihil eos à nostro distare sensu.

Renuit cum impijs iconoclastis agere:

a alios Patres eiusdem fidei testes offert:

55 Annuit itaque vt ingrederentur, vnàq; *b* Nobilium ac Procerum turbam, strictis quibus accincti erant gladijs, vt cuiusque ferebat ordo, adesse iubet: ratus scilicet inisei futurum, vt imperterritum eorum manu militari euerteret. Subit ergo *c* sacer Ecclesiæ cœtus aureis laquearibus fulta palatia, tantâ gestiens alacritate, quantam nemo verbis explicare sat possit: oblataque fandi libertate, tamquàm diuino aculeo incitatus festinè locum tenuit, quo Tyrannus consederat, vtque Pastorum *d* Principem clariùs quodammodò respondentem audiret ac syllogysmo ceu immaturioris ætatis puerum, tyrannum verberaret, assumpto etiam ipsi ad loquendum robore, omnem à se terrorem atque ignauiam abiecerunt.

b qui introducti inter strictos armatorum gladios,

D 56 Ad quos *e* toruo aspectu, vir scilicet leoninæ furoris, Neque vos, inquit, neque vllos alios, vt videtis latet, à Deo nos constitutos, vt in celeberrimo hoc atq; rationali grege sequestri ac mediatoris fungamur partibus, qui nimirùm omni studio propensioribusq; animis satagimus, vt omnis in eo nata offensio auferatur. Quia ergo etiamnum non desunt, qui de imaginum veritate deque earum adoratione disputant, ac Scripturæ locos plurimos his aduersantes producunt, necesse omnino est, vt ij soluantur; vt nempe id, quod impensè satagimus (satagimus autem, vt probe nostis, vt pax inter omnes & vnius sensus concordia coalescat) optato exitu compleatur. His ergo, quorum animos dubitatio pulsat, ob quam propositiones contrarias inducunt, necesse est vt conclusionem vestram probetis, eorumque obiectiones dissoluatis. De his namque etiam ante cum Præsule hîc præsente sermonem contulimus; & nunc nobis pariter in vnum coactis, necesse est vt quæ sunt proposita citius soluatis: ne longè cunctatio vobis in silentij crimen vertatur, E & iussioni nostræ morem non gerere malè cedat. Tum verò optimi Pastorum Principis assoclæ ac Compastores boni aduersùs Leonem, ferino dignum nomine & lupino sensu instructum, diuinorum eloquiorum pharetram depromentes, inque eâ reposita coargutionum tela succedaneis vicibus effundentes, vnam toti corpori plagam intulerunt. Ac ne singulis *f* per id tempus dicta minutiùs referentes, tædio simus; vnam ex omnibus vniuersim componemus vocem, ejusdemodi ferè tenore.

d Animantur S. Nicephori libertate & constantiâ:

e iussi ab Imperatore de venerandis imaginibus disserere,

f generosè respondent,

57 Quòd quidem, Imperator, quibus indicijs nescimus, constituti sitis vt in Christi maximo grege sequestri partes ac mediatoris agatis, neque nos neque alios latet vllos, vti ipse loqueris. Quòd verò sequestrum agis, in aduersam ipso statim initio partem propendentem instruxeris, nemo nescit qui rectè iudicare norit. Ille namque *g* sequester est ac mediator, non qui hac, illacue perperàm trahit, atque ad gratiam parti alteri momentum tribuit, sed qui ex æquo vtrisque consulit. Si ergò ita animo affectus es, vt orta in Ecclesiâ scandala velis soluere atque extinguere, cur non etiam in omnes pariter æquilibrem lancem ostendisti? Cunctis namque palàm conspicuum est, eos quidem, qui recto dogmati student persecutionem pati, parique nefarijs viris atque patibularijs aleæ subijci; eos verò, qui secùs sentiunt, F vobis in delicijs esse, omnique curâ ac benignitate foueri. Numquid non hi quidem instructas auratis laquearibus domos habitant; nos autem carcerum angustiæ in arctũ cogunt? Nonne his Regiæ magnificentiæ addicta fercula; nos autem fames premit impletque satietas egestatis? nonne his concessum vt quos libuerit scrutentur libros; in ius autem ac crimen vocatur, quisquis librorum nobis copiam fecerit? Quænam rebus ita constitutis mediationis aut conciliationis species agnoscitur? Quænam viget æquitas, in neutram inflexa partem? Quæ mentis constantia, æquali vtrosque lance librans, neutris malè fauentem conscientiam seruans? Hæc itaque cum videamus, quàmque propenso in aduersarios animo eorum rebus studeatis ipsi nobiscum reputantes; certique futurum vt à primo congressu statim damnemur exilio, venerandam Ecclesiæ Catholicæ fidem silentio colimus, ne blasphemiæ cœno irretiamur, neue sermonibus insatiabili petulantiâ Christi dispensationem eiusque in carne mysterium exagitantibus, polluamur. Nam quæso, quis sanæ mentis vobis in orbis vniuersi subuersione socium se præbet? Ab ortu enim solis ad

g Imperatoris animum malevolè parti nimium adhærere:

Gades

Gades vsque & Herculeas columnas obtinet sacrarum imaginum veneratio atque religio; quam non noua quædam doctrina, vniusque diei, vt aiunt, inuentum, sed Christi ad homines aduentus noscitur inuexisse. Super hoc itaque fundamentum Prophetas, Apostolos atque Doctores nouimus superædificare; Imperatores verò ac Reges his credere debere, & quæ illorum fuerint firmata iudicio, amplecti atque indubitata habere; non verò sancire leges Ecclesiæ nedum subreptitia decreta eidem obtrudere, vimque illis ac robur violenter præstare. Hæc quæ dicimus vera esse, penès Auditorum conscientiam iudiciũ esto. In tremendo namque ac omnino inerrupto iudicio veritas suos laudatores coronatura, eos, qui nunc piæ doctrinæ aduersantur, in mendacij probrum reijciet atque repellet.

... imaginum ... vniuersalem ... religionem. *nullum dogmatis firmandi Regum auctoritatem esse.*

58 His itaque alijsque plurimis in quemdam animi stuporem actus Leo, velut surdus auribus admirabilium Procerum voce insonante effectus, vt læsæ maiestatis suæ citra spem veniæ reos habuit, & velut manifestissimæ calumniæ contra se instructæ conuictos; sui autem factus desertor sermonis, victoriâ cecidisse se liquidò est professus. Non enim erat vnus ex omnibus, qui manum illi victus porrigeret: ipse autem nec respicere in eos audebat, neque hiscere, vt quæ dicta fuerant, confutaret. Idque iure maximo; arrogantia enim si vel modicum quid potestatis nacta quemcumque occupauerit, furiosum omnino ac dementem reddit. Ad hæc causâ in examen vocatâ, illæse penitus casurum nouerat: iam enim ipse quoque inuictam veritatem, ac planè insuperabilem esse vel inuitus compererat. Quamobrem nugas quasdam, quæ nihil è re essent, præclaris illis æmulatoribus in ruinam impellendis congerens, vbi suam ipse cladem resarcire nequiuit, minis incussis, eos vnà cum sacrorum Antistite, palàm ab aulâ expulit. O viri in deterius propensum animum! ô casum horribilem ab eo quod præstantius erat *h*! Ex eo namque vulpinâ positâ Leoninam, vt est in prouerbio, induit aduersus Ecclesiam, palamque instructâ acie illius impugnatoribus socius accessit: imprimis autem fortissimos pugiles exilio non multos relegans, alios alijs locis addixit procul ab Ecclesiæ atrijs remotos: fore enim arbitrabatur, vt post hæc verbo suo deiectum Patriarcham, hæreticæ prauitatis cassibus caperet; sin autem, vt se ille sponte Sacerdotij præfecturâ abdicaret, cui è sacro illo Choro nemo adiutor suppeteret. Solus itaque temporis labores ferens, in supernum auxilium animo erat intentus, orabatque vt desolato sibi & consilij inopi piâ benignitate opitularetur Deus.

ab Imperatore deuicto *aula arcentur.* *exilio relegantur defensores S. Nicephori.*

a [illegible] ad 8 Martij, vti ad eum diem diximus, ... S. Theophylactum Episcopum Nicomediensem, ... de hoc ... habemus: S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus lectissimum quemque Episcopum ad se euocauit, Æmilianum Cyzicensem, Euthymium Sardium, Iosephum Thessalonicensem, Michaelem Synadensem, Eudoxium Amoriensem, & Theophylactum Nicomediensem, aliosque multos, qui omnes Imperatorem conuenerunt, & multa illi ex oraculis sacrarum litterarum salutaria propinarunt. *De S. Euthymio egimus 11 Martij, ac tum quæ ille, vti die 8 quæ S. Theophylactus præclarè perorarunt, retulimus. Coluntur ex alijs Æmilianus 8 Augusti, Iosephus 15 Iulij, Michaël 23 Maij. In Vitâ S. Nicetæ ... Iosepho & Eudoxio, ... Petrus Episcopus Nicænus, & S. Theodorus Præpositus Studitarum. Colitur hic 12 Nouembris.*

b *In Vitâ S. Nicetæ*: Aderant & Imperatores Optimates & totus Senatus. *In Vitâ S. Nicolai Studitæ, dicitur* circumquaque stipante milite Imperatorem congregasse turbam Sacerdotum & monachorum.

c *In eadem Vita S. Nicetæ*: Itaque ante illum *Imperatorem* stetit Patrum cœtus, lectissimorum hominum ac sanctorum, qui Angelis similes erant ac diuini.

d *In eadem Vita*: Sanctissimus Nicephorus eos, qui gradus dignitate præstantes erant, affatus: Agite, inquit, dicite mihi: Potestne id cadere, quod non est? At illi cùm ad eius interrogationis obscuritatem ambigerent, & nihil respondereat, sed se vicissim intuerentur; rursus Patriarcha ab eis quæsiuit, num Leonis & Constantini Isaurorum tempore sanctæ imagines cecidissent. Illi verò cùm capita deorsum inclinassent, & nutu verum esse quod Patriarcha quæsierat, significassent; quod satis erat ad eorum, quæ priuatè dixerant, propositum confirmandum. Tunc Patriarcha: Quomodò, inquit, quod non stat, potest cadere? Ad hæc nihil respondit Imperator, sed ad Patres conuersus ait: Scitote Patres, me idem sentire, quod vos: simulque effigiem quamdam, quam in sinu gestabat, extulit, & per simulationem illam adorans: Sentio, inquit, quod vos, vt videtis, neque à vobis dissideo. *Sed hæc in colloquio ante Natiuitatem Christi videlicet anno 814 exeunte peracta leguntur in Appendice Theophanis quando &* in Natalitijs Ecclesiam ingressus, coram altari ex Imperatorum consuetudine stetit, & Corporale sacrâ Domini nostri Iesu Christi natiuitate in eo depictâ insigne adorauit & osculatus est. *Verùm* Luminum festo ingressus non adorauit: primumque illud simulanter, haud verè, exhibitum cognouerunt: peractisque proinde Festorum solennijs, cœpit aggredi velut Pharao Israelem &c. *Annus iam cœperat* 815.

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR. *colloquium cum Imperatore.*

e *In Vita S. Nicolai Studitæ*: Arroganti ac fremebundo sensu, quòd per errorem in venerabilium imaginum restitutionem consensissent, aduersùs magnum Pontificem sociosque velut pro concione orabat.

f *Singulorum sententiæ proferuntur in Vitâ S. Nicetæ, aliqua attinguntur à Leone Grammatico.*

g *Annotarat hîc Combefis*, Sequestri nomen malè vsurpatum à Leone, qui recti dogmatis sit persecutor.

h *In Vitâ S. Nicetæ*: Tunc Imperator furore admodum exardescens, & quod rectè dictum fuerat, velut iniuriosum quiddam accipiens, omnes eiecit. *In Vita S. Nicolai Studitæ*: Tunc videns, vt ij Spiritus gladio nugarum eius garrulitatem variè mediam secarent, eâ re miser in furorem actus, omnes ad vnum, multâ irâ exæstuans, regiâ expellit, ac quamprimùm singulis locum exilij sancit.

exilium indictum.

CAPVT X

S. Nicephori in captiuitate & morbo constantia: Epistolæ scriptæ: reiectæ Conciliabuli minæ: anathema illis illatum, & in eum reiectum.

59 Videns autem sacratissimus Antistes, Leonem verâ fide eiuratâ, in Deum iam peruicaci esse animo, illius vxori scribit, deque rectâ Christianorum religione ac fide admonens hortatur, vt Imperatori viroque suadeat, vt se à nequissimâ illâ aggressione abstineat. Scribit & ærarij publici tum temporis Præfecto, quo familiariter vtebatur Imperator propter dicendi libertatem, & quòd in eâdem sententiâ esset; ne quid aduersùs Ecclesiam moliatur, neue illam, iam in pace ac rerum tranquillo statu agentem, nouâ turbatione commoueat: sed potius flammam sopiat, quam succenderunt æterno digni supplicio homines, & feros Imperatoris mores deliniat. Illi deniq; qui primi à Secretis Imperatoris munere fungens, Eutychianus nomine, hæreticorum fouebat partes, & rectæ fidei eloquia deprauabat, disertè scripsit quòd nisi vias Domini rectas cessaret peruertere, Elymæ magi vestigia terens, inspectore Deo atq; vltore daturus esset pœnas, quibus eum amara vitæ necessitas dirè cruciaret. Hic verò monentem visus spernere, minarum recepit vicem: quidquid enim exinde misero vitæ reliquum fuit, continuos ei dolores ingerens, spirans cadauer ad mortis quotidiè sistebat auram. Ita nempe Deus eos curare nouit, qui pro amanuensis ac scribæ munere falsa subscribentes, insanabilem penè ægritudinem inducunt Ecclesiæ.

S. Nicephorus scribit Imperatrici, Præfecto ærarij, & scribæ: *Actor. 13:11* *prædicens vltionem diuinam,* *mox factam:*

60 At Leo prædicandi in Ecclesiâ munus & sacrorum vasorum donaria, viro cuidam Patritio committit, curâ eorum omni Antistitem excludens: nihil enim contentione factus remissior, omnem, quod aiunt, mouebat lapidem, vt illud Ecclesiæ sustentaculum conuelleret. Quàm libens hîc laxata oratio, quò vlterius

munere concionandi & cura vasorum sacrorum spoliatur.

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

A vlterius procedere possit non inueniens silentij cubile sibi sterneret, & beati viri morbum relatura, ipsa suam prius ægritudinem proderet. Lectulo igitur decumbebat difficulter respirans, & cùm humoris influxus quidam corpus incesseret a deplorato ferè morbo conflictabatur. Nihil tamen æquè virum iustum excruciabat, quàm quòd inimici aduersùs Ecclesiam conspirationem conflauerant. Nam illam quidem aduersæ valetudinis pugnam solus ipse sustinebat: hac autem ipse vniuersus Ecclesiæ cœtus in periculum longè maximum erat adductus.

a graui morbo decumbit:

iterum ad disputandum prouocatus,

61 Tumebat autem Ecclesiæ aduersans infensumque concilium, & mendacij pinguedine benè fartum, in publicam lucem quærebat erumpere. Iterum ergo auctores fiunt Imperatori, leui scilicet homini, quique omni prauæ doctrinæ ferretur vento, vt Doctorem in disputationis arenam cogat. Mittit itaque Theophanem Augustæ fratrem, eumdemque Regij census portitorem, vt in coniuratorum cædem spirantium conuentum pertraheret Præsulem. Ad quem Antistes, ijsdem ipsis, quæ superiùs sunt delibata, excusando se vsus, ad quæ nunc etiam morbus accedebat, negauit affuturum se vt cum profanis disputatione congrediatur: Non enim, inquit, Pastor ouibus destitutus aduersùs lupos dimicat, nec suam dumtaxat salutem quærens, cum bestijs depugnare festinat: sed vbi tuto loco, extraque periculi aleam in caulâ gregem suum conclusit, & timorem vbi non est timor longè depulit, ad luporum se venationem accingit. Quâ igitur ratione, cùm meas mihi oues abstuleritis, & procul à veris pascuis abegeritis, nunc prouocatis, vt aduersùs vos tamquàm diras bestias pugnam ineam? Non hoc muneri congruit pastorali; sed si vultis periculum facere vestrorum figmentorum (reuerà enim figmenta sunt, quæcumque in nos semper obiecta intorquetis, & planè eiusmodi vt nullâ veritate nitantur) permittite vt quisque ex animi sui sententiâ feratur, suæque sit voluntatis arbiter. Pateant carceres: postliminiò redeant, qui graui macerantur exilio: aperiantur altâ defossa humo vestra illa baratra, ac producantur viri fame confecti, tactique sitis ludibrio, viri scilicet quorum nox quotidie illuminatio in delicijs eorum, vt cecinit beatus Psaltes: cessent b verbera, quibus Deo afflatorum hominum corpora vapulant. Atque adeò dum hæc fiant, cunctisque liberum permittatis suffragium, neque violentiæ concedatis, vt suas partes agat, tunc palàm proditis Ecclesiæ hostibus eisque, qui nullum vel exile Sacerdotij vestigium afferunt, ac proinde Ecclesiasticis disputationibus interesse non possunt, cum ceteris (si quis, quod absit, reliquus erit) compendi sermonis causâ eloquentes congrediemur. Neque enim fas est vt cum profanis committamus, vt sacra disquirenda colloquium ineamus. Dicant enim, qui olim silentio damnati atque suppressi Constantini decreta sectantur, quis sacram illis dignitatem imposuerit? ostendant cuius ordinatione, quam quidem agnoscant leges Ecclesiasticæ, in Sacerdotum gradum ascenderint. Omnis itaque Ecclesiasticus Ordo indignos eos esse testetur, quis eos in Ecclesiâ loqui sustineat? Hæc ijs, qui te miserunt, renuntia: qui si nostris sermonibus obsequi videntur, en tempus ac locum disputationi congruum præstituimus: & quidem par edendæ confessionis habendique colloquij tempus erit, vbi Deo benè propitio tantisper morbus interquieuerit, vitaque illius munere superstes fuerit: locus verò verbi diuini, famosa ac celeberrima basilica; in quâ præsidens Deus, quæ spectant ad fidem Catholicam distinctè subtiliterque decernet, & quàm iustissimè explanabit.

B petit gregem antè restitui,

Episcopos è carcere & vinculis liberari,

Psal. 138. 11.

C eijci profanos, & ineptè ordinatos:

tum addicit colloquium, morbo residente,

Ac solum in templo.

62 Porrò vbi nuntius verba hæc, eius, qui ipsum miserat, auribus insonuit, & is cuncta ad illos retulit qui contrariæ erant opinionis, mutos omnino & voce destitutos reddidit; grauique cordis dolore affecit, vt qui prorsus impossibilia ipsis proponeret & quæ præstare nullatenus valerent. Quamobrem ipsi coacto inter se concilio, aduersùs Ecclesiæ firmissimum murum coram Imperatore hæc verba despuunt. Haudquaquàm fieri potest, dum res ita transigatur, vt quæ Maiestati tuæ visa sunt, ac præsenti decreta Synodo, prosperum exitum obtineant. Si enim vnicuique tempus detur pro animi sententia se vertendi quò velit, & ijs, qui exilio damnati sunt, obtingat reuertendi facultas, & propriæ voluntatis, nullâ vi subeunte, arbiter quiuis fiat, nudi forsan ac soli relinquemur; futurum est enim, vt omnes illum sponte suâ propensè sequantur, & res nostræ omni destitutæ ope iaceant; idcò quòd cum Proceribus nostris in disputationis arenâ descendere renuat, quo faciliùs grauiùs nos damno afficiat. Satis ergo est quòd hucusque obsecrauimus; iam enim tertiò eum hortati sumus, nec ille temeritati suæ obsecutus, vt sibi suaderi sineret, induxit in animum. Quare Synodali, si placet, auctoritate vsi, quæ peruicacibus denuntiari solent, hæc ei scripto nota faciamus, vt compareat nempe, & de quibus aduersùs eum Synodus querelam mouet, satisfaciat. Scribunt ergo vilem ac clandestinum tomum ad Ecclesiæ Præsulem, eoque iubent vt illis se sistat, qui Ordinibus initiari non erant, & eorum, quæ ipsi voluerunt, reddat rationem. Hunc libellum quibusdam Episcopis, Clericisque, qui verè nullo clericali charactere, aut episcopali infulâ donati erant, committentes, destinant ad rectæ fidei lucidissimam facem, cum tumultuariæ ac circumforaneæ multitudinis turba, quæ ipsorum dementiæ particeps se eis adiunxerat. Vbi autem pro Episcopalis tabernaculi foribus astiterunt, & aduentus illorum durissimus nuntius magni Pontificis aures pulsauit, cum etiam ipsum male sentientium aspectum ægrè ferret (eiusmodi enim sunt puræ mentes, vt quidquid alienum à veritate est, id planè molestum, ac iniquum) decreuerat animo prorsus eos non alloqui. Cogente tamen Patricio, cui custodia eius commissa erat, ne sic missi re infectâ reuerterentur, serò & vix tandem ingredi illos permisit.

D à malorum conciliabulo,

a reiecta his conditionibus,

E missis cum scripto libello

persuadente carceris Præfecto,

63 Ingressus autem, ne morbi quidem molestia miseris homunculis pudorem iniecit, quin insolitâ improbitate vsi, quæ infami illo tomo exarata erant, cum quadam commiserationis specie loqui se fingerent. Acceptis, aiunt, aduersùs te libellis Synodus, vt obiecta dissoluas, omni tergiuersatione semotâ adesse te, & clarè respondere iubet. Quapropter priusquàm Condemnationis districtio, depositionis te pœnæ subijciat, tuam è Synodi atque Imperatoris sententiâ sententiam muta, vt idem nobiscum sentias atque doceas; euertendas nimirùm esse imagines & simulacra, earumque vsum abolendum: sic namque impositum per libellos crimen licebit depellere. Sin autem contentiosiùs renuis contraria sentiens, accusantium appellationi palàm eris obnoxius, quàm fieri nequit vt amoliaris; nisi te coràm sistas, ac de obiectis iudiceris. Hæc lupi pastorum habitu, Pastorum Principi inconcinnè locuti, & ludicra quædam dentibus infurrantes (non enim poterant purissimæ illi menti ex aduerso liberis oculis obniti, aut ei palàm loqui) silentio obtegebant suæ confusionis probrum, & obturatas continebant aures; etsi alioqui intentissimos illos mellifluæ linguæ illius responsa audiendi cupido incessisset.

ad pseudo-Synodum citatur

F nisi hæresi consentiat,

minis terretur.

64 At Sanctus, quamquàm ægritudinis vi attritus, obiecta occupauit & in hunc ferè modum arguit: Quisnam verò est qui nobis libellos intendens actoris in nos partes suscipit? Cuiusnam Ecclesiæ, quæ Patriarchali dignitate fulgeat, Præsulem se esse gloriatur? Quâ susceptâ pastorali curâ, canonicis nos pœnis subijcit? Si is appellet, qui Senioris Romæ gubernacula sanctè moderatur, præsto sum; si Alexandrinus Antistes Marci Euangelistæ successor accuset, quin

tribunal illegitimum ostendit:

A quin promptè sequar, nihil detrecto; si Antiochenus sacer Pastor in iudicium trahit, vadimonium non desero; si denique, qui Hierosolymorum sedem administrat, ad ius dicendum adesse præcipit, caussæ meę deesse non videbor. Sin autem lupi immanes, quorum animis constitutum sit turbare gregem sub ouinâ pelle & suo insultare Pastori, quis in conspectum etiam illorum venire sustineat? Ceterùm fingite me, iuxta ea quæ nugamini nulloque sensu deblateratis, in Imperatoris vestramque sententiam manibus pedibusque concedere: quæ ratio est, quâ obiectorum nobis libellorum crimen depulsuri sumus? quis nobis gradus decernetur, qui vestrâ sententiâ rei atque obnoxij existimus? Quis enim, quis ille est potestatis tantæ, vt intra diei vnius angustias depositum ac ne in infimo quidem gradu valentem consistere, extollat in supremum? Num rudes adeò nos atque imperitos existimatis, vt diuina iura non simus scrutati? Eam sanè notam nefas est ijs asscribere, qui Sacerdotij infulis fulgent. Nempe ad spernēda iura procliuis semper impietas est, inque vnam comparata transgressionem, quâ sibi obsequentes in inferni laqueum B & barathrum pertrahat. Discedite ergo à nobis operarij iniquitatis; ad proprium redite vomitum, latrocinij vestri specus lustraque repetite. Nec enim futurum est, vt eos expugnetis, qui in rectæ confessionis petrâ animum firmauerunt, aut vt eos prosternatis, qui in celsâ Synodalium definitionum speculâ tutò constiterunt; sed in vobis ipsis tumentes hæresis fluctus confringentur, nullumque ex tetrâ illusione Ecclesiæ Catholicæ discrimen inferent.

Depositâ Sede restituenda promissione non mouetur.

65 Hæc vir beatus ad homines omni sano destitutos sensu & proceres dementiâ plenos prolocutus, sequentia quoque adiungit prioribus: Tametsi, inquit, nostra hæc Sedes Pastore viduata sic esset, vt nullus ei curam impenderet: tamen ne sic quidem vlli liceret docere fallaciam specie quadam vanâ placentem, siue conuentum contra canonum pręscripta cogere, atque ex alienâ prouinciâ venientem nihil ad se spectantes terminos iuris dicendi caussâ inuadere: Cùm verò Pastoris sui adhuc præsentiâ glorietur, nec desit, qui vtiliter illi legitimeque præsideat; quæ vos ratio à canonicæ districtionis seueritate eximat, qui super aurum & argentum, superque lapides pretiosos, super, fundamentum, inquam, Apostolorum Patrumque eloquijs variè exornatum, lignum, fœnum, stipulam peruersæ fidei superextruere tentatis: vt vel ideò solùm par videatur iuxta sacros canones violati ipsorum iuris reos vos peragi, qui contra adeò claras ac manifestas pugnatis & insanitis leges, congruè omninò æterC nis vinculis subijciendi. Prælecto igitur ijs Canone, ac depositionis promulgatâ sententiâ, iubet eos septo diuino excedere. Illi porrò tamquàm flagro abacti, atroque mœrore ac furore perciti, adiunctâ sibi petulantium hominum & circumforaneorum catervâ, ipsum pariter ac c Tarasium, firmissimas Ecclesiæ columnas, anathemate feriunt: atque ita impurissimi homines publicè turpitudinem iactantes suam, redire festinant ad Imperatorem cùm ijs conuitijs, quibus Sanctos compluerant, & coram ipso vulgique hæretici impurâ turbâ minas crepando, referunt omnia quę audiuerant feceranque.

Incompositos hosce excommunicatos declarant.

ab ipsis cum S. Tarasio diris deuouetur.

a Appendix Theophanis: Hæc dum gererentur, in infirmitatem decidit Patriarcha, adeò vt diebus paucis salus eius à medicis desperaretur: cuius Imperator certior factus de vi factâ nonnihil remisit: eo mortuo cuncta pro voluntate facilius executurum cogitans.

b *De cruciatibus & verberibus in carcere inflictis agitur in Vitâ S. Nicolai Studita cap. 4 vbi varia ex Vitâ S. Theodori Studitæ annotauimus.*

c *In Appendice Theophanis additur* S. Germanus Patriartha, qui Leoni Isaurico restiterat. *Colitur 12 Maij.*

CAPVT XI

Periculum necis S. Nicephoro inferendæ. Vltima in templo valedictio. Exilium.

66 EX canonicâ igitur districtione sese damnatos sentientes, & sacri illius animi inflexibili constantiâ ex falsis nuntijs suis liquidò cognitâ, audaciam tantisper remiserunt; vltroque ne cum illo in colloquium venirent decernentes, ad aliud deuium conuerterunt se, & Sanctum vi deponendum susurrabant, vel etiam ex insidijs occultè tollendum. Ac fortè, nisi è Clero aliquis rectæ fidei addictior, quas verâ auditione deprehenderat structas ei insidias palàm detexisset, tragicæ lamentationes de eo in chartâ modò exaratæ exstarent. Vbi autem ne hæc quidem stropha ex voto cesserat homicidis (diuina enim protectio ac cura Dei famulo præsidio erat) contenderunt illatâ vi Sede suâ deijcere & deponere Sanctum, omni contentione contra eum certantes, comminantes necem & verbera, & quidquid dirum est, si quis subministraret aliquid, quod eius leuandæ imbecillitati conferret; eum denique, quamuis nullam ipsis occasionem daret, externo omni priuantes ornatu, etiam memoriæ in conuentibus sacris per leges faciendæ honore spoliarunt. Sic namque larua illa (absit enim vt Imperatoris Regisque nomen obtineat) furore Iudaico percitus, ijs, qui sacerdotali dignitate fulgebant, comminatus erat, vt si quis eum Pontificem aut Episcopum palàm vocaret, extra Synagogam fieret.

Subiacet periculo necis

Pontifex aut Episcopus amplius appellari prohibetur. E

67 In solâ igitur spe deinceps fundatus, & sicut diuinissimus Dauid in tribulationibus dilatatus, vnum hoc vt ferret adduci non poterat, quòd Christi gregem, summo Pastore abiecto, lupis expositum prædamque factam videret. Quid ergo per vestram ipsorum salutem agendum, quid præstandum erat? Quamdiu multitudini periculorum innatandum sic vt non mergeretur, non cederet nequitiæ temporis non peiori potestati, eamque sequentibus locum daret? Quomodò cauere poterat vt non laberentur in peccatum, quod aduersus ipsum patrabant? Nam ne eos quidem à suâ abdicabat curâ, qui lacessebant iniurijs eumque persequebantur, pietate Christi discipulum imitans. Non sic autem illi, quorum vnum hoc studium erat atque opera, vt beneficijs solis certare studentem, insidijs appeterent. Nec enim inania in eum meditari, mortesque intentare desierunt prius quàm extra portam (ecclesiam scilicet) eiectum occiderent, iuxta Domini parabolam illam vnanimiter dicentes: Venite, occidamus eum, & possideamus hæreditatem eius. Cùm itaque illuminatissimæ mentis radio, cui Prophetici aliquid afflatus inesset ad anteriora prospicienda, illorum ad scelus excæcatum atque in cædem incitatum deprehenderet animum, in hæc verba Imperatori scribit.

Psal. 4. 1. & 2

solicitus pro suis subditis

& saluti quærentibus necem.

F

Matth. 21. 38

scribit Imperatori,

68 Exposcit tempus, vt humilitas nostra, quæ in hanc necessitatem atque inualetudinem deuenit, ad iusti tenacem Maiestatem vestram hęc referat. Hactenùs pro virili nostrâ facultate tuendæ veritatis ac pietatis caussâ decertauimus, neque eorum quæ nostri muneris erant quidquam videmur subtraxisse, procurantes vt neque petentibus defuerit sermonis conferendi facultas, neque doctrina recipientibus. Postquam verò eo nomine tribulationem omnem & angustiam afflictionemque, infamiam, carceres, proscriptiones, famulantium etiam iacturam pertulimus, eò tandem proruperunt quidam, qui se Episcopos dicunt, vt maiorem prioribus contumeliam nobis probraque irrogarent, cum vulgi circumforanei turbâ gladijsque ac lignis instructâ offerentes se nobis.

se pro veritate tuendâ extrema egisse at patiá

Atque

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

A Atque illi quidem, cuiusuis generis conuitia iniuriasque impudenter inuerecundeque in nos iactauerunt; neque Dei timorem concipientes animo, nec vllâ ducti reuerentiâ erga suum quondam Præsulem, eumque extremâ decumbentem valetudine, ac solo languenti spiritu superstitem: turba verò; quæ illos comitabatur, tum me tum decessorem Antistitem, diris deuouit: quod ambobus gloriosum est & decus maximum. Super hæc autem omnia mala certâ cognoui relatione veritatis hostes aduersus nos insidias struere: idque illis constitutum esse, vt vel deponant vel neci tradant violentæ. Ne ergo scelus tantum fiat, inque Maiestatem vestram crimen recidat, cùm maior nulla in nos persecutio excogitari possit; necesse omnino est vt inuiti atque nolentes, velut ab infensis nobis hostibus persecutionem passi, nostrâ migremus sede, diuinis circa nos resque nostras iudicijs & dispositioni acquiescentes, eiusque benignitati agentes gratias.

& ne deteriores fiant,

Sede vt cedat, acquiescere:

69 Hac epistolâ ceu nouissimâ plagâ acceptâ inquinatissimus ille animus, furiosumque aliquid ac Sardonium subridendo immurmerans, illi, quam hactenus ostenderat, violentiæ violentiora adiungit. a Patricio namque, illius carceris quo diuinus Pater tenebatur Præfecto, contraditâ militari manu, mediâ nocte Dominicæ lucis præcepit, vt virum sanctum in exilium deportaret. Cur verò istud? Nempe vt fabula & machinatio præsens ab eâ quæ in Christo antecesserat coniuratione non dissideret: nam & illi noctis beneficio vsi suas in Christum machinas atque insidias instruxerunt; & hi simili noctis fauente silentio, parem boni Pastoris proditionem perpetrasse noscuntur. Ipse porrò horam venisse videns, & cohortem culicum instar ac locustarum salientium sibi ingruentem contuens lumen inferri iussit, ac se lectulo erigens, vnum è domesticis fulciendo sibi operam commodare iubet: vigebat enim adhuc ægritudinis dolor, ac quâ regitur corpus, fatiscebat facultas. Itaq; sinistrâ quidẽ, vti dicebam, imbecillitatem sustentans, dexterâ thuribulum accepit, & sacrarum illarum ædium tecta suaui lustrauit incenso; veniensque in templi maximi exaudibile catechumenium, vbi non rarò supplicationibus in totas productis noctes Deum obsecrare consueuerat, duos b accendit cereos, dimittensque ea omnia, quæ in manibus erant, & cunctis quæ sub adspectum cadunt effectus superior, pronum in terram corpus strauit, rectumque in cælum animum dirigens, ait:

in exilium deportandus:

B

de nocte,

Incensum adolet:

b in templo Sophiæ prostratus orat:

70 Et tu omnem magnitudinem ac naturam superans, summè mirabilium rerum Dominus, imperuestigabilisque sapientiæ, cuius vix tenue quoddam ex his vestigium subobscurè ostendis, inuentor solus, benignissimâ dignatione tuâ ac curâ appare super magnâ ac sublimi mirabilis templi tui structurâ, in quo intemeratorum ac immortalium mysteriorum holocausta suscipiens, peccatorum remissionem his, qui dignè illis impartiendi astiterint, conferre statuisti. Hoc namque omni sorde labeque purissimum tuâ potentissimâ dexterâ nunc quoque protegendum commendo; quod ego munere tuo mihi concreditum, pro virili meâ sanctè conseruans, in veræ Philosophiæ petrâ firmum custodiui; templum scilicet, quod ceu locus ac tabernaculum gloriæ tuæ, pulcherrimum decorem suum seruauit, filios tibi atque hæredes venerabilis lauacri fœcundâ prole plurimos edidit, innumerosque iugi pœnitentiâ misericordissimæ tuæ clementiæ reconciliauit. Tibi, Saluator, quamquam indignis manibus, depositum trado: judiciorum tuorum abysso, quo malueris modò disponenda concedo. Rugit Leo aduersus ædem sanctam, quærens vt rapiat, suisque catulis accommodam faciat habitationem. Non dormitet aduersus effrænem illius audaciam lucidissimus ac insoporabilis oculus tuus. Noscat quem offenderit, ac in quem œstro impotenti bacchatus sit. Pastores in luporum immanitatem conuertit. Ouium faciles animos, vt ijs obsequantur qui bene regunt ac præsunt, in inobedientiæ feritatem compulit. Ab eius errore gregem liberas, qui se illi necdum adiunxit, remissionemque malis obtineat, eruatur à periculis. Dexteræ tuæ possessio est; ne ijs, quæso, cedat in prædâ, qui ipsam quærunt deuorare. Nos autem qui in tua nos iudicia proiecimus, manu ducas ac dirigas quò gubernatrici tuæ prouidentiæ visum fuerit. Vides, Domine, quanta nobis violentia incumbat: ne obsecro à retributione, quæ ex illâ est, nos excludas. Ne velut imperitos minusquè solertes Pastores arguas: vnus enim solusque es, cui vt sapienter omnique prudentiæ laude regat ac pascat, concessum est. Ne pigritiæ damnemur, tamquàm illi dediti vtilia doctrinæ primitiuæ prodiderimus: quantùm enim per facultatem licuit collatâ operâ, hæc quoque tibi, primogenito omnis creaturæ, seruauimus illæsa.

C

templum tot cælestibus dotibus illustre

Deo commendat,

ne cum orthodoxis polluatur ab impijs:

D

se humiliat diuinæ prouidentiæ committit

71 Vale mihi Sophia, verbi diuini durum firmumque perspicuè delubrum; rectæ fidei tibi claustra impono, quæ nullis vnquàm hæreticorum vectibus infrangantur. Tibi sinceræ confessionis sigillo munitæ, Patrum decreta vt concrederem, operæ pretium duxi, quæ nullæ vnquam violauerint hæreticorum techinæ. Vale mihi dilecta Cathedra, quam nisi vi adactus non conscendi, à quâ nunc cedo vi maiori depulsus. Valete Martyrum diuinam virtutem spirantes tumuli, ædesque sacræ, Euangelicis figuris & certaminum, quibus sunt defuncti, historijs exornatæ, in quas insani homines profanas quidem manus inijcient; haud tamen impendentem sibi ab inuictâ Dei manu subterfugient vltionem. Vale & tu Dei magna Ciuitas, ac quotquot in te sanæ orthodoxorum Patrum doctrinæ inhærent, Dei tuisque pennis subiectos, custodi ne qua nequitia inuolet, eosque à tuâ fouentis curâ abducat.

valedicit templo,

E

Cathedræ,

Martyrum tumulis,

Constantinopoli, & orthodoxis,

72 Hunc in modum sacræ precationis holocaustomate oblato, sese c lecticæ efferendum tradit; quò violenti sæuique ductores voluerint trahere, eò, inuitus quamuis, profecturus. Mare verò dorsa explicans in lintre excepit iustum, ad monasterium, quod ipse exstruxerat d Boni nomine, ablegatum. Illic breues moras permissus agere, ab illius violentiæ auctoribus, in monasterium longiùs dissitum & ipsius quoque extructum operâ, magni Martyris Theodori transportari iubetur. Haud enim ferendum putabant vt vicina ipsorum dementiæ loca iustus habitare conspiceretur. Bardan itaque, Leonis consobrinum & familiarissimum ad Nicephorum destinant, qui conscensâ naue ad locum deductus, cùm sedisset in Cathedrâ & magnum Antistitem coram eo sui stetissent satellites, ne minima quidem reuerentiæ signa ad amabilem viri sacri ostendit aduentum; sed prouerbalis illius admonitionis oblitus rationem, quâ sapienter iubemur ad cani capitis conspectum assurgere, velut sedi suæ fixus hærebat. Is porrò elatos iuuenis animos intuens, nihil aliud nisi vnum hoc illi acclamauit. O bone Barda! ex alienis calamitatibus, tuas ipse pro eo ac decet, ferre noueris; eoque dicto se trahentibus, quò vellent, ducere permisit. O perspicacissimam sanctissimæ mentis munditiem? quæ longè essent propè admouentem, ac futura præsentibus connectentem. Haud enim actutum iuuenem vltio attigit, sed e quadriennij ferè spatio subsecuta calamitatem innexit; quam si quis exploratè nosse cupiat, virum adeat; vidensque laborantes oculos, tristem, quo exceptus est, casum palamque deplorandum perspiciet. Verùm hæc satis.

c ablegatur in monasterium Boni.

d

deinde in S. Theodori

F

Bardam irreuerentem corripit,

& futura ei indicat.

e

a *In appendice Theophanis hæc de eius exilio narrantur:* Ceterum Dei manu miraculorum effectrice nonnihil sublenatus est Patriarcha: quod cùm rescisset Chamæleon, quorumdam ope milites in Patriarchium clàm penetrare iussit, &

A & silenter eum abducere: erat porrò ieiuniorum initium. Confertâ itaque multitudine coacti, velut Iudæi in Christum insilientes, cum gladijs & lignis ecclesiæ atrium repleuerunt, clamantes & tumultuosè vociferantes: cœperuntque execrari & diris deuouere sanctâ in memoriâ defunctos Germanum & Tarasium, imò & Nicephorum. Quæ quidem audiens Patriarcha, Deo cum lacrymis gratias egit, quòd pietatis defendendæ caussâ hæc audire mereretur. Confestim conspiranti impetu populus insilijt, vt in Patriarchium ingrederetur. Mox Thomas quidam Patricius, bis Exconsul, qui tunc velut Imperatoris iussu ecclesiam tutandam susceperat, portis Patriarchij occlusis, eos remouit, velut inscio Imperatore istiusmodi facinora molitos. Protinus ad Chamæleontem præfatus vir profectus, inordinatum populi motum denuntiauit. Ille pro solito mendax, nec quidquam scire, nec quemquam à se missum negare. Verum, inquit, necessitate compulsus, & animi mœrore tactus populus, in huiusmodi factum prorupit. Subinfert Thomas: Si eum Iusseris expelli, Domine, non opus multis. Tantum homines duos mitte, aliosque qui efferant: non enim ingrauescente valetudine, à se potest procedere: atque ita discedet. Id ita fecit submissis nocte, qui Patriarcham eijcerent Ecclesiâ. *Incidebat porrò Dominica sexagesima, Græcis Orientalis Ecclesiæ, post quam ieiunium auspicabatur anno 815 in XI Februarij, Cyclo Lunæ 18, Solis 12, litterâ Dominicali G. Interim Theophanes infrà in aliâ Vitâ num. 17 scribit* III Idus Martij in exilium eiectum fuisse: *quod intelligi potest de eiectione quo ipse Constantinopoli discedens discesserat, vt paulò post dicitur.*

Irruptio in patriarchiũ.

b *Vita S. Nicetæ:* Tunc Imperator misit vnum ex Optimatibus, qui tyrannico more ipsum deposuit. Ille verò cùm in magnam ecclesiam descendisset, & cereas faces accendisset, thuraque & preces adhibuisset, cum populus ipse illius peregrinationem lamentaretur, hanc habuit orationem: Filij Christianos vos inueni, Christianos vos relinquo.

B *vltimum in ecclesiâ actus*

c *Appendix Theophanis:* Qui missi fuerant, lecticâ Patriarcham abducentes, medio Milij foro steterunt, vt eum militum quidam occiderent. Erat porrò profunda nox, somnoque cunctis depressis nullus seipsum mouit. Post mediam horam in nullo, quorum erat molimen, proficientes, tulerunt eum inde & in arcem abduxerunt, lintreque impositum, transfretum ad Chrysopolim proiecêre. *In Vitâ S. Nicetæ:* Cumque ad Acropolim descendisset, nauigium conscendit, & venit in eum locum, in quem exul ducebatur.

d *Gyllius lib. 3 Bospori Thracij cap 9 latè disserit* de Chrysopoli & loco appellato Boue, siue Damali, *asseritq;* ex Chalcedone volentibus transire Byzantium, opus esse vt ascendant ad promontorium scrutaricum, olim appellatum Bouem siue Damalim, atque ad portum vsque Chrysopoleos, id quod vt fit hodie, ita olim factitatum fuisse ab ætate Polybij, qui ait: Ex vrbe Chalcedone volentes transire Byzantium, non possunt rectà nauigare, ob intermedium rapidum defluxum Bospori, sed necesse habent iter deflectere prope Bouem & Chrysopolim nauigare. *Et ab hoc loco Boue Bosporum appellari innuit lib. 1. cap. 1.*

locus Bous.

e *Bardæ huius morbum & interitum describit Michaël in Vita S. Theodori Studitæ apud Baronium ad an 820 num. 5 & seqq.*

CAPVT XII

Sub Pseudopatriarchâ Conciliabulum impium. Persecutio grauis. Imagines erasæ.

73 LEo Porrò potiùs ad quærendum lupum quàm Pastorem inueniendum adhibens animum, facili eum negotio reperit: virum *b* scilicet vitæ secularis curas redolentem, & securi militari boum voratori Herculi comparabilem, soli ventri saginando intentum & eduliorum delicias consectantem; regendi autem peritiâ omni destitutum, nec nisi solœcorum ac barbaræ dictionis gnarum artificem. Hunc, vt quæ sunt media missa faciam, vnius lucis labore expoliens erudiensque, Sacerdotalis tremendæque Sedis constituit Præsidem; suæque ipsius supinæ animæ (non enim Christi ouium) barbarus proclamauit Pastorem. Inde ex Episcopis, qui siue pœnis adacti siue etiam sponte in eius concesserant vota, atque ex nouatoribus profanisque magistris Græculorum tumultuario conuentu adunato, Ecclesiæ aduersum in Ecclesiâ *c* concilium cogit: in quo quidquid olim insano studio annotatum congestumq; fuerant, meditati,

a

b *Intruditur Pseudo-Patriarcha.*

c

euomerent & consarcinatam prius in *d* Blachernis Constantini Synodum, subsidio assumentes, hanc illius confirmationem appellarunt, atque id perquàm meritò: cùm enim eam ex Patrum suffragio omne robur deficeret, neque, vt lex Ecclesiastica cauet, Apostolicarum Sedium Antistites vllos consentientes haberet, ex sui similibus sua confirmabat, ac mendacio conabatur veritati imponere. His primâ pestilentis suæ sessionis die sancitis, conuentus solutus est. Sequenti autem in vnum confluentes, occeperunt falsa dogmata sua exponere, quę etiam palàm prodiderunt sæuitiam præfractæ suæ malitiæ. Quæso autem crudelitatis eorum enormitatem attendite.

d *cogitur nouum conciliabulum,*

74 Cùm rectę confessionis Episcopos quosdam delegissent, quos à primâ statim congressione subactum iri existimabant; sacris illorum vestibus in minutos pannos conscissis, eos pro maioris ecclesiæ foribus tentos, velut vinctos stare præcipiunt, multaque ad eos imperitè loquentes, ac ranarum more nihil cohærentia atque distincta tumultuariè effutientes, per medium eos consessum trahi iubent. His verò ad nequitiæ Præsides propiùs accedentibus clamore sublato imperant gradum sistere, perspectâque in ijs obfirmati animi constantiâ, quàm nulla iniuriarum vis posset conuellere (duris enim petris, altâque radice fixis quercubus similes enitebant) huiuscemodi puerilibus & futilibus verbis eos aggrediuntur: Quamdiu vos inobedientiâ nitentes, veritatis bonum renuitis cernere, rectique sermonis honestatem recusatis nosse? Nunc ergo, abiectâ duritiâ cordis, ad nos sanctamque nostram Synodum propensi accedite, nec vestræ Sedis ac dignitatis ius animi leuitate & contentionis studio prodite.

Episcopi Catholici malè habentur,

trahuntur,

E *increpantur:*

75 Ast illi, quamquàm reorum loco habebantur omniumque in se oblatrantium impetebantur maledictis, omni tamen vexatione iniuriâque spretâ, ita propemodùm responderunt: In eo quod vobis inobedientes simus, propensum animum nostrum lucu lenter monstramus ad obediendum veritati; vobis enim obsequi idem est quod longè à veritate abduci, atque ab omni cum Deo coniunctione alienos effici. Vestræ autem Synodo assensum præbere, quamdiu illa à sacrarum Synodorum formâ & perfectione destituta permanet, & sacram Christi ac Sanctorum eius imaginem probro afficit, omnesque eidem quacumque ratione adhærentes anathemati addicit, interdictum est nobis & cunctis eamdem nobiscum fidem tenentibus. Quotquot enim Catholicarum Synodorũ regulas ac decreta, quæ mutari non possunt nec violari, sequimur, sacrisque diuinorum Patrum propositionibus ac conclusionibus firmiter nitimur, venerabiles imagines recipimus & amplexamur; & deuouemus aliter sentientes: vesanæ autem coitionis vestræ terminos propositionesque, & quas velut Geometricâ euidentiâ clariores iactatis conclusiones, magno supercilio efferentes doctrinam à traditione Ecclesiasticâ alienam, confutamus. Habet namque illa terminorum loco, iniurias; Propositionum, quamdam earumdem constructionem; Conclusionum, minas. Quæ si in noui syllogismi assumptiones vertantur, iam non minas inferent, sed insidias, atque hisce consectanea. Contritioni enim præit iniuria, quam vbi cum contritione intuleritis, etiam quæ sunt reliqua Deo opitulante quærere constituimus.

constanter profitentur o-rthodoxam fidem,

& cultum imaginum,

F

respuunt pseudosynodum:

76 Sic isti serpentinâ prudentiâ instructi, in insipientium choro medio disertè pronuntiantes steterunt; Illi verò haud secùs ac malignantium contra Stephanum Protomartyrem coactum concilium, continuerũt aures suas, & antequàm in Sanctos irruerent, ab ipsâ vulgi fæce eorum ceruices *e* calcari iubent. Hanc itaque, velut in scenâ, scenici atque fanatici homines cùm ludissent fabulam, humistratos iubent surgere,

proculcati abducuntur.

e

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR.

A gere, & quà venerant postliminio redire; vt porcorum instar abigi viderentur pugnis in genas incussis totoq; corpore calcibus cóquassati. Hac perturbatâ profanâq; sęuitiâ in Sãctos debacchati cùm essent & eos iam hora ad mensam vocaret, floridi eloquij Clericus, Sodalium nomine Imperatorem allocutus, laudauit. Itaque rectæ fidei Præsidibus, anathemate vt quidem videbatur, ad extremum deuotis, soluerunt conuentum. *anathemate feriuntur:*

77 Quia verò insanum furorem suum in Ecclesiam expleuerant, regulam componunt ac definitionem à veritatis terminis longè remotissimam: cui vt subscriberet Imperator, pium esse monebant. Is porrò (erat enim, si quis alius in caussâ religionis versatilis animi) morem ijs gesturus indici rursus Conuentum iubet: in quo cùm sedem, velut in quodam ambone sublimi locatã conscendisset, & mendacij patroni suas quoque occupassent sedes, omnium auribus intimata est falsissima regula: quæ cùm plerisque astantium, etsi non omnibus, placuisset; rogabant vt quisque eam manus suæ subscriptione firmaret. His autem sic peractis, cùm nomina sua atq; fortunas atramento commaculassent, solitis erga Imperatores acclamationibus & aduersùs Ecclesiæ lumina anathematis defuncti (præloquente scilicet eo, quem dicebam Clerico) dispersi sunt. *subscribant Pseudosynodo Leo Imp.* *c aliis*

B 78 Scelerum porrò vltrix Dei Iustitia, sic illusos Sanctos pro suâ longanimitate haud diu dissimulatura, celerem haud sine miraculo vindictam intulit: breui namque tempore interiecto prælocutorem Clericum pœna corripuit, obmutescente linguâ, ac fatiscentibus vocalibus organis. Aduertite autem qualis ac quanta: si quis enim Psalmorum oracula viro suggereret, lingua soluta erat ad verba ministranda: sin sermonis aliquid cum aliquo conferret, vndique dissoluta ac impedita permanens, maléque articulata incerta ac subblæsa obganniens, sonitum nullo constantem sensu in auditoris aures transmittebat. Eum in modum castigatur lingua in eos procacissima, qui ore sapientiam loquebantur, ac cordis meditatione eructabant prudentiam. Adeoque opportunè diuini illud Eloquij dicatur: Mors & vita in manu linguæ; qui autem continent eam, comedent fructus eius. *Clericus in Pseudosynodo prælocutor diuinitus punitur.* *Pro. 18. 21*

79 Verùm hæc missa facio, vtique suffectura vt & illorum malignus arguatur animus, & Sanctorum cum Deo coniunctio ostendatur. Itaque finis hic esto eorum quæ ad Synodum spectant narrandorum; vtpote quę molestũ auribus tędium ingerant. Quę autem exinde noctis atræ caligo incubuit Ecclesijs, nonne eam magis conuenit silentij profundo occultare? *missa facio vtique suffectura,*

C Etenim omnẽ ex pictâ Euangelij historiâ, Martyrumque certaminibus abolentes decorem, eum calce subactâ oblinere haud sunt veriti. Quo autem modo eos affectos fuisse dicam, qui hęreseos inuento succumbẽtes sanã nihilominùs rationem in conscientiæ iudicio conuulneratam seruantes, rem absurdam malignè iubentibus addixerunt operam. Hi sanè non rarò aquâ mixtam calcem perfuderunt lacrymis, quia præ sceleris immanitate dolorem non poterant dissimulare. Cuiq; enim quiduis audendi in *f* sacras imagines libera erat potestas; cum alij pretiosa ac veneranda cimelia confringerent, alij sacras magni pretij vestes in minutas lacinias pannosque dissecarent & humi proijcerent; alij pictas tabellas securibus excindentes medio in foro crudelissimè incenderent; alij stercore, vnctúrisque ac tetris odoribus priorum suffituum loco oblinerent ac fœdè deturparent. Vidisses velut in captiuitate hostili sacrarum ædium conculcari donaria, & quæ vulgò intacta fuerant, atque inaspecta profanis trahi manibus, ac promiscuæ plebis exponi spectaculo: ab Ecclesijs expelli Pastores, & lupos gregibus præfici: fugari qui rectam doctrinam profitebantur, quibus verò execrationi illa erat, eos in domesticos & necessarios recipi. *g* Viros innoxios ceu reos tribunalibus sisti, vicissimque flagriones præsidere iudicijs. Clericos ludibria atque verbera expertos, firmissimis vndequaque ergastulis detineri; Nazaræos nostros verberibus, fame, siti, diuturnis carceribus ac laboribus maceratos, ad extrema vsque pericula inter cruciatus perseuerare: & horum quidem alios gladio vitam amittere; alios culeis inclusos, vinctosque saxorum more, alto pelago demergi. Fæminas vero viris spectantibus denudari, ac velut reas equuleo distendi ac cædi, omnia virili sensu Christi caussâ perferentes. *Erasæ in Ecclesijs imagines, sacraq; violata,* D *g orthodoxi post varia tormenta occisi.*

a *In Appendice Theophanis hæc dein ab Imperatore gesta referuntur:* Manè comitijs habitis, filius perditionis ad populum sermonem habuit: Videtis, fratres, vt Patriarcha Ecclesiâ derelictâ discesserit, quòd cum eo de Imaginibus fuerimus collocuti, & exposuerimus propter eas à Gentibus nos affligi. Is verò responsi congrui penitus ignarus, ita præceps & nobis neglectis, abijt. Alium igitur Patriarcham instituí necesse est. Ita mentitus persuasit populo abdicasse se dignitate. Ioannem quippe Pancratij filium, quòd sibi adhæsisset, ad istiusmodi dignitatem promouere studebat, sed à Patricijs prohibitus est, *vti ibidem pluribus agitur. De Ioanne, Hylila seu Grammatico dicto, suprà actum.* *Pseudo-Patriarcha eligendus.*

b Theodotum Cassiteram *Leoni Grammatico, ast auctori Appendicis* filium Michaelis Patricij Melissini, Constantini Imperatoris Caballini ob tertiam eius vxorem leuiri. Istum Theodotum Spatharo candidatum, opinatis eius consentientem, maritali nuptiarum coronâ notatum, tonderi iussit & Patriarcham consecrari. Celebrata est ordinatio eius Paschatis festo (*ergo ipsis Kalendis Aprilis*) hominis, inquam, qui nihil spirituale calleret, nullâ Scripturæ parte foret eruditus, nisi fortè leuissimâ: qui nullam erga Deum pietatem ostentaret, tantùm quòd mansuetudine præstaret & bonus hominibus appareret commendabatur. Hic cùm Patriarchalem dignitatem subijsset, opipara meridiana serotinaque carnibus appositis cœpit agitare conuiuia, Clericosque ac monachos nec non Episcopos, iuuenili ætate carnium esu abstinentes, continentiam abrumpere, & ad ingluuiem compedere compulit: & vbi primùm pietas plurima, honestas, continentia & virtus enitebat; ibi risus, lusus, luctæ, turpiloquia haberi absque disciplinæ cuiuscumque iugo vidisses. *Similia leguntur in Vitâ S. Nicetæ.* E *Theodotus Cassitera.*

c *Est hoc Conciliabulum tomis Conciliorum insertum sed ad annum 814. cùm habitum sit anno 815 mense Aprilis.*

d *In eadem Appendice:* Legerunt tomum editum à defensoribus Pseudosynodi, & decretum VII Synodi ad Blachernas vocauerunt. *S. Theodorus Studita lib. 2. ep. 15 ad Patriarcham Antiochenum:* Synodus, *inquit*, facta est veterem illam impiam confirmans, & orthodoxam, Nicænam scilicet, anathemate damnans. *Pseudo-synodus.*

e *In Vita S. Nicetæ:* Iudaicum quoddam concilium ijdem in magnâ ecclesiâ coëgerunt, & sub anathemate sanctos Patres eiecerunt.. Episcopos verò, qui ab ipso dissentiebant, partim in terram deiectos pedibus conculcarunt, partim per posticum eijciendos è consessu curarunt. *In Appendice Theophanis:* Orthodoxos Patriarchas nostros hi anathematis hæredes anathemate percusserunt, & more tyrannico Metropolitas & Episcopos orthodoxos per vim tractos, & in medium prædatoriæ istius Synodi proiectos conculcauerunt pedibus (quasi pietatis opus ministri impietatis agerent) & proprio sanguine infectos, militibúsque traditos in custodias & carceres detruserunt: ibique diebus aliquot detentos, rursum eductos & examinatos, morem dictis suis gessisse non reperientes, Imperatore mendacij auctore de ijs monito, in exilium miserunt: quos insuper in exilio positos missis tortoribus varijs supplicijs affecit. *persecutio Catholicorum.* F

f *In eadem Appendice:* Imagines per ecclesias vbiuis erectas deposuit & combussit, sacraque vasa cælatis imaginibus insignia contriuit. *Leo Grammaticus:* Primùm sacram omnem ex ecclesijs deponit figuram: exinde Christi vel Sancti alicuius imagines habere repertos, duris supplicijs & morte damnabat: ita vt nobiles plurimos & illustres viros interfecerit. *imagines deiectæ.*

g *In dictâ Appendice:* Obmutire ausis linguas abscidit, istos contudit verberibus, alios delatoribus & impijs hominibus institutis, vbicumque alios sibi non communicantes reperirent, accusari permisit. Repertos autem verberibus intolerandis subijciebat, facultates publico addicebat, & in exilium pellebat, non viros solùm sed & mulieres.. In alienas regiones missos à locorum Dominis, Gentilitate detentis, comprehendi nouus Antichristus factus curabat: ex quo Episcopos & monachos plures occidit, & exilio mulctatos Episcopos maris insulis inclusit, monachos reuocauit. *Quibus verbis ea Appendix finitur ab auctore synchrono scripta.* *affecti martyrio, in exilium missi.*

A *scripta. Inter monachos fuit S. Nicetas, in cuius Vitâ legitur*, talibus eos tormentis affecisse, qualibus nec gentiles Martyres ipsos afflixerant... quibus singulis per foramen quoddam angustissimum panis eiusque putidi vnciam, velut canibus, proijcebant... & paullulum putidæ aquæ dabatur.

CAPVT XIII

Impietas & cædes Leonis Armeni. Successio Michaëlis Balbi etiam iconoclastæ, ad eum epistola S. Nicephori.

Leo init, impia cum Hunnis fœdera,

80 ET hæc quidem circa diuina ac eos, qui piâ religione illis se impenderent à Leone veritatis osore patrata facinora sunt. Quis autem amicitias atque fœdera turpiter, ac indecorè cũ vicinis Hunnis ab illo inita feruidissimis lacrymis non deploret? Nempe illorum superstitiones Leo, ipsi illi nostra vsurpantes legitima, mutuò firmauerunt pacta: & videre erat Imperatorem Romanum libare aquam è calice in terram equorumque clitellas versare manibus, dein terna lora tangere, fœnumque in altum attollere & se omni hac ceremoniâ rituque deuouere. Gentes verò diuina nostra Symbola scelestis contrectare manibus, ac per illorum virtutem sacrilego se obstringere sacramento. Nonne hæc crudelitatis fuêre germina? Nonne apertus in Christum furor & execratio? Nonne eiusmodi vt Dei vltionem inducant? Fidem sanè abundè faciunt eius temporis portentosa euenta, videlicet concussiones ac terræmotus, cor secundùm Prophetam confringentes, vrbesque populosas exitio obrutas: adhæc annonæ penuria famem super faciem terræ seminans, dum agricolæ spicas non falcibus, sed manibus & sacculis colligunt. Adde aërem similes virgis igniculos emittentem & terrores videntibus inferentem: adde infœcundum mare, salumque ac fluctus obsoniorum loco visum effundere: adde cognationis ac necessitudinis obliuionem apud omnes peruagatam, tumultusque ac bella intestina in omnibus prouincijs atque oppidis progignentem. Exinde enim hactenusque contigit, vt ciuilium armorum morbus vbique obtineret.

etiam in sacris & nefandis,

B

Mal. 9. 7 vltione diuinâ improbata:

81 At ne sic quidem viri prauitas ac malitia vllas sibi inducias interquiescens indixit: tumens enim ac gliscens animus & eorum quæ parturiebat malorum eruptionem minitans, coniurationis gladium strinxit aduersùm se, non mediâ in acie, non in alienâ, atque barbaricâ pugnantem ditione (nam & hæc frigida quædam laudis fuisset occasio, vnde misero gratularemur velut pro patriâ periclitato) sed domi desidem & suis, vt putabat, rebus optimè consulentem. Eum quippe, qui negotij totius ac molitionis *a* auctor erat, in custodiâ ac vinculis tenebat, expectaturum donec, quod præ foribus aderat ipsasque suâ religione pulsabat, Dominici *b* Natalis certamen peragereturum, & quid facto opus solertiâ diligentiore disquireretur. Tunc enimuerò caput illud aduersùs Ecclesiam diademate cinctum, manumque ad euertenda recta decreta extentam, *c* satellitum propriorum ac tegentium latera militum gladijs in mediâ ipsius templi areâ secanda prebens, efflauit animam miser, plurium Sanctorum violatâ religione execrabilem. Verùm, si lubet, pauca velut commentando, addamus, non tamquàm casu gaudeamus, sed vt calamitatem tristes animo recolamus. Quid hoc, ô sublimis atque superbe ipso oris flatu contra nos procellas excitans, ac draconis more in Ecclesiam spirans? quò euolauit spiritus ille, fulmina persecutionis fabricans, atque aduersus pios. velut alter ex Cyrse *d* Salmoneus, furiosissimè tonans? Quò præstigiæ abierunt, quibus initiatus ac consummatus, longos Imperij annos quærens parere, vitæ breuioris abortum edidisti? Quinam id factum, vt qui ex vtero vocem dabant Grammatici, mercedis loco Imperium tibi definientes, vitæque longioris annos beatos eru-

tumens irâ,

C

a

b,

occiditur: die ipso Domini Natalis in templo palatino,

c

d

mercedem iniquitatis assecutus.

D

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR.

ctantes, gladij, quo impetendus eras, ictum numquam diuinauerint, vaticinioque prouiderint? Quomodò compti illi fastuque elati, excidij tui primitias, expositumque oculis infame spectaculum, & agnatorum honoribus spoliatorum probra obliquè aspicientes, in ijs hallucinati sunt? Vbi purpureum diadema, quod ab Ecclesiâ nactus, ipsius coronam detondisti? Quomodò hodie mortuus, qui heri arrogans atque superbus? Quomodò qui impotenti in Sanctos œstro ferebaris, nunc plagis compunctus? Vbi illæ aduersùs magnũ Pastorem insidię, insomnijsque similes ac vanę indagines, quas defecisti non comprehendenda scrutatus? Non enim potuit subtilis inquisitio tua, multò etiã labore ac meditatione vsa vel auditu solo assequi, quod illi labis crimen inferres. Verùm quia facultas sermonis ipsum deficit, illo sine spiritu vitaque relicto, dum suâ commaculatus ruinâ in proprio volutatur cruore, ad ea quæ sermonis sunt reliqua procedamus.

82 Ornatur itaque, qui in vinculis erat, illius successor, diademate regio: qui zona positâ, vitæ quoque iacturam certò expectabat, imo veluti gurgite carceris emergens vincula in sceptrum commutat, alternanteque victoriâ, superior euadit hoste iam securo & aduersarij iugulum premente. Hunc in E modum adeptus Imperium remisit tantisper inueteratam malitiam, quoad ij, qui in vinculis ac laboribus vitam agebant, inani libertatis specie, velut obiectâ in somnis imagine ac spectro, luderentur: quamuis interim defuncti sensum subocculte foueret, hæresisque transfixus hamo, velut piscis, putridæ doctrinæ cœno immoreretur.

Michaël Balbus successus, & ipse tantisper mollior hæreticus,

83 His itaque Magnus Nicephorus perspicacissimâ mentis acie dispectis, ratusque haud vnà cum serpentis tractu hæresis extinctam caudam, sed eam hactenùs palpitare, vitamque dissimulare velut emortuam; diuini spiritus stylo rectæ fidei doctrinam consignans, ad Imperatorem recens purpurâ auctum ac coronatum scribere destinat: ita scilicet vt ei ob oculos vincula sua ponens & qui ipsum ex his eruerat Deum, repræsentaret etiam Tyranni frustrà malignantis probrum pariter atque ruinam, quodque ijs in locis, in quibus deliquerat, vltore Deo peremptus sit: tum veram illi atque à Patribus traditam sacrarum imaginum religionem delineabat ac describebat esse eiusmodi, vt non nudiustertius, recensque inuenta obtinuerit, sed ex quo primùm prædicationis Maiestas Apostolicâ tubâ clariùs insonante, orbem F peruasit, venerationi sit habita.

epistolâ S. Nicephori admonetur,

vt imagines restituat:

84 Is porrò solertem viri animum admiratus, doctrinæque & eloquij vim maximam reputans, etsi talium omnium maximè rudis erat, imperitiam ex paternâ inscitiâ velut sufficientem adeptus substantiam, in hunc ferè modum nuntijs, qui epistolam adferebant, fertur respondisse. Qui nobis priores Ecclesiastica dogmata scrutari instituerunt, num benè an secùs sanxerunt, rationem Deo Iudici reddituri sunt. Nos autem in quo incedentem Ecclesiam inuenimus in eo quoque conseruare decreuimus. Quid porrò hîc animi sit, clariùs explicantes edicimus, ne quis deinceps aut aduersùs imagines, aut pro ijs tutandis apertè linguam mouere præsumat: sed facessant eliminenturque tam Tharasij Synodus, quàm quæ pridem sub Constantino, nuperque sub Leone Augusto coactæ sunt; profundóque silentio sepultum maneat totum, quo imaginum memoria, inuidiosum vtique negotium, ventilatur. Is autem qui, vt hæc loqueretur ac perscriberet, sui muneris esse putauit, siquidem hanc tenens opinionem Ecclesiæ præesse velit, de imaginum veritate adoratione que nullum deinceps collaturus sermonem, omniaque silentio pressurus, adueniat.

qui pro responso silentium imperat,

etiam Synodi Nicænæ II,

eaque ratione reditum S. Nicephoro concedit:

85 Has absonæ orationis Imperatorias nugas vbi auribus

A auribus accepit beatus Pater, flocci faciens dicta eáque ad animum subire non patiens, priori veritatis solidissimæ confessioni inhæsit. Dialecticis deinde argumentis ac demonstrationibus aduersariorum fabellas confutans, demonstrauit vnicam, eámque inter œcumenicas septimam Synodum, esse tenendam, ad quam sub Tarasio inclyto Pastore celeberrimi Patres conuenerunt: scelestasque & inanes ostendens esse opiniones Constantini aduersùs imagines sacras, dementiáq; quâ Leo eas confirmare nisus est, ipsumq; pariter triumphatum traduxit coràm vniuersis, quibus inculpati cultus atque fidei cura adhuc aliqua suppetebat.

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR. *S. Nicephorus Synodum Nicænam II propugnat, hæresim oppugnat.*

a *Erat is Michael Balbus, tunc Princeps cohortis Excubitorum.*

b *Occidendus erat noctu Natalis Domini, nisi Imperator à propriâ vxore prohibitus & festi reuerentiâ motus distulisset necem. Ita Leo Grammaticus & alij.*

c *Ab his Sacerdotales vestes indutis comprehensus, membratim & in frusta sectus est anno 820. idem ita. Deterritum antè Leonem à S. Tarasio scribit Ignatius in huius Vitâ.*

d *Rex Elidis impijssimus, satis ex Virgilio notus; non item* cyrse: *quam puto concamerationem, testudinem seu pontem illum significare vnde ipse Iouis fulmina tonitruaq; supra ciuitatem imitabatur:* B *κυρτὸς enim conuexus est, vnde κυρτόω in conuexum erigo &, κύρτωμα fornix: notum est autem quod apud Græcos τ & σ pro variâ dialecto alternent, vt sit κύρσα pro κυρτή.*

e *Baronius ad an. 821 num. 36 arbitratur* Patriarcham non redijsse Constantinopolim, eò quòd adhuc hæreticus intrusus Pseudopatriarcha sederet. *Et σφάλμα est auctoris Vitæ S. Nicolai Studitæ, dum num. 26 scribit, vnà* cum eo & S. Theodoro Studitâ alijsque adijsse Imperatorem.

CAPVT XIV

Comparatio S. Nicephori cum Sanctis varijs. Eius obitus. Scriptoris peroratio.

86 EA fide, sicque docens, ac strenuam diuinæ doctrinæ operam ponens, mundi vniuersum ambitum sincerâ de Deo opinione impleuit, eximios quosque veteris ac noui Testamenti viros, quoad assequi poterat, vestigio premens. Nempe Abrahæ æmulatus fidem, eâque incensus animum, sicut ille, vernaculos suos doctrinæ vi armans, insanientibus aduersùs Ecclesiam Regibus detraxit spolia, eosdem planè profligens, ipsam velut alterum Loth ab hæreseos captiuitate redemit. Isaaci autem obedientiam vniuersorum Patri Deo ad sanguinem vsque præstandam assecutus, & multiplici tentatione mactatus, C quamquàm holocausti consummationem cruore fuso non promeruit; Sacerdos tamen & immolator veri & incruenti sacrificij factus, Dei filios atque hæredes ex spiritali suâ sponsâ Ecclesiâ, ceu aliâ Rebeccâ, sapienter suscepit. Iacobi pastoralem solertiam referens, non ex obscuris, sed præclaris rationalibusque ouibus auxit gregem, cui etiam Deum benedixisse ad pedem suum gloriatur. Iosephum non solum prudentiâ expressit, sed etiam repræsentauit tam animæ quàm corporis pulchritudine; quippe qui amore ipsius captam eam, quę nunc est, Ægyptiam, nefandam inquam hæresim, inque execrandæ doctrinæ societatem trahere nitentem repulit, non tantùm vestem vulgarem, sed & stolam sacram dimittere præoptans. Iobi autem patientiam ac tolerantem erga aduersarium ostendit animum, egregium virtutis specimen rebus tristibus atque molestis edens, neque testâ abradens illata per iniuriam vlcera, sed aduersariorum ad stultitiam trahentia verba ostracismo damnans atque relegans.

Imitatus fidem Abrahæ, obedientiam Isaaci, curam pastoralem Iacobi, castitatem Iosephi, patientiam Iobi,

87 Mosis populum regentis normam affectatus est, educens ipsum ex Ægyptiacis tenebris hæreticæ vanitatis, fœtentibus decretis ceu allijs cepisq; sibi credentes pascentis & maris rubri salsedine, id est, doctrinâ adstringente ac subamarâ, insuaue & multiplex illorum onus submergens; transferensque ad terram D manantem lacte ac melle, candidâ nimirum & sine dolo dulcissimâ diuinæ doctrinæ suauitate. Aaronis Sacerdotio venerabilis hæreditatem adeptus est, non Mosen quemdam in his, quæ ad Deum sunt, ducem habens, sed ipse facie ad faciem, coramque sacris precum orationibus iugiter illi consuescens; neque cidari aut superhumerali ac tintinnabulis quotannis strepentibus adita penetrans, sed Apostolicam chordarum duodecim lyram tangens, in Sancta Sanctorum subibat crebriùs, & diuinorum scitorum claram cunctis rationem distinctissimè promebat. Iesu militarem scientiam animumque nullis hostium aggressionibus superabilem expressit, non mundi luminaria vlciscendis hostibus vinciens, sed diurnas nocturnasque ad Deum preces velut aciem instruens; donec is veritatis hostes miseraretur suis ipsorum ablutos sanguinibus. Cum Phinees de scorto occiso præclari laudem præconij habet: nam hic quoque de pòst dominum exfornicatos, vt prophetica fert comminatio, quibus constitutum esset Chaldæorum semen in Apostolica Ecclesiæ noualia condere, rationalibus Sanctorum Patrum stimulis, ceu pugione vsus pupigit atque confodit. Dauidis necdum per vnctionem consecrari iuuenile robur atque audaciam ad pascendi gregis scientiam adiungens, ouibus ratione vtentibus præfedit, & leonum atque vrsorum molas confregit; linguas scilicet hæreticorum aduersùs Christi gregem rugientium omnique frementium insolentiâ. Solitudinis ac monasticæ vitæ amorem, quibus Elias & Ioannes celebrantur, tum antè tū post sacram ostensionem suam amplexus est, & perparū versatus in vrbibus, temporis partem plurimā monasticę exercitationi impendebat. Quippe quem non lateret eo cultu purgari animum atque ab omni terreno cogitatu liberari: vnde etiam arguendi vim liberam atque expeditam nactus est, vt loqueretur in conspectu Regum, neque per verecundiam agens aliquid neque gratiæ ineundæ causâ quidquam occultans.

pro regimine regulam Moysis, sacerdotium Aaronis, Iosu. 1. &c. scientiam militarem Iosue, Num. 25. 7. Osee 1. 2. Phinees zelum, E 1. Reg. 17. 34 robur Dauidis, solitudinis amorem Eliæ & Ioannis Baptistæ,

88 Quis verò donis gratiæ magnificè auctus enituit, cuius ille virtutem imitando, vestigia non presserit? nempe Apostolorum in Ecclesiâ præsidis Petri magnitudinem animi, feruoremque ostendit fidei; nec non illam Pauli vniuersorum solicitudinem, quotidianæque instantiæ labores; solatium omne suum postponens ijs afflictionibus atque ærumnis, quæ piè vitam instituentes vt excipiant procliue est, molesta omnia ac tristia lubentissimè excepit. Carceris abundantiâ etiam Paulo superior fuit; quando huic ex alijs alia mutanti loca, vimque totam euangelij explicanti crebra carceris quadam successione mutatio obtigit: F ipsum autem vnus idemque carcer habuit, ex quo throno suo coactus est cedere, vsque dum suprema dies gloriosè clausit captiuitatem. Reliquorum Verbi discipulorum in Apostolatu diligentiam in se confirmauit, clarè patefaciens vniuersis arcanioris sacratiorisque eorum doctrinæ viuifica ac diuinitus tradita oracula. Eâ periculorum mole, quæ veritatis causâ sustinuit, Martyribus Confessionis socius accessit; omnem infamiam ferre potiùs eligens, quàm vt aliquid, quod è veritatis rationibus haud satis esse videretur, admitteret. Patribus, qui probatas Synodos ætate præcesserunt, & qui intermedio illarum tempore enituerunt, præclari in omnibus, quibus Ecclesia magnificâ de Deo opinione diues præfulsit, nullis partibus inferior omnes in omnibus, quoad eius licuit, diuinâ quadam & congruâ sacro gradui ratione est imitatus; solicitis precibus iugique & contentæ meditioni insistens: nihiloque minùs impollutâ sacerdotij luce illustratum habens intellectum, curabat enixè, vt primo illi magnoque Pontifici suam ipse propensè animam applicaret.

feruorem fidei S. Petri, solicitudinem S. Pauli, ob perpetuam carcerem, par Apostolis alijs, Martyribus, & sanctis Patribus.

89 Verùm quia homo cùm esset, indeprecabili naturæ

A naturæ debito vt satis faceret, omnino necesse fuerat, suam à corpore resolutionem fecit per mortem; quamquàm ea non vulgaris mors dicenda sit, sed transitus ad meliorem vitam beatamque illam requiem, in quâ primitiuorum in cælis descriptorum Ecclesia cum sono choros ducit, festum diem feliciter agitans; cum quibus pariter & ipse præsultans atque sanctitatis castimoniam Angelicâ puritate repræsentans, par illis beatæ repromissionis hæreditatem consecutus est.

cum Angelis & Sanctis æternam in cælo victurus, Heb. 12. 23

a Anno itaque nono, vno minùs mense, ex quo sanctè atque inculpatè tenuerat Patriarchatus clauum, in supremam incidens ægritudinem, nequaquàm ignorauit exitus sui finem: sed quem formidabat olim ratione terroris, improuiso ac celeri ipsius aduentu, incutiendi, ingenti tunc gaudio expectabat, gratias illi agens, qui quod vinxerat resoluendo liberationem ipsi à malis afferret; solutaque iterum reuincturus esset nobiliori quadam ratione. Diebus ergo ijs, quibus lecto decumbens tantisper leuatâ ægritudine leuabatur, & remissiore morbo vtebatur, non cessabat omnem doctrinæ modum ad se adeuntibus inculcare, commonens vt ab hæreticâ dissolutione sese abstinerent, vt quę animi exsiccet ossa & adhærentium sibi spes secundùm Prophetam perire faciat: solam autem doctrinam ac fidem tenerent, quam venerabilium & œcumenicarum septem Synodorum studio declaratam Patrumque suffragio confirmatam, vniuersalis Ecclesia deuotè amplectitur, quæ fidelium spem omnem in Deum transferens, facit vt desiderata consequantur. Pia enim, aiebat, vt, nostis, Patrum fides, varijs aduersariorum conatibus obscurari non potest; sed rectis Apostolicis sensibus, atque doctrinâ ipsa per se firmatur roboraturque.

æger resolutionem lætus expectat,

B assistentibus veram fidem & fugam hæreseos inculcat;

90 Hæc & his plura ex opulento diuinæ suæ sapientiæ thesauro depromens sermone salutari, cùm spiritalis quodammodò panis annonâ audientium animos confirmasset in fide, eorum, qui collecti erant, obaudiente cœtu illa pronuntiauit verba: Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, sed liberatis nobis, laqueum contriuit. Itaque in Dei manibus sanctam ac sacram animam suam deposuit. Quem is excessu illo suo mœroris ac tristitiæ sensum diuina sapientibus reliquerit, nemo, quantacùmque vi dicendi polleat, repræsentare possit: quantam verò lætitiæ ac petulantiæ occasionem ab eius morte acceperint malè sentientes, ex ijs quæ visu ipso, satis superque sunt explorata, facilè vnusquisque perspexerit. Etenim vt ferarij lupi vulpesque, ac si qua sunt alia eiusmodi animalia timiditatis maioris, si iubas leones quatiant lustrisque exiliant, ne oculis quidem ferre sustinent; sed gratissimum habent, si ne procul quidem illos audiant rugientes, quamquam nihil inde audaciæ ijs ac generositatis accedat: sic hæretici lepores, cum leoninam viri fortitudinem, eiusque adhuc superstitis in loquendi fiduciam formidini haberent, & diuinarum ipsius animi eructationum grauitate ac vi stupendâ percellerentur, multaque eos suspicio angeret, cùm eorum nomine, quæ grandi scelere in eum perpetrarant, tum quod sæpius ipsâ vindice veritate, rationum eius vi fuerant confutati; ne hoc quidem sibi facilè indulgebant vt ex nequitiæ suæ latebris prodirent. Ex quo autem diuinum illud tabernaculum tumulo conditum est, ad melioris sortis sedem animâ commigrante, & silentium sacræ illius linguæ eloquia diuina tenuêre, emersêre tenebriones illi velut ad lætum quoddam spectaculum; & quidquid simulationis erat, caliginosâ detergentes cæcitate, nudo, vt aiunt, capite præstigiarum suarum nugas producunt, quas nihil dubito lucidissimis scriptorum beati viri splendoribus dissipandas redigendasque in nihilum.

Deo gratias agens moritur:

magno luctu Catholicorum,

C & gaudio hæreticorū.

91 Equidem quòd victus atque certamini causseque impar extiterim, inuicto illi inter perorandum, adscribam, si quomodò paternorum viscerum amorem inflectam ad miserendum, solicitamque intercessionem tuam mihi apud Deum meditatricem obtineam. Tu verò diuini inspector tabernaculi, Doctorque ac Mysta disertissime, qui in supernis sacrorum Principatuum atrijs ambulas, ac corruptionis nesciam sortem, sedesque immortales propiùs adire meruisti, bona illis parata adeptus, qui actione exculti contemplationeque virtutis fastigium consecuti sunt, plenâ eorum satietate repleris; abiectum atque incultum crassumque vitæ nostræ solum nec nisi fœnum proferens, diligentissimâ tuâ ad solum illum animorum cultorem intercessione, frugum ferax efficito; & quidquid illi difficilium spinarum bonæque aduersum habitudini inest imis à radicibus euelle. Ijs qui seducti, & execratâ communione polluti, conscientiæ tamen iudicium non æquè fœdauerunt, indulge vt veræ pœnitentiæ lacrymis labem detergant, iterumque viam teneant veritatis, quibus conuersio sola sufficit, doctrinæ nullatenus indigis: subtilis enim doctrinæ tuæ ineluctabilibus documentis ac informationibus firmiùs in Apostolicarum Paternarumque sanctionum crepidine defixo animo, inconcussam, velut sub Deo teste, seruaturi sumus fidei sinceritatem, quam instar seminis cuiusdam in cordibus seruatam foueamus. Neque verò defensionis ipsa exilitas, assentatio quædam frigidaque nugarum ventilatio videatur vobis, plurimum apud Deum valentibus; sed cordis reipsâ dolentis germina, ac afflictiones animi contriti. Inueniam locum modumque reliquum apud vos expiandæ hæreseos, ne omnino succumbam oppressus, ne irremediabili desperatione conficiar, ac velut is, qui exiguæ voluptatis pretio primitiua vendit, eò quòd congruas paternæ mensæ victimas non obtulerit, abijciar. Certus enim sum fore, vt propter hunc lapsum non minima patiar; sed vapulem multis: quippe qui Domini voluntatem sciens, eam non fecerim, adeòque formido ne æterno planctu lugeam; quærens sed non inueniens pœnitentiæ locum. Nunc ergo adiutricem manum porrige, ac quem incredulitatis fluctus inuoluerat, extrahe. Non me demergat tempestas aquarum prauitatis hæreticæ, neque absorbeat me alieni à veritate sensus profundum, neque vrgeat super me os suum puteus, turbidam atque lethalem euersionem scaturiens: sed enitere precibus vt propitius mihi reddatur iudex, magis gaudens super vno peccatore pœnitentiam agente quàm super multò plures iustos, supernas nempe cælorum virtutes. Esto animi mei sponsor apud Dominum, eique qui scit omnia, etiam antequàm fiant, aperi, me non sponteneâ mente ad hæreseos b Itabyriū accurrisse, inque eo positis laqueis captum & ineuitabiliter implicatum fuisse: sed duris, quamquàm putidis ac simulatis, minis omnemque euadendi præcludentibus aditum in angustum coactum in retia venantium animas cecidisse, eisque prædam effectum esse: Quamobrem difficilis quidē deprecatio plagæ commeritæ tristem efficit atque afflictum, & in reorum sortem adducit. Tu tamē salubri precum tuarum linamento, id quod remedium ferè respuens quodammodò deploratum est, ad rectam sanamque fidei rationem compone: ne longiùs dilatâ inspectione vestrâ, plagæ tumor augescens, ad curam difficilis, imò penitus immedicabilis euadat. Ne igitur à salutari auxilio vestro procul consistam, nec venerandæ vestræ confessionis exors fiam, & eijciar extra almam doctrinam vestram manus pedesque ligatus, velut ille qui indecorè indutus nuptiali conuiuio importunus irruerat; ne pressus fame quam non panis & aquæ penuria facit sed audiendi verbum rectæ in Ecclesiâ professionis, velut Chananea despiciar ex longâ incuriâ ægritudine, oremque vt illa frustra clamans post vestigia sequendum Christum & intercessores fatigans; sed sacræ sermo-

D AVCTORIS IGN. DIAC. EX MS. GR. Auctor agnoscit beatitudinem cælestem S. Nicephoro datam;

quòd ex ijs vnus, quos persecutio in hæreseos communionē traxit, integro mentis iudicio ad sanam fidem tenentes,

E

F

b veniam sibi plorat intercessionē S. Nicephori.

A sermonis vestri mensæ reliquijs ceu fame tabescentem catellum pasce, atque absolue à vinculo vergentis ad incredulitatem animi, si quo modo rectè videre queam, audiamque à Deo ac vestrâ mansuetudine optabilem illam sententiam: Fides tua te saluum fecit. Ecce enim Chananæus esse desij, & quæcumque sunt sensus Chananæi decreta abieci, assensum vtili vestræ doctrinæ accommodans: quam secutus, quidquid putidæ inuentionis extraneum atque peregrinum est ab Ecclesiasticâ caulâ auersor & odi. Vnà enim vobiscum sapere, est sapere ad sobrietatem; vobisque coniunctum esse, multam apud Deum conciliat gratiam. Hæc sunt inculpatæ vitæ tuæ veluti cursim delibata insignia; hæc vestra ad sanguinem vsque veræ confessionis ergô exhausta certamina; hæc est vestræ fiduciæ in Deum ex ijs gloriatio. Tu verò ô cara nobis anima atque Angelis comparanda, hanc erga te propensam voluntatem meam acceptam habe, qui videlicet tuæ fiduciâ doctrinæ viribus maiora conati sumus, & rusticitati sermonis veniam præbe, mihique compateret intelligens quòd vti scopum assecutus, inexpectatam habet laudem; sic ab eo aberrans veniam pro animi candore mereatur.

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR.

detestatur hæresin.

B

a *Sunt anni ante exilium administratæ in Constantinopolitanâ Sede dignitatis* Patriarchalis, *ab 12 die Aprilis anni* 806, *quo consecratus est, vsque ad 13 Martij, quo in exilium est deportatus.*

b *Ortelius in thesauro montem Thabor, Christi transfiguratione nobilem, Latinis ait* Itabirium *dici: apud Iosephum & Egesippum* Atabyrios *est; sed cur hic pro throno hæreseos ponatur non capimus.*

ORATIO

De exilio S. Nicephori, & translatione Reliquiarum

Auctore Theophane Presbytero & Præposito.

CAPVT I.

S. Nicephori Patriarchatus, exilium, obitus.

1 PLurima profectò diuersis occasionibus atque temporibus, in gentibus, & ciuitatibus præclara facinora, ad eximias Dei maximarumque rerum demonstrationes facta sunt, quibus vera ipsius cognitio perspicuè fuit confirmata: quemadmodùm in Psalmis canitur: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Quibus verbis etsi perpetua illa Dei virtus, rerum omnium atque vniuersi orbis conseruatrix ac moderatrix, indicatur; non minus tamen, imò verò magis etiam significantur ea, quæ nostris temporibus in primis excellentia atque admirabilia gesta sunt ab eadem ipsâ diuinâ virtute, quæ eximiâ potentiâ suâ cuncta gubernat ac regit. Siquidem non in vnâ parte, neque in gente minimâ aut contemnendâ eiusmodi bonorum munera viguerunt: sed publicè & passim, & in proprio atque electo Christi clero, qui Apostoli Petri verbis meritò vocatur regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Verùm quoniam rerum maximarum argumenta præstantissimos requirunt enarratores, qui dicendi vi eas valeant explicare, ne inornatâ orationis tenuitate earum amplitudo imminuatur; ego, qui orationis laboro paupertate, vehementer à scribendo deterrebar: sed tamen assiduis me ad munus hoc suscipiendum adhortantium precibus non potui non

C

Psal. 18.

Variorum precibus incitatus auctor hæc scribit.

1. Pet. 2.

obtemperare. Dei igitur, qui dicendi facultatem elargitur, benignitate confisus, ad scribendum accedo, D adiuuante me precibus suis orationemque moderante diuino Patre Nicephoro, qui se nobis maximum ad dicendum argumentum præbuit.

2 Cùm præclarè res nostræ sese haberent, & ex vtilitate ac dignitate gererentur, tunc nimirùm, cùm vnus in Ecclesiâ sensus vigebat, & impia cuncta ac peregrina dogmata, tamquàm scelera atque piacula detestanda reijciens, omnes hæreticorum nugas ad nihilum redigebat; a Nicephorus Imperij sceptra moderabatur, & Nicephorus sacram excelsæ atque vrbium reginæ ciuitatis Sedem obtinebat, qui luminis instar perpetuò fulgentis, vniuersum orbem terrarum virtutum radijs illuminabat. Iam & in principe ac beatâ Trinitate vna & eadem essentia, & in vnâ Dei Verbi carnem induti personâ duæ naturæ, & duæ voluntates clarissimè fuerant opportunis Concilijs constitutæ & declaratæ, contrarijs opinionibus reiectis atq; improbatis; & vtilis sacrarum imaginum vsus iam inde ab initio institutus & per manus traditus, in omnibus Ecclesijs ornatè decoréque demonstrabatur; quemadmodùm proximis temporibus, sanctorum Patrum b Concilium celebrantium suffragijs, diuinitus fuerat comprobatus.

S. Nicephoro Patriarchâ, florebat fides Catholica absque hæresi,

a

b

E

3 Verùm posteaquàm c Nicephorus Imperator vnà cum filio huius vitæ finem sortitus est, & ad d Michaëlem eius generum Imperij gubernatio peruenit, sub leonino nomine crudeliter frendens, inuasit hunc valdè sæuus immanisque Leo, ex Armeniâ genus ducens: qui & defectionem à Deo, & aduersùs Imperatorem, apud quem in honore erat, minimè obscuram aut tectam tyrannidem machinabatur. Quod quidem illi è sententiâ successit: nam per vim sibi Imperium e vindicauit. Ceterùm haud aliter duxit potentiam suam fore diuturnam, nisi contra nos audacter bellum susciperet, & venerabilium imaginum interitum omni studio atque arte moliretur. Ad hunc enim furorem atque dementiam à dæmonibus, à quibus instruebatur, & falsis vatum mendacium somnijs & incertis temporum promissis miserè compulsus erat.

c

d

turbata sub Leone Armeno Imp. Iconoclasta,

e

4 Impium autem atque audax facinus ad optatos exitus se perducturum non sperauit, nisi præclarum Ecclesiæ Ducem, & ab omni reprehensione remotum, rectæ doctrinæ regulam, Nicephorum è sacrâ Sede exturbaret, vt propriæ malitiæ propugnaculum Ecclesiam constitueret, & nemine conatibus suis repugnante, omnia ex sententiâ suâ & eorum, qui sibi fauebant, tutò moderaretur. Primùm igitur tempus obseruabat, vt eum artibus ac dolis in sententiam suam adduceret, fingens sese in rectâ dogmatum exercitatione versari. Verùm cùm vir ille diuinarum rerum peritissimus & prudentissimus, tum multis sermonibus, tum Scripturarum testimonijs, tum longissimi temporis consuetudine comprobatum imaginum vsum demonstraret; nec tamen insolentem hominem à proposito posset dimouere, tunc dolus, qui anteà latuerat, in apertum erupit: mores enim ferinos nomini congruentes gerebat. Itaque tamquàm perniciosus quidam aper, aut sæuissimus leo, immanisque fera, salutaribus Magistri documentis sic aures occludens, vt aspis incantationibus, nihil mouebatur, sed obstinatiùs insaniebat.

S. Nicephorus ei resistit:

F

& continua traditione probat vsum imaginum:

5 Statim igitur & pietatis zelo & præstantiori auxilio confirmatus vir, cui à victoriâ nomen erat, & propterea Nicephorus vocabatur, strenuè aduersùs impietatem & Tyrannum impietatis defensorem instruitur: coactisque primarijs Sacerdotibus, viris tum vitâ tum doctrinâ probatis, qui simul pro pietate pugnare parati erant, de communi sententiâ iniquè se gerentem Imperatorem, licet frustrà, coarguerunt, & tamquàm contumeliosum Dei rerumque diuinarum hostem

adscitis varijs Sacerdotibus, arguit Imperatorem,

A hostem iudicarunt. Quamobrem arrogans & superbus ille confestim & simulationem, quam occultabat, aperire, & reconditam malitiæ rationem, tamquàm redundantem quamdam corruptorum humorum ex cruditate copiam, euomere, aut deformes & imperfectos ex abortu fœtus in lucem edere coactus est. Tyrannicâ igitur audaciâ celeberrimum Patriarcham, è Sede suâ depulsum, in *f* exilio viuere compulit: ne illud quidem veritus, si nihil aliud, quòd impositione & obsignatione manuum ipsius (quod fieri non debuit) Imperij coronam acceperat. Verùm vt verisimile est, defectionis & tyrannidis lubrico lapsus, simul cum pietate prudentiam & rationem ac mentem amiserat. Itaque nefanda impietatis atque audaciæ facinora aggrediebatur.

f pellitur in exilium.

6 Patriarcha verò, vt pacifici magistri discipulus, ab Ecclesiâ discessit tristis & lacrymabundus, vt qui sponsam immaculatam, sibi à Deo traditam, discessu suo mœrentem ingemiscentemque relinqueret. Populum autem & gregem suum opportunis sermonibus instruebat & cohortabatur, vt integram in vinculo pacis fidem obseruaret. At ille insaniens & furore B percitus, pietatem pro viribus pergebat insectari: nec contentus iis, quæ in Patriarcham diuinum commiserat, adhuc malitiæ suæ spectacula, lamentationibus & gemitibus digna, in plures edebat. Omnes, qui recta veritatis dogmata complexi cum magistro consenserant, primarios Sacerdotes, monachosque & præstantes in populo, tum viros tum etiam fœminas, non ferendis pœnis atque supplicijs afficiebat. Alij enim ipsorum plagis ac tormentis crudelibus excruciabantur: alij fame & siti in carcere diu premebantur: multi sine vllâ veniæ spe mittebantur in exilium: non pauci spoliabantur fortunis ob id solùm, quòd erant pietatis studiosi: quidam etiam, vt fama est, clàm necabantur. Nonnulli igitur Magistratus & in dignitate constituti, & Sacerdotes, & monachi, & ex reliquâ multitudine, partim imperantis vi pertracti, illi adhærebant; partim metu, partim ignauiâ, partim adulatione, partim gloriæ cupiditate corrumpebantur: sed maxima pars stabiles & constantes in fide animos conseruabat.

Catholici affliguntur.

7 Tunc in sacrâ Regiæ ciuitatis Sede tres veri Pastoris aduersarij, ordine vnus post alium, impiè consederunt, *g* Theodotus, Antonius, & Ioannes: qui tamquàm graues quidam lupi, passim Ecclesiam lacerauerunt ac deuorarunt. Et alijs in locis & ciuitatibus, eiusdem opinionis Sacerdotes ac duces imperiti, & nullius pretij homines Ecclesijs præfecti sunt: C qui execrabile ac detestandum sectæ suæ decretum impiè & stultè confirmantes, varijs modis ita conati sunt imaginum vsum abrogare, vt, quantum in ipsis fuit, nullum earum vestigium relinqueretur, quod vel Dei verbi carnem induti, vel sanctissimæ Dei genitricis, vel cælestium Angelorum, aut totius reliqui Sanctorum atque Iustorum ordinis speciem præseferret. Erat autem admodùm absurdum & graue, videre passim sacrosancta templa ab obscuris & execrandis hominibus, pulchritudine suâ & veteribus ornamentis spoliari.

g Pseudopatriarchæ Ecclesiæ præficiuntur.

templa spoliantur.

8 Atque ista quidem mali dominatio grauissimas calamitates inuexit, & cuncta permiscuit ac perturbauit, non exiguo aut breui temporis interuallo Imperatoris robore munita, sed *h* triginta propè annorum spatio. Quorum cùm quatuordecim in exilio diuus Pater Nicephorus transegisset, ab hac mortali vitâ migrauit ad immortalem *i* & sepultus est iuxta templum sancti Martyris Theodori in monasterio, quod ipse à fundamentis construxerat. In hoc enim, cùm esset mulctatus exilio, piam & sacram vitam traduxit, & virtutum studio mentem suam diligenter excoluit atque expurgauit, seque purum Dei rerumque diuinarum templum exhibuit, cùm similis esset Angelorum; & simul tùm monasticæ tum Pontificiæ vitæ dignitatem virtutibus suis exornauit.

h

S. Nicephor. moritur, sepelitur.

D

AVCTORE IGN. DIAC. EX MS. GR.

9 Hactenus commemorauimus, quemadmodùm beatissimus Nicephorus, vt optimus gubernator, munus ecclesiasticum sapienter administrarit: & tam vitæ honestate quàm cognitionis excellentiâ & sensus omnes & animum rectè ad pietatem instituerit: & quod ad fidem pertinet, tranquillè semper cursum tenuerit & legitimas vitæ ciuilis institutiones obseruârit: & quemadmodùm inuidia, quæ rectè facta carpere consueuit, liuore commota, cùm Christi gregem optimis quibusque auctum atque ornatum institutis intueri non posset, Leonem Imperatorem, pernitiosum animæ propriæ inimicum, impulerit, vt nouarum rerum in religione studio aduersùs Deum insurgeret, & pro viribus res sanctas atque diuinas contumelijs afficeret & contaminaret, & ad extremum è sacrâ Sede diuinum hunc virum exturbaret atq; in exilium eijceret: vbi virtutibus & cōtemplationibus animum excolens & cum Deo versans, benè beateq; vitam traduxit. Nunc autem tempus est, vt, cùm prouidentiâ Dei, qui mortis vmbram in matutinum splendorem & tenebras in lucem conuertit, mœrorem atque tristitiam in gaudium lætitiamque commutauit, in reliquâ orationis parte breuiter demonstremus, quemadmodùm sacrum illius corpus in regiam vrbem translatum sit: hoc enim nobis potissimùm proposueramus; licet in alijs rebus recensendis simus immorati.

in fide & virtutibus excellens,

etiam in exilio.

E

a *Nicephorus factus est Imperator anno* 802.

b *Nicænum* 2 *habitum anno* 787, *cui interfuerunt Patres* 350.

c *Nicephorus occisus* 26 *Iulij anni* 811. *superfuit Stauracius filius vsque ad* 11 *Ianuarij proximi.*

d *Michaël* Curopalates *acclamatus Imperator* 2 *Octob. anni* 811.

e *Leo coronatur* 11 *Iulij anni* 813: *correximus autem quòd interpres hic* Leontij nomen *pro leonino nomine scripserat in amphibolia vocis* λεόντιος *hallucinatus.*

f *Eiectus est* 14 *Februarij anni* 815.

g *Theodotus* Cassiteras, *Antonius ex Syllao*, & *Ioannes sitte Iannes Syncellus anno* 842 *depositus.*

h *Ab anno* 813. *ad annum* 842.

i *Imò cùm* 14 *exilij annum ageret, scilicet à* 13 *Martij anni* 815 *vsque ad annum* 828, & *diem* 2 *Iunij.*

CAPVT II.

Corpus S. Nicephori magnâ solennitate Constantinopolim translatum.

10 Posteaquàm enim, defuncto *a* Theophilo, Imperium ad eius vxorem *b* Theodoram, & filium eorum Michaëlem admodùm adolescentem delatum est, in pietatis studium curamque maximè incubuit fœmina; verè Dei munere (vt nomen eius indicat) data, ex omnibus præclaris & magnis facinoribus, quibus Principes probari solent, nullum præstantius existimans, quo tutiùs sibi Imperium confirmaret, aut virilem in fœmineâ personâ fortitudinem exerceret, quàm si pietatis & religionis cultu Deum sibi propitium redderet. Id autem nullo pacto faciliùs aut commodiùs posse contingere, quàm si perturbationem in Ecclesiâ iamdiu excitatam sedaret, & partem in illâ morbo laborantem reduceret ad sanitatem: vt, qui inter se animis essent abalienati, conciliarentur atque idem omnino sentirent: sic enim fore, vt cùm vna esset omnium sententia atque idem sensus, vera sinceraq; fides, Apostolorum Patrumque institutis tamquàm solidis fundamentis inhærens, firma atque immobilis conseruaretur: & sibi deinceps Imperij gubernatio facilis ac tolerabilis permaneret.

a

b S. Theodoræ Imperatricis solicitudo

pro concordia & fidei sinceritate.

11 Hæc igitur cùm illa verè animo excellens ac

A mente fortis Regina ingenio suo excogitasset, & prudentiâ considerasset; re cum illis, qui erant in magistratu & dignitate constituti, communicatâ, accersit cum ipsis eos, qui inter monachos præstabant, & de imaginum instauratione quæstionem proponit. Cumque idem omnes sentientes comperisset, diuturnoque eius rei desiderio teneri, atque animo excruciari propter religionis in eâ re mutationem, postulauit, vt se Patrum etiam auctoritatibus ad veritatem confirmarent, quas varijs in libris inuenissent: mandauitque quo in loco palatij præfinitus cœtus ecclesiasticus vniuersus cogeretur, & ad populum eâ de re quàm apertissimè verba faceret. Tanta autem multitudo confluxit, vt numero comprehendi non posset. Conuenerunt enim non solùm illi, qui mentem sanam impietatis temporibus conseruarant, verùm etiam complures ex ijs, qui cum pietatis hostibus consenserant, quique Sacerdotijs & Ecclesijs regendis ab ipsis electi fuerant: è vestigioque mutatâ sententiâ, eos, qui sanctas Imagines oppugnarant, anathemati subiecerunt.

AVCTORE IGN. DIAC. EX MSS. GR. pro imaginũ cultu cœtum Ecclesiasticum cogit:

12 Quâ quidem celeri & insperatâ rerum commutatione, Ioannes, qui tunc impiè munus Pontificium administrabat, stupore & mentis caligine captus, parum abfuit, quin sibi ipse manus afferret, mortemque consisceret. Hic enim sceleris caput & summa fuerat: qui cùm impiè sentiret, & apud Imperatorem auctoritate posset anteà plurimùm, eum mendacijs & dolis imprudenter inconsideratéque confictis, in impietatis barathrum impellebat. Eo igitur propter flagitia, quæ in Deum admiserat, vno omnium consensu & cunctis tum magnorum Imperatorum, tum vniuersi cœtus Ecclesiastici suffragijs, à sacrâ Sede cum ignominiâ eiecto, e Methodius vir & vitâ & doctrinâ valdè probatus, & qui pro veritate & religione permulta certamina & longum exilium pertulerat, atque inde plagis & carcere diu cruciatus redierat, omnibus in dignitate constitutis approbantibus, electus est, qui sacram reginæ vrbium ciuitatis Sedem obtineret.

Ioan Episcopus Constantinop. Iconomachus deponitur. B S. Methodius substituitur,

13 Tunc Nicææ secundum diuinitus electum sanctum œcumenicum Concilium, quod d Irenæ Imperatricis, verum ab ipsâ pace nomen habentis, & Tarasij maximi beatissimique Patriarchæ studio celebratum est, meritò firmam obtinuit auctoritatem ac robur; cùm omnes, quæ, Deo adspirante, in ipso decreta fuerant, comprobarent. Tunc omnes Ecclesiæ suum vbique decus receperunt, & venerabilium imaginum splendore fuerunt illustratæ: eiectisque illis, qui eas nefariè insectabantur, Sacerdotes in eis ac duces, recti dogmatis studiosi, sunt constituti.

Nicæna II Synodus approbatur: d restituuntur sacræ imagines:

C 14 f Quadriennio igitur pòst sacratissimus Methodius, diuino planè spiritu impulsus, opportunè sapienterque diuinam Imperatricem Theodoram admonuit, non esse ex Imperij & Reipubl. dignitate, quòd venerandus & inter Patriarchas illustris Nicephorus, qui pro gloriosæ syncerææque fidei defensione à sacrâ Sede depulsus, in longissimo exilio defunctus erat, negligeretur: sed omni studio curandum esse, vt diuinum corpus ipsius in ciuitatem reportaretur. Alioquin ingrati animi vitium, inquit, non euitabimus, si post mortem etiam ipsum in exilio, tamquàm iure damnatum, reliquerimus: præsertim cùm non ignoremus, eos, qui ex genere erant Ioseph, in benedictionis parte posuisse, vt patris ossa post quadringentos ferè annos ex Ægypto in Chananitidem exportarent. Quod cùm ita sit, nos, qui sumus pietatis filij, diutiùs priuari patiemur Patris illius præsentiâ, à quo diuinis documentis enutriti sumus? Hæc quidem omnium, quas intuetur sol, vrbium præstantissima & regia ciuitas, sacri Ducis atque Pastoris suis reliquias sanctas desiderat, quas piè conseruet & colat. Sponsi sui præsentiâ fruatur rursum Ecclesia ipsius amantissima, & quo viuo iniustissimâ Imperatoris manu spoliata fuit, mortui corpus; annuente studiosâ Pastoris Imperatrice, complectatur. Cernis quemadmodùm hic populus, qui per te securus in verâ religione conquiescit, incredibili studio post mortem etiam vocem eius audire in spiritu concupiscit? Quòd si tabernaculum eius tantùm ad se relatum adspexerit, se illum ipsum recepisse spirantem existimabit, & tamquàm thesaurum aliquem pretiosissimum reconddet & obseruabit. His precibus & cohortationibus celerrimè ac libentissimè inclyta annuit Imperatrix: Perspicuum est enim, inquit, hoc apud omnes posteros & mihi & liberis meis honori futurum.

f Vt corpus S. Nicephori referatur Constantinopolim, pluribus suadet S. Methodius

D

15 Tunc sacer ciuitatis Antistes, cum Sacerdotibus & monachis vniuersoque populo, ad sancti Theodori templum accedit, in quo gratiâ plenæ reliquiæ iacebant, easque cum veneratione & lacrymis complectens, tamquàm Sanctum ipsum viuentem sic allocutus est: O vir beatissime, qui eisdem laboribus & ærumnis, quibus S. Ioannes Chrysostomus, affectus es, sicut eodem religionis studio & dicendi libertate præstabas; quique pariter & Sede priuatus, & mulctatus exilio, & idem triginta trium annorum spatium extorris tum viuus tum mortuus transegisti: nunc tè nobis tui amantissimis restitue, atque hinc discedens, ad propria redi, vt te nunc, vt ipsum olim, populus tui studiosissimus cum gaudio suscipiat. Tibi alienus à Deo Imperator viuenti aduersatus est & te inconsideratè ab Ecclesiâ depulit: sed dignas furore suo pœnas dedit, miserandoque exitu Imperio simul & vitâ priuatus est, audaciæque suæ debita præmia tulit. Hodie Imperatores, Deo propter morum pietatem carissimi, mortuo Ecclesiam reddunt, quam, vt filij per Euangelium effecti, mecum constituunt non habentem maculam neque rugam, qualem tuis ornatam & confirmatam institutis reliquisti. Adspice & vide congregatos filios, qui ex propinquo venerunt, cùm reliqui procul tuum ad se reditum expectent: quos tu, velut orphanos, noli tuâ mœrentes absentiâ relinquere. Habeat ciuitas tua loco muneris pretiosissimi tuum beatissimum tabernaculum, quo magis quàm Imperij amplitudine ornata glorietur & gaudeat. E

cum Clero & populo ad illud accedit, alloquitur,

16. Hæc voce flebili supplicans sacratissimus Patriarcha Methodius, nocturnum psalmorum cantum & mysticum sacrificium cum populo fideli perficiens, præclarum è tumulo corpus retexit, quod vndeuiginti annorum spatio integrum omnino purumque manserat: & in arcâ ab ipso cōpositum & Sacerdotum manibus sublatum, cum luminibus & frequenti psalmorum cantu in nauim ad hoc paratam illatum est. Sed cùm fretum traiecisset, & ad vrbis littus appropinquasset, Michael iuuenis Dei curâ Imperator, & amplissimis dignitatibus præstantes viri, & Patricij, & reliqui ciues, læti facesque manibus tenentes, obuiàm processerunt, & arcam illam pretiosam cum fide ac veneratione humeris suis subeuntes, ad magnam vsque gestarunt ecclesiam, e ex quâ, Pontificia dignitate spoliatus, eiectus fuerat. F

& detectum arcæ impositum, naui Constantinopolim defertur.

17 Inde rursum, assiduis item diurnis nocturnisque psalmorum cantibus vicissim vtentes, & cum omni luminum genere per mediam vrbem ipsum gestantes, in sanctorum Apostolorum templo collocarunt. Tanta autem erat concurrentis populi virorum & fœminarum atque ætatum omnium multitudo, vt numerari non posset. In biuijs enim & porticibus premebantur, & vbique per vim sibi exitum parabant: adeò, vt quamuis multæ propter Imperatores & Sacerdotes varijs temporibus celebritates extiterint, nulla tamen cum hac conferri queat. Nonnulli etiam in viâ spiritibus immundis vexati, dum ab alijs comprimerentur, miserandas atque maledicas voces emittebant: quorum è numero quidam ab ipso curati sunt.

In ædem Cathedralem, inde in templum Apostolorum solemnissima pompa, etiam energumenis liberatis.

Populi

A Populi igitur impetu vix euitato, sanctum eximij Patriarchæ corpus in celeberrimo Apostolorum templo, sacris mysterijs Deo peractis, in sepulcro recens constructo, manibus ipsius Methodij compositum est, tertio Idus Martij *f*, quo quidem die in exilium etiam eiectus fuerat, vt vtraque re sit memorabilis.

deponitur 13 Martij, f

18 Nos autem, ô Patrum sanctissime, ô sacrorum præconum decus, qui digni facti sumus, vt te & terrestrem haberemus ciuem, & cælestem apud Deum intercessorem, ad arcam tuam cum desiderio accedimus, eamque cum omni veneratione complectentes, has tibi voces effundimus: O sublimium & arcanorum mysteriorum inspector & contemplator: ô diuini adspectus atque splendoris gloria abundè propter mentis puritatem illustrate: ô Patriarcharum atque Pontificum societatis particeps, qui & nomine & re simul cum illis victoriæ præconia & præmia, ærumnis & periculis superatis, percepisti; suscipe benignè sinceri cordis erga te fidem & affectionem, vicissimque tuas pro nobis ad Deum puras castasque preces exhibe: vt Ecclesia sancta in tranquillitate versetur, &
B fides integra custodiatur. In perpetuum nobis Deum propitium redde, & nos, qui iucundissima tua monumenta, qui pulcherrima ad salutem instituta, varijs D in libris à te relicta perlegimus, in rectâ dogmatum doctrinâ firmos immobilesque conserua, & in omni temporum varietate constantes: vt omnem reliquam vitam exemplo tuo sanctè transigamus, vt Deo cari simus, & quæ iustis promissa sunt, bona consequamur, illius misericordiâ ac munere, qui propter nos homo fieri, & carne indutus videri non est dedignatus, Christus Deus noster: qui colendus & adorandus est cum Patre, qui est ante principium, & diuino Spiritu, qui est eiusdem cum illis essentiæ, auctorque vitæ in secula seculorum, Amen.

innuitur à Theophane scriptore.

a *Post Leonem Armenum & Michaëlem Balbum, sub quo S. Nicephorus vita functus est, regnarat Theophilus Balbi filius, extinctus sub finem anni* 841 *aut initium sequentis.*

b *S. Theodoræ Imperatricis Vitam dedimus* XI *Februarij: in qua sequentia latè explicantur, vti & scelera Ioannis seu Iannis Patriarchæ.*

c *S. Methodius colitur* 14 *Iunij, creatus Patriarcha anno* 842.

d *Coluntur S. Irene Imperatrix* 13 *Augusti, & S. Tarasius* 25 *Februarij.*

e *In Menæis Græcis additur,* S. Sophiæ

f *Additur in eisdem Menæis:* vbi anniuersaria eius memoria peragitur. E

DE S. ANSOVINO EPISCOPO

CAMERINI IN ITALIA.

CIRCA AN. DCCCXL XIII MAR. Camerini natus Ansouinus,

1 *Amerinum in Piceni Vmbriæque confinijs antiquissima ciuitas est sub Apennini montis iugo; populus* Camertes, *Romanâ historiâ amicitiâque notissimi. Hi vt bellicâ Maiorum fide ac fortitudine gloriari meritò possint, iustiorem tamen gloriandi materiam ex eo habent, quòd eorum ciuitas Sanctum Martyrem* Venantium *protulerit cælo, & Sanctum Præsulem* Ansouinum: *ita namque iam ante quadringentos annos scribi consueuisse testis est argenteus nummus ante id tempus Camerini cusus, atque apud Ferdinandum Vghellum tomo* 1. *Italiæ sacræ conspiciendus: cuius vna facies Sanctum vrbis exhibet Protectorem mithratum in casulâ sacerdotali, cum Pallio & Cruce Archiepiscopali, ac gestu dexterâ benedicentis, circumeuntibus hisce litteris* S. ANSOVINVS, *altera verò facies Crucem cum istis,* DE CAMMERINO. *Acta verò duobus seculis nummo isto vetustiora* Ansuinum *habent, quod in Romano Martyrologio ad hunc diem secutus Baronius est.*
C *Vtro modo scribas inuenies Lombardicæ originis vocem, quam Teutones paullo his nostris seculis antiquiores, ingratâ Italis aspiratione præfixâ,* Hanse-win *scripsissent, id est, Societatis delicium, seu, amor sociorum.*

seu Ansuinus.

2 *Cuius nominis mensuram non æquauit tantùm, sed longo superauit interuallo cuncto gregi suo amabilis pastor, vt Vitæ illius Acta declarant; quæ Eginum monachum auctorem præferentia, & Petro Episcopo, circa annum Domini* DCCCCLXIII *florenti dicata, accepimus ex vetustissimo Codice, maximis membranis conscripto Romæ, apud Patres Congregationis Oratorij S. Mariæ in Vallicellâ: quæ eadem in perantiquis Perusinæ atque Assisinatis Ecclesiæ Legendarijs legisse se Iacobillus testatur: qui Codices vtinam reperiri à nobis etiam potuissent, in ijs namque magnam fortè miraculorum à morte per intercessionem illius patratorum partem reperissemus, quam in Vallicellano MS. deesse suadere videtur prologi præeuntis prolixitas, sed & in principio deesse nonnulla ante Episcopatum gesta, non vanâ suspicamur coniecturâ, quæ vtcumque suppleri possunt ex Lectionibus, quas Camerinensis Ecclesia recitat, à sacrâ Rituum Congregatione anno* MDCXLII *approbatas hoc tenore.*

Acta & miracula circa an. 960 scripta,

mutila fortassis.

3 Ansouinus Camerini in Vmbriâ natus, ecclesiasticis muneribus à puero addictus, cùm litteris esset non mediocriter eruditus, Sacerdotio demùm est initiatus. Vixit eo in gradu insigni modestiâ, admirabili abstinentiâ, & vitæ integritate. Solitudinem deinde, vt Deo liberiùs vacaret, adamauit, quam pluribus annis prope Castrum Raymundi, omni virtutum genere excoluit. Ad templum sacrificandi causâ properans, flumen strato super aquas pallio traiecit: cùm verò sacrificantem solis radij interpellarent, suspenso ipso in aëre linteolo, mirabiliter vmbram inuenit.

& ex lectionibus supplenda.

4 Expetitus à suis in Episcopum, Romam pergit: reuersus, difficile dictu est, quantâ cum laude munus impositum gesserit. Nihil eo mitius, nihil temperantius excogitari poterat. Summum in illo precandi studium, accuratissima in pascendo grege diligentia, effusa in pauperes benignitas. Horrea ipsa solitus Eleemosynis exhaurire, cùm semel nihil frumenti superesse famuli renuntiassent, scrutari iterum iussit non irrito euentu. Itaque horreum, quod beneficentia vacuauerat, fides repleuit.

5 Ægris quamplurimis sanitatem restituit: solo F Crucis signo grassantis flammæ incendia restinxit. Nec viri Sanctitas hominibus modò perspecta aut in admiratione erat; sed muta etiam animantia eam, quâ poterant, impensâ veneratione intelligere videbantur. His alijsque virtutibus, atque ornamentis clarus, ætate iam longæuus, tertio Idus Martij euolauit in cælum: cuius corpus in Cathedrali ecclesiâ Camerinensi honorificè conditum, deuotissime colitur; eiusque mortem in conspectu Domini fuisse pretiosam, consecuta deinde miracula, & multa & magna, testantur.

6 *Simile vitæ compendium potest in Philippi Ferrarij Catalogo Sanctorum Italiæ legi, ex monumentis Ecclesiæ Camerinensis acceptum, in quibus solum primum vitæ caput vsque ad num.* 14 *quod seorsim in varijs MSS haberi in annotatione monebimus, à se inuentum lectumque fuisse, satis insinuat, cum subiungit.* Quantum in Episcopatu vixerit Ansouinus, historia ipsius haud docet; docet autem illum multis post mortem miraculis coruscasse: *nempè hæc primo habentur capite; quod iam olim ab antiquiori auctore conscriptum, Petri Episcopi hortatu Eginus monachus auctius reddidit, additâ plurium in vitâ atque post eam miraculorum narratione, stylo neque succincto satis, neque*

annus Ordinationis fuit 822.

satis

A *satis polito: sed, vt illa ferebant tempora, cum eloquentiæ affectatione semibarbaro. In hoc autem Actorum primorum supplemento num.* 18 *legitur Sanctus Præsul,* cùm iam ferè gereret decimum octauum Ordinationis suæ annum, plenus dierum, id est, bonorum operum fructibus ex huius mortalitatis peregrinatione migrauisse ad Christũ. *Vnde autem Iacobillus annos* XXIV *Episcopatus acceperit, nec ipse dicit neque assequi nos potuimus: hoc certum, si mortuus est anno* DCCCXL *S. Ansouinus, vt Vghellus scripsit, ex eóque descripsit Iacobillus, Ordinationém eius ad S. Pascalis Pontificatum pertinuisse, qui Apostolicam Sedem ab anno* DCCCXVII *per septennium tenuit.*

si mortiis 840.

Reliquiarũ cultus,

7 *Porrò* Cathedralis ecclesia, in quâ S. Ansouini corpus requiescit, à Gentis Varranæ Dominis, *Ducatum Camerinum beneficio Pontificali obtinentibus* excitata, magnifico opere superbè assurgit, *inquit Vghellus; &, vt Iacobillus testatur,* honorificum eiusdem Sancti monumentum ostentat ex marmore eleganter sculpto, atque in tabulâ item marmoreâ præcipua vitæ & miraculorum eius capita spectanda exhibet. *Romæ in Basilicâ Vaticanâ aliquas illius seruari Reliquias, indicat ordo Officij recitandi pro eadem Ecclesiâ impressus, & commemorationem S. Ansouini die* XIII *Martij faciendam præcipiens,* B *cum Missâ post Primam ante missam de Feriâ: has autem Reliquias partem esse humeri didicimus ex Catalogo Reliquiarum eiusdem basilicæ, anno* 1617 *fideliter scripto, curantibus Paulo Bizono & Marco Aurelio Maraldo maioribus Sacristis, quem ex Archiuio ibidem descripsimus. Est quoque in statum Florentini atque Senensis confinijs collis, quem* Esa *fluuiolus, haud multò pòst in* Clanim *decurrens lambit, & in collo oppidum diœcesis Arretinæ, vulgo* Mon-sansouino *dictum: quod videri posset tantumdem esse ac* Mons-sancti Ansouini: *an ab aliquâ eius istic Reliquiâ, aut alio cultu particulari, non possumus diuinare.*

Pars humeri Romæ in Vaticana:

castrum ab eo nuncupatum:

eremus eius vbi fuerit?

8 Castrum-Raymundi, *de quo in lectionibus Camerino distat septem passuum millibus trans Potentiam flumen septentrionem versus: iuxta quod Iacobillus in supplemento vicum esse scribit* Torricellæ nominatum, *in quo eremiticam vitam duxit S. Ansouinus: vnde facile est definire quis sit ille fluuius, quem suo pallio instratum transijt, cùm iret ad Missæ sacrificium celebrandum. Idem eius miraculum in alijs aliquantò prolixioribus lectionibus tribus, post reformationem Breuiarij aliquamdiu fortassis vsitatis, inuenimus: quas ex illius Ecclesiæ Manuscriptis ad nos trãsmisit P. Henricus Lindanus, Societatis nostræ olim Laureti Pœnitentiarius Belga, nunc inter caritatis Christianæ victimas numerandus, ob mortem in Daniâ obitam, quâ classiarijs ibidem Ca-* C *tholicis malignâ lue laborantibus se suamque vitam impendit, cum eis priùs sua omnia lectumque ipsum cessisset.*

Lectiones aliæ.

An fuerit Canonicus Regularis,

9 *Gabriel Pennottus in tripartitâ Ordinis sui historiâ lib.* 3 *c.* 50 *Lateranensis Congregationis Sãctis Ansouinum annumerat, addens quòd* in vetustis nummis, qui sub Camerini Dominijs cudebantur, ex vnâ parte imago S. Ansoini cernebatur, cum inscriptione quæ illum Regularem Canonicum Lateranensem ostendebat: quod nunc etiam Camerini ciues ex maiorum traditione passim & vnanimiter fatentur. Habeo ipse numisma, *inquit,* cum eiusmodi inscriptione à Claudio S. Cateruì Tolentini Præposito transmissum, quod pro teste seruatur: *sed vereor vt fideli & antiquo satis; aut ne violenta interpretatio hunc inscriptioni sensum fecerit: nec enim aut Canonicos Regulares Lateranenses ante* XII *seculum vsquam reperias nominatos, aut ante annum* MCCLVIII *Ducatum Camerinum obtinuit Gentilis Varranus in præmium seruatorum ciuium & vrbis restauratæ: à Varranis autem Dominis cusum esse, Iacobillus ait, quod pro se allegat Pennottus numisma: id tamen si verum est, antiquius est illud quàm quod habet expressitque Vghellus seculo* XV *à Camerinensibus, postquàm se in libertatem asseruissent, procusum tempore Eugenij* IV *aut paullò antè.*

idq; ex nummo post sec. 12 cuso probetur?

VITA

Auctore Egino Monacho

Ex MS. Vallicellano

PROLOGVS

1 COmpellor Petre Venerande Pontifex, crebris iussionibus tuæ sublimitatis, quibus non expedit vllo modo contraire, ad laudem & gloriam Ansuini Beatissimi Præsulis Christique Confessoris, ipsius [a] memoriam gestorum, cùm adhuc in carne degeret, enarrare, eorum quæ post obitum gessit miraculorum, stylo, operi subnectendo sermonem. His autem olim iners animus multoties reluctari nisus est præceptis diuque differre: non quasi nolens pontificalibus parere iussis, sed plurimis præpeditus incommodis; non minùs secularium tumultu rerum præuentus, quàm etiam pusillitate pusilluli ingenioli, E ex hac vtique constrictus: considerans videlicet hinc suæ impossibilitatem ignauiæ, illinc verò rerum magnitudinem ac temporum malorum afflictionem; vel metuens potiùs ne fortè ponficalibus parendo præceptis, temeritatis subcumberet culpæ.

Auctor Petri Episcopi hortatu.

2 Nam quis de se non formidet quicquam magni præsumere minorum? cùm ipse etiam Propheta sagacissimus de se pronuntiet, dicens: Deus tu nosti insipientiam meam. Et alibi: Ad nihilum redactus sum, inquiens, & nesciui. Et beatus Apostolus humilitatis exẽpla nobis monstrando inquiens Paulus, in insipientiâ dico. Et aliàs: Insipiens factus sum, vos me coegistis. Nam alio in loco idem sapientem se insinuat cùm dicit sapientiam loquimini inter perfectos. Et: Verùm si voluero, inquit, gloriari, non ero insipiens, vel illam terribilem comminationem, quâ dicitur. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Vbi attendendum quòd non simpliciter dictum est: Væ qui sapientes estis & prudentes, sed signanter & cum additamento, coram vobismetipsis atque in oculis vestris: alioquin iam non oporteret quemquam sapientem esse vel prudentem, quod prorsùs videtur absurdum omninòque abs re. Sed sicut ait Apostolus: Nolite pueri effici sensibus. Nam liquidè F intelligitur his verbis, quòd eosdem volebat pueros esse atque sapientes; vnde cùm diceret: Nolite pueri effici sensibus, illicò adiunxit, sed malitiâ paruuli estote. Vel illud propheticum: ecce comprehẽdam, inquit, sapientes in astutiâ suâ, & B. inquiens Paulus, nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Et aliàs: Non alta sapientes sed humilibus consentientes.

Ps. 68, 6. *Ps. 72, 22.* *humilitatem suscepit* *2. Cor. 11. 21 & 12, 11* *1. Cor. 2. 6* *2. Cor. 12, 6* *Isa. 5. 21* *1. Cor. 14, 20* *1. Cor. 3. 19* *Rom. 12, 16*

4 Verùm hæc omnia non interdicunt bona loqui, nec quemquam à Dei laudibus Sanctorumque eius virtutum compescunt narratione; magis arguunt superbientes. Nihilominus & veremur scyllæa vndique hiantia æmulorum ora, nos insano iugiter attrectantia dente. Aiunt enim non debere quemquam post antiquorum dicta Patrum sanctorum, quippiam nouogestorum narrare: ignorantes præsertim illud Euãgelicum quo dicitur: Pater meus vsque modò operatur & ego operor: nam in eo quod ait: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, ostendit se quotidie noua recentiáque opera patrare. Et ad Ioannem in Apocalypsi: Ego, inquit, sum primus & nouissimus. Nam si ipse, quod negare nullus audet, est primus & nouissimus; proculdubio ipse operatur in nouissimis, qui operatus est & in primis. Et si ipse, quod negari non potest, in nouissimis operatur qui & in primis; ergo laudandus est à nouissimis quemadmodùm & à primis. Quid autem absurdiùs quàm cùm videa-

S. Ansouini miracula Vitæ Actis adiungenda *Io. 5, 17* *Apoc. 1, 17*

A videamus opera virtutum nostris etiam temporibus perfici, ab alijs quoque plurima narrata (quæ ipsi nihilominus vel audiendo ab his qui viderant eadem narrantibus eis pro certo compererant,) sciamus antiquis loquentibus nos muti vel ingrati efficiamur.

4 Nimis etenim præposterum incommodúmque videtur, si metu hominum de Dei laudibus Sanctorumque sileamus virtutibus. Cum Propheta apertè metuentes non metuenda increpet dicens: Illic trepidauerunt timore vbi non erat. Subauditur, ibi trepidandus timor; ideoque sequitur adiungens: Dominus dissipat ossa eorum qui hominibus placent; subintelligitur enim in adulationibus. Et B. Petrus comprehensus cæsusque cum suis Coapostolis à Iudæis, interdicentibus sibi ne de Christo loqueretur, magnâ protinùs auctoritate respôdit, inquiens: Oportet obedire Deo magis quàm hominibus. Et Coapostolus eius Paulus inquit: Si hominibus adhuc placere quærerem, Christi seruus non essem. Quamobrem hæc omnia considerans ac æmulorum obsecrationes paruipendens, licet minùs idoneum ad hoc tantum me conspicerem opus, decreui huius lucidi itineris (non tamen vt decet, sed vt vires suppetunt; ipsius nempe
B fretus iuuamine, cuius in honorem adscribitur) carpere callem, & non tam verens ingenij parui inertiam, quàm fidens quòd is, qui tam facilis cognoscitur in virtute signorum se petentibus adesse, valet etiam de se loquenti obtinere loquendi copiam apud illum, qui quondam animalis stolidi ac non habentis loquendi naturam humanâ repleuerat ora loquelâ. Sed iam præfatiunculæ huic posito termino, veniamus ad rei narrationem, ob quam ista præmisimus.

Ps. 13, 5.

Act. 5, 29.
Gal. 1, 10.
fretus ipsius sancti auxilio.

a *Ne primo in limine offenderet lector, obscurum sensum vnius alteriusue vocis transpositione clariorem fecimus, cùm in MS. legeretur:* Ansuini... ad gloriam & laudem ipsius suique memoriam gestorum, quæ cùm adhuc in carne degeret, quæ post obitum gessit miraculorum stylo operi subnectendo enarrare sermonem.

b *Quod sequitur caput in proprio ac veteri Officio Camerinensis Ecclesiæ per noxem distribuitur lectiones, quas cum Responsorijs. Antiphonis &c. inde accepimus per* P. *Henricum Lindanum, nostrum Laureti* Pœnitentiarium, *& à Ferdinando Vghello: easdem reperimus in quodam apographo Vallicellano, quod ex MS. veteri Cassinensi Constantinus Caietanus olim accepit, & Eminentissimo Baronio communicauit.*

CAPVT I

Sanctus vitæ totius cursus.

5 ANsuinus igitur beatus (vt comperimus, referêtibus plurimis, de quorum nullo modo expedit ambigi testimonio) Camerinensium oriundus fuit genere, haud equidem adeò infimorum. Sed quid oportet illius terrenæ requirere nobilitatem propaginis, quem videmus iam perfectam assecutum ingenuitatem, *a* vt nullius possit ignobilitatis maculâ iam vlterius cuiuscumque vel tenui offuscari. Hic itaque ab ipsis fermè primæuæ suæ ætatis annis, educatus inter sacræ Religionis Ordines, *b* à quibus etiam instructus sacrarum studijs litterarum, atque à bonis in meliores ascendens prouectus, dignis præsertim fulcientibus actibus, ad Sacerdotij meruit pertingere dignitatem. Iam verò Sacerdotali sublimatus decore, quàm dignus habebatur illo fungi, non est nostræ exponere facultatis; porrò cupientibus nosse ipsius liquidiùs facta declarant. Quantæ autem sanctitatis modestiæque, mansuetudinis atque continentiæ, sobrietatis ac pietatis, dilectionis & alacritatis, abstinentiæ quoque ieiuniorum atque vigiliarum fuerit, Presbyteratus sui temporum cultor, sequentis liquebit legentibus textu orationis *c* ....

Egregiâ virtute instructus Ansuinus

6 His denique alijsque quamplurimis pollens Ansuinus operibus virtutum, satis dignus veneratione inter coætaneos claruit suos; adeò autem, crescente sanctitate, prædicandus Sacerdos amabilis habebatur; vt non solùm à vicinis vel à longinquis alijs, quos ad venerationem sui eius attraxerat fama sanctitatis; sed etiam ab ipso Cæsare Ludouico; videlicet eo quòd Christianissimus esset, qui tempore illo Romani regebat habenas Imperij, veneraretur præ alijs, assumens eum sibi in spiritualem Patrem. Hæc autem ideò curauimus his inserere opusculis, vt scrupulositatis auferatur occasio vniuersâ lectori, & nihil à nobis autumetur mendaciter in hoc opere confictum; sed omne quod asserimus in eo tam certâ nobis fore compertum ratione comprobatur, vt etiam infidelis de hoc non debeat quisquam dubitare. Tempus quoque, quod omnes pene Historiographos continet, decreuimus annectere, ob certitudinem tantùm huius nostræ narrationis: nam ista facientes nequaquam prædicamus Ansuinum secularium rerum amatorem contra Dominicum præceptum, pro eo quod commemoramus eum ab Imperatore dilectum assumptumque in Patrem; sed, vt diximus, quò rei certitudo manifestior fiat liqueatque, quòd longè lateque iam illo tempore illius erat diffusa fama sanctitatis. E

D *AVCTORE EGINO MONACHO Ludouici Imp. fit Confessarius,*

7 Per idem itaque tempus factum est vt Camerinæ ciuitatis Ecclesia aliquantisper absque Præsule regeretur, suo quippe defuncto *d* Pastore; Cumque, vti assolet, multi conarentur (licet nequidquam, quia alij seruabatur) quo ad prælibatæ Ecclesiæ pertingere valerent Pontificatus honorem, huius rei gratiâ quæsitus est Ansuinus: sed cùm fortè reniti [vellet] excusandóque, nequaquam fieri posse quòd se tali indignum nosset honore, sæpiùs denuntiaret; omnibus in eâdem persistentibus sententiâ, quod dudum cœperant, vna eademque voluntas pariaque vota Ansuinum tantum poscebant Præsulem, aliumque omnino eligere renuebant. Sed vir Sanctus his minimè elatus fauoribus in suâ sententiâ persistebat immobilis, atque hoc à se fieri posse penitus abdicabat, nisi priùs petitio sua à prædicto Augusto locum impetrandi, quod cupiebat, obtinuisset: iam enim pessima inoleuerat consuetudo, quæ Episcopos more secularium militare cogebat; quod Ansuinus omnimodo à se posse fieri denegabat: ne fortè Pontificalis honoris occasione, quod illi magis onus quàm honor videbatur, præpediretur ab itinere suæ intentionis, quod iam dudum tenere cœperat cum illo, de quo ait Apostolus: Qui cùm diues esset, in omnibus propter nos pauper factus est. F 2. Cor. 8, 9

dein Episcopus, de immunitate à militia. d

8 Sed tamen benè sibi conscius erat, quia neque mors, neque vita, neque altitudo neque profundum, neque instantia neque futura, neque vlla sublimitas neque vllus honor, neque Creatura aliqua poterat eum separare à caritate Iesu Christi, cui infatigabiliter adhærebat, cum Paulo ista dicente atque cupiente dissolui & cum Christo esse; vel forte metuens illud Euangelicum, quo dicitur: Nemo potest duobus Dominis seruire: cum nequaquàm ignoraret huius rei occasione se à Dei seruitio dirimendum, imò potius mancipandum. Proponebat etiam & illud sibi quod Beatus Apostolus Paulus scribens in exhortatoriâ epistolâ ad discipulum inquit: Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Hæc autem fortè meditanti secum, data est optio Sancto Viro à præmisso Cęsare securiter accedendi ad Pontificatus honorem, quia non auderet eum quispiam compellere deinceps inseruire militiæ rei secularis: *e* hac itaque sponsione acceptâ B. Ansuinus etiam securus tumultibus rerum terrenarum auelli prorsus non posse ab amore Christi, cui dudum, vt dictum est, perfectè inhæserat, fideli postulatione

Rom. 8, 38
prius cum Imperatore pactus,
Phil. 1, 23
Matt. 6, 24
2. Tim. 2, 4
e

AVCTORE EGINO MONACHO

A latione tandem cunctis, qui sibi illum prouenisse exoptabant Pastorem, exultantibus ac Deo gratias referentibus, assensum præbuit.

& Romam proficiscens,

9 His denique ita peractis, cum ingenti vniuersæ fermè plebis gaudio eundi Romam arripuit iter, scilicet ob gratiam Consecrationis, Clericis nobilibusque viris comitatibus. In quo itinere Dominus Iesus Christus tam nobili eum clarescere fecit miraculo, vt liquidò omnibus daretur intelligi, quòd ipse per se Pastorum Pastor sibi illum elegerat ad suum gregem conseruandū dignumque Pastorem. Nam cùm fortè ventum esset in vnam Romanarum ciuitatum, quæ Narniensis dicitur, opportunitas illi emendi potus fuit. Illicò verò caupo ei taxato certo sanè pretio, vinum obtulit. Cui Sanctus ait Ansuinus: Vide frater ne fortassis aquam vino miscueris, & frustremur huiusmodi fraudulentijs, cùm tu à nobis, quod rite competit, accipias pretium; post verò nos decepisse gaudeas, nosque amissæ cogamur pati dispendium pecuniæ. At ille velut insultans beato viro, Accipe, inquit, si vis; numquid tuis cogemur deliramentis nostra immutare negotia? Et Sanctus ad eum: Accipiam, inquit, sed vasculi deest nobis copia gratiâ huius exceptionis, nisi fortè largitas vestræ humanitatis in hoc erga nos exuberauerit: postquàm enim indigentia potandi aberit à nobis, tum quod vestrum est recipietis.

fraudulenti cauponis,

B

aquam vino miscentis,

10 Quo pertinaciùs negante se illi vas vllatenus largiturum, ait B. Ansuinus: Funde vinum in istius sinuamen cappæ, potest enim Omnipotens Deus, qui ex nihilo cuncta creauit, illud ita præcepto suæ firmitatis stabilire, vt miminè cogamur nostri super hoc pretij sustinere damna. Quibus auditis tabernarius ampliùs cœpit illum quasi gannientem habere & nescientem quid diceret, atque illudere illi velut cuidam demēti, quem vtiq; insanire putabat. Ad quem S. Ansuinus magis hilaris iterum atque iterum inquit; Funde, frater, funde securus, quid trepidas, quasi tu quippiam perdas tuorum? numquid non nostrum apud te retines pretium: neque quidquam propriorum amittis si disperierit, cum nostræ potius videaris rei iacturum [facere]? Tum siquidem his conflictibus tandem victus vini negotiator fudit illud supra cappam S. Ansuini, ipso S. Ansuino quippe illam tenente. In quo facto continuò patuerunt dico stupenda memorandaque valdè prodigia: nam tantâ tenacitate retentus est fusus liquor in panno, vt putaretur alterius naturæ fore non suæ; fraus contrà venditoris cunctis mirantibus claruit manifestè: ita namque discretum est vinum ab aquâ, vt ipse etiam qui miscuerat, licet confusus, confiteretur non aliter esse præter quàm Ansuinus, antequàm acciperat, dixeret.

nequitiam miraculo detegit:

C

in tali signorum suorum initio Christo similis.

11 Quis ergo putet ob aliud quoddam facultatem vasis reperiendi defuisse, nisi vt virtus, quæ in S. Ansuino latuerat hactenus homines, non tamen illum qui ei dederat, liquidò appareret; & omnes manifestè cognoscerent, quòd Christus, qui in omnium suorum operatur virtutibus Sanctorum, erat cum illo, clarificans eum in conspectu hominum, quem olim apud se clarificauerat, vt dignus Pontificatus inueniretur honore? Nam quis putet dignè narrare quiuerit, cuius meriti vir iste fuerit, qui à tantâ cœpit perfectione miraculorum suorum initium? siquidem ab eiusdem elemento materiæ suorum cognoscitur sumpsisse exordium prodigiorum, à quo & Christi noscuntur miracula inchoata. Sic quippe scriptum est in Euangelio, dicente Ioanne de conuersâ in vinum aquâ à Saluatore: Hoc, inquiens, fecit initium signorum Iesus in Canâ Galileæ, & crediderunt in eum discipuli eius. Et B. Ansuinus confusa inter se elementa aquæ vinique (illo cooperante, qui in initio signorum suorum aquam conuertit in vinum) mirabiliter discreuit, vt verissimè pateret illius esse discipulus, qui primum suorum mirabilium in vino & aquâ monstrauit.

Io. 2, 11.

D

12 Ipse quoque tamquàm familiarem illum sibi nutriebat alumnum, quem imitatorem sui dignatus est facere in eodem elemento, à quo & ipse, vt dictum est, suorum cœpit initium signorum. Iam verò peracto miraculo, quis putas explicare poterit, quam ingens exultatio exorta fuerit his, qui Sanctum sibi Ansuinum poposcerant Præsulem, cum videbant illum veraciter Christi nutricium? Qui etiam incrementis atque prouectibus proficiebat de virtute in virtutem, quatenus sanctis meritis pollentibus dignissimus Pontifex haberetur. Suscepto autem iam Pontificatu, quàm beneuolus & mitis, quàm sobrius & solers, quàm quietus & hilaris, quàm pudicus & abstinens, quàm castus & benignus, quàm etiam vigilans & sagax erga gregem sibi commissum, quàm frugalis in cibis & potibus, quàm strenuissimus in laboribus, in vigilijs & orationibus, quàm rectissimus in iustitiâ tenendâ, quàm facilis in misericordiâ fuerit, quis, credis humano quiuerit narrare sermone?

virtutes eius in Episcopatu

13 Cuius etenim pietatis ac beneuolentiæ fuerit, ex ipsius poterit luculentissimè cognosci virtutibus, quæ donante Domino incessanter efficiuntur in loco, in quo eius corpus sacratissimum requiescit: nec non & multorum testimonio, qui retulerunt ab antiquioribus sibi relata; adhuc etiam eo in carne degente, ea quæ dicuntur. f Sed quid opus est hoc quorumcumque testimonio requirere, cùm ipse Beatissimus sit sibi fidelis verax testis, iugiter, Iesu Christo Domino auxiliante, noua recentiaque miracula faciendo. Hic etenim cùm adhuc in huius lacrymosæ fugitiuæque vitæ degeret corpore, quam solâ necessitate non voluntate possidebat, toto annisu omnique desiderio hanc relinquere; illam verò, quæ vera est & æterna, inuenire cupiebat: nam cuncta, quæ ad sustentationem corporeæ necessitatis habere videbatur, non super terram ærugini tineæque vel furibus demoliendâ thesaurizare studebat; sed super cœlos, vt hîc egeret, illic vero ditaretur, vbi nullus inuenitur egenus.

E *& miracula.*

f

a *MSS. Vallicellanum & Cassinense tam perfectæ esse ingenuitatis.*

b *In vtroque MS. prædicto additur* gerentes, *quod etiam sensus requirere videtur.*

c *Quæ hîc desunt, ex lectionibus vtcumque suppleri possunt.*

d *Huius nomen obliuio deleuit: nam qui in Catalogo Episcoporum apud Vghellum ante Ansouinum habetur* Salmes, *floruitq; anno* DCCL, *Pontifici Zachariæ summè carus, ad annum* DCCCXXII *non potuit viuendo pertendisse.*

e *Laxiùs id accipit Vghellus, quasi vniuersim id pro Episcopis omnibus Imperatorio diplomate sancitum fuerit, in gratiam Ansouini; quod non videtur verum fuisse.* F

f *Duæ sequentes lineæ desunt in Codice Vallicellano.*

CAPVT II

Miracula à viuente patrata & pia mors.

14 QVamobrem, cùm tempore quodam tota penè cum finitimis regionibus prouincia ingenti affligeretur alimentorum inopiâ, sanctus Pontifex Ansuinus quotidianis sumptibus omnes, quos poterat, egentes diligentissimè alere curabat. Intantùm denique circa eum amor supremæ patriæ excreuerat vt nil quod temporaliter arridet possidere curaret. Sed sollicitè voluens secum præceptum Domini dicens: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis neque corpori vestro quo induamini. Prophetam quoque dicentem: Nihil deest timentibus eum, ideoque lætanter tribuens omnia implebat id quod scriptum est. Non auersas faciem tuam ab vllo paupere. Cum quadam etenim die, tempore videlicet supradictæ famis, more solito venissent pauperes ad eum, sibi vt aliquid dari præciperet rogantes, cum

In pauperum fame laborantium vsus,

Math. 6, 25.

Ps. 33, 10.

Deut. 15, 9.

A cum omni vt hoc fieret præcepit alacritate. Cui cùm dictum esset ab his, quibus imperatum fuerat, nil iam penè superesse, eò quòd quæquæ habuerat alimoniæ, essent omnia in huius rei opus consumpta, monere illos vehementiùs cœpit de se minùs essent soliciti, magis committerent Deo curam sui, & quidquid in horreis reperire possent darent pauperibus: profecuti itaque iubentis imperium, verrentesque horrea, hoc ipsum, quamuis parùm, quod inuenerunt obtulerunt petentibus.

exhaustum horreum, miraculo impletur,

15 Quod factum satis digna retributio secuta est, concedente Omnipotentis semper largâ bonitate, meritis planè B. Ansuini. Nam regredientes posthæc ea, quæ funditus exhausta reliquerant, horrea, plena repererè; ipsâ proculdubio cooperante manu, quæ olim in desertis locis ex quinque panibus quinque millium hominum satiauerat turbas. Ergo ab illo iam die nullius verentes inopiæ penuriam, cœperunt cum omni securitate, ex præcepto videlicet S. Ansuini, indigentibus, prout necesse erat, alimenta distribuere: certi nimirum de Ansuini virtutibus nequaquàm se penuriâ cuiusque indigentiæ vlterius profligandos; quibus ab eo perpaucissimis victualium residuitatibus permixtis etiam puluere, tam celeri euentu plena sunt

& diu sufficit,

B horrea instituta. O beate Ansuine sapientissime fœnerator, quàm bono creditori commodasti tuam pecuniam, à quo tam celeriter tibi restituta est cum tantâ vsurâ, vt fideli narratione comprobetur tibi adimpletum illud Euangelicum promissum, quod ipse per se bonorum omnium retributor promisit renuntiantibus pro se & pauperibus dantibus dicens: Centuplum accipiet in hoc seculo, & vitam æternam possidebit. Nam vtrumque verissimè contigit S. Ansuino: idem & in hoc seculo centuplum accepit, & vitam æternam fine vllâ prorsùs ambiguitate feliciter possidet. Absit enim vt quisquam credat ob hanc retributionem eius imminutam gloriam sempiternã, pro quâ hæc & quæ bona poterat agere non cessabat, multò magis autem ampliatam. Nam sicut de illo atque omnibus electis scriptum est, Propterea in terrâ suâ duplicia possidebunt, ostendit electos Dei in vtroque remuneratos, id est, in hoc seculo & in futuro: in eo verò qui sequitur versu adiungens, Lætitia sempiterna erit eis, demonstrauit illos sempiternam gloriam sine vllâ prorsus habituros contradictione. Pro quâ totis viribus laborare non cessabat S. Ansuinus.

Mat. 19, 29

Isa. 61, 7.

16 Intantùm si quidem opus misericordiæ & amor largiendi egendis necessaria ei inhæserat, vt quantacumque tribuisset illi paruissimum & minùs quam

erga omnes liberalis

C deberet profectò facere opus fecisse videretur, vnde si fortasse quondam cateruam defuisse sibi conspiceret pauperum, vel minorem quàm vellet fuisse ob gratiam quippiam accipiendi; mittens circumquaque explorare campos, & omnes quos poterant comperisse viros ac mulieres, maioris ætatis vel minoris (qui dispersi per agros hac illacque peragrantes, herbas quibus sustentari possent ne famis periclitarentur penuriâ colligendo) ablatis eorum supellectilibus, quibus vtebantur in huius rei opus, quasi pigneratos, ad se venire cogebat. Illis verò conspectis sæpiùs velut exasperans loquebatur; quidnam vellent sata ipsius demoliri, herbas iugiter colligendo. Sed si fortassis quosdam illorum titubantes metu videret, mox ijsdem iucundo promebat ore consolatoria verba. Posthæc verò (præcepto nempe eiusdem sancti Pontificis) ducebantur singillatim introrsum, atque conuenienter refectis reddebantur ea, quæ dudum ablata fuerant cum alijs necessarijs sumptibus; ac sic glorificantes Deum, Sancto Ansuino sempiternam beatitudinem optantes, qui tristes aduenerant læti recedebant. Vultis Fratres mei Ansuinum beatum videre imitatorem Patriarchæ Ioseph etiam in hoc facto? Sicut enim ille prudenter quondam ministrans gubernauit Ægyp-

cibi quærendi causâ vagos,

domi suæ colligit.

D tum ne fame periret, sic & B. Ansuinus tempore necessario repertus est suo populo fidelissimus administrator. Et sicut Ioseph dissimulans agnoscere fratres suos fecit capere eos, quasi sub specie latrocinantium, posteà verò refertos onustosque opportunis victualium sumptibus remisit lætor à se, quos priùs tristes retinuerat: ita & B. Ansuinus dissimulabat, vt iuuare posset; dissimulabat auferre, vt ampliùs potuisset dare. O Sancta & laudabilis violentia tua, Ansuine sanctissime Pontifex, quæ, dum videretur affligere, releuabat.

AVCTORE EGINO MONACHO

17 Neque illud omnino videtur prætereundum quod gessit ante portam vrbis, cùm Romam properaret obsecrationis scilicet gratiâ S. Ansuinus: Quidam enim languens febribus iacebat secus introitum portæ, rogans prætereuntes sibi misereri. Hunc ergo cùm intuitus fuisset B. Ansuinus petitionis ipsius protinùs desideria cognoscens, imposuit illi manum, inuocatoque Christi nomine sanum erexit. Quo gesto illicò manifestè patuit omnibus quatę virtutes ac sanctitates comitabantur Ansuinum euntè ad accipiendum Episcopatus honorem. Verè mirabilis Deus in Sanctis suis, qui vbique eos clarificare nullo desistit tempore, adimplens illis id quod per Psalmistam pollicitus est dicens: Sanctis qui sunt in terrâ eius mirificaui omnes voluntates meas inter illos. Et alibi: ego honorantes me honorabo & qui me contemnunt, ignobiles. Nunquid nam, Fratres, pius Dominus non potuit hunc febricitantem per Beatos Apostolos vel Martyres suos, quorum innumera sacra corpora intra muros præfatæ requiescunt vrbis, à languoribus reuelare febrium? Sed maluit ostendere cuius meriti habebatur apud illũ hic, qui Pontificatum properabat accipere. Sed hęc iam sufficiat prælibasse de his, quæ adhuc viuens in corpore gessit, licet plura sint quæ fecit miracula: quare ad ea, quæ post eius sacratissimum obitum gesta sunt, veniamus: quæ nihilominùs tam præclara sunt & multiplicia vt vix possit comprehendi à nobis vnum de mille.

Romæ febri languentem erigit:

Ps. 15, 3.

1. Reg. 2, 30

18 Hic itaque cùm iam ferè gereret octauum decimum Ordinationis suę annum plenus dierum, idest, bonorum operum fructibus, vt de sanctis legitur Patribus, hoc ordine, quem desiderauit semper, ex huius mortalitatis peregrinatione feliciter migrauit ad Christum. Cùm ergo moraretur in vnâ suarum ædium Diocensium, per aliquot fortè dies correptus ægritudine, cœpit vi febrium æstuare. Tum siquidem conuocans ad se Clericorum cœtum, quos semper puro diligebat affectu, cum quibus etiam sanctis insistebat

& 18 anno Episcopatus

F assiduè meditationibus, indicauit eis tempus adesse suæ vocationis. Tum verò vltrà quàm credi potest mœror ingens ac consternatio vniuersorum hæc audientium perculit grauiter mentes: quos Sanctus ipse, studens compendio suæ reuelationis, exhortationibus lamenta leniens præcepit celerrimè parare iter regrediendi ad Sedem sui Episcopatus; quem cum fortè vehentibus hominibus illò vellent reduci, eò quòd destituebatur viribus in equitandi facultate; interdixit omnino, ne fortassis cuiquam grauis existeret, & quod sibi adiumẽtum, alijs onus videretur. Quapropter fretus Omnipotentis auxilio, à quo nullatenus deserendum se nouerat, iussit afferre equum. Miranda valdè res! nam mox vt ei oblatus est, tantâ mansuetudine reuerentiáque se illi subdidit, vt terrâ tenus acclinis genibus patenter daret intelligi, quàm sancta membra vehenda suscipiebat.

in morbum incidens,

referri se Camerinum iubet:

19 Postquàm autem ventum est in Sedem sui Episcopatus, statim sanctus Pastor præcepit adesse vniuersum gregem, quem caritatis pacisque concordiam ad inuicem conseruare, quoad vsque superuixit, monere non cessabat. Omnibus namque mœrentibus, & dolentibus tanti pastoris corporalibus se deseri patrocinijs, hic de Christi misericordiâ securus,

vbi piè moritur,

A rus, velut præmia suorum recepturus operum ac ab exulatu reuersurus ad patriam, in spe bonæ remunerationis lætabatur. Vbi ergò viciniorem agnouit adesse horam, quâ onera relinquere carnis deberet; dato sancto pacis osculo cunctis qui aderant quique etiam ab illo benedici cupiebant, acceptoque æternæ vitæ pabulo, perrexit ad Dominum cum magnarum præmijs operationum in perpetuũ exultaturus. Nam non infideliter affirmari potest, quòd S. Ansuinus suo excessu ingentem mœrorem terræ intulerit, cælo verò maximum gaudium reportarit. Factis itaque ritè exequiarum officijs, tradiderunt sanctum corpus sepulturæ satis decenter cum pontificali decore. O quàm nobile funus tui exitus, Ansuine sanctissime Pontifex, de quo supernarum exultat chorus virtutum, sanctorumque lætatur ordo, terra quoque miraculis releuatur. Vt autem omnipotens Deus demonstraret omnibus quantæ sanctitatis atque virtutis apud se obtineret locum ostendit illum gloriosiorem post mortem; sicut scriptum est, Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Nam satis laudanda sunt ea quæ, cùm adhuc maneret in corpore, gessit: sed tantùm illa [dicemus] quæ post obitum tam clariora quàm etiam multiplicata comprobantur.

AVCTORE EGINO MONACHO.

miraculis clarus,

Ps. 126, 3

B

CAPVT III.

Miracula S. Ansouini post eius mortem.

20 HVius itaque rei verax testimonium ac primum creditur fuisse quædam mulier vidua, cui vnicus erat filius, nec ipse tamen integer; vtpotè cui iam ferè septennio à suæ natiuitatis tempore deerat omninò loquendi ambulandique facultas. Quæ cùm eum assiduè quasi mortuum defleret, atque mutorum peteret sibi reddi suffragijs Sanctorum, à nullo aliquid proficiebat, quia S. Ansuino reseruabatur sanandus. Denique cum fortè hæc, quæ supra retulimus, gererentur, reuelatum est per somnium prædictę mulieri [quòd] oporteret illum ferre ad tumulum S. Ansuini, & ab eo restitui sanitati. Hac ergò reuelatione monita mulier nil morata est, sed sublato illicò filio suo adijt Sanctum rogatura Ansuinum, ac non immemor auditæ pollicitationis, proijciens illum ante sanctum tumulum ipsius, cœpit magnæ deuotionis vocibus requirere quod sibi fuerat promissum, & sanctum Pontificem quasi debitorem huius rei exigere, & indefessis precibus filium suum ab illo sibi reddi postulare. His ergò muliere insistente petitionibus, erectus est puer ab infirmitate, quâ retentus fuerat, linguæ soluto vinculo, gressuumque redditâ sibi sanitate meritis præsertim B. Ansuini.

Puer lingua & pedũ vsu destitutus

sanatur ad tumulum Sancti,

C

21 Ecce quàm potens operator effulsit Ansuinus felix Antistes post mortem carnis; si tamen quispiam minùs intelligens audet mortuos illos fateri, qui postquàm de corpore exierint, possunt etiam mortuos viuificare. Nam hic puer verissimâ ratione cognoscitur ex maximâ parte fuisse mortuus priusquàm à B. Ansuino viuificaretur; si quidem linguam, quæ primatum quodammodo inter cetera obtinet membra, mortuam penè gerebat in faucibus: bases quoque plantasque, cùm nihil quod suum erat possent explere, mortuas habuisse nulli dubium est. Si ergo Ansuinus quod mortuum in illo erat potuit viuificare, sine vllâ prorsùs contradictione verâ perfruendo vitâ viuens comprobatur. Libet namque, Fratres, intueri Ansuinum beatissimum, hæredem Apostolorum beatorum Petri scilicet & Ioannis in hoc miraculo, sicut scriptum est in Actibus eorum: sic enim legitur ibi, quòd claudus quidam petens ab introeuntibus in templum sibi eleemosynam dari, audierit à Petro [quòd] non ab illo terrenas opes, quas nequaquàm possidebat, accipere posset; tamen reddidit illi, quâ ampliùs indigebat, ambulandi libertatē, quâ sibi quęq; expedirent deinceps faciliùs acquirere posset. En quam conuenientia sunt miracula tua, Beate Ansuine: nam in primo miraculo quod gessisti viuens in corpore, summi tenuisti normam magistri, similiter in hoc primo post mortem, Apostolorum claruisti successor.

SS Apostolis in hoc assimilatis:

Act. 3

D

22 Ab illo ergo iam tempore cœperunt vnanimiter omnes vicinarum regionum, nec nõ etiam multi ex longinquis prouincijs, frequentare locum, in quo sanctum illius requiescit corpus, oblationibus & orationibus dignis: accipientes nimirùm infirmantes multarum beneficia sanitatum super diuersis languoribus ad laudem Iesu Christi Domini, patrocinijsque S. Ansuini, vt sequens oratio dictat. Nam quidam monachus, qui vtrorumq; lumine priuatus erat oculorũ, perambulans multorum Sanctorum limina quærebat lumen amissum recipere. Hic deuenit ad templum S. Michaelis Archangeli, quod situm est monte, qui ex antiquo vocabulo Garganus dicitur: in quo cum prolixi spatio temporis moraretur, visus est illi per soporem loqui quidam, qui petitionis illius causam ab eo requirebat. Cui cùm responderet perditi luminis se quærere sanitatem, protinùs ab illo audiuit; non sibi esse concessum, sed S. Ansuino; & ad illius eum oportere properare domum, ab ipsoque lumen recipere debere.

cæcus illuminatur,

E

23 Facto ergò manè cœpit prædictus cæcus referre circumstantibus quæ sibi fuerant reuelata, atque ex quo expediret illum requirere, cui a Domino concessum esset vt sibi lumen reddere posset, sciscitari. Cui cùm dictum fuisset, quâ oporteret illum requirere Ansuinum sanctum Confessorem atque Pontificem, sumpto statim ductore viæ peruenit ad domum illius. Cumque aliquanto tempore in illâ rogans sibi misereri permansisset; diuinâ proculdubio hunc respiciente miseratione, illuminatus est mirabiliter à S. Ansuino. Omnibus denique exultantibus, atque Omnipotenti gratias referentibus, diuulgatum est vsquequaque quàm ingens prodigium est gestum ad tumulum S. Ansuini. Nam quis non meritò debeat in ipsius virtutibus exultare hominum, quem videat etiam ab Angelis honorari? Nemo igitur, Fratres mei, putet quòd omnipotens Deus ob aliud aliquod miserit hunc cæcum ab ipso templo Sancti Archangeli (in quo proculdubio poterat eum illuminare si vellet) S. Ansuino restituere oculos, nisi vt manifestâ ratione daret intelligi, quòd ipse dignus habebatur Angelorum consortijs perfrui in cælis, à quibus Domino dispensatore sic honorabatur etiam in terris.

Camerinum à monte Gargano missus,

F

24 Iam verò longè lateque percreuerat fama virtutis eiusdem sancti Pontificis, referentibus multis, qui ab illo sanabantur: vnde contigit languentium turbas cateruatim concurrere ad sepulcrum illius, à quo etiam creberrimè sani reuertebantur. Inter quos & alter quoque monachus surdus atque mutus venit à partibus Rauennæ, qui nihilominus, cùm quodam spatio temporis inibi commoratus fuisset, perfectè meruit recipere auditum pariter & locutionem, interuentionibus nimirum B. Ansuini maximi Pontificis. Mox namque magna est orta exultatio hæc cernentibus; quia S. Ansuinus duo miranda ostendit prodigia in vno eodemque homine, dum reddidit ex muto loquentem, audientem de surdo; vt meritò clarescéret Euangelicus cooperator. Sic enim legitur de Saluatore, quòd præteriens fines Tyri & Sidonis fecerit surdum audire, & mutum loqui. Et beatus Ansuinus transiens ab hac mortalitate, quæ sicut Tyrus angustia potest interpretari, vel sicut Sidon venatio, id est, captiuitas, ad semper mansura gaudia, fecit audire surdum; vt adimpleret id quod scriptum est in Apocalypsi: Qui habet aures audiendi audiat quid spiritus dicat ecclesijs. Mutum quoque fecit loqui vt in Dei laudi-

Surdo et muto auditus & loquela redduntur:

Mar. 7, 37

Apoc. 2, 7

A laudibus posset dicere cum Prophetâ. Domine labia mea aperies & os meum annuntiabit laudem tuam. Ps. 50.17

25 Sed hoc ita iam determinato miraculo sequamur cetera, & latiùs si possumus illius opitulantibus meritis in laudem S. Ansuini ora laxemus; quamquam tam innumerabilia sint eius facta sacratissima, vt magis admirari libeat quàm aliquid dicere dignè possim: ac veluti si quondam cuipiam contigisset inter infinitas gemmarum pretiosarum copias deuenire, nescire penè quam potiorem iudicare deberet, cùm hanc vtique vellet eligere, illam verò penitus dimittere nollet. Ita & ego quòcumque me verto inuenio plura de Ansuini virtutibus quæ sensum mearum excedant virium, & nequeunt explicari à me vt merentur. Sed tam miranda sunt eiusdem sancti Præsulis opera vt nullo modo tacenda videantur, quare sequamur ordinem.

26 Alio denique tempore adductus est quidam à parentibus, quem quasi mortuum habebant, eò quòd ingratas ab omni ferè huius vitæ vtilitate protraheret moras. Siquidem vtrisq; erat debilis pedibus, ita vt, nisi ab alio portaretur, nequaquàm de loco, vbi iacere videbatur, ad aliũ demigrare aliquomodo valeret. Hunc

pedibus captus

B ergo, vt diximus, parentes cùm viderent à nullo alio posse ab ægritudine releuari, atque sibi minimè profuturum, commiserunt illum S. Ansuino. Certi quippe omninò posse ipsum à quâcumque teneretur infirmitate, si vellet, releuare eâ conditione commiserunt prædictum ægrum S. Ansuino, vt si illum sanasset, iam non eum vlteriùs in aliquod rei secularis requirerent negotium; sed vellent illum indesinenter sanctis inhærere cæremonijs in domo sui sanatoris. Sub hâc ergò pollicitatione remansit præfatus æger in domo B. Ansuini: vbi cùm quodam spatio temporis moraretur, tam perfectę restitutus est sanitati, vt nullius paralysis videretur remansisse in eo vel paruum vestigium. Sed cùm aliquanto tempore in acceptâ gauderent salute, tam ipse quàm etiam parentes illius obliti conditionis suæ sponsionem nec non & beneficium sanatoris, conatus est ad secularem reuerti habitum. Quod cùm factum fuisset, consecutus nimiæ temeritatis suæ vltionem, cœpit deteriùs laborare: verùm iam quid ageret ignorabat; quippe sciens quòd nullius posset alterius releuari auxilio, nisi S. Ansuinus illi indulgere dignaretur præuaricationem suæ temeritatis. Quid plura? reuersus est ad domum prædicti Pontificis ac denuò sanatus est.

erigitur:

sed votum fallens semel

C 27 Nec tamen sic contentus seruare promissum, vsque tertiò nisus est salutis suæ [auctorem] fugere: in quo semper inueniebat Ansuini beati virtutem peruersis suis repugnare conatibus: ideoque quoties conabatur, contingebant illi semper satis deteriora. Verùm cùm iam vidisset omnes suæ voluptatis aditus interclusos, rediit, atque iam intrinsecùs & extrinsecus sanatus perseuerauit immobiliter adhærens salubribus obsequijs, vlteriùs non relicturus: in quibus etiam imbutus litteris sacris ad Sacerdotij vsque meruit pertingere dignitatem. Benè potest etiam hoc miraculum coaptari illi, quod Redemptor noster gessit super paralytico, quem Euangelista Lucas refert curasse oblatum sibi in lecto iacentem; quorum scilicet fidem videns, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua. Hic etenim solam salutem quęrebat corporis, sed Saluator, vt ostenderet se animarum ac corporum restauratorem, sanauit illum in vtrisque. Tamen, vt demonstraret priùs animę salutem quàm carnis esse quęrendam, ait, remittuntur tibi peccata tua, & sic vtrumque largitus est. Verumtamen hoc distant Ansuini facta à nostri Saluatoris, quòd Saluator fecit sine Ansuino, numquidnam Ansuinus potest aliquid sine Saluatore? absit. Sic etenim ait discipulis suis: Si manseritis, inquiens, in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumq; volueritis petetis, & fiet vobis; quia sine me nihil potestis facere. Ideoque B. Ansuinus huius se-

iterumq; relabitur in morbum,

Luc. 5, 20 nec priùs corporis quàm animæ recipit sanitatem:

Ioan. 15. 7

D quēs vestigia, sanauit prędictum paralyticum eiusdem Saluatoris opitulatione, corpore & mente. Nihilominùs & illud propheticum videtur huic rectissimè conuenire posse quo dicitur: Ecce ego sepiã vias tuas spinis, & sepiam eas maceriâ: &, Vade post amatores tuos, & non apprehendes eos, quæres & non inuenies eos. Nam procùl dubio nisi S. Ansuinus hunc coërceret, postquàm etiam sanatus fuerat, conatus est sequi ea, quæ sibi non expedire videbantur.

AVCTORE EGINO MONACHO

Iob. 15, 7

Os. 2, 6.

28 Per idem quoque tempus monachus quidam, cui vnius deerat lateris possibilitas omnis vtilitatis, ita vt penè mortuam ferret alteram manuum exanguemque, nec non & pedum alterum aridum insensibilemque gerere videretur. Hic autem cùm multorum peragrans circuisset loca Sanctorum gratiâ suæ recuperationis, à nullo suffragari potuit, donec ad effugium Sancti se contulit Ansuini: ante cuius denique altare cùm crebro prosterneretur, postulans sibi misereri, tandem recipere meruit & ipse perditi lateris salutem, ab eodem Sancto Pontifice, quem & auctorem suæ salutis de cetero est veneratus. Cuius solius ope ac meritis, vt ita dixerim, redditum se sibi fuisse comprobare valebat.

latus emortuum monachi

E 29 Præterea quædam mulier, cui manus altera hærebat infixa pectori, ac prorsus stupidum totum gerebat latus, quærens ægrotationis suæ medelam; venit ad ipsius potentis medicationis solatium. Et iam diffisa vniuerso aliorum solamini, restabat recuperationis spes in solius B. Ansuini [meritis] à quo & ipsa tam potenti virtute saluata est, vt præ gaudio receptæ salutis oblita fuerint vniuersa penè incommoda perpessæ priùs infirmitatis.

& mulieris contracta sanatur:

30 Alia quoque delata est miseranda, quæ contractis præmortuis neruis, vtrosque aridos ac natibus impressos gerebat pedes. Hæc itaque per complures annos multa perpessa fuerat medicantium arte, nec tamen à quoquam quicquam curationis recipere valuit, excepto ab Ansuino beatissimo: Dominò quoque miserante cœpit in laudem eiusdem (iocunditatis nimirum indepta plenitudinem) Omnipotenti rependere gratiarum, vt diximus, actiones. Nihilominùs & vniuersi, qui aderant, videntes tam mirandum prodigium, dignos satis honores cœperunt referre Omnipotenti in opere beati sui Confessoris Ansuini.

item alia contracta,

31 Ego enim fateor quòd quotiescumque hoc meæ reuoluitur memoriæ, stupesco vehementer ante tantarum magnitudines virtutum. Nam quis non F possit meritò mirari cùm videat illum sublimari præcipuis Saluatoris nostri signis atque virtutibus, quas ipse per se in terris conuersans Saluator noster est operatus: atque in hoc est ampliùs glorificandus, qui illi tantas tribuit virtutes, vt ea quæ ipse gesserat miranda, huic quoque ad gloriam sui nominis largiri dignaretur facienda. Quemadmodum enim ipse à natiuitate cæcum illuminauit ambulans inter homines Deus, homo pro hominibus factus, ita & per suum seruum Ansuinum scilicet beatum modernis temporibus dignatus est facere. Videmus enimuerò in hoc adimpletam illi pollicitationem Euangelicam, quâ Redemptor noster suis Apostolis, ac per illos credituris in se, suorum operum faciendi tribuit potestatem. Nam ipse per se auctor omnium bonorum, per quem cuncta efficiuntur bona, in quo & perfecta consistunt, dignatus est ostendere quantis præmiorum virtutibus sublimauerit suum Sacerdotem, scilicet Ansuinum; cùm eum suis excellentioribus cognoscitur miraculis declarare. In ipso autem Omnipotente videbatur hoc quasi mirabilius ceteris, cùm vniuersa illius opera proculdubio ab omnibus sint omninò magnificanda atque admiranda; sic enim refert Euangelium Ioannis: Præteriens, inquiens, Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate.


expenditur miraculorum istorum dignitas.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

RVDERICO PRESBYT. ET SALOMONE,

CORDVBÆ IN HISPANIA.

ANNO DCCCLVII XIII MAR.



1 Corduba Regum Saracenorum Sedes, suam obtinet præcipuam laudem, quòd in crudeli horum Regum persecutione tam multos & illustres Martyres, qui sanguine suo fidem Christianam propugnarunt, inter suos ciues aut alios eò aduenientes habuerit. Ex his illustris fuit S. Eulogius Presbyter XI huius Martij passus, qui Memoriale horum Sanctorum tribus libris conscriptum reliquit, ac postmodùm in Apologetico Sanctorum Martyrum inseruit horum duorum Martyrum certamina, quæ ipsos expleuisse asserit tertio Idus Martias: quo die in Martyrologio Romano ista leguntur: Cordubæ Sanctorum Ruderici Presbyteri & Salomonis Martyrum. Additur apud Galesinum: Ij ambo pro fide inuicto animo contrucidati sunt, quo tempore Saracenorum bellum, ad Dei Ecclesiam in Hispaniâ expugnandam, maximè exarsit. Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico hoc eos elogio veneratur. S. Rodericus Presbyter Egabriensis, cùm à fratre illusus, patriam relinqueret, Cordubam peteret, ab ipso impio fratre ibidem accusatus, ense impetitus Martyr coronatur. Eodem die etiam Cordubæ S. Salomon, Tuccitanus genere, postquàm carceris cruciatus & famis ludibria pertulisset, tandem pro Christo laurum Martyris impetrauit. Hæc illi. At primò quòd Rodericum cum litterâ O vbique scribat, valdè iam olim improbauit Morales in suis ad Apologeticum, siue ad hanc Vitam, notis, vbi asserit in antiquissimis libris manuscriptis semper Rudericum legi, & se vidisse nummum aureum Ruderici vltimi Gothorum Regis: qui cum huius vultu has in orbem litteras habuit inscriptas IN DEI NOMINE RVDERICVS REX: & Ruderici Archiepiscopi Toletani subscriptiones authographas nonnullas in publicis archiuis per totam hanc metropolitanam Toleti ditionem se vidisse, vbi Rudericum se, non Rodericum nominat, ac Ruderici verum nomen in Rodrigi Hispanos corrupisse. Secundò Tamaius Salazar asserit, S. Salomonem Tuccitanum genere: Probatio assumitur ex nuper protruso Luitprandi Chronico, in quo num. 295 ista leguntur: Patitur Cordubæ Rodericus & Salomon, domo Lusitanus, prope vrbem dictam in Bœticâ Tuccim vetustè, aliquibus Fossina: quorum vltima verba apud Thomam Tamaium sic exprimuntur: dictam in Bœticâ Tuccim veteribus, alijs Tossina. Exclamat Tamaius Salazar, Luitprandum perturbatum, mendum in Luitprando: & alium errorem extraxisse Quintanadueñas in Sanctis Hispalensibus fol. 301. Quod si legisset Georgium Cardosa in Hagiologio Lusitanico, nouas explicationes vidisset. Nos vnum mendum & vnicum errorem apud hos omnes opinamur esse, quod figmentis nuper sub nomine Luitprandi editis fidem adhibeant. Cordubenses scriptores sequimur Ambrosium Morales & Martinum de Roa, qui tam magnificè de hisce Sanctis scripserunt, necdum istis libris Luitprandi aut Iuliani Petri, de quo mox agemus, confictis. Officium Ecclesiasticum in Ecclesiâ Cordubensi fit hoc die de hisce Sanctis Martyribus sub ritu semiduplici.

Acta ex Eulogio: *cultus sacer.* B *S. Rudericus non Rodericus appellandus,* *Vnde S. Salomon oriundus* C

2 Alioqui Salomon Martyr & Cordubæ passus profertur VIII Februarij in omnibus omnino & optimæ notæ codicibus manu exaratis, & typis cusis Martyrologijs Vsuardi his verbis: Cordubâ ciuitate Salomonis Martyris. In Chronico Iuliani Petri num. 96 ista leguntur: In Hispaniæ ciuitate Cordubâ hoc tempore celebris habetur memoria sanctorum Martyrum Petri Presbyteri, Eutychij, Hieremiæ Martyris in persecutione Traiani fortissimè passorum. Et ibidem S. Salomonis in eadem persecutione octauo die Februarij. De prioribus videntur accipienda ista verba Vsuardi ad VII Iunij: Item Cordubæ Sanctorum Petri Presbyteri, Auentij Hieremiæ & aliorum trium. Omnes sex suis nominibus ita exprimuntur in Martyrologio Romano: Cordubæ Sanctorum Martyrum Petri Presbyteri, Walabonsi Diaconi, Sabiniani, Wistremundi, Habentij & Hieremiæ monachorũ. Vbi nomen Habentij, loco Auentij est, pro quo Eutychius in Chronico Iuliani est positus. Agit de his sex S. Eulogius lib. 2 Memorialis Sanctorum cap. 4 asséritque occisos Ærâ DCCCLXXXIX, id est anno Christi DCCCLI. Quàm procul hæc tempora absunt ab imperio Traiani? proinde prudenter Tamaius Salazar dicta verba Chronici Iuliani Petri alto pressit silentio, tam ad hunc XIII Martij, vbi allegat Vsuardum aliosque qui ad VIII Februarij S. Salomonem retulerant, quàm dicto VII Iunij, vbi de alijs sex latè agit. Sed ad cultum S. Salomonis redeamus, quem cùm ad diem VIII Februarij etiam retulisset Galesinius, in Notis citat Eulogium & Vsuardum, & ad hunc XIII Martij indicat de S. Salomone suprà actũ, scilicet VIII Februarij: ad quem diem dum inter Prætermissos eius mentionem fecimus, ad hunc remisimus lectorem, & arbitramur illo die aliquam corporis Translationem contigisse: maximè cùm apud Cordubenses nulla alterius Salomonis memoria habeatur. In MS. Centulensi ad VIII Februarij loco Corduba citatur Concordia ciuitas, & in MS. Treuirensi Prouincia Lusitania, quod curioso lectori & antiquitatis indagatori volumus indicare.

S. Salomon 8 Februarij *perperam cum alijs ad persecutionem Traiani translatus.* E

PASSIO

Ex Apologetico Sanctorum Martyrum ab S. Eulogio conscripto.

CAPVT I.

S. Ruderico à fratre Mahometano illata iniuria, & proditio: captiuitas eiusdem.

1 Beatus Rudericus Presbyter ex quodam vico Egabrensi progenitus, in eadem vrbe sanctæ legis doctrinam gradúmque Sacerdotalem promeruit. Huic duo fratres fuerunt, sed ex his vnus fidem Christi rectiùs tenens, alter gentilico deprauatus errore Catholicam spreuit religionem. Qui sicut discors à fide sanctâ manebat, ita semper discordanti conflictatione ob diuersarum rerum occasiones cum fratre Catholico mouebatur. Nam quadam nocte, nescio quâ occasione, tumultuariâ in alterutrum litigatione se conferentibus, & in sese inuicem fœdâ simulate bacchantibus, sanctus Sacerdos litem medius sedaturus interuenit. Qui omnes nimio iam furore accensi, cæcâ indignatione Sacerdotem inuoluunt, & magis nescientes quàm volentes, eum vsque ad necem lacessunt.

a *S. Rudericus Egabrensis Sacerdos,* *litem fratrum componere sedaturus:*

2 Ex quâ cæde valdè contritus, dum omni destitutus vigore, confracta membra lectulo reponeret: profanus ille frater feretro illum imponens, per vicos & vicina quæque vehentium humeris duci ac reduci fecit, & vt verus imitator diaboli fraudulentâ machinatione

exanimis à fratre Mahometano circumfertur vt apostata,

A natione super exanimem Sacerdotem testimonium iniquitatis composuit, dicens: Hic frater meus Presbyter visitatione Dei compunctus, fidei nostræ cultum elegit, & sicut cernitis, iam in vltimis agens, noluit priùs mundo discedere, quàm vobis id notum existeret. Ita cum eo loca diuersa peragrans, hæc & his similia criminosis de eo verbis narrabat; nesciente ipso prorsus, imò nec sentiente, quid contra se vir ille iniquus aptabat. Dei verò dispensatione post nonnullos dies molestijs ægritudinis Sacerdos erutus, ac viribus reformatus, cùm subdola nefandi fratris molimina cognouisset; exemplo Domini, qui ad informandos nos insidias declinauit Herodis, siue sancti Euangelij non surdus auditor, quo de ciuitate in ciuitatem, caussâ vitandæ persecutionis, delitescere iubemur; relicto proprio rure, alibi se Christo liberè contulit seruiturus. Quasi posset temporale euadere supplicium, cui diuinitus à constitutione mundi prædestinatum parabatur Martyrium: aut sicut ad tempus sese occulendo insecutorem fefellit profanum, ita quoque abesse posset oculis pij Redemptoris & vocatoris sui ad regnum.

re cognitâ, sanus factus fugit:

Matth. 2
Matth. 10

3 Per idem ergo tempus grauiter in nos præsidialis grassabatur insania, ita vt nonnullas apud Cordubam, olim Patriciam, nunc autem florentissimam regni Arabici vrbem, basilicarum turres euerteret, templorum arces dirueret, & excelsa pinnaculorum prosterneret: quæ signorum gestamina erant, ad conuentum canonicum quotidie Christicolis innuendum.

in crudeli Mahometis Regis persecutione,

B Denique cùm exoptatum b patris sui libitum progenies iniqua cognosceret, vt, quibuscumque modis ac viribus posset, Dei Ecclesiam infestaret; omnem crudelitatis adnisum erga filios lucis tenebrosa proles alacriori voto exercet: minusque se putat adipisci meritum, nisi summo furore exarserit in euersionem fidelium. Prædixerat quippe hoc Veritas sancta auditoribus suis dicens: Absque synagogis facient vos, & omnis, qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo. Et iterum: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram habebitis.

b

Ioan. 16

4 Igitur dum ob rei familiaris necessitatem ex interiori montanâ Cordubensi, quò se pridem beatus Sacerdos intuitu latendi contulerat, in nundinas descendisset, in quibus rerum distractio exercebatur, ab iniquo fratre obuius agnoscitur. Quem vt cernit c stigmata piæ religionis ferentem, non modicis lacessitum iniurijs ad vicem exquisiti muneris Iudici offert, deponens aduersùs eum coram arbitro quæstum præuaricationis sectæ Mahometanæ, quam se dudum veraciter colitutum fuerat confessus. Dei verò miles C cælesti iam munere illustratus, non sicut olim aduersarijs tergum exponit, sed magnâ præditus fortitudine, numquàm se à Christo fuisse decisum, numquàm peruerso dogmati aliquando consensisse, iudici refert: sese que non solum Christianum, verùm etiam Christi fatetur esse ministrum.

è latebris Cordubam venit:

c

à fratre impio accusatus

5 Quem primò Iudex blandis reuocare affatibus putans: Poteris, inquit, rerum affluentijs & dignitatum fascibus honorari, & quæ tibi imminet sententiam mortis euadere, si te pristinis votis rediuiuo ardore reformans, missum ab Omnipotente in veritate prophetam nostrum credideris, Christumque testaueris Deum non esse. Cui beatus Sacerdos ait: Illis inquam, Iudex hæc obseruanda propone, qui fortè legibus vestris dediti ritibusque profanis immersi, potiori intuitu commodum temporale, quàm æternum affectant honorem. Nos autem (quibus viuere Christus est, & mori lucrum, cui sanctus ille Claicularius regni futuri dicebat: Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes? qui discipulum in carcere commonebat, dicens: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me) vt quid perennis fontis poculum re-

fatetur se Christianum & Sacerdotem:

immotus in blanditijs & minis.

Philip. 1.
Ioan. 6.
Matth. 11.

D linquentes, hausturi gurgitem cœno mendacij ac vitiorum sordibus turbulentum? Aut quâ vltione procacitas punienda est filiorum, qui pia parentum iura spernentes, iniustum vitrici contubernium expetunt? His verbis Iudex vehementi furore commotus, applicari Martyrem ergastulis iubens: Abeat, inquit, cum damnatorum custodiâ; horrida macerandum antra carcerum excipiant; parricidarum & furum solatio fruatur: vt omni penitùs solatio destituta, vel sic peruicax elidatur temeritas.

AVCTORE S. EVLOG.

ad carcerem damnatur:

6 Adit Dei famulus hilari vultu, exultantibus animis specum illum reorum, qui verè sciebat Auctorem suæ salutis vbique inuocatum adesse, nec aliquo posse abesse situ, cuius dominatio omnem penetrat locum: qui etiam potenti Diuinitatis imperio olim sectatoribus suis fidele promissum dederat, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Hæ sunt, diabole, minaces sæuitiæ tuæ leges: hi sunt exquisiti terrores. Sed dictum est nobis: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; quia non habent, quid ampliùs faciant, sed potiùs eum timete, qui potest corpus & animam perdere & mittere in gehennam. Et iterum: Tradent vos in Concilijs & Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides & Reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si ergo potes, congredere aduersùs animam, & pertinacem in confessione suâ spiritum supera: videbis me magis per tormenta proficere: & cùm tu plùs exarseris, plùs semper deficies, & feliciorem me facies peruenire ad gloriam.

in carcere seipsum excitat:

Mat. 28, 20

Mat. 10, 28

Mat. 10, 17
E

insultat diabolo.

a *Garsias Loiasa in Collectione Conciliorum Hispaniæ in Notis ad Concilium apud Lucum pag. 157 sub finem:* Egabio, *inquit,* sunt qui scribunt Ægabro, hodie Cabrá, milliaribus sex & viginti à Corduba dissita. Plinius in Bœticâ Baream ponit, pro quo in emendationibus Iacobi Dalencampij Vbeda repositum. Verum Morales legendum existimat Egabro. Non habet nunc Sedem Episcopalem. *Hæc Loiasa. Tamaius Salazar ad hunc diem octo antiquos Episcopos profert, adduitque* Egabriensem Ecclesiam Saracenorum incursione viduatam ampliùs non accepisse Episcopum.

Egabro, iam Cabra.

b *Habdaragmano anno 852 miserâ morte erepto successit Mahemad filius, sub quo etiam martyrium S. Eulogius sustinuit.*

c *Eulogius lib. 1. Memoriales Sanctorum:* mox vt stigmata in nobis ordinis sacri aduertunt, *vbi morales* sacram tonsuram Sacerdotum *intelligit.*

CAPVT II

SS. Ruderici & Salomonis notitia contracta. Constantia in fide. Martyrium.

7 Reperit verò in carcere Rudericus B. Salomonem, quem ob confessionem nominis Christi dudum crudelitas persequentium ibidem religauerat. Simili quippe & ipse crimine impetebatur, eò quòd sanctæ religionis cultum spernens, aliquo tempore sectæ Mahometanæ adhæsisset. Extemplò indiuiduo voto nectuntur, ac sibimet inuicem consolationis suffragia ministrantes, ab alterutro se ad peragendum agonem armantur; id in commune statuentes, vt calcatis mundi affectibus, piâ quotidie seruitute Deo inhæreant. Fit concors in Dei timore vtrorumque assensus; macerantur membra ieiunijs, fatigantur vigilijs, limantur cilicijs, meditationibus compunguntur, orationibus refouentur: sicque ardore quodam cælestis patriæ conflagrati, dissolui cupiunt & esse cum Christo: festinantes faciem eius videre, cui seruierunt, cuius amore defectum temporis non verentes, vitam hanc, vt quoddam discrimen immane, refugiunt.

SS. Rudericus & Salomon initâ in carcere notitia,

sese ad martyrium animant:

8 Igitur permanentibus Sanctis in exercitio officiorum cælestium, & reddentibus quotidie pio Redemptori

A demptori ceremonias laudum, pro summis delicijs antrum illud habebant. Quapropter zelo ductus iniquissimo Iudex, ferali edicto custodes carceris arguit; *ab inuicem separati,* eosque ab inuicem diuelli præcepit, & ne à quoquam visitationis gratiâ illustrentur, totis vesaniæ suæ furoribus iussit. Sed in nullo te iuuas, diabole, quando per hoc dissidium constantiam putas fatigari Sanctorum, quibus vnum idemque pro Christo moriendi manet indissolubile votum. Nam hi Confessores beati, *a* ordine & natione dissimiles, caritate non impares; *a manent constantes.* diuerso licet tempore certaminis campum aggressi, vno tamen eodemque fidei ardore flammati, specimen beatæ passionis egregium orbi instituunt.

sistuntur Iudici: 9 Intereà non post multos dies obtutibus suis Iudex eos exhibere præcipiens, illicò ad ritum suũ inuitat, ac de rerum copijs dignitate honorũ suadendos attentat, quos ante mundi constitutionẽ electos & prędestinatos in adoptione filiorum Dei Diuinitas sancta perscripserat. Quorum pertinaciam in Dei professione considerans, post secũdam & tertiam exhortationem ex decreto Regis fore plectendos statuit. Priùs tamen, quàm egrederentur ad publicum, coniunctorum se pedibus aduoluentes rogant, vt continuis obsecrationibus B iuuarentur, ne tentatione humanâ prærepti, retrorsum respicerent, & ab intuitu percipiendi vexillum victoriæ turbarentur. *se aliorum precibus commendant:* Ita pacis osculo reconciliati, qui numquàm fuerant litigio separati, omnes præ gaudio lacrymantes Sanctorum se fauoribus tueri exorant. Sicque vrgentibus ministris voto alacriori prosiliunt, celeriùs properantes ad locum, quò passionem consummarent.

tentantur iterum blanditijs, fortiter à S.Ruderico reiectis: 10 Et cùm iam hora decisionis instaret, iterum à Iudice blandiùs exhortantur cum specie diuitiarum honorumque sublimium, quibus vtique fruerentur, si reuerterentur. Abnuunt Sancti, sicut à principio, Iudicis optionem: ita vt sanctissimus Rudericus quadam vegetatus animositate, superno iam munere perlustratus, audacter ei responderet, dicens: Quomodò nos cogis relictâ pietate declinare in deuium, qui sanctæ fidei sacramentis instructi, fortiter ignorantiam vestram deflemus, quos tanto videmus errore infectos? Nam nos adeò hanc sectam detrectabilem iudicamus, vt ne nostris quidem eam incolendam canibus pateremur, quantò magis nosmetipsos fallacissimis eius figmentis subdamus. Aut quare copijs rerum aut dignitate honorum labentium oblectemur, in ipso C forsitan oblectationis momento, intercidente morte, protinus omnia amissuri: qui nouimus apud Christum coronatorem nostrum, rerum ineffabilium opes manere, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendunt, se diligentibus repromissas? Ideóque celeriter crudelitatis tuæ in nos exere vltionem, quos cernis nullatenùs à confessione Christi desistere vsque ad mortem: vt & quæ debentur hostibus Dei, tibi accrescant in cumulum, & diu nobis dilatum citò proueniat præmium.

ambo plectuntur capite: 11 Hinc acrioribus frendens scelerosus Iudex clamoribus, vltimam suæ crudelitatis sententiam promens: Perduellium, inquit lictoribus, properate abscindere colla, & debitam in capite contemptorum celeriùs retorquere vindictam. Sic super crepidinem alueí *b* constituti, Crucis signaculo se præmuniunt, & sic denuò ense prosternuntur. E quibus prior Dei Sacerdos occumbens, præuius triumphator cælum intrauit. Quod ideò Iudex fieri voluit, vt sic fortè horrore decisi cadaueris B. Salomonis animus flecteretur: quem post varias deceptionum illecebras constantem & fortissimum comprobans, vltimò gladio vindice trucidari præcepit. Hæsit tamen suo collo non funditus vertex incisus, quia expeditiorem B. Ruderico, quàm huic Salomoni framea intulit obitum.

a *Morales non dubitat, quin desint aliqua, quæ de patria* D *& vitæ instituto S.Salomonis tradiderat S. Eulogius, quòd aliter non potuerit esse securus, se iam necessaria, vt hæc intelligi possent, retulisse.*

b *Batis fluuij, ad cuius littus forum in plateâ ante urbem, vbi & tribunal fuisse annotat Morales.*

CAPVT III

Corpora SS Ruderici & Salomonis Bæti fluuio iniecta: ad ripam delata, inuenta, & in templis deposita.

12 SEd quia cælorum regna adeuntibus animabus nequit obsistere callidus serpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exuscitat, quasi mortua superare posset cadauera, cùm iam nullus esset spiritus, qui potiùs irrideret, quàm sentiret tormenta: aut quasi aliquis titulus putaretur victoriæ cum defunctis bellum inire. *Corpora Martyrum lapidibus alligata noctu Bæti fluuio immerguntur:* Vt ergo passionibus Christi communicarent Martyres, instinctu ferocitatis à diabolo Prçses armatus, sub cuius dirâ crudelitate tota dignitas Cordubensis tunc grauiter vexabatur, iubet corpora E martyriali cruore perfusa, vestigijs inuersis configi, ac deinceps fluuiali abysso recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata, separatim vastissimo gurgiti immerguntur. Sperabat miser elementis imperare vndarum, quæ præstantiùs intendere nouerant Creatoris imperium, vt creditas sibi opes martyriales non solùm à belluis conseruarent, verùm etiam erepta saxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad locum quietis veherent.

à S.Eulogio pulcherrima & quasi locutura visa; 13 Ego interim peccator Eulogius, qui gesta Beatorum meo elucubranda stylo dudum decreueram, cùm rumor consummatæ passionis eorum vbique discurreret, expletis Missarum solennijs, ipsorum inuisenda corpora quadam vegetatus audaciâ adij, ac propiùs quàm cetera spectantium turba accedere non veritus sum. Et testis est Redemptor meus, qui hunc commentarium discussurus est, quia non mentior, quòd tantâ decoris pulchritudine decisa illa cadauera fulgebant, vt crederes, si à quodam sciscitarentur, protinus locutura.

ad littora deueheuntur: 14 Nonnulli etiam è turbâ gentilium venientes, sumebant lapillos fluminis, qui cruore Martyrum erant aspersi, & lymphis abluentes proijciebant in *a* Pelago, ne Christianis in emolumentum existerent F lipsanorum: nescientes quod nihil obesset ab his partem adimere, quibus totam decreuerat Dominus *b* passionem donare. Nam credita algarum latibulis membra, & altis abyssorum gremijs deputata, quæ tam celanda quàm pabula piscibus ministranda susceperant, illicò diuinitus ad superos reuocata, non solùm nequeunt retineri; verùm etiam leniori spiramine reciprocanti fluctuum alternatione, quæ dispersa tenebantur, incolumia littoribus exponuntur.

corpus & caput S. Ruderici in sabulo inuenta 15 Sanè beati Sacerdotis suis non hæserat ceruicibus caput, quia semel illud vno ictu satelles auulserat. Et ideò alibi vertex, & alibi corpus iactatum, vnoque in loco sabulo opertum ab accolis viculi, *c* quò vehentibus vndis expositum fuerat, reperitur. *post 20 dies ad monasterium S.Genesij deferuntur,* Intereà dum situs quietis Sanctorum notitia penè dierum viginti tempus excederet, nec vllum apparendi darent indicium; quorumdam ex improuiso relatione gentilium proditur, referentibus hoc cuidam Presbytero, apud *d* viculum Tertios commanenti, quo monasterium *e* S.Genesij fundatum est. Quo nuntio idem Sacerdos compulsus beatum cadauer suæ deportandum Ecclesiæ pergit. Cui redeunti ingens fideliũm turba occurrit, vtpote summo triumphatori debitum honorem dependere anhelans, qui talia pro Deo suo in exemplum

A emplum Catholicorum non contempserit sustinere. Et quia defectu solis crassum tenebrarum chaos illabebatur, totumque mundi aspectum nox cæca mutauerat, ministerio obuiantium populorum multimodâ lampadum face tenebrosus horror expellitur, adeò vt nimio splendore omnia illustrante, rediuiuum ostentauerit nox illa diem emergere. Flebant omnes præ gaudio, miscebatur tripudijs luctus, & nullâ contrahente mœstitiâ vultum, pium refundebat pupilla lamentum.

noctis facibus illuminata.

16 Adest & venerabilis Pontifex, felicium stipatus agmine Clericorum, votis ardentioribus talibus interesse festinantes exequijs; qui mox sanctas reliquias adeunt, & inclytus Papa detegit, & osculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quò priùs beatum corpus Sacerdos intulerat, miro suauitatis odore, cunctaque cellulæ pauimenta etiam ablato puluere ferunt aliquamdiu suauissimi odoris olfactum respirasse. Fit omnibus in stuporem, quòd inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum altiliumúe rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interiecta capedo degenerans immutauerit. Sicque Sacerdotum & Religiosorum officio sanctum corpus è cellulâ Sacerdotis humandum Ecclesiæ inferentes; dant cuncti hymnorum cælestium clamorem egregium, resonant ora fidelium congruenti carmine melos, perstrepunt omnes diuinæ cantionis euphoniam, implentur atria Domini murmure sancto psalmorum, feliciumque laudum odam omnes quasi ex vno ore persoluunt, & suaui concentu omnibus percrepantibus largoque fomite luminum totius aulæ penetralibus relucentibus, Regem Christum, militiâ comitante Cælicolûm ad spectaculum illud exequijs innuebat interesse Sanctorum.

ab Episcopo deteguntur odorem suauem spirantia.

B *planè incorrupta,*

in ecclesiâ sepeliuntur.

17 Expletâ igitur functione sanctissimi Ruderici, fit ardentior cunctis intentio requirendi B. Salomonis corpusculum, quod relatione multorum impetu fluminis salo credebatur esse transmissum. Nam hæc opinio prouidum magis Christicolarum ausum inhibuerat, quàm furens conspiratio Præsidis, quæ acrioribus vlciscendum legibus exploratorem reliquiarum promiserat. Etenim cùm nullum latentis corporis instaret indicium, moueretque omnes spes beneficentiæ Dei, qui reuelare abstrusa & aperta condere consueuit, prærogatiuâ quodammodò Diuinitatis potentiâ, quâ in cælo & in terrâ, in mari & in abyssis, omnia quæcumque vult ordinat, disponit & facit: subitò per quietem, quo situ corpus Martyris delitescat, prædictum admonet Sacerdotem. Cùmque Sacerdos monentem de loco sui latibuli sciscitaretur, seseque instituì quæreret, quod explorandi tenere debuisset indicium: In illâ, inquit, ripâ fluminis, quæ vico Nymphiano adsciscitur, ibi à commeantibus inter fructeta tamaricum proiectus, cespitis limosi perfruor vili sepulcro. Pergit securus ad locum sibimet diuinitus demonstratum ille Sacerdos, nec aliter quàm quod ei reuelatione ostensum est, reperit. Quod illicò summis reuerentiæ obsequijs comptum, ad vicum f Colubris deportans, venerabilium Dei Sacerdotum officio in basilicâ SS. Cosmæ & Damiani honorificè tumulatur.

Corpus S. Salomonis creditur in mare delatum.

D

apparitione diuina scitur inter fructeta latere,

defertur ad templum SS. Cosmæ & Damiani,

18 Consummauerunt autem beati Martyres agonem suum tertio Idus Martias, Ærâ DCCCXCV, regnante domino nostro Iesu Christo in secula seculorum. Amen.

Tempus martyrij.

E

a *Nomine proprio ibidem ad arcem Batim fluuium laxiùs prope arcem stagnantem appellari etiamnum Pelagus docet Morales.*

b *Imo* possessionem *legendum videtur.*

c *Deest nomen* viculi, *nisi ipsum proprium isti tractui fuerit.*

d Locum Tertios *appellat Aluarus in Vitâ S. Eulogij num. 22.*

e Sunt Genesij duo *(ita notat Morales)* Martyres ambo in Dei Ecclesiâ percelebres, Romanus alter, alter Arelatensis. Vtriusque martyrium vno eodemque die, hoc est XXV Augusti, recolitur. *Necdum fabula de tertio Genesio, eoq; Cordubensi Martyre, tunc innotuerat. Roa arbitratur eam ecclesiam S. Genesij fuisse, vbi modò extat* hospitale de la Lanpara.

SS. Genesij Martyres,

f Extra vrbem *collocant Morales & Roa.*

g *Annotat Morales in MS. per errorem fuisse Æram 885, sed se reposuisse 895, quòd sub Mahomad Rege sint passi. Et vel inde magis probatur, quòd ad Æram præcedentem 894 absoluerit librum 3 Memorialis Sanctorum, cui aliàs martyrium horum duorum inseruisset.*

DE B. HELDRADO ABBATE

NOVALITII IN ITALIA.

Commentarius præuius.

ANNO DCCCLXXV XIII MAR.

Noualitiense monast. in sub alpinis

seculo VIII dotatum:

SEgusio *antiquum in Subalpinis oppidum,* Secusia *posteris, hodiernis verò temporibus* Susa *est, ad duorum concursum fluuiorum tuendis Italiæ claustris firmissimâ arce communita: hinc ad montem vsque Cinitium, qui ab Italiâ disterminat Franciam vltra citroque commeantium frequentiâ notissimus, secundùm prædictorum fluuiorum alterum vallis tenditur Secusina; cuius partem tertiam, præter alios fundos, Noualitiensi monasterio attribuisse legitur Abbo Patricius, tempore Pipini Regis: quem Abbonem primum Secusiæ Marchionem facit Franciscus Augustinus ab Ecclesiâ, in Historiâ Chronologicâ Pedemontij. Extatque in eiusmodi fundationis confirmationem apud Ferdinandum Vghellum tom. 2 Italiæ sacræ sub nomine Caroli Magni diploma, suspectum nobis varias ob causas: inprimis autem, quòd in eo se Carolus Magnum intitulet; quòd id intuitu filij Hugonis in eodem cœnobio monachi, confici à se profiteatur; quòd conferat prædicto monasterio in Franciâ Monasterium S. Medardi, Ecclesiam B. Mariæ de Monte-Martyrum atque Abbatiam S. Nicasij Remis; denique quòd nonnullos comprehendat fundos, non nisi post Frodoini Abbatis mortem Noualitio donatos; vt alia subscriptionum clausularumq; vitia taceam, quæ rerum eiusmodi peritus lector facilè obseruabit, vt iudicet diploma istud aut omninò fictitium esse, aut multimodis interpolatum; quemadmodum plurimis alijs eiusmodi Instrumentis contigit per eos, qui originales membranas vetustate, incendijs, ruinis abolitas, Principum permissu restituerunt.*

Quibus tamen, quod in hanc rem præcipuum est, de tempore restauratæ Noualitiensis Abbatiæ libentiùs credimus, quàm ijs, qui Benedicto VIII, *Bremetensi cœnobio à Noualitiensi exorto possessiones suas confirmaturo, suggesserunt, monasterium Noualitiense ædificatum fuisse* tempore Theodorici Regis ab Abbone Patricio. *Hinc tamen Augustinus præfatus, ex eoque Vghellus (apud quem Benedicti bulla integra legitur data* MXIV *anno) scripsit, duos fuisse Abbones, Patricios ambos; quorum vnus viuente adhuc Diuo Benedicto Abbatiam fundarit, alter, Bonito Abbate Casini præsidente destructam à Longobardis, circa annum* DLXXV *per Secusinam vallem Rodano Duce in Galliam irruentibus, post duo circiter secula restaurarit: Godono primo Abbate constituto, cui ipse Abbo monachus factus traditur successisse; interim ab Augustino S. Arnulphus refertur in illâ Longobardorum irruptione*

an fundatû seculo VI?

A ptione Noualitij Martyrio coronatus: quod nobis planè incertum est, cum nullum vspiam reperiamus vestigium eiusdem ibidem aut in vitâ Abbatis, aut post mortem martyrij nomine religiosè culti. Ast de Heldrado Noualitij & Sancto, & Abbate circa annum DCCCXLV testem habemus Philippum Ferrarium, quem Bucelinus transcripsit, in Catalogo Sanctorum Italiæ, citatis tabulis & Officio proprio Noualitiensis Ecclesiæ hæc proferentem, ad diem XIII Martij. Aldradus Abbas Ordinis S. Benedicti Noualitiæ, oppido Alpino, in regione Pedemontanâ apud Segusium colitur: eius corpus in sacrâ æde eiusdem oppidi, vbi cœnobium eiusdem Ordinis est, quiescit, ac venerationem habet die suprà memoratâ.

B Heldradi in eo cultus,

Huius, autem rei non solùm testem habemus Ferrarium; sed Acta quoque (quæ ille in Officio contineri, se autem non esse assecutum fatetur) vetusta proferimus, à R. P. Ioanne Iacobo Turinetto, Collegij Taurinensis Rectore, anno 1654 transmissa; ex quibus post annos triginta regiminis mortuum constat III Idus Martij, regnante Ludouico Lotharij filio, cui ab obitu patris in Imperio dantur anni viginti vsque ad DCCCLXXV. Scripta fuerunt hæc Acta non multo tempore post captam à Christianis Hierosolymam, anno MXCIX; vt constat ex num. 25, vbi coram Guilielmo Bremetensi Abbate audiuisse se ait auctor, quid ij, qui B. Heldradi innocatione naufragium euaserant, ab illâ expeditione reduces, narrauerint, ex cuius ore ista accepit. Idem auctor Noualiense Chronicon scripsit, atque ad primos seculi duodecimi annos perducit; in quo sic de B. Heldrado loquitur. Hoc quoque (Hugone Caroli Magni filio) defuncto, excellentissimus P. Heldradus in Abbatiâ præficitur: huius itaque Patris vitam nostris temporibus, quantumcumque ex suis miraculis atque virtutibus colligere potuimus, tam visis quàm auditis lectisue, quibus per eum Dominus operari dignatus est, deuotissimè in eius laudibus simul scribere curauimus.

Acta conscripta ab auctore Chronici Noualit.

Porrò Ludouici II seu Iunioris annus vltimus, qui fuit vt dictum est Æræ Christianæ DCCCLXXV, vel penultimus præcedens, per annos XXX retro actos ad DCCCXLIV deducit, quo Chronicon Bertinianum, ex nostro apographo editum ab Andreâ du Chesne, tom. 3 Francicorum, narrat, quomodo Hugo Presbyter & Abbas filius Caroli Magni quondam Imperatoris, interfectus cum plurimis alijs fit in illâ inopinatâ congressione, quâ Pipinus, Pipini quondam Regis filius, exercitui, ex Franciâ ad Carolum Tolosam obsidione vallante properanti, in pago Ecolesimo occurrens, primoribus interfectis, ceteros fugam ante congressum ineuntes, vix paucis euadentibus aut cœperit aut spoliatos sacramentoq; adstrictos abire permiserit. De quo Hugone eiusque fratribus Drogone atque Theodorico Theganus in Gestis Ludouici Pij, eidem Imperatori Synchronus scribit; quod fratres suos, scilicet ex pellicibus Reginâ & Adelluidâ natos, tonsurari iusserit ad discordiam mitigandum, & liberalibus disciplinis instrui anno DCCCXVIII; quos postmodum honorificè constituit: Drugoni Episcopatum (*Metensem*) dedit, & Hugoni Cœnobialia monasteria: *opulentiora videlicet, Noualitiense imprimis cum iure tituloque Abbatis; alia possumus suspicari illa fuisse, quæ in spurio illo Caroli Magni diplomate Noualitiensi monasterio falsò subijciuntur, eâ solâ fortaßis ex causâ quòd fuerint Hugoni à fratre Imperatore attributa. Ex dictis tamen necessariò corruunt, quæ Chronicon Noualitiense memorat de prædicto Hugone, quasi pater suus (quem Eghinhartus testatur non nisi post tertiæ vxoris suæ Luidgardis obitum, anno DCCC vitâ functæ, prædictas sibi concubinas asciuisse) puerum Frodoino Abbati educandum commendasset, statim post deuictum Desiderium Longobardorum Regem anno DCCLXXIV: atque intuitu eiusdem filij ibidem monachi, imo Abbatis, fundos qui nominantur dedisset; cùm ipse decesserit anno DCCCXIV, necdum pueritiæ annos egresso Hugone. Nec plus in eo, verosimilitudinis est quòd S. Medardi Suessionensis Abbatiam Hugoni Carolus pater contulerit, in eâque ipse Hugo virtutibus clarus miraculis quoque post mortem claruerit, & publico Sanctorum cultu sit honoratus: qui tantum abest vt Suessione obierit in suo illo monasterio, vt nulla vel istic vel alibi vspiam extet memoria de Hugone ibidem tumulato: Abbatiam autem illam tenere non potuit patre viuente, ac ne tenere quidem eo mortuo, nisi fortè aliquam prouentuum partem cum titulo inferioris notæ, Decani videlicet vel Prioris: aut certè post Hilduini Abbatis S. Dionysij mortem anno DCCCXLII: siquidem verum sit quod in Abbatum Catalogis referunt Sammarthani, huius quoque monasterij præfecturam eidem Hilduino attributam esse ab Imperatore Ludouico iterumque post exilium triennale restitutam; quod vltimum mihi prorsus incertum est, ita verum esse primum omnino suadet Reliquiarum Sebastiani atque Gregorij, eodem Româ facta translatio per Hilduinum prædictum, haud vtique in alieno à sua iurisdictione cœnobio tantum thesaurum deposituro.*

eius decessor Hugo Caroli Magni filius,

natus post an. 800:

an etiam S. Medardi Abba.

Edita sunt Chronici Noualitiensis fragmenta quædam in Tom. 2 & 3 Francicorum ex MS. antiquo, quod penès se habebat olim Petrus Monot: quorum pars prior Frodoini Abbatis ac Caroli Magni res gestas continet, fabulis non paucis admixtas; quæ autem inter eas de Hugone sunt, excogitata videntur occasione illius ex imperio Fratris Ludouici isto in monasterio collocati ad litteras discendas sub Amblulfo Abbate; cui idem Imperator contulerit Vallem Baudonis cum castro Bardino (quæ in reiecto Caroli diplomate Ludouico & Hugone rogantibus donata dicitur) & Amblulfo mortuo circa annum DCCCXX titulum dignitatemque Abbatis; alias identidem aliasque eidem subijciens Abbatias in Franciâ, prout eas Abbatum excessu vacare contingebat: idque numero tanto vt qui recentißimè Suessionensem historiam conscripsit Claudius Dormay, Hugonem dicat eâ de caussâ Magnum Præfectum monachorum vulgò vocitatum. Hugoni prædicto è viuis sublato, Heldradus, vt diximus, substituitur. Dein Abbatiam regunt Eirardus & Demontius, vsque ad annum DCCCCVI, vt habet Augustinus ex prædicto Chronico, quod integrum prodire peroptamus, vtpote magnam fidem habiturum in ijs, quæ seculo XI gesta narrat auctor post Bremetensis monasterij fundationem vel oculatus rerum testis vel ab oculatis instructus.

à Ludouico fratre constitutus

B. Heldradi successor,

Etenim sub Abbate Domniuerto, qui fuit post B. Heldradum tertius, destructum à Sarracenis, mare ad Fraxinetum habitandum transgressis, incensumque est Monasterium Noualitiense, occisis duobus qui ad custodiam remanserant monachis; vt vehementer ambigam an huc non spectet Arnulphi cædes, & ad captatam antiquioris originis gloriam conficta non sit prior sub Longobardis vastatio, sicut confictus est primus Abbo Patricius, Noualitiensis sub S. Benedicto fundator. Domniuertus autem Saracenorum metu cum suis se Taurinum recepit cum thesauro & libris: ibique resedit ipse & successores Pellegrinus & Gezo, vsque dum Adalbertus Eporediensis Comes post initium seculi vndecimi Bremetensem fundauit dotauitque Abbatiam, & Gottifredo Abbati concessit, ad quem est Benedicti suprà citatum diploma: successere Gotifredo Odilo, Cluniacensis Odilonis nepos, & Heldradus alter: quo mortuo, ambitiosus quidam monachus, Oddo nomine, vehementer conturbauit illius monasterij statum: donec eo amoto, data est Abbatia alteri multò meliori: *quibus verbis terminari Chronicon Noualitiense (ex quo in sex libros diuiso fragmenta edita) indicat Chesnæus solenni illa antiquis clausulâ,* explicit. *Alterum autem illum multò meliorem, Guilielmum esse credimus; eum cuius hæc Acta sub finem meminerunt: & sub quo suspicamur ipsum horum Actorum scriptorem inibi fuisse monachum; quippe qui sæpius in Chronico* hanc nostram Abbatiam *nominet:* Noualiensem *autem Ecclesiam, ex quâ illa processit,* sanctissimam matrem nostram.

Abbates Bremetenses seculo XI,

Huic iterum restitutæ, apud Franc. Augustinum ab Ecclesiâ præpositus legitur, Petrus primus Prior, in cuius gratiam Vbertus Maurianæ Comes Italiæque Marchio priuilegia ex donatione huius monasterij confirmauit *anno* MXCIII: *exindeque Petri successores ex instrumentis archiuij Noualitiensis nominantur, vsque ad Philibertum Mauritium Prouanam, filium Ioannis Francisci Comitis Frusachi;* qui hodie Abbas est, *inquit Vghellus,* primus

Priores Noualitienses,

mus

A mus post Antonium Prouanam : qui recuperatâ dignitate Abbatiali, fuit inde Archiepiscopus Taurinensis, *inquit Franc. Augustinus, consecratus* MDCXXXI, XI *mortuus : ex quo soli Apostolicæ Sedi obedientiam præstant Abbates : cùm antea Noualiticenses Prælati solo Priorum ac Dominorum titulo contenti, subiectionem professi essent Bremetensi Abbatiæ; quæ adhuc hodie efflorescit ad oppidum quod Bremetum dicitur iuxta Padum, vbi nunc munitissima Arx Monachi, prout hæc omnia cap. 16 docet sæpè citatus Augustinus. Quem mirum est de hac Abbatiâ eiusq; Abbatibus tractare noluisse, quam existimamus nō plùs quinquaginta passuū millibus infrà Taurinum ad Padum notari; & in tabulis* Breme *dici; proximas autem vrbes habere Alexandriam, Casaliam, Vercellas octo, decem vel duodecim milliarium interuallo. At Vghellus in Episcopis Taurinensibus ait, Gezonem Abbatem Noualetiam retulisse anno* CMLXXXVII: *eoq; monachos Taurino reduxisse : hoc autem neque cum tabulis Bremetensis confirmationis satis conuenit, vbi illud dicitur priùs in Noualetio fuisse ædificatum, & postmodùm imminente Saracenorum persecutione studio Adalberti Deo deuoti Marchionis, translatum ad oppidum quod Bremetum dicitur, collectâ ibidem congregatione fratrum Regularium : neque cum ætate Petri, primi vt præfertur Prioris,* B *vtique post restaurationem. Quare hanc restaurationem mallemus credere ad Guilielmi Bremetensis tempora pertinere.*

Bremetensi Abbatiæ subiecti,

VITA

A R. P. Ioanne Iacobo Turinetto ex MSS. eruta.

PROLOGVS

1 AD laudem & gloriam Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, quæ de beato Heldrado veridicâ narratione, sub testificatione fidei & Christianitatis, didicimus, referre non formidamus. Quamuis enim peccatorum multitudine grauati, à Sanctorum meritis, & conuersatione peregrini longeque abiecti viuamus; in spe tamen gloriæ filiorum Dei, de resurrectione omnis carnis nullatenus dubitantes, per puritatem & confessionem delictorum ad eorum quandoque consortium nos peruenturos speramus. Et quia Scriptura diC uina nos instruit, dicens : Concilium Regis abscondere bonum est, opera autem Dei propalare optimum est & salutare, nostræ saluti periculosum metuimus, si ea Dei opera, quæ à fidelibus per B. Heldradum mirabiliter patrata comperimus, litteris mandare non curemus.

CAPVT I

Vitæ totius periodus.

2 IGitur B. Heldradus *a* ex Gallicanâ patriâ, quæ dicitur Prouincia, non infimis parentibus ortus, &, vt certum dicatur, *b* Amboliacensis oppidi, Alpinis montibus vndique septi, municeps & indigena fuit: nobilis quidem genere, sed nobilior animi virtute. Solet ergo euenire vt nobilitas generis pariat ignobilitatem mentis : at non ita in Heldrado viro sancto extitit; qui mundi mutatis phaleramentis, deposito generositatis cothurno, quantò clariùs in seculo vixerat, tantò viliùs abiectiùsque Christo adhærere cupiens, summi Regis paupertate ditatus, ipse pauper pro Christo effectus, seipsum pauperibus conformabat. Adhuc itaq; sub laicali habitu Christi militem contegens, eodem in vico, ex quo carnis decussatam duxerat originem, ecclesiam B. Petri meritis dicatam construxit, ac nonnulla pro susceptione hospitum peregit habitacula. Composuit verò pulcherrimum ibidem viridarium, ex quo cuncti venientes habere possent edulium. Sed dum crebrescentibus curis alia pro alijs cogitare compelleretur, non modicam à parentibus relictam sibi substantiam, partim ecclesijs, partim etiam pauperibus distribuere curauit. Quâ pauperum Christi sinubus receptâ, illius æui nexibus, quibus ea ætas flammis iuuenilibus dedita implicari solet, absolutus & liber, ab huius mundi naufragio nudus euasit.

a In Galliâ

nobili genere natus

D EX MSS.

facultates amplas diuino cultui impendit,

3 Oculis siquidem mentis circumcircà prospiciens, infrà dignissimum suæ cogitationis sacrarium sagaciùs perquirens, sicubi locum inuenire potuisset dignum, quo monachorum Regula arctiorque custodia vigeret, & in officijs religio maneret sollicitior: circumiensq; Galliam atque sibi domesticam peragrauit Prouinciam, translatus Aquitanias deuenit ad Hispanias : inde lapsus regressus est Italiam, vbi multorum relatione didicit præcipuum inesse cœnobium, ex antiquo vocabulo vocatum Noualitium, eò quòd nouæ lucis primordia & sanctitatis exordia ibi exorta E noscantur esse & fundata, quod Ambulfus *c* perui- gili & solerti disciplinâ regebat : sub cuius venerando moderamine quingentorum monachorum Domino dignissima militabant agmina. Aduentu deniq; huius sanctissimi, idē rector prælibati cœnobij, Spiritus sancti docente instinctu, dignanter ab eodem suscipi rogitauit; digniùs etiam quàm postulauit susceptus est. Proinde susceptus infraque claustra monasterij detentus, quæ monachis digna & eorum studijs apta sunt omni adnisu colligens, &, vt prudentissima apis, intra sui cordis aluearia optima quæque recondens, breui regulariter edoctus quidquid S. Benedicti Regula, Columbani edicta, Basilij scripta *d* continent præpeti volatu studiosissimè penetrauit.

& perfectioris vitæ desiderio,

fit monachus Noualicij:

4 Eodem ergo tempore Lotharius Rex *e* nomine, ex Caroli progenie fines regni Italici gubernabat eximiè, in armis valdè strenuus intentusque bonis operibus, & eleemosynas agebat frequentissimas; qui prædictum cœnobium sanctitate præcipuum honorabat attentiùs & munerabat sæpius: inter cuius permaxima munera est locus propè montes, ab incolis Italiæ Pagnus *f* dictus ex nomine, quem ob insigne regium virtutis priuilegium largitus est prædicto cœnobio Noualitio, quo trecentorum monachorum numerus religione præclarus assiduis Christo vacabat F studijs. Decedente siquidem vitâ Ambulfo venerando Pastore, *g* consensu omnium Hugo, Caroli Magni filius, supremâ in sede constituitur : qui nobilitatem generis nobilioribus sublimauit meritis, quamdiu humanis rebus interfuit, verbis atque operibus subiectos dignè docuit. Sed defuncto *h* Hugone vnâ omnium voce monachi prædictum Heldradum in Abbatem suum constituunt. Pulsatus autem verbis renuit, exhortatus exemplis restitit, vi verò tractus consensit. Sciebat enim vnâ eâdemque abiectione dignum, inuitatum diu resistentem, & non inuitatum sese ingerentem.

ibiq; Ambulfo

& Hugone mortuo Abbas creatur:

5 Adepto ergo venerabili moderamine regiminis, quis vel quantus extiterat & nostra succumbit facundia, & virtutum frequentia vires ad enarrandum humanas exsuperat. Erat enim opulentiâ virtutum clarus, sapientiæ affluentiâ compertus, exuberantiâ benignitatis refertus, studiosi ingenij floribus ornatus, roseâ castimoniæ vigilantiâ tutus, & vt generaliter dictum sit, quot dierum spatijs vixit, tot charismatum priuilegijs vitam ornauit. Habent siquidem hoc Sancti proprium, vt adhuc carneâ grauedine oppressi, iam prælibare iamque gustare incipiant, quæ vel qualia gaudia recepturi sint post funera. Nam quarto die antequàm lutea linquens habitacula, liber volaret ad æthera,

vita præclarè acta finem prænoscit:

EX MS.

A æthera, alacri vultu & placido mentis intuitu, conuocatis ad se discipulorum cunctis, quos Christi seruitio dignanter mancipauerat, sacris exemplis docuerat, sanctioribus oraculis ad meliora speranda extulerat, etiam sui in præsentiâ dignâ supplicatione astantibus, se indicat resolui.

5 Qui ibi gemitus, quæ lacrymæ, quotque suspiria ab eo Christo effusę sunt, quatenus sinistrum derelinquens iter, dextrum, quo electi ad brauium supernæ vocationis ducendi sunt, absque offendiculo teneret; & ne pars maligna inuidiæ facibus accensa, tarditates aliquas prætendere, retiáque suæ malignitatis pedibus post Dominum currentibus opponere quiuisset. Extorquebat enim affectus interioris hominis lacrymas, quas violentia dilectionis ex intimis præcordiorum visceribus fundebat. Gemebant alumni magistrum: tristabantur de præsenti Patris discessu, cuius gloriam credebant fore eximiam. Eleuatis denique ad cælum oculis, quo spiritus semper intentus fuerat, & parumper resumptis viribus, viaticum Dominicæ Communionis expetijt digniúsque suscepit: ac sic inter discipulorum manus, lacrymas, & gemitus animam Deo reddidit. *ac post moritur* Vixit autem Beatus Heldradus sub B monasticâ disciplinâ annis septem, præfuit autem triginta. Quos omnes Christianitatis titulis ornauit, excellentiâ sanctitatis ditauit, & culmine virtutum laudabiliter extulit. Mortuus est autem tertio Idus Martij, regnante Ludouico Lotharij filio *i*, & sepultus est apud Noualitium, suum dilectum Cœnobium; vbi viget miraculis, coruscat beneficijs, præstat sanitatibus, præsentatur virtutibus, præstante Domino Iesu Christo, cuius honor & gloria, virtus & excellentia viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

a Aldradus *Ferrario, Chesnao* Eldradus.

b *Nullum tabulæ Geographicæ locum exprimunt, qui huic habeat affine nomen: versùs Nicensem tamen Comitatum vicus est, inter Esteronem & Varum fluuios montanis cinctus iugis, vocabulo S. Petri; sub cuius inuocatione ecclesiam construxisse in suâ patriâ, & hospitale Heldradus dicitur.*

c Aliàs Ambulfus, *VVidilonis filius à patre traditus in manus VVarnari Decani ad vicem* Domni *VVitgari Episcopi seu Richarij Præpositi, vt est in Instrumento ipsius traditionis in Chronico Noualiciensi.*

d *Hinc suspicari posset aliquis peculiarem huic monasterio & ex istis mixtam Regulam fuisse: sed credere malim ea Rhetoricè dici, & S. Benedicti Regulam istic ab initio obtinuisse.*

e Anno 817 *nominis & Imperij socius constitutus à patre, quod tenuit vsque ad* 855.

f Pagnum quondam ditissimum & regale monasterium, C quod olim Aistulphus Rex ambi-dexter condiderat, *vt est in Chronico. Benedictus* VIII *in confirmatione Bremetensi* cellam à Paganis dictam *enumerat inter Noualitienses possessiones.*

g *Anno* 820, *vt vult Franc. Augustinus ab Ecclesiâ.*

h *Imò caso, anno* 844.

i *Ab obitu Patris, anno* 855 *defuncti, regnum tenuit vsque ad annum* 875. *Imperator Italiæ dictus ad distinctionem patrui similiter Ludouici, qui Germaniæ regnum, & ante & post nepotem Italiæ dominantem, tenuit.*

CAPVT II

Miracula in vitâ & post mortem patrata.

6 DEcursâ vtcumque beatissimi Heldradi vitâ, nihil omninò de miraculis ab eo patratis attigimus, timentes ne quod minùs à nobis dictum fuisset eius subtraheretur gloriæ. Nec ideò minoris apud nos creditur esse meriti, quòd miraculorum multitudini proprium volumus condere librum. Multa siquidem & mira sunt quæ aut in iuuentute, aut susceptâ Christi militiâ peregit: sed vastatione gentilium, *a* & inertiâ scriptorum obliuioni deleta, & vitiorū memoriâ diuulsa fore noscuntur. Sic Deus pauca de eius miraculis nostræ noluit subtrahere notitiæ, quatenùs de minimis dignanter patratis ampliora intellectui D pateant: cui verò pauca non sufficiunt, multa non proderunt. Aggrediar ergo & adhibebo studium ad explanandum ea, quæ relatione digna, non solùm iam omnino Deo coniunctus & cælestium ciuium agminibus nexus peregit, verùm etiam ea, quæ adhuc corporeo carcere clausus, Deo iuuante laudabiliter patrauit.

7 Dum igitur B. Heldradus vitales adhuc carperet auras, & iam Noualitium, suum dilectum cœnobium, pio moderamine regeret, fertur iussisse ex suis in valle Brigantinense quòd monachis apta debuissent ædificare habitacula. *Serpentes monachis infestos,* Profecti itaque discipuli iussionibus magistri sanctissimi obedientes, dicto citiùs iussa, vicinoque obedientiæ pede præcepta studuerunt peragere. Venientes nempe illò Fratres, aptum locum habitationibus monachorum inuenerunt: quem ornauerunt ecclesijs, construxerunt ædificijs, & ex abundantiâ cellarum Monasterium illum vocitarunt. Vallis siquidem illa captionibus venationum apta, piscatione omnino opulentissima, sed serpentibus oppidò erat referta: quorum infestationem prædicti Fratres ferre non valentes, reuersi sunt ad Patrem, E quæ fecerant quæue passi fuerant renuntiantes. *concludit,* At ille blandâ eos admonitione delinitos blandioribusque verbis delibutos, paucis diebus secum retentos cœptis iubet instare operibus; pollicens se absque morâ eos secuturum. Venerandus itaque vir ad locum veniens multitudinemque serpentium reperiens, virtute diuinâ eos in vnum congregans, ferulâ, quam manu tenebat, præeuntem se sequi præcipiens, & in loco modicùm cauato glomeratim adducens, terminum eius meritis suffragantibus posuit, ne vlquam ampliùs exire debuissent designans. Ecce res mira & omni dignatione miranda. Statuitur locus, designatur exitus, obediunt serpentes homini, quem à Christo sciebant diligi: & quod seruus Dei promittit ore, hoc serpentes tenent opere.

8 Dum vir clarus excubias noctu seruaret Angelicas, quidam mutus aduenerat ad eius sacra limina, petens oris colloquium & linguæ solui vinculum. *muto loquelam,* At eius cœnobij familia & pueri, illum fingere putantes sicque eos decipere, verbis actum minacibus & afflictum verberibus, cum iam nihil proficiunt, extra fores proijciunt. At ipse cuius conscientia erat conscia facti, & animus inardescens cupidine loquendi, se totū conuertit ad Christum, & ad Sancti tumulum veniens, corde tenus orauit, dormiuit, verba recepit, & sanitati pristinæ redditus, lætus ad propria remeauit. Eodem F namque tempore Vbertus quidam nomine similiter aduemens, vtroque pede claudicans, Patrem pulsat *claudo gressum* gemitibus, & exorat singultibus vt sibi gressum conferat & sanitatem præbeat. At Vir Deo plenus, cuius mens, dum in hoc seculo vixit, misericordiæ visceribus semper redundauit, orantem citò respexit, & per somnium illi apparens sanitati pristinæ diuinâ membra infirmitate detenta quàm citiùs reformauit. Talibus siquidem beneficijs multorum infirmitatibus sæpiùs impensis, clarus cœpit suaderi in hoc seculo, qui sole lucidior præsidebat in cælo.

9 Eadem circa tempora venerat mulier quædam, petens auxilium ad eiusdem cœnobium: nam lactis copiam dicebat sibi sublatam, peccatis exigentibus & plurimis criminibus. *arentibus mammis lac restituit.* Quæ cùm diu oraculis persisteret assiduis, visitata ab eo per somnium, iussa est ad propriam regredi domum: nam antequàm stadium in itinere confecisset, plenè cœpit se lac effundere, & vbera tumescere, intantùm vt iam copia effusi lactis eius sinus immadesceret. Fertur adhuc miraculum inter multa præcipuum, quòd non solum hominibus sed etiam pecudibus largitur beneficia quàm sæpiùs perplurima. Paganenses *b* siquidem Italicæ patriæ sæpissimè candelas habitudine iumentorum compaginatas

A natas eius honore ad sacra lumina eiusdem ecclesiæ deferunt. Mirum dictu! illis deprecantibus & vota sua B. Heldrado persoluentibus, iumenta domi relicta pristinæ sanitati redduntur, & vsibus dominorum salua restituuntur.

10 Solennitas aduenerat B. Petri maxima, ad quam puer ex abditâ mutus venit prouinciâ, qui numquàm oris proprium habuerat colloquium: qui dum ad Sancti tumulum noctu pernoctaret præcipuum, Heldradus vir sanctissimus sibi venit per somnium, qui os eius aperiens, absoluit linguæ vinculum.

pestis reprimitur.

Eadem circa tempora lues quædam pestifera vastans cateruas hominum, & cœtus animalium, ita vt per ecclesias simulque cœmeteria quinque vel octo feretra portarentur funebria: parentes ipsorum conuersi sunt ad Dominum, & Heldradi sanctissimi deposcebant suffragium, vt ab ipsis mortiferis saluarentur incommodis. Venerunt ergo quâdam die vnanimes ad Heldradi ecclesiam, offerentes illi argenteam catenam munere huius necis humillimè. Qui orantes respiciens, & deprecantes muniens, ab illâ die deinceps redditi sunt incolumes.

11 Cùm iste Sanctus ex paternitatis debito ferè quingentorum Fratrum curam gereret, omnique illi B Congregationi necessaria prouideret, & sanctitate ac religione, morumque honestate omnibus se imitabilem esse ostenderet, à Creatoris tamen numquam subtraheretur aspectu; illis procùl dubio Angelicis spiritibus se significabat annumerandum, qui, quamuis mittantur per officia, numquàm tamen separantur ab Omnipotentis visione intrinsecâ.

ad comitia pro pace instauranda

Quodam igitur tempore, Diaboli instigante sæuitiâ, tam perniciosa tamq; lugubris in Taurinensium partibus exorta est discordia, vt vnusquisque, si latenter non poterat, aliena patenter raperet, nec Ecclesiasticis pro religione, nec mulieribus parcebatur; nec pueris innocentia, nec senibus proficiebat ætas reuerenda: tantumque hæc rabies excreuerat, vt non solùm viatoribus extraneis molirentur insidias, verùm etiam in affines & conciues suos easdem exercerent insidias. Potentes verò, qui inferiorum scelera reprimere debuissent, sub eisdem nefarijs pariter iacebant.

12 Itaque pro his periculis, Episcopis, ceterisque Religiosis viris visum fuit Concilium aggregandum, d in quo per sancta decreta vt præmissum est, impij sanctarum legum regerentur moderamine, pietatis autem & iustitiæ cultores imperturbatam pacem possent agere. Igitur huic Concilio locus decernitur spatiosus & amœnus, qui iuxta Padi flumen ab incolis e Veraria nuncupatur. Porrò homines ex plurimis C prouincijs non tantùm placuit aduocari, sed ob Dei timorem maioremque reuerentiam corpora Sanctorum ad suprà dictum locum delata sunt.

adferuntur S.Heldradi Reliquiæ:

Inter alia ergo sanctorum corpora clarissimæ famæ, ad eumdem locum corpus sanctissimi deportatum est Heldradi. Fama peruolat, & tantùm patronum adesse velociter cunctis adnuntiat. Ad huius ergo eximij Patris sanctissimas Reliquias dum omnes, qui aderant, magno confluerent cursu, tanta super ipsius Paradi pontem se multitudo hominum ingessit, vt pons ruerit. Cumq; multi aquis immersi vitam desperarent, euenit vt quædam mulier, quæ principaliter huius

mulier aquis mersa.

Sancti ardebat amore, ipsumque S. Heldradum videndi desiderio venerat, fœmineæ naturæ fragilitate detenta sub vastis aquis spiritum exhalaret. Cumque filij ipsius per ripas fluuij matrem quærerent, & S. Heldradum querulis vlulatibus proclamarent, vestes defunctæ, quæ ex roratione vndarum inordinatæ ferebantur, eminus apparuerunt.

orantibus pro matre filijs, vita restituitur:

13 Hanc igitur filij per quinque milliaria, vsque videlicet ad eum [locum] quem indigenæ Molinas vocant, flentes secuti sunt: ibique secundùm Dei voluntatem, & beati Confessoris miserationem matrem mortuam receperunt. D Cùmque se filij supra matris cadauer sternerent, totumque suum detrimentum sanctissimo deputarent Heldrado, dicebant: O Christi Confessor Heldrade, ad te pio venimus animo, vt bona conferres, mala prohiberes: contraria nobis dedisse cernimus, & pro bono malum, pro salute, quam petebamus, mortem contulisti: hæ certè non sunt Sanctorum retributiones. Et in his amaritudinis vocibus cadauer matris leuantes, ad Christi Confessorem reportando, sub ipso feretro, in quo sanctissimum corpus iacebat, proiecerunt. Res miranda! mulier de morte reuixit, quæ postquàm à Reliquijs tacta fuit, salutem recepit integerrimam, & cum filijs suis eâ quâ venerat viâ, cum lætitiâ ad domum suam remeauit. O Christi verè Confessor & discipule, cuius iam in miraculorum exhibitione imitatus es vestigia. Nam sicut ille quatriduanum Lazarum fœtentem reduxit ad vitam, ita & iste mulierem sub magnis gurgitibus diu latitantem, ad vitæ pristinæ salutem restaurauit iucundam.

EX MSS.

alia festum eius violans

14 Dum quædam mulier peregrina transiret apud burgum Noualitij, eo die, quo sanctissimi Patris Heldradi festum colebatur, hospitium suscepit Noualitiæ; dumque ibi ex itinere fatigata parumper resedisset, E f subuculares suæ comitis consuere cœpit. At vbi eiusdem loci homines eam operantem viderunt, blandâ voce & admonitione illam corripere cœperunt, vt ab incepto opere desisteret, & cum ceteris eiusdem loci tanti Patris solennitatem celebraret. Illa respondit, se & Sanctum ignorare, & eius festiuitatem non colere. Quid plura? postquàm se comitantis opus peregit, ad proprium opus conuersa calceamenta sua vt reficeret accepit.

manum vulnerat,

Dum verò subulam, quâ suere volebat, pugillo constringeret, cœperunt vngues palmæ vehementer affigi, ac tantâ impressione coarctari, vt iam summitates manus in exteriori parte vngium instare viderentur. De quorum vulneratione sanguine decurrente, voces in excelso cœpit emittere, & cum magno clamore & timore eius, quem paullò ante audacter contempserat, exclamare.

eamq; pœnitens sanam recipit

Quo viso miraculo omnes qui ad videndam mulierem confluxerant, cœperunt Dominum glorificare & beatissimum Heldradum exorare. Concilio autem communicato, quid de eâ facere deberent, ad Ecclesiam B. Heldradi, quæ non multum aberat, illam detulerunt, & vt eius misereretur, omnes æqualiter lacrymabilibus vocibus deprecari [cœperunt.] Ipsorum exaudita est oratio: nam dolor fugatur, palma extenditur, carneque stigmata F omnia replente ad tantam mulier illa erecta est incolumitatem, vt tantùm cicatricibus apparentibus in ipsâ maior sanitas esse videretur. Quæ peractâ gratiarum actione hoc voto se constrinxit, se annuatim vitâ comite ipsius Sancti ecclesiam visitaturam.

surdus mutusq; curatur.

15 Aliud quoque miraculum referendum putamus. In solennitate paschali dum quidam puer indignè sumpsisset Sacramentum Dominicum; foras in agros egressus est, qui sensum amisit & memoriam, & quasi brutum animal factus, domum deductus est. Parentes eius cum ab eo diligenter inquirerent, qualiter hoc sibi accidisset, audiendi loquendique officio eum frustratum agnouerunt. Sed quia Heldradi iam diuulgabatur longè fama, ad eius ecclesiam puerum deduxerunt; ibique cùm parentes paterno affectu preces effunderent, eum interiùs exteriúsque plenè reformatum receperunt.

a *Saracenorum circa annum 920.*

b *Nomen habet à* Brigantio, Virgantiâ *Ammiano, hodie* Brianzon, *celebri in Delphinatu Vrbe ad Durantium fluuium, Leucis à Noualitio 10 circiter.*

c *Rectiùs fortè* pagenses, *vox eo seculo frequens pro cuiuscumque regionis seu pagi incolis: vide Vossium de Vitijs serm. l. 3. cap. 31. nunc solos ruricolas sic nominant Franci atque Hispani* Paysans, Paysanos. *Teutones* Lants-lieden: *at Itali* contadinos *dicunt; Comitatus titulo plerique in Italiâ pagi olim insigniebantur.*

d *Memi-*

A

d *Meminit Vghellus Concilij à Gezzone Taurinensi Episcopo celebrati initio seculi* XI: *& controuersia circa Noualitiensis Abbatiæ collationem ab eodem composita anno* MVIII. *Sed illud sub Gezzone Concilium solùm videtur diœcesanum fuisse: istud autem de quo hîc Prouinciale ex totâ Lombardiâ collectum, vt patet ex loco.*

e Ferrariâ, *plusquàm ducentis sexaginta milliaribus Taurino dissita versùs Adriaticum mare.*

f *Rectiùs* subtulares *vide Vossium l. 3 cap. 51, seu* sutulares *quasi* subtalares: *quod Franci in* souliers *contraxerant.*

EX MSS.

CAPVT III

Alia miracula.

16 Cùm eorum, quæ in sanctâ leguntur Ecclesiâ, duo scriptoribus sint proposita, vt videlicet de appositis mendacium, & de subtractis diuinum timeant incurrere iudicium; de huius Sancti miraculis vt superflua apponere vitamus, ita & quæ eum indubitanter fecisse scimus, nullo modo occultamus. Fertur in Galliâ, cùm quidam nobilis septem filios strenuissimæ iuuentutis habuisset, mortuâ eorum matre, aliam sibi vxorem adsciuisse. Sed quia solent priuignis nouercæ insidiari, talem dicitur filijs septem viri sui dedisse potionem, vt omnes in insaniam verterentur: alijs autem per diuersa mundi climata oberrantibus, vnum eorum diuina pietas ad B. Heldradum direxit. Dum verò monachi eum lubricè incedentem, vestes scindentem, alios percutientem, sibi ipsi non parcentem vidissent, eius infelicitate commoti, in ecclesiâ ipsius Heldradi clauserunt, & alterâ die incolumem receperunt.

Mens sana furioso redditur:

B

17 Nobis quoque in huius sanctissimi Patris gestorum memorabilium descriptione instantibus, memoriæ nostræ occurrit, quòd, cùm corpus eius propter necessarias causas ad Concilium in Burgundiâ adunatum, deportatum fuisset, in loco, qui Aqua-bella a dicitur, claudum vtroque pede obuiam habuit. Quem cùm omnis populus suppliciter exoraret, vt ibi diuinam suam virtutem dignaretur ostendere, quantæ misericordiæ fuerit iste Sanctus, patratum ostendit miraculum. Nam statim sanus factus est, & supra pedes suos rectus stetit, & robusto gressu corpus B. Heldradi secutus est. Rursus cum quidam Sacerdos Corporis & Sanguinis Domini indignè tractasset Sacramenta, manus totiusque brachij incurrit debilitatem. Qui ad B. Heldradum veniens, eius, quæ sine pretio dabatur, medicinam expetijt, & postquam sua vota persoluit, & Domino se honestissimè seruiturum ante ipsius Confessoris altare obligauit, plenariæ restitutus est sanitati.

a

claudus erigitur:

C

18 Iterum cùm cuidam pauperi, ad vitæ suæ solamen, diuina pietas vnicum tribuisset filium, infirmari cœpit: tandemque morborum crescente molestiâ, ad tantam puer ille perductus est ægritudinem, vt iam vitâ eum destituente omnem morientium similitudinem ostenderet. Iam verò cùm spiritus, vt egrederetur, in pectore tantùm palpitaret, pater eius miserabiliter deflens filium, ad sancti Confessoris peruenit ecclesiam: vbi postquàm diutissimè orauit, puerum, quem iam credebat sepultum, suæ senectutis in longa tempora suscepit solatium. Dum quidam iuuenis de sessorio indiscretè surrexisset, cuiusdam obstaculo se infrà supercilium læsit. Quâ exortâ occasione sanguis se circa oculum conglomerando in faciem versus est. Sed cùm ex sanie vermes scaturientes non solùm oculum verùm etiam cerebrum tenebrare niterentur, nullâque posset medicorum medicari peritiâ, ad sanctum cucurrit Heldradum: cuius basilicam ingressus, tantum illicò sensit beneficium, vt vermes à capite procedentes cum magno impetu partem sternerent pauimenti: concauitatem verò illam, quàm paullò antè vermes repleuerant, vicina caro repleuit, ita vt paullò pòst nullum in illo appareret illius infirmitatis vestigium.

moribundus seruatur,

oculus amissus restauratur:

D

19 Quædam mulier beatissimi Heldradi ecclesiam temerè intrare præsumpsit: [sed quia] oratio eius erat execrabilis, à ianuâ ipsius basilicæ repulsa, minimè intrare potuit. Quare ad se conuersa, suorumque scelerum conscia, hanc pro suis peccatis repulsionem se passam esse præmeditata est. Velociter ergo cursum arripiens, quemdam religiosum adiuit monachum, in cuius aure omnia sua peccata confessa, per veram Confessionem cordisque contritionem veterum peccatorum sarcinâ depositâ, in basilicâ quasi in honestissimo Christi thalamo recepta est. Fuit iuuenis quidam in eo vico, qui [est] ad radicem montis, supra quem Ecclesia sancti Archangeli Michaëlis digno honore sita est, qui creberrimis febribus ita vexabatur, vt vel æstate vel hyeme nullum haberet relaxationis remedium. Cùm autem assidua febris eum incessanter maceraret, itaque eum attriuisset, vt omnibus toris euacuatis, iuuenili eum vigore penitùs despoliarit, in alio diuturnæ passionis cecidit languore, in quo nec lecto volui poterat, nisi alieno frueretur auxilio; nec ad aliquid degustandum propriæ manus vtebatur officio. Hic dum mirabilia B. Heldradi audiuit, aures patris sui supplicibus pulsare precibus cœpit, vt ad tanti patroni basilicam se iam deferret exanimem: licet enim salus desperabilis videretur, sanctissimo tamen Heldrado volebat occurrere.

peccatrix à templi ingressu arcetur:

phthisi contabescens iuuenis,

E

20 Pater verò cernens eum præ longissimi languoris tædio cunctis onerosum & molestum, deuotè ad cælum palmas extendens, ad Dominum preces effudit pijssimas, vt saltem, cui viuendi non concedebatur facultas, moriendi adesset libertas. His dictis corpus filij iam ex maximâ parte præmortuum plaustro supponit, bubusque ad deducendum coniunctis profecti sunt. Cùmque ad eum locum, qui Vallis-stationis dicitur, peruenissent, ecclesia S. Heldradi, quæ in summitate rupis posita longum præbet viatoribus aspectum, illis apparuit. Iterùmque æger resupinus plaustro, quænam hæc essent ædificia [cùm] curiosè inquireret à comitantibus, hanc esse B. Heldradi Domum, quam pro salute petebat, audiuit. Quâ responsione nimiùm lætificatus, eos cœpit rogare, vt ad terram eum deponentes solùm osculari, & ad illum pijssimum Sanctum, cuius iam basilicam à longè cerneret, orationum legationem præmittere sinerent. Quod dictum (quia sæpiùs pro suis necessitatibus eum deposuissent) grauiter ferentes, ab huiusmodi petitione duris prohibuêre responsis: asperioribus verò stimulationibus boues vlcerantes velociùs carpebant iter.

Noualicium aduehitur,

eoque eminus viso,

F

21 Cùmque debilis ille vidisset eos contra suam voluntatem obduratos, eo quo poterat nisu, quia aliter descendere nequibat ruinam sibi molitus est. Cùm autem de vehiculo rueret, eum terra leniter suscepit, vt putares B. Heldradum proprijs illum excepisse vlnis. Postquàm ille, vt optauerat, solo prostratus iacuit, atque in interiori suo Dauidicum decantauit versiculum, Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundùm verbum tuum; etiam voce altiori edidit orationem: Omnipotens Deus cuius coeternum filium terris visibiliter apparuisse, cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse audiuimus & fideliter credimus; quique per beatum eius discipulum Heldradum hæc eadem miracula nostris quoque temporibus renouare voluisti: Mihi etiam obsecro vt vel animam meam de hoc laborioso carcere ad te reducas, vel si placet sanitate per beati Confessoris tui Heldradi interuentum concessâ, officium viuendi experiri valeam.

Ps. 118, 25

eijcitur ex plaustro,

22 Quâ completâ oratione, se timidè super cubitos ac manuum articulos cœpit subleuare, paullatimque se distendendo per omnia tandem membra erectus, firmè

A firmè cœpit stare pedibus. Ipse autem subito stupefactus miraculo, cuncta quæ cernebat, in somnijs & non in veritate rei esse credebat. Sed dum plenum membris sensit instare vigorem, gressum tentando, virilem cernentibus exhibuit ambulationem, ita vt horum dux existeret, quos paullò antè portitores & sui itineris ductores habuerat. Itaque eum vsque ad S. Heldradi tumbam sequentes, dignis Dominum inuocauêre vocibus, qui tantum suis seculis voluit concedere patronum. Post aliquod verò tempus, mortuis parentibus suis absque liberis alijs, constitutus est hæres. Coëgerunt ergo eum propinqui sui atque vicini vxorem ducere: at ille tanti patris sanctitatem offendere metuens, primò renuit, illisque importunè exigentibus acquieuit, credidit, vxoremque duxit. Eâ ipsâ nocte, quâ vxorem suam cognouit, ita curuus factus est, vt non nisi supinus cælum respicere posset, ita quòd vsque ad extremum sui exitus diem desperatâ medelâ curuus permansit, annuâ tamen reuolutione ipsius ecclesiæ limina frequentare non destitit.

& sanitatem recipit

idem ductâ vxore contractus fit:

23 Quia verò huius Sancti tantùm sunt numerosa memorabilia vt nullatenus nostro possint explicari sermone, ad ea tantùm scribenda nos coarctauimus, quæ ex nouitate temporum per se manifesta, antiquitate non potuerunt deleri, nec quilibet vllâ præsumptione valuit inficiari. Dum ergo quidam paterfamilias puerum haberet suo iuri subditum, eum in montem Cinitium ad oues pascendas direxit, vbi illum, dum oues pascerentur, cum quibusdam alijs pueris accidit ad calorem solis obdormisse. Cúmque iuxta illum dormientem serpens per arbusta oberraret, eumque aperto ore, vt plures faciunt, stertere aspexisset; dulcedine lactis, quo ipse potatus erat, allicitus, mox in eius os ingressus, vsque in ventrem dilapsus est. Factum est autem cùm quidam illorum post somnū euigilasset, & in eius ore summitatem caudæ adhuc restantem vidisset, terribili exclamans hiatu, socios suos cum impetu exurgere fecit: è somnis verò expergefacti, videntes quod acciderat, miserabile monstrum illud, iniquâ peste grauidum, toruo vultu præ intrinseco dolore cunctos aspicientem, ad matrem vsque deduxerunt. Quæ primùm (vt matrum est) dilaniata multumque confusa, ad gloriosissimum Christi Confessorem perduxit Heldradum. Itaque super pauimentum orando diu fatigati, dormire cœperunt. Post aliquod verò tēporis, eâ horâ, quâ monachi è dormitione surgentes Primam pulsare soliti sunt, mater euigilans, ante eius os sanguine tabeque inuolutum, colubrinoque more circulatum prospexit serpentem. Veloci ergo festinatione consurgens, raptum puerum ad monachos deduxit. Illi autem ad ecclesiam supradicti Confessoris venientes, pestemque diabolicam eijcientes, grates non modicas Deo & gloriosissimo eius Confessori Heldrado pro suis sæpissimis beneficijs reddiderunt. In quo facto beatissimus Pater Heldradus sanctorum Apostolorum videtur meruisse consortium, quibus dictum est serpentes fugate, Dæmones eijcite.

B *serpens in os pueri dormientis ingressus,*

ad sepulcrū adducitur,

C

24 Aliud quoque tempore aliud in supradicto monasterio accidit miraculum, nihilo minùs stupendum imminente solennitate B. Petri, quę à finitimis populis publicis foris annuâ agitur deuotione. Ob frequentiam itaque populi custodibus per ecclesias deputatis, vnus de ipsius monasterij clientibus ad B. Heldradi oratorium accedens *b*, cymbolam à custode petijt, sed non impetrauit. Instinctu igitur diaboli custode nesciente cymbolam de altari furtiuâ temeritate capere præsumpsit, sed quod custodi infirmis oculis non patuit, superni oculos inspectoris non latuit. Gaudebat stolidus de clandestinâ actione; paullò pòst acriter feriendus ex diuinâ vltione. Lætabundus ad nundinas egressus, cingulum mercatus, ligauit tibiam, & subitò in terram corruens, versò poplite ad genu & plantâ ad pectus, factus est tamquàm mortuus. Mirandis miranda succedunt. In suprà dicto miraculo fidelis puer erectus est, ex summâ fidei deuotione: in isto verò infidelis terribiliter est prostratus ex furtiuâ præsumptione. Stupebant omnes vehementer miserum hominem, quidpiam commisisse astruentes vnde superni iram iudicis promeruisset. At vbi ille paullulum respirauit, quid commiserat detexit. Tulit igitur eum populus, reportantes ad beati viri sepulcrum, & profusis pro eo in oratione lacrymis receptus est pristinæ sanitati, & omnes qui audierant & viderant, glorificabant Dominum, Heldradum famulum suum magnificantem, qui ad correptionem aliorum, domesticum suum de suâ ecclesiâ illo modo præsumentem, terribiliter percusserat, percutiendo correxerat, corrigendo misericorditer sanauerat.

sacrilega præsumptio

b

punitur,

D EX MSS.

& ad sepulcrum remissus sanatur:

25 Neque illud silentio prætereundum credimus, quod Dei seruus Heldradus in mari naufragantibus portum salutis aperuit. Post captam vrbem Ierosolymam *c* & famosissimum templum ex agone christiano Christianæ religioni reseruatum, quidam Italiæ indigenæ inde cum gaudio remeantes ad suas colonias alacriter redire festinabant. Cúmque post aliquot dies prosperis successibus sulcantes maria, feliciter nauigassent, stantibus ventis contrarijs tempestas valida subitò est exorta, ita vt periclitarentur: at verò nautę maris periti, funes pręcidētes, remissis velis malóque deposito, trāquilliùs remigare sperabant. Sanè procellis eos vrgentibus nec sic quidē tempestas remittebatur, imò cōualescens & vehementiùs eos vrgens, vndis alternantibus aliquando super fluctus, quandoque pessum deferebantur, plerumque etiam immensis operiebātur fluctibus, ex impulsu ventorum & vi maris naui penè dissolutâ. At illi, sicut est mos naufragantium, sarcinas in mari iactantes, alleuiabant nauem: sed & B. Nicolaum, qui, quasi ex debito naufragantibus opem ferre solet, more solito inuocantes nullo modo liberabantur.

Hierosolymis reuertentes,

c

E

26 Comitabatur eos nauis alia, quæ in oculis omnium ita submersa est, vt ne vnus quidem residuus saluaretur. Vnde timore horribili perculsi non dabant vltra operam, sed relictis omnibus nauis armamentis, ad quem finem deuenirent, spectabant. Cúmque iam de vitâ desperarent, quidam ex ipsis periclitantibus, cui B. Heldradus ex auditu solo innotuerat, manus silentio innuens innuebat eis, vt ipsum beatum Heldradum inuocarent. Illi siquidem renuebant, quia de eo nec etiam verbum audierant. Verumtamen ille admirandum sanctitatis virum multisque virtutibus clarum eis exponens, multâ suasione multisque apud eos obtinuit precibus, vt eum inuocarent. Exclamantes igitur homines vnâ voce dixerunt: O B. Heldrade, succurre nobis miseris, in supremo vitæ fine positis: statimque aura gratissima datur, aëris serenitas reformatur, tempestas valida sedatur, mare inquietum pacatur: itaque prosperis vsi velis felici cursu ad propria cum iucunditate remearunt.

naue aliâ aucto naufragium euadunt:

F

27 His ipsis diebus quidā clientulus sæpè dicti Cœnobij Nouælucis superuenit, & ab ore illius hæc eadē cum multâ attestatione cognouit, ex cuius nos ore [quæ in] præsentiâ Domini venerabilis Guilielmi *d* Bremetensis, & fratrum ibi Domino seruientium iurauit, assertione auditâ descripsimus. Sed ne hoc alicui forsitan impossibile videatur, cùm sit Deus mirabilis in Sanctis suis, & mirabilia gloriosiùs operetur in minimis; omnia quæcumque voluit fecit Dominus in cælo & in terrâ, in mari & in omnibus abyssis, & omnis tribus & linguæ seruiunt ei, & venti & mare illi obediunt, cuius regnum & imperium sine fine manet in secula seculorum. Amen.

Vt ex iurato teste auctor cognouit.

d

a *Videtur indicari concilium* Bellouacense, *vulgò* Beauuais, *celebratum anno* 1114: *quem* generalem Gallicanæ Ecclesiæ conuentum *vocat Sugerius in Vitâ Ludouici Crassi, in quo coram* Conone

A Conone Legato Apostolico actum de inuestituris laicorum, & contra Thomam de Marlà, ecclesias & monasteria vexantem. At quomodo in Burgundia Bellouacum? Quia per Burgundiam ex Italia venientibus Bellouacum adeundum est in Picardia finibus, quæ & ipsa forsitan Burgundiæ latius sumpta ab externis accensebatur: & habebant Nouaplitienses multas in Gallia possessiones, quæ eos compellebant eodem venire.

b Res ius symbolam, quæ Planto est cœna communi sumptu collata: hic verò accipitur pro rei cuiuscumque esculentæ oblatione, super altare siue solita à tenuioris fortunæ fidelibus. D

c Anno 1099.

d Vide quæ diximus in Commentario circa finem.

DE S. KENNOCHA VIRGINE

IN SCOTIA.

CIRCA AN. MXII. XIII MAR.

1 IN Breuiario Scotico Ecclesiæ Aberdonensis memoratur S. Kennocha Virgo cum hoc elogio: Venerabilis Christi sponsę & Deo dicatæ Virginis Kennochæ in ecclesiâ Dei solennitatem honorificentiâ debitâ celebrare conuenit, & dignis cum laudibus inter alias Sanctorum festiuitates annis singulis colendam ipsius, dum viueret, virtutes eximiæ compellunt: prout in præsentiarum fidelium Christianorum crebra deuotio, eamdem benignè & deuotè venerantium, signaque & miracula diuinâ operante virtute palàm emissa, persuadent & inducunt. Ad eius B namque tumulum deuotè accedentibus, non rarò inde fiunt morborum sanitates. Sed superior vitæ eius integritas, sancta, & Deo placabilis, atque hominibus grata & acceptabilis, hanc nunc in cælis coronatam edocet, prædicat & fatetur, ac gesta ipsa egregia sese demonstrant. Erat namque ex egregio Scotorum sanguine genita, corpore casta, facie venusta, & decorâ nimis formâ spectabilis, verecunda, mansueta, modesta, pudica & pia, atque præ ceteris illius patriæ virginibus amabilis: & ita de omni morum virtute vt nihil suprà, nobilibus & seculi Principibus pręcipuè & vnicè instructa dicebatur: intantùm quòd diuersi nobiles eam à parentibus in matrimonium ducendam petebant, & efficaciter desiderabant. Ipsa autem his omnibus spretis, Iesum Christum & hunc crucifixum, in sponsum habere affirmauit, & illi soli seruiendum prædicauit. Quid plura? A parentibus persuasa nulla mūdi blandimenta, nullaq; eius aduersitas, nulla denique tribulatio à cælestis patrię amore eam retrahere valuerunt. Et rursus fame, penuriâ, exilio, relegatione, malorum persecutione, & quod superest in morte minatione, vt idololatriâ coleret instigata, à feruentissimo Christi amore, quem pro sponso perpetuò super omnia delegit, euelli, remoueri seu auerti non potuit: sed tamquam armata virtutum potentibus cateruis, immobilis permansit & perseuerauit. Hęc Beata Kenoca, Virgo intacta mente & corpore, pretiosam margaritam minutissimis eleemosynis compa- C rauit in cælo: & quia non abundauit diuitijs à parentibus relegata, seipsam [velut aurum] examinatum ieiunijs, vigilijs & orationibus ad eam redimendam in promptu dedit & exhibuit; & ita vitia carnis & ipsius maculas virtutibus domuit & subiugando fugauit, quòd in eâ nullum habitandi locum haberent. Et quoniam pro cælestis regni amore terrenam potentiam dereliquit, regalis matrimonium tori spernendo, spontaneę paupertati seipsam contulit. Quare procul dubio quia terreni Regis connubium contempsit, sponsa facta est Regis æterni, cum eodem & Angelis regnans in cælo, & in mundo cum eodē requiritur. Dignum namque ideò est vt qui temporalem in hoc mundo Virginem quampiam debitis veneramur honoribus, multò magis hanc Deo gratam & Virginem sanctam atque gloriosam Kennocam deuotis E supplicemus precibus, vt nos suo exemplo in Christi nomine congregatos, ipsius meritis in futuro iudicio Deo reddat acceptos. Sed B. Kennoca in sanctâ senectute, dierum numero plena, Angelis aspicientibus, æthereos penetrauit cælos, & in Ecclesiâ S. Kennocæ, nuncupatâ Kyle, hactenùs magnâ in veneratione habetur & colitur. *Hactenus Martyrologium Aberdonense.*

S. Kennocha colitâ quotannis, miraculis clara: omnibus virtutibus exornata: nuptias spernit, plurima aduersa patitur ob Christi fidem, in exilium relegatur. moritur.

2 *Meminerunt eiusdem hoc die Laherius in Menologio Virginum: Hermannus Greuen in suis ad Vsuardum additionibus* Keuocam *nominat, & Dempsterus in Menologio Scotico, sed errore typographico,* Kenneir *scripsit: in Indice vero* Kennotham. *Errorem descripserūt Ferrarius & Arturus à Monasterio in Gynæceo sacro. Camerarius citato etiam Breuiario Aberdonensi, refert eam x. Martij addito hoc elogio.* Hoc eodem etiam die S. Kennocha Virgo in Coilâ Scotiæ prouinciâ celebris, vtpote quæ propagandæ disciplinæ religiosæ & monasticæ apud Collensium Virginum monasteria studio flagrauit maximo: cui etiā magna vitę accedebat puritas, & erga pauperes & orphanos tenerrima animi affectio: nec defuêre varia, quibus Christus sponsam suam ornaret, miracula: vnde & varias huic Virgini in Orientali etiam Scotiæ tractu cernere est dicatas ecclesias, & Glascuâ non procul extat vna. Migrasse fertur ad Christum sub annum Christi millesimum septimum, Malcolmo secundo Rege Scotis imperante. Extat precatio peruetusta, quâ S. Kennochæ patrocinium Scoti implorare consueuêre. Deus amator castitatis & auctor, S. Kennochæ Virginis tuæ precibus, mentis & corporis eam nobis tribue puritatem, per quam æternam valeamus euadere corruptionem. Per Dominum &c. F

nomen in Martyrologiis. 8 vel 10 Martij cum elogio.

DE B. ERICO SIVE HENRICO

PERVSII IN ITALIA.

Synopsis historica.

ANNO MCCCCXV XIII MAR.

B. Erici patria incerta,



1 *PArochialis in vrbe Perusinâ ecclesia est, vicina ei portæ, quæ à S. Susannâ nomen habet, titulo D. Andreæ insignis, & sacro B. Erici deposito; cuius ibidem nota ac publica veneratio, quamuis non vt Sancti ab Sede Apostolicâ Canonizati. De huius vitâ quàm sunt incerta omnia, quæ Ordinis Minorum scriptores incertissimis superstruunt coniecturis, tam est econtra certa mors piè illic obita, & mortem secuta populi publica de eius sanctitate opinio, ex ijs documentis, quæ à Conuentus Perusini Guardiano collecta anno MDCXXXIX, atque ad R. P. Lucam VVaddinghum, scriptorem Annalium Ordinis sui transmissa, nobis Romæ describenda exhibuit dignissimus illius successor R. P. Franciscus Haroldus: inter quæ fide dignissima est relatio Anonymi Franciscani, hausta ex fonte, nullis dum hominum piè curiosorum coniecturis, vt apparet, infecto: cuius hæc*

A *hæc ex Italico verba Latinè reddita.*

Mors Perusij obita,

2 In quodam senioris Patris nostri manuscripto libro, Conuentus nostri Montis-Morcini, hæc consignata reperitur memoria. Hoc anno millesimo quadringentesimo decimo quinto, Perusium aduenit peregrinus, eremitico in habitu deuotissimus; atque ad Hospitale extra portam S. Susannæ admissus in morbum incidit, & paucos intra dies vitam commutauit cum morte. Nomē ei Erricus fuisse, patuit ex quibusdam scripturis apud eum repertis; credituṙq; fuisse magnus aliquis è Germaniâ Princeps. Caput eius ostēditur festo S. Andreæ, & magna per eum Deus operatus est miracula, vt ex scripturâ authenticâ comprobatur. *Has Scripturas, easque, quæ apud demortuum repertæ sunt, in vrbis Archiuium esse translatas, ibique post quinquennium in illius incendio periisse, primus VVadingus asseruit. Ad miracula haud dubiè pertinet quod Marcus Vlyssipponensis lib. 1 cap. 31 affirmat.* In eius obitu campanas ecclesiæ viciniores, quæ S. Andreæ erat, nullo trahente, sonuisse; ideòque Episcopum re perspectâ vnà cum Clero vniuerso accurisse, atque in prædicto templo honorificè condidisse corpus miraculis clarum.

cultus ibidem,

3 *Post hæc ex eodem Marco addit VVadinghus:* Sigismundus Imperator post aliquot annos Romam veniens (*anno scilicet* MCCCCXXXIII *Coronationis causâ*) dum Perusio transiret, atque hæc audiret, templum subijt, sepulcrum osculatus Reliquias adorauit, seque sancti viri meritorum rogauit fieri participem. *Quæ huius sepulcri tum forma, quis ornatus fuerit, nemo explicat. Nullum vel exiguum admodum fuisse colligitur ex eo quod in Tabulis publicis consignatum reperitur anno* MDIV; *quando die* XVI *Iunij Rector & Parochiani prædictæ ecclesiæ, rogauerunt Magistratum, Priores & Camerarios Vrbis Perusinæ, vt,* pro fiendo vno tabernaculo & in eo reponendo corpus B. Erigi, *necessariam pecuniæ summam conferrent: quam in rem decreto condito facilè consensêre Priores & Camerarij,* pro conseruatione tanti boni & doni quod in nostrâ ciuitate habemus, *vt inquiunt, tertio B. Erigi nomen repetentes; quem Pompeius Pelinus cum in suâ Historiâ Perusinâ l. 2. p. 3. ad annum* 1504. *Nobilem Anglum fuisse dicit, satis indicat nihil de eo certi cognitum haberi potuisse ad sua vsque tempora, post quæ renouata est Arca, versibusque inscripta, quibus trium regnorum hæres fuisse dicitur.*

B

& Reliquiarum ornatus

4 *Scilicet cum capiti defuncti, ex præconceptâ de illius nobilitate opinione, imposita esset corona ferrea, & nonnulli dubiè loquerentur de morte Olaui, filij Margaritæ & Haquini, Sueciæ, Daniæ, Noruegiæ hæredis; ac ne illius quidem, qui se Olauum esse mentiebatur, exustione omnino deleta fuisset è quorumdam animis opinio credula, quòd adhuc viueret flammis subductus aut ipse aut eius frater aliquis (quem tamen nullum Olauus legitur habuisse) satis hoc esse fundamenti crediderunt, vt certam huic peregrino patriam & conditionem inuenisse viderentur, atque alijs pari simplicitate persuaderent. Videri potest VVaddinghus hæc disputans contra Erpoldum, Pontanum, Krantzium pro sui Ordinis scriptoribus, & constanti, vt ait* perpetuâ firmaque totius Perusini traditione: *quæ quàm parum firmiter dici possit. constans atque perpetua, ex ante dictis liquet; magis autem ex depositione testium & informatione per Episcopum factâ annis non plusquam triginta, post quam ista cœpissent à Franciscanis venditari: prout ex Guardiani Perusini rescripto comperimus, cuius hæc sunt verba.*

vnde putetur Regis Daniæ filius;

C

5 In Dei nomine Amen. Anno Domini MDXXXIX, die verò III Ianuarij. Ego Fr. Ægidius de Perusio, Ordinis Minorum Regularium de Obseruantiâ, ad præsens Guardianus S. Francisci montis Perusij, fidem facio, me reperisse in libro Visitationum Perillustris ac Reuerendissimi Domini Neapoleonis Comitoli, olim huius ciuitatis Perugiæ Episcopi, quòd idem Perillustris ac Reuerendissimus anno MDXCIV, & die XX Aprilis, visitauit ecclesiā Parochialem in portâ S. Susannæ propè muros ciuitatis, in quâ post visitationem sanctissimæ Eucharistiæ & Altarium, visitauit etiam corpus B. Henrici, prout apparet in supradicto libro in folio 298 & 299..... & super idem corpus duxit informationes capiendas, & tunc examinauit infrascriptos testes, quorum nomina eorum dicta sunt, videlicet:

testes auditi de eius corpore anno 1594:

D

D. Ioannes Baptista, Rector supradictus, coram Illustrissimo ac Reuerendissimo D. Episcopo in dictâ ecclesiâ parochiali constitutus, medio iuramento, ætatis &c. ad opportunas illius interrogationes, vt infrà &c. videlicet: se esse nunc ætatis annorum sexaginta sex: & aliàs, dum esset puer, se vidisse corpus B. Henrici cum barbâ albâ oblongâ & cum conchis marinis, coronâque & quodam baculo.

6 Andreas Sātes de Brunis, de Perugiâ, Portæ S. Susannæ; ætatis, vt asseruit, annorū quinquaginta quinq; per medium iuramentum, tactisque &c. interrogatus dixit: se vidisse dictum Corpus, quod olim retinebatur super altare, & recordatur de barbâ coloris albi.

Ceterùm de hoc ipso informationem capi iussit à Domino Pompeio Pellino: & videtur qualiter fit etiam decretum à Visitatore Apostolico de informatione capiendâ. Ante dictum decretum non habebatur notitia, quòd aliquid esset de eo repertum.

E

Deinde interrogatus est suprà prædicta D. Vincentius Grisaldus, Ecclesiæ Cathedralis Perusiæ Canonicus; qui dixit, audiuisse ab eius matre, qui dicebat, pluries vidisse corpus supradictum; cui tamen affirmauit defuisse partem naris.

In quodam veteri Missali, in sacristiâ supradictâ reperto, impresso de anno MCCCCXCIX, in Kalendario ad mensem Martij, in margine dicti Missalis sub die XIII Martij, annotatum reperitur cum litteris manuscriptis, hoc videlicet: IN DIE S. EVLALIÆ VIRG. quæ verba sunt impressa, & posteà manu-scripta. ET B. HENRICI CVIVS CORPVS EST IN HAC ECCLESIA.

antiquitas cultus:

7 Asseruit Rector prædictus quòd Reuerendissimus Dominus Vincētius Herculanus, Episcopus Perusinus mandauit sibi hoc Corpus in capsâ collocatum, & supra altari maiori reseruatum, & de mandato Visitatoris Apostolici ex eo leuatum, & positum in sacristiâ à dextris altaris prædicti collocari, sicut hodie ibi collocatum cernitur: quodque Reuerendissimus Dominus Herculanus, posteà concessit ibi depingi corpus ipsius. *Hactenus Actorum ipsissima verba à Guardiano Perusino fidelissimè excepta ex publicis monumentis, in quibus nec alijs vllis vel minima mentio aut tituli Regij aut tertij Ordinis S. Francisci: Visitator autem Apostolicus, de quo Rector ecclesiæ prædictæ meminit, Episcopus Calliensis fuit; vt alibi idem Guardianus testatur; Paulus Marius de Ruuere scilicet, à Pio V ad Vmbriam ordinandam destinatus, vt est in Italiâ sacrâ Ferdinandi Vghelli: Vincentius autem Herculanus, qui referri ad ecclesiam, eo quo diximus loco, sanctum corpus mandauit, ex Sarnensi Episcopatu primùm traductus Imolam, inde ad Perusinam Cathedram promouetur, anno* MDLXXIX, *vt auctor est idem Vghellus to. 1. Italiæ sacræ, & intra septennium è viuis discessit anno* MDLXXXVI, *vt ex eodem Vghello constat, quamuis epitaphium mendosè impressum V annis destituatur.*

corpus circa an. 1570 delatum in sacristiam,

F

8 *A sacristiâ igitur, ad quam Visitator iusserat corpus afferri circa annum, vt idem Guardianus scribit,* MDLXX, *relatum illud ad ecclesiam est post decem aut plures annos, ex eoque tempore ad dextram altaris præcipui requiescit,* concamerato pariete, *vt ait VVaddingus ad an.* 1415: *quin & in ipso altari, vbi priùs corpus steterat, fuisse locatam imaginem eam, quæ nunc cernitur, scribit Guardianus præfatus: quòd ex suprà allegatis verbis,* posteà concessit ibi depingi corpus ipsius, *sanè perquam ambiguum est; nam ibi, etiam intelligi potest de dextro altaris latere: vbi vt Cæsar Crispoltus ait lib. 1 cap. 16 Perusiæ Augustæ, impressæ anno* 1648 asseruatur corpus, rubro inuolutum panno, intra ligneam grandem capsam non inelegantet pictam: vbi & eiusdem Sancti imago expressa videtur. *An in tabulâ suorà depositum ad parietem appensa, non explicat:*

post decennium in ecclesiam refertur,

& imago pingitur:

A *explicat: & caussa dubitandi est quod* loculo *sacra ossa continenti* obducta sit, *vt ait VVaddinghus, ubi supra*, ad modum armarij exterior custodia, cui à parte superiori adpicta est imago corporis inclusi cum circumductis capiti radijs, sanctitatis indicijs, vnico hoc carmine subscripto,

Henrici hic corpus: spiritus ante Deum.

qua eadem fortè, nunc seruit operienda capsa, *Cum autem nec ipse VVaddingus nec alius quisquam duplicis imaginis meminerit: non de nihilo suspicari possumus eam tabulam, cuius pingendæ facultatem Episcopus Herculanus concessit, quaque vel in altari loco corporis, vel iuxta altare supradictum corpus aliquando spectabatur, conuersam esse in tectum seu partem superiorem custodiæ vel armarij prædicti:* cuius ostio aperto, *sicut idem VVaddingus prosequitur*, vt corpus videatur, dimittitur tabula anterior arcæ, in qua seruatur: atque in hac tabula ex parte interiori (scilicet dum suis nexibus reliquæ capsæ cohæret, sed exteriori dum dimittitur) inscripti sunt aureo charactere hi versus: *interius versus aliquot habenti.*

Qui potuit cælum precibus contingere sacris,
Qui potuit Latij regna tenere tria:
Qui iam paupertatis amator, cultor & vrbis
Istius, veniens huc, peregrinus obit.
B Quique iter ad cælum demonstrat, quique salutis,
Qui nunc æthereâ det regione frui.

Præsens Corporis status: 9 *In quibus* Datiam *scribendam fuisse pro* Latio *monuit is, qui oculatâ fide Romam accuratè transmisit omnia; & errore pictoris imperitiæ tribuit: censet autem, anno* 1639 *scribens, omnia ante annos circiter octoginta picta & scripta, in eoque quartâ minimùm temporis parte decipitur, vt constat ex anno ordinati Herculani: pergit verò narrare quomodo corpus inspexerit libatum ab ijs, qui religionis ergò quædam ex carne frustula videbantur abstulisse: caput verò,* D *à reliquo resectum cadauere, eidem appositum, cuius multùm consumpta caro velo operiatur, addita coronâ ferreâ antiquissimâ, & valdè æruginosâ ac malè habitâ. Addit Guardianus, à quo superius prolata documenta collecta sunt, in eâdem capsâ præter sacrum corpus corollam ipsius precatoriam esse, duas conchulas peregrini indicium, scipionem, & vasculum viatori aptum ad potum, quæ omnia cum veneratione seruantur: & baculus quidem mensuram corporis illius æquans longus est, inquit, palmos omnino septem: caro autem corporis, instar bubulæ maceratæ, in filamenta deducitur, si quid auferre tentes: supra capsam denique atque ad pedem prædictæ imaginis multa sunt votiua anathemata, testimonia gratiarum per eius merita impetratarum, atque inter hæc moderna nonnulla.*

10 *Hæc sunt quæ de B. Erico ex originalibus litteris habere potuimus, atque ita simpliciter proferre maluimus, quam ex VVaddinghi Annalibus, vel eorum epitome, nonnullis circumstantijs (vt ferè vsuuenit) variata transcribere, quò pateat euidentius, quid, quomodò, quando de hoc Beato scriptum sit. De quo præter iam citatos auctores agit Maurus Montis-oliuetani Abbas, in suo Prato Florido, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano: qui omnes ex Marci Vlyssipponensis chronico transcripsêre, quæ ille de regno deserto habet: satis vtique conformia temporum rationi; cùm circa annum* MCCCXL *natus Olauus, anno* MCCCCXV, *si vixerit ipse aut eius frater, canus vtique & septuagenario maior fuerit: sed vt vixisse fateamur, & Perusij peregrinum obijsse, firmiora requirimus argumenta quàm solam temporis congruentiam, & coniecturam tot annis post mortem eius excogitatam.* *auctores de eodem.*



XIV MARTII.

SANCTI QVI PRIDIE IDVS MARTII COLVNTVR.



ANCTI Quadraginta septem Martyres, Romæ sub Nerone passi.

S. Alexander Martyr, Pydnæ in Macedoniâ.

S. Euphrosius,
S. Frunimus,
S. Fortunio,
S. Donatus Carthagine } Martyres

S. Felicissimus,
S. Datiuus,
S. Frontina,
S. Iocundus, } Martyres Nicomediæ.

S. Diona,
S. Alexander,
S. Petrus,
S. Mammerus,
S. Nabor,
S. Fronto seu
S. Promto,
S. Comis,
S. Maria, } Martyres in Africâ.

S. Euphrasius,
S. Alexander,
S. Frunimus,
S. Basilius, } Martyres Thessalonicæ.

S. Pion, Martyr Antiochiæ.

S. Romanus,
S. Albertus,
S. Domitius, } Martyres Romani, Antuerpiæ in Belgio.

S. Innocentius Episc. Veronæ in Italiâ.

Duo Monachi
Diaconus Marsicanus, } Martyres in Valeriâ Prouinciâ.

S. Leobinus seu Leubinus, Episcopus Carnotensis in Galliâ.

S. Euschemon, Episcopus Confessor, Lampsaci in Hellesponto.

S. Eustathius, siue Eutychius, & socij eius, } Martyres Carrhis in Mesopotamiâ.

B. Mathildis Regina, coniux Henrici Aucupis Regis Germaniæ.

B. Arnaldus Abbas, Patauij in Italiâ.

PRÆTERMISSI, ET IN ALIOS DIES REIECTI.



ANCTI Melori Translatio Meldis colitur. *Vitam dedimus* III Ianuarij.

S. Romualdi *brachium ad eremum Camuldulensem translatum, eiusque rei annuum ibidem festum recoli hoc die diximus, allatâ Translationis historiâ* VII Februarij.

S. Lazarus, Episcopus Mediolanensis, *obijt hoc die, & refertur à Galesinio & Ferrario, sed quod non celebrentur in quadragesimâ festa in Ecclesiâ Mediolanensi, colitur ibidem, quo die de eo egimus,* XI Febr.

S. Innocentius Episcopus Romæ. *Ita MS. S. Hieronymi, alijs* Papa *aut* Præsul, *aut etiam nudo nomine Martyrologijs inscriptus. Est S. Innocentius ille, de quo & Raso Episcopo egimus* XII Martij.

S. Dionysius } Martyres Thessalonicæ passi *referuntur in MS. nostro S. Hieronymi &*
S. Alexander } *MS. Richenouiensi: additurque* Palatinus. *De ijs egimus* XIII Martij.

S. Euphrasiæ Virginis depositio *inscripta est Martyrologio Capuano apud Michaëlem Monachum. Est etiam S.* Eufrasia *inscripta MS. Tamlachtensi, sed S.* Eufrasium *legendum infrà monemus. At* S. Euphrasia Virgo in Thebaide, *refertur in Vaticano MS. S. Petri, quæ etiam in Capuano Martyrologio videtur intelligi. Colitur die* XIII Martij.

Recuperatus & socii, Martyres in Mauritaniâ, *hactenus apud solum Galesinium à nobis reperiuntur.*

Isidorus, Martyr & soror eius *ex Kalendario Coptico apud Seldenum de Synedrijs Hebræorum, aliunde necdum innotuerunt.*

Vltanus *Martyrologio Tamlactensi,* Mag-nidhe; *Mariano Gormano,* Hua-Aignich *nuncupatus, ab ipsis alijsque recensetur hoc die: Colganus ex fabulosâ S. Declani Vitâ de eius discipulo & successore Vltano collegit quædam, & ad hunc diem, velut alio certiori huius nominis possessore vacuum, retulit.*

Alfridus Rex Northumbriæ *inscriptus Martyrologio Anglicano primæ editionis ad* XV *Ianuarij; & qui ad illum diem ab alijs relatus est S. Ceoluulphus, Rex eiusdem Northumbriæ, erat hoc die, vt tum monuimus, inscriptus isti Martyrologio. Qui postmodum in Martyrologio recuso relatus est ad dictum* XV *Ianuarij, at ne hic dies vacuus foret, inde huc translatus Alcfridus, quasi anno regni sui* XXI *eo relicto factus fuisset monachus Mailroisensis propè Tweadam fluuium in hodiernâ Scotiâ, atque ibi circa annum* DCCX *sanctè obijsset; additurque Regina vxor inter sanctimoniales Petroburgenses monasticam vitam suscepisse. Allegantur in margine Beda, Platus, VVion, ex his vltimus lib. 4 Ligni Vitæ cap. 6 recenset Reges factos monachos & Sanctos, & inter illos Alcfridum, quem non anno* XXI *sed* vndeuigesimo regni, & Christi DCCV *factum* monachum *tradit,* ac postmodùm ad Pontificatum Lindisfarnensem assumptum. *Verùm cùm illius nominis nullus inter Episcopos Lindisfarnenses reperiretur, ac tum ibidem sederet Eadbertus, cui Vitam S. Cuthberti Beda inscripsit, eique successisset S. Ethelwoldus,*

cuius Vitam XIII *Februarij dedimus, nihil de Episcopatu dictum. At Beda, cuius auctoritas non solum ad marginem sed in ipso verborum contextu allegato citatur, cap.* 13 *libri* 5 *testatur non Alfredum, sed Dritelmum Alfredi rogatu in monasterium Mailrosense receptum. Platus ex VVione, nullo examine facto, descripsit aliquot Reges monasticam vitam auspicatos. Mortuus est teste VVigorniensi Rex Alfridus die* XIX *Kalend. Ianuar. seu* 14 *Decemb. in Driffeldâ oppido agri Eboracensis ad Hullum flumen, quod oppidum asserit Cambdenus* Alfredi Regis monumento nobile esse. *Regina Alfrido à VVione assignatur Kineburga filia Pendæ Regis Merciorum, sed illa nupta fuit Alcfrido Regi, seniori fratri, ante annum* DCLIII. *An illa seu potius soror eius Kineburga sit Sancta, inquisiuimus die eius natali* VI *Martij, vbi & de vtroque Alfrido latè actum. Posterioris Alfridi vxor fuit S. Cotburga: quæ colitur* 31 *Augusti, quando hæc iterum stabiliri poterunt.*

Comnanum Hiensem Abbatem, *Ferquardi Regis, vt Scotorum quidam volunt, instructorem, non audemus huius diei Sanctis cum Camerario annumerare, idoneo auctore destituti.*

Venerabilis Machtildis monialis Cisterciensis *hodie memoratur in MS. Florario Sanctorum, ex eoque Heribertus Rosweydus in suos Sanctorum Fastos transtulit, prætermissâ designatione Ordinis: eademne hæc de qua Henriquez* XXV *Februarij, an alia aliqua nobis ignota?*

Mathildis filia Henrici Aucupis, *soror B. Brunonis Coloniensis Episcopi, occasione matris, Imperatricis sanctæ atque synonymæ, in notis ad Romanum Martyrologium commemoratur à Baronio, non absque mendo: quippe quæ fuerat dictorum non filia, sed neptis. Satis tamen hoc Arturo du Monstier fuit, vt eam Sanctis mulieribus hoc die sic annumeraret in Gynæceo, quod nemo facit eorum, quos citat auctorum. Canisius autem de B. Mathilde Othonis I matre agit, ideoque hic citari non debet: magnam interim Regia hæc virgo ob eximiam virtutum sanctimoniam commendationem obtinet apud auctores.*

Ioannes de Casalinâ, *agri Perusini castro, à Ludouico Iacobillo inter Beatos Fulginates refertur fol.* 394*: iterumque in maiori de Sanctis Vmbris opere tom.* 3. *fol.* 264 *vbi ex antiquo MS. Chronico hæc habet:* Hoc anno MCCXCII die IX Martij Sanctus Ioannes de Casalinâ venit Fulgineũ ad Veniam B. Feliciani, & stetit Fulgineum: & die XIV Martij in pace requieuit, & sepultus est in cœmeterio B. Feliciani. In Plateâ S. Augustini fecit miracula. *Maiora & certiora ecclesiastici cultus signa requirimus.*

Ioannes Abbas Casinensis summæ humilitatis, de quo multa miranda leguntur, *cum titulo* Sancti *refertur à VVione, Dorganio, Bucelino, ad hunc diem, quo obijt, teste Leone Casinensi lib.* 2 *Chronici, cap.* 21*: vbi indicat animam immenso circumfusam splendore visam abire in in cælum. Eadem habet Marcus Antonius Scipio in Elogijs Abbatum Casinensium, sed abstinet à titulo* Sancti, *vti alij antiquiores scriptores.*

Petrus Abbas Cauensis huius nominis secundus *cum titulo* Beati *memoratur à VVione, Menardo, & Dorganio. At* Sanctus *indigetatur à Bucelino, sed is in Chronico Cauensi MS. traditur* tertio Idus Martij migrasse ad Dominum, & cum ceteris sanctis Patribus sepultus in sacrâ Cauensi cryptâ, *nullâ eius virtute expressâ. Si sacrum cultum haberet, non ita in die obitus constituendo aberrassent hi auctores.*

Paulina Reclusa, *apud Thuringorum fines, in vitâ & post mortem infinitis clara miraculis, anno* MCVII *mortua, à Trithemio in Chronico Hirsangiensi venerabilis & sancta fœmina nominatur: quod satis fuit Benedictinis Hagiologis, VVioni, Menardo, Dorganio, Bucelino vt Sanctam absolutè crederent; nobis non item, donec de cultu illius constet melius.*

Petrus, S. Bernardi Sinenorensis Abbas, *Beatus scribitur à Bucelino, secuto Menologium Chrysostomi Henriquez, citantis topographiam Ferrarij; nos aliquid maioris lucis desideramus.*

Ioannes de Barastrâ, *Montis S. Eligij prope Atrebatum Abbas, in Auctario ad Natales Sanctorum Belgij hoc die Venerabilis & Beatus nominatus à Raissio.*

Medothus *in montanis Scotiæ, quæ Hibernia dicuntur, apud Dempsterum in Menologio, vbi eum se habere indicat ex Breuiario Aberdonensi: nihil nos in eo tale reperimus. Colganus 31 Ianuarij ad Vitam S. Maidoci Fernensis inter alios synonymos* Moedocum de Cluain-escrach, *numerat hoc die colendum: sed hunc nec in Hibernis Martyrologijs, nec apud ipsum inter Sanctos Martij inuenimus.*

Talmachus,
Flannanus,
Cuinnechus,
Caimanus,
Fastos Hibernicos hoc die implent: solum tamen primum, quòd inter discipulos S. Barrij XXV *Septembris nominatus reperiatur, Colganus habet, ceteris prætermissis: secundi tamen (cui de* Kill-aird *in Hi-Garchon Lageniæ cognomen) meminit* XXVIII *Februarij ad Acta S. Aidi num.* 15 *tamquam hodie recolendi.*

Fratres plurimi *à Lutheranis in Saxoniâ interfecti anno* 1524,
Agnellus Episcopus Fezzi *apud Marochios,*
Philippus Longus *S. Francisci socius,*
Guilielmus Mariconus,
Andreas de Andriâ,
Antonius Niger Tertiarius,
Galterius Lusitanus,
Francisca Baldinia,
Arturi du Monstier indulgentiâ Beati *in Martyrologio Franciscano; Franciscæ etiã in Gynæceo; de quorum publico cultu nihil constat, nedum vt aliquid circa eos decreuerit Apostolica Sedes.*

S. Fausta,
S. Ingenua,
S. Petronius,
S. Palidus,
Martyres. *MS. Tamlachtense. At* Palidus, *forsan* Paulus *est, qui cum alijs colitur Nicomediæ passus* XVI Martij.

S. Matrona ancilla Martyr Thessalonicæ *inscripta Martyrologijs MSS. Vltraiectino & Treuirensibus S. Martini & S. Maximini, & Reginæ Sueciæ. At pluribus cum Romano* XV Martij.

S. Lucius Episcopus & Martyr *inscriptus Martyrologijs MSS. Pragensi, & Tamlachtensi: in hoc tamen non appellatur* Episcopus. *Videtur is esse qui Nicomediæ passus colitur* XV Martij.

S. Paulus,
S. Theophilus,
S. Saluator,
S. Alexander,
S. Octauius,
S. Theodolus,
Martyres. *Ita MS. Pragense, at pro vltimo erat* Theosolus *scriptum. Quatuor primi leguntur in MS. Tamlachtensi. Sunt Carthagine passi* XV Martij.

Zacharias Papa, *apud Bellinum, Maurolycum, Galesinium, Felicium: damus eum cum Romano Martyrologio ac pluribus alijs* XV Martij.

Eugenia Virgo & Martyr *commemorationem hoc die habet in Ecclesiâ Seguntinâ: festum præcipuum (siquidem hæc sit celeberrima Cordubensis) agitur* XXVI Martij.

S. Leo Papa *Officio* IX *Lectionum in Missali Mozarabico. Refertur etiam in Martyrol. MS. Atrebatensi, Breuiario MS. Montensi. At in aliquibus MSS. appellatur* Episcopus & Martyr Romæ. *In alio MS.* Leo Martyr. *Omnia illa constituentur ad diem S. Leonis Magni* XI Aprilis.

B. Petrus Claraeuallensis Abbas *à Petro de Natalibus l.* 3 *cap.* 20. *mortuus memoratur hoc die, alij id ad* XXIX *Octobris referunt: Martyrologia autem & Kalendaria Ordinis nomen illius habent* XIV Maij.

Florentina Virgo, S. Leandri soror, *in diœcesi Placentinâ hodie duplici Officio vt Patrona colitur: alibi atque in Romano Martyrologio* XX Iunij.

S. Bonauenturæ *translatio & Canonizatio in varias sacrorum dierum Fastos relata reperitur: præcipuum eius festum agitur* XIV Iulij.

S. Ia-

S. Iacobus *inscriptus Martyrol. MS. Tamlactensi. Videtur esse magnus Iacobus Apostolus, in pluribus relatus sequenti die colitur* xxv Iulij.

S. Glodesindis Virginis translatio, Metis *recolenda consignatur hoc die apud Hermannum Greuen in auctario Vsuardi, in MS Martyrologio S. Maximini & Germanico Canisij: de quâ, cùm Vitam dabimus,* xxv Iulij.

Tharsicius Martyr in Franciâ *ex MS. Florario Sanctorum: an eò Româ translatæ reliquiæ eius, cuius illustre Martyrium ex Actis S. Stephani Papæ & Martyris refertur?* xv August.

S. Sagaris Episcopus & Martyr Laodiceæ *memoratur à Maurolyco, Galesinio, Felicio & in pluribus MSS. in alijs & Martyrol. Romano* vi Octobris.

SS. Iustinæ Virg. & Mart. & Felicitatis Virginis aliorumque translatio, *in æde S. Iustinæ Patauij facta anno* MDLXII, *annuo Officio recolitur in totâ Congregatione ab eo monasterio dependente: festū huius agitur* xxvi Martij *illius* vii Octobris.

S. Lucas *relatus in MS. Tamlactensi, iterum in eo & alijs* Euangelista *sequenti die colitur* xviii Octobris.

Pinuphius Abbas *mirè laudatus à Cassiano hodie occurrit in Martyrol Anglico VVithfordi: Græci memoriam eius faciunt* xxvii Nouemb.

S. Lazarus SS. Mariæ & Marthæ frater *à Domino suscitatus, hoc die Officio nouem lectionum colitur in Ecclesiâ Corisopitensi apud Aremoricos, vt constat ex antiquo illius Breuiario; sed Romanum Martyr. agit de illo* xvii Dec.

DE SS. QVADRAG. SEPTEM MARTYR.

ROMÆ SVB NERONE PASSIS.

Commentarius historicus.

AN. LXVII. XIV MAR.

1  *Vadraginta & septem horum Martyrum admiranda ad fidem Christianam conuersio narratur in perantiquis Actis SS. Processi & Martiniani Martyrum, quæ stylo aliquot locis correcta edidit Surius ad diem secundum Iulij, quando ea primogeniâ phrasi ex varijs MSS. sumus daturi. Pauca hîc excerpimus, quæ ad horum Martyrum conuersionem spectant & sunt eiusmodi.*

2 Tempore, quo Simon Magus crepuit intus, impijssimus Nero tradidit beatissimos Apostolos Christi Petrum & Paulum Paulino, viro clarissimæ potestatis. Eodem tempore Paullinus mancipauit beatissimos Apostolos in custodiam Mamertini, & veniebant ad eos multi Christiani infirmi, & curabantur ab infirmitatibus suis, atque alij à dæmonijs obsessi liberabantur per orationes Apostolorum. Erant autem custodientes eosdem Apostolos multi milites... Hi cùm viderent mirabilia, quæ faciebat per beatos Apostolos Dominus Iesus Christus; mirari cœperunt dicentes: Viri venerabiles, nostis quia hic Imperator Nero iam in obliuionem posuit personas vestras. Ecce enim nouem menses sunt, quòd in custodiâ estis; rogamus itaque vos, vt ambuletis vbi volueritis: & tantùm, in cuius vos cognouimus nomine facere virtutes magnas, baptizate nos. Tunc dixerunt eis beatissimi Apostoli Petrus & Paulus: Vos C credite ex omni corde & mente vestrâ in nomine Trinitatis, & vos ipsi potestis facere, quæ nos operari cognouistis. Hoc audientes omnes, qui in custodiâ erant, clamauerunt vnanimiter, dicentes: Donate nobis aquam, quia siti periclitamur. Eadem autem horâ beatissimus Petrus Apostolus, in ipsâ custodiâ Mamertini dum esset, dixit ad omnes: Credite in Deum, Patrem omnipotentem, & in Dominum nostrum Iesum Christum, eius filium vnigenitum, & in Spiritum sanctum; & omnia ministrabuntur vobis. Eadem autem horâ miserunt se omnes prostrati ad pedes Apostolorum, rogantes vt baptismum ab eis perciperent. At verò beatissimi Apostoli orauerunt in eadem custodiâ. Cumque orassent, illicò à B. Petro Apostolo facto signo Crucis in monte Tarpeio in custodiâ Mamertini, eadem horâ emanauerunt aquæ de monte. Tunc baptizati sunt beati Processus & Martinianus... Hoc cùm vidissent cuncti, qui in custodiâ erant, prostrauerunt se ad pedes B. Petri Apostoli, & baptizati sunt promiscui sexus & ætatis numero quadraginta septem. Tunc obtulit pro eis sacrificium laudis, & participati sunt omnes Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi.

Ob miracula à SS. Petro & Paulo facta, ... gradum, baptizantur.

3 *Hæc ibi, nullâ factâ mentione martyrij, cuius forsan historia olim annexa fuit, sed tamquàm ad Acta SS. Processi & Martiniani non pertinens, rescissa. Interim passim antiqua Martyrologia hos* Quadraginta septem Martyres *ad* xiv *Martij celebrant. In Bedâ genuino nullius Sancti fit mentio, sed Florus aut quisquis suppleuit, ista habet:* Romæ Martyrum quadraginta septem militum à B. Petro baptizatorum. *Verùm vox* militum *meliùs abest apud Vsuardum & Adonem, vti etiam in Martyrologio hodierno Romano: in quibus tale encomium profertur:* Romæ natalis, *siue* passio, sanctorum Quadraginta septem Martyrum: qui baptizati sunt à B. Petro Apostolo, cùm teneretur in custodiâ Mamertini cum Coapostolo suo Paulo, vbi nouem menses detenti sunt. Qui omnes sub deuotissimâ fidei confessione Neroniano gladio consumpti sunt. *Quæ vltima verba desunt apud Notkerum. Eadem leguntur in quamplurimis Fastis MSS. sed sæpè contracta. Similia habent recentiores. Galesinius addit* exquisitissimis tortos supplicijs, tandem in fidei confessione diuino præsidio roboratos, præcisis ceruicibus ad palmam peruenisse. *Quæ Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ etiam tradit, addens* custodum pœnam dilatam fuisse, *scilicet ad diem secundum Iulij quo die, aut certè ad* xxix *Iunij, quando de SS. Petro & Paulo agendum erit, poterunt discuti, quæ hîc pluribus disputat Baronius de custodiâ Mamertini & carcere Tulliano. Nonnullas postmodùm obseruationes edidit Iustus Ricquius in Commentario de Capitolio Romano cap. 45. Meminit horum Martyrum Petrus de Natalibus in Catalogo lib. 3 cap. 199, sed errore forsan amanuensium scribuntur* 49 milites *fuisse. Fuerunt* Quadraginta septem promiscui sexus & ætatis, qui in custodiâ detinebantur. *Passi sunt anno Neronis vltimo, Christi* LXVIII. F

martyrio affecti 14 Martij.

DE S. ALEXANDRO MARTYRE
PYDNÆ IN MACEDONIA,

Commentarius prævius.

SVB MAXIMIAN. IMP XIV MAR.

1 
Cta damus, sed breuia, passionis S. Alexandri, descripta ex codice MS. Bodecensi, propè Paderbornam Canonicorum Regularium & ex antiquo Passionali MS. celeberrimi propè Treuirim monasterij S. Maximini, in quibus traditur pridie Idus Martij agonem certasse in medio Macedoniæ & Thessaliæ, *forsan sæpius ex vna regione in aliam abductus. Græci in Menologio vltimum martyrij locum assignant his verbis:* Sancti Martyris Alexandri, qui propter Christi fidem apud Pidnam securi percussus est. *Est Pydna, siue Pidna, vrbs antiqua Macedoniæ in prouinciâ Pieriâ Thessaliæ contiguâ, ad Thermiacum sinum fugâ Persei vltimi Regis Macedonum nota, quam Liuius lib. 44 aliique antiqui describunt. Eubcati etiam* Christiani Thessalonicenses *sunt ad sepulturam S. Alexandri cohonestandam. Galesinius eumdem è* Græcis tabulis accepit, *&* Pydnem vrbem Macedoniæ *obseruat, atque hoc elogio celebrat:* In Pydne S. Alexandri Martyris, qui fidei prædicatione in hominum impiorum insaniam liberè inuectus, de pietatis gradu cùm deiici nullo pacto posset, præciso capite, martyrij calicem bibit. *Hinc Ferrarius in Catalogo:* Pydnæ in Macedoniâ S. Alexandri Martyris. *Molanus paucioribus:* Et sancti Martyris Alexandri in Pydne. *Quæ verba Græci in magnis Menæis & Maximus Cythereus ἐν βίοις ἁγίων vsurpant: Adduntur duo versus hoc sensu:* Alexander ille qui gloriam martyrij dedecorari passus non est, capitis suscepit supplicium. *Ac posteà illud encomium sequitur.* Hic inter teterrimas erroris tenebras clarissimi in modum astri eluxit: nam & furorem hominum impiorum confutauit, & in religione aduersarium incitatâ oratione tamquàm iaculis confecit, ac denique errore omni profligato, multâ cum libertate Christum prædicauit. Ob eam rem erroris asseclæ commoti, multis ac grauibus tormentis constantiam huius infringere conati sunt: at nihil proficientes capite eum truncarunt. Verùm Deus huius labores dono curationum compensauit: itaque ij, qui cum fide ad sanctum Martyrem accedunt, calamitosissimis morbis leuantur.

S. Alexander apud Græcos & passus,

B

& in veneratione est:

C

perperàm ad Hispanos translatus.

2 *Litem nuper cœpere Hispani mouere, postquàm compilator Chronici, quod sub nomine L. Flauij Dextri obtrusum est, ad annum Christi 95 hæc scripsit:* In Carpetaniâ Pydne, vel Pyotij, S. Alexander Martyr. *Vbi adnotat Rudericus Carus,* Pydnam vrbem in Macedoniâ & in Rhodijs, Montem in Cretâ se inuenire. *At de Hispanicâ hac altum silentium,* nec de Piotio liquere. *Franciscus etiam Biuarius* & Pydnam Macedoniæ vrbem in Pieriâ *celebrat, &* venerandam Græcis fuisse *asserit* memoriam S. Alexandri Martyris in Pydnâ ad xiv diem Martij. *Verùm Tamaius Salazar in suo Martyrologio Hispanico ad hunc 14 Martij queritur* in Commentarijs Biuarij & Cari nihil ad hunc locum Dextri dictum esse. *Arguit verò* Ferrarium, *quasi is nuper* sonitu nominis abreptus, & ignorantiâ loci in Hispaniâ constrictus, ex Hispaniâ calami velocitate tranarit Macedoniam vsque, & ibidem exutâ Hispaniâ de Martyris sanctissimi gloriâ, Macedones de alienis muneribus inuestiuerit. *Sed quorsum ista, quæ nominibus proprijs transpositis in ipsum retorqueri possent? Est hic Martyr apud Græcos & martyrio affectus & in veneratione habitus. Imò duo hoc die adscribuntur Thessalonicæ* Martyres Alexandri, *quorum alter num ab hoc Pydnæo diuersus sit, dubitari potest. Est alius itidem* Alexander *inter* Afros Martyres. *Quidni Hispania suos etiam* Alexandros Martyres *habuerit? Hos mallemus proferre, & apud ipsos Catholicos cultum illorum promouere (sed antiqua monumenta desideramus) & in ijs, quod suprà non fit, diem martyrij indicari.*

ACTA MARTYRII
Ex duobus codicibus MSS.

1 OMnium Sanctorum memorijs, Fratres carissimi, debemus quidem communicare, sed multò magis beatissimorum Martyrum, vt & nobis omnipotens Deus per verbum suum det hæreditatem & partem cum ipsis, & inueniamur cum eis sanctam terram fructificare, quam promisit Deus Sanctis suis, & animabus credentium in se. E

2 Nam pridie Idus Martij conuocauit *a* Maximianus Rex B. Alexandrum, & dixit ei: Non ego ad aliud te vocaui, Alexander, nisi vt sacrifices Dijs: audiui enim esse te Christianum. Ille autem in fide stabilitus & promptus, certatus est agonem istum in medio Macedoniæ & Thessaloniæ, & noluit sacrificare. Maximianus verò Cæsar petijt mensam, & iussit eum sacrificare. Alexander verò dixit: Quid facis, Cæsar, Maximiane? Multùm vsurpas: reuerentiam tibi debeo quasi Regi, timere autem te non possum sicut Deum. Dixitque Cæsar: Iubeo te modò mori, nisi sacrificaueris. Alexander dixit: Hæc mors mihi vita est: habeo enim Dominum hoc mundo maiorem, apud quem viuam, & Regem solum iustum Iudicem, qui fecit nos & vos, & maledixit mundum istum, & Principes eius. Et contemnens B. Alexander *b* scabunculum calceque percutiens, euertit mensam, in quâ sacrificia imposita erant. Et iratus Rex iussit eum duci per Minutianum *c* Protectorem. Et producens eum euaginauit gladium Minutianus & stetit. Et dixit Cæsar ad Minutianum: Quid stas, male miles? Et dixit Minutianus: Rex caput meum mons factum est; & tremens factus sum totus. F

a

S. Alexander in questione constans,

idola despicit

b

c

3 Petijt verò Alexander aquam & lauit manus suas & exclamauit & dixit: Benedictus Deus celi & terræ: benedictus Deus veritatis & sapientiæ: benedictus Deus, dator vitæ & creator omnis incorruptibilitatis: benedictus Deus, qui dignis & tibi cognitis bona donas: benedictus Deus, qui longam patientiam habes super peccata incredibilium: benedictus Deus, qui sparsos ad errorem congregas ad scientiam: benedictus Deus, qui rucutes & incredulos frequenter erigis ad misericordiam: benedictus Deus, qui Verbum tuum propter nos incarnari voluisti: benedictus Deus, qui omnia in omnibus propter nos factus es: benedictus Deus, qui persequentes conuerti suades in veritate: benedictus Deus, qui infernum calcauisti: benedictus, qui petentibus auges bona; benedictus Deus, qui spiritibus imperat, & benedictus qui Dæmones Sanctis subdidit: benedictus Deus, qui per Iesum Christum post errorem Israël innotuit, & benedictus Deus, qui mortuos in fide resuscitauit: benedictus Deus, qui etiam eum, qui vndecimâ horâ venit, æquali mercede remunerari promisit: benedictus Deus, qui misericordiam tuam super meam ignorantiam ostendit: benedictus Deus, qui persequentem me & inpugnatorem bonorum sibi assumpsit: benedictus Deus, qui de

laudes Deo recitat,

A de medio idololatriæ ad ſcientiam bonorum me detraxit, & benedictus Deus, qui ſuam gratiam in tempore idololatriæ ad ſcientiam bonorum mihi donauit: benedictus Deus, qui deſpicientibus terreſtria, cæleſtia donas: benedictus Deus, qui iuſtis ſuis donauit omnium poteſtatem: benedictus Deus, qui per Ieſum Chriſtum in ſtadium veritatis me vocauit: benedictus Deus, qui iacula diaboli per me deſtruere dignatus eſt. Et eleuans manus ſuas ad cælum, ait: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus. Et cum hæc dixiſſet B. Alexander, tendens caput ſuum, gladio tradidit, ſicut ſcriptum eſt, ſpiritumque Deo: & percuſſit eum miles.

capite plectitur,

4 Vidit autem Rex quomodo ſtatim quatuor viri in ſtolis candidis ſuſceperunt animam B. Alexandri & abierunt in cælos, & pœnituit Regem eò quòd iuſſerat eum interficere: & triſtes facti ſunt qui erant cum eo Chriſtiani. Tum dixit ad eos Rex: Quid triſtamini? Timetis, ne & vos moriamini? Et dixerunt: non Domine, ſed rogamus te vt dignus martyrio Frater ſepeliatur. Et dixit Rex: Quid eſt martyrium? Victorinus miles dixit: in noſtrâ lege iuſſum eſt, Rex, vt ſi quis mortuus fuerit omnes Chriſtiani conueniant

Anima viſa deferri in cælum:

B & ſepeliant. Rogamus ergo te, Rex, vt mandes Theſſalonicam fratribus vt venientes ſepeliant eum.

5 Et ſtatim mittit *d* litteras Cæſar Theſſalonicam D Fratribus ſic: Rex Maximinianus Theſſalonicenſibus Chriſtianis ſalutem. Qui in lege veſtrâ habens fiduciam me contempſit, ex iuſſione meâ moritur: verùm tunc mittite qui conſueti ſunt ſuſcipere Martyrum corpora: miſi enim propter hoc, vt vehiculo quàm celeriùs venientes ſuſcipiatis corpus Alexandri, qui, ſicut dicitis, martyrium paſſus eſt. Occurrerunt ergo de Theſſalonicâ fratres & ſuſtulerunt corpus Martyris Alexandri amatoris Dei & Martyris Chriſti. Et complentes omnia ſecundùm opera eius & fidem, abierunt Theſſalonicam. Beati autem Martyris anima ſicut & ipſe Maximinianus vidiſſe ſe confeſſus eſt, ab Angelis ſuſcepta eſt in cælis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Amen.

d corpus permittitur Chriſtianis ſepeliendum.

a *Maximianus collega Diocletiani videtur indicari, aut certè apud quem ſub eius nomine cauſſa ageretur.*

b *Ita* ſtatunculus Iouis *oblatum eſt S. Concordio martyri. Acta* 1 *Ianuarij num.* 8.

c *Coluntur* 7 *Februarii mille & tres Martyres ex quatuor Imperatoris Protectorum familia, ubi eos Hipatores Imperatoru & corporis eius Cuſtodes eſſe diximus. Et ipſi* 4 *Protectores Martyres coluntur* 20 *Ianuarij.*

d *Forſan facultas data Chriſtianis, vt quo modo vellent, corpus ſepelirent, quod hic litteris Imperatoris tribuitur.* E

DE SANCTIS MARTYRIBVS

EVPHROSIO, FRVNIMO, FORTVNIONE ITEM DONATO CARTAGINE.



1 I*Ntricata controuerſia eſt in Martyribus huius diei rectè ordinandis. In antiquo Martyrologio S. Hieronymi, cuius quatuor apographa habemus, in quinque claſſes diſtribuuntur, ad quarum primam duo aut tres referuntur: à quibus ita exorditur Martyrologium S. Hieronymi ex peruetuſto Corbeienſi MS. Pariſijs excuſum:* Pridie Idus Martij, Eufroſij, Frunimi, Fortunionis *ſeu* Fortunioni, *vti legitur in alio Martyrologio MS. eiuſdem Corbeienſis monaſterij, vbi ijdem tres recoluntur. In apographis Blumiano & Lucenſi eiuſdem S. Hieronymi ita legitur:* Pridie Idus Martij, Eufroſi, Frunimi. *In noſtro MS. eiuſdem S. Hieronymi hiſce duobus præponitur vox* Natalis. *Præ ceteris magis celebris eſt* Euphroſius, *cuius in hoc verſu meminit VVandelbertus;*

XIV MAR.

Memoria 3 Martyrum,

C Euphroſius pridie Petro cum Martyre fulget:

Ita coniunguntur in MS. Adone Leodienſi S. Laurentij. De S. Petro eiuſque alijs ſocijs Afris infrà agemus. MS. Martyrologium Leodienſe S. Lamberti: Item S. Eufroſi & Feliciſſimi. *At Feliciſſimus ad proximam claſſem Martyrum Nicomedienſium ſpectat. In antiquo MS. Caſinenſi, relatis* XLVII *Martyribus Romanis, de quibus egimus, additur.* Et S. Eufroſi Martyris. *Vſuardus in codicibus tam manu exaratis quàm excuſis iſta habet:* In Africâ S. Petri Martyris, *à quo ſequens diſtinguitur, dum ita additur:* Item S. Eufroſij, *quæ eadem in alijs MSS. ita diſtincta habentur, vti etiam apud Bellinum, Caniſium, Maurolycum & Felicium: ſed ab his duobus vltimis* Euphraſius *dicitur, & forſan ad Martyres Theſſalonicenſes infrà referendus. In Adone MS. Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sueciæ* Euphroſininus & Firminus *ſcribuntur. MS. Carmeli Colonienſis & MS. Florarium, item Martyrologium Colonienſe anni* MCCCCXC, *& Doctrinale Clericorum eodem anno Lubecæ excuſum, aliter coniungunt:* Ipſo die Innocentij Epiſcopi, & Eufroſij Confeſſoris. *De S. Innocentio inter Prætermiſſos agimus, arbitrati eum indicari, de quo* XII *Martij egimus. At S.* Eufroſium Martyrem *fuiſſe indicamus: ita Kalendarium MS. præfixum Computui Bedæ & Martyrologium quartum Capuanum apud Michaëlem Monachum* Eufroſium Martyrem *recolunt.*

& potiſſimum S. Euphroſij.

2 *Et hactenus palæſtra martyrij latet, dum eos ab alijs Sanctis, Afris ſcilicet, Nicomedienſibus & Romanis, quibus iungebantur, oſtendimus ſecerni debere. Interim Carthagini attribuuntur iuncti S. Donato. Ita Rabanus Maurus ante octingentos & plures annos ſcripſit:* Carthagine natiuitas SS. Donati, Effroſij, Fronimi. *Secutus Notkerus:* Apud Carthaginem Donati, Eufroſij, Fronimi. *Martyrologium genuinum Bedæ vacat hoc die: at quod ſub eius nomine excuſum eſt & manuſcriptum extat in monaſterio Rithebergenſi, eoſdem ex Rabano profert:* In Carthagine natalis Donati, Effroſi, Frunimi. *Galeſinius etiam citato Bedâ & MS.* Carthagine, *inquit,* SS. Donati, Effroſi, Fruminij. *En Donatus alijs præpoſitus, ſed an ſeparandus? Dedimus Kalendis Martijs S. Donatum Carthagine paſſum. Sed vnde ex nudo hîc relato nomine eumdem ad hunc diem collocari colligemus? relinquimus ergo, ſed alijs poſtpoſitum.* F

an iungendus Donatus Carthagine paſſus?

3 *In Martyrologio Romano, quod eſt anno* MDLXXXIV *excuſum, iſta leguntur:* In Africâ ſanctorum Martyrum Petri & Aphrodiſij, qui vrgente perſecutione Wandalicâ cæſi ſunt. *Quæ vltima poſtmodum mutata, ita nunc recitantur:* Qui in perſecutione Wandalicâ martyrij coronam perceperunt. *De quibus annotat Baronius,* de his agere etiam hac die Vſuardum & alios recentiores. *Verùm conſtans apud omnes lectio eſt* Eufroſij, *non* Aphrodiſij: *dein Eufroſius paſſim à S. Petro ſeparatur, vti latè deduximus: prætereà nulla vſpiam mentio fit perſecutionis VVandalicæ, imò ante illam Martyrologium S. Hieronymi ſcriptum videtur. Vnus illi præiſſit Galeſinius: cuius verba, cum de Afris Martyribus agemus, proferentur.*

an Aphrodiſius ſub VVandalis paſſus?

DE

DE SANCTIS MARTYRIBVS NICOMEDIENSIBVS

FELICISSIMO, DATIVO FRONTINA, ET IOCVNDO

XIV MAR. 1  *Æc est secunda classis Martyrum in S.Hieronymi Martyrologio proposita, & quidem in excuso Parisijs ita habetur:* In Nicomediâ Felicissimi, Datiuæ, Frontini, Iocundi. *In tribus alijs apographis ista leguntur:* In Nicomediâ, Felicissimi, Datiui, Frontinæ. *Quæ eadem habet MS Vaticanum S.Petri, item Notkerus, & Hermannus Greuen in additionibus ad Vsuardum: omisso vbique* Iocundo. *At Rabanus duos solum commemorat:* In Nicomediâ natale Felicissimi, Frontinæ. *Quæ inde sub nomine Bedæ excusa sunt, & in MS. Richebergensi leguntur. In MS. S. Cyriaci à Baronio sæpius citato, & MS. Reginæ Sueciæ à Lucâ Holstenio laudato, & MS. Vltraiectino S. Mariæ ista proponuntur* In Nicomediâ Felicissimi, Datiui. *Quæ ordine mutato, & interposito* Petro *memorantur in codice peruetusto S.Maximini. At* Petrus *spectat ad sequentem classem. Iidem duo, non addito loco, sunt in MS. Æquicinctino sub nomine Vsuardi. Solus* Felicissimus *celebratur in MSS. Augustano, Labbeano, Treuirensi S.Martini & Leodiensi S. Lamberti, sed alijs ferè iunctus. Ita* Datiuus *memoratur in MS. Coloniensi S.Mariæ ad Gradus, &* Frontiana, *alijs* Frontina *in MS. Barberini huc vsque acephalo: pro hac in MS. Richenouiensi post alios duos refertur* Florentinus. *In Casinensi MS. & forsan vitio amanuensis, ita legitur:* In Nicæâ, *pro* Nicomediâ, Felicissimi, Datiui, Frontinæ. *De* Pione, *qui tam in Casinensi quàm Vaticano subiungitur, infrà agemus. In MS. S.Cyriaci* XIII *Martyr. fit mentio* Frontinæ *quæ huc spectat &* Prionis, *infrà* Pionis *dicti.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS AFRIS

DIONA, ALEXANDRO, PETRO, MAMMERO, NABORE, FRONTONE SEV PROMTONE, COME ET MARIA.

XIV MAR. 1 T*Ertia classis Martyrum ita proponitur in excuso Parisijs Martyrologio S. Hieronymi:* In Africâ Dionæ, Alexandri, Petri, Mammeri & Naboris Martyrum, Frontonis, Mariæ. *Quæ eadem, dempto nomine* Mariæ, *leguntur in apographis Blumiano & Lucensi, sed in hoc pro* Naboris, *legitur* Nabotis, *& in priore* Fronteonis *loco* Frontonis: *pro quo in Lucensi codice legitur* Promtonis. *In MS. nostro eiusdem S. Hieronymi tali ordine collocantur.* In Africâ Alexandri, Dionæ, in Africâ Petri, Mammeri, Naboris, Comis, Prontonis. *A Notkero quinque priores ita recensentur:* In Africâ Dionæ, Alexandri, Petri, Mammarij & Naboris Martyrum. *In MS. Tamlactensi apud Hibernos sunt nomina,* Petri, Mammerij, Naborij, Frontoni, Alexandri & Dionæ. *MS. Cardinalis Barberini:* In Africâ Alexandri, Petri, *de quibus etiam agitur in MSS. Augustano & Labbeano. MS. Treuirense S.Martini:* In Africâ Petri, Naboris Martyrum. *At nomen S.Petri præ alijs celebrius est, & solum refertur in Vsuardi codicibus manu exaratis & excusis: item in antiquo MS.Reginæ Sueciæ, Vallicellensi Patrum Congregationis Oratorij Romæ, & pluribus alijs. Sequuntur Bellinus, Felicius, Maurolycus, Canisius, his ferè vbique verbis:* In Africâ S. Petri Martyris.

Cultus sacer.

2 *Galesinius more suo coniecturas adiungit:* In Africâ, *inquit,* sanctorum Martyrum Petri & Aphrodisij, qui Vandalis fidei Catholicæ infensissimis aduersarijs, martyrio coronantur. *Annotat verò:* Aliàs Euphrodosij, sed in omnibus scriptum est, Aphrodosij. De his Victor Vticensis. *At quo loco, silet. Imo pro* Aphrodisio *in omnibus scriptum esse* Euphrosij *siue* Effrosij, *iam suprà clarè ostensum est. Interim Baronius, quem aliàs reijcit, secutus Galesinium, eumdem* Aphrodisium Petro *iunctum inscripsit Martyrologio Romano, citato Vsuardo & alijs recentioribus, apud quos, dempto Galesinio, legitur* Euphrosius, *de quo suprà egimus, & diximus antiquum Martyrologium S. Hieronymi ante persecutionem Vvandalicam exaratum esse.*

an Aphrodisius inueniendus.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

EVPHRASIO, ALEXANDRO, FRVNIMO, ET BASILIO, THESSALONICÆ.

XIV MAR. Q*Varta hæc Martyrum classis est in antiquo S.Hieronymi Martyrologio Parisijs excuso; & ita indicatur:* In Thessalonicâ Eufrasij, Alexandri, Frunimi, Basilij. *Quæ dempto* Basilio, *eadem leguntur in tribus alijs apographis eiusdem S.Hieronymi. In MS. Reginæ Sueciæ, editoque à Lucâ Holstenio in Animaduersionibus in Martyrologium Romanum ita legitur:* Thessalonicæ Alexandri cum alijs duobus. *MS. Tornacense:* In Thessalonicâ natalis SS. Alexandri & Eufrosij & S.Frunimi. *Duo priores referuntur etiam in MS. Latiensi, sed per errorem* Alexandriæ *attributi. At nullo loco apposito fit memoria* Eufrosi, Alexandri & Fronimi, *in MSS. Tamlactensi apud Hibernos, Parisiensi Philippi Labbe, & Augustano S. Vdalrici, in hoc tamen* Eufrasiæ *scribitur, &* Nimi, *pro* Fronimi. *Item mentio* Euphrosij *&* Alexandri *fit in Pragensi MS. At solius* Eufrosici *in Aquisgranensi, qui Felicio* Eufragius est.

DE

DE S. PIONE MARTYRE

ANTIOCHIÆ.

XIV MAR. Refertur hic vltimo loco in sæpius citato Martyrologio S. Hieronymi: & quidẽ in excuso Parisijs codice & MS. Blumiano his verbis: In Antiochia Nicomediæ, Pionis. In apographis nostro & Lucensi habetur etiam Nicom. & Nicomed. In MS. Barberiniano Nicomediæ inseritur. At MS. supra laudatum Reginæ Sueciæ ista solum habet: Antiochiâ Pionis. Et nullo addito loco nomen Pionis seu Pioni est in antiquis MSS. Augustano, Labbeano, Vaticano S. Petri, Tamlactensi, Coloniensi S. Mariæ ad Gradus & alijs. Pridie seu XIII Martij est memoria S. Pionis in Martyrologio S. Cyriaci, quem hunc Pionem arbitramur. In adiuncta voce Nicom, Nicomed. & Nicomediæ hæremus dubij, num nomen, siue viri siue fœminæ, Martyris Antiochiæ assumendum sit, quod satis apparet probabile: an verò illud reijciendum, tamquam aliunde per errorem insertum, quod subinde adhuc contigit, resolutionem penes lectorem relinquimus, dum ex pluribus MSS. certius aliquid licebit statuere.

Memoria S. Pionis.

DE SANCTIS MARTYRIBVS ROMANIS

ROMANO, ALBERTO, DOMITIO,

ANTVERPIÆ IN BELGIO.

XIV MAR.

1 Nter plures basilicas, quibus ornata est Antuerpia, ciuitas Belgij præclara & magnifica, haud postremum obtinet nomen, quæ ad Domum Professorum Societatis Iesu, ante annos ferè quinquaginta, tum Magistratuum tum priuatorum ciuium piâ liberalitate ædificata est, candido marmore è Liguria aduecto; antiquo opere, non vt pleræque in hisce oris Gothico, quod vocant. Accessêre ad ceterum splendorem, tum varia pietatis excitamenta, tum præsertim multis ex locis huc collatæ Reliquiæ Sanctorum, de quibus iam non vno loco facta est fietque sæpius deinceps nostro hoc in opere mentio. Ad quem thesaurum noua facta ab aliquot annis accessio est haud vulgaris, cum Admodum Reuerendus P. Goswinus Nickel, Societatis IESV Præpositus Generalis, Româ huc ad R. P. Thomam Dekens, huius tunc domus Præpositum, misit considerabiles partes ossium Sanctorum Martyrum, ex sacris Cœmeterijs Romanis, debitâ cum Superiorum licentiâ, extractas, vti ipse suo Chirographo testatus est, dato Romæ, ac sigillo ipsius munito, X Februarij MDCLIX.

Horum SS. Reliquiæ Româ Antuerpiam missæ an. 1659.

2 Sancti quorum allata lipsana, fuerunt omnino XV, Albanus, Agapitus, Constantius, Romanus, Albertus, Domitius, Pamphylus, Marianus, Liobatus, Victoria, Ruffina, Valerius, Quirinus, Erinus, Benignus. Hos cùm nullo argumento probari possit socios fuisse certaminis, pro Christi gloriâ vno eodemque tempore ac loco exanthlati, cum in varijs conditi cœmeterijs fuerint; Illustrissimus & Reuerendissimus Episcopus Antuerpiensis D. Marius Ambrosius Capellus, cùm eas Reliquias Româ huc, quâ decuit curâ, apportatas, capsam, cui inclusæ fuerant, vincula quibus ea circumligata, sigilla ac testimonia diligenter examinasset, ac publicæ venerationi proponendas indicasset, ad amplificandum in hominum animis fructum pietatis ipsorumque honorem Sanctorum, statuit, vt hi in quinque veluti classes distributi, totidem diebus, ac diuersis mensibus celebrarentur, nominaque eorum in Missarum sacrificijs ac Horis Canonicis pronuntiarentur. Ordinauit autem cuncta hac serie: vt nimirum colerentur die XVI Februarij S. Albanus, S. Agapitus, S. Constantius: die XIV Martij S. Romanus, S. Albertus, S. Domitius: Dominicâ post Octauam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, S. Pamphilus, S. Marianus, S. Liobatus. Dominicâ 2 Octobris, S. Victoria, & S. Restituta Martyres. Die XXVII Nouembris, S. Valerius, S. Quirinus, S. Erinus, S. Benignus. Atque præscriptis diebus vt secundum Ritus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, annis singulis, à cunctis Sacerdotibus in eadem Professorum domo commorantibus, recitaretur Officium ritu duplici & Missa de communi Sanctorum Martyrum, atque in Missâ Credo, iuxta morem & statuta eiusdem S. R. Ecclesiæ.

& aliorum 12,

approbata ab Episc. Antuerpien.

ijsq; anniuersaria celebritas, varijs diebus assignata:

3 Tum ista addidit idem religiosissimus Antistes, vt legere licet in confectis hac de re tabulis die XXX mensis Martij, anni MDCLX, eius manu sigilloque firmatis: Vt autem populi deuotio ad dictorum Sanctorum Martyrum honorandas Reliquias, indies capiat incrementum; his maximè calamitosis temporibus, quibus ad exorandam Diuinam clementiam, vt cohibere dignetur vindicem suam manum, & flagella iracundiæ suæ à nobis, & à Communitate nostrâ Antuerpiensi auertere, Sanctorum patrocinio summoperè indigemus. Omnibus Christi fidelibus, qui præfatâ die anniuersariâ quarumlibet quintarum dierum, Ecclesiam præfatæ Domus Professæ Societatis IESV visitauerint, & ibidem preces pro hæresum extirpatione, Principum Christianorum concordiâ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione deuotè fuderint, quadraginta dierum Indulgentiam concedimus: ijs verò qui singulis per annum diebus, eosdem Sanctos Martyres, pro ijs Ecclesiæ necessitatibus, in eadem ecclesiâ piè orauerint, septem dierum Indulgentiam impertimur.

ad eas orantibus impertita Indulgentia.

4 Quod ad eos attinet Martyres, quorum hoc die XIV Martij agitur anniuersaria celebritas, haud facile est conijcere, quos pro fide Christi cruciatus pertulerint, quove tempore; & num alijs diebus, quibusue in Ecclesijs, eorum vel acta sit olim vel etiamnum agatur memoria: licet referiantur Martyres nonnulli ijsdem nominibus appellati, Romani præsertim ac Domitij: sed quæ solo à nomine ducitur infirma est coniectura, præsertim si pluribus id hominibus commune sit. Quoniam verò iam in lucem dederamus quæ de Sanctis ad mensem Februarium spectantibus comperta nobis erant, priusquam illorum Sanctorum Martyrum, Albani, Agapiti, Constantij Reliquiæ in hanc vrbem afferrentur, eorumque anniuersaria celebritas die XVI eius mensis recolenda decerneretur; ideò illorum nulla in eo mense facta à nobis mentio est. At si quando appendicem ad eum mensem adijciamus, licebit in eâ memoriam eorum consignare.

de his tribus aliud nihil constat.

DE

DE S. INNOCENTIO EPISCOPO VERONÆ IN ITALIA.

SEC. IV VEL V. XIV MAR. *Inter 36 Sanctos Episcopos Veron.*

1 *INter præcipuas gratiarum sibi diuinitus factarum prærogatiuas meritò reponit Veronensis ciuitas, quod ex Episcoporum suorum numero Sanctorum fastis ascriptos triginta sex, suo singulos die, iam inde ab immemorabili tempore veneretur: cuius rei fidem faciunt non solum tabulæ ecclesiasticæ hodiernæ, recitandi Officij diuini ordinem continentes, aut Sanctorum nomina in Kalendarium digesta: sed etiam MSS. membranæ antiquiores & in templorum parietibus depictæ imagines, vti & qui de eiusmodi rebus scripsère auctores, iam ante duo secula noti: quæ omnia, vnà cum decretis synodalibus, etiam à Paulo III approbatis, & coram eius Legato conditis, proferuntur in syntagmate antiquorum monumentorum de Sanctis Episcopis Veronensibus, per Raphaelem Bagatam Archipresbyterum, & Baptistam Perettum Ecclesiæ S. Tenteriæ Rectorem collectis atque ab Augustino Valerio Veronensi Episcopo vulgata typis, cum indice sacrarum Reliquiarum anno* MDLXXVI.

B

S. Innocentius.

2 *Horum sex & triginta S. Innocentius vnus est, in Martyrologio Galesinij & vtroque Philippi Ferrarij Catalogo nominatus, nec non in MS. Sanctorum Florario: cuius memoriæ prædictus Augustinus sequens elogium texuit, à Ferrario in Sanctis Italiæ, & Vghello Italiæ sacræ tom. V transcriptum.* Innocentius Veronæ Episcopus, innocentiâ, iustitiâ & eximijs virtutibus, quæ in pastore animarum requiruntur, magnoperè excelluit; multarum etiam rerum scientiâ nemine eorum, qui ante ipsum fuère Ecclesiæ ipsius Episcopi, inferior extitit. Vbi multos pro sponsâ suâ labores pertulisset, obijt pridie Idus Martij; eiusque corpus conditum est in basilicâ S. Stephani sub altari S. Andreæ. *Eam basilicam olim fuisse Cathedralem persuadet antiquitas, plurimorumque Veronensium Pontificum condita ibidem corpora: de quibus in sacrario extat antiqua tabula in membranis exarata hoc titulo:* In Ecclesiâ S. Stephani de Veronâ hæc specialia corpora Sanctorum requiescunt in pace. Primò Corpus S. Felicis Episcopi Veronæ in altari maiori, item corpora Innocentij & Gaudentij in arcâ altaris S. Andreæ Apostoli.

sepultus in S. Stephani,

anno 1542 mirè fragans transfertur,

3 *Hoc autem* altare amotum à loco incongruo, vbi deformabat ecclesiam, positum fuit, vbi nunc est, anno MDXLIII; habet in stipite pulverem, vt creditur, Sanctorum; habet etiam ossa valdè venerabilia, quæ, quando detecta fuerunt tempore mutationis altaris, miram & suauissimam fragrantiam ediderunt: quam omnes, qui adorabant manus Ioannis Archipresbyteri ipsius ecclesiæ, qui ea contrectauerat, vsque ad vesperam sentiebant: quod ipsi adhuc testari possunt, & ipse Archipresbyter vir probatæ & inculpatæ vitæ, dum viueret, asseruit, & litteris posteà testatum reliquit. Asseruntur etiam ossa ipsa esse SS. Innocentij & Gaudentij Episcoporum Veronensium. *Hæc* Franciscus Corna in libro, quem, *vt asseritur à citatis collectoribus*, pedestri & natiuo sermone conscripsit anno salutis MCCCCLXXVII de antiquitatibus Veronæ ac de sanctis Reliquijs, quæ in eâ reperiuntur. *Porrò quod apud prædictum auctorem asseritur, auctoritatem accipit ex tabulâ sacristiæ gracitatâ, quâ eâ parte cōfirmat alia marmorea, peruetusta & fracta, quæ ad ingressu portæ meridianæ ipsius ecclesiæ S. Stephani columnæ inserta est hoc principio:* In hac ecclesiâ sanctorum Confessorū huius ciuitatis Episcoporum corpora requiescūt, scilicet Simplicij, Innocentij, Felicis, Saluini, Senatoris, Probi, Andronici, Mauri. *&c. prætereo, quod mutum, Gaudentio; cuius tamen ossa quædam, à reliquo seiunctâ corpore seruantur in arcâ marmoreâ antiquâ, quæ solebat esse post altare maius, & nunc ad latus illius dextrum seruit pro mensâ altaris S. Mariæ, duplici inscriptione, alterâ exteriori in lapide, alterâ interiori in plumbo, rem ita esse confirmante.*

cum S. Gaudentio.

E

vtriusque incerta ætas,

4 *Colitur Sanctus ille Gaudentius, commune cum S. Innocentio conditorium sortitus, pridie Idus Februarias, quo die de ipso egimus: sed vt de eo incertum est, quem tenuerit ordinē in Episcopatu, dum Perettus trigesimum nonum statuit quem Ferdinandus Vghellus decimum quintum: ita nec conueniunt auctores de Innocentio. Nam Vghellus decimum quartū statuit, cui post duos intermedios successerit S. Lutius, quē ipse vocat Lucidum, Concilio Sardicensi anno* CCCXLVIII *præsens: Perettus verò locum ei dat vigesimum tertium, decem locis posteriorem Lucillo (ita enim nominat qui in Concilio prædicto Lucius) atque adeò seculi quinti anno circiter quinquagesimo proximum. Ex antiquis ecclesiarum picturis, maiorum traditioni innixis, certior fortassis coniectura haberetur; sed coniectura tantum: nam post duodecim primos Episcopos, ad annum* CCLX *pertingentes, per plura secula* incompertum est, *vt Panuinij verbis vtar*, quis inuicem successor fuerit: tempora etiam quibus singuli vixerunt, præter sex, qui suis locis & seculis exponuntur, & singulorum gesta obscurissima sunt & incerta: quæ res nimiâ iam vetustate maiorumque nostrorum fatali ignauiâ tenebris vetustatis oppressæ sunt. *Ferrario S. Innocentius est* XIII, *sed mendo typographico pro* XXIII: *citat enim Valerium Augustinum, quem sequitur: prudenter tamen ad calcem adnotat* tempus & Acta eius, vti & plerorumque Episcoporum eius vrbis ignorari.

vti & aliorum plerorumque,

F

Florarium MS. Sanctorum Innocentio Episcopo Euphrosinum Confessorem *iungit*, *nobis ignotum*, *hisce verbis.* Ipso die sanctorum Innocentij Episcopi & Eufrosij Confessoris. *De Euphrosio Martyre hoc die agimus, cuius & Florarium meminit.*

C

DE SANCTIS DVOBVS MONACHIS ET DIACONO MARSICANO,

MARTYRIBVS IN VALERIA PROVINCIA.

SECVLO VI XIV MAR.

1 *Atij mediterranei postrema pars ad Fucinum lacū, nunc Aprutio inserta, antiqua Marsorum regio fuit, vnde & Episcopi Marsorum denominantur, quorum residentia dicitur ab Vghello vaga incer*taque fuisse, tametsi pro Cathedrali, vbi Episcopalia munera exercere solebant, ecclesiâ S. Sabinæ vterentur, quæ adiecta erat nobili S. Benedicti monasterio, quod cum Valeriâ dicitur partim concidisse. *Ferrarius in Lexico geographico ipsam* Valeriam, Marsorum vrbem *appellat: vnde &* Valeriæ prouincia & Marsorum prouincia, *quarum meminit S. Gregorius Magnus lib. 4 Dialogorum cap. 21 & 23, non forent distinguendæ. In his occisi sunt Martyres, quorum sacra veneratio proponitur in Martyrologio Romano ad diem* XIV *Martij his verbis:* In prouinciâ Valeriæ sanctorum duorum

Cultus in Martyrologio Romano.

A rum monachorum, quos Longobardi suspendio necauerunt in arbore: in quâ licet defuncti, ab hostibus ipsis auditi sunt psallere. In eâ etiam persecutione Diaconus Ecclesiæ Marsicanæ in confessione fidei capite truncatus est. *De eisdem & sub eodem titulo agit Ferrarius in Catalogo Sanctorum. Cædem horum ita dictis capitibus exponit S. Gregorius:*

Duo monachi occisi psallunt. 2 Vitæ venerabilis Valentio, qui pòst in hac Romanâ vrbe mihi, sicut nosti, meo quoque monasterio præfuit, priùs in Valeriæ prouinciâ suum monasterium rexit. In quo dum Longobardi sæuientes venissent, sicut eius narratione didici, duos eius monachos in ramis vnius arboris suspenderunt, qui suspensi eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere vtrorumque eius spiritus claris illic apertisque vocibus psallere cœperunt: ita vt ipsi quoque, qui eos occiderant cùm voces psallentium audirent, nimiùm mirati, terrerentur. Quas videlicet voces captiui quoque omnes, qui illic aderant, audierunt, atque eorum psalmodiæ postmodùm testes extiterunt. Sed has voces spirituum omnipotens Deus idcircò pertingere voluit ad aures corporum, vt viuentes quique in carne discerent; quia si Deo seruire studeant, post D carnis mortem veriùs viuant.

Diaconus interimens à diabolo obsidetur. 3 *Hæc capite 21, at capite 23 de transitu Diaconi Ecclesiæ Marsorum ista leguntur:* Alius quoque in Marsorum prouinciâ vitæ valdè venerabilis Diaconus fuit, quem inuentum Longobardi tenuerunt: quorum vnus educto gladio caput eius amputauit. Sed cùm corpus in terram caderet, ipse qui hunc capite truncauerat, immundo spiritu correptus, ad pedes eius corruit, & quòd amicum Dei occiderit, inimico Dei traditus ostendit. *De supra memorato Valentione Abbate egimus VII Martij in Vitâ S. Equitij Abbatis in eadem Valeriæ prouinciâ, & XII Martij in Vitâ S. Gregorij Magni: & cum vtroque hoc Sancto duo hi monachi inscribuntur martyrologijs Benedictinis VVionis, Menardi, Dorganij & Bucelini. Eosdem Brautius Episcopus Sarsinæ in Martyrologio Poëtico hisce distichis celebrat:*

Suspensi bini laqueis ex arbore Fratres
Vocibus alternis cantica sacra canunt.
Marsorum templi custos Leuita peremptus
Pro Christo, cælos consociatus adit.

DE S. LEOBINO SEU LEUBINO

EPISCOPO CARNOTENSI IN GALLIIS.

Commentarius præuius.

CIRCA AN. DLVII. XIV MAR.

1 
Arnotum antiqua Galliæ Celticæ ciuitas, Lugdunensi secundæ aliquando attributa, seculo sexto ad medietatem vergente, magno suo bono Episcopum, vitâ & doctrinâ eximium accepit Leobinum *seu* Leubinum; Leouinum *nonnemo, plures* Leoninum *scripsêre: ipse se Concilio Aurelianensi V, anno* DXLIX *co-*

Varia loca à S. Leubino nominata. *acto,* Leubenum in Christi nomine Episcopum ecclesiæ Carnotensis; *Parisiensi verò II, ad annum* DLV, Leubinum *subscripsit. Et hoc sequuntur Ecclesiæ ac pagi, in Carnutensi diœcesi nomen ab hoc Sancto retinentes, quales ex parte Boreali inter Bresollas & Nonancurtam cis Auram fluuium duo sunt; alter* S. Lubin le creuant, *alter simpliciter* S. Lubin *dictus: alij in Pertico primus inter Nogentum le Rotrou dictum & Isserias,* S. Lubin le chassant: *secundus absque addito* S. Lubin *inter idem Nongentum & Bazochas propè Carbonariam vicum, vbi Eremiticam aliquando vitam coluit, vterque Carnutensi vrbi ad Occiden-* C *tem situs: nec non ad meridiem declinando alius, cis ripam Ligeris ex aduerso Castri-Duni,* S. Lubin de Lesignij *cognominatus, atque alibi fortassis alij, & in his* S. Lubin de vineis *Ordinis Benedictini prioratus.*

Translatio 15 Sept. apud Bedam, & Vsuardum: 2 *Huius Translationem Carnotenses in suo Kalendario, ad Breuiarium iussu Episcopi Leonorij d'Estampes anno* 1633 *vulgatum, recolunt die* XV *Septembris; quo die geminum genuini Bedæ exemplar MS, Diuionense quidem* & Leobini Confessoris, *habet; acephalum verò Reginæ Sueciæ* & Leubini. *Eodem die in omnibus Vsuardi seu excusis seu manu exarati exemplaribus reperitur:* Carnoti S. Leobini Episcopi; *vt recentiores taceam Greuenum, Molanum, Maurolycum, Galesinium, aliosque. Quin & Sebastianus Roulliard*

& in diœc. Pictauiensi: *in suâ Parthenia seu historiâ Carnutensi, anno* 1609 *Gallicè vulgatâ, cap.* 10 *ignorauit alio quàm hoc die coli, & Henricus Ludouicus Castaneus, Pictauorum Episcopus, ad suas Litanias Pictonicas obseruauit, eâ die ipsum vt Patronum coli in Prioratu* de la Veyrè, *& ecclesiâ Parochiali* de Polignij, *vtraque Pictauiensis diœcesis, in quâ natus Sanctus inter indigetes illius Ecclesiæ Dinos meritò numeratur. Idem Abrincensis obseruat Ecclesia, & ad* XVII *Kal. Octobris huius Sancti commemorationem in Vesperis at Laudibus faciendam præscribit. Quia tamen dies ille Octauâ natæ Virginis Deiparæ celebrandâ impeditur, maluêre, qui Carnotensi Breuiario or-* *Depositio 14 Martij Carnoti celebrior.* *dinando præfuerunt; diem* XIV *Martij, à Maurolyco* depo*sitionis dictum, & nullo alio Officio occupatum solennissimè celebrare. Nec desunt Martyrologia vsum hunc ab aliquot seculis inductum firmantia, etsi minùs antiqua, & eadem ferè, quæ die superiùs memorato ipsum retulêre; sed hic sub nomine* Leonini *pleraque: in quibus Vsuardus ex Carthusianorum Coloniensium editione duplici, cum Florarij MS. auctore; haud dubiè alia quoque vetusta exemplaria secuti, quæ ad nostras manus non peruenêre. Saussaius nemine præeunte* XIV *Martij Ordinationis diem vocauit, Natalem verò diem* XVI *Septembris.*

Ætas ex Concilijs probatur. 3 *Ætatem Leobini minimè obscuram esse patiuntur tum ij, quibus conuixit, Sancti, Carileffus Abbas Anisolanus, Hilarius Gabalensis Episcopus, Lupus Lugdunensis, Cæsarius Arelatensis: tum Concilia, quibus ipse interfuit; nec non qui ante ac post ipsum, Ætherius Aurelianensi IV, anno* DXLI; *Cabetricus Parisiensi III, anno* DLVII, *subscripsêre.* F *Errauit igitur præcitatus Carnotensis historiæ Auctor, cùm anno* DXXV *Leubinum in suam induxit Sedem, nec minùs cùm ex eâdem anno* DXXXVII *sublatum scripsit, & suo errore Episcopum Pictauiensem Castanæum abduxit à verâ chronologiâ. Nihilo veriùs fortassis est, quod absque vllâ probatione asseris; pag.* 83 *S. Leubinum auctorem fuisse illius numeri, quo Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, septuaginta duabus personis constans, numerum discipulorum Christi repræsentat. Credibilius est, quod pag.* 147 *inter ecclesias suburbicanas ad*

domus, *portam & suburbium S. Michaëlis domum & ecclesiam S. Leubini numerans, quas nunc Patres Capucini possident, videatur innuere eam, quam Sanctus olim habitasse putabatur, domum conuersam esse in oratorium, pio ciuium studio*

reliquiæ, *erga Præsulem suum. Corporis Reliquiæ in ecclesiâ S. Martini in Valle conditæ, crebrescentibus miraculis eleuatæ videntur; eâque occasione separatum à ceteris ossibus caput, thecæque inclusum, post maius altare matricis ecclesiæ seruatur, anno* MDLXXXVII *legitimâ inspectione recognitum: sed quæ in suprà nominatâ S. Martini æde condebantur ipsana, vnà cum Sigoaldi, S. Malardi, Deodati, Bertegrandi Carnotensium Episcoporum, & S. Launomari Abbatis corporibus, à Caluinistis iconomachis, durante vrbis obsidione, dissipata sunt anno reparatæ salutis* MDLXVIII.

A 4 *Acta descripta ex antiquis MSS. ad nos transmisit vir Clarissimus Andreas du Chesne, qui excerpta inde fragmenta inseruerat tom. 1 Francicorum; auctore scripta anonymo quidem, sed antiquo: & qui idem Acta S. Auiti, postremis vitæ annis S. Leobinum discipulum habentis, magnâ accuratione iudicioque conscripsit: vt patet ex ijs quæ hic num. 6 & 9 ijsdem propemodùm verbis referuntur: magis autem ex planè similibus loquendi formulis, quibus miracula inter se nectuntur, vt patebit cùm illam Vitam dabimus XXII Iunij. Ex Actis porrò hîc proferẽdis desumpta sunt noua Carnotensis Breuiarij pro secundo Nocturno lectiones, compendio exponentes res à Leobino gestas: in quibus supinam auctoris oscitantiam prodit annus* nongentesimus tricesimus *morti illius assignatus in fine sextæ lectionis, quem in principio quartæ scripserat claruisse* tempore Childeberti Franciæ Regis. *Ceterùm, ne lectorem hiulcus locis aliquot sensus offenderet, prætermissa describentium vitio vocabula quædam [ ] includentes suppleuimus ex propriâ coniecturâ, quod hic monuisse satis est.* — *Acta.*

ACTA

Ex vetustis MSS eruta ab Andreâ du Chesne.

CAPVT I

Pueritia: litterum studia: initia vitæ monachalis sub magisterio SS. Auiti eremitæ & Hilarij Episcopi.

1 Gitur beatissimus Leobinus, Pictauorum Vrbis indigena, dignis ortus parentibus fuit; quibus tantæ humilitatis deuotione se subdidit, vt in pueritiâ primæuæ ætatis positus, per hoc diceretur meritis approbatus puer bonæ indolis. In adolescentiæ flore [tantus] discendarum amor litterarum eius versabatur in pectore, vt sancti Spiritus gratiâ, quasi cælesti nube[esset] circumdatus. Dum boues seruaret in pascuis, contigit vt *a* Noidgelinsem monachum sibi obuiũ deprecaretur, [litteras] sibi discendas scribere: qui cùm non haberet codicis aut tabularum supplementum, prout potuit, apices in cingulo scripsit. Quod vtique præsagium diuinæ pietatis mysterio actum; vt qui multis erat profuturus ad exemplum castitatis, ipse cœlibatus zonâ circumdatus, candoris, instar flagrantis lilij, circa renes haberet cingulum litteris inscriptum veritatis. Posteà verò, cùm pater huiusmodi auiditatem discendi in filio comperisset, litterarum lineas in tabulis fieri decreuit, cui tantùm exinde processit studium, vt vtrumque pariter ageret; videlicet vt laborationi insisteret & lectioni operam daret, sic inter colendi instantiam sedulum diuidebat officium. His quippe duobus præfigurabatur actibus, vt per agriculturæ opus[&] obedientiam, strenuus futurus indicaretur monachus; & per discendi studium venturus præpararetur Episcopus [atque ita] per fidelium corda, vomere disciplinæ exarata tellus, diuini verbi semina germinaret. — *Pictauis natus.* — C — *a inter pascendum litteras discit.* — *non sine præsagio duo hæc iungens.*

2 Nec multò pòst aliquatenus scientiæ prærogatiuâ illustratus, in quodam monasterio piè susceptus, comâ capitis detonsus efficitur monachus. Cui obedientiæ humilitate cellarium creditum, & temperandarum cursus horarum, & vigiliarum diligentia committitur. Quâ occupatione detentus, per diem se lectioni vacare non posse comperiens, declinantibus ad dormiendum monachis pernoctabat intentè, vt disceret normam iustitiæ. Qui cùm assiduitatem lectionis Fratribus nouisset onerosam, nolens horum murmur verti in tumultum, fenestræ, quæ oculis Fratrum patula erat, velum opposuit, vt lumen eis redderet subobscurũ, & ipse lectionis caperet incrementum. Quidam autem Diaconus illustris, nomine *b* Carileffus, cognoscens eum velle adire *c* B. Auitum, qui tunc temporis morabatur eremita in *d* Pertico, dulci affatu ipsum alloquitur dicens: Agnosco, Frater, de minimis ad maiora te velle conscendere, sed quæ tibi in incœpto scientiæ institutionis proposito proficiant, tribus verbis te instruere curabo. Id est, nulli Episcoporum te obsequijs obliges, quia inter * bonos bonus multos inuenies detractatores. Aliud moneo, ne quorumcumque hominum basilicam regere, aut petitor ambias, aut expetitus adquiescas; ne inter diuersos mores, aut rigorem monachi perdas; aut, si blandimentis non consentias, detrahentes tamen vix sufferas. Tertium præmoneo, ne paruæ te socies cellulæ, quia dum singuli præponere * sibi cupiunt, nulli obedientiæ ministratur. — *Monachus effectus.* — D — *assiduæ vacat lectioni.* — *b c d à S. Carileffo tria monetur.* — * *forte malos* — * *forte se*

3 Post octo itaque annos in illâ *e* cellâ monasticè conuersatus, beatissimi Auiti præsentiæ se obtulit experiendum. Qui cùm ab eo responsum accepisset, vt per eruditionem, quam in congregatione monachorum percepturus erat, ad ipsum reuerteretur; inde recedens cum quodam Diacono, qui in monasterio aliquamdiu conuersatus fuerat, Ligeris littora cœpit peragrare: perueniensque ad quamdam cellam, vt in eâ habitaret sibi oblatam, memor monitorum supradictorum se in eo loco alligare noluit: sed volens *f* Lirinum peruenire, inuenit quemdam fratrem Lirinensem, dicentem, se non posse illic temperiei incommoditatem ferre: quo dicto ab itinere, quod cœperat, reuocatur. Deinde *g* Geualensem repetens vrbem, cùm à beatissimo Hilario, eiusdem vrbis Antistite, sacerdotaliter fuisset susceptus, & aliquantisper cum eo commoratus; cœpit conqueri Frater non aptum sibi locum [videri] ad habitandum. Vnde, cùm inter se eosdem Fratres altercantes Beatus Hilarius animaduertisset, cœpit hortari illum vagum Fratrem ne à comitatu B. Leobini discederet, ne fortè obedientiæ gratiam recedendo perderet, quam hactenus illum sequendo adeptus fuisset. Inde verò recedentes, audientesque B. *h* Lupi famam longè latéque crebrescere, ad eum se humiliter contulerunt. Cùmque modico tempore cum eo morati fuissent, hortatur prædictus Frater (vtpote instabilis & vagus) inde B. Leobinum discedere. Nolens itaque vir Sanctus huiusmodi persuasionibus acquiescere, fortiterque resistens, & tam vagum Fratrem in suo comitatu habere contemnens, continuato quinquennio in eodem commoratus est cœnobio. — *e & post octennium consulto S. Auiti* — E — *f Lirinum iturus,* — *g Gabali apud S. Hilarium subsistit:* — *h inde ad S. Lupum se confert.* — F

4 Intereà dum Francorum dura ferocitas *i* contra Burgundiones bella concitaret, & eiusdem cellæ monachi eorum metu huc illucque diffugerent; prædictus Sanctus cum altero sene illic remansit intrepidus. Interpellatus ergo ille alter senex à barbaris, vt res monasterij totius panderet, respondit B. Leobinum omnes easdem res scire, se autem ab earum cognitione alienum esse. Hac ergo excusatione illo priore sene ab inquisitione liberato, cœperunt prædicti barbari hominem Dei molliter alloqui, vt si quid ex eisdem rebus nosset, præsentialiter panderet. Qui cùm per eum suis blandimentis nihil possent ex his, quæ quærebant, inuestigare; multimoda pœnarum genera excogitantes apponere tentant: nam frontem eius cordis *k* fortiter circumdantes, & pedes fustibus adstringentes, & sæpè eum in gurgitem submergentes, sicut nec blanditijs, ita nec tormentis ab eo aliquid extorquere potuerunt. Sanctus verò Leobinus inter vtrumque constanter perdurans, maluit ferre supplicia iniquorum, quàm reuelare secreta monachorum. — *i* — *ubi vtramque monasterij barbaris prodat.* — *k penè tortus ad mortem.*

5 His nempe supplicijs miserabiliter afflictus, licet

A cet semiuiuus, diuinâ tamen suffragante ope ereptus, cum duobus Fratribus Eufronio *l* & Rustico adiuit iterum S. Auitum, in vastâ Pertici solitudine commorantem. Quos ille fraternâ caritate recipiens, & [inter] illos duos Fratres prædictos congrua sibi officia disponens, vt cognouit beati viri mentem cælesti bonitate vberiùs enitescere, eum cellarij præfecit officio: in cuius ministerij dispensatione ita se reddidit prouidum, vt nec superpetenti daret aliquid superfluum, nec indigenti congruum subtraheret alimentum. Adeò namque beatus Auitus eius obsequium sibi conspexerat gratum, vt suæ fragilitatis corpus, ieiunio maceratum & senio attenuatum, nullo tandem alimento reficeret, nisi quod B. Leobinus suâ industriâ præparasset.

l cum duobus socijs ad Auitum redit.

a *Meliùs* Noidgalensem *vt sit, non nomen proprium viri, cuius nulla hîc species (nam eiusmodi terminatio potiùs famineum nomen indicaret) sed appellatiuum* Abbatia, *vulgò* Noaille *dictæ; quam intra secundum ab Vrbe lapidem versùs Austrum collapsam Ludouicus Pius Imperator restaurasse dicitur, & nouum templum Godolenus Abbas anno 830, illato S. Iuniani corpore consecrasse. quæ Abbatia &* Nobiliacum, *&* S. Iuniani *legitur nuncupata: à*
B *priori tamen nomine non esse acceptum vulgatum illud, sed originem eius antiquiorem hîc se prodere faciliùs credimus, quàm Sebastiano Rouillard,* Nouegesili *nomen monachi huius fuisse scribenti.*

Nobiliacum Ab.

b Nilessum *habebat MS. sed ex Vitâ S. Auiti* XVII *Iunij danda, satis constabit* Carilessum *scribi debuisse: cuius festum agitur* I *Iulij.*

c *Colitur* XVII *Iulij.*

d *Vulgo* le Perche *Comitatus, etiam nunc syluis plenus, in Vita S. Launomari* XIX *Ianuarij est* abditissima solitudo syluæ quæ Particus dicitur: *in hanc, mortuo S. Maximino, electus Abbas Miciacensis, honoris declinandi causâ, se recepisse Auitus narrantur in Vita.*

e *In qua scilicet monasticum habitum sumpserat: puta vicinum Pictauis Noidgalense monasterium.*

f *Celeberrimum ea ætate monasterium in mari Ligustico, de quo pluribus ad Vitam S. Honorati* XVI *Ianuarii.*

g *Imò Gabalensem: est enim Gabalum, in Occitania ad Oldum flumen, Episcopalis antiqua Sedes, nunc Mimatum translata, eiusq; Episcopus S. Hilarius* XXV *Octob. recolendus, hoc tempore floruit, atque interfuit* Concilio Aruernensi *anno* 535.

h *Eodem tempore anachoreticam vitam in Insula-Barbara prope Lugdunum S. Lupus ducebat, ad Archiepiscopatum Lugdunensem posteà assumptus, qui* XXV *Sept. colitur, & Concilio* III *Aurelianensi interfuit an.* 538.

i *Anno* 534 Cos. Paulino Iuniore, Reges Francorum Childebertus, Chlotarius & Theadebertus Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege, regnum ipsius diuiserunt, *inquit Marius Episcopus Auenticensis in supplemento ad Chronicon Prosperi, seculi sui, id est, sexti res gestas annotans: qua oc-*
C *casione videtur hæc Francorum militum in Insulam prædictam incursio accidisse.*

k *Hoc tormenti genus nostro seculo Franco-Sueci milites, per Lotharingam cædibus rusticorum rapinisq; sæuientes, à* Cappelleto, *seu globulorum precatoriorum serto nominabant: propterea quod eius formam referebat crebris internodijs distinctus funis, quem fronti temporibusq; circumductum, inserto ad occiput baculo, tamdiu contorquebant; donec vel quæsita proferrent miseri, vel dissiliente cranio cerebrum exprimeretur.*

le chappelet *tormenti genus.*

l *Hæc paullò breuiùs in Vitâ S. Auiti referuntur: Euphronium autem etsi hoc tempore inuenias in Clero Turonensi florentem, vnde posteà est ad Episcopatum assumptus, haud facilè credas eumdem hîc memorari.*

CAPVT II

Miracula ante susceptum Episcopatum patrata.

6 FActum est autem, vt, cùm Dominus, B. Auiti solitarium laborem cælesti mercede remunerans, terrenis exemptum impedimentis, in collegio Sanctorum suorum connumeratum haberet, B. Leobinus cum prædictis duobus Fratribus in loco, qui vocatur *a* Carbonariæ, decreuerit consistere *a* & cùm aliquamdiu in tribus cellulis à se conditis certatim diuinum explerent officium, discedentibus duobus, labore manuum suarum per quinquennium aquę tantùm poculo, & sobrio ibidem pastus est cibo. Cùm
D autem æstiuo tempore prouentus fructuum instaret, & maturæ segetes tritæ horreis recondi deberent, subita aëris oborta tempestas ita syluarum frangebat cacumina, & messes sternebat, vt in stragem penitus viderentur redigi. Commotus ergo vir Dei tantæ incommoditatis periculo, contra huiusmodi nimbi tempestatem cælestibus armis, orationibus videlicet, se inarmans, & oleum sacræ benedictionis opponens, nō solùm fulgura & tonitrua tempestatem concitantia fecit conquiescere, & in pristinam tranquillitatem aeris quassationem redire; sed insuper, quidquid cellæ in stipendijs debebatur sub integritate conserre. Illius miraculi spectaculum à beato viro patratum ad laudem Dei est memoriâ retinendum.

B. Auito mortuo,

a in Carbonariam secedit:

messibus infestam tempestatem serenat:

7 Dum B. *b* Ætherius Episcopus B. Leobinum *c* Braiaco, vt sibi occurreret, conuocaret; contigit vt, vicinâ illius cellâ [ardente] quidquid obuium edax [flamma] inuenerat exurendum, nihil parceret relinquendum. Sed cùm monachi tanti vaporem incendij nequaquam iniectis aquis possent reprimere; sed, vt videbatur, potiùs ignem eis viderentur accendere; vir Dei orationibus suis & lacrymis, valentioribus
E aquis, flammarum globos, nomine Christi inuocato, penitus consopiri fecit. Nec minùs & illius miraculi insigne præconium memoriæ est commendandum. Cùm per idem tempus præfatus Ætherius Episcopus, beati viri Leobini prospiciens sanctitatem, ad Diaconatus proueheret officium, & Fratribus Braiacensis monasterij præponeret; dignum duxit vt præfecturę officium commodiùs ageret, si ad Presbyterij onus eum ordinabiliter sublimaret. Postmodùm cùm flamma rabidi ignis syluas & campos exurens, ad monasterium segetes exurendo venisset, & monachi eius metu à mensâ surrexissent; vir sanctus in oratione ante incendium prostratus, apud cæli Deum impetrare meruit, vt omnis illius ignis rabies oppressa consopiretur, & pristina temperies aeris reddita blandiretur.

b c incendium sopit Braiaci exortum,

& Presbyter ordinatus aliud sedat:

8 Inseratur huic operi illud cęleste miraculū, quod Dominus patrare dignatus est per B. Leobinum. Quodam tempore duo energumeni, in quibus tanta vis dæmonum præualuerat, vt sæpè vincula & catenas comminuerent, occurrentes beatissimo viro sospitatis remedium largiri sibi humiliter proposuerunt. Sanctus itaque vir, à Fratribus cohortatus impendere gratiam medelę dęmoniaco furore agitatis, pietate commotus, opposito Crucis signaculo, & dæmones ab ijs expulit,
F & pristinæ sanitatis incolumitati efficaciter restituit. Nec multo post tempore, dum longè à cellâ abesset, & ad monasterium, vbi paucæ puellæ morabantur, compendioso itinere declinaret, benignè exceptus est ab illis. Denique post humilitatis officium, quod ei libentissimè adhibuerunt, intempestæ noctis silentio vna de puellarum collegio, incentiuè impulsa petulantiæ æstu nefario, pedibus Sancti iacentis sub lecti operimento dentibus dolosum intulit morsum: qui sentiens se huiusmodi morsu attrectatum, cum percussione pectoris & ingenti gemitu illam pedibus suis repulit, mortiferum venenum veluti; & seruata omni corporis integritate, laqueos mulieris sine damno euasit, pudicitiæ strophio præcinctus. Ab hac itaque tentatione, Deo se protegente, ereptus, contigit vt ipse, qui aliorum infirmitatibus extiterat medicus, cancri vulnere percuteretur in naribus. Qui dum monachorum precibus rogaretur, vt sibi humano quolibet studio mederetur, ipse æterno fidens in medico, qui solo verbo curat omnia, ceram benedictā per annos ferè duodecim eiusdem morbi imposuit tabo, vt virtus per diuinam gratiam augmentum caperet in infirmitate. Vnde semper in Dei seruitio permanens, & in omnibus Deo gratias reddens, sine aliquo humano suffragante auxilio, postea na-

duos energumenos liberat:

petulantem puellam à se repellit:

cancrum in naribus patitur,

EX MSS.

A rium meruit recipere sanitatem.

9 Proferatur in medium & illud stupendum gestæ rei miraculum, quod omnibus prodesse poterit ad fidei incrementum. Quidam ex monachis, antitheto *d* nomine, sed præclarus virtute, dum esset quadam nocte solicitus peruigil, vox ei directa est, quòd tactum iam sonuisset signum. Hac itaque voce commonitus, surgit continuò, & ingressus basilicam [inuenit eam] splendore diffusi luminis radiantem; in quâ perspicuâ celeritate prospicit duos egregios formâ viros, Sanctum videlicet Leobinum, & alterum nomine sibi incognitum: ex quorum visu nimio pauore perterritus fugam iniuit, seseque in suâ cellâ abscondit. Sed dum ad signi sonum in præfatam basilicam ad Matutinos se intulisset hymnos, expletâ orationis consuetudine, prælocutus *e* Tyrannus cautus & deuotus pergit ad Dominum Leobinum, obsecrans vt sibi indicaret, quæ esse illa persona, quam in basilicâ vnà cum eo intuitus esset. Agnoscens itaque vir Dei Fratrem fuisse dignum tantæ deuotionis miraculo, ait: Frater, cùm fuisses oratorium ingressus, & duos pariter vidisses viros; me, vt audio, cognouisti; alter B verò tibi incognitus, sed micanti splendore candidus, ipse est B. Auitus, me visitando dignatus corripere, & commonere, qualiter debeam quemdam Fratrem pro suis excessibus corrigere. Meritò namque cæleste lumen super sanctum virum radiabat, quia licet in corpore, mente tamen conuersabatur in cælis, iuxta illud Apostoli: Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde visitationem meruit habere, & consolationem; in eius siquidem corde & ore, per diuinorum eloquia mandatorum, lux cælestis gratię iugiter ac infallibiliter rutilabat.

conspicitur cum B. Auito colloquens

à quo de Fratre corrigendo monetur,

Phil.3, 29

10 Non multo post tempore à beato Ætherio Pontifice ei iniunctum est, vt causâ proficiendi in melius S. *f* Cæsarium, Arelatensem Episcopum inquirere, & adire deberet intrepidus: ad quem cùm peruenisset S. Leobinus; pariterque cum eo B. *g* Albinus, qui comes eius itineris fuerat; requisitus à B. Cæsario cur tanti itineris laborem assumpsisset, respondit B. Albinus: se tantummodo sui desiderij causâ venisse; beatum verò Leobinum, derelictis fratribus quibus præpositus fuerat, *h* Lerinum properaturum, vbi omnibus Fratribus desiderat esse subiectus. Tunc S. Cæsarius corripiens eum, vt celeriter reuerteretur, ait: Vide, Frater, ne Fratres te absente vim regulæ frangant, & quasi oues sine pastore in direptionem veniant: quia si hoc contigerit, tuæ reputabitur culpæ, & omnis eorum iniquitas in tuum redun- C dabit caput. Hac ergo tremendâ admonitione consternatus, ad regendos prædictos Fratres quantocyùs ad propriam reuertitur cellam. Comperiens autem eosdem Fratres nihil in se habere inuidum, nihil maledictioni aut obtrectationi obnoxium, omnes æqualiter diligens, omnes hilariter intuens, Deo omnipotenti immensas retulit gratias, qui eos ad tantæ vnanimitatis concordiam perduxit.

ad S. Cæsarium missus,

prohibetur monasterium suum deserere.

a *Vulgò* la Charbonniere, *ad Orientale latus syluæ Mon-miralensis in Pertico pagus.*

b *Nullis quòd sciamus Sanctorum fastis adscriptus, Concilio Aurelianensi* III *subscripsisse inuenitur an.* 538 *&* IV *an.* 541: *huic intra octennium proximum S. Leobinus successit concilio* V *subscriptus an.* 549.

c *Pertica regionis fluuiolus est*, Braya *nomine seu* Brigia, *inquit Papirius Massonius, qui infrà Sauiniacum monasterium nomen amittens & Ledo immixtus, demum, mutatâ sæpius appellatione, in Ligerim influit: hinc nomen factum monasterio cuius nulla alibi hactenus inuenta memoria.*

d Tyrannus (*nomine scilicet Burgundo vel Francico, longè aliud quàm apud Latinos vel Græcos significante*) *dictus: vt habetur in S. Auiti citatis Actis vnde supplemus, quod infra*

e *Mutilè in nostro ecgrapho legebatur* annus: *hæc autem visio ijsdem penè verbis narratur in Actis modò dictis.*

f *Migrauit ad cælos* XXV *Augusti anno* 543.

g *Saussayus in supplemento Martyrol. Gallicani ad* XII *Iulij in* D *Pictauiensi territorio SS. Confessores Albinum & Lysiam fabris Catholica Ecclesiæ tabulis inscriptos ait: an horum alter hic memoretur incertum: inter Episcopos sanctos nullus hoc tempore memoratur istius nominis, præter Andegauensem ex Abbate Cincillacensi in Britanniâ ad eam Cathedram assumptum, ante Concilium* III *Aurelian. cui subscripsit; æquè ac Leobinus noster ipsius coætaneus, de quo egimus* I *Martij.*

h *Ita correximus locum in nostro ecgrapho perturbatissimum, qui sic habebat* B. verò Leobinum, derelictis Fratribus quibus præpositus fuerat..., Liuino properaturum, vbi Fratribus eiusdem monasterij derelictis Liuino foret subijciendus: accedens ibi omnibus Fratribus desiderat esse subiectus.

CAPVT III

Promotio ad Episcopatum Carnotensem: miracula alia.

11 Intereà B. Etherius, Carnotensis vrbis Episcopus, vitæ suæ cursu consummato, migrauit ad Dominum: cumque de successore eius varia esset inquisitio, Rex cæli dominus, in cuius manu cor Regum est, Childeberti *a* Regis cor ita suâ inspiratione inflexit, vt de B. Leobino monacho in Pontificem E successorem eligendo regale daret decretum. Vniuersi itaque, qui aderant, B. Leobinum non solùm à Rege, sed à Deo esse electum alacri corde lætantes, consono ore & concordi voto conclamare cœperunt, eum cathedrâ Episcopali in successione afore dignum. In hac ergo electione, cùm vniuersus assentiret populus, quidam Episcoporum (quod non absque liuore inuidiæ actum esse credimus) cœperunt resistere & contradicere eius ordinationi, eò quòd modica pars naris quondam incumbente cancri ægritudine mutilata videretur. Sed voce omnium vnanimiter conclamantium oppressâ inuidiæ illatione & penitus frustratâ, vir sanctus secundùm Dei dispensationem ordinandus decernitur. Intereà quidam illorum scientes B. Leobinum ad Episcopatus non velle conscendere dignitatem, consilio inito inter se [scripserunt] ad eum, vt aliquem de suis monachum pontificali insulâ dignum eis transmitteret ordinandum. Ille libenter confestim eorum dictis obtemperans, deputat vnum ex suis discipulis tantæ ordinationi inuehendum, instruens & docens, qualiter se in regimine agere & in sanctitatis apice exhibere deberet. Sed Frater nolens solus sine Abbatis sui præsentiâ ad illud concilium properare, obnixè postulauit eum, vt cum ipso illuc pariter pergeret.

Episcopus Carnotensis designatus à Rege

paucis frustra reclamantibus,

solerter accersitur,

12 Surgens igitur senex profectus est simul, & F peruenit Carnotis, quemadmodùm fuerat deprecatus. Qui dum in quadam mansione hospitaretur, & vidisset nocte in somnis pauimentum nucibus stratum, diuinâ, vt credimus, iussione ei iniunctum est, quatenus, emundatis testis, nucleum sibi nitidum reseruaret. Transacto igitur noctis tempore cùm in crastinum vellet offerre monachum, vt ab eo postulatum fuerat, Episcopum ordinandum, & populi consensus non esse decerneret recipiendum; Regis edictum illicò in medium est prolatum, & inde recitatum, quod ad Regis Imperium, & totius populi votum Leobinum oporteret Episcopum ordinari. Ipse verò renuens, & indignum se iudicans tanti regiminis suscipere curam, ad pedes Episcoporum porrectus extenditur, excusationem apponens; illud, quod imponebant, nec implere [se] posse nec perficere opus. Sed reluctantibus omnibus, atque eius excusationi non adquiescentibus, somnium, quod viderat, congruâ interpretatione conijcitur: scilicet quòd per nucleum à suis testis emundatum populus [intelligendus] esset ab eo regendus, qui depositâ austeritatis rigiditate, quandoque esset suo regimine corrigendus, nectareoque sui dogmatis pabulo nutriendus.

& ne quidquam renitens,

13 Exin-

A *consecratur.* 13 Exinde sine morâ plaudentibus populis, ac Domino in excelsis maximas referentibus odas, Leobinus, quem votis omnibus postulabant, Carnotanæ vrbis Ecclesiæ præficitur Episcopus, & contra callida antiqui hostis machinamenta constituitur pastor egregius. Qui posteà rigorem sui propositi indeficienter seruans, sine pompæ ostentatione monachum se, vt antè fuerat, in suo proposito perseuerabilem demonstrabat. Susceptâ igitur Pontificali reuerentiâ, qualiter quantumue se gesserit in lege mandatorum Dei, verborum affluentiâ non facilè est differendum. *virtutes eius miraculis honestantur:* Erat enim vir Apostolicus veluti splendidissima & ardens in domo Domini, lucerna; sermone nitidus, dogmate facundissimus, prædicatione egregius, mente serenus, mirâ patientiâ benignus, parcimoniæ studijs semper intentus, misericordiæ operibus deuotissimus, Angelicæ quoque castitatis candore super niuem dealbatus, omniumque virtutum copiâ ditatus, eupreпiâ decoratus vitæ. Et vt probaretur esse Dei amicus, fidelis quoque seruus, & prudens sequentia referabunt miracula.

ab octo annis cæcum, b 14 Quodam itaque tempore, cùm idem beatus vir Leobinus ex more Pontificum parochias circumeundo visitaret, & *b* Auallotium peruenisset, quidam B cæcus, ab annis octo cæcitate obtenebratus, vt cognouit virum sanctum per illum locum habere transitum, humiliter petijt vt per Crucis signaculum se redderet illuminatum: quod vir Sanctus aliquamdiu recusans, timens ne virtutem operando aliquid arrogantiæ videretur assumere, ex Episcopali ministerio, dum cautè vult transire, tandem à suis compulsus est, vt opem medelæ ærumnis cæci clementer impenderet. *signo Crucis illuminat:* Qui statim, precibus deuotè peractis, cum signaculo Crucis excutiens cæcitatis caliginem; pristino extinctum reparauit lumine vultum, quo cæcus fuerat antè alienatus. *hydropicum sanat:* c Adijciatur etiam huic honesto operi illud nobile miraculum, quo vir sanctus medens sanauit hydropicum, dum gloriosissimus Rex Childebertus B. Leobinum Episcopum *c* Rotoialo speraret ad se venturum, & in ipso itinere accederet, à Vallo vico oblatus est quidã hydropicus, nimis tensus visceribus, sanitati restituendus. Quem cùm Pontifex pro obtrectantibus recusaret sospitati restituere, suorum precibus pulsatus, signo Crucis apposito omnis tumor hydropici fugatus resedit; viscerum dolor penitus recessit; & cutis, tumore deposito, in planiciem redacta est, ægroto à mortis periculo liberato.

C *Grande Parisijs incendium* d 15 Inferatur in paginâ qualiter per Sanctum virtum euanuerunt incendia. Quodam tempore, dum Beatus Leobinus cum Medeueo Consacerdote à sæpè dicto Rege Parisiis fuisset inuitatus, & dies Paschæ, vice Pontificis *d* illius loci defuncti, Episcopaliter transegisset; à parte basilicæ B. Laurentij noctu edax ignis exiliens domos pendulas, quæ per pontem constructæ erant, exurere cœpit; & non solùm, ex vicino fluuio incessanter aquâ superfusâ non adquieuit, sed etiam ciuitati proximus, ciuibus, ne vniuersa consumeret, magnum timorem incussit. Vt autem Rex ob clamorem populi expergefactus, sopore quietis abrupto, causam tumultus agnouit; confestim ad B. Leobinum dirigit missum, vt celerrimè veniens succurreret ciuitati. *oratione extinguit:* Sed multis hortantibus, vt ante eum iret locum, quo magnum flagrabat incendium, ait: Viri Fratres, illic occurrendum est nobis, vnde contra flammæ globum diuinum potiùs quàm humanum imploretur auxilium. Qui cùm pergeret ad ecclesiam, & in terram prostratus diuinum efflagitaret suffragium, fretus oratione vnà cum Sacerdote, ad ignem properauit impiger. Mox ignis eius oratione compressus in semetipso deficit, & vires, quas incendendo ædificio assumpserat, obliuiscitur; & ita flamma eius interuentu consumitur, vt in semetipsa mortua penitus consopiretur.

16 Nec illud silentio prætereundum est miraculum, quod nobiliter virtutibus floret egregium. D *Ex MSS. vetus filum tunicæ eius resartæ exemptum,* Quædam Deo deuota ex monasterio puellarum, cùm tunicam Domini Leobini caussâ consuendi accepisset, & de nouo filo resarciens refecisset; vetus filum ex eâ accipiens ad suam zonam ex fide alligauit. Soror verò eius secularis, quæ pauore concussa ad eam confugerat, diluculò consurgens cinxit zonam sororis, cui inerat filum Pontificis alligatum. Tum dæmon, à quo anteà arrepta fuerat, sentiens circa puellam aliquid magnum & [quod] disferre non posset, acriùs eam vexare incipiens, clamauit per os puellæ; tunicam se Domini Leobini velut ignem sufferre non posse. *dæmonem fugat.* Cum hac itaque vociferatione dæmon egrediens, puella tristes feruores eius pariter cum sanguine euomuit. Hoc quippe miraculum non illo videtur inferius, quod in muliere hæmorrhoissâ à Domino constat patratum: quia sicut illa ex tactu fimbriæ sanata est à profluuio sanguinis, ita & ista ex tactu fili erepta est à vexatione dæmonis. Illa autem liberata tam à laqueis inimici quàm à curis seculi, deuouit se omnibus diebus seruituram Domino, coniunctam sorori in eodem cœnobio. E

a *Regnauit hic, Clodouæi magni filius, ab an. 510 ad 558 finem vt alibi ostensum.*

b *An Auallonum, Burgundiæ in finibus Niuernensium oppidum? verùm abest hoc à Carnoto plusquam 150 passuum millibus, ad Euro-africum.*

c. *Fortè* Ruel, *tribus ab Vrbe Parisina leucis versùs Occasum distans pagus, propè S. Clodoaldi oppidum vulgò* S. Clou.

d *Non est in quem cadere hæc res commodiùs possit quàm* Amelius, *cuius memoria vltimùm reperitur in Concilio Aurelianensi* IV *an.* 541. *successoris autem Saffaraci nomen legimus primũ in Synodo* V *an.* 549. *quo intermedio tempore necesse est hoc accidisse. Nam Saffaracus anno 555 non mortuus, sed per sententiam Concilij amotus est: qui autem in locum est substitutus Eusebius, breui quidem extinctus fuit; sed citiùs mortuus est ipse Leobinus quàm vt ad annum 556, à Pascate in diem* XVI *Aprilis cadente inchoandum, potuerit peruenisse: siquidem dies mortis est hæc* XIV *Martij:*

CAPVT IV

Reliqua S. Leobini miracula & felix transitus ex hac vitâ.

Pallium Sancti febres pellit: a 17 Inter reliqua virtutum miracula illud inserere mirificum est, quod in fugandis infirmitatibus constat celeberrimum. Nam si quis *a* typo quotidianæ, tertianæ vel quartanæ febris correptus, de Sancti F viri palliolo fuisset præcinctus, pristinâ incolumitate recepta ad hospitium reuertebatur sanus. Et ita diuinâ gratiâ salus concessa manabat de tegimine redemptoris. Adijciatur in paginâ quòd vir sanctus obtinuit in vitâ. *ab eo benedicta aqua lemures effugat:* Dum cuiusdam Carnotensis domus, in suburbio ciuitatis posita, dæmoniacâ infestatione sæpiùs lapidum imbre quateretur; ibant vicini, propter densitatem crepitantium petrarum, parata relinquentes conuiuia, vt domos suas effugeret: sed exhortati sunt à Dei famulo, vt aquam à se benedictam cum Crucis signaculo illuc porrigerent conspergendam, vbi dæmoniacę illusionis maximũ instabat periculum. Quo facto hostis effugit territus, & dominus ædis cum eâdem domo securus mansit & intrepidus.

Caletricum sibi successurum, b 18 Illud etiam opitulare miraculum nobis est ad memoriam reducendum, quo vir sanctus Leobinus illustris Episcopus refulsit in populo. Quidam beatus vir, nomine Caletricus, nobilis genere sed nobilior meritis, post excessum B. Leobini Carnotis constitutus *b* Episcopus, dum in Presbyterij gradu se tam in conspectu Dei quàm in oculis hominum sanctâ conuersatione redderet gratum, tantâ infirmitatis angustiâ est correptus, vt vix vltimo palpitaret anhelitu. Cuius venerabilis Germana, nomine Mallegundis, di-

EX MSS.

A rectis velociter missis ad sanctum Episcopum, [orauit,] vt ad leuiandum fratris sui infirmitatem, benedictum dirigeret oleum: ipse verò cum oleo præsentialiter veniens, silentium ab omnibus postulauit, dicens: Domine qui omnia nosti, si hunc famulum tuum Ecclesiæ tuæ vel populo iudicas necessarium, tuâ opitulante virtute [nobis illum restitue] sanum. Tunc ille æger, statim vt sacræ vnctionis oleo est perunctus, tantæ sanitatis gratiæ est restitutus, vt si nullius infirmitatis molestiâ vnquàm eius membra fuissent attacta. Ad comprobandam autem sancti viri virtutem, reliqua olei pars in tantam constat pulchritudinis claritatem esse conuersam; vt cunctis, qui aderant, non olei nitor; sed crystalli videretur clarescere splendor: nimirum illud præfigurans, vt, qui futurus erat Episcopus, per ministerium Episcopale oleum consecrationis sanctificaret, & diuinis virtutibus per cælestem gratiam splendesceret.

inungens restituit sanitati.

19 Operę pretium est & illud insigne miraculú huic ordini inserere, quod vir sanctus, quamuis nesciens, peregit in corpore. Quodam tempore dum memoratus Episcopus ad parochiam c Dunensis pagi cum suis visitandum pergeret, filia vnica cuiusdam ex parochianis, nomine Baudoleni, generę & opibus illustris B viri, ita vi febrium & longâ ægritudine tenebatur adstricta, vt iam sepultura præpararetur cum exequiarum pompâ. Hic audiens Sanctum Leobinum ex proximo venientem, concito gradu eius præsentatur conspectui, petens ab eo suam benedici domum, & tam sibi quàm suis omnibus eulogias dari. Sanctus itaque Leobinus maturè consurgens & ad memoratum Baudolenum, vt spoponderat, perueniens, dum ingrederetur domum eius, puella, eâ quâ grauabatur infirmitate, in lecto efficitur mortua. Nulli autem fideli constat dubium [quin factum hoc sit,] vt per resurrectionem puellæ à mortuis nomen sancti Antistitis clarificaretur in populis. Præfatus namque vir Baudolenus, volens se in conspectu Pontificis hilariter continere, sub attestatione omni domui suæ præcepit mortem defunctæ nullo modo cuiquam pandere. Sed quia sine dolore nemo amittit quod cum amore possidet, diu [res] celari non potuit: quia interior dolor cordis patefecit exteriorem tristitiam corporis. Vt autem Sanctus Dei molestam illius domus conspexit familiam, tristitiâ correptus & ipse, ab apparatu prandij aliquatenus se suspendens, basilicæ templum ingressus, ac pauimento corpore prostratus, cum lacrymis C Dominum deprecatus est, vt tristitiæ caussam, quâ mœrens domus anxiabatur, sibi ostendere dignaretur. Oratione expletâ, vt senex surrexit de puluere, puella exanimis surrexit de morte. Tunc iam dictus Baudolenus admirans tantæ virtutis excellentiam, cum omni domus suæ familiâ pedibus Sancti prostratus, omnia quæ facta fuerunt humiliter indicauit. Vnde & immensas ei gratias à luctu [conuersus] in lætitiam retulit.

Hospitis sui defunctam filiam, licet mortuam ignoraret, precibus tamen vitam impetrat,

20 Dicatur & illud mirificum, quod Sanctus Dei iam infirmitate detentus patrauit miraculum. Hæc itaque cùm vrgeretur infirmitate, duo pueruli hostis vexatione agitati eius vestigijs se prosternentes, cibum, qui sibi post esum remanserat, cum benedictione percipere meruerunt. Quo durante medicamine, vterque redijt incolumis ad propria. Cùmque B. Leobinus per septem annos continuatâ d infirmitate agitaretur, diuinis actibus in cælum intentus, & miraculorum honoratus insignibus, quasi sopore D dormiens, præmijs remunerandus opimis, vt fidelis seruus talentum sibi creditum duplicatum reportans, in gaudium domini sui intraturus, Angelis plaudentibus, feliciter migrauit ad cælos. Qui tamen antequàm sepulturæ traderetur, quantæ virtutis fuerit viuus, prodidit mortuus. Denique cùm in basilicam Sancti e Martini in feretro positus portaretur humandus, quidam de circumstantibus, dum virgâ gestatoriâ frequentiam irrumpentis populi prohiberet, contigit vt crucem cum lampadibus oleo plenis pendentem, ad terram prosterneret. Mox ipsa crux (mirabile dictu) funiculo, vnde ceciderat, cum omni integritate lampadarum, & sine olei detrimento, nemine subleuante, sese innexuit, & permanere in oculis omnium, vt anteà consueuerat, cœpit. Et vbi credebantur lampades minutatim confractæ, [inuentæ sunt] suâ integritate solidæ, nec vllam olei guttam permiserunt distillare. Sic beatissimi viri corpus, ad laudem suæ gloriæ emicuit virtute crucis in funere.

Reliquiæ ciborum eius energumenos sanant.

septennij infirmitate extinctus

dum sepelitur, decussæ lampades loco suo restituuntur illæsæ.

21 O gloriosissimum virum, cuius merita adeò valuerunt apud Crucifixum, vt crux, quæ ceciderat in terram, sine vllius adminiculo ad locum, E vnde ruerat, reuerteretur in celsa! O venerabilem Christi Pontificem, custodiâ angelorum iugiter munitum, cuius virtute nec olei liquor damnum, nec vlla lampadarum confractionis sustineret detrimentum! Verè etenim illius gaudens anima gloriatur felicitate æternâ, habens lampadem sanctam inextinguibilem lucernam: quia sine laudis humanæ pompâ eius manus numquam cessauit ab opere misericordiæ, quod indicat huiusmodi liquore illius potentia. Hæc dicta sunt miracula eius, qui per Crucis trophæum à morte perpetuâ genus redemit humanum, & à peccatis mundatum dedit conscendere cælum. Et quoniam gloriosissimi Antistitis Leobini præclara miraculorum præconia ob venerandam memoriam annuâ deuotione narrauimus recolendam, de innumerabilibus videlicet pauca; summissis precibus tanti Patroni imploremus sanctitatem; vt qui eum fecit coruscare miraculis, nos faciat exuberare operibus bonis; concedatque nobis præsentis vitæ cursum sine offensâ transcurrere, continuamque pacis tranquillitatem obtinere, & in futuro seculo ad eius consortium feliciter perue- F nire, qui in Trinitate viuit & gloriatur Deus per cuncta secula seculorum. Amen.

insigni miraculo.

Conclusio.

a *Galenus περὶ τύπων librum scripsit, quorum definitionem hanc tradit:* τύπος ἐστὶ τάξις ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως Typus est ordo temporis quem morbi accedentes & recedentes seruant.

b *Primùm anno* 557 *subscriptus reperitur Concilio Parisiensi* III. *Carnutensis Ecclesia vt Sanctum colit Officio semiduplici* VIII *Octobris.*

c *Diœcesis Carnotensis pars meridionalis, nomen trahens à* Castro-Duno, *honesto ad Ligerim oppido, de quo pluribus* IV *Februarij ad Vitam S. Auentini istic Episcopi actum.*

d *Non fuisse infirmitatem tantam, quæ Episcopalis muneris functiones impediret, indicat* Concilium *Parisiense* V, *cui interfuit.*

e *In ipso Carnotensi suburbio S. Michaelis dicto: Volunt Sammarthani eam à quarto Carnotensium Episcopo sancto nomen hoc haberes cognomen à situ, vt* in valle *dicatur; Corpus illius istic quiescere: sed mirum foret Sanctum haberi, & de eo nullum Carnuti, vt de alijs Episcopis sanctis, Officium fieri; nullam in hagiologijs mentionem.*

DE

DE S. EVSCHEMONE CONFESSORE,

EPISCOPO LAMPSASCENO IN HELLESPONTO.

SVB ICONOMACHIS XIV MAR.



Otam à Leone Isaurico aduersùs orthodoxos imaginum cultores persecutionem, multi ex omni ordine fideles intrepido excepêre animos: sed in Episcopos, pro grege Domini atque ouibus suis animas ponere Christi exemplo præceptisq; admonitos, acrior tempestas incubuit tyrãnici furoris; vt vel fugatis vel percussis pastoribus, vel (quod deterius est) in lupos conuersis, incustoditæ caulæ desolarentur faciliùs, cùm omnibus liberè in eas irruere Imperatorio edicto concederetur. Tunc, *inquit ad annum* DCCXXXV, *Leonis* XX, *Illustrissimus Cardinalis Baronius*, illustratus est glorioso titulo confessionis S. Eudæmon, Episcopus Lampsacenus, qui post multa certamina in exilium missus, ibidem moriens vitæ coronam accepit: cuius memoria à Græcis XIV Martij annis singulis agitur. *Quæ ipsum ex monumentis Græcorum accepisse meritò opinatus est Philippus Ferrarius; cùm in suo nouo Sanctorum catalogo ex illius testimonio ad hunc diem scripsisset;* Lampsaci S. Eudæmonis Episcopi pro cultu sanctarum imaginum proscripti. *Fatetur tamen Græcos eum in suo Anthologio non habere.*

Leone Isaurico orthodoxos persequente

S. Eudæmonem relegatum habet Baronius,

B

Sed nec in vllis alijs Græcorum fastis vllus eo nomine Sanctus toto anni decursu reperitur: Euschemonem *Menæa Venetijs excusa, & ex Menæis Maximus Cytherorum Episcopus memorant his verbis:* Eodem die S. Patris nostri & Confessoris Euschemonis, Episcopi Lampsaceni: *cum allusione ad etymon nominis, honestum seu honesti schematis vel habitus virum significantis, & ad Apostoli Pauli Romanos alloquentis verba:* sicut in die honestè ambulemus: *quam allusionem his versibus Menæa expressêre.*

Græcis ignotum pro Euschemone:

Rom. 13, 13

> Πρὸ τῦ θανεῖν εὔχημος, εἶπεν ὡς Παῦλος,
> Εὐχημόνως ὥδευσεν ὡς ἐν ἡμέρᾳ.
> Ante mortem, vt dixit eximius honestate Paulus,
> Honestè ambulauit velut in die.

Quam porrò honestè mensuram sui nominis implerit Euschemon, quanta virtutum illius apud honestatis omnis normam certissimam, diuinam dico rationem, fuerit æstimatio, ex miraculorum gratiâ discimus, quâ exornatum fuisse hunc Sanctum docet elogium, memoriæ nominis ipsius suffixum in æstiuâ parte Menologij, Basilij Imperatoris iussu conscripti, quæ extat in monasterio Cryptæ-Ferratæ, decimo ab Vrbe milliario: quam visam Latinèque explicatam fuisse Baronio, æquè ac alteram, cuius est pretiosissimum in Bibliothecâ Vaticanâ exemplar, hactenus non potuimus suspicari: nunc autem, quando in excuso apud Canisium Menologio, quo per Sirletum Latinè reddito, Baronius plurimùm vtitur, nihil simile legit, ac ne de Menæis quidem anno 1595 excusis aliquid indicet se audiuisse: diuinare non possumus, vnde vel nomen acceperit, vel confessionis elogium: multò autem minùs vnde hauserit ea, quæ ad tempus pertinent fidei ab eodem Sancto propugnatæ: huius enim rei character nullus reperitur in elogio, quod etiam in duplici Mazarinæ Bibliothecæ Synaxario Parisijs his verbis reperimus, Latinéque reddidimus:

huius elogiũ ex Menæis Græcis.

damnus absque temporis charactere,

E

Sanctus Pater noster Christique Confessor Euschemon, à primis annis probè honestéque educatus, factus est Deo amicus; atque in virum euadens perfectum, sacrarium fuit sanctissimi Spiritus. Angelicam deinde amplexus vitam, orthodoxam studiosè sectatus est fidem; ac demùm ad hierarchici culmen euectus honoris, spirituali impletus est gratiâ, & diuino succensus zelo Iconomachorum hæresim repressit ac fregit. Miracula quoque multa ac magna operatus est; atque inter alia infantem mortuum sibi à matre lacrymabundâ oblatum, in vitam, fusâ ad Deum oratione, reuocauit: feris animalibus terribiliter dominans, solo vocis imperio ab agris, quibus noxam inferebant, abegit. Custodiæ denique traditus ab eo, qui tunc imperium obtinebat, hæretico Imperatore, velut religiosus sacrarum imaginum adorator, ipsos custodes suos fecit earumdem esse cultores, egregiâ sua doctrinâ persuasos. Quare in exilium tandem eiectus: morte gloriosâ consummauit labores, pro tuendâ fide patienter toleratos.

sed non absque miraculis.

DE S. EVSTATHIO SIVE EVTYCHIO

ET SOCIIS MARTYRIBVS

CARRIS IN MESOPOTAMIA.

ANNO DCCXLI XIV MAR.



Vm Leonis Isaurici impietatem, aduersùs sacrosanctas imagines impio furore grassantis, vindex criminum Deus vlciscitur per Arabes Orientali infestos Imperio; duplici ex capite militantis Ecclesiæ multiplicatæ sunt palmæ: illinc enim Imperatoriæ nequitiæ generosè pectus opponens Orthodoxorum libertas, egregios ad ceterorum confirmationem produxit pugiles, carcerum exiliorumque ærumnis probandos: inde verò apud eos, quos Mahometis insana superstitio dementauerat adeò, vt sola nominis Christiani professio caussa sat iusta necis inferendæ crederetur; toties succrescebat noua martyriorum seges, quoties aliquam de Romanis victoriam barbarus hostis reportabat. Reportabat autem quotannis aliquas, ab accuratissimo Chronographorum Theophane compendio recensitas; sub auspicijs patris sui Isam, Arabum Ameræ in demortui fratris Izidis locum anno 725 subrogati, rem gerente vtroque filio: quorum alteri Mauia alteri Sulimam nomen fuit. Et Mauiâ quidem, post multas Christianis illatas clades plurimosque in seruitutem & captiuitatem abactos, anno DCCXXXVIII *viuis subducto, supremam militiæ præfecturam excepit Suliman, primoque mox anno* plurimos, *inquit Theophanes,* ex Asiâ captiuos abduxit. *Secundo dein anno, qui* XXII *Leonis fuit,* Romaniam aggressus armis, castrum, quod σιδηρῦν, Ferreum dicitur, depopulatus est; ac Eustathium Mariani Patricij filium captiuum abduxit. *Anno tertio, qui à Christi natiuitate quadragesimus supra septingentesimum numerabatur,* eductis hominum nonaginta millibus, in Romaniam effudit copias sub Ducibus quatuor, *ex quibus ij,* qui in Asiam & Cappadociam excurrerunt, numerosâ virorum, iumentorum & mulierum multitudine collectâ, illæsi domos repetierunt... alij à Leone & Constantino oppugnati, victoribus cessêre, *exiguo tot damnorum solatio. Suorum enim clade irritatus* prænominatus Isam, Arabum Princeps, eodem anno, *qui vltimus fuit impijssimo Leoni,* Christianos captiuos per singulas ditionis suæ vrbes ad vnum interfecit: inter quos B. Eustathius Marini (*antea Marianum scripserat, quod*

Arabes Romanis infesti

sub Leone Isaurico,

multos abducunt captiuos,

quos tandem omnes ad vnum mactant:

A *quòd vtrobique inuenit, & secutus est Anastasius Bibliothecarius)* spectabilis Patricij filius multa passus tormenta, nec sinceram suam fidem ob id eiurans, in Charan celebri Mesopotamiæ vrbe vetus atque illustris Martyr eluxit: vbi venerandæ sanctæque eius Reliquiæ, gratiâ Dei opitulante, omnis generis præbent medelam. Sed & multi alij per martyrium effuso sanguine consummati sunt.

in his Eustathius Marciani Patricij filius

Hæc Theophanes, atque eadem penè Latinus eius interpres Anastasius, iuxta Luparaam vtriusque editionem, ad plurium MSS Codicum fidem recensitam. Anastasium in Historiâ Miscellâ sub finem libri 21 transcripsit in hunc modum Paulus Diaconus, nominibus proprijs immutatis: Eodem anno Euelid interfecit omnes Christianos captiuos in omni ciuitate; inter quos & Eutychius filius Mariani Patricij, Martyr verus ostensus est in Carris Mesopotamiæ, vbi & Reliquiæ ipsius sanitates per Dei gratiam operantur, & multi alij per sanguinem consummati sunt. *Pauli lectionem secutus Baronius ad hunc diem, Romano Martyrologio dictum Martyrem sic inseruit, vt ipsum ex Patricij filio Patricium fecerit: ratus fortasse, vt apud Romanos veteres Senatorum filij omnes dicebantur Patricij, ita Constantinopoli eo nomine non* B *particularem aliquam præcipuamque dignitatem (de quâ hoc mense ad Acta tum SS. Martyrum* XLII *die* VI, *tum S. Anastasiæ Patriciæ die* X *agimus) sed generis nobilioris appellationem esse: itaque sic scripsit:* Carrhis in Mesopotamiâ S. Eutychij Patricij & sociorum, qui ab Euelid Arabum Rege ob fidei confessionem interempti sunt. *Multi apud Græcos* Eustathij, Eustachij, Eutychij *sunt, varijs diebus recolendi, & quidem nominibus quandoq; confusis, etsi magna sit in singulis etymologiæ diuersitas: at, quod mireris, nemo in his, quem vel hoc seculo octauo passum, vel Carrhis cæsum coli suspicari possis. Credimus tamen Eminentissimum Martyrologij concinnatorem non absque fundamento statuisse, eum hoc* XIV *Martij die vel mortuum fuisse, vel esse colendum: licet nullis, quos habemus plurimos toto orbe collectos, Sanctorum Fastis Græcis aut Latinis inscriptus hic Martyr inueniatur. De tempore verò nihil ambigimus; quin Æræ vulgaris fuerit annus* DCCXLI, *quo Leoni die* XVIII *Iunij, Indictionis* IX *defuncto, Constantinus, infausto nomine Copronymus, eiusdem* mensis die XXVII ad sequentem Indictionem X pertinente, *suscepit Imperium: eodemque anno hoc martyrium à Theophane, eiusque compilatoribus Anastasio Pauloque Diacono confectum statui: sed eum annum à Græcis* DCCXXXIII *numerari, omnino negamus. Omnes enim mortuum Leonem anno Æræ Alexandrinæ* DCCXXXII *dicunt. Cùm autem annum Copronymi primum cum sequenti anno componentes ei addunt* XXVII *Iunij, quo coronatus Copronymus est; non volunt annum vnum inter illius mortem & huius initia interserere; sed more suo cum nouo imperio nouum annum ordiuntur, & ita primum Constantini annum (ad quem tamen nullo modo pertinet Martius, de quo agimus) quatuordecim mensium esse faciunt, ab Augusto scilicet anni nostri* XLI, *ad Septembrim anni* XLII: *vnde autem fiat vt Alexandrina Æra solis octo annis à vulgari discrepans, ab Imperio Phocæ vsque ad finem imperantis Copronymi nouem integris dissideat annis, & quomodò deinde ad priorem calculum Theophanes redeat, annum vnum Copronymo addens, quem Phoca abstulerat, satis explicuimus in Prolegomenis huius secundi Tomi.*

anno 741 Carrhis occisus,

qui Græcis est annus 732, non 733.

Non solum Eustathium Carrhis fuisse occisum credibile est: non tamen est vnde possimus asseuerare eodem quo ipse die concaptiuos ibidem alios mortem pertulisse: socios nihilominus ei cum Baronio damus; quia saltem alios quamplurimos toto passim Arabum imperio constat esse mactatos ex mandato Isami filij Izid, *quem Paulus Diaconus, nominibus plerumque lectione alijs & aliquando toto cælo diuersis vsus,* Euilid filium Gizid *nominat: tum filios* Mauiam & Sulimannum, Michauiam & Zulcimin: *successorem, qui Theophani est* Valid filius Isam, *facit* Gizid filium Abdimelech: *atque pro* Izide filio Valid, *alteroq; eius filio* Abraim, *eodem quo pater occisus est anno successiuè regnantibus donec* Maruas *imperium inuasit, solum habet* Hycen filium Gizid, *quem Maruas exceperit. Quàm diuersitatem nominum in rebus propemodùm ijsdem; sed accuratissimè à Theophane per annos vbique suos digestis, à Paulo negligentiùs ac veluti per digressionem interiectis, eò magis miramur, quòd in totâ historiâ Orientali aliud nihil egisse Paulus videatur, quàm Anastasium Theophanis interpretem, adiectâ Occidentali historiâ, interpolasse: vnde & Miscellæ historiæ nomen operi suo imposuit.*

D E

Dominante Arabibus Isam, aliis Euilid.

DE B. MATHILDE REGINA,

CONIVGE HENRICI AVCVPIS REGIS GERMANIÆ.

Commentarius præuius.

§ I. *Nobilis progenies. Vita scripta: cultus sacer.*

ANNO DCCCCLXVIII. XIV MAR.

B. Mathildis nobili stirpe pregnata,

1  *itam damus B. Mathildis Reginæ, nobilissimâ progenie & virtutum sanctissimus exercitijs eximiæ. Inter maiores eius fuit Dux VVittichindus, plurimis cum Carolo Magno gestis bellis celebris, at multò celebrior sanctissimâ ad fidem Christianam conuersione & vitâ deinceps ad obitum vsque piè peractâ; cuius res gestas ad* VII *diem Ianuarij, quo sacra eius peragitur memoria, latè deduximus & hîc studio breuitatis, etiamsi Actis MSS. iam dandis inserantur, bellica facinora nonnulla omittimus. Patruum habuit S. Mathildis Immedum, siue Immodum, ex quo suam originem gloriantur deduci Duces Subaudiæ, Marchiones Mont-ferratenses, Comites Sauonæ & Salutiarum. Legi potest Historia Genealogica Regiæ familiæ Sabaudicæ à Samuele Guichenone edita, in quâ tomo 1 pag. 175 & sequente proponuntur duo schemata genealogica: ex quibus tamen expungendus Bruno Dux, è quo dicuntur prognati Ottones Imperatores. Fuit hic Dux Saxoniæ S. Bruno inter Martyres Ebbeckesdorpienses anno* DCCCLXXX *occisos primarius, de quibus egimus* IV *Nonas Februarij, vbi pag. 311 § 2 genus illius illustre deduximus. Ottones autem Imperatores prognati sunt ab Ottone Magno dicti Brunonis Martyris fratre, & socero B. Mathildis: nupta enim hæc est illius filio Henrico Aucupi, è Duce Saxoniæ dein creato Regi Germaniæ. Habuerunt autem dicti fratres Bruno Martyr & Otto Magnus patrem, non VVigbertum filium B. VVittichindi, sed Ludolphum primum Ducem Saxoniæ superioris vltra Visurgim & ad Albim fluuios: cuius filia Luitgardis nupta fuit Ludouico II Regi Germaniæ, & aliæ tres filiæ, dictorum Brunonis & Ottonis sorores, Hathomuda, Gerberga & Christina fuerunt sanctimoniales & successiuè Abbatissæ monasterij Gandersheimensis à Ludolpho parente extructi. At Mathildis parentes & maiores vsque ad eius atauum VVittichindum vixerunt in regione inferiore Saxoniæ*

Henrico Aucupi nupta est.

cis

A *cis Visurgim, quam nunc VVestphaliam appellamus, vbi vidua Mathildis auia paterna, in monasterio Hereuordiensi Abbatissa, educauit hanc suam neptem B. Mathildem.*

2 *Hanc maiorum suorum pietatem spiritumque in construendis varijs monasterijs continuarunt ambo, & Henricus Auceps & Mathildis eius coniux; & desiderarunt in Quinlingeburgo monasterio inter alia à se extructo sepeliri: in quo etiam neptis illorum Mathildis, Ottonis primi Imperatoris filia, Abbatissa postmodum floruit: cui VVitichindus, monachus Corbeiensis prope Visurgim fluuium, & antiquissimus historiæ Saxonicæ scriptor, tres Annalium libros dicauit. Hanc Trithemius lib. 3 de Viris illust. Ord. S. Benedicti cap. 222, eumque secutus Baronius ad hunc* XIV *diem Martij crediderunt fuisse filiam B. Mathildæ, non neptem. Verba Trithemij sunt ista:* Mathildis filia Regis Henrici Imperatoris primi, soror B. Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, fundatrix & prima Abbatissa monasterij S. Seruatij in Saxoniâ: Virgo sanctæ conuersationis, multis effulsit clara virtutibus. Ad hanc Windichinus monachus Corbeiensis historiam & gesta Saxonum scripsit. Claruit anno Domini DCCCCXXX. *Albertus Krantzius eodem quo Trithemius tempore vixit, & lib. 3*

B *Saxoniæ cap. 12 scribit ista de Henrico Rege:* Quedelinborg vrbem singulari curâ respexit, monasterium ibi erigens Dominarum; in quo primam fecit Abbatissam filiam suam Mathildim, ecclesiam autem in honorem S. Seruatij iussit consecrari. *Hæc Krantzius, sed veremur, ne neptem postmodùm ibi Abbatissam & Mathildem dictam, cuius non meminit, filiam crediderit, cùm eam antiquiores scriptores non habeant. Sigebertus in Chronico ad annum* DCCCCLXV *ista scribit:* Otto Imperator Pentecosten Aquisgrani celebrauit, concurrentibus ibi à Franciâ sororibus suis, Reginâ scilicet Francorum Gerbergâ, matre Lotharij Regis & Caroli Ducis: & Hathuide vxore Hugonis Parisiorum Regis, quorum filius fuit Hugo, qui pòst regnauit in Franciâ. *Huius posteri hactenùs regnant. Sed ad filios ab Henrico Aucupe & B. Mathilde procreatos veniamus. Fuerunt hi Otto, primus ex hac familiâ Imperator, Henricus postmodùm Dux Bauariæ, & S. Bruno Archiepiscopus Coloniensis. Ottoni primo successerunt in Imperio Otto secundus, eius filius; & Otto tertius, huius iterum filius & istius nepos. Alter Ottonis I filius fuit Guilielmus Archiepiscopus Moguntinus, qui B. Mathildis moribundæ confessionem audiuit, eique vltima Sacramenta, sacram scilicet Eucharistiam & extremam Vnctionem, administrauit. Henrico primo Bauariæ Duci successit Henricus secundus, apud auiam S. Mathildem educatus, pater S. Henrici, qui post mortem Ottonis III è Duce Bauariæ creatus est Imperator.*

... ij peperit filios.

& filios

C 3 *Huius iussu imperioque scripta est Vita B. Mathildis proauiæ, quam hactenùs ineditam eruit ex veteri codice Coloniensi monasterij S. Pantaleonis, nobisque transmisit Ioannes Gamansius noster. Est illa admodùm præclara, & digna quæ lucem adspiciat, eamque adferat omnibus & maximè Saxonibus, in quâ sacram suæ gentis antiquitatem perspicere poterunt. Aliquod huius Vitæ compendium idem Gamansius reperit in Carthusiâ Coloniensi, nobisque transmisit, sed mutilum: vt vel ideò à Laurentio Surio, si tunc ibi fuerit, arbitremur non esse excusum. Habuit Nicolaus Serarius noster codicem manu exaratum, ex quo historiæ suæ de rebus Moguntiacis varia interserit, atque inter alia, quæ hîc num. 29 & 30 traduntur de accessu Guilielmi Archiepiscopi Moguntini ad auiam suam B. Mathildem moribundam, ibidem aliquantò contractiùs eisdem passim verbis referuntur citatâ Bauarorum historiâ, vti nostras annotationes ad caput* V *huius Vitæ conferentibus manifestum fiet. Est dictum S. Pantaleonis monasterium à S. Brunone conditum, in quo etiam sepulturæ est mandatus, vt vel ideò hanc Vitam inter secretiora monumenta videantur adseruasse.*

Vita ex MSS. editur.

4 *Obdormiuisse in Domino S. Mathildam pridie Idus Martij anno* DCCCCLXVIII, *Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ, infrà ad Acta demonstramus. In Floraria MS. memoria* Machtildis Reginæ *celebratur hoc*

memoria Martyrologijs inscripta.

die, de quâ istud elogium concinnauit Hermannus Greuen in D *Auctario Vsuardi:* Mathildis sanctæ memoriæ matris Ottonis Imperatoris primi, maximæ humilitatis & patientiæ matronæ: quæ virtuti quoque continuæ orationis tam studiosa fuit, vt psalterium totum ante Matutinas solita fuerit decantare. Tandem spiritu prophetico obitum suum prædicens, migrauit ad Christum. *Eadem leguntur in Martyrologio Canisij Germanicè sæpius excuso. At Molanus in additionibus suis ad Vsuardum ista sub finem, & quidem separatim, adiunxit:* In Quindelingeborg monasterio diœcesis Halberstadensis, dormitio Machtildis Reginæ, matris Ottonis primi Imperatoris: cuius vita virtutis specular fuit. *At tabulæ Martyrologij Romani ex dictis hoc encomium promunt:* Halberstatti in Germaniâ dormitio B. Mathildis Reginæ, matris Ottonis primi Imperatoris, humilitate & patientiâ celebris. *In suprà citato MS. codice apud Serarium appellatur* Domina Mathildis *& san*cta Mathildis. *Eodem modo* Sanctam *appellant VVion & Menardus in Martyrologijs Benedictinis. Addit VVion in Notationibus, eam,* marito Henrico Aucupe Cæsare defuncto, in suo cœnobio Quindelingeborg vitam religiosam duxisse, & plenam bonis operibus migrauisse, in eoque apud virum sepultam esse: obijsse autem circa annum Domini DCCCCXL. *Hæc ibi, verùm post dictum annum adhuc annos vixit viginti & octo. Bucelinus à VVione dicta pluribus exornat,* coniugem Augustissimam Henrici primi Imperatoris *indigetat, asseritque* post mortem mariti, sanctissimæ regulæ Benedictinæ obseruantiam professam, cucullo que amictam fuisse. *Quorum omnium nulla est mentio in Actis infrà dandis, aut apud antiquos scriptores. Meritò tamen eius memoria seruanda est apud Benedictinos ob tot illustria monasteria ab eâ extructa. De filio Ottone in Imperatorem assumpto, infrà Acta habent, in quibus Henricus maritus & Mathildis, Regis & Reginæ titulis solùm honorantur.* E

etiam monasticis.

§ II *Illustria antiquorum scriptorum testimonia.*

5 W*Itichindus lib. 3 Annalium ista de B. Mathildâ habet:* Cùm audisset Wilhelmus summus Pontifex *Moguntinus* ægrotare cœpisse matrem Imperatoris, miræ sanctitatis fæminam, nomine Mathildam, dumque eius expectat funus, proprio funere ipsius funus præcessit. De cuius laude si aliquid dicere cupimus, deficimus: quia omne argumentum ingenioli nostri superat virtus tantæ fæminæ. Quis enim dignè F possit explicare eius vigilantiam erga cultum diuinum? Omnis nox omnibus modis & omni genere cellulam suam diuinorum carminum melodiâ implebat. Erat enim ei cellula ecclesiæ proxima, in quâ modicè requiescebat, de quâ omnibus noctibus consurgens intrabat ecclesiam: cantoribus nihilominùs & cantatricibus intra cellulam & pro foribus & in viâ triformiter constitutis, qui diuinam Clementiam laudarent atque benedicerent, ipsa intra ecclesiam in vigilijs & orationibus perseuerans, Missarum solennia expectabat. Deinde infirmos, vbicumque audiuit, in vicino visitauit, necessaria præbuit, deinde pauperibus manum porrexit, deinde hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscepit. Neminem sine affatu blando dimisit, nullum sine munusculis ferè vel necessarijs adiumentis vacuum reliquit; sæpè viatoribus, quos longiùs de cellâ prospexit, necessaria transmisit. Talia opera licet valdè humiliter diebus ac noctibus exerceret, tamen nihil de honore Regio minuebat, & scriptum est, quamuis sederet tamquàm regio circumstante populo, semper & vbique tamen erat mœrentium consolatrix. Domesticos omnes famulos & ancillas varijs artibus, litteris quoque instituit: nam & ipsa litteras nouit, quas post mortem Regis

Encomium VVitichindi.

A Regis lucidè satis didicit. Ergo si omnes virtutes eius velim narrare, hora deficeret: facundia Homeri vel Maronis mihi adesset, non sufficeret. Igitur plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis & eleëmosynis, cunctis diuitijs regalibus distributis seruis Dei & ancillis & pauperibus, secundo Idus Martias animam Christo reddidit. *Hactenus VVitichindus ad Mathildam Abbatissam, filiam Ottonis I Imperatoris, quam annotat Meibomius* ab auiâ Mathildâ litteris diligenter excultam fuisse. *Altera B. Mathildis neptis, sed ex Henrico filio, fuit Gerberga, eius nominis secunda Abbatissa Gandersheimensis, cui Hroswitha sanctimonialis historiam familiæ Saxonicæ carmine à se elaboratam inscripsit, in quâ sub initium proponit felicissimum regnum Henrici Aucupis,*

Hrosvvitha sanctimonialis.

Conregnante suâ Mathildâ coniuge clarâ,
Cui nunc in regno non compensabitur vlla,
Quæ posset meritis illam superare supremis.

Liutprandi.

6 *Liutprandus etiam istius temporis scriptor lib. 4 historiæ cap. 7 narratâ Henrici Aucupis morte & sepulturâ addit:* Venerabilis eius coniunx, regnique consors ex eadem gente, nomine Mathildis, vltra omnes, quas viderim & audierim matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium viuamque
B Deo hostiam offerre non desinit. *Sequitur Ditmarus anno* MVIII *creatus Episcopus Merseburgensis, qui lib. 1 Chronici asserit* ab Henrico Aucupe filiam Theodorici & Reinildę, ex Widikindi Regis tribu exortam, nomine Mathildem ob pulchritudinem & speciem desideratam, quæ ei coniuncta tam in diuinis quàm humanis par fuit. *Descriptâ deinde morte Henrici Aucupis, quæ accidit anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXXXVI, *ista subiungit:* Inclyta gesta venerabilis Mathildis, quæ post excessum Senioris sui summoperè profecit, equidem paucis comprehendam ad imitationem bonam fidelibus cunctis. Quia sancta est, vt Scriptura docet, & salubris cogitatio pro defunctis orare & eleëmosynis absolutionem his impetrare. Legimus quòd vnius captiui vincula, quem & vxor sua putans mortuum, assiduis procurauit exequijs, toties soluerentur; quoties pro eo acceptabiles Domino Patri hostias ab eâ offerri procurarentur: vt ipse ei pòst retulit, cùm domum suam liber reuisit. Hoc exemplo Domina Mathildis viro suimet, vinculo momentaneæ mortis depresso succurrit, non solùm pauperibus, verùm etiam auibus victum subministrans. Congregationem quoque sanctimonialium in die tricesimâ in suprà memoratâ vrbe statuit, & huic, quantum ad victus & sui vestitus necessaria suppetebat, ex suâ proprietate, laudantibus hoc suimet filijs, concessit & scriptis confirma-
C uit. *Denique lib. 2 Chronici de obitu eius ista tradit:* Insuper Wilhelmus, sanctę Archipræsul Moguntię, cùm ęgrotantis Reginæ Mathildis finem expectaret, in Redulverothe VI Nonas Martij moritur. Huius obitum nimiâ corporis infirmitate oppressa venerabilis Regina, nullo adhuc certa nuntio, præsentibus cunctis intimauit. Filius, inquiens, meus Wilhelmus, prô dolor! iam expirans, memoriâ indiget salutari. Et Luidolfus Abbas Corbeiensis egregius, corporaliter sibi occurrentem illum nocte eadem, quâ transijt, videns obstupuit, & mortuum hunc esse Confratribus nuntiauit. Posthæc Sancta Mathildis II Idus Martij migrauit ab hoc exilio, spiritum committens, ac Creatori suimet reddens Domino, sepultaque est coram altari Christi Præsulis Seruatij, iuxta Seniorem suum, quia quem viuentem dilexerat, huic se mortuam coniungi, quamdiu degit, semper implorauit. *Hæc Ditmarus, anno vno ante B. Mathildis obitum prognatus illustri Comitum Saxoniæ domo, & eodem tempore, quo scriptor B. Mathildis floruit.*

Ditmari Episcopi Merseburgensis.

2. Mach. 12 46

Henrici Bodonis.

7 *Henricus Bodo in Chronico MS. Gandersheimensi apud Meibomium sic scribit:* Serenissima Regina Mechtildis sanctitate clara, & totam stirpem Saxonum nobilitans virtutibus suis, hospitalia multa varijs in locis erexit. D
Monasterium etiam monialium in Northusen extruxit, quod malo omine in secularem Canonicatum est mutatum, Virginibus pulsis. Viderint quid Fundatrici responsuri rei auctores. In Confuge, etiam Virginum cœnobium, monasterium insuper in Polde, quasi in Palude ipsa fundauit. *Hæc ille. Verùm Confugiense monasterium non B. Mathildis Regina, sed S. Cunigundis Imperatrix S. Henrici Imperatoris vxor construxit, vti in huius Vitâ dictum est* III *Martij n. 4. Confugiense hoc monasterium situm est in Hassiâ apud huius primariam vrbem Cassellas. Huius loco substituendum monasterium Memmelebiense in Thuringiâ ad Vnstruittum fluuium. De alijs infrà in Actis agitur.*

VITA
iussu S. Henrici Imperatoris scripta,
ex MS. Coloniensi S. Pantaleonis.

PROLOGVS

Henrico Regi summæ venerationis dignissimo, explanator huius operis, vobis exoptat incrementa spiritualium charismatum, augmenta virtutum, & prosperitatem temporalium rerum.

1 CVm multis sit notum, vos scientiâ disciplinâque artium diuersarum præditum, plurima perlegisse volumina, Sanctorum Vitam Patrum in se continentia; quorum exemplis vestra venerabilis conuersatio benè potest informari, & ad altiora transuehi; non minimæ est virtutis, vos pia vestrorum inquirere facta præcedentium propinquorum; & maximè vestræ proauiæ Mathildis, illustris Reginæ: cuius vita lucida meritò est imitanda, & cuius virtus tantò est laudabilior, quantò sexus fragilior. Gratias agimus vestræ Almitati, vobis placuisse hoc opus à nobis recitari, nostræ imperitiæ nimis magnum & formidandum; cùm vestro dominatui subiecti sint perplures ingenio & sapientiâ nobis excellentiores, qui radio linguæ profunda possunt pene-
E trare. Vobis a imperante hoc opus inchoari, difficillimum videbatur nostræ paruitati: sed præsumptionis esset maximæ vestri imperio nos resistere. Impleuimus quidem vestrum præceptum vltra modum nostrarum virium: non autem dubitamus inuidorum studia affore, qui quod fecimus cupiant reprehendere. Igitur obsecramus vos, Rex gloriose, &, si fas est dicere, dulcissime, non temeritatis audaciâ sed necessitatis causâ; librum manualem ne feratis in publicum sapientibus deridendum, priusquàm vestra peritia persenserit, quid vestræ pietati in eo displicuerit; & hæc clementer corrigantur, quæ vestræ sapientiæ non recta videantur. Dignum est enim, vt qui huius dictatus est præceptor, sit etiam emendator & defensor: ne à nobis insipienter edita, inuidorum perfodiantur linguâ. Habetis quidem in hoc volumine perpauca vestrorum facta patrum, ex quibus potestis discere, quid agere quidúe vobis expediat vitare. Rector totius mundi, qui illorum corda visitando, iusta concessit agnoscere & operibus implere, ipse vobis concedat, quæ recta sunt agere, & alios ad hæc admonere, & virili fortitudine vos iniusta refugere, & alijs prohibere: tribuatque vobis inuictissima arma, quibus vestrorum inimicorum superetur fæuitia. Ipsius etiam gratia-

Iussu S. Henrici præcepto hæc Acta sunt scripta.

A gratia vobis sit fautrix firma, & comes assidua, & faciat vos exemplum & formam iustitiæ, ad gubernandam fideliterque regendam Ecclesiam: vt speculator idoneus effectus, sitis magni consilij, industriæ & disciplinæ. Dominus omnipotens vias vestras ita disponat, vt in omnibus eius mandatis sine reprehensione viuatis, & ad brauium supernæ vocationis perueniatis, ibique coronam iustitiæ atque cœlestium thesaurorum donatiua percipiatis. Si cuiquam in hoc opusculo quid placuerit, laus præceptoris erit.

a *Ita sæpe & infra num. 9 cum pronomine honoris caussa pluraliter accepto, temporum illorum barbaries verbum numeri singularis iunxit: & contrà cum nomine singularis numeri verbum plurale.*

CAPVT I

B. Mathildis progenies, educatio, nuptiæ cum Henrico Aucupe.

a b B 2 Temporibus a Conradi Regis b Francorum gloriosi, extitit in partibus Germaniæ Dux quidam, c Otto nomine, honestate morum perspicuus, & in decernendis rebus prouidus, clarus nobilitate generis, & d famosus bellorum triumphis. Cui e Hathuwic matrona venerabilis, coniugali copulabatur vinculo: quibus duo gignebantur filij, herili formâ decorati: & ipsos summâ nutriebant diligentiâ, vti exigebat nobilitatis honorificentia.. Maior natu vocabatur f Thancmarus, & alter Henricus. Is quamuis esset iunior, probitate morum tamen elucebat altior, & ab annis puerilibus intendebat bonis operibus: sequens humilitatis vestigia, quibus certissimè peruenitur ad culmina virtutum. Omnes cum quibus erat, haud minùs quàm seipsum diligebat: nulli se prætulit, nec per vim aliquem oppressit. Puer verò miræ claritatis ac amandæ indolis, cùm attigisset florentes annos iuuentutis, cœperunt inter se tractare parentes, vt illi desponsarent virginem, genere sibi non inferiorem, & cuius mos liberalis præclaro iuueni esset persimilis. Interim illorum peruenit ad aures, in cœnobio g Heriuordinensi egregiam hospitare puellam, nomine Mathildam, genere nobilem, specie exoptabilem, & moribus illustrem: vt cum auiâ h suâ Abbatissâ disceret psalmodialem librum, & industrias operum.

Ducis Ottonis filio Henrico Aucupi,

nuptura B. Mathildis,

C 3 Hæc etiam virgo traxit egregium genus à Venerabili viro i Witikino, qui in occidentali regione Dux fuerat gloriosus, opibus pollens, sed prô dolor! errore captus, adorabat idola manu artificum facta, Christumque colentibus varios ingerebat cruciatus; quia deerant prædicatores, qui Christum prædicarent, & incredulos ad fidem conuerterent. Rex verò Carolus vir Christianissimus, & erga Dei cultores beneuolus, tunc temporis tenebat arcem principatus. Cùm autem præfati Ducis comperisset incredulitatem, nimiùm doluit, & congregans omnem suum exercitum, iniuit bellum contra eumdem Witikinum, caussâ defendendæ fidei, & errantem ad salutis viam conuertendi..... Tunc Deo donante Witikinus proiecit arma perfidiæ, ac arripuit scutum fidei Christianæ, nouo feruens studio, sacri fontis in mysterio veterem hominem deponere, & nouum in Christo induere. Quem rex Christianissimus benignè suscipiens, eum baptizari præcepit, ipseque illum de sacro fonte leuauit; & per consanguinitatem fidei posteà fuerunt concordes amici. Witikinus verò baptizatus, mox mirum in modum totus in Dei opere est conuersus. Dehinc omnis exercitus sibi subiectus hanc eamdem fidei credulitatem est confessus, & suum Principem deuotè imitando, sacro baptismatis intingebatur fonte. His ita peractis & composito inter se fœdere pacis, Rex Carolus cum victoriâ reuertebatur lætus: Dux autem Witikinus in propriam remeauit patriam, sancti Spiritus gratiâ illustratus: & sicut priùs persequebatur Christum inuocantes, sic postmodùm ad fidem Christi traxit quosque errantes: & vt anteà bonorum extitit persecutor, ita vigilantissimus tum apparuit sacræ fidei propugnator. Iam tum desiderabat ecclesias reædificare, quas priùs destruxerat in infidelitate: & vbi constituerat idola, hic iam Sanctorum collocauit oratoria. D

originem ducit à S. Witikindo,

à Carolo Magno debellato & ad fidem Christi conuerso,

EX MSS.

4 A posteris ergo eiusdem Witikini egregij Ducis processit stirps beatissimæ Mathildis: cuius pater, nomine k Thietricus in l occidentali regione Comes fuerat gloriosus, & Venerabilem Reinhildam, Danorum Fresonumque germine procreatam, moribus probabilem sibimet adiunxerat coniugem: quæ meruit dono Dei gignere infantem hominibus amabilem. O felix partus huius infantis, cui gratiâ Christi postmodùm contigit dignitas regalis! nam extitit gloria parentum, lætitia propinquorum, spes hæreditatis, & decus totius futuræ sobolis: amabilis dum nascitur, & amabilior dum nutritur. Quid plura? Tunc temporis raro videbatur infans talis. Cùm ergo illustris paruula esset ablactata, desiderauit Abbatissa Mathild n mater Thietrici Comitis, quæ in Heriuordinensi sede præsedit abbatiæ, præfatam puellam nutriendam suscipere. Parentes autem illius consentientes petitioni Abbatissæ, sibimet ad procurandum commendabant, vt illam doceret sacras lectiones & manuum operationes. Puella igitur insignis mirum in modum proficiebat in cunctis, ætate tenera, probitate grandæua; capax in studio disciplinæ litteralis & operum industrijs. E

k l *nata præclaris parentibus,*

n *ab auiâ Abbatissâ educata,*

5 Cùm autem vbique diuulgaretur virtus illius laudabilis, etiam peruenit ad aures præclari Ducis Ottonis, qui statim misit suũ Comitem o Thietmarum ad hæc explorandum. Ille verò præcepto Ducis obediens, ad suprà memoratum cœnobium iter accelerauit ardens, & statim adiens cubiculum matronarum, eidem puellæ iussu Abbatissæ seruientium, ac adminiculo earum, clàm se inferens monasterio, diligenter perspexit formam Virginis herilem, & mirè laudabilem. Igitur tacitè inuestigatis & cautè consideratis omnibus, quæ desiderabat, Domino suo reportauit hilaris cuncta quæ viderat. Die verò sequenti Dux Otto disposuit ire suum filium Henricum ad præfatum cœnobium, vnà cum comite Thietmaro suo Magistro, vt cautâ consideratione perspicerent, si forma moresque puellæ sibimet conuenirent. Elegit itaque non paucos iuuenes, genere & specie elegantes, qui comitarentur iuuenem Henricum, quo se iactantiùs ferret ad prædestinatum locum. Appropinquantes autem monasterio, castrametati sunt in campo: pauci verò illorum, quasi caussâ orationis, ingressi oratorium, viderunt virginem intùs sedentem, & psalterium manu tenentem, honestissimam habitu & admodùm reuerendo cultu. Henricus autem eximiæ virginis amore succensus, interdixit socijs, ne cuiquam indicarent, quâ caussâ huc venissent: statimque ad castrum reuertebatur, vbi cetera pars iuuenum commorabatur: & induens se herili ornatu, templum denuo intrauit multo comitatu, postulans sibi copiam dari Abbatissam alloquendi: quæ etiam procedens ipsum cunctosque suos satellites suscepit gaudens. Postquàm autem inuicem dedissent verba salutationis; secum duxit iuuenem Henricum vnà cum Comite Thietmaro in suum cubiculum, & familiare cum eis in longum produxit colloquium. Egregius verò iuuenis interim sumens fiduciam animi, paullatim incepit sermonem de virgine, interrogans quantùm prouecta esset ætate, aut qualis staturæ, postremò etiam desiderauit sibi licentiam dari ipsam conspiciendi. Quæ

o

examinatis eius moribus & formâ,

F

expetitur ab Henrico in sponsam:

A *EX MS.* Quâ euocatâ præcepto Abbatissæ, apparuit in eâ virginalis incessus & pudicitiæ habitus, frons serena & speciosus ad intuendum vultus: in candore lilijs extitit persimilis, in viuido autem colore assimulabatur rosarum folijs. Hanc tanti decoris vt vidit egregius iuuenis, minimè valens diutiùs celare amorem cordis, postulauit prece instanti ipsam virginem sibi desponderi. Contra hæc Abbatissa oculos deiecit, & nutanti animo in responsione diu hęsitauit. Cùm autẽ magis ac magis perseueraret adolescens in incepto petitionis; tandem Domina talibus respondebat verbis: Non est nostrum eam nuptui dare alicui absq; consilio & consensu parentum: dignum est enim, vt à nobis integrâ fide restituatur, à quibus nostræ procurationi cõmendata est. Quin etiam nobis versatur in dubio, si alterius viri eam decreuerint thalamo: nam illam desiderabant perplures genere & formâ illustres. Quamquàm autem nobis sit incognitum, quem de his velint eligere generum, adimplebimus tamen vestrum votum, &, si Dei aderit voluntas, nostrâ de parte non tardamus nuptias: quia excellentia vestri generis crebrò insonuit auribus nostris, & hoc non est minima pars fœderis, quòd ipsi ad nos iter direxistis. Haud mora, ornamentis honestè paratis, quæ congrua erant desponsationi virginis, sequenti die Henricus secum duxit venerabilem virginem in partes Saxoniæ. Tunc circumducebatur ciuitas egregij Ducis Ottonis à Comite Thietmare & militibus ceteris: donec in p Walohusen præparabatur conuiuium nuptiale magno honore, vti decuit illos, qui posteà imperabant gentibus plurimis: ibi perfruebantur connubijs & licito fœdere amoris. Henricus autem tradidit venerabili nuptæ in dotem omne, quod attinet ad eamdem ciuitatem, patre suo consentiente: & ipse venerabilis Dux Otto enutriuit eam in vice filiæ vsque ad obitum suę vitę q. Tribus autem annis posthæc transactis, vir venerandus mortem subijt temporalem, & Dei ordinatione Henricus Ducatus percepit honorem. Ascendens autem gradum dignitatis, tantam humilitatem exhibebat subditis, vt etiam si posset euenire, exoptarent ipsum regale solium iam possidere.

B *eidem nubit:*

p

q *triennio ante obitum Ottonis Ducis.*

Conradus Rex Germaniæ. a Conradus, *VVitichindo* Dux Francorum *scilicet Orientalium, cuius metropolis Moguntia: mortuo anno 911 Ludouico, ex stirpe Caroli Magni in Germaniâ vltimo Rege, Rex constitutus est anno 912.*

Francia Orientalis. b Franciæ Orientalis Regem *se scribit Ludouicus II, filius Ludouici Senioris, & pater dicti iam Ludouici vltimi apud Meibomium in notis ad VVitichindum pag. 45. Eumdem* Germaniæ Regem *appellat Hermannus Contractus ad an. 876.*

Ottonis Ducis familia, c *Ottonis frater senior fuit S. Bruno Martyr Ebbeckesdorpiensis, pater Ludolphus Dux Saxoniæ, sorores Liutgardis nupta Ludouico II Regi, Hathomuda, Gerberga & Christina Abbatissæ Gindersheimenses.*

C

res bellica, d *Sub Arnolfo Imperatore inclaruit bello Italico, ab eo tutor filij vltimi Ludouici Regis factus, Vngaris inducias suâ auctoritate persuasit: post huius obitum ad regnum Germaniæ vocatus, senio se excusauit, & dictum* Conradum *Principibus commendauit: penes ipsum tamen summum semper & vbique vigebat imperium. Ita VVitichindus, Dithmarus, Luitprandus Meibomius & alij.*

e Hathus *dicitur Dithmaro.*

f Thancmarus & Luitolfus alij filij Ottonis ante patrem suum obierunt. *VVitichindus.*

Hereuordia. g *Hereuorda est oppidum VVestphaliæ in* Comitatu *Rauensbergensi, haud procul Angriâ, vbi VVitichindus vixit.*

h *Auia mox* Mathild.

i *Res gestas B. VVittekindi deduximus ad 7 diem Ianuarij: atauus S. Mathildis censetur à Fabricio lib. 4 Originum Saxonicarum.*

familia Mathildis. k Thietricus, *alijs* Ditericus, Thidericus, D*itmaro* Theodericus. *Est* populi Princeps *vel* populo diues. Dit, Thiet, Deut, Thioth *populus*: rick *principis diues. Apud VVittechindum fratres eius sunt* VVittekind, Immet, Reginbern *Ex Immeto progeniti Duces Sabaudiæ & ijs coniuncti Principes.*

l *Id est,* VVestphaliâ, *Gobelino* Comes de Aldenborg, *quem aliqui sequuntur. Krantzio lib. 3 Saxoniæ cap. 4* Comes de Ringelheim, antiquæ Saxonum nobilitatis.

m Reinilda *etiam Dithmaro dicitur.*

n *Corrigendus Fabricius, qui pag. 424 in tabula Genealogica* Reinhildem *vocat, quæ vxor, non mater, Thietrici fuit.*

o Thiatmarus *dicitur VVitichindo, qui eius fidelitatem erga Henricum valdè laudat, & astutiam, quâ milites Conradi Regis decepit contra Henricum venientes.* D

p VValchusum, *Germanis* VValhausen, *ad Helmam fluuium, in confinijs Thuringiæ & Mansfeldiæ.*

q *Otto mortuus est 30 Nouemb. anni 916, vti ex veteri Chronico Saxonico & Dithmaro constat, & congruunt hæc Acta. Ergo nuptiæ S. Mathildis factæ forent anno 913 aut præcedente.* *mors Ottonis.*

CAPVT II

Gesta in matrimonio & obitu mariti. Dignitas filiorum.

6 INterim dum hęc agerentur inuasit Regem Conradum crudelis languor, & a mors sequebatur crudelior. Tunc disponente Deo successit Henricus regali solio, b bello seu pace fuerit, est incertum: sed absque dispositione Dei accidisse non est dubitandum. His ita dispositis, Christo adiuuante, multa exercuit bona opera vigilanti diligentiâ, gratias agens Deo largitori de dignitate seculi, inopum & viduarum apparuit promptissimus consolator. Cùm autem mirum in modum proficeret Princeps laudabilis, Christus illi plùs auxit honorem dignitatis, perplurimas nationes suo subiugans dominatui c Danos, d Sclauos, e Boëmones, f Baiowarios ceteraque quamplurima regna, quæ suis antecessoribus non fuerant subdita. Hic plurima prætermittuntur de laudibus Regis Henrici, quia properandum est ad vitam moresque Reginæ illustris Mathildis, de die in diem Christi gratiâ in omni bono opere proficientis; vt nepotes eius & posteri toties habeant gaudium animi, quoties tam sanctæ matris meritum inuenerint legendum: cuius probitati computatur & meritis, quidquid futuræ soboli euenit dignitatis & honoris. Cùm igitur regalis solij ascendisset gradum venerabilis Regina, illustris maritali potentiâ, & illustrior religione diuinâ, in coniugij fœdere manebat pudica, & tamen nihilominùs caruit palmâ: virginitati proximâ humilitate sic tendens ad gloriam, vt dono Dei postmodùm mereretur fieri allecta in cælesti patriâ. Nam quantò sibi accessit potestas sublimior, tantò se humiliauit deuotior: & quod perraro euenit, dignitatem seculi sine superbiâ possedit. In publico processit ornata gemmis & serico, sed interiùs gerebat pretiosius ornamentum, cor acceptabile Deo: tantamque subditis exhibebat humilitatem & in vice matris caritatem, vt omnibus esset amori pariter & honori. Noctis quoque tempore sese à latere Regis furtiuè subtraxit, quasi ipso ignorante, relinquens regalem thalamum, orationi intendebat animum, vt sibi reconciliaret Deum, quem diligebat casto amore, & cui seruiebat integrâ fide. Quis etiam dubitet, vt Rege nesciente electa Christi famula talia posset agere? Ipse etenim benè intelligebat, sed quasi se nescire simulabat, quia veraciter nouerat, cuncta eius opera bona existere & vtrisque prodesse. Igitur faciles illi consensus præbuit, ad omnia, quæ desideradauit: nam sua voluntas à Deo incipiebat, & in Deo cœpta finiebat. Quidquid mundus delectabile habuit, penè totum pro amore Christi contempsit: diuitias non concupiuit, paupertatem non timuit, eius manus semper larga fuit pauperibus, & ab eleëmosynâ erogandâ rarò inueniebatur vacua. Numquàm quis ad illam accessit dolens, qui non abiret gaudens, & quisquis illam adiuit, impetrauit quod voluit. Sin autem quempiam intellexit aliquâ vi oppressum, aut pro scelere criminis carcere includi, seu populari examine deputari morti, nihil habuit hilaritatis, antequàm reconciliauerit exacerbationem Regis. Si quando abscessit non exaudita, id prouocante vulgari sententiâ; Rex secum tacitus ingemuit, quòd petentis votum non implendo perturbauit, & sæpè egressus à iudicio,

Margin (right column): a; b *Mariti dicto Regis Germaniæ & victoriæ clari,* E; c d; e f; *ipsa Regina claret pudicitia,*; *humilitate,*; *deuotione* F; *contemptu mundi,*; *misericordia erga afflictos:*

A iudicio, quasi ipsam mulcendo, arbitris reliquit discutienda, quæque fuerant legaliter punienda: & ecclesiam ingressus seu aliquo bono opere detentus, illud Euangelium solicitâ mente adimpleuit, quod Christi famula suis auribus sedulò infudit: Nolite iudicare & non iudicabimini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.

Mat. 7, 2

7 Deus autem omnipotens sibi seruientes numquàm derelinquens, clementer inspexit bona opera Regis Henrici & beatissimæ Mathildis, atque illis multiplicauit excellentiam nobilissimæ prolis. Beatus etiam partus, qui in vtroque sexu enituit pulcherrimus, non particulatim comprehenditur, nec penitus reticetur. g Otto præclarus ante regalem dignitatem procreatus, natu fuerat maximus, formâ insignis & moribus illustris. Henricus autem in Regali solio natus iunior fuit annis, sed haud inferior excellentiâ probitatis. Huic nimirùm tanta inerat pulchritudo, vt tunc temporis vix posset alicui comparari viro. In fiduciâ armis patri fuerat consimilis; in omni autem tolerantiâ aduersitatis cautè obseruabat vestigia inclytæ genitricis, & propter hæc specialiter dilectus fuit matri; quæ, quasi esset vnicus illius, cōfouens eum omnibus delicijs, ceteris in amore præposuit filijs, atque desiderauit ipsum regno potiri post obitum inclyti Regis Henrici, si permissu Dei voluntas illius posset adimpleri. Hinc & venit puero prima labes mali, & ob hoc Otto egregius contra fratrem parumper est commotus, taliqùe modo inter ipsos crescebat inuidia & lis assidua. Bruno verò ætate minimus, sed honestate morum haud infimus, in annis puerilibus scholasticæ deditus censuræ, diuino famulatui insudabat dietenùs. Sed enim insignis gloria parentum, de filijs iam prohibet prolixitatem sermonum, quia remeandum est ad vitam Henrici Regis & beatissimæ Reginæ Mathildis: quorum probitas enumerari non potest, sicut dignum est. Ambo fuerant fortunati, & meritò laude sunt digni: nam illorum promeruerat virtus quidquid boni nunc resplendet in nepotibus. O beati, qui non solùm fuerant in carne coadunati, sed in animo vno & spiritu ad omne opus bonum prompti! Inerat illis vnus amor in Christo, æqua coadunatio in bono, Deo placens voluntas, & recta peragendi facultas, par dilectio in proximos, æqualis compassio in subiectos. O beatum virum in cultu diuini famulaminis studiosum, & egregiam mulierem, quæ totis visceribus diligebat Christum Regem! Non ergo est dubitandum, quin Dei gratiâ perceperint præmium virginitati proximum, quia in ipsis regnauit castitas coniugalis, nec tamen defuit continentia laudabilis. In cunctis eorum actibus, resplenduit modestiæ virtus: meritò fuerunt rectores regni talibus à Deo virtutibus munerati. Beati existunt, & æternæ beatitudinis requiem possidebunt: pro quibus ipsæ eleēmosynæ exorant, quas largâ manu indigentibus tribuebant, quamdiu in mortali vitâ manebant. Quid plura? Quantò sublimiorem ascenderant dignitatis gradum, tantò deuotiorem Christo impendebant famulatum.

peperit maritto Ottonem,

Henricum præ alijs amatum,

B

Brunonem,

Fuit ei cum Rege marito vna voluntas benè viuendi

C

8 Cùm autem persisterent magnâ prosperitate pacis, omnipotentis Dei inspiratione desiderabant monasteria construere, & adminiculum præbere illic commorantibus de regijs facultatibus, quatenùs sui suorumque patrum vel nepotum memoria ibidem perpetim haberetur firmissima. Igitur tractantibus, tanti operis fundamentum quonam ponerent loco, Principibus populi in vnum conuocatis, postulabant sibi consilium dari, in quâ parte regionis hæc decenter possent adimpleri. Adhæc Principes responderunt, dicentes: Intra Winitehusum existere sanctimoniales regulari disciplinâ carentes, quæ non possent illic diutiùs demorari, ni sustentarentur adiuuamine regali: & cōsilium dabant in h Quitilingeburc transferri. Ergo ambobus hoc placuit consilium, & inter se conspirabant implendum. Posthæc Rex Henricus adijt i Bothfelthum, quo sæpissimè exercuit venatum. Ibi paucis diebus interpositis languore correptus, vi febrium nimiùm laborauit, sed parumper sedato infirmitatis dolore, inde ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos Principes regni conuenire præcepit, vt se inuicem coadunarent, quem suorum filiorum regale solium possidere eligerent. Venit & Diemot Abbatissa Winesthehusinensis, euocata præcepto Regis, & prioris haud immemor desiderij, postulabat vt sibi subditas sanctimoniales in Quitilingeburc consentiret transponi: quæ petitionem Regis gratanter accipiens, libenter id annuit.

& monasteria construendi.

D

Ex MSS. h i

9 His ita dispositis Rex Henricus perrexit ad k Memleben, secum comitantibus paucis: illic iterata est eius infirmitas, & non multò pòst sequebatur mortis asperitas. Cùm autem sentiret sui corporis dissolutionem imminere, Reginam ad se vocans, multa cum ipsâ disputauit secreta, & postremò sermonem talibus conclusit verbis: O nobis semper fidissima & meritò dilectissima, Christo gratias agimus, quòd te superstitem relinquimus. Nam nullus sibi adiunxit mulierem fide firmiorem, in omni bono probabiliorem. Itaque gratiam habeas, quòd nos sedulò mitigasti iratum, & in omni re vtile nobis dedisti consilium; nos sæpiùs reuocasti ab iniquitate ad iustitiam, & sedulò monuisti vi oppresso facere misericordiam: nunc te & nostros filios omnipotenti Deo commendamus, & electorum Dei precibus simul cum animâ, quæ de corpore iam est recessura. Hæc cùm dixisset, & Regina haud minùs illi gratias egisset, mœrore plena, ecclesiam est ingressa, se suaque omnia commendans Deo, sicut semper solebat. Interim discessit anima Regis de ergastulo carnis: sentiens autem Sancta Dei plebis lamentatione inclytum virum rebus humanis excessisse, prostrauit se in orationem, & ipsius animam commendauit in Christi fidem. Posteà surgens, interrogauit, si adhuc aliquis ieiunaret, qui animæ sui Domini Missam decantaret? Audiens hoc m Adeldag Presbyter, respondit festinus, Domina, nondum quidquam gustauimus. Venerabilis Regina olim duas induerat armillas mirâ arte celatas, quæ tantâ firmitate brachijs fuerant circumdatæ, vt sine auxilio fabri nullatenus possent diuelli: has tunc minimo tangens digito, citiùs dicto excussit, ita ad Presbyterum dicens: Accipe tibi hoc aurum, & canta Missam animarum. Quamdiu etiam Venerabilis Domina postmodùm vixit, eidem Presbytero magnam exhibuit gratiam, numquàm tradens obliuioni, quòd primam Missam decantauerat animæ Regis Henrici: & ob memorem caussam huius facti ipsi impetrauit Episcopalem dignitatem apud filium suum Ottonem.

k

cum moribundo agit i

E

pro animà mortui orat,

m

Missam curat cantari,

F

10 Cùm autem finita esset Missa animarum; Regina flens intrauit cubiculum, vbi iacebat corpus mortuum, & intùs inuenit regales filios multùm lacrymantes simulque cum eis omnes militum Principes. Hæc vt vidit inclyta Regina, decoras genas lacrymis est perfusa, & exanimi corporis pedibus prouoluta, amarissimè flebat, sicut venerandus Rex erga se promeruerat. Sed tantam illi Deus contulerat gratiam, & tam laudabilem temperantiam, vt nec per impatientiam illum offenderet, & tamen dignè Regis obitum plangeret. Tunc filijs ad se vocatis, talibus eos verbis admonuit, dicens: O filij carissimi, hæc sedulò inducite vestræ menti, Deum timere, & ipsum in omnibus semper honorare, qui talia potens est facere. Hic meritò vocatur Rex & Dominus, qui tantam potestatem exhibet pauperibus & diuitibus. Desistite iam contendere pro transitoriâ dignitate, talem finem capit omnis mundana gloria. Beatus est ille, qui sibi præparat æterna semper permanentia, nec inde vester animus

post lacrymas patienter fusas,

adhortatur filios.

A animus contristetur, quis vestrûm alteri præponatur: memoriter retinete, quod in Euangelio dicitur Veritatis ore: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Posthæc ritè paratis omnibus, quæ necessaria erant ad funus, maximo cum honore corpus in Quitilingeburc transportabant, vbi ipse requiescere decreuerat, ibique honorificè tradiderunt sepulturæ. Tunc Regina Venerabilis suprà memoratam Abbatissam monasterij Winithehusinensis ad se iterum vocauit, & congregationem sibi subditam illuc transferri admonuit. Quod Abbatissa primò renuit, sed postmodùm imperante eius filio Ottone consensit.

EX MSS. sepulto Rege Quintiloburgi, Luc. 14. 11 *curat sanctimoniales VVinthehusinenses eò migrare,*

11 Post excessum inclyti Regis Henrici, ductores primi conueniebant & de statu regni consilium habebant. Perplures diiudicabant Henricum regno potiri, quia natus esset in aulâ regali; alij verò desiderabant Ottonem possidere principatus honorem, quia ætate esset maior, & consilio prouidentior. Quid plura? Disponente prouidētiâ Dei sceptrum regiminis cessit Ottoni. Inde magis ac magis inter fratres conualescebat discordia, quæ inter ipsos versabatur ab infantiâ, assiduè litigantes, nil pacificum mutuò loquebātur.

E filijs Otto suscipit regnum,

B Tunc Regius iuuenis Henricus multa sustinuit aduersa quę inclyta mater econtra salutaribus disciplinis leniuit, & sedulò admonuit Scripturæ dicentis: Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Hic multa de angustijs eius prætermittuntur, quia si per singula voluerentur, narrantibus simul & legentibus prolixa viderentur. Tandem mediator Christus Iesus nolens fratres inter se diutius discordare, per sanctæ matris meritum illos concordauit in vnum. Post hæc Rex Otto præfecit fratrem suum *m* Henricum Ducem super *n* Baiowariorum gentem. Sanctus verò Bruno ætate minimus adhuc degebat sub censurâ litteralis disciplinæ, & lætâ indole de die in diem proficiebat in Christi seruitute. Cùm autem profecisset ętate & sapientiâ, Rex adiunxit eum sibi per amorem fraternitatis, in ministerium Archicapellani. Interim obijt *o* Wigfridus vir venerandus, qui Archiepiscopalem Coloniæ Sedem possedit, & munere superni Dispositoris Brunoni cessit Episcopalis honor dignitatis. Ascenso autem tanto culmine potestatis, nequaquam sibi inde crescebat tumor elationis, sed sancta mens Episcopi se potiùs inclinauit humilitati; illud in memoriâ recondens, quod Scriptura admonet, dicens; Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Peruigil fuit sapientiâ, placabilis

Prou. 3. 12 *Henricus Ducatum Bauariæ,* *m n* *Bruno ex Archicapellano,* *o* *Archiepiscopatum Coloniensem,* Eccl. 3, 20

C lenitate nimiâ, serpentis astutiam cum lege custodiuit, & columbæ simplicis animum non amisit. Gregem sibi commissum dilexit, & per baculum disciplinæ multos ab errore eripuit: quosdam collationibus assiduæ disputationis ad meliora ducens, quosdam placidæ maturitate doctrinæ, desiderio sanctæ conuersationis implens. In sermone fuerat mitis, in doctrinâ humilis, malorum acerrimus destructor, & & veritatis studiosus assertor: humilibus blandus, superbis seuerus, quosdam intra septa gregis suscipiens ex lupis oues fecit, alios extra septa enutriuit: & quidquid alios docuit, ipse primùm repleuit, nec non in eadem ciuitate extruxit quamplurima monasteria. In omnibus etiam extitit fortis athleta Dei & propugnator Christianæ fidei. Quid mirum filios in bono proficere, quorum mater numquàm cessabat Deo seruire?

magno cum fructu animarum.

a *Mortuus est* Conradus *anno regni septimo, Christi* 918.

b *VVitichindus electionem pacificè factam scribit: cui ita volente. Conrado moribundo frater huius Eberhardus insignia detulit: vbi exercitus Frislaria Regem constituit.*

c *VVitichindus:* Danos cum exercitu adijt, vicit, tributarios fecit, Regem eorum Nubam baptismum percipere fecit. *Quæ de Iutarum regione eorumq; Principe* Nuba, *seu* Chnuba, *aut* Chupia *accipienda alij tradunt.* *domiti Dani,*

d *Idem auctor:* Irruit super Sclauos, qui dicuntur Heuelli, *vrbem* Brennaburg, *iam Brandeburgum dicitur*, cepit, signa vertit contra Dalmantiam, *est Misnia pars*, obsidens Gronam vrbem, 20 die cepit, *pro qua alij* Grauam, Rietni, Kiesni *habent.* *Sclaui,* D

e *Idem:* Pragam Bohemorum vrbem Regemque eius in deditionem accepit. *Bohemi,*

f *Idem:* Transijt in Baioariam, cui præsidebat Arnulphus Dux, *qui* videns quia Regi resistere non sufficeret, egressus est ad Regem, tradito semetipso cum omni regno suo. *Baioarij,*

g *Otto natus circa annum 914. aut sequentem.*

h Quitilingeburgum, *alijs* Quedelinburgum *vrbs in Comitatu Regensteinio, versus Halberstadium, in quo etiam Comitatu VVesterhausen, an hic VVinethusium?* *Quedelinburgum.*

i Bathselthum, *vulgò* Bantzfelde *inter Quedelinburgum & Mansueldiam.*

k Memleben *seu Memmelebia, ad Vnstrutum fluuium in Thuringia haud procul à ditione Mansfeldica: vbi illustre monasterium, à S. Mathilde, vt asserit Fabricius, conditum.* *Memlebia.*

l *Anno* 936, 2 *die Iulij.*

Hic est Adaldagus *posteà Hamburgensis & Bremensis Archiepiscopus: qui omnium primus ordinauit Episcopos in regno Daniæ. De eo Adamus Bremensis lib. 2 cap. 1 & 2. Krantzius in Metropoli lib. 3 cap. 16 & nos varijs occasionibus.* *Adaldagus,*

m *Mortuo Bertholdo Duce, exclusis memorati Arnulphi filijs, Henricus datus est Dux Baioarijs anno 974.*

n *Colitur* S. Bruno XI *Octobris: ad quem diem erit Vita eius illustranda.*

o *Mortuo VVigfrido 7 Iulij anno 953, creatus est* S. Bruno 30 *Augusti.* E

CAPVT III

Virtutes in viduitate exercitæ. Tribulatio à filijs illata: reconciliatio facta.

14 QVis scripto valebit comprehendere vel cuius lingua poterit explicare, quàm gloriosus amor Christi flagrare cœpit in mente illustris Reginæ Mathildis post obitum Henrici Regis. Stabilis permansit in fide, humilis in Dei timore, cuiusque disciplinæ memor extitit, & iustitiam cum religione retinuit: ad omnem tolerantiam fortis, & ad sustinendam iniuriam mitis, facilis ad faciendam misericordiam, gerens parem fraternam. In omnibus eius actibus & confabulationibus laudabilis apparuit grauitas & admiranda dignitas: tamque se honestam exhibuit in pudore, vt perplures arbitrarentur illam esse virginem, ni vidissent egregiam prolis fœcunditatem. O quantâ reuerentia Dei timoris! Semper intendebat studio orationis, & perquàm forti animo se præparauit ad resistendum diabolo, fiducialiter gerens scutum fortitudinis, ad expugnandum secularis pelagus F tentationis. Transitorijs enim rebus non implicata, Christum solum secuta est. Noctis quoque tempore, quando omnibus mos est requiescere, collocauit se in lecto, quasi causâ dormiendi, vt sic celaret intentionem operis boni, & parumper est dedita somno, vt potiùs confortaretur ad seruiendum Deo. Postquàm autem persensit dormire omnes, in cubiculo secum pernoctantes; spreto fulgenti stratu, clàm surrexit atque cubicularem puellam tacitè excitauit: & ingressu suspenso exiens cubiculum, *a* ecclesiam intrauit sanctâ celebritate hymnorum, non stipata turbarum obsequijs, sed incedebat sine humano fauore, gratiâ Christi secum comitante: pernox in oratione non cessabat Deo seruire. Quotiescumque ecclesiam intrauit, numquàm vacuâ manu ad altare accessit, nec Rege viuente nec in viduitate. O quàm feliciter consummauit longitudinem noctis in omni studio boni operis, & quàm familiari voce ad Deum clamauit, & veniam peccatorum postulauit, & qualem cum sanctis animabus meruit habere amicitiam, quibus à Christo implorauit requiem sempiternam. Ante galli cantum totum finiuerat psalterium, nisi breuitate noctis impediretur. Sentiens autem tempus appropinquare, quo conueniebat Nocturnales laudes celebrari, recessit

Vidua exercitiis virtutum dedita, *pudica,* *de nocte ad orandum surgit;* *a*

A cessit ad cubiculum cum silentio, & nesciente aliquo collocauit se in lecto, quasi totam noctem illic dormiendo egisset; & nusquam inde pedem mouisset. Dato autem signo ad Nocturna, haud segnis surrexit, & properando iterum intrauit ecclesiam, diuinas laudes auscultans, & intento corde orationum instantiâ desudans. Post Nocturnam verò omnibus egressis, intùs mansit ianuis clausis, oculis ac manibus intendens in cælum, inuictum ab oratione non relaxauit spiritû, vsq; dum aurora lucis vmbram depulit noctis. Posteà ingressa cubiculum reclinauit se paullisper ad requiescendum, vt lassa membra reficeret, ne in famulatu Christi deficeret.

manû eleemosynas distribuit:

13 Interim confluxit multitudo pauperum, de eius manu acceptura victum & vestitum: quorum clamorem mox vt persensit, impigrè de somno surrexit, esurientes misericorditer pascens, & nudos vestimentis induens, non dubitauit se Christi membra tegere sub inopum veste. Quibus etiam refectis, & quæ necessaria erant abundanter impensis, vestimenta viduitati congrua induit, & ecclesiam cum reuerentiâ intrauit. Nullus præualet dicere, quantâ religione consueuerat Missam audire: interim nullum protulit verbû sed actu pariter & habitu intendebat in Deum.

B Quid plura? A matutinâ horâ usque ad vesperam, nemo illam conspexerat à bonis operibus otiosam. Non est etiam reticendum, beatissimæ Reginæ temperamentum, quod in omnibus suis laudabiliter seruauit: nam nec cibo aut somno ampliùs indulgebat, nisi quantum naturæ necessitas depoposcit. O beata, quæ dolo caruit, et in quâ pietas apparuit! Mitis & pacifica & omnibus miseris promptissima: neminem iudicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens, nihil arbitrio suo agebat, sed per omnia ad nutum, & voluntatem Dei tendebat. Omnes malè agentes illam oderunt & rectè viuentes dilexerunt. Magnam aduersùs omnes iniurias patientiam assumpsit, & quæ excellens fuit Regina, propter Deum multa sustinuit aduersa. Rarò videbatur irata, vel etiam commota: nemo illam vidit vltra modum mœrentem aut ridentem: miro caritatis splendore effulsit: modestiæ mirabilis amatrix, & humilitatis placida sectatrix: in se plerumque seuerior, in ceteris autem clementior, omnibus fuit totius bonitatis exemplum, largiendo, miserando, errantes conuertendo. Quoties sibi tributa soluebantur à vectigalibus, decimas inde dedit pauperibus & Christo famulantibus, & quò ire pede non poterat, misso munere circuibat. Neque enim sunt tam parua, quæ gessit, vt omnia litteris comprehendi possint: quia si quis vniuersa numerare voluisset, immensum legentibus volumen edidisset.

parca in cibo & somno

sincerè Deum quærit:

benigna in pauperes.

C

14 Tunc diabolicæ fraudis astutia, semper inuidens operanti bona, studuit Deo dilectam Reginam à seruitio Christi impedire suâ callidissimâ tentatione: & contra venerandam Christi famulam quosdam excitauit peruersos, eius vitæ & virtutibus inuidos: qui ad aures filiorum peruulgabant, quòd innumerabiles pecunias congregasset, & regalis census opulentiam penitus consumpsisset. Cùm autem hæc & alia istiusmodi peruulgarentur Regi Ottoni, grauiter commotus, totum imperialiter reposcebat, quod Sancta Dei pauperibus distribuebat; vbique mittens exploratores, qui eius nuntios, indigentibus munera portantes, expoliarent & contumeliâ affectos remitterent. Hæc & his similia cùm immeritò sustineret Christi famula; quod illi videbatur molestiùs, haud minùs grauem iniuriam sibi intulit Henricus, quem miro affectu amoris cunctis præposuerat filijs. Ad extremum compellebant eam *b* dotales regiones relinquere & sacro velamine se consignare. O beatam Dominam, quæ multis tentata, nec tamen tentationi succubuit euicta! Quid creditur illi inesse mœroris, dum vndique angebatur tantâ vi tribulationis! Minùs molestè ferret, si Henricus, quem egregiè amauit, fratri non concordasset. Impia ergo discordia, quæ inter ipsos versabatur ab infantiâ, illos tunc consociauit ad iniquitatem, quos priùs prohibuerat fraternam gerere pacem. Contra hæc omnia venerabilis Regina miram in cunctis exhibuit patientiam, & fortem in aduersis constantiam; custos oris sui, ne quid proferret incongrui, studiosa ad continuæ orationis studium, vt vinceret insidias aduersantium, imò illatâ sibi iniuriâ constantior, Psalmistæ versiculi non immemor; Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo; leue existimans, quid ferret, tantùm ne Christo vilesceret. Nulli maledixit, sed proprijs deputauit meritis, quidquid angustiæ pertulit ab aduersantibus filijs, semper retinens in memoriâ, quod in sacrâ didicerat Scripturâ: Quia per multas tribulationes & angustias oportet nos introire regnum Dei. Si quis autē ob calumniam quam patiebatur, ingemuit ipsâ præsente, quasi cupiens mœrorem ipsius lenire; talibus verbis è contra fertur respondisse: Rex Otto calumniatur nobis, id nostris exigentibus meritis. Deus autem sciat illum, qui contra nos excitauerit nostrum amabilem filium Henricum, cuius solamine sperauimus enatare, quidquid nobis accidisset triste: nunc iste aduersatur nobis, qui debuit esse consolator. Nequaquam tamen pati possumus, vt quid de eo inclementius dici audiamus: quia nunc à nobis præcordialiter diligitur, quamuis inimicus putetur. Illud autem nos grauiter compungit recolentes, illum nobis dulcissimum, erga nos esse tam amarum: sed nil ageret, si Regis iuuamen sibi deesset: Deus autem illi parcat, ne ab ipso vltionem recipiat. Vtinam donante Deo sine amborum fieri posset periculo, vt propter nos inter eos tanta firmaretur pacis vnitas, ne vlteriùs inirent inimicitias! Cùm autem Sancta Dei vidisset molestias filiorum sibi non minui, sed de die in diem plùs augeri, relinquens quidquid Rex Henricus sibi dederat in dotem, in occidentali regione adijt *c* Angerinensem ditionē, cupiens aduersantibus parcere filijs, ne incurrerent iram diuinæ vltionis: illic Deo cooperante haud minùs, quàm consueuerat, quodque bonum exercebat. Posthoc diuinâ dispositione, Regi *d* innumerabilia superuenêre mala, retrouersis victoriæ triumphis, alijsque rerum nihilominùs secundis. Henricum autem inuasit morbi grauedo, quæ & illum purgauit à delicto, & tamen superna miseratio illi pepercit feriendo, quasi Christus satisfaceret voto matris, quæ sedulâ prece ei exorauit veniam remissionis.

patitur tribulationem magnam ab Ottone Rege

& Henrico Duce, b

D *EX MSS.*

Psal. 117, 6

Act. 14, 21 *fortis in aduersis:*

E

discedit in Angerinensem ditionem c

d *orat pro filijs aduersantibus:*

F

15 Videns autem Rex Otto, quia nihil proficeret in prosperis, vt priùs, timuit vsque ad mortem contristatus. Tunc Sacerdotes & ceteri Principes, quorum corda Deus illustrauerat, ingressi ad venerabilem Reginam *e* Edith, cohortantur illam, vt admoneret Regem, quatenùs cum honore suam in regnum reuocaret matrem: quæ statum ingressa ad Regem, sic ait: Ne contristetur noster Dominus, diuinis flagellis correptus: reuocetur vestra mater sanctissima, regnumque, vt conuenit, prima possideat: &, vt speramus, vestra omnia prosperabuntur & in pristinum restituentur gradum. Rex autem pœnitentiâ compunctus, & commissi haud immemor reatus, Deo inspirante, in sanctâ matre se deliquisse cognouit. Haud mora, missis Episcopis, Ducibus ac Comitibus, & omnibus sapientissimis militum, ad matrem cum honore reuocandam, præcepit Christi famulæ huiusmodi scripta deferri. O venerabilis Domina, Dei iracundiam iam satis nimiumque exacerbauimus in nos persecutione vestrâ, fatemur quòd peccauimus & iniustè contra vos egimus: propter Deum nobis dimittite, & à Christo veniam remissionis implorate. Quodlibet supplicium libenter patimur, tantùm vt vestrâ gratiâ fruamur. Adhæc vt ad nos iter dirigatis, petimus; nos & omnia

e *intercedenti Regina Editha,*

reuocatur ab Ottone filio.

A omnia nostra ditioni vestræ subdimus, insuper & restituemus, quidquid vobis iniustè abstraximus, nil nobis iucundū erit, antequàm vos videre contigerit Beatissima verò Regina petitionem filij hilari mente percipiens, quidquid pertulerat aduersi penitùs tradidit obliuioni, nec diutiùs distulit, sed iter accelerans in *f* Gronâ venit. Cùm autem aduentus venerabilis Reginæ Mathildis peruulgaretur ad aures Regis Ottonis; multo comitatu obuiàm tendit, secum Comitante Reginâ Edith. Vt verò primùm vidit Deo dilectam appropinquare, ab equo desilijt, & propiùs accessit, & genu flexo in tramite veniam postulauit, dicens: O omne decus nostri decoris, & solatium cuiusque laboris, cuius solius meritis deputabimus regnum quod possidemus, sumite de nobis quodcumque supplicium vultis, vt nobis tantùm liceat redire in gratiam reconciliationis. Iam satis luimus, quidquid contra vos deliquimus: nam ex illo tempore, quo abscessistis à vestrâ dotali regione, retrouersa est omnis prosperitas belli, necnon fractæ sunt nostræ vires, & crebrò contra nos præualuerunt hostes. Contra hoc mater venerabilis, decoros oculos perfusa lacrymis, filio statim præbuit osculum pacis, quasi ab eo nihil pertulisset aduersitatis, & animum supplicantis talibus consolabatur verbis: Fili mi, nolite contristari, speramus enim vos veniam à Domino consequi: nam si nostrorum non exigissent peccaminum merita, vestrâ ex parte nulla nobis obuiassent aduersa: Deus autem vobis tribuat indulgentiam per ineffabilem suam misericordiam, qui paratus est misereri cuique pœnitenti, si commissa perfectè defleuerit & postmodum non admiserit.

EX MSS.

benignè excipitur:

B

16 Comperiens autem Henricus, vir decorus & egregiæ matris nimiùm dilectus, Regem Ottonem suum fratrem tantâ satisfactione inclytam sibi matrem reconciliasse, haud minùs pœnitentiâ compunctus, iter intedit, & vbi Sanctam Dei inuenit, talibus verbis eam est aggressus: O venerabilis Domina & si fas est dicere, mater carissima, nos grauiter contra maternam vestram dulcedinem deliquisse confitemur: sed nunc veniam postulamus, quam non meremur: ac nunc obsecramus vos per animam & nomen nostri patris, vt in pristinum vestræ gratiæ gradum nos redire concedatis. Non dubitamus quin à Christo consequamur veniam remissionis, si vos ex toto corde ignoscitis: quia, ex quo vestram pietatem in iram prouocauimus, morbi grauedine nimiùm periclitati sumus. Quem venerabilis Domina vt vidit, lacrymantem, & pro indulgentiâ humiliter supplicantem, diutiùs pati non potuit, sed in hanc vocem celeriter prorupit: Fili mi Henrice, noli flere, desiste fili, desiste: mater enim tua ex te audire non præualet hæc precantia verba: propiùs accede, & matri tuæ osculum præbe: Deus fidelis sit tibi placabilis, nos te diligimus sicut priùs: nam non ignoramus quòd te aduersùm nos excitauit persuasio inimicorum. Haud mora, satisfactione tali perceptâ, Rex Otto & Dux Henricus Sanctam Dei introduxerunt in dotales regiones, & sicut dignum erat primam constituebant. Post hæc mira inter matrem & filios erat pacis tranquillitas, & ad omne bonum vnita voluntas: in consolatione pauperum fuerunt vnanimes, in constructionibus ecclesiarum & monasteriorum concordes. In matre erga filios mira fuit caritas, in filijs obediuit sancta humilitas, & vt breuiter concludatur, perseuerabant pacis stabilitate vsque ad obitum vitæ, conculcantes per caritatem diabolum, qui nuper inter ipsos seminauerat litis fomitem.

reconciliatur Henrico filio,

C

& perpetuâ cum filijs pace fruitur.

a *Addit VVitichindus*, cellam eius fuisse ecclesiæ proximam.

b *Henricus Bodo in Chronico Grandesheimensi apud Meibomium*. Serenissimus Rex Otto regiam matrem illustrissimam Mathildam aliquantulum inhonorasse dicitur, priuando illam dotalitijs.

c Angria, *vulgò* Engerhen, *in Comitatu VVestphaliæ Rauenspergensi*.

D

d *Memoratus Bodo*: Ex ipsis, quibus defendentibus robur regni accipere debuisset, Deus iudex iustus illi regni turbatores suscitauit. *VVitichindus etiam lib.* 3 *ait* insidias ei paratas a filio, *Lutolfo Suenorum Duce* & genero, *Conrado Francorum Duce, cui filiam Luidgardam dederat uxorem*.

e *Editha soror Athelstani Regis Anglorum, filia Edoardi, non Edmundi, vt perperam apud aliquos legitur: de anno, quo nupta Ottoni fuit, infrà agemus*.

f Grona *siue* Gruona, Grunonaha, Gronde *arx Meibomio ad Visurgim, in quâ Henricus Anceps dicitur apud VVitichindum obsessus fuisse à milite Conradi Regis*.

CAPVT IV

Opera pia & eleemosynæ. Luctus in obitu Henrici filij. Iter Ottonis in Italiam.

17 INterim contigit piam *a* Edith Reginam, perpetuò victuram, præsentem amittere vitam. Rex autem Otto iam prouectæ ætatis, simul cum matre ecclesias & monasteria construxit, portans pacem, & rectè iudicans; paternam in cunctis imitatus pietatem. Post obitum Edith illustris Reginæ tres annos egit in viduitate, cunctis bonis operibus diligenter instabat, & sacras lectiones studiosè legebat. Iam dum multis comprobarat castitatem viduitatis & assiduitatem orationis, [indicauit] sibi animum esse à coniugali consortio postmodum abstinere. Tunc construxit beatissima Regina Mathild monasterium in *b* Palidi, illic congregans tria millia Clericorum, quibus largâ manu impendebat quæque necessaria.

a

Post mortem Edithæ Reginæ,

E

fundat monasterium in Palidi,

b

18 Interim verò obijt *c* Lotharius, Latinorum Princeps egregius, cui Regina *d* Adelheit in matrimonium copulata fuerat, excellens morum probitate. Hanc quidam peruersus, nomine *e* Berngarius, multis infestabat iniurijs, vt eâ potitâ coniuge, dominium pariter sibi vsurparet in regno Latinorum. Quod cùm peruenisset ad aures inclyti Regis Ottonis, Fratrem suum Henricum & omnes Principes militum conuocauit, & ad bellum arma præparari iussit, dicens sibi esse animum regionem visitare Romanorum, superbienti Berngario vt resisteret, & viduæ oppressæ subueniret. Quid plura? Rite paratis rebus, prospero cursu in Italiam peruenerunt, & gratiâ Dei, sors victoriæ contigit Regi Ottoni, in expugnatione Berngarij Regis, & in ereptione Adelheidis. His ita peractis, Rex cum exercitu suo Christo offerebat sacrificium laudis, qui in omnibus suum adimpleuerat votum, & contra inimicos confortauerat manum. Posteà Rex commendauit *f* Berengarium fratri suo Duci Henrico custodiendum, præcipiens illum in regionem Baiowariorum mitti, & illic sub arctâ custodiâ constringi, vbi etiam præsentem vitam finiuit. Præfatam verò Dominam Adelheidam, gaudens secum duxit per ciuitates Latinorum. Videns autem, quòd miræ esset prudentiæ & probabilis vitæ, suum animum illius amori indulsit, & in coniugium sibi copulauit. Aliquantum temporis in Italiâ commorabantur, & non multò pòst in regionem Saxonum proficiscebantur. Illi autem per longum tempus regni solium possidentes, gratiâ Dei fœcundabantur sobole regali, primò procreabant puellam, inclytæ Reginæ *g* Mathildis vocabulo dictam, quam Rex Otto coniunxit Quitilingeburc contubernio sanctimonialium iuxta matris votum. Exin gignebant puerulum, *h* patris nomine vocatum: huic post obitum patris Dei ordinatione prouenit dignitas regalis. Quotiescumq; beatissima Domina Mathild suę sobolis partum comperit, Christo gratias retulit, cuius meritis deputauit quidquid sibi boni & hilaritatis contigit.

c

d

e

Otto Rex Adelaidam viduam Lotharij Regis Italiæ,

debellato Berengario,

F

f

uxorem ducit:

gignit Mathildem, dein sanctimonialem,

g

h

& Ottonem successorem.

19 Igitur venerabilis Regina multùm hilaris effecta, quia filij de finibus Italiæ venerant incolumes, & in vtroque sexu clara suę sobolis multiplicabatur progenies

A genies: sed insperatè dolor ingens accidit, qui hoc gaudium in mœrore penitus consumpsit, & quem obliuioni non tradidit, quamdiu mortalis vitæ spiritum traxit. Henricus Dux Baiowariorum præclarus, nimiâ infirmitate correptus est: qui cùm sentiret morbi grauedinem non minui, sed magis magisq; augeri; iter festinauit in Palidi, caussâ piam matrem videndi illic, & Sanctam Dei postremò vidit, atque in propriam regionem proficiscendi veniam postulauit. Regina verò ægrotantem filium secum paucos dies retinuit, eiusque infirmitati omnem curam & medicinam adhibuit. Appropinquante autem die, quo abire decreuerat, sancta mater illi plurima prædixit, ac postremò his salutaribus verbis admonuit: Fili mi carissime, matris tuæ verba diligenter attende, & pœnitentiam tuorum age peccatorum, vt à Deo consequaris veniam. Nam versatur in dubio, quorsum hæc spectet ægritudo: vt enim timemus, tuam desiderabilem faciem vltrà non videbimus. Præter hæc per spiritum prophetiæ multa illi prædixit, quæ euentus rei postmodùm comprobauit. Posteà sese inuicem amplectentes, oscula dederunt, multùm lacrymantes. Quid plura? Henricus in regionem Baiowariorum perrexit, & ibi quamplurimos dies ægrotando laborauit, vsque dum

Henricus filius æger cum matre agit:

B Deo iubente anima de corpore i exiuit, & vt speratur, Paradisi ianuam introiuit. His ita peractis in vrbe Ratis-bonâ sepelierunt corpus inclyti Ducis. Tunc venerabilis Domina k Iudith, illustri viro legali vinculo coniuncta, misit nuntios, graue nuntium piæ matri indicaturos: qui cùm recto cursu in Quitilingeburc venissent, & tristem Ducis obitum Principibus indicassent, per totum diem omnes in dubio versabantur, à quo Sanctæ Dei hæc placidè nuntiarentur. Alterâ verò die postquàm Missam audierat, cùm dialogum accepisset in manum & studiosè intendisset legendum, Richburg sua fidelis pedissequa intrauit, & nuntios de regione Baiowariorum venisse indicauit. Quæ statim mœrore concussa, quasi mali, quod acciderat, præscia, Iube illos, inquit, accersiri, vt comperiamus, quomodò se habeat infirmitas filij nostri. Qui cùm ingressi & coràm data esset copia fandi, Reginam salutauerunt, & adhuc nil triste dixerunt. Illa autem multa interrogauit super filio corde solicito, si se leniùs haberet infirmitas, vel quomodò apud ipsum ageretur rerum prosperitas. Legati verò de his pauca respondentes, epistolas præsentabant pertristes, quæ caussam continebant, quam ipsi indicaturi venerant. Vt ergo cognouit gloriosa Regina dilectum filium suum ex

reuersus in Bauariam moritur. k

C hac vitâ migrasse; pallor in facie apparuit, & gelidus tremor per omnia membra cucurrit, & liber, quem in manibus tenebat, cadentem vultum suscepit. Cùm autem paullulùm refrigesceret mœroris asperitas, statim prorupit in lacrymas, & totum diem flendo peregit, nec præ doloris amaritudine quidquam cibi eo die gustauit. Conuocans autem sanctimoniales ad Ecclesiam, illas exhortabatur pro defuncto misericordiam Domini implorare, & ipsa primùm flectens genua, hanc orationem effudit pro cari filij animâ. O Domine Deus omnipotens, miserere animæ famuli tui, quam de hoc seculo migrare iussisti: memento quæso, quòd perrarò iucundè vixit, & omne tẽpus mortalis vitæ penè in angustiâ peregit. Posthæc ab oratione surrexit, & ad sepulcrum Regis Henrici gressum mediocriter tendit: super quod caput inclinans, sic illacrymans ait: O noster Domine, quàm felicior nobis extitisti, qui hanc amaritudinem doloris non exspectasti in stadio vitæ mortalis. Nunc, vt speramus, gaudes in requie, nec quidquam curas de nostrâ perturbatione. Quoties acerbum diem tuæ mortis menti induximus, hac solâ consolatione respirauimus, quòd dilectissimi filij nostri vitâ superstes erat, qui ore, nomine & habitu te maximè referebat. In hac etiam die herilia deposuit vestimenta, quæ in

mater valdè tristis, curat preces pro eo fundi,

lugubres vestes induit:

D viduitate pro ornamento habuit. Post obitum enim memorandi Regis Henrici, assiduè induit coccinum vnius coloris, non in publico, sed sub lineo vestimento, & pro decore ornamenti ante se gessit parum auri. Hoc totum tunc deposuit, & postmodùm lugubri veste induta processit.

EX MSS.

20 Posthac neminem voluit audire carmina secularia cantantem, nec quemquam videre ludum exercentem: sed tantùm audiuit sancta carmina de Euangelijs vel alijs sacris Scripturis scripta. Nec non in hoc sedulò delectabatur, vt de vitâ vel passione Sanctorum sibi cantaretur: cetera mundi delectamenta respuit, & totâ intentione diuino famulatui tantùm intendit; Deum in omnibus superque omnia diligens, & nil amori eius præponens. Resplenduit in eâ aurum iustitiæ, gemma misericordiæ, grauitas amabilis, honestas admirabilis, sermo modestus, & in suo tempore congruè proferendus. Numquàm reticuit, quidquid loqui idoneum fuit. Peregrinis, viduis & pupillis præerat, sicut mater filijs. In omnibus quæ fecit, temperantia iustitiæ sibi non defuit. Difficile est enumerari quantùm intendebat venerabilis Regina eleëmosynarum largitati. Bis in die omnigenis ciborum delicijs inopes recreauit: insuper cùm accederet mensæ regali, præcepit peregrinos & indigentes conuocari, illis deuotè distribuens alimenta, quæ

reijcit ludos & seculares recreationes:

cibos mensæ suæ mittit ad monasteria, aut ad alios pauperes:

E sibi apponebantur lautissima, credens se pascere Christum sub specie pauperum. Si aderat monasterium, ter superposita mensæ, Christo famulantibus & in ægritudine decumbentibus, sin autem abfuit monasterium, ceteris indigentibus hæc eadem perrexit. Quid autem mirum quòd hominibus larga fuit & beneuola, quæ gallo quotidie ministrauit, qui lucem diei nuntiat, & quosque fideles ad Christi seruitium excitat. Nec etiam oblita est volucrum æstiuo tempore in arboribus resonantium, præcipiens ministris, sub arbores proijcere micas panis, vt si quis de volucribus suprà sedisset, in nomine Creatoris illic alimoniam inueniret. Vbicumque iter egit, iuxta currum candelas portari iussit, quas singulis diuideret oratorijs; & simul cibos, quibus in itinere obuiantes reficeret egenos. Sin autem ita intenderet lectioni, vel psalmorum decantationi, vt ipsa prætereuntes videre non posset, aut si caput somno inclinauerat, quia in bonis actibus noctem perducere solebat; Rechburgam sibi ministrantem sanctimonialem præcepit diligenter obser-

in itinere multas facit eleemosynas:

F uare vt nullus præteriret pauperum insalutatus vel de suis largitionibus non recreatus. Si verò illâ negligente aliquis pertransijt egentium, non percipiens alimentum, statim caput eleuans de somno, quasi spiritu prophetiæ plena, præcepit currum stare, & egenum qui transierat reuocare, præbens illi victum seu aliud necessarium. Posthæc paulisper commota, sanctimonialem salutaribus verbis admonuit, vt deinceps diligentiùs obseruaret, quidquid suæ fidei commendasset. Vox egeni apud illam numquàm inaniter sonuit, nec ipsa surda præterijt. Non minor erat misericordiæ vsus, quàm de plebe concursus: nec deerant qui peterent, nec deficiebat quod daretur.

21 In quacumque ciuitate commorabatur hieme, per totam noctem ignis ardebat in singulis tectis, quæ ibi fuerant, & insuper sub aëre nudo, vt quisquis indigeret, illic sese calefaceret; aut quisquis in caligine noctis erraret, viso lumine non offenderet. Præter quotidianam largitatem eleëmosynarum singulari honore celebrauit Sabbatum; à primâ quippe horâ, imò ab ipsâ aurorâ lucis, numquàm vacauit ab operibus bonis. Manè balneum præparari iussit, & pauperes peregrinosque lauari fecit. Aliquando verò cum se à populi frequentiâ abripere potuit, ipsa occultè ingrediens, manibus proprijs sordes diluebat singulis, & quæ multis imperabat Regina, pauperibus seruiebat quasi ancilla. Si verò ipsa impedita est ingredi, cir-

pro egenis curat fieri focum,

& balneum.

A cumfusâ multitudine populi, suas intromisit pedissequas, quas in fide apud se nouerat probatissimas, vt necessaria egenis ministrarent, & in vice eius ipsis humiliter deseruirent. Egredientibus autem illis de balneo, omnes in cubiculū introduxit, esurientibus dans alimenta, & nudis vestimenta; quia non dubitauit membra Christi tegi sub largitâ veste inopi. Laborantibus autem infirmitate, qui ad se non poterant venire, misit poma & quæ inter regales cibos videbantur optima: & sæpè accidit gratiâ Dei, vt qui infra decem dies nil gustauerat cibi, per eius merita perciperet refectionem pariter & salutem. Nec hoc silendum esse censeo, quare tali reuerentiâ custodiret Sabbatum, primò quidem propter vigiliam Dominicæ Resurrectionis, quæ in hac die celebratur per circulum orbis: dehinc quia venerandi Regis Henrici anima in eadem die de corpore soluta est, &, vt speratur, Paradisi ianuam est ingressa. Quamdiu ergo Dei Sancta vixit, studiosè obseruauit inclyti Regis octauum, tricesimum & diem anniuersarium. Nullus etiam dubitet, quin eius bona opera placuissent Deo, quæ tantâ deuotione operabatur in sabbato; nam ipsa quoque eâdem die de hoc seculo migrauit, & de labore ad requiem peruenit. B Festis diebus, quibus non licitum est insistere manuum operibus, ipsa legit vel legentibus aurem accommodauit, & quidquid sacra Scriptura præcepit, memoriter tenuit: quotidianis verò diebus psalmodiæ & diuinæ lectioni inhærebat, nec minùs manuum operationi instabat. Si quando autem impediebatur diuerso populorum sermone, solito more diuini operis studium celebrare, horâ saltem refectionis stans ante mensam, nihil cibi gustauit, priusquàm aliquid operis faceret, illud non obliuiscens quod dicit Apostolus: Qui non operatur nec manducet.

EX MSS. — *agros misso cibo sanat:* — *Sabbatum custodit,* — *quo & maritus ipse mortuus,* — *celebrat post festos dies,* — *alijs diebus operatur manibus.* — 2. Thess. 3. 10

a *VVitichindus lib. 2.* Edidis Reginæ dies extrema VII Kal. Februarij celebrata est cum gemitu & lacrymis omnium Saxonum. Hæć nata ex gente Anglorum, non minùs sancta religione quèm regali potentiâ pollentium stirpe, claruit. Decem annorum regni consortia tenuit: vndecimo obijt, Saxoniam verò decem & nouem annis inhabitauit... Sepulta est in ciuitate Magathaburg. *Ex his certum est Ottonem anno 936 Germaniæ regnum inijsse, unde constat Editham vitâ functam anno 947. & venisse in Saxoniam circa annum 928, relicto Liudulfo filio sedecim annorum, ergo anno 929 aut 930 nato.*

b *Fabricius tria enumerat monasteria à S. Mathilde extructa* Nordhusanum, *de quo infrà*, Poledense & Mimmelebium, *cuius iam meminimus.*

c *Lotharius ab Hugone Comite Prouinciæ patre suo in consortem regni Italiæ adscitus anno 932, veneno sublatus aut phrenesi interijt anno 950.*

C d *Adeleidis filia Rodulphi Regis Burgundiæ, qui etiam regnum Italiæ, sed haud diu, obtinuit. Regina post obitum Lotharij recepit se in arcem Canusinam munitissimam, unde in auxilium suum reuocauit Regem Ottonem.*

e *Berengarius, nepos alterius Berengarij anno 915 in Regem Italiæ inuncti, contra quem tunc Rodulphus è Burgundiâ fuerat euocatus.*

f *Hic nonnulla breuitatis causâ contracta in errorem inducunt. Nam Berengarius regnum Italiæ adhuc permissus detinere, tandem post longam obsidionem in Monte S. Leonis captus anno 964 & in Bauariam missus Bamberga anno 966 obijt. Legendi Regino, Schafnaburgus, Flodoardus, alijq. Sed iam tum Henricus frater Ottonis pridem mortuus erat.*

g *Huic inscripsit VVitichindus suam historiam. Superfuit Abbatissa vsque ad annum 997. quo in vltimo morbo Bernvvardo Hildesheimensi Episcopo peccata sua confessa sumptaq. sanctissima Eucharistia, animam Creatori reddidit* VIII *Idus Februarij, quo die cum titulo* Sanctæ *inscripta est Menologio Virginum Gallicè à Laberio edito, vti ibidem inter Prætermissos monuimus.*

h *Hic est Otto II natus anno 955. vt Reginonis Continuator tradit.*

i *Obijt Henricus eodem anno 955. Calendis Nouembris.*

k *Inditha seu* Iutta, *filia Arnulphi Ducis Bauariæ: huius fratribus non admissis Henricus Dux est factus.*

Editha Regina. — *Adeleidis Imperatrix.* — *Berengarius Rex* — *Mathildis Abbatissa.*

CAPUT V

Miracula: spiritus propheticus. Vltima verba cum Ottone in Imperatorem coronato.

22 Clementiâ verò Dei omnipotentis meritum venerabilis Reginæ nolens diutiùs latere, per illam operabatur miracula, vt liquidò cunctis innotesceret, quantum sibi obsequentis vita placeret. Nam dum quodam tempore in Quitilingeburc anniuersarium diem Regis Henrici magno apparatu celebraret, vt semper consueuerat, tanta confluxit multitudo pauperum, vt nullo possent comprehendi numero. Regina verò illorum aduentu hilaris effecta, præcepit quosdam collocari in cacumine montis, & ceteros in imo vallis, ipsa ministrans in monte vescentibus, alios verò commendans dispensatoribus. Cùm autem omnes regales cibos impendisset, & larga manu quæque necessaria abundanter ministrasset; adhuc tortum panem non perceperant, qui in valle sedebant. E Stans ergo illa supra montis verticem subitò arripuit panem, super quem signum Crucis imponens, inuocato Christi nomine proiecit ab alto cacumine: qui volutus de loco in locum, inter densitates saxorum & sepium integer peruenit in cuiusdam pauperis sinum, cui illum decreuerat dandum, coràm astante plurimâ multitudine populi, qui eiusdem testes fuerant miraculi. Adhæc beatissima Regina Christo gratias humiliter egit, cuius munere & virtute id nouerat euenisse. Sed & alio nihilominùs in eadem ciuitate est declarata miraculo.

23 Mos quippe fuerat sanctæ Dominæ quotidiè Sacerdoti ad Missam præsentare oblationem panis & vini pro salute & vtilitate totius sanctæ Ecclesiæ. Quadam ergo die finitâ Missâ, vna aurea ampulla incautè est perdita; in qua Sancta Dei ad sacrificium vinum obtulerat. Richburg autem pedissequa eius, & aliæ sibi ministrantes nimio timore coangustatæ, vbique requirebant, & inuenire non poterant. Sequenti verò die cùm cantaretur Missa, Christi famula solitam reposcebat ampullam à Sanctimoniali prædictâ, quæ perfusa rubore dixit, furto esse sublatam. Post Missam Regina ecclesiam egressa est, paullulùm commota, statimque obuiam habuit quamdam ceruulam infra claustra monasterij edomitam: quam vt vidit, F blando nutu ad se vocauit, adiurans per nomen Christi, vt sibi vas redderet, quod deuorasset. Bestia autem virtuti imperantis obediens, dicto citiùs ampullam euomuit, haud immeritò illius præcepto parens, quæ Deo semper fuit obediens. Omnes qui aderant Deo gratias agebant, quia Regina de bruto animali vas illæsum recepit, quod nec ipsa deuoratum viderat nec ab aliquo audierat.

24 Non etiam prophetiæ dono caruit quæ signorum efficaciâ enituit. Regalis progenies quodam tempore in a Frosâ conueniens, pariter venerunt regales pueri, filiorum scilicet filij Otto puer, filius Ottonis Imperatoris, & Henricus natus Henrici Ducis Baiowariorum, & sicut verabilis Regina hunc præ ceteris suis natis dilexerat, ita & filium eius Henricum, suum paruulum nepotem, alijs nepotibus in amore præposuit. Sedente igitur Mathildâ venerabili ad epulas regalis mensæ, & secum Adilheidâ Reginâ, coràm astabant pueri iocantes ludo infantili. Tunc Henricus mensæ accessit propior, qui Sanctæ Dei fuit carior, egregiam auiam diligenter intuens, ac familiariter se reclinauit in eius gremium, tamquàm ab eâ desiderans osculum: quem venerabilis Regina gratanter suscepit, & amplectens illum brachijs, sic ait: O Domine

Miracula clara — *dum pauperes alit,* — *tortum panem facto Crucis signo è monte ad pauperem deijcit:* — *ampullam à ceruula deuoratam recipit:* — *a tenerè amat Henricum nepotem.*

A mine Deus omnipotens, gratias tuæ pietati referimus & laudes, qui hunc paruum nepotem nobis reseruasti incolumem, cuius patrem atra dies mortis abstulit. Sed gratias tibi, qui hoc nomen de nostrâ generatione delere noluisti, hunc nobis quæso saluum reserua, quamdiu velis mortali nos tenere in vitâ, vt nostrum amabilem filium Henricum per nomen saltem imitetur & vocem. Tunc & venerabilis Regina Adelheit sic ait; Quàm exoptabilis est huius pueri aspectus, & quàm decorus ad intuendum vultus. Vbi ergo inuenietur virgo, quæ ei conueniat formâ & ingenio. Nos natam habemus paruulam, nomine Hemmam: hanc illi reseruemus, si Deo placet & vobis, vt nobis copuletur hic gener exoptabilis. Econtrà Christi famula reticuit, & diu in responsione hæsitauit. Posthæc longa trahens suspiria, hæc reddidit verba: Absit, vt de nostrâ parte vobis eueniat tantum triste: expedit enim filiæ vestræ feliciori se viro adiungere. Hoc nomen tunc solummodò decus habuit, quamdiu Dominus noster Henricus vixit. Postquàm autem in posteros venit, numquàm infortunio *b* caruit. Quid dicimus de angustijs & tribulationibus, quas sustinuit pater ipsius? Sed enim adhuc in diuinâ dispositione est, quid huic debeat accidere. Speramus autem non ex-

prædicit S. Henrici Imperium: b

B cidere hoc nomen de genere nostro, priusquàm aliquis paruulus nepos oriatur de eiusdem pueri semine, qui sublimetur regali dignitate. Quis autem dubitet, electæ Christi famulæ prophetiam in Christianissimo Rege *c* Henrico nunc esse impletam: qui sine vi & armis suscepit culmen regiminis, & tranquillitate pacis nunc tenet honorem dignitatis? O Rex Henrice, meritò laudande, induc etiam atque etiam menti tuæ prophetiam insignis Reginæ, & cognosce te tantæ dignitatis ascendisse solium per ipsius interuentum & meritum. Dominus Deus omnipotens, qui te elegit, & sine vi culmen honoris concessit, tribuat tibi copiam benedictionis suæ, coronetque te coronâ iustitiæ: faciat te blandum iustis & terribilem impijs, quatenùs iustitiam sectantes per lenitatis mansuetudinem corrobores, & errantes per iustitiæ districtionem terrifices. Angelus Domini te semper præcedat, comitetur & subsequatur, qui omnes actus tuos dirigat, & cunctos inimicos sub tuis pedibus conterat, vt ad profectum sanctæ Ecclesiæ diuturno viuas tempore, & postmodùm vitam percipias sine fine. Auctor huius dictatus non omitteret, quin tibi, Rex gloriose, perpetuæ felicitatis & mundanæ prosperitatis plus exoptaret, si non ab inuidis magis deputaretur vituperationi adulationis, quàm caritati veritatis. Supersunt

C plurima de te laudabiliter dicenda: sed hæc prætermittenda sunt, vt ora inuidorum obstruantur.

25 Reuertendum est ad priora, vt ad finem perducantur incepta. Cùm igitur longè latéque diuulgarentur innumerabiles virtutes Reginæ Mathildis mirâ opinione, vocatus est filius eius Rex Otto in regnum Romæ, à *d* Præsule Apostolicæ Sedis, vt gloriam Imperialis coronæ perciperet, & Romanis præesset. Tunc commendans regnum & Ottonem paruum filium suum piæ matri & Archiepiscopo *e* Wilhelmo, secum tulit fortia virorum pectora, & Christo Duce Romam *f* properabat, sicut Papa mandauerat, secum comitante Reginâ Adelheidâ. Cùm autem peruenisset ad Cathedram S. Petri, simul cum vxore Imperialem coronam accepit munere Christi, & totus populus Romanorum se spontè subiugauit ipsius dominatui, & sibi soluebant tributa, & post illum ceteris suis posteris. Interim venerabilis Regina inter spem & metum angebatur dubia, vtrum filio suo euenissent prospera an aduersa, & pro incolumitate eius vitæ Deo semper obtulit sacrificium continuatione precum & largitate eleemosynarum. Tunc etiam construxit monasterium in ciuitate *g* Northusanensi, consensu sui paruuli nepotis Ottonis, pro animâ Regis

pro Ottone ad coronam Imperialem Romam profecto solicita, d

extruit monasterium Northusanum: g

D Henrici, & sui carissimi filij, cui patris nomen imposuerat, & quem in præfatâ ciuitate procreauerat: illic congregauerat tria millia sororum Deo & B. Mariæ Virgini famulantium. Ex MS.

26 Intereà peruulgabatur Ottoni Imperatori in Româ, suam optimam, matrem nimiùm contristari de eius absentiâ; qui miro accensus amore Christo dilectam videre, statim reliquit Romam & peruenit in ciuitatem Coloniam, vbi frater eius *h* Bruno venerandus Archipræsulatus tenebat infulam. Illic sancta venerabilis Regina filio obuiàm venit cùm nepote paruulo, quem Romam petens sibi commendauerat, secum etiam comitante herili puero Henrico, quem in loco filij dilexit, postquàm idem Dux Baiowariæ, filius scilicet eius, ex hac vitâ discessit. Venit & Regina Gerbirc Sanctæ Dei filia. Illic regalis conuentus postremos dedit alterutri amplexus, & illic sortiti sunt extrema collocutionis verba, id ita disponente Diuinâ clementiâ. Posteà enim se non viderunt in hoc mortali corpore, sed vt speramus in æternâ nunc congaudent requie. Ergo inclyta Regina primum à Cæsare filio suo, Archiepiscopo Brunone ceterisque illic confluentibus honorificè suscepta, suos gauisa est se vidisse filios & nepotes, nec non Christo

h redeunti occurrit Coloniæ:

E referebat laudes & gratias pro incolumitate omnium. Posteà verò quàm se mutuò salutarunt, ingressi sunt cubiculũ, inter se producentes familiare colloquium. Interim introiuit Episcopus *i* Baldericus, qui fuit Magister Archiepiscopi Brunonis temporibus Regis Henrici, & omnibus caput inclinans, regalem conuentum benedixit. Posthæc ad sanctam Dominam Mathildam specialiter infit: Lætare venerabilis Regina, talibus muneribus à Deo honorata: nunc vides filios tuos & illorum filios: verè adimpletus est in te versiculus Psalmistæ, qui ait: Et videas filios filiorum tuorum. Psal. 12, 6 Econtrà Regina Deo gratias egit, sicut semper solita fuit. Tunc disseruit filijs & nepotibus suis de constructione monasterij Northusanensis, & quasi angeretur timore, vt inceptum opus non posset perficere; tandem sic ait lacrymis perfusa: Istud monasterium nostræ ædificationis extremum est opus, vt æstimamus, ætas nostra ad laborandum est fragilis. Insuper ceteris distribuimus monasterijs possessiones & rerum facultates: quapropter commendamus vobis omnibus, vt inceptum opus perficiatis; quia inchoauimus pro animâ nostri Domini, & carissimi filij Henrici, nec non pro regni stabilitate, & virorum omnium incolumitate. Ad hæc Imperator Otto coram omnibus respondit: Deus secundet vestra cœpta:

i

commendat monasterium Northusanum:

F nostra non deerunt auxilia: quin etiam cohortamur filium nostrum Ottonem, & ceteros nostros nepotes, vt illis subsidium præbeant, quamdiu viuent. Posteà pariter perrexerunt in ciuitatem Northusanensem, ad videndum ipsam congregationem. Tunc Deo dilecta Regina sanctimoniales conuocari præcepit, & omnes Imperatori commendauit. Illa autem omnes placido animo & hilari vultu suscipiens, Deo commendauit, dicens: Sancta Dei Genitrix Virgo Maria cælestis Regina illas clementer suscipiat, vt Deum solum præ omnibus diligant, & illi totâ mente deseruiant, non pro appetitu humanæ laudis, sed solo desiderio æternæ remunerationis. Ad hæc precamur, vt filij nostri ac nepotes tali misericordiâ commoueantur erga has sanctimoniales, vt quamdiu remaneat vna scintillula nostræ sobolis, illis numquàm desit adminiculum consolationis. Tunc pro se suorumque salute parentum vel nepotum hæc omnia iterando firmabat, insuper & illa addidit, quæ mater desiderauit.

ad quod visendum cum illo abit:

27 Posteà septem dies in eadem ciuitate commorabantur, & sancta Regina filio commendauit quamplurima, quasi in hoc mortali corpore vlteriùs eum non esset visura. Vt autem dies illuxit, quo Rex abire decre-

A decreuerat, manè surgentes in longum produxêre sermonem multùm lacrymantes. Pôst ingressi sunt ecclesiam, pariter audituri Missam, & venerabilis Regina hilaritatem vultu simulabat, sed magnum dolorem corde premebat. Finitâ autem Missâ, filium talibus verbis iterum est aggressa: Fili mi carissime, sedulò inducite vestræ memoriæ omnia, quæ in hoc loco commendauimus fidei vestræ: sæpe hic iucundè viximus, & de periclitatione partus nos eripuit Deus. In hac ciuitate fratrem vestrum Henricum procreauimus, quem propter paternum nomen nimiùm dileximus, nec non & hîc nata est soror vestra Gerbirg. Ergo quia per intercessionem S. Mariæ Virginis in hoc loco bis enauigauimus angustias partus, huius monasterij fundamentum posuimus, & maximè pro animâ vestri genitoris & fratris & pro incolumitate vestrâ, sicut suprà memorauimus. Quapropter conuenit, vt quoties horum memineritis, propter nos maiorem compassionem in hoc loco commorantibus exhibeatis. Ad hæc, vt opinamur, extrema collocutionis verba hîc inter nos sortimur. Quid plura? Hæc vltima vestræ matris visio, huius monasterij sit admonitio.

EX MSS. discessuro dat vltima monita:

B Tunc Imperator compunctus corde, promisit se omnia impleturum, quæ postulauerat. Deinde pariter egressi ecclesiam substiterunt ante ianuam, & amplectentes se inuicem, fletus vtrorumque humectauit faciem. Postquàm autem oscula mutuò dederunt, omnes qui aderant lacrymas fundebant. Regina verò in ipsis foribus sistens gradum, euntem filium deducebat ad equum, claro intuitu oculorum. Exin ecclesiam ingressa, propriè ad locum contendit, in quo Imperator, dum Missa cantabatur, steterat, & flectens genua, abeuntis filij lacrymando deosculabatur vestigia. Hæc vt vidit Witigo Comes & ceteri, qui adhuc substiterant, milites, gemitu perculsi exierunt, & hæc Imperatori dixerunt. Qui statim ab equo desiliens ad ecclesiam reuertebatur ingemiscens, & ingressus inuenit illam adhuc in eodem loco orantem & multùm lacrymantem, statimque pronus in terram cadens, ita locutus est: O venerabilis Domina, quali seruitute has lacrymas vobis possumus rependere, iterumque aggressi perpauca dixerunt voce lacrymabili. Postremò venerabilis Regina sic ait: Quid vobis prodest diutiùs morari, quamuis nolentes, cogimur tamen ab inuicem diuelli, & vos intuendo dolorem non minuemus, sed potiùs augmentabimus. Ite iam in pace Christi: nostram faciem vltrà non videbitis in carne mortali, vt æstimamus. Nil prætermisimus, sed vestræ fidei commendauimus omnia, quæ mente

deducit ad equum,

vestigia eius in ecclesia osculatur;

deò eo reuerso

renouat antè dicta.

C gerebamus. Tantùm animæ nostræ hæc munera remittite, vt hunc locum sedulò inducatis vestræ memoriæ. Imperator verò inde pergens, peragrauit alias vrbes Thuringiæ regionis, posteà iterum k Romam perrexit filio suo secum comitante.

a *Frosa oppidi ad Albim descriptionem & sculptam imaginem exhibet Merlinus in Topographiâ Saxoniæ inferioris pag. 84. Eo in loco ab Henrico Aucupe constitutum fuisse Episcopatum, dein ab Ottone I. Magdeburgum translatum, tradit ex Chronico Mindensi MS. Meibomius ad VVitichindum pag. 57.*

Frosa oppidum.

b *Henricus iste Bauariæ Ducatu aliquamdiu pulsus, dein restitutus.*

c *Hic est S. Henricus, istius Henrici filius, alterius anno. 955 defuncti nepos & S. Mathildæ pronepos*

d *Euocatus à Ioanne* XII *Papâ, qui præfuit Ecclesiæ ab anno 956, creatus 9. Ianuarij.*

e *Guilielmus filius Ottonis* I, *Archiepiscopus Moguntinus, cui vt ait Regino ad an.* 961 filium Ottonem in Regem electum tuendum & nutriendum commisit.

f *Papiæ celebrauit Natalem Domini, indeque progrediens Romam, anno 962 Imperator & Augustus ordinatus, & regressus, Pascha celebrauit Papiæ. Vbi proximum Natalem Domini & Pascha anni 963 etiam celebrauit, at die Natali istius anni fuit Romæ, & Paschate anni 964 in Camerino Ducatu, vti Natali Christi iterum Papiæ. Inde in Germaniam est regressus anne 965. Quæ pluribus apud Reginonis continuatorem leguntur.*

Otto fit Imperator.

g *Northusia vrbs Imperialis in Septemtrionali Thuringiâ, in confinijs Comitatuum Hohensteinij & Stolbensis.*

h *S. Bruno fratri Ottoni Imperatori VVormatiæ occurrit in festo Purificationis anno 965. & Paschate Ingelhemij celebrato,* inde nauigio Coloniam attingens, matrem suam Mathildam, & sororem suam Gerbirgam Reginam, filiumque eius Regem Lotharium sibi obuios condigno ibi amore & honore tractauit. *Ita Reginonis continuator. Fuerat Gerberga nupta Ludouico Transmarino, Regi Francorum, quo defuncto anno 954 successit Lotharius.* D

i *Baldericus* XV *Episcopus Vltraiectinus fuit annis 59, grandæuus mortuus anno 977: apud eum Vltraiecti vixisse S. Brunonem latè in huius Vitâ traditur.*

k *Anno 966 Assumptionem S. Mariæ Virginis VVormatiæ, posteà in Italiam profectus, Romæ Natalem Christi celebrauit.*

CAPVT VI

Mors præuisa: morbus, obitus, sepultura.

28 Iam iam appropinquauit hora multis luctuosa, in quâ Deus animam inclytæ Reginæ de carnis ergastulo voluit dissolui, vt perciperet præmium laboris, & gloriam æternæ remunerationis. Per circulum a totius anni laborabat ægrotatione graui, sed tamen circuibat loca regalia, quamuis deficerent corporis vires. Cùm autem peragrasset ciuitates Saxoniæ regionis, & quæque necessaria singulis impendisset monasterijs, iterum Northusanensem ciuitatem adijt, quam nimiùm dilexit, vt videret Richburgam, quam nuper constituerat Abbatissam. Statim autem vt venit, hanc ad se vocari præcepit, multa interrogans de congregatione sibi commissâ. Posthæc ipsa monasterium ingressa, diligenter inuestigauit, quali studio disciplinæ vnaquæque fuisset exercitata. Nam ex quo primùm monasterium construxit, hanc consuetudinem semper habuit, vt ipsa scholam intraret, & singulorum studia intentè pernosceret: quia sibi fuerat hoc munus gratissimum, videre vel audire cuiusque hominis profectum. Tunc commorabatur in eadem ciuitate, à tempore autumni, vsque ad festiuitatem Natiuitatis Christi. Post solennitatem verò sancti Apostoli Thomæ iterum Abbatissam ad se vocauit, & hunc sermonem cum ipsâ habuit: O nobis semper fida, & nostrorum laborum maximè conscia, iam cognoscimus frequentiâ infirmitatis, nostræ dissolutionis diem nobis appropinquare; & ideò expedit nobis hinc iter accelerare, ne hîc præueniat nos vltimus dies præsentis vitæ. E

a Visitat monasteria,

præcipuè Northusanum,

Abbatissæ prædicit suum obitum, & indicat discessum,

F Econtrà Abbatissa præ singultu & lacrymis primò reticuit, & paullò pôst sic ait: O amabilis Domina, quid sibi vult prophetia? Cur nobis tam triste malum prædicitis, aut cui nos desolatas relinquitis? Speramus enim, vt Deo propitiante nondum tale quid eueniat. Verùm quia versatur in dubio, quorsum protendat hæc vestra ægritudo, humiliter vos petimus, vt hîc maneatis per aliquod tempus, vsque dum videamus, si Deo donante leniatur vester morbus, vt, si graue infortunium eueniat, quòd mors nostræ saluti inuida, nos vestrâ vitâ destituat, saltem hac consolatione respiremus, vt in hoc loco nobiscum requiescat vestrum amabile corpus. Tum Deo dilecta Regina, hæc responsa dedit: Hæc iam pridem à nobis fuerant præcogitata, & quantum nobis placuisset nostrum corpus in hoc sepeliri loco, si prædestinatum esset à Deo, vt filij nostri Ottonis & aliorum nostrorum nepotum erga vos maior esset procuratio. Sed hoc haud consentiri pertimescimus, quia Dominus noster Henricus in Quitilingburc requiescit, iuxta quem oportet, nos commendari sepulturæ, & diem vltimum exspectare. Nunc autem si in hoc loco eueniret obitus noster, grauius coangustabitur vester animus, & inferetur vobis calumnia despectionis, si mortuum corpus vobis auferetur inuitis. Hæ igitur caussæ admonent nos, hinc

vt Quitilingburgi moriatur,

vltima dat monita.

A hinc iter accelerare. Quid plura? Deum semper diligite, nec alium præter eum amatorem admittite, sed semper totâ mente ipsius famulatui intendite. Estote in oratione peruigiles, & in sancto proposito permanentes. Memores estote animarum, pro quibus hoc posuimus monasterium, insuper & nepotum nostrorum, adhuc mortali in vitâ degentium, nec non mentionem nostri facite: nam neminem vltrà videbitis vobis placabiliorem. Commendamus vos Deo orphanorum Patri & S. Mariæ Virgini & Sanctorum intercessionibus, quorum reliquias hîc collocauimus. Non turbetur cor vestrum, sed spe tendite in Deum, quamuis enim corpore simus absentes, amore tamen semper vobis præsentes erimus.

b 29 Igitur discessit Deo dilecta Regina de ciuitate Northusanense in b xi Kalendas Ianuarij, & maximum mœrorem reliquit illic commorantibus sanctimonialibus, quas semper materno dilexit amore: quia illam in hoc mortali corpore, prô dolor! vlteriùs non erant visuræ, quæ illarum fuit honor, lætitia, decus, & gloria. Tunc in Quitilingeburc properabat, vbi Deus sanctam animam de carnis ergastulo dissolui præordinauerat: ibique nimiâ ægritudine correpta, vsque B ad obitus diem infirmabatur. Appropinquante autem dissolutionis die, ad se vocari præcepit suprà memoratam Abbatissam Richburgam, cui omnia eius secreta tunc fuerant notissima, vt diem obitus sui illic exspectaret, & in extremis, sicut anteà, fideliter ministraret. Sentiens autem sancta Domina diem vltimum sibi aduenire, Episcopis & Presbyteris omnem censum erogabat, quem vtilitati pauperum nondum accommodauerat, & munificâ manu inter monasteria diuidebat; illud recondens in memoriâ, quod Euangelica præcepit Scriptura: Vende omnia quæ habes & da pauperibus. Cùm igitur innumera confluerat multitudo, ægrotantem Reginam visitare; venit & c Wilhelmus, Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, & quamuis Deo iubente prior mortem esset subiturus, tamen aggreditur Sanctam Dei, verba consolationis ministraturus; obiturus visitauit obituram, & suæ mortis nescius, consolabatur modicû post se victuram. Beata verò Regina, Episcopû vt vidit, hilari eû vultu & perquàm familiari suscepit affatu: Non dubitamus, inquit, vos nunc ad nos dirigi; nam nemo nobis familiarior, & ad hoc opus poterit esse acceptior; quandoquidem nobis hæc assumpta est spes, vt dilectus filius noster d Bruno maneret superstes, vsque dum nostra extrema videret, & corpus terræ commendaret. Nunc autem primùm audite nostram confessionem, & date nobis remissionem, per potestatem quæ vobis tradita C est à Deo & S. Petro Principe Apostolorum, & tunc intrate Ecclesiam, & cantate Missam pro peccatis & negligentijs nostris; insuper pro animâ Domini nostri Regis Henrici, & pro omnibus fidelibus Christianis, viuis & defunctis. e Completâ autem confessione, Episcopus intrauit ecclesiam, omnia implens quæ Regina desiderauerat. Finitâ Missâ, rursum intrauit cubiculum, & iterando dedit illi remissionem peccatorum. Postmodùm perunxit eam sacrato Oleo, & recreauit sacrosancto Corporis & Sanguinis Christi mysterio. Tunc inibi commorabatur per triduum, quia credebat iam iam imminere eius obitum. Quarto autem die cùm intelligeret, diem dissolutionis nondum instare, ad ægrotantem Reginam accessit, & eundi licentiam postulauit, plangens fletu inconsolabili, quia sentiebat eius infirmitatem minimè leniri; sed, si mœroris asperitas animo vllas remitteret inducias, non dolere quin potiùs deberet gaudere; quia Sanctæ Dei anima recessura de corpore, de labore ad requiem creditur peruenire. Sancta autem Domina & Episcopus colloquebantur inter se plurima, quæ enumerare sunt perlonga.

ægra excipit Ar. bispi corpum Moguntinum,
Luc.18,22
ei confitetur peccata,
accipit extrema Sacramenta:

f 30 Interim f Regina ad se vocauit Abbatissam Richburgam, interrogans si quid sibi superesset, quod D Episcopo dare posset. Illa verò respondens ait: Quid vobis dilectissima Deo potest superesse, omnia vestra in necessitates pauperum distributa sunt. At illa, Vbi sunt, inquit, pallia, quæ nostræ sepulturæ iussimus abscondenda, illa nobis præsententur, vt nostro nepoti in pignus amoris donentur: nam ipse prior nobis his indiget, vt putamus, quia iter difficillimum est incepturus: semper enim versatur in dubio, quò se vertat instabilis fortunæ conditio, vel ad quos labores miseros pertrahat homines. Cùm autem noster obitus euenerit, hoc prouerbium in nobis potest adimpleri, quod ore vulgi dici solet, propinqui sæpè inuenient nuptialem vestem & lugubrem. Interim dum hæc loqueretur Regina, venit Abbatissa afferens pallia: at illa hæc accipiens dedit Episcopo, & ait: Hæc munera nostri sint monumenta. Et cùm hæc accepisset Episcopus, gratias egit, & eam benedicens recessit. Conuersus autem ad circumstantes, cum silentio sic locutus est, Hinc in Raduluerоth tendimus, & g vnum ex Clericis nostris hîc relinquimus, vt si Dominæ nostræ obitus eueniat, citò ad nos redeat, & nobis annuntiet, vt iterum veniamus, & decenti honore corpus terræ commendemus. Regina E verò caput erigens, quasi Episcopus hæc ad se dixisset: Non est opus, inquit, vt hic relinquatur, sed vobiscum potiùs proficiscatur: vos illo plus indigetis in comitatu vestri itineris. Ite in pace Christi, quocumque voluntas ipsius decreuerit. h Episcopus autem inde in Radulueroth pergens, ibique medicinalem accipiens potionem, subitaneâ morte defungitur. Euntes autem nuntij hæc in Quintilingeburc indicabant. Cùm autem omnes dubitarent, qualiter hæc Reginæ indicarentur, ne infirmitatis eius asperitas adaugeretur, i venerabilis Christi famula quasi spiritu prophetiæ illustrata lacrymabiliter subridens, ait: Quid intra vos murmuratis? & cur triste malum nos celare desideratis? Nouimus enim Wilhelmum Episcopum de hoc mundo migrasse, & hoc est magnus cumulus infirmitatis nostræ: præcipite signa ecclesiæ pulsari, & pauperes congregari, vt eleemosynas accipiant, quæ pro animâ eius ad Deum intercedant. Posthæc duodecim dies mortalis vitæ spiritum duxit.

31 Sancto autem Sabbatho, in quo Christi famula recessura erat à seculo, vt primùm persensit lucescere, omnes in cubiculo secum commorantes admonuit de somno surgere, vt Presbyteros & sanctimoniales conuocarent, & quæ agenda essent, agerent. Cùm ergo innumera vtriusque sexus multitudo conueniret, præcepit Sancta Dei nulli introitum F prohiberi. Igitur omnibus introgressis, salutaribus monitis illos instruxit, dicens: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ iustâ, declinate à malo & facite bonum, vt extremâ horâ vestræ animæ ab insidijs diaboli eripiantur, & æterna vobis præmia à Deo donentur. Posthæc præcepit, vt omnes exirent in pace Christi, nisi qui necessaria sibi essent ministraturi. Tunc ad se vocauit suam neptulam Abbatissam Mathildam, filiam Ottonis Imperatoris, salutaria illi dans monita, vt esset pia & humilis, prudens & cauta, ac sibi commissum gregem custodiret, & vt monasterium rarò egrederetur, ne secularibus dedita, à Christi seruitio impediretur. Dedit etiam ei in manum Computarium, in quo nomina defunctorum Procerum scripta erant. Cōmendauit illi Domini sui Regis Henrici animam, commendauit & suam, & omnium fidelium, quorum memoriam recolebat. Nouissimè autem Richburc Abbatissa mœsta processit, & genuflexo in terram pedes Reginæ lacrymando amplectitur, ita inquiens; Domina mihi carissima, cui relinquitis congregationem desolatam: super quam me

EX MSS.
sepositam ad sepulturam suam donat ei vt priùs moriturus:
eum subitò extinctum nouit:
monita dat Sacerdotibus & sanctimonialibus,
& nepti Abbatissæ.

A *EX MSS.* me indignam constituistis. Abbatissam: difficile enim est seruare gregem commissum, quia vestrum aberit subsidium. Sancta verò Regina super hæc verba commota, dixit: Summo vos commendamus Defensori: non relinquimus vos alienis sed filio nostro Ottoni, alijsq; nostris nepotibus. At illa ait: Versatur nobis Domina in dubio, quò se vertat animus illorũ. Cùm ergo Abbatissa amarè fleret, & consolationis verba expeteret, Regina mœrorem eius lenire cupiens. ait: Quò spes nostra tendenda, quò animus noster dirigendus nisi ad Deum? Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Credimus filium nostrũ Ottonem prioris promissi haud immemorem, vobis impendere solamen. Quicumque autem possessionem ecclesiasticam ex nostrâ parte vestræ necessitati traditam iniustâ despoliatione scindit vel comminuit, prouideat quid respondeat: contrà verò quisquis munit vel auget, à Deo fideli remuneratione dignam mercedem recipiat.

flentem consolatur: Luc. 12, 31

32 Posthæc verba præcepit Presbyteros & sanctimoniales propiùs accedere, vt eius confessionem audirent, & sibi à Deo remissionem postularent. Quo facto, iussit Missam celebrari, & corpus Christi sibi afferri, vt per sacri mysterij communionem securiùs euaderet callidi hostis læsionem. His omnibus ritè peractis, sibi astantes admonuit: vt Psalmos vigilanter decantarent, & Euangelium legerent, vsq; dum anima iussu Dei de corpore discederet. Posthæc nullũ verbum protulit, sed oculis eleuatis, & manibus expansis animo & spiritu in cælum intendit. Appropinquante autem horâ nonâ iussit cilicium humi poni, & corpus moribundum suprà collocari, proprijs manibus imponens cinerem capiti: Non decet, inquit, Christianum nisi in cilicio & cinere mori. Dein sanctæ Crucis se muniens signaculo, cum pace & requie k obdormiuit in Domino II Idùs Martij. Vt rectissimè potuit inuestigari, anima Sanctæ Dei egressa est de corpore in ipsâ horâ diei, quâ semper consuetudinem habuit pauperes recreare in nomine Domini diebus Quadragesimæ. Cùm autem corpus lauissent, & ad ecclesiam detulissent, venerunt nuntij Reginæ Gerbergis, filiæ venerabilis Dominæ Mathildis, afferentes pallium auro intertextum, aptum, coopertura loculi. Tunc electæ Christi famulæ prophetia in omnibus fuit adimpleta, & de transmigratione Archiepiscopi Wilhelmi, & veste lugubri.

sumptâ sacrâ Eucharistiâ, B *in cinere & cilicio facto signo Crucis moritur* k

33 Igitur sepeliērũt corpus in basilicâ S. Seruatij, iuxta sepulcrum Regis Henrici cum magno honore, vbi ipsa decreuerat requiescere, & diem iudicij expectare. Ergo discessit è corpore nobilis genere, nobilior moribus & sanctitate, senex & plena dierum, omnibus suis posteris bonum relinquens exemplum. Cum honore enim præsentem vitam duxerat, D & cum honore de mundo migrabat, & quidquid temporaliter vixerat, in bonis operibus consummabat. Non est enim mortua credenda, cui, vt speratur, reddita est iustitiæ corona: quia temporaliter viuens, omnes desiderauit saluos esse, & neminem de grege Christi perire. In profectu cuiusque hilaris, in aduersitate autem pertristis: erga omnes pia & compassibilis, exceptis vitijs, quibus non compassio sed rectitudo debetur. Multorum festiuitates Sanctorum in ecclesiâ celebrantur, quorum meritis non impar est, vt speramus, & à quorum societate non separabitur in æternâ beatitudine. Verè fuerat dignum templum, in quo Dominus habitauerat, ieiunijs castigatum, orationibus refectum, puritate mundatum. Sed quid de eius laude dignè potest dici? Dominus in illâ laudetur, & ipsa in Domino: ipse enim est laus ipsius, cuius laus ab eius ore numquàm recessit: cui est honor & gloria, decus & imperium in secula seculorum. Amen.

C & sepelitur. *sanctis an numeranda*

a *Annus hic erat partim 966, partim 967.*

b *Is est 22 Decembris, postridie S. Thomæ anni 967.*

c *Minus MS. Bauaricum apud Serarium pag. 688 ista sic refert:* Audiens VVilhelmus Præsul Moguntinus auiam suam Mathildem infirmari in Quitiligenburg aduenit, & obiturus visitauit obituràm: & suæ mortis nescius, adijt post se in præsenti vitâ non diu victuram. Quem beata mulier vultu hilari suscepit. E

d *Mortuus est S. Bruno V Idus octobris anno 965.*

e *Idem minus MS. ista etiam sic habet:* Post aliqua inuicem collata, peccatorum confessionem faciens, indulgentiam ab ipso percepit. Mox Archiepiscopus, sicut illa præcepit, pro eius peccatis, nec non pro animâ Domini sui Henrici Missam celebraturus, in Ecclesiam intrauit. Quibus expletis perunctam auiam Oleo sacrato, participauit Corporis & Sanguinis Christi mysterio, manens cum ipsâ per triduum. Cumque intelligeret nondum è carne soluendam esse, eundi licentiam postulauit

f *Idem MS.* Christi famula interrogans... Richburgam si aliquid superesset, quod Archiepiscopo dare potuisset; nihil superesse didicit, nisi pallium, quod superponendum feretro suo iusserat reseruari. Illud, inquit, affer vt nostro nepoti, in pignus amoris donetur. Ipse enim me prior illo indiget, vt putamus, quia iter difficillimum est inchoaturus. Quo accepto, Archiepiscopus gratias retulit, eamque benedicens recessit.

g *Eadem sed parum contractiùs in dicto MS. leguntur.*

h *Idem MS.* Anno 968 Archiepiscopus inde in Raduleroth profectus est, vbi medicinalem potionem accepit, moxque repentinâ morte obijt.

i *Paullò aliter in dicto MS. ista referuntur.* Eo defuncto, auia eius Mathildis sancta nullo adhuc certificata nuntio, ipsius obitum cunctis præsentibus intimauit: Filius meus, inquiens Guilielmus, prô dolor! expirans memoriâ indiget salutari. F

Idem MS. Superuixit posthæc XII diebus S. Mathildis, & pridie Idus Martij Sabbato primæ hebdomadæ Quadragesimæ obijt: *siue Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ: quia anno 968 bissextili cyclo Lunæ 19, Solis 25 litteris Dominicalibus E D, quo Pascha celebratum XIX Aprilis.*

DE B. ARNALDO ABBATE

PATAVII IN ITALIA.

EX VARIIS

ANNO MCCLIV. XIV MAR. In S. Iustinæ Patauinæ ecclesia,

1  *E illustri S. Iustinæ Patauinæ Virginis ac Martyris monasterio, quod multis seculis S. Benedicti sacer Ordo tenuit, magnæque illius Ordinis per Italiam portioni ad primæuum instituti vigorem reuocandæ initium dedit, unde & Congregationi S. Iustinæ factum est nomen: de hoc, inquam monasterio agens Bernardinus Scardeonius;* Hîc quiescunt, *inquit*, corpora Sanctorum, Diuæ Iustinæ, D. Prosdocimi, D. Maximi, Beatorum Vrij, Rainaldi & B. Iacobæ, trium Innocentum & ossa innumerabilium Martyrum. *Quæ veneranda reliquiæ per varias publicæ aut priuatæ rei calamitates occultatæ, biennio denique, postquàm hæc Scardeonius anno* MDLX *Basileæ secundâ editione vulgasset, in lucem prolatæ sunt, & celebri pompâ per urbem circumlatæ, ut apud Arnoldum VVion parte 2. ligni vitæ lib. 3 ad hunc diem plenius videre licet: habuit enim ex eo tempore tota illa Benedictinorum congregatio diem hunc inter Ordinis festa adscriptum, ut testantur Breuiaria Casinensia, ex ijsque Ferrarius, Menardus, Dorganius, Bucelinus: sed omnes pro B. Iacobâ,*

translatio reliquiarum anno 1562.

A *tobâ, toti Patauinæ historiæ ignotâ, S. Felicitatem habent die* XXVI *Martij recolendam: & pro Raináldo Arnaldum Abbatem: præeunte omnibus in hæc verba VVione*: Patauij translatio sanctorum Arnaldi Abbatis, Vrij monachi, Felicitatis Virginis, & aliorum (*qui autem hîc Vrius, idem in vetustioribus monumentis nuncupatur* Iulianus. *D. Iustinæ festum* VII *Octobris agitur, S. Prosdocimi* VII *Nouembris, S. Maximi* II *Augusti*, XVII *verò huius mensis, quo die B. Vrij natalis recurrit, de quorumdam inuentione agemus & canonizatione per Leonem* IX *ab Arnoldo VVione perperàm extensâ ad hunc B. Arnaldum: cuius quia dies natalis nusquam inuenitur, hunc communem omnibus Translationis diem vni ipsi specialiter attribuemus. Pluribus de eo agit prædictus Scardeonius fol.* 119, *postquàm egisset de B. Iordano Forzateo, sub Acciolini tyrannide passo, ad annum Christi* MCCVIII, VII *Idus Augusti, quando eius commemoratio summâ cum veneratione in æde S. Benedicti recolitur. Verba Scardeonij hîc exhibemus.*

in quibus B. Arnaldi corpus,

qui ibidem Abbas,

2 Sequitur & vitæ disciplinâ, & calamitatum angustiâ Iordano par B. Arnoldus, Abbas D. Iustinæ: vir, vt aiunt, omnium horarum, & tam in priuatis quàm in publicis rebus æquè strenuus: qui licet ex nobili familiâ Cathaneâ & regiâ stirpe Comitum Liminæ clarus B esset: multò magis tamen virtute animi & vitæ sanctitate quàm natalium generositate perfulsit. Is cùm tam nobilis & carus omnibus haberetur, impetrauit à Republicâ Patauinâ pro monachorum vtilitate fossam iuxta monasterium, cui præerat, effodi, & in eâ molentrina fieri mirabili artificio concinnata. Postmodùm autem, oppressâ Republicâ, fugiens Acciolini tyrannide, primò Atheste profectus est, deinde Rauennam; veritus ne sibi accideret, quod & Iordano & compluribus alijs viris religiosis: & illic clanculò, à notis omnibus sese subtrahens, latuit, vsque ad Frederici Imperatoris aduentum: quem apud Montem-Silicem supplex adijt, & eius Curiam per duos menses secutus est. D Tandem intercedente Duce Saxoniæ, & abbatiæ & honori pristino restituitur. Verùm cum insatiabilis & impia tyranni auaritia pati nô posset tantorum redituum iacturam, vbi primùm Imperator abscessit anno millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, Arnoldus captiuus in carcerem trahitur, & Asili, quod est oppidum Taruisinum, acerbè in vinculis affligitur: vbi patienter sustinens vincula & carcerem per octo annos, tandem migrauit liberatus ad Dominum, anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto; ætatis verò suæ septuagesimo: & ad eam vsque ætatem (quod paucis admodùm contingit) in virginitate perdurans, in omni virtutum genere claruit. Meritò ergo hunc Beatum appellamus, & Martyrum numero commiscemus. Sepultus est in basilicâ D. Iustinæ, vt vbi viuus non inuenit requiem, saltem mortuus requiesceret: in eâdem autem arcâ repositus fuit, in quâ eiusdem generis & eiusdem monasterij duo alij Abbates, Iacobus & Odoricus iacebant: vbi legitur hoc epitaphium:

& sub Acciolini tyrannide fugitiuus,

atque octenni carcere maceratus,

an. 1254

duobus Abbatibus consanguineis consepelitur,

E
Inclyta gens Liminæ, regalia stemmata quondam,
Edidit Abbates, quos tegit vrna, duos.
Christe, precor, Iacobum cælo tua lustret aperto
Lux: & Odoricus sit super astra simul.

3 *Credibile est temporariam dumtaxat eam fuisse sepulturam, & redditâ reipublicæ tranquillitate, seorsim ei vt Martyri, ac specialem religionis cultum promerito monumentum erectum, aut ritè translata in lipsanothecam ossa fuisse, quæ anno* MDLXII *contigit reperiri cum aliorum Sanctorum corporibus, non autem cum prædictis Iacobo & Odorico.*

pacata Republica eleuandus.



XV MAR-

XV MARTII

SANCTI QVI IDIBVS MARTII COLVNTVR.

Anctus Aristobulus Apostolus, Episcopus in Britanniâ.

S. Longinus Miles, S. Longinus Centurio, Socij duo, } Martyres in Cappadociâ.

S. Menignus Fullo Martyr, Parij in Hellespopnto.

S. Lucius Episcopus, S. Fausta, S. Siluius, S. Ingenuus siue Ingenua, S. Ianuarius, } Martyres Nicomediç.

S. Paulus, S. Saluator seu Solutor, S. Alexander, S. Theophilus, S. Theodolus, S. Octauius, S. Petronius, S. Manilus, } Martyres Carthagine in Africâ.

S. Nicander, Martyr Ægyptius.

S. Constantius, S. Felicianus, } Martyres Romani Antuerpiç in Belgio.

S. Matrona Virgo & Martyr, Barcinone in Hispaniâ.

S. Matrona Martyr Thessalonicæ.

S. Matrona, regia Virgo Lusitana, iuxta Capuam in Italiâ.

S. Magorianus Confessor, frater S. Vigilij Episcopi, Tridenti in ditione Subalpinâ.

S. Speciosus monachus Benedictinus, Tarracinæ in Italiâ.

S. Tranquillus Abbas S. Benigni, Diuione in Burgundiâ.

S. Probus Episcopus Reatinus in Italiâ.

S. Zacharias Pontifex Romanus.

B. Valerius, Archiepiscopus Rauennæ in Italiâ.

S. Leocritia Virgo, Martyr Cordubç in Hispaniâ.

S. Sisebutus Abbas, Caradignæ in Hispaniâ.

B. Monaldus, B. Franciscus, B. Antonius, } Martyres ex Ordine FF. Minorum, Arsengæ in Armeniâ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.

Ancti Nicandri Apostoli certamen. *Ita Menologium iussu Basilij Porphyrogeniti editum: alibi est* Nicander Apostolus *ignotus, nisi fuerit* S. Nicanor *vnus è septem primis Diaconis: de quo egimus* x Ianuar.

S. Habet-Deus Episcopus Lunensis, *inscriptus Martyrologio à VVitfordo Anglicè scripto. De eo egimus* xvii Febru.

S. Aldetrudis Virginis & Abbatissæ Malbodij, *aliqua hoc die mentio fit in additionibus MSS. ad Vsuardum Greuenum, quæ Bruxellis in Cartusiâ adseruantur. Eius Vitam dedimus* xxv Februarij.

Paula Baptistç Mezauacchç, B. Catharinç Bononiensis socia *satis religiosè iuxta eiusdem corpus asseruatur, & passim* Beata *dicitur, atque vt talis refertur ab Antonio Pauli Masini in Bononiâ perlustratâ: quod quia necdum scimus ab Ecclesiâ probatum, supersedimus de eâ agere hoc die: maximè cum de eâ nihil scribendum occurrat, quod non sit dictum in eiusdem B. Catharinæ Vitâ* ix Martij.

Fethno S. Columbæ socius ad conuersionem Pictorum *refertur in 2 editione Martyrol. Ang. De eo egimus inter Prætermissos* xii Martij.

S. Martialis Martyr *colitur in S. Antonij Archicœnobio in Galliâ ob reliquias vel corpus eodem translatum; de eo alijsque communiter egimus* xiii Martij.

Saluius, Saturninus, } Martyres *miscentur in MS. Tamlactensi inter Nicomedienses, videntur transferendi ad alios itidem Nicomediæ passos* xiii Martij.

Aphrodisius Commentariensis cum S. Longino passus *apud Hermannum Greuen in auctario ad Vsuardum; & expressiùs Ado alijque ex Adone* cum eo coronatum *scribunt: linguæ abscissione cruciatũ fuisse constat ex Actis: sed quia penè æquè certò ex ijsdem colligitur non consummasse Martyrium, satis esse credimus eius hîc meminisse.*

Reguli *nomen reperitur in vnico MS. S. Hieronymi in fine, deest in alijs tribus exemplaribus. In MS. Tamlactensi legitur etiam* Efiro Reguli & aliorum iv. *An Epirus intelligenda? omittimus dum clarior lux affulgeat.*

Spinosi *nomen insertum eidem Tamlactensi Martyrol. alibi hactenus ignotum.*

S. Iuliani in Nicomediâ *refertur in MS. Kalendario. De eo ad Martyres Nicomedienses mentio fit.*

Artebius ex anachoretâ Episcopus in Pamphiliâ, *refertur à Petro de Natalibus lib. 11 cap. 58, inter eos, quorum diem ignorauit. Eum more suo coniecit in hunc diem VVitfordus in Martyrol. Anglicè edito.*

S. Eusebius ii Episcopus & ciuis Vercellensis circa

annum

annum 520 S. Eusebij Prædecessoris exemplo, muneris Episcopalis partes summâ diuinæ caritatis testificatione agere studuit. *Ita citatis Ecclesiæ picturis liber de Vitâ & rebus gestis à Ioanne Stephano Ferrerio Episcopo Vercellensi collectus. Hunc Eusebium hoc die refert Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum. Nos certè Vercellis aliud nihil potuimus scire. In Litanijs etiam Ecclesiæ Vercellensis anno* 1581 *cum Officijs proprijs excusis nulla fit mentio nisi S. Eusebij Martyris.*

Tres filij Nessani, Dichullus, Munissa, Nesbugius, Tres filiæ Elsini, & Eugenius, *locum tenent in hodiernis Hibernorum Fastis: ex his tres priores Colganus commemorat, additque ex Mariano cognomen* de Inis-fatlein, *ex Ængussio verò & Kalendario Casselensi (in quo solius primi nomen exprimitur)* de Inis-Nessain *in Bregijs: quin & putat* Inis-mac-Nessain *fortasse rectius scribendum: deinde huc refert quæ de quodam* Dichollâ Abbate in Cluain-mor *habentur in Actis S. Maidoci* XXXI *Ianuarij: quasi hic certò esset vnus è tribus, quod nobis non probatur.* Elsini *aut* Filiarum *eius nusquam alibi mentio.* Eugenij *nomen sæpe in Hibernicis fastis recurrit.*

Petrus Episcopus Vercellensis eius nominis primus, vixit sub finem seculi X, iussu Arduini Regis interfectus, cuius dies obitus Idibus Martij in Kalendario veteri Ecclesiæ adnotatur. *Ita Ferrerius Episcopus Vercellensis suprà citatus, sed absque titulo Sancti & Beati pag.* 153 *&* 255 *de eo agit, & pag.* 241 *in Catalogo Sanctorum & Beatorum eumdem omittit, quem tamen Ferrarius in Catalogo generali refert &* Sanctum ac Martyrem *appellat. In Litanijs Ecclesiæ Vercellensis anno* 1581 *excusis nulla fit mentio* Petri Martyris.

Ioannes monachus in Bona-valle diœcesis Viennensis & Ordinis Cisterciensis *refertur cum titulo* Beati *à Chrysostomo Henriquez & Gabriele Bucelino. Quem inter* Pios *recenset in Martyrol. Gallicano Saussaius.*

Adelbertus à S. Bernardo in Lusitaniam missus, monasterij S. Ioannis de Taroucâ recens extructi Prior, dein Abbas, miraculis clarus, *cum titulo* Beati *inscriptus ab Henriquez Menologio Cisterciensi ad hunc diem, & Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis lib.* 1 *dist.* 10. *Secuti Bucelinus, Tamaius Salazar & Georgius Cardoso. De eodem agunt sed absque titulo* Beati *Manriquez tomo* 1 *Annalium Cisterciensium, Yepez tomo* 7 *Annalium Benedictinorum, Brandao lib.* 3 *Monarchiæ Lusitanicæ, Vasconcellus, alijque qui à Cardoso citantur.*

Milo S. Mariani iuxta Altissiodorum Abbas IV Ordinis Præmonstratensis, genere, virtutibus operibusque illustris in pace quieuit hoc die, anno MCCII. *quem* Beatum *appellat Pagius lib.* 2 *Bibliothecæ Præmonstratensis pag.* 526 *cum Appendice Vitæ, quam nobis integram ex Roberti Altissiodorensis Historiâ MS. submisit D. Petrus de Venier, Pœnitentiarius Ecclesiæ Autissiodorensis; cuius summam humanitatem ipsi coràm in illâ vrbe experti sumus. Verùm Vitam illam, in quâ dicitur* XVI *Kalend. Aprilis obiisse, seponimus, quia Mauritius Pretus in Annalibus breuibus Ord. Præmonstr. solum asserit* inter insignes numerandum, *imò nec Chrysostomus Vander Sterre inseruit Natalibus Sanct. Ord. & Saussaius solum* Pijs *annumerat.*

Walterus Abbas Viconiensis in Hannoniâ, anno 1229 mortuus est: qui cùm ad sepulcrum deferretur, tanta lux diuinitus immissa eius corpus irradiauit, vt religiosi adsistentes eam vix ferre possint. *Ita Miræus in Catalogo virorum sanctitatis opinione illustrium Ord. Præmonstrat. Hunc Natalibus Sanctorum Ord. Præmonstrat. inscripsit ad hunc diem Chrysostomus Vander Sterre. Venerationem Ecclesiasticam ei concessam non esse ipsi in monasterio Viconiensi didicimus.*

Franciscus Reda Ordinis Prædicatorum S. Dominici Messanæ sanctitate & miraculis clarus *memoratur ab Octauio Caetano in Martyrol. Siculo, nullo addito* Sancti *aut* Beati *titulo, ac dein in magno eius opere de Sanctorum Siculorum Vitis omissus.*

Antoninus Episc. Dyrrachinus, Paulus de Prato in Etruriâ, Martinus Fulginas in Vmbriâ, Bartholomæus à Colle in Etruriâ, Martinus Gusmanus Hispanus, Catharina à Mendozâ Hispana, Ordinis Minorum S. Francisci, *cum titulo* Beati *sunt inserti Martyrol. Franciscano Arturi à Monstier. Meminit idem* Catharinæ *in Gynecæo sacro: at* Pauli, *Masinus in Bononiâ perlustratâ, &* Martini, *Iacobillus in Vmbriâ & de Sanctis Fulginatibus. Ab Arturo citantur alij Auctores.*

Maçoldia Virgo sanctimonialis Astæ in Insubriâ *dicitur à Bucelino in Menologio Benedictino, magnâ cum opinione sanctitatis mortua. De cuius obitu citat litteras sibi missas à R. P. Philippo Malabaylâ Visitatore Generali Fulensium. Annus mortis siletur.*

Hilarius Episcopus, Tatianus Diaconus, Largus, Felix, Dionysius, Martyres Aquileiæ: *referuntur in MS. Martyrol. Carmeli Coloniensis, & duo priores in MS. Kalendario S. Maximini. Coluntur* XVI Martij.

S. Ioannes in Rufinianis *memoratur in Menologio iussu Basilij Porphyrogeniti Imperatoris scripto: in Menæis* XVI Martij.

S. Abrahami Eremitæ *meminit hoc die Ferrarius: eius Vitam damus* XVI Martij.

S. Agapius, S. Romulus, S. Publius, S. Timolaus, SS. Alexandri duo, SS. Dionysij duo, Martyres Cæsareæ. *Græci in Magnis Menæis, Anthologio, Menologio, & ex ijs Molanus, Galesinius, Ferrarius. At reliqui Latini cum Martyrologio Romano* XXIV Martij.

S. Leo Papa *memoratur in MS. Adone Leodiensi S. Laurentij, ab alijs pridie, vbi diximus Leonem magnum videri, qui colitur* XI Aprilis.

Iustini Præsulis *memoria habetur in MS. Martyrol. Carmeli Coloniensis. Quis sit ex nudis verbis nescimus conijectare. Colitur Iustinus Philosophus* XIII Aprilis. *& Iustinus Presbyter, alijs Episcopus,* IV Augusti.

S. Iacobus Apostolus frater Domini. *MSS Tamlactense & S. Cyriaci, in hoc proponitur* Carthagine. *In MS. S. Hieronymi inter alios Martyres Carthaginenses refertur. Colitur is* I Maij.

S. Orentij Ausciorum in Nouempopulaniâ Episcopi & Confessoris natalis *celebratur in Martyrologio Hispanico Tamaij Salazar, Catalogo generali Ferrarij & apud Mariettam de Sanctis Hispaniæ, & quæstio mouetur num frater fuerit S. Laurentij. Nos cum Vsuardo, Adone & alijs antiquis de eo agemus* I Maij.

S. Theodulphi Abbatis Remensis corpus ex oratorio S. sanctæ Crucis, ad templum Dominicanorum Idibus Martij translatum fuisse *narrat Browerus lib.* 29 *Annal. Treuir. & auctor Florarij MS. ad hunc diem. Dies eius natalis est* I Maij.

Conleatus Episcopus Sodorensis *memoratur in Menol. Scotico Camerarij citatâ Vitâ S. Brigidæ, sed hæc ibi dicitur eum* elegisse *primum Episcopum in suâ ciuitate Kildarâ. Colganus ad* 3 *Vitam S. Brigidæ num.* 24 *addixerat se de eo acturum* III Maij.

S. Vincentia Virgo & Martyr, Cauriæ in Vettonibus Hispaniæ sub Arianis passa, *refertur in Martyrol. Hispanico Tamaij Salazar & Hagiologio Lusitanico Georgij Cardoso, ex pseudo-Chronico Dextri, in quo ad annum* 424, *dicitur* Lusitana *&* Idibus *Martij* migrasse in cælum, *& volunt de hac Virgine Martyre, non indicato nomine loqui, Gregorium Turonensem lib.* 2 *Hist. Franc. cap.* 2. *Verùm hic tradit eam passam sub Trasimundo Rege, qui* LX *annis circiter serius regnauit, vt de hac non videatur loqui. Sed esto de eadem ageret, non sufficit sola Dextri auctoritas, vt ad hunc diem referatur potius, quàm*

quàm è sententiâ Higneræ à Tamaio citati ad XVI Maij.

S. Maximianus Episcopus Syracusanus, prius Abbas S. Gregorij, *memoratur in MS. Kalendario Benedictino, non tamen antiquo. Est inscriptus Martyrologio Romano* IX Iunij.

S. Iacobus filius Zebedei Hierosolymis *Maurolycus, & plures non factâ mentione* patris Zebedei, *& MSS. Tornacense & Latiense cum Maurolyco eius* Natalem *appellant. Quâ voce omissâ, continetur in MSS. S. Hieronymi, Richenouiensi, Parisiensi Labbei, paruo* S. *Maximini, duplici Leodiensi S. Lamberti & S. Laurentij, in hoc tamen absque vrbe Hierosolymitanâ. Colitur* XXV Iulij.

Cyriaci Martyris natale *annotatur in MS. Martyrol. Treuirensi S. Martini; at* Vigilia S. Cyriaci *in MS. Martyrol monasterij S. Cyriaci, & meliùs, quia die sequenti martyrium passus est. At præcipuum eius festum celebratur die* VIII Augusti.

Theremon Abbas eximiæ perfectionis in Scythiâ, *refertur à VVithfordo in Martyrol. Anglicè edito. Agit de eo Petrus de Natalibus lib. 11 c. 57 citato Heraclide, in quo cap. 35 & apud Palladium cap. 92 Cheremonis monachi subita mors narratur, sed alia habet dictus Petrus. Cheremonem celebrant Græci in Menologio & Menæis* XVI Augusti.

S. Cuthburga vxor Alcfridi, in Angliâ apud Northanhumbrorum prouinciam Regis, quæ ab eo dimissa, apud Berkengum sub Abbatissâ Hildeldâ, dein Winburnæ Deo placitam vitam transegit. *Ita in MSS. additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Vsuardum, verbis ferè ex Malmesburiensi desumptis, appellatur etiam* Virgo electa, *quod descriptum ex Capgrauio. De eâ egimus 6 Febru. ad Vitam S. Inæ fratris ac Regis Occidentalium Saxonum & 6 Martij ad Vitam SS. Kineburgæ & Kineswithæ Virginum, pleniùs de eâ acturi die eius natali* XXXI Augusti.

S. Lucas Euangelista Hierosolymis *MSS. S. Hieronymi, Leodiense S. Lamberti, paruum S. Maximini, Parisiense Labbei.* Natalis *dicitur in MSS. Tornacensi & Latiensi,* Ordinatio *in MS. Tamlactensi.* Memoria Leodij *à Saussayo. At solum nomen* Lucæ Euangelistæ *memorat Ado MS. S. Laurentij prope Leodium. Vita eius danda est* XVIII Octobr.

Albuinus Abbas in Hyensi insulâ, & Thuringorum Apostolus *memoratur hoc die à Dempstero in Menologio Scotico, Ferrario in Catalogo generali, & Colgano ad hunc diem, qui meliùs Episcopum facit. Citatur ab his Trithemius, sed non satis ab ijs lectus, qui lib. 3 de Viris illust. Ord. S. Benedicti cap. 367 asserit* festum eius agi VII Calendas Nouemb. *vti etiam legitur in MS. Seratij in Moguntiacis lib. 3 pag. 502. De eo ergo agendum erit* XXVI Octobris.

DE S. ARISTOBVLO APOSTOLO

EPISCOPO IN BRITANNIA.

Synopsis historica.

§ I *Res gestæ S. Aristobuli à Græcis propositæ: aliorum laciniæ examinatæ.*

SECVLO I XV MART.

1 Enerationi S. Aristobuli *attribuunt plerique Græci diem* XV *Martij, aliqui sequentem. In peruetusto Synaxario quod Græcè extat manuscriptum in collegio Claromontano Societatis Iesu, legitur ad dictum* XV *Martij elogium sequens, ita Latinè redditum.* Commemoratio sancti Apostoli Aristobuli, vnius ex septuaginta, fratris S. Barnabæ Apostoli. Hic post gloriosam & salutiferam ascensionem Domini nostri Iesu Christi sequebatur sanctum Apostolum Paulum, prædicantem Euangelium per orbem vniuersum; eique ministrabat: à quo ordinatur etiam Episcopus in Britannorum regionem, hominum ferocium & crudelium: à quibus aliquando verberibus exceptus, aliquando per forum tractus, multis persuasit, vt ad Christum accederent. Vnde & ecclesiam constituit, in eâque Presbyteros & Diaconos ordinauit, & ita vitam consummauit. *Hæc in dicto Synaxario, quæ paucis de ascensione Christi omissis, continentur in Menæis Græcorum excusis & manuscriptis, vti etiam in Vitis Sanctorum quas hodierno Græcorum idiomate vulgauit Maximus Episcopus Cytherorum. In Chronico Alexandrino* SS. Barnabas & Aristobulus inter septuaginta Christi discipulos *censentur.*

S. Aristobulus frater S. Barnabæ, ex 70 discipulis.

C

à S. Paulo Episc ordinatus,

2 *At sequenti die* XVI *Martij refertur* S. Aristobulus *in Græco Menologio, quod iussu Basilij Porphyrogeniti Imperatoris collectum est: in quo aliquantò latiùs res eius gestæ narrantur, hîc subijciendæ, cùm hactenus ea pars istius Menologij sit inedita: & sunt eiusmodi:* Aristobulus diuinus Apostolus Christi extitit ex septuaginta discipulis. Post gloriosam & salutiferam ascensionem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi secutus est sanctum Apostolum Paulum, magnum orbis Doctorem, in omnem ciuitatem & regionem, ministrans & seruiens illi, vt genuinus & fidus eius discipulus. Cùm verò ille Episcopos ordinaret, & ad docendam veram fidem & Christum prædicandum in omnes regiones mitteret, ordinauit Aristobulum, misitque in regionem Britannorum, qui tunc erant homines infideles, feroces & crudeles. Ad quos quamprimùm accessit, & Christum prædicauit, verberibus exceptus est, aliquando per plateas tractus, subinde ludibrio expositus habitusque. Interim multis persuasit vt sese Christo adiungerent, & baptismum susciperent. Vnde & Ecclesiam constituit, in eâque Presbyteros & Diaconos ordinauit, & sic vitam consummauit.

in Britannia dira passus,

Ecclesiam constituit:

F

3 *Hæc certiora monumenta sunt, quæ de S. Aristobulo hactenus reperimus. Translatum est aliquod aliud Græcorum Menologium à Cardinali Sirleto, & ab Henrico Canisio vulgatum, in quo hi dies Martij à loco suo amoti sunt, & forsan ex Menæis suppleti. Certè Sancti ad hunc* XV *Martij spectantes, eodem ordine & numero & in dictis Menæis & in hoc Menologio referuntur; sed satis mutila est de S. Aristobulo narratio his verbis:* Eodem die S. Aristobuli Episcopi Britanniæ, fratris B. Barnabæ Apostoli; à quo cùm esset ordinatus Episcopus, ad Britannos missus, ille Christi fidem prædicans & Ecclesiam constituens, martyrium assecutus est. *En omnia omissa de S. Paulo, à quo, non à fratre S. Barnabâ, ordinatus alijs est Episcopus. Prætereà tacentur verbera, tractiones, ludibria, quæ aliquando passus erat; & dicitur* martyrium assecutus, *quasi violentâ morte perijsset. In suprà citatis omnibus est Græcè* ἐτελειώθη, Vitam consummauit. *Interim Baronius more suo, hoc vltimo Menologio citato, illud inseruit Martyrologio Romano elogium.* Eodem die natalis S. Aristobuli Apostolorum discipuli, qui cursu prædicationis peracto, martyrium compleuit. *Hinc* Episcopus & Martyr *appellatur in Martyrologio Anglicano nuper confecto, de quo infrà plura.*

an Martyr obierit

4 Baro-

A 4 *Baronius in eisdem notis, citato Dorotheo in Synopsi, arbitratur S. Paulum huius Aristobuli meminisse. Verba Dorothei sunt ista:* Aristobulus & ipse ab Apostolo ad Romanos commemoratur: Episcopus Britanniæ factus est. *At S. Paulus in suâ ad Romanos epistolâ, quam Corintho circa annum Christi LV misit, mandat sub finem* salutari eos, qui sunt ex Aristoboli domo, *siue, vt Græcè legitur,* τὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβύλυ. *Hinc in citato Martyrologio Anglicano perperàm infertur* S. Aristobulum fuisse origine Romanum, ex nobili prosapiâ oriundum, & ex primis, qui illâ in vrbe fidem amplexi sunt. *Vtque ea reddantur magis probabilia, ne vel verbum dicitur, quòd fuerit* ex septuaginta Christi discipulis; & frater S. S. Barnabæ, *quem ex Actis Apostolorum cap. 4 constat* natione Cyprium *fuisse. Verùm cùm Synopsis memorata, sub nomine Dorothei, iampridem vt fabulis referta, nullinsque apud eruditos auctoritatis obelo confixa sit, num vnus idemque sit Aristobulus S. Pauli discipulus & minister, & ab eo Episcopus ordinatus, & Aristobulus ille, cuius domestici salutantur in epistolâ ad Romanos, planè incertum est in tanto Græcorum silentio, à quibus Aristobulum Britannis datum Episcopum solum didicimus. Si tamen videatur alijs idem esse, non resistimus; maximè si dicatur Aristobulus S. Paulo adfuisse* B *Corinthi, cùm scriberet ad Romanos, & aliqui è familiâ eius & Barnabæ fratris tum Romæ habitarint, quos vel ideò maiori cum solicitudine mandarit salutari.*

An hic memoratur in epistola ad Romanos?

5 *Quod extat apud Biuarium sub nomine Braulionis Cæsaraugustani Episcopi nuper excogitatum fragmentum, inter alia de S. Aristobulo ista habet:* Britannis celebris est memoria multorum Martyrum, præcipuè S. Aristobuli, vnius de septuaginta duobus discipulis.... Qui cum Petro Romam petiuit. Inde relictis domesticis suis, missus in Angliam Episcopus, occubuit Martyr secundo anno Imperatoris Neronis sæuissimi. *Venit S. Petrus Romam anno Christi* XLII, *Claudio tùc imperante, cui anno* LIV *successit Nero, cuius annus Imperij secundus mense Martio conuenit in annum* LVI. *Vixit Braulio seculo septimo, quando Anglo-Saxones degebant in occupatâ à se Britanniâ, cuius nomen tunc potiùs quàm Angliæ erat vsitatum, maximè in rebus antiquis, quæ aliquot seculis ante illorum aduentum contigerunt. Alij sub nomine Helecæ etiam Cæsaraugustani Episcopi illud testimonium citant, & inter illos ex Vsserio Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Britannicæ ad annum 60 num. 9. vbi dicitur* Aristobulus fortè Petrum Apostolum comitatus in Britanniam, *& fortè* anno secundo Neronis potiùs in Britanniam nauigasse, quàm mortuus. *In Martyrologio Anglicano etiam traditur à* S. Petro Apostolo ordinatus Episcopus, & ad fidem Christi annuntiandam in Britanniam missus, *additurque* vitam compleuisse *aut* circa annum C LXX, *vt prior editio habet, aut* anno XCVIII, *vt in posteriore correctum: quod opinatur Alfordus opportunius collocari ad annum* XCIX, *abductus ab Arnoldo Mermanno in Theatro conuersionis gentium asserente,* Britanniam Aristobulum primum Apostolum esse nactam anno & quod excurrit XCIX, Clemente Pontifice Maximo, Domitiano Imperatore Augusto. *Sed quantum hic auctor fidei mereatur, ostendimus* III *Februarij ad Vitam S. Anscharij* § XI, *qui anno* DCCCXXIX *fidem Christi in regnum Sueciæ primus intulit, quod interim Mermannus factum scribit circa annum* CCLXV, *regnum Sueciæ à Suetis, qui apud Vindelicos & Alemannos degebant, non distinguens. Sed & hic oblitus fuit se prius dixisse;* S. Paulum sub Nerone Britanniam, Orcadas, ceterasque Oceani insulas extremas quasque petijsse. *Quo etiam non admisso, si S. Aristobulus à S. Paulo aut à S. Petro missus in Britanniam fuerit, certè hæc Apostolum sub Nerone nacta est. At quamdiu vixerit, in silentio antiquorum magnæ temeritatis est velle definire.*

An à S. Petro missus, & quo anno?

6 *Demum inquirit Alfordus, cuius loco in Britanniâ dicendus Episcopus, additque aliquos,* vt dignitati vrbis Londinensis litarent, Episcopum eum aut Archiepiscopum Londinensem *statuere: at mauult Alfordus eum* Britanniæ Episcopum creatum nullibi constantem Sedem fixisse, & huic opinioni fauere, quod Glastoniæ in agro Somersetano mortuus dicatur. Ita enim legi in Martyrologio Anglicano. *Sed quo fundamento? Forsan coniectauit auctor eum inter socios S. Iosephi ab Arimathiâ numerandũ, de quibus in Antiquitatibus Glastoniensibus, in monastico Anglicano editis, titulo* de Sanctis in ecclesiâ Glastoniensi quiescentibus *ista leguntur:* Ibi requiescunt duodecim discipuli Philippi Apostoli, ab eo in Britanniam directi, huius loci habitatores primi, quorum primus erat ille nobilis decurio Ioseph ab Arimathiâ, qui Dominum Christum sepeliuit cum filio suo Iosephes. *Hæc ibi absque mentione S. Aristobuli. De S. Iosepho agemus* XVII *Martij.*

D *Quo loci fuerit Episcopus?*

§ II Noua Tamaij Salazarij assertio de Episcopatu Britoniensi S. Aristobuli in Hispaniâ & aliorum in Palestinâ reiecta.

7 IOannes Tamayo Salazar gloriatur se sancti huius Præsulis Martyris memoriam restituere Hispanis, *de quo ista pro Martyrologio recitanda adfert:* Britoniæ in Hispaniâ citeriori S. Aristoboli, sanctorũ Apostolorum Iacobi Maioris & Ioannis Euangelistæ parentis, qui cùm per Hispanias, quarum fuerat filius primus Apostolus & Magister, Euangelicæ veritatis grana perferret, Britoniæ Episcopales infulas induens, pro fide in fine coronatus occubuit. *Tria pro veritate hac asserendâ assumit inuestiganda: quorum primum est quomodò dici queat* S. Aristobolus parens sanctorum Apostolorum Iacobi & Ioannis, *cùm certum sit ex sanctis Euangelijs filios eos fuisse Zebedæi, qui relicto patre Zebedæo, secuti sunt Christum. Fatetur id Tamaius ex* duodecim Euangelistarum (*quatuor videtur voluisse dicere*) clausulis elici, *neque illud apud sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores legi: duo tamen pro se testimonia habet, Iuliani Petri Archidiaconi Toletani & Helecæ Episcopi Cæsaraugustani, aut certè quæ nuper sub eorum nomine obtrusa sunt, ab Iacobo Vsserio homine erudito, sed heterodoxo, paginâ 744* Somnia *appellata. Rudericus Carus post Chronica Dextri & Maximi edidit additiones Braulionis & Helecæ Episcoporum Cæsaraugustanorum, & pag. 224, quæ Braulioni tribuit Biuarius, sub nomine Helecæ traduntur:* Britannis celebris est memoria multorum Martyrum, præcipuè S. Aristobuli vnius de LXXII discipulis, qui dictus est etiam Zebedæus, pater Iacobi & Ioannis, * maritus Mariæ Salome, qui cum Petro Romam petiuit, inde relictis domesticis suis missus est in Angliam Episcopus: occubuit Martyr in secundo anno Imperatoris Neronis sæuissimi. *Et pag. sequenti:* Fuit autem Aristobulus, cognomento Zebedæus, frater Barnabæ Apostoli Domini. *Hæc ille. Similia habet Iulianus num. 33 Chronici:* Celebris habetur memoria S. Aristoboli, cognomento Zebedæi, patris Iacobi & Ioannis. *Et num. 60 Aduersariorum:* Consecratus est primus Britanniæ Episcopus Aristobulus, qui & Zebedæus, pater Ioannis & Iacobi Apostolorum... Anno LX cum Iosepho ab Arimathiâ patrueli & alijs in Britanniam profectus, relicto fratre suo Barnabâ in Cypro, egregiè prædicans Euangelium Christi priùs cum filio in Hiberniâ, Pontificales infulas martyrij gloriâ decorauit. *Hæc Iulianus & Heleca siue Braulio: quorum* assertiones se explodere *ait Tamaius; quòd S. Aristobulum statuant fratrem S. Barnabæ, quidni potiùs quòd Zebedæum patrem SS. Ioannis & Iacobi faciant?*

E *An S. Aristobolus pater SS. Iacobi & Ioannis Apostolorũ?*

cognomento Zebedæus,

* *ita lege pro* Martyris

F

8 *Alterum à Tamaio inuestigandum erat, num Zebedæus, quem Aristobulum iam probatum credit, fuerit Christianus & Episcopus. Ac primò probatur ex Iuliani Aduersarijs num. 59, vbi ista leguntur:* S. Iacobus patrem Zebedæum creditur baptizasse. Fuit vnus de LXXII. *At* primum Britanniæ Episcopum consecratum *ex n. 60*

à S. Iacobo baptizatus?

A *Iuliani diximus: quem Heleca asserit* missum Episcopum Angliæ, *quod nomen multis post S. Aristobuli necem seculis Britanniæ inditum est. Verùm iterum* explodit *Tamaius vtriusque* assertionem, *quod* Zebedæum *asserant vnum* ex LXXII discipulis Christi.

An contra assertionem etiam Heleca & Iuliani, 9 *Tertium quæsitum Tamaij est, cuius fuerit Sedis aut regionis Episcopus. Ac primo Heleca dum* celebrem Britannis esse eius memoriam *dixit*, *&* missum in Angliam Episcopum, *clarè explicat se eam* Britanniæ *antiquæ partem intelligere, quam etiamnum* Angliam *appellamus. Eamdem* Britanniam *statuit Iulianus, dum* cum Iosepho ab Arimathiâ in Britanniam profectum, *&* priùs in Hiberniâ Euangelium Christi prædicasse *dicto num.* 60 *scribit, & confirmat num.* 136, *asserens* S. Iacobum profectum cum Aristobulo vel Zebedæo patre in Hiberniam, qui dicitur ibidem relictus primus Episcopus, & inde transijt in Britanniam: reliquit in Hiberniâ Episcopos & Presbyteros ac Diaconos multos. *Occlamat Tamaius* Hellecam & Iulianum toto cælo aberrare, *obstare Insulanorum monumenta*, Ioannem Colganum, ab Martyrologio Britannico Aristoboli nomen penitus amandatum. *Sed is de solis Sanctis Hiber-*

B *niæ scripsit, & forsan non vidit has Iuliani lucubrationes, aut si viderit cum gentili Hiberno Armacano, quem sæpiùs sequitur*, somnia credidit, *vti iam ipse Tamaius credit, dum somniantis instar* toto cælo aberrare *statuit. Explosis ergo his assertionibus Tamaius primus* in Hispaniâ Episcopum

Britoniensis Episcopus in Hispania? S. Aristobolum *creatum ait, vbi* Britonia siue Britonium vrbs antiqua fuit, quæ adhuc iuxta Mindonium *in Gallaciâ* retinens nomen, Bretoña dicitur: quia S. Iacobus in sui Apostolatus prouinciâ patrem Episcopum consecrare maluit. *Sed* S. Aristobulum *à S. Petro aut Paulo aut certè vtroque Episcopum Britanniæ consecratum ex alijs diximus, atque alium planè à Zebedæo esse.*

10 *Idem Tamaius tomo 5 ad diem* XVI *Octobris, occasione dedicationis Ecclesiæ Mindoniensis in Gallaciâ, edidit Catalogum Episcoporum Britoniensium & Mindoniensium, ac* duos primos Præsules Britonienses à nullo hactenùs Catalogis insertos *præponit his verbis*: 1 S. Arostobolus, qui & Zebedæus, huius nominis primus, Episcopus Britoniensis primus, pater S. Iacobi Hispaniarum Apostoli, qui martyrio coronatus est die XV Martij anno Domini LXII. *Sed ad hunc* XV *Martij Acta à se concinnata concludit assignato* martyrij anno LVIII. D

eiusque successor S. Lucius Episc. & Martyr Cæsarea in Cappadocia. *At de successore in memorato Catalogo ista tradit*: 11 S. Lucius huius nominis 1, Episcopus Britoniensis 11, discipulus & familiaris S. Aristoboli, cui successit in Sede: qui Cæsaream Cappadociæ pergens, ibidem pro fide patitur die secundo Martij, anno Domini LXVI. *De S. Lucio Episcopo Cæsareæ passo, attulimus ad dictum 2 Martij verba vltra triginta antiquorum Martyrologiorum absque vllâ mentione siue Britoniæ siue Hispaniarum, & reiecimus quæ ex Aduersarijs sub nomine Luitprandi editis, adferebantur de S. Lucio, vti SS. Gorgonio, Firmo, Antonio & Agapâ Martyribus, quos celebrat Tamaius* X *Martij, ex quibus* SS. Gorgonium & Firmum Nicææ *passos, &* SS. Agapam *&* Marinam *siue* Marianam Virgines & Martyres Antiochenas *retulimus* X *Martij, quo etiam die nomen* Antonij *loco Antiochiæ vrbis intrusum videri diximus. De primis Episcopis Britoniensibus, qui sub Gothis seculo Christi* VI *&* VII *floruerunt, egimus ad Vitam S. Rudesindi Episcopi Dumiensis 1 Martij § 3, ostendimusque Dumienses Episcopos à Britoniensibus & post translatam Sedem à Mindoniensibus diuersos fuisse.*

11 *Alium extra Britanniam & Hispaniam assignat* E *Episcopatum Volaterranus lib. 19 Anthropologiæ, vbi septuaginta Christi discipulos recenset, & allegato Dorotheo,* *alius Episcopus Bethaniæ in Palæstina?* *statuit* Aristobulum Episcopum Bethaniæ, *sed forsan id vitiosè excusum est, aut Volaterranus mendosum codicem secutus. Eum interim describunt Isengrenius centuriâ 1 parte 1 distinct. 7, & Galesinius in suo Martyrologio, vbi ista habet*: Bethaniæ in Palæstinâ S. Aristoboli Episcopi, qui vnus è septuaginta discipulis, Pauli Apostoli auditor, Barnabæ frater, Euangelij prædicatione multos Christo Domino adiunxit, *& in notis obseruat* Bethaniam esse vicum Marthæ & Mariæ in latere montis Oliueti, secundo ab vrbe Hierosolymæ milliario situm. *Baronius etiam, qui sæpè Galesinio adhæret, omisit in Martyrologio locum indicare; fassus tamen in Notationibus* à Dorotheo scribi missum ad Britannos, *quem allegat Volaterranus, & hunc Isengrenius & Galesinius, qui fatetur* à Græcis dici Episcopum τῆς Βρετανίας, *aut missum à Deo, εἰς χώραν Βρετανῶν, vbi homines feroces & crudeles erant. Et hæc sufficiant, vt temeritas aut inertia scriptorum reijciatur.*

DE S. LONGINO MILITE ET S. LONGINO CENTVRIONE

CVM DVOBVS SOCIIS MARTYRIBVS IN CAPPADOCIA.

Commentarius historicus.

§ I Nomen Militis & cultus in Martyrologijs: locus Martyrij Cæsarea.

SECVLO I XV MART. Longini nomen

1 
Ilitem eum, *qui Christi in cruce mortui latus lanceâ percussit*, Longinum *appellant scriptores Latini; fortassis ex apocrypho, quod sub Nicodemi nomine circumfertur de Christi Domini Passione, scripto: è Græcis nullum reperio Longini nomine vsum esse ante Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, qui anno* DCCXV *sedere cæpit: hic verò in Theoriâ siue ecclesiasticarum rerum contemplatione, à Gentiano Herueto Latinè*

è Græcis primus vsurpauit Germanus CP. *redditâ, ita loquitur*: Vice lanceæ, quæ punxit Christum in cruce à Longino (*subintellige adacta vel quid simile*) hæc est lancea: *cultellus videlicet in lanceæ formam effigiatus, quo Græci Sacerdotes ante sacrificium panem benedictum diuidunt, & partem consecrandam à ceteris in eulogias distribuendis secernunt. Proprium ne id ei nomen fuerit, an à λόγχη lanceâ commodatò acceptum, quo miles alias anonymus designetur, variant auctores. Posteriorum longè verosimilior videtur esse coniectura: cui alia quoque addi posset, videlicet occasionem eius sic nominandi sumptam ex eo quòd sub Longino Centurione militiæ Romanæ stipendia meruerit: nisi fortè etiam huic aliud fuerit proprium nomen, de quo infrà videbimus.*

è Latinis auctor Manualis 2 *Inter Latinos, qui illius meminit primus locus D. Augustino deberetur, si ipsius esset quod sub illius nomine circumfertur Manuale, in quo dicitur*: Longinus aperuit mihi Christi latus lanceâ & ego intraui, & ibi requiesco securus: *sed nec Manuale Augustini est; neque soliloquia aut liber de diligendo Deo, ex quibus pro maiori parte Manuale collectum est; vt Catholici Critici passim obseruarunt, quamuis auctores pios & in Augustini scriptis versatos agnoscant. Primus igitur locus Martyrologijs detur: ex quibus simul & cultus probari solet. Horum antiquissima tria MSS. Cardinalis*

A *dinalis Francisci Barberini acephalum, Casinense Longobardico charactere, & Baronio laudatum tantoperè S. Cyriaci Idibus Martij:* In Cappadociâ S. Longini. *Casinense suppares antiquitatis alterum, nullâ mentione Cappadociæ factâ,* Natale S. Longini Martyris: *Vallicellanum autem MS, non minimæ & ipsum vetustatis, vti & MS. Reginæ Sueciæ,* In Cæsareâ Cappadociæ passio S. Longini. *Recentiora, id est, ante annos trecentos aut quadringentos dumtaxat exarata, Vaticanum vnum & Treuirense S. Martini, distinctiùs eum, de quo agimus, militem signant:* In Cappadociâ Longini Martyris, qui latus Domini lanceâ perforauit: *quæ eadem leguntur in MS. Carmeli Coloniensis,* Cæsaream Cappadociæ *præferente: prout etiam legitur in omnibus penè Vsuardi tam manu exaratis quàm prælo excusis exemplaribus, in quorum multis & apud Bellinum post* perforauit, *additur* vt in Actis eius legitur.

secutus Martyrologia antiqua

qua in Cæsarea Cappadociæ passum dicunt

vti & Acta ex MSS danda,

3 *Damus ea Acta ex duobus nostris peruetustis MSS. ad diem* XXII *Nouembris passionem S. Longini referentibus & collatis ad quatuor alia optimæ notæ MSS. Vltraiectinum S. Saluatoris, Audomarense ecclesiæ Cathedralis, & cœnobiorum Aquicinctini & S. Mariæ Boni-fontis: quæ omnia in hanc clausulam consentiunt.* Hæc acta sunt in Cæsareâ Cappadociæ: *nec puto dissentire reliqua MSS. in quibus* B *eadem Acta reperimus, Monasteriense Bernardi Rottendorffij, Herbipolense Hibernicorum, Duacenum, Gemblacense, Cisterciense, Vallicellanum, Florentinum Caroli Strozzi: de Florentino certè & Vallicellano inquirentes intelleximus prorsus eadem dicere. Eborense quoque Breuiarium anni* 1548, *eadem Acta in nouem contrahens Lectiones, annos* XXVIII *solitariæ vitæ in Cæsareâ Cappadociâ ductæ habet: adeò vt in hoc conspirent reperta in toto Christiano Occidente in Germanijs, Hispanijs, Gallijs & Italiâ monumenta. Nec alia, quàm nos, Acta legisse videtur vetustissimus auctor Rabanus, ab Henrico Canisio in antiquis Lectionibus ex S. Galli MS. vulgatus, quando hoc eorum compendium fecit.* In Cappadociâ passio S. Longini Martyris, de quo in libello martyrij eius narratur quòd aliquando militans sub Centurione Romano, in passione Domini latus eius cum lanceâ in cruce aperuerit, & viso terræmotu & signis quæ fiebant, crediderit in Christum, pœnitentiam agens de operibus suis pristinis: posteà monachus factus per XXX & IV (*alij duo infra citandi* XXXVIII) annos Christo militauit, multos conuertens ad fidem: ad extremum verò martyrizauit in Cappadociâ sub Octauio Præside, quem propter infidelitatem suam diuino iudicio percussum corporeâ cæcitate, post martyrium suum illuminauit: *eadem Notkerus, annis centum HRabano iunior, verbotenus scripsit in suo Martyrologio per eumdem ex eiusdem cœnobij MSS. edito:* C *eadem transcripsit is, qui Bedam, vt est à Molano editus, interpolauit: vacat enim genuinus Beda; & qui lacunas ab eo relictas primus suppleuit Florus,* S. Matronæ *solius hoc die meminit.*

atque ex his Rabanus

& Ado.

4 *Aliud ex ijsdem Actis elogium Ado Viennensis Archiepiscopus à Surio & Rosweido vulgatus, concinnauit his verbis.* Item apud Cæsaream Cappadociæ B. Longini Militis & Martyris: quem tradunt illum esse, qui lanceâ latus Domini Iesu Christi pendentis in cruce aperuit. Hic postmodùm baptizatus ab Apostolis cùm apud Cappadociam sanctitate præcipuus degeret, tandem ab Octauio Præside comprehensus, post cõfessionem fidei, linguâ abscisâ & dentibus excussis, capite truncatus est. *Hæc Ado ad Kalendas Septembres, vti & Martyrologij in Ruffini historiâ ecclesiasticâ ferè compilati auctor, quod vetus Romanum credidit vulgauitque cum Adone Rosweidus. Præcitatum porrò ex Adone elogium in pauciora contraxit Maurolycus, illudque ex communi omnium penè Ecclesiarum vsu ad Idus Martij reuocauit: idem fecit Galesinius, ex Notkero vel Bedæ supplemento annos* XXXVIII *pœnitentiæ mutuatus.*

Mantuani recentiores nihilominus apud se passum volunt

5 *Tanto tum veterum tum recentiorum MSS. impressorumque consensu cum Romani Martyrologij fulciri possit & defendi auctoritas, in quo,* Cæsareæ in Cappadociâ *ad*-*scribitur* passio S. Longini militis, qui latus Domini D lanceâ perforasse perhibetur; *contra eam tamen Mantuani insurgunt, pro antiquâ, vt volunt patriæ suæ traditione, ex quâ pro certo habent primos in Italiâ fuisse maiores suos, qui secundo post Christi mortem anno fidem receperint Christianam hoc ipso, de quo agimus, Longino prædicante, eamque suo sanguine consignante in eâ vrbe, quam priùs defosso ibidem, quem attulerat, Christi sanguine locupletarat.*

tacent ea de re vetustiores, Bapt. Mantuanus

6 *Equidem vehementer addubito an centum annis antiquior ea opinatio sit, quæ nobis pro receptâ ab immemorabili tempore traditione obtruditur: nam Ioannes Baptista Mantuanus, insigne Carmelitici Ordinis & patriæ, ex quâ cognomen traxit, ornamentum, anno* MDXVI *vitâ functus, in egregio suo de S. Longino lib. 3 Fastorum carmine, corpus illius istuc per maria deuectum memorat: viuum ibidem prædicasse fidem numquàm dissimulaturus, si tale quid vel fando audiuisset: congerit enim operosè etiam ea quæ aliunde constabit omnino ad Centurionem, cui Miles iste suberat, pertinere. Habemus etiam Marij Æquicolæ de Alueto de rebus Mantuanis commentarios, vulgari illius temporis lingua conscriptos, & typis non addito loco impressionis subiectos anno* MDXXI: *nec in his quamuis à Mantûs & Tiresiæ fabulis Originem patriæ suæ post Virgilium accersat, de fidei Chri*- E *stianæ per Longinum apud Mantuanos fundatæ verbum vspiam vllum est: ac ne de corpore quidem tunc inuento, cùm primùm temporibus Caroli Magni inuentum sacrum cruorem dicit: sed ad posteriorem illius inuentionem sub Bonifacio & Beatrice Comitibus, primam mentionem facit illius tunc reperti.*

& Marius Æquicola

7 *His igitur Mantuanæ antiquitatis & gloriæ studiosissimis auctoribus prorsus de tali traditione tacentibus, credere cogimur commentum post eorum mortem esse procusum, & circa medium seculi præcedentis tum columnam positam, cuius inscriptionem infra ex Posseuino dabimus, tum Lectiones illas concinnatas, quas inter Ioannis Petri Ferreti anno* MDLVII *dimisso Lauellensi in Apuliâ Episcopatu Rauennæ mortui, aduersaria reperimus, descripsimusque ex Bibliothecâ Vaticanâ Codice* 5184: *sunt autem verbotenus sumptæ ex Actis hîc citatis, & ex tot manuscriptorum veterum consensu proferendis, atque in nouem partes, quarum tres vltimæ istic deerant, distributis cum hac cautelâ, vt lectioni 2 hoc detur principium.* Hic cùm esset in partibus laci Mantuæ, quæ appellabatur Cappadocia, ibi docebat omnes, qui ad se veniebant, & auertens multos ab iniquitate, illuminabat verbo & exemplo veritatis. *Pro quibus alia omnia MSS. sic habent:* Hic cùm esset in Cæsareâ Cappadociæ vixit ibi agens quietam vitam an- F nis XXVII (*alij* XXVIII, XXIX *legunt alij*) & multos auertens ab iniquitate illuminabat verbo veritatis.

videtur seculo solum præcedenti nata opinio:

8 *Existimo vrbis Mantuanæ nouissimo historico, Hippolyto Donesmundi ex Ordine Obseruantium, qui anno* 1613 *in lucem prodijt, solas istas Lectiones habenti pro omnibus, quas idem tradere ait, patrijs historijs, crudum nimis fuisse visum, si ita planè diceretur Mantua, notissima temporibus ijs ciuitas, propter eximiam Virgilij Poëtarum principis inibi paullò ante Christum nati famam, Augusti vel Tiberij seculo nuncupata fuisse Cappadocia, idque sine vllo veteris auctoris suffragio: ergo duritiem illam nonnihil leniuit, dicens, quòd Sanctus* habitandi locum sibi delegit in insulâ ciuitati propinquâ, cui paullò pòst nomen factum sit Cappadociæ, quam alij tamen non in insulâ, sed in ipsâ ripâ statuere malint, *deinde cùm de Martyrio loquens dixisset Sanctum in eodem, quem incoluerat, aut certe vicino loco, reorum supplicijs destinato, capite minutum fuisse, ita loquitur.* Discipuli eius à conuerso post Sancti mortem Præfecto impetrarunt, vt ne quis deinceps reus eo in loco, quem suo sanguine Sanctus irrigarat, mortis subiret sententiam, vtque ferreâ crate obtegeretur humus, quæ illum biberat, vnde circumiecta loca accepêre posteà nomen gradari (*non antè profectò quàm crates ab Italis grata cœpit dici*) sed & nomen Cappado-

male ex omni parte coniuta.

dum Mantuam volunt Cappadociam dictam,

A ciæ à multitudine suppliciorum istic, & à reis nocentibus & ab innocentibus Christianis, exigi solitorum.

ibi, ut sub Galba

9 *Commentis hisce Antonius Posseuinus prælusit in appendice ad Apparatum anno* 1608 *adiectâ, in fauorem Hieronymi Magagnati, qui ante triennium S. Longini martyrium carmine scripserat, & typis Venetis euulgarat, Equitibus Mantuanis Longinum inserens, vbi sic ait:* In plateâ, quæ vocatur Cappadocia, prope templum beatissimæ Virginis, cui agnomen Gradari, extat columna antiquitùs erecta cum insculptis his verbis: Longinus, qui lanceâ Christi latus aperuit, sanguinemque eius anno III detulit, hoc loco Cappadocia nuncup. sub Præside Octauio decoll. est, Id. Martij LXXI Galbâ Imperatore: *ex eorum scilicet Actorum calculo, in quibus* XXXVIII *annis post Christi mortem traditur Longinus vixisse: quibus contrarium tenet Hippolytus, interfectum Longinum statuens anno post Christi mortem* III, *Tiberij Cæsaris* XXI, *die* XXII *Decembris: at Tiberio imperante quidquam passos à gentilibus Christi discipulos, aut ab alijs quàm Iudæis fidei suæ caussâ vexatos nusquam hactenus reperimus: Galbæ septimestre imperium Neronianam persecutionem excepit, quam nullis contrarijs edictis prohibitam, mirum non est si locorum* B *Præfecti, pro suâ quisque vel crudelitate vel cupiditate, continuarint etiam post cædem Neronis.*

vel Tiberio casum Sanctum,

10 *Interim, quamuis falsò, tamen tolerabiliùs dicitur pars aliqua eius insulæ, in quâ nunc est Mantua, Cappadociæ nomine dicta fuisse, quàm ipsa quæ sub Romanis Imperatoribus fuit Mantua, cuius ad meridionale ipsius laci latus adhuc reliquiæ extant, amplo murorum circuitu ambitæ: meritò tamen Posseuinus ambigit quomodò à suppliciorum frequentiâ potuerit locus iste, siue insula vicina Mantuæ Cappodocia dici: nam quamuis in libro de interpretatione nominum biblicorum Venerabili Bedæ vulgariter attributo,* Cappadocia, Manus tortoris *reddatur: mirum est tamen quomodò inciderit alicui vocis nequaquàm Hebraicæ significationem ex radicibus Hebraicæ linguæ petere: & multò mirabilius foret, si sub eâ significatione eiusmodi nomen ad Mantuanos transijsset. Quare eos existimo tunc primùm de Cappadociæ nomine nouæ vrbis parti per istam columnam ponendo cogitasse, quando ab aliquo sciolo persuasi sunt, Martyris Longini corpus, quod ipsi venerantur, eius esse, qui latus Domini aperuerat, eâque persuasione inducti vulgata eiusdem Acta vrbi suæ crediderunt accommodanda; ne tanto terrarum spatio, quanto à Cæsareâ abest Mantua, distare sepulcri locus à loco martyrij diceretur.*

in loco à reorum suppliciis sic dicto,

§ II De Christi sanguine inuento Mantuæ cum corpore S. Longini & huius illuminatione sub Cruce.

Cum sacro Cruore refossum corpus S. Longini

11 Circa annum DCCCIV tempore Caroli Magni & Leonis Papæ III, *iuxta hospitale prædictæ ciuitatis refossa tellus exhibuit plumbeam arculam, quæ vasculum continebat huius inscriptionis titulum habens:* Iesu Christi sanguis: *nec multò pòst refossum est corpus, quod quo indicio Longini esse cognouerint Mantuani, & quidem eius de quo agitur militis, nuspiam prodit Hippolytus, qui ista narrat. Cum igitur hunc Cæsareæ in Cappadociâ martyrium subijsse tanto testium numero viderimus confirmatum, si constitit corpus illud esse Longini, omnino consequens est, vt aliquis ex Romanâ militiâ Longinus pro Christi fide Mantuæ subierit martyrium, quocumque demum sub persecutore, intra quatuor prima Æræ Christianæ tempora: cuius corpus à socijs Christianis in insulâ humatum fuerit, refossumque deinde, & superiori seculo, quo, litterarum antiquarum monumentis necdum ita discussis, nullius alterius Longini nomen Occidentales Ecclesiæ nouerant quàm Militis percussoris, pro illo haberi cœperit: vel dicendum erit, quòd ante Lombardicam irruptionem, fidelium Mantuanorum operâ procurata sit eorum, quæ Cæsareæ pridem fuerant culta, ossium translatio-*

vel à Centurione diuersi & incerto tempore passi.

D *vti & Sanguinis miraculosi. Fuit sententiæ huius Ioannes Baptista Mantuanus (quem ex hoc ipso collegimus eam, quæ præfertur, Mantuani populi, de Longino primùm Mantuæ Euangelium prædicante, traditionem penitus ignorasse) quando sic cecinit:*

Vel ob immemorabil. Mantuan. adductis

Secula post aliquot tua sunt translata per vndas
Corpora in Italiam, Christi cum sanguine sacro,
Ad crucis excelsæ quondam vestigia lecto,
Atque in vase breui tecum post fata sepulto,
Vltima diuino sedes tibi Mantua nutu,
Hospitiumque fuit... Hic requiescis adhuc....

12 *Ad sacrum Christi sanguinem, qui simul cum aquâ ex percusso fluxit latere, quod attinet, eum à fideli viro Iacobo in cucurbitulâ exceptum, diuque clam habitum, Angelicâ dein reuelatione agnitum fuisse à duobus qui Iacobo successerant anachoretis, ac demùm in pij cuiusdam solitarij Basipsabæ venisse manus, Ecclesiarum Orientis traditio est, ipsum Basipsabam vt Sanctum* X *Septembris colentium: quæ traditio an & quatenus verosimilis sit, hîc non quæro: hoc liquet non posse illius veritatem consistere cum Mantuanorum hodiernâ persuasione, quâ credi volunt eumdem, qui Christi latus percussit militem, sacrosanctum liquorem ex eo fluentem mox collegisse, Mantuamque clam omnibus delatum, ibidem nemine conscio defodisse. Verùm si conscio nemine, vnde id factum sciunt? Coniecturam vtique secuti sunt in eo fundatam, quòd reperto illo pretiosissimo thesauro, repertum quoque sit alicuius S. Longini corpus, quem istic passum sunt arbitrati, nec cogitarunt diuersum esse ab eo cuius famosa erat sub eo nomine inter Latinos memoria.*

Græcorum de sanguine lateris traditio

E

opinioni Mantuanorum contraria;

13 *Neque eiusmodi censura quidquam derogat solidæ fidelium in eiusmodi sacris rebus venerandis pietati: etsi enim fateamur, quod subinde fatendum, procliue in eiusmodi coniecturas vulgus, vltra quod scitur & sciri potest aliquid discere volens & dicere solitum, circumstantijs nonnullis patrum veri-similibus sacrarum antiquitatum substantiam vestijsse; manet tamen indubitatum, pertinere ad Diuinam prouidentiam veracitatemque cauere, ne circa rei substantiam obrepat falsitas, vanam reddituræ fidelium religionem, adeoque mendacia ipsa miracula: quæ cùm sunt frequentia & diuturna, dici non possunt solo piæ credulitatis affectui à Deo tribui; vel nihil est quod verè atque in seipso venerabile esse Deus possit miraculis declarare.*

vtrique in circumstantijs incertis hærent:

14 *Habeant igitur Græci, quod solum Angelica continebat reuelatio, è sacro Christi fluxisse latere id quod sub oleo, ad custodiam ipsius & medelam languentium superinfuso, continebat commissa S. Baripsabæ cucurbitula; Angelicóne collectum & adseruatum obsequio, an humano sepulturam accurantium ministerio non inquirant: nam vt Iacobus vel Longinus ipsum, statim vt infixa est lancea, prorumpentem exceperit non apparet credibile. Habeant Mantuani, id quod solum addita lagenulæ inscriptio dicit & facta de eo reuelatio ac subsecuta diuinitus miracula confirmarunt; Christi sanguinem apud se esse: qualem & vnde vel quando acceptum patienter ferant ignorari, donec visum Deo fuerit reuelare, cui præ curiosæ indaginis hæsitantiâ placet fidei obsequiosa simplicitas.*

quibus scilicet sua Græcis,

F

& Mantuanis res integra est:

15 *Scimus ex Concilij Niceni* II *Actione* IV, *eiusque auctoritatem secuto Romano Martyrologio, quod die* IX *Nouembris fiat* Beryti in Syriâ commemoratio imaginis Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa tam copiosum emisit sanguinem, vt Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo vbertim acceperint: *hoc autem miraculum sub Constantino & Irene contigit, referturque à Sigeberto in Chronico ad annum* DCCLXV, *atque adeo annis* XL *præcessit Mantuani Sanguinis inuentionem. Scimus etiam sacri Cruoris portionem aliquam tum in Angliâ atque alibi, tum nominatim Brugis in S. Basilij ecclesiâ asseruari per manus Leonis Abbatis Bertiniani eò missum à Comite Theodorico, Balduini Hierosolymorum Regis genero, anno* MCXLVIII: *qui crystallo inclusus totâ septimanâ concretus cernitur, nisi quod hebdomadario miraculo, vsque ad annum* MCCCIX XIV *Kal. Maij continuato, qualibet sextâ feriâ circa horam sextam liquescere soleret, & guttatim fluere per crystallum. Hunc autem*

cum posset vel ex Berytensi Cruore

vel ex Christi corpore ante sepulturam abluto.

A autem ex depositi de Cruce Domini corpore abstergendo exceptum spongiâ indeque expressum, opinio est sanè verosimillima: cùm nihil fuerit magis congruum rationi, quàm vt pij curatores Dominici funeris aromatis condiendum corpus priùs abluerent, & tam pretiosam ablutionem diligenter seruarent: quemadmodum infrà ad diem XVII in S. Ioseppho ab Arimathæâ ostendemus. Simili etiam ratione collectum credere possumus eum, qui de cruce in terram fluxerat, sanguinem: vt satis secura sit religio eorum, qui sacra eiusmodi pignera seu Brugis seu alijs in ecclesijs iuxta piam maiorum traditionem venerantur.

vel ex aliquo circa Eucharisticas speciesmiraculo

16 Scimus denique circa Eucharisticas panis ac vini species plurima miracula operatum esse Deum ad confirmandam credentium fidem. Ita Bruxellis ab anno MCCCLXX incorruptæ perdurant tres sacræ Hostiæ, cruore tinctæ, quo, post inflicta ab impijs Iudæis vulnera, copioso fluxerunt: ita ab anno MCCXXX seruatur & colitur Florentiæ miraculosus Christi sanguis, cuius gutta vna à pio sed incurioso Sacerdote post sacrificium relicta in calice, sanguinis formam sumpsit, atque instar olei supernatans vino postridie ad iterandum sacrificium infuso, & in vitream ampullam recepta, ipsa se sustinuit in aëre pendula, nec vllum vasis latus contingens; ac denique accepto diuinitus incremento mediam ampullam
B implere visa est, multisque deinceps annis ipsum sub humanâ specie Christum, variâ in formâ pro intuentium dispositione, exhibuit: cuius miraculi narrationem anno 1664 eleganti Italico stylo vulgauit Augustinus Coltellini, nobisque post Ferdinandum Ducem & Vrbis Florentinæ Consules peculiari allocutione Latinâ inscripsit, vt esset sui erga nos & studia nostra affectus monumentum. Hæc autem fusiùs deducere placuit, ne Mantuani existiment suâ de Longino opinatione non prorsus admissâ, omnino vacillare cultum venerandi cruoris: vndecumque enim vel à quocumque allatus defossusque sit Mantuæ, modo vno ex tribus hisce modis Christi sanguis sit, vt præfert titulus, omni manet honore reuerentiâque dignissimus.

seruatus sanguis ritè & rectè coli.

Lateris Dominici percussor

17 Redeo ad lateris Dominici percussorem Militem, de quo in tragœdiâ Christi Patientis (communi Criticorum Catholicorum calculo indicatâ non esse D. Gregorij Nazianzeni) vel Apollinaris Laodicenus, vel alius eiusdem seculi IV auctor ita cecinit, iuxta Latinam Claudij Roilleti Belnensis versionem, Crucifixi matrem loquentem inducens:

Vidi, ô puellæ, de numero satellitum,
Quemdam, latronum, crura qui pendentium
Fregêre, strictâ filij cor lanceâ
Tentate........ Vis sanguinis
Promicuit & aquæ, quin nunc quoque
Inde geminus fons bulliens exæstuat:
C Ipse adeò, sacrum qui latus fixit, pauens
Horrensque fato nescio quo, filium
Verè Dei mortuum istum, voce editâ
Clamauit: & iam cernere hunc licet gradum
Vt celerat ipse, & ante lignum procidit,
Premitque terram victus hoc spectaculo,
Pectusque tundit, & solum ipsum amplectitur
Vbi fixit hastam, defluentis sanguinis
Tinctam liquore. Et ecce vt vtraque è manu
Haurit, oculosque hoc vngit, hinc vt scilicet
Detergat oculum, nocte quæ cæca obtigit.

defluente ex eo sanguine

abluisse oculos Poëticè scribitur.

18 Cæca quem nox obtigit clariori sensu scripsisset interpres; qui, quæ poëticâ licentiâ amplificarat auctor, licentiori amplicatione adauget: ita enim in Græco simpliciter legitur.

Ἀρύεται τε χερσὶ κρύνα, καὶ κόρας
Ἐχρισεν, ὡς ἔοικεν, ὡς ἅγνισμ' ἔχῃ

quos duos versus ita planiùs ad mentem auctoris & penè verbotenus exprimere poterat:

Hauritque laticem manibus, atque oculos linit
Lustrationis scilicet ritu sacræ.

est enim ἅγνισμα verbale ab ἁγνίζω lustro, consecro, sanctifico, expio.

& visum spiritualem recepisse.

19 Alludebat Poëta ad metaphoricum illum loquendi modum, quo videtur inter Christianos solitum circumferri, aperto Christi latere, apertos quoque vel curatos eius qui lanceam intorserat oculos: quod de oculis mentis dictum, & de sanguinis Christi virtute ac merito intelligendum, ad corporeos oculos & sensibilem Diuini sanguinis aspersionem paullatim rudis vulgi ignorantia detorsit. Quare meritò Cardinalis Baronius redarguendos censuit, qui ex apocryphis quibusdam scriptis tradunt cæcum fuisse militem, qui lanceâ latus Domini aperuit: inter quos prædictus Baptista Mantuanus ita lusit: D

Tu cæcus non mente minùs quàm corpore, Sanctum
Lanceâ & admoto pectus mucrone petisti:
Inde cruor confusus aquis hostilia, circum
In digitos lapsus, tetigit cum lumina, morbum
Sustulit: ista Deus collyria misit; vt atram
Ex animo, ex oculis fugiens aorasia nubem
Secum ageret, vitæque daret te cernere fontem.

quod de corporali perperam aliqui intellexere.

20 Hæc ille: qui ne tam insanus videatur, vt omnino cæco lanceam tractandam commiserit, priùs dixerat eum lippis oculis & lumine tardo cohortem duxisse ad Christi necem. Alij ne hoc saltem dicere cogerentur, quod ipsum satis auditu est absonum, vnius dumtaxat oculi cæcitate vel vitio ipsum deformant, ac pro se Isidorum Hispalensem citant: sed, qui eum scrutatus est accuratè Sebastianus Barradius noster, negat se qua allegantur verba in Isidoro potuisse reperire. Certè in eo qui Dominicæ Vitæ ac Passionis seriem explicat libro, vbi huius rei locus fuisset proprius, nec minimum reperias de Longino verbum. E

alij lippum aut cæcum fuisse imaginati.

21 De lanceâ, quâ Saluatoris latus transfixum fuit, qui volet cuncta accuratè cognoscere, Iacobum Bosium legat libro 1 de Cruce triumphante cap. 17 vbi fusè explicat, quomodò ea, cum sanctissimæ Crucis ligno ceterisque Dominicæ Passionis instrumentis, humo obruta à Iudæis, & cum iisdem ab Augustissimâ Magni Constantini matre Helenâ sit reperta. Hanc autem solitam fuisse deinceps asseruari in porticu templi sanctissimi sepulcri, docet auctor libelli de locis sanctis, à Venerabili Bedâ, vt creditur, redactus in epitomen. Ibidem apud Bozium legi potest, quomodò eadem Lancea sacra, anno MXCVIII Antiochiæ miraculosè reperta, ipsam vrbem arctissimâ obsidione mirabiliùs liberauit. Item quomodò eadem ad Imperatoris Constantinopolitani manus delata fuerit, qui eius cuspidem limâ abrasam primùm Venetis oppignorarit, deinde S. Ludouico Francorum Regi dono miserit: reliquo ferro in vrbe regiâ remanente, cum quâ in potestatem Imperatoris Turcarum Mahumetis II venerit, humanæ salutis anno MCCCCLIII, manseritque dum filius Baiazet, vt Magno Hierosolymitanæ militiæ Magistro gratificaretur, caueretque ne is dimitteret vel reducendum susciperet fratrem armis à se pulsum; idem sacratissimum ferrum Innocentio F Papæ VIII misit anno MCCCCXCII; quod solennissimâ exceptum pompâ in Vaticanâ basilicâ religiosissimè adseruatur: hæc inquam omnia fusè tractata & accuratè legi apud Bosium possunt.

sacra lancea.

an. 1098 Antiochiæ reperta.

Constantinopolim delata,

& 1492 Militibus Hierosol. data.

nunc Romæ seruatur.

§ III S. Longini corpus repertum Mantuæ. Reliquiæ Pragæ, Olysipone: Romæ: & in Sardinia aliæ eiusdem nominis Reliquiæ.

22 Circa corpus verò S. Longini, quod Mantuæ, vt diximus, anno MCCCIV cum præfato Sanguine sacro repertum fuisse breuiter scribit Marius Æquicola; Hippolytus Donesmundi pleniùs ista narrat, ex manuscriptâ historiâ, vt ait, oculati testis & rebus omnibus cùm gererentur præsentis, his ferè verbis. Cùm anno MXLIV Beatrix, Bonifacij Comitis vxor, felicissimo partu edidisset Mathildam, illam deinde rebus pro Ecclesiæ libertate atque amplificatione gestis celeberrimam Comitissam; volens mater gratam se exhibere Deo; ecclesiam S. Andreæ Apostolo dicandam exorsa est fabricare, primum lapidem iaciente Martiali Episcopo. Huic ecclesiæ coniunctum

Mantua an. 1304

A iunctum erat vetustum vrbis Hospitale, iuxta quod olim inuenta fuerant sacra pignora; iterumque defossa in eiusdem domus hospitalis horto, multis iam annis ignota latebant; extinctis delapsisque iis, qui absconderant & locum potuissent indicare.

Adalberto reuelatur corpus S. Longini.

23 Dum igitur pius senex, Adalbertus nomine, Alamannus natione, veteranus in Comitili familiâ, minister, anno MXLIX nocte XII diem Martij præcedente, in prædictâ S. Andreæ ecclesiâ orationi deuotè insisteret, apparuit ei S. Andreas; mandans vt Comitissæ Beatrici nuntiaret, adesse tempus quo reuelare volebat hominibus Deus sanguinis pretiosi thesaurum: iuberet itaque iuxta Hospitale terram effodi. Non habuit magnam narratæ sibi visionis rationem Beatrix: itaque rursum ipsis Kalendis Aprilis S. Apostolus se videndum exhibuit Adalberto eadem imperans: qui ægrè demùm permouit Dominam suam, vt fossioni iuberet initium dari: sed quia nihil eâ profectum fuit, vetitus est deinceps hanc rem vrgere. Tandem afflicto propter repulsam irritumque conatum Dei famulo, die XIII Maij gloriosior quàm antehac apparuit Sanctus, ipsumque consolans indicauit locum, B in quo reperiendum esset quod promittebat.

& iuxta hospitale S. Andreæ effossa terra

24 Idem tantam Adalberti verbis efficaciam addidit, vt persuasa Beatrix eiusque maritus Bonifacius admonitioni velut diuinæ esse parendum, aduocarint Episcopum Martialem, qui cum insigni Præsulum, tum fortè ad negotia in aulâ præsentium, & Cleri totius comitatu, supplicantium ritu processit ad hortum Hospitalis S. Andreæ: vbi hymnos & cantica excepit deuota populi genuflexi oratio: sub quam visa est præter naturæ ordinem certo in loco moueri terrâ, quæ excauata odoriferum primùm vaporem cunctis inspectantibus sentientibusque exhalauit, ad modum fumi; deinde duos lateritios fornices exhibuit, sub quibus malleorum vi perfractis, primùm reperta est marmorea arcula sanctissimi sanguinis spongiæque reliquias continens: quam statim ac Episcopus venerabundus aperuit; resplenduit miro fulgore cælum, eamque faciem horæ vnius spatio tenuit, gaudentibus cunctis & ad venerandum sacrum pignus certatim accurrentibus; quorum religionem multæ sanitatum gratiæ consecutæ sunt.

vnà cum sacro Cruore inuenitur:

25 Inuentum similiter est sub altero fornice S. Longini Martyris corpus, & ex eadem S. Andreæ reuelatione Adalberto factâ agnitum, vnàque cum sanctissimo sanguine humeris Episcoporum delatum ad C ecclesiam Cathedralem, ibique intra Confessionem sub choro, proprio Reliquijs condendis loco, decenter repositum: donec in S. Andreæ ecclesiâ locus congruus cum debitâ magnificentiâ aptaretur. *Hactenus Fr. Hippolytus Donesmundi: prosequitur deinde & pergit narrare, quando, quomodo, & quanto cum populorum concursu sacer sanguis publicè spectandus expositus fuerit; quem Leo IX anno MLIII coràm adoraturus Mantuam aduenerit, frustraque conatus impetrare Romam auferendum, populi pro eo retinendo in seditionem versi collaudarit zelum, & nouam S. Andreæ ecclesiam, licet non plenè absolutam, dedicarit, ac modicâ pretiosi thesauri particulâ reuerenter exceptâ (quæ nunc in S. Ioannis Lateranensis ecclesiâ seruatur) reliquum cum S. Longini corpore in præparatum ad id locum reposuerit: quod deinde ne aliquâ barbarorum incursione auferri contingeret, Episcopus Conon anno MLV rursum sub terrâ abdi fecerit, intra fornices marmoreumque altare hunc in finem præparatum.*

atque à Leone IX transfertur:

& an. 1055 denuò abditur:

26 Narrat deinde tum alia, tum piam Adalberti mortem circa annum MLX obitam: cuius corpus in S. Andreæ conspicuo in loco religiosè locatum; ossa deinde ex quadam noui ædificij caussâ in sacristiam translata, denique anno MCCCLXX grauissimo incendio perierint: quæ quia ad S. Longinum nihil aut parum faciunt, satis est hîc obiter attigisse. Interim anno MCCCLIV venit in Italiam Innocentij D *Papæ VI hortatu, ad suscipiendam Imperij coronam, Carolus Bohemiæ Rex, & componendis Italiæ rebus intentus Mantuæ, vt scribit Æquicola, à Vigiliâ S. Martini vsque ad finem Decembris substitit:* quo tempore religiosissimus Princeps vehementi desiderio adorandi sacri sanguinis stimulatus, noctu, ne quid turbarum cieret, in ecclesiam S. Andreæ accessit paucis comitatus; scilicet Ludouico & Francisco Guidonis Gonzagæ filijs, Laurentio monasterij ipsius Abbate, Andreâ de Goito Protonotario Apostolico, dictorum Dominorum Consiliario intimo, vnâ cum Sacristâ fabrisque necessarijs ad propositum finem. Ab his coram illis & futuro Imperatore effractum pauimentum est, ad latus dextrum majoris altaris, elatæque sacræ ampullæ sunt pretiosa spongiæ Sanguinisque Dominici lipsana continentes: ijs autem post inspectionem venerationemque congruam in locum priorem relatis reclusisque, sic vt nihil inibi motum fuisse appareret, conuertit sese Carolus ad arcam, in quâ S. Longini ossa veneranda seruabantur, ex quibus ritè adoratis accepit ille brachium dextrum atque humeri partem, in Bohemiam deportanda: & arcâ denuò accuratè clausâ in suum sese recepit hospitiû, spirituali abundans lætitiâ.

Carolus IV an. 1354 fodi iubet:

E *& partem reliquiarum Pragam aufert:*

27 *Hæc idem qui suprà Fr. Hippolytus: quæ egregiè confirmantur ex MS. Martyrologio Ecclesiæ Pragensis, haud diu post ea tempora ante tria circiter secula exarato, quod apud nos extat; in quo ad hunc XV Martij, post suprà relatum ex Adone S. Longini elogium ista habes.* Huius S. Longini caput cum brachio Carolus Cæsar obtinuit in ciuitate Mantua in monasterio S. Andreæ, vbi corpus eius requiescit & donauit ecclesiæ Pragensi: *in differentiâ autem de capite vel humero standum existimamus auctoritati antiquiori & quidem ab oculatis, vt par est credere, testibus consignatæ: quamuis inter Pragenses reliquias nullum nunc caput inueniatur, quod S. Longini credi possit, nisi caput cuiusdam S.* Innominati, *vt habet inscriptio recens postquam veterem schedam, veri nominis indicem, temporis absumpsisset edacitas, sicut & in alijs multis. Certè nec scapulæ pars vlla ibidem est, de quâ Mantuani scriptoris possit verificari testimonium: sed os brachij tantum, quod in consignatione reliquiarum, factâ anno MDCLXIV die XXIV Septembris, tibiam imperitus Sacrista vocauit, notarique iussit vt inclusum cistulæ XXXV: vni scilicet earum, quas Ferdinandus III pientissimus Imperator de nouo fabricandas curauit opere pretioso, exornandis & seruandis sacris illis lipsanis: quæ in Carlsteiniâ arce non primùm per Carolum IV collocatæ (vt habet titulus Germanici scripti nuper ad nos missi) sed ad eam superiori seculo, Bohemiâ hæresum bellorumque facibus ardente, securitatis caussâ auectæ sunt & prædicti Ferdinandi iussu anno MDCXLV primùm in vrbem-minorem ad capellam regiam, atque inde in ipsam Cathedralem ecclesiam magnâ cum solennitate relatæ die XX Augusti, vt nobis perscripsit P. Arnoldus Angelus, magnus in eâ prouinciâ fautor & æstimator studiorum nostrorum.*

inde ablata Carlsteinium,

F *solenni pompa perferuntur an. 1644.*

28 *Ab his porrò Pragensibus reliquijs accepta est particula illa, quæ recensetur, vt inclusa ferculo X, inter plurima alia pretiosissima Sanctorum pignora à Rudolpho II Imperatore donata Ioanni Borgiæ, & Vlyssipponem allata anno MDLXXXVII: qui Ioannes eiusq; pientissima coniux illa consignarunt Domui Professæ Societatis Iesu in vrbe prædictâ; vt dictum in prætermissis ad XXV Ianuarij, quo die solennis omnium facta est translatio, coram Alberto Austriaco, Lusitaniam Philippi II Regis vice administrante. Pragensis autem Ecclesia etiam hodie, propter dictas S. Longini reliquias Officium sub ritu duplicis peragit hac die XV Martij cum eiusmodi Oratione:* Deus cui soli cognitus est numerus, electorum; præsta quæsumus, vt intercessione B. Longini militis tui electi, liber sanctæ prædestinationis nos adscriptos retineat, vt de hoc felici gaudio colletemur & ipsius Sancti meritis adiuuemur.

Ex his an. 1587 pars translata Olyssiponem.

29 *Eadem ecclesiastici Officij solennitate simili ex caussâ Romæ, tum in Basilicâ Vaticanâ tum in ecclesijs S. Marcelli & D. Augustini, celebratur hoc festum: & in hac quidem* S. Lon-

Romæ in ecclesia S. Augustini,

A S. Longini venerandum corpus asseruari percepi *inquit in Notis ad Martyrologium Romanum Baronius. Hoc moti testimonio anno* MDCLXI *quosdam ibi Patres interrogando sumus scrutati: & tum quidem neminem potuimus reperire qui istic vel tenuem eiusmodi rei notitiam memoriamue esse diceret; tantùm aiebant in argenteâ ad formam brachij hierothecâ, aliquas S. Longini reliquias asseruari, quas nobis in sacristiâ reuerenter exosculandas exhibuêre: verùm rogatus à nobis R. P. Ioannes de Iudæis, Assistens Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, vt accuratius examẽ super eâ re institueret, in hunc modum respondit.* Pro certitudine corporis S. Longini Martyris studiosè indagaui, & à senioribus conuentus huius Romani didici, adesse reipsâ iuxta testimonium Baronij dicti Sancti potiorem partem asseruatam subtus altare consecratum in sacristiâ. Fuit olim integrum: sed cum facultate Superiorum partes aliquæ distributæ & communicatæ fuerunt conuentibus generalibus Ordinis nostri S. Augustini Neapoli & S. Iacobi Bononiæ: pars etiam vna donata fuit ecclesiæ Vaticanæ ad S. Petrum. Vnde malè informati vobis præsentibus dubitarunt Patres illi, an adesset corpus S. Longini. Ego vt certius vobis testimonium redderem, ipsum mihi demonstrari

corpus alteri-us Longini Mart.

B volui, & reuerà ita esse, vt acceperam, reperi: ita vt Paternitates vestræ absque scrupulo vel dubio vllo, veritatem hanc vestris de illo Sancto cõmentarijs inserere possint, stando veritati & fidei testimonij mei ocularis. *Docet autem Octauius Pancirollus in thesauris absconditis Vrbis Romæ Regione 6 eccles. 1 & 2 Eremitas Augustinianos ab Honorio* IV *circa annum* MCCLXXXV *Romam admissos, in ecclesiam exiguam S. Tryphonis eique coniunctum cœnobiolum fuisse inductos, vbi humiliter & anguste habitauerunt, vsque dum Cardinalis Estrato-villa Rotomagensis Archiepiscopus Ordinisque protector magnificam sub titulo S. Augustini ecclesiam nouo opere excitauit à fundamentis anno* MCCCCLXX: *in hanc autem (quia prima illa S. Tryphonis, Cardinalitio titulo spoliata & prorsus à populo infrequens indicata fuerat esse claudenda) anno* MDCI *translatæ sunt quæ inibi reconditæ sub altaribus erant Sanctorum reliquiæ.*

eò allatum ex veteri S. Tryphonis ecclesia,

30 *Inter eas vix ambigam fuisse ipsum illud S. Longini corpus, & hac occasione datas varijs quas suprà memorauimus partes: non tamen illam quæ est in Vaticanâ: prius enim quàm dicta translatio fieret, imò priusquàm de S. Augustini templo condendo ageretur, in antiquissimo Reliquiarum Vaticanarum inuentario in membranis scripto notatur* brachium S. Longini cum vno annulo: *de eodemque Nicolaus Signorilis sub Martino* V *in libro de antiquitatibus vrbis, qui Bibliothecæ Vaticanæ codex 3536 est, hæc verba*

Alterius brachium in basilica Vaticana,

C *habet:* Item vnum brachium de argento in parte deaurato cum manu, in quo est reclusum brachium S. Longini. *Inuentarium autem anni* MCCCCLXVI *addit mentionem de* vno annulo in digito annulari. *Quibus ornamẽtis spoliata sacra reliquia cùm fuisset anno* MDXXVII, *in excidio Vrbis à Duce Borbonio intercepta;* diuinâ *tamen* virtute & piorum adiutorio conseruatum est venerabile brachium: *vt dicitur in Catalogo reliquiarum almæ Vaticanæ Basilicæ sub annum* MDCXVII *scripto, curantibus Paulo Bizono & Marco Aurelio Maraldo eius basilicæ Canonicis & Sacristis maioribus: ex quo habemus num.* 23 Brachium nudatum argenteum, lanceam manu gestans cum simili base, in eoq; venerabile brachium S. Longini militis & Martyris, qui Christi latus in cruce diro mucrone aperuit: *cum hac argenteæ basis inscriptione:* Hieronymus Mapheius Canonicus & Vicarius piè obtulit anno MDXCIV. *Has autem Reliquias Mantuâ Romam detulisse Leonem* IX, *cùm, vt suprà diximus, in nouâ S. Andreæ basilicâ reconderet corpus S. Longini, eius quem venerantur Mantuani, omnino putaremus verosimillimum, nisi prædictus Pancirollus, in citato opere de ecclesiâ S. Marcelli agens, quæ est* III *Regionis septima, inter sacra corpora, quibus ista insignitur ecclesia, S. Longini Martyris quarto loco censeret, ex eoque diceret acceptam partem, quæ est in*

et eo corpore quod est in ecclesia S. Marcelli.

basilicâ Vaticanâ: imò eam quoque quæ est in S. Augustini ecclesiâ. Sed nihil vetat & in hac & in illâ S. Marcelli integrum aliquando alicuius S. Longini Martyris corpus fuisse: cùm illud fuerit Romanæ nobilitati & militiæ frequens, quod admittere Pancirollus non potuit, cùm pro indubitato habeat omnes illas reliquias vnius & eiusdem esse, qui latus Domini in cruce percussit. Vt autem diuersi sint & Romæ passi æquè, ac alij infiniti, quorum Acta & tempora latent, præter cultum tamen antiquum & certum, putamus nihilo plus sciri apud Patres Seruitas, qui S. Marcelli ecclesiam ab anno MCCCLXIX *possident, quàm Augustiniani sciant de suo Longino: qui (vt fieri in eiusmodi solet) propter homonymiam celebrioris ex Euangelio personæ pro alio quàm reuerà esset acceptus, occasionem quoque dederit ecclesijs alijs partem dicti corporis habentibus, illam Longino militi attribuendi.* D

Quid si vtrumque sit Martyris Romæ passi?

31 *Atque hinc apparet quid tandem de Sardis sentire debeamus, qui teste Dionysio Bonfant in triumphis Sanctorum regni Sardiniæ, Hispanicè vulgatis an.* 1635, *Longinum militem lateris Dominici percussorem, apud se natum, apud se sub Neronianâ persecutione passum, apud se denique seculi præsentis anno* XXVI *primùm esse refossum, & ex inuiolato eatenus sepulcro eductum gloriantur. His enim satis est proponere tumuli inscriptionem, cuius occasione ista, ante id tempus toti ignota & inaudita Sardiniæ, credere cœperunt & ab alijs credi voluêre: estque apud prædictum auctorem folio* 72 *talis.* B. M. LONGINVS, QVI VIXIT ANNIS L, REQVIEBIT IN PACE XIII K. DECEMBR. *Iudicent æqui lectores an patriam Calarim, Romanam in Iudæâ militiam, Neronis persecutionem, mortem pro Christi fide obitam, quæ omnia huic vni superstruuntur lapidi, ex istis litteris aliquis possit exculpere, cui quidem sanus sensus sit. Summum quod ex ijs habemus est, Christianum fuisse, cuius bona memoria & requies in pace fuisse dicitur. Interim ad Cathedralis ecclesiæ sanctuarium corpus sic repertum transtulêre Calaritani, & inuentionis quidem festum* XIX *Aprilis, Martyrij* XIX *Nouembris instituerunt celebrandum. Quapropter nemo hæc videns iure mirabitur, quòd à primis Ecclesiæ viris moniti, nullam vel exiguam fidem nuperæ tot Martyrum, vt persuadere nituntur, reuelationi adhibeamus, ac sæpè ne inter prætermissos quidem eorum faciamus mentionem. Syri ad* XVIII *Aprilis Longinum quemdam Martyrem habent in suo Kalendario, quod cum Officio ipsorum Ecclesiastico Romæ impressum est anno* MDCXXIV. *Quem eum esse tantùm possumus per coniecturam dicere.* E

an aliud in Sardinia nuper effossum,

corpus sit S Longini militis?

§ IV De S. Longino Centurione: eius apud Græcos cultus, & Acta varia.

32 QVi S. Longini militis apostolatum atque martyrium Cæsareæ ereptum Mantuæ volunt pertinaciùs asserere, aiunt apud Latinos Actorum Martyrologorumque auctores confusum fuisse cum Milite Centurionem, quem die XVI Octobris solenni Officio venerantur Græci: & cuius Acta sub Metaphrastis nomine apud Lipomannum Suriumque leguntur. Hunc enim Cæsareæ mortuum esse contendunt: sed neque de Centurione hoc dicunt Græci, nec habetur in Actis: tantùm dicitur is in patriam Cappadociam (non primam illam, cuius caput Cæsarea est, sed secundam iuxta Metropolim eius Tyanam) recepisse sese, ibique in agro paterno vitam egisse quietam, donec ab emissarijs Pilati ibidem inuentus, & cum duobus socijs capite minutus est, nullâ iudicij, nullâ quæstionis formâ præmissâ, sed clandestinâ cæde & procul à populari frequentiâ. Manet igitur adhuc suus Cæsareæ in Cappadociâ primâ sub Neronianâ persecutione Martyr, à Centurione distinctus: esto vtriusque & Centurionis & Militis Acta confuderint aliqui, de quibus Paullò pòst.

S. Longini centurionis

alio loco & tempore passi,

33 *Ad Martyrologia antiquiora quod attinet, Græcorum Menæa solius Centurionis memoriam agunt, & hoc ei elogium scribunt ex fusioribus Actis acceptum.* Fuit hic sub Tiberio Cæsare ex Cappadociæ regione Centurio, & Pilati Præsidi Iudeæ attributus, ex illius mandato ministerium suum venerandæ Domini passioni & crucifixioni

elogium ex Menæis

A fixioni impendit vnaq; cum Custodiâ (erat ea militaris cohors) & suo militum centenario iussus est seruare sepulcrum. Hic autem cùm vidisset ea quæ propter Christum facta erant mirabilia, terram motam videlicet solemque obscuratum, aperta monumenta ex ijsque progressos mortuos & petras scissas, exclamauit voce magnâ dicens: Verè filius Dei erat iste. Quapropter & oblatum sibi à Iudæis argentum ad supprimendam resurrectionis euidentiam, ipse & duo socij eius recusarunt accipere, quos etiam in martyrio comites habuit. Militiam enim sibi commissam deserens, seque in propriam regionem recipiens, Apostolico ardore Christum Deum prædicare cœpit: idcoque Pilatus à Iudæis persuasus, siue vt planiùs loquar, pecuniâ corruptus, per litteras Longinum accusauit Tiberio, quòd desertâ militiâ redijsset in patriam, ibique Christum Deum prædicaret: qui deinde cum duobus commilitonibus suis capite plexus est, ita iubente Tiberio: & caput eius ex Cappadociâ illatum est in Hierusalem (vt Pilato atque Iudæis de illius nece certò constaret, & ab his ille pecuniam constitutam acciperet) atque in sterquilinio extra vrbem abiectum & fimo obrutum diu latuit.

fidei

martyrium:

B 34 Post multa verò annorum curricula mulier quædam ex Cappadociâ, videndi facultate priuata, Hierosolymam aduenit cum vnigenito filio suo, in locis illis sanctis quæsitura remedium suæ infirmitatis. Verùm cùm ei ad priorem calamitatem etiam orbitas accessisset per filij mortem, & geminatum lamentaretur infortunium, apparuit ei in somnis Longinus, seque quis esset aperuit, & quo loco sacrum caput suum abditum esset manifestauit; iubens vt eodem refosso oculorum reciperet sanitatem & filium suum in gloriâ mereretur conspicere. Fecit mulier quod iussa fuerat, repertumque fimetum manibus fodicans, caput quæsitum extulit, & simul cæcitate sublatâ videndi recepit facultatem: filium quoque suum meruit per soporem conspicere coniunctum Sancto, summâque cum ipso & per ipsum gloriâ perfruentem. Vno igitur in sarcophago & filij sui exuuias collocauit, & venerabile Sancti caput (sic enim iussa fuerat) atque in Cappadociam redijt, idem ferè experta quod Saul, qui patris quærens asinas regnum inuenit: oculorum enim cupiens infirmitate liberari, non tantùm sui facta est compos voti, sed etiam aduocatum inuenit in Sancto suorum commodorum studiosissimum. Quare speciosum Martyri templum erigens, eiusque gloriosum pignus in eo reponens, sibi & fidelibus C cunctis fontem perennem omnigenæ curationis acquisiuit.

caput eius inuentum Ierosolymis

refertur in Cappadociam:

35 *Hæc Menæa seu synaxaria tam typis excusa quàm scripta manu, quotquot vidimus; contractius tamen aliqua vt Parisinum nostrum, & alterum Cardinalis Mazarinii eadem Maximus Cytherorum Episcopus* ἐν βίοις ἁγίων *in hodiernam Græcorum linguam vertit: eadem & ijsdem verbis leguntur in Anthologio: in Menologio autem, quod ex Cardinalis Sirleti versione Henricus Canisius publicauit, breuiùs ista:* Natalis S. Martyris Longini Centurionis, qui propter Christi Confessionem apud Cappadociam cum duobus militibus obtruncatus est *Nusquam fit mentio Cæsareæ: tantùm in Actis dicitur ibidem baltheum exuisse, indeque abijsse in eum vnde ortus erat, & vbi corpus eius requiescit, vicum* Sandralem *dictum: alia autem Acta expressiùs sic habent* ἦλθεν εἰς τὴν ἰδίαν πατρίδα ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ τῇ δευτέρᾳ ἐγγὺς Τυάνων εἰς χωρίον καλούμενον Ἀδραλὲς, τὸ ἑπιλεγόμενον ἑβραϊςὶ Γαυραλὲς καὶ ἤλλαξεν τὰ περιβόλαια αὐτοῦ καὶ ἦν ποιμένων τὰ πρόβατα. Venit in propriam patriam, quæ erat in Cappadociâ secundâ iuxta Tyanas, in regiunculam quæ dicitur Adrales, Hebraicè autem cognominatur *seu potiùs interpretatur* Gaurales *aut* Gabales. *In Parisino Collegij Societatis Iesu Synaxario dicitur festum eius Celebrari* πλησίον τοῦ δευτέρου, *iuxta secundam Vrbis CP. regionem.*

alibi eiusdem memoria:

Patria & locus martyrij:

Inuentio capitis 1 Nou.

D *Idem festum eodem die celebrant Syri, vt constat ex Kalendario ante ecclesiasticos ipsorum libros Romæ excuso. At Copta in suo quod ibidem apud Maronitas est Menologio, v die mensis Hathur seu 1 Nouembris inuentionem capitis retulunt satis prolixâ narratione, quam vt aliquis nobis Latinam faceret necdum potuimus impetrare: etsi pro ea re sæpe solliciti fuerimus, eò quòd ibi quoque lateris Dominici percussor cum Centurione confundatur: nisi fortè diuersa & diuersi capitis inuentio illa est ab hactenus memoratâ.*

36 *Extat in magnis Menæis excusis plenum de S. Longino Centurione Officium ad diem Octobris* XVI, *in eoque sex in partes distributus Hymnus S. Iosephi,* III *Aprilis colendi & Hymnographi passim nuncupati, nomen vt auctoris præferens: cuius hymni initiales singularum stropharum litteræ hoc acrostichon faciunt:*

Officium apud Græc. 16 Oct.

Τὸ Λογγίνου μέγιςον ὑμνήσω κλέος.

Hymnis Longini maximam laudem canam.

Duobus autem S. Longini socijs eadem Menæa hoc distichon accinunt:

Φθάρτην ςρατιὰν ἐκλελοιπότε, ξίφει
Δυὰς συνάθλων ἐςρατεύθη κρείττω
Commilitones, castra dum linquunt simul
Mortalia, ensis inserit castris Dei.

E 37 *Acta porrò, ex quibus desumpta sunt Menæorum elogia, inuenimus Græca in Bibliotheca Vaticana Codice* 1190, *quem mole maximum & in chartâ ante trecentos circiter annos descriptum, Paulo Papa* V *in eiusdem bibliothecæ locupletationem intento, Alexander Turrianus Sitiensis & Hierapetrensis Episcopus dono dederat, vt prænotatur: in cuius folio* 117 *hic titulus legitur* Martyrium sancti & gloriosi Martyris Christi Longini Centurionis, eius, qui ἐν τῷ ςαυρῷ crucifixioni D. N. Iesu Christi [præfuit] & sociorum eius duorum militum. Benedic Pater: *Legebantur illa inter diuina Officia; (hoc enim indicat ista benedictionis petendæ formula) & legebantur sic vt fuerant Hierosolymis ad illius Ecclesiæ vsum composita, ab auctore qui nomen suum in hunc modum expressit, & indicauit vnde ea quæ scribebat acceperit:* Ego Hesychius Hierosolymorum Presbyter, multùm sollicitéque scrutatus, vix demum nec absque magno labore potui inuenire aliquid de S. Longino Centurione, qui ad crucem Christi dixit: Verè filius Dei erat iste. Inueni autem Martyrium eius ἐν χαρτίῳ in libello Bibliothecæ sanctæ Resurrectionis, & ipsius Confessionem cum encomijs composui. *Hunc Hesychium virum clarum vixisse anno* CCCCXXIX *demonstrauimus ad Vitam S. Euthymij* XX *Ianuarij num.* 42 *lit. q.*

Acta ex MS. Vaticano

auctore Hesychio

F 38 *Eadem Acta mutato principio verbisque hinc inde & stylo mutato ijs in locis, quæ plus rhetoricæ amplificationis habent quam historicæ simplicitatis, codex idẽ habebat circa finem fol.* 1356 *hoc principio:* Ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριςὸς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίςου ἠθέλησεν κλῖναι τοὺς οὐρανοὺς καὶ ἄνθρωπος γενέσθαι δι' ἡμᾶς. *Eadem sub nomine Metaphrastis ab Aloysio Lipomano ex interpretatione Gentiani edita sub simili styli varietate extant in Codicibus Reginæ Sueciæ Christinæ, bibliotheca Veneta, & Medicæa Regis Franciæ: ad quem postremum collatam habemus à viro Græcarum litterarum peritissimo Gentiani versionem, in multisq; correctam. Quæ autem Illustrissimus Leo Allatius bibliothecæ Vaticanæ Custos primarius, in suâ de Simeonum scriptis diatribâ, conscripta ait ab auctore præsente & vidente, prout indicare videntur hæc verba,* Et sepulturam vidimus apertam, & lumen illuxit circumquaque in habitaculo: *ea in eiusdem bibliothecæ Codice* 797 *inuenimus hoc principio* οἱ τῶν ἀθλητῶν νικηταὶ, οὐράνιοι δὲ πολῖται: *sed describere neglexim9 offensi fabellis, quas temerè priori ac maiori in parte consarcinauit auctor.*

alibi similia phrasi diuersa.

Item quædã fabulosa.

39 *Comminiscitur enim Longinum iam inde à tempore Herodis agnitâ Christi natiuitate fidelem; & quia ad eum quærendum infantesque occidendos missus parere recusabat, dignitatis & militiæ ornamentis exutum, stetisse inuictum inter tormenta, ac mirabili luce circumfusum fuisse: de quo Herodes alter, prioris filius & in Christi passione nominatus,*

scriptura

A *scriptum inuenerit in scrinijs; quòd sub parente suo fuisset auctor seditionis, omnibus suasor factus vt fierent Christiani: quare ex Præfecto Lucio pleniùs de totâ re edoctus Herodes persecutionem mouerit aduersùs Christianos, missisque ad inuestigandum Longinum principibus tribus imperarit, vt eius sibi caput adferrent, nisi ipsi rei capitis Regi suo haberi vellent. Addit deinde fabulator ille, prædictos tres Principes ab Antiochiâ Romam vsque & in Illyricum profectos, nono demùm mense venisse in vicum Adralesiorum; ibique à Longino non agnito agnitos, hospitioque exceptos fuisse; & cetera vt prædictum: caput vero Hierosolymam allatum penès Præfectum Lucium remansisse, vsque dum eò veniens mulier vidua, de quâ suprà, illud ab ipso redemit ducentis denarijs retulitque in patriam. Quæ omnia persuadent non modò non à videntibus scripta hæc fuisse; sed nec à fabulatore tam impudente, vt sua & factæ translationis tempora cum temporibus ipsius Herodis coniungeret: adeoque librario errore potiùs imputandum esse, quòd dicto loco, vbi de coniunctione capitis cum corpore agitur, legatur* καὶ ἴδομεν & vidimus, *pro* καὶ ἴδον & viderunt: *quod multò meliùs cum antecedentibus ac consequentibus cohæret.*

Immeritò testi oculato attributa.

B 40 *Quia tamen translati capitis historia haud paullò aliter quàm in Hierosolymitanis Actis; in his referebatur, idque cum circumstantijs æquè aut magis verosimilibus quàm in istis; iudicauimus deinde hanc partem non inutiliter describi & Latinè redditam hîc dari posse: quia fabulator quamuis, potuit tamen circa eam fideliorem ipsorum Cappadocum aut traditionem aut historiam fuisse secutus. Tempus porrò relati in Cappadociam capitis videtur ad plenam Ecclesiæ pacem spectare, atque ad Magni Constantini aut filiorum eius imperium: certè primis illis à morte Christi annis, de quibus agunt spuria illa Acta, concipi non debet ea religionis libertas, quam supponit templum à fidelibus supra corpus S. Longini erectum, & publica in eo defuncti Christionis sepultura per Paphnutium Tyanensem Episcopum procurata. Eadem Acta Sanctum Centurionem proprio nomine* Primianũ *appellant* ὁ καὶ Λογγῖνος qui & Longinus; *puta gentilitio, vel etiam vulgariter vsurpato posterioribus temporibus nomine: quod hîc sufficit indicasse propter exiguam istius auctoris fidem.*

In his tamen capitis inuentio datur.

Longinus an an alio nomine Primianus?

§ V *An Latina Acta Militis & Centurionis personas confuderint? Pseudodextri de Centurione figmenta.*

C 41 P*Oterat de hoc Longino agi à nobis Octobri mense, quo eum Græca Ecclesia colit: sed cùm de vtrisque Actis; Latinis scilicet, quæ sunt Militis; & Græcis, quæ sunt Centurionis agens in suis ad Romanum Martyrologium Notis Cardinalis Baronius vnius eiusdemque Sancti esse existimarit, & vtraque in poëmate suo Io. Baptista Mantuanus confuderit, nec defuerint qui putarent, Dominicum latus ab eodem ipso Centurione lanceâ apertum esse, qui ceteris ad confitendam Christi morientis diuinitatem præiuerat, cùm etiam Latini nullum certum diem Centurioni attribuerint; credidimus hoc die vtriusque simul Acta esse proferenda, vt euidentiùs pateat quàm inter se diuersi sint iste miles (natione Isauricus, & Dominicæ passioni plurimis annis superstes, ac demum Cæsareæ Octauio Præside illustri martyrio coronatus sub Neronis tyrannide, vel vno ex tribus intra sesqui-anni spatium sibi per mutuas cædes succedentibus Imperatoribus Galbâ, Otthone aut Vitellio) & hic Centurio, in Cappadociâ quidem sed secundâ eademque patriâ suâ cæsus, idque clàm & paterno in agro à Pilati emissarijs, sub imperio Tiberij; ad hoc inducti, non tam quia Christum Deum prædicabat suis (vt talem enim suo ipse in Larario venerabatur Tiberius, volueratque à Senatu Dijs ceteris accenseri) quàm quòd militiam deseruisse accusaretur: cuius vt amor alterum eius militem videtur in Cappadociam pertraxisse, sic exemplum potuit fuisse occasio vitæ solitariæ instituendæ.*

Centurionem Græci colunt 16 Oct.

patria & modo martyrij diuersum à milite.

42 *Quæ nisi forent, dubitaremus etiam ipsi vtrius eorum essent Latina Acta: nam quatuor illorum MSS. nostra scilicet duo peruetusta exemplaria, Aquicinctinumque ac Bonifontis sic exordiuntur:* In diebus D.N. Iesu Christi fuit quidam miles Centurio, nomine Longinus, qui illo tempore adstans cruci, iussus à Pontio Pilato Præside, percussit lanceâ latus Domini; & videns signa quæ fiebant, sole obscurato & terrâ commotâ, credidit in Dominum Iesum Christum, & percutiens pectus suum voce magnâ dicebat: Verè filius Dei est hic, & post hæc recedens à militiâ, instruebatur in Domini præceptis, audiens à sanctis Apostolis venerabilia Christi mandata *&c. verùm videtur ea vox in principio abfuisse; & in ijs quibus vsus Rabanus est, fortasse sic legebatur:* Miles sub Centurione Romano Longinus. *Neque verò solus* Centurio, *sed* & qui cum illo erant, custodientes Iesum, *sicut testatur Matthæus*, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes: Verè filius Dei erat iste. Mat. 27, 54

D *An hic cum illo à Latinis confusus?*

43 *Verùm si inter hos Longinus Miles; quomodò non exhorruit eius latus confodere, quem ante paucas horas Deum fuerat confessus? ideò enim multi Interpretum negant dici posse, quod ipse Centurio fuerit huius vulneris auctor. Respondemus, quod attinet ad Centurionem meritò negari ab eo perfossum latus Domini, verùm non ex vi debilis istius ratiocinij, sed quia Scriptura dicit, quòd hoc fecerit* vnus militum, *gregariorum scilicet & eorum qui Dominum crucifixerant, atque tunc ipsius & simul crucifixorum latronum crura fracturi aderant;* cùm eum vidissent iam mortuum. *Quamuis autem fuisset infra Centurionis dignitatem talibus ministerijs manus admouere: iubere tamen vt lancea adigeretur in pectus (quò certiùs Pilato constaret de Christi nece; quem infami crurifragio deformare reuerebatur) neque præter illius munus; nec contra priorem fuit confessionem, aut illius aut militis qui iussa fuit executus. Quippe qui imperfectâ dumtaxat inchoatæ fidei luce inter tot terriculamenta perstricti, ijsdem cessantibus, totoque scelere iam peracto, persuadere facilè sibi potuerunt, neque ad se magnoperè pertinere, quæ alieno arbitrio atque imperio velut publicæ iustitiæ ministri fecerant; neque nunc peccati futuros se reos, si vulnere minimè inhonesto illius fortasse adhuc viuentis finirent tormenta, vel impleti ministerij certum acciperent signum.*

E *An lateris confossio pugnet cum eorum confessione,*

44 *Quod autem in citatis Actis Latinis priùs fiat mentio aperti lateris quàm confessionis, non magis quemquam mouere debet, quàm quòd in Menæis post sepulcri custodiam eadem confessio memoretur: neque enim credibile est tam turpiter hallucinatum esse Actorum iam dictorum auctorem, vt antequam* Iesus emissâ voce magnâ expiraret *lethale hoc vulnus ei inflictum crediderit, qui fuit cuiusdam Petri Ioannis error, in Concilio Viennensi à Clemente* V *condemnatus.*

ipsam prægressa?

F

45 *Qui sub exitum præcedentis seculi chronicon sub L. Flauij Dextri nomine excogitarunt, cùm animaduertissent Baronium Acta S. Longini, à Lipomanno vulgata ex Græcis, tribuere Militi Dominici lateris percussori, & viderent nusquam alibi apud Latinos mentionem fieri Centurionis, ob agnitam Christi in cruce pendentis diuinitatem meritò ab Ecclesiâ honorandi, continuò in eius personam, tamquàm vacuam possessionem, inuolarunt; deque illius genere, patre, filijs tam licenter sunt fabulati, vt nullius nomen tractarint impudentiùs, tum ipsi chronici illius figuli, tum illius propugnatores Binarius atque Tamaius. Nam primùm de Centurione (cuius puerum ingressus Capharnaum Dominus, collaudatâ ipsius fide, sanauit) finxerunt Caium Oppium Centurionem nominatum, gente Hispanum, patriâ Malacitanum, qui S. Iacobo in Hispaniam proficiscenti se iungens, ab eodem Malacæ baptizatus, in magnâ vixerit sanctitate, Idibus Septembris mortuus; quo die S. Cornelij Centurionis, in Actibus Apostolorum à S. Petro Baptizati, memoria in Græcorum Menologio occurrit.*

Centurio his fingitur esse filius.

Centurionis Capharnaitæ,

46 *Ad annum deinde Christi* XXXIV *ita Pseudo-Dexter habet:* Floret per id tempus in Hispaniâ C. Oppius Centurio F. Corn. pater Centur. (*Binarius explicat, &*

in Hispania baptizatus Caius nomine,

ne

A *ne sit cum alibi fingendis contradictio, corrigit)* filius Cornelij pariter Centurionis, qui morientem Christum prædicat Hierosolymis esse filium Dei, inter fragores saxorum mutuò sese collidentium obducto tenebris die. Ex gentilibusque à Christi morte primus hic Christianus Centurio credidit: qui fuit ciuis Romanus, baptizatusque à S. Barnabâ *(interpunctionem mutauit Biuarius, ne hic quoque non sit in Hispaniâ baptizatus)* factus est III Mediolanensis Episcopus: vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem & eclipsim admirabilem primus omnium Hispanis gentis suæ cum audientium admiratione refert.

47 *Ad annum rursum* LXX, *occasione piarum, quas comminiscitur, peregrinationum in Hispaniam, hæc habet:* Vti fuit ab ipsis Apostolicis temporibus, cùm C. Oppius Centurio peregrinos in Hispaniâ sustentabat. Qui Caius domo Corinthius, genere Hispanus, etiam D. Paulum inde redeuntem domo tectisque liberaliter excepit: misit Ioannem ab exilio pòst redeuntem in Hispanias *(ergo post mortem Domitiani, anno Chr.* XCVI*)* comitatur Ioannem, & Romam vsque Iginium *(corrigit Biuarius & Ignatium iubet legi: quia in eius epistolis cum* Philone *nominatur* Caius, qui & Agathoppius *Diaconus: anno autem Christi* CVIII *Martyrij faciendi caussâ Romam profectum Ignatium docuimus ad* 1 *Februarij)* Inde venit Mediolanum, & Pontifex ibi factus, in Domino moritur. *Ad quæ Biuarius.* Post transitum autem Ioannis *(quem anno Traiani* II, *id est Christi* XCIX *contigisse scribit ex Ireneo Eusebius)* accessit carissimo illius discipulo Ignatio, Antiochiæ Syriæ Primati, quem Romam vsque martyrij desiderio flagrans comitatus est: eo verò frustratus, dum in Hispaniam patriam suam senex valdè redire adoritur, Mediolani detentus, in Episcopum eius ciuitatis eligitur.

& ibidem Pauli, ac Ioannis hospes,

B

tandem S. Ignatij socius, factus esse Episcopus Mediolan.

48 *Idem Biuarius:* Quòd Mediolanenses tabulæ non nouerint hactenus suum Caium fuisse illum Centurionem, qui credidit Christo morienti in cruce, nihil nobis nocere debet; cùm id non negent: Dextro autem debemus quòd vtriusque meminerit. *Quàm parum ei debeamus hoc nomine, probabunt antiquissima Bibliothecæ Ambrosianæ monumenta, inter quæ sub littera P num.* 246 *codex est MS, cuius pars altera, vetustiori charactere & pergameni formâ maiori quàm prior, post narratum S. Barnabæ aduentum Mediolanum ita exorditur Sanctorum Episcoporum Mediolanensium Vitas:* Nunc vero ab ipso Anatelon tempore, vsque ad hæc, quæ in præsenti decurrunt, secula, gressu licet pendulo styli huius excursum dirigam; quem nisi tu, Præsul excellentissime, dexteram extendens benedicas & acuas, callis asperitate retunsus incedet per deuia. *Itaque ab Anatelone exordiens historia filo nusquam interrupto prosequitur SS. Cay, Castritiani, Calimeri, Monæ atque Materni Acta, cuius cùm o*pera hìc videri, merita in cælum transijsse, *dixisset, & diem atque annum mortis signasset, more solito concludit scriptionem:* Regnante Domino nostro Iesu Christo cui est honor & gloria in secula seculorum Amen. *Vt planè videatur sub S. Mirocle S. Materni successore ista scripsisse circa annum Christi* CCCXIII: *hoc enim anno Mirocles floruit, & Romano concilio sub Melchiade interfuit. Sequitur quidem in eodem Codice S. Dionysij Episcopi Mediolanensis Vita ab auctore coæuo scripta, atque adeò S. Ambrosio dedicata: sed hanc alterius esse auctoris ex nouâ præfatione colligimus: si enim idem fuisset & huius vita, & illius sic continuatæ historiæ auctor, videtur non fuisse omissurus intermedios quinque, qui Sedem Mediolanensem per annos quadraginta tenuerunt; & quidem plerique Sanctorum catalogo adnumerati.*

at qui circa an. 313 scripsit Vitas Episcop. Mediolan.

C

49 *Hic igitur tam antiquus tam propinquus Apostolorum successoribus auctor: ita de S. Caio scribit:* Interim Præsul Dei reuerentissimus Caius, maximo, vt fertur, ductus amore visendi magnificum Apostolorum Principem Petrum, & sui quondam magistri Barnabæ collegam, & gentium lumen Paulum, seu etiam conferendæ gratiâ prædicationis suæ cum Clemente sanctissimo ceterisque Apostolorum pedissequis, anno Episcopatus sui quinto, qui erat Neronis vltimus *[adeoque Æra Christiana* LXVII*]* ad vrbem Romuleam, hoc est, ad genitalem patriam fertur tramitem direxisse. *De morte autem illius sic loquitur:* sæpè nominandus Præsul Domini Caius, peracto in Episcopali ministerio quatuor & viginti annorum curriculo.... tandem migrauit è mundo... pridie Kalendarum Ianuariarum.... mansit autem in Episcopatu vsque ad quintum Domitiani Cæsaris annum, *id est, annum à Christi natiuitate* LXXXVI.

testatur S. Caium Romanum fuisse,

D

& obijsse an. 24 Episc. Chr. 86

50 *Festum S. Caij (quem melioribus quàm Pseudo-Dexter & sequaces eius sunt, auctoribus perlucentibus, Caium Sergium Romanum appellat Vghellus tomo 4 Italiæ sacræ) agitur* XXVII *Septembris: quando plena eius Acta dabimus ex præcitato MS. in ijsque plurima inueniemus quibus Pseudo-Dextri mendacia possent refutari, nisi hoc loco prolata abundè sufficerent ad probandum id, quod ibidem ait Vghellus*, Biuarium in Dextrum oleum & operam perdidisse, cùm hactenus nullus ex vetustis recentioribusque Mediolanensibus scriptoribus inuentus sit, qui suis in commentarijs ista retulerit. *Necdum videlicet Zodiacum Ecclesiæ Mediolanensis viderat, antequàm ipse prælo quartum tomū subijceret bienno dumtaxat Mediolani excusum ab amico nostro D. Placido Puccinelli, quem domesticū ad scribendū subsidijs abundè instructū optaremus ab exoticis fabulis temperasse, aut saltem aliquam iniJJse annorū rationem: vidisset enim non posse cum veritate consistere, quòd post annū Traiani* XI, *quo passum Ignatium scribit Eusebius, ad Episcopatū electus fuerit Caius, quem ex plurium sententiâ scribebat ipse anno Domitiani* V *mortem oppetijsse. Quantæ autem ætatis opportuisset fuisse hunc Caium, qui ab* XI *Traiani anno, annis viginti quatuor rexisset ecclesiam? vtique haud minùs quàm centum quinquaginta annorum senem.*

qui ex illo figmento fingitur an. 110 factus esse Episcopus.

E

51 *Ex his autem satis apparet simili leuitate confictum esse, quòd eius, de quo agimus, Centurionis filij fuerint Caius & Demetrius; ad quorum alterum est Epistola* 3 *S. Ioannis, alterius in eadem epistolâ insigne ab hospitalitatis virtute elogium. Æquum scilicet videbatur vt is cui Caij nomen affinxerant, non dubitaretur esse pater alterius, cui hoc nomen indubitabile faciebat Scriptura; vtque non alium potiùs quàm fratrem fratri Sanctus Euangelista laudaret. Eiusdem porrò farinæ sunt, quæ apud Tamaium extant auo, patri ac filijs scripta epitaphia sub nomine Auli Haly; quamuis & Codicem eius MS. apud se esse dicat Tamayus, & eidem se multùm deferre, apud quem veritatis apices comperiat; maximè in Sanctorum Hispanorum rebus gestis, quas suo æuo in promptu habuit, & ex S. E. Toletanæ monumentis deprompsit: nec enim dubitare possumus quin totus hìc Poëta nostro seculo confictus sit, ne prorsus seculis omnibus ignota viderentur fuisse opera, quæ sub magnorum auctorum ementitis nominibus infeliciter protrusa sunt in lucem: dignum videlicet patellâ operculum.*

an fuerit pater Caij & Demetrij

cuius sibi fint epitaphia apud Tamayum

F

ACTA
S. LONGINI MILITIS
Ex pluribus peruetustis MSS.

1 IN diebus Domini nostri Iesu Christi, fuit quidam miles, *a* nomine Longinus: qui illo tempore cruci Domini astans *b* missus à Pontio Pilato Præside, latus Domini lanceâ percutiens aperuit: & videns signa quæ fiebant propter eum, sole obscurato & terrâ commotâ, credidit in Dominum Iesum Christum, & percutiens pectus suum voce magnâ dicebat: Verè filius Dei est hic: & post hæc recedens à malitiâ instruebatur Domini præceptis, audiens sanctorum Apostolorum venerabilia mandata. Veritatis

a

b

Lateris Dominici percussor

ab Apostolis instructus,

A ritatis itaque instructus viam, accipiensque signaculum salutis, totum se obtulit Deo, faciens igitur eleëmosynas & in castitate corpus continens, puram custodiebat conscientiam, cælestem vitam gerens in terris. Omni moderatione ornatus, per abstinentiam habebat veram reuerentiam, vultum planum, moderatam speciem, ornatum aspectum, quietum sensum, humilem sapientiam, *c* animum lætum.

2 Hic cùm esset in Cæsareâ Cappadociæ, vixit quietâ monachorum vitâ annis viginti *d* octo, & multos auertens ab impietate, illuminabat verbo veritatis, & prohibens idolorum sacrificia, seminabat in populo venerabilia Domini præcepta. Cumq; hæc ad aures Octauij Præsidis peruenirent, iussit eum exhiberi. Inducto autem eo, Octauius dixit: Quis vocaris? Beatus Longinus, cùm esset perfectus sensu & venerabilis in Domino, dixit: Christianus sum: oportet enim primùm donum gratiæ Dei confiteri. Octauius Præses dixit: Qui ante te fuerunt, nihil lucrati sunt de hoc nomine: tu autem quis vocaris? edicito. Vir Dei B respondit: Longinus vocor. Iudex dixit: Cuius prouinciæ es? S. Longinus dixit: Isauriæ. Octauius Præses dixit: seruus es an ingenuus? S. Longinus respondit: seruus eram priùs peccati: sed pius Dominus Iesus Christus per mysterium sanctæ & adorandæ crucis, & per lateris sui effusionem duplici gratiâ me liberauit; priùs quidem per aquam & Spiritum sanctum, nunc autem per sanguinem, si perseuerauero in eius confessione.

d annis pluribus Cæsareæ actis,

adducitur ad Octauii Præsidem:

Christum confitetur

3 Iudex dixit: Propter quam caussam venisti huc? S. Longinus dixit: Curialis fui & militaui in seculo: nunc autem milito Christo Iesu. Præses dixit: Quis te ergo absoluit à militiâ? S. Longinus respondit: Fratres meos rogaui vt tollerent substantiam meam, & ego acquirerem animam meam: & consenserunt mihi. Dabant autem mihi *e* in sumptus solidos centum per singulos annos: quos expendebam in pauperes Christi. Nunc autem deprecatus sum Dominum meum Iesum Christum vt me educeret de carnali militiâ & donaret mihi spiritualem, & glorificetur nomen eius per me. Præses dixit: Ergo, tamquam vir ingenuus & benè natus, obaudi Regibus & sacrifica Dijs, aut manduca de sacrificijs eorum, antequàm disperdaris à pœnis. S. Longinus dixit: Nemo potest duobus Dominis seruire: singuli enim eorum sibi contraria sapiunt. Meus Dominus sobrietatis & mansuetudinis, castitatis *f* & pietatis, humilitatis & modestiæ dux est, qui ducit hominem ad vitam æternam: dij autem tui contraria sapiunt amatoresque sunt omnis malitiæ, auaritiæ, impietatis, superbiæ, & spurci- C tiæ. Num possum idolorum opera exercere, & non sapere quæ Dei mei sunt?

renuit sacrificare idolis,

4 Præses dixit: Si, vt tu dicis, contraria sapiunt dij nostri & solus Deus tuus iustus est; quomodò ergo gentilitas defensionem præbet Regibus & Principibus, & exaltatur in gloriâ multiplicatâ: Christianismus autem humiliatur & in gloriâ minoratur? S. Longinus dixit, Vides ergo quia gentilitas contraria est Christianitati. Dij vestri sunt impedimenta sobrietatis, damnum pietatis, corruptores virginitatis, gulæ delectatio, paupertatis effugatio, auaritiæ desiderium, humilitatis alienatio, duces superbiæ, puritatis animæ pollutio, turpium verborum excogitatio: hæc est idolorum cultura & doctrina dæmoniorum: si autem iubes, & quæ Christianitatis sunt dico præcepta. Octauius Præses dixit: Multùm locutus es & nihil stabile dixisti; accede ergo & sacrifica dijs, aut gusta de carnibus sacrificij; & indulget tibi Deus tuus propter necessitatem Regalem hoc facienti: video enim te multùm gracilem & pallidum præ abstinentiâ pœnas sustinere non posse: ne cùm cœperint in te amarissima tormenta, cum confusione hoc facias.

quorum cultus vitiorum est caussa.

5 S. Longinus dixit: Præses, si vis à me veritatem audire, magis tu sis Christianus, & indulget tibi Rex tuus, cùm Regem æternum & Dominum magnum in veritate cognoueris *g*: si autem Rex tuus voluerit te lædere, non te tangent pœnæ. Si enim gracilis sum & pallidus, noli curare; solummodò Christianus efficere: non enim imperat nequitia Regum Christi pietati. Et iratus Præses dixit: Dentalem afferte, & eius dentes excutite, & linguam eius incidite, blasphemantem Imperatores & loquentem iniqua in deos. Quæstionarij verò fecerunt quod eis iussum est; linguam eius absciderunt & dentes eius excusserunt. Beatus autem Longinus viriliter hęc sustinebat propter fidem Christi, quam habebat, & dixit Præsidi clarâ voce: Si credis verè deos esse quos colis, sine me vt confringam eos; & adiuuent seipsos, si possunt. Præses dixit: O malum caput! tibi tanta tormenta sustinenti, quare non subuenit Christus tuus? S. Longinus dixit: Insensate, non vides quanta tormenta mihi intulisti, & non me tetigerunt pœnæ tuæ? Da mihi potestatem, vt conteram deos tuos, & si me aliquid nocuerint, credo quia dij sunt: si autem nihil valuerint, tu crede Deo meo, quia ipse est Deus viuus & verus. E

D

g Rex MSS.

excussis dentibus & lingua discissa.

petit sibi permitti deos,

6 Præses dixit: Habeas potestatem aduersus deos. Et accipiens S. Longinus securim confregit idola, & aras eorum destruxit, & omnes lapideas statuas euertit, & libationes effudit. Et statim dæmones, qui manebant in idolis & in aris, fugerunt; & quidam adhæsit Præsidi, alius Principi, alius *h* Commentariensi, ceteri autem intrarunt in reliquos de Officio. Et erant omnes simul velut insani latrantes, & arripiebantur & dicebant: Vt quid adduxistis sanctum Dei Longinum huc, vt nos eliminet ante tempus de habitaculis nostris? Et cadentes ante pedes S. Longini dicebant: Scimus te, quia es Longinus, seruus Dei excelsi. Et cœpit B. Longinus increpare eos dicens: Quare inhabitatis in simulacris & in aris istis? Dæmones autem dixerunt: Inuenimus statuas lapideas circumornatas, vbi non est inuocatum nomen Christi, nec eius signum impositum *i* quod vos colitis: & inuenientes sacrificia & libationes exercentes in nostro nomine, pariter & locum & homines nostros inhabitauimus: vbi autem Christus non nominatur & eius signum non est impositum, ibi est nostra habitatio. Huius rei caussâ deprecamur te, homo Dei, ne nos præcipias ire in abyssum.

i quibus fractis,

h dæmones in idololatras transeunt,

7 S. Longinus adstanti populo dixit: Quid vultis eos deos habere & colere, quos ego fugaui in nomine Iesu Christi? videtis enim Præsidem vestrum virtute Dei mei spumantem & prostratum sub pedibus meis. Populus autem clamauit, dicens: Magnus est Deus Christianorum, rogamus & deprecamur te, Sancte Dei, ne sinas dæmones habitare in ciuitate nostrâ ad interitum & perditionem hominum. Hæc audiens B. Longinus intendens oculos in cælum, dixit: Domine Iesu Christe propitius esto mihi, propter pietatem tuam multam & inenarrabilem circa me benignitatem tuam: scio enim quia semper me audis, & credo quia, antequàm postulem, eas, quæ ad salutem sunt, petitiones præstabis. Et nunc propter adstantem populum, & propter humilitatem serui tui, & propter gloriam Deitatis tuæ, iube immundos spiritus exire de corporibus istis, quia opera manuum tuarum sunt. Et cùm hæc dixisset B. Longinus, exclamauerunt dæmones in hominibus *k* & vlulantes voce magnâ exierunt ab eis, & mundati sunt omnes ex illâ horâ; & factum est gaudium magnum in ciuitate illâ, & multi permanentes cum S. Longino, crediderunt in Dominum Iesum Christum.

F

sed & hinc eos pellit Longinus

multosq; conuertit.

8 Post paucum verò tempus nequissimus diabolus corrupit cor impudentissimi Iudicis, qui expugnabat famulum Dei Longinum: vnde & iussit eum exhiberi, & dixit ei: Scis quia omnis ciuitas recessit à sacrificijs deorum propter tuas magicas artes: & si hoc

Pro Sancto iterum adducto

EX MSS.

A hoc notum fuerit Regi periclitabitur ciuitas, & nos peribimus. Aphrodisius Commentariensis dixit Præsidi: Eum qui præstitit nobis salutem hanc & benè nobis Deus fecit per eum, ipsum iterum torquere incipies? Præses dixit: Per magicas artes hoc fecit & illusit sensus nostros. Aphrodisius respondit: Magnus est Deus Christianorum & non est apud eum dolus: noli ergo negare eum, nec præsumere tibi quidquam aduersùs seruum eius, ne aliquid deterius tibi contingat. Tunc *l* Octauius Præses dixit: Iubeo amputari linguam tuam, vt non loquaris, miser. Beatus autem Longinus dixit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui ostendisti & alium athletam pietatis tuæ. Cùm ergo incideretur Aphrodisio Commentariensi lingua, suspirauit cum gemitu S. Longinus ad Dominum, & statim manus Domini facta est super Præsidem, & dissolutus est membris, & factus est cæcus; & videns eum Aphrodisius cœcum exclamauit dicens: Iustus es Domine & iustum iudicium tuum.

etiam abscissa lingua Præsidem arguit,

9 Præses dixit: Frater Aphrodisi, roga Dominum meum Longinum, vt oret pro me quia nimis iniquè egi in seruos Dei. Aphrodisius dixit: Nonnè dicebam tibi, noli inijcere manus in seruum Dei: quia Deus B noster inuictus est: sicut & me indignum vides linguâ incisâ loquentem. Præses dixit: Non solùm oculos perdidi, sed & cor meum & viscera pessimè cruciantur. Sanctus Dei Longinus dixit: Si vis misericordiam consequi, celeriùs me puni; *m* ne frauder coronâ meâ propter tuam sanitatem: & post mortem meam orabo Dominum vt sanet te: tunc enim ampliorem potero habere fiduciam deprecandi Dominum pro te, cùm conspectui illius adstitero. Statim itaque vt hæc verba compleuit, Octauius iussit ei caput abscindi: & stans S. Longinus orauit tamquàm vnius horæ spatio: & *n* sic consummatus est per gladij interemptionem, spiritum tradens Domino in pace. Et statim Præses perrexit ad corpus beatissimi Martyris Longini, & proiecit se in faciem cum gemitu & lacrymis dicens: Peccaui, Domine, peccaui: agnosco, iniquitatem meam: & statim recepit visum, & sanus factus est ex illâ horâ: & accipiens corpus B. Longini, inuoluens linteaminibus mundis cum gaudio Martyrem sepeliuit: & credens in Christo permansit cum prædicatoribus fidei, glorificans Deum semper.

qui cæcitate percussus culpam agnoscit,

& ad corpus Martyris visum recipit.

10 Hæc acta sunt in Cæsareâ Cappadociæ *o* Idibus C Martij sub Præside Octauio, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est cum Patre in vnitate Spiritus sancti honor & gloria, virtus, imperium, potestas, æternitas & maiestas, nunc & in immortalia secula seculorum. Amen.

a *Apponebatur in MSS. Actis vox* Centurio, *à nobis omissa, quia abest à Martyrologijs & Breuiario Eborensi: Rabanus videtur legisse* sub Centurione Romano.

b *Ita MS.* Aquicinctinum *plura*, *iussus.*

c *Audomar.* impassibile corpus & inconturbatam mentem.

d *Aquicinct.* 27, *alterum nostrum* 29.

e *Vtramque nostrum MS.* resumptos.

f *Audom.* paupertatis.

g *Reliqua huius periodi ex solo* Audom. *sunt: desunt in alijs codicibus MSS*

Commentariensis.

h *Ita specialiter vocatur, inquit ex Accursio Vossius in Etymologico,* qui carceri præest: *à commentario scilicet, ex quo reos sistebat tribunali. In Vita S. Porphyrij Episc.* Gazen. Commentarienses Consulatus, *id est, ad Consulum obsequia deputatos, legimus 26 Febr. num. 27.*

i *In Audom. additur*: per crucem eius.

k *Item*: Ita vt homines qui habebant immundos spiritus exirent de ciuitate, & statim allidentes eos & vlulantes.

l *Ita idem Audomar. reliqua verò MSS. breuiùs* Tunc Præses iussit linguam Aphrodisij abscindi, cúmque hoc fieret S. Longinus ingemuit.

m *Reliquum huius periodi est ex MS. Boni-fontis: alia breuiùs*: prius me puni vt post mortem meam deprecer Dominum meum I. C. & sanet te: ipsam enim fiduciam habeo tunc ad Dominum I. C. & statim Octauius.

n *Ita solum MS. Audomar. cetera absque vllâ gladij mentione:* & sic in pace reddidit spiritum. D

o *Ex eodem* Audomar. *conformiter ad vsum Martyrologiorum antiquorum: alioquin duo nostra & MSS Bonifontis atque Vltraiectinum* Decimo Kalend. Decembris, *in Aquicinctino verò* Quarto nonas Decembris. *Priorem plurium lectionem secutus Hippolytus Donesmundus in historiâ Mantuana, indicat eamdem in MSS quoque Mantuanis repertam: quod nobis argumento est auctores Columnæ, cuius num. 8 facta est mentio, diffisos lectionibus, in quas distributa habebant Acta, maluisse iuxta Martyrologij Romani, à Cardinali Baronio concinnati & à Gregorio* XIII *anno 1584 toti Ecclesiæ propositi, sententiam ordinare inscriptionem: & fortè Idus Martij diem notant translati in Occidentem corporis: tali enim aut simili occasione factum videtur, vt per omnes Latinorum Ecclesias spargerentur hæc Acta, ipsis, apud quos passus est hic Sanctus, Orientalibus incognita, propter præcellentem Centurionis apud ipsos venerationem.*

ACTA
S. LONGINI CENTVRIONIS
ET DVORVM SOCIORVM MARTYRVM.

Auctore * S. Hesychio Presbytero Hierosolymitano.

* Colitur 28 Martij

Ex MS. Græco Biblioth. Vaticanæ.

1 MVltæ variæque sunt historiæ Martyrum: quemadmodùm enim elaboratæ à pictoribus tabulæ, in quibus vrbium adumbrantur imagines, & magnitudines turrium exhibent, & formas virorum atque mulierum, alias quidem seniles aut regias, alias iuueniles vel plebeias, tristes alias vel fronte serenâ hilares repræsentant: sic & qui martyricorum certaminum sermones conscribunt, masculam virtutem & robur animi, in duris atque asperis imperterritum fidentemque se exhibentis necesse est audituris manifestent: nec non Christi cum athletis suis certantis præsentiam palàm cognoscendam, seque modò per signorum admirabilium multitudinem, modò per affluentiam in verbis gratiæ manifestantem: Longini verò sapientis pariter ac generosi historiam, atque imprimis illustre eius de Christo testimonium, à quo Deum confitens est exorsus, qui potero dignè enarrare.

Inter aliorum Sanctorum Acta,

2 Etenim cùm metu confusus vniuersus Apostolorum chorus eum vel negasset vel deseruisset: cùm F erecti in pedes claudi, videndi facultate donati cæci, leprosi à maculosæ cutis defluentisque per ramenta carnis immunditiâ purgati, aliique soluti à miserijs, liberati à morbis, qui meliùs vtique nosse eum poterant, ad crucis obstupefacti spectaculum, velut tempestate appulsi ad scopulos rectores, tristè suæ fidei fecère naufragium: tunc venerandi huius religiosique Centurionis cōfessio auribus vanæ atque fallacis Synagogæ insonuit: Verè filius Dei est iste. Nempe nec Pilatum reueritus est aduersùs Christi innocentiam mercede *a* conductum, neque extimuit tam numerosam multitudinem, vel ad conspectum infinitarum propemodùm myriadum obtorpuit. Quidni ergo laudibus efferatur, & scriptis celebretur pulcherrimum eius certamen? Quod qui viderunt ab initio enarrantes, in futuram generationem memorandum tradiderunt; ab illâ verò deinceps ad posteros atque ita ad nos vsque peruenientes Longinianæ confessionis sermones, velut margaritæ quædam immaculatæ sanctum Christi Domini thalamum exornantes, sunt conseruati.

celebrari meretur S. Longini Centur. martyrium,

3 Itaq; cùm Pilatus *b* Custodiam postulatus aduigilaturâ sepulcro vnigeniti filij Dei eamdem petentibus Iudæis concessit, dux eorum Longinus fuit: siquidem &

qui sepulcro Dominico custos appositus fuit

A & ipse cum suâ cohorte crucifixum custodiuerat: verùm eodem iam ad vitam resurgendo reuerso, quemadmodùm Euangeliorum scripturæ commemorant, & relatis per milites ad Iudæorum Principes ijs quæ gesta fuerant mirabilibus; hi confusionem suam apud populum formidantes, & prodigij tanti claritatem cupientes extinguere, promiserunt militibus sufficientem pecuniam se daturos, vt resurrectionis calumniarentur mysterium; multâ quoque auri vi apud Pilatum sunt vsi, vt is calumniam indiscussam susciperet. At non Longinus promissa eorum antetulit veritati, neque contra Christum pecunias admittere, vel Deum mammonæ sustinuit posthabere: indignum quippe se iudicabat vt auaritiæ seruiens in istam lethiferam abyssum sese præcipitaret periturum, & falsitati testis accederet aduersùs Christum, per quem resuscitato Adamo & morte peremptâ ad vitam mortales immortalem transferimur.

oblatam à Iudæis pecuniam spreuit

4 Acriter ea Longini constantia Pilatum & Principes Iudæorum pupugit: & insidias quidem eidem tendebant; sed quoniam totius militaris cohortis illustrissimus erat, opportunitas defuit explendæ iracundiæ, quam contra veritatis testem conceperant.

& dimissa militia,

B Ast ille totum se Christo tradere cupiens c Cæsareæ militiæ zonam exuit, & de cetero domi se continuit suæ, cum duobus militibus, qui & ipsi beatæ confessionis consortes effecti, præcones extitêre eorum quæ viderant & audierant terribilium signorum. Deinde verò, Ierosolymâ relictâ, reuersus cum ijsdem est, & factus Cappadocum regioni optimus prædicator, sicut Thomas Indis, Romanis Petrus, Asiaticis Ioannes, Paulus ab Hierosolymis d ad Illyricum vsque, & alij alijs; Christum annuntians, & quæ propter ipsum atque in ipso facta erant mysteria diuulgans.

Cappadocibus prædicat,

5 Pessimi autem Iudæi zelo inflammati & stimulati irâ, Longini confessionem per omnes latè partes diuulgatam superare non potuerunt: quare ad priores suas artes conuersi, Pilatum inducunt, vt Longinum falsò criminaretur apud Cæsarem per litteras; quòd alieno ab Imperio Romanorum animo militaria contempsisset insignia, & Christum Regem gentibus prædicaret, eâque persuasione iam nunc implesset patriam suam vniuersam. Cum hisce litteris & pecunias mittunt & Longini mortem deposcunt, suisque calumnijs aures occupantes Cæsareas, imperatoria mandata in Iudæam contra Longinum referunt ad Pilatum; quibus gladio in eos iubebatur animaduertere, qui militiam deseruissent. Eas litteras Pilatus continuò tradidit probatis cædium à se designatarum ministris: ipsi verò festinanter discedentes peruenerunt in Cappadociam, ibique didicerunt Longinum paterno in agro philosophari, & vrbanis negotijs curisque abdicatis, animo per quietem exercendo vacare. Agrum itaque eumdem adeunt, decernuntque Pilati ac Cæsaris iussionem cum silentio exequi, ne forte in fugam conuersus Longinus, manibus suis eriperetur: vnde factum est, vt nemini quidquam eorum quæ habebant præ manibus audentes concredere, ipsimet Longino velut alteri superuenerint improuisi, ad eumque accedentes & nescientes, ipsum esse quem quærebant, interrogare cœperint, vbi esset Longinus.

Accusat eum Cæsari Pilatus

à quo missi sicarij

C

e

silentio eadem facturi,

6 Ille verò rem omnem diuini Spiritus edoctus admonitu: Me, inquit, sequimini & ipsum ostendam vobis. Nec mora: domum eos suam gaudens deduxit, seque ad martyrij pro Christo subeundi sacrificium ex tunc apparans studiosè: Quàm speciosi, inquit apud se tacitus, pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: nunc apertos mihi cælos video, nunc Filij ad dexteram Patris contemplor gloriam, nunc ineffabilem ipsius Patris & sancti Spiritus splendorem intueor, nunc dicam: Domine Iesu, suscipe spiritum meum; quemadmodùm primus Martyrum e Stephanus, cuius abeuntis è vita pulcherrimam vocem audire merui. Iam supernam Ierusalem aureis instructam turribus, Angelorum patriam, Sanctorum omnium metropolim spatiosam, cum plausibus, epinicijs, regijsque tropheis ingrediar. Iam tunicam hanc terrenam exuens & carnis vincula laboriosa deponens, à mortalitatis abducar corruptione, subuectusque ad immortalitatis felicissimum statum in portum veniam vitæ æternæ, quam simul omnes Sancti inhabitant. Exulta igitur & lætare, ô anima, ad Conditorem tuum & Dominum transitura: serenam faciem hac tam optatâ occasione exhibe, tantorumque tibi latores bonorum hilariter atque hospitaliter habe; benè instructam mensam apponens ijs, qui ad cœnam regiam te inuitaturi aduenerunt.

ab ipsomet ignoto & dimittuntur [illegible]

D

AVCTORE HESYCHIO EX MS. GR.

7 Hęc intra se locutus Longinus immissos sibi sicarios in domum suâ excepit, & splendidè eos tractans, vultu læto & magnæ iucunditatis indicia præferente, ad eamdem cum ipsis accubuit mensam: factaque cœnâ interrogare eos aggressus est, quid ijs opus esset. Illi verò iuramentum ab eo exigentes, quod neque eorum vulgaret sermonem, neque concreditum sibi secretum nudaret, dicunt ei, quòd Cæsar scripserit ad Pilatum, vt Longino cum alijs duobus militibus caput auferendum curaret. Quibus ille: Ecqui autem sunt duo isti Longini socij? Intelligens autem eos esse qui Iudaicæ mercedi Christum præhabuerant, scripsit ad eos diligentissimè, vt quamprimùm ad se venirent, maximorum futuri bonorum participes. Dein vnâ atque alterâ die hospites suos retinens, tertiâ domum illos eduxit in agrum, istic operiens socios accersitos: quos vbi propinquiores factos cognouit, exposuit ipsum se esse Longinum, quem quærerent.

hospitio excipiuntur:

E

8 Ipsi verò primùm dictis eius fidem adhibere recusabant: persuasi deinde vera loqui, suos vellebant capillos, & miserandas ad ipsum voces edebant dicentes: Vt quid sic agere voluisti, amice? Quare in tuam venientes necem ad tuam inuitasti domum? Cur cædem machinantes tuam mensâ & conuiuio excepisti, non tantùm vnâ, sed alterâ quoque & tertiâ die? An forte non videbas vinum tuum tuo, quem quærebamus, miscendũ sanguine? Nunc autem quid dicemus? aut quid agemus? si quid in rem tuam consulere possumus, abi in pace, hospitalitatis mercedem referens remissionem mortis, aliàs tibi à nobis inferendæ: neque enim gladium audemus contra te attollere, reueriti salem, erubescentes mensam, formidantes Deum hospitalitatis arbitrum: expedit nobis à Pilato discrimen pati potiùs quàm Longini caput abscindere. Quomodò verò per omnem vitam tabesceret conscientia, & conuescentes videre nobis videremur sanguinis auidos dęmones? Quomodo tibi manus possemus injicere? torpent enim non modo illę nobis, sed & pedes & corpus vniuersum; vel cogitantibus dumtaxat istiusmodi facinus, quo benefactoris nostri hospitisque efficeremur occisores.

sequentem manifestantem occidere renuunt,

F

9 Ita quidem isti ad B. Longinum: non tamen persuadere potuerunt prompto atque alacri ad certamen athletæ, vt subeundum pro Christo agonem detrectaret, sed potiùs fidenti animo respondit, dicens: Ne me proditorem vitæ velitis aspicere, vt datam mihi gratiam vltrò videar adduxisse in discrimen; non ego secernar ab ouibus lupus effectus, neque negabo quem semel confessus sum. Non obscurabo illius gloriam, quâ vidi concuti elementa; neque accusabit me vniuersitas creaturarum, quòd ab eo defecerim, propter quem cælum vultum suum abscondit, & sol luciferos currus dissoluit; quando dies suo excessit è stadio, & nox per vim adducta est, nec ipsa satis sustinens graue crucis opprobrium, nec pugnantium aduersùs Deum Iudæorum delictum absque notâ præteriens. Equidem ea omnia proprijs egomet oculis vidi, ipse spectator adstiti: quomodò igitur disperdam thesaurum

ipse verò in fide Christi constans

AVCTORE HESYCHIO EX MS. GR.

A saurum tantorum quæ mihi obuenêre bonorum, vel Angelorum id mihi exprobraturorum sustinebo irrisiones?

duos martyrij socios accersitos amplectitur,

10 Adhuc eo loquente superuenit par illud commilitonum, eidem cum Longino morti addictorũ à Cæsare: quibus hilari vultu lætóque animo occurrens in amplexum Sanctus, oculos ceruicesque beatas exosculatur; &, Gaudete, inquit, commilitones Christi, diuinorum certaminum gloriosi victores, & regni cælorum hæredes felicissimi: gaudete, inquam: aperitur enim nobis paradisi ianua, iamque parati adsunt Angeli, animas nostras translaturi ad Deum, easque oblaturi vnigenito filio eius: iam lampades video, iam coronas contemplor, iam brauia considero cum quibus cælestis sponsi in thalamum deducemur. Deinde ad lictores conuersus, inquit: Quidquid vobis imperatum est confestim perficite. Præpositum verò domus suæ stolam mundam adferre iussit, tamquàm ad nuptias festiuas vocatus: eamque indutus, & manu designans tumulum, in quo beatum corpus suum sepeliri volebat, genuflexit; seque ipsum cum socijs, eiusdem victoriosi agonis secum ingressis stadium, aptè componens, capite minutus est die decimâ sextâ mensis Octobris, omnesque simul adscripti sunt tam Apostolorum quàm Martyrum choris, quia & horum fortitudinem, & illorum præclarum zelum sunt imitati.

& 16 Octob. caeditur.

B

Caput Hierosolymis relatum

11 Lictores autem assumpserunt S. Longini caput deferendum ad Pilatum, qui in gratiam Iudæorum cædem istam mandarat, acceptâ ab eisdem pecuniâ inductus. Vt verò Ierosolymam aduenerunt iussit Pilatus illud exhiberi Iudæis, mortem Sancti sitientibus, multo auro eamdem vendens iam assuetis innocentem sanguinem pecuniâ emere. Posthæc mandauit extra vrbis portam abijci sacrum caput, terribile dæmonibus, amabile Angelis, elementis cunctis admirandum. Iacuit igitur ante portas tamquàm thesaurus aliquis inuiolabilis *f*, & quamuis multus ibidem fimus esset, incorruptum seruatum est pretiosissimum margaritum, atque ibi sepulturam habuit: imò ipse fimus eidem pro arcâ ad tempus fuit, longanimiter agente Deo, & prouidè disponente, vt opportuno tempore illud reuelans, suum erga homines amorem manifestiùs declararet.

f

in sterquilinio abiectum latet.

Vidua caeca

12 Etenim vidua mulier ex Cappadociæ regione, corporeis oculis amissis, fide superauit infirmitatem, & cum vnigenito filio suo Hierusalem aduenit, sperans se sacra adorantem loca visum deperditum recuperaturam. Vt igitur filij sui manu deducta collegit sacræ terræ puluerem, eosque oculis cœpit studiosè applicare, si fortè in ijs reperiret collyrium visui reparando idoneum; subitus ex improuiso morbus puerum inuasit, maternoque abstulit è complexu. Itaque geminatæ sunt ei tenebræ, ac penè ad extrema deducta est, intolerabilis infortunij succumbens calamitati: miserabiles autem voces ad Deum iactans, Vsquequò, inquit, Domine, obliuisceris in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me? Vsquequò ponam consilia in anima meâ, dolores in corde meo die ac nocte? Respice, exaudi, misereri mei Domine Deus meus: illumina oculos meos ne quando propter mœroris & luctus magnitudinem absorbear à morte. Domine, num sola ego super terram peccatrix, quòd in tam seuerum adducar iudicium? Certè non ego peior sum meretrice, quam suscepisti tibi vnguenta afferentem. Me verò infelicissimam & oculorum lumine, & vnigenito filio priuasti: neque vllubi relata est salutis spes.

C

& unico filio Hierosolymis orbata.

S. Longinus reuelat caput suum,

13 Tali tamque inconsolabili in luctu cùm perseueraret misera, apparuit dormienti B. Longinus, & quidquid circa se gestum esset eidem manifestauit: Ego, inquiens, Longinus Centurio sum, qui sub cruce Dominum Iesum Christum verè Dei filium esse confitebar: notum igitur sit tibi, quòd Pilatus falsi criminis me accusans Cæsarem interpellauit, cuius iussu resectum mihi caput est, & huc delatum, atque extra ciuitatem proiectum conferentibus in hoc ipsum pecunias Iudæorum pueris. Sub sterquilinio itaque sepultum illud est, vt tibi seruaretur sors illa ad sanitatem plurimorum: statim quippe ac reuelaueris indicatum tibi thesaurum, oculos tuos recipies, deinde & puerum tibi viuum sistam cum gloriâ, vnde non mediocre solamen luctus tuus accipiet.

D

eoque inuento

14 Talibus verbis consolata simul & roborata mulier, vtpote fidelis non minùs quàm generosa, petijt ad locum deduci, in quem deportari fimum à suis ductoribus didicit, qui & ipsi fideles erant: cúmque eò aduenisset, continuò cœpit manibus scalpere, & Dei agente prouidentiâ celeriter reperit venerandum caput, & solis radios intuita est: ipsum verò complectens ac studiosè abluens & vnguentis condiens pretiosis, regressa est in ciuitatem secum in suum hospitium deferens inæstimabile margaritum. Nocte verò sequenti rursum ei S. Longinus adstitit, ad latus suum habens illius filium, splendidum ac subridentem & velut nuptialem vestem indutum, qui & dixit: Mulier ecce quem dilexisti: iste est filius tuus vnigenitus, quem tibi ereptum arbitrabare: cùm Deus ab hac momentaneâ ac peritura liberatum vitâ, in regnum cælorum eum adscripserit. Et nunc mecum habeo illum: à Saluatore enim accepi illum, neque à dexterâ meâ vnquam recedet. Igitur caput meum accipiens, & cum filij tui corpore vnam in arcam condens, haud ampliùs plora velut amissum, cui à clementissimo Deo magna mecum donata est gloria, vt & altare & mystica sacrificia & celebres choreæ, & populosæ conciones, & alia adhæc plurima ei mecum deferantur, quibus in terrâ frui non potuisset: quod verò in cælis nobis præparauerit, non verbo dumtaxat sed reipsâ suum erga nos amorem declarans Deus, id verò neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis vnquàm ascendit.

filium ei suum ostendit:

E

in eâdem secum gloriâ felicem,

quo illud cum filij corpore refert in patriam

15 Hos sermones vt pueri mater audiuit, tamquàm si diuini alicuius Prophetæ suscepisset mandata; sic consurgens continuò in patriam remeauit, & acceptum S. Longini venerabile caput magnâ cum lætitiâ atque splendore reposuit, sicut Sanctus mandauerat, in vico, qui *g* Sandralis nominatur: illinc enim oriundus erat S. Longinus: sibique ipsa dicebat in corde, & linguâ alijs prædicabat: Nunc scio verè quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Oculos quærebam carnis, & cum ijs etiam visum in animâ spiritualem recepi: afflixit me calamitas filij, & ecce hæredem habeo cum gloriâ regiâ Deo assistentem: video iuuenem indutum purpurâ, & multo decore adornatum. Sidereo vultu resplendens puer ecce vt matri arridet suæ, & ad latus Longini velut lucifer ad radios solares refulget. Etenim sæpe noctu sæpe per diem apparens, neque id in somnis sed manifestâ in specie, se mihi ostentat Martyrum in modum: sors autem illius inter Prophetas est, etsi Prophetarum vitam non vixerit: & *h* crucem cum Longino baiulans, adorandum cælorum regno trophæum effert, atque inter medios Angelos prædicat, inter Archangelorum cœtus exclamat, tamquam germanus Longini discipulus, Verè filius Dei est iste. Quantùm verò Seraphim permittunt Longino Deum glorificare (neque enim diuinas laudes canentibus obstrepunt Cherubim Seraphimúe) tantùm auditur etiam ipse, sanctam, melodicam, triumphalem vocem efferens, Verè filius Dei est iste. Est vtique & erit Dei filius: quod enim habuit ante secula, etiam in omnia secula ventura habebit: ipse antiquat secula, & citra senium indeficiens perseuerat: regnum namque ipsius regnum æternum est, & potestas ipsius in æternum non minuetur.

g

F

Deo gratias agens.

h

16 Ego

A

Encomij auctor Hesychius.

16 Ego Hesychius Presbyter Hierosolymorum, multùm solicitéque scrutatus, vix demum, nec absque magno labore potui inuenire aliquid de S. Longino Centurione, qui ad Crucem Christi dixit: Verè filius Dei erat iste; inueni autem martyrium eius in libello conscriptum in bibliothecâ sanctæ Resurrectionis, & ipsius confessionem cum elogio composui. Denique credant omnes, qui timent Dominum, quia hic est verè S. Longinus Centurio, qui sub cruce Christi ipsum confessus est: cuius intercessio ac patrocinium custodiat omnes siue legentes siue audientes in Christo Iesu Domino nostro, cui est gloria, virtus & regnum Patris, Filij, & Spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum Amen.

a *Non erat hoc quidem à Pilati ingenio alienum, quem solitum sententias vendere Philo scribit: Christi tamen damnationem ab eo extortam magis metu concitati in seditionem populi quàm alio respectu vllo scimus ex Euangelico textu: pecuniam nihilominus eidem decretam esse, vt resurrectionis mysterium pateretur obscurari, satis indicant apud Matthæum Iudæi, fidenter militibus promittentes:* Nos suadebimus Præsidi & securos vos faciemus.

Mat. 28, 14.

b *Græcus Matthæi interpres consuetam Romanæ militiæ vocem, & apud exteras etiam nationes vsitatam, κυστωδίαν, vsurpauit; vt rectè Menæa interpretentur ἤκς ἐν τάγμα στρατιωτικόν: ita nunc barbarè milites alicui rei vel personæ ad custodiam deputatos dicimus* guardiam.

B

c *Acta Metaphrasti adscripta: secessisse eum dicunt vt Iudaici populi congressionem declinaret, intellecto quàm grauiter is sibi esset infensus.*

d *Sed diu postquam è Iudæâ S. Longinus secessisset: Pilatus enim, sub quo ille passus, priùs apud Syriæ Præsidem accusatus & officio amotus est, quàm eò vsque Paulus excurreret, aut Romam se conferret Petrus Antiochiâ relictâ.*

e *Passum esse S. Stephanum post septimum circiter à Spiritus sancti aduentu mensem, conformius ad Sanctorum Patrum consensum existimat Baronius.*

f *Citata sub nomine Metaphrastis Acta:* velut perpetuò apparentem quamdam facem ijs qui transibant cernendam præbebat ante ciuitatem, & in sterquilinio iacentem tamquam in domo regiâ conseruatam tuto protegebat.

g *MSS. Medicæum & Venetum στάδια λῃ τῇ κώμῃ.*

h *Simili phrasi vtuntur iam citata MSS. μετὰ λογγίνου στρατοφορῶν: at MS Berodianum, cum quo habemus collatum Medicæum, λευκοφορῶν id est,* candidis indutus vestibus.

INVENTIO CAPITIS S. LONGINI CENTVRIONIS

Ex alio eiusdem Bibliothecæ MS. Græco.

Christina vidua à dæmone vexata

1 POsthæc mulier quædam vidua, Christina nomine, ex nobilioribus loci vna, inuasa est à feroci spiritu crudeliter ipsam discerpente. Cogitauit igitur posterâ die proficisci in Orientem; audierat enim de sanatis à *a* Iesu. Ipsâ porrò nocte, quâ secum constituerat in iter se dare, apparuit eidem absque capite S. Longinus, & interroganti, quis adesset, inquit S. Longinus: Vis sanari? Cui illa: Etiam, Domine; hoc est quod postulo. Dixit ei Sanctus: Vade in Ierusalem & interrogans vbi sit domus Præfecti *b* Lucij, quære ibi caput Longini Centurionis, & refer illud ad corpus meum: ita sanaberis: Ego enim Longinus sum, qui pascebam oues *c* iuxta viam, nec requieui in eo, in quo positus sum, sepulcro vsque nunc: verùm tu fac, vt dixi, & sanaberis in nomine Iesu Christi; neque tu tantum sanabere, sed & filium tuum in militiam assumam: ego enim sum qui tibi absque capite loquor.

a

admonitu S. Longini

b

c

Ierosolymam abit:

2 Talia cùm audiuisset mulier, surrexit, & valedicens ijs quos habebat amicis; dedit se in viam, & veniens ad monumentum Sancti, voce magnâ clamauit dicens: Domine qui es in loco hoc, quemadmodùm mihi in visione dixisti, ecce vado: tu mihi opitulare. Et cõtinuò contremuit locus, & vox ad ipsam allapsa dixit: Vade, Christus adiutor tuus est. His verbis auditis iuit illa, atque cum gaudio totam emensa viam cùm introisset in Ierusalem, & didicisset ab incolis domum Præfecti Lucij, requisiuit ab eo caput B. Longini: quod ille dedit ei, postulato argenti pretio ad numerum ducentorum denariorum. Accipiens ergo caput mulier adorauit Deum, & dedit gloriam ei qui dignatus esset eam tam insigni suæ bonitatis gratiâ.

D

EX MS. GR. VATICAN.

& redemptum Sancti caput refert

3 Cùm verò caput deferens & filium suum Christionẽ viæ comitem habens, pararet sub vesperam iter ingredi: ecce apparuerunt ei tres Angeli, quorum gloriam intuens nequibat sustinere, qui manibus cereos gestantes albos & gradientes ante eos, totâ nocte Deum hymnos cõcinendo laudabant: manè autem facto requieuerunt in eo, quem attigerant, loco cibi sumendi causâ. Post tertium verò diem cum filio Christione suum in vicũ redux, caput S. Longini attulit & abijt ad locum, in quo humatus erat, horâ quasi sextâ noctis. Ædificauerant autem fideles Christiani ędem Martyre dignam: ad quam accedentibus muliere cum filio, subitò reclusum est proprio motu ostium, & monumentum apertum * vidimus, & lumen circumfulsit in habitaculo. Ingressus autem adolescens in monumentum cum vnguentis & aromatibus, caput corpori apposuit: quod ita coniunctum ei est, vt fuerat ante abscissionem: eoque egrediente extra monumentum, rursum conclusus est per se locus, & ipsi reuersi sunt in domum suam, gaudentes & glorificantes Deum.

comitantibus Angelis

per filium restituit corpori.

E

* *imo Viderunt*

4 Alterâ verò nocte apparuit Christinæ S. Longinus dicens: Nunc requiem accepi, quoniam reddidisti mihi caput meum: quare & tu sanam te noueris ex hoc die: quæro autem de filio tuo, terrestrine an cælesti militiæ adscripturus eum sim? Respondit illa tremens ac pauida: Obsecro, Domine, cælesti militiæ adscribe illum: eoque audito disparuit Sanctus. Orto autem die adolescens egressus est in vineam, ad habendam illius curam: ibique ad horam vsque septimam laboranti conspiciendum se obtulit S. Longinus, & dixit: Adolescens Christion, vin' secundùm nomen tuum in militiam Christi adlegi? Qui suspiciens vidit eum instar fulminis micantem, & ait ei: Quis es Domine, qui me in militiam vis adlegere? Ego sum, inquit Longinus, capite donatus à matre tuâ: sicut autem illa adduxit mihi caput meum; sic & ego te volo ad Deum adducere. Ad hæc respondit Christion: Si ita est, fiat mihi secundùm verbum tuum: & continuò spiritum tradidit adolescens.

S. Longinus matri apparet

& filio, in celestem militiam adscribendo.

F

5 Mater autem ipsius procedente die, accipiens horâ solitâ cibos in prandium, ad filium suum in vineam iuit, & ingressa inuenit eum extinctum. Quod cùm vidisset, cecidit super terram in faciem suam, linquente eam spiritu, & tunicâ laniatâ iacebat velut mortua, vsq; dum accedens ad eam Angelus confortauit ipsam dicens: Quid ploras? Ait illa: Quia perdidi filium quem habebam vnicum, & exaruit fructus vteri mei immaturâ ætate. Angelus verò respondit ei: Noli errare mulier, neque super hoc plores: ipse enim nec perijt neque exaruit: quippe qui in sinu Iesu Christi est. Abi ergo in ciuitatem, & conuoca viros religiosos ac sanctos, qui venientes suscipiant corpus filij tui, & sepeliant illud in monumento, in quo recumbit fidelissimus Longinus: post tres autem dies videbis filium in ordine militiæ suæ.

Illa mortuum luget

quam consolati Angeli,

6 Hæc locutus Angelus disparuit ab eâ: ipsa verò consurgens redijt in vicum, vbi continuò ei adfuerunt Angeli consolantes eam, ac veluti discere volentes, quid ipsi accidisset: quibus illa enarrauit omnia: ipsi autem auditâ eâ, abierunt ad Episcopum *d* Tyanorum in habitu virorum honestorum, eique quæ contigerant annuntiauerunt. Mox autem Episcopus, Paphnutius

rem nuntiant Episcopo Tyanensi

d

A nutius nomine, secum assumens viros religiosos & pios, profectus est ad locum, in quo iacebat adolescens extinctus, & conuersus iussit aduocari matrem eius: quæ cùm venisset, dixit ad eam: Ne lugeas super hunc ipse enim cælorum regna possidens multùm orat pro nobis: exultemus ergo potiùs & non simus mœsti. Hæc dicens præcepit tolli corpus adolescentis, & cum S. Longino reponi: & obtulerunt Deo in cælis regnanti sacrificium acceptabile. Pia verò mulier facta est Diaconissa & gloriosæ fidei administra: quâ multis collaudatâ atque admonitâ rediit Episcopus in ciuitatem.

Ex MS. GR. VATICAN.

qui mortuum apponit S. Longino.

7 Vesperâ porrò factâ & nocte succedente, cum esset hora illius quarta, apparuit iterum Sanctus, dicens: Vt quid blasphemas me? Quæ perterrefacta & tremebunda: Quis es, inquit, Domine mi? At ille: Ego sum, qui filium tuum in militiam adsciui. Christina verò filij sui recordata exclamauit & ait: Domine si in militiam adscripsisses, non vtique occidisses eum. Rursus autem ad eum fidelissimus Longinus: Ecce etiam nunc blasphemias loqueris. Noli porrò; sed surge & egredere è domo tuâ, & videbis quod militet filius tuus. Arreptâque illius manu, eduxit eam, & conspexit apertum cælum ac magnum lumen ipsâ in nocte: suspiciens autem raptaque in extasim, vidit cælestem Regem & gradientem ante ipsum filium suum. Tunc dixit ei S. Longinus: Iamne vidisti filium tuum, & credidisti quia in militiam adscriptus B est? Cui illa: Sufficit mihi, sicut locuta sum tibi, Domine; & ipse continuò disparuit ab eâ. D

mater autem filium videre meruit.

8 Ex hoc porrò tempore permansit illa in domo sanctâ, diebus ac noctibus orationibus & obsecrationibus vacans, & eleemosynas faciens, nec non & morborum curationes per inuocationem Christi & sancti Martyris eius; Deum verò glorificans in vitâ suâ pro bonis vniuersis quæ obtigerant sibi. Defuncta est autem in diebus Paphnutij Episcopi, & deposuerunt eam iuxta S. Longinum in eodem templo, in Christo Iesu Domino nostro: cui est gloria & potestas; nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

post actam sanctè vitam

ibidem sepelitur.

a *Clarius priora Acta spem sanitatis concepisse aiunt ex locorum Sanctorum celebritate: itaque ea miracula hic intellige, non quæ viuus, sed quæ ad sepulcrum suum mortuus Iesus faciebat.*

b *Quia hic autem fingebatur sub Herode vixisse, suspectus fit totus iste de Lucio locus, ne numquàm talis fuerit in rerum natura, nequidem tempore huius inuentionis; ideoq; videtur alia relatio, caput in sterquilinium abiectum narrans, hac saltem parte verosimilior.*

c *Quasi nempe eius rei meminisset mulier post aliquot secula.* E

d *Ea est Cappadociæ 2. Metropolis. Nomen vero Episcopi Ægyptium satis indicat hæc gesta eo tempore, quo multos toti Asiæ Sanctos commodare Ægyptus potuit, Monasterijs asceterijsq; efertissima, & magni Paphnutij sanctitas famâ vulgata, ipsum nomen etiam Minori Asiæ reddiderat venerabile.*

DE S. MENIGNO FVLLONE,

MARTYRE PARII IN HELLESPONTO.

AN. CCLI. XV MART.



1 HEllespontus sumitur tum pro angustiâ maris inter Sestum vrbem Thraciæ in Europâ, & Abydum vrbem Mysiæ minoris in Asiâ, tum pro parte Mysiæ prædicto mari expositâ; in quâ Parium vrbs antiqua inter Cyzicum metropolim, & Lampsacum Propontidi adiacet. In hac vrbe vixit, & martyrium subijt S. Menignus Fullo, cuius memoria inscripta est hisce Idibus Martij Romano Martyrologio his verbis: Eodem die S. Menigni Fullonis, qui sub Decio passus est. Citatur in Notationibus Græcorum Menologium, vbi summatim complexa eius Acta referuntur, & hac quidem phrasi: Eodem die S. Menigni Fullonis. Hic sub Decio Imperatore, cùm persecutio magna contra Christianos commota esset, pro Christianæ fidei confessione animam tradens, martyrio consecratus est. C

Cultus sacer

2 *At Græci in Menæis magnis & apud Maximum Episcopum Cytherorum in Vitis Sanctorum bis S. Menigni venerationem ingerunt, scilicet XV Martij & XXII Nouembris. Et hoc vltimo loco palæstram martyrij his verbis indicant:* Eodem die memoria S. Menigni Fullonis. Oriundus hic fuit ex Hellesponti coloniâ Pario: cùm audisset à militibus quibusdam in foro clamantibus, Iesus Nazarenus noctu adueniens subduxit nobis nostros captiuos; inflammatus spiritu, omnem operam dedit, vt & ipse martyrio potiri posset. In eadem enim vrbe multis Martyribus à custodibus in carcere conclusis, & ianuis occlusis & signatis, Sancti ab diuino Angelo soluti sunt vinculis. Vnde non repertis ipsis in custodijs persecutores illorum vehementer perturbati sunt. Postquàm autem S. Menignus, cælestem vocem, quâ ad subeundum martyrij certamen incitabatur, audiuit; nihil moratus, redditis Dominis suis vestibus (nam opificio fullo erat) laceratis tyrannorum edictis, quæ proposuerant; à carnificibus crudeliter verberatur, & in terram proiectus in pedes extenditur, & in stipitem erectus laceratur: digitis pedum recisis, ad tyrannum ducitur: à quo, quòd sacrificaturum se idolis pernegaret, capitis damnatus, & à carnifice cæsus Domino spiritum reddidit. *Eadem leguntur in vetusto Synaxario Parisiensi Collegij Claromontani Societatis Iesu. Quod verò distichon in Menæis præponebatur, idem in Menæis MSS. Diuionensibus Chiffletij nostri ad diem XV Martij reperitur, & est tale:*

epitome 22 Nouembris relata.

Acta martyrij.

Κάραν κναφεῦ Μένιγγε τμηθεὶς ἐκ ξίφους
Κνάφεις σεαυτὸν κἂν ῥύπους εἶχες πλύνων.
Gladio, Menigne fullo, dum præbes caput,
Tibi ipse fullo es, si quid est sordis, lauans.

3 *Hoc autem eodem die XV elogium ipsius prolixius habemus, quod ex recuso Sanctorum Viridario Matthæi Raderi exhibemus his verbis.* Eodem die S. Menigni Fullonis Martyris memoria. Decij Imperio sæua in Christianos extitit tempestas. Qui Asiam prouinciam procurabat, exitialis erat, & ingenio ferocissimus. Ergo cùm oram maritimam obiret, quoscumque ibi ex Christi disciplinâ reperit, cæsos flagris, robore inclusos, opaco carceri mancipauit. Nocte appetente omnes in vinculis simul in has voces eruperunt: Domine rex cælestis, qui principem Apostolorum tuorum Petrum olim per Angelum à vinculis & custodiâ per quietem sine tumultu liberasti, nobis quoq; auxilium præsta, & eripe nos ex his pedicis & cæco carcere: vt & ij, qui nomen tuum contemnunt, intelligant, te solum Deum & sempiternum esse Imperatorem. Hæc illis precantibus, adstitit iudiciorum Præses Dominus, pulsisque tenebris, splendore totum carcerem illustrauit, illosque compellauit: Fidite, & ne formidate: ego enim vobiscum sum. Et repentè vincula, non secus ac cera, defluxêre, carcerque spontè patuit: & Dominus adiecit: Abite hinc, & prædicate vbique gentium potentiam meam; atque ita in cælum redijt. Illi verò egressi sunt ex carcere. Manè custodes omnes carcerem ingressi, cùm salua signa portæ offenderent, neminem tamen intus cernerent, egressi: O potentiam! exclamant, Christus Nazarenus de nocte ingressus, omnes vinctos nobis clam eduxit. Et erant qui admirabundi F

Captiui Christo operante liberantur à carcere

A rabundi obstupescerent, alij custodes irridebant.

conuertitur S. Menignus

4 Hæc cùm B. Menignus audiret admiratione captus, cœpit & ipse credere, & Christi amore inflammari: fulloniam enim exercebat, & cùm labes vestium olim ad flumen elueret, audiuit vocem ad se deferri: Menigne ades, magnâ te gratiâ beabo. Territus voce & confusus, paullò pòst prosecutus est opus: & vox denuò aures eius circumsonat: Menigne ades, vt videas thesaurum repositum ijs, qui diligunt nomen meum. Hîc Menignus verbum non ampliùs adiecit, sed mox abijt, vestesque suas suo domino reddidit, & se comparauit ad Præsidis aduentum: qui cùm post non multos dies ad eum locum venisset, & pro tribunali sedisset, auresque quiritantibus præbuisset, recognouit etiam Imperatoris contra Christianam religionem edictum. Tum hic planè diuinus Menignus generosissimè in medium prosiliens, extortum è manibus Prætoris decretum in mille partes discerpsit, pedibusque proculcauit. Quod cùm cernerent Prætoris deterrimi deteriores satellites, in terram prostratum, proculcatumque atrociter conciderunt. Ergo iam propè exanimato verberibus, Præses de tribunali consurgens, O scelestum caput, inquit, quâ fretus audaciâ hoc designasti? Et Sanctus: Christo meo. Et Præses: Arripite hunc stolidum, contumacem, & refractarium, suspensumque equuleo laniate, & fodicate assiduè, vt videamus, an Christus illum ereptum sit venturus. Adeóque fœdè lacerarunt illum vnguiis impij, vt intestina omnia per latera apparerent. Prætor intereà, velut theomachus, semper Martyri patienti Deoque maledicta ingerebat. Sed Sanctus precabundus omnia tolerabat, vltroque tyranno insultabat.

decretum contra Christianos lacerat:

B

dirè torquetur:

concisis minutatim digitis,

5 Tunc Præses in furorem actus, Agite, inquit, digitos, qui Imperatoris decretum discerpere ausi, detruncatos minutatim concidi impero. E vestigio igitur articulos ad vsque metacarpion rescant, qui pro sanguine lacteum liquorem profudêre. Retrusum dein in carcerem postero die in iudicium adduxêre. Sed sanctus Martyr Christum publicè professus, & Imperatorem detestatus, Præsidi etiam illudebat, cunctosque in admirationem adduxit. Lata tandem capitis sententia est, vt gladio puniretur. Cùm ad supplicij locum tenderet, secuta virum prosecutaque lacrymis est coniux, & ingens hominû copia. In loco iam supplicij Sanctus cùm excelsus staret, populum ad fidē cohortatus est, vxorem tutoribus commendauit, & sacrosanctū caput feriendum præbuit. Vbi miraculum ingens spectantibus visum: nam candidam columbam ex ore sancti Martyris in cælum euolare viderunt, qui spectaculo perculsi omnes exclamarunt: Magnus profectò Deus Menigni. Quo populi clamore tota ciuitas contremuit, ita vt Proconsul etiam trepidaret. Sed vbi caussam facti didicit, præcepit, vt insepultus relinqueretur. Videbimus, inquit, an Deus illum suus sepulturâ dignaturus sit: apposuêruntque excubitores, qui sacras eius exuuias corporis custodirent. Sub noctis verò conticinium, germani, illius omnibus custodibus somno sepultis, truncum corporis illius ad locum à sancto Martyre desideratum transtulerunt, ipsique fratres somno ibidem correpti obdormierunt; vbi vni ex illis visus Martyr, Capitis, inquit, mei, quo Christum confessus sum, properandi studio obliti estis. Experrectus ille narrauit alijs, quæ sibi à fratre dicta essent, & per densam noctem remensus iter, anceps quid faceret, hæsit: sed vbi ad locum in quo cæsus erat peruenit, illustre sidus super Martyris verticem apparuit. Accepto ergo capite gratulabundus ad fratres remeauit, quos porrò progressuros prohibuit Martyr, qui nobiles reliquias ibi reponi iussit: quod fit ad laudem Dei nostri, cui gloria in omnes æternitates, Amen.

D *capite plectitur*

columbâ ex ore volante,

corpus nobile

ad sepulturam defertur:

E

6 *In Menologio, iussu Basilij Porphyrogeniti scripto, martyrium S. Menigni Fullonis refertur die sequenti* XVI *Martij cum hoc encomio:* S. Menignus vixit regnante Decio, oriundus ex ciuitate Parij, artificio fullo, & labore manuum sibi victum comparans, ministrabat Christianis tunc ob persecutionem carceribus inclusis: desiderabat & ipse pro Christo martyrium subire idque precibus efflagitabat. Venit ergo vox illum alloquens: Menigne veni ad me, & inuenies gratiam in oculis meis. Accessit ergo ad Iudicem, & Christianum se esse confessus est. Post verbera ergo, gladioque digitis manuum & pedum abscissis, capite plexus est. Corpus eius in vrbe sepultum præbet sanitatem omnibus fidelibus vsque in hodiernum diem. *Eodem die S. Menignus adiungitur S. Romano Diacono Ecclesiæ Cæsarænsis in Palestinâ in memorato Synaxario & alijs Menæis MSS. ibidem referendis.*

clarus miraculis.

DE SANCTIS MARTYRIBVS NICOMEDIENSIBVS

LVCIO EPISCOPO, FAVSTA, SILVIO, INGENVO SIVE INGENVA, ET IANVARIO.

XV MART.



1 PErgimus singulis fermè diebus proponere aliquot Martyres Nicomediæ in Bithyniâ, Sede tum Imperatorum, pro fide Christi passos. Dux horum & Antesignanus, aliunde forsan adductus Episcopus, nomine Lucius fuit, qui hoc die in multis, ijsque illustribus Martyrologijs necdum typis editis celebratur: inter illa eminent, quæ asseruantur, tum Romæ in Vaticano & templo orbis primario, S. Petro Apostolo dicato, in præclarissimâ bibliothecâ Cardinalis Barberini, & apud Patres Oratorij, quod sub nomine S. Cyriaci à Cardinali Baronio solet citari & laudari, tum extra Vrbem in præcipuis monasterijs, Casinensi, quod charactere Longobardico exaratum est, Treuirensi S. Maximini, Tornacensi S. Martini, Latiensi & alijs: quibus accedit Notkerus excusus cum MS. Coloniensi S. Mariæ ad Gradus: in quibus ista ferè vbique verba habentur: In Nicomediâ natalis S. Lucij Episcopi & Martyris.

Lucius Episc. à pluribus relatus:

socij eius in Martyrol. S. Hieronymi.

2 *Martyrologium S. Hieronymi Parisijs excusum ita exorditur hunc diem:* Idus Martias. In Cappadociâ S. Longini Martyris. In Cappadociâ (*corrige* Nicomediâ) Lucij Episcopi & Martyris, Faustæ, Syluij, Ingenuæ, Ianuarij. *Mendum hoc indicatum corrigitur in MS. Martyrologio Lucensi eiusdem S. Hieronymi his verbis:* In Nicomediâ Luci Episcopi & Martyris, Faustæ, Silui, Ingenuæ. *In apographo Blumlano legitur* Lucini: *reliqua eadem sunt. In MS. Antuerpiensi nostro eiusdem S. Hieronymi ea sic habentur:* Nicomediæ Lucij Episcopi, Syluij, Pauli, Petrini, Ingenui. *In MS. Richenouiensi, quod aduertimus ex simili Martyrologio excerptum, ordo inuertitur, quo reducto, sic legendum:* In Nicomediâ Lucij Episcopi, Syluij, Pauli, Petronij. *Quos duos vltimos amandamus ad sequentem classem Martyrum Carthaginensium. Si quis tamen illos velit hisce etiam adijcere, & maximè* Paulum, *quòd in priore Martyrologio repetatur, nolumus contentiosè obesse. In MS. Parisiensi Labbæi referuntur* Lucius & Fausta; *at Fausti nomen est scriptum in MS. Augustano S. Vdalrici. Hermannus Greuen in Auctario Vsuardi habet;* Lucij Episcopi. Item S. Faustæ. Siluius

aliqui in alijs Martyrol.

A etiam adnotatur in MS. Adone Reginæ Sueciæ. Demum in MS. Tamlactensi fit memoria Lucij Martyris, Siluij, Ingenuæ, & aliorum, de quibus seorsim aut inter Prætermissos agimus. Reperimus in bibliotheca Vallicellanâ Patrum Congregationis Oratorij Romæ Kalendarium præfixum antiquo codici MS. operum S. Isidori Hispalensis: in quo legebatur ad hunc diem: In Nicomediâ S. Iuliani. An loco alterius aut ex alio die forsan insertum, dubitamus. Hoc saltem, vt honore suo Sanctum non fraudemus, voluimus indicare. Lucius Episcopus & Martyr ad diem præcedentem translatus est, in MS. Aquisgranensi. D *an iungendus Iuliano.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS CARTHAGINENSIBVS

PAVLO, SALVATORE SEV SOLVTORE, ALEXAND. THEOPHILO, THEODOLO, OCTAVIO, PETRONIO, MANILO.

XV MART.

HÆc altera classis Martyrum in pluribus Martyrologiis subiungitur Martyribus Nicomediensibus iam relatis. Eorum memoria continetur in illustri Martyrologio Cardin. Barberini, sed acephalo, his verbis: Carthagine Pauli, Saluatoris, Alexandri, Theophili, Octaui, Theodoli. Pro hoc Zeodoli legitur in illustri MS. Treuirensi monasterij S. Maximini: reliqui eodem ordine recensentur. In Martyrologio Blumiano S. Hieronymi post Theoduli additur Petruni, in aliis apographis S. Hieronymi intrusum est nomen S. Iacobi Apostoli, de quo inter Prætermissos egimus; quo à nobis omisso, ita excusum est Parisiis: Carthagine Pauli, Solutoris, Alexandri, Theophili, Theodoli, Petronii, Manili. In apographo Lucensi deest nomen Manili, & nomina duo, vt suprà habentur, Salutoris & Petruni scribuntur. In MS. nostro Antuerpiensi ista habentur: Carthagine Pauli, Solutoris, Alexandri, Theophili, Octaui, Theodoli. In MS. Coloniensi S. Mariæ ad Gradus: In Carthagine S. Pauli, Salutoris, Alexandri, Theophili, Octauij. Ex his hoc modo apud Notkerum quatuor efferuntur: Carthagine Pauli, Salutaris. Item Alexandri, Theophili. MS. Richenoniense: Carthagine Solutoris. MS. Aquisgranense: Natalis Eucapi, Secutoris, Pauli: pro quibus legendum videtur, Octauij, Solutoris, Pauli. In MS. Tamlactensi est Paulus & die præcedenti Paulus, Theophilus, Saluator, Alexander, quibus tum adduntur in MS. Pragensi: Octauius, Theosolus bis repetitus, pro quo substituendi, Theophilus & Theodolus.

B *Memoria in varijs Martyrologijs.* E

DE SANCTO NICANDRO

MARTYRE IN ÆGYPTO.

CIRCA AN. CCCII. XV MART.



1 EST Martyr Nicander inscriptus fastis Latinis & Græcis. Ex illis Galesinius ista habet: In Ægypto Beati Martyris Nicandri, cuius pro Christi religione & admirabili erga Martyres pietatis studio, res multæ fortiter sanctéque gestæ litteris mandatæ extant. De eodem in hodierno Romano Martyrol. ista recitantur: In Ægypto S. Nicandri Martyris, qui cùm sanctorum Martyrum reliquias studiose perquireret, & ipse Martyr effici meruit sub Diocletiano Imperatore. In Notis allegantur Græci, qui in Menologio res ipsius gestas compendio narrant. Est illud a Cardinale Sirleto Latinè redditum & ab Henrico Canisio editum, atque ista leguntur: Eodem die S. Nicandri Martyris. Hic Diocletiano Imperatore, cùm Martyrum amore flagraret, & eorum reliquijs studiosè ac reuerenter colligendis curandisque incumberet; delatus apud Præsidem ac detentus, liberâ voce Christum ipsum verum Deum esse prædicans, detractâ pelle martyrij coronâ adeptus est. Aliud nacti sumus Menologium Græcum, scriptum iussu Basilij Porphyrogeniti Imperatoris: in quo aliquantò plura de huius Sancti rebus gestis habentur, quæ ita Latinè efferimus. Certamen sancti Martyris Nicandri. Nicander Christi Martyr floruit imperante Diocletiano. Adhibebat continuò operam inuisendi Sanctos carceri inclusos, iisque ministrandi & necessarium victum procurandi, imò etiam reliquias eorū sepeliendi. Videns ergo huiusmodi Sanctorum reliquias ita dispersas & neglectas, cùm de die non auderet ad eas accedere, ne & ipse comprehenderetur, aduenit de nocte, easque abstulit, alias post alias, & vno eodemque in loco collocauit. Deprehensus igitur ab aliquo ex idololatris, proditus est Præsidi, & statim comprehensus, puniebatur & Christum abnegare cogebatur. Ipse verò noluit eum abnegare, sed magis Deum verum esse & vniuersorum conditorem prædicabat. Quapropter cùm Præsidem ad iracundiam commouisset, gladio cursum vitæ finiuit: & sic defunctus accepit æternam coronam, & beatam ac numquàm finiendam vitam.

Veneratio apud Latinos

C *& Græcos in duplici Menologio.*

2 In Menæis tam manuscriptis quàm excusis celebratur eiusdem Martyris solennitas, & in titulo præfigitur eum Ægyptium esse, & dein ista leguntur. Imperante Diocletiano vixit idem Martyr, innutritus pietati, & singulari caritatis affectu Martyribus deuinctus: cuius vnicum studium erat sanctorum Martyrum corpora clàm tollere, eolere, & eleganter sanctéque adornare. Itaque cùm reliquias Sanctorum alicubi abiectas & neglectas videret, sub noctem accessit, & sublatas cum debitâ veneratione & cultu, loco certo deposuit. Sed à quodam Pagano deprehensus & ad Præsidem delatus comprehensusque, Christum verum Deum liberè testatus est, quo nomine exutus cute, martyrij coronam reportauit. Quod genus mortis in præfixo disticho ita indicatur:

& Menæis F

Νίκανδρον ἐκδέρουσιν ὥσπερ ἀρνίον
Χερσὶν βάναυσοι οἱ μάγειροι τῆς πλάνης

Ad instar agni pelle Nicandrum exuunt,
Manibus prehensum, deceptionis coci.

3 Die vicesimâ quartâ Martij iterum refertur in eisdem Menæis præposito eodem iam relato disticho: historia rerum gestarum phrasi solummodò mutatâ. Ægyptius etiam in titulo nominatur. Eadem vtroque die memorantur in Vitis Sanctorum à Maximo Cytherorum Episcopo in linguam hodiernam Græcorum translatis. *iterum 24 Martij.*

DE

DE SS. CONSTANTIO ET FELICIANO

MARTYRIBUS ROMANIS

ANTVERPIÆ IN BELGIO.

XV MART. Theresanarum Antuerpiæ cœnobia duo

1 Armeliticus Ordo, per sanctissimam Virginem Theresiam feliciter reformatus & mirabiliter propagatus, habet Antuerpiæ sanctimonialium Virginum monasteria duo, à primis earumdem inquilinis & institutricibus nomen adepta; vt vnum Anglicanarum dicatur, alterum Hispanicarum; quarum hæ spiritualem directionem à sui Ordinis Religiosis accipiunt; istæ Episcopo soli subiectæ primæuâ instituti sui (vt aiunt) libertate gaudent; vtræque magnâ cum totius Vrbis ædificatione & obseruantiæ regularis rigore Deo deseruiunt. Hic nobis de solis Hispanicis (vt veteri vulgatâque appellatione vtamur, quamuis Belgicæ nunc ferè omnes) sermo est, quæ primæ instituti sui integerrimum spiritum Antuerpiensibus mœnijs intulêre, Serenissimorum Belgij Principum Alberti & Isabellæ fauore subnixæ, ductuque Venerabilis Annæ à S. Bartholomeo, ipsius sanctæ Fundatricis quondam familiaris & sociæ. Hæc enim, vt in eius Vitâ per Chrysostomum Henriquez scriptâ narratur, post septennem ferè in Franciâ moram, missa in Belgium est anno MDCXI: vrbem autem Antuerpiensem cum tribus socialibus ingressa anno MDCXII die XXIX Octobris, eam fundationem feliciter stabiliuit, vbi & Deus laboribus eius terminum requiemque statuerat; quam consecuta est felicissimè ex hâc vita egrediens MDCXXVI infrà Octauam sanctissimæ Trinitatis.

earum altera per Ven. Annam à S. Bartholomeo fundatum

B

post mortem eius multis aucta

2 Mortem eius secuta varia prodigia sunt, Episcopali auctoritate cognita & approbata supra naturæ vires esse: quorum non minimum videri debet incrementum ingens quo aucta exinde est familia per ipsam instituta, tam religiosarum probatissimarum numero, quàm ædificiorum ad communes vsus à fundamentis magnificè eductorum commoditate: certante ad hoc piorum ciuium liberalitate, vt vicem gratitudinis referrent ei, cuius efficax bis patrocinium senserat, de aris focisque amittendis periclitantes per insidiosas hæreticorum Hollandorum molitiones anno XXII & XXIV seculi huius, nisi diuinâ ope huius sanctæ Virginis precibus exoratâ depulsi fuissent. Similis felicitate assurrexit templum, Virginis intemeratæ castissimo sponso Iosepho dedicatum: cui vt præter congrua sacræ supellectilis instrumenta & ornamenta, à Sanctorum quoque cum Christo gloriosè regnantium reliquijs tutela præsidiumque accederet, effectum est anno MDCLVII, illatis eodem duorum Romanorum Martyrum corporibus, Constantij scilicet & Feliciani: quæ quomodò & à quo accepta sint, ex relatu R. P. Frederici de Champs prædictarum Virginum Confessarij hîc subiungimus:

& templo instructum, in quod

C

Sanctorum Reliquiæ

3 Reliquiæ seu ossa S. Feliciani Martyris in vnâ capsulâ, & Reliquiæ seu ossa S. Constantij Martyris in alterâ, de mandato Sanctissimi ex cœmeterio Sanctæ Cyriacæ extractæ, ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Marcello Ananiâ, Episcopo Sutrino & Nepesino, in almâ Vrbe Eminentissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Vicarij Vicesgerente, Reuerēdo admodùm Patri nostro Dionysio à S. Andreâ, Congregationis nostræ Carmelitarum Discalceatorum Procuratori generali dono datæ, cum facultate alijs donandi, extra Vrbem mittendi, & in qualibet Ecclesiâ vel oratorio publicæ fidelium venerationi exponendi & collocandi (vt patet ex litteris authenticis Romæ super hoc expeditis die vigesimâ secundâ Februarij anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti; quarum originale seruatur in Archiuio conuentus nostri Bruxellis) tandem à dicto R. P. N. Procuratore Generali R. P. N. Ioanni à Matre Dei Romæ tunc præsenti donatæ, cum simili facultate de quâ supra; Antuerpiamque ab eodem allatæ, à Perillustri & Reuerendissimo Domino, Patre Ambrosio Capello, Episcopo Antuerpiensi, recognitę & Approbatę fuerunt: vt patet ex litteris expeditis super hoc die octauâ Maij, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi, quarum originale in eodem archiuio seruatur. Eędem postmodùm ab eodem R. P. N. Ioanne à Matre Dei nostro conuentui & ecclesiæ S. Ioseph Carmelitarum Discalceatarum nostrarum Antuerpiæ, sigillo præfati Domini Episcopi quinque in locis munitæ, donatæ & appropriatæ fuerunt: ita vt à dicto conuentu aut ecclesiâ nullatenus possint alienari: vt patet ex litteris eiusdem Patris Ioannis à Matre Dei manu propriâ signatis & sigillo munitis, datis Bruxellis Dei vigesimâ sextâ Maij, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi, quæ asseruantur in eodem conuentu dictarum Sanctimonialium Antuerpiæ.

Romæ donatæ,

& ab Episcopo recognitæ.

E

Inuehuntur anno 1657,

4 Quæ Reliquiæ receptæ fuerunt à dictis Sanctimonialibus, processionaliter cū cereis accensis ad portā clausuræ venientibus, & in choro à singulis deuotè venerationi habitæ: postmodum capsulis ex testudine & argento artificiosè elaboratis ornatæ, & in maiori altari superiùs magnificentissimè collocatæ, publicæ omnium venerationi expositæ, palmis & mitrâ deargentatis coronatę, vigesimâ tertiâ Nouemb. MDCLIX, octo diebus frequenti hominum concursu solennizatę fuerunt, datis ac concessis ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Episcopo, Patre Ambrosio Cappello, Indulgentijs quadraginta dierum. Qui etiam primâ die solenne sacrum in Pontificalibus in eâdem ecclesiâ cum insigni musicâ decantauit: cum quâ duobus sequentibus continuatum est decantari sacrum, & per octo dies litaniæ cum laudibus, habitæque sunt diuersæ conciones, & finita solennitas cum solenni decantatione hymni, Te Deum laudamus; ad maiorem Dei gloriam, sanctorum Martyrum venerationem & cultum, cum magnâ populi ædificatione & pietate. Festum S. Constantij Martyris quotannis ab ijsdem Monialibus deuotissimè celebratur die decimâ quintâ Martij, & S. Feliciani Martyris die vigesimâ sextâ Aprilis, cum Officio duplici, exponiturque theca cuiuslibet, cum suis Reliquijs in suo die, publicæ venerationi ad altare maius: sicut & alijs solennioribus cum alijs reliquijs vtraque solet exponi.

eleuantur 1659

& quotannis proponuntur 15 Martij

F

& 26 Aprilis.

5 Vtriusque ad prædictos dies meminit Balduinus VVillotius in suo Hagiologio Belgico, typis Insulensibus Gallicè vulgato, sub annum 1658, intermedium scilicet inter dictam translationem & solennem eleuationem Reliquiarum prætactarum: quibus quod hic addamus nihil est, nisi vt moneamus multos hisce nominibus Sanctos & Romæ & alibi passos tradi, nec paucos eorum in editis hactenus Ianuarij ac Februarij huiusque ipsius Martij mensibus reperiri: prudentissimè tamen institutum esse, vt quoniam nullo verisimili argumento credi potest, aliquorum ex ijs esse hæc quæ veneramur Antuerpiæ corpora; eligerentur dies, qui in Romano Martyrologio essent prorsus liberi ab alijs eiusdem appellationis Martyribus: itaq; confusionis & erroris occasio pronis ad hæc vulgi animis subtraheretur. Cœmeterium autem S. Cyriacæ, vnde venerabilia hæc ossa deprompta sunt, Viâ Tiburtinâ in agro Verano situm, multorum illustrium Martyrum atque imprimis S. Laurentij sepulturâ nobilitatum fuisse legitur, de quo videri potest Paulus Aringhus Romæ subterraneæ tomo 2 lib. 4 cap. 16.

Memoria in hagiologio Belgico,

Cœmeterio S. Cyriacæ.

DE

DE S. MATRONA VIRGINE ET MARTYRE BARCINONE IN HISPANIA,

Commentarius historicus.

XV MART.

SS. Matronæ tres 15 Martij coluntur:

1  Res Idibus Martij sanctæ fœminæ, quibus Matrona nomen fuit, memorantur in Fastis variarum Ecclesiarum, & sacris ritibus coluntur, non eadem omnes palmâ illustres. Nam quæ Barcinone, in Cataloniâ, Virgo & Martyr prædicatur: quæ Thessalonicæ in Macedoniâ, Martyr, incertum an Virgo: tertia Capuæ in Campaniâ, Virgo, dubium an etiam Martyr. Quo singulæ æuo vixerint, certâ ratione concludi vix potest. Vltima, quæ Lusitana traditur fuisse, initio sexti seculi passim adscri- **B** bitur. In Martyrologijs, quæ sola nobis Thessalonicensem Matronam exhibuerunt, nulla Gentilium Christianos infestantium mentio fit, vt mox cùm de eâ agemus, patebit. Barcinonensis, si vera sunt, quæ de eâ narrantur, martyrium in agro Romano, adhuc adolescentula, consummauit, cùm grauissimus ferueret æstus persecutionis. Eius porrò natalem inscripsit Philippus Ferrarius Catalogo Sanctorum, quorum nomina non extant in Martyrologio Romano, his verbis: Barcinone in Hispaniâ S. Matronæ Virg. & Mart. Eadem in Gallico Menologio Virginum habet Franciscus Laherius noster. Prolixè de eâ disserunt Ioannes, Tamayo Salazar, Antonius Vincentius Domeneccus, alijque Hispani Scriptores.

quando vixerint?

1 Barcinonensis inscripta Martyrologiis:

2 Illud satis constat, Reliquias S. Matronæ in monte Iouis, indigenis Moniuyque dicto, propè vrbem Barcinonensem, in sui nominis ecclesiâ, quæ olim Seruorum B. Mariæ nunc Capucinorum est, asseruari, quod ijdem Salazar & Domeneccus affirmant; licet, vnde eæ aduectæ, cuiasque ipsa fuerit, non idem omnino ac nos sentiant. Venerabilis Pater F. Franciscus à Barcinone, Capucinorum in Conuentu montis Caluariæ ibidem Guardianus, binis litteris (quas XXVI Aprilis anno MDCXLVIII, & XXIV Martij MDCXLIX, Capuam ad D. Siluestrum Aiossam V. CL Ecclesiæ S. Leucij Rectorem scripsit, hic nobiscum pro suâ humanitate com- **C** municauit) testatur, se quæcumque ad S. Matronam Virg. Mart. spectare viderentur, omnia diligenter circumspexisse, consuluisse historias, loca perlustrasse, indagasse memoriarum veterum num quæ monumenta, num inscriptiones extarent vspiam, aut antiqui characteres: at nihil earum rerum deprehendere potuisse. Nam annis circiter XXX priùs quàm eas ipse litteras scripsit, ecclesiam, in quâ seculis aliquot S. Matronæ corpus iacuerat, destructam, aliamque ampliorem & multò venustiorem ædificatam esse. At nullum in hac se vestigium antiquitatis reliquum inuenisse; nec in conuentu quidem, quas olim ante eius ecclesiæ demolitionem, vidisse se ac legisse meminerat, exaratas in membranâ notas superesse.

reliquiæ eius iuxta Barcinonem, in æde PP. Capucinorum:

sed (vt retulit curiosus inspector)

nulla in templo nouo aut conuentu de eâ monumenta.

3 Antiquam etiam arcam, in quâ olim eiusdem Sanctæ Virginis ac Martyris asseruatæ reliquiæ fuerunt, negat modò extare. Quâ enim illæ nunc continentur, eam anno MDXLVII * fabricatam: esse verò egregio artificio factam ex ære, & inauratam, modisque alijs pulcherrimè ornatam. Eam se curiosè extrinsecùs contemplatum, ac dein, coram Episcopi Barcinonensis Vicario & Consulibus ciuitatis reclusam, reuerenter ac studiosè inspexisse. Scripturam in eâ non aliam fuisse, nisi quâ indicabatur, S. Matronæ Virginis & Martyris ibidem corpus asseruari, vnà cum cineribus SS. Fructuosi Archiepiscopi Tarraconensis, Augurij & Eulogij Diaconorum eius: qui quidem cineres intra eamdem arcam in sacculo sunt reconditi. Porrò thecam hanc nouam faciendam curauit ciuitas Barcinonensis, in eamque ex aliâ veteri dictas reliquias S. Matronæ Martyrumque Tarraconensium transtulit Ioannes Dimas Lloris anno MDXCIII, die XV Septembris, vti testatur in historiâ Comitum Barcinonensium lib. 2 cap. 37 Franciscus Diagus, qui tunc Barcinone erat, & sub huius Antistitis successore Alphonso Coloma eam historiam vulgauit. Sed pergit idem in posteriore epistolâ antè citatâ, inque dictâ thecâ sese contemplatum esse testatur primùm Diuæ caput, non tamen integrum: atque hoc se quâ par erat submissione veneratum, & sacros dentes religioso osculo con- **E** tigisse. Ossa quoque totius corporis in eadem reposita, at neutiquam inuicem coagmentata, sed soluta; mundissima tamen ac pulcherrima, planeque eiusmodi vt paruulæ puellæ fuisse, nemini dubium esse possit. Addit Ayossa in litteris suis anno 1647 datis fuisse Capuæ ante quadriennium Barcinonensem nobilem, qui Iudicem istic agens, affirmarit fide oculatâ, caput S. Matronæ seorsim à corpore in argenteâ thecâ asseruari.

nec arca vetus;

** f. 1593*

noua elegans,

in quam reposita reliquiæ an. 1593, 15 Septemb.

quas paruula puella fuisse inde constat.

4 Atque hæc quidem pro certis habemus, quippe quæ viri tales à se eum in modum explorata testentur. Quæ de Matronæ rebus gestis addit, non adeò firmam fidem mereri impunè quiuis suspicetur. Ea hausit è veteri historiâ, sermone Catalano scriptâ, cui titulus Flos Sanctorum Cataloniæ, quæ historia sacri Inquisitorum Senatus iudicio probata, Regioque priuilegio munita, typis anno 1549 Barcinone excusa erat. De sancta ergo Matronâ hæc ferè ex eâ narrat: Natam Barcinone, sed admodùm adolescentem, vtroque parente orbatam, adoptatam à patruo, viro opulento ac potente: qui cùm magnis auctibus crescere illic Christianorum res videret, in Italiam se cum Matronâ recepit, inque agro Romano consedit. Hìc quamquàm profana Gentilium superstitio animos populorum latè occupârat; non deerant tamen, qui in cauernis alijsque à promiscuæ multitudinis aditu semo- **F** tis locis Deum religiosè colerent, multis licet attriti laboribus ærumnisque inter comparatas vndique capitibus suis, non solùm facultatibus, insidias. Tum verò factum est diuino munere, vt Matronæ innotesceret, quâ caussâ quibusue locis sancti illi homines delitescerent. Quos ipsa exinde, contemptis Gentilium minis, frequens adibat, ac de Scripturis Sanctis, de Christi acerbissimâ morte alijsque fidei mysterijs disserentes, magnâ animi voluptate auscultabat. Cumque indies magis ab eiusmodi colloquijs cor illi sancti Spiritus ardore incalesceret, impensè Sanctos illos rogauit, sibi vt Crucifixi effigiem, qualem ipsi manibus vsurpabant, conficerent, vt eam ipsa quoque secum perpetuò gestaret; Acquieuerunt illi benignè eius votis, eique effigiem eiusmodi donarunt, quam assiduè deinceps, magnâ pietate ac reuerentiâ, secum illa gestauit.

in Vita non satis certa, ex veteri Flore SS.

dicitur nata Barcinone,

in agro Romano conuersa,

5 Vidit quodam die oppidi aut pagi, in quo hæc agebantur, Præses, Matronam, non minis, non verberibus, non precibus virorum ac fœminarum abstineri posse ne Christianos ita ferè palàm adiret. Miratur constare sic in proposito adolescentulam, quæ necdum XIV esset annorum; factoque irritatus, ad se pertrahi imperat, & hunc in modum affatur: Dicito, inquit, puella, quæ te mentis perturbatio agitat, vt mandatis nostris repugnare ausa sis? At nunc tibi, per magni

rapta ad Præsidem,

A magnificam, quam obtineo, potestatem, iuro, si in animum induxeris nostris deinceps legibus obtemperare, me amplissima in te opum honorumque ornamenta congesturum: sin obstinatè in tuâ illâ insaniâ obdurescas, scito infaustam tibi mortem manere. Hic Matrona insigni constantiâ minas contemnere, munera oblata repudiare, nullamque verborum eius ac promissorum rationem ducere: ac demum Christi Iesv amore inflammata, profert Crucifixum, quem ei sancti illi homines in cauernis delitescentes donauerant, itaque Præsidem affatur: Credo in eum, qui cælum ac terram resque vniuersas condidit. Ei viuere ac mori volo, qui me in hanc lucem procreauit, vt aliquando cum ipso in amœnis cæli sedibus vitâ fruar perenni & beatâ. Ne minas inanes intenta, nec diuitias pollicere: has enim nihili æstimo, parata pro Christo Iesu Domino meo, lætâ & alacri mente quoslibet subire cruciatus.

eius minis ac promissis spretis, Christum liberè confessa:

6 Tunc irâ inflammatus Præses, lictores duos accersit, iubetque vestibus nudatam inclementer cædi verberibus, quòd pertinaciter suis parere imperijs abnueret. Tum in custodiam detrusæ vetat cibi quidquam ac potionis præbere. Tres ipsos dies ea tenuit B abstinentia, sperante Præside, posse hac ratione flecti à proposito atque emolliri acerbiorum adhuc suppliciorum metu. At Virgo beata, cælestis patriæ desiderio flagrans, non refugit martyrium, nec mortem quantumuis diram reformidauit: tandemque cùm diebus tredecim grauissima sustinuisset tormenta, gaudio incredibili exultans, Deo spiritum reddidit.

cæsa flagris, inedia, alijsq́ue modis:

7 Vbi eam ita mortuam comperêre Christiani, quâ maximâ potuerunt pietate ac reuerentiâ, exanime eius corpus abstulerunt, & sarcophago inclusum terræ mandarunt, loco occulto. Post aliquot secula, redditâ Ecclesiæ pace, cælestibus indicijs in notitiam populi Christiani deuenit sacrum beatæ Martyris pignus, hoc ferè modo. Viderant sæpenumerò pij homines in locum quemdam agri Romani delapsam è cælis lucem. Quare Deum precari instituerunt, vt declarare dignaretur, quid ea res portenderet: atque ipso loco, qui cælesti fulgore colluxerat, humum aperiunt, & ipsummet, quò S. Matronæ Virginis & Martyris conditum corpus erat, sepulcrum inueniunt. Hoc verò proferre in lucem visum fuit, si fortè, quod tam admirabili modo detectum erat, alijs deinceps prodigijs diuinitùs honoraretur. Atque ipso tempore, quodam C Numinis instinctu exciti, eò conuenêre ægri complures, qui implorato Diuæ patrocinio, optatam sanitatem adepti sunt.

olim sepulta à Christianis; diu post, cælesti luce commonstrante, inuenta, miraculis illustratur.

8 Haud multi ab hac inuentione menses abierunt, cùm Dei Opt. Max. benignitate in patriam suam sanctæ Martyris reuecta sunt ossa: quod in hunc modum cõtigit. Vulgata celeriter per prouincias prodigiorum, quæ S. Matronæ ope acciderat, fama, in Galliam quoq; perlata est, quo tempore Rex aut Princeps quispiam Francorũ ex longo iam tempore febri cõtinuâ laborabat, quam nulla medicorum depellere quibat industria. Audito igitur quæ Romæ ad S. Matronæ corpus miracula fierent, cùm teneretur immenso recuperandæ sanitatis desiderio, protinùs Legatos ad Pontificem Maximum mittit, qui obtestentur vt ad se ossa patiatur S. Matronæ perferri, quò per ea sibi sanitas restituatur. Grata Pontifici Legatorum postulatio fuit darique ijs ossa Virginis Martyris iussit: quibus incredibili quodam plausu & exultatione in nauim impositis, eam properè soluerunt, ac secundis vsi ventis iam ferè Gallicum littus attigerant, cùm subitò, Deo nolente vt in exterâ regione Virgo remaneret, sed ei redderetur quæ ipsam primùm protulerat in lucem, horribilis exorta tempestas in medium mare nauim repulit, nautasque in præsentissimum vitæ discrimen coniecit. Quare ad vota precesque conuersi, cæli Reginam Mariam Dei Matrem, Sanctamque Matronam, cuius

Donatum à Pontifice corpus Sanctæ ferendum in Galliam: orta tempestate,

D vehebant exuuias, inuocant, vt sibi in hoc periculo opitulentur, atque ad eum portum nauim perducant, quem hoc beari thesauro velint.

9 Senserunt enimuerò opem nutumque Magnæ Matris ac Matronæ Martyris, ad oram Catalanicam delati, ante rupem, quæ Mons Iouis dicitur, iuxta Barcinonem ciuitatem: vnde nullo deinceps conatu propellere nauim valuerunt: neque dubitarunt, quin ea Matronæ patria esset, ac sedes ei diuinitus assignata. Rem omnem vrbis Episcopo renuntiant: hic cum Clero ad mare supplicabundus accedit, reliquias è naui reuerenter eximit, atque in vrbem deportat, ac postmodùm in verticem dicti montis, vbi ædificata S. Matronæ Ecclesia, inque eius parietibus picta historiæ iam narratæ series est. Data ea ecclesia primùm PP. Seruitis, ijsque locum deserentibus, PP. Capuccinis. Posteà tamẽ ea destructa est, aliaq; elegantior posita. Ac tunc scilicet veterum illarum picturarũ memoria incercidit, & scripta sunt deperdita, quibus quæ iã relata sunt cõtinebantur. In capsâ eadem, quâ S. Matronæ, trium aliorum condita Sanctorum corpora sunt.

ad oram Barcinonensem reiecta naui, moxq́ue immobili eauctum, in Monte Iouis collocatur. Picta in parietibus historia,

10 *Ista, inquit idem Venerabilis Pater, traduntur in illo Flore Sanctorum Catalaniæ, recognito & approbato auctoritate sacræ Inquisitionis, inque lucem edito typis Iacobi* E *Iaceres anno* 1549. *Pingitur verò illius effigies, nauim vnâ manu sustinens, alterâ palmam; hanc quidem vt martyrij tesseram, illam vt eâ significetur prodigiosus in eas oras sanctæ Virginis aduentus. Quanta sit illius Floris Sanctorum, vnde historia hæc hausta, auctoritas, haud facile est statuere. Placet quod ingenuè profitetur Ioannes Marietta Historiæ Ecclesiasticæ Sanctorum Hispaniæ lib.* 4, *qui est de Virginibus ac Martyribus, cap.* 56, *vbi ita scribit:* De S. Matronâ Virg. & Mart. Barcinonensi. Celebrat Ecclesia Barcinonensis, die xv Martij, festum S. Matronæ Virginis & Martyris. Neque aliud de eâ, quod narrari possit, mihi innotuit: non vtrùm isthinc oriunda sit, aut quo tempore martyrium fecerit.

S. Matronæ effigies. Non est indubitabilis fides huius historiæ:

11 *Insolita tamen Catalanis opinio est, peregrè aduecta S. Matronæ, quæ Barcinone asseruantur, lipsana esse, & quidem per Gallos nauicularios. Antonius Vincentius Domeneccus in libro de SS. Catalaniæ, & Ioannes Tamayo Salazar, eam esse scribunt, quæ Thessalonicæ ab crudeli herâ mactata fuit: & quidem pupillam à patruo susceptam, ac ne Christianis sese iungeret, ab eo Thessalonicâ Romam fuisse perductam, &, quo pacto ij tradunt qui Barcinone natam volunt, Christo vt nomen daret inductam. Dein Thessalonicam, incertum quâ caussâ, redisse, ibique in famulitium Hebrææ mulieris datam, vtque referunt Martyrologia, ab eâ enectam, sepultam Thessalonicæ à Christianis: multis elapsis seculis Gallos negotiatores eò appulsos, sacra illius pignora à ciuibus obtenta, cùm deportare in Galliam vellent, in Catalaniam vi cælesti reiectos.* F

sed passim à Catalanis recipitur, cum aliqua tamen varietate.

12 *Plures ex Italiâ allatam consentiunt: inde fortassis ortâ coniecturâ, qu d coli in Campaniâ Matronam Virginem accepissent. At neque Thessalonicensis illa Martyr, nec quæ Virgo Capuæ colitur, asportata Barcinonem, quoquo modo aut tempore, videtur: neque enim vel illa Virgo appellatur, vel quæ Capuæ, Martyr, saltem constanti ac certâ famâ; Barcinonensi verò laurea vtraque tribuitur: & sunt, vt certo testimonio iam relato constat, exilia huius ossa, vt paruulæ ea esse, ambiguum minimè videatur. Cui igitur credibile sit, longam duxisse in cœnobio vitam, quod de Lusitanâ Campani tradunt? aut ancillaribus laboribus parem sub tam immiti herâ fuisse? Hoc certò constat esse Barcinone S. Matronam, quæ semper Virgo & Martyr habita, & quâ in cælis potitur gloriam, plurimis testata miraculis sit. Cetera quæ narrant, neque refellere valemus, neque tenemur confirmare, in tanto antiquitatis silentio.*

Est Barcinone S. Matrona miraculis clara:

13 *Hæc de illius miraculis narrat Domeneccus:* Quoties siccitate laboratur, deportari ad basilicam Cathedralem eius exuuiæ consueuerunt, inque arâ principe collocari. Neque diu imbres cælum differt, honori fidelis suæ sponsæ celeriter suffragante Deo. Crebrò ani-

pluuiam largitur:

A animaduertere maiores, pluisse ipsâ quâ allatæ Reliquiæ luce fuerant, aut postridie, aut minimùm intra dierum ogdoada, & tantâ quandoque tamque assiduâ copiâ, vt referendæ ad suam ædem Reliquiæ fuerint, nondum elapso, quod de more præscriptum imbri cælitus eliciendo, tempus erat.

medetur febribus:

14 Febribus medetur Virginis eiusdem patrocinium. Anno MDXLVII tabellionis cuiusdam Barcinonensis filium febrilis ardor corripuit. Opem Sanctæ implorat pater: continuò redit puero salus. Ante non multos annos (*scribebat autem anno* MDCII) venit ad S. Matronæ ædem cæca mulier, & ad valuas in genua procumbens, Sanctam non sine lacrymis precata, genibus ad summam vsque aram prorepsit, & visum recepit.

visum reddit:

vulnus sanat:

15 Anno MDLIV Barcinone Franciscus Arbusies, cerdonis filius, ex edito loco prolapsus, ad saxum caput ita grauiter offendit, vt exterritus medicus adhibere vulneri manum recusârit, dicens à Deo curari plagam eam posse, non ab mortali chirurgo. Parentes animaduerso filij discrimine ad opem B. Matronæ magnâ cum pietate confugiunt, & filio perfectam sanitatem impetrant. D

& [illegible] imbecillitatem:

16 Anna Villela, Sebastianæ Villelę Notarij coniux, graui & continuâ ægritudine menses duos oppressa, Sanctæ ædem religiosè visit: ac precibus ritè conceptis, assurgens vt domum rediret, omni se languore liberam sensit.

è præcipitio lapsum sanat.

17 Seuerus puer erat Barcinone consobrinus Notarij, cui Moses Calopa nomen, is è rupe S. Matronæ in præceps prolapsus est: cumque eum sui interiturum crederent, & S. Matronam, vt ei opitularetur, obsecrarent, incolumem repererunt.

DE S. MATRONA MARTYRE

THESSALONICÆ IN MACEDONIA,

Sylloge historica.

XV MART.

1 Thessalonica *vrbs est Macedoniæ ad Thermaicum sinum ampla & opulenta; Strabonis quoque geographi æuo, Augusto imperante, virorum copiâ abundans; ac ducentis annis priùs, cùm Persea Regem Romani debellarunt, celebris: sed maxima ei felicitas & gloria, quòd Christi religionem ab ipsis Apostolis acceptam, ita coluerit vt à S. Paulo geminâ epistolâ Christiani Thessalonicenses non tantùm confirmari, sed & commendari meruerint; multique posteà pro eiusdem defensione religionis illic vitam gloriosè posuerint. E quibus prima in Romanis Fastis occurrit* S. Matrona *Idib. Martijs hoc elogio celebrata:* Thessalonicæ S. Matronæ, ancillæ cuiusdam Iudææ, quæ cùm occultè Christum coleret, & furtiuis orationibus quotidie ecclesiam frequentaret, à dominâ suâ deprehensa, & multipliciter afflicta, nouissimè robustis fustibus vsque ad mortem cæsa, in confessione Christi incorruptum Deo spiritum reddidit.

S. Matrona Thessalonicensis Martyr,

2 *Quædam Martyrologia breuissimè eius memoriam eodem die commemorant cum Floro in auctario Bedæ:* Thessalonicæ Matronæ ancillæ & Martyris. *MS. Martyrol. Ecclesiæ S. Lamberti Leodij:* Apud Thessalonicam ciuitatem natale S. Matronæ. *In metrico Martyrol. quod ante* DCCC *annos VVandelbertus Prumiensis monachus concinnauit, ista leguntur:*

C

15 Martij inscripta antiquis Martyrologijs Latinis.

Thessala plebs Idus Matronâ Martyre seruat.

Vsuardi plurima exarata antiquissimâ manu exemplaria, ita habent: Apud Thessalonicam ciuitatem natalis S. Matronæ Martyris, quæ deprehensa, & multipliciter afflicta, nouissimè robustis fustibus vsque ad mortem cæsa, in confessione Christi incorruptum Deo Spiritum reddidit. *Eadem omnino habentur in Martyrologio secundùm morem Romanæ Curiæ, per* Magistrum Bellinum de Paduâ Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini emendato, *editoque Venetijs anno* 1498. *Molanus in contextum Vsuardi, ista inseruit, sed alio charactere excudi curauit: quæ* cùm occultè Christum colens, quotidie furtiuis orationibus ecclesiam frequentaret, *deprehensa &c. Quod sub Bedæ nomine vulgatum est typis Martyrologium, paullùm mutatis verbis:* Apud Thessalonicam ciuitatem, natale S. Matronæ, quæ cùm esset ancilla cuiusdam Iudææ, & occultè Christum colens, deprehensa à dominâ suâ, & vsque ad mortem cæsa, incorruptum spiritum reddidit.

eius martyrium explicatum à B. Adone

3 *Plenius eius martyrium explicuit B. Ado Viennensis Episcopus, nam integra eiusdem Sanctæ Martyris acta nusquam adhuc reperimus:* Apud Thessalonicam ciuitatem, *inquit*, natalis S. Matronæ: quæ cùm esset Plautillę cuiusdam viduæ ancilla, & occultè Christũ colens, quotidie furtiuis orationibus ecclesiam frequentaret; deprehensâ à dominâ suâ, & in scamno extensa & ligata, & penè vsque ad mortem flagellata, atque ita vincta in scamno, obsignatis diligenter ianuis, per noctem relicta, ibi die altero diuinitus soluta, & cum ingenti oris gratiâ orans, inuenta est: rursumque neruis crudis in eodem scamno constricta, & loris quousque obmutesceret cæsa est, ibique per triduum obsignatis ianuis relicta. Factâ autem die tertiâ, iterum soluta diuinitus & orans inuenta est. Tunc robustis fustibus vsque ad mortem cæsa, in confessione Christi incorruptum Spiritum reddidit. *Hæc Ado à Rosweydo editus, variaq; MSS. & Notkerus. Sed quam viduam vocant heram Matronæ, MS. Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ, atque aliud MS. Brugense, & quod Coloniæ excusum anno* MCCCCXC, *vti & Romanum, at Menæa* Iudæam *faciunt. Petrus de Natal. lib. 3 cap. 202* viduam gentilem *scribit fuisse, ipsamque Sanctam in scamno ligatam*, noctu diuinitus solutam & clausis ianuis eductam, ad ecclesiam redijsse, & Deo gratias egisse. Quam, *inquit*, iterum ibidem repertam domina sua, iterũ ipsam in scamno vinxit; & crudelius flagellauit, triduo quoq; sine cibo reclusam dimisit. Illa verò iterũ diuinitus soluta educitur, & in ecclesiâ orans à dominâ suâ tertiò reperitur &c. *Adonem citat Petrus, à quo discrepat, vt liquet. Antonius Vincentius Domenecus in libro de SS. Cataloniæ, & Franciscus Diagus historia Comit. Barcinonensium lib. 2 cap. 37 dominam Matronæ* Plantillam *vocant, aiuntque opulentam viduam fuisse, sed cultui idolorum deditam. Ioannes Tamayus de Salazar* Plautillam, *sed*, aut gentilem, *inquit*, aut Iudæam. *Menæa, Arcudiis, Synaxarium &c.* Pantilam.

& alij,

ac paullum diuersè:

F

colitur alibi 14 Martij

4 *Pridie Idus Martij eam referunt MSS. Reginæ Sueciæ, monasteriorum S. Maximini & S. Martini Treuiris: Græci* XXVII *Martij, quo die ista habet Menologium à Canisio editum:* Natalis S. Matronæ apud Thessalonicam. Hæc cùm Christianam fidem profiteretur, & Iudææ cuiusdam nobilis fœminæ, cuius erat ancilla, neque minis neque blanditijs aut verberibus flecteretur, quò minùs in proposito permaneret, diutinâ carceris vexatione animam Deo tradidit. *Minus Menologion Græcum eodem die:* Sanctæ Matris nostræ Matronæ, Thessalonicæ. *Refert eam quoque Christophorus Patricius ac Proconsul. Mitylenæus in epitome Menologij.*

apud Græcos 27 Mart.

5 Ple-

A

5 *Plenius Menaa:* Eodem mense, die XXVII. S. Matronæ Thessalonicæ.

Vita ex Menais:

Minimè dignum est, latere te, Martyr Matrona,
Etsi in carcere clausa expiràris.

Hæc ancilla fuit Iudææ cuiusdam mulieris, cui Pautila nomen. Sequens autem dominam suam vsque ad fores Synagogæ, non ingrediebatur tamen, sed deflectebat ad Christianorum ecclesiam. Deprehensa crudeliter verberatur, atque in caueâ includitur, & quatuor dierum inediâ maceratur: tum educta, flagris conciditur: dein rursus includitur, multoque tempore in carcere detenta, Deo spiritum reddidit. Fertur Pautila cùm sanctas eius reliquias è muro præcipitasset, dignas sui sceleris pœnas dependisse: quippe prolapsa in vas subtorculare; in quod supernè expressum mustum fundebatur, infelicem animam efflasse. *Eadem habet Anthologion Antonij Arcudij, & Maximus Cytheraus ἐν βίοις ἁγίων.*

cades diuinitus vindicata:

6 *Eam Menologion Basilij Porphyrogeniti Imp. & Synaxarion Collegij Claromontani Parisijs, disertè asserunt ex* vrbe Thessalonicâ fuisse, *&* ancillam *extitisse* cuiusdam Iudææ mulieris *γαμετῆς, inquit Synaxarion, στρατοπεδάρχου ἐν τῇ Θεσσαλονικέων πόλει,* coniugis Stratopedarchæ, *siue castrorum aut militis præfecti*, in Thessalonicensium vrbe. *Menologion Basilij: ἄνδρα ἐχούσης στρατοπεδάρχην Θεσσαλονίκης:* virum habentis Stratopedarcham Thessalonicæ. *Vnde refellas quosdam Latinos, qui viduam fuisse Plautillam illam scripserunt; procliui tamen errore, vt ex iudæâ fieret vidua, vnica litteræ mutatione, & duarum transpositione. Idem Porphyrogeniti Menologion, ista subiungit:* Christiani autem sublatum corpus Martyris, noctu sepelierunt. Postea verò Alexander Episcopus cùm intra vrbem Thessalonicensem ecclesiam sub eius nomine ædificasset, ibi eam deposuit. *Synaxarion plenius:* Posteà verò Alexander Episcopus vrbis Thessalonicæ, corpus sanctæ Martyris Matronæ, ecclesiâ intra muros ædificatâ, ibidem vt beatam & venerabilem decebat, sanctè & religiosè collocauit.

erat ex Thessalonica.

B

ancilla Iudaa: non vidua:

sepulta à Christianis:

templum sub eius nomine adificatum:

7 *Est autem notandum totum* XXVII *diei Officium apud Græcos huic Martyri vnicè aptari, ideoque in Typico solum illius nomen eo die notari: ex Officio autem proprios hymnos & antiphonas Menæa citata repræsentant, quarum vna hæc est:* Non te iugum seruitutis, non fæminea mollities, non fames, non flagra impedierunt, quò minùs Martyrum constantiam imitarere, ô gloriosa. Egregiâ quippe animi strenuitate, tormenta sustinuisti. Quare cælestes thalamos adepta, & diademate gratiarum ornata, adstas Creatori tuo. *Hymnus autem siue canon in sex partes de more diuisus initialibus viginti nouem stropharum litteris hoc acrostichon constituentibus.*

varia eius encomia ex Menais.

C

Τὸ τῆς Ματρώνης ἔνθεον μέλπω κλέος.

Celeste Diuæ canto Matronę decus.

hic inquam hymnus, nullius auctoris nomine inscriptus ac proinde ex vetustioribus verosimiliter vnus, varia quoque eiusdem Martyris habet encomia hisce strophis expressa, ex quibus secunda: Qui serui formam assumere dignatus est Christus Deus, liberare eam volens è corruptionis ac mortis vinculis; à iugo seruitutis te sibi sponsam Martyrem desponsauit. *Alia:* Mentis firmitate, mulieris iniquæ & nefariæ grauia tormenta sustinuisti, Beata Matrona. *Alia:* Diuino robore confirmata, Matrona, nunc acerbæ dominæ effugisti seruitutem: animo quippe non humilis inhæserat cogitatio, cùm soli Domino seruires. *Alia:* Frendens, bacchabunda, animóque titubans, impijssima, Hebraicâ crudelitate, corpus tuum flagris concidit, ô victoriosa Martyr. *Alia:* Animo verè diuino, & sapiente, ac cælitus afflato pollens, refulges in choro Martyrum, Matrona beatissima.

8 *Plura alia id genus legere est in ijsdem Menæis, in quibus omnibus, vti & in allegatis Latinorum Martyrologijs, S. Matrona* Martyr *solùm, at non* Virgo *prædicatur.*

non videtur virgo fuisse,

D

Vtramque tamen illi aureolam tribuit antiquum Martyrologium Monasterij Aquicinctini iuxta Duacum, & pauci quidam recentiores scriptores. Ita Maurolycus: Thessalonicæ, natale S. Matronæ Virginis, quæ à dominâ suâ Plautillâ deprehensa, ac multipliciter afflicta, & fustibus cæsa, incorruptum Deo spiritum reddidit. *Idem habet Constantius Felicius: idem alijs verbis MS. Florarium. Nihil simile Galesinius, Canisius, Greuenus, aliique plurimi tradunt. Et verò Anthologium Arcudij, SS. Luciam, Agatham, aliasque Virgines, in titulis Lectionum, quæ de illis recitandæ sunt, inq Catalogis mensium, Παρθενομάρτυρας appellat: huiusmodi autem titulum* Matronæ *minimè tribuit, neque aliud profertur quidquam, vnde ei decus perpetuæ virginitatis asseri possit. Atque hinc refellere eos licet, qui eamdem hanc esse aiunt, quæ Barcinonem aduecta sit: nam Barcinonensis Ecclesia* Matronam *suam ab omni retro memoriâ* Virginem & *Martyrem indigetauit. Quamquam, vt superiùs annotauimus, vir grauis & religiosi testimonio, qui coram viris primarijs ciuitatis Barcinonensis, tam ex sacro quàm ciuili ordine reclusâ thecâ, quæ eius continet reliquias, has diligenter erat singillatim speculatus, constat, ossa omnia paruulæ puellæ censeri debere: cùm hanc Thessalonicensem ancillaribus ministerijs sub feroci herâ exercitam, maiorem robustioremque extitisse certum videatur.*

nec paruula, vt Barcinonensis

E

9 *Quo verò tempore agonem Thessalonicensis Matrona consummarit, an cùm adhuc in Christianos Ethnici sæuiebant, an quo tempore penes ipsos Christianos gubernacula Reip. iam erant, in obscuro est. Etenim nulla non ætas eiusmodi Iudæorum in gentem nostram odij & feritatis vidit exempla. Proximam tamen fuisse heroicis illis efflorescentis Christianæ religionis temporibus, conijcere ex eo licet, quòd ab* DCCC *aut pluribus etiam annis in Fastos Martyrum sit relata. Certè quòd noctu eam Christiani sepelierint, suspicionem mouere cuipiam potest, Ethnicorum metu non ausos luce palam. Sed Plautillæ fortassis timebant familiam, in quâ vel erant plures, vel poterant timeri esse, qualem Matronam fieri hera volebat. Ipse eius maritus si non Iudæus erat aut Gentilis, nimiùm tamen vxorius fuisse videtur, qui domestica illa probra vel dissimulabat, vel volens ignorabat: vt eius quoque formidari potentia à pijs illis hominibus potuerit. Alioquin non omnino in latebris sacra peregisse tunc Christiani videntur, cùm ad eorum ecclesiam ita facilis Matronæ ancillæ erat accessus; neque ea heræ quoque ignota, quæ inde illam vi abstraxit. Quando Thessalonicensem Ecclesiam* Alexander *rexerit haud scimus, qui nusquam Episcoporum illius Ecclesiæ catalogum viderimus. Neque tamen si eius nota ætas esset, continuò & Matronæ foret; cùm solum is dicatur ὕστερον ἔνδον τῆς πόλεως Θεσσαλονίκης ἐκκλησίαν κτίσας, ἐπ' ὀνόματι τῆς ἁγίας.* Posteà in vrbe Thessalonicâ ecclesiam ædificasse sub nomine huius Sanctæ.

quando martyrium obierit

F

10 *Huius fortassis ecclesiæ dedicatio aut reliquiarum in eam solennis translatio occasionem Græcis dedit S. Matronæ festum mense Martio celebrandi, Latinis autem Martyrologis existimandi eum, quem notatum festo eius inueniebant, diem fuisse Natalem: de quo tamen vt dubitemus facit Menologium Copticum inter Manuscripta Collegij nostri Maronitici Romæ asseruatum; in quo ad diem* x *mensis Thoth, qui die* VII *nostri Septembris respondet, hoc illius inuenitur elogium.* In hac die Martyrio coronata est S. Matrona. Hæc erat ancilla cuiusdam mulieris Hebrææ, & à teneris vnguiculis Christiana, Domina autem eius cogebat ipsam Iudæam fieri, & recusantem affligebat laboribus, verberibus & ieiunijs. Factum est autem quadam die vt Hebræa resciens iuisse Sanctam ad templum Christianorum, orationis ex more faciendæ caussâ, diceret ad eam: Quare non venisti in synagogam nostram, sed iuisti ad templum Christianorum? Respondit Sancta: Quia in ipsorum templis moratur Deus, à Synagogâ autem Iudæorum recessit. Hac respondendi libertate commota Iudæa, grauiùs quàm vnquam antea affectam verberibus in obscurum coniecit ergastulum: qua-

Copta elogium eius 7 Sept. habent.

A triduo istic eam absque cibo & potu relinquens: postea verò eam eduxit, ac rursus verberatam cruciatamque denuò reclusit in eumdem carcerem: in quo vitam Sancta feliciter consummauit. *In Martyrologio denique Arabico Ægyptiaco quod ex Arabicâ linguâ vertendum nobis latinè curauit P. Athanasius Kircherus per Gratiam Simonium Collegij Maronitici nostri Romæ alumnum* Certamen sanctæ Martyris Matronæ XXVII *Martij notatum inuenitur.* D

item 27 Martij,

DE S. MATRONA

REGIA VIRGINE LVSITANA, IVXTA CAPVAM IN ITALIA.

Commentarius historicus.

CAPVT I

S. Matronæ Virginis, non Martyris Vita, festum, Reliquiæ.

XV MART.

1  *Rimum Antistitem Christianæ religionis Capua* S.Iriscum *habuit*, vnum ex antiquis Christi discipulis, *vti in Sanctuario Capuano probat Michaël Monachus ex Martyrologio Romano, alijsque monumentis ac præsertim ex MS. Catalogo Capuanorum Antistitum Cardinalis Bellarmini, qui & ipse dudum Archiepiscopus Capuanus fuerat, & sæpius in concionibus ad populum, eodem teste Monacho*, de Episcopatu & Apostolatu S.Prisci meminisse solebat. Ante ciuitatem, non longè à portâ, quæ Albana nuncupatur, in viâ quæ ducit Beneuentum, cum duobus ministris suis habitabat Priscus, *vt ex Officio Ecclesiastico idem Monachus tradit: ibi sermonibus & miraculis innumeros mortales ad Christi amplectendam Fidem permouit. Locus is, siue oppidum aut pagus, nunc* S. Prisci *nomine celebris est: in quo ipse Martyrium quoque creditur consummasse, ac certè quidem tumulatus fuit. Nam istic corpus eius traditur initio sexti post Christi natiuitatem seculi, aut potiùs sub finem quinti, inuenisse diuino monitu, eique ecclesiam ædificasse S. Matrona Virgo, è Sueuis Regibus Lusitaniæ Gallaciæue orta: quæ & ipsa in ecclesiâ S.Prisci colitur.* Huius autem acta, *inquit, Monachus*, habuimus non atramento in chartis impressa, sed imaginibus in muris expressa; quæ ex muris in chartas ita *ipse* traduxit.

S. Prisci 1 Episc. Capuani & Mart. corpus inuentum à S. Matrona Virgine

C 2 Matrona, Portugalliæ Regis filia, duodennis graui sanguinis fluxu laborabat. Pater vndique remedia, sed frustrà, conquirebat. Puella cæleste implorabat auxilium; & tandem sui morbi curandi rationem cælitus edocta fuit. Angelus enim in somnis illi apparuit, dixitque: Matrona in Italiam perge, in Campaniam penetra, in viâ Aquariâ prope Capuam siste. Ibi duos necdum domitos iuuencos inuenies, qui quotidiè ab armento segregati, certo quodam in loco procumbunt. Cura tu locum effodi: B.Prisci Episcopi & Martyris, ex antiquis Christi discipulis, corpus inuenies: extractis tactisque reliquijs, consistet sanguis, & sana fies. Ne verò de voluntate diuinâ sis hæsitans, accipe funiculum, quem capitibus iuuencorum impones. Matrona surgens manè parentibus noctu visa narrat. Lætantur illi, eligunt XII virgines, & probatissimos viros, qui comitentur. Matrona ergo cum nobilissimo comitatu dimissa, Capuam vsque peruenit, & iuuencorum signo comperto, locum effodi curauit: inuenit S.Prisci reliquias, & morbus abscessit. Accessit deinde ad Potificem Romanum, & ecclesiæ in honorem S. Prisci construendæ dedicandæque facultatem obtinuit. Itaque illo ipso in loco, supra sanctum corpus inuentum, erexit ecclesiam, & circumiacenti campo dotauit.

quæ fluxu sanguinis laborans,

Angeli monitu

è Lusitania in Italiam venit,

eod, inuento sanatur:

ædificat illi ecclesiam,

3 Hactenùs acta B.Matronæ, non scripta, sed picta. Erant *autem, inquit idem scriptor*, picturæ in muris ecclesiæ, iunctæ cum tribunâ, id est, cum superstite illâ parte basilicæ, quam ipsa B. Matrona construxerat. Tandem aucto populo, amplianda fuit ecclesia, diruendique picti parietes. Sed Archiepiscopus Cæsar Costa mandauit, vt pictor exempla sumeret, & secundùm illa, iconi maioris altaris parerga apponeret. *Septem annis post vulgatum à Monacho Sanctuarium Capuanum edidit sororis eius filius D.Siluester Acosta V. CL. sermone Italico, Breue compendium Vitæ S.Matronæ Virginis, ex iam citato Sanctuario desumptum, Neapoli typis Roberti Molle, in patente folio excusum. In eo dicitur monita ab Angelo Matrona, vt* cingulo suo *duos illos iuuencos, ad locum, vbi S.Priscus sepultus erat, reperiendos, colligaret: non verò funiculum, quem capitibus illorum imponeret, ab eo accepisse. Additur, Ecclesiam illam parochialem S. Prisci distare tribus millibus passuum ab nouâ vrbe Capuâ: quæ verò pars veteris basilicæ à sanctâ Virgine ædificatæ superest, eam nunc à populo* Tribunam veterem *appellari: inque altari reliquias aliquas S. Prisci asseruari, corpore reliquo in vrbem ad thesaurum Ecclesiæ Cathedralis asportato.*

in cuius muris pictis huius Vita:

S. Prisci corpus nunc Capuæ,

pars eius in hac parochiali æde:

4 *At de S.Matronâ quid actum? Respondet Monachus.* Construxit domum prope basilicam: domus supersunt reliquiæ. Dicitur locus LA MOTTA: quod nomen in personis significat corrogationem quamdam; & in ædificijs, domum vel oppidum, attributis campis cinctum: & vtrumque nobis significare potest. Nam & domus iuncta basilicæ, circumiacentis & attributi campi caput erat; & ibi cum suis comitibus puellis Virgo ad mortem vsque permansit. Mortuæ F corpus honorificè conditum est in arcâ marmoreâ perpolitâ intra sacellum, cuius testudo musiuo opere decorata, quatuor columnis innititur, & parietes candidi, marmoreis politisque tabulis incrustati, ad auorum vsque tempora perdurarunt. In arcâ paruulum foramen est inferiùs, è quo sanctum corpus liquorem (*vulgò Manna*) emisisse dicitur. *Scripsit nobis paullò antè citatus Acosta, liquorem illum sacrum è Diuæ tumulo fluere desijsse circa annum* MDXL, *cum flagitiosæ vitæ mulier in foramen, vnde manabat, digitum immisisset. Erat autem liquor ille, vt ipsi senes narrarant, qui à parentibus suis id pueri didicerant, aduersùs omne genus ægritudinum salutaris & præsentis sæpius efficaciæ.*

S. Matronæ extat domus pars, vbi nunc Motta:

corpus eius in sacello arca inclusum

è qua liquor (vulgò Manna) defluebat,

ad morbos salutaris,

iam supressus:

5 *Testatur idem, passim illic hominum sermonibus celebrari, venisse olim Capuanos ad oppidum illud S. Prisci, vt arcam marmoream, in quâ conditæ S. Matronæ lipsana sunt, Capuam asportarent: cumque in atrium, quod inter cellas eiusdem Sanctæ ac templum iacet, esset elata, subitò maximam obortam esse tempestatem, quæ eos cœpto coëgit absistere: idque tertiò euenisse, ac semper deinde arcam in sacello suo inuentam. Aduertit hoc eorum animos, vt planè sibi persuaderent, nolle Sanctam suas reliquias inde Capuam auferri: atque ideò quæ struebant consilia, in perpetuum dimisêre. Ita*

Capuani arcam auferre cab...tus prohibiti:

retulisse

A retulisse, quibus sui olim parentes, octoginta tunc aut nonaginta annos nati, dixerant se cùm ea fierent adfuisse.

ea arca sollicitè clausa seruatur. 6 Georgius Cardosus to.2 Hagiologij Lusitani scribit, cum in vrbem suam vellent Capuani Sanctæ huius Virginis tumbam deuehere; non sine miraculo eam in priore suâ sede inuentam: illudq; exploratum haberi, in hodiernum diem non fuisse apertam eam tumbam, quòd nolint præ quodam religioso timore Reliquias illas tam sanctas & mirificas attrectari. Apertam tamen eam sibi tumbam fuisse, vt oculis vsurpare inclusas reliquias & tangere manibus posset, declarat Monachus, qui annis XXVII priùs quàm ille secundum sui Hagiologij tomum ederet, ita in Sanctuario scribebat pag. 150. *in ea nunc pars ossium,* Nunc ibi non est nisi vrna vitrea, plena minoribus ossibus. Credunt oppidani esse integrum *integrum corpus creditur:* corpus: at quamuis eorum sit decepta simplicitas, pietas tamen decepta non est. Nam B.Matronæ sepulcrum piè visentibus, nunc etiam pietate diuinâ gratiæ conceduntur: & mulieres, quæ præsertim sanguinis fluxu laborant, quotidie intercessionis virtutem *magnus eò concursus,* experiuntur. Et Ianuarij die XXV, cùm sit festum Dedicationis Ecclesiæ, semper nuncupatum est Festum S.Matronæ: & *præcipuè 25 Ianuarij* maximus est Capuanis finibus conterminorum ad Ecclesiam S.Prisci concursus, cum votiuis muneribus inuocantium nomen & auxilium

B S.Matronæ.

7 In Compendio Italico Vitæ sanctæ huius Virginis, iam antè citato, eadem referuntur de eius reliquijs in eleganti arcâ marmoreâ reconditis, quæ arca posita est in arâ sacelli, ad illius honorem erecti, ac musiuo opere decorati. *& 15 Martij,* Est hoc sacellum in templo S.Prisci, paullulum à tribunâ veteri distans. Alterum S. Matronæ festum, ipsiusque proprium, agitur in Ecclesiâ S.Prisci die XV Martij: quo etiam die, vt rectè monet idem Monachus, Martyrologium *quo alia SS.Matronæ coluntur:* Romanum alterius Matronæ mentionem facit. Non tamen Virginem appellat, vt ipse id citat: qui alioquin illud rectè admonet, non esse insolitum, plura festa eiusdem nominis in eumdem diem incidere, aut consultò conijci, cùm proprius alterius dies ignoratur. Exempla af- *hac cum palmâ picta;* fert, vti & nos alibi sæpè in nostro opere.

8 Quæri illud quoque ab nonnullis scribit, cur Matrona Virgo in icone Magni altaris cernatur cum palmâ, id est, cum signo martyrij? Et, certissimum esse ait, id factum errore pictoris, & cuiusdam tunc Ecclesiæ Presbyteri Mercenarij: & sicut erroris fuit illo modo pingere, ita Rectorum deinde incuriæ fuit, errorem non corrigere. Monet tamen in icone illâ nihil nunc innouandum videri; tum propter eos, qui B.Matronam tempore Wandalicæ persecutionis huc

C ex Africâ seu mortuam aduectam, seu viuam conces- *an ergo Martyr?* sisse opinantur; tum propter Breuiarij Capuani auctoritatem: in illo namque Idibus Martij notatur S.Matrona Virgo & Martyr: nec apparet de nostrâne an de alterâ loquatur: & de nostrâ si loquitur, non esse omnino respuendum. Potuit enim B. Matrona peruenisse vsque ad senectam & senium, & à Longobardis impijs & idololatris & turpibus, qui anno DLXVII vel DLXVIII in Italiam irruperunt, tormenta pro fide pati, vel pro virginitate, vt alij plures.

9 Idem tamen scriptor parte 4 Sanctuarij quinque exhibet Capuana Kalendaria. Abest à duobus primis Matronę nomen, in tertio, quod inuentum in Thesauro Capuano, habetur, Idibus S.Matronæ Virginis, in quarto Idib. Matronæ Mart. Sed fatetur Martium & Aprilem huic Kalendario aliunde assutos. Quintum, præfixum Breuiario Capuano impresso, quale & manuscriptum asseruatur in arcâ Capitulari: Idib. Matronæ Mart. Annotat ipse Mar- *non videtur:* tyrol. Romanum & alia communiter agere de S.Matronâ Mart. Thessalonicensi: Item Barcinone in Hispaniâ de Matronâ Virg. & M. agi: sed alias esse à Matronâ, quæ colitur in viâ Aquariâ. In Officio Ecclesiæ Capuanæ de Matronâ nihil agi. Inanis igitur illa eiusdem scriptoris coniectura, quâ num S.Matronæ eadem fortassis Longobardi conscicuerint post annum DLXVIII addubitat. At si venit

ipsa in Italiam Zenone imperante, qui anno CCCCXCI sub me- D dium, Aprilis interijt, etsi tunc non nisi duodecim fuisset annorum cum ex Lusitaniâ anno præcedenti discessit, fatendum esset anno summum CCCCLXXIX natam fuisse, vt sub primam *neque Barcinonem translata:* Longobardorum irruptionem propè nonagenaria fuerit. Quâ ergo ratione statuit alibi idem auctor hanc posse Matronā videri fuisse, cuius reliquiæ Barcinonem translatæ sint, cùm nos anteà grauissimo testimonio affirmauerimus, eas omnino paruulæ puellæ iudicari à viris grauissimis, qui eas coràm accuratè contemplati sunt?

10 Sed de tempore, quo in Campaniam monitu Angeli venerit Matrona, mox quæremus, & cuius fidei sit quæ citatur ad eam rem epigraphe. Priùs quid de ea sentiat, Baronius in Annotationibus ad Martyrolog. Rom proferamus. Ita ergo Idib. Martij lit. c inter alia scribit: Duæ aliæ Matro- *an ex Africâ in Campaniam aduectæ* næ nomine Martyres passæ habentur in Africâ sub Diocletiano Imp. vnà cum pluribus alijs, quorum res gestæ ex Proconsularibus Actis descriptæ habentur apud Surium die XI Februarij in Saturnino & socijs. Existimamus harum alteram illam esse, quæ apud Capuam in Campaniâ habetur in honore: eò enim putamus translatam ab Episcopis Africanis, profugis tempore persecutionis Wandalicæ, vt de alijs Martyrum reliquijs accidit, vt de Casto, Æmilio, Marcellino E & Saturnino dicimus die V Octob. Ad eiusmodi coniecturam quidem libentiùs in re obscurâ nos adduci patimur, quàm fidem præstare actis quibusdam nullâ ex parte subsistentibus, quibus dicitur Matrona ex Lusitaniâ Capuam concessisse.

neque hoc probatur; 11 Hæc Baronius, absque aliâ probatione, nisi quòd quæ in manibus sunt Capuanæ Matronæ acta nullâ ex parte subsistere censeat. Id si daremus, an consequens esset, ex Africâ vnius ex duabus illis, quæ cum S.Saturnino & alijs plurimis Carthagine coronam sunt martyrij adeptæ, coluntur que XI Februarij, reliquias esse tempore VVandalicæ persecutionis in Campaniam allatas? Nonne alia potuit extitisse Matrona, cùm fateatur Baronius plures eo nomine sanctas Martyres coli? Monachus de hac coniecturâ sacrorum historicorum antesignani, vt eum meritò appellat, ita censet: Si tantus vir opinaretur, inquit, S.Matronam viuentem, cum Sanctis Episcopis Africanis huc accessisse, & de S. Prisci corpore perquirendo posteà monitam, libentissimè consentirem. At non alij, nisi rationem aliquam asserret, quæ solidior ac probabilior videretur ijs, quæ de Lusitanâ Virgine Matronâ narrantur. Pergit Monachus: At verò, dum ille opinatur Matronæ defunctæ reliquias huc adductas, quia sic tota negatur historia, assentiri non possum. Cur negabo S. Matronam fuisse infirmam & laborantem sanguinis fluxu, si antiquissima & constantissima deuotio est, vt fæminę, F imò etiam viri, quaquâ laborent sanguinis infirmita- *cùm multa sint quæ repugnent.* te, B.Matronæ sese commendent? Cur negabo S.Matronam basilicam S.Prisci ædificasse, si festum Dedicationis illius Ecclesiæ, antiquissimâ & & constantissimâ traditione à Capuanis, Auersanis, Calatinis & Casertanis appellatur festum S.Matronæ?

CAPVT II.

S. Matronæ ætas, genus regium è Lusitaniâ.

12 PRosequitur Michaël Monachus quam orsus erat disputationem, pro asserendâ Campanis possessione *In S.Matrona historia nihil insolitum:* reliquiarum S.Matronæ ab Africâ acceptarum, plenâ honoris ac dignitatis, tum ob susceptam vltrò ad eos ab vltimis Hispaniæ finibus peregrinationem, Sedem ac domicilium apud eos collocatum, non ad exigui vsuram temporis, sed ab ipsâ adolescentiâ in reliquum omne vitæ spatium; tum ob inuentionem sepulcri, quo conditæ exuuiæ erant primi ipsorum Antistitis S.Prisci, ac demum ob basilicam illius nomini construćtam, cuius adhuc pars visitur; prosequitur inquam, quam

 institue-

A *instituerat à nobis paragrapho superiore relatam actionem, hisce verbis:* Cur negabo acta, in quibus nihil repugnans, nihil improbabile, nihil insolitum inuenitur? *Dein fusè ac doctè ostendit, nihil in ijs actis narrari, quin similia sint multa in aliorum Sanctorum Vitis ac historijs Ecclesiasticis, & nimiam ferè diligentiam in argumentum non necessarium impendit, cùm nemo sit, qui negare possit similia passim extare.*

13 *Duo tamen sunt capita, quæ non satis fortassis explanata videri possint: vnum ad tempus spectat, quo venisse in Italiam Virgo traditur, cuius afferuntur pugnantes inuicem notæ. Alterum sibi ipse obijcit, quî possit illa filia Regis Portugalliæ dici,* si eo tempore Portugallia Regni titulum non habebat? *Huius posterioris nodi haud difficilis est solutio: prior solui si nequit, secabitur. Is in hoc situs: in muris ecclesiæ S. Prisci, præter picturas, quibus diximus vitam omnem S. Matronæ fuisse adumbratam, epigraphe extat.* charactere, *vt ait Monachus,* quasi Longobardo, vel quasi Francico sculpta, *in hanc formam:* Anno Domini quingentesimo sexto, Indictione decimaquartâ, regnante Zenone Imperatore in Constantinopolitanâ vrbe, Gelasio Papâ in Romanâ vrbe, Beata Matrona fieri fecit istam basilicam ad honorem Beati Prisci, cum auctoritate supradicti Papæ & aliorum Prælatorum constituit & ordinauit, vt omnis, qui hanc basilicam deuotè visitauerint, annis mille, centum & duobus Indulgentiam suorum peccatorum acceperit. *Atqui (vt styli barbariem omittamus) hæ temporum notæ minimè sanè inuicem congruunt, nisi quòd decimaquarta Indictio inciderit in annum Christi quingentesimum sextum: verùm eo tempore ille computus annorum à natiuitate Christi ad vulgarem Chronologiam ordinandam non adhibebatur. Illum autem annum neque Gelasij pontificatus, neque Zenonis imperium attigit. Cœperat enim hic regnare* Leone Iuniore solo Cos. *qui annus erat receptæ nunc Æra* CCCCLXXIV*: extinctus est sub medium Aprilem anni* CCCCXCI, Olybrio Iuniore solo Cos. *At S. Gelasius Papa sedit à die 2 Martij* CCCCXCII *ad 21 Nouemb.* CCCCXCVI. *Quid ergo? Tota corruet fides tradita à maioribus de illius actis famæ? tota vetustissima religionis reuerentia extinguetur? omnis tot acceptorum à S. Matronâ beneficiorum memoria oblitterabitur? quia memoriâ lapsus, aut imperitiâ suâ delusus, qui hanc composuit epigraphen?*

posita in templo epigraphe

mendosos habet temporum characteres

B

ab inscitiâ scriptoris;

14 *Quid si ne error quidem inest in ijs verbis? Neque enim esse quisquam adeò hebes potest, vt hæc omnia anno vno côtigisse arbitretur: ægrotasse nobilem Virginē, adhibita medicamina multa & diuturna: hæc cùm fructu caruissent, sollicitatū ab eâ castis precibus Numen; votum etiam, quod Ferrarius & alij quidam piè suspicantur, conceptum custodiendæ quoad viueret virginitatis, si sanitatem recuperasset; adornatum longinquum iter confectumque; repertum S. Prisci corpus; ædificatam illi ecclesiam; à Pontifice Romano petitum eius rei moliendæ commeatum, curandaque dein dedicationis. Sed si Zenone Imperium administrante, venit illa in Italiam; posteà Gelasio Pontifice, construxit illam S. Prisci basilicam; anno* DVI *eam dedicari procurauit, & variarum Indulgentiarum thesauro ornari ac muniri, eritne quod* nullâ ex parte subsistere *quisquam iure queratur? An ergo vt certum indubitatumque est, hæc ita euenisse? Non id asserimus: sed qui assereret, quo is testimonio scriptoris veteris reuinci posset? Nunc ergo cùm suffragentur huic narrationi reliquiæ templi à Sanctâ ædificati, miracula illic patrata quàm plurima, festum anniuersarium Matronæ in eâ æde, Idibus Martij ab omni retro memoriâ celebratum, frequens eò accursus populorum, nonnè satius est opinionem retinere, aut pati vt quibus placet retineant, quæ omnium animis pridem altè inhæsit; quàm alterius Matronæ comminisci allatas huc reliquias, de quibus nulla extat vspiam scriptura, aliudue monumentum?*

C

nisi commodè explicentur

& piè,

15 *Nodus alter est, quî possit filia Regis Portugalliæ dici,* si Portugallia tunc regni titulum non habuit. *At Reges eam tamen habuerunt, non ipsi quidem è veteri Lusitanorum gente, sed aduenæ barbari, Alani, VVandali, Sueui, qui, teste S. Isidoro,* Ærâ CCCCXLVI Spanias occupantes, neces vastationesque cruentis discursibus fecerunt, vrbes incenderunt, substantiam direptam exhauserunt. *Sed triennio pòst, videlicet* Ærâ CCCCXLIX.... tandem ad pacem ineundam, Domino miserante, conuersi, sorte in possessionem sibi prouincias diuiserunt: Galliciam Sueui occuparunt, Alani Lusitaniam & Carthaginiensem prouincias; Wandali autem, cognomine Silingi, Bæticam sortiti sunt. Spani autem per ciuitates & castella residua plagis afflicti, barbarorum dominantium se seruituti subiecerunt. *Æra* CCCCLIV, *qui erat annus Christi* CCCCXVI, *VVallia Gothorum in Hispaniâ Rex* Wandalos Silingos in Bæticâ omnes bello extinxit: Alanos, qui Wandalis & Sueuis potentabantur, adeò cecidit, vt extincto Atace Rege ipsorum pauci qui superfuerunt, oblito regni nomine, Gunderici Regis Wandalorum, qui in Gallicià resederant, se regimini subiugarent. *Ista in Gothorum historiâ Isidorus; in VVandalorum verò hæc:* Primus in Spaniâ Gundericus Rex Wandalorum successit, regnans in Galliciæ partibus annis decem & octo. Qui dum rupto fœdere pacis Sueuorum, Balearicas Taraconensis prouinciæ insulas deprædatur: deinde Carthagine Spartariâ versâ, cum omnibus Wandalis ad Bæticam transit, Spalim destruit, factâque cæde in direptionem mittit. Qui cùm auctoritatem Regiæ potestatis ipsius, in Ecclesiam ciuitatis extendisset, mox Dei iudicio in foribus templi dæmonio correptus interijt. Ærâ CCCCLXVII, *Christi nimirùm* CCCCXXIX, Gessericus frater Gunderico succedit in regno annis XL, qui ex Catholico effectus apostata, in Arianam primus fertur transisse perfidiam. Hic de Bæticæ prouinciæ littore cum Wandalis omnibus, eorumque familijs, ad Mauritaniam & Africam traiecit.

D

fuerunt eo tempore illic Reges,

Alanorum in Lusitania ætas,

à VVallia Gotho an. 416 victi;

VVandalorum in Gallicia Gundericus,

E

16 *Ab ingressu igitur trium harum gentium in Hispaniam, qui contigit, vt dictum, Ærâ* CCCCXLVI, *Christi anno* CCCCVIII *semper fuêre qui Portugalliam, aut notabilem eius partem, regio nomine obtinerent: Alani primùm Lusitaniam; Gallæciam, cuius nunc pars sub Portugalliâ censetur, Sueui cum VVandalis; hisque in Africam transeuntibus, soli. Primus ijs Hermericus Princeps; huius filius Rechila, præter alias prouincias in suam potestatem redactas, Emeritam captam* proprio regno associauit: *quâ in vrbe Æra* CCCCLXXXVI, *siue anno Christi* CCCCXLVIII sub cultu, vt fertur, gentilitatis vitam finiuit. *Ei* Rectiarius filius, Catholicus factus, successit in regnum: *is verò post nouem annos à Theoderico Rege Gothorum, socero suo, prælio victus, deinde* ad locum Portugalem *captus occisusque est. Tunc* Sueui, qui remanserant in extremâ parte Galliciæ, Maldram, Artilæ filium, sibi Regem constituunt: *mox altera eorum pars* Frantanem. *Hoc mortuo, ceteri* cum Maldrâ pace factâ, pariter Lusitaniam deprędantur. *Ærâ quadringentesimâ nonagesimâ octauâ, Christi* CCCCLX Maldrâ interfecto, inter Frumarium & Remismundum oritur de regni potestate dissensio. Ærâ DII Frumario mortuo, Remismundus omnibus Sueuis in ditionem suam regali iure vocatis, pacem reformat, *fœdus init cum Theoderico Gothorum Rege*, à quo arma & vxorē accepit. Inde ad Lusitaniam transit, Conimbricam pace deceptam diripit, Olysiponam occupat. Huius autem tempore Aiax, natione Galata, effectus apostata Arianus, inter Sueuos Regis sui auxilio, hostis Catholicæ fidei & diuinæ Trinitatis emersit; de Gallicanâ Gothorum regione hoc pestiferum virus afferens, & totam gentem Sueuorum lethali tabe inficiens.

Sueuorum in Gallicia, & Lusitania, Hermericus, Rechila,

Rectiarius, Catholicus,

F

Maldra,

Frantanes,

Frumarius,

Remismundus, factus Arianus,

an ipsa filia Regis Portugalliæ?

17 *In eâ hæresi Sueuorum Reges per annos ferè centum permanserunt: quorum S. Isidorus non recensuit nomina, quia nimirum indigni habiti, quorum apud orthodoxos scriptores extaret memoria.* Tandem, vt idem habet, regiam potestatem Theodemirus suscepit: qui confestim Arianæ impietatis errore destructo, Sueuos Catholicæ fidei reddidit, annitente Martino monasterij Dumiensis

vt & successores per 100 annos,

Theodemirus Catholicus an. 558.

Dumiensis

A mienfis Epiſcopo, fide & ſcientiâ claro: *cuius Vita ad XX Martij dabitur. Interſuit is, anno Ariamiri ſiue Theodomiri Regis tertio, Chriſti* DLXI *concilio Bracarenſi primo, dein Æra* DCVII *Lucenſi ſecundo: Regnauerunt autem in Hiſpaniâ Sueui annis* CLXX, *vt habet S. Iſidorus, vt Garſias Loaiſa,* CLXXVII.

Quis horum S. Matronæ pater?

18 *Conſtat ex ijs quæ hactenùs attulimus fuiſſe in Portugalliæ prouincijs Reges eo tempore, quo vixiſſe traditur S. Matrona. Sed quis eius pater fuerit, non conſtat. Quidam Rechiarium cenſent, quia Catholicus fuit. Eo argumento ſuſpicari idem de Maldrâ, Franſane, Frumario liceret. Nam quòd Sancta cæleſte viſum parentibus retuliſſe memoretur, illique id probaſſe, & neceſſaria ad iter ſubminiſtraſſe; nullus verò trium Regum horum tamdiu regnârit, vt potuerit duodennem filiam in Italiam ablegaſſe; potuit illa nata fuiſſe, antequàm pater regno admoneretur: deinde quòd à parentibus dicatur commeatum accepiſſe, intelligi id poteſt de tutoribus, aut etiam patris ſucceſſore. Dabimus etiam illud non inuiti, ſi non eſt illa patre Rege genita, creditam tamen Regio ſanguine ortam; idque vt ipſa reticeret, vel prodidiſſe comites, vel ex numeroſo comitatu apparatuque coniecisse Campanos: & ſi neque hic tantus fuit, quantum pi-*

B *ctura illa exhibuit; indicium tamen regalis proſapiæ ac regificæ indolis, illa tam longinqua moleſtaque peregrinatio potuit haberi. Quæ verò eam comitatæ Virgines duodecim narrantur, ſi non fuerunt vt ei famularentur adiunctæ, ſponte fortaſſis ſuâ, aſſenſu parentum quæque ſuorum, cum aliquo virorum mulierumque grauiorum comitatu, quorum in tutelâ ipſa ſociæque eſſent, ſecutæ eam ſunt. Denique vt vt ſe res illa omnis habuerit, id tamen committendum non eſt vllo modo, vt non, quoad licet,* deferatur antiquitati. *Quæ etiam Philippi Ferrarij in Catalogo Sanctorum Italiæ in Annotatione ad elogium huius ipſius Virginis Idib. Martij, ſententia eſt.*

an certò Rex?

an Remiſmundus Arianus?

19 *Georgius Cardoſus to. 2 Hagiologij Luſitani ad* XV *Martij pag.* 184 *col. 2 lit. c. in comment.* Remiſmundi *vel ſucceſſoris eius, quem* Theodulum *appellat, fuiſſe filiam arbitratur, velut natam è ſpinis roſam, aut potiùs hoc modo ab ijs auulſam propitio Dei numine, ne virus Arianæ hæreſeos caſtam ſanctamque eius mentem inficeret: eòque faciliùs in animũ induxiſſe, vt in Italiâ, vbi ſanitatem corporis recuperârat, ſedem deinceps figeret, ne in Hiſpaniâ valetudinem animi deperderet. Cui mirum videbitur, patrem Arianum pati voluiſſe, vt filia adiret ægritudinis depellendæ ſpe ad ſepulcrum S. Priſci Epiſcopi; meminerit & Angeli verbis ſpem eam illi ingeſtam, neque Arianos Sanctorum Chriſti diſcipulorum ſepulcra abominatos: cùm ſciamus etiam Caluiniſtas, iuratos Sanctorum hoſtes, qui ſuperiore ſeculo Sanctorum monumenta euerterunt, oſſaque combuſſerunt, nunc*

C *quandoque, quod ſaluti orthodoxis fuiſſe compererunt, oſculari reuerenter Diuorum reliquias, ſacra ijs loca venerari, è fontibus, qui ab illis olim Numinis inuocatione eliciti aliâue causâ ipſis dicati feruntur, potum ſibi ſuiſque tum liberis tum famulis imò & iumentis haurire & vnà ſanitatem. Ipſi quoque Gentiles ſimilia non auerſantur. Eâque ratione, plurimi & in Catholicos homines mentem benignam induunt, & ſenſim eorum dogmata ritusque amplectuntur. Conſimilem propè euentum narrauimus to. 1 Ianuarij, ad diem* VIII, *cap. 9 Vitæ S. Gudilæ Virginis: vbi Regis cuiuſdam transmarini & adhuc Pagani filia, ab ipſis incunabulis multiplici eâque grauiſſimâ membrorum imbecillitate laborans, diuinitus in ſomnis aliquoties admonita eſt, vt in Bracbantũ, Belgicæ ſecundæ prouinciam, veniret, & S. Gudilæ Virginis ſepulcrum viſeret, eamque ſupplex precaretur, certò adeptura illius patrocinio ſoſpitatem. Quod & euenit. Quare & pater eius ac mater eamdem Diuam veneraturi, & ipſi ad Morzelenſe cœnobium, vbi Gudilæ tumulus erat, venerunt: & ambo baptiſmum ſimul cum filiâ ſuſceperunt.*

nam etiam hæretici, imò Gentiles, Sanctorum ſubinde opem ſibi ſuis vo... poſcunt.

CAPVT III

S. Matronæ plurima erga mortales beneficia.

S. Matrona inuocatur contra fluxũ ſanguinis,

20 Q*Vod traditum iam ſuprà fuit, frequentiſſimis anathematis, quæ ad ſacellum ac ſepulcrum S. Matronæ afferunt indies viri fœminæque, planè peruulgatum apud Capuanos ac finitimos eſſe, eius præcipuè patrocinio ſiſti profluuium ſanguinis, id neque exemplis neque teſtimonijs pluribus confirmare neceſſe eſt. Non in ſolâ tamen eâ re cernitur eius erga mortales beneficentia: nam ſi pluuiam optant, ſi ſerenitatem, ſi quam rem aliam, ad eius ſacellum, quod eſt in templo S. Priſci, ſupplicationes inſtituunt: quas cum eximiæ ſenſu pietatis frequentant omnis ſexus ætatiſque homines, & quidem adoleſcentulæ pedibus nudis, ſparſiſque capillis, altis vocibus ibidem conclamantes,* Miſericordia: *& quidquid poſtulant, vt nobis perſcripſit R. D. Silueſter Aioſſa, id ſemper ferè meritis S. Matronæ Sanctique Priſci conſequuntur.*

pro pluuiâ, ac ſerenitate,

inſtitutis ad eã ſupplicationibus.

21 *Multos eadem morbos cæleſtibus remedijs propulſauit, ſeſe videndam ægris offerens, adeoque & affectas corporis partes perungens. Geminum eius rei exemplum idem nobis perſcripſit: nos hîc, vt à viro graui, pio, & erudito acceptum, non autem vt Eccleſiæ ſupremo iudicio approbatum, dabimus.* Primum contigit Iuliæ de Monaco, Michaëlis E Monachi germanæ, amitæ ipſius D. Silueſtri. Ei nouem ipſos menſes dextrum brachium ac latus ſideratione quadam diſſolutum iam mortem minabatur, conclamatæ aliquoties à medicis. Aſt ipſa nocte, quâ interituram prædixerant, excita è ſomno, conſpicit in conclaue ſuum ingredientem S. Matronam, ſplendore mirifico circumfuſam, vaſculum manibus gerentem; quæ ita eam compellauit. Surge Iulia; adſum enim vt te ſanem. At Iulia contuens Diuæ ſibi apparentis formam eſſe, quali eam pictam in conclaui ſuo habebat, viridi nimirùm veſte indutam, fluente cæſarie, adoleſcentularum Virginum more, ita eam compellat: O Sancta mea Matrona, quæ iſta gratia eſt? Ego viribus omnino defecta mouere me nullo modo poſſum. At Sancta blandè renidens, ad lectum infirmæ accedit, ac brachium ei latuſque perungit, omnique longæ ægritudinis incommodo liberat. Iulia continuò ſurgit è lecto, patremque ac matrem aduocat, hæc verba ſæpiùs ingeminans, Sana ſum. Illi ſubito euentu attoniti, quærunt quis eam curâriti Illa, S. Matrona, inquit, me curauit, brachiumque cæleſti oliuo perunctum oſtendit. Parens vterque, facie ſolo appreſsâ, Deo & S. Matronæ gratias agunt, ac poſtridie manè cum filiâ eccleſiam adeunt, totique populo brachium illius omnino ſanum oſtendunt. Et Rector eius Eccleſiæ D. Lucas Piſanus, Sacerdos doctus ac pius, ad altare S. Matronæ Miſſæ ſacrificio oblato, grates Deo pro munere perſoluit.

Infirma apparens brachium ſideratum & latus vngit,

ac ſubitò ſanat:

F

illa beneficium vulgat

ac tota vita prædicat;

22 Iulia verò per omnem vitam, quod cælitus perceperat beneficium celebrauit: meque ſæpius rogauit vt id ſcripto traderem ad poſterorum memoriam, cùm me ſciret peculiari quadam deuotione deditum eſſe cultui S. Matronæ, eiuſque vitæ epitomen Italicè edidiſſe: quod ſcriptum illa omnibus Sacerdotibus qui neſciebant oſtendebat, vt Rectori Eccleſiæ S. Priſci D. Cæſari Bociardo I. V. D. ac Thomæ Bociardo, inſigni noſtræ ætatis Medico, itemque Petro Ioſepho Bociardo S. Th. & V. I. D. Petro Paulo de Angelo, conſobrino meo ac nepoti ſuo & D. Michaëlis Monachi, nam huic tres fuêre ſorores. Eſt autem nunc D. Petrus Paulus Rector Eccleſiæ S. Priſci: ſtudijs enim, vt vel ſic auunculum noſtrum imitaretur, animum adiecerat, ac deinde ſermonibus ad populum habendis, quam ſibi comparauerat doctrinam ac facundiam, exercuit, & multis locis Capuanæ

A dioecesis conciones per Quadragesimam habuit. Erat autem Iulia eius meaque amita, insigni virtute prædita mulier, ac præsertim singulari erga S. Matronam pietate. Vixit post iam memoratam infirmitatem annis multis, ac tandem anno MDCLIV obijt ferè octogenaria.

23 *Non est absimile quod idem Aiossa nobis scripsit anno* MDCL, *hunc in modum:* Anno MDLXXXIX Iulia Palmeria, ex oppido S. Prisci dioecesis Capuanæ, cùm filium peperisset, cui Ioanni Carolo nomen imposuit, paucis pòst diebus in febrim incidit, quæ à festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ad diem vsque omnium Sanctorum ei inhæsit. Multis frustrà tentatis remedijs, etiam sinistrum latus dissolutio neruorum penitùs debilitauit, iamque illi duarum mulierum auxilio opus erat, vt de strato moueri posset. Cùm ergo iam medici de vitâ eius desperarent, ipsa languore totiusque corporis doloribus oppressa, dicentem quempiam audiuit, intra dies paucos morituram. Quibus verbis intimè concussa, quanto potuit animi sensu ad patronam suam S. Matronam se conuertit, & vt sibi opem ferret precata est. Biduo pòst, tribus circiter

aliam lateris simili sideratione & diuturna febri, iam propè depositam,

B horis ante ortum solis, cùm ob nimium morbi ardorem & angustias spiritus, patere cubiculi fores opus esset, perque eas lunæ splendor subiret, vt penè clara dies videretur; ipsa autem vigil de morte cogitaret, subitò intrare cernit formosissimam puellam, lucente vultu, specio ita eleganti, vt nullam similem à se visam meminisset, flauâ amictam veste, passis crinibus, manibus vasculum gestantem. Quæ ingressa ægrotam salutat, istaque addit: Non potui citiùs ad te venire, quòd in illâ ciuitate (cuius nomen Iuliæ exciderat) alteri infirmo adessem. Nunc prouide, commodo vt situ te loces, nam hoc te cupio vnguento linere. Ægra verò, Non valeo, inquit, mouere me, quæ sideratione debilitata sim. Propiùs accedit Sancta, & latus sinistrum, quod languidum erat, brachiumque perungit. Deinde, vt se vertat iubet. Negante illâ se id posse, Iuuabo te, inquit, & manibus corpori eius appositis eam conuertit. Fassa deinde est, Iulia, sibi gossipio molliores visas tangentis manus: cumque ei vellet gratias agere, iam Diua illius se oculis subduxerat.

simili modo apparens & vngens sanat;

24 Continuò matrem aduocat, quæ in eodem cubiculo excubabat, & percunctatur num omnia intellexerit, quæ dixerat formosissima illa puella. Negauit mater se quidquam audisse aut vidisse. Iulia illi recenset quæcumque sibi S. Matrona dixerat, eamque rogat vt surgat, ac lumen accendat; se enim sanam esse. Mater veluti explodens dicta filiæ, eamque existi-

C mans, vi morbi, rationis impotem esse factam, abijt tamen vt candelam accenderet. Iulia interim consurgit de strato, clamitans, Sana sum, S. Matrona me curauit. Obstupuit mater, cùm lumine allato deambulantem inuenit, de cuius vitâ paullò antè fuerat conclamatum. Illicò igitur gratias egerunt S. Matronæ; cumque diluxisset, cæleste beneficium palàm enuntiarunt, concurrentibus certatim oppidanis, vt viderent incolumem, quam mortuam existimabant, ac sciscitabantur quomodò valetudinem ita inopinatò recuperasset. Illa quod sibi obiectum erat noctu visum narrat. Id verò animaduersum, quod perunctum erat brachium ac latus, longè altero, quod vnctum non erat, splendidius videri.

quæ statim id diuulgat,

25 Eodem adhuc matutino tempore, sed paullò seriùs ecclesiam adit: cumque sola in S. Matronę sacello precationi vacaret, conspicatur lapidem, quo opertus erat Diuæ tumulus, paullatim attolli, vt iam facile duo tresuè digiti immitti posset. Quo in spectaculo dum hæret suspensa, & sollicita quò res tenderet, superuenit populi multitudo, quæ attentionem eius auertit: cumque foras exisset, ac mox illa ad tumbam Sanctæ conuertisset oculos, nihil amplius vidit: persuadebat autem illa sibi, absque eâ obstrepentis populi turbâ fuisset, ostensuram sibi Sanctam fuisse

& ipso die sacellum eius visit:

D lipsana sua, quæ in tumulo condita asseruantur. Narrauit isthæc Iulia coram magnæ auctoritatis hominibus, fuitque res tota omnino publica, ipsaque Iulia est etiamnum parata (*nam adhuc in viuis erat anno* MDCL, *cùm ille scriberet*) quæ dicta sunt, iureiurando firmare, si opus foret. Est verò mulier perquàm honestæ prosapiæ, probatæ vitæ, grauis ac pia. *Hæc Aiossa, quibus addit:*

26 Alia memorantur eiusdem Sanctæ Virginis beneficia, collata mortalibus. Margarita Vellonesia, vxor cuiusdam Ioannis Baptistę, habitauit annos octo in domibus Ecclesiæ S. Prisci, quas Mottam dici superiùs ex Michaële Monacho retulimus, atque ædes antiquas S. Matronę, quę sunt eâ parte quam respicit sacrarium dictæ Ecclesiæ, vbi duæ adhuc sunt cellæ, quales ferè Patrum Capucinorum, quadræ nimirùm, octonos latæ palmos. In harum alterâ porci & asini aliaque animalia stabulabantur: nam cùm illa pauper esset, nulli alteri rei præterquàm commodis suis intendebat. Cùm die quodam mihi eam rem non probari ostenderem, illa mihi simpliciter retulit, porcos

eidem in veteri cella Sanctæ porci moriuntur:

E & asinos, quibus illic stabulum fecerat, paucis mensibus omnes profluuio alui extinctos, vnde ingens illam desperatio incessisset. Ego, factum pessimè dixi, quòd tam sancto loco ita abuteretur, esse enim vnam ex antiquis cellis S. Matronæ. Suasi ergo vt locum è vestigio mundaret, dedique Diuæ, quam illic poneret, imaginem, & vt cum puellis, quæ illic aderant, Deiparæ Rosarium recitaret, monui. Quod illa promptè, executa est, magno & corporis & fortunarum emolumento: nam & valetudo semper ei constitit, & auctæ domesticæ facultates, vt iam sibi pro suâ conditione locuples videretur. Post plures annos emigrauit ex ijs ædibus, ac nunc anno MDCLX (*tunc id nobis nuntiabat idem R. D. Aiossa*) queritur res suas pessum ire, seque in egestate modò versari.

ea mundata, res ei prosperè cedunt:

27 Quod hîc euenit animalibus in S. Matronę veteri domicilio stabulantibus, idem intra Capuanam vrbem contigit in ædiculâ quadam sacrâ S. Simmio, *siue, vt Monachus pag.* 194 *Sanctuarij interpretatur*, *S. Symmacho*. Ea vel antiquitate deformata, vel eorum qui curare debebant, negligentiâ sensim profanata est: at passim equi aliaque animalia illuc inducta, intra breue tempus extincta sunt, idque multis vicibus factum. *Ita Aiossa.*

alibi S. Simmij ædes non impunè profanata.

28 *Sed hic ad S. Matronam nos reuocat, atque hoc narrat, quod num aliud sit ab eo quod iam relatum, nobis haud satis liquet. Acta publica & legitima ita habent:* Plenâ & F indubitatâ fide asseuero ego Ioanna de Angelo, me, cùm adolescentula essem nouem circiter annorum, cohabitasse amitæ meæ, Margaritæ dictæ, in domibus Ecclesiæ parochialis S. Prisci, quæ olim S. Matronæ fuerunt. Quodam die circa horam vigesimam, video ad me venire insignem Dominam, albâ byssinâ veste indutam: quæ vultum mihi leniter manu tetigit, itáque locuta est: Filia, vbi Margarita amita tua est? Respondi, iamiam domo egressam. At illa: Dic illi vbi redierit, mihi vt hoc gratificetur, ne deinceps porcos aliaq; immunda animalia, in istam cellam inducat; sed eam expurget, ibique Rosarium recitet. Quibus dictis, graui incessu ex atrio abiuit. Ego conspectu eiusmodi peregrinæ mulieris exterrita fui, & ad tres dies morbo detenta, ac dein consanui. Quamprimùm verò domum amita redijt, dixi quæ iussa eram. Illa mox paruit, locum mundauit, recitauitque Rosarium. Ego hæc ad testificationem veritatis iuridicè affirmo, quæ & referri in acta curaui, præsente D. Siluestro Aiossa, Rectore Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani, dictæ de Quadrapone in vrbe Capuâ, vt sic in publicum veniant per eos, qui honoris S. Matronæ studiosi sunt, ad propagandam ad posteros rei memoriam. *Atque ex his quæ iam narrata sunt, confirmatur S. Matronæ historia,*

S. Matrona adolescentulæ apparet,

iubetq; amitam de suis neglectis monere,

A historia, venisse nimirùm eam in has oras, hîc ad mortem vsque habitasse, hîc cœnobium fundasse; cùm adhuc cellæ antiquissimæ cernantur, quæ & S. Matronæ vocentur.

pestis tempore vox eius audita eam oranti:

29 Cum pestilentia Campanos affligeret, quædam piæ fœminæ noctu ad templum S. Prisci, vt ante S. Matronæ imaginem preces funderent, ventitabant. Vni earum precanti allapsa hæc ad aures vox est: Filia, ausculta quod verbo vno eloquar. Illa, quæ vnde ea vox esset, ignorans, metu concussa est: ac rursum paullò pòst hoc illi vox eadem retulit: Verbum vnicum à me audire noluisti. Eam deinde à S. Matronâ missam vocem suspicata est, quia sæpè etiam per diem visa & audita quibusdam circa eam ædem commorantibus, viris ac fœminis, bene apprecari, aut monita de rebus curandis dare.

sæpius variis visa, auditaq;

Malus Persica ab ea sata stetit circi, er 1100 annis.

30 Vnum adhuc illud addere ad S. Matronæ illustrandam memoriam reor licere, tenue quidem, sed cui in aliorum actis Sanctorum consimilia extent. Anno MDCXXIII recisa est procera malus Persica, quam olim à S. Matronâ satam fuisse fama tradit à maioribus accepta. Qui censuerit non potuisse eam arborem ad vndecim secula perdurare; renocet ad memoriam ficum illam Ruminalem sub quâ Romulum & Remum lactasse lupa ferebatur, vltra octingentesimum ab Vrbe conditâ annum dici stetisse; nec potest B cùm sub eâ lupa admouit vbera infantibus, humilis adhuc ac recens sata existimari. Multò autem videtur Persica malus fico firmior ac robustior. Quid, quòd spinæ, in quibus sese volutasse ad restinguendum carnis ardorem S. Benedictus memoratur, adhùc extare dicuntur, sed rosæ fruticibus à S. Francisco, aut Diuo quopiam alio, insitis, in roseta mutatæ, è quibus aliquando decerpta folia pium munusculum ob Italiâ religiosus amicus transmisit. At videntur illæ spinæ aliquanto nunc vetustiores esse debere, quàm ante annos XL fuerit illa ab Diuâ Matronâ sata malus. Tamen fama si fallitur, fuerit illa insitione aliterue propagata.

vt spinæ S. Benedicti.

31 Hactenùs quæ de S. Matronâ assequi potuimus, à Michaële Monacho, eiusque sororis filio Siluestro Aiossa, vtroque doctissimo viro & Sanctorum amplificandi honoris studiosissimo suggesta. Ab illo, multò antè quàm Sanctuarium suum publicaret, acceperat Ferrarius, quæ in Catalogo Sanctorum Italiæ scripsit, vbi illud verè monuit, de hâc Matrona apud Lusitanos scriptores nullã extare memoriam, quod ipse quidem sciret. Certè Antonius Vasconcellius noster in descriptione regni Lusitani, cùm diligẽter admodùm conquiesierit quæ vspiam extarent ad Sanctos Lusitanos pertinentia, S. Matronæ nusquam meminit. Ex Ferrario D hausit Ludouicus de Angelis quæ in Viridario Sanctarum Portugalliæ de Sanctâ hac edidit: at non quòd asseruit martyrio coronatam, & reliquias eius in Hispaniam translatas, in monte Iouis prope Barcinonem asseruari; neutrum enim habet Ferrarius, nedum quod ille idem ait S. Matronam cum suis Sanctimonialibus seruasse Regulam S. Augustini: neque hoc satis probat illud eius argumentum, quod nulla iis temporibus adeò generalis ac peruulgata, in Italiâ saltem, Regula erat. Sed magis id mirari licet, hanc dici ex primis esse, quæ in monasterio vixisse legantur: nisi de solis agit Augustinianis monialibus. Nam Sancta Eustochium vt alias innumeras omittamus, illâ multò antiquior fuit: antiquior Brigida in Hiberniâ, & Genouefa in Galliâ. Nec illud vim vllam haberet, etsi daremus vulgatissimam fuisse S. Augustini regulam. Nam Virginibus, quæ cœnobiticam vitam amplecterentur, ac plurimùm Episcopi, aut celebres virtute ac sapientiâ Abbates, institutiones, quibus ipsarum informarentur ad perfectionem cœnobia, scribebant. Ita ipso tempore quo videtur suum illud ædificasse iuxta S. Prisci ecclesiam Matrona, S. Cæsarius, Episcopus Arelatensis Regulam præscripsit monasterio sorori suæ S. Cæsariæ, quem ad huius natalem XII Ianuarij dedimus. E

S. Matrona ignota antiquioribus scriptoribus Lusitanis:

an Regulam S. Augustini in suo cœnobio seruarit?

32 Ludouicum de Angelis sequitur in Chronologiâ monasticâ Lusitanâ Antonius à Purificatione, & S. Matronam sui Ordinis, id est Eremitarum S. Augustini, scribit fuisse, ac martyrio coronatam, anno circiter DXL, cum ceteris omnibus eiusdem monasterij Virginibus. Philippus Elsius in Encomiastico Augustiniano eam quoque Ordini Eremitarum S. Augustini adscribit, atque anno circiter DXX cùm XII monialibus Lusitanis pro Catholicâ fide iugulatam, & quædam eius pignora asseruari Barcinone. Quæ quidem ex Alphabeto Augustiniano Thomæ de Herrera, ipsismet auctoris verbis recitat. Quinimò coniecturæ Baronij, quam suprà nu. 10 retulimus, assentiendum credit Herrera, ac mox subdit: Sed demus Acta Matronæ Lusitanæ subsistere, vnde monachatus Augustinianus subsistet? Affert deinde rationes, antè iam relatas, Ludouici de Angelis, quem vocat primum huius rei auctorem. Et addit: At fundamenta hæc tantæ moli infirma iudicamus, & thesaurum Augustinianæ gloriæ probabilioribus saltem ditescere exoptamus. Non ergo eam absolutè in suam familiam adoptat, vt tamen interpretatus videtur Cardosus in Comment. lit. c. pag. 185 col. 1.

asserunt quidam

debili fundamento.

DE S. MAGORIANO CONFESSORE

FRATRE S. VIGILII EPISCOPI

TRIDENTI IN DITIONE SVBALPINA.

SECVLO V XV MART.

1 VRbis Tridentinæ præcipuus Patronus colitur S. Vigilius eiusdem loci Episcopus & Martyr XXVI Iunij, cuius in cæde adfuerunt duo eius fratres, expositi itidem vitæ amittendæ periculo, vt vel ideò in illius Actis scribantur Confessorum gloriam meruisse. Horum Frater alter Claudianus appellatur, quem Tridentini colunt VI Martij sub ritu Officij duplicis, vti hoc XV Martij S. Magorianum alterum fratrem, de quo in Proprio Sanctorum ciuitatis & diœcesis Tridentinæ, iussu Caroli Madruci S.R.E. Cardinalis & Episcopi Tridentini edito; præscribuntur omnia vt suprà in festo S. Claudiani. Certè omnia, quæ ex Actis S. Vigilij ibidem dedimus, æquè ad S. Magorianum, quàm ad S. Claudianum pertinent, quæ lector ibidem reperiet. Solùm hîc damus ex Catalogo Ferrarij de Sanctis Italiæ hoc breue elogium.

Cultus sacer

elogium ex Ferrario,

2 Magorianus Romæ natus, S. Maxentiæ filius ac SS. Vigilij ac Claudiani frater, in Christianâ pietate enutritus, S. Virgilium vnà cum matre & Claudiano fratre secutus, & ipse Tridenti subsedit. Vbi in orationibus, vigilijs & alijs pijs operibus Domino seruiens, S. Vigilium in pastorali curâ adiuuit: quem ad nefandum inanium deorum cultum euertendum associatus, cùm ab infidelibus lapidibus interfectus fuisset, Tridentum deferendum & sepeliendum, Claudiano fratre adiuuante, curauit. Ipse autem multis cumulatus meritis tandem in cælos euolauit Idibus Martij.

3 Celebrat eumdem iterum Ferrarius in Catalogo generali, vti Georgius Cardoso in Hagiologio Lusitanico. Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico, eò quòd S. Maxentia Hispana Cauriensis Tridenti florere dicatur in nuper excogitato Chronico sub nomine Dextri ad annum CCCCXIX: cùm in antiquis Actis S. Vigilij, S. Maxentia mater tradatur Romanorum genere præclara, & mulier præclara nobili familiâ Romæ nata. Quod omnes de S. Vigilio asserunt. Addimus pro clausulâ, distichon in eius laudem scriptum ab Episcopo Brautio in Martyrologio Poëtico.

locus natalis.

Cum sanctâ genitrice petit binisque Tridentum
Fratribus, hinc meritis plenus ad astra migrat.

DE S. SPECIOSO MONACHO BENEDICT.

TARRACINÆ IN ITALIA.

SECVLO VI
XV MART.

1  *Va de sancto hoc monacho nouimus, retulit S. Gregorius lib. 4 Dialogorum cap. 8 asserens se ea à fidelibus S. Benedicti discipulis, de quibus cap. 7 egerat, accepisse, quæ ipsis eius verbis damus, ac sunt eiusmodi:*

Epitome Vitæ ex S. Gregorio.

2 Eisdem quoque discipulis illius narrantibus didici, quia duo nobiles viri, atque exterioribus studijs eruditi, germani fratres, quorum vnus Speciosus, alter Gregorius dicebatur, eius seRegulę in sanctâ conuersatione tradiderunt. Quos idem Pater venerabilis in monasterio, quod iuxta Tarracinensem vrbem construxerat, fecit habitare. Qui multas quidem pecunias in hoc mundo possederant, sed cuncta pauperibus pro animarum suarum redemptione largiti B sunt, & in eodem monasterio permanserunt. Quorum vnus, scilicet Speciosus, dum pro vtilitate monasterij iuxta Capuanam vrbem missus fuisset; die quadam frater eius germanus cum Fratribus ad mensam sedens atque conuescens, per spiritum subleuatus aspexit & viditSpeciosi germani sui animam, tam longè à se positi, de corpore exire: quod mox Fratribus indicauit & cucurrit, iamque eumdem fratrem suum sepultum reperit, quem tamen horâ eâ, quâ viderat, exisse de corpore inuenit. *Hæc S. Gregorius.*

3 *Est Tarracina vrbs Episcopalis Volscorum in Pontificiâ ditione, in confinio regni Neapolitani prope mare. Quomodò S. Benedictus, monachos eò ex Casinensi monasterio miserit, ita S. Gregorius narrat in illius Vitâ ad* XXI *Martij:* Alio quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta Tarracinensem vrbem, missis discipulis suis, construere monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis Fratribus Patrem, & quis ei secundus esset, ordinauit.... Qui benedictione perceptâ, illicò perrexerunt.

4 Speciosum Monachum *cum titulo* Sancti *adscripsit Molanus Auctario Vsuardi edito anno* MDLXVIII, *secutus est Canisius in Martyrologio Germanicè anno* MDLXXIII *excuso. Baronius in Martyrologio Romano, ista habet:* Romæ S. Speciosi monachi, cuius animam germanus eius frater ferri vidit in cælum. *De eodem hoc die agunt VVion, Menardus, Dorganius, Bucelinus in suis monasticis Martyrologijs, & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ: qui miratur cur Romæ adscribatur,* cùm in monasterio apud Tarracinam vitam egerit, & apud Capuam mortem obierit. *Arbitratur tamen* Romæ tribui, vel quia Romanus esset, vel quia Romam corpus relatum fuerit, *& in dubio suo ausus est in titulo appellare* Speciosum monachum Romanum. *Meminit deniq; Petrus de Natalibus libro* XI *Catalogi, in quo de Sanctis agit, quorum asserit* diem festiuum penitus sibi ignotum fuisse. *Vbi capite* 106 S. Speciosum monachum *proponit.*

Nomen in fastis sacris. E

DE S. TRANQVILLO ABBATE

S. BENIGNI, DIVIONE, IN BVRGVNDIA.

Commentarius historicus.

SECVLO VI
XV MART.

1  *Iuione DucatusBurgundiæ primariâ vrbe peruetustum S. Benigni Martyris, qui Kalendis Nouembris colitur, extat monasterium: cuius venerandorum Abbatum, benefactorum & fundatorum editum est Chronicon à Lucâ Dacherio tomo 1 Spicilegij, scriptum à monacho huius Benigniani cœnobij, qui hoc opus ad annum Christi quinquagesimum secundum supra millesimum conclusit: vbi paginâ 358 narratâ* inuentione & translatione corporis almifici Martyris Benigni ad nouam extructam ecclesiam à B. Gregorio Lingonicæ vrbis Episcopo, *anno non* CCCCLXXXV, *sed* CCCCCXXXV *factâ, adduntur sequentia.* Fulgebant tunc per Galliam plurimi sanctitate vitæ conspicui: inter quos erant S. Ioannes Abbas monasterij, quod Reomaus dicitur, nec non Eustadius ac S. Sequanus huius prouinciæ alumni: è quibus Eustadium huic loco præfuisse per aliquot annos & subiectos sibi religiosè educando vixisse, certum tenemus. Vnde & moriens condignam meruit sepulturam iuxta corpus sępè dicendi S. Benigni Martyris: cui successit Tranquillus, qui quantæ sanctitatis fuerit, crebræ sanitates infirmis ex eius tumulo præstitæ testantur, vt refert Gregorius Turonensis in seipso expertus. Sepultus verò est ad dexteram partem sepulcri sancti Martyris Benigni iuxta S. Paschasiam, iuxtaque eum posita fuit S. Florida. Ex alterâ verò parte iuxta S. Eustadium sepulcrum fuit S. Hilarij Senatoris, coniugisque eius S. Quittæ. Hi fuerunt progenitores suprà memorati Ioannis. *Hæc ibi. Ex his quatuor coluntur mense Ianuario. Eustadius Abbas die* III, *Gregorius Episcopus Lingonensis* IV, *Paschasia Virgo & Martyr* IX, *& Ioannes Abbas Reomaënsis* XXVIII. *Huius parentes inscripsit Saussaius Martyrologio Gallicano ad* XXVIII *Nouembris. At S. Sequanus discipulus S. Ioannis, & Abbas Segestrensis colitur* XIX *Septembris. His seculo Christi sexto coniuxit S. Tranquillus, de quo S. Gregorius Episcopus Turonensis, libro de Gloriâ Confessorum, cùm egisset de memorato Hilario Senatore Diuionensi & SS. Floridâ & Paschasiâ ibidem quiescentibus, ista cap. 44 addit.*

C

S. Tranquilli tempore varij viuunt Sancti:

illius miracula

sepultura:

F

2 In hoc loco & Tranquillus beatus Confessor requiescit, super terram sepulcrum habens, de quo magnum beneficium præstatur petentibus. Nam de mussulis supernatis medicamina populi promerentur, vnde ego valdè experimentum tuli. Namque cùm manus meæ minutis efferbuissent pustulis & dolores pessimos ob hoc grauiter sustinerem, de hac mussulâ tactas, quiescente humore, protinus sustuli sanas. *Hæc S. Gregorius, anno* DXCIV *die* XVII *Nouembris vitâ functus. Qui postmodùm illius librum de Gloriâ Confessorum capitibus distinxit, cùm in MS. titulo solùm nominaretur* S. Tranquillus, Episcopum *appellauit, qui Abbas potiùs seu* Præpositus monasterij *fuit. Interim Galesinius hoc eum elogio exornat ad diem* XV *Martij:* In oppido Diuionensi S. Tranquilli Episcopi & Confessoris, cuius sanctitas valdè admodùm eluxit ad eius sepulcrum diuinitus editis multis miraculis. *Eodem modo* Episcopum *scribit Ferrarius, in Catalogo generali. At solùm* Confessorem *vocant Molanus in primâ editione auctarij ad Vsuardum & Canisius in Martyrol. Germanico. Saussaius in Martyrol. Gallicano ista habet:* Diuione S. Tranquilli Abbatis & Con-

sanatus S. Gregorio Turonensi collato.

Cultus sacer 15 Martij.

A Confessoris: qui multorum monasteriorum Pater sanctissimus, omnium virtutum gloriâ decorus, subditos præclaris exemplis informauit: demumque cùm cœnobio proximè post S. Eustadium pari pietatis & prudentiæ laude præfuisset, ingenti meritorum parto cumulo, felicitatem consecutus est sempiternam. Tantâ autem cum sanctitatis existimatione mortalium è consortio excessit, vt dignus habitus sit, qui S. Benigni Martyris inclyti fieret consors tumuli: ad cuius læuam dignâ honorificentiâ sepultus, gloriosus enituit perpetim coruscantis ibi diuinæ virtutis splendore, vt S. Gregorius Turonensis, opitulationis eiusdem Beati gratiam expertus, luculento prodidit testimonio.

non videtur Abbas fuisse monasteriorum S. Apri & S. Marcelli,

3 *De alijs monasterijs, quibus dicitur præfuisse, annotauit Claudius Robertus in Diuione, legi* ad oram apographi Catalogi Abbatum S. Benigni, Abbatem etiam S. Tranquillum fuisse monasteriorum S. Apri Tullensis & S. Marcelli, *scilicet Cabillonensis. Quæ inde descripserunt Sanmarthani tomo 4 Galliæ Christianæ in S. Benigni Abbatiâ. Verùm hi sibi contrarij sunt dum S. Marcelli Abbatiam olim, nunc Prioratum Ordinis Cluniacensis, tradunt à Gun-* B *tramno Rege posteà extructam fuisse: quod præter istos faciunt etiam Historiæ Cabillonensis vrbis scriptores Claudius Perrÿ fol. 39, Petrus Cusset tomo 2 pag. 118, & auctor Chronici S. Benigni pag. 373. Imò quæ hîc dicuntur de vtroque monasterio & S. Apri Tullensis & S. Marcelli Cabillonensis, arbitramur transferri debere ad S. Guilielmum Abbatem S. Benigni, quem à S. Maiolo, Abbate Cluniacensi varijs monasterijs præfectum fuisse diximus 1 Ianuarij in illius Vitâ. At vice versâ Cabilonensibus proponi posset, num* S. Tranquillus, *de quo iam agimus, non sit inter Episcopos Cabilonenses perperam relatus, tertius à Claudio Roberto, at quintus à Claudio Perrÿ & Petro Cusset, quem Sanmarthani ex Albo Episcoporum eiecerunt.*

Quæ tunc obseruata regula?

4 *Gabriel Bucelinus citatis Annalibus suis Benedictinis, & Lilijs Bened. Gall. (præter Gregorium Turonensem, Chronicon S. Benigni, & Martyrol. Gallicanum, quorum verba dedimus) inscribit Menologio Benedictino Galliæ* S. Tranquillum, *quod antè non fecerant VVion, Menardus, Dorganius: & meliùs, cùm nullum sit vestigium eius in Chronico S. Benigni. Viuebant hi monachi, vt passim alij in Galliarum monasterijs seculo quarto & quinto, secundùm propriam à singulis assumptam Regulam, aut alijs quibusdam communem. Cùm* Guntramnus Rex, *vti in dicto Chronico legitur pag.* 370 *nouis reditibus monasterium ditasset,* insuper etiam instituit, vt ad similitudinem monasterij Sanctorum Agaunensium diu noctuque diuinum in hac ecclesiâ persolueretur officium. Vtque hæc institutio per succedentia tempora non tepesceret, vel monasticus Ordo deperiret, constituit, vt Abbates illius loci, *scilicet Agaunensis*, Rectores & Prouisores in hac domo *Diuionensi*, essent, vt vna congregatio, vnusque vtrobique seruaretur ordo. Similiter instituit de loco S. Marcelli, vbi ipse Rex corpore quiescit: *vti dicetur ad diem eius natalem* XXVIII *Martij. Ceterùm Regulam Agaunensis siue Tarnatensis monasterij edidit Lucas Holstenius, quam sæpissimè citat S. Benedictus Anianensis Abbas in Concordiâ Regularum, Assumpta tamen postmodùm est Regula Benedictina, aut sub Ludouico Pio, aut saltem sub huius filio Carolo Caluo, quando* Isaac Episcopus Lingonensis basilicam S. Benigni iam penè dirutam in pristinum statum restaurauit, monachicum ordinem restituit, possessiones ad victum eorumdem monachorum addidit... Congregauit igitur in hoc loco monachos sub Coëpiscopo & Abbate, nomine Berthilone... inprimis habere propriam electionem succiduis temporibus & ex ipsis secundùm Regulã S. Benedicti Abbatem eligere monachis istius loci concessit. *Vti ea leguntur pag. 411 & seqq. Chronici S. Benigni, vbi & pars diplomatis siue priuilegij Caroli Calui inseritur. Vt videatur tunc exemptum fuisse à subiectione monasterij Agaunensis, eique indultum vt secundum Regulam S. Benedicti viuerent monachi, qui Sanctos pristinos istius loci Abbates perrexerunt venerari.*

D *dein Agaunensis monasterij,*

E *posteà seculo 9 assumpta Benedictina.*

DE S. PROBO EPISCOPO
REATINO IN ITALIA.

CIRCA AN. DLXX XV MART.

C

1 *Reate Sabinorum ciuitas, quæ suâ antiquitate & Romam & Troiam traditur superare, ab Vrbe distat circiter* XL *millia passuum. Inter suos primos Episcopos, quorum memoria extat, habuit S. Probum, de quo illa solum nouimus, quæ de eius obitu narrat S. Gregorius Magnus libro 4 Dialogorum cap. 12, quæ ex eo hîc describimus. Hic cùm de egressu animarum à capite 7 varia retulisset, ista de hoc Sancto tradit:*

In obitu apparent SS. Iuuenalis & Eleutherius.

2 Quâ de re neque hoc sileam, quod Probus omnipotentis Dei famulus, qui nunc in hac vrbe monasterio præsto est, quod appellatur Reatum, de Probo patruo suo, Reatinæ ciuitatis Episcopo, mihi narrare consueuit, dicens: Quia appropinquante vitæ eius termino, eum grauissima depressit ægritudo: cuius pater, nomine Maximus, pueris circumquaque transmissis, colligere medicos studuit, si fortasse eius molestiæ subueniri potuisset. Sed congregati ex vicinis locis vndique medici, ad tactum venæ denuntiauerunt eius exitum citiùs affuturum. Sed cùm iam tempus refectionis incumberet, atque hora diei tardior excreuisset, venerandus Episcopus de illorum potiùs quàm de suâ salute solicitus, eos qui aderant admonuit, cùm sene patre in superioris episcopij sui partes ascendere, seque post laborem reficiendo reparare. Omnes igitur ascenderunt domum: vnus ei tantùmmodò paruulus relictus est puer, quem nunc quoque prædictus Probus asserit superesse. Qui dum lecto iacentis assisteret, subitò aspexit intrantes ad virum Dei quosdam viros, stolis albis amictos, qui eumdem quoque candorem vestium vultuum suorum luce vincebant. Quâ splendoris etiam claritate perculsus, quinam illi essent, emissâ cœpit voce clamare. Quâ voce etiam Probus Episcopus commotus, intrantes eos aspexit & cognouit: atque eumdem stridentem vagientemque puerum consolari cœpit, dicens: Noli timere, quia ad me S. Iuuenalis, & S. Eleutherius Martyres venerunt. Ille autem tantæ visionis nouitatem non ferens, cursu concito extra fores fugit, atque eos quos viderat patri ac medicis nuntiauit. Qui concitè descenderunt, sed ægrum quem reliquerant, iam defunctum inuenerunt, quia illi eum secum tulerant, quorum visionem puer ferre non potuit, qui ibi remanserat.

F

Cultus sacer

3 *De S. Probo, Episcopo eadem hinc descripta tradit Petrus de Natalibus lib. 11 Catalogi Sanctorum cap. 168, vbi de Sanctis asserit se agere, quorum asseris* diem festiuum penitus sibi ignotum fuisse. *De eo ad* XV *Ianuarij sic scribit Galesinius:* Reate S. Probi Episcopi & Confessoris, cuius res plurimas piè admirabiliterque gestas Gregorius Magnus commemorat. *Iterùm idem Galesinius ad* XV *Martij ista habet:* Reate S. Probi Episcopi & Confessoris; *citatque in Notis* Tabulas Ecclesiæ Reatinæ. *Meminerunt eiusdem Molanus in primo additamento Vsuardi & Canisius in Martyrologio Germanico. In Martyrologio Romano istud habetur elogium:* Reate S.

16 Ianuarij & 15 Martij.

Probi

A Probi Episcopi, cui morienti Iuuenalis & Eleutherius Martyres adfuerunt. *Est* Iuuenalis *Episcopus Vrbis Narniæ, quæ circiter viginti millibus passuum Reate distat, & colitur* III *Maij. At* S. Eleutherius *videtur esse ille Martyr, cuius & S. Anthiæ matris corporum partes Reate adseruari tradit Vghellus tomo primo Italiæ sacræ: quorum dies natalis celebratur* XVIII *Aprilis.*

4 *Ecclesia Cathedralis beatissimæ Virgini Assumptæ extructa, traditur ab Honorio* III *Pontifice anno* MCCXXV D *die* XI *Septembris consecrata: in cuius cryptâ sub confessione corpus S. Probi Episcopi cum alijs Sanctorum reliquijs ab eodem Honorio reconditum est, vti ea apud dictum Vghellum leguntur. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ vbi S. Probi elogium habet, arbitratur paullò ante S. Gregorium decessisse: alij circa annum* DLXX *id contigisse coniiciunt.*

corpus Reat.

tempus obitus.

DE S. ZACHARIA

PONTIFICE ROMANO,

Commentarius præuius.

AN. DCCLII. XV MART.

1  *Es gestas S. Zachariæ Papæ descripsit Anastasius Bibliothecarius in libro de Vitis Pontificum, Parisiis typis regiis recuso cum varijs sub calcem libri lectionibus, cum quibus hanc S. Zachariæ Vitam contulimus, vti cum alijs peruetustis tribus codicibus Treuirensi S. Maximini, Audomarensi S. Bertini, & Cusano S.* B *Nicolai. In hac Vitâ dicitur* sepultus ad B. Petrum Apostolum Idibus Martij: *quo die nomen eius inscriptum est Martyrologijs MSS. Vaticano Ecclesiæ S. Petri, Treuirensi S. Paulini, & adseruatis Parisijs apud S. Germanum & Coloniæ in monasterio Carmelitarum. Ado à Rosweido excusus ista habet primo loco:* Romæ, Zachariæ Pontificis, qui Romæ sedit annos x. *In MS. Lobiensi eiusdem Adonis additur:* Hic in Patriarchio caput S. Gregorij (*imò* Georgij) Martyris reperit in capsâ reconditum, in quâ & pittacium pariter inuenit, & hoc ipsum Græcis litteris exaratum. *Similia habentur in MS. Leodiensi S. Lamberti, & in MSS. codicibus Vsuardi Aquicinctino & aliquo Reginæ Sueciæ. Ast illo elogio omisso,* Dialogos S. Gregorij Papæ in Græcum transtulisse *legitur in MS. Adone Leodiensi S. Laurentij, Vsuardo Bruxellensi S. Gudilæ & Florario Sanctorum. Quibus prætereà in MSS. codicibus Vsuardi adseruari solitis Vltraiecti, Leidæ, Hagenoæ & alibi additur:* Hic etiam per B. Bonifacium Episcopum Moguntinum, Pippinum patrem Caroli Magni in ciuitate Suessionensi in solium regni sublimauit. *Eadem habent Greuenus & Molanus in Auctario Vsuardi primæ editionis, Maurolycus, & Canisius. At Martyrologia Coloniæ & Lubecæ anno* 1490 *excusa, illis prætereà adijciunt.* Hic etiam Karolomannum Regem Francorum, fratrem Pippi- C ni, fecit fieri Clericum, & misit eum in Casinense monasterium, vt monachus fieret: cui etiam monasterio dona plurima cum priuilegijs Apostolicis contulit. *Tandem post illa omnia paruo, sed eleganti encomio inscriptus est hodierno Martyrologio Romano his verbis:* Romæ, natalis S. Zachariæ Papæ, qui Dei Ecclesiam summâ vigilantiâ gubernauit, & clarus meritis quieuit in pace.

Vita scripta:

cultus sacer

& varia elogia:

2 *Dona collata monasterio Casinensi eiusque Abbati Petronaci, ita describit Leo Ostiensis lib.* 1 *Chronici Casinensis cap.* 4 Sanctissimus Papa Zacharias plurima huic adiutoria contulit, libros scilicet aliquos sacros, sanctamque regulam, quam Pater Benedictus manu propriâ scripserat; pondus etiam libræ panis & mensuram vini: quæ olim sub Longobardorum impetu fugientes monachi Romam secum inde detulerant. Varia etiam ad ministerium Ecclesiasticum ornamenta, nonnulla item ad diuersas monasterij vtilitates pertinentia, Apostolicâ liberalitate largitus est. Ab hoc etiam Papâ sanctissimo prædictus Abbas priuilegium primus accepit: vt hoc monasterium cum cellis omnibus ad se pertinentibus, vbicumque terrarum constructis, ob honorem ac reuerentiam sanctissimi Patris Benedicti ab omnium Episcoporum ditione sit liberum: ita vt nullius iuri subiaceat, nisi tantùm Romani Pontificis. *Hæc ibi in Chronico, cui subiecta sunt duo priuilegia huius Papæ Zachariæ: quæ cùm inter viros eruditos, etiam Ordinis Benedictini, sint controuersa, tacetur in hoc negotio tutius, cùm illa negantes, diplomatis Pon-* E *tificijs & iudicijs virorum prudentum suam partem tuentur. Interim his innixi VVion, Menardus, Dorganius, Bucelinus, Fastis Benedictinis eum inscripserunt, & VVion lib.* 2 *Ligni vitæ cap.* 2 *collocat inter Summos Pontifices Ordinis S. Benedicti, quorum professionis locus ignoratur, & allegatur prætereà auctoritas Onuphrij Panuinij in Chronico Summorum Pontificum sic asserentis:* Zacharias Polycronij filius, Græcus monachus, S.R.E. Presbyter Cardinalis &c. *At quo nos vtimur libro, Venetijs apud Michaëlem Tramezinum anno* 1557 *excuso, in eo deest vox illa* monachus. *Et quamuis adesset, & apud antiquos etiam aut coæuos scriptores; Basiliani monachi possent æquo iure suo Ordini adscribere, cùm ipsi magis apud Græcos floruerint. Verùm neque lis ista à nobis videtur dissoluenda. Ament, colant & venerentur tantum Ordinis sui benefactorem. Contrà Constantinus Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum ita encomium huius Pontificis auspicatur:* Romæ S. Zachariæ Papæ, qui Seberenæ in Calabriâ natus, Canonicus Regularis, à Gregorio Tertio S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus, eidē in Pontificatu successit. *Et citatur Alphonsus Ciaconius in Historiâ Summorum Pontificum & S.R.E. Cardinalium. Sed is, vt omnibus gratificetur, ait,* ex Canonico Regulari factum monachum S. Benedicti. *Verùm cùm apud antiquos scriptores nihil huiusmodi reperiamus, non audemus neque possumus similibus inuentiunculis assensum prebere. Certè silent Luitprandus* F *Ticinensis, Baptista Platina, Ioannes Stella & passim alij in Vitis Pontificum, & cum ijs Petrus de Natalibus, qui eius Vitam habet lib.* 10 *Catalogi cap.* 26, *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem, Baronius in Annalibus aliique.*

Casinensi monasterio collata dona,

& priuilegium immunitatis:

nomen in Fastis Benedictinis,

& Canonicorum Regularium.

3 *Ægidius Gelenius in Fastis Coloniensibus eum hoc die inscripsit his verbis:* S. Zachariæ Pontificis, qui Germaniam Transrhenanam diœcesibus distinxisse scribitur, & inter alias Coloniensi Ecclesiæ impensè fauit: cuius Principem Pippinum solenni Christianoque ritu per Bonifacium Archiepiscopum Regem consecrari constituit. *Miræus hæc etiam de caussâ inscripsit Fastis Belgicis & Burgundicis. Sed hæc potissimùm* V *Iunij ad Vitam S. Bonifacij erunt dicenda. Pauca hæc ex epistolâ* XIII *S. Zachariæ ad dictum Bonifacium decerpimus.* Auctoritate, *inquit,* B. Petri Apostoli sancimus, vt Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata: habens sub se has ciuitates, id est, Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen cognoscere fecit. Datum pridie Nonas Nouemb. Indictione v *scilicet anno Christi* DCCLI. *Erat eo tempore Sedes Tungrensis Leodij, vrbe Tungrorum à S. Huberto*

distinctis diœcesis Germanicæ:

A berto ex urbe Traiectensi ad Mosam translata. At Trectis urbs supra indicata est Vltraiectum ad Rhenum, vbi Sedes Episcopalis iam erat à S. Bonifacio stabilita. De Pippino in Regem Francorum de mandato Zachariæ Papæ coronato per S. Bonifatium passim agunt Annales Francorum, ab antiquis & coæuis auctoribus scripti.

Pippinus Rex Francorum coronatur:

4 Pridie Idus Martij, sine huius die XIV, in Martyrologio Bellini, secundùm morem Romanæ curiæ anno 1498 Venetijs edito, ista habentur: Eodem die Zachariæ Pontificis, qui sedit Romæ annos decem. At multùm senior Notkerus, his eisdem relatis addit capitis S. Georgij inuentionem, & illius sepulturam. Quæ planè eadem leguntur in Appendice Adonis à Rosweido excusi. In MS. Pragensi laudatur ob Dialogos S. Gregorij Græcè translatos, & Pippinum in solium regni sublimatum. Eadem habet Molanus in posterioribus editionibus, qui in priore ad hunc diem citato Martyrologio Romano Bellinum descripsit. Maurolycus ista habet: Eodem die S. Zachariæ Pontificis, Græci, qui Synodo in Gallijs habitâ, venationem & aucupium Clericis interdixit. Res alias tunc præclarè in varijs Concilijs constitutas lector in Tomis Conciliorum reperiet, quibus etiam inseruntur illustres ab eo conscriptæ epistolæ. Multa ex ijs & Vitâ mox dandâ congerit Galesinius ad diem etiam XIV, quo B eum quoque retulit Felicius. Posset autem S. Zacharias dici, XIV die è vitâ decessisse, qui Idibus Martij sepultus ab Anastasio traditur.

memoria 14. Martij.

forsan die obitus,

5 Apud Michaëlem Monachum in tertio & quarto Martyrologio, in Sanctuario Capuano edito, refertur veneratio S. Zachariæ Papæ ad diem sextum Martij, vbi videtur error illapsus, & pro pridie Idus Martij, substitutum esse pridie Nonas Martij.

& 6 Martij.

VITA

Auctore Anastasio Bibliothecario cum varijs MSS. collata.

CAPVT I

Virtutes S. Zachariæ. Pax cum Luitprando Rege inita. Ditiones Sedi Apostolicæ restitutæ.

a b C 1 ZAcharias, natione *a* Græcus, ex patre *b* Polychronio, sedit annos decem, menses tres, dies *c* quatuordecim. Vir mitissimus atque suauis, omnique bonitate ornatus, amator Cleri & omnis populi Romani. Tardus ad irascendum, & velox ad miserandum: nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundùm meritum tribuens, sed pius, ac misericors. A tempore ordinationis suæ omnibus omnia factus, etiam & his, qui antè sui fuerant persecutores, bona pro malis reddidit, eosque honoribus promouens, simul & facultatibus ditauit.

Zacharias mitis & misericors.

d e f 2 Hic inuenit totam Italiæ prouinciam valdè turbatam simul & *d* Ducatum Romanum, persequente *e* Luitprando Longobardorum Rege ex occasione *f* Trasimundi Ducis spoletini, qui in hac Romanâ Vrbe, eodem Rege persequente, refugium fecerat. Et dum à prædecessore eius, beatæ memoriæ Gregorio Papâ, atque ab Stephano, quondam Patricio & Duce, vel omni exercitu Romano prædictus Trasimundus redditus non fuisset, obsessione factâ, pro eo ab eodem Rege ablatæ sunt à Romano Ducatu ciuitates quatuor, id est *g* Ameria, *h* Horta, *i* Polimartium, & Blera. Et sic idem Rex ad suum palatium est reuersus per mensem Augustum, *k* indictione VIII. Trasimundus verò Dux habito consilio cum Romanis, collectoque generali exercitu Ducatus Romani, ingressus est per duas partes cum eis in fines Ducatus Spoletini. Qui continuò timore ducti præ multitudine exercitus Romani, eidem Transimundo se subdiderunt, *l* Marsicani, & Forconini, atque Baluenses seu Pinnenses. Deinde ingressi, per Sabinense territorium venerunt in *m* Reatinam ciuitatem. Quibus continuò & ipsi Reatini se subdiderunt. Exinde pergentes ingressus est Spoletum per mensem Decembrem *n* indictione VIII. Eratque magna turbatio inter Romanos & Longobardos: quoniam & Beneuentani & Spoletani cum Romanis tenebant. Sed dùm idem Trasimundus Spoletinus Dux noluit implere quæ prædicto Pontifici & Patricio simul & Romanis promiserat pro recolligendis quatuor ciuitatibus, quæ pro eo perierant, & alijs quæ spoponderat capitula; & prænominatus Rex ad motionem contra Ducatum Romanum se præpararet; in his prædictus beatæ memoriæ Gregorius Papa diuinâ vocatione ex hac luce *o* subtractus est, & diuino nutu prænominatus sanctissimus Zacharias in Pontificatum est electus. Cui omnipotens Deus tantam contulit gratiam, vt etiam pro salute populi Romani suam ponere animam non dubitaret.

Italiam & ditionem Pontificiam sub Gregorio III conuulsatam,

g h i k

D l m n *compositam,* o

E 3 Missâ igitur legatione apud iam dictum Regem Longobardorum salutaria illi prædicauit *p* cuius sancti viri admonitionibus inclinatus, prænominatas quatuor, quas à Ducatu Romano abstulerat ciuitates, reddere promisit. Dumque motione militum factâ ad comprehendendū Trasimundum Ducem Spoletinum pergeret, ad exhortationem sancti viri exercitus Romanus in adiutorium prædicti Regis, egressus est. Et dum ipse Trasimundus suam deceptionem conspiceret, egressus à Spoletinâ ciuitate, sese prædicto tradidit Regi. Cúmque isdem Rex protraheret dilationem, ad reddendum iuxta suam promissionem iam factam, quatuor ciuitates; prænominatus Pontifex, vt verè Pastor populi sibi à Deo crediti, spem ponens in Deum, egressus ex hac Romanâ ciuitate cum Sacerdotibus & Clero, perrexit fiducialiter & audacter, ad ambulandum in locum *q* Interamnensium vrbis, vbi in finibus Spoletinis ipse residebat Rex. Qui dum in Ortanam conuenisset ciuitatem, ipseque Rex eius cognouisset aduentum, misit Grimoaldum Missum suum: qui ei obuius factus vsque ad Narniensem perduxit ciuitatem. Ad cuius sancti viri aduentum obuiàm iam nominatus Rex misit Duces, Satrapas suos, pluremque exercitum: & à Narniensium ciuitate octauo ferè milliario eodem Rege eum suscipiente, F sextæ feriæ die perduxerunt ad basilicam *r* B. Valentini Episcopi & Martyris, sitam in prædictâ Interamnensium vrbe Ducatus Spoletini. Ante cuius fores basilicæ isdem Rex cum reliquis optimatibus, & exercitu suo sanctum virum suscepit: factâque oratione, mutuam salutationem sibi persoluentes, dum diuinis eum fuisset commonitus colloquijs, impensâque caritate ab eadem egressus ecclesiâ, in eius obsequium Rex dimidium ferè milliarium perrexit, & sic in suis tentorijs vterque eadem feriæ sextę die sunt morati.

adit Regem Luitprandum: p q *benignè excipitur:* r

4 Sabbatho verò iterùm conuenientes, diuinâ perfusus gratiâ Deo placitis admonitionibus eum est allocutus, prædicans ei ab hostili motione & sanguinis effusione quiescere, & ea quæ pacis sunt semper sectari. Cuius pijs eloquijs flexus & constantiam sancti viri & admonitionem admiratus, omnia quæcumque ab eo petijt, per gratiam Spiritus Sancti obtinuit, & prædictas quatuor ciuitates, quas ipse ante biennium per obsessionem factam pro prædicto Trasimundo Duce Spoletino abstulerat, eidem sancto viro cum eorum habitatoribus redonauit. Quas & per donationem firmauit in oratorio Saluatoris, sito intra ecclesiam B. Petri Apostoli in eius nomine ædificato. Nam & Sabinense patrimonium, quod per annos

pacem & restitutionem ei suadet:

olim ablata recipit:

A annos propè triginta fuerat ablatum, atque Narniense etiam & f Auximanum, atque Anchonitanum, nec non & Humanatense, & vallem, quæ vocatur magna, sitam in territorio t Sutrino per donationis titulum ipsi B. Petro Apostolorum Principi, reconcessit, & pacem cum Ducatu Romano ipse Rex in viginti confirmauit annos. Sed & captiuos omnes, quos detinebat ex diuersis prouincijs Romanorum, missis litteris suis tam in Tusciam suam quàmq; trans Padum, vnà cū Rauennatibus captiuis, Leonem, Sergium, Victorem, & Agnellum Consules, prædicto Beatissimo redonauit Pontifici. In prædictâ verò basilicâ B. Valentini, per eiusdem Regis petitionem, in locum u Consignensis Antistitis, qui transierat, alium ordinauit Episcopum. In cuius consecratione: dum adesset ipse Rex cum suis Iudicibus, compunctione inspirationis diuinæ, tantæ orationis dulcedine ab eo sunt prolata, vt, cùm sanctum virum conspicerent fundere preces, plures ex eisdem Longobardis ad lacrymas sint permoti. Eodem verò die Dominico, post peracta Missarum solennia, ad prandium eumdem Regem ad Apostolicam benedictionem suscipiendam B ipse beatissimus Pontifex inuitauit. Vbi cum tantâ suauitate esum sumpsit & hilaritate cordis, vt diceret ipse Rex, tantum se numquàm meminisse x comessatum.

Episcopum coram Rege consecrat:

cum illo prandet:

5 Aliâ verò die, quæ fuit secunda feria, valefaciens ei ipse Rex misit in eius obsequium y Agibrandum Ducem Clusinum nepotem suum, seu Tacipertum Castaldium in eius obsequium, & Ramingum Castaldum Tuscanensem, atque Grimoaldum, qui eidem sancto viro vsque ad prædictas ciuitates obsequium facerent: easdemque ciuitates cum suis habitatoribus traderent; quod & factum est: inprimis Amerinam ciuitatem, deinde Hortanam. Dumque in Polimartio castro conuenissent, eumque recepisset, & fuisset itineris longitudo per circuitum finium Reipublicæ eundi vsque ad Bleranam ciuitatem per partes Sutrinæ ciuitatis; per fines Longobardorum Tusciæ, quia de propinquo erat, id est, per castrum Viterbium, ipse Missus Regis Grimoaldus eumdem beatissimum Pontificem perduxit vsque ad Bleranam ciuitatem, quam & ipsi sancto viro prænominatus Ramingus Castaldius, & iam dictus Grimoaldus missus contradiderunt. Et sic regressus est, Deo propitio, cum victoriæ palmâ in hanc vrbem Romam. Qui etiam omnem populum aggregans, eos est allocutus, C vt ad persoluendas omnipotenti Deo gratiarum actiones ab ecclesiâ Dei Genitricis, quæ vocatur ad Martyres, egressi omnes cum letaniâ generaliter properarent ad Beatum Principem Apostolorum, & ita factum est.

honorificè educitur

loca nuper ablata recipit:

Romam reuersus publicas gratias Deo agit.

a *Ciaconius*: Siberenæ magnæ Græciæ, nunc Calabriæ dictæ, vrbe natus. *Est* Siberena, *nunc* Sanseuerina, *vrbs Archiepiscopalis, de quâ Vghellus tomo 9 Italia sacra agit, sita ad Neæthum fluuium in confinibus Calabriæ citerioris & vlterioris, cui adscribitur. Ceterùm in silentio antiquorum fides sit penes Ciaconium.*

Seberena vrbs.

b *Idem Ciaconius*: Policronij Pontinij filius.

c *Est varia lectio de diebus, & pendet ex diebus, quibus post obitum* S. *Gregorij* III *cessauit Sedes. Passim apud Anastasium habentur* dies quatuor, *& tunc creatus esset* Zacharias Kalendis Decembris, *vti Ciaconius habet, sic rectè sunt* dies quatuordecim, *pro quibus alij solùm* decem *habent & cessasse ante creationem* Sedem dies octo, *& creatum* quintâ Decembris. *Ita Baronius.*

quo die creatus Papa.

d *Baronius ad annum* 710 *nu.* 12 Ducatum Romanum dici consueuisse, quòd Respublica Romana gubernari his temporibus sit solita per Duces, qui mitterentur ab Imperatore. *Erat hic Ducatus satis paruus, conclusus inter Ducatus Spoletinum & Beneuentanum. Consule Camillum Peregrinum in Historiâ Principum Longobardorum, vbi & mappam Geographicam exhibet de his Ducatibus.*

Ducatus Romanus.

e Luitprandus *regnauit ab anno* 712 *vsque ad annum* 744.

f Trasimundus, *alijs* Trasemundus, Transimondus, Transamandus, *è Comite Capuano, à Grimoaldo Rege, ob nauatam huic præclarè operam, data filia in vxorem, gener constitutus & Dux Spoletinorum, Paullus Diaconus lib. 5 de Gestis Longobard. cap.* 16.

Trasimundus Dux

D

g Ameria *vrbs Vmbriæ, & Ducatus Spoletini, vulgò* Amelia.

h Horta, Orta, Hortia & Hortanum *in Patrimonio* S. *Petri ad Tiberim fluuium versùs dictam Ameriam.*

i Polimartium, *alijs* Polimantium, & Blera, *alijs* Bleta, Bleda, & Bieda *in eodem* P*atrimonio* S. *Petri Situs infrà satis insinuatur.*

k *Annus is erat Christi* 739.

l *Sunt 4 ciuitatum incolæ tunc sub Ducibus Spoletinis, nunc in hodierno* Aprutio. Marsicani *ad Fucinum lacum: ex* Forconij *tunc deleti ruderibus excitata à Longobardis Aquila*: Balua, *alijs* Valba *ad dexterum Aterni, nunc Pescara, fluuij ripam: &* Pinna, *alijs* Prina, *celebris etiam nunc ciuitas.*

Vrbes Aprutij sub Spoletinis.

m Reate *in confinibus Vmbriæ &* Aprutij, *nec procul inde distat ager Sabinensis.*

n *Ita MS S. Nicolai prope Cusam. MS. S. Maximini*, Præd. Ind. VIII *passim alij* prædictâ Indictione, *quæ suprà* VII *erat mense Augusto, & dein* VIII *inchoata mense Septembri.*

o 28 *Nouemb. anni* 741.

p *Excusum*: Spoletinum coniungeret se exhortatione.

q Interamna, *vulgo* Terni *ad Ner fluuium, qui Narniam præter lapsus, prope Hortam vrbem in Tiberim dilabitur.*

r *Vitam* B. Valentini *dedimus* 14 *Februarij.*

f *Sunt tres Episcopales vrbes Piceni,* Auximum, Ancona, *à quo ditio Anconitana dicitur &* Humana *seu* Numana, *nunc diruta, & Episcopatu anno* 1422 *suppresso, Anconitanæ Sedi subiecta, vicina Laureto. Distant hæ tres æquali ferè ab inuicem distantiâ, & triangulum constituunt. Ciaconius omittit* Humanæ *seu* Numanæ *restitutionem.*

E

Vrbes in Piceno restitutæ.

t Sutrium *vrbs prouinciæ Patrimonij* S. *Petri: vbi vallis videtur intelligi versùs Viterbum, quòd ditioni Longobardorum annumerabatur.*

u *Locus obscurus, an Episcopus Interamnensis Ecclesiæ sit consecratus an alterius. Si nomen proprium Episcopi indicatur, omissum miramur ab Vghello, qui Constantino, quem tradit* 12 *Kal. Aprilis anno* 726 *decessisse, potuit successisse, ac præfuisse* 16 *annis, quo anno* 742 *vitâ functo, consecratus coram Rege esset* Trasimundus, *à Duce Episcopus: cuius nomen hîc non exprimitur. Baronius ad annum* 742 *num.* 32. *edidit* Consentini Episcopi, *& in margine,* Constantini. *In aliis MSS. etiam* Continensis, Consinensis, Cōsinensis, & Cosensis *legitur. Quid si* Constantinus *ad hoc vsque tempus Interamnæ vixisse dicatur?*

Constantinus Ep. Interamnensis.

x *Ita passim MSS. pro quo correctionis gratiâ alij scripserunt* comesum & comedisse.

y Aribrandus, *alijs* Ariprandus, Aldeprandus, & Hildebrandus, *ex Duce Clusino in ditione hodiernâ Senensi versùs Perusiam, creatus in locum Trasimundi Dux Spoletinus, vti indicat Paulus Diaconus lib* 6, *cap.* 57.

Aribrandus

CAPVT II

Bellum Luitprandi cum Rauennatibus à S. Zachariâ extinctum. Restitutio procurata.

6 His autem expletis a x Indictione, in subsequenti xi Indictione dum nimiùm opprimeret prædictus Rex prouinciam Rauennatium, fuissetque præparatus ad motionem faciendam, & obsidendam Rauennatium vrbem; cognitâ motione eiusdem Regis, b Eutychius excellentissimus Patricius & Exarchus vnà cum c Ioanne Archiepiscopo Ecclesiæ Rauennatis, atque vniuerso populo prædictæ ciuitatis, ac ciuitatum d Pentapolios & e Æmiliæ, factâ in scriptis obsecratione, prædicto sancto viro miserunt, petentes vt pro eorum curreret liberatione. Qui sanctus vir missâ legatione & muneribus ad obsecrandum eumdem Regem per Benedictum Episcopum & Vicedominum, atque Ambrosium Primicerium notariorum petijt, vt à motione cessaret, & Cesenatense Rauennatibus redderet Castrum, sed passus non est. Cuius dum duram perseuerantiam conspiceret iam nominatus sanctissimus vir; trophæo fidei munitus, relictâ Romanâ vrbe, iam dicto Stephano Patricio & Duci ad gubernandum, non sicut mercenarius, sed sicut verè Pastor, relictis ouibus, ad eas quæ perituræ erant redimendas occurrit. Quo egresso itinere, dum se orationibus commendaret Beato Apo-

a. In noua Rauennatum oppressione.

b

c

d e

mittit legatos ad Luitprandum.

ad eum ipse iter suscipit.

A Apostolorum Principi Petro, cum suis Sacerdotibus & Clericis viatoribus, nutu omnipotentis Dei, vt calore non vrerentur per diem; vsque ad locum, vbi tentoria figebant, f nubes eos tegebat, quæ ad vesperum residebat. Alio autem die in eorum protectione erat diuinitus instituta, cui obuiam occurrit denominatus excellentissimus Exarchus vsque ad basilicam B. Christophori, positam in loco, qui vocatur ad Aquilam; quinquagesimo ferè milliario à Rauennatium vrbe. Ipsa verò nubes eum eis vsque ad basilicam S. Apollinaris in Rauennatium vrbem tegendo comitauit. Exinde factum est signum, vt sanctum Pontificem, quò erat iturus, in Ticinensium vrbem acies igneæ in nubibus præcederent. Egressi autem de ciuitate Rauennatenses viri ac mulieres, diuersi sexus & ætatis, agentes gratias omnipotenti Deo profusis lacrymis eumdem sanctum susceperunt Pontificem, clamantes atque dicentes: Bene venit Pastor noster, qui suas reliquit oues, & ad nos, qui perituri eramus, liberandos occurrit.

à nube tegitur.

à Rauennatibus gratanter excipitur.

7. Ex eadem quoque Rauennatium vrbe misit Papa ad prænominatum Regem, Stephanum Presbyterum & Ambrosium Primicerium, qui annuntiarent ei suum aduentum. Qui viri ingressi in finibus Longobardorum in ciuitatem quæ vocatur g Imola, cognoscentes, quòd præpeditionem machinabantur facere prædicto sancto viro, ne illuc ambularet per epistolam scriptam per noctis silentium nuntiauerunt. Quo cognito, iam nominatus Pontifex lucescente die Sabbato, non mortis timore perterritus, sed Christi fretus auxilio, audacter egressus de Rauennatium vrbe, in finibus Longobardorum ingressus, sequipes factus est suis missis. Quos quidem præcedentes ante eum, iam dictus Rex dolore perculsus, suscipere noluit. Ipse verò Summus Pontifex vigesimâ octauâ die mensis Iunij ad Padum conuenit: vbi & ad suscipiendum eum ipse Rex suos misit Optimates: cum quibus h Ticinum conueniens, vbi ipse residebat Rex foris muros eiusdem ciuitatis; pertransiens ad horam orationis nonam, pro Vigiliarum beati Apostolorum Principis Petri celebrandis solennijs Missarum, in basilicam eius, quæ vocatur i Ad cælum-aureum, perrexit; & post completam oblationem in eamdem vrbem ingressus, moratus est. Alio quoque die pro natali celebrando ipsius Principis Apostolorum in prædictâ ecclesiâ à prænominato Rege inuitatus, Missarum solennia celebrauit: ibique mutuò se inuicem salutantes; pariter susceperunt cibos, & sic in prænominatam ciuitatem regressi sunt. Quem sanctum virum alio die isdem Rex per optimates suos ad suum palatium procedere inuitauit: & ab eodem Rege nimis honorificè susceptus, salutaribus monitis eum allocututus est, obsecrans ne amplius Rauennatium prouinciam opprimeret factâ motione, sed magis & ablatas Rauennatium vrbes sibi redonaret simul & castrum Cæsenatense. Qui prædictus Rex post multam duritiam inclinatus est, fines Rauennatium vrbis dilatare, sicut primitus detinebantur: & duas partes territorij Cæsenæ castri ad partem Reipublicæ restituit: tertiam verò partem de eodem castro sub obtentu retinuit, inito constituto, vt vsque ad Calend. Iun. dum eius Missi à regiâ reuerterentur vrbe, idem castrum, & tertiam partem, quam pignoris caussâ detinebat, parti Reipublicæ restitueret. Post hæc autem is ipse Rex egressus de loco in locum, vsque ad Padum eidem sancto viro conuiatus, eum deduxit: in quo loco ei valefaciens, cum dignâ ordinatione eum repedandum absoluit, datis in obsequium eius Duces & primates suos, sed & alios viros, qui sæpe dicta Rauennatium territoria & Cæsenate castrum redderent: & ita factum est. Operatus est autem Deus mirabiliter: & Rauennatium atque Pentapolensium populos ab oppressione & calamitate, quâ detinebantur, libe-

B

ad Regem abit,

celebrat Papæ festum SS. Petri & Pauli:

C

monet Regem ad restitutionem, Cæsenæ,

educitur à Rege & optimatibus:

rauit, & saturati sunt frumento, oleo & vino. D

8 Regressus autem in vrbem Romanam cum omnibus, qui secum erant; gratias agentes Deo, denuò natale Beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli cum omni populo celebrauit, & sese in orationibus dedit, petens ab omnipotenti Deo misericordiam, & consolationem fieri populo Rauennatium & Romano ab insidiatore & persecutore illo Luitprando Rege. Cuius preces non despiciens Diuina clementia, eumdem Regem ante diem superiùs constitutum de hac k subtraxit luce, & quieuit omnis persecutio. Factumque est gaudium non solùm Romanis & Rauennatibus, sed etiam genti Longobardorum, quoniam & l Aldeprandum nepotem suum, quem ipse reliquerat Regem, maleuolum proiecerunt de regno, & Rachisium, qui fuerat m Dux, sibi Longobardi elegerunt in Regem. Ad quem misit legationem ipse Beatissimus Pontifex, & continuò ob reuerentiam Principis Apostolorum eius precibus inclinatus Rex est; & vsque ad viginti annorum spatium in ea pace vniuersus Italiæ quieuit populus.

Romæ iterato celebrat festum SS. Petri & Pauli.

mortuo Luitprando,

cum Rachisio pacem firmat.

a Indictio x absoluta est cum mense Septembri anni 742 quando incepit xi Indictio & continuata anno 743, ad quem sequentia refert Hieron. Rubeus lib. 4 Histor. Rauenn. pag. 220.

b Eutychius Eunuchus, Patricius Brizantinus, ab Leone Isaurico missus Exarchus.

c Ioannes eius nominis v, dictus vi, sedit ab anno 718 ad 748.

d Ciuitates Pentapoleos erant Rauenna, Cæsena, Classis, Forum-Iulij & Forum-Pompilij. Rubeus lib. 4 p. 223.

e Æmilia regio apud Ferrarium ab Arimino Placentiam vsque continet 18 vrbes Episcopales, à viâ Æmiliâ nomen habet.

f Cautionis meminit caloris: at protectionem nubis addidit.

g Imola, olim Forum-Cornelij, vrbs Romaniola versus Bononiam.

h Ticinum Papia iam dicitur, Longobardorum Regum Sedes.

i Paulus Diaconus lib. 6 cap. 58. Luitprandus monasterium S. Petri, quod foras muros Ticinensis ciuitatis situm est, & Cælum aureum appellatur, instituit. Diximus 4 Martij ad Vitam S. Appiani pag. 320.

k Idem Paulus: Luitprandus postquam triginta & vno annis, septemque annis principatum obtinuit; iam ætate maturus, vitæ huius cursum expleuit: hinc ab anno 712 vsque annum 744 peruenisse diximus. De ecclesiis ab eo erectis ibidem agitur.

l Suprà Aribrandus, Ariprandus, &, sicuti hoc loco, etiam Hildebrandus dicitur.

m Dux Foroliuiensis.

B

Pentapolis.

Æmilia.

Cælum aureum.

Luitprandi mors.

CAPVT III

Vrania S. Zachariæ facta. Ecclesiæ ornatæ, ditatæ. Eleemosynæ. Carlomannus & Rachis monachi facti.

Hic in Lateranensi patriarchio ante basilicam beatæ memoriæ a Theodori Papæ à nouo fecit triclinium, quod diuersis marmoribus, & vitro-metallis, atque musiuo, & picturâ ornauit, sed & sacris imaginibus tam oratorium B. Siluestri, quamque & porticum decorauit. Vbi etiam & omnem substantiam suam per manus Ambrosij Primicerij notariorum introduci mandauit. Fecit autem à fundamentis ante scrinium Lateranense porticum, atque turrem, vbi & portas æreas atque cancellos instituit, & per figuram Saluatoris ante fores ornauit. Et per ascendentes scalas in superioribus super eamdem turrem triclinium, & cancellos æreos construxit. Vbi & orbis terrarum descriptionem depinxit, atque diuersis versiculis ornauit, & omne patriarchium penè à nouo restaurauit: in magnâ enim penuriâ eumdem locum inuenerat. Hic in ecclesiâ Apostolorum Principum Petri & Pauli pendentia vela inter columnas ex pallijs sericis fecit. Hic in Ecclesiâ prædicti Principis Apostolorum omnes codices domus suæ proprios, qui in circulo

Exornat patriarchium Lateranense,

& templum SS. Petri & Pauli,

circulo anni leguntur ad Matutinas, in armario opere ordinauit. Hic domum b cultam Lauretum nouiter ordinauit, adijciens & massam c Fonteianam, quæ cognominatur d Pauneria. Hic viginti auri libras pro emendo oleo annuè, vt de lucro eorum in luminarijs Apostolicis proficiat, instituit: & constitutum sub anathematis vinculo obligauit. Hic fecit vestem super altare B. Petri, ex auro textam, habentem natiuitatem Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, ornauitque eam gemmis pretiosis. Simulque & vela serica alithyna quatuor, quæ & ornauit eum rotis & ornamentis varijs auro textis. Idem fecit coronam de argento purissimo cum delphinis ex proprio suo, pensantem libras centum viginti.

10 Hic Beatissimus vir iuxta ritum Ecclesiasticum & fidei suæ sponsionem orthodoxam, Synodicam misit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, simulque & aliam suggestionem dirigens Serenissimo e Constantino Principi. Et Pergentibus Apostolicæ Sedis Responsalibus ad regiam vrbem, inuenerunt intra palatium Regiæ potestatis inuasorem quemdam & rebellem f Artaustum nomine: dum enim isdem Imperator ad dimicandum contra Agarenorum properasset gentem, illicò præfatus Artaustus fatis populo, qui in regiâ remanserunt vrbe, præmijs, imperiale arripuit solium. Et postmodùm aggregans orientalium exercituum multitudinem aggressus Constantinus Princeps, pergensque Constantinopolim, eamdem viriliter expugnans, atque extrinsecus circumuallans, comprehendit ciuitatem, & pristinum regni sui adeptus est fastigium. Statimque iam fati Artausti eiusque filiorum g eruit oculos, & plures ex suis rebellibus exules à proprijs fecit habitaculis. Posthæc requirens Missum Apostolicæ Sedis, quem ibidem in tempore perturbationis contigerat aduenisse, eumque repertum ad Sedem absoluit Apostolicam, & iuxta quod Beatissimus Pontifex postulauerat, donationem in scriptis de duabus massis, quæ Nymphas, & Normias appellantur, iuris existentes publici, eidem Sanctissimo ac Beatissimo Papæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ iure perpetuo direxit possidendas.

11 Huius temporibus Carlomannus, filius Caroli Francorum h Regis, præsentis vitæ relinquens gloriam atque potestatem terrenam, ad B. Petrum Apostolorum Principem deuotus cum aliquantis suis i aduenit fidelibus, seseque eidem Dei contulit Apostolo, atque in spirituali habitu se fore spondens permansurum, Clericatus iugum ab eodem Sanctissimo suscepit Pontifice. Et inter alia multa dona obtulit B. Petro Apostolo ante confessionem arcum argenteum maiorem, pensantem libras septuaginta. Et post aliquantum temporis ad B. Benedicti, quod in Aquinensium finibus situm est, profectus est k monasterium, in quo & suam finiri vitam iure professus est iurando.

12 Porrò eodem tempore contigit plures Veneticorum hanc Romanam aduenisse in vrbem negotiatores, & mercimonij nundinas propagantes, multitudinem mancipiorum, virilis scilicet & fœminini generis, emere visi sunt, quos & in Africam ad Paganam gentem nitebantur deducere. Quo cognito, isdem Sanctissimus Pater fieri prohibuit, hoc iudicans, quòd iustum non esset, vt Christi abluti baptismo, Paganis gentibus deseruirent. Datoque eisdem Veneticis pretio, quod in eorum emptione se dedisse probati sunt, cunctos à iugo seruitutis redemit, atque more liberorum degendos absoluit.

13 Ipsis itaque temporibus Rachis Longobardorum Rex ad capiendam ciuitatem Perusinam, sicut cetera Pentapoleos oppida, vehementi profectus est cum indignatione, quam & circumdans fortiter expugnabat. Hoc audiens sanctissimus Papa continuò ipse Diuinâ fretus, assumptis aliquantis ex suo Clero cum optimatibus quantocyus ad eamdem peruenit ciuitatem, impensisque eidem Regi plurimis muneribus, atque oppidò eum deprecans, opitulante Domino, ab obsessione ipsius ciuitatis eum amouit. Cui & salutifera prædicans, Deo auctore valuit animum eius in spirituali studio inclinare. Et post aliquantos dies isdem Rachis Rex l relinquens regalem dignitatem, deuotè cum vxore & filijs ad B. Petri Principis Apostolorum petrexit limina, acceptâque à præfato sanctissimo Papâ oratione, Clericusque effectus, monachico indutus est habitu cum vxore & filijs.

14 Huius denique temporibus magnum thesaurum Dominus Deus noster in hac Romanâ vrbe per eumdem almificum Pontificem propalare dignatus est. In venerabili itaque Patriarchio sacratissimum B. Georgij Martyris isdem Sanctissimus Papa in capsâ reconditum reperit caput, in quo & pittacium inuenit pariter litteris exaratum Græcis, ipsum esse significantes. Qui Sanctissimus Papa omnino hilaris & lætus factus, illicò aggregato Romanæ vrbis populo, cum hymnis & canticis spiritualibus in venerabili a Diaconiæ eius nominis, sitâ in hac Romanâ ciuitate, regione secundâ, ad Velum aureum, illud deduci fecit. Vbi immensa miracula & beneficia omnipotens Deus ad laudem nominis sui per eumdem sacratissimum Martyrem operari dignatur.

15 Huius temporibus defunctus Theodorus, maior filius Megisti Catanti, ob veniam suorum delictorum, prædium, quo ex hereditate fruebatur paternâ, situm quinto ab hac Romanâ vrbe milliario viâ Tiburtinâ, in quo & oratorium S. Ceciliæ esse dignoscitur, Beato Petro reliquit. Quod ipse beatissimus Papa magnæ constructionis fabricis atque picturis decorauit, ampliauitque in eo fines ex omni parte. Datâ enim dignâ recompensatione his, qui in vicino eiusdem loci possessiones tenere videbantur, nemini vim inferens, sed magis vt conderet patri, cuncta secus eumdem locum amicâ pactione pretio emit prædia: & domum cultâ, B. Petro eumdem locum iure perpetuo statuit permanendũ. Quæ domus culta, S. Ceciliæ vsque in hodiernum diem vocatur. Construxit quippe & in eâ oratorium S. o Abba-Cyri, vbi & multas Sanctorum condidit reliquias. Quam videlicet domum-cultam vsui proprio, Dominicæ videlicet traditioni, descripsit. Hic constituit aliam domum-cultam in decimo quarto milliario ab hac Romanâ vrbe patrimonio Tusciæ, & constitutionibus obligauit vsui Ecclesiæ permanendum, etiam loca quæ ab Annâ, relictâ quondam Agathonis Primicerij, B. Petro videntur esse concessa. Hic massas quæ vocantur Antius & Formias, suo studio iure B. Petri acquisiuit, quas & domos-cultas statuit. Et de omnibus superius adnexis domo-cultis Apostolicæ exarationis constituta faciens, atque Sacerdotale Collegium aggregans, sub anathematis interdictionibus statuit, nulli quoquo modo successorum eius Pontificum, vel alij cuilibet personæ licere ipsas p domos-cultas ab vsu Ecclesiæ quoquo modo alienare.

16 Hic fecit vestem super altare B. Andreæ Apostoli ad B. Petrum nimis optimam. Hic beatissimus Papa statuit, crebris diebus alimentorum sumptus, qui & eleemosyna vsque nunc appellatur, de venerabili Patriarchio à Paracellarijs, pauperibus & peregrinis, qui ad B. Petrum morantur, deportari eisque erogari: nec non & omnibus & inopibus & infirmis per vniuersas regiones istius Romanæ vrbis constitutis, ipse eamdem similiter distribui alimentorum constituit eleemosynam.

17 Huius temporibus contigit subitò tegumen tituli beati Christi Martyris q Eusebij cadere. Qui sanctissimus vir cum totâ suâ decertans virtute, prudenterque elaborans, sicut antiquitus fuit, rursus quod ceciderat, reparauit, atque optimè restaurauit. Hic præcipuus Pontifex multa loca Sanctorum in melio-

varia ergamenta confecit:

f mittit sum Constantinopolim:

accepit posita loca,

i Carlomannum Principem induit veste Clericali:

Christiana mancipia vendi Paganis vetat:

Rachisum Regem à bello amouet,

l & habemonachum vestit:

Varias possessiones S. Petro acquirit:

eleemosynas largas facit:

q templa reficit & ornat:

A meliorem statum perduxit. Et vestes optimas super altaria earumdem Dei Ecclesiarum fecit. Hic dilexit Clerum suum valdè, atque Presbyteria eis annuè in duplo & ampliùs tribuit. Omnes vtpote pater, & bonus pastor amplectens, & vtiliter fouens, & penitus quempiam minimè tribulari permittens. Huius itaque temporibus in magnâ securitate & lætitiâ populus à Deo illi commissus degens vixit.

Clerum fouet:

18 Hic beatissimus Papa suo prudentissimo studio, quos beatæ recordationis Gregorius Papa fecit quatuor Dialogorum libros, de latino in Græcum transtulit eloquium, & plures, qui Latinam ignorant lectionem, per eiusdem lectionis illuminauit historiam. r Hic fecit ordinationes tres per mensem Martium, creauit Presbyteros triginta Diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca octoginta quinque. Qui sepultus est ad B. Petrum Apostolum Idibus Martij, indictione v. & cessauit Episcopatus eius dies duodecim.

Dialogos S. Gregorij Græcè transfert.

a Theodorus Papa sedit ab anno 641 ad 647. quem ait Anastasius fecisse oratorium B. Siluestro intra Episcopium Lateranense, vbi & dona largitus est. De eo hic agitur.

Theodorus Papa

b Alijs occultam Laureatam, aut Laurentum. B

c Al. Fontanum & Fontinianum. d al. Paunasia & Pannaria. D

e Hic est Constantinus Copronymus, qui patri suo Leoni Isaurico successit anno 741.

f Artabaldus Græcis Anna sororis Constantini maritus.

g Mense Nouembri Indictione 12, anno 743. Consule Theophanem.

h Hic est Carolus Martellus mortuus anno 741, ob regiam auctoritatem supra ipsos Reges, à posteris passim Rex appellatur.

Carolus Martellus Rex.

i Anno 747. k Casinense, à quo Aquinum parum distat.

l Cùm annos quinque & sex menses regnasset; ergo circa annum 750.

m Inde Casinum discessisse scribit Leo Ostiensis lib. 1 Chronici Casinensis cap. 8. Imò Thesiam vxorem & Rattrudam filiam in monasterio vicino Plumbariolâ à se extructo, vitam monasticam duxisse.

Paulus Rex monachus.

n Panciroliis in Thesauro Ecclesiarum Romanarum, regione 9 ecclesia 26 de hac S. Georgio dicatâ agit.

o Colitur S. Cyrus cum S. Ioanne Alexandrinus Martyr 31 Ianuarij.

p Baronius has domos cultas explicat latifundium cum domibus adiunctis, in quibus familia colonorum adscripta ad culturam forent.

q S. Eusebius sub Constantio Imp. occisus colitur 14 Augusti; vbi obseruat Baronius hanc restaurationem testari inscriptiones marmori incisas. Agit de ea Pancirolus ecclesiâ 16 regionis 2.

S. Eusebius M.

r Sequentia desunt in nonnullis codicibus. E

DE B. VALERIO ARCHIEPISCOPO

RAVENNÆ IN ITALIA.

Ex Hieronymi de Fabris Antiquitatibus Rauenn. Italicè editis.

ANNO DCCCXII XV MART.

Creatus Archiep. an. 807.



SAnctus Valerius, quem alij nominant Valerianum, anno DCCCVII Ioanni, eius nominis septimo Archiepiscopo Rauennati, in curâ pastorali successit: cuius fama in nostris historijs celebris est, laudatáque ab insigni zelo cultus diuini promouendi in ornandis sacris templis, atque imprimis eò quòd in Classe S. Apollinari est consecratum: vbi inter alia S. Eleuchadio, XIV Februarij Sanctorum Fastis adscripto, altare consecrauit, quod ecclesiam intrantibus ad sinistram est iuxta campanile. Vrsiana quoque basilica multis ab eo argenteis vasis locupletata est, cui & mensam donauit argenteam, ingeniosissimi artificis manu sic laboratam vt opacam platanū celatura repræsentet. Legitur prætereà ex duarum antiquarum ecclesiarum ruinis (quarum vnam S. Georgio, alteram S. Eusebio olim dedicauerant Ariani extra portam S. Victoris, quasque ipse, hæreticorum abominatus memoriam, solo æquari iusserat) pulcherrimam ædificasse ecclesiam, cui ab auctore nomen mansit Valerianæ. Quibus alijs gloriosè & magnificè gestis nec minus virtutibus egregiè cultis, migrauit è vitâ anno reparatę salutis DCCCXII xv Martij, cùm adhuc Romanam Cathedram Leo III teneret, & Imperium Occidentis quidem Carolus Magnus, Orientis verò Michael, successor Nicephori. Corpus eius sepultum est in Classensi basilicâ, indéque anno MCCXXII IX Maij ab Archiepiscopo Simeone solenni pompâ translatum; honorantibus eam

ecclesias ornat;

C *Valerianam condit;*

eius corpus ex Classe solenniter translatum:

actionem præsentiâ suâ Hubertello Foro-Pompiliensi, Odone Cæsenate, & Rustico Ceruiensi Episcopis. Huius translationis ita meminit historicus noster Hieronymus Rubeus libro VI: Eodem die D. Valerij Archiepiscopi ossa in æde Classensi ab ipso Simeone, solenni indictâ Episcoporum supplicatione, Vrsianam in ædem translata sunt. In historiarum quoque Camaldulensium, ab Augustino Fortunio vulgatarum, parte II, libro I, capite IV, legitur, prædictum Archiepiscopum Simeonem iam memoratam Classensem basilicam ornasse vno anno Indulgentiarum, ob reuerentiam B. Valerij. Ex quibus testimonijs habemus quàm indubitata temporibus ijs fuerit B. Valerij sanctitas, quàm verè religiosus & publicus cultus etiam reliquijs eius delatus; etsi obliuiosi incuria seculi nunc penè memoriam illius amiserit, incertumque lateat quâ in parte Metropolitanæ nostræ ædis sacra eius ossa requiescant; quemadmodùm in obscuro quoque virtutes illius sunt, ob quas sic meruit honorari. Vt de eo quoque dici possit, quod occasione B. Franceschini Rauennatis in Alphabeto Augustiniano dixit Thomas Herrera: Habent quandoque & Sancti occultâ Dei dispensatione nescio quid infelicitatis, vt cùm in summâ felicitate sint clarâ Dei visione fruentes, & infelices esse non possint, nihilominùs sodalium oscitantiâ vel negligentiâ, sine infelicitate careant felicitate cultus humani.

memoria apud posteros obscurata. F

DE S. LEOCRITIA VIRGINE

MARTYRE CORDUBÆ IN HISPANIA.

ANNO DCCCLIX XV MART.

Vita edita:

1 VIta & martyrium S. Leocritiæ continentur in Actis S. Eulogij Martyris ab Aluaro teste oculato conscriptis; quæ illustrauimus ad diem XI Martij: vbi lector omnia, quæ de S. Leocritiâ sciri possunt, reperiet cap. 4 & 5 in hoc eodem tomo II mensis Martij paginâ 93 & sequentibus. Hæc sancta Virgo, vt ibidem dicitur num. 23 quartâ post martyrium S. Eulogij die extitit decollata, ergo hoc XV Martij, quo die ista leguntur in Martyrologio Romano: Cordubæ S. Leocritiæ Virginis & Martyris. Additur apud Galesinium: Hæc è parentibus

cultus sacer.

A rentibus impiis nata, studio Litiosæ, cognatione sibi coniunctæ, fidem Christi complexa est: quam à teneris annis susceptam, deinde spiritalibus exercitationibus auctam, primò occultè, pòst palàm & publicè coluit: à quo cultu nullis parentum, neque cohortationibus assiduis, neque teterrimis minis abduci potuit. Diuino igitur munere ad fidei confessionem indies vehementiùs confirmata, inuicto animo martyrij cursum confecit. *Eamdem inscripserunt Laherius magno Menologio Virginum, Arturus à Monasterio sacro Gynæceo & Tamaius Salazar Martyrologio Hispanico: cuius elogium addimus:* Cordubæ, *inquit*, in Hispaniæ Bœticâ, S. Leocritiæ Virginis & Martyris, S. Eulogij Presbyteri discipulæ: quæ cùm ex Saracenorum origine esset progenita, & per Litiosam eius consanguineam D fidei regulam accepisset, Christumq; occultè coleret; demùm eius pietas propalata, carceri per parentes inducta, varijs conuulsa cruciatibus, collo mucroni extenso, victrix cælum ascendit. *Hæc Tamaius, qui valdè miratur festum in Ecclesiâ Cordubensi de hac Sanctâ Virgine non haberi. Martinus Roa de Sanctis Cordubensibus & Marietta de Sanctis Hispaniæ lib. 4 cap. 40 referunt martyrium ad sequentem diem* XVI *Martij, sed error ille forsan in prælo commissus est. De Translatione eius ad Ouetensem Ecclesiam ac postmodùm ad Cameram sanctam eiusdem ecclesiæ, ad Vitam S. Eulogij, cuius corpus vnà translatum fuit, egimus* § 2 *pag.* 90.

DE S. SISEBVTO ABBATE
CARADIGNÆ IN HISPANIA.

ANNO MLXXXII. XV MART.

1 
Aradigna antiquum apud Burgenses in Castellâ vetere monasterium, anno DCCCXXXIV *per Regem Mahometanum Zapham, interfectis, vt* VI *Augusti dicendum, in odium Christianæ religionis ducentis monachis, destructum est, ac postmodùm circa annum* DCCCLXXXIV *iussu Alphonsi* III, *Magni appellati, cœpium reparari, & circa annum* DCCCC *demùm inhabitatum. Quæ omnia pluribus deducuntur à Prudentio Sandouallio tractatu particulari de hoc monasterio Caradignâ S. Petro dicato. Vixit posteà huius monasterij Abbas S. Sisebutus, mortuus* XV *Martij, quo die inscriptus est Martyrologio Hispanico Tamaij Salazar his verbis:* Burgis in Hispaniâ citeriore S. Sisebuti Abbatis, qui postquàm cœnobium S. Petri Caradignense per aliquot annos rexisset admirabilis, & vitam inculpabilem peregisset Angelicam, pietatis honore conspicuus, & mirabilium patratione percelebris, æternam sanctitatis acclamationem promeruit. *Modestius Menardus in Martyrol. monast.* In cœnobio Caradinensi in Hispaniâ S. Sisebuti Abbatis. *Aliquantò plura congerit Bucelinus. Vt Sanctum etiam venerantur iam memoratus Sandouallius, & Antonius Yepez tomo 6 Chronici Benedictini ad annum 1076 cap. 2. Acta S. Sisebuti seruantur in monasterio Caradignensi in peruetustâ membranâ, quæ inde à P. F. Ioanne de Arebalo se accepisse testatur Yepez, & Hispano idiomate edidisse, quæ iterum Latinitati reddi curauit Tamaius, ex quo ea hic edimus.*

Cultus sacer.

Vita.

C Sisebutus qui fuit III Abbas tempore Episcopi D. Gometij floruit regnante Ferdinando I Sanctio II, & partim regni Aldephonsi VI, & gubernauit hoc S. Petri Karadinensis cœnobium per aliquot temporum curricula, taliter se gerens in vitæ disciplinâ, in religionis complemento, in Regulæ obseruantiâ, in monachorum moribus, in monasterij curâ, & in ministerij exercitio, vt vsque nunc vix alicuius memoria inest, qui ante eum vel post eum sic monasticam seruaret integritatem, aut normam instituti feliciùs exequeretur. Qui in eius contubernio vixerunt, penitus ipsius vitæ ordinem in scriptis redigere neglexerunt, nec mirabilia, quæ Deus per eius intercessionem perfecit, memoriæ mandarunt. Fuit ergo tunc in nostris incuria communis & oscitantia vniuersalis, prout nunc adest maiorum lacrymabilis inertia. Et licet in membranis papyri defuisset sedulitas; attamen quanta sancti Abbatis fuerit sanctitudo, marmoreis sarcophagis commendarunt. Nam eius corpus non inter alios cœnobij Abbates sepelierunt, E sed ei, diuerso ab illis sepulcro deposito, debitam vt Beato venerationem offerebant. Mortuus est sanctissimus Abbas Sisebutus XV mensis Martij anno Domini MLXXXII. Sacra pignora iacuerunt in capellâ S. Iacobi in monumento lapideo sub arcu marmoreo, vbi omnium venerationi exposita perdurarunt. Quot afflicti ad eius sepulcrum venientes, ab omnibus liberi miserijs, voto expiato, alacres reuersi sunt? Extat D. Mariæ Franchæ in memoriâ miraculum, quæ ex paralysi membris orbata, B. Sisebuto quotidie suam afflictionem commendans, eiusq; sepulcro adhærens, continuò à vinculis absoluta, per ecclesiæ ambitum gratias agens Deo, libera agiliter ambulauit. Hæc illustrissima fæmina tanti beneficij memor, proprijs expensis hospitium in peregrinorum subsidium iuxta Capellæ aditum extruere curauit: in cuius parietis planitie miraculum egregijs picturæ coloribus exprimi fecit: & vt perpetuò ante sancti Abbatis vrnam exardesceret lampas, apposuit, & censuali munere ditauit, aliáque non contemnenda hæreditario iure donauit: donec è viuis sublata, intra hospitij à se facti aditum sub miraculi picturâ sepeliri se iussit. Alia item miracula adhuc obseruat & asseuerat traditio, scilicet cuiusdam paralytici, & F muti alterius, qui, ille pedes, iste linguam, receperunt. Post aliquod tempus, quo Sancti exuuiæ ibidem honorificâ veneratione fuerunt excultæ, & à peregrinis, quos attraxerat & deuotionis affectio & miraculorum opinio, diu noctuque visitatæ, monachi pignora sacra de Capellâ S. Iacobi, in thecâ honestâ excultâque inclusa, ad altare maius iuxta sacrarij tabernaculum reposuerunt, vbi quiescunt.

Virtutes in regimine.

Sepultura.

sanatur paralytica,

item paralyticus & mutus:

corpus maiori altari impositum.

2 *Solebat autem, vt addit Tamaius, ante & post translationem, Conuentus omnibus Sabbatis properare ad sacra lipsana post Vesperarum Officium, vbi Antiphona & Oratio propria canebatur. Prætereà in Breuiario anni* MCCCXXVII *nomen S. Sisebuti legitur in Litanijs inter Confessores, & in suffragijs Sanctorum cum propriâ Collectâ. Eadem reperiuntur in Breuiario anno* MCCCCXCVIII *recognito.*

inuocatio patrocinij.

DE BB. MONALDO FRANCISC. ANTON.
EX ORDINE FF. MINORVM.

AN. MCCLXXXVI XV MART.

1 
Rsenga Armeniæ ciuitas est, horum beatorum Martyrum glorioso fine condecorata, quod qua ratione acciderit, docebit Fr. Carlinus de Grimaldis *per epistolam, quæ in Luca VVadingi Annalibus talis extat.* Reuerendo in Christo P.... Guardiano loci Ianuensis salutem & pacem. Quoniam, vt credo, ad vestram notitiam peruenire non potuit, qualiter SS. Martyres, Fratres Ordinis nostri Minorum, scilicet Fr. Monaldus de Anconâ, F. Franciscus de Petrillo seu de Firmo, & Fr. Antonius de Mediolano pro Christo sua corpora tradiderunt:

A runt: ideò ergo scribo veraciter modum ipsorum martyrij, prout ab Armenis & Græcis, qui præsentes fuerunt, diligenti inquisitione primùm intellexi, nec non à fideli quodam nuntio ad inuestigandam huius rei veritatem per nos specialiter destinato. Noueritis igitur, quòd dum prædicti Fratres, pro veritate fidei Catholicæ se morti exponere proponentes, in Arzengâ ciuitate morarentur, ibant qualibet sextâ feriâ Quadragesimæ ad prædicandum ibidem Sarracenis; quia illum diem Sarraceni, vt nos diem Dominicum, solennizant; Sarracenis proponentes coram Cadi, id est, Episcopo eorum, qualiter Christus est verus Deus, & pro salute omnium crucifixus; & quod isti, qui illa non credunt, non sunt in lumine veritatis. Sarraceni verò econtrà negabant Christum Deum fuisse. Et Fratres: Istud quod nos dicimus, multi Prophetę & multa miracula protestantur, & nos in huius fidei lumine confirmati, parati sumus pro istâ fide mori. Mahometus verò vester quis fuit? Quoties etiam alios decepit, seipsum ingerens vt Prophetam? Quæ lex, quæ Scriptura, quæ miracula attestantur ei?

Tres Fratres coram Cadi

Sarracenis Christum prædicant,

2 Tunc Cadi videns Sarracenos præsentes turbatos, dixit Fratribus voce turbulentâ: Recedatis hinc B quò citiùs poteritis, quia ista verba non sunt hîc dicenda: ite pro factis vestris: & ita Fratres recesserunt; & istud fuit in Quadragesimâ primâ sextâ feriâ. Secundâ verò vice reuersi sunt Christi pugiles ad fidei certamen, & dicta replicantes, multa alia ad nostræ fidei explanationem & confutationem legis Mahumeticæ addiderunt. Tunc Cadi vocatis senioribus Sarracenorum & Falquerijs, id est, Religiosis, fit longa disputatio de fide nostrâ & concertatio inter partes. Tandem frementibus Sarracenis & Fratribus comminantibus, illi Spiritu sancto repleti frequenter replicando intrepidè respondebant: Ecce sumus in manibus vestris, occidite quomodocumq; volueritis: quia nos paratos & gaudentes inuenietis quantamcumque tribulationem & mortem pro Christo sustinere. Tunc Sarraceni qui aderant furore succensi voluerunt in Fratres insurgere: sed Cadi prohibuit, dicens, ne festinarent. Fratres verò licentiati ab eo recesserunt.

de fide disputant,

3 Postea Cadi vocatis Senioribus & Falquerijs fecit consilium, ad quod etiam multi de populo concurrerunt, & auditis quæ proponebantur contra Fratres, omnes pariter conclamauerunt: Omninò moriantur & eradicentur de terrâ nostrâ: nam Prophetam nostrum & legem, vt lutum, vituperant & contemnunt; & pluribus moniti, vt à talibus desisterent, C magis continuò fuerunt contumaces; & publicè confundunt nos & legem nostram, quod nullatenus est sustinendum: & ideo celeriter extinguantur. Tunc Feria sextâ ante quartam Dominicam Quadragesimæ, id est, decimâ quintâ Martij pro sanctis Fratribus transmiserunt, qui præparauerunt se gaudentes ad mortem corporalem: & accedentes continuè Sarracenis accurrentibus fidem Catholicam audacter prædicabant, asserentes hanc solam esse saluationis viam, pro quâ multùm desiderabant mori. Lex autem vestra, dicebant, vos omnes ad mortem æternam deducit; & sic in fide constantes mortis sententiam acceperunt.

damnantur ad mortem,

5 Tunc fuit per totam terram illam per multos acclamatum: Omnes qui volunt vindicare opprobrium nostrum per sanguinem illorum canum, qui legem & sanctum Prophetam nostrum reputant quasi lutum pedum, vadant statim ad campum. Interim sancti Fratres ducuntur ad Mardanum, id est, plateam vel campum, non tracti vel ligati; gaudentes quasi ad epulas inuitati, qui dicebant: Nunc impletum est desiderium nostrum. Cùm autem ad locum Martyrij peruenissent, vallantur vndique à Sarracenis, euaginatis gladijs concurrentibus contra eos. Ipsi verò ante tribunal positi, confitebantur intrepidè fidem Christi. Tunc irruentes quamplurimi cœperunt eos gladijs crudeliter pungere & grauiter vulnerare. Quidam D autem Sarracenus naturali pietate forsitan vel diuino ductus impulsu, arguens carnifices, quia sic immaniter tractabant sanctos Fratres; facto impetu magno occiditur à Sarracenis. Fratres verò flexis genibus manicas ante oculos ponentes, posteà manus ad cælum leuando, Domino suos spiritus tradiderunt, & omnes Christiani præ timore ad domos suas fugerunt.

ducuntur ad supplicium,

& occisi

6 Deinde manibus & pedibus truncatis & capite, membra sic decisa per portas & muros ciuitatis, relictis truncatis corporibus, suspenderunt. Sacerdos autem Armenorum, quia fauorabilis sanctissimis Fratribus videbatur fuisse, cum socio capitur, & capite vnius Martyris ad collum eius ligato, ipsum nudum per totam terram verberando eum & fustigando duxerunt. Sanctorum verò corpora Sarraceni per totam diem & noctem custodierunt, dicentes, Ne fortè Christiani furentur ea, & venerentur pro Sanctis. Deinde corpora sancta corrodenda canibus & auibus dimiserunt. Dictus autem Sacerdos Armenorum cum magnâ multitudine armatorum, Sanctorum corpora occultè collegit, & etiam membra alia dispersa vel prece vel pretio acquisita, tradidit honorificæ sepulturæ. E Vnus tamen Armenus ex magnâ deuotione furatus est duorum capita Martyrum, & ea [non] sepeliuit: sed per multas preces nobis dicta duo capita propter timorem infidelium occultè apportauit.

truncantur extremis membris

sepeliuntur ab Armenis

7 Quando autem in Arzengâ dicti Armeni alias Sanctorum Fratrum reliquias condiderunt; multis videntibus, ad sacrum locum (vbi conditæ fuerant, & vbi Sanctorum sanguis fuit effusus, & membra decisa posteà fuerunt) luminaria de cælo descenderunt. Referunt etiam qui præsentes fuerant, quòd, cùm ille Cadi diceret Fratribus ante mortem, coram eis statuens quemdam cæcum: Vos dicitis, quod fides vestra est confirmata multis miraculis, facite ergo vt cæcus iste lumen recipiat, & credemus vobis. Responderunt Sancti: Potens est Christus filius Dei, si velit, istum cæcum illuminare; & factâ oratione & signo Crucis super oculos cæci, cœpit ab oculis eius quasi aqua effluere, & posteà sanguis, & sic recuperauit visum. Quo territi Sarraceni clamauerunt, vt citò morerentur, aliter eorum fides erat confusa. Illum etiam cæcum ita de medio sustulerunt, quòd ex tunc non est visus.

visus cæco redditur

8 Cùm autem ad nos sacræ Reliquiæ deferrentur, exiuimus eis obuiam solenniter cum omni populo Latinorum. Duobus verò Sacerdotibus ex nobis arcam, in quâ erant sacra capita & Reliquiæ, ornatam & F pallio pretioso coopertam portantibus, & alijs cantantibus, exultabant fideles & præ deuotione flebant: infideles autem confundebantur: Græci autem sacras venerabantur Reliquias. Cantatâ verò solenniter Missâ, Dominicâ quâ Euangelium illud occurrit, Ego sum pastor bonus, & facto sermone, in crastinum venit ad locum sepulturæ sanctorum Martyrum Episcopus Armenorum cum Clero & populo vniuerso, sacris Reliquijs cum magnâ deuotione reuerentiam exhibentes. Armeni verò habent in magnâ reuerentiâ dictos Sanctos Fratres, & Patriarcha eorum ipsos suo more canonizauit, & ipsi ex deuotione eorum vigiliam ieiunant.

reliquiæ transferuntur.

9 *Hactenus Carlinus; qui vnde, & quando scripserit scire non possumus; propterea quòd eius epistola fine careat. VVadinghi continuator & compendiator Aroldus suspicatur Hierosolymis habitasse, vbi tunc Fratres Minores Conuentum habebant: & suspicionem firmat ex concursu nationum: Latinorum scilicet Græcorum atque Armenorum. Verùm tam longè abest Hierosolymis terrestri itinere dumtaxat adeundis Arzenga, sexcentis passuum millibus dissita, vt difficulter inducere possimus animum, quòd ea suspicio aliquid habeat veritatis; maximè cùm in eâ, ad quam delati sunt*

Hierosolymis fuisse

A *Sancti, vel proximâ ciuitate sedem habuerit Patriarcha Armenus: itaque vel antiquam Armeniæ primæ metropolim Melitenem, hodie Malatinam paucis milliaribus supra ostium Melæ fluminis in Euphratem incurrentis sitam, suspicari mallem; vel totius Armeniæ & Imperij Orientalis sedem, ac Byzantij æmulam, Trapezuntem ad pontum Euxinum vnius duorumúe dierum itinere Arzengâ remotam: vel denique, quod omnium mihi verosimillimum est, Peram, Ianuensium vrbem ex aduerso Constantinopoleos, vbi extincto Francorum in Oriente imperio, Latinorum remansisse reliquias nouimus vsque ad captam à Turcis Constantinopolim: neque dubium est quin suum ibidem Minoritæ conuentum habuerint, cui continuum esset cum Ianuensibus Fratribus commercium: vti certum est multa Constantinopoli esse Armenorum millia & suum habere Episcopum, qui se Patriarcham dicat.*

An Peram?

10 *Etenim nihil facilius fuit quàm corpora Trapezuntem delata ad Genuenses mercatores, toto Euxino ponto negotia sua exercentes, eorum nauibus ad alterum Euxini latus, enauigato quàm longus est Ponto, transportari. Huic autem coniecturæ fauet, quòd Ianuensi Guardiano inscribatur Epistola; & quo tempore Beati Martyres passi sunt, vtraque in Vrbe Constantinopolitanâ ac Trapezuntiâ Græci imperitarint. Tempus quidem illud ambiguum nobis VVadinghus fecit, quando, quos ex Ordinis sui Memoriali sub* XII *Generali Bonagratiâ passos retulerat, anno* MCCLXXXVI, *eorumdem deinde historiam, id est, Fr. Carlini epistolam, profert sequentis seculi anno* XIV, *nullâ allatâ ratione, cur ab antiquis Ordinis sui monumentis recesserit. Mouisse illum videtur character temporis, quo Martyrium hoc obsignauit Carlinus,* XV *dies Martij in feriam sextam ante Dominicam quartam Quadragesimæ incidens: quod toto Generalis duodecimi quinquennio contingit numquàm, ac ne reliquo quidem seculo* XIII: *contigit autem sequentis seculi anno* III *& eo quem ipse elegit* XIV.

num anno 1314?

B

11 *Verùm, eâ ratione non obstante, omninò standum existimo vetustiori illi, atque adeò certiori memoriæ, cuius vtinam ipsa haberemus verba: existimo enim ad Bonagratiæ Generalatum, qui ab anno* MCCLXXIX *ad* LXXXIV *extenditur, horum Martyrum fieri mentionem: non quia sub eo Martyrium compleuerunt: sed quia tunc missi in eam expeditionem sunt, siquidem vt VVadinghus ad extremum huius Generalis annum scribit:* miserat Fr. Bonagratia plurimos Fratres ad partes Aquilonares, in Asiam & Armeniam fidem catholicam disseminaturos: quod impigrè illi fecerunt, & magno incremento fidem suumque sodalitium dilatarunt; at non vbique eadem facilitate: nam multis in partibus afflicti, angustiati; in periculis frequenter, in carceribus sæpiùs, vescebantur pane doloris & aquâ tribulationis, donec ipsam vitam pro Domino, cuius caussam agebant, summo gaudio obtulerunt, *quos inter gloriosa hæc, de quâ agimus fortium trias locum certaminis intra paucos annos consummandi Arzengam habuit, quâ Geographicæ tabulæ Turcici Imperij imaginem exhibentes* Arazeng *nominant, vel paucis milliaribus inferius* Arzingan, *quæ Nigro apud Ortelium* Arsicha *est,* Aziris *Ptolomæo: quorum locorũ hic quidem* Theodosiopoli *3 libro Procopij nominatæ respondet,* Claudiopoli *alter,* Sinibra *Ptolemeo nuncupatæ: vtramuis eligas propinquam Trapezunti ciuitatem eligis, ad dexteram Euphratis ripam, ad meridiem cursum suum flectentis Melitenen versus.*

an potius 1286,

C

Arzenga passi sint?

12 *Sed quid Dominicæ quartæ fiet, quæ non patitur Martyres nostros ad annum à Memoriali assignatum referri? Respondeo: quod plurimis alijs, idem Carlino accidisse, vt Græcæ consuetudinis in hebdomadibus nominandis ordiendoque ieiunio quadragesimali non penitus gnarus, idem esse crederet, siue hebdomadam, siue Dominicam quartam scriberet; & putauisse, eamdem apud nos esse, quæ est apud Græcos, hebdomadum rationem; atque ita effecisse, vt qui mortui erãt hebdomade Quadragesimæ secundùm nos secundâ, tertiâ verò secundùm Græcos & ante Dominicam vtrisque tertiâ (nam in hebdomadis nominandis ipsi Dominicam subsequentem, nos præcedentem respicimus) vt, inquam, ij mortui viderentur anno, quo Pascha in* VII *Aprilis cadebat; cùm inueniendum esset Pascha, in* XIV *eiusdem mensis incidens, quale est eo anno, quem nos præferimus. Neque verò, si rectè hebdomadas numeres, quas satis accuratè recenset auctor epistolæ, aliter se rem habere inuenies: nam primus Fratrum cum Cadi congressus* fuit, *inquit,* in Quadragesimâ, primâ sextâ Feriâ, *post Cineres scilicet, quæ septimana apud Græcos prima dicitur ieiuniorum, & vere prima est, cùm tota ipsis, non autem vt nobis dimidia, ieiunetur. Cùm autem superiùs dixerit, quâlibet sextâ Feriâ Quadragesimæ iuisse solitos ad prædicandum, patet, secundas vices, quibus cum Saracenis disputauêre Martyres, in Feriam sextam primæ Latinorum, secundæ Græcorum hebdomadis incidisse. Inter hanc porrò & diem mortis nulla deinceps congressio interponitur: sed decretum de sumendo supplicio conceptum est, ac proximâ feriâ sextâ executioni mandatum, quæ quartam Quadragesimæ Orientalis præcedebat hebdomadem: Dominicam verò duntaxat tertiam.*

D

An non Dominicam Quadragesimæ,

tertiam vel quartam!

E

13 *Dominica porrò, quâ Euangelium de Bono Pastore recitatur, & Corpora sancta aduecta narrantur, secunda post Pascha est; atque in* XXVIII *Aprilis eo anno incidebat.* Dicunt aliqui, *inquit VVadinghus,* Corpus Monaldi translatum Iustinopolim *in Dalmatiâ;* caput Anconam *in Italiâ esse: de Anconâ vt verosimiliter hoc dici credatur, facit ius patriæ, quæ facilè aliquam ciuis sui, tam glorioso Martyrio coronati, partem potuit & debuit impetrare: maximè, si Peræ, quod credimus, seruabantur Reliquiæ. Ad Iustinopolim quod attinet, videtur, circa hæc vel aliquantò pòst secuta tempora, celebris in Ordine Minorum fuisse Monaldus quidam, vrbis prædictæ indigena, qui pro eâ quâ valebat gratiâ potuit hoc patriæ suæ bonum procurasse, vt sibi cognominem Sanctum vel totum vel ex parte possideret: maximè si Archiepiscopalis in Beneuentanâ Ecclesiâ eidem accessit dignitas, prout Posseuinus in Apparatu suo credit, à Rodulpho persuasus.*

An Domnaldi caput Anconam,

corpus Iustinopolim translatum.

14 *Sed cùm Vghellus Italiæ sacræ Tom. 8. asserit Archiepiscopum quidem hoc nomine Beneuenti fuisse, ac circa annum* MCCCXXXIII *viuere desiisse, morte in partibus Thusciæ obitâ, eumque Religione Minoritam fuisse dicat, patriâ autem Vrbeuetanum; tam facilè persuaderi mihi sinerem diuersum esse hunc ab Iustinopolitano, Summæ Monaldinæ aliorumque quos Posseuinus enumerat librorum auctore, quàm omninò certum existimo nec Vrbeuetanum nec Iustinopolitanum, sed Anconitanum fuisse Monaldum, de quo agimus, & cum vtroque prædicto imperitè confusum. Arturus à Monasterio omnes istos Monaldos inter Ordinis sui Beatos adscripsit, de singulis agens diebus diuersis: de hoc autem Martyre, eiusque socijs Francisco & Antonio agit ad* XVI *Martij, non minus in hoc corrigendus quàm Franciscus Gonzaga parte* I. *Originum Seraphicarum, vbi arguitur pro Antonio Andream scripsisse.*

F

Monaldi varij.

XVI MARTII

SANCTI QVI XVII KALENDAS APRILIS COLVNTVR.



Anctus Hilarius Episcopus,
S.Tatianus Diaconus,
S.Felix,
S.Largus,
S.Dionysius,
} Martyres Aquileiæ in Italiâ.

S.Castorius seu Castor,
S.Dionysius,
S.Nonnus,
S.Serenus,
S.Quiriacus,
S.Milissa,
S.Eugenia siue Eugenius,
S.Iulianus,
S.Asclepiodotus,
S.Pion,
} Martyres Nicomediæ.

S.Cyriaca,
S.Pampinus seu Pamphilianus,
S.Cassiorius,
S.Florentius,
S.Iouianus,
} Martyres in Græciâ.

S.Iulianus Anasarbenus, Martyr Ægææ & Antiochiæ.

Sancti decem Martyres in Phœniciâ.

S.Romanus Diaconus, Martyr Cæsareæ in Palestinâ,

S.Papas, Martyr Larandæ in Lycaoniâ,

S.Euphrasia Martyr, apud Græcos.

S.Agapitus Episcopus, Rauennæ in Italiâ.

S.Columba, Virgo & Martyr in Angliâ.

S.Valentinus Episcopus Taracinensis,
S.Damianus Diaconus,
} in Theatinâ Aprutij ditione.

S.Aninas Thaumaturgus, Anachoreta in Ephratesiâ ditione.

S.Ioannes Ascetes monasterij in Rufinianis.

S.Abramius Eremita,
S.Maria eius Neptis,
} in Hellesponto.

S.Colloquillus Rex apud Senonas in Galliâ.

S.Finianus, Abbas Surdensis in Hiberniâ.

S.Isichius Episcopus, Viennæ in Galliâ.

S.Bonifacius Kirikinus, Episcopus in Scotiâ.

S.Eusebia, Abbatissa Hamaticensis, Marchianis in Gallo-flandriâ.

S.Gregorius Episcopus Armenus, Pitiueri in Galliâ.

S. Heribertus, Archiepiscopus Coloniensis.

B.Heribertus Eremita, in Comitatu Namurcensi.

B.Ioannes Episcopus Cremonensis, tum Mantuanus, dein Vincentinus Martyr.

B. Benedicta Abbatissa Assisij, Ordinis S.Claræ in Vmbriâ.

B. Torellus Solitarius, Puppij in Hetruriâ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Elredus *siue* Ealredus Abbas Rieuallensis in Angliâ *memoratur in priore editione Martyrol. Anglicani & Catalogo generali Ferrarij. Vitam edidimus.* XII Ianuarij.

Iobia, filia Saporis Regis Persarum per S. Cyriacum à dæmone liberata, *occasione S. Cyriaci refertur hoc die à Laherio in Menologio Virginum Gallicè edito. Mallemus antiquiora testimonia de eius virginitate & martyrio. Refertur vt* Virgo *à Greueno & Canisio* XXIV *Martij. Sed neque illi satisfaciunt. Quæ de eâ sciuntur dedimus in Vitâ S. Marcelli Papæ cap.* 3 XVI Ianuarij.

Elisabetha Tertiaria Ord. Minorum, Panormi sepulta, *refertur in primâ editione Martyrol. Franciscani. In secundâ editione & Gynecæo sacro eiusdem Arturi remissa est ad diem, vbi inter Omissos de illâ egimus* IV Febr.

Cyrilli & Methodij, } Episcoporum in Morauiâ *encomium ad hunc diem profertur in Menologio Bucelini. Acta illorum dedimus* IX Martij.

S.Trophimus, S.Thallus, } Martyres *referuntur in MSS. Synaxario & menologio Basilij Imper. & alijs Menæis MSS. De illis egimus* XI Martij.

S.Sabinus Martyr, *memoratur à Molano in Auctario Vsuardi, additque forsan de hoc agi, quod & nos fecimus,* XIII Martij.

S.Menignus Fullo, Parij in Hellesponto martyrio coronatus,

ronatus, *coniungitur hoc die cum S. Romano Diacono Cæsareæ in Palæstinâ passo, uti ad huius elogium ex varijs Menæis MSS. & Synaxario Græco ostendimus. De illo egimus pridie* xv Martij.

Lucretia Virgo & Martyr Cordubæ sub Sarracenis, *refertur à Marietta, vt hoc die passa. Est alijs* Leocritia, *de qua egimus* xv Martij.

B. Domnaldus, B. Franciscus, B. Antonius, } Martyres ex Ordine Minorum *Arsenga in Armeniâ apud Arturum in Martyrologio Franciscano: nos eo quo passi sunt die* xv Martij.

Meginbodus Abbas Burbacensis magnæ sanctitatis & doctrinæ, Moguntiæ *adscriptus à VVione, eumque secutis Dorganio, Menardo, Bucelino in Martyroll. Benedictinis & Ferrario in Catalogo generali. Præiuit Trithemius lib. 3 de vir. illust. Benedictinis cap. 261, à quo dicitur* monachus Frislariensis, & Abbas in Burbach Moguntinensis, *&* magnis fertur virtutibus, claustralem ornasse disciplinam. *Non est* Burbach *locus Moguntiæ, sed videtur* Buraburg *esse iuxta* Fritzlar, *vbi Sedem Episcopalem statuerat S. Bonifacius, &* Megingus Socius S. Wigberchti Abbatis Frislariensis, *putatur initio Episcopus fuisse, & eo loco relicto, factus Episcopus Herbipolensis, alijs* Mengottus, Mayngudus *&* Megingaudus *dictus. De quo videri possunt Vitæ S. VVigberchti* 13 *Augusti, S. Bonifacij per S. VVillibaldum in Prologo, Bruschius de Episcopis Herbipolensibus, Serarius lib. 3 rerum Moguntiacarum pag. 502 & & alij. Neque vllum Moguntiæ, Herbipoli aut alijs locis vestigium venerationis scimus haberi. Quod absque præiudicio, si forsan aliquod aliud monumentum lateat, dictum volumus.*

Volferij Cõfessoris, Archiepiscopi Viennensis XLVIII, natale: cuius operâ & vigilantiâ quasi de nouo fundata est & restaurata Viennensis Ecclesia, à Carolo Magno Imperatore anno DCCXC, quæ bellorum incommodis & ærumnis longo tempore prostrata iacuerat, Pastorisque solatio destituta. Ad ipsum Volferium Leo Papa III transmisit epistolam de reintegratione antiquorum priuilegiorum Ecclesiæ suæ. Cùm in eâ sedisset annis XI, plenus dierum & meritis ac miraculis felix migrauit in cælum, sepultus in ecclesiâ S. Seueri Viennensis. *Ita cum titulo Sancti refertur in Martyrologio Viennensi, quod ab aliquo tempore scriptum, & à Ioanne le Lieure instauratum est; qui etiam in Historiâ Antiquitatum Viennensium Gallicè anno* MDCXXXIII *excusâ sæpius* Sanctum *appellat. Diploma Leonis Papæ III citatum, edidit Ioannes à Bosco in Antiquitatibus sacris & profanis Viennæ sanctæ ac senatoriæ pag. 47, vbi de successione Volferij agit absque vllo titulo* Sancti *&* Beati, *quem alijs valdè accuratè tribuit. Quod idem faciunt Claudius Robertus & Sanmarthani in Galliâ Christianâ, neque illum inseruit Martyrologio Gallicano Saussaius, licet hi post Ioannem le Lieure scripserint. In Chronico Virdunensi Hugonis Abbatis Flauiniaci appellatur* Wlferi Bauarius, *nullâ etiam sanctitatis factâ mentione.*

Tetmechus Episcopus de Kill-tuama, Aidanus Episcopus Lismorensis, Curitanus Episc. & Ab. de Rosmeann. Barrindus Episcopus, } *huius diei numerum augent in Hagiologijs Hibernicis: quos cum Colgano iudicamus prætermittendos. Tantùm obserua, in Martyrologio Tamlactensi* Rosmac-barenn *legi, vbi Marianus Germanus* Rosmean *habet; ac deinde seorsim* Barindi *Ep. nomen tamquam hoc die colendi. Item* Aidanum *Mariani eumdem videri cum* Laudano, *qui hoc item die pro* Aidano *in Tamlactensi nominatur.*

Proculus Episcopus & Confessor *refertur in Calendario Missalis Mediolanensis anno* 1560 *excuso. Omissus in Calendario Breuiarij anno* 1582 *recusi. Quis sit hic* Proculus *inter varios eius nominis Episcopos, nescimus diuinare.*

Eudociæ pœnitentis memoria Agrigenti *memoratur ab Octauio Caietano in Martyrol. Siculo, citato Leontio Abbate in Vitâ S. Gregorij Agrigentini, sed abstinet ab omni titulo* Sanctæ *aut* Beatæ.

Lucius Præsul *indicatur in Martyrol. MSS. Chamberiensi & Carmeli Coloniensis, aliunde forsan ad hunc diem translatus, in vtroque MS. subiunctus S. Heriberto Archiepiscopo Coloniensi, de quo hoc die agimus.*

S. Zantinus Doctor *refertur in MSS. Animaduersis Carthusianorum Bruxellensium, de quo necdum aliquid alibi legimus.*

Lętus Abbas Passiniani, *Congregationis Vallumbrosanæ in Hetruriâ, hoc die vt* Sanctus *collocatur à VVione, Dorganio, Bucelino: cur ei hunc titulum non tribuamus, ratio à nobis redditur in fine Prolegomenorum ad Acta B. Torelli hoc die relata.*

S. Alexandri Papæ Romæ memoria *celebratur in MSS. Menologio Basilij Imperatoris, & Synaxario collegij Claromontani & varijs MSS. Menæis, qui in excusis appellatur* Alexandrion Papas qui in pace quieuit. *Idem habet Maximus Cytheræus. Nullus inter Romanos Pontifices fuit* Alexandrion, *& ante tempora Basilij Imperatoris vnus solum* Alexander, *isque* Martyr, *qui* III *Maij colitur. In adiuncto disticho dicitur* Alexandrion Papas, veteris Romæ Edem, *seu Paradisum*, antiquam patriam collocasse. *An aliquis Alexandrinus Patriarcha Romæ mortuus, accipiendus sit, cuius nomen non exprimatur, non audemus diuinare. Greuenus in auctario Vsuardi*, Romæ Alexandri Episcopi. *Quæ verba de* Alexandro Papâ Martyre *possunt intelligi, aut de alio* Alexandro Episcopo, *qui* Romæ *ad Christum migrauit.*

Ioannes de Niuellâ, Doctor Theologus, Decanus Ecclesiæ S. Lamberti Leodij, dein Canonicus Regularis in Ogniacensi cœnobio ad Sabim fluuium aliquot supra Namurcum leucis, decessit è vitâ XVI Martij anno MCCXXXIII. *Laudatur à coætaneis ac sanctimoniâ illustribus scriptoribus, Iacobo de Vitriaco Cardinale in Historiâ Orientali, Thomâ Cantipratano lib. 2 de de Apibus cap. 31, & auctore Vitæ B. Guilielmi Presbyteri, fundatoris monasterij Gliuæ in Hannoniâ à nobis editæ* 10 *Febru. cap. 2 num. 13. Molano etiam ad 23 Iunij, vbi de B. Mariâ Ogniacensi agit. Raissius in Auctario ad dictum Molanum* Beatum *appellat, vti in Vitis Sanctorum ac Beatorum Ogniacensium. Referunt etiam eiusdem Acta Ioannes Chapeauillus de Gestis Pontificum Leodiensium tomo 2 pag. 253 & Bartholomæus Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, sed absque titulo* Beati.

B. Vlricus Martyr Ordinis Minorum *memoratur in MSS. Animaduersis Carthusianorum Bruxellensium: nihil de eo est in Martyrologio Franciscano.*

Gummarus monachus Villariensis in Brabantiâ, *à Gaufredo Villariensi in epistolâ ad Idam sanctimonialem* vir pius *appellatur, teste Henriquez, qui eum Menologio Cisterciensi inscripsit cum titulo* Beati. *Hunc secutus est Bucelinus. Omiserunt eum Molanus & Miræus qui in Brabantiâ scripserunt, vti Raysslius in Auctario Molani. Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis aliquod eius elogium habet: sed cùm Saussaio & citato Gaufredo inter* Pios viros *eum recenset.*

Constantius Conuersus monasterij Claræ-vallis, *postquàm tertiò iugum religionis excussit, tandem compunctus, vitam sanctè peregit, ob dignum pœnitentiæ fructum & admirabilem patientiam à S. Bernardo laudatus, & ab Henriquez & Bucelino Menologijs suis inscriptus, cum titulo* Beati: *at Pijs à Saussaio annumeratur.*

Pirona seu Petronilla Hergods, reclusa in cœmiterio S. Nicolai extra muros vrbis Mechliniensis sub Regulâ tertij Ordinis S. Francisci, mortua est XVI Martij, postridie Dominicæ Passionis anno MCCCCLXXII. *Eam cum titulo* Sanctæ *refert Ferrarius ex Kalendario*

lendario Gallico. Arturus à Monasterio in Martyrol. Francisc. & Gynaeceo sacro cum titulo Beatae, Arnoldus Rayssius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgij post Molanum solum Venerabilem indigitat, & aliquod Vitae eius compendium habet ex 2 parte Noualis Sanctorum Brabantiae, quae extat in Rubea-valle, monasterio Canonicorum Regularium prope Bruxellas. Habemus integram Vitam CXXXIV capitibus distinctam, à Ioanne Taye, Confessario eius, Ordinis Fratrum Carmelitarum conuentus Mechliniensis, conscriptam; & à Notario publico anno MCCCCLXXVII subsignatam., quam omittimus, quia manet hactenus absque vllâ veneratione.

Rodingerus S. Elisabethae Hungaricae Confessarius ab Arturo inter Beatos Ordinis Franciscani relatus; vti

Christophorus à Zamorrâ, fidei apud Indos propagandae insignis zelator; &

Beatrix de Rusconibus Comitissa, cuius ossa ex antiquo in nouum conuentum vnâ cum suo Mausoleo honorificè translata sunt Mediolani; vbi viua & mortua dicitur aliqua miracula fecisse: an autem ea translatio anno 1551 illius sanctitati, an nobilitati tributa sit non discernimus, quamdiu alius nullus cultus profertur.

Petrus ab Ecceca, Ordinis Minorum Carauaccae in Hispaniâ obijt anno 1582, quem Beatum statuit ad hunc diem Arturus à Monasterio.

Elisabetha de Neapoli Ordinis S. Augustini obijt in illâ ciuitate anno 1621 miraculis clara. De quâ agunt Crusenius, Herrera, Elsius, Simplicius Scriptores eiusdem Ordinis: illam Arturus du Monstier sacro Gynaeceo cum titulo Beatae inscripsit.

Dionysius & Victurinus Martyres Nicomediae coniunguntur in MS. Martyrol. S. Maximini. Colitur S. Dionysius Martyr Nicomediensis hoc die, sed cum alijs socijs, iterum cum S. Victurino & alijs socijs XVII Martij.

S. Patricij Episcopi & Confessoris depositio Auernis, siue Aruernis, memoratur apud Vsuardum, Bellinum, Galesinium, & in hodierno Martyrol. Rom. in cuius Notis haeret dubius Baronius, cùm inter Episcopos Aruernenses non recenseatur, & tandem putat errore praetermissum, nisi alterius fortassis ciuitatis Episcopus fuerit. Ioannes Sauaro, vir eruditus, in Originibus Aruernensibus cusis & recusis, latè hoc dubium deducit, asseritque nullum vestigium esse apud Aruernos nominis, reliquiarum aut alicuius cultus S. Patricij Episcopi, sed hunc in praedictis Martyrologijs allegatum alium non esse quàm S. Patricium Episcopum Hiberniae, siue Hiuerniae, pro quâ voce alibi substitutam fuisse Aruerniae, siue Auerniae, maximè cum primo loco apud Vsuardum sequenti die legatur natalis S. Patricij Episcopi & Confessoris in Scotiâ, à quo die ob eius Vigiliam ad vltimum huius diei locum potuit in nonnullis fastis translatus fuisse, ac tandem loco Vigiliae intrusum fuisse nomen depositionis, quod absque vlteriore examine potuit descriptum deinceps fuisse. Tamaius Salazar in Martyrolog. Hispan. arreptâ hac occasione dubitantium aut reijcientium S. Patricium Aruernensium Episcopum, statuit eum fuisse Patricium Episcopum Malacitanum in Baeticâ, qui interfuit Concilio Illiberitano. Verùm hunc Malacitani non agnoscunt Sanctum, vt constat ex libro Martini de Roâ de Malacâ vrbe & eius Sanctis. Plura de eo non occurrunt. De S. Patricio Hiberno agemus XVII Martij.

S. Eugenia in Hispaniâ à Saracenis interfecta memoratur in Diario historico Ioannis Schmidij. Est hodie S. Eugenia inter Martyres Nicomedienses, vbi diximus eam seorsim celebrari in multis antiquis Martyrologijs nullo addito loco. De Martyre Hispanâ agemus XXVI Mart.

S. Tetricus Episcopus Autissiodorensis & Martyr, refertur à Menardo, Saussaio & Bucelino, diciturque hoc die interemptus, vti etiam in Galliâ Christianâ Claudij Roberti & Sanmarthanorum: at qui prae his omnibus scripsit Ioannes Chenù asserit martyrio vitam finiuisse XV Calend. Aprilis, quo etiam die Galesinius, Canisius & Ferrarius retulerunt. Acta martyrij sunt à Roberto monacho Autissiodorensi descripta, nullâ diei obitus factâ mentione. Habemus Breuiarium Autissiodorense anno 1580 excusum & duo antiquiora, in quibus celebratur eius festum XII Aprilis.

S. Seuerus Episcopus & Conf. colitur hoc die in monasterio S. Potiti à se Neapoli extructo, & iterum cum Martyrol. Romano. XXX Aprilis.

Aquilinus, Victorianus, Martyres, referuntur in MS. Florario. Videntur in Isauriâ occisi, qui ab alijs coluntur XVI Maij.

B. Simeonis Carmelitae & Confessoris memoria est relata in MSS. Animaduersionibus Carthusianorum Bruxellensium. Videtur esse B. Simon Stock, qui colitur XVI Maij.

Athelburga Virgo in Angliâ memoratur in MS. Florario. Videtur S. Edilburga Virgo esse, filia Annae Regis Anglorum Orientalium, inscripta Martyrol. Romano & alijs VII Iulij.

S. Dentlinus filius SS. Vincentij & Waldetrudis inscriptus est Auctario Molani ad Vsuardum, qui ab eodem & pluribus alijs refertur XIV Iulij.

Gumbertus Episcopus Conf. memoratur in MS. Florario. Videtur Herbipolensis esse, qui in suâ Ecclesiâ colitur XV Iulij.

S. Pantaleon, S. Almachius, in Kalendario Sanctorum in particularibus Genuae ecclesijs celebrandorum excuso anno 1640 notantur hoc die in ecclesiâ S. Bartholomaei Armenorum, vbi eorum corpora vidimus in duabus capsis ex ebeno argentoque satis affabrè factis, in potestate Patrum Barnabitarum, qui nunc ecclesiam illam & monasterium obtinent: & vt ibidem intelleximus, defectu documentorum antiquorum eos colunt diuersis diebus, quibus celebrium ijs nominibus Martyrum nomina occurrunt in Romano Martyrologio Almachius quidem Martyr Romanus I Ianuarij. Pantaleon verò Nicomediensis XXVII Iulij.

Cyriacus Diaconus, Largus, Smaragdus, alij XX Martyres Romae iubente Maximiano capite truncati referuntur primo loco in Martyrol. Romano post alia quamplurima, sed additur horum festiuitatem recoli, quando de ijs agemus VIII Augusti.

Crescentianus eisdem interponitur in varijs Martyrologijs. De quo etiam VIII Augusti.

S. Cyriaci Martyris corpus Gesecae in Ducatu Westphaliae & caput Coloniae in basilicâ sanctorum Apostolorum: & ideo inscriptus est S. Cyriacus Fastis Agrippinensibus à Gelenio, qui pag. 297 eum censet S. Cyriacum Diaconum, quod examinandum erit ad diem VIII Augusti.

S. Artemia filia Diocletiani per S. Cyriacum liberata à daemone, & dein ab eodem Sancto baptizata. In Actis S. Marcelli Papae 16 Ianuarij num. 20 narrato ipsius Cyriaci martyrio subditur. Ipso tempore Maximianus Augustus interfecit sororem suam Artemiam. Quae verba etiam adduntur ad hunc diem in Martyrologijs MSS. Tornacensi, Laetiensi, Bruxellensi alijsque, item apud Rabanum & alios. Corpus eius creditur esse Romae in Campo Martio in ecclesiâ S. Siluestri, vbi colitur aut cum S. Cyriaco, aut postridie, vt Pancirolus tradit, VIII aut IX Augusti: ab alijs refertur cum S. Serenâ matre XVI Augusti.

Translatio Sanctorum monasterij Bobiensis inscripta est Ferrarij Catalogo generali ex tabulis huius Monasterij, & iterum Indici topographico Catalogi Sanctorum Italiae, è quo constat agi de Abbatibus S. Attalâ, cuius Vitam dedimus X Martij. & de S. Bertulpho, qui colitur XIX Augusti.

Leodegarij Episcopi Augustodunensis & Martyris translatio inscripta est MS. Florario. Colitur is II Octobris.

Seue-

Seuerus Episcopus Treuirensis *refertur in nonnullis Animaduersis Carthusianorum Bruxellensium. Inscriptus est Martyrol. Romano* xv Octobr.

S. Abbanus Presbyter *in omnibus Hibernicis fastis refertur hoc die; & S. Finianum Cluainerardensem dicitur baptizasse: esset proinde necessariò distinguendus à S. Abbano Abbate multò iuniore. Sed quia vel eadē, vel inter se confusa sunt quæ sub Presbyteri & Abbatis nominibus habentur Acta, nec ei, quam habemus S. Finniani Vitam multiplici de fabulositate suspecta, quæq; sola pro fundamēto esse deberet, audemus fidere; totam hanc de vno duobusue Abbanis dissertationem reijcimus in diem, quo Abbas colitur,* XXVII Octobris.

S. Abbenus Eremita *Abentoniæ in Bercharia Austro Angliæ prouinciâ refertur à VVithfordo in Martyrologio Londini excuso anno 1526: à VVilsono autem in editione anni 1640 refertur ad* XIII *Maij. Is an vnquam in rerum naturâ extiterit dubitamus. Hiberni eumdem esse volunt cum S. Abbano Presbytero: poterit igitur etiam hæc controuersia agitari ad prædictum diem* XXVII Oct.

Lazari resuscitatio *inscripta est Martyrologio Felicij. Colitur* XVII Decemb.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

HILARIO EPISCOP. TATIANO, DIACONO, FELICE, LARGO ET DIONYSIO,

AQVILEIÆ IN ITALIA.

ANNO CCLXXXV XVI MAR.

Aquileia S. Hilarius Episcopus.

B 1 Aquileia *antiqua Carnorum vrbs, hodierno agro Foro-Iuliensi inserta, ab Attilâ Rege Gothorum post trium annorum obsidionem destructa, & quamuis à Narsete sit restaurata, variam dein experta fortunam, in vicum tandem redacta est. Fidem Christianam tempore Apostolorum, misso eò* S. Marco Euangelistâ, *amplexa*, S. Hermagoram *accepit* Episcopum, *quo martyrij palmâ* XII *Iulij coronato, ducentis circiter annis curâ pastorali destituta est, aut certè si alij fuerint Episcopi, quod nobis non improbatur, eorum & nomina & res gestæ latent. Datus postmodum huic vrbi Episcopus est* S. Hilarius, *alijs* Hilarus, Helarus, Ylarus, XVI *Martij cum socijs ob fidem Christi interemptus.*

Acta Martyrij.

Acta martyrij damus ex tribus codicibus MSS. scilicet monasterij Imperialis S. Maximini prope Treuirim, Bodecensis cœnobij Canonicorum Regularium diœcesis Paderbornensis, & Vltraiectina Ecclesiæ S. Saluatoris: in hoc nonnulla erant contracta. Ceterùm ipsis Actis consentiunt tabulæ Martyrologij Romani, in quo ista leguntur: Aquileiæ natalis B. Hilarij Episcopi, Tatiani Diaconi, qui sub Numeriano Imperatore & Beronio Præside, post equuleum atque alia tormenta, vnà cum Felice, Largo & Dionysio martyrium consummarunt.

cultus sacer in Martyrologijs cum 4 socijs die 16 Martij,

Eadem de quinque his Martyribus habent Martyrologia Vsuardi, Bellini, & alia quammulta MSS. Item Maurolycus, Galesinius, Canisius aliique. Solius Hilarij *meminerunt Noskerus, & alij Sanctis immisti, MSS. Aquisgranense, Treuirense S. Maximini, Augustanum S. Vdalrici, aliaque. At* C Hilariani & Tatiani *MSS. Martyrologia S. Hieronymi Blumianum, Lucense & nostrum MS. Richenouiense, Vaticanum ecclesiæ S. Petri, item Kalendarium præfixum vetusto computui Venerabilis Bedæ, & aliud MS. Kalendarium Ecclesiæ Aquileiensis, cui adscribitur festum duplex in illâ celebrari: sed nomen* S. Tatiani *variè exaratum legitur, alijs* Titianus, Tassianus, Cassianus, Datianus *dicitur. Vnde & Datianus à Tatiano seu Tasiano vt* Martyr *distinctus legitur in Martyrol. S. Hieronymi Parisijs excuso, & in MSS. Corbeiensi, Tamlactensi, & alio Reginæ Sueciæ, ex quo Holstenius in Animaduersis ad Martyrol. Rom. ista adnotat legi.* Aquileiæ natalis SS. Clarij, Cassiani, Datiani, *pro quibus arbitramur legendum* SS. Hilarij, Tatiani. *Masinus in Bononiâ perlustratâ tradit* aliquas S. Hilarij reliquias adseruari Bononiæ in ecclesiâ S. Stephani. *At* XV *Martij quinque hi Martyres celebrantur in MS. Martyrol. in Carmelo Coloniensi adseruato. Acta Martyrij à nobis danda contraxit Petrus de Natalibus lib. 3 Catalogi cap.* 203, *& hunc secuti Vghellus tomo 5 Italiæ sacræ (qui addit* natione Pannonicum *fuisse) Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Baronius, sed paucis, ad annum* CCLXXXIV *num.* IX.

& 17 Martij.

2 *Ad diem sequentem* Natalis S. Hilarij Episcopi *refertur in Martyrol. MS. Casinensi: imò in Martyrol. S. Hieronymi clarius plures repetuntur his verbis:* In Aquileiâ Largi, Hilarij, Titiani, *qui huc spectant. Adduntur* E Caton *seu* Catonus, Datianus *seu* Datiuus, *fortè malè efformata nomina ex Datiano Diacono. In Martyrol. S. Hieronymi Parisijs excuso ad hunc diem additur,* Iuliani Martyris, *ad sequentem,* Iocundi. *Qui aliunde videntur huc translati, & forsan* Iulianus *est* Martyr Anazarbenus, *de quo infrà hoc die agimus. Si tamen aliquibus videantur adijciendi hisce* Iulianus, *&* Datianus *præter* Tatianum Diaconum *libenter subscriberemus, si eorum in Actis sequentibus mentio fieret.*

ACTA MARTYRII

Ex III Codicibus MSS.

Prologus.

1 Auiliante Deo Patre & Filio eius, Domino nostro Iesu Christo, Fratres dilectissimi, magnum vobis referimus mysterium, quod ipse de superno regno cælorum generi humano concedere dignatus est, qui neminem vult hominum perire; sed quod ipse suis manibus in principio mundi fabricauit, custodit & cælestia præmia repromittit, qui dixit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ipse suis famulis in se credentibus talem gratiam donat, quâ hodie nostris auribus intimatur, quanta Dominus præstat solatia in se credentibus. F

S. Hilarius virtuti deditus, fit Diaconus, dein Episcopus,

2 Beatissimus Hilarius ab infantiâ suâ eruditus, fidei arma sibi circumdans, misericors & beneuolus, separatus ab omni actu seculi in diuinis Scripturis satis eruditus, vt sensum memoriæ pro libris haberet; cùm adhuc in iuuenilibus annis esset ætatis, raptus à populo Diaconus est ordinatus. Insistente itaque plebe, post aliquantum tempus ordinatus est Episcopus: qui præcepta Domini fideliter adimplebat, nullius ferens adulationem neque personarum acceptionem, sicuti est consuetudo hominum habentium spem in hoc seculo. Cùm ergo in vitâ suâ, Deo adiuuante, omnes suos benè regeret filios, habebat discipulum, nomine Tatianum, vidensque illum bonæ conuersationis esse, ad Diaconatus honorem eum promouit: qui pòst Archidiaconus per ordinationem eius effectus est.

creat S. Tatianum Diaconum, dein Archidiaconum:

Sub Numeriano Imp. ad Beronium Præsidem,

3 Eodem itaque tempore cùm à Numeriano Cæsare iussio venisset, vt Christiani idolis sacrificarent, apud ciuitatem Aquileiam ordinatus est Beronius Præses, & sedens pro tribunali, iussit sibi exhiberi Christianos ad thurificandum, qui in carceris custodiâ detinebantur. Erat quidam, Monofantus nomine, Sacerdos idolorum, malitiâ plenus, & veniens ad

A ad Beronicum Præsidem, dixit ei: Non est æquum quod agis: sed iube, vt adducatur tuis obtutibus Hilarius Episcopus Christianorum, vt ipso tormentato, vniuersi eius corrigantur exemplo. Quo audito, Præses iussit Beatissimum Hilarium adduci. Hoc cum Monachus audiuit, mox abijt, & vehiclis inuenit S. Hilarium legentem cum Archidiacono suo Tatiano. Qui dixit ei: Venite, Præses vos vocat. Quid adhuc audiunt faciis? Tunc S. Hilarius respiciens in eum, ait: Quid est, amice? Ille: Iam dixi vobis, quia Præses vos vocat. S. Hilarius dixit: Eamus in nomine Domini nostri Iesu Christi. Mox autem venerunt in auditorium. Ingressus obtulit se Præsidi, ducens mentem suam cum gaudio. Vt autem vidit eum Præses hilari vultu, cum nimia admiratione dixit ei: Quis vocaris? S. Hilarius respondit: Hilarius vocor, & Episcopus sum Christianorum. Præses dixit: Quia prædixisti te Christianum esse, sacrifica dijs secundum præcepta Imperatorum: sic enim iusserunt, vt omnes Christiani sacrificent dijs: qui autem noluerint diuersis pœnis afficiantur: obaudientes autem magnum honorum honorem consequantur. Prouide ergo ad-

B quiesce, & sacrifica dijs.

4 S. Hilarius respondit: A pueritia mea sacrificare didici Domino Deo viuo, & Iesum Christum filium eius adorare puro corde non cesso: vacuis autem & vanis dæmonijs, qui dicuntur dij, sed non sunt, non sacrifico. Præses dixit: Christus, quem dicis te colere, à Iudæorum populo crucifixus est. S. Hilarius respondit: Si scires virtutem Crucis huius, relinqueres errorem idolorum, & ipsum adorares, vt animæ tuæ resecares vulnera. Quia vnigenitus Dei filius cum voluntate Patris & sua in naturam hominum ipso mundi seculi huius se ipsum dedit, vt eos, qui vincti laqueis, à diabolo captiui detinebantur, pretioso suo sanguine redimeret, & impiorum insaniam atque vanitatem, quam tu colis, iudicio potestatis suæ mortis æternæ pœnis addiceret. Beronius Præses dixit: Multis sermonibus & seductionibus inflasti aures meas, quasi possis mihi persuadere Deorum gloriam relinquere, vt colam illum Crucifixum, sicuti seducis alios, quitte sibi Episcopum fecerunt. Sacrifica ergo dijs, priusquam pro tuis tormentis illi habeant correptionem. S. Hilarius Episcopus respondit: Quem semper & nunc vsque meum prouiserem Patrem omnipotentem & Dominum nostrum Iesum Christum adorasti, ipsum semper colo: tu autem dæmonum minister videris, & non minimis tormentis eris cruciandus.

C Præses dixit: Quia cum fiducia te feci loqui, deos blasphemas, insuper & me putas dæmonium habere. Si decidero ego supplicijs tuam, vt dico, & quam blasphemasti cruciò pœnis, & compellam deos colere, qui præstabunt huius ciuitatis salutem, & per quos mundus gubernatur. S. Hilarius Episcopus ait: Vere, quia cæcus & infelix es, idcirco Deum factorem & gubernatorem mundi ignoras: & putas à similibus tibi ... dæmonijs mundum gubernari. Beronius dixit: Sacrifica dijs: nam præscindi faciam linguam tuam. S. Hilarius respondit: Si consueuisti timorem incutere, noli verbis comminari: sed illico age quod cœpisti: quia adest mihi susceptor meus, cui ego purum semper offero sacrificium.

5 Ad hæc Præses commotus in iram, introiuit in templum, quod erat magnopere factum cum ara dealbata, plenum simulacris argenteis, & ipsa argentea, & iussit ibi induci S. Hilarium, & dixit ei: Sacrifica magno Herculi, & vide gloriam & virtutem eius. S. Hilarius respondit: Seduceris miser, & nescis quæ ventura sunt tibi. Isti enim lapidei, lignei, & ferrei vel ærei, ab hominibus sunt facti, & ornati auro & argento, vt seducant vos corde: vt eos per malum sequamini intellectum, qui nec vident, nec audiunt, nec loqui possunt, nec ambulare, nec aliquid adiuuare

D possunt, nec se ipsos saluare, si aliquis comminuerit eos. Audiens hæc Beronius Præses, accensus furore, iussit eum nudari, & nudatum virgis cædi. Cumque diu cæderetur, B. Hilarius leuauit oculos suos ad cælum, voce clara dicens: Vide Domine, & adiuua famulum tuum. Præses autem iussit plagis fortiter cædi eum. Et cum se mutassent vicibus centuriones, sed & virgæ iam fessæ mutari fuissent, amplius cœpit furere, & iussit eum extensum in equuleo vngulis radi, vt patefacta eius interranea viderentur. Tunc S. Hilarius hilari vultu, hymnum Deo canebat, dicens: Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me. Et mirabatur omnis populus quod tam crudelibus plagis laniatus, forti animo & hilari vultu lætaretur.

6 Iterum Præses dixit: Sacrifica vel nunc, & dimittam te. S. Hilarius nihil respondit. Tunc Præses fremens cum ira, iussit carbonibus ardentibus vstulari dorsum eius, & sale cum aceto aspergi, & ex ciliciis camelorum plagas eius perfricari. Cumque hæc fierent, S. Hilarius respiciens in cælum, dixit: Qui Sodomitarum terram per inobedientiam iniquitatis igne

E consummasti, destruxisti, & desertam fecisti; & nunc Domine, ostende per me signum virtutis tuæ, vt confundatur impius Iudex iste cum omnibus idolis suis, & omnibus idola colentibus. Et signum crucis faciens in labijs, exsufflauit in simulacris, quæ statim elisa sunt tamquam puluis. Et dixit illis Sanctus Dei: Ecce infelices, videte quæ colitis, vbi est virtus eorum? Quare non potuerunt sibi adesse? Tunc vniuersi Sacerdotes idolorum hæc videntes, clamauerunt ad Præsidem dicentes: Tolle magum, interfice maleficum: cuius magicæ artes dijs præualuerunt. Tunc Præses ira accensus, iussit eum retrudi in carcerem dicens: Non mortem ei communem faciam. Cum autem retruderetur in carcerem, Sanctus Dei sic psallebat, dicens: Saluos nos fecisti, Domine, ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt confudisti.

7 Alia autem die suggestum est Præsidi ab Officio, dicente, quod esset cum eo alius Diaconus quem iussit Præses induci. Cumque fuisset inductus, ait ad eum Beronius Præses: Dic nomen vel regionem tuam. Tatianus Archidiaconus respondere: Nomine carnali Tatianus vocor, spirituali verò Christianus, Diaconus sum Ecclesiæ Aquileiensis, ordinatus à Domino Patre meo Hilario Episcopo. Præses dixit:

F Sacrifica dijs: nam sicut Episcopum tuum, ita te tormentari faciam: & ambo perpessi crudelia tormenta, iam defecti, negabitis Crucifixum. S. Tatianus respondit: Numquam tibi bene sit insipiens, quia dijs ... per orationem Patris mei Hilarij Episcopi, non sacrifico. Iam non erubescis? Tunc Præses iussit eum similiter extensum virgis cædi. Cumque diu cæderetur, iussit parci ei, dicens: Si non mihi adquiesciitis, & non obeditis Imperatorum præceptis, ... vicem videbitis vestros cruciatus, & sic vos interfici iubeo. S. Tatianus respondit: Sic nos ammonet sancta Scriptura, vt filij cum patribus, & patres cum filijs pergamus ad regna cælorum.

8 Tunc Præses iussit eum retrudi in carcerem, vna cum beatissimo Hilario. Quem cum vidisset beatissimus Hilarius, omnipotenti Deo gratias egit: quod dignatus esset eum suum sequi facere pedem. Et flexis genibus orauerunt simul ad Dominum, dicentes: Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui regnas cum filio tuo & Spiritu sancto: exaudi orationes nostras ad laudem nominis tui, vt confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis: ostende omnibus in te credentibus, qualis sit virtus, in quam credimus. Extende, Domine, manum tuam de altissimis, vt cadat ipsum templum, vbi simulacra ipsorum posita fuerunt,

à Monachis sacrificulo vocatus,

constanter fidem Christi profitetur:

nec minimis terretur:

includitur in templum Herculis.

virgis cæditur:

vngulis raditur:

carbonibus vstulatur,

signo Crucis deijcit simulacra:

in carcerem clauditur:

S. Tatianus fortis & constans in fide

virgis cæditur:

includitur carceri cum S. Hilario:

A tiam, ut sciant omnes gentes, quia non est alius præter eum Deus. Mox autem factum est ... magnum, ita ut ... civitatis & universi populi. Pagani civitatis Aquileiensis ... caderent in facies suas; & plures ... sunt; & cecidit continuo templum Herculis, ita ut ... visum esset amplius, in quo ... fecerat.

Ipsa oratione templum deijciunt Herculis

9 Videntes hæc Sacerdotes Paganorum, cœperunt clamare ad Præsidem, dicentes: Quid hoc fecisti? Præceptum ... Dominorum nostrorum Imperatorum continet, ut, si quis ex Christianis fuerit inventus, percussus ... puniatur: tu autem extollere, parcere eis videris, & eorum ... deos ... disperdiderunt: insuper dum eis parcis, templum destruxerunt: & nos ... ad Cæsarem ... ad mar-

incitantibus sacrificulis

tyrium ... periculum. ... Beronius Præses, iussit spiculatoribus, ut decollarent eos, & in pectora eorum gladium mergerent. Cumque hoc factum fuisset, reddiderunt sanctas animas. Passi sunt autem cum eis & alij qui pro Christi nomine in carcere vincti fuerant, id est, Felix, Largus, Dionysius, sub die septimo decimo Kalendas Aprilis. In ipsa autem nocte, venerunt viri sanctæ Ecclesiæ una cum alijs fidelibus viris, qui pretia multa & valde pretiosa custodibus dederunt: & tollentes corpora foras muros civitatis digne sepelierunt ea, ad laudem nominis Christi. Crescebat etiam, præstante Domino, fidelibus gloria, Paganis autem & idola colentibus confusio, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

cum SS. Felice, Largo, Dionysio,

& sepulti.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

CASTORIO SEV CASTORE, DIONYSIO, NONNO, SERENO, QVIRIACO, MILISA, EVGENIA SIVE EVGENIO, IVLIANO, ASCLEPIODORO, PIONE.

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

XVI MAR.

Est hæc altera classis Martyrum, quæ in Martyrologio nostro S. Hieronymi ante mille ferè annos exarato his verbis exhibetur: Nicomediæ Castori, Dionysij, Nonni, Cyriacæ, Milisæ, Eugeniæ, Iuliani, Asclepiodori. *In apographis Lucensi & Blumiano eiusdem S. Hieronymi post* Nonni *interponitur* Sereni, *& Qui*riacæ *pro* Cyriacæ *scribitur. In eodem Martyrol. S. Hieronymi Parisijs excuso nomina sic exprimuntur:* In Nicomedia Castorij, Dionysij, Nonni, Sereni, Quiriaci, Milisæ, Eugeniæ, Iuliani, Asclepiodi, Pionis: *qui solus adiungitur. Sunt autem in hoc* Quiriacus & Asclepiodus, *qui in alijs dicuntur* Quiriaca *seu* Ciriaca *&* Asclepiodorus. *Martyrol. MS. Card. Barberini acephalum, sed valdè antiquum, quinque priores ex his ita refert:* In Nicomedia Castoris, Dionysij, Nonni, Sereni, Quiriaci. *MS. Augustanum S. Vdalrici istos quatuor habet:* Nicomediæ Castorij, Sereni, Eugeniæ, Iuliani. *Qui ijdem leguntur in MS. Labbeano, sed in apographo nostro Nicia tribuuntur. In MS. Reginæ Sueciæ duo priores recensentur* In Nicomedia Castoris, Dionysij: *quos inde in Animadversis ad Martyrol. Rom. retulit Holstenius. Tertium adiungit Notkerus:* In Nicomedia Castoris, Dionysij & Nonni. *In MS. Aquisgranensi nullo addito loco hi quatuor recensentur:* Natalis S. Eugeniæ, Castoris, Sereni, Iuliani. *At sola Eugenia refertur in MSS. Cas*inensi, Pragensi, Treuirensi S. Martini, Bruxellensi S. Gudilæ, Coloniensi Carmelitarum, Florario Sanctorum & Auctario Greueni ad Vsuardum. In Diario historico Ioannis Gibbini dicitur in Hispania à Saracenis interfecta, de qua cum Holstenius agemus xxv i Martij; unde facilis error potuisse irrepere in illum aut hunc xvi Martij.

Nominantur sæpius antiquis,

2 *Martyrol. Richenaugiense peruetustum ex hac & sequente classe etiam duas fecit cum aliqua Martyrum interturbatione, & ita referuntur:* In Græcia Castoris, Nonni, Sereni; *qui huc spectant: deinde* In Nicomedia Pamphiliani & Eugenij, Dionis, Quiriaci. *At contrà in classe sequente habentur* in Græcia *passi* Pamphilianus *seu* Pampinus, Cyriacus *seu* Cyriaca, *&* Cassion, *pro quo hic* Dion *legitur, nisi possit capi in hac classe relatus* Pion *aut* Dionysius, *uti qui hic* Eugenius *est, alijs fuit suprà memorata* Eugenia. *In MSS. Vsuardo antiquo S. Germani Tornacensi & Marchianensi, MS. Florario, Martyrol. Germanico Canisij & Auctario Greueni ista ad sequentem diem leguntur:* Ciuitate Nicomedia sanctorum Martyrum Eugenij, Pamphiliani, Castoris & Sereni. *Ex quibus* Castor *seu* Castorius & Serenus *certè ad hanc classem spectant,* Pamphilianus *ad sequentem. Est in hac classe* Eugenia *alijs, forsan* Eugenius *hic dictus. In MS. antiquo S. Maximini ista habentur:* In Nicomedia Dionysij, Victurini, *qui cum alijs ad sequentem diem spectant.*

etiam alijs immixti.

DE SS. CYRIACA, PAMPIANO SEV PAMPHILIANO, CASSIONO, FLORENTIO, IOVIANO,

MARTYRIBVS IN GRÆCIA.

XVI MAR.

Est hæc tertia Martyrum classis in antiquo Martyrologio S. Hieronymi: & quidem in editione Parisiensi ista leguntur: In Græcia Cyriacæ, Pampini, Cassioni. *In apographo Blumiano legitur* Cassionis, *in Lucensi* Pampinæ, *in nostro* Pampiliani & Cyriaci. *In MS. Augustano S. Vdalrici & Parisiensi Labbæi est memoria* Cassonis & Pampini. *Hic in MS. Richenaugiensi dicitur* Pamphilianus, *qui etiam ad sequentem diem refertur in tribus codicibus MSS. & duobus excusis; sed alijs immixtus, uti latius in præcedenti classe à nobis indicatum est. Notkerus alios duos Martyres adiungit his verbis:* In Græcia Cyriacæ, Florentij & Ioviani. *In perantiquo MS. Tamlactensi, indicantur hac ratione nomina,* Curiacæ, Sampiliani, Castoris, Iouiani: *qui alijs sunt* Cyriacæ, Pamphiliani, Cassioni, Iouiani. *Est ibidem alius* Castor *in priorem classem relatus.*

DE

DE S. IVLIANO ANAZARBENTO

ÆGÆÆ PASSO, ANTIOCHIÆ SEPVLTO.

Commentarius prævius.

XVI MAR.

1 INter antiquos Martyres plurimi occurrunt Sancti, nomine Iuliani compellati: inter quos, dum Acta martyrij à coæuis conscripta desunt, difficulter discerni potest. Habet aliquis Iulianus XVI Martij suam venerationem inter Martyres Nicomedienses suprà relatos, alius seorsim tam apud Græcos quàm horum exemplo apud Latinos, & in ipso Romano Martyrologio. De hoc passim affirmatur, quod sacco cum serpentibus inclusus, in mare sit demersus. Talem nobis Martyrem Iulianum proponit S. Ioannes Chrysostomus homilia XLVII ad populum Antiochenum, tomo III operum à Frontone Ducæo editorum. Titulus ei præfigitur: Ἐγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον μάρτυρα Ἰουλιανόν. Dein, ita incipit: Εἰ ἐν τῇ γῇ τιμῶνται τοῖς μάρτυσιν αἱ τιμαί, μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀποδημίαν, ποταποὶ πλέκονται ἐν οὐρανοῖς οἱ στέφανοι ταῖς ἁγίαις αὐτῶν κεφαλαῖς; Si tales in terris honores Martyribus deferuntur, postquàm excesserint ex hac vitâ; quales coronæ sanctis eorum capitibus in cælis nectuntur? Quod argumentum cùm more suo eloquenter amplificasset, subdit martyrium S. Iuliani, quod inde excerptum infrà dabimus: reliqua poterit auidus lector ibidem habere. Vnum è re nostrâ fuisset, si idem martyrij Imperatorem etiam & Præsidem, sub quibus passus fuit, indicasset. Ciliciam patriam eius & palæstram victoriæ significat, ac corpus in suburbio Antiocheno Daphne miraculis clarere: at quâ occasione fuerit eò delatum, silet. Quæ omnia tunc Antiochenis nota fuisse credimus ex Actis publicis, quæ apud eos extabant.

Acta martyrij.

ex S. Chrysostomo,

B

2 Proximum testimonium desumimus ex Menologio Græco, iussu Basilij Porphyrogeniti Imperatoris collecto, in quo ad XVI Martij primo loco ista habentur, necdum excusa, quæ Latinè damus: Certamen S. Iuliani Cilicis. Iulianus Christi Martyr erat ex Anazarbenâ vrbe oriundus, filius Senatoris cuiusdam Gentilis, at matrem habuit Christianam: quæ eum etiam in sacris litteris instruxit. Postquàm autem annos attigisset ætatis suæ octodecim, adductus est in Ægæam ciuitatem, & ab idololatris oblatus Marciano Præsidi, & impulsus ad sacrificandum idolis, noluit obedire. Quapropter lictores violenter os eius aperuerunt, & vinum carnemque aliaque idolis oblata infuderunt. Coniectus dein in carcerem est, & mater eius adducta: quæ de illo interrogata, petijt sibi pro filio suo concedi tres dies, quibus cum illo posset consultare. Quo facto rursum in quæstionem abducuntur: & cùm Iulianus dixisset se fidem Christi non abnegaturum esse; matris eius calcanea præciderunt, & eam ablegarunt. At S. Iulianum inijcientes in saccum, serpentibus venenatis & arenâ plenum, proiecerunt in mare; ex quo sacræ eius reliquiæ eiectæ sunt, & Alexandriæ à deuotâ quadam muliere viduâ sepultæ. Hæc in Menologio Basilij Imperatoris: quasi conferantur cum Encomio S. Chrysostomi, videtur consequi quod sanctum corpus Alexandriâ (quæ extrema Ciliciæ in sinu Issico ciuitas est ad Beli fluminis oppidum, non longè ab Ægis, vbi deiectus est Martyr) translatum sit Antiochiam ipso longius dissitam, nec ita propinquam mari. Sunt vrbes istæ temporata antiquis nota, & Anazarbus quidem est Ciliciæ secundæ metropolis, sub ea vrbs Episcopalis Ægea à Ptolemæo, Stephano & in dicto Menologio aliqui dicta: qui vbi adscripsimus ad diem XIV Februarij SS. Iulianum & Marcianum. At Marcianus alius distinguitur in Martyrol. S. Hieronymi Parisijs excuso, & seorsim

Menologio Basilij Imp.

C

habetur In Siciliâ Ægias Iuliani. Quæ eadem leguntur in MS. Lucensi: vt vel inde suspicio oriatur, corrigi illum locum debere hoc modo: In Ciliciæ Ægeâ Iuliani, eumque posse eumdem esse, de quo hîc agimus. In dicto Menologio iterum de eodem Iuliano agitur XXI Iunij.

3 Tertium Græcum testimonium damus ex MS. Synaxario Parisiensi collegij Claromontani Societatis Iesu, quod ita Latinè redditur: Certamen S. Iuliani Martyris Cilicis. Natus hic erat Anazarbi in secundâ Ciliciæ prouinciâ, filius cuiusdam Senatoris & matris Christianæ; à quâ veram, quæ in Christo est, pietatem edoctus, diuinis Scripturis operam nauauit. Cùm annum ætatis decimum octauum ageret, captus, Marciano Præsidi sistitur: à quo frustrà impulsus ad sacrificia idolorum, varijs in corporis partibus torquetur. Positus dein in carcere, adhibitoque consilio matris, testatus se in Christianâ professione victurum & moriturum, inijcitur in saccum plenum arenâ & reptilibus venenatis, atque in profundo mari submersus, martyrij coronam est adeptus. Quæ omnia eisdem verbis repetuntur in dicto Synaxario ad diem XXI Iunij, vbi sub finem additur: Hunc venerabilis & magnus Ioannes Chrysostomus encomiorum honore celebrauit. Eadem vtroque die leguntur in Græcorum Menæis excusis & varijs manuscriptis, & apud Maximum Cytherorum Episcopum, & die XXI Iunij in Anthologio Græcorum, auctoritate Clementis VIII edito. Quo etiam die insertus Kalendario Græcorum apud Genebrardum Iulianus Tarsensis Martyr. Secutus illum est Molanus in Auctario Vsuardi. Arrepta occasio est, quòd à S. Chrysostomo appelletur συμπολίτης τοῦ Παύλου, conciuis S. Pauli; quæ verba de regione Ciliciæ sunt accipienda.

MS. Synaxario.

E

& Menæis.

4 Græci denique in Menologio à Cardinale Sirleto Latinitate donato, & à Canisio edito, ista XVI Martij tradunt Sancti Martyris Iuliani. Hic ex vrbe Anazarbensi Ciliciæ, cùm ageret decimum octauum ætatis annum, Marciano Præsidi oblatus, renuens idolis sacrificare, varijs modis cruciatus, postremò sacco arenâ & venenatis serpentibus pleno inclusus, in medium mare deijcitur, & ita martyrij palmâ coronatur. Quo Menologio citato inscriptus est Martyrologio hodierno Romano his verbis: Anazarbi in Ciliciâ S. Iuliani Martyris, qui sub Marciano Præside diutissimè cruciatus, demum in sacco vnà cum serpentibus inclusus, in mare demersus est. Non est Anazarbi, vbi natus fuit, in mare deiectus, cùm sit vrbs mediterranea, sed Ægæ vrbe maritimâ, vt suprà ex Menologio Basilij Imperatoris retulimus. Galesinius vtroque die maius elogium ex Menæis edidit, quod inde ad Martyrol. Germanicum posterioris editionis translatum est. In Martyrol. S. Hieronymi Parisijs excuso, relatis Martyribus Aquileiæ passis, additur: Et Iuliani Martyris. Quæ verba an de hoc Martyre Cilice an alio aliquo dicta fuerint, non liquet.

Menologio Sirleti.

F

Martyrol. Rom.

& alijs.

5 De tempore, quo S. Iulianus martyrio est coronatus, silent hactenus citati auctores. Ferrarius in Notationibus ad XXI Iunij in suo Catalogo generali asserit à Græcis in Breuiario reformato agonem sub Diocletiano referri. Verùm quod illud Breuiarium, nisi Νέον Ἀνθολόγιον, auctoritate Clementis VIII Romæ anno MDXCVII editum, cuius verba eadem sunt quæ Synaxarij & Menæorum, absque mentione Diocletiani. Passi sunt Ægææ in Ciliciâ imperante Diocletiano SS. Cosmas & Damianus Arabes, sed sub Præside seu Duce Lysiâ, non Marciano. Passus verò est sub Marciano Præside temporibus Diocletiani S. Iulianus maritus S. Basilissæ,

Tempus martyrij.

A fuisse, cum quamplurimis sociis, sed Antinoi siue Antiochiæ in Ægypto, ... Ianuarij, ... natali. Dein forsan nomen Marciani Praesidis repertum in ijsdem Actis, ad alia translatum est. Ita Menologium Sirleti continet Homiliam S. Ioannis Chrysostomi, habitam de isto Ægyptio Martyre Iuliano: cuius natalem in eo refertur dicto XXI Iunij.

6 Alia controuersia adduci potest ex Catalogo Petri de Natalibus lib. 5 cap. 141, vbi similis de Iuliano Martyre narratio adfertur, cuius corpus primò ad insulam Proconnesum vltra Hellespontum in Propontide sitam, item ad portum vrbis Ariminensis delatum fuit. Sunt multa ex eisdem Actis martyrij desumpta, & variè amplificata: ac primò passus dicitur tempore Decij Cæsaris sub Præside Marciano in Flauiade ciuitate, scilicet Ciliciæ mediterraneæ, in qua, teste S. Chrysostomo per vniuersam Ciliciam circumduceretur, varios potius cruciatus subijsse. Mater eius appellatur Asclepiodora: quæ potius ex Actis maioribus innotuisse cum tempore Decij Cæsaris: nisi ea temerè à posterioribus adiecta censeantur. Passus traditur IX Kalendas Iulij seu XXIII Iunij. At Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ die XXII Iunij ex monumentis Ecclesiæ Ariminensis asserit in Istria natum,

Alterius Iuliani corpus videtur Ariminum delatum.

B Flauiade in Cilicia cæsum & in vincula coniectum, apud Anazarbum in mare deiectum XVII Kalend. Aprilis, Valeriano & Gallieno Imperatoribus. Cuius corpus ab vndis in Proconnesum insulam Propontidis delatum, ibi in arca marmorea à Christianis conditum, postea Ottone primo Imperatore in eadem arca super vndas Ariminum mirabiliter appulit, ibique honorificè collocatum est. Hæc ibi. Nos eum Iulianum ab illo, quem cum S. Chrysostomo & Græcis protulimus, arbitramur alium videri, licet huius Acta, vt iam diximus, isti applicentur. Admiranda & miraculis plena videbitur delatio corporis ex Cilicio mari vsque in Propontidem, sed multò magis portentosa profertur à Tamaio Salazar in Martyrol. Hispan. ad XXIII Iunij, vbi dicitur Flauiobergensis ciuis in Autrigonibus Hispaniæ citerioris, ibique in sacco cum serpentibus consutus, ac in pelagum missus, eiusque corpus ab vndis ad insulam Proconnesum delatum, scilicet per Oceanum Cantabricum & Atlanticum, per fretum Gaditanum, mare Mediterraneum & Ægæum, denique per Hellespontum in Propontidem ad Proconnesum insulam. Adfertur huius inuentionis testimonium ex Chronico sub nomine Flauij-Dexteri edito, & Græcorum ac Latinorum supra citata testimonia reijciuntur. Quæ poterunt ad XXII aut XXIII Iunij plenius examinari.

an Hispani?

C

ACTA MARTYRII

auctore S. Ioanne Chrysostomo,

decerpta ex homilia XLVII ad populum Antiochenum.

In Cilicia cum S. Paulo natus,



1 Hvnc itaque Sanctum Cilicum natio tulit, quæ Paulum etiam tulit. Ciuis enim illius fuit, & vterque nobis inde minister Ecclesiæ prodijt. Postquàm autem pietatis apertum est stadium, & ad certamina tempus ipsum vocauit, in truculentam incidit belluam, quæ tum iudicium exercebat. Ac videte commentum: cùm enim eum fortitudine præditum videret, neque posse supplicij vehementia rigidum illud animi robur infringi, in procrastinationes illum conijcit ac dilationes, introducens identidem & educens. Non enim vno die cùm audisset, illi caput abscidit, ne supplicij breuitas faciliorem illi cursum redderet: sed diebus singulis introducebat, educebat, interrogationes adhibebat, mille tormenta minitabatur, adulatorijs verbis prolectabat, omnes

in fide Christi constans,

diu sub tortoribus detinetur:

machinas admouebat, & immotum illud fundamentum concutere nitebatur.

D

2 Anno integro per vniuersam illum Ciliciam circumducebat, ignominiaque afficiebat: imò verò, quod minimè arbitrabatur, illustriorem reddebat Martyr autem vociferabatur, ipse quoque cum Paulo: Deo autem gratias, qui triumphat nos in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Vt enim vnguentum, quamdiu quidem vno in loco situm est, solum illum aërem odore inficit: cùm autem in multa fuerit loca dispersum, omnia sua vi... te complet; ita nimirum & in Martyre accidit. Circumagebatur enim cum temporis vt in crudelis ignominia, sed contrarium eueniebat; illustrior illa transuectione fiebat athleta, cunctosque Cilicum regionis incolas suæ virtutis æmulatores reddebat. Circumagebatur quoquouersus, vt eius certamina, non ex famâ solùm discerent, sed & ipsum coronatum victorem contuerentur spectatores: quantóque longiores illi circuitus stadij curriculaque reddebat, tantò illustriores cursus omnes fiebant: quantò maiora illi scammata proponebat, tantò mirabiliora certamina efficiebat: quantò afflictionem temporis diuturnitate protendebat, tantò probatiorem patientiam eius reddebat. Nam vt aurum, quod diutius cum igne versatur, purius euadit: quemadmodum & tum Sancti anima tempore examinata magis refulgebat, nec aliud quiddam, quàm trophæum aduersus seipsum ac diabolum, Martyrem circumferebat, crudelitatis Gentilium argumentum, Christianorum pietatis indicium, virtutis Christi maximum signum, incitamentum & consilium fidelibus; vt prompto & alacri animo in ijsdem certaminibus perseuerarent, diuinæ gloriæ præconem, talium certaminum disciplinæ magistrum. Cunctos enim ad imitationem sui non voce tantùm suadens, sed factis ipsis tuba clariorem mittens vocem cohortabatur.

annum integrum per Ciliciam circumducitur:

1. Cor. 2. 14

E

sua exemplo hortatur ceteros ad certamina:

3 Et quemadmodum cæli non emissa voce, Dei gloriam enarrant, sed dum aspectus sui splendore spectatorem in admirationem conditoris traducunt: ita nimirum & Martyr ille Dei gloriam enarrabat, cùm cælum esset ipse quoque multò isto lucidius, quod videmus. Non enim ita cælum astrorum chori splendidum reddunt, vt Martyris corpus splendidius vulnerum sanies reddidit. Atque vt Martyris vulnera cælo infixis astris splendidiora esse discatis, aduertite. Ad illud quidem cælum & stellas eius homines respiciunt tum dæmones: sed ad huius etiam vulnera homines quidem respiciunt fideles; dæmones autem oculos contra non audent attollere: quin etiam si spectare conentur, confestim luminibus orbantur, nec possunt exilientem inde fulgorem sustinere. Hoc ego non ex ijs tantùm, quæ olim acciderunt, sed ex ijs etiam, quæ hodieque fiunt, comprobabo. Sume enim quempiam à dæmone correptum ac furentem, & ad sanctum illud sepulcrum deduc, quo reliquiæ Martyris continentur; tum resilientem planè atque fugientem videbis. Vt enim si per prunas incessurus esset, sic ab ipso vestibulo statim exilit, & ne oculos quidem aduersus ipsam thecam audet attollere. Quod si nunc tanto post tempore, cùm puluis & cinis est factus, inspicere in monumentum non audent, nec in nuda Sancti ossa; minimè dubium est, quin tum quoque, cùm illum sanguine purpuratum videbant, vulneribus vndique amplius quam solem radijs refulgentem, perculsi fuerint & luminibus orbati recesserint. Vides vt astris cælestibus Martyrum vulnera splendidiora sint ac mirabiliora, maiorique virtute polleant?

Psal. 18. 1

instar cæli enarrans Dei gloriam martyr:

F

dæmones fugat.

vti post mortem energumenos ad Reliquias suas adductos liberauit.

4 Sanctus itaque in medium producebatur, & acerba vndique supplicia circumstabant, metus futurorum, labor præsentium, dolor ingruentium, eorum quæ expectabantur formido. Tanquam enim bellicæ quædam

A quædam immanes, carnifices corpus eius circumsidentes, latera effodiebant; carnem deradebant; ossa denudabant; viscera ipsa interiora peruadebant. Attamen cùm cuncta peruestigarent, thesaurum fidei deprædari minimè valuerunt. Enimuerò in Regum ærarijs, vbi aurum aliæque copiosæ sunt opes reconditæ, si parietes solùm perfoderis, si fores reseraueris, continuò thesaurum obiectum vides: at hîc in Sancto ipso, Christumque continenti templo, contrarium accidebat. Perfodiebant muros carnifices, pectoraque disrumpebant, & reconditas opes nec cernebant nec rapere poterant: sed quod euenit Sodomitis, vt ad domus Lot ianuam quidem ipsam starent, aditum verò non inuenirent; sic nimirùm & isti, cùm corpus Martyris vndequaque scrutarentur, thesaurum tamen deprehendere, fideique diuitias exhaurire non valebant. Admouebant ignem illi, & ferrum & tormenta; admouebant pœnas, supplicia, flagella; perfodiebant vndique latera: loquebatur ille tantùm, simplicemque vocem mittebat, & opera sermo vincebat. Exiliebat ex Martyris ore vox sancta, simulque cum ipsâ lumen radio solari splendidum eliciebatur. Huius B tantum est lumen, quantum inter cælum & terram interiacet interuallum. Imò verò nec hoc quidem integrum potest peruadere, si quando tectum vel murus vel nubes vel aliud quoddam corpus intercesserit, sed obstruitur, ac discluditur septis eiusmodi ne vlteriùs feratur: vox autem Martyris ex illâ sanctâ linguâ prosiliens, in cælum subsilijt. Prætereuecta est cælum cæli, viderunt eam Angeli, locoque cesserunt; Archangeli & viam dederunt; Cherubim & aliæ virtutes sursum psam deduxerunt, nec priùs recesserunt, quàm ad ipsum thronum regium adduxissent.

diri torquetur

& cælestia loquutur:

5 Post hanc autem vocem cùm vidisset is, qui tum iudicium exercebat, se temerè cuncta & incassum esse machinatum, seque contra stimulum calcitrare, atque adamantem percutere, quid facit? Eò tendit deinceps, vt victas manus dare videatur, & Martyrem ex hac vitâ subducit. Mors enim Martyrum, eorum qui ipsos enecant est aperta clades: eorum autem, qui è medio tolluntur, clara victoria. Tu verò mihi considera, quo pacto sæuum quoddam & acerbum genus mortis eius cogitauerit: quod & tyranni crudelitatem & Martyris fortitudinem demonstrare posset. Quodnam igitur illud est supplicij genus? Allato sacco & arenâ completo, cùm in eum scorpiones, viperas & dracones iniecisset, cum illis & Sanctum iniecit, C & in mare demisit. Erat ergo Martyr cum bestijs, & rursus cum bestijs conclusus erat vir iustus. Rursus autem dixi, vt veterem vobis in memoriam reuocarem de Daniele narrationem. Illum quidem in lacum incluserunt, hunc autem in saccum iniecerunt: illi tum lapidem imposuerunt, hic saccum consuit, & iusto carcerem angustiorem effecit. At vbique Sanctorum corpora bestiæ reuerentur, in eorum ignominiam & condemnationem, qui cùm ratione sint ornati & humanæ naturæ conditione digni habiti, feritatem illarum summâ suâ immanitate superant: qualem hunc quoque tyrannum fuisse conijcere possumus. Videre erat stupendum miraculum, nec eò minus quod in Daniele contigit. Nam quemadmodùm, cùm post multos dies è lacu leonum ascendentem illum vidissent, tum mirati sunt Babylonij; sic & animam Iuliani cùm è sacco & fluctibus ascendentem in cælum viderent Angeli, mirati sunt. Daniel binos leones subegit ac vicit, sed sensibiles: hic leonē vnum, sed spiritualē, subegit ac vicit. Hostis quippe noster diabolus, inquit, tamquam leo rugiens circuit, quærens quemdeuoret; at fortitudine Martyris superatus est; venenum siquidem peccati deposuerat; quapropter hunc minimè deuorauit, idcircò nec leonem nec iram bestiarum reformidauit. Vultis & aliam quamdam veterem referam narrationem, vbi & iustus & bestiæ?

sacco cum serpentibus & scorpionibus inclusus, in mare deijcitur,

comparatur cum Daniele

1.Pet.5.8

& Noë

Diluuij, Noe, atque arcæ recordamini: tum enim D quoque iustus & bestiæ simul fuerunt. At Noe quidem ingressus homo est, & egressus est homo: Iulianus autem ingressus quidem est homo, sed Angelus egressus: ille de terrâ ingressus est, & in terram est rursus egressus: hic de terrâ in saccum ingressus est, & de sacco in cælum est profectus.

EX S. IO. CHRYS.

6 Accepit eum mare non vt occideret, sed vt coronaret, & post coronam nobis sanctam istam arcam Martyris corpus reddidit: hanc in hunc vsque diem retinemus, quæ sexcentorum bonorum est thesaurus. Etenim Martyres nobiscum Deus partitus est: cumq; animas sibi ipse sumpsisset, corpora nobis quodammodò largitus est, vt perpetuæ virtutis monumentum sancta horum ossa teneamus. Nam si bellatoris arma cruentata quis cernens, clypeum, hastam & loricam, licet omnium sit ignauissimus, statim exilit, exardescit, & ad bellum promptus emicat atque à conspectu armorum sumit animum, vt easdem actiones aggrediatur: nos qui non arma, sed corpus ipsum cernimus Sancti, quod dignum habitum est, vt ob Christi confessionem cruentaretur, licet omnium simus timidissimi, qui possumus non ad summam promptitudinem animi exardescere, cùm hic aspectus E velut ignis quidam in mentem nostram incidat, & ad idem nos certamen inuitet? Propterea nobis Sanctorum corpora vsq; ad tempus resurrectionis commendauit Deus, vt maximæ philosophiæ materiam & occasionem haberemus. Verumenimuerò ne Martyris laudes linguæ nostræ imbecillitate minuantur, sed agonothetam Deum expectent: qui eos coronat, ille & collaudabit. Laus enim eorum, non ex hominibus est, sed ex Deo, nam & hæc ipsa, quæ diximus, non vt illustriorem redderemus Martyrem diximus, sed vt vos promptiores efficeremus.

Corpus relictum ad hominum incitamentum.

7 *Et paullò inferiùs in comparatione Daphnes & loci in quo Reliquiæ eius adseruabantur:*

Quid quæso properas ad suburbium ciuitatis? Ecce suburbium Hierusalem illius, quæ sursum est: ecce Daphne spiritualis. Illic fontes aquarum, hîc fontes sunt Martyrum: illîc cupressi arbores infructuosæ, hîc Reliquiæ sanctorum sunt, ac radices, quæ in terrâ plantatæ sunt & ramos in cælum protundunt. Visnè ramorum etiam istorum fructum intueri? Aperi nobis oculos fidei, tum subitò mirabilium tibi fructuum naturam ostendam. Non enim pomorum aut nucum, nec aliud quiddam istorum, quæ corrumpuntur & pereunt, ramorum est fructus: sed corporum mutila- F torum sanatio & peccatorum remissio, abolitio vitij, morborum animæ curatio, oratio continua, fiducia apud Deum, spiritalia cuncta bonisque cælestibus redundantia. Hi fructus semper decerpti, semper pullulant, nec vnquam suos cultores deficiunt. Atque arbores quidem, quæ nascuntur in terrâ, semel in anno fructum ferunt: quod si non decerpseris, aduentante hyemis tempore, corrupto ac dilabente fructu proprium decorem amittunt. Hæ verò hyemis nesciæ sunt & æstatis, non temporum subiacent necessitati, nec suis fructibus nudatæ possunt videri, sed eumdem perpetuò decorem obtinent: non eas vnquam corruptio, vel mutatio tempestatum attingit. Quàm multi siquidem, ex quo plantatum est corpus istud in terrâ, sexcentas sanationes ex hoc sancto loculo decerpserunt, nec fructus defecit? messuerunt segetem, nec consumptæ sunt spicæ? è fontibus hauserunt, hec exinaniti sunt latices? Perennis est quædam scaturigo, numquam deficiens, sed eo, quod haustum est, copiosius semper miraculum manans, effundit. *Et paucis omissis templi finem insinuat his verbis:* Quod si nunc etiam placeat voluptate perfundi, quid iucundius hoc conuentu? quid theatro spirituali gratius, membris tuis, tuorum fratrum congressu? At etiam corporalis mensæ vis fieri particeps? Hic soluto conuentu

miraculis claret;

A uentu licet iuxta Martyrium sub ficu, vel vitæ diuersanti, etiam corpori recreatione indulgere, & condemnatione conscientiam liberare. Martyr enim è propinquo spectatus, & cùm sit vicinus, ipsique mensæ adstet, voluptatem in peccatum effundi non sinit: sed tamquam pædagogus aut pater optimus oculis fidei conspectus, risum comprimit, indecoras voluptates circumcidit: lasciuos omnes insultus carnis tollit, quos illic non licet euadere. *Hactenus S. Ioannes Chrysostomus.* D

& vitia comprimit.

DE SANCTIS DECEM MARTYRIBVS

IN PHOENICIA.

XVI. MAR.

GRæci in Menæis excusis & apud Maximum Cytherorum Episcopum celebrant XVI Martij anonymos decem sanctos Martyres, quos memorant in Phœniciâ gladio interemptos vitam complesuisse. *In Menæis adduntur hi duo versus:*

Χόρον δέκανδρον Μαρτύρων διὰ ξίφους
Ἀνδροκτόνοι κλείνουσι μαρτυροκτόνοι.
Decem-viralem Martyrum occidunt chorum
Gladio, virorum & Martyrum interfectores.

Nota est regio Phœnicia *inter Syriam & Palæstinam, at* B *quâ occasione aut quo tempore hi decem athletæ ibi coronati fuerint, non liquet. Dedimus* XXV *Februarij Acta SS.* Ananiæ Presbyteri & Petri clauigeri, *inter quorum tormenta septem milites conuersi, baptizati, & in mare mersi fuerunt. At* XX *Februarij coluntur sancti Martyres Tyrij* Tyrannio Episcopus, *& alij quamplurimi, quorum numerum, teste Vsuardo, solius Dei scientia colligit, qui diuersis tormentis occisi sunt. Horum aut similium videtur martyrium eminens incidisse in* XVI *Martij, quo die Galesinius eosdem celebrat his verbis:* In Phœniciâ sanctorum Martyrum decem, qui securi percussi, certaminis pro fide suscepti palmam acceperunt. E

DE S. ROMANO DIACONO

MARTYRE CÆSAREÆ IN PALESTINA.

XVI MAR.

IN *Menæis excusis & manuscriptis Cardinalis Mazarini aliisq; & apud Maximum Cytherorum Episcopum, paucis indicatur martyriū huius Sancti, his verbis:* Eodem die XVI *Martij* sanctus Martyr Romanus gladio vitā finiuit. *In adiuncto disticho alluditur ad vim atque efficaciam amoris in certamine hoc elucentis, quo ad propositum gladium accessit. In MSS. Menæis bibliothecæ Ambrosianæ & Parisiensis conuentus Virginis Annuntiatæ coniungitur cum S. Menigno Fullone, quem Parij in Hellesponto martyrio coronatum celebrauimus præcedenti die* XIV *Martij. In peruetusto Synaxario MS. Parisiensi Collegij Claromont. & Menologio iussu Basilij Porphyrogeniti Imperatoris collecto,* certamen sanctorum Martyrum Menigni & Romani *sub eodem titulo proponitur, & in Synaxario vterque Pario adscribitur. In Menologio verò relato S. Menigni encomio, ista subduntur:* Romanus verò Diaconus Ecclesiæ, quæ est Cæsareæ in Palæstinâ, cùm populum veram Christi fidem doceret, comprehensus, & post varia tormenta quæ passus est, eodem quo alter die, gladio percussus, finem vitæ suscepit. *De eodem Galesinius hoc die,* In Græciâ, *inquit,* S. Romani Martyris, qui pro Christi gloriâ gladio cæsus coronatur. *Vbi Græciam more solito proponit Galesinius, quia Menæis Græcis, non aliâ indicatâ vrbe aut prouinciâ, repererat inscriptum. Sub Decio Imperatore passus est S. Menignus. At S. Romanus vt alio loco, ita potuit diuerso tempore martyrium subijsse.*

DE S. PAPA MARTYRE

LARANDÆ IN LYCAONIA.

SVB MAXIMIAN. IMP.
XVI MAR.



TAbulæ Martyrologij Romani *ad* XVI *Martij consignant diem natalem S. Papæ Martyris, his verbis:* In Lycaoniâ S. Papæ Martyris, qui ob Christi fidem verberibus cæsus, vngulis ferreis laceratus, clauatis calceis incedere iussus est: deinde arbori alligatus, migrans ad Dominum, eamdem arborem ex sterili reddidit fructuosam. *In Notis additur,* de eo Græcos agere in Menologio, vbi & pluribus eius martyrij cruciatus narrantur. *Sunt ea sub finem mensis Martij, quòd in hoc aliquot dies deessent, ex alijs Menæis suppleta: in his ista leguntur:* Eodem die memoria Sancti Martyris Papæ. Hic dum naufragio expositum terrarum orbem videret, accessit ad Præsidem, eumque pudore confudit, magnâ loquendi libertate Christi fidem professus. Ita humi abiectus, virgis cæditur, ac primò corpus illius, dein etiam facies contunditur. In altum posteà sublatus, vngulis ferreis deraditur: indutus etiam crepidas, clauis ferreis, longâ viâ ad cursum impellitur. Demùm sterili arboris trunco alligatus, fertilem arborem reddidit, & simul vitam finiuit. Huius sacras reliquias Lycaones possidentes iure optimo gloriantur. *Eadem leguntur apud Maximum Cytherorum Episcopum, & primo loco in MS. Synaxario Parisiensi Collegij Claromontani. In Menæis ad dictam arborem hoc disticho alluditur*

Δεσμῇ πέδαις εἰς δένδρον ὡς πρόβατ', Πάπα,
Ζακχαῖος οἷα Χριστὸν ἐμπνέων βλέπεις.
Pedicis ligaris arbori ouis instar, Papa,
Christumque anhelus veluti Zacchæus vides.

Additur etiam hexametrum vnum, decimum sextum diem signans, quo sic ad arborem alligatus fuerit: ex quo colligimus metrici istius Kalendarij auctori, quouis die vnum dumtaxat Sanctum signanti, & ei quæ illo vsa est ecclesiæ, solius Papæ præcipuum tunc fuisse cultum, quamuis in Menologio iussu Imperatoris Basilij collecto non nisi nuda memoria martyrij huius reperiatur.

Cultus in Martyrol. Rom.

in Menæis Græcorum excusis.

2 *Aliud MS. Menæum membranaceum Parisijs reperimus in conuentu S. Virginis Annuntiatæ Patrum Prædicatorum: in quo pro mense Martio pauca reperiebantur integra aut incorrupta, & ex ijs quæ ad S. Papam Martyrem spectabant, decerpsimus historicam relationem: quam nobis inde Latinitate donatam, cum reliquis Odis (quod est alterum præcipui aliquando hoc die cultus argumentum) transmisit pro suâ humanitate R. P. Franciscus Combefis: quæ omnia hîc damus, ex ijsque scimus,* S. Papam oriundum fuisse ex vrbe prouinciæ Lycaoniæ Larandâ, *memoratâ à Ptolemæo lib. 5 cap. 6, in quâ Neonem sub initium seculi*

& alijs MSS.

Natus Larandæ.

A culi tertij Episcopum fuisse tradit Eusebius lib. 3 cap. 19 sub finem. Secundo statimus S. Papam, imperante Maximiano, sub Magno Præside decertasse, & reliquias eius sacras cum gaudio detineri à Seleuciensibus. Quæ omnia confirmantur in encomiis eiusdem S. Papæ, quæ XIV Septembris referuntur: quo die in Menæis ista habentur: S. Papias Martyr vixit sub Imperio Maximiani & Magno Præside vrbis Larandæ prouinciæ Lycaoniæ. Genus martyrij eius fuit varium: verbera impacta, & gente contusæ sunt, suspensus verò ferreis vngulis laceratus est, & calceamentis ferreis clauis perforatis, ante currum incedere coactus spiritum edidit. Eadem in MS. Synaxario iam indicato leguntur, & iste adduntur: Coactus inter verbera ante equos currere, venit ex vrbe Larandâ in ciuitatem Diocæsaream, & ex hac in Seleuciam, terram madidam reddens copioso sanguine, quem pretioso linteo abstergebat mulier quædam religiosa, cum illo per viam currens. Tandem acquiescens ficui alicui siluestri & infructuosæ, oratione ad Deum fusa spiritum reddidit. Post mortem autem eius ficus illa, vti dicitur, frugifera est facta. Hæc ibi, ad quæ alluditur in hoc disticho in Menæis ad XIV Septembris præposito.

passus sub Maximiano

ductus Laranda Diocæsaream & Seleuciam:

B 'Ηδύνατο πρὸς τὰς σίγματα σένειν Πάπας,

Βοηθὸν ἐγγὺς τὸν Θεὸν κεκτημένος.

Non sustinebat ad plagas gemere, Deum

Tam sibi propinquum habens in auxilium Papas.

3 Ceterùm inter vrbes plures, Diocæsareas & Seleucias, illæ hîc accipiendæ, quæ minus à Larandâ & inter sese distant. Est autem Laranda in confinio Ciliciæ ad Taurum montem: & in eiusdem Ciliciæ parte, quæ alijs Isauria dicitur, est vrbs Archiepiscopalis Seleucia, cognomento Aspera, & sub ea Diocæsarea vrbs Episcopalis. Atque ita ciuitas Seleucia potest reliquias huius Martyris assecuta fuisse, & sequentem hymnum in nouem odas sive partes distinctum ex nostri illius officio composuisse, quæ sic habent.

vbi reliquiæ asseruata.

HYMNVS EX MENÆIS MSS.

Hymnus de eodem.

ODE I. Pium Regis Christi militem, qui viuifico Crucis gladio, virtutem inimici debellauit, Papam Martyrem inuictum, Angelorum conciuem, hominumque mediatorem, fideles celebremus. Hæreditatem nullis neximis laboribus, laboribus acquisisti, sanguinis effusione, corda fidelium copiosè irrigasti, Papa sapiens, Athletarum decus, Larandæ gloria, ac feruentissimè colendum te Patrone, Martyr fortissime, verberatus fustibus, fortiter abrasus, clauis acutis calceis confixus, per longa locorum spatia fatigatus laboribus, quousque diuinam requiem ingressus fuisti, agone tuo consummato.

C ODE III Diuinis laudibus tuam sacram, ô Martyr egregie, memoriam prosequimur. Tu etenim veris Christi Martyr existis, qui dira tormenta, cruciatum atque mortem, quâ vita Diuina comparatur, forti animo tolerasti. Cælorum regnum modico Martyrij sanguine, & expertem laboris hæreditatem, exiguis laboribus acquisiuisti: quapropter in vnum omnes hodiè congregati, Beatum te magnâ voce prædicamus. Naufragantem videns, Dæmonum superstitione, velut procellâ mundum, clauo crucis, victor inclyte, fortissimè gubernasti, ad tranquillum perduxisti littora, merces animæ seruans incolumes.

ODE IV In Diuina positione petrâ stans, immotus pedes permansisti, & hostes inimicorum machinas, ô gloriose, subuertisti, gressus ipsorum inhibens, Stabas, ô Beatissime, coram iudicum tribunalibus Christum prædicans, & inter que verbera gaudebas, carnis tuæ vulneribus, dæmones, ô sapiens Papa vulnerans. Verberibus instar confertim in te decidentibus, more turris Aneoncussus permansisti, Papa Martyr, erroris munitionem Sanctissimæ Trinitatis gratiâ dissoluens.

D

ODE IV Facies tua, Papa Beatissime, pluribus percussa colaphis, quasi pretiosissimis exornata certaminum trophæis, hostium incorporeorum ora repercutiebat. Illæsam inter plagas mentem conseruasti; fustibus enim inimici te, gloriose victor, crudeliter affecerunt, immotum penitus, nullisque contumelijs, ô Beatissime, superatum. Impressa carni tuæ verbera, inimicis tuis verbera facta sunt: vulnera tua atque cicatrices dæmones pupugerunt, cunctisque te colentibus diuinam, Papa, medicinam præbuerunt.

ODE V Robore Dei Papa confirmatus, suspensus, radulas perferens, dæmones cruciatuum auctores, athleta generosissime, ipse cruciabas. Mentis aciem ad vniuersorum Regem, Christi Martyr, erigens, distento corpore omnino non vincebaris, sed vt columna immobilis, tormenta sustinebas. Mortem vitæ prætulisti, supradictis laboribus delectatus: vitamque futuram, victorijs clarissime Papa consecutus.

E

ODE VI Patientiâ fideque munitus, improbi spiculis retudisti, fortitudinis tuæ gladijs ipsum enecasti, & victoriæ diadema, Beatissime, reportasti. Papa pie, super terram sanctè conuersatus, quasi lapis effectus es: qui dæmonum idola destruens, omnia erroris munimenta dissoluisti. Quasi splendor solis, tui memoria, Martyr eximie, refulget, ac mundi fines illustrat. Tu enim, victor fortissime, ad purissimum ipsum lumen propiùs accedens, ipse lumen existis. Sursum elatus, fustibusque confractus, carnis tuæ vulnera, velut alio patiente, vir inclyte, sustinuisti: arborem diu iam aridam, illi alligatus, fructiferam effecisti: postquàm igitur è terra ad astra conscendisti, precare, clarissime Papa, vt eamdem tecum misericordiam consequamur.

ODE VII Impudenti sermone demens Tyrannus, te pium ac sapientem, vt idolis immolares impellebat: Sed ipse pura Deo victima factus es. Inimici torturas euertisti, rhedæ incedens, ferroque compeditus, & excubijs, tamquàm iustificationum Christi custos, Martyr Papa custoditus. Post mille verbera, plantis tuis clauis perforatus, viuificas martyrij vias, Papa, pertransisti, inimici tela confringens.

ODE VIII Deum viuum prædicans, eumque veneratus, qui mali auctorem passione suâ inimicum sustulit, deos mortuos, ô sapiens non adorasti: propterea te mortuum, qui solus est immortalis, ad sedes transtulit immortales. Ad necem spontaneam, ô Martyr, abductus, venerandos tuos, ac beatos pedes, clauis confixos habuisti, dum clamares: Illustratione tua fretus, Iesu mi, in via testimoniorum tuorum delectabor. Latam spernens viam, omnes pestilentis inimici vias coarctasti, solasque ducentes in cælum semitas omnibus complanans, Dominum eiusque opera vociferando, laudibus extulisti.

F

ODE IX Impletum in te visum est mirabile prodigium. Ficus enim arida, fructifera statim effecta est, te scilicet, ô admirande, in ea ligato, beatumque tuum spiritum in manus Dei reponente. Carnis tuæ verbera alacri animo suscepisti, magna pertransiens itinera, & corpore strenuè solutus, incorporeis coniunctus es, Papa victor inclyte, & colentium te salute posthæc incessanter sollicitus. Reliquiarum tuarum palmis, ô Sapiens, morbos hominum, dæmonumque phalanges dissipas: sancta tui memoria, veram sanctificationem copiosè effundens, animas sanctificat.

DE S. EVPHRASIA MARTYRE.

XVI MAR.

MEnologium MS. iussu Basilij Porphyrogeniti Imperatoris collectum ista compendio habet: Ἆθλησις τῆς ἁγίας μάρτυρος [illegible]. Certamen sanctæ Martyris Papæ [illegible] sanctæ Martyris Euphrasiæ. In Menæis MSS. Bibliothecæ Ambrosianæ, signatis littera O. & numero 148, relato quoque S. Papæ, ista adduntur: Certamen sanctæ Martyris Euphrasiæ & sanctorum Martyrum Romani & Menigni Parij passorum. Verùm S. Romanus passus est Cæsareæ in Palæstinâ, & S. Menignus Parij in Hellesponto. Interim ordine inuerso legitur in Menæis MSS. Parisiensibus conuentus Virginis Annuntiatæ Patrum Prædicatorum hoc modo: Parij certamen S. Euphrasiæ Martyris, & SS. Romani & Menigni Martyrum, [illegible] transferri fuit [illegible]. Reliqua nos latent. Refertur in Martyrologio S. Hieronymi S. Eufrasia cum viginti socijs [illegible] XIII Martij passa, ac primo loco reliquis præposita. [illegible] Menæis ad XX Martij S. Euphrasia cum alijs [illegible] in Paphlagonia passa, & [illegible] inter illas collocatur. Alia est à nobis memorata XIX Ianuarij S. Euphrasia Virgo & Martyr [illegible], cuius Acta dedimus ex Menæis & Nicephori historia. Sed [illegible] hoc die [illegible] Menæis [illegible] Menologio referuntur, non [illegible] [illegible] XIX Ianuarij de [illegible] Euphrasia sub [illegible] Imperatore [illegible] capite plexa apud [illegible] [illegible] facta.

DE S. AGAPITO EPISCOPO RAVENNÆ IN ITALIA.

CIRCA AN. CCCXL

XVI MAR.

Primi XI Episc. Rau. [illegible]

1 PRimos vndecim Episcopos suos Sanctorum adscriptos fastis Ecclesia Rauennas colit; omnes, vt popularis habet traditio, diuino Spiritus Sancti, in columbæ formâ supra eligendum apparentis, indicio designatos: omnes in abside Vrsianæ ædis, quæ vrbis Cathedralis est, expressi tessellato opere sanè antiquo, & coloribus adumbrati in aliâ D. Theodori seu Spiritus sancti antiquiori basilicâ, sed opere recentiori, prout nos ibidem coràm vidimus. Et in hac quidem etiam cathedram vetustissimam vidimus, ex quâ primùm recens consecrati dicuntur ad populum habuisse sermonem: imò monstrabatur ibidem per aperturam [illegible] chorum concamerationem, fenestella, eo in loco per quam creditur visibiliter descendere solitus Spiritus sanctus: [illegible] in angulo ad portam locus, in quo dicebatur S. Seuerus constitisse, quando textorio opere relicto huc venit, spectaturus quem consueto prodigio Deus designaret Episcopum, & [illegible] volantem ad se columbam non minori suâ quàm populi admiratione excepit.

[illegible] horum vltimi Agapitus, Marcellinus Seuerus.

2 Huius S. Seueri Vitam dedimus ad 1 Februarij diem, & Commentario præuio § 2 clarè ostendimus nihil esse rationis, quod minùs anno CCCXLVI, Constantino IV & Constante III AA. Coss. sicut in Vitâ traditur, electus esse censeatur; eademque occasione insinuauimus longè esse verosimilius, quod Romana Synodus sub Iulio Papa, cui S. Agapitum Rauennatem Episcopum constat interfuisse, habita sit anno CCCXXXVII, decennio ante Sardicensem, ad quam præ[illegible] Seuerus accesserit non postremo ætatis suæ anno, vt [illegible] Rubeus, sed primo à suâ electione, & ad annum circiter CCCXC superstes. Addidimus etiam non propterea [illegible] Episcoporum Rauennatium seriem, qualis Musiuo exprimitur, in quâ post S. Liberium XXX die Decembris colendum [illegible] Agapitus XVII Kalendas Apriles defunctus, [illegible] S. Marcellinus collocatur [illegible] Nonas [illegible], [illegible] vero Seuerus excipit.

C

à Rubeo confusi & gratis duplicatus Agapitus

3 Nos [illegible] antiquæ illi picturæ multùm deferimus [illegible] potiore nulla suppetit monumento, in quibus [illegible] vitium aliquod irrepsisse ostenditur, eidem standum [illegible] censemus; quamuis propterea S. Marcellini Episcopatus [illegible] ad paucos menses contrahendus: nam quod [illegible] Rubeus [illegible] diu in episcopatu vixisse, nullius antiquioris auctoris testimonio probat. Sed neque in tam arctum [illegible] cui enim non potuerit Rauennatem sedem [illegible] quinquennio vel decennio integro? [illegible] Synodo Romæ post Agapiti tempora [illegible] CCCXL [illegible] interfuisse: si tamen id opus fuit: neque enim habemus vnde id affirmemus, vel negemus, nullis Concilij Actis extantibus. His antepositis, nulla nos necessitas cogit; vel cum Rubeo duos Agapitos statuere, quorum vnus fuerit S. Marcellini decessor, alter successor S. Seueri, quem [illegible] in Musiuo Cathedralis suæ [illegible] Vghellus tres, quorum secundus inter Marcellinum & Seuerum medius sederit, tertius vltimus fuerit cælesti indicio ad Episcopatum euectus, quod à Rubeo gratis ille accepit.

4 Scimus Rubeum in suo Episcoporum Rauennatium catalogo Marcellino annos dare Episcopatus administrati L, Agapito XXXVI: vnde consequens foret, S. Seueri initio ad annum CCCXLVI posito, Marcellinum quidem anno CCXC [illegible] sedere cœpisse, Agapitum verò CCLX, atque [illegible] Romano Concilio [illegible] interfuisse, quod anno CCCXXXVII celebratum esse diximus, & Rubeus post Sardicense reijcere voluit ad annum scilicet CCCXLVIII: sed quamdiu non exprimit vnde [illegible] Episcopatus [illegible] acceperit aut ipse, aut qui ei materiam præparauit Ioannes Petrus Ferretus [illegible] Episcopus [illegible] [illegible]

[illegible]

Lectiones sæculo superiori conceptæ.

5 Ex Rubeo [illegible] Rauennæ existentibus de mandato Illustrissimi Archiepiscopi [illegible] [illegible] in hunc sensum.

alia non approbans de S. Agapito

6 [illegible] sunt. Simplicitate ac pietate fuit planè admirabili; cumque annos sex & viginti Rauennati Sedi sanctissimè præfuisset, ad cælestia premia vocatus in Domino obdormiuit decimo septimo Kalendas Apriles, anno post

A post Christum natum ducentesimo vigesimo secundo. Cuius corpus in D. Probi basilica iuxta Classem sepultum fuit: atque inde in Metropolitanam eadem translatum sub ara maxima honorifice conditum asseruatur.

7 Hæc ille & ex illius iudicio Rauennatium Ecclesia: à qua inhærente, constituta per Rubeum in chronotaxi contra propriam suam opinionem, antiquiorem quàm quæ vulgò recipitur ... quousque argumentis validioribus, quàm quæ sunt à nobis confutata, aliter edoceamur. Nostram autem opinionem non ignorauit Ioannes Petrus Ferretus, qui cùm in catalogo Episcoporum à se conscripto ... dum sibi admodum confusè, Rubeo præluxisse his verbis: sepultus etiam fertur cum Prædecessoribus suis tempore L. Septimij Seueri Pertinacis Augusti & Antonini Caracallæ, itidem in Romana Sede Calixto I. & Vrbano I. anno salutis CCXXX: certiorem doctrinam sic proponit: Quidam autem asserere nituntur, imperantibus Constantino & Constante Augustis, anno CCCXL Agapitum sub Iulio I. Romano Episcopo fuisse, & in Romana Synodo cum alijs Orthodoxis conuenisse.

D 8 Notandum autem Philippum Ferrarium ad hunc diem in Catalogo Sanctorum Italiæ citare antiquas Ecclesiæ Rauennatis Lectiones, quas satis constat nullas vnquam fuisse, nam quas nos istic descripsisse diximus & ipse vidisse potuit, eæ nec antiquæ sunt, nec in vsum fuerunt inductæ ecclesiasticum. Cardinalis Baronius in Fastos Romanæ Ecclesiæ S. Agapiti nomen retulit cum titulo Episcopi & Confessoris: in quo secutus videtur Florentini Martyrologij, anno MCCCCLXXXVI excusi, auctoritatem: ante illud verò impressum eiusdem cum iisdem titulis nomen insertum fuit duplici Martyrologio MS altero Bibliothecæ Mediceæ ad S. Laurentium, altero Caroli Strozzi, Senatoris Florentini, & additur vtrobique: qui nonus rexit & floruit post Apollinarem, quod in solum S. Liberij successorem, Marcellini prædecessorem cadit, iuxta seriem in picturis Rauennensium ecclesiarum expressum.

Memoria in Martyrol.

DE S. COLVMBA VIRGINE

ET MARTYRE IN ANGLIA.

XVI MAR. S. Columba, Virgo & Martyr, alia Senonensis

1 Tres sunt huius nominis Virgines & Martyres, quarum primaria est Senonensis in Gallia sub Aureliano Imperatore pro fide Christi, igne suppositum, tandem gladio die XXXI Decembris cuius plurima Acta & manu exarata & typis cusa habemus, & ipsi apud Senonas in propria illi dicata ecclesia sacras eius reliquias venerati sumus. Huius S. Columbæ tanta per orbem in Ecclesia celebritas fuit, vt aliarum duarum videatur memoriam absorbuisse. Hoc obseruat Ambrosius Morales in Notis ad librum III Memorialis Sanctorum editi à S. Eulogio Archiepiscopo Toletano & Martyre, qui capite X proponit martyrium S. Columbæ Virginis Cordubæ in Hispania sub Saracenis passæ Æra DCCCXCI, siue anno Christi DCCCLIII die XVII Septembris. In eadem locum, quo huius Vita & passio incognita ferè, deplorat Morales ... Hispanis assumptam fuisse venerationem S. Columbæ Virginis & Martyris Senonensis ... illa sepulta, & ... Martyrologij Romani inscripta.

alia Cordubensis,

2 Tertiam proponit Anglia, in ... Cornwallia, ... in Damnoniorum prouincia, Britannicè Kernaw dicta, quòd quasi Cornibus ... quæ Britanni Kern appellant, vndequaque in mare excurrit. ... Addit Cambdenus Saxones Britanniæ dominatu exactis omnia & peregrina appellasse Wealsh ... Cornweales ... hinc Cornwallia, ... quæ etiam recentioribus Cornubia Latinè dicitur. ... oppidum mercatorium S. Columbæ nomine ... Hundredo siue territorio ... quod ait Cambdenus memoria S. Columbæ Virginis & Martyris consecratum, ... ex eius Vita seculorum esse asserit. Hanc Vitam non potuimus ... quæ ... tempus ... Martyrij significare. In Tabulis Spedi Geographicis Angliæ etiam proponitur oppidum S. Columbæ, sed absque vlteriore explicatione.

illa Britannica,

C

S. Dominus ... Cornwallia appellatur.

3 In posteriore editione Martyrologij Anglicani, citatis Cambdeno & Spedo, ac Catalogo Sanctorum Britanniæ, ad XVI Martij illud elogium profertur: Eodem die in Cornwallia Commemoratio S. Columbæ Virginis & Martyris, quæ multis temporibus in illa prouincia celebris fuit & sanctitate vitæ & miraculis potentis, vbi ad hoc vsque tempus multa monumenta eius nominis extant, quæ videri possunt. Hæc ... hactenus obtinere, & arbitramur, si hæc sancta Virgo & Martyr fuisset Columba aut Senonensis aut Cordubensis, id indicandum fuisse à Cambdeno: qui lectorem monet oppidum non appellari à S. Columbâ, siue Columbano, Abbate Scoto, siue insulæ Hyensis, qui colitur IX Iunij.

colitur IX Iunij.

4 Alfordus in Indice Sanctorum Angliæ excuso ad calcem tomi III Annalium Historiæ Anglicanæ ista habet: Columba Virgo & Martyr è sodalibus S. Vrsulæ mille Virginibus, vt narrat Vsuardus. Extat ecclesia in Cornubia à S. Columbâ nuncupata, quæ Virgo & Martyr perhibetur, cur non ab hac Virgine? Eius meminit nostrum Martyrologium ad XVI Martij. Agit Alfordus de Virginibus Vrsulanis ad annum CCCCXXXIII & num. XXV recenset aciem illam sacram in Duces, Centuriones & Chiliarchas distinctam citatis verbis Vsuardi, sed quis ille auctor? In Martyrologio Vsuardi nulla harum Virginum mentio fit. Sunt illa, quæ proferuntur excerpta ex libro 2 Reuelationum, quæ B. Hermanno Steinfeldiensi attribuuntur ab Hermanno Crombachio, & capite XX SS. Columba & Cordula dicuntur filiæ Regis Auiti & Columba mille Virginibus principasse. Sed quidni hoc indicarit Cambdenus, qui Vrsulanis ... indicat? Hoc qui in lucem proferet, rei veritatem edocere poterit. Cæterum ad XXI Octobris poterit hæc ... de Vrsulanis agetur.

an Vrsulana.

F

DE SANCTIS MARTYRIBVS

VALENTINO EPISC. TARRACINENSI,

ET DAMIANO EIVS DIACONO,

IN TEATINA APRVTII DITIONE.

CIRCA AN. CCCXII XVI MAR.

1 Tarracina, alijs Terracina & Terrinum, in maritimis Latij littoralis partibus, quæ hoc tempore Campaniæ Romanæ appellatur, vrbs Episcopalis, gloriatur Sedem fundi à S. Petro Apostolo erectam, atque ordinatum suum Episcopum S. Epaphroditum, ... qui hic proximus ... ... anno CCCXII interfuit

S. Valentinus Episc. Tarracinensis

A *terfuit Concilio Romano, & Felice, qui tempore Damasi Papæ circa annum CCCLXX vixit: inter quos duos videntur constituendi Auitus & huic substitutus S. Valentinus, qui cum Diacono suo S. Damiano apud Pelignos in hodierno Aprutio citeriore glorioso martyrio vitam finiuit: & ibidem inter Teaten & Sulmonem quiescit in oppido, olim Castro-Petræ appellato, nunc verò à suo Patrono nomen S. Valentini sortito. Hos Martyres ex monumentis Ecclesiæ Teatinæ inscripsit Catalogo generali Ferrarius primo loco ad diem XVI Martij his verbis;* In territorio Teatino sanctorum Martyrum Valentini Episcopi & Damiani Diaconi Tarracinensium.

colitur 16 Martij.

2 *Acta martyrij horum Sanctorum extare manu exarata in dicto pago S. Valentini suggessit in Notationibus memoratus Ferrarius: quæ vt obtineremus, litteris missis Teaten, rogauimus Reuerendum Patrem Rectorem collegij nostræ Societatis, vt illa nobis procurare dignaretur. Adhibuit is omnem industriam, vt desiderio nostro satisfaceret: at cùm videret suum studium frustrà consumi, implorauit Archiepiscopi Teatini operam: cuius iussu municipes S. Valentini libellum dicto Rectori dederunt: in quo istorum Sanctorum martyrium ex Longobardorum chirographo, quo primùm fuit expressum, vulgari charactere fidelissimè restitutum* B *fuisse testatur memoratus Rector, R. P. Marcus Antonius Rura, in epistolâ cum petitis monumentis XVII Septembris anno MDCLXV missâ. Archiepiscopus Teatinus, cuius beneuolentiæ plurimum debemus, fuit Modestus Gauazius, antè Ordinis Conuentualium S. Francisci, Sacræ Theologiæ Magister, & sui Ordinis Generalis Procurator, & Sancti Officij in Vrbe Consultor, ab Alexandro VII ad hanc Archiepiscopalem Sedem anno MDCLVII promotus.*

Acta martyrij, charactere Langobardico exarata,

3 *Acta hæc sunt in nouem lectiones disposita, solebantque à Presbyteris dictæ S. Valentini Ecclesiæ ad Officium Matutinum recitari, quæ, vt sub finem additur,* Sebastianus Venturinus Veronensis, Canonicus in Terrâ-Laureti fideliter anno MDXVIII scripsit, *aut potiùs ex charactere Longobardico ad commodiorem vsum transcripsit. Eadem Acta habuit Lucius Camarra Teatinus & laudat in Teate antiquo pag. 61 & 69, & pag. 70 allegat auctoritatem & notas Ioannis Baptistæ Mari, quem nobis Romæ amicissimum reperimus, at robustior illi defuit valetudo cum longiore vitâ, vt quæ voto conceperat, potuisset in publicum proferre.*

in 9 Lectiones disposita ab alijs laudata.

ACTA MARTYRII

Ex MS. Lectionario Ecclesiæ S. Valentini.

CAPVT I.

S. Valentini educatio & Episcopatus. S. Damiani adoptatio & Diaconatus. Persecutio Iuliani apostatæ, bonorum captiuitas.

a LEC. I *Patre Claro, & matre Flauia.*

Temporibus a Magni Constantini piissimi Imperatoris erat quidam vir in ciuitate Terecinâ, Clarus nomine, nobilis prosapiâ, sed nobilior moribus, Christianus & timens Deum: iuxta siquidem præsagium sui nominis pollens in seruitio Domini nostri sic, præclarus & lucidus ab omnibus habebatur. Hic accepit vxorem ex nobilissimis primatibus eius ciuitatis, nomine Flauiam, ex Christianis parentibus ortam, Christianissimam ac satis religiosam. Commorantes denique simul paruo tempore, Diuinâ fauente clementiâ duos filios & vnam filiam genuerunt: vnum Valentinum, alterum *b* Sabricium, filiam verò Florentiam nuncupauêre, gratias agentes Deo largitori omnium bonorum. Quinquennio igitur peracto à tempore natiuitatis, Valentinus & Sabricius liberalibus artibus à parentibus traditi sunt: Florentia verè cuidam viro nobili est tradita. Post non multum verò tempus Clarus & Flauia dormitionem accepêre in Domino, filios bonæ indolis superstites relinquentes. Igitur post mortem parentum Sabricius domum suam reuertens, curam gerebat de omnibus bonis paternis. Valentinus verò numquàm ab ecclesiâ recedens, in lege Domini die ac nocte meditabatur: & vt prudentissima apis flores sacrarum Scripturarum sine intermissione carpere non cessabat. Videns autem Præses eiusdem ciuitatis, Auitus nomine, prudentiam sancti iuuenis, nolentem & inuitum sacris eum Ordinibus sublimauit; sperans eum post suum decessum (sicut Deo auctore posteà factum est) superstitem fore. Denique postquàm summis Ordinibus sanctus vir est promotus, totum se in campo sanctæ Ecclesiæ ingerens, castitati, humilitati, ac ceteris virtutibus cœpit operam dare: & si quid fortè ex suo labore vel aliunde habere poterat, pauperibus erogabat nihilque de crastino cogitans, irreprehensibilem secundùm Apostolum ducebat vitam.

b nascitur S. Valentinus: D *liberalibus eruditur, Sacra Scriptura instruitur: sacris Ordinibus initiatur:*

Factum est autem, vt sanctissimus Auitus Episcopus migraret ad Dominum, & Ecclesia Terrecina, proprio Pastore orbata, velut nauis in pelago, tempestatibus quassaretur. Fideles Christicolæ ab impijs ciuibus durissimè conuitiabantur. Omnis denique fidelis populus eiusdem ciuitatis ad ecclesiam confluens, Pastorem sibi Valentinum fieri optabat, sanctum, iustum, & dignum eum esse clamitans: voces vnà omnes extollebant ad cælum. Tandem eum fugientem & recusantem, inuitum & nolentem, cum magnâ violentiâ Episcopali throno sublimarunt. Videns sanctus vir voluntati Dei se contraire non posse, accipiens regiminis curam, perrexit ad Montem c Soracten, vbi sanctissimus Siluester, Vrbis Romæ Episcopus persecutione Constantini Imperatoris latitabat; atque ab eodem sanctissimo Præsule satis honorificè fuit receptus, & consecratus: reuersusque est ad ciuitatem Terracinensem, vbi cum ingenti honore, ac lætitiâ virorum ac mulierum à Clero & vniuerso populo est receptus.

LEC. II E *in Episcopum electus, à S. Siluestro consecratur:*

Postquàm igitur apicem Episcopatus S. Valentinus ascendit, de virtute in virtutem proficere cœpit: curam agens de egenis, viduis & orphanis; ac necessitatem habentibus quidquid habere poterat erogabat. Erat intereà quædam vidua in ciuitate Terracinâ, Precla nomine, quæ habebat vnicum filium, nomine Damianum, & non erant cibaria, vnde eum vnico filio aleretur. Hæc accessit ad pedes eiusdem Pontificis Præsulis Valentini, rogans eum, vt suæ inopiæ subueniret, quatenus ipsa viuere, & suam prolem posset nutrire. Motus itaque piissimus Pater precibus pauperrimæ mulieris, accepit infantem in brachijs suis, & amplexatus ac deosculatus est eum, atque in conspectu omnium, qui aderant, adoptauit sibi eum in filium. Mulieri verò quinquaginta aureos donauit, vt suam inde paupertatem releuaret: & sic gaudentem remisit mulierem ad propria, puerum autem secum retinuit. Cœpit itaque sanctissimus Præsul puerum diligentissimè enutrire, & in Dei seruitio studiosissimè informare, imbuens eum Ecclesiasticâ doctrinâ iuxtà consuetudinem & ritum sanctorum Patrum. Postquàm autem adoleuit, à sanctissimo Patre & Antistite ad Diaconi gradum promotus, in doctrinâ Magistri sedulus mansit.

LEC. III *eleemosynis deditus,* F *S. Damianum in filium adoptat: curat instrui, Diaconum ordinat:*

Florebat tunc temporis Ecclesia Dei vigore piissimi ac Christianissimi Imperatoris Constantini: qui nuper à beatissimo Papâ Siluestro baptizatus, Christianos vbique Christum confiteri permittens, credentibus libertatem dedit, non credentibus verò seruitutis poculum propinauit. Tantâ enim serenitate illis diebus Ecclesia Dei lustrabatur, vt nullus gentilis publicè auderet dijs sacrificare, neque alicui Christiano iniu-

LEC. IV

A iniuriam irrogare. Vbique Dei templa erigebantur: vbique Crux Christi vigebat. Fideles lætabantur, & infideles confundebantur vbique. Factum est autem post mortem serenissimi Imperatoris Constantini, vt Iulianus apostata (qui erat Subdiaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nutritus etiam & eruditus à Pigmenio Presbytero secùdùm Ecclesiasticum ritum) Christum negaret, & Ecclesiasticam doctrinam relinqueret, atq; imperialia sceptra obtineret, eò quòd esset de stirpe & familiâ Cæsarum procreatus. Hic constituit ex iure Romanæ legis, vt Christiani vbique militarent, & auferebat ab eis omnes facultates & possessiones, dicens Christum in Euangelio præcepisse: Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus. Addidit autem ad confusionem Christianorum & ad suæ damnationis cumulum, vt mitterentur leges & imperia per vniuersum mundum, vt siquis non negasset & idolis non sacrificasset, statim puniretur. Misit autem diuersos Duces, Præfectos, Tribunos atque Comites per diuersa regna ac loca, qui vbique Christianos compellerent idolis sacrificare secundùm imperiale præceptum, dans & aliud mandatum, vt quicumque Christum negaret, & idolis sacrificare voluisset, amplissimis donis ex imperiali aulâ ditaretur; qui autem eorum nefandissimis iussis non obedissent, diuersis pœnis affecti capitali sententiâ punirentur.

Imperante Iuliano apostata. *Lu. c. 14, 33* *ob motam in Christianos persecutionem.* B

LEC. V. Accidit intereà ex hac pestiferâ imperiali ordinatione, vt quidam nefandissimus Præfectus, nomine Aufidianus, veniret Campaniam ad extirpandos Christianos. Qui veniens in ciuitatem Terrecinam cum magno exercitu, cœpit Christianos requirere, vt eos compelleret ad sacrificandum idolis. Audientes autem hæc turbæ virorum & mulierum Christianorum, confugêre omnes ad sanctum Episcopum, & iactauêre se ad pedes eius, clamantes & dicentes: Pater sancte, redime nos tuis sanctis precibus de potestate tyranni huius, ne quando inimicus desæuiens glorietur de ouibus Christi. Tunc B. Valentinus prorumpens in lacrymas, cœpit eos blandè consolari, dicens: Fratres & filij mei, nolite timere machinas & insidias malignantium. Valet enim valida manus Domini, & hos deijcere & in terram prosternere, & seruos suos liberare de omnibus periculis & insidijs malignantium. Hæc dicens sanctissimus Præsul cum magnâ festinatione agens sacra Missarum solennia, tradidit omnibus almificum Corpus & Sanguinem Domini, & dans omnibus vltimum pacis osculum, commendauit eos Christo. Cùm autem hæc agerentur, quidam nefandissimi Vrsacius & Hireneus accesserunt ad Præfectum & dixerunt ei: Illustrissime virorum Domine Præfecte, est quidam magus, nomine Valentinus, in hac ciuitate, qui contra Deos & contra Imperatores agens, non cessat quotidiè, nescimus quem Christum prædicare, templa deorum subuertere, & omnes quos valet subtrahere à culturâ deorum. Audiens hæc impijssimus Præfectus, irâ commotus præcepit suis militibus, vt cum magnâ verecundiâ expulsus de ecclesiâ, traheretur ad eius consistorium. Milites verò perficientes eius nefandissima iussa, venerunt vbi sanctissimus Præsul manebat, & cum magno furore illū trahentes, præsentauerunt eum iniquissimo Præfecto. Damianus autem flens & eiulans amarissimè, sequebatur eum vsque ad consistorium Præfecti.

subditos ad se confugientes piè solatur. C *baptismo abducitur.*

a *Imperauit* Constantinus *Magnus à 25 Iulij anni 306, vsque ad annum 337, quo mortuus est ipso* Pentecostes *Festo.*

b Sabricium *legendum in margine notabatur, non* Fabricium, *vt scriptum erat.*

c Soractes *mons Etruriæ Pontificiæ, seu Patrimonij S. Petri, nunc* Mons S. Siluestri *dictus, quòd ibi latuisse credatur, vt hic dicitur.*

d *Imò* Constantino *Magno mortuo tres filij, diuiso Imperio, regnarunt,* Constantinus, Constans, *& qui reliquis vita functis, Monarcha. Superfuit* Constantius, *cui patrueli suo successit anno 361* Iulianus.

CAPVT II

Tormenta his Sanctis inflicta. Curatio & directio Angeli. Conuersio multorum. Martyrium.

AVfidianus denique Præfectus intuens Valentinum Episcopum, interrogauit eum dicens: Tu es Valentinus sacrilegus, qui contra deos & contra Imperatores agens, destruis templa deorum, & omnes quos potes suadere, alienare facis ab eorum culturâ? Sanctissimus Valentinus Episcopus respondit: Ego sum peccator Valentinus, non sacrilegus, vt tu dicis, sed Christianus; Episcopus, licet indignus: qui in quantum possum Ecclesiam Dei ædificare non cesso. Homines verò, qui ad imaginem Dei facti sunt, semper suadeo, vt derelinquant culturam dæmoniorum, & ad culturam Christi Filij Dei studeo illos reuocare. Hæc audiens nefandissimus Præfectus, exarsit vt ignis, & iussit ministris, vt tamdiu eum fustibus cæderent, quò vsque spiritum exhalaret. Tunc ministri cœpêre iussa perficere, & extendentes eum in terrâ, totâ virtute cædebant eum, intantùm vt ossa & nerui eius rumperentur. Beatus autem Valentinus vultu & mente hilaris persistens, dicebat: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, qui me inter seruos tuos numerare dignatus es. Et hæc dicens ministrorum brachia dissoluebantur. Damianus autem Diaconus cœpit clamare & dicere: O filij diaboli, quis vos coarctat diabolus in sanctum Dei Præsulem ista mala exercere? Audiens hæc Præfectus, iussit vt & istum diutissimè cederent. Quod cùm factum esset, præcepit vt ambo mitterentur in carcerem, & per totum carcerem fragmenta testarū sternerentur, vt vel sic cruciati Christum negarent. Intrantes autem carcerē sancti Martyres, voce clarâ psallebant: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Ministri verò constringentes catenis manus & pedes ac colla eorum, diligentissimè clauserunt carcerem, atque in introitu ipsius carceris se locauerunt per totam noctem. Circa mediam verò noctem venit Angelus Domini, & stetit iuxta Martyres, & ait ad eos: Nolite, fortissimi Athletæ Dei, formidare pœnas iniquissimi tyranni, quæ ad modicum valent: quia præparauit Deus vobis requiem & lucem æternam, atque immarescibiles coronas de manu Domini accipietis, si vsque ad finem in fide nominis eius perseueraueritis. Hæc eo dicente tanta lux obumbrauit carcerem, vt custodes, qui ante ianuam carceris iacebant, putarent se ictu fulguris interire. Protinus verò consolidata sunt ossa eorum, & omnia membra eorum sanitati sunt redonata. Catenæ autem, quæ erant circa colla & manus ac pedes sanctorum Martyrum, redactæ sunt in puluerem. Angelus autem Domini dixit ad sanctos Martyres. Oportet vos alijs ciuitatibus prædicare verbum Dei: etenim prædestinauit vos omnipotens Deus alijs locis, vt passio vestra non sit infructuosa. Hæc dicente sancto Angelo cœpit eos ducere foras ciuitatem Terrecinam: & cœperunt Sancti ire ducatu Angelico. Post tertium verò diem venerunt in Comitatu a Valuensi, & applicuerunt ciuitatem b Corfiniam, in quam ingressi, quædam religiosa vidua, nomine Hirene, honorificè suscepit eos. Huic autem erat filia, quæ sanguinis fluxum patiebatur per annos septem, & omnem substantiam suam iam expenderat in medicos: sed nihil ei valere poterat. Hæc accessit ad Sanctos Dei Valentinum & Damianum, & osculabatur pedes eorum dicens: Miseremini mei, Sancti Dei, & liberate me ancillam vestram à languore, quo sum detenta. Beatus autem

LEC. VI *Coram Præside fidem profitetur.* E *diris verberatur,* *vti & S. Damianus.* *Ps. 123, 7* *includuntur carceri,* *ab Angelo sanati,* F *catenis in puluerem redactis,* *educuntur:* *veniunt Corfinium.* *S. Valentinus signo Crucis sanat laborantē fluxu sanguinis.*

A autem Valentinus faciens signum Crucis super eam, dixit: Salue esto mulier ex hac horâ. Statim verò salua facta est mulier à suâ infirmitate. Tunc mulier illa videns se esse sanam, egressa cœpit dicere omnibus: Venire, & videre deos latentes in effigie hominum. Denique cœperunt omnes hinc inde currere, & quotquot habebant languidos ante pedes sanctissimi ponere Valentini. Beatus autem Valentinus faciens signum Crucis curabat omnes. Tunc baptizati sunt in ciuitate Corfiniâ à sanctissimo Episcopo quatuor millia homines extra paruulos & mulieres per septem dies, quibus morati sunt Martyres in ciuitate Corfiniâ. Hæc audientes templorum Pontifices, comprehenderunt Sanctos Dei Martyres Valentinum & Damianum: quos diutissimè cędentes ligauerunt funibus eorum colla, & traxerunt eos foras ciuitatem, & semiuiuos eos reliquerunt. Cúmque iacerent foris muros ciuitatis, quasi mortui; ecce Angelus Domini stetit iuxta illos & confortans eos dixit: Nolite timere: surgite sani: atque properate: venite ad locum, quem Dominus vobis concessit. Surgentes autem Sancti, B cœperunt iter agere cum magnâ fiduciâ.

EX MSS. alios & alijs morbis

baptizat 4000. virorum

percussi

ab Angelo confortantur.

LEC. VII

Venientes itaque iuxta fluuium c Piscariam in loco, vbi dicitur d Pons-Marmoreus, inuenerunt ibi quemdam iuuenem iacentem paralyticum. Qui cùm inde transissent & vidissent miserum, misericordiâ motus sanctissimus Valentinus Episcopus, fecit signum Crucis super eum: & statim surrexit homo sanus de lecto, in quo iacebat. Cumque audissent habitatores ciuitatis e Interpromij, venêre viri & mulieres ad sanctos Martyres, & rogauerunt eos vt ibi morarentur per aliquantos dies. Quibus Valentinus Episcopus dixit: Quia oportet nos ire ad locum, quem Dominus noster Iesus Christus nobis prædestinauit, propè etenim est finis nostrę vitæ. Hæc eis dicentibus, carpebant iter cum magno gaudio. Denique ante solis occubitum ingressi sunt in ciuitatum f Zappinam, quæ erat sita trans flumen Ortæ iuxta fluuium Piscariæ atque ex alio latere erat flumen Lauinum; Ciuitas namque illa, habebat iniquissimos & pessimos homines paganos, & idolis deditos. Intrantes autem sancti Martyres ciuitatem, hospitati sunt iuxta templum Apollinis, & ibi iacuere nocte illâ. Apparuit autem eis Angelus Domini, dixitque eis: Locus iste, & ciuitas ista vobis à Domino est assignata, vt hîc cursus vitæ vestræ finiatur. Hæc audientes sancti Martyres, gaudio magno sunt repleti: & surgentes manè cœpêre circuire ciuitatem, & prædicare verbum Dei. Cúmque ad prædicationem Sanctorum C viri & mulieres Christo credidissent, relatio cucurrit de eis ad Proconsulem ciuitatis, nomine Demetrium. Huic autem erat filius, qui maximo languore vexabatur: & in extremis positus, iam vltimum flatum trahebat. Misit denique seruos suos Demetrius per ciuitatem, vt inuentos Sanctos Dei cum honore ad eum ducerent: qui euntes per totum diem illos circa vesperam reperêre. Quibus dixêre: Proconsul Demetrius rogat vos, vt veniatis ad eum: quia filius eius iam vltimum flatum trahit. Tunc Sancti simul cum eis ire cœpêre. Qui cùm venissent ad domum Proconsulis, inuenêre filium eius iam mortuum; & omnes, qui aderant eius funeri lamentantes amarissimè reperêre. Videns autem Proconsul Demetrius Sanctos Dei Valentinum & Damianum, misit se ad pedes eorum, dicens: Miseremini mei Sancti Dei: quia vnicus filius meus carissimus, quem vt animam dilexi, ante me mortuus iacet. Cui sanctissimus Valentinus respondit: Si credideris Iesum Christum verum Deum esse, videbis viuum, & sanum filium tuum. Respondit Demetrius. In hoc apparebit virtus Dei vestri, si videro viuum filium meum: ego & omnis domus mea credam Christo vestro. S. Valentinus dixit: Deferte puerum in lecto ante fores vestri palatij. Quod cùm factum esset, sanctissimus Valentinus voce clarâ dixit: Do- D mine Iesu Christe, qui Lazarum quatriduanum & filium viduæ resuscitasti, tu resuscita & hunc filium Demetrij Proconsulis: vt omnes, qui astant, credant te verum Deum cum Patre tuo & Spiritu sancto. Cúmque S. Damianus respondisset, Amen; subitò surrexit puer, & cœpit voce clarâ dicere: Verus Deus Christus, quem prædicat famulus eius Valentinus. Hæc videntes omnes, qui aderant, miserunt se ad pedes S. Valentini vnà cum Demetrio Proconsule, clamantes & dicentes: Da nobis lauacrum salutis in Domino. Quibus S. Valentinus dixit: Parati estote, vt proximo die Dominico baptizemini. Constituto itaque die baptizatus est Demetrius Proconsul cum filio suo & omnis domus, & familia sua promiscui sexus quadringenti viri. Baptizati sunt cum eo omnes, qui aderant, quando filius eius reuixit, viri & mulieres quasi duo millia. Intereà beatus Valentinus cœpit ædificare ecclesias, ordinare Presbyteros & Diaconos & ceteros ministros Ecclesiæ. Destruebat templa, lucosque succendebat, atque studebat quotidie cultores idolorum exstirpare. Hæc videntes templorum E Pontifices, simul congregati cum maximâ parte populi Paganorum, comprehenderunt sanctos Martyres Valentinum & Damianum, & duxerunt eos in syluam magnam non longè à ciuitate Zappinâ, ibique affixos gladijs decollauerunt, relinquentes inhumata corpora eorum. Audientes autem fideles transitum sanctorum Martyrum, venerunt & sepelierunt corpora eorum in eadem siluâ propè magnam petram, quæ erat ibi, vbi exuberant eorum beneficia vsque in hodiernum diem. Passi sunt autem sanctissimi martyres Valentinus Episcopus & Damianus Diaconus sexto decimo g Kalendas Martij, temporibus Iuliani Imperatoris; apud nos verò regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

signo Crucis paralyticum sanant:

Zappina monentur ab Angelo illum esse locum martyrij:

resuscitant mortuum filium Proconsulis,

baptizant 400

& 1000

occiduntur.

sepeliuntur.

a *Valua siue Valuanus ager, aut Valuensis* Comitatus *in* Aprutio *citeriore, antiquato Pelignorum nomine, appellari cœpit, quod Leander asserit factum ob angustias, per quas aditus patet. Fuerunt olim proprij Valuenses Episcopi, quorum Sedes Sulmonensi vnita est, & Episcopi in Conciliis Valuenses sæpius appellantur.* *Valuensis Episcopatus.*

b Corfinium, *passim ab omnibus antiquis scriptoribus memoratur. Cæsari, lib.* 1 *Belli ciuilis* abest Sulmone VII millium interuallo. *Ex huius ruinis Valuensis Ecclesia accreuit, S. Pelino Episcopo Brundisino, sub Iuliano etiam martyrium 5 Decembris passo, sacrata.* *Corfinium.*

c Piscaria *fluuius, vulgò* Pescara, *antiquis* Aternus, *separat Aprutium citerius ab vlteriore.*

d *Pontis meminerunt Strabo lib.*5 *& Cæsar loco citato: ille ait* Corfinio abesse 24 stadijs, *iste* circiter 3 millia passuum, *quæ coincidunt, & hisce Actis congruunt.* *Pons*

e Inter-promium *vicus memoratus Antonino, vbi etiam* Inter-Bromio, *& in Tabulis* Inter-primum *dicitur, & à Corfinio* VII *aut* XVII *millibus notatur distare. Lucius* Camarra *in Teate antiquo asserit in Actis SS.* Camitij *& sociorum appellari* Inter-primum, *& à Diodoro lib.* 11 Pollitium. *Inter-promium.*

f *Camarra in Teate antiquo pag.* 69 Zappinam *fuisse hisce Actis insertam deturpato fortè vocabulo arbitratur, ac legi debere* Teatinam, *sic exigere itineris rationem à Sanctis viris instituti & vrbis Teatinæ situm correspondentem. Ita apud Anastasium Bibliothecarium in Sergio* 11 *legi* Lupum Episcopum Ecclesiæ Textinæ, *pro* Teatinæ, *& in Actis SS. Comitij & sociorum haberi* Catanenses *pro* Teatenses. *Verùm inciderat, meo forsan, Zappina fuisset, vbi modò Solfanara sita est, vbi vtrimque in Aternum seu Piscaram influunt amnes. Favet vicinum Castrum-Petra, ad quod sacra corpora sunt delata.* *Zappina.*

g *An nomen* Kalendas *perperàm insertum? Aliàs foret dies* 14 *Februarij, quo coluntur SS. Valentinus Romanus Presbyter, S. Valentinus Interamnensis Episcopus, & alij plures Martyres.*

CAPVT

CAPVT III.

Inuentio, Translatio, & miracula SS. Valentini & Damiani.

LEC. VIII. POstquàm diuinâ ordinatione gloriosissima corpora sanctorum Martyrum Valentini & Damiani à fidelibus collecta fuêre, &, vt illis temporibus necessitas incumbebat, decenter sunt tradita sepulturæ; inculta & absque veneratione mansêre vsque ad tempora a Longobardorum; quando totâ Italiâ ad Christum conuersâ, omnes homines illius prouinciæ baptismo Christi fuerunt consecrati. Illis denique temporibus tantâ pace tota Italia lustrabatur, vt omnes ciues habitarent in proprijs possessionibus. Eo tempore ciuitas Zappina erat destructa, & in viculos redacta, & in omnibus illis viculis non erant oratoria præter oratorium sancti Saluatoris, quod situm erat supra flumen Piscariæ; vbi confluebant omnes habitatores illius prouinciæ ad audiendum verbum Dei, & ibi tumulabantur omnes eorum defuncti. Accidit autè vt omnes non longè ab ecclesiâ manentes deferrent quemdam rusticum defunctum, vt in eodem loco traderent sepulturæ. Cùm autem ire cœpissent, ingens pluuia mixta grandine ita eos occupauit, vt non valerent vltrà procedere. Cumque essent in articulo mortis positi, vt nec domum reuerti, neque ad ecclesiam pergere possent, nutu & voluntate Dei subtus quamdam ilicem deuenêre. Vbi diu multùmque sedentes pluuiæ magis atque magis crescebant. Consilium agentes inter se, cœperant fodere subtus arborem illam, vt ibi mortuum sepelirent. Cùmque non multùm foderent, inuenêre tumulum, vbi corpora sanctorum Martyrum Valentini & Damiani quiescebant. Et inuenerunt illi Epitaphium supra pectora eorum. Sacerdos autem quidam, qui corpus defuncti ducebat ad ecclesiam, legit titulum, in quo erat scriptum: Hic requiescunt corpora sanctorum Martyrum Valentini & Damiani. Videntes autem hæc mirati sunt, & cœperunt Deum rogare, dicentes: Domine Iesu Christe, Deus verus de Deo vero, si hæc quæ vidimus corpora Sanctorum sunt, resurgat hic mortuus, vt nomen tuum sanctum clarificetur in seculum. Cùmque astantes respondissent, Amen; statim resurrexit defunctus, & magna serenitas cæli facta est. Illi ergo homines cùm vidissent tanta miracula, stupuerunt & glorificauerunt Deum, & sanctos Martyres Valentinum & Damianum. Denique aliqui ex illis custodiebant corpora Sanctorum; alij verò euntes per vicos & castella, diuulgauerunt omnia quæ viderant. Tunc omnes populi regionis illius simul congregati, construxerunt supra sepulcrum sanctorum Martyrum paruum oratorium, & clauserunt diligenter eorum sepulcra. Deinde cœperunt omnes construere parua oratoriuncula in circuitu eiusdem oratorij, & ibi habitabant in eodem loco.

Sub Longobardis, a *destructa Zappina, B ad oratorium deferentes mortuum, pluuia impediti, fodientes reperiunt corpora SS. Valentini & Damiani. mortuus resuscitatur. C oratorium extruitur.*

Manserunt autem corpora sanctorum Martyrum vsque ad b tempora Normandorum, quando Trogisius egregius miles, vnus ex maximis Patricijs Normandiæ, c Castrum-Petræ, & alia plurima castella forte & conquisitè tenebat. Hic Trogisius transferre fecit corpora sanctorum Martinum Valentini & Damiani de loco, in quo manebant, in oratorium, quod situm erat in Castro-Petræ, vbi virtutes innumeras Deus quotidie monstrare dignatur. Mortuo itaque d Trogisio, & Roberto eius filio, & alio Trogisio filio Roberti, Riccardus filius eiusdem Roberti præclaræ indolis adolescens, & iure & consuetudine Normandorum dignus hæres, successit maiori fratri. Qui cùm esset iuuenis, tantâ audaciâ, nobilitate, prudentiâ ac bonitate splendebat, quòd per totam Italiam ab omnibus honorabatur. Huius temporibus erat quidam homo in villâ, quæ dicitur Licenesum, nomine Acto, qui per quadraginta annos à dæmonio vexatus fuerat. Ipse denique dæmon qui supradictum hominem possidebat, multa præstigia, & innumeras diuinationes per eumdem hominem exercebat: nam sæpiùs faciebat se vinciri, & à multis ligaminibus non tenebatur: positus in carucâ à centum hominibus non trahebatur: cùm volebat, ecclesiam introibat: & quando nolebat, à multis se trahi non permittebat. Hic sæpissimè ductus fuit ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Martyrum Christi, sed à nullo horum potuit liberari. Accidit autem, vt quadam die prædictus dæmoniacus spontè veniret ad oratorium, in quo sancti Martyres tumulati erant, stipatus turbis virorum ac mulierum. Cùmque ingressi fuissent ecclesiam, vbi sancti Martyres, Valentinus & Damianus quiescebant, cœpit dæmon clamare & dicere: Valentine tu me eijcis, Valentine tu me eijcis. Ad hanc vocem Sacerdotes qui aderant orationibus & obtestationibus cœperunt insistere. Tunc dæmon acerrimè quàm solebat cœpit vexare eum: & elisus in terram euomens volutabatur. Deinde tanto fœtore ecclesia est repleta, vt cunctus populus putaret se interire. Cùmque Clerici, Te Deum laudamus, cantare cœpissent, tantus odor ex tumulo sanctorum Martyrum processit, vt omnes, qui aderant, putarent se in paradiso Dei manere. Ille verò reuersus in domum suam diebus omnibus quibus vixit, Deum & sanctos Martyres eius Valentinum & Damianum glorificauit.

D LEC. IX b c Sub Normannis corpora transferuntur ad Castrum-Petræ d energumenus 40 annis, E fassus virtutem S. Valentini, liberatur. F

a *Hic intelliguntur posteri Longobardi, eorumq́; Duces Beneuentani, quorum priorem in Christianos sæuitiam ac posteriorum ad fidem conuersationem deduximus ad Vitam S. Sabini Episc. Canusini 9 Febru. § 9. & 10.*

b *Seculum Christi undecimum tunc voluebatur, quando Normanni sedem in istis ditionibus fixerunt.*

c Castrum-Petræ, *nunc oppidum S. Valentini appellari suprà diximus.*

d Trogisij, Torgisi *siue* Turgisi, *nomine appellatos fuisse Normannos illo seculo indicant Ordericus Vitalis lib. 5. Histor. Eccl. ad an. 1073. ubi & Gesta Stephani Regis Anglorum & Ducis Normannorum lib. 12. At postea Roberti & Richardi passim dicti ex eadem gente Duces Capuæ & Apuliæ & Reges Siciliæ.*

DE S. ANINA THAVMATVRGO

ANACHORETA IN EVPHRATENSI DITIONE.

XVI MAR. 1 Anctus Aninas *siue* Ananias, *aut* Aninus, Thaumaturgus, *varijs diebus inscriptus est Græcorum Menæis MSS. Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ die* XX *Februarij: at Parisiensi Synaxario Collegij Claromontani, & Menæis in Conuentu Virginis Annuntiatæ adseruatis* XVIII *Martij: unde coniecturam facimus in Martyrologio Arabico-Ægyptio, cuius Latinam versionem nuper Româ accepimus, eumdem annotari, quamuis per scriptoris incuriam nomen exciderit, & hoc solum legamus:* Memoria sanctis Patris Prodigiosi. *Ast hæc collocatur in MSS. Diuionensibus Chiffletij nostri* XVI *eiusdem Martij, quibus adstipulantur Menæa excusa & Maximus Episcopus Cytherorum, his passim verbis:* Memoria sancti Patris nostri Aninæ Thaumaturgi. *Adduntur in Menæis hi versus:*

S. Anina cultus apud Græcos.

Σοφῶ

A Σορῷ καλυφθεὶς θαυματουργὸς Ἀνίνας,
Οὐ συγκαλύπτει τὴν χάριν τῶν θαυμάτων.
Sepulcro Aninas thaumaturgus conditus,
Miraculorum gratiam haud condit simul.

Acta. *Non dubitamus, quin Acta vitæ & obitus cum miraculis à morte eius patratis, apud Græcos extiterint: è quibus nonnulla in Menæis excusis extant, quæ Matthæus Raderus noster iam sæpius parte primâ Viridarij sacri à se Latinè reddita excudit & nos hîc damus. Videtur autem vixisse in Euphratensi Syriæ provinciâ, ubi haud procul ab Euphrate fluvio erat urbs Episcopalis Cæsarea, alijs Neocæsarea dicta.*

VITÆ EPITOME.



Amans quietis 1 Hic sanctus Pater noster à primâ ætate nullo magistro ad mansuetudinem & vitam quietam propensus, latere studuit & sibi vacare. Sedecennis enim vtroque parente orbatus, relictis omnibus, solitudinem petijt: *solitudinem petit:* repertoque viro quodam religioso, cui Maiumæ nomen erat, paupertati in paucis deditissimo, sese illi addixit, pariterque cum eo peruigilabat & precabatur. B Tanta amborum erat abstinentia, vti sæpè per dies quadraginta, quod comederent, ex inopiâ non haberent. Et cùm tam arctè contentéque viuerent, perinde tamen, atque si inter cupedias regias degerent, oblectabantur. Sed aliquanto pòst tempore, huius Aninæ institutor & magister, ab eo cogitabat discedere, quod & fecit. Hic verò perbeatus ad illum; Da veniam, venerande Pater, mihi non est animus hinc recedere. Nempe quò Deo duce peruenerat, ibi perdurare decreuit.

2 leones sibi obsequentes habet: 2 Exibat tamen sæpius ad interiores eremi saltus, ad viginti vel triginta dies, suamque postliminio cellulam repetiuit, & cùm omnino cupiditates corporis mactauisset, vicissim illi Deus præstitit, vt obsequentes haberet feras. Nemini enim obscurum erat, geminos illi leones quocumque se conferret, assiduè comites fuisse: cùmque ex illis alter pedem spinâ induisset, Beatus extracto paliuro, pedem diligenter obligauit & curauit. *agros sanat:* Iam famâ passim de illo increbrescente, ingens hominum, virorum iuxtà ac fœminarum copia, qui secum ægros deducebant, ad eum confluxit: quos ipse, quocumque morbo laborarent, per inhabitantem Spiritus sancti gratiam, solis precibus restituit.

C 3 Prætermissâ igitur in interiorem solitudinem excursione, in cellulâ suâ permansit. Sed aqua incommodè suppeditabat: ex Euphrate enim, qui milliaria quatuor aut quinque aberat, petebatur. Ac priùs quidem rarò deferebatur, nec enim erat necesse: sed vbi vis hominum tanta concurrit, visum est Sancto, aquam ad vsum peregrinantium prouidendam. *precibus cisternam aquâ repletam accipit:* Cisternam ergo modicam effodit, in quam cælestem aquam colligeret. Enimuerò cùm illa angustior esset, & multitudo peregrinorum fontem exhausisset, aliaque turba superueniret, & ministro vt aquam hauriret imperaretur, intelligeretque Sanctus, nec vnum quidem scyphum impleri ampliùs posse, quòd iam pridem fons exhaustus esset; sublatis in cælum oculis, imoque ex pectore suspirans; hilari mox vultu ad ministrum, Age, abi, inquit, fili, ego tibi Domini impero nomine, vt haurias & aquam subministres. Paruit ille, & ô miraculum obstupescendum! cisternam aquâ plenam redundantemque inuenit; eoque rem proclamante, mirificissimum factum omnes oculis inspexerunt, & desilientes, recentemque & limpidissimum laticem haurientes, præ stupore attoniti, laudes Deo immensas dederunt, qui se diligentes tantâ gloriâ afficeret.

4 Hujus miraculi triumphum vt Sanctus opprimeret, ipse cœpit aquam ex Euphrate posteà, quemadmodùm & antè consueuerat, supportare. Per singulas ergo noctes æternus illi labor erat, vt aquam ex Euphrate deferret. D Cùmque rursum alio tempore frequentissimus populus adesset, & puteus siccatus esset totus, venerandus hic senex, arrepto vasculo, ad flumen properauit. Necdum ad iactû lapidis progressus, reuertit, vt ij, qui aderant, existimarent illum ob corporis inualetudinem regressum: occurrunt ei, vnoque hydriam ex manibus extorquente, vt ipse aquam ex Euphrate hauriret, cùm aduerteret videretque vrceum aquâ plenum, magnâ voce exclamauit: Date gloriam Deo: ex brachijs Patris aqua viua promanauit. Accurritur certatim, spectatâque hydriâ, frigidâ plenâ, supra modum admirati, ad pedes eius se prouoluerunt, precati ne suâ causâ tantum laboris aquæ ferendæ ampliùs subiret. *vrceo ... ...* Quod nisi, inquiunt, hoc miraculum accidisset, omnino ex ipso Euphrate aquam delaturus eras. Sed perbeatus ille vicissim & se in terram abiecit, sesèque pulverem & cinerem ac vermiculum vilissimum appellitabat.

5 Tunc Cæsareæ Pontifex, cùm intellexisset aquam ab ipso Sancto portari, iumentum ad onus subeundum, senemque liberandum eò destinauit. *asinum ab Episcopo accepit.* Interim inopiâ quidam & ære alieno oppressus ad virum sanctum venit, suamque illi calamitatem exposuit. Hic cùm nihil quod daret, haberet, nec vacuum tamen vellet à se dimittere: E Asinum, inquit, hunc vende, & creditori satisfacias. *donat indigenti:* Episcopus cùm hoc rescisset, alterum donauit, & , Hoc, inquit, iumentum non ad tuum tibi arbitrium permitto; sed vt aquam feras, cùmque mihi illius vsus erit, illud abs te repetam. Paullò pòst venit alius rogator, qui cùm ex Sancti inopiâ nihil quod acciperet videret, asinum accepit. Hoc rursum Episcopus edoctus, nouam hydrothecam effodit, quam submissis iumentis aquâ repleuit, iussitque iumenta sibi per seruos reduci.

6 Erat per id tempus in eâ viciniâ Stylita quidam percelebris, cui cum altero quodam, impulsu dæmonum, lis erat & pugna, ita vt lapide quoque peteretur & læderetur Stylita: qui irritatus cœpit velle iniuriam vltum ire, ac de statione columnæ suæ descendere, perturbatoresque vindicare. *Stylitam epistolâ per leonem missa, docet patientiam:* Quod Aninas verè homo Dei cùm diuinitus cognouisset, per leonem scriptam misit epistolam. Stylita viso leone grammatophoro, ingenti perculsus est terrore. Discipulus autem acceptam à leone epistolam Stylitæ reddidit: quam cùm legisset, paruit ille admonitioni, vindictâque Deo permissâ, rescripsit per leonem B. Aninæ, magnas se Deo & seruo eius agere gratias. F

matronam a stupro liberat: 7 Matrona graui morbo vexata ad virum sanctum contendebat, cui cùm in itinere barbarus occurrisset, stuprum inferre nitebatur; quem illa solo Sancti appellato nomine cicuratum à sententiâ deduxit. *hasta radices agente,* Qui cùm explicatâ manu hastam, (quam anteà defixerat in terram quàm illam aggrederetur) reperisset iam radices egisse, inusitato prodigio attonitus, & ipse ad sanctum virum aduolauit; à quo in Christianâ lege institutus, sacrum baptisma suscepit, mansitque cum viro sancto, & sanctissimè vixit. *conuertitur stuprator:* Fœmina porrò curata, lætitiâ gestiens reuertit.

Clara miracula, 8 Multa alia supra vim naturæ memoranda designauit Sanctus, quæ, ne fastidium crearemus lectori, quamuis inuiti, præterimus. Quinque ergo supra nonaginta annos in hac virtutis palæstrâ versatus, cùm numquàm abeâ declinasset, nec locum mutasset, ad decimum vltra centesimum ætatis annum peruenit; *110 annos natus,* multis, varijsque editis vaticinijs & prædictionibus, quas omnes euentus ipse comprobauit. Tandem magno Fratrum cœtu collecto coactoque, vnum virtute cæteris præstantiorem selegit: & Hunc, inquit, Deus Pastorem in meum locum designauit: simulque manu indigitabat & complectebatur, omnibusque benè precatus, post dies septem ad Dominum abijt, die sextâ decimâ Martij. *obit 16 Martij.*

DE

DE SANCTO IOANNE

ASCETA MONASTERII IN RVFINIANIS.

XVI MAR. *Nota est Chalcedon vrbs ad Bosporum, è regione Byzantij siue Constantinopolis, in quâ quartum Concilium Oecumenicum anno* CCCCLI *celebratum est. In huius suburbio iam diu antè habita fuerat pseudosynodus contra S. Ioannem Chrysostomum: de quâ Sozomenus lib. 8 hist. Eccl. cap. 17 agens, ista adiungit:* Ad Quercum est suburbium Chalcedonis, quod à Rufino Consulari cognomen habet: in quo & regia & ampla ecclesia, quam ipse Rufinus in honorem Apostolorum Petri & Pauli extruxit, & Apostoleum ab ipsis appellatur. *Adiunctum ab eodem Rufino, qui Romà eò aduenerat, monasterium, in eoque hunc ad mortem vsque vixisse, & sepultum fuisse tradunt Acta MSS. S. Hypatij ad diem* XVII *Iunij illustranda. Verùm id postmodùm S. Hypatius restaurauit, & in eo collapsam disciplinam restituit, vnde* monasterium S. Hypatij in Rufinianis *dicitur in Vitâ S. Auxentij Archimandritæ, à nobis editâ ad* XIV *Februarij, qui, vt* B *num. 36 & 39 traditur, sæpe in illo monasterio fuit, & miraculis claruit. In illo loco vixit S. Ioannes, quem* XVI *Martij celebrant Menæa Græca, & Maximus Cytherorum Episcopus his verbis:* S. Ioannes, qui in Rufianis, *siue* Rufinianis, in pace vitam finiuit. *Addunt Menæa hoc distichon:*

Τιμῶμεν, Ἰωάννη, τὴν ἐκδημίαν,
Ἐνδημίαν δὲ πρὸς θεὸν μᾶλλον φανεῖσαν.

Tuum Ioannes colimus excessum, magis
Qui nominandus ad Deum excessus fuit.

Allusio est in ἐκδημία & ἐνδημία, quæ de transitu ex hac vitâ ad alteram potest intelligi, aut certè de peregrinatione ex vrbe Constantinopolitanâ & discessu ab honoribus, quos istic potuit habuisse, ad secessum & contemplationem rerum cælestium ac diuinarum in monasterio S. Hypatij in Rufinianis, vbi eum inter ascetas & Therapeutas vixisse arbitramur.


DE S. ABRAMIO EREMITA, ET S. MARIA EIVS NEPTE.

IN HELLESPONTO.

Commentarius præuius.

§ I *Cultus vtriusque ecclesiasticus, & Officium apud Græcos* XXIX *Octobris.*

SECVLO VI XVI MAR.

1  *Arthusiæ Coloniensis Patres, post editum anno* MCCCCXC *Vsuardi Martyrologium iuxta quoddam suæ bibliothecæ MS, non sine augmento ex diuersis Martyrologijs collecto, illud iterum magis auctum in lucem dederunt anno* MDXXI *& in hac auctiori editione primùm meminerunt* Abrahæ Presbyteri & Anachoritæ & Mariæ filiæ fratris eius pœnitentis. *Eadem verba Ioannes Molanus in suis ad Vsuardum Additionibus anno* MDLXVIII *vulgatis repetijt, atque in margine annotauit:* De his Efrem to. 2. Aloysij. *Lipomani scilicet, folio 391, vbi eorum Acta profert ex Vitis Sanctorum Patrum Coloniæ impressis & MS. Veronensi, quæ Heribertus Rosweidus noster rursum edidit, ac postmodum etiam cum MS. Gislenopolitano collata, cum Suessionensi S. Mariæ conferenda reliquit, iam olim ex Græcis facta Latina. Antiquæ tamen illi versioni, & multorum fortè seculorum spatijs anteriori, Gerardi Vossij nouam prætulimus: quia Græcum ipsum textum ex Vaticanæ Bibliothecæ Codice 727 nacti, posteriorem interpretationem eidem vidimus pressiùs inhærere: quæ autem in vtrâque diuersitas, non exigui quandoque momenti, occurrit, eam diligenter descriptam lector inueniet in annotationibus, post singula capita more nostro subnectendis.*

Dies hic ex Molano, vnicum auctorem secuto,

C

2 *Ceterùm præfatus Molanus, cum anno* MDLXXV *suas illas Additiones recuderet, aliquam Menologij Græci notitiam nactus ex Horologio excuso Venetijs, vt ait, anno seculi* XXXIII, *securiùs esse credidit Græcæ Ecclesiæ in publicarum precum libro expressissimam consuetudinem sequi, quàm additiunculam in solâ Coloniensium postremâ editione adiectam, & expunctis ijs, quæ in Martio scripserat, ad* XXIX *Octobris hæc dumtaxat reposuit* die vigesimâ nonâ S. Patris Abramij: *quem scilicet titulum, preterito Mariæ nomine, præferebant Acta à Simeone Metaphraste conscripta sub illius diei notâ, & curante Aloysio Lipomanno Latinitate donata. Interim Cardinalis Baronius primam Molani editionem secutus est Martyrologium Romanum concinnans, & diem clausit hisce verbis:* in Syriâ S. Abrahæ Eremitæ, cuius res gestas B. Ephræm Diaconus conscripsit.

& 2 editione retractante quod scripserat,

3 *Tam leui nixa fundamento auctoritas non persuaderet nobis, vt alio quàm quo apud Græcos coluntur die, eorum Acta poneremus: sed quia liberum est Ecclesiæ Romanæ, quem voluerit diem tribuere Sanctis, quorum cultum recipit; & hac, Martyrologium sic recognitum recipiens atque Ecclesijs vtendum præscribens, hunc diem censenda est eligisse, nos quoque eumdem præferimus: etsi non propterea desinamus mirari, cur Molanum potiùs secutus Baronius sit, quàm quod ipse vidit citatque in Notis Græcorum Menologium. In hoc autem S. Abramij memoria fit totidem verbis, quot Molanus est vsus in editione 2, prætermisso scilicet Mariæ nomine: quæ Baronio caussa fuisse videtur, eiusdem similiter prætermittendæ, prout etiam faciunt cetera, quæ vidimus, Menologia aut Synaxaria MSS. Sola Menæa magna Venetijs excusa nomen Mariæ in titulo præferunt, eamque æquè ac sanctum patruum disticho speciali honorant: post quàm enim de S. Abramio hæc cecinerunt*

transijt in Romanum Martyrol.

F

cùm Græci hos sanctos colant 29 Octobris

Σαρκὸς νεκρώσας Ἀβράμιε πᾶν μέλος,
Θανὼν συνοικεῖς τοῖς ἀσάρκοις Ἀγγέλοις.

Abramie carnis omne delicium necans,
Morte sociaris carnis experti choro.

postquàm, inquam, hæc cecinerunt Abramio, nepti eius ipsi bent cani sequentia:

Ἀφεῖσα σαρκὸς τὰς ἐραστὰς Μαρία,
Ψυχῶν ἐραστῇ μυστικῶς περιπλέκῃ.

Carnis Maria deserens amatores,
Mysticè animarum complecteris amatorem.

4 *Sequitur commune vtrique elogium, quod ex Basilij Imperatoris Menologio, pulcherrimo Bibliothecæ Vaticanæ cimelio, Petrus Arcudius Corcyrensis Latinè vertit, apud Ferdinandum Vghellum tom. 6 Italiæ sacræ.* Abramius Christianis parentibus natus, vxore, quam inuitus

Elogium eorum ex Menologiis

A duxerat, propter Christum dimissâ, solitudinis studio, se in angustissimam cellulam abdidit: vbi decem annos commoratus, ad Presbyteratum promouetur: & cùm è vitâ cessisset frater, relictâ puellâ annos septem ingressâ, illam Sanctus secum abductam, in alterâ suæ propinquâ cellulâ inclusit. Quæ cùm vicesimum ætatis annum ageret, diaboli operâ non solùm in fornicationem lapsa est; sed sancto etiam vitæ instituto valere iusso, in meritorio hospitio fornicationi indulgens, in omne vitium præceps abibat. Quod vbi resciuit Sanctus, sumptâ militari chlamyde, & conscenso equo, inuentam neptim ad pristinam vitæ rationem retraxit: quæ, expiatis per pœnitentiam sordibus, tantos in virtute progressus habuit, vt miraculis insignita, in sancto proposito ad mortem vsque perstiterit. Abramius verò in summâ senectute in Domino obdormiuit.

5 *Idem elogium inuenimus Mediolani in tribus Ambrosianæ bibliothecæ MSS. signatis* 103, 364, *&* 393; *Florentiæ in MS. Patrum Prædicatorum conuentus S. Marci, & Parisijs in Mazariniano ac nostro Claromontano: cui postremo abest clausula de morte Abramij, quæ in excusis Menæis sic habetur:* Requieuit verò B. Abramius ad diem vigesimum nonum Octobris: & ipsa similiter paullò pòst. *Post annos scilicet quinque, vt habent Acta: quindecim verò ab resumpto pœnitentiæ instituto, à quo per biennium aberrauerat, postquàm annis viginti cohabitasset cum patruo, septennis ad eumdem adducta à consanguineis, non vltrò accersita: vt vniuersim annis vixerit quadraginta quatuor, patruus autem omnino septuaginta. Hic enim vigesimo ætatis anno mundum reliquit, & amissis post annos duodecim parentibus, ad conuersionem gentilium Sacerdos est consecratus, vt primigenia Acta, ex ijsque Metaphrastes, & omnes eorum versiones consentiunt: ex quo elogij auctorem corrigas nimis leui manu versatum in numeris. Annos deinde quatuor in Apostolicâ missione peregit: à quâ reuersus, haud ita multò pòst, anno scilicet ætatis trigesimo octauo, excepit neptem orphanam in studio pietatis enutriendam. Quam temporum rationem hic subducere placuit, vt, quæ mox de Abramij patriâ sumus disputaturi, faciliùs capiantur, & locorum ac temporum accurata distinctio historiæ huic, alioqui cæcæ, pro oculis sit.*

Annorum, quos vixere, distributio.

B

6 *Habemus ex antiquissimo Friderici Lindebrogij Typico accuratum ecgraphũ, in quo nulla huius Abramij mentio, vti nec plurimorum aliorum, nec S. Anastasiæ Romanæ Martyris, cui dies XXIX Octobris communiter cum B. Abrahamio nunc ita sacer est, vt illius diei Officium vtrique integrè adaptetur, de alijs verò Sanctis sola fiat per elogium commemoratio: proinde prædictum Typicum ipsum esse credimus Hierosolymitanum S. Sabæ, nullis posterorum additionibus auctum, omniaque in eo non reperta Officia iudicamus ab ijs esse adiecta, quorum nomina odarum sacrarum vel tituli præferunt, vel acrostichides exprimunt. Igitur seculo nono institutum vel certè, quod quidem attinet ad Abramium & Mariam, ab Hellespontijs acceptum, ad ecclesiæ Constantinopolitanæ vsum, compositis hymnis ordinatum fuerit dictum iam diei Officium: omnes enim illius canones vtroque modo exprimunt nomen Iosephi isto seculo florentis. Quod autem Constantinopolitana recepit Ecclesia ad Orientales Ecclesias paulatim peruenerit: nam Copticum Maronitici nostri, quod est in Vrbe, Collegij Synaxarion MS. longum Abrahami Eremitæ elogium habet vltimo die mensis Babæ, qui nostro ferè Septembri respondet.*

Officium seculo IX ordinatum.

C

7 *In Officio porrò iam dicto ijs, quæ de Abramio sunt, canonibus præmittitur hoc acrostichon carmen*

Τὸν σὸν γεραίρω παμφαῆ βίον μάκαρ. Ἰωσήφ.

Tuam, Beate, nobilem vitam cano. Ioseph

Quot hîc litteras legis, tot strophas continet hymnus in octo partes distributus: qui ipso statim exordio precatur, vt diuinis fulgens splendoribus Beatus, luciferam ipsius festiuitatem celebrantes à passionum corruptione suis precibus liberet: *deinde eximium carnis domandæ studium caritatisque ardorem commendans, optat, vt* qui illius imitandi studio venerandam ipsius obdormitionem festiuo conuentu recolunt, pari felicitate perueniant ad laborum suorum terminum. Gratiam *præterea* curandorum morborum & fugandorum spirituum ei, vt verissimo Dei famulo, datam, *nec non multiplicem de pessimo serpente victoriam, extructam vero Deo ecclesiam extollit, infidelitatis paganicæ discussas tenebras deprædicat: ac denique, quod veri pastoris imitator amissam ouem requisierit retuleritque ad pœnitentiæ caulas gratulatus, ipsum* & in vitâ & post mortem medicum ægrotantium fuisse *testatur: concludensque in nominis Iosephi acrostichis rursum gratulatur, quod* Sanctam eius obdormitionem lętanter hoc die iucunditatis agat Ecclesia, conuersationem ipsius honorans. *Quæ vtrumuis è duobus Sanctis Iosephis habeant auctorem (duos enim esse docet Simon VVagnereckius in prolegomenis ad Marianam Græcorum pietatem; alterum S. Theodori Studitæ fratrem, alterum annis quadraginta iuniorem; cuius ad* III *Aprilis dabimus Acta, de priori* XIV *Iulij tractaturi) nono tamen seculo composita esse constat.*

Hymnus à S. Ioseph conscriptus

D

§ II *Patria Abramij, Ætas, Acta.*

E

Ast ipsum Sanctum vbi & quo tempore dicemus floruisse? Syriam audacter Baronius nominat, & auctorem vitæ B. Ephremum Diaconum facit, Lipomanum Molanumque secutus: ac ne quis dubitare possit, quin celebrem illum doctorem Syrum, Edessenæ Ecclesiæ solem, intelligat; addit in annotationibus, ipsum Abrahami meminisse in libello, qui testamentum Ephrem inscribitur, nouo vtique & magis palpabili parachronismo. Nam licet familiariter eademque in regione conuixissent hi Sancti (quod teneant oportet quicumque Ephremum Edessenum, vtpote vulgo notiorem, re nondum examinatâ, hîc intellexerunt) non potuit tamen S. Ephrem iam iam expiraturus, vt habetur in libello isto, benedicere eidem Abrahamio, cuius Acta ante quinquennium aut multò diutiùs mortui descripserat, vt illi volunt. In eumdem scopulum impegit Rosweidus noster, cùm in notis ad hanc Abrahamij Vitam Sozomenum Nicephorumque citauit; velut qui illius inter S. Ephrem discipulos meminerint: agunt enim de eo Abramio cui Edessenus Ephrem moriens, vt indicauimus, benedixit vnà cum alijs simul nominatis. Gerardus quoque Vossius non dubitauit Edesseno attribuere hæc Acta, fortassis non in his solis deceptus, dum ei credidit adscribendum quidquid S. Ephremi nomine signatum repererat.

Abramius S. Ephremi Edesseni synchronus,

imò discipulus perperam creditus Abramius,

9 *Primùm igitur, ad locum quod attinet, constat ex Actis, quod septimo nuptiarum die sponsam deserens, cellam inuenerit duobus milliarijs (stadijs inquit Metaphrastes) ab vrbe distantem, vbi tandem à consanguineis ipsum inquirentibus decimo septimo die est inuentus, & decimo octauo pòst anno adductam ab ijsdem neptem excepit: neque enim credibile est illos septennem puellam multorum dierum aut hebdomadum itinere abducturos fuisse ad patruum. Hic autem tunc reuersus à quadriennali apostolatu, iterum primam suam habitabat cellam: quæ cella, sicut scimus ex Actis nec valdè remota fuit à vico per ipsum conuerso, & fuit necessariò ei vrbi propinqua, cuius Episcopus istam ei missionem imposuit. Quare si sciamus quis fuerit vicus ille & quæ ciuitas iam dicta, sciemus infallibiliter quæ fuerit S. Abrami patria & vita asceticæ pœnitentiæque palæstra. Audiamus igitur de vtroque Metaphrastem, distinctissimè & absque ambagibus loquentem:*

vicus

F

10 Lampsaci, quod est oppidum ad Hellespontum, erat quidam magnus vicus & populo frequens, qui vocatur Tænia: quoniam autem qui in eo vico habitabant tenebantur à graui errore gentilium, magna quidem multitudo Sacerdotum & Diaconorum ab Episcopo ad eos mittebatur; plurimi quoque ex ijs, qui vitam susceperant monasticam, ab eo constituti erant vici magistri: sed nemo eos poterat conuertere ab errore; imo pijs potiùs illi inferebant tormenta & supplicia..... cùm ergo dubitaret Episcopus quid oporte-

prope Lampsacum in Hellesponto.

A oporteret facere, & rem cum suis communicaret:.. Venit, inquit, mihi in mentem... eum (Abrahamium) initiare chrismate Sacerdotij & ei tradere vicum, qui est ad Hellespontum... Hæc dixit & è cathedrâ statim surgens, vadit ad Abramium cum vniuerso Clero.

secundum Metaphrastem,

11 *Hactenus Metaphrastes, cui Byzantij viuenti scribentique circumiecta Propontidi loca, in quibus est Lampsacus, potuerunt & debuerant esse notissima, vt priuata diligentiæ scientiæque adminiculo deficientia in primis Actis locorum nomina supplenti fides omnino haberi debeat: Metaphrastes, inquam: ipsius enim verè esse encomium illud, cui principium* Ἀνδρῶν φιλαρέτων βίος *censuit eorum, quæ vulgo Metaphrasti attribuuntur, seuerissimus decimator (at Bibliothecæ Vaticanæ Custos Illustrissimus, Leo Allatius: inter centum namque ac viginti Vitas, quas ex infinitâ propemodum farragine, Vitarum partim proprijs attributarum auctoribus partim alijs indiciis cognitarum non esse Metaphrastis, studiosè exemit* tamquam proprio Metaphrastis stylo tam clarè signatas, vt de ijs nemo dubitare possit; & quarum collatione factâ ad alias, quæ Metaphrastis non sunt, facile esset vnicuique, dummodò infans non foret, spuriâ discernere à legitimis: *inter*

B *illas inquam paucas hanc reposuit, is, quem dixi, Allatius, in Diatribâ de Simeonum scriptis pag. 124, quam Vitam, Græcè transcriptam habemus ex MS. Regis Franciæ & cum altero Reginæ Sueciæ MS. collatam: ac deinde in Venetis ac Vaticanis MSS. inuenimus.*

procul à Syria,

12 *Igitur qui Lampsaceno Episcopo tam habitabat vicinus, vt ad eum ordinandum consurgens Episcopus secum è vestigio comites duceret eos, quos in consilium adhibuerat, Clericos; ipse quoque vel Lampsaco oriundus fuit, vel aliâ tam vicinâ Lampsaco vrbe, vt nec à Lampsaco nec à Tenedo Lampsacenæ diœceseos ad Hellespontem vico, longè abesset: sed in eius penè suburbijs inuentus ab Episcopo, indeque ad Gentiles missus, eodem redierit post quadriennium:* nam ad pristinam suam cellam reuertit... quo intellecto habitatores vici illius... accedebant ad ipsum vt docerentur & illuminarentur. *Atqui immenso terrarum spatio distat à Syriâ Hellespontus, vt Ephrem Syrus, in solâ propemodum Syriâ commoratus, ideoque Græcæ linguæ inexpertus, vel ex hoc capite non potuerit socius esse ac familiaris Abrahami, à littoribus Hellesponti nunquàm longiùs digressi. Nostræ huic de Lampsaco sententiæ Philippus Ferrarius in catalogo Generali subscribit, ex Metaphraste, quantùm conijcere licet, accepto lumine, ad hunc diem sic locutus:* Apud Lampsacum S. Mariæ neptis S. Abitæ Eremitæ: Abra-

C *hæ scribere voluit: ipsum autem hîc non numerauit inter Sanctos, quia de ijs solùm agit, qui non sunt in Martyrologio Romano. Addit ea se scribere* Ex Menolog. Græc. qui illam apud Lampsacum C. A. Mysiæ ad Hellespontum inter Parium & Abijdum olim clarissimam, vitam duxisse tradunt: *sed nihil in vllo Græcorum Menologio impresso vel MS. ad hunc aliumue diem reperientes, veremur vt aliquod eorum ipse viderit, suspicamurque ipsum, quod in Baronio legerat combinâsse cum lectis apud Lipomannum, vt proinde nihil noua auctoritatis hinc accedat ad antiquum diei XVI cultum, vt ipsi aut eius nepti dicati, comprobandum. In peruetusto Tamlactensi sed Hibernicâ linguâ scripto martyrologio Maria quædam nominatur hoc die: verùm nihil additur, quod suadeat eam esse, de quâ nos agimus.*

Maria in Asso Troadis se prostituit.

13 *Vrbem quoque ad quam fugiens Maria in barathrum se prostituendæ pudicitiæ præcipitauit, prætitatus Metaphrastes duorum dierum itinere abfuisse dicit:* Æsum nomine *vt legit Franciscus Zinus, interpres à Lipomano adhibitus: nostrum Medicei Codicis cum Reginæ Manuscripto collati ecgraphum* Ἴασόν τινα πόλιν *habet. Sed vel plurium dierum iter dicendum fuit; trecentis enim passuum millibus Lampsaco distat* Ἴασος, *Vrbs Cariæ ad mare Myrtoum apud Ptolomæū; secundùm accuratiores verò Geographorū dimensiones ducentis saltem & quinquaginta. Vel scribendum* Ἄσσον, *vrbs Troadis, centum quidem passuum millibus remota à Lampsaco, sed quæ expeditus eques intra biduum facilè possit conficere, itine* recto *& raris fluuijs, nullis maris intercurrentis sinubus interceptò; quale nobis istud in tabulis depingitur. Fauent huic posteriori & verosimiliori sententiæ tum lectio Codicis Vaticani, in quo* Ἄσον *legisse videtur Lipomani interpres; tum peculij in viaticum & cœnam ab Abramio accepti tenuitas.*

D

tempore Theodosij Æliotæ

14 *Habemus igitur Lampsacenam diœcesim, eamdemque Abramio solum natale: nunc tempus inquiramus, quo vixit. Dabit illud nobis in prato suo spirituali Ioannes Moschus, anno DCXX Romæ mortuus, sicut ostendimus XI Martij in Vitâ S. Sophronij, peregrinationum ac studiorum socij, num. 23. Narrat is cap. 68.* De Abbate Theodosio; quòd cùm audisset Abramius Dux S. Mariæ-nouæ, ipsum non habere pallium quo hyeme vteretur, emerit illi. *Quis dubitet respectu Ægyptiacæ, seculo fermè integro anterioris & per omnes toto Oriente Ecclesias celeberrimæ, nouam dici illam, cuius dux & agendæ pœnitentiæ magister Abramius fuit? Et rebus tam benè inter se cohærentibus, quis eadem magistri atque discipulæ legens nomina non statim hos, de quo agimus, patruum neptemque cogitabit? Atqui Theodosius, cui synchronus fuisse legitur hic Abramius, priusquàm transiret in solitudinem, monasticam vitam duxerat in Æliotarum cœnobio (cuius nos quidem situm necdum cognouimus, haud longè tamen fuisse à Lampsaco vel ex hac congruentiâ suspicamur) in eoque discipulum habuit Cyriacum Abbatem, ex cuius ore narrat se accepisse Moschus, quæ de prædicto Theodosio scribit, idque circa annum DCXVI, vt ex tempore relictæ à Moscho Sophronioque Ægypti intelligitur. Igitur S. Ephremo Edesseno circa annum CCCLXXVIII erepto è viuis, vt ostendimus in Prolegomenis ad eius Acta 1 Febr. duobus fermè seculis iunior censendus, atque ad dimidium sexti seculi referendus est Abramius.*

circa medium seculi VI.

E

Ephremi plures ijdemque scriptores.

15 *Quis porrò Ephrem fuerit, eius sodalis in vitâ, & vt Actorum titulus præfert, laudator post mortem, & cur Sancti appellatione prænotatus, fatebimur nos ignorare, donec aliunde lux afferatur aliqua. Varios huius nominis Sanctos nouimus, & in prioribus tomis iam aliquos memorauimus: qui propiùs ad hæc secula spectant, sunt S. Ephrem Mylasæ Episcopus in Cariâ, cuius nomen inter auctores canticorum aliquoties recurrit in Menæis, nominatim IX die Septembris, qui videtur seculo V floruisse; XIV Ianuarij à nobis memoratus: tum Ephrem Antiochenus Patriarcha, tempore Agapiti Papæ I anno Christi DXXXV: sed hunc locus, istum, imò vtrumque fortasse, tempus arcet ab hac scriptione, quamuis Antiochenū plura eàque laudatè sciamus scripsisse, in quibus S. Theodosij Archimandritæ virtutem egregiè extulit vt nihil dicam de nostro Abramij laudatore, qui & ipse plura scripsisse potuit. Adeò vt tribus eiusdem nominis scriptoribus iam repertis, fortasse non omnia sint Edesseni Ephremi, quæ sub eius hactenus nomine circumferuntur; quod saltem de hac Vitâ iam demonstrauimus: sicut nec omnia etiamnùm venerunt in lucem, quæ constat Syriaco sermone fuisse ab Edesseno euulgata olim.*

F

Epilogus Actorum non rectè repudiatus à Vossio

16 *An Græcâ linguâ fuerint scripta hæc Acta, nihil attinet nunc dubitare; si tam prope Constantinopolim Sanctus vixit Abramius. Nunc tamen maiori iure quàm antea videbitur posse dubitari, num legitimus sit epilogus iste, quem in Latinis quidem Actis MSS impressisque reperimus: abesse tamen ab exemplaribus Vaticanis aliisque testatur Vossius: & eo quoque nomine sibi credidit omittendum;* quod ex varijs potiùs alijs locis S. P. N. Ephrem à Metaphraste huc congesta & alibi sparsim apud auctorem haberi videbantur & nihil facere ad Abramium. *Displicet nihilominus censura Vossij, & magis probatur Rosweydus noster, negans aliquid in eo epilogo esse, ob quod abiudicari auctori debeat: nam vt similia fortassis alicubi in operibus S. Ephrem occurrant: non tamen sic eadem sunt vt inde accepta probari possint: quod autem de Metaphraste suspicatur Vossius, patet omnibus, encomium ab eo scriptum in Surio vel Lipomano legentibus, nihil simile istic inueniri.*

an antiqua versio ex Metaphraste interpolata?

17 *Nec multò minori temeritate notata est ab eodem antiqua versio, quasi haud pauca habeat ex Metaphraste admixta: etenim duas dumtaxat reperimus clausulas desideratas*

A *tas in Græco, idque omnino in fine, atque ad rem adeò necessarias, vt non videri debeant acceptæ ex Metaphraste, sed ex originali perfectiori quàm id quod ipse ac nos secuti sumus, in vetusti interpretis versionem venisse: eoque diligentiùs annotauimus diuersitatem vtriusque versionis, maximè vbi aliquid vel deficit vel abundat alterutri. Cetera, vti & ipsum Metaphrastis encomium sanè graue & longè elegantissimum, satis habemus apud Lipomannum legi, ne frustrà molem operis augeamus: epilogum tamen non duximus prætermittendum, quia etsi ad Abramium ille non multum, multum tamen facit ad cognoscendum auctoris ingenium & insignem animi demissionem: quod autem à MSS. Græcis absit, id studio breuitatis à transcribentibus factum licebit suspicari.*

ACTA

Auctore Ephremo Synchrono

Interprete Gerardo Vossio collata cum MS. Vaticano Græco.

PROLOGVS

Excusat auctor suam tenuitatem

1 Ratres mei dilecti, enarrare vobis volo pulcram perfectamq; vitæ rationē admirandi viri Abramij: quam quidem ipse sic inchoauit atq; perfecit, vt post consummationem promeritus sit gloriam sempiternam. Ceterùm vereor testimonium illustre atq; admirabile texere imaginis eius Deo acceptæ virtutis: ecce enim vita ac conuersatio quidem viri bona & perfecta est; at ego infirmus & imperitus. Siquidem imago virtutis eius luculenta & admiranda est; colores verò, quibus ea mihi depingenda est, valdè tristes sunt ac horridi. Verumtamen, quamuis imbecillus sim & imperitus sermone, perfectionemque illius dignè comprehendere nequeam, tentabo tamen vel ex parte enarrare qualiscumque sim, atque disserere, licet insufficiens, de vitâ ac moribus eiusdem viri, Abramij nimirum *a* secundi: quippè qui nostris extitit temporibus, & Angelicam cælestemque vitam in terris duxit; possediťque patientiam, durissimi adamantis instar, per quam meruit cælestem consequi gratiam. Et quoniam à iuuentute suâ castum pudicumque se exhibuit, templum Spiritus sancti effectus est & vas sanctum: vt in eo, qui vocauerat ipsum, Deus suum hospitium domiciliumque teneret.

collatam ad virtutes summas Sancti.

a Respectu Patriarchæ Abrahæ dictum intellige.

CAPVT I

S. Abrahamij vita solitaria; rara per triennium patientia inter paganos.

Inuitus sponsam admittit, a

2 Hic igitur B. Abramius parentes habuit admodùm diuites: qui cùm supra modum humanæ affectionis atque naturæ, ipsum diligerent, desponsarunt ei puellam adhuc *a* puero, expectantes vt sic ad dignitatem aliquam secularem promoueretur. At hic longè aliter sentiens, ab ipsâ mox ætate iuuenili ecclesias frequentare cœpit: & si quando sacras ibi Scripturas legi audiret, lubens aures accommodabat, & studiosè in ijs se exercebat & meditabatur. Ceterùm parentes eius, *b* iam tempus nuptiarum appropinquare censentes, compellebant ipsum quantumuis reluctantem, matrimonij vinculis obstringi: quibus cùm ille anteà obsisterat coniugiumque detrectaret, tandem tamen nimiùm ab ijs molestatus, pudorisque verecundiâ victus, acquiescere ac consentire omninò cogitur. Celebratis ergo *c* die septimo nuptijs ipsoque iam in thalamo cum sponsâ sedente, subitò tamquam lux quædam in corde ipsius diuina gratia refulsit; quam veluti ducem aliquem sui voti ac desiderij nactus atque secutus, illicò domo exiliens, è ciuitate egressus est. Duobus autem quasi *d* milliaribus procul inde cellulam quamdam vacuam inuenit, in quam ingrediens, suum ibi domicilium fixit, cum gaudio & lætitiâ cordis sui glorificans Deum.

c eâdem nocte fugit ad quamdam cellam: d

3 De quo facto eius, maximo correpti sunt stupore tam parentes quàm vicini & cognati ipsius: qui egressi vbique beatum illum requirebant, eumque post decem & septem dies in iam dictâ cellâ preces ad Deum fundentem inuenerunt; ad cuius ipsi aspectum valdè obstupuerunt. Beatus autem ad eos: Quid, inquit, admiramini? Deum potiùs benignissimum suspicite, qui me à cœno iniquitatum mearum eripuit, & pro me orate, vt in finem vsque vitæ, iugum hoc suauissimum, (quod me licet indignum subire voluit Dominus) valeam sustinere, vitamque meam beneplacitam secundùm ipsius voluntatem per omnia instituere. Cui, cùm omnes verba eius audientes, respondissent. Amen: hortatus ac deprecatus est ipsos, ne sepius ei molestiam prætextu visitationis inferrent. Quibus iam inde recedentibus, ipse ostium suæ cellulæ obstruxit, seipsumque intùs reclusit, minimâ dumtaxat fenestellâ relictâ, per quam tempore *e* debito cibum necessarium acciperet. Illustrataque est mens eius diuinâ gratiâ, quâ indies in optimo vitæ instituto proficiebat; continentiamque magnam possidebat, ac vigilijs & orationibus, planctui & humilitati atque caritati vacabat. Cumque vbiuis locorum, sanctitatis fama de eo percrebresceret, cuncti audientes vndique ad eum visendum, & vt ab eo spiritaliter iuuarentur atque ædificarentur, confluebant. Datus namque eidem à Deo est sermo sapientiæ & intelligentiæ: eratque opinio ac fama de ipso inter vicinos, lucidissimi luminaris instar refulgens.

vbi inuentus ab amicis rogat, ne vltra sibi molesti sint,

e & vitam perfectè instituit.

4 Accidit autem post *f* decem annos à tempore renunciationis suæ, parentes eius ex hâc vitâ migrare: à quibus, quòd multæ pecuniæ opesque ipsi relictæ essent, rogauit amicum quemdam sibi fidum ac carum, vt vniuersa, quæ ipsi obtigerant, in pauperes & orphanos distribueret: ne per ea ab orationibus auocaretur impediretúrque. Quibus sic actis securo animo tranquillaque mente remansit. Illud quippe beato viro erat curæ, vt mentem nullis rebus terrenis obstrictam haberet: atque ideo nihil super terram præter sagum vnum & tunicam vnam cilicinam, quam gestababat, vnumque exiguum catinum, ex quo edere ac bibere consueuerat, possidebat. Cum his verò omnibus humilitatem supra modum & caritatem erga omnes parem sibi vendicabat. Non diuites pauperibus in honore præferebat, nec principem subdito, nobilemue ignobili: verùm omnes æqualiter citra acceptionem personarum diligebat ac honorabat. Neque interdum quemquam duriùs procaciúsque increpabat: sed erat sermo ipsius sale caritatis & mansuetudinis conditus. Nam quis pulcherrimas eius responsiones audiens, satiari aliquando dulcedine eloquiorum ipsius potuit? aut quis vultum eius venerabilem aspectumque Angelicum quandoque intuens, non magis accensus fuit ad sępius eum videndum?

f Parentibus mortuis, hereditatem suam in pauperes dispertit

spiritu pauper,

5 Toto porrò tempore renuntiationis suæ, canonem seu regulam semel arreptam nunquàm mutauit: sed quinquaginta annorum spatio in vitæ Religiosæ instituto alacriter se exercuit. Propter nimium autem amorem ac desiderium, quo in Christum erat, omne temporis illius æuum quasi dies paucos reputabat, nullâque satietate religiosi instituti sui capi vmquàm poterat. Erat verò non longè à ciuitate illâ vicus valdè magnus ac spatiosus, in quo cuncti pariter pagani admodùm

& in proposito constans.

A modùm atroces à minimo vſque ad maximum degebant: quos nullus planè ab idololatriâ auertere poterat, *b* ſed omnes, qui id tentabant, re infectâ ac citra vllum ſalutis ipſorum fructum, ab iis recedebant nullatenuſque afflictionis moleſtiam, quâ ab iis premebantur, perferre poterant: quoniam non ſolùm illi non admoneri ſe ſuæ ſalutis patiebantur, ſed & perſecutiones in eos, à quibus admonebantur, mouebant ſeditioneſque concitabant. Et cùm turba nihilominus monachorum ſemel atque iterum illos adire & cum iis agere tentaſſent, nihil omnino ſuper eorum conuerſione profecerunt.

Obſtinatis paganis conuertendis,

6 Vnâ ergo die Epiſcopus ſedens cum Clericis ſuis, beatiſſimi huius viri memor, dixit ad eos: Talem ego virum cunctis temporibus meis non noui, nec vidi ita in omni bono opere perfectum omnibuſque exornatum virtutibus, in quibus acquieſcit Deus, ſicut nunc habetur Dominus Abramius. Clerici autem reſpondentes, verè illum Dei famulum monachumque perfectum eſſe affirmabant. Ad quos Epiſcopus: Volo, inquit, eum in hoc paganorum vico ordinare Presbyterum: magnâ ſiquidem patientiâ & caritate ſuâ illos ad Deum conuertere poterit. Et conſurgens è veſtigio vnà cum Clero ad cellulam Sancti viri contendit: quò cùm pariter perueniſſent eumque ſalutaſſent, cœpit mox Epiſcopus de gentilibus vici iſtius cum illo agere, ipſumque hortari atque rogare, vt illuc ob ſalutem eorum proficiſceretur. Quo ille audito, vehementer contriſtatus ait ad Epiſcopum: Permitte mihi, obſecro, Pater ſancte, vt meas iniquitates ac peccata deplangam: neque eiuſmodi negotium mihi homini vili & infirmo imponas.

idoneum cenſet Epiſcopus,

B

ſpre humilitate recuſantem

7 Ad quem denuò Epiſcopus: Dei, inquit, beneficio ac gratiâ idoneus es: quare nolim te in hac ſanctâ obedientiâ cunctabundum fieri. Cui vir beatus iterum reſpondit, dicens: Rogo ſanctitatem tuam vt paruitatis ac vilitatis meæ miſereatur, meque propria deflere mala permittat. Et ad eum Epiſcopus: Ecce, inquit, omnia reliquiſti, & mundum ac quæcumque in eo ſunt odiſti, teque ipſum mundo crucifixiſti: verumtamen licet hæc cuncta rectè perfeceris, obedientiâ tamen adhuc cares. Quæ cùm ille audiret, fleuit amarè & dixit: Quis ſum ego, canis mortuus? & quæ eſt vita mea, quòd talia de me iudicaſti? Cui rurſus ait Epiſcopus: Ecce hic reſidens, tuam dumtaxat ſalutem curas: illic verò diuinâ adiuuante gratiâ, plurimos ſaluare & ad Deum conuertere poteris. Perpende igitur tecum, vnde ampliorem conſequi mercedem poſſis, hincne an inde? vtrum ſi teipſum ſolum ſaluaueris, an ſi plures alios tecum ad ſalutem duxeris? Beatus autem ille vir Dei tunc plorans, dixit: Fiat voluntas Dei, attamen propter obedientiam, hinc quò iniunxeris, proficiſcar. Eductumque iam illum ex ſuâ cellulâ, in ciuitatem ſubitò introduxit, ibique per impoſitionem manus eum Preſbyterum ordinauit: ac protinùs ad vicum paganorum cum gaudio comitantibus Clericis, deducendum curauit.

obedientia præcepto compellit,

C

Presbyteratum admittere.

8 Quò dum beatus Abramius ſe conferret, precabatur in viâ Deum, dicens: Benigniſſime ac optime Domine, reſpice imbecillitatem meam, & gratiam tuam in auxilium meum mitte, vt nomen ſanctum tuum glorificetur. Perueniens verò ad vicum, conſpexit cunctos ibi idololatriæ inſaniâ vehementer eſſe detentos; quare ſuſpirans fleuit amarè, ſublatiſque in cælum oculis, dixit: Tu Domine, qui ſolus abſque omni peccato es, quique ſolus es miſericors, & ſolus clemens atque benignus, ne deſpicias opera manuum tuarum. Feſtinanterque miſit nuntium verſus ciuitatem ad quemdam cariſſimum ſibi amicum, vt pecunias ex patrimonio ſuo relictas ei mitteret: quas cùm accepiſſet, intra paucos dies exſtruxit eccleſiam *i*, in quâ aſſiduè preces Deo offerebat, & ſic multis cum lacrymis orabat atque dicebat: Congrega, ô Domine, populum tuum diſperſum, & introduc eum in hoc templum tuum: oculoſque mentis ipſorum illumina, vt repudiatâ ſimulacrorum culturâ, te ſolum verum Deum cognoſcant. Quâ expletâ precatione, confeſtim ab eccleſiâ egreſſus, contendit ad templum Gentilium, vbi abominationes eorum deſtruxit, & aras cum ſimulacris propriis manibus detraxit atque euertit. Quod factum cernentes pagani illi, tamquam feræ agreſtes in eum irruerunt, multiſque verberibus laceratum ex vico fugarunt.

Profectus ad vicum paganorum

ibi eccleſiam conſtruit,

D

AVCTORE EPHREMO

idola euertit,

9 Ipſe verò clam illuc nocte reuerſus iterum in eccleſiam ſe recepit, vbi conquieſcens nec plagarum ſuarum lacerationem curans, cum fletu ac gemitu pro illis, tantummodò vt ſalui fierent, deprecabatur Dominum. Manè autem iam facto, aduentantes pagani repererunt ibi hominem Dei orantem: vnde magno perculſi ſtupore, quaſi *k* ſtupidi euaſerunt. Quare etiam ad eccleſiam quotidie veniebant, non quidem orandi gratiâ: ſed vt pulcritudinem ædificii & ornamentum eccleſiæ ſuis oculis contemplantes, recrearentur. Cœpit itaque quadam die vir Sanctus rogare eos, vt verum Deum agnoſcerent. Illi verò atrociores effecti, baculis eum tanquam lapidem aliquem exanimem percuſſerunt: & poſteà adhuc pedibus eius fune ligatis, extra vicum traxerunt, lapidibuſque obruerunt: mortuum autem illum exiſtimantes receſſerunt, ſemiuiuo eo ibi relicto.

caſus fugatus,

k

E

venientibus ad ſe paganis fidem ſuadens

10 Mediâ vero nocte ad ſeipſum reuerſus, ingemiſcens fleuit vehementer, & dixit: Cur deſpexiſti humilitatem meam, ô Domine, & quare faciem tuam à me auertis? Et quamobrem animam meam repellis & opera manuum tuarum contemnis? Et nunc igitur benigniſſime Domine, reſpice ſuper ſeruos ſuos, & concede eis vt cognoſcant te: quoniam tu ſolus es Dominus, & præter te non eſt alius Deus. Poſt orationem verò ſurgens intrauit in vicum, ingreſſuſque eccleſiam, pſalmos decantabat Domino. Facto autem diluculo, rurſus aduentantes conſpexerunt eum ibi, & obſtupefacti atque in inſaniam verſi, vt truculenti & omnis miſericordiæ expertes, diris illum tormentis crudeliter confecerunt; & iterum, ſicut priùs, funibus alligatum extra vicum traxerunt.

ab iis pro mortuo relictus,

Deum orat pro eis,

iterum ſæpius raptatur,

a *De ætate ſponſalibus validè contrahendis neceſſariâ egimus die* XII *ad compendium Vitæ S. Theophanis: eamdemq; materiam fuſiſſimè hic tractat in annotationibus Roſvveidus.*

b *Abeſt à Græco hæc parentheſis: Sueſſionenſe MS.* cúmque tempus nuptiarum propinqui habile iudicarent: *aliàs legitur*, tempus propinquabile.

F

c *Vide Roſvveidum multis hic declarantem ritum nuptias per ſeptiduum celebrandi: ad quæ ex hoc loco illud inſuper colligimus, non niſi die ſeptimo in thalamum deductos fuiſſe ſponſos: cùm omnino credendum ſit intactam ſponſam eſſe ab Abrahamio dimiſſam: fauet etiam huic præſumptioni textus Græcus.*

ſeptiduum nuptiale

d *Metaphraſtes* duo ſtadia.

e *Aliàs* die & diei: *ſed nec iſtud nec horum alterum in Græco eſt.*

f *Roſvveidus* anno duodecimo.

g *Græcè* [illegible] Cautum *retinuit antiqua verſio: alibi de hac voce egimus: additur in MS* nec non & vnum Pſiathium in quo cubitare conſueuerat: *vide* 11 *Febr. in vita S. Euphroſynæ.*

h *Apud Roſvveidum & in MSS. diſtinctiùs* nonnulli quidem Presbyteri & Diaconi, in hoc ipſum illic conſtituti ab Epiſcopo, ſine vllo effectu receſſerant.

i *Ibidem additur* & velut ſponſam optimam multo eam mirificóque decorauit ornatu. Attamen dum ædificaretur, quotidie homo Dei per media ſimulacra gentilium prætieribat, nihil penitus dicens; ſed ſolummodo orans in animo ſuo gemituſque cum fletu mittens ad Dominum. Poſtquam verò conſummata eſt eccleſia, quaſi munus quoddam cum multis eam lacrymis offert Deo: atque ibi genibus poſitis has preces ſuppliciter in ſuà oratione profudit: Tu omnipotens fili Dei, qui omnem mundum erroris caligine depreſſum ad cognitionem luminis tui per tuam præſentiam deduxiſti; etiam hunc populum &c.

k *Græcè* [illegible]: *quam vocem antiqua interpretatio retinuit: alii perperàm crediderunt legendum eſſe Æneí.*

CAPVT II

Paganorum conuersio feliciter ab Abrahamio perfecta.

Toto triennio inter immanes persecutiones actos,

11 ISta autem cùm per triennium pateretur, veri adamantis instar fortiter perdurabat: neque tot tantisque tribulationibus, atque necessitatibus vnquàm cessit: sed cùm percuteretur & contumelijs afficeretur, cùm traheretur, cùm affligeretur atque opprimeretur, cùm lapidibus obrueretur, cùm fame & siti conficeretur, in omnibus tamen his, quæ ipsi accidebant, nunquàm auersatus est illos, neque indignatus ac commotus est, nunquàm aliquâ pusillanimitate est fractus, vel tædio fatigatus: verùm cùm durissima quæque ab eis sustineret, magis magisque eius in ipsos caritas augebatur; & quasi rogum ardentem, iracundiam eorum, suâ modestiâ ac mansuetudine restinguebat. Modò enim eos obsecrabat, modò modestè admonebat, modò dulcium verborum blandimentis ipsos deliniebat: & quidem seniores, vt patres rogabat; iuuenes autem, vt fratres; & pueros, vt filios: licet interim ex aduerso ipse ab eis irrideretur ac subsannaretur, multisque iniurijs atque opprobrijs afficeretur.

eius caritate & patientia inuicti,

B

moti Pagani

12 Vnâ porrò dierum incolæ vici illius simul congregati à minimo vsque ad maximum, vehementerque obstupefacti, dicere cœperunt ad inuicem. Videtis, inquientes, adeò magnam patientiam viri, ineffabilemque ipsius in nos amorem & caritatem: quoniam in tantis tribulationibus ac malis, per nos ei illatis, nequaquàm hinc abscessit, neque verbum aliquod malum cuiquam nostrûm dixit, neque alienior à nobis est factus: verùm magno cum gaudio hæc omnia patientissimè sustinuit. Nisi sanè esset Deus viuus cum eo, sicut dicit, & regnum & paradisus, supplicium & retributio; non hæc vtique perferret à nobis: quin & Deos nostros omnes ipse solus confregit atque euertit, & in nullo eum offendere vel lædere potuerunt. Verè seruus Dei hic est, & quæcumque ab eo fuerunt dicta, diuina sunt ac vera. Venite igitur, credamus in Deum, qui ab ipso prædicatur. Quæ cùm inter se loquerentur, omnes pariter ad ipsum in ecclesiam contenderunt, clamantes & dicentes: Gloria cælesti Deo, qui huc famulum suum misit, vt nos ab errore liberaret atque saluaret.

fidei christianæ veritatē agnoscunt,

C

13 Beatus autem vir Dei ista conspiciens, gauisus est gaudio magno, & facies ipsius vt flos pulcherrimus apparuit, aperiensque os suum dixit ad eos: Patres carissimi, fratres ac filij, benedicti vos, qui huc intrastis in nomine Domini: venite vnanimiter, demus gloriam Deo, qui oculos mentis vestræ illuminauit, vt ipsum agnosceretis; & signaculum vitæ accipite, vt ab idolorum immunditie purificemini; totoque corde ac animo credite, quòd vnus sit Deus creator cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, omnis principij expers, incomprehensibilis, inenarrabilis, inseparabilis, inalterabilis, omni fine carens, dator luminis, amator ac redemptor hominum; Magnus & admirabilis, terribilis & fortis, suauis atque benignus: & in Filium eius credite vnigenitum, qui est potentia Patris, & sapientia gloriæ eius ac splendor, per quem & omnia facta sunt: & in sanctum eius Spiritum ipsi consubstantialem, qui simul cum eo regnat in immensa ac infinita secula, omniaque viuificat: vt credentes, vitam æternam adipiscamini. Respondentes autem cuncti dixerunt: Ita sanè, Pater noster, ita dux vitæ nostræ: ita fiet sicut asseris & nos doces: ita credimus & sic sentimus. Et illicò Beatus a suscepit eos, baptizandos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, à minimo vsque ad maximum, ad mille vsque animas.

& à Sancto instructi,

baptizantur ad mille animas:

a

14 Per singulos autem dies sacras Scripturas eis legebat, differebatque cum ipsis de fide, iustitiâ & caritate; de mortuorum resurrectione, & de tremendo iudicio, de regno Dei, de delicijs paradisi, & de gehennæ supplicijs. Quemadmodùm autem terra bona ac benè elaborata percipit semen bonum, affertque fructum, aliud quidem centesimum, aliud verò sexagesimum, & aliud trigesimum: ita & illi magnâ alacritate verba eius suscipientes, libentissiméque doctrinam ipsius audientes, vberrimos inde fructus referebant. In conspectu autem ipsorum, velut Angelus Dei videbatur, & quasi firma ac pulcra quædam ædificij ligatura: sic, quippè caritatis & amoris vinculo omnis anima colligata cum eo erat, totaque ipsorum mens consolatione fidei ac doctrinæ eius illuminata. Totum porrò annum egit apud eos vir beatus, postquàm fidem susceperunt, docens ac prædicans eis indesinenter dies noctesque verbum Dei.

D

quibus plenius instruc-tis

15 Ceterùm vbi iam studium eorum erga Deum & fidei firmitatem perspexit; magnam quoque in ipsum caritatem, curam, honorem ac reuerentiam; veritusque ne illorum occasione cogeretur religiosæ vitæ disciplinam relaxare atque dissoluere, & ne quocumque modo mens eius terrenarum rerum curis adstringeretur, consurgens noctu, sic Deum precatus est: Tu qui solus absque peccato es Deus, qui solus Sanctus, qui in Sanctis requiescis, qui solus misericors & benignus Dominus, qui è tenebris populum hunc tuum reuocasti & in admirabili lumine cognitionis tuæ firmasti, quique eos ab aduersarij vinculis absoluisti, & à simulacrorum erroribus conuertisti, eisque in te fidem tribuisti; obsecro in finem vsque conserua eos, Domine, & succurre gregi tuo, quem benignitate tuâ possidere voluisti; eosque omnipotenti gratiâ tuâ b communias, & semper corda ipsorum illumines: vt ea, quæ grata atq; accepta tibi sunt, perficientes, æternam vitam consequi mereantur: ac mihi quoque infirmo auxilium impertias, & non reputetur mihi hæc res in iudicium atque peccatum, quoniam desiderio sequendi te flagro. Et completâ oratione abiens, ter crucis signaculo vicum signauit, ac latenter in alium locum recessit, & quibus potuit latebris se occultauit.

clam conuenien- pendiuſsen- tim,

E

pro ijs Deum precatus,

b

clam recedit:

16 Manè autem facto, pro solito suo ad ecclesiam turbæ conuenerunt; sed quòd eum ibi non inuenissent, obstupuerunt: vnde quasi oues errantes, diuersa loca obibant, pastorem suum perquirentes, magnoque cum timore ac planctu nomen eius inclamantes. Cùm autem diutiùs perquirendo, eum inuenire nequiuissent, nimiùm contristati, è vestigio c ad Episcopum pergunt, & quod eis acciderat denuntiant. Qui cùm hoc audisset, ipse quoque mœrore deiectus, confestim cum diligentiâ plures ad requirendum beatum virum emisit, maximè propter lacrymas & consolationem gregis ipsius. Cumque vbique tanquam lapis aliquis pretiosus quæreretur & minimè reperiretur, d illique qui ad eum perquirendum destinati erant, iam re infectâ redissent; Episcopus cum toto clero suo ad memoratum vicum concessit, & consolatorium vitæ sermonem ad eos habuit, magnumque dolorem, quem de viri Dei discessu conceperant, leniuit. Et quia omnes in fide ac caritate Christi iam optimè confirmatos deprehendit, viros ex eis magis probatos elegit, quos Presbyteros & Diaconos ac Lectores designauit.

in cuius frustra quæsiti locum

F

c

d

Episcopus clericos ordinat.

17 Audiens verò B. Abramius de accessu atque incremento Cleri, illorumque statu, admodum gauisus est & Deum glorificans, dixit: Quid retribuam tibi, benignissime Domine Deus meus, pro omnibus quæ retribuisti mihi? Adoro & glorifico salutarem dispensationem tuam: sicque orans atque exultans ad pristinam suam cellam reuertit. Fecit autem alteram paruam cellam extrinsecùs, & semetipsum magno cum

A cum gaudio atque lætitiâ cordis sui conclusit in interiore, obstructis foribus *e*. Quo intellecto, inhabitatores vici illius, aduentantes ab B. Abramium, gauisi sunt gaudio magno, quòd eum tanquam reuerà vitæ ducem inuenissent, accedebantque ad ipsum quasi ad patrem, vt docerentur & illuminarentur. Et quia suprà quàm dici possit eius vitæ instituto ædificabantur, pro maximâ gratiâ ducebant, si saltem eum videre, & verba ab ipso salutis audire concederetur. O! miraculum, Fratres carissimi, verè laudibus & gloriâ plenum est hic vir talis: quippe qui in tantis tribulationibus atque angustijs, quas in sæpe dicto *f* vico sustinuit, nunquàm religiosæ vitæ suæ regulam infregit, neque ab eâ ad dexteram vel sinistram declinauit. Gloria & magnificentia Domino Deo nostro, qui talem ei patientiam præstitit, quâ & alios potuit conuertere, & sui instituti gratiam seruare.

e magna ædificationi est omnibus. *f*

a *Ita ex Græco vertimus. Rosvveidus & Vossius:* sanctum baptismum arripiens, baptizauit eos.

b *Græcè περιτείχισον: quare antiquior versio in MS. sic habet:* & quasi muro validissimo eos gratiâ bonitatis tuæ circumdes.

c *In ijsdem additur* ingressi ciuitatem.

B d *Ibidem desunt sequentia, pro quibus hæc leguntur:* habito consilio cum Clericis suis Episcopus memoratum vicum ingreditur.

e *Hinc vsque ad exclamationem desunt omnia in antiquis impressis & MSS; quæ Vossius ex Græco restituit, habenturq; in apographo nostro.*

f *Græcè κώμῃ, Vossius* castello ac vico. *Vide dicta 2 Martij, vbi de S. Quinto Thaumaturgo ἐν τῇ Αἰολίδι κώμῃ.*

CAPVT III

Dæmonum tentationes fortiter superatæ.

Irritatus Abramij constantiâ dæmon

18 Videns igitur Satanas, qui ab initio honestatis ac virtutis hostis fuit, quòd in tantis afflictionibus, quas illo in vico aduersùs eum excitauerat, non valuisset virum Dei lædere, neque in segnitiem atque pigritiam eum trahere, neque in aliquo mentem eius à bono proposito abducere; ac sicut aurum in fornace, ita ipse inter pressuras magis resplendesceret, ampliusque ad multorum salutem in patientiâ & caritate in Christum atque alacritate proficeret: vehementer honestatis inimicus aduersùs B. Abramium exacerbatus acriterq; efferatus, venit ad eum *a* magno cū phantasmate, vt saltem sic terrorem ipsi incutiens, faciliùs C fallere atque decipere eum posset. Cùm igitur mediâ nocte Sanctus staret ac psalleret, repente lux magna in cellâ eius refulsit, & vox quasi multitudinis cuiusdam audita est, dicens: Beatus es, Domne Abrami, verè, inquam, beatus es: quoniam nullus in cunctis rectè factis inuentus est, sicut tu: nullusque ita omnes voluntates meas perfecit, vt tu.

a de vana gloria eum sollicitat,

fortiterq; reiectus

19 Subitò autem vir beatus dolum maligni cognoscens, exaltauit vocem suam, & dixit: Tenebræ tuæ tecum sint in perditionem, ô plene dolo atque fallaciâ: homo enim peccator sum ego. Quia tamen caritatem Dei mei habeo, & spem in ipsum atque auxilium; in nullo ego te tuasque insidias pertimesco, neque plurima tua phantasmata ac spectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidem munitissimo atque tutissimo est mihi nomen Domini mei & Saluatoris Iesu Christi, quem dilexi ac diligo; in quo nomine te increpo, immundissime canis ac miserabilissime. Quæ cùm ipse diceret, illicò instar fumi à conspectu eius euanuit. Beatus autem Dei famulus multâ cum alacritate & tranquillo animo benedicebat Deo, tanquàm qui nullum prorsus phantasma conspexisset.

minatur cellam excindere,

20 Rursus verò paucos post dies orante eo noctu, tenens securim satanas, cœpit cellam eius euertere. Cumque iam eam videretur perforasse, magnâ exclamauit voce, dicens: Festinate celeriter, ô amici mei, D festinate, & introeuntes citò eum *b* suffocate. Beatus autem vir Dei contrà ad illum: Omnes, inquit, gentes circumdederunt me, & in nomine Domini vltus sum eos. Ille verò protinus hac voce auditâ, euanuit: cellâ interim sancti viri integrâ atque illæsâ permanente. Iterumque paucis interlabentibus diebus alijs, dum mediâ nocte psalmodiæ vacaret, conspiciens *c* stoream, super quam psallens consistebat, vehementi flammâ comburi, ignem intrepidus conculcans aiebat: Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem, omnemq; potentiam inimici, in nomine Domini nostri Iesu Christi mihi auxiliantis superabo. Diffugiens autem satanas, exclamauit ac dixit: Ego te deuincam, improbe, artesque inueniam quibus te conteram, qui me iam despectui habes.

AVCTORE EPHREMO *b aliàs ei ignis speciem obijcit c*

21 Quadam igitur die, cùm vir beatus, sicut consueuerat, cibum sumeret, ingreditur in cellam ad eum inimicus dæmon, in formâ ac habitu adolescentis, & propiùs accedens, catinum eius nitebatur euertere. At ille cognoscens manu illud retinebat, nihilque eum curans, intrepidus comedebat. Tuncque exiliens cacodæmon ad aliam mox illusionem se conuertit: & E ecce quasi candelabrum coram eo statuens, ardentemque desuper candelam imponens, magnâ voce psallere incepit ac dicere: Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini. Cumque plura ex eo psalmo verba decantasset; nihil vir beatus ipsi respondit, donec cibum solitum sumpsisset. Qui vbi iam comedit, ac è mensâ surrexit, signo se Crucis muniens, ait ad ipsum: Canis immunde & ter miserande, insulsissime & timidissime, si nosti quòd beati sint, cur igitur molestas eos atque perturbas? etenim verè beati sunt omnes, qui toto corde Deum diligunt. Cui respondens Diabolus dixit: Ideo molestias eis ingero, vt eos superem, ipsosque ab omni opere bono impediam. At beatus ad eum: Non, inquit, benè tibi sit, execrande ac maledicte dæmon, quòd tu quempiam timentium Deum impedire ac superare coneris, nisi fortè eos, qui tui sunt similes, & propriâ voluntate à Deo recedunt, quos facilè vincis ac decipis; quoniam Deus in eis non est: ab ijs verò qui diligunt Deum, instar fumi à vento rapti, deficis atque euanescis. Vna siquidem eorum oratio lacrymis permixta, sic te persequitur ac deijcit, sicut puluis à turbine agitatus dispergitur. Viuit Deus meus, qui est benedictus in secula, ipse gloria & exultatio mea: quare non te reformido, etiam F si toto tempore tuo hic constiteris, nihilque te facio, canis impure: sic autem te contemno, quomodò si vnus catulus ab aliquo contritus sperneretur. Quæ cùm vir beatus diceret, subitò ille iterum euanuit.

& cibum sumenti molestus, *etiam psallere aggreditur:* *Psal. 118, 1* *redargutusque & contemptus euanescit.*

22 Denuò post aliquot *d* dies, cùm psalmodiam suam nocturnam perfecisset, venit ad eum inimicus cum alio phantasmate copiosæ cuiusdam turbæ ac multitudinis hominum, *e* qui, vt videbatur, funes in cellam iacientes atque trahentes clamabant ad inuicem: Proijcite hominem illum in foueam. Quos beatus vir conspiciens ait: Circumdederunt me sicut apes fauum, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini vltus sum eos. Et tunc exclamans Satanas dixit: Hei mihi! hei mihi! quid deinceps faciam tibi, ignoro. Ecce enim in cunctis me vicisti ac superasti, & vniuersis viribus meis despectis, me vndique conculcasti: verumtamen nec sic quidem aliquando à te recedam, donec superans humilem te mihi subiectumque reddidero. Ad quē vir beatus: Anathema, inquit, tibi sit & cunctis viribus tuis, scelestissime atque impurissime dæmon: gloria autem & honor atque adoratio Domino nostro, soli sancto ac sapienti Deo: qui te nobis seruis atque amatoribus suis conculcandum tradidit, & ideo versutias tuas omnes subsannamus & spernimus: quare agnosce, infelicissime atque

d Nouas minas intentat e *ac demum desperat de victoria.*

A que infirmissime Satan, quòd nos neque te neque visas tuas pertimescimus phantasias.

AVCTORE EPHRÆMO

Abrahamius à tentationibus fortior,

23 Per multum vero temporis, quamuis varijs tentationibus & imaginationibus atque insaniæ machinis beatum virum oppugnasset, nequaquàm tamen potuit vel timorem aliquem menti ac cogitationi eius incutere: quin potiùs ad maiorem alacritatem & in Deum caritatem ipsum excitabat. Cùm enim Deum toto corde ac animo diligeret, suamque vitam ac conuersationem secundùm eius voluntatem institueret, affluenter diuinam gratiam promeruit: ideoque in nullo eum lædere diabolus valuit. Patienter enim atque perseueranter pulsauerat vt ei thesaurus Christi gratiæ panderetur: cuius cùm iam ingressus patefactus esset, tres sibi sibi inde lapides pretiosos elegit, fidem, spem & caritatem: quibus & reliquæ in eo virtutes exornabantur. Texens quoque pretiosissimam ex bonis operibus coronam, Regi regum, à quo munus acceperat, obtulit. Quis namque sic toto ex corde Deum dilexit, & proximum vt seipsum? Aut quis ita laborantibus compatiebatur & misericordiæ viscera ostendebat? Quem etiam aliquando monachum intelligens

in omni sic virtute excrescit,

B bonæ conuersationis esse, non pro eo precatus est Dominum, vt à quocumque diaboli laqueo liber conseruaretur, cursumque vitæ suæ irreprehensibiliter consummaret? Aut quem peccatorem vel impium quandoque audiens: non confestim pro eo, vt saluaretur, Deum obsecrabat?

mirè erga seipsum austerus

24 Per omne porrò tempus conuersationis suæ nunquàm à regulâ sui instituti deflexit, neque vnquàm ijsdem temporibus dies illum aliqua sine lacrymis præterijt. Non facilè sua labia in risum soluebat: f sed ne subridebat quidem. Non appropinquauit corpori eius oleum, neque faciem suam aut pedes aqua vnquam abluit. Sic autem se in sui instituti certamine exhibebat atque gerebat, quasi quotidie moriturus esset. O stupendum atque gloriosum in hoc viro miraculum! Fratres: quippè qui in admirandâ illâ suâ abstinentiâ ac continentiâ, assiduisque vigilijs ac lacrymarum fluentis, g humicubationibus quoque & corporis emaceratione nunquam remissior aut imbecillior factus est, neque segnitie vel tædio aliquo fatigatus: sed veluti esuriens quispiam aut sitiens, sic mens eius, quæ diuinæ gratiæ præsidio nutriebatur, nunquàm sui instituti dulcedine poterat satiari. Erat verò aspectus eius, tanquam flos rosæ; & corpus eius, quasi nihil abstinentiæ egisset, sanum validumque apparebat: diuinâ enim ipse gratiâ sustentabatur

& tamen pleno semper ac læto vultu.

C in omnibus, & iocunditate spiritalis lætitiæ fruebatur. Qui & in horâ obdormitionis suæ ita specioso vultu cernebatur, quasi Angelorum comitatu stipatus fuisset. Sed & alia in eo admiranda Dei gratia visa est, quòd totis quinquaginta abstinentiæ suæ annis vestem cilicinam, quâ indutus fuerat, nunquàm mutauerit: quæ ita perseueranter ad finem vsque vitæ ipsi seruiuit, vt etiam alij participes eiusdem illius vestis posteà fuerint, quæ ei priùs iam inueterata vsu fuerat.

Phantasia

a *Græcè* μετὰ πολλῆς φαντασίας, cum multiplici ac variâ phantasiâ: *Phantasia vocem pro phantasmate etiam vetus interpres constanter retinuit: simili in sensu eadem voce vsus est Nicephorus lib.* 11 *cap.* 18. *de Valente agens,* σὺν τῇ περὶ αὐτὸν φαντασίᾳ, *in ecclesiam veniente.*

b Ἀπέπνιξατε: *antiqui minùs propriè verterunt:* Vitam eius violenter eripite.

c *MS. S. Gisleni* mattulam *græcè* ψιάθιον: *quod antiqua versio constanter retinet & Vossius* stoream *vertit.*

d *Rosvveidus & MSS.* post dies quinque.

e *Vossius:* Quasi ex coniectis in cellam funibus se inuicem constringere ac trahere videbantur & inter sese dicere. *Rosvveidus ex MSS.* velut trahentes inuicem cum clamoribus se mutuo cohortabantur. *Nos autem in Græco legimus* καὶ τὸ δοκεῖν βάλλειν εἰς τὴν κέλλαν σχοινία καὶ σύροντες ἐκραζον.

f *In Græco est* μήτε μέχρι δὲ αἵματος, neque vsque ad sanguinem: *deest fortassis aliquid. Vossius mendum arbitratur & legi* vult μήτε μειδιάσαι: *quid est* ἀλλ' ὡ *leniter ac placidè* [illegible] *vnica voce latinè vix exprimibilis: vt respondeat priori in* [illegible] ἐχρήσατο τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ γέλωτι non vsus est labijs suis ad risum. D

g *Græcè* χαμευνίαι. *Rosvveidus & MSS* Chameunia *vertitur: quod idem significat & aliquando perperam* cammenia *atque* caumenia *scribitur: prout scilicet tunc corruptè pronuntiabatur.*

chameunia

CAPVT IV

Mariæ neptis institutio & lapsus: patrui pro eâ sollicitudo.

25 Volo porrò, carissimi, etiam aliam rem admiratione dignissimam, quam in senectute suâ beatus vir gessit, caritati vestræ enarrare: est enim intelligentibus ac spiritalibus viris verè admirabile & plenum vtilitatis atque compunctionis exemplum a. Habuit B. Abramius fratrem vnicum, quo defuncto, filia vnica eius septem b annorum relinquitur. Quam quidem dum parentibus orbatam noti atque amici ipsius cernerent, protinus ad patruum eius adducunt. Ipse verò, quia in interiore suâ cellâ reclu-

Orbam patre neptem Abramius suscipit, f b

E sus degebat, eam in exteriore collocari iussit. Erat autem per exigua in medio vtriusque cellulæ fenestra, per quam edocebat eam psalterium & reliquas Scripturas: cum ipso quippè in diuinis laudibus vigilabat, psalmosque concinebat: & sicut ille, ita & ipsa abstinentiam colebat; alacriterque in arrepto pietatis instituto proficiens, cunctas animi virtutes complere nitebatur atque perficere. Vir etenim beatus frequenter pro eâ obsecrabat Deum, vt mentem in eum defixam retineret, neque rerum terrenarum curis implicaretur: eò quòd pater eius hac vitâ migrans, magnam vim pecuniarum ipsi reliquisset, quas illicò vir Dei distribui mandauit pauperibus & orphanis.

& arctè includit:

26 Ipsa quoque assiduè suum interpellabat patruum, dicens: Pater, rogo atque obsecro sanctitatem tuam, quatenus pro me depreceris Dominum, vt ab absurdis ac prauis liberer cogitationibus; cunctisque inimici insidijs & diuersis laqueis diaboli eripiar: sicque alacriter se exercens, seruabat Regulam instituti sui. Exultabat autem vir beatus, quòd ita feliciter eam in optimo vitæ instituto, ac in mansuetudine & insigni erga Deum caritate cerneret proficientem. c Viginti enim annis cum eo in abstinentiâ degens, velut columba castissima & immaculata Christi agna, ei

egregiè proficientem,

c *per annos 20*

F conuixit. Quo annorum tempore expleto, cernens eam fraudulentus ac callidus serpens in virtutibus solitariæ vitæ excellere, ac cælestia dumtaxat contemplari, vehementi inuidiæ igne tabescebat, & insidias tendebat, vt illam irretiret: ac sic saltem beato viro mœstitiam anxietatemque incuteret, mentemque ipsius, ob molestiam de eâ conceptam, aliquantulum à Deo auelleret atque separaret d. Et quemadmodùm in primis parentibus, liuore incensa maligna ac callida bestia serpentem pro instrumento ad decipiendum apto inuenit: vt eos, qui in felicitate demorabantur, terram spinosam atque laboriosam incolere curaret, ita & hic aliquamdiu explorans, inuenit sibi vas ad perditionem præparatum.

d *Inuidus dæmon,*

27 Erat enim quidam, nomine dumtaxat monachus, qui studiosè admodùm, prætextu ædificationis atque colloquij ad beatum virum concedere solebat. e Sed & beatam illam per fenestellam aspiciens, miser mente excæcatus, cum eâ potiùs colloqui cupiebat, insidiasque ipsi multo tempore tendebat quasi ad vnum vsque annum: donec tandem inuentâ opportunitate, eam penitùs à beatâ veri paradisi conuersatione alienam reddidisset: siquidem à serpente iam seducta atque decepta, ianuam cellæ suæ aperuit & egressa est. Fraude enim maligni draconis, ab emi-

pseudomonachus e [illegible]

nentâ

A nenti piæ atque religiosæ vitæ statu purissimaque virginitate elapsa est. Et sicut primi parentes, vbi de fructu ligni, quod est in medio paradisi, gustassent, cognouerunt se esse nudos; ita & ista, postquàm peccatum admisit, corde expauescens in tenebrosam desperationis caliginem se coniecit: conscindensque cilicinam vestem, quâ erat induta, pectus suum tundebat & faciem manibus verberabat, cupiens seipsam nimio dolore præfocare mortique tradere.

à quo corrupta.

28 Aiebat enim intra se plangens: Ego deinceps mortuam me sentio: dies enim religiosæ exercitationis meæ fructumque continentiæ & laborem lacrymarum, vigiliarum atque orationum planè perdidi: Deum meum exacerbaui, & meipsam occidi, sanctumque patruum meum amarissimo mœrore affeci, & diabolo ludibrio facta sum: quid est quod deinceps ego misera atque infelix viuam? Hei mihi! quid fieri mihi passa sum? Hei mihi! vnde excidi? Quomodo mens mea obscurata est? Quomodò à maligno decepta sum? Non intelligo quomodo elapsa sum, quomodò contaminata sum ignoro. Cuiusmodi nebula obtexit cor meum: vt quid egerim, considerare nequeam? Vbi abscondar? quo me vertam? aut in B quam foueam meipsam præcipitabo? Vbi sunt monita beati mei patrui? vbi doctrina socij & amici eius Ephrem? [f] quando dicere mihi solebat: Attende tibi ipsi, & animam tuam incorruptibili atque immortali sponso tuo immaculatam conserua: nam sponsus tuus sanctus est & zelator. Hei mihi! quid agam? Non ampliùs in cælum respicere audeo: nam apud Deum pariter & homines, me iam mortuam esse cognosco; neque fenestram illam fixis intueri oculis deinceps valeo. Quomodo enim ego peccatrix & immunda rursus cum sancto illo viro loqui tentabo? Et si id ausa fuero, nonnè ignis per fenestram erumpens illicò me comburet? Satius igitur fuerit me hinc aliò abire, vbi nullus sit qui me agnoscat: quoniam semel iam mortua sum, nec vltra mihi spes salutis est reliqua. Consurgens ergò è vestigio perrexit in aliam ciuitatem, pristinoque habitu mutato, se ibi in quodam [g] diuersorio constituit.

& suum scelus serò abominatur.

desperans de venia,

fugam init.

29 Quæ ruina dum huic fœminæ accidisset, visio per somnium talis beato viro ostenditur: conspexit siquidem dracronem ingentem atque horribilem, aspectuque ipso fœtidissimum & in fortitudine sibilantem, qui quasi ex loco suo egressus, deuenit vsque ad cellam eius, ibique columbam repertam deuorauit, & C rursus ad suum locum ac foueam remeauit. Expergefactus autem vir beatus, contristatus est vehementer, fleuitque amarè, veritus ne persecutionem aliquam satanas aduersus Dei Ecclesiam concitasset, ac multos à veritatis fide auertisset; aut ne schisma aliquod vel hæresis in sanctâ Dei Ecclesiâ exsurrexisset. Quare in genua prouolutus Deum precatus est, dicens: Benignissime Deus, qui solus vniuersorum es præscius, tu solus nosti quid magna hæc sibi velit visio. Denuò autem post alios duos dies, eumdem vidit draconem prodeuntem ex antro ac loco suo, & in cellam ad ipsum ingredientem, caputque suum sub pedibus eius posuisse ac disruptum fuisse: columbam verò illam, quam deglutiuerat, adhuc viuam in ventre eius absque læsione repertam [h].

Sub specie columba deuorata à dracone

& post biduum restituta.

30 Protinùs autem à somno experrectus semel atque iterum Mariam neptem suam, existimans adhuc in cellulâ eam adesse, vocabat & dicebat: Euigila, ô filia, cur pigrescis atque torpescis? hodie enim duo sunt dies, ex quibus os tuum ad laudandum & glorificandum Deum non aperuisti. Sed cùm responsum ab eâ nullum acciperet, totoq; biduo eam non ampliùs psallentem more solito audiret; intellexit suam, quam conspexerat, visionem ad illam sine dubio pertinere. Quare suspirans fleuit amarè, profundensque lacrymas, ait: Hei mihi! agnam meam lupus crudelis rapuit, & filia mea captiua effecta est. Extollensque D vocem suam dixit: Christe Saluator mundi, conuerte ad me agnam meam Mariam, eamque in ouile vitæ restitue: vt non senectus mea cum mœrore ad inferos descendat; neque despicias deprecationem meam, Domine; sed velociùs gratiam tuam emitte, vt de ore draconis eam incolumem euellas.

discit Abramius neptis suæ casum

AVCTORE EPHREMO

& mœstus pro ea orat.

31 Duo itaque dies illi, qui per visionem ei reuelati sunt, duorum annorum curriculo terminantur, quibus dissolutè viuendo neptis eius, foris, quasi in ventre sæuissimi Draconis, egit. At sanctus vir, per omne tempus die noctuque nunquam pro eâ Deum obsecrando animum suum relaxauit. Duobus porrò interlapsis iam annis, cùm vbi esset & quomodò se gereret certò intellexisset, rogabat quemdam sibi notum atque familiarem, vt illucusque pergeret, & cuncta de eâ diligenter exploraret; [i] locumque ac vitam eius notaret atque obseruaret. Abiens igitur ille qui missus erat, omnia certò compertóque cognouit, & reuerà ei, quomodo ipsam vidisset & [k] qualem vitam degeret, renuntiauit; locumq; designauit. Ipse verò certior de eâ factus, planéque edoctus illam ipsam esse, curauit sibi habitum militarem deferri cum equo ad E sedendum. Apertóque iam cellæ suæ ostio egreditur, & habitu militari induitur, ac galerum [l] longum atque profundum capiti suo, quo facies velaretur, imposuit: sed & [m] solidum vnum secum ferens, equumque ascendens, concitus abijt. Quemadmodùm enim explorator aliquis, patriam vel ciuitatem quampiam explorare cupiens, habitum loci illius, ne facilè ab incolis agnoscatur, assumit: sic quoque beatus iste Abramius in alieno peregrinabatur habitu, vt inuisibilem inimicum in fugam verteret. Verè igitur admiratione dignus est egregius hic secundus Abram: siquidem primus Abraham ad Regum prœlium exiens percutiensque illos, Loth nepotem suum reuocauit: & hic similiter secundus Abram contra diabolum ad bellum perrexit, eoque superato, Mariam neptem suam secum reduxit.

Biennio exacto in meretricio inuentam

ipse militari cultu adire statuit.

Magno Abrahamo comparandus.

a *Rosvveidus & MSS. addunt*: Res verò gesta huiusmodi est.

b *Consentit Synaxarion MS. Parisiense: quamuis Menea excusa nouem annos habeant.*

c *Pleniùs Latina MSS.* Exultabat auunculus eius, quòd sic eam promptam absque vllâ hæsitatione in cunctis virtutibus cerneret promoueri; in lacrymis scilicet, in humilitate, in modestiâ & quietudine, &, quod his sublimius est, erga Deum eximiâ caritate. F

d *Sequens periodus abest à MSS. Latinis.*

e *Proxima breuiùs partim, partim diffusiùs hoc modo habentur in ijsdem.* Et beatam illam per fenestram nihilo minùs contemplabatur luxuriæ stimulis agitatus: & colloqui cum eâ cupiebat, ardore libidinis quasi flammâ succensus. Insidiabatur ergo ei per multum temporis spatium: ita vt vnius anni circulus volueretur, antequàm eius cognitionem verborum suorum mollitie eneruaret: denique aperiens fenestram cellulæ ingreditur ad eam, & protinus eam in cœno iniquitatis contaminauit. Postquàm verò tanti peccati facinus perpetrauit, expauit cor eius; & conscindens cilicium quo erat induta, faciem suam manibus verberabat, ac præ dolore nimio volebat se morti addicere. Cumque ob anxietatem maximam, per omnia inops consilij diuersis cogitationibus fluctuaret, aiebat intra se plangens, se non esse quod fuerat: &c.

f *MSS. sic*, qui de virginitate meâ gratulans docebat, vt impollutam animam immortali sponso seruarem: sponsus namque, aiebat, tuus *&c.*

g *Eadem MSS.* Stabulum *Græcè* πανδοχεῖον: *sic infra* stabularius, πανδοχεύς.

h *Addunt item*: seque manum suam extendisse, ac viuam eam reperisse.

i *Abest hac sequens linea à MSS. vti & sequentia post litt.* k *deinde subiungitur*: Ac rogatus ab eo habitum militarem & equum ad sedendum adduxit.

l *Græcè* χαμαλαύκιον: *quam vocem in MSS. Latinis variè deprauatam vide apud Rosvveidum in onomastico.*

m *Græcè* νόμισμα.

CAPVT

CAPUT V

Mariæ neptis conuersio & pœnitentia. Sancta mors vtriusque.

Aduenit in diuersorium.

32 POstquam ergo ad locum appulisset, in hospitium diuertit, vbi sollicitis curis huc illucque circumspiciens vt eam videret adnitebatur. Deinde cùm iam multa hora præteriisset, videndique ipsam occasio non tribueretur, subridens dixit ad hospitem. Audiui, ô amice, quod hîc pulchram habeas puellam: quam, si permitteres, libenter peruiderem. Hospes autem cum ætatis eius cerneret caniciem, ipsum coarguit, & deinde sic ei respondit: Est, inquit, hîc quædam, & quidem supra modum speciosa: erat quippe Maria hæc penè vltra quàm natura fert, formæ pulchritudine decora. Cumque senex nomen puellæ requireret, Mariam nuncupari ille respondet. Tunc hilari vultu, obsecro, inquit, mihi accersas illam; vt hodie cum eâ epulari possim atque exhilarari: valde enim vel ex auditu, amore eius captus sum. Quæ cùm vocata iam adesset, atque in lasciuo ornatu habituque meritricio sanctus eam patruus conspexisset, parum abfuit quin ingentem ipse vim lacrymarum profunderet: quas tamen sapienti ac forti consilio repressit; ne si fortè illum fœmina agnouisset, fugæ consilium illico captasset.

amatorem se simulans — B

33 Residentibus ergo illis atque bibentibus, cœpit cum eâ *a* loqui vir beatus, tanquam amator quispiam inextinguibili amoris igne flagrans: sic enim Sanctus ille fortiter se diabolo opponens, captiuam eam accepit & in Christi thalamum restituit. Illo autem cum illâ colloquente, ipsa consurgens & complexa collum eius, osculis eum excipiebat. Cumque iam inter osculandum, odorata esset eius corpus suauissimo Angelici instituti odore fragrare, recordata est dierum suorum priorum, quibus vitam in summâ abstinentiâ peregerat: quare, tanquam aliquo spiculo in corde percussa, vehementer ingemuit, & in lacrymas prorumpens, dixit: Væ mihi! væ mihi miseræ soli!

a ipsa enim osculata interius compungitur:

34 Hospes autem ista animaduertens, ait ad eam: Quid est domna Maria, quòd ita grauiter ingemiscas? duorum annorum iam spatio hîc degis, & nunquam talia tua suspiria aut verba audiui: nunc autem quid solito tristius tibi acciderit, velim mihi recenseas? Ad quem, illa: Vtinam, inquit, ante triennium mortua essem, & felicem me putarem. Confestimque beatus senex, ne deprehenderetur, quasi cum quadam *b* seueritate ad illam ait: Modò me præsente, cùm hilaritati indulgendum esset, tu peccata tua in memoriam reuocare incipis? O admirabilem diuinæ dispensationis clementiam! Putasne puellam non dixisse in corde suo; Quomodò aspectus viri istius, formam mei refert patrui? Cæterùm qui solus benignissimus & sapientissimus est Deus, ita dispensauit, ne ipsa illum agnosceret, timoreque perculsa fortasse aufugeret. *c* Proferens itaque beatus senex mox solidum, dedit eum hospiti, dicens ipsi: Para nobis, ô amice, bonam cœnam, vt cum hac puellâ hodie epulari ac lætari liceat: longo enim itineris interuallo, amore illius huc adueni.

admirante caupone, — C — *b dissimulante patruo,* — *c*

35 O verè secundùm Deum sapientiam! ô verè intellectum spiritalem! *d* ô astutam supplantationem diaboli, & reconciliationem animæ! ô prudentiam draconi exitialem & animæ illuminatricem. Qui totis quinquaginta suæ religiosæ exercitationis atque abstinentiæ annis panem non gustauerat, nunc carnes intrepidè, vt animam à diabolo captam reuocaret, comedit. *e* Chorus sanctorum Angelorum super hac beati istius inconsideratione, aut potius magnanimitate atque sapienti consilio solertiâque vehementer obstupuit, quòd ita alacriter & sine vllâ hæsitatione ibi comedit & bibit, recitans & ipse dictum illud Euangelicum: Hodie epulari & gaudere oportet: quia hæc filia mea mortua erat & reuixit, perierat & inuenta est. O sapientia sapientum, & intellectus intelligentium! O stupendum miraculum & negotium suspiciendum! O dignam admiratione indiscretionem, & quauis accuratâ discretione eminentiorem, quæ ex venenatis draconis dentibus animam deuoratam eripuit atque saluauit!

d & cum ipsâ hilariter epulante. — *e* — D — Luc. 15, 32

36 Postquàm igitur iam simul epulati sunt, prouocabat eum puella, vt ad cubandum in cubiculum introirent. At ille, Intremus, inquit. Ingressusque videt lectum altum stratum, ascendensque alacriter consedit super eum. Quo pacto te appellem, aut quomodo te nominem, O perfecte Christi vir, equidem ignoro: continentemne te dicam, an incontinentem? consideratum, an inconsideratum? sapientem, an insipientem? qui per annos quinquaginta conuersationis tuæ, super vnam tegeticulam dormiuisti: nunc quantâ cum alacritate ad sedendum super lectum ascendisti? Ceterùm hæc omnia ad gloriam & laudem venerabilissimi instituti tui fecisti: *f* mansionum quippe iter prolixum arripuisti, carnes manducasti, ac vinum bibisti, & in hospitium diuertisti, vt animam perditam saluares: at nos quia pusillamines sumus, si saltem verbum vtile cum proximo loqui volumus, subitò importunè cuncta discernimus.

à cauponâ inducta in cubiculum iubet obserare ostium, — *f* — E

37 Confidente itaque ipso super lectum, ait ad eum puella: Veni ac permitte Domine, vt calceamenta tibi extraham. Ille verò ad eam: Obsera ac muni, inquit, benè ostium; & tunc vt ea abstrahas, permittam. Nitebatur autem illa priùs discalceare ipsum: sed cùm id ille non pateretur, tunc foribus diligenter obseratis, venit ad eum. Senior autem ad illam: Domna, inquit, Maria, accede ad me: cùmque accessit ad ipsum, tenuit eam firmiter per manum *g*, ita vt non posset eum effugere. Tollens quoque camalaucion, ceu galerum è capite suo, & in lacrymas prorumpens, dixit ad eam. Filia mea Maria, nunquid me agnoscis? Nonnè ego sum pater tuus Abramius? nunquid tibi notus sum? Nonne ego sum, qui te educaui? Quid tibi nunc accidit, ô filia mea? Vbi est habitus ille Angelicus, quem anteà habuisti, ô filia carissima? vbi continentia? vbi lacrymæ? vbi vigiliæ, quæ cum tanto dolore animi & cordis contritione erant? vbi humicubationes & assiduæ genuflexiones? Quo pacto à cœli celsitudine in hoc perditionis barathrum præcipitata es, ô filia mea? Cur non indicasti mihi, quando procella ab inferis inuasit te? & ego sanè cum dilectissimo Ephrem, clamassem ad eum, qui potest ex morte saluare. Quare tanquam omnino tuam salutem desperans, ita te diabolo tradidisti? Quamobrem sic me deseruisti, & in hunc mœrorem intolerabilem deduxisti? Quis autem inter homines, absque peccato est, nisi solus Deus?

sed manifestans — *g* — F. — *ad sanam vitam reducere quæ intendit,*

38 Illa verò, quasi tota perterrefacta, abijciebat animum, nec vultum attollere poterat: verùm lapidis instar immobilis & velut amens in manibus eius remansit, confusione pariter atque timore oppleta. At beatus senex iterum cum lacrymis appellabat eam, dicens: Non mihi loqueris, filia mea Maria? nonne tuâ causâ, mæstus huc adueni? Super me sit hoc peccatum, ô filia. Ego pro te in die iudicij, Deo respondebo. Ego pro hoc tuo peccato pœnitentiam agam. Sicque ad mediam vsque noctem, eam consolabatur & salubriter admonebat. Illa autem cùm parumper fiduciam accepisset, sic ad eum locuta est: Si, inquiens, in te respicere ob confusionem vultus mei nequeo, quo pacto Sanctum atque immaculatum nomen Dei mei, dum ita cœno immunditiæ contaminata sum, inuocare audebo? Et beatus vir ad eam: super me sit, iniquitas tua, ô filia: ex meis manibus Deus peccatum

primùmque attonitam — *& multis persuasam*

A catum hoc tuum requiret: tantummodò tu me auſculta & veni concedamus pariter in locum noſtrum: ecce enim & cariſſimus noſter Ephrem vices tuas dolet ac plangit, & ſedulò pro te Dominum deprecatur *b*. Quare ſenectutis meæ miſerere & canitiei meæ compatere, filia mea dilecta, obſecro; & iam conſurgens, me ſequere.

eundem ſequi eam ergi,

39 Illa verò ad eum: Si pœnitentiam, inquit, adhuc agere poſſum, meamque ſatisfactionem ſuſcepturus ſit Deus, ecce, vt iubes, tecum veniam. Procido autem ac ſupplico ſanctitati tuæ, ſanctaque veſtigia tua exoſculor, quòd ita pietatis tuæ viſcera in me demonſtraueris, & huc, vt ex laqueo diaboli me eriperes, adueneris. Ponenſque caput ſuum ad pedes eius totâ plangebat nocte, dicens: Quid retribuam tibi Domine Deus meus, pro his omnibus quæ tribuiſti mihi? Diluculo autem iam facto, dicebat ad eam beatus ſenex: Exurge filia, & hinc rectà ad cellam noſtram abeamus. Quæ reſpondens, aiebat ad ipſum: Habeo hic aliquantulum auri, ac paucas veſtes, & quid de ijs à me fieri iubes? Reſpondenſque ei vir beatus, dixit: Relinque illa hic: nam omnia iſta *i*, pars maligni ſunt. Et ſurgentes confeſtim exierunt: illamque equo imponens trahebat, lætus præcedens. Et B ſicut paſtor quando ouem perditam reperit, cum gaudio eam ſuper humeros ſuos tollit: ita beatus hic Abramius gaudens in corde ſuo, iter cum hac nepte ſuâ peragebat.

ſecumque auebit.

quæ egregiâ pœnitentiæ facta exemplar,

40 Cumque ad proprium iam locum perueniſſet, illam quidem in interiore cellâ, in quâ ſuam priùs habitationem tenuerat, reclusit: ipſe verò in exteriore permanſit. Vbi illa cilicio induta, in ſummâ humilitate animi & planctu ac lacrymis multis perſiſtebat; & ſeipſam vigilijs aſſiduis arctiſſimiſque abſtinentiæ laboribus conficiebat, alacriter pœnitentiæ ſcopum perſequens, & audacter Deo procidens ſupplicanſque. Verè enim hæc ſincera ac vera erat pœnitentia: verè medicina & reparatio animæ iſta. Per eiuſmodi certamen, cunctos oporteret confiteri ac gratias agere Deo. Quis enim ita lapideo ac duro eſt corde, qui cùm flebilem ac lamentabilem eius vocem audiat, ipſe quoque non compungatur ad laudandum, glorificandumque Deum? ſiquidem noſtra reſipiſcentia cum eius pœnitentiâ comparata, vmbra dumtaxat quædam & imaginatio eſt. Tali namque ſtudio & patientiâ atque ſolicitudine indeſinenter recurrebat ad Deum, pe-C tens ſibi ignoſci quod peccauerat; vt etiam ſignum diuinitus, an accepta eius pœnitentia fuiſſet *k*, depoſceret. Benigniſſimus itaque ac clementiſſimus Deus, qui neminem vult perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, ſic condignam ſatisfactionem eius preceſque recepit, vt etiam dona curationum ipſi ad rei certitudinem conceſſerit.

etiam curationum gratia donatur.

Abramius æt. an. 70, ſolitariæ vitæ 50,

41 Vixit porrò beatus Abramius alios adhuc annos decem, cernenſque ſinceram ac veram illius pœnitentiam & inſignem animi alacritatem, glorificabat & magnificabat Deum: & ſic in bonâ ſenectute quieuit verè ſanctus ac ſeruus Dei, curſumque vitæ conſummauit, cùm eſſet annorum ſeptuaginta. Ex quibus quinquaginta in ſolitario vitæ inſtituto, magnâ cum alacritate & certamine atque abſtinentiâ admirabili, in humilitate & caritate non fictâ peregit; perſonarum acceptionem non reſpiciens, ſicut apud plurimos fieri eſt ſolitum, vt vnum quidem honore præferant, alium verò contemnant. Et tanto quidem temporis interuallo nunquàm prorſus in ſuo inſtituto obtorpuit, ſegniuſque egit; neque vllam regulam optimę ac religioſiſſimæ vitæ ſuæ mutauit: ſed ita ſemper conſtitutus erat, quaſi quotidie moriturus.

feliciter ſuos agones conſummat:

42 Hæc fuit vita atque conuerſatio B. Abramij; hæc Deo acceptiſſima vitæ ipſius ratio; iſta patientiæ ac tolerantiæ eius certamina *l*. Et ſicut caprea ex laqueis, ita ille ex corruptibili ac mortali hac vitâ exceſſit: neque prorſus vmquàm cogitationem mentemque ſuam, in bono propoſito firmatam atque corroboratam, retrorſum conuerti permiſit. Atqui hi agones & ſudores Beati huius viri fuerunt; quos quidem hic nunc ita conſcripſimus, ob conſolationem atque deuotionem omnium, qui vitam conſequi æternam volunt, ad laudem & gloriam Dei: à quo, cunctis affluenter, quæcumque opportuna ſunt atque vtilia, ſuppeditantur. Reliquas porrò virtutes eius *m* alibi deſcripſimus *n*.

D AVCTORE EPHREMO

vti & Maria annis 5 ſuperſtes patruo;

43 Vixit quoque beata illa Maria, alios annos quinque poſt mortem patrui ſui: atque ita ſupra modum piè alacriterque reſiduum illud vitæ inſtituebat, vt dies nocteſque integras non ceſſarit cum planctu ac lacrymis deprecari Deum: adeò vt etiam ſæpe per locum illum prætereuntes, vocem eiulatus ipſius audientes, commiſeratione moti gradum ſiſterent, fletumque ſuum cum eius fletu coniungerent, ac propria peccata deplangerent *o*. Gratiâ & benignitate Domini noſtri Ieſu CHRISTI: Cui gloria, & potentia, nunc & ſemper & in æterna ſecula ſeculorum. Amen.

E a *In MSS.* ludere: *eoq; verbo abſoluuntur duæ ſequentes lineæ ibidem prætermiſſæ.*

b *Ita MSS. omnia: Græcè* ἀυϛηρῶς *vt typographico mendo ſit imputandum, quòd apud Voſſium legatur cum* ſerenitate: *ſimiliter ex Græco reſtituimus* ἵνα μὴ ὑπολάβῃ vt ne deprehenderetur: *quod Voſſius verterat,* ne auſterior videretur: *eſt enim* ὑπολαμβάνειν *ſyllabatim idem, quod Francis* ſurptendre *quaſi* ſub-prehendere.

c *Addunt MSS.* Hoc autem non ob aliud eſt credendum, niſi quia lacrymæ famuli tui auunculi eius, huiuſcemodi apud te obtinuêre locum, vt ex impoſſibilibus poſſibilia facere dignareris.

d *Duo ſequentia membra in MSS. his verbis abſoluuntur:* O verè diſcretio ſalutaris!

e *Item totus reliquus paragraphus hoc modo in illis variatur:* Sanctorum Angelorum choros ſuper diſcretione Beati huius miratos eſſe non dubito: quomodò indubitanter cuncta perfecerit, vt animam in limo defixam abſtraheret. Venite, Fratres, & admiramini ſuper hac imperitiâ; venite, expaueſcite ſuper hac indifferentiâ ſanctiſſimi viri, quomodò perfectus, ſapiens & diſcretor effectus eſt, vt ex ore draconis abſorptam animam eijceret.

f *In Græco ſimpliciter eſt* μονὰς ἐβάδισας: *vereor autem ne mendum ſit pro* μόνος *vt ſit,* ſolus, *ſiue* incomitatus, iuiſti: *quod magis mirandum ac eremicolâ in congreſſum hominum veniente, vtpote ſcandalo obnoxium, quàm quòd ſimpliciter aliqua ex cauſa ad locum ab hominum frequentia cultum, quod veteres interpretes his intellexêre, acceſſeris.*

g *Addunt MSS.* quaſi qui putaretur oſculari eam.

h *Reliquum huius paragraphi ita pleniùs eſt in MSS. Latinis:* Noli diffidere, filia, de clementiâ Domini: licet tua ſint peccata velut montes: ſed illius miſericordia omnem ſupergreditur creaturam. Sicut legimus acceſſit mulier immunda ad mundum, & non eum inquinauit; ſed potiùs ipſa ab eo mundata eſt, lacrymis pedes Domini lauit, & capillis extersit. Si poteſt fauilla pelagus inflammare, poſſunt & peccata tua eius munditiam inquinare. Non eſt nouum cadere in luctamine: ſed malum eſt iacere deiectum. Reuoca vnde distuleris pedem. Te cadente riſit inimicus! ſed fortiorem te ſentiat reſurgentem. Doleas, te obſecro filia, pro canicie meâ: & exurge, veni ad cellulam mecum. Lubricum eſt genus mortalium, ſed ſicut citiùs cadit, ſic velociùs per Dei adiutorium ſurgit; qui peccantes non vult mori, ſed viuere. F

i *MSS. Latina:* quia ex parte malignâ acquiſita ſunt.

k *Sueſſion.* monſtraretur.

l *Abeſt ſequens periodus à MSS. & eius loco hæc habentur.* Ita ſiquidem in acie contra aduerſarium ſtetit, vt nequaquam ſe poſt tergum conuerteret. Sed neque in tribulationibus quas in vico perpeſſus eſt, neque in prælio contra phantaſmata dæmonum animum ſuum relaxauit, vel in aliquo trepidauit: maximum autem atque admirabile certamen hoc fuit, quod erga Mariam beatiſſimam geſſit: quomodò per ſapientiam ſpiritalem, prudentiam, inquam, & imperitiam, per indifferentiam & incontinentiam de voragine iniquitatis eam abſtraxit. O miraculum! in ipſum cubile Draconis ingreſſus eſt, ibique eum pedibus conculcauit, & ex medio dentium eius eſcam eripuit. Hi agones &c.

m *MSS. Latina* in alio volumine: *nihil tale nunc reperitur in ijs, quæ extant S. Ephremi Edeſſeni operibus: quod non eſt mirum, cùm alius hic Ephrem ſit ab auctore noſtro.*

n *Rur-*

A n *Rursum additur in MSS.* Horâ autem illâ, quâ se ad Dominum migrare agnouit, penè vniuersa ciuitas congregata est: & vnusquisque eorum omni cum deuotione castissimo eius corpori appropinquans, benedictionem sibi ex vestimentis eius diripuit: & si quemcumque languorem id quod direptum fuerat contigisset, sine dubitatione curabat.

o *Hæc quoque addenda ex MSS.* Horâ autem dormitionis eius, quâ ex hâc vitâ assumpta est, omnes qui viderunt eam, propter splendorem vultus eius, gloriam Domino retulerunt. *Vtraque hæc additio in Metaphraste inuenitur.*

EPILOGVS

Ex MS. & impressis.

Auctor pœnitentia sua languorem

44 HEu me, dilectissimi mei, quoniam hi quidem dormierunt, & ad Dominum cum omni fiduciâ peruenerunt: quorum mens nullis prorsus mundanis negotijs colligata est, sed soli diuinæ caritati: ego verò imprompus atque imparatus in eâ voluntate permansi. Et ecce comprehendit me hyemis infinita tempestas; & nudum me atque expoliatum bonis operibus inueniens, admiror in memetipso, carissimi, quomodò quotidie pœnitentiam ago. Per B horam ædifico, & per horam constructa subuerto. Ad vesperum dico, Sequenti die pœniteo: manè autem facto elatus diem prætereo. Rursus ad vesperum dico, Noctu vigilabo, & cum lacrymis obsecrabo Deum, vt peccatis meis propitius fiat: cùm autem nox aduenerit, somno potiùs satiabor. Ecce qui mecum acceperunt pecuniam, die ac nocte negotiari contendunt, vt D laudem præconij consequantur, & decem ciuitatibus præsint: ego verò ob pigritiam meam occultaui eam in terrâ, & Dominus meus appropinquabit: & ecce contremiscit cor meum, & defleo dies negligentiæ meæ, non habens quales excusationes obtendam.

cum eorum feruore comparans,

44 Miserere mei qui solus sine peccato es Deus, & saluum me fac, qui solus benignus & clemens es: quia præter te benedictum patrem, & vnigenitum filium tuum, qui incarnatus est propter nos, & Spiritum sanctum, qui viuificat omnia, alium nescio, neque in alium credidi. Et nunc memento mei amator hominum & educ me de carcere iniquitatum mearũ: quia vtrumq; tuum est Domine; & quando voluisti me in hunc mundum intrare, & quando migrare me ex eo præcepetis. Memorare mei indefensi, & salua me peccatorem gratiâ tuâ, quæ mihi in hoc seculo opitulatio, refugium, & gloriatio recta est. Ipse me sub alas tuas in illâ die horrendâ atque terribili protegas: tu enim agnoscis, qui scrutator es renis & cordis, quod multos prauitatum & scandalorum tramites declinaui. Prauitatem execror scandalorum, prudentiam prauitatis & hæreticorum defensionem. Et hoc non ex E me: sed ex gratiâ tuâ, per quam illuminata est mens mea. Vide obsecro, Sancte Domine, salua me in regno tuo, & dignare mihi benedicere, cum omnibus qui placuerunt ante te: quoniam te decet gloria, adoratio, & magnificentia patrem filium & Spiritum sanctum in seculorum secula. Amen.

diuinam implorat misericordiam:

cuius auxilio hactenus vtcumque declinauit peccata.

DE S. COLLOQVILLO REGE

APVD SENONES IN GALLIA.

XVI MAR.

Nomen in fastis:

MVltam impendimus operam, vt in notitiam huius Regis eiusque regni perueniremus: sed hactenus irritus fuit noster conatus. De eo in MS. Florario Sanctorum & in Auctario Vsuardi per Hermannum Greuen ista solum leguntur: Item Coloquilli Regis. Celebrem venerationem habet in Ecclesiâ Cathedrali vrbis Senonensis in Galliâ. Vnde IX Nouemb. anni MDCLXV vltimas nobis misit litteras Petrus Courrier, Collegij Societatis nostræ Rector, è quibus hæc excerpo: Sermones habui cum C Domino Claudio Driot Canonico, qui plura non nouit de S. Colloquillo Rege, quàm quę scripsi ad Reuerentiam Vestram, nimirùm eum vocari Regem, & fuisse Albionis existimari: eius reliquias notabiles in templo S. Stephani Cathedrali seruari, & vt putatur, totum corpus: eiusmodi autem reliquias nec miraculis nec peregrinatione celebres esse: chartas de illis reliquijs, si quæ sint, asseruari in quadam lipsanothecâ, cuius clauim habet Illustrissimus Archiepiscopus: à quo non speratur obtineri posse vt recludatur. Mitto hìc inclusam Collectam, quæ in festo recitari solet, & habetur in nouo Breuiario Senonensi, *quod excusum est anno* MDCXLI. *Ipsa autem Oratio seu Collecta est eiusmodi:* Propitiare, quæsumus Domine, nobis famulis tuis per huius sancti Confessoris tui Colloquilli, qui in præsenti requiescit ecclesiâ, merita gloriosa; vt eius piâ intercessione ab omnibus mu- F niamur aduersis. Per Dominum &c. *In veteri Breuiario præscribitur Officium* IX *Lectionum, sed vsque ad ipsam Orationem omnia leguntur de Communi Confessoris non Pontificis. Dedimus* XI *Martij S. Constantinum ex Rege Cornubiæ monachum, sed Martyrem. An ab illo nomen Colloquilli fuerit detortum, quis audebit diuinare?*

Senonibus adseruantur reliquiæ:

Oratio & Officium Ecclesiasticum.

DE SANCTO FINIANO

ABBATE SVRDENSI IN HIBERNIA.

CIRCA AN. DCX. XVI MAR.

Vita in MS. reperta,

1 COlligentem *Sanctorum Hibernicorum Acta Colganum suum minimè fefellit iudicium, quod pluribus persuasus argumentis formauit de Vitâ huius sanctissimi viri, litterarum monumentis consignatâ, idque ante annos multos: etenim inuenta ea à nostræ Societatis hominibus in Hiberniâ fuit, atque ad nos per P. Henricum Fitzimon transmissa in codice chartaceo, non illo quidem admodum vetusto, sed quem ex alio vetustiori ante annos paullò plus centum transcriptum esse satis apparet: cuius ipso in exordio satis manifestatur auctor Anglus fuisse, aliquis ex ijs qui, post Insulam à suæ nationis hominibus subiugatam Anglicæque coronæ adiunctam, eodem ad reformanda Hiberniæ monasteria inducti, pro turbatissimâ, quam istic inueniebant, religionis ac disciplinæ formâ, abiectius de totâ gente sentiebant: nam* in Hiberniâ quidem natum Finianum fuisse, sed morum gentis penitus expertem *præfatur.*

2 *Seculo igitur vndecimo, quo magnæ passim æmulationis studio cœpisse conquiri & ex Hibernicâ linguâ in Latinam transferri Sanctorum monumenta diximus ad S. Kierani Vitam v Martij: vndecimo, inquam, seculo hunc quoque auctorem floruisse meritò arbitramur. Et quidem maiori quàm alij passim felicitate prima illius ac genuina Acta, atque ab Antiquariorum Hibernicorum figmentis satis munda, reperisse videtur quæ Sanctum hunc spectabant; ab ijsq; iudicio maiori arcuisse, quæ fortè ex popularium incertâ traditione, quod alij fecere liberaliùs, ijs poterat infarcire: vt præ multis fidem mereatur styli aliàs simplicissimi candor,* &

Seculo XI scripta.

A *& succincta breuitas etiam laudem.*

Surdensi monast. à S. Columbâ erectum,

3 *Vixit autem S. Finianus, quem ex auctoribus Hibernicis Colganus passim Finanum nominat, temporibus S. Columbæ, ab eoque Surdensi est monasterio præfectus: quâ de causâ à Colgano citata Hibernica quædam ipsius S. Columbæ Vita huius illum discipulum dicit, Surdensis monasterij originem his ferè exponens verbis:* Quadam die, cùm S. Columba, S. Comgellus & S. Cannochus in eo loco consedissent, in quo hodie Surdense iacet monasterium *(id est quinto lapide Dublinio)* S. Comgellus rogauit S. Columbam, vt dignaretur diuina peragere mysteria, & Missæ sacrificium pro spirituali præsentium Confratrum consolatione & deuotionis fomento celebrare. Annuit vir Dei: & dum sacrosanctam Domino offerret Hostiam, S. Cannochus vidit lucidam igneamque columnam à vertice S. Columbæ ad astra vsque protensam, quod & S. Comgello mox intimauit. In illo posteà loco S. Columba excitauit monasterium, quod hodie Surdum S. Columbæ nuncupatur, eique vnum è discipulis, Sanctum nempe Finianum, cognomento Lobhar, vice suâ Abbatem præfecit, sacrosque Codices manu propriâ scriptos ei reliquit.

commendatum S. Finiano

4 *Notat Colganus vocem Hibernicam* lobhar, *quamuis*

B *propriè significet leprosum, eoque sensu ab omnibus Hibernicis scriptoribus tribuatur S. Finano: ita tamen etiam vsurpari, vt denotet quacumque graui & diuturnâ corporis infirmitate, præsertim vlcerosâ, percussum: aliosque enumerat quatuor sub isto cognomento relatos in Hibernicis Martyrologijs, ex quibus huius quoque Sancti cultus probatur quatenus, in antiquo Sanctorum Hiberniæ catalogo (quem Iacobus Vsserius luci datum in Britannicarum ecclesiarum primordijs pag. 913 protulit) primi in secundo Sanctorum ordine sunt* duo Finiani; *& eius cum epitheto* Præfulgidi *meminit Festilogium S. Ænguss ij, pluris nobis æstimatum quàm cætera quæ citantur, etsi omnia hactenus nobis æquè ignota & in tenebris latentia; propterea quòd isto in opusculo auctor selegisse videatur eos, quibus Ecclesiasticus cultus signatior deferebatur: ex pluribus quoque quæ coniunctim S. Finiano tribuuntur locis, satis apparet, quòd extra eum, in quo sepultus est, celebris etiam alibi veneratio eius fuerit. Nam licet vetustissimum Tamlactense martyrologium solum habeat* Finanum Lobhar de Surdo: *Casselense tamen Kalendarium* Cluain-mor Madoci in Lageniâ, Inis-fathlein in lacu Lenensi & Ardfinain *addit; quod postremum in memoriâ esse dicit Cataldus Maguir, eadem loca enumerans; Mariani autem Germani scholiastes relatis prioribus istud omisit.*

leprosi.

huius cultus

in varijs locis.

C 5 *Quomodò ea loca viuus mortuusue sanctificauerit, explicaremus ad Acta, si talia in illis nomina reperirentur: nunc vel nulla apparent, vel alia. In medio ergo rem totam relinquimus: nam ab Actis resecandum credidimus scholion, ijsdem ab ipsius Codicis collectore attextum, quo dicitur:* Iste S. Finianus supradictus, Episcopus fuit Lismorensis, & iacet apud Artfinan: cuius festum agitur in vigiliâ S. Patricij. Fuit & alius S. Finianus Abbas, qui apud Melli-fontem dicitur esse sepultus, cuius festum colitur VIII Idus Februarij: *quo die de ipso egimus; hæc ipsa citantes, tanquam ex S. Finiani Episcopi Lismorensis Vitâ: quod horum Actorum soli titulo & huic scholio creditum, ex nullo autem ipsorum loco vel alio antiquiore scriptore probatum, fatemur nunc nobis vix verisimile videri. Ac ne de Ardsinain quidem, quòd istic sepultus iaceat hîc Finianus, credimus: etsi aliquas eius reliquias ei loco non negemus. Nam S. Molingus apud Colganum, in quodam metrico opusculo de ecclesiâ Cluainmorensi Hibernicè composito, sic loquitur:* Venerabiles sunt duo, quorum quiescunt corpora iuxta Crucem ad Austrum: S. Onchuo, qui mundi fluentis non tenebatur affectu; & S. Finanus leprosus, operum bonorũ strenuus operator. *Agit de Onchuone Poëtâ hymnographo & studioso Reliquiarum totâ insulâ colligendarum, quæ cum ipso omnes Cluainmoriæ remanserint, ad IX Febr. diem Colganus: nos verò eum malumus dissimulanter prætermittere, quòd nihil certi offerretur, unde defi-*

An Episcopus Lismorensis?

corpus in Cluain-mor

iunctum S. Onchuoni.

niri posset, habueritne an non verum & publicum in Hiberniensi Ecclesiâ cultum. D

6 *Quæ multa de S. Finiani stirpe ex genealogiarum Hibernicarum quisquilijs operosè idem auctor colligit, malumus hîc prætermittere, quàm circa eam controuertenda, nullius certi monumenti prælucente lumine, per incertas coniecturas examinare. Sed omittere omnino non debemus, quæ de illius morte dedimus 31 Ianuarij in Vitâ S. Ædani siue Maidoci, Episcopi Fernensis num. 59.* Fuit quidam homo annis triginta infirmus in finibus Aquilonalium Lageniensium, nomine Finanus: hic in visione in festiuitate S. Moedoc, vidit currum mirabilem de cælo descendentem ad ciuitatem S. Moedoc Fearna, in quo erat senex Sanctus, pulcherrimus facie, in clericali habitu, & clarissima virgo palliata cum eo; & ipsi sibi inuicem dabant honorem, quasi seruus Domino. Ille vir interrogauit eos, qui essent? Respondit Clericus ei: Ista est beatissima virgo Brigida, Domina Hiberniæ: ego autem sum seruus Christi Moedoc. Festum iam meum crastinâ die celebratur, & festum huius virginis beatissimæ post cras colitur: iam verò venimus, vt benedicamus loca nostra, & eos qui suis donis & oblationibus honorificant diem exitus nostri. Tu verò lætus & paratus esto; quia crastinâ die migrabis ad cælum. Surgens ille homo de extasi, ascendit currum, & exiuit ad ciuitatem beatæ virginis Brigidæ, nomine Killdarâ, positam in campo Liffe in terrâ Lageniensium, narrans omnibus visionem suam. Et, sicut prædictum est ei, die tertio feliciter post victoriam infirmitatis ad cælum migrauit. E

Genealogia incerta:

mors in Cluain-mor reuelanti S. Maidoco

7 *Ex quibus consequens esse videtur, vt primo vel secundo Februarij die mortuus S. Finianus dici debeat: quia tamen omnia Martyrologia tam Hibernica quàm Anglicanum VVithfordi, tres mortuos à S. Finiano suscitatos commemorans, ipsum habent ad hunc diem; meritò Colganus arbitratur, ob incidentia primis Februarij diebus S. Brigidæ & Purificationis festa, ipsius solennitatem huc translatam esse, quando reliquiæ fortasse solenniter eleuatæ, & publico cultui expositæ sunt. Tempus quoque quo S. Finianus mortuus est, imò & S. Aidanus, certiùs ex hoc loco eruetur, quàm vel istic fecimus ex VVareo, censente Aidanum anno DCXXXII obijsse; vel hîc cum Ketino hallucinatur Colganus, ad tempus Finactæ, cognomento Fleadhuigh, Hiberniæ Regis, qui ab anno DCLXXIV ad DCXCIII regnauerit, mortem S. Finiani referens. Etenim si annis dumtaxat triginta infirmus fuerit, idque decem aut pluribus annis antequàm S. Columba anno DXCV è viuis abiret; (prout tempus contracta haud diu post susceptum Episcopalem seu potius sacerdotalem Ordinem infirmitatis, & res posteà gestæ planè exigunt, quamuis Surdensi præfecturæ admotum eum quis dicere vellet circa extremos S. Columbæ annos) triginta, inquam, solis annis si infirmus fuit, mortuum eum esse oportet ante annum DCXV: & aliquot annis priùs Aidanum.* F

initio Februarij obiit

principio seculi VII.

VITA

Auctore Anonymo Anglo

ex nostro MS. Hiberniensi.

1 FVit vir vitæ venerabilis, nomine Finianus, in Hiberniâ quidem natus ac nutritus, sed gentis morum penitus expers; vtpote diuinâ gratiâ à tenerâ ætate perfectus: cuius sanctitatem & sinceram munditiam commendat etiam locus in quo natus est, quia in eo incolæ loci illius testantur *a* nulla animalia obire, nulla parere posse. Qui cùm creuisset, & puer esset factus, ductus est ad quemdam venerabilem virum, nomine *b* Brendanum, qui in breui eum & seculares & diuinas docuit litteras. Sufficienter igitur imbutus, acceptâ magistri sui licentiâ, secessit in

Natus in Hibernia,

a

b

litteras docetur. à Brendano,

EX MS. HIBERNICO

A in *c* australes partes Hiberniæ, quia de illis partibus erat mater ipsius, peruenitque ad quemdam Episcopum, nomine Fathlad, qui eum honorificè suscepit, & per aliquantum tempus visâ eius sanctitate & morum grauitate, diuinâ gratiâ vt res fieret instigante, Episcopi eum sublimauit honore. Consecratus autem Episcopus, quantis virtutibus claruerit, quanta per eum Dominus miracula fecerit, non est meæ facultatis edicere; quippe Angelico colloquio & consolabatur & confortabatur.

c ordinatur ab Episcopo

2 Accidit autem vt die quadam Angelos audiret, quasi laudem & gloriam celebrantes & dicentes: Hi qui venerũt ex magnâ tribulatione & lauerunt stolas suas in sanguine Agni. Vnde nimio desiderio accensus, petiuit à Domino, vt quoquo modo mereretur ad martyrij palmas attingere: promptus ad faciendum si adesset occasio, & esset qui faceret. Accidit ergo vt mulier quædam ad eum veniret, & portans puerum paruum & cæcum à natiuitate & mutum, necnon & leprosum: qui pro eo preces fudit ad Dominum, responsumque accepit, quòd aliter per eum puer non posset sanari, nisi ipse in suo corpore lepram illius vellet pati. Qui non solùm vt hoc fieret optauit, verùm etiam magis gratias ob hoc egit. Puer igitur sanatus est, Finianus percussus est leprâ à plantâ pedis vsque ad verticem ad exemplum B. Iob: causa tamen extitit diuersa, quia B. Iob, quòd Dominus sibi irrogauerat non quærens, patienter ferebat: ille verè optabat & æquanimiter ferebat. Cuius gesta ne omnia prætercam, pauca perstringam.

Angelico cantu ad Martyrij desiderium stimulatus,

curandi à se pueri lepram

B

sponte in se suscipit,

3 Venit ad eum mulier quædam ferens puerum morti proximum, qui pro eo Dominum rogauit & saluti pristinæ restituit. Die quadam sedebat super ripam lacus cuiusdam legens: accidit vt casu liber in lacum caderet: qui aderant librum leuare non poterant, quia erat nimis profunda: tamen subitò diuinâ vi liber de lacu sublatus est, multis inspicientibus, & homini Dei restitutus; & quamuis ad horam sub aquâ latuit, nil læsus erat. Alio die venerunt ad eum ægroti, qui pro eis prece fusâ, sanos dimisit. Puer æger quoque ductus est ad eum, sanus discessit. Fecit ergo cœmeterium & basilicam, quę hodie claris virtutibus fulget: si quis enim in eâ dormiret, licet ianuis clausis, proiectus foras super ripâ lacus inueniretur: Sanctus enim Finianus non vt ibi dormiretur basilicam instituit, sed vt Dominus oraretur. Quodam tempore proposuit molendinum facere; sed incolæ terræ illius rixati sunt, ne aqua ad molendinum duceretur: vir Dei solitum suum refugium adiuit, Dominum rogauit; videntibus omnibus qui aderant, lacus totus in aëre suspensus est: incolæ verò perterriti statim ceciderunt ad pedes Sancti, sicque quod voluit impetrauit.

moribundũ suscitat,

librum ab aquâ illæsum recipit,

varios morbos curat,

ecclesiam condit

C

& molendinum.

4 Discescit autem inde, & peruenit ad quemdam locum, qui vocatur *d* Olnaimar, & ibi habitare cœpit. Scaturiebat totum corpus eius vermibus ob magnitudinem lepræ, fluebantque vermes de corpore eius ad aquam quamdam quæ prope erat, & iterum reuertebantur: vocatur etiam hodie via, per quam ibant, Via vermium. Accidit autem vt nocte quadam vigilantibus socijs, Sanctus acriter ingemisceret, interrogatusque à socijs quid hoc esset, Vnus, inquit, de ciuibus meis deest, & ideò non possum somniare. Dixerat autem hoc de verme vno, qui postquàm reuersus est, illicò dormiuit. Tempore quodam venit ad eum quidam mente compunctus, seculum paruipendens, dura pro Domino pati volens, rogauitque eum quatenùs per ipsius interuentũ mereretur fieri leprosus, volens particeps esse & glorię [parum curans] quid esset de corpore tantùm si anima salua est. Cui vir Dei: Non poteris inquit pati. Ille respondit: Hinc non discedo donec impetrem quod quæro. Vir ergo Dei Dominum rogauit. Mox ille percussus est leprâ, qui statim sentiens in membris suis immediocrem pruriginem, & intolerabilem cruciatum non ferens, reuersus est ad virum Dei, & dixit; Iam non moriar senex, pater: opem fer miser. Qui misit vt ad aquam proximam iret, & se lauaret. Iuit, lauit, sanusque factus est.

d scatutientes è corpore vermes, hospites suos dicit:

alii, qui similem lepram optauerat, eam communicat.

eandem aufert à pœnitente.

D

5 Tunc Clerici ecclesiæ illius debebant Regi conuiuium vnâ vice quotannis, & multùm aggrauabat eos, quia multum expendebant: persuaserunt ergo homini Dei quatenùs ipse apud Regem intercederet. Qui eis compassus, misit virginem quamdam quæ ei ministrabat, mandans Regi vt debitum dimitteret. Qui eam derisit: quod illa reuersa viro Dei nuntiauit. Tunc ipse aliquantulùm commotus surrexit, ad curiam perrexit: cùmque appropinquasset, misit eamdem virginem ei: Dic Regi, citò exeat, & locum dimittat, vel iam terra deuorabit eum; locus enim in quo superbus despexerat, subuertetur & desolabitur. Hæc eâ Regi narrante, ecce locus totus cœpit tremere & penitus moueri. Tunc Rex fugit, & ad pedes viri Dei cecidit, & quod sponte noluit, inuitus dimisit: de loco autem factum est, quod vir Dei prædixit.

Regem exactione conuiuij molestum clericis

nec monitis obtemperantem ruinâ domus suæ punit.

E

6 Posteà placuit ei patriam suam visitare, peruenit ad locum quemdam qui dicitur Sord, vbi S. Columbam inuenit: cui cùm propositum suum intimasset, quòd Romam vellet ire, restitit S. Columba dicens: Non ibis; potiùs hîc manebis. Cui vir Dei: Votum, inquit, voui, [& illud] non possum non explere. S. Columba dixit: Pone hic caput. Posuit super genu eius caput, moxque dormiuit. Expergefactus, & interrogatus quid viderat, dixit se Romam vidisse & loca eius circuisse sancta. Tunc Sanctus Columba: Modò hîc manebis, Romam non ibis. Commendabat erga locum suum & circumadiacentes terminos eius, ipse verò discessit. S. Finianus verò sanabat ibi ægrotos, omnem diligentiam exhibebat hospitalitati, membra non tradebat quieti, sed quartâ parte noctis sedebat in frigidâ aquâ psallere, reliquis tribus partibus sedebat super nudam humum, habens circa se quatuor lapides, super quos vicissim caput ponebat, quando volebat se quieti dare. Talem & tam duram vitam S. Finianus duxit: hinc quoque illi gloria.

à peregrinatione Romana prohibitum

S. Columba præficit Surdensi cœnobio

quàm austerè ibi vixerit

7 Nocte quadam scribebat, quinque *e* digitos læuæ manus habens pro candelis ardentes; quidam rusticus venit, introspexit: quod viro Dei displicuit, statimque rusticus vnum oculum amisit: quodque est mirabilius, peccatum illius vsque in hodiernum diem probat sua successio: nam sicut videmus, magnâ ex ex parte nascuntur priuati oculis, vel alijs diminuti membris. Ibat autem frequenter ad quamdam Insulam visitare fratres qui ibi erant: vice quadam venit ad eum grande cete, mortem minabatur: homo Dei signum crucis opposuit, & cete fugit. Illo tempore erat ibi importuna murium copia, homo Dei orabat, mus non comparuit. Appropinquabat posteà tempus, piscis fratribus deerat: iussit S. Finianus retia in capturam laxari, moxque triginta salmones capti sunt. Quidam de fratribus gyrans insulam, incautè pergens, cecidit in immane præcipitium, cuius mortem condolentes fratres (erat enim non solùm mortuus, imò comminutus totus) venerunt ad hominem Dei; qui orauit, & sospitati restituit.

e scribenti lumen dant digiti

F

cetum signo Crucis fugat:

pisces copiosos præbet egentibus

præcipitatũ resuscitat.

8 Post hæc innotuit viro, aduentum ipsius fratribus, qui ibi erant, displicuisse, & præsentiam suam molestam esse: voluit ergo eos dimittere, sed ventus erat contrarius: iussit tamen velum in altum tolli, & sic contra ventum mirabiliter optatum tenuit portum. Cùm autem venisset ad locum suum Sord, erant ibi omnia ostia clausa: sed diuinâ vi, antequàm aliquis sciret ipsius aduentum, reserata sunt. Erat ibi quędam arbor acerbos ferens fructus; illam benedixit: dulces non cessabat proferre fructus. Venit ad eum quidam egenus petens eleemosynam, homo Dei spuit in sinum

contrario vento remeat Surdum:

varia ibi miracula facit:

A num eius, posteà quamdiu vixerat diues fuit. Venit quidam leprosus; sedit, nil ei locutus est: homo Dei spuit in terrâ, leprosus collegit, faciem liniuit, statimque sanus effectus est. Oblatus est mutus, surdus & claudus ab vtero matris: verbo eum sanauit. Quadam die dominicâ defuit ei vinum, allatum est ad eum vas aquâ plenum, conuertit in vinum.

mortuos ad vitam reuocat,

9 Quadam die cùm Missam celebraret, cunctis qui aderant globus igneus super caput eius apparuit, quod & frequenter fiebat. Quidam ibat ad bellum, venit commendare se orationi viri Dei; accepit benedictionem, perrexit in bello, occisus est. Venerunt cognati eius quærere eum inter occisos, suspicantesque eum semiuiuum, nomine vocabant: surrexit mortuus per virtutem S. Finiani. Venit ad eum quidam rusticus alium mortuum ferens, flensque iurabat quòd non discederet nisi filius eius suscitaretur. Vir Dei respondit: Pius est Dominus, ipse suscitabit filium tuum: statimque mortuus surrexit. Hospites venerunt ad eum hiemali tempore, defuit eis instrumentum, quo aqua calefieret: orauit, data est de cælo patella, quæ diu ibi cunctis aspicientibus fuit. Accidit

eadem impedit,

B rixa inter duos, vnus fugit, alius secutus est promptus ad feriendum: qui fugit non habuit quò fugeret nisi ad refugium Finiani: ille alius percutere voluit, viro Dei deferre renuit, subitò percussus est cæcitate; sicque miser euasit. Habebat S. Finianus arietem, furati sunt fures, vocabatur aries Bedan. Qui furati sunt, venerunt ad hominem Dei, iurauerunt imò periurauerunt. Vir Dei arietem vocauit, aries ex ore *f* furis respondit.

furtum retegit,

f

10 Cùm venisset de insulâ suprà nominatâ, oblitus est Missale secum ferre, erat autem Paschale tempus. Cùm ergo in crastino surrexisset, tristis quia nõ habuit librum, & ecclesiam intrasset, inuenit librũ suum super altare Angelicis manibus restitutum. Erat eius consuetudo calidum bibere: misit puerum afferre sibi lapidem de igne, vt inde potus calefieret: puer incautus manu eum tractauit, nihil ei tamen nocuit. Illo tempore parauit conuiuium suis: vocauit amicos, quotidie epulabantur, epulæ non deficiebant, plures sic transibant dies. Intererat quidam rusticus, dixit: Istæ epulæ nunquàm deficient, statimque ad ipsius vocem epulæ defecerunt. Quadam die ignis inuasit monasterium: vir Dei signum crucis opposuit, statimque ignis extinctus est. Ducta est mulier insana ad eum: orauit: mulier sana recessit. In monasterio erat arbor sterilis, vir Dei eam benedixit, in crastino plena fructi-

missale recipit alibi relictum,

puerum ab igne præstat illæsum,

epulas indeficientes præbet,

incendium restinguit, facit arborem fructuosam,

C

D bus apparuit. Quidam discipulus ipsius, nomine *g* Boecan, submersus est: vir Dei orauit: qui mersus fuerat viuus surrexit, quod qui viderant glorificabant Deum. His ergo alijsque pluribus per S. Finianum peractis miraculis, quieuit in pace, apud cuius reliquias crebra fieri miracula non desinunt, præstante & operante Domino, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Ex MSS

g submersum resuscitat.

miraculis claret post mortem.

a *Giraldus Cambrensis in Topograph. Hiberniæ distinct. 2 cap. 4 scribit, in Momonia Boreali lacum esse & in lacu insulam, cuius incolæ, nisi in maiorem eiusdem laci insulam transfiant, non moriantur: vnam item in Boreali Britanniæ parte, quæ Sancta dicatur, in qua prægnantes nunquàm pariant, nisi ad alteram item vicinam aduectæ. Ceterùm cùm infrà num 6. dicitur quòd Sanctus patriam volens reuisere, in Sord peruenit ad Orientalem Hiberniæ plagam; patet hanc laudem, sumptam ex popularibus indigenarum de sua insula fabellis, non vni specialiter Finiani patriæ, sed toti Hiberniæ attribui ab auctore, vt cui gloriosum sit in aliqua sui parte tam esse mirabilem, quod tamen maiori iactantia quàm veritate Anglis esse per Hibernos narratum nemo dubitabit: neque enim credibile fingere voluisse quòd S. Finianus fuerit suæ patriæ vnigenitus. Idem si fuisset, vt putauit Colganus in Helia, Momoniæ & Lageniæ contermina regione, editus in lucem, ex Momonia abiens suam priùs patriam transire debuisset quàm in* Surd *peruenisset.*

b *Celebres Hiberniæ sunt duo hoc nomine Sancti, vterque sub medium seculi* VI *mortuus: ita vt ex ratione temporum nihil repugnet, quò minùs alterutrius discipulus S. Finianus fuerit, vel Abbatis Birrani in* Elia, *vel Episcopi Cluainfertensis in Lagenia.*

E

c *Ea sub Momoniæ nomine veniunt: in hac autem Lismorium est oppidum, Sedes olim Episcopalis; cui institutum Finianum esse Episcopum nusquam dicitur, neque nos temerè admittere possumus: vel igitur* Presbyterij *gradu insignitus significatur; vel absque certa Sede Episcopus ordinatus dicendus foret, & propter eà nullam Episcopalis tituli rationem habuisse Vitæ eius scriptores.*

d *Fuit hoc multis Hibernicis nominibus fatale, vt ab Anglis in Sanctorum vitis transcripta omnem penè, ex qua agnosci possent, formam amitterent: ita & huic voci accidisse videtur, ex Hibernica in Anglicam linguam non sine aliqua à pronuntiantibus transcribentibusq; deprauatione translata: quâ suspicamur Insmorensem in remotioribus Momoniæ finibus atque Senani fluminis alueo ecclesiam significari, à S. Senano Abbate ante medium seculi sexti extructam; de qua in eius Vita 2 ad 8 Martij num. 24 egimus.* Inis-mor *enim, Insula maior est, quod Anglicana paullò antiquiori dialecto* Holma-mar *dicebatur*

e *Idem inuenitur in S. Senani prædicti Vita Metrica num. 16: sed cùm altera eius Vita num. 15 miraculum sic narret, vt integrâ septimana laboranti in molendino vnicam candelam dicat suffecisse: existimo hoc de digitis lucentibus à S. Finiano ad Sinanum, ob nominum affinitatem, transijsse auctori istius metri. Simile miraculum in S Patricij Vita tripartita num. 154: itemq; alia per Iocelinum num. 102 videbimus.*

f *Et hoc in S. Patricij Vitis omnibus legitur, vt ab eius exemplo istam retegendi furti rationem didicisse Finianus videri possit.*

g *Fortè* Boitan *siue* Baitan *magis familiare Hibernis nomen.*

F

DE SANCTO ISICHIO

EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA,

Commentarius historicus.

CIRCA AN. CCCCXC XVI MAR.



I Vienna Allobrogum, nobilissima in Galliis prouinciæ ad Rhodanum fluuium metropolis, & celebris Archiepiscopatus Sedes; in quâ seculo Christi quinto fuerunt successiuè tres eximiâ sanctitate Episcopi, Mamertus, Isichius, & Auitus. Ex his Mamertus colitur XI Maij, Auitus V Februarij, ad cuius Vitam pleraque de S. Isichio, cuius filius erat, sunt à nobis dicta. Bouchetus rerum Francicarum scriptor parte 1 de verâ origine secundæ & tertiæ stirpis Regum Francorum cap. 2. Isichium Senatorem ac dein Episcopum Viennensem *asserit* filium Auiti Imperatoris, *qui partim anno* CCCCLV *partim sequente regnauit. Ado Viennensis Episcopus in Chronico ætate sextâ* Isichium virum primùm Senatorem, *dein* Episcopum Viennensem *celebrat, at de patre alijsque progenitoribus silet: ex quibus aliquos dignitate Episcopali* excelluisse *docet S. Auitus filius, in Poëmate de laude Virginitatis ad Fuscinam sororem, Virginem Deo deuotam, quam sub finem sic alloquitur:*

S. Isichius an filius Auiti Imp.

Senator,

Iam te signiferam sequimur, vexillaque Christi
Te portante libens sectatur stemma parentum:
Quos licet antiquo mundus donasset honore,
Et titulis monstret generoso semper ab ortu;
Plus tamen ornauit diuinum insigne gerentes,
Ordine quòd proprio sanctas meruêre Cathedras.
Non atauos iam nunc tibimet, proauosq; retexam,
Vita Sacerdotes quos reddidit inclyta dignos;
Pontificem sacris adsumptum respice patrem.
Cumq; tibi genitor vel auunculus, vndique magni
Post fasces, placeant populorum sumere fasces;
Suscipe quos humiles patrum ad consortia fratres
Officio similes nectens Ecclesia iunxit.

Episcopos habuit maiores,

A *Sunt hi fratres Episcopi, scriptor* S. Auitus, *&* S. Apollinaris *Episcopus vrbis Valentinæ ad eandem cum Viennâ ripam delabentis Rhodani: cui dies quintus Octobris est sacer. At qui tum* S. Isichio genitore auunculus *coniungitur, non æquè certo statui potest quis sit. An* S. Sidonius Apollinaris ex viro Senatorio Episcopus Aruernorum? *Huic antè* matrimonio sociatam fuisse Papianillam Auiti Imperatoris filiam *testatur. Greg. Turonensis lib. 2 Hist. Franc. cap. 21, tunc maximè si huius Papianillæ frater foret* S. Isichius *& S. Sidonij affinis, ambo,* genitor & auunculus *S. Auiti dicerentur* post fasces *secularium dignitatum,* populorum *Ecclesiæ* fascem, *siue infulam Episcopalem* sumpsisse.

& filios SS. Auitum & Apollinarem.

2 *Quàm sanctè in coniugio cum Audentiâ vxore suâ vixerit S. Isichius, ita indicat in dicto Poëmate S. Auitus sub initium:*

post susceptos 4 liberos continens.

Edidit vt quartam genitrix Audentia prolem,
Teque dedit generi partu fœcunda supremo;
Confestim parcam promittit ducere vitam,
Ac deinceps paribus castum seruare cubile
Constituit votis carorum cura parentum.
Et quia principium tam sancti fœderis esses,
Tu simul offerris Christo, qui protinus ipsis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.

filiam Fuscinam Deo consecrat:

B *Referuntur postmodùm in dicto Poëmate variæ ex eadem S. Isichij stirpe Virgines Deo sacratæ,* Aspida, *senior* Fuscina, *&* Euphrosyna, *eisque præposita* Mater Seueriana: *quarum exercitia sancta ibidem indicantur, ad quæ Fuscina filia S. Isichij à matre Audentiâ incitatur. Hæc namque vtrisque cura & solicitudo fuit, vt filij filiæue sanctè educarentur. S. Auitus in Homiliâ de Rogationibus grato animo agnoscit sibi à parentibus procuratum* S. Mamertum Sacerdotem, spiritalem à baptismo patrem: cui antè non paucos annos pater carnis suæ, *Isichius,* accepto, sicut Deo visum est, sacerdotij tempore successit. *Floruisse Mamertum anno* CCCCLXIII *& sequente indicant epistolæ Hilari Papæ, Basilio Consule & post eius Consulatum datæ in caussâ Mamerti ob ordinatum extra suos fines Deensibus Episcopum. Eidem Mamerto scripsit epistolam primam libri septimi S. Sidonius tum Episcopus, ergo non ante annum* CCCCLXXII *quo ille ordinatus est. Imò ad annum* CCCCLXXV *superfuisse indicat libellus Lucidi Presbyteri, fidem suam profitentis iuxta statuta Synodi Arelatensis, quam circa dictum annum habitam tradit Sirmondus.*

S. Auitum commendat S. Mamerto Episcopo:

ad annum 475 superstiti,

3 *Mamerto* XI *Maij defuncto successit S. Isichius: de quo dolemus nulla extare propria Acta ab auctoribus coænis conscripta. In Vitâ S. Auiti hæc pauca habentur:* Tempore Zenonis Imperatoris B. Auitus Episcopus, sapientiâ & doctrinâ mirabilis, Deo mortalibus fauente, Ecclesiam Viennensem, post patrem Isicium æquè Episcopum, suscepit regendam. *Imperauit Zeno ab anno* CCCCLXXIV *vsque ad annum* CCCCXCI, *sub quo circa annum* CCCCXC *ex hac vitâ eum migrasse diximus ad Vitam S. Auiti. In Vitâ S. Apollinaris alterius filij solùm ista huc spectant:* B. Apollinaris, Valentinæ vrbis Episcopus, apud Viennam & natus & institutus est, qui nobili generis ortu conspicuus, natalium titulos mentis fastigatione sublimauit, *quam nobilitatem dein repetit. Aliquantò plura indicat Ado in Chronico his verbis:* Eo tempore Seuerus Presbyter, natione Indus, vir miraculis clarissimus, destructo idolorum templo, vbi error gentilis centum deos culturâ insanissimâ adorabat, ecclesiam beatissimi Stephani Protomartyris vt consecraretur pro foribus Viennæ parabat... Isicius tunc temporis Viennensem regebat Ecclesiam sextus à B. Paschasio, cuius diebus præfatus Seuerus gloriosus Presbyter ab Indiâ Viennam venit. Qui Episcopus floruit vsque ad tempora Zenonis Imperatoris. *Hæc Ado. Habemus MS. Martyrologium Sanctorum Ecclesiæ Viennensis, in quo ad* XVII *Kalendas Aprilis, ista leguntur:* Eodem die Natale S. Isichij Magni, primi huius nominis Confessoris, & XVIII Archiepiscopi Viennensis. Qui temporibus Leonis & Zenonis Imperatorum ex Senatore Lugdunensi assumptus ad Episcopalem dignitatem, ob eius singularem doctrinam & fidei integritatem, magnum suæ sanctitatis specimen toti Ecclesiæ exhibuit; atque ambos filios Auitum & Apollinarem, quos iunctus matrimonio genuerat, Ecclesiæ suæ Viennensi sibi superstitem scilicet Auitum, & Valentiæ Apollinarem, velut duo micantia sidera reliquit. Hic ecclesiam beati Protomartyris Stephani apud Viennam à S. Seuero Presbytero constructam solenniter dedicauit, atque clarus miraculis obdormiens in ecclesiâ Apostolorum conditus est. Cuius reliquias hac die annuâ visitantibus Innocentius IV Summus Pontifex Indulgentias quadraginta dierum piè concessit. *Idem Martyrologium reperimus Viennæ, labore & industriâ Ioannis le Lieure instauratum, quod paucùlis sub initium omissis ita exorditur.* Viennæ S. Isichij Magni, XVIII Archiepiscopi, qui temporibus Leonis & Zenonis Imperatorum ex Senatore Lugdunensi &c. *Verùm quia filius eius* S. Apollinaris apud Viennam & natus & institutus *est, & S. Auitus etiam filius S. Mamertum Episcopum Viennensem habuit* spiritalem à baptismo patrem, *quidni* ex Senatore Viennensi assumptus ad Episcopalem dignitatem *non sub Leone, sed huius successore Zenone Imperatore, vt ex suprà dictis constat? cùm Mamertus videatur vixisse ad annum Christi* CCCCLXXV, *Imperij Zenonis secundum.*

cui succedit tempore Zenonis Imp.

C

D

dedicat ecclesiam S. Stephani.

E

4 *Breuiarium Ecclesiæ Archiepiscopalis Viennensis anno* MDXXII *excusum, ad* XVII *Martij præscribit cultum* S. Ysicij Episcopi & Confessoris *vt* in communi vnius Confessoris. Oratio. *Da* quæsumus omnipotens Deus *&c. Adscriptus etiã eodem die antiquo Calendario MS. Viennensis Ecclesiæ, & Martyrologio S. Adonis ibidem posteà Episcopi, apud Mosandrum & Rosweidum:* Item apud Viennam S. Isicij Episcopi. *Eadem sunt in MS Adone monasterij Lobiensis & S. Laurentij apud Leodienses, quæ in MS. Adone Florentino monasterij S. Crucis, & alio Ecclesiæ Morinorum desunt. Quæ eadem interim leguntur in MSS. Ecclesiæ Pragensis, & Bruxellensis & Vlariacensis monasterij S. Naboris, item in MS. Florario Sanctorum, vti in MSS. & excusis Martyrologijs sub nomine Bedæ, item apud Galesinium, Canisium, Ferrarium & Greuenum in Auctario Molani. Saussaius ab alijs differt, dum ista ad hunc diem scribit:* Viennæ Allobrogum ordinatio S. Isicij Episcopi, S. Mamerti successoris, cuius felix transitus colitur pridie Idus Nouembris. *Quo die celebrat eum hoc encomio:* Viennæ S. Isicij Episcopi & Confessoris, qui post Mamertum celebris beatitudinis illius Ecclesiæ Pontificem, obeundum pastorale munus suscepit, clarusque strenuæ administrationis actibus, virtutibus ac miraculis præstans, post vberes collectos Deo animarum manipulos abijt ad præmium. Quiescit in basilicâ Apostolorum, quam qui piè in hoc eius festo ob eius venerationem visitauerint, ijs Innocentius Papa quartus Indulgentiam quadraginta dierum de thesauro militantis Ecclesiæ largitus est. *Quæ in Historiâ antiquitatum Viennensium etiam scripsit Ioannes le Lieure. Verùm in vtroque MS. Martyrologio Viennensi, quorum alterum à dicto Ioanne dicitur instauratum, ad* XII *Nouembris agitur de S. Isichio* II *Episcopo Viennensi, qui sub Iustiniano Imp. floruit. Vnde forsan aberrandi data occasio, tam Saussaio, quàm Sammarthanis tomo* I *Galliæ Christianæ, dum epitaphium S. Hesychij siue Isichij* II *huic adscripserunt: quod antè ediderat Chesnæus ab illis citatus tomo primo Scriptorum historiæ Francorum, apud quos legebatur extare illud in Antiquitatibus Viennensibus ad calcem Bibliothecæ Floriacensis, in quâ Ioannes à Bosco rectè obseruat esse S. Ysicium secundum S. Pantagati successorem, cui ætas & res gestæ conueniunt, prout ibidem indicantur.*

colitur 16 Martij.

colitur etiam ad 11 Nouemb.

F

forsan à S. Isichio 2 non satis distinctus.

DE S. BONIFACIO KIRITINO

EPISCOPO IN SCOTIA.

Synopsis historica.

SEC. VII XVI MAR.



1 INter viros Apostolicos, qui sæculo Christi septimo Scotiam Septemtrionalem, Pictorum tunc regionem, sacrâ Christi doctrinâ & varijs virtutum exercitijs miraculisq; illustrarunt, est S. Bonifacius Episcopus, cognomento Queritinus, alijs AlbanusKiritinus, cognomento Bonifacius dictus: cuius Acta ex codice MS. Vltraiectino nacti sumus, sed nonnullis fabulis permista: cuius hoc exordiū est: AlbanusKiritinus, cognomento Bonifacius, natione Israëliticus, de prosapiâ Radiç sororis Apostolorū Petri & Andreæ, septimus &c. Eadem Acta sed aliquantisper immutata auctore Adamo Kingh intrusa sunt in Breuiariū Ecclesiæ Aberdonensis, in Lectiones distincta & ad Matutinum recitata ad diem XVI Martij, quo inscriptus

Acta huius in MSS.

& Breuiario Aberdonensi:

B est Martyrol. Coloniensi anno MCCCCXC excuso & Doctrinali Clericorum eodem etiam anno Lubecæ edito, Martyrol. Germanico Canisij, & Catalogo generali Ferrarij his verbis: In Scotiâ S. Bonifacij Episcopi & Confessoris. Hermannus Greuen Coloniæ Carthusianus, in Auctario Vsuardi tres quasi distinctos Sanctos proponit his verbis: In Scotiâ Bonifacij Episcopi, Albani Episcopi & Confessoris, S. Kinitimi, qui suprà in Actis Vltraiectinis Kiritinus alijs Queretinus dicitur: de quo in Martyrologio MS. quodam Vltraiectino, ante ducentos aut forsan trecentos annos exarato, ista habentur: Niritini Confessoris cum socijs, quorum miri actus leguntur. VVitfordus in Martyrologio Anglicè anno MDXXVI excuso, ita incipit huius elogium: In Scotiâ natale S. Abbani, dicti etiam S. Kyryni, cuius cognomen erat Bonifacius, & potissimùm vocatur Bonifacius, ac dein ex suprà indicatis Actis multa inferuntur. In MS. Florario Sanctorum aliter hæc efferuntur: In Effordiâ S. Bonifacij Episcopi & Confessoris. Et alijs interpositis: Item sanctorum Episcoporum & Confessorum Gumberti & Kirithimi, ex quo vltimus, alijs Kiritinus seu Quiritinus est ipse S. Bonifacius, etiam Albanus dictus, quòd in Albaniâ Pictorum regione degeret.

memoria in Martyrologijs:

elogium ex Menologijs Scoticis:

2 David Camerarius in Menologio Scotico eum hoc ex-

C ornat elogio: S. Bonifacius Rossensis Episcopus, cuius animi candor, vitæ integritas, alienæ salutis amor, fecêre vt ex Italiâ in Scotiam sese conferret: vt videlicet Scoticana Ecclesia per omnia Romanæ in externis etiam ritibus sese conformaret: cuius rei gratiâ varijs illius regni peragratis locis, Rossensem sibi selegit prouinciam, in cuius vrbe primariâ, Rosmarkium nomen est, Episcopi munia non sine sanctitatis laude & miraculorum gloriâ annos multos exercuit, quibus feliciter percursis, necessitati religiosè concessit sub annum Christi DCXXX. Thomas Dempsterus in Menologio Scotico ista habet: In Merniâ ad Rosmarken natalis Bonifacij Episcopi Rossensis, qui Pontificatu maximo deposito, totam Scotiam concionando, & mysteria sacra celebrando pio labore lustrauit. Idem Dempsterus in Hist. Eccl. gentis Scotorum cap. 131 varia de S. Bonifacio Queritino congessit, arbitratus potiùs Apostolicum Legatum, quàm Pontificem Summum fuisse; secutus Hectorem Boëthium, qui lib. 3 Hist. Scotorum scribit à Pontifice Romano missum Legatum, & ob id rudi populo Papam creditum. Reliquum Hectoris elogium addimus plerisque fabulis expurgatum, & est eiusmodi.

Vita compendium ex Hectore Boethio,

3 Bonifacius Queritinus, venerabilis Antistes cum piorum cœtu veniens ex Italiâ, nauigio in Taum æstuarium delatus, ad exigui fluminis ostia, quod Gouream regionem nunc secat ab Angusiâ, primùm in terram descendit... insigni vir pietate, & in litteris sacris apprimè eruditus, multis indicijs ad nostra secula est delatus. Quo loco etenim in terram descendit, templum Diuo Petro, Christi Apostolo, sacrandum à fundamentis iecit. Inde profectus concionabundus ad Tellein vicum, tribus passuum millibus ab Alecto, alterum templum eiusdem Apostoli nomini dicatum condidit: tertium ad Restennotum, nunc Canonicorum Diui Augustini cœnobium. Illic aliquot an- E
nos moratus, ad se confluentem populum, posteaquàm salubri doctrinâ frequentissimis concionibus confirmasset; Angusiæ reliquum, Merniam, Marream, Buthquhaniam, Bogeuallem & Morauiam Christi dogmate gentes erudiens penetrauit: haud paucis templis, varijs in earum regionum locis in Petri Apostoli honorem conditis sacratisque. Tandem verò deuenit & in Rossiam, vbi ad vitæ exitum moratus, multis & pijs sudoribus pro veræ pietatis cultu impensis, sanctitate & eruditione insignis, felicem animam Deo reddens, corpus apud Rosmarken sepeliendum reliquit. Ioannes Leslæus Episcopus Rossensis lib. 4 de rebus gestis Scotorum in Eugenio IV, Rege LI, ista habet: Sub Eugenio Bonifacius Episcopus sanctissimus in Scotiam venit: cuius operâ cùm populus omni superstitionis & Pelagiani erroris caligine discussâ, Christi luce fuisset illustratus, variaq; varijs Diuis templa fixa & constituta; ad Rosmarkeum vicum in agro Rossensi sepultus fuit. Asserit dein Regem Eugenium anno Christi DCXX esse mortuum.

Lesleo Ep. Rossensi.

& Actis MSS.

4 Hisce pauca adiungimus ex Actis MSS. Vltraiectinis selecta, in quibus Kiritinus appellatur, & sunt ista: Tunc nutu Dei Nectauius Rex Pictorum inspiratus, baptizatus est, & locum baptisterij dedit S. Kiritino cum F
omni parochiâ suâ, in seruitutem peregrinorum Christi seruorum absque aliâ subiectione in æternum. Acceptâ autem Rex benedictione ad suam curiam reuersus est. Sanctus autem Kiritinus secum ferens multas reliquias Apostolorum & Martyrum ac aliorum Sanctorum, fundauit ecclesiam in ostio fluminis Gobriat in Pictauiâ, & illam consecrauit. Euangelizauit autem Pictis & Scotis per sexaginta annos, & præclarū templum construxit in Rosmarkyn. Hic sanctus Domini Kiritinus virtutes Apostolicas faciebat, cæcos illuminabat, leprosos mundabat, surdos audire, mutos loqui faciebat, dæmones fugabat: mortuos septem suscitauit, captiuos multos redemit: centum & quinquaginta templa construxit, triginta sex millia hominum ad fidem Christi conuertit. Tandem consummatis octoginta ætatis suæ annis, mensibus tribus, diebus septemdecim, XVII Kalendas Aprilis migrauit ad Dominum, sepultusq; in est eadem ciuitate in ecclesiâ S. Petri ante altare, vbi signis & miraculis quotidianis effulget. Hæc ibi, quæ ferè eadem referuntur in Breuiario Aberdonensi. Ceterùm loca suprà indicata ex adiunctis prouincijs in Scotiâ Septemtrionali sita facilè cognosci possunt.

DE S. EVSEBIA ABBATISSA HAMMATICENSI, MARCHIANIS IN GALLO-FLANDRIA,

Commentarius præuius.

§ I S. Eusebiæ ætas: Vita scripta. Conuersatio cum S. Amato exule perperàm ei tributa.

CIRCA AN. DCLXXX XVI MAR.

1 Nter quamplurima à S. Amando Episcopo Traiectensi extructa monasteria, vti ad diem VI Februarij ante eius Vitam latè deduximus, est celebre ad Scarpum fluuium monasterium Marchianense, in fundo S. Adalbaldi Ducis, mariti S. Rictrudis, extructum anno Christi DCXLV & sequente, cùm S. Eusebia horum filia esset biennio antè prognata, & à Dagoberto I Rege Francorum & Nanthilde eiusdem coniuge, aut certè ab hac Reginâ, de sacri baptismatis fonte suscepta: cui possessiones dederunt & reditus permultos in Franciâ, quæ omnia Marchianensi Ecclesiæ erant profutura, vti ea indicat Raphael Beauschampius, tractatu de VVestergothis, adiuncto ad Andreæ Siluij Historiam Franco-Merouingicam, pag. 379, & nonnulla infrà referuntur. S. Adalbaldo anno DCLII die II Februarij interempto, S. Rictrudis cum S. Eusebiâ & alijs duabus filiabus SS. Clotsende & Adalsende vitam monasticam auspicata est in dicto monasterio Marchianensi. Erat tunc temporis ab alterâ parte Scarpi fluuij, nunc Hannoniensi Comitatui attributâ, monasterium Hammaticum, alijs Hamagia, in quo Abbatissa florebat auia S. Adalbaldi, S. Gertrudis vidua apud quam aliquamdiu vixit S. Eusebia, eique defunctæ successit in regimine duodennis, ac proinde circa annum Christi DCLV aut sequente. Inde à S. Rictrude matre Marchenas reuocata, aliquamdiu cum illâ vixit, forsan vno alteroue anno: ac postmodum ab eâ Hammaticum remissa, præfuit ibidem adhuc annos tres ac viginti, mortua circa annum Christi DCLXXX. Successit in regimine alia Gertrudis & hæc vidua nobilissima: quæ aliam multò augustiorem ecclesiam extruxit, ad quam Hatta, primus cœnobij Vedastini Abbas, sacrum corpus beatissimæ Eusebiæ transtulit post annum CCXCI, quo anno à S. Vindiciano fuit in Abbatem consecratus.

S. Eusebia natiuitas, B *vita monastica,* *præfectura Hammaticensis,* *obitus,* *translatio.*

2 Vitam S. Eusebiæ damus ex codice MS. Monasterij Marchianensis, quam Diuione nobis etiam donauit Petrus Franciscus Chiffletius ex alio codice descriptam. Nomen auctoris non addebatur, quem censebat Rosvveidus esse Hucbaldum monachũ Elnonensem, qui anno DCCCCVII ad Stephanum Episcopum Leodiensem conscripsit vitã S. Rictrudis. Verùm debuit alius & forte Hucbaldo antiquior multo fuisse Vitæ huius auctor, qui num. 9, vbi particulam virgarum, quibus S. Eusebia fuit flagellata, ex antiquitatis traditione asserit frondiuisse, miratur, cur qui alia scripsêre, hoc posterorum subtraxerint notitiæ: satis innuens, se ex monumentis nonnullis historicis, ab Nordmannicâ populatione seruatis, illa hausisse, quæ posterior Hucbaldus satis apertè in Vitâ S. Rictrudis indicat. Vtraque deinde Vita carmine heroico descripta fuit: priorem S. Rictrudis edidit Ioannes monachus Elnonensis ad Stephanum monachum Gandensem, rogante imò præcipiente Episcopo Cameracensis Ecclesiæ Erluino, qui in eâ dignitate vixit ab anno DCCCCXCVI, ad annum MXI aut sequentem. Suprà memoratus Beauschampius poëma de S. Eusebiâ allegat sub nomine Ioannis monachi Benedictini, illius scilicet, qui poëma de S. Rictrude elaborauit. Molanus in additionibus Vsuardi ad XVI Martij censet auctorem eumdem fuisse, & quemdam profundioris scientiæ, qui eiusdem Eusebiæ actionum gesta & prosâ & carmine ediderit. Leguntur dicta verba in Historiâ Miraculorum S. Eusebiæ Virginis, quam nuper accepimus Marchianis, & hic addimus.

Vita ex MSS. editur, C *collecta ex monumentis scriptis & traditione.* *alia carmine scripta:* *historia miraculorum*

3 Cùm S. Rictrudis filiam Eusebiam duodennem ex monasterio Hammatico ad se cum regali edicto reuocaret, auctor Vita prosâ scriptæ nomen Regis silet, qui erat Chlodouæus II filius Dagoberti: interim iudicio Regis Dagoberti, id perperàm scribit poëta peractum. At maius in vtroque mendum est, cùm dicatur illo tempore, circa annum DCLV, S. Amatum Episcopum & monachum à S. Eusebiâ conuocatum, de nocte Hammatici cum alijs diurni cursus officium compleuisse. Quæ clariùs in Poëmate indicantur his verbis:

Nomen Dagoberti pro Chlodouæo insertum, *& S. Amati*

Accitis siquidem, similis quos ardor eidem
Conciliabat. Amatus erat venerabilis in his
Iam dudum Præsul, tunc verò monachus exul,
Hammaticum properabat, eò diuina gerendo
Pernoctans, toti supplet soluenda diei.

S. Amatus, vt num. 6 dicitur: primùm Antistes Senonensium, apud Theodoricum Regem de infidelitate insimulatus, & à suâ Sede exiliatus, eidem Mauronto Dei famulo fuerat cõmendatus. S. Amati decessor in Sede Senonensi apud Claudium Robertũ & Sanmarthanos in Galliâ Christianâ statuitur Emmo, quem anno DCLXXV mortuũ esse & sepultũ in monasterio S. Petri Viui tradunt duo huius monasterij scriptores in suis Chronicis, Odorannus tomo 2 scriptorum Historiæ Francorum à Chesnæo editorum, & Clarius tomo 5 Spicilegij à Lucâ Dacherio collecti. Ab eo igitur tempore præfuit Sedi Senonensi S. Amatus: inde expulsus, postquàm interfecto Childerico Rege in æstate anni DCLXXIX, huius frater Theodericus regnũ recuperarat. Perductus tunc Peronam S. Amatus, sub Abbate Vltano custodiæ perstitit mancipatus non paruo temporis spatio., donec Vltanus ab Angelo veheretur ad cælestem patriam. Quot annis ibi fuerit non exactè indicatur in Actis MSS. S. Amati, apud Marchianenses adseruatis ex quibus dicta & sequentia contraximus. Vltano ergo viam vniuersæ carnis ingresso, iussus est à Rege S. Maurontus, Frater S. Eusebiæ, in suo nouiter extracto monasterio S. Amatum custodiendum seruare.... Finito autem viæ spatio haud procul à Marcianis loco super Scarb fluuium sito, aliquantulùm Hammatico manserunt in cœnobio. Hæc duo vicina sibi & commoda suh vnâ lege & societate degebant amicâ, ita vt quamuis loco seiuncta, omnium tamen parerent vota, commixta cum simplici sacræ vitæ concordiâ: in vno S. Gertrudis S. Adalbaldi auia cùm suâ pronepte & Virgine Eusebiâ; in altero simili florebant studio Ionatus, inclyti Pontificis Amandi discipulus & Rictrudis cum natabus duabus. Hæc ibi. Quæ etiam apud Surium sed stylo mutato leguntur: quibus alia adduntur in MS. Duacensi Ecclesiæ collegiatæ ipsius S. Amati his verbis: Intereà Christi famula Gertrudis sanctæ senectutis suæ plenitudinem dierum cumulans operibus bonis, migrauit à seculo, & à beato Pontifice Amato cum magnâ veneratione ibidem sepulta est. Proneptis autem eius Eusebia, soror B. Mauronti, ab ipsâ Gertrude in eodem monasterio sacris moribus educata, bonæ indolis puella erat: quæ cùm teneræ esset ætatis, vtpote duodennis, mediante B. Amati prædicatione, virginitatem suam Christo consecrauit, & in locum præfectionis proauiæ suæ successit. Hæc quotidie ad prædicationem sancti Præsulis pergens, & verba salutis ab eo retinens, sic vixit in terris, vt æternum sibi habitaculum præpararet in cælis. Priusquàm verò in huius præpositurae officio duo, vt fertur, annorum curricula peregisset, septimo decimo Kalendas Aprilis, sacris plena virtutibus assumpta est à Christo. Sacrum verò corpus sacer Præsul

E *Episcopi creati an. 675.* *in exilium abducti Peronam an. 680.* *& postea Hammaticum,* F *quasi sepelisset S. Gertrudem viduam,* *& post 2 annos S. Eusebiam Virginem.*

A ſul Amatus in ſupradicto B. Petri Apoſtoli ſepeliuit monaſterio: in quo venerabilis proauia eius Gertrudis ſepulta fuerat ab ipſo. *Hæc ibi, quæ ferè eadem cum magnâ rerum & temporum confuſione leguntur in Vitâ S. Rictrudis.*

Multa à S. Amando ad S. Amatum translata.

4 *Nullum nobis dubium eſt, quin horum pleraque à S. Amando, qui tum Elnone, ab eo iam Amandopoli dicto, potiſsimùm reſidebat, perperàm ad S. Amatum tranſlata fuerint: quibus nonnulla ad libitum ſcriptorum explicandæ rei cauſsâ fuerunt adiecta. Ita ab eodem S. Amando res præclarè geſtæ Epiſcopis Burdegalenſi, VVormatienſi & Argentoratenſi, & forſan Caſtellonenſi, quòd Amandi nomine appellarentur, ſunt tributæ, imò etiam ad S. Amantium Epiſcopum Rutenenſem & Alanum Vaurenſem delatæ, vti ad Vitam S. Amandi deduximus. Et in hac ſententiâ confirmant nos alia S. Amati Acta, quæ ipſi Atrebati ex codice MS. Eccleſiæ Cathedralis deſcripſimus: è quibus Baldericus lib. 1 Chronici Cameracenſis & Atrebatenſis caput* XXII *edidit, eiſdem ferè vtrobique verbis: & iſta huc ſpectantia leguntur:* Iter reſumunt *Amatus & Mauronitus*, Hainaticum deueniunt. Quo in loco diutiſſimè commorantes, non minimùm Deo fructum reddiderunt, *nullâ S. Gertrudis proauiæ aut S. Euſebiæ factâ mentione: quæ iam tum ambæ migrarant ad Chriſtum. Supererat adhuc S. Rictrudis, cuius cum S. Mauronto filio colloquium indicatur.*

deſunt in huius melioribus Actis:

B

5 *Fuerunt hæc latiùs deducenda, quòd poſteriores ſcriptores prioribus Actis non rectè diſcuſsis, obitum S. Gertrudis proauiæ ad tempora Theodorici Regis tranſtulerunt cum errore ferè triginta annorum. Ex his ſcriptoribus eſt Ioannes Buzelinus, qui lib. 2 Annalium Gallo-Flandriæ pag. 80 arguit Ioannem Molanum, quòd* anno DCLV S. Gertrudem è viuis abiuiſſe tradat, *quod & nos cum Molano facimus. Corripit dein* opinionem multorum auctorum, & minimè leuium, qui duodecim tantùm annos Euſebiæ tribuêre, dum cœtui Virginum præficeretur, cùm tamen longa plurium ſeries annorũ, quę iam inde à patris eius cæde ad S. Amati huc deducti aduentum pertexitur, hanc ſententiã minimè toleret. *Verùm inter* auctores minimè leues *ſunt Hucbaldus in Vitâ S. Rectrudis, ſcriptores Vitæ S. Euſebiæ tam proſâ quàm carmine, & miraculorum eius, & Vitæ S. Amati ex codice Duacenſi relatæ. Eiuſdem etiam ſenſus fuit Ioannes Poëta Marchianenſis in Vitâ S. Rictrudis aſſerens de S. Euſebiâ, quòd* puerilis adhuc æui ſub flore maneret, *ac proinde vt infrà in Vitâ habetur* iuſſus à matre Mauronitus virgis compeſcere C eius infantiam: *quam caſtigationem admittit Bucelinus, ſed iam in prouectâ quadragintâ annorum matronâ, quos nunquàm attigit. In Lectionibus, quæ apud Marchianenſes de S. Euſebiâ ad Matutinum recitantur, in obitu S. Gertrudis proauiæ dicitur fuiſſe* ætate quaſi ter quadriennis, *ſed altum in iis de S. Amato ſilentium eſt.*

30 annorum errandum apud alios:

§ II S. Euſebiæ dies natalis. Reliquiarum Tranſlationes.

Cultus ſacer 16 Martij,

6 Nomen *S. Euſebiæ inſcriptum eſt Martyrol. MS. Vſuardi ad vſum Eccleſiæ Marchianenſis auctum, in quo primo loco iſta habentur:* XVII Kalend. Aprilis depoſitio S. Euſebiæ Virginis. *In MS. Vſuardo Aquicinctino præponitur* Apud Hammaticu, *id eſt Hammaticum. At Molanus in Auctario Vſuardi,* Marcianis, *inquit*, depoſitio S. Euſebiæ Virginis. *At fuſius de eadem agit Molanus in Indiculo & Natalibus Sanctorum Belgij, Miræus in Faſtis Belgicis, Sauſſaius in Martyrologio Gallicano, Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, VVion, Menardus, Bucelinus in Martyrologijs Benedictinis & plures alij. Poſtridie ſeu* XVII *Martij inſcripta eſt MS. Martyrol. Pragenſi* S. Euſebia Virgo. *Eleuatum eius corpus* V *Kalendas Nouembris infrà in Hiſtoriâ miraculorum dicitur: quo die eius eleuatio celebratur in dictis Martyrologijs Benedictinis. Sed apud Marcianenſes recolitur pridie ſiue* XXVII *Octobris, ad quem diem iſta habet Molanus:* Eleuatio corporum SS. Euſebiæ atque Gertrudis. *Inſcripta etiam cum S. Rictrude matre Adoni MS. Leodienſi S. Laurentij, Martyrologijs Benedictinis, Germanico Caniſij & alijs.* At tranſlationem in nouam eccleſiam, quam S. Vindicianus Epiſcopus in honorem Deiparæ Virginis conſecrabat, factam eſſe XIV Calendas Decembris *traditur in Hiſtoriâ miraculorum num.* 4 quo die in pagi Beluacenſis villâ ex nomine eius corrupto S. Iſoiâ nuncupatâ, celeberrimè coli diem tranſlationis, decimo quarto Calendas Decembris *ibidem num.* 18 *traditur: quæ inde deſcripta habet ad hunc diem Molanus.*

& 17 Martij: eleuatio corporis 28 & 27 Octobris.

D

tranſlatio 18 Nouemb.

7 *Teſtatur idem Molanus.* Se ibidem ſcriptum inueniſſe, cœnobitas depauperatos prædicatores quoſdam cum corpore S. Euſebiæ miſiſſe in Angliam, eò quòd regnum illud ditiſſimos haberet incolas & erga Sanctos indigentes maximè liberales. Sed B. Euſebia nec miraculis ibi clarere voluit, nec eleëmoſynis ditari. Vnde Anglis nihil offerentibus, pauperiores & confuſi redierunt, & ſimul didicerunt, neceſſaria ipſis deeſſe non poſſe, niſi priùs cœnobitalis diſciplinæ rigorem deſererent. *Hæc Molanus. Miræus in Faſtis Belgicis ait*, quieſcere illam Marchianis in feretro argenteo valdè pretioſo. *Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 292 *appellat* thecam pretioſiſſimam & ſumptuoſiſſimam: *de quâ fabricatâ agitur in Hiſtoriâ miraculorum num.* 13. *Idem Rayſſius pag.* 411 *tradit* in Collegiatâ Eccleſiâ S. Petri Duacenę ciuitatis *adſeruari* coſtam integram præclariſſimæ Virginis Euſebiæ, cum iuncturâ maiori manus S. Rictrudis matris eiuſdem, in thecâ argenteâ vitrum habente tranſuerſum in modum Crucis efformatum. *Quod ex adſcripto ſequenti diplomate conſtat.*

alia Marchianas

E

depoſitio in feretro argenteo

Coſta adſeruatur Duaci.

9 Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, Iacobus Doene, humilis Abbas monaſterij Marchianenſis, Ordinis S. Benedicti, diœceſis Atrebatenſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm venerabilis & diſcretus vir Magiſter Petrus Manare, Presbyter, Artium Magiſter, Decanus & Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri oppidi Duacenſis, nuper familiaris & domeſticus noſter ad dictum noſtrum monaſterium piè adfectatus, deſiderauerit, prout nobis ex eius verbis innotuit, habere aliquas Reliquias de corporibus Sanctarum Dei Rictrudis & Euſebiæ Virginis, eius filiæ, vt per eas decus & honor dictarum Sanctarum in præfatâ eccleſiâ Collegiatâ S. Petri multiplicarentur & accreſcerent, ſincereque à populo ibidem venerarentur; idcircò notum facimus, quòd hoc die datæ præſentium, cùm Reuerendus in Chriſto Pater & Dominus D. Paſchaſius, Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Salubrienſis Epiſcopus, vacaret circa tranſlationem, ſeu tranſpoſitionem dictorum corporum Sanctarum Rictrudis & Euſebiæ, quam noſtris curâ & ſolicitudine in domo noſtrâ Abbatiali apud dictum oppidum ſitâ, faciebat; priuſquàm de antiquis feretris in ſcrinia noua, noſtris ſumptu & expenſis conſcripta, eadem corpora duceret reponenda; ipſa corpora ſeu reliquias, pannis ſericeis concluſas & inuolutas diſcooperuit & viſitauit, ac præſentibus ac adſtantibus, qui aderant in huiuſmodi tranſlatione pro teſtibus inuitatis, in teſtimonium veritatis monſtrauit & exhibuit. Ex quibus ſiquidem corporibus ſeu reliquijs pannis ſericeis incluſis, videlicet ex corpore ſiue reliquijs S. Rictrudis iuncturam vnius digitorum, & ex corpore ſiue reliquijs S. Euſebiæ coſtam vnam cepimus & amouimus: quas partes ſeu portiones dictarum reliquiarum, à nobis & per nos captas & amotas, ob ſingularem deuotionis affectum, quem circa cultum & venerationem dictarum Sanctarum, nec non fauorem quem ad ipſum noſtrum monaſterium præfatus Magiſter Petrus Manare habere conſpicitur, eidem realiter cum adfectu liberè dedimus & obtulimus: ſub tamen conditione & promiſſione nobis per eum factâ, quòd dictas reliquias per eum à nobis gratuitò

F

in tranſpoſitione reliquiarum in nouam capſam,

donata

A tuitò ac munere susceptas, in capsâ seu vase aliquo honesto & deceti includere & reponere curabit. Præsentibus ad hæc præfato Reuerendo Patre Domino Salubriensi Episcopo, ac Reuerendis Patribus & Dominis, D. Carolo Aquicinctensi, Augustino Arouasiensi & Ioanne Viconiensi monasteriorum respectiuè Abbatibus, cum pluribus alijs viris ecclesiasticis & secularibus ad ipsius transpositionis seu translationis actum euocatis & inuitatis.... Anno Domini MDXXXVII Indict. x, die Iouis in vigiliâ festi B. Matthæi Apostoli & Euangelistæ vicesimâ mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. Pauli diuinâ prouidentiâ Papæ III anno III. *anno 1537.*

Petrus Bonnenuyt Notarius Apostolicus & insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Amati secretarius & scriba.

VITA

Ex codicibus MS. Marchianensi & Burgundico.

PROLOGVS

1 CVm primùm animum ad scribendum appuli, in hoc magnoperè sudandum credidi mihi, vt, quæ oppellâ ingenioli mei aliorum commendanda erant notitiæ, nec obscurarentur sensu contractiori & sermone, nec fastidio essent profusiore. Malebam siquidem ex mediocritate plurimis consultum, quàm ex venustate placere arbitrio paucorum: nec tamen idcircò viliori exceptu reprobari opusculum, & eam ex quâ narrationis accipit emolumentum. Licet enim, iuxta Crispum, acta virorum fortium tantò sint præclariora, quantò ea potuêre verbis extollere præclara ingenia; minimè idcircò despicabiles habendi omnimodis, quos obscuros reddit ex clarissimis actuum textus abundantior his, quibus offenditur disciplina grammaticæ artis. Nec huiusmodi scriptoribus succensendum, quòd non contigerit eis aliquando fontem lambisse Caballinum, aut infrà bicipitem somniasse Parnassum, & nescita aggredi præsumpserint. Nempe post interdictum C incircumcisis domus Domini ingressum, Doctrina Christi non constringitur regulis Donati: cùm vtique plus contulerit Christianitati simplex rusticitas piscatorum, quàm exquisita vrbanitas philosophorum. Et si est imperitus sermone sed nô scientiâ, cuius Doctrinâ per totum penè mundum fides intonat Euangelica; qui vsque ad tertium cælum raptus, audiuit ineffabilia verba, non vt Affricanus inepta somnia, Macrobij commentis euentilanda. Nauci pendendum ergo quid mendax Græcia, quid poëtica garrulitas referat falsitate ornata. Scilicet alienigenam priscâ non prohibemur ducere lege: verùm nisi priùs raso capite ceterisq; superfluis recisis, ducatur legitimè, Syromasten Finees compellimur formidare. Seruus verò ille nequam de Euangelio ideò damnationis æternæ addictus est elogio, quia talentum intellectus terræ mandare, quàm cælo maluit destinare. Proinde cùm hæc mihi penitùs non ignota, & his pro locorum qualitate inserta aliquantulam à legentibus comparare possent gratiâ; malui vsitatis incumbere, quàm exquisitis illaborare. Hic igitur auro obrizo pretiosior contextus narrationis, de vitâ & conuersatione sanctissimæ Eusebiæ Virginis, quem compulsus obsequelâ fraternæ caritatis, posterorum notitiæ transmitto scriptis; inhians potissimùm huic remunerationi laboris donari me à Domino eiusdem obtentu Virginis, quibus superabundo nociuis. Nec quemquam moueant quædam initio prælata, quæ minùs D videantur conducibilia, quia absque his non poterat exordiri narratio ipsa.

Auctor neglectum styli excusat.

CAPVT I

Nobilis & sancta progenies S. Eusebiæ. Ab obitu S. Adalbaldi patris vita monastica cum matre.

2 FRancorum regnum à *a* primordio sui in status perfectione, multis angustijs floruisse, cùm fidem faciant aliarum gentium & maximè eorum historiæ; ex hoc satis est probabile, quòd strenuissimorum Principum semper administratum est industriâ, & te: quod virtute: regni soliditas creditur fore. Siquidem vbi cum consilio sentit virtus, minimę etiâ res in maximos efferuntur prouectus. Suffragatus est modernis Christianæ quoque religionis cultus: qui per Regem *b* Ludouic, agente S. *c* Remigio Episcopo Remensiû, eis feliciter initiatus, nunc vsque augmentatur feliciùs. Quæ verò occasio fuerit susceptæ fidei, vel Regi E vel ipsi genti, suis in locis plenissimè potest inueniri, cuius hic summam libuit titulare in indicium vel confirmationem nostræ narrationis. Quartus autem à Ludouico *d* Lotharius ex auitâ successione regni suscepto moderamine, cùm illud rexisset strenuissimè quadraginta & sex annorum fermè tempore, defungitur *e*, Dagoberto filio relicto sibi successore. Qui imperio potitus nequaquàm pietatis & consanguinitatis suorum oblitus (vt multis, prô nefas, abusiuus est vsus) fratrem, non tamen vterinum, nomine Hairbertum asciscit in regnum, delegans dispositioni eius pagos & ciuitates à Ligeri flumine vsque fines Wasconum. Quo ille donatus honore, & æmulus optimâ in parte amplitudinis ac ditationis fraternæ, licet quæ erant delegata possent ei sufficere in omnimodâ obsequiorum expensione, tamen satisfaciens animo cupido laudis ex virtute, collimitaneum suo regnum Wasconiæ frequentibus bellis exuperans, sibi coëgit cedere. Sed eo humanis *h* exempto, quæ vel data vel acquisita erant rediguntur sub Dagoberti imperio.

a Post Chlodoueum aliisq; Regis Francorum

Chlotharius 2 successit Dagoberto,

à morte Chariberti monarcha

3 Sub eâ tempestate cùm euentuum variâ occasione Wasconia & Francis & patriensibus fieret sub F permeandi communitate; quidam Francigena, nomine Adalboldus, non ex mediocribus quilibet vnus; sed inter Palatinos Proceres potentissimus, locupletissimus in *i* fundis & mancipiorum reditibus innumeris, visâ ibi puellâ nomine *k* Rictrude iam nubilibus contiguâ annis, quantùm ad ingenuitatem nobilissimæ conditionis, animo in eam collapsus, nuptias petit à parentibus. Et quia erat, vt dictum est, opinatissimus diuitijs & prosapiâ (siquidem mater eius Gerberta *l* S. Gertrudis, nunc in Hammatico monasterio à se constructo quiescentis, extitit filia) visum est parentibus memoratæ virginis non contraire petitionibus viri tam illustris. Fit ergo actu tum, quod Dei præscientia disposuerat fore fiendum, licet absque consensu quorumdam virginis consanguineorum. Et iuxta morem sponsalibus datis, dotibus enumeratis in exemplum Patriarcharum fociantur, propagaturi semen cui ab omnibus generationibus vsque in seculum benedicetur.

sub quo S. Adalbaldus Francigena

k ducit vxorem in Vasconiâ S. Rictrudem.

4 Nec sterilis puerpera in conceptione, peperit viro filium, *m* Mauronti nomine insignitum in baptismate, qui postmodùm pro merito castigatę vitæ Diaconij etiam donatus est gradu & honore. Tres quoque filias ex eodem coniuge suscepit, *n* Clotsendem, quæ posteà in monasterio eius Marchenensi prefuit, Eusebiam quoque & *o* Adalsendem, quæ repudiatis carnali-

m gignuntur ex eis SS. Maurontus

A carnalibus nuptijs pretiosiorem his amplectentes virginitatem, meruerunt in terris vitam exemplificare cælestem. Hos ergo parentes ad altiora contendere cupientes, & per se & per Dei seruos sibi familiares studuerunt in lege Domini efficere perfectos & probabiles. Mauronto denique sanctus Sacerdos *p* Richarius, honorum omnium præconio dignissimus, Pater spiritalis extitit: Clotsendem Præsul *q* Amandus, famâ virtutum suarum quaquauersùm notificatus, ex sacro fonte suscepit: Eusebiam *r* Regina Nantildis Côiunx Dagoberti Regis. In susceptione autem spiritualium filiorum valuit oratio tantorum Patrum, quæ eos & Deo reddidit commendabiles, & sui pro posse imitatores. Quantus enim erga Dominum eorum fuerit affectus, indicio est miraculorum & virtutum per eos ostensarum effectus.

Clotsendis, Adalsendis & Eusebia — *p* — *q* — *r* — *à Nanthilde Reginâ à sacro fonte suscepta.*

5 Vir igitur illustris Adalbaldus, felicissimæ Rictrudis maritus, caussis quibusdam rei familiaris exigentibus, arripuit iter Wasconiam versùs, fatale sibi, vt post modicum probauit euentus. Nam inter itinerandum insidijs appetitur eorum, quos suprà diximus non assensisse in eius coniugium. Præualuit ergo iniquitas eorum aduersùs innocentem virum, sublatumque *s* ab hominum oculis sistunt conspectibus diuinis, in consummatione certaminis parem factum suo sanguine decoratis. Affuit illicò conuiuentia obsequij famulorum Dei, à quibus sibi debitum accepit honorificę sepulturæ locum, qui vsq; hodie meretur experiri, cuius pignora retineat commendata sibi. Nec potuit matrifamilias esse celatum, quod ita futurum antè erat præscitum. Quæ certissima facta de viri consummatione, licet tristaretur pro suâ viduitate; tamen lætabatur in illius glorificatione: vtpote quem sciebat stolâ immortalitatis candidatum, iam cum Christo regnare. Celebratis igitur pro tempore exequialibus officijs, init consilium cum Philochristis, qui erant ei à secretis, de effectu suæ salutis: inter quos B. Amandus consilij perspicaciâ & salubritate erat præcipuus. Cuius hortatu & admonitione aggressa (quod etiam adhuc viro viuente, si humanum aliquid contingeret, disposuerat facere) decreuit se diuino famulatui mancipare sub sanctâ Professione. Eligitur itaque locus huic proposito aptissimus, Martianas nomine, in monasterium super Scarb fluuium situm. Quod, quantum datur conijci, tempore iunioris *t* Lotharij, patris scilicet Dagoberti, extructum solertiâ B. Amandi & impensis fidelium, ad ea vsque tempora florebat augustissimè, vtpote in cuius opitulatione plurimi videbantur operam dare. Hunc igitur locum venerabilis Matrona eligens quasi à Deo suæ saluti oblatum, obtulit quoque secum tres filias Virgines, desiderabilem Christo thesaurum super aurum & lapidem pretiosum.

S. Adalbaldo occiso, — B — *s* — *S. Rictrudis* — *ex consilio S. Amandi,* — *t* — C — *Marchianense monasterium ingreditur cum tribus filiabus.*

6 At frater earum Maurontus seculari habitu adhuc potiùs corpore quàm animo impeditus, operam dabat obsequijs regalibus, vt competebat officio & nobilitati eius. Ipse quoque tandem adeptus pro voto cupita, abdicato omni seculari honore & pompâ, à B. Amando insignitur Clericali tonsurâ. In monasterium etiam susceptus Conuersorum more, multis quibus erat posterior ordine, factus est in breui prior religiosâ conuersatione. Cui exemplar singulare in iustitiâ & sanctitate, *u* S. Amatum Dominus in collegium dignatus est addere, vt in eo haberet speculum perfectioris vitæ. Hic primùm Antistes Senonensium apud *x* Theodericum Regem, alterum suis temporibus Neronem in seruorum Dei persecutione, de infidelitate insimulatus & à suâ Sede exiliatus, eidem Mauronto Dei famulo fuerat commendatus. Qui beatus vir in tot sibi occurrentibus aduersis nequaquam corde oblocutus est aut labijs, sciens quòd omnis vita hominis super terram tentatio est in comprobationem sui.

S. Maurontus à B. Amando attonsus degit — *u* — *x* — *cum S. Amato Epis. Senonensi exule.*

D

a De Francorum origine, sedibus & migrationibus egimus 1 Februarij ad Vitam S. Sigeberti Regis § 1. pag. 106 & seqq.

Ex MSS.

b Hic est Chlodoueus 1, qui regnare cœpit ab anno 479 aut sequente, Christi fidem amplexus anno 494, mortuus anno 509.

c S. Remigius consecratus Episcopus anno 457. mortuus anno 530, vti probatum est 6 February ad Vitam S. Vedasti § 2 & 3.

d Sunt interponendi Chlotharius 1 Chlodouei filius, anno 562 mortuus, & huius filius Chilpericus anno 584 vita functus, cui filius Chlotharius 11 successit.

e Anno 528.

f Charibertus *alijs*, *cui* Dagobertus concessit regendum pagum Tolosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrocoreum, & Sanctonicum, vel quod ab his versùs montes Pyrenæos excluditur. *Ita Fredegarius cap 57.*

g Quomodo Vascones rebelles extiterint Francis & sæpius domiti, deduximus ad Vitam S. Adalbaldi 2 Februar. num. 17.

h Anno 837.

i Eius dominia in Belgio ostendimus nonnulla § 2. ad eius Vitam.

k Colitur S Rictrudis 12 Maij.

l S. Gertrudis vidua & proauia colitur 6 Decemb.

m S. Maurontus habet diem natalem 5 Maij.

n S Clotsendis dies festus est 30 Iuny.

o S. Adalsendæ sacer est 24 Decemb.

p S. Richarius colitur 26 Aprilis.

q Vitam S Amandi dedimus 6 Februarij, vbi diximus hæc facta circa annum 640.

r Monachus Marchianensis in Vitâ S Rictrudis asserit S. Eusebiam Dagoberti Regis & Nanthildis Reginæ manibus de sacro fonte susceptam, circa annum 643.

E

s Circa annum 652 ostendimus ad eius Vitam.

t Imò iunioris Chlodouei post obitum S. Dagoberti factum circa annum 645 ostendimus ad Vitam S. Amandi § 11.

u S. Amatus colitur 13 Septemb.

x Post receptum à Theodorico regnum anno 679.

CAPVT II

S. Eusebiæ præfectura monasterij Hammatici. Obitus, translatio.

7 Eodem tempore sanctissima Gertrudis, cuius mētio habita est, imprimis in monasterio Hammaticensi suæ dispositionis naturæ concessit debitis, ex spe diutinâ actiuæ exercitationis assumpta ad emeritam rem contemplatiuæ requietionis. Cui loco regiminis *a* successit Virgo prudentissima Eusebia, eius proneptis, ætate quasi ter quadriennis. Quapropter mater præcauens ei aduersùs astus persuasoris nequissimi (nec enim eam latebat, quæ sint eius machinationes contra æui etiam annositate iam maturiores, nedum Virgo fragilis eius obniteretur versutijs) iussit eam sibi accersiri, secumque voluit in monasterio conuersari. Illa agnitâ voluntate matris, imperium eius renuebat omnimodis. Tentatum est id secundò & tertiò, sed inuenta qualis & primò. Proinde mater compulsa est per internuntios potestatem *b* regiam appellare, votumque consequitur ex rescriptâ consignatione, quòd liceret ei in filiâ ius maternum exercere. Legatione missâ denuò cum regali edicto, illicò inuitâ assensum præbet Virgo *c* assumensque auiæ loculum, & de Reliquijs inibi conditis Sanctorum, prout illi est visum, cum omnibus suis secedit ab Hammatico ad Martianense monasterium. Tota obuiàm processit Congregatio, excipiuntur Sancti cum cereis & thymiamaterijs & psallentium choro, ac deferentium eos affectu & amore debito.

S. Eusebia duodennis — *a* — *præficitur monasterio Hammatico* — F — *à matre euocata,* — *b* — *inuita migrat ad Marchianense monasterium:*

8 At mater ex spe rem adepta, quot diebus agere cum filiâ, ne aliqua de reditu animo eius insideret molestia: deleret potiùs primam voluntatem secundâ: disceret etiam humiliter subesse *c* non aliquâ fastus aut secularis rei cupidine velle præesse. Verùm illa nihil in eo proficere in quo vincebatur desiderij magnitudine, in alio verò igni oleum addebat: quia quod pleniùs ardebat, plenissimè accendebat. Quid plura? Non poterat ab animo eius expungi, quod reciprocus amor quotidiano desiderio innouabat sibi. Diebus & noctibus hæc erat omnis intentio operationis eius,

A eius, vt competentem effectum affectui suo tribueret Dominus: satisque faciens animo, cum hoc nõ liceret alio modo, surgebat intempestæ noctis silentio, relictis pro cautelâ minùs perpendendi ante lectum sandalijs: iuxta quod condictum conuocans c S. Amatum Episcopum & monachum cum quibusdam alijs quondam suæ congregationis, recurrebat ad desideratum propriæ præuisionis monasterium. In quo pernoctans celebritate vigiliarũ & orationum, totum etiam diurni cursus implebat Officium, sic quòd remeabat aut in ipso gallicinio, aut diem prænuntiante lucifero, vt etiam ad vigilias Fratrum interesset collegio. Nec grauabat eam quælibet asperitas frigoris, quamuis incederet pedibus nudis, essetque tenerrimę ætatis & corporis: quia penè impossibile effecit possibile vis amoris.

EX MSS.

c furtim singulis noctibus Hammaticum orationis causâ nudis pedibus properat:

9 Nec verò latuit res diutius: fuerunt qui hanc deferrent maternis auribus. Quâ illa cognitâ, iterum & per se & per suos cõminationes exhibens & blandimenta, cùm casso labore sua videret consumi conamina, virgis compescere eius infantiam proficuum rata, imperat germano eius Mauronto sua in hoc exequi iussa. Quo obsequente non ex consensu crudelitatis, B sed obtentu castigationis, subditur Virgo adiudicatæ correptioni. Sed dum inter verbera hac illacque declinando eludere nititur ictus, capulus gladij, quo qui eam tenebat fortè erat accinctus, lateri illius est illisus. Quæ illisio adeò inflicta est grauis vt hac occasione sæpissimè extussiret quamdam fæculentam commixtionem sanguinis, ac in testimonium patientiæ & subiectionis non careret hac passione vsque diem suæ decessionis. Ferunt aliud quoque tunc contigisse: à flagello, dum illa corriperetur, excussam virgulam terræ inhæsisse, & absque vllo succi incremento protinus fronduisse. Est apud vulgus hoc quidem in opinione, quod ab eo ruminatur ex antiquitatis traditione: & mirum cur qui aliâ scripsêre, hoc eo modo posterorum subtraxerunt notitiæ. Hac etenim causâ quibusdam videtur incredibile, sapientibus autẽ palato cordis minimè, quia sciunt & in hoc illum valuisse, ad cuius nutum virga Aaron iam damnatâ ariditate potuit non solùm reuiuiscens florere, verùm etiam germinans sui seminis fructum proferre.

iussu matris virgis corripitur:

earum particula subitò frondescente,

10 His & similibus mater certificata nequaquàm hæc fieri absque voluntate diuinâ, accersit Episcopos & Abbates, vt eorũ consilio acciperet, quidnam ageret de filiâ. Qui in omnimodâ adhortatione sibi vicissim C succedentes, cùm de flectendâ Virginis constantiâ omnis eorum eluderetur spes, dant consilium matri relinquere illam suæ voluntati. Annuit illa licet inuita; quod libenti animo amplectitur ista. Fit ingens gaudium pro concesso reditu omnibus suis: sed & aliquantulus mœror pro separatione fraternæ sodalitatis, per quam caritate intercedente ex duabus quasi vnius erant congregationis: quod tamen instantiâ temporis patiebatur. Oscula multiplicantur, alterna commendatio ad Dominum affectuosâ imprecatione iteratur: quæ omnia extremo vale finiuntur. Commeatu intereà apparato ordinatissimè, confirmata matris benedictione atque vt in proposito permaneret, adhortatione, cum sibi fauentibus soluitur abire. Præcedentibus itaque sanctis comitibus eorum exultationis, veniunt ad suum nõ iam cœnobium, sed diutinâ solitudine quasi quoddam neglectum domicilium, continuato religionis cultu ex vnanimitate inhabitantium efficiendum protinus habitaculum deliciarum. Quis etenim referre sufficiat, quæ ibi deinceps virtutum coaluerint incrementa? Feruebat ibi caritas nec minùs obedientia, assiduitas in continuatione orationum, similiter vigiliarum, & vt ita dicam, erat illic conciliabulum omnium virtutum.

impetrat à matre facultatem Hammaticum redeundi:

11 Exemplabatur enim in capite, quid reliqua membra dignum ducerent imitari vel agere. Ipse siquidem animus, Virginis prudentissimæ ex morum qualitate & habitus sui dispositione imitabilem se præstabat in omnimodâ virtutis specie. D Prudentia in eius verbis & actis, iustitia in discernendis iudicijs, temperantia in concessis, nedum in interdictis, fortitudo in aduersantibus siue prosperis. Et quid opus inferri speciale, vbi adesse illud fidem facit præmissum generale? Istæ enim quatuor virtutes etiam sapientium seculi auctoritate omnibus notantur excellentiores: quibus reliquæ supponuntur vt speciales. Si quando necessitas prælationis cogebat eam secularibus interesse negotijs, nihil penitus ex his ipsius hærebat animo, cui denegabatur ipsa etiam habendi voluntas & cupido. At ne cui sit fastidio prolixior æquo hæc ethica contexio, vtimur hoc compendiositatis epilogo: nullum omnium nostrorum ferè temporum in hac gratiâ excellentium sic obtinere posse virtutes singulas, quomodò illa obtinuit vniuersas: quas vt promereri elaborauit, ita & occulere studuit.

præis aliis exemplo variarum virtutum:

12 In huiusmodi itaque exercitijs d septem minùs tricenis vitæ huius transcursis annis, cùm ex diuinâ præmonstratione præscisset diem suæ glorificationis instare; conuocat omnes, qui sub se militabant in sanctâ Professione. Et quamuis molestum sciret fore futurum, indicat tamen accelerari sibi transitum. E Hortatur eos in caritate fraternitatis permanere, propositum illibatum inuiolatumque custodire, obedientiam exequi promptissimè, nec desperare de diuinâ prouidentiâ, licet illis sua subtrahatur præsentia. Cùmque consolatos eos his & huiuscemodi multis reddidisset, atque commendans illos Domino vltimum vale dixisset; repentè domus, in quâ decumbebat, tanto luminis irradiata est splendore, quantum vix vnquàm humani oculi potuerint videre: aut si viderunt, vt & illic astantes experti sunt, minimè quiuerunt sufferre. Quo abscedente, patuit caussa præsentiæ. Nam felix illa anima carnis vtique intemeratæ, Spiritus sancti gratiâ cooperatrice, ergastulo soluta, cum eadem claritate assumpta, sponsi cælestis obtutibus assignatur, nitidissimâ virginitatis cyclade candidata, & pretiosissimis virtutum monilibus compta: vbi organizans canticum immaculatorum, agnum sequendo tripudiat. Quis ibi continuò increuerit luctus ex euentus & mœroris acerbitate humanus animus compatiendo facilè intelligit, ex ipsâ quotidianâ consuetudine inter multimodos euentus hac miserabilior conditione, licet in talibus sit gaudendum potiùs, quia pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. F Tunc ex more funebribus obsequijs exequiatur, feretrò imposita in ecclesiam, nomini & honori Apostolorum Petri & Pauli consecratam, defertur: vbi non sine iterato suorum gemitu & planctu in spe Resurrectionis terra terræ mandatur.

d prænidet diem mortis suæ:

ædibus cælesti luce illustratis,

moritur.

sepelitur:

13 Ipsa autem Ecclesia, quantum ad loci dignitatem & sui principalitatem, prorsus angustissima, adeò erat incompetens, vt tanti thesauri retineret pignora. Quædam verò nobilissima mater-familias, nomine Gertrudis, relicta cuiusdam e Ingomari, viri sanè illustris, & ex seculari facta monasticæ conuersationis, Christum quærendo consolatorem suæ viduitatis, pro vitæ merito præfecta est ibi, locum obtinere regiminis. Quæ cùm alia disponeret prudentissimè, nitebatur omni eâ in parte locum nobilitare, scilicet vt augustius templum ædificaret: quò beatissimæ Virginis lipsana transferret. Deputatis itaque pro posse impensis, cùm opus illud vrgeretur diebus singulis, tandem ad finem vsque perductum, suo tempore est dedicatum. Tunc inuitato f Athâ quodam sancto, vt creditur, viro, Patre cœnobij Atrebatensis cum conuicaneorum maximâ frequentiâ vtriusque ordinis, sed & personæ exteriores decreuerunt in commune solennes letanias agere, triduano ieiunio intercedente: vt diuina clementia dignaretur palàm facere quid sibi placitum foret super transferendo

e

transfertur ad nouam ecclesiam:

f

A ferendo virginis corpore. Iam tertiæ noctis celebres agebantur vigiliæ, exactis duarum pari deuotione; & ecce quibusdam visum, quorum ad id singulare erat meritum, quasi missam manum hominis, quæ conando emouere sepulcrum Virginis, innuebat annuere se eorum votis. Illicò sublatâ omni dubietate, leuantes sacras reliquias, alternantibus choris modorum sub alternâ modulatione, ab ipsâ in nouam basilicam detulêre, ibique Missis celebratis, in designato loco recondidêre. Qui quamdiu commendato pignore est perfruitus viuere eam, per quam vigebat, meritis & virtutibus est expertus, conualescentibus inibi quacumque valetudine oppressis ad laudem & gloriam omnipotentissimæ Deitatis, in vnitate Trinitatis, nunc & in secula seculorum permanentis. Amen.

claret miraculis:

a *Circa Annum 655.*

b *Chlodouei 2 filij Dagoberti, in carmine perperam Dagobertus exprimitur.*

c *Omissum est in Lectionibus nomen S. Amati & melius vt suprà latè probatum.*

d *In carmine legitur* bis denis & tribus annis, *seu 23 annis.*

e Iogomarus homo prædiues & potens, Comes Veromanduorum *eo tempore relatus à S. Audoëno, in Vitâ S. Eligij Episcopi Nouiomensis.*

B f Atha, *aliis* Hatta *primus monasterij S. Vedasti apud Atrebatenses Abbas constitutus anno 690 ac sequente 691 solenniter à S. Vindiciano consecratus: mortuus creditur Kalendis Februarij anno 710. Consule à nobis dicta ad Vitam S. Vedasti 6 Febru. §. 6. pag. 788.*

IDEM II CAPVT CARMINE EXPOSITVM.

1 *Vt nituit primis gliscens virguncula gestis.*

A S. Rictrude liberi commendantur perfectis Magistris:

Indolis egregiæ felix Rictrudis amore
Accumulata, sibi documen dabat his ineundi
Moribus ornatam, se factâ præduce, vitam.
Quidquid votorum fuit hoc, nequis foret horum
Exors æterni merito conamine regni.
Ac velut est moris, quibus est ea cura, docendis
Consciuisse scios in qualibet arte magistros,
Pleniùs vt pateat quod tecta scientia celat:
Sic vbi cognorat aliquem quem diua beabat
Actio natorum, quem perspiciebat agendum
His exercitijs, illuc mittebat, vt illic
Sumeret effectum perfectio vera cupitum.
C Affectu simili simplex Eusebia, castis
Impensis auiæ Gertrudis iustitiâque
Instituebatur. Prælata fuisse refertur
Illa monasterio, quod quondam diuite voto
Extruxisse datur, & verum fama fatetur;
Hammaticum vocitat præsens ex patribus ætas.
Hic erat ille sacer conuentus, & Ordo magister
Aduersùs vitia domitor, secli que caterua
Contemptrix; auiâ cui decedente, beata
Præficitur Virgo: nec erat quis, qui foret in hoc
Aduersans, omnes vno sub nomine *a* voces.
Iam bis binos ter agitauerat illa Decembres:
Hæc licet ætatum sit inops & consiliorum,
Et quæcumque sibi pòst possint esse saluti,
In quamuis partem procliuis, nescia sortis
Mensuræque suæ; non hæc tamen illa cauere
Nescit; maior erat annis prudentia mentis,
Vincebatque senes annosos actio solers.

S. Eusebia datur pronie S. Gertrudi instruenda

in Hammatico monasterio.

a ei succedit duodenannis,

supra ætatem matura.

2 *Vt superante, locum linquit quē nacta regendū.*

At stupet ad factum mater Rictrudis, vt ausum
Audijt illius, metuens quoque præcauet illud,
Quod non tuta fides, vbi sæuior hostis adurget,
Cùm *b* sit in hoc æuo vitiorum fæx *c* adolenti.
Imperat accersi; mandatum dirigit illi,
Ad se contendat, ac non sua sponte relinquat.
Itur, defertur legatio, commemoratur
Matris ei velle; sed denegat illa subire.
Tentatum crebrò; sed nescit Virgo secundo

b c iussu matris reuocata permanet,

D Detrudi pulsu, primo stans nixa repulsu.
Iudicio Regis *Dagoberti res ea iuris
Deficit edictu, compulsâ à matre relatu
Caussam deserere: cui statim Rege fauente
Mittitur Eusebia. Non differt accelerare
Hæc, licet inuita: discedens, pignora sacra,
Gertrudisque suæ loculum deuectat ab inde.
Subsequitur chorus omnis eam, plebs ipsa regenda
Nuper suscepta: sat iustum quippè probabat
Omnimodis pietatis ei solatia ferri.
Vix pauci resides: sed & his placet officiales
Ne desint cursus; deferte turue locellus.
Nec mora progressus: vbi ventum, suscipiuntur
Laudibus hymnisonis Sanctæ comitatus herilis,
Affectu merito pietatis vt exigit ordo.

** Imò Chlodouei.*

addito imperio Regis:

inuita venit ad Marchianense monasterium.

3 *Non valet ex animo deleri sancta cupido.*

Efferat in votum pro natâ solicitudo
Matris, sublatis reliquis hæc vltima curis,
Delendam penitùs eius spem *d* velle prioris.
Hac etenim reside frustrà conamen adesse
Tractatum, dum semper adest fierique perurget
E Hoc animus, quod spes optat, speratque voluntas:
Fit labor hinc exspes, casso conamine mater
Id tentat: non hæc vento quæ cedat arundo,
Innitens solidæ perstat fundamine petræ.
Alternis vicibus animus hinc sufficit vnus.
Terrores ridet, & blandimenta perhorret.
Non est vis vlla, quæ mentem semper amatam
Auferat aut minuat nisi permutatio sola.
Cumque satis sibimet aliter fecisse nequiret,
Impermissa die peragit sæpissime noctes
Accitis siquidem, similis quos ardor eidem
Conciliabat (Amatus erat venerabilis in his
Iam dudum Præsul, tunc verò monachus exul)
Hammaticum properabat, ibi diuina gerenda
Pernoctans, toti supplet soluenda diei.
Non in eundo mora, quamuis vestigia nuda
Ætatis teneræ possent incepta grauare:
Frigore vel modico leuiter pede quamuis adusto.
Denique præ lecto, dum discedebat ab ipso,
Hæc tegumenta pedum linquebat, ne foret horum
Quodlibet indicium, si discutiens pauimentum
Calceus erraret: quod si par illud adesset,
Forsitan absentem fore mentiretur ibidem.
Lucifer vt Veneris functus vice prodere terris
Matutam *e* (de quâ sat congruit etymologia
Nominis, ex tutâ quâ designatur ab horâ)
F Hæc, nox diuinis quâ cultus relligionis
Excubat, Hammatico digressa redibat, & aucto
Ex socijs numero, psallentes inter agendo
Abdebat factum, sic maturando regressum.
Abdebat: verùm tenuis scintillula tantum
Accipit augmenti, quantum dat cura fomenti:
Vix modo visibilis iam seruit lumine multis.
Hinc Euangelium sonat, haud præstare profectum
Tectum funale, quod *f* si fors vrna pateret,
Magnum *g*, dum multis micat hinc scintilla salutis.

d affectu degit Hammatici

nocte cum S. Amato & aliis:

eò abit nudis pedibus in frigore.

e reuersa manè cum aliis Officio diuino interest:

f g

4 *Verberibus torta, nec sic deuincitur illa.*

Virginis affectus talis sub amore negoti
Insinuatus erat Matri: fuit ampliùs illi
Atque sibi, verbis nil suffragantibus ipsis,
Ac decuit dignus citiùs restringere nisus:
Tentat verberibus grassans expellere virus.
Virus credebat, quo virtus sancta vigebat:
Cor perscrutatur Deus: ast homo carne tenetur,
Cernit confusum, ceu mentis motio, vultum:
Sed non discernit: Deus hoc proprium sibi fecit.
Dicitur, (& vero fit proxima dictio) toto
Nisu conantis furari membra flagellis,
Virginis illisum capulo gladij latus: illo
Fortè erat accinctus, hanc qui sustollere iussus.
Visceribus tortis intrinsecus, exteriori

iussu matris verberatur:

capulo læditur:

Vul-

A vulnere quassatæ, cruor emanabat ab ore
Ex MSS. Eius persæpè sputo permixtus, & vsque
h Extremum vitæ *h* hæc fertur tormenta tulisse.
Hinc renitet signum, quod non est prætereundum,
Vnde virere potes & inest quod tollere debes.
Nempe flagellata, post vulnera postque flagella,
i Martyr Eusebia *i*, pietatis nomine compta,
Alloquitur fratrem, super hac re conqueritantem:
excusat se S. Mauronto fratri: O Germane, viam quid in hoc quæris spatiosam?
Lucentes tenebras cernens, miraris & istas:
Inuenies aliam, quam dicunt scilicet arctam.
Quid faciat dextra, non debet scire sinistra.
In tenebris Sanctus lucem petijt Nicodemus,
Lucem, quæ verax terras perlustrat & astra.
Ioseph iustus erat & iustitiam simulabat,
Occultusque sua prudens benefacta tegebat.
Sed Saluatoris nocturno tempore nostri
In montem facta pia nos oratio saluat:
Seruula cuius ego, cuius vestigia signo.
Ipse meum speculum, simul exemplar venerandum:
k Quo faciem *k* miror; quo mentem denique purgo:
Ipse prior sanxit quod alumnos vult operari.
B *flagellum solo infigit, mox frondescens:* His dictis, sumptum, Domino confisa, flagellum,
Atque solo fixum (dictu mirabile) siccum
Protulit in viride folium nouitatis honestæ;
Virgaque porrectâ largâ distenditur vmbrâ,
Et manet hæc testis tantæ virtutis in annis.
Mox stupet attonitus frater, veniamque precatur,
Indulgetque soror prudens Eusebia Virgo.

5 *Annuitur reditus quia non valet esse retentus.*

Fit mirum matri quapropter filia tanti
Penderet affligi: stupet ad miracula facti,
in bono proposito persistit: Nec sibi iam per se consultum sat putat esse:
Accersit quosque, quos vulgat relligione
Percelebres fama, narratur in Ordine caussa.
Consilio placet his vti, mentemque puellæ
Attentant rursum; ludit constantia cassum
Tentamen; veluti narretur fabula surdo.
& consilio virorum prudentum permittitur redire Hamaticum: Concedunt victi: dant quod stat magè matri
Consilium; Velle linquatur vt ipsa, suoque
Arbitrio, quando non quit diuellier ipso.
Annuit illa, licet inuita, quod accipit ista
Exultans: celebre fit hoc fautoribus hisce
Queis Prælata fuit, & adhuc prodesse valebit,
Congaudent animis acceptâ spe redeundi.
C Hinc tamen affectus patitur, quòd dissocientur.
Hic amor haud fictus fuit his plenissimè, cuius
Verax vnitur vero vegetamine virtus
l Sancti *l* dilectus; dum multi sunt velut vnus
Enisu, quouis qui fine notetur honesti.
Finis honestatis ius sacræ relligionis,
Quæ perfecta bonum summum dat: credimus istud
Esse Deum, quem qui sapuit præcellere nouit
m *m* Omne quod est, esse potuit, quandoque valebit.
Intereà totis feruet discursio tectis
Accelerans reditum; referunt sacra xenia secum,
Ipsum videlicet thesaurum Relliquiarum.
Præcedunt illæ: succedunt hi modulante
reuersa loci instaurat: Consensu vocum, quem temperat altius actum
Applaudens animus, talis concordia cantus
Continuatur, cum quô fert iter vsque locellum.
Vsu mutato priscus reparatur & Ordo,
Ab his, condignè locus instauratur agendæ
Relligionis ad officium, columenque manentum.
Publica res, illâ studijs feruentibus auctâ,
Accepit cumulum perfectius interiorum,
Atque bonorum tunc locupletius exteriorum.
Illa sagax dispensatrix, vtrimque beatis
præit aliis exemplo virtutum: Exemplis socios callebat reddere cautos:
Victu consulere, vestitu quando necesse:
Sobrietas, pietas, patientia grandis in illâ,
Iudicijque comes discretio, mansuetudo
Non minor: obloquijs numquam deuicta fatiscit:
Nil docuit verbis, quod non monstraret & actis. D
Et ne multa loquar, æuo prudentia maior
Omnigenâ virtute probam perfecerat illam.

6 *Migrat hospitijs prudens Eusebia carnis.*

His incrementis bis denis & tribus annis
Accumulat meritum, quod vltra scire profectû *præuidet diem mortis;*
Carnis sudorem parit: hinc conditor ipse
Abbreuiat requie, quæ protelanda labore.
Præscijt hoc solers industria, Flamine sancto
Inspirante, refert proprijs, quantocyùs ab his
Auferri sese, sed non diffidere: quippe *adhortatur suas:*
His conseruandis præsentem vim Deitatis.
Sint memores tantùm mandatis inuigilandum
Eius, sic posse mercari præmia vitæ:
Intemerata sui conseruent intima cordis
Illecebris secli, quæ tradunt perditioni
Infaustas animas his colluuionibus vsas.
Finierat solando suos hortarier: at hos
Inuadit subitus terror, nam cælitus actus
Splendor, horrificè totâ diffunditur æde E
Quâ decumbit hera: præsentum lumina tanta *ædibus cælesti luce illustratis,*
Lux vincit, trepidi nequeunt discernere quid sit,
Donec lux cedit, cum quâ cedente recedit
Spiritus Eusebiæ purus, sacer, intemeratæ
Hospitio carnis, qui coniubilantibus hymnis *moritur:*
Carminibusque nouis in laudem virginitatis,
Occurrens Sponso, castis complexibus vltrò
Ipsius asscitur, quos virginitate meretur.
Vestitu, cyclade super obrizo radiante, *à sponso Christo coronatur:*
Laurea condecorat caput in quo lilia vernant,
Pectore dragma micat, quâ viua smaragdus inûbrat.
Tunc solio sponsi proprior, miratur olympi
Sub pedibus culmen, sub se splendescere solem
Lunaremque globum, vel quæ sunt optima rerum
Terrigenis: antiquum Beemoth videt inueteratum
Criminibus, pro se feruenti felle tumere,
Quòd lucrum sumet non cum pereuntibus auget.
Reges, Magnates, proceres in honore tumentes
Ridet spe vanâ pasci, quasi gloria mundi
Perpetuò tribuatur eis; quæ si breuiori
Tempore permansit, non & sine fine manebit.

7 *Quid proprium meritis hæc nâciscatur in altis.*

Hinc indepta suis meritis discreta vicissim F
Præmia, cælitibus summis sociata resultat: *comparatur cum Apostolis,*
Cui pudor ingenuus, cælebs, decus addidit istud.
Audet Apostolicas arces hæc scandere, ductans
Plebeculam præ se numero quamuis breuiore,
Attamen electam, pro quâ mercando coronam
Inuigilauit, agens exemplis ad potiora.
Quid cum Martyribus? Est testis passio, quantus *Martyribus,*
Hinc niteat titulus, quamuis sit maxima virtus
Illecebras carnis luctamine vincere mentis.
Cur, cùm Martyribus sic sit coniuncta, negetur
Huic Confessorum paritas? probat istud enigma:
Omnis Martyr, Confessor: non sic quoq; Martyr *Confessoribus:*
Omnis Confessor. Si vincitur hoc, resipisco
Dicere, quòd meritis hæc associetur & illis.
Inter virgineas fausto pede Virgo choreas
Tripudians, hymnum discit cantare nouellum; *inter Virgines Virgo tripudiat:*
Quem Sion illa canunt comitantia laudibus agnum
Millia centena, decies bis bina, quaterna:
Nec valet hanc quisquam modulari doxologiam,
Quem non integritas vitæ docet hoc alalagma.
Hoc *n* athanasia perpetuat, quod *o* anastasis optat, *n o*
Extasin haud patiens, sed quæ verissima cernens
Post obitum carnis; cùm duplex gloria iustis,
Iniustis contrà duplex augenda gehenna,
Tunc decies decuplum prouentus semine fructum
Accipies, Virgo; nunc sexagena teneto
Præmia, iam requies, non expectare labores.

S Con-

A 8 *Conditur Ecclesia Petri sub honore dicata*

Spiritus in cælis hac merce beatur: at ipsis
Artubus in terris iam lex impensa funebris.
Clauiger æthereus, quo suffragante supernus
Spiritui patet introitus, dignatur & artus
Sub tegumenta sui tituli; stat honore dicata
Ipsius ecclesia, requieuit quâ tumulata.

Sepelitur in ecclesiâ S. Petri:

9 *Qualiter ille locus templo potiore nouatus*

Nec satis ipse locus tam clari corporis aptus
Hospitio; quamuis magni stet nomen honoris
Parietibus modicis; at succedentibus annis,
Est præfecta loco matrona probabilis ad hoc.
Et hæc Gertrudis vocitata refertur, ab amplis
Secli delicijs se vitæ pauperioris
Legibus addicens. Iam mors immitis eamdem
Coniuge præclaro viduauerat: auspice Christo
Consecratur ei sacro velamine, mentis
Integritate studens, & ei placuisse cupiscens:
Hæc, vt præfatum meritò Prælata, locellum
Angustum augusto potiore reddere templo,
Tentat, eò ferre satagens lipsana Beatæ.
B Huic impendendis operi pro posse paratis,
Destinat inceptum: certatur: nec redimendum
Tempus credebat, quia spes contracta vetabat.
Tandem sublatum culmen templumque dicatum.
Atha Monasterij tunc temporis Attrebatensis
Procurator erat; hic inuitatur, & vnà
Ordinis & sexus vtriusuis ab vndique cœtus
Maximus; vt meritis comitata frequentia sanctis
Continuando preces Deitatis vinceret aures,
Vt sineret fieri quod cederet eius honori.
Decernunt tridui ieiunia suppeditari;
Noctu peruigiles celebrant promptissimè laudes.
Taliter exactis binis, nox tertia votis
Reddebat vota, cùm visio fit manifesta
His, queis mysterium fidei virtute probatum.
Missa velut manus est hominis, signādo, quid ab his
Præciperet fieri: tumuli tegumenta sacrati
Vellere conatur. Subeunt hi, nec remorantur:
Vellunt sarcophagum, populis psallentibus hymnū,
Deferturque noui sub tecta decentia templi.
Et post expletas solenni munere Missas,
In designato signatur theca locello,
Quo super inualidis validæ medicina salutis
Prosilit assiduè: patiens incommoda quisquis
C Illuc, sic comitante fide, properauerit, inde
Excipit optata, fidei monumenta reportans.
Hoc, veluti barathrum, metuunt irrumpere templū
Incursus nequam, nec possunt ferre ruinam
Virgineæ dextræ, quâ propelluntur ab æde.

ad nouam ecclesiam

solenni pompâ transfertur:

claret miraculis.

Omittitur prior liber carminis, quod progenies eius in illo describatur, cuius præcipua pars est excusa ad Vitam S. Adalbaldi patris. In sequenti libro multa & varia rerum circumstantium momenta explicantur.

a *Subintellige conueniunt: nisi malis pro* voces. *legere* votant *id est suffragium ferunt, quod huius & superiorum temporum vsus* votum *appellant.*

b *MS.* hoc æui. c *Id est,* adolescenti ætati.

d *Id est,* voluntatis.

e *Id est* auroram, *à qua Matutinum officium dici vult Poëta, & sub intelligendum relinquit* ri incipit *aut quid simile. Sed neque sic sensus plenè consistit, & sequens versus maiori eget luce.*

f *In MS.* si fortuna pateret: *sed manifestum est agi de lucerna quæ sub modio posita non prodest præbendo lumini.*

g *Scilicet* profectum præstaret.

h *Ita correximus pro* sors hæc. i *εὐσέβεια* pietas.

k *Id est, considero ad speculum, quod Francis* mirer, *& speculum* miroir: *Hispanis autem* mirar *pro ipsa videndi verbo generice accipitur.*

l *Id est,* sanctæ dilectionis.


M *Id est* omne quod est, fuit, & erit: *implendusque est sensus.* Omne quod est quod esse potuit, quod esse quandoque valebit.

n Vita immortalis. o Resurrectio carnis.

MIRACVLA S. EVSEBIÆ

CAPVT I

Virtutes S. Eusebiæ. Eleuatio & translatio prima corporis. Miracula.



1 Ecclesia Hamaticensis quatuor stadijs distat à littore Marchianensi: in quo multorum annorum basilica antiquissima cernitur, in honore B. Petri Apostolorum Principis à prolixâ retrò ętate dicata. Huic loco præfuit S. Gertrudis, mater Gerbertæ Adalbaldi inclyti Ducis genitricis. Constat autem hanc ecclesiam temporibus Chlotharij Regis magni, filij Chilperici, ædificatam esse. Quem locum multâ laude in scriptis suis extulerunt qui ante nos fuerunt: quod videlicet Paradisiacæ ibi fuerit exercitatio vitæ: quod seruorum ancillarumque Dei frequentia conuenticula; quòd ibi in quibusdam tricesimus, in quibusdam sexagesimus, in quibusdam E centesimus fructus spirituali fœcunditate pullulauerit, cælestibus horreis inferendus: quòd ibi degentium Deoque seruientium conuersationi cælū erat. Ibi aliquanto tempore Angelicæ dignitatis personæ vtriusque sexus commorantes, atque sub castris Regis æterni strenuâ militiâ fortiter decertantes, crebris ictibus congressæ, antiquum hostem Saluatoris auxilio efficaciter prostrauerunt. Fuerunt hi, Beatus scilicet Amatus Senonensis Archiepiscopus iussu Theodorici Regis exiliatus, Leuita Mauront us Domnæ Rictrudis filius, Gertrudis venerabilis eiusdem loci Domina & rectrix, Gerberta quoque venerabilis mater Adalbaldi Ducis. Hunc ergo locum Virgo gloriosa Eusebia, beatæ Rictrudis filia, posthabitis alijs omnibus coluisse refertur.

In Hamaticensi cœnobio

vigueruntexercitia pietatis,

& floruerūt SS. Amatus, Maurontus, Gertrudis:

& S. Eusebia

2 Post emeritæ virtutis supradictæ Gertrudis famulæ Christi tranquillam dormitionem, quæ accidit octauo Idus Decembris, flos virgineus, candidissimus vt lilium, proneptis eius præfata Eusebia, Virgo prudentissima, non ventosæ ambitionis dominatu, sed caritate, curâ & solicitudine in loco successit duodennis, geminam plebem sagaci industriâ contuendo solerter perlustrans, cælestis exhortationis verbo & piæ operationis exemplo vniuersis semetipsam virtutis speculum indesinenter ostentans, secundùm eloquium F Saluatoris, dicentis: Luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Quod enim in bonis maturum esse intellexerat, forti perseuerantiâ finetenùs tueri, & in hoc persistere semper hortabatur: quod verò in quibusdam minùs perfectum fortè nouerat, crebris conatibus ad meliorem profectum sese paulatim extendere, & ad virtutum culmina vsque conscendere corroborando inculcabat assiduè. Transmigratis autem inde beatis viris, Amato Archiepiscopo, & Leuitâ Mauronto, cum quibus sibi visum fuerat, ad Broilum eiusdem Mauronti monasterium (quod posteà loci incolæ Meuriuillam, id est, Mauronti villam vocauerunt) super fluuium Legiæ situm, qui de partitione hæreditatis matris suæ fundus præstantissimus sortitò sibi prouenerat, B. Eusebia cum religiosi cultus matronis & ceteris fidelibus vsque in finem decreuerunt ibidem persistere in bonorum operum exercitatione, Christo fideliter seruientes die noctéque.

duodennis monasterij regimini admota

Matt. 5, 16

strenuè præfecturam exercet

ibidem cum alijs matronis perseuerans,

3 Huius sacratissimæ Virginis vitam vel actionum gesta non mihi propositum est, currente calamo pleniùs explicare: quia quidam scientiæ profundioris prosâ & metro ea luculentissimè edidit. Hoc tamen dicendum & nullatenus alicui incredibile debet esse,

Qq

EX MSS

A esse, quod in sanctæ conuersationis proposito, dum aduixit in eisdem suis locis norma iustitiæ & sanctitatis disciplina celeberrimè floruerit, opinionis quoque suæ rumor odorque beatarum virtutum longè lateque exinde diffusus ac dilatatus sit. Sed & hoc breuiter attingendum, quòd mundo cum illecebris & concupiscentijs eius viriliter superato, & hoste maligno cum prauis suggestionibus eius triumphato, virginitatis adeptura brauium, & perpetuitatis emolumentum septimo decimo Kalendas Aprilis gratanter migrauit ad Christum. Fabricata autem sibi fuerat minusculæ quantitatis ædicula, idest tredecim pedum longitudinis & septem latitudinis, adhærens ecclesiæ ab Australi plagâ. In hac ergo à parte pedum arâ constructâ & mausoleo composito, omni auro pretiosior sancti corporis eius gleba in pace sepulta est. Hoc verò oratorium salubre, sanctarum reliquiarum virtute præstans beneficia populis, à quam plurimis vel febribus vel quibuslibet morbis grauatis sæpiùs frequentatur: qui solamen quærentes, in fide nihil hæsitantes, salutifero somno super tumbam ceruice reflexâ soporati, statim cælestem sentiunt medelam & integræ sanitati restituuntur. Quod autem

fama virtutis latè dispersa.

moritur est. 16 Martij

& in paruo oratorio sepulta

B scriptorum tarditas & inertia, Dei omnipotentiam & miracula, quæ in Sanctis suis clementer operatur, occultari negligenter sinit, non mediocriter increpanda, sed vehementer culpanda est talis eorum incuria, quibus summi Largitoris prouidentia & scientiæ donum & efficaciam scribendi contulit, vt notam faciant filijs hominum potentiam suam & gloriam magnificentiæ regni sui, & Scriptura testatur apertissimè, opera Domini reuelare & confiteri honorificum esse.

febres aliosque morbos pellit:

Tob. 12, 7

4 Ipso itaque in tempore à fidelibus eò loci consistentibus, & à deuotis diuersis ex partibus illuc confluentibus & præcipuè à quadam Gertrude, laudabilis meriti fœminâ, cuius industria in sanctâ religione fuerat strenuissima, in honore beatissimæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ constructum est templum non longè à memoratâ basilicâ B. Petri in dextro latere fundatum. Quod *b* Vindicianus, sanctæ Cameracensis Atrebatensisque Sedis honorabilis Episcopus, B. Autberti successor emeritus, nomini & venerationi eiusdem Sanctæ Dei genitricis Mariæ, quarto decimo Kalendas Decembris celebriter dedicauit. In cuius consecrationis officio oportuno cum alijs ecclesiasticis personis venerabilis Hatta interfuit,

corpus ad templum B. Mariæ Virginis

à S. Vindiciano

C qui à Rege Theodorico electus ab eodem Vindiciano Pontifice, secundo ordinationis suæ anno, cœnobij Beati Vedasti Confessoris Christi Abbas benedictus extiterat, ideoque simul Gandensem S. Petri Apostoli abbatiam, quæ in monte Blandinio sita est, nobiliter regebat. Corpus verò sanctum beatæ Virginis Eusebiæ, quod eleuatum fuerat de ecclesiâ S. Petri per reuelationem diuinam quinto Kalendas nouembris, ipsâ die dedicationis translatum est in ecclesiam beatæ Mariæ semper Virginis.

præsente Hatta Abbate Vedastino & Blandiniensi dedicatum,

transfertur 16 Nouemb.

5 Præfata autem Gertrudis sociæque eius, post laboriosam administrationem huius transeuntis vitæ, post agones continuè perpessos in bonis actionibus & sanctâ conuersatione, vnaquæque earum in horâ finis & vocationis suæ feliciter egrediuntur de corpore, tendentes ad Deum remuneratorem omnium cum certâ spe pietatis illius & misericordiæ: cadauerum verò membra tumulata sunt in eadem B. Petri basilicâ cum magnifico honore. Quod etiamsi per Dei dispositionem quarumdam earum ossa exinde videntur esse sublata, carnis tamen & sanguinis eius residuus puluis ibi relictus est in terrâ, corpori proprio & speciei suæ restituendus in generali resurrectione & vltimâ. Verè locus iste sanctus est quamuis neglectus, & quamuis regentium culpandâ incuriâ

Aliæ matronæ sepultæ sunt in templo S. Petri.

non fuerit, vt dignum est, decentissimè compositus & sublimatus. D

6 Nisi fallor narratum mihi fuisse reminiscor à quodam boni testimonij Presbytero & monacho, quòd quidam nautæ cum onustâ naue ad sua reuertentes nocturno tempore, *c* fluuium qui præterfluit remigando sulcabant. Inhorruerat verò tenebrarum densissima caligo: nec lunâ nec sideribus apparentibus, sed, vt sibi videbatur, à cælo terratenus per inane aëris quasi omnem mundum tenebris eisdem occupantibus: cùm ecce subitò circa quartam vigiliam noctis per medium eiusdem tetræ caliginis à longè intuentur per illius sanctæ basilicæ patentes fenestras magni splendoris lucem emicuisse: ita vt aqua quæ præ oculis priùs latebat, conspectibus eorum fieret perspicabilis, & hinc arundinetum inde comam siluestrem clariùs conspicerent: quæ lucis continuatio tamdiu ab eis visa est, donec leni allapsu viciniùs adessent. Factum est autem cùm paullatim rarescendo se fulgor ille diffusus reprimeret, vt indeficientis perspicuitate claritudinis odor quidam gratissimus nares eorum perstringeret: qui nimirùm terrore attonitos pleniùs recrearet. Sic igitur prædicti remiges E animati, patrocinia Sanctorum & locum præcipuum venerationi habentes & admirationi, cœptum iter perlegunt cum exultatione ingenti.

lux de templo . . . cans nau[tas] dirigit,

& gratis[simo] odore re[creat:]

7 Sed væ væ malignitatibus hominum pessimorum, quorum infernalis improbitas & tyrannica rabies atque atrocitas diabolica pacis iura comminuit, & amœnitatem in iocundo aëre, in pascuis vberrimis opulentiam fertilis terræ frugibus diuersis, sublato cultore & fugatis habitatoribus inuiam, desolatam, inhabitabilemque reddidit. Annosi etenim viri satisque decrepiti sæpissimè testati sunt, quòd cùm adhuc prouincia meliusculè consisteret, & simplicitas hominum in omni negotio pluris esse videretur quàm modò, ab exteriori atrio secus oram fluminis in Orientem longo ordine porrectæ erant ciuium mansiones, per Wandingeias quasi stadijs duobus, quod est quarta pars milliarij. Ex parte verò alterâ ad meridiem simili tractu domorum habitacula nihilominùs extendebantur vsque ad siluam. Tunc piratæ non erant neque sicarij, neque qui nunc confuso nomine dicuntur *d* hasspalici, quorum numerus modò vbique locorum penè innumerabilis est, qui diurni nocturnique raptores semper incumbunt & infestissimi sunt: vim faciunt, & pauperum concla- E uia, cubicula, omniaque secreta eorum violenter scrutantur, nec quietem habere patiuntur genus hominum. Non licet cuiquam bouem nutrire nec suem, nec gallinam nec anserem, quæ illi perditi non diripiant & diabolicis faucibus suis omnia deglutiant. Plangenda sunt talia & dolenda, & cum mœrore cordis clamandum quod iam olim dictum est. O tempora! O mores! Verùm his interim omissis ad superioris narrationis ordinum redeamus.

ubi ditio vberrima

dein deser[ta,]

& domus plurimæ

dein ob gr[as]satores va[stata.]

a *Legia seu Lisa fluuius in Artesiâ ortus, alluit Aëriam, oppidum S. Venantii; dein* Merouillam *Flandris* Merghem, *de quâ hic sermo est, dein alluit Stegras, Armenterium aliaque Flandriæ oppida & vrbes, & posteà Scaldim illabitur in vrbe Gandensi.*

b *S. Autberto 13 Decemb. anni 675 mortuo successit S. Vindicianus & vixit vsque ad annum 712 & diem 11 Martij, ad quem Acta huius dedimus.*

c *Scarpus is est, exortus in Artesia alluit Atrebatum, Duacum, tum Marchianas ac Amandopolim, ac dein Scaldi immiscitur.*

d *Forsan* Raspalici *legendum, & illi Flandris sunt faces hominum vndequaque collectorum.*

CAPVT

CAPVT II

Translatio II. Destructio ac restauratio monasteriorum. Translatio in nouam capsam.

Post translatum Marchianas corpus

8 De secundâ autem translatione S. Eusebiæ, quomodò ab Hamatico Marchianas translata sit, quod stylo euidentiùs prosequendum sit, certum nihil occurrit: sed & de Sanctis ceteris, quorum membra pretiosa meritis præclaris locum nostrum illustrant, quorum quotidiè sanctâ intercessione & pio confouemur auxilio, nec littera nec traditio insinuat, quod meritò conscribi oporteat. Quamobrem consultiùs de his censuimus reticere, quàm fabulosum aliquid commentando referre. Tradunt tantummodò, qui nunc supersunt & cœnobitæ & loci incolæ, quòd seculo adhuc in meliori pace & gratiori prosperitate consistente, vsus huiusmodi adoleuerit, vt per singulos annos in dedicatione Ecclesiæ

quotannis deferebatur ad vnum diem Hamaticum.

B pridie ante diem festum illuc transferretur corpus Sanctæ cum Reliquijs & Crucibus, quibusdam de concione Fratrum simul comitantibus, qui cum reuerentiâ & timore vespertinalem synaxim & nocturnalem consuetudinaliter quirent adimplere. In crastinum autem Domnus Abbas vel Decanus superueniret cum collegij parte residuâ, &, sic pariter officij diurni percelebrarent festiua gaudia. Iam verò die festo mediante, celebratis Missarum solennijs & mysteriorum cælestium sacramentis, cum alacritate animi & iocunditate spiritali redirent ad sua in voce exultationis.

9 Anno autem domini octingentesimo quinquagesimo, cùm Normanni Galliarum ciuitates & castella & *a* monasteria igni tradidissent, & habitatores interfecissent; hunc quoque locum & Marchianensem deletis habitatoribus destruxerunt. Cùm verò tempore *b* Caroli Regis, cognomento Simplicis, Normanni *c* Christi fidem suscepissent, Gallia pace receptâ, ecclesias denuò restaurauit, in quibus & istæ sunt restauratæ. Eo autem *d* tempore quo sanctimoniales à monasterio Marchianensi per *e* Balduinum Comitem & *f* Lietduinum Abbatem S. Vedasti eiectæ sunt, in subiectionem monachorum Marchianensium idem locus deuenit: qui sub regimine *g* Fulchardi Abbatis ad summam paupertatem cum Marchianensi redactus, in tantum idem locus Hamaticensis venit despectum,

a Vtrumque monasterium à Normannis vastatum, restauratur sub Carolo Simplice. b c d e f g

C vt cuidam rustico & vxori eius monasterij custodiam delegarent. Abbas quoque cuidam militi cognato suo debili & leproso totum concessit, quidquid ibi ad sui sustentationem posset accipere.

Hammaticum, summa inopia laborat: h

10 Vsque ad tempus verò *h* Amandi Abbatis, non fuit, qui amouere paupertatis huius sarcinam recogitaret. Sed hic ad laborem se destinatum non ignorans, dum Marchianis ad reædificandum intenderet, propter Hamaticensis Ecclesiæ destructionem, eò quòd locus sanctus esset; animus eius cœpit affligi. Et vocato ad se Fratre quodam, qui religiosus & secundùm seculum sapiens erat, cum eo loci desolationem plangens, Frater, inquit, necesse est illic per tuam industriam aliquid reædificari. Vade ad locum pauperis obedientiæ, diligens & lætus executor, quia pro tuâ bonâ voluntate certus sum, quòd tibi gratia Domini non deerit. In hoc verbo Frater stupefactus, Grandis, ait, labor apparet, sed vtilitas nulla subsequetur. Locus enim iam multis retrò temporibus neglectus est, & sumptus, vnde quæ destructa sunt reædificarem, non habeo. Sic altero humiliter excusante quod alter iniungebat, Fratres nocte proximâ, postquàm in lectulis paullulùm quieuerant, secundùm consuetudinem ad confitendum Domino surrexerunt. Quibus in choro psallentibus Frater ille,

monachus cui restauratio mandata erat, se excusat:

D cuius animus pro mandato suscipiendo nutabat, tamquàm ad definiendum certius quid ageret, ante altare B. Mariæ veniens, super lapidem caput suum cubito subnixus reclinauit. Qui dum cogitationibus suis turbaretur, vt est mœrentium consuetudo, paullulùm obdormiuit. Et ecce Virgo quædam inæstimabili decore, vt videbatur ei, stans ante ipsum blandè leniterque ne turbaretur admonebat. Et cur, ait, obedientiam, quæ tibi iniungitur, suscipere recusas? Ne desperes: suscipe illam, tibi nostrum non deerit auxilium. Hoc dicto Frater expergefactus est, & hæc quæ cum eo loquebatur disparuit. Tunc visionem recordatus, inanem fuisse non credidit, & consolatione receptâ, manè facto, Abbati quæcumque viderat enarrauit. Et ego, inquit, Pater amantissime, ad locum destinatum cum benedictione vestrâ pergam, confidens in Domino, quia precibus vestris promisso non destituar auxilio. Gauisus est igitur vterque, sed de duabus, reuerendâ scilicet Dei Genitrice & B. Eusebiâ ignorabant, vtra in apparitione illâ suam ostendisset præsentiam.

EX MSS.

à sancta Virgine dormitans in templo animatur.

Hamaticum abit:

E 11 Frater autem ad locum veniens, neminem inuenit: rustico & vxore eius, qui custodes monasterij constituti erant, ab Abbate iam expulsis. Dum verò præter locum desertum & monasterij parietes nihil aspiceret, in rimulam quamdam parietis viginti marcas argenti ex improuiso conspexit, vnde magis exultans accepit eas, tunc pro certo sciens, quòd à Domino Deo fuisset visio quam viderat. Rebus igitur quibus indigebat comparatis, conductis quoque cæmentarijs & lignorum cæsoribus, satagebat vt inprimis parietes & tectum monasterij restaurarentur. Sed cùm trabes sustentaturæ tectum præparatæ fuissent, quædā in mensurâ trium pedum ceteris in longitudine minor inuenta est. Quâ de re artifices cum monacho tristes effecti, quid agerent ignorabant. Rogantur vt iterum diligenter mensurare incipiant, ne fortè errore decepti, aliter se res habeat, quàm loquuntur: reiterant quod bis factum fuerat: sed mensura iusta de trabium inæqualitate non aliter quàm primitus respondit. Tunc, inquiunt, operarij propter trabem vnam totum opus nostrum retardatur & dum dies prætereunt, vacamus otio nihil lucrantes. Aut quæratur nobis, quod ad perficiendum opus necessarium est, aut vbicumque alteri seruiemus, condictam pro labore nostro mercedem accepturi. Hoc audito monachus tristis recurrit ad Abbatem, & indicans ei rem, consilium & opem requirit. At ille, Vides, ait, fili, quod te

20 marcas argenti reperit:

ædificium restaurat:

trabem sæpius minorem repertam,

F iuuare nequeo: vade: qui tibi nunc vsque affuit, in consummandis rebus auxilium procuret. Tristior itaque quam venerat ad operarios reuertitur, quibus volentibus abire: Ad aliam, inquit, trabem comparandam mihi pretium deest: sed precor vt istius longitudinem semel adhuc diligenter consideretis. Tunc illi irascentes, Ridetis, inquiunt, nos, cui semel adhuc & bis iterata, sed inaniter, geminatio non sufficit. Instantiâ precum denique victi cum summâ repetunt diligentiâ rei longitudinem, quam toties consideratam non poterant fateri se ignorare. Res mira! Inueniunt trabem illam non solùm ceteris coæquari, sed mensura trium pedum in longitudinem ceteras omnes excedere. Vnde pro euidenti miraculo collaudantes Dominum, tectum oratorij cum gaudio perfecerunt. A diebus illis quatuor vel quinque Fratres ad seruiendum Domino illic sunt deputati, & est locus ille Fratribus infirmis de conuentu Marchianensi pro viribus corporis reparandis valdè necessarius.

alijs longiorem subitò redditam gaudet:

ibi valetudinarium Marchianensibus statuitur:

12 Præcedenti tempore sub Adalardo Abbate, cùm villa Saliacensis igne esset concremata, qui priùs ibi pauperem vitam duxerant, tunc ad inediam redacti sunt. Recurrunt ad Abbatem, pro sui sustentatione aliquid ab eo misericorditer postulantes: qui vase assump-

aurum & argentum à capsa S. Eusebiæ abstractum datur pauperibus:

A assumptô, quo B. Eusebiæ corpus erat reconditum, auro & argento, quo desuper ornabatur, spoliare non distulit. Et erogans ea suis hominibus, prout singulis opus erat, alienæ mendicitati clementer indulsit.

EX MSS

fabricatur noua capsa ex auro & argento:

13 Posteà multis diebus transactis placuit superiùs dicto Abbati Amando, Marchianensi, piæque sub eodem Patre vnanimitati Fratrum præparare sibi ipsius vasculum, vtpote ex auro & argento componendum, in quo reconderentur sacra sacræ Virginis ossa, ad honorem Domini & maiorem deuotionem seu expectationem fidelium virorum. Recondita sunt igitur præfatæ sacratissimæ Virginis Eusebiæ sacra ac veneranda ossa de veteri in nouam ex auro & argento satis pulcro opere fabricatam & contextam lecticam, anno Incarnati Verbi millesimo centesimo trigesimo tertio, indictione vndecimâ, sexto concurrente, epactâ duodecimâ, sexto decimo Kalendas Iunij. Hæc autem festiua ac congrua lipsanorum & ossium denominatæ Virginis Eusebiæ repositio facta est concurrente vtriusque sexus innumerâ multitudine cum nimiâ exultatione & intimâ cordium deuotione: hoc tamen factum est apud villam Asconium in beatæ Virginis Eusebiæ possessione, viuente bonæ memoriæ Amando Abbate Marchianensi, præsentibus inibi quibusdam Fratribus videlicet eiusdem Marchianensis ecclesiæ. Beatæ Virginis ossa in vetusto vasculo reperta sunt integra, sed honestiori satis ornatu in nouâ thecâ sunt reposita cum sanctâ deuotione ac gemitutum & lacrymarum effusione, testimonio monachorum necnon etiam scholarum puerorum, totum sine dubio repositum est feliciter. Nam pridiè antequàm deferretur Asconium, ad videndum confluenti cateruæ populorum satisfactum est Marchianis de corpore B. Eusebiæ fidei Fratrum. Quo delato, ante conspectum eorum exposuerunt, inspexerunt, denotaueruntque per singula, quidquid ipsius ossium latebat infra vetus lipsanum.

reconduntur in ea reliquiæ S. Eusebiæ anno 1133 17 Maij

B

post ossium singulorum inspectionem.

a *Gesta Normannorum ante Rollonem*: Anno Domini 850 Normanni in oppido Gandaui venientes, S. Bauonis monasterium incenderunt, deinde Rotumum, *imò* Rotnacum *vulgò* Ronsa. *vnde illis iter per Marchianas* 10 *leucis distantes potuit fuisse*, *quia* vsque Beluacum pedestri itinere peruenerunt.

b *Regnauit* Carolus Simplex *ab anno* 898 *vsque ad* 929.

c *Anno* 912 Rollo Dux, *acceptâ in vxorem Gislâ filiâ Caroli Simplicis, baptizatus est.*

d *Annum fuisse* 1028 *testatur Meierus lib.* 2 *Annalium*,

C

e *Id est* Balduinus Barbatus, *qui vixit Comes ab anno* 988 *ad* 1036.

f Leduinus *alijs. factus Abbas Vedastinus anno* 1019, *mortuus anno* 1040 9 *Maij*, *& simul aliquot annis fuit Abbas Marchianensis*.

g Fulchardus quid esset Officij Pastoralis planè oblitus, in regimine monasterij Marchianensis pessimè viuendo, omnes facultates destruxit, dissipauit, & abliguriendo consumpsit, ac tandem suis etiam ad omnia vitiorum diuerticula diffluentibus, & ipse omnibus bonis monasterij perditis fugam inijt, & profugus ab Episcopo Atrebatensi Roberto vinculo excommunicationis est innodatus. *Ita ex Chronicis Marchianensibus La Barre in suis collectaneis. Sedit Robertus ab anno* 1115 *ad* 1131.

h Amandus ex Priore Aquicinctino *in* locum Fulcharij à dicto Roberto Episcopo Abbas constitutus, multùm profuit monasterio, optimus œconomus. *Ita ex eisdem Chronicis la Barre.*

i *Fuerat Adalardus Abbas sub initium* 12 *seculi ante Fulchardum.*

CAPVT III

Varia miracula tempore Scriptoris patrata.

14 IN oratorio autem B. Petri, ad sepulcrum beatæ Virginis, sanitates multæ, diuersis temporibus infirmis fideliter accedentibus à Deo collatæ sunt: è quibus pauca, quæ ipsi vidimus, scribere dignum duximus. Quidam Monachus, nomine Bartholomæus, qui inter religiosos ipsius temporis monachos misericordiâ, pietate, & compassione erat præcipuus, validissimis febribus, quartanis scilicet, quodam tempore vexabatur. Qui cùm esset præ vigilijs, labore & abstinentiâ, naturali quoque complexione imbecillis, supradicta eum infirmitas his admixta valdè attriuit. Is Marchianis cum quibusdam Fratribus suæ congregationis ad S. Rictrudem, quam nimis diligebat, caussâ orationis & Fratres videndi adueniens, Fratribus ipsius monasterij suum incommodum patefecit. Fratres autem valdè illi compatientes, hortati sunt vt ad sepulcrum memoratæ Virginis pro suâ infirmitate Deum & ipsam oraturus properaret. Quibus auditis, vir fidelis minimè hæsitans in corde suo, prædictos Fratres secum assumens, Hammaticum venit: sicque fide plenus ad sepulcrum Virginis accessit, orauit, & obdormiuit, & à somno surgens sanus & incolumis Deum in sanctâ Virgine mirabilem collaudauit, & gratias agens recessit. Hæc ab ipsius viri venerabilis ore audiuimus. D

Curantur febris quartana,

E

15 Quædam ex Sororibus nostris honestæ vitæ valdè laborabat capitis infirmitate: quæ infirmitas tam crudeliter in eâ cœpit grassari, vt auditum amitteret sinistræ auris. De sinistrâ surditas transit ad dexteram: quæ caussa cum infirmitatis molestiâ magnam illi ingerebat verecundiam: nam in domo, quæ ab Abbate illi erat commissa, famulos clamantes, famulas garrientes vix audiebat. Ipsa itaque sic afflicta venit ad sepulcrum venerabilis Eusebiæ Virginis, orationi prout potuit deuota incubuit: post orationem arripit puluerem in sepulcro iacentem, & ponit in vtramque aurem. Fide igitur roborata surgit à terrâ gestans puluerem in vtraque auriculâ, excessit à loco & abijt, & clarè omnia, sicut solebat, audiuit: nec solùm saluata est à surditate per Domini gratiam, sed etiam ab ipsâ capitis infirmitate. Hæc prædicta Soror nobis cum gaudio narrauit, & locum supradictum infirmos visitare monuit.

surditas & dolor capitis,

16 Vt sanctis locis congruus honor exhibeatur, istud quoque exemplum subiungimus. Quidam ex seruientibus ipsius ecclesiæ ab opere sibi iniuncto domum reuersus est, die aduesperascente, pedes habebat nudos, & de cœnoso loco vnde venerat luto repletos. Transiens autem iuxta supradictam ecclesiam S. Petri, lutum, quod pedibus suis adhærebat, ad limen extersit ostij. Necdum plenè pedes extersérat, cùm repentè virtute diuinâ percussus contremuit, & pedum simul & tibiarum vsum amisit: tactusque dolore membrorum vehementissimo, clamores emittebat anxios. Fratres, qui in proximâ B. Mariæ basilicâ excubabant, audientes illius miseri clamorem, illuc citissimè festinant. Illis percunctantibus caussam edicit clamoris, & ob iniuriam sanctæ ædi illatam se nimio dolore torqueri. Monachi hoc audito & Deum glorificantes, infirmum assumunt, & quia ambulare vix poterat, aliorum manibus reducitur in domum. Post dies aliquot ad sepulcrum Virginis ductus, & factâ oratione melioratus, euentu suo docuit loca sancta ab omnibus debere honorari. Hoc quoque à Domino Widone seniore, loci illius Priore audiuimus.

ob neglectam reuerentiam debitam ecclesiæ

F

sublatus est dolore vsus pedum & tibiarum

restituitur:

17 Engelrannus quidam iuuenis de Piscatorum-curte quartano typo ita vexabatur atrociter, vt totius corporis vires amitteret. Nam accedente febre vix aliquem cognoscebat, nemini intendebat, illâ verò recedente, non somnum capere vel cibum poterat. Hac itaque grauatus infirmitate, totus deficiebat. Hiems erat, nec aliquis medicorum ante vernale tempus illi sanitatem promittebat. Is itaque cum Domno Theobaldo venerabili viro, qui prædicto præerat loco, loqui cupiens in nocte

febris quartana tollitur:

A nocte festiuitatis S. Martini, quæ celebratur mense vndecimo, illuc aduenit. Præfato igitur viro suam patefaciens ægritudinem ipsius concessione & consilio illâ nocte ad sepulcrum Virginis solus pernoctauit. Manè igitur facto surrexit, & oratione factâ febris ex integro illum reliquit. Et gratias agens Deo & beatæ Virgini recessit à loco & abijt.

ecclesia & villa S. Eusebiæ apud Bellouacenses,

18 In pago Beluacensi est quædam villa peroptima, quæ ex nomine S. Eusebiæ S. Isoia vocatur, quæ quondam extitit monasterij Marchianensis, nunc verò possessio est Canonicorum Episcopij Beluacensis. Ibi est ecclesia in honore eiusdem Virginis dedicata; vbi eius memoria ab incolis celebratur deuotione plenissimâ, sed festiuitatem depositionis eius, quam celebramus septimo decimo Kalendas Aprilis, ipsi festiuam agunt in Octauis S. Martini, in die scilicet primæ eius translationis. Nec silendum est quæ ibi agat diuina misericordia per sanctæ Virginis merita: nam eiusdem pagi mulieres cùm in partus difficultate periclitantur, ex antiquâ consuetudine edoctæ, inuocant nomen eius. Quæ fideliter inuocant, absq; morâ partu emisso per diuinam clementiam sentiunt leuamen. B Expletis verò purgationis suæ diebus, consuetudinaliter ad ecclesiam supradictam non manu vacuâ Sacerdoti se præsentantes, Deo & liberatrici suæ gratias agentes, ad propria redeunt.

partus redditur facilior:

apud Suessionenses est villa S. Eusebiæ:

19 Neque illud prætereundum esse putauimus, quod in pago Suessionensi, Ludouico septimo regnante, per S. Eusebiam operatus est Dominus. Est enim ibi villa, quæ Verniacus dicitur, quam Dagobertus Rex Francorum præcelsus & Regina Nanthildis dederunt ei, quando eam susceperunt de fonte salutari; hæc enim sola illi remansit ex omnibus, quæ in illo pago regalis munificentia illi contulit c. Inde singulis annis vinum Marchianis adducitur vnde altari Christi, hospitibus, infirmis & ceteris Fratribus & Sororibus, pro posse ministratur. D Quodâ autem tempore cùm monachus, qui ibidem ex præcepto Abbatis A præerat, lapides sibi necessarios de rupe proximâ sibi præcidere vellet, quemdã cœmentarium cum seruientibus suis direxit, & vt lapides de concauitate illius rupis certatim eijcerent, præcepit. At ille qui magister huius operis erat in foueam nimis profundam & aspectu terribilem descendens, malleo ferreo lapides de rupe præcidebat: monachus verò per manum sibi seruientium sursum rotali machinâ trahebat. Quadam verò die cùm ille fortiter malleo rupem percuteret, subitò omnis illa moles lapidea super eum cum horribili sonitu immutata cecidit. Accurrunt omnes villæ incolæ illum quasi mortuum plangentes. Quis enim non eum crederet mortuum, videns super eum tantam molem lapidum? Lapidibus autem cum magno omnium labore remotis à loco, inuenerunt inter lapides sedentem viuum quem putabant mortuum. Fit cum stupore clamor, laus & exultatio. Interrogatur homo, quomodò mortem euaserit? Ego, inquit, videns rupem super me ruentem, subitò nomen S. Eusebiæ huius loci Dominæ inuocaui: quo inuocato lapides mihi cameram facientes, me non tetigerunt. E hoc modo per Deum & eius sanctam Virginem Eusebiam à morte saluatus sum. Ex his paucis quæ retulimus potest quisque fidelis perpendere merita beatæ Virginis. Pro his omnibus benedicendus est Deus per secula seculorum à nobis, qui est mirabilis in Sanctis suis. Amen.

ex MSS ibi in fouea profunda obrutus mole lapideâ

ope S. Eusebiæ incolumis seruatur.

a Die 18 Nouemb. seu 14 Kal. Decemb. vti etiam obseruauit Molanus.

b Regnauit Ludouicus VII ab anno 1137 vsque ad 1180.

c Addit Beauschampius pag 379. Quæ villam hanc Verny cum appendicijs suis, sicut liberam possidebat, eidem Ecclesiæ Marchianensi perpetuò & liberè possidendam contradidit.

DE S. GREGORIO EPISC. ARMENO PITIVERI IN GALLIA.

Commentarius præuius.

C PAULLO POST AN. M XVI MAR. Non sic infecta hæresibus Armenia

1 Armenorum nomen, vndecimo Christi seculo multiplicis hæreseos notâ tam infame fuit apud Occidentales, vt nouisse aliquem Armenum dici, idem esset quod hæreticum detexisse; sicut loquitur ad annum 1016 num. 6 Cardinalis Baronius; ex quo scilicet duobus præcedentibus seculis gentem eam Manichæorum insana factio subiugarat infeceratque. Excusare tamen illam Europæ nostræ satis & abundè potuerunt multi ex eâ natione illustres viri, hue eodem profecti seculo; vt eorum nota virtus præteritorum temporum inuidiam leniret, & efficeret ne gens tota in errores prolapsa fuisse crederetur. Etenim postquam S. Nicon, cognomento Μετανοεῖτε, cuius festum XXVI Nouembris recurrit, Apostolatus sui primitias in Armenorum conuersione consecrauit (vt colligitur ex fragmento illius epistolæ, quam de eorumdem prauitatibus scripsit, extatque in tomo 3 Bibliothecæ Patrum) egregiè restitutam oportuit fuisse orthodoxam religionem in Armeniâ, quæ tales nobis Sanctos dedit, quales ipsemet Eminentissimus Annalium scriptor ostendit fuisse Simeones duos; quorum alterum officio publico Mantua colit, die XVI Iulij ad annum Christi 1016 aliosque in Annalibus notum; alterum apud Treuiros inclusum vixisse scimus, & in Sanctorum numerum anno 1037 relatum esse à Benedicto Papa IX, ipsis Iunij Kalendis honorandum.

quin varios Orthodoxos Sanctos Europæ dederit

S. Gregorius quoque Ep. Nicopol.

2 His duobus vt longè sublimior dignitate Gregorius fuit; monachis scilicet Episcopus ipse, & quidem in Armeniâ, quæ Trapezuntini Imperij prærogatiuâ nobilior meritò inter tres cis-Euphratanas Prima dicitur, Nicopolitanæ Ecclesiæ F insulis decoratus: ita vtroque ignobiliorem eum reliquit obscurior illius loci, in quo corpus eius requiescit, fama; quàm Mantuæ sit vel Treuirorum. Pitiueris is est, haud ignobilis aliàs iam dictis temporibus Dynastia; quæ vnà cum Nongento castro per mortem Rainardi patris, Brecarum Domini & Pitiuerensis Toparcha (vt eum Sammarthani indigetant) obuenit Odelrico, postquam è viuis Gregorius abijsset, Aurelianensi Episcopo: & hoc circa annum MXXXIII, moriente Isambardo Brecarum Domino, nepoti ipsius Odelrici ex fratre natu maiore: qui frater si ipse quoque Odelricus dictus est, sicut volunt ex Chesnao ijdem Sammarthani, credibile sit eum, relicto post se filio, prius esse extinctum, quàm secundis nuptijs pater suus gigneret istum Odelricum. Isambardus autem, Episcopus etiam ipse creatus Aurelianensis, eo in munere vsque ad annum MLXIII vixit, & sorori suæ, Vgoni Bardulfo nuptæ, si non totam cessit hæreditatem paternam (quod ij dicant necesse est qui Brecarum Dominum Vgonem appellant) Pithiuerim certè castrum habendum dedit: qui Vgo illud contra Henricum Regem toto biennio pertinaciter est tutatus, quemadmodum mox dicetur, filiumque reliquit Hadericum, & ipsum Aurelianensem ab auunculi obitu Antistitem. Ceterum Regisne iniuriam condonantis clementiâ ad priores Dominos Pithiuerense castrum redierit, aut sopiendæ controuersiæ causâ Aurelianensi Episcopatui innexum fuerit, nusquam reperimus: tantum apud Papirium Massonium in descriptione Franciæ per flumina legitur pag. 60.

dedit Pithiueris.

Episcopij Aurelian. oppido,

A 6 &: *quod* ad Aurelianenses Episcopos tria, vt dici solet, oppida pertinent Pitiueris, Iargolium & Magdunum: *hodie* Puthiuiers, Mont-Agris & Meun *nuncupata*.

ubi colitur 16 Martij: 3 *Est autem* Pitiueris, *in his Actis* Pithuria & Pithueris *dicta, super eum fluuium, qui post decursa milliaria non multa Iunnæ iunctus, in Sequanam se tandem ad Corbolium immergit: eademque ab Aurelijs & Parisijs pari leucarum circiter duodecim interuallo distat, Estampis verò haud amplius tribus: quibus etiam proximè* S.Martini *vicus adiacet,* Solius *seu Solitarij cognomine hic appellatus num* 6. & *S.Gregorij septenni anatharesi nobilitatus: vnde corpus illius illustre miraculis pia Matrona, prædicti Odelrici mater, transferendum Pitiuerim curauit ad S. Salomonis templum, ubi eum deinceps cultum in Actis indicatur. Ea Acta ex ipsis, vt credibile est, dictæ Ecclesiæ monumentis iam olim Aurelijs ad Heribertum Rosweidum missa habemus, & damus primigenio stylo, quem in Martyrologio Gallicano mutauit Andreas Saussayus; sed ad* XXVI *Martij, quia fortè* VII Kalendas *legerat, vbi nos* XVII; *& omisit miracula ac finem: ex quo tamen constare debebat ab auctore pene coæuo esse scripta;* *indidem accepta Acta,* B prout partim suis ipse oculis viderat, partim ab ijs acceperat, qui sanctissimo eius colloquio & familiaritate fruentes vidisse se testabantur, partim à parentibus & amicis, qui viuere eum putantes, post obitum illius istuc aduenerant. *scripta ab auctore pene coæuo.* *Postrema autem memoria fit templi S. Salomonis in Pithuerensi obsidione incensi: de quâ obsidione intra annum* MXXXVII & MXLV *ista leguntur in fragmento historiæ Francicæ tom* 4 *Chesnæi fol.* 87. Vgo Bardulfus circa idem tempus contra eumdem Regem (*Henricum*) Petueris castrum munierat, quem Rex biennali obsidione cingens, inclusis inediâ consumptis, ad deditionem compulit, castrumque recepit.

tempus mortis. 4 *Aliud porrò præfandum nobis non restat, quàm circa initium vndecimi sæculi ideo à nobis mortuum credi S. Gregorium siue Georgium, quia Pithiuerim eum aduenisse constat, cùm adhuc sub matris viduæ tutelâ educaretur Odelricus; quem ex obitu S. Theodorici decessoris anno* MXXII *ad* XXVII *Ianuarij à nobis assignato & donatione Alberici Comitis eodem anno ab Odelrico signatâ & à Sammarthanis citatâ, constat illo præcisè anno ad Episcopale fastigium euectum esse. Ab initio autem vel anno* X *sæculi istius ad annum circiter quadragesimum aut quinquagesimum, quo scripta sunt Acta, satis iustum est interuallum, vt miracula aliqua* post non parui temporis spatium: *itemque* post multum temporis *gesta esse verissimè dicantur*.

ACTA

Ex MS. Pitiuirensi.

Auctoris penè coæui.

CAPVT I

Vita & Episcopatus in Armeniâ: aduentus in Galliam.

1 Macarius Gregorius, Armeniorum Nicopolitanus a Archiepiscopus, morum probitate decorus, præfatæ gentis, ortus extitit Religiosis parentibus. *a In Armenia natus,* Hunc dum vnicum dilecta piorum parentum cura cuidam venerabili viro sacris literis imbuendum tradidisset, cælesti gratiâ præuentus in breui vetus nouumque Testamentum didicit, & quidquid Catholicæ fidei dogma expostulat, vigilanti studio percurrens, non inerti memoriæ commendare non distulit. Nec mora, sapientior ipsis exstitit doctoribus, quem Spiritus sancti gratia repleuerat largiùs. Mirantur Doctores tam subitò fieri magistrum, quem paullò antè in ipsis foribus disciplinæ nouerant D esse discipulum. *& litteris instructus* Erat enim ipse puer venerabilis Gregorius in sermone verus, in opere iustus, corpore castus, humilis in obedientiâ, in eleemosynâ largus, sibi parcus, alijs prodigus: sobrietatem comitemque eius luxuriam quasi pestem euitabat: ecclesiæ sancta limina assiduè frequentabat. His alijsque huiusmodi pollens virtutibus venerabilis puer, multùm diligebatur ab omnibus. *ac virtutibus,*

2 Sublatis autem ex hac vitâ parentibus, athleta Christi Gregorius non modicas suorum parentum possessiones in pauperum distributione consumpsit, atque in Nicopolitanorum Sanctæ Matris Ecclesiæ finibus se Deo seruiturum deuouit: *circa Nicopolim fit monachus,* ibique præ ceteris insistebat ieiunijs, orationibus atque vigilijs. Post solis occasum, ianuis ecclesiæ iam obseratis, intra ecclesiam solis custodibus scientibus remanens, per totam noctem vigilijs & orationibus sedulus insistebat; ante b Saluatoris vultum toto corpore prostratus, atque pauimento inhærens, solis auricularibus digitis succurrentibus centies in noctem exurgebat. Quod cùm E ad aures venerabilis Archiepiscopi deuenisset, diuini amoris feruore concepto, tantæ probitatis virum suæ familiaritatis expertem diutiùs non patiens, interpositis quibusdam sacris collocutionibus sui secreti conscium, atque in omni Ecclesiastici ordinis curâ consortem sibi fieri laborauit. *ab Episcopo adiutor adsciscitur:* Et quoniam iam senio erat confectus, hunc pro se diuini verbi prædicatorem, atque suæ vicis executorem, plebis consensu fieri destinauit: & vt impositi oneris munus pleniùs perageret, ipse Sanctissimus Pater eum Sacerdotij honore sublimauit.

3 Recepto igitur Sanctæ prædicationis officio, tantam illi diuina pietas gratiam conferre dignata est, vt peragratis illius regionis partibus, torrentis eloquij dulcedine immundorum spirituum procul inde repelleret infestationem: *prædicat vtiliter per diœcesim:* nam discordes ad concordiam reuocabat, pupillos, viduas, orphanos ab opprimentium faucibus non per vim, sed boni verbi dispensatione, quasi bonus Dei athleta extrahebat: maximam Paganorum multitudinem, quorum non minima pars eidem Episcopatui adhærebat, melliflui oris dulcedine, relictis simulacrorum ritibus, ad fidem Christi conuertebat.

4 Non post multum verò temporis ipse sanctissimus Pontifex, qui iam priùs ipsum sibi successorem delegauerat, in pace migrauit ad Dominum: *eligitur ad Episcopatum* cui venerabilis Gregorius omnium consensu in Archiepiscopatu successit: F & quamuis ante Episcopatum in Dei opere perstitisset, in Episcopatu tamen vigilantiori studio virtutum omnium incrementa exercens, vt suo exemplo omnibus proficeret, seque ab omni crimine immunem conseruaret, laborare festinauit. Quicumque ad eum veniebant infirmi, eius orationibus sanitate receptâ, sani atque incolumes reuertebantur ad propria. Tantas per illum Dominus dignatus est operari virtutes: vt non solum omnes morbidi à cunctis liberarentur infirmitatibus, verùm etiam inter suos pace constitutâ, nimiâ frugum vbertate omnis illa ciuitas lætaretur & patria. *clarus miraculis:* Laudabatur inde Summæ Trinitatis potentia, quæ per illius sanctissimi viri meritum Armeniorum populis conferre dignata est tantæ salutis gratiam. Pastorem verò suum, ob cuius meritum sibi dari talia credebant, magnis laudibus in sublime extollentes, eum pretiosissimis muneribus decorare satagebant.

5 Fatigabatur autem Dei seruus ab instantis populi frequentiâ; &, quod nimiùm dolebat, inde magis magisque à solitâ oratione reuocabatur. *quietis & solitudinis amore* Timens enim ne ab humanis fauoribus in superbiam elatus, quod in Dei opere tam longi temporis spatio cum tanto sudore conquisierat, prorsus perderet, ad solita arma recurrit: diuinæ pietatis clementiam deprecans,

A cans, quatenus dare vellet ei consilium, quod sibi valeret in futurum. Decreuerat quippe iam diu apud se eremum petere, mundique huius gloriam fugere, vt ampliorem inueniret. Igitur sub cuiusdam noctis silentio, sumptis secum duobus religiosis Fratribus, quibus omne sui cordis arcanum denudauerat, celeris fugæ iter arripiens, Alpium crepidines transijt, & ad Gallias copiosum iter direxit.

relicta patria

6 Cumque, peragratis pluribus ciuitatibus & oppidis illius regionis, Pithuerim deuenisset oppidum, in domum cuiusdam religiosi Sacerdotis, c Arlefredi nomine, qui eiusdem oppidi ecclesiarum custodibus præerat, hospitatus est. In eadem verò nocte, quæ sui aduentus diem subsequebatur, dum primæ vigiliæ noctis more solito excubias celebrauisset, quòd sui itineris terminum vellet, Deum deprecaturus, vox de cælis super eum intonuit dicens: Carissime mi Gregori, diu pro me multa passe plurimaque passure, certum hic tui itineris terminum adfore constituo. Est enim non longè hinc quædam parua ecclesia in honore S. Martini d Vertanensis consecrata, ab omni strepitu hominum segregata. Quam propter solitudinem incolę Solam vocant, non plus ab hoc oppido duobus passuum millibus distans: hanc iubeo vt subeas, ibique Deo, cui te seruiturum spopondisti, omni tempore vitæ tuæ libenter deseruias; peractóque vitæ tuę spatio, hinc te recipiam sub confessionis titulo. Manè autem facto B. Gregorius præfatum suum hospitem his verbis allocutus est, dicens: Dic mihi, carissime hospes, estne circa hoc oppidum aliquis locus, quem Sanctum Martinum solum nominetis? Cui Sacerdos respondit: Est, mi Domine. Tunc ille: Distat multum ab hoc oppido? Presbyter respondit: non plus duobus milliarijs. Tunc venerabilis Antistes Gregorius noctis præteritæ ostensionem sibi cælitus esse illatam agnoscens, accepto à prædicto Sacerdote ductore, ad dictum locum iter direxit continuò. Videns autem locum à Deo sibi præparatum, perfusâ facie lacrymarum fletu, flexis genibus gratias agit Deo cum oratione; & surgens, cum ductore suo ad supradictum reuersus est oppidum.

Pithuerim in Gallijs aduenit

monitus de S. Martini Vertan. ecclesia,

B

suo recessui apta,

7 Erat autem in eodem oppido quædam nobilis matrona, e Ailuisa nomine bonæ memoriæ: quæ & ipsa genitrix vnigenitum suum, nomine Odolricum, illius videlicet oppidi hæredem, qui & ipse postea Aurelianensis Ecclesiæ factus est Episcopus, Patre suo Rainardo iam defuncto atque ante fores Romanæ Ecclesiæ sepulto; amicabiliter educabat. Hæc autem ad suæ bonitatis cumulum, pro animæ suæ suique mariti salute, Canonicalem, in honore f S. Gregorij sanctique Læti Confessoris atque Leuitæ, basilicam in præfato oppido nouiter construxerat: atque vt inibi canonicali ritu Dei seruitium assiduè fieret, de Vssello quodam allodio suo, quod dotalitiâ lege sibi acciderat, eum locum ditauerat. Hanc talibus alijsque huiusmodi insignibus decoratam, & longè latéque bonis moribus diffamatam, vtpote illius oppidi sceptra tenentem, vir Dei Gregorius allocutus est dicens: Tuæ bonitatis fama, Domina mi, ad aures vsque meas deueniens, oppidò me compellit, vt mei cordis arcanum tibi denudare non timeam. Sum quippe ex Armeniorum finibus non infimo genere ortus, a eiusdemque regionis Archiepiscopalis officij pondere pressus: huc vsque Deo ducente perductus, & in Ecclesiâ, quæ iuxta vos est, quam S. Martinum solum nominatis, cælesti admonitione omni tempore vitæ meæ ad seruiendum Deo viuenti deditus: quod volo vt fiat cum tuâ licentiâ. Video enim te super huius regionis populos iura potestatis exercentem, eaque super illos (quamuis mulier sis) benè & optimè disponentem. Quapropter ego aduena infra tuæ potestatis terminos habitare nequeo absque tuo imperio. Tunc venerabilis matrona omnipotenti Deo gratias referens, qui tanto Pastore, ex tam longinquis regionibus adducto, suæ potestatis patriam illustrare dignatus est: & pòst ad Episcopum conuersa, respondit; Habitandi licentiam habeas, Domine Pater, quocumque tibi placuerit confidenter. Tunc prædictus Antistes valedicens matronæ & omnibus, ad præfatam ecclesiam reuersus est quantocyùs: ibique suæ quantitatis extruens tugurium, solitariam, quam diu optauerat, incepit ducere vitam.

eam ab Ailuisa pia matrona

C

petit,

D

& obtinet.

a *Armenia* I *metropolis* Sebastia *est. Nicopoleos sub eâ Episcopus* Ioannes *Concilio Chalcedonensi subscripsit: ad eam verò translatum fuisse Primatum non ausi solis his Actis credere, Archiepiscopi appellatione in titulo abstinuimus.*

b *Crucifixum vertit Saussayus: perperàm. Nam famosæ illius imaginis Edessenæ, quam ad Abagarum Regem Christus misisse fertur, cultum è vicina Syria in Armeniam penetrasse nemo dubitabit: & quoniam ad portas ferè Vrbis Genuæ in S. Bartholomæi Armenorum templo, vel ipsa vel eius miraculosum ectypum in hodiernum vsque diem seruatur, credi potest ex Armenia aduectum fuisse sacrum illud pignus: quæ enim alia caussa fuisset monasterij & templi ad illius custodiam erecti Armenis committendi? Etenim nullo auctore vel fundamento asseritur à Ioanne Giacchetti in Iconologia Saluatoris, eam, quæ Genuæ colitur, ipsam esse quam Constantinopoli obtinuit S Paulus Latrensis, cuius Vitam dabimus* XV *Decembris. Esto enim prima ac genuina imago Edessa Constantinopolim, inde Romam translata sit: non continuò sequitur aliam omnem ab ea diuersam istam esse, ac quâ Vita Pauli, quamuis & in Gratia, vbi is vixit, frequentes fuerint Armeni, quos Constantinopoli Genuam transijsse facilè credimus, sed quòd in horum potestatem venerit imago, quæ S. Pauli eiusq; discipulorum fuerat, non audemus suspicari.*

Imaginis Christi in Armenia cultus.

E

c *Saussayus* Alfridum *vocat, &* Archipresbyterum *facit.*

d *Colitur hic sanctus Abbas* XXIV *Octobris.*

e Siue Alisia, *vt est in ecgraphi nostri margine: Saussayus* Heloysiam *legit: Sammarthani, vbi de filio eius Odolrico Aurelian. Episcopo,* Aloysam vel Helvvidem.

f *Turonensis, vt existimo,* XVII *Nouembris colendi: cùm ipsa esset filia Odonis* I *Blessensis Carnotensis ac Turonum Comitis: cuius etiam reliquias in eamdem illatas ecclesiam indicat communis ipsi & S. Leto hymnus. Colitur S. Lætus* V *Nouembris.*

CAPVT II

Pia post septennium mors: miracula post mortem.

8 Vixit autem in eodem loco venerabilis Dei Sacerdos Gregorius circiter septem annos, totâ puritate mentis seruiens Deo, in legitimis ferijs totius hebdomadæ nullo modo cibum capiebat; in ceteris verò, hoc est, in tertiâ & quintâ ferijs, occaso sole ieiunium soluebat. Solutio ieiunij talis erat: lenticulas ad solem in aquâ germinatas, quantum manus sinistra eius supportare valebat, & panis hordeacei tres vncias in lixiuiâ decocti, & herbarum crudarum radices, quas sibi ipse præparabat, in præfatis ferijs quotidie manducabat. In dominicis verò diebus ac in ceteris sacris solennitatibus, exceptâ carne & abdomine, communem cibum capiebat: nam in illis diebus oppidani, & diuites rustici, illius viri sanctitatem noscentes, prout quisque poterat ei afferebant. Quibus cum gratiarum actione receptis, & ijsdem deferentibus sacras eulogias, Sancti Pontificis manu & benedictione communicatas, ad propria læti reuertebantur. Partem autem, quę ei remanebat, pauperibus, quorum non minima pars illic aderat, humiliter diuidebat. Sacerdotes quoque & sacri Ordinis ministros necnon etiam & quosdam laicos Religiosos ad prandium inuitabat: quibus etiam non solùm corporalia alimenta, verùm etiam spiritualia subministrabat. Contigit autem vt quidam rusticus, qui eius conuiuium spreuerat, cùm ad domũ cum suis famulis reuerteretur, arreptus à dæmonio, sese in aquas volebat proijcere, nisi à famulorum manibus retentus fuisset: sed per orationem serui Dei liberatus à dæmonio, quòd eius conuiuium spreuisset, veniam humiliter implorauit.

Septem annis in Gallijs sanctè viuit,

F

de sua paupertate omnibus largus.

A 9 His & alijs multis insignitus miraculis, tandem Dei seruus de sui exitus *a* termino Deo reuelante certior factus, Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi perceptione se muniens, spiritum Deo, corpus terræ decimo *b* septimo Kalendas Aprilis humandum tradidit. Quanta in eius exequijs lamenta fuerint, quantáque turba fidelium illius obitu commota ad eum confluxerit, reticeri non iudico. Nam non solum ex finitimis, sed etiam ex longinquis regionibus tam Clerus quàm deuotus populus ad eum conuenerat: qui Sancti viri corpus de tugurio extrahentes, ad Sancti Martini Ecclesiam cum hymnis & canticis transtulerunt deflentes, atque ibi iuxta altare honorificè sepelierunt. Ibi quamdiu in eodem loco iacuit, supernæ virtutis operatio plurima miracula fieri voluit. Nam quicumque æger ad eum veniebat, Sancti viri meritis sanus & incolumis inde redibat, à quacumque detinebatur infirmitate.

EX MSS. a *b* *ac pie moritur:* *in S. Martini ædes sepultus.*

10 Tunc præfata Matrona, nomine Ailuisa, pijssimæ deuotionis igne succensa, Sancti viri glebam cum summo honore Pithuriæ oppido transtulit, & in Ecclesiam Sancti Salomonis, in qua nunc Deo volente B requiescit, ante vultum Saluatoris iterum honorificè sepeliuit, in qua fecit & faciet benigna Dei dispensatio, per serui sui merita, plurima miraculorum genera. Quidam enim rusticus, qui lumen oculorum amiserat, ante feretrum, vbi ossa huius Sancti iacebant, tamdiu in oratione iacuit, donec per eius meritum lumen oculorum suorum recepit. Denique transacto non parui temporis spatio quædam mulier, cuius manum dexteram paralysis retorserat; quòd sui Sacerdotis verbis diem festum annuntiantis obedire noluerat, ad feretrum, in quo Sancti viri ossa requiescebant, confestim concurrit, ibique in oratione prostrata tamdiu iacuit, donec per viri Sancti meritum manus eius pristinæ sanitatis modum recognouit.

deinde Pithuerim translatus, *cæcum illuminat,* *contractam curat,*

D 11 Post multum verò temporis *c* Henrico Rege Francorum Pithuerim oppidum obsidente, illa Ecclesia, in quâ Sancti viri corpus iacebat, cum toto oppido igne cremata est. *d* Absconsa verò, quam Sacerdos, dum Missam ad altare Sancti Gregorij cantabat, manu tenere solitus erat, in fenestella feretri Sancti Gregorij fortè relicta, post ignem inuenta est illæsa. Hæc autem, quæ superiùs dicta sunt, partim oculis nostris vidimus; partim ab alijs qui illius sanctissimo colloquio atque familiaritate fruentes, ea proprijs oculis viderunt, accepimus; partim à parentibus & amicis, qui post illius obitum eum quærebant, putantes viuere, cognouimus. Laudetur inde summa & indiuidua Trinitas, quæ in Sancti sui Confessoris Gregorij multiplici virtute triumphat: cui est honor & gloria, laus & iubilatio per infinita secula seculorum. Amen.

c incendium coercet. *d* *scribentis fides.*

a *Saussayus plenius:* Denique oranti seruulo tertiâ noctis vigiliâ Sabbati Dominus apparens, luce quintâ subsequenti ipsum ad se transiturum, cælestemque gloriam intraturum notificauit. *Quæ si de nocte Dominicam præcedente & Feria v intelligantur: concurrens cum ea dies 16 Martij, annum 1004 vel 1010 indicabunt.* E

b *Absunt hæc à Saussayo: videtur is tamen solum* septimo *legisse: cùm eius elogium referat ad diem 26.*

c *Intra annum 1037 & 1044.*

d *Qui hæc Acta P. Heriberto transcribenda curauit, notarat in margine, malle se sic legi.* Capsa verò, in quâ B. Gregorij sacræ reliquiæ erant repositæ, in fenestrâ iuxta altare, vbi quotidie Sacerdos diuina mysteria celebrabat fortè relicta, post ignem inuenta est illæsa: *cur autem sic legi velit hanc dat rationem*: nam & iuxta vetus altare eiusdem ecclesiæ extat fenestra tamquàm magnum reconditorium: *nos malumus ignorare, quàm sic diuinare in textu hac vna voce obscuro, aliàs clarissimo.*

DE SANCTO HERIBERTO

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI.

Commentarius præuius.

§ I *Dignitas Cancellarij collata. Tempus Archiepiscopatus Coloniensis accepti & obitus.*

AN. MXXI XVI MAR.



1 INter illustria monumenta, quæ Coloniam Agrippinam præ alijs vrbibus admirandam reddunt, plurima à varijs scriptoribus & recentiùs ab Ægidio Gelenio & Hermanno Crombachio in lucem proferuntur: quod ille præstitit in suo commentario de admirandâ, sacrâ & ciuili magnitudine Coloniæ Claudiæ Agrippinensis Vbiorum vrbis, *iste in* historiâ *tum* Vrsulanâ *tum* trium Magorum Euangelicorum, *idem facturus, in alijs tractatibus, quos etiamnum prælo apparat. Nos etiam illud censemus admirandum ab alijs forsan non animaduersum, quòd singulis olim seculis in Ecclesiâ suâ habere meruerit Episcopos siue Archiepiscopos, Sanctorum Albo inscriptos: inter quos millesimum Æra Christianæ annum clausit S. Heribertus, vir generis nobilitate, rebus præclarè gestis, & miraculis tam in vitâ quàm à morte perpetratis, æternâ memoriâ dignus. Inter primas dignitates quas gessit meritò censeri potest, quod ante susceptum Episcopatum fuerit constitutus Ottonis* III *Imperatoris Cancellarius. Ita apud Ioannem Paulum VVindekium tractatu de Electoribus Imperij, Coloniæ anno* MDCXVI *excuso, cap.* 12 in litteris Ottonis III subscripsit Herbertus Cancellarius nomine Petri Cumani Episcopi anno DCCCCXCVII Romæ.

Inter Sanctos Archiepiscopos Colonienses *S. Heribertus.* *antè Cancellarius Ottonis III,*

F *Vtinam ipsas Cæsareas litteras edidisset VVindekius, forsan colligeremus ex die & mense, & anno Imperij siue Indictione, quo tum adhuc tempore Romæ fuisset: nam sæpiùs cum Ottone* III *Romam fuisse profectum Heribertum indicat infrà num. 6 Lambertus. Nam vice VVilligisi Archiepiscopi Moguntini, Archicancellarij (quæ dignitas pro Imperio Germanico ad huius Sedis Archiepiscopos spectabat) ipse Heribertus subscripsit apud Christophorum Gewoldum, qui in suis additionibus ad Metropolim Salisburgensem tomo 1 pag. 363 edidit tertium Ottonis tertij priuilegium, Episcopo Christiano & Ecclesiæ Passauiensi concessum, cum hac formulâ conclusionis:* Signum Domini Ottonis Imperatoris Augustissimi. Heribertus Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognouit. Data III Nonas Ianuarij anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIX Indictione XIII (imò XII) anno Ottonis tertij regnantis XV, Imperij III. Actum Romæ feliciter Amen. *Simile priuilegium tunc Romæ datum est Vltraiectinæ Ecclesiæ* II Idus Aprilis *eiusdem anni apud Miræum lib. 2 Diplomatum Belgicorum cap. 26, vbi rectè* Indictio XII *scribitur. Erat tum Archicancellarius per Italiam* Petrus Episcopus Comanus *siue* Comensis, *quando* supplicante Domno Papâ Siluestro & interueniente Heriberto dilectissimo Cancellario, *Otto Imperator se erga Vercellensem Ecclesiam munificentissimum præbuit, donans ei ipsam Vercellensem ciuitatem cum Comitatu nec non Comitatum S. Agathæ: quam donationem* Heribertus Cancellarius vice Petri Comani Episcopi Archicancellarij recognouit Romę Nonis Maij

recognouit priuilegia Romæ anno 999

anno

A

anno & Indictione iam indicatis. Consule Baronium ad dictum annum 999 num. 17, 18 & 19. Quo etiam modo VI Kal. Iunij, eiusdem anni recognouit Romæ priuilegium dicto Petro Episcopo & Comensi Ecclesiæ concessum, quod tomo 5 Italiæ sacræ edidit Vghellus in Episcopis Comensibus pag. 266.

2 Non videntur diutiùs substitisse Romæ tam Otto Imperator, quàm S. Heribertus Cancellarius: nam hic ab illo, discedente in territorium Beneuentanum, missus est Rauennam ad discordes reconciliandos, quod feliciter peregit. Interim adfuerunt Cæsari Coloniâ ablegati, qui S. Heribertum expeterent Archiepiscopum. Hic Cæsareo mandato euocatus Romam aduolauit, & dum Episcopatum non posset detrectare, permisit se designari. Mansit dein paullò plùs duobus mensibus apud Cæsarem. Accepto dein à Siluestro II Papâ Pallio, expleuit breui prolixum viæ spatium, & in vigiliâ Natalis Christi Coloniæ in Cathedrâ suâ sublimatur, vt ea à Lamberto infrà in Vitâ exactè traduntur. Annum tum Christi fuisse DCCCCXCIX ita certò constat, vt non detur controuersiæ locus. Annus ille præscribitur à Ruperto sub initium, indicatur à Lamberto in priore Vitâ, dum anno Ordinationis suæ vicesimo tertio asserit obijsse. Verùm quòd apud Rupertum legatur vixisse in Sede annos viginti tres, menses duos, dies viginti duos, priorem assertionem Ruperti voluit Baronius ad annum MXXI, vbi de obitu agit, corrigere, & annum DCCCCXCVIII statuere primum Archiepiscopatus suscepti. Sed ex Lamberto corrigendi erant anni Sedis viginti tres, & substituendi viginti duo. Nam dum Romæ, vt diximus, supplicante Domno Papâ Siluestro, & interueniente Heriberto Cancellario priuilegium vrbi Vercellensi Nonis Maij anno DCCCCXCIX concederetur: si fuisset Archiepiscopus, ille titulus fuisset insertus more illius æui: ita interuentu Heriberti Archiepiscopi Coloniensis donauit S. Henricus Imperator anno MVII Erluino Episcopo Cameracensi Comitatum Cameracensem: vti legi potest apud Miræum in Notitiâ Eccles. Belgij cap. 78. Prætereà, si, vt assumebatur, reuersus Coloniam fuisset anno DCCCCXCVIII, in vigiliâ Natalis Domini, quomodò poterat III Nonas Ianuarij anni sequentis, siue post nouem à Natali Domini dies iterum Romæ recognoscere priuilegium Episcopo & Ecclesiæ Passauiensi concessum? Errores Sigeberti & aliorum Chronologorum non lubet refutare, cùm in ordinandâ Sede Apostolicâ Siluestri II ad quatuor annos à verò discedant, cùm vterque intra eumdem annum fuerit ad suam Sedem sublimatus.

Archiepiscopus Coloniensis ordinatur

in vigiliâ Natalis Christi.

B

anno 999.

C

3 Mortuum esse S. Heribertum XVII Kalendas Aprilis anno MXXI clarè tradit Lambertus in eius Vitâ & sequuntur passim alij: quod itidem tempus insculptum fuit plumbeæ tabulæ ad caput eius, cùm in monasterio Tuitiensi sepeliretur, depositæ, in quâ ista continentur: Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo vigesimo primo, XVII Kalendas Aprilis Heribertus sanctæ Coloniensis Ecclesię Archiepiscopus, qui de suo proprio sumptu hoc monasterium fecit. Alter titulus ad pedes ipsius in sarcophago depositus, repertus est eiusmodi: Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, constructor huius ecclesiæ, anno Incarnati Verbi millesimo vigesimo ipsam consecrauit in honorem Saluatoris mundi eiusque Genitricis. Dies consecrationis in vtrisque Actis indicatur V Nonas Maij, in festo Inuentionis Sanctæ Crucis. Verùm cùm ipsemet S. Heribertus in diplomate fundationis huius monasterij, dato anno MXIX, affirmet se V Nonas Maij in ipso consecrationis die contulisse prædia & reditus agrorum, vinearum & curiarum, decimarum & siluarum; dubitamus de secundi tituli veritate, qui saltem corrigi debet & legi anno millesimo duodeuigesimo, aut si numero Romano fuerit exaratus, anno MXV, ex quo facilè irrepserit annus MXX. Citatum diploma donationis edidit Gelenius in suâ Coloniâ Syntagmate 14, § 1.

moritur 16 Martij an. 1021

§ II. Vita S. Heriberti à varijs scripta.

4 INtra paucos ab eius obitu dies ad eius sepulcrum quadraginta quinque miracula fuisse patrata, aduertit in fine Vitæ Rupertus. Hinc, vt tradit num. 31 Lambertus, ciuitas Coloniensis fecit consuetudinem per totam Tricesimam, id est triginta dierum spatium, quotidiè eum adire, & eius frequentare memoriam. At Metropolis Agrippina Colonia curauit Vitam S. Heriberti conscribi, ac suo nomine dedicauit sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vniuersis filijs vniuersalis Ecclesiæ, petens vt XVII Kalendas Aprilis in perpetuum dies festus habeatur. Scripta autem est dicta Vita viginti aut paullò pluribus post obitum S. Heriberti annis, imperante Henrico III, qui Conrado patri subrogatus est anno MXXXIX, mortuus anno MLVI, Herimanno Archiepiscopo Coloniensi, qui illi Ecclesiæ præfuit ab anno MXXXVI vsque ad annum MLV, aut sequentem, & Abbate Tuitiensi Werimbaldo, inter quem & Fulbertum seu Volpertum, sequenti post obitum S. Heriberti mense defunctum, solus interfuit Radolfus. Auctor, qui nomine Metropolis Coloniæ Agrippinæ scripsit, est monachus Tuitiensis, nomine Lambertus siue Landbertus. Nos eam damus ex tribus illustribus codicibus MSS. horum primus est Domus nostræ Professæ Antuerpiensis, quem nobis anno MDCXLVIII donauit Amplissimus Dominus Gaule, Cancellarius Geldriæ, alter Codex est Imperialis monasterij S. Maximini propè Treuirim, ac tertius Canonicorum Regularium Rubeæ-Vallis propè Bruxellas. Habent etiam cœnobitæ Tuitienses eamdem hanc S. Heriberti Vitam in paruo sed crasso codice MS. vnà cum hymnis, responsorijs, antiphonis ab eodem Lamberto compositis, pro Officio Ecclesiastico ordinario, ac Sequentiâ in sacrificio Missæ recitandâ: quæ ex dicto monasterio Tuitiensi descripta transmisit nobis Ioannes Gamansius noster.

Ob miracula ad venerationem promouendam

Vita curante Metropoli Coloniensi scripta

E

à Lamberto monacho Tuitiensi,

in 4 MSS. reperta.

5 Quia hactenùs hæc Vita non fuit excusa, de auctore eius Lamberto plurima commenta prodierunt. Præiuit Trithemius in Chronico monasterij Hirsaugiensis ad annum 1048. Lampertus, inquit, monachus nostri Ordinis cœnobij S. Laurentij Leodiensis, Adelmi Grammatici Brixiensis Episcopi quondam auditor, vir certè in omni scientiâ magnificè doctus, hac quoque tempestate Ordinem nostrum eruditione suâ mirificè illustrauit. Scripsit Vitam S. Heriberti Coloniensis Episcopi, & multa alia, de quibus alibi diximus: scilicet in Catalogo virorum illustrium. Quòd eum monachum cœnobij Leodiensis S. Laurentij scribat, veremur valdè ne occasione Ruperti, initio monachi S. Laurentij apud Leodienses, ac postmodùm Abbatis Tuitiensis, qui, vt mox dicetur, etiam Vitam S. Heriberti vulgauit, aberrarit Trithemius. Nos Lambertum auctorem huius Vitæ potiùs monachum Tuitiensis monasterij fuisse arbitramur. Certè Metropolis Agrippina Colonia in Prologo ait: Tituletur hæc Vita obsecundantis nobis Fratris nostri Lamberti nomine & memoriâ. Qui à Trithemio appellatur Adelmus Grammaticus Brixiensis Episcopus, Vghello tomo 4 Italiæ sacræ in Brixiensibus Episcopis, est Ordine LVII Adelmannus siue Alamannus Grammaticus Leodiensis, creatus anno MXLVIII, mortuus post annum MLXI. Num huius discipulus fuerit scriptor huius Vitæ Lambertus, an alius huius nominis Lambertus, monachus Laurentinus apud Leodienses, relinquimus alijs discernendum. Ioannes Molanus in Annotationibus ad Martyrologium Vsuardi à se auctum hoc XVI Martij ait: Lambertum Leodiensem, Monachum Tuitiensem, mandante metropoli Agrippinâ, scripsisse hanc Vitam, ex quâ magnam partem prologi edidit, sed quòd velit hanc & miracula duobus libris ab eo conscripta, aberrat cum Trithemio, quia infrà in Epilogo dicit, se virtutes Sancti & miracula, quæ per eum Deus post obitum eius operatus est, intacta deseruisse, quòd & scripta sufficerent lectioni simplici, & ea ad leporem vetustatis inflectere, vacantioris temporis & operosioris erat studij. Arnoldus VVion lib. 2 Ligni Vitæ cap. 71 ista habet: Lam-

De Lamberto scriptore

errores Trithemij.

F

Molani.

Arnoldi VVion.

A Lambertus Leodiensis, monachus monasterij S. Laurentij Tuitiensis Congregationis Cluniacensis, qui laruit anno Domini MCCXX, scripsit de Vitâ S. Heriberti Archiepiscopi Coloniensis libros duos. *Hos duos libros potuit ex Molano & Trithemio descripsisse VVion, at monachum fuisse monasterij S. Laurentij ex Trithemio, sed addit hic* monasterij Leodiensis *esse, non Tuitiensis, quod ipse S. Heribertus asserit in diplomate donationis se construxisse & dedicasse* in honorem Saluatoris nostri Iesu Christi, & pijssimæ Genitricis eius Dominæ nostræ perpetuæ Virginis Mariæ. *Sed quo auctore aberret VVion ad centum & septuaginta aut octoginta annos, in tempore assignando, quo scriptor Lambertus claruit, non assequimur. VVionem sequuntur Possevinus in Apparatu sacro, Valerius Andreas in Bibliothecâ Belgicâ, Franciscus Swertius in Athenis Belgicis, Gerardus Ioannes Vossius de Historicis Latinis & alij. Possevinus ait* Wioni testanti anno MCCXX vixisse, fidem magis adhibendam esse, quàm Eisingrenio scribenti eum vixisse anno MCXLVII, *imò adhuc centum annis citiùs floruisse ait Eisingrenius in Catalogo testium veritatis, quod & nos asserimus. Vossius suum errorem pessimè confirmat istis verbis:* Omnino huius loci est si vixit sub Werimbaldo tertio

Possevini.

B Abbate, vt Valerius Andreas in Bibliothecâ Belgicâ refert. *Creatus est Rudolfus secundus Abbas anno* MXXI, *cuius si tribuantur regimini ducenti anni, ad annum requisitum* MCCXX, *vnus solummodò deesset. Et ne effugium detur ad tertium eius nominis VVerimbaldum monasterij Tuitiensis Abbatem, tutò opponitur hactenus inter omnes eius monasterij Abbates non nisi vnicum, de quo egimus, ibidem fuisse VVerimbaldum. Lectorum beneuolentiâ abuteremur, si Gesneri bibliothecam à Simlero & Frisio auctam refutaremus, quòd ætatem dicti Scriptoris Lamberti referant ad annum* MCCCCLX, *id est integris annis quadringentis seriùs quàm oportebat. Sed illud non est abs re adiungere in eadem bibliothecâ referri* Lambertum de Legiâ, Ordinis S. Benedicti monachum, vixisse anno MCCCCLXXX & scripsisse de Vitâ & miraculis S. Matthiæ Apostoli carmine & de S. Agricio. *De hoc egimus* XIII *Ianuarij & de S. Mathiâ Apostolo* XXIV *Februarij, & Acta Inuentionis corporis S. Mathiæ & miraculorum edidimus auctore* Lamberto monacho Treuirensi, *qui se anno* MCXXVII *ope S. Mathiæ scribit liberatum: sed eum* de Legiâ *cognominari non legimus nisi apud similes bibliothecarum indices Possevinum, Valerium Andream & Vossium. An aliquis horum duorum fuerit Leodiensis, num vterque, aut nullus eorum aliorum resolutioni relinquimus.*

Vossii.

Gesneri.

6 *Inter Abbates Tuitienses nonus numeratur Marcuardus, anno* MCXVII *vitâ functus, cui subrogatus Rupertus*

C *vixit vsque ad annum* MCXXXV. *Quantus hic vir fuerit, è libris quampluribus ab eo conscriptis, & sæpiùs Coloniæ, Louanij, Parisijs & alibi excusis, orbi vniuerso constat. Petente autem dicto Abbate Marcuardo*, Vitam S. Heriberti virtutibus splendidam, sed prioris styli rubigine subobscuram, nouo se rescripsisse stylo *fatetur, scilicet monita spiritualia inserendo, & varias sacræ Scripturæ sententias piè interpretando. Ceterùm quòd ad accuratam rerum gestarum narrationem spectat, suam ferè energiam ex priore Vitâ debet accipere, aut aliàs non videtur veritatem habuisse satis exploratam. Quæ hinc inde interserit, aut sub finem adiungit, videntur illa esse, quæ Lambertus neglexit ad leporem venustatis inflectere. Reliqua infrà ad ipsam Vitam obseruamus, quæ antè inter Ruperti opera & à Surio ad* XVI *Martij fuit sæpiùs excusa.*

Alia Vita à Ruperto, dein Abbate Tuitiensi, scripta.

7 *Vitæ S. Heriberti compendia plures ediderunt, inter quos præcipui sunt Zaccharias Lippelous, Franciscus Haræus, & ante illos libello particulari Mathias Agricius VVitlichius, qui præter Vitam ex antiquis historijs breuiter excerptam, eam versibus elegiacis in sedecim poëmata distinctis celebrauit: in quo displicet, quòd* S. Heribertum *sæpiùs appellet* primum Electorem Coloniensem, *quod etiam nonnulli grauiores auctores fecerunt, ex Chronico Martini Poloni seducti, cùm origo Electoralis collegij referenda sit ad tempora Innocentij* IV *Papæ, quando in Lugdunensi Concilio, anno* MCCXLV *contra Fredericum* II *Imperatorem habito, Electores septem fuerunt constituti, nec diu post ijdem, qui hactenus eâ dignitate fulserunt, confirmati. Legi possunt, quæ eruditè disserit Bernardus à Mallenkrot cap 3 addimentorum ad librum de Archicancellarijs & Cancellarijs Imperij.*

Vita compendia:

D in ijs perperàm primus Elector statuitur.

§ III S. Heriberti translatio: Canonizatio; Cultus sacer.

8 *Post Vitam S. Heriberti à Lamberto & Ruperto scriptam, contigit Translatio corporis S. Heriberti, quam à Theodorico Custode monasterij Tuitiensi descriptam accepimus, & est eiusmodi:* Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo quadragesimo septimo, Indictione decimâ, translatum est venerabile corpus sanctissimi Patris nostri & Confessoris Christi Heriberti, Coloniensis Archiepiscopi, Fundatoris monasterij Tuitiensis tertio Calendas Septembris, feriâ Sabbati, horâ diei tertiâ, à Venerabili Arnoldo primo Coloniensium Archiepiscopo, anno Episcopatus sui octauo; Papatus verò beatæ memoriæ Eugenij III tertio; anno autem Imperij Gloriosi Domini Conradi secundi octauo, & filij eius Henrici primo; porrò Gerlaci Abbatis eiusdem loci duodecimi anno secundo. *Hæc ibi. At Bulla Canonizationis est eiusmodi:* Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, vniuersis sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ filijs, vel maximè tamen Cisalpinis gentibus, salutem carissimam cum benedictione Apostolicâ. Quidquid diuinis testimonijs roboratur, humanis non indiget vt roboretur. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus sanctissimæ vitæ meritis inter Sanctorum agmina in cælesti numerari aulâ promeruit: quod asseuerant & dum vixit in hoc seculo factæ per eum virtutes, & posteaquàm illuc translatus est, signa subsecuta. Vitam eius stylo traditam vidimus, in quâ magnam eius sanctitatem didicimus. Annuente igitur Domino, auctoritate Apostolicâ nobis diuinitus traditâ, iubemus illum amodò inter Sanctos connumerari, & in Sanctorum catalogo scribi, atque ab omnibus vt sanctissimum in suo natalitio celebrari. Condignum enim videtur, vt quem Deus Pater honorauit in cælis, à nobis eiusdem seruis honoretur etiam in terris. *Hactenus bulla submissa absque clausulâ de tempore aut loco, è quibus possemus iudicare de Gregorio, quotus huius nominis Papa dederit. Theodericus custos conijcit factam Canonizationem à Gregorio* VII, *qui sedit ab anno* MLXXIII *vsque ad annum* MLXXXVI, *atque adeò antequàm à Ruperto, qui eius non meminit, esset Vita conscripta, in quâ aliqua post mortem patrata miracula narrantur, quæ in bullâ* signa subsecuta *appellantur. Si alij arbitrentur* Gregorium VIII, *aut quia hic non diu vixit,* Gregorium IX *potius intelligi debere, etiam per nos licet.*

Translatio corporis facta anno 1147.

E

Canonizatio à Gregorio Papa.

F

an hoc eius nominis VII an VIII aut IX.

9 *Nomen S. Heriberti inscriptum est Fastis sacris & manu exaratis & typis excusis. In MS. Coloniensi S. Mariæ ad Gradus:* In Coloniâ Heriberti Archiepiscopi, *ita etiam non apposito titulo* Sancti *memoratur in antiquo MS. Kalendario S. Maximini: at cum* Sancti *titulo* obitus eius *aut* natalis *indicatur in MSS. Treuirensi S. Martini, & alio S. Paulini, Leodiensi S. Lamberti, Pragensi, monasterij S. Maximini, Bruxellensi, & pluribus sub nomine Vsuardi aut Adonis, sed auctis. Martyrologium Coloniense anno* 1490 *excusum, primo loco ista habet:* Apud Coloniam Agrippinam natale S. Heriberti eiusdem loci Archiepiscopi & Confessoris, qui sedit annis viginti tribus, mensibus duobus, & diebus viginti duobus, & sepultus requiescit trans Rhenum in monasterio Tuitiensi; quòd ipse Præsul in vitâ suâ à fundamentis eius ædificauerat, & in honore B. Mariæ Virginis consecrauerat. *At legendum esse eum sedisse annis viginti duobus suprà demonstrauimus. In Martyrol. Germanico plura leguntur*

Nomen fastis sacris inscriptum

ex

A *ex Actis decerpta. Galesinius citatis Actis à Ruperto & Lamberto scriptis, alia quæ apud eos non leguntur, scribit eum* parentibus traditum in disciplinam Gerbertho, viro spectatâ probitate & doctrinâ singulari, qui deinceps Pontifex creatus, Siluestri secundi nomen accepit *&c. Quæ parum considerate scripta sunt, si conferantur cum ijs quæ de Gerberto siue Siluestro* II *à Baronio in Annalibus traduntur. In Martyrologio Romano ista habentur:* Coloniæ S. Heriberti Episcopi sanctitate celebris. *Quæ in Notis dicuntur de egregijs miraculis à Lamberto Leodiensi scriptis, & de ordinatione à Sigeberto relatâ ad annum* DCCCCXCVI, *suprà refutauimus.*

Corpus in monasterio Tuitiensi.

10 *Inscriptus etiam est S. Heribertus Fastis Agrippinensibus Gelenij, qui in recensendo thesauro sacro monasterij Tuitiensis primo loco asserit* corpus S. Heriberti argenteo sarcophago inclusum, eiusque casulam, scipionem, & pectinem in alijs hierothecis custodiri. *At sacra hæc* lipsana, cùm anno MCCCLXXVI à ciuibus Coloniensibus monasterium solo æquaretur, Siburgum delata fuisse: in ecclesiâ Collegiatâ S. Cuniberti esse calicem & stolam S. Cuniberti Patroni; in ecclesiâ verò sanctorum B Apostolorum etiam Collegiatâ adseruari calicem cum duobus pectinibus eiusdem S. Heriberti Archiepiscopi Coloniensis. *In celeberrimo S. Laurentij monasterio Ordinis S. Benedicti ad muros vrbis Leodiensis venerationi exponi solitam* costam S. Heriberti cum vno eius dente, *tradit Rayssius in Hierogazophylacio: qui ex epistolâ Frederici Episcopi Vltraiectini à VVilhelmo Hedâ editâ scribit, aliquas ibidem in Ecclesiâ Collegiatâ S. Ioannis fuisse reliquias S. Heriberti. Eiusdem nomen inuenitur scriptum in Kalendarijs præfixis antiquis Ecclesiæ Vltraiectinæ Breuiarijs & Missalibus. In Breuiarijs antiquioribus Ecclesiæ Coloniensis ex* IX *Lectionibus sunt desumptæ sex ex Vitâ à Ruperto scriptâ. In Officijs proprijs Ecclesiæ Osnabrugensis è nouem Lectionibus tres de eius Vitâ recitantur.*

reliquiæ Coloniæ,

Leodij,

Vltraiecti:

Officium Ecclesiasticum:

memoria 30 Augusti.

11 *Celebris etiam memoria translationis factæ* XXX *Augusti, ad quem diem in Martyrologio Coloniensi anno* 1490 *excusa, ista leguntur:* Monasterio Tuitiensi super littus Rheni, tanslatio B. Heriberti Archiepiscopi Coloniensis Agrippinæ, quæ ab Arnoldo primo, Archiepiscopo Coloniensium, sub anno Incarnationis Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo facta est. *Eadem leguntur in Doctrinali Clericorum Lubecæ dicto anno* 1490 *impresso, & paucis transpositis apud Greuenum in additionibus Vsuardi, & aliquantò contractiùs in MS. Florario Sanctorum, Martyrologio Germanico Canisij & Fastis Agrippinensibus Gelenij.*

VITA

Auctore Lamberto Tuitiensi.

Ex quatuor Codicibus MSS.

PROLOGVS

Sub nomine Metropolis Agrippinæ Coloniæ.



1 MAtri Ecclesiarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vniuerso orbe terrarum vniuersis filijs vniuersalis Ecclesiæ, Metropolis Agrippina Colonia, Deo opifice, omne datum optimum & omne donum perfectum à Patre luminum. Operatus est Deus, ô membra Christi, & operatur apud nos suâ gratiâ magna & mirabilia: quæ licet iam dudum agnouerit Christiana militia (nam multiplex claret gestorum materia) futuris tamen ea occulere periculum censuimus de animâ. Exaltauit apud nos Oriens ex alto Sacerdotem excelsum suum, Heribertum de plebe suâ electum: qui quoniam habuit benè viuendi summam, indeptus est benè viuentium gloriam. Sepultus est autem in cœnobio suo, quod ipse à fundamento fundauit, perfecit & dedicauit; vbi tot & tanta per eum, donante Deo, acta sunt mirifica, vt immensa requirerentur volumina, si describerentur [a] vniuersa. Curam scribendi communi consensu vni ipsius monasterij Fratri commisimus, qui [b] ministrâ obedientiâ nihil aliud scripsit, quàm quod vidimus aut à fidelibus audiuimus. Nam per eum quàm plura facta sunt in externis & longè positis gentibus, quæ solo auditu ab idoneis testibus comperimus. Scripsimus hæc ad vtilitatem legentium, vt in omni terrâ nobiscum gauderent, congaudentes transcriberent, & septimo decimo Calendas Aprilis in perpetuum diem festum haberent. Scripta sunt autem imperante Henrico tertio, Herimanno metropolis nostræ Archiepiscopo, cœnobij ipsius, in quo requiescit, Abbate [c] Werimbaldo: ne verò suppresso dictantis nomine caussetur muta pagina, tituletur obsecundantis nobis Fratris nostri Lantberti nomine & memoriâ.

D

Certitudo huius historiæ.

a

a MS. S. Maximini, singula.
b MS. Rubeæ vallis, ministri.
c Idem MS. VVerimboldo. *De eo, Imperatore Henrico, & Archiepiscopo Herimanno suprà egimus.*

E

CAPVT I

Nobilis progenies: studia: Officium Cancellarij sub Ottone III *Imp.*

2 DIlectissimus itaque Archiantistes Creatori omnium rerum Heribertus, ante tempora secularia in sapientiâ Dei prælectus, clarissima [a] Wormatiensium progenie mundo editus, natales suos, Deo auspice, meritis illustrauit & moribus. Pater eius Hugo in dictâ vrbe Germaniæ multò celebris nomine, mater verò Tietwidis, alto [b] Alemanniæ [c] Comitum insignis profluxit à sanguine, habens & ipsam genitricem Immam, generatam ab ingenuo [d] Reginbaldo Comite: quæ cum sororibus forti genitoris sui munita præsidio, iudicio Dei ab [e] Hungris captiua abducitur, facto castri ipsius excidio: quibus Wormatiæ oras attingentibus, &, vt in Chronicis legitur, absque misericordiâ cuncta diripientibus, pusiola lugubris venalis exposita, à probo quodam & spectabili viro redimitur, & post tot discrimina diligenti curâ reficitur. Nulla eam deinceps recuperandi spes maioribus eius erat: & pater eiusdem ad palatium primi [f] Ottonis pro republicâ descendebat, cùm honesto prælibati viri vtens domicilio inter morandum filiam agnoscit casu, specie & colloquio. Exoritur ingens vtrimque tripudium: magnificatur supernæ clementiæ beneficium: quæ mœrentes pijs consolationibus attollit, ne abundantiore tristitiâ eiusmodi absorberi possit. Statim confertur secundùm Apostolũ casti cubilis & immaculati thori legitimum coniugium: datur à patre filia eidem patrifamilias in matrimonium: congeritur dos, census, familia, & patrimonium, sicque cum lætitiâ perficitur omne bonum. His maioribus prætitulata Tietwidis exoritur, & felicibus adulta successibus, legitimis sponsalibus & dote Domino Hugoni contraditur & iungitur.

Progenitus VVormatiæ, patre Hugone,

a

b c

matre Tietvvide, quæ est nata

d

e

ex Imma filia Comitis Alamanniæ,

F

ab Hungris capta

f

& VVormatiæ vendita.

Heb. 13, 4

3 Post dies felicis sobolis futura puerpera, dispensatione diuinâ fit grauida: incedebant ambo maritus & coniux in mandatis & iustificationibus Domini sine querela, quemadmodùm euangelizatur de Zacharia & Elizabeth sancta. Insistentes in recreandis egenis, insudantes refouendis miseris & egenis, orationibus & fructuosis operibus vacabant, altaria donis & honore cumulabant: quatenus de germine ventris sui, sibi & posteris fieret gaudium, & id clementer

Luc. 1, 6

AVCTORE LAMBERT

A ter operaretur salus omnium. Instabat partus euolutis mensibus, quem præcedunt reuelationes per fideles congruis visionibus, quibus videbatur plùs solis radijs infundi prægnantis cubiculum, edituræ eodem ictu & momento salutiferum terrę subsidium. Nec defuit visioni rata veritas, cùm enixa beata mater benedicibile puerperium, erumpit in laudem Dei & gratias: obstetrices quoque perfruuntur luce mellifluâ, vtpote vbi iure administratio credebatur Angelica. Procedunt stupentes & perterritæ ancillæ Domino suo obuiàm, & intimant ei tantam iucunditatem & inexpertam lætitiam. Domus tota vocibus & plausu concrepat: insitum nomen Heriberti ingeminando concelebrat: festus dies in iubilo ducitur: omne onus & opus seruile remittitur: mensa copiosior peregrinis pro rudimentis pueri extruitur & apponitur. Nec tardatur abhinc per manus Sacerdotum lauacro sanctificationis innouari: in quo tantâ Spiritus Sancti meruit multiplicitate repleri & consecrari, vt numquàm in reliquum ab eo offensus recederet, sed inuiolabile pectus eius protegens in æternum & vltrà in eo quiesceret. Suscipitur de fonte à viris ecclesiasticis & religiosis, & ab auctoratis & Deum timentibus matronis, ne quid ominum cælesti deesset consilio, quæ in eo commendari voluit semper viuens & regnans dignatio.

nascitur luce cælitus per cubiculum sparsa,

baptizatur:

B

4 Tunc Dominicæ mancipandus scholæ plurimâ educatur sinceritate & munditiâ, quæ fieri habebat in sancta sanctorum viuens sancta & Deo placens hostia. Amoto eo ab vbere parentum, augebatur desiderium & deuotio, quia dilectissimam prolem prouehi ardebant ætate & litterali studio, ac per hoc Wormatiæ idoneis personis contradunt eum in domo Apostolorum Principis, vbi cum exteriori disciplinâ vtriusque Testamenti imbueretur paginis. Patent illi præproperè quæcumque obscurè geruntur in poëmate: nec latent eum fugæ & nodosi anfractus in Socrate & Aristotele & in quolibet alio sinuoso rhetore. Quibus interim sinistrorsum postpositis, adeò emicuit in sacro dogmate collato diuinitus Ecclesiæ, vt propemodùm totum agnum valeret comedere, & parum restaret, quod ignem oporteret absumere. Iam adulto non sufficiebat natalis regio, in quâ sitienter haurire posset, quæ diuinitatis consonant seruitio, sed viâ regiâ & angustâ animabatur ad ardua, donec iuuenili attritâ infantiâ, triumphali virtutum potiretur victoria.

piè educatur:

studiis incumbit profanis

& sacris:

C

5 Florebat iam dudum in *g* Gorziâ districtus cœnobitarum feruor, & ab eis vbiuis terrarum diffundebatur boni odoris dulcis vapor, quòd essent charitate & religione ceteris præstantes, & honestæ peritiæ auditorio redundantes. Quod vbi fidelis adolescentis aures seriò attigit, omni instâtiâ eò peruenire satagit, nec destitit donec votum effectu perfecit. Mox in suo habitu, eorum admittitur *h* collegio, componendus ab eis, vt diadema floribus, exemplo & imitando proposito. Perpendebat in eis quomodò Deum sitiens anima priùs timore compungitur, pòst amore accenditur. Mirabatur in illis rebus impleri, quod solâ lectione tenebat, quomodò alter alterum vigilijs & abstinentia præcedebat, vt ille hunc humilitate & obedientia præcurrebat: & cùm, vt dictum est, in eis florerent diuisiones gratiarum, in vno spiritu absque inuidia consummatum perfectionis conficiebant gradum. Vniuersa hæc mirabilis Heribertus vt prudens apis in se operc congerebat, & superior cunctis inferiorem se alijs protestans, omnes sibi indissolubili familiaritate deuinciebat. Carnis curam in desiderijs penitus calcauerat, mundo præeminens eius concupiscentias subegerat; vt breui discrimine à seruis Dei non ampliùs, cœnobitam mox professus, reuerteretur, nisi ad reuisendum patrem missis legatis expeteretur. Qui iuxta sententiam Apostoli dicentis: Obedite parentibus per omnia; Præpositorum benedictione & subditorum regreditur licentiâ. Statim comperto eius reditu *i*, Hildebaldus Wormatiensis Episcopus, in agendis canonicæ sanctionis tunc præcipuus, continuò eum ceteris sui præfecit obsequij: disponens ipsum post se insignibus sublimari Pontificij. Verùm quoniam non est in homine via eius, *k* breui pòst defungitur, & præter opinionem suam, alter loco suo substituitur.

degit in Gorziano monasterio:

h

vniuersis amatur ab Hildebaldo Ep. VVormatiensi, Col. 3. 20

D

i

k

6 *l* Otto iunior idem & tertius in fascibus monarchiam regebat, & vltra annos seruos Dei passim requirebat, requisitos amplectebatur & excolebat, & iuxta traditionem canonum dignitatibus extollebat. Is pretiosiorem carbunculo Heribertum ad se accersitum *m*, Archicancellarium & secreti sui voluit esse primum. Nec moras promouetur consecratione Presbyterij, vt, quantum ab homine, sine offensâ tanti tractaret commemorationem mysterij, & vt cælitus sibi salutis illaberentur consilia, quibus factis Augustus acquiesceret cum Romana curia. Vacabat eo tempore Wirtzburgensis Ecclesia, perfuncta sui *n* Pastoris sorte vidua, & Cæsar hunc Sanctum eidem exoptabat præfici: sed enixiùs renitens germanum *o* Henricum se iuniorem obtinuit eligi, inungi, sanctificari, magni vice Sacerdotij. Ipse verò lateri Principis indesinenter adhærebat, & Clero ac Primoribus ac plebi acceptissimus strenuè commissa gerebat. Quoties cum Imperatore Romam ierit & redierit, vtque Augustus arcem Imperij, res Italiæ moderando, disposuerit, potiùs regiæ videtur inscribendum Chronicæ, quàm in laudem Sancti violenter inflectendum. Illum aliquando Imperator Rauennea *p* reliquerat ad reconciliandos sibi industriâ suâ discordes; ipse Romam contenderat, ad comprimendos vi & armis rebelles & hostes. Hic superabat aduersantia mansuetudine modificante & iustitiâ: illi potestas nulla restabat, contrariâ Maiestate perterrita,

l creatur ab Ottone III Cancellarius,

m consecratur Sacerdos;

n

E

o renuit Episcopatum Herbipolensem:

p discordias Rauennatium tollit.

a *VVormatia vrbs Vangionum ad Rhenum, Spiram inter & Moguntiam notissima. Quod alij non* VVormatiensium progenie, *sed* Retenburgensium *ad* Tubarum *aut* Leiningensium *progeniem velint, mallemus auctoritate antiquorum probari.* — *Progenies.*

b *Alamannia eo tempore pro Sueuiâ superiore ferè accipiebatur inter Lycum & Danubium ad Orientem & Septentrionem; ad Occidentem verò Tugaam & Zurichgaam Heluetiam complectabatur.* — *Alamannia.*

c *Præerant eo tempore Duces Alamanniæ, ex quibus Hermannus obijt anno 948, cuius Ducatum Lutolfus Ottonis Regis filius accepit: ita Hermannus Contractus & alij. Verùm sub Ducibus varij erant Comites.* — *Duces & Comites,*

F

d *Reinbaldus, alijs Reymbaldus, Reginbaldus & Reginboldus.*

e *Acta S. Vdalrici Episcopi Augustani 4 Iunij referunt* anno 955 tantam multitudinem Vngarorum erupisse, quantam tunc temporis viuentium hominum nemo se anteà vidisse in vllâ regione profitebatur, eosque Lycum transcendisse, Alamanniam occupasse, totam prouinciam deprædauisse, & maximam partem igne combussisse. *Consentiunt illius seculi Chronologi.* — *Vngarorum irruptio.*

f *Sæpius Otto I VVormatiæ solitus erat morari. Certè* anno 961 in Italiam ire disponens, maximam suorum fidelium multitudinem VVormatiæ coadunauit, vbi consensu & vnanimitate procerum totiusque populi filius eius Otto Rex eligitur. *Ita Continuator Reginonis & passim alij. Sed ad anteriora Ottonis I tempora hoc matrimonium referendum est, cùm S. Heribertus circa annum 970 aut non diu post videatur natus.* — *Otto I VVormatiæ.*

g *Gorziense monasterium à S. Chrodegango, Episcopo Metensi haud procul ab ipsâ vrbe circa annum 740 extructum, diximus 27 Februarij ad Vitam B. Ioannis Abbatis Gorziensis, qui Egineldo Abbati, sub quo disciplina fuerat reformata, seculo 10 successerat. De S. Chrodegango egimus 6 Martij.* — *Gorziense monast.*

h *Vixisse ibidem eodem 10 seculo SS. Guibertum, & Machalanum diximus ad Vitam B Ioannis § 2, adde S Kadroen Metensem, cuius Vitam dedimus 6 Martij, & S Forannanum VValciodorensem Abbates, qui ibidem cum S. Ioanne sæpe sunt familiariter versati.* — *in eo Sancti.*

i Hildebaldus *siue* Hildeboldus, *si Bruschio fidendum, constitutus est* Episcopus 5 Ianu. anni 975, *non tamen, vt is tradit,* mortuus 4 Augusti anni 993, *cùm anno 997, Aulæ Imperialis Cancellarius Aquisgrani recognouerit donationes Ottonis III, tum 7 Idus Aprilis collegio Canonicorum S. Ioannis in insulâ fluminis Mosa* — *Hildebaldus Ep. VVormatiensis.*

A *Mosa à Notgero Episcopo Leodiensi fundato, quàm pridie Idus Octobris monasterio Epternacensi S. VVillebrordi factas quæ referuntur tomo 1 historiæ Leodiensis pag. 210 & apud Miræum in Notitiâ Ecclesiarum Belgij pag. 138. In priore intrusum perperam est nomen Siluestri Papæ, anno solùm 999 ad eam dignitatem promoti. Iterum Otto tertius apud Vghellum tomo 5 Italiæ sacræ pag. 269. Petro Episcopo & Ecclesiæ Comensi confirmauit Romæ anno 999 priuilegium de Clusis & parte Clauennæ,* quoniam, *inquit,* Villigisus venerabilis Archiepiscopus sanctæ Maguntinæ Ecclesiæ, atque Hildebaldus egregius Præsul Varmaciensis, reuerentissimi Consiliarij nostri, pietatis nostræ celsitudinem petierunt. *Hinc forsan apud Bruschium corrigendum,* obijsse 4 Augusti anni 999.

Otto 3 Imp.

k *Meliùs hæc de obitu eius breui subsecuto desunt apud Rupertum.*

l *Otto III in Germaniæ regnare cœpit anno 984, Imperatoris titulo & honore Romæ anno 996 à Gregorio V donatus.*

Cancellarius.

m *Rupertus,* primum Cancellarium *vocat & in titulo præposito* Archicancellarium. *Erat* Aulæ Imperialis Cancellarius *sub VVilligiso Archiepiscopo Moguntino, Archicancellario in Germaniâ & Petro Comensi Episcopo Archicancellario in Italiâ, vt suprà probatum.*

Bernvvardus Ep. Herbipol.

n *Est is Bernvvardus mortuus, si Bruschio fidendum,* 20 Septemb. anno 995, *& forsan seriùs, diciturque eiuem* Comes à Rotenburgh ad Tubarum, *&* S. Heriberti cognatus.

o *Hic ob breuem corporis statutam* Hezelinus *dictus est.*

p *Imò Romam secutus Imperatorem, & inde reuersus Rauennam: vti ex recognitione Priuilegiorum Ottonis Imp. de quibus suprà egimus, constat, si sequentia cum ijs conferantur.* B

CAPVT II

S. Heriberti electio & consecratio in Archiepiscopum Coloniensem. Ottonis III mors, & sepultura procurata.

a

7 Inter hæc Coloniæ *a* Metropolitanus à seculo migrat, & post exequias Clerus & populus de substituendo vestigat, nec omnino secundùm caussam Dei per scita maiorum & tradita: & idcircò vtrimque his & illis parti suę fauentibus diuiditur Ecclesia. Tunc eiusdem Sedis Apostolicæ *b* Præpositus, & ipse à suis electus, medium se offert in vtroque schismate; immeritum se & inutilem protestans tanto regimine. Sed sedatis omnibus sanam, ait, sibi videri & approbandam sententiam, Domnum Heribertum Archicancellarium eligendum, & ab Augusto expetendum per eamdem concordiam: cuius vitæ munditia singularis sapientiâ radiaret & virtutum luce omnium præ cunctis huius mortalitatis. Necdum perorauerat, cùm ab ore loquentis vniuersa multitudo coniubilat, attollens in excelsis voces, Deo gratias, Deo laudes, qui respexerit plebem suam & visitauerit, si Præsulem talem ab eo promeruerit. Ordinantur Maiorum meliores ex Clericis: qui commune decretum Italiam cum pastorali baculo perferant ad solium Cæsaris, cum quibus pro totius in idipsum assensu militiæ destinatur Comes Herimannus, vir probus & nobilis. Nulla fit dilatio properantium, ne quis malignantium fraude præoccupet salutem ciuium expectantium: & quia moris est Principum accusare moras tardantium, talia portantium. Post tot igitur emensos viæ labores, tandem ad Augustum iampridem Româ *c* egressum perueniunt; insignia præsulatus ipsi *d* prostrauerunt: legationem suam & suorum clementer expetunt acceptari, quam sine vitio & integrâ fide constabat ordinari. Releuat eos Imperator benignâ consolatione, & in spem suæ petitionis inducit fixâ promissione, & si qui essent qui obuiare pertentarent huic vnanimitati, proculdubio repellerentur importunitate suâ iure repudiati. Taliter à conspectu eius egressi, succedunt hospitio, iter suum & caussam committentes indiuisæ Trinitatis arbitrio.

in schismate Coloniensi b

eligitur Episcopus:

C

missa legatione expetitur apud Imperatorem

c

d

8 Imperator subtristis quidem pro morte prioris gratulabatur in desideratâ sibi restitutione Heriberti mox futuri successoris, qui, vt dictum est, Rauennæ positus pro cohibendis seditiosis, totam regionem tranquillam effecerat formâ & moderamine suæ conuersationis. Ad eum propriâ manu scribit epistolam in hæc verba, dono pollicens cum pallio Coloniam: Otto Imperator solâ Dei gratiâ Heriberto Archilogothetæ gratiam & Coloniam & pallij cubitum vnum. Obstupuit repentè vir Dei super inopinatâ Dei prouidentiâ, & extemplò domum Domini ingressus, pronâ reuerentiâ terræ procumbens, nomen eius benedicebat, & superexaltabat laudabile & gloriosum in suâ magnificentiâ. Deinde in crastinum assumptis suis, cum *e* Episcopo loci pergit ad palatium, & in oculis suis solito humilior, nulli contiguę suæ exaltationis prodit mysterium, Comitibus dumtaxat aperiens Præsulis Agrippinensis recentem obitum. Perueniens itaque ad Principem, infinito excipitur amore, amplectitur, exosculatur familiarissima deuotione, vtpote de cuius integerrima fide penè totus pendebat, & cui specialiùs animæ suæ salutem vlteriùs committere habebat. Educuntur ad medium Legati ciuium, & in consessu Pontificum & Magnatorum consonam electionem fatentur suam & suorum, seruum Domini Heribertum donari & transmitti expetentium Beati Petri in Sede ipsius Vicarium. Annuit Augustus eorum preci votiuâ clementiâ: fauet in idipsum tota curia vnâ consequentiâ, prudentissimum hunc & meritum inculcans animarum pontificium: in quem distillari iure deberet à Spiritu Paraclyto Patris & Filij benedictio. Vir autem sanctus è diuerso actus suos accusare, notâ sibi conscientiâ: nil eorum in se, quæ oportet Episcopum commendare: onus vitæ suę sibi grauissimum: vereri se propter se populi Dei lapsum & scandalum. O pia humilitatis defensio, quæ alto euehitur alarum remigio? vincitur ab omnibus obiectâ sibi obedientiâ, quâ neglectâ contrahitur offensa, & quâ perfectâ reatus omnis aboletur & pœna.

D

AVCTORE LAMBERT litteris à Cæsare acceptis, ad eum properat:

e

benignè excipitur:

E

detrectat Episcopatum:

9 Defertur ob id à Româ ipse Petri baculus, & præsente *f* Papâ per eum vas electionis Heribertus Agrippinæ Coloniæ creatur Episcopus: & decenter Matres Ecclesiæ, quæ vnius erant patrocinij, mirabili vnius confœderabantur tenore participij. Inde paullò plùs duobus mensibus agit cum Cæsare, pòst ab eo absoluitur cùm multo mutuæ caritatis fœdere. Tum ad confessionem cælestis ostiarij ascendit, à *g* Domno Apostolico Pallium exposcit & accipit: & sic cum auctoritate eius ad Sedem suam gressum dirigit. Expletur breui prolixum viæ spatium, prosperum facit iter ei Deus salutarium: cùm compatriotæ Pontifices, comperto ipsius introitu, longè illi occurrunt cum plurimo obsequentium ambitu. Iam in proximo erat metropolis suæ vicinia, cùm præmittit Pallij insigne, & reliqua sacerdotalia: ipse procùl ab vrbe nudis procedit pedibus in asperrima hyeme, & illo igne accensus, quem Dominus misit in terris, prorsus carebat frigore. Mens eius omnimodò supernis infixa flagrabat: os hymnis, psalmis & orationi vacabat: transfigurans in se, quas executurus erat vices Christi, & quâ. tam Sacerdotem curam habere deceat gregis sui: hoc actu, hoc schemate à circumlatero Præsulum agmine perducitur fidelis Samuel ad Petri limina, vbi excipitur cum processione plenariâ, & eo modo inductus in domum Domini sublimatur in suâ Cathedrâ, ipsâ natalis Domini vigiliâ. Laudatur Deus secundùm multitudinem misericordiæ suæ in choro & organo, coronis, lampadibus, & omni decore suo ornato sanctuario. Non fuit similis lætitia in Coloniensi populo: nec frustrà, qui tali Rectore protegi habet perpetuò. Inungitur à Suffraganeis chrismate principalis olei: redimitur ecclesiasticis sponsalibus in dotem Catholicæ fidei: stigmata Iesu in eius corpore vniuersa canonicè perficiuntur: chorus & reliqua multitudo letanijs & supplicationibus accinguntur. Consona-

f

designatur:

g

pallium accipit:

F

regreditur Coloniam:

vrbem nudis pedibus ingreditur:

sublimatur in Cathedra

& consecratur:

AVCTORE LAMBERT.

A sonabant & indicia boni testimonij, vt, cùm ab Episcopis aperiretur textus Euangelij, vltrò ingereretur lectio Isaici vaticinij: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me: euangelizare pauperibus misit me. *Isai. 61. 1*

10 Quis expediat qualis post consecrationem vixerit, quantum pro conseruandis in pace subditis prædicationi inuigilauerit, vt pauperum hospitum subueniret inopiæ: vt de longè & de propè mœstorum & degentium consolandæ instterit penuriæ. Vigebat in eo viua lectio Iobi, Oculus fui cæco & pes claudo, pater eram pauperum, ostium meum viatori patuit, sinistrorum opus & eorum declinans cœtum, vt dextris vniretur, quibus promittitur & cum benedictione datur regnum. Erat interim Lia lippa & Martha laboriosa, vt per has postmodùm fieret Rachel pulcra & Maria, parte quæ non auferetur electâ. Meriti & virtutum eius nullus finis, præsertim cùm soli Deo placere desiderans, vitam suam absconderet & amicis: timens ne oleum peccatoris impinguaret caput eius, & lingua adulantium immutaret gloriam B conscientiæ eius; ac per hoc, vt Beata Cecilia, etsi auratis & mollibus desuper tegebatur, intùs ad carnem cilicio vtebatur: & si necessariò occupabatur exterioribus, semper circumspectus, & sui benè memor, non dimouebatur à spiritibus. *Iob 29. 15* *virtutibus excellit:*

11 *b* Nouissimè Augustus Italiam non rediturus ingreditur, & vndique validâ collectâ manu, iterum insurgentes in se irrumpere & conterere nititur. Virum Dei ad eumdem comitatum secum inuitat, quòd, vt dictum est, de salute suâ in eum cunctis vberiùs confidat: vt si quando armis defieeret, consultu huius & prece proficeret. Inter viandum vterque de communi animæ commodo ad inuicem pertractat, quid memorabile secundùm Deum post se posteris relinquat. Placet ambobus, vt quilibet eorum sospes reuerteretur, quocumque casu alter detineretur, de rebus hæreditarijs ædificaret decens cœnobium, titulatum Dei Genitrici, Matri & Virgini Virginum. Protinus ad id operis eidem Archipræsuli contradit Cæsar optima maiorum suorum prædia, legibus rem chartâ & atramento roborans sub assignatis testibus. Deinde Romæ proximans, & diuiso exercitu aduersantes sternens & populans, non multò pòst in *i* Patyrna castro per mulierem veneno perit, quod in gestis eius, si qua sint, pleniùs inuenieti, si quis addiscere C velit. Inter Optimates statim de subrogando exoritur controuersia: vnde & Henricum tunc Baioariorum Ducem eligunt & substituunt ratâ concordiâ. Seruus Domini Heribertus huic aberat consilio, quoniam & speciali mœrore turbabatur pro priore Domino, & quod viuens eum adiurauerat, vt *k* Aquas, delatus ibidem sepeliretur, ac per hoc super ipso occupabatur, quemadmodùm id efficeretur. Verùm dedit ei Deus virtutem & fortitudinem, & inuitis & insequentibus Romanis, transfert cadauer Senioris Cæsaris per ferrum & hostium sanguinem, donec Aquas delatum vt voluit, in choro S. Mariæ, vt in promptu est, terram terræ reddidit. Imperialia, quæ penes se erant, recens electo Principi contulit, & Optimatum in hoc vnanimitati resistere, & si ad modicum voluit, omnino non valuit. *b abit cum Ottone III in Italiam:* *in via accipit ab eo prædia pro constructione monasterij,* *i* *eius veneno sublati corpus,* *k Aquisgranum defert.*

Euergerus Archiep. Colonien. a Euergerus, *in Necrologio Sibergensi dicitur* pridie Idus Iulij defunctus, *ergo anno 998, ac per dissensionem Sedes diu vacauit. In antiquo* Chronico Coloniensi *dicitur* electus anno 983 & annos quindecim sedisse.

b VVeselinus *à Ruperto appellatur.*

c *Rupertus asserit discessisse* in territorium Beneuentanum.

d *MS. Rubea-Vallis*, prostrati erexerunt.

Leo Ep. Rauenna. e *Hic est* Leo, *seu* Neo, *alius etiam* Neomutus & Hermutus *dictus: de eo Rubeus lib. 5 pag. 276. vbi & S. Hereberti meminit tunc Rauenna degentis.*

f *Ita codices 3 MSS. at legendum videtur*, præsente Ottone Imp. *Rupertus abstrahit, scribitq́;* Beneuenti Pontificalem ei honorem datum VII Idus Iunij.

g *Hic est Siluester 2, antè* Gerbertus *Archiepiscopus Remensis & dein Rauennatium, qui post obitum Gregorij* V ad Apostolatum festinus conscendisse *traditur ab Helgaldo monacho Floriacensi eius discipulo.* D

h *Anno* 1001 *hac potissimùm facta sunt: quo anno Papia existens confirmauit x Kal. Iulij Petro Episcopo Nouariensi omnia suæ Ecclesiæ priuilegia: quæ* Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi recognouit. *Consule Nouariam Caroli à Basilica Petri pag. 311. Vghelli Italiam sacram tom. 4 pag. 955. & Annales Baronij an.* 1001 *num.* 10 & 11. *Otto 3 & S. Heribertus Papiæ an. 1001.*

i *Dithmarus lib. 4 scribit*, in Paternâ vrbe pustellis interiora prementibus, & interdum paullatim erumpentibus infirmatum, IX Calend. Februarij exiuisse ab hoc seculo. *Petrus Damianus in Vita S. Romualdi 7 Febru. num. 53 ait*, à Româ reuerti incipientem mox languore correptum apud Paternum defunctum esse. *Ademarus monachus S. Eparchi, auctor coæuus, scribit in Chronico* haustu veneni in partibus Beneuenti perijsse. *Hinc vbi castrum Patyrna aut Paternum fuerit liquet, scilicet circa Fucinum lacum apud Marsos in vlteriore Aprutio, tunc in partibus seu Ducatu Beneuenti situm. Annus obitus eius fuit* 1002, *dies* V, *alij* X, *alius* XII, *Ditmaro*, IX Kalend. Februarij. *Otto 3 Paterni obit an. 1002.*

h *Marianus Scotus, Hermannus Contractus alijq́; tradunt* intestina Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepultum.

CAPVT III

S. Heriberti opera pia: eleemosynæ, monasterium Tuitiense constructum; miracula.

12 Laborabat exoccupari vlteriùs curis vitæ huius, quibus eum salubriter occupabat Ottonis amor profusus: ac per hoc solis Ecclesiarum intendebat caussis, in eis destructa reformans de redditibus suis, de residuo pauperes recreans visceribus pijs. Periclitabatur fame depressa Gallia & Germania, & Domini seruus magnopere instabat, vt eorum medicaretur inopiæ, adeò vt Colonia infinito talium repleretur populo, & omnes eius viderentur compassionis oculo, & per fideles ipsius alerentur vestitu, cibo, & poculo: seorsum eis hospitia disposuit, & pro varietate languorum annonam instituit, & vt singulis competebat sollicitudinem adhibuit, ipse secretò priuatus ad eos descendebat, & pedes eorum abluens & abstergens, imbecillitati eorum vehementer condolebat: dominos & fratres eos nominans, si quo indigerent, ab eis prudenti astutiâ perquirebat, & sic erga ipsos exercitatiores eorum ministros faciebat. Per alias etiam vrbes familiarissimos animæ suæ Clericos idoneos habebat, quibus & certæ pecuniæ quantitatem clàm dirigebat, vt in similes vsus ab eis fideliter expenderetur, & eâ expositâ identidem ab eo alia repeteretur. Cùmque sequentibus annis emendatâ terrâ, in sua qui possent redirent; rogabantur à benigno patre, vt ab eo quod vellent peterent & inuenirent. *In fame publica pauperibus subuenit:* *hospitale erigit:* *pedes abluit:* F *pecuniam ad vrbes alias mittit pro egenis:*

13 Factum est & aliâ tempestate, vt messis omnino deperiret præ siccitate, & alter Elias, saluo Ioanne Baptista, ad nota præsidia confugiens à Deo monuit esse quærendum, & Clerum & populum hortatur tridui afflictione secum atterendum, vt pariter quotidiè votiua Sanctorum frequentarent patrocinia, & conculcatos & humiles eorum adiuuarent merita. Sic pastor & emeritus greges suos ante se ducebat, ipse subsequens sua & eorum peccata deflebat: obsecrans vt ab Altissimo impetrarent misericordiam & miserationes, & ne despicerentur tot gemitus & orationes. Secundo processionis die à *a* S. Seuerino egredientibus, & ad egregium *b* Pantaleonem Martyrem diuertentibus Sacerdos magnus in timore Domini, vt moris est, sequebatur, & columba capiti eius crebriùs imminens candidissima à quibusdam videbatur, quibus à Deo dabatur. Vt autem eò peruentum est, vbi S. Seuerinus *c* B. Martini vidit ascensum, & Angelorum pro exaltatione eius audiuit concentum; ter verticem ipsius circumuolans apparuit, & alta repetens denuò non comparuit. Credebatur & ferebatur in hoc ingens *in nimia siccitate instituit supplicationes publicas,* *a* *b* *in iis honorari visus à columba circumuolitante,* *c*

A gens figurare mysterium, vt familiari sibi alite Spiritus sanctus hominibus suum proderet sacrarium. Tum Missas, illâ suâ nobili assiduitate cum eis tenens, & eis finitis, frequentiam cum benedictione dimittens, domum regressus, cum domesticis ad mensam discumbit, & inter prandendum totus eius & suorum sermo de enormitate peccati incumbit, soli sibi imputans, quòd non exaudiuntur alij, & intemperiem aëris suo ascribebat reatui: ergo manus inserens digitis, caput suum in mensâ posuit, & ad Deum conuersus, sufficienter ingemuit: sed quid eius Spiritus cum Deo sit locutus nemo vnquam scire potuit. Mox à mensâ cum S. Scholasticâ capite leuato inundantia pluuiæ erupit, & eiusdem anni frugum fertilitas immensa fuit. Horum numquàm laudem appetijt, nec recepit, sed in omnibus his Creatoris nomen magnificari prædicauit & fecit.

imputat malum suis peccatis,

impetrat pluuiam:

14 Prætereà recordans pactæ cum Ottone Augusto, fidei pro fabrica cœnobij, diligenti instantia perscrutabatur situm in loco habili. Fiebat res molesta & in scandalum quærenti & non inuenienti: cùm ei visa est ipsa Mater Domini, post protensas excubias parum quid ante diluculum quiescenti, dicens, preces eius super hoc admissas intra sacrarium exauditionis, ac per hoc iubens in Diuitensi castro monasterium construi, designato ordine cuiusque habitationis. Continuò venerandus paterfamilias somno excutitur, Dei filius & eius Genitrix ab eo adoratur & benedicitur, & accersitis Officialibus locus idem mundari præcipitur: & euerso publico horreo spatium complanatur, & in *d* largum extenditur: vt vbi antiquitus colebatur area dæmonum, decus exurgeret Dei & Sanctorum omnium. Iacta locantur fundamenta; proficit in altum operosa maceria, & ocyùs quàm quisquam ratus erat, opus ipsum plurimo cultu condecoratur, sed felicibus auspicijs consummatur. In vno Dominicæ Crucis expoliendo patibulo quædam difficultas erat, & in quocumque ligno dolarent artifices, non procedebat: vt & in hoc meritum Sancti proderetur, dum per eum congruum inueniretur. Suæ diœceseos quosdam Fratres visitandi gratia processerat aliquò, non multùm à suæ sedis confinio: cùm ad mensam recumbente eo in pomerio, annosa pyrus oculis eius objicitur: à cuius trunco extensis in directum brachijs figurata vnguetenus Crux emittitur. Qua curiosiùs inspecta, in gratiam Dei erumpit pro omnibus quæ sibi tribuit: & amputatam dolatoribus compositè formandam dirigit. Quæ vt in palam est vltrà non defecit, & omni compage suâ perfecta prouenit.

B *monasterii Tuitiensis extruit;*

d

lignum pro Cruce formanda cùm nullum inueniretur, aptum,

miro modo inuenit:

C

16 Prætereà in eadem ecclesiâ cumulatis Sanctorum pignoribus altare dedicatur, vt profectui murorum consecratio adhiberetur & honor Deo pronior habeatur. Archisacerdos Domini primum Abbatem *e* Fulbertũ loco præponit, cœnobitas fideiussores animæ tertij Ottonis & suæ ibidem ponit, & in vsus quadraginta Fratrum abundantem omni tempore stipem disponit. Verùm siue quoniam inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum, seu quoniam in hac rerum mutabilitate nihil est immutatum; nocte vnâ, finitis Matutinis, & egressis Fratribus, eadem fabrica in vnum fuit aceruum, euersa funditùs. Quod Sacerdos egregius certâ relatione comperiens, & aduersos casus æquanimiter tolerare præsciens, à primordio repetens, eidem animatur operi: & priores à loco lapides efferens, extruendis destinat officinis monasterij. Inde ad modum naualis mali in altum effossâ terrâ, fundamentum firmat in solidâ petrâ, primis peritiores architectos ab externis finibus exquirens, & eis disciplinâ totius structuræ committens. Quapropter mirabili velocitate perfecit, propitio creaturarum opifice, & quinto nonas Maij dedicauit in lætitiæ & exultationis plenitudine. In muris illis & in domo illâ omni

e

fabricam collapsam restaurat:

tempore Trinus & vnus Deus solenniter honoratur, sancta Virgo Virginum cum Sanctis omnibus veneratur, vt eis intercedentibus perueniamus ad societatem eorum, vbi perpetuò laudemus Dominum viuentem & regnantem in secula seculorum. D

AVCTORE LAMBERT.

16 De virtutibus Sancti, quas in vitâ suâ per eum Deus operatus est, aliqua sunt prælibanda, quarum attestatione non scripta comprobanda sunt & commendanda. Dominicâ sancta Palmarum Clero præuio & sequente populo ad basilicam *f* S. Mariæ deuenerat: vbi in eminenti stans, disputare gregi suo decreuerat de perditissimâ protoplasti inobedientiâ, & de spe resurrectionis, & gloria; cùm à longe in plebe catenatum videt dæmoniacum, qui suorum ducatu diu per terram lustratis Sanctorum patrocinijs, nullũ admisit solatium. Intendebat in miserum hominem totus affluens pietatis visceribus, & prædicationem interrumpens, soluebatur in planctum & gemitus: cùm idem vinculatus custodes exorare cœpit, vt ferro & nexibus enodaretur, & sermone Sancti liber pasceretur & recrearetur. Expertum est ab eis, & obtentu Heriberti in reliquum vixit sanę mentis. Notata fideliter est hora compunctionis, & ipsa inuenta est momentum liberationis. E

f

Liberatur energumenus:

17 Memoratus Abbas Fulbertus Diuitensis Ecclesiæ capitis & oculorum molestia laborabat incommodè. Is ipso dolore compulsus ingreditur ad Archiepiscopum, simpliciter profitens, se per eum consequi posse remedium, asserens se per visum admonitum, si aqua manibus eius elapsa caput infunderetur, quâ in sacramentis vteretur. Repellit à se hominem cum iniuriâ, improperans non[esse se]beatum virum respicientem in insanias falsas & inania: sufficeret totius corporis lauacro pleno Rhenus alueo. Sic quippè vt scriptum est, metuebat humilitatis suæ securitatem perdere, quemadmodùm solent auari diuites perituras diuitias custodire. Repulsam suam patienter ferens Abbas, etsi ad modicum erubuit, tamen aquam clàm à ministris obsequij obtinuit, lauit, conualuit.

sanantur aqua lotionis manuum eius in Missa Abbas Fulbertus à dolore capitis & oculorũ,

18 Simile quid & mulieri cæcæ contigit, quæ dum se vino manuum eius post Sacramenta medicandam in visu conspicit, videt mox vt experimentum facit.

& simili vino mulier cæca:

19 Paralytica quædam omni membrorum compage soluta, officio vitæ & vtilitate destituta, sanari se Sancti benedictione dormiẽs videt: & somno excusso, per amicos salutis suæ negotium explet. Transeunti Præsuli facit se objici, & auras clamore replens, ingeminat se ab eo respici, sicut beata Cananæa rogabat Dominũ pro filia, donec intercessoribus Apostolis exclusa est diaboli nequitia. Præterierat, non despiciens oratem, sed turbam euitans sibi pro talibus fauentem: vnde & à pedissequis exquirens quid petat, quid velit; agnita caussa eminus signum Crucis edit, & sic ægra veniens sospes erigitur, & nullo opitulante alacris regreditur. F

benedictione paralytica;

20 Persona nobilis quidam, Clericus ipsius & Vicedomnus, cum eo gradiebatur ad palatium, cum repentè acerrimè occupatur à vi febrium. Erat lãguor fortissimus; vt non remaneret in eo halitus, & omnimodò vita eius desperaretur, & de funere & exequijs tractaretur. Ingreditur ad visitandum eum Sacerdos Altissimi: superponit manum ex mandato iacentis capiti: munit eum viuificæ Crucis signaculo, & potat eum aquæ salubri poculo: & mox egrediens, accingitur pro eo Missarum mysterio. Quibus finitis, intimè compatiendo ei reuertitur, & meliusculè valentem reperiens, consolatione attollitur: atque iterum egressus, & paratæ mensæ accumbens, transmittit ei de sibi appositis. Quibus vberrimè refectus, lectum relinquit ægritudinis, & præcurrens ex more vices sui exequebatur ministerij in agendis, quæ tanto debebantur Pontifici. Priuilegium humilitatis

periculosa febri Clericus

A litatis eius & prærogatiua cuius, vt dignum est, exprimetur linguâ?

AVCTORE LAMBERT

21 Egenus erat peculio, pagano onustus infantulo, quem per totam vrbem baiulans à nullo Sacerdotum poterat exigere, vt aquæ salutis eum dignaretur immergere: quòd hi sui pompâ penuriæ huius non attenderent, isti dissimularent, nisi quæstum acciperent. Mirum quòd qui intendere deberet expellendæ suæ necessitudini, eius oblitus fideliter filio fontem exquirebat lauacri: & qui pro sui despectu primo aditu poterat deficere, importunè instabat à se non renati culpam auellere. Videtur ergo, sibi non succurrentibus alijs, speciale procedenti Heriberto, omnibus omnia facto, obuiare; difficultatem quâ premebatur intimare; solum eum qui sibi subueniret restare. Ventum est: dictûm est. Descendit promptissimè ad fratres: dat futuro per baptismum filio albarum vestes: immergit eum baptisterio, & eumdem suscipit à baptisterio: delegat ambobus stipendium, & dum vni subuenitur, fit duorum solatium: & vt totum super eodem concludatur, præteriens de mensulâ B eiusdem pauperis se inuitantis, coram omnibus libare non dedignatur. Sic mundi Redemptor ad filium Reguli non descendebat, ad seruum Centurionis ire paratus erat.

puerum mendicum ab alijs contemptum baptizat:

22 In diebus huius Galliâ secunda arctabatur famis angustiâ, & per turmas dispergebantur, quocumq; audiebatur suâ fœcundior patria: præcipuè [respiciebant] ad paternum Heriberti gremium, iam pridem expertũ sibi familiarem & domesticum. Super hoc in omni terrâ celebre nomen eius innotuit, ac per hoc nudus, famelicus, & sitiens ad eum confugere disposuit: cum quibus & Clericus mendicans venit Coloniam, vt per eum suam exhauriret inopiam. Admiscetur agapen quærentibus (nec enim quæstio aut mora fiebat ingredi volentibus) sed despectui sibi erat, & quòd abundabat in turbâ populosiore, & quòd priuato non excipiebatur honore. Quocircà in vlteriorem impellitur Saxoniam, Heriberti nihil habens eleëmosynam, & tendens in altum cadit ab alto: & nullo se curante fit pessimus latro, sanctuaria violat, sacrilegium perpetrat, & dum pretiosam margaritam fugit, præda dæmonum mare subit. Noctu cùm furatis sarcinulis fugam inijt: non dormitat: non loco quiescit: fugit tamquàm calcetenùs prosequatur: non desistit dum malè vsurpatas distraheret *g* rescellas, quasi iam non quidquam petens ad fores pulsaret externas. Sed dum C euadere nititur vindicem, incurrit in iudicem, & contiguus Coloniæ comprehenditur à quodam negotiatorum præposito, & statim custodiæ mancipatur sublato publicè latrocinio. Insequuntur amissorum possessores peruasoris vestigia, nec quouis subsistunt, donec ad neruum catenati veniunt per indicia. Expositæ res agnoscuntur, agnitæ repetuntur, repetitæ redduntur, redditæ referuntur. De solâ cruce versabatur iudicium, nec erat spes euadendi periculum: dilatio nulla in crastinum, quin deficeret per suspendium. Notitia gestorum Domnum adierat Metropolitanum; cùm sibi iubet sisti, iudices & iudicatum, animaduersionem suam simulans se in eum intendere, aliud corde prætendens veritatis facie. Adducitur, sistitur, de arte disquiritur, disquisitus scriptorem se fatetur, & inter verba pro veniâ exorat, vt sui misereretur. Non, inquit, vltio sinit te viuere, qui fœdissimè te subegeris infamiæ, & Clericale decus ad dedecus violentus intorseris, qui modo tuo contentus superflua appetere non debueras. Tradit igitur eum seruandum egenorum procuratori, ipse iustâ horâ ad mensam discumbit, quid reo faceret secum consilio pertractâs altiori. Tum vt moris est in eâ frequentiâ alia curantibus, accito custode, clàm mandat, vt copiosè reficiatur Clericus: inde datâ ei argenti librâ ambulatorio Episcopi eum imponat; ipse comitans, donec

benignus in pauperes:

Clericum reum mortis obiurgat:

& mira simulatione liberat à supplicio:

D eum tutæ libertatis viæ reponat. Sic Dei filius clausos inferis soluebat à tenebris: sic perditum hominem cruce redemptum restituebat Superis: vnde & is qui iure mori poterat pro iniquitate, pœnitentiæ seruatus est abundanti caritate.

a *Fundata & dotata ecclesia cum collegio Canonicorum ad honorem SS. Cornelij & Cypriani à S. Seuerino Episcopo Coloniensi, sed istorum Martyrum penè abolito nomine deinceps ecclesia S. Seuerini est appellata: cuius sacrum corpus ibidem adseruatur, sarcophago inclusum, auro, argento & gemmis præstanti. Obijt & colitur 23 Octobris.* — *Ecclesia S. Seuerini.*

b *Est celebris Benedictinorum Abbatia, à S. Brunone Archiepiscopo Coloniensi, fratre Ottonis primi Imper. fundata, vbi aliqua antè traditur ecclesia S. Pantaleonis extitisse, quæ ad huius Vitam 27 Iulij erunt excutienda.* — *monast. S. Pantaleonis.*

c *Historiam hanc refert S. Gregorius Turonensis lib. 1 de Miraculis S. Martini cap. 4. obijt is anno 397. vt alibi ostendimus.*

d *MS. S. Maximini*, in longum distenditur.

e Fulbertus, *alijs* Volbertus.

f *Est ecclesia Collegiata S. Mariæ in Capitolio à Plectrude vidua Pippini Herstallij dotata.* — *Ecclesia S. Mariæ.*

g *Rescella pro recula vsitata à Carolo Caluo in Edicto Pistensi. Consule Vossium de Vitiis sermonum pag. 575.* — *Rescella.*

CAPVT IV

Simultas inter SS. Henricum Imperatorem & Heribertum exorta & sublata. Comparatio S. Heriberti cum alijs Sanctis.

23 DIcendum ab hinc, Henricus Augustus quamobrem Christi militem diu suspectum & infensum habuerit, videlicet, vt aiunt, quòd primo electionis suæ tempore imperij insignia ei cum dilatione concesserit, & quòd in alterum diadema transferre tentauerit. Mansit inter seruos Dei *a* simulatæ pacis longa discordia, & maior à minore plùs iusto portabatur inueteratâ patientiâ, quòd ab eo crebrâ premeretur contumeliâ, imponendo dona & mandata ad rem non attinentia. Ad vltimum Coloniam eidem iratus nimiùm deuenit: quem officiosissimâ vir Dei assumptione excepit. Proposuerat namque seueriùs eum arguendum, &, vt sibi videbatur, certæ infidelitatis causâ affligendum: cùm imminente nocte per spiritum soporato Cæsari persona Sacerdotalibus infulata, terribilis apparuit, & eum cum auctoritate, ne quidquam sinistri vlteriùs in seruum suum Heribertum moliretur, interminando exterruit. S. Petrum F hunc fuisse conijcio, etsi neque dictum neque scriptum inuenio. Sic *b* Alexander Magnus cùm Hierusalem conaretur irrumpere, territus est à simili pontificij veteris imagine, prohibente, ne quam vim suis inferret ciuibus, nisi gratus sibi esset præsens vitæ exitus. Sequenti die cùm procederet ei Iadus Pontifex cum stolâ, de curru exiliens adorauit eum reuerentiâ pronâ, dicens: Non hunc adoro, sed eum, qui mihi per visum uisus est eodem modo. In crastinum igitur sedit Augustus ex industriâ graui facie, & per internuntios exigens immensam pecuniam à beato Præsule, Deum corde laudabat, quòd ab ignorantiâ suâ & indiscretione meruerit liberari, & condignum cælis Sacerdotem didicerit venerari. Stabant qui in multis falsis instanter accusarent eum, & vir Domini non ampliùs ferens persecutionis huius flagellum, suffusus lacrymis ingreditur ad Principem, coràm conquerens passionis suæ morosam intemperiem. Delictum suum in eum se nescire, neminem id sibi posse obijcere, & ex vero diffinire: satiùs sibi de reliquo præsulatu abstinere, quàm tot malis vrgeri, & numquàm requiem habere.

S. Henricum Imp. à maleuolis incitatum,

patitur aduersarium

cælitus monitum,

innocentiæ cedit:

24 Ad hæc Augustus de throno prorumpit, & in amplexus ipsius exosculando reuerenter incumbit: se reum ac deprauatum iniquorum consilio confitens, &

triplici osculo reconciliatur:

com-

commissi veniam, suppliciter expetens. Non erat iste A labor in Heriberto, sicut nec in Martino difficilis, & Euangelico more ex corde indulget omnibus offensis. Tum trino fœderantur osculo sub Trinitatis testimonio, aduersarijs suis erubescentibus, & per prona fugâ delitescentibus. Deinde viri Dei suo iuxta se componuntur solio, vtiliter summa tractantes super statu & Imperij negotio. Eadem nocte expletis Matutinorum vigilijs, viua Dei hostia solus pernoctabat in psalmorum & orationum excubijs; cùm Imperator Clerico vno comite oratorij ostium pulsat, & aperto sibi silenter solus subintrat. Duobus in vnú ita positis, Imperator chlamydem abijcit, remotis arbitris pedibus Sancti aduoluitur, se peccasse, se reum prosequitur: erroris memoriam remittat, seriò sciens, quòd nec in eum deinceps aliquam suspicionem habeat, neque alicuius accusationem admittat. Erigit præproperè Præsul à terrâ Dominum; stupet humilitatis eius animum & habitum; protestans hesternam reconciliationem sufficisse, vestigia in se præteritæ offensionis nulla resedisse. Addit etiam post discessionem ab inuicem vlteriùs se non visuros, vt in eo aduerteres prophetiæ oculos futurorum scios. Hęc vt acta verè credantur, ab eodem relata sunt, vt verè dicantur. Mirum quòd Sancti ab alterutro aliquoties dissentiunt, sicut in Actis Apostolorum Paulus & Barnabas, & Sanctorum in Scripturis quamplures faciunt. De peruersis & iustis nihil mirabile, si vni non inserantur concordiæ: quoniam nulla conuentio Christi ad Belial, nec societas luci ad tenebras, nec pars fideli cum infideli. Verùm hæc sunt incomprehensibilia Dei iudicia, & inuestigabiles viæ eius, & occulta consilia: non enim quis nouit sensum Domini, & consiliarius eius fuit, & ostendit ei, & prior dedit illi, & retribuetur illi: quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula.

in terram se proijcienti condonat:

B

Act.15.2

25 Non multùm in Sancto hoc exteriora sunt attendenda miracula, communia magis Ægypti & operarijs iniquitatis exclusis à regno, dicentibus: Domine in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Et fatuæ virgines à beatitudinis aulâ secluduntur, quæ & virgines dicuntur, & tamen non recipiuntur. Tot & tanta scripta sunt, vt ad fidem meriti eius sufficiant, quæ, si singula visa & audita de eo scribantur, modum excedant. Erat ei, vt nihil supra, familiare & solenne in commemorationem Dominicæ Crucis Missas tenere, C vt eò licentiùs interior obtutus eius infigeretur, quò à beatis mundo corde contemplatio diuina videtur: vbi aliquoties adeò interiori rapiebatur Spiritus sancti subtilitate, vt, quod numquàm aut raró auditú est à paucis, vix exteriùs perspici posset in ipsâ faciei suæ humanitate. Beato Martino Sacramenta offerente, globus igneus super caput eius videbatur, & fragor gemmarum adinuicem collidentium in digitis eius audiebatur: sed de facie eius non visâ simile quid non recitatur. Et quoniam vtcumque eum contulimus Martino, considerandum est, quemadmodùm conferendus sit magno Laurentio, cuius iustitia manet in seculum seculi, quod dispersit & dedit pauperibus & per eum Ecclesiæ facultates in cælestes thesauros deportauerunt pauperum manus. Quis mœrens & desolatus Heriberti leuamine non est consolatus? Quis quolibet indigens necessario ipsius promptissimo non est fultus subsidio? Famosissimus nominis altitudine, stipatus obsequentium condensâ multitudine, descendebat vno contentus puero clàm ad salutandam egenorum matriculam, sicut craticulatus Laurentius Lucillum nocte illuminatum visitabat, & Ciriacam viduam, & pauperum pedes, qui in domo eius conuenerant, cum lacrymis abluebat, & ecclesiasticum censum eis vberrimè expendebat. Ita lux mundi & sal terræ Heribertus, contentus præsentibus, iuris sui red-

Matt.7.22

excellit cum S. Martino in contemplatione:

cum S. Laurentio in eleemosynis dandis:

D ditus & victuum sumptus liberalissimè in non habentium dispergebat vsus. Ardebant coram eo, credente in lucem & filio lucis, per noctem clara luminaria: quiescebantque cum eo Clerici viri probi in omni castitate & munditiâ, qui eius ineffabilia virtutum viderunt & agnouerunt, & per eos mundo innotuerunt.

26 Contigit aliquando negligentiâ, vt casu eidem extingueretur lucerna, & cubiculum & dormientes remanerent in tenebris: sed vir Dei in circuitu suo claritatis perfunderetur radijs, & in strato suo recubans Deum profusis exoraret precibus, defixis in cælum oculis & erectis manibus. Quod vnus eorum qui intererant somno excitus vidit, & expalluit, & vera dicens testimonium perhibuit, id non semel protestans accidisse, quod multoties constabat eum vidisse. Sic Archileuita Vincentius victorioso magnificus martyrio, tenebris horrendi clausus ergastuli, cælitus emissâ luce illustrabatur à Domino, & venerando Angelorum fouebatur obsequio, & mulcebatur alloquio. Sic Benedictus Pater substratis sibi transitorijs, speculatione euectus in alta, machinam vniuersam habuit sub oculis, quando & Seruandum Diaconum magnæ perfectionis virum, mirę visionis testem adhibuit, & Germani animam in sphærâ igneâ ab Angelis in cælum deferri videre promeruit. Quorum virtutibus & conuersatione in terrâ positus non effulgeret, qui sic Omnipotenti & eius militiæ placeret? Non exceptioni quorumdam quisquam eum comparauerit, qui spiritu omnium iustorum plenus fuerit. Æquiparandus, inquam, est Patriarchis & Prophetis, iustis etiam ante legem siue sub vmbrâ legis, qui licet futura præuiderent in figuris & ænigmate, tamen ignorabant, quando veniret & appareret incarnata Veritas manifestâ facie. Beati huius oculi, qui videbant, quod illi videre non potuerunt, & consummatum audiebat, quod illi non audierunt: ac propter hoc non immolabat in columbâ, turture & hircis, vsque ad tempus correctionis impositis, sed in labiorum vitulis & cordis contriti sacrificijs. Ininterpretabilis, inquam, est sermo ad dicendum, vt perfectus vixerit secundùm vtrumque Testamentum: vnum in eo complendum erat, vt iustus adhuc iustificaretur, & Sanctus sanctificaretur, quod & ipse crebriùs suspirando in suâ inculcabat oratione, dicens: Vnam petij à Domino, Psal.26.4 hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ. Psal.41.3 Et, Sitiuit anima mea ad Deum F viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, & videbo eum. Et cum Paulo Apostolo: Cupio dissolui & esse cum Christo: multò enim hoc meliùs, Phil.1.23 quoniam conuersatio nostra in cælis est. 3.20 Appetebat ardenter veram repromissionis terram; terram viuentium, non eam quam Moses, Aaron, & Maria non acceperunt per sortis suæ funiculum, saluo quod filij eorum Leuitæ & Sacerdotes deseruierint in fœderis tabernaculo, & ipse Deus hæreditas eorum fuerit & possessio.

in tenebris luce cælesti illustratur cum SS. Vincentio, & Benedicto:

E

perfectus ex præscripto vtriusque Testamenti:

anhelat ad cælestem gloriam:

27 Ergo priusquàm inseratur felix eius obitus, de sepulcro eius memoretur, quod traditum tenetur à maioribus. Primis temporibus ibidem excreuerat tumulus, viuo semper cespite gramineus, & ab omni prorsus fœditate mundissimus: vt olim in eo illius aperiretur sepulcrum, qui in cælis mitteret æterni germinis fructum. Nonne eius semper virent herbidi odores & gratissimi cum varietate repræsentantur flores, cùm in Ecclesiâ ad ædificationem audientium recitantur vitæ eius actus & mores, dum fideles populi beneficia reportant per ipsius orationes, quando & tot ægri sanitati donantur, & ab obsessis dæmonia fugantur? Et planè Patribus diligens fuit sepulturæ cura, & filijs suis super eâ imperiosè mandauerunt, sicut testatur vbique Scriptura, & legitur de Abraham, Isaac & Sarâ; & Iacob exhorruit recondi in Ægypti terrâ,

pro sepultura tumulus excreuit:

AVCTORE LAMBERT

A terrâ, Ioseph quoque adiurauit fratres suos efferri ossa sua ab eâ: nec breui claudi potest testium numerositas tantorum, quando & frequenter legimus, Sepelies me, & sepultus est ille, & ille in sepulcro maiorum: & non abs re commendatur de Domino, quòd sepultus sit in monumento nouo, & lapide exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat, quomodò & B. Maria post partum semper Virgo permanserat. Poterat intexi longa series sanctitatis tuæ, ô venerande Pater Heriberte, in comparatione Beatorum ante legem, sub lege, sub gratiâ in mandatis Domini detritorum, nisi iure vitaretur fastidiosa incommoditas auditorum: verumtamen bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti: in reliquo reposita est tibi corona iustitiæ, quâ iam perfrueris perfectæ requiei plenitudine, & perfruêris in immensâ dierum longitudine.

S. Heriberti cum S. Henrico amicitia,

a *Interim* S. Heribertus *mansit adhuc Cancellarius S. Henrici Imperatoris, & recognouit anno* 1007 *donationem huius, factam Thorensi Virginum nobilium Canonicarum collegio. apud Miraum lib.* 2 *Donationum Belg. c.*21. *Item* S. Heriberti Archiepiscopi
B Coloniensis interuentu atque petitione *donauit S. Henricus anno* 1007 *Erluino Episcopo Cameracensi Comitatum Cameracensem, & anno* 1008 *Balderico Episcopo Leodiensi & Balderico Comiti bannum bestiarum in siluis, quas possidebant. Idem Miraus. in Notitiâ Eccl, Belg. cap.* 78 *&* 79 *idem S. Henricus vt S. Popponem, constituendum Abbatem Stabulensem, impetraret à Richardo Abbate VVastoënsi,* S. Heribertum Agrippinæ Coloniæ Episcopum euocauit, eoque sibi adiuncto, apud prædictum Abbatem preces adhuc admittere curauit: *vti ea scripsit Euerhelmus* Abbas *in Vitâ S. Popponis à nobis editâ* 25 *Ianuarij cap.*8 *num.*28.

b *Refertur hac visio* Alexandro *Magno facta à Iosepho lib.* 11 *Antiquitatum Iudaicarum cap.*8.

c *Seruandus Diaconus & Abbas in* Campania, *vti dicitur in Vita S. Benedicti* 21 *Martij, ex qua hac sunt excerpta.*

d *S. Germanus Episcopus Capuanus colitur* 30 *Octobris.*

CAPVT V

Præparatio ad mortem: morbus: obitus: sepultura.

Visitans diœcesim,

28 Sacerdos itaque Domini Heribertus, gloriâ & honore reuerendus, sciens sibi transitus sui diem imminere, consummationis suæ opera voluit augere. Sancta loca circumiens, Sanctorum corpora & eorum patrocinia requisiuit, oues suas circumquaque reuisit: aduersùs luporum insidias armauit eas prædicatione, discedens Sacerdotali muniuit benedictione.

Nouesii febri laborat:

C Præoccupabat sibi sumptus abiturus peregrè, vt & sufficerent in itinere, & vt abundarent in peruentione. Applicuerat portum a Nussiæ, celebrem beati b Quirini Martyris merito & nomine, cum importunâ febrium vi sensim cœpit pulsari, & inualescente molestiâ indies acri dolore fatigari. Stratu suo recubans cælo totus inhiabat, & indeficientem ab oratione spiritum non relaxabat. Sentiens autem se corporis viribus repentè destitui, inflexibilem retinebat vigorem animi, asserens exemplum peccati filijs relinqui à Metropolitano, si quid sibi deesset, quod Ecclesia omni debet Christiano. Vnde & legatos festinanter Coloniam mittit, seruum Dei præcipuum, Domnum Abbatem c Heliam, ad visitandum se properare deposcit, à Fratribus vrbis precis suæ implorat auxilium, vt tali propugnaculo suum tueretur exitum. Adueniens dictus Pater iacentis cubiculum ingreditur, sermo spiritalis ad inuicem de consolatione animæ conseritur: quòd si princeps mundi ad filium Dei venit, & suum in eo nihil inuenit, cauendum est viam vniuersæ carnis ingressuris, ne eius obstaculo fructu suæ priuentur salutis. Additur etiam quòd Ioannes Euangelista dilectus, est electus à Domino Virgo, & in æuum permanens Virgo, in ipsa dormitionis suæ assumptione, ne Princeps tenebrarum sibi occurreret impeccatus sit cum oratione.

euocat Eliam Abbatem:

preces aliorum expetit:

D Sanctus quoque Seuerinus in transitu S. Martini comitanti Archidiacono exposuit quid viderit, quòd inimica pars illi obstando obuiare tentauerit, & nihil suum inueniens, confusa recesserit. Pro his omnibus prouidendum quantum finit hæc mortalis infirmitas: vt ante horam obstruatur cuique aditus aduersùs illius versutias, & ideò crebrò per Euangelium monuit Dominus vigilare, ne dormiente patrefamilias effodientes fures domum possent intrare. *Mat.*24.41 Proinde hortatur epistola B. Iacobi Apostoli, vt ad infirmum inducantur Ecclesiæ Presbyteri, & orent super eum inungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittentur ei. *Iac.*5.4 Quapropter, inquit Archipræsul, tu Pater mihi à Deo destinatus, perfice in me huius auctoritatem vnctionis exoratus, vt quidquid nociuum contractum est à meis sensibus, his sacris euacuetur donis sancti Spiritus. Induitur Abba vestibus huic aptis officio, defertur Oleum cum honore debito: more suo conficitur in corpore Sancti, Dei salutaris vnctio, & in conclusione ipsius officij participatur Corpore & Sanguine Dominico. E

inungitur sacro Oleo,

& sacro viatico munitur:

20 Deinde naui inuectus Rheno Coloniam transportatur, & in multâ serâ perueniens iubet, vt domui S. Petri cum grabato ante Crucifixum inferatur. Ibi diutissimè caussam animæ suæ Deo commendauit, & commissum sibi gregem ipsi & Petro sæpenumerò committendo perorauit. Quantâ in altum per excessum raptus fuerit subtilitate, cuius mens excogitare, cuius lingua valet sonare? Refertur posthæc in cubilis sui secretorium, meliori spe temperat mœrorem circumstantium. Memoratum Abbatem & alios fideles, verè filios Ecclesiæ, non patitur se deserere, suadens eis pro consolatione suâ de Scripturis sanctis & Patrum testimonijs sermonem conserere, & aliquoties pro se orationi incumbere. Corruptionem hanc despiciens, terram iam dedignabatur respicere, vnum habens desiderium tibi, omnium Conditor, assistere. Intimantur certè seruis Dei reuelationes, propediem assumendum eum inter Superorum congregationes, nec celantur ei visa caritate votiuâ. Vnde & mox exponitur ad medium, quod thesauri eius erat reliquum, distribuiturque in oculis eius ad Dei seruitium, ne post se alicuius auaritia malè vsurpando haberet in eo dominium. Dantur quædam Sanctis in ecclesiæ suæ ornamentum; nonnulla conferuntur parentibus & amicis in vltimum familiaritatis & amicitiæ monumentum; alia domesticis eiulantibus attribuuntur, ampliora Christo & pauperibus suis seponuntur. F Recordabatur Apostoli dicentis: Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec quid auferre possumus. *1. Tim* 6.7 Et Iob: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. *Iob.*1.21 Erat luctus & mœror omnium, vox vna plangentium: inter quos germanus eius iunior, & ipse Comes, inconsolabili mœstitiâ torquebatur, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecùs intolerabiliter affligebatur. Audierat & viderat fratri & suis Augustum semper infestum; & idcircò metuebat, ne amisso hoc clypeo in se vltionis retorqueret ictum. Hinc geminatus dolor amarissimos emittebat fletus, quibus intuentium compatiendo mouerentur affectus. Tum senior motus eius lacrymis; Declina, inquit, frater mi amabilis, & de his quæ tibi à Deo collata sunt bonis honestis & egenis esto liberalis & non formidabis horrorem potestatis: maximè cùm non multò pòst facto eo de medio, alterum maneat honor principalis. d Stantem quoque respiciens dispensatorem egentium, rogat an aliquo domini sui & amici indigerent propter occupationem sibi inseruientium: Defecit, ait, Pater mi, eorum horreum & pecunia, nec est residui quod ab hodiernâ die detur in explendâ eorum penuriâ. Obtestatur

naui Coloniam defertur.

aspirat ad cælum:

sua omnia curat distribui,

potissimùm pauperibus:

consolatur fratrem suũ,

pauperes commendat:

A statur maiores illicò, quibus curam committebat Episcopij, ne quid æris deesset prospicerent vsque ad subrogationem alterius Domini: nec quidquam secus actum est ab eius mandato, quolibet iussionis suæ verbo immutato. Cùmque à quibusdam Præpositis requireretur, quis eorum sibi substitueretur: Nullus, ait, horum mihi succedet, sed Pilegrinus Coloniæ post me e in longum præsidere habet. *successorem indicat:*

30 His ita in ordine suo compositis, apponendus populo suo erat expectantibus Angelis. Ergo astantibus paternâ benignitate salutatis, & de his quæ Dei sunt, pleniùs informatis, vltimum vale faciens eis, ingreditur officium egressionis, moras iam perosus dilationis, quibus remorabatur ab aspectu diuinæ visionis. Sic sancta illa anima carnis soluitur ergastulo in multitudine pacis obdormiens in Domino. Assumpta est igitur margarita, quæ iacebat in sterquilinio, & posita in cælestis Regis ornamento: sterquiliniũ hanc ipsam corruptibilitatem carnis appello & abiectionem humanæ infirmitatis nomino. Iam inter supernos ciues emicat: iam inter ignitos illos lapides æterni diadematis coruscat. Descenderat ei Maria obuiàm cum choro virgineo: vt eum in æterna tabernacula excipiens, repræsentaret filio. Solenniter immixtus est Sanctis omnibus, quorum enituit vitâ & virtutibus: Patriarchatum & Prophetarum exultat collegio, Apostolorum medio locatur numero, victoriosâ Martyrum insignitur laureâ, Confessorum in mandatis Domini fidelium tripudiat iustitiâ, & perpetuâ Virginum floret munditiâ: agnum sequens quocumque ierit, & in calculo candido nomen nouum scriptum sciens, quod nemo scit nisi qui accipit. O quàm beata Sanctorum sunt agmina: quibus, ô sanctissime Pater Heriberte, tua beata sociatur anima in æternâ gloriâ! Migrauit ad Dominum XVII. Cal. Aprilis: Ordinationis suæ anno vicesimo tertio, ab Incarnatione verò Domini anno millesimo vicesimo primo. *piè moritur:* B *17 Martij anno 1021. Ordinationis 23.*

31 Ipsâ nocte suæ assumptionis longè positis Episcopis & viris religiosis f manifestata est veritas suę dormitionis. Translatum est autem Rheno corpus eius, & illatum est sanctæ Dei Genitricis, quod ipse fundauit, cœnobio, & cum maximo Cleri & plebis honore humatum ante altare in eodem oratorio, vbi quid viuens eius spiritus egerit, testatur caro mortua: dum per eum ibidem tot miranda signa fiunt & miracula. Nam mox ad sepulcrum eius trahebantur languida diuersorum corpora, & saluti redintegrata, virtutem à defuncto accipientia redibant sanissima. Vnde & consuetudinem fecit ciuitas per totam Tricesimam quotidie eum adire, & eius frequentare memoriam, & pro mirabilibus Dei celebrem innouare lætitiam. Prò quibus omnibus benedictus Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui facit mirabilia magna solus: cuius regnum æternum, salus perpes, honor perennis, virtus permanens, benedictio indesinens, gloria perpetua: cuius essentia nec incipit nec desinit in secula. Amen. f *sepelitur in monasterio Tuitiensi:* C *miraculis claret.*

32 g Virtutes Sancti & miracula, quæ per eum Deus post obitum eius operatus est, intacta deserui, quòd & scripta sufficerent lectioni simplici; & ea ad leporem venustatis inflectere, vacantioris temporis & operosioris erat otij. Visum est mihi post hæc, vt ex corde mea in laudem viri Dei h musicæ symphoniæ quiddam adderem, & si non ad quemlibet Ecclesiæ vsum, saltem votum animi mei Sancto impenderem. Quædam etiam alia necessaria, vt videbatur, apposui, quæ vt in palam est disposui: quæ etiam singula, sicut digessi, ita manu propria scripturæ impressi: vnde etsi olim cuiquam grata erunt, peccatoris Lamberti memoriam tenebunt: & hæc & prior epistola precatu meo semper in capite opusculi mei claues erunt. g *Epilogus.* h

a Nussia *vrbs inferioris diœcesis Coloniensis vulgò* Nuys, *Tacito lib. 4 histor. aliisq;* Nouesium, *ad amnem Erpiam haud procul à sinistrâ ripa Rheni.* D *Nouesium.*

b *Est S. Quirinus Tribunus & Martyr, cuius corpus Roma Nouesium delatum fuit: de quo agendum erit 30 Martij.* *S. Quirinus.*

c *Helias tertius S. Martini Maioris, & quintus S. Pantaleonis Abbas habetur monasticis Martyrologiis ad diem XII Aprilis inscriptus* *Helias Ab.*

d *Superfuit S. Henricus annis 3 & mensibus ferè 4, mortuus anno 1024, 13 Iulij.*

e *MSS. Rubea-Vallis & nostrum habent*, non in longum præsidere habet: *quo etiam modo videtur Rupertus legisse, dum scribit,* Pontificatus officium breui tempore administrabit. *In MS. S. Maximini omissa particula* non *legitur*, in longum pręsidere habet. *Præfuit* Pilegrinus *seu* Pilegrimus *annis quindecim, cuius corpus in Ecclesia collegiata Sanctorum Apostolorum inuentum est anno 1643: sub cuius capite iacuit plumbeus discus vel orbis, cui hæc incisa:* Anno Incarnationis Domini MXXXVI. Indictione XV. VIII Kal. Septemb. ⊖ Piligr. Archps Fundator ecclesiæ huius, *vti ex pluribus tradit Gelenius in Magnitudine Coloniæ Agrippinæ pag. 303.* *Pilegrinus Archiep. quamdiu sederit:*

f *In sequenti Vita visiones referuntur.*

g *Deest hic epilogus in MSS. S. Maximini & nostro, Datur ex MS Rubea-Vallis & est etiam in MS Tuitiensi.*

h *Sunt hymni tres cum reliquis Antiphonis & Responsoriis pro sacro Officio, & Sequentia quæ in Missæ sacrificio posset recitari: quæ Tuitij nobis descripta breuitatis caussa omittimus.* E

II VITA

Auctore Ruperto Abbate Tuitiensi



Tu mihi hoc opus in angariâ, venerande Pater Marcuuarde, imposuisti, quatenus sancti Archipræsulis Hereberti vitam virtutibus splendidam, sed prioris, vt tibi videbatur, styli rubigine subobscuram, nouo rescriberem stylo, pro gloriâ & laude Domini nostri Iesu Christi. Ibam quippe aliàs, quò me scribentem ducebat ardor studij: & idcircò tibi obtemperare, nimirùm quasi in angariâ seruire existimaui. Cùm autem & te instante iugiter, & meâ voluntate ad alia tendente, diutiùs angerer, venit tandem in memoriam illud, quod summus veræ dilectionis Magister, inter cetera perfectionis Euangelicæ præcepta, congruè in monte locutus est: Et si quis angariauerit te, ait, mille passus, vade cum illo & alia duo. Sed & ille Simon Cyrenæus in mentem venit, quem, sicut Euangelista testatur, prætereuntem angariauerunt, vt tolleret crucem Iesu. Denique exemplum eiusdem, qui crucem quidem Iesu tulit, sed non ipse crucifixus est: & hoc ipsum, quod crucem non suam baiulauit, inuitus & in angariâ fecit, vehementer Christianum hominem redarguit, quicumque ille est, qui Christi vel Sanctorum eius labores ita prædicat, vt non collaboret imitando: & hoc ipsum quod prædicat, magis ex præcepti necessitate facit, quàm ex pio mentis desiderio. Acquieui igitur, & omisso interim cursu proposito, diuerti huc, non iam inuitus, sed bonam habens voluntatem, si Spiritus Patris nostri Dei, quid vel qualiter loqui deberem, suggerere dignaretur. Ecce habes quod iussisti, imò ad quod agendum me magis rogando, quàm iubendo compulisti: tu ipse iudicato, vtrum id efficiendo quidquam profeceris, id est, vtrum prioribus scriptis, quę non tibi satisfaciebant, hoc posterius scriptum ad ædificationem audientium magis an minus idoneum sit. Porrò me & apud Deum conscientia testis, & apud eos, qui audire vel legere dignabuntur, præsens epistola excusare poterit: quia non quasi mihi ipsi placens, prioribus me scribendo superposui; sed postulanti tuæ caritati placere cupiens, obediendo supposui. Dignum quippe te, cui obaudire deberem, existimaui, licet monachicam sub tuo regimine militiam professus non fuerim. Tu namque de cœnobio a Sigebergensi assumptus, & quasi virgultum viride de illo deliciarum *Vita S. Heriberti nouo stylo exornatur:* *Matth. 5. 41* *Marc. 15. 21* F a

 horto

A horto transslatum,& in ecclesiam eiusdem beati Confessoris transplantatum, sanctæ religionis, quæ illic planè exaruerat, fructum rediuiuum protulisti: ita vt illud Dauidicum, annuente Deo, dicere merearis:
Psal. 51.10 Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei speraui in misericordiâ Dei *b*.

a Sigebergum *seu* Siburgum *nobilissimum & potentissimum prope Coloniam Benedictini Ordinis cœnobium à S. Annone Archi-Episcopo circa an.* 1060 *extructum*.

b *In Vitâ inter opera & à Surio edita interponuntur capita cum suis capitibus, quæ in tertiâ Surij editione sunt omissa. Nos ea hic damus, & loco capitum numeros more nostro constituimus. Sunt autem eiusmodi.*

Cap. 1. De ortu B. Heriberti, & qualia illo nascente signa diuinitus apparuêre.

2. Quòd lucis inuisibilis, quâ illuminandus erat, signum fuerit visibilis lux, quæ illo nascente in domo refulsit.

3. De materno genere eius, & vt stirps, vnde talis nasciturus erat, è captiuitate, Deo prouidente, redempta fuerit.

4 Vt apud Hildebaldum VVormatiæ Præsulem per Dei gratiam in sacris disciplinæ ecclesiasticæ studijs profecerit.

5 Quomodò per bonam famam Imperatori Ottoni innotuerit; & Archicancellarius effectus suasusque ab eo,
B Presbyterij gradum cum socio Brunone ascenderit.

6 Vt à Coloniensi populo factâ concordiâ in Archiepiscopum electus sit.

7 Vt pro electione eius Imperaror gauisus sit, & quàm sapienter electionis eius gratiam acceperit.

8 Quàm liber ab ambitione fuerit, & de morte Argentinensis Episcopi.

9 Quantâ cum humilitate Coloniam venerit, & quando consecratus fuerit.

10 Vt quorumdam sustinuerit inuidiam, & Henrico Imperatori cœperit esse suspectus.

11 De siccitate & quomodò per speciem columbæ gratia Spiritus sancti super eum apparuit vtque lacrymis suis repentinam è cælo pluuiam obtinuerit.

12 Quòd communi proposito suo & Imperatoris Ottonis ipse superstes cœnobium construere deliberauit.

13 Quòd sancta Dei genitrix illi apparuit, & quo in loco cœnobium construere deberet, indicauit.

14 De structurâ templi vt ceciderit & alia structura surrexerit, & cuius rei exemplum conuenienter inde possit accipi.

15 De Cruce Dominicâ, quæ non de qualicumque ligno, sed de vnâ tandem arbore formari poterit, & cuius rei etiam in hoc exemplum sit.

16 Quòd faciendo signa, semper famam vel gloriam fugit: & de Elisæo, cui duplicia signa quàm Elias facere voluerit, dicens: Oro vt fiat spiritus tuus duplex in me.

17 De homine dæmoniaco vt eo sermonem faciente liberatus sit.

C 18 De Abbate Volberto, qualiter per visum monitus de aquâ, vnde vir sanctus post Missam manus lauit, sanitatem recepit.

19 Vt mulier cæca per visum monita, de vino, quo post Missam digitos lauerat, oculos intinxerit & illuminata sit.

20 De muliere paralyticâ, quomodò item per visum monita benedictionem ab eo flagitauit & sanata est

21 Vt familiaris Clericus ab eo visitatus repentè de ardore febrium conualuerit,

22 Vt ipse inter tenebras noctis orans, circumfusâ diuinitus luce clarificatus fuerit; & quòd multoties hoc ipsum acciderit.

23 De humilitate eius, quâ contemptum à Presbyteris omnibus pauperis sui filium baptizauit.

24 De misericordiâ eius: vt damnatum pro sacrilegio Clericum, de suspendio liberauerit.

25 De sancti viri perfectionibus.

26 De S. Henrico Imperatore, qui ab inuidis malè persuasus, sancto viro infensus erat.

27 Vt Imperator sanctum virum, cernentibus æmulis, ter osculatus sit.

28 Vt Imperatori suppliciter denuò veniam petenti, prædixerit obitum suum.

29 Febre corripitur vir sanctus, & Ecclesiasticis Sacramentis munitur.

30 Visiones Eliæ Abbatis de obitu sancti viri.

31 Vt vir sanctus fratrem suum flentem consolatus sit.

32 Vt in extremis pauperum memorem sese declararit.

33 Prædicit quis ipsi sit successurus, & moritur.

34 Visio oblata Epponi Episcopo post obitum sancti viri.

35 De miraculis ad eius monumentum & quâdam visione mirabili.

CAPVT I

Nobilis progenies. Acta ante Archiepiscopatum.

1 ANno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi nongentesimo nonagesimo nono, Romanorum regente imperium Ottone tertio, insigni metropoli Germaniæ Coloniæ Agrippinæ Pontifex à Deo datus est S. Heribertus, vixitque in eadem Sede laudabiliter annos *a* viginti tres, menses duos, dies fermè viginti duos. Huic donum gratiæ, quod daturus erat Ascensor cæli, de quo scriptum est: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: in ipso eius ortu præsignare dignatus est. Denique cùm noctu materno funderetur ex vtero, lux immensa cælitus in loco effulsit, quam & dormientes nonnulli oculis cordis, & vigilantes oculis viderunt corporis. Dormiens erat pater eiusdem infantuli, & cum eo quidam ex amicis, *b* Iudæus tamen, qui tunc venerat ad eum pro consuetudine colloquij siue negotij familiaris. Hi ambo dormientes horâ ipsâ, quâ in lucem prodibat felix puerperium, vnum idemque vident somnium: & euigilantes, continuò loquebantur ad alterutrum, quasi proprium singuli narraturi visum, quippè qui nescirent commune fuisse vel vnum. Narrauit prior is, qui propter familiaritatem aduenisse iam dictus est, & deinde ipse paterfamilias idipsum, & non aliud se vidisse, vehementer admirans testatus est. Erat autem huiuscemodi somnium: Cubiculum, in quo mulier decumbere proximaque partui non ignorabatur, à fronte aperiri, admissumque iubar insulsisse velut solis meridiani. Porrò vigilantes eadem horâ circa parturientem de more aderant sexus illius personæ sedulæ, & ipsæ corporalibus, vt iam dictum est, oculis viderunt miraculum cœlitus infusæ claritatis. Adhuc enim loquebantur illi somnium, quod viderant, miraculum & felicitatem partus non vanis præsagiendo coniecturis: cùm ecce vna ex illis gaudio & pauore simul attonita, bonum patri nuntiauit nuntium, videlicet elegantis filij exortum, & in ortu eiusdem editum miræ suauitatis & circumfusæ magnæ lucis diuinum miraculum.

S. Heribertus nascitur a

Psal. 67.19

luce cælitus sparsâ & somniantibus visâ b

E

2 Hoc igitur quis dubitet conferendæ illi gratiæ fuisse signum, significans quòd copiosiùs illuminaret illum lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Et quidem si sola illi conferenda fuisset lux gratiæ spiritualis, quam Iudaica cæcitas nescit, rectè forsitan cuiuis incredibile videretur aut indignum, Iudæum participem extitisse eiusdem somnij luminosi, quod pater Christianus videre meruit. At ille electus & gloriosus filius lucis, fulgere habebat & interiori dono luminis interni, quod Iacob simplex maximè optauit: & exteriori prouentu gloriæ temporalis, quam venator Esau solam quæsiuit ex benedictionibus paternis. Quis enim nesciat splendorem magnæ Ecclesiæ Coloniensis, quantùm illis præcipuè temporibus splenduerit, etiam in facultatibus & honoribus seculi? Cùm ergo tantæ Sedi præesse deberet; & super tale tantumque candelabrum exaltanda esset hæc lucerna Domini, habendo tot facultates, habendo nomen etiam & ius eximium apud fastigium terreni imperij, sicut sequens narratio declarabit; non indignum videri debet, quòd Iudæus quoque præsagium futuræ claritatis eius acceperit, qui & patri eiusdem dixit: Certissimè noueris, quia quod nascitur tibi, teipsum iucunditate replebit, suosque natales magno sui nominis splendore illustrabit. Hoc dicere potuit ille, solam respiciendo lucem vel gloriam seculi: Christus autem lux vera & gloria patriæ cælestis, mirabile eius præsagium mirabiliter adimpleuit. Nam quâ

F

in Ecclesia Coloniensi maximè florentis, ab ipso regenda

A quâ nocte, illo de Virgine nato, exortum est in tenebris lumen rectis, & pastores super gregem suum vigilantes claritas Dei circumfulsit; ipsâ nocte, imò sub ipso lucis sequentis crepusculo, inter Missarum sacra solennia, quorum hæc prima vox est, Lux fulgebit hodie super nos; consecratus est Pontifex, veri baiulus luminis, eorumque sortitus ministerium, quibus dictum est: Vos estis lux mundi, &c. Quis dubitet hoc euenisse per prouidentiam siue ordinationem Domini, eadem curâ vel gratiâ, quâ memoratum signum eo nascente præmisit? Verùm de hac re suo loco pleniùs dicendum erit.

eadem Pontifex nocte Natiui atis Christi erat consecrandus: — Matth. 5. 14

3 Tali, vt dictum est, cum præsagio puer hic, beatæ prædestinationis filius, in Wormatiâ c Galliarum vrbe ortus est. Porrò illuc, scilicet in Gallicum Wormatiæ territorium, genus eius maternum de fonte Alamannico casibus aduersis deriuatum fuerat. Siquidem auia eius materna nomine Emma, Regimboldi nobilissimi Alamannorum Comitis filia extitit, & ab Hunnis deprædantibus è castro patris cum duabus sororibus extracta, atque in prędictæ vrbis territorio captiua violenter abducta est: quam vir quidam nobilis vt vidit, protinus instinctu Dei, sine quo nec passer vnus in terram cadit, formam captiuæ liberalem misertus est, eamque redemit. Quid multa? Prouidente Deo, vt radix seruaretur, de quâ nasciturus esset fructus qui permaneret in acquisitione salutis, pater eius puellæ, dum fortè pergeret ad curiam Imperatoris, in domo eiusdem viri nobilis hospitium habuit. Illic inter multa colloquia filiam recognouit, gratulatus est, eamque viro, qui redemerat, postulanti coniugem, cum dote multâ tradidit. Ex illis nata nuptijs Sancti huius mater est. Hoc idcircò non præterire libuit, quia nonnihil spectat ad laudem & gloriam Dei, quòd amaritudo illa tantis superata est benedictionibus dulcedinis, vt redempta captiuitas, talem tantumque ciuem cæli partu ederet.

c natus VVormatia — *habuit Emmam auiam filiam Comitis Alamannorum,* — B — *VVormatia viduam:*

4 Igitur prospiciente proposito Dei, qui & ante tempora secularia Sanctos omnes præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, & in suo quemque tempore vocauit, iustificauit & magnificauit; hic Sanctus præscitus, vt nasceretur, vocatus est, non solum vt per baptismi gratiam iustificaretur, verùm etiam vt honore Pontificalis gratiæ magnificaretur. Huius nimirùm magnificentiæ præparatio in eo extitit, quòd in eadem Ecclesiâ Wormatiensi studijs liberalibus traditus est. Tantâ quippè facilitate C diuinæ pariter & humanæ philosophiæ fluenta potauit, vt dubitandum non esset, eum intrinsecus doctorem habere illum, de quo Apostolus dicit: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit: maximè quia cum spiritu scientiæ clarescebat in eo spiritus pietatis & timoris Domini, à quo Sanctus omnis ad sapientiam ascendere incipit, sicut scriptum est: Initium sapientiæ timor Domini. Hoc perpendens vir venerabilis Hildebaldus, qui tempore illo Pontifex erat eiusdem Ecclesiæ Wormatiensis, & prudentem adolescentem cognoscens ex studijs ipsius, sicut Scriptura dicit: Ex studijs suis cognoscitur puer, vtrùm munda sint opera eius; gaudebat in eo spe bonâ, reputans quòd homo hic vtilis foret sanctæ Ecclesiæ. Erat namque idem Pontifex eius beneuolentiæ, quam in Prophetâ Spiritus sanctus insinuans: Dicite, inquit, iusto, quoniam benè; quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Et in Euangelio Dominum dixisse nouerat: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem. Itaque sanctæ Ecclesiæ prospectum esse cupiens, & in eâ, cui præerat, Sede iam paratum sibi à Deo sperans successorem, benè agentem condignâ laude confortare studebat. Denique defuncto tunc temporis eiusdem Ecclesiæ d Præposito, protinus hunc subrogauit. At ille

traditur studijs litterarum: — 1. Cor. 3, 6 — Psal. 110. 10 — Prou. 20. 11 — *ab Hildebaldo Ep. VVormatiensi amatur:* — Isa. 3. 10. — Luc. 10. 2 — *fit Præpositus Ecclesiæ VVormatiensis:* d

Sanctus & Verus, qui habet septem stellas, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, in alio firmamenti sui loco stellam istam figere, & super alterius Ecclesiæ candelabrum lucernam istam ponere disposuit. D

AVCT. RVPERT. AB.

9 Proinde vt longiùs innotesceret, qui longiùs erat expetendus, Otto Romanorum Imperator tertius, de viro illustri, quis vel qualis esset audiuit: & inclinante cor eius Deo, sicut scriptum est, Cor Regis in manu Dei; adeò viri probitas illi complacuit, vt eum suo lateri sociaret, primumque Cancellarium sibi constitueret. A quo etiam persuasus hic Beatus, iugum Domini, scilicet Presbyterij honorem, alacriter suscepit, socio e Brunone, qui posteà Romani dignitate pontificij functus est. Attamen tunc idem Bruno, vt Presbyter fieret, non citò acquieuit, humiliter excusans veluti maiorem suis meritis accipere gratiam. Sanè vterque laudabilis, & hic qui animo alacri citò acquieuit: & ille, qui primò stupefactus, rem arduam refugere tentauit. Nam & Centurio, qui dicenti sibi Domino, Ego veniam, & curabo puerum tuum iacentem in domo paralyticum; respondit, dicens; Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus; statim ab eodem Domino secundùm fidei suæ humilitatem laudatus est: & Zachæus, qui dicente illo, Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere; statim festinans descendit, & excepit illum gaudens; secundùm caritatis suæ lætitiam dignus iudicatus est, cui diceret Dominus: Quia salus hodie huic domui facta est. Verùm hic quoque, qui Presbyteratus officium rogatus, citò, vt iam dictum est, subijt, adhuc excellentiorem Pontificij gradum, postmodùm sibi oblatum, suscipere humiliter recusauit. Defuncto namque paullò pòst Ecclesiæ Wirzeburgensis Episcopo, optabat Imperator, vt illi subrogaretur. Recusauit, vt iam dictum est, indignum se profitens, & in fratrem suum, nomine Henricum, tamquàm seipso longè digniorem, mox eamdem transferri obtinuit electionem. Factumque est: frater eius Ecclesiæ iam dictæ præsedit; ipse autem in humilitate & dilectione suâ, præfinito sibi à Deo tempori & loco seruatus est. Intereà Romano Pontifice defuncto, iam dictus Bruno Sedem sortitur Apostolicam, agnominatus f Gregorius, vixitque in eâ annos fermè duos, & menses nouem, vndecimus supra Brunonem alterum, qui & nonus g Leo dictus est. De isto, qualiter à Romanis Imperatori rebellantibus, primò h expulsus, ac deinde i veneno peremptus sit, quoniam ad rem præsentem minùs attinet, nunc omittentes, potiùs propositum prosequamur.

Prou. 21. 1 — *fit Cancellarius Ottonis III Imp.* — e — Matth 8. 7. & 8. — E — Luc. 19. 5 — *recusat Episcopatum Herbipolensem,* — f — F — g — h i

a *De hisce annis suprà actum est.*
b *De hoc Iudæo nihil in antiquâ Vitâ legitur.*
c *Erat VVormatia iam tum Imperij Germanici vrbs illustris, in antiqua Galliæ Notitiâ Germaniæ primæ adscripta, & vrbs Vangionum dicta.* — *VVormatia,*
d *In priore Vita, dicitur* Episcopus eum ceteris sui præfecisse obsequij, *idq; cùm ex Gorzensi monasterio esset reuersus. Quam habitationem silet Rupertus.*
e Bruno, *Ditmaro lib.* 4 Ducis Ottonis filius, nepos Ottonis Imp. *aliis* sobrinus *aut* consanguineus. *Iuuenis VVormatiæ vrbe Vangionum studuit: hinc in epitaphio dicitur:* — *Bruno*
Linguâ Teutonicus, VVangiâ doctus in vrbe.
f Gregorius V *creatus anno* 996 *mortuus mense Febru. anni* 999 *num antè fuerit Episcopus Verdensis in Saxonia inferiore controuertitur.* — *dein Gregorius V Papa.*
g *S. Leo* IX *Papa ex Episcopo Tullensi creatus anno* 1049, *mortuus an.* 1054, *die* 19 *Aprilis, Martyrol. Rom. inscriptus.* — *S. Leo IX.*
h *Intruso Antipapa, Ioanne* XVII, *Episcopo Placentino.*
i *De violenta eius morte nihil alibi legimus.*

CAPVT

CAPVT II

S. Heriberti electio & consecratio in Archiepiscopum Coloniensem.

in schismate Ecclesia Coloniensis

6 NOn multò pòst Colonia metropolis vidua facta est, defuncto Euergero eiusdem ciuitatis Archiepiscopo. Ecce autem dum eligere conantur successorem, sciderunt vnanimitatem, Clerusque & populus grauiter dissentiebat ab inuicem. Nam alium Clerus, aliumque suâ electione poscebat populus: & intantùm processit partium diuersarum conflictus, vt propè ad arma concurreretur. Itaq; velut absente Iesu, nauicula in medio mari iactabatur fluctibus. Sed laborantibus velociùs succurrit ipse, & venit ad eos supra mare. Nam is, quem non probante populo Clerus eligebat, videlicet Wezelinus, domus S. Petri Præpositus, repentè silentium flagitans, per voluntatem Dei sic omnes alloquitur: In causâ istâ, Patres & B Domini, non sua singuli, sed pariter ea quærentes quæ Domini sunt, melius quoad possumus ineamus consilium. Nam præesse vobis nec ipse cupio, nec alteri inuideo: sed in hac re liber ab vtroque, scilicet inuidiâ & ambitione, alium vobis notum designo, qui dignus sit, videlicet illustrem Herebertum, valentem secundùm Deum & secundùm seculum, vtpotè Christo deuotum & Imperatori carum. Soluamus ergo litem, in huius dignissimi concedendo electionem. Vix ille hæc dixerat, raptimque ex ore eius, Herebertum vniuersa turba conclamabat. Vna omnium vox, vna voluntas, quos eatenùs discordantes, nunc miro modo in vno absente homine vinculum pacis alligabat. Ita Domino imperante, cessauit ventus, & tranquillitas facta est. Huius verò tranquillitatis tam celerem euentum magis memorabilem nobis facit aliorum temporum siue locorum nonnumquàm audita vel visa tempestas, vbi quodammodò dormiente siue absente Iesu, non antè motus maris sedatus est, quàm multus animarum, imò & corporum rerumque ceterarum periret ac profligaretur numerus. Nimirùm iusto Dei iudicio propter peccata inhabitantium, vbi tale quid accidit, asscribendum est. Nam quòd nauiculæ Coloniensis Ecclesiæ, dum illis discordiæ fluctibus iactaretur, tam citò, ne ad arma perueniretur, subuentum est, misericordiæ Diuinitatis asscribi debet. C Porrò meritorum beati viri in hoc quoque euidens adstipulatio est, quòd oblato ad electionem nomine ipsius, animosa Cleri & populi discordia quieuit, & pax reddita est. Subtiliter namque attendentibus res ipsa loquebatur, quòd mitteret illum Princeps pacis, lapis angularis, & pax nostra Christus, qui fecit vtraque vnum: qui inimicitias interfecit in semetipso, & per sanguinem suum pacificauit omnia, quæ in cælis & quæ in terris sunt.

proponitur & eligitur Archiepiscopus.

cum pace & concordia omnium:

7 Igitur cum præsentiâ Domini electio memorabiliter celebrata est serui fidelis, & hæc tam à Deo quàm ex hominibus continuò testimonium laudemque habere meruit. Siquidem & Imperatoris suprà memorati cor iam tetigerat manus Domini, vt per hunc virum sedaret iam famâ compertos sibi motus ciuitatis discordantis. Nam & cùm pecuniâ tentaretur ab alio, quem (vt iam supradictum est) acclamauerat dissensio populi; ipse responsum differens, contemptumque oblatæ pecuniæ dissimulans, hæc interim à territorio Beneuentano, vbi tunc temporis commanebat, manu propriâ beato viro scripsit, tunc Rauennæ cum ciuitatis eiusdem Antistite iussa ab Imperatore negotia peragenti: Otto Imperator Augustus solâ Dei gratiâ. Hereberto Archilogothetæ gratiam & Coloniam & Pallij cubitum vnum. Vbi verò Coloniensium adfuit legatio, viri complures honorati, D tam de Clero quàm de populo, & qui in vtroque ordine videbantur præstantissimi, cum quibusdam de Principibus terræ maximis, electionem coràm deprompserunt personæ talis. Tum verò vehementer exhilaratus idem Imperator prudenti consilio ciuitatis grates non minimas egit, quia quod ipse optabat, quodque optimum sibi videretur, hoc ipsi quoque sentirent & eligerent, vno eodemque secum spiritu. Ita prorsus euidenter huic ostiarius aperuit, intraturo in ouile ouium, pacificans cunctos in electione eius, vt nullum fieret obstaculum. Hæc omnia vir laudabilis reuerà sapienter accepit: qui intereà petens ecclesiam, stratus solo, gratiarum cælestium largitori Domino Deo toto mentis affectu grates egit, non vtique pro gloriâ temporali exultans, sed supernæ benedictionis munus adorans. Quomodò enim non gauderet, qui se tam euidentibus experimentis Deo curæ esse perspiceret? Imitatus namque est sanctum Regem & Prophetam Dauid: qui, cùm audisset sermonem Domini per Prophetam Nathan, dicentis; Cùmque impleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius; ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsque in æternum &c. ingressus est & sedit coram Domino, & dixit: Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia? Et subiunxit: Nunc igitur Domine, sermo quem locutus es famulo tuo super domum eius, confirmetur in perpetuum, & fac, sicut locutus es. Hæc & cetera cùm diceret Rex fortis, sapiens & humilis, exultabat, non vtique pro temporali memoriâ domus vel templi manufacti, quòd filius eius Salomon facere habebat nomini Domini; sed pro æternâ Christi, sui secundùm carnem filij, & Ecclesiæ gloriâ, quam in illius Salomonis filij sui & templi eius figurâ prophetico spiritu intelligebat. Hoc nimirùm exemplo & hic Beatus egit & agere debet omnis, qui vocatur à Domino, vt domui Dei rector, siue quibus Christi Pastor præsit, non humanam gloriam, sed diuinam amplectẽdo gratiam. Quia profectò magna gratia est, Pastorem & Episcopum esse animarum, computanda inter dona maxima, quæ dedit hominibus ascendens Christus in altũ. Nam & Apostolus cùm dixisset; Qui descẽdit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia: & ipse dedit quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas; secutus est & ait: Alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum. Rectè igitur & sapienter hic pro collato siue conferendo benedictionis & pastoralis gratiæ munere grates egit. F

ac ipse de ea re litteras Imperatoris

de vtroque ipse valdè exhilarati,

1. Reg. 7. 12

E

exemplo Dauidis

gratias agit Deo:

Ephes. 4. 10 & 11.

8 Iam de ambitionis vitio quàm liber ab illo fuerit, cùm tota eius vita inditio sit, illud quoq; est memorabile testimonium, quod VIII Idus Iulij, quæ dies S. Kiliani martyrio erat celebris, cùm creari deberet Archiepiscopus, differri in crastinum præoptauit, propter præsentes exequias lugubres, quæ ibidem agebantur, a Strasburgensis Episcopi: videlicet ne alijs lugentibus & flentibus, ipse ridere videretur cum suis, memor Scripturæ, dicentis: Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimis suis benedictione carebit. Et reuerà dolendum erat pro exitu eiusdem Episcopi: quia videlicet terribiliter acciderat, præeunte signo non bonæ æstimationis. Nam cùm ille mitrâ redimitus, Missarum solennia celebrare ingrederetur, vbi se ad populum vertit, dicturus de more, Pax vobiscum; Imperatorem intendens, tanto risu solutus est, vt funditus oblitus esse videretur, ad quid se conuertisset. Vt verò ad prandium ventum est, cunctis pariter considentibus, percutitur morbo b pleuretico, interque manus ad proprium delatus hospitium, die decimoquarto reddidit spiritum. Viderat autem ante annos septem, vt solitus erat narrare, visionem: videlicet adstitisse sibi senem quemdam, veste

differt consecrationem

a

Prou. 20. 21

vt Episcopi Argentinensis, cuius derisus notatur,

b

exequijs possit interesse.

A ste purpureâ pontificalique redimitum infulâ, qui se profitens esse Kilianum, tale, inquit, ille mihi profudit oraculum: Age per hos septem annos, qualia Episcopum decent opera: quia non longius tibi à Domino vitæ spatium positum est. Quomodocumque ille visionem acceperit, qualitercumque se præparauerit, qualiscumque in illâ horâ suæ mortis iuuentus fuerit, rectè nimirùm sapienti huic talis, vt prædictum est, illius exitus, meditationem mortis renouauit vel auxit, magnumque fuit temperantiæ eius iudicium, quod tempore flendi, differendo sibi vel suis tempus gaudendi, tristibus exequijs priuatus interesse maluit.

Beneuenti creatur Episcopus, Romæ accipit pallium:

9 Et quidem Beneuenti Pontificalis ei honor datus est VII Idus c Iunij. Et exinde Romam profectus, Pallium ab Apostolicæ Sedis Præsule accepit: sed ciuitatem Coloniam ingressus est, & in Sede suâ sedit die, quæ apud Christianos non incognita est, scilicet in vigiliâ Domini. Quò cùm accederet, iamque in vicino adesset, dignum memoriâ est, qualiter Apostolicæ doctrinæ recordatus est, quâ dicitur: Obsecro autem vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni (Ephes. 4.)
B humilitate & mansuetudine, nam verè humilis & mansuetus, Pallio missionis Apostolicæ præmisso, ipse indutus lineâ, discalceatusque, lento pede secutus est, cùm frigus hiemale pro tempore calceatis quoque permolestum esset. Attendebat etiam vocationem suam, quod non ad regna gentium, sed ad ministerium vocaretur sanctorum Christi discipulorum. Et quamuis ad insignem iam veniret suam ciuitatem Coloniam, tali schemate confitebatur cum beatis Patriarchis, quorum Apostolus meminit, quòd peregrinus & hospes esset super terram, patriam se quærere significans meliorem, id est, cælestem, & eam, quam parauit illis Deus, ciuitatem. Venit itaque duce Spiritu sancto, in spiritu humilitatis, cũ animo contrito, non tamen absque sancto & spirituali gaudio: & sicut superiùs iam prælibatum est, ipsâ nocte gaudij sui, scilicet Natalis Domini, consecratus est inter Missarum solennia, quæ ex more celebrabantur paullò ante vel circa ortum diei. Venerant quippe ad hoc ipsum cum eo plures Episcopi. Iam verò in illâ consecratione eius quis diuinam ordinationem non miretur? Quis non vereatur hic altitudinem consilij diuini, quo ita fieri complacuit? Denique totum illud officium matutinum sanctis Pastoribus quium Christi Spiritus sanctus composuit, quorum nimirùm my-
C sticum exemplar pastores illi fuerunt, qui nocte illâ vigilantes & custodientes vigilias noctis supra gregem suum, circumfulgente se claritate Dei, nuntium bonum, gaudium magnum nati Saluatoris, quod à sanctis Angelis primi audierant, videre meruerunt, sicut sanctum eiusdem Missę narrat Euangelium. Cunctæ nimirùm eiusdem officij partes, pastorum Ecclesiæ voces sunt, quales rationalibus curæ suæ ouibus personate debent, natum de Virgine pro salute mundi Saluatorem. Planè nisi legentium vitandum esset fastidium, promptum erat exponere partes singulas secundùm eiusmodi sensum. Vnum tamen est, quod iure non prætereundum sit, videlicet propheticum capitulum, quod in eodem officio lectionem Apostolicam ex more præcedit: maximè quia huius sancti Pastoris personæ locus ille miro modo sese accommodauit. Denique dum in consecrando illum, Episcopi duo codicem euangeliorum super caput ceruicemque eius tenerent, reuoluto mox eodem codice versiculus iste primus occurrit: Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me: ad euangelizandum pauperibus misit me. Propheticum namque hîc Esaiæ capitulum Euangelicis litteris hoc modo insertum est: Et regressus est Iesus, inquit Lucas, in virtute spiritus in Galilæam, & venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est ei liber D Esaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum, in quo scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me: euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum, reddidit eum ministro, & sedit. Et omnium in Synagogâ oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere eis: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Constat ergo, quia persona Christi est, quæ hæc in Prophetâ suo de semetipso loquitur. At ille nimirùm non solùm vnctus, sed vnctus est præ omnibus, sicut alia Scriptura dicit: Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Omnes namque Sancti, omnes quicumque illius speciosi & gratiosi Regis participes siue consortes sunt, eodem spiritu, eodem oleo lætitiæ vncti sunt: quippè qui nec Sancti absque vnctione hac vllo modo esse possunt. Cùm itaque vniuersos eius participes vnctos esse constet eodem Spiritu Domini, de quo ille Princeps & potentissimus dicit: Spiritus Domini super me, &c. contestans & dicens: Quia hodie Scriptura hæc completa est in auribus vestris: sine dubio Præsules Ecclesiarum, quorum est pauperibus E euangelizare, & prædicare captiuis remissionem, & ad hoc sacro chrismate vncti sunt; ipsi singuli scire debent, & de semetipsis post Christum dicere possunt: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me. &c. Igitur dum in huius beati Pontificis vnctione, aperto super caput eius euangelico volumine, primam Scriptura sancta vocem hanc edidit, reuerà iure omnes, qui aderant, venerabiliter pro vero diuinitatis oraculo sententiam arripuerunt, credendo quia Dominus hunc misit: non dubitando, quia hunc Spiritus Domini vnxit. Cùm hac lectione propheticâ, sicut est ordo eiusdem officij matutini, consonantibus atque alternantibus choris, concrepabant diuinæ voces sacra præconia lucis & decoris, quem princeps pastorum Deus & Dominus noster induit, qui nocte illâ illuxit nobis: de quibus non est modò explanatio continuanda: ne, sicut iam dictum est, prolixitas fastidium pariat. Hoc tantùm indubitanter dixerim, quia quædam signa erant hæc persistentis in tenore sui propositi & Dei: qui & dum nasceretur hic beatus, splendorem lucis pro signo mirabiliter edidit, & dum consecraretur, sic eamdem consecrationem disposuit, vt solennia circa illum audirentur præconia veri luminis, cuius nuntij debeant esse pastores F cuncti animarum, secundùm exemplum pastorum illorum, quos nocte illâ claritas Dei circumfulsit.

Coloniam indutus linea & discalceatus ingreditur: — Hebr. 11 — *consecratur Episcopus* — *in aurora Natiuitatis Christi:* Luc. 2 — Isa. 61. 1 — Luc. 4. 14. & seq. — *AVCT. RVPERT. AB. quare aperto super caput eius libro Euangeliorum,* — Psal. 44. — *fuerit inunctus*

a *Hic est VVilderoldus 36 Episcopus Argentinensis Guillimanno, qui hæc verba ex Chronico Hermanni Contracti citat:* Anno 1000 mortuo in Italiâ VVilderoldo Argentinæ Ecclesiæ Episcopo, Alavvicus Augiensis Abbas pro eo ab Imperatore promouetur. *In Chronico Hermanni à Pistorio, vti & ab Vrsticio edito, solùm indicatur ad* annum 1000 promotio Aleuici. *Forsan alius ex Ruperto adiunxit obitum* VVilderoldi, *anno 999 extincti: aut certè Rupertus vltrò hanc historiam adiunxit, quæ non satis cohæret; cum priuilegijs suprà indicatis, in quibus indicatur vsque ad finem mensis Maij Romæ adfuisse, discessisse Rauennam, atque indè Beneuentum regressum ante* VIII *Iulij. Forsan meliùs abest à priore Vita.* (*VVilderoldus Ep. Argentinensis.*)

b *Hinc fabulam, quòd à muribus corrosus foret, potuisset Guillimannus meliùs refutare*

c *Suprà* VIII Idus Iulij *noluit hunc honorum accipere, at quomodò* VII *Idus Iunij suscepit? Quidni* VII Idus Iulij *Rupertus scripsit. Et forsan Augustus mensis accipiendus.*

CAPVT III

Acta S. Heriberti in obitu Ottonis III *Imperatoris, & in fame publicâ.*

10 TVum est hoc opus, Christe, cuius sermo verus est, imò qui es ipsa veritas, cuius sententiam

A tiam permanere oportet, dicentis: Non potest ciui-
AVCT. RV- tas abscondit, super montem posita. Item: Nemo ac-
PERT. AB. cendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub
Matth.5.15 modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur,
Luc.11.33 lumen videant. Sed quæ vnquam ciuitas sic super
montem posita, non inuidiam passa & oppugnata est
à ciuitate Cain terrenâ & in valle positâ, cuius prin-
Cum aliis Sanctis à Deo exaltatis, ceps est Satanas? At quæ vnquam lucerna sic super
candelabrum posita fuit, & nullus ei nequam oculus
inuidit? Quod vt iam manifestiùs dicam, quis vnquam
Sanctorum ædificatus in monte virtutum, verboque
& exemplo lucens ad ædificationem videntium & au-
dientium, nullam ab ingratis & inuidis passus est tri-
bulationem? Quis inter supernarum gaudia gratia-
rum propriam non habuit mensuram eiusmodi lacry-
marum, quas faciunt filijs lucis habitatores Cedar, id
Psal.119.5 & 6 est, tenebrarum? Nam hoc est, quod in Psalmo ge-
mentes singuli dicunt: Heu me, quia incolatus meus
prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar:
multùm incola fuit anima mea. Cum his, qui ode-
runt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, im-
B pugnabant me gratis. Et quamuis tribulentur, non
tamen permittuntur tribulari sine mensurâ, id est, su-
Psal.79.6 pra id, quod sustinere possunt. Item ipsi dicunt: Do-
aduersa patitur ab inuidis, mine Deus virtutum, cibabis nos pane lacrymarum,
& potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ. Opor-
tebat igitur & hunc Sanctum, cuius anima erat Regis
Dei ciuitas supra montem posita, qui lucerna erat su-
per insignis Ecclesiæ candelabrum constituta: opor-
tebat, inquam, & hunc pati aduersa inter prospera
virtutum, quibus intus proficiendo ardebat, & inter
radios signorum, quibus foris ad gloriam Dei lucebat,
sicut protinus narrationis ordo monstraturus est.
Quomodò autem vel per qualem occasionem aduer-
sitas in eo reperit aditum? Videlicet per ingentem
muri vel præcelsæ turris eius ruinam, id est, per mor-
tem Imperatoris sæpedicti: cuius, dum ad viueret, ami-
citia pro muro illi esse poterat contra aduersarios,
quos contra eum postmodùm inuidia suscitauit. Qui
nimirùm Imperator si, vt in ceteris, ita & in caussâ,
per quam mortem incurrit, consilium beati viri atten-
disset, multò meliùs sapientiæ appropinquasset, & non
pœnituisset eum, quemadmodum ipsa Sapientia dicit:
Eccli 32.24 Omnia fac cum consilio, & post factum non pœni-
quia post obitum Ottonis III tebis. Quod quia non fecit, incidit in insidias mulie-
ris malæ, videlicet eius, cuius virum Crescentium, sibi
rebellantem, captum iusserat capitalem subire senten-
tiam: & ab illâ non præcauens, quamuis à sancto vi-
C ro sæpius esset commonitus, veneno intra cubiculum
a dormiens infectus est. Obijt itaque a Romæ anno
a regalia penes se habuit, post ordinationem beati viri tertio. Ierat autem tunc
quoque Sanctus idem cum illo, vtpote ad disponenda
maxima regni negotia pernecessarius. Cui cum die
sequenti confessus fuisset pestem quam perceperat,
seque mori persentiret, id quoque supremum ab eo
postulauit, quatenùs corpus eius Aquisgrani sepelien-
dum transferret. Hoc agere insistens vir fidelis regá-
& electioni S. Henrici non adfuit: lia quoque penes se habuit, & electioni non interfuit
noui principis Henrici, tunc Baioariorum Ducis:
quem secundùm seculi dignitatem locupletissimum,
& litterarum studijs non tenuiter instructum, Prin-
cipes regni Regem sibi elegerunt. Hæc fuit occasio,
quam aduersùs illum rapere potuerunt aduersarij,
quales in Ecclesiâ numquam defuerunt, ex quo sacri-
ficia Deo primi obtulerunt Abel & Cain, scilicet falsi
fratres, de quibus Scriptura dicit: quia abierunt in viâ
Iudæ 11 Cain, quorum pressuram Apostolus quoque inter
cetera pericula suâ maximè gemit. Et hæc quidem re-
galia repetita, citò reddidit: sed quia noui, vt iam
dictum est, Principis electioni non interfuit, ex tunc
illi suspectus erat. Vnde & idem Rex obtrectatoribus
Sancti proniùs aurem præbebat. Denique impacato
semper eum odio persecutus est, donec à Domino
redargui meruit paullò ante obitum Sancti, quod in D
suo loco præsens narratio non præteribit. Nunc me-
morabilium eius ad laudem Domini miracula per-
curramus.

11 Res ipsa, quæ iam nunc enarranda est, satis
lucidè commendat, non casu, sed per diuinam dispen-
sationem id, quòd suprà memorauimus, euenisse: vt
scilicet in consecratione sancti Præsulis prima se ex
Euangelij codice offerret illa vox misericordis Pon-
tificis Christi: Spiritus Domini super me, propter Isai.61.1
quod vnxit me. Subsecuta namq; postmodùm siccitas, *Fame & peste grassante*
peccata populorũ vehementer arguebat, vt ferè omnis
herba præmortua, omnis ager exustus, nonqualem-
cumq; famem, sed famem mortiferam iamiamque mi-
naretur. Denique cum siccitate pestilentia quoque sæ-
uiebat, multique moriebantur, multi adhuc ægra vix
trahebant corpora. Erat ergo pijssimo Pontifici non
parua vel qualiscumque solicitudo: sed & in solicitu-
dine compatientis animi tribulatio, & in tribulatione
iugis & lacrymosa oratio. Vnde quia ferrum transi-
bat animam eius, & in corde eius gemebat Spiritus
sanctus, sicut dicit Apostolus; Nam quid oremus, si- E
cut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro Rom.8.26
nobis gemitibus inenarrabilibus; meruit & populum
reconciliare Deo, sicut de Sacerdote magno & digno
quidam Sapiens dixit: Et in tempore iracundiæ fa- Eccli44.17
ctus est reconciliatio, & inter reconciliandum glo- *indicit triduanum ieiunium*
rioso glorificatus miraculo. Indicto ieiunio triduano,
luctuosus ibat populus per vrbem fœcundam tot
Sanctorum millibus, & ad singulorum patrocinia lo-
corum fideliter atque suppliciter lacrymosas fundebat
preces, quatenùs ab imminentibus, iamiamque præ-
sentibus, malis eriperetur. Erat autem publicus Cleri
& populi, monachorum quoque atque sanctimonia-
lium processus, & ex omni ordine vtriusque sexus:
lingua quidem diuersâ, sed vnâ intentione & eodem
sensu concrepando, Kyrie eleison, altitudo cæli pul-
sabatur. Inter omnes & præ omnibus mœstus & sup- *in processione publicâ*
plex tristium filiorum spes & pater patriæ procede-
bat Archiepiscopus, ita vulnerato corde tantisque
cum gemitibus, vt miro modo consolatione suâ di-
gnum eum iudicaret Spiritus sanctus paracletus. Cùm
igitur oratorium S. Seuerini litania solennis egressa,
B. Pantaleonis adiret oratorium, ecce niuei candoris *visus honorari à columba circumuolante,*
columba, videntibus multis, caput eius circumuolita-
bat, eademque repentè dispareus, iterum visibilis com-
parebat. Videbant eam multi, sed non omnes: quia
videlicet non terrena species, sed cælestis erat gratia,
quam aliquibus videre donatum est. Vt autem ven- F
tum est ad locum, vbi iam dictus Confessor Domini
Seuerinus in transitu B. Martini voces Angelorum
psallentium audire meruit: vident eminus eamdem
columbam caput beati viri tertiò circumuolantem,
quæ & protinus in sublime eleuata, cælos petijt, nec
vltrà comparuit. Vnde quis dubitet Spiritus sancti
gratiam, qualis in domo pectoris eius habitabat, talem
deforis apparuisse, præsertim in tali luctuoso tempo-
re? Columba namque, sicut & turtur, auis gemituosa
est, gemitumque pro cantu edere solet: & sicut illa
soliuaga, sic ista auis gregatim gemere consueuit. Ve-
rissimè ergo cum signo huiusmodi orantem pariter &
gementem præ omnibus hunc designabat Spiritus san-
cti gratia, & de isto quoque quodammodò idipsum
dicebat, quod de alio quodam non ignoto, sed eximio
Prophetâ dictum sacra narrat Pagina: Hic est fratrum 2.Mac.15.
amator & populi sui: hic est, qui multùm orat pro 14
populo & pro ciuitate istâ. Nimirùm & iste vir in po-
pulo suo mitissimus apparuit, secundùm similitudinem
columbæ mitis & simplicis, sancto redundans Spiritu
pietatis: atque idcircò gemitus & oratio eius perire
non potuit. Nam vbi ad prandium ventum est, cùm
ipse appositis cibis ferè ieiunaret, ita tamen more suo,
vt tunc maximè ieiunium dissimularet; quibusdam
ad

A ad ipsam respicientibus, & cum dolore loquentibus, quòd eâ die profusis tam multorum lacrymis necdum propitiato Domino cælum aperiretur; dignum memoriâ verbum respondit hic Beatus, verè mitis, verè mansuetus: Vestri, inquit, ô carissimi, pastoris est culpa, quòd cælum desuper tam ferreum est, quòd multitudo viscerum Domini & miserationum eius continuerunt se super vos. Nisi enim Dominus meis irritatus esset sceleribus, qui inter ipsum & vos debebam stare medius, iam dirupisset cælum, & beneficium eius descendisset & stillasset super vos. Hæc eo dicente, pariter quasi quidam sanguis fluebant animæ vulneratæ ex oculis lacrymæ: quas erumpentes, & cum impetu currentes coram multis volebat quidem, sed non poterat continere. Lacrymis ergo victus, caput super mensam declinauit in manibus, & cum fortissimo spirituum Deo forti humilitate atque ardenti oratione luctabatur. Erat autem horâ eadem tanta cæli serenitas, vt nulla in aëre nubes appareret: cùm ecce subito fragore magna pluuiæ vis inundando erupit, ita vt priùs imbrium crepitus audiretur, quàm vir sanctus caput ab oratione subleuaret. Cuncti protinus B circumsedentes, à mensâ sese excusserunt, & prosilire conati sunt, vt in laudem Christi tantique eius Pontificis hymnis personarent, & signa ecclesiastica concrepare facerent. At ille vir prouidus & humilitatis suæ custos vigilantissimus, terribiliter adiurando illos, hoc fieri vetuit, vixque obtinuit, vt interim quidem à semetipso quiescerent, Dei verò laudem ac gratias Christo agendas numquam tacerent. Nec verò insufficiens pluuia tunc extitit: sed ita vberrimè terram irrigauit, vt iam præmortuas segetum radices ad fœcunditatem repararet.

sui peccatis imputat siccitatem publicam: — *lacrymis & precibus* — *pluuiam impetrat.*

a *Hic aliquod σφάλμα Ruperti est, cùm non Romæ, sed Roma reuertens in castro* Patyrno *seu* Paterno *obierit; vt suprà in altera Vita, & in Notis ad illam dicitur.*

CAPVT IV

Monasterium Tuitiense extructum, & post ruinam reparatum.

12 Interea cùm multis & magnis misericordiæ operibus insisteret pauperum pater, viduarumque & orphanorum quotidianus prouisor, incumbebat animo eius cura continua, seruituris Deo monachis C construere cœnobiũ: quorum ordo videlicet profitetur, quia pauperes sunt, pauperes volũtarij, nihil in hoc mundo habendo proprium. Habuerat autem Imperatorem Ottonem, dumad viueret, huiusce rei monitorem. Denique cùm nouissimâ profectione Italiam ingrederetur rempublicam dispositurus, beatum virum habens in comitatu, cunctis prosperè succedentibus, tractans cum viro Dei de salute animæ suæ, & quodammodò dicens, Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi; consilium hoc accepit, quatenùs ob salutem suam cœnobium construeret monachorum in honorem sanctæ Dei Genitricis omniumque Sanctorum. Hoc inito salubri consilio, necessaria protinus ad hanc rem prædia Christo delegauit, quæ & beato viro in manum dedit, cum pollicitatione vel sponsione huiusmodi, vt quoniam vita mortalium incerta est, si quem ex ipsis necessitas mortis præoccuparet, alter quicumque superstes existeret, votum perficeret. Talis, Christo mediante, inter illos conditio conuenit, & ita pauperum memores extiterunt viri summi, hæredes æternæ viriditatis, de qualibus in Psalmo Spiritus propheticus dicit: Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit. Hoc namque præconio, sub nominibus lignorum campi & cedrorum Libani, mysticè à sancto Spiritu diuites & potentes seculi promissi sunt hospitales futuri pauperibus, id est, Ecclesiæ filijs spiritualibus, de qualibus ibidem continuò subiungit: Illic passeres nidificabunt: Herodij domus, dux est eorum: quia propter ipsum pauperes fiunt, præparando animos diuitum secularium: vt quomodò passeres in ramis lignorum campi cedrorumque Libani nidificant, ita ipsi in possessionibus siue facultatibus illorum parata sibi vitæ huius necessaria percipiant. Hæc idcircò commemorare libuit, vt pariter recogitet quisque, qui de talium constituto viuit, professus Christi seruitium sanctamque paupertatem, quam Christus ipse docuit, quia tamquàm passer volare, id est, cœlestia cogitare debet, vt dignus sit hospitio vel stipendio, quod passerum id est, pauperũ siue humilium spirituali vitæ paratũ est. Nam hinc est, quod idem Dominus Christus, instruens pauperes suos: Nolite, inquit, cogitare de crastino. Item: Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim pater vester cælestis, quid vobis necesse sit. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Quod idem est, ac si dicat: Securi ô vos omnes, qui laboratis & E onerati estis, venite ad me, & ego reficiam vos: securi & confidentes venite ad vitæ contemplatiuæ requiem, nihil de crastino soliciti: quia iamdudum pater vester cælestis, sciens quid vobis necesse sit, promisit & parauit vobis victum & vestitum, dicendo in Prophetâ: Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit: illic passeres nidificabunt. Sed his omissis, reuertamur ad rem: neque enim propositum nobis fuerat docere monachos, quod statuta percipere stipendia non debeant, nisi per contemplationis pennam volent & à seruili opere peccati vacent, sed gestorum beati viri texere narrationem.

In itinere Romano cũ Ottone Imp. — *constructionem monasterij concipit:* — Psal. 103.16 — *prædia ab eo accipit:* — D AVCT. RVPERT. AB. — Matt. 6. 34 & 25. & 33. — Psal. 103. 16

13 Cùm igitur B. Herebertus propositum electo in loco construere optaret cœnobium, & nusquam locum reperiret, quem aptum putaret satis & idoneum: conuertens sese ad Dominum sanctamque eius Genitricem in ieiunijs & orationibus, postulabat sibi ipsius reuelari voluntatem. Fecit hoc instanter, & sicut de S. Annâ Prophetissâ scriptum est, Vultus illius non sunt ampliùs in diuersa mutati: non antè destitit, donec suis condignum meritis responsum cælitus accepit. Denique nocte quadam, dum post vigilias fatigata sopori membra dedisset, ecce adest per visum illa beata Angelorum & omnium Regina Sanctorum: quæ stellato sedens solio, latum & amplum cælorum cum filio suo possidens regnum, non parui F pendebat etiam hoc paruum, quod sibi in terris fideli deuotione offerebatur domicilium. Et assistens, Scias, inquit, ô Hereberte, exauditas esse orationes tuas: iam ecce venio ad te, vt indicem tibi votum, quod mente geris, quo in loco perficias. Ego enim sum Maria mater Domini. Surge ergo, & Diuitense castrum petens, locum in eodem mundari præcipe: ibique monasterium Deo, mihi & omnibus Sanctis constitue: vt vbi quondam abundauit peccatum & cultus dæmonum, ibi iustitia regnet in multitudine Sanctorum. His dictis, misericordiæ Mater disparuit, beato scilicet viro euigilante, atque ita relabente à dulcedine tantæ visionis. Erat autem in eodem castro sita chors, pertinens ad seruitium Episcopij. Surgens igitur, & gratias Deo corde & ore deuotissimè agens, & ei, quæ sibi apparere dignata fuerat, salutis perpetuæ Genitrici non ingratus existens, confestim prædictæ chortis ministerialem accersiuit, iussitque quantocyùs chortem illam emundari, quoniam Regis cælorum & Genitricis eius iam deberet curia fieri: vt exportata suppellex vniuersa, locum daret aduenienti, atque habitaturo illic nomini Domini. Factumque est, & exportatâ rerum omnium quæ multa erat copiâ, citiùs quàm sperari poterat locus emundatus est. Quid multa? iactis fundamentis, alacriter at-

1. Reg. 1. 18. — *à Deipara apparente edocetur monasterium in Tuitiensi castro extruendum:* — *id curat fieri.*

A que celeriter structura speciosa surrexit.

AVCT. RVPERT. AB. *Templum collapsum,* 14 Sed quid dicam? Cùm enim opus ferè peractum esset, iamq; sicut propositum fuerat, seruientium Deo monachorum cœtus adunatus existeret, quadam nocte dum finitis Matutinorum solennijs, omnes fuissent egressi, repentè sic tota structura concidit, vt lapis super lapidem non remaneret, præter vnum parietem paruulum, qui solus inter illas ruinas stans repertus est. Quid de euentu sapiens auditor arbitretur? Nisi enim cælesti auctoritate structura surrexisset, nisi talis tamque sublimis personæ, quæ apparuit, sicut iam dictum est, dignitas opus tali in loco fieri iussisset, & nisi fundator operis hic Pontifex notæ sanctitatis existeret; fortuitò accidisse arbitraremur. Nunc autem consideratâ rerum vel personarum qualitate, arbitrari licet, diuinâ & iustâ hoc actû esse dispositione. Et quidem *cuius mystica interpretatio indicatur,* quoniam altitudinem diuini consilij perspicere non valemus, hoc tantùm dicere libet, quia cunctis loca sancta inhabitantibus, & eis maximè, qui eodem in loco sanctum deinceps subituri erant seruitium, terribile signum datum est. Nam quod veraciter de filio Virginis dictum est: Ecce hic positus est in ruiB nam & in resurrectionem multorum; idipsum non *Luc.2.* inconuenienter de isto, & eiusdem Virginis oratorio, & de omni Sanctorum loco dici potest, quia in ruinam & in resurrectionem multorum positus est. Quorum in ruinam? nisi illorum, qui sancto in loco vitam perditam ducunt, & idcirco maius portaturi sunt iudicium? Et quorum in resurrectionem? nisi illorum, qui de seculo nequam exeuntes, & peccata præterita fugientes, ad sanctum locum, pœnitentiam acturi, confugiunt, atque ita in statum iustitiæ resurgunt? Nimirum & illorum ruinam in iam dictâ ruinâ lapidum, & istorum resurrectionem non absurdum est intelligi in structurâ iteratâ, quæ protinus in melius consurrexit. Nam vir Dei grauiter quidem tulit id quod accidit: sed citò resumptis viribus sancti desiderij, totum ipsum spatium ædificandi monasterij in altitudinem mali naualis effodiens, rursus fundamenta iecit, ocyúsque consummatum, *instaurat & dedicat,* quinto Nonas Maij monasterium dedicauit. Porrò de lapidibus prioris structuræ, claustrum cum officinis construxit. Igitur dum eiusmodi rem gestam legis aut recolis, quicumque mente studiosâ exempla spiritualium de quorumlibet corporalium similitudine scrutari delectaris, non curans quali fine, quàm humili ex re tuæ capias instrumenta salutis, dummodò possis vtiliter ædificari: opportunè simul C & illud ad memoriam reduc, quod manifestè diuinâ cum auctoritate scriptum est, vbi Dominus ad Prophetam dicit: Surge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi, inquit, in domum *Ierem.18.2* figuli, & ecce faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis. Et conuersus, fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret. Hæc & cetera persequi vel tractare, præsentis narrationis propositum non admittit: hoc breuiter studio intendente, quatenùs hoc loco ad memoriam reuocaretur, in omni ordine & superbos pro suâ duritiâ cadere vel dissipari, & humiles pro suâ mansuetudine ad pœnitentiam conuersos, restaurari.

ad Crucem Dominicam efformandam, 15 Accidit & aliud, quod similiter non prætereundum, neque ratione vacare putandum. Nam vir Domini statim vt ecclesiæ fundamenta iecit, Crucem Dominicam, quæ ibidem statueretur, formari præcepit. Artifices verò vigilanter quidem institerunt, vt præceptum perficeretur, sed nullo modo diligentiam sequebatur effectus. Quotidiè reiectis alijs alia ligna cædebant, & nullatenùs ex quolibet ligno, quamuis electo, suæ artis officium peragere valebant. Multo igitur labore, sed & maiore defessi tædio, omnino ab eiusmodi opere desistere decreuerunt. Quadam verò die vir beatus in quamdam deuenerat possessionem ad D se pertinentem, mensaque illi iussu ipsius in pomario, quod domui suæ contiguum erat, parata est. Stabat pyrus ex aduerso in altum porrecta, quæ ramis deductis, imò quasi brachijs distentis, quodammodò Domini effigiem manus in cruce expandentis, imitari *non quodlibet lignum,* videbatur. Cùm itaque sedens, oculos inter prandendum fortuitis motibus deduceret, ecce talis effigies in arbore illâ repentè sese obiecit, miroque modo ad primum intuitum quemdam terrorem diuinum animo eius incussit. Nec mora, facto præ oculis illo familiari sibi signo Crucis, totus in se rediens, rem diuinitus præuisam, suisque oculis oblatam esse prudenter intellexit. Statim igitur accersito artifice, arborem illam succidi, & ex illâ Crucem Dominicam, & in eâ Saluatoris imaginem diligenter formari imperat. Paruit ille, & compendio satisque efficaciter artem operis elegantia secuta est. Quid ex facto huiusmodi con- *sed pyrum aptam reperit.* ijci potest? Numquid de lignis aut de truncis Deo cura est, vt indicare debeat, quod vel quale lignum sibi eligat aut eligere debuerit artifex? Sed reuerà est aliud, vnde curat Deus, quod prudens auditor non E inutiliter secundùm hanc similitudinem contemplетur. Nam signum Crucis vel imaginem, quam in recordationem Saluatoris Christianus veneratur populus, subleuatam ante oculos, sicut Moyses in deserto serpentem æneum pro signo exaltauit, imitari honore secundarij debent Pastores, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam suo sanguine acquisiuit, vt vice Christi honorentur, quos vicem constat agere Christi. Nimirùm non humanâ præsump- *Num.21* tione ad dispensationem domus Dei sunt intrudendi, sed electione Dei vocandi: vt videlicet ille constituatur, quem Deus elegerit, quem vt præesse mereatur, Deus velut operarium suum dignum Spiritu sancto demonstrare dignatus sit. Rectè ergo huius veritatis, huius diuinæ electionis meminisse nos facit res ipsa, quæ penè similiter accidit, dum non qualecumque lignum, non quodcumque volebant homines artifices, sed quòd nutu diuino monstratum est, ad eiusmodi operis effectum perduci potuit.

CAPVT V

Varia miracula à S. Hereberto in vitâ patrata.

16 Operandi virtutes hic Beatus à Spiritu sancto, F diuidente singulis prout vult, gratiam habuit, sed gloriam semper fugit: quippè qui egregiè cu- *In miraculis fugit gloriam:* stos humilitatis, nolebat imò fugiebat iustitiam suam ab hominibus videri. Denique talium maximè operum luce, Sanctorum vita coram hominibus innotescit. Huius rei clarum satis & euidens indicium est, quòd cùm gratiam hanc haberet, vt iam dictum est, numquàm tamen precem ad Dominum fudisse reperitur pro cuiuslibet operatione virtutis: sed nihilominùs per eum nonnulla facta sunt miracula eiusmodi, nonnumquàm inuito, nonnumquàm & nesciente ipso, sicut sequens sermo declarabit. Verumtamen in hac laudatione humilitatis huius, nihil magnorum Sanctorum auctoritati vel gloriæ derogauit, qui opus huius gratiæ fusis persæpè precibus impetrasse leguntur. Omnia namque tempus habent, dicit, Ecclesia- *Eccles.3.1* stes. Denique sicut de generibus linguarum, quæ ab *1.Cor.14.21* eodem Spiritu dantur, dicit Apostolus, Quia linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus; ita & *neque precibus virtutem miraculorum petijt* de operatione virtutum rectè dicas, quia virtutes ad testimonium sunt, non fidelibus, sed infidelibus: & ibi summoperè Sanctis optandæ sunt, vbi ignorantiam veri Dei habens, ad fidem eruditur populus. Vnde S. Elisæum laudabiliter egisse animaduertimus, qui

dicente

A dicente sibi Eliâ: Pete quod vis, antequàm tollar à te; protinus petens: Oro, inquit, vt fiat spiritus tuus duplex in me. Videbat namque miserabilem Israël, sequentem fornicationes impijssimæ Iezabel, claudicare in duas partes, sequendo Baal idolum Iezabel, & hæsitando post Deum patrum suorum, qui vnus & verus Dominus Deus est: & non posse populum eumdem in suum restitui gradum, nisi per multarum operationem virtutum. Proinde rem difficilem quidem postulauit, attamen quia non suam, sed Dei gloriam & communem quærebat populi salutem, factum est quod petiuit, & duplex spiritus Eliæ super eum requieuit. Duplum namque donum spiritus in operatione virtutum ille accepit. Nam si Scripturam consulas & diligenter computes, Elias quidem octo, Elisæus autem circiter sedecim miracula operatus est. Igitur & illi laude digni sunt Sancti, qui per caritatem vel propter ædificationem infidelium, fusis ad Deum precibus, virtutes operati sunt: & hic atque ceteri iure honorandi sunt, quicumque propter humilitatis custodiam quodammodò fugere studuerunt datam sibi cælitus & vltrò prosequentem eamdem virtutum gratiam. Sed iam earumdem virtutum Sancti

4 Reg. 2 ut aliqui Sancti, & Elisæus,

B huius narrationem ingrediamur.

17 Die solenni hic Sanctus Dei sermonem de more faciebat ad populum. Erat autem dies ille, quem Christianitas appellat diem Palmarum, quo videlicet die Rex cælorum sanctam ingressus est ciuitatem Hierosolymam, sedens super pullum asinæ; nimirùm ob contemptum superbiæ Regum terræ, de qualibus Psalmista dicit: Hi in curribus, & hi in equis: subiungens protinus, Nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus: in quo videlicet nomine tunc ille passurus aduenit, clamantibus turbis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Erat ergo sermo in ore eius tempori & rei congruens, videlicet quomodò diabolus per seductionem primi hominis, atrium huius mundi tamquàm fortis armatus occupauerit, & quomodò superueniens fortior filius Dei, per humilitatem crucis & passionis suæ fortem illum vicerit, & vniuersa ejus vasa, id est, nos homines ab eo, iure victoris tulerit. Ecce autem in maximâ turbâ audientium quidam aderat, ab eodem forti & tenebrarum principe corporaliter obsessus, & ob hoc nexibus duris obstrictus: iam anteà per multa Sanctorum loca fuerat deductus, vt meritis Sanctorum liberaretur, & non

inter concionandum ad populum

Psal. 19, 8

C prouenerat illi optata salus: quia videlicet liberatio eius, beatissimi huius meritis per Dei prouidentiam reseruabatur. Cùm igitur sermo eiusmodi ab ore beati viri profflueret, non sustinuit virtuté virtutis fortitudo inimici, qui ad singula dicta, tamquàm ad totidem verbera, vehementiùs eiulabat, dentibusque miserrimi hominis tamquàm suis in semetipso stridebat, audiens illas, quibus à Christo victus narrabatur, historias. Itaque qui iam notus fuerat multis homo captiuus, omnibus innotuit, dum clamoribus cunctorum silentia turbaret, atque ad audiendum Dei verbum intentam totius regionis multitudinem solus inquietaret. Ad clamores eius maximè, vir ille misericordiæ filius, totus intendit: & sermonem, quem habebat in ore, prosequi non præualens, quoniam magnitudine compassionis occupabatur, orabat tacitâ mente, vt in vno manifestaretur homine virtus Liberatoris, qui totum mundum liberauit. Hæc tacitus orans, iterum atque iterum de industriâ repetebat capitulum, victoris Christi gloriam, & victi diaboli referens ruinam: ita vt mente excessisse videretur, vnam eamdemque toties iterando sententiam flens pariter, & vberibus, quod perpulcrum est, lacrymis perornans oris eloquentiam. Non ergo sustinuit, vt iam dictum est, ille hostis antiquus; sed virtute Verbi omnipotentis coactus effugit, liberumque, quem diu possederat, hominem reliquit. Illo namque exturbato, is qui vinctus à multis

oratione ab obsesso pellit dæmonem:

tenebatur, placido sermone: Obsecro, inquit, soluite D me, vt ea quæ beatus ille Pontifex loquitur, possim & ego quietus audire. Cùm hæc primò diceret, putabatur adhuc in illo nequam hostis fallere: sed loquebatur homo constantiùs, iterum atque iterum se liberatum asserens beati Pontificis meritis, & sana verba proferens. Soluerunt ergo illum, & stabat sanâ mente, cum audientibus reliqua sermonis intentiùs audiens. Testes atque miratores virtutis erga beatum virum tanti extiterunt, quanti illum sermocinantem tali in loco circumstabant, qui & diligenter attenderant eius intuitum gestumque lacrymosum, cùm nihil quidem labijs pro liberatione captiui diceret, & tamen liberationem eius tacitæ orationis virtute perficeret.

AVCT. RVPERT. AB.

18 Aliud sub eodem tempore actum est virtutum eius indicium, in quo ampliùs splenduit de sursum, qui humilitatis studio apud se premebatur deorsum. Tres namque ex eis qui malè habebant, ob meriti eius testimonium, cæca visio direxit ad illum, tamquàm ad salutis medicum. Primus illorum, cœnobij suprà iam memorati, quod idem Sanctus construxerat, Abbas, nomine Volbertus, extitit, vir venerabi- E lis, qui capitis oculorumque duro ac diutino vexabatur incommodo. Huic vna noctium diuinitus per visum intimatum est, vt ex aquâ, quâ sanctus Dei Pontifex post Missarum celebrationem manus de more lauisset, caput sibimet oculosque perfundendo foueret, indubitanter credens, quòd protinus sanitatem recepturus foret. Credidit ille, quippè qui præ multis alijs familiariter conscius erat vitę illius Sanctissimę. Venit ergo, priùs tamen ab eodem accersitus, vt sæpè solebat accersiri & requiri de monasterij iam dicti necessarijs rebus. Cùmque ad celebranda Missarum solennia Pontifex de more pararetur, accedens propiùs, vt erat familiaris, visum retulit, aquam de manibus iussu eiusdem sibi, vt præmonstratum fuerat, dari poposcit. At ille quasi vehementer commotus, & quodammodò suæ mansuetudinis oblitus, in quâ veraciter dicere poterat, Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me; repulit à se hominem velut delirum & amentem, qui nesciret aut non vidisset Rhenum pro foribus suis præterfluentem, in quo non solùm capite & oculis, sed & toto posset corpore, quantùm vellet, mundari. Repulsus ille, perstitit non incredulus vi- F sioni, & à ministris eiusdem Pontificis clàm sibi, quòd petebat, reseruari obtinuit: moxque vt caput & oculos ex aquâ illâ perfudit, integram sanitatem recepit.

sanat aquâ lotionis manuum in Missa

Abbatem à dolore capitis & oculorũ,

Psal. 130. 1

19 Post hunc quædam mulier, quæ multo tempore cæca fuerat, visum penè eumdem vidit. Dictum namque illi est, quod si ex vino, quo idem Sanctus Dei post Dominici Corporis & Sanguinis Communionem digitos de more lauisset, sibimet oculos intingeret, amissum protinus lumen reciperet. Credidit illa, dansque operam, vt ostensum posset remedium consequi, protinus vt oculos vino intinxit, lumen optatum recepit.

mulierem simili vino à cæcitate,

20 Alia deinde mulier, diu paralytica, per visum commonita est, quatenùs beati viri benedictionem expeteret, confidens de virtute Christi, quòd per meritum beati Pontificis, infirmitate propulsâ, confestim sanitas succederet. Illa nihil dubitans, virorũ manibus sese deferri postulauit, & secus viam collocari, quà transiturus esset vir Dei. Itaque illo prætereunte clamauit, benedictionem petens in nomine Domine. At ille paullulùm subsistens, cùm ex præsentibus cognouisset, quòd paralytica esset, & quòd benedictionem postularet, stans eminus, eleuatâ manu signum Crucis edidit: statimque reddita sanitas dissoluta membra solidauit, & quæ aliorum manibus deuecta fuerat, surgens

signo Crucis paralyticam,

A surgens ad propria remeauit incolumis. Ita miro modo qui apud se latere volebat, magis ac magis ex Deo clarescebat, & vox veritatis implebatur dicentis: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: & Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.

AVCT. RVPERT. AB. Matth. 5. 15

Luc. 11. 33

21 Aliquando quidam familiaris Clericus, & in ministerio quotidiano necessarius, validâ febre correptus, grauissimè vexabatur, ita vt penè à cunctis vita eius desperaretur. Erat autem tunc sanctus Pontifex a cum Imperatore in profectione, & de Vangionum ciuitate cum illo Moguntiam proficiscebatur, habens Clericum iam dictum secum in itinere, & semper foris & intùs obsequio eiusdem consuetudinaliter vtebatur. Cùm ergo febris illum in profectione corripuisset, & pene vsque ad mortem fatigaret, Patri semper pium super afflictos habenti affectum, cum eodem pietatis affectu solicitudo quoque familiaris obsequij non parua pro tempore & re suborta est. Accessit ad lectulum, suumque proniùs visitauit infirmum; paternè percunctans, si quid vellet, si quid saltem gustare præualeret. Ille vt ardebat valido æstu febrium, nihil præter aquam se poscere professus est. Quâ cum benedictione concessâ, ipse de more solennia Missarum ingressus est. Nihil quod audiretur foris, pro virtutis operatione, vt sibi ægroti concederetur salus, orauit, sicut iam superiùs dictum est; quia numquàm pro huiusmodi signis aut virtutibus precem manifestam fudit. Orabat tamen, Deo quidem loquens, sed hominibus tacitus, & maximè in eiusmodi caussis Euangelicum consilium obseruabat Domini, dicentis: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora patrem tuum. Clauso namque oris ostio, orabat pro talibus, vt cùm prouenisset virtutis effectus, ipse nihil egisse putaretur: atque ita iustitia eius non videretur ab hominibus. Quid multa? Peractis Missarum solennijs, dum suum rursus visitaret ægrotum, ille iam sine dubio meritis eius de magnis febrium ignibus ac suspicionibus mortis instantis ereptus, adeò conualuerat, vt auiditatem quoque ciborum adeptus, rogaret sibi transmitti pulmentum de mensæ ipsius apparatibus. Factum est, & exinde vsque ad satietatem refectus, adeò de infirmitate conualuit, vt proximâ die cum alijs proposito itinere Moguntiam præiret, & Episcopalis obsequij munia ex integro, vt erat solitus, adimpleret.

a varia visitatione Clericum à febri periculosa.

B

Math. 6. 6

C

a *Contrà in priore Vita*, Clericus ipsius Vice-dominus cum eo gradiebatur ad palatium.

CAPVT VI

S. Heriberti studium orationis, humilitatis & benignitatis erga pauperes & afflictos.

Orans in tenebris,

22 IDem familiaris Clericus, postmodùm domus S. Petri Præpositus, plurima de eodem Patre magna & magnifica nouerat & narrare consueuerat; quorum pleraque cùm ob breuitatis studium prætermissa sint, vnum est quod silentio transire non libuit: quia verè signum magnum est & euidens, quòd oratio eius verè ignis fuerit, & ante oculos diuinitatis velut lampas ardens & lucens, caritas eius extiterit. Nocte quadam, cunctis circa ipsum dormientibus, lumen, quod de more coram ipso positum fuerat, vt toto noctis spatio luceret, extinctum est. At ille iam dictus familiaris Clericus repentè somno excitatus consurgens, & hac illacque sub horridulo silentio circumspiciens, dum pro recuperando lumine solicitus trepidat, rem diuinam & memoriâ dignam, vt ipse cum iuramento testabatur, conspicatus est. Nam inter ipsas noctis tenebras, ecce de lectulo, in quo beatus Pontifex peruigil orabat expansis manibus, lux immensa refulsit: cuius etiam magnitudine inualescente, nec manus eiusdem, vt ipse fatebatur, videre aut discernere potuit. Hoc nimirùm signo satis claruit, quòd verè filius esset lucis & filius diei: & quia oratio eius verè vt ignis peccata consumit, & potestates tenebrarum vincit. Nec verò illâ tantùm vice, sed & multoties cùm post Matutinales hymnos, psalmorumque continuas decantationes lumen materiale alicubi reconderetur, lumen spirituale Pontificem sanctum secretiùs orantem ita circumfulsit, vt putaretur adesse præsentia solis meridiani.

luce circumfunditur:

D

23 Iam de humilitate eius gloriosa signa præmissa sunt, quia in operatione virtutum, & Patris, qui in cælis est, glorificationem quærebat, & sic operantem sciri vel videri se ab hominibus refugiebat. Porrò ipsa humilitatis virtus tunc demùm dulcis & suâ perfectione laudabilis est, quando is, qui intùs plenus Deo Creatori suo sese subijcit in contractione cordis, foris quoque ad infimorum condescensionem hominum semetipsum quantò maior est tantò ampliùs pro eo in tempore submittit. Libet igitur narrationi huic inserere rem gestam, magnæ humilitatis exemplum ferentem, & testimonio vtilem, vt maximè in sacris rebus nulla Ecclesiastica dignitas qualemcumque despiciat pauperem fidelem. Simul quia plerique salutarium Sacramentorum ministri nimiùm peccant, dum sacra venditant, cunctaque quæstus causâ faciunt, libenter hoc illis exemplum ingerendum est: quia videlicet peccatum quoque illorum vehementer hæc res gesta redarguit, in quâ Sanctus iste magnâ, vt iam dictum est, laude refulsit. Pauperi cuidam ex his, quos Pater sanctus ope quotidianâ sustentabat, infantulus natus erat: is quia pauper erat, & quia nihil quæstus in manu habebat, contemnebatur à Sacerdotibus, per totam vrbem Coloniam puerulum illum circumferens, & eidem filiolo regenerationis gratiam offerri postulans. Defessus ergo & contemptus, ad sanctum recurrit Pontificem, & quòd tali in re contemptus esset, magnâ & flebili voce conquestus est. Ille vt verè sapiens, Currens, inquit, affer illum ad me, ego enim eum habeo baptizare. At ille: Suscipe, inquit, ergo eum tu quoque de sacro fonte, & Compater meus esse digneris. Baptizauit itaque pauperculum, non pro personis nostræ salutis appendens Sacramentum: suo nimirùm facto & exemplo tantæ ciuitatis tam multos redarguens Presbyteros, quòd ausi fuissent fidem Domini nostri Iesu Christi habere in acceptione personarum, iudicantes, vt ait Apostolus, apud semetipsos, & facti iudices cogitationum iniquarum. Etenim, inquit, si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens in veste candidâ, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclarâ, & dicatis ei, Tu sede hic benè: pauperi autem dicatis, Tu sta illic: aut, Sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Quòd si in quouis iudicio iure hæc auctoritas Apostolica redarguit acceptores personarum; quantò magis in dispensatione Sacramentorum, quæ de cælo gratis profluxerunt, vir sanctus exemplo suo redarguere debuit paupertatis contemptum? Rectè igitur gradiens secundùm regulam vel consilium Sapientiæ dicentis: Si benè feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa; tradidit Sacramentum salutis, non personæ intendens, sed creaturæ formatæ ad imaginem Dei: & ipse de sacro fonte suscepit puerum, factusque compater, dedit patri vnde nutriret eum. Quadam postmodùm die, cùm celebratâ statione apud S. Seuerinum reuerteretur, multâ Cleri & populi turbâ comitatus, transibat exiguum iam dicti pauperis tugurium. Ille vt prætereuntem

humilitas perfecta,

E

baptizat pauperis filium, ab omnibus reiectum:

F

Iacob. 2. 2. & seqq.

Eccli. 12. 1

A tem vidit, non parum alacri visus confidentiâ prorupit, frænum equi corripuit, simul clamans & adiurans per nomen Christi & per maiestatem diuinæ caritatis, vt paullulum subsisteret, & vel modicum quid de compatris sui apparatu perciperet: memor fœderis, quod secum pepigisset in iam dictâ regeneratione vel susceptione filioli. Audiant & hoc exemplum, quicumque quasi iure Sacerdotali de pauperibus libenter obsonia capiunt, imò & violenter exigunt: qualibus per Prophetam Dominus cùm dixisset, Væ qui opulenti estis in Sion: subsecutus & hoc addidit: Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Audiant, inquam, hoc, & imitentur exemplum; quia Pontifex magnus ad huiusmodi tugurium compatris digressus, optimum sumpsit conuiuium, panis videlicet frustum, & gallinæ pullum, nec non & tenuis ceruisiæ poculum. Talis caussa sit, talis pietatis custodia, talis caritas, vbi vel quoties Sacerdotalis dignitas, pro accipiendo munere ad pauperes sese inclinat. Hęc pro humilitatis eius testimonio vel exemplo dicta sint.

Amos 6.1

non respuit inopem mensam tenuis hominis.

B 24 Porrò de misericordiâ, quàm magnam in pectore eius domum sibi ædificauerit, quàm verè misericors & misericordiæ filius fuerit, testes erant pauperum multitudines, & penè innumerabiles esurientium cunei: quos non vno tantùm tempore vel anno, sed pluribus episcopatus sui annis, fame per totum penè orbem grassante, de multis regionibus confluentes, paterno affectu & materna pietate in magnâ benignissimi cordis sui latitudine suscipiebat; dispertiens illos per Episcopij sui possessiones, quantum cuiuscumque fundi facultatem sustinere posse perpendebat. Verùm præter quotidiana hæc pietatis eius experimenta, quamdam aliquando memoriâ dignam rem gessit, in quâ propter abundantiam misericordiæ, propè mendacij siue simulationis ac duplicitatis iniquitatem incurrisse possit existimari. Sed nos eiusmodi rem gestam commemorantes, simul ad memoriam reuocemus illud dictum Sapientis: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Res hoc modo gesta est. Clericus quidam ex pauperibus, qui, vt iam dictum est, ad beati Pontificis curam & eleemosynam confluxerant, non contentus stipendio caritatis, quod sibi ex illo die porrigebatur, vsque in Saxoniam transuolauerat, & otiositatem sectatus, quæ, vt ait Sapientia, multam docuit malitiam, furtum perpetrauerat. Denique tres noctu effringens ecclesias, cum vasis & C vestibus sacris exinde sublatis, sacrilegus Coloniam versus repedauerat. Illic deprehensus, imò subsequentibus è vestigio his qui damnum pertulerant, iudici eiusdem ciuitatis reus repræsentatus fuerat. Nec erat dubia sententia, quin sicut habet forensis lex, conuictus fur sacrilegus, statim suspendio interiret. At tum sanctus Pater in ipsâ vrbe præsens aderat. Audito ergo quod acciderat, confestim iudicem ad se euocat, iubetque tamquàm furti vindex animosus, vt furem secum in suam præsentiam deducat: Non, inquit, hodie quidquam cibi aut potus percipiam, donec in conspectu meo ille mortis reus appareat. Factumque est, & coràm adductum, quamuis toruis oculis adspiciens, Te, inquit, viuere fas non est, cui mors tanto acquisita scelere, iam debita iamque parata est. Hæc palam cunctis minaciter elocutus, optimo illum executori, scilicet pauperum prouisori, reum committens, secretiùs edixit, vt necessarijs sumptibus vbertim reficeretur. Ipse ad prandium discumbens, quæ sola causa pœnam illius differre videbatur, assidente omni frequentiâ, cunctisque ad epulandum intentis, ipse propositi non immemor, iam dictum prouisorem pauperum clàm aduocans, clamque auri insusurrans: Educ, inquit, Clericum, meumque sessuro illi sterne quantocyùs equum, tuque pariter adequitans, deducito vltra syluam proximam: dansque illi libram argenti, illo

Benignus in pauperes.

Eccli 42.14

Eccli 33.29

reum mortis Clericum mira simulatione liberat à supplicio.

in salutem dimisso, tu quantocyùs reuertens, coràm adstabis. Factum est vt imperauit. Et ministro, qui redierat coram adstante, ipse simulatâ seueritate: En, inquit, vbi est reus ille. Hæc dicens, videbatur, imò videri volebat de pœnâ illius iam maturandâ tractare. At ille voluntatis eius simul & facti conscius, tristitiam simul & pauorem confingens: Fugâ, inquit, mi Domine, lapsus est. Tunc & ipse discurrens, fictumque metum verbis atque questibus depromens, cunctos qui aderant, attonitos reddidit. Quem sanctus Pontifex quasi vehementer increpitans & minaciter obiurgans, conuersus ad populum, spectaculi caussâ confluentē: Ecce, inquit, reus ille effugit, euasit. Ite, currite, quatenùs retractus ex fugâ, debitam quantocyùs pœnam soluat. Hoc insigne pietatis egit memorandus hic fraternæ salutis artifex, simulator fidelis, &, si dici fas est, splendidè mendax: de cuius tali commento si cuiquam mendacij notâ non carere videretur, iterùm atque iterum decantare licet id, quod suprà dictum iam est: Quia melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Vir namque is est, qui ad virtutem tendit, & in omnibus, quæ agit, regno caritatis intentus est. Mulier autem, id est, mollis iudicatur, quisquis quolibet in sexu malum intendit, & regno cupiditatis deditus est. Ergo hic in facto suo, quamquàm simulationis vitium subijsse videatur, vir est, & hæc iniquitas melior est, quàm benefactum eius, qui dum iustitiæ zelum simulat, crudelitatem exercet.

D AUCT. RUPERT. AB.

Eccli 42.14

E

a Præterita, *scilicet in priore Vitâ, vti quod hic refertur.*

CAPUT VII

Inimicitiæ ab inuidis procuratæ inter SS. Henricum Imp. & Herebertum, ac diuinitus sublatæ.

25 INter tot ac tanta pietatis opera seruus Christi quasi malè operans, persecutionibus, vt iam superiùs prælibatum est, non carebat. Nec mirum. Dicit enim Apostolus, imò is, qui in Apostolo suo loquitur Christus: Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur. Et in Psalmo prophetica Veritas cùm dixisset de sanctis Ecclesiarum Rectoribus, Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo: continuò subiunxit: Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius: ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos &c. Oportebat ergo & istum, quoniam piè in Christo viuebat, persecutionem pati: & quia nauim in mari, id est, Ecclesiam in hoc seculo regendam susceperat, oportebat eum fluctibus turbari & moueri. Persecutionem patiebatur ab inuidis, quorum moribus ipse minimè conueniebat: illis namque grauis erat etiam ad videndum, & vbi sanctiùs atque reuerentiùs coram Domino, humilis & paruus in oculis suis, procedebat siue adstabat, ibi ampliùs inuidis displicebat. Erat verò vultu valdè reuerendus, & earum, quæ in mente illius regnabant, virtutum quædam maiestas forinsecus in facie quodammodò visibiliter sentiebatur, maximè cùm sancto altari assisteret, sacris Missarum solennijs intentus. Tunc etenim tam reuerendus apparebat, vt in faciem eius intendere volentes, quadam velut magisterij dignitate subditos terreret, nisi quos dilectio confortabat, quæ sola Dei & Sanctorum eius adspectu digna est. Hoc ampliùs indignantes inuidi execrabantur, procaciter ad alterutrum loquentes, & dæmonem eū esse dicebant, quem constabat esse Angelum Domini, secundùm veritatem Scripturæ dicentis: Labia Sacerdotis custodiunt scien-

1.Tim.3.12

Psal.106. 23.& seqq.

F

Inuidos patitur infestos:

maiestate vultus inter sacrificandū elucet:

Malac.2.7

A scientiam, & legem requirunt ex ore eius, qui Angelus Domini exercituum est. Videte, aiebant, dæmonem, quomodò se in effigiem transfigurat Angeli, ita vt nemo nostrum faciem eius intueri possit. Et quid mirum, si veritas verum dixit, & secundùm dictum eius locuti sunt domestici falsitatis? Dixit enim; Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?

AVCT. RVPERT. AB. aduersarijs magis inuisus. Matt.10.21

26 Porrò maiores fluctus illi excitabat in Imperatoris animo ventus contrarius, quia videlicet suspicionem, quam contra sanctum virum initio regni sui, sicut iam supradictum est, mente conceperat, inuidi iam dicti semper augere laborabant detractorijs susurrationibus. Denique res eousque processit, vt iam dictus Imperator, nimio contra illum furore succensus, Coloniam peteret, hoc propositum habens, vt eum Pontificatu amoueret: aut certè, si hoc rationabiliter fieri non posset, quolibet modo iniuriosè illum & indignè tractaret. At verò Deus, maris & fluctuum Dominus, qui ad Beatum Iob mysticè loquens: Circumdedi, inquit, mare terminis meis, posuique vectem & ostia, & dixi: Hucusque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Non permisit procellam hanc hucusque procedere, vt perficeret Imperator, quod intenderat: sed occurrens subuenit ambobus, videlicet & ei qui patiebatur immeritus, & illi qui de innocentis conscientiâ malè sentiens, peccabat errore deceptus. Caussa, propter quam tali cum animo Imperator Coloniam properabat, huiusmodi extiterat: Imperator exercitu commoto, Comitem quemdam Ottonem, seculi dignitate præpollentem, in castro, quod dicitur Hamerstein, sito supra Rheni littus, obsederat. Is namque Otto Episcopatum Moguntinum multâ infestatione sæpius peruagans, ferro & igne populabatur, odio magno contra eiusdem ciuitatis Præsulem vehementer inflammatus: fuerat namque ab illo propter illicitum connubium iudicio generalis Concilij anathematizatus. Cùm ergo querimoniâ eiusdem Præsulis excitatus Imperator, prædicto in castro illum obsedisset, venerabili huic viro demandauit, quatenus & ipse cum suis ad hoc negotium festinus adueniret. At ipse tunc immensis vexabatur febribus & idcircò adimplere non valuit, quod imperabatur. Quam impossibilitatem eius caussante vt audiuit Imperator, non credidit, videlicet antiquâ suspicione præoccupatus, & putans illum semper exosa sui habere tempora imperij. Respondens igitur cum furore magnoque spiritu iracundiæ: Si, inquit, ad me dedignatur venire, ipse eum, quia ægrotat, habeo visitare: atque cum hac iracundiâ mox, vbi hostem expugnauit, Coloniam, vt iam dictum est, properabat, imminentibus nimiumque sese ingerentibus inuidis suprà memoratis, qui satis ardentem furoris eius ignem magis ac magis perflabant, linguis maleuolis detrahendo innocenti viro Dei. Sed quia tempus erat iam consolandi, terminumque ponendi fluctibus illis & tempestati diutinæ aduersitatis, prospiciens de cælo Dominus, statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius. Nam ipsâ nocte, quâ Coloniam ingressus & officiosissimè à viro Dei erat susceptus, cùm se sopori dedisset, videt in somnis quemdam quasi venerabilem virum, Pontificali veste ornatum, qui illum sic allocutus est: Caue, inquit, ô Imperator, ne posthac ampliùs pecces in conseruum meum Herebertum. Scito illum Deo esse acceptum: in quem si quid admiseris, tu sine dubio portabis iudicium. Nimirùm gratiâ miserentis Dei, taliter præmonendo Imperatorem, ignorantiæ eius pepercit: quia videlicet in eo, quòd virum eiusmodi suspectum habebat, non malitiâ sed ignorantiâ peccabat. Siquidem eiusdem Imperatoris animam timor Domini possidebat, neque scienter disponere aut iudicare quidquam in regno cupiebat, per quod cælestis offenderetur Maiestas. Denique cùm aliquid de regni negotijs disponere aut iudicare intenderet, dispositiones omnes siue iudicia sua precibus & eleemosynis præueniebat: quatenùs mens eius & actus cælesti regimine gubernaretur, ne quando exorbitaret agendo vel iudicando quod diuinis contrairet legibus. Rectè igitur secundùm intentionem suam diuino, vt iam dictum est, oraculo præuentus & seruatus est, ne tantorum meritorum Pontificem iniuriando, vt proposuerat, ipse reus iudicio diuinitatis existeret.

ab his incitatum patitur aduersarium S. Henricum Imperatorem: Iob.38. B *cùm vocatus, ob febrim non veniret:* C *cum calesti monitum,* D

27 Quid multa? Manè facto, cùm Imperator mente mutatus virum Dei aduocasset, & id, quod cælitus euenerat, quòd superno respectu Rex compunctus fuerat, vir sanctus adhuc ignoraret, ac perinde lacrymosis oculis apud illum querelam depromeret, caussas requirens, propter quas sibi tamdiu Imperator infestus existeret; repentè, quod non sperabatur, idem Imperator exurrexit, & virum Dei amplexatus est. Ille admirans, hæc pariter consolationis ab eodem dicta accepit: Ex quo ad regni fastigium, Deo donante conscendi, detrahentium linguis nimiùm credulus fateor, venerande Pater, te exosum habui, & hanc odij trabem in oculo gestans, & ideò nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamque iustitiam, imò Dei gratiam in te fulgentem, videre non merui. Porrò, te tacente, cælum clamat super te tuamque caussam defendit apud me. Nam ipse, qui de Sanctis suis curam habet semper & habuit, sicut scriptum est, Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges, dicens, Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari; ipse me pro te corripuit, vt sciam, quòd inter electos eius computatus sis. Indulge ergo, precor te, quòd in te malignatus sum, vel quòd te seruum Dei tangere deliberaui: quia peccatum meum cognosco, nec ampliùs addam aduersari tuæ Sanctitati. His dictis, semel & iterum ac tertiò sanctum Pontificem deosculatus est, triplicem nimirùm nectens dilectionis nodum, de quo Sapiens loquitur: Funiculus triplex difficilè rumpitur. Profectò Imperatorem dignum & ecclesiasticum virum, vt erat eruditus & litterarum scientiâ ad vnguem perfectus, arbitrari licet Euangelij memorem fuisse, vbi primus Apostolorum Petrus trinæ negationis culpam trinâ dilectionis deleuit confessione, tertiò respondens: Tu scis Domine, quia amo te. Pulchrè igitur & dignè trinum dedit osculum dilectionis & pacis sub testimonio sanctæ Trinitatis; atque hac dulcedine gratiæ & honoris præteritæ infestationis amaritudinem superauit: nec moratus, virum Dei, iam amicus amicum, prope se residere fecit. Hæc videntes aduersarij, qui quasi tempus opportunum nacti, aduersùm illum conuenerant, suasque diu linguas ad accusandum acuerant, confusi, protinus in fugam conuersi sunt. At verò ceteri benedicebant Dominum, veritatem magnificantes Scripturæ, dicentis: Quia cor Regis in manu Dei est.

planè mutatum & errorem fatentem reperit: E Ps.104 *& triplici osculo reconciliantur:* Eccl.4 Ioan.21.17 F Prou.21.1

28 Nec contentus hac satisfactione Rex religiosus, adhuc de iudicio diuino erat solicitus. Etenim is, in quem peccatum aliquod commissum est, præceptum quidem vel consilium habet Euangelicum, vt peccanti in se corde suo dimittat: sed adhuc timendus est ille, qui legem dedit, quique per Prophetam dixit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et de quo item scriptum est: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Benè ergò solicitus, & prætereà reconciliatione non contentus, nocte sequenti, finitis Matutinorum solennijs, assumpto vno ex Clericis, idem Imperator cubiculum sancti Pontificis adijt: sed non ibi quiescentem, verùm in proximo S. Ioannis oratorio vigilantem, vt solebat, & orationibus insistentem reperit. Protinus abiectâ chlamyde, solo stratus ante pedes eius, in spiritu humilitatis & in animo contrito se suscipi postulat, & eâ potesta-

Matt.18.35 Zach.2.8 Rom.12.19 *se in terram proijcientem eum,*

te,

A te, quam Sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum, quæ in ipsum commiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, Imperatorem prostratum à terrâ subleuat, & Christo mediante, qui
Matt.18 dixit : Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Ac deinde: Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo : & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo : absolutio culpæ secundùm fidem Regis in cælo & in terrâ peracta est. Erat autem hoc seruo Domini initium sempiternæ conso-
obitum suũ ei prædicit. lationis, quippè qui de istâ valle lacrymarum protinus ascensurus erat ad gaudium diuinæ visionis, sicut Psal-
Ps.83 mista dicit : Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Et subinde : Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Etenim hoc idem vir Domini, reuelante sibi spiritu, prænoscens, ait in illo secreto inter cetera ad eumdem Imperatorem: Noueris certissimè, quia post discessum nostrum, quo nunc separandi sumus, nostras inuicem facies iam in hoc
B seculo nequaquam videbimus. Eò magis Imperator corde compunctus, iterum in amplexus & in oscula ruit, flens pariter & cuncta penè membra, manus & oculos, collum quoque fixis demulcens osculis. Hoc facto, clàm ad cubiculum rediit, mœstam reportans memoriam prophetię beati viri, quam & postmodùm, transitu eiusdem subsequente, veram fuisse comperit, & ipse, vt audierat, ore proprio denarrauit. Nec verò sui transitus tantummodò, sed & obitus Imperatoris prophetico spiritu hic Sanctus Dei præscius extitit, quod postmodùm suo loco præsens narratio non tacebit.

CAPVT VIII

Præparatio ad felicem mortem : morbus; obitus, sepultura.

29 Igitur post discessum Imperatoris, B. Herebertus, cælorum ciuis, longâ in hoc seculo pere-
Nouesij corripitur febre. grinatione fatigatus, cùm suspirans prospiceret mansionem æternam patriæ cælestis, tandem febre corripitur : & ecce seruus Domini pro ipsâ expectatione peruigil, sentire sese arbitratus est quòd iam veniret, iamque pulsaret Dominus, vt sibi aperiretur. Erat au-
C tem tunc temporis in quadam suæ diœcesis villâ, quæ Nussia dicitur. Cùm igitur vrgente atque ingrauescente molestiâ vexaretur, properè Coloniam mittens, Abbatem Eliam accersiuit. Quo veniente, ipse, secundùm præceptum Apostoli, sacro est vnctus Oleo in
Iacob.5.14 nomine Domini, pariterque Corporis & Sanguinis
Extremam vnctionem & Eucharistiam moriturus accipit: Dominici sacramentis munitus, tunc demùm carinæ illatus est, vt Coloniam deduceretur. Tunc in Apostolorum Principis oratorium iussu suo delatus, atque coram altari sanctæ Crucis, quod ad medium situm est, depositus, prout valuit, capite oculisque ac manibus in cælum protensis prolixiùs orauit. Aderant namque tam ex Clero quàm ex populo quamplurimi, mirantes pariter & compuncti pro suauitate orationum & pietate supplicantis, cui veraciter omni tempore & tunc maximè in extremis suis congruebat
Psal.140.2 illud Dauidicum : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Oratione ergo bono cum odore ac religioso exemplo completâ, in cubiculum oratorio coniunctum delatus est. Prædictus Abbas ab eodem pro consolatione retentus, continuis duabus noctibus, vbi parum quid somni percepisset, visionibus clarissimis instruebatur, quòd eadem infirmitate sine dubio idem foret è corpore migraturus.

30 Erat autem huiusmodi vna visio, quam mox D
horâ matutinâ beato viro, carnis suæ solutionem desideranti, hoc modo retulit : Videbam, inquit, me *AVCT. RVPERT. AB.* B. Petri oratorium introisse : & ecce illud erat quasi magnâ & solenni frequentiâ plenum, splendidis Clericorum atque sanctimonialium choris consistentibus, & quasi ad procedendum paratis obuiam cuidam magnæ personæ, vt ab ipsis honorificè susciperetur : quo videlicet honore sacras illustresque personas in tempore præuenire, Ecclesiasticæ consuetudinis est. *visiones in somno habitas de obitu suo hilaris audit* Nesciebam, inquit, quæ illa deberet esse persona, verumtamen magnam aliquam atque insignis reuerentiæ suscipiendam fore personam, meus somniantis sensus habebat. Ergò licet tremebundus, in gradu meo consistens immotus, eum, qui primus inter eos videbatur, acciui, & quisnam ab ipsis suscipiendus foret, percontatus sum. Ille respondens: Deo, ait, Sanctisque omnibus dilectum, videlicet Archiepiscopum Herebertum venimus susceptum. Ego vehementer admirans tanti tamque splendidi occursus festiuitatem, hæc audiui ab eodem protinus : Si scires qualiter vel a quibus postmodùm suscipiendus est, nequaquàm admirareris super hoc processu nostro, qui E
re ipsâ longè minor est. Huiusmodi visum is, qui viderat, beato viro confestim diluculò referens : verè tamquàm bono nuntio sanctam lætificabat animam, dissolui & cum Christo cupientem esse. Nam expectationi desiderioque eius anhelanti celerem adesse pollicebatur effectum, & eam, de quâ iam supradictum est, discessus sui confirmabat præscientiam. Denique & ante visionem hanc aliud quiddam iam dictus vir venerandus Elias viderat, quod proculdubio ad eiusdem rei significationem pertinebat. Fuerat autem huiusmodi somnium, eumdem Pontificem, sacris atque festiuis indumentis perornatum, procedere quasi ad celebranda solennia Missarum, solum tamen atque incomitatum, Clero expectante taciturno, cuius idem Pontifex, quasi Romam peregrè profecturus, benedictionem flagitaret : qui & solus, vt videbatur, declinauit, & nusquam repertus est. Talia, non dubiam interpretationem habentia, cùm ille tristis referret, vir beatus in abundantiâ lætitiæ suscipiebat: quippè qui iamdudum finem suum habens præcognitum, præsentibus adhuc iuuabatur documentis, vt diceret : Disrumpe vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Maiora his, per quæ longè vel propè beati huius viri transitus vel meritum significatum est, loco F
alio seruata sunt : nunc eumdem eius cœptus sermo prosequatur transitum.

31 Cùm ergo absque dubio per præsentis ægritudinis molestiam pulsaret Dominus, hic seruus fidelis *moriturus omnia sua largitur pauperibus* aperire illi properabat, lumbis iamdudum præcinctis & lucernis clarè ardentibus. Distribuebantur omnia, quæ superfuerant, pauperibus, vt profecturus ad æterna tabernacula, pauper ipse gratâ vice reciperetur. Residebat autem ad caput lectuli frater eius Comes, nomine Gezemannus, profundas lacrymas atque amarissimos continuans gemitus, velut qui in magno pelago tempestatem circumspiciens, fractoque gubernaculo naufragus periclitaretur. Cui vir piissimus valdè compatiens : Quid, inquit, frater mi, tam miserabili temetipsum afficis eiulatu ? Parce, quæso, lacrymis & gemitibus : quia sperantibus in se non deerit consiliarius & consolator Deus. Tu ergo iacta cogitatum tuum in illo : & quia cunctis in hoc seculo viuendi tempus breue est, & migrare oportet, nunc interim præparare, & miserere animæ tuæ, vt dignus habearis seculo venturo. Præparationis hic modus tibi pernecessarius & optimus est, vt de rebus tuis quoad potes, *optimè consulit fratri suo Comiti.* pauperibus impertiendo, amicos tibi facias : vt cùm defeceris, sicut ait Dominus noster, recipiant te in æterna tabernacula. Hæc & huiusmodi salubria monita danti, ille respondit : Ista, Domine mi, Deo aspi-

 rante,

A rante, libenti animo agere curabo: sed tuus ab hac vitâ discessus, fratris tui orphanitas & inconsolabilis animæ meæ viduitas est. Nosti præterea, quia maiestas Imperialis tuis omnibus propinquis aduersa semper extitit, & dumad viueres, tunc quoque nobis propter ipsum periculosus erat status vitæ præsentis. Ecce autem refugium nostrum, murus & antemurale nostrum cadit, dum tu ab hac vitâ discedis, cuius muniebamur virtute & gratiâ, magnisque apud Deum & homines meritis peruulgatis. Ad hæc vir Dei spiritu prophetico prædoctus: Regem, inquit, immortalem modis, quibus iam dixi, stude tibi efficere propitium: de isto autem homine communis necessitas finem factura est, vt & ipse viam vniuersæ carnis ingrediatur. Noueris enim quia post obitum meum, trium *a* non peraget annorum curriculum.

AVCT. RVPERT. AB.
Luc.16
prædicit obitum Imperatoris,
a

32 Post hæc, morbo inualescente, iamque non incerto eius transitu, spirituales ipso iubente à Fratribus exequiæ psalmorum decantationibus inchoantur. Ipse quoque pectoris anhelantis, quoad poterat, cytharam extendebat, pariter psallens & quodammodò dicens: Ingrediar in locum tabernaculi admirabi- B lis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis. Intereà pauperum procuratorem, cui curam illorum ipse commiserat, inter mœrentium cateruam cominus sibi assistere vidit: Et quid, inquit, nunc agunt fratres mei? Num illorum seruitio deest aliquid? Dicebat autem de pauperibus: etenim illos humili conscientiâ fratres suos, imò & dominos & patronos apud Deum æstimare consueuerat. Cùm ille cuncta, quæ sibi assignata fuerant, se expendisse, iamque nihil superesse respondisset, protinus Ecclesiæ Præpositum & ciuitatis accersiens aduocatum, his illos allocutus est: Audistis, carissimi, imò & vigilanter audire debetis Scripturam dicentem: Quia fœneratur Domino, qui miseretur pauperi: & quia sicut ignem extinguit aqua, ita eleemosyna resistit peccatis. Ego si quid exempli boni secundùm verba hæc vobis præbui, si quid in pauperibus seminaui, nunc iam reposita compensabitur merces, & messis, quam acquisiui, tunc iam recipienda est, sicut item scriptum est: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. Iam enim vobiscum diutiùs non ero hic, vbi seminatur. Migrandum est, & iam hora instat, vt eam illuc, vbi metitur, propria corporis mei, prout gessi, receptu- C rus. Vos igitur tamquàm filios carissimos pater moriens & vltimum spiritum trahens, hac nouissimâ testatione conuenio, quatenus pauperum memores sitis, atque hoc animæ meæ solatium impendatis, vt quoadusque successor Episcopus subrogetur, constitutum à me pauperibus refrigerium, vestrâ suppeditante curâ, non desit. His auditis, vehementer compuncti sunt: sicque hoc libentissimè acturos spoponderunt, eò magis abeuntem congemiscentes, quòd factis præteritis perpendebant conuenire verba nouissima, respicientes qualis erat, qualiter vixerat, quantò sibi semper studio misericordiam thesaurizauerat, & instantis horæ necessitatem finemque, in quo laus omnis canitur, quàm sapienter prouiderat.

Psal.41.
pauperes vocat fratres suos & dominos.
Prou.19.17
Eccli.3.33
2.Cor.9.6
commendat pauperes primariis viris.

33 Et quia de successore mentionem fecerat, altiùs in planctum excitati, velut pupilli iam deserti, percunctabantur & quæritabant, quisnam tanto Præsule viduatam recepturus foret matrem ipsorum Ecclesiam. Ille, aiebant, virtute venerabilis est, & ille alius vtcumque idoneus est: atque ita diuersorum qualitates perpendendo, solicitudinem suam inuicem anhelando conferebant. At ille prophetico, vt iam suprà dictum est, prædoctus spiritu: Neque illum, inquit, neque hunc, quem putatis: sed Pilegrinum habebitis Episcopum, & hic in hac Ecclesiâ Pontificatus officium *b* breui tempore administrabit. His dictis, carne solutus, de vitæ præsentis angustiâ ad æternæ patriæ sempiternam consolationem ascendit, fructum percipiens D perpetuæ iucunditatis. Migrauit autem septimo decimo Calendas Aprilis, sepultusque est in Diutiensium castro, in oratorio sanctæ Dei genitricis, quod ipse condidit, multis deinceps ibidem coruscans miraculis ad laudem Domini nostri Iesu Christi. Vbi cùm sanctum corpus eius humatum fuisset, tunc demum reminiscens is, qui villicus sancti Pontificis extiterat in chorte ipsâ, in quâ iam dictum per superiùs memoratam reuelationem constructum erat oratorium, admirando diuinam prouidentiam, dicebat: Locus hic, in quo corpus hoc sanctum sepultum est, tumulus erat omni tempore herbidus, semper mundus & amœnus, omniumque oculis iugiter gratiosus. Quod nimirùm laudibus proficit beatissimi viri, cuius futuris exequijs seruandisque reliquijs taliter sese loci facies, iubente Deo, præparauit, vt semper seruaretur viridis ille sinus terræ, in quo requiescere haberet possessor sempiternæ viriditatis, cui reposita erat hæreditas incorruptibilis, incontaminata & immarcescibilis. Proinde cum Apostolo Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honorem dicamus & gloriam, in secula seculorum, Amen. E

prædicit successorem: pie moritur: b
sepultus.
1.Tim.1.17

a *Imò vixit S Henricus post huius obitum annis tribus & mensibus ferè quatuor, mortuus anno 1024 die 13 Iul. Lambertus solùm habet dixisse.* Cum non multò post, facto eo de medio, alterum maneat honor principalis.

b *Annos quindecim, vt ad priorem Vitam diximus.*

S. Henricus Imp.

CAPVT IX

S. Heriberti variæ apparitiones post mortem.

34 EOdem tempore vir memorabilis *a* Eppo Babenbergensis Episcopus, præclaris moribus & non contemnendis florebat virtutibus. Hic tam longè positus, eadem nocte, quâ vir Domini Herebertus, post emeritam vitæ huius militiam, supernum, vt iam dictum est, donatiuum accepit, visionem vidit huiusmodi. Ingrediebatur quasi quoddam magnum splendidumque Capitolium: & ecce illic innumerabilis residebat concio personarum venerabilium, Episcoporum, Abbatum, Regum atque Imperatorum, cæterorumque cuiuscumque ordinis virorum illustrium, secundùm suum quique ordinem vestiti, & F omnes pulchri ac reuerendi, quasi ad agendum generale Cõcilium congregati. Porrò in medio considentium, loco euidenti sella videbatur Episcopalis, sessorem nondum habens: verumtamen ad hoc parata, vt in illâ resideret aliquis. Vt ergo tantæ amplitudinis locum, tamque venerandæ multitudinis conuentum introspiciens vidit, sicut ipse referebat, admiratione pariter & timore compressus stetit, & nequaquàm introire præsumpsit. Nam visionem hanc diluculò Imperatori Henrico festinus intimare curauit. Is enim tunc inibi degens, Quadragesimam celebrabat. Aiebat ergo: Cùm ita starem stupefactus, ecce vnus de illo sancto senatu, tantoque quasi patriciorum cœtu surgens, & vsque ad me pro foribus stantem procedens, quem & ego dudum noueram, apprehensum manu introduxit me, annuens vt super sedem vacantem, sicut iam dictum est, residerem. Ego veritus, hoc facere recusaui. Sciebam enim sellam eamdem positam non mihi, sed alteri, quem eatenùs ignorabam, viro maioris reuerentiæ & dignitatis amplioris. Nec mora is, qui conuentus eiusdem primatum tenere videbatur, duobus ex eodem consessu venerabilibus Episcopis præcepto edixit, vt foras exuntes, eum quem primùm inuenirent stantem & paratum introducerent, & in sede illâ mediâ, quoniam sessioni eius præparata fuisset, dignè collocarent. Fecerunt illi, vt fuerat

In visione
Episcopo Bambergensi hora mortis facta,
in consessu nobilissimo

A fuerat imperatum: & ecce quem adducebant, is erat Dominus Herebertus Archiepiscopus Coloniensium, sacro redimitus ornatu, tamquàm in die solenni ad celebranda solennia Missarum. Eum in illâ sede medium, vt fuerant iussi, sedere fecerunt. Verumtamen vnum ad ornatum eius, scilicet balteus, deesse videbatur. Cùm ergo vidissent illum Principes tanti consedentes, balteumque illi deesse animaduertissent, quasi vehementi admiratione concitati, sciscitabantur quisnam ille esset, qui tanti Pontificis ornatum diminuere præsumpsisset. Ad hæc ipso tacente, prælocutus est vnus de Primoribus, dixitque, quòd is esset Imperator Henricus. Hæc, vt iam dictum est, venerabilis Episcopus manè facto Imperatori retulit, pariterque, vt erat certus de visionis veritate, affirmabat, quòd Sanctus Domini Herebertus iam separatus à terrenis, & translatus esset ad immortalem Senatum curiæ cælestis. Nec verò illum constantia sua fefellit: nam post dies aliquot nuntius venit, qui Imperatori sacram, vt iam dictum est, Quadragesimam celebranti, Coloniensis Archiepiscopi obitum annuntiauit. Requisitus quoque diligenter, quando obijsset; & vtrum no-

præcipuus apparet absque balteo.

... quòd à S. Henrico Imp.

... esset pro ... honoratus:

B ctu, an interdiu de corpore migrasset, cùm sicut se res habebat respondisset, admirati sunt, tam Imperator quàm is qui visionem viderat Episcopus, quòd talia tamque longè positis Dominus fuerit reuelare dignatus: nam ipsâ nocte, quâ visum Episcopus viderat, Sanctum Domini migrasse constabat. Sed & antequàm nuntius iam dictus adueniret, Imperator non incredulus visioni, responderat eamdem, Episcopo narranti: Si balteo caruit, me prædone, ille sanctus & venerandus vir; Domino adiuuante, meque operam dante, rapina hæc restituetur illi. Recordabatur autem & nouissimæ eius collocutionis, quâ Imperator pro reatu suo coram illo satisfecit, & hoc ab eodem audiuit, quòd suas inuicem vlteriùs facies non essent visuri. Item & illud prudenter in hac re coniectorem non latebat, quia, quòd à se dicebatur vir tantus balteo suo spoliatus, hoc erat, quòd à se non fuisset dignè pro meritis suis honoratus. Igitur Imperialem manum largiùs extendens, dona Christi Ecclesijs pauperibusque distribuit, sacrisque Missarum solennijs, psalmis & orationibus transitum beati Præsulis edixit celebrari, cui balteum ipse sustulisset: id est, qui viuentem longè minus quàm decuerat honorificasset. Verè vt sapiens hoc egit, quia nimirùm nullo

honoratur à mente eleemosynis, sacrificijs, precibus

C modo meliùs rapinam eius poterat restituere, quàm faciendo pro semetipso fructus dignos pœnitentiæ. Quapropter arbitrari licet, visionem huiusmodi non tantùm pro beati Præsulis honore, verùm etiam pro eiusdem Imperatoris melioratione celebratam fuisse: quoniam ipse superiùs memoratâ satisfactione suâ promeruisset, vt sicut eum persona non accusabat, ita nec illum superstes caussæ vestigium accusaret. Nam in prædictâ visione sancto percunctante Cōcilio, quis ornatum eius minuisset, diligenter notandum, quòd non ipse beatus Præsul respondit, neque Imperatorem accusauit: quia videlicet viuens Euangelici memor præcepti, totum ex corde suo dimiserat illi. Itaque vel modicum caussæ vestigium, quod supererat, ne accusaret eum, pulchrè talis visio iuuit, ad misericordiæ opera suscitans eius animam.

Matt.18.35

35 Intereà tumulus beati viri, locus (vt erat) apparebat esse refugij fidem habentibus & ex quacumque necessitate confugientibus ad protectionem Dei cæli: & velut quidam riuus paradisi, gratia curationum exinde fluebat vbertim. Sanabantur infirmi, illuminabantur cæci, erigebantur contracti, currebant claudi, paralytici curabantur, dæmones de obsessis corporibus effugabantur. Vnum autem inter cetera cōtigit infra tricenarium funeris, quod pro sui magnitudine non præterire, imò & inprimis narrare dignum est. Res enim gesta est valdè mirabilis, & penè esset

... curationes.

incredibilis, si non ex sanctis canonicisque constaret D Scripturis, Angelos quoque, qui vtique spiritus sunt & carne non teguntur, interdum visos & auditos fuisse ab hominibus sensibus corporeis. Siquidem hoc accidit, vt spiritus beati huius viri, iam carne solutus, homini viuenti visibiliter appareret, sermonemque conferret: cuius videlicet sermonis subsecuta veritas testatur, non phantasticum, sed verum & diuinum fuisse, quod ostensum est. Res hoc modo gesta est. Vir vitæ venerabilis Volpertus, cœnobij, quod ab eodem sancto Pontifice constructum fuerat, Pater primus, recenti tanti Præsulis obitu magis excitatus, quotidianis maximéque nocturnis peruigil insistebat orationibus. Erat multorum monachorum Pater, quippe cui propter egregiam vitæ conuersationem, scientiam quoque & dilectionis abundantiam, non solùm præfati cœnobij, verùm etiam monasteriorum S. Pantaleonis, Sanctique Viti cura vel prouidentia commissa fuerat. Huic per omne tempus vitæ continuum penè studium fuerat, Matutinos præuenire hymnos, solitarijsque vigilijs psalmos decantare Dauidicos: & hunc sanctum feruorem eius dolor, qui de tanti patris obitu

AVCT. RVPERTI AB. Volperto Abbati, viro sancto apparet,

E acciderat, maiorem, vt iam dictum est, effecerat. Cùm ergo quadam nocte ad hoc ipsum opus ardentiùs assisteret, & magno caritatis igne sanctæ orationis incensum adoleret, reuerà fumus aromatum eius altiùs ascendit, & ante oculos Domini in cælum vsque peruenit. Nam illo diutiùs orante, respectus Diuinitatis super eum factus est, & locus contremuit, iuxta quod in Psalmo, saluo altiori sensu, scriptum est: Qui respicit terram, & facit eam tremere. Stabat autem ipse propè sepulcrum beati Antistitis, & quem viuentem dilexerat, eidem sepulto mente & corpore ardenter inhærebat. Cùm igitur locus intremuisset tam valdè vt tota monasterij fabrica funditus quati videretur, mortalis, vt erat homo, inhorruit quidem, sed non modicam habens fidem, cœptam continuabat orationem, cornu altaris apprehendens. Iterum à parte Orientali murus templi cum magno sonitu intremuit & omnia circumstantia moueri visa sunt. Ecce autem & sepulcrum beati viri patefactum est, & Sanctus Dei egredi visus est. Isque stans prope virum iam dictum, leniter tangens illum, quid operaretur sciscitatus est. Hoc, vt iam suprà dictum est, omnino incredibile videretur, si nusquam Ecclesiasticis contineretur litteris, aliquos Deo volente corporaliter visos fuisse mor-

Psal.103.32

à tumulo visus egredi

F tuorum spiritus; si non etiam Angeli ab hominibus Deo placentibus fuisse hospitio suscepti legerentur. Sed & Daniel in visione Angelicâ conturbatus, eodem, qui apparuerat, satagente confortatus est. Cùm igitur & istum beatus Pontifex alloqui inciperet, tangens priùs latera eius baculo Pontificali, cū quo fuerat tumulatus, vires ille resumpsit, & ad interrogata respōdere præualuit. Nam sic ex visione & ex prædicto fragore fuerat tremefactus, vt non præualeret stare, imò & vix ad sedendum virtus sufficeret. Cùm ergo percūctanti quid operaretur, breuiter pro se respondisset, confestim is, qui apparuerat, intulit hæc: Orationibus, frater mi, sedulus vigilanter insiste, & viuorum atque mortuorum parentum vel familiarium tuorum salutem exorans, mei quoque memoriam abundantiùs habe. Scito enim & veritatem loquenti mihi præbe fidem, quia obitus mei die tricesimo, qui nunc imminet, mecum pransurus es. Hoc ille audito, penè exanimatus resedit in eodem loco. Tandem verò spiritum paullatim attrahens, respirauit, baculoque innixus surrexit, & corpore ac mente tremens, vix ad lectulum peruenit. Manè facto, in conuentum Fratrum de more processit, sermonem protulit ædificationis satis eloquenter & cum spirituali ornatu magnę venustatis: inter cetera maximè illud exhortans, quòd egregium decus est monachorum, vt videlicet oris sui custodiam haberent ad silentium: quia sicut Propheta

Gen.18.& 19.

Dan.10.

obitus diem ei prædicit:

Isa.32.

AVCT. RV. PERT. AB.

A ta testatur, cultus iustitiæ est silentium. Porrò visionem, quam viderat, tunc interim reticuit. Conuentu autem soluto, seniores tantùm, & qui magis spirituales esse videbantur, secretiùs aduocauit, & quæ viderat, quæque audierat, cuncta per ordinem retulit. Illi rem non vt erat attendentes, & longè minùs quàm erat æstimantes, suo sensu loquebantur, dicentes ei nihil aliud fuisse quàm quod est humanæ consuetudinis: scilicet quem viuentem dilexerat, eumdem mortuum præ oculis cordis cogitatione continuâ versabat, & cogitationes vigilantis curamque dilectionis, quam erga illum habebat, sequebantur huiusmodi somnia. At ille audiens hæc, nihilominùs sciebat, quid vel qualiter vidisset, magisque suæ conscientiæ, quàm aliorum credebat opinanti ignorantiæ. Quid multa? Obitus beati viri dies instabat tricesimus, & prædictus monasterij Pater ad eumdem diem copiosas pauperibus impensas præparat. Oportebat autem illum propter hoc ipsum exire ad quamdam suæ vel Ecclesiasticæ possessionis villam, quæ fermè decem milliaribus à monasterio procùl aberat, vbi quæ necessaria erant futuro diei, præparare præsens ipse properanter iussit. Hoc facto, nauem conscendens, velociter per alueum B Rheni ad monasterium reuertebatur. Iam horâ sextâ rogabatur à comitibus, vt pranderet: & quoniam ipsis ita iucundum de more erat, & hora satis opportuna commonebat, ipse quoq; non abnuens, imò & ex caritate iuuentuti famulanti condescendens, præmisit opus Dei, Sextamque Horam de more cum duobus, qui obsequio eius aderant, Fratribus canere incepit. At vbi ventum est ad lectionem, quam nos Capitulum dicimus; hæc autem erat, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur: quod enim mortuus est &c. respondentibus illis, Deo gratias: continuò spiritum exhalauit. Quod videntes qui simul aderant Fratres, socijque vel comites, vehementer attoniti, & repentino stupore præuenti, paullisper attendentes, protinus voces cum eiulatu leuauerunt, paullò antè læti, nunc autem tristes; quippè qui cytharam suam in luctum, & organum suum videbant versum esse in vocem flentium. Egressus est vnus, vt terrestri itinere præcurreret ad monasterium, vt rem Fratribus intimaret. At illi quâ horâ nuntius hic ingressus est, ad cœnandum consederant, alacriter sui Patris aduentum, & subsecuturæ diei, qui tricesima beati Præsulis erat, spiritualem expectantes lætitiam. C Vt ergo nuntium huiusmodi consedentibus innotuit, pariter cuncti non leuiter congemuerunt, mente concussi, & suis penè cuncti sedibus excussi, tam miserabili gestu

qui subito obdormit in Domino:

tamque lacrymoso processu, vt nulla sermonis copia satis exprimere possit. D Vulneri quippè adhuc recenti, id est, dolori, qui de beati Præsulis obitu acciderat, vulnus hoc aliud superaccesserat. Itaque filiorum animos non mediocriter tangebant tam confinia tamque contigua Patrum funera. At ille venerabilis Pater, qui nunc taliter discesserat, reuerà feliciter ad æternæ vitæ prandium cœnamque immortalitatis inuitatus processerat, veram visionem suam, verum oraculum illius exitu suo comprobans, qui dixerat illi, Quia die obitus mei tricesimo mecum es pransurus.

36 Allatum itaque defuncti corpus propè sepulcrum eiusdem vatis sui, videlicet sancti Præsulis, cum libitinâ depositum est. *contractus &* Ecce autem inter exequiarum vigilias pauper quidam, à cunabulis contractus, quem idem sanctus Pontifex, dum adhuc viueret, alebat, inter sepulcrum sancti & huius defuncti feretrum tristis prorepserat, & inter duos mortuos, suæ inopis vitæ patronos iacens totâ nocte, se illis superstitem esse deplorabat. Viderunt illum, qui coram Deo viuebant, & eadem clementiâ, quâ viuentes in carne E victualem illi præbebant alimoniam, defuncti ijdem mirabilem totius corporis eius operati sunt medelam. *alij 45 sanantur.* Denique circa lucis exortum, Matutinos Fratribus hymnos persoluentibus, repentè is, qui contractus iacuerat, vehementer exclamauit, velut ad succurrendum sibi, videlicet virtute inuisibili concussus, neruisque solutis in longum extensus. Quo eius clamore audito, nonnulli ex Fratribus seniores accurrunt, videntque illum extensum iacere, riuumque tetri sanguinis per pauimentum. Allata protinus aqua, resocillatus est, & post pusillum sanus surrexit, ac permansit incolumis. Huius opus virtutis rectè vtriusque ascribi debet meritis. Ceterùm à beati Præsulis transitu, intra paucorum dierum decursus, viri pariter & mulieres fermè quadraginta quinque diuersis incommodis liberati sunt ad sepulcrum eius gloriosum, laudantes nomen Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

a *Qui hic* Eppo *dicitur, in litteris S. Henrici, de erecto abs se Episcopatu Bambergensi, appellatur* Eberhardus. *& traditur ab anno* 1007 *ad annum* 1042 *præfuisse. Eum VVippo in Vita Conradi Salici, qui S. Henrico successit, vocat* virum moribus reipublicæ valdè necessarium. *Dithmarus lib.* 6 Cancellarium S. Henrici appellat *& reperitur donationes S. Henrici recognouisse in Notitia Eccl. Belg. Miræi cap* 78 *&* 79. *Historia Leodiensi Chapeauillæi tomo* 1. *pag.* 213. *Metropoli Hundij tomo* 3 *pag.* 326. *Eberhardus Ep. Bamberge.* F

DE B. IOANNE EPISC. MARTYRE,

VICENTIÆ IN CISALPINIS.

AN. MCLXXXI XVI MAR.

Cultus Vicentiæ,

1  *Acra vrbis Vicentinæ monumenta lustrantibus nobis anno* MDCLX, *inter alia Cathedralis ædis ornamenta ostensa est arca super aram eleuata, in qua B. Ioannis Episcopi & Martyris corpus pio indigenarum aduenarùmque cultui propositum religiosè asseruatur: de quo ne multa nobis viderentur requirenda, Francisci Barbarani de Mironis diligentia faciebat, qui accuratissimè cuncta quæ haberi possent dicebatur collegisse, & per plura distinxisse capita, eaque inseruisse libro* 2 *historiæ ecclesiasticæ Vicentinæ, à se Italicâ linguâ composito, & tunc recens ante octennium vulgato. Quia tamen primos narrationum quarumcumque fontes requirimus ipsi, & lectori nostro libentiùs proferimus, operam nonnullam dedimus, vt inueniremus quas Vghellius citat inquisitiones, anno* MCCXXIII *de mandato Honorij Papæ* III *confectas tum Vicentiæ tum Cremonæ: rogauimus posteà*

Vita vnde hic data.

Vicentinos vt eas nobis vellent submittere: sed spe expectationeque frustrati (cùm diuturniores moras properans impressio non pateretur) necesse habuimus Barbarani contextum Latinum facere ex Italico, eoque iubere contentum esse lectorem, nisi aliquis instrumentum illud maturè submittat, saltem in appendice attexendum.

2 *Interim certus manet huius Beati cultus ex ijs, quæ cap.* 2 *hic proferentur, nosque oculis ipsi nostris vidimus: quæque eadem à Ferdinando Vghello tom* 1 *Italiæ sacræ in Episcopis Vicentinis proferuntur. Tempus Vicentinæ Sedis ab eodē aditæ annum fuisse* MCLXXIX *credimus Barbarano, quippè qui contra aliorum, annum vel* LXXIV *vel* LXXVI *scribentium diuersos calculos, prouocet ad authentica & publica Ecclesiæ Vicentinæ documenta, ex quibus in libro* 4 *Historiæ suæ, necdum à nobis viso, demonstraturus sit Aribertum decessorem Ioannis vsq; ad annum* LXXIX *vixisse. Quin etiam eidem credimus*

Annus initij et mortis

varius à varijs traditur.

A dimus B. Ioannis martyrium ad annum eiusdem seculi LXXXI referenti, vt qui propius omnia scrutatus sit quam præcitatus Vghellus: qui proinde vt in principio Episcopatus assignando erroris dicitur posse conuinci: ita nihilo certiorem ducem secutus credi potest, cùm annum LXXXV scripsit. Facit tamen hæc controuersia, nunc demum nobis cognita, vt prædictæ inquisitiones auidiùs possint desiderari. Sicut enim per easdem clarè videtur quâ pietate quâ sanctimonia vixerit, idque ex testibus oculatis: ita suspicari licet circa initium finemque Episcopatus à Ioanne administrati certius aliquid posse ex iisdem haberi.

Non videtur Mantuæ Ep. Garsiodoro mortuo successisse,

2 Quod magis etiam suspicari licet circa Episcopatum Mantuanum, quem etiam ab hoc Ioanne gestum habemus ex Epitaphio quod inscriptum est arcæ post translationem sub maius altare, factam fortasse tempore istius Honorij, qui in vitam & mores iussit inquiri; adeóque haud multò post annum MCCXXIII. Etenim de Mantuani regiminis annis admodum variant auctores, nec absque chronographicis mendis omnes. Nam Hippolytus Donesmundus, Garziodoro, Mantuano Episcopo, pridem excommunicato, quòd esset Frederici Imperatoris assecla, sed initâ Venetijs pace cum Ecclesiâ reconciliato, B ac tandem circa annum MCLX mortuo, successisse scribit Guidonem, Guidoni autem septimo post anno extincto substitutum Ioannem: huic verè similiter defuncto (nulla facta Vicentiæ aut Martyrij mentione) suffectum fuisse Sigifridum à Clemente tertio, atque adeò post annum MCLXXXVII. At contrà est quòd pacificatio Veneta indubitanter pertineat ad annum MCLXXVII integro decennio posteriorem eo, quo Donesmundus factam scribit. Multò autem magis quod Garsiodorus iste dicatur ab Vghello vt Catholicus anno MCLXXIX inter Concilij Lateranensis Patres numerari, eique subscriptus inueniri post Aquileiensem Patriarcham.

an illo deposito fuerit substitutus?

4 Itaque aliam viam Vghellus ingreditur agens de Ioanne nostro, elogiumque & chronologiam eius sic texens: Concionator insignis fuit & ecclesiasticæ libertatis indefessus propugnator: quippè qui in illo teterrimo schismate, contra Alexandrum III excitato, partes Alexandri amplexus, pro S.R. Ecclesiæ libertate se contra schismaticum Fredericum eiusque fautores quasi inexpugnabilem murum opposuit... quamobrem ab eodem Pontifice, exauctorato Grassiodoro Mantuano Episcopo schismatici Octauiani asseclâ, defunctoque Vuidone, Mantuanus Episcopus renuntiatus est, eamque Ecclesiam annis aliquot administrauit: quo tempore cùm Vicentinum populum ad partes Alexandri fouendas adduxisset, decedente C Vicentino Præsule, eius vrbis acclamatus Episcopus est anno MCLXXVI. Ceterùm cùm inter Alexandrum Pontificem & Fredericum Imperatorem pax coijsset, & Grassiodorus censuris exolutus ad suum Mantuanum Sacerdotium rediisset, anno MCLXXIX, Ioannes Vicentinus remansit Episcopus. Quam Ecclesiam cùm sanctissimè rexisset, tandem pro libertate Ecclesiæ suique iure Episcopatus tuendis:.. gladio confossus, Martyr euolauit ad superos, anno MCLXXXV.

vel potius vt Administrator ecclesiam Mantuæ rexerit?

5 Nos qualia Vghellus allegat Concilij Lateranensis Acta & subsignationes nusquam vidimus, nec viderunt quotquot hactenus Conciliorum corpus compilarunt: sed nec Epistolam Papiensis Conciliabuli ad Imperatorem, cui prædictus Garsiodorus vt Comes Cameræ Imperiales subscripserit anno MCLX. Hoc interim videmus, quàm non dubium est Mantuanum anni istius Episcopum, quocumque demum dictum nomine, excommunicatum fuisse, quòd schismatico Victori adhæreret: tam non facile esse credendum quòd Alexander in eorum quos excommunicarat locum Episcopos alios ordinarit, nisi id alijs certioribus exemplis probetur. Quare si vsque ad pacificationis tempora superuixit Garsiodorus: verosimillimum nobis videretur tam Guidonem (si tamen vllus Guido tunc Mantuæ fuerit, de quo necdum vlla publica documenta prolata) quàm Ioannem desolato per Garsiodori excommunicationem Episcopatui Mantuano solùm datos esse Administratores cum potestate & charactere Episcopali: eoque munere rectè D gesto, pace inter partes initâ meruisse Ioannem, vt in Episcopatum Vicentinum tum fortè primùm vacantem per Ariberti mortem, vt se demonstraturum Barbaranus promittit, ab grato Pontifice induceretur.

VITA

Ex Italico Francisci Barbarani de Mironis.

CAPUT I

B. Ioannes ex Priore S. Victoris S. Laurentij Abbas & in exilium pulsus, primùm Mantuanus, dein Vicentinus Episcopus creatur.

1 Eatum Ioannem, patriâ Cremonensem, Placentinis adscripsit Ioannes Petrus Crescentinus lib. 15 cap. 5 de nobilitate Italicâ; eò fortasse deceptus, quòd alius eiusdem nominis & familiæ Episcopus etiam ipse Vicentinus circa annum MCCCLXXXVI Placentiæ natus fuerit. Pater ei Euangelista de Surdis fuit ex familiâ nobilissimâ, vnaque earum quæ anno ab Vrbe conditâ DXXXI huc in Coloniam a missæ sunt Consulibus Marco Claudio Marcello & Caio Cornelio Scipione Caluo. Matri ex illustri familiâ Persicorum Bertæ siue Albertæ nomen fuit; quæ post Ioannis natiuitatem ad secundas transiens nuptias, coniuncta est Adamo Cacciafrontio, & ipso eiusdem ciuitatis nobili indigenæ: vnde factum vt cognomine vitrici potiùs quam patris cœperit infantulus priuignus appellari.

E Cremonæ nobili familiâ natus,

a

2 Educatio eius natalibus conueniens multum habuit pietatis, ad quam velut à naturâ factus Ioannes videbatur: adeò vt cuncta puerilis ætatis oblectamenta fugiens, quidquid à scholis liberi haberet temporis, faciendæ aut domi aut in ecclesiâ orationi impenderet. Adhæc operibus caritatis erga proximum exercendæ mirè addictus, largâ manu dispensabat in egenos quidquid poterat opis: erga se ipsum verò iam F tum austerus, quot hebdomadis tres ieiunabat dies: & magnæ voluptati erat vitrico ac matri ex eiusmodi principijs futuram eius sanctitatem prænoscere. Deinde vt satis fuit ab humaniori litteraturâ instructus, cùm animum à seculo prorsus abductum ad securum religionis portũ transferre vellet, Ordinem elegit Benedictinum & in monasterio S. Laurentij, extructo olim circa annũ DCCCCXC per b Oldoricum Francum Episcopum Cremonensem, sacrum suscepit habitum anno ætatis suæ XVI, Christi verò MCXLI. Vbi tantùm in religiosis profecit virtutibus, humilitatis videlicet, patientiæ, silentij, orationis, vt anno MCLIX, qui ipsi fuit vigesimus quartus ætatis, constitutus fuerit Prior monasterij S. Victoris: quod fuerat anno MXXIV ab Episcopo Cremonensi Laudulpho c fundatum: & deinde anno MLXXXV per Hubertum Zenobonum, eiusdem ciuitatis Antistitem annexum fuit d Abbatiæ S. Laurentij. In hoc Prioratu, octo dumtaxat monachos numerante, annis tribus continuis gubernaculum tenuit, verbo & exemplo cunctis ad veram perfectionem prælucens; vsque dum ab ipsis suis monachis Laurentianis, eductus è Prioratu, præesse Abbatiæ iussus est: quod munus nisi obedientiæ suæ probarâ virtute suscipere noluit, expresso illius mandato adigendus.

pietate instructus ac litteris,

fit monachus in S. Laurentij,

b

c

d

dein Prior in S. Victoris,

3 Abbas consecratus, inter alia quæ laudabiliter ordi-

A AVCT. FR. BARBAR. *ac deniquè à suis Abbas eligitur:*

ordinauit, instituit statas eleëmosynas in pauperes erogandas, easque multas & magnas quod vsque ad annum MCCXIII in vsu deinceps fuisse, testatus est Odo de Comitibus Cremonensis. Mater autem filij sui æmulata virtutes, ipsam se diuino mancipauit obsequio in sacrâ illâ æde, in quâ etiam vitâ hanc temporalem cum magnâ virtutis opinione finiuit, inchoatura æternam. Quantum autem Ioanni accessit ad eminentiam dignitatis, tantum quoque ad studium addidit consummatæ virtutis, testisque est Petrus Aruituanus (is qui Ioanni famulare obsequium exhibuit) anno post mortem eius duodecimo interrogatus iuridicè, quòd laneo indusio vestitus ad carnem, non priùs illam soleret ponere quàm vsu tritum disrumperetur: lineis autem vsus sit numquàm, nec præter ordinarios ceteris monachis cibos vllos admittere voluerit, noctu diuque intentus orationi quà voce quà mente pertractandæ, in quâ solâ repositas habebat omnes delicias suas.

quibus magno cum exemplo præst.

In schismate

4 Hæc inter occupato Ioanne, & monasterium suum cum magnâ prudentiæ & virtutis laude gubernante, Fredericus primus eo nomine Imperator anno B MCLXIV curauit mandatum Cremonæ vulgandum, quo sub interminatione grandis pœnæ omnes cogebantur agnoscere vt Vicarium Christi creatum ab ipso Antipapam Victorem contra ius Alexandri III, legitimè in Sedem Apostolicam sublimati. Fuit ea res beato viro & zeli exercendi & patientiæ materia ingens: etenim dum ad præstandam vni vero Papæ, Alexandro obedientiam, monachos suos populumque hortatur, & spe metuue deficientes ad partes Imperatoris fideles nititur retinere, publicè contradicentes sibi ministros Imperiales sustinuit mansuetudine singulari, quemadmodùm Ioannes Bonus Ecclesiæ Cremonensis *e* Massarius præsentem se audiuisse asseruit: quin etiam Raimundus de Horticâ adfuisse se dicit quando conuitianti sibi in faciem Anselmo de Douariâ generosè respondit: Quidquid volueris dicite: audiam ego agninâ mansuetudine iniurias, ab Ecclesiasticâ tamen libertate & iustitiâ defendendâ numquàm desistam.

pro Alexandro vero Pontif. animosè agit.

Ideoque in exilium pulsus

5 Fidelis Abbatis prædicatio & exemplum tantùm valuit apud Cremonenses ciues, vt qui anteà in fauorem Imperatoris haud modicè propendebant, ex ijs non tantùm Clerus sed plebs etiam omnis veri Pontificis partes haud obscurè amplecterentur. Quarè C indignatus Fredericus pelli eum omni Cremonensi ditione iussit. Cessit violentæ tyrannidi vir beatus & in agro Mantuano iuxta *f* Ollium flumen habitationē delegit in tuguriolo paruo, adiuncto ecclesiæ non magnæ B. Mariæ Virginis: ibique resedit aliquot annis quietus, & finē præstolabatur tempestatis illius: donec res ad Alexandrum Pontificem delata, illum commouit, vt *g* Vlmineti monasterium, ipsi attribueret, prout nouimus testimonio Landfranci Abbatis S. Petri de Montirone, anteà Prioris in cœnobio S. Laurentij.

ad ditionem Mantuanā se recipit:

Vbi Episcopus fit.

6 Interim Ecclesiam Mantuanam contigit suo orbatam Pastore, requirere alium, & communibus votis Ioannem eligi, anno, vt volunt quidam MCLXVII, at secundùm Iosephum Brixianum LXIX: quæ electio mirè Pontifici grata, proindeque ab illo fuit continuò confirmata, & Ioannes iussus est Episcopalem admittere dignitatem. In quâ tantis mox virtutibus resplenduit, vt omnes sibi de tali gratularentur Præsule, & Petrus de Tinctis familiarissimus quondam illius dixerit, solitum dies noctesque soli orationi & Scripturæ sacræ lectioni intendere, annuos autem sui Episcopatus prouentus omnes in Christi pauperes distribuere. Mortuo deinde sub annum MCLXXIX Ariberto Episcopo Vicentino, Vicentini ciues (qui Fredericianorum pridem exosi tyrannidem, cum Patauinis Treuisanisque & Veronensibus, ad vindicandam Ecclesiæ libertatem, Veronæ inierant fœdus anno D MCLXIV, & imperialibus ministris, à quibus immanibus expilabantur modis, Consules populum recturos substituerant, cum ijsdemque ausi in campum procedere, recipiente se Papiam Imperatore, plures quoque Italiæ vrbes Brixiam, Bergomum, Mediolanum, Mutinam, Bononiam & Arretium in fœdus Veronense attraxerant *b*) ciues in quam Vicentini Episcopum ab Alexandro postulauêre Ioannem; & pro ingentibus suis in Ecclesiam meritis facilè obtinuêre, eo quo diximus anno, quamuis Iosephus Brixianus annum MCLXXIV scribat, confutandus ex publicis documentis, quibus constat ab anno MCLXXII vsque ad LXXIX eiusdem seculi Aribertum præsedisse: similibusque instrumentis refellitur Mantuanus historicus Hippolytus Donesmundus, qui mortuum Mantuæ Ioannem videtur asserere.

indeque ad sedem Vicentinam transfertur, *b*

eius in episcopatu primaria virtus,

7 In Vicentinum Episcopatum ingressus Ioannes, eumdem quem antehac tenuit vitæ seuerioris rigorem, sub Pontificali habitu monastico semper indumento capucioque vestitus, citra lini vsum; & contextam ex lanâ interulam rudiori cingebat fune, prout Domnus Henricus de Creazzo (totis quatuor E annis in eius cõmoratus famulitio & induendo beato viro atque exuendo solitus quotidianam commodare operam) est cõtestatus: addens insuper consueuisse die Veneris sancto coëmere quidquid haberi poterat vestimentorum pauperibus contegendis, in eosque suis manibus distribuere: quibus etiam sæpè abluebat eorumdem pedes, modo quinos aut duodenos, aliquando etiam viginti quinque & plures accersens, in quos omne liberalitatis genus effunderet, quantum ex Episcopalibus redditibus habere potuit. Testis etiam est Ioannes de Malaterrâ de Mandalbertis, quinquennio domi ipsius commoratus, suis manibus præparatum cibum deferre solitū ad infirmos & parturientes, neque quidquam prætermisisse eius solicitudinis, quâ paternâ erga oues suas caritatem exerceret: erga omnes mitissimus, præterquàm erga suum corpus, quod vilibus operire pannis non satis habuit, nisi etiam rigido ad carnem cilicio maceraret.

& publici boni studia. *i*

8 Animaduertens autem multùm relanguisse Vicentinorum ciuium religionem erga sanctos Martyres *i* Felicem & Fortunatum, quorum ipse templum sanctasque reliquias frequens gaudebat visitare, idque propter lutum quo obsita platea erat, à portâ Castri vsque ad præfatum templum ducens; sumptibus suis F eamdem mundandam & sternendam curauit, magnumque ex eo impendio retulit pietatis in populo auctæ fructum. Defectum etiam necessariæ doctrinæ magnum in Clero esse obseruans, quò fiebat vt regendis animabus haud satis idonei parochi suæ diœcesis essent, sumptibus item suis Theologiæ Lectorem aduocauit, qui Clericos sacras doceret litteras. Denique vigilantissimi Pastoris partes omnes & numeros explens nouam Ecclesiæ Vicentinæ inducebat faciem, & turbulentissimis illis temporibus, velut in quietæ pacis securitate, suos, quà poterat, conseruabat atque fouebat.

a *Hanc fuisse 4 millium ciuium Romanorum Vicentini putant. Florus in epitome Liuij vltimo libro Decadis 2. meminit Romanorum exercitnum circa hæc tempora primùm trans Padum progressorum, Gallorumq; Insubrium ad deditionem coactorum, deinde opimorum spoliorum, cæso eorumdem Insubrium Duce Viridomaro, relatorum à Marcello Cos. & Coloniarum in agrum à Gallis captum deductarum, Placentiam & Cremonam.*

b *Ferd. Vghellus to. 4 Italiæ sacræ col 801 hunc ait circa an. 980 Luitprando Episcopo successisse, & decennio pòst tum SS. Hymerij & Gregorij Corpora Spoleto Cremonam transtulisse ad ædem Cathedralem, tum hanc abbatiam extruxisse, quam Barbaranus scribit anno 1547 à Cardinali Vberto Gambara illius Abbate traditam monachis Oliuetanis.*

c *Postquam scilicet ab exilio reuersus fastum & insolentiam posuisset, quàm anteà inuisus ciuibus tam postea dilectus eiusdem: videtur autem hac fundatione eluere voluisse maculam in ve-*

xando

A xando S. Laurentij cœnobio ante exilium contractam.

d Veremur ne error hic aliquis auctori obrepserit: constat enim Vbertum siue Obertum ante annum 1117 ad Episcopatum non accessisse, quem tenuit vsque ad an. 1169 Anno autem, quem Barbaranus notat, Episcopum fuisse Arnulphum ab anno scilicet 1075 ad 1107.

Massarius e Ita dictus à massa seu communis pecuniæ summâ, cuius distributio inter Canonicos & Clericos aliosq; Ecclesiæ ministros ex antiquo vsu pertinet ad Archidiaconum: nunc ferè nomine Massarij Quæstor capitularis, siue, vt vocant Thesaurarius intelligitur ab Archidiacono diuersus: quandoque & gazophylax seu sacræ supellectilis custos.

Ollius flu. f Fluuius hic, ex Tridentinis ortus Alpibus perq; Sebinum transfusus lacum, ab occasu & meridie Brixianum circuit territorium, tandemq; in Mantuano, sese effusurus in Padum riuulum quemdam recipit, quem tabulæ Camezzassum nominant, ad cuius ripam locus à S. Mariâ cognominatus notatur.

g An eo loco, vbi nunc Vinum notant tabulæ intra quintum à Vicentia lapidem, ad Reronem fluuium, Maximiliani Imperatoris clade posteà ad annum 1510 nobilitato? Hinc certè pronum erat virtutem Ioannis innotescere Vicentinis.

h Plenius ex Annalibus Ecclesiasticis disci possunt, quæ hic in epitomen contraxisse satis sit, eò dumtaxat deducta fusius, à Barbarano, vt Vicentinorum merita exaggeraret; iam enim de pace conuenerat, prius quàm promouendi Vicentiam Ioannis daretur occasio.

i Coluntur die xi Iulij.

B

CAPVT II.

B. Ioannis pro Ecclesiastica libertate martyrium: sepultura, translatio.

Petrum ecclesiastica iurisdictionis contemptorem

9 Res fuit præteritis seculis frequens, & infinitis publicorum instrumentorum probari potest documentis, quòd Episcopi, hominibus potentiâ & auctoritate conspicuis fulturi spiritualis iurisdictionis imbecillitatem, contra hæreticos, schismaticos aliosque Ecclesiæ rebelles, frui eam iuribus ac legibus suis pacatè non ferentes, viros benè meritos aut benè merituros fundorum Ecclesiasticorum dominio, quod vtile vocant, inuestirent: qui exinde facto intra manus Episcopi iuramento homines eius ligij ac feudatarij nuncupabantur, & iure sibi excidebant concesso, si iuratæ fidelitati suæque obligationi defuisse cognoscerentur. Hac ratione Petrus quidam (Bononiensem aliqui fuisse volunt) ab Ioannis beati prædecessoribus contra Fredericum sese armantibus, varios fundos Castelli a Malensis (quod olim ad possessiones Episcopales pertinens nunc ab ipsâ vrbe Vicentinâ tenetur) sub nexu & obligatione feudi obtinuit: quos deinde vt proprios cœpit administrare, statutumque Ecclesiæ censum, quem pendere pactus fuerat, recusare: quin etiam alios in eodem castello feudatarios, obnoxios sibi facere, eisque vt dominus imperitare.

C

feudo & communione priuat Ioannes:

10 Commouit querelarum de hac iniustitiâ delatarum acerbitas zelosi Pastoris animum, & aduersùs monitiones omnes obduratum inueniens Petrum, feudo eum suo priuatum & à communione fidelium sequestratum declarauit. Qui tantùm abest vt pœnæ magnitudine flecteretur ad pœnitentiam, vt contra sanctissimum Pontificem nil nisi vltionem spirans, in omnem consciscendæ necis occasionem intendere cœperit. Ita animatus, socios comparauit ad scelus, seque collocauit in insidijs, præstolans dum more suo egrederetur Episcopus ad inspiciendum ædificium, quod in vsum docendæ discendæque Theologiæ eo moliebatur in loco, vbi nunc templum S. Antonij est. Progredienti ab episcopio Præsuli socius ibat prænominatus Dominus Ericus de Creazzo, narrauitque posteà, obuiam fortè venisse pauperem seminudum vt eleemosynę nomine aliquid in vestitum emendicaret: cui quamuis mandaret Episcopus vt statim prospiceretur, cunctatum tamen se Ericus dixit, ne tali in tempore desereret Dominum, cui malas manus haud ex vano metuebat. Verùm cùm ille diceret non abiturum se inde, donec reuertisset Ericus, abijt sanè, & reuertens eodem loco Episcopum reperit: eoque fidentior

ille [illegible] indictam meditatur,

& [illegible] eleemosynæ [illegible] causâ

rursum digressus est, ministerij alicuius causâ, in vinariam cellam. D

AVCTORE FR. BARBARANO.

incomitatum [illegible]:

11 Ita incomitatus cùm degeret Episcopus, neminem secum habens præter Ioannem de Malaterrâ item prænominatum, suam hanc occasionem rati sicarij insiliunt in inermem, Petrusque parricidalem gladium pectori eius infixit. Cecidit continuò innocens barbari furoris victima, & (sicut qui præsens aderat famulus testatur sub iurisiurandi fide) suis inimicis ignouit facinus, ac benè ipsis sæpiùs sæpiusque precatus à Deo, animam reddidit Creatori. In cuius rei memoriam, & vt posteris certiùs constaret de loco in quo sanctus Præsul expirauit, collocata ibidem columna est, quæ hodieque permanet in areâ ecclesiæ Cathedralis, è regione templi S. Antonij Abbatis. Sparsa mox fama atrocis facinoris ad arma & vltionem conuocauit populum, concursuque ad Petri ædes facto firmiter obseratas reperêre: quare lentum existimantes, dum perfossis parietibus aut effractis ostijs aditum molirentur, flammas iniecêre tectis, quibus tota domus conflagrauit, sed sine domino: qui fugâ elapsus incertum est quidem quem vitæ habuerit sceleratæ exitum, dignam tamen credendus est luisse pœnam, aut in hoc aut in futuro seculo.

occidit ignoscentem inimicis.

E

cuius hæredibus vetat Pontifex ademta restitui. b

12 Nihil tamen minùs conati sunt consanguinei illius subintrare in feudum ab ipso possessum: quod ne fieret Innocentius Papa III responsum misit, quod in sacros deinde Canones b legitur hisce verbis relatum. Ad aures nostri Apostolatus peruenit quòd cùm quidam parochiani tui ausu diabolico bonæ memoriæ Ioannem Episcopum Vicentinum prædecessorem tuum nequiter interemissent, feuda & beneficia quæ illi à Vicentinâ Ecclesiâ obtinebant, ipsis per sententiam fuerant cum multâ deliberatione sublata. Quia igitur sunt maiori animaduersione plectendi, nos tam tibi quàm successoribus tuis auctoritate Apostolicâ prohibemus, ne ipsis aut hæredibus eorum beneficia prædicta restituantur, seu de nouo eis alia quælibet conferantur.

Corpus Episcopi an. 1181 occisi

13 Facta porrò hæc cædes est anno MCLXXXI XVII Kalendas Aprilis, cum Vicentinum Episcopatum duobus circiter annis Ioannes rexisset: non septem, vt scribit Iosephus Brixianus, initium Episcopatus eius perperam cum anno MCLXXIV componens: non etiam in XX diem Aprilis martyrium iam memoratum recurrit, vt in tabulâ Patronorum Vicentinorum imprimi permisit Iulius Carcanus: quod typographico mendo imputare malumus, nisi fortè translationis infra memorandæ dies caussam illi errandi dedit. Etenim sacrum illud corpus statim à morte honoficè tumulatum in æde Cathedrali, posteà crebrescentibus miraculis refossum & in marmoream arcam collocatum fuit, depositumque eo in loco vbi nunc chorus, sed tunc princeps ara, erat: sub quâ requiescens, quis & qualis fuisset in vitâ, tali titulo lectori cognoscendum proponebatur. F

ad aram principem transfertur

cum epitaphio

Hic situs est verus Pastor, Cazafronte Ioannes,
Schismate qui quondam partem defendit honestam
Patris Alexandri Papæ; cùm sanctior Abbas
Cœnobium Sancti Laurentij ouante Cremonâ
Sortitur patrium: tanto mox Præsule felix
Mantua lætatur, quo nunc Vicentia gaudet.
Orphanus & vidua atque miser, spoliatus, egenus
Pontificis manibus alitur, vestitur, amatur.
Ecclesiæ dum iura suæ tuetur, iniquo
c Vaxali gladio d Cymbri secure necatur. c d
Post obitum claris monstrant miracula signis
Conspicuum virtute poli meritisque beatum.
Aridus & cæcus, surdus, febrisque dolorque
Exulat, atque abit sospes qui venerat æger.
Hic est e translatus Ioannes f Caza beatus. e f

dein an. 1441 ad sacellum,

14 Postmodùm cùm maior Cathedrali templi capella, quæ hodie cernitur & chorus nuncupatur, esset

AVCTORE FR. BARBARANO.

A set ædificanda anno MCCCCXLI, translatus est sacri corporis thesaurus ad sacellum Beatæ Virginis, Assumptæ olim, nunc Incoronatæ dictæ, vbi supra altare multis gradibus eleuatum conspicitur & honoratur, prorsus integrum & expers corruptionis, cum hac inscriptione: Ioannes Caccia-fronte pietate, iustitiâ miroque Dei zelo plenus, Federico Imperatori Apostolicam libertatem lacessenti primùm Cremonæ restitit: deinde huius vrbis Episcopus, Ecclesiæ suæ g campio, confossus gladio, martyrij triumphum, immortalitatis gloriam, æterna laborum præmia felici labore mercatus est. Pia eius ossa huc deuotè translata sunt Anno Domini MCCCCXLI XII Kalendas Maias. Sub hoc epitaphio ad viuum exsculpta in saxo cernitur huius Beati effigies, nec non ferramenta eidem infixa lapidi, sustinendis, quantum coniectare fas est, candelis, quas istic fideles consueuerant accendere. Inuenitur autem in quodam antiquo MS. cui titulus, Chronica ad memoriam temporis præteriti & futuri, quòd anno MCCCCLXXXII die XVIII Septembris, indeque per sedecim continuos dies, ostensum populo sanctum corpus fuerit, eâque occasione multa patrata miracula, quæ mox proferentur. Sciendum porrò dictam modò translationem solius sancti corporis fuisse, relictamque loco suo esse marmoream arcam, ijs quæ suprà protulimus versibus inscriptam. Principio autem huius seculi cùm crypta sub choro construeretur anno MDCVI, eamdem terræ exemptam ipsam illam epigraphen distinctè exhibuisse, & nunc inueniri in ecclesiâ S. Iustini de h Monticello prope Lisieram.

An. 1482 per dies 16 ostenditur populo.

B

15 Ad prædictum Diuæ Virginis altare sacrumque beati Martyris mausoleum miraculorum epitome talis legitur tabellæ inscripta. Decem membris varijs per omnem vitam manci aut debiles, subitò ad sanitatem adducti. Duo surdi, voto ad Beatum facto continuò auditus facultate donati. Duo cæci illuminati; quorum vni ablata etiam dicitur nebula, quæ oculum eius impediebat. Arthritici duo, quorũ alter etiam paralyticus fuit curati ad sepulcrum Beati. Quidam mortali pressus infirmitate, quia exercitium religiosi cultus erga Beatum exhibiti explodendo contempserat, ad idem sepulcrum sanitatem recepit. Duo ex pestilentiâ periclitantes voto emisso salui facti sunt. Sedecim recuperarunt valetudinem, propter febres aut alios morbos letales desperatam, per merita Beati. Quinque cephalalgiâ laborantes, vel letali vulnere caput læsi, eiusdem beati Episcopi intercessione conualuerunt. Tres sanati ab apostematis dolore & laterum, post votum emissum. Quidam ad articulum mortis calculi cruciatu deductus, vitam seruauit simili voto. Duo alij item, quibus inueterata cancroque exesa vulnera spem vitæ abstulerant longioris. Fuit qui statim à voti nuncupatione liberum se à cordis oppressione sensit: alius qui ab ischiade sanatos lumbos, tertius cui in statum suum mens redijt, quam coniunctâ febri phrenesis concusserat, simulque restitutus ei est linguæ vsus eo malo impeditus.

h Epitome miraculorũ ex tabellâ ad aram appensâ.

C

a *Vulgo* Malo *dictum; abestque circiter* 10 *P. M. ad Occidentem vrbis, ad Australem Giara fluminis ripam, videturque illud esse quod in diplomatis apud Vghellum reperiendis toties nominatur* Maladũ *seu* Malladum castrum, *nisi hoc fortè vrbi ad Meridiem sit, ad Brendolæ fluuioli Guæ se infundentis ostium,* Moledo *vocatum in tabulis.*

b *Per Gregorium 9 in Decr. lib. 5 tit 37 de Pœnis cap. 10. Creatus est autem Innocentius anno* 1198 *sub eoque Vicentiæ sedit Pistor, sed iam tunc exul; deinde Vbertus initio seculi 13, ac denique circa annum* 1213 *Nicolaus Maltrauersus: ex quibus verosimilius est Vbertum fuisse eum, ad quem Innocentij Breue dirigitur.*

c *In Legibus Longobard. frequens* Vasallus *&* Vassallus, *pro cliente fiduciario; atque antiquius etiam eo* Vassus *est similis significati. etymologiam varij variam allegant, cui hic, vt in re omnibus de iure feudorum scribentibus decantatissimâ, non lubet immorari.*

d *Petri scilicet, origine, vt videtur hic indicari, Dani: nam Cymbri Germaniæ borealis populi sunt, à quibus Cymbrica Chersonesus nunc Daniæ regnum.*

e *Non ergo, quod Vghello per inaduertentiam excidit, in hac arcâ primùm sepultus est cum tali epitaphio.*

D

f *Barbaranus & hic & in primo versu* Cacciafronte *scripsit: sincerius Vghellus, vt ex ipsâ metri lege apparet; qui etiam in principio dicit quod Ioannes ex priuigni (imò vitrici) cognomine dictus sit* Cazinfrontes (*fortè* Cazafrontes *scribere voluit*) *cuius posteri deinceps de* Cacciafrontibus *nuncupati sunt: vtrouis modo scribas, eum reperies significari qui contumeliam (Italis* Afrontam) *vel abolet vel depellit.*

g *Idest, Pugil:* Campiones *autem potissimùm dicuntur Teutonibus qui singulari depugnant certamine: quod ipsi* camp *vocant, & sic decertare* Campen; *fortè à Campo seu loco patenti ad eiusmodi actus deligi solito: nam* Camp *hoc quoque in sensu verè Teutonica vox est, nec à Latinis accepta.*

h *Intra quartum ab vrbe lapidem versùs boream, trans fontes Tribuli fluminis, huius nominis vicum notant tabulæ: sed eadem Monticellum à Lisiera tanto interuallo dissitam locant, vt cum eo constituat basim æquilateri versus vrbem trianguli, vnde fortè alius à priori diuersus Monticellus intelligi hic debet.*

CAPVT III.

Miracula & gratiæ acceptæ ex processu formato anno MCCXXIII de mandato Honorij Papæ III.

16 NIcolaus de a Planitie-laci totos duodecim annos ita lecto affixus hæsit, à cingulo deorsum omni membrorum vsu sensuque destitutus, vt nec minimum quidem ipse se mouere posset, nisi apprehenso fune ex solario super lectum pendulo; conuertere autem in latus aliud nullo pacto, nisi alij subsidio ipsi venirent. Hic intelligens quanta per B. Ioannem Deus operaretur miracula, votum vouit visitandi sepulcri, eoque se deduci curauit super iumento à duobus filijs suis: Posteaquàm autem in ecclesiâ orans duas noctes continuasset, perfectam totius corporis accepit sanitatem integroque biennio superuixit: ad omnia agriculturæ opera & laboris, æquè ac rusticorum alius quisquam, idoneus, cum vxore Berthâ & filijs duobus. Contigit porrò ea res die Veneris sancto.

a Sanantur ab annis 12 paralyticus,

17 Corbellus de b Barbarano multis annis surdus, post simile votum cùm sepulcro assisteret, visus sibi est sub crepusculum diurnum, à multis simul nomen eius pronuntiantibus appellari: quibus dum ille respondit, & se audire miratus est, & responso suo obstupefecit circumstantes, qui nullius appellantis vocem audiuerant. Vicentinus medicus, Burgensis nuncupatus, filium omnino habebat cæcum, & vxori suæ multùm lamentanti super eâ calamitate solebat inculcare, voluntatem nostram ad Dei arbitrium esse fingendam. Verùm mulier numquàm plenè placata, tandem oblaturam se duos ex argento oculos vouit, & subitò filium videntem conspexit.

b multis annis surdus, puer cæcus,

F

18 Albertus filius Bonacurtij per ecclesiam transiens, mulieres aliquas genuflexas vidit ante corpus Beati, quas ille irridens dixit, tantumdem facturas si ante lignum aliquod orarent. Non reliquit Deus impunitam blasphemiam: abiens enim in forum & piscibus istic emptis domum reuersus (erat enim dies Mercurij idemque Vigilia) interim, dum illos apparat vxor sua Maria dicta, ad ædes cuiusdam sui vicini abijt: vbi subitò tam diro symptomate oppressus est, vt moueri impotens velut mortuus assisteret vsque in diem Veneris, nullo interim cibo refectus. Dicto autem die diuinitus illuminatus, cognouit culpam suam, & candelam Beato vouens ad corporis sui longitudinem, à duobus amicis suis in sellâ se portari iussit ad eius sepulcrum, quò appulsus sudore tam copioso manare totus cœpit, quasi ex aquâ fuisset eductus. Permansit autem istic totâ nocte orans, & in aurorâ perfectæ valetudini sensit restitutum se: cuius facere experimentum cupiens, per seipsum ambulauit vsque in templũ S. Saluatoris, Missæ sacrificio interfuturus, quod à Fratribus Minoribus primo manè celebratur; & gra-

irridens ad Beati corpus orantes punitur & culpam agnoscens curatur.

A tus Deo volens esse pro beneficio, cum bonâ vxoris gratiâ eorumdem Fratrum Minorum habitum regulamque suscepit.

item ex arthritide misere laborans,

19 Martinus, sartor Vicentinus, artritide tam crudeli vexatus fuit, vt omnium membrorum vsum amiserit à cingulo deorsum; ita vt, ne in lecto quidem, ipse se commouere posset: talique in statu mensibus septem permansit. Hic nocte quadam visus est sibi in ecclesiâ maiori Vicentinâ esse, & in parte illius Occidentali circa sepulcrum Beati multa videre luminaria multosque Sacerdotes & Clericos sacris indutos vestibus, canentes ibidem Deo laudes & hymnos. Dum miratur & caussam insolitæ pompæ ab animo suo quærit, adstitit ei quidam dicens, vigilias celebrari in honorem B. Ioannis, olim Episcopi Vicentini. Tantaque fuit spectaculi huius iucunditas, vt Martinus vbertim cœperit lacrymari præ gaudio: mox autem dictum ei ab eodem sibi adstante est, optimum esse pro peccatis lacrymas fundere. Experrectus deinde cogitare cœpit, dictum Episcopum sanctum esse, proindeque per eius merita rogare Deum vt sanitatem sibi redderet. Neque mora, sensit mox petitæ intercessionis efficaciam, tantumque membris suis robur momento infusum, vt ex vno in alterum latus vertere se potuerit, & paullatim conualescens, tertiâ die de lecto

à bis in somnis monitus ad Beatum accedere sanitatis gratiâ.

B surrexerit, duobusque nixus fulcris ad sepulcrum Beati processerit, multas in oblationem candelas ferens: quas sub tempus decantandæ Nonæ, quo aduenerat, accendit, permansitque ibidem in oratione vsque ad Vesperas: quod quia vulgo inusitatum erat, reputatus ab aliquibus pro fatuo est; ipse autem domum suam reuersus plenè se consanatum reperit, nec eiusmodi morbum quoad vixit passus deinceps est.

Sanitas redditur infanti mox à natiuitate immobili,

20 Tofania, vxor Ioannis Vicentini ciuis, prolem masculam peperit, quam nono à puerperio die tantum frigus & cùm frigore rigor per omnia membra inuasit, vt nullo modo mater vel obstetrices valerent partem corporis mouere aliquam, non manum, non pedem digitumue: vt autem aliquid alimenti eidem infunderetur, aperiendum per vim os erat. Deinde sic inflari cœpit in pectore & tergo, vt monstro quàm homini videretur similior, eoque in statu per dies viginti mansit. Hunc mater sua in comitatu mariti alteriusque mulieris, cum candelarum oblatione, ad sepulcrum beati viri detulit, & nocte illâ ibidem in oratione exactâ, perfectam puer accepit sanitatem, & os suũ aperuit velut benefactori suo gratias habiturus.

arthritico & paralytico,

C 21 Martinus, cognomento Carpus, Vicentinus, duplici malo arthritide & paralysi ita affectus fuit, vt contractus per annos duos & dimidium fuerit: ita vt non posset neque erigere se neque manus capiti admouere, trementibus interim continuo motu membris omnibus. Eo in statu per aliquod spatium temporis Vicentiæ & Pataui vixit eleëmosynis, quas ad sustentationem illius piæ quædam personæ conferebant. Intelligens autem quanta per seruum suum Deus operaretur miracula, die Mercurij post Pascha Resurrectionis ad sacrum illius corpus accessit, ibique in oratione perseuerans vsque ad tempus Vesperarum, magno totius corporis dolore grauari se sensit, & simul tendi sibi ossa ac neruos: vnde mox sanatum se meritis B. Ioannis lætâ voce exclamauit: neque simile quidquam pertulisse se professus est, tertio post factum miraculum anno iuratus eiusdem testis, vnà cum pluribus idem se vidisse attestantibus.

membrorum vsu destitutæ mulieri vni.

22 Mulier quædam, Osanna nomine, debilitatem talem incurrit, vt ipsa sibi nec vestes induere nec cibos in os inferre posset, & quamuis subinde remitteret se mali vis aliquantùm, remanebat tamen ad omnes membrorum vsus inutilis. Huic infirmitati alia haud paullò grauior accessit, anno quinto antequam de beati viri miraculis intelligeret aliquid; quâ infirmitate tremebant ei horrendum in modum membra

AVCTORE FR. BARBARANO.

D omnia, non tantùm perdiu vigilanti sed etiam dormienti per noctem, sic vt manus pectori continuo pulsu allliderentur. Toto autem eo tempore necessarium fuit eam instar infantis pascere. Postquàm verò inaudijt quæ de B. Ioanne circumferebantur mirabilia, visitauit eius monumentum, & in oratione totam noctem ducendo perseuerauit. Interim inuasit eam per omne corpus intensissimus dolor, dum ei extenduntur membra & nerui atque articuli digitorum, stridore tanto vt etiam à longè positis exaudiretur. Ita à die Veneris post Pascha vsque ad Sabbatum remansit in templo, ac deinde sana domum redijt, tertioque pòst anno, cùm examinanda sisteretur, testata est se numquàm infirmatam ab eo tempore, sed ad quosuis muliebres in agris labores valentem fuisse.

alteri &

23 Gisla, cognomine Tonsa, ex Alonte Vicentinæ diœcesis, lecto affixa iacuit per annos duos, moueri per se impotens aut cibo refici: tertio deinde anno loquelâ caruit, vt iam plerisque breui moritura crederetur: quamuis & audiret omnia quæ dicebantur, eaque se intelligere signis & nutibus demonstraret, & quid sibi opus foret indicaret. Exinde aliquantulùm conualescere visa, mox iterum recidit in morbum priorem, alijsque annis quatuor relapsa decubuit. Rursumque eatenus sanata est, vt de lecto surgere atque in

E sellâ considere posset, non tamen erigere corpus suũ, adeoque gibbosa & curua erat, vt filum nendo ducere haud absque magno incommodo posset, vestes autem induere nequaquam nisi à filiâ suâ adiuuaretur, neque manum supra caput attollere. Quinque annis sic infirma permansit: circa festum deinde Paschæ intellexit de prodigijs ad B. Ioannis sepulcrum contingentibus, quare magno inflammata desiderio visendi sancti ipsius corporis, multis cum lacrymis Deum Sanctumque eius deprecabatur, vt sibi, quæ neque per debilitatem eò ire neque per paupertatem portari poterat, quocũque meliori modo succurreret. Ergo die Mercurij Octauam Resurrectionis consequente, cum à scamno cui insedebat vellet assurgere, profundo cum gemitu exclamauit: O B. Ioannes; miserere mei omni suffragio destitutæ: quippe quæ nec panem habeam nec aliud rerum necessarium, & hoc in statu ipsi mihi consulere nequeam. His dictis fiducia in animum, vigor in membra venit; & subitò supra pedes recto stetit corpore, manibusque & brachijs supra caput extensis in omnem ipsa se egit partem, stuporisque plena inclamauit quamdam commatrem suam, venireque

plurimis annis sic infirma.

F iussit & videre quomodò per seipsam prout libitum moueretur, & affirmauit ad sepulcrum B. Ioannis ituram se. Sparsa rei per vicinos omnes pagos fama exciuit plurimos, vt notæ sibi anteà infirmitatis fœminam viderent persanatam: ipsaque die Veneris proximo Vicentiam venit, actura gratias Sancto: & multis posteà annis incolumis vixit.

item ex percussione cæco,

24 Albertinus Marcoffus Vicentinus, ab inimico quodam suo in oculo sinistro percussus, albam eidem maculam innasci sensit, totumque paullatim visum adimi, non absque notabili vultus deformitate. Post annos deinde quindecim Veronam cum aliquot socijs proficiscens, etiam dexteri oculi lumẽ amisit: itaque ad manum deducendus Veronam, indeque Vicentiam reducendus fuit: vbi in hospitali S. Nicolai mansit à festo S. Andreæ vsque ad Dominicam Palmarum. Feriâ sequẽti adductus in templum Cathedrale est, S. Mariæ-Maioris nuncupatum, ibique in oratione cum multis viris ac fœminis ante B. Ioannis sepulcrum perseuerauit, vsque dum obdormiuit: à somno autem circa noctem mediam experrectus, sensit palpebras oculorum reduci, & versus fenestras templi occidentales respiciens, vidit lunam fulgentem: postmodùm & fenestras templi & quæ ad sepulcrum ardebant candelas numerare cœpit, atque adstantibus dicere se esse illuminatum. Fidem illi experimento sup-

A spere, monstrando ipsi vestes sunt, quarum singularum colores cùm optimè internosset, diditus per vrbem rumor est tam prodigiosæ curationis, multusque ad spectaculum confluens populus collaudauit Deum in Sancto suo gloriosum, per cuius merita restituta lux esset oculis, alteri quidem per annos quatuor, alteri per quindecim eadem priuatis.

AVCTORE FR. BARBARANO.

duobusq; pueris contractis incuruis,

25 Palmeria, vxor Gerardi Fontaniuæ Vicentini, filium Vgolinum sex continuis mensibus infirmum habuerat: qui deinde incurruus mansit, nec potuit absque baculo ambulare ob distorta fœdè crura pedesque: donec ipsa miracula B. Ioannis audiens vnà cùm filio deuotè sepulcrum Beati visitauit, & iuxta illud diebus nouem perseuerauit, intra quod tempus obdormiscens puer, sudare vehementer incepit, ipsoque in somno clamorem emittens, perfectè, vt erat, sanatum se exhibuit. Beatrix, vxor Otthonis de Montecchio, filium peperit, qui cùm post annum pedibus gradi inciperet factus est gibbosus, vt neque erigere se posset, neque de lecto assurgere viribus suis: itaque annum & dimiduum incuruus permansit, vsque dum à matre delatus ad viri beati sepulcrum, ibidem sanitatem recuperauit, vtroque parente eamdem per Sancti merita ibidem iunctis precibus postulante. Quidam c Montagnanæ incola, non absque fulcris mouere se valens, eodem sepulcro visitato & oratione ad illud per triduum fusâ, coram multis præsentibus gradiendi obtinuit facultatem. Dina de Costoza septemdecim mensibus infirma decubuit, mouere se impotens nisi cum duobus scabellis reptando per terram præ curuitate corporis: sed adiuta & erecta fuit, diebus aliquot perseuerans ante sepulcrum, quò fuerat adducta supra iumentum ligata.

B

c denique viro ac mulieri gressu priuatis.

a *Quinto ab vrbe milliario versus Austrum adsitus lacui Fimonensi vicus, quà parte per Debeta alueum exonerat se in Bachilionem fluuium: & dicitur* Laci *ad distinctionem alterius pagi synonymi ad Boream Vicentinæ vrbis prope Marosticam.*

b *Insigne oppidum intra decimum ab vrbe lapidem versus Austrum.*

c *Oppidum trans Nouum-flumen spatiosum est, distans versus Austrum P. M. 20 circiter.*

CAPVT IV.

Alia miracula sumpta ex antiquo MS. sacristiæ Cathedralis, & scripto excepta anno MCCCCXLI per Presbyteros Gasparum de Porta-S. Petri, Germanum de Cogolo & Magistrum Nicolaum Ciroicum *a* Gastallis *b* Fragliæ S. Mariæ & B. Ioannis Cacciafronte in æde Cathedrali.

a b

B. Ioannes inuocatus sanat febrim pestiferam,

26 ANdreas Solizzus, Vicentinus ciuis, anno MCCCCXXXIX, pestilenti contactus febre cum stomachi dolore, instar Æthiopis nigrescebat, ideoque morti proximum credens mater, vouit eum B. Ioanni, & pro obtinendâ filio sanitate sepulcrum Beati visitauit, ac porrò per dies quindecim idem se visitaturam promisit, additâ quotidiè certâ candelarum oblatione, & recitatione orationis Dominicæ aliquoties repetendæ: quibus expletis sanum eum & incolumem habuit. Filia quædam Tomasij Scriptoris & ciuis Vicentini, grauissimâ febri & diarrhœa ad extremum adducta discrimen erat, animamque agebat: pro cuius funere necessaria in foro empturus pater, transijt per templum Cathedrale, vbi recordatus miraculorum B. Ioannis, cum voto & lacrymis eum orauit, vt filiam sibi suam seruaret in viuis, & domum magnâ cum fiduciâ impetratæ petitionis regrediens, ipsam extra periculum positam reperit.

febrim & diarrhœã,

27 Catharina vxor Magistri Marci de Cogololanario grauis capitis infirmitatem patiebatur, quâ omni septimanâ cruciabatur, tanto cum dolore, vt cutis supra cerebrum ad duos minimum digitos sese attolleret. Interim miraculorum B. Ioannis recordata, cœpit erga eum deuotissimè affici, & meruit consequi sanitatem, facto voto de curando solenni sacrificio ad ipsius sepulcrum: quod continuò adimpletum est. Dorothea de Bozo, cum tertianâ febri frigida calidaque conflictans, magnâ cum deuotione vouit ad B. Ioannis altare oblaturam se statuam è cerâ, pro sui corporis mensurâ grandem: subitoque è lecto sana surrexit. Petrus, filius Ascanij de Barbarano, decennis puer, laborabat ex calculo, totisque diebus decem vrinam mittere non potuerat; quare à stomacho vsque ad coxas totus inflammatus atque instar speculi lucidus erat, & morti appropinquabat; non cessans interim B. Ioanni commendare se & identidem repetere, B. Ioannes adiuua me. Parentes autem animaduersâ filij erga Beatum deuotione, fecêre votum de offerendâ statuâ cereâ ad magnitudinem infirmi cum argenteâ cruculâ, statimque dissilijt in minutas particulas calculus, & frustatim vnà cum vrinâ egressus est, votumque cum magnâ lætitiâ parentes impleuêre.

D

grauem capitis dolorẽ,

febrim tertianam,

dolores calculi,

E

28 Elisabetha, vxor Bartholomæi de Squarzis nobilis Vicentini, tam vehementi capitis torquebatur dolore, vt cerebrum sibi crederet foras prosilire, factoq; simili de cereâ ad sui magnitudinem statuâ offerendâ voto, liberam se ab omni malo sensit. Flora Ordinis S. Francisci Tertiaria, vxor Magistri Martini Pellizzarij, plagam in mamillâ inueteratam gerebat, quæ sæpè ei febrem, quandoque & mortis periculum pariebat: & simili similis statuæ voto recuperauit sanitatẽ, & antequàm nox adueniret curatam integrè plagam mirata est. Zilia, vxor Iacobi de Carpis ludimagistri, in febrim vnà cum filio incidit, quâ triduum integrum durante, ipsa se morituram credidit: itaque etiam ipsa statuam istiusmodi vouit, sibique ac filio perfectam continuò obtinuit valetudinem. Alexander Pigafetta Vicentinus, idem beneficium eadem obtinuit ratione, grauiter ex febri ægrotans.

& cerebri,

mamillam exulceratã

febrim continuam in pluribus,

29 Marcus Coldognus, nobilis Vicentinus cum eodem morbo grauem quoque capitis dolorem sustinebat, adeo vt pedibus nequiret consistere, vouit pro remedio quatuor aureos oblaturum se ad sepulcrum Beati: & voti continuò factus est compos. Bartholomæo Baldo Veneto tertiana febris, quam mense integro tolerauerat, mutata in continuam est, variamque identidem formam induens, auferebat medicis facultatem certi aliquid de mali caussâ & remedio statuendi: magno igitur cum labore accessit ad sepulcrum Beati, & statuam vnius aurei vouens liberum se omni incõmodo gauisus est. Bartholomæa triennis filiola Marci de Chianon, ciuis Vicentini, febri laborabat vehementi: mater pro filiâ cantandam Missam & statuam super altari offerendam vouit B. Ioanni: cuius merito statim puella conualuit, & cum matre alijsque puellis gratias actura accessit ad templum.

F

30 Lucia vxor Anzolini Furnarij, commorantis in hospitali S. Petri, anno MCCCCXVIII contacta peste in coxâ sinistrâ multis cum lacrymis & deuotionis ardore sanitatem postulauit à B. Ioanne, argenteam statuam aureis duobus æstimandam offerens, & subitò voti rea fuit. Clemens Garzadorus, nobilis Vicentinus, ex graui capitis & lumborum dolore lecto tenebatur affixus, quo tempore facta est B. Ioannis translatio. Audiẽs autem quæ vulgo de miraculis eius & sacri corporis integritate narrabantur, indeque in spem recuperandæ per eius merita valetudinis erectus, sublatis in cælum manibus, & oculis lacrymantibus, liberari ab isto malo petijt, vt & ipse posset tam venerabiles reliquias videre & honorare: ipsoque momento sanus fuit. Quo die monstratum populo corpus fuit in

pestem,

lumbaginem,

A in lecto similiter decumbebat & febri Cecilia quædam, Thomæ de Oleo Vicentini ciuis decennis filia, & à frigore febrim comitante sic concutiebatur vt nisi ab alijs adiuta pedibus nequiret insistere: quæ simili relatu concipiens desiderium videndi Sancti, vsque adeò exarsit eâ cupiditate, vt mori sibi videretur nisi continuò ipsum posset conspicere. Quare importunis filiæ quiritationibus victa mater, adduxit eam in templum, & osculanti sudarium, quod fuerat supra corpus positum, reddita sanitas est.

tremorem insolitum,

31 Crespina de Venetiâ, consanguinea Baptistæ Leonis, vsum brachij dexteri amiserat: sed auditis miraculis B. Ioannis, brachium eidem ex cerâ vouit, & sanum vt numquam aliàs brachium sensit. Filius quidam Bartholomæi de Scrofa, nobilis Vicentini, ardentissimâ febri reductus ad extrema, per vtriusque parentis votum de offerendâ ad infirmi mensuram cereâ statuâ, sanitatem recuperauit. Antonia de *c* Lonigo graui cordis oppressione immobilis iacebat in lecto: vouit B. Ioanni cor argenteum cum cereo funali quatuor librarum & subitò conualuit. Dominicus de Pilla Presbyter Mansionarius in æde Cathedrali Vicentinâ, amisso brachij sinistri vsu prorsus omni, paris magnitudinis brachium è cerâ vouit, & vsum recepit. Co- B rona, vxor Guilielmi de Mezzâ, ischiade laborans, præ dolorum vehementiâ totis diebus & noctibus eiulabat vociferans, & morti proxima, cerei cruris simulacrum vouit, & sanitati reddita fuit.

brachij infirmitatē, febrim, c cordis oppressionem, itē brachij & lumborum mala,

32 Pascha Zuannis Vertenæ, commorans in domo Magistri Marij de Cogolo, tumido in latere apostema ferebat durum instar petræ: ex quo quia graues patiebatur cruciatus, sub conditione certæ alicuius oblationis petijt & obtinuit vt sanaretur. Stephanus de Verona statim atque cereum caput B. Ioanni vouit liberatus est ab vnius auris tormento, quod ex eâ parte auditum prohibebat. Magister Nicolaus Medicus, filius Magistri Georgij tam intensas febres ortosque ex eis capitis tolerabat dolores, vt mortem sibi leuiorem ducens hanc ipse sibi consciturus fuisset, nisi Dei timore prohiberetur: in ipso autem paroxysmo febrili aliena loquebatur impos mentis. Huic nocte quadam B. Ioannes per visionem apparuit in ornatu splendido, cum coronâ in capite & multis in vestitu gemmis: circa quem in æde Cathedrali tantam accurrentis populi compressionem sibi videre videbatur, vt ægrè moliri sibi aditum posset, quo tandem euicto visus est sibi ex Beato audire: Nicolaë cereum caput ad arcam C meam defer, & ab istâ infirmitate liberabere. Euigilauit ad hanc vocem Nicolaus, & somnium credidit ex febrili ardore natum: verùm sequenti nocte rursum eidem simili in schemate & populi circumfusi turbâ Beatus apparuit, & increpans dixit: Neglexisti facere, quod dixi, Nicolaë: nihilominus quia mihi singulariter deuotus extitisti, cras veni & voti compos fies. Obstupuit æger animaduertens quòd soli sibi tantâ in multitudine loqueretur Sanctus, & euigilans ait: Certè ipsius ad me verba audiui: ibo & complebo iussa: quod dum facit curatus fuit.

apostema in latere, febrim letalem,

33 Matthæus Paletronis de Lonigo, sartor Vicentiæ habitans, in coxendice eos sustinens cruciatus, quibus diu noctuque clamare cogebatur, mouendi corporis etiam in lecto impotens; cùm nullis iuuari remedijs medicorum posset, adiutus est voto quo ceream imaginem ad mensuram sui Beato promisit offerendam. Presbyter Zauinus de Gardelinis, oppressus subito dolore lateris, neq; exuere ipse se vestibus nec collocare in lecto potuit, nisi cum auxilio duorū suorū qui promptè accurrerant fratrum: quare commendauit se B. Ioanni, promisitque supra eius corpus sacrificium missæ semel oblaturum se, atque in eius honorem eleëmosynam aliquam largiturum: quo voto emisso, cessauit dolor & ille votiuum sacrum postridie sanus lætusque persoluit. Blancaflora, filia Matthæi Zenari medici, subitò quadam vesperâ videbatur mori, cùm nec parentes ipsa suos cognosceret ampliùs: pater autem humana artis suæ remedia nil proficere videns, accurrit ad B. Ioannis sepulcrum, ibique vnius aurei statuam vouit, si sequenti die ad filiam rediens eam cum spe vitæ reperisset. Redijt, & sanam inuenit, & votum quod vouerat hilaris soluit.

dolores coxendicis, & lateris, letale deliquium,

D *AVCTORE FR. BARBARANO.*

34 Dominicus, quadrimus filius Benedicti Triueri de Porta-S. Petri, collapsus in petram rupto capite moriturus putabatur: sed votum à parentibus de offerendo cereo capite factum, puerum exemit periculo, qui etiam à vulnere breui conualuit. Honesta, vxor quondam Simonis Casolini Vicentini, de sanæ mentis statu deiecta, supra arcam beati corporis collocata fuit, cùm illud anno MCCCCXLI die XVIII Aprilis populo monstraretur; & mox rationis vsum recepit, obtulitque funale cereum, & osculata est sudarium, quod supra ducentos annos corpus sacrum texerat: itaque cum nuru suâ filiaque & consanguineis alijs domum redijt, pleno cum iudicio sermocinans; & intra paucos dies omnes mali prioris reliquias sensit abstersas. Gualterus, Martini della Seda, quadrimus filius, ex graui infirmitate epilepsiam incurrit, ita vt sæpius in die humi sterneretur. Pater vouit curaturum se ipsius E Beati imaginem in eius capellâ pingendam, & subitò redijt puero tranquillitas, mansitque deinceps. Elisabetha della Soga, vxor Hieronymi Verlati, nobilis Vicentini, magnis doloribus, qui eam diu noctuque cogebant eiulare, eò deducta vt sæpius velut iam morituræ sacer cereus accenderetur, cùm grandem è cerâ imaginem solidorum quadraginta B. Ioanni offerendam vouisset, cessantibus doloribus subitò conualuit.

capitis contusionem, amentiam, epilepsiam, diros cruciatus,

35 Mariottus de Tuscaniâ, famulus Dominici armigeri Pij Nouariensis, à rustico quodam *d* Valdagnanensi mortali vulnere læsus in capite, ex quo quinque officula medici eduxerant, eorumdem iussu se parabat ad mortem extremis sacramentis suscipiendis: quod dum fit, qui confessionem eius audierat Presbyter, consilium dedit B. Ioannis inuocandi cum voto de offerendâ statuâ vnius ducati, alteroque ducato ad ornatum altaris, & armis numquam ampliùs retractandis. Paruit vulneratus, & obdormiuit, visusque est sibi in Pontificali habitu videre speciosum Episcopum: cui interroganti, Quid hic agis Mariotte? ipse responderet: Lecto decumbo propter vulnus capiti meo inflictum: reposuisse autem Episcopum: Non malè tibi erit, eoque dicto disparuisse. Experrectus autem Mariottus manum capiti admouit, dolorem omnem sublatum sensit, & sanatum breui vulnus est: testatur au- F tem Magister Venciguerra humanitus incurabile vulnus fuisse. Puerulus quinquennis, filius Ludouici Lusci nobilis Vicentini, febrim & fluxum vehementem patiens instar tympani intumuerat, & quiscumque eum videbat breui moriturum arbitrabatur: vouerunt B. Ioanni parem puero è cerâ statuam parentes eius, & subitò remittente se morbi vi integram valetudinem intra paucos dies recepit.

letale vulnus capitis, d febrim cū fluxu,

36 Imperatrix, vxor Pij de Organo ciuis Vicentini à febri & dolore capitis, quibus duobus mensibus afflicta fuerat, deducta ad extrema, liberata est voto facto imaginis cereæ ad Beati sepulcrum collocandæ. Camillus de Clericatis nobilis Vicentinus, in *e* Alta villâ morsus à caniculâ, gradiendi facultate priuatus fuit, & gangrena ad vulnus accedens omnem medicorum vincebat industriam, plagasque vltro etiam alibi aperiebat: eo in statu permansit infirmus à festo S. Crucis in Maio vsque ad medium Iulij, voto autem cruris cerei offerendi emisso, extemplò conualuit. Franciscus, filius Bartholomæi Balastrazzi, ciuis Vicentini, fluxu sanguinis & graui vexatus febri, atque ad mortis articulum deductus paterno pro se ad B. Ioannem voto de cereâ suæ magnitudinis statuâ, vitam seruauit vtroque malo liber.

aliam cum dolore capitis, e gangrenam ex morsu canis, fluxum sanguinis

A 37 Baptista de S. Paulo, Presbyter Vicentinus febri laborabat continuâ: ita iacentem inuisens quidam *f* Clericus suus dixit: Domine, recordare miraculorum magnorum quæ B. Ioannes operatur, atque ei te commenda. Rectè monuisti, reponit Presbyter, vade ad sepulcrum ibique pro me ora, vt quod facturus sum votum exaudiat. Dum autem orat Clericus, vouit Presbyter pulcram è cerâ statuam, & sanus à redeunte altero est repertus. Venturinus filius Octauiani Garzadori, similem sibi statuam Beato vouens conualuit etiam ipse à continua febri, quæ proximæ mortis ei discrimen attulerat. Hubertini Barbarani, nobilis Vicentini, filius Ioannes, annorum viginti adolescens, ex febri sanam mentem primùm, deinde sexto die etiam loquelam & motum amiserat, atque à medicis extra spem vitæ positus, obseruabatur per plures dies noctesque ab ijs, qui accensis candelis exitum eius præstolabantur. Sed pater & mater moribundi ad B. Ioannem conuerterunt sese, & decem librarum intortitium vouêre si in vitam suus sibi seruaretur filius: cui mox loquela & sanitas rediit. Testificatus autem est iuuenis D nescire se quidquam de applicatis toto morbi tempore remedijs: quamuis, & rasum ipsi caput fuerit eique applicati columbarum pulli, viui dissecti; tū cucurbitulæ adhibitæ sint, atque per cannam naribus eius insufflarint sæpiùs: quin etiam Vnctione extremâ & frequenti animæ commendatione illum ad exitum præparauerint: tanta erat morbi vehementia.

AVCTORE FR. BARBARANO. & rursum febrim continuam in pluribus. f

a *Vide Vossium de Vitijs sermonis pag. 111 & 804, vbi videbis proximos Comitibus censeri* Gastaldos *seu* Castaldos, *nomen sortitos ab externarum rerum procuratione: proinde, vt in aulis principum Maiores domus, sic in ecclesijs Ædiles eo nomine vocati videntur.*

b *An confraternitatem fortè ea vox Lambardis significat?*

c *Oppidum est 13 P. M. Vincentiâ versus Meridiem distans.*

d *Est Valdagnanum Vicentinæ vrbi ad occidentem intra 15 milliarium.*

e *Distat hic vicus Vicentiâ 6 P. M. versus Africum.*

f *Italicè scribit Barbaranus* vn suo Zago, *& vim vocis Tuscanis ignota explicare videtur paullò pòst subiungens,* dum orat Clericus.

DE B. BENEDICTA ASSISIENSI

ABBATISSA ORDINIS S. CLARÆ, ASSISII IN VMBRIA.

AN. MCCLX XVI MARTII. Succedit S. Claræ in S. Damiani monasterio



Vdouicus Iacobillus tomo 1 de Sanctis ac Beatis Vmbriæ ista habet ad XV *Martij*: Re ipsâ & nomine Benedicta, Assisij nata; circa annum MCCXIV, teste Waddingo in Annalibus sui Ordinis, monasticum sumpsit habitum in cœnobio S. Damiani sub disciplinâ S. Claræ, primæ eò loci Abbatissæ: tantâque sanctitatis atque prudentiæ excellentiâ inter omnes eminuit, vt post mortem sanctæ Fundatricis, anno MCCLIII eidem sit subrogata Abbatissa, sacras ibidem Virgines miro regularis obseruantiæ & sanctæ paupertatis exemplo gubernans annis circiter septem, & miraculis nonnullis illustrata eodem in monasterio vitam hanc mortalem deseruit anno MCCLX, die XVI Martij. Corpus eius paullò pòst eodem anno mense Octobris, cum reliquarum istic defunctarum Sanctimonialium corporibus, translatum fuit in ipsam vrbem Assisiensem ad monasterium S. Georgij, ab Alexandro Papâ IV, ipsi S. Claræ dedicatum: &, sicut ex Marco Vlisipponensi præcitatus Waddingus asserit, in sarcophago lapideo honorificè repositum. Mansit autem in choro iam dicti monasterij vsque ad annum MDCII quando Marcellus Crescentius, Episcopus Assisij, illud trastulit in sacellum, quod est ad dextram maioris Aræ, vnà cum corporibus B. Agnetis, quæ ipsius S. Claræ soror fuit, & B. Amatæ neptis eiusdem Sanctæ, vbi in honore & veneratione est.

moritur an. 1260 16 Martij. corpus Assisium transfertur Octobri proximo. C

an. 1602 collocatur sub aram

Hæc Iacobillus, quem credimus annum & diem mortis ex proprijs ipsius monasterij monumentis accepisse: Arturum autem à monasterio, qui hanc Beatam ad diem XIX *Octobris distulit, ad translationem primam respexisse: ob quam, & specialem illius apud Sanctimoniales ibidem Deo deseruientes venerationem licet Beatis adscribi videatur à Rudolfo de Tossignano in historiâ Religionis Seraphicæ, & ab Arturo prædicto in Martyrologio Franciscano; non tamen ea nobis suffecissent nisi certius publici cultus indicium ex postremâ translatione hoc seculo factâ videremur posse accipere. Nam quòd anteà reuerenter corpus habebatur in choro, ad quem publica fidelium veneratio penetrare non poterat, dubium adhuc remanebat an Ecclesiæ & Pontificis iudicio Translationem primam vel permittentis vel imperantis, Beatis accensita fuerit, an verò priuatim tantùm honorari permissa: sed dubium posterior translatio tollit: maximè quod Visitatores Apostolici sub Vrbano* VIII *ad ordinandum per Italiam Reliquiarum cultum, omniaq; reuocanda ad eum statum, quem vel de expressâ sanctæ Sedis licentiâ vel vsu vltra annos centum probato, habebant, nihil circa harum Beatarum corpora inueniantur immutasse. Memoriam B. Agnetis Arturus ad* XVI *Nouembris collocauit, B. Amatæ ad* XX *Februarij.*

publicè honorandum, cum B. Agnete,

Ad quem eumdem diem idem Iacobillus de trium prædictorum corporum translatione postremâ etiam meminit, eaque collocata dicit in deposito lapideo sub altari sacelli, quod est ad sinistram portæ principalis; *atque in margine tabellam citat in capellâ ecclesiæ prænominatæ appensam. Beatæ porrò Amatæ elogium in Februario prætermissum, ex Waddingo ad annum* MCCIX *hic accipe*: B. Pacificam secuta est Claræ neptis, Soror Amata, D. Martini de Corano filia. Eam parentes viro parabant, & vanè in hunc finem ornabant. Lasciuienti, vt solet, ætati placuit vestium luxus & ornatus nimius, arrisitque insana procorum salutatio. Doluit Clara de consanguineæ periculo, à quo vt liberaretur, & Deum potiùs studeret amare quàm homines, enixè rogauit. Voti compos F facta est: nam cùm quodam die veniret vt Claram visitaret, adeò eius verbis & sanctâ commota est exhortatione, vt statim seculo libellum remiserit repudij, nec à consanguineâ ampliùs potuerit auelli. Eam nimio pœnitentiæ rigore infirmam, hydropisi & nimiâ tussi per annum integrum laborantem, S. Clara Crucis signo manuumque impositione repentè sanauit. Cara valdè fuit magistræ, eiusque operâ sæpiùs vsa est in suis languoribus; atque in postremo ei ostendit Christum sibi adstantem, cui Dominus dignatus est semet exhibere spectandū. Notæ virtutis & sanctitatis post Claram obijt. Corpus eius conditum est cum sorore suâ germanâ B. Balbinâ.

& B. Amatæ: huius elogium.

Vtramque exiguo tempore post mortem materteræ superfuisse asserit Iacobillus, & Balbinam ad XI *Martij habet, sicut etiam Arturus à Monasterio: sed hic vnde hauserit, eam quoque miraculorum præconijs fuisse illustratam, non inuenimus. Si simili, quâ Soror Amata, translatione corpus eius fuisset sub altari locatum, non esset à nobis inter prætermissos ad illum diem relata: nunc autem satis sit hic dixisse ex Tossinianensi, quòd* post annos quatuor ab ingressu S. Claræ assumpsit habitum & monasterium Aretij reformauit.

& soror Balbina.

DE

DE B. TORELLO SOLITARIO
PVPPII IN HETRVRIA

Commentarius præuius.

AN. MCC-LXXXII XVI MARTII. *Acta Puppij à nobis descripta.*

1 Vppium *Casentini territorij, in diœcesi Aretinâ, oppidum est ex minoribus vnum (Terras Itali nominant) amœnam irriguamque fluuio Arno planiciem modico ex colle vndequaque despiciens; ad cuius castrum S. Fidelis de Strumis Abbatia, seditiosis Italiæ motibus (vt videtur) incensa vel destructa, translata est post annum Domini millesimum ducentesimum, postquàm vno circiter seculo congregationi Vallumbrosanæ aggregata fuisset; à præcipuo illius Ordinis monasterio decem passuum millibus distans; quæ nos emensi pedibus anno* 1662, 17 *Ianuarij ab admodum Reuerendo Patre Domno Sabino de Bonzi, loci Abbate, eâ sumus humanitate accepti, quam Vallumbrosanorum Patrum studiosa commendatio, sperare iubebat, & ipsius Abbatis Generalis D. Danielis de Sersanis litteræ patentes: ex quarum præscripto continuò exhibita nobis sunt omnia illius monasterij monumenta, quotquot reliqua fecerat iniuria temporum. Atque in his Acta antiqua B. Torelli (quem ex vsu Italorum, propria nomina & maximè diminutiua, qualia passim gaudent vsurpare, initijs suis truncantium, sic dici suspicamur pro* Victorello) *anno* 1541 *publici Notarij manu, ex antiquiori alio transcripta ecgrapho: quæ ipsâ illâ nocte descripsimus, ne qua aliò properantibus mora fieret.*

B

B. Torellus solitarius.

2 *Ex his autem Actis num.* 3. *tam clarè habemus nulli religioso instituto, quod frustra suadere nitebantur amici, addictum Torellum fuisse; vt nihil necesse sit inani illi contentioni misceri nos, quâ Vallumbrosani Franciscaniq; decertant, vtri sit Ordini adscribendus: Vallumbrosanis tamen plus aliquid in eum iuris tribuere videtur, non sola possessio corporis, & quadam voluntaria subiectio viuentis circa spiritualem directionem ab Abbate suscipiendam: sed etiam quòd solitariæ vitæ instituendæ propositum cum eo conferens, idoneum ei proposito habitum ab Abbate petierit acceperitque. Qui quidem habitus qualis fuerit accuratè describitur num.* 21, *& multa habet cum Franciscano communia: verùm qui hoc sufficere vellet, vt illius Ordinis dicatur fuisse Tertiarius: is, quotquot nudipedes fune accinctos inuenerit, ijsdem adscribat necesse est: cùm tamen eorum frequentia, qui, nullâ ex parte ad S. Franciscum eiusq; instituta pertinentes, similem pœnitentiæ habitum iis temporibus suo arbitratu assumebant, & Fraterculi communiter dicebantur, Ordini Franciscano necessitatem attulerit, remedium à summis Pontificibus postulandi: hodieque adhuc vbique regionum inueniuntur Solitarij tali habitu ex Episcoporum indulto vtentes: qui tamen nec Franciscanos se, nec illius Ordinis Tertiarios existimant. Qui volet auctores pro vtraque parte adductos videre, Arturum à monasterio in sui Ordinis Martyrologio consulat: nobis operæ pretium non est eos nominare, qui solâ suâ, tanto post tempore, assertione, & quidem alteri parti obnoxiâ, nihil ad rem conferunt auctoritatis.*

nullius Ordinis vota professus

C

corpus honorificè sepultum,

3 *Ad nostrum institutum pertinet propiùs, verum illius legitimumque cultum demonstrare: quem primum quidem habemus in illo sepulcro, quod ipsi constitui Abbas fecit, eleuatum à terrâ; sub quo quicumque introibant, soluebantur à languoribus suis: vt legitur num.* 17 *quo modo multis stetit annis, in ipso vt credibile est Abbatiæ templo. Alius deinde Abbas in alium locum transtulit beatum corpus: credo quòd accedentium peregrinorum frequentia monachorum quieti & Officijs rectè peragendis officeret. Idem Abbas improbare visus est illum subeundi sepulcri ritum, bonum quidem gratumque Deo; sed qui paulatim (vt ferè solent talia) in risum abusumque vertebatur à vulgo parum religioso, idcoque satiùs conuenientiusque duxit sacrum hoc corpus sub altari, iuxta laudatissimam Ecclesiæ consuetudinem collocare. Quo tamen ex oculis populi subducto, imminui quoque visa est celebritas cultus: quod non impune auctori fuit; quamuis is laudem potiùs videatur commeritus, quod proprium Beato sacellum vel exstruendum vel aptandum curauit, ad pedem, vt infra dicetur, Abbatiæ: in quod credibile est non sine pompâ processionali translata sacra lipsana fuisse.*

deinde in proprio sacello conditum,

4 *Post hæc* ob varias (*inquit Lucas waddingus*) belli, pestis & diuturni temporis vicissitudines ignorabatur, vbi conditæ hæ sacræ Reliquiæ fuerant: *de quarum inuentione atque eleuatione veteri manuscripto subiunctam eâdem manu reperimus obseruationem sequentem, quâ ex Italico Latinam sic reddimus.* Nota, quod anno MDVII die IX Augusti, per gratiam Dei & virtutem boni cuiusdam Religiosi, tunc temporis in Abbatiâ Puppiensi Prioris, cuius mihi nomen è memoriâ excidit: miraculosè inuenta fuerint ossa B. Torelli, abdita sub lapide altaris, quod est in capellâ ad pedem Abbatiæ: in quâ capellâ depicta sunt illius miracula in quadro, quod est in dictâ capellâ sub dicto lapide: quæ sancta ossa, vt fertur, ibidem occulta fuerunt per annos plus quam centum, ita vt nemo sciret vbinam reuera essent. De quâ inuentione totâ Terrâ fuit lætitia maxima & festiua solennitas; quando manibus Reuerendissimi in Christo Patris Blasij educta fuerunt ex prædicti Altaris quadro, & cum solenni ceremoniâ collocata in capsulâ ad id factâ ordinatâque, sub duabus clauibus: quæ capsula reposita est intra maiorem aliam tribus clauibus obseratam, de mandato præfati Generalis Vallumbrosani & Communitatis Puppiensis; vt patet ex publico instrumento super his confecto, per Ser-Petrum Antonium Cor. Honilli Notarium Puppiensem. Quæ capsæ cum prædictis ossibus modò sunt intra altare dictæ capellæ; quæ semper appellata fuit & appellatur capella S. Torelli: eodemque tempore, quo inuenta sacra ossa sunt, positum eis est hoc epitaphium.

ac denuò repertum anno 1507

E

in nouam arcam transponitur.

5 Hic recubant Diui Puppiensis sacra Torelli
Ossa, pio genua flectite Cælicolæ.
Namque arcere potest procul hinc ferrumque famemque.
Et pestem precibus hinc remouere suis.

Epitaphiū:

F

Paullò aliter de hac translatione waddinghus ad annū 1282. Anno MDVII, ex reuelatione cuidam monacho factâ, repertæ sunt in Altari, quod S. Torelli nuncupatur, Reliquiæ, arcâ & sericis inuolucris inclusæ; translatæque sunt, & in honorificum locum decentiùs repositæ, ex licentiâ Cosmæ Pazzi Aretini Episcopi (*Cosmum* Pastium *Vgellus vocat tomo* 1 *Italicæ sacræ, & anno* 1497 *creatum,* 1508 *translatum dicit ad Archiepiscopatum Florentinum*) Generale Præfecto, & grauioribus quibusque Patribus illius instituti viris; Generale Camaldulensium alijsque præsentibus: *de quo publicum confecit instrumentum rogatus* Laurentius Bonelli, Notarius Puppiensis: *Ex quo consequi videtur, priùs illud instrumentum, de inuentione ac repositione in nouas capsas; posterius, de solenni translationis pompâ fuisse conditum.*

Translatio secunda,

6 *Hoc certum B. Torelli corpus ante annum* MDLXXXIII, *quo historiam suam scripsit Eudoxius Loccatelli, iterum esse translatum: sic enim scribit:* Hodie corpus eius positum est in altari satis decoro in ipsâ ecclesiâ prædictæ Abbatiæ: *itaq; nos inuenimus, sacrisque ad illud operati sumus, postero quàm illuc adueneramus die: ac deinde ipsum altare considerauimus ex ceruleo lapide grandiori, qualium in Florentinâ*

& tertia circa annum 1570.

tinâ

A tinâ ditione magnus ad ædificia & templorum ornamenta vsus, non inuenustè sculptum; sic vt sculptura sit pro frontali paramento (iuxta huius temporis vsum totâ Italiâ nunc satis frequentem) amploque ouali foramine per appositos clathros, duabus seris clausos, transmittat oculos intuentium ad arcam interiorem satis grandem: eam fortassis, cuius facta est superiùs mentio. Vidimus autem ad eumdem parietem (qui ingredientibus templum dexter est & prædictum altare habet) iconem cubitalem iuxta cornu Euangelij, antiquâ simplicitate sculptam, eo ferè habitu habitusq; colore, quo S. Antonium passim exprimimus in pallio nigro & veste rufâ: vnde nullum alterutri litigantium parti possit subsidium accedere; maximè cum ei qui describitur in Actis non vsquequaque conueniat. Adhæc sacrum B. Torelli caput, argenteæ Hermæ maiori inclusum, sumus in sacristiâ venerati; cuius & Locatellus meminit & waddinghus: sed hîc separationem capitis à reliquo corpore factam ait ab illo Abbate, qui è primo sepulcro corpus transtulit ad sacellum: de quo alibi nihil reperimus.

B. Torelli icon:

caput in reliquiario.

7 Illius autem sacelli nulla nobis mentio facta cùm fuerit à Religiosis, credidimus illud vetustate collapsum nouæ ad templum translationis occasionem dedisse; & fortassis etiam capitis argento includendi: neque enim plus quàm vnius seculi ætatem opus, quod vidimus, referebat: quibus rebus lucis aliquid afferre potest memoriâ, diuersa manu subiuncta ei, quem transcripsimus, libello in hæc verba ex Italio Latina.

B In nomine Dei. Amen. die XXVI Augusti, anno MDCVIII

Memoria & ricordum, de mandato admodum Reuerendi in Christo Patris,

Instrumenta publica circa cultũ

Domni Arsenij Crudelij de Puppio, in sacrâ Theologiâ Magistri, & in præsentiarum Abbatis dignissimi Abbatiæ S. Fidelis de Puppio. Quomodò processus missus Romam ad suam Sanctitatem, pro obtinendâ confirmatione Reliquiarum B. Torelli appareat registratus, & authenticè descriptus in ipso Registro Magnificæ Communitatis Puppiensis, F. C. à folio 43 ad 49: & in eodem libro apparent multæ litteræ missiuæ & responsiuæ ad personas varias, super tali negotio: atque in particulari, folio 110 apparet epistola talis venerationis: 193 apparet instrumentum translationis sacrorum ossium capitisque prædicti Beati: & 208 primâ atque secundâ paginâ apparet Breue Indulgentiarum, pro septem annis concessarum à Sanctitate Pauli V, visitantibus ecclesiam Abbatiæ in die festo B. Torelli: in quorum fidem,

ex Registro Communitatis,

Ego Marianus, olim Petri Mariani de Catanis, de Pupio, Notarius publicus Florentinus & Scriba, &

C Cancellarius ad præsens dictæ Abbatiæ, suprascriptam memoriam de mandato admodùm Reuerendi Domni Arsenij Crudelij Abbatis scripsi & in fidem manu propriâ me subscripsi.

8 Quæ autem hîc citantur publica documenta, cùm rogatu nostro describenda curasset admodum Reuerendus Domnus Sabinus de Bonzi, Abbas suprà nominatus, atque ad nos Florentiam transmisisset, tantò magis ea doluimus inter manus latoris perijsse, quantò certiùs ex iis doceri poteramus, quo ordine rituque recognitæ Reliquiæ illæ, & quo tempore impetratâ approbatione Romanâ facta translatio sit: de quo tamen facere coniecturam licet ex Pontificatu Pij V, qui ab anno MDLXVI initium sumpsit, finem in anno eiusdem seculi LXXII. Festum quoque B. Torelli, vt auctor est Loccatellus, celebratur in ecclesia Eremitorij ipsius, quod est in Auellaneto, mille passus distante à Puppio, sicut inuenimus apud waddinghum: quod Eremitorium præfatus Locatellus inter Ordinis Vallumbrosani in Aretinâ diœcesi loca enumerat, ad calcem operis.

ad nos missa, non peruenerunt:

eius eremitorium.

9 Vitam B. Torelli Lucas waddinghus in Annalibus Minorum refert, stylo mutato ad annum 1282; quo obijsse illum scribit ex Hieronymo Loccatello. Eamdem Italicè in suam Sanctorum Hetruscorum syllogen Syluanus Rasius prius trãstulerat, ex vetusto Latino manuscripto acceptam: ex quâ vno ante ipsum seculo compendium sumpsit Hieronymus Radiolanus, quod in Bibliothecâ Florentinâ inuentum descripsimus.

Vita apud quos extet.

Similes epitomas inueniet lector apud Loccatellum, Ferrarium, Bucelinum & Arturum à Monasterio. Meminit quoque ad hunc diem Arnoldus VVion S. Torelli Conuersi & Eremitæ miraculorum gloriâ clarissimi: quæ verba in Kalendario Benedictino transcripsit Dorganius. Vt autem Conuersi epithetum falsum ab vtroque omissum fuisse mallemus: ita vellemus Arnoldus nos docuisset, quæ sint illæ tabulæ Vallumbrosanæ, ex quibus hoc die S. Lætum Abbatem dedit tamquam in monasterio Vallumbrosæ cultum habeat aliquẽ; quod tantum abest à verò, vt ne in monasterio quidem Passinianensi, cui fuit à S. Ioãne Gualberto præpositus Abbas, vlla eius reperiatur memoria, nisi in carthularijs ratione fundorum ab ipso acquisitorum. Annum mortis Loccatellus millesimum octogesimum tertium circiter assignat; diem tacet: & Beatis quidem Ordinis sui asserit connumerari, sed fidem nobis exiguam facit, cùm ab Hieronymo Radiolano, Beatorum omnium Ordinis sui elogia studiosè texenti, eius nomen nusquam, nedum gesta, reperiantur: & in ipsâ Vallumbrosâ frustrà de eo fuerit à nobis quæsitum. D

An Lætus Abbas inter Beatos.

ACTA

Ex vetusto M. S. Puppiensi.

CAPVT I

B. Torelli conuersio & vitæ austeritas.



1 TOrellus, Pauli filius, de terrâ Puppij, quæ est Thusciæ prouinciæ, in regione Casentinâ *a* extitit oriundus; hunc pater, cùm adhuc puer esset, instruxit in fide Christi, & vt meliùs documenta perciperet, ipsum posuit ad discendum. Euasit ergo iuuenis sapiens; quare pater lætatus ipsum quotidie instruebat in bonis operibus ac Dei mandatis. Abhorrebat igitur malorum consortia, bonorum verò sequebatur vestigia. Cùm pater Paulus vniuersæ carnis esset iter ingressus, multò magis filius Dei seruitio inhærebat, quousque diabolus sanctitati inuidens, illum flectere cœpit à bono proposito, & ad illecebras huius seculi fraudulenter traduxit. Exorbitauit ergo ab eo, quod inchoauerat, diabolicæ fraudis laqueo irretitus, iuuenum consortia subsequendo: & vbi de bonâ famâ vniuersa regio prædicabat, de vanitate eiusdem tenebat colloquium. Videns autem Deus sic esse mutatum, & ab eius seruitio omninò remotum, ipsum, ne periret, retrahere voluit, ex ore dæmonis hoc modo. F

Torellus, patre mortuo, *a*

à virtute abductus,

2 Eunte quidem Torello cum quibusdam vicinis ac lasciuis iuuenibus oblectamenti causâ (sit vt omnipotenti placuit) gallus quidam, existens ad fenestram super perticam, confestim volauit super brachium eius, terque cecinit, quasi illum excitaturus à somno vitiorum; & cantu edito, vnde discesserat, reuolauit. cuius rei admonitione Torellus stetit immobilis, ac stupuit, meditans intra se, quasi diuinitus esset admonitus. Pœnituit igitur, & seipsum recognoscens relictis socijs abijt; & Abbatis Puppiensis ad pedes cum lacrymis se proiecit: cuius tam celeri conuersione miratus Abbas, ipsum hortatus est vt in bono proposito perseueraret. Iterum Torellus ad eius pedes se proiecit, postulans, vt ab eo more fraterculi pauperculi vestiretur. Monachi quidem cum Abbate hortabantur, quòd habitum monasticum eiusdem Abbatiæ sumeret; quo neglecto, ipsum induit, vt poposcit *b*.

galli cantu monetur ad pœnitentiã:

habitum eremiticum accipit;

b

3 Torellus tunc benedictione acceptâ, clam omnibus Puppiensibus terram egressus, ad loca syluestria & deserta se contulit. Inflammatus itaque diuinâ gratiâ, solus ambulabat per nemora; & vbicumque nox illum reperiebat hospitabatur. Ceterùm exquisitis

octo

A octo diebus dictis locis, tandem ad quoddam immane saxum peruenit, sub quo hospitandi causâ receptus est, qui locus Auellanetum *c* nuncupatur, moraturque ibi diebus octo, herbis & tribus paniculis, quos secum tulerat, vescens, sua deflebat peccata; Deum rogans humiliter, vt sibi veniam de obmissis tribueret; & captus loci statione, animo duxit super eodem saxo quādam construere cellulam, in quâ, donec viueret, Dei seruitio vacare posset. Post dies octo ad Terram *d* Puppij remeans, propinquos adijt, à quibus rogatus ne more ferè vellet viuere, sed vt aliquam Religionem introiret, renuit quod suadebant, & venditis omnibus, illa erogauit pauperibus; reseruatâ sibi exiguâ quantitate, quâ suam cellulam construi faceret.

c cellam exstruit.

4 Reuersus igitur ad solitudinem, architectorem, qui sibi domunculam faceret, requisiuit; quam ædificauit adeò paruam, vt vix illum caperet. Habitatione constructâ, emit paulolum terræ pro hortulo: in hâc autem pœnitentiam egit Dei vir asperrimam: gerebat enim super carnem corium suculæ semitonsæ, setulâ adeò horridum, vt illi corpus scinderet; nemine sciente hoc, præter suum amicum, qui fecerat quod haberet. In die quatuor vncias panis, & vnam mensuram aquæ duorum cyathorum capiebat. Nocturno autem B tempore dormiebat tribus paruis horis hoc modo: constitutâ namque lecticâ ex quinque asseribus modicis, illuc se conferebat quietis causâ: hæc erat longitudinis & latitudinis quantum suum corpus: in ipsam miserat spinas moriferas cum sarmentis, pro puluinari tenens sub capite duram petram: nec ibi quiescebat, nisi somni grauedine premeretur. Aliquando somnum capiebat nudus super terram, vt corpus affligeret.

rigidusq; in seipsum

5 Et sic perseueranti dæmon inuidit: cœpit enim ipsum vexare tentatione carnali, sibi apparens in specie pulcherrimæ mulieris. Torellus autem tentationem diabolicam sic repellebat: nam corpus nudum quādam disciplinâ ferreâ castigabat taliter, quòd cruor fluebat in terram. Aliquoties se iactabat in aquam frigidam, ibique tamdiu manebat, quousque frigiditate tremesceret. Sine cibo & potu aliquoties biduo stabat. Barbam & capillos capitis interdum pilabat, ac huiusmodi corporis doloribus superabat corporis tentamenta. Per huiusmodi autem pœnitentiæ seueritatem multas incurrit ægritudines, & sic defecit, vt non nisi cutis & ossa remanerent: ieiunando enim non manducabat nisi quatuor vncias panis cùm quibusdam herbis modico sale respersis, sine oleo tamen: carnibus autem, C caseo vel ouis minimè vescebatur. Hanc egit pœnitentiam triginta annis. Post lapsum trigesimi anni tantâ corporis debilitate oppressus est, quòd omni modo compassus parumper, sanctâ discretione cœpit vesci herbis cum sale modico oleoque ac tantummodò vnceis quatuor panis in die, & sic vixit annis viginti. Postmodum verò cœpit bibere paullulum vini lymphati cùm manducabat, & vescebatur leguminibus. hanc vitam fecit vsque ad mortem, quam obijt octogesimum annum agens.

carnis tentationes vincit.

ieiunij ratio per anno 80.

a *Regio quam exoriens Arnus, atque à Boreâ inter Ortum & Meridiem fluens, mediam intersecat: cui deinde, circumitus montibus, à Meridie in Boream refluenti* Vald'Arno *seu* Vallis-Arni *respondet planities.*

b *VVaddingus ait*: Retulit omnia Abbati S. Fidelis, qui bona quæque suasit; sed persuadere non potuit, vt illius sodalitij leges subiret: proposuit enim firmiter, ad primam eiusdem Abbatis cohortationem de pœnitentiâ faciendâ, eam exercere in Religione Minorum, vel sub habitu Fratrum pœnitentium, hunc tandem suscepit &c. *Hieronymus Radiolanus:* Omnibus posthabitis ait se religionem inire optare: *at Bucelinus ne VVaddingo cedere videretur:* Abbatem adiens & cucullum ambiens, cùm sese sanctissimo Vallumbrosanorum nostrorum instituto deuouisset, &c. *quantò Locatellus, Ferrarius, Razzius rectiùs, quòd nudam veritatem, vt in antiquo MS. repererant, maluerint lectori sine fuco exponere? & habitum eremiticum petitum atque impetratum à Torello dicere, collatum ab Abbate.*

An B. Torellus alicuius Ordinis,

c *A copiâ auellanarum nucum, inquit Locatellus, vno milliario dissitum Puppio.* D

d *Ita Castella, murataque oppidula Itali nominant.*

EX MS. PVPPISNI

CAPVT II.

Miracula in vita, potestas in lupos, mors, sepultura.

6 HVcusque de vitâ & pœnitentiâ sub breuiloquio diximus: nunc restat videre, quàm cumulatâ gratiâ Deus ipsum repleuit, dum viuebat in seculo, & postquàm sancti viri ad se traxit spiritum. Videns itaque Dei filius hunc sibi tam deuotè tamque fideliter seruijsse, misit Angelum vt illi diceret, quamcumque gratiam & miraculum ab eo peteret, obtineret: & ex tunc illum die quolibet visitabat. Confortatus igitur Dei seruus, & diuinâ gratiâ repletus, cœpit illam diffundere, & miracula facere: quapropter gentes deuotionem & fidem in eo habere cœperunt.

Cùm adhuc viueret

7 Primum miraculum, quod Deus ostendit in vitâ pro eo fuit hoc. Quędam paupercula mulier Puppiensis, vnicum habens filium triennem, causâ lauandi pannos Terram Puppij egressa, iuxta se illum tenebat. E Ecce lupus, quem vulgo *a* Moninum vocant, hoc est humanâ carne vescentem, puerum rapuit: mater autem planctu & voce querulâ proclamauit, ita vt clamor auditus est vsque ad Puppium. Lupus itaque fugiens, vt Deo placuit, ad cellam S. Torelli peruenit: quem vt vidit infantulum ore portantem, sibi ex parte Dei iussit vt illum deponeret: quæ audiens bestia rapax, præcepto viri parens, ipsum audiuit humiliter, & infantem ad Torelli pedes deposuit, & verecundus adstabat. Tunc ei præcepit ex parte Iesu, quòd de cetero ipse nec alius nullam personam de Puppio, nec de curiâ circumstante, auderet comedere. Lupus autem se illi inclinauit, & in loca deserta recessit. Torellus puero in cellam delato quasi mortuo, orauit & confestim sanatus est. Huius mater miserrima lupi vestigia subsequens, vt saltem illius ossa & panniculos reperiret, tandem ad eremitorium peruenit: interrogatusque vtrum vidisset lupum, habentem filiū, vir Dei reddidit incolumem, consolidatis vulneribus, quæ sibi mordaci dente præfixerat: præcepitque ei Torellus, vt hoc factum ne cuiquam diceret. Reuersa tamen mulier miraculum vbique vulgauit.

puerum eripit è lupi faucibus,

a

& sanum reddit matri.

8 Quidam Comes *b* Carolus de Puppio, valdè F notus B. Torelli, cùm serò *c* carnis-priuij aduenisset, illi scutiferum cum canistro referto carnibus & pane misit, & cùm iret dominæ *d* Puppienses dederunt aliqua comestibilia, quæ fratri portaret. Obtulit ergo quæ sibi dederant; ille benignè recipiens canistrum vacuum reddidit iuueni: qui miratus quomodò solus tot absumeret vno sero, ait Torello: Quando tot manducabis cùm sis solus? Cui frater respondit: Ita, modò sum solus: sed statim aderit socius meus, qui magnus comestor est; extra enim iuit per nemus. Recede, fili, antequam serò fiat. Accepto canistro iuuenis abire simulans, in nemore latuit prope ostium, intra se dicens: Hinc videbo si socium exspectabit, optabat enim scire, quis foret. Interim Torellus orauit Deum rogans vt socius adueniret. Sic orante lupus accessit, ore aperto ad ostium vlulantique. Torellus aperuit, & carnes quæ sibi latæ fuerant apportauit. Postquàm lupus illas abedit, adulari cœpit seruo Dei, pedesque super pectus apposuit, & veluti canis Fratrem lambebat propter suam sanctitatem, & quasi vt plura petere videretur. Cui Torellus: Mi frater, recede atque in nemus reuertere, ibique iubeo ex parte Christi, quòd ex tunc nec tu nec alius cuiquam de Puppio, nec de suo territorio nocere præsumatis; saltem quantùm audietur campana Abbatiæ: quo audito, caput inclinans abijt. Iuuenis autem qui latuerat, vt quid sequeretur videret, miratus recessit,

b c d

lupum pascit,

& ne noceat iubet.

A recessit, & quæ gesta fuerant omnibus enarrauit.

Ex MS. Puppien.

9 Huic adijciam duos aquæ haustu sanatos. Matrona quædam Bononiensis, nobilis valdè, Victoriana nomine, Aluernam *e* petens deuotione S. Francisci, duos filios secum duxit: & cùm ad dictum locum, multâ hominum ac mulierum comitiuâ sociata, venisset, ambo infirmati sunt, & adeò febribus oppressi, quòd de salute eorum medici desperarent. Conqueritur mater, sic quòd omnes ad fletum mouebat. Quædam mulieres de Puppio, quæ ibi aderant indulgentiæ caussâ, relatâ sanctitate & miraculis S. Torelli, illam cum pueris secum ducunt Puppium, inde Auellanetum profectæ sunt. Et tunc dolorosa ac mœstissima mater, ægritudine filiorum solicita, cum fletu ad pedes Sancti se prostrauit, sic inquiens: Vir Dei sanctissime, ne hodie carissimis filijs orba ac priuata remaneam, precor tuam sanctitatem: tibi eos commendo, quod tuæ precis efficacia mihi reddat incolumes, mihi conseruet tua mirabilis pietas. Hac lamentabili vociferatione comites mouebat ad lacrymas. Tunc humilis Dei seruus compassus afflictæ & dolorosæ matri, cum magno feruore cordis se orationi dedit, sic dicens: Domine mi omnipotens, qui cælo ac terræ dominaris, B qui mortem vicisti, qui pius iudex existis ac medicus humanæ ægritudinis: succurre his pueris: reficce, Domine, dolorem matris afflictæ, & fidei causâ subleua eius mœrorem, ac filios libera, qui Lazarum suscitasti, qui cœco nato lumina aperuisti, qui leprosum mundasti, & paralyticum sospitem reddidisti: tu bone Iesu, precor per tuam immensam potentiam, hos matri redde salubres. Factâ oratione surrexit, & haustam aquam de quodam fonte ijs bibere dedit; quæ vbi præcordia subintrauit, febris languore depulso, sanati fuerunt, & fons, de quo hauserat aquam, ex illâ horâ salutifer extitit febri calidâ pressis: potum cuius perplures experti sunt illius libamine liberati.

e duos pueros moribundos

sanat haustu aquæ.

10 Addam nouennis pueri qui ex ore lupi euasit miraculum valde pulcrum. Mulier quædam, Doratia nomine, de ciuitate Arretij versùs Bibienam *f* iter faciens, filium secum ducebat. Lupus ijs obuiam iens puerum rapuit: hunc mater clamore prosequitur planctuque miserrimo. Eâ die Torellus casu Bibienam accesserat: audito clamore, quidnam esset quæsiuit, & postquàm comperit clamoris causam, seorsim orauit: Domine, qui dominaris omnibus creaturis, cuique parent; te deprecor, quòd lupus non habeat potentiam puerum occidendi; tuæ potentiæ humiliter supplico, quatenus mihi hanc C facias gratiam. Oratione completâ, repentè sensit vocem de cælo: B. Torelle, tua est exaudita oratio, quidquid de lupo placet illi iube & tibi parebit. Tunc ille lupo mandauit ex parte Dei, quòd puerum statim dimitteret; cui bestia obediens illum ex ore dimisit: homines verò, feram secuti puerum referunt quasi mortuum. Mater dolore confecta, dulcissimum filium adspiciens sic lupinis morsibus laniatum, iuit ad medicos. Quibus de huius salute desperantibus, consilio mulierum natum ducit ad S. Torellum, ibi adhuc existentem; & matris precibus pietate succurrit: lupinos enim morsus sui oris sputo ac saliuâ conspersit & liniuit, dicens: Domine, qui sputo cæcum linisti, nunc per tuam gratiam hunc libera: & sic puerum matri reddidit incolumem.

f alium puerum à lupo abreptum

recipit & sanat.

11 Architectoris casum breuiter dicam: is enim dum B. Torelli cellulam cooperiret, dæmon inuidens eum de tecti culmine proiecit præcipitem, & graui casu syncopizauit. Quod vir Dei comperiens orauit cum lacrymis: Domine mi, qui Ionam ex ore piscis eripuisti, qui Moysem de manibus Pharaonis per maris medium deduxisti, Antonium in deserto à violentiâ dæmonis defendisti, & Dauid de viribus Saul, & Ioannem de feruentis olei dolio illæsum exire fecisti, hunc liberare digneris. Et oratione finitâ surgens, ipsum vocauit, & recuperatâ sanitate inchoatum opus D compleuit.

fabro, de cellâ suâ lapso, succurrit.

12 Mulieris præstigiatæ miraculum huic subnectere non erit incongruum. Nam cùm quidam iuuenis amore mulieris cuiuspiam teneretur, nec eam vllatenus posset habere, ipsam præstigiari fecit ab homine artis magicæ perito, taliter quòd diu noctuque clamando iuuenem semper proprio nomine nuncupabat. Cùm pater huic tam enormi infamiæ remedium adhibere non posset, ad S. Torellum filiam duxit, qui postquàm per spiritum cognouit, quòd dæmonem habebat, illum adiurans sic inquit: Maligne spiritus, tibi ex parte omnipotentis Dei præcipio, quòd hinc recedas: & facto Crucis signo abire eum coëgit. Mulier autem, eiecto magnis stridoribus dæmone, pristinæ est reddita libertati.

Energumenam liberat.

13 Agenti Torello octuagesimum ætatis suæ annum Deus voluit notum facere exitum suæ vitæ: misit igitur angelum talia nunciantem: Lætare, Torelle; nunc adest tempus, in quo debes coronam gloriæ recipere, quam diu desiderasti: nunc munus recipies tuæ pœnitentiæ exoptatum, & de quolibet præmiaberis labore: exibis de huius seculi carcere hinc ad triginta dies: sextâ decimâ verò die Martij in sede collocaberis E Paradisi, inter Sanctos Patres, quorum vitam & abstinentiam secutus, diadema gloriæ meruisti. His gaudens Dei seruus pœnitentiam duplicare cœpit, contemplationi cælestium totus vacans. Cùm verò finis propinquaret, post decem dies ad Abbatem profectus est, confessusque ab eodem Communionem recepit, atque Abbati in Confessione, quæ Angelus prædixerat, indicauit. Dato vicissim pacis osculo, rediuit ad cellulam, ibique pœnitentiam agens asperrimam, præ se ferebat Dominicam passionem. Hîc viginti diebus stetit, quibus nihil manducauit, nisi de tribus diebus vno semel tantùm, forsan duas vncias panis: & silentium semper tenuit.

de tempore mortis monitus

ad eam se parat.

14 Et cùm summus vitæ dies venisset, discipulum suum nomine Petrum vocauit, & illi sic inquit: Fili mi, tibi notum facio, quòd Deus me hodie à tuâ societate segregabit, hodieq; meis laboribus meęq; peregrinationi finem ponet. Rogo igitur vt conforteris, & in Dei operibus ac seruitio perseueres: laudes hominum & honores respue, & cetera huius seculi transitoria, quæ destruunt fructus nostrorum bonorum operum & mentes à Dei contemplatione abstrahunt; & cùm his plura dixisset, quæ Angelus nuntiarat, intimauit. Hoc Petrus audiens ægrè tulit: Heu! mi pater, quid F dicis? quid audiui? quid derelictus agam tam bono magistro? quis leuamen erit laboribus meis? cuinam meas tentationes promam? quis me consolabitur postquam patrem amisero? Et sic lacrymis ora irrigabat. B. verò Torellus genibus nudis & manibus leuatis in cælum orauit: Deus vt preces meas exaudire digneris oro, hanc gratiam seruo tuo clementer accommoda quòd lupus moninus non possit lædere nec damnum inferre alicui de Puppio, nec de curiâ circumstanti, saltem quantùm auditur campana Abbatiæ. Finitâ prece venit Angelus dicens: B. Torelle quidquid in tuâ oratione petisti, exaudiuit Omnipotens: & cùm iterum oraret sub silentio, anima eius migrauit ad dominum.

dat discipulo extrema monita.

orat pro Puppiensibus.

15 Postquàm taliter quieuit, vt populi ad sacrum corpus honorandum venirent, Deus obitum suum manifestare voluit, hoc modo videlicet: omnes namque campanæ Puppij & curiæ circumstantis illi, persemet, nullius tractu, sonuerunt. Quo miraculo Sacerdotes mirati sunt: tum memores facti, quòd nullus in patriâ nomen sanctitatis haberet nisi Torellus, properanter cum populis & feretris ad eius cellulam confluunt; & dum quisque ad suam ecclesiam aduehere cupit, oritur magna contentio inter eos. Simul contendentibus Abbas cum omnibus monachis superuenit: tum, cùm tale videret certamen, sic inquit;

mors eius miraculo campanarum pulsu innotescit.

A inquit: Filij mei sic faciamus: quisque Presbyter per semet experiatur ponere eum in feretro suo, & quicumque poterit solus eum g mittere, hic ad ecclesiam suam ferat. Tunc omnes Presbyteri his, quæ Abbas proposuit, acquiescunt, & quisque à primo vsque ad vltimum conatus ter, suo feretro corpus frustra tentauit inferre: nullus enim fuit, qui vim tantam haberet, quòd optata perficeret.

g tentatur de- corpore,

16 Abbas autem hoc videns miraculum sic orauit: Sanctissime Pater, te precor, quòd ad Abbatiam Puppij hoc sacrum corpus patiaris afferri, nec me respuas oro, quamuis peccator sim. Hâc oratione completâ, illud venerabile corpus intra feretrum suum solus faciliter posuit. Hoc tam euidenti miraculo Sacerdotes mirati, contenti fuerunt: simulque cum monachis & Abbate illud ferunt: cum verò vsque ad Puppij ianuam peruenissent, ibi quiescunt. Interim aliud mirabile oculis cunctorum obijcitur: porcellum namque lupus ore gerens inter populos qui aderant, nouitate rei stupentes, iuxta sacri corporis feretrum attulit, atque ibidem posuit, & confestim ab oculis eorum euanuit. Terram denique intrant Puppij cum corpore B. Torelli: ægroti autem confluentes ad feretrum B vndique illud tangebant, & de suis languoribus sanabantur.

quod soli Abbati se permittit ferendum.

miracula ad feretrū

17 Quidam per annos septem contractus steterat: cùm ad tangendum feretrum fuit adductus statim sanitatem recepit. Fuit mulier quædam, quæ sanguinis fluxum sex annis passa fuerat, nulloque medicorum solatio medicari potuit: cùm verò vestimenta corporis B. Torelli tetigit, confestim sanata est. Abbas autem sibi constitui fecit quoddam sepulcrum à terrâ eleuatum, & quicumque sub eo introibant languoribus soluebantur: & sic multis stetit annis: ceterùm alius Abbas ad alium locum transtulit præfatum beatum corpus: infirmatus itaque dictus Abbas, qui dictum beatum corpus occultauit, multâ passione ac dolore defunctus est h.

vti & sacellum ipsum à fundamentis erexit in honorem noui patroni, vt ei proprium esset. D

CAPVT III

Miracula post mortem.

18 ADdantur his cetera miracula, quæ post mortem fecit. Hoc primum fuit: quatuor enim iuuenes, de Puppio Lucignianum a profecti sunt; quod oppidum est in Comitatu Aretij: huc accesserunt causâ metendi segetes. Hi cùm in quodam essent agro, vnà cum quibusdam alijs iuuenibus de patriâ eiusdem Terræ Puppij, ecce lupus moninus inter ipsos venit, atque omnes Lucignanenses momordit: cumque venisset ad hos quatuor aduenas eos reliquit intactos, imò omnes olfaciebat & lingebat. Cuius rei miraculo stupebant indigenæ, quæruntque ab his: Cur potiùs nos quàm vos pessima fera momordit? Responderunt hi: Hoc ideo factum est, quia habemus S. Torellum, qui pro nobis à Deo poposcit, quòd lupus moninus non possit lædere quemquam de Puppio: itaque nobis nullatenus obesset, nec qui se illi deuotè commendaret. Quapropter multi hoc audientes se S. Torello commendabant, nec posteà à lupis tangebantur. E

lupus Puppienses intactos præterit. a

19 Hoc hominum, quod verò sequitur, mulieris fuit, nec minus mirabile: hæc enim de Puppio egestate coacta, cum in planum Aretij iuisset ad metendum, & ibi esset cum alijs mulieribus indigenis, & simul in agro meterent, lupus superuenit; & cui priùs obuiam occurrit fuit hæc Puppiensis: & dum eam olfecisset reliquit intactam absque aliquâ læsione: ab hâc autem recedens puerum rapuit, qui aliarum dominarum erat. Ipsum auferenti Puppiensis sic inquit: Tibi iubeo ex parte mei S. Torelli, quòd puerum deponas: cuius præcepto lupus obediens illum deposuit, sine minimâ læsione.

alterius filiū à Puppiensi iussu dimittit.

20 Sequentis narratio ei, quæ præcessit, non erit incongrua. Iuuenis quidam Puppiensis ad S. Miniatem-Tedeschi b profectus morandi causâ, duos fratres paruulos secum duxit. Eo tempore obuersabatur lupus moninus circa loca S. Miniatis, damnumque personis inferebat: his iuuenis veritus, ne fratribus lupus obesset, S. Torello eos vouit, quòd si à lupo custodiret, annis singulis festum eius faceret: & quamuis sic vouisset, non tamen fidebat eos mittere extra absque bonâ comitiuâ. Vidensque S. Torellus modicam fidem eius, sibi apparuit in visione, ipsumque reprehendit dicens: Modicæ fidei, quare non sinis fratres tuos ire, quò volunt, postquàm illos meæ custodiæ tradidisti? Non credis quòd possim tueri à lupo? Hâc visione iuuenis experrectus gratias ei reddidit; & ex illâ horâ non sumpsit ampliùs de illis custodiam. Et cùm hos lupus sæpè inueniret, eos lambebat tamquam catulos à paruulo educatos. Hoc miraculo stupebant indigenæ; interrogatusque iuuenis, cur suis fratribus potiùs adularetur quàm alijs, modum docuit: quapropter cuncti se B. Torello vouebant, qui eos à ferâ pessimâ reddidit illæsos. F

pueros B. Torello cōmendatos lambit b

21 Quod huic adiungam aliquid stuporis habebit. Quidam Senensis, Dominus Estagius nomine, cùm in contumaciam sui Comitis venisset, relegatus, Puppium missus fuit: vbi cùm miracula S. Torelli videret, se illi commendauit deuotè, quòd si in pace sui Comitis rediret, & in suâ vrbe commorari posset, singulis annis faceret eius festum; atque ipsum in suâ camerâ pingi faceret. Hoc voto sic facto, non multo tempore post, quod poposcit, impetrauit. Recepta igitur gratiâ, votum adimplere voluit: accersitoque pictore, huic dixit: Volo quòd mihi pingas quemdam S. Torellum de Puppio, qui mihi gratiam fecit redeundi in Statum mei Comitis. Tunc pictor: Habetis mente historiam? Huic nobilis vir respondit: Non nimis bene:

Pro nobili in patriam restituto

a *Hieronymus, quasi etymon daturus* homininum *scribit: nos rem attentiùs considerantes, & quàm multa eiusmodi vocabula sint à Longobardis: planè suspicamur hoc quoque ab iis esse: atque apud ipsos diminutiuè* Moninos *dictos, paruos diabolos; quomodo nutrices in Belgio infantes terrere volentes, diminutiuo quoque ab eadem radice formato dæmonem vocant* montje pek, piçeum moninum: *& verò persuasio in vulgo est eiusmodi anthropophagos lupos vel dæmones esse, vel homines dæmonum operâ in lupum versos:* C *quæ opinio pridem in vulgus apud Græcos Latinosque inualuerat, teste Plinio lib* 8. *cap.* 22. *Franci hodie eiusmodi* loup-garou *vocant quasi dicant* lupus-caue-tibi: *primam compositi partem sumentes ex inuento in Galliâ vocabulo, alteram ex patriâ suâ Francicâ, quam ferè cum* Belgis *communem habebant: nostra Brabantorum dialectus* vvâr-v *diceret.*

b *Hinc credo sumpsit Rassius, quòd ait; Casentinum, cuius caput est* Puppium, *proprios suos Comites habuisse priusquàm Florentinis subijceretur.*

c *Id est vesperâ eius diei, quæ quadragesimale ieiunium præcedit, & à carnium priuatione quæ eam tamquam terminus extrinsecus consequitur, nomen traxit: de quo Matthias Martinius in etymologico. Teutonibus* vigilia *seu* Vespera ieiunij *dicitur:* Carnestollendas *Hispani nominant & item cum Francis Italisque etiam* Carnis-vale.

d *Id est, mulieres:* Donna *namque Italis non est titulus honoris: sed discretiuum sexus, nisi addito prænomine* Ma-donna, *quòd ipsum hodiernus vsus antonomasticus ad B. V. Mariam Dominam nostram solam significandam restrinxit.*

e *Abest mons ille toto Apennino asperrimus, in quo sacra stigmata S. Francisco Deus impressit, quatuordecim aut sedecim passuum millibus Puppio.*

f *VVaddingus* castrum Bibienæ: *conueniuntque in eâ scriptione auctores Itali omnes cum geographicis tabulis, quamuis* Bibonam *ex MS. acceperimus: distat autem quinque milliaribus Puppio ad Orientem trans Arnum: ab Aretio, verò, ad meridiem sito, millibus passuum minimùm sedecim:* Bibona *verò in eâ plagâ, quæ Gerardesca dicitur ad mare Tyrrhenum, abest Arretio plusquàm milliaribus* 70 *trans ditionem Senensem.*

g *Id est*, ponete: *quod in Italicâ æquè ac Hispanicâ & Gallicâ vernaculâ obtinet.*

h *Quamuis reuerà honoris & reuerentiæ maioris causâ id fecerit: nam vt ex inuentione patuit: reposuit sub altari, quod fortè*

A ne. Mitte ergo inquit pictor pro eâ, vt sciam effigiem corporis ac habitus, & tum pingam. Fecit igitur litteras Nobilis causâ mittendi pro habitu & figurâ eius.

EX MS. PVPPIEN. B. Torelli imaginem facturus pictor,

22 Illâ verò nocte, cuius sequenti die litteræ mittendæ erant, apparuit pictori Torellus in visione hoc modo, videlicet more fraterculi indutus tunicâ super carne, chlamyde tectus, pro tegmine autem capitis habebat *c* caliendrum, quod huiusmodi Fratres gerunt; cinctus cordulâ, discalceatus; inter brachia verò videbatur habere quemdam lupum. Caput autem erat in hunc modum; capilli inter crispos & planos, vetustate tamen cani: frons lata, calua, & plana cum paucis rugis; oculi inter paruos & grossos erantque inter albos & non tralucentes, coloris ætherei & obscuri: nasus neque nimis grossus, neque nimis exilis; attenuatus tamen versùs os: cilia cum paucis pilis, raris & curtis: dentes albi, minuti, & densi: aures paruæ & exiles cum aliquibus cirris: mentum paruum & recuruum ad os, in cuspide habens formulam ad modũ parui foraminis: cutis & color vultus inter albedinem & rubedinem, nec nimis carnosus nec nimis macer: loquela verò eius inter grossitiem & exilitatem; magis tamen ad subtilitatem quàm ad grossitudinem declinabat: latus spatulis: corpus longum. pedibus quinque, pedes longitudinis vnius *d* spanæ hominis: incessus mediocris: intuitus inter obscurum & placidum; & stando efficiebatur alacer, amabilis, benignus, & gratiosus: manus longæ, digiti exiles; brachia adeò longa, quòd quando stabat rectus & illa extendebat, tangebat facilè cum manibus genua.

formã eius habitumque

B

23 Hâc igitur formâ & habitu apparens hic fraterculus, ad pictorem se conuertit, & sic, inquit: Fili mi, daret tibi cor*e* pingere vnum Fratrem in hâc formâ, in quâ me nunc vides? Pictor respondit: Vtique Domine. Iterum Frater dixit: Ita pingas S. Torellum de Puppio, quia eiusmodi ego sum formâ & habitu. Et sistit; & his dictis statim euanuit. pictor autem hâc visione experrectus mox Dominum Estasium adiuit; tum quæ in somnis viderat enarrauit, ac picturam, quam promiserat, gratis perfecit.

in somnis discit.

24 His additur etiam & decimum septimum miraculum. Quidam notus Puppiensis, nomine Iacobus Antonius, existens miles, socius Domini Capitanei Castricani in partibus Romandiolæ *f*, de anno nostræ salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, quo tempore tale *g* oppidum oppressabatur magnis febribus, adeò quòd ferè omnes in eo habitantes erant infirmi, & multi moriebantur, infirmatisque omnibus de familiâ dicti D. Capitanei, dictus Ser-Iacobus recordans & humiliter se recommendans B. Torello, fecit votum se celebrari facere vnum festum quinque Missarum, in oratorio S. Torelli, ad hoc vt meritis eius conseruaretur incolumis: & conseruatus est: conferensque prædicta cum Notario maleficiorum *h*, qui erat in lecto graui febre malatus *i*: quapropter ipse Notarius, qui vocabatur Ser *k* Aloysius de Pontesæuis etiam fecit idem votum; & facto voto reliquit eum febris, & statim incolumis exiuit de lecto, intercedente B. Torello.

auxilium contra febres impetratum.

C

25 Ego Stephanus olim Ser-Francisci Stephani de Morandinis de Puppio, partis Casentinæ districtusque Florentini, Imperiali auctoritate Notarius, suprascriptum exemplum ex quâdã copiâ *l* manu Ser-Francisci Ser-Angelis de Lapuccis de Puppio transsumpsi & copiaui, nihil addens vel minuens quod sensum mutet, vel variet intellectum, nisi fuisset error calami aut visus incuria: anno ab Incarnatione Domini MDXLI indictione XV, & mense Februarij, Tempore D. Philippi Ioannis de Florentiâ Abbatis monasterij S. Fidelis in Puppio.

fides Notarij.

a *Rassius Lucigniani Comitatum æquè ac Puppiensem scribit: an Lorenzanam quod aliquanto minùs Poppio quàm Aretio distat?*

Lucignianum oppid.

b *Id est*, Teutonum: *est autē oppidum S. Miniatis medio inter Florentiam Pisamq́; itinere, haud longè à meridionali Arni ripâ, quà in eum fluuius Elsa incurrit: à Puppio autem abest passuum millibus minimum quadraginta: Si tamen illud oppidum quod tabulæ exhibent à Teutonibus cognominatur & non vicus aliquis inter Aluernam & Puppium, quem videor mihi audiuisse in transitu nominari.*

D

S. Miniatis Tedeschi opp.

c *Ea vox ornatum capitis; & quidem muliebris ferè significat antiquis: sunt qui appositum crinem interpretentur. At hic sumitur pro bireto supernè plano quale in icone vidimus.* Waddingus Caliendrum cuspidum, *inquit*, gerebat in capite, secundùm antiquum morem quorumdam Tertij Ordinis sectatorum: *videturq́; quadratum biretum intelligere, quod quatuor supernè cuspidibus acuitur, quali vtuntur Clerici: quod longè ab humilitate Torelli, existimo abfuisse.*

caliendrũ.

d Spanna *in legibus Frisonum, apud Matthæum Martinium, idem quod Græcis Latinisq́;* spithama, *spatium inter pollicem & minimum digitum extensos, vnde & nomen traxit apud omnes, qui communibus cum Teutonicâ linguâ vtuntur radicibus, quales Longobardi fuere:* spannem *enim extendere est.*

spana.

e *Italicismus est pro* auderes?

f *Olim* Flaminia *ad mare Adriaticum inter Ducatus Ferrariensem & Vrbinatem.*

g *Italicismus est pro oppido innominato, siue cuius nomen memoriæ non occurrit, in quo tum Puppiensis ille præsidij causâ degebat: nam in Prouinciâ hâc debellatis Malatestis, Pontificis & Mediolanensis Ducis ius vindicauerat armis, eamq́; cum Gubernatoris generalis Conseruatorisq́; status ecclesiastici titulo, obtinebat Prinus Ordilaffius, ante biennium à Paulo II Fori-liuij Dominus creatus.*

Romandiola ab Ordilaffio subacta.

h *Ita hic nominari videtur: quem nunc in castris vocamus* Auditorem causarum militarium.

E

i *Id est, ægrotans, phrasi Italis Gallisq́; communi.* malato, malade.

k *Et hæc à Lombardis vox est, Dominum significans, quâ etiam hodie Franci Belgæq́; vtuntur: sumsq́; Bruxellis patricia aliqua familia antiqua cum hoc præfixo nominata: cognomentum autem Aloysius hic habet à vico decem milliaribus Florentiâ ad Orientem dissito, ad vadum fluminis, quod Sieui dicunt accolæ, in Arnum influentis.*

Ser honorifica appellatio.

l *Hanc factam suspicamur circa annum 1507 occasione inuenti corporis, primo exemplari post centum annorum ætatem iam ferè consumpto.*

COMPENDIVM VITÆ

per Hieronymum Radiolanum Monachum Vallumbrosanum

Ex MS. Bibliotheca Medicæa Florentiæ.

1 BEatus Torellus Puppiensis, cui fuit pater nomine Paulus, vir equidem probatissimus fuit. Hic itaque cùm naturâ docilis existeret, eum pater non solùm litteris erudiri, verùm bonis actibus & optimis monitis institutisque instrui curauit: quæ omnia nullâ animi molestiâ expedire satagebat. Ceterùm patre defuncto, malorum æqualium congressu & consortio, à virtute procliuem ad lasciuiam animum induxit; & cuiusdam puellæ amore captus diem vniuersum, vt dicitur, in ludis ducere, oculos pascere, & paulatim ad peiora labi cœpit: quem ita Dominus Iesus, qui vult omnes homines saluos fieri, ex dæmonis faucibus eripuit. Cùm, vt diximus, cum lasciuis adolescentulis diem integrum in ludis procando duceret, gallus è fenestrâ quâdam in brachium ipsius prosiliens ter cecinit: inde ab illo deuolans ad locum suum rediit.

F

B. Torelli vitâ lasciuâ

2 Torellus incredibili stupore perculsus non quibat animo satis discernere, quid hoc prodigij vel portenti afferret. Demùm plurima cogitanti & animo reuoluenti, Christi Iesu gratiâ illustrante, occurrit hoc solum; salutem animæ suæ prospiceret: ad quod ex animo capessendum gallus ipsum diuinitùs excitauerat. Ex quo domum suam socijs relictis properans, rem suam ex sententiâ & pauperibus & affinibus diuidi curauit:

ad eremiticam conuersis.

A rauit: inde ad S. Fidelis monasterium, Abbatem Dominicum, virum religiosissimum, consulturus abit, eique ordine omnia narrat: sequè omnibus posthabitis, ait, Religionem inire optare & secum esse, secumque, vt dicitur, viuere. Laudat Abbas admiratus fortitudinē animi sui, eumque instruit, vt mandata Dei omnipotentis teneat obseruetque. Torellus deinde ipsi sua peccata & admissa humiliter (vt Catholicis Christianis mos est) per Confessionem patefaciens, & ab ipso sacratissimum Corpus & Sanguinem Iesu Christi accipiens deuotè, cum sua benedictione & missione recessit: inde verò eremiticam duxit vitam.

miracula 3 Per quem Deus multa egregia facinora & miracula, dum ipse beatissimus vitam hanc vixit, operatus est; vt in sua historia manifestè declaratur; & post etiam à viris fide dignis accepimus & proprijs insuper oculis vidimus sæpè; ex quibus multis vnum huic opusculo inserere vtile arbitror, quo quiuis percipere possit Sanctos, omni tempore & ætate, Iesu volente, miracula operari. Est enim quoddam genus luporum tetrum ac crudele, quod vernacula lingua lupos hominines, *a* quia homines vorant, dicimus, quorum Plinius in naturali historia meminit: vnus quorum, cùm B iuxta oppidum Puppiense puerum quemdam crudeliter inuasisset, & multi hinc inde ex oppido voce, clamore, canibus eum, vt interficerent, insectarentur, fortè ponè B. Torelli tugurium iter habuit: quibus clamoribus & vlulatibus mulierum, præsertim matris, excitus vir beatissimus, fenestra aperiens; inde, vt puerum laceratum & semianimem à morte liberaret, extra exiens, lupo, vt ipsum dimitteret, & deinceps ne- D cui noceret, imperauit. Mox crudele animal diuinæ virtuti parens iussu viri beatissimi iniquè & immaniter laceratum, deposuit; & deinde feritate posita, quod maius est, cum beatissimo viro, vt agnus mansuetissimus viuere voluit, assuetus de die errare in syluis, & rursùs serà noctè ad limina nota redire. Inde aliud miraculum; quod, breui ad Dominum Iesum oratione habita, puerum incolumem, videntibus qui aderant omnibus, matri reddi curauit.

4 Insuper viri Dei virtute Iesus Dominus noster, *mors* non solùm Casentini prouinciam, verùm & alia finitima loca ab eiusmodi ferinis morsibus & luporum talium feritate seruauit: & in hoc Scripturæ sacræ locus *Is.35.9* datus est; Mala bestia non ascendet terminos vestros. Qui tandem octogesimo ætatis suæ anno, omni cultu religionis & Christi Iesu deuotissimè peracto, spiritum feliciter efflauit: cuius corpus sacratissimum nullus ex humo in feretrum ponere (cùm multi viri Religiosi periculum fecissent) præter Puppiensem Abbatem valuit: quod quidem ex tugurio, vbi degerat, Puppium vsque honorificè deferentes venerabili sepulturæ, ea die multis per eum à Iesu Christo ostensis miraculis, viri religiosi tradiderunt. Anno ab Incarnatione Christi Iesu secundo & octogesimo supra ducentesimum & millesimum, decimo septimo Kalendas Aprilis. E

a *Imò moninos, vide dicta superius ad cap. 2. num. 7. vbi & locum Plinij citauimus qui est de Lycanthropis.*

DE B. HERIBERTO EREMITA

IN COMITATV NAMVRCENSI.

XVII MARTII. Habitus Heribertus Sanctus,

1 CElebrant Heribertum eremitam hoc die Rayssius, *Fisen & VVillotius qui ista habet:* In silua Marlagniâ prope Namurcum S. Heriberti eremitæ. *Honorant & alij duo eum Sancti titulo. Hic dies eius venerationi videtur assumptus, quod S. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis, hoc die colatur: imò apud imperitum vulgus habitus vnus idemque, & ille Archiepiscopus, cuius corpus asseruatur in monasterio Tuitiensi prope Coloniam, & hic eremita, cuius corpus in agro Namurcensi existit. Raissius asserit non improbabili coniecturâ dici posse, quod vixerit circiter an-* C *num* MCCX, *tempore Philippi Nobilis Comitis Namurcensis,* vt sibi per litteras significauit Ægidius du Monin Societatis Iesu, qui Sacrarium perantiqui Comitatus Namurcensis magnâ cum diligentiâ ac studio elaboratum secundò in lucem emisit: *& in hoc Sacrario eumdem* S. Heribertum eremitam *celebrat. Idem Ægidius du Monin, siue Monaus; conscripsit Historiam Sanctorum Namurcensium, sed hactenus ineditam, & cap.20 agit de S. Heriberto: ex illi sequentia damus.*

2 In saltu Marlagniâ Comitatus Namurcensis oratorium est, paruum quidem, sed egregiè ornatum, *Marlagniæ corpus in oratorio B. Mariæ:* in honorem Deiparæ Virginis Deo consecratum, non procul à pago qui vulgò le bois-Villers dicitur. Hoc loci assiduè residet religiosus ex monasterio Molinensi Ordinis Cisterciensis, qui eius curam sedulam habet. Asseruatur in hac eremo corpus cuiusdam Sancti, cui nomen Herebertus siue Heribertus, in feretro, quod post altare eleuatum est, decenter reconditum. Veritatis indagandæ percupidus, locum præfatum adij, contuli cum præmemorato Religioso, qui Sacerdos est, vir honestus & prouectæ vtcumque ætatis; quidquid ibi habetur litterarum inspexi, perlegi, quædam etiam exscripsi. Atque his omnibus ita peractis, cognoui eum fuisse austeritate vitæ & morum sanctitate celebrem: *vita olim ibi in eremo peracta:* (cuius res gestæ temporum diuturnitate vel hominum incuriâ perierunt) qui in ea solitudine vitam eremiticam duxit, ibidemque beato fine quieuit, & dormitionis locum accepisse dicitur in sacello, quod in honorem beatæ semper Virginis Mariæ ædificarat Balduinus Namurci Comes ac Constantinopolitanus Imperator. Ita habet manuscripta tabula, quæ in præfato sacello ex pariete dependens, continet quidquid de huius Sancti vitâ & rebus gestis arbitror vspiam extare. Cùm Antonius Hauetius primus Namurcensium Episcopus loculum S. Heriberti in Marlagniâ siluâ visitaret, eo aliquantulùm inspecto, nihil aliud quàm Sanctos non esse inquietandos, & populum in sua erga F eumdem Sanctum deuotione relinquendum esse, dixit. Nullum particulare extat de hoc S. Heriberto Officium, nulla propria fit eius commemoratio: magni tamen meriti fuisse Sanctum, & in hisce partibus celeberrimum, vbi nominis ipsius adhuc frequens in baptismate impositio, euidens est testimonium. Porrò vestium quædam S. Heriberti reliquiæ, quæ in Cathedrali S. Albani Namurcensi ecclesiâ habentur, videlicet de panno ceruicalis ipsius, eiusdem chirotheca *reliquiæ Namurci,* & calceus vnus, vtrum huius sint, vel eius qui Coloniensis fuit Antistes, aut etiam partim huius partim illius, studioso antiquitatum indagatori discutiendum relinquo. *Hæc Ægidius Monaus. Ceterùm Balduinus II Imperator in Belgium reuersus, Comitatum Namurcensem sibi debitum obtinuit circa annum* MCCXXXVII. *Nam post oratorium ibi à dicto Balduino extructum, vixerit Heribertus, an verò occasione sanctæ eius vitæ & pijssimi obitus fuerit oratorium excitatum, non liquet.* *tempus quo vixit.*

XVII MARTII.

SANCTI QVI XVI KALENDAS APRILIS COLVNTVR.


SANCTVS Iosephus ab Arimathiâ, Hierosolymis.

S. Dionysius, S. Ianuarius, S. Nonna, S. Cyriaca, S. Victorina seu Victorinus, S. Maria, — Martyres Nicomediæ.

S. Alexander Episcopus, S. Theodolus Diaconus, S. Nicander, S. Theodorus, S. Artemius, S. Sisianus, S. Pollio, S. Crescentianus, — Martyres Romæ.

Sancti Martyres Alexandrini.

S. Ambrosius, Diaconus Alexandriæ.

S. Agricola, Episcopus Cabillone in Galliâ.

S. PATRICIVS Episcopus, Apostolus & Primas Hiberniæ.

S. Gertrudis Virgo, Abbatissa Niuellis in Brabantiâ.

S. Vicentia Virgo Coloniæ.

S. Withburga Virgo in Angliâ.

S. Paulus Martyr in Cypro.

S. Theosterictus Confessor apud Græcos.

B. Iulianus Vrius, Patauij in Italiâ.

B. Thomasellus Perusinus Ordinis Prædicatorum.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.


SAncti Antonij Translatio *Constantinopoli in Galliam ad Archimonasterium Ordinis Antoniani hoc die refertur à Saussayo in supplemento : nos de eâ fusè* XVII Ianuar.

S. Bathildis Reginæ translatio, *tamquàm in monasterio Kalensi celebranda, notatur à Saussayo : ipsum eius festum recolitur* XXVI Ianuarij.

Milo IV Abbas S. Mariani prope Altissiodorum *hoc die* abiisse è vitâ hac mortali dicitur *apud Robertum Altissiodorum in eius Vitâ. De eo egimus inter Prætermissos ad diem* XV Martij.

S. Hilarius, S. Largus, S. Tatianus, *seu* Titianus, S. Catonus, *seu* Eatonus, S. Datianus, *siue* Datiuus, S. Iocundus, — Martyres in Aquileia, *referuntur hoc die in Martyrol. S. Hieronymi & apud Notkerum. Dedimus præcedenti die Acta quinque Martyrum Aquileiensium, & diximus ex* Datiano Diacono *videri varia nomina* Titiani, Catoni, Eatoni, Datiui *formata, & aliunde* Iocundum *adiectum, qui solus est in Martyrol. Parisiis excuso. Consule dicta* XVI Martij.

Eugenius, Pamphilianus, Castor, Serenus, — Martyres Nicomediæ, *referuntur in MSS. Vltraiectino & Treuirensi S. Martini, Vsuardo Parisiensi S. Germani & Marchianensi, & Florario Sanctorum, item apud Greuenum. De ijs egimus* XVI Martij.

Cassiodorus Senator, *Theodorico & Athalarico Ostrogothorum Regibus in Italiâ carissimus, & scriptis inclytus anno* DXIV *solus Consulatum gessit, &* DLXII *adhuc viuebat nonagenario maior, in suo prope Scyllitanam urbem in Calabriâ monasterio; quod extruxerat, & refertâ optimis libris bibliothecâ ditauerat : qui Sanctum diceret & ecclesiastico cultu hoc die proponeret venerandum, primus repertus Witfordus in suo Martyrologio.*

S. Patricius, *vt* Episcopus Nolanus, *ex illius tabulis hodie occurrit apud Ferrarium : sed Ferdinandus Vghellus tom. 6 Italiæ sacræ meritò ambigit an non* gratis appositus sit Patricius *inter* Nolanos *Antistites in Diptychis, & confusus cum Hiberno præcipuâ deuotione in eâ vrbe celebratus.*

Patricius de Patricijs, *alter primorum B. Bernardi Ptolomæi sociorum in fundandâ* Congregatione *Oliuetanâ, hodie refertur à Bucelino vt Beatus: an & quo iure talis habeatur & colatur à suis, necdum comperimus.*

Gobbanus Episcopus, Tigernachus Presbyter, Failtigerna Virgo, Conchenna Virgo, — *Primus à Colgano refertur vt S. Carthagi seu Mochuddæ discipulus, filius Nessani & cum duobus Fratribus Sanctorum Albo adscriptus, in Mariani scilicet Germani martyrologio : in quo & duo sequentes Colgano prætermissi, nobis ignoti. Postrema ex antiquiori Tamlactensi est, de eâque, vt Sanctâ & S. Munnæ seu Mundi sorore, agit alibi: nos aliquid certi de cultu requirimus.*

Becanus Solitarius *à S. Cumineo, apologeticam in controuersiâ Paschatis epistolam scribente ipsi & Abbati Hiensi ceterisque Hiensibus monachis anno* DCXXXIII, *vocatur* carus carne ac spiritu frater. Sanctum *Colganus nominat ex Tamlactensi & Mariani Germani Martyrologijs.*

S. Nessanus Presbyter, *velut Corcagiensis Patronus, hodie proponitur à Colgano ex Hibernicis Martyrologijs, in quibus eidem putat alios quoque dies assignari : sed propter plures synonymos nihil certi posse de eo proferri, nisi quod S. Barrij Corcagiensis discipulus fuerit, eique ecclesiam suam subiecerit, de quo* XXV *Sept. Præcipuum cultus argumentum petitur ex S. Ængussij necdum vulgatis opusculis, Festilogio videlicet metrico & libello Litaniarum, in quibus inuocat* septem & decem Sanctos Episcopos ac septingentos seruos Dei qui cum B. Barrio & S. Nessano iacent Corcagiæ. *Erit fortasse eum inuentis Actis certius aliquid dici poterit.*

Arnikius Ord. Præmonstratensis Auerbodij, *miraculis in vitâ clarus, quæ coæuus ei Ioannes de Eppâ, S. Lamberti Leodiensis tunc Prior, maiori ex parte scripsit; anno* 1238,

1238, anno 30 post mortem Arnikij, creatus Episcopus Leodiensis: ex quo alijsq; Vitam collegit Nicolaus Hoghelandius, siue ab Alta-terrâ, eiusdem Ordinis Middelburgi in Zelandiâ Abbas; & vbique cum titulo Beati, inseruitque Chronicis Beatorum Canonicorum sub sanctâ Præmonstratensium obseruantiâ degentium, inchoatis à se anno 1294 & 1330 absolutis. Habemus inde eam descriptam, & libenter hic daremus, si memoriæ ipsius aliqua Euerbodij superstes certos nos redderet de antiquo cultu: sepultus dicitur in fossâ fabrefactâ in dicti claustri ambitu circa dormitoriû: quod ideò addimus si fortè aliquãdo posteri reliquias eius requirant aut inueniãt.

Paula Malatesta, Ioannis Francisci Gonzagæ primi Mantuanorum Marchionis vidua, in eo quod fundauit Mantuæ Corporis Christi cœnobio Sanctimonialem induit, & virtutum magnarum exempla relinquens, hominem exuit anno 1449: meritò laudata à scriptoribus Ordinis Franciscani; sed non Beatis accensenda, nisi permissu Ecclesiæ quem noluit expectare Arturus tam in Martyrologio quã in suo Gynæceo: vbi etiam habet.

Iuliam Virginem in Thebaide, } quarum ista S. Eu-
Oliuam Virginem Panormitanam, } praxiæ magistra, ad XIII Martij à nobis illustrata nullis alijs Sanctorum fastis adscripta reperitur: hæc Ordinem Minimorum ab anno 1549, quo habitum induit, raræ virtutis exemplis ornauit: sed nullo vt putamus cultu adhuc honoratur; ac ne supplicatum quidem Romanæ Sedi pro eo obtinendo esse hactenus inaudiuimus.

Agricolaus Niuernensis Episc. & Conf. omnibus illius Ecclesiæ catalogis ignotus, in solo MS. Florario hoc die nominatur, & forsã loco S. Agricolæ Cabillonẽsis qui hoc die colitur.

Conradum monachum Clarauallensem, filium Henrici Bauariæ Ducis, Chrysost. Henriquez rectè distinxit ab altero eiusdem nominis & Ordinis Villariensi Abbate, cum quo confunditur à Vvione alijsq; propterea quod hic sit in Clara-valle sepultus, iste Barrij rediens Hierosolymis peregrinus obierit: vterque distinguendus ab ijs, qui Ecclesiâ indulgente Beati vocantur: quod auctores isti eosque secutus Bucelinus non faciunt.

Iocelinus, ex Abbate Mailrosensi Episcopus Glascuensis, Beatus hoc die indigetatur à Dempstero in Menologio Scotico: fidelibri nobis auctore opus est.

Michaël de Albertis, } Ordinis Minorum, hic vt Mar-
Melchior Flauius, } tyr anno 1577 ab hæreticis
Ioannes Cozetius, } occisus in Galliâ, iste vt Tholosæ miraculis clarus post mortem piè obitam anno 1566 Beatis annumerantur in Martyrologio Franciscano Arturi: præter Vrbani VIII mentem, nullo quod sciamus Apostolico indulto in eorumdem fauorem limitatam. Primus verò B. Humilianæ Tertiariæ, cuius Vitam dabimus 19 Maij, instructor fuit: quòd autem vt Beatus coleretur nullo potuimus indicio Florentiæ deprehendere.

Collegius Diaconus, } Martyres Alexandrini refe-
Rogatus, } runtur hoc die in nonnullis
Saturus, } MSS. item apud Greuenum,
Dionysius, } Maurolycum, Canisium. De ijs & pluribus socijs agunt alij XVIII Martij.

Quintus, } Martyres in Campaniâ, memorantur in
Luccanus, } MS. Coloniensi monasterij Carmelitani,
Victor, } MS. Florario, item apud Greuenum Mau-
Maurus, } rolycum, Canisium. Nos de ijs & alijs agemus XVIII Martij.

Aprilis, } Martyres Nicomedienses relati in dicto
Seruulus, } MS. Carmeli Coloniensis & apud Greuenum, Maurolycum & Felicium, colantur XVIII Martij.

S. Adrianus Martyr hoc die est apud Saussayum in supplemento: qui existimat potiùs esse diem communis cum S. Landoaldo exceptionis. Nescimus quidquam de ipso agi hoc die Gandaui: & diem exceptionis fuisse VIII Kalendas Aprilis constabit ex S. Landoaldi Actis XIX Martij.

Olympiadis } passio sub Decio Imper. inscripta est
& } Martyroll. MSS. Florentinis & alio ibi
Maximiani } excuso. Maximus alter ab alijs dicitur: Coluntur ambo XV Aprilis.

Quiriacus Episcopus Hierosolymæ passus refertur hoc die in MSS. Martyroll. Barberiniano, Augustano, Aquisgranensi, Labbæano. Videtur S. Cyriacus esse inscriptus Martyrol. Rom. IV Maij.

S. Reginæ eleuatio corporis apud Dononium, hodiernâ die celebris est, teste Molano in Natal. SS. Belgij: festum eius agitur I Iulij.

Colonatus Presbyter, } Herbipoli colendi referuntur
Totuanus Dianus, } à Canisio, Galesinio, Vvione, Bucelino, Dempstero: vix dubitamus quin sint Colmanus & Toknanus socij S. Kiliani, de quibus agendum est nobis VIII Iulij.

S. Alexius homo Dei, totum penè huius diei Officium apud Græcos occupat: est Senatoris Euphemiani filius, qui Romæ colitur XVII Iulij.

S. Reginæ eleuatio reliquiarum apud Flauiacum monasterium in Æduis memoratur à Saussayo. Est hæc Virgo & Martyr, cuius dies natalis incidit in VII Septemb.

S. Gummari Confessoris Translatio Liræ in Brabantiâ apud Molanum, Saussayum, aliosque: colitur præcipuè die XI Octobris.

S. Angadrismæ Virg. Translatio Bellouaci hoc die celebratur iuxta Vicentium Bollouac. Ferrarium in catalogo, Saussayum in supplemento: natalis XIV Octobr.

Gertrudis filia Henrici Barbati & S. Hedwigis, monasterij Trebniciensis in Silesiâ ab ipsis anno 1203 fundati Abbatissa hodie Beatis annumeratur ab Henriquez & Bucelino secutis Ferrarium, qui turpi errore cœnobium istud prope Treuiros collocat, nobis de vllo eius ibidem cultu nihil lectum vel auditum: de matre eius ibidem defunctâ & cultu Sanctorum honoratâ agendum erit XV Octob.

S. Maria ancilla cuiusdam Tertulli, quæ ob fidem Christi plurima tormenta perpessa est, memoratur hoc die in Martyroll. Notkeri, Bedæ excusi, Canisij, Galesinij, Tamaij Salazarij & aliorum, in Romano & alijs Martyrologijs I Nouembris.

Lazari iusti resuscitatio commemorationem hoc die habet in Græcorum Meneis: de eo agemus XVII Decemb.

DE S. IOSEPHO AB ARIMATHÆA

HIEROSOLYMIS.

§ I. Cultus huius Sancti Ecclesiasticus: elogium ex Euangelijs & Traditione.

SEC. I XVIII MARTII. Nomen Martyrol. Romano inscriptum

1 Extum decimum Kalendas Apriles Ordinatur Romanum Martyrologium ab hoc, tam noto Euangelistis, quàm alijs ferè omnibus Martyrologis ignoto Sancto; & hæc ei retitat: Hierosolymis S. Ioseph ab Arimathiâ, nobilis Decurionis, discipuli Domini, qui eius corpus in cruce depositum in monumento suo nouo sepeliuit. Abfuerunt quidem etiam hæc à primi eiusdem Martyrologij, iubente Gregorio XIII recogniti, editione: sed à Vaticanæ Basilicæ Canonicis, qui huius Sancti brachium asseruant & memoriam duplicis Officij cultu honorant, admonitus præfatæ recognitionis auctor Baronius, omnino decens esse censuit, vt ecclesiæ, toto orbe Christiano præcipuæ vsum ceteræ, quibus erat Romani Breuiarij ordo tenendus, quadamtenus sequerentur: & illius iudicium probauit Apostolica sedes, quando anno MDLXXXV Sixtus Gregorij successor, iussit suo (sub Sixto V)

A *suo recognitum iteratò Martyrologium, & ab erroribus nonnullis expurgatum, denuo typis subijci permisit, priori editione* *absque exemplo antiquiori* *suppressâ. Quod autem dictus auctor nullum aliud vel prælo tusum vel manu scriptum habuerit Martyrologium, ex quo ea sumeret, indicio sunt eiusdem notationes ad hunc diem, in quibus aliud de Iosepho non reperias, quàm Euangeliorum loca de eo citata. Sanè in ipso Basilicæ Vaticanæ archiuio asseruata Martyrologia (quorum credibile est ibidem vsum ante impressionem fuisse) nusquam meminerunt Iosephi: sunt autem perantiqua & breuiora duo, & recentius trium circiter seculorum alterum, idque prolixum atque ex Vsuardo Adone & alijs compilatum.*

propter brachium in ecclesiâ Vatic. seruatū 2 *Seruatur in eodem Archiuio catalogus sacrarum reliquiarum, de quo suprà fecimus mentionem, cùm S. Longini brachium se nobis obtulisset; in quo Catalogo hæc erant annotata.* Brachium argenteum, forcipem manu gestans, in quo asseruatur sacrum brachium S. Iosephi ab Arimathia nobilis Decurionis, qui corpus Saluatoris nostri ex cruce deposuit. In plintho basis sunt insignia Capituli dictę Basilicæ: confectum totum argenteum sub Clemente VIII Pontifice Maximo in Visitatione. *Nempe prædictum brachium, cuius simplex memoria reperitur in inuentario anno* MCCCCLIV, *biennio post in simili inuentario* B *alijsque duobus annorum* MCCCCLXVI *&* MCCCCLXXXIX *sic notabatur:* brachium S. Ioseph ab Arimathiâ in argento cum teneculis in manu de argento. *Verùm anno* MDXXVII *in Borbonicâ vrbis expilatæ clade, argento spoliatum ipsum quoque brachium est, eiusdemque deinceps in ligneo tabernaculo seu vase asseruati memoria ad annum* MDL *&* MDLXXXI *inuenitur.*

ex Oriente cum S. Longini brachio allatū. 3 *Simul cum S. Longini brachio istud quoque esse ex Oriente allatum verosimiliter possumus suspicari & simili suspicione motum Baronium attribuisse eius vel obitum vel cultum Hierosolymis, vbi Senatorio in ordine eminuisse Iosephum ex eo Cornelius à Lapide, scribens super Matthæum colligit, quòd istic sepulcrum, adeoq; & locum habitationis habuerit:* *alibi 22 Febr.* *etenim qui Senatores Romæ, in municipijs dicebantur Decuriones, vti apud Marcum Latinè legitur, Græcè autem βουλευτής. An similes eiusdem S. Iosephi reliquiæ, in Leodiensem alicunde allatæ diœcesim, & die* XXII *Februarij cultæ, occasionem dederint auctori Martyrologij, Leodiensibus typis anno* 1624 *excusi, ipsum ad talem diem referendi non possumus dicere. Diem mortis Græci* XXXI *Iulij crediderunt fuisse: ita* *& 31 Iulij in Menæis.* *enim legunt isto die:* ὁ ἅγιος Ἰωσὴφ Ἀριμαθίας κηδευτὴς τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται S. Ioseph Arimathiæ curator Dominicę sepulturæ in pace consum- C matur: *additur & hoc distichon:*

Κήδευσιν εὑρὼν νεκρικὴν κρύπτῃ τάφῳ
Κηδευτὰ νεκροῦ τοῦ κενώσαντος τάφους.
Mortualem repperisti sub speluncâ funebri
Curam, mortui curator vacuantis tumulos.

4 *Hæc Menea, non quidem magna illa typis Veneticis euulgata (quorum corpus ex partibus admodùm heteroclitis, earumque nonnullis valdè imperfectis collectum esse constat) sed accuratissima Diuionensia MSS. Petri Francisci Chiffletij nostri: nec opus fuit longiori elogio, quando hoc ex ipsis Euangeliorum verbis facilè esset vnicuiq; texere, prout contexuit in* *Elogium ex Euangelijs.* *suâ Euangelicâ Margaritâ complexâ Iesu Christi Vitam, doctrinam historiamq; è sanctorum quatuòr Euangeliorum dispositione concordi Ioannes Parisius nostræ itidem Societatis; quem hîc transcribendo sequimur.* Et cùm iam serò esset factum (quia erat Parasceue quod est ante Sabbatum) venit quidam homo diues ab Arimathæâ, ciuitate Iudææ, nomine Ioseph, nobilis Decurio, vir bonus & iustus, qui & ipse discipulus erat Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum. Hic non consenserat consilio & actibus eorum; qui & ipse erat expectans regnum Dei: & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset: & accersito Centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph, [&] iussit reddi. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone mundâ. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad D Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat, quod erat excisum de petrâ. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum. Et [Ioseph] aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti & abijt.

5 *Ab his non recedunt, quoad substantiam; nec à maximâ verisimilitudine, quoad minutiores circumstantias Euangelico supperadditas contextui, ea quæ Matthæus Parisiensis descripsit ex ore Roberti Licolniensis Episcopi, anno* MCCXLVII *die* XIII *Octobris, in solennissimo Procerum atque Episcoporum conuentu, corâm Henrico III receptionem sacri sanguinis Hierosolymis sibi missi celebrante, disserentis de eiusdem sanguinis veritate, & sunt hæc:* Crucifixo igitur Iesu & mortuo, postulauit Ioseph corpus Iesu, ingrediens ad eum audacter (per quod creditur fuisse potens) & concessum est ei. Ipse igitur (licet obmurmurassent Iudæi) cum omni honore & reuerentiâ ipsum corpus sanctissimum deposuit de cruce; saucium & multiformiter E cruentatum; habensque linteamen subtile, dependens à collo & humeris (ne indignè tam dignum corpus nudis manibus contrectaret) ipsa sacra vulnera, adhuc madida & stillantia, sedulo ac deuoto detersit officio. *Quantâ curâ Ioseph Dominicum corpus lauerit,* Imò etiam loca clauorum extractorum, tincta cruore in ipso crucis patibulo, exhausit abstergendo; vtens vice spongiæ ipso linteamine. Cùm autem iam non procul à Golgothâ corpus Christi detulisset dictus Ioseph tumulandum, in loco vbi nunc sepulcrum adoratur.... lauit corpus illud..... ipsamque aquam loturæ rubicundam & sanguine mixtam & tinctam, non proijciendam, excepit in vase mundissimo: reuerentiùs tamen ipsum purum sanguinem à vulneribus manuum & pedum distillatum: maximo autem timore & honore ipsum sanguinem cum aquâ, quem censuit præcordialem à latere dextero feliciter eliquatum & expressum, in vase recepit nobilissimo, tamquàm thesaurum impretiabilem, sibi & successoribus suis specialiter reseruandum..... Hæc ergo cum piè & prudenter perfecisset Ioseph superuenit Nicodemus..... *sanguinemq; seruarit:*

6 Et cùm inde recessissent Ioseph & Nicodemus, partiti sunt inter se (ratione amicitiæ & condiscipulatus) liquores memoratos, vtpote pretiosam acquisitionem. Sic igitur deuoluta fuit huius carissimæ rei F possessio de patribus in filios, & de amicis ad amicos, quòd post multorum annorum curricula deuenit ad possessionem Patriarchæ Hierosolymitani, vtpote thesaurus Ecclesiæ, cui præesse Patriarcha dignoscitur, anno gratiæ MCCXLVII: qui tum propter discrimen Terræ sanctæ, quam tunc timuerunt amittere Christiani, tum propter hoc quòd Regem Angliæ Christianissimū esse cognouerunt, ipsamque terram Christianissimam, memoratus Patriarcha de consilio suorum Suffraganeorum, Magistrorumque militiæ Templi & Hospitalariorum & aliorum Nobilium trans-marinorum, qui testimonium veritatis vel sigilla sua apposuerunt, vel assertionem mandati transmiserunt, sæpè dictum thesaurum sanguinis memorati, pijssimo Regi Angliæ Henrico III, vt sub eius tutelâ digniùs veneraretur & tutiùs reseruaretur, prudenter duxit transmittendum, & non pro alicuius commercij retributione, imò in meræ caritatis liberalitate conferendum. *cuius pars à Patriarcha Hierosol. data Regi Angliæ 1248.*

§ II *Fabulosa de S. Iosepho commenta: Reliquiæ: Officium.*

Acta apocrypha eidē attributa ex Euāgelio Nicodemi,

7 *Satisfecit Roberti Lincolniensis relatio, quamuis, vt prefertur,* in apocryphis, *id est, scripturis non canonicis,* reperta,

A reperta, *ut de veritate accepti thesauri non putarent se debere dubitare, qui eum acceperant: & sufficere haud dubiè debuit, cùm nihil in eâ sit quod non appareat esse optimæ rationi conforme: quâ eadem iustificantur aliæ omnes eiusmodi Reliquiæ vel Brugis in Flandriâ vel alibi existentes. Ast Euangelium, quod sub nomine Nicodemi circumfertur hoc titulo:* Incipiunt gesta Saluatoris, Domini nostri Iesu Christi inuenta à Theodosio Imperatore in Hierusalem in Pretorio Pontij Pilati in codicibus publicis: *Hoc, inquam, Euangelium ita apocryphum est, ut maiori quoque sui parte totum appareat fabulosum esse: ergo quæ ex eo vel Petrus de Natalibus lib. 4. cap. 2 accepit vel in suâ legendâ Capgrauius, meritò vt spuria falsáque reijcimus: nec multò plus fidei idem Petrus fortassis meretur in eo, quod aliunde acceptum subiungit his verbis:* Cùm autem Ioseph post Ascensionem Domini à discipulis baptizatus fuisset, & Christum prædicaret, à Iudæis captus & in quodam muro inclusus est, vt ibi in fame & tenebris interiret. Cùm verò Hierusalem à Tito Imperatore capta & destructa esset, videns ipsum murum Titus eum aperiri fecit, & Ioseph venerandâ canicie & aspectu glorioso introclusum inuenit; & quis esset, aut cuius rei causâ ibi inclusus fuisset, ab eo audiuit; addiditque, quòd à

& aliunde à Petro de Natalibus:

B die quo intromissus fuit vsque tunc cælesti fuerat cibo refectus, & diuino lumine confortatus. Qui post captam Hierosolymam cum discipulis omni tempore vitæ suæ permansit, & in senectute bonâ in Domino requieuit.

afficta eidē in Hispaniam

8 *Nonagenario aut certè octogenario maiorem fuisse oportuit, qui vrbis Sanctæ desolationi superuixit: faciliùs tamen hoc credemus, & ibidem viuendi finem fecisse, quàm vel Pseudo-dextero asserenti cum Lazaro, Magdalenâ & Marthâ nauigio exarmato impositum à Iudæis Massiliam appulisse, vel eiusdem farinæ Iuliano eumdem S. Iacobo Apostolo socium venisse in Hispaniam, ibique ab eo creatum Episcopum, in Carpetaniâ, Celtiberiâ ac Lusitaniâ prædicasse, ac rursum cum eodem in Iudæam reuersum ibi substitisse ad annos circiter octo; & denique cum ijs, quos diximus, venisse in Gallias:* quem tradunt, *inquit ad an. 48 Baronius,* in Britanniam nauigasse: *quæ sanè traditio admodùm nobis est de veritate suspecta, vt non sit operæ pretium in illam se Britannicorum scriptorum disputatissimam interponere controuersiam, quâ quærunt à Philippone Apostolo in Gallijs prædicante, an ab Apostolorum Principe Petro, iactum à se in Britanniâ fidei semen fouere curante, eodem sit destinatus cum socijs duodecim; qui tamen, relictâ alijs verbi prædicandi curâ, in Aualloniâ insulâ obscuri vixerint, & primum Glastoniensis monasterij quasi principium fuerint.*

Britanniā profectio

C

quibus nitatur testimonijs?

9 *Etenim fabulæ huius auctorem primum eumdem esse existimamus, qui Regis Arturi gesta infinitarum fabularum farragine refarsit, simulq; Angliam vniuersam impleuit figmentis: quanta ergo fides haberi possit ei, quam prætendunt, vulgi traditioni satis ex epigraphe discet lector, quâ fabulosam istam S. Iosephi Legendam concludit Capgrauius.* Hæc scriptura reperitur in gestis Regis Arturi: *& iterum velut recapitulando locum assignaturus, ne per totam istam malè consutam Iliadem curiosus lector quærendo fatigetur, sic ait:* Ioseph ab Arimathæâ, nobilem Decurionem, cum filio suo Iosephes dicto & alijs pluribus in maiorem Britanniam, quæ nunc Anglia dicta est, venisse, & ibidem vitam finisse testatur liber de gestis inclyti Regis Arturi, in inquisitione cuiusdam militis illustris, dicti Lancelot de Lac, facta per socios rotundæ tabulæ, videlicet, vbi quidam eremita exponit walwano mysterium cuiusdam fontis saporem & colorem crebrò mutantis. *Melior & antiquior auctor nusquam reperietur: nam qui videtur à Capgrauio citari* Freculfus *seculi IX scriptor,* lib. 2 cap. 4 *non* Regum Francorum, *sed chronici vniuersalis, eo solùm citatur, quòd describat dispersionem Apostolorum & discipulorum Christi ad fidem prædicandam per orbem vniuersum: sed de Iosepho verbum toto in opere suo habet nullum. Illi porrò Arturianæ Romanciæ, ne alter paris veracitatis testis desit, subnectitur apud Capgrauium* liber Melkini,

D qui fuit ante Merlinum, *famosum vtique nugi-vendum.*

10 *Quibus quia parùm fidei habendum videt Michaël Alfordus in Annalibus Eccles. Britan. apprehendit librum de Glastoniensibus Antiquitatibus, & tabulam æream ibidem columnæ affixam, quam Spelmannus ad viuum expressam exhibet ante tomum de Concilijs Britaniæ, & vix trecentorum esse annorum ex ipsâ characterum formâ rectissimè iudicauit: ceterùm quàm nullius prorsus fidei prædictæ antiquitates sint, infrà hoc die in gestis S. Patricij ostendemus. Igitur qui volet Regis Arturi reditum in Angliam expectare, expectet quoque vt impletum videat quod de Iosepho promittit Melkinus:* cum reperietur eius corpus, sarcophagum integrum illibatum in futuris videbitur, & erit apertum toti orbi terrarum. Ex tunc nec aqua nec ros cæli insulam nobilissimam habitantibus poterit deficere.

memoria varijs diebus adscripta:

11 *Habet interim habebitque Vaticana Basilica nobile brachij ipsius pignus, nec ob prætensam Iosephi in Britanniam sepulturam hactenus irreclusam, quidquam de veneratione ei deferenda remittit; idque ad hunc XVII Martij. Equilinus, solitus coniungere cognomines Sanctos, quorum proprius dies ignoratur, in indice ipsum refert ad XIV Kal. Aprilis: VVilsonus in suo Anglicano Martyrologio diem XXVII Iulij elegit, forte quia alium nullum Britanniæ proprium Sanctum reperit, cui istum diem commendaret: & anno Christi LXXXII mortuum esse Iosephum asseruit, plenam fidem tribuens Capgrauio, eumque secutos Polydorum Virgilium, Cambdenum, Harpsfeldium in margine citans. Meminit eiusdem S. Iosephi ad hunc XVII Antonius Pauli Masini in Bononiâ perlustratâ, occasione digiti qui ex sancto eius corpore acceptus creditur in S. Iacobi Maioris ecclesiâ asseruari. Similiter & Mantuæ in ecclesia Patrum Franciscanorum inter alias plurimas reliquias numerat Gonzaga de ossibus Sancti prænominati Iosephi: & alibi aliæ fortassis particulæ reperiuntur.* E

digitus Bononiæ.

Corpus Hierosolymis delatū in Alsatiam seculo 9

12 *Vnde autem acceptum, nisi Hierosolymis vbi vixit, & vbi sepulturam sibi compararat? quam licet Dominico corpori cessisset, inuenit tamen aut in eodem horto aut alibi homo opulentus locum, in quo condignè sepeliretur; si vera est Orientalium de eo traditio, quam corporis translatio in Gallias confirmat: de quo hæc Richerius Abbatiæ Senoniensis in Vosago Tullensis diœcesis monachus lib. 2 cap. 6 Chronici à Lucâ Dacherio tomo 3 spicilegiorum vulgati:* Tempore Caroli Magni vir quidam venerabilis, Fortunatus nomine, Patriarcha Hierosolymitanus, corpus S. Ioseph sepultoris Domini, paganos qui tūc Terram sanctam vastabant fugiens, apportauit; & ad Medianum monasterium deueniens, ibidem cum ipsis suis reliquijs se collocauit: qui posteà ipsius monasterij Abbas est ordinatus. Sed postmodùm ipsum Sancti corpus per insolentiam Canonicorum, qui illum locum possederunt, à quibusdam monachis peregrinis noctu furatum asportatum est, & ita illud monasterium tali est thesauro viduatum. *Ita ille, qui se vltra annum MCCL vitam produxisse satis indicat lib. 5 cap. 4 & seqq. Est autem Medianum-monasterium à S. Hydulpho Treuirorum Archiepiscopo, XI Iunij vel Iulij recolendo, inter ipsum Senoniense monasterium atque alterum Stiuagiense in acceptis ab vtroque agri portionibus ædificatum, haud ita diu ante Caroli Magni tempora: vbi post dictum Fortunatum pluresq; intermedios Pipinus quidam Abbas præfuit, quem vna cum monachis anno DCCCXCIV ab Hasumâ Comite, ex Zuendebaldi Lotharingiæ Ducis beneficio monasterium adepto, expulsum habes cap. 7. Ab hoc autem tempore locum Canonici supradicti tenuere, vsque dum septuagesimo post anno Fredericus itidem Lotharingiæ Dux* Canonicos depellens, per quemdam Adalbertum monachum Gorziensem monachos denuo restituere maturauit, in eodem statu, quo ante Clerici ibidem habitauerant, *exceptis his, corpore scilicet S. Ioseph sepultoris Domini, & alijs per incuriam Clericorum alienatis, quæ restaurari non potuerunt.* F

Officium à Card. Berullio compositum,

13 *Huius porro S. Iosephi venerationem Gallicanis Ecclesijs, instituto que à se Presbyterorum oratorio commendaturus Illustrissimus Cardinalis Berullius, sacratissimæ Christi Humanitati, & omnibus cum eâ feliciter conuersatis piè addictus,*

A *dictus*, Officio solennitatis Domini Iesu Christi cum hominibus conuersantis ex varijs sacrarum litterarum floribus contexto & *Parisijs excuso an.* 1627, *subtexnit alterum S. Iosephi ab Arimathæâ*, ex ipsis sacrarum litterarum medullis expressum, *vt censuit in eius approbatione Petrus d'Hardi-Villier Doctor Sorbonicus & S. Laurentij Parochus: vt autem in simili approbatione de vtroque communiter Philippus Episcopus Nannetensis, nihil habens nisi* sancta piaque omnia, ac Christi amorem non spirantia tantummodò, sed inspirantia. *In eo omnia propria sunt præter hymnum & psalmos ex Communi Confessorum: hæc autem Oratio:* Deus qui Beatum Ioseph ab Arimathæâ eligere dignatus es, vt corpus Iesu dilecti filij tui de cruce deponeret, & honorificè in monumento suo nouo conderet; concede quæsumus, vt eiusdem filij tui sanguine mundati, ei consepulti, ac morti eius configurati, in eo, per eum, & cū eo in æternum viuamus. *(Oratio.)*

14 *Lectiones primi Nocturni.* 1 *ex Isaiæ Prophetæ cap.* 11. In illâ die radix Iesse. 2 & 3 *ex Iona cap.* 2. Et præparauit Dominus piscem grandem vt deuoraret Ionam. *Secundi Nocturni lectiones desumuntur ex sermone* 52 *S. Ambrosij in die Parasceues: quas ob suauissimam comparationem ab hoc sancto Doctore institutam inter vterum & tumulum, Iosephum & Mariam, hîc non pigebit describere.* B *Est ergo* QVARTA LECTIO, Videamus de ipso Domini corpore, postquàm à cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathæâ, vir iustus, sicut ait Euangelista, & in nouo suo sepeliuit monumento, in quo nondum quisquam positus erat. Beatum ergo corpus Domini Christi, quod cùm nascitur, vtero Virginis gignitur; cùm recedit, Iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ Virginis vterus illibatum: hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. *(Lectiones ex S. Ambrosio, comparante tumulum Iosephi cum vtero,)*

15 QVINTA: Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique defertur virginitas. Nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit; virgo ergo Dominica vulua, virgo est sepultura. Quin potiùs ipsam sepulturam vuluam dixerim; est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de Matris vuluâ viuus extitit, ita de Ioseph sepulturâ viuus surrexit: & sicut tunc de vtero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad euangelizandum renatus est de sepulcro: nisi quòd gloriosior ista sit quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale: post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cælos. Religiosior planè est ista quàm illa natiuitas: illa C enim totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit, hæc autem triduo tantùm tumuli gremio custodiuit: illa cunctorum spem tardiùs protulit, & hæc omnium salutem citiùs suscitauit.

16 SEXTA. Non minor gloria est, quòd tumulus Ioseph suscitauerit Dominum, quàm quòd eum vterus Mariæ procrearit. Sed fortasse quis dicat: quæ cōparatio ventris & tumuli; cùm illa ex intimis visceribus ediderit filium, hic autem solummodò locum præstiterit sepulturæ? At ego dico, dignum esse hunc affectum Ioseph, qui cum affectu Mariæ conferatur: siquidem illa vtero Dominum, hic corde concepit: illa Saluatori membrorum suorum secretum præstitit, hic secretum sui corporis non negauit: illa Dominum pannis inuoluit cùm natus est, hic linteis cùm recessit: illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honorauit. Conueniunt ergo sibi obsequia, conuenit & affectus; vnde necesse & meritum conuenire: nisi quòd Angelus Mariam ad obsequium admonuit, Ioseph autem sola iustitia persuasit. *(Iosephum cum Mariâ.)*

17 *Euangelium accipitur ex cap.* 23 *Lucæ.* In illo tempore: ecce vir nomine Ioseph: *& super illud Lectiones, septima ex lib.* 10 *Commentariorum in Lucam S. Ambrosij:* Quid sibi vult etiam quòd non Apostoli, sed Ioseph & Nicodemus... Christum sepeliunt: *Octaua ex eiusdem sermone* 53 *in Sabbato Sancto:* Videamus quare Saluator in alienâ sepulturâ ponatur. *Ad Missam quoque hæc inter Secreta proponitur recitanda Oratio:* Domine Deus, qui corpus adorandum Iesu filij tui, pro peccatoribus in cruce mortui, per Pilatum Beato Ioseph ab Arimathæâ, viro iusto & expectanti regnum tuum, donari voluisti: hanc eiusdem sacri corporis oblationem & hostiam suscipe, & da fidelibus tuis, per eiusdem discipuli tui Ioseph intercessionem, spiritum Iesu dilecti filij tui; vt ab eo dirigamur in terris, & clarificemur in cælis. *Denique toti sacræ liturgiæ terminandæ hæc alia additur:* Domine Deus, qui nascentem filium tuum Beati Ioseph, fabri & Mariæ sponsi, tutelæ commisisti, eumdemque in cruce mortuum alterius Ioseph, ab Arimathâ nobilis Decurionis, fidei & pietati credidisti; qui audacter petijt & feliciter impetrauit à Pilato corpus Iesu, & in suo monumento nouo condidit: da nobis gratiam audacter confitendi eumdem Christum coram hominibus, vt Christus ipse nos feliciter confiteatur coram te, Patre suo, qui viuis & regnas &c. D E *(Orationes Secreta & Postcommunio.)*

18 *In illustri Cæsareâ bibliotheca Viennæ codex est Græcus MS. in chartâ, signatus num.* 49 *in eoq; Gregorij Episcopi Antiocheni homilia de mulieribus vnguenta ad sepulcrum Christi ferentibus & Iosepho ab Arimathæa: quam dignam rati quæ huic insereretur loco curauimus per R. P. Hermannum Horstium, antehac Professæ Domus nostræ Præpositum nunc Augustissimæ Imperatricis viduæ Confessarium, vt Codex iste Leoblium mitteretur ad P. Reinoldū Dehnīnium sæpe nobis memoratum ac sæpiùs memorandum, qui eam homiliam Latinè redderet; fecissetque ni monitus fuisset abstinere; quandoquidem, vt scribebat, licet is titulus foret, in eâ tamen nihil de Iosepho continetur præter id quod Euangelistæ narrant, petijsse illum nempe à Pilato Christi corpus vt sepeliret, atque obtinuisse. Quin etiam, inquit:* Orationi eam in rem ab auctore excogitatæ, & Iosepho tributæ, initium deesse, sicut & alia, quæ auctorem non est dubium illi præmisisse, facilè mihi assentietur, quisquis attentè homiliam legerit, licet in manuscripto nullum omissionis signum appareat, hoc quidem loco: nam alijs charta lacera defectum prodit, vt & orthographici errores frequentissimi, inscitiam scriptoris. *(Gregorij Antioch. homilia de Iosepho.)*

19 *Habuit hic Sanctus suos etiam in Hispaniâ deuotos ad specialem eius venerationem inductos, non intuitu prædicatæ ab eo in Hispaniâ fidei (quod ante Pseudo-dextrum nemini vel per somnium credimus incidisse vt cogitaret) sed ratione obsequij, quod dilectissimo animarum castarum sponso de cruce deponendo tumulandoq; exhibuit: in quibus fuit deuota Soror Maria Vasquez de Mello, hoc nomine laudata à P. Paulo de Barrij cap.* 9 *eius libelli, quem de deuotione erga S. Iosephum Christi Nutricium scripsit: vbi ex historiâ Sanctarum Ordinis S. Dominici conscriptâ per Fr. Ioannem Rechac dictum à Sancta-Mariâ, narrat quòd* vice aliquâ in monasterio Zamorensi desideratum fuit instrumentum seu charta quæpiam, cuius iactura magnum domui damnum adferre poterat: Sororibus autem singulis suum, cui singulariùs afficiebatur vnaquæque, Sanctum inuocantibus, ipsa se ad Iosephum ab Arimathęâ pijs precibus conciliandum vertit. Neque longâ opus fuit oratione: breui enim adfuit ad monasterij portam generoso equo inuectus nobilis, cognitus nemini, qui desiliens in pedes aduocari Mariam Vasquez præcepit, eique ad rotam accedenti verbum quidem nullum dixit; sed ipsam, de quâ omnes laborabant, schedam illi tradidit atque recessit. F *(Maria Vasquez ei pie deuota, obtem refert desideratam.)*

DE SANCTIS MARTYRIBVS NICOMEDIENSIBVS

DIONYSIO, IANVARIO, NONNA, CYRIACA, VICTORINA SEV VICTORINO, ET MARIA.

XVII MARTII.

Diem decimum septimum Martij auspicatur Martyrologium S. Hieronymi ab Martyribus Nicomediensibus, quorum nonnulli, aut saltem eisdem nominibus appellati, sunt die præcedenti relati. De his ita agitur in apographo nostro ante mille ferè annos exarato: XVI Kalend. Aprilis. Nicomediæ Dionysij, Ianuarij, Nonnæ, Cyriacæ, Victorini, Mariæ. *In apographis Blumiano & Parisiensi legitur* Victurinæ: *in Lucensi* Diunisi, Ianuariæ & Victurinæ; *reliqua consentiunt. In MS. Richenaugiensi quatuor ita referuntur:* Nicomediâ Dionysij, Ianuarij, Mariæ, Victorini, *desunt* Nonna *&* Cyriaca. *In MS. Corbeiensi duo priores leguntur:* Nicomediæ Dionysij, Ianuarij. *In MSS. Augustano S. Vdalrici, Parisiensi Labæi & Aquigranensi celebrantur* Dionysius & Maria. *Iidem referuntur à Greueno in Auctario Vsuardi. In MSS. Casinensi*
B *& Altempsiano sola* Victurina *habetur, vti solus* Dionysius *in MS. Treuirense S. Maximini, in quo leguntur ad diem* XVI *Martij ista:* In Nicomediâ Dionysij, Victurini. *Et hæc sunt quæ in perantiquis Martyrologiis de hisce Martyribus Nicomediensibus reperimus, quos referri cum aliquo scrupulo præfati sumus, quòd aliqui die præcedenti inter Martyres etiam Nicomedienses referantur, vt* Dionysius *qui hîc ceterorum Dux & Antesignanus est, ibi secundo loco statuitur; vbi deest* Ianuarius, *hîc in septem fastis repertus, pro quo semel* Ianuaria *legitur. Qui hîc in Martyrol. S. Hieronymi dicuntur* Nonna *&* Cyriaca, *pridie sunt* Nonnus, *&* Quiriacus, *quamuis etiam* Quiriaca *seu* Cyriaca *reperiatur: quo die desunt* Victorina *vt quinies legitur, seu* Victorinus, *vt tria apographa S. Hieronymi habent, &* Maria, *quæ in nouem fastis celebratur. Quâ monitione præpostâ omnes detinemus, cùm omnes sed ordine mutato ita inscripti sint Martyrologio Tamlactensi:* Mariæ, Victorinæ, Cyriacæ, Nonnæ, Dionysij, Ianuarij, Victorini, *quasi hic à Victorinâ alius foret statuendus.* E

DE SANCTIS MARTYRIBVS ROMANIS

ALEXANDRO EPISCOPO ET THEODOLO DIACONO. ITEM NICANDRO, THEODORO, ARTEMIO, SISIANO, POLLIONE ET CRESCENTIANO.

XVII MARTII.

Martyres Romani in MSS. antiquis Martyrol.

1 

Multiplex in hisce sanctis Martyribus ordinandis exorta est controuersia, in quâ discutiendâ primò sinceram nominum scriptionem proponimus. Est quadruplum apographum Martyrologij S. Hieronymi, scilicet nostrum ante annos ferè mille charactere Britannico exaratum, alterum ex antiquo codice Corbeiensi excusum Parisijs in tomo IV Spicilegij Lucæ Dacherij, tertium reperimus Lucæ apud D. Franciscum Mariam Florentinum, qui illud ibidem typis excudit: quartum in Germaniâ inuenit V. Cl. Henricus Iulius Bleumius. Addimus alia quatuor antiquiora
C Martyrologia à præcedentibus & inter se diuersa: horum aliquod adseruatur in monasterio Richenouiensi, siue Augiæ-diuitis in Sueuiâ Germanicâ prope vrbem Constantiam: alterum reperimus Parisijs è veteri codice Corbeiensi descriptum, tertium acephalum quidem, sed valdè præclarum in bibliothecâ Cardinalis Barberini detinetur: quartum est inter codices Reginæ Sueciæ, cui vltimi menses desunt. In his octo codicibus vna eademque lectio est eiusmodi; Romæ Alexandri Episcopi & Theodoli Diaconi. *Hanc lectionem vt certiorem proponit in Animaduersis ad Martyrol. Rom. Lucas Holstenius, potissimum vsus vltimo ex indicatis codicibus. Notkerus decimo Christi seculo eosdem retulit, vnicâ tantùm vocali mutatâ:* Romæ Alexandri Episcopi & Theoduli Diaconi. *In Martyrologio monasterij S. Cyriaci, quo plurimùm vsus est Baronius, ita referuntur:* Romæ Alexandri Episcopi & Theodori, *omissâ voce* Diaconi, *forsan culpâ amanuensium, &* Theodori *loco* Theodoli *scripto. Nuda etiam nomina* Alexandri & Theodoli *habentur in MS. Tamlachtensi & Labbæano, & solius* Alexandri *in MS. Augustano; vti passim in illis Martyrologijs solent nuda Martyrum nomina proponi. Greuen in Auctario Vsuardi* XVI *Martij habet:* Romæ S. Alexandri Episcopi. *At Pragense MS.* S. Theodori Diaconi.

Alexander Episcopus & Theodolus Diaconus:

2 *Et hæc de certiore lectione horum Romanorum Martyrum, ex quâ constat* Alexandrum, Episcopum *haberi, &* S. Theodolum *alijs* Theodulum *aut* Theodorum, Diaconum *in nouem codicibus appellari. Iam inter Episcopos seu Pontifices Romanos Martyres vnus est* S. Alexander, *de quo eiusque socijs ad* III *diem Maij ista in Martyrol. Rom. leguntur:* Romæ viâ Nomentanâ passio sanctorum Martyrum Alexandri Papæ Euentij & Theoduli Presbyterorum &c. *vbi in Notationibus obseruat Baronius,* Acta illorum extare apud Surium, sed plura irrepsisse menda. *Hinc nos magis soliciti Acta horum Martyrum conquisiuimus: ac primò in bibliothecâ Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ extat codex membranaceus in magno folio, signatus num. 58, in quo continetur Catalogus Pontificum Romanorum, adscriptus Damaso Papæ, sed vltra huius tempora deductus ad Ioannem I & Felicem III alijs IV, post cuius paruum elogium sequuntur nuda nomina cum tempore Pontificatus aliorum duodecim vsque ad Pelagium decessorem S. Gregorij Magni. Ex hoc Catalogo damus sequens elogium:* VII Alexander, natione Romanus ex patre Alexandro de regione Caput-tauri, sedit annos X menses VII, dies II. Fuit autem temporibus Traiani vsque Heliano & Vetere. Hic passionem Domini miscuit in prædicatione Sacerdotum: Martyrio coronatur & cum eo Euentius Presbyter & Theodolus Diaconus. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum. Hic fecit ordinationes tres, Presbyteros sex, Diaconos duos, Episcopos per diuersa loca quinque, per mensem Decembrem: qui & sepultus est viâ Nomentanâ, vbi decollatus est, ab Vrbe Româ milliario septimo, V Nonas Maij, & cessauit Episcopatus dies XXXVII. *Eadem ferè leguntur apud Anastasium Bibliothecarium, & quod hæc maximè spectat dicuntur* cum eo martyrio coronati Euentius Presbyter & Theodorus *siue* Theo-
F

veluti in Catalogis Pontificum Romanorum;

A Theodulus Diaconus. *Alia Acta habemus valde vetusta sub hoc titulo:* Incipit passio Alexandri Episcopi & Theodoli. *Et horum exordium est eiusmodi:* Comprehenso beatissimo Alexandro Episcopo ex Vrbe ab Aureliano tyranno. *In hisce Actis nulla mentio est S. Euentij, sed cùm S. Alexander in camino ignito fuisset illæsus,* quidam iuuenis de populo lacrymans, nomine Theodulus, exclamauit dicens: Iustus vir & magnus Episcopus & Doctor moritur sine causâ, quia Deum suum confitetur. *Et post alia:* Ego ab eo sum Christianus effectus in patriâ meâ ... Missi ambo in furnum... Vox de cælo facta est: Ecce aperti sunt cæli, Alexander & Theodule, venientes suscipite requiem, quod vobis præparatum est ab initio mundi, statimque spiritus eorum receptus est. *Denique sub finem ista habentur:* Martyrizauerunt autem beatissimum Alexandrum Episcopũ & Theodulum laicum apud vrbem Romam quinto Nonarum Maiarum sub Aureliano Imperatore, *imò Iudice seu Præside. Alia demum Acta sunt à Mombritio olim edita, & postmodum à Surio sed mutato stylo, quæ nos habemus ex varijs codicibus MSS. & hoc ferè exordio:* Quinto loco à B. Petro Apostolo Romanæ Vrbis Ecclesiæ Cathedram (*alijs* regimen) Alexander suscepit (*alijs* tenuit, aut sedit) sanctitate incomparabilis, iuuenis quidem ætate sed fide senior. *In his Actis mentio fit de SS.* B *Euentio & Theodolo: & passim* Presbyteri *ambo appellantur, sed sunt illa Acta à Baronio notata, tamquam mendis respersa. Quod huc facit ex antiquo Catalogo Romanorum Pontificum, ab Anastasio Bibliothecario postmodum descripto, constat* S. Theodolum *habitum* Diaconum; *eumq́; in Actis MSS. peruetustis socium S. Alexandri Episcopi absque S. Euentio statui: quæ planè Martyrologijs suprà relatis congruunt. Ex quibus omnibus videmur potuisse hosce duos sanctos Martyres ad* III *Martij remittere, quo die in antiquioribus codicibus MSS. socius* Theodolus *appellatur, rarius* Theodulus *aut* Theodorus. *Potuit autem eius & S. Alexandri Translatio reliquiarum aut alia solennitas ad hunc diem celebrata fuisse: quæ omnia erunt accuratiùs examinanda ad dictum* III *Maij.*

& in vetustis Actis MSS.

pleniùs proponendi 3 Maij.

3 *His positis progredimur ad Martyrologium Romanum: in quo ad* XVII *Martij ista recitantur:* Romæ SS. Alexandri & Theodori Martyrum. *Addit Baronius in Notis:* Alexandri, aliàs Nicandi & Theodori. Restituti sunt hi ex eo, quod diximus vet. manuscr. exemplari. Nicandri & Theodori Martyrum corpora translata sunt à Sergio Iuniore Papâ in titulum Equitij, vt vetus inscriptio marmori incisa illic posita testatur. *Hæc Baronius.* C *Ac primo vetus manuscriptum, occasione cuius ipse restituit, & retulit hos Martyres ad hunc diem, est Martyrol. monasterij S. Cyriaci in quo diximus ista legi, & quidem absque vllius alterius Sancti mentione:* XVI Kalend. Aprilis Romæ Alexandri Episcopi & Theodori, *pro quo mutatâ litterâ octo codices optimæ notæ habent* Theodoli Diaconi *& multò plures ad* III *Maij* Theodulum *quo interim die in Bedâ genuino & alijs MSS. legitur* Theodorus. *Cum* Alexander *etiam* Episcopus *in codice S. Cyriaci statuatur vt in alijs octo MSS. non videmus quomodo possit censeri esse Nicander, cuius corpus à Sergio dicitur translatum in titulum Equitij. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ob hanc Baronij annotationem ista scribit:* Alexander, siue vt alij codices habent, Nicander & Theodorus Romæ martyrij palmam promeruêre (licet sub quibus Imperatoribus ignoretur) quorum corpora vnà cum alijs à Sergio II Pontifice circa annum salutis DCCCXLVI in titulum Equitij translata quiescunt, vt marmorea inscriptio monet. *Hæc Ferrarius, à quo alij codices debuissent indicari: vt nos suprà decem attulimus, omnes antiquitate venerabiles, in quibus* S. Alexander Episcopus *statuitur. Quo posito non potest in eius locum substitui, qui in allegatâ inscriptione ab alijs Episcopis secernitur. Plures ex Martyribus in illâ nominatis refert primo loco Ferrarius in Catalogo generali his verbis* Romæ SS. Martyrum Crescentiani, Sistani, Pollionis Anthemi, Theodori & Nicandri. *& citat tabulas Ecclesiæ S. Martini in Montibus. Ecclesiæ huius SS.* D *Siluestri & Martini de Montibus antiquitatem edidit Romæ anno* MDCXXXIX *Ioannes Antonius Philippinus, Prior Conuentus Ordinis Carmelitani, ad quem dicta Ecclesia spectat, qui p. 77 citatam inscriptionem habet: in quâ hi Martyres ita exprimuntur:* Artemius, Sisianus, Pollio, Theodorus, Nicander, Crescentianus. *Sed ipsam inscriptionem addimus.*

alij ab his Nicander & Theodorus Mart.

4 Temporibus Domini Sergij Iunioris Papæ recondita sunt in hoc sacro altari corpora Beati Siluestri & Martini Pontificum: item corpora beatissimorum Fabiani, Stephani & Sotheris Martyrum ac Præsulum. Adsunt etiam corpora Asterij & Sanctissimæ filiæ eius, nec non corpora Sanctorum Cyriaci, Papiæ, Mauri, Largi, Smaragdi & sociorum: item corpora Sisinij, Anastasij & Innocentij Pontificum, vnà cum sanctis Episcopis Quirino & Leone, pariterque Artemio, Sisiano, Pollione, Theodoro, Nicandro Crescentianoque Martyribus: cum quibus adhuc reposita fuerunt corpora Beatorum Sotheris, Paulinæ, Memiæ, Iulianæ, Quirillæ, Theopistis ac Sophiæ Virginum & Martyrum, nec non Beatæ Quiriacæ viduæ, beatæque Iustæ cum alijs multis vtriusque sexus, quorum nomina Deo soli sunt cognita: quorum corpora sacro altari, illud ipsis dedicans, collocauit. Sunt autem hæc Sanctorum corpora translata de cœmeterio Priscillæ viâ Salariâ, & dictus Pontifex concessit singulis ad hanc E ecclesiam Sanctorum Siluestri & Martini deuotè venientibus in festiuitatibus istorum Sanctorum, tres annos & tres quadragenas de verâ indulgentiâ. *Hæc ibi, quibus si Philippinus addidisset ipsas festiuitates siue dies, quibus ipsi Sancti olim soliti sint habere suam venerationem, hinc nostræ inquisitioni lucem attulisset. Venerati ipsi Romæ anno* MDCLXI *ipsas reliquias sumus, & dictam ibidem inscriptionem legimus, quam aliqui non admodum antiquam censent: ceterùm ex eâ colligi nequit* S. Nicandrum *ibi memoratum esse* S. Alexandrum Episcopum *seu* Papam Martyrem, *eiq́; iunctum* S. Theodorum *esse* Theodolum *eius* Diaconum. *Differunt etiam loco sepulturæ, quia* SS. Alexander Papa & Theodolus *habuerunt suum cœmeterium viâ Nomentanâ, & hæc corpora dicuntur translata de cœmeterio Priscillæ viâ Salariâ.*

Inscriptio translationis sub Sergio II Papâ facta.

5 *Vltimam controuersiam adfert Tamayus Salazar dum in Martyrol. Hispan. ad* XVII *Martij ista scribit:* Romæ S. Alexander Martyr, qui cum Theodoro agonem consummauit, & à Sergio Iuniori Papa eius corpus translatum, & pòst apud Matritum allatum, vbi in Conuentu S. Bernardini Fratrum Excalceatorum S. Francisci in capellâ D. Martini de Cordobâ honore F debito adseruatur. *In Notis ait,* monasterium illud in solitudine à Francisco de Gornicâ, Philippo II Regi Catholico in regalium rationum cœtu à consilijs, anno MDLXXII extructum, & in huius conuentus angulo D. Martinum à Corduuâ Cruciatæ Generalis Cõmissarium Priorem & Dominum de Iunquerâ insigniem capellam erexisse: in qua aliquot Sanctorum corpora Româ delata honorificè collocauit. *Ægidius Gonzales Dauila in Theatro Madritensi lib. 1 cap. 8 asserit esse* tria sacra corpora SS. Alexandri, Guillermi, & Eustachij à Paulo V Papâ submissa cum varijs alijs reliquijs. *Hieronymus Quintana lib. 3 Hist. Madritensis cap. 113 ait coli S. Alexandrum* XVII *Martij, Guillermum* X *Februarij, Eustachium* XX *Septemb. & Iocundum* IX *Ianuarij, cuius corpus etiam esse addit. Videntur Fratres Excalceati dicti conuentus absque aliâ reflexione dies illorum venerationi assumpsisse ex Martyrologio Romano, quasi in eo omnes Sancti essent enumerati. Hinc quia in eo deerant Romæ passi* Iocundus *&* Guillermus, *illum acceperunt* Martyrem Afrum, *hunc* eremitam *&* Ordinis proprij fundatorem, *cuius corpus Castilione Piscalia in ditione Senensi, & caput Antuerpiæ in templo Societatis Iesu adseruari, latè ostendimus dicto* X *Februarij. At Tamayus in S. Eustathio maiorem difficultatem veritus, citatâ ad* XX *Septembris Historiâ Madritensi Quintanæ, addit* huius auctoritate se ab aliâ comprobatione

aliquod corpus S. Alexandri de aliunde Româ Madritum.

& ibi colitur 17 Martij.

cum alijs ad hunc diem relati.

A probatione liberum existere, *quod ad hunc diem etiam potuisset facere, omissâ vetere inscriptione, in quâ cum nullius Alexandri fieret mentio, intrusit nomen* Alexandri seu Nicandri. *Verum huius sacra pignora ibidem detinentur, neque inde extracta sunt, ac Madritum, vt scribit, allata.*

alius à S. Alexandro & Nicandro statuitur.

6 *Eodem modo Patres Theatini Bononienses in suâ ecclesiâ, Apostolo Bartholomæo sacrâ, habent* corpus S. Theodori Martyris, *à Paulo V Pontifice acceptum, cuius venerationi elegerunt etiam* XVII *Martij, quòd hoc die in Martyrol. Rom. adscribatur* S. Theodorus Martyr. *In eiusdem vrbis ecclesiâ S. Gabrielis ad portam Rauennatem inuisuntur aliquæ reliquiæ etiam* S. Theodori Martyris: *de quibus omnibus agit ad hunc diem in Bononiâ perlustratâ Antonius Pauli Masini.* D

Corpus & reliquiæ S. Theodori Mart. Bononiæ.

DE MARTYRIBVS ALEXANDRINIS
IN TEMPLO SERAPIDIS.

ANNO CCCXC XVII MARTII.

Sub Theodosio idololatria exscinditur:

THeodosij Imperatoris regnum tum alia multa nobilitarunt, tum eximiè religionis Christianæ profectus, subuersâ penitus totoque Imperio excisâ idolorum profanorum superstitione: cuius professores in Ægypto abominandis deorum patriorum ritibus ad insaniam deducti, extrema quæque amenti furore exorsi sunt propter Theophilum: qui anno Theodosij IX, Christianæ Æræ CCCLXXXVII, Timotheo Alexandrino suffectus fuerat, & zelo religionis actus profana gentilitatis mysteria in publicam lucem irridenda protraxerat, anno post suam consecrationem tertio. Etenim in apertam B demum seditionem correptis armis & multâ cæde patratâ prorupere: deinde in Serapidis templum sese recipientes, ex ijs quos captiuos fecere Christianos; nec ad impiorum communionem rituum potuerunt pertrahere, multos illustri coronatos martyrio transmiserunt ad Superos. Numerum ac nomina eorum adscripta in libro vitæ habet Deus, fortium fidelis munerator certaminum: vt autem confusa saltem eorumdem memoria annuè recoleretur, Romana Ecclesia effecit, cùm eis in Martyrologio Romano à Baronio recognito locum hunc tribuit. Rem porrò vt gesta est Sozomenus, temporibus illis vicinus scriptor, historiæ Ecclesiast. lib. 7 cap. 15 in hunc modum exposuit.*

sed Alexandria nō sine sanguine Christianorum,

Per hoc tempus Alexandriæ Episcopus templum Bacchi, quod apud ipsos erat, in ecclesiam transformauit: dono enim illud ab Imperatore petitum acceperat. Dum autem expurgantur simulacra, dū aperiuntur penetralia; cùm ille opportunè deridere studeret mysteria Paganorum, hæc ipsa pandebat: ac Priapos, & si quid aliud in secretis penetralibus ridiculum erat aut videbatur, publicè in conspectum proferebat. Ibi & veritate & nouitate rei gestæ consternati Pagani quiescere non sustinuerunt, sed conspiratione inter sese factâ, Christianos adorti sunt, & aliis occisis, aliis C vulneratis templum Serapidis occupant. Erat hoc templum & pulchritudine & amplitudine illustrissimum in colliculo situm. Hinc igitur velut ex arce quapiam de improuiso irruentes, ex Christianis multos comprehenderunt, ac tormentis adhibitis sacrificare coëgerunt: quod qui facere detrectabant, eorum alios in crucem egerunt, alios confractis cruribus, alios aliis modis sustulerunt. Cùm autem ad tempus multum durasset hæc seditio, accedunt eos Principes ac legum commonefaciunt, & à bello cessare iubent, ac Serapidis templum relinquere. Præerat autem tunc militum cohortibus per Ægyptum Romanus, ceterùm Euagrius Præfectus Alexandriæ erat: qui quidem cùm nihil proficerent, Imperatori factum indicarunt .... Imperator verò, annuntiatis his quæ facta erant, Christianos eos qui sublati erant Beatos pronuntiauit, vt qui martyrij præmium consecuti essent pro fide suâ periclitati: interfectoribus autem veniam concedi iussit, vt accepti beneficij reuerentiâ promptiùs ad Christum conuerterentur: templa autem, quæ Alexandriæ erant, quoniam seditionum populo fomes essent, euerti voluit.

quos plebs primum in seditionem actae occidit,

deinde captiuos in templo Serapidis variè interemit:

martyribus ad numerandos

Similia ferè Socrates narrat lib. 5 cap 16 & ex vtroque E *Nicephorus Callistus lib. 12 cap. 25 apud quos eorum qui ante occupatum Serapidis templum cæsi sunt magis dubius est Martyrij titulus: quoniam hi non spontaneæ Christo victimæ, sed vim vi repellentes cæsi sunt. Nam Gentilibus promiscuâ ex improuiso cæde grassari incipientibus se quoque ad defensionem accinxere Christiani:* & pugna vsque eò creuit, quoad cædis faciendæ satietate tumultus sedaretur. Interieruntque in eâ dimicatione Gētilium pauci, Christianorum permulti, ex vtraque parte sauciati propemodùm innumerabiles. *Dubium tamen non est, quin in istis multò potior pars inermium fuerit, quos subita oppresserit violentia; multi quoque diuinitus roborati & illustrati, lætanter etiam promptèque animas suas posuerint, & veris Martyrum titulis glorientur in cælis. Hos igitur adiunctos ijs, quos non efferuescentis iracundiæ impetus è medio sustulit, sed deliberatus impietatis, tanto sanguine necdum satiatæ, furor extinxit, hodierno die recolit Ecclesia.*

præ ijs qui prius cæsi sunt

vim vi repellentes.

De Serapidis autem mysterijs ac templo Romani capitolij æmulo eiusq. subuersione, plura qui volet ex varijs videre collecta, Annales Cæsaris Baronij consulat ad an. CCCLXXXIX *num. 84 & seqq. Nos ad sequentem annum hæc acta retulimus, secuti Theophanis accuratiorem chronographiam, qui anno Theodosij* XII *eadem breuius his verbis narrauit.* Theophilus Alexandriæ Episcopus à Theodosio Imperatore licentiam precatus, gentilium fanum, phallosque, & si quid magis prophanum atq; obscœnum erat, publico exposuit risui; vnde Gētilium plebs pudore perfusa, cædes quamplurimas perpetrauit. His porrò Theodosius auditis, & de tantis cædibus certior factus, Christianos morti traditos inter Martyres Beatorum numero statuit recensendos: Gentilibus verò, si modò se ad Christianam religionem transferrent, veniam obtulit: fana demum euerti, idolaque conflari, & in pauperum necessitate erogari mandauit. F

Acta breuius ex Theophane.

DE S. AMBROSIO DIACONO
ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO.

CIRCA AN. CCCC. XVII MARTII.

Laus à libris scriptis ex S. Hieronymo

AMbrosius Alexandrinus, auditor Didymi, scripsit aduersùm Apollinarium volumen multorum versuum de dogmatibus: &, vt ad me nuper quodam narrante relatum est, commentarios in Iob. Qui vsque hodie superest. *Ita Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis: vnde habemus eum circa initium quinti seculi sub Theodosio Iuniore floruisse, prout asserit Constantinus Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, Ordini eum suo adscribens: sicut & ante ipsum Ioannes de Nigra-valle Bibliothecarius Apostolicus fecerat, liberaliter eidem dij ciens titulum* Cardinalis: *nec mirum quando etiam Didymum illius magistrum suis adscribunt. Et hoc quidem minoris*

A minoris facimus, pluris existimamus quòd in tam multis antiquis MSS. Sanctorum numero adscribatur, in quibus sunt duo valde vetusta & illustria Anglicana, alterum Bibliothecæ Altempsianæ Romæ, alterum Musæi nostri, ante annos sexcentos scriptum: quòd inquam in talibus hæc legantur: Alexandriæ natalis S. Ambrosij eiusdem Ecclesiæ Diaconi, qui cōfessionis Dominicę gloriâ insignis fuit. Eadem leguntur in duobus alijs, haud multò inferioris antiquitatis, Adonis MSS. exemplaribus, apud Reginam Sueciæ Christinam & in monasterio S. Germani à Prato repertis: nec non in Vsuardo à Carthusianis Coloniensibus aucto, & excuso anno 1490; D iterumq; anno 1521 ab Hermanno Greuen: quibus consonat vetustissimus Ado MS. ecclesiæ S. Laurentij Leodij. Alia, vt MS. Ecclesiæ Remensis SS. Timothei & Apollinaris, & MS. Florarium nostrum, atque Molanum omisso confessionis elogio solum Diaconi titulum habet: at Carmeli Coloniensis MS. etiam Martyris. his accedunt VVitsordus in Anglicano, Canisius in Germanico Martyrologijs, præcitatum Confessionis elogium gloriosè extollentes.

Titulus & titulus Cōfessionis gloriosa — *ex Martyrologijs antiquis*

DE S. AGRICOLA EPISCOPO

CABILONE IN GALLIA.

Commentarius historicus.

AN. DLXXX XVII MARTII. Ex S. Gregorio Turon. coæuo

1 Sanctus Gregorius Turonensis, cui vni tantùm debet historia Francica quantùm alijs scriptoribus ante ipsum simul omnibus, totam penè dedit notitiam, quæ nobis de S. Agricolâ Cabillonensi Episcopo est relicta; idque breuibus, sed non exiguæ virtutis indicibus verbis, quæ huc B ex libro Historiarum quinto transcribimus. Hic liber quintus finitur in anno pariter quinto Childeberti Regis, qui anno DLXXV, mortuo die XXV Decembris Sigeberto, successit, prout manifestissimis characteribus euicimus 1 Febr. § 9 Prolegom. ad Acta S. Sigeberti Austrasiorum Regis. Frustra igitur est quicumque existimat lapsum Gregorium memoriâ esse, cùm huic anno quinto mortem S. Agricolæ adscribit: quasi is anno Christi DLXXXIII respondeat, cùm sit annus ipse DLXXX, quo mortuum esse hunc Sanctum Episcopum nemo hactenus dubitauit. Sanè cùm istum de quo agimus scriptorem, ex suo ipsius testimonio constet, anno post S. Martini transitum CLXXII Episcopum esse ordinatum, desijsse autem historiam scribere anno suæ ordinationis XXI, adeoq; anno Christi DLXXXIX: mirum est quomodò alicui venire in mentem possit, vt in rebus, tum cùm scriberentur gestis, penè oculatum testem putet esse arguendum erroris; quamuis ad eius tuendam auctoritatem alia nulla argumenta adessent: nunc verò cùm ea adsint plurima, eæque, vt diximus, conuincentia, absque vllo dubitationis scrupulo teneamus, vera esse ac solida omnia, quæ de coæuo sibi Antistite scripsit.

certò habetur annus mortis,

& elogium S. Agricolæ,

2 Sub annum igitur Childeberti V, Christi DLXXX, hæc habet. Agrœcula autem Cabillonensis hoc obijt tem- C pore: fuitque homo valdè elegans ac prudens, genere Senatorio. Multa in ciuitate illâ ædificia fecit, domos composuit, ecclesiam fabricauit, quam columnis fulciuit, variauit marmore, musiuo depinxit. Magnæ autem abstinentiæ fuit: nam numquam prandio vsus est, nisi tantum cœnâ, ad quam sic temporiuè residebat, vt sole stante consurgeret. Humanitatis, id est, staturæ, exiguæ, facundiæ verò magnæ erat. Obijt autem Episcopatus anno quadragesimo octauo, æui autem octogesimo tertio: cui Flauius Referendarius Guntchramni Regis successit. Ex quibus sequitur, anno Christi DXXXII ad gradum Episcopalem, in vitam verò anno CCCCXCVIII venisse. Quæ alia de eodē idem Gregorius scripsit, libro de gloriâ Confessorum cap. 85 & 86, inseruntur Actis inuentionis, quæ damus ex veteri Legendario Cabillonensi olim ad nos transcripto à Claudio Perrio Societatis Iesu, ac deinde ad calcem Historiæ suæ Cabillonensis ab eodem editæ impressa, sicut & à Petro Cusset post eiusdem historiæ tomum 2: nos autem sic accepta contulimus cum alio MS. Diuione apud P. Franciscum Chiffletium reperto.

Acta inuentionis & eleuationis

ipsius & aliorum,

3 Est quidem hæc inuentio pluribus alijs Cabillonensibus Sanctis communis; Sanctis videlicet Lupo & Siluestro, eiusdem Ecclesiæ Episcopis etiam ipsis: sed de S. Agricolâ præcipuè atque accuratiùs agitur in relatione, quæ & miraculo terminatur, ipso, quo Ioannes Papa sacrum eius corpus publicæ venerationi exposuit, anno patratum. Hic autem quis? Octingentesimum septuagesimum nonum designat auctor, rem suâ ætate, vt præfatur, gestam scribens: octauum scribi debuisse ex tēpore Concilij Tricassini sic demonstramus: Pridie nonas Maij inuentum est corpus, eodem autem anno venit Cabilonem Pontifex, indeque ad Concilium Trecis indictum abijt, ac rursum rediens Cabilonem, repertos nuper Sanctos Sanctorum Albo canonicè accensuit: cumq; VIII Kalendas Decembris E Taurinum peruenisset in Italiam rediens, Episcopis Lombardiæ scripsit epistolam, quæ inter editas est 142, quâ eos Papiam ad celebrandum Concilium accedere iussit in ante IV Nonas Decembris: adeò vt geminus Papæ Cabilonem accessus non possit duobus diuersis annis attribui, sic vt postremus inciderit in annum DCCCLXXIX. Nec enim nisi quatuor mensium mora Pontifici in Galliâ fuit, prout liquet ex dictis, idq; anno DCCCLXXVIII Indictione XI, vt pluries in Concilij Tricassini Actis epistolisque celebrationem eius prægressis ac subsecutis dicitur: cùm verò annum sequentem DCCCLXXIX Indictionis XII inchoarent Franci non à Ianuario, sed à Paschate, quod tum in vltimum Aprilis diem cadebat, consequens est quòd illuminatio cæci, quæ narratur ipso anno Canonizationis facta, dici debuerit anno quem diximus octauo accidisse; quamuis pertinuisset ad quatuor primos menses anni noni more hodierno à Ianuario inchoandi.

non an. 879 sed 878 facta:

vti & miraculum subsecutū.

4 Præter hæc, quæ sunt præcipua, memoriam & nomen S. Agricolæ posteritati commendarunt tum Concilia Gallicana varia, eius tempore celebrata, tum Martyrologia antiqua MSS: quæ ei titulum Sancti confirmant. Concilia sunt Aurelianense III, anno DXXXVIII habitum, cui Auolus Presbyter directus à Domno suo Agricolâ Episcopo Ecclesiæ Cabillonensis subscripsit; tum quibus ipse per se nomen F suum apposuit, IV & V, annis DXLI & DXLIX: item Aruernense, Parisiense, Lugdunense secunda omnia, annis eiusdem seculi XLIX, LV, & LXVII. Martyrologia verò hæc inuenimus: Vaticanum atque Pragense; tum Vsuardus variè auctus in vetustis MSS. Aquicinctino, Treuirensi, Parisino S. Victoris; excusus quoque auctusq; à Molano & Grèueno, nec non Florarium Sanctorum MS. quæ omnia ijsdem vtuntur verbis: Cabilonis, aliàs Cabilone S. Agricolæ & Confessoris: eoq; titulo Ecclesia Cabilonensis ipsum Officio ritus duplicis honorandum instituit, ac duas ei proprias lectiones, anno 1620 impressas, concinnauit: quæ ex præcitato D. Gregorij Turonensis loco, mutatis dumtaxat verbis, acceptæ, de corpore eius ista habent: Eius corpus, primò sepultum in ecclesiâ S. Marcelli, Gilbardus Episcopus reuerenter extumulatum decenti ac honesto loco reposuit, anno salutis DCCCLXXIX; quo eodem anno Ioannes Papa VIII, sanctitate miraculis testificatâ conspicuum, Sanctorum numero adscripsit. Nos miracula Canonizationem prægressa nusquam reperimus: pro anno nono scribendum esse octauum iam demonstrauimus.

Nomen S. Agricolæ in Concilijs,

& Martyrologijs,

festum Cabilone,

5 Reliquiarum eius nihil ampliùs superesse dolenter testatur Claudius Perrius, quod nouitijs seculi superioris iconomachis imputari potest ad execrationem impijssimæ sectæ.

Idem

A *Idem ait in prædictâ S. Marcelli ecclesiâ tumulum monstrari episcopalem, qui S. Agricolæ esse dicatur, iunctum parieti alæ eius, quæ est ingredientibus sinistra ad cornu Euangelij, proximum septo sacelli minoris: sed addit nullam apparare inscriptionem, quæ id confirmet; ideoque non posse se quidquam in alterutram partem pronuntiare. Penè exciderat fuisse Agricolam nostrum non coæuum tantùm ac familiarem Venantio Fortunato, insigni seculi sui Poëtæ; sed etiam eumdem, qui Agricolæ pater fuit, Venantio fuisse scientiarum & virtutis magistrum; idque eo testatum esse carmine, quod libro 3 poëmatum ordine 22 legitur; & Agricolam inuitat in eiusdem tituli successionem:*

& cenotaphium.

Venantij Fortunati poëma ad ipsum

Præsul, honoris apex, generis fideique cacumen,
Cultor agri pollens, pastor opime gregis.
Cùm mea terra manu meruit genitoris arari,
Reddatur nati nomine culta sui.
Nam pater affectu dulci, memorabilis orbi,
Me vobiscum vno fouit amore duos.
Corde parens, pastu nutrix, bonus ore magister,
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata noualia seuit;
Quod pater effudit hoc mihi semen ale.

vt sibi magister vice patris esse velit.

ACTA ELEVATIONIS S. AGRICOLÆ ET ALIORVM SS. Lupi, Siluestri ac Desiderati.

Ex veteri MS. Legendario Ecclesiæ Cabilonensis.

Deo fidens auctor.

1 BEatorum Patrum gloriosa merita prædicare desiderantes, mole grauida peccati conscientia nos terret, vt eorum exempla alijs proponenda suscipiamus, à quorum operibus, errorum laqueis innexi, omnino alieni existimus. Sed dum eos cernimus ob insignia gestorum cælesti lumine coruscantes, non pro his in desperationem lapsi, veniam quærere omittamus: imò omni corporis ac cordis nisu ad eorum saluberrimam intuitionem mentis fiduciam erigamus: vt sit nostrorum criminum clementissimus indultor, qui eorum tolerantiæ & agonis C copiosissimus extitit recompensator. Dabit nobis, huic operi intentis etiam loquendi suffragia Sanctorum, qui nos arripere hoc *a* [voluit] non iactantiæ studio, sed, quam in seipso cunctis mirabilem reddidit, obedientiæ voto. Iam itaque sacratissimorum Christi Confessorum atque Pontificum, Siluestri atque Agricolæ, & beatissimi Desiderati Presbyteri pretiosa corpora formidolosa laudatio expromat, qualiter nostri temporis ætate diuino instinctu contigerit reuelari.

a scribit inuentionem S. Agricolæ & aliorum

2 Nam licet scriptor quidam multa de ijs mirifica, quæ semper in promptu aderant, suis indiderit opusculis, tamen quibus specialiter locis eorum gloriosi cineres haberentur humati, incuria faciebat & negligentia dubitari. Vnde ne semper fidelibus incogniti manerent, placuit diuinitati, modo inferiùs annotato, eos diu desideranti clero & populo manifestare. Dum venerandus *b* Girbaldus Cabilonensis vrbis Antistes Ecclesiæ Pontificatum administraret, inter reliqua sacræ actionis studia, frequenti indagine perquirebat corpora sanctorum eiusdem ciuitatis Episcoporum; præcipuè horum, quorum memorias nonnulli scriptorum suis inseruerunt libris. Piâ satis sollicitudine permotus, vt scilicet cognitis & patefactis eorum mausolæis; populos maior venerationis deuotio inflamaret.

sub Episcopo Girbaldo b

3 Primùm itaque aliorum vsus consultu & consilio Episcoporum, beatissimum Dei Confessorem Lupum, de cuius glebâ nulla ambiguitas erat (quia sicut relatio Vitæ *c* eius indicat, in basilicâ Sancti Petri suburbanâ, ad dexteram partem altaris sepultus, frequentibus miraculis colebatur) vt amplior accederet veneratio, & facilior aduenientibus pateret intuitus, adhibito secum *d* è vicino Matiscensis vrbis Pontifice, & conuocatis fidelium populorum cateruis inde reuerenter effossum, & Sacerdotum manibus elatum, exultantibus psallentium choris, post altare digno loco humauit, & lecticam super de more erexit. Hoc autem religiosè actum est quarto calendarum Septembrium die, octogentesimo septuagesimo septimo dominicæ Incarnationis anno. Deinceps verò antedictus Præsul, magno ardebat desiderio reperire corpora sanctorum Antistitum *e* Siluestri & Agricolæ, atque B. *f* Desiderati presbyteri. De quibus licet compendiosè splendidè tamen magnificus vir Gregorius Turonensis Episcopus in libris *g* miraculorum ita scribit.

qui refosso S. Lupi corpore D *ex Mss.* *an. 877* *etiam alios quærendis intendit.*

4 Beatissimus verò Siluester Cabilonem rexit Ecclesiam, qui quadraginta duobus annis Sacerdotio *h* huius vrbis functus, plenus dierum atque virtutum migrauit ad dominum. Habuit enim lectulum funibus innexum, sub quo cùm semel atque iterum infirmi, siue quartanarij siue varijs febribus oppressi subderentur, statim virtute diuinitus inditâ sanabantur. Idcirco *i* lectulum hunc in Ecclesiæ sacrario deportatum, simili virtute nitescit. Multi enim sicut oculis proprijs inspexi abscissis de funibus lecti illius faciebant particulas, & in longinquo deferebant, ipsisque super infirmos locatis sanitatis beneficium contuebantur. Nam mater mea ad hoc decisâ particula, vt puellæ à frigoribus febricitanti collo dependi fecit, morbo extemplò depresso, puellam sanari aspexit.

Elogium S. Siluestri Ep. E

5 Fuit in hac vrbe & Desideratus Presbyter, quem ego in monasterio Guerdonensi vidi virum sanctitate magnificum, qui sæpius frigoriticis, dolore dentium laborantibus, aliisque morbis, orando finem imposuit. Nam etiam vsquequaque reclusus erat, hoc est non egrediebatur cellulâ: sed qui voluisset eum videbat in cellulâ. Hic, vt diximus, eximiis illustratus virtutibus emicuit seculo. Quod audiens benedictus Agricola Episcopus, misit Archidiaconum suum, vt beatum corpus vrbis cœmeterio deferret. Sed resistentibus monachis, quod iussum fuerat, non impleuit. Post hæc ædificato xenodochio leprosorum Sacerdos suburbano, in eius basilicâ collectis *k* ciuibus & omni Clero, beatum corpus transtulit, & in basilicâ superiùs nominatâ summo studio sepeliuit: qui se nunc viuere cum Christo magnis virtutibus manifestat.

& S. Desiderati Presb. à S. Agricolâ translati. F

6 Et quidem de vniuscuiusque horum venerabilium Patrum egregiis actibus conscriptos esse libellos nemini est dubitandum, vbi series natiuitatis, & ordo sanctæ conuersationis eorum, dignitas Sacerdotij & miraculorum insignia liquidiùs fuerint comprehensa: quos tamen frequentibus eiusdem vrbis incendiis cōstat absumptos. Nam in martyrologiis pluribus dies sacri eorum transitus inueniuntur adnotati. Sed in titulis sepulcrorum apud Ecclesiā Sancti Marcelli Martyris trans Ararim amnem, quàm laudabiliter in vitâ miraculis claruerint, lucidè exarata carmina pandunt: quæ sæpè memoratus Pontifex recitans, magno & continuo inueniendi eos amore æstuabat. Tandem diu clausum animo desiderium exponens illuc accessit, & relecto Beati Siluestri Epitaphio, leuatoque à sinistrâ parte altaris cum inscriptis versibus marmore, accipiēs rastrum primus ipse Sacerdos fodere cœpit, & posteà alij quique, qui vndique congregati confluebant; huius voti effectum psalmis à domino & laudibus quibus poterant operientes.

Acta deperdita: *memoria in Martyrologiis.* *refoditur corpus S. Siluestri*

7 Iam ergo egestâ telluris congerie apparet sarcophagum diuino intus honore plenum: hoc propriè expectanti Episcopo statim intimatur, & gaudio ductus accurrit. Nec mora reserato à Presbyteris & Diaconibus

A conibus tanti thesauri tegmine ingentem seu suauis vnguenti fragrantiam sacra pignora contrectantes, diuino munere hauserant. Iacent ossa omni pretio cariora, ipsa adhuc caro tamquam recens sentitur & viuida. Quæ Sacerdos lachrymis infusus reuerendis luminibus conspicatus, aliis quibus visum est, intueri permisit. Sicque sacro velamine contegens, diem ipsam cum nocte laudibus continuauit & hymnis.

ex MSS.

dain S. Agricola Ep.

8 Intereà cum circa huiusmodi officium Sacerdotes cum reliquis ministris intendunt, Dominus Pontifex cum aliquibus clericorum ad sanctum Agricolam properat: cuius corporis *l* transferendi caussa hæc fuit. Idem beatissimus vir secus pedes S. Marcelli vnius tantum maceriæ interclusione fuerat humatus. In quo loco postmodum à deuotis & religiosis crypta est mirifico opere & ornamentis extructa, adhærens lateri domus extrinsecus, tabulatis & columnis decorata marmoreis, vsque ad summitatem basilicæ in altum porrecta: sepulcrum verò tegebat tabula speciosa marmorea, titulum in se continens scriptum, quo pandebatur quantum esset colendus, cuius ibi seruabantur exanimes artus.

cuius olim fuerat splendidum sepulcrum.

9 Sed cuncta huius operis fabrica ob incuriam seniorum eiusdem loci iam deperierat, adeò vt sepul- B crum Sancti nullo tegmine coopertum pluuiis infunderetur & imbribus. Quod dedecus vltra non ferens deuotus Sacerdos, eodem die sicut diu animo voluerat reuelatâ sepulcri tabulâ, beata ossa cum sacris cineribus inspexit, & quâ potuit diligentiâ curauit; inuoluensque linteis & capsulâ recondens, super aram Sancti Petri intra ecclesiam, clero & populo exultante, sequenti die deuexit. Ibique magno exhilaratus gaudio Missas fecit. Quibus Ecclesiastico more celebratis, sumens ex vtroque reliquiarum partem, beatum Siluestrum, sicut pridem fuerat, iterum humo & marmore texit: Beati vero Agricolæ pretiosa membra, sigillis munita & palliis cooperta, supra iam dictum altare dimisit. Acta sunt hæc circa Sanctos Dei pridie nonas Maij: quorum ipso die reliquiæ, fauentibus vndique populorum occursibus, propriæ sunt illatæ vrbi.

vtriusque solennis translatio.

10 Eodem autem anno, qui est ab Incarnatione Domini octingentesimus septuagesimus *m* nonus Dominus Ioannes summæ sedis Romanæ Apostolicus Pontifex, pro inlatis *n* eidem Ecclesiæ contumeliis cum Ludouico *o* Balbo tractaturus, & cum Episcopis generale Concilium habiturus, Gallias penetrauit. C Et dum contiguas suo itineri ciuitates attingeret, Cabilonum deuenit, vbi dum duodecim dierum moras innecteret, ab Episcopo relatum est ei de inuentione beatorum corporum. Sed tunc multimodo caussarum fasce grauatus, illuc accedere distulit. Cabilone autem digressus Augustam Trecorum Vrbem expetiit, vbi cum multo Episcoporum cœtu diu pertractauit, atque inibi cum eis Ludouicum olei sacrati vnctione Regem confirmauit.

Ioānes VIII Cabilone transit.

11 His & aliis propter quæ venerat pro modo & tempore adimpletis, cum regredi pararet, denuò Cabilonensem ciuitatem repetiit: à quâ cùm discederet, ad monasterium Sancti Marcelli à præfato Episcopo est deductus. Tunc delato iuxta altare B. Agricolæ sarcophago, Dominus Papa inibi digno honore pre- D tiosum eius corpus recondidit, & vt deinceps hi Beatissimi Dei confessores venerationi haberentur, & dies eorum gloriosi transitus festiuè celebrarentur Apostolicâ auctoritate iniunxit. Quod quanta debeamus reuerentia adimplere, non multò post hæc patrata inibi virtus ostendit.

& illac rediens eos Sanctis adscribit.

12 Ipso nempe anno quidam in pago Turonico Salomon nomine, iam decem annis carens lumine oculorum, sæpè monetur in somnis vt expetens Burgundiam, monasterium Beati Martyris Marcelli festinus adiret, ibique ad sepulcrum Sancti Agricolæ accedens meritis illius suæ illuminationis gaudio potiretur. Qui quemdam socorum peritum gressum suorum rectorem adipiscens, ferens pro munere modicam ceræ particulam properare aggreditur. Adfuit pergenti velox cælestis misericordiæ medicina: nam medio itineris diu clausa acies oculorum, fugatis aliquantulum tenebris, aperitur. Quæ quotidianis gaudens profectibus, ad Sancti tumulum hominem perfectè intuentem adduxit, vbi triduum peragens fratribus eiusdem loci suæ saluationis ex ordine gaudia pandit. Sicque oblato quod secum tulerat suę deuotionis munusculo, agens gratias Deo, qui eum Sancti sui meritis illuminauerat, patriam suam iam non indigens re- E ctore reuertitur *p*.

cæcus ad S. Agricolæ corpus illuminatur.

a *Desideratur hoc aut simile verbum.*

b *Ipse se Girboldum subscripsit diplomati restitutionis ecclesiæ S. Laurentij, anno* 873, *& sic etiam nominatur in rescripto Caroli Crassi non multò ante mortem illius dato an.* 885. *Saussayus ipso, quo datum est die* XII *Iunij elogium eius habet in supplemento ad martyrolog. Gallicanum.*

c *Dedimus illam die* XXVII *Ianuarij, quo colitur.*

d *Sammarthani, Claudium Robertum secuti, errore perquàm ridiculo nomen proprium hic sibi imaginantem,* Euicinum *vigesimum ei Vrbi finxerunt Episcopum: Lambertumq́; quem & Synodo Pontigonensi inuenerant interfuisse anno* 876, *& in chartâ Ludouici Regis signatâ Indictione* XI *adeoq́; anno* 878 *nominari legebant, in duos sciderunt; quorum Euicini decessor primus, secundus eiusdem successor fuerit: nos eo expuncto non alium quam Lambertum vnicum hic accipimus.*

Episcoporū Cabill. series correcta.

e *Colitur* XX *Nouembris.* f XXX *Aprilis.*

g *Illo scilicet qui post duos libros de gloriâ Martyrum, singulariter inscribitur de gloriâ Confessorum cap.* 85 *&* 86.

h *Apud ipsum Gregorium est* sacerdotio ministrato *itaq́; habet MS. Chiffletij.*

i *Aliàs & rectiùs in Gregorio* lectulus hic, *vt etiam legimus in MS. Chiffletiano.*

k *Ibidem* Abbatibus.

l *Festum eius agitur* IV *Septembris.* F

m *Imò* octauus, *vt patet ex tempore Concilij Tricassini anno* 878 *Indict.* XI *signati: ad hoc autem tum properabat Ioannes* VIII.

n *Carolomanni, excommunicatum se non ferentis, arma fugientem Papam in Gallias venisse scribit Petrus Cusset; quod non satis consistit cum iis, quæ de eiusdem Carolomanni fugâ narrat, Baronius ad an* 877,

o *MS. Chiffletij* Ludou. Rege.

p *In eodem hæc addebantur*: Comparandus est hic per omnia Euangelico illi leproso, qui missus est cum reliquis ad Sacerdotes, atque cum illis in eundo mundatus, solus pro emundatione sui ad Dominum, cadens in facie ante pedes & gratias agens, reuertitur. Hic ad destinatum sibi tendens locum, atque inter eumdum incolumitate donatus, non antè ad propria remeauit, quàm illuc accederet, suoque illuminatori munus, quod poterat, exhiberet.

DE S. PATRICIO EPISCOPO
APOSTOLO ET PRIMATE HIBERNIÆ,
Commentarius præuius.

§ I S. Patricius vnà cum Christianâ fide litterarum vsum primus in Hiberniam inducit.

ANNO CCCCLX XVIII MARTII. *Patricius Hiberniæ destinatus Apostolus,*



1 *Vm in Britanniâ maiore, Romanorum exhaustâ delectibus & præsidio militaris iuuentutis destitutâ, Scotorum ex Hiberniâ, Pictorum à Septentrionali Albaniâ incursibus atteritur affligiturque res Christiana, auspicijs Magni Gregorij felicius sub Anglo-Saxonum dominatu resurrectura; alteri Britannicarum Insularum* (quam Iouerniam Ptolomæus, Iernem *antiquiores,* Iram *medij seculi scriptores vocauêre,* Scotiam *vsitatiore veteribus,* atque Hiberniam, *vsitatissimo nunc apud omnes nomine, Beda) fidei Magistrum Doctoremque induxit Deus, qui Christiano imperio extremum adiungeret Occidentem, ad quem sua Romani arma numquàm promouerant: Patricium scilicet, magnum quinti seculi Thaumaturgum, antiquis Britonibus oriundum, eo in tractu qui primus Scotorum vim excipere solitus, variaque fortunâ nunc ijs subditus, nunc contra eosdem à Romanis munitus, tandem nouæ Scotiæ regno sic accessit, vt inter ipsam Angliamque medius relinquatur.* (B) *Quare suum illum meritò Scoto-Britanni dicunt, & cultu celebrant singulari: à quo, intra suæ nunc ditionis terminos nato, antiquam patriam Hiberniam ita meminerunt fidei illustratam lumine, vt & ipsi eodem perfusi sint, dum transeuntibus identidem ad noui in Britanniâ imperij confirmationem auxilijs, partim armorum socios fidem in patriâ edoctos accipiunt; partim è Patricij scholâ sacrorum & veræ pietatis magistros. At longè maiori iure Scoti Hiberni eum venerantur Patronum, cui vni debens, quòd patria sua facta sit* Sanctorum Insula, *& litterarum scientiarumque fuerit aliquando gymnasium. Nam quamuis nonnulla Christianæ doctrinæ semina, sciamus ante eû in Hiberniâ spargi cœpisse, & ideò S. Palladium* ad Scotos in Christum credentes *missû dici, ipsumq́; etiam aliquid in Lageniâ conatum: conuersæ tamen Hiberniæ decus & titulus* (C) *vni debetur Patricio, per quem non pauci aliqui atque ex vulgo homines, sed Reges & Principes populiq́; gregatim salutari tincti baptismate, iugo fidei submisêre ceruices.*

Scoto-Britannis venerabilis,

magis autē Hibernis-Scotis;

ab ipso præcipuè ad Christum conuersis:

2 *Non igitur sine causâ factum videmus, vt cùm in antiquissimis Martyrologijs tum Bedæ tum aliorum hoc solum legeretur:* in Scotiâ S. Patricij Episcopi, *à posteris deinde sit adiunctum:* qui primus ibidem Christum euangelizauit: & maximis miraculis & virtutibus claruit: *quamuis enim non absolutè primus tempore, primus tamen fuit signorum virtute, missionis Apostolicæ auctoritate, efficacissimæ per totum regnum prædicationis fructu atque successu. Quod antequàm aggredimur demonstrare, euellendus est è quorumdam animis scrupulus ille, qui circa Hibernicos passim Sanctos moueri solet, verentibus nonnullis ne plerique eorum, qui fidem Christianam à S. Patricio edocti, sanctitatis nomine inter Hibernos sunt celebres, Britannis potius sint adscribendi; & Hiberniæ ipsius conuersio, vera quidem S. Patricij laus, non tamen præcipua ac summa fuerit: quoniam ex hodierni temporis vsu, nec Scotos nec Scotiam nunc aliam nominamus, quàm quæ Britannicæ insulæ parte vnâ tenetur, regio titulo ipsi par Angliæ. Est quidem etiam nobis indubitatum, quòd iam inde à seculo tertio cœperint in Britanniam transire Scoti: fatendum tamen omnino est, Scotici nominis dignitatem præcipuam apud Hibernos remansisse ad vndecimum vsque seculum: quia & Bedæ* & antiquis scriptoribus omnibus, *vt rectè Vsserius pag. 734 in Antiquitatibus Britannicarum Ecclesiarum,* Scotia semper vnica est eademque Hibernia. Nam neque Dalrieda, quæ vsque ad annum DCCCXL Scotorum Britannicorum sedes erat, Scotiæ nomen est consecuta; neque etiam integra ipsa Albania, statim à debellatis Pictis: sed tum demum cùm, populo vtroque in vnam gentem coalescente, obsoleuit planè Picticæ nationis memoria. Quod vt ante annum MC haudquaquàm factum, ita vix vllos, qui toto antecedentium annorum spatio vixerint, posse produci arbitramur, qui Scotiæ appellatione Albaniam designarint.

quorum patria vsq; ad seculum 12 sola Scotia nominabatur,

3 *Tantùm porrò abest, vt dici possit nomen illud dumtaxat fuisse communicatum Hiberniæ, ideò quòd coloniæ Scotorum nonnullæ eò sint propagatæ ex Britanniâ, quorum tamen & nomen & natio prius in hac fuerit, & ad hæc vsque tempora sit conseruatum: vt ante tertiû, quod diximus seculum (quamuis sub Augusto & successoribus eius tam accuratè cœperit orbis describi) nullus antiquorum Geographorum vel historicorum Scotos in Britanniâ legatur nominasse.* (E) *Etenim postquàm hac de re inter vtriusque gentis eruditos viros acriter est, velut pro aris ac focis depugnatum, nihil Britannici Scoti pro suæ in Albaniâ commorationis antiquitate proferre potuerunt, nisi recentiorum commenta & leuissimas quasdam coniecturas, qualis est hæc ex quodam somniantis Scaligeri delirio sumpta, quo hic Poëtæ versus.* Et cœruleos scuta Brigantes, *in suspicionem mendici vocatur, quasi* Scoto-Brigantes *scriptum ab initio fuerit. Verùm vt hoc cum aliquo fundamento Scaliger suspicaretur, non sufficiebat dici, à Brigantibus vicinas hodiernæ Scotiæ regiones fuisse insessas, sed ante omnia ostendendum erat, Scotos in Britanniâ tamquàm incolas fuisse notos Claudij Cæsaris, cùm iste versus scriberetur, æuo: quod tamen est tam incredibile, quàm certum est nullum Imperatorum Romanorum, victoriarum etiam fictarum titulos auidè sectantium, licet multa cum indigenis barbaris extra Romanæ prouinciæ fines muro illo nominatissimo exclusis, bella gesserint,* Scotici *sumpsisse cognomentum, sed omnes contentos fuisse se* Britannicos *dici. Quod si in illo versu vitiatum est aliquid, longè verosimiliori coniecturâ,* cæruleos cute Brigantes, *iuberemur legere; cùm nihil sit apud veteres prosâ ac* (F) *versu notius, quàm Britannos, quorum pars non minima Brigantes erant, solitos cutem corporis glasteo vel cæruleo colore depingere. Quod quia hisce insulis omnibus commune fuit, sic sita quæque in linguâ nomen ab eo vsu sumpsêre: nam Britones quidem ita dicti sunt, quia veteri linguâ eorum* Brith, *coloratum conscriptumque significat, vnde etiam hodie* writh *Anglis litteras pingere est: de Scotis verò scribit Isidorus lib. 9 Etymolog. c. 20* propriâ linguâ nomen habere, eò quòd aculeis ferreis cum atramento variarum figurarum stigmate notentur. Scotha *enim Hibernis florem seu floridam variegationem coloris significat: vt frustrà sint qui nominis originem accersunt à Scythis, quamuis Scothos* Scyttan *vocitet Alfridus Rex, Orosij historiam è Latinâ Saxonicam faciens: istam verò Hibernicæ vocis significationem si Cambdenus cognouisset, citata Isidori verba minus fuisset admiratus.*

iis qui nunc sunt in Britannia Scotis

frustrà de nominis antiquitate certantibus.

Est hoc à pingendo corpore inditum genti:

4 *Porrò quàm erant describendi pingendiq́; atramento vel alio quouis colore corporis periti Scoti siue Hiberni, de quibus agimus, tam erant Gentilismi tempore imperiti litterarû, in chartâ aliâue vllâ materiâ ad memoriam pingendarum, æquè ac Iberi, Galli, Britanni, Belgæ, atque Germani, antequàm Romano subiecti imperio litteras ab ijs disciplinasq́; acciperent, amissæ libertatis solatium non leue. Ex omnibus liberalibus artibus Scoti, Romanorum armis ne tentati quidem, nec aliàs priùs iugo quàm Christiano per Patricium subiecti, vnam rythmicam Poësim norant & habebant in pretio.* Vnum hoc

cui litterarum prorsus ignara,

A hoc (*vt cap. 2 de Moribus Germanorum Tacitus*) apud illos memoriæ & annalium genus *erat. Hanc autem scientiam soli* Druides *eorum* Bardique *exercebant: quorum qui plures & antiquiores barbaricæ compositionis versiculos memoriter nouerat, is doctior habebatur; qui verò in nouis pangendis felicior, eius erat præcipuus in vulgo & apud viros principes æstimatio. Iuuat de his Magnum Odonellum Tirconalliæ Principem audire libri tertij initio, quem de S. Columbæ Vitâ Hibernicè composuit, ita interprete Colgano loquentem:* Natio illa laudis auida & suæ antiquitatis studiosissima, ab ipsâ primâ gentis origine consueuit in magno & pretio & numero habere rei antiquariæ professores, quos tempore Gentilismi Druidas, Vates, & Bardos; à Christi fide susceptâ Antiquarios & Poëtas vocabant. His ex officio incumbebat Regum, Principum, & Heroum res gestas, bella & triumphos celebrare; familiarum nobilium genealogias & prærogatiuas studiosè obseruare; regionum agrorumque metas ac limites notare & distinguere. At quia, partim consulendæ memoriæ causâ, partim ne licentiùs & fabulosiùs in prosâ diuagarentur, consultiùs visum est res gestas & Heroum præconia angustioribus metri terminis plerumque perstringere; hinc carminibus assueti, auctique honoribus, & Principum abusi indulgentiâ ac fauore, sua B sæpè poëmata conuertebant in excessiuas laudes horum nobilium, quorum gratiam & donaria venabantur; sæpè in Satyricas inuectiuas, in alios, quibus non æquè affecti & beneficiis allecti erant. *Quâ insolentiâ commeriti sunt, vt de iis totâ insulâ pellendis, & abolendâ penitùs disciplinâ Rex Aidus Ammyrei filius cogitarit: fecissetq; nisi suam in Druim-chettensibus Comitijs auctoritatem S. Columba interposuisset.*

& solam Poëtarum suarum memoriam sufficienti

5 His autem, vt diximus, nulla præter memoriam aderant conseruandæ antiquitatis, & artis suæ propagandæ vel instrumenta vel adiumenta. Patricius, Romanis excultus disciplinis, litterarum (sine quibus sacra nequeunt Christiana tractari) vsum in Hiberniam primus induxit: cumq; auxiliarium è Britanniâ & Romano orbe sociorum non tanta ei adesset copia, vt omnium Ecclesiarum necessitati posset facere satis; priuatim ipse instituebat erudiebatque indigenas, quos erectis à se ecclesijs idoneos inueniebat: quibus suâ manu scribebat tradebatque Alphabetum, ex quo nouos ipsi discipulos informarent. Sic in Vitâ Tripartitâ dicitur, vnâ septimanâ apud Loarnachum mansisse, litterarum & pietatis instruendum rudimentis, eique Alphabetum scripsisse: quod de pluribus alijs eadem in Vitâ posteà repetitur. Balæus inter opera Patriciana Abiectoria quædam CCCLXVI *numerat, tot fermè quot à Patricio memorantur Episcopi consecrati.* C *Sed vim atque originem antiquæ vocis, eiusmodi Alphabeticas tabellas significantis, non capiens, ratusque abiectioris cuiusdam opera scripta designari, ab ortographiâ deflexit, quâ apud waræum lib. 2 de Scriptoribus Hiberniæ cap. 1 ex Nennio discimus* Abgetoria *esse scribendum.*

Litteras primus communicauit Patricius, ordinatis à se Ecclesijs

6 Hanc suam correctionem waræus confirmat ex Tirechano, cuius hæc sunt verba lib. 1 Baptizauit quotidiè homines, & illis litteras legebat & abgatorias. *Iterumque lib.* 2. scripsit illi abgatorias & benedixit eum benedictione Episcopi. *Quid autem hæc sibi velint ex alijs eiusdem Tirechani locis intelligi iubet, vbi* elementa *vocat, quas alibi* Abgatorias; *& specialiter lib 2 de Mac-ercâ loquens:* & scripsit elementa, & benedixit eum benedictione PS. *id est*, Presbyteri. *Ex quibus patet* Abgatorias *tabulas dici, sicut* Abecedarias *dicimus; nomine desumpto à tribus primis Latini Alphabeti litteris A, B, C. quam vltimam difformiter nunc à plerisque solitam pronuntiari, sic vt ante E & I sonet vt S; ante alia verò elementa habeat sonum τȣ̃ K, constat veteribus omnibus vniformiter fuisse pronuntiatam: quod adhuc Hiberni seruant, quibus nulla est inter C & K soni differentia. Hinc factum vt* Abcatorias *seu* Abketorias *primùm vocarent: sed vsu (vt fit) ad molliorem sonum paulatim deflectente subasperam vocem, cœpere* Abgatoriæ *seu* Abgetoriæ *dici. Porrò characterum formis per ordinem Alphabeticè expressis credimus adiunctum fuisse quoddam Christianæ doctrinæ compendium, & Sacramentorum conficiendorum consuetas formulas: imò hæc duo vel sola vel præcipua quandoque in talibus fuisse tabulis, quibus nihilominùs petitum ex Grammaticâ nomen aptè relinquebatur, vt significaretur ea esse prima Christiani hominis & doctoris elementa, ac velut alphabethum quoddam.* D

Abcatoria scribēs.

7 Hæc quicumque considerauerit, non mirabitur cùm præcipuos quosque in Hiberniâ Sanctos tantâ discipulorum multitudine stipatos, in eorum Vitis leget: siquidem consuetudo erat, atque vt esset exigebat necessitas, quòd ijdem & Episcopi essent, & Abbates, & ludi-magistri. Nemini etiam peregrinum videbitur quòd genealogijs historijsque Hibernicis, maximè circa secula Patricio anteriora, non magnam habeamus fidem: & in ijs quæ ab Antiquariorum ferè disciplinâ pendent, ne post hæc quidem maximam. Præterea non difficulter lector animaduertet, vnde tam multa in Sanctorum Hibernorum Vitas irrepserint aut fabulosa, aut fabulosis simillima: nec non cur ab initio nascentis in Hiberniâ Ecclesiæ non modò Latinâ linguâ (quâ solâ omnes Romani quondam Imperij nationes, etiam diu post eius extinctionem, vsi sunt in conscribendis publicis rerum gestarum monumentis seu sacris seu profanis) sed etiam Hibernicâ patriâ scribi cœperint Sanctorum Vitæ; vt de coæuis Patricio auctoribus Iocelinus testatur. Latina enim lingua, quæ subiectis Romano Imperio in Occidente atque Africâ E *prouincijs, abolitâ antiquâ patriâ, facta fuerat naturalis, etsi non sine deprauatione multiplici; Hibernis peregrina omnino erat, nec nisi sacra tractantibus, & domi vel peregrè operosius eruditis cognita: cùm alibi etiam fœminæ Latinè nossent & loqui & scribere.*

cur prima antiquitates Hiberniæ incerta sint

& cur multa ex primis Vitis Hibernicè scriptæ

§ II *S. Patricij patria, parentes, consanguinei.*

1 DE Britannis Alcludensibus *natum esse Patricium Tripartitæ Vitæ auctor scribit: eorum regio vulgò nunc* Cluides-dalia *dicitur, quam Vitæ quartæ auctor apud Colganum* Stratoclud *nominat, vocabulo idem significante: Vita S. Gildæ* Arecludæ *meminit.* Cluda *seu* Glotta *fluuius hæc nomina genuit: ex quibus postrema tria ipsi præcipuè regioni conueniunt, primum idq; antiquissimum à præruptâ est petrâ, ad Cludæ & Leuini confluentiam sitâ, de quâ lib. 1 Hist. Eccles. cap. 1 Beda.* Est sinus maris permaximus, qui antiquitùs gentem Britonum secernebat à Pictis, vbi est ciuitas Britonum munitissima vsque hodie, quæ vocatur Al-cluit; ad cuius partem Septentrionalem Scoti aduenientes, sibi locum patriæ fecerunt. F *Quòd Al Scotorum linguâ Petram significet, omnibus Hibernicè scientibus notum est: vt mirum sit Cambdenum dubitare, quorumnam linguâ Beda cap. 12 dicat* Alcluit *significare* Petram-Cluit. *Ceterùm pulsis eâ arce Scotis, cùm locum Britones recuperassent instaurassentq;, dictus exinde* Dun-bretan *est, &* Dunbretannici freti *nomen fecit illi, quod Beda memorat, maris sinui, in hunc vsque diem conseruatum.*

Alcludensis regio patria S. Patricij.

9 Quem peculiarem locum istâ in regione natali suo illustrarit Patricius, ipsemet in suâ Confessione, atque ex eâ Probus, nec non & Iocelinus expressum reliquêre quidem; sed nominibus nunc penitùs antiquitatis. Iocelini verba hæc sunt: Extitit vir quidam ... Brito natione, in pago Taburniâ, hoc est, tabernaculorum campo, eò quòd Romanus exercitus (*excubans scilicet ad custodiam finium & celebris illius muri, ad excludendos à Romanâ Prouinciâ Pictos à freto ad fretum ducti*) tabernacula ibidem fixerit, secus oppidum Nemthor degens, mari Hibernico collimitans habitatione. Nemthor *turrim cælestem significat, eamque pro ipso quod nunc est Dunbritannico oppido, Hardingus accipit in Scotiæ descriptione. Verùm (si rectè locum cognouit, Iocelinus num. 8, vbi dicit:* Erat autem in quodam promontorio supereminenti præfato oppido Nemthor munitio quædam extructa, cuius adhuc apparent minora vestigia) *fuit & est modò Dunbritannica seu Alcludensis arx ipso oppido Nemthor eminentior.*

in quâ Taburnia campus,

oppidum Nemthor.

10 Hoc in oppido adoleuisse Patricium constat: in eo enim

A etiam habitabat matertera ipsius, quæ proprijs carens liberis, sanctum puerum educauit vt suum: non tamen ibi est natus, sed secus illud; vt rectè & clarè scripsit Iocelinus. Probus autem, locorum non æquè peritus, admodum obscurè & mendosè, vicum Banauen, Patricio ex ipsiusmet confessione natalem, dicit se indubitanter comperisse prouinciæ esse Nentriæ: Nemthuriam scilicet voluit vel debuit exprimere: prouinciam autem perperam vocauit, quæ oppidum erat, nisi prouinciam strictiùs acceperit pro districtu, suburbanos dumtaxat vicos, quorum vnus Banauen, comprehendente. Ceterum quamuis de Alcludensi Britanniâ clarum illum, quem superiùs attulimus, non haberemus locū: ex eo tamen solo, quod Probus constituat vicum Bannaue haud procul à mari occidentali, sat clarè pateret nullâ ratione hîc intelligi posse Bannauennam seu Benauentam, quæ, ante Anglorum in Britanniâ dominatum, à viris doctis creditur in ipso Insulæ meditullio & Nortamthonensi prouinciâ fuisse, circa Ausonæ fontes: qui autem in Penbrochiensi agro Dimetarum hunc vicum statuunt Angli recentiores, Scoto-Britannis inuidentes gloriam nati in ipsarum nunc ditione Patricij, nescio an alium à Cambdeno auctorem habeant: qui tamen prudenti cautelâ adiecerat, vt aliqui, nescio an verè, scripserunt.

vicum Banauen,

Alibi nem non quæsitum à quibusdam.

11 Patrem Calphurnium, Concessam matrem Patricius habuit: iste Potiri filius, aut (vt suo in hymno Fiecus scribit) Otidi, à Fieci Scholiaste, reliquam porrò genealogiam B pertexente, per hos gradus adducitur ad fabulosum nationis Britannicæ principem. Patricius filius Calphurnij, filij Potiti, filij Odissij, filij Gorniæ, filij Menchidij, filij Leonis, filij Maximi, filij Hencreti, filij Ferini, filij Briti, à quo sunt Britanni nominati. Ad hanc conclusionem lector aduertat animum; & non magnoperè commouebitur Sanctologij, quod Colganus citat, Genealogici auctoritate, per plures gradus & nomina quædam diuersa similem seriem contexente; cui non putamus aut referenda aut examinanda esse immorandum. S. Martini Turonensis Episcopi sororem fuisse Concessam Patricij matrem, scribunt plerique recentiores post Sigebertum, Florentium wigorniensem, aliosque à Colgano citatos Append. 5 cap. 3 Consanguineam simpliciter ait Iocelinus; vox Hibernica Siur ad vtramuis significationem indifferens est, inquit Colganus, & cum Vsserio pag. 822 probabilius censet, Martini ex Sorore neptem fuisse: cùm enim S. Martinus fuerit Pannonius: quâ ratione fieri posset vt sororem ille haberet ex Gallis (Francos abusiuè scripserunt biographi) oriundam? prout non hîc modò, ed & apud Fieci Scholiasten, & apud Iocelinum legitur. Adhæc S. Martinus, cùm natus Patricius est, annum agebat circiter sexagesimum: quis autem credat tam seni tam iuuenculam fuisse sororem, vt etiam peregrè in seruitutem abducta, domino sui coniugium ob C formæ excellentiam mereri posset?

Genealogia paterna S. Patricij.

Mater ex Galliâ,

neptis potius quàm soror S. Martini Turonen.

12 Huius felicissimi coniugij sanctissimos fructus operosè Colganus in Append. 5 cap. 4. sub vnum voluit aspectum ponere; nec non numerosam sanctamque è Patricij sororibus tribus aut quinque posteritatem: quâ in parte cùm omnes sedulis scriptoris numeros ille expleuerit, nec res magni sit ad intelligenda Acta Patriciana momenti, non putamus hoc loco retractandam esse; sed satis habemus insinuare paucis, alterum Patricio fuisse fratrem, Sennanum nomine, gradu Diaconum, ante susceptos Ordines sacros patrem Iunioris Patricij, qui secundus à sancto patruo Primatum Ardmachanum tenuit, & vt infrà dicetur, S. Sen-patrick dictus est, non quasi senior-Patricius (etsi eò trahat vocis sen significatio) sed Senani-Patricius. Sororum vna, Lupita nomine fraternæ particeps & socia captiuitatis, virginitatē videtur perpetuam coluisse: Tigrida atque Darerca complures suis maritis liberos dedêre vtriusque sexus ex quibus alij etiam fortè sunt nati: qui nunc catalogum nepotum Sancti Patricij valdè augent, cùm essent tertio loco inter pronepotes referendi. Tigrida Gallum videtur habuisse maritum; Gollit alibi nuncupatum, incertum an proprio an gentilitio nomine: Darercæ duo fuêre coniuges: vnus Restitutus huabaird siue Longobardus, inquit Colganus: quod vt idem nunc Hibernus sit, & pro eodem auctores accipiant; non putamus tamen dubitari posse, ab eo qui Longobardica tempora & ortum nouerit, quin iuxta etymon

frater Sennanus Diaconus:

Sorores S. Lupita virgo, S. Tigrida Gallo nupta,

& Darerca vxor Restituti & Conis

vocis Huabaird intelligi debeat nepos Bardi; ita vel proprio D nomine, vel à Poëticâ professione inter Britones aut Gallos nuncupati. Alteri eiusdem Darercæ marito, nobili Britannâ nomen Conis fuit; qui citra controuersiam extitit pater sanctorum Episcoporum Melis, Munis, Melchuonis & Riochi, de quibus ad VI Februarij egimus. Reliqui Patricij ex prædictis sororibus nepotes ac neptes: qui, quot, quibus nominibus ac parentibus fuerint in tantâ Hibernicorum auctorum, qualem apud Colganum videre est, confusione, non facilè est explicare; nec ad rem nostram facit.

nepotes ex his multi.

§ III Prima & antiquiora S. Patricij Acta à quibus & quando conscripta.

13 Anteqvàm Hiberniam ferro flammisq; depopularentur Normanni, Æra Christianæ seculo nono, sexaginta sex libros extitisse de gestis & miraculis magni Patricij, Hibernicè partim, partim Latinè conscriptos, testis est Iocelinus, idq; ex Interpolatore Tripartitæ hausit. Vitæ 3 auctor sexaginta tres numerat: nec Vitam secundam nec Tripartitam post se scriptas numerans, inquit Colganus, quæ vnà cum ipsius libro sexaginta sex faciunt. Hisne annumeretur liber ille, quem ipsemet de suâ vitâ & conuersatione composuit, vt loquitur auctor Vitæ 4 apud Colganum, integrum ex eo paragraphum transcribens, incertum est: hoc certum, omnibus eum esse alijs antiquiorem, & si satus integer emendatusque inueniretur, omnibus præferendum. Damus eum, qualem habere potuimus ex MS. antiquissimo codice, in bibliothecâ celeberrimi Nobiliacensis Monasterij S. Vedasti Atrebati, erutum curâ & labore R. P. Andreæ Denys Societatis nostræ & à plurimis quibus scatebat mendis vtcumque emaculatum: qui licet alium titulum non præferret quàm Vitæ S. Patricij; dubitare tamen non potuimus, quin hic esset liber ille, quem omnes antiquiores auctores sub diuersis titulis sic citant, vt eadem verba omnia varijs locis ex ipso referant. Nos ei titulum fecimus Confessionis, quem ipse Sanctus eidem facit num. 36: & sub quo eum extare MS. in Bibliothecâ Ecclesiæ Sarisburiensis in Angliâ testatur waræus de Scriptoribus Hiberniæ l. 2. cap. 1. vnà cum Epistolâ commonitoriâ ad Coroticum tyrannum: quæ tamquàm Patricianæ Confessionis appendix in MS. Atrebatensi coniunctim descripta reperitur. Vidit hæc, citauitque non semel Iacobus Vsserius inter Britannicarum Ecclesiarum antiquitates cap. 17. ceteri Biographi, quotiescumque locum aliquem hinc proferunt, librum citant Epistolarum, quæ si omnes nunc extarent, magnam haud dubiè lucem Actis Patricianis esset allaturæ.

de Actis S. Patricij tractatus 66:

an in his propria eius Confessio? E

vnde eam damus,

cum epistolâ ad Coroticum?

liber epistolarum S. Patricij.

14 De tempore, quo ea scripta Confessio est, non possumus nisi per coniecturam dicere, quòd scripta videatur post Ardmachanæ Sedis erectionem, adeoque post annum CCCCLIV, cùm ipse iam septuagesimum septimum ætatis suæ annum excessisset: videtur enim discipulis suis hoc veluti testamentum voluisse relinquere, occasione quarumdam persecutionum aduersùs se suscitatarum eorum inuidiâ, qui tantam illius eâ in Insulâ auctoritatem, Ardmachanæ Sedis erectione magis etiam roboratam, non æquis aspiciebant oculis; siue ij ex residuis Gentilibus fuerint, siue ex tepidioribus Catholicis, Principum opes & potestatem imminui quærentibus ecclesiarum dotationibus & immunitatibus. Simili in senio scriptam existimamus epistolam ad Coroticum: quæ si alicui videatur, sicut & ipsa Confessio, non satis esse Latina, ideoq; minimè imputanda Patricio, optimis in Galliâ atque Italiâ magistris vso; is sciat, stylum esse eumdem, qui in fragmentis à Biographis ex Confessione citatis reperitur, atque inter barbaros Latinæ linguæ penitus ignaros viginti & pluribus annis in tantâ ætate excidere facillimè potuisse, si quid purioris latinitatis iuuenis didicit: ideoque Confessionis istius num. 3 fatetur, pridem se à scribendo fuisse deterritum, quia se videbat non scripturum, sicut ceteri qui studium suum ex infantiâ numquàm mutauerunt, scribere solent. Nam sermo, inquit, & lingua nostra translata est in linguam alienam.

quo tempore, F

quâ occasione scripta Confessio?

ab propter styli barbariem reijcienda?

15 Inter eos, quorum scripta suo adhuc tempore superfuisse testatur Iocelinus, auctoritate haud dubiè primi fuêre

Iocelinus vidit 4 coaeuos scriptores,

A quatuor discipuli Sancti Præsulis: Benignus scilicet eius successor, Mel Episcopus, Lomanus nepos, Patricius filiolus magni Patricij; omnes Sancti, omnes rerum à se litteris consignatarum testes oculati: quos utinam ipsos haberemus! vix enim dubitamus quin reliqua libellorum sexaginta ac plurium farrago, aliud non fuerit, quàm Vitarum à prædictis quatuor auctoribus conscriptarum diversa compendia, prout unusquisque Episcopus & Patricij discipulus, ad suum suæque Ecclesiæ usum, ea breuius prolixiusue habere voluit. Sic S. Fiecus Sleptensis Episcopus, & omnium Lageniæ Episcoporum Caput à S. Patricio constitutus, hymnum de eius Vitâ edidisse creditur, quem, tamquàm certissimum & antiquissimum de magno Hiberniæ Apostolo monumentum, ex Hibernico Latinum faciendum curauit Colganus, & utrâque linguâ primo loco vulgauit in suâ Triade thaumaturgâ, SS. Patricij, Columbæ & Brigidiæ Acta, quæcumque potuit nancisci, omnia continente, non sine doctis utilibusq; annotationibus, quibus nos multùm adiutos agnoscimus; saluâ tamen semper libertate maiorem veri-similitudinem, sicunde affulserit, amplectendi. Hymnum autem iam dictum libenter nos quoque hîc daremus: sed fatemur ingenuè vereri nos ne non ipsius Fieci sit, eius saltem qui primus Skeptijs à S. Patricio est constitutus Episcopus: nam quomodò talis hoc modo ordiretur. Natus est B Patricius Nemturri, vt refertur in Historijs? vix inducimur vt Patricianas Vitas statim à morte scriptas intelligamus eo nomine, & tam familiarem ipsi Sancto poëtam tam multa fabulam redolentia huic suo carmini inseruisse, ideoque putamus consultiùs ipsum hîc omitti: cùm possit etiam apud Colganum legi. Qui ne Fiecum amittat auctorem aut ipsum plus æquo annosum faciat, ista hymni verba in quibus de Temoriæ desolatione, post annum DXL factâ, agitur, prophetico spiritu dicta tamquàm de re futurâ mauult credere; nobis autem explicatione tam violentâ auget formidinem prænotatam. Sed & scholia in hymnum illum scripta non videntur nobis tam esse antiqua quàm existimant aliqui: cùm in ijs non pauca occurrant, quæ seculo septimo posteriorem auctorem sapiunt.

quibus S. Fieci Hymnus addendus, si ipsius est,

16 Post hymnū S. Fieco adscriptum quotquot alias antiquas Vitas Colganus potuit ex MSS. colligere optimâ voluntate omnes dedit: è quibus secundam ac tertiam meritò prætulit ceteris quatuor. Secunda auctorem conatur Patricium iuniorem, adstruere, tertia S. Benignum. Vtriusque duodecim prima capita sic eadem sunt, vt inter se conferenti euidens sit, non posse à diuersis auctoribus esse, nisi sic vt alter ab altero transcripserit integrè: quod tamen mirum est eisdem non accidisse in aliquammultis capitulis subsequentibus. Quare nobis longè verosimillimum videtur, librarios qui tertiam Vitam fuerant acephalam nacti, ex secundâ desumpsisse, quod sibi deerat: quam C quidem secundam, si integram fuissemus assecuti, libenter prætulissemus ceteris: plurima enim signa habet præcipua & magis sinceræ antiquitatis; & in eâ quæ nobis restat parte nihil occurrit, quod interpolatorum audaciâ meritò suspiceris esse infartum. Nunc quia minimam maximeq; confusam vitæ Patricianæ portionem in eâ habemus, sufficere credimus quod Colgani operâ cautum sit ne ea omnino pereat.

Alia dua Vitæ antiqua & proba:

17 Quædam etiam circa S. Patricij Vitam scripta esse à S. Columbâ, docet nos Vita Tripartitæ Interpolator, eos, quibus vsus est, auctores enumerans: Columba-kille, Vltanum filium O Conchauarij, Adamannum nepotem Tinnei, Ernanum Sapientem, Kieranum de Belachduin, Ermedum Episcopum Clochorensem, Colmanum Huamacensem, Collatū Presbyterum de Druimrelgeach; de quorum ætate & sanctitate pluribus Colganus in notis ad illum locum. Eumdem catalogum idem auctor retexit posteà, præterito utrobique S. Tirechano, Vltani discipulo, quem etiam S. Patricij Vitam scripsisse Vsserius indicat, eâ adhuc in MSS. superstite non semel vtens: præterito etiam Maccutheno, qui ad Aidum Sleptensem Episcopum, sub finem seculi VII mortuum scripsit de gestis S. Patricij opus; cuius licet solos titulos ad se peruenisse scribat Vsserius pag. 818. alibi tamen iusta ex eo fragmenta profert: quis autem is fuerit varijs coniecturis indagat Colganus Append. 4 parte 3. Prætereito denique, quod maximè mirari possis, Euino, de quo tamen Iocelinus num. 163. Nihilominus Euinus simili modo actus D S. Patricij in vnum codicem compilauit, quem partim Latino sermone partim Hibernico composuit: assumens, vt nos quidem existimamus, ex antiquioribus Latinis aliquas, indeq; nunc paragraphos, nunc periodos transcribens, eosque Hibernicè reddens, atque eâdem linguâ adiungens reliqua, quæ ipse aliunde cognouerat, atque addenda iudicabat.

Scriptoribus Actorū à seculo 6 ad 8

accensendi Tirechanus Maccuthenus,

Euinus auctor fortassis Vitæ Tripartitæ

18 Causâ præteriti in eo auctorum catalogo Euini alia non fuisse videtur, quàm quòd ipsemet auctor esset eius Vitæ, quam Interpolator prædictus in tres partes diuisam atque ex numeratis à se auctoribus plurimùm auctam dabat: nec aliter quàm sic auctam Iocelinus vidit prout colligimus ex interpolationibus ab eo vnà cū textu indiscriminatim transumptis. Harum interpolationum nullam esse, quæ fuerit post annum millesimum addita, censet Colganus: quod vt verum sit (neque enim desunt quæ scrupulum moueant) non tamen necessarium duximus ipsam sic interpolatam Vitam hîc recudere, vti nec de illius auctore pluribus disputare. Et quidem vt neutrum faciremus suadere potuit operis huius moles, nouis identidem accessionibus crescens: maius tamen consilio huic momentum attulit, quòd videremus fastidio futura lectori tot Hibernicas voces, & tam minutam relationem de fundatis à S. Patricio ecclesijs eiusq; discipulis ad earum administrationem à Magistro constitutis: maximè cùm de ijs æquè ac de miraculis & prophetijs suspicio tanta & tam iusta esset, partem fortassis potiorem ab Interpolatore, eoq; non vno esse adiectam: qui videri E etiam possit plusculum indulsisse ipsarum Ecclesiarum desiderio, quo sua singulæ principia ad Magnum Patricium referre satagebant, & quos venerabantur Sanctos discipulorum eius catalogo inserere. Tantùm igitur hîc obseruamus ab hoc auctore & interpolatoribus eius nullam videri habitam esse rationem temporis: sed ecclesias quidem prout cuiusq; Prouinciæ conuersionem continuo stylo describenti occasio se dabat, ab eo fuisse memoratas; Episcopos autem Presbyterosque non semper nominatos eos, quibus earum curam primùm Patricius demandauit; sed illustriores ex ijs, quos ad eorum administrationem idem ordinauit, siue cùm primùm eas institueret, siue, cùm mortuo aliquo ex primo constitutis, locum illum vacare contingeret. Nam istud ipse significat textus de Conaciâ sic loquens: Tribus autem vicibus traiecto Sinnano flumine venit in Conaciam; in eâque in verbi Dei prædicatione, & in opere Euangelij mansit annis septem. Postremùm ex eo non obscurè colligitur, quòd nusquam memoretur Patricius alicui Episcopo Presbyteroúe viuis erepto successorem substituisse; quod tamen de viginti octo, quibus in Hiberniâ vixit, annorum spatio credibile est sæpius ab eo factum fuisse.

ab aliis interpolata,

rerum potius quàm temporum seruatâ serie.

F

§ IV De Probo, Iocelino, alijsque medio æuo Vitæ Patricianæ Scriptoribus.

19 PRæter secundam, tertiamq; Vitam, de quibus suprà, aliæ duæ apud Colganum extant, ideoq; innoxiè à nobis prætermittendæ: altera incerti temporis atque auctoris & quartum inter editas ab eo Vitas locum tenet; quintum altera, à Probo, ad ignoti temporis dignitatisque Paulinum aliquem, duobus libris exarata, falsoq; imputata Bedæ, inter cuius opera aliquando prodijt. Priorem Colganus Elerano sapienti tribuit, quippè post mortem Brendani, Senani, Columbæ, Baitheni scriptam, qui omnes ante annum DC excessêre è viuis, haud diu tamen post seculi VII initium, inquit; sed ante annum DCXXX quatenùs cap. 50 ait: Fidem vbique seruabo, vt nihil aliud stylo commendem, nisi aut quæ in veteribus libris sparsim inueni, vel quæ veracium relatione virorum didici. Qui enim essent, inquit Colganus in generali Præfatione, illi veraces viri, quorum relatione didicit quæ refert, nisi qui vel ipsas res gestas viderunt, vel à videntibus audierunt, & qui per consequens ante annum DCXXX ea ipsi retulerunt? Cui responderi potest quòd veraces relatores ei esse potuerint viri fide digni, testantes quædam S. Patricij miracula, etsi scripta non sint, certis tamen in prouincijs & locis apud incolas ex indubitatâ maiorum traditione

Quarta & quinta Vita apud Colganum;

an prior à S. Elerano scripta?

A *traditione credi: Quare cùm nihil in illâ Vitâ reperiamus quod magnam sapiat antiquitatem, nedum Eleranum auctorem vel per vmbram probet; eamq; integris capitibus triginta quatuor aliunde assumptis interpolatam ex styli diuersitate alijsque indicijs non obscuris Colganus fateatur, non credimus eam esse talem, quam hoc loco magnoperè desideraturus sit lector.*

an posterior ab Eluodugo Probo,

20 *De posterioris Vitæ auctore agens Vsserius pag. 817 exploso Dempsteri delirio, Mellonem siue Melanium Rotomagensem Episcopum, cui Posseuinus, Pitseus, alijq;* Probi cognomentum addunt, *auctorem huius vitæ facientis, annis scilicet centum antequàm S. Patricius nasceretur: s*i eiusmodi cognomentorum, *inquit*, à Balæo excogitatorum aliqua habenda esset ratio; Eluodugus Probus multò maiori cum ratione quàm Mellanius Probus ab eo nuncupari potuisset: inter monumenta enim litteraria, quæ suis reliquit Eluodugus, Balæus historiam Britannorum nominat, ex quâ plura annotauerit discipulus eius Ninius; quem de B. Patricio multa, eaque parum probatæ fidei chronico suo Britannico inseruisse nouimus. *Et tunc addit Colganus, suspicari liceret, eum, cui dedicatum est opus, fuisse S. Paulinum Roffensem, qui iuxta Matthæum Florilegum defunctus est anno* DCXLVI *sed asserendum foret, ista capitis* 10 *verba:* Scotiam atque Britanniam, Angliam atque Normanniam ceterasque gentes

B insulanorum baptizabis, *pro parte saltem ab aliquo interpolatore, non minus insulsè quàm falsò, esse intrusa in hunc Probi textum, alioqui non probatissimum: cùm hic sæpè mendosus deprehendatur in notissimorum locorum Hiberniæ nominibus. Quin & in Hibernicarũ interpretatione vocum ipsius linguæ ignarum se satis probat hic auctor, vt meritò Colganus suspicetur Anglum fuisse Probum, vel natiuitate vel origine & linguâ, quam Angli in Hiberniâ translati non mutauere, sed potiùs suam induxère Dublinum & alias in vrbes Angliæ obiacentes.*

aut alio etiam iuniore & extraneo.

21 *Anglus certè Iocelinus fuit, & vt habet Vitæ prædictæ titulus Monachus de Furnesio, quod est monasterium in agro Lancastrensi à Stephano Comite Boloniensi & Moritoniensi, postmodùm Angliæ Rege, ædificatum anno* MCXXVIII, *& D. V. Mariæ dicatum; atque Euano de Abrincis primo Abbati commissum sub Regulâ S. Benedicti, & Ordine Sauigniacensi seu Tironensi:* verùm Venerabilis Serlo, quartus Abbas Sauigneij, quæ est materna domus Furnesij, reddidit apud Cistercium in capitulo generali domum suam Sauigniacensem cum filiabus suis de Ordine Tironensi ad Ordinem Cistercienlem in manus S. Bernardi tunc Abbatis Claræuallis: *prout legitur in monastico Anglicano ex Furnesiensis cœnobij monumentis. Hanc ob rem Furnesiense*

Iocelinus, Monachus de Furnesio in Lancastriâ:

quod cœnobium Benedictini primum Ordinis,

C *cœnobium, adnitente Petro de Eboraco Abbate & Eugenio Papâ III annuente, à matre suâ recessit,* permissum remanere in perpetuum de eo Ordine, in quo primùm fundatum fuerat: *mansissetque, nisi redux à Curiâ Romanâ Petrus captusq; à monachis Sauigniacensibus cessisset dignitate Abbatiali: eo autem submoto, facilè fuit nouo Abbati Richardo de Baiocis, ex Sauigniacẽsibus monachis assumpto, monasterium Furnesij ad matrem suam Sauigneiam & Ordinem Cisterciensem reducere, atque ita ex* Griseis monachis *facti sunt* albati, *vt habes in carmine de fundatione eiusdem monasterij.*

tunc ad Cisterciensem erat translatum.

22 *Quæ cùm sub Eugenij prædicti Pontificatu sint gesta, atque adeò ante annum* MCLIII, *patet Iocelinum non fuisse de monachis illis Nigris, quos ex Cestriâ accitos in Hiberniam anno* MCLXXXII *Ioãnes Curcy in Ecclesiâ Cathedrali Dunẽsi substituit, pulsis inde Canonicis secularibus. Decepit Colganum obscurus Cambdeni locus f. 766. sic scribentis:* In hoc Duno Ioannes Curcy bellicosus ille Anglus, & supra militem in Deum deuotus, cùm sui iuris hanc regionem fecisset, Benedictinos monachos primus induxit monasteriumque de Carick, quod in Erinaich, prope fontem S. Finani Mac-Nel, Mac-Eulef Rex Vltoniæ exstruxerat, in insulam, ab ipso Inis Curcy dictam, transtulit, prædijsque assignatis locupletauit. *Quomodò autem & quando prædictum monasterium facta sit filia Domus Furnesiensis & Cisterciensi Ordini addicta, in eodem Monastico Angl. fol. 710 subiungitur primæ fundationi pertinenti ad annum* MCXXVII. Post S. Euodij primi Abbatis transitum, *qui translationem monasterij futuram præsciens, corpus suum in dictam insulam iussit efferri tumulandum,* mansit dictum monastariũ de Carryke de Ordine Sauigneacensi per tempora trium Abbatum, videlicet Odonis, Deuincij & Ioannis; in cuius tempore redditum fuit ipsum monasterium Ordini Cisterciensi, sub conditione quòd in perpetuum esset deinceps filia Furnesij: sed tempore conquestus Vltoniæ præfatus Dominus Ioannes de Curcy penitus illud destruxit, quia fortalitium fuit, & multùm eum infestauit: sed in compensationem fundauit, seu potiùs transtulit illud in insulam suam de Ynes-Cuscre, & dedit domui suæ maternæ de Furnesio ad construendum illud easdem terras, quas in loco priori habuit ex dono Macnelli Regis antedicti: & sic dicta Abbatia de Ynes effecta est filia Furnesij, sicut anteà fuerat in loco priori:

Monasterii Insulensis in Hiberniâ,

D

filia Furnesii

Anno milleno, centeno, bis quadrageno
Curcy fundauit Ynis: hostes hinc superauit.

23 *Iocelinus igitur, non Benedictinus, sed Cisterciensis Ordinis monachus; non Dunensis Prioratus, sed Abbatiæ Ynesensis incola; post annum* MCLXXX *aggressus est S. Patricij Vitam* (quæ à multis, *vt ait*, illitteratis multipliciter dictata ob confusionem & obscuritatem styli nec probabatur, nec placebat pluribus) colligere dispersam, ordinare confusam, & Latini magis sermonis sapore condire; *tum sua ad hoc motus erga Sanctum pietate, tum* præceptis Reuerendissimi Thomæ Armachani Episcopi, totiusque Hiberniæ Primatis & Malachiæ Dunensis Episcopi: nec non petitione Illustrissimi Ioannis de Cursi Vlidiæ Principis. *Thomæ illius principia Vsserus in indice Chronologico refert ad annum* LXXXV *seculi* XII. *Quo eodem anno cùm inuenta Duni sint SS. Patricij, Columbæ & Brigidæ corpora: hæc ipsa inuentio caussam dedisse videri posset prædictis Episcopis eiusmodi opus Iocelino imponendi vrgendiq; properatam eius absolutionem, quo scilicet euulgato accenderentur animi ad Sancti tam mirabilis cultum atque destinatam translationem, pro quâ missa Romam legatio erat, deuotiùs celebrandam: sed nec inuentionis factæ nec translationis faciendæ vspiam meminit Iocelinus; quod Colganum mouit, vt hæc à Iocelino concinnata crederet paucis illis mensibus, quæ inter Thomæ promotionem, & corporum dictorum repositionem potuerunt intercessisse.*

in quo Iocelinus Cisterciensis

E

S. Patricij Acta colligere cœpit,

24 *Quibus tantilli temporis angustijs cùm non videatur opus tantum potuisse absolui; nec tamen, si seriùs scriberet Iocelinus, res adeò memorabiles potuisse silentio præteriri: suspecta apud nos fit Annalium Hibernicorum fides, ex quibus isto anno scribit Vsserius,* Amlano O Muredo defuncto, Thomam hunc (Tomaltach O Connor Hibernis dictum) in Archiepiscopatu Ardmachano successisse; *vehementerq; metuimus ne annis aliquot citiùs ad hunc ille gradum dignitatis promotus sit, ipsumq; in eo iam constitutum Iocelinus inuenerit, cùm primò pedẽ posuit in recens fundatum ab Ioanne cœnobium: suspicamurque non multo post annum* LXXX *tempore datum esse operi isti initium: præclaro sanè si maiori cum delectu prudentiâque collectum fuisset. Parciùs tamen in eo locorum personarumq; proferuntur nomina, quàm in Tripartitâ, ijsque describendis supersedere profitetur Iocelinus num. 80 imò studiosiùs ea deuitare voluisse* ob inconditam verborum barbariem, ne Latinis auribus fastidium aut horrorem ingereret: *quamobrem non semel à Colgano* Fastidiosus auctor *nuncupatur. Opus illud anno primùm à natiuitate Domini* MDXIV *typis Adriani Berghensis Antuerpiæ subijciendum curauit Cornelius Hugonis, Fratrum Minorum de Obseruantiâ prouinciæ Hiberniæ Prouincialis Vicarius. Idem ex MS. Codice. Dungallensis monasterij Ordinis FF. Minorum in Hiberniâ recudi voluit in suo Florilegio Thomas Messinghamus Parisijs, vbi in lucem venit anno* MDCXXIV: *ex vtraq; suam editionem Colganus accepit; & nos accipiemus: si tamen dicendæ duæ editiones sunt, quæ ex eodem fluxisse MS. indicant errores planè ijdem in vnâ atque in alterâ.*

annis paucis ante corporis inuentionem.

F

quæ typis excusa Antuerpiæ, Parisijs, Louanij.

A 25 Quemadmodum autem Iocelinus Vitam à se collectam molem maximè auxit ex Tripartitâ superiùs memoratâ: ita eamdem secutus videtur is, qui de S. Patricij Actis opus quoque Tripartitum Latinè conscripsit sæpius ab Vsserio prolatum, de cujus antiquitate & auctoritate certi nihil possumus constituere. Illo autem MS. ipsoque Iocelino antiquior est Ninnius Historiæ Britannicæ, quæ falsò Gildæ nomine circumfertur, auctor circa annum DCCCLIX: in quâ fusè S. Patricij gesta describuntur. Antiquior etiam Guilielmo Malmesburiensi, qui in Præfatione libri de Antiquitate Glasconiensi necdum editi, sed sæpè ab Vsserio, sæpè à Michaële Alfordo citati, profitetur, quòd Vitam S. Patricij & miracula Venerabilis Benigni conscripserit, quod fecisse credendus circa finem seculi XII, quando refossum Glastoniæ S. Patricij alicuius corpus, alteriusque Benigni ab Ardmachano diuersi (quod anno MCLXXXVI factum scribit) occasionem dedit ad hasce Vitas & prædictas Antiquitates scribendas. Ex Malmesburiensi porrò desumptas contractasque esse putamus Vitas eorumdem Sanctorum ab Ioanne Tinmuthensi, monacho Anglo Benedictino, relatas in opere de Sanctis Angliæ, quod Ioannes Capgrauius typis vulganit, collectum circa medium seculi XIV, quæ quàm nullius sint auctoritatis videbimus infrà.

Operis Tripartiti auctore apud Vsserium. Ninius antiquior, & Iocelino ac Malmesburiensi: hunc Tinmuthensis & Capgrauius transcripsere.

26 Prætermittimus referre quòd Patricij Acta summariè referantur in Vicentij Bellouacensis Episcopi speculo Historiali lib. 20 cap. 23 Iacobo de Voragine, Episcopo Genuensi in Legendâ, vt vocant, Aureâ: S. Antonino Episcopo Florentino in Chronico: Petro de Natalibus in catalogo generali Sanctorum; alijsque eiusdem classis scriptoribus. Omittere tamen non debemus Dauidem Rothum Ossoriensem Episcopum, totiusque Hiberniæ Vice-primatem, qui cùm in Officium D. Patricij ad ritum Breuiarij Romani redactum elucidationes octo edidisset, quibus puncta aliquot Vitæ Patricianæ fidem difficiliùs inuentura conabatur à suspicione falsitatis eximere, eas Thomas Walsingamus in Florilegio suo Iocelini textui subiunxit & adaptauit. Decadem quoque Patricianam D. Philippus Osulleuanus, Bearrus Hibernus, conscripsit ac libris decem D. Patricij gesta & miracula complexus est, quibus multa in Catholicorum Hibernorum defensionem, multa in Anglohæreticæ factionis insectationem subiungit, cum mantissâ acerba confutationis aduersus Iacobum Vsserium, non ob ea quæ Latino sermone doctè & modestè conscripsit de Britannicæ Ecclesiæ antiquitatibus, sæpè à Colgano cum honore citatis, nobis quoque ex merito caris: sed ob libellum quemdam Anglicanum, in quo eiusdem Osulleuani rerum Hibernicarum historiam acerbiùs contumeliosiusque tractauerat.

Alij de S. Patricio scriptores: B. Dauid Rothus, Philippus Osulleuanus,

27 Hic Osulleuani liber Madriti anno MDCXXIX prodijt: sed multò citiùs Antuerpiæ ex Christophori Plantini officinâ prodierat eiusdem S. Patricij Vita, libris duobus succinctiùs comprehensa à Richardo Stranihursto, editaq; in lucem anno MDLXXVII, ac dedicata Alexandro Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duci, pro Rege Catholico tunc Belgium gubernanti: qui cùm nullum de Vitâ Patricij editum librum vidisset, nisi qui falsò Bedæ venerabilis nomine circumferebatur inscriptus, quem reuerà Probi esse superiùs memorati conclusio indicat: cùmque crederet propterea prætermissum à Surio, probatas Sanctorum Vitas colligente, quòd permulta cum anili futilitate coniuncta, & nonnulla à veritate Euangelicâ omnino aliena contineret, nouum ipse feliciori stylo delectuque maiori concinnauit. Huic vt ignoscendum est, quod antiquorum monumentorum destitutus subsidijs perficere quod optabat non potuit, quin graues multosq; committeret in chronologiâ errores: ita iuuenilis temeritatis meritò videtur arguendus ob illam censuræ acrimoniam, quâ Probum immerentem perstringit; quem si antiqua scripta versare solitus perlegisset, plura in eo ordinandæ historiæ Patricianæ subsidia reperisset; vt ex sequentibus cognosci poterit: quod autem esset à veritate Euangelicâ omnino alienum, fatemur in eo nos nequiisse deprehendere.

Richardus Stanihurstius, C Probi censor plus æquo seuerus

§ V Totius historiæ Patricianæ chronotaxis.

28 Qvamquàm tam multos vitæ suæ scriptores magnus Hiberniæ Apostolus habuerit; omnes tamen, antiquiores præsertim, ita eam tractarunt, vt mirabilibus prodigijs & fidem quandoque excedentibus congerendis magnam, distinguendis ordinandisq; temporibus curam nullam impenderint. Pendet interim ab hoc principio tota quanta est Hibernica historia, cymmerijs, quibus implicatur tenebris, numquam euoluenda, nisi hinc lucem accipiat lector: nam scriptorum antiquorum hac in parte obscuritatem, Hibernensium quædam circa annorum numeros traditiones, & Antiquariorũ calculationes incertissimis nixæ fundamentis, nouâ caligine offusâ duplicarunt. Multa igitur præter recentiorum scriptorum mentem adstruenda nobis, multa aliter ordinanda erunt: quod vt distinctiùs commodiusque fiat, primùm hic vniuersæ Patricianæ chronotaxeos seriem exhibemus, quam deinde per varios consequenter paragraphos, quantâ fieri poterit soliditate, conabimur stabilire, quoad singula puncta vel obscura vel controuersa: parati nihilominùs aliorum iudicio submittere nostrum, quamprimùm prolatis certioribus documentis, aliquis nos docuerit à veritate aberrasse. Ita ergo ætatem recensemus.

D Quantibus momenti sit ad totam Hibernicam historiam.

29 Anno Christi CCCLXXVII non valdè prouecto nascitur S. Patricius apud Britannos Alcludenses.

S. Patricij pueritia & adolescentia,

CCCXCII, ætatis suæ anno XVI necdum expleto, raptus à prædonibus Scotis cum sorore Lupitâ in Hiberniam abducitur, ibiq; Milchoni in Dalaradiâ venditur.

CCCXCVII penè exacto, anno seruitutis VI, ætatis verò XXI fugâ elapsus, atque ad Boandi ostia à nautis in Britanniam soluentibus gratis admissus, post vnius ferè mensis errores domui paternæ restituitur: vbi ad Hiberniæ conuersionem per visum reuocatur, atque hinc porrò initium sumunt sexaginta anni Apostolicæ eius vitæ, quæ alios ipsam in anno ætatis LX inchoantes eò abduxit, vt CXXII annis vixisse putarent. E

CCCXCVIII tres menses commoratus in patriâ, cùm parentibus proficiscitur in Aremoricam illisque ibidem barbarorũ incursu amissis, iterum captus ad Pictos abducitur, atq; post duas menses reuertitur in patriam: ac tertiò captus Burdegalam auchitur; vbi redditus libertati confert se Turonas, ibiq; in Clericum Monachumque attonsus in S. Martini monasterio Maiori triennium transigit.

eiusdem peregrinationes in Galliâ & Italia,

CCCCII anno, quarto sui monachatus, ætatis XXV, in Temarensem, id est, Hibernicam insulam denuo vocatus per crebras visiones vadit in Britanniam, & desperato traiectu redit in Gallias.

30 Anno CCCCIII in Italiam profectus Patricius, septennem per montes & insulas eremitarum ac monachorum, peregrinationem suscipit.

CCCCX Ibidem Angelico monitu in Presbyterum ordinatur & apud S. Seniorem Episcopum (fortasse Pisanum) triennio studet.

CCCCXIII nouis visionibus animatus in Hiberniam se confert: sed barbaris ad eius prædicationem aures obturantibus, legitimam à Pontifice Romano missionem, maioremque auctoritatem sibi necessariam iudicans statuit Romam adire. F

prima profectio in Hiberniam irrita

CCCCXIV dum per Britanniam reuertitur, amore solitudinis captus penè hæsisset in Valle-Rosinâ, nisi intellexisset S. Dauidi nascituro locum esse destinatum. Ergo iussus se Hiberniæ reseruare Antissiodorum adit, & istic Episcopo (quem S. Amatorem ostendemus fuisse) se adiungit.

CCCCXVIII Patricius annum agens XLI S. Germano ad Episcopatum euecto per Angelum commendatur, illique adhæret annis quatuor.

CCCCXXI ex Angeli iussu Arelatensem insulam (quam Lerinensem esse putamus) adit Patritius, ibique nouennium commoratur.

CCCCXXX monitus Hibernicæ missionis seriò auspicandæ tempus adesse, eâ de re confert cum S. Germano, post Britannicam legationem Arelatem, indeq; Lirinum fortè excurrentem: à quo Romam abire iubetur: illuc paulò pòst Palladij discessum aduenìens repulsam patitur à S. Cælestino, atque ad S. Germanum redit.

31 Anno CCCCXXXI S. Palladius Hibernorum conuersione desperatâ reuertitur, & in Britanniâ apud Pictos moritur VI Iulij. Patricius cum litteris commendatitijs & Segetio Presbytero Romam remittitur à S. Germano.

CCCCXXXII

A CCCCXXXII S. Cælestinus, auditâ Palladij morte, paucis ante obitum suum diebus Hibernicam legationem Patricio committit: quod Sixtus Cælestino succedens confirmat: ergo cum nouem socijs in viam se dat; & Eporediæ obuiam factus Palladij discipulis, illius exitu iam certò cognito, à vicino, fortè Taurinensi Episcopo, Episcopus consecratur & alij socij ad Ordines inferiores promouentur. Denique S. Germano per Gallias transiens valedicit, & anno in Autumnum prouecto appulsus in Lageniam, vbi initia quædam Palladius posuerat, primum omnium Sinellum baptizat.

Initium Apostolicæ missionis.

CCCCXXXIII In Dalaradiam transit, antiquo suo Domino Milchoni fidem Christi prædicaturus, & inde rediens varios in Vltoniâ conuertit, atque inter fructuosos ibidem labores Saballense circa Dunum monasterium fundat.

32 *Anno* CCCCXXXVI, *Regis Leogarij quinto* (*nam ab ingressu Patricij anni eius numerantur*) *videtur primum cum Rege congressus Patricius & publicè disseminandæ fidei facultatem miraculis extorsisse ab obstinato, nec multò pòst Athrymiæ Episcopatus instituitur, & primus in Hiberniâ Episcopus S. Loemanus consecratur. Posteà certatim populis fidem amplectentibus, prædicante & totam insulam circumeunte Patricio, plurimæ aliæ sparsim Ecclesiæ, & in ijs Episcopi ordinantur.*

progressus

CCCCXLV *Româ rediens obuiat S. Kierano de Sagir & alijs quinque Clericis eodem studiorum causâ profectis. Traiecturus in Hiberniam, in Britanniâ Occidentali prædicat,* B *monasteria ordinat sociosque in Hibernicam messem auxiliares complures secum transuehit, præsertim è paternâ familiâ.*

CCCCL *S. Brigida à S. Patricio velatur expleto ætatis anno decimo quarto.*

CCCCLIII *aut circiter quadragenarium in Monte Cruachan-aichle ieiunium instituit, S. Munem Româ reuertentem cum Reliquijs excipit, ac S. Kieranum, Cluanmicnosiæ fundatorem prædicit.*

CCCCLIV *Ardmacha in metropolim erigenda fundatur: & concilia celebrantur, loco solemniter dedicato. Extant apud Spelmannum vnius alteriusque Concilij acta ex antiquis MSS, Primis hic titulus est* Incipit Synodus Episcoporum, id est, Patricij, Auxilij, Isernini: *quos duos, quia per ceteris nominantur, legatorum Apostolicorum personam sustinuisse Colganus æstimat. Coniectauit Spelmannus ad annum* CCCCL *vel* LVI *ista referenda.*

CCCCLV *vel* LVI *Romam Angelico iussu iterum adit Patricius: reliquiasque & metropolis a se constitutæ confirmationem refert. Secundinus iteratò Vicarium agit.*

CCCCLVIII *cum S. Brigidâ vltimùm agens Patricius, eam mortis & sepulturæ suæ præsciam rogat, vt vestem mortualem texat, & sibi ad plures annos superfuturam prædicit.*

CCCCLIX *S. Secundinus componit hymnum de S. Patricio* C *eoque perfecto moritur* XXVII *Nouembris, ætatis anno* LXXV.

CCCCLX *Patricius, ætatis annis octoginta duobus expletis, in decursu anni* LXXXIII, *Leogario annum* XXVIII *regni sui explente, moritur & Duni tumulatur, cui S. Sen-Patricius subrogatus fit Episcopus Ardmachanus, primus numeratus ab ijs qui Sanctum Apostolum, pro vniuersali omnium ecclesiarum curâ, supra numerum habuêre.*

& finis anno Vitæ 83:

33 *Atque hactenus quidem S. Patricij vita digesta per annos, absque illis* L *annis quos penè otiosum egisse fateantur necesse est qui illos defendunt: nunc quædam adhuc reliqua Hibernicæ chronologiæ puncta ad huius aliorumque Sanctorum historiam illustrandam magnopere profutura hic attexamus. Anno igitur* CCCCLXII *Moritur* Leogarius, *& in regnum vi vel electione euadit* Alildus-Molt, *filius* Nathi. *S. Patricij Vita scribitur à varijs eius discipulis.*

CCCCLXIV *Romæ à S. Hilario Papâ Episcopi ordinantur SS. Albeus & Declanus qui ecclesias apud Mummonios & Desios fundare pergentes, demum inducuntur à S. Sen-Patricio vt se subijciant S. Patricio, id est, Ardmachano primatui, quæ concordia ante quartum vel quintum annum ab eorum reditu non videtur confecta.*

Successores in Admachano primatu

CCCCLXX *Peregrè apud Glasconienses moritur S. Sen-Patricius: cui S. Mocteus Lutmagensis substituendum curat S. Benignum, annos natum* XXXV. *Interim S. Fiecus Sleptensis Episcopus suum de S. Patricio hymnum componit: in quem antiqui Scholiastæ notæ pertinent ad seculum nō* VI *sed* VIII, D *vt illis antiquior sit Vita tum illa quam Euinus scripsit, tum alia quam Tirechanus fecit, qui ambo seculo* VII *floruere.*

CCCCLXXX *S. Benignus moritur, die* XIX *Nouembris: subsituitur ei Iarlathius, inter Sanctos à Colgano reputatus ad* XI *Februarij.*

CCCCLXXXII *Oilill-Molt Rex Hiberniæ in bello magno in regione Midi occisus est, vt ex MS. S. Patricij Vitâ lib. 3 tradit Vsserius pag. 947. credibile est Nielli potentissimum genus vniuersaliter contra eum insurrexisse, in gratiam* Lugadij *siue* Lugdach *filij Leogarij: vt impleretur quod deprecanti matri concesserat Patricius, ne hic saltem, quem gestabat vtero, communi Leogarianæ posteritatis maledictioni subiectus, ab auito regno excluderetur.*

34 *Anno* CCCCXCVIII, *Iarlatho mortuo, in sedem Ardmachanam instituitur Corbmacus.*

DVIII *Lugadio propter blasphemiam in S. Patricium fulmine extincto, toto quinquennio certatur de regno inter illius patrueles.*

DXII *Corbmaco defuncto succedit Alildus: ceteri deinceps obscurissimi sunt, nec inde vsque ad mortem S. Celsi anno* MCXIX *& electionem S. Malachiæ, quidquam nobis est exploratum de Episcopis Ardmachanis, nisi quantum eos nobis Colganus indicauit Append. 7 ad Acta S. Patricij parte 3.* E

DXIII Muirceartah *Ercæ filius ex Mureda* io, *filio Eugenij, pronepos magni Nielli, regnum obtinet, Eugenij posteris à S. Patricio promissum.*

reliqua Regum Hibernicorū series vsque ad an. 664

DXXXIV *cœpit regnare* Tuathal Margarb *annis* I *cuius in Vitâ S. Finani & S. Kierani Cluanensis fit mentio.*

DXLIV Diermitius I *Ceruailli filius cœpit regnare: contra quem S. Columba precibus adiuuit cognatos suos Conallios in prælio Cuildebnensi, cæsis ad tria millia aduersarijs: eaque occasione tamquàm cædium tantarum reus de consilio Cleri Hibernici voluntarium exilium pœnitentiæ nomine suscepit, atque in Hiensem insulam migrauit: quæ an rectè ad annum* DLXI *&* II *referantur videbimus die* IX *Iunij. Regnauit Diermitius annis* XXI.

DLXV Fergussius *&* Donaldus, *Murchertachij filij, Nepotes Ercæ, anno vno imperium communiter tenuerunt.*

36 *Anno* DLXVI Ainmireus *filius Setnai annis tribus: qui S. Gildam, cuius nos Vitam* XXIX *Ianuarij dedimus, restituendæ disciplinæ Christianæ iam pene collapsæ caussâ, acciuit è Britanniâ in Hiberniam iam octogenarium.*

DLXIX Boethanus *&* Eochanus *commune exorsi regnum triennio tenuerunt.*

DLXXII *Regnauit* Æda *filius Ammireit huic, ex Vitâ S. Ædani ad* XXXI *Ianuarij iam noto, tribuuntur anni* XXVI.

DXCVIII Æda II *cognomento* Slane *&* Colmanus *filius Diermitij* I *pariter regnauerunt annis* VI. F

DCIV Æda III *filius Donaldi* I *annis* VIII.

DCXII Malcobus *Ædæ* III *filius annis* III.

DCXV Suibneus *Mendi filius annis* XIII.

DCXXVIII Domnail *siue* Donaldus II, *Ædæ* I *filius, nepos Amureg, apud Adamnanum in Vitâ S. Columbæ nominatur, & regnasse putatur annis* XIV.

DCXLII Conallus *&* Cellachus *filij Malcobi annis* XVI *imperitarunt.*

DCLVIII Dermitius II *&* Blathmac *filij Ædæ* II, *anno* VII *regni sui simul extincti, qui fuit Christi annus* DCLXIV; *in magna illa mortalitate, quam per Britannicas Insulas grassantem accuratè describit Beda lib. 3 cap. 27.*

37 *Atque hæc totius historiæ Hibernicæ caussâ ex Vsserio hîc inserimus: quia omnes tres Hibernicorum Sanctorum ordines intra horum Regum tempora continentur: Regum quidem solius Midiæ, sed inter ceteros quatuor aliorum regnorum (Vltoniæ, Conaciæ, Mumoniæ atque Lageniæ Reges absolutos, qui & ipsi varios sub se regulos habebant) in communibus totius Hiberniæ comitijs, vt loco mediorum sic dignitate & auctoritate præcipuorum: quâ de caussâ, Reges Hiberniæ ab exteris absolutè vocabantur. Omnium Catalogos, si ex antiquis monumentis proferant successores Colgani, magnam fortè examinandis Hibernicis rebus lucem & commoditatem adferent: quos dedimus ex Annalibus Vltoniensibus accepisse*

cur his do tur, accepta ex Annalibus Vltonien.

se-

A se fatetur Vsserius: Colganus eosdem Senatenses annales etiam appellat, & vtroque nomine sæpè citans laudat eorum auctorem Carolum Maguir Canonicum Ardmachanum qui sexagenarius obijt anno MCCCCXCVIII. Hic auctor si tempus siue spatium vniuscuiusque Regis ex certis habuit monumentis; ab noto pestilentiæ anno adscendere volentibus vsque ad annum aduentus Patricij similiter notissimum satis tutam strauit viam, ad quam cetera possint examinari, licet eumdem sua fefellerit supputatio in subducendis annis Primatum Ardmachanorũ; sed nec omnes hos videtur determinasse, fortè quia de spatio temporis quo vnusquisque sedit minimè conuenientia reperiebat catalogorum testimonia: & de tempore mortis Patricianæ nihil habebat constitutum.

circa an. 1480 scripsisset

38 Vt autem ad S. Patricium reuertamur, notandus imprimis est annus MCLXXI quo Henricus I Rex Angliæ, ex indulto Pontificio & titulo restaurandæ ecclesiasticæ, imo Christianæ disciplinæ prorsus collapsæ, ingressus est in Hiberniam, intestinis discordijs bellisq; ciuilibus laceram, & ab omnibus Hiberniæ Primatibus, solo Conactiæ Rege excepto & sibi iurare fidelitatẽ recusante, est exceptus. A quo tempore Cisterciẽses Canoniciq; regulares, recẽti tũ instituto florentes, in Hiberniam inducti, multam ad restituendas Latineque reddendas Sanctorum Hibernorum vitas, vel ex traditis per manus popularium narrationibus colligendas, operam dare cœperunt.

Gesta circa vitam & corpus S. Patricij post an. 1171.

B MCLXXVI Ioannes Curcy, obsessâ captaq; Dunensi ciuitate, Vlidiæ Principatum obtinet: & quadriennio pòst Insense monasterium condit, monasterioque Furnesiensi in Angliâ subijcit, ductis eodem ex Furnesio monachis Cisterciensibus, inter quos Iocelinus Vitæ Patricianæ compilator.

MCLXXXV SS. Patricij, Columbæ ac Brigidæ corpora resodiuntur; resossa auctoritate Apostolicâ in Cathedralem ecclesiam Dunensem solennissimè transferuntur die IX Iunij, curante Malachiâ Dunensi Episcopo.

§ VI De anno natiuitatis, missionis ac mortis S. Patricij.

39 QVæ circa hanc Patricianam Chronotaxim, reliquæ deinde Hibernicorum Sanctorum historiæ pro fundamento futuram, maturiori examine indigent, sigillatim nunc aggredimur pertractare. Et primum quidem in duas partes commentarios hosce nostros diuidimus: quarum prima præcedat Acta & viam illis sternat: posterior absoluat cetera, quæ nobis obseruanda occurrerunt circa Apostolici huius viri prædicationem, Episcopatum, miracula, prophetias & quod vulgò dicitur Purgatorium: quibus speramus vtcumque satisfaciendum ijs, qui nostrum his de rebus iudicium requirent. Nunc autem ante omnia determinando vitæ Patricianæ spatio duo præcipuè statuenda sunt, eaque non admodum difficilia inuestigatu: videlicet quo vitæ suæ & Æræ Christianæ anno missus in Hiberniam Patricius venerit: tum quo anno ex hâc vitâ migrarit. Primi puncti resolutio niti debet eo, quod à nemine reuocatur in dubium: videlicet Cælestinum Papam, à quo Hibernicam legationem constat Patricio fuisse mandatam, abijsse ex hoc seculo, anno CCCCXXXII, VI Aprilis: ab eodemq; Cælestino hoc munus priùs impositum fuisse Palladio, cumque rebus in Hiberniâ non succedentibus, reuertentem mortem oppetijsse in Britannia VI Iulij, quo die illius festum celebratur: anni vtique præcedentis mortem iam dicti Cælestini. Ex hoc autem mox corruit, quod scripsit Ioannes Maior l. 2. de gestis Scotorum cap. 2. quinquennio post missum Palladium secutum esse Patricium. Biennium fortè scribere voluit: nam Palladij missionem cum anno Christi CCCCXXIX componit, post quem vnus tantum annus atque tres menses Cælestino in Pontificatu supersunt. Cum eodem fundamento non consistit Mariani Scoti & Sigeberti opinio, Palladij missionem anno quinti seculi XXXII adscribens: cùm vltra hunc nequeat missio Patriciana differri: hæc autem non possit à Cælestino adhuc viuente facta fuisse post intellectam mortem Palladij, nisi hic saltem anno præcedenti profectus sit in Hiberniam.

Missus in Hiberniam Patricius anno 432,

C

post mortẽ S. Palladij

40 Quibus reiectis firmum manet, quod in Chronico suo Prosper habet, & ex Prospero Beda cap. 13 Hist. Eccles. Consulibus Basso & Antiocho, qui annum CCCCXXXI signant, missum in Scotiam Palladium aduenisse: manet etiam quod Operis Tripartiti auctor apud Vsserium pag. 813 asserit, eumdem anno XXX seculi iam dicti ordinatum esse Episcopum ad Scotorũ conuersionem: manet denique non potuisse de Patricio in locum Palladij subrogando consilia suscipi, nisi circa initium anni XXXII vel circa finem præcedentis. Tempus hoc demandatæ Patricio Hibernicæ legationis ex antiquo Fieci scholiaste egregiè confirmatur his verbis: Cælestinus non vixit nisi vnâ septimanâ postquam ordinatus est Patricius: Sixtus verò ei successit, cuius anno primo Patricius venit in Hiberniam. Pro eodemque primo Sixti anno citantur à Colgano append. 5 cap. 17 Insfaltenses, Senatenses que Annales, signanter eum exprimentes, quibus accedunt Quatuor-Magistri infinities propemodùm à Colgano citati, & sæpè à nobis, donec in lucem prodeant, ex eo citandi: quos noueris ex Ordine FF. Minorum S. Francisci de Obseruantiâ & Hibernicâ natione, circa seculi XVII initia delectos, tamquàm patriæ antiquitatis peritiores, qui ex omnibus quotquot nancisci potuerant MSS. monumentis gentis suæ, sacram profanamque illius insulæ historiam omnem ab orbe condito ad hæc vsque tempora, breui per annos Christo Chronologiâ digererent. De quibus videndus Colganus in Præfatione ad Acta Sanctorum Hiberniæ; & quæ de eiusmodi compilationibus infrà dicturi sumus.

D

vltimo Cælestini, Sixti primo:

E

41 Nunc porrò videamus, quæ Sancti viri ætas fuerit, quando in Hiberniam appulit. Conueniunt omnes ferè auctores in eo quòd sexagenarius tum Patricius fuerit: sed vt in reliquis Vitæ Patricianæ partibus dimetiendis ferè rotundis numeris vsi reperiuntur, ita & hîc, & quidem confusè admodùm, cùm annos triginta natum dicunt ad S. Germanum venisse; & alios triginta egisse sub eius discipulatu: solus Iocelinus numero huic quinquennium detrahit, cùm post num. 168 ait: Quinquagenarius quinquennis natu fuit, quãdo Episcopali gradu decoratus Hiberniam prædicandi gratiâ intrauit. Et quamuis solus sit in hâc assertione, maiorem tamen videtur quàm ceteri fidem mereri; etenim hic annorum numerus ab CCCXXXII ad CCCLXXII nos deducit: à quo rursum per annos LXXXII ascendentes peruenimus ad ad annum Christi CCCCLIX, quo expleto & anno LX inchoato, mortuus est S. Patricius, vt mox docebimus. Quòd autem Feriâ IV natum eumdem, & per baptisma renatum, & per mortem denatum, dicat Sliguntinus codex apud Vsserium pag. 882, quàm verum sit diuinare non possumus, nec etiam quidquam ex hoc lucis ad stabiliendam chronologiam capere; dum nescimus, quoto & cuius mensis die, natus baptizatusque Sanctus sit: nam dies V Aprilis, Patricij Baptismo signatus in Fastis, aliò spectat; vt mox videbimus. Quàm autem abunde sufficiant rebus ante Episcopatum gestis anni LV, subsequentibus paragraphis demonstrabitur.

Natus non 372,

sed 377

F

42 Restat inquirere quàm multis deinde annis Patricius vixerit: in hoc autem pleraque Vitæ Acta & scriptores Hiberni consentiunt: quòd anno Apostolatus sui LX vel LXII mortuus sit, quos prioribus LX annis coniungentes, annos vitæ S. Patricio tribuunt vniuersim CXX vel CXXII: à quibus ne dissentiat Iocelinus, qui tempus prioris vitæ quinque imminuerat annis, illos adijcit Apostolatui. Ex quo tamen solos XXXV annos (alij rotundo numero contenti sunt) vult esse prædicationi impensos, reliquos quietæ in monasterijs suis contemplationi: vnde hæc ex operis tripartiti auctore apud Vsserium pag. 873. Sexaginta annis in Hiberniâ vixit: triginta annis prædicando & baptizando per diuersas Hiberniæ Prouincias, alijs verò triginta annis in suis cellis & monasterijs theoricè vixit: quæ auctor Hibernici poëmatis, quod S. Patricij testamentum dicitur pag. 887 apud Vsserium Latinè redditum sic expressit:

quę ob annos 60 Apostolatui eius vulgò tribuunt

Ter denis annis peragraui lætus Iernam,
Ter denis alijs versatus in æde Saballi,
Centum & vicinos annos viuendo peregi.

mortuum passim volunt anno 493

Mortuus itaque esset Patricius iuxta hos anno CCCCXCIII: qui annus præ alijs (quos varios assignant varij, nec opus est operosè enumerare) à Quatuor-magistris confirmatur vetusto Hibernico

A *Hibernico versiculo, cuius in linguâ Latinâ hic sensus est:* A nato Christo (calculando rectè) quadringenti cum nonaginta & tribus annis vsque ad mortem Patricij præcipui Apostoli nostri.

43 *Esset autem etiam præ ceteris probandus hic annus, quatenus in eum cadit character Feriæ IV in XVII Martij incidentis. Sed vita tam longæua, licet mirè faciat ad gustum Hibernorum, nobis tamen videtur incredibilis: non quia nullos omnino credimus ætatem illam attigisse aut etiam superasse; sed quia non possumus nobis persuadere, in tantâ negotiorum mole, quantam recentis Ecclesiæ ordinatio & Primatis munus necessariò accumulabat, nihil prorsus gestum à S. Patricio fuisse totis triginta & amplius annis quod posterorum memoriâ dignum Vitæ eius auctores censerent, & cuius caussâ nominandus esset in Actis Rex alius, quàm sub quo Hiberniam ingressus S. Patricius est. Tali certè ratiocinio conuicti S. Romualdi ætatē quam alij ad CXX annos extendebant, annorum LXX spatio concludendam indicauimus ad diem VII Februarij: & nunc quoque putamus, vt islic, ita hîc vicinarum inter se litterarum numeralium similitudine obrepere alicui potuisse vt C pro L scriberet: eò faciliùs quòd vulgò ferebatur ab annis LX vel LXVI ad Hiberniæ conuersionem electum diuinitus Patricium, fidem cœpisse in eâ prædicare. Hoc enim, vt infrà patebit, de primo in Hiberniam ingressu dictum, cum B scilicet adolescens in seruitutem venditus Milchonis liberos fidem docuit, & de Apostolico illius famosiorique aduentu intellectum, potuit ansam dedisse erroribus: vt meritò pro annis CXXXII Vitæ Patricianæ, quot Probus numerat, annos LXXXII Baronius & Petauius legi iubeant. Atque hac ratione mortuus esset Patricius anno CCCCLX cum litteris Dominicalibus CB dies XVII Martij in feriam IV casura erat, nisi annus iste fuisset Bissextilis: quod non obseruatum ijs, qui feriâ IV natum baptizatumque Patricium alicunde inaudierant, occasionem dedit scribendi simili quoque feriâ esse denatum: neque enim hic character debet nos habere suspensos, vt de eo saluando magnopere laboremus, quando quidem in nullis S. Patricij Actis ille reperiatur expressus. Hoc eodem calculo mortuus S. Patricius fuerit anno Leogarij Regis XXVIII: Regis enim huius annos Annales Vltonienses apud Vsserium ab ingressu Patricij in Hiberniam auspicantur, nullâ habitâ aliorum annorum ratione quos fortè anteà in regno habuit. Quare quòd Vita Tripartita num. 43 ingressum istum cùm V Leogarij anno componat, veremur ne ideo factum sit, quia quinto solùm anno, iactis iam alibi fidei Christianæ fundamentis, in Midiam venerit Sanctus cum Rege hoc acturus: licet id ita describant auctores, quasi primo esset anno gestum. Et verò tam multa magnaque sunt, quæ, antequàm cum Rege congrederetur, C facta fuisse à Patricio dicuntur, vt nimis angustum eis sit quinque vel sex mensium spatium inter aduentum Sancti & primum Pascha (ad quod congressus iste videtur referri) mediantium.*

sed quia solus Leogarius Rex nominatur in Actis

& anni illi 60 inchoari à captiuitate possunt

dicimus anno æt. 83, Christi 460 mortuum

44 *Quidquid sit non possumus illi loco Tripartitæ fidere; est enim manifestò ab interpolatore intrusa tota illa peregrinorum characterum ab annis Pontificis atque Imperatoris sumptorum collectio, idque post Gelasij, seculo XII Ardmachanæ Ecclesiæ præsidentis, tempora, vt patebit locum ipsum expendenti, qui est talis:* Imperabat Hibernis eo tempore Rex paganus, crudelis & atrox Leogarius nomine filius Nielli, qui in Temoriâ ciuitate regni sedem habuit. (*Anno V Leogarij, VIII Theodosij Imperatoris ab Augusto sexagesimi quinti, qui & octauus Cælestini Papæ erat, vt Gelasius dicit Patricius in Hiberniam auctoritate Apostolicâ missus venit: & anno XVIII vel VIII, variant enim MSS. Lugadij filij prædicti Leogarij Regis, vitam hanc cum cælesti commutauit*) Habuit hic Rex Leogarius multos magos &c. *Quæ postrema verba optimè cum prioribus, omissis omnibus intermedijs, ita aptè cohærent, vt superfluum sit characterum temerè in parenthesi collectorum vitia expendere ad persuadendum, quòd nec Euinus nec alius antiquus auctor ista scripserit, sed aliquis ex Antiquariorum scholâ sciolus: qui videns cum prætensâ longæuitate non consistere, quòd anno Leogarij XXVIII mortuus esset Patricius, filium Leogarij Lugadium substituit, qui post annos patris sui triginta, & Alildi annos viginti exorsus regnare, annis dumtaxat XXV dicitur* D *imperasse; & ideò pro anno XXVIII Leogarij quem fortè apud antiquos reperit, XVIII vel VIII Lugadij posuit: parum attendens quòd neque sic æquarentur calculi. Sic enim mortuus esset Patricius anno post suum ingressum in Hiberniam LVIII vel LXVIII, Christi CCCCXC vel quingentesimo, quorum neutrum cum antedictis consistit. Quis verò credat Sanctum ad Alildi & Lugadij conuersionem nihil egisse si vixit, aut ab obstinatis passum esse quòd debuerit in Vitâ præ multis alijs rebus commemorari? Maneat igitur nihil tale scriptum, quia nihil tale gestum est; & eum, qui S. Secundi hymno paucis mensibus ante mortem ipsius Sanctique Patricij composito præfationem addidit apud Colganum antiquus auctor, verè scripsisse, quod hymnus ille* tempore Leogarij filij Neill Hiberniæ Regis fuerit compositus: *vt nostra sententia etiam huius auctoris assensu maneat confirmata. Quod si de S. VVinwaloëo agentes III Martij num. 3 commentarij præuij & de S. Kierano ad diem V num. 9 visi sumus S. Patricio annos Vitæ XCIX concedere, quasi mortuus esset anno Christi CCCCLXXVI: fatemur eam nobis aliquamdiu stetisse sententiam, vt saluandis plerisque difficultatibus idoneam; postea tamen accuratiùs expendentes quanta esset vis argumenti negatiui, quod desumitur ex silentio auctorum de morte malâ vel bonâ Leogarij, deque successoris Alildi conuersione vel pertinaciâ, æquè ac de Lugadio Leogarij filio, etiam ex isto numero annos XVI resecandos indicauimus.* E

(quidquid alij antiqua Acta temerè interpolantes, finxere)

& Leogarij Regis anno 28.

§ VII *Triplex captiuitas S. Patricij, & vitæ monasticæ initia.*

45 D*ifficilem de annis vitæ Patricianæ quæstionem excipit difficilior alia circa partitionem annorum, ante solennem anni CCCCXXXII missionem exactorum inter varias captiuitatum ac peregrinationum ærumnas: quorum annorum est apud auctores Vitæ mira confusio, quia triplicem captiuitatem, duplicem in Galliâ moram, geminam in Hiberniam profectionem, Ordinationem Sacerdotalem ab Episcopali non satis distinxerunt: quæ nunc vtcumque conabimur explicare partim ex ipsiusmet Confessione, partim ex eâ quæ sub Probi nomine extat Vitâ: quam quia minoris sibi faciendam Colganus censuit, in difficultates sese inextricabiles induit. Nempe rudis illa annorum Patricianorum diuisio, per quaternos tricenarios, quam omnes ferè Hibernici scriptores tenent, confudit omnia; dum quæritur quomodò per annos triginta potuerit S. Germani discipulus fuisse Patricius, qui Germanus ad annum vsque CCCCXVIII secularem vitam coniugatus duxit, prouintiæ iudex & ciuitatis suæ Princeps; insigni quidem iurisperitiâ conspicuus; sed venationi alijsque nobilium ludicris tam insano addictus studio, vt S. Amatorem Episcopum suo aduersantem instituto, cui aliquid superstitionis profanæ inerat, immani sacrilegio ad mortem postularit.* F

Annorum ratio in Patr. eid vsque ad an. 432 confusa.

46 *Natus igitur anno CCCLXXVII Patricius,* vbi ego, *inquit,* in capturam decidi annorum eram tum ferè sedecim: *quare annum CCCXCII statuimus ad æstatem vsque productum, vt decimum sextum annum ingressus fuerit, mensibus aliquot.* Caussa autem, *inquit Vita 2 & 3,* hæc erat primæ peregrinationis atque aduentus eius in Scotiam: Scotensis exercitus classe de more conductâ, stipatâque multitudine nauium, cùm frequenter transnauigasset in Britanniam, multos inde ducebat captiuos, & hoc item solitò faciens, casus contulit vt puer cum sorore suâ inter alios captiuos duceretur in Scotiam: *in agro scilicet vbi pecora pascebat comprehensus. Ne autem lis de Scotiæ nomine moueatur, ipse expressiùs* & Hibernione adductus sum, *ait,* in captiuitatem. *Hic Milchoni in Dalaradiâ venditus, pascendis in solitudine porcis annum iam sextum impendebat, nec adhuc annus Christi CCCXCVII totus erat expletus, quando oblata diuinitus occasio est per fugam elabendi ad nauim iamiam vela facturam in Britanniam: quâ ille vsus ad Boandi fluminis ostia peruenit, incidit que in hominem gentilem: qui (vt habet Vita 4)* videns iuuenem per deserta ambulantem accepit eum, & cuidam de

venditur in Hiberniâ an. 392 ætatis 16.

fugit inde an. 397.

A do mercatoribus illius nauis, ad quam ipse Angelo iubente tendebat, vendidit, & ingentem æneum cacabum à mercatore accepit pro eo. *Sed diuinam mox in se suisque expertus vltionem, iniquam negotiationem rescidit, liberumq́; dimisit Patricium.*

& redit in patriam, 47 *Qui in suâ Confessione num. 9 narrat, quâ deinde ratione gratis in eam nauim receptus sit, atque subiungit:* post triduum terram cepimus, & viginti & septem dies per desertum iter fecimus ..... In itinere autem nostro prouidit nobis Deus cibum & ignem & siccitatem quotidie, donec quarto decimo die præuenimus homines, sicut insinuauimus: viginti & octo dies per desertum iter fecimus, & eâ nocte quâ præiuimus omnes, de cibo nihil habuimus *: sed nono per Patricium miraculo prouidit Deus, vt ex oblato porcorum grege ac syluestri melle* ab illâ die cibum abundanter haberent *nauigationis socij : qui relictâ in Cambrico aliquo portu naui, iter cum Patricio pedestre tenebant versùs Boream; Verùm quodnam illud desertum esse dicemus, aut longæ, vt Probus loquitur,* solitudinis vastitatē, *cui tot fuerint dies insumendi? Haud aliâ fuisse existimamus, quàm vastitatem Pictorum Scotorumque continuis incursionibus inductam in terras, vt auctor est Gildas,* omni armato milite & ingenti iuuentute spoliatas, à Maximo; exindeque transmarinis gentibus à Circio & Aquilone calcabiles: *è quarum numero maximè fuerunt eæ, quæ primò expositæ erant barbarorum pyratarumque latrocinijs: per quas tamen iter habendum fuit, vt ad Alcludensem regionem veniretur. Quod si Hiberna fuit anni tempestas (quam credibile est electam fuisse, tamquàm magis securam à grassantibus totâ aliàs Britanniâ barbaris; sic tamen vt non omnis ex hac parte metus abesset) nihil mirum est & longioris moræ fuisse iter (aliàs octidui spatio facilè absoluendum) & eò quandoque esse deuentum, vbi nec homines nec cibi reperirentur.*

à Scotis & Pictis vastatam.

B

iterum post tres menses, 48 *Tribus in patriâ fuerat mensibus, vt habemus in Vitâ Tripartitâ: & iam annum Christi* CCCXCVIII *ætatis suæ* XXII *erat ingressus: quando parentes eius in Britanniam Armoricam cum familiâ transgressis (seu visendorum consanguineorum, qui illuc pridem migrauerant caussâ, seu hostilium vexationum tædio) atque ibi à Fectmagij filijs Armoricos inuadentibus interfecti, vitæ finem acceperunt ipsi, Patricius nouæ seruitutis initium: quâ denuò* ductus est in terram longinquam & linguæ suæ prorsus alienam, *inquit Probus.* Nocte verò primâ, quâ istic mansi, *ait ipse in suâ Cõfessione,* responsum diuinum audiui dicens mihi, duos menses eris cum illis: *addit autem Probus*: & post hoc ad patriam venies: sed ibi cùm paruo tempore fueris demoratus tertiò captiuitatem patieris, deinde Romam venies; exinde reuersus omnem terram mihi subiugabis, & post hæc cum honore assumam te. *Tacent quidem de tertiâ captiuitate auctores ceteri, & hic ipse maximè confusus Probus est: clarè tamen exprimit nouam, à quâ, tertiâ hâc vice abductus est, gentē, & locū quò fuit deportatus. Nam primùm à Scotis in patriâ captus, ductus est in Hiberniam: secundò ab exulibus Britannis Aremoricos inuadentibus eò delatus est, vnde cum alijs captiuis fugiens sexagesimâ die captiuitatis suæ, iterque ingressus,* decimâ die peruenit ad homines patriæ suæ; *vt omnino necesse videatur secundâ illa captiuitate venditum eum inter Pictos Britonum hostes, linguâque ab illis & Hibernis dissonos.*

C

ac tertiò capitur,

duciturque in Galliã, 49 *Tertiâ autem vice Galli fuerunt, qui vel captum à se, vel à capientibus emptum naui suâ ducentes in terram suam,* ventum multis diebus contrarium habuerunt, donec congruum ijs impetrauit Patricius cum ijsque post dies duodecim Brotgalum, inde Traiectum venit. Vbi à Christianis absolutus est de captiuitate, & fugiens inde peruenit ad Martinum Episcopum Turoni, & quatuor annis mansit cum eo, & tonso capite ordinatus est ab eo in clericum, & tenuit lectionem & doctrinam ab eo. *Hæc Probus; in quibus temporum rationem hanc concipimus, vt mense Martio anni prædicti profectus ad Armoricos cum parentibus Patricius sit: mense Aprili abductus; mense Iunio ad consanguineos reuersus in patriam: iterum autem abductus in Autumno Turonas aduenerit, decimo vel vndecimo post auunculi mortem mense: mortuum enim esse S. Martinum anno* CCCXCVII *demonstrauimus ad Acta S. Sigeberti. §7, Februarij 1.*

& Turonas fugit.

D

50 *Quod Patricius ad S. Martinum iuerit omnes scribunt: sed ferè post narratam illius ad Germanum Altissiodorensem profectionem, tamquàm rem incerti omnino temporis: verùm nouemdecim annis post mortem Martini ordinatus est in Episcopum Germanus. Solus Probus Turonensem commorationem, vt tempore ita & narrationis ordine priorem expressè facit Autissiodorensi: quamuis communi alioqui deceptus loquendi modo, quo ad S. Martinum, S. Germanum aliosq́; Sanctos ire dicuntur, qui eorum visitant corpora templaq́; vel monasteria eorumdem nominibus appellata. Potuit sanè auunculi mortem adeo recentem, in eâ perturbatione publicarum rerum ignorare Patritius, & tamquàm ad viuentis auxilium Turonas properasse: hac tamen expectatione frustratus non debuit inde recedere, nec alibi commodiùs poterat religiosioris vitæ principia ponere, quàm in eo monasterio; quod Galbertus secundùm acceptam à S. Martino vitæ regulam gubernabat, ab eo adhuc in viuis degente constitutus Abbas. Etenim Turonibus non tantùm in Clericum esse attonsum Patricium, quod credibile est à S. Briccio Martini successore factum; sed etiam ad monasticum Ordinem admissum, etsi non diceret Vitæ Tripartitæ auctor, indicaret obseruata ex lege à carnibus abstinentia, aliaque exercitia num. 36 recensita.* Cùm autem dicit adusque illum diem non nisi seruorum more tonsum fuisse Patricium, *palàm facit, continuò post prænarratas captiuitates hanc tonsuram à S. Patricio fuisse susceptam: non autem illo tempore, quo S. Germani discipulus censebatur. Quod autem etiam hic auctor ab ipso S. Martino hoc illi officium factum dicat, tam est ei ignoscendum, quàm quòd communi cum ceteris errore recentem ab captiuitate iuuenem, aut saltem tricenarium ad S. Germani scholam deducat.*

vbi in S. Martini, recens defuncti,

E

monasterio tonsuram suscipit:

51 *Atque hæc de tempore: de loco vix putamus dubium esse posse, quin* Brotgalum *Probi,* Burdegala *sit, hodie.* Bourdeaux *quasi* Bord-des-gaulx, *id est ripa seu portus Gallorum.* Traiecti *nomen nullum sui vestigium ijs in partibus reliquit: haud tamen ambigere possumus, quin sumptum ex re nomen vico alicui, in aduersâ Dordani fluminis ripâ sito, tributum olim fuerit, vbi nunc fortè vel Burgus vel Portus Cusacensis est. Atque hinc si in patriam iter voluisset Patricius dirigere, Turonibus ei transeundum necessariò fuit: nec enim rectior via concipi potest ad Portum Iccium, quâ breuissimus in Britanniam traiectus est. Cur autem eò rediret extinctis parentibus & tot in patriâ calamitates expertus? maximè cùm Deo dirigente ad sublimius vitæ genus se vocatum intelligeret. Quò verò nisi Turonas se reciperet? vbi auunculum se habere Episcopum credebat, futurum spiritualis vitæ magistrum optimum. Mansit igitur ibidem & primos quidem quadraginta dies cum Episcopo successore, frequentans cellam ab eodem super demortui decessoris & miraculis quotidianis clari sepulcrum erectam: deinde verò extra vrbem se contulit ad Maius monasterium S. Martini, sic deinde dictum, postquam secundum illud ad corpus Sancti ipsâ in Vrbe cœpit monasterijs adnumerari: atque ita diuersa auctorum de commoratione apud S. Martinum loca conciliantur, & peruenitur ad Autumnum anni* CCCCI, *qui S. Patricio ætatis suæ fuit* XXIV.

& quadriennio manet.

F

§ VIII Peregrinationes S. Patricij: prima in Hiberniam expeditio irrita: Autissiodorensis commoratio.

52 **C**Irca hoc tempus factum existimamus quod narrat Vita 3. nu. 22. Mansit quatuor annis cum S. Martino, & Angelus ad S. Martinum dixit vt iret Patricius ad Tamarensem insulam. *Et hìc quidem S. Martinū nominari pro Abbate S. Martini intelligitur ex dictis.* Tamarensē insulam *quærunt nec reperiunt toto mediterraneo mari Colganus atq; Vsserius, & sanè obscurus locus est, maximè quia additur*

postea angelico monitu

A additur. Transactis illic nouem annis, voluit Patricius visitare Romam. *Verùm constat ex sequentibus, vltimo hoc loco agi de itinere ad Cælestinum Papam: quare interijciendi sunt inter iter illud, & annos quatuor in monasterio S. Martini actos, anni circiter viginti sex: ac proinde insula ad quam ex S. Martini monasterio hîc abire iubetur Patricius, diuersa ab eâ est quam nouennio incoluit, antequàm Romam ex S. Germani consilio adiret. Itaque nihil verebimur missas facere aliorum coniecturas omnes, quibus præcitato loco volunt aliqui vel* Gallinariam *vel* Caprariam, *vel* Camariam *insulam intelligi (licet eas à Patricio per maris mediterranei insulas peregrinabundo aditas possimus credere) & nihil existimamus verosimiliùs quàm* Tamarensem *pro* Temarensi *seu* Temoriensi *irrepsisse, ipsam vtique Hiberniam: cuius Regia atque præcipua ciuitas, vulgo* Temoria *Latinè scribentibus, in Hibernico Fieci hymno apud Colganum nominatur* Temair. *Id autem eò faciliùs credimus; quò magis constat ex ipsius S. Patricij Confessione alijsque de eius vitâ auctoribus, frequentibus visionibus monitum fuisse Sanctum de repetendâ Hiberniâ, vbicumque demum locorum esset, statim à sua captiuitate & diu antequàm illuc à Pontifice dirigeretur.*

iussus in Hiberniam redire Patricius

53 *Tali mandato accepto per S. Martini Abbatem Galbertum, qui hîc abusiuè Martinus dicitur, videtur Patricius in Britanniam nauigasse, traiectum in Hiberniam ordinaturus, atque ex consanguineis etiam auxiliares aliquos in eam* B *expeditionem ducturus: eoq; spectare putamus, quod in Confessione legitur num.* 13. Iterum post paucos annos in Britanniâ eram cum parentibus meis, *id est consanguineis,* qui me vt filium receperunt & ex fide rogauerunt me, vt vel modò post tantas tribulationes, quas ego pertuli, numquàm ab illis discederem: *sed frequentibus per nocturnam quietem visis stimulatus ad Hibernorum salutem curandam, cùm, feruentibus tum maximè inter Britones ac Scotos bellis, nullam videret huius consilij in præsentiarum executioni mandandi commoditatem; animum ad Italicam peregrinationem applicuit: & sicut scripsit Tirechanus, citatus ab Vsserio pag.* 835. Septem annis ambulauit & nauigauit in fluctibus & in campestribus locis per Gallias atque Italiam totam, atque in insulis, quæ sunt in mari Tyrrheno, vt ipse dixit in commemoratione laborum suorum: *eidem septem annorum spatium habet Vita Tripartita num.* 38: *sed tamquàm in vnâ quâpiam insulâ actum: Probus verò eamdem init viam: & apud nudipedes solitarios annis octo, apud Insulares quosdam eremitas annis nouem, dicit conuersatum Patricium. Sed illa Insularis annorum nouem commoratio ad posteriora spectat tempora, profectionem* C *ad Cælestinum Papam immediatè præcedentia: alij septem vel octo anni, vnóne an pluribus acti sint locis, nemini certiùs possumus, quàm ipsimet credere, plura apud Tyrechanum loca indicanti.*

modico tępore moratur in patriâ;

traiectu desperato, 7 annis peregrinatur.

34 *Annum igitur* CCCCII *partim amicis & consanguineis in Britanniâ datum credimus, partim reuersioni in Gallias impensum: vnde post iteratam fortassis dierum quadraginta moram apud S. Martini sepulcrum, nec non aliquâ in monasterio, vbi primum fecerat vitæ religiosæ tyrocinium, satis est si post initium anni* CCCCIII *in Italiam ipsum deducamus: qui, additis septem integris austerioris inter solitarios montanos atque insulares vitæ, fiet* CCCCX. *Hoc verò anno ad exitum penè deducto,* Angelus Domini rursum apparuit S. Patricio, dicens: Vade ad S. Seniorem Episcopum, qui est in monte Hermon in dextero latere maris Oceani, & vallata est ciuitas illius septem muris. *Hæc Probus & his similia aliæ Vitæ nonnullæ; quibus explicandis Oedipus aliquis necessarius; aut potiùs venia danda Hibernis parum peritis in regionum externarum notitiâ. Sic antiquus in Fiecum Scholiastes de Altissiodoro agens,* Burgundia, *inquit,* vocatur prouincia, in quâ illa est ciuitas: vel in australi plagâ Italiæ est prouincia illa: sed veriùs est quod in Gallijs sit. *Vt verò aliquid per coniecturam dicamus, suspicio est è Thusciæ montibus, quos Arnus fluuius præterfluit, aliquem hic corrupto Hermonis vocabulo dici, ac fortè Pisanum montem, iam olim plurimorum in circuitu eremicolarum habitationibus notum: fortè etiam Pisanæ Vrbis*

Iterum admonitus

fit Sacerdos in Thuscia:

Episcopum fuisse prædictum S. Seniorem vel Senatorem, ex ijs qui inter Gaudentium (initio quarti seculi in Concilio Romano sub Melchiade Papâ notum) & Alexandrum (seculo septimo ad medietatem perducto nominatum) intercessere, nominibus temporum iniuriâ obliteratis. D

55 *Quid autem deinde? Pergit Probus:* Cumque venisset illuc, mansit cum eo per aliquot dies; deinde ordinauit illum Episcopus ille in Sacerdotem, & lectitauit cum eo multis temporibus: *puta annis duobus vel tribus.* Dum autem ibi moraretur, nocte quadam audiuit voces puerorum de sinu & de ventre matrum, qui fuerunt in Hiberniâ, dicentium: Veni, S. Patrici, saluos nos fac ab irâ venturâ. Eadem quoque horâ dixit Angelus ad eum: Vade ad Hiberniam & eris Apostolus insulæ illius .... Surgens igitur Patricius venit in Hiberniam, statimque vaticinati sunt Prophetæ Hiberniæ, quòd venisset Patricius illuc. Cùm autem prędicantem illum diebus ac noctibus sperneret insulani, qui tamen resistere non poterant Dei ordinationi, S. Patricius fudit ad Dominum huiusmodi preces: Domine Iesu Christe, qui iter meum per Gallias atque per Italiam ad has insulas direxisti, perduc me, obsecro, ad Sedem S. R. Ecclesiæ, vt acceptâ deinde auctoritate prædicandi cum fiduciâ, fiant Christiani per me E populi Hibernorum.

& ab Hiberniâ rursum adita

irrito conatu rediens,

56 *Annus iam agebatur* CCCCXIII, *imò forsan prætererat, quando eadem quâ venerat reuertentem viâ, Sanctum Britannia excepit, hospitem habitum vno, vt minimùm, anno, qui fuit seculi* CCCCXIV: *vbi ea contigisse omnino existimamus, quæ apud Vsserium pag.* 843 *scripsit Ricemarchus, & qui Ricemarchum transcripsêre Giraldus Cambrensis atque Capgrauius in Vitâ S. Dauidis Meneuensis: quamuis eodem omnes antichronismo vsi, nec nisi vnicam profectionem Hibernicam agnoscentes, multò pòst secutis temporibus illa tribuant. Hæc autem sunt verba Ricemarchi:*

Patricius, Romanis linguis eruditus ac disciplinis, comitantibus virtutum turmis Pontifex effectus, gentem, apud quam exulauerat, petiuit: in quâ fructuosi operis lucernam oleo geminæ caritatis infatigabili reficiens labore, eamque non sub modio, sed super candelabrum imponere volens, vt cunctis, glorificato omnium Patre, roraret; Ceretica gentis regionem adijt: in quâ per aliquantulum temporis conuersatus, Demetica intrauit rura: ibique perlustrans, tandem ad locum, qui Vallis-Rosina nominabatur, peruenit, & gratum agnoscens locum, deuouit ibi Deo fideliter deseruire. Sed cùm hæc secum meditando reuolueret, F apparuit ei Angelus Domini: Tibi, inquit, non istum Deus disposuit locum: sed filio qui nondum natus est; nec nisi peractis XXX annis nascetur. Audiens autem hæc S. Patricius, mœrens stupensque volutat, deliberans & corde dicens: Cùm ante Domini mei conspectum incassum labor meus redigitur, & mihi qui nondum natus est superponitur: vadam & tali labori amodò non subiaceam. Hæc autem secum cogitans talibus ab Angelo blanditus verbis, consolationem accepit. Non ita fiet: sed Hibernensium Insulæ principem constituit te Dominus; nondum enim verbum vitæ excepit (*tota scilicet & plenè, vt per Patricium*) ibi enim prodesse debes; ibi parauit tibi Dominus sedem; ibi signis & virtutibus radiabis, totamque Deo gentem subijcies. Ego ero tecum: sit tibi hoc in signum, totam tibi insulam ostendam: curuentur montes, humiliabitur pelagus, oculus trans omnia erectus eo loco, in quo stas, videbit promissum. His dictis, erectisque oculis ex loco, in quo stabat, qui modò sedes Patricij dicitur (*addit Tinnemuthensis:* Et erat vallis satis magna, in qua est lapis, super quem stetit, ante ostium cuiusdam capellæ antiquæ, quem ego oculis vidi & manibus palpaui) totam prospexit insulam.

ac solitudinis amore captus

sed in Britanniâ subsistat

monetur ab Angelo,

57 *Hactenus Ricemarchus: quæ nequaquàm possunt anno* CCCCXXXII *gesta credi, quo consecratus Episcopus cum plenâ Apostolici muneris exercendi potestate, tanto cum hominum*

S. Dauidis natiuitatē prædicente

rerumque

A *rerumq́; apparatu, quantum eum Vita describit, traiecit in Hiberniam: nam quomodò post excitatam de se tantam Romæ atque in Galliâ expectationem, & rebus post tot moras atque impedimenta huc demum tam feliciter deductis, incidere Patricio vel per somnium potuisset voluntas in Britanniâ residendi? Hoc autem tempore fieri ea potuêre perquã facilè, cùm animo esset Patricius, vt natum fieri, afflicto, quòd eã se spe penè ex toto deiectum videret, quàm tot antecedentia oracula fecerant, & triginta septem annorum ætas, rebus gerendis ferendisq́; laboribus imprimis idonea. Hæc autem ratiocinatio cùm sit ipso rerum contextu probabilissima, tum eò etiam euadit verosimilior, quòd hoc modo lux illata intricatissimæ aliàs S. Dauidis Meneuensis Chronologiæ, clarum faciat, quomodò elapsis post hæc annis triginta Româ rediens, & per Ceretticam, vt anteà, transiens, anno eiusdem seculi* XLVI, *de puero iam tum concepto prædixerit, quantus futurus esset: & Dauid anno* DXLIV *vitâ functus,* LXXXXVII, *non autem* CXXXXVII *annos viuendo expleuerit, prout est ad* 1 *Martij ante eius Vitam dictum. Si quis verò propter dicenda inferiùs non putet fidendum esse illi determinato annorum* XXX *numero (vti sanè suspectus nobis est ne sit eadem, quã alibi, ratione diuinando confictus) nihil oberit quò minus idem S. Dauid, in longius aut nullum certum tempus prædictus, illo anno conceptus fuerit,* B *quo postremâ vice Româ rediens Patricius per Britanniam transiuit, & moriens annum dumtaxat* LXXXIV *fuerit viuendo egressus.*

futurum post annos 30.

si tamen tot fuere determinati.

58 *Prosequitur Probus narrationem suam, & res in Britanniâ gestas silentio prætermittens,* Transnauigato, *inquit,* mari Britannico venit, vt corde proposuerat, ad hominem sanctissimum ac probatissimum in fide ac doctrinâ, omnium penè Galliarum Primatem eximium, Germanum videlicet Autissiodorensis Ecclesiæ Episcopum: apud quem non paruo tempore demoratus est in omni subiectione, cum patientiâ, obedientiâ, caritate, castimoniâ, & omni tam spiritus quàm animi mũditiâ, Virgo manens in timore Domini, ambulans in bonitate & simplicitate cordis omnibus diebus vitæ suæ. *Etenim laboribus suis necdum maturam cernens Hibernicam messem, Angelico admonitu, vt credere par est, consilium Pontificis Romani adeundi suspendit tantisper, donec aliquem reperisset magnæ auctoritatis virum, per quem sibi ad Pontificem pateret aditus, & Episcopalis consecratio ad rem tantam perquàm necessaria obtineretur; interim verò pleniori scientiæ acquirendæ aliquantò vacaret tempore. At quanto? Triginta plerique annos volunt, æquis portionibus totam Patricij vitam partientes quadrifariam:* alij quadraginta asserunt, *inquit Vita 2 auctor: sed vtrosque ex hactenus deductis liquet* C *excedere totum illud tempus, quod inter vltimam captiuitatem & aduentum in Hiberniam intercessit. Rectius igitur Iocelinus ab aduentu in vrbem Autissiodorensem, annos octodecim numerauit: quamuis hi quoque sint nimij, si solum Germanum præcisè spectemus.*

S. Germani discipulus

quanto tẽpore fuerit?

59 *Colganus se in omnem torquet partem vt Romæ, vbi iuuenem Germanum constat iurisprudentiæ dedisse operam; & genere & moribus & toto vitæ instituto dissimillimos iuuenes, saltem aliquantulo componat tempore, & ad hoc mouetur S. Fieci Hymno, quo dicitur:* Profectus est, Patricius scilicet, trans Alpes omnes, traiecto mari, quæ fuit felix expeditio, & apud Germanum remansit in Australi parte Latij: *ad quem locum Fieci scholiastes, nec ipse fortassis auctoris mentem satis assecutus:* Latium est, *inquit,* quæ Italia dicitur: sed tamen Germanus tunc erat in Gallijs. *Verùm in Hibernico semel iterumque & sepiùs habetur vox* leta: *quam nescio cur tam constanter interpres* Latium *reddat; cum* Letauia, *id est, Aremorica Britanniæ obiecta ad Austrum, tantò sit vicinior, sub eoq́; nomine, tamquàm notiorem Hibernis partem Galliarum significante, censeri possit totâ venire Galliâ: in cuius Australi parte insula est, de quâ mox dicemus, ad quam, suadente Germano, Patricius se recepit: nisi dicere malis ab linguæ Latinæ vsu, totis gallijs tũ adhuc cõmuni, Gallias Latium dici, sicut Brabantia Romana dicitur ea pars, in quâ nunc obtinet sermo Gallicus, ex Latino Romanorum sermone deductus. Sensus igitur prædictorum versuum hic erit*

An in Italia?

nequaquã: sed in Galliâ.

Iussus ab Angelo, Hiberniâ relictâ, trans mare se conferre, D *profectus est trans Alpes omnes, non Italicas, sed Britannicas (à quibus ipsa insula nomen habet* Albionis, *quasi* Alp-eyo *id est, Alpestris seu montosa insula) eoque profectus est traiecto mari, quod Hiberniam à Britanniâ separat. Quidquid sit de huius loci sensu, certum est nullum esse tempus, quo demonstrari possit Romæ fuisse Patricius, antequàm veniret ad Cælestinum: nam Regularium Canonicorum Breuiaria, hoc vel superiori seculo concinnata, quibus, vt Ordini suo Patricium inserant, Romæ eum studuisse & cum Lateranensibus Clericis commoratum affirmant: non putamus in re tam antiquâ nobis necessariò esse sequenda.*

60 *Sed nec statim Autisiodori reperit Germanum Episcopum, vtpote anno dumtaxat* CCCCXVIII *consecratum; sed S. Amatorem; cuius memoriam mirum non est apud Hibernos obscuratam, multò famosioris Germani claritate. Apud hunc igitur quadriennio Episcopatus eiusdem reliquo Patricius mansit, permansitq́; deinceps cùm successore, quem Iocelinus scribit diuino oraculo monitum vt Sanctum secum retineret, tum, cùm ipse ordinatus est, agentem annum ætatis suæ quadragesimum primum: tenuit autem secum per annos, vt videtur, quatuor vel quinque: donec ad Arelatensem insulam secessit Patricius, in quâ ipsum docuisse, id est, docendum porrò curauisse, dicitur Germanus; dum suæ interim totiusq́; Ecclesiæ negotijs publicis maximisq́; domi ac foris distinetur. Accedebat autem ad eam migrationem suadendam apparitio Angelica, quã putamus designatam fuisse à Probo, vbi ait:* E Venit iterum ad eum Angelus Domini, & dixit: Vade ad illos qui sunt in insulâ inter montes & mare .... sicque permansit cum insulanis illis nouem annis, habitus ab eis magnâ veneratione. *Ita inquam putamus, quamuis hæc Probus habeat præpostero ordine, antequàm scilicet ad S. Germani familiaritatem Patricium deducat.*

primum S. Amatoris.

dein Germani.

§ IX S. Patricius Lerinum secedit, & obtentâ tandem à Cælestino missione Hiberniam auspicato ingreditur.

61 *Hic porrò non leuis quæstio nascitur, ecqua sit illa* Arelatensis, *seu (vt alibi scribitur)* Aralanensis *insula: nam licet vno ab Arelate lapide exigua sit insula, quam amplo in lacus speciem sinu Turoni refluxus circumdat: in eaq́; nunc monasterium visatur,* Montis-maioris *à loco dictum: huius tamen initia non esse ante seculum decimum quærenda Tomo 4 Galliæ Christianæ docent San-marthani fratres.* Camarias *ad Rhodani ostia suspicatur Colganus: sed istic aliqua tunc temporis fuisse monasteria nullo antiquo docemur* F *auctore; est autem ad ortum proxima Lerinensis insula, ab eo tempore, quo ante annos viginti venerat in Galliam Patricius sanctitatis eximiæ laude celebratissima, ab Arelatensibus ferè monachis habitata, vt inde dici Arelatensis potuerit, scriptoribus exteris proprium loci nomen non plenè assecutis, nisi quis suspicari malit* Laranensem *pro* Lerinensi *perperam scriptum fuisse. Multa possemus de hac insulâ dicere: sed audire hoc loco sufficit quæ de illâ S. Eucherius Lugdunensis Episcopus scripsit ad S. Hilarium Arelatensem, in opusculo de laude Eremi. Fauet situs designatus à Probo inter* montes & mare: *Alpes Maritimas scilicet, & mare Gallicum, quod inde versus Hetruriam procedens, Hetruscum ac Superum dicitur.*

A Germano Lerinas discedit Patricius.

62 Equidem cunctis eremi locis, quæ piorum illuminantur secessu, reuerentiam debeo, præcipuo tamen Lerinam meam honore complector, quæ procellosi naufragijs mundi effusum piissimis vlnis me receperat: digna quæ Honorato auctore (*fuit is secundum Vitã 16 Ianuarij datã, Arelatensis Episcopus, & anno* CCCCXXIX *excessit è vitâ: monasterio autem principium dedisse scribitur à Sanmarthanis circa annum* CCCLXXV) fundata sit... digna quæ præstantissimos alat monachos, & ambiendos proferat Sacerdotes. Hæc nunc successorem tenet eius Maximum (*ad Regiensem deinde, cathedram*

viris sanctis abundans.

A *dram promotum*)... hæc habuit reuerendi nominis Lupum: (*tunc Trecensem Antistitem*) hæc habuit Germanum eius Vincentium (*Lerinensem cognomine, & opusculo verè aureo aduersus hæreses conscripto celebrem*)... hæc nunc possidet venerabilem grauitate Caprasium, veteribus Sanctis parem (*ipsius S. Honorati magistrum*) Hæc hunc habet Sanctos illos viros qui diuisis cellulis Ægyptios Patres Gallijs nostris intulerunt. *His ipsos Eucherium, Honoratumq; adiunge, omnes nunc Sanctorũ adscriptos catalogo, omnes eo tempore viuentes, quo S. Patricius Altissiodori fuit, & plerosq; adhuc in illâ insulâ commorantes.*

Hinc in Hiberniam redire iussus,

63 Interim autem dum ibi per multos annos demoratur. *Probo teste*, Patricius, Angelus Domini, qui ei indesinenter apparuerat, etiam modò crebris visionibus visitauit eum, dicens, iam adesse tempus vt veniret in Hiberniam, & Euangelico ore nationes feras ac barbaras, ad quas docendas destinatus fuerat, conuerteret ad Christum. Nactus ergo tempus opportunum aggreditur, ad quod illum Dominus vocare est dignatus. *Scilicet quid secum ageretur cum magistro suo S. Germano communicat, anno* CCCCXXX *opportunè reuersum à Britannicâ legatione, in quâ socium eidem iuisse Patricium soli Scholiastæ Fiechiano credere non possumus, dum eam adiungit* B *fabulam, quæ omnem huic eius dicto fidem derogat: potiùs existimamus S. Germanum, quem ex Vitâ eius nouimus statim post Britannicam legationem Arelatem profectum, ad visendum Hilarium, eadem vsum occasione, excurrisse ad Insulam Lerinensem, notissimâ incolarum sanctitate totis Gallijs celebrem: vel certè Patricium petendi consilij caussâ ad ipsum venisse Arelatem, illius in vrbem aduentu cognito. Germanus verò audiens quæ sibi quiescenti vigilantiq; accidisse sæpè narrabat S. Patricius, eadem nunc recentibus monitis denuò inculcari*: Pergas ergo, *inquit apud Scholiasten*, ad successorem S. Petri, nempe Cælestinum, vt te ordinet; quia hoc munus ipsi incumbit. Venit ergo Patricius ad eum, & nec ei honorem dedit: quia antè misit Palladium in Hiberniam, vt doceret eam: *ex quo colligimus annum* XXXI *in cursu fuisse, antequàm Romam Patricius aduenirer.*

ex Germani consilio semel

terumq; Cælestinum Papam adit,

64 Postquàm autem, *inquit idem qui suprà Scholiastes*, Cælestinus recusauit eum ordinare Episcopum, declinauit ad insulas Maris Tyrrheni, & tunc inuenit baculum Iesu, *in nullo, vt Acta ostendent, Mosaicæ virgæ inferiorem, ac magno deinceps in honore habitum apud Hibernos.* Venit autem Patricius iterùm ad S. Germanum ... Misit ergo Germanus denuò Patricium ad Cælestinum, & Segestium cum eo, vt perhiberet testimonium propter se... Posteà intellexit Cælestinus Palladium C decessisse, & tunc dixit: Nec potest homo quidpiam accipere in terrâ, nisi datum ei fuerit desuper. Tunc ordinatus est Patricius in conspectu Cælestini ... & Cælestinus non vixit, nisi vnâ septimanâ postquàm ordinatus est Patricius, vt ferunt: Sixtus verò ei successit, in cuius primo anno Patricius venit ad Hiberniam, & ipse perhumaniter tractauit Patricium, & dedit ei partem Reliquiarum Petri & Pauli & libros multos. *Hactenus Scholiastes: qui cum adijt Amatoregem Antissiodorensem Episcopum fuisse, qui Patricium ordinauit, vti cognoscitur manifestò errasse, & res, personas, ac tempora confudisse; ita non magis mouere nos debet, cum dicit* in conspectu ipsius Cælestini *ordinatum, quàm cùm subiungit* & Theodosij Iunioris Regis mundi: *non enim Theodosius iunior, sed Valentinianus imperabat in Occidente: igitur pro conspectu, Pontificatus & Imperij tempus accipe: & per ordinationem, institutionem intellige, quâ et per Apostolicas litteras data facultas est adeundæ Hiberniæ & Episcopalis consecrationis suscipiendæ, quando Palladij mortem certiùs cognouisset.*

& missionẽ impetrat.

discedit in Hiberniam cum socijs 9

65 *Sic instructus Româ discedit Patricius cum socijs nouem, vt habet MS. Hibernicum ab Vsserio pag. 838 relatum: nec plures ipsa Acta recensent, quãdo de accessu Sancti ad Regem Leogarium agunt, & nonum locum puero Benigno recens in Hiberniâ adscito concedunt, in vicem Lumani ad scaphæ custodiam derelicti. Stimus operis Tripartiti Auctorem, auctoremque Vitæ 3 socios è Britanniâ in Hiberniam trajcienti Patricio* XXIV, *Tinnemuthensem atque Capgrauium* XXXIV *dare: sed meritò suspicamur quòd hæc transfretatio ab auctoribus, non satis omnia distinguentibus, confusa sit cum aliâ post annum duodecimum factâ; quando & in Britanniâ aliquamdiu prædicauit Patricius, & rebus tam prosperè inchoatis magnum ibidem nomen consecutus, facilè potuit subsidiarios plures in opus allicere Euangelij, maximè ex paternâ familiâ sororum filios vnà cum matribus; quos vix credibile est citiùs ad auunculum suum sese omnes iunxisse. Sed ne pluribus hac de re, non magni vtique momenti disputemus: videamus ex Probo, quomodò Româ regrediens, gradum siue ordinationem episcopalem in itinere susceperit.*

66 Audientes itaque de morte Palladij Archidiaconi, discipuli illius, qui erant in Britannijs, venerunt ad S. Patricium in Eboriam, & mortem Palladij ei denuntiabant. Patricius autem & qui cum eo erant, declinauerunt iter ad quemdam miræ sanctitatis hominem, summum Episcopum, Amatorem nomine, in propinquo loco habitantem: ibique S. Patricius sciens, quæ superuentura essent illi, Episcopali gradu ab eodem Archipræsule Amatore sublimatus est. Sed & alij nonnulli Clerici ad officium inferioris gradus ordinati sunt. Eodem verò die, quo S. Patricius sacris benedi- E ctionibus consecratus est, conuenienter hoc Psalmistæ canticum in choro psallentium Clericorum decantatum est: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. *Ex eo quod quartæ Vitæ Auctor dicat Patricium, Apostolicâ acceptâ licentiâ, per Italiam Galliasque recto tramite perambulantem, peruenisse ad mare, inter Gallias & Britannias positum; & miraculi vnius narratione interiectâ subiungat*: Auditâ itaque morte Palladij in Britanniâ, quam discipuli ... redeuntes retulerunt in Eboriâ. *Ex hoc, inquam Colganus necessariò consequi putat, quod ciuitas illa Eboria inter Morinos ac Britanniam quæri debeat, fueritque vel* Bononia (Eboria *hîc mendosè nuncupata*) *vel ipsa* Eburonium Augusta *nunc (vt falsò credit)* Leodium *dicta, vel vrbs olim amplissima* Tungri: *quasi nihil ab inuicem Eburones Morinique distarent, imò pro ijsdem essent accipiendi. Verùm ad hæc tam malè inter se cohærentia, vnius illius loci auctoritate motus non recurret is, qui nobiscum obseruauerit, quàm præpostero ordine Patricij gesta ab auctoribus referantur: & potiùs incertum se hærere fatebitur.*

& Palladij morte intellectâ,

Eporedia in Subalpinis,

67 *Cur tamen hoc fateamur? cùm in eâ quam S. Bernardus conscripsit S. Malachiæ Dunensis Vitâ cap.* 10 *de ipso Romam eunte hæc legamus* Trans Alpinas cùm venisset Iporiam, ciuitatem Italiæ? *quam eam esse, quæ* Iurea *hodie, antiquis* Eporedia *dicebatur, vrbs Insubriæ perantiqua, con-* F *stat ex diplomatis ab Vgello Italiæ sacræ tom.* 4 *relatis: in quibus post annum* 1000 *passim* Ipporienses *&* Yporienses Episcopi *leguntur, nec non* Yporedienses. *Per hanc autem ex Galliâ Romam, aut hinc eò commeantibus rectum iter est. Locum verò ad quem declinauit consecrandus Patricius, ipsam Augustam Taurinorum fuisse censemus, vtpote vnius duntaxat diei itinere Eporediâ distantem, aliquantum ad sinistram deflectendo; in quâ circa seculi prioris initia sedem fuisse Episcopalem Ecclesia illa credit, ad annum* CCCX *referens S. Victorem Episcopum suum, per quem ædicula SS. Solutoris, Aduentoris & Octauiani Martyrum ædificijs aucta & censu annuo ditata sit: quamuis Episcoporum, qui Victorem præcessere & secuti sunt, nomina deleuit obliuio, vsque ad S. Maximum, quem constat anno* CCCCLXV *gessisse Pontificatum, eò quòd Romanæ Synodo sub Hilario Papâ interfuisse inueniatur. Ex intermedijs igitur aliquis Amati, vel Amatoris, vel etiam Amatoregis (ita enim variè varij) nomen habuerit; quem qui Autisiodorensem Episcopum facit Fieci Scholiastes nimiùm quantùm aberrat à vero: hic enim ab annis sedecim iam in fata concesserat.*

Episcopus consecratur Taurini.

68 *Iocelinus consecrationem Romæ factam supponens à Cælestino, omnibus illis prætermissis, pergit porrò ad Angelicam allocutionem & Dominicam in itinere visionem, quæ Patricius* ad opus ministerij diuinitus sibi iniuncti, à Domno etiam Papâ commissi, consummandum anhe-

S. Germanum visit,

A lauit & versùs Hiberniam cum viginti viris (*nos pauciores fuisse credimus*) vitâ ac sapientia præclaris, ab ipso summo Pontifice sibi deputatis in adiutorium, regressum maturauit. Diuertit autem, *vt idem ait*, ad B. Germanum nutritorem & eruditorem; ex cuius munere accepit calices & vestimenta Sacerdotalia, copiam codicum, & alia quæ pertinent ad cultum & ministerium ecclesiasticum. *Ita Iocelinus: pergit autem Vitæ quartæ Auctor*: Galliasque recto tramite perambulans peruenit ad mare inter Gallias & Britannias positum; in cuius littore duos inuenit viros inter se pugnantes: quos B. Patricius admonens, vt pacificè viuerent, responderunt dicentes, quòd nemo inter illos pacem facere valeret, nisi qui de minutis arenis illic adhærentibus vnũ lapidem facere potuisset. Audiens hæc S. Patricius, Baculo Iesu, quem manu tenebat, arenas in modum circuli circumdans, in vnum transformauit lapidem. Videntes autem homines miraculum, dantes gloriam Deo, pacificati sunt. Lapis autem secutus est S. Patricium, qui auro & argento ornatus, in quâdam ciuitatulâ cum magno vsq; in hodiernum diem habetur honore. *Denique* (*vt Probi verbis concludam*) tunc venerabilis Sacerdos Domini Patricius nauem celeriter ascendit, & peruenit in Britanniam, omissisque omnibus

in Hiberniam traijcit,

B ambulandi anfractibus, cum omni velocitate prospero fluctu mare nostrum in nomine sanctæ Trinitatis adit, *atque in Hiberniam appulit, ante hyemem, vt par est credere, anni* CCCCXXXII, *cùm annum ætatis* LV *ageret*.

Incipit fidē prædicare in Lageniâ

69 *Hic finis diuturniorum in cismarinis partibus peregrinationum Patricio fuit, hoc Apostolicorum laborum initium. Appulit autem primùm in Lageniam, vbi Palladius quædam fundamenta iecerat: vbi annum reliquum actum esse cum principio anni sequentis omnino nobis persuademus; nec enim ita cursim plantari fides potuit in populo præsertim rudi. Primo autem Baptismo ibidem celebrando, quo tinctus Sinellus, delectum credimus* V *Aprilis: qui fuit dies decimus à Paschate istius anni acto die* XXVI *Martij secundùm Canonem, qui posteà dictus est Victorinus, prout intelligitur ex epistolâ Cummiani Hiberni ad Segienum Hyensem Abbatem de controuersiâ Paschali, vndecimâ in Sylloge Hybernicarum epistolarum editâ ab Vsserio: in quâ cùm dixisset, omnes Cyclorum computationes contrarias esse ei quam Britones Scotique schismatici tenebant*, & cuius auctorem, locum, tempus incertum haberi *alio loco dicit, omnes incipit enumerare, &* Primùm *allegat Cyclum* illum, quem S. Patricius Papa noster tulit & fecit; in quo Luna à XIV vsque in XXI regulariter, & æquinoctium à XII Kal. Aprilis obseruatur. *Neque gratis prædictum diem* V *Aprilis primo huic baptismati assignauimus: non enim aliud putamus designari his verbis Festilogij Ængussiani ad hunc diem relatis*, Baptismus magni Patricij cœpit in Hiberniâ; *quod in Martyrologio Tamlactensi legitur hoc modo*: Baptismus Patricij venit in Hiberniam. *Sanè primitiarum istarum lætitia merebatur perpetuâ memoriâ celebrari.*

& primum ibi baptismū celebrat 5 Aprilis:

C

70 *Verùm cùm populi illius obduratio non satis promptè verbi diuini semina reciperet, credidit vir sanctus fieri posse, vt maiores successus haberet in Dalaradiâ, vbi captiuus seruierat & notiora habebat loca hominumque ingenia, fortassis & linguam, saltem dialecto diuersam. Igitur eò iter intendit, ibique non inutiliter laborauit, ac demùm etiam futuris monachis fundauit Saballense monasterium, quod semper carissimum habuit ac denique corporis sui possessione ditauit. His rebus agendis si annos tres impensos velis credere, congruum sanè tempus sumpseris, & celebre illud tot contra Leogarium Regem eiusq; magos certaminibus Pascha, in campo Bregiorum Rege inspectante actum, inciderit in annũ Leogarij quintum*, Christi CCCCXXXVI, *diem* XIII *Kalendas Maij. Secuta est hoc aut proximo anno Athrumiensis Ecclesiæ fundatio, perperam ipsi anno* CCCCXXXIII *ab alijs communiter attributa: tum reliqua sancti viri acta quæ impossibile est ordine annorum digerere, cùm id primi eorum relatores neglexerint. Solum hîc restat obseruandum quod reliquum omne tempus Hiberniæ conuertendæ impensum geminâ Romam profectione Patricius interpolarit: vnâ quidem post exactos duodecim in Apostolatu annos, quando obuiàm factus redeuntibus in Hiberniam Clericis pellem, quâ fuerat inter sacrificandum diu vsus, dono dedit: alteram decrepitâ in ætate annorum octoginta, quando conditâ Ardmachanâ ecclesiâ monitus ab Angelo est, Vrbem Reliquiarum impetrandarum caussâ adire, quæ vtraque profectio in S. Leonis Magni incidit Pontificatum: quibus duabus peregrinationibus si addas primam sub Cælestino Papâ impetrandæ missionis caussâ, finito tempore quod asceticæ litterariæq; institutioni Deus in Galliâ atque Italiâ impendi voluit, inuenies tertiò aditam ab Apostolico viro Romam fuisse, prout dicitur in Vitâ: imo quater, si primam ad Cælestinum profectionem, gemines cum Probo inter vnius anni spatium: quapropter non nisi pro vnicâ meruit accipi ab auctoribus ceteris.*

inde in Vltoniam abit,

& anno 436 in Paschate cum Leogario congreditur:

& Romam semel D iterumq; redit.

§ X Reijciuntur fabulosæ quædam Actorum Patricianorum chronotaxes.

71 *Qvemadmodum ij, qui suos in vsus aquas vndecumque acceptas deriuant, facilè in publica priuatáue delinquunt iura; ita difficilè est scriptoribus, patriæ suæ gloriæ sic studentibus, vt quamcumque iuris vmbram dubiâ in luce spectasse contenti, eam continuò prensare non dubitent; cauere ne quandoque contra veritatem impingant, & eorum vel coniecturæ vel suppositítia, quibus nitebantur, monumenta, prolatis deinde certioribus, manifestæ falsitatis conuincantur. Ad hunc scopulum inter alios Iacobus Malbrancq impactus est; qui si vidisset Patricianæ vitæ annos eo, quo digessimus, modo ordinatos; haud dubitamus quin fuisset omissurus in primo suo tomo de Morinis caput illud* XXVI *libri* I, *quo Patricium Bononiensibus per octo annos Episcopum conatur vindicare. Legerat ille in Episcoporum huius Diœceseos catalogis MSS. Patricij nomen: sed vt ipse in fine capitis fatetur extra ordinem adiectũ in margine; ac Bononiæ eum sedem tenuisse Episcopalem ex S. Arnulphi Suessionensis Vitâ credebat abundè se habere testatum. Hanc autem fidem, apud se diu ambiguam, tandem emersisse scribit, cùm varia reuoluenti tempus idoneum figendæ istic sedi illuxit. Illuxit autem hâc ratione: Annos, inquit,* XXX *ætatis excesserat Patricius cùm ad Germanum venit, octodecim apud eũ permansit: anno igitur* CCCCXXIV *Romam transmissus, & à Cælestino Papâ remissus ad Germanum est cùm charactere Episcopali, vt eo Germanus vteretur vbi maior Ecclesiæ necessitas exigere videretur. Hinc consequenter educit Malbrancus, Patricium ex Germani mãdato apud Morinos primum in animarum quæstu exercuisse feruorem, eò magis indigos opis, quod periculum esset, ne pestis Pelagiana hanc proximam Britanniæ regionem afflaret. Anno deinde seculi illius* XXIX *transeuntem illac cum Lupo Germanum animos ait addidisse Patricio, ad prosequendos fructuosos labores: ne tamen destinato sibi subsidio penitùs destitueretur Hibernia, institisse apud Cælestinum, vt Palladius mitteretur: sed eo præmaturâ morte extincto, cognouisse tandem, Dei voluntatem ferre, vt Patricius iret. Hæc summa fabulæ, fidem inuenturæ fortassis cùm nulla vetera monumenta extabunt. Igitur ei per se ruenti & in prioribus satis confutatæ non immoramur, tantùm dicimus nescire nos quænam illa Vita S. Arnulphi sit quæ istud quod Malbrancus ait ita abundè testetur. Quam hactenus impressam apud Surium & manuscriptam vidimus, in eâ nullum possumus de Patricio verbum reperire. Quos autem Episcoporum illius diœceseos catalogos alleget, diuinare nequimus, cùm ipse nusquam eos proferat, ac toto opere suo ne vnum quidem Episcopum nominet, qui habuerit Bononiæ sedem, ante Teroanæ excidium: ignoti autem latent Episcopi si qui fuerunt ante seculum sextum, quo ad Christi fidem Morinis annuntiandam Antimundus siue Aumundus, missus à B. Remigio est.*

E *Morinensis S. Patricij Episcopatus,*

à Iac. Malbranq assertus,

F

sine vllo fundamento.

72 *Simili honorandæ patriæ studio Michaël Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Britannicæ omnibus Patricianæ Vitæ auctoribus Hibernis fidem derogat, iisq; Glastonienses tabulas, veriùs fabulas, præfert: quamuis in his ipsis graues circa S. Patricium parachronismos inesse cogatur confiteri. Nempe indubitata*

Ex Glastoniensium fabulis,

A *indubitatæ fidei persuasus esse figmentum, quod Patricij nomine imperitissimè inuenerat concinnatum; à præiudicio isto abduci non potuit, statim in primâ lineâ manifestum deprehendens errorem; nam* qui contra eam exciperet, *inquit*, neminem hactenus vidimus. *Primus illud prælo vulgauit Capgrauius at Vitæ Patricianæ subiunxit, sub hac tamen cautionis formulâ:* Quæ autem inferius digesta sunt apud Glastoniam ex libris monasterij illius excerpsi, quæ si veritatem sapiant, lectoris arbitrio relinquo: *ita vulgatũ cùm ignoraret Gerardus Vossius & ex iisdem libris illius inuenisset apographum inter collectanea Mariani Victorij Episcopi Reatini, gemmam reperisse ratus, eadem obsignauit concluditque* Miscellanea SS. Patrum ad calcem operum S. Gregorij Thaumaturgi adiecta. *Vnde in Tomum v Magnæ Bibliothecæ Patrum transijt pars illa, quam ediderat Vossius, sub hoc titulo:* S. Patricij legatio à Cælestino I Papâ ad conuersionem Hiberniæ directi, siue epistola S. Patricij Apostoli Hiberniæ ex bibliothecâ monasterij Glastoniæ, in quo ipse Abbas fuit, antequàm esset Episcopus Hiberniæ*: quæ verba vltima, cùm ipsi qui subiungitur textui è diametro aduersentur (fingitur enim in eo Patricius testari, post conuersos ad fidem veritatis Hibernicos, tandem sese reuersum in Britanniam esse ad insulam Aualoniæ,* B *vbi licet inuitus in Pastorem prælatus sit ab ijs, quos istic inuenerat eremitis duodecim) non obscurè colligimus ipsi Vossio suspectam huius fragmenti fidem fuisse, nec voluisse illi sui nominis addere auctoritatem.*

& fictitiâ Patricij epistolâ,

quæ integra profertur ab Alfordo

73 *Fragmentum dixi quia ex duobus Bibliothecæ Cottonianæ MSS. totam se epistolam eruisse gloriatur Alfordus ad annum* CCCCXXXIX; *vbi eam collocat in sextuplum auctorem hactenus diuulgatis: sed præuertit Alfordi editionem Monastici Anglicani collector octennio citius in lucem prodiens: in cuius ipso initio ille toties ab Alfordo citatus Guilielmus Malmesburiensis per Ioannem monachum & Adamum Domersham defloratus liber, ab ijsq; sub titulo Antiquitatum Glastoniensium transcriptus, totus reperitur. Est autem commune vbique illius Epistolæ initium his verbis expressum: nisi quòd pro anno Christi 430, Antiquitates prædictæ annum habeant 425.* In nomine Domini nostri Iesu Christi. Ego Patricius humilis seruunculus Dei, anno Incarnationis eiusdem CCCCXXX in Hiberniam à sanctissimo Papâ Cælestino Legatus, Dei gratiâ Hibernicos ad fidem veritatis conuerti: & cùm eos in fide Catholicâ solidassem, tandem in Britanniam sum reuersus. *Ceterùm quod annum spectat, fatetur ipse Alfordus fieri non potuisse vt anno istius seculi* XXX *venerit in Hiberniam Patricius. multò minus antecedenti* XXV, *quem secutus Stanihurstius fuerat: ipse autem suspicatur, tum primum è Patriâ* C *egressum Patricium, cui à captiuitate restitutus eatenus inhæserat, nauigasse in Gallias sacrarũ Scripturarum sub Altisiodorensi Germano perdiscendarum studio. Verùm si intellexisset æuo Patriciano necdum cogitatum fuisse de annis à Christi Incarnatione signandis, breui se responso expedire poterat, dicereque hunc errorem non Patricio sed ei attribuendum qui hanc temporis notam in textum intrusit: responso haud dubiè apud omnes Chronologiæ peritos valituro, & epistolæ istius fidem à suspicione liberaturo, nisi paris absurditatis alia plura haberet.*

& falsa deprehenditur ex anno Christi 430

indulgentijs sub nomine Cælestini confictis,

74 *Nam postquàm iuxta Antiquariorum Glastoniensium textum, inuento in* Ynis-witrim *(Aualoniam insulam alij habent) D. Virginis sacello. iunxisset sese* XII *Fratribus, ibidem eremiticam vitam ducentibus (quorum etiam nomina sigillatim ijdem Antiquarij recitant)* In scriptis *(inquit iste confictus Patricius)* recentioribus inueni, quòd S. Phaganus, & Deruuianus ab Eleutherio Papâ qui eos miserat decẽ annos *(alibi legitur* XXX*)* indulgentiæ impetrarũt: & ego Frater Patricius à piæ memoriæ Cælestino Papâ duodecim annos acquisiui. *Ecquis enim Cælestinus ille? an Secundus annis plusquã sexcentis Patricio Iunior? an Primus cuius anno postremo in Hiberniam missus Patricius? Vt impossibile fuerit has ab eo indulgentias obtinere post reditum ex Hiberniâ: post reditum autem obtineri debuerunt, si eæ pro Glastoniensi fuerint Ecclesiâ concessæ, & quidem occasione earum, quas concessisse Eleutherius inueniebatur, non in recentioribus, vt hic dicitur, scriptis; sed in ipsis scriptis SS. Phagani & Deruuiani (vti fingere maluerunt Glastonienses Antiquarij) per præfatos Fratres sibi ostensis. Adde quod Indulgentiæ nomen, pro relaxatione pœnarum pœnitentibus constitutarum, ostendi non possit seculo* XI *esse antiquius, quamuis rem ipsam antiquissimam esse nemo Catholicus vmquam negauerit: vt hinc quoque suppositity illius scripti falsitas arguatur.* D

75 *Prosequuntur deinde fusius enarrare Antiquarij, velut ex ore Patricij, quo modo in cacumine montis ipse inuenerit oratorium S. Michaëli Archangelo erectum à SS. Phagano & Diruuiano, similibusq; dotatum indulgentijs, atque ab ipso Christo in somnis eidem Patricio apparente commendatum, in quo antiquissimus repertus sit codex, Actus Apostolorum continens & gesta prædictorum duorum Sanctorum: ex quo istam prædicti oratorij dedicationem Patricius didicerit: ac demum circa finem hæc leguntur.* Arnulpho & Ogmar Hibernicis Fratribus, qui mecum venerant de Hiberniâ, pro eo quòd apud dictum oratorium humiliter manere cœperunt, præsentem paginam commisi, aliam similem in arcâ S. Mariæ retinens in monumentum posteris. *Hinc auctorem fabulæ deprehendas ex Anglosaxonibus aliquem, qui parui referre existimans, quo nomine, modò ne nullo, Patricij comites nuncuparentur, familiaria sua Germanicæq; genti vocabula assumpsit; minimè considerans Hibernos esse, quibus ea imponebat, eoq; tempore in Britanniam ingressos fingi, quo nullus adhuc Saxo illuc pedem intulerat cum aliquâ potestate. Consentiunt enim scriptores omnes, quòd primus Saxonicæ gentis in insulam aduentus inciderit in annum* CCCCL *qui multis pro epochâ est temporum signandorum,* E

Arnulphi & Ogmari nominibus.

76 *Horum figmentorum occasio non alia videtur Glastoniensibus fuisse quàm obscura quædam alicuius Patricij memoria, qui gesto in Hiberniâ Episcopatu notus Glastoniæ diem extremum clausit; adornandæ autem fabulæ materiam suppeditauit vetus incolarum traditio de SS. Phagano ac Deruuiano: pyramides item, viginti sex & octodecim pedum, ante ecclesiam Glastoniensem ab immemorabili tempore superstites, de quibus Malmesburiensis apud Cambdenum folio 167 quæ quia ignotarum personarum varia incertæ gentis nomina habebant inscripta, eodem aliquid potuerunt conferre. Cœperant videlicet de S. Patricio Hiberniæ Apostolo Hiberni inter se Angliq; contendere: quæ contentio vel tum maximè incrementum sumpsit, cùm vtrinsque Patricij ossa contigit vtrobique eleuari, eodem penè tempore, circa annum* MCLXXXV: *post quem tum illam epistolam, tum cetera omnia conficta existimamus, quæ ex Hibernicis scriptoribus malè consuta fabulatores Glastonienses in rem suam verterunt: quæ vt strictim extutiantur, hîc ex Capgrauio legendæ subiungimus.* F

Obijt autem B. Patricius anno ætatis suæ CXI: Incarnationis verò Dominicæ CCCCLXXII, qui fuit annus, ex quo in Hiberniam missus est XLVII. Si quidem anno Dominicę Incarnationis CCCLXI Patricius in lucem venit: & anno Domini CCCCXXV à Cælestino Papâ in Hiberniam missus fuit: hic enim erat annus ætatis suæ LXIV *(*LXVI *dicere debuit, vt calculo prius posito non contradiceret)* & anno Domini CCCCXXXIII Hiberniam ad fidem Christi conuertit, & posteà in Britanniam reuersus XXXIX annis in Insulâ Aualoniæ durauit, & vt præmittitur, anno Domini CCCCLXXII ad Dominum migrauit. *Ex quo consequens foret ex Hiberniâ redijsse Patricium anno* CCCCXLVII, *atque adeo solis* XIV *annis in Hiberniæ conuersione laborasse: quod quàm falsum sit & Ardmachanæ Sedis initia & tota Patricij vita probat: non illa quidem à scriptoribus digesta per annos: sed eos tamen quandoque enumerans, qui soli collecti hoc* XIV *annorum spatium multum excedunt.*

atque erroribus fabulosa chronotaxis

solos 14 annos Patricio in Hiberniâ concedentis,

77 *Quatuordecim annorum spatium licet insufficiens, nimis longum tamen Alfordo videtur: cùm enim videat ab Glastoniensibus dici, Patricium in Hiberniam missum anno quinti seculi* XXV *ab eoq; anno* XXXIII *insulam esse conuersam: etsi vtrumque ipse reijciat; infert tamen ex eorumdem opinione solis octo annis substitisse Patricium in Hiberniâ: ideoque ad annum seculi* XXXIX *refert ea quæ suprà refutauimus,*

è quibus Alfordus sex annos aufert,

A *nimus, cùm de epistolâ ageremus: quando ponit Patricium Româ reducem, quo fuerat confirmandæ Sedis Ardmachanæ gratiâ profectus, hîc substitisse; sic tamen* vt cùm necessitas eum vel Synodi caussa vocaret, missis sponsi amplexibus, egrederetur ad hortum rigandum, quem Apostolico beneficio suum fecerat: *Itaque ad annum* CCCCL *illam Hiberniæ Synodum refert, quæ sub titulo* Episcoporum Patricij Auxilij & Isserniini *habetur apud Spelmannum inter Concilia Britannica, deinde num. 9 subiungit:* Verosimile est Patricium hac vice in Hiberniâ plures annos mansisse, & post triennium Benignum consecrasse Ardmachanæ Sedis Episcopum: & fortè interim aliam Synodum celebrasse. *Quàm hoc de Benigno verisimile sit ex supradictis patet: & per se absurdum videtur vel cogitando fingere, quòd in illam primariam Cathedram euectus esset adolescens vix per ætatem Sacerdotij capax, vtpote omnino puer cùm in Hiberniam Patricius venit. Interim obseruet lector annum* CCCCLXXII *Patricianæ morti à Glastoniensibus assignatum, haud multùm recedere ab eo, quo nos statuimus Senpatricium mortuum, ex supposito quod solis* X *annis post auunculum Ardmachanam Ecclesiam rexerit; multoque adhuc propiùs accessurum ad veritatem, si concedamus exacto decennio, Episcopatum illum abdicasse atque in Benignum transtulisse,* B *vel per se vel per amicum & familiarem suum Mocteum.*

& Benignū 453 in Sedem Ardmach. inducit,

§ XI *De corpore & ecclesiâ S. Patricij apud Dunenses in Vltonia.*

78 E*x dictis & demonstratis paragrapho superiori est eritque deinceps indubitatum, vt credimus, quod ab scripto adeò imprudenter conficto nihil haberi omnino possit quo Hibernis præiudicetur, sustinentibus apud se mortuum esse sepultumq; Apostolum suum; & huius esse corpus illud, quod anno* MCLXXXV *vnà cum SS. Columbæ ac Brigidæ corporibus est refossum: de quâ inuentione eamque secutâ translatione fusiùs hîc agendum foret, nisi in commentario præuio ad Acta S. Brigidæ § 10 plenissimè id fecissemus. Omittenda tamen hoc loco non est ridicula euasio Guilielmi Malmesburiensis, ab Alfordo ad annum 472 num 7 citati, quâ suis Glastoniensibus asserturus S. Patricij Hiberniæ Apostoli corpus, ex vi similis inuentionis & eleuationis Glastoniæ factæ anno* MCLXXXVI. Sciendum est, *inquit*, quòd tres huius nominis sunt Sancti, quorum quilque Episcopus & Confessor extitit: vnus Aruernensis, alter in Hiberniâ; & ille de quo nunc agitur in Glastoniâ requiescens. Iste Patricius C in Hiberniâ requiescens, in Hiberniâ extitit natus, qui ibidem Pontificauit circa annum DCCCL, qui etiam ibidem sepultus, translatus est tempore Regis Henrici II, filij Mathildis Imperatricis, cum SS. Columkillâ & Brigidâ.

An Glastoniæ sepultus S. Patricius

79 *Anno quidem* DCCCLI, *Farannano S. Patricij Comorbano è viuis erepto, successisse inuenitur* Moel-patricius *quidam, siue* Patricianus: *sed qui eum Sanctis annumerauerit hactenus neminem reperimus, præter hunc Guilielmum. In Saballensi monasterio mortuū & Duni sepultum S. Patriciū scribunt auctores Vitæ Patricianæ: Moel-Patriciū eodem esse ad sepulturam delatum nemo dicit: & vt hoc diceret aliquis, non apparet quâ verosimilitudine cogitari possit, quòd in illud ipsum monumentum, in quo hic anno* DCCCLXI *erat sepultus, inferre voluissent Hienses monachi, anno* DCCCLXXV *Normannorum fugientes arma,* scrinium S. Columbæ. *An enim intra quindecim annos potuit inualuisse opinio, eum qui istic sepultus erat S. Patricium Hiberniæ Apostolum esse? Quid quod Reliquiæ S. Brigidæ eodem videntur fuisse illatæ, priùs quàm Moel-Patricius Episcopus crearetur, nempè circa annum* DCCCXXXIII, *quando Kildaria inuasa & ecclesia S. Brigidæ flammis primùm incensa fuit à Normannis, iterumque biennio post semel ac bis. Huius autem magnæ Thaumaturgæ corpus in tutiora subductum, vt corpori Magni Patricij coniungendum putarent Dunenses, magna caussa fuit, ipsa scilicet Apostoli prædictio de sepulcro aliquando communi futuro ipsi atque Sanctæ: vt verò Moel-Patricium tam illustri & miraculosæ Virgini vellent coniungere, caussa esse non potuit,* D *sed irreuerentia maxima. Vtrisque autem duorum Hiberniæ præcipuorum Sanctorum reliquijs iam coniunctis, tertium addere S. Columbam pietatis fuit & conuenientiæ summæ, quæ concipi nulla potest, si non magnus Patricius, sed alius aliquis non Sanctus ibi sepultus fuisset. Et hæc quidem ad Malmesburiensis effugium euertendum: quem credimus non fuisse respecturum ad tempora, ab auo Patriciano tam remota, si cognouisset, quòd ille alius Hibernorum Patricius, Sanctis quoque adnumeratus, fuerit immediatus Apostoli successor & nepos: & omnino dixisset hunc non Glastoniæ sed in Hiberniâ fuisse sepultum, & exolescente distinctionis huius memoriâ pro patruo suo deinceps cultum Hibernis fuisse. Sed nec hoc assumere quisquam debet, nisi qui paratus sit omnibus Magni Patricij Vitis antiquiora & probatiora proferre documenta, quod se facere non posse satis demonstrauêre Glastonienses, præsidium à fabulis quærentes.*

& vnus loco Duni alius Patricius inuentus colatur,

qui floruerit post an. 851?

an saltem S. Sen-Patricium

80 *Quid autem ingens illa & in ciuile bellum erruptura contentio inter Ardmachanos Dunensesque super corporis defuncti sepulturâ, quam vitæ auctores memorant multiplici diremptam miraculo? Numquid posset hæc sola persuadere cordato lectori, non fuisse de aliquo communi Sancto sic litigatum; sed de eo, quem tota Insula habebat religionis Christianæ magistrum? Adde quòd sepulturæ locus magno Patricio diuinitus* E *designatus Duni, & D. Brigidæ speciali reuelatione præcognitus fuisse memoretur. Quæ omnia, totamq; mortis Patricianæ historiam vt ad S. Sen-Patricium spectare quis dicat, nonne magnis & euidentibus coæuorum auctorum testimonijs niti oporteret? Oporteret sanè, nec pluribus hîc opus prò Dunensibus agere: potiùs quomodò sanctum corpus habuerint, videamus.* Apparuit, *inquit Probus,* Angelus Domini omnibus, qui ad sepulturam eius conuenerant, & dixit eis: Videte ne reliquiæ corpusculi huius sanctissimi viri à terrâ à vobis furtim auferantur: & ideò profunditate vnius cubiti in terrâ eius corpus obruatur. *Aliæ quidem Vitæ Angelici huius mandati meminerunt, tamquàm Patricio ante mortem datis; consentiunt tamen in eo omnes, quòd* in altissimâ fossâ *sacrum pignus depositum fuerit, & nominatim Iocelinus,* Ingressi, *inquit,* Vltani vrbem Dunensem, venerandum corpus in loco luce præostenso sepelierunt... sub lapide quinque cubitorum profunditate in corde terræ. *Locum autem illum idem Iocelinus num. 165 cælesti luce signatum fuisse narrauerat* non longè à Dunensis ciuitatis ecclesiâ matrice.... in cœmiterij orientali parte.... vbi, *inquit,* quibus quantisque miraculis sacrosancta eius ossa pullularint, scriptum non iuuenimus, quia fortassis à negligentibus calamo man- F data non sunt, vel quoniam à paganis principantibus in Hiberniâ pluries eiusmodi scripta incendio deleta sunt.

Non his, sed ipsi magno Patricio sepeliendo

locus fuerat cælitus designatus:

ibique altè sub terrâ defossus est,

81 *Et huic quidem loco successu temporis superædificatam ecclesiam Probus ac Vitæ quartæ auctor consentiunt, & eam in honorem nominis Patriciani consecratam posterior indicat num. 104. Sed Probus* in nouissimis temporibus *id factum scribit, tantoque, quod mireris tempore, tantus ille thesaurus, aut saltem tumulus super ipsum erectus, cæli iniurijs expositus patuit: neque hic tantum; sed qui tantopere prò eo habendo certauerant Dunenses, nouo fuerunt miraculo admonendi, vt reuerentiùs haberent locum. Nam vt præcitata Vita* IV *apud Colganum habet num. 34.* Quadam die pueri iuxta sepulcrum Sancti ludentes, trochus per quamdam foueam in sepulcrum transit. Tunc quidam de ludentibus pueris manum intùs mittens, trochum tollere volebat, sed manum ad se retrahere volens, omnino non valuit. Inito autem consilio ad Episcopum Loarnum miserunt: qui veniens audenter dixit: Cur Senior manum innocentis tenes? & extemplò manus à sepulcro soluta est. *Fuit hic Loarnus ex Patricij discipulis vnus, de cuius vicino arci Dunensi Episcopio agitur in Vitâ Tripartitâ.* Cùm autem *postmodùm* ecclesia ædificaretur, *inquit Probus,* homines humum fodientes ignem de sepulcro eius exurgere viderunt: quo timore perterriti fodere desiderunt, ac recedentes ab hac intentione

nec satis reuerenter in principio habitus:

posteà super eum ædificatur ecclesia,

A tentione maiori veneratione memoriam eius venerari cœperunt.

quâ destructâ.

82 Sed hæc ecclesia eidem subiecta fuit fortunæ quâ Dunum ipsum anno DCCCCLXXXVIII, MXV, MXL, MLXIX, & MCXI incensum vastatumque scribit Colganus Appendicis V ad Acta S. Brigidæ cap. 20: vt mirum non sit, si anno MCLXXXV sub Malachiâ Dunensi Episcopo prorsus ignotum fuerit, quo loco requirenda essent sacra magni Patricij ossa, & duorum qui ei coniuncti fuisse memorabantur Sanctorum. Quæ vt diuino reuelarentur miraculo commeruisse videtur tum ipsius Episcopi pietas, tum etiam Ioannis Curcy Vlidiæ Principis insignis erga S. Patricium deuotio: hic enim cùm teste Houedeno obsedisset anno MCLXXVI & XI Kalendas Iunij cœpisset ciuitatem de Dun, quæ est caput Vlustriæ: itaque totius Vlidiæ siue Vltoniæ pacificam esset adeptus possessionem, cum titulo Comitis accepto à Rege Angliæ, cuius auspicijs illam conquisierat, vsus egregiè victoriâ est; multaque monasteria ædificauit & reædificauit Deo & Sanctis eius; vt ipsemet in suâ ad Deum oratione testatur post annum MCCIV in carcere Anglicano, de quo Annales Hibernici apud Cambdenum ab anno MCLXII ad MCCCLXX ducti.

ad cathedralem, à Io. Curcy restauratam

Inter ea autem dubium nullum est quin monasterium Dunense fuerit, quandoquidem in iisdem dicatur Annalibus, expulsis B Canonicis secularibus, parum decenter reuerenterque locum istum habentibus, adduxisse monachos nigros de Cestriâ, & posuisse in Ecclesiâ Cathedrali Dunensi.

& Patricij dictam

Cùm autem hæc ecclesia sanctissimæ dedicata Trinitati, eiusdem imaginem supra maius altare collocatam haberet, & sanctæ Trinitatis ecclesia diceretur, mutandæ appellationis causam dedit idem Ioannes, quando eius imaginem deposuit de ecclesia, & ordinauit capellam pro eâ, & in magnâ ecclesiâ posuit imaginem S. Patricij. Itaque in Historiâ translationis, ecclesia S. Patricij in Duno nominatur. Prius tamen quàm ea translatio fieret & per ipsam impleretur S. Brigidæ prophetia, quæ apud Iocelinum num. 244 prænuntiauerat, ex eo, in quo primum sepeliendus erat Patricius, loco successu temporis transferendum; scripta erat, Malachiâ Episcopo & Ioanne Curcy prænominatis ita postulantibus, Vita S. Patricij per Iocelinum, huius alioqui inuentionis translationisq́ue facturum indubiè mentionem.

translatum est illuc corpus.

eiusdem Io. Curcy captiuitas, restitutio ac pia mors.

83 Fuisse tamen aliquid in hac Curcy pietate quod Deo displiceret, narrant prædicti Annales ad annum MCCIV, adduntq́ue in visione monitum esse quòd propter translatam è loco suo sanctissimæ Trinitatis imaginem euenisset vt feriâ VI in Parasceue, inermis & nudis pedibus atque in lineis limina ecclesiarum peregrinabundus visitans, prodi- C tiosè caperetur & traderetur æmulo suo, quem bello vicerat, Hugoni de Lacij atque in Angliam abductus, iubente Ioanne Rege Angliæ, carceri perpetuò includeretur fame sitique macerandus, quia Regi facere homagium noluit, & vituperauit eum de morte Arthuri legitimi hæredis. Quin etiam dictum ei fuisse diuinitus fertur, quod propter præfatam mutationem numquàm intraret in Dominium suum in Hiberniâ: sed propter alia bona quæ fecerat liberandus esset cum honore de carcere. Id porrò quomodo factum sit deinde subiungitur, ac demum quæ de ipso est narratio sic concluditur: Rex Angliæ reddidit sibi Dominium suum, scilicet Vltoniam: sed Ioannes Courcij tentauit quindecim vicibus venire per mare in Hiberniam: sed semper fuit in periculis, & continuò fuit ventus contrarius sibi, quapropter expectauit paulisper inter Monachos Cestriæ. Tandem est reuersus in Gallias, & ibi quieuit in Dominô.

Grayj sacrilegi funestus exitus

84 Felicior vtique quàm qui pro Rege Henrico VIII Hiberniam gubernans, nobile trium Sanctorum monumentum, tantâ Curcij pietate erectum, demolitus est Leonardus Grey, Dorcettiæ Marchio; tantique flagitij debitas pœnas MDXLI, caput securi subijciens, dedit: vt à nobis est in S. Brigidâ adnotatum. Cuius Sanctæ annos ex opinione vulgari donec res melius examinaretur ad I Feb. incuriosius digestos, hoc modò poteris ordinare, vt illa nata sit anno Christi CCCCXXXVI vel XXXVII, mortua mortem I Februarij cum quartâ feriâ concurrente, post annos vitæ vel LXX, vt habent antiquiora

De annis S. Brigidæ verosimilior coniectura.

Martyrologia apud Colganum subsequentem, adeoque anno DXII, vel, vt auctores Vitæ quidem, post annos LXXX, adeoq́ue anno DXVIII ipsi Patricio (aut veriùs illius dicti prædictioni factæ, tunc cùm illi circiter vicenaria Sanctus maledixerat) ad annos non triginta, sed quinquaginta vel sexaginta superstes. Vt hic quoque consuetum suum in Patricianis Prophetijs ad annos XXX restringendis Hiberni tenuerint Antiquarij. Omnis namq́ue hæc de annis XXX assertio innititur Hibernico cuidam poëmati, quod Testamentum S. Patricij vocatur, & tale est, vt omnia de Patricio corradens Colganus dignum non existimarit, quod non dico proferret Latinè redditum, sed ne citaret quidem totâ 8 Appendice. In illo autem Testamento vaticinari Patricius fingitur, Brigidam post XXX annos à suâ morte morituram & benedicturam Hiberniæ: contra quod expressè Ninius Vitæ auctoribus, annos XXX habentibus, ipsoq́ue, fortassis poëmate illo antiquior auctor, circa annum DCCCLIV florens, annos habet LX idque sequuntur Sigebertus in Chronico, Annalium VVauerleiensium auctor & Legenda aurea Anglicana editio apud Vsserum pag. 883.

CONFESSIO S. PATRICII

DE VITA ET CONVERSATIONE SVA.

Quam ex vetustissimo Nobiliacensis S. Vedasti monasterij codice eruit Andreas Denis, Atrebas, è Societate Iesv.

CAPVT I

De genere & captiuitate sua atque hac confessione.



1 EGO Patricius, peccator rusticissimus & minimus omnium fidelium & contemptibilissimus apud plurimos, patrem habui Calpornium Diaconem, filium quondam Potiti Presbyteri: qui fuit è vico Banauen Taberniæ, villam enim propè habuit, vbi ego in capturam a decidi. Annorum eram tunc ferè sedecim: Deum enim verum b ignorabam; & Hyberione adductus sum in captiuitate cum tot millibus hominum, secundùm merita nostra quia à Deo recessimus, & præcepta eius non custodiuimus, ac Sacerdotibus nostris inobedientes fuimus, qui nostram salutem admonebant: & Dominus induxit super nos iram indignationis suæ, & dispersit nos in gentibus multis, etiam vsque ad vltimum terræ, vbi nunc paruitas mea videtur esse inter allienigenas: & vbi Dominus aperuit sensum incredulitatis cordis mei, vt vel serò rememorarem delicta mea, & vt me conuerterem ex toto corde ad Dominum meum, qui respexit humilitatem meam, & misertus adolescentiæ & ignorantiæ meæ, custodiuit me, antequàm scirem eu, & antequàm saperem vel distinguerem inter bonum & malum, & monuit me & consolatus est me, vt pater filium c.

Patricius Britannus

16 an. abductus in Hiberniam,

ibique à Deo illustratus,

2 Vnde ego quidem tacere non possum, neque expedit, tanta beneficia & tantam gratiam, quam mihi Dominus præstare dignatus est in terrâ captiuitatis meæ: quia hæc est retributio nostra, vt post correptionem vel agnitionem Dei exaltaremur, & confiteremur mirabilia eius coram omni natione, quæ sub cælo est. Non enim est alius Deus, nec vnquam fuit, nec ante, nec erit post hunc, præter Dominum, Patrem ingenitum, sine principio, à quo est omne principium; per ipsum quippè facta sunt omnia visibilia &

in captiuitate Dei diuinitatè confitetur,

 inuisi-

& inuisibilia, [qui *d* Filium sibi consubstantialem genuit] hominem factum, & victâ morte in cælis ad Patrem receptum: & dedit illi omnem potestatem super omne nomen cælestium, terrestrium & infernorum, vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris: quem credimus, & expectamus aduentum ipsius, mox futurum iudicem viuorum atque mortuorum, qui reddet vnicuique secundùm facta sua: & infudit in nobis abundè Spiritus sancti donum & pignus immortalitatis; qui facit credentes ac obedientes vt sint filij Dei Patris, quem confitemur & vnum Deum adoramus in Trinitate sacrosancti nominis: ipse enim dixit per Prophetam: Inuocabis me in die tribulationis tuæ, & liberabo te, & magnificabis me. Et iterum inquit: Opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.

EX MS. VEDAST. — *d & fidem.* — Ier 29. & Psal. 80. Tob. 12,7

3 Tamen, etsi in multis imperfectus sum, opto fratribus & cognatis meis scire qualitatem meam, & vt possint perspicere votum animæ meæ. non enim ignoro testimonium Domini mei, qui in Psalmo testatur: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. & iterum: Os quod mentitur occidit animam. Et idem Dominus in Euangelio inquit: Verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicij. Vnde ego deberem vehementer cum timore & tremore metuere hanc sententiam in die illâ, vbi nemo poterit se subtrahere vel abscondere; sed omnes omnino reddituri sumus rationem, etiam minimorum peccatorum nostrorum, ante tribunal Domini nostri Iesu Christi. Quapropter olim cogitaui scribere, sed vsque nunc hæsitaui: timui enim ne inciderem in linguam hominum: quia non legi sicut ceteri, qui optimè sacris litteris sunt imbuti, & studium suum ex infantiâ numquàm mutauerunt; sed magis ad perfectum semper addiderunt: nam sermo & lingua nostra translata est in linguam alienam.

cogitatq; veracem cõfessionem — Psal. 5,7. Sap. 1,11. Matth. 12, 36. — B — *de se scribere,*

4 Sed facilè potest probari ex saliua scripturę meæ qualiter ego sum in sermonibus instructus atque eruditus: quia, inquit Sapiens, Per linguam dignoscitur sensus, & scientia & doctrina veritatis. Sed prodest excusatio iuxta veritatem, præsertim cum præsumptione, vt modò ipse appeto in senectute meâ, quod in iuuentute non comparaui. Obstiterunt enim peccata mea vt confirmarem, quod antè non perlegeram. Sed quis mihi credit? Etsi dixero, quod antè præfatus sum; adolescens, imo penè puer in verbis, *a* capturam dedi, antequàm scirem quid appetere vel quid vitare debueram. Vnde ego hodie erubesco & vehementer pertimesco, palàm denudare imperitiam meam, quia, diserti breuitate sermonis explicare non possum, sicut spiritus gestit & animus, & sensus monstrat & affectus: sed si ita mihi datum fuisset sicut & ceteris; verum tamen non silerem, propter retributionem. Et, si fortè videtur apud aliquantos me in hoc præponere cum meâ inscientiâ & tardiori linguâ (scriptum est enim: Linguæ balbutientes velociter loqui discent pacem) quantò magis nos appetere debemus, qui sumus epistola Christi vsque ad vltimum terræ, etsi non diserta, sed *e* ... scripta in cordibus vestris, non atramento sed Spiritu Dei viui.

(etsi cum aliquâ verecundiâ, — Eccl. 4,29 — *a* — C — *c* — *propter incultum sui sermonem* — Is. 32,4. — *e*

5 Rusticatio ab Altissimo creata est, teste eodem Spiritu Dei viui: vnde ego primùm rusticus, profuga, indoctus; qui scilicet nescit in posterum prouidere. Sed illud certissimè, quia vtique, priusquàm humiliarer, ego eram velut lapis, qui iacet in luto profundo, & venit qui potens est, & in suâ misericordiâ sustulit me: & quidem scilicet sursum alleuauit, & collocauit me in summo pariete. Et inde fortè debueram exclamare ad retribuendum quoque aliquid Domino pro tantis beneficijs eius, hic & in æternum, quæ mens humana æstimare non potest. Vnde autem *f*? Admiramini itaque magni & pusilli, qui timetis Dominum & vos, Domini ignari, Rhetorici: audite ergo & scrutamini, quis me stultum excitauit de medio eorum, qui videntur sapientes esse & legis periti, & potentes in sermone & in omni re. Et me quidem, detestabilem huius mundi præ ceteris, inspirauit, etsi talis essem; dummodò vt cum metu & reuerentiâ & sine querelâ fideliter prodessem genti, ad quam caritas Christi transtulit & donauit me in vitâ meâ, si dignus fuero denique, vt cum omni humilitate & veraciter deseruirem illi in mensurâ.

Eccl. 7,16. ne Deo sit ingratus, — *f à quo vsque adeò exaltatus fuit.* — D

a *Ita hæc verba citat auctor Vitæ IV apud Colganum: ceograohum nostrum habebat* capturam dedi: *Vsserius pag. 832* capturam didici. *Totus autem hic locus paucis mutatis apicibus, etiam in II & III Vitâ legitur.*

b *Non ignorantiâ fidei, sed affectuosi & vni prorsus deditî familiaritate: quæ licet culpæ expers, viro tamen sancto iusta humiliandi sui caussa fuit.*

c *Hactenus hic paragraphus in pluribus Vitis variè mutilatus transcribitur.*

d *Hæc aut similia verba in MS. Atrebatensi desiderari contextus indicat, ad cuius exigentiam in sequentibus nonnulla supplebimus [ ] includenda.*

e *Si hæc dispunctio non sufficit sanando huic loco, necesse est aliquid excidisse.*

f *Hic etiam aliquid deesse videtur.*

CAPVT II.

Fuga elapsus è seruitute Patricius, redit in patriam.

6 Itaque quæ fidei Trinitatis [sunt] oportet distinguere, & sine reprehensione periculi notum facere donum Dei, & consolationem æternam ac sine timore fiducialiter Dei nomen vbique expandere, & etiam post obitum meum relinquere fratribus, & filijs meis, quos ego in Domino baptizaui, tot millia hominum; etsi non eram dignus, neque talis vt hoc Dominus seruo suo concederet; & post ærumnas tantæ molis, post captiuitatem, post annos multos in gente illâ, tantam gratiam donaret, quod aliquando ego in iuuentute meâ numquàm speraui neque cogitaui. Sed postquàm Hyberione deueneram, quotidie *a* pecora pascebam, & frequens in die orabam, magisque ac magis *b* accedebat amor Dei, & timor illius & fides augebatur, & spiritus augebatur vt in die vnâ vsq; ad centũ orationes [facere] & in nocte propè similiter: & etiã in siluis & monte manebam, & ante lucẽ excitabar ad orationem per niuem, per gelu, per pluuiam; & nihil mali sentiebam neque vlla pigritia erat in me, sicut modò video: quia tunc in me spiritus feruebat. Et ibi scilicet quadam nocte in somno audiui vocem dicentem mihi: Benè iciunas, citò iturus ad patriam tuam. Et iterum post paullulum tẽpus responsum audiui, dicens mihi: Ecce nauis tua parata est. Et [non] erat propè: sed forte aberat ducenta millia passus: & ibi numquàm fueram, nec ibi quemquam notum de hominibus habebam.

Quibus hæc scribat. — *a* — *b In seruitute mirè deditus Orationi,* — F — *de liberatione monetur:*

7 Et deinde postmodùm conuersus sum in fugam; & intermisi hominem cum quo fueram annis sex; & in virtute Dei, qui viam meam dirigebat, veni ad Benum, & nihil metuebam, donec perueni ad nauem illam. Et mox, cùm perueni ad eam, profecta est de loco suo; & locutus sum vt haberem vnde nauigare cum illis. Gubernatori autem displicuit, & acriter cum indignatione respondit: Nequaquàm tu nobiscum appetas ire. Et cùm hæc audissem, separaui me ab illis, vt venirem ad tuguriolum vbi hospitabam, & in itinere cœpi orare: & antequàm orationem consummarem, audiui vnum ex illis fortiter exclamare post me: Veni citò: quia vocant te homines isti. Et statim ad illos reuersus sum, & cœperũt mihi dicere: Veni, quia ex fide reperimus te, & fac nobiscũ amicitiam, quomodò volueris. Et in illâ die *c* debui surgere in nauem eorum propter Deum: verumtamen [non] speraui ab illis vt mihi

fugit Deo fretus — *& in nauim admissus gratis à nautis,* — *c*

A mihi dicerent: Veni in fide Christi; quia gentiles erant; & hoc obtinui cum illis: & protinus nauigauimus.

Ijs deinde fame laborantibus, in deserto

8 Et post triduum terram cepimus: & viginti & septem dies per desertum iter fecimus. Cibus autem & potus defecit nobis, & fames inualuit super nos. Et aliâ die cœpit gubernator mihi dicere. Quid est, Christiane? Tu dicis, Deus tuus magnus & omnipotens est: quare ergo non potes pro nobis orare? Ora pro nobis: quia fame periclitamur: difficile est enim vt hominem aliquem vnquam videamus. Ego verò euidenter dixi illis: Conuertimini ex toto corde vestro ad Dominum Deum meum; quia nihil est impossibile illi, vt hodie mittat nobis cibum in viam nostram, vsque dum satiemini: quia vbique abundat illi. Adiuuante ergo Deo ita factum est. Ecce grex porcorum in viâ veniebat ante oculos nostros, & multos ex illis interfecerunt: & ibi duas noctes manserunt benè refecti: Et canes eorum reuelati sunt, quia multi ex illis defecerunt, & secus viam semiuiui derelicti sunt. Et post hoc summas gratias egerunt Deo; & ego honorificatus sum sub oculis eorum.

cibos orando impetrat,

& ab infestatione diabolica

9 Ex illâ autem die cibum abundanter habuerunt: sed etiam mel siluestre inuenerunt, & mihi partem obtulerunt: & vnus illorum dixit. Hoc immolatum est. Deo gratias; exinde nihil gustaui. Eâdem *d* vero nocte B eram dormiens & fortiter tentauit me sathanas, quod memor ero quamdiu fuero in hoc corpore: cecidit enim super me velut saxum ingens, *e* & omnium membrorum meorum vires abstulit. Sed vnde venit ignoro, vt spiritu Eliam inuocarem. Et inter hæc vidi in cælo solem oriri; & dum clamarem Eliam, Eliam, totis viribus meis; ecce splendor solis illius cecidit super me, & statim discussit à me omnem grauedinem. Et credo quod à Christo meo subuentus sum, & spiritus eius iam tunc clamauit pro me: spero autem quòd sic erit in die pressuræ meæ, sicut in Euangelio Dominus testatur: In illâ die, inquit, non vos estis qui loquimini sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. In itinere autem nostro prouidit nobis cibum & ignem & siccitatem quotidie donec quarto decimo die præuenimus homines. Sicut superiùs insinuaui, viginti & octo dies per desertum iter fecimus, & eâ nocte quâ præuiuimus omnes de cibo nihil habuimus.

inuocato Eliâ liberatur.

Matt. 10, 20.

a *Reliqua huius numeri ex suo MS. Vsserus exhibet, vnde nonnullas apographi nostri lacunas suppleuimus; plura simili modo correcturi, si ille totum textum protulisset. Hæc eadem ex parte maiori minorive referuntur in omnibus S. Patricij Vitis, tamquàm ex eius scripto accepta.*

C b Boandum *Vitæ scriptores vocant*, Buuindam *Ptolomæus*, Boyn *hodierna tabula.*

c *In MS sic erat* repuli fugere mammas eorum.

d *Qui sequitur locus, in Vita IV totus transcriptus, ecgrapho nostro emendando profuit.*

e *In MS.* nihil membrorum meorum præualui, *fortè deest* mouere.

CAPVT III

Vocatio Patricij in Hiberniam, contradictiones variæ.

Post alteram captiuitatem,

10 ET iterum post annos [non] multos adhuc in capturam decidi: nocte vero primâ mansi cum illis: responsum autem diuinum audiui, dicens mihi: Duos menses eris cum illis: quod ita factum est. Nocte igitur illâ sexagesimâ liberauit me Dominus de manibus eorum. Iterum post paucos annos in Britanniâ eram cum parentibus meis, qui me vt filium exceperunt, & ex fide rogauerunt me, vt vel modò post tantas tribulationes, quas ego pertuli, numquàm ab illis discederem. Et ibi scilicet vidi in visu de nocte virum venientem quasi de Hyberione *a*, Victricius nomine, cum epistolis innumerabilibus: & dedit mihi vnam ex illis, & lego principium epistolæ continentem: Vox Hyberionarum. Et cùm recitabam initium epistolæ, putabam ipso momento audire vocem ipsorum qui erant iuxta syluam *b* Focluti, quæ est prope mare Occidentale, & sic exclamauerunt quasi ex vno ore: Rogamus te, Sancte puer, venias & adhuc ambules inter nos. Et valdè compunctus sum corde, & ampliùs non potui legere: & sic expergefactus sum. *c* Deo gratias, quia post annos plurimos præstitit illis Dominus secundùm clamorem eorum.

nocturnâ visione

D

Ex MS. VEDASTI

& internâ voce in Hiberniam inuitatur,

11 Et *d* aliâ nocte, nescio, Deus scit, in me, an iuxta me, verbis peritissimis, audiebam, quosdam ex spiritu psallentes intra me, & nesciebam qui essent quos ego audiui; & non potui intelligere, nisi ad postremum orationis, sic affatus est: Qui dedit pro te animam suam. Et sic euigilaui. Et iterum audiui in me ipsum orantem: & erat quasi intra corpus meum, & audiui super me, hoc est, super interiorem hominem, & ibi fortiter orabat [cum] gemitibus. Et inter hæc stupebam & admirabar & cogitabam, quis esset qui oraret in me: sed ad postremum orationis dixit, se esse Spiritum; & recordatus sum Apostoli dicentis: Spiritus adiuuat infirmitatem orationis nostræ: nam, quid oremus, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quæ verbis exprimere non possum. Et iterum: Dominus aduocatus est noster & ipse postulat pro nobis. Et quando tentatus sum ab aliquantis senioribus meis, qui venerunt, ob peccata mea, contra laboriosum Episcopatum meum, nonnumquàm in illo die fortiter impulsus sum, vt caderem hic & in æternum: sed Dominus pepercit proselyto & peregrino propter nomen suum, & mihi benignè valdè subuenit in hâc conculcatione, quòd in labem & opprobrium non malè deueni. Deum oro, vt non illis in peccatum reputetur occasio: nam post annos triginta inuenerunt me *e*, aduersùs verbum, quod confessus fueram antequàm essem Diaconus.

Rom. 8, 26

E *superat oblatas tentationes,*

anxietates,

12 Propter anxietatem mœsto animo insinuaui amicissimo meo, quæ in pueritiâ meâ vnâ die gesseram, imò in vnâ horâ, quia necdum præualebam. Nescio, Deus scit, si habebam tunc annos quindecim, & Deum vnum non credebam ab infantiâ meâ: sed in morte & in incredulitate mansi, donec valdè castigatus sum: & in veritate humiliatus sum à fame & nuditate & quotidiè contra Hyberionem non sponte pergebam, donec propè deficiebam. Sed hoc potiùs mihi bene fuit: quia ex hoc emendatus sum à Domino, & aptauit me vt hodie essem quod aliquando longè à me erat, vt ego curas haberem aut satagerem pro salute aliorum, quando etiam de me ipso non cogitabam. Igitur in illo die quo reprobatus sum à memoratis supradictis ad noctem illam, in visu noctis [vidi] scriptum *f* contra faciem meam, sine honore, & inter hæc audiui responsum diuinum dicens mihi: Malè vidimus faciem designati nudato nomine. Nec sic prædixit: Malè vidisti: sed, Malè vidimus: quasi ibi se iunxit, sicut dixit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Idcircò gratias ago ei, qui me in omnibus confortauit, vt non me impediret à profectione meâ, quam statueram, & de meo quoque opere quod à Christo meo didiceram: sed magis ex eo sensi in me virtutem non paruam: & fides mea probata est coram Deo & hominibus.

F *& contradictiones,*

Zach. 2, 8

13 Vnde audenter dico non me reprehendit conscientia mea. Testem Deum habeo, quia non sum mentitus in sermonibus quos retuli: sed magis doleo pro amicissimo *g* meo, cur tale meruimus habere responsum, cui ego credidi etiam animam meam. Et comperit ab aliquantis fratribus meis ante *h* defensionem illam, quòd ego non interfui, nec in Britanniis eram, nec à me orietur, vt & ille in meâ absentiâ pulsetur pro me. Ipse ore suo dixerat: Ecce promouendus es tu ad gradum Episcopatus, quo non eram dignus: sed vnde venit illi postmodùm, vt coram cunctis bonis

atque iniurias: quarum auctoribus ignoscit,

A bonis & malis in me publicè dehonestaret, quod antè sponte & lætus indulserat? Est Dominus, qui maior omnibus est. Satis dico: sed tamen non debeo abscondere donum Dei, quod largitus est in terrâ captiuitatis meæ; quia tunc fortiter inquisiui illum, & ibi inueni eum, & seruauit me ab omnibus iniquitatibus, propter inhabitantem spiritum eius, qui operatus est vsque in hunc diem in me. Nouit autem Dominus, si ab homine ista audissem, forsitan tacuissem propter caritatem Christi.

EX MS. VEDASTI.

& gratias Deo in omnibus agit,

14 Vnde ego indefessam gratiam ago Deo meo, qui me fidelem seruauit in die tentationis meæ; ita vt hodie confidenter offeram illi sacrificium, & velut hostiam viuentem animam meam cōsecro Domino meo, qui me seruauit ab omnibus angustijs meis; vt ei dicā: Quis ego sum, Domine, vel quæ est inuocatio mea, qui mihi tantam diuinitatem denudasti? ita vt hodie exaltarem & magnificarem nomen tuum in quocumque loco fuero; nec tantum in secundis, sed etiam in pressuris; vt quidquid mihi euenerit, siue bonum siue malum, æqualiter debeam suscipere, & Deo gratias semper agere; qui mihi ostendit vt indubitabilem eum crederem sine fine, & qui me audierit: vt & ego in

qui se ipsi manifestauit.

B nouissimis diebus hoc opus tam pium & tam mirificum auderem aggredi; ita vt imitarer illos, quos Dominus iam olim prædixerat prænnuntiaturos Euangelium suum in testimonium omnibus gentibus ante finem mundi. Quod sicut vidimus, ita suppletum est. Ecce testes sumus, quia Euangelium prædicatum est vsque vbi nemo vltra est.

a *Vita II* Victoricum, IV *Victorem legit, & hoc nomen auctores passim tribuunt Angelo, qui toties Patricio apparebat.*

b Virgulti *habebat MS. sed aliorum auctorum consensus, siluam* Fochlaid *legentium, fecit vt scioli alicuius manum hic suspicaremur: cùm istud nomen sit siluæ notissimum Hibernis in Amalgaiâ, inter Muadium & Ernaum lacum.*

c *Hactenus totum hunc locum, Maccuthenio citato, profert Vsserius pag.* 832.

d *Quæ sequuntur in pluribus S. Patricij Vitis recitantur cum nonnullâ lectionis varietate.*

e *Deesse hoc loco videtur aliquid: quinam autem sint, quos sibi molestos fuisse quæritur, ex Vita non datur coniectare: ex ijs fortè fuerint, quos vel in maiori monasterio vel Autissiodori sub S. Ger-*

C *mano socios, deinde Romæ aut alibi obtrectatores habuit, cùm anno 445 redijsset ex Hiberniâ: ibidem actus & agendis porrò robur & præsidium sibi comparaturus ab Apostolicâ Sede.*

f *Videtur indicari libellus aliquis contra S. Patricij apostolatum, in quo ipse nullâ additâ honoris vel tituli Episcopalis appellatione, simpliciter* nudatus nomine *designabatur,* Patricius.

g *Suspicamur ipsum S. Germanum fuisse, apud quem delatus fuerit Patricius, in Britannicâ aliquâ fortasse Synodo, legisse vel statuisse aliquid contra ea, quæ ipsemet Germanus ibidem anteà aduersus Pelagianos statuerat.*

h *Prohibitionem aliquam sibi factam fortassis significat: sic enim Gallus sumebatur verbum* defendo *& quæ inde ducuntur.*

CAPVT IV.

Fructus Apostolatus Patriciani.

Deum laudat qui se præseruauit à peccatis,

15 LOngum est autem totum per singula narrare laborem meum vel per partes: breuiter dicam qualiter pijssimus Deus de seruitute sæpè [me] liberauit, ex duodecim periculis quibus periclitata est anima mea; præter insidias multas, & quæ verbis exprimere non valeo, ne iniuriam legentibus faciam. Sed Dominum auctorem habeo, qui nouit omnia, etiam antequam fiant, vt me pauperculum & pusillum responsum diuinum creberrimè admoneret. Vnde mihi hæc sapientia, quæ in me non erat, qui nec numerum dierum noueram, neque Deum sapiebam? Vnde mihi postmodùm tam magnum & salubre donum Dei agnoscere & diligere, vt patriam & parentes amitterem, & munera multa [quæ] mihi offerebantur cum fletu, & lacrymis? Et offendi illic contra votum aliquantos

gratiâ prædicationis instruxit,

D de Senioribus a meis: sed gubernante Deo nullo modo consensi neque acquieui illis: non ego, sed Dei gratia, quæ vicit in me: & restiti illis omnibus, quatenùs venirem ad Hybernas gentes Euangelium prædicare, & ab incredulis iniurias perferre, vt audirem opprobrium peregrinationis meæ, & persecutiones multas vsque ad vincula, & vt darem me & ingenuitatem meam pro vtilitate aliorum.

16 Et si dignus fuero, promptus sum, vt etiam animam meam incunctanter & libentissimè [ponam]: pro nomine eius: & illi opto impendere eam vsque ad mortem, si Dominus indulgeret. Quia valdè debitor sum Deo, qui mihi tantam gratiam donauit, vt populi multi per me in Domino renascantur, & postmodùm consummarentur, & vt Clerici vbique illis ordinarentur, ad plebem nuper venientem ad credulitatem, quam sumpsit Dominus ab extremis terræ; & dicent: Falsa comparauerunt patres nostri sibi idola, & non est vtilitas in eis. Et iterum: Posui te in lucem gentibus vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. Et ibi volo exspectare promissum ipsius, qui vtique numquàm fallit, sicut in Euangelio pollicetur: Venient ab Oriente & Occidente & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob, sicut credimur ab omni mundo venturi.

& pati zelo euangelij propagandi,

Is 49. 6

E *Matt. 8.11*

17 Idcircò oportet quidem benè & diligenter piscari, sicut Dominus præmonet, dicens: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Et iterum dicit per Prophetas: Ecce ego mitto piscatores & venatores multos dicit Dominus &c. Vnde oportuit valdè retia nostra tendere, ita vt multitudo copiosa & turba Deo caperetur: vt vbique essent Clerici, qui baptizarent & exhortarentur populum indigentem & desiderantem; sicut Dominus inquit in Euangelio admonens & dicens: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia quæcumque dixero vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et iterum dicit: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso mundo in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet finis. Et iterum Domini Propheta prænuntians, inquit: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & seniores vestri somnia somniabunt: & quidem super seruos meos & ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo & prophetabunt. Et Osee dicit: Vocabo non plebem meam plebem meam, & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam. Et erit in loco vbi dictum est: Non plebs mea vos; ibi vocabuntur filij Dei viui.

& gentiles ad ecclesiā adducendi, *Matt. 4.18* *Ier. 16, 16*

Matt. 28, 19 *iuxta præceptum Domini,* *Matt. 16, 16* *Matt. 24, 14*

F *Ioel. 2. 28* *& prophetarum oracula:*

Os. 1, 1. & 2, 10

18 Vnde autem Hyberionæ, qui nondum notitiam Dei habuerant, nec nisi idola immunda vsque nunc semper coluerunt, quomodò nuper effecta est plebs Domini & filij Dei nuncupabuntur? Filij Scotorum & filiæ Regulorum monachi & virgines Christi esse videntur. Et etiam vna Scotta benedicta, nobilis, pulcherrima, adulta erat, quam ego baptizaui: & post paucos dies vnâ caussâ venit ad nos: insinuauit namque nobis responsum accepisse à nuntio Dei, qui monuit eam vt permaneret virgo Christi, & sic Deo proximaret. Deo gratias, sextâ ab hâc die optimè & auidissimè arripuit illud, quod etiam omnes virgines Dei similiter faciunt; non voluntate patrum suorum; imò persecutiones patiuntur & improperia falsa à parentibus suis, & nihilominùs plus augetur numerus: & de genere nostro quæ ibi [Christo] natæ sunt, nescimus numerum earum præter viduas & continentes. Sed & illæ maximè laborant, quæ seruitio detinentur: vsque ad terrores, & minas assiduè perferunt: sed Dominus

eo cū fructu, vt eū ad euangelicam perfectionem plurimi,

multæq; virgines æmulantur.

A minus gratiam dedit multis ex ancillis suis: nam etsi vetantur, tamen fortiter imitantur.

Negat se, vllâ de causâ posse opus inchoatum dimittere,

19 Vnde autem [possem] etsi voluero dimittere illas, & pergere in Britannias; etsi libentissimè paratus irem, quasi ad patriam & parentes: & non id solum, sed etiam vsque ad Gallias visitarem fratres meos, vt viderem faciem Sanctorum Domini mei: scit Dominus quòd ego [id] valdè optabam. Sed illigatus spiritu (qui mihi protestatur si hoc fecero, & reum futurum esse designat) timeo perdere laborem, quem inchoaui: & non ego, sed Christus Dominus, qui mihi imperauit vt venirem, essemque cum illis residuum ætatis meæ; si Dominus voluerit & custodierit me ab omni maculâ, vt non peccem coram illo. Sperare autem hoc debueram: sed memetipsum non credo, quàmdiu fuero in hoc corpore mortis: quia fortis est qui quotidie nititur me subuertere à fide & propositâ castitate religionis non fictæ, [quam seruabo] vsque in finem vitæ meæ Christo Domino meo: sed caro inimica semper adtrahit ad mortem, id est, ad illecebras in infelicitate perfruendas. Et scio ex parte quòd ego vitam perfectam non didici, sicut & ceteri credentes: sed confiteor Domino meo, & non erubesco in conspectu eius, quia non mentior: ex quo cognoui eum

vsi imperfectũ suum agnoscat.

B in iuuentute meâ creuit in me amor Dei & timor ipsius, & vsque nunc, fauente Domino, fidem seruaui.

a *Aliquos habuisse in patriâ videtur Sanctus, qui redeuntem Româ Patricium à repetendâ Hiberniâ auertere voluerunt, maiori fructu proposito quem credebant ipsum in Britanniâ facturum si ibi subsisteret.*

CAPVT V.

Testatur quanta integritate Euangelium prædicarit.

20 RIdeat autem & insultet qui voluerit, ego non silebo neque abscondam signa & mirabilia, quæ mihi à Domino monstrata sunt ante multos annos quàm fierent, quasi qui nouit omnia etiam ante tempora secularia. Vnde ego quidem debueram sine cessatione Deo gratias agere, qui sæpè indulsit insipientiæ meæ & negligentiæ meæ *a* ..... Et de loco non in vnoquoque, vt non mihi vehementer irasceretur, cui adiutor datus sum, & non cito acquieui, secundùm quod mihi ostensum fuerat, & spiritus nihilominùs suggerebat. Et misertus est mihi Dominus

Cunctanter ingressus Apostolicũ opus,

a

C in millia millium: quia vidit in me quod paratus eram; sed quod nihilo plus sciebam de statu meo quid facerem: quia multi hanc legationem prohibebant, & quidam inter ipsos post tergum meum narrabant & dicebant: Iste quare se mittit in periculum inter hostes, qui Deum non nouerunt. Non causâ malitiæ; sed non sapiebat illis, sicut & ego ipse testor, *b* iter illud, propter rusticitatem meam. Et non citò agnoui gratiam, quæ tunc erat in me: nunc mihi sapit, quòd antè debueram [vocanti Deo parere.]

& aliorum obloquiis non nihil commotus,

b

21 Nunc ergo simpliciter insinuaui fratribus & conseruis meis, qui mihi crediderunt: propter quod prædixi & prædico ad roborandam fidem vestram: Vtinam & vos imitemini maiora, & potiora faciatis. Hæc erit gloria mea: quia filius sapiens gloria patris est. Vos scitis & Deus qualiter conuersatus sum inter vos à iuuentute meâ; in fide veritatis & sinceritate cordis, etiam ad gentes illas, inter quas habito; ego fidem illis præstiti & præstabo. Deus scit, neminem illorum circumueni, nec cogito, propter Deum & Ecclesiam ipsius; ne excitem illis & vobis omnibus persecutionem, & ne per me blasphemetur nomen Domini: quia scriptum est: Væ homini per quẽ nomen Domini blasphematur. Nam etsi imperitus sum *c* in omnibus, tamẽ conatus sum *d* quidpiam seruare me, etiam fratribus

protestatur de suâ inter gentes integritate,

c

d

Christianis & Virginibus Christi, & mulieribus religiosis, quæ mihi vltronea munuscula donabant, & super altare iactabant ex ornamentis suis, & iterum reddebam illis; & aduersùs me scandalizabantur cur hoc faciebam: sed ego [id faciebam] propter spem perennitatis, vt me in omnibus cautè possem conseruare; ita vt me in aliquo titulo infideles [non] carperent, vel etiam ministerium seruitutis meæ: nec, etiam in minimis, incredulis locum darem, infamare siue detrectare [me paratis.] D

munerum que contempta,

22 Fortè autem quando baptizaui tot millia hominum, sperauerim ab aliquo illorũ vel dimidiũ *e* scriptulum? Dicite mihi, & reddam vobis. An quando ordinauit vbique Dominus Clericos, per modicitatem meam, [numquid] ministerium gratis distribui illis? Si poposci ab aliquo illorum vel pretium calceamenti mei, dicite mihi; & reddam vobis magis. Ego impendi vobis, vt me caperent; & inter vos & vbique pergebam causâ vestrâ in multis periculis, etiam vsque ad exteras partes, vbi nemo vltrà erat; & vbi numquàm aliquis peruenerat, qui baptizaret aut Clericos ordinaret, aut populum in fide confirmaret: donante Domino, diligenter ac libentissimè pro salute vestrâ omnia gessi. Intereà præmia Regibus dabam; præter quod mercedem dabam filijs ipsorum, qui mecum ambulant: & nihilominùs comprehenderunt me nunc cum comitibus meis, vt in illâ die auidissimè interficerent me. Sed tempus nondum venerat, & omnia quæcumque [habebamus] nobiscum rapuerunt, & meipsum

& gratuitâ Sacramentorum administratione

e

nõ sine propriarum rerum tum iacturâ iniustâ

E ferro vinxerunt, & quarto decimo die absoluit me Dominus à potestate eorum, & quidquid nostrum fuit, redditum est nobis propter Deum & necessarios amicos, quos antè prouidimus.

23 Vos autem experti estis quanta erogaueram eis, qui *f* indigebant per omnes regiones, quas ego frequentiùs visitabam: censeo enim non minùs quàm pretium quindecim hominum distribui illis. Ita, vt me fruamini & ego vobis semper fruar in Domino (nec me pœnitet nec satis est mihi) adhuc impẽdo & superimpendam: potens est enim Dominus vt det mihi postmodùm, vt meipsum impendam ac superimpendam pro animabus vestris. Ecce testem Deum inuoco in animam meam, quia non mentior [quòd] neque, vt fit, causâ adulationis vel auaritiæ scripserim vobis, neque vt honorem sperarem vestrum: sufficit enim mihi honor, qui nondum videtur, sed corde creditur: fidelis autem, qui promisit, numquàm mentitur. Sed video iam in præsenti seculo me supra modum exaltatum à Domino; & non eram dignus neque talis vt

f

tum impendio liberali:

malens amore Christi pauper esse,

F mihi hoc præstaret: dum scio certissimè quòd mihi conuenit meliùs paupertas & calamitas quàm deliciæ & diuitiæ. Sed & Christus Dominus pro nobis fuit pauper. Ego verò miser & infelix, etsi opes voluero, iam non habeo, neque meipsum [dignum] iudico: quia quotidie spero aut internecionem, aut circumueniri aut redigi in seruitutem, siue occasione cuiuslibet. Sed nihil horum vereor propter promissa cælorum: quia iactaui meipsum in manus Dei omnipotentis; qui vbique dominatur, sicut Propheta ait: Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet. Ps. 54. 23

24 Ecce ego commendo animam meam fidelissimo Deo meo, pro quo legatione fungor in ignobilitate meâ: sed quia personam non accipit, & elegit me ad hoc officium, vt vnus essem de suis minimus minister. Vnde autem retribuam illi pro omnibus quæ retribuit mihi; seu quid dicam aut quid promittam Domino meo? Quia nihil valeo nisi ipse mihi dederit: sed scrutatur corda & renes; quia satis & nimis cupio, & paratus eram, vt donaret mihi bibere calicem, sicut indulsit & ceteris amantibus se. Quapropter non contingat mihi à Domino meo vt vnquam amittam plebem suam, quàm acquisiuit in vltimis terræ. Oro ergo Deum vt mihi det perseuerantiam, & dignetur vt red-

pro quo desiderat quidlibet pati,

etiã martyrium;

dam

ex MS. VEDAST.

A dam illi [me] testem fidelem vsque ad transitum meũ propter Deum meum. Et, si aliquid boni imitatus sum vnquam propter Deum meum quem diligo, peto illi, vt det mihi quatenùs cum illis proselytis & captiuis pro nomine suo effundam sanguinem meum, etsi ipsâ etiam caream sepulturâ, & miserrimè cadauer per singula diuidatur; auibus, canibus aut bestijs ac feris projiciatur, vt comedant illud. Certissimè enim reor si mihi hoc curæ sit, lucratus sum animam in corpore meo: quia nullâ dubitatione in illâ die resurgemus in claritate solis, hoc est in gloriâ Iesu Christi redempti omnes erimus quasi filij Dei & cohæredes Christi, & conformes creaturæ imaginis ipsius: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

certus de reposita sibi pro talibus gloriâ.

24 In illo enim regnaturi sumus: nam sol iste quem videmus, illo iubente propter nos quotidie oritur, sed numquàm regnabit neque permanebit splendor eius sed & omnes qui adorant eum f in pœnam miseri malè deuenient. Nos autem qui credimus & adoramus solem verum Iesum Christum, qui numquàm interibit; neque qui fecerit voluntatem suam [interibit] sed manebit in æternum, quomodò Christus manet in æternum, qui regnat cum Deo Patre omnipotente & Spiritu sancto ante secula, & nunc & per omnia secula seculorum Amen. Ecce iterum atque iterum breuiter exponam verba Confessionis meæ. Testificor in veritate & in exultatione coram Deo & Sanctis Angelis eius, quia numquàm habui vllam occasionem præter Euangelium & promissa illius, vt vnquam redirem ad gentem illam, vnde priùs euaseram. Sed precor credentibus & petentibus ac timentibus Deum quicumque dignatus fuerit inspicere vel recipere hanc scripturam, quam peccator Patricius, indoctus scilicet, Hyberione conscripsi; vt nemo vnquam dicat, quòd meæ ignorantiæ [fuerit] si aliquid pusillum egi, vel demonstrauerim secundùm placitum Dei: sed arbitramini ac verissimè credatis, quòd Deus fuisset. Atque hæc est confessio mea antequam moriar.

Iterata S. Patricij confessio.

a *Locus hic, librariorum socordiâ deprauatus, videtur de peregrinationibus Patricij habuisse nonnulla.*

b *MS.* intelligi. c *Item* nominibus.

d *Locus luxatus, fortè sic restituendus:* conatus sum integrum seruare me, non accipiendo quidpiam ab vllo etiam a Fratribus.

scriptulũ

e *Sosipater apud Io. Gerardum Vossium in Etymologico:* Scriptulum. quod nunc vulgo sine t dicunt (*scripulum scilicet*) Varro in Plautorino dixit. *Et alibi:* Nummum argenteum conflatum primum à Seruio Tullio dicunt: is quatuor scriptulis maior fuit quàm nunc est. *Est autem scriptulum, siue scrupulus minima pars unciæ.*

f *MS.* iudicabant.

an Sol Hibernis cultus pro Deo?

g *Hinc suspicari quis posset priscis Hibernis Solem pro summo numine cultum fuisse, eoq; adducere idolum illud aureum à Patricio destructum Vita Tripartita parte 2. cum duodecim aneis statunculis totidem fortè mensis per quos solis cursus ascribuntur referentibus tum etiam quòd Deos suos Hiberni sub diuo colerent absque vllo templorum vsu; horum enim nulla vspiam mentio in his Actis, idolorum rara.*

AD EPISTOLAM SEQVENTEM

Epistola ad Coroticum non extat.

P*atricianæ Confessioni in MS. Atrebatensi, nulla noui tituli discrimine sub nectitur Epistola, quam* ad Coroticum tyrannum *scriptam citat Vsserius pag.* 818. *Reuerà autem non ad ipsum, sed ad ministros eius subditosque Christianos scripsit Patricius, vt eum à fidelium communione resectum scirent sibi esse vitandũ. Nam eam quam ad ipsum anteà Coroticum scripserat, cuius auctores mox citandi & ipse hic num. 2 Patricius meminit, ea non extat, quòd quidem sciamus. De hoc autem tyranno hæc leguntur in Vitâ 3 apud Colganum:* Nuntiata sunt S. Patricio mala opera cuiusdã Regis Britonũ Coritic, crudelis & immitis tyranni, vt conuerteret eũ ad viã veritatis (Hic Coritic namq; erat persecutor & interfector Christianorũ) misitq; Patricius ad eum epistolam: sed Rex ille deridebat doctrinam Patricij. *Quid caussæ huic suæ aduersùs Hibernos neophytos crudelitatis prætexeret nusquam liquet: nam qui solus hic lucem nobis dare possit locus, num. 4. 5. desperatè corruptus vel mutilus, ipse indiget abunde illustrari. Fuisse tamen Coroticum illum, saltem nomine tenus Christianum, cum suis, dubitari non sinit huius epistolæ argumentum præcipuum. Regnasse ipsum* in finibus quibusdam Britanniæ, quæ modo Valliâ dicitur, *scribit Iocelinus &* Ceretic̃um *nominat*, *quem Probus* Chairtic, *Vita Tripartita* Corthecum. *Vt meritò dubitari possit, sitne hoc proprium illius nomen? an fortè ei à gente, cui imperabat, adhæserit. Etenim* Ceretica *regio, de quâ in Vitâ S. Dauidis Meneuensis ad 1. Martij, VValliæ pars est. Ab eodem Tyranno interfectum in Cornuualliâ S. Fingarem, aliàs Guignerium, cum socijs, suspicantur nonnulli apud Colganum; & aliquod habent suspicandi fundamentum. Nam quæ de hoc martyrio Anselmus iuxta fidem narrantium digessisse se dicit, ad vsum loci, vbi Patronus colitur, ab huius Corotici nec tempore nec crudelitate abludunt: nec obest quod Theodoricum vocat, & Cornuualliæ Regem, atque gentilem faciat. Nam vt lapsu temporis* Fingari, Clitonis, Pialæ *nomina deflexêre haud modicè à genuinâ Hibernicorum nominum formâ, ita & Theodorici nomen, per ea tempora Britanniæ peregrinum, sub Anglo-saxonibus natum videri potest, abolito paulatim prioris ipsisque barbari nominis vsu & pronuntiatione legitimâ: & qui tamquàm prædo in Cornuualliam excurrens oblatâ fortè occasione vsus est, & odio Hibernicæ vel gentis vel Christianitatis hanc stragem patrauit, potuit tamquàm Rex loci id fecisse existimari: cuius alioqui ditiones vel regnum eò vsque pertinuisse non est credibile. Nec mirum à posteris gentilem fuisse æstimatum, qui paria gentilibus, aut magis etiam detestanda patrabat, aduersùs innoxios gentis Hibernicæ Christianos: vt propterea eius in scelere administros dicat Patricius esse* non ciues suos, atque sanctorum Romanorum: sed ciues dæmoniorum, socios Scottorum atque Pictorum: *quorum hi scilicet prædicatam à S. Niniano fidem, sed cultorum qui benè cœpta prosequerentur defectu suppressam deseruerant; isti necdum agnouerant, priùs ex Hiberniâ in Britanniam transgressi Pictisque coniuncti quàm ipsam ad reliquos in Hiberniâ Scotos Patricius apportaret: vnde fiebat vt neutri vllam Christiani nominis rationem haberent, & huius professores vt dæmonum ministri solent, libentiùs etiam in seruitutem redigerent.*

cur Christianorum persecutor?

an is sub quo passus S. Guignerius?

an gentilis?

EPISTOLA S. PATRICII

ad Christianos Corotici tyranni subditos.

Zelo Dei accensus

1 PAtricius peccator indoctus, Hyberione constitutus Episcopus, certissimè reor, à Deo accepi id quod sum: inter barbaras vtique gentes proselytus & perfuga, ob amorem Dei. Testis ille est, si ita est. Non quod optabam tam durè & tam asperè aliquid ex ore meo effundere: sed cogor zelo Dei ac veritatis Christi excitatus, pro dilectione proximorum atque filiorum, pro quibus tradidi patriam & parentes & animam meam [quia] vsque ad mortem si dignus sum, vovi Deo meo docere gentes, etsi nunc contemnar à quibusdam. Et manu meâ scripsi atque condidi verba ista danda ac tradenda militibus mittenda Corotici, non dico ciuibus meis atque ciuibus sanctorum Romanorum, sed ciuibus dæmoniorum ob mala opera ipsorum [qui Barbarorum] ritu, hostili in morte viuunt; socij Scotorum atque Pictorum a apostatarum, quasi sanguine volentes saginari innocentum Christianorum, quos ego innumeros Deo genui atque in Christo confirmaui.

epistolam misit ad Coroticum:

qui post Neophytos crudeliter vexatos:

2 Posterâ die quâ chrismati neophyti in veste candidâ, dum [fides] flagrabat in fronte ipsorum, crudeliter

A liter trucidati atque mactati [sunt] gladio, supradictis b misi epistolam cum b Sco Presbytero, quem ego ex infantiâ docui cum Clericis, vt nobis aliquid indulgeretur de prædâ vel de captiuis baptizatis quos ceperunt: [sed] cachinnos fecerunt de illis. *admonitionem ipsius contempserat;* Idcircò nescio quid magis lugeam: an qui interfecti vel quos ceperunt, vel quos grauiter zabulus illaqueauit, [qui] perenni pœnæ in gehennâ pariter cum ipso mancipabuntur: quia vtique qui facit peccatum, seruus est peccati, & filius diaboli nuncupatur.

ideo vitandos se cum suis vt excommunicatos,
3 Quapropter resciat omnis homo timens Deū, quòd à me alieni sunt & à Christo Deo meo, pro quo legatione fungor, patricidæ, & fratricidæ, lupi rapaces, deuorantes plebem Domini vt cibum panis, sicut
Ps.13,4. ait: Iniqui dissipauerunt legem tuam, Domine: quam
Ps.118,126 in supremis temporibus Hiberione optimè & benignè plantauerat atque instruxerat. Fauente Deo, non vsurpo [aliena: sed] partem habeo cum his, quos vocauit ac prædestinauit Euangelium prædicare in persecutionibus non paruis vsque ad extremum terræ; etsi inuidet inimicus per tyrannidem Corotici, qui Deum non veretur, nec Sacerdotes eius, quos elegit, & indulsit illis summam diuinamque potestatem, quos li-
B garent super terram esse ligatos & in cælis.

& execrabilis
4 Vnde ergo quæso plurimùm, sancti & humiles corde, adulari talibus non licet, nec cibum nec potum sumere cum ipsis, nec eleemosynas ipsorum debent recipi, donec crudeliter effusis lacrymis pœnitentiâ agentes satisfaciant Deo, & liberent seruos Dei & ancillas Christi baptizatas, pro quibus mortuus est & crucifixus: dona enim iniquorum reprobat Altissimus, & qui offert sacrificium ex substantiâ pauperis,
Eccle.34.24. quasi qui victimat filium in conspectu Patris: Diuitiæ,
Iob 20,15. inquit, quas congregauit iniustè euomentur de ventre eius, angelus mortis trahit illum, irâ draconum mulctabitur, interficiet illum lingua colubri, comedet eum ignis inextinguibilis: ideoque væ qui replent se
Matt.16,26. his quæ non sunt sua. Et quid prodest homini si totum mundum lucretur se autem ipsum perdat & detri-
diuinæ legis præuaricator: mentum animæ suæ patiatur? Longum est per singula discurrere vel insinuare per totam legem carptim testimonia de tali cupiditate. Auaritia mortale crimen. Non concupisces rem proximi tui. Non occides. Homicida non potest esse cum Christo: qui enim odit
1.Io.3,14,&15 fratrem suum homicida esse adscribitur. Et, Qui non
C diligit fratrem suum manet in morte. Quantò magis reus est, qui manus suas coinquinat in sanguine filiorum Dei, quos nuper conquisiuit in vltimis finibus terræ per exhortationem paruitatis nostræ?

qui Apostolatum ipsius non veneratur
5 Numquid sine Deo vel secundùm carnem Hyberionem veni? Quis me compulit? Alligatus sum spiritu vt non videam aliquem de cognatione meâ. Numquid amo piam misericordiam, quod [sic] ago erga illam gentem, quæ me aliquando cœpit, & deuastauit seruos & ancillas patris mei? Ingenuus sum secundùm carnem, nam Decurione patre nascor: vendidi autem nobilitatem meam (non erubesco neque pœnitet) pro vtilitate aliorum: deniq; sum in Christo [traditus] genti exteræ ob gloriam ineffabilem perennis vitæ, quæ est in Christo Iesu Domino nostro: & si mei non cognoscunt, Propheta in patriâ suâ honorem non habet. Fortè non sumus ex vno patre, neque ex vno ouili: sicut ait Dominus: Qui non est mecum contra me est, &
Luc.11,23. qui non congregat mecum, spargit. Non conuenit [si] vnus destruit, alter ædificat. Num quæro quæ mea sunt?

& sub ipsius oculis talia patrauit.
6 Non mea gratia, sed Deus hanc quidem sollicitudinem [dedit] in corde meo, vt essem de venatoribus siue de piscatoribus, quos olim Deus in nouissimis diebus antè prænuntiauit. Inuidetur mihi, quid faciam Domine? Valdè despicior. Ecce oues tuæ circa me laniantur atque deprædantur à supradictis latrunculis, iubente Corotico hoste: mente enim longè est à caritate Dei traditor Christianorum in manus Scotorum atque Pictorum. D Lupi rapaces deglutierunt gregem Domini, qui vtique Hyberione cum summâ diligentiâ optimè crescebat; & filij Scottorum ac filiæ Regulorum monachi [fiebant] & virgines Christi [quot] enumerare nequeo. Qui propter iniuriam iustorum non te placat [Domine] etiam vsque ad inferos non placabit.

EX MS. VEDASTI

contra aliorum Christianorum morem.
7 Quis Sanctorum non horreat iocundare vel cōuiuium facere cum talibus? De spolijs defunctorum Christianorum repleuerunt domos suas; de rapinis viuunt, nesciunt misereri. Venenum bibunt, letalem cibum porrigunt ad amicos & filios suos; sicut Eua non intellexit quod vtique mortem tradidit viro suo: sic sunt omnes qui malè agunt; mortem perennem pœnamque perpetuam operantur. Consuetudo Romanorum Gallorumque Christianorum [est] mittunt Presbyteros sanctos [&] idoneos ad Francos & exteras gentes cum tot millibus solidorum ad redimendos captiuos baptizatos: tu omnes interficis & vendis illos genti exteræ ignoranti Deum: quasi in lupanar tradis membra Christi; qualem [ergo] spem habes in Deum?

8 Qui tecum sentit, aut qui communicat verbis E
alienis & adulationi, Deus iudicabit: scriptum est enim: Non solum facientes mala, sed etiam consentientes damnandi sunt. *Deplorat gregis sui dispersionē,* Nescio quid dicam aut quid loquar ampliùs de defunctis filiorum Dei, quos gladius Rom.12,15
supra modum tetigit: scriptum est enim: Flere cum flentibus. Et iterum: Si dolet vnum membrum, con- 1 Cor.12,26
dolent omnia membra. Quapropter Ecclesia plorat & plangit filios & filias suas, quos adhuc nondum gladius hostilis interfecit, sed exportati [sunt] per longa terrarum spatia. Vt peccatum manifestæ grauetur impudentiæ, impudens ibi habitat & abundat: ibi venundati ingenui homines Christiani in seruitutem redacti sunt, præsertim indignissimorum pessimorumque atque apostatarum Pictorum.

9 Idcircò cum tristitiâ & mœrore vociferabor: O speciosissimi atque amantissimi Fratres & filij, quos in Christo genui nec enumerare queo, quid faciam vobis? Nō sum dignus neque hominibus subuenire. Præualuit iniquitas iniquorum supra nos. Fortè non credunt [quòd] vnum baptismum percepimus & vnum Deum habemus: indignum est illis quòd de Hiberniâ F
c nati sumus: sic enim aiunt. ..... Idcircò doleo pro vobis, doleo carissimi mei: sed iterùm gaudeo intra meipsum, quia non gratis laboraui & peregrinatio mea in vanum non fuit: & contigit scelus illo in tempore horrendum & ineffabile. *c & adeptam per martyrium gloriam gratulatur;* Deo gratias: credentes & baptizati de seculo recessistis ad paradisum. Cerno: vos migrare cœpistis vbi nox non erit, neque luctus, neque mors erit amplius: sed exultabitis sicut vituli resoluti, & conculcabitis iniquos, & erunt cinis sub pedibus vestris.

10 Vos ergo regnabitis cum Apostolis & Prophetis atque Martyribus & æterna regna capietis, sicut ipse testatur inquiens: Venient ab Oriente & Occiden-
te & recumbent cum Abraam & Isaac & Iacob in re- Matt.8,11
gno cælorum. Foris canes & venefici & homicidæ & Apoc.22,15
mendaces & periuri: pars eorum in stagno ignis æterni: non enim in vanum ait Apostolus: Vbi iustus vix saluus erit, peccator & impius & transgressor legis vbi se recognoscet? *æternum supplicium tyrannis cōminans.* vbi erit Coroticus cum suis scele-
ratissimis rebellatoribus Christi? Vbi se videbunt, qui 1.Pet.4,18
mulierculas baptizatas & prædia orphanorum spurcissimis satellitibus suis distribuunt ob miserum regnum temporale, quod vtique in momento transit sicut nubes vel fumus, qui vtique vento dispergitur: ita peccatores & fraudulenti à facie Domini peribunt: iusti autem epulabuntur in magnâ constantiâ cum Christo, & iudicabunt nationes, & regibus iniquis dominabuntur in secula seculorum. Amen.

11 Testi-

A 11 Testificor coram Deo & Angelis sanctis suis, quod ita erit sicut intimauit imperitia mea. Non mea verba sunt ista, sed Dei & Apostolorum atque Prophetarum, qui numquam mentiti sunt, quæ ego in Latinum transtuli; & qui crediderint saluierunt, qui verò non crediderit condemnabitur: Deus enim locutus est. Quæso plurimùm vt quicumque famulus Dei promptus fuerit, vt sit gerulus litterarum harum, vt nequaquàm subtrahantur à nemine, sed magis potiùs legantur coram cunctis plebibus, & præsente ipso Corotico. Quòd si Deus inspiret illos vt quandoque de eo resipiscant, ita vt vel serò pœniteant quod tam impiè gesserunt. Homicidæ erga fratres Domini fuerunt: sed pœniteant & liberent captiuas baptizatas, quas anteà ceperunt; ita vt mereantur Deo viuere, & sani efficiantur hic & in æternum. Pax Patri & Filio & Spiritui sancto. Amen.

Ex MS. Vedast. quibus hæc prælegi rogat.

Marc. 16, 16.

si fortè conuertantur.

a *Vtpote quos S. Ninianus sub finem quarti seculi cœperat ad Christianam fidem inducere, & reuertens ex Hiberniâ Palladius fortassis adhuc Christianos repererat: sed cultorum defectu exaruit semen in terram infidelem iactum, vsque dum S. Columba per Scotorum à Patricio in Hiberniâ conuersorum filios, in Britanniam traductos & Pictis sociatos, ad hos quoque gradum prædicando fecit.*

B b *Compendiaria hæc nota sitne hîc posita pro adiectiuo* Sancto *sic vt proprium Presbyteri nomen exciderit, an ipsum proprium nomen* Sanctini *aut aliud simile repræsentet, alteri relinquimus diiudicandum.*

c *In MS.* Yberia: *deinde loco hiatus à nobis relicti hæc legebantur:* Nonne vnum Deum habetis? quod dereliquistis vnusquisque proximum suum? *Ex quibus alius coniectando felicior commodum sensum exsculpat: putamus nos, verba aliquot excidisse.*

VITA

auctore Iocelino Monacho de Furnesio.

PROLOGVS.



PLurimorum propositum erat & studiũ, à diebus antiquis, sanctorum virorũ vitas virtutum perpetuare stylo; ne æmulandæ sanctitatis feruor obliuionis sepeliretur tumulo, sed potiùs in propatulo præfixa posteris ad imitandũ reluceret, quasi in speculo. Vnde & in Rationali Summi Pontificis diuinitus iubebatur, nomina duodecim Patriarcharum filiorum Israël duodecim gemmis insculpi; quatenùs inspectione magistrâ C commonerentur fideles quique, actus sanctorum Patrum imitari. Dignum planè est, vt quorum gloriamur titulis, delectamur præconiis, protegimur patrociniis; illorum moribus conemur conformari, confirmarique exemplis. Sed quia multa litteraturæ inualescebat inopia, defidięq; ad discendum exuberabat copia; perplures idiotæ, & dictandi ignari Vitas Sanctorum scriptitabant, intentione quidem piâ, sed oratione incultâ, ne delerentur à fidelium memoriâ. Quocircà multis ad legendum Vitas Sanctorum & gesta, stylo incondito seu sermone barbarico digesta, nausea prouocatur vel fastidium, & generatur sæpiùs tarditas ad credendum. Hinc est quod & Vita gloriosi Pontificis Patricij, Hiberniæ Patroni & Apostoli, signis & prodigijs clarissima, à multis illiteratis multipliciter dictata, ob confusionem & obscuritatem styli nec patet nec placet pluribus; sed habetur tædio ac contemptui. Cõpellente igitur caritate, conabimur confusa in seriem reducendo colligere, collecta in codice cudendo condere, condita & si non Latinissimi, saltem vel Latini sermonis sapore condire. Huic nostro conatui trimodi instrumenti instructio suffragatur, quæ candelabro tabernaculi inesse scribitur. Legimus enim in eo emunctorium, extinctorium & infusorium: quibus competenter vti consueuimus, si Vitas Sanctorum, qui verbo & exemplo quasi candelabrum lucebant D ante Dominum, describendo emungere superflua, extinguere falsa, dilucidare obscura satagimus. Quæ quamuis ex deuotione, quam erga S. Patricium habemus, actitare teneamur; Reuerendissimi tamen Thomæ Ardmachani Archiepiscopi, totiusque Hiberniæ Primatis, & Malachiæ Dunensis Episcopi ad hoc opus aggrediendum præceptis perstringimur. Illustrissimi nihilominùs Ioannis de Cursi, Vlidiæ Principis super hac re petitio adiungitur, qui S. Patricij specialissimus dilector & venerator esse dignoscitur; cui obtemperare dignissimum arbitramur. Si quis coluber in viâ, cerastes in semitâ calcaneum nostrum obseruans, præsumptionis temerariæ nos in hac parte arguerit, vipereoque dente manum nostram inuaserit; nos nihilominùs cum B. Paulo ad ignem accendendum sarmenta colligimus, & in ignem viperam proijcimus. Quia profectò Sanctorum veræ viti adhærentium, quorum membra in puluere aruerunt, actus describentes, quibus mentes fidelium ad amorem Christi & fidem inflammentur, linguas inuidorum & detrahentium paruipendimus: quia si à talibus iudicemur, cum Apostolo pro minimo habentes, diuino iudicio totum committimus.

Vitam S. Patricij vt alia aliorũ Sanctorum,

ineleganti-tius scriptam,

magis Latinè & ordinatè digerendam,

quibus auctoribus lo-cutionem sus-ceperit.

CAPVT I.

S. Patricij natales, miracula à puero patrata.

1 EXtitit vir quidam, Calphurnius nomine, filius Potiti Presbyteri, Brito natione, in pago, Taburnia vocabulo, (hoc est, tabernaculorum campo; eò quòd Romanus exercitus tabernacula fixerit ibidem) secùs oppidum Nempthor degens, mari Hibernico collimitans habitatione. Hic duxerat in matrimonium puellam Francigenam Conquessam nomine, Beati Martini Turonensis Archiepiscopi consanguineam, formâ atque morum elegantiâ egregiam. De Galliis namque abductam cum sorore priore natu ad Aquilonales partes Britanniæ, & in obsequium patris sui venditam adamauit; eiusque delectatus moribus, delinitus obsequijs, illectus pulchritudine, illam ex ancillari famulatu in coniugale consortium promouit. Soror verò illius alteri tradita viro, habitabat in Nepthor oppido prænominato. Erant enim ambo iusti ante Dominum, incedentes sine querelâ in iustificationibus Domini; genere & fide, spe ac religione præclari. F Et licet videretur sub angariâ seruire Babiloniæ habitu exteriori & commoratione; se tamen ciues Hierosolymæ exhibebant actu & conuersatione a. Postquàm verò aliquantulùm processerant diebus suis, felici generatione completâ, communi consensu castitati studuerunt, & sancto fine in Domino quieuerunt. Calphurnius autem priùs in Diaconatu diutiùs Domino seruiuit, postremò in Presbyteratu vitam finiuit. De terrâ itaque carnis suæ à ruderibus peccatorum criminalium, & noxijs grauaminibus vitiorum mundatæ, vomere Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ excultæ, virtutum germine fœcundæ, velut fructum optimum, generando protulerunt filium: quem, cùm deponeret veteris hominis exuuias in sacro fonte, nominari fecêre Patricium, Patrem Patronumque plurimarum gentium futurum: qui profectò puer purissimus, vas electionis, quàm deuotus foret cultor sanctæ Trinitatis, statim ipse Deus trinus & vnus in eo baptizato declarare dignatus est indicio miraculi triplicis.

2 Quidam vir, Gormas nomine, ex matris vtero cæcitatis carcere damnatus, audiuit in somnis vocem præcipientem sibi, vt pueri Patricij recenter baptizati apprehensâ dexterâ signum Crucis humo imprimeret, adijcientem, quod ad illius tactum noui fontis scaturitio

Ex Calphurnio Britone & Concessâ Francâ,

pijs & castis,

natus Patricius

miraculo triplici illustratur:

A turitio erumperet; cuius latice si oculorum orbes irrigasset, consequenter visum reciperet. Diuino itaque edoctus oraculo ad paruulum cæcus accessit, illius dexterâ signaculum salutis humo impressit, & continuò in eodem loco fons nouus erumpens emanauit. Ex eiusdem itaque aquæ salutari liquore funeratæ frontis orbes rigati susum sensêre diem, ac quasi Siloë iteratam virtutem. Et vt multipliciùs confiterentur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum, dum exteriùs extersâ caligine cæcus illuminatur, interiores obtutus reuelati dono scientiæ illustrantur: & qui numquàm cognouit litteraturam, expertus potentias Domini, legebat & intelligebat Scripturam. Sicut ergo exteriori beneficio effectus fuerat videns de cæco, sic interiori gratiâ litteratus de laico. Fons verò prosatus profluuio profusiori dilatatus, vsque in præsens perspicuas emanans aquas, S. Patricij nomine insignitur, haustu dulcis, gustuque salubris, vt dicitur, variis incommodis laborantibus sospitatem aut leuamen impartitur. Oritur enim secus limbum maris, super quem posterorum diligentia ædificauit oratorium, habens altare in modum b crucis extructum. Est lapis propè locum positus, quem Patricij

fontis producti, cæci illuminati, & eiusdem litterarum peritiâ donati:

B petram incolæ vocant; quia super illam quidam eum natum fuisse, quidam Missam celebrasse existimant. Quoties aliqua controuersia inter conuicaneos, vel vicinos vertitur, quæ iuramento concludenda decernitur, ad petram prædictam acceditur, & sacramento corporaliter præstito, caussa terminatur. Si verò peierans, ut falsidicus testis super eam manum extenderit, protinùs aquam effundere consuescit; & quàm sit execrabile crimen periurij aut falsi testimonij, cunctis patenter Patricij sanctitas ostendit: alioquin nec guttulâ sudare solet, sed in siccitate duritiâque naturali permanet. Quæ autem opinio vulgi super lapide probabilior sit, à nobis ignoratur: quamquàm posterior veritati vicinior videatur. Sufficiat ergo miraculum memorasse quod S. Mel Episcopus testatur se sæpiùs conspexisse.

lapis ab eo nomen retinet, contra periuria miraculosus.

3 Crescente ætate, crescere videbatur & gratia, & velut ex promptuario pleno spiritualium vnguentorum diuinum odorem intrinsecùs manante, foras aromatizabat multiplicium miraculorum copia. Nutriebatur nempè in Nempthor oppido puer Domini Patricius in domo materteræ suæ, cum sorore suâ Lupitâ nomine. Contigit hiemali tempore glacie dissolutâ sentinam excrescere, quæ plurimarum domorum infra C oppidum ruinam minitans, mansionem etiam illam, in quâ degebat Patricius, aquarum exundantia occupabat, & totam supellectilem subuertebat, omniaq; vasa enatare faciebat. Porrò paruulus esuriens more infantili petebat panem, nec erat qui frangeret ei; sed potiùs voce obiurgatoriâ, illum proximiorem submersioni, quàm refectioni à nutrice esse respondetur. Puer verò tres digitos aquæ intumescenti intinxit, ac stans in sicco, præmissâ oratione, ter quasi illuuionem aquæ in modum Crucis respersit, & sentinæ, vt quantocyùs recederet, in nomine sanctæ Trinitatis imperauit. Mira res! continuò cursu refluo exundatio illa tota recessit, siccitas rediit, nec læsio vlla aut damnum in vasis habitaculi illius vel rebus apparuit. Videbantur enim intuentium oculis de digitis sancti pueruli orantis, pro stillulis aquæ, scintillæ igneæ respergi, atque aquam ab ipsis ablingi & absorberi. Sic sic cógregans Dominus, sicut in aquas maris, ponens in thesauris abyssos laudatur ab omnibus, qui tam magna operatus est in dilecto suo S. Patricio paruulo: magnificatur & paruulus, qui tot & tanta potuit in magno & laudabili Domino.

Inundatio repellitur, digitis eius scintillas spargere visus.

4 S. Patricius in ætate puerili licet saperet & interdum ageret vt paruulus, quàm pretiosus fuerit in oculis illius paruuli, qui natus est nobis, clarissimis declarabatur operibus. Quadam die, brumâ cuncta

Ex collectis glaciei frustis

D congelante, puerorum coætaneorum suorum ludentium cœtibus immixtus Patricius puer, glacierum fragmina plurima in gremio collegit, eaque domum portans in aream proiecit. Nutrix verò illius hoc videns, dicebat, commodiùs ipsi fore ligna ad focum construendum congerere, quàm glacialibus frustulis ludere. Respondit puer linguâ senili; facilè fore Domino Conditori, lege naturarum mutatâ, de huiusmodi vsibus suis focum facere, atque eius nutu, si fides non desit, ignem in aquam præualere. Et, vt scias, inquit, omnia possibilia credenti, probabis oculatâ fide, quæ dico tibi. Congessit ergo adinstar tirionum struem glacierum, & orauit; factoque Crucis signaculo insufflauit; statimque ignis egressus glaciem accendens flammarum comam longiùs produxit. Nam non solùm focus ille accedentibus exhibuit beneficium calefactionis, verùm etiam materiam ministrauit magnæ admirationis. Videbatur ex ore pueri Patricij pro flatu flamma processisse, vt liquidò claresceret illum immenso lumine diuinæ gratiæ interiùs illustratum esse. Nec hoc miraculum multùm ab illo antiquo degenerat, quod sub Nehemiâ Scriptura gestum narrat. Cum enim ipse populum Hebræorum post longam captiuitatem, E à Cyro Rege Persarum libertati donatum, in terram Iuda reduceret, iussit locum indagari, in quo Patres eorum in transmigratione ignem sacrificij absconderunt: quò cùm peruentum esset, non inueniebatur ignis, sed aqua crassa, quam iussit Nehemias afferri, & ex eâ sacrificium aspergi. Ignis copiosus statim accensus holocaustum deuorauit, & lapides durissimos concremauit. Eiusdem itaque potentia, ignis aquam congelatam combussit, quæ de aquâ exiens victimas & lapides consumendo incinerauit. Admiranda est itaque nouitas miraculi, veneranda sanctitas Patricij, & in his omnibus adoranda virtus omnipotentis Dei. Præclaro namque prognostico in tali signo S. Patricium Dominus clarificauit: cuius prædicatio postmodùm plurimos, in infidelitate congelatos igne fidei & caritatis Dei inflammauit.

ignem pro-cando incendit. 2. Mach. 1 infidelium conuersioni preludens.

5 Quadam die soror S. Patricij, prænominata Lupita, iam grandiuscula, cùm iussu materteræ suæ ad agnos tempore ablactationis à matribus segregandos cursitaret, collapsa corruit, collisoque capite ad peracutam silicem, grauissimo vulnere fronti eius inflicto, quasi mortua iacuit. Accurrunt è familiâ plures, confluunt noti & amici, condolentes vulneratæ & afflictæ; affuit & germanus cum ceteris, compatiens sorori suæ, sed confidens de diuino medicamine. F Accedens enim erexit eam, & pollice manus eius dexteræ saliuæ oris sui intincto, fronti cruentatæ puellæ signum Crucis impressit, & illam sanitati illicò restituit: cicatrix tamen vulneris inflicti remansit, ob indicium, vt reor, facti miraculi, & sanctitatis experimentum illius, qui illud in fide Crucis Christi fecit. Maritus materteræ S. Patricij, qui illum infantem in vlnis gestare solebat crebrò, repentinâ morte præuentus expirauit. Coniux verò illius cum ceteris accurrentibus aduolauit, ac Patricio propè astanti in hæc verba prærumpens cum fletu ait: Ecce Patrici, nutritius & gerulus infantiæ tuæ defunctus iacet: ostende in illo tuam viuificam virtutem, quæ ceteris mederi solet. Compassus igitur sanctæ indolis adolescens nutricis suæ lacrymis, ac nutritoris sic iacentis miseriæ, accessit ad ipsum exanimem, & fusâ super eum oratione cum benedictione & vitalis signis impressione, propriis manibus caput & collum complexus, illumque erigens viuum reddidit & incolumem. Omnes verò videntes hoc signum, operantem in Patricio Deum laudauerunt.

Sororem sauciam signo Crucis sanat, nutricium vitæ restituit:

6 Erat sancto Patricio adolescentulo à materterâ ouium custodia delegata; cui ipse omnem diligentiam adhibebat, vnâ cum sorore suâ superiùs memoratâ. Non enim tunc temporis in gente illâ ignauiæ vel ignominiæ huiusmodi opera adscribebantur: quia

ouium custodiæ addictus.

AVCTORE IOCELINO

A filij Optimatum opilionis officio olim deputabantur. Vnde Iacob & filij eius Patriarchæ coram Pharaone se pastores ouium, sicut patres eorum, tam venerabiliter quàm veraciter protestabantur: & Moyses Legislator & Dauid Rex clarissimus in pascendis ouibus diu desudasse leguntur. Quadam igitur die, cùm esset puer Patricius in pascuis cum ouibus sibi commendatis, è viciniâ sylua lupus progrediens, vnam ouiculam abripuit, abreptam asportauit: vespere verò, reuerso Patricio cum grege ad hospitium, prædicta matertera pueri negligentiæ seu desidiæ damnum imputauit illatum. Puer autem, licet à voce increpantis & obloquentis erubuerit, verba tamen illa patienter sustinuit, & pro reductione ouis preces fudit. In crastinum verò, cùm minasset gregem ad pascua, lupus memoratus occurrit, ouiculam ore gestatam deposuit ante Patricij vestigia, notaque nemoris repetijt loca. Puer autem Domino gratias retulit, qui, sicut Danielem à rugientibus præparatis ad escam intactum tutauit; sic nunc ob sui consolationem, ouem à lupinis dentibus illæsam conseruauit. Habebat plures vaccas materfamilias, quæ nutriuit Sanctum Patricium, quarum vnam ingrediens, torquebat dæmonium: illa præ furore cornupeta effecta, pedibus conterendo ac cornibus impingendo, quinque vaccas euisceratuit, reliB quum autem armentum vndique ventilauit. Possessores autem armenti de casu qui contigit doluerunt: homines & iumenta ab impetu furiosæ, veluti à facie leonis timuerunt. Puer verò Patricius fide armatus obuiàm processit, editoque signo Crucis, ab omni vexatione dæmoniacâ vaccam liberauit. Accedens deinde ad vaccas sauciatas ac prostratas, præmissâ prece benedixit, & sospitatem pristinam omnibus restituit. Bucula autem à dæmone mundata, liberatorem suum non ignorans; propiùs accessit obstipo capite puerique manus ac pedes lambens, omnes videntes in laudem Dei & venerationem Patricij conuertit.

vnam à lupo raptā eadem reddi recipit;

vaccam à dæmonio correptam curat,

& quinque alias resuscitat;

7 Nutrix sancti Patricij ægritudine depressa mel desiderabat, cuius gustu se meliorandam confidebat. Quæritur mel à circumstantibus nec inuenitur; inueniendi impossibilitas desideranti nuntiatur. Vnde factum est, vt ex non adepto quod cupierat, eius appetitus ampliori auiditate acueretur, & neminem sui memorem, seu sibi subuentorem conquereretur. Audiens hoc almificus adolescens, alumnus eius Patricius, illi condoluit; & confidens in Domino vas de recenti aquâ fontis repleri ac sibi afferri præcepit: ipse verò in C oratione genua flexit, ac surgens Crucis signaculo illud benedixit, ac mulieri mel desideranti porrexit. Res mira! statim illa aqua in mel optimum est conuersa. Gustauit ergò mulier, & anima eius saturata est, ac consequenter ab infirmitate sanata est. Sic Patricius laticem in mel mutauit in eius nomine, qui aquam conuertit in vinum in Canâ Galilææ.

aquā in mel conuertit,

nutricem sanat:

8 Erat autem in quodam promontorio super eminenti præfato oppido Nempthor munitio quædam extructa, cuius adhuc murorum apparent ruinosa vestigia. Dominus autem loci iugo duræ seruitutis sibi subiugatam in famulam depresserat nutricem sancti Patricij. Inter opera seruilia cetera ipsi iniuncta iussit illi quotidiè cunctas officinas intra municipium existentes scopis emundare, à stabulis etiam equorum fimum exportare. Mulier verò mente ingenuâ intelligens omnem potestatem à Deo esse, cunctaque quæ à Deo sunt ordinata existere, necessitatem vertit in virtutem, ac patienter sustinuit impositam sibi seruitutem. Puer verò Patricius compassus afflictioni nutricis suæ Dominum exorabat, vt illam dignaretur de tam seruilis operis laborioso laboritio liberare. Orante igitur Patricio, omnia habitacula illa absque humanâ manu mundata cernebantur, nec infra seu iuxta fimi alicuius vestigium inueniebatur. Mirabatur municeps, & omnes qui audierant vel viderant hoc signum: absoluitur nutrix à iugo seruitutis ob alumni sui meri- D tum. Nec hoc miraculum momentaneum videbatur, aut annuum; quia vsque in præsens, constat esse continuatum. Sicut enim incolæ loci illius atque finitimi attestantur, si intra præfatæ munitionis ambitum tot iumenta, quot locus capere posset, aggregata ibidem demoretur, nullatenus aliqua fimi particula reperitur.a Est autem locus celebris in valle Clud situs, linguâ gentis illius, Dunbreatan id est, mons Britonum nuncupatus, signum scire sitientes non sinit latere, vtpote toties diuulgatum à patriotis omnibus.

eandem à seruili labore liberat,

locum ab eâ purgandum

à fimo & fordibus reddit perpetuò immunem

9 Proficiebat Patricius, puer pretiosus in conspectu Domini, sensus canitie, maturitate morum, multiplicabaturque magis in eo meritorum numerus, quâ annorum: exuberabat in pectore puerili affluentia carismatum spiritualium; in iuuenili corpore virtutum conuentus constituerat sibi domicilium. Ingrediens itaque & progrediens lubricam viam adolescentiæ, continebat pedes suos à lapsu, vestemque, quam natura neuit, næuum nesciens niuei pudoris, indecisam conseruauit; perseuerans virgo carne, & spiritu. Et licet vnctio docuerit eum de omnibus; tempore tamen accepto habili doctrinæ, à parentibus sacris litteris traditur imbuendus. Ipse verò animum adhibuit litterarum studijs; præcipuè tamen psalmis, hymnis & can- E ticis spiritualibus discendis & memoriter retinendis, ac iugiter Domino decantandis. Vnde & ab ipso primæuæ pubertatis flore quotidie consueuit totum psalterium Domino decantare, & ex phialâ purissimi cordis, multarum orationum odoramenta aromatizare. In ieiunijs & vigilijs multis, ac pijs sanctorum laborum exercitijs corpus tenerum conterens, hostiam viuam, sanctam, Deo placentem semetipsum offerebat; sicque in carne contra ac supra carnem degens, conuersatione Angelum repræsentabat.

Patricij pueri virtutes:

castitas,

& studium orandi.

a *Reliqua huius numeri reperiuntur hoc ordine in antiquo impresso: eum cur mutauerit Colganus, & partem postremam,* postquam verò, *hoc loco inseruerit, non diuinamus.*

b *Quæ sit hæc altaris construendi ratio non capimus: fortè legit vel etiam scripsit Iocelinus*: habens sub altari fontem in modum Crucis structum: *nam in Vita* IV *sic legitur.* Fons autem ille iuxta altare defluens, vt loci illius periti dicunt, figuram sanctæ Crucis habet.

CAPVT II.

Abducitur captiuus in Hiberniam & post sexennium liberatur semel & iterum.

10 Quoniam teste Scripturâ, aurum probat fornax, & iustos caminus tribulationis, vt Patricius probatior acciperet coronam vitæ, accessit ei hora tentationis. Cùm enim ipse puer illustris tria lustra perlustrasset sextum decimum attingens annum, cum alijs pluribus compatriotis, piratis fines illos deprædantibus rapitur, captiuatur, & in Hiberniam ducitur: cuidam deinde regulo paganissimo, Milchoni nomine, in Aquilonali parte eiusdem insulæ principanti, in seruitutem venditur, in quâ, scilicet, ætate Ioseph in Ægypto venundatus fuisse memoratur. Ioseph autem venditus post sui humiliationem, exaltatus super vniuersam Ægyptum potestatem accepit & imperium: Patricius post sui venditionem & afflictionem, super Hiberniam specialis ac spiritualis principatus promeruit primatum. Ioseph Ægyptios fame laborantes refecit frumento: Patricius pauit processu temporis Hibernicos idololatriâ pereuntes, Christianæ fidei salutari alimento: vtrique tamen illata afflictio erat ad profectum animæ, quod flagellum grano, fornax auro, lima ferro, torcular vuæ, prælum oliuæ. Principis itaque præfati præcepto, Patricius porcorum custodiæ mancipatur, mirumque in modum sub illius curâ grex

Sap. 3, 6.

Ductus captiuus in Hiberniā,

venditur Michoni,

Ioseph patriarchæ similis in multis,

A grex fœcundis fœtibus numerosiùs multiplicabatur. Ex quâ re rectè conijci potest & colligi sæpiùs substantiam domini vel patrisfamilias augeri vel meliorari ob gratiam & solicitudinem serui siue dispensatoris solliciti & fortunati; sicut è conuerso minui aut deteriorari sub manu pigri & infausti. Sanctæ igitur indolis adolescens iudicium Domini animo amplexans, necessitatem illam vertit in virtutem; & subulci solicitudine solitudinem nactus, sui ipsius operabatur salutem. Morabatur in montibus & siluis ac speluncis eremi vacans orationi: & videns quàm suauis est Dominus, liberiùs atque libentiùs ad libitum libabat precum thymiamata in conspectu Altissimi. Centies namque in die, totiesque in nocte flexis genibus Conditorem adorabat, & orabat aliquanto tempore penitùs ieiunus; quandoque herbarum radicibus seu leuissimis cibis se sustentans, membra sua, quæ erant super terram, mortificabat. Non illum æstus aut frigoris, niuis, grandinis, glaciei, aut aliqua alia inclementia aëris arcere potuit à spiritualibus exercitijs. Ibat ergò quotidie crescens & proficiens, se ipso robustior in fide & amore Iesu Christi; imò quò infirmior, & imbecillior videretur, eò validior & potentior fuit in exercendis mandatis Domini.

fit subulcus

in eoq; munere spiritu strenuè exercet:

B 11 Aspiciebat in visu noctis Milcho memoratus; & ecce Patricius quasi totus igneus domum suam ingrediebatur, flammaque de ore eius & naribus, oculis ac auribus egressa ipsum cremare videbatur. Milcho verò comam flammigeram à se repulit, nec ipsum vllatenus tangere præualuit flamma diffusa [sed] dextrorsū diuertit, & duas *a* filias eius paruulas in vno lecto quiescentes arripiens vsque ad cineres combussit: Auster denique perflans cineres illos sursum eleuauit & in plures partes Hiberniæ deportauit. Euigilans Milcho meditabatur secum in cubili suo, quid ponderis portaret aut quid prodigij portenderet ista terribilis visio. In crastino Patricio ad se accersito narrauit somnium per ordinem, obsecrans & obtestans vt, si sciret, sibi enodaret eius interpretationem. Patricius plenus gratiâ Spiritus sancti respondit Milchoni: Ignis, quem vidisti de me exire, fides est sanctæ Trinitatis, quâ totus illustror, quam & tibi prædicare conabor: sermo autem meus non capiet locum in te, quia cæcâ mente lucem diuinæ gratiæ repelles à te, morierisque in tenebris infidelitatis tuæ: filiæ verò tuæ ad prædicationem meam in Deum verum credent, ipsæque in C sanctitate & iustitiâ omnibus deinceps diebus vitæ suę Deo seruientes sancto fine in Domino requiescent: ipsarum quoque cineres (scilicet Reliquiæ) Domino reuelante ac signa faciente, in multos fines Hiberniæ deferentur, ac sanitatum beneficia infirmis plurimis impertientur: & verum est somnium & eius interpretatio, quæ implebuntur in tempore suo. Hæc dicens Patricius abijt ad consuetum opus suum; cunctaque euenerunt posteà Milchoni, & filiabus eius secundum Patricij verbum.

Somnium Milchoni de se

a

ipsi exponit:

12 Euolutis sex annorum orbitis, cùm Domino dispensante didicisset apprimè Hibernicam linguam ad eiusdem nationis conuersionem, lacrymis & gemitu à Deo indesinenter precabatur sibi indulgeri à seruitute ereptionem & ad patriam suam reuersionem. Oranti illi quâdam die Angelus Domini apparuit, stans super cuiusdam præeminentis petræ præruptum, annuntians orationes ipsius & ieiunia ascendisse in memoriam ante Deum. Adiecit etiam in proximo ipsum seruitutis iugum de collo excussurum, & ad patriam propriosque parentes, expletâ nauigatione, prosperè peruenturum. Facie ad faciem famulus Factoris Angelum intuebatur, & ore ad os cum illo tamquam amico familiariter loquens; quis esset, & quo censeretur nomine, sciscitabatur. Nuntius cælicus; se esse Angelum Domini, administratorium spiritum in mundum missum propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: Victorem vocari, specialiter ipsius custodiæ deputatum, profitebatur: in omnibus suis agendis coadiutorem & cooperatorem affore pollicebatur. Et licet cælestes spiritus vocabulo humano censeri necesse non sit, pulchrè tamen Angelus humanâ formâ ex aëre assumptâ indutus, se Victorem appellauit: ipse nimirum virtutem vincendi, & vinciendi aëreas potestates & principes tenebrarum harum, à victoriosissimo Rege Christo accepit, qui etiam seruis suis de puluere plasmatis, potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, vincendi & conterendi Sathanam donare consueuit. Conserto colloquio mutuo, ostendit Angelus Patricio fossuram humi à porcis euisceratæ, præcepitque ei aurum, pretium quo redimeretur de manu crudelis Domini, in eâ quærere. adiecit etiam, nauem, paratam ad transferendum in Britanniam, stare in portu à loco illo ducentis *a* millibus passuum distante, & nutu diuino secundam auram absque sui præsentiâ haberi non posse. Hæc dicentis Angeli visio disparuit & allocutio; eiusque vestigia vsque in præsens petræ impressa; in finibus Dalaradiæ, in monte Mis memorātur, vt incolarum attestatur assertio: est enim ibi constructum in honore S. Patricij oratorium, in quo vigilare & orare solet deuotio fidelium.

Monetur de instanti liberatione ab Angelo,

quicum familiariter loqui consuetus erat:

D *AVCTORE IOCELINO*

aurumq; ab eodem ostensum

a

E 13 Perrexit Patricius ad locum indicio Angelico designatum, & inuenit ibi auri pondus non minimum: suum deinde dominum dirum & durum super sui manumissione conuenit, eiusque animum auri auidum ad assensum conferendæ libertatis, oblato datoque fului metalli obryzo auro, inflexit. Solemniter ergo à seruitute mancipij mammonæ emancipatus, abijt viam suam gaudens, & versùs mare iter accipit repatriare cupiens. Milcho verò doluit, dimisisse se seruum sibi pernecessarium; pactumque præuaricans, vt Patricium reduceret & solitæ seruituti subijceret, ad instar Pharaonis Hebræos persequentis, è vestigio recedentem insequebatur: sed nutu diuino mente & pede oberrans, quem quæsiuit non inuenit, omni conamine frustratus, cum dedecore & dolore ad propria reuertebatur. Ad illius etiam augmentum languoris accessit, quod, sicut Patricius libertati donatus aufugit, sic libertatis eius pretium, aurum scilicet, domi regresso non comparuit. Consonat etiam sanctio legalis edicti liberationi ac libertati S. Patricij: lex enim annis seruituti subiectum, in septimo decreuit lex libertati restituendum. Sanctus Patricius conductu ductus Angelico ad mare peruenit, ibique nauem, in quâ erant F gentiles, ad transferendum in Britanniam expositam inuenit, qui gratanter illum intromiserunt, ventisq; ad vota spirantibus vela committentes, post triduum applicuerunt.

inuenit, eoq; se redimit:

sed illud, pactum retractante hero disparet.

Deut. 15. 12.

14 Egressi verò ad aridam, inuenerunt regionem illam desertam & inhabitatam. Cœperunt ergò itinerando terram illam perambulare viginti quatuor dierum spatio, & ob victualium defectum in horroris & vastæ solitudinis loco laborabant famis exitio. Per totum verò iter illud prædicabat Patricius paganis verbum Dei, disputans & persuadens de fide sanctæ Trinitatis & regno Dei. At illi instar aspidis surdæ & obturantis aures suas ad vocem incantantis sapienter, sepierunt aures audiendi verbum Dei, donec vexatio daret intellectum auditui. Fame namque acriùs ingruente & ingrauescente, maior eorum in hæc verba fertur prorupisse: Ecce cernis, Christicola, nos squallentes egestate & miseriâ, oculique nostri languent præ inopiâ: Deum ergò tuum, quem Omnipotentem instruis & astruis, pro nobis interpella, vt suâ nos reficiat munificentiâ, eiusque à nobis adoretur & glorificetur magnficentia. Ad hoc S. Patricius; Credite, inquit, & confitemini Deo cæli, qui dat escam omni carni, quo aperiente manum suam, ipsius bonitate saturabimini. In hunc modum Patricio plura perorante, ac pro eis orante, subitò grex porcorum apparuit, & mel silue-stre,

Appulsus in Britanniā socijs fame laborantibus

grege porcorum subministri impetrat:

AVCTORE IOCELINO

Astre, quorum profectò copia illis ad satietatem suffecit; nec ab illa die in totâ viâ illâ refectionis sustentatio defecit. Viso ergò tanto miraculo Deo gratias egerunt, & S. Patricium in summâ veneratione habuerunt. Succedentibus prosperis, ac viatici arridente abundantiâ, homines illi citò obliti sunt Deum, qui saluauit eos de famis angustiâ. Immemores enim Dei, & ingrati beneficio sibi diuinâ largitate collato immolauerunt de suis cibis dæmonijs, & non Deo: imitati sunt in hâc parte Samaritanos illos, quos liber Regum refert, Deum coluisse, nec tamen idolorum suorum culturam reliquisse. Vnde contigit S. Patricium viginti diebus continuis nullo terreno cibo vesci: quia licet plurimùm rogatus, nullatenus illis voluit in conuiuio commisceri, ne videretur immolatitijs contaminari. Dedit namque Dominus virtutem Patricio abstinentiæ huius tolerandæ, qui quondam facilitatem ieiunandi quadraginta diebus tradidit Heliæ Prophetæ.

quos quia illi immolarunt idolis, *4 Reg. 17.* *ipse viginti continuis diebus ieiunat.*

Iac. 1, 2.

15 Mirabilis moderator omnium Deus electos quos arctiùs amat, multoties signis & virtutibus illustrat: aliquoties in varias tentationes, iuxta Apostolum, finit incidere: vt discant & sciant fortitudinem B suam ad Deum, qui susceptor est eorum, custodire, & nihil in se vel de se confidere. Vnde & electus & dilectus Dei Patricius permittitur diuino iudicio ab angelo Sathanæ grauissimè tentari; ad cumulum confusionis tentatoris, & ipsius tentati coronæ augmentum; & ne fortè magnitudo signorum aut ieiuniorum extolleret eum. Nocte namque in ipsum dormientem princeps tenebrarum fortiter irruit, & mole ingentis saxi *b* illum oppressit: cadens etiam super eum, omnium membrorum motum & officium, effectumque sensualitatis ei abstulit, eique tenebras induces & torporem per triduum, supra modum humanæ tolerantiæ vexare & cædere non cessauit. Sanctus autem in tribulatione suâ clamauit ad Dominum, bis inuocans in nomine Domini Heliam Principem Prophetarum sibi in adiutorium. Missus itaque Helias à Domino cum lumine immenso illum ab omni pressurâ inimici, quæ circumdedit eum, liberauit, illuminansque illum mirabiliter intùs & exteriùs, omnium artuum atque sensuum vires ei reparauit. Inimicus autem humani generis confusus, compulsus est confiteri se ab eo deuictum, nec vllatenùs imposterum se habiturum potestatem præualendi aduersùs eum.

Grauiter tentatus & oppressus à Sathanâ b

ab Heliâ inuocato liberatur:

16 Digrediens autem Patricius à consortio conC uiatorum suorum, vt experiretur, quòd multæ sunt tribulationes iustorum, per quas oportet nos ingredi in regnum cælorum, incidit in manus alienorum: à quibus dum captus & detentus esset, ac anxiaretur spiritus eius in se, Pater misericordiarum ac Deus totius consolationis secundùm solitum morem destinauit Angelum Victorem ad confortandum eum, prædicentem & pollicentem in breui eum eripiendum de manibus detinentium ipsum. Quantâ enim veritate subnixa fuerit Angelica promissio, probauit ipsius festina exemptio, quæ subsecuta est completo tantùm duorum mensium spatio. Barbari namque, cuidam de vicinis vendiderunt eum pro quodam cacabo, exiguo satis pro tantâ re commercio. Emptum tamen pro tali pretio vasculum, dum aquâ repletum ob coquenda cibaria more solito superponeretur foco, nullum ignis calorem admisit: imò quò copiosiùs ignis succenderetur, eò ampliùs friguit. Sæuiebat vndique flamma fomentis adhibitis exteriùs; sed sentiebatur aqua congelata interiùs, acsi pro igne glacies subtus poneretur. Diutiùs ergo circa huiusmodi sed frustrà desudatum est, verbumque illud circumquaque diffusum est. Æstimans emptor quod accidit, alicuius fascinatione factum esse; cacabum ipsius venditori restituit, & Patricium in suâ ditione denuò accepit. Vas ergo memoratum suscepto calore, naturaliter ministerium exhibuit consuetum: cunctisque claruit, caussâ Patricij inD iustè vexari, illud contigisse miraculum; statimque, qui illum ceperant, dimiserunt liberum.

iterum captus à barbaris

vel litur pro cacabo, qui igni admotus calefieri non potuit,

ideoq; liber dimittitur.

a *Idem spatium habet Confessio Patriciana, quod tamen quia certum est vix 70. P. M. posse censeri, debet librario sed antiquo modo hic error imputari.*

b *Id est, dæmon in modum saxi ingentis.*

CAPVT III.

Peregrinatus in Gallia atque Italia Patricius, tandem obtenta missione in Hiberniam appellit.

17 Liberatus ergo diuinitùs de filiorum alienorum manibus, pòst diutinam captiuitatem restituitur proprijs parentibus. Videntes autem illum gauisi sunt gaudio magno valdè, reuixitque spiritus illorum, quasi de graui somno euigilantium, in aduentu filij reuersi de longinquâ regione. Rogatur ab illis multâ precum instantiâ & lacrymarum affluentiâ, ne suâ suos vlteriùs viduaret præsentiâ. Ille verò, vt debitum honorem E & obedientiam exhiberet parentibus, cum illis remansit aliquot diebus. Emenso aliquanti temporis spatio, in paternis constitutus laribus, in visu noctis vidit virum venusti vultus & habitus, quasi de Hiberniâ plures epistolas afferentem, & vnam sibi ad legendum porrigentem: quam ille suscipiens legit, litterarumque in limine scriptum inuenit; Hæc est vox Hibernigenarum. Perlecto enim principio, cùm in legendo vellet procedere, videbatur sibi in spiritu infantulos Hibernicos maternis vteris inclusos, voce clarâ clamantes se audire: Rogamus te, sancte puer Patrici, vt venias & ambules inter nos, & liberes nos. Ad hunc clamorem compunctus Patricius corde, perlegere epistolam non potuit: sed à somno expergefactus omnipotenti Deo immensas gratias persoluit. Fixum ergo animo habuit ex visione, quòd Dominus, qui segregauit eum ex vtero matris suæ, vocaret per gratiam suam ad conuertendam & saluandam Hibernicam gentem, quæ videbatur ipsius inuocare & desiderare præsentiam. Consuluit super hoc negotio magni consilij Angelum; & vt patriam parentesque deserens Gallias peteret, ob fidei Christianæ doctrinam disciplinamque discendam, per Angelum Victorem diuinum F suscepit oraculum.

Redux ad parentes:

ad prædicandum Hibernis per visum inuitatur,

& de petenda Gallia monetur ab Angelo:

18 Cælitus edoctus & eductus, licet vtroque parente renitente ac tenere eum volente, de terrâ & cognatione suâ & domo patris sui cum fideli Abraham exiuit, natale solum Britanniæ pertransiens, Galliarum fines adiuit. Et ne fortè in vacuum curreret, aut quod non didicit doceret, B. Germano Autisidiorensi Episcopo adhæsit; & vt in Christianâ religione ac eruditione pleniùs proficeret, cum illo octodecim annorum spatio legens & adimplens sacras Scripturas (sicut in eiusdem B. Germani *a* gestis continetur) moram fecit. Susceperat vterque diuinum oraculum; Patricius scilicet, vt cum S. Germano maneret; & Episcopus, vt eumdem sanctum *b* adolescentem secum erudiendû retineret. Erat hic Antistes genere, dignitate, vitâ, doctrinâ, officio, & signis celeberrimus; à quo singulos sacrorum Ordinum gradus, & etiam Sacerdotalem apicem secundùm instituta Canonum percepit Patricius. Simili nihilominùs intentione, ob diuinæ doctrinæ dignoscendæ gratiam, cum *c* B. Martino Turonensi Archiepiscopo aliquanto tempore demorabatur, qui etiam auunculus matris eius Conquessæ esse dicebatur. Et quia idem sanctissimus Sacerdotum carbunculus monachus fuit, cognato suo Patricio monasticum habitum, & eius instituta tradidit obseruanda: quæ ille deuotè suscepta, actibus habitui respondentibus,

ibi S. Germano adhæret, a b

itemq; S. Martino: c

sub quo monachus factus

A dentibus, adornauit, & in eisdem perseuerauit. Valefacientes ad inuicem discesserunt ab alterutro, quia B. Martino, vt ad Tamarensem insulam proficisceretur, iniunctum est ab Angelo. Sanctus autem Patricius ad B. Germanum reuersus, remansit cum ipso aliquot diebus. *mittitur ad insulam Tamarensem;*

19 Patricius monachus effectus, quæ retro sunt obliuiscens, in anteriora se extendit: & quasi parui pendens præteritam conuersationem, ad celsitudinem perfectionis festinauit. Incredibili enim abstinentiâ, vigiliarumque protelatione, ac ceterarum virtutum exercitijs semetipsum affligebat, & crucis mortificationem, quam habitus prætendit, in corde & corpore iugiter ferebat. Summus autem Pastor, qui illum ad culmen sanctitatis Ecclesiæ prouehere disposuit, vt disceret humilia de se sentire, humilibusque consentire, infirmis compati, propriam infirmitatem experiri permisit. Sic profectò vt tantò robustiùs staret in magnæ perfectionis fastigio, quantò firmiùs fixus collocaretur in veræ humilitatis fundamento. Ipsi namque desiderium vescendi carnibus irrepsit; tandemque à talli concupiscentiâ abstractus & illectus, carnes porcinas acquisiuit: acquisitas in quodam dolio abscondit. Arbitrabatur rectiùs, vt nactus oportunitatem clanculò appetitui suo satisfaceret, quàm vt palàm hoc faciens, lapis offensionis & petra scandali ceteris Fratribus fieret. Nondum à loco longiùs recessit; & ecce quidam habens oculos antè & retrò coram eo astitit; quem intuens Patricius oculatum modo tam miraculoso, imò monstroso, mirabatur, & quid esset, aut quid oculi antè & retrò fixi prætendebant, sciscitabatur. Cui ille; Minister Dei sum ego; oculisque in fronte fixis, quæ in conspectu sunt video; ac obtutibus in occipite positis intueor monachum in dolio carnes occultantem, vt satisfaciat ventri suo. Hæc dixit, & continuò disparuit. *strenuè se exercens,* *edendarum tamen carnium tentatione vincitur:* *sed mirabili viso correctus & pænitens,*

20 Patricius verò crebro pugno pectus percutiens in terram corruit, tantoque lacrymarum imbre acsi omnium criminum reus esset, illam inebriauit. Cumque solo procumberet eiulans & flens, apparuit ei sæpè dictus Angelus Victor in formâ consuetâ, dicens: Surge, confortetur cor tuum; quia Dominus transtulit peccatum tuum: deuita imposterum huiusmodi lapsum. Surgens igitur S. Patricius abiurauit, & abscidit à se omnem esum carnium in vitæ suæ tempus reliquum. Adhuc tamen humiliter deprecabatur Dominum, vt aliquo euidenti signo sibi demonstraret dimissum esse reatum suum. Iussit igitur Angelus Patricio carnes illas absconsas in medium proferre, prolatasque in aquam ponere. Fecit itaque Patricius quod impetrauit Angelus. Mira res! carnes illæ aquis immersæ ac extractæ statim in pisces sunt conuersæ. Hoc signum S. Patricius sæpiùs solebat suis discipulis referre, ob refrænandum concupiscentiam gulæ. Perplures autem Hibernigenarum, hoc signum sinistrè sectantes, solebant in die S. Patricij, quæ semper infra Quadragesimam euenit, carnes aquis immergere, mersas extrahere, extractas coquere, coctas comedere, illasque Patricij pisces nominare. In hoc signo insigni discat religiosus quisquis gulam reprimere, carnes illicitè non comedere, nec attendat quid populus stultus & insipiens consuescat agere. *confortatur ab Angelo,* *carnibus in pisces conuersis.*

21 Sedit animo S. Patricij Sedem S. Petri petere in petrâ fundati, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ canonicis institutis vberiùs imbui; cupiens auctoritate Apostolicâ iter & actus suos roborari. Cùm autem quod corde conceperat enodasset B. Germano, approbauit sanctum ipsius propositum S. Germanus, adiungens ei Christi seruum Sergecium Presbyterum, itineris socium, laboris solatium, sanctæ conuersationis testem idoneum. Profectus verò diuino instinctu seu reuelatione Angelicâ ad quemdam, in quâdam insulâ Thyrreni maris degentem, secessit solitarium; sacræ vitæ, opinionis optimæ, magni meriti virum, nomine ac opere Iustum: cumque post sanctam salutationem salutaria mutuò verba conferrent, dedit idem vir Dei Patricio baculum, quem se suscepisse asseruit de manu Domini Iesu sibi apparentis ipsi conferendum . . . . . *d* S. Patricius Deo gratias agens cum viro Dei diebus aliquot mansit, ac eius exemplo magis ac magis in Deū proficiens, ei tandem vale facto, cum baculo Iesu proficiscebatur quò proposuit. O datum optimum descendens à patre luminum: eulogia egregia, ægris remedium, signorum effectiuum, munus à Deo missum, fatigato sustentaculum, vianti ministrans iter prosperum. Sicut enim Dominus multa signa per virgam fecit in manu Moysi, educturi populum Hebræorum de terrâ Ægypti; sic per Patricium in baculo, quem proprijs manibus formatum gestauerat, ad conuersionem gentium plurimarum multa & magna voluit operari. Baculus iste in Hiberniâ magnæ venerationis habetur, & vsque in præsens baculus Iesu nominatur. *Romam proficiscens* *cum Sergecio socio,* *AVCTORE IOCELINO.* *diuertit ad Iustum eremitam:* *d* *à quo accipit baculū Iesu.*

22 Patricius, prosperum iter sibi faciente Deo salutarium nostrorum, ad Vrbem, orbis caput deuenit, Apostolorum Martyrumque memorias debitâ deuotione venerationis visitans, notitiam & familiaritatem Summi Pontificis nactus, in oculis eiusdem gratiam E inuenit. Præsidebat tunc temporis Apostolicæ Cathedræ, nomine & conuersatione Cælestinus primus, à B. Petro Apostolo *e* quadragesimus tertius. Hic autem S. Patricium secum retinens fide, doctrinâ & sanctitate probatum perfectumque inuentum, in Pontificem tandem consecrauit; ipsumque ad conuertendam Hibernicam gentem destinare decreuit. Præmiserat præfatus Papa prædicandi gratiâ in Hiberniam ante illum alium Doctorem, nomine Palladium, Archidiaconum scilicet suum, cui adiunctis socijs contulit copiam librorum; vtrumque scilicet Testamentum cum reliquijs Apostolorum Petri & Pauli, ac Martyrum plurimorum. Hibernicis verò prædicationi non credentibus, sed obstinatissimè oppugnantibus, à regione illorum discessit, Romamque tendens in Britanniâ infra fines Pictorum, in fata decessit. Quosdam tamen in Scotiâ ad Christum conuertens baptizauit, tresque ecclesias de robore extructas fundauit; quibus discipulos suos Prælatos, Augustinum videlicet, & Benedictum, Siluestrum, & Solomum, collatis codicibus suis & reliquijs Sanctorum, reliquit. Huic, fructuosiori legatione & labore, S. Patricius successit, quia vt Hibernico prouerbio dicitur: Non Palladio, sed Patricio Dominus conuertendam Hiberniam concessit. Certificatus Domnus Apostolicus de morte Palladij, iter & opus salutaris legationis Patricio præcisè præcepit aggredi, quod anteà facere distulit consilio vsus strictiori. *A Cælestino Papâ* *e* *Palladio sufficitur, ante ipsum in Hiberniam misso;*

23 Pauco tempore post Episcopalem gradum acceptum elapso, Angelus Domini sæpenominatus Victor, Romæ commoranti Patricio apparuit, præcepitque ei, vt ad Hiberniam iter maturaret, eiusdemque insulæ plebem prædicando Christo lucrifaceret, sicut Dominus disposuit. Patricius verò tanto oneri operique tam arduo impotentem & imparem se indicans, respondit: se nullatenus velle vel posse id attentare, nisi priùs videre Dominum posset atque salutare. Ductus est ergò ab Angelo ad montem *f* Morion Tyrrheno mari vicinum, secus ciuitatem Capuam situm, ibique sicut Moyses Dominum videre & salutare meruit iuxta sui amoris ardentis affectum. Quis, quæso, mente metiri meritum poterit Patricij, quæue lingua ad liquidum eloqui, cui in terrâ degenti donatum est Regem gloriæ, quem in decore suo Angeli desiderant prospicere, facie ad faciem intueri, & quod prædicaret hominibus, ab ore Altissimi edoceri? Promisit ei Dominus se preces eius exauditurum, & in omnibus suis agendis coadiutorem affuturum. Ex visione ergo & collocutione diuinâ confortatus & corroboratus, ad opus *adhortatione Angelicâ* *f* *& Domini alloquio roboratur;*

AVCTORE IOCELINO MON.

A opus ministerij diuinitus sibi iniuncti, à Domno etiam Papâ commissi, consummandum anhelauit, & versùs Hiberniam cum viginti viris, vitâ ac sapientiâ præclaris, ab ipso summo Pontifice sibi deputatis in adiutorium, regressum maturauit. Diuertit autem ad B. Germanum nutritorem & eruditorem; ex cuius munere accepit calices & vestimenta Sacerdotalia, copiam codicum, & alia quæ pertinent ad cultum & ministerium ecclesiasticum. B. Patricius iter accelerans aduersùs Hiberniam, cùm in portu in Britanniæ finibus sito, nauem cum suis transfretaturus conscenderet, quidam leprosus littori astans se Sancto obtulit, obsecrans & obtestans in nomine Domini Iesu quatenus ipsum in naui secum assumptum, in Hiberniam transueheret. Vir Dei pietatis visceribus affluens, annuit precibus pauperis miserandi: sed nautæ contradicebant & ceteri, qui erant in naui, asserentes, quòd nauis satis onusta esset, & ipse foret omnibus oneri & horrori. Sanctus de Dominicæ potentiæ clementiâ confidens, altare lapideum sacratum, à Domno Papâ sibi donatum, super quod diuina mysteria celebrare consueuerat, in pelagus proiecit, ac super illud leprosum sedere fecit. B Sed horret animus, hæret stylus exprimere quod accidit diuinitùs. Tabula illa lapidea taliter sarcinata ferebatur super aquas, regente illam lapide angulari; ac contra naturam natans, nauique collaterans, cum eâ concertabat pari cursu; sicque eodem momento in eodem loco applicabatur littori. Applicatis itaque omnibus prosperè, inuentoque altari cum onere suo, sonat gratiarum actio, & vox laudis in ore sancti Præsulis, exprobratque discipulis & socijs itineris incredulitatem ac duritiam cordis, emollire moliens corda lapidea in carnea, ad exercenda opera caritatis.

in Hiberniam nauigaturus

leprosum in nauim non admissum,

super aram lapidem facit transfretare:

24 Cumque Sanctus cum suis nauigando approximasset terræ, prospexit multitudinem dæmonum in modum circuli conglobatam totam insulam circumcingere, & ex aduerso opponentes sese quasi murum atrium suum velle fortiter custodire, conantes ingressum sibi obstruere. Sancti verò cor non turbabatur, nec formidabat à facie deformium illorum, sciens plures esse secum potentiores, quàm cum illis ad sui tutelam & deiectionem ipsorum. Stabat ergo Sanctus fide immobilis, sicut mons Sion; confisus in Domino, quia montes Angelici in circuitu eius, & Dominus in circuitu famuli sui, fortis planè & potens in prælio. Sciens sanctus Præsul omnes hostes illos in virtute Crucis Christi à se deuincendos, erectâ sacrâ dexterâ C signum Crucis edidit; & quod vidit enarrans, suosque in fide confirmans, illæsus & imperterritus pertransiuit. Indutus itaque virtute ex alto, accepta arma potentiæ à Domino, ad conterendas aëreas potestates, aduersùs omnem altitudinem extollentem se contra scientiam Domini, viriliter exercuit, in promptu habens vlcisci omnem inobedientiam & contradictionem eorum, sicut in sequentibus euidentiùs elucebit.

phalanges dæmonum conantes eius iter impedire,

signo Crucis fugat:

25 Applicuit vir Domini cum sui itineris consortibus infra fines Lageniæ in portu Inbherdæ, vbi flumen mari influens abundabat tunc temporis piscium multitudine copiosâ: piscatores autem tunc ex aquâ ascenderant, ac retia repleta piscibus post se trahebant. Sancti autem Præsulis familia fame fretoque fatigata, obnixè petebat ab eis aliquod solatium sibi impartiri de piscibus: sed barbari & inhumani, non solùm repulsam, sed & contumeliam reddebant rogantibus. Quod Sanctus molestè accipiens, sententiam quasi maledictionis protulit, dicens; Flumē istud imposterùm non procreet pisces, ex cuius capturâ copiosâ cultores Cunctipotentis petentes ab idololatris dimittuntur inanes. Ab illo ergò die vsque in præsens flumen istud sterilitate damnatur propterea, vt sententia ore Patricij prolata patenter probaretur à facie Domini Dei sui egressa. Progressus Pontifex sanctus ad locum, qui vocatur Aonach Taillten, diuertit: ibique quantulocumque quietis refrigerio se atque suos D recreare, ac prædicationis suæ officium initiare disposuit. Loci verò incolæ idololatræ non sufferentes viri Dei præsentiam, congregati in vnum violenter expuler unt eum à finibus suis; quia solaris lampas lippientibus oculis est intolerabilis. Sed Deus, quem Patricius portabat & glorificabat in corpore suo, non sinebat famulo suo pro nomine suo ignominiam illatam iri inultam; sed indigenis intulit condignam velociter vindictam. Terram namque eorum fructiferam conuertit Dominus in salsuginem à malitiâ habitantium in eâ, quia mare insolitis rheumatis nouo profluuio illam operuit: & vt inhabitabilis fieret in æternum, in paludem vliginosam est conuersa. Diuertens deinde ad quamdam insulam paruulam, aliquantis diebus recreandi gratiâ ibidem demorabatur, quæ non longè à terrâ distans, insula S. Patricij vsque in præsens nominatur.

appulsus in Hiberniâ, & indignè acceptus,

piscosum flumē maledicto reddit sterile:

& agrum fructiferum cooperit mari.

26 B. Patricius cum suis nauim ascendens, diuertit ad Aquilonares partes insulæ, Aquilonarem hostem expugnaturus, ipsumque ex cordibus, in quibus sedem posuerat sibi, expulsurus. Sic profectò recedente Aquilone Auster perflans adueniret, & in lateribus E Aquilonis hortum Domini aromata profluentem plātaret. Velle etiam adiacebat ei, Milchonem Regulum adhuc superstitem, cuius seruitio quondam subiugatus erat, ad agnitionem veritatis perducere, Regisque veri, cui seruire regnare est, seruum facere. Sed quia non est via hominis in potestate eius, sed gressus eius à Domino diriguntur; applicuit in finibus Vlagh, quę modò Vlidia dicitur, vt vasa misericordiæ ibi colligerentur. Egressuro autem ad aridam Patricio, paganorum multitudo ipsius aduentum exspectans, obuiàm occurrit & obstat. Magi namque & arioli ipsius regionis coniecturando vel vaticinando, insulam per Patricij prædicationem conuertendam præcognouerunt, eiusque aduentum longè antè in hæc ve[illegible] prædixerunt: Adueniet in circulo tonsus in capite, cum suo ligno curuo; cuius mensa erit in Oriente domus suæ, populusque illius retrorsum illi astabit, & ex mensâ suâ nefas cantabit, & tota familia sua, fiat fiat, respondebit. Hic autē cùm aduenerit, deos nostros destruet, templa & altaria subuertet, turbas post se seducet, Reges sibi resistentes subijciet, aut de medio tollet, & doctrina eius in seculum seculi regnabit. Non ergò mirum aut incredibile videatur, si Domino inspirante F aut etiam permittente, magi de aduentu S. Patricij & actibus talia protulerint præsagiendo: cùm Baalam ariolus, & Nabuchodonosor Rex præclarè prophetauerint de aduentu Dominico, & testimonium dæmonia perhibuerint Dei filio. Quod autem dixerunt, illum nefas cantaturum ex mensâ; liquidò constat ipsum, qui in veritate non stetit, sed ab initio erat mendax & pater mendacij, hæc blasphemando protulisse per ipsorum ora.

Frustrà cōnatur ad Milchonē redire,

in Vlidiam aduehitur:

obstantibus magis,

eius aduētū pridem vaticinatis.

a *Aut potiùs in supplemento conscripto per Erricum monachum: sed nihil hic de temporis spatio, quo cum Germano Patricius fuerit.*

b *Imò virum: quippe qui iam annum ætatis agebat* XLI.

c *Id est in monasterio B. Martini, & quidem diu priùs quàm ad S. Germanum veniret.*

d *Exempta sunt hinc & ad appendicem relata de viris hospitalibus in continuâ iuuentute seruatis, quos in hâc insulâ Patricius inuenerit, sub disciplinâ huius Iusti: de cuius tamen pari ætate & priuilegio nihil hîc legitur.*

e *Imò 45, iuxta alias Vitas & receptam in Ecclesiâ atque inter chronographos Pontificum Romanorum seriem.*

f *An quia* Mor *hibernis magnum significat, huius nomini fingendi occasio Iocelino, aut alteri à quo hic accepit, data est? Quid autem hoc loco Capua, itinere quatridui vltra Romam adeunda; cum in reditu versùs Hiberniam par sit ista contigisse? Vitiosum haud dubiè textum aliquem vel audax inepti interpolatoris glossema arripuit locorum imperitus Iocelinus.*

A

CAPVT IV.

Proficiscitur in Dalaradiam Milchoni fidem prædicaturus; Leogarius in obsides Dichonis sæuit.

Ab incolis, Regis iussu prohibere paratis,

27 REx autem principalis Hiberniæ, Leogarius nomine, filius Neoill, recolens prædictum præsagium, præcepit patriotis suis, vt Patricium pede terram contingentem confestim eliminarent de partibus illis. Sanctus autem Patricius in portu, vocabulo Innbher-Slan, existens de naui solus exiuit de salo ad solum: statimque populus infidelis ac moribus caninus, canem instigabat ferocissimum ad morsum mortiferum inferendum Pontifici. Canis verò viso viro Dei penitus obmutescens, ad instar lapidis totus diriguit, atque immobilis quasi fixus substitit: euidenti indicio suos instigatores, lapidum cultores, dijs suis similes ostendens. Quod cùm cerneret quidam vir viribus robustus, staturâ giganteus, animo atrox, Dichu dictus, festinus gladium in sancti viri vibrauit interitum: sed opponente Domino brachium protectionis suæ, omne robur in eo emarcuit, totusque obriguit, vt nec pedem ad accessum, nec manum mouere posset ad ictû. Vir ille tale signum in se expertus, repentè in virum alterum mutatur; de elato humilis, de truculento mitis, de idololatrâ fidelis effectus, prædicante Patricio cum omni domo suâ in Christum credens baptizatur. Sic profectò, qui primus & præcipuus erat Christianæ fidei in illâ terrâ impugnator, eiusdem effectus est primus professor, & vsque ad vesperum dierum suorum constantissimus executor. Sicut itaque à vinculis peccaminum absolutus est in animâ, sic ab omni stupore stoliditatis soluta sunt ipsius membra, singulisque artubus sensualitatis & roboris pristina restituta sunt officia. Ecce signum, quod quondam in Rege Ieroboam patratum liber Regum narrat, Patricius in Dichu salubriùs iterabat: nam cùm idem Rex idolis sacrificans, ad Prophetam se redarguentem comprehendendū manum extenderet, mox brachium eius obstupuit, quod postmodùm ipsi pœnitenti Prophetæ deprecatio restituit. Nec tamen sanus effectus, errorem suum deseruit: Dichu verò vtriusque hominis sanitatem adeptus, ad augmentum & argumentum internæ deuotionis, quam erga fidem susceptam habuit, locum cum pertinentijs suis, in quo signum illud apparuit, ad nouam ecclesiam in eo construendam, S. Patricio contulit.

in Patricium immissus canis mitescit; — *ad illum obrigescens* — B — *Dichu conuertitur,* — *3. Reg. 13* — *a Patricio offert locum monasterij Sabhallensis:* — C

28 In eodem loco, ipso Dichu petente (nescio quâ de caussâ) à Sancto Dei ab Aquilonari parte versus Meridianam plagam ecclesia ædificatur; fortè vt ab Aquilonari frigore infidelitatis ad feruorem meridianum fidei caritatisque Christi mysticâ huius structurâ cultores idolorum incitari viderentur, quæque vsque in præsens ab incolis Sabhall, id est, horreum Patricij nominatur. Processu enim temporis egregium inibi monasterium construxit, in quod perfectos monachos introduxit, ad quorum vsum non longè à loco pernecessarium de terrâ fontem orando produxit. Huic cœnobio S. Dunnium discipulum suum Abbatem constituit, vbi & ipse de prædicatione reuersus, cum eo non paucis diebus degit. Quâdam die cùm in eâdem ecclesiâ almificus Antistes Patricius astaret altari diuina mysteria agens, quidam maleficus filius perditionis, satelles Sathanæ, accessu auiuque execrabili foris stans, per fenestram cum virgâ calicem euertit, & sacrosancta sacrificia sacrilegus super altare effudit. Dominus autem scelus tam horribile in instanti terribiliter vindicauit, hominemque nefarium nouo, imò innouato modo è medio tulit. Repente enim terra terribili hiatu aperiens os suum, sicut quondam Dathan & Abiron, deglutiuit magum illum, descenditque viuus vsque ad infernum. Absorpto verò mago, tellus discissa & dirupta hiatum contrahendo conclusit; sed fossa ibidem remanens, cernentibus diuinæ vindictæ indicium ostendit. Contristatus autem sanctus sacrifex super effuso calice, cùm grauissimis lamentis se affiiceret, calix cum diuinis sacrificijs integris loco suo compositus diuinâ virtute coram illo erectus stetit, nec vllum vestigium effusi libaminis vspiam apparuit.

vbi S. Dunnius Abbas. — *Mago qui calicem euerterat absorpto à terrâ,* — D — *AVCTORE IOCELINO MON.* — *Sanguis Christi ex integro calici restituitur.*

29 Erat prædicto Dichu germanus carne, Rius nomine, ætatis & infidelitatis prouectæ, cuius corporis tabernaculum præ senio sentiebatur pronum proximumque ruinæ; qui grauissimè dolebat super magi interitu, & fratris conuersione. Hic enim totus terram sapiebat, vitam nullam præter præsentem esse credebat, fratrem etiam suum se amisisse æstimabat, qui in Christum credens ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in seruis eius, omni annisu anhelabat. Hac de caussâ singulis diebus impugnans tribulauit Patricium, & nitebatur oppilare os suum, ne disseminaret verbum Dei per illam regionem, vt augeretur in Domino numerus credentium. Sanctus autem hominem Christo lucrifacere volens, conuenit illum viuis ac veris rationum assertionibus, ad credendum in cunctorum Conditorem ex ipsis creaturarum speciebus & naturis persuadens: & vt eum in viam veritatis efficaciùs induceret, verbis fidem faciens, signum secuturum spopondit, dicens: Cùm omnium artuum sensuumque tuorum officia in te sopiantur emortua, vitæque tuæ lumen in limine iaceat, si Christus tibi restitueret vires & venustatem vernantis iuuentutis, nónne tunc in illum credere tenereris? Respondit ille; Si tanti miraculi exhibitionem exæquaris in me per Christum, consequenter credam in ipsum. Orauit ergo S. Patricius; & manus imponendo eum benedixit, statimque decorem & fortitudinem induens, in statum iuuenilis ætatis refloruit. Omnes ergo, qui aderant, ob tale signum patratum stupor circumdedit, & in laudes Christi & reuerentiam S. Patricij istorum ora resoluit.

Russi Dichonis fratrem sibi obsistentem — *vt conuertat* — E — *ipsum florenti ætati restituit:*

30 Suprà memoratus igitur Rius, sicut exteriùs in corpore, sic interiùs renouatus spiritu mentis suæ, adiunctis sibi tribus fratribus suis, cum alijs multis purificari meruit fonte salutari. Post hæc videns hominem sanctus Præsul penitus à peccato purgatum, & lutosam lubricamque viam vitæ mortalis transgredienti in foribus adesse peccatū, sancto Spiritu dictate, dixit ad eum; Elige modò, vtrùm in hâc valle lacrymarum, in terrâ tribulationis & angustiæ elongentur anni tui; an in præsentiarum, finitâ præsentis vitæ miseriâ, ab Angelis lucis assumptus introëas in gaudium Domini Dei tui. Ille verò, credēs videre bona Domini in terrâ viuentium; Eligo, inquit, & cupio dissolui, & esse cum Christo in æternum, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Accepit ergò de manu Episcopi sancti vitale Viaticum: & illicò in manus Domini commendans spiritum, introductus est in sempiternæ quietis refrigerium. Sanctus Patricius sæpedicto Dichu dilecto suo sua custodienda commendans, ad visitandum Milchonem quondam Dominum, imò tortorem suum, sicut corde conceperat, cœpit proficisci; vt ipsum iam inueteratum dierum malorum prædicando, verè faceret conuersum ad infantiam Christianæ fidei. Milcho autem malitiosæ mentis homo, & minister mortis, sperabat Patricij prædicationem penetrare posse quodlibet pectus saxeum: verbo etiam lucido atque ignito, aut miraculo irrefragabili se compelli ad credendum timuit; indignum, imò ignominiosum ducebat, doctrinæ serui quondam sui subijci, & insuetæ Creatoris culturæ potiùs quàm idololatriæ inueteratæ subiugari. Vt autem audiuit Antistitem Altissimi aduenire, datus in reprobum sensum filius perditionis, collectam totam substantiam in vnum flammis tradidit, seque desuper in medijs ignibus proijciens,

qui baptizatus — F — *eligit citò mori.* — *Milcho, ne credere cogatur,* — *se & sua flammis dat:*

A ciens, instar Iudæ, infernalibus furijs holocaustum se fecit.

AVCTORE IOCELINO

31 Sanctus Præsul Reguli rogo consumpti exitialem exitum de monte propinquo prospiciens, ipsius animam in formam igniti serpentis mergi in barathrum vidit, & iudiciorũ Dei abyssum multam aduertens, lacrymosis suspirijs in hæc verba prorupit: Regis huius, qui se dupliciter damnauit, ne crederet in Creatorem cæli & terræ, semen non possideat terram hæreditate; sed in perpetuum deprimatur insolubili seruitute. Quod itaque iuxta verbum viri Dei euenit, nam nullus de stirpe eius in regni solium post ipsum ascendit; sed in breui generatio illius gladio, aut fame seu captiuitate sub durissimo seruitutis iugo de terrâ, vt dicitur, citò disperijt. Sic, sic Dominus visitat & vindicat peccata patrum in filios; & securis ad radicem arboris mortiferæ ponitur, ne prauitatis proferat ramos. Sed quia Deus multoties de lapidibus suscitat filios Abrahæ, & de spinâ solet rosas producere, ipso Domino inspirante, duæ filiæ illius supramemorati Milchonis conuersæ sunt ad fidem Patricij prædicatione. Nominabatur vtraque Emeria, dum salutari abluerentur vndâ, quæ sanctè & religiosè vixerunt, &

posteri eius nunquàm regnaturi prædicuntur:

filiæ conuersæ miraculis clarent.

B post mortem sepultæ sunt in loco, qui dicitur Cluainbroin, & sicut ipse Patricius longè prædixit, multis miraculis claruerunt. Reuersus inde Sanctus ad domum Dichu, diebus deguit ibidem non paucis, atque ad Christianam fidem suscipiendam prædicando, signa & prodigia faciendo, profuit populis multis.

32 Fuit quidam bonæ indolis adolescens, Mochua nomine, porcos pascens, quem S. Patricius inuenit secus oppidum Brettan, per illas partes prædicando iter faciens; Spiritu reuelante intelligens, illum futurum vas electionis, prædicabat illi viam salutis. Ad illius verò prædicationis vocem puer credidit, baptismum suscepit: quem Sanctus statim alphabetum docuit; datâ nihilominùs benedictione litteris instruendum tradidit, sicque in viam suam abijt. Adolescens autem vnctione magistrâ, infra vnius mensis spatium didicit psalterium, & antequàm annus expleretur, peruenit ad notitiam sanctarum Scripturarum. Euoluto aliquanto tempore, reuertebatur ad præfatum pagum S. Patricius, cui occurrit Mochua memoratus. Cùm autem consedentes conferrent de cælestibus mutuò, baculus destinatus cælitus cecidit illorum in medio; cuius caput in sinu Patricij, cuspis iacuit in gremio Mochua. Adgratulans Sanctus de munere misso mirabiliter adolescenti, dixit illi: Noueris, fili carissime, hoc

Mochua ex subulco

breui edoctus litteras,

baculo cælitus misso,

C baculo pastorali animarum custodiam committendam tibi. Ipso verò recusante, & prætendente inopiam scientiæ & imperfectionem ætatis suæ, Sanctus fertur ad illum dixisse: Noli dicere, quia puer ego sum; quoniam ad omnia, ad quæ mittet te Dominus, ibis, & quæ mandauerit tibi, in eius nomine loqueris. Per singulos igitur gradus sacros ordine debito decenter promotum, tandem illum in Episcopum præfato baculo sibi collato consecrauit, & Ændrumensi Ecclesiæ præfecit. Ipse verò in Ecclesiâ Dei multùm verbo & exemplo profuit, virtutibusq; ac signis clarus, ad cælestia regna migrauit: sepultus in ecclesiâ suâ, in quâ Deo dignè ministrauit, crebrisque miraculis coruscans, cum Christo se viuere comprobare consuescit. Baculus memoratus in eâdem ecclesiâ reseruatur, baculusque volans ab Hibernicis nominatur: & quia S. Patricius virum illum de subulci curâ ad Pontificatum promouit, porcus de territorio eius assumptus, annuatim Ecclesię Dunensi persolui consueuit.

designatur Episcopus, Ændrumensis futurus.

33 Loegarius leoninæ feritatis homo, superbo & insatiabili corde ambulabat in magnis & mirabilibus super se, eò quòd sibi videretur se terram possidere in fortitudine brachij sui & robore virtutis suæ. Habebat namque omnium magnatum comprouincialium collimitantium regno suo obsides, & ipsius etiam Dichu

Dichonem conuersum indignans Loegarius

felicis filios penes se habebat, ne quis eorum auderet D caput leuare repugnando, aut calcaneum recalcitrando contra se. Erat enim magorum & aruspicum ardentissimus amator, radicatus & fundatus in idololatriæ errore; quinimò durâ ceruice & indomabili corde ad credendum & obediendum sanæ doctrinæ. Vt autem agnouit, Dichu cum omni domo suâ, cognatione & genere, ad Christum conuersum, patrijs dijs imò dæmonijs abrenuntiasse, turbabatur oculus & animus eius præ furore iræ & indignationis suæ. Motus igitur animo, obsides eius modo satis pernicioso præcepit puniri; quia, vt siti perirent, prohibuit potum illis ministrari. Pontifex sanctus hoc Spiritu docente didicit, & ipsi Dichu indicauit. Admonuit itaque vt ab eodem Leogario inducias saltem decem dierum peteret, donec ipse Patricius præsentiam suam Regi exhiberet. Petijt ergo homo iuxta viri Dei monita, nec vllatenus vnius diei requiem impetrauit; sed potiùs prece suâ, velut vehementiore flatu, cor vltrà succensum acriori iræ incendio inflammauit. Quod cùm ad aures peruenisset Præsulis, ad consueta confugit arma orationis: a & ecce nocte sequenti obsidibus incarceratis Angelus Domini apparens ipsis potum propinauit, sitim illorum sedauit, imò mirabilius extinguendo effugauit. Ab illâ horâ nulla sitis perpessio illos apprehendit, donec paucis diebus transactis, orante Patricio, iterùm Angelus adueniens de domo carceris & de manu inimici eos liberauit: de loco namque, in quo carcerati tenebantur, à Dunensi ciuitate distante diætâ prægrandi, per aëris vasta, sicut olim Habacuc Prophetam, illos transportans, vnum illorum in loco vbi nunc Duni ædificata est ecclesia S. Patricij; alterum in monticulo vicino, circumcluso palude pelagi, dimisit; & catenas, quibus vinculati erant, separatim confregit: vterque verò locus vsque in præsens à catenis confractis vocabulum scilicet Dun-da-leth-glas est sortitus.

eius obsides siti & carcere puniti

E *a qui orante Patricio per Angelum liberantur.*

a *Vita III apud Colganum num. 35 addit aliquas circumstantias hîc omissas.* Alio autem die S. Patricius reuelante sibi Domino dixit amico suo: Obsides tui capti sunt & valdè sitiunt: nam Leogaire filius Neill potum eis dari prohibuit, eò quòd me suscepisti & credidisti Christo. Vade ergo ad eum & dic ei, vt saltem decem diebus potus & requies detur obsidibus, donec ego ad illum perueniam. Tunc perrexit Dichu ad Regem Leogare, & nuntiauit ei hæc verba. Rex verò Leogare valdè iratus dixit: Requies vnius diei vel potus non dabitur eis. Deinde Dichu retro reuersus est. Sequenti verò nocte venit Angelus & dedit potum obsidibus, & ab illâ nocte numquàm sitierunt, donec posteà Patricius peruenit.

F

CAPVT V.

S. Patricij congressus cum Rege Leogario & certamina cum magis eius.

34 PRope erat Pascha, dies festus Christianorum, in quo Vita mortua ex mortuis resurgens primitiauit & probauit resurrectionem mortuorum: sedit autem sancti Pontificis cordi, hanc diem solennem, quâ Dominus rediuiuus cælicis ciuibus atque terrigenis fecit exultabilem, in campo Bregh specioso ac spatioso solennizare; ibidemque euangelizando regnum Dei, & baptizando populum acquisitionis, genus electum Christo aggregare. Ascendens in nauem nauigando deuenit ad quemdam portum præfato campo vicinum, egressusque ad terram, commendatâ naui suâ suo nepoti S. Lumano, pernoctandi gratiâ in cuiusdam viri venerabilis, qui vocabatur Segnen, declinauit domum. Paterfamilias Patricium gratanter hospitio collegit, sperans salutem domui suæ affuturam ex hospite tanto; nec fefellit eum spes sua; quia prædicante Patricio verbum salutis, credens baptizatus est cum omni domo suâ. Habebat vir ille filium, quem Sanctus vndâ salutari abluens, ac nomen ei ex re adaptans nominauit

Segnenus cũ familiâ baptizatur,

filius eius Benignus

A nauit Benignum. Et verè sicut vocabulo sic & vitâ & moribus erat Benignus, dilectus Deo & hominibus, in terrâ & in cælo gloriâ & honore dignus. Hic sancti Præsulis lateri firmiter adhæsit, nec ab illo auelli vllatenùs potuit: cùm enim Sanctus quieti membra daturus lecto se recepisset, ille purissimus puer à patre & matre fugiens ad pedes Sancti se proiecit, ipsosque ad pectus suum suis manibus constringens crebroque deosculans ibidem pausauit. In crastinum cùm Sanctus procinctus ad iter vno pede in sandalibus altero in terrâ posito, vehiculum ascenderet, puer pedem illius strictis manibus apprehendit, obsecrans & adiurans ne se relinqueret. Et cùm illum amouere à Sancti vestigijs & secum retinere vellet vterque parens, puer cum magno fletu & eiulâtu clamauit, dicens: Recedite, quæso, recedite: dimittite me, vt pergam cum meo spirituali Patre. Sanctus verò in tenello corde & corpore deuotionem tantam intuens, in nomine Domini illum benedixit, secum illum leuari in vehiculum iubens, ipsum successorem ministerij sui, sicut & fuit, fore prædixit. Idem namque Benignus in regimine Pontificatus Primatusque totius Hiberniæ successit S. Patricio; virtutibus & miraculis clarus quieuit in Domino.

adhæret Patricio,

& prædicitur futurus successor.

B 35 Sanctus Episcopus sacratissimo Sabbato in vigiliâ Paschæ, ad locum aptum atque amœnum, vocabulo Feartfechin, in campo prænominato præclaram solennitatem celebraturus diuertit: ibique, iuxta sanctæ Ecclesiæ consuetudinem, de igne benedicto luminaria accendit. Contigit nocte eâdem idololatras quoddam sublime festum, quod dicitur Rach, frequentare: quod & ipsi in tenebris incedentes principi tenebrarum solebant consecrare. Moris erat apud illos, vt ignis totus circumcircà extingueretur, nec reaccenderetur ab aliquo in circumiacenti prouinciâ, nisi priùs accensus appareret in aulâ Regiâ. Rex autem Leogarius in loco dicto Teamhair, tunc temporis principali sede totius Hiberniæ, cum suis aulicis constitutus, ignem à S. Patricio accensum intuebatur, admirabatur, indignabatur; & quis tale quid præsumere audebat, sciscitabatur. Quidam magus inter ceteros affuit, igneque conspecto quasi vaticinando Regi dixit; Nisi hac nocte ignis ille extinctus erit, accensor eius cum suis sequacibus in totâ insulâ principabitur. Quo audito Rex adunans, & adducens secum suorum multitudinem in impetu iræ suæ perrexit ad extinguendum ignem. Duxerat enim ter nonies currus secum: quia fascinatio nugacitatis seducens cor eius, persuaserat ei tali

Ob ignem Paschalem accensum,

contra legē festi, quod Gentiles celebrabāt,

Leogarius ad Patriciū opprimendū egreditur,

D numero vbique prouenire sibi omnem triumphum: conuertit etiam facies hominum & iumentorum ad læuam Patricij secundùm traditionem magorum, credens conatum suum non posse ab illo impediri. Videns Sanctus multitudinem curruum, incepit hunc versum: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Cùm autem Rex appropinquaret ad locum, Magi dissuaserunt Regi accedere ad Patricium, ne videretur præsentiâ suâ honorare, & reuerendo quasi adorare illum. Substitit Rex, & maleficis monentibus mittens nuntios Patricio, præcepit præsentiam sui exhibere sibi: interdixitque suis omnibus, ne quis assurgeret aduenienti. Præsul peracto diuino officio vocatus adfuit, nullusque ob interdictum Regis Sancto assurrexit. Quidam autem Hercus nomine, filius Degha, qui multa de S. Patricio dixit, in conspectu omnium assurgens illum honorificè suscepit. Sanctus Præsul ipsum benedixit, vitamque ipsi æternam promisit: ipse autem in Deum credens Baptismi gratiam percepit, & vitam virtutibus & signis inclytam ducens, postmodùm Episcopus effectus, in ciuitate Slanæ ad cælestia migrauit.

Psal. 19, 8.

accersito vetat assurgi,

quod tamē fecit Ercus:

36 Extitit quidam magus Regi acceptus atque amicissimus, nominatus in illo loco Lochu, loquens nefaria aduersùs Dominum & Christum eius: artibus namque dementatus dæmoniacis, Deum se esse asseruit, eiusque præstigijs populus perstrictus, perniciosæ D doctrinæ peruicaciter adhærens, ipsum quasi numen aliquod coluit. Blasphemabat iugiter viam Domini, & ab idololatriâ recedere volentes satagebat subuertere vel auertere à fide Iesu Christi. Eodem penè modo aduersabatur S. Patricio, quo Simon magus restitisse legitur Apostolo Petro. Quâdam enim vice, cùm à principibus tenebrarum ac potestatibus aëreis, huiusmodi de terrâ a in aëra eleuaretur, ac Rex populusque intueerentur illum quasi euntē in cælum, S. Patricius hoc videns in hūc modum fertur precem fudisse ad Dominū: Domine Deus omnipotens, tolle magum istū blasphemum sancti nominis tui de medio, ne in te credentibus vel credituris vlteriùs sit impedimentum. Nec mora; è sublimi & inani ad terram demissus cum globo niuis, ante pedes viri Dei corruit, capiteque ad silicem eliso, diruptus & confractus expirauit, spiritumque in inferno sepeliendum tradidit.

blasphemus magus Lochu

AVCTORE IOCELINO

a ad preces Sancti præcipitatur,

37 Rex autem super magi morte multùm molestatus, irâ totus incanduit, & cum suorum populosâ cateruâ in S. Patricij necem consurrexit. S. Patricius videns impetum illorum, clarâ voce psallendo, illum versiculum inchoauit de psalterio: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à E facie eius. Dominus autem adiutor & protector suorum in salutem, saluauit ab hac multitudine Patricium in omni domo suâ famulum fidelem sic. Excitatis enim terribili terræ motu, & horribili tonitruo, ictu etiam fulminis coruscantis quosdam peremit, alios in terram prostrauit, reliquos in fugam conuertit Dominus. Sic sic iuxta Propheticum eloquium: Emisit Dominus sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Misit enim inter eos secundùm Isaiæ præsagium, spiritum vertiginis, & conuertere fecit idololatras illos contra seipsos, velut Ægyptios contra Ægyptios. Vnusquisque enim in alterum irruit, & vir in fratrem suum arma conuertit: currus & ascensores eorum deiecti sunt per planitiem, & præcipitati: quadraginta nouem viris prostratis, vix ceteri euaserunt semiuiui. Rex autem ab increpatione Domini, & ab inspiratione spiritus iræ eius tremefactus, fugiendo latitabat tantùm cum quatuor viris in quodam b conclaui, vt se absconderet à facie furoris Domini. Regina verò pro Regis reconciliatione rogatura, reuerenter accessit genibus flexis ante S. Patricium, spondens sponsum suum ad ipsum venturum & Deum suum adoraturum. Sanctus annuit, & orauit ad Dominum, & cessauit clades, & redijt serenum. F Rex iuxta condictum, sed tamen duplici corde, ad Sanctum accessit, genua flexit, finxit se adorare, in quem non credidit. Labijs etiam iniquis & corde doloso Præsulem precabatur, vt in crastinum domum suam visitare dignaretur, seque illius monitis & præceptis pariturum pollicebatur. Vir verò Dei, licet Domino reuelante non ignoraret iniquitatem, quam pessimus meditabatur in cubili cordis sui, confidenter tamen habitans in adiutorio Altissimi, acquieuit eius petitioni.

Irruentes in ipsum infideles Ps. 67, 2.

subitâ tempestate dissipantur. Ps. 17, 15. Isa. 19, 14.

Rex cōsternatus, b

simulatâ pœnitentiâ veniā impetrat;

38 Rex valefaciens Episcopo reuertebatur ad propria, varijsque in locis, per quæ transiturus erat Patricius, posuit insidias, vt aduenientem priuaret vitâ. Et quidem plures amnes interfluebant, qui in diuersis locis transuadari poterant, quorum secus quodlibet vadum abscondit nouem currus cum funestis satellitibus, vt si ab aliquo euaderet in alium incideret, sicque nullo modo pertransiret indemnis. In crastinum autem Patricius cum octo viris tantùm, & puero Benigno superiùs memorato, recto itinere Themariam, id est, Teammair vbi Rex tunc morabatur, tendens transibat per medium vitæ eius insidiantium; oculique eorum tenebantur ne viderent vel agnoscerent illum. Ipsorum enim obtutibus apparuerunt octo cerui, cum cum vno hinnulo salientes in montibus, transilientes colles,

Sanctoq; ad se venturo insidias locat:

quas ille indemnis transit.

A colles, aquas transsuadentes: sicque Sanctus cum suis comitibus Deo protecto re euasit sibi mortem machinantes. Ipse verò ad regiam peruenit vrbem, Regemque cum suis cœnantem inuenit. Ingresso Pontifici domum Regis nullus conuiuantium assurrexit, excepto quodam Poëtâ Regis, nomine Dubthaco id est, Dubrach mac Valubair, qui surgens Sanctum deuotè salutauit, séque fieri Christianum ab eo petijt & impetrauit. Credidit Dubthacus discumbentium primus in Domino, & reputatum est ei ad iustitiam: baptizatus namque & in fide Christi confirmatus, carmina, quæ quondam studio florente peregit in laudem falsorum deorum, iam in vsum meliorem mentem mutans & linguam, poëmata clariora composuit in laudem omnipotentis Dei, & Sanctorum eius præconû.

AVCTORE IOCELINO

& assurgi-tâ sibi Dubthacum Poëtam Christianum facit:

39 Rex Leogarius sæpe nominatus, nequitiæ & fraudulentiæ felle fermentatus, qualiter Sanctus euasisset insidias agnoscens & admirans, ad alia commenta se conuertit, & quem fortium ferro ferire non valuit, veneno intoxicare voluit. Calicem enim suum per manum malefici, cui nomen Logaich-Mael, assidenti Patricio ad potandum porrexit: in quem idem satelles Sathanæ de assensu Regis vino venenum immiscens, Patricio propinauit. Vir verò Domini calicem accipiens, & nomen Domini inuocans, illum inclinauit, & quidquid in potu pestiferum positum fuit, in volam propriam absque reliqui liquoris admixtione refudit: impresso denique Crucis signaculo residuum benedixit; & ad magi venefici confusionem & omniû assidentium admirationem ex eo bibens, nullam læsionem aut molestiam penitus sensit. Rubore ergò perfusus imò confusus magus magis doluit, & ne victus videretur, ad facienda signa de cælo Patricium prouocauit. Sancto respondente Episcopo, se nolle quidquam diuinæ voluntati aduersum attentare, magus maleficijs suis fines illos & confinia frigidissimâ respersit niue, & incolas afflixit frigore. Instabat sanctus Antistes admonens & angarians, vt magus amoueret à terrâ niuem & frigus ab hominibus. Ille compulsus confitebatur publicè, se nullatenùs id actitare posse vsque in crastinum suis artibus. Ex ore ergo tuo, inquit Sanctus, te iudico homo nequam, & conuinco artificem mali, ministrum diaboli esse; qui malum tantummodò potest inferre, bonum verò nulli conferre. Eleuatâ deinde manu sacratâ Sacerdos sanctissimus, campum & circumiacentia loca candentia niue, in nomine sanctæ Trinitatis benedixit; totaque nix, vtpotè phantastica, quæ nec liquescere consueto more videbatur, confestim euanuit. Admirabantur vniuersi, confitentes & clamantes in Patricio manum Domini, detestantesque delusoria opera magi.

segregat venenum ab haustu propinato, eûq illæsus bibit:

B

prouocatur ad signa certandum à mago:

niues

C 40 Maleficus videns vilescere, & vilipendi vires artis suæ, loca, quæ priùs niue dealbauit, iterum incantationibus suis palpabili tenebrarum densitate inductâ, eadem obtexit. Timor & tremor venerunt super homines, illos; quos texerunt tenebræ: vel tunc saltem experti, in quantum à meræ & veræ fidei caligabant claritate. Nec mirandum si alieni ab agnitione veræ lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, magicis tenebris potuerunt obuolui, qui corde cæco credendo adhæserunt tenebrarum principi. Conuenit iterato modo Patricius maleficum super expulsione caliginis, sicut anteà super amotione niuis: sed replicauit ille asserendo eadem quæ priùs. Effudit ergo orationem deuotam filius lucis ad candorem lucis æternæ, solem iustitiæ; statimque exoriente ac radiante materiali sole, effugatæ sunt tenebræ. Populus ergo gentium illarum, qui sedebat in tenebris, iam videns lumen magnum, acclamando gratiarum actiones summæ luci ac laudum præconia personabat; Patriciumque præconem perennis lucis magnificabat. Magus autem sæpè dictus Lugaich Mael nomine, lucis malignus eliminator, magis diligens tenebras quàm lucem, in artificijs tenebrarum tenebrescens, obstinatè in malitiâ suâ perseuerabat, & adhuc contentiosè agens, sua dogmata praua atque peruersa præeminere atque præualere Patricij doctrinæ affirmabat.

& tenebras

inductas discutit:

D

41 At Rex verebatur opera magi sic esse subuersa: vnde quamdam ipsis examinationem experiendam proponens, dixit vtrique: *a* Libri vestri mergantur in aquâ, & quorum deleta vel obliterata fuerit scriptura, prædicationis eius despiciatur doctrina: in codicibus verò cuius nulla apparuerit oblitteratio, eius deuotè suscipiatur ac firmetur prædicatio. Annuit sententiæ Regis Patricius, sed contradicebat magus: affirmabat enim Patricium elementum aquæ pro Deo colere, eò quòd credentes baptizasset aquâ in nomine Dei sui. Rex iterum examinationis modum mutans, iudicauit vtriusque codices mittendos in igne, & cuius libri permansissent illæsi, ipsius ab omnibus acquiescendum esse doctrinæ. Sanctus autem huic definitiuæ sententiæ ac conditioni assensum præbuit; sed magus diffidens de se penitùs non acquieuit: dicebat enim Patricium nunc aquam, nunc ignem versâ vice colere, & idcircò vtrumque elementum sibi propitium habere. Respondit Patricius se nullum elementum adorare, sed omnium elementorum conditorem colere. Cùm ergò in congregatâ concione contentio cresceret, claudicante populo in vtramlibet partem, Domino inspirante, ad discernendam lucem veræ fidei à tenebris idololatriæ; veritatem sanæ doctrinæ à vanitate magicæ leuitatis, nouum genus per ignem excogitatur & exquiritur probationis. Omnium ergo communi consilio, consentiente etiam vtroque, videlicet, Patricio atque malefico, domus noua nouo construitur modo, cuius vna medietas ex viridi robore, altera ex aridâ materiâ ac cariosâ ædificatur: duos itaque vinctis manibus & pedibus ex opposito positos, Benignum, scilicet, præfatum puerum Patricij veste magi indutum in parte domus aridâ; magumque in viridi indutum casulâ S. Patricij statuerunt; igne apposito domum incenderunt. Res mira & valdè inusitata. Ignis insurgens sæuiendo magum cum parte domus viridi, in quâ sterit, vsque ad cineres combussit: & in casulâ S. Patricij, quâ amiciebatur, nullum adustionis vel corruptionis vestigium apparuit: puerum verò benedictum Benignum stantem è contra cum parte aridâ domus, ignis omninò non tetigit, nec quidquam molestiæ intulit; sed vestem magi, quâ induebatur, consumendo in fauillam redegit. Ecce in hoc signo insigni in igne patrato duplicato modo miracula iterantur, quæ canonicis codicibus inscripta leguntur; sicut quondam in tribus pueris camino Chaldaico iniectis, ignis vim suam ad illorum comburenda vincula, ipsis illæsis exercuit; sic magum cum parte domus viridi casulâ Patricij illæsâ; vestemque malefici, puero cum cariosâ parte domus intacto, incinerauit.

suggestam à Rege probationem per libros ignium aquis tradi-tos

a

subinrum se offert:

recusanti

E

proponit incendium ab eo factâ in casulâ tentandâ sub viridi materiâ,

Benignus sub aridâ in magi veste idem periculû subiturus & vincit.

F

42 Induratum est cor Regis Leogarij, sicut quondam Pharaonis coram Moyse erga mandata Domini: non enim, tot licet signis exhibitis, timuit exacerbare Deum excelsum, & exasperare seruum eius Patricium. Neronem namque nouum & si alterum, sed non alteratum repræsentans seipsum, ob vlciscendam mortem malefici ex suis plures parauit in Patricij iugulum. Et quia, secundùm Scripturæ Sacræ testimonium, Rex iniquus omnes ministros habet impios, de satellitibus ipsius sese plurimi præbuerunt ad tale sacrilegium perpetrandum accliues, spontaneos, & expeditos. Sed Deus Omnipotens suorum protector potentissimus, ac propugnator, armauit zelum creaturæ contra insensatos idololatras illos: aperta est enim terra Domino vindicante, & degluriuit eos aliosque quam plures de populo Temrach illis consentientes: dilatauitque infernus, sicut scriptum est, Os suum, & absorbuit eos velut viuentes. Reliqui verò horum superstites, ac omnes

Regis obstinati ministros ad cædē paratos

Prou. 29, 12.

terra absorbet,

Is. 5, 14.

A nes terræ illius habitatores hæc videntes vel agnoscentes, timore horribili perterriti obstupuerunt, & ne pœnâ pari plecterentur, credentes in Christum ad Baptismum conuolarunt.

Isa. 5, 14.

43 Tremebundus autem Rex prouolutus pedibus S. Patricij veniam postulauit, seque in posterum præceptis illius in cunctis obtemperaturum promisit. Pius igitur Pater, quod in se commisit, clementer illi indulsit: & licet diu de fide Domini Iesu illum instruxisset, ad subeundum salutare lauacrum inducere non potuit. Sanctus autem dimisit illum sibi, vt libero vteris arbitrio, iret in adinuentionibus cordis sui, ne videretur ab ipso ad fidem compelli; tamen de illo & posteris eius, intus Spiritu reuelante, quod agnouit, ipsi palàm prædixit. Quia, inquit, doctrinæ meæ semper restitisti, meque supra modum affligere non cessasti, insuper & in omnium Creatorem credere contempsisti, filius quidem mortis es, & cum ceteris, imò præ cunctis tuis participibus, pœnis perpetuis in præsenti perite iure deberes: sed quoniam humiliter ad me veniens, veniam petijsti, & instar Regis Achab, coram Deo meo te humiliasti, non inducet tibi Dominus malum statim, quod promeruisti. Verumtamen nullus de semine tuo post te in solium tuum surget; sed fratri tuo minori in Deum meum credituro, & semini eius in generationes seculorum seruiet. Regina verò in Christum credidit, & à S. Patricio baptizata, & benedicta, sancto fine in Domino requieuit. Patricius verò profectus prædicabat cum suis per vniuersam regionem, credentes baptizans in nomine sanctæ Trinitatis, Deo cooperante & sermone confirmante sequentibus signis.

Rex humiliatus

fidem tamē non recipit,

ideoq; ab eius posteris regnū auferetur,

B

a Non tanti nobis hic locus est, vt propterea credere cogamur, Hibernos libros litterasque fuisse ante Patricium: cum facile fuerit artis magicæ instrumenta, vt indicium, postulata cum eo quem Patricius secum ferebat libro missali, etiam libri nomine ab ignara posteritate designari.

CAPVT VI.

Athrumiæ principia: Corbrei pertinacia: Conalli & filiarum Leogarij conuersio.

44 ERant tres sorores S. Patricio memorabiles in sanctitate & iustitiâ, Domino placentes: harum fuerunt nomina, Lupita, Tygridia, & Darercha. Tygridia felici fœcunditate ditata fructus optimos protulit; quia septemdecim filios & quinque filias edidit; *a* omnes mares magni meriti, Pontifices sanctissimi, Sacerdotes optimi, & Monachi fuerunt: fœminæ verò sanctimoniales effectæ, in magnâ sanctitate dies consummauerunt. Episcoporum nomina, Brochadius, Brochanus, Mogenochus & Lumanus fuerunt; qui cum S. Patricio auunculo suo de Britannijs in Hiberniam venientes, & in agro Dominico strenuè collaborantes, messem multam ad horrea cælestia transmittenda collegerunt. Darercha verò sororum vltima, mater erat Episcoporum sanctorum, Mel, Rioch & Munis; quorum pater dicebatur Conis. Hi similiter in prædicatione & itinere B. Patricium comitabantur, & in locis diuersis Pontificalem dignitatem sortiebantur. Verè generatio istarum apparet benedicta, iuxta sacri seriem eloquij, & hæreditas sancta nepotes S. Patricij.

a Tres Patricij sorores earumq; sancta progenies.

C

45 S. Patricius de partibus Vlidiæ nauigio transuectus, in Mediæ finibus ad ostium Boyn applicuit inter barbaros & idololatras; nauem verò suam cum armamentis eius S. Lumano nepoti suo custodiendam commisit. Iniunxit enim illi, vt saltem quadraginta diebus in illis partibus commorando, istam obedientiam sustineret, dum ipse ad vlteriora interim regionis loca ad prædicandum pergeret. Lumanus verò lucis manens nuntius, spe martyrij obtinendi factus obediens, iniunctum sibi dierum spatium ibidem demoratus duplicabat; quod nullus sociorum eius facere, capiti suo timens, audebat. Ipse verò filius obedientiæ non est frustratus à fructu mercedis suæ in hâc parte: dum enim semen obedientiæ suscipiens, patientiæ fructum in se protulit, diuini verbi semine fœcundare terras alienas ad proferendos fidei flores, fructusque iustitiæ producere promeruit: & quantò deuotiùs obediebat patri spirituali, tantò mirabiliùs elementa obtemperabant ei. Expletis namque duobus dierum quadragenarijs, cùm fatigatus esset diutinâ expectatione super reditu S. Patricij, quâdam die flabris ventorum vehementiùs ex opposito spirantibus, armamenta nauis explicuit, & feruens fide fidensque de S. Patricij meritis, ipsius auctoritate naui, quatenus se transueheret ad locum sibi congruum, præcepit. O signum hactenus inauditum & incompertum! nauis nemine gubernante contra fluuium & ventum ad votum viri Dei velificauit, & ab ostio Boyn fluminis vsque ad Athtrym cursu prospero illum transuexit. Ipse verò nauem ob merita S. Patricij vexit aduersùs auræ flatum absque remigio in flumine contrario, qui quondam fluenta Iordanis conuertens retrorsum in aluei proprij fontem retorsit cursu retrogrado.

Nepos eius Lumanus iussus aduētum opperiri

D

AVCTORE IOCELINO patre,

deinde nauigat cōtra vim venti & fluminis:

46 Appulsus S. Lumanus secùs oppidum Athtrym superiùs nominatum; priùs filium eiusdem optimatis ibidem dominantis, vocabulo Forkernum, ad se dum recitaret Euangelium venientem; deinde matrem eius Britonissam natione; ad vltimum patrem ipsius Fethlemium nomine, ad Christum conuertit; & in fonte, quem in oculis eorum de terrâ produxit suis precibus, illos & alios multos baptizauit. His itaque gestis sanctus Sacerdos vigesimo quinto anno ante fundationem Ardmachæ ibidem exstruxit ecclesiam; cui dotandæ ditandæque Fethlemius, fidelis famulus Christi effectus, Ath-truim & *b* Midiam cum prædijs multis, & pertinentijs suis solenni donatione contulit: ipse verò trans amnem secedens mansionem sibi ac suis fecit, diesque suos in bonum consummauit. Lumanus in ecclesiâ præfatâ Pontifex factus, Forkernum neophytum suum litteris imbuendum tradidit, & in breui sufficienter litteratum ad Sacerdotium promouit. Appropinquante die sui exitus de corpore, cum Forkerno præfato profectus est ad fratrem suum Brocadium; præcepitque Forkerno in virtute obedientiæ, vt ecclesiæ, cui præerat, regimen susciperet post ipsius decessum. Ipso verò recusante, & allegante non esse rationi seu iustitiæ consentaneum, vt in ecclesiâ vel allodio patris sui regimen susciperet animarum, ne videretur hæreditate possidere Domini sanctuarium, iterato pater & pastor præcepto perstrinxit illum. Quid plura? benedicere noluit illum, donec huic oneri præberet assensum. Sancto denique Lumano ex hâc luce ad luciferæ patriæ perpetuam mansionem migrante Forkernus Ecclesiæ præscriptæ iniunctam sibi curam suscipiens, tribus tantummodò diebus illi præfuit, ac deinde cuidam peregrino, genere Britanno, Cathladio nomine, regimen illius commisit. Sic profectò vir Dei Patris sui præceptum adimpleuit, & ne ceteris daret exemplum vendicandi ius aliquod in ecclesijs aut hæreditate parentum, omnimodè vitare curauit. Huius tamen Ecclesiæ cuncta prædia, de assensu Principum, à S. Lumano B. Patricio eiusque successoribus sunt collata, & ad ius Admachanæ spectant Ecclesiæ in perpetuum possidenda.

E

Forkernus cum parentibus baptizatus:

b

huius humilitas & obedientia.

F

in admittendo & dimittendo Episcopatu,

47 Erant Regi Leogario filio Neyll duo fratres, quorum prior natu vocabatur Coyrbre crudelitate & incredulitate similis illi, si tamen in regione illâ inuentus est similis illi, qui contemneret & condemnaret legem Excelsi: alter adolescentior dicebatur Conallus, nihil amplius contrahens de generatione suâ, quàm quod piscis de pelago vel rosa de spinâ. Ad præfatum autem Coyrbre conuertendum, qui tunc manebat in loco agonis regalis, vocabulo Tailtien, profectus

Corbreus obstinati

Avctore Iocelino

ctus Patricius, prædicauit veritatem fidei Catholicæ, tentans si quo modò posset de lapide illo suscitare filium Abrahæ: ipse verò cordis adamantini ad credendum effectus, prædicanti sibi salutem machinabatur mortem: in medio etiam fluuij proximi flagellauit famulos S. Patricij. Sciens verò S. Patricius hominem in errore suo obstinatum & à Deo reprobatum, vocitans inimicum Dei, prophetando dixit ad illum: Quoniam iugum Christi cælestis Regis, cui seruire regnare est, gestare recusasti, nullus de posteris stirpis tuæ obtinebit thronum regni tui, sed perpetuâ seruitute subiugabitur semini iunioris germani tui Conalli. Hoc autem erit tibi signum, quod implebit Dominus verbum, quod locutus est per os meum. Fluuius vicinus mansioni tuę, in quo tam crudeliter cecidisti famulos meos, qui præ abundantiâ piscium pascere te tuosque consuescit, ab hodiernâ die vsque in æuum piscem non procreabit. Verbum ergo viri Dei fixum stetit, quia tota posteritas eius semini Conalli fratris sui, sceptrum regni obtinenti seruiuit, & fluuius ille Seylè vocatus, vsque in præsens pisce caruit.

fert sibi male;

48 Relinquens S. Patricius filios iræ & tenebrarum in cæcitate cordis & profundo sui erroris, diuertit ad Conallum suprà memoratum, futurum filium veritatis. Ipse verò S. Patricium sicut Angelum pacis & lucis lætabundus & laudans suscepit, eiusque salutiferæ prædicationi aures audiendi aperiens, credidit, & per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti Christo incorporari meruit. Quo in facto euidenter edocemur, figulum cælestem ex vnâ massâ quędam vasa secundùm velle suum, posse formare in iram & contumeliam; quædam in honorem & gratiam. Confortatus Conallus confirmatusque in Catholicâ veritate totam mãsionem cum fundo ipsius & prædio S. Patricio obtulit, &, vt inibi ad dilatandam Christianitatem ciuitatem sibi suisque construeret, crebris precibus efflagitauit: ipse verò asseruit se velle aliud habitaculum sibi ædificare in confinio ciuitatis. Sanctus Præsul neophyti sui tantæ caritati congratulans, ne ipsius preces spreuisse videtur, ciuitatem, quæ nunç dicitur Domnach Padraig, id est, ciuitas Patricij ædificauit; & habitaculum Conallo, quod nunc dicitur Rathyrtair, tractu baculi sui designauit. Sanctus illum deinde benedixit in nomine Domini & inter cetera quæ ei ventura erant, ore præsago prædixit: Faustum & felix erit habitaculum istud, multique feliciter in eâ morabuntur, neç in eo alicuius hominis, nisi vnius tantùm, sanguis effundetur: benedicens benedicet tibi Dominus, & firmabit tibi solium tuum, multiplicabit imperium, semenque fratrum tuorum seruiet semini tuo in seculum. Omnia ista, quæ Sanctus protulit ore prophetico, non sunt frustrata ab euentu & effectu suo.

Conallo ad fidem facili,

eiusque domui benedicit Patricius:

49 Sedit cordi S. Patricij Connactiam regionem visitare; & præcipuè, propter oraculum sibi quondam in somnis factum, quo inuitaretur ab infantulis vteris matrum illius regionis inclusis, patriotis illis regnum Dei optabat euangelizare. Proposuit posteà circuire totam insulam, & perambulare eam, vt ad Christum conuerteret eam. Sanctus ad iter procinctus, Conallum carissimum suum benedictione muniuit, & in sui memoriam in ciuitate præscriptâ, quasi quoddam pignus sanctitatis suæ, altare suum lapideum, ad salutem languentibus conferendam, signorum effectiuum reliquit: cumque iter arriperet altare illud sequens illum egrediebatur, nec alicuius hominis oculis perceptibile fuit à quo portabatur: sed (vt reor) eius potentiâ & virtute, lapis ille post S. Patricium portabatur in viâ, cuius nutu de Iudæâ in Chaldæam transuectus est Habacuc Propheta. Vt enim lapis ille angularis, Iesus Christus cunctis ostenderet Patricij sanctitatem, absque humanâ manu ferri fecit illum sanctum lapidem. Respiciens Antistes sanctus altare modo tam miraculoso post se gestari, exultabat in Domino, reuersusque collocauit illud in loco idoneo. Ab illo ergo die vsque in præsens fixum perstitit, sed miraculis coruscare non destitit, acsi virtus Patricij mansisset in eo, aut manasset ex eo.

in discessu

suum Conallo altare relinquit:

50 Rex Leogarius dæmonum deditus culturæ, cum plurimâ parte populi placere sibi satagente, adorabat quoddam idolum ex auro & argento magnificè coopertum; & in campo, cui nomen Magslecht erat erectum: nominabatur enim Keanćroithi, id est, caput omnium deorum; eò quòd responsa dare putabatur à populo stulto & insipiente, qui colebat illud. Circumsteterunt etiam idem simulacrum duodecim deiculi ærei, quasi subiecti eidem & accliues. Diuertit se S. Patricius ad locum illum, vt subuerteret simulacrum illud, & prædicatione sanctâ eius cultores ad Creatoris culturam conuerteret. Sed cùm prædicando seu signa faciendo parùm proficeret, nec idololatras reuocaret à radicatâ in illorum pectoribus dementiâ, ad orationis consueta confugit arma. Cùm ergo de vicino colle conspiciens idolum, ob illius euersionem puras manus in oratione protenderet ad Dominum, & contra illud minando leuasset Iesu baculum; subitò Dei virtute corruit in latus sinistrum, defluxitque ab eo totum aurum & argentum, penitùs comminutum & in puluerem redactum. Videbatur etiam in duro lapide baculi velut effigiari vestigium, licet non tetigisset illum, acsi molli ceræ vel butyro fuisset impressum. Cunctos etiam circùm erectos deiculos vsque ad collum absorbuit terra, eorumque capita extant adhuc ex humo prominentia. Sic sic quod non valuit vis humana, effecerat potentia diuina. Plures videntes quod acciderat in Deum viuum & verum crediderunt, & consequenter baptizati, secundùm Apostolum Christum induerunt. In illo loco fontem optimum S. Patricius de terrâ prece produxit, in quo plures postmodùm baptizauit.

Regis Leogarij Idolo

destruit:

51 Sanctus simulacris subuersis viam, quò proposuerat, carpebat, famaque sanctitatis eius præuolans præsentiam eius prænuntiabat. Cùm autem appropinquaret Cõnactiæ finibus, duo magi filij Neyll in illis locis degentes, quorum vnus vocabatur Mael, alter Caphlait, audierunt aduentum eius. Erant ambo dominio dæmoniorum mancipati, non minùs maleficiorum exercitijs quàm natiuæ generationis germine germani: hi maleficijs suis densissimis tenebris totam regionem obuoluerant continuatis per triduum, quibus se posse Patricio in fines illos intercludere autumabant ingressum. Filius autem lucis, in cuius corde indeciduus lucifer iugiter lucebat, dum cor, manus & linguam orando extolleret in cælum, ac sacris ieiunijs maceraret innocentissimum corpus suum, magicis tenebris per regionem illam sparsis, solis emergentibus lucifluis radijs, induxit exterminium: ipse liberum in Connactiam nactus introitum & transitum, omni nisu aperire satagebat indignis veritatis hostibus fidei ostium.

tenebras triduanas à magis eius inductas discutit;

52 Fuerunt sæpiùs memorato Leogario Regi duæ filiæ, velut de roseto exortæ rosæ, Ethne Rufa & Fidella Alba vocatæ, & à præfatis magis nutritæ & educatæ; quæ cùm die quadam manè, orto iam sole, venissent lauandi gratiâ ad quemdam fontem perspicuum, repererunt super eiusdem fontis marginem, cum alijs sanctis Sacerdotibus & viris actu ac habitu religiosis, sedentem Patricium. Intuentes autem singulorum vultum & habitum admiratione summâ percellebantur, de genere & loco mansionis eorum diligenter sciscitantes, phantasmata eos esse opinabantur. S. Patricius admonuit illas potiùs in Deum suum credere, quàm de loco habitationis illorum & genere solicitè inquirere. Puellæ verò de Deo certiora cupientes, instantiùs de illius potentiâ, diuitijs & gloriâ persistebant inquirentes. Sanctus verò docebat eas de fide Catholicâ,

& ipsius filias

adhortatione sua

A tholicâ, affirmans veris assertionibus Deum cæli & terræ, maris & omnium quæ in eis sunt esse plasmatorem & rectorem, & habere filium sibi coæternum, coæuum, & consubstantialem, vbique regnantem, omnia regentem, omnia possidentem: promisit etiam eis pro terreno regno & transitorio cæleste & æternum regnum commutandum; asserens ipsas, si suis acquieuissent monitis siue consilijs, cum Rege cælesti contracturas castum & indissolubile coniugium.

in cælestis sponsi amorem accensæ,

53 Cumque multa in hunc modum diuinæ doctrinæ verbis persuasibilibus prædicaret Pastor egregius, puellæ in Christum crediderunt, & ab ipso in eodem fonte baptizatæ sunt. Christianæ igitur effectæ rogauerunt S. Patricium secundùm promissum suum, sibi faciem Christi sponsi earum ostendere. Ad quas Sanctus, oportet vos priùs carnem & sanguinem Sponsi vestri ore cordis & corporis deuotè sumere, vt tam vitali viatico vegetatæ, morte degustatâ, de hoc mundo immundo ad eius thalamum stelliferum possitis transire. Virgines verò verbo viri Dei fidem accommodantes, sacram Eucharistiam deuotè postulauerunt & acceperunt; statimque obdormientes in Domino, ex mundis corporum habitaculis egressæ, ad cælestis

ad Christū felici morte trāsmittit,

B sponsi nuptias peruenerunt. Accurrentes autem amici, & cognati earum planxerunt illas iuxta consuetudinem patriæ per triduum: sicque condiderunt illas sacras exuuias in ventre matris omnium. Illo in loco extructa est ecclesia, quam sibi collatam possidet Sedes Ardmachana: duo verò prænominati magi, qui illas nutrierant, super illarum morte molestati, sanctum virum verbis valdè asperis & amaris aggressi sunt: sed Patricio Dauidicam citharam tangente & euangelizante illis regnum Dei, conuersi ad fidem in Christo baptizati sunt *d*.

magos conuertit.

a *Hæc tanta fœcunditas ab aliis scriptoribus sorori eius Darercæ tribuitur.*

b *Non Mediam, sed Imgam in Midiâ.*

c *Excepto vnico Thuatalio* II, *huius Carbrei nepote, qui annis vndecim regnasse dicitur: quare dicendum est, seueriùs Patricij verba, quàm sensus ferebat, accepta fuisse.*

d *Addit Vita* IV: Dein S. Patricius supradictas Regis filias de morte suscitauit, quæ gratias Deo & S. Patricio agentes, elegerunt iterum mori magis & ad mœnia vitæ æternæ trãsire, quàm in vitâ ærumnosâ & calamitatibus plenâ permanere, & sic vltimus illarum dies completus est. Feceruntq; C eis fossam rotundam; *vt prosequitur Probus,* iuxta fontem Clebach in similitudinem petræ incisæ: quæ fossa consecrata est à S. Patricio cum sanctarum Virginum ossibus, & celebrata est earum memoria ab eodem Sancto viro & ab hæredibus eius Episcopis post se in secula: nam ecclesiam Virginum construxit in eodem loco.

CAPVT VII.

S. Patricij inter Conactios miracula. Vltonij conuersi.

Extincto mago aduersario.

54 POst hoc magnum & solenne solenni in loco à Comprouincialibus in vnum congregatis, celebrabatur concilium, cui intererant septem filij Amhlaydh viri genere, dignitate, diuitijs ac potentiâ præclari, cum copiosâ cateruâ suorum secum astantium. Sanctus autem, vt in multitudine multos Christo lucrifaceret, se in medium cœtus contulit, & ad sectionem & succisionem idololatriæ, arma spiritualia potentiæ Dei arripuit. Cumque inclytus prædicator euaginasset gladium spiritus in dæmonum perniciem & hominum salutem, quidam magus Rochait nomine, surgens in medio, omni annisu conabatur Patricium tollere de medio: sed ne scelerati hominis conatus in sceleratiorem prorumperet actum, omnipotentis manus, misso desuper igne, consumpsit gehennæ filium fulminatum in conspectu omnium. Viso ergo tanto, tamque mirifico miraculo & terrifico, septem filij

Amhlaidh cum duodecim millibus hominum in Christum credentes baptizati sunt, & in fide Catholicâ, quam susceperant, fideliter firmiterque permanserunt. D Duæ etiam filiæ cuiusdam nobilis Gleranni nomine, quæ maternâ aluo inclusæ S. Patricium inuocasse dicebantur, cum ceteris conuersæ ad Christum, in ipso baptizabantur. Hæ postmodum sanctè & religiosè viuentes, sancto fine in Domino quieuerunt, & post mortem crebris signis sese sedes cum Sanctis in cælestibus accepisse docuerunt. Sanctus etiam Patricius præfecit huic populo conuerso nouiter ad Christum magistrum Mancenum, virum religiosum & optimè in Scripturis sanctis exercitatum.

AVCTORE IOCELINO multos cōuertit:

55 Dedit Dominus S. Patricio contra magos forte certamen & frequens, vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia, in cuius nomine contrita & euacuata sunt eorum cuncta conamina. Sicut enim Iannes & Mambres secundùm Apostolum restiterunt Moysi; sic Patricio perplures malefici. Altero namque die in loco concilij suprà memorati, Sathanâ instigante, maleficus accessit alter, non alteratus à malitiâ; in sanctum Pontificem, vt illum morti traderet, consimili insurgens insaniâ. Sed dextera Domini magnificata in fortitudine, quâ priorem percussit inimicum nominis sui consumptorio igne, istum sequentem accessu & excessu in multitudine non minoris potentiæ deleuit à facie terræ: terra namque dehiscens aperuit os suum, & magum illum, qui se maleficijs multoties multimodis maculauerat, in sese concludens demersit in abyssum. Exitialem exitum præfati malefici cernens carne & sectâ illius germanus, ingemuit: & qui fratri pereunti occurrere atque succurrere non valuit, fraternam necem in Patricium, velut ipsius interfectorem, vindicare voluit. Efferatus ergo in eum nitebatur ei mortem inferre: sed Domino pro Patricio pugnante, ipsum magum vsque ad aures absorbuit hiatus terræ. Exclamans homo ab humo penè totus absorptus à Sancto veniam postulauit; seque in Christum crediturum, & doctrinæ S. Patricij pariturum promisit. Bonus Pastor Patricius misericordiâ motus, pro eo preces fudit ad Deum, & continuò tellus euomens emisit, & eleuauit eum. Miser ergò ille, misericorditer liberatus liberatori gratias egit, credensque in Christum baptismi gratiam percepit. Sic sic Dominus diuidens inter lucem & tenebras, quosdam incorrigibiles & obstinatos in malo districtiùs damnat; quosdam ad misericordiam fugientes misericorditer saluat.

alterū magum terra absorbet,

2. Tim. 3, 8

E

& tamen non illius fratrem.

F

S. Patricius saxum immobile, solus eleuat & in locū suum trāsfert;

56 Præteriens S. Patricius quadam die vidit adunatam hominum multitudinem, vt amouerent à loco quemdam lapidem prægrandem. Diu in tali opere sed frustrà desudabant, quia conamine casso, velut viribus eneruati & fatigati, illum eleuare vel erigere non præualebant. Accessit Antistes almus ad locum, laudabilis latomus templi videlicet Dei viui, ædificandi in Domino; factâque oratione ac datâ benedictione, solus saxum illud ingens, quod à centum viris agitari non potuit, amouit, erexit, leuauit, ac locauit in loco apto. Homines verò illi, illud opus mirabile admirabantur, & ad Deum S. Patricij conuertebantur credendo: & qui hactenus habentes corda lapidea lapides colebant, huius lapidis à Sancto leuati occasione, in lapidem viuum, pretiosum, angularem, electum, positum in fundamentis Sion, credebant. Hunc lapidem ipsi diu reprobauerant: sed iam tamquàm lapides viui fidei Catholicæ cœmento conglutinati, sacrâ doctrinâ secti atque politi, & baptismo abluti in templum sanctum in Domino crescebant. Vbicumque vir Domini Patricius prædicando proficiscebatur, labia eius disseminabant scientiam salutarem, augebatur numerus credentium in Domino de die in diem: Dominus namque cooperans fideli famulo suo, sequentibus signis ipsius confirmabat sermonem; quia ipse non adulterans verbum Dei, prædicando seu signa faciendo non

A suam propriam, sed Domini gloriam vbique quæsiuit & laudem. Quodam quoque die profectus in prædicatione, ad quemdam locum vocabulo Fearta deuenit, vbi in cuiusdam collis rotundâ superficie mulieres duas mortuas atque sepultas inuenit. Homo verò Dei ad tumulum accedens, amoueri aggerem terræ fecit, & inuocato Christi nomine, funeratas resuscitauit. Resuscitatæ verò idola vana & deos dæmonia clamantes, Christum verum Deum esse in conspectu credentium asseruerunt, & in nomine ipsius baptizari se petierunt & obtinuerunt. Omnes ergo astantes Deum glorificauerunt, & eius fidem & baptisma deuotè susceperunt. Sic profectus Pontifex sanctissimus, duas mortuas in carne viuificauit à duplici morte, earumque resurrectio corporalis multos resurgere fecit à morte animæ.

AVCTORE IOCELINO duas feminas è sepulcro vitæ restituit:

57 Erat quædam in illis finibus fæmina, Fedelina nuncupata, fidei Christianæ ignara: hæc autem prægnans, in vtero filium habuit: sed instante partu, ac deficiente virtute pariendi, animam exhalauit. Sed, sicut non potest ciuitas abscondi supra montem posita, nec lucerna supra candelabrum eleuata, nec horti aromatici suauis fragrantia; sic, licet latere volentis, nec Patris Patricij latet præsentia. Virtus enim de illo exiens multos malè habentes ad se trahebat, & odor vnguentorum eius plures post se currentes faciebat. Horum itaque gratiâ defunctę mulieris amici attracti, cadauer eius exanime ad S. Patricium attulerunt; & vt virtutem, quam in prioribus exhibuerat, in hac etiam posteriori iteraret, lacrymosis precibus petierunt. Vir Deo plenus protinus se in orationem dedit, defunctamque ad vitales auras reduxit: vitæ verò restituta parit filium, & tempore competenti post puerperium vnà cum prole suscepit baptismum. Vterque ergo ab vtriusque hominis morte viuificatur per Patricium coram populo, & omnis plebs vt vidit, credidit & dedit laudem Deo. De gloriâ cælesti & pœnâ infernali, quæ vidit, defuncta enarrauit; eiusque testimonium credibile factum nimis, multa millia ad Christum conuertit. Eodem modo postpaullulùm, mulierem alteram prægnantem & defunctam resuscitando, & vnà cum prole baptizando, iterauit hoc signum.

duas item prægnantes suscitat *B* *ad vitam & partum:*

58 Circuibat S. Patricius fines Connaciæ, disseminans verbum Dei per vniuersam regionem, nec cessauit à prædicatione & signorum operatione, donec illius incolæ conuerterentur ad Christicolarum religionem. Pluribus in locis ecclesias construxit; Sacerdotes & ceteros ecclesiasticos ministros ad regimen animarum ac diuinum officium peragendum in illis cōstituit. Cùm verò consueto daret operi intellectum, venit in quamdam planitiem situ & amœnitate aptam ecclesiæ ædificandæ, sed lignorum & lapidum expertem: sylua namque longo interstitio à loco distabat, & lapidicina non inueniebatur in partibus illis, vel, si reperiretur vspiam, operandi de eo vsus defuit indigenis. Sacerdos Christi præmissâ oratione, vt creditur, cælitùs adiutus ædificauit ecclesiam ibidem tantummodò de limo terræ, tum temporis perpulchro factam schemate, atque diuinâ præditam virtute. Nullo namque vento, gelu, grandine, pluuiâ, aut aëris aliquâ inclementiâ deteriorari dignoscitur; sed ab illo tempore vsque in præsens, in eodem statu permanere perspicitur. Sedes S. Patricij propè ipsam ecclesiam, in quâ prædicans residere solebat, ostenditur: multaque miracula mirificantia S. Patricium inibi claruisse referuntur. Duo flumina esse in partibus illis memorantur, quorum vnum Dubh, alterum Drobhais nominatur: consueuit vnum illorum, Dubh videlicet, piscibus abundare; alterum verò nullum piscem procreare. S. Patricius transiens secus ripam amnis piscosi rogabat piscatores, ex copiosâ multitudine, quam ceperant, sibi aliquod beneficium impertiri. Piscatores caritate carentes carissimum Domini Patricium dimiserunt vacuum, piscem penitus ei denegantes: Deus autem auctor &

C *ecclesiam fingit de limo, cōtinuo in suo statu permanentem:* *piscosū flumen reddit sterile, & aliud sterile piscibus fœcūdum:*

D amator caritatis, contractis corde congelatisque auaritiâ consuetę copiæ piscationis emolumentum subtrahens, flumen illud perpetuâ productione piscium euacuauit: & alterum vsque tunc sterile, scilicet Drobhais, copiosâ fœcunditate deinceps ditauit. Est enim fluuius iste, sicut ceteris fœcundior, sic eius aqua cunctis aquis in Hiberniâ clarior: in quâ re sapiens quilibet potest pensare, quâ caritate colligere debeat vnusquisque membra Christi, & amicos Dei suscipere atque beneficijs sustentare. Quidquid enim honoris seu beneficij illis impenditur, Christo proculdubio exhibetur: sicut è diuerso, quod illis iniustè subtrahitur aut denegatur, illo se defraudatum Deus attestatur.

59 Sanctus signifer Dominici vexilli, vt ipse agere consueuit, constituit ad caput cuiuslibet Christiani, extra cœmeterium sepulti, Crucem figere; quia in regione ad fidem nouiter conuersâ, præ paucitate ecclesiarum nouerat, omnes defunctos in cœmiterijs funerandos non fore. Voluit etiam optimus Pastor tam felici charactere oues ab hœdis, sepultos scilicet Christianos à Paganis, distinguere; sic profectò Christicolæ venientes, viso vitæ signo, funeratum fuisse famulum fidei, Crucis Christi signo valerent agnoscere, atque pro eius animâ non cunctarentur cunctorum Conditori preces offerre. Fidelis planè consuetudo, constitutioque omnium acceptione digna, vt qui in morte Christi baptizatus & in fide ipsius esset mortuus, stigmata mortis eius secus se vel supra se haberet sepultus. Contigit autem Patricio, vero Israëlitæ, in egressu suo de Connactiâ, in exitu suo de illo populo barbaro, à barathro iam elongato & domestico Dei effecto, duorum hominum recenter tumulatorum sepulcra intueri, viditque ad caput vnius eorum signum Crucis erigi. Sedens in curru itaque, vt mos patriæ illo in tempore exigebat, aurigæ suæ lorum retrahere iussit, ipse oratione factâ, quasi ad viuentem, ad sepultum loquens; quis, & cuius sectæ fuisset, inquisiuit. Vox verò de tumulo emissa respondit, se hominem fuisse sectâ paganum, diuini cultus penitus ignarum. Quid tibi, inquit Sanctus, & Cruci Christi, cuius cultor & confessor numquàm fuisti? Et vox ad ipsum: Qui iuxtà me sepelitur, Christianus extitit; veniensque quidam fidei vestræ professor, ignorantiâ ductus, ad meum caput Crucem posuit. Hæc vox illa protulit, & conticuit. Descendens illicò vir Dei de curru, Crucem à loco illo amouit, illamque ad caput baptizati fixit, orauit, & inde discessit.

Crucē super tumulos Christianorum erigendam constituit, *E* *à Pagano per errorem impositam refigit.*

60 Egressus Patricius de Connactiæ finibus fundatis firmatisque in fide, ad Aquilonalem partem Hiberniæ, Dalnardiam dictam, diuertit: gentesque degentes illis in partibus verbis & exemplis ac miraculis ad fidem Christi & fidei Sacramēta conuertit. Deinde transiuit montem Ficoth vsque ad campum magnum Bregh; sic per Midiam ad Lageniam progrediens, vbique fidem & regnum Dei euangelizauit, & quosdā de discipulis suis in locis opportunis ad Episcopalem gradum sublimauit. Quantis autem miraculis per totum iter istud claruit, quotiēs infirmis medelam sanitatis præstiterit, sigillatim describere alicuius, etiam disertissimi, stylus non facilè posset. Non solùm tangendo siue orando, verùm etiam pertranseundo ex vmbrâ corporis sui sanitatem pluribus præstitit, ac si fuisset alter Petrus. Quoscumque vndâ salutari nondum ablutos agnouerat, ad baptismum subeundum attrahere satagebat: quos verò baptizatos esse sciebat, ne ab hoste antiquo à fide auerterentur, aut sub fidei specie, aliquâ hæreticâ doctrinâ subuerterentur, in fide confirmabat. Et quia fides, teste Apostolo Iacobo, sine operibus mortua est, & mortua fides non est fides; ad sanctæ sinceræque fidei per dilectionem operantis opera bona bonus prædicator studuit instigare credentes. Ceterùm, qui in profundum malorum venientes, illius doctrinam contempserunt, Deoque rebelles

F *Per Vltoniā Midiam & Lageniam euangelizans* *infinitis claret miraculis.* *Iac. 2. 20. 26*

A belles peruicaci pertinaciâ perstiterunt in dæmonum culturâ; Patricio precante siue imprecante, sæpè tulit è medio diuinæ iustitiæ subita censura; sicut in præcedentibus & adhuc sequentibus declarabit nostra narratio.

CAPVT VIII.

Patricij de Dublinio Prophetia, S. Odrani Martyrium; Regis Oengi & Mumoniensium conuersio.

Prædictâ Dublinia futurâ magnitudine

61 Discedens Patricius de Midiæ finibus, versùs Lageniam euangelizandi gratiâ dirigebat gressus: cumque iter agens deuenisset trans flumen, Finglas nomine, ad quemdam collem, qui à pago Athcliath, qui modò dicitur Dublinia, vno fermè milliari distat, considerans locum & circumiacentia eius, & benedicens, in hanc fertur prophetando prorupisse vocem: Pagus iste nunc exiguus, eximius erit, diuitijs & dignitate dilatabitur, nec crescere cessabit, donec in B regni solium sublimetur. Quod profectò verbum, quâ fuerit veritatis assertiuum, probat præsentis temporis indicium manifestum. Post paullulum præfatam intrauit villam, eiusque habitatores, auditis signis, quæ fecerat Dominus in manu illius, cum gaudio processerunt ei obuiam. Domini verò loci illius filius vnicus laborabat in extremis, ita vt iam expirasse diceretur à multis, Sanctus autem rogatu patris & ceterorum accurrentium, ad ægroti lectum accessit, genua in terram fixit, preces fudit, seminecem benedixit, ereptumque de faucibus mortis mox in oculis omnium sanum exhibuit. Homines autem videntes hoc signum in auctorem vitæ crediderunt, & in eius nomine à sancto Pontifice baptizati sunt. S. Patricius in domo cuiusdam matrisfamilias manentis in prænominato pago hospitabatur, quæ in eius præsentiâ de dulcis aquæ penuriâ multùm conquerebatur: flumen namque secùs villam præterfluens, ex accessu rheumatis maris, penitùs amaricabatur; nec ante recessum refluuij aqua dulcis, nisi de longè hausta, sibi afferebatur. Sanctus verò Patricius, qui iugiter ad Deum fontem viuum sitiuit, compassus hospitæ suæ querimoniæ, necnon & labori multitudinis in Christo recenter renatæ, quin potiùs vt ad fontem vitæ ardentiùs anhelarent, ipsius C virtutem declarare congruum duxit. In crastinum coràm multis astantibus ad quemdam locum aptum accedens, terram cuspide baculi Domini Iesu, prece præmissâ, percussit, & in nomine Domini de illâ fontem optimum produxit. Eodem penè modo signum iterauit Dominus per baculum in manu Patricij sui præconis, quo quondam per virgam operari dignatus est in manu Moysi legislatoris, petram percutientis. Ibi petrâ bis percussâ largissimas aquas emanauit; hic terrâ transfixâ fontem perspicuum effudit. Est itaque fons ille Dublinij scaturigine lætus, profluxu peramplus, gustu sapidus, qui, vt dicunt multis infirmitatibus medetur & vsque in præsens S. Patricij fons rectè vocatur a.

ibidē mortuum viuificat,

& aqua dulcis penuriâ laborantibus incolis

fontem baculo elicit:

62 Proficiscens inde ad oppidum vicinum peruenit, quod à modernis castellum Cnok dicitur, vbi quidam vir tunc Belial, & infidelis Murinus nomine dominabatur. Voluit sanctus prædicator illum in viam vitæ & veritatis inducere: at filius mortis audiens famam virtutum & sapientiæ eius, quibus neminem putabat posse resistere, absentauit se ab eo, velut à sæuissimo hoste. Mandauit illi Sanctus, vt saltem sibi sui copiam exhiberet. Remandauit ille latitans in quodam conclaui, quatenus se dormire sineret. Quę cùm vtrimque sæpius repetita fuissent, Sanctus Spiritu sancto docente, virum illum gehennæ filium intelligens, Dei iustitiæ concordans subintulit, dicens: Dormiat, dormiat; nec ante diem iudicij euigilet aut resurgat. Hæc D dicens, Sanctus inde recessit; & ille miser somno vtriusque mortis oppressus occubuit. Sic profectò qui dormiens, ad vocem amici sponsi se excitantis à mortuis exurgere contempsit, vt illuminaret sibi Christus; tenebris infidelitatis obuolutus ad terram tenebrosam, opertam mortis caligine descendit, perpetuò mansurus. Vnde & inepto sopore stertenti Hibernicâ imprecatione solet dici; Sic tu dormias, sicut Murinus obdormiuit ad verbum sententiantis S. Patricij.

Somnum simulans ne Patricium audiat,

somno mortali punitur.

AVCTORE IOCELINO

63 Fuit in finibus Lageniæ idololatra quidam vir Belial, Foilge rufus nomine, incomparabilis aduersarius nominis Christi secundùm suum posse. Hic quærebat crebrò oportunitatem mittendi manus nefarias in Christum Domini Patricium, eò quòd esset ipsi grauis, non solùm ad videndum, verùm etiam ad audiendum. Inueterato namque odio erga virum Dei stimulabatur, eò quòd idolum Ceanncroythi superiùs nominatum destruxerat; cuius culturæ detestabili specialiter mancipatus extiterat. Sed, cùm ille nequissimus nequiuisset affectum effectui mancipare, die quâdam in S. Patricij aurigam, Odranum nomine, sedentem in curru irruens, iugulauit eum in oculis eius, vt acrioris E languoris aculeo propter necem interfecti instimularetur cor eius. Sanctus sauciatus corde, maledictionis iaculum in ipsum filium gehennæ intorsit, talique telo confossus eodem die vitam exuens spiritum fœtidum in tartarea habitacula mergendum eructauit. Vt enim quidam scripserunt, idem Odranus præsciens Sathanæ satellitem in necem sancti Præsulis penitus conflatum, precibus obtinuit apud virum Dei, vt eodem die vice suâ minaret currum. Hoc ideò fecit, vt loco Sancti sedens, animam suam pro eo poneret, ne, tali lucernâ extinctâ, populus Hiberniæ iterum in tenebris ambularet. Sanctus animam eius in cælum ab Angelis conspexit deferri, & inter Martyres locum sortiri.

Occiditur S. Patricij auriga Odranus:

homicida autem cadauer

64 Antiquus autem hostis, corporis mortui habitaculum ingrediens, quasi rediuiuum illum hominibus exhibuit, ipseq; fallax & phastanticus Foylge, quasi ad sua suosque regressus, in domo propriâ habitauit. Euolutis aliquantis diebus prope domum illam S. Patricius transitum faciens, quemdam de familiâ ad se accersiuit, & vbi Foylge esset inquisiuit. Illo verò respondente, virum domi esse, Sanctus fertur assertiuè dixisse: Anima Foylgi, ex quo interfecit aurigam meũ iniustè, iudicante ac vindicante iustè causam meam Do- F mino, statim exiens de corpore sepulta est in inferno: Sathanas autem cadauer eius ad illusionem ac seductionem hominum occupauit ingressu suo, vsque adhuc manens in eo, velut in vasculo proprio. Sanctus denique interdixit Sathanæ, ne vlteriùs demoraretur in illo vase, ne ampliùs ludificarentur homines tam nefando phantasmate. Continuò ad imperium viri Dei, seductorius spiritus luteum domicilium deseruit; illudque scaturiens vermibus, videntibus fœtorem & horrorem incussit, &, vt ab oculis omnium tolleretur, sepulturæ celeri mandatur. Nec nimis mirandum, si se demonstraret consueti instrumenti sui visibili formâ, ipso Foylge hoc promerente ac Domino permittente, cuius iudicia abyssus multa; sed potiùs timeatur ille, qui potest perdere corpus & animam in gehennam.

aliquamdiu inhabitans dæmon,

inde eijcitur.

65 Exiens Patricius à finibus Lageniæ, prosperè properauit iter suum in regionem Mumoniæ. Audiens aduentantem Antistitem almum Rex illius terræ, Oengus nomine, occurrit ei lætabundus & laudans præ cordis exultatione. Materiam verò exultandi ac fidem suscipiendi sibi ministrauit, quòd illius diei diluculo adoraturus idola sua, fanum ingressus, ipsa omnia in terram prostrata in facie reperit; & cùm sæpiùs ab eo erigerentur, diuinitus repulsa sunt, nec poterant stare, sed continuò prosternebantur. Sicut enim quondam Dagon stare non potuit secùs arcam Testamenti;

Corruentibus ad Patricij aduentum idolis,

AVCTORE IOCELINO.

A mentis; sic nec idola in aduentu finibus illis approximantis S. Patricij. Ipse namque non incongruè dici potest arca fœderis, qui in corde mundo, velut vrnâ aureâ manna contemplatiuæ dulcedinis, tabulas diuinæ legis, virgamque proferebat disciplinæ cælestis. Adduxit ergo eum Rex præfatus in domum suam in ciuitate Cassel, cum magnâ reuerentiâ & honore; quia ex multo tempore sitiuit in illum & animus & oculus eius; propter multa mirabilia, quæ cognouerat ipsum actitasse. Ad prædicationem enim S. Patricij Rex credidit, in nomine sanctæ Trinitatis, in quo & regeneratus est vndâ lauacri salutaris. Posteà cùm benedixisset Regem, eius tangendo caput, id crebrò cum summâ deuotione postulantis; pes eiusdem Regis vulneratur cuspide baculi S. Patricij. Rex verò auiditate ardentissimâ benedictionem accipiens à Domino Episcopo, nullum vulneris dolorem, licet sauciatus, sensit in corpore, cuius mens vulnerata caritate recuperatâ suæ animæ gaudebat sospitate. Datâ verò benedictione, animaduertens Sanctus pedem Regis cruentatum, Crucis signaculum imprimendo benedixit illum & reddidit sanissimum. Rege verò de signo insigni in se patrato exultante & gratias agente, Præsul spiritu prophe-
B tico plenus, prædixit illi, dicens veridicâ voce: Non effundetur sanguis alicuius Regis, qui de stirpe tuâ in isto loco sedebit super thronum tuum, nisi vnius tantùm. Hanc prophetiam asserunt illius regionis indigenæ, irrefragabili veritate suffultam esse; quoniam Regem nullum ex posteris eius vsque ad decimam generationem; præter vnum, narrant historiæ occisum fuisse. Remansit in loco illo tabula lapidea, super quam Sanctus fortassè celebrauerat diuina Sacramenta; vocatur autem ab Hibernicis Leac Phadraig, id est lapis Patricij: super quam ob reuerentiam illius solent Reges Casselenses in principatum promoueri, & in regni solium sublimari.

Rex Mumoniensium baptizat,

sanat à vulnere,

& in posteris benedicit.

66 Demigrauit post hæc Sanctus ad fines Vrmoniæ, vt ex illis locis spinas & vepres erroris, qui antiqui hostis versutiâ plantati succreuerant, erueret, ac triticum Euãgelicum inibi spargeret. Vir verò quidam de Comdothan, vocabulo Lonanus, gratanter illum hospitio collegit, atque illi suique itineris consortibus cœnam magnam fecit. S. Patricius verò dignum duxit dispertiri illis spirituales epulas & æternas, qui sibi præparauerant temporales & transitorias. Cœnâ autem factâ, cùm Sanctus vitæ verbo satiare satageret magis mentes quàm ventres, quidam improbus, nomine Dercardius, irreuerenter accessit, & inconditis
C importunisque sermonibus, imò clamoribus, Pontificias aures onerans, animum affligens, os quodammodò obstruens, alimoniam postulauit. Sanctus verò, quod illi daret ad manum non habens, erubuit: improbitatem etiam, quæ prædicationi suæ impedimento fuit, aliquantulùm molestè accepit. Intuens vir quidam nomine Nessan spiritum iusti anxiatum, arietem obtulit illi: quem statim iussit Sanctus dari importunè petenti. Accepto igitur veruece, reuertebatur ad suos, exultans & iactitans, saxei cordis Patricij duritiam importunitate suâ se penetrasse; sicut aquæ iugiter stillantes lapides solent excauare. Mactant ergo homo & sui arietem, & sicut velle se nouerant, præparant & manducant. Adhuc autem veruecinæ carnes erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, carniumque esus, velut virus peremptorium, repentè Deo vindicante iniuriam serui sui, extinxit vniuersos. Quâ in re satis admonemur à molestiâ famulis Dei ingerendâ cautiùs cauere, ne offendamus omnipotentem Deum, illorum inhabitatorem & propugnatorem in eorum grauamine.

Cibum inuerecundè flagitantis importunitas

morte punitur.

67 B. Patricius, vt Angelus pacis annuntiaturus pacem illam, quæ exuperat omnem sensum humanum, his quippe, qui prope & procul sunt, in sanguine Iesu Christi, transiuit per medios fines Ciarraghe. Et,
D cùm iter caperet, vidit de proximo duos fratres, Bibradium & Locradium nuncupatos, patre recenter defuncto & funerato, super hæreditate inter se diuidendâ linguas priùs in litigium acuentes, & paulò post adinuicem acerrimè confligentes. Cùm autem vterque in alternam necem ferrum ferociter stringeret, veritus est Sanctus vehementer, ne fratricidij facinus fieri in suo conspectu contingeret. Sanctus igitur cor ad compassionem miserorum, in misericordiam, os ad orationem & ad benedictionem manus mouit; eorumque manus cum brachijs instar ligni aut lapidis immobiles & inflexibiles efficiens, in aëra suspendit. Videntes igitur sese tam miraculoso euentu præuentos esse, à concepti sceleris furore conquieuerunt, & ad arbitrium Sancti euangelizantis pacem, annuntiantis bona, prædicantis salutem, in fraternæ caritatis mutuam gratiam redierunt. Pacificatis itaque fratribus, ac benedictione datâ, restituit Sanctus manuum ac brachiorum officia: ipsi verò ad ædificandam ecclesiam contulerunt sancto Præsuli agrum, in quo accidit huiusmodi miraculum.

Duo fratres mutuo se pugnantes

miraculo coercentur.

68 Postquàm signipotens Pontifex Patricius suis sanctissimis monitis Momoniæ munierat incolas, quos
E iam fide Christi repleuerat, nitebatur visitare partes Aquilonares terræ, scilicet fines filiorum Neyll, vt eius inhabitatores ad fidem conuerteret, vel in fide confirmaret. Rex autem Oengus præfatus cum duodecim Subregulis & alijs Magnatibus sibi subiectis & maximâ multitudine hominũ, quatuordecim videlicet milliũ, pane vitæ & intellectus refici cupientium, sequebatur Sanctũ. Cùm autẽ peruenissent ad flumen Brosnach nomine, vbi Triamus Episcopus, natione Romanus, S. Patricij itineris & laboris socius, in loco Choibeach vocabulo, habitabat, totius multitudinis vtrumque hominem reficere Sanctus desiderabat. Priùs ergo omnes, qui doctrinæ desiderio ad eum confluxerant, spirituali alimoniâ satiauit, deinde ipsos ad cœnandum discumbere iussit. Præfatus autem Pontifex Triamus vnam tantùm vaccam habuit, de cuius lacte solebat sustentari, & illam ad præparationem cœnæ fecit occidi. Sed hæc quid inter tantos? Patricius ergo dilectus Domini dirigebat orationem in cæleste sanctuarium, & ecce subitò duo cerui ex vnâ parte nemoris viciniâ, & duo apri ex alterâ prorumpentes, tamquàm domiti & domestici, vtpote diuinitus destinati, venerunt ad illum. Hos, altissimo Largitori gratias agens, simili modo iussit occidi, fusâque benedictione apponi. Comederunt cuncti, copioseque saturati sunt, & reliquiæ, ne perirent, collectæ sunt. Ex quinque er- F
go animalibus quatuordecim millia hominum in eius nomine plenissimè Patricius pauit, qui de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum satiauit. Ipse namque dixit: Qui credit in me, opera Matt. 14
quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, vt glorificetur pater in filio. Non discrepant enim miracula hæc, licet varientur in numero: quia vtrumque signum idem Dominus operatus est, illud in se, istud in seruo suo. Crastinâ autem die reperta est in campo vacca simillima occisæ & comestæ, quæ cessit in vsum victus Triamo Episcopo, vt de illius aleretur lacte. Exijt enim sermo inter plures affirmans, eamdem esse vaccam & à S. Patricio resuscitatam. Nos verò Deo nihil impossibile dicimus; sed factum hoc fuisse, nec negamus nec astruimus.

Omnem Regis exercitum

quinque animalium carnibus totus satiatur à Patricio.

a *Sequebatur prolixa narratio de Dubliniensium, quasi iam tum regiam urbem incolentium, conuersione per S. Patricium post suscitatos filium & filiam Regis: quæ vt huic ipsi prophetiæ repugnantia, & omni ex parte fictitia ab aliquo nugatore intexta, omittere maluimus. Possunt ea apud Colganum legi, ne refutandis fabulis hic cogamur immorari: quod satis fecit Vsserius, pag 862 in ipsam fabulæ originem inquirens.*

CAPVT

A

CAPUT IX.

Varij mortui à Patricio suscitati.

69 Mirandis magis miranda in eodem loco succedunt, mirabilemque Deum in Sancto suo cunctis liquidò ostendunt: signum enim subsequens ampliori admiratione digniùs censetur, quàm præcedens. Cùm enim vir Dei Patricius contemnentibus Deum & præcepta eius prædicando pœnas perpetuas intentaret, eiusque mandata custodientibus vitæ perennis præmia promitteret, miraculi inauditi argumento irrefragabili verbis fidem fecit: sed ne vllus ambiguitatis scrupulus in cordibus credentium deinceps emergeret; nouemdecim mortuos ac sepultos de tumulis sub omnium oculis resuscitauit: è quibus vnus Fota nominatus, funeratus à diebus multis, incineratus per decennium in sepulcrali lare latuit. Omnes igitur ad vitam reducti, pœnas, quas perpessi sunt in auribus astantium narrauerunt: Deumque verum ac viuum, quem Patricius prædicabat, vnanimiter clamauerunt. Rex verò Oëngus vniuersusque populus hæc videntes, gloriosum Deum in Sanctis suis, mirabilem in maiestate suâ, facientem signa & prodigia, qualia non sunt visa super terram illam, glorificauerunt, Sanctumque Patricium, tamquàm Sacerdotem excelsi Dei, vt suum proprium Apostolum, honorauerunt. Deinde reuersi sunt vnusquisque ad propria, crebrò dicentes: Quia vidimus hodie mirabilia. Resuscitati etiam omnes à S. Patricio baptizati sunt, & vitam pœnitentialem profitentes, monachalem habitum susceperunt, & cum B. Triamo Episcopo degentes, in sanctitate & fide vsque ad vitæ terminum permanserunt.

Ad sua prædicationis confirmationem

19 mortuos resuscitat S. Patricius:

B

70 Peruenit S. Patricius in regionem Neyll in quâ principabatur Rex, Echu nomine, habens filiam, nomine Cynniam, vnicè dilectam, quam in consequenti congruum duxit nuptui tradere. Puella paternum propositum postposuit, Patricio exhortanti, ad centesimum fructum virginitatis promerendum, paruit; carnalesque nuptias nauseans, cælesti Sponso se illibatam offerre & conseruare corde statuit. Videns pater in filiâ mentis columnam circa custodiam castimoniæ, virginalis immobilem stare, sanctum ad se accersiens ait illi: Deliberaui & statui ex corpore natæ, nepotum procreatione, prosapiam meam ad robur regni & solatium meum dilatare: sed succisa est successio, frustrata est hæc spes mea in hâc parte per te. Si ergò pro tantæ stirpis amissione promiseris mihi regnum cæleste, & me inuitum non compellas baptismum subire, filia mea famulabitur Factori suo secundùm formam exhortationis tuæ: alioquin non defraudabor à desiderio meo, sed ab effectu frustrabitur prædicatio tua. Sanctus in Domino confidens eius dispositioni negotium istud totum commisit, & quod petebatur Regi simpliciter promisit. Puella verò à Sancto velata & cõsecrata, in virginitate & alijs virtutum exercitijs Domino seruiens, multos exemplo suo ad obsequium Dei deduxit, atque in vitâ & post mortem miraculis coruscauit. Commendauerat illam custodiæ sanctæ Virginis Cethuberis, quæ prima omnium Hibernicarum à S. Patricio velum accepit, cui etiã monasterio Cruimdubhchan dicto, magnâ multitudine Virginum Christo seruientium repleto, Præpositæ, epistolam exhortatoriam Sanctus ipse scripsit. In hoc monasterio S. Cynnia viuens deguit, & cum plurimis Virginum turbis in Domino quieuit.

S. Cynnia impetrat facultatem

C

veli suscipiendi

sub S. Cethuberi:

71 Elapso aliquanto temporis spatio, incidit Rex Echu in lectum doloris, & cùm morbo inualescente sensisset sibi diem mortis imminere, destinauit nuntium ob S. Patricium vocandum ad se. Districtiùs etiam prohibuit corpus suum à suis sepeliri ante Præsulis aduentum, eò quòd ipse promiserit sibi cæleste regnum, & maximè quoniam ab ipso desiderabat salutare lauacrum suscipere. Hæc dicens expirauit: eiusque corpus iuxta præceptum suum vnius diei noctisque spatio ob expectationem Patricij inhumatum iacuit. S. Patricius in Saballino monasterio constitutus, quod à loco, vbi ipse iacebat, duobus dietis distans, Regis obitum in spiritu agnouit, & antequàm Regis nuntius destinatus ad se adueniret, ad iter versus domum defuncti se procinxit. Affuit tandem Sanctus Dei, & de Regis decessu doluit, præsertim quia sine baptismi perceptione de corpore migrauit. Orauit Sanctus ad Dominum, & à geminæ mortis vinculis absoluit illum. Quia enim absque regenerationis Sacramento decessit, continuò vitæ restitutum regulis fidei instruxit, instructumque baptizauit. Baptizato autem Rege coram plebe, ad eiusdem ædificationem ac commendationem suæ prædicationis, narrare præcepit, quæ de pœnis reproborum & gaudijs electorum pleniùs agnouit. Cumque multa miranda de illis referret, inter ceterà dicebat se suum in cælesti patriâ à Patricio sibi promissum vidisse locum, & quia baptizatus nondum fuerat, illuc intrare non posse; sicque ob precem Sancti iussu diuino corpus suum reinduisse. Sciscitabatur ab eo Sanctus, vtrum mallet in hoc mundo viuere diutiùs, an in instanti ad locum sibi præparatum pergere. Respondens Rex resuscitatus, se totius orbis dominium, diuitias, delicias, instar inanissimi fumi ducere asseruit, in comparatione gaudiorum cælestium, quæ oculatâ fide probauit. Sed rogo, inquit, vt absoluar à corpore mortis huius, & educar quantocyùs de carcere isto, quia vehementissimè cupio dissolui & esse cum Christo. His dictis accepit Eucharistiæ viaticum, & sic dormiens in Domino abijt in immortalitatis locum.....

& patrem eius sine baptismo mortuum

D

AUCTORE IOCELINO

vitæ restituit

baptizatũque remittit ad gloriam præparatã.

E

72 Quidam regulus Principatum tenens in Humestiâ credidit ad prædicationem S. Patricij cum gente suâ, & baptizati sunt. Cùm autem Sanctus, illum super generali resurrectione credendâ instrueret, non facilè fidem accommodauit; quia corpora in puluerem resoluta, in statum pristinum naturæ propriæ, sed meliorandæ, resuscitanda nullatenùs credere volebat. Sed cùm vir Dei multa sacræ Scripturæ testimonia, exempla, signa, & prodigia depromeret, vt illum à suo reuocaret errore, tale refertur ad S. Patricium responsum protulisse: Si auum meum à diebus multis incineratum resuscitaueris in virtute Iesu Christi, firmiter credam resurrectionem mortuorum: quam prædicando asseruisti. S. Patricius hoc audiens, ipso Regulo cum plebe multâ incedente cum eo ad tumulum accessit, & cum baculo Iesu illum signauit, humumque erui fecit, & oratione factâ, hominem in admirationem omnium astantium, & confirmationem fidei Catholicæ resuscitauit. Erat enim proceræ staturæ, aspectusque terribilis valdè, dissimilis tamen priori in longitudine. Ipsum etiam ad iussum suum pœnas infernales enarrantem, & baptismum in nomine Christi deuotè petentem idem Sanctus baptizauit, baptizatum Eucharistiâ sacrâ perceptâ, sicut & ipse petierat, obdormientem iterum, sed in Domino, proprio sepulcro collocauit. Nulli ergò præsentiũ de resurrectione mortuorum ambigebant: quoniam illam testimonio tam credibili, signo tam euidenti comprobatam, præ oculis habebant. Huius signi & præcedentis, Sanctus in epistolâ quâdam meminit, quam ad quemdam dilectum suum in vltra-marinis partibus degentem scribens, inter cetera dicit: Dedit mihi exiguo Dominus virtutem faciendi signa in populo barbaro, qualia nec à magnis Apostolis leguntur facta, ita vt in nomine Domini Dei nostri Iesu Christi resuscitarem à mortuis corpora in puluere à multis annis resoluta. Nullus tamen obsecro credat, me ob ista siue his similia parificandum Apostolis aut vllis perfectis viris; cùm sim exiguus, & peccator, & contemptibilis. Attendat auditor

suscitat auũ cuiusdã Reguli,

F

ad fidem resurrectionis stabiliendam:

AVCTORE IOCELINO

A ditor in quantæ perfectionis culmine vir iste mentem fixerat, qui talia tantaque operans, tam humilia de se sentiebat. Ego planè plus admiror in Sancto isto magnam humilitatem, quàm mortuorum resuscitationem.

73 Alius Regulus Elellius nomine, valdè resistebat doctrinæ sancti Patricij, nec vllatenus aurem audiendi aperuit ipsi prædicanti, donec vexatio daret intellectum illius auditui. Quâdam namque die filius eius vnicè dilectus à porcis est conculcatus, & ex parte magnâ comminuitur & deuoratur. Quod cùm agnouisset pater, scidit vestimenta sua, & prouolutus vestigijs S. Patricij, quod sibi accidit exposuit voce lacrymosâ: promisit etiam in Deum ipsius se crediturum, & eius præceptis in omnibus obtemperaturum, si resuscitaret in eius nomine filium suum. Sanctus autem præcepit cuidam discipulorum suorum, Malachiæ nomine, Britanno natione, vt defunctum & discerptum ad vitales auras reduceret à morte. Ille inobediens & incredulus verbis viri Dei existens, ex fidei pusillanimitate respondit, dicens: Quis est homo in terrâ, qui posset ossa comminuta reintegrare, neruos resolidare, succrescentes carnes reformare, & cutem superextendere; spiritum corpori, & vitam defuncto inducere?

alterius filium laceratum à porcis

Malachia discipulo resuscitandum mandat,

B Non petam, & non tentabo Dominum super tali temeritate; nec aggrediar opus, quod non possum adimplere. Et Sanctus ad eum: Nonne legisti promissum Domini dicentis. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et iterum: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceris huic monti, Transfer te hinc, & mitte te in mare, & fiet? Illo respondente se legisse sæpiùs, subintulit Sanctus, dicens: Quoniam, inquit, quantum in te est, verbum Domini & fidem nostram euacuasti; prædico tibi, quòd domum exilem & exiguam habebis in terrâ, & non erit nisi habitatio tantùm vnius hominis in ecclesiâ tuâ. Iniunxit deinde duobus Episcopis Elbeo & Hibaro, discipulis suis, quatenus defunctum puerum restituerent superis; adijciens, quòd illos ad sic faciendum adiuuaret orationibus suis. Paruerunt Pontifices Patri suo Patricio præcipienti, eiusque adiuti precibus puerum discerptum & dilaniatum non solùm vitæ, sed etiam integræ sanitati restituerunt, & pristinæ pulcritudini & valetudini. Credidit ergo Regulus & cum omni domo & plebe sibi subiectâ est baptizatus. In loco verò patrati miraculi ecclesiam construxit, & in memoriam S. Patricij & duorum Episcoporum & pueri resuscitati, quatuor lapides prægrandes erexit. Quod autem Sanctus inobedienti discipulo prædixit, consequenter euenit.

eoq; hæsitante, Ioan.14 Matt.17

per duos alios miraculum exequitur,

C Quare autem non à se solo, sed à discipulis fieri hoc miraculum voluit, fateor esse mihi, meique similibus adhuc incognitum. Quiuis tamen sanè sapiens intelligat S. Patricium istum defunctum, sicut & ceteros in nomine Domini resuscitasse, cuius præcepto præstricti, precibus suffulti, quod excellentius est, eius discipuli signum istud facere potuerunt . . . . b

ipsi pœnam prædicit,

b

74 Quidam Regulus iter agens audiuit non sine stupore magno, quasi vocem pueruli flentis emissam de tumulo: stans autem iussit suis aperire sepulcrum, inueneruntque intùs cum admiratione magnâ iuxta matrem mortuam infantulum viuum. Ex communi ergo consilio, eductum illum à sepulcrali lare ad S. Patricium portauêre: quem ipse baptizans, ob dolorem quem sustinuit, Olcanum vocauit, temporeque acceptabili tradidit litteris inbuendum. Qui grandisculus effectus discendi auiditate Gallias adijt: ibique diutiùs degens multæ litteraturæ scientiam adeptus repatriauit; repatriatus scholas rexit: innumeros discipulos, quorum plures Episcopi sancti fuerunt, erudiendo in litteraturæ copiam prouexit. Ipse verò Doctor egregius, Episcopalem gradum ascendit, in sanctitate multâ vitam terminans, miraculis etiam multis claruit. Transiuit quâdam vice sanctus Patricius cum suo sacro comitatu quemdam amnem, Dabhall nomine; & quia aduesperascebat dies & inclinata iam erat, secus ripam pernoctaturus fixit tentorium infra perpulcram prati planitiem. Accedens Antistes ad aquam, manus & os lauit, ac lauando gingiuas & dentes digitis dignissimis fricauit: fricando vnum dentium præ senio vel infirmitate motum, sputo fortuito vel potiùs nutu diuino, in aquam proiecit: quo comperto, discipuli eius dentem in aquâ diligenter quæsierunt; sed diu quæsitum inuenire non potuerunt. Noctis verò subsequentis sub obscuro dens in amne iacens, velut sidus lucidissimum emicuit; cuius fulgur omnes secus se hospitantes ad sui spectaculum ac inuentionem adduxit. Dens itaque tam miraculoso euentu inuentus ad Patrem defertur, ab ipso & à cunctis omnipotenti Deo gratiarum actio pro re, quæ contigit, offertur: Sanctus autem in eodem loco ecclesiam ædificauit, dentemque præfatum infra altare posuit: qui profectò locus multis claruit miraculis, & vsq; in præsens vocatur Cluayn fiacal; id est, ecclesia dentis. Eiusdem igitur Domini virtute instar radiantis sideris, S. Patricij dens illuxit, quâ de molari dente mandibulæ asini, ad precem Samsonis de Philistæis triumphantis, fons aquæ profluxit. Distat ecclesia illa fermè quinque milliaribus à Metropoli Ardmachanâ ciuitate. E

Olcanum ex mortuâ matre natū

litteris curat instruendum.

D

S. Patricij dens prolapsus in aquam,

nocturnâ luce radians emicuit.

a *Hoc loco legebatur suscitati gigantis fabula, quam in appendicem reiecimus.*

b *Eugenij quoque Metamorphosis hinc sublata est.*

CAPVT X.

S. Patricij prophetiæ quædam: excursio in Britanniam.

75 Beatus Patricius quodam tempore, dum quemdam Magnatem, nomine Cartanum, & vxorem eius abluisset salutari lauacro, indicauit mulieri eam habere filiam in vtero, quam ipse velaturus esset, & in virginitate consecraturus cælesti Sponso. Tempore constituto peperit fæmina filiam, quam baptizantes nominauerunt Treham: quæ, decennio completo causâ consecrationis suscipiendæ, iter arripuit veniendi ad S. Patricium; sed propositum peruentionis impediuit stagnum interpositum. Fatigata igitur & anxiata in ripâ residebat, locumque, in quo sanctus Pontifex fuit, à longè oculo ac animo sitibundo aspiciebat. Præsul sanctus, sancto Spiritu reuelante, iter Virginis & desiderium agnouit; factâque oratione stagnum à loco illo amouit; sicque cum suis siccis vestigijs pertransiens ad illam peruenit. F Cùm verò S. Patricius prænominatam Treham Virginem consecrasset, ab Angelo Domini velum capiti eius impositum est, vsque ad nares pertingens & oculos contegens. Sanctissimus Antistes apposuit manum, ab oculis amouere velum volens; sed puella suppliciter prohibuit, dicens; Obsecro, mi Domine, dimittatur velum, sicut est capiti ancillæ tuæ impositum, ne videant vlteriùs oculi mei huius seculi vanitatem; sed intuitu potiùs puriori homo interior Sponsi mei contempletur claritatem. At gaudens Pontifex proposito puellæ purissimo velamentum dimisit; & sicut cælitus erat impositum, genas eius turturinas & oculos columbinos omni tempore vitæ suæ cooperiens, acsi faciei eius agglutinatum fuisset, remansit. Sic sic huius sacri velaminis obiectu quælibet illecebrosa species ab aditu ad illam arcebatur, ne mors vllatenùs per fenestras eius ingrederetur.

S. Treha iuxta vaticinium Patricij

decennis ab eodem consecratur,

cui impositum ab Angelo velum nunquam ab oculis amouetur.

76 Princeps quidam Conallus nomine petijt & impetrauit benedictionem à S. Patricio. Accessit ad Sanctum intentione simili frater illius, imò filius minor natu, Fergus nomine, vnus imò præcipuus de Optimatibus terræ. Sanctissimus Antistes præmissâ oratione benedixit hominem, aptatis manibus super caput

Fergussio deuotiùs benedicit Patricius,

A put eius cum magnâ morâ & summâ deuotione. Videns germanus eius, natu prior & dominio, quòd iuniorem benediceret diligentiùs & deuotiùs quàm se, miratus & molestatus est valdè. Patricius ob benedictionem viri faciem obscuriorem solito perpendens, caussam tam morosæ benedictionis propalauit, dicens: Benedicens benedixi fratrem tuum Fergussium, propter filium benedictum ex eius semine nasciturum: filius enim eius Fedhleminius generabit puerum, Columbam nomine, nomen sortiturum ex re: quia Spiritu sancto replebitur ex vtero matris suæ. Siquidem ipse thesauris sapientiæ & scientiæ locupletabitur, & singularis lucerna generationis suæ ardens & lucens, & Propheta altissimi iure vocabitur: ex quo enim ad intelligibilem ætatem peruenerit, numquam spontaneū mendacium ex ore ipsius exibit. Quàm veraciter illa prophetia de S. Columbâ, qui Columkylle & centum cœnobiorum extitit fundator, fuerit prolata, scire pleniùs poterit, qui volumen legerit scriptum de ipsius vitâ.

ob S. Columbā ex eius filio nasciturū.

77 Venit S. Patricius quâdam vice transeundi caussâ ad quoddam flumen magnum & intransuadabile, Boallum nomine: & cùm omne defuisset nauigium, oratione factâ diuisit fluuium, & liberum sibi seque sequentibus exhibuit transitum. Erectâ deinde B dexterâ, flumen illud benedixit, miroque modo vsque in præsens in Orientali parte ab equitantibus & peditibus potest transuadari; & nullus in Occidentali parte transitus, nisi nauigio, valet inueniri: *a* fluuius etiam ibidem à Sancto benedictus copiosiùs, quàm in ceteris locis abundat piscibus. Discipulis autem mirantibus, & rationem ac caussam huius miraculi tam grandis exponi sibi deposcentibus, respondit S. Patricius: Filius vitæ Columba nomine, nondum natus, post multorum annorum curricula in loco illo habitabit, & aqua taliter diuisa illi atque commilitonibus suis in Christo in varios vsus necessaria erit: copiosa nihilominùs captura piscium Fratribus inibi mansuris ministrabit victualium sustentamenta. Sanctus verò Columba post multum temporis natus, ex quo fuerat adultus, ibidem cœnobium egregium ædificauit, & Patricij præsagium veritate subnixum habitatione ac opere comprobauit.

Buellā diuidit & piscosum reddit

in eiusdem S. Columbæ gratiā.

78 Visitauit S. Patricius fines Turturinorum: quibus in locis septem hebdomadibus moram fecit, septemque ecclesias in tantillo tẽporis spatio extruens, quamlibet illarum Dominicam appellauit. Hoc enim habebat Sanctus in consuetudine, vt vbi demoraretur Dominico die, si ecclesiam illic fundasset, Domhnach, id est, Dominicam appellaret. Vni autem Ecclesiarum C septem prædictarum quemdam de discipulis præposuit, nomine Connedum, virum bonum & sanctum, Presbyterum gradu, lege diuinâ eruditum. Suscipiens ille regimen illius ecclesiæ, caussâ potiùs obedientiæ quàm captu ambitionis propriæ, vnam hebdomadam tantùm ibidem compleuit, atque consequenter eam derelinquens ad S. Patricium remeauit. Sancto Præsuli inquirenti ab illo suæ reuersionis tam festinæ caussam, respondit, se non posse æquanimiter ferre illius tam dilecti Patris absentiam. Nec mirandum, respondit S. Patricius: quia filij vitæ non sunt in illo loco; sed viri sanguinum, & comestores pecorum, quorum tu formidas ferrum, timesque sanguinem tuum effundendum. Reuertere, reuertere securus, neque timeas à facie eorum; quoniam nullius hominis sanguis effundetur in loco isto, vsque in generationes generationum. Acceptoque tali responso à S. Patricio, vir venerabilis Connedus ad Ecclesiam illam regendam regressus est, verbumque S. Patricij verum esse multis rerum argumentis euidentium, vt asserunt patriotæ, probatum est.

Apud Turturinos septem ecclesias fundat.

vni earum Connedum præficit.

79 Videns S. Patricius in Hibernia, Messem quidem multam, operarios autem paucos, transfretauit in Britanniam, acquisiturus sibi coadiutores in agrum Dominicum & cooperatores: & quia pestis Pelagianæ hæresis, & etiam Ariana perfidia pluribus in locis D Britanniæ fines fœdauerat; ipse prædicando, & signa multa faciendo, patriotas ad viam veritatis reducebat. Extant adhuc in Britanniâ perpluri loca miraculorum eius conscia, crebrisque miraculis sanctitatem eius redolentia. Collectos denique viros multos litteratos & religiosos secum adduxit; è quibus triginta in Episcopalis officij fastigium postmodùm sublimauit. Renauigans in Hiberniam, ad insulas maris conuertendas diuertit: è quibus Euboniam, id est, Manniam, tunc quidem Britanniæ subiectam, salutari prædicatione ac signorum exhibitione ad Christum conuertit. Inter quæ signa illud insigne claruit, quòd quidam maleficus Melinus dictus, instar Simonis magi se Deū asserens, ac æthera volatu diabolico repetens, precibus eius è sublimi corruit præcipitatus, confractusque interijt. Quemdam discipulorum S. Patricij virum sanctum & sapientem, Germanum nominatum, in Episcopum promotum, illius gentis Ecclesiæ nouellæ Regentem præposuit, & in quodam promontorio (quod adhuc Insula Patricij vocatur, eò quòd ipse ibidem aliquantulùm demorabatur) Episcopalem Sedem posuit. Alijs autem insulis ad fidem Christi conuersis, singulis singulos aut etiam plures præfecit Præsules, de discipulis suis: sicque Hiberniam repetijt. Consueuit E enim S. Patricius non solùm in vrbibus, verùm etiam in oppidis & locis celebrioribus, Episcopos constituere, ne baptizati vllatenùs defraudarentur Episcopali confirmatione. Hoc etiam à Sancto procuratum est, vt fideles in præsenti haberent, qui ministraret Pontificale munus illis, dum diœcesis, non nimis extensa, non subtraheret illis præsentiam atque custodiam sui Pastoris. Quarumdam insularum incolæ legem Dei per S. Patricium prædicatam abiecerunt, abalienati à fide retrorsum: & ideò vsque in hodiernum diem priuantur speciali Dei dono, quod ceteris insulis in fide perseuerantibus, super venenosorum animalium abdicatione, per Patricij preces constat collatum.

AVCTORE IOCELINO

Repurgat Britanniam à Pelagianā hæresi

adiacentibus insulis prædicat:

in Manniā & alibi plures Episcopos ordinat:

80 Sex Clerici natione Hibernici, vnanimi desiderio discendi Scripturam ducti atque loca sancta visitandi, versùs transmarinas partes iter arripuerunt; casuque felici S. Patricium de Britanniâ regressum, obuium habuerunt. Ipsis verò genibus flexis, benedictionem petentibus, Sanctus benedixit, ipsosque omnes Episcopos futuros prædixit. Agnoscens Pontifex vnum ipsorum, qui natu maior & robustior ceteris videretur, omnium codiculos in sinu portantem, eò quòd non haberet aliud in quo portaret ad manum; iussit illis dari pellem phocinam, super quam in celebratione Missarum stare consueuerat, ad sacculum inde facien- F dum. Munere sancti viri cum gratiarum actione recepto, prosperè transfretauerunt; nec ab illo die aliqua grauis eos apprehendit inopia; sed siue itinerando, siue in scholis commorando, semper arrisit eis honesta sufficientia. Cognouerunt igitur Sanctum subuentorem sui in benedictionibus suis, Dominumque conseruantem illis misericordiam suam ipsius meritis. Processu verò temporis optimè litteris imbuti repatriauerunt; & infra tempus breue, secundùm verbum S. Patricij, omnes Episcopi effecti sunt. Horum autem Sacerdotum sanctorum nomina sunt, Lugacius, Columbanus, Meldanus, Lugadius, Cassanus, Ceranus: quorum Sedium Episcopalium nomina describere, certâ ratione supersedemus. In multis etiam vocabula locorum, & etiam personarum, ob inconditam verborum barbariem deuitamus, ne Latinis auribus fastidium aut horrorem ingeramus. Prædicti tamen Pontifices in Ecclesiâ Dei verbo & exemplo plurimùm profecerunt, & in magnâ sanctitate vitâ terminauerunt. Multa etiam miracula solebant narrare in pellem præfatam patrata: quæ adhuc manet integra, & pro reliquijs ob S. Patricij memoriam conseruata est.

septem Clericis obuiā factus

subuenit, & omnes Episcopos futuros prædicit.

A 81 S. Patricius prædicabat, populis plurimis de diuersis partibus in vnum conuenientibus, in loco Hiberniæ Finnabhair vocato, qui Latinè interpretatur albus campus. Legebat & interpretabatur illis seriatim sacrosancta quatuor Euangelistarum volumina, tribus diebus continuis & noctibus; omnesque præsentes existimabant non plus temporis effluxisse quàm vnius tantùm diei spatium; ita feliciter decepti delectatique salubriter in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. O salubris delectabilisque deceptio, per quam falsitas excluditur, veritas inducitur, illuditur tempori, nox subtrahitur, dies per triduum continuari conspicitur! Ne causetur lector, quòd nominauerim deceptionem; cùm Propheta clamet ad suum Conditorem; Seduxisti me Domine & decepisti, & Apostolus Paulus quibusdam discipulis suis, dicat: Cùm essem astutus, dolo vos decepi. Bonus dolus, qui salutem animarum acquirit; optima seductio, quæ ad Deum perducit.

AVCTORE IOCELINO *Triduum continuum prædicatio.*

Ier. 20. 2. Cor. 12.

82 B. Brigida itaque conuenticulis præfatis intererat, quæ reclinato capite dormiebat. Sanctus Antistes prohibuit, ne quis Dei dilectam suscitaret & euigilaret, donec ipsa vellet. Sicut enim ex fine claruit, illud in Canticis, ei satis congruit. Ego dormio, & cor meum vigilat: eò quòd sponsus eius secreta sua ei reuelabat. Eidem sanctæ Virgini postmodùm euigilanti sanctus Præsul præcepit, vt cunctis enarraret, quæ in somnijs vidit. Obtemperans illa verbis Sancti, dixit: Vidi Synodum candidatorum & aratra & boues & segetes, cuncta candida: deinde omnia illa maculosa, postmodùm omnia nigra: ad vltimum conspexi oues & sues, canes & lupos discordantes ad inuicem & confligentes. S. Patricius autem visionem exponebat, totumque candorem præfatum ad mundi statum, tunc temporis præsentem, pertinere dicebat. Omnes enim in eo Prælati & subditi erant in fide & bonis operibus secundùm Euangelicam doctrinam & Apostolicam fertiles & feruidi. Maculosa quæque ad tempus sequentis generationis spectare dicebat, in quo fide quidem canderent, sed eam prauis operibus denigrarent. Nigredinem subsequentem asserebat tempori generationis secuturæ congruere, in quâ vitam suam homines non solùm iniquis operibus profanarent, sed etiam fidei Christianæ abrenuntiatione. Discordiam ouium, suum, canum atque luporum, pronuntiabat controuersiam innocentium & immundorum Prælatorum, bonorum & prauorum affuturam in diebus posteræ generationis, post annorum scilicet curricula plurimorum. His dictis à loco solutâ collectâ Sanctus recessit, Virginisque visionem, atque sanctissimi interpretationem virtute suffultam irrefragabili, sicut reor, nullus ambigit.

S. Brigidæ mira visio offertur;

Cant. 5.

B

quã de statu futuro Hiberniæ exponit Patricius,

C

83 B. Patricius singulas regiones Hiberniæ crebrò consueuit visitare, ac, prout temporis opportunitas expetebat & ratio. dictabat, in eis moram facere. Vnde & septem annis continuis morabatur in regione Momoniæ, totidemque in regione Connactiæ; diutiùs tamen degebat in Vltoniâ, in quâ primitùs regnũ Dei euangelizans, ad Christi fidem illius incolas perduxerat, cuius fines singulos crebriùs suâ sanctâ præsentiâ perlustrando illustrabat. Vbicumque proficiscebatur auditores suos, aut ad fidem Christi conuertebat, aut in fide Christi confortabat. Quâdam igitur vice visitans S. Patricius illam plagam Vltorum, quæ Dalnardia dicitur, per locum quemdam, Muccomuir vocatum, transiens progrediebatur, discipulusque illius, nomine Benignus, superiùs memoratus gradum figens, in cælestibus aliquod mirum contemplabatur. Vidit enim lucifluos Angelorum choros locum illum claritate cælicâ circumfundere, audiuitque ipsos cum inæstimabili melodiâ laudes Creatori canere. Stans horum mirabilium deuotus contemplator, dulcedinis intimæ replebatur tripudio: nec tamen intelligebat quid prætenderet Angelicæ præsentiæ, lucis coruscæ, hymnodiæ cælicæ, in illo loco exhibita apparitio. Post modicum verò temporis interuallum, admirabilis visio illa ab oculis Benigni tota disparuit; illeque præcedentis Patris Patricij vestigia sequendo, vt ad ipsum perueniret gressus accelerauit. Sancto verò sciscitanti caussam retardationis eius, retulit visionem ostensam sibi cælitùs. Sanctus verò Pontifex diuinitùs edoctus, quid innueret, aut indicaret perfusio luminis & cantus Angelicus, exponens dixit coram præsentibus: Scitote filioli carissimi, quòd in illo loco quidam filius vitæ, nomine Colmanellus, ecclesiam ædificabit, multosque filios lucis ac conciues Angelorum futuros ibidem adunabit. Ipse Præsul atque totius Hiberniæ Legatus efficietur, virtutibus ac signis conspicuus: post vitæ tenebras terminans ab Angelis Dei ad æternam lucem & requiem transferetur. Processu verò temporis, loco illi & personæ prænominatæ & prophetatæ omnia euenerunt, sicut S. Patricij labia distinxerunt.

Circuit visitandas prouincias

prophetiam aliam S. Benigni

D

de S. Colmanello.

a *Quid mirum, cum cataractis intercurrentibus, flumineque ex alto præcipitans pisces è mari adnatantes prohibeat sursum ascendere.*

CAPVT XI.

E

S. Ergnatæ curata tentatio: prædicta Comgalli Banchorensis natiuitas: impij puniti: SS. Mel & Lupita innocentes probati.

84 VEnerabilis Benignus inter ceteras munerum dotes, quibus illum ditauerat diuina gratia, vocis in cantu dulcisonæ quadam pollebat prærogatiuâ; ita vt audientium compungendo plerumque penetraret aures & corda. Sed quoniam virtus aut donum diuinitùs collatum plerisque solet esse odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem; ex vocis melodiâ ministrabat tentator delinquendi occasionem. Quædam namque sanctimonialis fæmina, dum oblectaretur super Benigni cantum mellifluum auribus crebrò perceptum, interiori desiderio succendebatur ad peccatum criminale, cum ipso viro Dei huius ignis ignaro committendum. Turpium ergo schematum fomentis adhibitis, feruens & fœtens intantùm exarsit & excreuit concupiscentia, vt vix in eius pectore se caperet amoris perniciosi flamma. Et quia propter disciplinam S. Patricij puella non poterat potiri secreto Benigni colloquio, ex accessus & alloquij ipsius difficultate, ampliori vrebatur incendio. Calliditate igitur fæmineâ instructa, grauissimam infirmitatem simulans decubuit doloris lecto, implorans cum prolatu animæ consilium, sacræque Communionis salutare viaticum à Sancto sibi præberi Benigno: erat enim tunc gradu Sacerdos, magnâ veneratione habitus, qui & officium Sacerdotale sacris adornabat actibus.

Sanctimonialem à turpi S. Benigni amore

F

85 S. Patricius autem, reuelante Spiritu sancto non ignorabat, quo sanctimonialis illa laborabat incommodo. Accito itaque discipulo suo, videlicet Benigno, præcepit vt ægram visitaret, & quæ saluti animæ congruebant, illi ministraret. Obsecundans ille Patri spirituali, eius benedictione postulatâ & perceptâ, domum decumbentis intrauit, editoque signo Crucis (sicut moris erat vbique Patricio domum quamlibet ingredienti) omnes insidias latentis inimici, saluti hominum inuidentis aut quieti, effugauit. Res mira claruit atque præclara & licet insusitata, tamen vtilissima. Eleuans oculos puella vidit ingressi Benigni staturam valdè terribilem, faciemque eius flammigeram illud habitaculum atque seipsam intus & exteriùs collustrare, Sanctumque Patricium manibus suis caput ipsius obumbrare. Ab illâ ergò horâ vsque ad vitæ terminum, ignem venereum sensit in carne exstinctum, ac si corpus ligneum vel lapideum gestasset, non carneum.

miraculo liberat,

Diligebat

A Diligebat deinceps S. Benignum illa sanctimonialis sancto sincerоque amore, seque confitebatur ipsius meritis per S. Patricium à gehennali ereptam ardore. Vnusquisque ergo quod sensit super hoc signo videat, quia vnusquisque secundùm Apostolum abundat in suo sensu: ego verò magis admiror, plusque appretior miraculum hîc gestum ad animæ viuificationem ac vegetationem, quàm alicuius in carne mortui resuscitationem.

86 Circuibat S. Patricius sæpius Vltoniam, & perambulabat eam; eiusque incolas docens attentiùs fidem Catholicam, diuertit aliquoties quiescendi gratiâ cum suo sanctissimo comitatu ad quemdam monticulum, non longè situm à valle, in quo posteà constructum est Beanchorense cœnobium. Considentes ergò conspexerunt de colle vallem illam ætherea luce ac multitudine militiæ cælestis repletam; auribus nihilominùs haurientes Angelicis vocibus prolatam cælestis celeumatis hymnodiam. Omnes igitur videntes visionem hanc magnam, vnanimi deuotione rogabant S. Patricium, vt in illo loco cælitus sacrato ædificaret ecclesiam. Sanctus verò abnuit, sed verbo vatidico illis ait:

S. Comgallum prædicit Bãchorÿę monasterii fundatorum,

B Annorum sexaginta circulo completo, nascetur quidam filius vitæ, Comgallus nomine, quod interpretatur pulcrum pignus: erit enim dilectus Deo & hominibus, atque ob morum meritorumque pulcritudinem prosperè procedet & regnabit cum Christo inter ipsius pignora computandus. Ipse verò in loco luce præostenso, ecclesiam Sanctorum ædificabit, in quâ innumera agmina filiorum lucis & vitæ Christi seruitio mancipanda coadunabit. Omnium horum, quæ S. Patricius prædixit, nec iota vnum incompletum præteriit. Tempore verò prophetato natus Comgallus, processuque annorum & virtutum posteà adultus, in loco præfato Beanchor nominato, nobilissimum cœnobium exstruxit, in quo multa millia monachorum perfectorum per Euangelium Christo genuit & in Christo parturiuit. Locus ille sanctus Sanctorum fœcundus, quasi vitis fructificans suauitatem odoris, extendit palmites suos vsque ad mare, & vltra mare sui propagines: quia Hiberniam, Scotiam, Insulasque multas monasterijs monachisque perfectis repleuerunt genimina eius, & etiam transmarinas regiones. Sicut enim relatu atque scriptis Sanctorũ didicimus, vnus ex filijs Beanchorensis cœnobij, Luanus nomine, centum cœnobiorum fundator fuit, Alter verò Columbanus dictus,

ex quo SS. Luanus & Columbanus prodiere multorũ cœnobiorũ fundatores.

C vir sanctissimus & omnium plenitudine charismatum repletus, multa monasteria fundans & exstruens, innumerabilium quasi monachorum Pater extitit; qui priùs egregio monasterio Luxouiensi in Gallijs, deinde Bobiensi vltra Alpes præfuit: vbi miraculis multimodis gloriosus ac præfulgens in pace requiescit: sicque prophetia S. Patricij adimpleta clarescit. De antiquâ Beanchorensis Ecclesiæ nobilitate superfluum videtur in præsenti diffusiùs prosequi, cùm luculenter descripta fuerit in Sanctorum Comgalli actibus primi Abbatis illius loci; & Malachiæ Pontificis, & Sedis Apostolicæ in totâ Hiberniâ Legati.

88 Venit Patricius in partes Assul infra fines Mediæ, vbi in loco idoneo gratum duxit ecclesiam construere. Quidam pessimus, Fergus nomine, illis in locis dominatum habuit, qui sancto Præsuli ne propositum perficere posset, impedimento magno fuit. Volens Sanctus Dei duritiã cordis ipsius potiùs signo quã verbo significare, cum baculo Iesu contra petram signum Crucis edidit, & continuò petræ superficies in quatuor partes scissa apparuit, Crucisque formam effigiatam in se vsque in præsens exprimit. Homo nihilominùs duræ ceruicis & cordis plusquàm saxei, ad pœnitendum scindi noluit; sed vxor eius prægnans corde compuncta, postulando veniam ad pedes eius cecidit. Videns S. Patricius hominem in peruersitate obduratum, voce præsagâ dixit ad eum. Sic te dissoluere potuit potentia Dei, si voluisset, etiam ad primum verbum oris mei: sed quoniam nescis, imò credere non vis, quia patientiâ Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm cor tuum impœnitens & duritiam obstinationis thesaurizas tibi iram, quæ tibi citò appropinquabit: velociter disperdet te Dominus de terrâ, nullusque de semine tuo in perpetuum dominabitur in terrâ istâ vel prosperabitur in aliâ, excepto solo infante, quẽ in vtero gestat vxor tua, quia super illum veniet benedictio mea. Hæc autem omnia, ore prolata Patricij, euenerunt patri & proli.

Signo Crucis petram scindit in partes.

D *AVCTORE IOCELINO*

89 Simili quoque intentione, ecclesiæ videlicet ædificandæ, diuertit Christi famulus ad locum famosissimum Vsneach nomine. Duo ergò germani, Fiechus & Enda nominati, illis in finibus principabantur: quibus S. Patricius multa bona in præsenti seculo atque futuro, & etiam semini illorum, si sibi acquiescerent, pollicebatur. Illi autem non solùm à prece & prædicatione Patricij aures auerterunt, verùm etiam à loco prædicto violenter ipsum expulerunt. Sanctus molestiùs impedimentum ecclesiæ fundandæ quàm sui expulsionem accepit, ipsis & semini ipsorum inijcere maledictionis iaculum incepit, Secundinus autem discipulus S. Patricij sententiæ verbum ex ipsius ore rapuit, & antequàm fine concluderetur deprecando dixit. Obsecro, domine Pater, vt maledictio vestra non sit super homines istos, sed super vicinos loci lapides. Sanctus priùs modicè subticuit, & postmodùm postulata concessit. Mira res! ab illâ die vsque in præsens lapides illi nulli structuræ apti aut vtiles inueniuntur, quin etiam si fortè aliqui ex improuiso ædificio imponantur, velociter opus illud ruere seu dissipari dicitur. Nullum etiam ignis calorem naturalem admittunt, nec in aquam missi strepitum, vt moris est lapidum, faciunt. Vnde & prouerbium apud Hibernicos increbuit, vt si quando lapis in ædificio frangitur, de lapidibus Vsneach maledictis à S. Patricio, esse dicatur. Enda verò prædictorum fratrum iunior super iniuriâ S. Patricio illatâ pœnituit, & prouolutus pedibus ipsius veniam poposcit, & postulatam promeruit. Hic nouem filios habuit, quorum vltimum natu, nomine Cormacum, obsequio diuino mancipandum cum totâ nonâ parte suæ terræ S. Patricio obtulit. Frater verò ipsius Endæ, Leogerus dictus, conuersus ad fidem quindecim villas S. Patricio contulit cum suo nepote, quæ spectant ad ius Ardmachanæ Ecclesiæ. S. Patricius baptizauit puerum, educauit, litterisque imbuit: puer autem ætate, sapientiâ & sanctitate creuit; virtutibus, atque miraculis clarus, in Domino requieuit.

Maledictioni, quã feriendi erant obstinati,

E

in lapides declinat & reddit ad omnẽ vsum inutiles.

Pœnitentis Endæ filiũ Cormacum benedicit:

F

90 Quidam regulus, Brendanus a nomine, recenter baptizatus, obnixiùs deprecabatur S. Patricium, vt quamdam mulierem grauidam benediceret; quia illius benedictionem ei & soboli profuturam credidit. Sanctus eius petitioni annuens manum erexit; sed repentè, priusquàm verbum benedictionis aut signum Crucis ederet, eamdem retraxit: sensit enim, spiritu reuelante sibi, concepisse illam de semine Coirbre, in quem sententiam erat, & de cuius successione nullum regnaturum ipse prædixerat. Cur autem Sanctus hoc fecerat, homo mirabatur; sed ei vir Dei mysterium intimare caussamque non cunctabatur. Instabat homo postulans attentiùs, vt vel aliquo modo illam benedicere, & quæ ventura erant soboli, prædicere dignaretur. Præsul sanctissimus Patricius illam eleuatâ dextrâ benedixit, & ait: Infantulus, quem gestas in vtero, non regnabit: quoniam verbũ, quod locutus sum in nomine Domini super Coirbre & semen eius, fixum stabit: sed tamen vnus de optimatibus terræ, Regi regnoque pernecessarius erit. Quod vt Sanctus prædixit indubitanter euenit.

a In qua'is cunctatur id facere.

91 Magni vir meriti Mel supra memoratus, qui cum Fratribus suis, viris sanctissimis, Munio & Riocho de Britanniâ in Hiberniam aduenit, ab ipso S. Patricio

S. Mel & S. Lupita suspicionem impuræ cõsuetudinis

AVCTORE IOCELINO

A tricio in Pontificalem gradum promotus, ipsi in prædicatione coadiutor extitit. Hic ex proprio labore manuum suarum, more Pauli Apostoli, studuit victitare, & quod ei à diuitibus datum fuerat, solebat egenis erogare. Cum isto beato viro, vtpote nepote suo, commanebat in vnâ domo, modò primitiuæ Ecclesiæ, S. Lupita soror Patricij, vt eius verbo & exemplo proficere posset in exercitio diuini obsequij. Euoluto verò aliquanto tempore, cùm sanctus Sacerdos iuxta morem mediâ nocte surgeret ad confitendum Domino, sancta illa fæmina solebat se ad soporandum collocare, pellibusque cooperire in sancti Præsulis lecto. Nihil sinistræ suspicionis ex hoc facto fingi suspicabatur, quia ex conscientiæ propriæ puritate aliorum mentes metiebatur. Comperiens consuetudinem mulieris quispiam, nefandam fore familiaritatem ipsius cum Episcopo denotabat, denotatam in vulgo disseminabat: & quoniam infamiæ dilatandæ ianua linguis vulgi reserata patuit, res latere Patricium diutiùs non potuit. S. Patricius, si sic res se haberet, euidentiùs voluit experiri: conuertit gressus ad habitaculum præfati Episcopi.

coràm S. Patricio purgant per miracula:

92 S. Mel meliùs arbitrabatur innocentiam suam probare signo quàm iuramento; arans tellurem in quodam colle, pisces magnos & multos cepit ex vomere B in sicco, ipso etiam vidente Patricio. Taliter enim captos obtulit Sancto Dei, quasi pro miraculo, vt nulla suspicio remaneret in cordibus hoc videntium, dum tale signum fieri non soleat ab incestuoso. Soror etiam S. Patricij, collectam vestem in gremio viuis carbonibus impleuit, quos sufficienter portans, & excutiens in conspectu fratris, absque vllo vstulationis aut læsionis signo, innoxiam se comprobauit. S. Patricius innocentiam signis tam euidentibus probatam approbans, illos mundos & immunes pronuntiauit: attamen, quod ipsis alijsque multis salubre foret, palàm edicere curauit. In primis ergò Episcopum conueniēs admonuit, vt in terrâ araret, in aquâ verò piscaretur, ne tentare Dominum Deum suum videretur. Deinde ne gloriari præsumeret in aliquo miraculo ex diuinâ gratiâ in se patrato. Denique sanxiuit Sanctus, vt à mulieribus viri sequestrarentur, & vtrique sexui ædificia, & oratoria distincta construerentur. Sic profectò, vt ait idem Patricius, nomen Dei per eos inter gentes, quibus illud prædicabant, non blasphemaretur; nec infirmis scandali occasio vlla in casu tali, vel detrahendi materia tribueretur. Quod ergo S. Patricius edixit & statuit, obseruari fecit.

qui tamen statuit fæminas à Clericis sequestrandas.

C 93 Quadam vice S. Patricius quatuor Virgines stantes super lapidem vnum velauit, cōsecrauit, Sponsoque cælesti desponsauit. Res autem apparuit mira & valdè insusitata. Virginum Deo dedicatarum lapidi duro impressa vsque in præsens apparent vestigia; vt cunctis clarescat, quòd benedicentis Patricij precatio siue prædicatio penetrare possit emolliendo pectora, etiam saxea. Datur nihilominùs nobis hac in re intelligere, quòd mundum contemnentes ob amorem Christi, debeant vias duras custodire: vt ad eum, cui se probauerunt possint peruenire. Vocatur locus in quo consecratæ fuerunt *b* Tedna, vbi illis Domino seruituris ædificabatur ecclesia, quæ pertinet hodie ad ius Metropolitanæ Sedis in Ardmachiâ. Venit S. Patricius caussâ transeundi ad quoddam prægrande flumen, inter Midiam & Connactiam situm Synniam nomine; quod cunctis, exceptis nauigantibus, semper fuit intransmeabile. Diu nauigium quæsiuit, nec inuenit. Orauit igitur ad Dominum, qui quondam in mari fecit viam, & in profundo semitam posuit: moxque in medio fluminis terra diuino nutu eleuata Sancto Dei socijsque illius transitum liberum fecit & præbuit. Vt autem ripam fluminis attigerunt, auriga Sancti defungitur; ibique ædificata est ecclesia, quæ ad ius Ardmachanæ Ecclesiæ spectare dignoscitur. In illo loco, vbi à magis in-

Virgines Deo consecratæ relinquunt vestigia saxo impressa.

Terra eleuata in profūdo fluminis facit Patricio transeundi copiam.

ductas tenebras S. Patricius orando dimouit, extructa est ecclesia; in qua quemdam de suis Clericis Ailueum dictum, ad gradum Sacerdotalem, quatenus inibi ministraret, promouit. Ordinatus Presbyter conquestus est S. Patricio, quòd sibi deessent necessaria Sacerdotali ministerio: Sanctus diuinitùs instructus, indicauit Presbytero quoddam altare mirandi operis, habens in quatuor angulis quatuor calices vitreos, in specu subterraneo; & ne fortè frangerentur, præcepit ei, cautiùs effodere, humumque egerere. Fecit Presbyter, sicut Præsul præcepit, & omnia sicut dixit reperit. A quibus autem personis illud altare factum fuerat, aut cum calicibus ibi repositum, nobis adhuc extat incognitum. Quidam verò opinantur, omnia illa fuisse Palladij Episcopi siue sociorum eius, quæ relicta sunt ibi post discessum eius.

Ædi indicante altare & quatuor calices vitrei reperta in specu.

a *Colgano videtur Brendanus irrepsisse pro Manio, qui similem rem egisse dicitur in Tripartita in fauorem vxoris Corbrei. Sed prophetiam euentus planè diuersi cur non de diuersâ personâ fuisse credamus; maximè cum alia quoque circumstantia varient?*

b *Rectiùs & integre scriberetur.* Teg-na-ningain *domus puellarum.*

CAPVT XII.

Alsinnia erecta: res in ea diœcesi gestæ. De SS. Episcopis Muni & Fiecho.

94 VIsum est viro Dei in quodam campo ecclesiam ædificare, in quâ posset populum acquisitionis Deo aggregare: huius rei gratiâ petiuit à possessore fundi præparari sibi locum illum, repromittens illi portionem in terrâ viuentium. Homo autem ille magicis assuetus artibus promissam sibi pro nihilo habuit terram desiderabilem, quin potiùs pro pretio postulans aurum, cuius nimis execrandam famem sustinebat. Sanctus autem in præsenti respondit se non habere, sed totum, quod habuit, in ecclesiarum ædificia vel necessaria pauperum expendisse. Sed cùm homo precanti Pontifici nullatenùs assentiret, ad effossuram cuiusdam porci, prece prælibatâ, perrexit; ibique tantum auri, quantum exigebatur, inuenit; inuentum pro commutatione terræ dedit. Erat & alter vicinus, habens agrum illi terræ collimitantem, quam cōparauit, quem Sanctus ecclesiæ præfatæ conferri suppliciter flagitabat. Quo respondente similia verbis prioris, iterum iuit ad effossuram porci, reperitque aurum æquilibre priori, quod homini pro comparatione agri tribuit. Hoc iam tertiò manifestauit S. Patricio Dominus in terrâ, porcorum naribus euisceratâ, semel pro sui redemptione, bis in hoc loco pro ditandâ dotandâque ecclesiâ. Posteà posterior fratrum Ono nomine, corde compunctus, aurum sancto Dei non solum reddidit, verùm etiam domum suam, prædia, & substantiam ad fundandam ecclesiam & ædificandam contulit. Locus autem Elsind vocatur, in quo hodie Sedes Episcopalis habetur.

Duabus vicibus aurū repertum in fossurâ porci, dat pro loco ecclesiæ.

S. Assicus ordinatur Episcopus Alsinniæ.

95 B. Patricius verò quemdam discipulum suum nomine Alycum, habitu actuque monachum, in Episcopum consecrauit, & Ecclesiæ præfatæ præfecit: ipse verò admonente S. Patricio in ecclesiâ Sedis suæ, collegium monachorum egregium introduxit, cui regendo iure Abbatis præfuit. Hic quâdam vice, dum verum assertiuè dicere debuit, delinquens linguæ lubrico mendacium protulit. In se verò reuersus, posteà statuit seipsum contra faciem suam; ex magnâ pœnitudinis amaritudine elongauit se, & fugiens à facie hominum, mansit in solitudine; ibique septem annis degens, à nullo visus est homine. Monachi verò illius diu quærentes eum; expleto septennio in cuiusdam concauo vallis ipsum repererunt, à locoque extrahere ad ecclesiam suam, tamquàm sponsum sponsæ suæ in gremium

mirâ pœnitentia expiat mendacium leue.

A mium reducere violenter voluerunt. Episcopus illis nullatenùs acquieuit, indignum se iudicans ad officium Pontificale vlteriùs exercendum, de cuius ore mendacium processit spontaneum, quod sacri Canones definiunt esse sacrilegium in linguâ Sacerdotum. Quâ in re pensandum est, quantùm pœnitere debeant in grauissima crimina lapsi de suis magnis excessibus, si tam strictè de solo mendacio pœnituit & satisfecit iste Sanctus. O quanti corda gerunt ad peccato resistendum lutea, ad pœnitendum verò saxea! Multi namque homines flagitiosi, scelerati, abominabiles in vitâ suâ (quod absque dolore dici non debet) animarum regimini se ingerunt, & manibus inquinatis alienas sordes diluere appetunt; funibus etiam mortalium criminum constricti ceteros ligatos soluere gliscunt: quorum desiderium dum diuino iudicio adimpletur, multò peiores fiunt, quàm anteà fuisse noscuntur. Sub regimine namque constituti de solis proprijs reatibus possunt pœnitere atque satisfacere; in sede pastorali positi, de singulorum sibi commissorum excessibus tenentur rationem reddere. Quia ergo verba Sacerdotum aut vera sunt aut sacrilega, horrendum iudicium est illis Sacerdotibus ceterisq; Prælatis Ecclesiæ, quorum mendacijs assiduis aut periurijs inquinatur lingua.

In exemplum alijs, maximè Episcopis.

B Hæc quasi per digressum diximus, vt non solùm flagitia & facinora, sed etiam mendacia, quàm sunt vitanda cunctis Christicolis, & maximè Pastoribus animarum, ostenderemus. Nunc verò ad historiæ sacræ seriem redeamus. Monachi enim supradicti nolentes à S. Asyco separari, vsque ad exitum vitæ illius ibidem manserunt; eoque sepulto, monasterium ædificantes illic, in sanctitate & iustitiâ Domino seruierunt. S. Patricius quod Spiritu sancto sibi reuelante de vtroque fratre didicit, vtrique minimè tacendum duxit. Prædixit priori dominationem illius terræ illum cum semine suo in breui amissurum, qui mammona Christo, & suæ petitioni præposuit aurum. Iuniori multa bona prædixit ob deuotionem animi sui sibi euentura, & quòd coadiutor Regum in terrâ esset, optimique Sacerdotes Dei nascerentur eius de stirpe sanctâ. Omnia illa, quæ Sanctus prophetico protulit affatu, nullatenùs frustrata sunt ab effectu.

Prophetia de Ono eiusq; fratre diuersa,

96 Prædicabat quadam vice S. Patricius gentilibus, ipsosque instruendo & baptizando illo in loco demorabatur diutiùs. Benignus autem Sancti discipulus aliquantulùm ferebat molestè moram illam tantam illis in partibus. Sanctus autem dixit, se nolle de locis illis egredi, antequàm ad se venirent de remotis partibus discipuli sui & alumni. Alterâ die cernebatur cælum nigrescere, ventoque vehementi commoueri & concuti mare. C S. Patricius verò obnubilatâ facie mœstitiâ, suis secum manentibus indicauit, filios suos in Christo genitos, nauigio tendentes grauamen ingens perpeti; seque multùm afflictis, & maximè puero suo, filio Erchi, alumno eius supramodùm formidanti, dicebat compati. Asserentibus illis non posse nauem ferre tantam tempestatem, vir sanctus instantiùs se conuertit ad orationem. Interuallo modico facto, cunctis qui præsentes erant audientibus, imperauit ventis & mari, quatenùs quiescerent à feruore suo in virtute Dei sui. O res stupenda & admiratione digna! continuò cessauit ventus, siluit fretum, pacabatur procella, & facta est tranquillitas magna. Eâdem die memorati Fratres prosperè satis applicuerunt, & qualiter elementis priùs in sui periculum versis, sed inopinato modo pacatis, potentissimam precem Patricij Patris sui sint experti, coram cunctis retulerunt. Alio quoque tempore ijdem Fratres, gratiâ visitandi S. Patricium, viam carpebant itinere pedestri per arenosa loca littoris maximi, vt venirent ad ipsum. Cumque simul pergerent & incedentes sermocinarentur, ecce maris accessus illos circumclusit, spemque euadendi adimens cunctis formidinem mortis incussit. S. Patricius verò diuinitus edoctus angustias aduentantium agnouit, agnitamque discipulis

Discipulis periclitãtibus compatiens Patricius

tempestatẽ sedat,

iterùmq; eos liberat mari recedere iusso:

D præsentibus indicans, se compati tribulatis dixit. Deinde prece præmissâ, præcepit potenti virtute verborum, in nomine Domini Dei sui rheumati maris, vt quantocyùs recederet, ac filijs suis se visitantibus liberum transitum & quietum exhiberet. Obediuit continuò mare voci viri Dei, & recessit: sicque cœtus ille Fratrum lætabundus & laudans Deum ad Patricium peruenit, & super tanto miraculo narrato cunctorum audientium corda in laudem Dei, mirabilia in Sanctis suis operantis, resoluit.

AVCTORE IOCELINO

97 Quodam tempore, nauigatione necessariâ completâ, S. Patricius cum suis viris religiosis applicuit, & egressus ad aridam fortuito casu cucullam suam in littore reliquit. Appulsi Sancti, sedentes de cælestibus ad inuicem contulerunt, & mutuæ collationis consolatione sese refecerunt: mare verò more solito, ascendens arenæ superficiem cooperuit, & vt Præsulis cucullam ad se traheret, & asportaret, propè fuit. Hoc Sanctus intuens, interdixit maris rheumati, ne tangeret aut tolleret illam, in eius nomine, qui potestatem habet in cælo & in terrâ, in mari & in omnibus abyssis. Res mira! maris profluuium implendo totum locum, consuetum ei spatium occupauit: solùm locum illum, in quo cuculla continebatur, intactum dimisit. E Post freti autem refluum recessum, deferri sibi cucullam fecit; omnesque qui aderant, signum illud in Dei laudem & Patricij venerationem excitauit. De cetero cuncti promptiores ad obediendum illi fuerunt, qui mutum elementum eius imperijs obtemperare conspexerunt. Quadam vice, cùm S. Patricius consecrasset duas Virgines in campo sito in finibus Cregri, quoddam velum destinatum cælitus cecidit in gremio Patricij: quod Sanctus suscipiens summâ cum deuotione, Virgini consecratæ posteriùs illud obtulit: sed illa tali munere, tam sancto eulogio indignam se iudicans, sancto Antistiti dixit: Quoniam istud datum optimum, donumque perfectum descendens à Patre luminum, mihi peccatrici missum non est, congruum arbitror vt ipse habeas, cui delatum; aut conferas alteri, quæ me melior est. Applaudens Sanctus Virginis humilitati; imposuit velum illud illius capiti, præcipiens vt illud gestaret iugiter, donec introduceretur in thalamum sponsi sui. Virgo præcepto Pontificis acquieuit, sanctèque viuens sanctissimo fine in Domino requieuit.

à quo & cucullam suam intactam seruari mandat:

Velum cælitus missum Virgini à se consecratæ imponit,

98 S. Patricius sanctâ consuetudine ductus, quemdam leprosum secum detinebat, cui cum magnâ deuotione cuncta pro Christo necessaria ministrabat, vlcera manibus proprijs lauit, vtrumque ipsius hominem, competenti cuilibet cibo reficere consueuit. F Leprosus enim corporali sospitate penitus perditâ, saluti animæ omnibus modis inuigilare studuit, orationi iugiter incumbere, in omnibus agere semper Deo gratias. Cùm autem lepræ squallore succisus, fœtorem commanentibus ingereret; timuit ne ceteris esset horrori, ac clàm & humiliter à consortio ceterorum secessit, & in quadam arbore concauâ fortuitò inuentâ solitarius secum habitauit. Dum enim solus sederet, intuens quemdam prætereuntem, illum ad se accersiuit, & cuius esset professionis inquisiuit. Quo respondente Christianum se esse; precabatur virum, vt ob eius amorem, in quem credidit, non pigritaretur ad proximum accedere iuncosum locum, & de iuncis ibidem radicitus euulsis efferre sibi fasciculum. Ad petentis igitur, vel potiùs adiurantis vocem pergens ad locum homo, iuncum extirpauit, & confestim perspicuus fons erupit: fascem autem de iunco ad leprosum attulit, & de noui fontis scaturigine, quod accidit, retulit. Ille gratias & laudes Deo reddidit, deinde homini dixit: Noueris, frater carissime, quòd Dominus noster Iesus Christus huc te adduxit, vt in fontis illius aquâ corpus meum abluas, & in eo loco sepelias. His dictis oculos ac manus in cælum leuans, expirauit: corpusque

leprosi vitã

& morti pia miraculo honestat

AVCTORE IOCELINO corpus reuelatum, denatumq;

A que illius præfatus vir in fonte diluit, nullumque lepræ vestigium in eo videns, sed sanissimum repertum ibidem sepulturæ tradidit & discessit. Euolutis aliquantis diebus S. Munis, multarum Reliquiarum Sanctorum deuotus baiulus, de Româ reuertebatur, & necessitate coactus in loco prædicto de nocte morabatur. Sub noctis autem silentio vidit lucem magnam circumfundere locum istum, & Angelos psallentes audiuit excubias agere vsque manè circa tumulati sepulcrum.ª Hæc omnia narrauit ille S. Patricio, dicens se velle amouere corpus illud sanctum à loco illo deserto. S. Patricius prohibuit hoc fieri, prædicens ibidem habitaturum quemdam filium vitæ, nondum natum Kieranum nomine, qui locum illum repleret præclaro Sanctorum agmine, & corpus illud sanctum multo sublimaret honore. Quod enim prædixit, processu temporis euenit: est enim locus ille inter Midiam & Connactiam, in quo sita est ciuitas Cluanensis, in quâ habetur hodie Sedes Episcopalis.

In gratiam S. Munis sua quieti timentis

99 S. Munis memoratus de Româ reuersus, ex itineris longi fatigatione fastiditus vsum vlteriùs itinerandi, precabatur S. Patricium, vt, sicut fratribus suis ecclesias habentibus requiem prouidit; sic sibi procuraret B locum habitationis contemplationi congruum. Sanctus igitur Patricius illum, licet internæ quietis dilectorem, saluti tamen plurimorum profuturum sciens, obtulit illi locum aptum & optimum, dicens: Ecce collis, ecce vallis; ædifica & inhabita, vbi gratiùs videatur oculis tuis: illud autem scito, quòd si in valle habitaueris, plures ad Dominum animas perducere possis: si autem in colle manseris pauciores acquires, ob vanitates & amœnitates oculis obijciendas, & alias caussas casusque quamplures. Præmonitus & præmunitus Munis à Spiritu sancto, respondisse fertur S. Patricio: Non conqueror de colle seu de valle; sed de stagno proximo; quoniam inibi regalis existat habitatio: crebra namque aulicorum aliorumque secularium frequentatio fiet mihi molesta, mentisque meæ sabbato ingerent impedimenta. Confirmans illum S. Patricius asseruit, facilè fore Deo huic molestiæ mederi; recedensque paullulùm preces deuotas & efficaces effudit in conspectu Dei. Nocte igitur sequenti, stagnum illud cum habitaculis & habitatis in eo tam remotè transtulit Dominus, vt nullam molestiam aut grauamen inde sustineret seruus eius. Sanctus enim Munis manens illic ecclesiam extruxit, cui S. Patricius de Reliquijs Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & aliorum C Sanctorum perplurium, ac insignia quædam ad ecclesiasticum ministerium necessaria dedit. Ipse postea, licet inuitus, virtutibus clarescentibus, ad officij Pontificalis promotus fastigium, signis etiam coruscâs multis, migrauit tandem ad Dominum.

stagnũ alio transfert Patricius:

S. Fiecum baptizat,

100 Fuit quidam iuuenis benè morigeratus, ingenio subtilis, eloquentiâ floridus, formâ speciosus Fiechus nomine, discipulus Dubhtachi poetæ. Hic ante paucos annos duxit in matrimonium quamdam puellam, quæ iam recenter obierat, de quâ & vnicum filium susceperat. Hunc S. Patricius cum magistro suo prænominato conuiantem obuium habuit, & in momento & ictu oculi, Spiritu reuelante, ipsius conscientiam agnoscens coram cunctis dixit: Ecce vir vnius vxoris tantùm, qui secundùm Apostolum (1.Tim.3.2) dignè promoueri poterit in Sacerdotium & etiam Pontificatum. Cœpit igitur fidei rationem ipsi exponere, atque vt baptismum susciperet, admonere. Mirabatur iuuenis in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore S. Patricij, & maximè quia tam citò potuit ab ipso penetrari secretum eius; ac vita dignosci. Credens igitur suscepit baptismum, & priùs renitente diu magistro, sed postmodùm annuente, discipulatui sancti Pontificis se contulit. Sanctus autem illum benedixit, & Alphabetum manu suâ scriptum tradidit ei. Ipse verò benedictione S. Patricij potitus, in vnâ die Psalterium didicit, & infra breue temporis spatium inspirante Spiritu D sapientiæ & intellectûs, sacras Scripturas sufficienter intellexit. Nulla namque ad discendum mora est, vbi Spiritus sanctus Doctor adest. S. Patricius ad Ecclesiasticos gradus illum promouit, & in singulis dignè ministrantem, tandem Episcopum consecratum Sleptensi Ecclesiæ præfecit. Ipse verò vitâ, doctrinâ, miraculis conspicuus apparuit, & Angelico edoctus oraculo, suscipiens habitum monachalem, in episcopali Sede cœnobium monachorum egregium ædificauit.

deinde Episcopum Sleptensem constituit.

Illi destinatum currũ

101 B. Patricius S. Fiecho quemdam currum duxit destinandum, eò quòd infirmitate grauatus itinere pedestri non potuit diœcesim suam visitare, atque Pontificis officium exercere: attenuatus enim erat abstinentiâ nimiâ, insuper & in coxâ fistulæ laborabat molestiâ. Cernens hoc S. Secundinus, humanum quid passus, ægrè tulit, currumque sibi iustiùs quàm illi dandum asseruit. Pater pius molestatum illum intelligens, illi satisfacere sategit potiùs signo quàm sermone, dicens: Non graueris, frater carissime, super munusculo confratri & Coëpiscopo nostro dando, ne detur occasio nos sugillandi diabolo: quia plus frater ille, quàm quilibet nostrum indiget vehiculo. Sed nostro E ne videamur erralle iudicio, huius rei discussio examini relinquatur Angelico. Angelus enim apparens vtrique ad precem S. Patricij, suppositis equis currum iungi, & absque aurigâ dimitti iussit, & apud quemcumque substitissent & mansissent equi veredarij, currum ei conferendum censuit. Factum est autem vt Angelus imperauit, currumque Sanctus iungi fecit: equi verò nemine regente per loca inuia & itinera distorta, primò ad habitaculum ipsius Secundini vesperè deuenerunt, disiunctique ad pascua dimissi fuerunt. Facto autem manè, nemine iungente, currui subiugati sunt, similique modo ad alterius Sancti mansionem pertingentes, ibidem pernoctauerunt. Tertio tandem die versùs S. Fiechum appropinquauerunt & steterunt, & quòd ad ipsum destinati fuerant, euidenter intelligi dederunt. Non tamen Sanctus ille voluit currum illum ascendere, antequàm Angelus ipsum certificaret de misso sibi munere. Aliâ vice hoc itidem miraculum eodem modo est iteratum de duobus equis à S. Patricio ipsi S. Fiecho destinatis, curruique ipsius subiugandis.

equi absque ductore triduo viâ perducunt.

idem præscriptum ab Angelo cœnobium

102 Angelus aliâ vice præcepit præfato Fiecho trans flumen ædificare monasterium, singulis officinis proprium & congruum assignans locum: vbi sibi aper apparuit, refectorium; & vbi cernebat ceruam, illic F extruere iussit oratorium. Respondit Sanctus Angelo, se nullatenus tale quid inchoaturum, nisi S. Patricius Pater & Pastor suus adueniens approbaret opus iniunctum. Non displicuit verbum Angelo Domini, quia sciuit in ipso affectum dilectionis & obedientię, quam habuit in Christo erga virum Dei. Transactis igitur aliquantis diebus, Angelo monente, Patricius Fiecho sui præsentiam exhibuit, & in illo loco qui dicitur Forrach extruxerunt cœnobium iuxta exemplar, quod Angelus illis præostendit. Ipse verò S. Fiechus in hoc monasterio Abbatis vice præfuit, & Episcopale nihilominus officium plenè in diœcesi suâ exercuit. Consueuit idem Antistes singulis annis in capite ieiunij de cœnobio solus egredi, allatisque quinque panibus hordeaceis, cineribus mixtis, secum ad sui sustentationem, in secretiori eremo toto illo sacro tempore demorari. In Dominicâ verò Palmarum, aut aliquoties in Cœnâ Domini, solebat ad officium peragendum suum, ad sua reuerti, secum adhuc dimidium panis vnius habens incomestum. Sexaginta etiam Sanctos ad Deum præmisit; quos ipse sequens, Slepti sepultus fuit. Filius autem eius superiùs memoratus, scientiâ, & sanctitate patrissauit; & alibi gradum episcopalem sortitus, in Domino requieuit.

nonnisi assentiente Patricio fundare præsumit.

miraque abstinentiâ claret.

a Fortè

A a Fortè quod de reliquijs à S. Mune in cauo arboris relictis alibi dicitur, non nisi de huius leprosi corpore intelligendum est, licet alij ad reliquias Româ allatas hoc transtulerint.

CAPVT XIII.

Patricio resistentes seuerè castigantur.

S. Patricius de Calregiis prophetat:

103 SAnctissimo Patricio, prædicationi diuini verbi viriliter insistenti, quidam viri armati de Calregiâ occurrerunt, ipsumque Angelum pacis violenter de finibus suis expulerunt. Vir autem Dei quod de illis in spiritu vidit, tacendum minimè iudicauit: Quia, inquit, contra inermem arma tulistis, & annuntiantem vobis pacem, prædicantem salutem, à finibus vestris effugatis, vos & semen vestrum in die belli terga dabitis. Illi autem hoc audientes à facie gladij oris eius valdè timuerunt, & super temeritate suâ pœnitentes, flexis genibus ante Sanctum Dei lacrymosis precibus omnes, exceptis quinque, indulgeri sibi petierunt. Sanctus parumper secum deliberabat, iterumque ad illos verbo præsago dicebat; Stabit verbum fixum, quod Spiritu sancto dictante de vobis & semine vestro de B ore meo est egressum: attamen quoniam ex corde pœnituistis, licet in fugam conuersi fueritis, non vltra quinarium numerum in alicuius discrimine prælij occumbent ex vobis. Hoc S. Patricij vaticinium narrant Hibernici crebris experimentis esse completum.

104 Quidam pessimi & maligni degentes in terrâ Ferrois vitam S. Patricij molientes extinguere, recentes caseos veneno infectos obtulerunt illi, quasi pro benedictione. Quos sibi Sanctus oblatos benedixit, & statim in admirationem multorum, & Dei laudationem ac suimet venerationem, atque veneficorum ignominiam in lapides conuertit. Manent vsque in præsens isti lapides in loco patrati miraculi, & Patricij meritum prædicant etiam muti, quia sic mutati. Iidem verò venefici, sua machinamenta videntes ad Sancti profecisse gloriam & suam confusionem, adunauerunt ex suis quinquaginta viros armatos, ad sanguinis iusti effusionem. Conglobati ergo aduersùs Pontificem, ingressi sunt vadum cuiusdam fluuij, secus cuius ripam itinerans in occursum illorum adueniebat vir Dei: quorum vultus vt vidit, eorum cogitationes intellexit, & eleuans sinistram manum contra illos, clarâ voce dixit; Non vos ad nos venietis, nec ad vestros reuertemini; sed in aquâ istâ cadauera vestra manebunt vsque ad diem iudicij. Iuxta verbum autem viri Dei sententiantis, statim submersi sunt quasi plumbum in aquis C vehementibus: nec vsque adhuc illorum corpora, licet multùm diuque quæsita, inuenta sunt à viuentibus. Hoc egit ex censurâ diuinâ aqua in isto quinquagenario conspirante in necem S. Patricij, quod ignis cælestis in duobus superbis quinquagenariis à Rege Achab missis ad Heliam Prophetam. Locus enim, quo aquis sunt suffocati, vocatur vadum submersorum vsque in hunc diem.

venenatos caseos conuertit in lapides:

insidiantes sibi quinquaginta demergit:

105 Quidam tenebrarum filij in campo Liffe vocabulo, fecerunt foueas profundas per loca varia publicæ semitæ, quas operuerunt ramusculis, & viridi cespite, vt Sanctus itinerans in eas improuisè incideret. Quædam verò puellâ præparatas insidias intellexit, quas viro Dei; quatenus se cautè cauendo custodiret ab illis, indicare curauit. Sanctus in Domino confidens, iussit suis equos ascendere, datâque benedictione pertransiuit cum suis inoffenso pede. Fragilis namque herba atque tenuis, quasi terra solida, equitantes supra se sustentabat: quia sacer equitatus ille, in cordibus & corporibus suis omnia portantem portabat. Destinauit deinde Dei Sacerdos præfatam puellam ad ipsius patrem, vt illum adduceret ad sui præsentiam ob percipiendam animæ salutem. Fecit virgo vt Sanctus imperauit, patremque suum in conspectu eius præsentauit. Sancto verò prædicante verbum Dei, homo credidit, ipsumque, cum decem filijs & tribus filiabus, Patricius baptizauit: baptizatas verò Virgines, velamine sacro tradito, Domino consecrauit: & ex filijs eius quinque fore felices florentesque in seculo, & alios, quinque priùs in clericali gradu, posteà in habitu monachali sanctè victuros ac defuncturos ore præsago pronuntiauit. Prædixit etiam illis, qui foueas insidiosè sibi ac suis parauerant, quòd ipsi & semen eorum vitam sustentando transigerent, in terrâ iugiter effodiendo, & eos secundùm Scripturam apprehenderet, velut aqua, inopia. Hæc autem omnia, quæ Sanctus prædixit, rerum euentus probauit.

foueas insidiosè instructas illæsus pertransit;

& familiam ergà se beneficam bene;

D AVCTORE IOCELINO

Iob 27, 20

obsistentibus sibi malè dicit,

106 Venit S. Patricius ad pagum quemdam infra insulam Incheen, & inuenit locum construendæ ecclesiæ idoneum; quam cùm inchoasset, multitudo rusticorum de pago prorupit, & opus inceptum impediuit. Sanctus autem repletus spiritu prophetiæ prædixit illis veridicâ voce: Quoniam mihi, ne possim ædificare domum Domino Deo meo, impedimento & obstaculo estis, fumus non egredietur de domibus generationis vestræ in isto loco consummatis. Hoc autem S. Patricij dictum oculata fides vsque in præsens probat esse verissimum. Multi enim multoties cœperunt domos E ædificare illic, sed ob ingruentes importunitates numquàm illas potuerunt consummare. Quidam prauus atque peruersus, potens in iniquitate, Oengus dictus, S. Patricium ecclesiam ædificare volentem in loco congruo, prohibendo impediuit: cui S. Patricius iurans per iudicem suum, imò prophetans dixit: Erit in breui domus tua destructa, & substantia tua dissipata, filij quoque tui ex profanis lumbis tuis egressi, ex maiori parte sese mutuo fratricidio fœdabunt: ceteri superstites numquàm alicuius dignitatis seu potestatis fastigiũ obtinebunt; sed vsque ad diem mortis suæ vagi & profugi super terram erunt. Hoc autem S. Patricij præsagium completum, descriptæ miseriæ viro prædicto filijsque illius inflictæ probauit experimentum.

107 Præpotens quidam in allodio proprio, cùm ecclesiam ædificandam prædijs & possessionibus locupletaret: cui regendæ quemdam de suis aptum ad lucrandas animas S. Patricius præponere volebat; resistebat homo dicens, se de suis Clericum habere, quem ecclesiæ suæ voluit præficere. Sanctus indignum ducens ad præsens pro hac re contentiosè agere, recessit ab homine. In crastinum adduxit homo ad S. Patricium filium suum, volens vt illum consecraret in Episcopum, ecclesiæ præficiendum: & quia Sanctus à suis F auulsus, in locis secretioribus orationibus & studijs intendebat, diuertens homo ab eo, duos Episcopos ex discipulis Sancti alibi constitutos adijt, & super consecratione filij sui conuenit. Vnus verò illorum hominis petitioni non acquiescens, nil tale sine consensu vel præcepto S. Patricij se velle attentare respondit: sed alter seu prece seu pretio præstrictus, quod petebatur facere præsumpsit. Quo comperto, S. Patricius præsumptorem plectens percussione pœnitentiæ satis asperæ, prædixit etiam illum penuriam panis perpessurum omni tempore vitæ suæ. Asseruit etiam Episcopum taliter consecratum depositione dignum & despicabilem, & Ecclesiam eius pauperrimam fore, ita vt à duobus hominibus sibi vim inferentibus, se non posset defendere. Quod ergo Sanctus prædixit, irreuocabiliter euenit. Quâ in re sapiens quisque commoneatur, ne cæcatus ambitione simile quiddam attentare præsumat.

Aspera pœnitio Episcopi præsumptuosè consecrati & consecrantis.

108 Quidam cæcitate diutinâ damnatus, Domhnaldus dictus, audiens prætereuntem S. Patricium, illi se præbuit obuium, confidens per illum se lumen desideratum adepturum: & quia palpebræ non præcedebant gressus eius, nec lumen oculorum erat secum, currens & occurrens cadebat: resurgebat, autem nec fuit, qui ad manum traheret illum. Cernens illum quidam

Domnaldi cæcitas in Clericum irrisorem translata.

AVCTORE IOCELINO

A dam Clericus de comitatu S. Patricij corruisse, risit & derisit infortunium cadentis cæci. Quod factum cōperiens S. Patricius indignè tulit, & ne quis in discipulatu eius tale quid ampliùs præsumeret, eius vecordiam verbo vindictæque verbere coërcens, dixit: Amen dico tibi, quia in nomine Dei mei huius hominis oculi caligine clausi aperientur, tuique obtutus aperti ad malum, concitantes cachinnum, cæcitate claudentur. Hæc dicens impresso signo Crucis, à cæco tenebras abstersit, & malè videnti cæcitatem incussit. Quo in facto illud sacræ Scripturæ Saluatoris ore prolatum adimpletur, Vt non videntes videant, & qui vident cæci fiant. (Ioan.9.) Eodem etiam die, diuinâ virtute tres claudos opem flagitantes erexit, & iuxta Propheticum vaticinium, sicut ceruos exilientes, & exultantes ad currendam viam illos effecit. (Isa.35.)

Magi mortem Patricio machinantes puniti.

109 Malefici numero nouem S. Patricio præconi vitæ mortem machinantes, monachos ministrosque iustitiæ sese simulauerunt, & vt Sanctum in habitu consimili constitutum faciliùs possent de medio tollere, candidas cucullas induerunt. Imitati sunt nimirùm tenebrarum Principem, præceptorem suum Angelum Sathanæ, qui se transfigurat in Angelum lucis, cui frequenter in actibus & artibus suis exhibuerunt obse-

B

quium seruitutis. Perpendens vir illustris amicus sancti Præsulis Enda vocatus, insidias impiorum, ob Sancti defensionem filium suum, nomine Conallum, immiscuit maleficis; illi præcipiens vt illorum cassaret conatum, & à viro Dei arceret accessum. Filius autem fecit quod pater iniunxit; & inter filios noctis filius lucis stetit. Agnouit denique S. Patricius diuinitus edoctus coruos sub pennis columbæ, luposque latitantes sub ouium vellere; sub cucullis sicas ad latus dependere: sciebat nihilominùs Æthiopem mutare non posse pellem suam, quamuis bysso contectam; nec magos illos velle deserere malitiam immedullatā, etsi cucullis candidatam. Priùs ergo signo Crucis, vndique se muniuit, ac illud contra inimicos Crucis Christi opposuit. Miro itaque modo ignis de cælo descendens, in conspectu omnium maleficos consumpsit: stantem Conallum inter illos tam indemnem à læsione ignis, quàm immunem à prauitatis consensu reliquit. Crux ergo Christi sicut pijs & fidelibus ad salutem fuit protectio, sic impijs idololatris ad perditionem extitit iudicialis punitio. Posteà signaculum Crucis homo sanctus ibidem impressit, fontemque perspicuum & salutiferum ex terrâ produxit. Ædificauit etiam ecclesiam

C

in loco miraculi per Crucem patrati, quæ vocatur vsque hodie Crux Patricij.

110 Aliâ vice magus alter, sed à molestiâ non alteratus, de assensu profani vulgi ad facinus aggregati voto se constringens ad sacrilegium perpetrandum, consurrexit in interitum S. Patricij. Sanctus autem ante accessum percutiens execrabilem magum, erectâ sinistrâ manu, malefico maledixit in nomine Domini: & ille confestim igne cælitus misso, in oculis omnium combustus, instar priorum nouem interijt. Vulgus verò quod ad spectaculum mortis sancti Præsulis conuenerat, timens exitio pari se periturum, beneficio fugæ vel diuinæ potiùs permissu pietatis, euasit. Cùm S. Patricius die quadam accelerasset iter ad ministerium consuetæ prædicationis cum summâ instantiâ, rota currus, cui insidebat, in duas partes inueniebatur confracta. Ad siluam igitur vicinam curritur, lignum aptum visu, congruum æstimatione succiditur, dolatur, rotæ reparandæ adaptatur: attamen casso labore diu desudatur, quia rota, sicut priùs, dissoluta videbatur & confracta. Iterùm autem atque iterum rhedæ restauratio attentatur, sed fractura continuò, ac si cælitus cōtigisset, renouatur. Vir ergo Dei huiusmodi casum non sine causâ contigisse intellexit, ac diligentiùs de siluâ, quæ vel cuius esset inquirens, illam consecratam esse dijs, imò dæmonijs à referentibus

Lucus dijs sacer exarescit ad maledictionē Sancti.

D

agnouit. Sanctus secretorum diuinorum conscius, concorsque cælesti sententiæ, leuatâ læuâ maledixit siluę præfatæ. O miraculum! Lucus ille totus instar Euangelicæ ficulneæ confestim aruit: nec vlteriùs vllum arbustum aptum alterius vtilitatis vsui vel operi, quàm igni protulit.

Desiorum in consiliis maturandis socordia castigatur.

111 Regulus quidam & populus eius in loco, qui Na-Dese dicitur, degens infra fines Momoniæ, constituerunt diem atque horam, quâ conuenire deberent, & super ecclesijs fundandis tractare ante S. Patricij præsentiam. Venit S. Patricius iuxta condictum ad locum & diem præfixum, totâque die vsque ad vesperam expectauit, nec aliquis, vel saltem responsalis, comparuit. Tali modo multis vicibus homines illi deluserunt virum Dei. Spiritus enim sanctus inhabitator Patricij non celauit hominibus illis per os eius stipendium contumaciæ tantæ: sed quadam vice vesperè venientibus ad se dixit apertè: Quoniam non solùm mihi, sed Spiritui sancto toties illusistis, conuenientia negotia nec vos nec semen vestrum post vos in generationes seculorum, ante vesperum in loco isto perficietis. Et sicut prouerbialiter voce vulgi dicitur, hoc dictum à S. Patricio in hominibus illius loci vsque in præsens adimpletur. Nam si summo manè ad aliqua præcipuè agenda conueniant, ante vesperam illa numquàm consummant.

E

Mons altus reductus in planitiem.

112 Erat quidam peruersus de Momoniæ Magnatibus, Cearbhallus nomine, qui semper impedimento fuit S. Patricio, ne posset ecclesiam extruere in terrâ ditionis suæ: erat enim quoddam stagnum pulcrum visu aspectuque delectabile non longè à mansione suâ positum: sed mons magnus & altus interpositus sui obiectu omne abstulit ab oculis eius de illo prouenienes oblectamentum. Institit Sanctus ecclesiam fundandam & ædificandam exhortans & obsecrans: restitit homo negans diutiùs. Quadam tandem vice homo ille nequam, versuto responso circumscribere volens petentem Patricium, dixit ad illum: Si transtuleris in nomine Domini Dei tui montem istum de loco isto, vt satietur oculus meus super visu stagni desiderati liberâ contemplatione, liceat tibi ecclesiam in loco, quo gratum duxeris, ædificare. Hoc idcircò petijt, quia illud omnino impossibile fore credidit. Sanctus verò fusâ oratione, leuauit oculos fidei & dilectionis ad montem præparatum & eleuatum in vertice montium: moxque mons ille humiliatus & absorptus à terrâ, exhibitâ planitie, præbuit homini liberam facultatem videndi stagnum. Cùm verò S. Patricius inchoasset ædi-

F

ficare, induratus homo, ne consummare posset, prohibuit: quoniam ob ædificandam ecclesiam exhæredari se, atque de terrâ illâ expelli formidans, trepidauit, vbi timor non fuit. Sanctus rursus orauit ad Dominum: & mons excreuit in pristinæ celsitudinis statum. Prædixit autem illum in breui dominatum terræ illius amissurum, nullumque de stirpe illius Magnatem aut Episcopum futurum. Consequenter implebatur vaticinium verbum sanctissimi Præsulis: quia sicut oculus eius arcebatur à visione stagni, obstaculo montis; sic vita eius finiebatur exitu mortis. Pessimus quidam tyrannus, Euchodius nomine, in finibus Vlydiæ regnabat: qui duas sanctas Virgines, quia coniugium spreuerant, ferro vinctas aquis immergi & præfocari præcepit, Patriciumque pro eis precantem contempsit. Quâ de causâ Sanctus sententiâ maledictionis mulctauit illum, prædixitque nullum de semine suo post se regnaturum, sed regnum potiùs ad iuniorem germanum eius, vocabulo Carellum, transferendum. Coniux autem excommunicati prægnans, accessit ad S. Patricium, obnixè benedici se petens ab eo vnà cum prole, quam gestabat in vtero. S. Patricius vtrumque benedixit, ipsamque parituram prolem sanctissimam, cuius esset exitus ambiguus, & inuestigabilis tumulus, ore prophetico prædixit. Peperit mulier filium, quem vocari

sua altitudini mox restituitur:

regnū Vlidiæ in alterum se miliā trāsferendum,

& Domngardi ortus prædicitur.

A cari fecerunt Douengardum. Iſte enim fuit ſanctitate clariſſimus ac ſignis; de quo multa & magna mirabilia referuntur ab Hibernicis. Porrò Euchodius in breui cum regno vitam amiſit, nullúſque de ſemine ipſius ei ſucceſſit: ſed frater eius præfatus, & ſemen illius iuxta verbum S. Patricij, per multa tempora Vlydiæ regnum poſſedit.

CAPVT XIV

Patricianæ imprecationis efficacia: Sanctitas quorumdam diſcipulorum.

Senachi pietas & humilitas benedictionem refert

113 SAnctus Patricius in loco, qui dicitur Achadh-ſfobhuir eccleſiam fundauit & conſtruxit, collatiſque illi poſſeſſionibus dotauit: huic etiam quemdam diſcipulorum ſuorum, nomine Senachum regendæ præficiens, in Epiſcopum conſecrauit; quem ob cordis innocentiam, Agnum Dei vocauit. Conſecratus autem poſtulauit à S. Patricio, vt obtentu precum ſuarum impetrare ſatageret à Domino, quatenùs ſe ſub gradu ſuſcepto illæſum cuſtodiret à totius peccati B criminalis commiſſo: adiecit nihilominùs ſuppliciter exorando, vt Eccleſia cui miniſtraret, non vocaretur à nomine ſuo, ſicut moris erat multis in locis populo Hibernico. Hoc enim fecit ille ob magnæ humilitatis cuſtodiam, & vanam gloriam, quæ ſolet eſſe tinea virtutum, euitandam. Sanctus igitur Patricius ſentiens de Domino in bonitate, Senacho, in ſimplicitate cordis illum & quæ illius ſunt quærenti, à Domino complenda poſtulata promiſit: ipſum, & proſapiam eius benedicens, plures Sanctos & optimos Sacerdotes ex illâ proceſſuros fore prophetando prædixit. Senachus autem in magnâ ſanctitate Sancto Sanctorum ſeruiuit, ſigniſque & virtutibus clarus, in cæleſte ſanctuarium feliciter introiuit.

Obtuſa ferramenta ſacrâ benedictione redditur acuta.

114 Cùm tranſiret S. Patricius, iter agens cum ſuis per ſiluam quādam in Mudorniâ, reperit quoſdam ſeruos cædentes ligna (erant enim ſub iugo crudeliſſimi domini, vocabulo Tremei, dirâ durâq; ſeruitute depreſſi) & ſecuribus obtuſis quercus duriſſimas ſecabant, nec cotes, vel aliud acutorium habebant. Vnde factum eſt vt viribus deficientibus brachia obrigeſcerent, manuſque, cute detractâ dilaniatis carnibus, vſque ad neruos nudatæ apparerent, ipſique quandoque magis C mortem quàm vitam eligerent. Quos vir Dei, mox vt vidit, miſericordiâ motus ſuper illos, tangendo manus illorum & brachia & ferramenta benedixit. Ad tactum igitur & verbum benedicentis vires illis omnibus reparantur, brachijs & manibus plenaria ſanitas reſtituitur: ferramenta præacuta ſentiebantur; duriſſima robora, quaſi tenerrima virgulta, ſine vllo grauamine ſecabantur. Hoc ſignum continuatum perſeuerabat in illis quoadusque S. Patricius miraculosè libertatem acquireret eis.

Tremei, ergaſtulos ſeruos inexorabilis,

115 Pius Pater Patricius prædictorum ſeruorum dominum, imò tortorem, ſuper illorum manumiſſione crebrò conuenit, illumque procacem & inexorabilem inuenit. Sanctus Patricius ad ſolita confugiens arma, triduano ieiunio cum orationibus peracto, ad hominem pro libertate, imò liberatione ſeruis conferendâ, ſatis humiliter deprecaturus acceſſit, nouumque Pharaonem in illo reperit. Sanctus igitur Patricius ſputaculum ſuper lapidem coram illis fortè iacentem proiecit; qui mox ad inſinuandam, imò confutandam & confundendam cordis illius duritiem, in tres partes diuiſus in oculis præſentium crepuit: ſed induratus homo, vnde debuit emolliri, durior effectus, currum aſcendit ſpretoque precante Patricio recedens, præfatos ſeruos operibus grauioribus affligi præcepit. Dominus *dira mors.* autem ſui noui Moyſis, videlicet Patricij, contemptum non ſinens tranſire inultū, modo quo quondam in Pharaonem & eius exercitum, eodem & nunc D vindicauit in ſerui ſui contemptorem temerarium. Equi namque iugales currui ſuppoſiti, facto impetu præcipites in ſtagnum quoddam proximum ſeſe dederunt, currumque & aſcenſorem eius aquis ſubmerſum præfocauerunt. Submerſo autem atque ſubuerſo viro Belial, S. Patricius abſque vllâ contradictione afflictos, de domo ſeruitutis eductos, liberauit, liberatoſque libertati diu deſideratæ donauit.

AVCTORE IOCELINO

Monitus ab Angelo Patricius S. Moctheo Litham, relinquit:

116 B. Patricius in loco ſatis amæno & apto, qui Lugh dicitur, eccleſiam ædificare propoſuit. Sed Angelus ſibi apparens, vt à cœptis deſiſteret, imperauit ei dicens: Adueniet in inſtanti quidam famulus Domini nomine Moctheus de Britanniâ, qui patriam parenteſque deſerens pro Domino Hiberniam petijt peregrinandi gratiâ. Ille locum iſtum ædificabit & inhabitabit, dieſque ſuos iſthic in bono conſummabit. Obtemperans Angelo Sanctus Dei, ad Orientalem plagam loci diuertit: ibique locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, ipſius S. Patricij nomine adhuc inſignitum, erexit. Moctheus autem magnæ virtutis vir, veniens ad locum, oratorium & ceteras officinas ſibi competentes conſtruxit, vitamque virtutibus plenam ibidem degens duxit. Sanctus verò Patricius crebrò E conſueuit illum inuiſere, atque de his quæ ad Deum ſpectant, cum illo conferre. Quadam enim vice conſedentibus illis & de Deo ſermocinantibus, epiſtolam legendam porrexit apparens vtriſque Angelus: quam acceptam legens Patricius, inuenit in eâ quoddam cōtineri commonitorium imò præceptorium, ſibi ſpecialiter directum, iniungens quòd locum quem ædificauerat, Moctheo cum omnibus pertinentijs eius plenariè conferret, & quòd ipſe in Ardmachiâ ſuam Sedem Cathedralem conſtituere deberet. Fecit ergo gratanter Patricius, quod Angelus, imò Dominus per Angelum, mandauerat, conferens S. Moctheo cuncta, quæ illic poſſidebat. Duodecim etiam leproſos, quibus pro Chriſto miniſtrabat, præfato viro Dei commendans receſſit: & Moctheus cuncta ſuſcipiens, curam & cuſtodiam omnium illorum egit.

& 12 ſuos leproſos cōmendat:

eiuſdem incredulitatem,

117 Euolutis aliquantis diebus, cùm liber Geneſis legeretur coram S. Moctheo, audiens quòd ſancti Patres ante diluuium nongentorum annorum ſpatio vel eo ampliùs, & poſt catacliſmum plures trecentis annis vixerunt, non facilè fidem ſacræ Hiſtoriæ dabat, quia luteum tabernaculum humani corporis, carne tam fragili pelleque veſtitum, oſſibus neruiſque com- F pactum, tanto tempore nullatenùs poſſe durare aſſerebat. Quod cùm innotuiſſet S. Patricio, acceſſit ad virum, vt veris rationum aſſertionibus ab animo illius omnem tolleret huiuſmodi ſcrupulum. Dicebat enim S. Patricius totam Canonicam Scripturam dictatam & ſcriptitatam eſſe digito Dei; & idcircò in nullo derogandum aut diſcredendum ei. Aſſeruit etiam non difficiliùs eſſe Factori omnium vitam hominis mille annorum ſpatio protelare, quàm diei vnius, ſi voluerit; quoniam teſte Pſalmiſtâ, Mille anni ante oculos eius Pſal. 89 tamquam dies heſterna, quæ præterijt. Adhuc autem ſuper his quæ dicta ſunt à S. Patricio, viro vacillante, fertur ſanctus Pontifex ſententiando, vel potiùs prophetando, pronuntiaſſe: Quoniam, inquit, incredulus fuiſti ſacræ Scripturæ, quæ in illâ continentur, experimento proprio diſces vera eſſe: trecentis enim annis a prolongantur ſuper terram anni tui, nec ante temporis tantum ſpatium conſummatum intrabis in gaudium Domini Dei tui. Seruus verò Domini ſuper dubietatis errore poſteà pœnituit, ſed ſententia ore Patricij, dictante Spiritu ſancto prolata, irreuocabilis extitit: trecentis enim annis S. Moctheus vixit, ſicque naturæ debitum ſoluens, virtutibus & ſignis effulgens ad Chriſtum è mundo tranſiuit.

longæuo ſenio plectit: a

118 Veniens S. Patricius in fines Dalnardiæ, cœpit eccleſiam ædificare in loco, qui Elom dicitur, vbi tunc

AVCTORE IOCELINO.

à maiori è 12 filiis Cylladij

A tunc temporis duodecim fratres filij Cylladij dominabantur. Horum vnus, Saranus vocabulo, principatum tenuit in terrâ illâ: qui sancti Pontificis sanctum opus inchoantis manum apprehendens, ne cœpta perficeret, de loco violenter illum eiecit. Sanctus verò Patricius, licet iniuriam sibi illatam patienter tulerit, molestè tamen impedimentum sancti operis accipiens, quod Deo vindice venturum illi nouerat, prophetando dixit; Adhuc modicum & expelleris à terrâ istâ, dabiturque meliori te principandi in eâ potestas. Frater autem Sarani iunior dictus Colladius, locum qui dicitur Domhnachcombuir Sancto contulit, & ad ecclesiæ constructionem, donec opus consummaretur, adiutorium sufficienter impendit. Sanctus igitur Pontifex illum benedixit, prædicens ipsi quod Dominus facere disposuit: In proximo, inquit, principaberis in hâc terrâ, & Reges *b* de te exibunt, & per multas generationes similiter regnabunt. In illo etiam loco S. Patricius, precibus produxit optimum fontem de corde terræ, qui nominatur Hibernicè Slan, id est sanans, vsque hodie: eò quòd confert remedia sanitatis potantibus ex eo, licet multiplici laborantibus infirmitate. Saranus post hæc ob peruersitatem suam de terrâ illâ expulsus est, & iuxta verbum viri Dei, regnum ipsius fratri suo Colladio collatum est.

regnū trāsfert in iuniorem:

B

119 Duodecim fratres patre defuncto recenter, qui dominabatur in Dalrediâ, ob hæreditatem inter se diuidendam in vnum conuenerunt, suumque germanum minimum, nomine Fergussium habentes despectui, à portione, quæ illum contingebat, exsortem & inanem dimiserunt. Adolescens igitur ille precabatur S. Patricium, vt se suarum obtentu precum efficeret paternæ hæreditatis participem, promittens se daturum ecclesiæ Dei construendæ suæ portionis potiorem partem. Pontifice verò sancto pro eo exorante, atque negotium illius perorante, fratribus suis annumeratus Fergussius, competentem paternæ possessionis portionem percepit, cuius medietatem meliorem sanctissimo Præsuli ad ædificandam ecclesiam obtulit: quam Sanctus, ne suam interuentionem vendidisse videretur, suscipere renuit, sed Olcano prænominato illam conferri iussit. Sanctus autem Olcanus infra territorium sibi collatum, in loco, qui dicitur Der-Chon, ecclesiam ædificauit, ibique factus Episcopus, in sanctitate & iustitiâ perseuerauit. Sanctus verò Patricius prædictum benedixit Fergussium, & voce propheticâ dixit ad illum: Licet hodie videaris humilis & despectus in conspectu fratrum tuorum, eris in breui Princeps illorum omnium: de te enim optimi Reges egredientur, qui non solùm in terrâ propriâ, sed etiam in regione longinquâ & peregrinâ principabuntur. Elapso igitur non magno temporis spatio, Fergussius, iuxta viri Dei vaticinium, principatum in totâ illâ terrâ obtinuit, semenque illius per multas generationes in eâ regnauit. Ex eius stirpe processit strenuissimus Ædanus, filius Gabrani, qui Scotiam, quæ dicitur Albania, subegit & alias insulas; cuius in eis regnat adhuc successiua posteritas.

Fergussium à fratribus exclusum

participem patrimonij reddit,

eiusque semini benedicit,

C

120 S. Patricius Principem Conallum conuenit carissimum suum; sciscitatus ab eo si vellet induere habitum monachi. Respondit Regulus se cor suum habere paratum ad faciendum, quod sibi Sanctus vellet iniungere. Gauisus Præsul de cordis illius deuotione ad ipsum fertur dixisse: Portabis scutum & baculum ob principalis potestatis ac protectionis signum, & meriti monachalis indicium. Nomen & habitum præsentabis laici; sed animum & meritum possidebis monachi: multi namque Sancti ex te procreabuntur, & multæ nationes terræ in semine tuo benedicentur. Cum baculo etiam Iesu signum Crucis impressit ipsius scuto, asserens quemlibet de stirpe illius illud baiulantem in bello, numquàm vincendum ab aliquo. Hoc autem promissum imò prophetiam S. Patricij, Conallo & successiuo semini eius euenisse astruunt, historiæ Hibernicæ & clamant cantilenæ,

viti & posteris Conalli

D

121 Veniens S. Patricius in fines Mogdhorna versùs oppidum Domnach-Maghin tendebat: cuius loci quidam vir, Victor vocatus, dominus erat. Hic audiens aduentantem Patricium, magis adhuc diligens tenebras quàm lucem, in condenso nemore posuit tenebras latibulum suum: multùm enim verebatur, quòd si compareret in conspectu eius, à suæ tenebris infidelitatis exueretur, & ad credendum in veram lucem etiam inuitus quodammodò traheretur. Nocturnæ autem caliginis superuenit obscurum, nec tamen Patricius minister lucis deseruit iter inceptum. Cùm igitur noctis profundæ pallium cuncta cæcitate cooperuisset, lucidi verbi prædicatorem iter carpentem tenebræ non obscurabant Patricium, quia nox sicut dies, & sicut lumen ita tenebræ circa ipsum. Lux ergo in tenebris lucens hominem occultantem se circumfundebat, nec vltrà se à facie luminis abscondere poterat. Signo tam insigni Victor victus, & velut vinctus loris timoris Domini ducebatur ad S. Patricium, & cum magnâ deuotione postulauit & impetrauit salutare lauacrum. Baptizatus igitur cum omni domo suâ, & plebe sibi subditâ, contulit S. Patricio ad ædificandam ecclesiam prædium suum cum omnibus pertinentijs suis, ipseque mansit in discipulatu S. Patricij. Processu verò temporis in sanctitate & scientiâ diuinæ legis profecit, & à Sancto tandem consecratus in Pontificem, in eadem ecclesiâ episcopalis honoris officio & meritò clarus effulsit.

Victorem nocturnis tenebris illuminatis

fidei & ecclesiæ lucratur.

E

122 Quidam ministrantium S. Patricio cymbalum eius per incuriam amisit, amissum quæsiuit, diu quæsitum non inuenit, de non inuento pœnitendo satisfecit: satisfacienti verò Præsul clementer indulsit; & quod nullatenus inueniretur, priusquàm ibidem ecclesia construeretur, indicauit. Emenso enim multo tempore, quidam Religiosus Dicullus dictus, in illo loco ecclesiam ædificauit, ibique cymbalum memoratum reperit, repertum in ecclesiâ nouâ locauit. Ex cymbali verò illic locati lotique latice, infirmi potati vel aspersi frequenter celerem adepti sunt sanitatem, & in instrumento ad exteriorem sonum emittendum composito, Patricij personantem atque perseuerantem experti sunt sanctitatem.

de cymbalo suo amisso prophetat

123 Erat quidam discipulus S. Patricio Volchanus nomine, fide & religione præclarus, præcipuè tamen virtute præpollens obedientiæ. Volens enim S. Patricius, vt quod in eo notum erat Deo & sibi siue suis condiscipulis, manifestum fieret hominibus ceteris ad exemplum: iniunxit illi ecclesiam ædificare vbicumque Deus dignaretur illi prouidere. Idem autem ab auditu auris verbi sancti Præsulis obediuit, securim humero impositam portans, ad quærendum locum ecclesiæ construendæ idoneum. Cernens Pater spiritualis egredientis scapulâ securim gestari, verbo consolatorio imò prophetico dixit illi; Noli, Volchane carissime, de inuentione loci diffidere, sed vbicumque ceciderit securis, securus ædifica ibi & inhabita; eritque illic in gentem magnam, Deo propitiante. His autem auditis, recessit à præsentiâ Patris carissimi, scienter nescius, & sapienter indoctus; animo satis persuasum habens impletum iri, quod ei dixerat Doctor veracissimus. Igitur totâ die gradiebatur coram facie suâ, nec quidquam agebat, nisi profundendo preces, extollens manus suas in sancta. Cumque aduesperasceret & inclinata esset iam dies, cecidit securis inopinatè, veluti cælitus proiecta vel excussa de humero suo, in loco vtique non præuiso nec præmeditato. Securis enim cælestis ex acumine diuinitatis, vsque ad radicem etiam cuiuslibet cogitationis sectilis, & ex humanitatis manubrio comprehensibilis, designauit seruo suo casu securis, sicut S. Patricius prædixit, locum habitationis. Intelligens vir Dei locum sibi designatum à Domino,

Volchano imperat ædificare ecclesiam

F

eo quo securis exciderit loco.

A Domino, cum sudore magno monasterium ibidem ædificauit, multosque filios Dei qui dispersi fuerant in vnam sanctam societatem congregauit. In eodem itaque loco degens reliquum tempus vitæ suæ sanctè ac religiosè compleuit, virtutibus ac miraculis clarus ibidem in Domino requieuit.

S. Rodani armentarij sanctitas

124 Erat S. Patricio quidam armentarius admodum Religiosus, Rodanus nominatus: hic sub Pastorali curâ vitam quodammodò ducens eremiticam, ac orationis studio vacans, vaccas cum vitulis in vnâ pascuâ pascebat: miroque modo de mandato S. Patricij, sub disciplinâ totum arcens armentum, nihil inquietum aut indisciplinatum in suâ sinebat curâ. Vituli namque numquàm accedebant, nisi ad nutum Rodani: & hæc faciebat auctoritate atque virtute S. Patricij patris sui. Is postmodùm litteras discens, illarum scientiam sufficienter attigit, atque Pontificalem gradum ascendens, in vitâ & post mortem miraculis multis effloruit.

S. Kerthennus iam senex

125 Quidam discipulorum S. Patricij, Certhennus nomine, vice quâdam vrgente necessitate, ipsum senio confectum in humeris gestabat, crebroque anhelitu debilitatem aut lassitudinem suam demonstrabat. Cui S. Patricius: Sæpius me portasti, & numquàm te spiritu tam anhelo pulsatum sensi. Et ille: Ne mireris B sancte Pater, quia iam senui, omnesque penè socij mei pares ætate aliquantulo quietis potiti sunt refrigerio ex prouidentiæ tuæ largitate. Ego iam, vespero canis capite, quotidiano labore vitæ actiuæ desudo, & amodò contemplatiuæ quietem desidero, quoniam illâ magis indigeo. Compassus S. Patricius S. Certhenni diuino labori, promisit locum vitæ contemplatiuæ congruum, nec tamen ab actiuæ pijs exercitijs alienum. Et quia S. Patricius talis discipuli diligebat præsentiam, prouidit illi ecclesiam, nec à sede Archiepiscopali, quam in Ardmachiâ constructurus erat Angelo iubente, nimis remotam, nec eidem metropoli, ne fortè à secuturis Archiepiscopis grauaretur, valdè vicinam. Sic profectò factum est, vt vir Domini non vexaretur, sedem primam frequentando, ac S. Patricium visitando, ob viæ longinquitatem; nec eius ecclesiæ despicabilis videretur ob nimiam vicinitatem. Expletis aliquàtis diebus, præfecit illum Clochorensi Ecclesiæ, quam ipse S. Patricius tunc regebat, & cùm consecrasset eum in Episcopum, contulit illi chrismatorium, quod cælitus sibi destinatum susceperat. Ibidem ergò S. Certhennus degens, interiùs Abbatis, exteriùs Pontificis officium exercens, canos suos fouit, & in magnâ sanctitate vitam finiuit. C

Clochorensis instituitur Episcopus

S. Lonanus benedicente Patricio

126 Quædam materfamilias fidelis filium suum tenellum, vocabulo Lonanum, litteris imbuendum tradidit, sanctumque Patricium, quatenùs puerum præueniret in benedictionibus dulcedinis suæ, suppliciter postulauit: quoniam ipsius benedictione capaciorem illum ad discendum & dociliorem fore credidit. Nec eam fefellit fides sua: quoniam ad benedictionem S. Patricij aspirando præuenit puerum, & adiuuando prosequebatur illum gratia diuina. Benedicens illi, signum Crucis ori eius impressit, & S. Cassano instituendum commendauit, moribus & litteris imbuendum.

discit totum Psalterium 15. diebus:

Puer ergo S. Patricij benedictione potitus, totum Psalterium didicit ad plenum quindecim diebus. Ipse etiam posteà vir sanctissimæ vitæ fuit: signis etiam effulgens, ad Christum migrauit. Vir quidam nobilis Euchodius vocabulo, cuius coniunx, Ethra dicta, iacuit defuncta, cum eiusdem cadauere vehiculo imposito in occursum venit S. Patricij iuxta quoddam vadum in Connactiâ. Profusis autem precibus Præsulem sanctum super resuscitatione mulieris conuenit: seque cum suis in Christum, quem prædicabat, crediturum promisit. Sanctus autem Patricius absque morâ mortuam resuscitauit; virumque illius, viso signo tam mirabili, iam credentem cum suis baptizauit. Vocatur autem vadum Ethræ, à nomine resuscitatæ vsque in D diem hodiernum, & fluidum elementum itinerantibus transitum præstans, prædicat resuscitatoris meritum. Crebro Sanctus Connactiam & Momoniam visitauit, miracula in eis faciens: & in singulis regionibus septem annis deguit.

Ethra vita restituitur.

AVCTORE IOCELINO

a *Quam fallaces sint Hibernici numeri iam vidimus: & porrò in Appendice videbimus: de tempore autem Vita S. Mochtei agemus ad XIX Augusti*

b *Prophetiam in octo Regibus impletam fuisse Colganus ostendit.*

CAPVT XV.

Innocentia & sanctitas Patricij signis probata & honorata: Ceretici pœna, Machaldi conuersio.

Patricius ab æmulis

127 Exibat homo Dei ad opus suum solitum, & ad operationem vsque ad vesperam dierum suorum sibi consuetam, ad diuini videlicet verbi semine fœcundandum agrum Dominicum, de cuius fructu meteret vitam æternam. Hoc satellites Sathanæ videntes & inuidentes, dentibus fremebant & tabescebant, E dicentes ad inuicem in malitiâ: Quid faciemus? Hic homo deorum destructor, nostræ sectæ persecutor, imò secator, multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes Hibernigenæ credent per eum in Deum eius, & venient Christicolæ, & tollent nostram legem. Cōsilium ergo fecerunt in vnum, vt eum cum suis dolo perderent, & quasi sub prætextu iustitiæ morti addicerent. Quamdam itaque mulierem mollificantem linum, lauando secus locum quo transiturus erat sanctus Sacerdos, conuenerunt ad hoc inducentes illam, vt lini plurimam partem in arboris cuiusdam concauæ conclaui deberet abscondere, & Patricij sociorumque eius prætereuntium furto sublatum acclamare. Fecit fœmina sicut erat instructa, imò seducta: vociferando ad se vocauit prædictos viros Belial; furtique arguit S. Patricium, & socios ipsius linguâ nefariâ. Iniqui igitur illi & dolosi, sicut anteà condixerant, sic de latibulis suis prosilierunt, & querelæ mulieris consentientes, S. Patricium ac discipulos eius tamquàm in furto deprehensos, reos esse mortis conclamauerunt. Erat autem in loco, quo conuenerat tota illa turba tumultuans, a tumulus, & homo in eo sepultus. Hunc S. Patricius, prece præmissâ, coram cunctis à somno F mortis suscitauit, & vt verum testimonium perhiberet super querimoniâ sibi ac suis impositâ, virtute veritatis, quæ est Deus, imperauit. Ipse verò S. Patricij discipulorumque eius innocentiam publicè protestatus, fraudulenta commenta impiorum seriatim denudauit: ac locum, factione fanaticorum linum occultantem, in oculis omnium demonstrauit. Sic profectus Patricius cum suis, de manibus malignantium mirabiliter liberatur, sanguisque innoxius in illâ die seruatus, multis etiam nocentibus ad salutem profuisse narratur. Nam qui mortem vitæ æternæ præconi machinabantur, hoc miraculoso euentu ad Deum conuersi misericordiam ab ipso consequebantur.

furti accusatus

mortuum euocat è sepulcro:

consuetus Cruces obuias venerari,

128 Habebat S. Patricius in consuetudine, vt vbicumque sanctæ Crucis triumphale signum exhiberetur sui itinerantis præsentiæ, etiamsi in curru sederet, protinus de vehiculo descendere, illudque corde ac capite supplici adorare, manibus tangere, brachijs amplecti, & in indicium deuotæ dilectionis crebra oscula ei infigere. Vnâ verò die cùm iter carperet, in curru sedens Crucem secus viam positam, contra morem suum pertransiuit insalutatam: quia oculi eius tenebantur ne viderent illam. Ipsâ autem auriga intuens, admirabatur quòd S. Patricius contra morem suum, quasi inuisâ Cruce progrediebatur: rem tamen suppressit silentio, donec recepti essent hospitio. Cùm au-

vnam præterit inconspectam,

A tem consueto more orare cœpissent, ante prandium indicauit se vidisse Crucem in viâ, designans etiam locum. Intermittens illicò Patricius, prædicator Crucis Christi, prandium paratum, hospitium egressus est, eademque viâ, quâ venerat, ad locum præfatum reuersus est. Diligenti itaque indagine quæsiuit vitæ signum, & inuenit iuxta illud quoddam sepulcrum. Accedens enim propiùs in conspectu Domini orationem fudit; & quis in eo sepultus esset, inquisiuit. Vox de intrò emissa respondit, se gentilem fuisse, ac Christianum secus se funeratum, cuius mater extra prouinciã constituta, non affuit filio morienti, aut reuertenti in ventrem matris omnium. Emensis verò aliquantis diebus venit huc ad lugendum eum; ignorans locum, locauit iuxta me Dominicæ crucis vexillum. Dicebat verò vir Dei; idcircò se illam Crucem non conspexisse, quia posita fuit iuxta inimicum Crucis Christi, paganum hominem. Tollens ergo illam Crucem inde, ad caput baptizati leuauit, commendatâque eius animâ Deo ad hospitium repedauit.

AVCTORE IOCELINO

quid esset sepulcro ethnici apposita:

129 Habebat hircum B. Patricius aquæ sibi baiulandæ ministerio deputatum, siue artificio seu potiùs miraculo huic operi adaptatum. Hunc quidam vir *b* ventricola de Omeith furto surripuit, sublatum mactauit, & manducauit. Auctor furti siue fautor inuestigatur: quidam suspicioni patens euidentibus B aliquantis indicijs inuenitur: sed facinus non inficiatur solùm, verùm etiam furto periurium accumulans, iuramento ab obiecto reatu se exuere conatur. Mirum effatu, sed mirabilius apparuit actu: hircus comestus in ventre furis, turpisono balatu latrocinium in auribus astantium prodidit, & clamore miraculoso meritum S. Patricij prædicandum propalauit. Ad huius etiam miraculi augmentum accedit, quòd imprecante Patricio, imò sententiante, tota hominis illius successio, barbam hircinam producere consueuit.

hirci sui furem detegit & punit. *b*

130 Solebat Sanctus consortia sanctorũ virorum & colloquia diligere, eosque sibi in familiaritatem & amicitiam arctiùs asciscere, vt ipsorum verbis & exemplis in Deum posset peramplius & perfectiùs proficere. Teste enim Salomone ferrum ferro acuitur, quia vita Sanctorum, vt in fide & dilectione Dei firmior feruentiorque efficiatur, mutuis verbis & exemplis efficaciùs inflammatur. Quod profectò quàm sit placitum in oculis Dei, ipse demonstrare dignatus est, indicio præclari miraculi. Quadam namque die, cùm B. Patricius & vir vitæ venerabilis Vinnocus vocabulo, in vnum consedissent; & de Domino, & de ijs, quæ C Dei sunt, contulerunt ad inuicem, vestibusque suis in vsus pauperum erogatis, misericordiæ opera ore opereque commendarunt: & ecce de cælo diuinitus destinatum descendit inter eos quoddam pallium, tamquàm muneris diuini præsens eulogium, & remunerationis futuræ argumentum. Exultabant ergo Sancti illi in Domino, atque hoc, quod accidit, alter alterius ascribebat merito. Patricius namque asseruit hoc missum Vinnoco, qui omnia, quæ sunt mundi, perfectè dimisit pro Domino: & contrà Vinnocus allegat illud collatum S. Patricio, qui tamquàm omnia possidens, nihil habuit, inopes & nudos innumeros vestiens, seipsum nudum reliquit pro Domino. Illis autem tam amicabiliter vtrimque altercantibus pallium in cælo sublatum subitò disparuit; eisque Dominus pro vno pallio duo pallia, vtrique videlicet suum, ne vlteriùs vel etiam caritatiuè contenderent, Angelo gestante subrogauit.

pallium cælitùs missũ tribuit meritis S. Vinnoci:

in eius locũ duo indidẽ pallia submittuntur.

131 Regnabat in finibus quibusdam Britanniæ, quæ modò Vallia dicitur, tyrannus quidam, Cereticus nomine, flagitiosus, fraudulentus, iniuriosus, blasphemans vbique viam Domini, Christianorum persecutor & interfector crudelissimus. Audiens autem S. Patricius illius belluæ tyrannidem effrænatam Sanctos feriendo; studuit illum ad viam salutis reuocare, dirigens ad illum conuertendum à vitijs suis pessimis epi- D stolam commonitoriam: ipse verò venundatus, vt faceret malum, de die in diem seipso deterior factus, admonitionem derisit S. Patricij & despexit, suaque flagitia, facinora, fraudum factiones, cruentas cædes dilatauit. Quòd cùm Patricius relatu veridico didicisset, diuinitùs edoctus intellexit vas contumeliæ obduratum in nequitijs, nullimodæ correctioni, sed potiùs perditioni præparatum; in hunc modum fertur orasse ad Dominum: Domine, Deus omnipotens, sicuti scis, & potes, hominem hunc vulpinum, in vitijs monstruosum, modo monstruoso eijce à facie terræ, & illius consummatæ malitiæ finem impone. Inclinans Dominus aures suas ad vocem serui sui, prædictum tyrannum quadam die in medio fori stantem, circumstante multitudine suorũ, subitò in vulpem transformauit, illeque à conspectu omnium fugiens, numquàm in terrâ vlteriùs comparuit. Hoc factum nullus discredere iure poterit, qui vxorem Loth in cautem mutatam, aut historias de Nabuchodonosor Rege legerit.

Cereticus tyrannus

ad preces Patricij

disparet.

132 Fuit in finibus Vlidiæ vir quidam, sectâ paganus Magiul, qui & Machaldus alio vocatur nomine; maximus in scelere, nominatissimus crudelitate, & quia similis similem quærit, turbam non modicam furtis, rapinis, cædibus cruentis assuetam sibi adunauit. Hic E quædam signa diabolica, quæ Diberc *c* dicuntur, capiti proprio atque vniuiusque sociorum eius imposuit, vt cunctis patesceret quòd de satellitio Satanæ sodalitium illud totum fuit. Contigit quodam die Patricium beatum per locum illum itinerando cum suis transitum facere, in quo malignantium conuentus consederat, concors in iniquitate, expectans & explorans aliquem viantem, in quem diripiendum & expoliandum posset irruere. Videntes autem S. Patricium, cogitabant priùs illum, tamquàm animarum seductorem Deorumque destructorem, interficere: sed continuò, consilio, diuino nutu, mutato, ignominiosum duxerunt in illius imbellis, imbecillis, inermis lenis sanguinem ire. Communi tandem consensu ob inuestigandum, imò illudendum Christi potentiam Patricijque sanctitatem, vnum de socijs suis Garbanum nomine, sanum licet corpore, mortuum se simulantem in medio strati, stratum sub sago posuerunt, virumque Dei, vt funeri exequias impenderet, aut defuncto, more solito, vitam redderet, irrisoriâ *d* instantiâ deprecati sunt. Sanctus autem, spiritu reuelante, quod gestum fuerat, agnouit; illosque illusores, licet fallacia, non tamen falsa sibi suggessisse super socij morte pronuntiauit: precibusque F nihilominùs eorum aurem accommodans, pro animâ delusoris ad Dominum intercessit, abiensque in viam suam inde recessit.

Incidit in latrones Patricius, *c*

quorum vnus eidem illusurus mortem simulat, *d*

& verè mortuus inuenitur,

133 Sancto nondum longiùs progresso, socium socij sago detexerunt, & mortuum non imaginariè aut illusoriè, sed veraciter inuenerunt. Viri autẽ illi ex tali casu, imò occasu, tremefacti, simile quid sibi imminere timentes, S. Patricium è vestigio secuti, eiúsque pedibus prouoluti, errorem suum confessi sunt, & pœnitendo ac satisfaciendo veniam consecuti sunt. Omnes enim in Domino crediderunt, & consequenter in nomine eius baptizati sunt. Sanctus etiam Patricius ipsis deuotè exorantibus regressus, defunctum resuscitauit, ipsúmque salutari lauacro dilutum, in Christi fide ipsis sociauit. Procidens Machaldus Princeps eorum ante S. Patricium, confessis peccatis, postulauit cum lacrymis ab eo formam pœnitentialis vitæ sibi imponi, quam tenendo vitam æternam posset adipisci. Sanctus diuinitùs inspiratus, iniunxit ei natale solum, scilicet Hiberniam, irreuocabiliter relinquere, omnémque substantiam suam pauperibus erogare: ipsum etiam vili & aspero amictu vestiuit, ferreis compedibus vinculauit, earum clauem in mare proiecit: præcepit illi deinde vt lembum de corio factum absque vllo remigio

socijsq; conuersis suscitatur.

Dux eorũ Machaldus præscriptam sibi pœnitentiam

A gio solus intraret, & vbicumque Deo ducente applicuisset, in terrâ illâ vsque ad vitæ terminum Domino seruiret. Fecit itaque homo verò pœnitens, quod ei iniunxit Pastor præcipiens: solus namque ferro pedibus constrictus, habens in signum pœnitentiæ in capite tonsuram, lembum ingressus, sub protectione Dei cæli freto se commisit, ac eo gubernante ad Insulam Euboniam, quæ Mannia dicitur, applicuit.

In Manniâ expulit:

134 Erant etiam ibi duo Episcopi sancti, Cōnidrius & Romulus vocati, quos ipse Patricius cōsecrauerat & illuc destinauerat, ad populū insulæ illius regendū, & erudiendū in fide Christi, post obitum S. Germani primi eiusdem insulæ Episcopi. Hi videntes hominem, mirati & miserati sunt super miseriâ eius in tali habitu constituti, cognitâque caussâ eius, collegerunt eum hospitio & retinuerunt secum. Qui cùm in illo loco multo tempore demoraretur, die quadam piscis in pelago captus, ad eius hospitium deportabatur: qui cùm coram illo incideretur, clauis in eius intestinis inueniebatur, quâ compedibus admotâ & immissâ illorum claustrum reseratur: ipseque solutus Deo gratias multiplices agens, liber gradiebatur. Qui postmodùm in magnâ sanctitate excrescens, post decessum sanctorum Episcoporum prædictorum Episcopalem gradum promeruit, signis & virtutibus clarus, ibidem requieuit.

vbi eius in Episcopum consecrati

B

Habebatur etiam in illâ insulâ ciuitas quondam non exigua, cuius murorum adhuc cernuntur residua, ex eius nomine cognominata. Habetur etiam in cœmeterio ecclesiæ eiusdem loci sarcophagus cauati lapidis, in quo latex iugiter resudat, imò sufficienter scaturit, qui haustu dulcis, gustu salubris, multis infirmitatibus, & præcipuè veneno infectis vel potatis mederi consuescit: aut enim post aquæ potationem quilibet celerem sanitatem sentiet, aut citâ morte vitam finiet. In hoc etiam S. Machaldi ossa sacra requieuisse referuntur, in quo nihil nisi aqua limpida inuenitur. Plures etiam pluries lapidem illum à loco amouere, & etiam Rex e Noricorum, vt aquam dulcem haberet iugiter in mari, qui insulam subiugauit, conati sunt; sed tamen affectu suo omnino frustrati sunt. Quò etiam altiùs, vt lapidem effoderent, nisi suffodere sunt, eò firmiùs & profundiùs fixus inuentus est in corde terræ.

sepulcrum miraculis claret.

135 Alio quoque tempore B. Patricius fatigatus ex itinere, diuertit in agellum herbosum iuxta Roscomain in Connactiâ, gratiâ aliquantulùm quiescendi, ac equos suos pascendi & recreandi. Cùm autem S. Patricius consedisset, & iuxta se iumenta pabula carperent, quidam plebeius possessor loci, prauus atque peruersus, accurrit impetu iræ suæ ad expugnandum eum. Priùs sanctum Præsulem verbis contumeliosis molestauit, deinde turgidus ac turbulentus, lapides iaciendo ab agro iumenta proturbauit. At læsio ictibus ingesta iumentis, in iniuriam imò contemptum redundabat illorum soliti sessoris: & quoniam Sanctus ipse Patricius vnus erat atque præcipuus de illis equis, quibus Dominus iuxta Habacuc Prophetam viam fecit in mari hoc, sanctis prædicationibus portantibus Dominum in mundo corde & corpore suo, notificantibus etiam nomen eius in hoc mundo, molestè nimirum accepit molestiam illatam portatori suo. Deo igitur vindice statim ager aruit, marique illum operiente inarabilis imposterùm permansit. Congruo itaque satis modo iustóque Dei iudicio actum est, vt qui viro Dei inuidit cespitem, Deo inuisus populus illius telluris in perpetuum amiserit messem: & quia ergà Sanctum Domini egit contentiosè, vt illum ab agello suo amoueret; omni fructu in perpetuum locus ille priuaretur, pro quo contentio fieri valeret.

Ager eiusdē erga Sanctū iniurij

C

Hab. 3.

aquis coopertus redditur inutilis.

a *Vita* III fossa rotunda. *Sic Vita* IV *filiabus Leogarij Regis tumulandis* fossas rotundas *factas à Patricio dixit: ex quo colligas eiusmodi Hibernicis sepulcris formam olim fuisse.*

b *Eadem Vita* IV *furti huius tres reos facit.*

c *In omnibus S. Brigidæ Vitis horum mentio fit, in iisq; vocantur* stigmata maligna & vincula: *indicaturq; ea assumi solita cum execratione, quòd ea sumentes non priùs deponerent, quàm designatum facinus perpetrassent, quod cum istis signis certò ac tutò perpetrandum arbitrabantur.*

D

AVCTORE IOCELINO

d *Dicentes, vt habet citata Vita* IV, Ecce vnus ex nobis nunc infirmatus est: accede itaque & canta super eum aliquas incantationes tuas, vt sanus fiat.

e *Imo Normannorum: diuersissimæ enim hæ gentes sunt: etsi nomen vtrique à* Nord *septentrio sortiti, sic vt* norich *simpliciter septemtrionalis sit,* Nor-man *compositè vir septemtrionalis:* Norici *autem nunc Bauari sunt,* Normanni *Dani intelliguntur. Norici hic Noruvegi videntur.*

CAPVT XVI.

Varia S. Patricij miracula: S. Mumessæ conuersio: Metropolis Ardmachanæ erectio.

136 QVidam à diebus multis maleficijs deseruiuit, sed auditâ famâ virtutum & miraculorum S. Patricij, caussâ confligendi cum eo in signis faciendis, ad eum venit. Hic itaque in præsentiâ S. Patricij, signa multa mendacia multiplicauit: quæ ipse mox, fusâ oratione ac signo Crucis edito, euacuauit. Cernens magus omnia sua frustrari figmenta exegit ab homine Dei, ad declarandam Dei sui potentiam fieri signa. Sanctus nil cunctatur facere, quod posset virtutem Christi astruere, & Christicolas fide nihilominùs instruere; durissimam silicem in lactis coagulati massam mollissimam mutauit; & huius iterū lactis duas massiculas, in durissimos lapides in Christi nomine conuertit: sed ne signa ista phātastica, similia magicis, esse putarentur; lapides illi in eâdem naturæ soliditate, in quâ transmutati fuerant, permanere comprobantur. Quod autem factum est corporaliter in oculis hominum, hoc agit spiritualiter diuina virtus in conuersione credentium quotidie: cultores namque lapidum, duræ ceruicis homines, ad fidem & dilectionem Christi mollescunt; & quasi modò geniti infantes Apostolicæ doctrinæ, vt in eâ crescant in salutem, lac concupiscunt. Quod ita in illo mago contigit, quoniam signo præfato viso credens in Dominum baptismum suscepit.

Magus quidam videns

E

silicem in massam coaguli & lactis partem in saxū versam

fit Christianus:

Postulauit S. Patricius virum quemdam vt sibi afferret duo plaustra virgis onusta, quia sic exigebat rei necessariæ caussa. Homo ille S. Patricij petitioni paruit, & ad locum designatum virgas adduxit. Ignis autem locum, in quo virgæ continebantur inuadens, duo plaustra prænominata circumsepsit, vnumque illorum absumpsit, alterum penitus illæsum ab omni adustione reliquit. Admirabantur hoc intuentes, quòd in vno plaustro ignis vires suæ naturæ exercuit, & in altero vim habere non potuit; sicut quondam in fornace Chaldaicâ tribus pueris ligatis, sed ab igne solutis, absque illorum læsione contigit. Nos autem Patricij prædicandum in hoc miraculo meritum miramur; signi tamen caussam discutiendam esse nequaquàm arbitramur.

Vno virgarum plaustro cōbusto, alterum illæsum permanet:

F

137 Vir Dei diem Dominicam ducere deuotione singulari solennem solebat, ob illius maximæ solennitatis recordationem, quam vita mortua suæ rediuiuæ resurrectionis melodiâ cælis, terris, tartaris fecit exultabilem. Vnde & sanctâ consuetudine constituit animo fixum, quasi pro lege, vt vbicumque ei Sabbatum aduesperasceret, ob reuerentiam Dominicæ subsequentis, ibidem pernoctando & procrastinando in hymnis & canticis & psalmis spiritualibus medullitùs diuinæ contemplationis deditus, vsque in secundæ feriæ maneret manè. Quadam nocte Dominicâ, huius sanctæ consuetudinis caussâ contigit, beatissimum Patricium positum sub dio, sacras excubias cum suis celebrare, imbriumque inundantium vehementiam circumiacentis campi planitiem perfundere: locum autem, in quo sanctus ille vigil, custos murorum ciuitatis Ierusalem, cum suis fuit, nec vlla pluuiæ distillantis stillula

pro diei Dominicæ reuerentiâ:

sub Dio pernoctātis locus

nō madescit ab imbre.

A lula madefecit. Sic profectò in S. Patricio signum iteratò claruit, quod quondam in vellere Gedeonis apparuit; quando totâ terrâ rore madente, illud siccum vel inhumectum extitit.

AVCTORE IOCELINO

138 Vt autem candor lucis æternæ ostenderet, quantâ gratiæ suæ luce vas suum interiùs illustrauerit, priori signo Sanctum suum mirificans, mirabiliùs sequens subiunxit. Nocte namque eadem, quam pernox Patricius in diuinis laudibus duxit, campi latitudinem, in quo ipse constitutus erat, densissima caligo obduxit. Auriga sancti Pontificis, equos currui subiungendos, quos in campum ad pascendum emiserat, diutiùs quærebat: sed præ caligine inuenire non valens, multo fletu ora rigabat. Quod cùm almus Antistes agnouisset, compassus lachrymis aurigæ animo anxiati, dexteram de manicâ eduxit, digitosque dimissos sursum erexit. Res mira, & à sæculis inaudita. Continuò illius quinque digiti, velut quinque radij Solis lucidissimi effulserunt; & miro nouoque modo, totam prouinciã illuminantes, tenebras in lucem & noctem in diem conuerterunt. Huius itaque claritatis mirificæ subsidio, auriga iugales inuenit; inuentos admirans & exultans ad patrem adduxit, adductosque currui supposuit. Ipse enim superni luminis portitor & prædicator, digitis exteriùs lucere desistentibus, sed myrrham primam ac probatissimam nequaquàm distillare desinentibus, more solito, secundæ feriæ diluculo vehiculum ascendit; & vbi volûtas se gerentis & in se residentis vocabat, accelerauit. Perpulchro satis, sed signatiuo signo eius digiti, digito Dei dignè in se operante, extrinsecus eluxerunt, qui tam crebrò lucis opera, sanitatum beneficia, gratias curationum in propatulo exhibuerunt.

& ad requirẽda per tenebras iumenta

digiti instar solis clarescunt.

B

139 Prædicabat S. Patricius cuidam viro præpotenti verbum Dei, videbaturque ei, quòd ex ore Patricij flamma egrediens, aures & os suum ingrederetur, eiusque calore omnia interiora sua replerentur, erat enim ignis ille non consumens, sed illuminans; non comburens, sed lucens; quod & ille, qui hoc experiebatur, intimare Sancto curauit, dicens; Video ignem flammiuomum ex ore tuo exijsse, atque cordis corporisque mei intima penetrare. Cui Sanctus; Deus noster vera lux est, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, qui & ignem venit mittere in terram, quem vult ardere in cordibus credentium: verbum enim Domini lucidum est, ignitumque vehementer eius eloquium: cuius in te, me prædicante, habes experimentum.

Ignis ex ore prædicantis prodire videtur.

C

140 Erat quædam puella, præclara genere & specie, Memessa nomine, filia cuiusdam Principis regnantis in quibusdam finibus Britanniæ. Hæc Spiritus sancti gratiâ præuenta, ex virtute bonæ naturæ insitâ, & ex ipsis creaturarum speciebus distinctis Creatorem earum intellexit, intellectum toto corde & animâ dilexit; ob cuius dilecti amorem & desiderium diuitias, delicias, decus, & amorem huius mundialis gloriæ cordis calce calcando despexit. Nondum enim erat lota lauacro salutari, moribus tamen sacris repræsentabat quemdam candorem Christianæ fidei: eius quippe parentes Pagani propositum illius conebantur cassare & conquassare, verborum verberumque omni annisu: sed virginalis cordis columna collocata in petrâ Christo nec blandimentis suffodi, nec terroribus concuti, aut magicis maleficijs à suæ vllatenus potuit amoueri stabilitatis statu. Cumque illam ætas vernans venustaret, & membrorum habitudo elegans ornaret, & ferret in facie lilia mixta rosis, appetebant eius connubium plures Proceres regij germinis. Satagebat vterque parens ceteræque cognationis pars plurima illam commonere aut compellere ad matrimonium contrahendum: sed nullo modo valuerunt illam inclinare ad thalami collocandi consensum. Casso igitur labore in eam diu desudantes, communi tandem consilio perduxerunt puellam parentes eius ad S. Patricium, cuius sanctitatis fama signis ac prodigijs probata ac propalata erat vbique terrarum. Insinuauerunt vtique S. Patricio puellare propositum, obnixiùs implorantes, vt illam ad Dei sui, in quem concupiuit & defecit anima eius, studeret perducere conspectum. Audiens hoc S. Patricius exultabat in Domino, gratias agens illi, qui vbi vult & sicut vult spirat, & quos prædestinauit ad vitam, absque prædicante ad se multoties vocat. Monstratis ergo Christianæ fidei regulis illam catechizauit, confessamque credulitatem baptizauit; baptizatam Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentis communiuit. Illa verò, Viatico accepto, solo prostrata, inter verba orationis spiritum afflauit: sicque de lauacro ascendens dealbata, manibusque Angelicis deducta, ad dilecti sui candidi & rubicundi conspectum & complexum demigrauit. Sanctus ergò Patricius & omnes qui aderant Deum glorificauerunt, eiusque sacri corporis glebam honorificè sepulturæ tradiderunt.

S. Memessa, cognito ex creaturis Creatore,

persistit in proposito virginitatis,

adducitur ad Patricium

D

viatico post baptismum sumpto migrat ad Dominum.

141 Tempore quodam S. Patricius in portu, in Aquilonari parte Hiberniæ sito, versùs oppidum, Druimbo vocabulo, instante die Dominicâ applicuit; nec egressus inde, sed ibidem in naui quiescens, eamdem deuotione solitâ solennizauit. Iam verò illâ die, festo mediante, audiuit sonum non modicum; cuius iudicio agnouit gentiles suis profanis laboribus, contra sancti Patris consuetudinem & constitutum, diem Dominicum temerare, & quoddam opus, quod Rayth, id est, murum nuncupabant, exercere. His aliquantulum motus Patricius, laborantes ad se accersiri fecit, eisque in illâ die laboris corporei exercitium imperatiuè interdixit: sed gentibus profanaticis & insensatis sanctissimi Sacerdotis sententia prohibitoria non solùm ducebatur contemptui, sed etiam habebatur cunctis subsannationi & derisui. Sanctus verò Patricius subsannantium temerariam obstinationem intelligens, post prohibitionem subintulit, dicens: Licet labor vester sudet ad effectum, numquàm tamen perducetur ad perfectum, aut nullum inde promerebimini profectum. Sermo autem sanctissimi viri quàm fuerit veridicus in instanti probauit euentus: nocte namque subsecutâ, pelagus procellosâ tempestate mirabiliter elatum & dilatatum, omne opus gentilium dissipauit, & ne vlteriùs recolligi & reædificari posset, irreparabili diuisione dispersit.

E

Dominicâ die factum opus

à mari dissipatur.

142 Vir quidam illustris, nomine Darius, locum habitationis cum agello contulit S. Patricio roganti, vbi se reciperet cum suorum sanctorum contubernio. Est autem locus angustus, secus Ardmachiam situs, tempore moderno Festum-miraculorum nominatus. Euoluto aliquanto tempore, auriga præfati Darij nocte misit equum suum veredarium in agellum S. Patricij, ad depascendum eum; quem in crastino, cùm eum educere vellet, reperit extinctum. Quod cùm indicasset Dario domino suo, felle commotus ille vir sanguinum, præcepit perimi Patricium, tamquàm interemptorem equi sui, amoto totius excusationis aut dilationis siue retractionis obstaculo. Vix autem vox huiusmodi in ventum venit ex ore viri; cùm ecce subitò infirmitas mortis commonitoria, imò comminatoria. illum lecto depressit. Repentè igitur ab eodem, cum sententiâ præcepti cruenti, pedes prompti & manus assuetæ ad malum reuocantur ab effusione sanguinis innoxij: quia sola vexatio dabat intellectum illi. Quæ cùm annuntiata fuissent sanctissimo Præsuli, aspersione aquæ à se benedictæ iussit vtrumque (iumentum videlicet mortuum & virum infirmum) irrorari. Adspersus igitur vterque, surrexit; equus scilicet à morte, & Darius ab ægritudine sanus. Darius igitur sanus effectus, prægrandem cacabum æneum, capientem ternas metretas, S. Patricio misit per ministrorum manus, qui erat in ipsius & sociorum vsus coquendis cibarijs pernecessarius: quem ille illo egens grataner accepit, & tantùm, Gratias agam, dixit. Reuersis autem famulis

F

Equus mortuus

& Darius æger

aqua benedicta aspersione curantur.

Eodẽ animo ac responso nona data, & ablata ferẽs Patricius

A famulis ad Dominum suum, sciscitabatur ipse ab eis viri Dei responsum. Illis autem referentibus, Patricium nihil aliud dixisse, nisi Gratias agam, admirans homo de tali responso, arguit S. Patricium temeritatis & infacetiæ; volens tamen illius verbi virtutem indagare, iussit iterum suis seruis illud vas à Sancto auferre, & ad se reportare: quod cùm fecissent iterum, Gratias agam, dixit, quod crebrò in verbis & operibus suis agere consueuit. Iteratò requisiuit à seruis Darius, quid vel tunc responderit Patricius: ipsis verò asserentibus verbum suum consuetum, scilicet Gratias agam, protulisse, admirans ac animo amplexans illius constantiam, ipsum stabilem & constantissimum virum esse, & verbum optimum pronuntiauit ex eius ore solitò sonuisse. Verè (inquit) vir iste magnanimus est & immutabilis; cuius vultus aut vox ex dati vasis allatione aut ablatione non variabantur nec mutabantur, sed semper in eodem statu permanere cernebantur. Iussit ergò Darius, iam datum cacabum referri, & reddi Sancto Dei: ipse verò vestigia portitoris præcedentis secutus, verbis pacificis illum salutauit; agrumque vicinum habitationi suæ, de quo controuersia poterat emergere, contulit ei.

ob eius constantiã etiã agrum accipit.

B 143 Post modicum tempus volens vir nobilis Darius ampliorem gratiam exhibere Pontifici sancto, eduxit illum de loco humili in sublimem, de angusto in augustum & amœnum, Druymsaileach vocabulo, qui postmodùm Ardmachia vocabatur, Angelico sibi præostensa miraculo. S. Patricius loci amœnitatem & opportunitatem considerans & circumiens, ceruam cum hinnulo procumbentem inuenit, quam comitantes S. Patricium interimere volebant, sed ne hoc fieret, Pater pius prohibuit. Vt enim ostenderet Pater sanctus viscera pietatis, quam erga creaturas Dei habuit, ipse hinnulum memoratum, proprijs vlnis baiulans manibus palpauit, attrectauit, & vsque ad saltum, ad Aquilonarem plagam Ardmachiæ situm transposuit. Cerua quoque, velut ouis mansuetissima, sequebatur misericordem gerulum, donec demissum atque dimissum reciperet fœtum. In illo enim die ad laudem Dei & plebis vtilitatem, Sanctus suarum precum obtentu, de terrâ, septimâ iam vice, fertur præclarum produxisse fontem. Cùm autem diurnæ lucis lampas extingueretur nocturnis sepulta tenebris; vir Dei aspiciebat in visu noctis Angelos metientes formam & quantitatem ædificandæ in illo excelso loco ciuitatis. Vnus autem illorum iniunxit Patricio, vt crastino die iuxta fontem C in latere Ardmachiæ situm, qui modò dicitur Tobar Patraic, id est, Fons Patricij, in nomine Dei sui curare deberet sedecim viros leprâ squallidos, ibidem ob virtutem Domini experiendam & excipiendam fidem eius, ex pluribus plagis in vnum congregatos. Patricius autem ab auditu auris Angelicæ voci obediuit, manè; facto viros inuentos ad fidem prædicando conuertit, conuersos in fonte prædicto baptizauit; baptizatos à leprâ vtriusque hominis mundos & sanos exhibuit.

& locum Ardmachanæ ecclesiæ extruendæ:

vbi fontem producit,

ad quã ab Angelo monitus 16 leprosos curandos suscipit,

144 Hoc ergo in notitiam plurimorum propalatum miraculum ciuitatis fundandæ fuit futurum auspicium præclarum præsensque adminiculum. Saxum etiam pergrande in viâ existens, quod vix valuit humano sudore sustolli aut ingenio, orante Patricio Angelus longiùs amouit à loco, ne ciuitatem adituris aliquando fieret impedimento. Ciuitatem itaque egregiam, situ, formâ, quantitate, ambitu, Angelicis indicijs designatam, fundauit Patricius & extruxit & diuinitus adiutus ad vnguem perduxit: ciues quoq; * duodecim, quos studiosè vndecumque collegit & discretè delegit, ad inhabitandum in eam introduxit, introductos fidei Christianæ Catholicis institutis atque dogmatibus diligenter instruxit. Ecclesijs autem honesto ac spirituali schemate fabricatis, vrbem eamdem venustauit; Clerum etiam ad diuini cultus obsequium, ad regimen animarum, ad Catholici populi eruditionem, in ipsis ordinauit: monasteria monachis, & alia sanctimonialibus repleta, omnisque perfectionis institutis erudiuit. Erat autem in quodam cœnobiorum Frater quidam, nolens ante statutam horam secundùm Regulam S. Patricij, quidquam cibi aut potus sumere, qui siti extinctus fuit, cuius animam ad cælos ascendere & inter Martyres collocari S. Patricius vidit. In monasterio ancillarum Dei, erat quædam Virgo, filia Regis Britanniæ cum nouem puellis sanctis, quæ cum ipsâ illuc ad S. Patricium venerant, è quibus tres, vidente Patricio, ad cælestia migrarunt. Vna autem illarum solebat ceruam mulgere, & cernentibus mirabile spectaculum præbere. Cathedram Archiepiscopalem in eâdem vrbe collocauit, & vt Sedes illa totius Hiberniæ esset primaria metropolis & magistra statuit animo: vt autem illius propositum ratum & inconuulsum permaneret inposterum, pectori eius sedit, Sedem Apostolicam adire, eiusque priuilegijs authenticis illud communire.

vrbemque ab Angelis designatam condit,

**forte Ducentos*

& monasterijs instruit.

D *AVCTORE IOCELINO*

CAPVT XVII

S. Patricius Romam proficiscitur: pro Hibernia ieiunat & orat: præsentem statum Ecclesiæ ordinat, futurum præuidet.

145 Angelus Domini S. Patricio apparens itineris arripiendi propositum approbauit, & etiam quòd Dominus Papa Reliquias Apostolorum Petri & Pauli & aliorum Sanctorum transferre & dispartiri pluribus ecclesijs deberet, indicauit: & quia vehicula fortè tunc deerant seni, quatuor currus, quasi cælitus destinatos, contulit illi, qui ipsum cum suis vsque ad mare transuexerunt in instanti. Gloriosus ergo Præsul Patricius postquàm prædicationis laboriosæ instantiâ peractâ tot & talium signorum exuberantiâ totam ad Christũ conuerterat insulam, ordinatis Episcopis & Presbyteris ceterisque ministris ecclesiæ in locis singulis, vbi opportuniùs ducebat; benedicens & valefaciens eis cum quibusdam filijs Angelico fultus ducamine, profectus est Romam. Quò perueniens, dum in Summi Pontificis præsentiâ sui aduentus exposuisset caussam, in oculis suis summam inuenit gratiam. Imprimis ergo illum, vt Hiberniæ Apostolum amplexans ac pronuntians, Palliò decorauit, illique vices suas committens atque Legatum sum constituens, quæcumque in Hiberniâ gesserat constituerat, disposuerat auctoritatis suæ munimine confirmauit. Exenia etiam plura, & pretiosa munera, quæ ad decorem imò robur Ecclesiæ spectant, ei contulit, inter quæ erant Reliquiæ Apostolorum Petri & Pauli & Stephani Protomartyris, & aliorum plurimorum Martyrum. Insuper & linteamen quoddam sanguine Domini nostri Iesu Christi cruentatum (quod omnibus antecellit) condonauit. Hisque sacrosanctis eulogijs Sanctus in Hiberniam reuersus, Ardmachiam Metropolitanam Ecclesiam ad animarum salutem & vrbis patriæque tutelam muniuit, & retro maius altare in scrinio recondidit. Mos etiam in illâ Ecclesiâ inoleuit à diebus S. Patricij, vt diebus Paschæ & Pentecostes de illo loco efferantur, & adoranda in conspectu populi producantur. F

Metropolim erecturus iubente Angelo & adiuuante

Romã proficiscitur,

vbi Archiepiscopali Pallio

& multis Sanctorum donatur Reliquijs:

146 Signa verò, quæ S. Patricius Romam proficiscens, vel inde reuertens & repatrians gesserit in itinere, non est nostræ facultatis per singula cuncta describere: nam penè vbicumque pernoctabat aut moram fecit, signa sanctitatis suæ in sanitatis alienæ exhibitione post se reliquit: extant enim ecclesiæ & oratoria illis in locis nomini eius attitulata, quæ vsque in præsens sanctitatem illius redolent, &, vbi fides petentium promeretur, miraculorum beneficia exhibent. Ipse etiam Sanctus in regressu suo aliquantisper in Britanniâ propriâ patriâ moratus, monasteria multa fundauit,

in reditu miracula innumera patrat.

monasteria Britanniæ ordinat.

AVCTORE IOCELINO

A dauit, atque à Paganis destructa reparauit: monachorum sacris conuentibus secundùm formam religionis, quam eis præfixit, annuentibus ea repleuit: multa etiam aduersa & prospera, quæ ventura erant Britanniæ, spiritu & ore prophetico pronuntiauit: Beati etiam Dauid vtero materno inclusi sanctitatem præuidit & prædixit. Extant verò rura & oppida, quorum quia indigenæ Sanctum itinerantem, ne pernoctare apud eos posset, violenter eiecerunt; posteri vsque in præsens prosperari illis in locis, seu locupletari non poterunt, sed semper alienigenæ & extranei diuitijs atque dominio illis præponi consueuerunt. Loca autem memorata, in quibus Sanctus expulsus à pessimis, pernoctans hospitabatur, quæ parua paucaue arbusta anteà protulerunt, benedictione tanti hospitis siluescere, ac tantâ virgultorum copiâ fructificare visa sunt, quòd succidentium manibus destrui penitùs non possunt. In fluminibus quoque, vbi Sancto, sciscitanti de vadi certitudine, delusores pessimi mente ac voce subdolâ illis abyssum pro vado ostenderunt; mox datâ benedictione transiens immunis, illam abyssum vertit in vadum; vadumque anteà cunctis peruium, deinceps intransmeabilem fecit abyssum.

eisque ad quos diuertit variam sui memoriā ex merito reliquit,

B 147 Benedictus Patricius, itinere longo de regione longinquâ peracto, præsentiâ suâ suos exhilarabat, & triginta Episcopos ex transmarinis partibus congregatos & à se consecratos, in Dominicam messem (eò quòd esset multa, & operarij pauci) destinabat. Cœpit igitur Episcoporum Synodos sanctas sæpiùs congregare, Concilia solenniter celebrare, & quod fidei Catholicæ comperit contrarium ecclesiasticisue institutis aduersum euellere & destruere: & quod Christianæ legi, quod iustitiæ, quod sacris Canonibus consonum, moribusque optimis consentaneum erat, studuit plantare & ædificare. Innumeris interim miraculis quotidiè coruscabat, & quæ ore docuit aut constituit, sequentibus signis obseruanda confirmabat. Inter quæ quoddam opus fecit, vnde omnes meritò admirantur; ex cuius beneficio vniuersæ illius insulæ incolæ vsque in seculum iure congratulantur, de quo in sequenti pleniùs dicere conamur. Hibernia, à primordiali inhabitatione gentium in eâ, triplici laborabat pernicie; venenosorum scilicet animantium, *a* quorum non erat numerus, abundantiâ; ac dæmonum visibiliter apparentium manifestâ depressione; & maleficorum, magorumque multitudine. Tot namque virulenta ac monstruosa animantia præualuerant super insu-C lam è terrâ marique emergentia, vt non solùm homines atque animalia venenis inficerent; verùm etiam cruentis mortiferisque morsibus interficerent, & multoties membra dilaniarent ac deuorarent: dæmones etiam, qui per idololatriam in superstitiosis habitabant cordibus, in varijs formis visibiles sese exhibebant illorum obtutibus; multis etiam multimodas læsiones, quasi offensi visibiliter inferebant; quibus itidem sacrificijs aut muneribus siue operibus prauis placati gratiam leuaminis seu sospitatis præstare videbantur, dum ab eorum læsione cessabant. Tanta multitudo in aëre volitantium, vel in terrâ gradientium crebrò cernebatur, vt ipsa insula illorum incapax putaretur: ac per hoc Hibernia dæmonum domicilium domesticum, & propria possessio æstimaretur. Magorum etiam & maleficorum atque aruspicum turba tanta in finibus singulis succreuerat, quantam nulla in aliquâ terrarum regione historia narrat.

Ecclesiæ Hiberniæ vtilitati ius prospicit,

a ex Hiberniâ scatente animantibus venenosis,

dæmonum spectris,

magis atque maleficis

148 Sanctissimus Patricius pestilentiæ triplici eliminandæ summam operam & diligentiam adhibuit, & tum salutari doctrinâ tum feruentissimæ orationis obtentu, Hiberniam huius grassantis veneni exsortem exhibuit: ipse namque Pastor præstantissimus manu Domini Iesu baculum baiulauit, eiusque eleuatione comminatoriâ omnia venenata animantia, Angelico suffultus suffragio, ex vniuersis Hiberniæ partibus in vnum congregauit: deinde omnia vsque ad editissimū D insulæ promontorium in fugam compulit, (quod scilicet Cruachan-aigle dicebatur tunc nunc verò Cruach-phadraig dicitur) ibique totam turbam pestiferam de præruptâ mōtis crepidine in virtute præcepti præcipiti lapsu Oceano absorbendā depulit. O miraculum magnificum à mundi exordio inexpertum, nunc tribubus, populis & linguis compertum, cunctis ferè nationibus notorium, specialiter Hiberniæ incolis pernecessarium! Huic tam miraculoso, tamque perutili spectaculo numerosus populus intererat, quorum pars plurima ad signa videnda, quædam ad verba vitæ percipienda vndique confluxerat. Conuertit deinde faciem suam versùs Manniam & ceteras insulas, quas fide Christi & Sacramentis imbuit & benedixit; ac precum suarum obtentu reptilium venenatorum omnes illas tandem expertes fecit & reddidit: aliæ verò insulæ, quæ ad eius prædicationem non crediderant, adhuc virulenta animalia procreant. Maleficorum quoque innumerabiles ad fidem Christianam conuertit; plures etiam obstinatos in peruersitate & incorrigibiles, sicut iam diximus, terribiliter de terrâ deleuit. Ab hominibus nihilominùs, quos in Hiberniâ Christi Sacramentis initiatos Deo viuo & vero subiugauit, dæmonum visiones & solitas læsiones arceri atque auferri, à Domino E popoſcit & impetrauit.

omnia venenata pellit in mare

itemque ab insulis à se conuersis.

149 Præcellentissimus Pastor Patricius, vt nullum in Hiberniâ aut ceteris Insulis à se benedictis relinqueretur alicuius reptilis venenati vestigium, aut rediuiuum oriretur seminarium, seu consueta concederetur commoratio cateruis dæmonum, absque victuali terreno quadragenarium transegit ieiunium. Desiderabat enim dilectus Domini imitari ieiunio mystico Moysen, adhuc naturali tantùm lege constrictum, vel potiùs Eliam Prophetam sub lege constitutum; sed potissimùm placere gliscens Conditori naturæ, legis largitori & gratiæ Christo Iesu, qui in se sacrauit tale ieiunium. Subijt ergò in montem excelsum, Cruachan-aigle vocatum, in Connactiâ constitutum, Quadragesimali tempore ante Pascha: commodiùs illis salutiferis diebus ducens, desideranti Domino & deliberanti ieiunij immolare holocausta. Quinque itaque lapides in modum Crucis locatos, disposuit in quorum medio, quasi cētro, ipse resedit; modoque & formâ sessionis suæ, sicut & abstinentiæ mortificatione se seruum Crucis Christi indicauit. Sedebat ergo solitarius leuans se super se, solummodò in Cruce Christi gloriabatur, quam F in corde & corpore suo iugiter gestabat; ad dilectum suum candidum & rubicundum indefessè anhelabat. Persistebat enim ieiunus in corpore iugiter, sed eius interior homo erat satiatus, sagittatus & sauciatus sanctæ contemplationis dulcedine, Angelicæ visitationis consolatione, ac dilectionis Dei mucrone: Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem corporis & animæ, quo ipse vulneratus erat caritate. Hebr. 4. 12.

Quadragenario ieiunio

in monte Cruachan-aigle insistente,

150 Dolebant dæmones deletum dominium suum in Hiberniâ per Patricium, nimisque infesti insistebant illi ieiunanti & oranti, pariter conglobati contra eum: in specie namque nigerrimarum auium formâ & magnitudine horribilium ac multitudine, super & circa eum volitabant, & horrisonis garritibus gestientes impedire orationem eius, diutiùs virum Dei molestabant. Patricius tandem Dei gratiâ præuentus protectusque adiutorio, signo Crucis edito, aues illas mortiferas à se longiùs abegit; ac continuâ crebraque cymbali sui percussione eas ab Hiberniæ finibus effugauit. Dæmones itaque à S. Patricio trans mare fugati fugerunt, & in insulis à fide & dilectione Dei alienis per phalanges diuisi degere ac phantasias suas exercere soliti sunt. Ab illo ergo tempore vsque in præsens venenosa animantia in Hiberniâ, meritis & precibus sanctissimi Patris Patricij, penitus esse cessarunt;

multitudinē à dæmonibus exercitum,

omnis tñ trans mare fugat:

A runt; dæmonumque phantasmata, & illorum illusoria schemata, sicut in ceteris regionibus, apparere non consueſcunt. Cymbalum etiam Sancti ex crebris ictibus in vna parte apparuit effractum, quod postmodùm Angelicâ manu est resolidatum; cuius cicatrix adhuc apparet oculis intuentium. In huius igitur montis cacumine ieiunare, ac vigilare consueſcunt plurimi, opinantes se posteà numquàm intraturos portas inferni: quia hoc impetratum à Domino existimant meritis & precibus S. Patricij: referunt etiam nonnulli, qui pernoctauerant ibi, se tormenta grauissima fuisse perpessos, quibus se purgatos à peccatis putant, vnde & quidam illorum locum illum *b* purgatorium S. Patricij vocant.

pulsu cymbali sui,

b

151 Miserante Moderatore omnium Deo, qui post nubilum ducit serenum, statim eiectis spiritibus malignis, Angelorum multitudo maximo fulgore perfundebat locum, mirabilique melodiâ permulcebat Sanctum: ipse verò expleto ieiunio, gratiarum ac laudum hostias immolabat Deo, qui homini mortali tantę abstinentiæ adimplendæ virtutem tribuit, & tanta beneficia ob sui intercessionem largiri dignatus fuit; insuper & Angelicâ visitatione se lætificauit. Angelico B igitur comitatu deductus de monte descendit, ac cymbalum suum percussit, cuius sonitum per omnes fines vndique Hiberniæ Dominus audiri fecit: ex quâ re nullus fidelium ambigere debet, quòd nouissimæ tubæ sonum omnis homo audiet. Eleuatis deinde manibus S. Patricius totam insulam cum habitatoribus suis benedixit, Christoque commendauit. Mos itaque fuit S. Patricio, sicut & ceteris antiquis Sanctis in insulis degentibus, habere cymbala, tum propter dæmonum expulsionem, tum propter corporalis pigritiæ excitationem, atque ad horas diei die ac nocte denuntiandas, aut fortè aliâ nescio quâ causâ. Vnum verò pro certo scitur, quòd multa miracula sonitu, seu tactu talium cymbalorum gesta esse noscuntur. Benedictus ergo Domini Patricius in cœnâ Domini egressus de secreto ad publicum, suâ præsentiâ lætificauit omnem Ecclesiam Sanctorum, quos genuerat Christo per ipsius Euangelium. Peregit itaque Episcopale officium, quod illis sacratissimis diebus instantibus competebat; sicque ad iter, & opus salutis animarum se præcingebat. Solennitate igitur Paschali consuetâ deuotione peractâ, circuibat totam insulam, & perambulabat eam cum suorum filiorum, quos in Christo parturierat, multitudine sanctissimâ; vbique viam Domini in veritate docens, aut ad fidem conuertit, aut in fide confirmauit incolas prædicationis efficaciâ. Omnes ergò insulani, ad quos vel saltem notitia nominis eius peruenit, propter nouum & insigne ac tam vtile miraculum, sese suaque dedentes illi, manus dederunt; eiusque doctrinæ, institutis atque præceptis, tamquàm Angelo lucis, & proprio Apostolo, deuotè obtemperauerunt.

totâ Hiberniâ exauditi:

quâ deinde obiens vniuersam benedicit.

C

152 Videns optimus agricola duritiam agri Dominici emollitam, conabatur sentibus sensim extirpatis, tribulis euulsis, ruderibus erutis, ipsum saluberrimi seminis augmento copiosius fœcundare, quatenus non solùm tricesimum aut sexagesimum, verùm etiam centesimum posset fructum feraciùs facere. Fecit ergo totam insulam in funiculo distributionis diuidi, diuisam cum omnibus incolis vtriusque sexus decimari, omneque decimum caput tam in hominibus, quàm in pecoribus in partem Domini iussit sequestrari. *c* Omnes ergo mares monachos, fæminas sanctimoniales efficiens, numerosa monasteria ædificauit, decimamque portionem terrarum, ac pecudum, eorum sustentationi assignauit. Infra breue igitur temporis spatium, nullà eremus, nullus penè terræ angulus aut locus in insulâ fuit tam remotus, qui perfectis monachis aut monialibus non repleretur; ita vt Hibernia speciali nomine Insula Sanctorum, vbique terrarum iure nominaretur: viuebant enim secundùm regulam à S. Patricio illis

hominum terrarumque decimas Deo consecrat,

c

vnde Sanctorum insula dici cœpit Hibernia:

præfixam, mundi contemptu, cælestium appetitu, sanctâ mortificatione carnis ac abdicatione voluntatis propriæ, pares Ægyptijs monachis merito atque numero; ita vt exteras atque longinquas regiones illustrarent verbo ac religionis exemplo. Nullus in diebus S. Patricij, aut multò pòst tempore successorum eius, in Pontificem aut ad regimen animarum promouebatur, nisi diuinâ reuelatione aut aliquo signo euidenti dignus demonstraretur *d*.

D AVCTORE IOCELINO.

153 Vir Dei desiderabat attentiùs & deprecabatur instantiùs, super statu Hiberniæ præsenti & futuro certiorari, vt agnosceret quantâ fidei deuotione ferueret, aut quanti penderetur labor eius in conspectu Dei: desiderium autè cordis eius exaudiuit Dominus, & quod petebat præclarâ reuelatione manifestauit oculis eius. Constitutus enim in oratione, laxato sinu mentis, vidit totam Hiberniam velut igneam esse, flammamque vsque cælum extendentem; audiuitque Angelum Dei manifestè sibi dicentem; Talis est Hibernia in præsenti coram oculis Domini. Facto denique paruo interuallo, contemplatus est in omnibus finibus insulæ montes velut igneos ad æthera vsque porrectos. Postmodùm, interiectâ modicâ morulâ pluribus in locis intuebatur quasi candelabra lucere & paulò pòst inualescente caligine, lucernas exiguas, ac demum carbones raros incineratos, viuos tamen in abditis apparere. Subiungitur etiam Angelicâ voce; quòd futuris temporibus in statibus diuersis taliter expressis, essent gentes Hibernicæ. Sanctus autem Patricius imbre lacrymarum ora madefaciens, illud Psalmistæ crebrò replicabat, dicens: Numquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet vt complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in irâ suâ misericordias suas? Et Angelus; Respice ad Aquilonarem plagam, & videbis mutationem dexteræ Excelsi, tenebrasque dispergendas à facie luminis aduenturi. Leuauit igitur oculos Sanctus, & ecce vidit modicam priùs lucem in Vlidiâ exorientem diu cum tenebris concertare, tandem ijsdem effugatis suo fulgore totam insulam illustrare. Nec cessauit lux illa crescere & inualescere, donec videretur ad primum statum igneum Hiberniam reducere. Tunc enim impletum est gaudio cor S. Patricij, & lingua eius exultatione, hæc omnia sibi ostensa prosequens cum gratiarum actione. *e* Intellexit vir Dei, & ore deprompsit in magnitudine ignei ardoris, Christianæ fidei & dilectionis, quâ feruebant insulani, deuotionem & zelum religionis: per montes igneos, Sanctos signis & virtutibus, verbis & exemplis præclaros: per diminutionem claritatis, detrimentum sanctitatis: per obductam super totam terram caliginem, in eâ præualentem infidelitatem: per morarum spatia, succedentium temporum interstitia.

d

& futuris illius statui

visione admirabilis lucis

E

tandem penitus suppressa,

Psal. 76.

ac demum in primum splendorem reducta,

e

cognoscit:

F

154 Tempus autem tenebrarum Hibernici illud autumant, quo priùs Gurmundus ac posteà Turgesius, Noruagienses Principes Pagani, in Hiberniâ debellatâ *f* regnabant: in illis enim diebus, Sancti in cauernis & speluncis, quasi carbones cineribus cooperti, latitabant à facie impiorum, qui eos totâ die quasi oues occisionis mortificabant. Ex quâ re accidit, vt varij ritus cōtra Ecclesiastica instituta in Hiberniâ adducerentur, & à Prælatis sanctæ Ecclesiæ diuinæ legis ignaris contra formam eiusdem noua Sacramenta conficerentur. Lucem verò priùs ex Aquilonari parte exorientem, & licet diutino conflictu tenebras exterminantem, Hibernigenæ S. Malachiam *g* asserunt; qui priùs in Dunensi Ecclesiâ, postmodum in Ardmachanâ metropoli præfuit, & Hiberniam ad Christianæ legis statum reduxit. E contrà Anglici lucem illam arbitrantur ascribendam suo aduentui, eò quòd tunc Ecclesia videbatur suo iudicio in meliorem statum prouehi; Religio plantari ac propagari, atque Sacramenta Eccle-

Hibernis de S. Malachia temporibus,

f

g

Anglis de suo aduentu eam interpretantibus.

A Ecclesiastica & Christianæ legis instituta, ritu competentiori obseruari. Ego verò funem contentiosum inter eos nec porto, nec dirimo; sed huius rei discussionem atque definitionem diuino iudicio relinquendum censeo.

AVCTORE IOCELINO

a *Vide quæ hac de re dicemus in Apendice, & obserua interim magnâ cum exaggeratione scripta hæc omnia esse.*

b *Plenissimè de hoc Purgatorio infrà agemus, ostendemusq́; in loci designatione dumtaxat errasse Iocelinum.*

c *Hanc decimationem à Iocelino, non confictam quidem, sed absque idoneo teste editam omnino nobis persuademus.*

d *Nec hoc scimus vnde hauserit: si foret verum, putamus aliquammulta huius rei exempla fuisse à Vita Tripartitæ auctore proferenda.*

e *Videri possunt quæ de triplici Sanctorum ordine in Hiberniâ & hac ipsa visione tractat Vsserius pag. 913 & deinceps.*

f *Nempe circa Dublinium versus Orientem & circa Eugenij peninsulam versus Boream, vnde totam insulam infestabant. Giraldus tamen Cambrensis dist. 3 cap. 39,* Gurmundum, *ait,* in Hiberniâ vel fuisse numquam, vel relicto in eâ Turgesio modici temporis moram fecisse. *Dein capite 40 scribit Turgesium astu interfectum à iuuenibus, habitu puellari submissis lasciuienti tyranno in quadam Rienfis lacus insulâ, totaq́; mox Hibernia exactos Noruuegos, annis circiter 30 eidem incubantes, circa annum 842.*

g *Vsserius pag. 916 ex MS. plenius* S. Cælestinum *(Celsum passim alij vocant)* Machinensem Archipræsulem totiúsque Hiberniæ Primatem, qui S. Patricij vestigia diligentiori studio secutus fuit, seu S. Malachiam.

B

CAPVT XVIII.

Hymnus à S. Secundino compositus de S. Patricio, huius visiones & virtutes Apostolicæ.

S. Secundinus de Patricio queritur quòd multa recuset oblata,

155 SEdebat S. Secundinus aliquoties in cœtu sanctorum, de gestis & virtutibus S. Patricij mutuò conferentium. Cùmque quidam illorum affirmasset illum esse sanctissimum omnium super terram viuentium, S. Secundinus dixisse fertur ad illum; Verè sanctissimus esset, nisi minùs caritatis fraternæ, quam decet, habuisset. Non diu autem latuit verbum istud S. Patricium in auribus tot discipulorum eius prolatum. Conuenientibus postmodùm in vnum S. Patricio & Secundino, sciscitabatur Magister à discipulo, Metropolitanus à Suffraganeo, cur de se vel potiùs aduersùm se, tale verbum protulerit. Secundinus respondit; Quia recusas oblata tibi diuinitus munera & prędia suscipere, quibus possis sanctorum multitudinem collectam sustentare. Cui S. Patricius: Propter adimpletionem, inquit, caritatis non admitto istud opus cari-C tatis: si enim oblata mihi susciperem, duorum equorum pastum Sanctis post nos aduenturis adipiscendum non relinquerem. S. Secundinus super verbo illo, quod locutus est, pœnitens veniam à S. Patricio petijt: & ipse solitâ benignitate pœnitenti clementer indulsit. Sæpe dictus S. Secundinus sapiens & litteratus, dixit S. Patricio, velle sibi adiacere, de Sancto quodam adhuc superstite carmen componere: & quia Sanctus is erat Patricius, de quo scribere disposuit, illius nomen silentio suppressit. Ad quem S. Patricius: Verè, inquit, dignum & iustum est, æquum & salutare, vt sapientiam & gloriam sanctorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia; sed quidem digniùs, & commodiùs post lucis terminum, totius cœnodoxiæ sublatâ materiâ. Lauda ergo diei serenitatem, sed cùm aduesperauerit; militis virtutem, sed cum triumphauerit; nautæ prosperitatem, sed cùm applicuerit. Dicit enim Scriptura: Ne laudaueris hominem in vitâ suâ. Si tamen id omnino cordi tuo infixum fuerit, quod facere disponis, fac citiùs, quia mors tibi adest in ianuis: omnium enim Episcoporum, qui sunt in Hiberniâ, de seculo primus migrabis. Hymnum igitur in laudem S. Patricij composuit, & paucis posteà diebus elapsis, iuxta verbum S. Patricij diem vltimum clausit: sepultusque in

& de eodem adhuc viuente

Eccl. 11.

hymnum conscribit moriturus:

ecclesiâ Sedis suæ, in loco, qui vocatur Domhnach D Seachlainn, crebris se miraculis cum Christo viuere ostendit.

156 Hymnum autem illum Hibernici plures consuescunt quotidie cantare, ac multa magnaque mirabilia ex eius frequentatione narrant euenisse: plures enim cantantes hunc hymnum, non visi transierunt per medium inimicorum sanguinem suum sitientium. Illo namque genere cæcitatis erant percussi, quam aorisiam nuncupant Physici. Quidam Sanctus in Hiberniâ, nomine Kannechus, videbat quâdam vice phalanges dæmonum infernalibus armatos instrumentis pertransire: quos, adiuratos in nomine S. Trinitatis, compulit caussas sibi suæ profectionis denudare. Adiurati igitur licet inuiti, confitebantur sese profectos ob adducendam animam cuiusdam pessimi peccatoris, qui sepeliri promeruit in infernalibus antris. Præcepit illis S. Kannechus in nomine Domini ad se redire, ac quid egissent sibi referre. Post aliqua interualla horarum, dæmones confusi reuertebantur, ac se suam prædam perdidisse per Patricium protestabantur. Inquirente S. Kannecho caussam ereptionis illius animæ, dixerunt dæmones, hominem illum in vitâ suâ conuiuium magnum singulis annis in festo S. Patricij celebrasse, atque quotidie quædam de hymno in honore S. Patricij composito frequentasse; taliqúe de caussâ de manibus suis affirmabant Patricium illum, tamquàm mancipium proprium, eripuisse. Hæc dicentes dæmones in vmbras euanuerunt. Lætatus est S. Kannechus in his quæ dicta sunt ei; istaque referens, multos incitauit ad hymnum frequentandum in venerationem S. Patricij. Quidam Abbas de discipulis S. Patricij, Colmanus nomine, prædictum hymnum crebrò consueuit repetere: qui cùm conueniretur à discipulis, cur non potiùs Horas constitutas aut Psalmos decantaret, ac diceretur hymnum semel cantatum sibi debere sufficere: respondit, se dum hymnum cantasset, desideratum dilecti sui Patris Patricij iugiter vultum vidisse, nec tamen ex illius contemplatione satiari potuisse. Hæc autem diu post decessum S. Patricij gesta, idcircò scripsimus, vt ostenderemus quanti pendatur hymnus iste apud Hibernicos; & quam promptus adiutor in opportunitatibus, in tribulatione sit S. Patricius se honorantibus & sui memoriam frequentantibus.

cuius hymni vtilitas tum ex...

tum S. Kannecho dicit

cuiusdam aliàs damnati salutione, E

vti S. Colmano.

157 S. Patricius prædicator veritatis viuens adhuc in carne, sicut multos viuentes mortuos ad veram vitam verbo & exemplo reuocabat & prouocabat; sic ex his, qui empti sunt de terrâ, plures ad terram viuentium precibus perducebat. Multos etiam exutos carne ab ipso perpetui puteo interitus à rugientibus præparatis ad escam precibus potenter eripuit, & ad loca purgatoria reducens expiandos, ipsos saluationi restituit. Ipse sæpiùs secretorum cælestium contemplator effectus, cælos apertos, & Dominum Iesum stantem in medio multitudis Angelorum conspexit; a & hoc aliquoties, dum Patri filium immolaret, aut Apocalypsim Ioannis deuotè decantaret, videre promeruit: dum enim visiones illas mirabiles meditaretur, miro modo ad quarumdam earum similem speculationem à Domino subleuabatur. Angelus autem Domini Victor sæpè nominatus, ter in hebdomadâ qualibet illi consueuit apparere, suique colloquij collatione & consolatione refouere b.

S. Patricius crebrâ Christi visione F

a *& Angeli conspectu fruitur:*

158 Multoties Sanctus Dei de corporum tabernaculis animas egressas vidit, ad diuersa loca suppliciorum siue gaudiorum destinatas: quorum vnum exemplum dignum duximus calamo tradere, quod ædificationis caussâ Sanctus solebat referre. Erat homo quidam habens nomen magnum iuxta nomen magnorum, qui fuerunt in terrâ illâ; fueruntque illi greges ouium & armenta boum, eiusque possessio creuit in terrâ illâ. Vir denique præfatus in fata decessit; cuius funeris exequias, cum ingenti pompâ & honore mag-

b *& de statu d functorû cognoscit.*

Ita diuitis cuiusdam

no

A no secundùm æstimationem hominum cognatio plurima, comitante turbâ filiorum, celebrans, in ventrem omnium ipsum recondidit. Homines verò, qui beatum dicere solent hominem cui hæc sunt, funeratum illum, qui taliter in vitâ suâ floruit, & in exitu suo tam honorificè sepultus fuit, felicem asseruerunt; cuius exitus matutinos & vesperas delectabiles cernentes, ipsum Domino placere valdè putauerunt. Alter verò in vicino degens, mendicus omnibus diebus vitæ suæ miserâ squallens egestate, ingressus est viam vniuersæ carnis: cadauer autem illius absque ministerio exequiarum aliquamdiu iacuit inhumatum, & ab auibus laceratum; postremò per pedes tractum in quamdam foueam fuit proiectum, ac cespite coopertum. Qui verò secundùm faciem iudicabant, illum miserrimum & infelicissimum omnino pronuntiabant. Vir autem Domini respondens dixit: diffidere hominum iudicia ab illius æquitate, qui scrutatur renes & corda, cuius iudicia abyssus multa. Adiecit enim, referens se vidisse prædicti diuitis animam à ministris tartareis in baratrum præcipitari; pauperis verò spiritum, cuius vita æstimabatur insania & finis sine honore, inter filios Dei computari, & inter Sanctos locum beatitudinis sortiri. Verè vani filij hominum & mendaces in iudiciorum B suorum stateris: sed iustus Dominus iustitias dilexit, cuius vultus vidit æquitatem: hinc enim delicias & diuitias diuitis; hinc peccata pauperis, quibus fortassis iram meruit, & calamitatem quam patiebatur in staterâ æquitatis appendens; vnum ad tormenta de gloriâ & honore præsenti districtè iudicauit; alterum in camino paupertatis & afflictionis expiatum ad gaudia cælestia misericorditer destinauit. Nec solùm Sanctus hæc de istis duobus, sed sæpiùs vidit, & referre consueuit de alijs pluribus. Sic sic; quòd Veritas ore proprio dignabatur enarrare de diuite purpurato & vlceroso Lazaro, hoc amicus veritatis se vidisse de alijs attestatus est ore veridico.

& pauperis animæ.

vidisse se testatus est, aliter quam homines solent, à Deo iudicatas.

159 Floruit in Britanniâ minori vir vitæ venerabilis, *e* Vinwaloëus nomine, signis ac prodigijs præclarus ab ipsis rudimentis infantiæ suæ. Nam sicut eius gesta descripta testantur, plura permaxima ab ipso patrata miracula memorantur. Hic autem, Austro perflante hortum suum vt fluerent aromata illius, sacram opinionem S. Patricij audierat, æstuantique corde in odorem vnguentorum eius currere concupierat. Deliberabat diutiùs ac desiderabat, demumque animo fixum statuit parentes patriamque relinquere, & ad Hiberniam proficiscendo in discipulatu, & sub disciplinatu S. Patricij Christo seruire: nocte verò præcedente, quâ in crastinum se ad iter proposuit procingere, vidit in visu virum clarissimum, Pontificalibus redimitum coram se assistere, ac sibi in sermone Domini dicere; Noueris, carissime Winwaloëe, me esse Patricium ad quem ire disponis, nec te fatiges, nec quæras, quem inuenire non poteris: instat enim tempus meæ resolutionis, in proximo est vt ingrediar viam vniuersæ carnis: voluntas Dei est, vt non dimittas locum tuum, sed verbo & exemplo in terrâ istâ satagas acquirere populum acceptabilem Deo, sectatorem bonorum operum: superest enim corona vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Hæc dicens visio disparuit, Sanctusque Winwaloëus fecit, sicut edoctus diuinitùs fuit. Attendat auditor, quantâ perfectione vir sanctus Domino adhærens vnus cum eo spiritus fuerit, qui sancti viri manentis in Armoricanâ Britanniâ desideriū in spiritu vidit, agnouit, & ab itineris proposito, profectui profecturi oppositi, tam mirabiliter amouit.

e S. VVinvvaloëo sui videndi cupido

C

apparet in Armoricâ.

160 Exclusâ igitur infidelitatis nube, cuius obiectu Hibernigenæ diu veri solis claritate & calore caruerant; B. Patricij, quamdiu fuit halitus in eo, & Spiritus Dei in naribus eius, lingua, vitâ, virtus omnibus in viâ Domini profectis, prouectis, & perfectis profuit ad dandam scientiam salutis, ad exhibendum exemplum sanctitatis, & ad conferendum infirmis remedium omnimodæ sanitatis. Et hæc quidem forma cunctis proposita patuit, absque eo quòd intrinsecus latuit. Sanè singularis vitæ modus, quem in secreto exercuit, talis quotidianus continuusque fuit *d* omni namque die Psalterium integrum cum canticis & hymnis, & Apocalypsi Ioannis Apostoli, ac ducentis orationibus strenuè seduloque solebat Domino decantare: centenis ter vicibus Dominum adorando genua flectebat: quâlibet horâ diei canonicâ, centies Crucis se charactere signabat. Consueuit nihilominùs quotidie dignissimè Patri filium immolare, nec prætermittebat populis prædicare, siue discipulos docere. Supernaturali etiam more distinguens per partes nocturnum tempus, illud ita transigere solebat Dominicæ vineæ cultor custosque vigilantissimus: Priorem partem eius sub ducentis genuflexionibus duobus quinquagenarijs psalmorum diuinis laudibus libatis, studio vigilanti percurrebat: subsequenti parte aquis algidis se immergens, corde, ore, oculis, aut manibus cælo infixus, tertium quinquagenarium cum orationibus multiplicatis consummabat: *e* postmodùm verò, super nudum lapidem stratus, capiti eius loco ceruicalis altero lapide supposito, corpus sanctissimum somni tenuis & modici refrigerio recreabat; imò vt luculentiùs loquar, illud ad consueti atque continui conflictus laborem reparabat. Tali tamen indulgens membra sopori, lumbis circumponebat particulam aquis algentibus intinctam asperrimi cilicij, ne lex in membris militans contra legem mentis in detrimentum spiritus, igniculum aliquem veteris fortè fomentaret fermenti. Ipse etiam victu arcto ac arido, asperoque amictu, semetipsum hostiam viuam, sanctam, Deo placentem offerebat, nec principem coquorum muros Ierusalem in se attingere permittebat. Beatæ sterilitatis carni pœnam infixit; & ne paruulos procreare posset allisione morteque dignos, multiplicis fructus fœcundum spiritum effecit.

S. Patricij diurna

D

AVCTORE IOCELINO

d

& nocturna exercitia.

e

E

161 More Apostolorum vsque ad quinquagesimum quintum ætatis suæ, quo in Hiberniam Episcopali gradu sublimatus aduenit, iugiter pedes gradiebatur; & ex tunc currus vehiculo, more illius regionis illo in tempore assueto, ob difficultatem itineris in prædicatione vtebatur. Super cetera indumenta cucullâ candidâ amiciebatur, vt ipse habitus formâ & colore monachatus sui speciem, & candidatum humilitatis & innocentiæ repræsentare videretur. Vnde & monachi in Hiberniâ, S. Patricij sequendo vestigia, per multa temporum volumina habitu simplici contenti erant, quem ouium ministrabat lana, quâlibet extrinsecâ tincturâ remotâ. Excutiebat manus suas à munere; beatiùs semper iudicans dare quàm accipere. Si igitur aliquando ei munus collatum esset à diuite, quàm citiùs potuit, illud pauperi studuit erogare, ab illo se alleuians velut à graui onere. In vultu, in visu, affatu, incessu, in quolibet membrorū motu, & in totius corporis gestu intuentibus ædificationem pariebat: sermoque eius tale conditus, omni ætati, omni sexui, omni gradui, omni conditioni congruebat. In quatuor enim linguis, Britannicâ videlicet, Hibernicâ, Gallicâ, & Latinâ peritus & expeditus erat. Græcam etiam ex parte nouerat. Extat enim libellus Prouerbiorum eius Hibernicè scriptus, ædificatione plurimâ plenus. Magnum etiam volumen quod dicitur Canoin Phadruig, id est, Canones Patricij, scripsit, quod cuilibet personæ seu seculari seu etiam Ecclesiasticæ ad iustitiam exercendam & salutem animæ obtinendam satis congruè conuenit. Quoties enim conueniebatur super profundis quæstionibus enodandis aut causis occultis & ambiguis, primitus ex humilitatis vsu respondere consueuit: Nescio, Deus scit. Quoties tamen magnâ necessitate ductus cogebatur verbum suum certificare, per iudicem suum iurando solebat illud confirmare *f*. Spiritu itaque

itinerum ratio.

vestitus forma.

F

paupertatis studium.

linguarum peritia.

libri cōscripti.

Prophetiæ donum

f

AVCTORE IOCELINO

a itaque prophetiæ pollebat, vt innumera futura tamquam præsentia prædiceret, absentia sciret; & quod de labijs eius exierat, absque vllo ambiguitatis scrupulo eueniret. De sanctis namque Hiberniæ, & præcipuè Connaciæ & Momoniæ vsque ad post centum annos nascituris tam luculenter prophetiam texerat, vt ipsorum vocabula, merita & loca habitationis eorum designaret.

benè vel malè precantis efficacia,

162 Quemcumque ligabat & absoluebat ipse, ligatum siue solutum diuina iustitia indicijs euidentibus comprobrabat: sicut enim benedictionem dando, dexteram extendebat; sic inferendo contrarium, læuam leuare solebat. Quem autem benedicebat, benedictio Domini super eum veniebat: & cui maledicebat, maledictionibus repletus apparebat. Quæcumque sententia ex ore S. Patricij fuisset prolata, ita inconuulsibilis manebat & fixa, acsi à superni Iudicis tribunali fuisset egressa. Vnde liquidò constat, quòd vir sanctus adhærens Domino, vnus cum eo spiritus erat. Sed licet in singulis aut pluribus virtutibus ceteris Sanctis æquipollebat aut procellebat, seipsum tamen humilitate vincebat: vnde & in epistolis suis se peccatorem vltimum, minimum, contemptibilem omnium nominare consueuerat. Signa etiam & prodigia, quæ faciebat, paruipendens nulli viro perfecto æquiparandum se censebat: & quia non grandis staturæ fuerat, se sæpius homuncionem vocabat. Manuali multoties etiam labori, more Apostoli Pauli, piscationi videlicet & agriculturæ, sed præcipuè ecclesijs extruendis insudabat, & ad huiusmodi exercitium discipulos suos verbo & exemplo incitabat. Insistebat nihilominùs instantissimè baptizandis populis, Ecclesiæque ministris ordinandis: trecentos namque Episcopos & quinquaginta manu suâ consecrauit: septingentas Ecclesias fundauit: quinque millia Clericorum ad Sacerdotalem gradum & officium promouit. Ceterorum verò ministrorum infra inferiores gradus constitutorum ac monachorum atque sanctimonialium, quos diuino obsequio applicauit, solus Deus numerum nouit.

humilitas summa,

B

Apostolicus zelus.

miraculorũ frequentia.

163 Sub hâc itaque normâ sanctissimâ vitæ præsentis [spatia] ad brauium tendendo futuræ, transcurrens, tot ac tantis miraculis coruscabat, vt in his nulli Sanctorum antecedentium secundus appareat: cæcos enim & claudos, surdos & mutos, paralyticos, lunaticos, leprosos, epilepticos, ceu quibuslibet membrorum vsibus destitutos, siue morborum generibus grauatos, in nomine sanctæ Trinitatis naturalibus officijs & integræ sospitati restituebat: & in talibus illi quodammodò quotidianus & consuetus vbique vsus erat. Triginta enim & trium mortuorum, quorum quidam post multorum annorum curricula incinerati erant, legitur esse resuscitator magnificus, de quibus superiùs suis in locis diffusiùs enarrauimus. Vnde de his, quæ mirificè gessit in mundo, libelli vel tractatus referuntur conscripti sexaginta sex numero, quorum pars plurima principantibus Gurmundo & Turgesio consumpta perijt incendio. Quatuor tamen codices de virtutibus & miraculis eius partim Latinè & partim Hibernicè conscripti reperiuntur, quos diuersis temporibus quatuor discipuli eius, videlicet B. Benignus successor illius, & S. Mel Episcopus, & S. Lumanus Pontifex nepos eius, & S. Patricius filiolus eius (qui post decessum patrui sui Britanniam remeans in fata decessit, & in Glasconensi ecclesiâ sepultus est honorificè) conscripsisse referuntur. Sanctus nihilominùs Euinus similimodo actus S. Patricij in vnum codicem compilauit, quem partim Latino sermone partim Hibernico composuit. De quibus omnibus quæcumque fide digna reperire potui, in hoc opus collecta communicare notitiæ posterorum gratum duxi.

C

de his 66 libri conscripti,

quorũ quatuor à discipulis editos Iocelinus compilauit.

a *Huiusmodi visionum vnam narrat Probus initio libri 2 his verbis:* Quodam tempore cum orationis causâ ad locum solitum per nocturna spatia, comite prædicto puero, pergeret, vidit magnum in cælo miraculum, suumque carissimum ac fidelem probare volens sanctum puerum, dixit, Fili mi dilectissime, dic mihi quæso, si sentis & vides ea, quæ ego sentio & video. Tunc prædictus puer Stephanus, qui & Benignus, incunctanter dixit: Iam, pater carissime, de tuis meritis præsumenti, ex Domini gratiâ cognita sunt mihi ea, quæ sentis & vides: nam video cælum apertum, & filium Dei in maiestate residentem, & Angelos eius coram eo. Tunc S. Patricius dixit: Iam te fili meum successorem dignum esse sentio futurũ. Nec mora gradu concito, ad consuetum locum orationis peruenerunt.

D

b *Tale est quod in Vita* IV *apud Colganum num 89 narratur hoc modo*: Quodam tempore, cùm B. Patricius sancta membra quieti daret, venit Angelus Dei & suscitauit eum. Sanctus autem interrogauit Angelum dicens: Numquidnam aliquid est in operibus meis, quod Domino meo non placet? Respondit Angelus: Non est; sed ideò missus sum te consulere, vtrum in patriâ, quam de errore gentilitatis ad fidem Christi perduxisti, tui solius honor & reuerentia habebitur: aut vt alij Sancti tuo assensu participent tecum? Respondens autem Sãctus dixit; Mo-de-broth (hoc enim semper verbum habebat) quàmmulti electi Dei post me in hac patriâ! volo vt ipsi mecum honorem habeant. Tunc sanctus Angelus dixit: Responsum tuum caritate plenum est: sed tamen omnipotens Dominus nomen tuum celeberrimum & honorabile in istis regionibus, quas per multa certamina multósque labores à squalloribus idolorum ac miserabili gentilitatis errore ad inuiolabilem sanctæ ac indiuiduæ Trinitatis fidem per verbum prædicationis & lauacrum baptismatis vertisti, plus ceteris Sanctis honorabilius haberi disposuit. Beato verò Patricio gratias omnipotenti Deo referente, Angelus Dei ad cælum est reuersus.

E

c *Vide dicta partim ad eius Vitam 3 Martij, partim his in Prolegom. num. 79.*

d *Eo nomine Officij ecclesiastici pensum intelligimus, quod recte Psalterium nuncupatur: nam aliàs omnes Psalmi 150 non nisi sex horarum spatio legi possunt. In numero etiam orationum, nisi ea iaculatoria fuerint, hyperbolen agnoscimus.*

e *Neque hæc fuisse quotidiana credimus, sed in secessu quadragesimali aut simili extraordinaria orationis tempore dumtaxat obseruata fuisse arbitramur.*

f *Dicendo* Mo-de-broth, *vt supra ex Probo, id est* Meus Deus iudex.

CAPVT XIX.

S. Patricij excessus è vitâ ab ipso & S. Brigida præcognitus: eiusdem exequiæ & eas comitata miracula.

164 POst hæc dilectus Domini Patricius plenus dierum & meritorum, cùm iam fideliter fortiterque cursum consummasset administrationis sibi creditæ; tum diuinâ reuelatione, tum terrestris habitaculi, quod gestabat, dissolutione, vitæ suæ vesperum videt imminere: qui cũ esset in finibus Vlidiæ constitutus, versùs Ardmachiam ciuitatem Sedis suæ maturauit gressus. Sedit enim desiderio suo illo in loco sacri corporis exuuijs depositis viam vniuersæ carnis ingredi; & sub oculis filiorum, quos in Christo parturierat, in ventre matris omnium recondi. Sed sancti viri propositum inopinatus commutauit euentus: vt sciant singuli, quod, teste Scripturâ, non est via hominis in potestate ipsius, sed à Domino disponuntur gressus eius: Angelus namque Victor illi, quò proposuerat tendenti, occurrit, & secus viam de rubo, absque vllius combustionis iacturâ ardente, loquens ait; Prohibe Patrici, pedem à cœpto itinere, quia non est voluntatis diuinæ, vt vita tua morte commutetur in Ardmachiâ, corpúsque claudatur sepulcrali lare. In regione enim Vlidiæ, quam priùs præ omnibus Hiberniæ finibus conuertisti, Dominus præuidit te moriturum, & in ciuitate Dunensi honorificè tumulandum: ibi quippe erit tua resurrectio; sed in Ardmachiâ vrbe, quam diligis, gratiæ tibi collatæ successiua administratio. Memor esto verbi tui, in quo filijs Dichu, primis neophytis Hibernigenarum, spem dedisti, quando cælitus edoctus in terrâ eorum te moriturum & funerandum prædixisti,

F

Ardmachã proficiscitur moriturus Patricius:

sed ab Angelo sistitur,

monetur que quod sit sepeliendus in Vlidia.

A prædixisti & promisisti. Sanctus autem Præsul prius paululùm hoc molestè accipiens, obstupuit: sed repentè in se reuersus, diuinæ dispositionis prouidentiam multâ cordis deuotione magnâque gratiarum actione amplexatus est: Deique voluntati suam submittens, ad partes Vlidiæ regressus est.

& sepulturæ locus luce cælesti præsignatur:

165 Paucis diebus post hæc transactis, sedebat sanctissimus senex Patricius, in loco non longè distante à Dunensis ciuitatis matrice Ecclesiâ, cum illo erat Brigida Hiberniæ margarita, & Religiosorum ac Ecclesiasticorum turba non minima: cumque Sanctus concionaretur ad eos de gloriâ Sanctorum, & mansionibus lucifluæ patriæ, lux copiosa cælitùs emissa perfudit quemdam locum in cœmeterij orientali parte: quam intuentes, qui adetant, admirabantur, & ipsa lux quid prætenderet, à Sancto sciscitabantur. Sanctus autem Pater iussit B. Brigidæ assidenti denudare poscentibus mysterium apparentis luminis deifici. Virgo verò palàm in auribus omnium asseruit, illam claritatem designasse atque sanctificasse locum sepulturæ cuiusdam clarissimi Deoque carissimi Sancti, ibidem in proximo funerandi. Sancta etiam Ethembria affuit, quæ prima omnium Sanctimonialium in Hiberniâ fuerat à S. Patricio in virginitate consecrata; & quis esset ille Sanctus secretiùs inquisiuit à Brigidâ. Illa verò respondit, ipsum esse Patrem & Apostolum Hiberniæ S. Patricium illo in loco nuper tumulandum, sed processu temporis exhinc transferendum: se etiam felicem fore pronuntiauit; si eius sacratissimum corpus obuolueretur linteamine, quod proprijs manibus nendo & texendo ad idem obsequium ipsa præparauerat. Hæc Virgo in aure conuirginali suæ protulit; nec verbum illud absconditum aliquem audisse putauit. Lux etiam quæ apparuit è cælo, recepta ab oculis omnium disparuit, & ascensu suo Sanctum Dei ad cælestia migraturum præostendit.

quæ quid sibi vellet S. Brigida exponit,

B

& sindonē ad corpus Sancti inuoluendum adferens,

166 S. Patricius edoctus diuinitus desiderium cordis Brigidæ, orisque alloquium & præparationem vestis agnouit; illique vt domum reuerteretur, ac vestem deferret, corpusque suum, ob spirituale indicium mutuæ dilectionis in Christo obuolueret, imperauit. Ipse verò reuertebatur ad cœnobium Saballinum, quod egregio monachorum agmine repleuit; ibique lecto doloris decumbens, terminum vitæ, imo viæ, ac vitæ initium spe felici expectauit. Virgo autem venerabilis ab auditu auris verbo Patris atque Pontificis obediuit: ad monasterium suum perrexit, vestem assumpsit, & cum quatuor Virginibus sibi adiunctis ad Sanctum, regressum maturauit: sed quoniam nimiâ abstinentiâ & longoris viæ difficultate erant afflictæ, in itinere præ lassitudine substiterunt; & concito gradu, sicut proposuerant, ad Patrem venire non potuerunt. Sanctus autem in Saballo positus Virginum fatigationem, Spiritu sancto sibi reuelante, sciuit; ac aurigæ suo quatenus B. Brigidæ sociabusque eius illo in loco cum quinque vehiculis citò occurreret, præcepit. Qui iussa sancti Præsulis complens, in loco ab illo designato illas quinque valde fatigatas inuenit, & singulas singulis vehiculis impositas, ad Saballinum monasterium adduxit. Ipsæ autem exhibitæ præsentiæ viri Dei, vestem illi grataanter suscipienti obtulerunt, & osculantes pedes ipsius & manus benedici ab eo meruerunt.

C

excipitur curribus obuiam fatigata missis.

S. Patricius Sacramentis munitus

167 Ingrauescente igitur corporis molestiâ, vrgente senio, vel potiùs ad coronam vocante Domino, benedictus Patricius mortem sibi in ianuis adesse sentiebat, imò ad mortis portum portamque vitæ se properasse iam & peruenisse gaudebat. Admonitus ergo ab Angelo custode sui, S. Thasach Episcopo discipulo eius ministrante, mysterijs diuinis se muniuit, eleuansque oculos suos cælos apertos & Iesum stantem in multitudine Angelorum conspexit. Erectis ergo manibus benedicens suos & Domino commendans ac gratias agens, ex hoc mundo transiuit, de fide ad faciem, de viâ ad patriam, de præsenti ærumnâ ad æternam gloriam. O quàm felix Patricius; qui vidit Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima eius: beatus inquam homo, cui cæli patuerunt, qui & penetrauit in sancta, æternâ redemptione inuentâ; quem, cum niueis Virginum choreis suscepit Benedicta Maria; quem suo consortio Angelorum admiserunt agmina, Prophetarum prouidus comitatur chorus, iudiciarius Apostolorum amplexatur Senatus, Martyrum laureatus venustat exercitus, Confessorum candidatus condecorat cœtus, quemque omnium electorum gloriâ & honore innumerabilis prosequitur numerus.

D

AVCTORE IOCELINO.

singulis Sanctorum cœtibus aggregandus tamquam Angelus, Propheta, Apostolus,

168 Nec mirum, nec immeritò; quia ipse fuit Angelus Domini, licet non naturâ, virtute tamen & officio, cuius labia custodiebant scientiam, & legem vitæ requisitam ab ore suo sincerè denuntiauit Dei populo. Iure etiam Propheta Altissimi dicitur, qui tot absentia cognouit, tot ac tanta prædixit futura, quanta prophetasse rarò aliquis Prophetarum inuenitur. Iure etiam Hiberniæ vocatur & est Apostolus, cum omnes Hibernigenæ, & alij insulani signa sint Apostolatus eius. Congruè etiam Martyr vocatur, qui Cruce Christi iugiter in corpore suo ac corde gestans, hostiam viuam seipsum exhibuit Domino: qui tot insidias & conflictus, à magis, ab idololatris, à Regibus, à dæmonibus perpessus, ad quælibet mortium genera subeunda cor paratum semper habuit. Quàm etiam competenter Confessor Domini sacratus dici debeat, penè nullus ignorat; quippe qui nomen Christi iugiter confitendo prædicabat, & ad eiusdem nominis confessionem & proprij peccati & laudis Dei, populos, tribus & linguas, verbis & exemplis & signis innumeris inducebat. Virgo etiam permansit corpore, virgo corde, & virgo fide; & ideo Sponso virginum, virginiq; virginum, hâc triplici placuit integritate. Meritò ergo Angelicis choris, & omnium Sanctorum cœtibus aggregari meruit, qui omnium Sanctorum virtutum particeps fuit a.

E

Confessor,

Virgo.

Exequiæ honestãtur

169 Expirante S. Patricio, circumstans Corona monachorum in manus Domini commendabat eius spiritum, linteamine à S. Brigidâ præparato corpus obuoluens sacrum: multitudo etiam populi & Cleri copiosa cateruatim confluxit; decessum Patricij Patroni sui, tamquàm Patriæ desolationem, suspirijs lacrymosis luxit; in psalmis & hymnis exequias funeri deuotas impendit. Nocte verò secutâ lucifluus chorus Angelorum circa corpus cælestes excubias exhibuit; locum & omnes existentes in eo claritate circumfulgens, odore oblectans, psalmodiæ mellifluæ modulamine mulcens, spirituali iucunditate cuncta perfudit. Igitur in omnes, qui conuenerant, sopor Domini irruit, & donec Angelicæ explerentur exequiæ, vsque manè consopitos detinuit. Facto autem manè cœtus Angelici æthera repetentes, odorem super omnia aromata suauissimum post se reliquerunt; quem à somno expergefacti & omnes aduentantes continuato duodecim dierum spatio experiri potuerunt: tot namque diebus continuis sacrum corpus inhumatum custodiebatur, quia Clero controuersijs populorum præpedito, in loco cælitus designato, illud sepelire nō permittebatur.

F

Angelico concentu,

odore cælico,

& cōtinuâ per dies 12 luce.

170 Signum quippe magnum & mirum apparuit, quod ab initio temporis numquàm visum fuit: per totam enim regionem illam duodecim dies, absque noctis vllius interpolatione, lux continuauit; quia nox sicut dies resplenduit illuminata. Quâ in re patenter datur intelligi, quia mortis tenebræ non obscurabant filium vitæ, inhabitatorem lucis æternæ Patricium; dum nox illi illuminatio in delicijs suis fuit, & ipse ad lucem sine defectu, diem sine nocte, solem sine eclipsi, clarus ascendit. Videtur enim istud signum insigne, illi antiquo miraculo, sub Iosue in die Gabaon patrato, assimulari, quamuis in spatio probetur elongari: sol enim, sicut scriptum est contra Gabaon, & luna con-

A travallem Aialon vitium diem spatio duorum protelans, fideli populo diuinâ virtute victoriam ministrauit: Patricij de mundo & mundi principe triumphantis, duodenæ lucis indefectiua continuatio pari potentiâ meritum monstrauit. Viso tanto miraculo, non poterant populi diuersi à contentione cohiberi; quia quod iræ suæ furor & animorum imperabat impetus, adscribebant habitæ erga Sanctum Dei deuotioni. Duodecimo denique die inter duos populos, videlicet Vlidiæ & Ardmachiæ, super sanctissimi corporis glebâ asportandâ orta est contentio grauis satis & periculosa: cumque accincti armis bellicis ad congressum consurgerent, vocem de supernis, in sanguine ire prohibentem audierunt, quam spiritum S. Patricij protulisse putauerunt. Mare nihilominùs terminos transgrediens consuetos, instar muralis erectum, vtrumque populum sibi aduersantem, ne mutuis visibus sese conspicere aut ictibus possent contingere, diuisit: diuisos corporaliter ad concordiam mutuæ pacis ad horam counivit. Sedatis ergo populis à furore suo, sedatum statim stetit fretum à furore suo.

AVGVORA IOCELINO Iosl. 10.

Populos de corpore contendentes

mare interluens separat.

B 171 Reductis igitur fluctibus tumescentibus maris & in se confractis, duo boues plaustrum nobili onere oneratum, glebâ scilicet sanctissimi corporis, versùs Dunum videbantur trahere; quod Clerus & populus Vltanus vnanimi deuotione, cum psalmis, hymnis & canticis spiritualibus sequebantur. Ille planè plaustrum illud minabat, qui quondam Arcam fœderis ab Accaron vsque Geth perducebat. Sed in his omnibus visis aut auditis mirabilibus, Ardmachani populi non est furor auersus; sed adhuc ad bellandum manus eius extenta, ne primi Præsulis, imò Primatis Patronique sui corporis priuaretur præsentiâ. Sed ne vlteriùs vlla cōfligendi seu litigandi super hâc re moueretur materia, vtriusque populi paci definitiuæ diuina prospexit prouidentia: bobus namque ducentibus, quoddam plaustrum apparens populum Ardmachanum præcedebat; ad instar prioris, quod sacrum corpus portans versùs Dunum tendebat: illi enim non desistebant subsequi præuium, putantes illud thesauro desiderabili onustum, donec peruenirent in confinio Ardmachanæ Prouinciæ ad quemdam fluuium, Caucune nominatum. Tunc enim plaustrum illud imaginarium dispaŕuit, populusque præfatus spe suâ frustratus, vacuus & inanis ad propria redijt. Ingressi interim Vltani vrbem Dunensem, Missarum solennijs celebratis, venerandum corpus veneratione debitâ in loco luce præostenso sepelierunt; & thesaurū desiderabilem & lapidem pretiosum multùm, sub lapide, quinque cubitorum profunditate, in corde terræ, ne fortè furtim tolleretur, posuerunt. Quantis vel quibus miraculis, sacrosancta ossa illius pullulauerint de loco suo, scriptum non inuenimus, quia fortassis à negligentibus calamo mandata non sunt; vel quoniam à paganis principantibus in Hiberniâ plures huiusmodi scripta incendio deleta sunt *b*.

Corpus imponitur plaustro quod nutu diuino Dunum dirigitur.

Ardmachanis similis plaustri speciem apparente sequentibus,

C

& sepelitur Duni.

a *Sequebatur totius Vitæ Patricianæ partitio his verbis contexta*: Centesimo vigesimo tertio ætatis suæ anno, XVI Kal. Aprilis migrauit à seculo: cuius vitæ anni distincti hoc modo computantur. Floruit sedecim annis antequàm à piratis, totam eius patriam deprædantibus, ad Hiberniam insulam est ductus. Sex annis grauissimo oppressus seruitio porcorum greges pascebat: quatuor namque Euangeliorum dulcissimo pabulo eos qui priùs erant porci, depositis idololatriæ sordibus, velut candidos agnorum greges pauit. Octodecim quoque annorum spatio sub S. Germani Episcopi magisterio transacto, quinquagenarius quinquennis natu fuit quando Episcopali gradu decoratus Hiberniam prædicandi gratiâ intrauit. Triginta quinque annorum spatio totam Hiberniam cum alijs quibusdam insulis ad Christum conuertit: reliquis deinde triginta tribus contemplatiuæ vitæ dulcedini intendens, potissimum in Saballo vel monasterio Ardmachiæ constituto commorari consueuit: nec de facili de sanctis locis solebat egredi, nisi traheretur aliquâ causâ ineuitabilis negotij. Semel tamen singulis annis concilium celebrabat, vt ad regulam deduceret quæ correctione egere cognouerat. *Quæ hoc loco reposita prudens lector sic corriget.* Anno LXXXII ætatis suæ migrauit à seculo. . . quinquagenarius quinquennis Hiberniam intrauit, XXV annorum spatio eam conuertit, reliquis deinde tribus contemplatiuæ vitæ intendit.

Ætatis Patricianæ partitio correcta.

D

b *Omisimus conclusionem, priori de longæuitate Patriciana errori innixam, & illam hîc damus.* Decessit S. Patricius anno Incarn. Dominicæ CCCCXCIII Pontificante Felice Papâ, primo anni imperij Anastasij Imperatoris (*in quibus error plusquàm vnus est: nam Felix anno seculi* XCII. *die* XXX *Ianuarij defunctus est; Anastasius* XCI *die* VII *Aprilis Imperium suscepit*) Principantibus Aurelio Ambrosio in Britanniâ, *vsque ad annum* XCVIII *vt volunt*, Forcherno in totâ Hiberniâ: *sed vnde accepto, cum à catalogis Regum absit? An fortè tunc aliquis in Vltoniâ fuit eo nomine Regulus, perperam creditus à Iocelino totâ Insula regnasse?* Iesu Christo monarchiam tenente in omnibus & super omnia: ipsi gloria, laus, honor & imperium per infinita secula seculorum. Amen.

error in anno mortis assignando commissus

APPENDIX

1 *Hactenus S. Patricij Acta per Iocelinum collecta: quæ poterant non inutiliter cum ipso, vnde desumpta sunt pleraque, Vitæ Tripartitæ textu conferri: sed prolixitatem veriti eodem consilio quo ipsam omisimus (licet magno studio & prolixissimis annotationibus illustratam præloq; paratam habuerimus) hac quoque diligentiâ supersedendum putauimus: cum vtraque sic edita à Colgano sit vt ad alteram altera referatur, notato ad singula vtriusque capita alterius Vitæ capite, in quo de re eadem agitur. Quo autem die vnusquisque Patricianorum discipulorum (qui multi in hac Vitâ, plures in Tripartitâ nominãtur) Hibernicis adscripti sint Fastis prolixè in suis Annotationibus Colganus inquirit, multaq; definit ex coniecturis, quæ nobis hoc loco tanti non sunt vt examinare velimus: cùm id possit de ijs, qui cultum aliquem probantur habere, suis locis fieri; de ceteris non magnopere nos conueniat solicitos esse. Nunc quam promisimus Appendicem damus in varios diuisam paragraphos: quos tantò optamus legi diligentiùs, quantò quæ in ijs tractanda sunt maiorem connexionem habent cum veteris Hibernorum Sanctorum Actis.* E

§ I *An & quos Christianos Patricius in Hibernia repererit: deque SS. Kierani, Albei, Declani, Ybari in eam aduentu.*

1. *Tractaturus hanc quæstionem Colganus Appendicis 5 cap. 15, negat se in dubium reuocare hoc loco, an ex Hibernis quidam extra patriam suam Christi fidem amplexi sint diu ante hæc tempora: supponit enim, & alibi fusiùs à se ostendi dicit, S. Mansuetum S. Petri discipulum, S. Beatum Heluetiorum Apostolum, S. Eliphium eiusque fratrem Eucherium, ac plures alios Christianæ fidei in exteris nationibus præcones egregios, gente Scotos seu Hibernos fuisse: quæ satis erit examinari à nobis, cùm argumenta, quibus id se ostensurum promittit, fuerint prolata in lucem. Igitur eâ disputatione omissâ, hoc quæramus, verène dixerit Prosper in Chronico, ex eoq; Beda cap. 13 scripserit Theodosij Iunioris anno* VIII, Palladius ad Scotos in Christum credentes ordinatur à Cælestino & primus Episcopus mittitur. *Manus in hunc locum cum Scoto-Britannis reliquis Alfordus inijcit, atque demonstrari à se credit, non esse ad Hibernos missum Palladium, ac ne in Hiberniam quidem pedem fortassis intulisse vnquam. Verùm si ante Patricium Scotus in Hiberniâ nullus, vt ipse vult, in Christum credidit; multò minùs ostendi poterit, fecisse id in Britanniâ Scotos, vbi necdum stabiles vllas habebant sedes; sed pyraticis tantùm incursionibus adiuncti Pictis Britones infestabant.*

An aliqui ex Hibernis pridem Christiani? F

an saltem ante Palladium?

2 *In Hiberniâ igitur credidêre Scoti, si qui ante Palladium credidêre: & credidisse aliquos non est cur asserente Prospero recusemus admittere: maximè cùm ex Augustini ad Anglos missione referente Bedâ discere possimus, non fuisse morem Romanæ Ecclesiæ alicui genti Episcopum ordinare, priusquàm aliquas apud eam radices fides Christiana fixisset: ita enim legitur*

ita ex ordinatione Palladij & simili S. Augustini colligitur,

A *gitur cap.23* Perculsi timore inerti .... Augustinum, quem eis Episcopum ordinandum (si ab Anglis susciperentur) disposuerat *Gregorius* domum remittunt. *Cantiorum verò Rege conuerso, nec paucis è populo traductis ad fidem*: Augustinus venit Arelas, & ab Archiepiscopo eiusdem ciuitatis Ætherio, iuxta quod iussa Sancti Patris Gregorij acceperant, Archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est; *vt habetur cap.27: denique 29 capite proferuntur eiusdem Gregorij litteræ*, quibus significat se ei Pallium direxisse, simul & insinuat qualiter Episcopos in Britanniâ constituere debeat, *alterumque Eboraci Metropolitam instituere, cui etiam ipsi* Pallium (si vita comes fuerit) tribuere Domino fauente disposuerit.

qui illi, & vbi?

Vides quibus gradibus ad ecclesiæ Anglicanæ constitutionem Sedes Romana processerit, nec vlla apparet causa ob quam dissimilem circa Hibernos dispositionem præsumamus. Quinam verò, & vbi ista iecerint Christianæ Religionis fundamenta, quæ ad Palladij ordinationem Cælestinum permouerint, tacent vetera monumenta omnia. Credibile est, cùm tanta Britonum Christianorum multitudo, non tantùm insularium sed etiam Armoricorum varijs excursionibus in Scoticam abduceretur seruitutem, cultioribus eius insulæ partibus, præsertim Lageniæ Australique Momoniæ nonnullam mysteriorum nostrorum cognitionem fuisse indigenis communicatam: atque B *ita factum esse vt priuatis iacta conatibus, & nonnullorum, ex plebe conuersione non omnino infeliciter succrescens fidei sementis, digna videretur Apostolicâ curâ atque cultoribus, maximè cùm ex eâ gente, subinde aliqui fidei pleniùs perdiscendæ causâ Romam accederent. His autem rebus sic constitutis Palladius missus in Lageniam appulit: sed loci Dominum prædicationi Euangelicæ pertinaciùs obsistentem nactus, & fortassis imminentem sibi mortem præsentiens, satis habuit duos è suis Siluestrum atque Solonium relinquere in subsidium paucorum Christianorum, quos illic inuenisse eum plures quàm fecisse credibile est, propter exiguam ijs in partibus moram, tribusque oratorijs ad eorum vsum consecratis, nauim soluit reditur us cum suis, & Aquilonarem circumuectus Britanniam (tempestate fortassis & diuino consilio actus, non suo) portum ad Orientalem Pictícarum regionum partem tenuit, atque ibi vitam commutauit cum morte. His si contenti Hiberni forent nulla nobis cum ipsis esset pro veritate controuersia: sed Prospero ac Bedæ ingrati, ex quibus vnis solidè probatur Scotos aliquos credentes in Christum ante Palladium Patriciumque fuisse; simul & fundamentum suum & eorum euertunt auctoritatem, dum negant Primum Episcopum Hiberniæ missum esse Palladium, eoque mox deficiente Patricium: quod tamen ijdem tam expressè dicunt, & propter quod vniuersa Ecclesia Hibernorum Apostolum Patricium nominat. Quibus autem* C *id negant fundamentis*? Ex antiquissimis, *inquit Colganus*, & ante mille circiter annos conscriptis Sanctorum nostrorum Actis habemus, non solùm plurimos in Christum in diuersis Hiberniæ partibus credidisse; sed & multos sanctitate illustres, vt Keranum, Albeum, Declanum & Ibarum Episcopos: item ante hos S. Colmanum Episcopū, & S. Dymam S. Declani magistrum, S. Corbreum Episcopum, S. Mochellocum, S. Beanum, S. Colmanum, S. Lactinum, S. Mobium, S. Finlugum, S. Cuminianum Eremitas, & alios plures ante S. Patricium & S. Palladium in Hiberniâ floruisse.

Palladij reditus.

Non esse eū primū Hibernis missum Episcopum.

sed alios ante illum quatuor,

4 *Verùm quod bonâ Colgani veniâ dictum sit: non sunt tam antiqua illa acta quàm credi vult ipse, sed ab auctoribus fabulosissimis consarcinata pleraque, nec vlla seculo* XII *priora. S. Kierani Sagiriensis acta qualia sint illa, quæ protulit ex Kilkenniensi codice*, V *Martij vidimus: quamuis oculatum alicubi testem mentiantur. Ad diem quoque* XXVII *Octobris vbi duos fortè SS. Abbanos distinguemus, mentio nobis facienda necessariò erit S. Ibari, eius qui S. Abbano Lageniensi auunculus fuit & magister, discipulus autem Ludmedensis Episcopi Muctæ; quem ex Actis Patricianis scimus diu post Patricium venisse in Hiberniam; ac proinde Ibarum tum ex hoc tum ex alijs capitibus demonstrabimus vnà cum discipulo suo Abbano ad seculum* VI *pertinere: quamuis iste in Abbani Actis legatur fuisse* vnus de prioribus prædicatoribus, quos elegit Deus vt Hibernienses de gentilitate ad fidē Christi conuerterent: *nā qui insulsissimas quæ ibi sūt de Abbentoniā fabulas vel comminisci potuit vel veras credere; atque inter alia eiusdem notæ*, CCCXVII *annorum senectutem Sancto, de quo scribebat, prorogare, nec potest auctor bonus haberi, nec ipsius Sancti temporibus tam vicinus, vt nepos fuerit alicuius per Sanctum reuocati in vitam, nisi nepotis nomen sumendo pro quocumque è posteris, quantumuis longâ generationum serie genus ab aliquo deducentibus: vix vllas enim Sanctorum Hibernicorum Vitas habemus in manibus, quas possimus credere sexcentis annis vetustiores esse: idemque sentimus de Actis ineditis S. Brigidæ ab Vsserio pag. 794 citatis, in quibus dicitur S. Ibarus*, seminator fidei in multis locis in Hiberniâ fuisse ante S. Patricium.

qualibus ex Actis Hiberni nitātur probare.

D *fabulositas Actorum S. Abbani.*

5 *De S. Declani Actis quid dicemus? Ex his enim non tantùm quatuor modo dicti Episcopi; sed & reliqua Sanctorum suprà nominatorum caterua prodijt, qui an vnquàm inter homines vixerint cogimur dubitare, dum toto seculo eos videmus priùs quàm esse potuerint, introduci in mundum. Scatent ea Acta portentosissimis figmentis, quorum vt specimen habeas, en tibi ex primo aditu, vbi longâ serie Maiorum Declani nomina ac res gestæ referuntur, vnum pro multis.* Videns Æneas (*fingitur hic nominatissimus seculis omnibus & alter Hibernicus Sampson fuisse*) videns *inquam* Æneas ostia munitionum clausa contra se, furore percitus, in fortitudine ac velocitate suâ se leuiter eleuauit in aërem, & stetit supra altitudinem extremæ munitionis, & de munitione ad munitionem transiliuit, vsque dum fuit in medio Themoriæ cum armis suis: & intrauit palatium, in quo erat Rex, quærens filium eius interficere. Ille autem omnibus fugientibus, modò huc modò illuc currebat coram patre suo Rege, volens se atque illum defendere. Et Comes ciuitatis Themoriæ vir fortis, volens etiam ipse Regem defendere, venit & stetit inter Regem & filium suum. Sed impetum eorum Æneas pro nihilo reputauit: vibrans enim ipse fortiter lanceam suam venenatam contra illos, fixit eam in pectore filij Regis, & per eum exijt in pectore prædicti Comitis, & per dorsum eius in oculum Regis Corbmaci peruenit: & filius Regis, & Comes ille illicò in terram super lanceam ceciderunt: & nisi iam super lanceam caderent, ipsa per caput Regis adhuc cum illis intraret. *Mentitur quidem istorum Actorum auctor antiquitatem aliquam circa finem, hac vtens phrasi* Fertur nobis ex antiquis eius discipulis: *sed suam ætatem satis prodit vbi versuum* leo-metricè *scribendorum meminit, & monasterium* Canonicorum *dicit à Declano exstructum: norunt periti quòd seculum ista sapiant.*

S. Declani,

E

F

6 *Sancti denique Albei Acta, Declani Actis ita consonant, vt ab eodem omnino auctore esse vtraque videantur: fabularum certè nihil minus habent; quarum vnam satis est proferre in medium*: In Feriâ Apostolorum in conspectu Clementis Papæ Angeli Dei, B. Albeum in Episcopum ordinauerunt: consummatâ autem ordinatione dixit Albeus Clementi: Hodie populo refectio fiat: & tu populi dimidium refice, & ego aliud dimidium Deo auxiliante reficiam. Cui Clemens ait: Non reficiam: sed tu solus in die Ordinationis tuæ nos omnes refice. Tunc Albeus rogauit Dominum, & pluit Dominus super ciuitatem quinque imbres: id est imbrem mellis, & imbrem piscium, & imbrem olei, & imbrem de panibus candidissimis frumenti optimi, & imbrem vini nouissimi, & de ista abundantiâ totus populus Romæ satiatus est tribus diebus & tribus noctibus, laudantes & benedicentes Dominum & S. Albeum. Hæc est cœna Ordinationis Albei per multa tempora apud Romanos clara. Post hæc S. Albeus à Româ perrexit in fines gentium, & magna pars gentilium per illum credidit ... deinde venit in ciuitatem Dolomoir cùm Episcopus illius ciuitatis, Sampson nomine, corpus Christi offerret &c.

& S. Albei.

7 *Hæc sunt Acta antiquissima & quibus velut omni exceptione*

A ceptione maioribus Colganus nititur. Vbi quis non miretur fabulatorum vecordiam? non considerantium, quod inter Clementem I S. Petri discipulum, vsque ad annum MXLVI nullus Romæ Clemens Pontificatum tenuerit: & Dolensis Episcopus Sampson seculo Æræ nostræ sexto floruerit. Quantumcumque igitur Acta illa concordent in adstruendo prædictorum quatuor Sanctorum Episcopatu, & prædicatione ante aduentum Patricij; apud nos tamen nihil euincent contra antiquos & indubitatos auctores, & longè sinceriora S. Patricij Acta. Quis autem S. Hilarius ille Episcopus, sub quo Albeus Declanusque Romæ sacras audiuêre scripturas prout in vtrisque habetur Actis? Nisi nostra nos coniectura fallit, tempus hic relegimus, quo ordinati missique in Hiberniam dicti iam Sancti sunt, & caussam simul deprehendimus erroris. Celebritas nempe Patriciani nominis tanta fuit, vt Magni Patricij successorem synonymum, à patre suo Sennano dictum Sen-Patricium, prorsus obscurarit; vnde & hîc & in alijs pluribus Sanctorum Hiberniensium Actis, multo pòst tempore Latinè scriptis, magna illa irrepsit confusio; quâ omnia huius gesta ad istum eius patruum sunt traducta. Hos certè, de quibus hic sermo est, vt Magno Patricio priores in prædicandâ Hibernis fide fuisse negamus; sic ab eo conuersos ac ab Hilario Romæ ordinatos, libenter fatebimur priùs reuertisse ad suos quique populares excolendos, quàm primatus Ardmachanæ Cathedræ, ad quam recenter Sen-Patricius conscenderat, totâ Hiberniâ reciperetur.

Videntur hi post annum 461 primùm missi,

B 8 Ex quo enim prædicata per vniuersam insulam Christi fides est, peregrinationis Romanæ litterarumq́ peregrè discendarum studium ingens Hibernienses semper tenuit, eos maximè qui Australes habitabant prouincias. Ex his probabile est SS. Albeum Declanumque fuisse, qui Romam profecti cùm suum in doctrinâ atque virtute progressum insigniter ibidem probassent, inuenti idonei sunt vt à S. Hilario Papâ, anno CCCCXLI ad Papatum euecto, Episcopi ordinarentur, in patriæ suæ subsidium mittendi cum selectis aliquot ex eadem natione operarijs: quos tamen non magis credimus fuisse, vt Acta referunt, duodecim Colmanos, duodecim Domongenios, totidemque Fintanos: quàm à Palladio multis, vt eadem Acta habent, annis ante Patricium prædicante baptizatum in Mumoniâ Albeum esse, Regemq́ Chonchobarium ab eodem conuersum. Hi igitur in Hiberniam cùm suis reuersi, æquum non putabant ei se subijci, à quo ordinationem non accepissent: maximè postquàm S. Patricius (cui fortè libenter cessuri erant propter Apostolatus prærogatiuam) viuere desijt. Quare Primatum Ardmachani Episcopi, quamuis ille se Patricij Comorbhanum diceret, recusabant agnoscere. Itaque citra vllam ab illo dependentiam, Mumonienses ecclesias Albeus, Declanus Desias ordinabat: donec Sen-patricius, non tã auctoritate & imperio quàm humanitatis officijs & miraculorum pondere atque demissionis exemplo, illos permouit, vt futuri aliquando schismatis semina auferentes, boni publici & pacis communis caussâ Ardmachanam Sedem, ex ordinatione Patricianâ Pontificijs probatâ litteris, primam dici & esse paterentur; eâ lege vt singulis sua, inter Desios Declano, inter Mumonios Episcopos Albeo maneret præcellentia, velut Metropolitis, vni dumtaxat Primati subiectis, & suos per se suffraganeos regentibus. De S. Ybaro hîc non agimus; quia existimamus etiam hoc secundo Patricio posteriorem eius ordinationem fuisse.

à S. Hilario Papâ post mortem S. Patricij:

& tandem S. Sen-patricio se subiecisse.

C

In eorũ comitatu Romæ nõ fuit S. Kieranus.

9 Ad S. Kieranum quod attinet, manet ipsum Patricio Romam eunti occurrisse, sed non eunti primùm ante obtentam à Cælestino missionem; verùm eunti post annum in Euangelio prædicando duodecimum exactum, Christi CCCCXLV. Si tamen ad eius vitam diximus, non esse fidendum illi annorum XXX numero, post quos mutuò in Hiberniâ reuisuros Patricius dicitur prænuntiasse, id nunc multò magis inculcamus, & plurimis possemus demonstrare exemplis. Quin etiam, quod istic vtcumque dissimulauimus de tardiori S. Kierani in patriam regressu, nunc prorsus reijcimus, negamusq́ SS. Albeo Declanoq́ socium venisse Kieranum sub S. Hilarij Pontificatu, nisi eâ conditione, vt qui hoc volet sustinere, etiam sustineat totam hanc historiam, de SS. Kierani atque Patricij occursu in Italiâ & reuisu in Hiberniâ, ad S. Patricium,

D non Magnum sed Senani filium, vt plura alia pertinere. Simili modo correctum volumus id quod pari indulgentiâ dissimulauimus ad Acta S. VVinwaloëi § 1 num. 3: quasi huic Sancto circa annum CCCCLV nato, & S. Patricij videndi cupido, ipse adhuc viuens Apostolus apparuerit circa annum CCCCLXXV: quia nunc omnino arbitramur eam apparitionem fuisse Sancti iam pridem mortui: quod tamen vel ignorabat VVinwaloëus, vel desiderium eius, non in viuentis conspectum, sed in defuncti atque in cælis gloriosi tumulum religiosâ peregrinatione visitandum ferebatur: quemadmodum & Patricius à nobis ostensus est ad S. Martinum proauunculum, id est, ad eius corpus & monasterium venisse, & sæpè aliàs monendum occurrit in ijs Sanctorum Actis, quæ accuratione non maximâ, ab auctoribus, posterioris quàm quo ipsi Sancti floruerunt æui, scripta habentur.

S. VVinwaloëo post mortẽ tantùm apparuit S. Patricius.

§ II De Primatu Ardmachano & S. Patricij in eo Comorbhanis.

10 Illata iam suprà Ardmachanæ fundationis mentio suadet etiam aliquid de eâ dicere. Extremum ipsam esse S. Patricij opus tam manifestò ex toto Vitæ contextu habetur, vt nihil clariùs. Iocelinus n. 46 an. vigesimo quinto ante fundationem Ardmachæ, extructam ait ecclesiam Athrumensem, Tirechanus in Vitâ S. Patricij apud Vsserium pag. 854 pro XXV habet XXII. Annales verò Vltonienses seu Senatenses Ardmachæ fundationem referunt ad annum CCCCXLV: quos videtur probare Vsserius, & annos apud Tirechanum denario superfluo vitiatos credere: adhæret autem eidem Colganus, vt posit dictorum Annalium fidem seruare, dicentium quòd S. Secundinus (qui in eadem ecclesiâ saltem Episcopi Vicarius fuisse videtur) anno istius seculi XLVII mortuus sit. Nos quàm nihil sit fidendum Annalibus post tot secula scriptis (istic maximè vbi res gestas, priùs quàm per annos à Christi natiuitate numerandos historiæ consignarentur, ad Æram nunc vsitatam reducunt) satis superq́ didicimus experiendo in omnibus quarumcumque gentium chronicis; vt nihil sit cur putemus præ omnibus eximios esse habendos Hibernos; quos potiùs credimus tantò sæpiùs grauiusq́ lapsos in supputandis annorum calculis per Æram vulgarem ascendendo, quantò illi antiquiora & Patricium ipsumque Christum prægressa tempora sic præsumpserunt ordinare. Ipsorum certè hac in parte errorem Secundini ætas manifestè arguit, quâ dicitur in ijsdem aut similibus Annalibus annum LXXV attigisse: sic enim debuisset patruo suo, ipse ex Liemaniâ Sororum Patricianarum minimâ natus, fuisse senior aliquammultis annis.

Ardmacha ecclesiarum Hibernicarum ibest postrema E

non ante 445.

11 Missos igitur facimus Annales istos & potiùs inhæremus biographis omnibus, vno ore Patricium prosequentibus totâ discurrentem Hiberniâ, & ecclesijs ordinandis obeundisq́ intentum, vsque dum senio ac laboribus fractum hîc demum deponant: ex quorum consensu ita Giraldus Cambrensis scripsit dist. 3 cap. 16 Topographiæ Hiberniæ: Baptizatis cateruatim populis & totâ iam insulâ ad Christi fidem conuersâ, apud Ardmacham sibi sedem elegit; quam etiam quasi metropolim constituit, & proprium totius Hiberniæ Primatiæ locum. Atqui soli Conactiæ annos septem, totidem Momoniæ impensos esse testatur Vita Tripartita l. 2 cap. 108 & l. 3, cap. 31 Igitur è duobus suprà positis characteribus (quorum vterque etsi videatur à conditâ Arthramiâ duci, reuerà autem ab ingressu in Hiberniam sumitur, quia auctores illi congressum cũ Leogario in Bregijs eumq́ secutam haud multò post Arthrumiæ fundationem congerunt in primum prædicationis annum) è duobus inquam præmissis characteribus, placet is qui ex Tirechano sumitur: sic enim adhuc anni VI supersunt vsque ad Patricij ipsiusq́ Secundini annum extremum: tot enim annis in antiquis Momoniensium libris & Ardmachanorum Episcoporum Catalogis, vicariam saltè in regendo Episcopatu operam nauasse Secundinus reperitur apud Vsserium pag. 874, quibus solos regiminis annos notantibus tutiùs credimus, quàm Annalibus annos Christi præsumentibus addere.

sed insula totaiam conuersâ F

an 454

12 Condita igitur est Ardmacha secundùm hũc calculum anno

A *anno Christi* CCCCLIV; *sed probabiliter tertio post anno (cum Romam Angelico monitu profectus esset Patricius fractas ætate vires nequidquam excusans) Pontificio decreto plenè stabilita; vt sic etiam vera esse potuerit Iocelini supputatio, exordium Ardmachæ huc vsque differentis. Quod autem Casselense Kalendarium in simili Præsulum Ardmachanorum catalogo annos S. Secundino* XVI *tribuat, ex eo factum suspicamur, quòd idem S. Patricius anno istius seculi* XLV, *vt alibi diximus, Romam proficiscens, ipsum pro se instituerit Vicarium. Habebat alioqui propriam Sedem à se nuncupatam* Domnach Sechnaild, *in quâ & requiescit mortuus & degebat viuus, cùm operâ suâ nō egebat Patricius, vt patet ex historiâ quæ habetur l. 3. c.* 86 *Vitæ Tripartitæ. Et hæc caussa fuit, cur Annalium Vltoniensium auctor locum ipsi non fecerit inter Episcopos Ardmachanos. Reuerso igitur etiam postrema hac vice Româ Patricio, rursus in suum Episcopatum rediit Secundinus ibiq́; vt habet Scholiastes eius, hymnum de S. Patricio adhuc viuente componere volens, cum eâ de re Patricium consuluisset, tacito eius de quo scribere volebat nominé, hoc responsum accepit:* Si id omnino cordi tuo infixum fuerit, quod facere disponis fac citiùs: quia mors tibi adest in ianuis: omnium enim Episcoporum, qui sunt in Hiberniâ, de seculo primus migrabis. Hymnum igitur, *inquit Iocelinus,* in laudem S. Patricij composuit, & paucis posteà elapsis diebus diem vltimum clausit, XXVII *Nouembris iuxta Kalendarium Casselense apud Colganum, anno verò iuxta supputationem nostram* CCCCLIX, *quo tempore si fuit annorum* LXXV, *fuit patruo suo septem annis iunior.*

erigitur in metropolim

in qua Vicarium absentis Patricij aliquando egit Secundinus

mortuus 459

B

13 *Nec diu post superuixit Patricius: sed quarto post Secundinum mense obiit etiam ipse, & successorem habuit S.* Sen-Patricium, *qui ab aliis simpliciter dictus* Patricius, *Iocelino autem* Patricius iunior, *ad Rosdelanâ ecclesiâ, quam Episcopus & Abbas regebat, assumptus est, intuitu haud dubiè Sancti Patrui, cuius & referebat nomen & sanctitatē imitabatur. Huic decem anni tribuuntur:* & Reliquias eius, *vt ait Fieci scholiastes,* aliqui in Rosdelâ regione Maglacha esse aiunt: sed veriùs est quod Glastenberiæ Hibernorum iaceant, quæ est ciuitas in Australi regione Saxonum. *Idem etiam confirmans, Iocelinus.* Post decessum, *inquit,* patrui sui in Britanniam remeans, in fata concessit, & in Glastoniensi ecclesiâ sepultus est honorificè. *Vocauerunt scilicet eum illuc quædam sua vel ecclesiæ negotia, taliq́; occasione ibidem mortuus corporis sui deposuit exuuias,* XXIV *die Augusti, quo colitur iuxta Kalendarium Casselense. Hic autem est qui patruo suo homonymus in multos errores induxit scriptores Hibernos, & Glastoniensibus ansam præbuit litem de Apostoli sui corpore iisdem intendendi. Eumdem quoque non dubitamus simpliciter primum Ardmachanum Episcopum dici, & de hoc intelligendum, quod de Patricio dicitur in Vitâ S. Mochtei, ad* XXIV *Martij datâ à Colgano à nobis ad* XIX *Augusti dilatâ, quòd, ex pacto inter ipsos inito, vt qui prior altero moreretur is demortui familiam commendatam haberet,* rexit ipsam Sedem Mochteus aliquot diebus, & Benignum illius discipulum pro se inthronizauit.

Patricio deinde an. 460 succedit Sen-Patricius,

Glastoniæ mortuus & sepultus an. 470

C

14 *Et hoc erat quod de septenni (vt Colganus ad Vitam S. Ergnatæ* VIII *Ianuarij docet) puero fuerat magnus Patricius vaticinatus, ipsum sui regni futurum hæredem. Agebat autem, quod hinc quoque sequitur, ætatis tunc annum* XXXV, *& decem annis ex omnium catalogorum consensu tenuit Episcopatum. An autem eo abdicato, quod Glastonienses volunt, secesserit in Angliam, meliùs ad ipsius Vitam* XIX *Nouembris illustrandam examinabitur. Benignum porrò excepit* Iarlaithus tertius Episcopus Armachanus, *vt in Annalibus Vltoniensibus legit Vsserius pag.* 875; *eiusque quies iisdem in Annalibus notatur* anno CCCCLXXXI *vti & post annos* XV Corbmaci Episcopi Ardmachani hæredis Patricij *& consequenter Dubthaci, quasi mortui ad annum* DXIV; *& Alilli, ad* DXXVII; *alteriusque Alilli, qui annis post primum denis sederit. In his autem Annalibus notat Vsserius vno semper anno præuerti communem æram, adeoque qui istic est* CCCCLXXXI *nobis* LXXXII *esset, quo mortuus Iarlaithus ille sit, à Colgano ad* XI *Febr. relatus, à nobis verò inter prætermissos. In nostrâ autem supputatione, Sen-Patricio & Benigno annos* XX *tribuente, post Patricij mortem sedisset dictus Iarlaithus vsque ad annum* CCCCXCVIII.

post quem Benignus annis 10,

Iarlaithus 18

D

vsque ad an. 498,

15 *Sed illa sedecim annorum differentia facilè obrepere potuit chronicarum auctoribus, ab aliquo anno certo ac noto & ærâ Christianâ indubitanter signato, sursum ascendentibus ad eos annos, quos à Christi natiuitate signare nondum vsus docuerat. Cùm enim aliud notatum non inueniret quàm quot annos quisque Episcopus vel Rex sederat rexeratue, eosque non sic scrupulosè signatos vt non menses diesue aliquot vno loco deficerent, alio abundarent; nihil pronius erat quàm aliquot annos plures pauciores ue numerari, dum vel soli anni pleni in calculos veniunt, vel omnes etiam dimidij vt pleni recipiuntur. Quemadmodum in his Ardmachanis Episcopis factum est: è quorum catalogo si istum secundum Alildum expungas, quem fatetur ad* XIII *Ianuarij Colganus subreptitium à nonnullis haberi, anni solum sex redundarent excusabili sanè in tot seculis per tam incerta vestigia remetiendis errore; quem illi qui anno dumtaxat* CCCCXCIII *mortuum S. Patricium volunt, prorsus faciunt intolerabilem. Sic enim supra veritatem ad annos* XXXVIII *excreuisset numerus, S. Sen-Patricij initium ad annum* CCCCXLV *referens: vt vel ex hoc sententia nostra euadat probabilior, quòd ab Hibernorum Antiquariorum Chronologiâ minùs recedat; illi autem è conuerso, qui suis Annalibus hactenus ineditis nos omnia volunt credere, eò minùs videntur tolerandi, quo ipsimet grauiorem illis errorem impingunt.*

quos colligit suos ipsius Annales

vsque ad 531 Colganus protrahere cogitur.

E

16 *Catalogum successorum S. Patricij fusè, Colganus sed (vt ipsemet fatetur) monumentorū defectu non accuratè, texit append. 7 parte 3, idque ferè ex Quatuor-magistrorum fide & calculo, eis quos Vsserius Vltonienses vocat Annalibus insistenti. De his autem vniuersim notabis, quod propriâ Hibernis voce dicti sint* S. Patricij Comorbani: *quæ vox licet ex vi etymi sui (ab Hibernico* horba *siue* Forba territorio, prædio, districtu *sumendi, vt Colganus docet) latiorem habeat significationem; restricta tamen vsu est, vt alicuius famosi Sancti in Abbatiâ vel Ecclesiâ successorem designet. Primus eo titulo designatur in prædictis Annalibus Kele-Petrus siue Petranus anno* DCCLXX *adscriptus, idemque ibidem apud Colganū velut ex iisdem scribitur Archiepiscopus. An calami præcipitis errore, nescimus: hoc videmus non nisi post annum millesimum in istis annalibus hunc titulum recurrere: quando scilicet ad imitationem Anglorum, post annum* DCLXVIII *Archiepiscopos habere & nominare exorsorum, hunc sibi titulum arrogare cœperunt Primates Hiberni. An etiam Pallium Archiepiscopale? Ita quidem contendit Colganus, idq́; exemplo ipsius S. Patricij, quia scribit Iocelinus hoc eum decoratum fuisse à Pontifice, ad quem sub vitæ finem adierat.*

Vnde Comorbani,

& quando Archiepiscopi dici cœperint

F

17 *Factum facilè credimus (quamuis antiquiori testimonio saltem Tripartitæ Vitæ optaremus istud confirmatum videre, veriti ne ex sui temporis vsu Iocelinus id adiecerit, significare volens Primatum Patricio Romæ confirmatum) credimus hoc tamen: sed an exemplum posteri secuti sint, vt ab Romano Pontifice Pallium peterent acciperentq́;, meritò dubitamus; & si fecerint, non diu fecisse opinamur: quia occasione schismatis propter obseruantiæ Paschalis differentiam, omnino videtur cessare debuisse ea Romanorum Pontificum gratia: vt proinde vel absolutè vel cum restrictione aliquâ verum sit, quod S. Bernardus in vitâ S. Malachiæ ex eius ore scribit;* Deerat adhuc & defuerat ab initio Pallij vsus: *qui demum in Synodo anno* MCLII *ab Apostolico Nuntio allatus est quatuor Hiberniæ Metropolitis, Dubliniensi videlicet, Casseliensi, Tuamensi & Ardmachano, & hic etiam tunc ordinatus est Primas: quod scilicet iam pridem ex S. Patricij institutione erat, sed aliis, Dubliniensi præsertim, se opponentibus, esse per non vsum iurisdictionis quodammodò desierat. Dubliniensium sanè eò processerat arrogantia, vt Samuel annis ante Concilium quinquaginta Episcopus, meruerit per epistolam à S. Anselmo Cantuariensi reprehendi,* quòd crucem ante se portari faceret: quia id non competit nisi ad Archiepiscopum à Romano Pontifice Pallio ornatum: *ex quo an rectè inferat Colganus ipsum etiam Pallio vsum, & alios fuisse in Hiberniâ, quorum exemplo id faceret, alij viderint:*

an Pallij vsus à principio fuerint

Ccc 4 cum

A *cum de sola Cruce sermo sit Anselmo, & ,vt de Pallio etiam foret, accepisse ex Angliâ Samuel potuerit, quod vellet imitari.*

§ III *De miraculis S. Patricij.*

In Sanctorũ gestis,

18 NIhil illi præter veritatem dixêre, qui Sanctorum Vitas comparauêre primi, vel distincto floribus vernantibus prato, vel agro optimæ messis feraci: sed vt his suæ sunt inutiles herbæ zizaniaq;, ita & istis quandoque insunt, quæ amans veritatis lector abesse mallet; sæpè non tam primi scriptoris vitio quàm posterorum culpâ innata. Quod tum in alijs rebus accidit, tum in miraculis non infrequenter, eorum maximè Sanctorum, quorum quia vita tempus omne verissimis prodigijs plenum fuisse sciebatur, ideò facili credulitate admitti videbatur debere quidquid de illis narraretur. Tales plerique Hiberniæ Sancti, talis imprimis Patricius fuit, Thaumaturgis maximis annumerandus. Multa pueritiæ narrantur miracula, Apostolatus autem longè plurima. Priora ex eorum fuerunt narratione accepta, qui à matribus suis Patricij sororibus audierant, Sancti ipsius nepotes: posteriora fideliori relatu haberi potuerunt ab ijs qui vel testes ipsi fuerant oculati, vel ex ore istiusmodi testium eiusdem Acta conscripsère. In

& S. Patricij miraculis,

B istis quædam sunt, ad augendam miraculi speciem ineptis vestita circumstantijs; vt illud de Presbytero à natiuitate cæco & illitterato, qui Patricium baptizauit Tripartitæ l. 1, c. 4. & Iocelini num. 2. Talia verò pleraque in alijs Sanctorum Hibernorum Vitis ita omnino reperiuntur eadem, vt vel ab his traducta ad Patricium meritò iudicentur, quò in vnum omnia coaceruarentur decora; vel ab hoc ad alios esse translata, quasi turpe esset ceterâ in Vitâ Apostolicas Sancti virtutes æmulatos, non etiam claruisse miraculis pueritiæ tempore, cui vt à coæuorum conscientiâ remotiori faciliùs quædam fabulæ affingi potuerunt, quod de plerisque puerorum Hibernorum miraculis suspicamur. Similia in postremo quoque miraculorum genere potuerunt irrepsisse nonnumquã: sicut in eisdem contigit ab ijs, qui veterum scripta temerè interpolauère, inseri nonnulla ex vulgi traditione aut alicuius fictione, quæ vel omnino falsa sunt, vel ijs deformata circumstantijs vt merissimæ fabulæ possint debeantque censeri.

quædã incerta fidei cùm reperiantur,

19 Vehementer sanè optaremus, vt, qui in huiusmodi Acta incidunt, Præfationis generalis ad Ianuarium mensem caput priùs quartum legissent, vel saltem non negligerent Commentarios præuios, ex quibus nostrum de ijs iudicium discerent, & quo quæque in gradu auctoritatis locanda sint ipsi cognoscerent. Verùm inueniuntur quam plurimi qui Præfationibus nostris, commentarijs, notisque prætermissis, (quo-

optamus Cõmentarios nostros & Notas legi:

C niam multæ earum religiosæ super mensam lectioni minus idoneæ videntur, & maiorem animi postulant attentionem) solum Vitæ textum aut legunt ipsi aut alios audiunt prælegentes; qui cùm in eiusmodi aliquam narrationem impegerint, velut allisâ ad scopulum naui periclitantur de fide toti operi nostro abrogandâ. Ita audiuimus aliquando, in quodã Religiosorũ hominũ cœtu, magnâ cum accumbentiũ voluptate nec vtilitate minori, lecta fuisse Sanctorũ Acta, sed displicuisse dum aliqua, pridem ab alijs excusa hoc in opere recusa, in Sancti vnius Scoti Vitâ legerentur, quæ videbantur fidem passim non obtinere, vti hîc nonnulla sunt: & suspensa aliquamdiu lectio fuit: quod factum non fuisset, si prægustato, quod præuius commentarius dabat, antidoto, eam Vitam legissent. Difficilè profectò est vnum eundemq; cibum omnium conuiuarum aptare palato: in libris verò scribendis omnium ingenijs facere satis omnino impossibile. Quæ fabulosa iudicabamus Acta nulla dedimus: quæ probabilia videbantur, si quidem certiora deficerent, non subterfugimus dare integra, etsi quædam minùs probanda continerent: dandum hoc antiquitati existimantes, vt contenti lectorem admonuisse de vitio, manum ceteroqui abstineremus ab eiusmodi monumentis vllâ, quamuis iustâ ex caussâ truncandis: propterea quod ita faciendum suaderet eruditorum omnium communis hoc seculo sensus. Quia tamen non omnibus displiciturum credimus, si imbecilliorum infirmitati consulentes, pauca quædam certò offensura tollamus è textu, atque ad commentarios referamus, in quibus in-

quibus lectorem instruimus.

In eiusdem gratiã textui exemimus,

noxiè possint vel legi vel prætermitti: hâc nobis libertate iudicauimus in hisce Actis aliquoties esse vtendum, de quo hîc te monitum, Lector, volumus. D

20 Primùm sustulimus eam quæ in Tripartitâ l. 1. c. 36 & apud Iocelinum num. 21 habebatur narrationem, quæ quamparum ad S. Patricium spectat tam multum videtur fabulositatis habere & apud Iocelinum talis est. Erant in eadem insula quidam alij viri ab habitaculo illius solitarij, à quo Baculum Iesu Patricius acceperat, semoti: quorum quidam iuuenes videbantur, alij senes decrepiti: cum quibus cùm colloquium conseruisset Patricius, didicit ab eis, senissimos esse filios illorum iuuenum. Cumque admirans S. Patricius inquisisset euentum tam grandis miraculi, respondentes dixerunt ei: Nos à pueritiâ Domino miserante misericordiæ operibus fuimus iugiter intenti, ostiumque nostrum patuit omni viatori, pro Christi nomine victualia siue hospitium petenti. Quadam nocte quemdam peregrinum in manu baculum habentem hospitio collegimus, & secundùm posse nostrum omnem ei humanitatem exhibuimus: manè verò facto nos benedixit & ait: Ego sum Dominus Iesus Christus, cuius hactenus membris ministrastis, quem hac nocte in propriâ excepistis personâ. Deinde baculum, quem manu gestabat dedit viro Dei, spirituali Patri nostro præcipiens ei vt E illum seruaret: & cuidam peregrino, nomine Patricio post multos dies ad se venturo tribueret. Hæc dicens ascendit in cælum, nosque permansimus in eodem statu iuuenilis decoris & vigoris quo tunc fuimus, vsque in hodiernum diem: filij verò nostri, qui tunc erant parui iam vt cernis effecti sunt decrepiti. *Similis sed minus adhuc similis vero est Tripartitæ textus de duobus coniugibus: quorum ex filiâ neptis tota decrepita & incurua S. Patricio occurrerit. Vtrobique autem res talis est, quæ impossibilitatis quidem nihil, tantum tamen habet insolentiæ, vt cum alibi non legatur misericordiæ opera beneficio duplicatæ aut triplicatæ vitæ remuneratus Deus, non debeat huic relationi primùm credi fecisse.*

Iuuenem hospitalibus viris præter cursum naturæ prorogatum:

21 *Similiter è numero miraculorum eximimus gigantis illius suscitationem, quem iuxta sui sepulcri mensuram* CXX *pedes altum fuisse legebatur in vitâ Tripartitâ parte 2 num. 71 & in Iocelino post num. 71 quod & Vitæ* IV *auctor scribit num. 62. moderatior Probus* XXX *numerauit l. 2. cap. 21. Hanc autem narrationem vt fabulosam esse, saltem in præcipuis rei circumstantijs, videas; eam ex Vitâ 3 cap. 67 contractiùs rem totam complexâ, hîc habe.* Quâdam die cùm ambularet in viâ, inuenit sepulcrum magnum longitudine triginta pedum & videntes hoc fratres cum magno stupore dicebant. Non credimus esse F hominem huius longitudinis. Dixit eis Patricius: Si volueritis, videbitis illum. At illi rogabant, vt viderent eum. Tunc signauit Patricius baculo sepulcrum; & ecce vir magnus surrexit & dixit: Bene tibi sit, vir sancte, qui etiam vnâ horâ à pœnis liberasti me: & fleuit amarissimè. Et dixit ei. Si ambulauero vobiscum? Et respondit Patricius: Non possumus permittere vt ambules nobiscum, quia non possent homines præ timore videre faciem tuam: sed dixit ei; Crede Deo cæli, & baptismum accipe, & non reuertaris in locum, vbi fuisti: & indica nobis quis es. Et respondens dixit; Ego sum Glas, filius Cais, qui fui porcarius Lugair Regis Hyrote, & iugulauit me Fian mac-con in regno Nothser, anno centesimo vsque hodie. Et baptizauit eum Patricius, & restituit sepulcro. *Nos quidem nolumus reuocare in dubium, quin fieri potuerit, vt ad confirmandam vniuersalis resurrectionis fidem (de quâ eo tempore cœpisse inter nonnullos ambigi Tripartita indicat) etiam à seculo mortuum aliquem Patricius suscitaret: nec diuinæ omnipotentiæ in augendâ corporis humani magnitudine vllum præstituimus terminum, in quo Patricij discipulos peccauisse narrat Iocelinus: nec (quod Colganus assumit aduersus eos qui huic miraculo assensum negant) tam sumus modicæ fidei, vt audita atque ignota solis visis notisque commensuremus: sed cum indicia*

portentosi gigantis suscitationem.

Acta certa fictionis in hac narratione deprehendamus, non facilè sinemus nos induci, vt propter relationem non vno loco vacillantem ruinosamque, credamus hunc hominem eò vsque extrenisse, quò neminem qui vixerit nouimus pertigisse. Portentosæ magnitudinis exempla multa Colganus congerit in suis ad Vitam tertiam notis: quæ omnia vel ad rem parum, vel nihil ad fidem faciunt, cùm sint ipsa manifestæ falsitatis pridem conuicta à viris eruditis: qualia sunt Cadauer XVI cubitorum Cretensis belli tempore teste Plinio: corpora in quadam Dalmatiæ speluncâ visenda, quorum costa XVI vlnas excedant Phlegonti Tralliano memorata: Turni cadauer ex Crantzio alijsque, quod erectum vrbis Romanæ mœnia æquarit, in cuius pectore quatuor pedum vulnus hiaret, aliaque huiusmodi; quibus coronidis loco additur, dens ille molaris S. Augustino lib. 15 de ciuitate Dei cap. 9 memoratus, qui in littus Africanum electus in nostrorum dentium concisus modulos, centum facere potuisset.

exemplis frustra defensam,

22 Hæc omnia ipso illo, de quo quæritur, fabulosa magis ad fidem huic monstro conciliandam non faciunt: ad rem verò omnino non sunt exempla petita à sacris litteris; in quibus qui maximus memoratur Gethæus Goliath, sex cubitorum & palmi vnius magnitudinem non excessit, atque adeò

B infra decimum pedem stetit: nec vspiam viuus homo legitur esse conspectus, qui procerior fuerit: nam quod lectus ferreus Og Regis Basan IX cubitorum fuerit: non magis infert hanc eius fuisse longitudinem, quàm id probent similia monumenta ab Alexandri magni militibus apud Indos relicta, studio rapiendæ in admirationem posteritatis. Nunc, si de solâ mensurâ corporis quæstio foret, pari facilitate, quâ Colganus admittit CXX irrepsisse pro XXX, dicere possemus pro XII; & hominem enormiter magnum fuisse oportuisset. Sed quid facias quando adiuncta cetera certum penè faciunt, nihil simile scriptum fuisse à primis Vitæ Patricianæ auctoribus? Nam quæ hic regio Hirothe vocatur, eam fatetur Colganus Norwegiam esse, quam hodieque Hiberni Hiruoithe nuncupant, quod & ipse secutus est cùm Tripartitam Vitam Latinè transtulit. Quis autē credat Norwegos Hibernis cognitos fuisse ante Patriciana tēpora, quorū in Hibernicis historijs aut aliis quibuscumque mentio nulla ante VIII seculum? Sicut nec memoria vllius bellici pacatiue cōmercij Hibernorū cum gente transmarinâ aliquâ, antequàm à Pictis in Britanniam accerserentur. Quid, quod nec in patrijs historijs, seu veriùs traditionibus, versatus satis fuerit fabulæ huius auctor: Carbreus enim Niathfear siue Nuotfer, quo regnante hunc gigantem occisum esse vita Tripartitæ interpolator, Iocelinus & Probus scripsère, vnus ex duobus heroibus, quos in Hibernicis historijs celebrari Colganus ait, dicitur ab illius gentis antiquarijs Alildi &

& ex locorum

temporumque adiunctis fictionis conuictam:

C Tinnij Regum Conaciæ atque Lageniæ frater fuisse & regnū Mediæ obtinuisse, aliquot ante Christū natum annis: is verò, cuius manu patrata cædes dicitur, secundus Hiberniæ heros Mac-con, secundo Christi seculo penè finito creditur imperium sibi in istam insulam acquisiuisse. Vtrumque autem quis coniunxerit cùm anno trecentesimo circiter ac quinquagesimo Christi? hic enim seculo vno præcessit tempus, quod tunc à Patricio agebatur. Quare cùm tam vasto temporum hiatu hæc omnia ab inuicem separentur; non erat quod sese fatigaret Colganus, vt prætereà ostenderet nihil sanæ fidei contrarium contineri in eo, quod paganus aliquis dicatur ex ijs, quos sustinebat à morte pœnis, fuisse ab aliquo Sanctorum ereptus per reuocationem ad vitam.

23 Nihilò minori iure expunximus, tamquàm spuriam & ab interpolatore imprudente, ne dicam impudente, insertam prisco de S. Patricij Vitâ auctori Eugenij Principis Metamorphosim, quā temerè transcribens Iocelinus, fuit in similem absurditatē pertractus. Ea qualis sit, breuiter ex Vitæ 4 num. 71, subiungimus, vbi ista leguntur. Fuit vir quidam nobilis, nomine Eugenius, qui per aliquod tempus S. Patricio contrarius extitit, & fidem Catholicam suscipere noluit. Sed quia sæpiùs verbum Domini à B. Patricio audiuit, credidit, & baptizatus est. Deinde B. Patricium rogauit, vt ipso Dominum deprecante, pulcriorem formam haberet. Cui Sanctus respondit, dicens; Cuius formam eligis? Eugenius autem dixit; Illius iuuenis de familiâ tuâ. Hunc S. Riochum fuisse perhibet interpolator Tripartitæ apud Colganum, qui in Inis-boninensi lacus Riensis insulâ colitur, de quo ad VI Februarij Colganus & nos pauca, antequàm otium haberemus ad Patriciana Acta examini maturiori subijcienda, nihildum ausi prajudicare sententiæ suo tempore ferendæ: ideoque hæc vt habebantur in Iocelino ita simpliciter exhibuimus. Beatus autem Patricius præcepit, vt sub vno vestimento in lecto dormirent: surgentes autem de somno nullam differentiam in corporali pulcritudine habuerunt. Eugenius autem adhuc sanctum virum rogauit, vt altiorem formam haberet. B. autem Patricius dixit ei: Qualem vis habere. Ille autem extendit manum suā sursum, quantùm potuit contra hastam, quam manu gestabat, & dixit ei; Talis altitudo sufficit mihi: Eugenius igitur mirâ velocitate ad optatam altitudinem creuit, in quâ, quamdiu in hac vitâ vixit, permansit. De ipsius prodigij nouitate nihil dicimus: quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Falsò tamen credimus Patricio attributum, occasione eius quod alteri Eugenio (siue vt Hibernis scribitur Oëngo) Bresfinniæ Principi accidisse narratur in Vitâ S. Barachi, ad XV Februarij à Colgano editâ, à nobis ad IV Decemb. reiectâ: quasi turpe esset fuisse aliquod beneficium vnquam ab aliquo Sanctorum impetratum diuinitus, quamuis rarum & stupendum, cui simile Patricius non obtinuisset. Ne tamen nihil variaret nisi Barachij & Patricij nomina satis affinia, is qui hanc laciniam Vitæ Patricianæ intexuit, illud de S. Riochi formâ, nescio quo fundamento adiecit: sed modum (qui in Vitâ Barachij non nisi honestus exprimitur, dum deformis ille regulus iubetur Sancti viri cucullam induere tantisper, dum pro eo dormiente supplicibus precibus exoratur Deus) eum adhibuit, quem castæ aures oculique audire ac videre refugiant, & quem à castissimo Præsule fuisse præscriptum omnino nefas sit cogitare.

3 Eugenij principis metamorphosim

D

exemplo similis alibi miraculi fabricatam

E

24 Hæc sunt quæ ipso ex textu censuimus eximenda: alijs miraculis si quæ interdum adiectæ circumstantiæ sunt de falsitate suspectæ, vt fit in narratione de leproso super lapidem mari iniectū natiem Patricianam secuto apud Iocelinū nu. 23, de ijs in genere satis erit dixisse, non omnes parē verisimilitudine præseferre, nec paucas esse quas leui rumore creditas esse probabile sit, etsi nō tales vt grauiter offendere debeāt. Restaret de magno eorum prodigiorū numero quæ sunt in rebus inanimis patrata dicendum aliquid, in quorum multis credimus vsu venisse Hibernis, quod Græcis fuit Poëtis familiare; qui cùm miram aliquam raramque fluuij, fontis, arboris virtutem proprietatemue consideratione humanâ dignam censebant, omisso causarum naturalium scrutinio, Deum aliquem Heroëmue comminiscebantur, cuius caussâ id, quod volebant nouum videri, fingebant in naturâ immutatum. Sic & Hiberni

In miraculis quoque circa res inanimas,

F cùm non pauca huius generis facta à Patricio recordarentur, faciles videntur fuisse, vt Sancti alicuius benè vel malè precantis voto, hunc fluuium præcipuâ quadam fœcunditate donatum, istum sterilitatis damnatum dicerent, & dicentibus crederent: quæ ita ex vulgi traditione accepta, ipsis deinde Sanctorum Vitis admiscuêre posteri. Ab his tamen scrupulosiùs examinandis consultò abstinemus; nec seruis Euangelicis similes, dum zizania cupimus falsitatis euellere, eradicemus cum ijs simul & triticum antiquæ veritatis: scimus enim eiusmodi miracula fuisse non rarò ab Sanctis viris patrata in solatium bonorum, malorum verò correctionem, ipsumque Sanctorum magistrum Christum sterili ficui induxisse ariditatē.

quædam ex credulitate vulgi traditione accepta.

25 Præter hæc plurima beneficia sunt, quæ toti Hibernicæ insulæ communia Sancti sui Patroni meritis accepta indigenæ referunt; & benedictiones seu priuilegia, quæ Hibernis suis petijsse Patricium, quidam alij etiam impetrasse, scribunt: Hæc quia tacita pertransiuit Iocelinus malumus hîc indiscussa relinquere: inter ista longè celeberrimum est, quod venenati animalis nihil Hiberniæ solum aut pariat ipsum, aut aliunde inuectum sustineat. Res ipsa nota est, & omnibus Physicorum scholis ac scriptis decantata. Solinus, qui tertio vt minimum Christi seculo scripsit, de Hiberniâ loquens: ibi, inquit, Anguis nullus. Multi post hunc, imprimis Beda, idem de Hiberniâ asseuerantissimè affirmant, nullâ factâ Patricij mentione.

Venenatis ante Patricium Hiberniæ caruit.

A *tione. Interim Iocelinus, & quotquot eum secuti sunt biographi recentiores, constanter asserunt, ante aduentum Patricij nullâ magis peste laborasse Hiberniam, quàm venenatorum reptilium multitudine, vsquequo Patricius omnia, non ex Hiberniâ tantùm sed & vicinis ex insulis in perpetuum ablegauit; prout apud eumdem Iocelinum leges num.* 148. *De quo ne nostro ipsi sensu loquamur, audiamus quibus verbis* 20 *caput Append.* 5 *Colganus concludat.* Ecce, *inquit (postquam veterum de Patricio scriptorum testimonia deposuisset)* Ecce neque apud hos peruetustos Scriptores, neque apud vllum alium, qui scripserit ante tempora Iocelini, legimus vllam mentionem verorum serpentum per S. Patricium ex hac insulâ profligatorum; sed solùm dæmoniorum in specie visibili apparentium: quæ (quia spirituali veneno suæ nequitiæ & illusionum sæpè hominum mentes, & corporali etiam veneno vlcerum, morborum, aliarumque infectionum, corpora non rarò inficiebant) serpentes metaphoricè dici poterant. Et quia verosimiliter vel ex vulgi vsurpatione audiuerit, vel in aliquo scripto monumento legerit Iocelinus sic appellari; hinc videtur deceptus, vt nomen serpentis ab illâ metaphoricâ vsurpatione ad propriam significationem veri & corporei serpentis transtulerit. Officia

sed Iocelinus crudè i ntellexit,

quod de dæmonibus pulsis per metaphorã i gerat.

B etiam diuina suprà citata, & alij citati auctores videntur suam relationem de hac re ex Iocelino desumpsisse: quem insuper deprehendo in hoc lapsum, quòd ferat Manniã à veris serpentibus fuisse tunc per S. Patricium liberatam: cùm tamen constet illam insulam hodie serpentes aliaque reptilia venenosa aliunde aduecta non respuere.

26 *Hæc ille, Dauid quidem Rothus Elucidatione in Iocelinum* 4. *Solini reijcit auctoritatem, propterea quòd non solùm dicat, quòd in Hibernia* anguis *sit* nullus; *sed addat* auis rara; apis nulla, *quæ transcribens Isidorus l.* 14 *Orig. cap.* 6 *subiungit* adeò vt aduectos inde pulueres seu lapillos, si quis alibi sparserit inter aluearia, examina fauos deserant: *in quo euidens videtur eos errasse: cùm teste Bedâ lib.* 1. *cap.* 1. diues sit lactis ac mellis insula, piscium volucrumque venatu abundans. *Verùm necesse est hac scripsisse Solinum saltem ex vulgi de Hiberniâ sermone, quo ferebatur multa alibi communia in Hiberniâ non reperiri: & vt in aliquibus falli eum contigerit, aliquid saltem ex omnibus verum esse debuisse, vt aliquod vulgaris sermo fundamentum haberet. Ad hæc occurrit, quo culpæ Solinus & errori eximatur, fortè eum dumtaxat scripsisse,* serpens ibi nullus aut rana: *quod nunc quoque verissimum est, sed à librarijs deprauatum in errorem potuit Isidorum duxisse.*

An scripserit Solinus nullã apem in Hiberniâ esse?

C

§ IV *De Prophetijs S. Patricij.*

27 NOn *minùs proprium viris Apostolicis prophetiæ donum est, quàm miraculorum gratia; nec minùs illo, quàm hâc Patricij claruit apud Hibernos nomen: eius autem prophetiæ, licet eâ ferè formulâ conceptæ narrentur, quasi benè vel malè precantis verba essent: non sunt tamen in eum semper accipienda sensum; sed, sicut plurima huius generis in sacrâ scripturâ, potissimum in Psalmis vbiq; obuia, ita pleræque maledictiones Patricianæ dicendæ non sunt imprecationes fuisse; sed prophetico spiritu prolata oracula, quibus ad commissi delicti pœnitentiam efficaciùs pertraherentur barbarorum animi, de illius grauitate ex decretæ vltionis seueritate facti certiores. Alia eorum verborum est ratio, quibus benè meritis Sanctis sic prædicunt euentura illis à Deo commoda, vt ijsdem congaudeant læteturque. Vtriusque generis plurima passim per totam hanc Vitam occurrunt: suntq; etiam ipsa in duas distinguenda classes: alia enim prouincias & gentes integras generatim concernunt, alia familias personasque singulares spectant. Postrema classis nullam omnino patitur difficultatem, adeoq; nihil est in eâ quod cuiquam debeat esse falsitatis suspectum: tantùm in eo laboratur, vt quæ prædicta euenisse dicuntur, ostendantur, non solùm euentu vero probata; sed ipso etiam, quo euenêre, & in quod prædicta feruntur, tempore.*

S. Patricius Prophetiæ dono clarus.

In ijs quæ de particularibus personis prædixit,

D *Talia sunt quæ in varijs Sanctorum Vitis occurrunt, quorum natiuitatem multis antequàm facta est annis cognouisse dicitur & prænuntiasse Patricius. Ex his S. Danidem Meneuensium Episcopum* XXX *annis antequàm nasceretur Angelicâ reuelatione potuisse prænosci* 1. *Martij vidimus: & aliàs exempla alia afferemus in quibus tempus propheticè definitum non abludat ab historiæ veritate. Reperiemus tamen nihilo pauciora, quæ magnos & palpabiles errores inuoluant. Vniuersim autè de plerorumque similium veritate ambiguos nos facit, quòd Patricianæ prophetiæ, in varijs Hibernicorum Sanctorum Vitis prolatæ, maiori ex parte omnes ad annos præcisè* XXX *vel* LX *restringantur. Hoc autem suspicionem ingerit æui posterioris scriptores eiusmodi numeros ab vno Sancto ad alios transtulisse, nullâ veterum monumentorum auctoritate præeunte: & quidem etiam ad illos quandoque Sanctos, de quibus nominatim nihil fuerit Patricius vaticinatus: idque ideo tantùm, vt ipsis ex tali prædictione splendor accederet aliquis, nihil emendicatæ lucis egentibus. Non indigent illi talibus vt clarescant, qui suâ satis virtute fulsêre, multò minùs Patricius: ideoque hîc non laborauimus, vt obductas eius nomini vmbras discutiamus, diiudicando quid & quomodo de vnoquoque Sancto prædixerit ille vel potuerit prædixisse, maximè cùm verosimile sit, sanctum Apostolum in multis suis prædictionibus nullâ temporis determinatione vsum fuisse: tales autem, vbi eâ vsus non erat, nullas reperimus, quæ meritò possint suspectæ haberi.* E

examinã di annorum numeri:

sæpè vitiati aut temerè conficti.

28 *Sed hoc ipsum de singulis suo loco videbimus: ergo celeberrimam vnam, quâ Scotorum regnum in Britanniâ Fergussij posteris fertur prænuntiasse Patricius, satis habebimus ab eorum cauillis vindicasse, qui ipsis Hibernis haberi volunt in Scotici nominis iure priores, quasi eosmet originis pudeat. Prophetiam illam Iocelinus num.* 119 *habet his verbis:* Licet hodie videaris humilis & despectus in conspectu fratrum tuorum, eris in breui princeps illorum omnium. De te enim optimi Reges egredientur, qui non solùm in terrâ propriâ, sed etiam in regione longinquâ & peregrinâ, principabuntur. Elapso igitur non magno temporis spatio Fergussius, iuxta viri Dei vaticinium principatum in totâ illâ terrâ obtinuit, semenque illius per multas generationes in eâ regnauit. Ex eius stirpe processit strenuissimus Ædanus filius Gabrani, qui Scotiam, quæ dicitur Albania, subegit & alias insulas; cuius in eis regnat adhuc successiua posteritas. *Obscuratam interpretis vitio prophetiam non imus inficias: neque enim* subegit *vel (vt Vitæ Tripartitæ interpolator)* manu violentâ occupauit Albaniæ regnum *Ædanus iste: sed paterno regno per iniuriam exclusus, D. Columbæ operâ in illud pacificè restitutus est, vt omnes vtriusque gentis scriptores consentiunt,*

Prophetia de regno posterorum Fergussij in Albania

Hibernorũ glossa obscurata

F

29 *Non possumus tamen Scoto-Britannis assentiri: cùm ipsam quoque de tali prophetiâ narrationem volunt fabulosam haberi, præfractè sustinentes Fergusium Magnum, Erci filium (quem Scotici regni in Britanniâ non auctorem sed restauratorem dumtaxat fuisse dicunt) antequàm in Hiberniam mitteretur Patricius, in Albaniâ Scotis suis veteres recuperasse sedes. Sed nulla vetera proferentibus monumenta, quibus Regum suorum chronotaxin confirment, non immeritò opponit Colganus antiquissimum qui hactenus visus ab eo sit, rerum Scoticarum scriptorem, Regum seriem annosq; quibus regnauêre deducentem ad Malcolmum, tunc cùm scriberet regnantem, id est, ad annum* MLVII. *Verba eius Scoticis versibus concepta hæc sunt.*

& à Scoto-Britannis sine caussa reiecta,

Tres filij Erci, filij Euchodij strenui; tres ditati benedictione Patricij, occuparunt Albaniam elato animo, Loarnus, Fergussius & Ængussius.
Decem annis Loarnus (res nota) erat in Principatu finium Albaniæ: post Loarnum illustrem & animosum viginti septem annis Fergussius.
Domangardus Fergussio magno natus, spatio quinque annorum turbulentorum:
Viginti quatuor annis sine repugnantiâ regnauit Comgallus filius Domangarti:
Duobus annis faustis, sine contemptu. Post Comgallum Gobhranus: Ter quinis annis integris Rex

ex antiquiori bus docendi p teste

A Rex erat Conallus filius Comgalli.
Viginti quatuor annis vltrà Rex erat Aidanus multorum finium.

30 *Hactenus ille, cuius anni si omnes computentur ascendendo ab anno* DCVI. (*post quem constat non diu superfuisse Ædanum Regem ex scriptorum vtriusque nationis consensu*) *peruenietur ad initium quinti seculi: quo tempore nihil impedit eumdem adhuc integris viribus floruisse Fergusium, cui admodùm iuueni puta ante annos circiter quinquaginta hæc prædixerit Patricius. Quid autem, si tres modò nominati non fuerint ipsius Erci filij sed ex Fergusio filio nepotes? certè etiam sic plenissimè tota, quæ adfertur prophetia constaret; de Fergusio enim Erci filio nihil aliud prædixisse fertur Patricius, quàm quòd ipse fratribus suis omnibus tunc minor, breui totius Dalriediæ esset potiturus principatu, posteros autem habiturus quorũ aliqui etiam in exteras regiones imperium proferrent. Non quidem habemus vnde pronuntiare possimus hæc ita se habere: dicere tamen possumus, quod sua Hibernis ita sentiendi libertas sit, donec Scoti antiquiora & certiora quàm fecêre hactenus proferant in contrarium monumenta. Neque verò magnopere laborandum est, quinam ante prædictum, Erci seu filium seu nepotem, Fergusium primis illis Scotorum, in Britanniâ sese per Pictorum indulgentiam stabilientium,* B *principijs rempublicam administrarint; hos enim facilè fuit obscurari atque è posterorum elabi memoriâ: vtpote cui satis erat Regum tunc regnantium seriem ad sua principia deductam habere. Interim ex his ita positis ea nobis emanat commoditas, quòd ita facilius intelligamus, quomodò Albienses Scotos pro gentilibus Patricius habeat in suâ ad Coroticũ tyrannum epistolâ; exprobrans ei, quod* Consuetudo Romanorum Gallorumque Christianorum sit, vt mittant, *inquit,* nostros Sanctos idoneos ad Francos & exteras gentes cum tot millibus solidorum ad redimendos captiuos baptizatos: ipse autem eos vendat genti exteræ ignoranti Deum: *hanc autem gentem non semel in eadem epistolâ* pessimos Scotos, Pictosque Apostatas *nominat: quæ omnia non benè consisterent, si ab eodem Patricio baptizati, & fide Christiani imbuti Principes, pium iam tunc pacificumque regnum in Albaniâ possedissent.*

Sic vtriusque principia Scotici regni incerta maneant,

religio Patricio viuente nulla fuerit.

31 *Ceterùm præter prophetias eas quæ publicam aliquam priuatamue personam concernentes in Actis Patricianis occurrunt plurimæ, & tales pleraque vt nullam magnopere pati debeant difficultatem quò minùs verè à spiritu futurorum præscio profectæ credantur; occurrunt in ijsdem actis aliæ non paucæ per quas varijs prouincijs gentibusque, malè vel benè precando, futura earum deinceps vel decora vel dedecora prænuntiasse memoratur, quas fatemur admodùm nobis esse suspectas: vehementer enim formidamus, ne pleræque ex ijs elogijs sint, quæ passim populi & nationes vel sibi arrogant tamquàm aliqua in re eximijs, vel vicinis per contemptum* C *affingunt, cum aliquo plerumque in reipsâ fundamento, & semper cũ hyperbolicâ exaggeratione. Ita sæpiùs audiuimus propterea nullum esse in vrbe Mechliniensi ædificium ad angulos rectos fabricatum, quia in eâdem cæmentarij fabri D. Rumoldum, tutelarem nunc Sanctum, perfidè mactauerunt: quod populare dictum ex illius istic vitij frequentiâ natum, facilè vnusquisque admittet, nec quoad omnes structuras (quarum elegantissima multa) verum esse, nec ad D. Rumoldi imprecationem debere referri, sed ad platearum atque vicorum à principio inæqualiter distributorum flexus. Talia interim plurima totis passim Actis Patricianis occurrunt, quod vno hic alterouè exemplo cognosce. Ibat vt Calregiorum populum ad Christi fidem conuerteret Patricius, illi finibus suis aduenientem prohibituri obuiàm processêre armati; in cuius flagitij pœnam ijs dicitur Patricius prænuntiasse futurum, vt qui inermi armatos se obiecerant numquàm aduersùs hostes armis vterentur, sed in trepidam semper verterentur fugam. Tum verò pœnitentiâ ductos atque ad genua supplices fertur fuisse consolatus, promittendo quod numquàm eorum plures quam quinque ab hostibus occiderentur. Simile est quod populis Desiorum, quos totâ die fuerat præstolatus frustrà, scribitur prædixisse futurum, vt ante noctem non concluderent negotia, de quæ deinceps conuenirent.*

Ex vulgi dicterijs quandoque tribuuntur Sanctis prophetiæ quædam:

Tales in Actis Patricianis plures,

32 *Has tamen similesque lacinias ex ditacis vulgi sermone insertas Vitæ Tripartitæ, & sine discrimine à Iocelino transcriptas, nequaquàm duximus resecandas è textu: sed satis habuimus quid nobis de istiusmodi videretur generatim hîc monuisse lectorem, cuius erit pretiosum à vili secernere. Vt autem in istis Patricio affingendis liberales fuêre Hiberni; nec satis prudentes Vitæ prædictæ interpolatores, dum illam eiusmodi figmẽtis auxerũt ita nec in ijs quas verè Sanctus protulisse potuit prophetijs, ad rem applicandis, ita semper fuêre felices, vt non quandoque exerrarint. In Ædano Gabrani filio Scotiæ Rege, nec primo nec armis regnum adepto, exemplum vidimus. Plura liceret ex Tripartita colligere: sed quoniam ipsam operi nostro inserendam non putauimus; abstinemus etiam talium errorum correctione, quam aliàs accuratè digestam & prælo paratam habebamus.* D

nonnulla etiam inepta explicatione corrupta,

§ V *De Purgatorio S. Patricij.*

33 IN *Occidentali Vltoniâ, quæ priscis Tirconallia, hodie Donegallensis Comitatus est, haud procul ab Ernæo lacu minor alius est, quem efficit vix è fontibus emersus* Liffer (*ita eum Cambdenus nominat, quem* Derget *Mercator*) *eo nunc nomine celeberrimus, quod in eo dicatur fuisse S. Patricij purgatorium: locus (sicut incolarum traditio potiùs quàm vlla vetera monumenta credi iubent) diuinitùs magno Patricio demonstratus, vt duras indigenarum ceruices quædam earum, quæ post hanc vitam sunt, pœnarum species, interno sensui ibidem obijcienda, flecteret, quàm plena sequeretur peccatorum, seu potiùs suppliciorum peccatis debitorum remissio in ijs, qui verè pœnitentes intrassent. Multos illuc iam inde à S. Patricij temporibus vario euentu ingressos esse eadem traditio habet: vnius militis Oëni historia, anno* MCLIII *à Mattheo Parisiensi attributa, scripto commendata per Henricum monachum Saltereyensem, extat in quamplurimis MSS. codicibus, quorum apud nos tria quatuorue apographa sunt: nec pauciora Colganus habuit cùm eamdem Append. 6 parte 1 vulgauit.* E

Locum, qui S. Patricij purgatorium dicitur,

Oënus vtiles intrat An. 1153:

34 *Quibus & quantis testibus istius historiæ seriem auctor habuerit confirmatam, acceptam priùs ex ore Girberti Abbatis sæpius eam referentis, & referri iubentis ab ipso Oëno, socio & interprete sibi ad condendum in Hiberniâ monasterium dato, vltimis quatuor capitibus exponit supranominatus Henricus: quam proinde, quoad præcipuam rei narratæ substantiam, videmur posse vt veracem admittere: neque enim quidquam in eâ continetur visione, quod non alijs similibus Sanctorum visionibus possit confirmari. Nos tamen satis habemus curiosum lectorem ad Colganum remittere; tantùm cum eodem monemus, eiusmodi visiones oculis corporeis tribuendas non esse, sed ex earum esse genere, quæ imaginationi obiectæ, ita prorsus afficiant hominem, quasi corporeo intuitu fuissent vsurpatæ. Quod quidem à malo æquè ac bono spiritu esse potest: ab vtro autem sit solo discere possumus effectu: qui cùm in præsenti Oëni casu seria atque constans vitæ morumque emendatio fuerit, non est vnde suspicemur dæmoniacam illusionem huic facto interuenisse.* F

eo successu quem H. Monachus describit.

35 *Huius rei fama Canonicos Regulares S. Augustini, paullò antè feliciter plantatos propagatosque in Angliâ & vnà cum Benedictinis ac Cisterciensis Ordinum monachis in Hiberniam circa finem seculi* XII *traductos ab illius Insulæ victoribus Anglis, videtur permouisse, vt monasterium Regùs in altera eiusdem lacus insulâ situm, in quo pristina omnis disciplina iam diffluxerat, sibi deposcerent. Nec difficulter impetrauisse credimus, quamuis illius fundationis siue donationis nulla adhuc viderimus instrumenta: nam quæ alia eidem Ordini concessorum cœnobiorum ad Canonici Anglicani compilatorem peruenerunt monumenta, satis indicant, ante aduentum Anglorum in Hiberniam nullos fuisse in eâ Canonicos regulares sub S. Augustini regulâ viuentes. Quia tamen huius instituti Professoribus familiare semper fuit, vt vetus Canonicorum vsurpantes nomen quamcumque Clericorum congregationem, canonicè atque in commune viuentium, Canonicorum nomine credant esse appellandam, eiusque instituti formam persuadere*

is locus deinde traditus Canonicis Regularibus:

qui, veluti si à principio suus istic Ordo habitasset,

A dere velint à S. Augustino in vniuersam fluxisse Europam: ideò hos quoque qui prædictum locum ante ipsos tenuerant seu clericos seu monachos, Canonicos Regulares S. Augustini vocauêre.

S. Patricius adnumeratur,

36 Exinde inter illius Ordinis Sanctos præcipuos annumerari Patricius cœpit: eiusque solennis cum Officio ecclesiastico cultus ad reliquos quoque in Angliâ atque Italiâ Congregationis Lateranensis conuentus paullatim propagari; donec ijsdem annitentibus pro totâ Romanâ Ecclesiâ est receptus: nam quamuis Glastonienses, aliiq́; plures in Angliâ monachorum cœtus, susceptâ deinde S. Benedicti Regulâ Benedictinis accensiti, S. Patricium vel fundatorem primum, vel restauratorem agnoscerent: quia tamen istiusmodi cœnobia nullo inter se vnius congregationis vinculo iungebantur vno sub capite, ideò per Benedictinos non potuit Romam vsque propagari ritus, Officio proprio S. Patricium colendi: quod Officium primùm ab Regularibus Canonicis sumptum esse, & quidem quale Purgatorij Patritiani curatores composuerant in Hiberniâ, patet ex lectionibus proprijs anno demum MDXXII in Breuiarium Romanum, admissis dicam an intrusis? Nam quæ ante id tempus excusa habemus Breuiaria anni scilicet MCCCCLXXIX & MCCCCXC; item Missalia anni MCCCCLXXXIV & MDVIII; etsi Patricij nomen in Kalendario præferant, nihil tamen de ipso habent inter Officia Martij, ne simplicem quidem commemorationem. At in eo quod primum nominauimus Breuiario, Venetijs per

& officium proprium curauere Rom. Breuiario inserendum:

B Antonium de Giunta impresso, sex de S. Patricio lectiones leguntur: quæ (si primam lectionem excipias, continentem summarium rerum gestarum à S. Patricio; & secundæ priorem partem, in quâ tres illius pro Hiberniâ petitiones) omnes de purgatorio illo sunt, in hunc modum.

cuius lectiones totæ ferè de hoc Purgatorio,

37 Verùm, cùm imprimis præfatam gentem admodùm bestialem, & terrore tormentorum & amore gaudiorum supernorum ab errore conuertere voluisset; dicebant ad eum, se numquàm ad Christum conuertendos verbis eius & miraculis, nisi aliquis eorum & tormenta illa malorum & gaudia Beatorum intueri possit, vt rebus visis certiores fierent quàm promissis. . . . omissâ autem 3 lectione de Baculo Iesu & Euangelico textu, hac occasione diuinitus acceptis; contra quam omnes Vitæ Patricianæ concorditer scribunt, istâ eum in Italiâ accepisse, reliquæ lectiones sic absoluuntur: Itaque Dominus Sanctum suum in locum desertum eduxit, & quamdam foueam rotundam, extrinsecus obscuram, ostendit ei dicens: Quia quisquis veraciter pœnitens, & verâ fide armatus eamdem foueam ingressus, vnius diei ac noctis spatio moram in eâ faceret; ab omnibus peccatis suis purgaretur, & per illam transiens, non solùm vi-

C deret tormenta malorum, sed & gaudia Beatorum. Sicque Domino ab oculis eius disparente, lætus statim in eodem loco ecclesiam construxit, & B. Patris Augustini Canonicos in eâ constituit. Fossam autem quæ est in cœmeterio extra frontem ecclesiæ muro circumdedit, & ianuas serasque apposuit, ne quis eam temerè, & sine licentiâ ingredi præsumeret. Clauem verò ingressus dictæ foueæ custodiendam Priori dictæ Ecclesiæ commendauit. Ipsius autem Patricij tempore multi pœnitentiâ ducti fossam ingressi sunt. Qui egredientes, & tormenta maxima se expertos & se vidisse testati sunt: quorum reuelationes iussit B. Patricius in eadem ecclesiâ annotari: & eorum attestatione cœperunt alij prædicationem B. Patricij suscipere. Et quoniam à peccatis ibi homo purgatur, ideò locus ille purgatorium B. Patricij nuncupatur: eò quòd quibusdam de illis partibus communiter asseritur, quod post mansionem in illo loco purgatorij, per aliquod tempus breue, in quo sustinent magnas pœnas purgatorij, satisfaciant pœnis debitis pro peccatis.

biennio postquam prodierant expuncta sunt:

38 Fuerintne hæ lectiones mandato legitimo insertæ in Breuiarium, an subreptitio aliquo indulto intrusæ meritò dubitamus: vix enim Romæ conspectæ sunt, quin earumdem expungendarum fuerit expeditum mandatum; vt patet ex iteratâ eiusdem Breuiarij impressione per eumdem Antonium Giuntam biennio post, anno scilicet MDXXIV, factâ. Neque lectiones tantùm, sed ipsum quoque S. Patricij nomen ex Ka- D lendarijs deinceps exclusum mansit, donec nostrâ demum memoriâ restitutum est ab Vrbano VIII cum simplici commemoratione. Quod R. P. Lucæ VVadinghi pio zelo ac studio impetratum fuisse scribit in suo Martyrologio Franciscano Arturus à monasterio: commemorans quomodò in Capitulo Generali Mantuano anni MCCCCXC decretum sit, vt in toto Ordine Seraphico recitaretur Officium de S. Patricio Hiberniæ Apostolo ritu festorum nouem lectionum. Porrò cautiores eo quem suprà narrauimus successu, ij qui suas Canonicis Regularibus lectiones concinnarunt, Bruxellis MDCXXII & Montibus MDCXXXV impressas prorsus, siluêre de Purgatorio: satisque habuêre Bruxellenses, quòd Patricium in Ecclesiâ Lateranensi Canonicorum Regularium institutum amplexum; Montenses, quòd eumdem inter Clericos ecclesiæ Lateranensis à Pontifice collocatum dicere in obseruatis licuisset: & erat id eis non grauatè indulgendum, nisi Montenses sub finem V lectionis scripsissent, Patricium in ecclesijs trecentis sexaginta quinque à se erectis, Clericos Regulares secundum B. Augustini regulam viuentes constituisse, constanti istius gentis traditione haberi.

non tamen abolitus cultus proprius.

nec memoria Purgatorij in ecclesijs priuatis:

39 Tacuit similiter de Purgatorio Abrincensis Ecclesia in IV lectione, quæ sola de Patricio propria est ritus semiduplicis officij recolendo: tacuit simili in lectione vnicâ Rotomagensis Breuiarij reformator; &, nisi Patricium in Britanniâ Gallicanâ ortum, ac centesimo trigesimo secundo ætatis suæ anno mortuum scripsisset, nihil erat quod in eâ E possis reprehendere: vti nihil est in eo Officio, quod totum de Sancto proprium impressum Parisijs est anno MDCXXII; cuius sexta Lectio de Purgatorio loquitur quidem, sed sic vt prudentius concipi nihil possit, cùm ait: Antrum verò pœnitentiale etiamnum visitur, quod de eius nomine seu Purgatorium S. Patricij vocatur. Etenim vt ab Ecclesiasticis Officijs æquum est remoueri omnia, quibus vel suspicio posset subesse falsitatis: ita id quod de hoc purgatorio certum est, eo scilicet vocari ac visi nomine, id potuit innoxiè commemorari.

quamuis disputaretur de eius auctore:

40 Fuit quidem aliquando inter viros eruditos controuersia non leuis, ab vtro Patricio Purgatorium istud originem suam & nomenclaturam accepisset: an scilicet à Magno Patricio Hiberniæ Apostolo, an ab altero itidem Sancto, sed Abbate dumtaxat Ardmachano, qui post seculum VIII floruit. Cuius controuersia totum fundamentum in eo consistit, quod Henricus Salteriensis suprà memoratam historiam hunc in modum exordiatur: Igitur magnus Patricius, qui à primo est secundus, qui dum in Hiberniâ verbum Dei prædicaret, studuit infideles hominum illius patriæ animos terrore tormentorum infernalium à malo reuocare. Ecquis enim, inquiebant aliqui, iste secundus à primo, F nisi Abbas iste? quibus meritò reponebant alij: Ecquis magnus? ecquis infideles animos à peccato reuocans, nisi Episcopus atque Apostolus noster? ecqui nisi eidem negare potuêre Barbari in Christum se credituros, nisi dictis ab eo fidem facerent sui ipsorum oculi? ecqui alteri Baculus Iesu à Domino traditus fuisse narratur? quæ omnia in hoc ipso continentur exordio, nec possunt Abbati Patricio conuenire, sub quo tota Hibernia & religionis & bonarum artium laude florebat, si vnquam. Non hic igitur est quem designat Henricus. Non est sanè: sed si ipsimet Hiberni à suo Patruo non satis distinxêre S. Senpatricium, qui verè à primo secundus fuit in episcopatu æquè ac nomine, quis nos securos reddet non esse vtriusque Acta confusim his vni Patricio tributa? quem tamen antiqua traditione constaret verè fuisse à primo secundum, licet non satis cognosceretur quomodò id deberet intelligi, ideoque quæ secundi erant passim primo applicarentur. Ne tamen hoc omnino certò asseueretur, facit auctoritas Tirechani apud Vsserium p. 899 affirmans S. Palladium, qui primus Hiberniæ Episcopus missus erat, alio nomine vocatum Patricium.

qui si non fuit S. Senpatricius,

Magnus Patricius fuisse potuit

41 Hoc igitur sensu magnus Patricius dicatur secundus vel Patricius vel saltem Episcopus à Pontifice destinatus (nec enim mirum esset ab Henrico externo homine ista confundi) & Hibernorum sequendo traditionem, non alteri quàm magno Hiberniæ Apostolo fossa illi attribuatur apertio: non tamen sine scrupulo, propter antiquorum omnium Biographorum

secundus respectu Palladij nuncupatus.

A rum hac de re silentium, quos par erat rem adeò illustrem non reticuisse. Sed hic scrupulus lenior fiet consideranti, in quinque primis, quas edidit Colganus, Vitis ea dumtaxat summatim referri, quæ sunt vel cum Rege Leogario aliisque Regibus, vel in Orientali Vltoniâ gesta circa Dunum atque Ardmachæ fundationem: in Tripartitâ verò totam occidentalem Vltoniam tribus verbis decurri l. 2 c. 114 vbi dicitur: suscepto itinere per magnam illam conuallem, quæ Bearnas-Mor de Tiraodha dicitur (*ea Purgatorium Patricianum ad Orientem proximum habet*) & per regionem Mag-ithe nuncupatam, venit ad locum illius regionis, in quo fundauit ecclesiam vulgo Domnach-mor appellatam: *hæc autem non ad Conalli sed ad Eugenij Borealem Vltoniam possidentis pertinebat ditionem, in quâ deinceps laborantem* Patricium *Vitæ illius auctor describit.*

accidit propter exiguũ aliorum cũ Tirconallis commercium,

42 *Non videtur certè, quamuis Vitæ Acta id nusquam exprimant, posse dubitari quin S. Patricius ditiones Conalli, tam singularibus benedictionibus propter nasciturum ex eo Columbam muniti, singulariter curauerit fidei Christianæ iacto semine fœcundare ad messem cælestibus horreis inferendam; idq; eò sollicitius, ac maiori ingentium miraculorum apparatu, quò præ ceteris Hiberniæ incolis magis barbari erant Tirconalliæ indigenæ, re & nomine in hunc vsque diem* siluestres Hi- B berni*: verum quia cultioribus alijs cum his rara omnino intercedebat communicatio, propter ingenia hominum asperrimis, quibus vndique includuntur, asperiora montibus; difficilè fuit gesta* Patriciana *colligentibus certum aliquid de istis partibus referre: ideoq; videntur maluisse ibidem acta taciti præterire. Fortè etiam non vsque adeò considerabilis fuit loci eius origo: sed successu temporis tradita inter barbaros memoria quadragenarij alicuius ieiunij ibidem (vt ferè in locis desertis consueuerat) à Patricio peracti, magnarumque vexationum, quas istic à dæmonibus Sanctus sustinuerat; nouis additis circumstantijs ita creuit, vt rei omnino diuersæ paullatim facta sit: maximè si infernorum suppliciorum imagine aliquâ percussurus feroces mentes, flammam istic è terrâ fecit erumpere (quod tamen miraremur potius in exili & inaccessâ insulâ quàm in patenti coram magnâ multitudine campo factum) vnde relicta deinceps fossa siue hiatus posteris esse cœperit in veneratione.*

& quòd nõ satis certa origo tradebatur

43 *Et primùm quidem existimamus, Hibernos vicinarum regionum Sanctos, potissimùm è proximo monasterio, magistri æmulatos exemplum, in eius honorem parem istic vitæ austeritatem solitos ducere per dies aliquot: eâque re alijs quoque datam occasionem vt sua istic expiaturi salubri pœnitentiâ peccata, in eamdem fossam ambirent admitti. In quos, vt minùs dignos, quia dæmoni maior dabatur licentia horrendis spectris eosdem infestandi, vt nonnulli exinde morerentur; satius duxerint illorum locorum Præpositi certi penè exitij terro-* C *re inde abstinere temerè accursurum vulgus: itaq; factum vt crederetur, verè quidem infernorum istic supplicia & beatorum spectari gaudia, sed qui id experiri vellent plerosque hactenus inde non rediisse: & qui redirent, purgatos quidem illos ab omni reatu pœnæ remeare, sed numquàm exinde lætos hilaresq; conspici. Itaque vel nullos vel paucos eò exinde ingressos, præter Oënum prædictum, cuius sinceram religionem eiusmodi, qualis memoratur, ostensionis fauore Deus volens remunerari; hoc insuper eodem facto prouiderit, vt celebrior exinde loci sanctitas ad nouã ex Angliâ Canonicorum Regularium coloniam excitet frequentiam peregrinorum, qui eis vitæ præsentis subsidia ministrarent simul, & acciperent ab ijsdem auxilia spiritualia ad æternam salutem adipiscendam. Sic tamen vt nulli intra ipsam fossam ampliùs admitterentur: neque enim videntur prædicti Canonici (saltem primis illis nouæ commorationis initijs, quibus feruebant omnia & habebant frequentius cum ciuibus suis, à quibus recenter discesserant, commercium) non consignaturi litteris fuisse, si quid hoc in genere singulare accidisset, quo Oëni historia, de quâ tam varius vbique sermo, nouâ fuisset experientiâ comprobata.*

qua videtur alia fuisse quàm vulgò feratur

& suã celebritatem præcipuè debere Oëno,

post quem nemo pari successu ingressus.

Meminit Purgatorij Iocelinus

45 *Iocelino circa eadem tempora recenter appulso in Hiberniam aggressoque Patricij Acta colligere, cùm de hoc Purgatorio nihil apud antiquos reperiret, sermone autem inaudisset aliquid, facilè fuit locorum homonomiâ decipi: & ei qui*

D *Purgatorium S. Patricij audiuerat esse sub montibus S. Patricij, quo nomine dicuntur montes inter Ernæum lacum & Deargh interiecti, teste in suis tabulis Mercatore; legeretque altissimum montem Conaciæ veteribus* Cruachan Aichle *dictum, postquàm in eo ieiunasset Patricius ab eodem nomen retinuisse & frequentari à multis; pronum fuit vt ignorans homonymorum montium differentiam vtrosque confunderet, hunc in modum scribens de prædicto Conaciæ monte nu.* 150. In huius igitur montis cacumine vigilare ac ieiunare consueuerunt plurimi, opinantes se numquàm posteà intraturos portas inferni: quia hoc impetratum à Domino existimant meritis & precibus S. Patricius. *hactenus* de Cruachan Aichle *vera fortassis: deinde de loco altero in insulâ Vltoniæ.* Referunt etiam nonnulli qui pernoctauerunt ibi, se tormenta grauissima fuisse perpessos, quibus se purgatos à peccatis putant, vnde & quidam illorum locum illum Purgatorium S. Patricij vocant.

sed ob homonomiam in Conaciâ statuit.

46 *Siluester Giraldus Cambrensis, Hibernico nomini creditus parum æquus scriptor, in Topographiâ Hiberniæ dist. 2. cap. 3. ipsum locum sic describit, de incognitis ex incerto rumore pronuntians, & sic falsis vera permiscet, vt nihil minùs quàm ipsum ex eâ descriptione cognoscas. Dum tamen ad duos prædictos auctores Henricum & Iocelinum ipse accedit ter-* E *tius, ante annum* MCCXIV *scribens, facit vt credamus certiùs, multum illo tempore de isto Purgatorio tum in Angliâ tum in Hiberniâ fuisse sermonem.* Est, *inquit*, lacus in partibus Vltoniæ continens insulam bipartitam; cuius pars altera probatæ religionis Ecclesiam habens, spectabilis valdè est & amœna, Angelorum visitatione Sanctorumque loci illius visibili frequentiâ incomparabiliter illustrata: pars altera hispidâ nimis & horribilis, solis dæmonijs dicitur assignata; vt quæ visibilibus caco-dæmonum turbis & pompis ferè semper manet exposita. Pars illa nouem in se foueas habet; in quarum aliquâ si quis pernoctare præsumpserit (quod à temerarijs hominibus nonnumquàm constat esse probatum) à malignis spiritibus statim arripitur, & nocte totâ tamquàm grauibus pœnis cruciatus tot tantisque ac ineffabilibus ignis & aquæ, varijque generis tormentis incessanter affligitur, vt manè facto vix minimæ spiritus reliquiæ misero in corpore reperiantur. *Omitto cetera, quæ de Patricio, huius purgatorij auctore pari scriptionis inconsideratæ genere inuoluit: hîc satis sit obseruasse non vnam esse in illo lacu insulam; sed, vt oculati testes asserunt, inter plures minores maiores duas, quarum vna non puteos nouem sed vnam solam cauernam contineat; nec eam qualem ait visibilibus dæmonum pompis semper expo-* F *situm: altera duobus tribusue distat stadijs, cui cum ecclesiâ inædificatum monasterium est, vbi de Angelorum Sanctorumque visibili frequentiâ nec ante nec post ipsum quisquam somniauit aliquid.*

Giraldus Cambrensis;

ex incerto rumore falsa veris admiscet.

§ VI *De modo purgationis seu pœnitentiæ ibidem fieri solitæ, & olim & nuper.*

47 I*uuat porrò ex Henrico Saltereyensi audire, quâ ratione, quibusq; ceremonijs antrum istud tum prædictus miles Oënus intrauit; tum alij eodem essent introducendi, si quos fortè pœnitentis animi minimè vulgaris generositas contempto periculo idem tentare suaderet: nam curiositate ductus si quis id præsumpsisset, in eum quadrasset temerarij nota, quam omnibus temerè Cambrensis inurit. Est, inquit Henricus,* consuetudo tam à S. Patricio quàm ab eius successoribus constituta, vt purgatorium illud nemo introeat, nisi ab Episcopo, in cuius est episcopatu, licentiam habeat; & qui propriâ voluntate illud intrare pro peccatis suis eligat. Qui dum ad Episcopum venerit, & tale propositum indicarit, priùs eum hortatur Episcopus à tali proposito desistere, dicens quòd multi introierunt, qui numquàm redierunt. Si verò perseuerauerit, perceptis Episcopi litteris ad locum festinat: quas cùm Prior

Ritus in Oëni ingressu seruatus.

A loci illius legerit, mox eidem homini purgatorium intrare dissuadet, & vt aliam pœnitentiam eligat diligenter admonet; ostendens ei in eo multorum periculorum esse tormenta, & si perseueret introducit eum in ecclesiam, vt in eâ dies quindecim ieiunijs vacet & orationibus. Quibus peractis conuocat Prior vicinum Clerum, munitur pœnitens sacrâ Communione, & aquâ benedictâ ad dictum Officium aspergitur; sicque cum processione & litaniâ ad ostium purgatorij deducitur. Prior verò ei iterum infestationem & multorum in eâdem fossâ perditionem, ostium ei coram omnibus aperiens, denuntiat: si verò constans in proposito fuerit, perceptâ ab omnibus Sacerdotibus benedictione, & omnium se commendans orationi, propriâque manu fronti suæ signum Crucis imprimens, ingreditur. Mox à Priore ostium obseratur, sicque cum processione ad ecclesiam reuertitur: qui de altero iterum manè de ecclesiâ ad ostium fossæ regreditur, ostiumque à Priore aperitur; & si homo inuentus fuerit cum gaudio in ecclesiâ reducitur, in quâ alijs quindecim diebus vigilijs & orationibus intentus moratur: & si eâdē horâ die alterâ reuersis non apparuerit, certissimi de eius perditione, ostio à Priore obserato, omnes recedunt.

B 48 *Ceterùm, vt dixi, nullo possumus indicio deprehendere, quòd post ingressum Regularium Canonicorum in insulam cuiquam tale quid, qua le Oëno, acciderit. Mansit tamen sua loco ex merito veneratio, donec inualescentibus vitijs & fœcundum Hibernicæ ecclesiæ agrum magis indies magisque deformantibus, illa pristina religionis obseruantia turpis auaritiæ facta occasio est; quæ quomodò Romanæ Curiæ retecta sit, & efficaci remedio coërcita, ex quodam vetusto Codice descriptum reperimus inter nostra schediasmata hoc tenore:* Anno Domini MCCCCXCIV; Alexandro VI Præsidente Romanæ Ecclesiæ, Maximiliano verò regnante in regno Romano, Karolo Francorum Rege intrante regnum Neapolitanum, sub Archiduce Philippo Regis Maximiliani filio, & præsidente Ecclesiæ Traiectensi Dauide de Burgundiâ, erat quidam monachus siue Canonicus Regularis in partibus Hollandiæ, monasterio Eymsteede; deuotus Deo, regulæ suæ & statutorum capituli sui de Windeshem diligentissimus obseruator. Hic cùm diu fuisset in Ordine, & præ ceteris sui conuentus Fratribus se mortificationi, orationi, & similibus exercitijs propensiùs mancipasset; quo spiritu nescitur ductus, petijt opportunè & importunè licentiam sibi dari à Superioribus arctiorem Ordinem intrandi, C aut tamquàm pauper mendicus per prouincias peregrinandi.

An. 1494 monachus Eymsladiensis,

49 Obtento tandem desiderio, diuersas mendicando Christianorum patrias & regiones ingressus est, venitq; tandem in regnum Hiberniæ, vt videret & etiam intraret Purgatorium S. Patricij, de quo multa narrantur. Perueniens autem ad locum & monasterium, vbi dicebatur illius introitus esse, locutus est cum Præsidente loci illius, referans illi desiderium suum. Qui misit illum ad Diœcesanum, dicens sibi illicitum esse quemlibet introducere sine assensu Pontificis sui. Adijt Episcopum: &, quoniam pauper erat & sine pecuniâ, vix à ministris admissus est: prouolutusque genibus Episcopi petijt sibi licentiam dari intrandi purgatorium S. Patricij. Episcopus verò petijt summam quamdam pecuniæ, quam ab intrantibus iure sibi deberi dicebat. Cui Frater respondit, se pauperem esse, nec habere pecunias; quas etiamsi haberet, propter lepram simoniæ ob id obtinendū tribuere non auderet. Post multas tandem preces deuicit Episcopum, & litteras quasdam admissionis exhibuit, mittens eum ad Principem territorij illius, vt & illius licentiam obtineret. Qui etiam nummos expetijt; quos cùm extorquere à non habente non posset, finaliter tamen, etsi difficulter, admisit eum. Rediens igitur ad Priorem loci Purgatorij, litteras Episcopi & Principis illi obtulit: quibus lectis Prior ait ad illum: Oportet Frater D vt & monasterio nostro solitam stipem impendas certam illi summam denuntians. Cui Frater respondit, se pecunias non habere, qui mendicus esset; sed nec dare pro huiusmodi sibi licere, quia simoniacum esset: sed se petere propter Deum ad locum famosissimum pro salute animæ suæ introduci. Præcepit igitur Prior Sacristæ suo, vt illum ad locum introduceret. Frater verò Confessione factâ & sacrosancto Dominico Corpore sumpto, prout alios quondam fecisse ante introitum laci illius legerat in codicibus, à Sacrista per funem in lacum quemdam profundum demissus est. Deinde, cùm ibidem iam esset, porrexit illi per funem modicum panis, & vasculum aquæ, quo reficeret, contra dæmones præliaturus.

peregrinus eodem admitti petit & impetrat:

50 Sedit igitur in lacu per totam noctem tremens & horrens; sed & ignitas preces Domino offerens, per singula penè momenta dæmones aduenturos horrescens. Cumque à vesperi sedisset vsque ad manè, sole iam orto, venit sacrista ad orificium laci, aduocans illum, & funem pro extractione illius submittens. At Frater ille admiratus est valdè, eò quòd nihil vidisset, audisset, vel pertulisset incommodi aut afflictionis; & varia reuoluit in animo super his, quæ legerat & audierat de hoc Purgatorio: nesciebat enim quod antiquum miraculum, iam fide firmatâ, cessauerat: E verumtamen incolæ loci, ob quæstum & nummos, purgationem peccatorum inibi adhuc fieri aduenientibus asserebant. Perscrutatis igitur omnibus, & illusionem hanc simplicium aboleri cupiens Frater supradictus, Hiberniam exiens Romam petijt; &, cùm Summo Pontifici appropinquare non posset, Pœnitentiario eius, viro satis honesto & ecclesiastico, cuncta quæ acciderant enumerauit; petens vt hæc Domino Papæ significaret. Ad quod ille se spontaneum obtulit, acceptâ firmissima fide siue iuramento à Fratre, quòd hæc se ita haberent. Accessit igitur Pænitentiarius ad Summum Pontificem, & cuncta illi manifestauit: qui grauiter tulit taliter simplices decipi, & præcepit Pænitentiario, vt litteras mitteret sigillo Apostolico munitas ad Episcopum, Principem & Priorem loci illius: præcipiens illis, vt locum illum, in quo quondam introitus fuerat ad Purgatorium, quod S. Patricij dicitur, funditus euerterent, & euersum esse suis litteris & sigillis, per eumdem suarum litterarum portitorem certificarent. Remissus est ergo supradictus Frater à Papâ ad Hiberniam Apostolica deferens scripta: quibus vi sis Princeps Prouinciæ, vnà cùm Episcopo & F Priore, locum illum fallaciæ destruxerunt, & destructum per sua scripta, nuntio prædicto eadem referente ad curiam Summo Pontifici notificauerunt.

sed nihil, quale alii legerat accidisse, expertus

auctoritate Apostolicâ

curat fossam obstruendam.

51 *Hæc illorum temporum calamitas fuit: ea religionis inter declinantes ad pristinam barbariem siluestres Vltonios corruptela: donec excusso veterno antiqua insularium pietas visa est spiritum viresque resumere seculo superiori; coacta scilicet contra assilientium vndique Hæreticorum machinamenta tueri sese non tam corporalibus quàm spiritualibus armis; quibus offensi Numinis placatur ira, & vltroneas pœnas commissorum à se delictorum pij fideles exigunt. Ergo in Vltoniam maiori ex parte retrusa fidelium Deo Hibernorum virtus, & Protestantium Anglorum conclusa colonijs, ipsa veluti compressione sic incaluit:* vt in prædictam insulam aliquando conuenerint homines mille quingenti, qui consueta ibidem nudipedalia aliasque pœnitentias de more obibant, dum præstolarentur per nouenos & nouenos ingressum in puteum; nisi quod aliqui per commutationem secubuerint in aliquo ex septem, quæ habentur ibidem pœnalia strata aliorum Sanctorum, finitima ipsi puteo S. Patricij.

insula nihilominus seculo XVI expit maximè frequentari,

52 *Ita sibi relatum in verbo Sacerdotis ab optimæ fidei viro qui viderat, scribit Dauid Rothus Ossoriensis Episcopus in Tractatu de Purgatorio S. Patricij, post Acta eiusdem per Iocelinum edita à Thomâ Messinghamo in Florilegio cap. 1. qui*

& pœnalia exercitia ibidē obiri ab aduenientibus,

A *qui deinde cap. 2. exponit modum faciendæ expiationis eo tempore solitum obseruari; in quo (uti nec in antiquo illo, quem suprà retulimus ex Henrico) nihil Christianus lector reperiet, quod non repræsentet illos primitiuæ Ecclesiæ rigores sanctos, adeò à sanctis Patribus laudatos commendatosq́; rideat quamuis nouella hæresis Lutheri atque Caluini, pœnitentiæ nomen nec audire sustinens: cùm interim certum sit, non posse superstitionis argui illam pœnalium operum sponte susceptorum alacritatem in Catholicâ huius temporis Ecclesiâ, quin Sanctos Apostolos culpent eorumq́; discipulos; in quibus primitiæ spiritus verè Christiani dignos pœnitentiæ fructus multò magis admirandos quotidiè proferebant. Illud tamen obseruandum* Puteum *hic ex antiquo vsu dici, qui tum nullus erat; sed vel oppletus vel concameratus, demisso modicè sub terram pauimento, reliquum adhuc habebat fornicem pristinæ fossæ obtegendæ inductum olim; & in humilis caueæ redactum figuram: prout ex mox dicendis clarius patebit.*

53 Ordo igitur *inquit David Rothus*, conficiendi totius itineris est eiusmodi. Nouemdiale tempus insumitur, vt debiti expleantur circuitus in ipsâ insulâ, quæ tota circumdatur aquâ stagnante, eaque valdè profundâ, instar cuiusdam æstuarij, quod alijs hinc inde insulis inspersum est: sed ista Purgatorij cum alterâ finitimâ S. Auogi, in quâ situm est Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini, duobus aut tribus stadijs ad Occidentem dissitum, nominatissima omnium & celeberrima est. In hanc lintre excauato monoxylo peruehuntur peregrini, remigio ad hoc parato. Toto tempore quo morantur in ipsâ insulâ, puta per nouem ipsos dies, ieiunandum erit in pane & aquâ, non quomodolibet; sed vnâ refectione ex pane subcineritio vel cocto in craticulâ, vel certè farinâ auenaceâ incoctâ; aquâ verò lacustri, sed coctâ, vel saltem calefactâ in cacabo, citra salem aut aliud quodcumque condimentum: atque ista tam cruda & macilenta alimonia, quamuis frendentibus intestinis non nisi semel degustanda erit spatio viginti quatuor horarum, nisi quòd arentes fauces licitum sit refrigerare sæpiùs, quando sitis vrgeret. Estque ea vis istius aquæ quamuis stagnantis, vt quantumuis ex eâ te velis ingurgitare, nullum inde grauamen sentias, perinde acsi ex venâ metallicâ flueret, quod de aquâ Spadanâ ex fonticulo acido emanante perhibent, qui eam epotarunt, absque onere suo vel stomachi grauamine.

& per dies noue rigidè ieiunãtibus

B

in pane & aquâ:

54 Interdiu necesse habent peregrini ter obire sacras stationes, manè, meridie, vesperi; & lassi sub noctem recubant in fœno vel stramine, sine stragulo, puluinari, culcitrâ, nisi chlamyde se inuoluant. Stationes verò ipsæ hoc ordine peraguntur. Admissi à Patre spirituali, qui Purgatorio præest ex instituto Canonicorum, ad peregrinationem faciendam, exuunt se calceos & caligas, & ecclesiam, quæ S. Patricio inscripta est, deuoti nudipedes ingrediuntur: ibique factâ oratione, sacros obeunt circuitus; introrsum septies in ipso templo, & extrorsum totidem vicibus in cœmeterio. Illis peractis recipiunt se ad mansiones pœnosas, seu lectos, quos vocant, aut cellas pœnitentiales Sanctorum, quæ in gyro sunt. Singulas earum circumgyrant septies ab extrà nudis pedibus, ab intrà flexis genibus. Similiter obeunt tũ crucẽ in cœmeterio, tum alteram crucem in aceruo lapidum infixam. Et tot circuitionibus confectis in asperâ & plerumque rupicosâ semitâ, veniunt ad lacum: & in marmore subaquato plantas pedum, laceras quandoque sed semper lassas, figunt: & vno minùs medio quadrante horæ, dum recitant orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, persentiscunt tantùm refrigerij & roboris ex subiecto pedibus lapide (in quo S. Patricius ipse orasse dicitur, & vestigia pedum suorum impressa reliquisse) vt parati essent è vestigio secundos circuitus facere, quod non licet tamen, nisi interposito aliquo temporis spatio.

qui stationes interea obeunt

C

nudis pedibus,

55 Hâc austeritate repetitâ per dies septem, octauâ die duplicant stationes siue circuitus, vt satisfaciant pro eodem & sequenti die, quo ingrediendus erit puteus: neque enim illo die puteano fas est circuire, ne quidem exire è specu: quam inire debent hâc seruatâ cæremoniâ. Nouenum illud agmen, cuius vices sunt ingrediendi cauernam, coram Patre spirituali conueniturt vbi verbo exhortationis habito admonet periculi, si mente inquinatâ; & præmij, si purgatis conscientijs ingrediantur: eaque verbis conceptis commemorat horroris exempla, quæ stupidissimum mouere, rigidissimum emollire, audacissimum perterrere possent. Suscitat commonitionem pœnitentiæ & constantiæ, vt præmissâ Confessione sacramentali, & sacrâ Communione perceptâ, se parent armentque contra principes & potestates tenebrarum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Compunctos iam & absolutos, ac sanctissimâ Eucharistiâ refectos, præeunte vexillo Crucis, deducit illos ad exequias pœnitentiales, vt iam iusta soluant vitæ negligenter anteactæ, & veteri Adamo cum actibus suis, in funere peccatorum & fœnore melioris propositi, parentent. Iam ingressuros, & aquâ lustrali aspersos in ostio speluncæ, quasi in transitu ad alium orbem, & è viâ ad terminum properantes in agoniâ positos, cernere est gementes, spirantes, veniam & pacem offerentes omnibus & precantes sibi, ignoscentes toti mundo quidquid in se deliquissent. Cum singultu, fletu, & lacrymis plerique subeunt speluncam: & clauso deforis ostio, recedunt qui comitabantur funus.

D

& nono die deducuntur in puteum

Sacramentis muniti.

E

56 Est autem cauerna ipsa lapidea domuncula, tam angustis lateribus & fornice tam depresso, vt homo proceræ staturæ adeò se erigere non posset, vt nec sedere quidem nisi inclinatâ ceruice valeret. Arctè se comprimunt noueni sibi assidentes & acclinantes; nec decimus, nisi maximo cum labore, subsistet cum alijs. Habet spelunca fenestellam, per quã sublucet interdiu tenuis radius. Longitudo & amplitudo putei est quanta sufficeret homini iustæ staturæ in dorsum resupino commodè continendo: & extrema pauimenti pars substernitur grandi saxo, sub quo produnt aliqui subesse voraginem illam & foueam, quam orante Sancto & terra dehiscente ad terrorem obstinatorum aperuit Deus. Et quamquam nostris hisce diebus; & ab hominum longissimâ memoriâ fundus speluncæ complanatus sit & reliquæ terræ coæquatus, tamen in primâ loci institutione profundiorem fuisse, & paulatim eleuatum, sancientibus Episcopis & annuente Sede Apostolicâ, traditio est quorumdam seniorum. Et quemadmodum ipse puteus ad Aquilonem templi insularis positus est, ita ad Aquilonem putei circumiectę sunt mansiones illæ siue cellæ, quas diximus Sanctorum: versùs Occidentem verò magalia quædam seu tuguria è virgulto & cespite, quæ seruiunt pro hospitijs peregrinorum.

Putei descriptio

F

57 Postquam igitur reclusi in istâ specu permanserint ieiuni viginti quatuor horas, nullo penitùs sumpto esculento à meridie pridiano (neque enim fas est quidquam gustare in ipso puteo, nisi forsitan pauxillum aquæ ad proluendum palatum) reuisuntur à Præfecto peregrinantium, & deducuntur ad marginem stagni, ibique se nudos immergunt aquis lacustribus, & hac lustrati expiatione, veluti noui milites Christi, è balneo pœnitentiæ renati purgatique, progrediuntur ad ecclesiam; vbi pro more, actis Deo gratijs pro expletâ pœnitudine, renouantur ad militiam Christianam intrepidè prosequendam, & ad crucem Christi generosè portandam. .... *Hactenus David Rothus, qui suo adhuc tempore meminit loci illius curam penes Canonicos Regulares fuisse: quo autem anno præcisè illi vel hæreticorum violentiâ pulsi ex antiquâ fuerint statione, vel vltroneâ cessione eamdem Fratribus Minoribus S. Francisci de Obseruantiâ habendam reliquerint, nobis est incompertum. Est Louanij (prout ad nos P. Thomas Sirinus scribit) ex illius Ordinis Fratribus*

quomodo post horas 24 educantur ingressi.

transit à Regularibus ad Franciscanos locus.

A tribus laicis prouectæ admodum ætatis senex, qui asserit eo quoque tempore, quo Franciscani habuêre curam Purgatorij Patriciani, illud valdè frequentatum fuisse: quoad vsque ab hæreticis ante annos circiter XXX funditus subuersa deletaq; sunt omnia. De monachatu S. Patricij pluribus agit disputatq; Colganus Append. 5 cap. 11 & 12, mirè sollicitus vt diuersas sententias ad concordiam reuocet: nobis facilè esset demonstrare, ad nullum eorum qui nunc sunt Ordinum Religiosorum, ipsum propriè pertinere, nisi breuitati studeremus: & à pluribus meritò coli censeremus. D

& ab hæreticis destruitur.

DE S. GERTRUDE VIRGINE

ABBATISSA NIVELLENSI IN BRABANTIA,

Commentarius præuius.

§ I Cultus Sacer: templa dicata: translatio corporis, Reliquiæ aliis in locis.

ANNO DCLXIV XVII MARTII. Niuellæ

1 

FRancorum antiquorum originem, sedes priores, & varias migrationes deduximus ad Vitam S. Sigeberti Regis Francorum Austrasiorum Kalendis Februarij § 1, ostendimusque Francos Salios sub Constantio Imperatore, Constantini Magni filio, è Batauiâ migrasse in Romanum solum prope Toxiandriam & Tungros, & B constitutâ sede Regiâ Disbargi, id est Disthemij, ad Demeram fluuium, habuisse ad meridionalem plagam sibi vicinos Romanos in Brabantiâ Romanâ seu Gallicanâ: cuius præcipua ciuitas est Niuella, in quâ vixit B. Pippinus pater S. Gertrudis, Dux & Maior-domus Regum Austrasiæ, cuius res gestas deduximus XXI Februarij die eius natali, è quibus lux non modica Actis S. Gertrudis hîc dandis accedit. Nata est, hoc parente S. Gertrudis anno Christi DCXXXI, aut sequente: quæ eo moriente anno DCXLVI attigerat annos ætatis quatuordecim, ac deinceps educata est sub sanctâ institutione piissimæ matris B. Ittæ siue Idubergæ, & huius exemplo sacratum velum accepit: præposita postmodum regimini monasterij, ibidem à matre ex directione S. Amandi Episcopi Traiectensis extructi. Est etiamnum Capitulum vtriusque sexus, in quo Canonicæ Virgines nobilissimæ digniorem locum obtinent, dominiumque ciuitatis est penès Abbatissam eiusdem loci. B. Ittâ siue Idubergâ anno DCLVIII defunctâ, superfuit S. Gertrudis vsque ad annum DCLXIV, quo ad cælestem sponsum Christum migrauit XXXIII ætatis suæ anno, die Dominicâ, XVI Kalendas Aprilis, vti ea scribit Auctor Vitæ, qui coràm aderat. Erat ea Dominica secunda Quadragesimæ, cyclo Lunæ XIX, Solis I litteris Dominicalibus GF. quo Pascha celebratum fuit die XXI Aprilis. Quibus characteribus Chronologia à nobis alibi ordinata egregiè stabilitur.

dominium B. Pippini:

quo patre nata S. Gertrudis anno 631 aut seq.

mortua an. 664

Dominicâ 2 Quadragesimæ:

C 2 Nomen S. Gertrudis sacris fastis etiam antiquis, ab auctoribus ætati eius proximis insertum est. Venerabilis Beda, vt genuinum eius Martyrologium MS. indicat, ista scripsit: XVI Kalend. Aprilis. In Scotiâ Nat. Patricij Confessoris. Eodē die obitus S. Gertrudis Virginis. Pro obitu apud alios transitus & natalis legitur. Vsuardus locū indicat: Eodem die monasterio Niuigellâ, S. Gertrudis Virginis. in MS. Niuellensi additur: filiæ Pippini Ducis, cuius præclara gesta habentur. In Martyrol. Rom. legitur istud elogium: Niuigellæ in Brabantiâ S. Gertrudis Virginis, quæ clarissimo genere orta, despiciens mundum, & toto vitæ suæ cursu in omnibus sanctitatis officijs se exercens, Christum sponsum in cælis habere meruit. Alijs elogijs honoratur à Notkero, Maurolyco, Felicio, Galesinio, Canisio, VVitfordo, alijsq; in suis Martyrologijs, Saussaio etiam in Martyrol. Gallicano, Molano in Natalibus Sanctorum Belgij, Miræo in Fastis Belgicis, Gelenio in Fastis Coloniensibus, Ghinio in Natalibus Sanctorum Canonicorum, VVione, Dorganio, Menardo, Bucelino in suis Martyrol. Benedictinis. Die proximè sequenti refertur in MS. Martyrol. S. Cyriaci & MS. Vsuardo Parisiensi S. Germani: quo die Officium Ecclesiasticum sub ritu duplici recitatur apud Canonicos Regulares Lateranenses, quòd dies XVI Martij impediatur festiuo cultu S. Patricij. Gabriel Pennottus in suis ad ea Officia Notationibus arguit Benedictinos, quòd suo S. Gertrudem Ordini adscribant. At proprio suo die colitur S. Gertrudis apud Canonicos Præmonstratenses, & Canonicos Regulares VVindeshemenses, & in Ordine vniuerso Carmelitarum ac ferè per omnes prouincias & diœceses Germanicas à Salisburgensi, Passauiensi & Ratisponensi vsque ad Slesuicensem, Raceburgensem & Caminensem ad mare Balthicum: per Bohemiam etiam & Poloniam: vt non mirum sit, si Treuirenses, Colonienses & aliæ Belgis viciniores prouinciæ eam Officio Ecclesiastico honorent: quod præstant in Belgio Cameracenses, Namurcenses, Leodienses, Louanienses, Antuerpienses, Bruxellenses, Brugenses, & aliæ ijs subiectæ Ecclesiæ, vti Vltraiectina tota prouincia cum sibi subiectis Episcopatibus. In Breuiario etiam Burgensi apud Hispanos præscribitur Commemoratio S. Gertrudis. E

inscripta fastis sacris à Bedâ,

colitur Officio Ecclesiastico apud Canonicos Regulares

in plerisque Ecclesijs Germaniæ, Poloniæ, & Belgij:

3 Extant præterea illustres eius nomini dicatæ ecclesiæ, inter quas prima censeri debet Niuellensis in quâ corpus sanctissimæ Virginis Gertrudis honorificentissimâ in thecâ reclusum detinetur. Louanij etiam est illustris Abbatia nobilium Canonicorum Regularium S. Gertrudis cum annexo templo parochiali; vbi eam festo die honorari ex constitutione Honorij III indicat Molanus. Landis etiam, vbi nata ab aliquibus traditur in celebri quondam Pippini parentis palatio, templum habet & cultum celeberrimum, in quo eius intercessione curationes factas innumerabiles tradit Iosephus Geldolphus à Ryckel Abbas S. Gertrudis Louaniensis in suis elucubrationibus de S. Gertrude paginâ 198 & sequentibus, vbi facilè quadraginta ecclesias, potissimùm in Belgio, enumerat singulari cultu S. Gertrudi sacras. De Gertrudibergâ infrà agemus. Aliquid Reliquiarum sacrarum se possidere gloriantur Sanctimoniales Forstenses prope Bruxellas, vnà cum pedo eius pastorali. At dentem eius piè adseruant Cistercienses monasterij Salsiniensis prope Namurcum: de ossibus sacris eiusdem Virginis habent Præmonstratenses cœnobij Parcensis prope Louanium: vti ea leguntur in Hierogazophylacio Belgico Raissij pag. 222, 402 & 459. Gelenius in Fastis Agrippinensibus istud de S. Gertrude elogium habet: S. Gertrudis Virginis, filiæ B. Pippini Agrippinensium Ducis, quæ Coloniæ sui nominis ecclesiâ & monasterio honoratur: mandibula S. Gertrudis est Coloniæ in ecclesiâ Montis-Mariæ Virginum Carmelitanarum. Idem Gelenius Coloniæ tradit adseruari ossiculum ex manu eius apud Carthusianos; alias Reliquiarū particulas esse in ecclesijs Collegiatis S. Seuerini & S. Mariæ ad Gradus, in parochiali S. Lupi, item apud Benedictinos S. Martini, apud Clarissas, & alias Virgines Conuentuales tertij Ordinis S. Francisci. Verùm non omninò securi sumus esse Reliquias huius Virginis Gertrudis, cùm ex reuelatione S. Elisabethæ Schonaugiensis & B. Hermanni Steinfeldensis, & nominibus ex titulis sepulcralibus & indicibus Ecclesiarum ab Hermanno Crumbachio collectis, inter Virgines & Martyres Vrsulanas plures reperiantur nomine Gertrudis appellatæ. Aliquas S. Gertrudis Virginis Reliquias esse in ecclesiâ Virginis Annuntiatæ extra muros vrbis Bononiensis indicat Masinus in Bononiâ perlustratâ. F

Niuellis corpus, & ecclesia illi dicata:

alibi Reliquiæ in Belgio,

Coloniæ,

& Bononiæ:

4 Præter hunc diem natalem alia sunt festiuitates ad honorem S. Gertrudis institutæ: inter quas ad diem secundam Decembris Niuellæ consecratio S. Gertrudis Virginis refertur ex proprio loci Martyrologio apud Molanum in Additionibus ad Vsuardum & in Indiculo ac Natalibus Sanctorum Belgij: quod pridem antè obseruarat auctor MS. Horarij Canonicus Regularis his verbis: Eodem die consecratio

Cōsecratio S. Gertrudis 2 Decemb.

cratio

A cratio seu velatio S. Gertrudis Virginis Niuellensis de stirpe Carolidarum, facta à B. Amando Traiectensi Episcopo & Confessore anno salutis DCL. *Meminerunt eiusdem consecrationis Canisius in Martyrologio Germanico, Saussaius in Gallicano & alij in monasticis. Alia solennitas celebratur X Februarij ob corporis beatissimæ Gertrudis eleuationem, de quâ citatus auctor MS. Florarij ista habet:* Apud Niuellam oppidum Brabantiæ Translatio S. Gertrudis Virginis, filiæ Pippini primi Ducis Brabantiæ & Depositio in loco celebriori. *De Ducatu B. Pippini actum est ad huius Vitam XXI Februarij. At dicta* Translatio S. Gertrudis *antiquâ manu adscripta legitur MS. Adoni monasterij Leodiensis ad S. Laurentium: inserta eiusdem memoria MS. Martyrol. Coloniensi S. Mariæ ad Gradus, in quâ ecclesiâ aliquam Reliquiarum particulam adseruari diximus. Meminerunt dictæ* Eleuationis *Greuenus & Molanus in Auctario Vsuardi, Canisius, Saussaius & Martyrologi monastici. Præterea* tertio Calendas Iunij Translatio in nouum feretrum anno MCCXCVIII notatur *apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij. At IV Idus Aprilis celebratur* Translatio secunda *ab Hermanno Greuen in Auctario Vsuardi, Canisio & disertiùs in MS. Florario.*

corporis eleuatio 10 Febr.

translatio 30 Maij & 10 Aprilis.

§ II *Vita S. Gertrudis à varijs scripta.*

B

5 *Vitam S. Gertrudis scripsit auctor coæuus & domesticus, ac testis plurium rerum oculatus, qui tempore S. Gertrudis in eius monasterio vixit Clericus seu Canonicus, & quantùm conijcere licet, Sacerdos. Hinc in Prologo asserit* se scribendo conari intimare, quod vidit vel per idoneos testes audiuit. *Dein num. 8 testatur*, cùm S. Gertrudis reddidisset spiritum, se & alium Fratrem, Rinchinum nomine, fuisse euocatos propter consolationem Sororum *seu sanctimonialium, &* suauissimum odorem *tum, & inde* digressos sensisse. *Et sub finem ista addit:* Ne cui hoc incredibile fortasse videatur, testem Deum inuoco, quòd oculis meis vidi, & per idoneos testes didici hoc quod scripsi. *Vitam hanc damus, ex codice MS. monasterij Vallis-Lucentis, Ordinis Cisterciensis in diœcesi Senonensi, nobis transmissam à Petro Francisco Chiffletio Societatis nostræ: eamque contulimus cum apographo nostro, olim ex alio codice MS. exaratam, in quâ sub finem nonnulla subnectuntur. Habuit Surius similem codicem, in quo, nisi ipse omiserit, defuit vltimum miraculum. Ceterùm asserit se stylum mutasse, & miracula summatim edidisse. Hanc primam S. Gertrudis Vitam alius quoque interpolauit, & meliore phrasi conatus est polire, quam habuimus ex MS. Louaniensi Abbatiæ S. Gertrudis: verùm eam omittimus, iam editam à dicti monasterij Abbate Iosepho Geldolpho à Ryckel.*

Vita ab oculato teste scripta,

ex MS. editur:

à Surio polita & contracta, ab alijs aucta & sæpius mutata.

C *Huic non admodùm dissimilis est aliqua à nobis descripta ex MS. Codice Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ cui alius præfixus Prologus, & sub finem duo miracula subnectuntur, quæ in Appendice inde damus. Eadem habentur in codice Monasteriensi Bernardi Rottendorfi elegantiori stylo amplificata.*

6 *Alia Vita, tribus libris distincta, est in codicibus MSS. Treuirensi S. Maximini, Vltraiectino S. Saluatoris, monasterij Bonifontis in diœcesi Remensi, Canonicorum Regularium S. Pauli, & duplici MS. Rubeæ-Vallis in siluâ Soniâ prope Bruxellas. Auctor hic fatetur in Prologo se hanc Vitam potissimùm conscribere,* secundùm quod veracissimâ ac fidelissimâ narratione, licet inculto sermone nobis tradidit qui vitam & virtutes eius oculis suis vidit, quique sacris exequijs, dum diuinus odor totam in cellam sese diffunderet, præsens interfuit. *Dum verò lib. 2 de diffuso diuino odore in eius obitu agit, ista addit:* Frater ille, quem tunc percunctatus est Rinchinus, Vitam Virginis, quam oculis suis viderat, simplici ac rustico stylo, sed veraci sermone postea conscripsit. Ex quo susceptam materiam nostrâ narratione formare, & sanctarum Virginum caritati tradere curauimus. *Constitueramus nos hanc Vitam in tres libros distinctam dare, & vel ideò suis animaduersionibus illustraueramus: verùm vidimus auctorem eum non satis solidis principijs inniti, dum alia ex priore Vitâ non excerpta adiungit: vti est fuga S. Gertrudis in Franciam Orientalem, quam infrà merissimam fabellam esse demonstrabimus. Dein liber primus vix spectat ad S. Gertrudem, sed ad gesta aliorum ex eius familiâ. Ex hoc edidimus XXI Februarij quæ ad B. Pippinum patrem spectant, edituri ad VIII Maij Vitam B. Ittæ siue Idubergæ matris, & XVIII Decembris Acta S. Beggæ Sororis, ex quâ eiusque marito Ansigiso prognati sunt Pippinus Herstallius, Carolus Martellus, Pippinus Rex, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, & huius posteri, quos enumerare non est ausus auctor, ne* propter tot Carolos, Carlomannos, Lotharios, Pippinos, Ludouicos, oriatur ex similitudine nominum confusio. *Vnde colligimus auctorem vixisse, cùm regnum Francorum è familiâ Carolingicâ iam pridem defecisset: & ex alijs familijs regnarent in Germaniâ Imperatores, & in Gallijs Reges: forsan seculo XI aut XII. quando Vita S. Lamberti, Bauonis & aliorum in Belgio sunt ineptè reformatæ & interpolatæ. Remittimus autem curiosum lectorem ad Iosephum Geldolphum à Ryckel Abbatem S. Gertrudis Louanij, qui hanc Vitam typis Louaniensibus anno MDCXXXII vulgauit, monemusque eo ordine scriptam esse, prout paginâ 162 indicatur. Ex hac Vitâ longiore contracta est illa, quæ in secundâ parte Legendæ, anno 1483 Coloniæ & 1485 Louanij excusâ, extat, cum eadem fugâ in Franciam Orientalem: quæ etiam legitur nonnullis Martyrologijs & Breuiarijs inserta. Habemus etiam Sermonem de laudibus S. Gertrudis Virginis descriptum ex primâ parte Hagiologij Brabantinorum, adseruatâ in bibliothecâ Rubeæ-Vallis, quem etiam reperimus in secundâ parte diuersarum Legendarum cœnobij Corsendoncani itidem Canonicorum Regularium prope Turnhoutum. Sententia ex sacrâ Scripturâ præponitur ista Tobiæ 3.* Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentiâ, *ac dein ita incipit:* Secretum Regis celare bonum est, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est. *Quæ indicasse sufficit. At damus ex eisdem codicibus Historiam Reliquiarum S. Gertrudis examinatarum, & trium illustrium miraculorum, & Appendicem secundam appellamus.*

Alia 3 libris distincta,

præcipuâ materiâ ex priore sumptâ.

D

& Louanij excusa dimittitur.

E

alia Vita hinc contracta:

Sermo de S. Gertrude.

historia Reliquiarum & miracula:

7 *Theodericus Abbas S. Trudonis, in Vitâ S. Bauonis ad Kalendas Octobris illustrandâ, scribit* S. Bauonis animam felicem in ipsâ exitus sui horâ apparuisse longè manenti in monasterio Niuellensi sanctæ Virgini Gertrudi, vt mitteret linteamina condendo funeri necessaria. *Verùm quia Theodericus mortem S. Bauonis asserit contigisse anno DCXXXI, quo solum anno aut sequente nata est S. Gertrudis, res suspecta foret, nisi aliunde constaret Theodericum in annis Christi, & certis Imperatoribus ac Pontificibus adiungendis planè aberrasse. Certè ad Vitam S. Amandi 6 Februarij § 13 ostendimus S. Bauonem mortuum esse anno DCLVII, & consequenter natum esse sub initium illius seculi VII, non verò anno DLXXVIII, vt ex Theoderico deducit Carolus le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad dictum annum num. 6 & 7. Diximus præterea § 8 ad Vitam S. Amandi num. 59* Ottonem primum Imperatorem, *diplomate anno DCCCCLXVI dato, confirmasse* Niuellensibus hæreditatem S. Gertrudis, sitam in pago Tessandriâ, super fluuio Struonâ, in villâ quæ dicitur Bergom: *Hilsundem etiam Comitissam Striensem, diplomate anno DCCCCXCII signato, pro monasterij Thorensis ad Mosam fundatione* donasse ecclesiam de Stryen, quæ est consecrata in honore Mariæ Virginis; Montem-littoris, vbi beatissima Gertrudis corporaliter conuersata est, & cellam habet à S. Amando consecratam. *Est dictum* Bergom *seu* Mons-littoris, *nunc* Berga *seu* Mons-S. Gertrudis, *oppidum prouinciæ Hollandiæ, in vlteriori versus Brabantiam ripâ haud procul Bredâ situm, olim Traiectensis, dein Leodiensis, nunc Siluæducensis diœcesis: nec procul inde vltra fretum Bisbossium est etiamnum regiuncula* Strien.

S. Bauo à morte apparet S. Gertrudi.

F

huius apud Gertrudibergenses habitatio:

8 *Aliud extat oppidum,* Fossa *dictum, Niuellensibus vltra Sabim fluuium supra Namurcum, nunc iurisdictionis Leodiensis, olim à S. Gertrude donatū SS. Foillano & Vltano fratribus, vti lib. 2 posterioris Vitæ apud Geldolfum indicatur, & in Vitâ antiquâ S. Foillani, quam ex pluribus MSS. sumus daturi*

A *daturi ad* XXXI *Octobris. Pauca ex hac lectori proponimus, & sunt ista:* Erant ibidem multæ in fæmineo sexu nomen Domini benedicentes: inter quas lucebat sancta Virgo Gertrudis Niuellensis, velut inter stellas luna minores. Quæ comperiens Foillanum esse Episcopum, moribus sanctissimum, benignâ eum familiaritate percoluit, præbens sibi suoque fratri Vltano quæcumque carnis necessitas exigebat. Porrò ipsa quotidie à B. Foillano reficiebatur spiritualibus cibis, & tandem, consultâ matre Idubergâ, B. Gertrudis tradidit S. Foillano de rebus proprietatis suæ locum, quem indigenæ Fossas vocant, iure perpetuo: vbi Sanctus construxit ecclesiam, & Fratrum per cellas habitationem distinxit: quorum curam fratri suo Vltano committens, ad B. Gertrudem reuersus est. *Philippus ab Eleemosynis Abbas Bonæ Spei pluribus eadem deducit, quæ apud eum videri possunt. Extant & varij hymni & alia Cantica in varijs Breuiarijs, & apud Geldolphum à Ryckel, quæ curiosus Lector poterit ibi habere.*

oppidũ Fossense datũ SS. Foillano & Vltano.

VITA

auctore Coæuo, Clerico aut Presbytero domestico

ex varijs MSS.

a PROLOGVS.

a

1 SAnctâ & inseparabili caritate largiente credimus, atque inuiolatâ ac stabili fide tenemus, quòd desiderantes cælestis patriæ viam tenere, & terrena lucra funditus relinquere, ad æterna præmia obtinenda valent adiuuari; si de vitâ vel conuersatione Sanctorum Sanctarumque Christi Virginum ad ædificationem vel profectum proximorum veraciter aliqua, licet pauca, scribendo aut prædicando studeo commonere. quatenus Sanctorum sanctarumque Virginum præcedentium exempla cordis nostri tenebras flammâ caritatis & ardore sanctæ compunctionis valeant illuminare. Propterea omnium opifice Spiritu sancto adiuuante, de beatissimæ Virginis atque Christi famulæ matris Gertrudis vitâ & conuersatione, quâ secundùm Deum & disciplinam regulariter vixit sub axe cæli, iuxta id quod vel vidimus vel per idoneos testes audiuimus, adiuuante Christo, atque sacrâ puellâ b Dominicâ Abbatissâ, ac sanctâ congregatione Niuialensis monasterij (vbi sancta Virgo præesse videbatur) postulante, scribendo conabor caritati vestræ intimare. c Sed quo ordine de terrenâ origine genealogiã assumpserit, huic sermoni inserere longũ est. Quisnam autẽ in d Europâ habitans huius progeniei altitudinem, nomina ignorat, & loca?

Proponitur Vita ad imitationẽ.

C

b

c

d

a *In MS. Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ hic Prologus præponitur:* De vitâ & cõuersatione beatæ Virginis Gertrudis non ad plenum (non enim sufficimus) sed pro posse, vt vel ipsi vidimus vel testibus idoneis referentibus audiuimus, aliqua scribere, Domino Iesu Christo primùm adiuuante, deinde venerabili puellâ Dominicâ Niuialensis monasterij Abbatissâ adhortante, acquieuimus: primúmque quo ordine de propagine sibi sanguinis lineam traxerit, licet tota hoc Europa nõ ignorauerit, paucis aperire non inutile erit. *Alius Prologus præfixus est longiori Vitæ apud Rickelium, isq; auctus in MS. Rubeæ-Vallis.*

alius prologus:

b *An Domina Abbatissâ, scilicet Agnete, de cuius obitu nihil dixit.*

c *Sequentia desunt in MS. & editione Louaniensi: quibus ista substituuntur, uti etiam in MS. Reginæ Sueciæ.* Pippinus quondam Karolomanni Principis filius (qui cum B. Arnulpho sub Chlothario & Dagoberto Regibus populum, inter Carbonariam siluam & fluuios Mosam & Mosellam vsque ad Fresonum fines vastis limitibus habitantem, iustis legibus gubernauit) beatæ Virginis pater; mater verò * Itta extitit. D Habuit fratrem Grimoaldum, qui, adiutorio S. Cuniberti Coloniensis Episcopi, patri sub Sigeberto Rege in Principatum successit. Fuit ei soror, nomine Begga, quæ Ansigiso Duci, filio Arnulphi, nupsit: quorum filius Pippinus extitit Princeps. Fuerunt ei & agnatione propinquæ Virgines Aldegundis & Waldetrudis, & alij plures eius temporis viri ac mulieres, non solùm consanguinitate, sed & propositi & religionis conuersatione: quos, quia hic ad vitam sacræ Virginis describendam festinamus, supersedemus scribere. *Eadem sed aliâ phrasi continentur in MS. Rottendorfij. Sunt priora de duobus Pippinis desumpta ex Annalibus Metensibus. Consule de eo edita 21 Februarij. Acta varia S. Aldegundis dedimus 30 Ianuarij: sed absque mentione huius agnationis. Fuit eius soror S. VValdetrudis, coniugata S. Vincentio, eiq; quatuor liberos genuit. An quia fundatrix Canonicarum Montibus, atque inter eas vixit, hîc Virgo, id est sanctimonialis dicta? Eadem ferè lib. 1 prolixioris Vitæ omisso nomine* Virginum *habentur.*

inserta de familiâ S. Gertrudis

** MS. Reg. Ittaberga.*

d *In Vitâ S. Theodardi Episc. Traiectensis 10 Septemb. ista leguntur:* Ecquid verò opus est prædicare nobilitatem Gertrudis Niuellensis, cuius nominis gloria est diffusior quàm tota Gallia.

CAPVT I

Pia S. Gertrudis educatio: vita sanctè peracta.

2 IGitur cùm esset in domo parentum sancta Dei puella Gertrudis, secus pedes beatæ memoriæ genitricis suæ Ittæ, die ac nocte a verbo & sapientiâ meditabatur, Deoque cara & hominibus amata, super suas coætaneas crescebat. Hoc primum electionis suæ in Christi seruitio initium fuit, sicut per iustum & veracem hominem comperimus, qui præsens ibi aderat: quia dum Pippinus genitor suus Regem Dagobertum in domo suâ ad nobile prandium inuitasset; aduenit ibidem vnus pestifer homo, filius Ducis Austrasiorum, qui à Rege & à parentibus puellæ postulauit vt sibi ipsa puella in matrimonium b fuisset promissa secundùm morem seculi. Propter terrenam ambitionem & mutuam amicitiam placuit Regi; & patri puellæ suasit, vt in suâ præsentiâ illa cum matre fuisset euocata. Illis autem ignorantibus propter quam caussam Rex vocaret c infantem, interrogatur inter epulas à Rege, si illum puerum auro fabricatum, sericis indutum, voluisset habere sponsum. Illa autem quasi furore repleta, respuit illum cum iuramento, & dixit: Quia nec illum nec alium terrenum nisi Christum Dominum volo habere sponsum, ita vt ipse Rex & Proceres eius valdè mirarentur super his quæ à paruâ puellâ ex Dei iussione dicta erant. Ille verò puer recessit confusus, iracundiâ plenus. Sancta autem puella ad suam se conuertit genetricem: & ex illâ die parentes eius cognouerunt à quali Rege adamata fuerat. F

a Sub S. Ittâ matre piè educatur:

b sponsum à Rege Dagoberto oblatũ respuit:

c

Christo adhæret:

3 Post annos verò d quatuordecim cùm pater eius Pippinus de hac luce migrasset, matrem in viduitate secuta est, eique in obsequio atque in Dei mandatis sobriè & castè e seruiebat. Cúmq; quotidie supradicta materfamilias tam de se quàm de suâ orphanâ filiâ, quid esset factura, cogitaret; adueniens vir Dei f Amãdus Episcopus ad domum suam, verbum Dei prædicans ex Domini iussione, rogabat; vt monasterium sibi suæq; filiæ Dei famulæ Gertrudi & Christi familiæ construeret: quæ statim vt intellexit ignotæ rei notitiam ad salutem animarum pertinentem, sacrum velamen accepit, & semet ipsam Deo tradidit, & omnia quæ habebat. Sed hostis humani generis & instigator, qui ab initio bonis operibus inuidus est ad resistendum, prauorum corda firmabat, vt ab his, qui ad Dei voluntatem faciendam eam adiuuare debuerant, non paruam sustineret tentationem. Quales iniurias vel ignobilitates, & penurias pro nomine Christi supradicta famula Dei cum filiâ suâ perpessa est, scribere longum est, si per singula narrentur. Sed hoc tantùm, quod ob deuotionem

d post obitum patris in sanctimonialem à S. Amando sacrata,

e f

A uotionem & desiderium quod habebat in se diuinum, vt violatores animarum filiam suam ad illecebras huius mundi ac voluptates per vim non raperent, ferrum tonsoris arripuit, & capillos sanctæ puellæ adinstar coronæ abscidit. Sancta autem famula Christi Gertrudis agens Deo gratias, gaudebat eò quòd meruisset in hac breui vitâ pro Christo in capite coronam accipere, vt illic perpetuam coronam, corporis & animæ integritate, digna esset habere. Deinde misericors Deus & adiutor in tribulationibus, ipsos aduersarios ad pacis concordiam reuocauit. Cessarunt iurgia, pars diaboli victa est. Mater verò familias Itta, filiam suam Dei electam Gertrudem Sacerdotibus Domini tradidit ad accipiendum sacrum velamen cum sodalibus suis, & sancto gregi cœnobitarum Christo ordinante præesse constituit. Namque habebat ipsa Virgo magnam morum continentiam: mentis sobrietate, verborum moderatione senilem antecedēs ætatem. Erat autem caritate prædita, vultu pulcra, sed pulcrior mente: castitate integra, eleemosynis larga, ieiunijs & orationibus dedita, curis pauperum ac peregrinorum prouida, infirmis ac senibus pia, iuuenibus verò in disciplinâ extitit strenua, erga ecclesiastica vasa summo studio pastoralem habebat curam. Et per suos nuntios, boni testimonij viros, Sanctorum patrocinia vel sancta volumina de vrbe Româ & de transmarinis regionibus *g* gnaros homines ascibat ad docendum diuinæ legis carmina, vt sibi & suis quid esset meditandum, Deo inspirante, meruisset habere.

à matre sanctè censeruatur. *sacrum velamen accipit:* *virtutibus adornata:* B *g*

4 His itaque omnibus iuxta diuinum ordinem dispositis, plena dierum & perfectâ ætate, exemplum boni operis posteris relinquens, soboles *h* habens & ex eis videns nepotes, plùs minùs *i* sexagesimo ætatis suæ anno memoriæ beatæ Itta, post obitum viri clarissimi Pippini Domini sui anno *k* duodecimo, Deo & Angelis spiritum commendans, migrauit ad Dominum, & in Niuiallâ monasterio sub tegmine B. Petri Apostoli honorificè traditur sepulturæ. Cùm ergo beata famula Dei Gertrudis, matre defunctâ, omne onus regiminis super se solâ suscepisset; infra se cogitabat de cælesti contemplatione, quam sibi sine secularium strepitu habere *l* optauerat. Bonis ac fidelibus dispensatoribus foris de Fratribus, infra verò septa monasterij spiritualibus Sororibus curam familiarem commendauit: quatenus diebus ac noctibus in agone sancto vigilijs ac orationibus sanctis, lectionibus & ieiunijs contra spirituales nequitias potuisset dimicare, C ita exitus rei patuit in illâ, vt penè omnem bibliothecam diuinæ legis memoriæ reconderet, & obscura allegoriæ mysteria Spiritu sancto reuelante apertè auditoribus aperiret. Item Sanctorum ecclesias & alia præcipua ædificia ex fundamentis construxit: & orphanis, viduis, captiuis, peregrinis, alimoniam quotidianam cum omni largitate ministrauit.

matre defunctâ *h* *i* *k* *onus cum alijs partitur,* *l* *exercitiis sacris vacat.*

5 Nec prætereundum est, vt arbitror, quod ipsa Dei famula quasi pauore perterrita, nobis narrauit. Cùm ad altare S. Sixti Martyris orationis caussâ stetisset, vidit super se descendentem sphæram flammeam perlucidam, ita vt tota basilica illius claritate fuisset illustrata, quasi horâ dimidiâ: paullatimque recessit vnde venerat: & posteà cernentibus alijs Sororibus iterum super ipsam apparuit eo modo. Quid istius lucis manifestatio indicabat, nisi veri luminis visitationem, quod omnem Sanctum pro se & omnibus fidelibus in Christo orantem illuminat?

6 Quadam autem die periclitantibus missis in mari, eiusdem beatæ memoriæ Gertrudis commemoratio ad vitam opportunè succurrit. Dum pro vtilitate monasterij in pelago cum tranquillitate nauigarent, longè apparuit quasi nauis miræ magnitudinis veniens ex latere. Cùm autem appropinquasset, leuauit se magna tempestas, & mare ingentibus fluctibus tumescebat. Et ecce magna & terribilis bellua quasi iactus fundæ ipsis missis apparuit: cuius non totum, sed ex parte, dorsum viderunt. Et nautæ tremefacti, de vitâ nihil sperantes, suis votum vouerunt idolis: ipsi autem missi nomen Domini inuocantes, illam nouissimam horam sperauerunt. Et exclamauit vnus de nostris, qui adhuc viuit, & dixit ter: Gertrudis adiuua nos, sicut promisisti. Certè qui vidit & audiuit, testis fuit: *m* tertio illo verbum repetente, cetus abyssum petiuit, & illi cum lætitiâ & tranquillitate eâ nocte portum obtinuerunt: ita per orationem ancillæ suæ pauperes suos Christus liberare dignatus est à morte.

D *AVCTORE COÆVO EX MSS.* *m*

a *Surius edidit*: Verbi Dei sapientiam meditabatur.

b *Apographum nostrum*: iungeretur secundùm seculi dignitatem. *Addit Surius*: Et iucundus fuit Regi hic sermo.

c *Decem circiter annorum. Certè moriente Rege Dagoberto anno 644 erat 12 annorum, nata anno 632.*

d *Scilicet à natiuitate. Surius ita mutauit*: Elapsis inde annis quatuordecim: *vbi τὸ* inde *videtur referri ad alloquium Regis. Mortuus est B. Pippinus anno 646.*

e *MS. Vallis-Lucensis*, perseuerabat.

f *Eadem diximus in Vitâ S. Amandi, qui tunc præerat Ecclesiæ Traiectensi, sub quâ erat Niuella: & adduximus Vitam S. Modoaldi Episcopi Treuirensis fratris S. Iduberga. Consule § 8 & 11.*

g *In MS. & edit. Louan. & MS. Reg. Sueciæ additur*, & gente Scotorum. *In Vitâ polixiore nominantur* SS. Foillanus *&* Vltanus.

E

h *Ex Grimoaldo fratre vidit Childebertum, dein Regem Austrasiorum: ex S. Begga potuit etiam vidisse liberos: & forsan Pippinum dein Principem. De nepte Vulfedrude infrà agetur.*

i *In MSS. Reg. Suec. & Louan.* Compleuit annos ætatis sexaginta.

k *Ibidem*: Vixerat post obitum illustris viri . . . . annos duodecim, *ergo obijt anno 658. Dies eius natalis est* VIII *Maij.*

l *In apographo nostro*, hortata fuerat.

m *In eodem additur*, illi qui hæc scripsit. *Surius sic mutauit.* Hæc quidem nos ab illo habemus, qui præsens interfuit.

CAPVT II.

Præparatio ad mortem, felix obitus, sepultura.

7 POst aliquos annos cùm ex caussâ nimiæ abstinentiæ & vigiliarum custodiâ, eius corpusculum magnâ ægritudine grauiter fatigaretur; per reuelationem diuinam beata Virgo Gertrudis cognouit, quòd suus de hac luce appropinquasset transitus. Cum consilio ergo seruorum Dei vel ancillarū, omnem honorē & honoris vocabulum vel curam pastorale, quā erga gregem Christi corporaliter habebat, [nihil curās] nisi sola spiritualia propter Christi amorem, funditus dereliquit: & *a* neptem suam, secus pedes eius à cunabulis sub sanctæ Regulæ normâ sacris litteris imbutam & nutritam, nomine *b* Vulfedrudem, in vices suas coactam, constituit regere gregem Dei & pauperibus ministrare. Tunc & ipsa sacrata puella Vulfedrudis vigesimum ætatis annum habebat: quę ex antiquo Francorum genere claro & ipsa edita fuit. Erat autem vultu serena, familiæ cara, lenis subditis, dura superbis, pauperibus larga, parentibus pia, eloquio blanda, caritate erga Deum & proximum feruens, & continentiâ permansit pura. Contigit autem ex odio *c* paterno, vt *d* Reges, Reginæ, & etiam Sacerdotes per inuidiam diaboli illam de loco suo, primùm per suasionem, postmodùm vellent per vim trahere, vt res Dei, quibus benedicta puella præerat, iniquiter possiderent. Sed Domini misericordiâ & Sanctorum orationibus protecta, omnibus suis aduersarijs Christus cui se ancillam deuouit miro modo restitit, & ita ei Deus gratiam suam contulit, vt qui anteà per cupiditatem raptores atque accusatores extiterant, posteà largitate & beneficijs extiterint defensores. Omnibus itaque benè dispositis, & Christi ecclesijs restauratis, decimo deinde & primo anno, ex quo creditum sibi suscepit regere gregem, per quinquaginta & plus dies grassante languore lectulo detinetur, solito more per pauperes & egenos largas eleēmosynas tribuens, omnibus secundùm

Præuidet obitum suū. *a* F *b* *substituit sibi in regimine Vulfedrudem neptem,* *c* *d*

A secundùm Euangelium debita remisit, ab omnibus pacem ac benedictionem recepit. Inter spirituales Dei ancillas fide & spe in Christo fiducialiter sperans, trigesimo ætatis suæ anno lætum emisit spiritum sub die nono Calendarum Decembrium, & in gremio basilicæ B. Petri Apostoli cum summâ diligentiâ marmoreo tegitur *e* tumulo, vbi Sanctorum omnium resurrectionis expectat diem.

AVCTORE COÆVO EX MS.

8 Vnde digressi sumus, ad id reuertamur. Beata igitur famula Dei Gertrudis postquàm vinculum *f* honoris de suâ conscientiâ relaxauit; quasi trium mensium spatio indesinenter orando, exhortando suisque verbum Domini prædicando, loqui non cessauit: spe gaudens, in tribulatione patiens, mente inuictâ, vultu serena, transitus sui extremum adesse optabat diem. De carcere ad regnum, de tenebris ad lucem, de morte festinabat ad vitam: & cùm solo in mundo hîc esset corpore, quotidiè animo ad æterna transire cupiebat. Virtutibus proficiebat, continuis orationibus, afflictioni, abstinentiæ singulariter seruiebat. Addidit etiam asperam vestem cilicinam & occultè suum induit corpusculum: ne vllam in hac vitâ haberet suauitatem refrigerij, nisi vbi fulgebunt Sancti sicut Sol in regno Patris eorum. Cumque ad diem peruenit extremum, B ita decreuit vt in ipso sepulturæ loco nullum laneum, nec lineum vestimentum super se mitterent, præter vnum velum vile multùm (quod quædam peregrina sanctimonialis ante dies plures illi pro benedictione direxerat) ad caput cooperiendum, & ipsum cilicium in sepulcro, vbi in pace quiescit: nulloque alio velamine cooperitur, exceptis his duobus, cilicio quo induta fuerat, & panno vetere quo ipsum cilicium tegebatur. Dicebat autem quod res superflua nihil morientes nec viuentes adiuuare posset: quod verum esse sapientes testantur. Deinde cùm appropinquaret dies assumptionis animæ illius, vocauit vnum de Fratribus, & præcepit ei dicens: Vade festinanter ad illum peregrinum, qui nomine vocatur *g* Vltanus, qui est remotus in monasterio quod appellatur *h* Fossuense, & dic ad illum: Virgo Christi Gertrudis misit me ad te, interrogare quali die migratura sit de hac luce, quia valdè se timere dicit, similiterque congaudet. Et ille tibi dicturus est, quid debeas renuntiare mihi. Vade, noli dubitare. Mox ille impletâ iussione, quod ei fuerat mandatum interrogauit. At ille seruus Dei Vltanus sine morâ ipsi misso responsum dedit, & dixit: Hodie decimus sextus Calendas Aprilis est dies. Crastino autem die inter Missarum solennia illa Dei ancilla & Christi virgo Gertrudis de corpore est migratura. Et dic ei, vt non timeat neque trepidet de obitu C suo, sed læta pergat: quia B. Patricius Episcopus cum electis Angelis Dei & cum ingenti gloriâ parati sunt eam recipere. Vade & tu velociter. Interrogauit autem eum ille Frater, qui fuerat transmissus si hanc caussam per reuelationem diuinam vidisset, vt ei per ordinem indicaret. Et ille seruus Dei Vltanus in responso dixit: Vade & tu Frater festinans, scias hoc quod die crastinâ migratura sit ad Dominum. Quid me plus interrogas? Qui reuersus nuntiauit famulæ Christi, quod fuerat dictum ad eum. At illa quasi ex somno euigilans, hilarem præ gaudio reddidit vultum, gratias agens Deo eò quòd per suum seruum suam ancillam dignatus sit consolari. Ita de promissione suâ læta permansit, vt per totam noctem cum Sororibus in psalmis & orationibus duceret vigiliam *i*. Crastinâ autem die *k* Dominicâ, horâ quasi sextâ, iuxta viri Dei verbû, sacratissimum Christi corporis & Sanguinis viaticum accepit. Et quando Sacerdos Dominicam secretam sententiam habuit finitam, tricesimo & tertio ætatis suæ anno, sub die sextodecimo Calendas Aprilis, agens Creatori suo gratias, qui sine corruptione eam ad suum dignatus est vocare regnum, Deo desideratum reddidit spiritum. Dum ibidem ego & alius Frater, Rinchinus nomine, fuissemus euocati propter Sororum consolationem, vocauit me ille seruus Dei ex nomine Richinus, & dixit: Sentisne aliquid? Ego autem respondi: Non, nisi Sorores in grandi mœrore video. Cùm hæc dixissem, venit suauissimus odor: & quasi fragrantiâ vnguentorum mixtâ redolebat illa cellula, vbi sanctum corpus iacebat. Et nos inde digressi, in naribus nostris adhuc illius miri odoris suauitatem sentiebamus. Quia omnia honorificè, quæ circa corpus eius agebantur, olim sibi præparauerat; cum diuinis laudibus à Sacerdotibus & Dei ancillis corpus beatissimæ Virginis Christi Gertrudis honorificè traditur sepulturæ, vbi quotidie orationum eius præstantur beneficia. D

præparat se ad felicem mortem: — *petit vilem sepulturã:* — *misso aliquo ad S. Vltanum,* — *intelligit obitus sui diẽ & horam:* — *accepto viatico obit.* — *fuent odoramenta:* — *sepelitur.*

a *Grimoaldi fratris filiam, hinc eius* amita *dicitur apud Niuellenses, vt Raissius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 233 *eam vocat.*

b Vulfedrudis, *alijs* Wulfetrudis, Wolfedrudis, Wilfetrudis. *Vulfedrudis*

c *Quia Grimoaldus post mortem S. Sigeberti, ablegato in Hiberniam filio Dagoberto, filium suum Childebertum intruserat. Consule Diatribam nostram de 3 Dagobertis lib 2 cap. 2.* *caussa odij erga eam.*

d *Reges Chlotharius 3 & Childericus fratres, Regina S. Bathildis horum Mater, & Immechilda vidua S. Sigeberti vt constat ex relatis dicto cap. 2.*

e *Eius corpus ibidem adhuc adseruari scribit antè citatus Raissius,* E

f *Apographum nostrum,* oneris.

g *Colitur S. Vltanus frater S.* Foillani *& Fursei 1 Maij.*

h *Fossa à S. Gertrude donata SS. Foillano & Vltano, nunc iurisdictionis Leodiensis oppidum, Niuellensibus vltra Sabim supra Namurcum leucarum circiter sex spatio distans.* *Fossa oppidũ*

i *In Vitâ longiore inseritur adhortatio ad Sanctimoniales.*

k *Dominica 2 Quadragesimæ anno 664, vt suprà probatum est.*

CAPVT III

Miracula priora S. Gertrudis, tempore Vulfedrudis Abbatissæ facta.

9 CVm multos homines cernamus in hoc seculo viuentes vitam Angelicam ducere, vnde hoc fieri potest, nisi quia, quamuis corporaliter hîc apud homines viuant quamdiu in corpore subsistunt, tamen eorum mens & conscientia in æternitate solidatur, & cor ipsorum in contemplatione diuinitatis inceſſabiliter occupatur. Ita & hæc famula Christi Gertrudis: cuius vitam vel conuersationem à primæuo iuuentutis æuo conscripsimus, quamuis hîc carnaliter apud mortales conuersata fuisset, & gubernatrix extiterit famulorum famularumque Christi, quæ sub ditione suâ degerunt, tamen interiorem vitam ac perpetuam numquàm in obliuionem tradidit, nec statum rectitudinis suæ, nec morum grauitatem, nec disciplinam rigoris amisit. Idcircò apud omnipotentem Dominum promeruisse manifestum est, post eius obitum non minimas fieri per ipsam virtutes: quatenùs nunc etiam omnibus innotesceret, qui vitam eius vel abstinentiam corporis agnouerunt, quantùm apud Deum obtinere precibus valeat; cùm virtutes quas Dominus sicut pœnitentium fides exigit, dignatus est ostendere ad sepulcrum eius, aliquas exinde commemorauerimus & ad medium deduxerimus. F

Viuere S. Gertrudem in cælo declarant miracula.

10 Erat quædam *a* Abbatissa in monasterio *b* Treuerensi, cui nomen erat Modesta, & hæc ipsa ab infantiâ suâ Domino consecrata fuerat, similiterque & S. Gertrudi in *c* amicitiâ diuinâ familiariter constricta videbatur. Et quamuis longè positæ longeque disiunctæ inter se fuissent corporaliter, & *d* multis millium spatijs interiacentibus; quod oculorum obtutibus inter se videre nequiuerunt, animo tamen atque in cordis dilectione semper præsentes fuerunt: quia æqualem seruitutis militiam baiularunt, & Domino in sinceritate cordis æqualiter sine dolo seruierunt. Post multum verò temporis spatium contigit hoc, quod volo ad

Apparet ipsâ obitus sui horâ S. Modestæ Abbatissæ:

A ad memoriam vestram narrando reuocare, vt quadam die cùm prædicta Dei famula Modesta in monasterio suo posita orationis causâ in ecclesiam suam intrasset, seipsam ante altare Beatæ Mariæ semper Virginis in orationem prosterneret. Cùm autem finitâ oratione surrexisset, & ipsa vndique circumspiceret, subitò aspexit, viditque ad dextrum latus altaris Sanctam Gertrudem stantem in eodem habitu atque in eadem specie, quâ ipsa formata fuit. Dixitque ad eam, Soror Modesta, certam tene hanc visionem, & sine vllâ ambiguitate scias me hodie in hac eadem horâ absolutam de habitaculo carnis huius. Ego sum Gertrudis, quam multùm dilexisti. Et his dictis, ab oculis aspicientis ablata est. Tunc illa intra se tacitè cogitabat, quid tanta visio debuisset esse. Et in eadē die, de visione illâ nemini indicauit vllum verbum. Cùm autem crastinus aduenisset dies, ciuitatis Episcopus, nomine e Chlodulphus, venit ad monasterium prędictæ Dei famulæ Modestæ. Tum illa inter alia colloquia Dei virgo interrogauit Episcopum de S. Gertrude, in quali habitu vel ordine vel specie ipsa fuisset. At ille statim per ordinem narrauit staturam corporis eius, & speciem decoris eius. Tunc B. Modesta intellexit ex signo, quod ab Episcopo audierat, verum esse, quod ante viderat, & dixit ad eum: Hoc tibi nunc confiteor, quod antè celabam, quòd reuelatum mihi fuit hesterno die horâ quasi sextâ, quia de hac luce ipso die & eadem horâ migrata fuisset. Et posteà totam rem per ordinem pandit Episcopo. Ille autem diem ipsum atque horam consignans prædictus Episcopus Chlodulfus, inuenit ita factum ordinem rei, sicut supradicta priùs indicauerat Abbatissa.

B

11 Post annum autem decimum obitus S. Gertrudis Virginis Christi, in monasterio Niuiallensi ignem exortum fuisse asserunt: vbi ipsa præfuit S. Gertrudis Virgo Christi quamdiu viuens fuit in corpore. Intantùm autem, vt dicunt, erupit flamma vehemens, vt nullus monachorum vel virginum seu virorum ibidem concurrentium vllam spem haberet ad liberandum monasterium de incendio. Ipsæ autem ancillæ Dei, quæ ibidem congregatæ fuerant, foras murum extra monasterium ad vicina loca confugerunt. Tunc vir vnus, cui curam monasterij commendatum fuerat regere, repentè eleuans oculos suos vidit S. Gertrudem stantem in summitate refectorij, in ipsâ specie vel habitu quâ ipsa fuerat, & cum ipso velamine quo erat cooperta semper iactabat flammam de domo. Ille autem vir de tantâ visione non perterritus, sed gaudio magno repletus, suos socios hortabatur, vt constanter agerent. Ipse autem cursu concito ascendit sursum, vt videret exitum rei. Tunc mirum in modum subitò viderunt liberatum monasterium de ipso incendio.

apparens incendium monasterij depellit:

C

12 Alio quoque tempore admonitæ sunt per visionem aliquæ de Sororibus, vt in ipso lecto, vbi S. Gertrudis ancilla Christi post laborem vigiliarum orationumque instantiam solebat fatigata membra componere, nullus hominum vlteriùs requiescere fuisset ausus. Tunc prædicta Dei famula f Domina Abbatissa neptis Sanctæ Gertrudis, quæ secus pedes eius fuerat nutrita, gaudio repleta est, quòd per tanta signorum miracula eam Dominus dignatus sit manifestare. Conuocatâ autem vniuersâ congregatione, ipsum lectulum tulerunt, & portauerunt cum honore magno & Dei laudibus, & deposuerunt eum in basilicâ Sancti Pauli Apostoli: vbi nunc Dominus multa signa atque virtutes ostendere dignatur.

f lectus miraculis clarus defertur in templum S. Pauli:

13 Fuit quædam puella in regione eadem, quam grauissima ægritudo depresserat, vt nullus eam medicus per annos plurimos sanare potuisset. Et ad extremum oculorum suorum lumen amisit, & cæca effecta est. Tunc parentes illius puellæ tulerunt eam & secum duxerunt ad monasterium Niuiallam, vt saltem inuenirent ibi aliquos medicos, qui eam curare potuissent.

sanatur eius attactu ægra & cæca:

D Tunc in ipsâ nocte apparuit ei S. Gertrudis per visum, & dixit ad eam: Puella, noli dubitare, sed crede in Domino Iesu Christo, & vade ad lectum qui est positus in Ecclesiâ beati Pauli Apostoli, vbi Gertrudis requiescere solebat: ibi acceptura eris sanitatem de omni tribulatione, quam in corpore tuo pateris. Ipsa autem puella propter grauitudinem infirmitatis suæ, non potuit ante diem tertium peruenire illuc. Cumque cuncta congregatio in horam tertiam ad opus diuinum consisterent, & opus Dei esset completum, superueniente puellâ, quæ fuerat infirma, tulerunt eam Sacerdotes & adduxerunt ad lectulum, vbi iussa fuerat ambulare. Cumque se in oratione Domino substrauisset, & ad lectum inclinasset, statim aperti sunt oculi eius: & totum corpus, quod antè vulneratum fuerat, ita repentè sanatum est, ac si nihil vnquàm vulneris habuisset. Illa autem Deo gratias agebat, & gaudio magno repleta est: & cum exultatione reuertebatur ad suos parentes.

AVCTORE COIVO EX MSS.

a *Colitur S. Modesta 4 Nouemb. de quâ pluribus egimus in* Dia*tribâ de 3, Dagobertis lib. 2 cap. 12, quòd ea passim credatur S. Irmina filia Dagoberti 2 successisse. Verùm Dagobertus hoc tempore adolescens in Clericum attonsus in Hiberniâ degebat, eò anno præcedente missus.* — *S. Modesta.*

E

b *Mendum irrepsisse in hunc locum dicto cap. 12 ostendimus ac legi debere* in Auendensi monasterio, *quod S. Romaricus in suo Comitatu Auendensi, vtramque Mosellæ exorientis ripam occupante, circa Remiremontium extruxerat sanctimonialibus: neque enim Treuiri monasterium est, sed vrbs complectens varia monasteria.* — *Auendense monasterium.*

c *Habetur passim neptis S. Modoaldi Episcopi Treuirensis, nata Sorore huius, vti S. Gertrudis alterâ sorore Ittâ. Fuissent ergo consobrinæ, & hinc potuit error irrepsisse, vt dicatur in monasterio Treuirensi vixisse. Miro silentio hæc cognatio vbique in huius Vitâ siletur.* — *an cōsobrinæ?*

d *MS. Vallis Lucen.* multis millijs & terrarum spatijs. *Gallicis nimirum leucis minimùm* 60.

e *Est hic S. Chlodulphus Episcopus ciuitatis Metensis, à monasterio in quo S. Modesta degebat ad leucas Gallicas 25 remota: cuius Chlodulphi frater Ansigisus fuit maritus S. Beggæ, sororis S. Gertrudis. Colitur 8 Iunij.* — *S. Chlodulphus.*

f Wulfedrudis, *de quâ actum num. 7. Intrusum ineptè erat loco* Dominæ *nomen* Dominicæ Abbatissæ: *an etiam in Prologo dubitatur.*

CAPVT IV.

Miracula S. Gertrudis post decennium ab obitu patrata.

F

14 His ita gestis, contigit vt prædicta Abbatissa neptis B. Gertrudis Virginis Christi de hac luce a migrasset, quæ post ipsam gubernatrix exstiterat Niuiallensi monasterio. Tunc cuncta familia vnanimiter omnes vnam puellam ex nobili genere ortam sibi elegerunt Abbatissam, cui nomen erat Agnes, quæ & ipsa similiter nutrita fuerat à B. Gertrude. Ipsa autem posteà ædificauit basilicam in honorē Christi Virginis S. Gertrudis. Die verò eadem quâ ecclesia ædificata fuerat, dum lectum fuisset ibidem cum honore portatum, ipsâ nocte omnes Sorores in eadem ecclesiâ cum summâ reuerentiâ solennitates vigiliasque habuerunt. Finitis autem Matutinis, & opere Dei completo, & extinctis lucernis septem, quæ semper in eodem oratorio ardere solebant; manè facto, cùm ipsæ Sorores ad orationem in eamdem ecclesiam intrassent, viderunt omnes lucernas ardentes, quas antè extinctas dimiserant. Vnde factum est, vt diuulgatum esset hoc miraculum per vniuersam regionem illam: & fama exijt de virtutibus ancillæ Christi Gertrudis, vt omnes, qui longè aut propè essent, venientes ibidem ad sepulcrum Virginis Dei, remedium quærerent animarum & corporum simul: & cùm Dei adiutorio omnes, qui illic cum amore diuinitatis auxilium quærebant, sani atque incolumes inde reuertebantur.

a Agnes Abbatissa ecclesiam construit S. Gertrudi: in eam lectus deportatur:

7 lucernæ vltro accenduntur:

agri sanantur:

15 Erat autem quidam vir in his locis vicinis, cuius

A ius vxor cæca effecta est. Tuncque eam vir suus adduxit, vbi sancta Virgo requiescebat ad supradictum monasterium Niuialla. Cùm autem ecclesiam intrassent, & illa stetisset subter vnam lampadem, repentè effundebatur illa candela, vbi ipsa subterstabat, & effudit super pallium quo induta erat. Omnes qui illic aderant,& viderunt hoc miraculum accipientes ex ipsâ guttâ, vnxerunt oculos eius,& statim illuminati sunt oculi mulieris, quæ ante fuerat cæca. In crastinum autem confortata est in fide & spe, in virtutibus sanctæ Virginis Gertrudis,& sana reuersa est cum gaudio domum suam. Quoniam satis longum est per ordinem totum enumerando perstringere, quanta beneficia Deus per eamdem quotidie propter suam misericordiam omnibus ibi confugientibus, & caussam salutis ab eâ postulantibus præstat, pauca de pluribus perstrinximus, qualiter omnes, ibi circumquaque aduenientes, qui nomen eius cum verâ fide inuocant,inde incolumes redire ipsius sanctis precibus merentur quacumque tribulatione oppressi sunt.

A VVCTORE COÆVO EX MSS. cæca illuminatur:

16 Alio quoque tempore dum latrones quemdam puerum comprehendissent, ligauerunt eum, volentes eum in captiuitatem extra patriam venumdare. Cumque diu teneretur astrictus in vinculis, rememorans cum fiduciâ nomen S. Gertrudis, deprecatusque eam vt sibi auxilium impendere dignaretur; statim ceciderunt vincula de manibus eius quibus fuerat colligatus: & cœpit currere, vt se liberaret. Illi autem viri, qui eum vinctum habuerunt, similiter cœperunt currere post ipsum, vt eum comprehenderent, & non potuerunt. Sicque liberatus est puer de manu latronum & inimicorum eius per auxilium S.Gertrudis.

captiuus liberatur: B

17 Iterum autem posteà alio tempore vir quidam in magnis criminibus inuentus fuit, ita vt Dominus eius iusserit eum tenere & in vinculis constringere. Tunc ille infelix in angustiâ positus, & nimio pauore perterritus,quia omnes qui aderant de vitæ huius longitudine nihil sperabant ipse qui erat vinctus confortatus est in spe deprecans sanctam Virginem Christi Gertrudem, vt ei misero auxiliaretur:statimque & in ipso tempore confracta sunt vincula ferrea vnde erat strictus,secumque ipse detulit ad monasterium Niuialla: & omnes portas monasterij, ostiaque ecclesiarum aperta reperit, & ad ipsum sanctum lectum peruenit,ibique liberatus est per virtutem sanctæ Virginis Gertrudis.

alius ob crimina detentus in carcere.

18 Anno autem *b* trigesimo tertio post obitum B. Gertrudis, inspirante Domino,venit in corde suæ germanæ, nomine Begga, vt sibi ipsa vellet monasterium construere *c*. Posteà verò in tali deuotione spirituali venit ad supradictum monasterium Niuialla, postulansque prædictam Abbatissam, simulque omnem congregationem vt ei aliquod adiutorium præberent de caussâ spirituali, vnde maximâ in necessitate habuisset suæ deuotionis initium. Tota autem illa congregatio amantissimo animo susceperunt petitionem eius, quam ipsa postulasset: & dederunt ei Reliquias & libros sanctarum Scripturarum. Similiterque dederunt ei in sancto habitu seniores spirituales Sorores, quæ ipsum monasterium docere potuissent regularis vitæ disciplinam normamque religionis, prout initio eiusmodi operis erat conueniens. Et ex eo lecto dederunt ei partem, in quo S. Gertrudis germana sua migrauit ad Christum. Tunc Christianissima Matrona, acceptis his omnibus, quæ ad religionis reuerentiam pertinebant, cum honore & reuerentiâ hæc omnia secum detulit ad monasterium suum, gaudio & exultatione magnâ repleta. Cùm autem appropinquassent ad monasterium, vbi tendebant, leuauerunt cum canticis *d* voces, & Domino laudes cecinerunt: portaueruntque Reliquias & lectum sanctum, quem secum detulerant,& posuerunt eum iuxta altare *e* S. Genouefæ Virginis. Quis autem hominum verbis explicare

b C *c* *S. Begga extructura monasterium venit Niuellam, accipit sanctimoniales cum libris, reliquiis, & partem lecti ibidem miraculis clari.* *d* *e*

poterit, quanti ibidem quotidie à dæmonio mundati, quot infirmi curati? etenim de quacumque tribulatione ibi clamant ad Dominum, liberati redeunt. Anno autem secundo perfectis omnibus, & benè dispositis Matrona illa *f* migrauit ad Dominum *g*.

D *moritur.* *f g*

19 Post non multos verò dies ad idem monasterium quædam religiosa fœmina venit, ex nobili genere orta, cui nomen erat *h* Adula, in omnibus verè ancilla Christi, in habitu casta, in humilitate Religiosa, in caritate non ficta, in eleëmosynis lenibus ac pauperibus larga, egenis & peregrinis hospitalis. Sed tamen dubitationem habebat,vtrum Dominus tanta signa atque virtutes per meritum B. Gertrudis dignatus esset ostendere an non. Vnde contigit vt contentio inde oriretur,sic tamen quasi per iocum inter prædictam matronam & vnam famulam Dei ibidem in monasterio consistentem. Quadam autem die interrogabat eam Matrona, dicens: Quali die erat festiuitas S. Gertrudis. Illa autem respondens dixit *i*, Quintâ hebdomadâ in Quadragesimâ in sextâ ferrâ *k*. At illâ dixit: Absit hoc à me vt pro hac solennitate aliquid extra solitum pensum seruitutis nostræ augere velim in refectionem. Ipsa autem puella respondens, dixit: Si B. Gertrudis aliquid apud Dominum imperare potest, faciet te die eodem volentem,nolentemque facere religionis Deificæ caritatem. Cùm autem appropinquasset dies ille, tunc omnes qui ad hanc solennitatem illuc conuenerant,siue viri siue fœminæ, monachi ac virgines Christi, cum honore & reuerentiâ celebrarunt diem illum. Et pòst expletâ solennitate Missarum, tunc sumpserunt cibum potumque, cum gratiarum actione gaudentes, ex omnibus escis, quibus licitum fuit Quadragesimæ tempore comedere, sola autem *l* Matrona eâ die non comedit. Erat autem ei filius paruulus, quem multùm delicatè diligebat. Superueniens autem infans, petit ab eâ, vt sibi licuisset ludificare. Illa autem dixit ad eum: Fac quod vis *m*. Infans autem iocabat,& currebat huc illucque: & subito casu contigit cecidisse eum in fontem, qui illic erat. Et tamdiu ibi iacuit, vsque dum Sorores de mensâ surrexerunt cum gaudio repletæ, lætantes & benè refectæ. Vna autem de Sororibus superuenit & dixit: Scitis quòd & istius Matronæ filius mortuus est. Interrogabant ergo eam,quis illum occidisset. Illa autem respondit: In fontem cecidit, ibique mersus est. Tunc illa sanctimonialis,quæ antè contendebat cum ipsâ Matronâ de virtutibus S. Gertrudis, exclamauit voce magnâ & dixit:S.Gertrudis, tu propter eam hoc fecisti, quoniam nolebat mater istius infantis, virtutibus tuis credere, quas per te Dominus operatus est. Et ait iterum: Obsecro sanctitatem tuam, Gertrudis virgo Christi, & per Dominum nostrum Iesum Christum te adiuro, vt sicut apud Dominum impetrare poteris, ita eum resuscitare digneris. Et cœpit ire festinanter, vt peteret infantem. Cum autem iret,mater eius obuia ei facta est. Et dixit: Quid facis Soror? At illa respondens tertiò cum iuramento dixit: Quod ego facio, & tu fac similiter. In veritate crede,quia in hac eadem horâ tibi viuum restituet filium tuum S. Gertrudis. Tulit autem infantem & posuit eum iuxta lectum B.Gertrudis. Mox mirum in modũ subitò, aspicientibus illis, surrexit infans, qui antè fuerat mortuus. Ex illo autem die prædicta Matrona cœpit credere virtutibus S. Gertrudis. Eadẽ verò horâ conuocans vniuersam familiam suam, *n* impleuit posteà quod antè negauit de caritate. Et in crastinum Missam celebrauit in honore Virginis Christi Gertrudis, & cum omnibus Sororibus refectionem habuit. Infans autem absque vllâ læsione ministrauit illis, & manibus suis potum præbuit vnicuique per ordinem. Igitur supradicta Matrona illum sanctum lectum, auro gemmisque pretiosis vndique circumcinctum, pulcherrimè exornauit. Et ne cui hoc incredibile fortasse videatur, testem Deum inuoco, quòd oculis

h *Adula nobilis matrona,* *i* *k* *minus deuota venerationi S. Gertrudis,* E *l* *m* *punitur filio submerso,* F *quo resuscitato,* *n* *afficitur optime.*

A oculis meis vidi, & per idoneos testes didici hoc quod scripsi. Nunc autem de virtutibus & miraculis eius satis sit dictum: non tamen totum per ordinem explicare potuimus, quæ quotidie in suo nomine Dominus dignatur operari. Ergo nunc Dominum deprecemur, vt per Virginis suæ S. Gertrudis orationes dignetur nos adiuuare, cui est honor, virtus & imperium & gloria in secula seculorum. Amen.

a *Anno 674 die 23 Nouemb. vt ex suprà dictis constat.*

b *Is fuit annus 696 aut sequens.*

c *In Apographo nostro additur*, in veneratione B. Gertrudis.

d *Item*, Cruces.

e *Vitam S. Genouefæ Virginis dedimus 3 Ianuarij.*

f *Circa annum 698. Eius Natalis est 17 Decembris.*

g *Hic finit Vita ex codice Louaniensi edita à Geldolpho à Ryckel.*

Adela filia Dagoberti 2

h *Floruit eo tempore Adela siue Adula soror S. Irminæ filia Dagoberti 2. de quâ egimus lib. 2 de 3 Dagobertis cap. 14.*

i *Hic arbitramur legi debere* Secundâ hebdomadâ, *& facilè ex numero Romano II numerus V efficitur, & foret annus 702, quo cyclo Lunæ 19, Solis 11 litterâ Dominicali A ista conueniunt, aut certè legatur* feriâ quintâ *non* sextâ, *qui fuit annus 701.*

k *MS. Reg. Sueciæ: Consuetudinem verò Sorores fecerant vt ipso die festiuitatis, caussâ venerationis, ieiunium soluerent. Quod cùm intellexisset*, inquit, Absit, ne aliquo modo ieiunij obseruantia à me pro hac solennitate soluatur.

B l *Idem MS.* Præfata verò matrona ipso die solito more ieiunium extendit.

m *Indicatæ à nobis Adelæ filius erat Albericus, pater S. Gregorij Vltraiectini, quòd huic Sedi vice Episcopi post necem S. Bonifacij anno 754 occisi præfuerit.*

n *Idem MS Reg. Sueciæ*: Statim in veneratione S. Gertrudis ieiunium soluit.

APPENDIX I

Cæca & contracta puellæ sanatæ.

1 NEc hoc silendum est, quòd Dominus ad laudem & gloriam nominis sui temporibus Eggeburgæ Abbatissæ, anno octauo regiminis ad Kalendas Septembris, per merita sacræ Virginis operari dignatus est. Erat quædam puella in pago Winioensi vbi quiescit a Valericus, in partibus maritimis, Adelberga nomine, quæ lucem huius mundi absque luminibus oculorum attigit. Anno verò vigesimo secundo ætatis suæ apparuit ei per visum aspectus cuiusdam sanctimonialis albo vestitæ b pallio monuitque eam his verbis: Puella, festinatò perge ad sepulcrum Virginis sacræ Gertrudis, quod noscitur esse in monasterio Niuiallensi, ibique oculorum tuorum lumen promereberis. Quæ visio cùm ei tertiò apparuisset, hæc omnia suæ indicauit genitrici. Illa verò hæc nullo modo credere potuit, quòd ei talis visio manifestata fuisset. Prædicta verò puella tristis abijt ad quemdam Sacerdotem Dei, & omnem rei veritatem ei narrauit. Ille verò eam in Domino confortans taliter ad eam locutus est: Noli, inquit, dubitare, sed sicut tibi iussum est perge, credo etenim te meritis illius fore sanandam. Tunc præfata puella confortata sermonibus eius, iter arripuit & pergens mense integro, venit in partes c Brachatensis pagi in monasterio quod d Lothusa vocatur. Illâ verò nocte iterum apparuit ei venerabilis Virgo dicens ei: Festina: absque dubio enim illic sanitatem recuperabis. Illa verò festinantissimè properans, peruenit ad præfatum monasterium. Cumque oratorium B. Petri, vbi venerabilis Virgo in corpore requiescit, fuisset ingressa, & se orationi prostrauisset; repentè magnis attrita angustijs præ nimietate doloris, cœpit capillos capitis sui euellere. Scindebatur namque pellis oculorum lumina tegens, & quasi lacrymarum imbres cœpit effluere sanguis. Omnes verò qui præsentes aderant, videbant sanguinem eius ex oculis profluentem, atq; ita paullatim oculorum lumen recepit: sicque omnipotens Deus meritis orationum sanctæ Virginis eidem puellæ lumen, quod nascendo non acceperat, dedit.

Puella cæca sanata

in visione monita

C

profecta Niuellas.

illuminatur.

2 Sed neque hoc silentio tegendum est, quod ibidem Dominus meritis sanctæ Virginis operari dignatus est temporibus Caroli Imperatoris, anno decimoquinto regni illius, post obitum sacræ Virginis anno centesimo e vigesimo septimo. Erat quædam puella paruula in pago Riboariensi f omni parte membrorum debilis, & omnibus facultatibus destituta. Contigit verò vt aspectui Dominæ Hildigardæ Reginæ præsentaretur, vt ei suam eleëmosynam largiretur: quæ misericordiâ mota super eam, præcepit eam ad palatium duci, vt ibidem suæ largitatis misericordiâ aleretur, quod & factum est. Post aliquod verò tempus præcepit eam ad Niuellæ monasterium duci, atque ibidem diebus vitæ suæ suâ eleëmosynâ sustentari. Cumque ibidem moraretur, ipsâ vigiliâ Epiphaniæ, omnibus Sororibus ad officium nocturnale pergentibus, præfata puella sola in lectulo remansit: & ecce conspicit beatam Virginem ingredientem cubiculum in quo cōsistebat, ferentem in manu cereum miri candoris & fulgoris, ex cuius lumine tota illuminata est cellula: tum inquit ad eam: Quare omnimodis quiescere non videris? At illa: Nequeo inquit, Domina. Tum illa subridens: Loquere, ait, Sororibus quoniam ego Gertrudis tibi apparui: si verò tibi credere noluerint; crastinâ ante horam diei tertiam signum tibi dabo, quod omnimodis credent. Et hæc dicens abscessit. Diluculò verò hæc referens, fecit se portari in domum, in quâ Christi virgo nutrita fuerat. Quam cùm lauissent & vestimentis induissent, subitò respexit & vidit iterum sanctam Virginem ante se stantem: in quam cùm intenderet, dissoluta sunt vincula manuum pedumque illius, statimque erigens se puella stetit supra pedes suos, viditque beatam Virginem egredientem atque in porticu, quæ est dedicata in honorem S. Agathæ, vbi ipsa Christi virgo de mundo transiens cælestia petiuit, cum cereo stantem. Cumque supradicta puella in ipso loco pedibus staret & clamitaret videre se aliquid, quædam ex Sororibus, quæ eam custodiebat dixit ad eam: Quid vidisti filia? Illa ait: Dominam Gertrudem intueor tenentem cereum candidum in manu suâ. Tunc apprehensâ manu puellæ duxit eam in ecclesiam B. Mariæ, statuitque eam ante sedile, in quo Christi Virgo sedere consueuerat. Cumque tertiâ vice sanctam Virginem se clamaret videre, omnis congregatio ad tale spectaculum conuenit, inueneruntque puellam stantem & glorificantem Deum. Tunc omnis congregatio laudans & glorificans Deum, duxit eamdem ad basilicam B. Petri ad sepulcrum Virginis sacræ, quæ pergens cum omnibus glorificabat Deum pro datâ sibi sanitate, atque ita omnibus diebus vitæ suæ in sanitate sibi datâ permansit. Amen.

D E B F

a *Colitur S. Valericus Kalend. Aprilis, à quo oppidum S. Valerici appellatur, prope ostium Somonæ fluuij, Francis* Pays de Wimeux.

b *MS. Reg. Suec.* albâ vestita placulâ.

c *MS nostrum* Brachbantensem *Vita prolixior* Brachbatensem. *De antiquis limitibus Brabantiæ consule dicta ad Vitam B. Pippini.*

d Lothusa, *alijs* Lutosa *in MS. Reg. Suec.* Chludusa *vulgo* Leuze *in hodiernâ Hannoniâ. De monasterio à S. Amando ibi erecto egimus ad huius Vitam § 6.*

e *Imò* trigesimo octauo. *Scilicet ab anno 664 ad 782, qui erat 15 annus regni Caroli Magni: & Hildegardis defuncta est anno 783.*

f *Aliàs* Ripuariensi. *cuius metropolis Colonia, vt alibi sæpius dictum.*

APPENDIX II

Reliquiæ examinatæ. Miracula.

1 NOuerint vniuersi quòd anno Dominicæ Incarnationis MCCXCII, feriâ quartâ ante Diuisionem Apostolorum, videlicet a in die sanctorum Martyrum Kiliani & sociorum eius, respexerunt

A spexerũt Reliquias beatissimæ Virginis Gertrudis in feretro ipsius, ad præceptum & ordinationem capituli Niuellensis, Domina Elizabeth de Birbaco Abbatissa, Emma de Talour Præposita, Sibilia de Laceâ, Iacobus de S. Syro, Ioãnes de Valerio, & Magister Theodoricus de Vlmo, Presbyteri, Walterus de Poys Scholasticus, & alij Canonici atque Canonicæ Niuellenses: & inuenerunt caput ac maxillas cum dentibus, tribus tantùm exceptis, & totum corpus per ossa Virginis. Et multi de Capitulo & aliæ personæ extraneæ viderunt præfatas Reliquias dictâ die & anno prænotato: apud quas innumera vsque hodie fiunt miracula, quorum pauca hîc enarrare sufficiat.

Reliquiæ S. Gertrudis ostensæ.

b 2 *b* Erat quidam vir in territorio Brabantino, nobilitate conspicuus, nomine Odelardus: qui cùm multo langueret annorum spatio, leprâ secundùm quosdam infectus, contigit vt quadam die potum peteret à filiâ, nomine Berlende. Quæ continuò surrexit, scyphum lauit, potum concitè infudit, patrique portauit: qui bibit eique scyphum reddidit. Quæ sitiens & post patrem bibere renuens, poculum effudit: scyphum iterùm lauit, potum imposuit & sic bibit. Quod pater aspiciens nullum ei verbum fecit: sed tacitus mirabili B indignatione tulit: seruos accersiens, currum sibi parari iussit & ascendit. Niuellam petijt sanctissimæque Gertrudi, quidquid habebat in prædijs, cum cespite & ramo cultelloque cum manubrio albo tradidit: ac filiam omni hereditatis iure priuauit. In eadem verò traditione res stupenda contigit: nam nutu summi Dei scrinium in quo sancta Virgo iacebat, sese aperuit: corpusque exanime manum porrexit: cunctisque cernentibus ramum cum cespite & cultello de manu viri intra scrinium recepit, & sicut priùs fuerat clausum ac sigillatum permansit. Tunc clamor ad cælum tollitur, Creatorque omnium collaudatur: eiusque famula S. Gertrudis, cuius meritis tam inopinatum tamque iocundum miraculum contigit, summâ cum deuotione veneratur. Berlendis verò prænominata cùm videret se paternâ hæreditate priuatam, ad Morsellense monasterium in honore S. Gudulæ Virginis constructum posteà conuersionis gratiâ venit: quæ à Sororibus loci illius deuotè suscepta est: sed ipsa deuotiùs conuersata est, prout liber vitæ illius edocet euidenter, & Sancta effecta. Præfatus quoque cespes vsque hodie cernitur in ecclesiâ Niuellensi.

à patre S. Berlendis

oblata prædia

manu è sepulcro extensâ acceptantur:

3 Circa annum Domini MCCXLIV quædam puella quinque annorum aut circiter morabatur Niuellæ C in conuentu Beghinarum ad S. Syrum, nomine Maria, cognomento Lebaylhet: quæ arreptâ hydriâ sine scitu cuiusque perrexit quodam tempore ad fontem lapideum altum & profundum. Quam cùm impleßet aquâ, æstimans eam eleuare decidit in puteum, & permansit illic totâ die illâ & nocte vsque ad primam horam diei sequentis. Cumque ventum esset ad orationem, quæ à communi conuentu persoluebatur, compertum est primitus præfatam Mariam deesse. Cumque sodalibus eius interrogatis nihil certi sciretur de eâ; tandem quædam de congregatione reperta est quæ diceret, se vidisse Mariam pergentem die præcedenti cum hydriâ ad hauriendam aquam. Quo comperto, conturbatæ sunt omnes & conterritæ, mittentes quasdam ad quæque loca aquosa & suspecta, si fortè vel vestigium eius inuenire illic potuissent. Cumque tandem venissent ad præfatum fontem, inuenerunt eam in ipso præcipitanter submersam: & reuersæ triste piaculum cunctis denuntiauerunt, factusque est ibi nimirùm fletus ingens. Nihilominus tamen spem in Deum gloriosamque ipsius sponsam, beatam videlicet Gertrudem habentes, ipsam de puteo extrahi & ad ecclesiam eius portari, ac super altare collocari decreuerunt quæ præ-

puella quinquennis submersa,

sequenti die reperta,

& delata ad altare S. Gertrudis,

stantiores videbantur: & vnà cum Canonicabus ac D Canonicis dictæ Ecclesiæ cum instantiâ rogauerunt pietatẽ Christi & sponsæ ipsius, cuius interuentu plurima in eadem ecclesiâ ad salutem fidelium coruscarant miracula, vt eam quoque viuam ac resuscitatam recipere mererentur. Nec mora, cùm ecce puella mortua reuiuiscit: & sui eam incolumem de altari receperunt, ac Deo & beatissimæ Gertrudi immensas laudes retulerunt: cuius meritis eam resuscitatam se recuperasse non dubitarunt. Quâ tempestate ad tam euidens miraculum declarandum pulsantur omnes campanæ. Quo audito Dominus *c* Robertus Leodiensis Episcopus, qui tunc præsens aderat, & comperto quod acciderat, personaliter venit ad ecclesiam; & de perpetrato miraculo collaudauit Dei ac ipsius sponsæ magnalia. Et quia præfata ciuitas ad suam spectabat diœcesim, ordinauit, vt singulis annis eo die, quo miraculum hoc contigit, pridie videlicet nonas Augusti generalis processio ibidem fieret, ac Missa ad honorem Dei & sanctissimæ Gertrudis solenniter cantaretur in memoriam tanti prodigij, conferens auctoritate suâ ordinariâ omnibus & singulis, prædictæ Missæ ac processioni cum deuotione interessentibus, XL dies Indulgentiarum. Præfata autem puella postquàm adoleuerat, visitauit loca sancta in vrbe Româ: & posteà rediens seruiuit humiliter pluribus in prædictâ ecclesiâ Canonicabus. Recitatur insuper sæpedictum miraculum singulis annis die quo suprà, in ecclesiâ eadem ad populum: pro quo & cunctis alijs quæ Diuina misericordia ad gloriam sponsæ suæ in eodem loco exhibere dignata est, solenniter tunc à Clero Te Deum laudamus canitur. E

resuscitatur:

c

quotannis 4 Augusti solennis ob hoc miraculum processio instituta est:

4 Contigit recentiori tempore, anno videlicet Incarnationis Dominicæ MCCCCVII, XXI die Iunij in eadem ciuitate aliud miraculum, de quadam alterâ Mariâ Nicolas de Carnispriuio, ancillâ. Hæc cùm horâ primâ præfatæ diei cecidisset in puteum quemdam; perseuerauit ibidem adhuc viuens circa horam tertiam, per spatium videlicet duarum ferè horarum: quo tempore non cessauit inclamare Deum & sanctam Virginem Gertrudem, vt sibi in hoc articulo subuenire dignarentur. Contigit intereà, vt Domina ipsius, vxor præfati viri, casu superuenerit: ac eam, vti prædiximus inclamantem & inuocantem audiret, compertâque morâ, quam in puteo fecerat, coniecit quòd S. Gertrudis famulam se inuocantem tam diu sustentasset ac viuam conseruasset, sicut fuit rei veritas. Ipsa itaque accersiuit duos viros, qui testes fierent tanti miraculi, F Bernardum videlicet Cruce, & Adam Copijn: qui adminiculo scalæ intrantes puteum, extraxerunt eam prorsus frigidam & penè exanguem præ geliditate aquæ ipsius: cuius altitudo siue profunditas fuit longitudinis duorum hominum: similiter & altitudo putei super aquam eiusdem penè mensuræ fuit. Die verò sequenti elucescente perducta est à domesticis ad ecclesiam S. Gertrudis: qui Canonicabus & Canonicis eiusdem collegij enarrauerunt omnem euentum rei. Hi itaque, maturâ deliberatione præhabitâ, miraculum populo publicauerunt: & Te Deum laudamus solenniter decantauerunt.

alia ancilla in puteũ delapsa, inuocans S. Gertrudẽ, seruatur incolumis.

5 Multa quidem & alia ac penè innumera miracula sunt, quæ Dominus exhibere vsque hodie apud Reliquias sponsæ suæ dignatur: cui est gloria in secula.

a *Imò* postridie *legendum, quia dicto anno* 1292 *bissextili literis Dominicalibus* F E, *dies* IX *Iulij conuenit in feriam quartam.*

b *Hæc aliquantò fusiùs dicuntur in Vitâ S. Berlendis* 3 *Febr. cap* I. *vbi singula exponuntur.*

c *Robertus ex Episcopo Lingonensi creatur Leodiensis anno* 1240 *mortuus* 16 *Octob. anno* 1246.

DISSER-

DISSERTATIO DE S. GERTRUDE

Quæ in Franconiâ colitur.

§ I *Conficta fuga S. Gertrudis Niuellensis aut alterius filiæ Pippini Herstalli in Franconiam.*

1  *Vctor prolixioris Vitæ S. Gertrudis, quem suprà diximus videri XI aut XII seculo vixisse, florenti suo stylo, quo plurimùm gloriatur, ita fugam S. Gertrudis Niuellensis describit libro 2.* Nequissimus aduersarius dolens se sub victrice puellâ tantâ ruinâ collisum, ausus est in eam subtiliore artificio secundum inire conflictum. Et quid mirum si resumptis viribus alterum Virgini bellum inferre præsumpsit: qui in ipsum Creatorem suum, tribus se tentationibus attollere non expauit. Itaque breui interiecto tempore huiusmodi suspicionem venerabili Pippino patri eius iniecit, vt illud conseruandæ virginitatis propositum crederet puerilis esse leuitatis, non diuinæ inspirationis: voluit ergo eam petenti iuueni matrimonio coniungere. Beata virgo Gertrudis à piâ matre occultata, quamdiu potuit, sese ab aspectu patris abscondit: sed cùm demùm prodita, diutiùs celari non posset, eiusdem matris suæ auxilio fugit in partes Orientalis Franciæ, in locum qui nunc de nomine Caroli Carleburg nuncupatur. Ibi ob votum tutandæ castitatis insignem basilicam ædificauit in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ permanet vsque in præsentem diem. Vbi etiam ad celebrāda diuina mysteria constituit venerabilem virum Atelongum Presbyterum, & Bernardum Diaconum, quos fugæ suæ comites secum adduxerat. Cui Atelongo post aliquot annos corpora sanctorum Martyrum Kiliani sociorumque eius reuelata sunt: primò per immissam à Domino cæcitatem, posteà eorum intercedentibus meritis per visus reparationem. Sed, vt saluâ castitate puella sancta liberum ad parentes haberet reditum, interim indignus ille petitor tam sancti thalami diuino iudicio percussus interijt. Ornatâ itaque omni cultu basilicâ, B. Gertrudis ad propria remeauit, edocta per nuntium matris, eum, qui sibi sponsus parabatur obijsse, patremque suum priorem de nuptijs sententiam immutasse. Sic ergo castitatis suæ aduersarium secundo certamine superauit, quamuis ille eam mirâ calliditate per patrem suum petierit: qui humano quidē iudicio eam vtpote filiam iure cogere posset, si paterno de nuptijs consilio acquiescere nollet. Sed hic intueri libet, veteri fugæ Christi noua fuga sponsæ suæ quantâ similitudine conueniat. Fugit Christus Herodem qui corporalem necem sibi inferre parabat. Fugit Christi Virgo iuuenem, qui castam animam eius mortiferæ pollutionis veneno extinguere cupiebat. Christus Ægypto illatus tenebras eius supernæ lucis præsentiâ illustrauit: Virgo Christi Franciæ inuecta, incredulis cordibus lucem fidei infundendo, ignorantiæ cæcitatem dispulit. Christus defuncto Herode, per Angelum patris reuocatur in terram suam: Virgo Christi extincto petitore per nuntium matris reducitur in domum suam. Verè hanc sponsam dilectissimam cælesti Sponso fuisse non dubitauerim, quam per eamdem persecutionis similitudinem perque eadem vestigia tentationis sese fideliter comitari fecerit. *Hæc est eleganter descripta fabula, ab Auctore longioris Vitæ vt certissima historia obtrusa, cuius nullum in antiquâ Vitâ vestigiū reperitur: solum legitur S. Gertrudis sponsum à Dagoberto Rege oblatū respuisse, diciturq; infans, puella, & parua puella, vt quæ, in dicti Regis obitu duodecim solum annos expleuerit. At quæ amentia affingitur B. Ittæ matri, & tam prudenti matronæ, quasi ad tutandam filiolæ suæ virginitatem & euitandum matrimonium, misisset eam in tenellâ illâ ætate in regionem tam procùl dissitam & cultu idolorum horrentem? Interim in illâ regione tam diu morata fuisset, dum insignem basilicam construxisset aliaque illustria opera patrasset, & tamen reuersa fuisset ante obitum B. Pippini patris: quo moriente, vt auctor coæuus scribit, annos ætatis quatuordecim habebat S. Gertrudis. Additur fugæ comes* Atalongus Presbyter, *sed quem integro seculo iuniorem fuisse mox constabit.*

Fingitur S. Gertrudis fugisse in Franconiâ ad euitandum matrimoniū.

B

C

sed ineptâ coniecturâ.

D

2 *Eadem fabella legitur in Vitâ S. Kiliani, ad VIII Iulij illustrandâ, sed alijs commentis fulta, atque ita exprimitur:* Venerabilis Virgo Gertrudis, Pippini Regis Francorum filia, cùm virum accipere nollet, cui eam pater sociare volebat, auxilio matris quamdiu potuit, paternis in regnis latuit. Sed cùm diutiùs latere non posset, venit in partes supradictæ Orientalis Franciæ in locum, qui nunc corruptè Carleburg vocitatur, ibique de facultatibus suis in honorem beatissimæ Virginis Mariæ monasterium construxit, quod vsque in præsentem diem permanet: vbi Atalongum Presbyterum & Bernardum Diaconum, quos secum adduxerat, ordinauit. Ipsa dehinc ad propriam terram redijt, quia procum sui coniugij obijsse cognouit: quæ vsque ad vitæ terminum in virginitate permanens, virginitatis simul & morum probitate Deo complacuit. Prædictus autem Atalongus ignorabat Kilianum, forsitan, vt vix eius audiuerit famam, quæ paullatim ignorantiâ obsoleuerat. *Hæc ibi de illâ Gertrude, quæ nostræ Niuellensi attribuit auctor prolixioris Vitæ. Sed de Atalongo in Franciâ Orientali persistente ista ob temporis notitiam excerpenda adduntur:* Erat Sacerdos diuinis eruditus litteris diuinisque deditus mandatis, sed meritum beati Martyris ignorabat. Verumtamen cùm quadam die puerorum classes, quas ad studium litterarum erudiebat ... astare iuberet, cœperunt hi, qui iunioris ætatis erant, diuino impulsi spiritu vociferari, dicentes: Kilianus signa facit: de loco, in quo indignè iacet, tolli debet. Quod cùm venerabilis Presbyter audisset ... vidit per somnia venerabilem ante se adstare virum lumine terribilem, qui diceret: Nisi credideris non videbis... Orto autem die, apertis oculis nihil vidit.... Hinc sciscitari cœpit, quis fuerit Kilianus cuius laudes etiam puerilis lingua fatebatur... Tandem beneficijs Sanctorum recepto lumine non cessabat publica pandere facta in se miracula diuinæ operationis, adeò vt venerabilem Archipræsulem Bonifacium adiens, quanta sibi fecerit Deus, diligenti narratione prosequeretur. Ex eo itaque tempore inuestigabat Archipræsul, qualiter oppidum, vbi Sanctorum posita erant corpora, Episcopali dignitate sublimaret. Qualiter autem Burchardus Episcopalem Sedem Wirziburg primus promeruerit, & quomodò Martyrum corpora sustulerit in Vitâ ipsius manifestare curabimus. *Episcopalem Sedem Herbipolensem à S. Bonifacio institutam confirmauit Zacharias Papa epistolâ ad Burchardum datâ Kalendis Aprilis Indict. XI anno DCCXLIII, cùm centum circiter anni elapsi essent à tempore fugæ S. Gertrudis, vt debent fateri qui eam Niuellensi attribuunt. Dein S. Kilianus Româ reuersus venit Herbipolim, quando* præerat Romanæ Ecclesiæ Conon Pontifex, *creatus XX Octobris anni DCLXXXVI, mortuus XIII Octobris anni sequentis. Nec diu post martyrio coronatus est, anno, vt prædictus auctor,* DCLXXXIX, *aut aliquot certè annis serius, quod accuratius alibi examinandum.*

aliâ statuitur in Vitâ S. Kiliani:

venisse post necem S. Kiliani cū Atalongo,

E

cuius tempore S. Bonifacij visus redditus:

F

nec diu post Sedes Herbipolensis anno 743 statuta:

3 *Quod huc facit, necessariò ex dictis statuendum est, tempus medium aliquod inter cædem S. Kiliani & promotum ad Episcopatum S. Burchardum: quando & fama meritorum S. Kiliani ignorantiâ obsoleuerat; ac dein, saltem elapsis aliquot annis Atalongus recepto visu occasionem dederit Episcopatus ibi erigendi. Dicitur* S. Gertrudis *in citatâ Vitâ S. Kiliani,* filia Pippini, *& quidem* Regis Francorum, *quod nomen à posteris datum est* Pippino Herstallio, patri Caroli Martelli, *at Pōtificis auctoritate concessum* Pippino Breui, *dicti*

dicitur S. Gertrudis filia Pippini alterius Regis.

A Caroli Martelli filio, *&* patri Caroli Magni Imperatoris. *Hieronymus Dungershemius, Ocksenfurti in eadem Franciâ Orientali natus, in encomio S. Scholasticæ x Februarij edito, licet cum Niuellensi Gertrude videatur eamdem facere, disertè tamen* Pippini alterius filiam *appellat. Verba eius ad maiorem claritatem repetimus, quæ ita habentur cap.* 5 *num.* 26. Dehinc memorabilis Virginis Gertrudis excellentia se offert, quæ vt probatissimis proditum est historijs, filia fuit Pippini alterius Regis Francorum: quæ cùm virum accipere vrgeretur, nec vellet, ad partes Franciæ Orientalis in locum, qui dicitur Karelspurck, à ciuitate Herbipolensi tribus distantem milliaribus, religiosæ matris auxilio fugiens, peruenit: adducens inter alios Attalongum, honestissimæ conuersationis magnæque opinionis Presbyterum, structâque ibidem basilicâ in honorem Virginis Matris diuina sibi per eumdem fieri fecit. Cui etiam Presbytero, pòst reuelata sunt mirabiliter corpora sanctorum Martyrum Kiliani Pontificis & sociorum eius Colonati Sacerdotis & Leuitæ Totnani, tempore B. Bonifacij Archipræsulis Moguntini, qui & ob id leuatis decentissime Martyrum præfatorum reliquijs, miraculis pluribus coruscantibus, præfatæ ciuitati Herbipolensi, vbi B conditæ sunt, B. Burchardum auctoritate Apostolicâ instituit Episcopum. *Quis hæc non arbitretur anno trigesimo, aut quadragesimo post septingentesimum à S. Gertrude & Attalongo peracta? Interim ita additur:* Gertrudis autem post multorum procorum instantiam atque repudium, Abbatissa constituta est cœnobij Niuellensis: vbi cùm maxima cumulasset merita, Deus sibi obitum suum reuelans, festiuè ad cælestia eam vocauit: cuius & longè latéque per Germaniam celebris est memoria. *Hæc ibi, quæ à temporibus SS. Bonifacij & Burchardi nimiùm distant. Eâdem in Franciâ Orientali nuptias deuitans vixit S. Hadeloga, fundatrix monasterij Kitsingensis, in cuius Vitâ* 2 *Februarij num.* 2 *ista de eius stirpe habentur:* Erat filia Karoli filij Pippini Regis, patris S. Gertrudis Virginis, & mater eius Kunehildis vocabatur. *Erat proinde hæc S. Gertrudis Soror Caroli, & amita S. Hadelogæ, & huius mater* Kunehildis, *alijs videtur* Suanehildis *dicta. Hinc colligere licet dicta Gertrudis patrem in dictis Actis statui Pippinum Herstallum, patrem etiam Caroli Martelli, mortuum anno* DCCXIV *quasi is, & forsan non diu ante obitum suum, imperasset filiæ suæ nuptias, quas pia matrona* Plectrudis *impeditura, filiam in Franciam Orientalem misisset, adiuncto illi Atalongo Presbytero: qui dein ibidem ad triginta aut plures annos persistens, potuisset occasionem dedisse trans-* C *ferendi corporis S. Kiliani.*

in Actis S. Scholastica.

& S. Hadeloga:

an Herstallij, patris Caroli Martelli?

§ II *An aliqua Gertrudis fuerit soror Caroli Magni, & sacrum cultum obtineat.*

In monumentis è Franconiâ missis

4 C*Vm hactenus dicta omnia displicerent vlteriùs inquisiuimus per Societatis nostræ viros eruditos in dictâ Franconiâ, ac primo responso illud scimimus,* hanc eamdem Gertrudem Carolburgo solitam excurrere in vicinam siluam ac locum Rorbach dictum, tunc palatium venatorium Pippinorum, nunc monasterium Neustadium, ibique in colle (vbi nunc sacellum S. Michaëlis extructum) orationibus incumbens, sub dio procumbendo vestigia suorum membrorum reliquisse, quæ numquàm gramine vel cespite obducuntur. *Alias miserunt hanc* in sacrâ scrobe D. Gertrudis ad dexteram monasterij Neustadt in colle S. Michaëlis *inscriptionem anno* MDLXXXVII *positam.*

vestigia membrorũ prope Neustadium.

Quisquis ades, saxumque subis Michaëlis, ad istud
Siste gradum, speculare locum, venerare Tonantẽ.
Illius hinc en sena vides vt Numine perstent
Et stupeas ita signa, Deo testantia caram
Virginis Augusto prognatæ sanguine mentem
Gertrudis; tua Magne soror quæ Carole quondã.
Si sapis, hanc rectis imitabere strenuus actis.
Disce sequi votisque datis ei, perge, viator. D

ipsa soror Caroli Magni habetur.

Intuere, atque imitare isthæc, ô lector, D. Gertrudis vestigia, orandi assiduitate impressa, posterisque ad exemplum pietatis tot seculis diuinitus conseruata. *Hæc ibi. Adiuncta erat, ac postea seorsim transmissa* breuis descriptio rerum memorabilium, quas Deus operatus est per famulam suam Diuam Gertrudem. *In quâ omnia Carolo Magno Imperatori vt fratri illius applicantur, & reliqua ita efferuntur.*

5 Anno à Christo nato DCCXCIV Carolus cognomento Magnus, Francorum Rex dein Romanorum Imperator, monasterij Neustadensis fundamenta iecit, ac regiâ liberalitate dotauit: cui soror erat germana S. Gertrudis . . . quæ Carleburgi à Carolo Magno sic nuncupati . . : immensis sumptibus ædificari curauit ecclesiam: quo tempore frater ipsius cœnobium Neustadense extruere cœpit: sed multitudine negotiorum Imperij præpeditus, auxilij curam sorori demandauit. Quapropter ea sæpissimè Carleburgo Neustadium perrexit, tum ædificationis causâ, tum etiam vt eò commodiùs orationibus ac diuinis cõtemplationibus immortalisque sponsi amplexibus vacaret. Afficiebatur enim summopere erga collem monasterio adiacentem, vbi preces suas Deo offerre consueuerat: in cuius ho- E norem & S. Michaëlis Archangeli ibidem ecclesiam erexit: cuius ante chorum sub dio vestigia deuotionis ab eâ ibidem exercitæ in hodiernum vsque diem cernuntur. Impressi enim ibidem terræ sunt ipsius cubiti, genua & pedes, atque vnicuique tam quò ad longitudinem quàm magnitudinem conueniunt, qui deuotionis causâ se illis immittit & applicat. Ea, quod admiratione dignum, nullis cæli iniurijs (sub dio enim sunt & vndequaque densissimo germine circumsepta) destrui possunt: & scrobes nec minimam herbulam, vt sic loquar, proferunt. Accedit quòd nec temporum nec hominum malitiâ deleri potuerunt. Nam nobilis quidam * satis notæ familiæ, cuius stemma honoris gratiâ lubens prætermitto, cum famulo suo bis eadem vestigia noctu destruxit: ast semper manè vt antè fuerunt, sunt reperta. Cùm autem tertiò idipsum attentaret, tanta ventorum vis, cælo aliàs sereno & tranquillo, fuit excitata, vt iamiam se à malignis spiritibus raptum iri timeret. Quapropter relictis instrumentis fossorijs, subitò pedibus salutem quæsiuit; quod & ipse postmodùm fassus est. Extat præterea adhuc fons in itinere quo Carleburgo itur Neustadium, situs intra duos pagos in siluâ iuxta fossam Zeller, precibus & meritis S. Gertrudis impetratus. Cùm enim aliquando in viâ pre- F meretur siti, & terram, cui innitebatur, scalperet, aquæ fons erupit, qui & in hodiernum diem scaturire non desistit & nomen à S. Gertrude sortitur. Affirmant etiam quidam viri fide digni, partem illam viæ, quæ Carelburgo ducit Neustadium, quam D. Gertrudis suis pedibus sacris calcauit, à reliquâ parte distingui: nimirùm quando hæc arescit, illam virescere solere, & contrà. Denique asseruatur in * dicto monasterio pallium ipsius, cuius extremitatibus nonnullæ litteræ ex auro intextę sunt, quæ si construantur, hoc significant: Berbertha iussit me fieri ad honorem & decorem filiæ suę. Dum visu merito laus adsit debita nostro. Quo pallio si vtantur fœminæ difficiles partus patientes, per intercessionem D. Gertrudis à doloribus liberantur, & feliciter proles suas pariunt. *In altero exemplari ista adduntur:* Carolus, cognomento Magnus, Francorum Rex ac Romanorum Imperator, Diuus, Felix, Augustus, cœnobij præsentis fundamenta iecit, atque regiâ liberalitate dotauit anno à Christo nato DCCXCIV. D. Gertrudis Caroli Imperatoris soror germana liberalitate auxit anno Christiani Natalitij DCCCXII. Ludouicus primus, dictus Pius, Caroli filius, ac idem Germaniæ Imperator felicissimus, fundamenta corroborauit & ampliauit anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIII. *Sequebatur dein titulus iste:* Reliquiæ de S. Gertrude

Neustadiense monasterium ab hoc extrui cœptũ perficit:

cõdit ecclesiam S. Michaëlis

vestigia impressa manent hactenus relicta:

* *al.* Andreas Voit à Rieneck

fontem elicit:

* *al.* nostro

pallio eius parturientes iuuantur:

dotauit cœnobium an. 812

A Gertrude, *& ista addebantur.* In pago Carleburg olim fuit monasterium, nunc verò penitus destructum. *In* templo ibidem visitur primò plegma S. Gertrudis; secundò de ossibus eiusdem; tertiò frustum lagenæ, in quâ Fratribus Neustadianis potum attulisse traditur, quartò speculum S. Gertrudis, in cuius posteriori parte picta Diua Virgo Christum à cruce depositum sinu gestans. In muro monasterij Neustadensis visitur imago D. Gertrudis templum manu sustinentis cum procumbente religioso Benedictino, hisce verbis adscriptis. Ora pro me S. Gertrudis dotatrix. *Reliqua in vnico codice leguntur.*

olim Carleburgi reliquiæ,

Neustadij imago antiqua,

6 Anno MDXXV sextâ feriâ post Dominicam, Misericordia Domini, incolæ in Steinfeldt vnà cum ceteris habitatoribus in territorio & dominio Rottenfels armatâ manu intrauerunt monasterium Neustadt, & omnia rapuerunt & deuastarunt, & libros penè omnes lacerauêre & vniuersa mobilia asportauerunt: nec non postmodùm ecclesia vnà cum ornamentis & requisitis deuastata est, & omnia altaria violata, & venerabiles Reliquiæ Sanctorum dispersæ, imagines destructæ. Corona verò in medio ecclesiæ dependens, quam S. Carolus Magnus fundator monasterij præfati fieri fe-

illud direptum:

B cit, ablata & lacerata est, & omnes fenestræ vnà cū valuis destructæ & asportatæ sunt. Dotauit porrò S. Gertrudis monasterium iam sæpè dictum duobus pagis Zell & Steinfeldt, quarum dotariarum litterarum copia adhuc extat. *Subscribitur ea submissa esse* ex manuscripto F. Conradi Lieb, postmodùm Abbatis vsque ad an. MDLIV. *Hactenus monumenta potissimùm ex monasterio Neustadiensi submissa: contra quæ obijci potest, apud Sanmarthanos & alios genealogiæ Regum scriptores accuratiores assignari* tres filias Regis Pippini Rothaildem, Adelaidem & Gisilam. *Ita fatemur, & priores duas solùm notat esse, quia Paulus VVarnefridus in Chronico de Episcopis Metensibus asserit* in oratorio B. Arnulphi humatas esse duas Regis Pippini filias, quarum vna Rothaid, altera Adela appellata est: *interim non negat VVarnefridus alias ei filias fuisse. Gisilæ meminit Paulus I Papa in epistolâ 5 ad Pippinum patrem & Stephanus 3 Papa in epistolâ ad Carolum Magnum & Carolomannum fratres, diciturque à Constantino Imperatore pro filij coniugio expetitam, & ne filio Desiderij Regis Longobardorum vxor detur, dissuadet. Tradunt Suessionenses hanc in monasterio suo S. Mariæ dicato Abbatissam mortuam esse anno DCCCXI aut DCCCXIV. Quidni & historiæ antiquæ & traditioni Ecclesiæ Aresis fides habeatur, secundum quam & S. Ittsberga filia fuit Pippini Regis & so-*

in dotē dati duo pagi:

quomodo filia Pippini Regis?

C *ror Caroli Magni, vti die eius natali XXI Maij dicendum erit? Potuit ergo, licet passim sit minùs cognita, dicta Gertrudis filia Pippini Regis, & soror Caroli Magni fuisse.*

§ III *Vlterior inquisitio de Gertrude sorore Caroli Magni, eiusque sacrâ veneratione.*

7 *QVæ hactenùs protulimus, necdum planè satisfaciebant, cùm dies* XVII *Martij venerationi assignaretur, imò (licet ea iudicaremus perperàm intrusa) nomen matris Itta repeteretur, adderetúrque fuga è Galliâ in Franconiam, ne in matrimonium filio Ducis Austrasiæ iungeretur: quæ suprà vt fabellas reiecimus. Institimus ergo per litteras apud Nicolaum Lutz Prouincialem Societatis Iesu per partes Rheni superioris, vt Ioannes Gamansius, vir industrius in antiquis monumentis conquirendis, Aschaffenburgo, vbi residet, ad Neostadiense monasterium non procul dissitum proficisceretur. Iuit is & duas nobis chartas submisit: in priore continetur fundatio dicti monasterij à Carolo Magno facta, cùm adiunctâ donatione Gertrudis: in alterâ argumenta venerationis sacræ proferuntur, quæ hic omnia damus: ac diploma fundationis sic incipit.*

Diploma fundationis.

In nomine Domini, Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti, Carolus supernâ fauente Clementiâ Rex Francorum. Quidquid pro Ecclesiarum opportunitate vel quiete seruorum Dei, erexímus; id D nobis procul dubio, Domino adiuuante, ad æternam beatitudinem proficere confidimus. Ideò notum esse volumus omnibus nostris fidelibus, tam præsentibus quàm & futuris, quale initium habuerit monasterium, quod vocatur Rorlacha siue Newenstadt, quod extruximus in siluâ Speshart circa fluuium Moyna: vt vbi nos primitus, ob iucunditatem vitæ & dulcedinem, venatui nostro speciale diuersorium elegimus, illic postmodùm diuino cultui condignum oratorium haberetur; congregantes illic multitudinem seruorum Dei, quos Burghardus Episcopus ex Anglorum gente adduxerat, & alios circumquaque, qui in solitudinibus & in cauernis terræ pro Christi amore latitabant: vt supradicto diuersorio nostro, quasi terreni cultores, quantò secretiùs commorantes, tantò liberiùs pro statu totius regni nostrâque salute Deum exorare valerent. Quibus etiam Meingaudium, rogante dulcissimâ genitrice nostrâ Bertradâ, Abbatem prætulimus: post cuius obitum perpetuam & liberam illis monachis eligendi cùm opus fuerit Abbatem inter se licentiam & arbitrium regalitatis nostræ pietate concedimus. Sumpsimus autem ex capellâ nostrâ Reliquias S. Mariæ perpetuæ Virginis, Martini Confessoris Christi, aliorumque Sanctorum plurimorum, quas ad memoratum locum delatas, ecclesiam in honorem Saluatoris nostri E & S. Mariæ Matris eius per Lullum Archiepiscopum & Willibaldum Episcopum in præsentia nostrâ XI Kalend Septembris consecrari iussimus. In cuius ecclesiæ dotem partem prædij in siluâ Speshardt proprietatis iure perpetualiter absque contradictione possidendum regali auctoritate nostrâ concessimus. *Et latè donationis terminis indicatis, eâque priuilegio immunitatis firmatâ, ita concluditur.* Vt hæc auctoritas nostræ concessionis firmior habeatur, & per futura tempora meliùs obseruetur veriusque credatur, manu propriâ nostrâ subtus eam firmauimus, ac annuli nostri impressione signari iussimus. Signum Domini Caroli Regis gloriosissimi. Willisarius Cancellarius ad vicem Lulli Archicapellani recognoui. Data mensis Maij anno ab Incarnatione Domini DCCXCIV, Indictione II, anno regni Caroli Regis in Franciâ XIX, & in Italiâ XII.

8 *Hactenùs diploma fundationis, in quod temerè sub finem iniecti sunt anni Christi & regni, planè discrepantes inter se & à formulis subscriptionum tunc temporis vsurpari solitâ: pro quo hoc aut simile quid scriptum arbitramur:* Data mense Maio anno regni nostri XIX, *nisi* XII *aut aliàs potiùs sit substituendus. Inter diplomata istorum temporum magis authentica quæ hactenùs vidimus, arbitramur illa, quæ* F *Nicolaus Zillesius pro defensione Abbatiæ Imperialis S. Maximini vulgauit, vbi relato Caroli magni diplomati ista subscribuntur:* Signum Karoli Gloriosissimis Regi. Rado relegi. Data mense Augusto quadragesimo anno regni nostri: *& eadem ibidem formula est in diplomatis Pippini Regis, & Ludouici Pij Imperatoris, quorum alter pater, alter filius fuit Caroli Magni. At diploma quod retulimus si in reliquis sit genuinum, censemus scriptum cùm adhuc personæ ibidem memoratæ in viuis essent: ex quibus S. VVillibaldus Episcopus Eystadiensis natus anno* DCCIV, *è vitâ decessit* VII *Iulij anni* DCCLXXXI, *vti accuratè deduximus* VII *Februarij ad Vitam S. Richardi patris eius pag. 70. Hoc ergo moriente* XIII *annum regni solùm numerabat Carolus Magnus, qui illud inchorat* IX *Octobris anni* DCCLXVIII. *Nec diu superfuit Berta, seu Bertrada, genitrix Caroli Magni, mortua* X *Iunij anno* DCCLXXXIII. *Ipse etiam Lullus Archiepiscopus Moguntinus qui ecclesiam consecrauit, & cuius vices in recognoscendo diplomate sunt suppletæ, mortuus traditur in antiquioribus Annalibus anno* DCCLXXXVI, *ab alijs anno sequente, quando annus regni numerabatur decimus nonus. S. Burchardus Episcopus Herbipolensis superfuit ad annum* DCCXCI, *cui tunc successit Meingaudius, qui rogante Bertradâ primus Abbas antè di citur constitutus. Quæ omnia probant annū ab Incarnatione Domini* DCCXCIV *ab imperito Chronologo adiunctum esse &*

formula dati diplomatis correcta.

A *& genuinum diploma Caroli Magni in primis membranis non extare. Alterum diploma ita incipit.*

10. In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Carolus supernâ fauente Clementiâ Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum. Sapientia Dei sanctam Ecclesiam duobus gladijs munitam atque tutam esse voluit, scilicet gladio spirituali atque materiali: quapropter gladio materiali nobis diuinitùs collato, prout Dominus donauit, eam gubernare, defendere & honorare non cessamus. Inde est, quod præsentibus scriptis omnibus post nos venturis intimamus, qualiter ecclesia per nos constructa, Newenstadt scilicet siue Rorenlacha dicta, nostro rogatu à sorore nostrâ Gertrude optimis villis & plurimâ familiâ sit dotata. Nam eadem soror nostra cælestem Spōsum sitiens, omnemque mundi pompam mente & corpore relinquens, de omnibus, quæ hæreditario iure possidebat, in Theutonicis partibus ecclesias vicinas fecit esse hæredes. Fuerant autem villæ, Steinfelt & Cella nominatæ, non longiùs vno milliari à nostro monasterio sequestrata. Has igitur, vt diximus, nostro rogatu vnà cum viris & mulieribus inibi manentibus, parochiam cum decimis, omnia ob æternæ vitæ D præmium super altare sanctæ Dei genitricis Mariæ in nostrâ præsentiâ donauit propriâ manu. *Addebantur dein aliorum donationes, & tandem ita concluditur:* Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIII, Indictione V, anno regni nostri XIII. Signum Caroli gloriosi Regis. Acta sunt hæc in ecclesiâ Newenstadiensi. *In quâ conclusione coniectura non adeò absona apparet, sed præter formulam tunc vsitatam annus Christi indicatur cum anno, non regni, sed Imperij Occidentis: pro quo ad istum annum* DCCCXIII *signandus erat annus regni, non* XIII, *sed* XLVI: *ad quem etiam annum non spectat Indictio* V, *sed ad præcedentem, à posteris etiam adiuncta. Ex quibus omnibus non planè eruitur scrupulus, quod ista verba,* à sorore nostrâ Gertrude, *& dein,* soror nostra, *non sint aut omnia aut ex parte intrusa, in tanto silentio antiquorum scriptorum. Verùm illa iudicio aliorum relinquimus, ad venerationem S. Gertrudis quæ autem loco iam dicto spectant in appendice lector inueniet, siquidem typothetarum incuriâ amissum folium intereà reperiatur.*

donatio sub Gertrudis nomine facta.

DE S. VIVENTIA VIRGINE
COLONIÆ AGRIPPINÆ.

XVII MARTII.

1 *Quemadmodum Colonia Agrippina, inter alia admiranda, excellit in quamplurimis Sanctorum reliquijs in varijs eius ecclesijs adseruatis, ita eminet inter alias Collegiata Ecclesia S. Vrsulæ eiusque sociarum Martyrum: in quâ hoc die ex fundatione Geppæ Abbatissæ, quæ multa pro eâ recuperauit bona, celebratur festum S. Gertrudis Virginis & Abbatissæ Niuellensis: in cuius Officio recitatur Collecta de S. Viuentiâ Virgine, non Martyre: & de vtraque in vetusto Necrologio MS. eiusdem Ecclesiæ ista leguntur:* XVII Martij S. Gertrudis festum. Eodem die Commemoratio S. Viuentiæ, iacentis in paruâ tumbâ ex opposito armarij. *Gelenius in Fastis Agrippinensibus hæc ita indicat:* Eodem die apud S. Vrsulam commemoratio S. Viuentiæ, quæ in paruâ tumbâ ex aduerso sacri armarij depositâ est in S. Vrsulę ecclesiâ. *Est autem tumba illa marmorea, quæ terræ non cohæret, sed quatuor innititur columnis: atque hac de caussâ à reliquis Virginibus Vrsulanis diuersa creditur.*

S. Viuentia cultus cum S. Gertrude

2 *Reliqua latent. Inquirentibus nobis, cuius filia videatur, responsum est ex traditione habere à Rege aliquo aut Principe fuisse prognatam. Quia ergo hoc* XVII *Martij vnà cum S. Gertrude colitur, opinati aliqui sunt eam huius sororem fuisse. Ioannes Chapeauillus in suis Annotationibus ad* C *Herigerum & Ægidium de Episcopis Tungrensibus & Traiectensibus cap. 54 asserit se reperisse in codice Aureæ-vallis annotationem marginalē his verbis:* Anno Imperatoris Constantis seu Cōstantin octauo, Rex Sigebertus filius Dagoberti, de prosperitate prolis desperans, duodecim monasteria hinc inde construxit Domino, cooperante sibi in his Maiore-Domus Grimoaldo, fratre SS. Beggæ fundatricis Andanæ cœnobij, Gertrudis fundatricis cum Ittâ matre Niuellensis cœnobij, & Viuentiæ, quæ Coloniæ in cœnobio sanctarum Virginum quiescit. *Hæc ibi. Vitam S. Sigeberti Regis Austrasiorum dedimus* 1 *Februarij, & iam ad illam, quàm in Diatribâ nostrâ de* III *Dagobertis Regibus Francorum ostendimus meram fabulam esse, quæ de desperatione prolis gignendæ hic auctor comminiscitur: cùm ipse Sigebertus anno ætatis* XXVIII *moriens reliquerit plures liberos, & nominatim Dagobertum annos decem aut circiter natum. Interim solâ huius loci auctoritate nixus, pro libitu suo ad* XII *Martij Arturus du Monstier in sacro Gynæceo retulit hæc verba:* Coloniæ S. Viuentiæ genere ac multis donis gratiæ illustris.

quæ esse ab aliquibus huius soror creditur,

3 *Gelenius lib. 3 Coloniæ Agrippinensis syntagmate* 10 § 1 *cùm* circa annum DCXLIX de S. Cuniberto sacrificium in ecclesiâ S. Vrsulæ celebrante *egisset, ista addit:* Volunt nonnulli, eodem ferè tempore Viuentiam, S. Gertrudis sororem & B. Pippini de Landis filiam teneris annis mortuam, & in hoc S. Vrsulæ templo funeratam, ter inuentam diuinitus eiectam è sepulcro, mausoleum illud quod hodie prope vestiarium templi quatuor nixum columellis visitur, accepisse, ne huius ossa cum Martyrum reliquijs permiscerentur: horum opinioni suffragatur vetus templo affixum carmen. *Edidit illud Hermannus Crumbach lib. 9 Martyrij S. Vrsulæ cap. 7 his verbis.*

Quòd sacer hic vitet locus, & sibi nulla maritet
Corpora.....
Proijcit oblata, sunt hæc bis terúe probata:
Testis vt esse soles, Pippini regia proles:
Quàm nouiter natam proiecit, & immaculatam,
Terra sacri fundi: iuuat hanc nil gloria mundi.

& infans defuncta:

4 Ridere hanc vt commentitiam narrationem D. Fleien, *apud Crumbachium illa verba addens:* Sed anilem esse fabulam posteà didici: reconditæ enim in illo habentur reliquiæ cuiusdam Virginis ex societate, quam S. Viuentiam nostrates denominant, & cuius commemorationem celebrant XVII die mensis Martij, vt tabulæ festorum & memoriarum eiusdem ecclesiæ indicant. *Floruit Hermannus Fleien sub finem præcedentis seculi,* F *sacræ Theologiæ Doctor Coloniensis, Ecclesiæ S. Cuniberti Decanus, & S. Vrsulæ Canonicus: à quo editam S. Vrsulæ & sociarum passionem inseruerunt suis de Sanctorum Vitâ lucubrationibus Zacharias Lipelous & Franciscus Haræus. Quod autem S. Viuentiam statuat Fleien è sodalibus S. Vrsulæ, rationem subijcit ex antiquissimo statuto, quo sub interminatione tartarei ignis subeundi cauetur, ne in hac sanctarū Virginū ecclesiâ aliorū aliarúmue corpora præterquam sanctarum Virginum sociarum sepelirentur. Acceperunt interim ossa S. Hippolyti Martyris Gerretshemio allata; eiusq́ festum colunt* XIII *Augusti. Inter nomina Virginum Vrsulanarum, ex reuelatione S. Elisabethæ Schonaugiensis & B. Hermanni cognita, statuit Crumbachius* Viuentiam Virginē filiam Sapientiæ, & Viuentiam Virginem sororem Auiti Regis. *Et inter nomina ex titulis sepulcralibus & indicibus ecclesiarum collecta tres statuit Martyres,* Viuentiæ *nomine appellatas: vt nō adeò incredibile foret, si etiam* Viuentia, *quæ hoc die colitur, fuisset vna ex dictis socijs S. Vrsulæ, & forsan non cùm eisdem occisa, sed quæ post harum necem seruata, sanctè dein vitam finiuisset. Sed similia Coloniensium examini potiùs proponuntur, quàm facta fuisse asseruntur.*

ab alijs Vrsulana habetur.

quales plures, Viuentia dicta.

DE

DE S. WITBVRGA VIRGINE

DERHAMI ET ELII IN ANGLIA,

ANNO DCCXLIII XVII MARTII.



1 IN Heptarthiâ Anglo-Saxonicâ floruit seculo Christi septimo Anna Rex Anglorum Orientalium, vel hoc solùm titulo felicior, quòd quatuor genuerit filias, fastis sacris adscriptas & cultu Ecclesiastico honoratas: ex his suos dies natales habent S. Ethelreda XXIII Iunij, S. Ethelburga VII Iulij & S. Sexburga VI Iulij, & de quâ modò agimus, S. VVithburga XVII Martij: quam hoc die de hac vitâ migrasse infrà Acta habent. In antiquo Martyrologio Vltraiectino Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ ante annos quingentos collecto ista ad dictum diem leguntur: Ipso die depositio S. Withburgæ Virginis. Niuellæ Gertrudis Virginis. Vidimus in monasterio Normanniæ Gemmeticensi peruetustum Missale secundùm vsum Ecclesiarum Anglicanarum à Roberto, ex Abbate huius loci Episcopo Lundinensi & dein Archiepiscopo Cantuariensi, circa annum quinquagesimum supra millesimum donatum: in cuius Kalendario præuio Officium præscribitur S. Widburgæ Virginis & Patricij Episcopi. Nomen etiam S. VVidburgæ in Litanijs inter alias Virgines ibidem reperitur, eiusq; patrocinium imploratur. In auctario Vsuardi Coloniæ anno MDXV excuso, & Martyrol. Germanico Canisij ista habentur: Item in Angliâ sanctæ Virginis Witburgis. Quæ eadem ex Canisio descripsit Ferrarius. In MS. Florario additur Translatio, & ad diem XIX Februarij ista leguntur: In Angliæ Wicburgis Virginis, quasi ille esset dies eius natalis: cuius alibi non reperimus vestigium. *(Dies natalis 17 Martij)* B

2 Alter dies eius venerationi sacratus est VIII Iulij, ad quem ista habet in Auctario Vsuardi Molanus: In Angliâ S. Witeburgæ Virginis. Molano citato, ista sic amplificat VVion in Martyrol. monastico: In Angliâ S. Witeburgæ Virginis, Vulferi Regis Merciorum filiæ & sanctimonialis Elyensis, sanctitate & miraculis claræ. VVionis errorem describunt Dorganius & Ferrarius. Verùm Vulferi Regis filia non S. VVithburga, sed VVereburga fuit, quæ vitam monasticam primò in Elyensi monasterio amplexa fuit: cuius Vitam illustrauimus ad diem III Februarij. Matrem habuit VVereburga S. Ermenildam: cuius Vitam dedimus XIII Februarij, & auiam S. Sexburgam sororem S. VVithburgæ, quæ proinde illius magna matertera fuit. Errorem VVionis vidit & emendauit Edouardus Maihew in Trophæis Congregationis Anglicanæ Ordinis Benedictini, quem sequuntur Menardus & Bucelinus, omnes ad dictum VIII Iulij: sed an rectè adscribant suo Ordini, inquirant alij, & nos alibi nonnulla dicimus. Auctor Martyrologij Anglicani in primâ editione maluit omittere, quàm cum VVione aberrare: inseruit postmodùm secundæ editioni, & depositionem appellat, citatis ad marginē Gotzelino in eius Vitâ & Molano. Michaël Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ ad an. 660 n. 15 clarè asserit S. Withburgam ad æterna cæli gaudia vocatam VIII Idus Iulij. Præiuerat huic Nicolaus Harpsfeldius in Hist. Anglic. Eccl. seculo 7 cap. 17, etiam arbitratus depositionis eius diem celebrari VIII Idus Iulij. Verùm ex Actis & historiâ Translationis infrà dandâ hic error emendandus, vbi dicitur S. Withburga tripudium translationis suæ intulisse regioni Eliensi VIII Idus Iulij, & clarè in Actis scribitur translatio facta VIII Idus Iulij. Apud Capgrauium ineptè intrusum est nomen depositionis loco translationis. Quod alij non aduerterunt. In Appendice ad Chronicon Petroburgense MS. traditur in Ely requiescere S. Etheldritham, S. Witburgam & S. Ermenildam & S. Sexburgam: & aliquam harum reliquiarum factam esse translationem ad nouam ecclesiam XVII Octobris, prodit Chronicon Eliense, vt infrà patebit. *(non 8 Iulij:)* C *(quo die Translatio facta ad monasteriū Eliense.)* *(alia ibi translatio 17 Octob.)*

3 Citatus suprà Molanus ex catalogo scriptorum Angliæ & hunc secutus Valerius Andreas in Bibliothecâ Belgicâ obseruant à Goscelino Vitam S. Withburgæ Virginis scriptam esse. Addit Edouardus Maihew id constare ex omnibus, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis his vltimis seculis egerunt, ast eam Vitam nondum ad manus suas peruenisse. Interim auctor Martyrologij Anglicani quasi eam vidisset, ad marginem allegat, sed, vt apparet ex Alfordi silentio, id ex merâ coniecturâ factum. Dedimus III Februarij Vitam S. VVereburgæ Virginis ab Goscelino monacho scriptam: vt vel inde potuerit error emanasse de Vitâ S. VVitburgæ compositâ. Quia tamen Goscelinus, teste Malmesburiensi lib. 4 de Gestis Regum Anglorum cap. 1, innumeras Sanctorum Vitas stylo extulit, vel informiter editas comptiùs emendauit, post Bedam secundus in laudibus Sanctorum Angliæ enarrandis, potuit vtriusque & S. VVereburgæ & S. VVithburgæ Vitam conscripsisse. Certè Goscelinus circa annum MC à S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi è Belgio in Angliam euocatus, Rameseiæ vixit, haud procul à monasterio Eliensi, vbi eius tempore corpus S. VVithburgæ incorruptum reperiebatur. Hanc si scripsit Goscelinus Vitam, needum assecuti sumus: eius loco damus breue eius compendium in Chronico MS. Eliensis monasterij repertum. Huic conuenit Vita quam Ioannes Capgrauius in Legendâ Sanctorum Angliæ edidit: qui, vti Vitam S. VVereburgæ ex illâ, quam Goscelinus scripserat contraxit sæpè eius verbis retentis, idem potuit ipse & auctor dicti Chronici præstitisse. Capgrauio addimus accuratas historias Translationum, & primæ ad monasterium Eliense, & secundæ ad nouam ecclesiam, ex dicti Eliensis monasterij historiâ & Chronico MS. *(Vitam credunt scripsisse Goscelinum:)* E *(dantur hic compendium Vitæ & historia Translationum ex MSS.)*

4 De ætate S. VVitburgæ nonnulla intricata sunt apud auctores. Michaël Alfordus, quia asserit de anno obitus parum constare ideo illam Regijs Virginibus & sororibus adiungit ad annum DCLX, quo anno eam mortuam esse dixisse aliquando Martyrologium Anglicanum addit, in quo nunc anno DCLXX decessisse legitur. Malmesburiensis lib. 2 de Gestis Regum Anglorum cap. 13 tres filias Annæ Regis statuit Ethelredam, Ethelburgam & Sexburgam, scilicet quòd seniores essent: attamen lib. 4 de Gestis Pontificum Anglorum § de Episcopis Eliensibus, fatetur Witburgā sororem S. Ethelredæ fuisse, quam in obitu parentis, cùm is anno DCLV in bello cum Pendan Rege Merciorum interimeretur, adhuc paruulam fuisse arbitramur, & superfuisse vsque ad annum DCCXLIII. Id primò Acta requirunt & firmatur testimonio Florentij VVigorniensis scriptoris perantiqui & magnæ auctoritatis: qui, cùm Actis annos ferè quinquaginta quinque statuit inter sepulturam S. VVithburgæ & annum Christi DCCXCVIII, qui rectè numerantur ab anno DCCXLIII. Iam illo anno DCCXCVIII, vt ait, corpus S. Withburgæ Virginis, filiæ Annæ Regis Orientalium Anglorū & sororis sanctarum Virginum Sexburgæ, Ethelburgæ & Ethelredæ, sine corruptione inuentum est, post annos ferè quinquaginta quinque ex quo apud villam, quæ Derham vocatur, humatum est. Alterum testimonium Radulphi Cestrensis lib. 5 Polychronici MS. cap 28 est simile præcedenti, vbi ad annum etiā DCCXCVIII ita legitur: Corpus S. Witburgæ Virginis, filiæ Regis Annæ sororisque Sexburgæ post annos quinquaginta quinque apud villam de Derham, vbi tumulabatur, repertum est incorruptum. Tertio loco est Vita à Capgrauio edita, in quâ etiam traditur post quinquaginta quinque annos tumbâ eius reseratâ, ita incontaminata inuēta vestibus ac toto corpore, sicut primo die in tumulo fuerat collocata. En quinquaginta quinque anni à sepulturâ constanter relati, & horum terminus ad annū DCCXCVIII statutus. Huic aliud & fortissimum argumentum additur in Vitâ, quòd tempus Translationis corporis ad Eliense monasterium & alterius ad nouam ecclesiam planè congruum apponatur. *(mortua est non anno 660 aut 670)* *(sed an. 743)* F

VITÆ COMPENDIVM

Ex MS. Chronico monasterij Eliensis.

1 Withburga, adolescentior filiarum Annæ Regis Estanglorum, sublimiter est nata, & ad regnum cęleste consequendum iuxta mare cum suâ nutrice in quodam vico paterni iuris nutrienda tradebatur, *a* Holchum vocitato: vbi processu temporis in memoriam ipsius ecclesia est constructa, quæ Anglicè Withburghstowe dicitur. Præfata autem Virgo, audito *b* patris sui interitu, ad sanctimonialem confugit professionem, vbi in vmbrâ alarum Dei sperans suauiter requieuit. Sed inde vbi nutrita fuit, recedens quasi viginti miliaribus, apud *c* Derham in humilem locum paterni iuris deuenit: illum solitariè volens viuere elegit: ibi monasterium condere satagebat. Cumque Domino suo templum conderet, contigit, vt nihil victualium præter siccum panem haberet, quod operarijs ædificij apponeret: ob quod ad Dei Genitricem *d* confugit, eamque querulis precibus pro instanti vrgere cœpit necessitate. Cui inter preces paullulum dormitanti astitit Virgo Maria, docens eam non solicitari de victu corporeo, nec cogitare de crastino *e*. Mitte, inquit, diluculò puellas ministras ad proximum fontem siluestris fluuij, ibi obseruantibus illis diatim occurrent duæ feræ lactifluæ: quas tractabiliter mulgentes, solatium victui vestro interim administrabunt. Sic ancilla domini cælitus edocta, mittit manè mulctrices ad fontem præmonstratum, qui ferè vno stadio distat à monasterio, ibique stans silua grato irrigatur fluuio, vnde continuò duæ assiliunt *f* ceruæ, quæ se familiariùs quàm domestica animalia præbebant mulcturæ. Has singulatim astantes vel succedentes mulgebant manus virgineæ, totamque lactis vbertatem in vasa sua expressêre, vt hydriam plenam duo viri iniecto per ansas vecte humeris eius efferrent, & omnibus conuiuis bona hæc copia sufficeret.

a Degit in vico Holchhum; b c apud Derham condit monasterium: d docente S. Mariâ e f accipit lac ceruarum:

2 Quæ supernæ pietatis beneficia cùm quotidiano vsu, per aliquod tempus abundanter proficerent; Præpositus ipsius villæ, vir praui ingenij, cœpit tanta miracula aut parui pendere aut irridere, dehinc liuore, cupiditate ac superbâ indignatione agitatus, adductis canibus nitebatur insontes feras captare, contemptis saltem commodis, quæ Dominicæ exhibebant familiæ. At illæ exacerbatæ & absterritæ procùl in suas siluas aufugêre: villicus verò non tam bestijs quàm Dei domesticis gratuitò noxius, suæ maleuolentiæ sine dilatione pœnas soluit. Nam eadem horâ dum emissario equo feras insectatur fugaces, equus in obstantem sepem vrgentibus calcaribus incurrit, sepisque acutâ sude transfixus ilia, dum resiliendo tergiuersaretur, sessor superbus supino capite excutitur, fractâque ceruice exanimatur.

Villicus volens ceruas capere, morte punitur.

3 Ablato autem lacte ferino, non defuit Dominus gregi suo, sed redijt qui defuerat victus temporè opportuno. Inquirentes enim Dominum, non deficient omni bono: qui manna de cælo pluit, qui Samsonem de mandibulâ asini potauit, qui Eliam per coruum & per viduam Sareptanam pauit, & in multis Sãctis deificè copiosus extitit. Tandẽ Withburga plena operibus bonis & virtutum exemplis, commẽdatis deuotũ populis suis æterno Regi, de hoc seculo migrauit decimo sexto Kalendas Aprilis & in cœmeterio Ecclesiæ Derhamensis sepelitur, & post annos ferè quinquaginta quinque sine corruptione corpus eius inuentum est: & in ecclesiam, quam ipsa ibidem condiderat, translatum *g* anno Domini septingentesimo nonagesimo octauo *h*, vbi vsque ad tempora Regis Edgari seruabatur, & vsque ad annum Domini nongentesimum septuagesimum quartum, & ita requieuit in prædictâ ecclesiâ centum septuaginta sex annis. Anno igitur Domini nongentesimo septuagesimo quarto, Abbas Brithnodus, cõsensu Regis Edgari & Episcopi Etheluoldi, Sanctam Withburgam de Derham in Elij fecit transferri octauo die Iulij & iuxta Sorores suas sepeliri ibique requieuit centum triginta duobus annis, hoc est vsque ad annum Domini millesimum centesimum sextum in quo quidem anno Abbas Richardus in nouum monasterium eam transtulit, sicut posteriùs docetur: de loco autem illo, in quo primò sepulta fuit, apud Derham fons aquæ lucidissimus emanat.

Sancta moritur 17 Martij, in cœmeterio sepelitur: g h transfertur an. 798

a *Holchum Norfolciæ pagus in eodem cum VValsinghamo vrbe hundredo Grenehavve,*

b *Anno 654 interempti.*

c Derham Orientale *in meditullio prouinciæ Norfolciæ ac hũdredo VVitfordensi: aliud est* Dereham Occidentale *in hundredo Clackbervvsensi. Malmesburiensis lib. 4 de Gestis Pontificum Anglorum in Episcopis Eliensibus vocat* rus ignobile, in quo ipsa pluribus annis cœlebs & ciborum continens transegerat. *Nisi hæc verba de Holchum sint intelligenda, Cambdenus de pago Derehamo agens, addit* S. Withburgam, quia à luxuriâ & leuitate remotissima fuit & sanctissima Virgo, à maioribus inter Sanctas relatam

d *Addit Capgrauius*: Vnicam post Christum spem suam.

e *Idem*, pontem.

f *Malmesburiensis*: Ministrabat ei quotidianum ex vberibus potum cerua domestica, & manui assueta: quam cùm quidam seu telo seu iaculo appetisset & exanimasset, regio non multò pòst morbo captus extabuit. *Verùm cum Actis consentit Capgrauius.*

g *Annum hunc etiam apud VVigorniensem, Cestrensem & Capgrauium legi 798 suprà diximus.*

h *Interponit Capgrauius*: Cœnobium tandem illud virginale incursione Danorum, fugato Virginum cœtu, in parochiã est destitutum. *Danorum fuerunt plurimæ incursiones, in quarum aliquâ anno* 870 ecclesiam Eliensem à Paganis combustam fuisse *habet Chronicon eius MS.*

HISTORIA I TRANSLATIONIS in monasterium Eliense.

1 Regnante Deo amabili *a* Edgaro, Regum Albionum candidissimo, cuius beato tempori sanctæ Virginis translationem dedicamus, refloruit vigor Ecclesiarum & splendor reluxit Sanctorum. Tunc liquidò resplenduit illud oraculũ quod gemma Anglorum *b* Dunstanus anteà Glasconiæ audierat de cælo, super ipso nunc Pacifico sceptrigero, tunc infante nato: hoc erat, Pax Anglorum Ecclesiæ exorti nunc pueri & Dunstani nostri tempore: cuius principatu numquàm Anglica secula feliciora vidêre tempora, cùm vnius Regis fortissimi atque optimi vniuersa Britannia cum adiacentibus insularum Regibus esset monarchia. Ab Euangelici verò Proparentis nostri *c* Augustini eiusque collegarum beatissimo aduentu, nullius memoriâ plura Sanctorum quàm sub hoc Principe immicuêre sidera: inter quos hunc suum orbem illustrarunt præfulgidè Dunstanus & *d* Edelwoldus, quasi minor Petrus & minor Paulus: superior Metropolitanico præsidebat, alter Wentano Præsulatui. In fundandis vel reparandis monasterijs velut procinctum Dominici belli & castrorũ agebat hic theoricus architectus. Inter plurima autẽ ædificia sua, regale monasteriũ, quod in Elij insulâ antiquitus à gloriosâ Reginâ & perpetuâ Virgine Etheldredâ constructum, sacro Virginum contubernio pollebat, reparatum opibus pristinis ac nouis nobilitauit: monachali cœtu muniuit: Dominum *e* Brithnodum Præpositum suum Abbatem primum instituit.

a Tempore Edgari Regis b c d à S. Ethelwoldo in reparato monasterio Eliensi: e

2 Inter alia verò magnifica expetitum à Rege Edgaro monasterium Dirham cum pretiosissimo thesauro suo Withburgâ adiecit: cui nimirùm in omnibus his gratia transferendi parabatur. Hinc vnanimi consilio instant tam sacratissimus Præsul, quàm deuotissimus

Statuitur Abbas Brithnodus:

A tissimus Abbas, qualiter sine tumultu illud præclarissimum monile Ecclesiæ, illa splendissima margarita Virgineæ glebæ, adhuc liquidò intemeratæ, ad sublimiorem thalamum transiret, quatenùs decentior aula hanc celsiùs decoraret, vt hæc illam suæ præsentiæ ornamento ac splendore clariùs illustraret. Cumque habuissent beneuoli Regis donatiuum ac fauorem, placuit maximè deuotis precibus supernam benignitatem & ipsius Virginis voluntariam exposcere opitulationem, vt sine confusione explerent sacram intentionem. Præueniens itaque fidelis prædo faciem Domini in confessione & psalmis & abstinentiâ, cum Fratribus solertioribus prouiso tempore venit cum militari manu ad præfatam ecclesiam in Derham: venit ad hæreditatem sibi traditam; suscipitur in domum suam: nemo quærebat aliam aduentus sui caussam. Ille cùm posset ex regiâ auctoritate potenter ac violenter agere, maluit reuerenter ac prouidenter propositum implere, ne seditio aut tumultus surgeret in plebe. Inuitat ciues ad larga conuiuia; exercet plebeis iura: illis dimittit meritoriam aulam, sibi vindicat ad vigilandum & exorandum secretariam ecclesiam: idoneus ad sanctum sacrilegium, ad fidele furtum, ad salutarem rapinam, ad Iacob benedictionem supplantandam. Iam nox saturos ad hospitia & stratus suos inuitabat & amplis alis Dei prædonem cum suis monachis & clericis in sacrum facinus vigilantem velabat. Quantis tunc genuum flexionibus & precum vaporationibus almam Virginem sibi comitem fore implorauit, ad exponendum sermo torpescit. Tandem fide armati cum thuribulis orationū ac thymiamatum instant: tumbam reserant: inuento toto corpore vernante, acsi dulci sopore quiescentem iusto tremore atque admiratione salutant; quam refirmato operculo latenter rapiunt, ac vectibus sublatam in paratum vehiculum excipiunt cum debitâ reuerentiâ, & efferunt cum assiduâ psalmodiâ & cū triumphali lætitiâ, sicut exultant victores captâ prædâ. Occurrunt & ambiunt succenturiati milites & ministri, armis & animis si quid obsisteret [defendere] parati.

ab eo profectò in Derham,

B

Corpus S. VVithburga aufertur,

3 Ita per viginti milliaria terrestri viâ progressi, ad fluuium in Brandunâ deuenêre: ingressique naues cum illo vitali ferculo, remis & armamentis *f* naualibus certatim incubuêre. Illud verò admirabile signum nequaquàm decet præteriri, quòd in hoc itinere per totam ferè noctē *g* stella splendidissima super illud præfulgidę [Virginis] corpus cominus rutilabat, & claros radios effundens iugiter comes ibat vel præcedebat. Ecce autē populus Dirhamensium, associatis sibi affinibus plebibus, fugientes consequitur armatus: nam Dirhamenses parochiani, iam omnibus sopore grauatis, dum tardiùs suspecta in oratorio explorant Abbatis hospitia, inueniunt reserata limina, & per sūma nullo præsente silentia, ablatam beatæ Matris suæ Withburgæ tumbam, ipsam simul hospitalibus insidijs abductam. Fit clamor dirus plangentium, inhorruit clangor tubarum, non secùs acsi patria arderet, aut hostilis exercitus cædes & incendia patraret: vnica gloria prouinciæ quærebatur technis ac fraude abstracta, ac velut Arca Dei à Philistæis captiua abducta. Protinus omnes in arma prosiliunt: & ad prædam excutiendam vnanimi impetu proruunt. Itaque bipartito agmine vtramque à dextris & à sinistris occupant & velut obsidione præter fluuialem viam includere decertant: iactant conuitia, intentant spicula, exprobrant simulatoribus perfida sacrilegia: clamoribus, terroribus, minis ac probris implent aëra. Vix Abbati, vix ipsi, quam nulla tetigit corruptela, glebæ parcunt virginali. Sed deficit & euanescit vt fumus inanis conatus desolatorum: quos absterrebat, cui tam claro sidere fauebat æthera, neglecta prius virginis maiestas, simulque Eliensis præceptoris facultas: qui, tamquàm surdus non audiens, perstrepentes diuinumque auxiliū crebris obtinentes orationibus impellit nautas & nauim exhortationibus, vt miles vrget equum calcaribus: Deique protectione euadunt festo reditu, confusis persecutoribus.

f

g stellâ comitante,

C

frustrà recuperare conantibus Derhamensibus,

D *ex MS.*

4 Excursis ergo viginti milliarijs, per vndam vsque *h* Tidbristhes-eye, hoc est ad Tidbricti insulam, triumphali iam securitate, dulce & suaue onus composito vehiculo deducunt per terram, canentes Domino laudem & gloriam. Veniens ergo noua gloria ad sibi cælitus prouisam ecclesiam, longum est exponere quanto populorum concursu, quanto monachorum & Cleri conuentu, quanto omnium gaudio ac triumpho suscepta sit: ipsam beatissimam germanam ac monasterij primiceriam Etheldredam aliamque præcelsam sororem Reginam Sexburgam, comitante matrem regia filiâ Ermenildâ, cum omni choro sanctarum animarum, quas Domino peperêre, credas omnes fideles animas obuiam excessisse, & dulcibus vlnis atque amplexibus venientem collegisse, inque suum thalamum, quo perpetuò maneat, inuitasse ac collocasse. Cogaudent Angeli sororiæ pudicitiæ, Virginum conciues & amici, & collaudant Sponsum gloriæ conuentu solenni. Hoc solenne tripudium translationis suæ intulit festiua Withburga Eliesi regioni, scilicet *i* octauo Idus Iulij, Edgaro summo Dauidicâ virtute & Salamonicâ pace Anglico Oceano imperante, Dorobernensi verò aurigâ Dunstano totam patriam irradiante, & Beato Edelwoldo Wentano Præsule instar aureæ aquilæ in condensis Ecclesiæ amplificè coruscante.

h

infertur in Eliensem ecclesiam 8 Iulij.

i

E

a *Edgarus, cognomento Pacificus, Merciorum ac Nordanhymbrorum Rex factus anno 957, biennio pòst Monarcha Angliæ, mortuus anno 975.*

b *Colitur S. Dunstanus 19 Maij.*

c *Venit S. Augustinus in Angliam anno 597 colitur 26 Maij.*

d *S. Ethelvvoldus Episc. VVintoniensis creatus an. 963, mortuus Kalendis Augusti an. 984, in cuius Vitâ eadem leguntur.*

e *Brithnodus anno 970 primus Abbas constitutus, dein anno 10 regiminis sui iussu Reginæ Elstrudæ interemptus; & Martyr appellatus. Relatio necis continetur in MS. Chronico Eliensi post Acta S. VVithburgæ data. Diem necis necdum inuenimus, neque nomen Martyrologio vlli insertum.*

f *Malmesburiensis de hac translatione agens aduertit*, Insulam tunc non nisi nauigio adiri potuisse, sed suam ætatem solertiorem vicisse naturam, aggeribusque in paludem iactis tramitem terrestrem præbuisse, & insulam pedibus accessibilem fecisse.

g *Idem pergit*: Nautis ergo inter vndarum volumina periclitantibus, quia illi timore periculi se inexplorato stagno commiserant, columna ignea è cælo ad nauem pertendens, nauem cito cursu ad littus perduxit.

h *Ioannes Bromton in Chronico columnâ 748 eamdem translationem paucis describit.*

i *Anno, vt suprà dictum, 974.*

HISTORIA II TRANSLATIONIS in nouam ecclesiā monasterij Eliensis.

1 *a* FLoruit sancta religio Eliensis sub Abbatum regimine centum triginta & nouem annos. Fuerunt Abbates decem, Britnodus Martyr, Elsinus, Leofwinus, Leofricus, Leoffinus, Vulfricus, Turstanus, Theoduinus, Simeon, Richardus . . . . Abbas Simeon anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo tertio, die S. Edmundi migrauit ad Dominum, locumque sui officij suâ & aliorum Abbatum per septem annos viduatum præsentiâ post obitum suum dereliquit. Deinde cùm anno Domini millesimo centesimo, Nonis Augusti, die Dominicâ Henricus frater Willielmi Rufi ei in regnum succedens, esset in Regem consecratus, eodem die Abbatiam S. Edmundi dedit Roberto filio *b* Hugonis Comitis Cestrensis, & Abbatiam de Ely Richardo filio *c* Gilberti Comitis, euius vterque parens de regiâ stirpe descendens, illustrem sobolem sub veste monachicâ in Beccensi monasterio dedicarunt.

a

Constituto Richardo Abbate:

b

c

A runt. Hic ergo Richardus Abbas ecclesiam suam Eliensem à prædecessore suo inceptam ædificauit, in quàm quidem ecclesiam corpora sancta transtulit.

Ex MSS

d 2 d Annis verò quatuor ante translationem sanctarum Virginum, de loco suo dimouerant B. Withburgæ Virginis sepulturam, & alibi in ecclesiâ collocauerant. Structura verò templi prodiens vlterius, necessariò cogebat, nec citrà subsistere aliquatenùs poterat: & cùm per descensus graduum distraheretur monumentum, imprudentesque ministri minùs ad hoc essent idonei; confractus est lapis inferior, quo quiescebat Virgo egregia. Tunc maxima apparuit in tumulo fissura: sed credo quòd hoc aliqua non egit improuidentia, sed vt virtus Domini merita sanctæ Virginis ostenderet, & fracturam in vase nouo miraculo solidaret.... Præfulgidæ autem Withburgæ ad rectissimam mensuram veteris sarcophagi, quod iam dudum fuerat fractum, memoratus Rector Eliensis aulæ Richardus parauerat nouum, quatenus in nouo reposita incorrupta Virgo incorruptum haberet hospitium. Sed superna prouidentia id consilij nouo & insolito miraculo eneruauit: nam vbi noua tumba quæ sacrum corpus exciperet, parata astitit, appositâ prioris mensuræ virgâ vnius pedis quantitate breuior extitit.

corpus S. Withburgæ remouetur,

frangitur tumba:

noua pede breuior apparet:

B Quisquis iterare mentionem vtriusque tentauit, non ampliùs inuenit, semper noua à veteri præscriptâ breuitate deficit. Habebantur omnes stupore & extasi, videntes suum propositum à parato locello productioris corporis maiestate arceri.

3 Intereà cùm auferretur operculum hiantis fissurâ mausolei, maiora omnes terruêre miracula: virginea quippe gleba, quæ putabatur post tot secula iam olim consumpta, quamuis eam ab antiquâ experientiâ clara defenderet fama, tota & membris & vestibus apparuit integra, sicut primitus erat imposita: lignea etiam theca ferreis clauis excisis, cum quâ fuerat in Ely delata, reperta est illæsa. Intereà quidam putauêre, quòd, quasi immotus puluis exadusti corporis, tantùm imaginem prætenderet integritatis; sed tactu patuit veritas perdurantis hactenus soliditatis. Nam quidam senior ex Apostolico ouili Westmonasterii, Warnerus nomine, vt inter plures conuenerat, mirâ fidei audaciâ accessit, virginea membra passim tangit, à vestigijs, manibus & brachijs flexibiles artus reuerenter attollit, exclamansque Dei mirabilia, plures spectabilium personarum ad videndum attraxit. Verumtamen tectum niualibus operimentis decorem nullius irreuerentia oculis attigit. Gaudet Domino rosatis genis facies spiraculo vitæ inspirata, vernant suâ integritate stantia vbera, florent paradisiacâ amœnitate innuba membra. Venit vir doctissimus præfatus e Herbertus Episcopus de Teefordiâ; tremens inspexit, & gloriosum in Sanctis suis Dominum benedixit, alijque f plures honestatis conspicuæ præsentes adstitêre, quos suprà meminimus, & hæc Dei mirabilia oculis conspexêre. Sed his ignoscant auditorum fastidia, quæ in argumentum fidei retulimus testimonia. Tandem verò memorabilis Episcopus Herebertus hæc tam mira tàque noua gaudia condensissimo populo exponit, omnesque in laudem Dei & gratiarum libamina accendit. Imo verò quæ absentibus videantur incredibilia, tanta hîc de rore cæli inualuit gratia, vt penè per omnes currerent lacrymarum flumina.

corpus integrum cum vestibus & ligneâ thecâ inuenitur:

C

e

f

4 Sed cùm inter hæc tripudia anxiarentur omnes quid agerent, quia vetus tumba ex fracturâ iniuriosa videbatur ad dignitatem Virginis, noua verò diuinitus contracta desierat esse suffragabilis, tandem pia adiutrix has fluctuationes dimisit, & quod à priore requie mutari nollet, glorioso miraculo comprobauit. Nam illa fissura, quæ cultello aut calamo vltrà penetrabilis erat, ita subitò resolidata est ad integrum, vt nec vllum deinceps fracturæ appareret ibi vestigium. Hic etiam omnium conclusa est quæstio. Intellexerunt enim ex tam euidente signo, quia Virgo nollet transponi ab antiqui monumenti thoro. Imposito ergo operculo & clauso diligenter sarcophago, lætissimo cum iubilo transfertur ea ad beatam sororem Etheldredam de vetere monasterio in nouum, & componunt gratissimè contra orientem ad latus suum. Similiter etiam beatam germanam Sexburgam & sacratissimam filiam ipsius Ermenildam dignas ad condignas amabiliter associant, vbi & pariter & singulæ superna beneficia supplicantibus prærogant.

fracturâ tumba vltrò solidatâ

D

transfertur ad nouam ecclesiam; ad alias tria corpora:

5 Pulcro itaque mysterio hæc quatuor luminaria Dominus ascendens nuptiali intulit Ecclesiæ suæ, quæ illustrant intrantes ex quadro mundi latere. Hæ & numero & merito sequuntur illa superna quatuor animalia alata, quæ in quatuor partes terræ discreta, iunctisque pennis caritatis alterius ad alterum, Christi tonantis præconia vitâ Angelicâ tollũt ad cælestia. Hæ etiam æmulantes quatuor flumina, de vno paradisi fonte Christo deriuata, vitam vnanimem irrigabant quadripartitâ Euangeliorum doctrinâ, & irrigare non desinunt sitienter quærentes diuina remedia. Hæ sunt, inquam, quatuor Euangeliorum pedissequæ, quatuor virtutum alumnæ, quatuor quadrifidæ Crucis Domini tympanistriæ, tympanizantes quaternis vocibus diatessarô cælestè: quatuor misereres aduenientibus faciès terræ & post Euãgelicas Marias aromaticæ Christi vnguetariæ: cuius nomina vnguentũ effusum, cuius odor super omnium suauitatem aromatum. Translatæ sunt autem hæ Dominicæ quadrigæ anno Incarnati Verbi millesimo centesimo sexto, g quo quondam beata Ætheldreda translata est die: cum decentissimâ scilicet ordinatione, vt omnium vna esset solennitas, quæ & sacta est, quibus erat vna fides, vnus Christus, & vna caritas. E

an. 1106 17 Octob.

g

6 Ab illo igitur die cœpit Dominus Abbas, S Withburgam sua integritate [spectabile] singulari deuotione venerari: sed minimè post hæc diu vixit in corpore, nã morbo præuentus decidit in lectum, iamque vocandus ad reddendam sui talenti rationem cœtum Fratrũ ad se iussit conuenire, vitæque viaticum post purissimam Confessionem accipiens, cernit carissimam Withburgam propè assistere: in quam statim defixis oculis circumstantes magno clamore alloquitur: Cedite, inquit, Fratres, cedite, ecce Domina mea Withburga venit, ecce adstat: numquid eam videtis? numquid eam hîc stare aspicitis? O, inquit, Domina miserere mei. F Atque post modicum vltimum emittens spiritum locum viduauit, filios contristauit, corpusque mundo & animam Deo commendauit. Totus igitur ille dies in fletibus & orationibus est exactus: & facto crastino, debito cum honore vir magnificus in monasterio est sepultus.

apparet Richardo Abbati morituro.

a *Quæ hoc numero continentur excerpta ex MS. Chronico Eliensi vbi singulorum Abbatum res gestæ habentur.*

b *Hugo 1 Comes Cestrensis nepos Guilielmi Conquestoris, natus matre huius sorore. Hic S. Anselmum Beccensem in Normannia Abbatem euocauit in Angliam.*

c *De varijs Gilbertis, qui hoc tempore in Angliâ floruerunt, etiam Comites Lincolnienses facti, egimus 4 Febru. ad Vitam S. Gilberti Sempringhamensis § 1, vbi diximus Gislam matrem primi Gilberti, qui in Angliam venit, fuisse amitam Mathildis matris Henrici Regis.*

d *Sequentia sunt ex priore historiâ MS. Eliensi.*

e *Hic est Herebertus, qui Sedem Episcopalem Theofordiâ, quæ in confinus Norfolciæ & Suffolciæ erat, transtulit Norvvicum primariam Norfolciæ vrbem: vixit dein ad annum vsque 1119.*

f *Illi fuerunt Abbates Adelvvinus Ramesiensis, Richardus S. Albani, Guntherus Thorneiensis, Vvido Persoriensis, tum Nicolaus Archidiaconus Lincolniensis, Gaufridus Thesaurarius VVintoniensis & alij.*

g *Additur in Chronico MS.* sub die Kalendas Nouemb. decimo sexto.

DE S. PAVLO MARTYRE SVB ICONOMACHIS IN CYPRO

CIRCA DCCLX XVII MARTII. *Ex Menologio*



Enologium Græcorum, ex Guilielmi Cardinalis Sirleti interpretatione ab Henrico Canisio vulgatum, hunc XVII *Martij diem sic exorditur :* Natalis sancti Martyris Pauli, qui pro sanctarum imaginum cultu igne comburitur. *Vsus est eâ interpretatione Cardinalis Baronius antequàm per typos publici iuris fieret : citatoque in Notis Menologio, ita in Martyrologio Romano scripsit :* Constantinopoli S. Pauli Martyris, qui sub Constantino Copronymo, cùm sanctarum imaginum cultum defenderet, igne combustus est, *dein annotat passum reperiri circa annum octingẽtesimum. Nos quidem vbi hoc reperiatur hactenus ignoramus : totis viginti quinque annis abest ab octingentesimo Copronymi ultimus ; sub eo, per annos viginti quatuor pertinaci rabie iconomachiam vrgente, multos illustres Martyres passos scimus, nominatim Stephanum Iuniorem, & Andream Cretensem, quorum illustria Acta dabimus, huius quidem ad* XVII *Octobris, illius verò* XXVIII *Nouembris : cum quo etiam Petrus eadem in caussâ eademque in vrbe ad necem vsque flagellatus, velut socius, colitur die eodem : quia proprius ignoratur. Eadem persecutio eadem in vrbe regiâ coronauit Paulum, sed supplicij genere longè diuerso, & die Iulij mensis* VIII : *cuius Corpus Veneti religiosè nunc colunt ; multa enim variaque & atrocia passus, tandem similem Andreæ prædicto vitæ exitum habuit, vinctis pedibus raptatus per saxa, anno Incarnati Verbi* DCCLXXVI : *atque hi sunt illi quatuor, quorum vt Constantinopoli passorum commune festum indicunt Menæa ad* XXI *diem Octobris his verbis :* Τῶν ἁγίων νεοφανῶν μαρτύρων Ἀνδρέου, Στεφάνου, Παύλου καὶ Πέτρου *Sanctorum nouorum Martyrum Andreæ, Stephani, Pauli, & Petri. Ceterùm ab hoc numero excipit Paulum, de quo hoc die commemorationem facimus extremum ignis supplicium : ad quod etiam alludit adiectum in excusis Menæis distichum, genus caussamque martyrij exprimens:*

B

in Romano Martyrol. translatus.

à Martyribus CP. diuersus est,

Ζῆλος διεξέκαυσε Παῦλον εἰκόνων,
Ὡς φλὸξ δ᾽ αὐτοῖς ἐξεκαύθη καμίνου.

Vssit sacrarum zelus iconum Paulum :
Fornacis ideò vt flamma sic deflagrauit.

Quâ ratione ea res acta [illegible] *quo loco & quo indice iuuat ex ipsis S. Stephani Actis, prout apud Lipomanum & Surium extant, mutuari : sic enim in ijs narratur.* Quadam autem die vnà cum ceteris captiuis sedente viro diuino [Stephano] de suppliciis illis, quæ iustis viris ab iniquis impijssimi Imperatoris Præfectis varijs locis illata fuerãt, sermo exortus est. Siquidem in medium progressus Antonius quidam, è Cretâ oriundus, vir fortis, & qui fortibus certaminibus egregiè defunctus fuerat ; Quonam modo, inquit, præclara monachi Pauli certamina vobis ob oculos proponere queam ? aut quonam pacto ea sine lacrymis commemorem ? Princeps quidam Cypri Præfectus erat, nomine Theophanes, cognomento Lardotyrus. Hic cùm sanctum virum, vt in eum inquireret, accepisset, ad Heracliti prætorium eum duxit. Proposita autem erat humi Christi in cruce protensi imago, vnaque item cruciatus instrumentum, quod catapultam vocant. Atque ad illum Præfectus, scelesta, inquam, illa lingua, atque iniquitatem in Excelsum loquens : Vnum è duobus tibi, Paule, proponitur : nimirùm vt aut calcatâ imagine vitam obtineas, aut vt hoc tormenti genere discrucieris. Hoc autem dicens puerorum laruis leonem perterrefacere velle videbatur. Statim enim generosus ille vir magnâ voce exclamans, Absit à me, inquit, Domine Iesu Christe, vnigenite fili Dei, vt theandricam hanc imaginem pedibus teram. Atque hæc locutus, statim humi se curuans osculum ei fixit ; reipsâ planum faciens, quàm nihil iudicis minas moraretur. Ille itaque confestim iracundiâ totus æstuans, nudari sanctum virum, atque in catapultâ extendi iubet. Vbi cùm tortores duabus tabulis ipsum firmissimè compressissent, ac ferreis pectinibus totum ipsius corpus exarassent, prono capite suspenderunt : ac deinde non exiguo igne infra eum accenso, ita demum holocaustum Deo gratum ipsum effecerunt.

in Cypro sub Theophane Præfecto

C

quia Crucis iconem conculcare renuit

E

tortus & combustus:

Hunc autem Paulum in Cypro, non Constantinopoli, passum, illum esse de quo Menologium atque Menæa agit (proindeque & menologium secutus Baronius, in iis solis deuians à vero quæ adiecit ex suâ coniecturâ) constare videtur ex memoriâ Confessoris Theosterićti, præcitatam Pauli commemorationem immediatè subsequente in Menæis æquè ac Menologio, itemque in Actis S. Stephani. Nihil itaque restat quàm vt lectorem moneamus ideò circa annum DCCLX *mortuum à nobis constitui Paulum ; quia S. Stephanus Martyrium pertulit anno eiusdem seculi* LXVII : *propositæ autem narrationis series exigit vt aliquanto tempore ante illum ad palmam noster hic Paulus peruenerit.*

ut est in Actis S. Stephani,

an. 767 passi.

F

DE S. THEOSTERICTO CONFESSORE SVB CONSTANTINO COPRONYMO.

SECVLO VIII *Nomen fastis inscriptum*

Eodem die S. Theosterictus pro earumdem imaginum defensione in pace consummatus migrauit ad Dominum, *inquit Menologij auctor ; aut potiùs occasione iam relati Pauli , cùm dies mortis incomperta esset, migrasse commemoratur hoc die : ne disiuncta recolerentur nomina eorum, quorum certamina coniunctim scripta reperiebantur. Menæa excusa sequens distichon eidem canunt.*

Στήριγμα πίστεως καὶ μεταστὰς ἐκ βίου
Τὰς σὰς Θεοστήρικτε πρεσβείας δίδου.

Tuæ fidelem fulciant populum preces,
Deo, Theosterićte, quas fultus feres.

Allusio fit ad nomen Theosterićti, *Deo fultum significantis: cuius non vanam nactum esse appellationem multiplicia monstrant certamina: prima quidem in monasterio Pelecetæ, quod in Asiâ est tolerata, quando Copronymianæ minister crudelitatis Lachnodracon, impetum faciens in ouile Christi, monachorum gregem ad sacrosancta mysteria celebranda ipso magnæ quintæ Feriæ die collectum, magnâ cum rabie inuasit ; & selectos quidem triginta octo vinciri iussit exquisitius cruciandos, quorum festum diem cum Romano Martyrologio egimus* XII *Ianuarij* : reliquos verò partim verberibus crudelem in modum lacerauit, partim eorum barbam pice illitam exussit, naribus priùs amputatis. Quorũ numerum ipse quoque augeo, quemadmodùm faciei notæ certissimè testantur, *inquit ipse Theosterictus, verbis citato iam die prolatis narrans rem gestam , coram S. Stephano in eius Vitâ, cui tunc erat particeps & carceris & ærumnarum, multa & anteà & posteà passus. Quæ quia litteris commendata non sunt, nunc quidem in obliuionem apud homines venêre, sed Deo permanent vsquequaque notissima : cui & Superis notum etiam est, an Martyrij palmam post S. Stephanum ipse quoque obtinuerit , quod de multis illius concaptiuis admodum est credibile: an verò, quod Græcorũ fasti innuunt, Ecclesiam sub piissimâ Irene & filio Constantino pacatam relinquens & ipse in pace requieuerit, ostensurus supremo agonothetæ Deo* nasum abscissũ & genas feruenti pice ac bitumine illitas, miserumque in modum ambustas : *vt non ipso martyrio, sed martyrium ipsi defuisse dicendum sit. Meminit eiusdem hoc die Ferrarius in catalogo generali, citatoq; menologio perperam nominat* Theotenistum.

In monast. Pelecetæ

nares abscissus & barbâ exustam sibi

narrat in carcere coram S. Stephano.

DE

DE B. IVLIANO VRIO PATAVII IN ITALIA.

XVII MARTII.

Inter frequentia Patauij excidia

1 

PAtauinam vrbem, inter Cisalpinas antiquissimam simul & nobilissimam, à S. Prosdocimo Petri Apostoli discipulo fide Christianâ imbutam, multiplex identidem ruina afflixit, numquàm sic euertit, quin redeuntibus in sedes desolatas incolis rursum exurgeret è cineribus rediuiua. Eamdem cum vrbe fortunam templa, eamdem passa sunt Sanctorum corpora in templis religiosè asseruata: quorum hæc, Deo conseruante ac mirabiliter ad afflictorum ciuium solatium reuelante, honori pristino arisque restituta; ista maiori etiam quàm vnquàm anteà magnificentiâ restaurata sunt; imprimis S. Iustinæ augustissima basilica, quam anno MDCLX visentes singulari cum sensu iucundissimæ voluptatis fuimus admirati: sic tamen vt vehementer doleremus, non potuisse simili ratione reparari damnum antiquorum monumentorum olim de ijs Sanctis scriptorum, quorum corpora istic erant per altaria distributa. Supersunt tamen hinc inde non pauca, quæ deficientium Actorũ desiderium leniant, atque imprimis historia inuentionis SS. Maximi, Iuliani & Felicitatis.

seruata Sanctorum corpora.

B

Historia inuentionis an. 1147

2 *Hanc igitur accipimus ex Cauaccio, ignoto quidem nobis hactenus auctore, sed cuius ex alio veteri ac fortè tum viuente rem, vt gesta est, transcribentis verba fideliter adnumerata reperimus apud Ferdinandum Vghellum tom. 5 Italiæ sacræ col. 414, vbi de Bernardo Maltrauerso agit anno MXLVIII ex vetustissimâ Comitum Patauinorum familiâ ad Patauinæ Ecclesiæ infulas translato, eamq; per nouem annos insigni pietatis laude & rerum gestarum gloriâ illustrante.* Huius labores, *inquit Cauaccius citatus* æternâ post obitum mercede compensandos, etiam inter mortales voluit Deus spirituali solatio recreare. Dormienti aliquando Episcopo adstitit senex, heroicam maiestatem & dignitatem vltra hominum conditionem præseferens, asseruitque à Deo nuntium aduenisse, vt quorumdam Sanctorum corpora ex abditis locis eruerentur, quæ congruâ veneratione suscepta Patauinæ vrbi præsidio forent, eamque diris olim subiectam proprijs meritis expiarent. Inde visus Episcopus cum eo in templo S. Iustinæ descendisse, iubetur locum inspicere inter aram sanctæ Dei Genitricis & sepulcrum B. Prosdocimi; vbi corpora S. Iuliani ac trium Innocentium, quæ idem, sæpè pietatis caussâ Hierosolymam profectus, Patauium retulerat. Inde senis ductu prope fores oratorij ad læuam, docetur recondita esse corpora S. Maximi Episcopi & Felicitatis Virginis: mox senis aspectus ac quies abijt. Sensit ex eâ Bernardus agi diuinam rem, quæ ab ipso omnium bonorum auctore maioribus adhuc esset obsequijs expetenda. Itaque communicatis, quæ per quietem aspexerat, Clericis ac religiosis viris, populo etiam sacrum ieiunium indixit. Triduo exacto, idem ad templum S. Iustinæ frequens accessit, vbi Bernardus sacris operatus ad eumdem sermonem habuit, atque Deum optimum Maximum ad hæc sibi populoque propitium deprecatus est.

per visum admonito Episcopo,

C

qui præmisso ieiunio

3 Accepto rastro indicata per quietem loca fodere cœpit: cuius exemplum plerique religiosi viri secuti, postquàm vltra senos pedes fodissent, tres arcas marmoreas inuenêre vncis ferreis firmatas: ex quibus repentè splendor maximus, & odor suauissimus oratorium suffudit. Splendore sublato arcæ apertæ sunt: quarum prima S. Maximi corpus habebat, & ad caput ipsius sculptum lapidem: Hic requiescit Maximus secundus à Prosdocimo Episcopus, qui huius mundi vitam Domino tribuit, vt sempiternam habere mereretur in cælis. Alia viri integrum corpus, & seposita trium puerorum ossa retinebat hac inscriptione: Hic conditus est Iulianus vir Christianissimus, qui cùm sæpè à sepulcro Domini reuersus esset, ac tandem tres Innocentes secum detulisset, perrexit ad Christum: quapropter in vnum collocati hîc requiescunt. In aliâ, quâ fœminæ corpus claudebatur, lectum est: Hic est sepulta Felicitas illustris fœmina, sacro velamine dicata, quæ diu noctuque in Dei seruitio persistens in cælis suscepta est.

fodi præcipit.

inueniuntur S. Maximus,

B. Iulianus cum 3 Innocentibus,

& B. Felicitas:

Inscriptiones vti eumdem auctorem sapiunt, ita & eamdem ætatem; nempe quâ metu barbarorum sacra corpora absconduntur. De B. Iuliano, præter ea quæ etiam referuntur à Scardeonio, nihil apud nos est. B. Felicitatem scribit Vngacellus præfuisse monialibus cœnobij D. Iustinæ: Scardeonius in monte Robellonis eremiticam vitam duxisse. Sanctorum corpora decentiùs collocata tum multis miraculis coruscarunt; & plerique cæci, surdi, debilesque leguntur in Actis conualuisse, multi etiam à dæmonibus obsessi pristinam quietem recepisse. Aguntur hæc anno MLIII Henrici II Cæsaris anno XIV, quo Leo Pontifex ex Pannoniâ diuertit Patauium: vbi exceptus à Bernardo nuperrimam Sanctorum reuelationem, & patrata indies miracula edocetur. Mouerunt ea Leonem vt præsens cognosceret, & Sanctos Dei deprecaretur suscepti itineris comites. Accedens ad ecclesiam B. Iustinæ, Ioanni Abbati ac monachis ad sacros pedes prouolutis benedixit, solenni ritu litauit, atque vrbem ab anathemate dissoluit. Vt etiam Sanctorum memoria vbique celebrior esset, eosdem Albo Diuorum adscripsit, & festo die honestauit: qui hactenus solennis apud nos habetur IV Nonas Augusti: nempe, quo reliquiæ eorum repertę sunt.

quos Pataui transeuns Leo IX

E

Sanctis adscribit.

5 *Hactenus ille. Paria ferè scribuntur à Scardeonio, profitente* ex antiquis ac fide dignis monumentis *ea haberi: sed hæc leuiori oculo perlecta dum ipse suo ac breuiori stylo complecti conatur, omissæ sunt nonnullæ rerum ac personarum circumstantiæ, haud modicè ad complementum narrationis facientes: & hoc imprimis capitale, quod de tribus arcis totidemq; inscriptionibus iam audiuimus, in hunc modum est mutatum:* Arca marmorea ferreis laminis circumcincta effoditur, quæ adhuc superest, & tabula lapidea his litteris insculpta: Maximus Episcopus Patauinus II. Iulianus Patricius vir nobilis, qui Sanctos hos Innocentes Hierosolymis huc apportauit, & Felicitas Deo consecrata. *Idem anteà dixerat: prædicta* corpora intra altare D. Mariæ Virginis & S. Prosdocymi delituisse: *quod de solo Iuliano & Innocentibus legerat: atque* olim ibi tempore Attilani excidij defossa fuisse: *quod etsi negare non volumus, haud tamen satis certò ex hac illius fortasse coniecturâ audemus affirmare. Nam post excisum ferro flammâq; ab Attilâ Patauiũ anno CCCCLII & continuam centum ferè annorum desolationem, restauratum illud à Narsete est, & rursum euersum ab Agilolpho Longobardorũ Rege anno DCI: denique eorumdem posteà deleto imperio, sub Carolo Magno & Francorum Regibus restitutum, & ab Hungaris bis incensum; rursusq; reædificatum à Germanis, qui in regno Italiæ successêre, pristinum decus & splendorem recepit, vt scribit multa paucis complexus Vghellus. Adeoque incertum manet, non tantùm an ante Attilam vixerint sepultiq; istic sint Iulianus & Felicitas; sed etiam an omnino diu ante Hungarorum irruptiones, quas in seculi decimi annos II, XXIV & XXXVII Cardinalis Baronius refert: iterum tamen fol. 105 editionis Basiliensis asserit Scardeonius* vixisse Iulianum florente adhuc Patauina Republicâ, diu ante vrbis excidium: *illud vtique quod suprà notauerat.*

Scardeonij narratio hinc inde varia:

F

coniectura de eorumdem ætate

non satis fundata.

6 *Arnoldus VVion cùm ad 11 Augusti retulisset* Canonizationem Sanctorum omnium, qui in cœnobio S. Iustinæ requiescunt (*in quâ tamen de solis tribus actum erat*)

VVionis testimonium de cultu singulari,

A *erat) subnotat sequentia*: Præsentem horum Sanctorum Canonizationem ideò hic apposuimus quòd inter eos fuerint tres Ordinis monastici (*videlicet Benedictini, de quo solo scribit*) professores, S. Arnaldus Abbas scilicet, S. Vrius monachus, & S. Felicitas sanctimonialis; de quibus latius egimus in eorumdem natalibus, qui summâ cum veneratione populique frequentiâ vsque ad annum proximè præteritum sacræ Quadragesimæ tempore à monachis soliti erant obseruari: sed quâ ratione aut quâ vrgente causâ aboliti fuerint mirari satis non possum; cùm ab ecclesiâ pro Sanctis habeantur, vt ex præfatis liquet. *Tam opportunum publici cultus vsque ad annum* MDXCIV *continuati testimonium, meretur sanè vt error circa Arnaldum commissus, in tantâ rerum præteritarum obscuritate ignoscatur: quòd autem Ordini suo B. Felicitatem ascripsit ac S. Vrium, ignoscendum priuato illius affectui; cui quidem locus esse nullus posset in opinione Scardeonij eos Attilano excidio priores facientis. Nunc verò cum nihil constet de ætate aliud, quàm quod vndecimum seculum viuendo præcesserint, nolumus de hac re altercari: quandoquidem potuerit Vrius (vt de Felicitate taceamus) extrema ætate religiosa vota professus, aut in habitu saltem religioso mortuus esse, quamuis eius rei nulla fiat in epitaphio mentio.*

& præsumptio quod Benedictinus fuerit B. Vrius,

B 7 *Vrius, inquam, idem qui alijs in ipsoque epitaphio Iulianus: nam ad hunc* XVII *Martij de ipso Arnoldus VVion agens:* In Kalendario, *inquit*, peruetusto cœnobij S. Iustinæ huius natalis notatur hac die; de cuius Actis aliud cognoscere non potui, nisi quod Sanctorum quorumdam Innocentium Reliquias illuc asportauerit, & post multos in religione perpessos labores miraculis clarus quieuerit in pace. Iacet in altari quodam illius ecclesiæ. Canonizatus est à S. Leone Papâ IX die 11 Augusti: *Vt omnino necesse sit eumdem, nomine Iulianum, Vrium fuisse cognomine, vel hoc ex illo corruptè formatum: cum nihil appareat veri-similitudinis, vt tam solenniter declaratus Sanctus præteritus fuerit in Kalendario; alius autem in eum relatus, qui quis qualisue fuerit omnino ignoretur. Eumdem* D *autem esse, suadet illa de Innocentium corporibus per Vrium ad Patauinos delatis opinio: quo etiam argumento iudicamus, eiusdem Beati corpus fuisse, quod iterum cum Sanctorum Innocentium corporibus primum sese aperuit, anno* MCLXXVII, *quando rursum sub Episcopo Gerardo Pomadellâ, paci inter Fridericum Imperatorem & Alexandrum III Venetijs sanciendæ, pacandæq; post tot iactationes Italiæ, priuata Patauinæ vrbis prælusit lætitia, in Sanctorum corporum iteratâ inuentione: quorum priore seculo restaurata sub Bernardo Episcopo monumenta, ipsius sacræ ædis totiusque vrbis cineribus obuoluerat sepelieratq; vorax incendium, cuncta ferè vrbis nobiliter restaurata ædificia publica priuataq; populatum.*

idem qui Iulianus,

rursum an. 1177 cum iisdem Innocentibus refossus,

8 *Narrantur hæc in relatione tum conscriptâ, & à nobis Mediolani ex Ambrosianæ bibliothecæ MSS. erutâ: sed cuius auctor ita totus fuit in admiratione corporis S. Lucæ Euangelistæ, tunc ibidem reperti: vt nullius alterius distinctè meminerit nisi S. Iustinæ, idque obiter valdè; prius tamen Sanctorum Innocentium sub hac formâ:* Lapidum itaque dissoluendo compaginem binas repererunt capsellas odoriferas, vnam marmoream, alteram verò plumbeam, in quibus erant Innocentum corpuscula collocata: *quod sic intelligimus vt marmorea arca ossibus B. Iuliani tegendis comparata, concluserit etiam capsellam plumbeam dicta corpuscula continentem. Cur enim post primam inuentionem* E *credemus fuisse distinctos, quos maiores tantâ ratione coniunxerant? Et hos quidem vnà cum ceteris Sanctorum lipsanis in suscitatâ à ruinis æde, non dubitamus perquàm honorificè collocatos fuisse, ex eoque obtinuisse vt singulorum festa diuersis celebrarentur diebus, ijs fortasse quibus, procedente opere, reperta sunt corpora singula, quorum sub Leone IX commune duntaxat fuerat festum institutum: quæ tamen desita sint paullatim obseruari, postquàm anno* MDLXII, *translatis è veteri in nouum templum Sanctorum corporibus, tribus qui Beati dumtaxat habebantur Arnoldo, Vrio & Felicitati communis instituta est translationis celebritas* XIV *Martij sicut diximus.*

& an. 1562 in nouam ædē translatus.

DE B. THOMASELLO

ORDINIS PRÆDICATORVM.

PERVSII IN VMBRIA.

AN. MCCLXX XVII MARTII. Corpus sub arâ maiori

HAbet religiosissimus Fratrum Prædicatorum Ordo insigne Perusij monasterium ac templum: quod cùm anno MDCLX, in itinere Romano digressi aliquantulum, adiremus die XVI Decembris C Sanctorum, si quæ ibi essent, reliquias cognituri, & imploraturi preces; ducti perquàm humaniter sumus ad summam illius templi aram, quæ retro versus chorum patens, continebat nouam ac splendidam arcam, quam pendula sub eodem altari lampas perpetuo illustrabat fulgore. Atque ne dubium esset cuinam hic honor exhiberetur, faciebat inscriptio hisce verbis concepta.* Corpora B. Nicolai de Iuuenatio socij B.P. N.Dominici, huius Conuentus fundatoris, & B. Thomaselli Perusini, discipuli S. Thomæ Aquinatis, ex veteri ecclesiâ, vbi piè à fidelibus conseruabantur, huc translata anno Domini MDCXXXVIII. *Plura per absentiam R.P. Prioris non potuimus discere, nec submissa sunt quæ post eius reditum promittebantur ex vetusto monasterij codice documenta. Neque verò, inspectis ijs quæ Ioannes Michaël Piusparte 1 lib. 1. de viris Illustribus Ordinis S. Dominici, atque post eum Ludouicus Iacobillus tom. 1. de Sanctis ac Beatis Vmbriæ diligentissimè collegerant, visum est opera pretium porrò expectare in incertum.*

cum corpore B. Nicolai

Elogium ex Mich. Pio

Itaque quæ prior iste § 197 Italicè scripsit, hic Latinè reddimus. Tomasellus Perusinus, natione Hetruscus, dubium sanctitate an doctrinâ clarior fuit: doctrinam à magistro suo S. Thomâ Aquinate hausit, sanctitatis & sui mortificādi studium ingens in eo declarauit, quòd cilicij loco, sago ex ferreis annulis contexto vtens, iuerit redieritque Neapoli. Spiritu donatus Prophe- F tico, vno antequàm moreretur anno, migrationem suam prædixit; & multis miraculis honoratus, in ipso adolescentiæ flore, annos dumtaxat natus viginti octo, viuendi finem fecit, circa annum MCCLXX in vrbe patriâ: vbi pro eximiæ sanctitatis opinione seorsim à reliquis Fratribus sepultus in ecclesiâ veteri, currentibus deinde annis eleuatus atque honoratiorem in locum translatus fuit, vnà cum corpore B. Nicolai Iuuenacij.

socius eadē in tumbâ B. Nicolaus,

Huius Nicolai olim non satis nobis cogniti Acta, aliàs ad diē XI *Februarij referenda, in dicti mensis supplementum seruamus: nunc ad B. Thomasellum quòd attinet ex Iacobillo addimus, mortuum esse hoc die; & vnà cum prædicto corpore supra maius altare prioris ecclesiæ, in arcâ ex rubro lapide decenter excisâ, fuisse collocatum; postquàm è proprio tumulo hic esset eductus, iste de subtus altari, quod dicitur eius nomine insignitū fuisse. Addit imaginē Thomaselli in varijs Conuentus istius loci radioso lumine circumornatam spectari: nominatim autem in maiori picturâ, varios Dominicani Ordinis Beatos & ipsius Conuentus illustres viros repræsentante, cum hoc lemmate:* B. Thomasellus Perusinus, discipulus S. Thomæ, an. MCCLXX.

Imagines cum radiis

XVIII MARTII.

SANCTI QVI XV KALENDAS APRILIS COLVNTVR.



Anctus Alexander Episc. Hierosol. Martyr, Cæsareæ in Palæstinâ.

Sancti Decies mille Martyres Nicomediæ in Bithyniâ.

S. Trophinus, S. Eucarpion, & Socij, } Martyres Nicomediæ in Bithyniâ.

S. Collegus, S. Collotus, } Diaconi. S. Pamponius, S. Mineptus, S. Rogatus, S. Quartinus, S. Saturus, S. Marinus, S. Quintasius, S. Iemsolius, S. Martius, S. Rogatus alter, S. Samphoranus, S. Aurelius, S. Capilledus, S. Dionysius, S. Ianuarius, S. Victor, S. Conuotus, S. Simporius, & Socij VIII, } Martyres Alexandriæ in Ægypto.

S. Maria, S. Aprilis, S. Seruulus, & Socij XXIII, } Martyres Nicomediæ in Bithyniâ.

S. Quintus, S. Rogatus, S. Ingenuus, S. Quartilla, S. Rogata, S. Lucianus, S. Aurilius, S. Saturninus, S. Victor, S. Maurus, } Martyres in Campaniâ.

S. Curentus, S. Timotheus, S. Saldia, S. Felicianus, S. Iocundus, } Martyres in Mauritaniâ.

S. Candidus Martyr Romanus, Cinguli in Piceno.

S. Narcissus Episcopus, Apostolus Augustanus, S. Felix eius Diaconus, } Gerundæ in Hispaniâ.

S. Cyrillus, Episcopus Hierosolymorum.

S. Braulio Episcopus Cæsaraugustanus in Hispaniâ.

S. Eduardus Rex Angliæ, Martyr.

S. Anselmus Episcopus Lucensis, Mantuæ in Italiâ.

B. Bartholomæus ab Anglario, Sacerdos Ord. S. Francisci de Obseruantiâ, Empoli in Etruriâ.

B. Saluator de Horta. Ord. S. Francisci de Obseruantiâ, Calari in Sardiniâ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REIECTI.



Itus Episcopus *refertur hoc die in Martyrologio Coptico Seldeni. Vitam dedimus* IV Ianuarij.

S. Gilduini Dolensis in Britanniâ Armoricâ Canonici Translatio *consignatur hoc die à Saussaio & Bucelino. Nam hic (quod ex Saussaio transcripsit) ait, eum in monasterio S. Petri de Valle siue in Valleâ, quod tunc erat in suburbio Carnotensi, nunc in vrbe est*, religioso suscepto schemate miros in omni virtute profectus fecisse, donec in perfectâ sanctitate vitâ consummatâ ad repositam filiorum Dei hæreditatem, lætus de imminenti gloriâ profectus est. *Ast in Vitâ à Monacho illius cœnobij paullò ante eius translationem scriptâ, solum dicitur, dum Româ Dolam redit Carnutum se recepisse*, & ad hoc monasterium S. Petri orandi simul & hospitandi gratiâ vel deductum à caris suis vel delatum, *tandem ibi increscente febrium ardore extinctum. Quæ pleniùs clariusque traduntur in Vitâ, quam edidimus.* XXVII Ian.

Theodori Martyris translatio *memoratur à nonnullis, vti ad eius Vitam diximus.* VII Febru.

Faustinus & Iouita } *Martyres memorantur in MS. Adone monasterij Lobiensis. Varia Acta dedimus.* XV Februarij.

S. Finianus

S. Finianus siue Finnanus Episcopus & Confessor, sub Rege Ferchardo II. anno 660. Officium 9 Lectionum habet hoc die in Breuiario Aberdonensi, totum de communi exceptâ oratione: difficulter adducimur vt eum diuersum credamus à S. Finnano, ex Hiensi in Scotiâ Monacho Episcopo Lindisfarnensi in Angliâ, cujus ex eodem Breuiario Acta dedimus in Februario. Demsterus certè in Menologio Scotico Northumbriæ Apostolum vocat; & Demstero credulus Ferrarius in Cathalogo ait in Northumbriâ fidem Christi disseminasse ad annum 661. ait que de eo agi lib. 6. hist. Scot. scriptorum, Demsteri historiam intelligens: qui fusè istic de prædicto Finnano S. Aidani successore, eumque dicit coli XVI, nos XVII Februarij.

Est & alius S. Finanus in Scotiâ, cujus vitam habet Capgrauius, de quo agemus X Septemb.

S. Apiani Episcepi & Confessoris reconditio celebratur à Greueno, Molano, Canisio & Ferrario. Forsan intelligitur S. Apianus Monachus & Confessor: qui per errorem Episcopus habitus, cuius Acta dedimus IV Mart.

Gertrudis Virgo Niuellensis memoratur in Vsuardo MS. S. Germani Parisijs & alijs, & colitur Officio Ecclesiastico à Canonicis Regularibus Lateranensibus. Vitam dedimus XVII Martij

S. Aninas, siue Ananias, solitarius Thaumaturgus, in synaxario collegij Parisiens. Soc. IESV, & MSS. Menæis ibidem in Conuenicis Virginis Annuntiatæ XVIII. Martij refertur. De eo egimus, alios secuti XVI Martij.

Festum VII. Dolorum Deiparæ Virginis multæ Ecclesiæ celebrant ac religiosæ familiæ, sed diuersis diebus, vti ad hunc edisserit Franciscus Laherius noster in Menologio Virginum; vbi septem illos dolores enumerat & explanat.

Gordianus Monachus Casinensis, S. Placidi in Siciliam euntis comes & Martyrij scriptor, Sancti titulo honoratur in MS Chronico Casinensi; & ab Octauio Caietano nostro Sanctis Siculis adnumeratur hoc die, tanquam Syracusis mortuus: quod & Ferrarius facit citatis Ecclesiæ Syracusanæ tabulis, ex ideâ dicti Caietani: qui deinde in Vitis Sanctorum Siculorum tom. 1 fol. 187 post inuentionem SS. Placidi & sociorum, eiusdem Gordiani velut Beati elogium texuit, dicitque Græcis litteris apprimè eruditum fuisse, & S. Benedicti magisterio subiecisse se eo tempore quo Tertullus Patricius de monte Casino donationem fecit.

Conallus Episcopus ex Tamlactensi Martyrol. & Mariano Gormano hodie innotescit: cultus nequaquàm: multò minùs ex Synodi Patricianæ Canone illo quem refert Colganus; quo multatus Ecclesiæ suæ humilitate dicitur à Patricio, quòd indignos aliquos ordinasset: aut ex vitâ S. Attractæ sororis; quam sancto quidem rigore noluit loco suo vicinam, sed tamen diræ imprecationis pœnam visus est ab eâ promeruisse: qui duone, an vnus, & hîc nominatus sit, incertum existimamus.

Maidocus de Cluain-Esrach hoc quidem die refertur in Martyrologijs Hibernicis, à Colgano tamen, tam in Appendice ad Acta S. Maidoci Fernensis cap. 1 quàm in Indice, dicitur XIV Martij coli; ipse in Martio neutro die illius meminit.

Thomanus Episcopus ijsdem in Martyrologijs est, sed nobis æquè ac Colgano ignotus; nisi fortè is sit qui etiam X. Ianuarij memoratur, aliàs Tomienus & Tomianus Ardmachanus: de quo Colganus ad dictum diem.

Caimanus Episcopus: refertur à duobus Hibernicis martyrologijs sæpè nominatis & nominandis: Colganus credit eum esse, quem S. Adamnanus in Vitâ S. Columbæ appellat Commanum honorabilem Presbyterum: quod non magis probat quàm aliquod vestigium adfert Ecclesiastici cultus eidem apud Hibernos vel Hienses delati. Marianus Caimanum habet & Commanum Episcopum tamquam duos.

Eguiualdus Abbas Waldheimensis in Saxoniâ, S. Willibaldi primi Eystettensis Episcopi institutor, Ewaldus nominatur ab alijs, & sic hoc die Sanctis inuenitur adscriptus in Kalendario MS. Sanctorum Ordinis S. Benedicti, in Monasterio S. Saluatoris Antuerpiæ ante sesqui-seculum compilato. Nos alibi de eius cultu nihil inuenimus.

Constantius Casinensis Monachus à Petro Diacono in MS. de ortu & vita Iustorum laudatus, fontem precibus elicuisse, & post mortem à mercatore in Adriatico periclitante inuocatus vt Sanctus, tempestatem sedasse narratur: ideò Butelinus eum Beati titulo volens honorare, hunc ipsi diem appropriauit.

Ioannes III. Abbas Casinensis XII. Kal. Aprilis excessit è vitâ, vt testatur M. Antonius Scipio in Elogijs Abbatum, & Gabriel Bucelinus in Menol. Benedictino: sed hic Beatum nuncupat, non ille.

Christianus primus Abbas Mellifontensis propè Pontanam ciuitatem, deinde Lismorensis Episcopus atque Apostolicus per Hiberniam Legatus, vbi Concilijs duobus præsedit, habitis an. 1152 & 1157, ab Anglicano Martyrologio & Arnoldo Wion in Martyrologio Benedictino Sanctus vocatur hoc die: ex quibus eum accepêre Ferrarius in Catalogo, & Hugo Menardus, ijs, quos priores commisêre, & Colgano confutandos reliquêre erroribus, nouos substituentes: quibus hic eum fingit Episcopum Ardmachanum, ille Dunensem. Vitam ejus, sæpiùs promissam sibi, quia habere Colganus non potuit, analecta quædā dedit ex varijs. Nos quia nemo profertur antiquus qui Sanctum vocauerit vel Beatum, nec aliud vllum cultus indicium, differimus de eo agere, si fortè reperta aliquando Vita plus lucis adferat.

Honorius Papa cum Beati titulo à Martyrologio Tamlactensi & MS. Florario refertur hoc die, quo mortuus est anno MCCXXVII Honorius III. at in Florario dicitur sepultus in Ecclesia Sancti Petri anno salutis DC XXXIV. quod ferè conuenit Honorio I. quatuor annis pòst mortuo, & idem exigit vetustas Martyrologij Tamlactensis. Verùm additur, anno Pontificatus sui XII, quod conuenit nemini istius nominis: sicut nec titulus Beati vlli Honorio inuenitur ab Ecclesiâ Romanâ tributus.

Martinus Perusinus ex Ordine Prædicatorum, Narniensis & Reatini Conuentuum Fundator, Perusij hoc die mortuus anno 1276, ex Razzij & Michaëlis Pij auctoritate & nescio quâ in Conuentu Perusino imagine Beatis Vmbriæ accensetur à Ludou. Iacobillo; nobis istic quærentibus solùm monstrauêre Patres Dominicani duorum, de quibus jam egimus die præcedenti, Beatorum corpora sub altari; huius nec mentionem quidem fecêre.

Ioannes Burgi, â Caluinistis in Normanniâ interfectus anno 1521.

Alphonsus de Molinâ, nouellæ in Mexico vineæ zelosus cultor defunctus anno 1580. Onuphrius Laicus, cum aliquâ sanctitatis opinione mortuus Romæ anno 1588. Illuminata Bembi, Sanctæ Catharinæ Bononiensis socia: etiam à Masino in suâ Bononiâ illustratâ nuncupatur Beata: ceteris Arturus à Monasterio eam appellationem in Martyrologio Franciscano indulget, nullâ Ecclesiasticâ auctoritate roboratam.

Teudorus Presbyter
Leontius Episcopus
} hodiernum diem implent in perbreui S. Maximini Treueris MS. an Theodorus & Leontius? de quibus seiunctim plures die sequenti XIX. Martij.

S. Vulfranni Episcopi cultum Ecclesia Vltraiectina ad hunc diem retraxit: quia Officio duplici S. Ioachimi impeditur dies proprius XX Martij.

Paulus,
Cyrillus.
Eugenius,
Et alij IV.
} Martyres, relati in MS. Codice Casinensi ab alys XX. Martij.

Alexandria, Claudia, Euphrasia, Matrona, Iuliana, Euphemia, Theodosia, } Martyres Amisi *celebrantur in MS. Synaxario Claromontano. Nos infrà* xx Martij

Pigmenius Presbyter, Martyr Romæ, *refertur in MSS. Vltraiectino, Aquisgranensi, Barberiniano & alijs. Est in Rom. Martyrologio* xxiv Martij.

S. Gabriëlis Archangeli *Festum in multis Hispaniæ Ecclesijs & Ordinibus religiosis: nos cum Orientali Ecclesiâ de eo agemus* xxvi Martij.

S. Tetricus Episcopus Autissiodorensis & Martyr, *refertur hoc die à Galesinio, Canisio & Ferrario, quorum die martyrio vitam finiisse tradit Ioannes Chenu in Chronologiâ Episcoporum, alij referunt* xvi Martij. *vt ibidem diximus. At Breuiaria Autissiodorensia habent eum* xii Aprilis.

Landricus Episcopus Meldensis *memoratur in martyrol. MS. Bruxellensi S. Gudulæ, in alijs* xvii April.

Herlucæ Virginis *vitam scripsit is, qui & Gregorij VII res gestas, Paulus Bernriedensis à Gretsero editus, tertio ab obitu eius anno, &* Beatissimam *appellauit:* Beatam *Raderus in Bauariâ sanctâ: Gretserus Hundium ex Auentino testem producit eius in Bernriedensi monasterio sepultæ: Raderus id auget & conditorium eius ibi coli dicit. Arturus à Monstier in sacro Gynæceo hunc ei diem tribuit pro suo arbitratu. An rectè, diiudicabimus fortè ex Bauariâ edocti ad diem, quo mortuam Labierius scribit in Menologio Virginum* xviii Aprilis.

SS. Principini & Tridorij Mart. } *corporum exceptio ex Franco-gallico Philippi Labbei Hagiologio habetur: incertum an in Basilicâ Bituricensi (cuius dedicatio præmittitur) S. Mariæ & S. Symphoriano Sacrâ. Saussayus etiam Principini Martyris ad Cœnobium Siluianense in Aruerniâ translati meminit mense sequenti, quando fortassis plus lucis affulgebit die* xviii Aprilis.

Anselmus Episc. Cantuariensis *refertur in Calendario Missalis antiqui Mediolanensis, item Meldensis Breuiarij. Colitur* xxi Aprilis.

S. Petronillæ Virg. corporis reseratio & repositio *recolitur in Cœnobio S. Mariæ de Barre, quæ superiori seculo sub Eitaldo Suession. Episc. facta, vt testatur Saussayus & Arturus in Gynæceo sacro, vbi & alia de eiusdem Virginis Reliquijs notat. Colitur* xxxi Maij.

S. Speciosæ Virg. sororis S. Epiphanij Ticinensis Episc. *cuius vitam à S. Ennodio eius successore scriptam edidimus* xxi *Ianuarij, & historiam translationis à Cataneo Hisdesheimensi, in quâ & mentio fit asportatarum S. Speciosæ Reliquiarum. Molanus & Greuenus in Auctario ad Vsuardum, Ferrarius, Galesinius, Canisius solùm id habent:* Item S. Speciosæ Virginis. *Distinctiùs Arturus:* Ticini Translatio S. Speciosæ Virginis. *Nam vt idem notat, & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ indicat, natalis eius est recolendus* xviii Iunij.

Maria soror Lazari *memoratur in Menæis Græcorum de eâ acturi sumus* xxii Iulij.

Luxorius, Cisellus, Camerinus, } Martyres *referuntur à Greueno. Sunt in Sardiniâ passi* xxi Augusti.

S. Geremarus Abbas *memoratur à VVitfordo. Colitur hic Sanctus* xxiv Septem.

S. Frigidianus Episcopus *hoc quo mortuus est die memoratur in Romano Martyrologio: sed additur præcipuam eius festiuitatem recoli in suâ ciuitate Lucensi die quo translatus est* xviii Nouemb.

Lazarus frater Mariæ *refertur in MS. Bruxellensi S. Gudulæ. Colitur* xvii Decemb.

DE S. ALEXANDRO
EPISCOPO HIEROSOLYMORVM
MARTYRE CÆSAREÆ IN PALÆSTINA
Commentarius Historicus.

§. I. *Cultus sacer apud Latinos. Confessio sub Seuero Imp. Episcopatus Hierosolymitanus.*

ANNO CCL. XVIII MARTII 1



Cultus sacer apud Vsuardum, V*eneratio Ecclesiastica S. Alexandri Episcopi proponitur in plurimis Martyrologijs ad hunc* xviii *Martij. Vacat ad eum diem genuinum Martyrologium Bedæ, at MS. Diuionense ita supplet:* S. Alexandri Epicopi, qui cum Narcisso Hierosolymitanæ Ecclesiæ gubernaculum suscepit. *Vsuardus hoc eum elogio celebrat:* Natalis B. Alexandri Episcopi, qui de Cappadociâ ex propriâ ciuitate sancto desiderio Hierosolymam veniens, diuinâ reuelatione eiusdem loci gubernaculum suscepit, & post senectutem ductus Cæsaream, in persecutione Decij ob confessionem Christi martyrium compleuit. *Adonem, Ado Episcopus plura commemorat:* Natalis S. Alexandri Episcopi, qui de Cappadociâ ciuitate suâ veniens cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, & Narcissus Episcopus eiusdem vrbis iam senex regeret Ecclesiam; & ipsi Narcisso & multis Clericorum eius reuelatum est, alterâ die manè intrare Episcopum qui adiutor Sacerdotalis Cathedræ esse deberet. Itaque re ita completâ, vt prædicta fuerat, cunctis Palæstinæ Episcopis in vnum congregatis, adnitente vel maximè Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit. Quique persecutione Decij, cùm jam longæuæ ætatis venerandâ canitie præfulgeret, ductus Cæsaream, & clausus carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatus est. *Eadem ferè leguntur apud Notkerum & Bedam excusum & in varijs codicibus MSS. sed in aliquibus contracta. In Centulensi MS. hæc aliter conscripta sunt:* Natalis S. Alexandri Episcopi & Martyris, qui cùm Cappadocenam gubernaret Ecclesiam, & zelo religionis sacra loca Hierosolymorum inuiseret, voce de cælo missâ jussus est Hierosolymitanam regere Ecclesiam. *Habent sua etiam elogia Bellinus, Maurolycus, Felicius, Galesinius: & qui reliquis omnibus antiquior est, VVandelbertus sic diem hanc auspicatur:* Præsul Alexander ter quinam possidet. *In tabulis hodierni Martyrol. Rom. ità primo loco colitur:* Cæsareæ in Palestinâ natalis B. Alexandri Episcopi, qui de Cappadociâ ex propriâ ciuitate, vbi erat Episcopus, sanctorum locorum desiderio Hierosolymam veniens, cùm Narcissus eiusdem vrbis Episcopus jam senex Ecclesiam regeret, diuinâ reuelatione

Notkerum, alios, in Martyrol. Rom.

A tione eius gubernacula suscepit: postmodùm verò in persecutione Decij, cùm jam longæuæ ætatis venerandâ canicie præfulgeret, ductus Cæsaream & clausus in carcere, ob confessionem Christi martyrium compleuit. *In Breuiario Ordinis Hospitalariorum siue Equitum Hierosolymitanorum S. Ioannis, dein Rhodiorum, nunc Melitensium dicto, colitur S. Alexander Officio 9. Lectionum, quæ de Communi Martyris ac Pontificis sumuntur cum hac Oratione*: Adesto, Domine, populo tuo, vt Beati Alexandri Martyris tui atque Pontificis merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper eius patrocinijs adiuuetur. Per Dominum. *Iterum Martyrol. Roman.* XXX. *Ianuarij ista habet*: Item B. Alexandri, qui in persecutione Decij comprehensus, longæuæ ætatis venerandâ canicie & confessione iteratâ resplendens, inter carnificum tormenta reddidit spiritum. *Alia Martyrologia ibidem citata sunt, & in horum aliquibus nomen Episcopi reperitur. Quæ an de eodem hoc Martyre Alexandro dici debeant, ibidem discussimus. Quæ Græci habent de ejus gloriose certamine ad* XII *Decembris, infrà referemus, vbi antè de rebus in vitâ gestis antiquorum narrationem attulerimus.*

An etiam 30. Ianuar.

2. *At primò quæ in Eusebij chronico, interprete S. Hieronymo, ad annum Seueri Imperatoris* XI, *Christi* CCIII,
B *post indicatam quintam persecutionem leguntur, ad hunc sanctum spectant*: Alexander ob confessionem Dominici nominis insignis habetur. *Hinc* iterata confessio, *& gemina confessio eius deprædicatur, quando sub Decio martyrium compleuit.* Erat autem tunc S. Alexander Episcopus alicuius ciuitatis in Cappadociâ, vti mox ex Eusebio constabit. *Certè hæc illustris confessio foret, si tunc quod Græci in Menæis habent, feris obiectus & ab illis sine labe dimissus, factus fuisset Episcopus Hierosolymitanus. Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 8. sub finem disertè aliquid simile innuit, quando ità scribit*: Cùm Seuerus decem & octo annis Imperium tenuisset, Antoninus filius in eius locum successit. Quâ tempestate Alexander, vnus ex eorum numero qui in persecutione fortiter certauerant, & qui post gloriosa confessionis certamina diuinâ prouidentiâ fuerant reseruati, quem nos Hierosolymorum Episcopum fuisse paulò antè retulimus; ob insignem Christianæ fidei confessionem ad suprà dictum Episcopatum promotus est, Narcisso, qui priùs ibi fuerat Episcopus, adhuc superstite. *Et hæc de illustri confessione S. Alexandri sub Seuero, anno eius Imperij* XI, *Christi* CCIII. *At Seuero Eboraci in Britanniâ anno Imperij* XVIII, *Christi* CCXI, *pridie Nonas Februarij mortuo, vt in dicto Eusebij Chronico legitur*, regnauit Antoninus, cognomento Caracalla, Seueri filius.

Sub Seuero Imp. Episcopus fortiter certauit.

C Alexander XXXV Hierosolymorum Episcopus ordinatur, adhuc viuente Narcisso, & cum eo pariter Ecclesiam regit.

3. *At quâ id prouidentiâ diuinâ contigerit, explicat idem Eusebius lib. 6. hist. Eccl. cap.* 11. Cùm Narcissus, *inquit*, propter extremam senectutem ministerium suum obire ampliùs non posset, supradictum Alexandrum alterius Ecclesiæ Episcopum diuina dispensatio per reuelationem quamdam, quæ illis in somnis apparuerat, ad participandum cum Narcisso Sacerdotis officium euocauit. Hâc igitur visione tanquam diuino admonitus oraculo Alexander, cùm ex Cappadociâ, in quâ primùm Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolymam profectus fuisset, tum orandi, tum visendorum locorum gratiâ; fratres illius, Ecclesiæ humanissimè eum excipientes, reuerti posthæc in patriam non siuerunt. Alia quippè reuelatio etiam ipsis per somnium visa fuerat, & vox quædam euidentissima ab ijs qui sanctitate inter ipsos eminebant audita. Significabat enim ipsis, vt extra portas ciuitatis egressi, destinatum

Hierosolymam profectus,

Constituitur ibi Episcopus cum S. Narcisso.

sibi à Deo Episcopum susciperent. Quod cùm illi D consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis fecissent, manere deinceps eum apud se coëgerunt. Sanè idem Alexander in suis ad Antinoitas epistolis, quæ etiamnum extant, Episcopatus, quem cum Narcisso collegâ gessit, meminit his verbis, quæ ad calcem epistolæ leguntur: Salutat vos Narcissus, qui ante me Episcopalem huius Ecclesiæ Sedem tenuit, & qui nunc mihi coniunctus est in orationibus, annos natus sexdecim suprà centum: hortaturque vos mecum, vt idem omnes sentiatis. Et hæc quidem sic gesta sunt. Antiochiæ verò Serapione mortuo, Episcopatum Ecclesiæ suscepit Asclepiades, qui persecutionis tempore fidem Christi confessus, maximam gloriam retulerat. Huius ordinationis mentionem facit Alexander in epistoâ ad Antiochenses his verbis: Alexander seruus Dei & vinctus Iesu Christi, beatissimæ Antiochensium Ecclesiæ in Domino salutem. Expedita mihi ac leuia vincula Deus efficit custodiæ meæ tempore, postquam comperi Asclepiadem, virum fidei merito maximè idoneum, sanctissimæ Ecclesiæ vestræ Episcopatum diuinâ prouidentiâ suscepisse. Hanc autem epistolam Clementi se perferendam dedisse significat, sub finem ità scribens: Porrò has litteras, inquit, Domini fratres, per beatum Presbyterum Clementem ad vos misi, virum virtute E præditum & probatum: quem vos & nostis iam, & ampliùs cognoscetis. Qui quidem Dei nutu ac prouidentiâ dum hîc apud nos præsens esset, Ecclesiam Christi & confirmavit & magnopere auxit.

Scribit ad Antinoitas:

Item ad Antiochenos,

4. *Hæc Eusebius, è quibus colligimus S. Alexandrum fuisse virum valdè illustrem: cuius epistolæ inter scripta Sanctorum Patrum circumferebantur, & tempore Eusebij adhuc adseruabantur, potissimùm quas ad integras ciuitates scripserat: vti quam Episcopus Hierosolymorum misit Antinoum Thebaidos vrbem, & quam necdum ad illum Episcopatum assumptus scripsit Antiochiam, vti euidens fit ex S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 38. *vbi de Clemente Presbytero agit, atque ista addit*: Extat Alexandri Hierosolymorum, qui cum Narcisso posteà rexit Ecclesiam, epistola super ordinatione Asclepiadis Confessoris ad Antiochenses, congratulantis eis: in quâ sub finem ponit: Hæc vobis Domini ac fratres, scripta transmisi per Clementem beatum Presbyterum, scilicet Alexandrinæ Ecclesiæ, Pantæni auditorem, & magistrum Origenis, *qui* floruit Seueri & Antonini eius filij temporibus. *Coluntur* S. Asclepiades XVIII *Octobris, eiusque decessor* Serapion XXX *eiusdem mensis, ac pridiè* S. Narcissus: à quo superstite S. Alexandrum posteà Martyrem successorem lectum fuisse *etiam tradunt Acta Concilij Oecumenici* VIII. F *Ruffinus eadem Historia Ecclesiastica sua inseruit lib.* 6 *cap.* 9, *& quæ de visione narrantur, distinctius explicat his verbis*: Ostendebatur euidenter à Domino, non solùm ipsi beato viro Narcisso, sed & alijs plurimis per reuelationes in plebe, vt ipsum in loco sancto Episcopum detinerent. Prætereà, quod suprà cetera omnia magis clarificum fuit, eo die quo ingressurus in vrbem Alexander nuntiatus est, & multitudo fratrum plurima extra portas in occursum eius egressa est; vox cælitus manifestissimè omnibus audientibus facta est dicens: Suscipite Episcopum, qui vobis à Deo destinatus est. Cùmque ex his omnibus euidenter apud cunctos fuisset Dei dispensatio declarata, Episcopi vrbium vicinarum, compertis omnibus quibus de eo res geri Dei iudicio docebantur, residere inibi eum necessariò compulerunt.

Epistolâ deferente Clemente Presbytero.

Reuelationes iteratæ

Electus Episc. Hieros. I.

§. II. Notitia S. Alexandri cum Origene: bibliotheca erecta: martyrium: cultus sacer apud Græcos.

5. Erat tum Origenes adhuc juuenis, *vt dicitur ab Eusebio lib. 6 cap. 19 qui*, cùm Alexandriæ grauissimum bellum excitatum fuisset, clàm inde aufugiens, ac ne in Ægypto quidem commorari tutum ratus, Palæstinam petijt, & Cæsareæ domicilium fixit. Vbi etiam ab illius Regionis Episcopis rogatus est vt publicè in Ecclesiâ dissereret, & diuinas Scripturas, tametsi nondum Presbyter ordinatus, exponeret. Atque id manifestum fuerit vel ex ijs, quæ Alexander Hierosolymorum & Theoctistus Cæsareensis Episcopus ad Demetrium Episcopum Ecclesiæ Alexandrinæ pro huius facti defensione scribunt in hunc modum: Quòd verò in litteris tuis adiecisti, numquam anteà visum nec adhuc factum fuisse, vt præsentibus Episcopis laici concionarentur; in eo nescio quomodò à veritate longissimè aberrasti. Sic Euelpis Larandis rogatus est à Neone, Paulinus Iconij à Celso, Theodorus apud Synnada ab Attico, fratribus nostris beatissimis; idque etiam alibi fieri credibile est, quamuis nos ignoremus. In hunc modum supradictus Origenes dum adhuc juuenis esset, non solùm à notis & domesticis, verùm etiã ab exterarum Regionum Episcopis colebatur. *Sed cùm* Demetrius per litteras eum reuocasset, missisque Ecclesiæ suæ Diaconis reditum eius vrgere non destitisset, Alexãdriam reuersus, consuetum munus obijt. *At postmodùm, vt refertur cap. 23*, Origenes compellente ipsum necessitate ob Ecclesiastica negotia in Achaiam profectus, cùm per Palæstinam transiret, Presbyterii gradum per impositionem manuum Cæsareæ ab illius Regionis Episcopis accepit. *S. Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 54 de Origene agens ista interserit:* Cùm jam mediæ esset ætatis, & propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto & Alexandro Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis Presbyter ordinatus Demetrij offendit animum. *Quapropter vt tradit idem Hieronymus cap. 62* Alexander scripsit ad Origenem & pro Origene contra Demetrium, eò quòd juxta testimonium Demetrij eum Presbyterum constituerit. *Putat ob dicta verba Baronius ad an. 230 num. 6.* Demetrium dedisse Origeni litteras commendatitias ad Alexandrum, vt fieri solet: quarum auctoritate satis visum eidem fuerit Alexandro, Origenem esse probatum. *Vt vel ideò excusare debuerit etiam in ijs, quæ Eusebius narrat cap. 27.* Sed & Alexander Hierosolymorum, *inquit*, & Theoctistus Cæsareæ apud Palæstinam Episcopus ipsum perpetuò tanquam Magistrum auscultantes, soli interpretationem sacræ Scripturæ ac reliquum omne Ecclesiasticæ doctrinæ officium permiserunt.

Origenem inuitat ad concionem habendam;

factum epistolâ excusat:

Presbyterum ordinat.

ob testimonium Episcopi Alexandrini:

6. *Aliud illustre beneficium à Sancto Alexandro præstitum sibi & omnibus Ecclesiasticis antiquitatis & veritatis studiosis agnoscit Eusebius cap. 20 his verbis:* Eâdem tempestate multi Ecclesiastici viri doctrinâ excellentes florebant: quorum epistolas, quas ad se vicissim scripserunt, facilè est reperire. Extant enim nostrâ quoque ætate in Bibliothecâ Æliæ vrbis, ab Alexandro Ecclesiæ illius Episcopo constructâ: ex quâ nos vberrimam materiam ad argumenti huius, quod præ manibus habemus, tractationem in vnùm collegimus. *Euaserat ergò illa Bibliotheca in communi conflagratione omnium librorum Ecclesiasticorum in persecutione Diocletiani excitatâ.*

Bibliothecã Hierosolymis extruit.

7. *Tandem qui in quintâ persecutione sub Seuero Imperatore ob confessionem & raram doctrinam anno Christi CCIII insignis habebatur, perrexit in porrigendâ & promouendâ Ecclesiâ Christi per annos fermè quinquaginta sub decem Imperatoribus, quando, vt tradit Eusebius in chronico, sub Decio Imperatore,* Alexandro Hierosolymorum Episcopo apud Cæsaream Palæstinæ ob martyrium interfecto & Antiochiæ Babyla, Mazabanes & Fabius Episcopi constituuntur. *Quæ latius explicat idem Eusebius lib. 6 Histor. Eccles. cap. 39 his verbis:* Philippo interim cùm septem annis regnauisset, successit Decius, qui præ odio aduersùs Philippum persecutionem intulit Ecclesiæ. In quâ persecutione cùm Fabianus Romæ martyrium pertulisset; in eius locum Cornelius subrogatus est Episcopus. In Palæstina autem Alexander Hierosolymorum Episcop , rursus propter Christum ad Præsidis tribunal adductus; cùm ex secundâ hâc confessione magnam gloriam retulisset, Cæsareæ in carcerem coniectus est, vir decorâ senectute & venerandâ canitie conspicuus. Qui cùm post præclaram atque illustrem Christianæ fidei confessionem in præsidiali judicio editam, tandem in custodiâ animam exhalasset, Mazabanes in ejus locum Episcopus Hierosolymorum renuntiatus est. Eodemque modo apud Antiochiam, Episcopo Babylâ post confessionem in vinculis mortuo, Fabius Ecclesiæ illi præficitur. *S. Hieronymus supradicto cap. 62 de Scriptor. Eccl. de martyrio eius ista ex Eusebio describit:* Septimâ autem persecutione sub Decio, quo tempore Babylas Antiochiæ passus est, Alexander ductus Cæsaream, & clausus in carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatur. *S. Epiphanius lib. de ponderibus & mensuris num. 19.* In persecutione, *inquit*, Decij martyrium subit Babylas Antiochiæ, Fabianus Romæ, Alexander Episcopus Hierosolymorum Cæsareæ. *Gregorius Cederenus in Decio ità scribit:* Sub quo Babylas Antiochiæ, Flauianus Romæ, Alexander Hierosolymorum, Dionysius Alexandriæ Episcopi martyrio coronati sunt. *At Zonaras ista habet:* Eo tempore Flauianus Ecclesiæ Romanæ Episcopus martyrio vitam finijt. Item Babylas Antiochenus & Alexander Hierosolymitanus Episcopus: qui non tum primùm pro Christianâ fide decertavit, sed priùs etiam, vt jam expositum est, *in Imperio Seueri*, tum verò in carcere obijt. *In Chronico Alexandrino, cùm cædes SS. Fabiani & Babylæ esset indicata ità additur:* Pari modo Alexander Hierosolymorum Pontifex Cæsareæ Palæstinæ ad tribunal stetit, & geminâ confessione clarus senioque grauis, & vitæ sanctitate venerandus, felici cursu martyrij brauium assecutus est.

Sub Decio martyrio coronatur;

(vt SS. Fabianus & Babylas)

Cæsaream ductus,

Clausus in carcere.

8. *Acta S. Fabiani, nonnullis Fabij aut Flauiani, dedimus XX Ianuarij, & S. Babylæ XXIV eiusdem Ianuarij, & huius triplicia: in quibus post varia tormenta capite plexus, non in carcere mortuus dicitur: sed cum tantâ rerum diuersitate vt duos fuisse Babylas, quorum Acta sint confusa, veritis simus. Græci in Menæis longè etiam aliter martyrium S. Alexandri narrant, quæ ex maioribus Actis martyrij videntur desumpta. Forsan Nicephorus Calistus lib. 5 Histor. Eccl cap. 27 ad similia alludit, dum ista scribit:* Decius ad imperialem euectus dignitatem, propter Philippi odium, qui Christianismum fuerat complexus, grauissimam contra Christianos persecutionem excitauit. In quâ multi quidem sacrum pro Christo obiêre certamen: inprimis tamen Ecclesiarum Præsides, & quicumque alios apud nos eloquentiâ & sapientiâ antecellerent, infanda crudeliaque tormenta tolerantes vitam reliquerunt. Sicuti Romæ Fabianus, in Palæstinâ Hierosolymis Alexander, Antiochiæ Babyl s bonum certamen decertantes, Episcopalem stolam sanguine multo imbue-

an grauia tormenta passus?

A imbuerunt. *Græcè* τὴν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνισάμενοι, τὴν ἱερατικὴν ϛολὴν εἰς βάθος κατέχρωσαν. Episcopalem stolam in profundum vsque cruentarunt, aut colore sanguineo infecerunt.

9. *Græci ergo in Menæis & apud Maximum Cythæreum ista habens ad diem* XII. *Decembris*: Eodem die memoria sancti Patris nostri Alexandri Archiepiscopi Hierosolymorum. Imperante Decio veteri Romæ, ingens aduersus Christianos est excitata persecutio. Misit enim per orbem vniuersum Imperator, qui deprehensos Christianos cogerent Idolis sacrificare, & Christum eiurare, recusantes atrocibus supplicijs subijcerent, atque ita cum summâ acerbitate vitam finirent. Id temporis etiam sanctissimus hic Alexander Hierosolymorum Archiepiscopus delatus est ad Præsidem Cæsareæ, qui misit, à quibus vinctus ferro sibi sisteretur. Cùm ergo multa cum isto disputasset, essetque magnificâ voce palàm testatus, Christum Deum esse & Imperatoris rerumque omnium conditorem, liberrimâque voce execratus idola & quicumque illa colerent; iram Præsidis in se vehementer commouit. Quapropter intra exiguum tempus diuersis eum tormentis cruciatum, infelix ipse & miser ad bestias damnat, vt viuus ab illis deuoraretur. Tyrannus B ergo præcipit eum omnibus vestibus spoliari, & in medium theatrum velut eximium arietem deduci, D & varij generis feras ad illum deuorandum immitti. Alexander verò inter preces, quas fundebat, etiam has adiecit: Domine si tua voluntas est, vt hîc moriar, fiat voluntas tua. Ex feris autem, quæ in illum emissæ erant, aliæ ceruicibus inclinatis videbantur illum adorare, & sic in caueas suas redierunt; aliæ in terra sese volutantes, eiusdem vestigia deosculabantur; aliæ eius carnes ex plagis liuentes linguis suis lambebant. Magnus autem Pontifex gratijs Deo actis euolauit ad Dominum, corpusque intactum & illæsum in terris reliquit, quod religiosi quidam Christiani vnguento delibutum & linteis inuolutum in illustri loco reposuerunt. *Hactenus Menæa.*

Liberè Christum confitetur.

Variè torquetur.

Feris obiectus non læditur.

Moritur.

Potuit sanctus Pontifex Alexander discedentibus ab eo in tacto feris deductus fuisse in carcerem, atque ibi animam exhalasse, ac martyrio coronatus euolasse ad Dominum: aut certè potuit in primâ sub Seuero confessione aliqua ex his tormentis subijsse, aut etiam feris obiectus euasisse. Incruentâ certè morte defunctum ipsa indicant Menæa, cum elogio iam prolato hoc distichon præponunt:

Ὁ Ἀλέξανδρος εἷς ἦν τῶν θυηπόλων
Ἄνευ αἵματος εἷς ὢν καὶ τῶν μαρτύρων.
Fuit Alexander vnus hic Sacerdotum,
Cùm esset absque sanguine vnus Martyrum. E

DE DECEM MILLIBVS SS. MARTYRVM

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

XVIII. MARTII.

Gladio cæsi memorantur


Vando aut vbi passi non explicant Menæa, siue excusa Venetijs seu quæ manu exarata Diuione apud Petrum Franciscum Chiffletium extant: vtraque tamen martyrij genus expressè declarant tum in titulo qui est talis, Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ οἱ ἅγιοι μύριοι τοὺς αὐχένας τμηθέντες τελειοῦνται. Eâdem die sancti decies mille ceruices secti consummantur: *quibus hoc accinitur distichon:*

Δεκὰς χιλιὰς τὸν αὐχένα τμηθέντες,
Ἀπῆλθον ἔνθα μυριόμματοι νόες.
Ceruice cæsâ millia iuerunt decem,
Vbi mille-decies-luminum mentes degunt.

Nicomediæ.

Si ex sequentibus liceret aliquam facere coniecturam; suspicari possemus hos ex innumeris illis fuisse, quos æstuans supra modum persecutionis flamma, Nicomediâ à Diocletiano tyranno succensa, nec vllo quamuis copioso sanguine extincta, consumpsit. Sed nihil opus est coniecturis quoad locum, & ex hoc de tempore licebit verosimiliùs opinari: siquidem Græcorum Menologium ex Cardinalis Sirleti versione Latinè editum ab Henrico Canisio expressè dicit: Eodem die C decem millia securi percussi apud Nicomediam martyrio coronati sunt. *Quæ verba paullum immutans Cardinalis Baronius Romano Martyrologio sic inseruit:* Nicomediæ Sanctorum decem millium Martyrum, qui pro Christi confessione gladio percussi sunt. Nec sanè mirandum, *inquit idem in notis*, nam Diocletianus Imperator sæuissimam illam persecutionem excitans Nicomediæ resedit, illicque de Christianis immanissimam carnificinam exercuit, vt produnt Acta Martyrum, & Eusebius lib. 8. *signatim cap.* 6. *vbi de sancti Anthimi Nicomediensis Episcopi*, XXIII *Aprilis recolendi, martyrio agens:* Huic, *inquit*, ingens ac frequens Martyrum turba adiuncta fuit, idque quod iisdem ferè diebus, nescio quo pacto, Nicomediensis regia incendio conflagraret, & ex suspicione quadam rumor esset dissipatus, illud facinus à nostris admissum: vndè Imperatoris iussu ex pijs, qui ibi versabantur, aceruatim alij gladio trucidati sunt, alij ardore flammarum corporibus circumiectarum obierunt. *Si cui tamen etiam tali occasione, in ciuitate tam numerosâ, sub adeò crudeli tyranno, nimis magnus videatur numerus decem millium simul iugulatorum; is consideret ob causam multò leuiorem, quàm hic prætexebatur, in Thessalonicensi vrbe, præcipiti Imperio Theodosij, Principis aliàs mitissimi, septem millia ex plebe ad spectaculum collectâ fuisse iugulata.* F

Verosimiliter sub Diocletiano.

Post incendium palatij.

DE SANCTIS MARTYRIBVS

TROPHIMO, EVCARPIONE,

ET ALIIS, NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

CIRCITER AN. CCC. XVIII. MARTII.


Ost insignem illam laureatorum millium decadem Menæa, Menologium, ac Martyrologium Romanum nominatim atque seorsim exhibent Trophimum *atque* Eucarpionem, *quem Baronius* Eucarpium *scripsit*: *socios Menæa addunt in titulo, Menologium hisce verbis vtitur:* Item Trophimi, Eucarpionis, martyrium celebratur. *Galesinius* Nicomediæ, *inquit*, Beatorum Martyrum, Aprilis, Ceruoli, Trophymi, Eucarpionis & sociorum, qui ad decem mille, necem pro fide pertulerunt. *Citat in* Notis Bedam, Martyrologia Mss. & Annales rerum Ecclesiasticarum. *Optaremus indicatos ab eo fuisse illos* Annales

Trophimus & Eucarpius.

A *Annales, & locos in quibus de his Martyribus agitur; & Bedæ ac Martyrologiorum verba prolata. Nos de hoc* Trophimo & Eucarpione *nihil alibi legimus, nisi quod Maximus Cytherorum Episcopus Menæa de more phrasi suâ sequitur. De* Aprile & Ceruolo, *siue* Seruolo, *infrà separatim agetur. Menæa & Cytheræus ita eorum Martyrium narrant.*

2. Sæuiente in Christianos apud Nicomediam persecutione, omnes fidem sanctam professi in custodias rapiebantur. Dein multis quæstionibus variisque tormentis excarnificati, si ij in confessione Christi Dei nostri perseuerarent, è vitâ exturbabantur. Eâ autem tempestate Trophimus & Eucarpion, validi ac feroces planeque militares viri, persecutores ac jurati hostes nominis Christiani erant, comprehendentes & in carcerem detrudentes, quotquot se Christianos palam faterentur. Cumque omnem in eos potestatem haberent, quosdam tormentis excruciabant, quosdam dimittebant.

Dum sanctos persequuntur.

B 3. Aliquando igitur cùm ad nonnullos capiendos tenderent, viderunt flammam ingentem è cælo in ipsos cum immani stridore delabi, ex eâque vocem audierunt hujusmodi: Quid properatis, seruis meis minantes? Nolite errare: neque enim poterit quisquam subigere eos qui in me credunt; sed potiùs ijs adhærebit, & regnum cælorum acquiret. Eâ auditâ voce, audaces illi ac sæui & aduersùs Christi seruos sese efferentes, humi corruerunt, & spectaculo objecto exterriti, & voce illâ velut tonitru exanimati, hoc solùm elocuti sunt: Verè magnus est Deus, qui hodie nobis apparuit. Beati nos quoque erimus, si ejus serui efficiamur.

Flammâ & voce cælesti territi.

Atque vt hæc cum trepidatione pronuntiarunt; D diuisa flammea illa nebula, hinc atque hinc constitit. Ac rursus alia vox ijs est allapsa, hæc dicens: Surgite, pœnitentibus vobis remittuntur peccata. Cumque è terrâ surrexissent, conspiciunt in medio nebulæ residentem quemdam candidâ in veste formosissimum, multosque circum illum stantes.

Dein mirâ visione exterriti,

4. Quo viso perculsi, velut vno ore exclamarunt: Recipe & nos, qui multa & sine modo peccauimus. Nam cùm extrà essemus, aduersùm te verum ac solum Deum & famulos tuos insaniuimus. Quæ cùm illi dicerent, subitò nubes iterùm coiit, & in cælum suberecta est. Ipsi verò plangentes reuersi sancti: & quotquot captiuos habebant, omni timore solutos, velut fratres suos amplexi sunt, ac venerati; & domum abiri jusserunt. Quæ vbi Præfectus didicit, haud mediocriter aduersùs eos indignatus est, ac sibi illos sisti imperat, & facti caussam sciscitatur. Vbi verò omnem visionem sigillatim retulissent, jubet eos in ligno extendi: & cùm id factum esset, latera eorum vncis E ferreis lacerari, ac deinde plagas cilicio perfricari. Eâ verò Sancti generosè tolerantes, precabantur cum exaltatione, Deoque gratias agebant. Quibus magis irritatus Præfectus, rogum mediâ in vrbe excitari jubet, in eumque conjici Sanctos in quo coronam martyrij consecuti sunt.

Conuertuntur.

Captiuos dimittunt.

Ipsimet capti.

Post cruciatus,

Incendio necantur.

5. *Hactenus Menæa. Sed qui sunt οἱ σὺν αὐτοῖς socij, vt titulus præfert tam in Menæis, quàm in Cytheræo, nusquam declaratur. Forsan de ijs accipiendum, quos illi antea tormentis aut etiam neci dediderant, vel qui post eos ab irato Præside tenti ac necati sunt.*

Qui socij?

DE SANCTIS MARTYRIBVS ALEXANDRINIS,

COLLEGO ET COLLOTO DIACONIS, PAMPONIO, MINEPTO, ROGATO, QVARTINO, SATVRO, MARINO, QVINTASIO, IEMSOLIO, MARTIO, ITEM ROGATO, SAMPHORANO, AVRELIO SIVE AVRELIA, CAPILLEDO, DIONYSIO, IANVARIO, VICTORE, CONVOTO, SIMPORIO ET SOCIIS VIII.

XVIII MARTII

C

1. T*Vrma Martyrum quatuor proponuntur ad hunc XVIII Martij in antiquo Martyrologio S. Hieronymi: quarum prima ita recensetur in editione Parisiensi ex* MS. *Corbeiensi:* xv Kalend. Aprilis in Alexandriâ Collegij Diaconi, Colloti Diaconi, Pampori, Minepti, Rogatiani, Quarti, Saturi, Quintasi, Marini, Iemsoli, Marti, Rogati, Samphoroni, Aurili, Capelledi, Dionysi, Ianuarij, Victoris, Vogonupti, Samphori cum alijs nouem Martyribus. Mariæ cum socijs suis. MS. *Blumianum hos Martyres ita refert:* In Alexandriâ Collegi Diaconi, Coloti Diaconi, Pamporij, Runepti, Rogati, Quarti, Saturi, Quintasi, Marini, Lemsoli, Marci, Rogati, Samproni, Auriliæ, Capelledi, Dionisi, Ianuari, Victoris, Vogonucci, Samphori cum alijs VIII. Mariæ. MS. *Lucense duos interserit & sic enumerat* In Alexandriâ Collegi Diaconi, Coloti Diaconi, Pamponi, Danepti, Rogati, Quartini, Saturi, Marini, Quintasi, Marini, Generoli, Marti. Item Rogati, Samphoroni, Auriliæ, Capellidi, Dionisi, Ianuari, Victoris, Vogonuctæ, Samfori, cùm alijs VIII Martyribus, *nullâ factâ* Mariæ, *mentione. Demum peruetustum nostrum* MS. *charactere Britannico exaratum* *duobus alijs insertis eos ita refert:* In Alexandriâ Collectici Diaconi, Coloti Diaconi, Pamponi, Parilis, Seruili, Minepti, Rogati, Quartini, Saturi, Marini, Quintasi, Marti. Item Rogati, Aurili, Capillidi, Dionisi, Ianuari, Victoris, Conuoti, Simpori cum alijs VIII. *At Mariam ablegat ad proximam turmam cum socijs. Absque loco leguntur hi in Martyrol.* MS. *Tamlachtensi in Hiberniâ: horum nomina,* Collegi, Coloti, Pamporij, Minepti, Rogati, Quartini, Marini, Aureliæ, Capilledi, Dionysi & aliorum VII. Martij & aliorum XLIII. *nisi hi ad alios spectant.*

Nomina Martyrum in 4 Martyroll. S. Hieronymi,

F

2. *In alijs Martyrol. nonnulli referuntur. Qui dux cæterorum & Antesignanus est, refertur in* MS. *Reginæ Sueciæ, & ex eo à Lucâ Holstenio in Animaduersis ad Martyrol. Rom.* In Alexandria Collegi Diaconi. *Eadem habentur in* MSS. *Corbeiensi, Tornacensi & Labbæano. At Rabanus & Beda excusus* Colestici, *Galesinius* Cælestici, MS. *Richenouiense* Collecticij. *In* MSS. *Vaticano, & alio Ecclesiæ S. Petri, item in* MSS. *Barberiniano & Augustano tres nominantur.* In Alexandriâ Collegi *siue* Collegij Diaconi, Rogati & Saturi. *Notkerus:* In Alexandriâ Collegij & Colyti Diaconorum. *Aquisgranense* Collegij, Quartini & Samphori. *Casinense & Altem-*

& alij.

A *Altempsianum* : In Alexandria Collegi Diaconi, Rogati, Saturi, Quartini, Martini. *Pragense*: Quartini & Sanfori. *Ado* MS. *Reginæ Sueciæ*, Eodem die S. Collegij Diaconi.

Nominum diuersitas. 3. *Consensus magnus est in statuenda martyrij Palæstrâ Alexandriâ; at nomina Martyrum in nonnullis discrepant: ità* Collegi, Collegij, Colestici, Cælestici, Collectici & Collectitij : Coloti, Colloti & Colyti. Pamponi, Pampori & Pamporij : Minepti, Ninepti, Dunepti & Runepti : Rogati & Rogatiani : Quartini & Quarti : Marini & Martini : Iemsoli, Lemsoli & Generoli : Marti, Martij & Marci : Samphoroni & Samproni: Aurili, Aurilij & Aureliæ : Capelledi, Capellidi, Capilledi & Capillidi. Vogonupti, Vogonucci, Vogonuctæ & Convoti. Samphori, Samfori & Simpori. D *Denique numerus adiunctus est* octo, nouem *aut* septem sociorum. *Omittimus in titulo nomina* Parilis, & Seruili *in unico Codice, quia forsan sunt* Aprilis & Seruulus *Martyres Nicomedienses, de quibus mox agemus.*

4. *Die decimâ septimâ agitur de his in* MS. *Martyrol. Carmeli Coloniensis* : In Alexandriâ Natale SS. Collegij Diaconi, Rogati & Satyri Martyrum. *Colitur 17. Martij.* *Quæ ferè eadem leguntur in Florario* MS. *& in Martyrologijs Coloniæ & Lubecæ editis anno* 1490. *&* 1515. *Item apud Canisium, Maurolycum & Felicium. MS. peruetustum S. Maximini* : In Alexandriâ Collogi Diaconi, Rogati, Dionysi.

DE SS. MARIA, APRILI, SERVVLO ET SOCIIS XXIII MARTYRIBVS NICOMEDIÆ.

XVIII MARTII. *Altera turma Martyrum in Martyrologio S. Hieronymi est ista in Codice* MS. *nostro* : Nicomediæ Mariæ, Aprilis, Seruoli, & mil. XXIII. B *In* MS. *Corbeiensi Parisijs excuso post Martyres Alexandrinos, vt ibi monuimus, addebatur* : Mariæ cum socijs suis. In Nicomediâ Aprilis, Seruuli. *In* MS. *Blumiano* : Mariæ. In Nicomediâ Aprilis, Seluoli. *Quo etiam modo, sed absque mentione* Mariæ, *legitur in Codice Lucensi* : *In* MS. *Tamlachtensi nomen* Mariæ *alijs immiscetur: at coniunguntur nomina*, Aprilis, Seruuli & XX militum. *Rabanus & Notkerus ista habent*: In Nicomediâ Aprilis, & Seruuli. *Apud Bedam excusum legitur* Ceruoli : *reliqua sunt eadem. At die* XVII *Martij ista habent* MS. *codex Carmeli Coloniensis & martyrol. Coloniæ excusum anno* 1490, *item Greuenus in Additionibus ad Vsuardum* : In Nicomediâ sanctorum Martyrum Apurilis, *siue* Aprilis & Seruuli. *Maurolyco & Felicio vltimus dicitur* Seruilius. MS. *Treuirense S. Martini de socijs ista habet* : In Nicomedia XXIII Militum Martyrum. E MS. *Labbæanum*: Sebioli cum alijs XXIV. *vbi* Sebiolus *pro* Seruolo *legitur, qui solus est in Martyrol. Richenaugiensi.* MS. *Vltraiectinum ista habet.* In Nicomediâ viginti tria millia Martyrum, *vbi forsan legendum* viginti trium militum Martyrum : *vti passim omnia similia in Martyrologijs in casu genitiuo leguntur. Galesinius plures coniungit his verbis* : Nicomediæ Beatorum Martyrum Aprilis, Ceruoli, (*qui huc spectant*) Trophimi, Eucarpionis qui decem mille neces pro fide Christi pertulerunt: *de quibus suprà ex Menæis Græcorum egimus.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS QVINTO, ROGATO, INGENVA, QVARTILLA, ROGATA, LVCIANO, AVRILLIO, SATVRNINO, VICTORE ET MAVRO IN CAMPANIA.

XVIII MARTII. *Turma Martyrum tertia proponitur in Martyrologio S. Hieronymi his verbis* : In Campaniâ Quinti, Rogati, Ingenuæ, Quartillæ, Rogatæ, Luciani, Aurilli, Saturnini, Victoris & Mauri. *Nomina Martyrum in antiquis Fastis* *Ita Codices Lucensis & Corbeiensis. At Blumianus loco* Mauri, *habet* Matuti. *Et noster peruetustus codex habet* Luciafi *vbi alij* Luciani. *Ex his quinque nominantur in* MS. *Coloniensi sanctæ Mariæ ad Gradus* : In Campaniâ Rogati, Victoris, Quinti, Luciani, Mauri. *18 Martij.* C *Quatuor sunt in MS. Tornacensi sancti Martini* : In Campaniâ Natalis SS. Rogati, Victoris & S. Luciani & Mauri. *MS. Latiense pro* Luciano *habet* Saturninum, *& alios tres recenset. MS. Leodiense sancti Lamberti*: In Campaniâ Quinti, Ingenuæ, Luciani, & Seruili. *Sed vltimus est* Seruulus Nicomediensis, *de quo egimus. Notkerus tres priores habet* : In Campaniâ Quinti, Rogati & Ingenuæ. *MS. Reginæ Sueciæ & ex eo Holstenius in Animaduersis ad Martyrol. Romanum* : In Campaniâ Quinti, Rogati. *MS. Atrebatense* : In Campaniâ Natalis SS. Rogati, Victoris & Luciani. *Qui nullo apposito nomine referuntur in MS. Bruxellensi S. Gudulæ & alio Belgico. MS. Richenouiense* : In Campaniâ Quinti, Ingenui & Quartillæ. *MS. Augustanum sancti Vdalrici*: In Campaniâ Luciani cum alijs XXIV, Quinti, Saldæ, Rogati. *Ex his* Saldas *spectat ad sequentes Mauritanos: at* XXIV *anonymi ad præcedentes Nicomedienses. Iidem non appositâ prouinciâ sunt in MS. Labbeano, sed loco* Luciani *habetur* Sebioli, *qui est* Seruulus Nicomediensis. F *MS. Pragense plures, sed alijs mixtos, recenset* : Rogati, Quinti, Luciani, Victoris & Mauri. *Rabanus tres alteri regioni applicat* : In Lucaniâ Quinti & Ingenui & Rogatæ. *19 & 17 Martij.* *Ità sequenti die inscripta Bedæ excuso sunt nomina* Lucaniæ, Ingenij, Rogatæ & Timothei: *sed hic spectat ad sequentem classem. Quatuor ex hisce* Quintus, Lucianus, Victor & Maurus in Campaniâ *referuntur die* XVII *Martij in MS. Codice Carmeli Coloniensis, & MS. Florario: item à Maurolyco, Felicio, Greueno, Canisio.*

DE SANCTIS MARTYRIBVS CVRENTO, TIMOTHEO, SALDIA, FELICIANO, IOCVNDO IN MAVRITANIA.

XVIII. MARTII. *Turma Martyrum quarta in Martyrologio S. Hieronymi relata : ex quibus noster codex solos duos habet* : In Mauritaniâ Timothei, Saldiæ. MS. *Lucense tertium proponit* : In Mauritaniâ Curenti, Timothei & Saldiæ. *In* MS. *Blumiano, scribitur* Curenti *vti &* Saldæ. *In editione Parisiensi duo iungun-*

A *tur*: In Mauritaniâ Currenti, Timothei & Saldæ, Feliciani, Iocundi. MS. *Aquicinctinum: Item SS.* Curentij & Timothei *locus additur in* MS. *Barberiniano.* MS. *Richenouiense & Rabanus*: In Mauritaniâ Timothei, *additur à Notkero*, & Saldæ. *At* cum alijs duobus *in* MS. *Reginæ Sueciæ ab Holstenio in Animaduersis ad* Martyrol. Rom. *edito. Greuenus in additionibus ad Vsuardum*: In Mauritaniâ BB. Surenti & Timothei: *at prior alijs* Curentus *seu* Currentus *est. In* MSS. *Augustano & Labbaano* Saldæ *nomen inter alios Martyres reperitur. In* MS. *Tamlachtensi* SS. Saldæ & Tithes, *alijs* Timothei. *Hic in Beda excuso sequenti die refertur. Atque hi sunt quatuor ordines Martyrum, quos nobis Hieronymianum Martyrologium exhibet.* D

DE S. CANDIDO MART. ROMANO

CINGVLI IN PICENO.

XVIII. MARTII.

An. 1650

1. *Ingulum, Piceni veteris olim non ignobilis ciuitas, de quâ in addendis ad to. 2. Ianuarij fol.* 1148. *ante Vitam S. Exuperantij egimus religiosè veneratur S. Candidum, Romanum Martyrem, ad Collegiatam illius Ecclesiam hoc die translatum: cujus translationis instrumenta, manu Bonfilij de Bernardis à Cingulo publici ibidem Notarij ex proprio originali transumpta, & Confalonerij atque Prioris Cingulani sigillo munita, ad nos misit anno* MDCLXV. *ejusdem oppidi nobilis indigena Carolus Francischini, & sunt sequentia.*

Hieronymo Car. Verospio.

2. In nomine Domini. Amen. Sanctorum in cælo cum Christo regnantium venerabiles reliquiæ magnum solent militantibus in mundo fidelibus afferre subsidium aduersùs insidias & tela nequissimi hostis, qui humano generi, tamquam leo rugiens, perniciem moliri non desinit. Vnde non immeritò hujusmodi sanctorum reliquiæ & lætissimis excipiuntur animis, & summo à fidelibus populis habentur in pretio. Propterea Eminentissimus & Reuerendissimus Dominus Hieronymus tituli S. Agnetis in Agone Presbyter Cardinalis Verospius, Episcopus Auximanus, volens gratissimæ & benemerentissimæ terræ Cinguli, sub ejus-
B dem Eminentissimi pastorali curâ collocatæ, ex hujusmodi Sanctorum reliquijs conspicuum aliquod præstare donum, quo & ipsa terra Cinguli cœlestibus thesauris locupletior, & Sanctorum protectione redderetur securior atque felicior, insigne corpus S. Candidi Martyris, ex vrbe Romanâ exportatum, atque eidem terræ Cinguli illatum, dono dedit, vt infrà, de quâ re publicum etiam confici mandauit instrumentum. Igitur præsenti publico instrumento cunctis vbique pateat & sit notum, quòd aliàs Illustriss. & Reuerendiss. D. Julius Cincius, Patricius Romanus.... Eminentissimi ac Reuerendiss. D. Cardinalis S. D. N. Papæ Vicarij in ciuilibus caussis Locum-tenens, Corpus S. Candidi Martyris, repositum & collocatum in quadam capsulâ ligneâ, eidem Emin. & Reuer. D. Hieronymo tit. S. Agnetis in Agone Card. Verospio, Episcopo Auximano largitus fuit, prout apparet ex instrumento donationis, rogato à D. Ioanne Garsiâ Valentino cur. caus. Eminentissimi & Reuer. D. Card. Vicarij notario, sub die XIII Junij MDCL mihi Notario infrascripto in publicâ & authenticâ formâ, ad effectum hîc de verbo ad verbum inserendi, consignato tenoris hujusmodi.

Datum Corpus S. Candidi Mar.

3. In nomine Domini Amen. Præsenti publico instrumento cunctis vbique pateat & sit notum, quòd anno à natiuitate D. N. Iesu Christi MDCL,
C Indictione III, die verò XIII Mensis Junij, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Innocentij diuinâ prouidentia Papæ X, anno VI in mei & testium infrascriptorum præsentiâ præsens & personaliter existens Illustrissimus & Reuerendissimus D. Julius Cincius...., qui sponte suâ & omni meliori modo, ad majorem Omnipotentis Dei & Sanctorum suorum gloriam & honorem, donauit & largitus fuit Eminentissimo & Reuer. D. Hieronymo.... Card. Verospio.... præsenti corpus S. Candidi Martyris, aliàs ex Cœmeterio S. Agnetis de mandato S. D. N. Papæ extractum, & eidem Illustrissimo ac Reuerend. D. Iulio Cincio de anno præterito ab Illu. & Reu. D. Antonio Riualdo, ejusdem Eminentissimi ac Reuerend. D. Cardinalis Vicesgerente, cum facultate penes se retinendi, alijs donandi, extra vrbem transmittendi, & in Ecclesijs collocandi donatum & consignatum; prout apparet ex litteris testimonialibus donationis hujusmodi manu propriâ dicti Illustr. & Reuer. D. Vicesgerentis, & sigillo dicti Emin. D. Card. Vicarij munitis in actis productis: ad rum effectum dans atque transferens dictus Illustr. ac Reuer. D. Iulius Cincius eidem Eminent. & Reuer. Card. Verospio omnimodam facultatem & auctoritatem circa dicti sacri Corporis dispositionem sibi vt suprà concessam. Quod quidem corpus sancti Candidi Martyris repositum & c locatum in quadam capsulâ ligneâ idem Emin. & Reuer. D. Card. Verospius omni quâ potuit maiori deuotione & reuerentiâ accepit, & gratias quàm plurimas egit...... Actum Romæ E
in domo solitæ habitationis dicti Ill. & Reu. D. Iulij Cincij, præsentibus ibidem Perillustri & adm. Reu. D. Philippo Piro Auditore, & Illustri D. Petro Lelio Romano, testibus ad prædicta omnia & singula vocatis atque rogatis.

Ex Cœmeterio S. Agnetis.

Cum facultate de eo disponendi.

4. *Sequitur fides Notariatus dicti Ioannis de Garsiâ per Martium tit: S. Petri ad vincula S. R. E. Presbyt. Cardinalem Ghinettum, S. D. N. Papæ Vicarium generalem: quâ hîc omissâ procedit tenor instrumenti prioris.* Cuius quidem instrumenti originale fuit posteà infrascriptis Illustribus & adm. Reuerendis DD. Præposito & Canonicis Collegiatæ dictæ Terræ Cinguli, ad effectum conseruandi, datum & consignatum. Volens deindè dictus Emin. & Reu. D. Card. Verospius facultate & auctoritate, sibi vigore suprascripti instrumenti attributâ, frui, & dictam Terram Cinguli dicto corpore S. Candidi Martyris decorare, ipsum corpus S. Candidi Martyris è Romanâ vrbe exportatum, ac Terræ Cinguli solenniter illatum, Venerabili Ecclesiæ Collegiatæ eiusdem Terræ Cinguli, sub nomine D. Mariæ consecratæ, donauit, & de præsenti ad perpetuam rei memoriam publicum haberi voluit instrumentum. Hinc est quod dictus Emin. & Reuer. D. Hieronymus tit: S. Agnetis in Agone Presbyter Card. Verospius, Episcopus Auximanus, anno à sanctissimâ D. N. Iesu Christi natiuitate MDCLI, Indict. IV, Pontificatus autem S. D. N. Innocentij diuinâ F
prouidentiâ X anno VII, die verò XIX mensis Martij, circà duas horas noctis, cum tribus luminibus accensis, in mei & testium infrascriptorum præsentiâ præsens & personaliter existens, sponte & om-

qui illud an. 1651. Cingulum transfert,

& Ecclesiæ Collegiatæ donat

A & omni meliori modo, ad maiorem Omnipotentis Dei & Sanctorum gloriam & honorem, atque ad excitandum in populo Terræ Cinguli maiorem deuotionis affectum, dictum sanctum Corpus D. Candidi Mart. in capsulâ, vt suprà, collocatum, ex puro suæ voluntatis affectu & beneuolentiâ, dono dedit irreuocabiliter inter viuos supradictæ Collegiatæ Terræ Cinguli illius Capitulo & Canonicis, videlicet Illustribus & adm. Reuerendis DD. Hieronymo Pier-mathæo Præposito, Simoni de Bernardis, Matthæo Pasqualono, Achilli Simonetto, Antonio Marcono, & Seuero Seuerino eiusdem Ecclesiæ Canonicis præsentibus & acceptantibus, tam pro se ipsis quàm pro Dominis Collegis absentibus eorumque successoribus, in perpetuum.

5. Adiecit etiam idem Emin. & Reuer. D. Card. Verospius, & expressè iniunxit huiusmodi donationi hanc irreuocabilem legem & conditionem, videlicet, quòd dictum venerabile corpus sancti Candidi Martyris reponatur, & repositum conseruetur in loco decenti eiusdem Ecclesiæ Collegiatæ, sub tribus clauibus benè clausum & custoditum; quarum clauium vna penès Capitulum & Canonicos prædictos, altera penès Illustrissimum & adm. Reuerendum D. Vicarium foraneum Cinguli pro tempore existentem, tertia verò penès Illustrissimam Communitatem Terræ prædictæ in perpetuum conseruetur. Insuper idem Emin. ac Reuer. D. Card. Verospius mandauit & expressè ordinauit, vt dictum corpus S. Candidi Martyris populo videndum & colendum exponeretur, & dignâ celebritate coleretur die XVIII Martij cuiusque anni, ad celebrandam memoriam gloriosæ Translationis dicti corporis in terrâ Cinguli.

asseruandum sub tribus clauibus

B

D

& 18. Martij publico cultui exponendum

6. Hæc Translatio eodem die magnâ cum populi frequentiâ & plausu solenníque pompâ & singulari cum animorum hilaritate & deuotione ab eodem Emin. & Reuer. D. Card. Verospio facta est. Quod corpus S. Candidi Martyris, vt suprà in capsulâ collocatum prædicti DD. Præpositus & Canonici acceptauerunt; & humillimas gratias egerunt ipsi Emin. & Reuer. D. Card. Verospio, rogantes D.O.M. vt illius piæ munificentiæ largissima è cœlo premia retribuere dignaretur. Prædicta autem omnia & singula supradicti DD. Præpositus & Canonici semper rata habere, & nunquam contrauenire promiserunt, & ità tactis &c. iurarunt. Actum Cinguli, in domo Perillustris D. Friderici Simonetti, in contratâ S. Dominici, juxtà viam: præsentibus ibidem DD. Capitaneo Ioanne Bapt. quondam D. Achillis Dionysij, & Capitaneo Camillo quondam D. Hieronymi Sinibaldi de Auximo, testibus. Ego Alexander de Bernardis de Cingulo Notarius rogatus &c.

Conditiones acceptat Capitulum.

E

DE SANCTIS MARTYRIBVS

NARCISSO EPISCOPO GERVNDENSI

APOSTOLO AVGVSTANO

ET FELICE EIVS DIACONO

Commentarius Historicus.

INITIO SEC. IV. XVIII MARTII.

1.  *Erunda antiqua & illustris Cataloniæ apud Hispanos vrbs, flumini Vndâ, mox in Ticerim influente, affusa, Sede ab antiquis temporibus Episcopali exornata, inter suos Antistites veneratur S. Narcissum, ibidem pro fide Christi lauteâ martyrij* C *coronatum. Hic ille est sanctus Narcissus, quem Augusta Vindelicorum apud Germanos primum suum agnoscit Apostolum ac fidei præconem: & cui in magnifica Basilica Monasterij SS. Vdalrici & Afræ erecta est ara Princeps octoginta pedum altitudine: cuius effigiem exhibet Bernardus Hertfelder in Basilica SS. Vdalrici & Afræ à se historicè descriptâ, atque æneis figuris illustratâ.*

Ara Sancti Narcissi

2. *Rerum à sancto Narcisso gestarum historia à coæuis scripta non extat, & si quæ fuerit, est cum passionis libro, vti infra dicetur, irruentibus Paganis irrecuperabiliter amissa. Extat historia conuersionis & passionis S. Afræ & sociorum à Marco Velsero erudito commentario explanata, in quo arbitratur eam, pace Ecclesijs per Constantinum Magnum redditâ, recenti adhuc vigente memoriâ, fuisse conscriptam. Est autem mirabilis illa conuersio per S. Narcissum facta, occasione cuius pleraque de hoc Sancto referuntur, vti lector reperire poterit in dictâ S. Afræ historiâ apud memoratum Velserum à nobis ad diem* v *Augusti elucidandâ. Interim hîc damus aliquod vitæ compendium erutum à Ioanne Gamansio nostro ex codice membranaceo dicti Monasterij SS. Vdalrici & Afræ, corio albo tecto, & littera Z ac numero* XL *signato, cui iste titulus est præfixus:* Vitæ SS. Narcissi, Vdalrici, Simperti & Afræ: *quod idem Gamansius cum* MS. *Blaturano itidem membranaceo Passionali Sanctorum decem contulit.*

Acta in conuersionis S. Afræ historia.

Compendium Vitæ

3. *Hisce addimus Berengarij Episcopi Gerundensis epistolam ad Sighardum Abbatem Monasterij SS. Vdalrici & Afræ, anno* MLXXXVII *missam cum varijs S. Narcissi & aliorum Sanctorum Reliquijs. Mortuus est Sighardus Abbas* MXCIV. *Occasione harum reliquiarum, quæ sunt de vestibus eius, imago ex argento pectore tenus efformata est, atque in dicto libro Hertfelderi pag. 69 expressa: & quidem cum malo genio quòd, cùm S. Afram converteret, dæmonem horribili specie apparentem oratione & ieiunio pepulerit, & immanem ad Alpium fauces habitantem draconem interficere coëgerit.* F *Est dicta Berengarij epistola etiam excusa à Marco Velsero pag. 34 & Antonio Vincentio Domenecco libro de Sanctis Cataloniæ fol. 26. quæ nonnullis insertis auctior ante citatum Compendium Vitæ S. Narcissi, prout hîc damus, extat in codice Augustano. Quibus subiungimus pauca miracula ex Hispanico dicti Domenecci Latinè translata.*

Reliquiæ,

statua argentea:

miracula:

4. *Diem obitus sancti Narcissi ignorari fatetur Berengarius in dictâ epistolâ, sed assumptum* IV Kalendas Nouembris pro transitus festiuitate, *quod & Augustani fecerunt: quo die celebratur Natalis S. Narcissi Episcopi Hierosolymorum. Hinc data occasio Petro de Natalibus lib. 7 Catalogi cap. 28 aberrandi, & scribendi* per prædicationem Narcissi Hierosolymorum Episcopi S. Afram ad Christum conuersam, & cum omni domo & Matre baptizatam, atque à peccato reuocatam esse. *Qui error in Martyrologijs varijs reperitur. At Martyrol. Romanum ad hunc diem nobis eum proponit his verbis:* Augustæ Sancti Narcissi Episcopi, qui primus in Rhætiâ Euangelium prędicauit, deinde Romam profectus, cùm Gerundæ multos ad Christi fidem conuertisset, ibidem

cultus 29. Octobr.

& 18. Martij

A dem in persecutione Diocletiani cum Felice Diacono martyrij palmam accepit. *Quæ eadem ferè leguntur in Martyrologio Galesinij, & aliquantò latiùs in Additionibus Molani ad Vsuardum anni* 1568. *Secuti suprà citatus Domenecus, Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico, & ab eo allegatus Rodericus Acunha, item Georgius Cardoso in Hagiologio Lusitano. Vtroque die referunt Greuenus, Canisius, & alij. Inscriptæ Martyrologio Romano sunt ad diem* XII *Augusti* Hilaria Mater S. Afræ, aliæque sociæ Martyres: *ad quem diem in Martyrol. Pragensi ista adduntur*: Huius S. Hilariæ caput Carolus Imperator obtinuit in ciuitate Augustæ in Monasterio S. Vdalrici, & donauit Ecclesiæ Pragensi. Item in eodem capite recondidit Imperator Reliquias Narcissi Episcopi & Martyris, qui Beatam Afram conuertit ad fidem.

Reliquiæ Pragæ.

5. *De patriâ & Episcopatu ante conuersionem S. Afræ silent huius Acta, ac solum* Episcopum *denominant Infrà in Compendio vitæ dicitur fuisse* Episcopus Gerundensis, & *num.* 2. reuersurus in ciuitatem suam Gerundensem: *sed num solùm intelligatur Episcopalis an paterna, dubium est. Aliqui recentiores ex nudâ auctoritate scriptorum Dextri & Maximi nuper inuentorum, volunt Episcopum Braccarensem fuisse, & Scallabi in Lusitaniâ prognatum; & sub Aureliano Imperatore martyrij laureâ coronatum: ad quæ stabilienda necdum vidimus satis tuta fundamenta. Cum ipsis Actis & Martyrologio Romano, quibus adstipulantur Regino, Hermannus Contractus, Marcus Velserus aliíque S. Narcissum cum suo Diacono S. Felice in persecutione Diocletiani passum arbitramur, forsan tamen cùm depositâ ab eo purpurâ ista adhuc duraret.*

Patria. *Sedes Episcopalis,* B *tempus martyrij.*

VITÆ COMPENDIVM

Ex MSS. Augustano & Blaturano.

1. IGitur ex *a* Occidentali Hispaniâ ciuitate Gerundâ exorta est tempestas Christianæ persecutionis; & omnes qui illic morabantur, ab impijssimis Imperatoribus Diocletiano & Maximiano ad sacrificandum idolis cogebantur. Erat tunc in eadem ciuitate sanctissimus Pontifex, nomine Narcissus, quod potest dici in nostrâ linguâ *b* pulcherrimus flos, vir nobilissimus, & in Christi fide fundatissimus. Hic ingruente persecutionis rabie, populum sibi subiectum in fide Christi confortauit, & ne timerent persecutorum rabiem, verbis suasibilibus præmonuit, dicens: C fratres charissimi, estote fortes in fide Domini nostri Iesu Christi: & nolite timere persecutorum rabiem, quæ citò sicut fumus transibit: & statim consolationis auxilium à Domino vobis erit. Nemo enim nisi qui Christianè certauerit coronabitur. Beatus ergo vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ. Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: & ideò omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Nolite itaque eos timere, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs eum timete, qui cùm occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennam ignis. Vos igitur fratres carissimi, à Spiritu sancto tam clementer & euidenter edocti; spontè & non inuiti accedite ad Crucem Domini nostri Iesu Christi, vt consortes efficiamini resurrectionis eius. Si enim complantati fueritis similitudini mortis & passionis eius, simul & resurrectionis eius eritis. His autem & alijs diuinorum eloquiorum hortamentis edocti, omnes fratres prompti & parati erant ad perferendam D passionem, propter nomen Domini nostri Iesu Christi, & propter amorem patriæ cælestis.

a In persecutione Diocletiani *b* *suos Gerundenses confortat in fide:*

2. Beatus itaque Pontifex Narcissus, Pastor ouium Christi, ante omnes & præ omnibus quasi dux & ductor gregis, sic ipse gaudens præcucurrit, præ cunctis spontè se offerens ad passionem, cupiens se jam dudum immolari pro ouibus Christi, vt post victoriam passionis cum palmâ martyrij mereretur eos præcedere in regno Dei, susceptis propter nomen Domini multis injurijs ab iniquis tortoribus. Cùm iam ad palmam victoriæ se æstimaret peruenisse; apparuit ei Dominus in visu & dixit ad eum: fortis esto, agonotheta meus charissime, & longanimis esto atque patiens ad percipiendam coronam, quæ te expectat in regno meo. Nondum vt putas apprehendisti coronam tuam: sustine adhuc modicum donec impleatur numerus animarum, quæ per verbum prædicationis tuæ credituræ sunt in me. Oportet enim te adhuc & alijs gentibus & linguis verbum meum annuntiare & prædicare: & postquam acquisieris mihi gentes illas, reuerteris huc, & in hac ciuitate tuâ Gerundâ cum honore percipies coronam tuam. Est ciuitas in partibus *c* Rhætiarum, *d* Augusta nomine, nullâ adhuc conuersa prædicatione, in quâ magna sæuit persecutionis procella, & nimiùm desuper creuit fornicationis miseria. Hanc ergo ciuitatem cùm introieris, ad meretricem, nomine Afram, fiducialiter ingredieris, & vnà cum Diacono tuo Felice *e* dæmonem, qui in domo prostibuli illius latet, inuocato nomine meo effugabis, & eum ad Alpes Iulianas draconem interficere jubebis; domum verò illius prostibuli orationibus tuis mundabis, & ipsas meretrices, quæ in eâdem domo sunt, baptizabis. Omnibus quoque ritè peractis, Ecclesiam illam & populum, quem tibi purificaueris, ad regnum vitæ æternæ incitabis, & Episcopum eius *f* Dionysium ordinabis & sic demum cùm pace ad hunc locum stationis tuæ reuerteris, vt coronam tuam percipias, & eam sine fine mecum cum Sanctis meis possideas. Vade ergo securus huc: quia ecce mitto Angelum meum, qui perducat te ad locum illum, & custodiat te semper, & post lucrum multarum animarum reducet te huc ad coronam tuam, quoniam me custodiente & defendente nemo rapiet te de manu meâ.

à Christo apparente mittitur Augustam Vindelicorum *c d* *ad Ædes S. Afræ cum S. Felice Diacono:* E *e* *f* *addito Angelo comitatu,*

3. Surgens ergo S. Narcissus Episcopus, assumpto Diacono suo Felice, cœpit ire per longa terrarum spatia & fluminum difficiles tractus, donec Christo ducente ad Augustam *g* Alamannorum ciuitatem perueniret: vbi tunc Diocletiani persecutio ita Christi Ecclesiam oppresserat, vt paucissimi & penè nulli in eadem ciuitate essent, qui Christum confiteri auderent. Ingressi itaque ciuitatem Episcopus & Felix Diaconus, munierunt frontes suas signo Crucis Christi & intrantes prostibulum ad meretricem, nomine Afram, & imprecantes pacem Domini, benignè & quasi pro turpi negotio ad eâ recepti sunt. Videns autem eos non lasciuiæ sed diuinis officijs insistentes, hæsitauit in corde, considerans homines non jocantes, sed seriò agentes, orantes & psallentes, & cibum carnalem non diligentes; compuncta corde dixit ad eos: non rectè intrastis Domini mei: nam hæc domus immunda est, & non conuenit vobis, qui Christiani & Sancti estis. Nos enim sordidæ & pollutæ sumus: & Christi virtus hîc periclitatur, vbi continuè vanitas & spurcitia exercetur. Respondit Episcopus: Ego nusquàm habebam ingredi, nisi quò me jussit gratia Christi. Nolite ergo timere, quia per vos non polluitur gratia Christi: imò per gratiam Dei vos mundari & purificari oportet. Quomodò enim Sol de cœlo splendens cloacas & sordes platearum

iter peragit: *g* F *ad S. Afram diuertunt* *canunt conuersi.*

A rum penetrat, nec tamen sordidatur, sic potius vos mundare & purificare habet, vt glorificetur per vestram conuersionem, & vt exemplum ceteris peccatoribus præbeatis. Afra respondit: Quomodò ergo purificari possum, quæ plura peccata commisi quàm numeros habent arenæ maris & pluuiarum guttæ: quia non solùm fornicatione, sed etiam idolorum culturâ me perdidi. Veneris enim idololatriæ sum dedita ab infantiâ meâ vsque in præsens, & Venus coli non potest, nisi per immunditiam & fornicationem. Respondit ergo Episcopus: Christo Domino meo nihil est impossibile. At quomodò eam conuertebat ad fidem Christi, ipsam & totam familiam eius, & eis Episcopum ordinauit, Sanctum scilicet auunculum Afræ Dionysium, & draconem interfecit, hoc require in libro S. Afræ, ibi inuenies illa omnia. Post quæ baptizauit Afram, Hilariam, Dignam, Eunomiam, Eutropiam, & eis Dionysium in Episcopum ordinauit, & domum Hilariæ in ecclesiam dedicauit, in quâ, quamdiu ibi mansit, diuina mysteria celebrauit, & multos Paganorum à culturâ idolorum conuersos baptizauit, & plurimas sanitates infirmis conferens, cæcis visum, surdis auditum, inuocato Christi nomine restituit.

baptizat cũ totâ familiâ *& multos alios:* *miracula patrat:*

B 4 Interim audientes Pagani famam beati viri, nuntiauerunt Iudici *b* Gaio, dicentes: Ecce Pontifex Christianorum, Narcissus nomine, expulsus de finibus suis, profugus venit in ciuitatem hanc, & manet in domo Afræ meretricis, & multos conuertit à culturâ deorum, prædicans Christum Deum suum. Tunc iratus Gaius præcepit apparitoribus suis, vt eum comprehenderent & ad sacrificandum idolis compellerent: & si sacrificare nollet, diuersis excruciatum tormentis interficerent. At illi venientes in domum Afræ dixerunt ad eam. Educ viros, qui venerunt ad te, Christiani enim sunt, & deos nostros contemnunt, prędicantes vobis alium Deum, quem non colit populus huius ciuitatis & Principes eius. Afra verò prœmonita absconderat eos in solario domus eius sub lini fasciculis, quos apud se habebat, dixitque apparitoribus: quid putatis haberent venire ad me si Christiani essent? Ad me non veniunt Christiani, quia meretrix sum: quod si mihi non creditis, intrate domum meam & quęrite eos; at illi credentes ei, & putantes eos alibi latitare, recesserunt. Beatus autem Narcissus Episcopus per aliquot

b *conquiritur à satellitibus:* *latet, neque inuenitur:*

C dies pleniùs instruens B. Afram eiusque socias, & eos, qui per eum crediderant, & confirmans eos in fide, reuersus est in Hispaniam & ciuitatem Gerundam, vnà cum Diacono suo Felice. Inuenerunt autem Ecclesiam graui persecutionis procellâ quassatam, ita vt multi in fide titubarent, quos B. Narcissus paternâ consolatione in fide confortans, & eos qui constantes erant, vt firmiùs starent, exhortans, omnes ad tolerantiam passionis animauit.

redit Gerundam: *suos animat in fide:*

5 Deinde conuocans omnes fideles viros & mulieres exposuit eis causam itineris sui, quomodò Christus per suam magnam gratiam & misericordiam meretrices saluauit in ciuitate Augustâ, ad exemplum omnium pœnitentium, & ut prædicetur virtus in gentibus. Audiens autem omnis Ecclesia fidelium fleuit, & vberrimas gratiarum actiones Domino retulit: qui neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam & remissionem peccatorum desiderat venire. Intereà dum B. Narcissus verbum Domini in Hispaniâ vbique disseminaret, & multos ad Christum conuerteret, audiuit Ecclesiam quam ipse fundauit in ciuitate Augustâ, sæuissimâ Paganorum persecutione dilaceratam: adeò vt vix tenues reliquiæ Christianæ Religionis ibi permansisse viderentur. Et beatam quoque Afram pro tribunali stetisse pro nomine Christi, & post publicam professionem cum totâ familiâ suâ per exustionem ignis martyrio consummatam. Quo audito sanctus Episcopus pro victoriâ Martyrum Afræ & sociarum eius gratias Domino retulit, sed de oppressione & dispersione ouium Christi altiùs ingemiscens, & cum multis lacrymis reliquias plantationis suæ in ciuitate Augustâ Domino commendans, diem passionis Afræ & sociarum eius in Ecclesiâ solemnem haberi constituit. Historiam quoque passionis & conuersionis earum in Ecclesijs Hispanijs diuulgauit. D

exponit fructum suæ missionis: *b martyriũ S. Afræ & sociarum, gratias Deo agit:*

6 Audientes interim Maiores ciuitatis Gerundæ multos quotidiè conuerti ad Christum per B. Narcissum, quem dudum ob declinandam persecutionem in exteras regiones profugisse audierant, timentes ne fama doctrinæ eius ad aures Præfecti Hispaniæ pertingeret, & ne fortè furor illius contra ciuitatem illam desæuiret; cogitauerunt eum occidere. Sed quia vir nobilis erat, & jam multi erant, qui per eum Christo crediderant; timentes ne seditio oriretur in populo, si publicè occideretur; jusserunt satellitibus suis, vt obseruarent eum, & receptâ opportunitate clàm interficerent. Quadam itaque die dum ad celebrandum sacra mysteria præparatus orationi incumberet B. Narcissus; infideles, qui ei jam pridem insidiabantur, subitò irruentes in ecclesiam, de sacro altari abstractum, & injurijs affectum, gladio percusserunt, & lentis vulneribus cruentatum reliquerunt. Passus est autem Narcissus IV Kalendas Nouembris. Eodem tempore B. Felix Diaconus ejus, in eâdem ciuitate Gerundâ pro confessione Christi occisus ab impijs, migrauit ad Dominum: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. E

à consilio Gerundensium Paganorum *abstractus ab altari occiditur.*

a *Occidentalis est Hispania respectu totius Europæ, aliàs Gerunda est in Orientali parte ipsius Hispaniæ.*

b *Alludit ad Florem Narcissum, vnde & Poëtis data occasio fabulandi puerum pulcherrimum in eum Florem commutatum fuisse, vti Ouidius habet lib. 3 Metamorphosis.*

c *Vnam Prouinciam constituit Rhætia & Vindelicia, cùm regiones in formam Prouinciarum ab Augusto Imperatore redigerentur.*

d Augusta Vindelicorum, *Primo Episcopo Cabilunensi in Topographiâ sanctorum Martyrum cum Martyrologio Maurolyci editâ dicitur* Augusta Rhætiæ Vindelicorum ciuitas, *& creditur intelligi apud Tacitum de Germaniæ situ dum* splendidissimam Rhætiæ prouinciæ coloniam *appellat.*

e *Historia de dæmone effugato & dracone per hunc interempto latè deducitur in Conuersione S. Afræ.*

f *Colitur S. Dionysius 26 Februarij: consule ibi à nobis dicta.*

g *De Alamannis earumque Sede Sueuiâ alibi egimus. Consule caput 1 Vita S. Vedasti 6 Febr. Notas c. d.*

h Gaius, *seu* Caius, *etiam* Iudex *memoratur in Passione S. Afræ.* F

Epistola Berengarij Episcopi Gerundensis de Reliquijs SS. Narcissi, Felicis & aliorum.

1 ANno Dominicæ Incarnationis MLXXXVII missus est quidam *a* nuntius de Cœnobio S. Afræ ad Gerundam ciuitatem: cuius iter Deo, qui disposuit, comitante, & ad præfatum locum incolumis peruenit, & inde non modicas sanctorum Martyrum Reliquias cum huiusmodi scriptis reportauit. A

Charissimo Patri, Domino Sighardo Abbati, & vniuersæ Sancti Vdalrici & Sanctæ Afræ Martyris Congregationi, Berengarius sanctæ Sedis Gerundensis Episcopus, cum omni Clero & fideli populo perfrui bonis omnibus semper in Christo.

Missus Augustâ Gerũdam refert responsum

2 Nouerit, dilectissimi, venerandus vestræ fraternitatis affectus, nos & vestrum nuntium vidisse, & delegatas nobis à vestrâ fraternitate litteras pio respectu perlegisse: & vestris precibus (licet id quod nobis

A nobis post Deum carius est experteretis) nimia vestri deuinctos deuotione, libenter annuisse. Tanta est equidem à Christo commendata dilectionis integritas, vt quod sibi quis auidiùs retinendum elegerit, crimen esse perhorrescat, nisi petenti *b* celeriter obtulerit. Quapropter, carissimi fratres, huius caritatis iura seruantes, hinc si dicendum est, præsumptionem facientes, beatitudini vestræ de sacro sanctis salutis nostræ thesauris munificum munus dirigimus: videlicet ex ossibus, & carne, & cruore terræ mixtis, ac vestimentis sanctissimi Doctoris nostri, *c* Felicis Martyris Christi, scilicet illius, quem vt Apostolum & Prophetam habemus: non illius qui Beatissimi Narcissi Episcopi Diaconus est dictus: quoniam ipse translatus à pijssimo Rege Francorum Carolo apud Parisiorum ciuitatem honorificè requiescit: item de gloriosissimi Patris nostri Narcissi Pontificis & Martyris Christi vestimento & stolâ, cum quibus conditus est in sepulcro. De corpore autem eius vobis ideò mittere nequiuimus, quoniam ita hactenùs Dei gratia seruatur incorruptum, sicut eâ die, quâ spiritus eius de hoc seculo nequam transuectus est ad Dominum. Mittimus etiam vobis de ossibus capitis atque manus Sancti Romani pretiosissimi Martyris Christi, socij videlicet prædicti Felicis venerandi Martyris Gerundensis, Hispaniæque Doctoris. B Sanctarum verò reliquiarum, quas destinamus, loculo adiunctis breuiculis (nequis inscios error perturbaret) ita signando distinximus, vt quorum quisque gerat pignora, indubitanter notificetur ignorantibus. Lætamini igitur in Domino dilectissimi, & exultate, & tantorum trium Patrum pignora sub Trinitatis nomine vos promeruisse, gaudete. Et vt parcè loquamur, si non honorificentiùs non tamen irreligiosiùs, quàm à nobis custodiuntur, munera fidei vestræ credita conseruate: quatenus patrocinantibus ipsis, quorum pretiosissimum pignus in manibus habetis, & præsentis vitæ tranquillitate perfrui & futuræ beatitudinis requiem consequi valeatis. Passionem prætereà S. Felicis vobis transmittimus, in quâ natalis eius diem, Kalendas videlicet Augusti prænotauimus.

& Reliquias S. Felicis alterius,

S. Narcissi

& S. Romani.

accuratè distinctas,

3. *e* Item operæ pretium inserere, quòd (sicut epistolæ prædicti Berengarij videntur innuere, & annales testantur) Corpus Beati Martyris Patris nostri Narcissi, in destinatione nuntiorum Augustensium Fratrum, incorruptum est inuentum, & adhuc cilicio inuolutum ferientis gladijs stigmata seruat; sicut C inter sacra Missarum solemnia tribus vulneribus, scilicet in gutture, humero, & in surâ vulneratus Martyr in Domino occubuit. Post humationem verò sacri corporis, multis annis elapsis, viuido colore, venerandâ canicie, dexterâ ad benedicendum porrectâ integer est inuentus. *f* Cumque quidam Religiosus Abbas digitum pedis eius furtim vellet diripere venerationis intuitu, cunctis videntibus & de miraculo stupentibus, pedem retraxit. Hæc itaque, sicut legimus, deuotioni vestræ, Fratres, litteris curauimus signare,

à corpore illius vulnera inflicta exhibente

nihil auferri potest.

4. *g* De gestis autem S. Afræ nihil ampliùs nos quàm vos habere cognoscite. De sancto verò Narcisso dirigimus quod habemus. Passionis enim illius librum, & obitus sui diem, irruentibus Paganis & Ecclesias nostras vastantibus ac loca depopulantibus, irrecuperabiliter amisimus. Transitus verò eius Festiuitas à nobis annualiter solemni studio celebratur *h* IV Kalend. Nouembris, Translationis autem *i* V Kalend. Octobris Valete & pro nobis Omnipotentem Deum exorate.

Acta passionis perierunt.

a *Bernardo Hertfelder dicitur* Frater laicus Conuentus SS. Vdalrici & Afræ.

b *Domeneccus* fideliter. D

c *Colitur Doctor Felix Martyrol. Rom. inscriptus Kalendis Augusti, vti infrà dicitur fieri Gerundæ.*

d *Cum Felice colitur etiam S. Romanus I Augusti.*

e *Hoc numero contenta desunt apud Domeneccum, postmodum adiuncta.*

f *Hoc idem refert Hertfelder.*

g *Sequentia leguntur apud Domeneccum*

h *Domeneccus* XI Kalend. Nouembris.

i *Non reperimus vllis Fastis eam Translationem inscriptam.*

MIRACVLA

Ex Hispanico Ant. Vincentij Domenecci.

1. ILlustratur sancti huius tumulus miraculis (vt loquitur Cæsar Baronius in suis ad Martyrologium Romanum notis) ibi enim multi claudi & contracti curantur, sanantur varijs infirmitatibus afflicti, vt febrientes, alijque. Omnia verò miracula superat, quod corpus illius, ante annos mille trecentos vitâ functi, adeò, vt nunc est, integrum incorruptumque perseuerarit. Ex multis tamen miracula duo referam tam grandia notabiliaque, sine magno vt historiæ damno taceri nequeant, relata autem non sint fastidium allatura lectori. E

Varia miracula

2. Anno MDLXXX die XXVIII Augusti, quo S. Narcissi Festum agebatur, Ioannes Vitalis, Gerundensis pistor, intra secundam tertiamque à nocte mediâ horam, subigens farinam ad coquendos panes, massam sanguine permixtam miratus, ex ipsâ mactrâ eum stillare vidit. Attonitus ad hoc prodigium pauperculus rogauit Sanctum, sineret cœptum opus peragi, se eo peracto curaturum, vt in tabellâ expressum miraculum aræ eius appenderetur: & continuò matrem, vxorem, famulum acciuit futuros testes, miraculi tam gloriosi, quod in sui Sancti honorem Deus operabatur.

sanguis farinam inquinat ob festum eius violatū.

3. Neque sola Gerunda, sed vniuersum Arragoniæ ac Catalaniæ regnum, multum debet huic Sancto vt suo speciali protectori contra potentissimos quosque hostes. Euidenti hoc miraculo experti sunt Catalani tempore Regis Petri, sui quidem nominis inter Aragoniæ Reges tertij, secundi verò inter Catalaniç Principes. Hic cùm potenti manu occupasset Siciliam, tamquam sibi vxoris iure debitam, (quippe qui Manfredi Regis filiam sibi matrimonio junctam haberet) atque aduersùs eum arma sumpsisset F Carolus, & ipse dictus Rex Siciliæ; venit potenti cum exercitu & fratre suo Philippo Franciæ Rege in Catalaniam, & Gerundam obtinuit, deditionem, ex ipsius Regis Petri defensionem desperantis consensu, faciente Raimundo Folco Vice-comite Cardonensi. Loco igitur potiti Franci, non solùm indigenis fuêre grauissimi, cunctos spoliando opprimendoque: sed & ipsis cælitibus sacrisque locis extiterunt injurij, profanando calices aliaque diuinis ministerijs destinata vasa, & Sanctorum lipsanis reuerenter seruandis ex auro argêtoque fabrefactas hierothecas, disiectis reliquijs, auferendo. Inter quæ accidit vt sanctum B. Narcissi confringeretur brachium; quod minimè voluit diuina æquitas dissimulare impunitum: ergo ex ipso sancti Præsulis sepulcro exierunt innumera examina muscarum, ceruleo partim, partim viridi colore tinctarum, rubrisque strijs dispunctarum; quæ virorum equorumque subingressæ nares, non priùs deserebant occupatos, quàm spiritum vitamque abstulissent concidentibus humi mortuis. Tanta enim erat veneni efficacia, vt seu virum seu equum momordissent, morsum continuò mors sequeretur: tantam autem Francico exercitui cladem intulêre, vt ex ijs qui innumerabiles sese in Catalaniam

occupatâ Francis Gerundâ

ob violatas Reliquias S. Narcissi.

à muscis milites occisi.

A niam effuderant, vix tertia pars remaneret in viuis: qui justo Dei judicio victos se castigatosque professi rediere in Franciam, sociorum vicem vbique lamentantes. Accidit hoc tam grande miraculum mense Septembri anno MCCLXXXVI, eiusque relatio & confirmatio reperitur in Archiuio Regio Barcinonensi in quodam libro, cui titulus Chronica Regum Arragoniæ; de eodemque in Palatio Vicariatus Gerundensis publicum visitur instrumentum. Quin nec ipse infortunatus Carolus, quo conuiuente tam insolenter egerant milites, impune sacrilegam vecordiam D tulit: sed priùs quàm è Cataloniæ finibus pedem efferret, efferendus ipse mortuus fuit, & Rex frater eius cum exercitu, miserum in modum habito imminutoque, haud aliter quàm cruento prælio victus reuertit: vt terræ potentes potentiores cæli ciues reuereri discant, metuantque illos offendendo diuinam in se vindictam accersere. Meminit breuiter huius miraculi Cardinalis Baronius in Notationibus præcitatis.

DE SANCTO CYRILLO

HIEROSOLYMORVM EPISCOPO.

Commentarius Historicus.

§ I. S. Cyrilli cultus, Acta, exilium.

AN. CCC LXXXIX XVIII. MARTII

1 Diuini officij in Hierosolymitanâ S. P. N. Sabæ Laurâ recitandi Ordo, (quem Typicum dicunt, & reliqua circa sanctam ciuitatem Monasteria seruant, necnon quotquot modò sunt B inter Græcos Ecclesiæ) anno MDCIV Venetijs vnà cum Magnis Græcorum Menæis reliquisque Ecclesiasticis libris excusus; hodiernâ die præscribit Festum sancti Hierosolymorum Patriarchæ Cyrilli, ad vsus hodierni morem accommodato epitheto: quo enim Cyrillus vixit tempore Patriarchalis titulus, adhuc vsitatus non erat inter Theadelphicæ, vt passim cognominari solet, Sedis possessores; quamuis ea Ecclesia propter antiquitatis prærogatiuam dicta sit semper Mater Ecclesiarum, & Patriarchalibus par haberi voluerit. Ad cultum quod attinet Græcæ Ecclesiæ vsum, post Galesinium atque Molanum, secutus in Martyrologio Romano Baronius ita scripsit: Hierosolymis S. Cyrilli Episcopi, qui ab Arianis multas fidei caussâ perpessus injurias, & ab Ecclesiâ suâ sæpe pulsus, tandem sanctitatis gloriâ clarus in pace quieuit: cujus intemeratæ fidei Synodus Oecumenica Damaso scribens præclarum testimonium dedit: quod deinde in annotationibus ex Theodoreto lib. 5 cap. 9 adducit his verbis: Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ est omnium Mater, Reuerendissimum ac Sanctissimum Cyrillum Episcopum vobis ostendimus, tum ab Episcopis prouinciæ (vt canon vult) jam pridem esse creatum, tum plurima prælia aduersus Arianos plurimis in locis confecisse. Eodem die S. Cyrilli nomen inscriptum est Syriaco Kalendario Romæ anno 1624 cuso ante C officium illius gentis Ecclesiasticum: & in Martyrologio Arabico Ægyptio Romam ad nos misso notatur, memoria S. Cyrilli Episcopi Hierosolymitani: sed ad mensis huius diem XX. In alio antiquiori eiusdem linguæ Kalendario, cum elogio diuini nomen, Cyrilli reperit Illustrissimus Risius Archiepiscopus Damascenus, à quo mensem Martium indidem versum habemus; habemus & exceptum ex Codice Arabico MS. Latinè redditum ab Amabili Burzao, quod dicto Kalendario ferè respondens continet orationes quasdam multorum simul Sanctorum commemorationem complexas, quarum septima mensi Martio subseruiens circa medium, Magnificemus inquit, Cyrillum innocentem.

Dies festus in Græcis. *Latinis.* *Syriacis* ... *Elogium ex ... ad 11. Martij.* *... de ge... Conc... P.*

2. Elogium eius in MS. Synaxario Collegij nostri Claromontani ad diem X: Martij, quo præcipuè S. Sophronius ejusdem vrbis Episcopus colitur, tale reperimus. Memoria S. P. N. Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymorum. Hic fuit sub Constantino magno primùm Monachus factus, in eâque professione strenuè se exercens, postmodùm propter eximiam conuersationis suæ virtutem Hierosolymorum ordinatus Episcopus: quâ in dignitate ità sanctè laudabiliterque se gessit, vt etiam ad Synodum vocaretur, in quâ redarguens atque confundens impium Manetem eique consentientem delirum Sancti Spiritus impugnatorem Macedonium, cœtum Orthodoxorum lætitiâ atque exultatione spirituali impleuit. Per omnia verò in Christianis dogmatibus rectè decertans, & concreditum sibi gregem fideliter pascens, multaque ad Dei gloriam E miracula operatus, migrauit ad Dominum, regnum æternum vitamque recipiens & cum Sanctis sine fine beatis exultans.

Constantinopolitana hic Oecumenica Synodus, anno CCC LXXXI celebrata, indicatur: in quâ Macedonius Hæresiarcha condemnatus ex vulgatis Concilij istius canonibus totâque historiâ Ecclesiasticâ notissimus est; Manes autem eius socius hactenus obscurus hinc dumtaxat cognoscitur. Non enim existimandum est agi de Manichæorum impijssimo auctore, cuius errores, licet per Africam Asiamque vehementer inualescentes, nec Concilium hoc legitur attigisse, neque magnopere curare tunc potuit in id vnum totis intendens conatibus, vt pax & fidei Nicenæ professio restitueretur Christianæ Ecclesiæ, ad quam Manichæi non pertinebant, ideoque nec iussi sunt adesse cum ceteris. Subscripsit autem prædicto Concilio inter Palæstinæ Episcopos primus Cyrillus Hierosolymitanus, vtpotè Concilij sententiâ iudicatus legitimus Sedis illius Episcopus: quemadmodum in allegatâ ex Theodoreto epistolâ Synodicâ indicatur, secundùm quam etiam gradui suo restitutum dicimus anno proximè sequenti, atque ita vsque ad Theodosij Imperatoris annum XII, Christi CCCXC viuendo peruenisse.

3. Alterum eiusdem Cyrilli elogium idem MS. habet hoc die, qui scilicet eius cultui totus est proprius, nullâque in re diuersum ab eo, quod & MS. Basilij in Cryptâ-ferratâ Menologium aliquanto contractiùs, & pleniùs magna Menæa F habent, præmisso versu, quo mortuus hoc die indicatur: *aliud ex Menæis ad 18. Martij.*

Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ θάνατος μέλας εἷλε Κύριλλον.

Octauâ decimâ mors abstulit atra Cyrillum.

Elogium autem huiusmodi est: Ex parentibus pijs rectamque fidem sectantibus natus est Cyrillus, paribusque imbutus etiam ipse disciplinis adoleuit, & sub Imperio Constantij floruit. Postquàm verò Hierosolymorum Episcopus Maximus ad immortalem transijt vitam, B. hic Cyrillus Episcopali gratiâ dignus est habitus, Apostolicorum dogmatum propugnator promptissimus. Acacio Ecclesiæ Cæsariensis thronum obtinente, & à Sardicensi Synodo proscripto, propterea quod non pateretur æqualem Patri Filium dici, & datam cōtra se damnationis sententiam minimè suscipiente; sed in Episcopali munere tyrannicâ quâdam violentiâ sese tuente. Hic autem, quoniam Imperatori notus erat, acceptâ ab eo potestate, beatum ipsum Sede suâ expulit, & Hierosolymis profugere compulit. Qui Tarsum profectus admirabili Siluano adhæsit: & Synodo in Seleuciam conuocatâ, cùm eius pars non contemnenda Cyrillus esset, indignatus Aca- *in quo electio Cyrilli,* *exilium,*

A Acacius Constantinopolim excurrit, atque Imperatoris animum aduersus Cyrillum sic commouit in iram, vt exilij sententiam in eum pronuntiandam impetrarit. Verùm Constantio è viuis sublato, cùm successor eius Iulianus vniuersos pari complecti se profiteretur beneuolentiâ, expulsos sub Constantio Sedibus suis Episcopos ad Ecclesias proprias redire præcepit: inter quos etiam Cyrillus throno suo est restitutus. Rectè autem atque ex Dei beneplacito concreditum sibi gregem pascens, & memoriam sui relinquens Ecclesijs eas, quæ sub ipsius nomine circumferuntur, Catecheses; haud longo post reditum superstes tempore, beato fine requieuit. Erat porrò staturâ corporis omninò mediocri, pallidus, comatus, submissis naribus, vultu quadrato, supercilijs æqualiter circumductis, canis densisque pilis genas vestientibus (qui bifariam per mentum diuisi defluebant in barbam) totoque corporis habitu agresti.

restitutio, *habitus corporis.*

4. *Hactenùs MSS. æquè ac typis exarata Menæa, hoc vno corrigenda, quod tam breuem Cyrillo vitam post reditum à Iuliano concessum faciant: cùm D. Hieronymus in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus dicat*, sæpe pulsum Ecclesiâ & receptum, ad extremum sub Theodosio Principe inconcussum annis octo tenuisse Episcopatum. *De multiplici S. Cyrilli eiectione pluribus à nobis infrà agetur: nunc* B *quod earum præcipuam attinet, eius primum caussas ex Sozomeno, successum deinde ex Theodoreto atque Nicephoro accipiemus. Et Sozimenus quidem enumeratis Episcopis, quos in Conciliabulo Constantinopolitano Ariani, quæ Seleuciæ gesta erant irrita facturi, abdicarunt, lib. 4 cap. 24 sic ordi*tur: Porrò vnà cum illis (Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus abdicatur, propterea quòd cum Eustathio & Elpidio, qui concilio Melitinensi (cui etiam ipse interfuisset) obnixè aduersabantur, communicasset; quòdque post abdicationem in Palæstinâ factam veniret cum Georgio & Basilio Episcopo Laodiceæ in communionem; atque quòd cùm Episcopus Hierosolymorum constitutus esset, velut sedis iam Apostolicæ Antistes, cum Acacio Episcopo Cæsareæ de iure Metropolitano dissensisset: vnde factum est vt inimicitias inter se susciperent, & alter alterum, vt nòn verè sincereque de Deo sentientem, criminaretur. Etenim vterque antè in suspicionem venerat, alter quòd doctrinæ Arij faueret; alter, Cyrillus scilicet, quòd eos qui Filium Patri consubstantialem assererent, sequeretur. Itaque Acacius cùm hoc animo esset, reliquis Episcopis eius gentis C eiusque opinionis fautoribus in vnum conuocatis, ipse priùs Cyrillum tali de causâ abdicat. Cùm fames agrum Hierosolymitanum occuparet, multitudo rebus ad victum necessarijs destituta, ad Cyrillum vtpotè Episcopum opis implorandæ causâ confugit: cui cùm pecuniæ ad eam subleuandam non suppeterent, thesaurum Ecclesiæ & sacra aulæa vendidit. Quâ re confectâ, fama est quemdam animaduertisse mulierem scenicam monumento pretioso, quod ipse Ecclesiæ donauerat, amictam esse; curiosè ab eâ quæsijsse, vnde illud haberet; comperisse mercatorem ei vendidisse, mercatori autem Episcopum. Acacium verò hac causâ allatâ Cyrillum abdicasse. Quam rem ita se habere auditione equidem accepi. *Hæc ille proximi rebus, quas hic narrat, seculi Scriptor.*

Cyrillus Acacius aduersatus, *& cum Acacio de Primatu contendens,* *ob res ecclesiæ in publica fame distractas,* *abdicatur,*

5. *Theodoretus verò Sozomeno Synchronus lib. 2 cap. 27 hæc habet:* Per id tempus Acacius Cæsareæ, vrbis primæ Palæstinæ, Eusebio mortuo Episcopatum gessit: quem quidem Concilium Sardicense (*anno* CCCXLVII) abdicarat, *Arianæ hæresis conuictum*; sed ille, contemptâ tantâ Episcoporum multitudine, sententiæ contra se latæ restitit. Primatum autem Hierosolymorum obtinuit Maximus.... Isto ad vitam immortalem translato, Cyrillus, alacris & promptus doctrinæ Apostolicæ propugnator, in Episcopatus gradu locatur. Isti duo, Cyrillum dico & A- D cacium, inter se de primatu digladiantes, populum suarum Ecclesiarum grauissimis affecerunt incommodis. Nam Acacius leui arreptâ occasione abdicauit Cyrillum, Hierosolymisque expulit. Cyrillus autem proficiscitur Antiochiam, quam pastore orbatam reperit. Inde Tarsum petens cum Siluano, viro planè admirabili & Ecclesiæ illius id temporis Antistite, ætatem degit. Quam rem vt accepit Acacius litteras dedit ad Siluanum, eumque de Cyrilli abdicatione certiorem fecit. At Siluanus quoniam & reuerebatur Cyrillum, & multitudinem, quæ Cyrilli doctrinam cupidissimè amplexata est, nonnihil pertimescebat, à ministerio Ecclesiastico illum minimè prohibuit. Vbi Episcopi conuenerunt, Cyrillus cum Basilio, Eustathio, Siluano & reliquis fit Concilij particeps.

Abdicatur *interest Synodo Seleuciensi,*

6. Accedit etiam Acacius ad conuentum Episcoporum, qui erant centum quinquaginta numero; dicitque non priùs cum illis de rebus in deliberationem vocatis communicaturum, quàm Cyrillus, vtpotè Episcopatu abdicatus, è Concilio excluderetur. Itaque nonnulli pacis studiosi orant Cyrillum, vt è Concilio egrediatur, pollicenturque post factam de doctrinâ fidei diiudicationem de ejus causâ disceptatum iri. Quorum consilio cùm minimè obtemperaret Cyrillus, Acacius illis relictis abijt, atque pro- E fectus ad Eudoxium, eum metu liberauit, animumque reddidit; propterea quòd Eudoxio promisit se tum patronum caussæ suæ tum adiutorem fore. Atque cùm vetuisset illum in Concilium intrare, cum eo vnà petit Constantinopolim: nam Constantius ab Occidente reuersus, ibi tum commorabatur. Acacius Imperatoris animum (cùm conuentum Episcoporum coram Imperatore accusasset, vocassetque illum cœtum perditorum hominum ad exitium Ecclesiarum collectum) magnoperè ad iracundiam incendit: præcipuè tamen criminibus, quæ aduersùs Cyrillum contexuerat, bilem ei commouit. Nam aiebat, sacram stolam ex aureis filis contextam, quam excellentissimus Imperator Constantinus ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam Macario illius vrbis Episcopo donauerat, vt eâ amictus sacrosancti Baptismatis ministerium obiret, Cyrillum vendidisse: hancque mercatum esse quemdam eorum qui in pulpito scenæ cantare solent: eam induisse: inter saltandum lapsum esse, & casu obtritum interijsse: hunc Episcopos habentes Concilij socium de F rebus controuersis judicare, & de aliorum causâ disceptare aggressos.

nequidquam reclamante Acacio, *qui CP. ad Constantium profectus* *Synodum & Cyrillum accusat,*

7 *His igitur sic motus Constantius est, vt exilij sententiam in Cyrillum scripserit, vti Menæa tradunt; nullam certè illius habuit rationem, cùm vellet Seleuciensis Synodi Acta disturbare, & persuasus à suis multitudinis consensum extimescentibus, decem dumtaxat eorum præcipuos euocauit Constantinopolim: vbi quàm fortiter illi liberèque doctrinam orthodoxam propugnarint, quamuis ante id vel Semiariani fuissent vel ijs adhæsissent, tum ibidem prosequitur Theodoretus, tum infrà ex eodem videbimus; ostensuri Siluanum S. Cyrilli receptorem, vel jam anteà vel saltem à Cyrillo instructum, omnino rectè sensisse in fide, & à Semiarianorum collegio alienatum fuisse; etsi communi cum ijs consilio sese opposuerit Arianis, Acacio aliisque. Qui Ariani, vt est apud Nicephorum lib. 9 cap. 43 quintâ denique sessione* in conuentum noluerunt venire, ... sed neque eamdem cum alijs fidem profiteri, neque ad obiecta crimina respondere. Quin etiam ad Cyrilli Hierosolymitani caussam audiendam inuitati, quem ipsi Episcopatu abire jusserant, non adfuere: neque enim qui eos cogeret aderat quisquam. At alteri illi non modò liberè hæc egerunt: sed Acacium etiam & quicumque ad eum confugissent dignitate priuarunt.... Rebus ita gestis Acacius

& exilij sententiam obtinet, *ipse Seleuciæ damnatus.*

A Acacius celeriter ad Imperatorem est profectus : & exilij quidem, vt dictum est, sententiam contra eum obtinuit ; abdicationem verò ejusdem, vt supra dictum, ibidem ab Arianorum conuentu confirmandam curauit.

Arianismi nota S. Cyrillo inusta.

8. *Posteà iterum sub Iuliani Imperio restitutum Cyrillum quiescere non permisit Acacius, sed rursum sede suâ expulit Hilarione substituto ; de quo alijsque duobus eidem Cyrillo ante hac suppositis infrà agemus, postquàm S. Cyrilli nomen ab eorum calumniâ vindicauerimus, qui Arianismi aut Semiarianismi notam eidem inusserunt : quos inter Ruffinus lib. 1 Historiæ Eccles. cap. 23 de eius ad Episcopatum ingressu sic loquitur :* Hierosolymis verò Cyrillus post Maximum, Sacerdotio confusâ jam ordinatione suscepto, aliquando in fide, sæpiùs in communione variabat. *Similem notam eidem inurit Socrates lib. 5 cap. 8, vbi Synodi Constantinopolitanæ præcipuis Patribus ab eo adnumeratur* Cyrillus Hierosolymorum, qui id temporis pœnitentiâ adductus, fidei τῆ Ὁμοουσίῳ se totum addixerat. *Verùm hominibus in fide Catholicâ vacillantibus, varijsque hæreticæ prauitatis maculâ aspersis minùs hac in parte adhibendum est fidei, quàm ipsiusmet Cyrilli scriptis planè ac plenè Catholicis, & persecutionibus Arianorum, quorum erroribus eum nullatenùs communicasse egregiè docet demonstratque Theophanes ad annum Æræ vulgaris* CCCLV, *id est,* CCC B XLVII *Alexandrinæ, quâ vtitur, ista scribens :*

ex Theophane diluitur.

9 Hoc anno Maximum Hierosolymorum Episcopum Acacius Cæsareæ & Patrophilus Scythopoleos Præsules deposuerunt : & Cyrillum, quem vnà secum sentire sperabant, in eius locum suffecerunt. Sub idem tempus, Cyrillo Episcopum agente, viuificæ Crucis signum, luce magnâ coruscans, die sacro Pentecostes apparuit in cælo : & à Golgotha, quo loco Christus suffixus est, ad Oliuarum montem, quo in cælos est assumptus, pertransijt : corona verò speciem iridis referens, signum apparens circumibat : & eodem die visio eadem Constantio manifestata fuit : de quâ & ad Imperatorem Constantium Cyrilli epistola, quâ Pijssimum eum appellat, circumfertur. Quapropter Arianæ opinionis suspectum ipsum Cyrillum calumniantur nonnulli, & Consubstantialis vocem in Catechesibus, quas ob visum viuificæ crucis portentum ad innumeræ multitudinis, sacrum Baptisma postulantis, vtilitatem explanauit, subticuisse caussantur. Falluntur autem & iudicio peccant. Oportebat enim ex animi simplicitate potiùs quàm aperto proposito Arianorum dolis in hæresim abductum Imperatorem, gentilitate alioquin nondum plenè abolitâ, Pijssimum nuncupare ; & Consubstantialis vocem, plurimorum aures adhuc offendentem, C & aduersariorum controuersijs à sacro Baptismate deterrituram ignaros, præterire decebat, & Consubstantialis notitiam paris significatus vocabulis clariùs exprimere. Quod quidem à B. Cyrillo præstitum est : qui publicatam Niceæ normam fidei ad verbum interpretatus, Deum verum de Deo vero prædicauit. *Quibus addi poterat quòd ipsam prædictam epistolam concludens benè precetur Imperatori laudanti* τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοουσίαν τριάδα sanctam & consubstantialem Trinitatem: *quasi aculeum dissimulanter figens, & profitens hoc solum sensu Pientissimum dici, quo supponi debebat rectam fidem tenere vel reipsâ vel animi ad suscipiendam instructionem parati promptitudine.*

§. II. S. Cyrilli semper Orthodoxa fides: suspicio Semiarianismi abstersa.

Cyrillus ... arianis ... ærens ... tra Aca... ...

10. *Satis hæc esse possunt, vt natiuo suo accepta sensu S. Cyrillum purgent ab omni hæreseos suspicione : verùm quoniam sub Imperio Constantij ita toto Oriente prostrata jacebat orthodoxa religio, vt ijdem qui ipsam impugnabant in duas præcipuè diuisi factiones, alij quidem ejusdem Filium cum Patre substantiæ sic absolutè negarent cum Acacio,* D *vt puram vellent creaturam dici ; alij autem cum Basilio Ancyrano, suppressâ* ὁμοουσίου *dictione, similem quidem Patri Filium profiterentur, similitudinem tamen non essentiæ seu naturæ, sed voluntatis & operationis statuentes in vtroque, atque hoc sensu multa definientes, quæ si vt sola sonant verba spectantur, Orthodoxæ fidei videri possent omnino conformia (vt ex ipsâ ipsorum Epistola prolatâ ab Epiphanio hæresi 73 videre est) ita inquam diuisa inter se cùm esset non rectè de secundâ Trinitatis Personâ sentientium doctrina, difficilè videtur ab Acacio Cyrillum sic abjungere, vt eum Basilio ejusque sequacibus Semiarianis non adjungas : maximè cùm præcitatus Epiphanius Semiarianis adnumeret Siluanum, ad quem Hierosolymis pulsus Cyrillus secessit.*

eorum hæresi non communicauit,

11. *Huic nodo dissoluendo viam Cardinalis Baronius expediuit, occasione ab ipso Epiphanio acceptâ : nempe quòd S. Cyrillo duplex fuerit cum Acacio contentio ; altera fidei, altera dignitatis. Quemadmodum autem de Eutychio Hierapolitano, Acacianæ factionis Episcopo, dicit Epiphanius, quòd à* B. Maximo Hierosolymitâ confessore ac Episcopo fidem habens manifestè orthodoxam, propter inimicitiam aduersùs Cyrillum non admixtus fuit Acacio, sed orthodoxam habens fidem, vsque ad tempus simulauit ob proprium thronum . . . neque confitens neque negans *: ita etiam de Cyrillo dici debere Baronius existimat, quòd licet Basilio alijsque Semiarianis visus sit* E *adhæsisse, nequaquàm tamen eorum de fide professioni consenserit, sed tantùm intenderit eorum auctoritate suam recuperare Sedem, vnde Eutychij Acacijque conspiratione factiosâ expulsus fuerat, contra quos suam caussam sic egit in Concilio, vt supra vidimus ex Nicephoro.*

imò Siluanum Tarsensem ab eo abduxit :

12. *Neque hæc sanè absque fundamento dicuntur : siquidem dum recitat Epiphanius Semiarianæ fidei professionem subscriptionemque Episcoporum eidem consentientium, haud inuenis in ijs non dico Cyrilli sed nec Siluani nomen, à Cyrillo procul dubio persuasi, vt (quamuis ipse primâ sessione secundùm Nicephorum l. 9 cap. 43 auctor fuisset Antiochenæ formulæ, quæ Semiarrianorum haud dubiè seminarium fuit, retinendæ) post Acacij tamen compliciumque discessum Nicænam fidem apertiùs profiteretur, neque suum ijs nomen accommodaret, qui pauci de multis, Acacij fraude decepti, propositam ab eo fidei formulam signauere, &* vocem Coëssentialis videbantur dumtaxat velle subticere, velut à Scripturis alienam, dissimilitudinem autem ad Patrem anathemate se ferire simulabant : cùm hæc dumtaxat, Epiphanio teste, esset fraudulentorum venatorum esca. Nam cùm inter se conuersabantur, dicebant ac docebant, quòd creatura est Filius Dei, sed similis est Patri, velut juxta sententiam hanc quæ inter homines recepta est. Exprimunt enim & plastæ statuas, & assimilant imagines ex auro & argento . . . & similitudinem habent ; nihil autem secundùm qualitatem expresso- F rum : sic apud ipsos fraus erat, confiteri quidem Filium similem Patri, nihil autem habere de Patris deitate in totum: *vnde posteà natum est* τὸ ὁμοιουσίας *vocabulum, quod* τῇ ὁμοουσίᾳ *opponeretur, & vnius litteræ differentia parui æstimata totum penè mundum in Arianismum pertraxit.*

qui CP. fortiter agens,

13. *Multò autem clariùs ex Theodoreto intelligitur, quæ fuerit Siluani, adeoque etiam ipsius Cyrilli, ante Seleuciensis Synodi solutionem sententia, per ea quæ in Constantinopolitanâ Synodo coram Imperatore Constantio egisse scribitur. Vrgente enim Eudoxio vt Eustathius Armenus cum suis verbo* ὁμοουσίῳ *anathema dicere juberetur, quia in Scripturâ minimè extaret :* Imò verò, inquit Siluanus voces, Ex nihilo, & ἑτεροούσιον, quæ neque in sacris litteris repertæ sunt, neque oraculis Prophetarum, neque Apostolorum doctrinæ consentientes, reijciendæ sunt & ex omnibus diuinis conuentibus excludendæ. Cui assensit Imperator, & illos his vocibus anathema indicere jussit. Illi etsi primò contradicere instituerunt, posteà tamen perspectâ Imperatoris irâ, eas ipsas voces, quas Siluanus ipsis proposuerat, licet ægrè, penitus ejurarunt ; ac deinceps acriùs instare cœ-

abiurare Arianos compellit.

A re cœperunt, vt verbum quoque ὁμοούσιον anathemate damnaretur. Ceterùm Siluanus, ratione ritè verèque conclusâ, cum illis tum Imperatori respondit: Si Deus filius neque ex nihilo, neque creaturâ, neque ex vllâ aliâ essentiâ existat, idcircò Deo Patri consubstantialis est; & Deus de Deo, lumen de lumine; & eamdem habet cum genitore naturam. At verò quamquàm ista & firmâ ratione & verâ concludebat; tamen nemo eorum, qui aderant, ei obtemperauit: imò verò factio Acaciana Eudoxianaque contra Siluanum crebros clamores tollere, Imperator etiam adeò irâ exardescere cœpit, vt eum cum suis fautoribus in exilium pellere minaretur. Tum Eleusius Cyzicenus & Siluanus cum alijs nonnullis dicunt, in ejus situm potestate supplicium de ipsis sumere: sed pietatem sectari vel impietatem penès seipsos esse, & propterea nunquàm Patrum doctrinam prodituros. Ibi Constantius, qui eorum sapientiam, fortitudinem, & in tuendâ doctrinâ Apostolicâ loquendi libertatem admirari debuerat, eos eiecit Ecclesijs, & alios in eorum locum substitui mandauit.

Ipse constans in fide

exilium sustinet.

14. *Hactenus Theodoretus. l. 2 cap. 27. ex quibus appatet manifestò, qui sic animatus ad Constantinoplitanum Concilium à Seleuciensi transierit, quomodò in ipso Seleuciensi crediderit: quantumquè Cyrilli præsentia valuerit ad ipsum aliosque in rectâ fide vel retinendos vel ad eamdem reuocandos, siqui fortè circa eam cum hæreticis communicantes vacillarant: adeò vt de Syluano alijsque, qui sua pariter nomina subscribere Semiarianæ professioni recusarunt, intelligere possimus ac debeamus, id quod ait Epiphanius loco citato,* fuisse plures ipsius Synodi mirabiliter de fide confitentes, & coëssentialis vocem non reijcientes: sed & paratos se esse dicentes, si fieret Synodus perfecta, confiteri & non negare. *Qualem etiam fuisse Meletium Antiochenum ex primâ ipsius concione concludit, nec non ex ijs, quæ de ipso Sede pulso confitebantur Antiocheni;* non ampliùs omnino & ne in transcursu quidem vocis Creaturæ facientes mentionem; sed coëssentialem confitentes Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, tres substantias, vnam essentiam, vnam deitatem: quemadmodùm confessi sunt Patres nostri in Nicenâ Synodo congregati.

B

Plures alij rectè in Seleuciensi sentientes.

15 *Atquisicut* Meletius *hic*, ab Acacio & complicibus ejus constitutus in Antiochiâ, eorum putabatur esse opinionis: sed reipsâ non inuentus est sic, *vt dicit Epiphanius: ita ijdem Cyrillum, quem vnà secum sentire sperabant, in Maximi locum suffecerunt, vt habet Theophanes: quod tamen neutri obfuit, quò minùs legitimè & canonicè instituti censerentur. Etenim perturbatissimis illis Ecclesiæ temporibus, quibus sub Ariano Imperatore omnia in Oriente poterant Ariani, leue fuit non vsque adeò acrem Athanasij defensorem videri: quod satis erat Acacio suisque vt communi comprouincialium Episcoporum consensu, quibus ipsi se indigni licet & excommunicati adnumerabant, eligendum curarent eum, quem sibi sperabant esse fauturum vel non vehementer aduersaturum. Pessimâ quidem illi intentione, sed non semper malâ hi, qui dissimulatione aliquâ ad tempus vsi, hoc tantùm cauebant, ne sibi ad defendendam Ecclesiam eamque in sanâ doctrinâ conseruandam potestas adimeretur: quod factum fuisset si ad viuum cuncta resecare volentes, omnia Acacii gesta & quibus ille se quomodocumque admiscuisset Ordinationes, propter depositionis sententiam contra ipsum in Sardicensi latam, rejecissent vt irrita, atque ab illius communione penitus abstinuissent.*

vti & Meletius Antioch. etsi institutus ab Acacio,

C

sicut & Cyrillus in principio dissimulans.

§. III. *Series Episcoporum Hierosolym.*

Legitimus Maximi successor Cyrillus.

16. *Cyrillum igitur, quem œcumenica Synodus Constantinopoli collecta Damaso commendauit, vel vt à Prouinciæ suæ Episcopis pridem canonicè creatum Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum, pro tali habebimus post Maximum;* D *non quidem depositum (vt solus videtur dixisse Theophanes, etsi per verbum καθεῖλεν fortasse veneno aut aliâ fraude è viuis sublatum ab Arianis significare voluit) sed morte saltem naturali extinctum (vt fere alij omnes loquuntur) idque ad annum, secundùm Theophanis Chronologiam, CCCXLVII, vulgaris Æræ CCCLV. Hieronymus tamen ad annum Constantij XI, qui Christi CCCXLVII fuit, non seruatâ accuratè temporum ratione hæc scribit:* Maximus post Macarium Hierosolymorum Episcopus moritur: post quem Ecclesiàm Ariani inuadunt, id est Cyrillus, Eutychius, rursum Cyrillus, Irenæus, tertiò Cyrillus, Hilarius, quartò Cyrillus; *quasi Arianis Cyrillum annumerans: ac deinde subdit:* Quorum Cyrillus cùm à Maximo fuisset Presbyter ordinatus, & post mortem ejus ita ei ab Acacio Episcopo Cæsareensi & ceteris Arianis Episcopatus promitteretur, si Ordinationem Maximi repudiasset, Diaconus in Ecclesiâ ministrauit; ob quam impietatem Sacerdotij mercede pensatus, Heraclium, quem moriens Maximus in suum locum substituerat, variâ fraude sollicitans, de Episcopo in Presbyterum regradauit. *Quæ haud dubiè supra veritatem exaggerata accepit Hieronymus ab auctoribus Cyrillo parùm æquis; vel si vera sunt, grauem in principio maculam arguunt; quam posterioris vitæ doctrinæque Catholicæ puritas sic eluit, vt ejus ne memoria quidem apud alios scriptores sit relicta.* E

as etiam et mente S. Hieronymi.

17. *Verum certè esse non potuit, quòd ea perturbatio anno Constantij* XI *cœperit: siquidem eumdem Maximum omnino constat anno* CCCL *Concilium Hierosolymis pro Athanasij restitutione celebrasse: anno autem sequenti mortuum etsi concedat Baronius, nullo id certè argumento facit; sed quia caussam non inuenit diutiùs superstitem relinquendi, & in subsequentium temporum confusione desperauit aliquid affuturum lucis.* Nos *autem Theophanem accuratissimum Chronographum ducem habentes, ab anno* CCCLV *Cyrilli ordimur Episcopatum, & vsque ad annum octauum, post Constantinopolitanum concilium Christi* CCCXC, *annos omnino solidos* XXXV *inuenimus: quot annos Sedi ejus tribuit auctor tabularum Theophani præfixarum, in eo dumtaxat errans, quòd* XII *annos Hilarionis intrusi ante Concilium prædictum inter Maximum & Cyrillum seorsim numerarit: quo pacto coactus est Cyrilli mortem ad sæculi* V *initium differre: contra expressam Theophanis sententiam, istic collocantis initium Cyrilli, vbi ille primum annum posuit Hilarionis. Vt omnino appareat hasce tabulas, ipsius Theophanis textui multò post à librarijs cœptas adjici vel impleri, parùm curantibus quàm illæ vel cum veritate vel cum Theophane conuenirent. Quot tamen ille tabularum auctor singulis Episcopis annos tribuit, totidem ijs possumus commodè relinquere, modò signatis per supparis æui Scriptores insistamus vestigijs, eosque annos aptè distribuamus.* F

& anno 347?

Ab anno 355 cœpit Cyrillus.

18. *Sunt qui non eumdem Cyrillum quater ab Hieronymo repetitum censeant, sed quatuor diuersos Cyrillos ab eo numeratos; verùm hoc neque verosimile apparet, neque ex illius verbis, quantumcumque vitiatâ interpunctione confusis, vnquam extundetur. Fauet tamen eorum opinioni Cardinalis Baronius, quando sublatis interpunctionibus Hieronymi locum sic legit, quasi Eutychio, Irenæo & Hilario prænomen fuisset Cyrillus; & solus quartus absque secundo nomine (cujus vsum nulla ejus temporis probabunt exempla) simpliciter Cyrillus appellatus. Imò nec dici potest, Hieronymum vel ejus librarium errore lapsum, præposuisse singulis Cyrilli nomen, pro ea quæ Græcis in vsu erat honorificæ appellationis voce, κύριος Latinè* Domnus: *eumdem enim qui hic simpliciter Cyrillus dicitur, facit immediatum Maximi successorem, & tota illius temporis historia exigit, vt eo tempore aliquis Hierosolymis vero nomine Cyrillus sederit. Ad hæc cùm alibi Hieronymus dicat Cyrillum, cujus catecheses laudat, sæpè Ecclesiâ pulsum & receptum fuisse; patet quòd hoc ipsum hoc loco voluerit toties iteratâ ejusdem nominis repetitione inculcatum & explicatum.*

Hieronymum

19 *Verum*

A geminus E-piphanio,

19. *Vnum Cyrillum statuenti Hieronymo, imò cunctis Historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus Græcis, (quorum consensus meritò certos nos redderet de Hieronymi mente, etsi obscuriùs hic locutus fuisset) aduersatur Epiphanius Cypri Episcopus, hæresi 66 duos pro vno Cyrillos statuens, & recensitis primis triginta septem Hierosolymorum Episcopis, reliquorum chronologiam ordinando hæc scribens.* In summâ ab Assumptione Christi vsque ad Manem & Aurelianum ac Probum, anni sunt CCLXXVI secundùm aliquos chronographos, juxta alios CCXLVI: ab eo tempore huc vsque alij fuerunt Episcopi, Bazas, Hermon, Maximus, Cyrillus, Erennis, Cyrillus alius, Hilarionus, qui nunc detinet Ecclesiam, cui objicitur quod sit Arianorum sectæ . . . . vt sint à prædicto Mane vsque in præsens tempus, Valentis quidem annum decimum tertium, Gratiani verò annum nonum, Valentiniani junioris annum primum, anni XCIII. *rectiùs vtique quàm quòd in Græco Petauius reperit οζʹ LXXVII quod ipse in ρζʹ CVII conuertens, nihilo magis veritatem attingit: sed antequàm intra præfixos ab Epiphanio terminos Episcoporum Hierosolymitanorum seriem aggredimur ordinare, ad nostram de Cyrillo doctrinam stabiliendam; explicandi nobis ipsi sunt, quibus Epiphanius vtitur, characteres.*

scribenti an. Chr. 377,

20 *Valentis anni à die* IV *Kal. Apr. quo est ad imperij consortium à fratre Valentiniano anno* CCCLXIV *ascitus, initium ducunt: Gratiani pauci dies, à die* IX *Kalend. Septembr.* B *vsque eumdem Septembrem nouique anni apud Græcos caput, non sunt in computum reducendi; sed primus annus censetur is qui Græcis numeratur* CCCLXVIII. *Valentiniani igitur Iunioris, statim à morte Patris* XVII *Martij obitâ anno* CCCLXXV *ad sceptrum admoti, annus primus, cum vndecimo Valentis, Gratiani septimo coincidens, persuadet dicti Valentiniani primum malè pro tertio irrepsisse; & Epiphanium ea quæ citauimus anno* CCCLXXVII *scripsisse. Facile porrò est inuenire quomodo ab hoc principio, ab anno inquam* CCCLXXVII *per annos* XCIII *sursum ascendendo, perueniatur ad* CCLXXXIV, *id est, Æra Alexandrina, ex cujus Chronologis annos Christi admetitur Epiphanius, annum quidem à Christi natiuitate* CCLXXVI, *ab Assumptione verò in cælos* CCXLIV, *non* VI: *nisi Epiphanium credas sensisse cum multis quòd solis triginta duobus annis Christus vixerit, vnico prædicarit. Verùm cùm ad annum Ærę vulgaris quem diximus* CCLXXXIV *peruenerimus, nec dum habemus Manichææ hæresis vnà cum imperio Probi exortæ natalem annum, nisi, ad* XCIII *annos alios octo addentes, ad* CCLXXVI *ascendamus, vt interuallum temporis, ab anno quo Epiphanius scripsit vsque ad dictum terminum, annorum fiat centum & vnius. Pro quo obseruabis Alexandrinam Æram ab ortu Christi ad persecutionem Domitiani octo annos pauciores ponere, quam vulgo soleamus, eosque annos circa* C *Domitiani tempora dissimulatos absorbere. Hanc igitur Æram sequens Epiphanius inter Probi initia & tempora sua octo annos pauciores numerauit quàm numerasset, si Romanorum Imperatorum annos nusquam imminutos inuenisset.*

anno autem 101 post initia Manichæorum.

Series Episcoporum Hierosol.

21 *His sic obiter animaduersis, vt eorum quos istic Epiphanius nominat Pontificum Hierosolymitanorum annos rectè digeramus, indeque statuamus an possit Cyrillo alteri locus esse, dictorum Episcoporum seriem ex certioribus Eusebij, antiquissimi imò, primi chronologi Christiani, principijs retexiumus, ita vt simul lectorem doceamus, omnium quidem primæ illius Ecclesiæ Præsulum nomina seriemque apud Epiphanium & Nicephorum vtcumque haberi, sed fidendum non esse spatijs temporum, singulis quidem assignatorum apud Nicephorum, quibusdam autem apud Epiphanium. Nam, vt ab Epiphanio exordiamur, vbi dicitur;* Hierosolymorum ex circumcisione Episcopi numerantur μέχρις ἑνδεκάτου Ἀντωνίνου vsque ad vndecimum annum Antonini, *legendum ex Eusebio μέχρις ἐννεακαιδεκάτου Ἀδριανοῦ* vsque ad decimum nonum Adriani: *ita enim inuenire potuit Epiphanius in Eusebio collocante primum Adriani annum sub Consulibus Æmilio & Antistio, qui Christi fuit* CXVI, *& ponente initium Marci, ex gentilibus primi ad cathedram Hierosolymitanam promoti, sub*

eorumdem anni apud Niceph. & Epiphan. corrigendi.

Coss. Luperco & Aciliano, qui fuit Æra nostra annus CXXXV. D *à quo tantùm abest summâ annorum ex Nicephoro collectorum vsque ad Marcum, vt solùm ad annum Christi* LXXX IX *perueniat.*

Primus ex gentilibus Marcus an. 135.

22 *Ab exordijs Marci vsque ad Cassianum, Coss. Siluano & Augurino sedere incipientem, Eusebius annos habet* XXI, *Nicephorus autem* VIII *annos dumtaxat inter vtrumque collocat. Post Cassianum sederunt Publius, Maximus, Iulianus* vsque ad annum X Antonini Pij, *Christi* CXLVIII, *inquit Epiphanius. Verùm tunc iuxta Eusebium adhuc Marcus sedebat, anno dumtaxat* CLVI *defunctus. Cùmque non sit verosimile intra triennium sex Episcopos esse defunctos, patet quòd Gaianus, Symmachus, Gaius, qui post tres prædictos successere Cassiano, vltra annum* VIII *Veri, quem illis vltimum Epiphanius statuit, peruenire debuerint: idque multò magis liquet ex consequentibus Iuliano, Capitone, Maximo, quibus Epiphanius finem ponit in anno Veri* XVI, *Christi* CLXVII: *cùm eorum postremus Maximus Coss. Materno & Braduâ anno* CLXXXV *sedere cœperit, Eusebio teste. Itaque inter ipsius Maximi & Cassiani initia interuallum fuerit annorum* XXIX, *nouem Episcopis abundè sufficiens: at non Nicephoro; qui tam multos annos tribuit singulis, vt eorum collecta summa annos conficiat* XXXVII. *Qui deinde multò magis auget spatium inter secundum istum Maximum & Alexandrum; illud enim collectis* E *ipsius numeris annorum fuerit* XLV, *duplo vtique maiùs quàm habeamus ex Eusebio, initium Alexandri referente ad Consulatum Pompei & Aspri, qui est annus Christi* CCVII. *Intermedios enim Episcopos Epiphanius sic distribuit, vt Antoninus, Valens, Dulichianus vsque ad Commodum & Christi annum* CLXXX *Ecclesiam rexerint; Narcissus & Dius vsque ad Seuerum & Æræ vulgaris annum* CXCIII. *Germanio & Gordius alijs Sardianus vsque ad Antoninum Heliogabalum, qui cœpit* CCXIX: *Narcissus alius vsque ad Alexandrum Mammeæ, annum videlicet* CCXXII *peruenerit: deinde Alexander Hierosolymorum fuerit Episcopus, quem tamen ex Eusebio diximus anno* CCVII *creatum.*

Cassianus 156,

alij octo,

Maximus 185,

alij nouem;

Alexander 207,

23 *Post hunc vsque ad Cyrillum sex Episcopi fuerunt, & ab Epiphanio atque Nicephoro nominantur. Aliquorum ex his nomina & tempora nunc desiderantur in Græco Eusebii, sed inueniuntur apud Hieronymum in Chronico sub Eusebij nomine Latinè reddito: in quo, regnante Decio per menses triginta, Alexander apud Antiochiam ob martyrium dicitur interfectus: eique Mazabenes & Fabius, alijs catalogis innominatus, successisse. Extinctus est autem Decius anno* CCLI: *vt necesse sit hos Alexandri successores per annos quindecim præsedisse, peruenisseque ad* XII *Valeriani & Gallieni, Christi* CCLXV *annum, quando apud eumdem Hieronymum notatur Episcopatus Hymenæi: post quem* F *Hierosolymorum Ecclesiæ Episcopus, Coss. Fausto & Gallo, ordinatur Zabdas, anno Diocletiani* XIV *Christi* CCXCVIII. *deinde Hermon eiusdem Diocletiani anno* XVII, *cuius etiam nomen tempusque ex eo, qui nunc est in manibus Græco Eusebij textu excidit, sed æquè ac præcedentium reperitur in Hieronymi versione. Denique Volusiano & Anniano Coss. anno* CCCXIV *Macarium, cuius res gestas dedimus* X *Martij, Cathedræ Hierosolymitanæ esse admotum ex Eusebio constat, si quidquam ex aliquo potest scriptore constare: scribit enim Eusebius de Macario, & coæuo, & viuente, & suæ Cæsariensi Metropoli quadamtenus subiecto, vt prorsus irrefragabile hoc loco haberi debeat illius testimonium.*

Mazabenes 250,

alijs tres,

Macarius 314,

24 *Hinc porrò varij relinquuntur errores in Epiphanij & Nicephori catalogis corrigendi: nam intra Alexandri Imperatoris annos, qui anno Christi* CCXXXV *vitam & imperium finiuit, concludit Epiphanius Episcopi Alexandri tempus: vtique non ex suâ sententiâ, sed ex catalogo quem imperitissimè compilatum transcripsit. Ipse enim Epiphanius in lib. de ponderibus & mensuris num.* 19 in persecutione, *inquit*, Decij martyrium subijt Babylas Antiochiæ; Fabianus Ronıæ; Alexander Episcopus Hierosolymorum Cæsareæ. *Mazabenes deinde ad Gallum*

A ... um & Volusianum, id est annum Christi CCLI sedisse dicitur; Hymenæus vsque ad Aurelianum imò vsque ad initium Probi anno CCLXXVI: vnde nouos & proprios calculos subducere incipit Epiphanius. Priores autem illius calculi quàm parum sint apti, ex allegatis Eusebij testimonijs liquet: vti etiam quàm parum hîc quoque in parte Episcopalium annorum numeri apud Nicephorum subsistant; qui ab initio Alexandri vsque ad Zabdam annos solùm conficiunt LXII, cùm reuera fuerint LXXXVI. A Zabdæ exordio ad Macarium anni Nicephoro XIX sunt, qui solùm XVI sunt Eusebio. Denique tota annorum Episcopalium summa ex Nicephoro collecta à Christi ortu vsque ad Macarium pauciores habet quàm par sit annos omnino centum.

Ex eodem porrò fonte ex quo Nicephorus, sed aliquantulum alterato, vt fieri assolet, prædictorum Episcoporum annos etiam accepit Georgius Syncellus: sed quia hic in Domitiano Imperatore desinens nihil ad rem nostram facit, noluimus eius chronographiam huic loco refutandam inserere, ne tenebras nobis ipsis offunderemus.

§ IV. Quid & quo tempore egerit ac passus sit in Hierosolymitano Episcopatu Cyrillus?

25 Episcoporum Hierosolymitanorum chronologicum ordinem, hactenus in tantâ auctorum dissonantiâ obscurum, superiori paragrapho totum posuimus sub B aspectum; tum vt aliàs vsui nobis sit, tum vt stabiliendæ temporum, quæ Cyrillus partim Episcopus partim exul traduxit, chronologiæ fundamentum præbeat: quamuis alias satis esse potuisset habere demonstratum, quod anno CCCXIV cœperit præsidere Macarius. Sic enim hic anno Pontificatus sui XX quidem, sed inchoato dumtaxat moriens, egregio Confessori Maximo vacuam Cathedram reliquerit anno Christi CCCXXXIII, qui idem primus numerandus est Maximi: nam supra viginti annos eum sedisse demonstrat Baronius; ad annum verò Præsulatus XXIII peruenisse statuunt tabulæ Theophani affixæ, qui cùm Æræ nostræ anno CCCLV congrueret. Abhinc porrò primos XV annos Cyrilli accipimus, turbulentissimos illos, & primo Cyrillo perperam à tabularum auctore attributos: post quos, pulso iam tertium Cyrillo, Sedem per annos XII Hilarius dicitur tenuisse; donec scilicet rursum Cyrillus anno istius seculi LXXXII post Concilij Oecumenici sententiam restitutus Ecclesiæ, tanto jam tempore per Arianos afflictæ, quietem optatam est consecutus: à quâ post annos octo, atque adeò ante annum CCCXC, ad æternam requiem & laborum suorum præmia commigrauit anno Theodosij Imperatoris XI. Ita à principio ad finem annos Cyrilli colligentes, planè XXXV inueniemus, C quot scilicet eidem tribuunt tabulæ Theophani præfixæ; sed postquam duplicem præmiserunt errorem, vnum quidem quòd annos intrusi Hilarionis XII à Sancti Cyrilli annis seorsim numerauerint: alterum grauiorem & vt videtur spontaneum, quod annis XXIII Maximo ex veritate in principio assignatis, idque ad annum CCCXXXV, eidem deinde solos sex relinquant, & vnum duosue alios annos dissimulanter extinguendo reliquos XV tribuant Cyrillo, ab eo cui annos XXXV dant diuerso.

Maximus creatur anno 333.

tum Cyrillus 355.

moritur 389.

26 Huius nominis aliquem exauctorato diu ante mortem Maximo successisse, hactenus apud Græcorum historicorum neminem reperitur: nec est qui loco suo pulsum fuisse dicat virum, ob eximiæ confessionis insignia Clero populoque Hierosolymitano carissimum, ipsisque etiam Arianis venerabilem. Synodus certè Hierosolymis propter Athanasij restitutionem ab ipso celebrata anno CCCL, indubitatum facit, vt suprà diximus, tunc eum Hierosolymis præsedisse. Quæstio igitur solùm procedere potest de eo, an post Maximi mortem vnus tantùm, an successiuè plures eiusdem nominis Hierosolymitanam Sedem iure vel iniuriâ occupauerint. Vtrimque grauis auctoritas pugnat: pro duobus est locus præcitatus Epiphanij, seriem quidem antiquorum sanctæ ciuitatis Præsulum infeliciter texentis, sed qui in rebus suo tempore gestis non videatur errare potuisse: maximè cùm vsque ad annum CCCXXXVIII Christi, ætatis verò suæ LX Eleutheropolitani Monasterij Hegumenus vixerit in Palæstinâ, vnde ad Constantienses in Cypro insulæ D translatus, videtur per discipulos suos, subinde ad Patrem senem commeantes, satis exploratò discere potuisse, quæ istic se absente gerebantur in re tam notabili & Ecclesiæ statum tam grauiter concernente. In hac autem sententiâ aduersùs solum primum Cyrillum facerent omnia, quæ de dubiâ eius fide & magis variâ cum Arianis Arianorumque aduersarijs communione; atque epistolâ ad Constantium scriptâ quidam sugillant, & Sanctus sub Imperio Iuliani Cyrillus, Apostolicæ Sedi ab Oecumenicâ laudatus Synodo, atque Catecheseon celeberrimus scriptor, ab omni prorsus aut perfidiæ aut simulationis, pàrum à perfidiâ distantis, suspicione maneret immunis.

cuius nominis non fuit alius sub Maximo intrusus.

Epiphanius Maximi successorem

ab hoc Iuste distinguit

27 Ex alterâ tamen parte nihilò minor est Sancti Hieronymi auctoritas: cuius duo testimonia, ex Chronico scilicet & libro de scriptoribus collata inter se, haud dubiam videntur declarare pro vno Cyrillo sententiam, quàm etiam proximi ab eo seculi scriptores tenuère. Hieronymus enim in adolescentiâ suâ incoluit Syriam circa annum CCCLXX, quindecim dumtaxat annis post Maximi mortem; non tantùm solitariæ vitæ exercitijs vacans, sed etiam augendæ scientiæ cupidissimus: cuius inter prima ibidem litterarum exercitia videtur fuisse cura Chronici ex Eusebio Latinè scribendi. Eius porrò supplementum cùm desinat in consulatu Valentis VI & Valentiniani II (qui vulgaris Æræ annus est CCCLXXVIII ab anno XV Tiberij Cæsaris & prædicatione Domini Iesu Christi, non CCCLI vt passim codices MSS. & impressi, sed vnde quinquagesimus supra trecentesimum, fortè CCCIL scriptus) consequens videtur, vt vel ipso illo anno, quo V Idus E Augusti victus à Gotthis exustusque est Valens, illud absoluerit Hieronymus, adhuc Hierosolymis existens; vel immediatè sequentibus annis Constantinopolim Hierosolymâ aduectus, antequàm iret Romam: vbi constat eum non diu fuisse; sed anno seculi istius LXXXV, cùm adhuc Cyrillus Ecclesiam Hierosolymis quietus regeret, eodem reuertisse, ibidemque & in viciná Bethlem potissimam vitæ reliquæ partem egisse. Quocumque igitur tempore Chronicon scriptum dicamus, fatendum semper erit quod D. Hieronymus, cùm illud scriberet, omnem Hierosolymitanæ Ecclesiæ historiam potuerit accuratiùs cognitam habere, quàm Epiphanius, pridem antequàm è viuis excessisset Maximus, absens in Cypro; Constantiensisque Ecclesiæ regimine & longè diuersis studiorum atque negotiorum curis distractus. Qui proinde, quid actum Hierosolymis esset in in istâ post Maximi mortem Ecclesiæ & religionis confusione potuit minùs habuisse exploratum; & tam diuersam de Cyrillo famam audiens, diuersos putauisse eum, qui videbatur ab Arianis promotus, ab eo quem constabat ijsdem agentibus ob fidei Catholicæ liberam defensionem pulsum fuisse in exilium.

non item Hieronymus:

qui fortè 378 scripsit Hierosolymis,

Epiphanio absente in Cypro.

28 Qui quidem Cyrillus si ad Episcopatum eâ est ratione in F gressus, quam Hieronymus describit, ne ille meritò & Arianismi suspitionem incurrit, & simulationis sacrilegæ debitas pœnas ab ijs ipsis perpessus est, quos tanti criminis auctores habuit: si verò (quod existimamus probabiliùs) non ipse Cyrillus variâ fraude sollicitans Heraclium eumdem degradauit: sed Heraclium moriens Maximus successorem instituit variâ fraude sollicitatus, quem propterea vt intrusum Cyrillus de Episcopo in Presbyterum regradauit, prout lectio Scaligeri intelligi patitur; fieri magis innoxiè potuit, vt Cyrillus à Clero Catholicisque Episcopis canonicè electus, nec satis in illâ electione præsidij esse videns (Heraclio nihilominus ordinato per eos, qui morienti Maximo fucum fecerat) Acacij potentiâ crediderit vtendum sibi ad æmuli subuersionem; ideoque suâ de fide mentem tantisper occultam habuerit. Sic enim magnâ ille criminis parte leuabitur, etsi non omnino habeatur innoxius: maximè si acceptum semel à Maximo Presbyterij Ordinem, quasi non ritè collatum, sit passus sibi iteratò conferri. Sin autem solum Ordinis vsu abstinuit; multò minus culpæ dissimulatio talis habuerit, fructum interim non habuit diuturnum: paucis enim ab istâ ordinatione annis elapsis, puta anno CCCLVII, Cyrillus in Acacij incurrit odium; nec priùs in Sedem suam redire potuit edicto proscriptus Constantiano, quàm Constantij successor Iulianus exulibus omnibus pristinam dignitatem restituit. Quis interea

Cyrillus in Episcopatum ingressus qualiter

Electus circa an. 357.

A interea Hierosolymitano Episcopatui incubuerit, difficile satis est definire. Probabile existimamus, Heraclium, quem secundo loco non recte videtur nominasse Nicephorus, reductum in cathedram, suffragante potissimum Eutychio Hierapolitano, apertas exinde inimicitias contra Cyrillum professo, usque adeo ut earum prosequendarum caussâ, ipse fidem habens manifestè orthodoxam, Acacio Arriano Cyrilli adversario æmuloque se conjunxerit. Hic autem Eutychius frustrato spe suâ Heraclio episcopatum illius videtur invasisse, vel saltem in eo omnia pro arbitrio sic gessisse, ut propterea Hieronymus, dissimulato Heraclij nomine, primum Eutychium in Cyrilli locum substitui scribat.

regressus 361,

29 *Ab exilio verò deinde revocatus anno* CCCLXI *Cyrillus, quid egerit feceritque pro instaurando Ecclesiæ suæ splendore, nullis litterarum monumentis invenimus consignatum. Unus est Socrates lib. 3 cap. 17 ex quo spiritu etiam prophetico fuisse donatum Cyrillum probatur: narrat enim, quod cum ad Salomonici templi restaurationem ingenti Iudæorum studio compararentur omnia ex imperio Iuliani, ante suam in Persas expeditionem rei Christianæ extremam illam securim immittere molientis,* Cyrillo Episcopo illud Danielis venit in mentem, iam tempus advenisse quo lapis super lapidem non maneret in templo, sed oraculum Servatoris penitus expleretur. Quæ cum Episcopus dixisset, noctu ingens terræ motus excitatus lapides veterum

Hierosolymitani templi extremam eversionem prædicit.

B templi fundamentorum concussit, omnesque unà cum ædificijs in proximo sitis disturbavit. Ex quâ re horror & formido Iudæos occupavit; famaque etiam illos, quorum domicilia inde longo distabant intervallo, ad locum contemplandum attraxit. Itaque cum quamplurimi adessent, aliud prodigium contigit: ignis namque cælitus demissus omnia opificum instrumenta absumpsit. Etenim licebat videre malleos, scalpra, serras, secures, ascias, omnia denique quæ artifices habebant ad opus perficiendum idonea, flammæ incendio vastata. Totum diem ignis istas res depastus est. Iudæi igitur gravissimo terrore perculsi etiam inviti Christum Deum confessi sunt... nocte enim sequenti effigies crucis radiorum lumine figuratæ, illorum vestimentis tamquam impressæ, videbantur; quas, cum dies illucesceret, contemplantes, & eluere delereque cupientes, nullo modo poterant... Proinde templum eo tempore pro ædificatione maximam ruinam passum est.

C 30 *Eadem, sed multo distinctius, narrat Theodoretus lib. 3. cap. 17.* Cum fodere inciperent & aggerem exportare, tametsi multa millia hominum in hoc opere faciendo interdiu laborem suum collocabant, tamen noctu aggerem suâ sponte in fossam denuo translatum fuisse ferunt. Diruisse præterea veteris ædificij reliquias, dum in spem veniunt omnia de integro construendi: verum postquam infinitos gypsi & calcis modios in unum congesserant, ex improviso ventos vehementer cœpisse spirare, turbines ingruere, tempestates ac procellas oriri, quæ totam illam materiam penitus dissipaverunt. At cum pergerent porrò insanire, nec divinæ benignitatis indulgentiâ sapere vellent; primum terræmotum maximum factum esse, & eos qui divinis Christi mysterijs minimè initiati essent supra modum obstupefecisse: sed ubi metum deposuerant, ex defossis fundamentis erupisse ignem, combussisse fossorum quàm plurimos, alios in fugam vertisse: noctu item, permultis in porticu quadam vicinâ dormientibus, subitò ædificium cum tecto dejectum esse, oppressisseque omnes qui ibi se quieti dederant. Eadem quoque nocte & postridie rursus fulgentem Crucis salutaris formam in cælo visam esse; ipsaque Iudæorum vestimenta Crucis figuris, non fulgentibus il-

eadem eversionis historia ex Theodoreto

D lis quidem, sed ex nigro colore confectis, signata: quas res illos Dei adversarios conspicatos, & plagas cælitus inflictas admodum veritos, aufugisse inde, planè confessos eum verum Deum esse, quem majores sui crucifixissent.

31 *Theodoreto consentit Sozomenus, nisi quod circa ignem in secunda operis aggressione è fundamentis erumpentem variorum narret hunc in modum sententias.* Atque istud ab omnibus & liberè dicitur, & pro certo creditur, & à nemine vocatur in dubium: præterquam quod quidam prædicant, flammam ad ipsos, vi ad templum accedere cupientes, ex adverso irruisse, illudque fecisse quod diximus; alij autem id ipsum accidisse simul ut rudera exportare cœperunt... *ac denique sic concludit:* Istis rebus, siquis fidem minimè adhibendam putet, sit persuasus saltem ab his qui eas ab earum spectatoribus acceperunt, quique adhuc in vitâ manent: sit etiam persuasus cum à Iudæis ipsis, tum à gentilibus qui opus inchoatum reliquerunt, imò verò ne inchoare quidem potuerunt. *Hæc Sozomenus, in eo non usquequaque consentiens Socrati, quod dicat ijs miraculis factum esse, ut* alij Iudæorum continuò Christum Deum esse existimarent... alij paulò post ad Ecclesiam se transferrent, initiarentur mysterijs, hymnis & precibus Christum pro suis impijs factis placarent: *cum Socrates eorum obdurationem coarguat, sicut Theodoretus pervicaciam Iuliani, ad cujus aures hæc nuntiata permanare quidem, ad cor verò nullatenus potuerunt.*

& Sozomeno,

E 32 *Hæc anno* CCCLXII *vel initio anni sequentis gesta, antequam* III *Nonas Martij Iulianus adversus Persas moveret; quo die* XXVI *Iunij divinâ manu potius quàm humanâ confosso, quamdiu quietus Cyrillus sederit, non liquet. Existimamus duodecim illos annos, qui soli adscribuntur Hilarioni, præterito in tabulis Herennio vel Erenni (variat enim Epiphanij lectio, uti & Hieronymi in quo alij Hirenium alij Irenæum legunt, qui etiam Nicephoro Arsenius est) existimamus, inquam, non incommodè illos duodecim annos inter utrumque dividi, sic ut statim à Iuliani morte, hanc suam esse occasionem rati Arriani denuo expulerint ab Ecclesiâ Cyrillum; illa tamen non diu luxerit ejus absentiam, sed Ioviano pijssimo Imperatore electo, & Arianos callidè sibi obrepere conatos prudenter ac fortiter respuente, receperit.*

ejicitur paulò post Cyrillus,

iterumque post an. 378

F *Verum eodem Ioviano proximè sequentis anni bissextilis Februario mortem immaturam obeunte, & Valente Valentiniani senioris Fratre in fraterni Imperij consortium* IV *kal. Aprilis ascito, paulatim erexere cornua Arriani; & cum alia rursum pro libidine movere in Ecclesiâ Orientali cœpere, tum ad evertendum Cyrillum suas machinas explicare; quod demum post* CCCLXX *annum videntur consecuti, quando & Hilarium sive Hilarionem subrogandum curaverunt.*

§. V. Scripta S. Cyrilli: laus ex Officij proprij hymno.

33 Sancti Cyrilli extare Catecheses, quas in adolescentiâ suâ scripsit, *testatur Hieronymus lib. de scriptoribus Eccles. cap. 112: nullâ factâ mentione epistolæ ad Constantium scriptæ de apparitione Crucis; quam proinde* Rivetus ablegare jubet, Crucis Christi omniumque quæ ad ejus cultum promovendum pertinent, pro genio factionis suæ, semper inimicus, *quo modo à Labbæo nostro jure redarguitur. Sed non viderit eam Hieronymus Ierosolymis unde missa est: Constantinopoli, quò est directa, vidit eam vel accepit Theophanes, illa scribens quæ § 1 ex ipso sumpsimus. Nec ulla apparet ratio cur illa negetur esse Cyrilli, sub cujus nomine illius partem Glycas transcribit: cum primis Cyrilli in Episcopatu annis optimè conveniat illius epistolæ exordium, quod* est

Scribit epistolam de apparitione Crucis ad Constantium.

item circa an. 356,

A *est tale* : Primas hasce ex Hierosolymis ad te, Deo dilecte Imperator, mitto litterarum oblationes, quas & te deceat accipere, & me dare: non verborum adulationibus refertas, sed cælestium diuina declarantes prodigia. *Diem tamen Nonarum Maij (quem Græco textui nescio quis interpolator adiecit, tamquàm eo signum cæleste apparuisset) neque Theophanes neque Michael Glycas legerunt, neque verò legisse potuerunt: cum dies Pentecostes nullo vnquam tempore cum Nonis Maij coincidat: quare qui hanc epistolam magnæ Patrum Bibliothecæ inseruerunt, meritò glossema istud sibi putarunt expungendum. Si tamen Majo mense res narrata contigit, non potuit ea quidem ipso anno* LV *istius sæculi accidisse, quo Pascha in* XVI *Aprilis, Pentecoste cadebat in* IV *Iulij: sed quatuor sequentium annorum aliquo: ex quibus* LVI *placet, Pentecosten habens die* XV *Maij: vel* LVII, *quo* XI *die mensis ejusdem dictum festum recolebatur.*

Et circa an. 366 catecheses habuit,

34. *Præ hâc tamen epistolâ æstimandæ sunt aureæ S. Cyrilli Catecheses, quas cùm in adolescentiâ scriptas dicit Hieronymus, videtur legisse annotationem ijs præfixam, quâ eæ notantur exceptæ fuisse anno Christi* CCCXXXIII, *quo tamen necdum Episcopus fuit Cyrillus. Verùm nos* B *suprà diximus, non tantùm ab ortu Christi, sed etiam ab Assumptione illius in cælum annos Orientalibus numerari: ijs autem hoc postremo modo numeratis addendo annos, quos in mortali carne Christus vixisse creditur* XXXI *vel* XXXIII, *annum vulgaris Æræ* CCCLXIV *vel* VI *habebimus; cùm Cyrillus iam quinquagenario major contra Arrianos luctaretur, secundum sibi exilium machinantes; vel ab eodem restitutus recenter, nollet eosdem, inculcatâ inuidiosiùs Consubstantialis voce, contra se vehementiùs exacerbare: quod vt meritò excusauit sanctissimus scriptor Theophanes, ita nemo nunc redarguere potest: si quis verò ab Hieronymo adolescentem credat Cyrillum vocari, respectu Episcopatus non vsque adeò pridem aditi, & longè majoris quam in eo assecutus est senectutis; nec ille fortasse aberrabit à vero.*

quæ ex veteri MS. Græco Latinè edita,

35. *Has catecheses Ioannes Grodecius primùm apud Stanislaum Hosium Cardinalem Varmiensem in veteri MS. Græcas nactus Latinitati donauit, ac deinde contulit cum Polonicâ earumdem versione, sibi subministratâ à Iacobo Vchanski, Gnesnensi Archiepiscopo & Poloniæ Primate, qui illas iam pridem Slauorum conscriptas idiomate ex Bulgariâ & Macedoniâ adeptus erat. Ergo quemadmodum antiqua versio Epistolarum S. Ignatij Antiocheni in du-* C *plici MS. Oxoniæ reperta, atque ab Vsserio edita, veritatem Græci MS. Florentini, à viris maximis maximè commendati, præ illâ Pacæi editione, quæ sola hactenus extiterat & exiguam fidem merebatur, comprobauit; sic vt nemo sensatus dubitare possit, quin genuinæ sint S. Ignatij Epistolæ eæ, quas tam antiquorum duplici in linguâ Manuscriptorum concordia jubet pro incorruptis minimeque interpolatis agnoscere: sic penè etiam hic vsu venit, vt, conueniente cum Græco textu Slauonicâ versione, de Cyrillianarum Catecheseon incorruptissimâ integritate constare nobis possit.*

ex collatione cum veteri Slauonicâ versione probantur genuinæ;

à Theodoreto

36. *Quod autem earum auctor Cyrillus sit, quis certiùs testari poterit Theodoreto, supparis æui scriptore? hic verò Dialogo 2. qui* ἀσύγχυτος *dicitur, Cyrilli Episcopi Ierosolymitani quartum Catecheticum de decem dogmatibus sermonem allegat, & quæ ibi habentur de generatione ex Virgine producit verbotenus. Similiter S. Ioannes Damascenus Orat. 3. de imaginibus, profert verba ex Catechesi 12 accepta, neque id sub alio quàm* Cyrilli Patriarchæ Hierosolymorum *nomine: vt Ioannem Cyparissiotam taceam, qui sæculo* XII *dicitur floruisse, & decima Catecheseos fragmen producit. Proinde meritò earum interpres, in suâ dedicatoriâ ad Gasparem Episcopum Vratislauiensem epistolâ, quibuscumque recentiorum institutionibus has esse longè præferendas indicauit:* quia auctoritas & majestas doctrinæ Christianæ præ- D clara est apud antiquos illos & orthodoxos Antistites, qui sanam doctrinam & veras traditiones Apostolicas, ritusque Ecclesiæ à viris Apostolicis instinctu Spiritus Sancti institutos, in Orientali Ecclesiâ docuerunt & ad posteros deinceps litteris mandarunt. *Quod quidem duplici fiebat modo: altero, vt quæ ad populum verba fecissent ea ipsi scriberent studiosiùs; altero vt vel ab delectis ad hoc notarijs vel à studiosis eorum auditoribus, eadem quâ dicebantur serie orationis excepta, ipsi posteà recognoscerent & suo nomine vulgari permitterent. Hoc autem postremum duplici ex capite facile fuit antiquis, quòd & antiqui (vt ex profanis quoque Romanorum historijs constat) dictionum ferè omnium mirificas ad ejusmodi vsum habebant abbreuiationes, quibus vsi singula postmodum distensè transcribebant; & quod Patres illi Sancti prædicando verbum Dei, magnâ quadam cum majestate lentè pronuntiabant, vt populus venerando sermone magis afficeretur, & commodiùs quæ dicerentur perciperet memoriâque teneret.*

& S. Io. Damasceno aliisque citatæ,

magnique faciendæ.

non tamen ut studiosè ab eo scripta,

37 *Postremum à S. Cyrillo concionante factitatum, tum ipsa singularum inscriptio indicat,* Κατήχησις φωτιζομένων ἐν Ἱεροσολύμοις σχεδιασθεῖσα εἰς τὸ *&c.* E Catechesis ad eos qui Hierosolymis illuminantur ex tempore facta super illud *&c. tum vetustissima quadam annotatio Græca, quam dictis Catechesibus affixam Grodecius reperit in hæc verba:* Multæ quidem & aliæ dictatæ sunt institutiones à Cyrillo singulis annis, & ante & post baptismum, his qui recens fuerant illuminati: has autem cum dicebantur trecentesimo trigesimo secundo anno D. N. Iesu Christi (*videlicet ab Assumptione numerando*) quidam studiosi excipientes descripserunt, in quibus magnâ ex parte reperies secundùm Scripturas de omnibus necessarijs fidei dogmatibus, quæ expediat venire in cognitionem. *Theophanes quidem sic de Catechesibus loquitur quasi dictata essent ante annos viginti, quando ob visum in cœlo signum innumeros habuit Christianis mysterijs imbuendos: sed cùm tales ab eo dictatas singulis annis asseratur, quemadmodum non fuit mirum has, quæ extant, illâ celeberrimâ occasione habitas æstimari à vulgo, sic in re dubiâ magis standum est ipsi eorum qui excepere assertioni: horum enim omnino videtur fuisse annotatio illa.*

sed vt ex ore dictantis excepta.

Priores de articulis fidei;

38. *At in prioribus quidem decem & octo Catechesibus* τῆς φωτιζομένης *(quod in præsenti*, incipientes illuminari, *potiùs quàm* illuminatos *oportuisset reddere)* F *instruit de rebus ad baptismum pertinentibus: tum de agnitione & confessione peccati agit, quæ baptismum adultorum solebat præcedere: quin & exorcismos commendat plurimùm, & quam vim habeat aqua baptismatis ostendit: deinde dogmata Ecclesiæ Catholicæ summatim proponit omnia, quæ postremò vnà cum vniuerso Symbolo Apostolico latiùs interpretatur & explicat. In posterioribus verò quinque Mystagogicis institutionibus* τοῖς νεοφωτίστοις, *id est* recens illuminatis, *solidioris aliquanto doctrinæ ipso mysteriorum vsu & experientiâ iam capacibus factis, explicat de Baptismo, de Chrismate, de Eucharistiâ, de tremendo Missæ sacrificio accuratè omnia. Ceremonias autem eas ferè cunctas commemorat, quæ etiam nunc ab Ecclesiâ Catholicâ in ijsdem sacramentis exhibendis vsurpantur, vt sunt, renuntiare sathanæ, Symbolum fidei profiteri, chrismate perungi in baptismo, manus abluere, osculari inuicem, Angelorum omnisque militiæ cælestis facere commemorationem, Sanctos inuocare, pro viuis & defunctis orare, offerre pro ijs sacrificium corporis & sanguinis Christi: vt vniuersis ferè nouitiorum hæreticorum commentis, & ritus sacramentaque Catholica nuper à Pontifi-*

posteriores de Mysterijs & ritibus Ecclesiæ,

A *Pontificibus quæstus causâ excogitatos mentientium, blasphemijs refellendis abundè catecheses istæ sufficiant.*

39 *Harum aliquas igitur, antiquis nominatas auctoribus, cùm esse Cyrilli negare non possent nouorum dogmatum propugnatores; Mystagogicas saltem illas quinque, quarum aduersùm se ineluctabilem prorsus videbant esse auctoritatem, conati sunt eripere nobis Roberto Coco præcentore, qui eas Cyrilli successori Ioanni attribuendas contendit. Idem quidem in suâ bibliothecâ Gesnerus timidè indicauerat, non de his quinque solis sed de omnibus, ex Theodoreto & Damasceno temerariæ suspicionis conuincendus, inductus autem in talem suspicionem, quia* in indice librorum Græcorum, quos Respublica Augustana ab Antonio Eparcho Corcyræo emit, nominantur Ioannis Episcopi Hierosolymitani: *Verùm (si librarij vnius vel properantis vel cæcutientis lapsus aduersùs plurium diuersâ in linguâ exemplarium concordiam valeret aliquid, ideóque* videndum esset, *vt monet Gesnerus*, ne Ioannis sint, qui longè posterior fuit Cyrillo; quæ tamen alteri de industriâ fortè adscripta sint, vt plus auctoritatis haberet) *idem de vtrisque, eumdem præferentibus titulum & stylo tam eodem scriptis vt vnius eiusdemque auctoris esse legenti pateat, dubitari debuisset à Coco. Quid autem Ioannes? tantóne is posterior Cyrillo fuit, vt ipsius quoque non maxima esset solidissimaque aduersùs nouitias fictiones auctoritas, si catecheses istas dictasset? Primus huius nominis ipsi Cyrillo immediatè successit, secundus Anastasio imperante sedit, tertiùs anno ante vrbis captiuitatem quadragesimo quinto, Christi* DLXXV *viuere desijt, sicut Nicephori Chronologia testatur.*

tùm sint eiusdem styli & eidem adscripta vtraque.

B

Riuetus à quo refutandus?

40 *Nihilo validiora esse, quæ Coci symmestes & pariarius Andreas Riuetus operosiùs congessit, & in tria quatuorue capita distinxit, demonstraturum se promittit Philippus Labbe in examine heterodoxorum criticorum: quod nos quoque hic conaremur, nisi aduersùs Riuetum & sequaces eius satis superque pugnare crederemus tum styli similitudinem, tum scribentium attestationem suprà productam. Igitur ad Græcorum de S. Cyrillo Officium, unde cœptus est hic commentarius, reuertimur, in quo omnia plena eximijs de illius orthodoxâ doctrinâ encomijs; imprimis canon siue hymnus hoc acrostịcho designatus:*

Canon Ecclesiasticus,

Κύριλλον ὑμνῶ τὸν πρόεδρον Αἰλίας.

Cano Cyrillum Æliæ præsidentem.

doctrina in Cyrillo efficaciam,

Hic laudatur Cyrillus, quòd virtutibus animam suam exornans, mentem suam corporeis rebus effecerit superiorem; quòd bonus Christi odor factus, suorum verborum fragrantiâ procul pepulerit hæreseon omnium intolerabilem cloacam, cui à maniâ nomen inditum: *quæ verba cùm ad Manichæorum alludant insaniam, indicant hymni huiusce auctorem vel ea legisse, quæ ex synaxario Claromontano attulimus, vel pleniora aliqua Acta vidisse, in quibus Manetis fiat vel Manentis mentio; quem si præsentem in Concilio refutauit Cyrillus, vti certum est Macedonium redarguisse, non potest is Manichæorum auctor fuisse, ab annis quinquaginta pluribusque defunctus. Dicitur deinde Cyrillus* spiritualis suæ sapientiæ splendoribus diuinæ Trinitatis mysterium dilucidè explicuisse, vnumque in duabus naturis Christum velut Spiritus Sancti lyra diuino carmine modulatus: vnam virtutem, vnam essentiam, vnam voluntatem trinæ in deitate hypostaseos prædicando, multiplicis deitatis errorem dissoluisse. *Additur*, quòd mentem habens diuino inflammatam timore, omnem voluptatis fomitem redegerit in cineres, & lacrymis extinxerit passionum flammas, & lampadem suam inextinctam seruarit: ac denique quòd desidiæ somnolentiam ab animæ palpebris procul fugans in somnum iustis conuenientem placidè obdormiuerit. *In quodam autentico instrumento, Interamnâ ad nos misso, dicitur* R. D. Petrus Antonius Nardus Interamnensis, diuinarum humanarumque rerum studio & doctrinâ eruditissimus, ecclesiæ Cathedralis Prior, anno MCCCCLXXIIII commentarios rerum gestarum beatissimi Proculi & S. Anastasij Pontificis atque B. Valentini eiusdem ciuitatis ciuis & Episcopi, necnon B. Cyrilli ciuis Interamnensis Episcopi Hierusalem, iniuriâ temporum oblitteratos & ferè omni parte oblitos, suâ diligentiâ & impensâ per totum ferè orbem quæsitos, & in vnum volumen redactos, ad deuotionem ciuium suorum augendam memoriæ posteritatis tradendos curauisset; quo morte immaturâ & acerbâ è medio vitæ sublato, Petrus Franciscus Nepos, obitum illius iustè & fortiter vltus, pro suâ erga patriam pietate . . . in publicum ciuitatis suæ commodum ea ediderit. *Hoc indicio moniti Interamnam scripsimus, vt qui ex eo codice S. Anastasij inuentionem* XVII *Augusti seruituram, Notarij publici manu describendam, nobisque mittendam curauerunt, idem in Cyrillo præstare vellent: sed mortuis ijs in quorum potestate dictus Codex tunc fuit, responsum est quantouis adhibito studio nihil potuisse reperiri.*

D

& orthodoxiam laudat

vitæq; sanctitatem.

Acta eius quædam Interamnæ collecta.

E

DE SANCTO TETRICO

EPISCOPO LINGONENSI IN GALLIA.

ANNO DLXXII XVIII MARTII.

S. Tetrici Pater S. Gregorius è Comite Ep. Lingonensis,

1 Pater S. Tetrici fuit S. Gregorius ex primâ apud Aruernos atque Æduos nobilitate: qui cùm per annos quadraginta Iudex siue Præfectus vrbis aut Comes summâ cum laude vixisset; repentè Clero adscriptus, nec diu posteà in Episcopum Lingonensem est electus consecratusque: cui Magni cognomen, quod Sancto Pontifici Romano datum est, arbitratur Iacobus Vignerius in Chronico Lingonensi à nemine denegandum esse, qui natales eius, qui res gestas, qui prudentiam atque auctoritatem, qui sanctitatem attentiùs considerârit. Quæ omnia indicantur in Vitâ eius à Gregorio Turonensi scriptâ, & à nobis ad diem IV Ianuarij illustratâ. Habuisse *dicitur ibidem* coniugem de genere Senatorio, Armentariam nomine, quàm ad propagandam generationem solummodò cognouisset. *Vignerius suspicatur hanc fuisse* Attali *Comitis Augustodunensis filiam, ex quâ dicto S. Gregorio nati sunt S. Tetricus & Gregorius Pater Armentariæ, cuius ex Florentio filius fuit S. Gregorius Episcopus Turonensis. Hæc de sanctâ familiâ sufficiant.*

mater Armentaria,

frater Gregorius, auus S. Gregorij Ep. Turon.

2 *Mortuo S. Gregorio Patre circa annum* DXXXIX, *electus est Episcopus Lingonensis* S. Tetricus duplici titulo, *inquit Vignerius*, ex vsu illius sæculi, & quia filius & quia Patri quàm simillimus. *Synodis interfuit, Aurelianensi* V *anno* DXLVII, *Parisiensi* II *anno* DLII, *nec diu posteà Tullensi, & per Piolum Presbyterum Lugdunensi* II *anno* DLXVI. Item altaria, *inquit Vignerius*, templa, cœnobia per Diœcesim plurima consecrauit. Cùm verò cerneret S. Ioannis ædem Diuione vetustate collabi, & venerabiles exuuias miraculis frequentibus illustrari, illam meliorem in statum reformauit, & has ex priore tumulo in nouum & decentiorem transtulit. *Inter has reliquias eminebat corpus S. Gregorij Episcopi à S. Tetrico filio translatum: quod ita in huius Vitâ ex S. Gregorio Turonensi cap. 4 num. 12 narrauimus.* Cùm beatus Pontifex Gregorius in angulo basilicæ fuisset sepultus, & paruus esset locus, nec illuc populi possent accedere, vt deuotio postulabat; S. Tetricus filius & successor eius hæc cernens, & virtutes ibidem assiduè operari perspiciens, ante altare basilicæ fundamenta iecit, erectamque absidam miro opere construxit

Episcopus creatus,

templum Diuione restaurat

Corpus S. Gregorij patris in nouum mausoleum transfert

construxit & transuoluit: quâ transuolutâ disruptoque pariete arcum ædificat. Quod opus cùm ad perfectum perduxisset atque exornasset; in mediâ abside loculum fodit, vbi corpus beati Patris transferre volens, conuocat Presbyteros & Abbates ad istud officiū: qui vigilantes orabant, vt se beatus Confessor ad hãc præparatam habitationem transferri permitteret. Manè autem facto, cum choris psallentium apprehensum sarcophagum ante altare in absidam, quam beatus Pontifex ædificauerat, transtulerunt. Quod sepulcrum dum diligenter componunt, subitò &, vt credo, ad Dei iussum opertorium sarcophagi motum est in vnâ parte: & ecce apparuit beata facies eius integra & illæsa, ita vt putares eum non mortuum esse sed dormientem. Sed nec de ipso vestimento, quod cum ipso positum fuit, aliquid ostensum est diminutum. Vnde non immeritò apparuit gloriosus post transitum, cuius caro non fuit corrupta ludibrio.

Chramnum filium Chlotharij I rebellem excipit,

3 *Cùm Diuione degeret S. Tetricus in atrio dictæ basilicæ S. Ioannis, proximus ingenti calamitati fuit; quòd Chramnum, Chlotarij Regis perduellem filium, cum exercitu venientem excepisset: cui sciscitanti ventura, quid factum fuerit, narrat Gregorius Turonensis lib.* 4 *Hist. Franc. cap.* 16 *his verbis*: Cùm dies Dominicus aduenisset, erat ibi tunc S. Tetricus Episcopus, & positis Clerici tribus libris super altarium, id est Prophetiæ, Apostoli atque Euangeliorum, orauerunt ad Dominum vt Chramno, quid eueniret, ostenderet: aut si ei felicitas succederet, aut certè si regnare posset, Diuina potentia ostenderet: simulque vnam habentes conuenientiam, vt vnusquisque in libro, quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret. Aperto igitur primo omnium Prophetarum libro reperiunt: Auferam maceriam eius & erit in desolationem, pro eo quòd debuit facere vuas, fecit autem labruscam. Reseratoque Apostoli libro inueniunt: Ipsi enim diligenter scitis, fratres, quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet: cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus, sicut dolores parturientis & non effugient. Dominus autem per Euangelium ait: Qui non audit verba mea, assimulabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam; descendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna. Chramnus verò ad basilicas ab antedicto Sacerdote susceptus est, ibique comedens panem ad Childebertum pertendit. *Dein cap.* 20 *eiusdem libri narrat Gregorius infelicem Chramni interitum, qui à patre prælio victus captusque, & cum vxore & filiabus inclusus tugurio, incensâ super eos casulâ interijt.*

omen per Clericos capit de eius fortunâ,

Isai. 5. 4 & 5

1 Thes. 5, 3

Matt. 7, 26.

senex Lampadium deponit,

4 *Demum quæ senescenti S. Tetrico euenerint, narrat idem Gregorius lib.* 5 *cap.* 5 *his verbis*: Consenescente B. Tetrico, Ecclesiæ Lingonicæ Sacerdote, cùm Lampadium Diaconum (quem Creditorem, *id est Dispensatorem prouentuum* habuit) deiecisset; & frater meus *Petrus Diaconus*, dum pauperibus, quos ille malè spoliauerat, opitulari cupiens, consensisset in eius humiliationem, odium ex hoc incurrit. Intereà Tetricus à sanguine sauciatur: cui cùm nulla medicorum fomenta valerent, conturbati Clerici & à Pastore vtpotè destituti, Mundericum expetunt: qui à Rege indultus & tonsuratus, Episcopus ordinatur, & sub eâ specie, vt dum B. Tetricus viueret, hic Ternodorense castrum vt Archipresbyter regeret, atque in eo commoraretur; migrante verò successore iste succederet. *Fuit hic Mundericus, alij Modericus Ansberti famosissimi Senatoris filius, & Arnulphi Episcopi Metensis patruus, qui iram Regis Gunthramni incurrit, & in exilium missus, ad Sigeberti regnum transijt, & Arisitensis Episcopus factus, creditur miraculis clarus obijsse.* Quo igitur abeunte, *inquit ibidem Gregorius*, iterum Lingones Siluestrum, propinquum vel nostrum vel B. Tetrici, Episcopum expetunt. Sed vt eum peterent fratris mei *Petri Diaconi* instinctu hoc fecerunt. Intereà transeunte B. Tetrico, hîc tonso capite Presbyter ordinatur. *Quo mox epilepsiâ extincto, & Petro machinatione Lampadij occiso, Pappolus ordinatus est Episcopus, qui subscripsit Concilio Parisiensi* IV *anno* XII *Regum Gunthramni & fratrum, die* III *Idus Septembris, Indictione* VI, *quæ à Septembri anni* DLXXII *inceperat: quo eodem anno vitâ functum S. Tetricum hoc* XVIII *Martij arbitramur, cùm annos triginta tres, vt ex S. Fortunato constat, Ecclesiam Lingonensem rexisset. Illustres eius virtutes celebrat Fortunatus lib.* 4 *Carmine* 3, *illud ei erigens epitaphium*:

ager successorem statui permittit:

moritur, anno 572,

epitaphium & variæ eius virtutes

Palma Sacerdotij venerando Tetrice cultu,
Te patriæ sedes, nos peregrina tenet.
Te custode pio numquam lupus abstulit agnum,
Nec de fure timens pascua carpsit ouis.
Sex quasi lustra gerens & per três insuper annos
Rexisti placido Pastor amore gregem.
Nam vt condirentur diuino corda sapore
Fudisti dulcem iugiter ore salem.
Summus amor Regum, populi decus, arma * parentum,
Ecclesiæ cultor, nobilitatis honor,
Esca inopum, tutor viduarum, cura minorum,
Omnibus officijs omnia pastor eras.
Sed cui præbebat variam tua cura medelam,
Funere Rectoris plebs modò triste gemit.
Hoc tamen, alme Pater, speramus, dignus in astris
Qualis honore nites, hîc pietate probes.

* *aliàs Potentum*

Christophorus Browerus ad dictum Poëma ista addit: Locum inter Episcopos obtinuit, qui vitâ innocenter actâ gloriam æquauére polo; post mortem non in supplicibus adiutandis quàm vindicandis improbis apud Dei maiestatem pollentior: cuius rei id memorabile extat apud Gregorium Turon. *lib.* 5 *cap.* 5. Lingonici iterum Episcopum flagitantes, Pappolum, qui quondam Archidiaconus Augustodunensis fuerat accipiunt: qui multa, vt asserunt, egit iniqua, quæ à nobis prætermittuntur, ne detractores fratrum esse videamur, tamen qualem habuerit exitum non omittam. Anno octauo Episcopatus sui, dum Diœceses ac villas Ecclesiæ circumiret; quâdam nocte apparuit illi B. Tetricus vultu minaci: qui ita; Quid tu, inquit, hîc Pappole? Vt quid Sedem meam polluis? Vt quid Ecclesiam peruadis? Vt quid oues mihi creditas sic dispergis? Cede loco, relinque Sedem, abscede longiùs à regione. Et hæc dicens, virgâ quam habebat in manu, pectori eius cum ictu valido impulit: in quo ille euigilans, dum cogitat quid hoc esset, in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur; abhorret cibum potumque, & mortem jam sibi proximam præstolatur. Quid plura? Tertiâ die, cùm sanguinem ore proijceret, expirauit.

Pappolum successorem apparens arguit, ac percutit, triduo post extinctum.

6 *Hæc S. Gregorius Turonensis, qui* Tetricum *continenter* Sanctum *aut* Beatum *appellat: quod idem ante sexcentos annos præstitit auctor Chronici S. Benigni Diuionensis à Lucâ Dacherio tomo* 1 *Spicilegij editi, vbi paginâ* 359 *de sepulturâ SS. Gregorij & Tetrici ista leguntur*: Sanctus quoque Gregorius Episcopus, maiorum suorum sequens exemplum, in hac Ecclesiâ se petijt tumulari; & juxta eum dextrâ leuâque jacent Pontifices bini. Sanctus verò Tetricus successor eius ad dexteram partem ipsius basilicæ est positus. *Prostat hoc tempore pars capitis eius cum alijs Sanctorum reliquijs in Lipsanothecâ super altare primarium cum hac epigraphe*: DE CAPITE SANCTI TETRICI EPISCOPI. *Ita Diuione ad nos scripsit* XVII *Aprilis anni* MDCLXVII *Petrus Franciscus Chifletius, varijs libris editis clarus: additque vbinã modò reliqua eius sacra ossa adseruentur, se necdum comperisse. Saussayus in Supplemento Martyrol. Gall. ad* XVIII *Martij ita eius meminit*: Diuione S. Tetrici Episcopi Lingonensis, parentisque

Sanctus aut Beatus appellatus à Greg. Turon. & auctore Chronici S. Benigni,

in inscriptione reliquiarũ & alijs fastis

A tisque sui B. Gregorij non tam Sedis quàm sanctimoniæ hæredis, ponè quem in Ecclesiâ S. Ioannis sepultus, signis communis glorificationis cum eo refulsit. *Eumdem* S. Tetricum *inscripsit Catalogo generali Sanctorum ad hunc diem Ferrarius: quem* Sanctum *etiam indigetant Sanmarthani in Lingonicis Episcopis, Dionysius Gaulterotus 2 parte Anastasis Lingonicæ cap.* 4 *&* 10 *& plures alij.* D

DE S. BRAVLIONE SEV BRAVLIO

EPISCOPO CÆSARAVGVSTÆ IN HISPANIA.

Synopsis Historica.

§. I. *Litterarum studia: amicitia cum S. Isidoro: Archidiaconi dignitas.*

ANNO DCXLVI XVIII MARTII.

Temerè regia stirpe inscriptus,

1 *Othorum regiâ stirpe progenitum esse Sanctum hunc Præsulem, quo auctore Marietta & Maurolycus dixerint, non assequimur: nisi fortè secuti sunt Marineum Siculum in libello, quem de illustribus Hispaniæ scriptoribus composuit, comminiscentem S. Hermenigildi Martyris & Recaredi Regis fratrem fuisse Braulium, & quidem, quod de illis nemo sapiens dixerit, ex ijsdem quibus SS. Leander, Isidorus & Florentina parentibus: quamuis addat alios esse qui Leouigildi (vt verè Hermenigildus ac Recaredus fuêre) filios faciant & ipsos &* B *Braulium, alios qui jam dictos vtrimque tres germanos inter se fuisse dicant: quibus omnibus rectiùs opponitur totius antiquitatis silentium, quam quod hinc sequeretur etiam Ioannem, Braulij haud dubiò germanum fratrem, in istam germanitatem admittendum esse, quod solum Tamaius tali argumento refutasse contentus, nullo nouo fundamento allato adscribit Braulio genus regium.*

rectiùs laudatur à doctrinâ & virtute,

2 *Nos autem arbitramur neque hoc prudenter dici posse, & securiùs in Braulione laudando solius sanctimoniæ haberi rationem, quandoquidem de eâ abundè constet ex cultu & veneratione, quam meruit in Cæsaraugustanâ Ecclesiâ: atque ab eadem indubitatæ sanctimoniæ famâ maximam verosimilitudinem accipere putamus illa, quæ silentio ab antiquis prætерita recitantur in lectionibus Officij duplicis, Sedis Apostolicæ auctoritate probatis, & sunt ejusmodi:* Castissimos mores & disciplinam ab optimis acceptam parentibus in melius redigens, ipse quoque suaptè naturâ & ingenio non declinabat, velut generosa quædam & fertilis planta, nouos quotidie honestatis & pietatis fructus edere. Inde ætate poscente, ad capiendum animi cultum traditur studio litterarum: vbi cùm ingenij ma- C gnitudine tum assiduitate discendi breui admodùm multa ingenuarum disciplinarum scientiâ imbutus, ab omni humanæ laudis aurâ abhorrebat: æqualium verò sodalitates, conuiuia & luxus vitabat omninò; qui in illis cerneret, sicut voluptatis veræ nihil, ita plurimum esse intemperantiæ atque periculi.

ob quas S. Isidoro carissimus,

3 *Talibus certè aut similibus vitæ optimæ ornamentis dignus fuit vt S. Isidoro Hispalensi Episcopo* carissimus & dilectissimus filius *esset, & scriberetur in duabus epistolis, quas ad ipsum, velut amicum desideratissimum & cuius præsenti conspectu alloquioque frui mirè expetat, habemus exaratas. Vnius earum hoc est exordium.* Dum amici litteras, Carissime fili, suscipis, eas pro amico amplecti non moreris. Ipsa est enim secunda inter absentes consolatio, vt si non est præsens qui diligitur, pro eo litteræ amplexentur. Direximus tibi annulum propter nostrum animum, & pallium pro amicitiarum nostrarum amictu, vnde antiquitas hoc traxit vocabulum. Ora igitur pro me: inspiret tibi Dominus, vt merear adhuc in vitâ videre te: & quem mœstificasti abeundo, aliquando iterum lætifices te præsentando. *Eatenus igitur Hispali cum Isidoro vixerat Braulio, & Sanctum Antistitem, velut magistrum discipulus obseruans, meruerat filij loco haberi: an autem ibidem etiam promotus fuerit ad Archidiaconatum (qui titulus & huic & illi de quâ mox agemus epistolæ inscriptus fuit) meritò putamus dubitari posse.*

an etiã eiusdem Archidiaconus?

4 *Hoc tamen vt certum accipiens Thomas de Truxillo tomo 2 Thesauri concionatorum ita loquitur:* Traditus sacris litteris in ciuitate Hispalensi erudiendus, diu fuit discipulus B. Isidori: qui cùm eum probè nosset, cõstituit Archidiaconum suum. Tam præclarè autem & iustè hoc munus administrauit, vt dicatur B. Isidorus numquam reuocasse aliquam Braulij sententiam: cùm omnia quæ præstabat & administrabat justissima essent & æquissima. *Hæc ille, sed vt fidem habeant antiquiori confirmanda testimonio: quo deficiente malumus existimare, Ioannem tempore Sisebuthi Regis ex Monachorum Patre institutum Cæsaraugustanum Episcopum, ad sese* E *euocasse Braulionem fratrem, geminâ, quam certam esse diximus, laude clarum; in eumque Episcopalis ponderis reclinasse partem sanè magnam, instituendo eum ipsius Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Archidiaconum. Et hanc esse caussam existimamus, cur S. Isidorus in præcitatâ epistolâ à filij appellatione exorsus, eamdem concludat miscendo significationi amoris paterni reuerentiam ei debitam, qui iam emancipatus ab obsequio suo, propriam aliâ in Ecclesiâ obtinebat dignitatem:* Dilectissime mi Domine, *inquiens*, & carissime fili.

an potiùs fratris sui Episcopi Ioannis?

5 *Quanta autem Archidiaconi esset in Ecclesiâ auctoritas, munia ejus demonstrant, ab ipso S. Isidoro ad Leudefredum Cordubensem Episcopum hisce verbis descripta:* Archidiaconus imperat Subdiaconibus ac Leuitis, ad quem ista ministeria pertinent: ordinatio vestiendi altaris à Leuitis: cura incensi & sacrificij deferendi ad altare: cura Subdiaconorum de subinferendis ad altare in sacrificio necessarijs: solicitudo quis Leuitarum Apostolum & Euangelium legat, quis preces dicat seu responsorium in Dominicis diebus aut solemnitatum. Solicitudo quoque Parochitanorum, & ordinatio, & jurgia ad eius pertinent curam. Pro reparandis Diœcesanis basilicis ipse suggerit Sacerdoti; F ipse inquirit parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta vel res basilicarum parochitanarum. Gesta libertatum ecclesiasticarum Episcopo idem defert. Collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo defert, & Clericis partes proprias ipse distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus Diaconorum: ipse denuntiat Sacerdoti in sacrario jeiuniorum dies atque solemnitatum: atque ab ipso publicè in ecclesiâ prædicatur. *Eadem & multò clariùs enumerantur in Decretal. lib.* 1 *cap.* 2 *velut in Concilio aliquo Toletano declarata, quamuis tale nunc nihil in eorum aliquo reperiatur: atque vt prædictas in sacris functiones non repetamus, illud imprimis proximum Episcopo gradum dignitatis Archidiacono tribuit, quod* omnem querimoniam seu caussam vel iustitiam Presbyterorum vel Diaconorum vel Subdiaconorum ipse debet deliberare, ordinare & facere: *ideoque monetur vt* strenuus, prouidus, cautus vicem sui Episcopi agens, Episcopij totius curam habeat.

quanta esset muneris huius auctoritas?

6 *In his occupato Braulioni misit Isidorus* Synonymorum libellum, *in quo personam induit hominis inter ærumnas præsentis*

S. Isidorus mittit ei libr.

A *præsentis seculi propemodùm desperantis; cui mirabiliter obuians ratio, leni consolatione reformat ad spem, deinde ad contemplationis arcem prouectum in summa perfectionis gradu collocat. Istum autem se mittere scribit*, non quòd alicuius vtilitatis sit (*sic enim de rebus suis humiliter vir Sanctus sentiebat* (sed quia eum, *inquit*, euolueras. Dum *nempe (vt paulò superiùs habetur)* pariter fuissemus, *& ego postulaui te* vt mihi decadem sextam S. Augustini transmitteres. *Quæ sancti Doctoris opuscula in istâ decade continerentur, nunc, cùm obliterata est eiusmodi diuisionis memoria, nec facile est nec operæ pretium diuinare: verùm quid hoc esse dicemus quod subiungit:* Posco vt quoquo modo me cognitum ei facias? *Numquid non mortuus erat ante duo propemodum secula Augustinus? Erat profectò. Alterutrum ergo dicamus necessum est, videlicet vel alterius viri magni, & cuius amicitiam Isidorus Braulione mediante, expeteret, mentionem interpositam librariorum socordiâ excidisse; vel eorumdem culpâ, paucis litteris mutatis, perturbatum esse sensum, atque hoc modo restituendum:* Posco vt quoquo modo mihi cognitam eam facias, *decadem scilicet sextam Augustinianorum operum.*

[...]brum Synonymorum

& petit ab eo 6 decadem S. Augustini.

§ II. S. Braulio Episcopus ordinatur: euulgat S. Isidori libros aliquot: Concilio V Toletano cum eodem interest.

7 D*Vm porrò dijudicandis Cleri negotijs, & ecclesiastico officio ordinando, vice fratris Episcopi, Braulio fungitur; Ioannes intra duodecim sui Præsulatus annos ea gessit, quæ S. Ildefonsus in libello de scriptoribus ecclesiasticis annotauit, & propter quæ titulum Sancti apud neotericos scriptores obtinet;* vtpotè vir sacris litteris eruditus; plus verbis intendens docere quàm scriptis: tam largus & hilaris dato quàm etiam hilaris vultu. *Eo circa Regis Suintilani finem aut Sisenandi initia, annum videlicet* DCXXVI, *vitâ functo,* in Cæsaraugustâ decedentis locum adeptus est Braulio, vir sicut germanitate coniunctus, ita non minimùm ingenio memoratus, *vt ait idem S. Ildefonsus: Factum id* diuinâ electione *dicunt officij proprij lectiones, quod (ex populari fortassis traditione, nam apud antiquos altum de isto alijsque prodigijs silentium) Marineus Siculus hisce verbis explicat:* Cùm ex multis quem eligerent in plurimorum sapientum concilio hærerent, subitò flamma supra Braulij caput visa est, quæ innoxia cæli conuexa petens, Braulium Episcopatus dignitate decorandum & omnibus præferendum significauit.

Mortuo Ioanni sufficitur Braulio

diuino, vt fertur, iudicio designatus:

8 *Thomas de Truxillo, vt in omnium Hispanicæ nationis conuentu ea res gesta credatur, & sic electio Braulio appareat gloriosior, nominat Concilium Toletanum* IV tempore Cinthilæ Gothi celebratum circa annum DCXXXVI, *paucis verbis nec vnum nec leuem errorem errans. Nam eo anno jam decennium aut amplius egerat in Episcopali gradu Braulio: & quod primo Regis Cintilani anno, Æra* DCXXVI *cum dicto Domini anno concurrente, celebratum est Toleti Concilium,* V *fuit: & ipsum* IV *posterius fuit Braulionis ordinatione, vtpotè sub* III *annum Sisenandi Æra* DCLXXI *coactum. Multò etiam enormiùs exerrauit Marietta, qui Braulionem electum dicit anno* IV *Recaredi Regis, primi ex Arianis Catholici in Concilio Toletano* III: *tunc enim Æram* DCXXVII *Hispani numerabant, & vix pueritiæ terminos fortassis erat egressus Braulio. Nihil igitur verosimilitudinis habere potest ista de Concilio Toletano nationali assertio: vt autem ibidem in prouinciali aliquo Episcoporum conuentu, cuius memoria nulla superfit, actum fuerat de Cæsaraugustani electione, nulla ratio suadet: cùm ad Metropolim Tarraconensem Episcopatus ille pertineat; non autem ad Carthaginensem Prouinciam, cuius caput Toletum erat. Quare, si in Braulionis electione miraculi aliquid accidit, Tarracone vel Cæsaraugustæ id accidisse concipiamus necesse est.*

an hoc in aliquo Concilio factum?

9 *Sed missam facientes electionem, potiùs Braulionis virtutes consideremus hisce verbis in officio proprio expressas:* D Factus Episcopus morum & vitæ seueritatem pariter cum dignitate augendam putauit. Itaque corpori suo bellum indixit, non quò illud necaret aut contereret, sed quò domitum & omni petulantiâ exutum redigeret in seruitutem. Veste non sordidâ, nullo tamen conspicuâ luxu deinceps est vsus. *Addit Truxillo:* Tunc penitus extirpauit hæresim Arianam, quæ per eam regionem grassabatur. Prædicabat magno cum feruore, & sæpe qui eum audiebant viderunt columbam sibi ad aurem loquentem, eique quasi dicentem quæ prædicaturus esset. *Hæc ille, quibus sic consonat Cæsaraugustana Ecclesia, vt talem de suo S. Braulio jubeat orationem recitari* Deus qui per os B. Braulij Confessoris tui atque Pontificis verbi tui arcana reserasti, & hæreticorum spurcitiam illius prædicatione confudisti: fac nos, quæsumus, famulos tuos illius & eruditione proficere & oratione defendi. *Cetera à Truxillo asserta optaremus ab antiquioribus auctoribus confirmari: æquè atque id quod addit Quintanadueñas, auditam omnibus è cælo vocem, illud Isaiæ* XLII *inculcantem;* Ecce seruus meus, electus meus: dedi Spiritum meum super eum.

Zelus B. Episcopi virtutes

alia de eodem non satis certa.

10 *Quas in Episcopatu res gesserit Braulio, difficile est inuestigare, cùm earum pauca supersint vestigia. Ecclesiarum ædificationi intendisse probat lapidea turris, quæ adhuc Cæsaraugustæ est reliqua ex veteri sanctarum Massarum templo,* E *ita dicto à plurium Sanctorum Martyrum lipsanis ibidem refossis, eodemq; sub solius S. Engratiæ nomine posteà splendidiùs reædificato: quod vetus templum à fundamentis fuisse per S. Braulionem constructum supra illam, quàm pridem sub terrâ habuerant maiores in honore, volunt Marietta & Quintanadueñas: quibus in hoc faciliùs assentiemur, quàm Martino Carillo in Vitâ S. Valerij cap. 5. & Martinium secuto Tamaio ad diem Martij* XIII, *factum id esse à Braulione Episcopo anno* DCIX: *sed fortassis vnius cyfræ mutatio Carillo obrepsit vt pro 629, 609 imprimeretur.*

Struit vel ornat SS. Massarum templum:

non tamen an. 609.

11 *Certius est primos quinque Episcopatus sui annos magnis rerum difficultatibus exercitos habuisse Braulionem: ita enim paulò ante tempus Concilij* IV *Toletani, puta anno* DCXXXII, *S. Isidoro scribens exorditur:* O pie Domine & virorum præstantissime, sera est inquisitio & tardè data mihi scribendi optio, quia peccatis meis ingruentibus non modò sterilitatis vel inopiæ malo, verùm etiam luis & hostilitatis, quò minùs inquirerem, horribili sum præpeditus incursu. Nunc autem etsi mille necessitatibus, mille curis attritus, post longum miseriæ tempus, velut ab improbi soporis, vt ita dixerim, grauedine suscitatus, istius meæ suggestionis affatibus dependere præsumo salutis obsequium; F & cordis & corporis humilitate prostratus, imprecans excellentissimam tuæ Beatitudinis potestatem, vt peculiarem famulum, quem pio illo sacræ dignationis intuitu semper habuisti susceptum, vsque in finem habere jubeas commendatum. Nam & ego (Christus nouit) graui dolore discutior, quòd emenso tempore tam prolixo, vel nunc vestrum non mereor videre conspectum: sed spero in illum qui non obliuiscitur misereri nec repellit in finem, quia exaudiet precem pauperis, & vestro me miserum repræsentabit aspectui.

Quæritur si in tempora pestis & belli incidisse

videre S. Isidorum exoptat:

12 *Hac epistolâ videtur S. Braulio respondere ei quæ ad ipsum à S. Isidoro data erat hoc tenore:* Omni desiderio desideraui nunc videre faciem tuam, & vtinam aliquando impleret Deus votum meum antequam moriar: ad præsens autem deprecor vt commendes me Deo, vt & in hac vitâ spem meam impleat, & in futura Beatitudinis tuæ consortium mihi concedat (*& manu suâ*) ora pro nobis Beatissime Domine & Frater: *vbi antiquum morem ecclesiæ tenens non amplius filium (vt olim cum adhuc Archidiaconus esset) sed vt Coepiscopum, Fratrem*

sui vicissim cupidissimus

A *trem scribit: quod mirum est à varijs ità crudè acceptum, vt propterea SS. Isidorum & Braulionem secundùm carnem fratres dicere præsumpserint. Braulio porrò in prætitatâ epistolâ primum* omnimodâ, *inquit*, supplicatione deposco vt librum Etymologiarum, quem jam fauente Domino audiuimus consummatum, promissionis vestræ memores seruo vestro dirigere iubeatis: quia, vt mihi sum conscius, magnâ ibi ex parte serui tui postulatione sudasti.

petiti ab eo Originum libros,

13 *Deinde subiungit:* Gesta etiam Synodi (in quâ Sintharius examinis vestri igne, etsi non purificatus, inuenitur tamen decoctus) quæso vt vestro instinctu à filio vestro Domino Rege nobis dirigantur citò: nam & nostra eius sic flagitauit gloriam suggestio; quia multùm in Concilio pro inuestiganda opus est veritate. *Est ea quam indicat prouincialis octo Episcoporum Synodus Hispalensis* II, anno IX regnante Principe Sisebuto Æra DCLVII, *Christi anno* DCXIX *coacta: in cuius* duodecimâ actione, ingressus est quidam ex heresi Acephalorum, natione Syrus, (vt asserebat ipse) Episcopus, duarum in Christo naturarum proprietatem abnegans, & Deitatem passibilem asserens. Cuius, *inquiunt Patres*, dum nostris sensibus tanti erroris confusio patuisset, prolatis illi de Incarnatione D. N. B Iesu Christi testimonijs, sanctorumque Patrum sententijs recitatis omni eumdem exhortatione ad veræ fidei rectitudinem sacerdotali modestiâ inuitauimus: qui salutaribus monitis per multos diuturnosque communionis labores renitens, tandem gratiâ diuinâ cunctis coram adstantibus hæresim propriam abdicauit... quem optamus vt permanens in fide Christi purè ac deuotissimè conseruetur. *Quod optimum votum an effectum habuerit ex prætitatis Braulionis verbis, quibus* non purificatum sed decoctum *dicit, cogimur dubitare: dubitare autem nequaquam possumus, quin Acta istius Synodi præcipuè fuerint à S. Braulio expetita propter decimam tertiam sessionem, in quâ prædictæ hæreseos veneno expurgando salutare antidotum est concinnatum, & ex Scripturis sacris prolixè accuratéque collectum. Vt autem ea sic expeteret Braulius mouisse eum videtur instans Prouincialis Synodus, iam quartâ vice Toleti cogenda.*

& Acta Concilij Hispalensis

in quo Acephali confutatis

14 *Rescripsit autem Isidorus* non fuisse se dignum eius perlegere elogia: *quia* statim, *inquit*, vt accepi pittacium tuum, puer regius ad me venit: dedi cubiculario meo illud pittacium, & confestim ambulaui ad Principem, vt posteà perlegerem ac rescriberem. Reuersus autem è Palatio Regis, non solùm scripta tua non inueni, sed etiam quidquid aliud in chartis C fuit, perijt. *Non satisfecit excusatio illa desideranti amici scripta videre Braulionis animo: quare aliam rursus eamque prolixissimam misit epistolam, plenam querelarum, atque inter alia ità loquitur:* Septimum, ni fallor annum tempora gyrant, ex quo me memini libros à te conditos Originum postulasse, & vario diuersoque modo præsentem vos me frustratum esse, & absenti nihil inde vos rescripsisse: sed subtili dilatione modò necdū esse perfectos, modò necdum scriptos, modò meas litteras intercidisse aliaque multa opponentes ad hunc vsque diem peruenimus & sine petitionis effectu manemus.

primam petitionem rursus vrget instantius;

15 *Ex quibus habetur Braulionem, antequam Ioannes Episcopus è viuis discederet, ad amicum suum veteremque magistrum visendum excurrisse Hispalim, itaque satis fecisse petitioni, vt suprà vidimus, ad ipsum adhuc Archidiaconum directa. Non fuisse autem tam prolixâ expostulatione opus, satis indicat responsum Toleto datum ab Isidoro, quò se Cōcilij causâ proficiscentem ait:* Codicem Etymologiarum cum alijs codicibus de itinere transmisisse. *Imò ne priorem quidem epistolam (quæ fortè intereà temporis recuperata, caussam dederat petitos codices ita festinanter transmittendi) fuisse necessariam innuit: siquidem ait,* inemendatum præ inualitudine, tamen tibi modò ad emendandum statueram offerre, si ad destinatum Concilij locum peruenissem. Cùm *primùm autem Toletum* veni ad Principis præsentiam, inueni præsentem Diaconum tuum: per eum eloquia tua suscipiens amplexus sum, & legi; & de salute tuâ Deo gratias egi, desiderio omni desiderans, quamuis debilis atque fessus, fiduciam tamen habens per Christum in hac vitâ videndi te: quia spes non confunditur. *Confusa certè tunc minimè fuit: aduenit enim ad condictum Concilij locum & Braulius; vbi vterque inuenitur illius Actis subscripsisse.* D

cui interim S. Isidorus fecerat satis.

§ III. Magna S. Braulij in Concilijs auctoritas, scripta, obitus, translatio.

16 Postquàm à Concilio redijt Braulius ad Sedem suam, *continuò amici opus egregium ex eius voto aggressus est ordinare: ita enim scribit in prænotatione ad vniuersos beati sui magistri libros (quos absque illius curâ fortassis nunquam collectos habuissemus)* Edidi Etymologiarum codicem, nimiâ magnitudine distinctum ab eo titulis non libris: quem quia rogatu meo confecit, quamuis imperfectum ipse reliquerit, *primo Cinthilæ Regis anno Ærâ* DCLXXXIV *pridie Nonas Aprilis mortuus,* ego in viginti libros diuisi. *Porrò eodem quo S. Isidorus hinc emigrauit anno, habita est Synodus Toletana* V, *in quâ Ioannes Mariana lib. 6 cap. 6 ad annum 647, (rectiùs 646 notaturus) & Ioannem transcribens Tamaius aiunt:* E ceteris deferentibus Braulius Cæsaraugustanus Episcopus, propter ingenij eruditionisque laudem, litterarum doctrinæque studia, Concilij actiones rexisse fertur; decreta legesque sanxisse: litterasque ad Honorium per hæc tempora Romanum Pontificem dedit, cùm illi Patres suas actiones probare cuperent. Eas litteras ob dictionis elegantiam sententiarumque grauitatem atque structuræ venustatem magnam Romæ admirationem excitasse Rodericus Præsul est auctor: *hic enim lib. 2 cap. 19 scribit:* Huic Synodo Braulio Cæsaraugustanus Episcopus præ ceteris illustris effulsit, atque piam doctrinam Christianis mentibus decenter infudit: cuius & opuscula nunc vsque decenter Ecclesia veneratur. Huius eloquentiam Roma vrbium mater & domina per epistolare eloquium est mirata.

Scripta S. Isidori ordinat:

& canones Concilij Tol letani V

17 *Confirmationem ista accipiunt ex S. Ildephonso vbi ait:* Clarus & iste habitus Canonibus & quibusdam opusculis. Scripsit Vitam Æmiliani cuiusdam monachi, quæ & memoriam huius & virtutem illius Sancti viri suo tenore pariter commendat & illustrat. *Colitur hic* XII *Nouembris, eiusque quam Braulio scripsit Vitam vulgauit Christophorus Sandoualius in historia Monasterij ab ipso denominati, ad istum diem à nobis illustrandam. Atque vtinam etiam cetera, quæ Rudericus, vt suo adhuc tempore extantia laudat, superessent opuscula: pleniorem fortassis rerum à Braulio gestarum notitiam illa suppeditarent. Interim tamen vix possumus credere, Vitas quoque Ioannis fratris sui ac decessoris, S. Isidori & S. Leocadiæ ab ipso esse conscriptas; nullo vsquam earumdem vestigio apud alios scriptores veteres recentioresque apparente: multò autem magis indubitater audemus asserere, illas decem annorum additiones fictitias, quod sub Maximi Cæsaraugustani nomine prodijt, Chronico subtextas, ab eadem prodiisse officinâ, unde & Pseudo-dexter & alia similis figmenti portenta prodiere.* F

& alia quædam opuscula scribit

sed non chronicam falsò suppositam.

18 *Porrò si Braulionis opera tanti æstimata fuit in Concilio Toletano* V, *nihilò minorem, sed majorem potius oportet credamus fuisse eam, quam collectis in* VI *Concilio Patribus ibidem præstitit, anno Cinthilani Regis* II, *Ærâ* DCCLXXV; *vel anno eiusdem Regis* III, *si Ærâ sequenti (vt habet numerus in Actis expressus) habitum est Concilium: nam alterutro loco vitium agnoscere cogit temporis ratio, ex antecedentibus & subsequentibus Concilijs facilè stabilienda. Quod deinde anno Chindaswindi* V, *Ærâ* DCLXXXIIII XV *Kalendas Nouembris conuocatum est septimum Toleti Concilium, præsen-*

Interfuit etiā Toletano Concilio VI;

mortuus ante VII *ibidem celebratum*

A *præsentiâ ejus caruit, ac ne Presbyterum quidem vel Diaconum (qualem alij sex, venire impediti, suo loco misêre) subscribentem habuit: quare omninò existimamus, non tantùm morbo prohibitum, vt vult Quintanaduenas sed reuerà mortuum fuisse: idemque existimaremus quantumuis id non diceret Pseudo-liutprandus, eadem quâ alii temeritate confictus. Nam, vt S. Ildephonsus testatur,* habuit sacerdotium fermè viginti annis: quibus expletis clausit diem vitæ præsentis. Durauit in regimine temporibus Sisenandi, Cinthilæ, Tulganis & Cindaswindi Regum, *quorum postremus Æra DCLXXXVII desijt, primus Æra DCLXIX cœpit regnare.*

anno Episcopatus 20:

19 *S. Braulij mortem proprij officij VI. Lectio sic describit.* Hic itaque tantis præditus ornamentis sic inter mortales versatus est, vt cœlo semper & immortalitate omnium consensu dignissimus videretur. Tandem dierum sanctorum plenus in breuem eamque leuem ægritudinem incidit: & cùm intelligeret hinc sibi migrandum esse, in hymnos & gratiarum actiones totus effusus in cælum euolauit. *Eo tempore Tarraconensem Episcopum metropolitanum fuisse Protasium scimus ex Concilij Toletani VII subscriptionibus, ante quem ea Sedes aliquot annis vacauerat, vnde nullus V & VI Concilijs inuenitur subscripsisse: IV autem Concilio subscripserat Audax: ille ipse fortassis pro quo ad eam Sedem euehendo*

an morienti adfuerit metropolita suus:

B *Braulio paullò antè laborauerat: vnde in præcitatâ Isidori epistolâ, sub ipsum Concilij tempus scriptâ, sic legitur:* De constituendo autem Episcopo Tarraconensi non eam, quam petisti, sensi sententiam Regis: sed tamen & ipse adhuc vbi certiùs conuertat animum illi manet incertum. *Hoc interim ex dictis euidens est, non potuisse hunc Audacem morienti Braulio extrema præstare officia, quod dicit Marietta: de Protasio autem, quem consultior Tamaius subinducit, oporteret majoris fidei testem habere, quàm ipse sit.*

20 *Quod de Angelico sub mortem Braulij cantu, & hac cælesti voce ab omnibus auditâ,* Surge & veni amice mi: cui Braulius responderit, Præsto sum, *idem Tamaius & Quintanaduenas ex Mariettâ transcripsere, nescimus vnde hic hauserit; cùm ne Truxillus quidem, quæcumque potuit vndique corradens, non sine ornatu aliquo oratorio, nihil simile scripserit; haud omissurus, si vel famâ sic ferri intellexisset. Idem Marietta diem obitus fuisse ait XVIII Martij, quo nempe festum ejus agit Ecclesia Cæsaraugustana. Tamaius XXVI habet, ex fide scilicet Pseudo-luitprandi, qui, ne Romano Martyrologio contrarius videretur, ita scribere jussus erat; postquàm primus Truxillus, librario fortasse mendo, talem diem scripsisset, suoque errore præiuisset ad imitationem Baronio, non satis edocto, quo die eum ecclesia suâ coleret: quam nos sequi maluimus.*

C *an cantus & voces Angelorum audita?*

an 26 Martij obierit?

21 *Addit Quintanaduenas in ecclesiâ Cathedrali (quam alij S. Mariæ majoris, Tamaius ex vulgi vsu Beatæ Virginis de Columnâ nominat) sepultum corpus per annos fermè sexcentos & ampliùs delituisse extra venerationem & cognitionem hominum; vsque dum anno MCCLXX locus sepulturæ ejus (quem sub propylæo portæ majoris fuisse aiunt) à S. Valerio, cujus vitam XXVIII Ianuarij dedimus, eiusdem Sedis Episcopo reuelatus est ei, qui tum ecclesiam gubernabat, eratque Arnaldus de Peraltâ ab anno MCCXXXIII ad annum proximè dictam reuelationem secutum. Repertum autem fuisse dicit venerabile corpus incorruptum & integrum, acsi recens tantum defunctum esset, ipsasque sacerdotales vestes cum eo omnis prorsus situs & putredinis expertes, non sine suauis odoris fragrantiâ latè se diffundente. Itaque extructum ei est magnificum in eadem Ecclesiâ ante aram principem mausoleum, eòque translatio facta est. Quam ipso quo contingit die, videlicet XIX Iulij exinde solennissimè quotannis cœpto celebrari, plurimorum operatione miraculorum Deus cohonestauit, simulque vniuersum Aragoniæ regnum permouit, vt eum patronis suis annumeraret. Eadem in notis ad Romanum Martyrologium paucis insinuat Cardinalis Baronius, ex antiquis Cæsaraugustanæ Ecclesiæ monumentis, quæ sibi Romam transmissa scribit, & nos si nacti fuissemus libenter retulissemus hoc loco.*

Corpus reuelante S. Valerio inuentum.

D *anno 1270 translatum.*

DE S. EDVARDO MARTYRE

ANGLIÆ REGE,

Commentarius præuius.

§. I. S. Eduardi per sex ferè secula stirps regia. Loca & anni cædis, sepulturæ, & variarum translationum.

ANNO DCCCCLXXVIII. XVIII Martij.

1 P*Ost occupatam ab Anglo-Saxonibus præcipuam antiquæ Britanniæ partem, ab hisce victoribus est illa in septem diuisa regna, vnde à posteris excogitatum Heptarchiæ Anglicanæ nomen. Ex his regnis id, quod obtinuerunt Occidui Saxones, continuit has prouincias, Cornwalliam, Deuoniam Dorsetiam, Somersettiam, Wiltoniam, Southamptoniam & Berccheriam; ac sub finem seculi Christi quinti cœpit Rege Cerditio Pagano, & in eadem familiâ perseuerauit, etiam omnium Anglorum obtentâ monarchiâ, vsque ad annum MLXVI, quando in S. Eduardo Rege & Confessore, cujus Vitam dedimus V Ianuarii die eius natali, extincta est hæc serenissima familia regia, & à Cinegelso VI Rege Christiano pientissima, atque in promouendâ orthodoxâ religione in Regibus quamplurimis feruentissima. Hinc plurimi Reges Sanctorum catalogo inscripti venerationem sacram obtinuerunt: ex his primus traditur S. Ceadualla, quem Beda lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 7 scribit* XII Kalendarum Maiarum Beatorum consortio sociatum in cælis: *quo die accuratiùs de illo erit agendum. Successor huius fuit S. Ina, cuius Acta illustrauimus VI Februarij, ac § I deduximus familiam eius à supradicto Cerditio primo Rege, quem S. Inæ tritauum fuisse diximus. A obitu S. Inæ regnarunt varij eiusdem familiæ Reges, ac tandem Egbertus prognatus ab Ingildo fratre S. Inæ (quem huius atauum numerat Chronologus Anglo-Saxonicus cum Bedæ historiâ Cantabrigiæ excusus) qui tritauus S. Eduardi Regis fuit, quem hoc die inter Martyres venerantur fasti sacri vti infrà patebit. Egberto successit Atheluulfus filius, ac S. Eduardi atauus, cuius quatuor filij fuerunt, & vltimus S. Eduardi abauus Alfredus: de quo valdè memorabilia referuntur XX Martij in Historiâ Translationis S. Cuthberti capite I. Nomen eius est nonullis fastis sacris inscriptum ad Diem XXVIII Octobris. Huic successit filius Eduardus, cognomento senior, S. Eduardi proauus: cui tres fuerunt filij successiuè Reges: primus Atelstanus, tum Edmundus S. Eduardi auus, cuius vxor auia huius, S. Elgiua, fuit restauratrix monasterij Sceptoniensis, ad quod infrà dicemus corpus nepotis S. Eduardi fuisse translatum.*

Reges occiduorum Saxonum à Cerditio progniti:

inter illos SS. Ceadualla & Ina,

posteri maiores S. Eduardi. Egbertus, Atheluulfus, Alfredus, Eduardus, Edmundus.

2 Hisce

A 2 *Hisce parentibus prognatus est anno* DCCCCXLIII *Rex Edgarus, cognomento Pacificus, qui post patruum Edredum, cum fratre Edwio ab anno* DCCCCLVII *regnauit à Mercijs & Northumbrijs in Regem electus, statuto fluuio Tamesi regni vtriusque limite. Verùm fratre Edwio anno* DCCCCLIX *mortuo, omnium Anglorum Rex constituitur. A Rege hoc genita est S. Editha, cuius Acta MSS. à Surio etiam, sed mutato stylo edita, ad* XVI *Septembris ita incipiunt:* Beata Virgo Editha filia fuit Edgari Regis & Wolstrudis regij Ducis filiæ, quam Rex insolubilibus votis regno sociare disposuerat, sed partu explicito castè viuere, quàm illecebris deseruire maluit propter Deum, habitumque monialium de manu S. Ethelwoldi Episcopi apud Wiltoniam suscepit, & virtutibus & exemplis proficiens, Virginibus Mater spiritualis effici meruit. Sancta verò Editha sub materna cura relicta, de consensu tandem Regis in eodem monasterio habitum religionis suscepit. *Hæc ibi: quibus consentanea scripsit Simeon Dunelmensis in Historiâ de Gestis Regum Anglorum ad annum* DCCCCLXIV, *enumerans libros Regis Eadgari, dicitque* habuisse de S. Wlthritâ Virginem Deo deuotissimam Eagitam: *vbi titulus Sanctæ à filiâ ad matrem perperam translatus videtur.* Habuit etiam, *inquit idem auctor*, ex Egelfledâ Candidâ Ordmeri Ducis filiâ Eadwardum posteà Regem & Martyrem: *at mortuâ illâ dicto* anno DCCCCLXIV, accepit in matrimonium filium Ordgari Ducis Domnaniæ post mortem viri sui Elfwoldi gloriosi Ducis Orientaliû Anglorum: ex quâ duos filios Eadmundum & Egelredum suscepit. *Dein anno* DCCCCLXXI *refert* obitum Clitonis Eadmundi filij Eadgari Regis, huiusque soceri Ordgari Ducis Domnaniæ *siue Deuoniæ, fundatoris Monasterij Tauestociensis in agro Deuoniensi. Reliqua infrà in Actis explicantur. Ab Egelredo, siue vt alij Ethelredo, prognati fuerunt Edmundus Rex, cognomento Ferreum-latus, aliique fratres & S. Eduardus Rex & Confessor anno* MLXVI *die* V *Ianuarij vitâ functus.* In hoc Rege, *inquit Matthæus Parisiensis in Prologo Historiæ Anglicanæ*, linea Regum Angliæ defecit, quæ à Cerdicio primo Westsaxonum Rege ex Anglis quingentis & septuaginta vno annis non legitur interrupta, præter paucos Danos, qui peccatis exigentibus gentis Anglorum aliquamdiu regnauerunt. *Cæso eodem anno Haraldo victor Willielmus Conquestor ex Normanniâ Gallicâ cum classe Angliam ingressus, regnum obtinuit & ad posteros suos transmisit.*

Edgarus

genuit S. Editham ex VVolstrude,

S. Edardum ex Egelfledâ

B

ex Alfridâ Edmundum anno 971 mortuum,

& Ethelredum patrem S. Eduardi vltimi Regis & Confessoris.

3 *Hæc de regiâ familiâ S. Eduardi. Minus hic placebat Alfridæ nouercæ, quòd eo viuo proprius filius foret à regno arcendus, proinde incitauit Edgarum maritum, vt ipse secum solemni pompâ in Regem consecraretur. Quod factum esse anno* DCCCCLXXIII *ita describit Chronologus Anglo-Saxonicus:* Hîc Eadgarus Anglorum Rex honore magno in Regem consecratur in veteri illâ Acamanni ciuitate; incolæ verò alio vocabulo Bathoniam vocant: magnumque ibi gaudium omnibus enatum est fausto illo die, quem vulgus diem Pentecostæ nominat nuncupatque. Ibi conuenerat Sacerdotum cœtus, & ingens chorus Monachorum, sapientumque consultatio. *At biennio pòst ad annum* DCCCCLXXV *ista scribit idem auctor*: Hîc vitam finiuit terræ admiratio, Eadgarus Anglorum Rex, lucemque sibi alteram elegit decorus & lætus, fragilemque hanc & caducam vitam reliquit. Nuncupant indignæ . . . Iulij mensem quo ille obijt: die autem decimo octauo iuuenum coronâ datâ, Eadgarus de vitâ exijt. Deinceps autem filius eius capessit, puer immaturus, Ducibus (potentiâ & auctoritate scilicet) senior, cui erat Eadwardus nomen: cumque Deus Opt. Max. conseruet. *Ob quæ verba vltima posset videri auctor suam Chronologiam viuo hoc Rege edidisse, quam dein aut ipse aut alius continuarit: vti sunt illa, quæ ad annum* DCCCCLXXVIII *habet:* Hîc Eadwardus Rex occisus est, eodemque anno Ethelredus Clito frater eius regnum capessit. *Quæ ad eumdem annum ita recenset Simeon Dunelmensis.* Rex Anglorum Eadwardus iussu nouercæ suæ Elsthridæ Reginæ, in loco qui Coruesgeate dicitur, à suis injustè occiditur, & apud Werham non regio more sepelitur. Cuius frater Egelredus Clito egregius, moribus elegans, pulcher vultu, decorus aspectu, Indictione VI, die Dominicâ, XVIII Kalendas Maij, post Paschalem festiuitatem à sanctis Archipræsulibus Dunstano & Oswaldo & decem Episcopis in Kyngestune ad regni fastigiû est consecratus. *Quæ eisdem verbis leguntur apud Houedenum & VVigorniensem. Et conueniunt charactêres prodicti: nam Cyclo Lunæ* X *& Solis* VIII, *ac litterâ Dominicali F, Pascha celebratum fuit die* XXXI *Martij, &* XIV *Aprilis; sive suprà indicatis* XVIII *Kalendas Maij, incidit in secundam à Paschate Dominicam, cùm Paschalis festiuitas esset cum præcedenti Dominicâ in Albis conclusa. Vixit ergo ab obitu patris S. Edouardus annis solùm duobus & mensibus octo, non verò annis tribus cum dimidio, vt scribit Malmesburiensis lib.* 2 *de Gestis Regum Anglorum cap.* 9, *& plures post eum. Neque regnum eius ab anno* DCCCCLXXVII *ad annum vsque* DCCCCLXXXI *constituendum est; qui error infrà in Acta, & in Chronicon sub nomine Ioannis Bromtoni editum, est intrusus. Appellatur S. Eduardus suprà cùm regnum susciperet,* immaturus puer, *circiter* XII *annorum, cùm matre mortuâ anno* DCCCCLXIV *acceperit nouercam, & apud Capgrauium dicatur occisus* XV *annos natus.*

Edgarus consecratur an. 973.

C

moritur an. 975,

succedit S. Eduardus,

occiditur an. 978

D

Ethelredus consecratur 14 Aprilis

Dominicâ 2 post Pascha.

E

4 *Locus cædis suprà* Coruesgeate *dicitur, alijs contractè* Corph *&* Corffe, *in Dorsetia Comitatu ad mare Britannicum in peninsulâ Purbecanâ, quam vulgò insulam vocant.* In huius medio, *inquit Cambdenus*, castrum vetus Corffe diu cum vetustate colluctatum, iam victum tempori cedit, quod nouercalis odij testis admodùm insignis. Alfritha enim, vt filio suo Etheldredo ad regnum viam sterneret, in priuignum Edwardum Anglorum Regem cùm ipsam hic inuiseret, percussores immisit, eiusque cæde sceleratissima nouerca oculos pauit. *Non procul inde* Wareham *siue* Werham *oppidum est, fluminibus Trento, nunc Piddle, Fromo & sinu maris circumseptum, primâ Eduardi sepulturâ nobilitatum; quæ facta est* XIII *Februarij anni sequentis. Et triennio pòst dicitur Sceptoniam delatum: & ibidem* XVIII *Februarij tumulatum. Is foret annus* DCCCCLXXXI, *pro quo legitur annus* DCCCCLXXIX *apud Dunelmensem his verbis:* Dux Merciorum Elferus cum multitudine populi Werham venit, Sanctumque corpus pretiosi Regis & Martyris Eadwardi de tumulo subleuari præcepit. Quod dum esset nudatum, sanum atque incolume ab omni clade & contagione est inuentum. Lotum deinde nouisque vestimentis indutum ad Sceftoniam est delatum & honorificè tumulatum. *Quæ ad eundem annum* DCCCCLXXIX *eisdem verbis leguntur apud Houedenum, VVigorniensem & VVestmonasteriensem. Est autem* Scheftonia, *alijs* Sceptonia, *vulgò* Schaftesburg, *in Septentrionali parte agri Dorsetensis in confinijs VViltoniensis Comitatus,* locus, *inquit Malmesburiensis lib.* 2 *de Gestis Pontificum Anglorum*, in prærupto montium situs . . . Eo loci iacet vel potiùs iacuit S. Edwardus, huius Elgiuæ ex filio Edgaro nepos, quem nouercali fraude innocenter cæsum cælum excepit.

S. Eduardus occisus in Corph,

sepultus in VVerham anno 979.

translatus anno 981,

F

Septoniam:

5 *Eadem ex Malmesburiensi transcripta sunt in Monastico Anglicano, vbi de hoc Monasterio agitur pag.* 213, *& inseruntur donationes Regum Edmundi, & Edredi, & duplices Ethelredi fratris & successoris S. Eduardi: prior absque huius mentione signata anno* DCCCCLXXXIV, *posterior anno* MI, *eaque inscribitur* carta Atheldredi Regis de Bradefordiâ, quam in perpetuum succedens testatur transcriptum Ecclesiæ S. Edwardi de Schaftisburg. *In ipsâ dein chartâ ista exprimuntur:* Ego Atheldredus Rex Anglorum, . . . Christo ac Sancto suo, germano scilicet meo, Edwardo, quem proprio cruore profusum per multiplicia virtutum signa ipse Dominus nostris mirificare digna-

templum illi dicatum.

A dignatus est temporibus, humili deuotione offero cœnobium, quod vulgariter aet Bredeforda cognominatur, vt Sancto semper subjaceat monasterio aet Sceftebiriæ vocitato, ac ditioni venerabilis familiæ sanctimonialium inibi degentium, quatenùs aduersùs barbarorum insidias ipsa religiosa congregatio cum beati Martyris ceterorumque Sanctorum reliquijs ibidem Deo seruiendi impenetrabile obtineat confugium. . . Hoc intereà hac scedulâ annotari dignum duxi, quatenus præscripta villa . . . venerabili sæpe dictæ familiæ, Christo sanctoque Martyri incessanter famulanti, semper subjugetur liberrimè. *Subscriptiones plurimorum sunt, ac prima ista:* Ego Athelredus Rex hanc largitatem Christo sanctoque Martyri Edwardo humili obtuli deuotione: & ne nostra oblatio obliuionem forsitan in posterum sortiretur, omnia, prout gesta sunt, hac in schedulâ exprimi mandaui. *Subscripserunt post Regem* Archiepiscopi Alfric Dorobernensis & Ealdulf Eboracensis, *& alij sex Episcopi, tum sex filij Regis, Deinde septem alij Episcopi & septem Abbates, denique quatuor Duces, & decem alij ministri regij:* & anno, *vt dixi,* millesimo primo

Martyr compellatur — *à fratre Rege* — *& 15. Episcopis* — *anno 1001.*

6. *Apud Malmesburiensem suprà citatum & ex eo in Monastico Anglicano de Translatione & veneratione S. Eduardi ista adduntur:* Posteriori verò tempore pars B corporis Lesmonasterium, pars Abbendoniam deportata est. Vbique ipse viget, maximéque Scheftoniæ & virtutum gratiâ, & sanctissimo Virginum choro coruscat. *Infrà in Actis additur:* Locus verò apud Septoniam, vbi pulmo ejus adhuc integrâ viuiditate palpitat, Edwardstowe dicitur. *Est autem dictum* Lesmonasterium, *alijs* Leonis monasterium, *&* Leonminster, *vulgò contractiùs* Lemster, *in boreali parte Herefordiensis Comitatus oppidum ad Vagam fluuium, quod notat Cambdenus Britannis dictum* Lhanlieni, *id est, sanctimonialium templum, hisce olim à Merwala occiduorum Merciorum Rege, ac patre SS. Milburgæ, Mildredæ & Milgithæ Virginum, extructum. Agitur de eo in Monastico Anglicano paginâ 420, vbi Lelandus citatus asserit* in concesso esse, abbatiam Sceptoniensem in Leominstriam jurisdictionem exercuisse, fundique nonnihil ibidem possedisse: reliquiarum denique S. Edwardi Martyris ibi adorandarum partem eò transmisisse. *Ast Henricum Regem primum terras* Leominstrenses abbatiæ Readingensi annexuisse. C Cellam quoque monachorum Leominstriæ per Abbatem Readingensem institutam fuisse. *Porrò Henricus I. Rex Anglorum anno* MCXXV *Leominstriam & Chelseiam subjecit Radingiæ, à se instauratæ, consistenti in agro Berrocensi, vti Carta fundationis in Monastico Anglicano pagina 415 excusa demonstrat. De monasterio Abbendoniensi, ad quod altera pars corporis S. Edouardi est Translata, egimus* VI *Februarij in vitâ S. Inæ Regis ejus confundatoris. Hujus monasterij fuerat Abbas S. Ethelwoldus, tempore S. Edouardi Episcopus Wintoniensis. Est adhuc Abbendonia in dicto agro Berrocensi ciuitas ad fluuium Isim satis celebris; at monasterij antiquitates latissimè describuntur in Monastico Anglicano à paginâ 97 ad 108.*

pulmone Septoniæ detento — *corporis pars defertur Leominstriam* — *posteà Readingensibus subjectam:* — *pars Abbendoniam portatur.*

§. II. S. Eduardi veneratio sacra. Martyrij nomen. Acta conscripta.

7. M*Ichael Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Anglicanæ necem S. Edouardi Regis statuit ad annum* DCCCCLXXXIX, *quia Chronologum Anglo-Saxonicum auctorem coæuum & Simeonem Dunelmensem non videtur habuisse; Wigorniensem verò, Houedenum, Westmonasteriensem aliosq; non satis ponderatis characteribus æstimasse, & nimiùm adhæsisse Malmesburiensi regno ejus attribuenti tres annos & octo menses: quem Malmesburiensem arbitramur deceptum, quòd præter duos integros regni annos, octo menses sint distinguendi in duarum annorum partes. Quidquid sit* D *Malmesburiensis non videtur nobis vndeque satis circumspectus, sicuti sæpiùs iam ostendimus: neque tot alijs illustribus & magis coæuis scriptoribus præferendus. Sed hæc de anno, in quo Alfordus numero* IX *ista de cultu ejusdem S. Edouardi habet:* Anglia certè Regem suum impensè coluit: vnde ter quotannis piam Principis memoriam recitat, semel eo die, quo martyrium est passus, XVIII Martij; iterum cùm solenni ritu corpus ejus Septoniensi monasterio infertur, XVIII Februarij post triennium à passione ejus: Denique XX Iunij, cùm sacræ corporis reliquiæ è Septoniensi ecclesiâ ad Glastoniensem translatæ anno Christi millesimo primo, de quo ibi. *Hæc Alfordus, qui ad dictum annum* MI *non videtur potuisse complere promissum, & solùm ibidem ait num. 7 ex Capgrauio & Malmesburiensi de S. Eduardi corpore eleuato & honorificentiùs in eadem Ecclesiâ Septoniensi collocato, ac splendore eidem monasterio ecclesiæque aggenito: quod magnificentiùs potuisset facere, si Athelredi Regis & fratris S. Edouardi diploma eodem anno* MI *vidisset signatum: quo ipsa* Ecclesia S. Eduardi *extitisse dicitur, & in eâ* reliquias sancti Martyris multiplicibus virtutum signis coruscasse *&c. Ceterùm de corpore S. Eduardi ad Glastoniensem ecclesiam deportato mendum merum in Historiam Anglicanam Polydori Vergilij irrepsit, qui cap. 6 sub finem narratâ cæde Regis ejusque vili sepulturâ ac cæcâ ibidem illuminatâ, addit* multa deinde E miracula extitisse, quamobrem Edouardus non immeritò inter Diuos relatus est. Fuit posthæc ejus corpus ex vili illo loco ad Glastoniense cœnobium deportatum, ibique sepulturæ honestè datum. *Ex* Glastoniense *in* Septoniense cœnobium *emendandum. Interim error ille ex Vergilio citato adornatur in Martyrologio Anglicano ad suprà indicatum* XX *Iunij, diciturque* corpus S. Edouardi Regis & Martyris ex Sceptoniensi ecclesiâ ad Glastoniensem in Comitatu Somersetensi magnâ cum solennitate translatum anno MI, post necem XII, *& ferè correctiùs* XXII *in secundâ editione. Allegatur etiam auctoritas Hieronymi Porteri in Floribus Sanctorum Angliæ, quasi is isto die de simili translatione ageret: sed is nullâ tum ejus factâ mentione latè celebrat die* XVIII *Februarij Translationem ex oppido Warhamo ad monasterium Septoniense, additque postmodùm partem corporis Leominstriam, seu Lesmonasterium delatam, nullâ Glastoniensis cœnobij factâ mentione.*

Veneratio varijs fastis adscripta.

8. *Hujus Porteri Floribus rectè citatis, refertur in Marty-* F *rologij Anglicani posteriore editione ad* XVIII *Februarij* Translatio S. Edouardi ab ecclesiâ Warhamensi ad Septoniensem. *Præiuit Edouardus Maihew in Tropheis Congregationis Anglicanæ Ordinis S. Benedicti; huic adscribens hunc Regem, quòd ad cœnobium Septoniense fuerit translatum corpus: & testantur Acta id factum* XVIII *Februarij scilicet anno* DCCCCLXXXI. *At tandem anno* XXI *post hanc Translationem est facta solennis Eleuatio corporis. Arbitramur ergò* XX *Iunij factam esse hanc eleuationem, eamque haberi nouam Translationem corporis factam anno* MI, *post priorem anno* XXI, *ac celebrari solenniori ritu dicto* XX *Iunij. Exhibet antiqua Ecclesiæ Anglicanæ traditio optima hujus rei vestigia in peruetusto Breuiario secundùm vsum Ecclesiæ Sarum excuso anno* MCCCCXCIX, *confirmata in Breuiario ejusdem Ecclesiæ Sarisburiensis anno* MDLVIII, *impresso: in quibus Officium Ecclesiasticum in festo Translationis S. Eduardi Regis & Martyris ad* XX *Iunij, ordinariè est* III *Lectionum: at si festum martyrij diei* XVIII *Martij infrà Passionem Domini euenerit, in Translatione fit festum* IX *Lectionum, quarum sex desumptæ sunt ex vitâ sancti Regis. In MS. Altempsiano, de quo mox agemus, refertur* Translatio S. Eduardi Regis apud Septoniam, *sed incuriâ amanuensium additum nomen* Confessoris. *Idem confirmatur ex Martyrologio Coloniensi anno* MCCCCXC *excuso, quo anno etiam vitâ est functus Hermannus Greuen, qui planè cum illo Martyrologio habet* Translationem S. Edwardi Regis & Martyris. *In Marty-*

Translatio corporis Septoniam celebratur 18 Febru. — *Eleuationis 20 Iunij*

A *Martyrologio Germanico Canisij appellatur* Eleuatio: *in Florario MS. est veneratio* S. Eduardi Regis & Martyris in Angliâ; *omisso nomine Translationis & Eleuationis.*

dies natalis 18 Martij: 7. *Hæc occasione variarum Translationum dicta. At primarium festum est die* XVIII *Martij, quo injustè occisus passim inter Martyres annumeratur in fastis Ecclesiasticis. Ita Martyrologium MS. valdè antiquum, quod sub nomine Bedæ auctum habemus, ista continet:* Ipso die S. Edwardi Regis & Martyris. *Aliud reperimus illustre MS. Romæ in excellentissimâ bibliothecâ Ducis Altempsiani sub nomine Vsuardi auctum, in quo hæc leguntur:* Natale S. Eduardi Regis & Martyris, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam crebra miracula ostendunt. *Lustrauimus etiam in Normanniâ inter alia ad Sequanam monasteria Gemmeticense, ac reperimus à sexcentis circiter annis Missale conscriptum, in cujus itidem Kalendario illustris* S. Edwardi Regis & Martyris *memoria extat. In MS. Martyrologio ejusdem monasterij:* Apud gentem Anglorum S. Eduardi Regis & Martyris. *In Breuiario secundum regulam S. Isidori, dicto Muzarabes, Toleti è mandato Francisci Ximenes auctius anno* MDII *edito,* S. Eduardi Regis & Martyris festum officio nouem lectionum *colitur, non minùs atque in Breuiarijs Ecclesiæ Sarisburiensis antè indicatis. Ejusdem meminerunt Hermannus Greuen in additionibus ad Vsuardum; nec non auctor Martyrologij Coloniensis anno*

B MCCCCXC *excusi, &* Regem ac Martyrem *appellant. Molanus loco martyrij indigetat* passionem S. Eduardi Regis. *In hodierno Martyrologio Romano isto exornatur elogio:* In Britanniâ S. Eduardi Regis, qui dolis nouercæ necatus, multis miraculis claruit. *Apud Maurolycum mendo typico* Eldebardus Rex & Martyr *appellatur: vti & in codice MS. Carmeli Coloniensis* Amradus Rex & Martyr *scribitur. In MS. Florario Sanctorum hoc encomium extat:* In Angliâ Passio S. Eduardi Regis de stirpe Karolidarum: hic dolo nouercæ suæ gladio transfigitur, quæ dolens filium suum postpositum, & priuignum suum promotum, Eduardo insidias struxit, & ipsum sic transfigi diabolo procurante procurauit. Qui apud Werham sine honore sepultus, pluribus signis & miraculis à Domino honorari meruit anno salutis DCCCCLXXXIX. *Quæ extracta ex Actis MSS. Rubeæ-vallis mox indicabimus. Habent sua elogia è vitâ excerpta Felicius, Galesinius, Canisius, Porterus, Maihewus, Wilsonus, Bucelinus, aliique. Masinus in Bononiâ*

cultus Bononiæ. *perlustratâ asserit hoc* XVIII *Martij festum S. Eduardi Regis Britanniæ celebrari in suo oratorio in Palatio majori,*

C *ejusque reliquias aliquas haberi in ecclesiâ Barnabitarum S. Pauli. Demum addo orationem ex Breuiarijs Sarisburiensibus, in quo loco* martyrij *die* XX *Iunij legitur* Translatio, *& est ejusmodi.*

Oratio. Deus æterni triumphator imperij, familiam tuam propitius respice, martyrium Regis Edwardi celebrantem: & præsta, vt sicut illum munere glorificare dignaris cælesti; ita nos ejus obtentu æternæ felicitati facias dignanter adscribi. Per Dominum nostrum I. C.

Quomodò Martyr dicatur: 8. *Reliquum officium Ecclesiasticum celebratur de vno Martyre. Et rectè, è sententiâ Alfordi loco suprà nominato,* Eduardus ideò Martyr appellatur, quia violentâ morte cæsus, miraculorum gloriâ Sanctus celebratur, *etiamsi pro Christianæ religionis fide non objerit. Ita & hujus Sancti ex fratre Ethelredo nepos* S. Eduardus Rex, cognomento Confessor *dicitur, etiamsi coram fidei hostibus non fuerit interpellatus ad fidem Christi profitendam. Verùm, etiamsi* vox illa Confessoris *ita* ab antiquis solùm fuerit vsitata; obtinuit *tamen* postmodùm vsus vt omnes, qui sanctâ & laudabili vitâ vixissent, Sanctoque demum ac probato fine in Domino quieuissent, Confessores appellarentur: *vti ea hisce verbis notat Baronius ad diem* II *Ianuarij: quibus addendum, eodem modo si injustè violentâ morte occubuissent, & miraculorum gloriâ Sancti celebrarentur, solitos fuisse officio Ecclesiastico Martyrum honorari. Imò ad majorem*

vtriusque S. Eduardi Regis *distinctionem hic passim* D Martyr, *& nepos ejus* Confessor *appellatur. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum & die* V *Ianuarij ad S. Eduardum Confessorem &* XVIII *Martij ad S. Eduardum Martyrem obseruat,* extare epistolam Innocentij Papæ quarti in bibliothecâ Vaticanâ in registro ipsius anno 2 paginâ 527 de celebratione diei festi S. Eduardi Regis. *Hinc dubium de alterutrone eorum & viro, an de vtroque dicatur.* *an bulla ab Innocentio 4 de eius festo data?*

9. *Acta S. Eduardi diuersa sumus nacti, quæ vt plurimùm conueniunt in ijs, quæ ad injustam ejus necem spectant: ac primò arbitramur illa optima esse, ex quibus antiqui Angli Lectiones diebus illius festis in officio Ecclesiastico recitari solitas desumpserunt, quæ in Breuiarijs Sarisburiensibus antè annos* CXX, *aut* CLXXX *excusis reperiuntur; extracta ex Actis, quæ extant in antiquâ Legendâ Sanctorum, aut Legendæ parte, quam habemus Louanij anno* MCCCCLXXXV *excusam, eamque asserit Coluenerius biennio antè fuisse Coloniæ editam. Extant in chronico, sub nomine Ioannis Bromtoni Abbatis Iornallensis edito inter* X *Scriptores Historiæ Anglicanæ Londini anno* MDCLII, *Acta satis longa ejusdem Sancti Regis, in quibus eadem iam antè indicata ferè continentur; nec dubitamus, quin omnino eadem fuerint, quæ Surius correcto stylo dedit. In his exordium ampliùs est quàm in dicto Bromtoni chronico, vbi quæ ad sepulturam, eleuationem & translationes pertinent, multò accuratiùs quàm apud Surium continentur, à nobis ex illo chronico edenda. Initium vtriusque mox dabitur.* E *Acta prima* *ex varijs eduntur.*

10. *Alia Acta habemus in Chronico vniuersali MS. compilato abhinc ducentis circiter annis à Theodorico Pauli Gorcomiensi. Erant hisce Actis adscripta præcipua ex antè indicatâ Vitâ, quam videtur posteà vt certiorem margini adjunxisse. Tertia Acta possunt censeri, quæ apud Capgrauium extant è prioribus collecta. Quarta ex MS. codice Vltrajectino Ecclesiæ Cathedralis S. Martini descripta. Quinta quæ accepimus ex codice MS. Monasterij Rubeæ-Vallis Canonicorum Regularium, inserta primæ parti Hagiologij Brabantinorum, eò quòd esse* de nobilissimâ stirpe Karolidarum *dicatur, &* auunculus Ludouici Regis: *quem oportet esse* Ludouicum Vltramarinum, *filium Caroli Simplicis ex tertiâ ejus vxore Ogiuâ filiâ Eduardi primi, vulgo senioris dicti, quem suprà ostendimus hujus S. Eduardi proauum fuisse. Reliqua sunt contracta ex alijs Actis. Alia compendia sunt in plerisque scriptoribus Anglicanis, quorum suprà mentionem fecimus: illis addi potest Henricus de Knyghton Canonicus Leicestrensis de euentibus Angliæ cap. 1. Nonnulla etiam attinguntur in Vitâ S. Edithæ sororis ejus, & S. Dunstani Archiepiscopi Patris ejus spiritualis.* F *alia quadruplicia diuersa omittuntur:* *& compendia.*

§ III. *Collectanea de S. Eduardi moribus: eius & fratris Ethelredi coronatione: de Angliæ ad Danos translatione ob eius cædem: & de Synodis habitis.*

11 Q*Væ à diuersis circa adolescentiam S. Eduardi, eiusque ad regnum post obitum patris successionem variè narrantur, hoc loco lectori proponimus, incipimusque ab ijs, quæ à Surio ex MSS. exemplaribus circa vitam & mortem Edgari patris latiùs adjunguntur. Ita ergò auctor Anonymus incipit:* Inclytus Rex Eduardus multâ fuit generis claritudine, ab antiquis Britanniæ Regibus originem ducens: & quod longè illustrius est, in teneris annis à Dunstano sanctissimo Pontifice Cantuariensi Christi Sacramento regeneratus, cœpit virtute & probitate pollere. Patrem habuit Edgarum Regem, rebus & bello & pace gestis valdè insignem: Matrem verò Elfledam, præpotentis cuiusdam Orientalium Anglorum Ducis filiam. Et quidem Edgarus, postquàm non pauca sibi eius terræ loca *Præposita ante Acta mox danda apud Surium*

A loca subdiderat, & iam monarchiam obtinere videretur, solus imperio potitus, vbi priùs multi regnauerant; hortantibus eum SS. Dunstano Cantuariensi & Atheluuoldo Vuintoniensi Episcopis, permulta monasteria illarum regionum, quas subiugârat, ab alijs vastata, suis impendijs jussit instaurari, nonnulla etiam noua à fundamentis extrui: ad quorum alia misit Abbates cum aliquot Monachis, disciplinę monasticæ conuenienter victuris: ad alia verò sanctimoniales, Christo seruituras. Omnibus autem prædia & villas attribuit, vnde affatim eis suppeterent, quæ ad victum vestitumque pertinerent. Et ipse quidem pius Rex constituerat monachorum cœnobia subinde inuisere & Fratres consolari. Porrò Reginam voluit idem præstare erga fæminas Deo sacratas. Habebat autem ex alterâ coniuge etiam filium Ethelredum. Interim Eduardus maior natu filius, optimæ indolis puer, lasciuiam omnem & illecebrosas vitæ huius voluptates respuens, ita se erga Deum & homines comparare studuit, vt Deo quidem ante omnia mentis & corporis integritate sectandâ placeret, hominibus verò gratum & amabilem se exhiberet. Erat verò etiam multâ industriâ & prudentiâ conspicuus. Ijs permotus Pater eius Edgarus, illum post se voluit regni sceptra tenere: ac deinde

de Edgaro patre

& S. Eduardi moribus & coronatione,

B compositis regni rebus, pijssimus Rex vitâ functus est, anno à Christo nato nongentesimo septuagesimo septimo, regni verò sui decimo sexto, mensis Iulij die octauo. Eo defuncto, Eduardus ex Patris voluntate à S. Dunstano & quibusdam regni proceribus Rex creatur. Ipso autem consecrationis eius tempore quidam regni Optimates illi se opposuerunt. Id vt vidit S. Dunstanus, nihil à sententiâ suâ dimotus, vexillum sanctæ Crucis, quod pro more ante illum ferebatur, in medio statuit, & cum ceteris regni Episcopis Eduardum Regem consecrauit: eumque quoad vixit sanè paterno amore complexus est, quippe quem à primis ætatis annis in filium adoptauerat. *Hæc apud Surium habentur. At suprà ostendimus* Edgarum *patrem vitâ functum anno* DCCCCLXXV, *& quidem biennio citiùs quàm hîc dicatur, nihilominùs annos sedecim regnasse à morte Edwij fratris, id est, ab anno* DCCCCLIX, *cùm antè biennio regnasset apud Mercios & Northumbrenses: prætereà diem obitus apud Chronologum Anglo-Saxonicum auctorem coæuum statui* Decimum octauum Iulij, *cùm hîc solùm* octauus *assignetur. De monasterijs instauratis & extructis sæpiùs erit occasio agendi: nonnulla diximus* VI. *Martij ad Vitam SS. Kinesburgæ & Kinesvithæ, & S. Wulsini Episcopi Schireburnensis, S.* C *Egwini Episcopi Wigorniensis* VIII *&* XI *Ianuarij, & S. Oswaldi Archiepiscopi Eboracensis* XXVIII *Februarij.*

12 *Dicta de consecratione S. Eduardi in Regem, in Chronico Bromtoni ita narrantur:* Edwardus iuuenis, senior filius Regis Edgari, post mortem patris sui à Sancto Dunstano Archipræsule & quibusdam Principibus ad regni gubernacula eligitur capienda. Sed dum consecrationis eius tempore nonnulli patriæ Optimates resistere voluissent, S. Dunstanus vexillum sanctæ Crucis, quod ex consuetudine præ se ferebatur, arreptum in medio statuit, eumque cum Sancto Oswaldo Eboracensi Episcopo & reliquis regionis Episcopis in Regem consecrauit.

& apud Bromtonum.

13 *Colitur S. Dunstanus,* XIX *Maij; eius Acta habemus quadruplicia. Horum alia scripsit Osbernus, alia Osbertus, qui seculo* XI *&* XII *floruerunt. Priora hactenùs non vidimus excusa, quæ ex MSS. suo die edituri sumus integra, hîc quæ spectant ad S. Edouardum, excerpta damus, & sunt sequentia:* Rex Edgarus immaturâ morte præreptus, Eduardum filium suum & regni & morum hæredem reliquit. In cuius electione dum quidam Principes Palatini acquiescere nollent, Dunstanus arrepto Crucis vexillo, quod præ se ex more ferebat, in medio constitit, Edwardum illis ostendit, elegit, sacrauit, D patrisque ac magistri affectum, quoad vixit, ei impendit: versumque omnibus in gaudium est, quod paulò antè triste putauerant, existimantes iuuenem Regem inhumanum futurum, consilia sapientium con[t]emp[t]urum, sed pro libidine omnia acturum. Sed postquam secùs esse cognouêre, secùs & ipsi rem tenuêre: & displicuisse sibi Regem vehementer displicuit. Sed illo post triennij tempus nouercali fraude occiso; Ethelredus frater eius regnandi sceptra obtinuit. Quæ res, quamuis infesto fieret Dunstano, vel quia per effusionem sanguinis innocentis ad regnum perueniret, vel quoniam parum prudentiæ ac fortitudinis illi inesset; non erat tamen consilium resistere, propterea quòd filius Regis & proximus tunc hæres videretur esse. Attamen in die consecrationis suę, post impositam coronam fertur Dunstanus hoc illi prædixisse: Quoniam aspirasti ad regnum per mortem fratris tui, quem occidit ignominiosa mater tua, non deficiet gladius de domo tuâ, sæuiens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo, quousque regnum tuum transferatur in regnum alienum: cuius ritum & linguam gens, cui præsides, non nouit.

Extracta ex vitâ S. Dunstani per Osbernum.

de coronatione S. Eduardi,

& Ethelredi fratris.

14 *Hæc Osbernus Præcentor Cantuariensis, qui sub aduentum Normannorum circa annum* MLXX *floruit. Pleraque ex Osberno descripta leguntur in antè memoratis MSS. Actis S. Eduardi in codice Martiniano Vrbis Vltrajectinæ. Alter scriptor Vitæ est Osbertus Monachus VVestmonasteriensis, qui ista interserit.* E Inter hæc sopito negotio, quod Regem Edgarum ne regio more coronaretur detinuerat, Dunstanus, adunatis Episcopis, Abbatibus, & ceteris Principibus cum totâ regni ingenuitate, coram eis adstante innumerâ populi multitudine, imposuit illi coronam regni, gaudentibus cunctis & iubilantibus Deo in voce laudis & exultationis. Ipso autem post biennium, quo hæc facta sunt, immaturâ morte præuento, Eduuardo filio suo totum regnum hæreditario iure reliquit. Qui Eduuardus cùm in Regem consecrari deberet, nonnulli de Principibus terræ contraire, ne Rex fieret, nisi sunt: tum quia morum illius seueritatem, quâ in suorum excessus acriter sæuire consueuerat; tum quia matrem eius, licet legaliter nuptam, in regnum tamen non magis quàm patrem eius, dum eum genuit, sacratam fuisse sciebant. Sed Dunstanus discretione & industriâ confisus adolescentis, vnum non metuens, & obseruato paternæ hæreditatis & testamenti iure aliud contemnens, arrepto sanctæ Crucis vexillo, medius constitit: & per rationem cunctis quæ objciebantur elisis, Eduuardum Regem constituit, & constituto paternum affectum, consilium & auxilium in omni negotio, dum vixit exhibere curauit. F Rex quoque ita mores suos in omnibus & per omnia componebat, ita totum regnum sanctis legibus disponebat, vt & actus eius Deo placerent, & eò quòd in suscipiendo regno ei contradixerant sibimetipsis quique displicerent. Sed illo post aliquot annos per fraudem nouercæ suæ interfecto, Ethelredus, filius illius malę mulieris, in regnum substitutus est, matris ignominiâ magis quàm patris sui solertiâ præditus. Cuius prouectio non vsquequaque sedit Dunstano: ideò tamen, quòd proximus regni hæres existebat, compleuit ei ius regium, sciens se inoffensis legibus terræ atque Principibus id non posse transferre in quemquam alium. Attamen illum solio regali potitum, seuero quodam verborum tonitruo, quia per sanguinem fratris sui regnum obtinuerit, increpauit; & quòd in sanguine victurus, & posteri illius crudeli barbarorum incursu deuastandi, tota etiam terra per plurima secula sæuo illorum dominatu foret depopulanda, prædixit. Quæ licèt se viuente euentura negarit, euentura tamen omnino esse nimis veraci, vt & in Chronicis legimus & hodie vi-

item per Osbertum.

de obiectis ante coronationem

& substitutio Ethelredi.

A die videmus, prophetiâ asseruit. Accelerabit, cùm sibi placuerit, omnipotens Deus, quam subsecuturam promisit, liberationem, per tanti vatis sui merita & intercessionem. Et quidem illum spiritu Prophetiæ claruisse, non tantùm hinc sed ex nonnullis alijs, quæ constat eum veraciter prædixisse, confirmamus. *Hæc Osbertus in vitâ manu exaratâ & typis cusâ apud Surium. Agit de eo Vossius de Historicis Latinis lib. 2 cap. 49 & ex Catalogo Bostoni Buriensis refert eum sub Stephano Rege anno* MCXXXVI *claruisse.*

15 *Reliqua de Osberno & Osberto accuratiùs examinanda erunt ad vitam S. Dunstani. Triste vaticinium in coronatione Ethelredi Regis ab Osberno & Osberto recitatum referunt etiam Malmesburiensis lib. 2 de gestis Regum Anglorum cap. 10, Ingulfus Abbas Croylandensis, Bromtonus, Knychtonus & passim alij. Certè eodem adhuc anno, vt legitur apud Dunelmensem*, nubes per totam Angliam mediâ nocte nunc sanguinea, nunc ignea visa est: dehinc in radios diuersos & colores varios mutata circa auroram disparuit. *At mox Anno, inquit*, DCCCCLXXX Suthamtonia à Danicis piratis deuastatur, & ejus ciues omnes ferè vel occisi, vel captiui sunt abducti. *Dein ab eisdem* deuastata insula Teneland, *& à* Norwegensibus prouincia ciuitatis Legionum, *& annis duobus proximis infestatæ prouinciæ*

Sub eo ob cædem S. Eduardi Anglia vastata à Danis,

B Cornubia, Domnauia, *id est Deuonia*, & Dorsetia. *ac ciuitas Londonia igne cremata: & ita consequenter per singulos ferè regni illius annos factum traditur, extorto sæpe grauissimo tributo, modò* XVI, *modò* XXIV, *aliàs* XXX *aut* XXXVI, *subinde* XLVIII *millium librarum, quod ipse Rex Ethelredus Danis pendi mandauit. Quorum potentia adeò accreuit, vt* Rege Ethelredo anno MXVI, IX Kalend. Maij defuncto, Episcopi, Abbates, Duces & quique nobiliores Angliæ in vnum congregati, pari consensu in Dominum & Regem, Canutum *Danum* elegerint, & ad eum in Southamtoniâ venientes, omnemque progeniem Regis Ethelredi coram illo abnegando repudiantes, pacem cum eo composuerint, & fidelitatem illi jurauerint. *Addit Simeon vaticinium S. Dunstani antè ex Osberno relatum, at post verba illa*, Quousque regnum tuum transferatur in regnum alienum, cujus ritus & linguam gens, cui præsides, non nouit, *adjunguntur ista:* Nec expiabitur, nisi longâ vindictâ peccatum tuum, & peccatum matris tuæ, & peccatum virorum, qui interfuêre consilio ejus nequam, *scilicet vt S. Eduardus interficeretur. Post Canutum regnarunt filij ejus Haroldus & Hardecanutus vsque ad annum* MXLII. *Interim cùm Ethelredus Rex suprà memoratam donationem Sceptoniensi*

regnum Canuto Dano oblatum:

& familia regia in Ethelredi fratris filijs extincta.

C *monasterio signaret anno* MI, *subscripserunt sex illius filij: qui dein ex Emmâ filiâ Richardi* I *Ducis Normanniæ, illi anno* MII *nuptâ, genuit Alfridum posteà occisum & S. Eduardum, qui tandem Hardecanuto successit, ac sanctâ suâ vitâ honestissimè post longam quinque & ampliùs seculorum seriem extinxit antiquam familiam à Regibus occiduis Saxonibus in monarchiam Anglorum translatam. De Edmundi Ferrei-lateris filijs & progenie legi possunt Scriptores Angliæ.*

16 *Consultatum etiam inter Optimates fuisse post necem S. Eduardi, vt Ethelredus à regni successione secluderetur, innuitur in Vitâ S. Edithæ sororis: vbi de nece illius etiam illa traduntur.* Mortuo patre suo Edgaro, & succedente filio suo Edwardo adhuc infantulo, somniauit Virgo sancta, oculum sibi decidisse dexterum. Quod referens sororibus, simulque exponens ait: Videre mihi, inquit, videor hanc visionem fratris mei portendere casum. Nec multò pòst Edwardus, dum fratrem suum Ethelredum videre desiderat, à filijs iniquitatis, sicut in eius Passione claret, occisus est. Cúmque Magnates Virginem sanctam de Monasterio extrahere & in patris solio, sicut plerisque nationibus fœminæ principantur, sublimare niterentur & in-

Ex vitâ S. Edithæ sororis,

de regno huic oblato.

D starent & denique vim facere vellent, faciliùs saxa in plumbum conuerti, quàm illam à proposito suo & Dei seruitio reflecti valerent. *Hæc in istâ Vitâ, quam grauiter scriptam agnoscit Surius, in quâ vox* infantulus *pro* adolescente *ponitur.*

17 *In MS. Gorcomiensi Theodoricus Paulus ita mores ætati conuenientes describit:* S. Eduardus iuuenis fuit valdè deuotus, & benè gubernans. Erat enim totus Catholicus, bonus, & sanctæ vitæ. Insuper super omnia dilexit Deum & Ecclesiam, honorans deuotas Ecclesiasticas personas. Pauperibus fuit munificus, bonis refugium, propugnator fidei Christi, vas omni virtutum charismate plenum. Didicit eum (*imò* docuit eum) Rex sanctus pater suus Deum præ omnibus timere, iura regni inuiolabiliter seruare & virtutes sequi. *Idem Theodoricus aliunde accepta margini adscripsit sequentia:* S. Eduardus primogenitus sancti Regis Edgari, ciuis æterni regni, temporalis regni diademate coronatus, iuuenis fuit valdè humilis & deuotus: & quamuis iuuenis, animum tamen perfectè à iuuenilibus coërcens illecebris, à iuuentute suâ castissimè viuendo, Deo seruiuit. Fuit iuuenis amantissimus & amantissimæ venustatis, totique genti suæ ad tenenda seruandaque regni sceptra exoptatissimus, Catholicas Ecclesiæ regulas sequi semper & amare desiderabat. Erat prætereà religiosis actibus, crebris precibus & pijs eleëmosynis plurimùm intentus. Destructum à perfidis Danis regni & Ecclesiæ statum nobiliter recuperauit: religione scilicet & industriâ gentem suam ab extraneâ inuasione liberauit. Cuncta monasteria, à S. Edgaro Rege & Confessore patre suo erecta & fundata, necdum consummata, celeri diligentiâ & opere perfecit & dotauit. E

Ex MS. Gorcomiensi, mores S. Eduardi indicantur.

Ecclesia propugnata,

monasteria extructa:

18 *Hactenùs Theodoricus. Verùm à morte Regis Edgari seditionem Clericorum, quod monachis sua cœnobia aut ecclesias cedere debuissent, exortam fuisse passim omnes obseruant. Chronologus Anglo-Saxonicus, auctor coæuus deplorat factam* in Merciâ longè latéque solitudinem, Omnipotentis gloriam multis modis corruisse, multos sapientum Dei ministrorum conturbatos fuisse. *Quæ Simeon Dunelmensis clariùs exhibet his verbis:* Princeps Merciorum Elfere, quamplurésque regni Primates magnis obcœcati muneribus, Abbates cum monachis de monasterijs, in quibus Rex pacificus Edgarus eos locauerat, expulerunt & Clericos cum vxoribus suis introduxerunt. Sed huic vesaniæ viri timorati, Dux Orientalium Anglorum, Ethelwinus Dei amicus & suus germanus Elfwoldus & Brithnothus Comes vir religiosus restiterunt, & in Synodo constituti, se numquam ferre posse dixerunt, vt monachi eijcerentur de regno, qui omnem religionem tenuerunt in regno. Congregato dein exercitu, monasteria Orientalium Anglorum maximâ strenuitate defenderunt. *Quæ eisdem verbis leguntur apud Houedenum & VVigorniensem. In Chronico Bromtoni additur:* Congegato super hoc negotio celebri Concilio apud Wintoniam, imago Crucifixi humanâ voce in veteri monasterio Wintoniæ coram omnibus viam Dunstani asseruit esse veram, sic dicens: Absit hoc vt fiat, absit hoc vt fiat. Iudicastis benè. Mutaretur non benè. In cuius rei memoriam in capite refectorij eiusdem monasterij suprà caput Crucifixi metricè sic scribitur: F

per Elferum in Merciâ ablata,

in Synodo Wintoniensi ab imagine Crucifixi protecta:

Humano more Crux præsens edidit ore
Cælitus effata, quæ perspicis hîc subarata.

Meminerunt locutionis Crucifixi Malmesburiensis & Westmonasteriensis: & post obitum Edgari ante electionem aut saltem coronationem S. Eduardi contigisse aiunt.

19 Anno DCCCCLXXVII *asserit Dunelmensis*, in Eastangliâ apud villam, quæ Cirding nominatur, maximam Synodum celebratam. *Eadem habent Houedenus & Wigorniensis, qui villam appellat* Kyrtlingega. *Spelmannus in Concilijs* Kyrtlingtoniam, *& arbitratur*

Synodi habita Cirdingas

A *tur eamdem esse, quæ in Cantabrigensi agro nunc* Kirtlage *dicitur. Pauçula hujus Synodi Spelmannus è Saxonicâ linguâ eruit, & vnà Latinè reddita edidit, inter quæ ista huc spectant:* Ordinarunt iam nunc Rex Edwardus & Dunstanus Archiepiscopus, vt homines rusticani religionis caussâ ad Ecclesiam S. Mariæ Abbandunensem peregrinarentur: quod & fecerunt. *Verùm* adhuc non sedatis animis *Clericorum, aut eos protegentium*, Calnæ Concilium indictum *tradit Malmesburiensis & de quo tres suprà nominati Dunelmensis, Houedenus & Wigorniensis ista scribunt ad dictum annum* DCCCCLXXVII. Dehinc apud Kalne regiam villam, dum alia celebratur, totius Angliæ majores natu, qui ibidem congregati fuerant, excepto S. Dunstano de solario quodam corruerunt. Quorum quidam mortui sunt, quidam verò mortis periculum vix euaserunt. *Addit Wigorniensis*, Tertiam apud Ambresbyrig Synodum celebratam esse. *Sunt ambo in Wiltoniensi agro etiamnum oppida: de Concilijs in Vitâ S. Dunstani accuratiùs agendum erit.*

Calne, & Ambresbyrige.

Historia Martyrij & Translationum.

PARS I.

Gesta in Vitâ: occasio necis.

1 a SAnctus Edwardus Rex in regni solio sublimatus, à Rege Regum Domino in omni viâ iustitiæ & veritatis dirigebatur: cuius & auxilio fretus, magno animi ingenio ac summâ humilitate indies crescebat. Nam nouiter adepto honore, mox pristinæ probitati hæc suarum incrementa virtutum accumulauit: iuuenum videlicet & minùs sapientum consilia postponere, Dunstani Archipræsulis monitis mentem salubriter intendere, & iuxta consilium eius & aliorum religiosorum spectabilium virorum sua iudicia in omnibus exercere. Paternarum traditionum æmulator feruentissimus effectus, & tam in militari virtute quàm in ecclesiasticis negotijs disponendis deuotè ac strenuè intentus, contra hostes & malè agentes quâdam crudelitate vtebatur: piè verò viuentes, & præcipuè in sacris constitutos Ordinibus, solerti curâ, velut à patre pijssimo didicerat, ab omni infestatione protegebat. Prætereà etiam quemdam quotidiè consuetudinis ritum agebat, b inopes alere, pauperes recreare, nudis vestimenta largiri: pro magno vtique lucro ea computans, quæ in tali opere consummauit.

Rex factus prudens in consilio decernendo: seuerus contra malos: beneuolus erga bonos, & pauperes:

2 Tunc in Anglorum populo magnâ extitit iocunditas, magna pacis constantia, magna rerum opulentia: quoniam Rex eorum talibus in primo adhuc iuuentutis flore principijs deditus, cunctis erat affabilis, castitate laudabilis, facie decorus & hilaris, consilio ac prudentiâ probatissimus. Sed totius bonitatis inimicus diabolus felicibus actibus eius inuidens, & omnia regni totius gaudia disturbare cupiens, nouercam eius c Alfritham in odium ipsius concitat. Cuius mulieris præsumptuosa versutia, quàm sit execrabilis ex euentu rei facilè animaduerti potest. Nam inuidiæ zelo succensa, & diuinis humana præponens, cogitare cœpit, qualiter priuignum à regno extirparet, vt filius suus Etheldredus liberiùs in regno substitueretur. Talia itaque eâ diu in animâ pertractante, quibusdam Principibus, Consiliarijs suis, secreta cordis sui aperiens, consilium super hoc cum illis habuit, orans & obtestans vt ei vnà assensum præberent, & quo ordine id fieri posset excogitarent. Qui protinùs in necem illius omnes consenserunt, & vt hoc quantocyùs perficerent, fraudulentâ machinatione meditabantur.

incurrit in odium nouercæ, in necem eius cum consiliarijs conspirantis:

3 Quid plura? Confirmato, vt suprà dictum est, venerabili viro in regno, cùm jam d tribus annis & octo mensibus sceptro hæreditario potiretur; fortè die quâdam cum canibus & equitibus venandi gratiâ in siluam accessit, quæ iuxta villam e Warham dictam admodùm grandis habebatur: sed nunc rara tantùm spineta, non arbores neglecto situ campis late patentibus ibi cernuntur. Vbi cùm aliquamdiu insisteret, reminiscens fratris sui adolescentis Ethelredi, ad videndum illum ire disposuit: quia eum puro & sincero corde dilexit. Erat autem iuxta eamdem siluam domus nouercæ suæ, in quâ prædictus puer nutriebatur, in loco qui ab incolis Corph nuncupatur, à villâ memoratâ tribus miliaribus distans: vbi nunc castrum satis celebre constructum est Ad quam dum assumpto pauco secū comitatu proficisceretur; ecce subitò in mediæ viæ spatio, hominibus illius ludentium more huc illucque sparsis & euagantibus, ipse absque vllo comite remansit. At ille, vt erat solus, ad domum illam, quia jam eminùs eam aspiciebat, tamquam agnus mansuetissimus, tendit: neminem verens aut pertimescens, quia nec minimum sibi aliquem se offendisse recognoscebat. Cui dum approximaret, nuntiatum est impijssimæ Reginæ à ministris suis illuc Regem Edwardum solum aduenire. Illa autem iniquâ cogitatione & dolosâ, ad explenda nequitiæ suæ desideria adipisci se tempus idoneum gaudens, obuians mox cum satellitibus iniquitatis, tamquàm de aduentu eius congratulans recepit, blandéque eum & amicabiliter salutans, ad hospitium inuitat. Qui renuit: sed fratrem suum Ethelredum se videre & alloqui velle denuntiat.

è venatione deflectit ad ædes nouercæ, visurus fratrem Ethelredum:

4 Mox impijssima Regina ad alia se commenta transformans, & scelus ex occulto operiens, jubet absque dilatione potum sibi propinari: ut dum ille potum incautè degustaret, oportuniùs quod cogitauerat expleret. Interim unus etiam, qui & animo audacior & in scelere maior erat, fictâ dilectione Iudæ traditoris Domini factum imitans, pacis ei libauit osculum: ut videlicet omnem suspicionem auferens amoremque intimum ei demonstrans, faciliùs suffocaret: quod & factum est. Nam postquàm poculum à pincernâ suscipiens, summotenùs ore attigit, is qui osculum sibi intulerat, ex aduerso insiliens, cultello mox eius viscera transfixit. Qui inflicto vulnere cùm paullulùm inde diuertisset, de equo cui insederat subitò in terram corruit. Sicque carus Dei occumbens pro terrenis mutauit cælestia, pro coronâ caducâ & momentaneâ æternæ felicitatis percepit immarcessibile diadema. Actum est autem hoc anno incarnati Verbi f nongentesimo octogesimo primo, & quod dictu nefas, Quadragesimali tempore, scilicet quintodecimo Calendas Aprilis. Quod, vt credimus, ad cumulanda militis sui merita Diuina dispensatio sic prædinauit: vt, qui se annuo Quadragesimali ieiunio, carnem suam macerando alijsque bonis operibus inhærendo iuxta laudabilem ritum Christianorum, ad superuenturam dominicæ Resurrectionis diem præparauerat, in bono fine consummatus, cum ipso fructu bonorum operum in cælesti curiâ à Christo susciperetur.

accepto osculo, bibens interimitur, 18. Martij.

a *Sunt hæc desumpta ex* antiquæ editionis Legendâ, collatâ cum MSS. & Breuario Sarisburiensi. *Quæ præponebantur apud Surium & in Chronico Bromtoni, suprà dedimus.*

b *Potissimùm arbitramur eminuisse ejus caritatem anno 976. quando fames valida inuaserat Angliam, quam indicatam fuisse per cometam, qui in autumno anni præcedentis apparuerat, passim omnes notant.* — *Fames.*

c Alfritha, *alijs* Elfdritha, Elfrida, Alfrida, *in MS. Gorcomiensi* Estrildis *filia Ordgari Ducis Dononiæ, nupta anno 964. tunc vidua ob obitum Elswoldi Ducis Orientalium Anglorum.* — *Alfritha.*

d *Imò duobus tantùm annis & octo mensibus ab obitu patris elapsis.*

e Warham *in Dorsetensi agro. de quo &* castro Corffe *supra actū.*

f *Imò anno 978, vti suprà probatum.*

PARS II.

A

PARS II.

Variæ corporis translationes & eleuationes. Miracula.

5 [a] CVm prædicta Regina Alfrida de equo illum cecidisse audiuisset, nequitiæ suæ nondum rabie exsaturata, rapi corpus eius quantocyus iubet, & in domicilium quoddam, quod iuxta erat, proiici, ne palam fieret, quod fecerat. Cuius imperio ministri parentes nefandissimi, illicò accurrunt, prædictum sacrum corpus more belluino per pedes abstrahunt, & in domicilium contemtibiliter, vt iusserat, proiectum vilibus stramentis cooperiunt. Erat autem in eadem domunculâ mulier quædam à natiuitate cæca, quam memorata Regina in eleemosynâ suâ pascere solebat: quæ dum sequenti nocte ibi cum sacro corpore sola pernoctasset: ecce intempestâ nocte gloria Domini in eadem domo apparens, immenso eam repleuit splendore: unde prædicta paupercula non modico percussa terrore, cùm omnipotentis Dei misericordiam attentiùs deprecaretur, supernâ largiente gratiâ, lumen diu desideratum meritis viri Dei recipere meruit. Quo in loco etiam posteà à fidelibus in testimonium miraculi, ob eius memoriam ecclesia est constructa, quæ usque ad nostra tempora perdurauit.

corpus luce illustratur

cæca illuminatur:

B

6 Intereà diluculo tenebras rumpente, dum per mulierculam illam Regina quod factum fuerat comperisset, & eam quam à natiuitate lumine privatam noverat iam illuminatam vidisset, angustiatur vultu & mente in diuersa mutatur: metuens opus suum execrabile sic posse propalari, si non viri Dei corpus attentiùs tolleretur. Imperat itaque celeriter satellitibus, clanculò illud efferri, & in locis abditis & palustribus, ubi minùs putaretur, humo tegi, ne ab aliquo posset ampliùs inueniri. Quibus iussa sine morâ complentibus, edictum quo nihil inclementiùs proposuit, ne quis de interitu eius gemeret aut loqueretur, & sic memoriam ejus omnino delere existimabat. His ita peractis ad quamdam sui juris mansionem à prædicto loco x miliarijs distantem quæ [b] Bere vocatur, continuò secessit, vt super hoc quod fecerat de eâ suspicionem nemo haberet. Intereà tantus dolor Ethelredum de tam crudeli fratris sui morte invasit, vt consolationem à nemine recipere, neque luctu neque lacrymis temperare potuisset: unde mater eius in furorem accensa, candelis cereis, quia aliud ad manus non habebat, eum atrociter verberauit, vt ita per multa verbera tandem eius compesceret ululatum. Hinc vt fertur posteà toto tempore vitæ suæ candelas ita exosas habuit, vt vix eas aliquando coram se lucere permitteret. Quidam tamen in Chronicis suis ferunt, quòd in pueritiâ suâ matrem suam, cum cereis de cerâ factis, Edwardum fratrem suum frequenter viderat verberasse, & idcircò coram se numquàm ceream ardere permisit: sed hujusmodi luminaria semper odio habuit.

corpus in abditam paludem proijcitur.

b

cum Ethelredi fratris summo luctu:

C

7 Post hæc transacto [c] anno cùm iam supernæ pietati Edwardum Martyrem suum mundo innotescere, quantique meriti apud se fuerit declarare complacuisset; corpus ejus venerabile quibusdam fidelibus deuotè quærentibus reuelare dignatus est atque cælesti indicio demonstrare. Nam circa locum ipsum, ubi occultatum fuerat corpus, [d] columna ad instar ignis desuper emissa apparuit: quæ lucis suæ radijs locum undique frequenter irradiare visa est. Quod quidam viri deuoti de vicinâ villâ Warham, nō longè à mari austrino sitâ, comperiētes, congregati in unū de memorato loco illud sustulerunt, ac in villam suam ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis Mariæ deportantes, ad orientalem ejus plagam officiosissimè die iduum mensis Februarij Sacrum corpus sepelierunt; ubi lignea ecclesia, quæ posteà à viris religiosis fabricata est, vsque hodie demonstratur. Fons etiam in loco, ubi priùs jacuerat, dulces & perspicuas aquas ex eo tempore vsque hodie cernitur emanare, vnde fons S. Edwardi dicitur, vbi infirmis multa quotidiè ad laudem Dei beneficia præstantur.

c

columnâ ignis apparente reperitur:

d

D

eleuatur 13 Febru;

8 Intereà famâ vulgante per vniuersam Anglorum patriam fraus & impietas Reginæ manifestatur, Regis innocentis præconium extollitur, virtutum vndique & meritorum ejus insignia prædicantur. Audiens itaque quidam Comes magnificus, [e] Alferus nomine, sanctum corpus tam præclaro indicio inuentum, immenso perfusus gaudio, Dominoque suo tamquàm adhuc viuo fidele obsequium præbere desiderans, in digniorem locum illud transferre decreuit. Ad quod opus dignè peragendum Episcopos & Abbates cum Optimatibus regni, quòs habere potuit, inuitauit, & ut in hoc sibi negotio consentiant & subueniant, monet in Domino & precatur. Nuntium quoque ad Abbatissam [f] Wolfridam in monasterio Wintoniensi dirigit, & vt ad peragendas tanti viri exequias cum sibi commissis Virginibus conueniat, denuntiat. Erat autem in eodem monasterio quædam venerabilis Virgo, soror ipsius S. Eduardi, magnâ vitæ & morum honestate pollens, Editha nuncupata, quæ supra dicti Regis Edgari, & ejusdem conjugis Wolfridæ nondum Deo consecratæ, filia erat. Quibus mox cum summâ diligentiâ, & veneratione conuenientibus, Episcopis quoque cum Abbatibus, vt diximus, congregatis, prædictus Alferus ex Dorsatâ non modicam virorum ac mulierum multitudinem coadunauit, & vsque Warham, vbi corpus viri Dei per [g] triennium sepultum iacuerat, peruenit. Quod protinus in conspectu totius populi detectum, & à terrâ extractum, ita illæsum ab omni corruptione inuentum est, ac si eodem die tumulatum fuisset. Videntes autem Episcopi hoc ceterique ordinis viri, in hymnis & laudibus omnipotentis Dei misericordiam glorificauerunt: qui Martyris sui innocentiam tali dignatus est indicio demonstrare. Tunc à venerabilium virorum manibus susceptum & feretro impositum, cum magno Cleri & plebis tripudio ad [h] Septoniam, id est Schaltesburij deducitur, quæ temporibus Britonum [i] Paladur vocabatur, & à Cassibeliano Rege ædificata magnæ sinositatis erat ciuitas, vbi cœnobium in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicatum admodùm celebre habebatur, quod à magnifico Rege [k] Alfredo, ipsius sancti viri attauo decentissimè constructum fuerat, eò quòd idem Rex filiam suam [l] Haylenam nomine, sponso cælesti desponsare cupiens, in eadem ecclesiâ monasticis disciplinis tradiderat mancipatam; pro cujus amore plurimis frequenter & largis muneribus illam nobilitauit, nam inter reliqua donorum suorum insignia, centum hidas terræ ita quietas & liberas, sicut ipse eas & meliùs tenuerat, in perpetuum possidendas eidem donauit, quas vsque hodie virgines ibi Christo famulantes tenent.

e

solenni pompâ trãfertur versus Septoniam:

f

E

g

h

i

F

k

l

9 Intereà cùm vulgus vndique vtriusque sexus ad rem tam insolitam ex diuersis locis confluxisset, duo pauperes tantâ acerbitate morbi contracti, ita vt vix per terram manibus cruribusque repere possent, inter ceteros ad sacrum corpus per viam adhuc versùs dictum cœnobium deportatum aduenêre, pro suâ incommoditate sanctum Martyrem rogaturi: qui sancti viri feretro approximantes, cùm hi qui sacrum corpus ferebant super eos, pro recuperandâ sospitate illud

in itinere sanantur duo contracti:

A lud deportassent, statim sanitatem in conspectu populi receperunt. Quo viso, clamor populi in altum extollitur, & omnes in commune merita S. Eduardi Regis & Martyris venerantur.

10 Regina quoque memorata magnalia, interim, quæ per virum Sanctum fiebant, audiens, compuncta super his quæ fecerat, equo mox ascenso post eum ire disposuit, pro commisso suo veniam rogatura: sed diuinâ sibi gratiâ resistente, minimè concessum est. Nam dum in itinere cum suis satellitibus equitaret, ecce miro quodam & inæstimabili impedimento ita detinebatur, vt equus, super quem sedebat, retrorsum potiùs quàm in antè versâ vice intenderet. Quem freno constringere volens, dum interdum hac, interdum verò illac diuertendo, neque minis neq; verberibus proficere potuisset; animaduertit peccatis suis exigentibus sic se detineri: vnde illicò de equo in terram prosiliens, pedes tamquàm ob majorem reuerentiam ire parat. Sed iterum, quod dictu mirabile est, retorta, nihilominùs quod concupierat consequi non valebat: vt videlicet apertè claret pro scelere, quod in virum Dei operata est, hæc sibi infortunia euenire.

nouerca ne sequatur, diuinitus impeditur:

11 Intereà perductum venerabile corpus ad memoratum cœnobium Septoniæ, & à Virginibus ibi Deo seruientibus dignè & laudabiliter receptum, in Septemtrionali parte principalis aræ cum magno honore XII Calend. Martij tumulatur, ubi multa beneficia per eum infirmis post hæc diuinâ clementiâ sunt largita.

deponitur Septoniæ:

B

12 Quædam namque matrona in remotis Angliæ partibus degens, cùm nimiâ debilitate grauaretur, & quotidiè pro suâ incolumitate preces in conspectu Dei funderet, nocte quadam Sanctus ei Eduardus in visu astitit, cui & talia dixisse fertur. Cùm diluculo surrexeris, ad locum ubi sepulturæ traditus sum, ire ne differas, quia ibi noua calceamenta infirmitati tuæ necessaria recipies. Erat enim, vt ex conjecturâ colligi potest, in pedibus grauiùs collisa, ideóque per calceamenta noua sanitas pedum designabatur. Euigilans autē manè cùm somnium quod viderat euidam vicinæ retulisset, illa visionis incredula phantasma esse asserebat. Intereà verò cùm monitis Sancti prædicti matrona parere dissimularet, adest rursus ei vir sanctus in visione dicens, Quare præcepta mea respuens, tantoperè salutem tuam negligis? Vade ergo ad sepulcrum meum, & ibi liberaberis. Illa autem resumptis viribus dixit ad eum: Et quis es tu, Domine, aut ubi sepulcrum tuum inueniam? Cui ille, Ego, inquit, sum Rex Eduardus, inuidiæ zelo & injustâ nuper nece peremptus, & Septoniæ in ecclesiâ Dei Genitricis Mariæ sepultus. Mulier autem manè euigilans, assumptis pro itinere suo necessarijs, ad prædictum cœnobium Septoniæ tendere mox incepit: ibique tandem perueniens, cùm aliquamdiu Deum & S. Eduardum humili corde exoraret, sanitati restituta est.

difficilis infirmitas,

S. Eduardo apparente,

C

tollitur.

13 Pro interfectione autem istius Sancti Regis Eduardi, prædicta Alfrida nouerca sua duo construxit monasteria fæminarum, unum videlicet apud m Werewelle, vbi & ipsa requiescit, & aliud apud n Ambresbyrij juxta o Sarum.

2 monasteria à nouercâ extructa.

14 p Anno ab Incarnatione Domini millesimo primo, cùm jam merita gloriosi Martyris Eduardi fratris Regis Ethelredi miraculorum magnalibus, quæ quotidiè ad tumbam ejus fiebant, longè latéque declararentur; & supernæ jam dispensationi, vt ejus sacræ Reliquiæ à terrâ leuarentur, complacuisset; cœpit hoc quibusdam indicijs ipse Sanctus manifestare, & quo ordine id debuisset fieri visionibus quibusdam demonstrare. Nam tumulus, in quo requiescebat, tantâ indies facilitate à terrâ eleuabatur, vt liquidò cunctis appareret eum à loco illo velle transferri. Prætereà quoque cuidam viro religioso in visione apparuit, cui & dixit: Vade ad cœnobium, quod famoso nomine Septonia vocatur, & ad Abbatissam Virginem Alfredam, quæ ceteris inibi Deo famulantibus præest, perfer mandata. Dices ergo ei, quia in loco, in quo nunc iaceo, diutiùs esse nolo: & vt hæc fratri meo Ethelredo Regi absque aliquâ dilatione denuntiet, ex parte meâ impera. Qui manè consurgens ad Abbatissam, ut jussus fuerat, concitò iuit, & cuncta, quæ ostensa sibi fuerant, sibi per ordinem narrauit. At illa super hoc omnipotenti Deo gratias agens, vniuersa protinus auribus Regis Ethelredi exposuit, sed & sepulcri ejus eleuationem cum summâ deuotione innotuit. Audiens autem Rex tantam fratris sui gloriam, immenso perfunditur gaudio: & libenter quidem, si oportunitas daretur, ad tale ejus præconium conueniret, eleuationi ejus cum toto mentis affectu desiderans interesse. Sed quia varijs & grauibus hostium incursionibus circumquaque vallatus, præsentiam suam ad id peragendum minimè exhibere potuit; nuntios ad reuerentissimum Sirebernensem Episcopum, & ad quemdam magnæ Sanctitatis Præsulem, q Elssinum nomine, ceterosque probabilis vitæ viros dirigit, monens & imperans, vt venerabilis viri fratris sui corpus de terrâ eleuatum condigno loco reponerent. Qui secundùm Regium mandatum ad supradictum monasterium cum magnâ virorum & mulierum turbâ libenti animo conuenientes, aperto cum summâ veneratione gloriosi Martyris monumento, tanta ex eo odoris fragantia emanauit, vt omnes qui aderant quasi in Paradisi delicijs se constitutos æstimarent. Tunc Pontifices deuotè accedentes, sacras Reliquias de tumulo sustulerunt, & in loco venerabili ad hoc præparato eas diligenter componentes, in Sancto sanctorum cum alijs Sanctorum Reliquijs in spirituali diuinæ exultationis tripudio intulerunt. Eleuatum est itaque sacrum corpus anno r XXI, ex quo illuc fuerat tumulatum.

D

S. Eduardo iubente

corpus solemniter eleuatur:

E

15 Succedente posteà tempore pars Corporis ejus apud f Leof monasterium juxta Herforde, pars verò apud Abendoniam est translata. Locus verò apud Septoniam, vbi pulmo ejus adhuc integrâ viuiditate palpitat, Edwardstowe dicitur.

reliquiæ alio delatæ.

a *Desumpta hæc sunt ex Chronico Ioannis Bromtoni Abbatis Iornallensis, & continentur à columna* 873 *lineâ* 63.

F

b Bera *etiamnum oppidum est Dorsetiæ, inter quod & castrum Corph. medium est* Warham.

Bera.

c *Anno ergo* 979 *sequentia contigerunt.*

d *MS. Gorcomiense*: ostensa sunt de cælo lumina magna super eum: ibique claudus gressum, mutus loquelam, cæcus lumen recuperauit.

e Elferus *suprà dicitur* Merciorum Princeps.

f Wolfrida, *Surio* Wilfrida: *in Actis S. Editha filia* Wolftrudis, *Dunelmensi* Wlthrita, *de eâ suprà actum. Colitur. S. Editha 16 Septemb.*

g *Imò* triennium *à cæde sumendum, vt sit annus* 981 *suprà pro anno cædis sumptus.*

h Septonia, *Surio* Scepthonia, *de eâ suprà actum.*

i *Cambdenus* Caer Paladur, *& hæc falsò* putare vulgus, *cùm ab Alfredo Rege anno* 880 *extructa sit ob inscriptionem ex muri ruinis erutam & ex Malmesburiensi à Cambdeno editam. In MS. nostro Gorcomiensi dicitur* Cassebelianus regnasse, cùm Iulius Cæsar Britanniam inuaderet; *& quidem Rex* 71.

Paladur.

k *Imò Alfredus abauus erat S. Eduardi, vt suprà deduximus: regnauit ab anno* 871 *ad annum* 900, *quo* 26 *Octobris obijt.*

l Haylena, *in diplomate Alfredi Saxenicè & Latinè ex Septoniæ monumentis ab Harpsfeldio edito, seculo 9 cap.* 12 *dicitur* Ailena, quæ cogente infirmitate in eadem ecclesiâ facta est monialis. *Asserus, qui tum viuebat, in Gestis Alfredi ista scribit:* Aliud monasterium juxta Orientalem portam Scheftesburg habitationem sanctimonialium ædificare imperauit, in quo propriam filiam suam Æthelgeofue deuotam Deo Virginem Abbatissam constituit.

Haylena

A *Idem ferè habet Dunelmensis ad annum* 888 & Ethelgeofam *appellat. At* W*estmonasteriensis* Algiuam *vocat. Sed hic non videtur distinxisse à S. Elgiuâ hujus monasterij reparatrice, auiâ S. Eduardi, à quâ constructum illud scripsit Malmesburiensis suprà citatus.*

S. Elgiua.

m *Malmesburiensis lib. 2. de Gestis Pontif. Angl.* de Warewalle, *inquit* scitur quod Elfrida vxor Regis Edgari ædificauerat illum in honore sanctæ Crucis, compuncta priuigni sui Edwardi nece indignâ, cujus ipsa conscia & auctor fuit. *Idem Malmesburiensis lib. 2 de Gestis Regum Angl. cap.* 9 Elfrida de illo regali supercilio inclinata, dirè pœnituit, adeò vt multis annis apud Werewellum carnem in delicijs nutritam cilicio conuolueret, noctibus solo strata sine ceruicali somnum hauriret, cruces prætereà quascumque posset corpori comminiscens; speciosa mulier & pulchro viro sobria: sed, quòd tantum nefas commisit, pœnâ digna. D

Warewalle.

n *Idem Malmesbur. lib 2 de gestis Pontif. Angl.* De Ambresburiensi, *inquit* nihil aliud ad nostram notitiam attigit, nisi quòd ab Elfridâ S. Eduardi interfectrice & illud & Warewallense facta sint caussâ pœnitentiæ.

Ambresburg.

o Sarum *aliter Sarisburiensis, vrbs Episcopalis est in* W*iltoniensi agro.*

Sarum.

p *Pluribus in Chronico interpositis hæc continentur columnâ* 884 *à lineâ* 14

q Ethelsinus *alijs, præfuisse Schirburnensi Ecclesiæ traditur ab anno* 982 *ad* 1006.

r *Scilicet à* 18 *Febru. anni* 981, *ad* 20 *Iunij* 1001, *quo jam quatuor menses euoluti erant anni* XXI.

ſ De Leof *monasterio &* Abbendoniâ *suprà actum.*

DE S. ANSELMO EPISCOPO

LVCENSI, MANTVÆ IN ITALIA,

Commentarius præuius.

§. I. *S. Anselmi Patria, veneratio, Vita scripta.*

ANNO MLXXXVI XVIII MARTII.

1 D*Va illustres Italiæ vrbes visuntur Luca & Mantua: illa in Etruriâ sub proprio suo Domino liberam constituit rempublicam; ista in Galliâ Transpadanâ, siue Lombardiâ, ad Mincium fluuium sub Serenissimis ducibus Gonzagis floret.* B *Lucensis populus inter sanctos suos Episcopos enumerat & veneratur S. Anselmum, quem à schismaticis expulsum excepit fouitque populus Mantuanus, ac piè mortuum Sanctisque adscriptum in vrbis suæ Patronum elegit, & quotannis ad diem* XVII I *Martij festum ejus solenni Officio celebrat, etiamsi incidat in secundam, tertiam vel quartam Dominicam Quadragesimæ, de quâ tunc solummodò fit commemoratio. Si occurrat in Dominicam Passionis aut Palmarum aut hanc proximè sequentes dies, transfertur Officium, Missa tamen in Cathedrali Ecclesiâ solenniter celebratur, & sacrum ejus corpus publicè ostenditur: quod in majori Cathedralis ecclesiæ altari summâ cum veneratione integrum vsque ad hunc diem seruatur, & magnâ populi religione colitur: vti ea præscribuntur in Officijs proprijs Ecclesiæ & diœcesis Mantuanæ, anno* MDCXXVI *jussu Episcopi Mantuani excusis.*

S. Anselmus Mantuæ vt Patronus colitur,

& corpus adseruatur:

2 *Apud Lucenses in archiuio Episcopali nonnulla authentica instrumenta visuntur, propriâ S. Anselmi manu exarata: quæ & pro sacris reliquijs adseruanda sunt, & ad recolendam ejusdem memoriam faciunt. In antiquâ bibliothecâ Canonicorum vix vllum de eo monumentum extat, exceptis paucis verbis, quæ in peruetusto codice, dum de Translatione aliquorum* C *istius ecclesiæ sanctorum corporum agitur, ita subnectuntur:* Alexander autem ille, qui & Anselmus dictus, (*sermo est de Alexandro II Papa*) cui nepos successit Anselmus, qui Lucanam fide & opere clarificauit Ecclesiam, dum licuit, donec tempestas illum à loco isto separauit. *Sunt hæc eruta à* CL. V. *Francisco Mariâ Florentinio in eruditâ lucubratione de vitâ Matildæ, magnæ Comitissæ Italiæ, cui Consiliarius adfuit S. Anselmus, de quo hic agitur. Fuisse autem Alexandrum* II *Pontificem, antea Anselmum de Badagio dictum, nobilem Mediolanensem, doctrinâ & vita integritate illustrem, filium Anselmi, viri olim in eâ vrbe primarij, tradunt Panuinius, Ciaconius & alij: ipsum autem S. Anselmum fuisse Mediolani* indigenam & nobilis prosapiæ, *manifestè in Vitâ dicitur num.* 14 *vnde verosimilior etiam fit Panuinij & Ciaconij assertio. Possumus etiam non improbabili conjecturâ opinari S. Anselmum sub disciplinâ patrui, qui ab anno* MLVI *Ecclesiæ Lucensis creatus erat Episcopus, adoleuisse & omni genere scientiarum atque virtutum fuisse excultum. Addunt Ciaconius & nonnulli recentiores eum etiam ab Alexandro* II *creatum fuisse S.R.E. Cardinalem: à quo titulo planè abstinet auctor Vitæ coæuus & testis domesticus, & cum illo Baronius, Florentinius alijq; accuratiores scriptores, neque inter Cardinales ab Alexandro creatos enumerat eum Panuinius.*

Lucæ aliqua eius scripta extant:

fuit nepos Alexandri II Papæ,

& cum illo Mediolanensis:

3 *Fuit tamen ab eodem designatus Episcopus Lucensis, & à successore ejus Gregorio* VII *anno Christi* MLXXIII *consecratus, dein anno* MLXXXVI *die* XV *Kalendas Aprilis siue* XVIII *Martij ex hac mortali vitâ ad cælestem euocatus, quàm plurimis claruit miraculis. Res ejus gestæ & miracula intra duos ab obitu ejus menses conscripta fuere, de quibus auctor num.* E 43 *in Epilogo ista habet:* Hæc de beatissimo Patre ac Patrono nostro *Anselmo* . . . ego B. peccator Presbyter, suus in Pœnitentiâ, non dico filius, sed seruus, ab ipso multis cum lacrymis ad eumdem ordinem promotus, venerabiliter vobis expetentibus explicaui deuotus. *Hæc Acta habuit Cardinalis Baronius, & non pauca inde tomo* XI *Annalium Ecclesiasticorum inseruit: eadem postmodum Petrus Consolinus Congregationis Oratorij Romæ Præpositus misit Iacobo Gretsero nostro, qui tradidit Sebastiano Tengnagelio Cæsareo Viennæ bibliothecario, à quo edita sunt Ingolstadij anno* MDCXII *inter Vetera monumenta, contra schismaticos pro Gregorio* VII *alijsque nonnullis Pontificibus Romanis olim conscripta. Annectebatur sub finem horum Actorum animaduersio D. Constantini Caietani, ex quo constabat apographum illud desumptum fuisse ex* MS. pergameno antiquo codice, *quem addit in propro suo musæo extare. Arnoldus Wion in Notationibus ad* XVIII *Martij asserit eamdem* Vitam (*cujus idem initium allegat*) ab ejus contemporaneo grauiter conscriptam, haberi in cœnobio S. Benedicti de Padolyrone manuscriptam. *Est illud monasterium à Matildâ Comitissâ liberaliter dotatum; & situm in agro Mantuano, in quo traditur relicto Episcopatu, vt num.* 4 *Vitæ legitur,* monachus factus & regulæ S. Benedicti subjectus. F *Interim illud summopere miramur, Episcopum & Canonicos Mantuanos nesciuisse Vitam in dicto monasterio haberi, ac relicto authentico & integro instrumento debuisse ex Annalibus Cardinalis Baronij lectiones ad Matutinas recitandas colligere, licet ea hinc inde sparsim haberentur. Actorum S. Anselmi compendium habemus ex MS. Vltrajectino S. Saluatoris desumptum, quod omittimus.*

Vita scripta

à B. Presbytero ab illo consecratos

edita Ingolstadij,

ex antiquo MS. codice

4. *Nomen S. Anselmi inscriptum est Martyrologio hodierno Romano & Galesinij his verbis:* Mantuæ S. Anselmi Episcopi & Confessoris. *At loco omisso refertur in additionibus MSS. ad Vsuardum, à Witfordo in Martyrologio Anglicè edito, & in Kalendario Missalis Romani anno* MCCCCLXXXVII *&* MDVIII *Venetijs excuso. Suffragium seu Commemoratio* de S. Anselmo Episcopo Confessore *dicendum præscribitur in Breuiario* W*ormatiensi anni* MDLXXVI *& Meldensi anni* MDCXL *desumptis, Antiphonis & Orationibus ex officio de Communi. Verùm in Calendario Meldensis Breuiarij indicatur nomen* Anselmi Cantuariensis Episcopi, *vti etiam in Fastis Felicij. In MS. Florario*

nomen Fastis sacris insertum.

A *rario ista leguntur:* Eodem die Anselmi Velicensis Episcopi & Confessoris anno salutis MCL. *Quæ videntur emendanda & scribendum* Anselmi Lucensis, *&* anno MLXXXVI. *Gelenius Fastis Coloniensibus adscribit, &* Episcopum Mantuanum *ex multorum errore appellat: at quomodò ad Colonienses spectet, planè silet. Adseruari apud Carmelitissas sanctimoniales* partē superiorem capitis S. Anselmi *scribit lib. 3. syntagmate* 78, *sed quia festum S. Anselmi ibidem* XXI *Aprilis colitur, Archiepiscopus Cantuariensis videtur intelligi. Adscriptus majori fundamento est Martyrologijs Benedictinis, Wionis, Dorganij, Menardi his ferè verbis:* Mantuæ, depositio S. Anselmi Episcopi Lucensis & Confessoris, maximæ humilitatis & doctrinæ viri. *Maius elogium adiunxit Bucelinus, qui patriâ Mantuanum scribit, & in monasterio primùm fuisse conditum, atque inde Mantuam translatum: quæ aliaque nonnulla meliùs abessent.*

§. II. *Varia antiquorum scriptorum de S. Anselmo ejusque libris scriptis elogia.*

Testimonia de S. Anselmi sanctitate,

5 *Inter vetera monumenta contra schismaticos collecta, vnà cum Vitâ S. Anselmi editi sunt à Tengnagelio libri duo carminum de Vitâ Comitissæ Mathildæ auctore coæuo Domnizone Presbytero: ex quibus magnâ cum laude scriptoris allegat varia Baronius tomo* XI *&* XII *Annalium Ecclesiasticorum.* B *Hic poëta lib. 2 cap. 3 de obitu S. Anselmi ista habet:*

Domnizonis poëta coævi.

Mensis vt aduenit qui primus in in ordine cœpit,
Ejus in octauo decimoque die, Dominator
In cælis regnans Anselmum vexit ad æthra:
Huic similis, credo, fuit hoc in tempore nemo.
Officium duplex monachorum Pontificumque
Nocte die complens, corpus macerabat vt hostem;
Catholicus, cœlebs, pius & sobrius fuit æquè:
De cujus verè tristantur morte fideles,
Schismatici gaudent: erat his contrarius autem,
Quem sibi commissum per Gregorium Comitissa,
Vt decuit dignè sepeliuit moesta benignè.
Artus Anselmi condiuit Mantua terris:
De quo quod gliscit, monstrasti, Christe, Mathildi:
Nam virtute tuâ fecit miracula plura.
Seruulus iste tuus de Sanctis extitit vnus
Catholicæ parti signum quasi debilitatis,
Inde triumphando gaudet Comitissa precando.
C Hujus enim Patris precibus putat auxiliari,
Cumque daret tumba Sancti miracula multa;
Proderet vt multis post nos per secla futuris,
Iustitiæ cultrix ea partim fingere jussit,
Quæ, simul & Vitam Capellani, sibi dictant
Tertius existens ab eo Lucensis, & ille
Rangerius Rector dictauit eam sibi metro.
Dictauit pulchrum nuper librumque secundum,
Qui baculi litem diffinit, misit eique.

Hæc ibi. Secundus à S. Anselmo Episcopus Lucensis fuit Gothifredus, cui tertius ab S. Anselmo successit memoratus Rangerius, qui anno MXCVIII *interfuit Concilio Romano. At quæ hic scripsit poëmata siue de vitâ & miraculis S. Anselmi, siue de naturâ Inuestiturarum, aut perijsse aut alicubi cum puluere ac situ, blattisque & tineis adhuc luctari, opinatur Tengnagelius: qui dicto poëmati Domnizonis præposuit vti repererat, Relationem de Thesauro Canusinæ Ecclesiæ Romam transmisso: cuius Relationis priorem partem hîc damus ob celebrem S. Anselmi memoriam, & est huiusmodi:*

alteriùs, de thesauro Ecclesiæ Canusinæ Gregorio VII oblato,

6 Anno Domini MLXXXII Comitissa Matildis cum Episcopo Anselmo, qui & Vicarius erat Papæ Gregorij VII in illis diebus in Longobardiâ, thesaurum Ecclesiæ Canusinæ postulauit Abbati Gerardo, qui tunc præerat præfatæ Ecclesiæ, ad dirigendum PP. pro defensione Romanæ Ecclesiæ, quæ illo tempore persecutionem grandem habebat à Guiberto hæresiarchâ. D Itaque prænominatus Abbas vnà cum congregatione Fratrum, fidelem amorem & dilectionem habens in B. Petro & Romanâ Ecclesiâ, Vicario ejus ex Comitissæ petitione alacriter thesaurum obtulit, qui viginti & quatuor coronæ erant .... Tandem transmisso thesauro Romam per assensum & voluntatem Papæ, qui chartam oblationis de omnibus prædijs prædictæ Comitissæ ab eâ receperat; suprà nominatus Vicarius, qui & hunc Episcopatum tunc jussione Papæ regebat, rogante Dominâ Comitissâ pro aliquantulâ restauratione ablati thesauri, duas Capellas in Filmâ, & vnam in Casulâ supposuit Ecclesiæ Canusinæ. Posteà Episcopus Heribertus, Catholicè Romanam diligens Ecclesiam, factum Episcopi Anselmi laudauit, & laudans firmauit, Ecclesiamque Canusinam consecrauit. *De Canusio, alijs* Canosa, *infrà in Vitâ agitur num.* 13. *distat à Regio Lepidi* IX *millibus passuum; habet nunc proprium Comitem, qui alias ditiones tenet in Dominio Mutinensi. Ast Episcopatus, quem rexit S. Anselmus est dictæ urbis Regiensis, cuius* Episcopus Heribertus, *infrà in Actis num.* 33 Aribertus *dictus, interfuit sepulturæ S. Anselmi, apud Vghellum* Eubertus *appellatur, & perperam statuitur* fato functus anno 1081.

7 *Inter transalpinos scriptores, qui S. Anselmi meminerunt, primus censeri potest Bertoldus Constantiensis, qui in* E *Appendice ad Marianum Scotum vsque ad annum* MLXXXVI *deductâ ista ad annum* MLXXXII *profert:* Beatus Anselmus, quondam Lucensis Episcopus, ipso eodem depositionis suæ anno innumerabilibus cœpit miraculis coruscare: qui post obitum venerabilis Papæ Gregorij VII fideles S. Petri contra tyrannidem Henrici adhuc in carne viuens, multum incitauit; sed multò plùs post obitum suum miraculis coruscans, eosdem contra eumdem persistere confortauit: vnde & pars Henrici de die in diem cœpit deficere; Catholici autem in fidelitate S. Petri non cessauerunt proficere. *Proximus Bertoldo est Sigebertus Gemblacensis, qui ad eumdem annum ista Chronico inseruit:* Anselmus Lucensis Episcopus, Hildibrandi Papæ cooperator indefessus, apud Mantuam exulans moritur, qui in Hieremiam & in Psalmos tractatus edidit, & doctrinam Hildebrandi libro luculento confirmauit: cujus sanctitas miraculis declarata est.

Bertoldi Constantiensis,

Sigeberti Gemblacensis,

8 *His aliquantò iunior Paulus Bernriedensis in Vitâ dicti Hildebrandi siue Gregorij* VII, *quam anno* MCXXXI *scripsit, ista habet:* Hîc introducendus videtur præcipuus virtutum ejus sectator & hæres, Beatus videlicet Anselmus Ecclesiæ Lucensis Antistes: qui ante omnia F id studij semper habuit, vt imitaretur eum in omnibus, adeò vt discrepare ab illo prorsus nollet in aliquo. Deinde quidquid in eo fuit, illius semper meritis attribuit. Gregorius namque veluti fons erat; Anselmus quasi riuus fluebat, & arida irrigabat. Ille quasi caput totum corpus gubernabat; iste ceu manus studiosa, quod injunctum superabat. Ille sicut sol illuminauit omnia; iste velut splendor declarauit singula. Olim Elias ex mortalium cohabitatione transiturus, dimisit Helisæo pallium suum, Prophetici muneris instrumentum; similiter & Gregorius ex hac mortali vitâ migraturus transmisit Anselmo Pontificalis insigne potestatis, videlicet mitram capitis sui; hoc nimirum Deo cooperante, vt sicut ille Prophetiæ per pallium hæreditauit prærogatiuam, ita & iste sacerdotalem per mitram obtineret eminentiam. Nempe eo vsque processit similitudo, vt sicut Helisæus per pallium Eliæ virtutum signa demonstrauerat; ita & Anselmus per mitram Gregorij quædam magnalia exhibuerit. Nam, vt de pluribus vnum magis diuulgatum proferamus, reuerendus Mantuanæ Præsul Ecclesiæ Vbaldus multis iam annis

Pauli Bernriedensis,

A nis grauissimè spleneticus & toto corpore vlceratus, præsertim in cruribus, sic vt vix quomodolibet stare posset, vix etiam iacere vel sedere, qui & multa in medicos erogauerat, nihilque profecerat, appositâ eadem mitrâ, vbi maior ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati. Libet eiusdem Anselmi de Psalmorum tractatibus paucas sententias excipere, & quàm pium affectum erga sanctitatem Magistri sui Gregorij habuerit euidentiùs ostendere. Sic ergo loquitur in tractatu secundi Psalmi: Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum & aduersùs Christum eius. Reges terræ, membra videlicet eius qui regnat super omnes filios superbiæ, non solùm venerunt, sed & astiterunt, & exercitu suo Romanam Ecclesiam obsederunt, & Principes Sacerdotum conspirantes conuenerunt in vnum contrà S. Petrum & contra Vicarium eius Gregorium, imò ipsum, qui dixit: Qui vos tangit, me tangit: qui vos spernit, me spernit. Crucifigunt iterum Filium Dei. .... Quantæ verò sanctitatis Tractator ille fuerit, partim ex lectione Sanctorum gestorum eius animaduertimus, partim ex relatione religiosorum Fratrum, qui se de longinquo ad sepulcrum eius per reuelationem inuitatos venisse, & à grauibus atque diutinis languoribus absque morâ liberatos fuisse testati sunt, B perpendimus.

9 *Dictis Scriptoribus adiungendus Conradus Abbas Vrspergensis, qui in Chronico ad annum* MCCXXX *deducto, de epistolâ S. Anselmi ad VVigbertum agit ad annum* MLXXX *& nonnullis ex eâ prolatis, ista addit:* Hæc scripsit Anselmus Episcopus, vir litteris apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundiâ præcipuus, &, quod omnibus maius est, in Dei timore & sanctâ conuersatione nominatissimus, adeò vt tam in vitâ quàm post mortem referatur miraculis clarus.

& alij.

10 *Addi possent, qui Catalogos Scriptorum Ecclesiasticorum contexuerunt, antè memoratus Sigebertus, Trithemius, Sixtus Senensis, Arnoldus VVion, Antonius Possevinus, Robertus Bellarminus, Philippus Labbe, Aubertus Miræus: Sed cùm sua encomia è dictis auctoribus aut mox referendâ Vitâ decerpserint, nolumus similia conglomerare. De præcipuis scriptis agitur infrà cap. 5. quibus alia addunt Possevinus & VVion, quæ Lector apud eos videre poterit, & accuratius iudicium ferretur, si à Mantuanis omnia conquisita simul typis ederentur.*

VITA

Auctore domestico Presbytero Pœnitentiario B.

PROLOGVS.

1 DEuotis quorumdam precibus instanter cogimur, vt vitam sanctissimi Patris nostri Lucensis Episcopi, Domini Anselmi, quam præsentes vidimus, & à pariter commorantibus fideliter accepimus, compendioso explicemus labore: quæ tot certè ac tantis præclara fulsit virtutibus, vt minimè nos ad injunctum tale negotium sufficiamus. Atqui dum venerabile desiderium illorum perpendimus, tametsi non sufficimus, vtcumque tamen, quod expetunt incipimus: quoniam fidelibus cunctis fidei præstat firmamentum & cornu salutis; excommunicatis autem confusionem, verecundiam, detrimentum & perniciem.

Auctor à se visa aut testibus fidelibus probata narrat:

CAPVT I

S. Anselmi doctrina. Episcopatus Lucensis. Monachatus.

2 A Pueritiâ qualiter vixerit, tum quia plenè non nouimus, tum quia reticere in præsentiarum satius æstimamus, prætermittimus. Studiosum tamen iam tunc in scholasticis etiam legendis libris fuisse, ipso sæpius referente cognouimus; quod & rei evidenter probauit effectus, quia in arte Grammaticâ & Dialecticâ extitit peritus. Dum autem videretur iam idoneus, nempe meritis, moribus ac scientiâ dignus vt in honorem sublimaretur Episcopatus, mittitur à Reuerendissimo Papâ *a* Alexandro ad *b* Regem, dato sibi comite religioso Episcopo *c* S. Ruffinæ nomine *d* Meginardo. Sed quia iam perfectè cœperat odisse, vt sacri Ordines Ecclesiastici à secularibus darentur potestatibus, quacumque vel occasione vel ratione potuit absque dignitatis inuestiturâ discessit; quamquàm eâ intentione Domnus Papa illum direxerit. Nec mirum: qui enim operatus est posteà per eum multa Deus, Catholicæ illum electioni reseruauit. Rex autem quasi despectum se doluit, & regalis Imperij tamquàm magnum detrimentum deplorauit. E

S. Anselmus præclarè eruditus,

a b c d

Episcopus designatur ab Alexandro II.

3 Defuncto itaque prædicto Papâ Alexandro, dum sanctissimus *e* Gregorius VII in Romanum Pontificem, Spiritus sancti instigatione ac voto communi Clericorum & laicorum, diu renitens esset electus; vt sequeretur eum iste in omnibus, in Lucanam Ecclesiam est & ipse electus Episcopus; atque ab illo postmodùm religiosè consecratus. Igitur, dum aliquanto tempore, non semel aut bis sed sæpius, cum eodem religiosissimo Ordinatore suo moraretur, vitam eius considerauit ineffabiliter mirabilem ac mirabiliter ineffabilem. Quia, cùm de omnibus & singulis finibus seculi fieret ad eum concursus, ritè omnibus satisfecit: veritas verò & iustitia numquàm ori eius defuit; imò, quod magis est mirandum, in ipsis secularibus negotijs sæpius excessit mente, exhilarato spiritu suo cælesti contemplatione; qui, si priuatus interdum extiterit, reuelationibus etiam diuinis iucundatus est & confortatus. Huius, inquam, vestigia dum exequi feruenter desiderat, incipit obliuisci mundum, ac totis viribus mentis & corporis, die ac nocte, suspirare in Deum, committens se non solùm assiduæ lectioni, verùm etiam continuæ afflictioni. *f* Et perscrutatis diuersarum auctoritatum libris, incipit vitam suam perditissimæ damnationis æstimare, atque accepti ministerij dignitatem graue oneris periculum, non honoris gaudium cogitare. F Illud verò ante omnia metuens, quòd post Catholicam electionem de manu Regis annulum susceperit & Pastoralem baculum; irritum prorsus æstimauit, quidquid operatus est, quasi auctoritate illius abominabilis inuestituræ: sed & Domnus Papa id solùm aliquando vituperauit in illo.

e consecratur à Gregorio VII.

huius virtutes imitatur,

f

dolet ob inuestituram ad Imperatorem se fuisse profectum.

4 Disposuit ergo orationis causâ Sanctorum aliqua visitare limina, & nescientibus, qui cum ipso erant parentibus ac fidelibus, fit subitò monachus, regulæ S. Benedicti *g* subiectus. Qui non post multa, à Beatissimo Papâ Gregorio inuitus reuocatur: in cuius etiam manum quidquid à Rege acceperat reddit & refutat, omnisq; datio regalis in illo euacuatur: ipse verò in plenitudinem dignitatis *h* vix relicto sibi habitu monastico, restauratur: nam & illum subtrahere sibi Domnus Papa minabatur. Quantæ igitur abinceps religionis fuerit, nec lingua potest referre nec manus scribendo valet exprimere. Monachi pariter & Canonici vitam & ordinem conabatur explere: conabatur

fit monachus Benedictinus

g

h reuocatur à Papa:

A batur etiam modis omnibus, vt sit seruus prudens & fidelis, vt in messe Domini non inueniatur otiosus, nec abscondat pecuniam Domini sui: verùm vt possit reuertenti Domino fiducialiter occurrere, dicens, Domine, ecce mna tua decem mnas acquisiuit.

AVCT. COÆVO DOMESTICO.

5 Fit ergo verbi Dei prædicator egregius, instructor religionis præcipuus, amat Clerum reuerenter, docetque sapienter, cunctumque populum instruit decenter: vtque breuiter concludam, omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. Diœcesim suam diligenter circuit, vitam omnium, præsertim Clericorum, dignoscere glißcit, & vt omnis Clericus sui nominis compos existat, paternè monet multumque desiderat. Sic enim eruditissimus Doctor Hieronymus vitam describens Clericorum, ait, quòd à sorte Dei Clericus dicitur; scilicet vt abjecto mundi hujus impedimento, nihil præter Deum sortiatur. Primò igitur Canonicos Ecclesiæ majoris in ciuitate Lucanâ, quæ est in honore sanctissimi Episcopi & Confessoris Martini dedicata, mitissimè aggreditur, monet, blanditur & suadet, vt opere exerceant, quod nomine dicuntur. Canonicus enim quasi Regularis dicitur: vtque regularem agant vitam, studiosè prædicat & precatur. Cumque diutius illis instaret, idemque
B frequenter instigaret, indignati tandem sunt, ac temerè nimis responderunt. At ille, sicut Pater pius & mansuetus, benignè omnia suscipit, nec tantùm vinci à malo non vult, sed in bono vincere malum studet. Promittit denique, tamquàm alter factus religiosissimus Episcopus Augustinus, vt vitam cum illis peragat communem. Nihil præter illos proprium, verùm omnia simul vult cum ipsis habere communia; vult effici pauper, vt diuites illos faciat in Christo: omni omnino conamine tum spiritualiter tum secularìter nititur eos allicere.

egregius concionator,
instruit omnes, maximè Clericos;
epist. 2. ad Nepotianum.
& Canonicos;
vitam cum illis communem agere addicit,

Alexander 2 Papa

a Hic est Alexander II Papa *creatus anno* 1061 *circa Kalend. Octobris, antè Episcopus Lucensis & Anselmus dictus. Qui eum Episcopatum voluit conferre S. Anselmo nepoti suo, vt suprà diximus.*

Henricus 3 Imper.

b Henricus, III *nomine Imperatoris, at Regis Germaniæ* IV, *patri suo Henrico cognomento* Nigro *anno* 1056 *mortuo successit quinquennis. Hic perpetuo ferè dissidio auulsus est ab Romano Pontifice, quòd Episcopos & Abbates partim pretio, partim priuatâ auctoritate constitueret: quam potestatem vulgò* inuestituram *appellabant.*

Episcopatus SS. Ruffinæ & Secundæ.

c Sedes Episcopalis SS. Ruffinæ & Secundæ, *de quibus agendum* 10 *Iulij, est vrbs Silua Candida, quæ dein anno* 1120 *à Calixto* II *conjuncta est Episcopatui Portuensi siue S. Hippolyti.*

Meginardus Cardin.

d Meginardus *seu* Maynardus, *ex monacho Casinensi Episcopus & Cardinalis ab Alexandro* II *creatus est, illique bibliotheca Vaticana commissa. Consule Leonem Ostiensem lib.* 3. *hist. Casin. cap.* 9 *&* 10. *Vghellum, Ciaconium aliosque.*

Gregorius 7 Papa.

C e *Decimo Kalend. Maij anno* 1073, *post sepulturam Alexandri electus est Gregorius* VII, *antè Hildebrandus dictus: qui Kalend. Septembr. scripsit epistolam ad S. Anselmum electum Lucensium Episcopum, de inuestiturâ.*

f *Hæc infrà explicantur num.* 21, *quorum priora in Apographo Baronij hic jungebantur, vt videre est ad an.* 1073 *num.* 60.

g *Apud Baronium num.* 61 *adjungitur,* & Cluniacensium consuetudini. *Desunt illa etiam in codice* Wionis.

h *Ibidem* mutato tantùm habitu restauratur, *vtrumque conjungit Florentinus pag.* 135.

CAPVT II.

Auxilia Mathildæ Marchionissæ præstita. Calumniæ & deiectio ab Episcopatu.

6 INuitat tandem sui studij adjutricem a Marchionissam D. Mathildam, moribus ac genere nobilissimam, quæ spiritualis & religiosissima in occulto, secularem, aut vt veriùs dicam, militarem agebat vitam in manifesto: sic tamen spiritualem habebat ac secularem, vt & illam in Christo & istam faceret pro Christo. Quæ verò secularis, hæc majoris illi fuit an-

a Accipit adiutricem Mathildam Marchionissam;

gustiæ ac laboris; sed & multò pluris, spero, retributionis: illa etenim voluntatis fuit propriæ, ista quidem obedientiæ. Si quid ergo habebat ipsa ingenij, si quid sapientiæ vel consilij; id effudit hoc in negotio hilariter. Igitur prædictos alloquitur Canonicos, tum communiter tum singulariter: incitat, instigat eos, confortat atque spondet Ecclesiæ augmentum & honorem; ipsis quoque commodum tam in futuro quàm in præsentiarum. Promittit etiam parentibus ipsorum diuitias & honores; quatenus vel sic attrahere possit voluntates illorum. At illi seculo nequam excæcati, respuunt omnia: eligunt magis aquam angustiæ in damnationem, quàm vinum lætitiæ in saluationem. Optant pauperes potiùs esse diaboli, quàm diuites Christi. D

7 Prædictus autem Præsul & Pastor diligentissimus, nolens oues sibi commissas perire; tum minis tum blandimentis eos aggreditur. Cui dum resisterent illi, & quantùm potuerunt contradicerent; iam tunc, credo, nimiùm sed inaniter fatigatus cessasset; nisi quòd Beatus Papa Leo IX. sub decreto anathematis statuerat, vt ejusdem Ecclesiæ Canonici vitam agerent communem & viuerent regulariter: cujus decreti quotiens vidit aut recordatus est præceptum, expauit, nec tacere ausus fuit. b Accidit igitur, vt eamdem ad ciuitatem sanctissimus Papa Gregorius VII E veniret; perlatumque est ad ipsum idem illud negotium: qui mox incipit paterno illos primùm affectu admonere, ac dicere: quoniam Romani Pontificis decreta præterire non licet. Rogat eos & suadet benignè, quatenùs saluberrimis obediant decretis, & Reuerendissimi Patris exequantur voluntatem: nec semel aut bis, sed sæpe ac multùm, aliquando cum eodem sancto Episcopo, interdum sine ipso alloquitur illos, tum durè tum blandè, proferens eis Scripturas sanctas & auctoritates authenticas. Illi verò, etsi humiliter se beata quandoque monita finxerunt audire, omnia tamen absentes deprauarunt.

inculcat decretum Leonis IX.
b adiuuatur à Gregorio Papâ istic præsente,

8 Vocantur denique ad Sedem Apostolicam, ibique conspiratores in proprium Episcopum & insidiatores detecti sunt. Prolatis ergo Canonibus & lecto Capitulo sancti Martyris & Episcopi Fabiani, qui conspiratores & insidiatores suorum Episcoporum Curiæ tradendos instituit; judicio totius sanctæ Synodi etiam ipsi Curiæ traduntur. Tunc fidelis & prudens Marchionissa Mathilda, seruos illos appellans, in seruitutem Curiæ vocauit eos: quam ob caussam tristes, præter quàm credi potest, etiam aduersùs ipsam quotquot potuerunt conspirare fecerunt. Conuenerunt ergo quàm plures iterum Episcopi apud S. Genesium, quod castrum à ciuitate Lucanâ non multùm distat, inter quos reuerendissimus Albanensis Episcopus, nomine Petrus Igneus c vicem D. Papæ agebat: qui cum eodem Lucensi Episcopo S. Anselmo & cum reliquis omnibus conspiratores illos excommunicauit: vnde insolabiliter illi dolentes & indignati, totam ciuitatem malitiosè commouerunt, & freti auxilio perditissimi hominis, quondam dicti Regis Henrici, religiosissimum Episcopum à ciuitate repulerunt: sed & prædictæ Dominæ rebelles penitùs facti sunt. Hujus vtique conspirationis præfatæ caput & princeps fuit quidam, nomine Petrus, falsâ professione Canonicus, Ordine damnationis suæ Subdiaconus, mente superbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompositus, vir sanguinum & fomes omnium spurcitiarum: qui propter immensitatem malitiæ suæ factus est subitò contumax præco Henricianæ tyrannidis, & post aliqua fit etiam familiaris Curiæ iniquitatis: quam justâ quidem interpretatione à cruore dico Curiam, vel potiùs vniuersæ turpitudinis sentinam. F

rebellibus in Concilio damnatis,
c & Petro pseudo-Episcopo constituto,

9 Hic denique post tempora non plurima, veniente in d Tusciam Henrico cum Hæresiarchâ Wiberto,

deijcitur à Sede

A berto, de quo latiùs postmodùm tractabimus, quoniam instanti videbatur oportunus insaniæ, eò quòd nec in Deum timorem nec reuerentiam habebat in hominem, imponitur Episcopus erroris, eiusdem Lucanæ ciuitatis: qui adiunctis sibi totius terræ nequissimis, videlicet perjuris, latronibus, fornicarijs & adulteris, terram Ecclesiæ inuadit, castella & homines vi aut fraude vel pretio sibi asciscit. Vnum solummodò castrum venerabili remansit Episcopo, quod etiam tyrannus ille, eò quòd ciuitati erat proximum, quasi quotidiè incurrens, deuastauit prædis incendijs atque homicidijs. Ille autem mansuetissimus omnium; omnia gaudens sustinuit, paupertatem pro Christo optauit; qui & duobus Capellanis contentus ac paucis seruientibus, cum reuerendissimâ quam prædiximus Matronâ, humilis permansit. Atqui, vt vniuersæ maledictionis tunicam aduersarius ille indueret, demum ab hæresiarchâ Wiberto, non dico consecratur, sed execratur: quatenùs similis similem in omnibus imitaretur. Nam sicut ille Romanam inuadendo Ecclesiam commaculauit, superstite adhuc sanctissimo Papâ Gregorio VII; ita iste Lucanam, viuente religiosissimo suo Episcopo. Itaque, vt beatissimi Martyris Cypriani verbis vtar; nullus vel iste, vel ille: quia nec successor, nec antecessor
B cuiusquam aut ille, aut iste: ambo parricidæ, ambo sceleratissimi violatores suæ matris Ecclesiæ.

In castro priuatus degit:

10 Dum ergò expulsus ille cum Mariâ securus desideraret sedere, facti sunt Episcopi & Principes penè omnes, non solùm dico inobedientes, verùm omnino rebelles sanctæ Sedi Romanæ; & inuenta est sola atque vnica Dux & Marchionissa Mathilda in fide permanens, zelum Dei habens, Domino Papæ Gregorio obediens. Quia, vt sanctissimam eius vitam & religionis cognouit ardorem totam se suæ tradidit dispositioni, sperans ab oneribus mundi huius tali inobedientiâ explicari: cui è contrario in remissionem datur, vt quasi altera Delbora, populum judicet, militiam peragat, hæreticis ac schismaticis resistat. Atque ne tamquàm sola deficiat, custodienda commendatur præscripto Lucensi Episcopo S. Anselmo; commendatur, inquam, omni diligentiâ & affectu caritatis, commendatur à beatissimo Magistro fidelissimo discipulo, sicut in cruce Christus matrem Virginem Virgini discipulo commendauit, Mater, inquiens, ecce filius tuus: ad discipulum autem, Ecce mater tua. Ita ergo, dum vterque mundi voragines euadere, & contemplationi vacare conatur, maiori-
C bus mundi negotijs implicatur. e Sanctissimus igitur talis ille discipulus dum custodiæ illius & studet satagere, & omni studio sanctitatis magis ac magis de die in diem exardescere; possumus certissimè de illo affirmare, quòd repleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus: & erat magni consilij Angelus. Nam cùm multa haberet secularia judicia, suprascripta f D. Mathilda, deuota D. Petri ancilla; ipse suis eam consilijs ita peragere fecit omnia, vt & Euangelica præcepta & Canonum instituta legumque jura seruaret; quòd in humanis mentibus & ingenijs rarò vel numquam inuenitur. Verùm ipse suo à Magistro Beatissimo Papâ Gregorio sic didicerat; Spiritus verò sanctus vtrumqre repleuerat,

Mathildam à Papâ commendatam obseruat: — *Ioan. 19* — *e* — *f* — *preclarè instruit:*

a Mathilda *Marchionissa, alijs* magna Comitissa, filia *erat* Bonifacij Marchionis Tusciæ & Lombardiæ. Huic tradidit Alexander Papa Clericum sibi familiarem, qui illam in deuotione Ecclesiæ conseruaret: huic nomen erat Anselmus, qui vsque ad mortem domum eius gubernauit, & ipsam in agendis direxit, qui posteà fuit Lucensis Episcopus, *vti ea refert Ptolemæus Lucensis ad an.* 1066.

Mathilda

b *Anno* 1077 *asserit Florentinus pag.* 184.

c Petrus, Igneus cognomento, *vti legitur insertum apud Baronium, ita dictum, quod ignem illæsus transierit monachus Vallis-Vmbrosæ sub sancto Ioanne Gualberto, vti ad huius Vitam 12 Iulij dicetur. Cardinalis creatus & Episcopus Albanensis multas legationes obiuit, sanctè mortuus 8 Ianuarij anno 1087. Cæterùm commenisse eum Petro Episcopi anno 1080 dicuntur apud Florentinum pag.* 199.

Petrus Igneus.

d *Anno* 1081, *quando* XIIII *Kal. Augusti datum priuilegium Lucæ, ab Henrico ibi præsente. Ita Florentinus pag.* 206.

e *Baron.* Sanctissimus itaque Dominus noster & pater Anselmus custodiæ *&c.*

f *Idem.* Domina Mathildis, vnica B. Petri filia.

D *AVCT. CORVO DOMESTICO.*

CAPVT III.

Excommunicatio Henrici VI Imperatoris. Legatio S. Anselmi ad eum impedita.

11 TVnc ergò incredibili iam modo Romanus orbis in se ipsum fremuit & insaniuit: nam Henricus, filius Imperatoris Henrici Tertij, magnas in omnes Catholicos inimicitias exercebat: qui dum ab ipsâ infantiâ, defuncto iam Patre, suscepisset regni gubernacula, impletum est quod per Salomonem dictum est; Væ terræ cuius Rex puer est. Nam puerilibus se consilijs committens, omnium genera spurcitiarum edoctus, cunctam mox religionem & iura omnia confundere non erubuit, ac suæ libidini in omnibus turpitudinibus * instuduit. Illo siquidem in tempore non quisquam Episcopus aut Abbas siue Præpositus esse potuit, nisi qui maiorem pecuniam
E habuit vel ipsius spurcitiarum compos extitit & fautor assensit. De nullius certè vitâ vel conuersatione agebatur bonâ; imò abominabilis religio omnis & veritas atque iustitia habebatur. Ille Sacerdos laudabilior, cuius vestis comptior, cuius mensa copiosior, cuius concubina splendidior: nec miles dicebatur gloriosus, nisi ter fuerit aut quater periurus. Quod dum Beatissimus Papa Gregorius dolens ac tristis consideraret, cupiens sanctam Ecclesiam vsui Ecclesiastico & legibus restituere Canonicis, misit ad eum frequenter benignas legationes, tum paternè admonens tum asperiùs etiam redarguens. Atqui dum hoc quoque modo minimè se percepit proficere, tandem direxit ad eum matrem ipsius religiosissimam Imperatricem a Agnetem; & cum eâ reuerentissimos duos Episcopos, b Prænestinum & c Cumanum, quibus vtrisque præsentibus; audito diligenter eorum consilio, pœnitentiam simulauit, obedientiam deuouit, emendationem de omnibus promisit.

Henricum IV Imp. perturbatorem Ecclesiæ — ** forte indulgere studuit* — *monet Gregorius Papa per Legatos,* — *Imperatricem matrem, & Episcopos:* — *a* — *b c*

12 Redeuntibus autem illis, in seipsum est ille reuersus, deterior quàm olim effectus: nam inauditâ deinde audaciâ & admirabili superbiâ, sui facinoris compotes, nec dicendos d Episcopos collegit in ciuitatem Wormatiam, habitoque conciliabulo proscripserunt primæ Sedis Episcopum, quod à seculis non est auditum. Fecit deinceps legationem in Italiam, eamdem affirmans præsumptionem per schismaticos sibi complices Episcopos. Huius legationis lator fuit quidam e Eberhardus nomine, Teutonicus natione, filius sæculi, hamus diaboli, inuentor omnis ferè mendacij. Hic circuiuit & perambulauit terram, vt schismaticâ omnes inficeret contagione. Multos certè qui propter interdictum Domini Papæ diuino ab officio cessauerant, ipse interdictus & vinculo perditionis ligatus, inauditâ temeritate ac superbiâ reconciliauit: & ex parte Domini sui Regis, vt Officium more priori celebrarent, indixit. Cùm igitur dissimulare ampliùs tanti facinoris malitiam non posset Apostolicus, excommunicauit tam ipsum quàm omnes ipsius f fautores, atque omnem sibi regiam dignitatem interdixit, & obligatos sibi Sacramentis ab omni debito fidelitatis absoluit: quia quod verecundum etiam est dicere, præter hæreticam quam prælibauimus culpam, aderant in sancto Concilio nuntij illius sic audentes latrare: Præcipit Dominus noster Rex, vt Sedem Apostolicam & Papatum, vtpote suum, dimittas, nec

arrogantem sibi auctoritatem supra Papam — *excommunicat:* — *f* — *& regiam dignitatem interdicit;*

AVCTORE COÆVO DOMESTICO.

A locum hunc sanctum vltrà impedias. Prô nefas! & ô execrabilem infelicissimi hominis temeritatem! Enim ecce suum esse dicit, quod soli Apostolorum Principi Petro Christus Dominus commisit: nec subitò quidem commisit, verùm tertiò antequàm committeret interrogauit; Simon, inquiens, amas me? Non tamquam ipse ignoraret, sed vt futuris temporibus prouidentiam præsignaret, ne citò & præcipitanter cuilibet cura committeretur animarum. Illi ergo post tertiam tandem sui amoris certam sponsionem; Pasce, inquit, oues meas: non Regem, non Imperatorem, aut aliquam Christianæ professionis conditionem excepit, præter eum qui suam se ouem abnegauerit. Igitur, quem sui solius judicio Dominus reseruauit, hic non solùm judicare, verùm etiam suum dicere, & quantum in ipso est, audet damnare: quam ob causam omnis illa sancta Synodus jure indignata, anathema illi conclamat atque confirmat.

13 Igitur non post multa idem Reuerendissimus Papa, per quem restaurari cœperunt omnia Iura canonica, vsque ad ipsum prorsus penè abolita, rogatur à quàm *g* pluribus regni Principibus, præsertim à Comitissâ Mathildâ confortatus, quæ tunc maximam partem regebat Italiæ; quatenùs in partes Teutonicas ob communem Matris Ecclesiæ necessitatem descendere dignaretur. Illi etenim propter insolentiam suam & anathema Henricum Regem & Dominum abrogauerunt: qui etiam pariter conuenientes coëgerunt eum, vt repudiatis consiliarijs iniquitatis, priuatim ipse quodam in *h* castello maneret, ne multos leprâ sui anathematis contaminaret. Decreuerant enim apud se, vt accersito humiliter sancto Papâ Gregorio *i* in ciuitatem Augustam, etiam ipsum in commune totius regni concilium ante Iudicem vniuersæ Christianitatis adorarent: desiderantes, vt auctoritate Apostolicâ, aut emendatum eumdem & absolutum recuperarent; aut ipso justè reprobato, alium in Christo eligerent. At ille, accusante se conscientiâ suâ, sanctum conuentum non expectauit sed venit obuiam Domno Papæ in oppido *k* Canusio, humiliatus vsque ad pedes ejus; & factâ securitate Domno Papæ per sacramenta, prout ipse dignatus est præcipere, præsentibus Episcopis & Abbatibus atque Comitissâ Mathildâ & Adeletiâ alijsque pluribus, tertiâ demum die est absolutus; verumtamen in regnum non est restitutus.

g abiturus in Germaniam,

B

occurrentem Imperatorem supplicem absoluit

14 Itaque ad priora iterum regreditur consilia, ad excommunicatorum peruersa conuenticula; & quod *n* jurejurando promiserat breui tempore obseruabat. Nam infra quindecim, vt opinor, dies, cùm beatus Episcopus Anselmus legationem Domni Papæ vnà cum religiosissimo Ostiensi Episcopo *o* Gerardo Mediolanum deferret, impediti sunt à militibus illius, & captus est Ostiensis Episcopus; Sanctum verò Anselmum nequaquàm ausi sunt tangere, quoniam indigena fuit, & nobilis prosapiæ. Ipse autem vltro se capiendum ingerebat dicens, quòd à socio Legationis non discederet: aut illum, inquiens, dimitterent, aut se captum cum ipso tenerent. At illis hoc non præsumentibus, tristis abscessit, volens, si posset, pro fratre suam ipsius animam ponere. Hæc est enim perfectio caritatis, hæc summa dilectionis, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Solent alij tantâ in necessitate simulare multa ac dissimulare, mentiri quidam & perjurare plurimi: hic autem nec vno verbo simulationis quidquam simulare voluit: quod benè quidem potuit, sicut ab ipsis qui capti sunt postmodùm audiuimus. His vtique ac similibus multis, irrita facta sunt dicti olim Regis Henrici sacramenta.

C

ad hoc relapso legatio S. Anselmi impeditur.

a *Ipse Gregorius lib. 2 ep. 30 scribit ad Henricum Imp. ista:* Filiæ quoque nostræ, fidelissimæ vestræ, Beatrix Comitissa, & filia ejus Mathildis non modicè nos lætificauere, scribentes nobis de amicitiâ & sincerâ dilectione vestrâ: quod libentissimè accepimus, quarum consilio sed & persuasu dilectissimæ matris vestræ Augustæ ad hoc inducti sumus, vt has vobis litteras scriberemus.

D

b *Vbertus Cardinalis Prænestinus creatus, ab Alexandro* II, *sæpiùs legatione functus est ad Imperatorem, subinde cum Gerardo Episcopo Cardinali Ostiensi, iam tum Comensi. Consule Ciaconium, Vghellum, & alios.* — *Vbertus Cardin.*

c *Rainaldus de Petis Episcopus Comensis, cui interuentu Agnetis Imperatricis Henricus filius concessit Abbatiam Bremetensem; vitâ functus est anno* 1092. — *Rainaldus Ep. Comensis*

d *Anno* 1076 *Dominicâ Septuagesimâ, prout ea in Schafnaburgensi referuntur.*

e Eberhardus Comes, iam pridem excommunicatus. *Ita Schafnaburgensis.*

f *Schafnaburgensis exprimit* Archiep. Moguntinum Sigefridum, Episcopos Wilhelmum Traiectensem & Robertum Babebergensem, *ex his Wilhelmum in desperatione mox perijsse, & alios complices misere interijsse narrat ex Chronicis Magdeburgensibus Langius in Chronico Citizensi.* — *Episcopi excommunicati.*

g *Eos enumerat Schafnaburgensis quibus accesserat, Archiep. Moguntinus.*

h *Fuit vrbs Spira.*

i *Vt in festo Purificationis S. Mariæ anni sequentis* 1077 *Augustam veniret*

k Canusium, *alijs* Canosa, *in Regiensi Ducatu, vt suprà dictum.* — *Canosa,*

l *Gregorius Papa in epistolâ ad Principes & Episcopos Germaniæ post absolutionem hanc scriptâ.* Adelaiam Comitissam appellat. — *Adeletia.*

m VII, *aut vt alij,* V Kalend. Februarij anni 1077

n *Hoc jusiurandum infra repetitur, vti in Vitâ Mathildæ per Donnizonem lib. 2 cap. 1, in Regesto Gregorij* VII *lib. 4 post epist.* 12, *& apud Bernriedensem in Vitâ ipsius Gregorij: vt mirum sit à Caluinianis hæreticis obstrepi.* — E

o *Gerardus, Ratisbonæ in Germaniâ natus, factus Ostiensis Episcopus anno* 1072, *liberatus post durum carcerem, mortuus est Romæ hoc anno* 1077, 6 *Decemb.* — *Gerardus Ep. Ostien.*

CAPVT IV.

Illustria S. Anselmi facinora in schismate Wiberti Antipapæ.

15 Eligitur interim in partibus Teutonicis *a* Dux Rodulphus in Regem ad defendendam Catholicæ Ecclesiæ vnitatem; propter quod magis magisque indignatus Henricus, spreto consilio & auxilio Domni Papæ, in omnes Catholicos debacchatur iniquè. *b* Mortuo autem in fide Catholicâ Rege Rodulpho, audet ille, quod potentissimi olim Imperatores, siue illi hæretici aut Apostatæ vel etiam Pagani essent, numquàm præsumpserunt; audet, inquam, conuocatis aliquot hæreticis Episcopis, viuente Papâ Gregorio, cui obediens factus est etiam jurejurando, nullo habito *c* vniuersali Concilio, absque judicio; audet certè in Papam eligere Wibertum, Rauennatem quondam Episcopum, tunc autem multis iam annis excommunicatum; cujus superiùs aliquam, sed breuiter, commemorationem fecimus. Sed quis ad hæc tam idoneus, quàm hic qui ab ipsis cunabulis spiritu superbiæ repletus, nihil meditabatur præter elationem & superbiam? Hic namque, nobis cernentibus, omnem obedientiam & subjectionem Domno nostro Papæ Gregorio exhibuit; sed & ipse cum honore illum ac dilectione in sacro Lateranensi Palatio recepit hospitio, & proximum illum à dextris suis in sancto habuit Concilio, & primum in omnibus quibus dignè oportuit, sperans verum esse, quod perditissimus simulauit. Ille autem non post multa per superbiam incidit in inobedientiam, factus pariter perjurus, sed & parricida tandem iniquus: quia Patrem sanctum ad mortem vsque est persecutus. Talem, inquam, tam justum, tam sanctum, cum suis fautoribus in Papam eleuat Henricus. Roma non quæritur, nec Romanus aut Clerus aut populus. Vnus quidem affuit *d* Hugo Candidus nomine, nigerrimus mente, Cardinalis olim, sed dudum iam pro suis sceleribus justè excommunicatus & abjectus: hic

a Rodulpho Imperatore mortuo,

Wibertus Antipapa eligitur:

F

vir superbus,

periurus, parricida:

A hic damnatus damnatum, perjurus perjurum, parricida laudat parricidam. In loco siquidem horrido & asperrimo, in medijs niualibus Alpibus, vbi fames assidua & frigus penè semper continuum, locus ipse vicus est pro ciuitate, qui *e* Brixanerium vocatur, altissimis circumdatus scopulis, vbi etiam vix nomen obtinetur Christianitatis: hîc principalis Ecclesiæ priuilegia hîc summi Sacerdotis Iura; hîc sanctorum Patrum instituta; hîc omnia euacuantur Canonica decreta. Nimirum, si qui rogarent, vt alium cælis imponeret Deum, quantum in ipso erat, æstimo, faceret atque confirmaret: nam nec omnino nouum est aucupium quod agit; à pueritiâ quippe suâ sic didicit.

e omni iure conculcato,

16 Enimuerò dum venerabilis Papa Alexander canonicè fuisset olim electus, ipse *f* Cadaloum Parmensem Episcopum in Teutonicis partibus suum Papam elegit, Romamque direxit; qui diuturnam discordiam bellaque multa commisit. Huic nefariæ præsumptioni mater ipsius Agnes Imperatrix interfuit; quæ sancti Spiritus illustratione compuncta, apud ipsum Papam Alexandrum confessionem postmodum fecit, pœnitentiam accepit. Cui id præ ceteris injunctum est, quatenus Romæ moraretur, ibique sancto Petro vigilijs, orationibus, jejunijs satisfaceret, ac prodesset Ecclesiæ consilijs & auxilijs, prout valeret. Ille autem in suâ permanens detestabili pertinaciâ, Wiberticum adorans dæmonium, ad-B monetur rursus ab Apostolico affectu paterno, missis ad eum Episcopis *g* Albanensi & *h* Paduano. Atqui dum non emendatur, rursum periculosissimè excommunicatur.

f vti antè factum Cadaloo Antipapâ assumpto:

g h

17 Ille ergo, quasi nouo tyrannidis aucupio, tunc incepit vniuersarum Ecclesiarum tam prædia quàm omnes penè thesauros earum militibus dispertiri; quos & omnes parti suæ agglutinat præter admodum paucos, quos reseruauit sibi Dominus, vt non curuarent genua coram Baal. Collecto igitur exercitu Romam tendit, atque primo mox ingressu omnem furorem suum in supradictam Dominam Matildam conuertit; villas incendit, castella diruit: quæ tamen diuinâ se protegête misericordiâ non nimium detrimenti sustinuit. Tunc, inquam, hominis ingenium & sapientiam, vtpote sancti Episcopi Anselmi laudare posses. Nam etsi nauis fortis & bene composita est, nautæque prudentes; facilè tamen periclitatur, nisi sapiens & validus fuerit gubernator. Illa pro pietate matris solicitabatur, ille gubernandi artem meditabatur: illa potestatem exercebat, ille regebat: illa præ-C ceptum, & ille dedit consilium. Excellebat tamen ille in omnibus, quia obedierunt sanctitati suæ tam ipsa quàm sui omnes; plus tamen ipsa. Nec mirum: adeò enim singulis per singula prouidè ac sapienter consiliatus est; vt & dicto quondam Regi cunctisque majoribus ac minoribus, penè totius Italiæ sola domus illa resisteret, injuriam Dei suamque vindicaret, honorem [seculi] obtineret, & gratiam Dei non amitteret. Nimirùm suis id meritis impetratum est, vt laudabilis illa & gloriosa per exteras etiam terras prędicaretur. Quid ni? illa enim nobiliter & magnificè, insolito mulierum more, plùs dico quàm viriliter agebat, nullum ferè periculum metuebat. Quisnam potentum vnquam suum, vt illa, deduxit exercitum? Recesserunt tamen ab illâ plurimi suorum, & abierunt retrorsum. Separati sunt, inquam, à nobis, quia non erant ex nobis: nam & Angeli quidam de cælo deciderunt, alijs sic corroboratis, vt cadere ampliùs non valerent. Corroborati sunt & hi, qui permanserunt, tum ex dulcedine Pastoralis sapientiæ, tum ex beneuolentiâ & hilaritate tam desiderabilis matronæ. Nam egregius ille Pastor & Doctor die noctuque affuit illis spiritualibus doctrinis & admonitionibus: illud maximè inter cetera replicans, vt ab excom-

Mathildam Comitissam in persecutione istâ consolatur & iuuat S. Anselmus.

alios corroborat,

municatis se obseruarent: quoniam, si quis cum excommunicatis participasset, nisi acceptâ pœnitentiâ primùm absolueretur, nullam cum reliquis communionem habere potuit. Perfecto vtique odio oderat excommunicatos; vnde & solicitos multos suâ doctrinâ reddidit, plurimos à tyrannide tantâ prohibuit, quosdam etiam penitus conuertit, ipsi denique quondam dicto Regi commonitorium dictauit; & hæresiarcham ipsum, sanctæ Sedis *i* Romanæ inuasorem *k* Wibertum scriptis salutaribus commonuit. D

AVCT. CŒVO DOMESTICO. aut conuertit: Imperatorem & Antipapam litteris monet: i k

18 Quid tandem? Romam, sicut incepit, tyrannus ille inuadit, tribus illam annis impugnat, quam demum perjurus, & pecuniâ plus quàm viribus aut sapientiâ expugnat, fitque sancta B. Petri Ecclesia impiorum latronum spelunca. Sed necdum totam quidem Romam deuicit: quoniam in castello, quod *l* Crescentij dicitur, reuerendissimus Papa Gregorius permansit. Permanserunt quoque, nec corrupti nec decepti aut deuicti, nobiliores quidam Romani, magis obedire Deo quàm homini cupientes hæretico. Igitur accrescente tam impiâ hæreticorum persecutione, inuitatus ab Apostolico Viro Dux Apuliæ & Calabriæ *m* Robertus, Romam festinauit; ante cujus aduentum Henricus, Vrbe relictâ, fugit, quam vnâ die manu armatâ Dux fidenter expugnauit, Dominumque Papam de angustiâ turris in latitudinem sacri Palatij Lateranensis cum magno triumpho & gloriâ reduxit. Itaque peractis ibi aliquot diebus, Salernum pariter perrexerunt, vbi & sanctissimus Papa emigrauit ad Christum. Nam miracula, quæ per eum operatus est Dominus, alia quidem vidimus, alia ab idoneis testibus audiuimus, quorum non est modò dicendi locus. E

Contra rebellem inuasorem Vrbis, l

Robertus Dux Apuliæ euocatus eam liberat: m

Gregorius Papa moritur miraculis clarus:

Fugato ergo ab vrbe Henrico in Teutonicas partes, statim ipse reuertit, concitatis primùm omnibus penè Longobardis aduersùm præfatam Dominam, & aduersùs sanctum prouisorem ejus, sed & aduersùs omnem Catholicam vnitatem. Nec multò pòst ecce coadunati sunt Episcopi & Marchiones cum alijs multis, qui magno impetu & furore subitò terram inuaserunt ejusdem Comitissæ, putantes totam illicò suæ ditioni subjugare. Tunc ergo congregati sunt & nostri siquidem pauci: quoniam vnâ vix die præscij facti sunt. Verumtamen nimis confortati sunt: quia Dominus noster S. Anselmus Episcopus suam eis benedictionem per nostram direxit paruitatem: hoc in mandatis præcipuè commendans nobis, vt si qui cum excommunicatis communicassent, primitus illos absolueremus, & tunc pariter omnes auctoritate Apostolicâ & suâ benediceremus: instruentes eos, quo F pacto quâve intentione deberent pugnare; sicque in remissionem omnium peccatorum eorum instantis belli committeremus periculum. Facto itaque congressu citissimè dorsa hostes dederunt, & captus est mox *n* Parmensis Episcopus & nobiles multi, minores verò absque numero: sed & mortuorum non est inuentus numerus. De nostris autem tres mortui sunt, & vulnerati pauci. Quâ in re gloriam Dei, & virtutem benedictionis Reuerendissimi Præsulis fideles omnes agnoscere potestis. Ab hinc enim confusa sunt hæreticorum conciliabula, & declinata est nimis elata eorum insolentia: gauisi autem & confortati sunt omnes Catholici, præsertim domus illa, quam sanctus Pater noster Anselmus Episcopus inexsuperatam postea custodiuit, ac in fide Catholicâ permanentem reseruauit

contra rebelles plurimos benedictione animat S. Anselmus paucos, mox victores in prælio factos, n

a *Dux Sueuiæ, inscio Gregorio Papâ, sed ab eo anno* 1080 *in Synodo Romanâ confirmatur, & coronâ regali donatur.* *Rodulphus Imper.*

b *In prælio anno* 1080 *Idibus Octobris occisus dicitur à Mariano Scoto.*

c *Habito conuenticulo* 30 *Episcoporum, creatus est Antipapa* VII Kal. Iulij, feriâ 5 Ind. 3, *vti apud Vrspergensem legitur, ergo Rodulpho necdum mortuo, si citato Mariano Scoto fidendum.* *Wibertus Antipapa.*

A AVCT. COÆVO DOMESTICO.

d *Hugo Candidus, Tridentinus Cardinalis creatus à S. Gregorio IX anno 1054 defuncto.*

Brixina e Brixenarium, *alijs* Brixino, *seu* Brixina *in Alpibus Noricis inter Tridentum & Oenipontum, quò ex vrbe Sabionensi translatus est Episcopatus.*

Cadalous f *Pseudopapa Cadalous assumpto nomine Honorij II. constitutus est 28 Octob anno 1061. de quo plura diximus 23 Februarij ad Vitam B. Petri Damiani, cuius industriâ schisma illud potissimùm restinctum est.*

g *Petrus Igneus suprà indicatus.*

Antipapa Vdalricus Ep. Patauinus. h *Vdalricus Germanus Episcopus Patauinus, qui transtulit corpus S. Danielis Martyris, vti diximus 3 Ianuarij, pag. 160. Huius legationis meminit Bertholdus in Appen. ad Hermannum Contractum, sed ad annum præcedentem refert.*

libri contra Guibertum. i *Meminit epistolæ eius ad Guibertum Vrspergensis ad an. 1080 & nonnulla ex eâ refert.*

Roma obsessa. k *Anno 1081 moratus est Henricus Lucæ mensibus Iunio & Iulio, postmodùm ad debellandum Papam exercitum duxit, & anno 1082 expugnatis vrbibus & castellis, quæ partes Pontificis sequebantur, Romam Leonianam, quæ ambit basilicam S. Petri, obsedit: quâ anno 1083 captâ, Romam cinxit. Consule Florentinum pag. 205 & seqq. Chronica Sigeberti, Lupi Protospatæ, Vrspergensis & aliorum.*

liberata, l *Anno 1084, inquit Bertholdus, Papa in castellum S. Angeli se recepit, omnesque Tyberinos pontes & firmiores munitiones in suâ obtinuit potestate.*

m Robertus Guiscardus, post Calendas Maij Romam armatâ manu inuasit, & plurima castella & ciuitates B Domino Papæ recuperauit. *Bertholdus.*

Eberardus Ep. Parmen. n *Indicantur à Bertholdo* Episcopus Parmensis, (*Domnizoni lib. 2 cap. 3* Eberardus *dictus*) sex Capitanei, milites ferè centum.

CAPVT V.

Episcopalis per Longobardiam inspectio per S. Anselmum. Eius virtutes & ratio viuendi.

20 ET factus est ille vnius olim ciuitatis Episcopus, innocenter quidem expulsus, multarum ciuitatum Præsul magnificus: nam *a* potestatem ei & vicem suam Domnus Papa commisit per omnem Longobardiam, vbi Catholici non haberentur Episcopi, qui tunc inueniebantur certè rarissimi. *Vicarius per Longobardiā constituitur: a* Concurrunt itaque ad ipsum ab omnibus partibus Longobardiæ, quotquot zelum habent fidei Catholicæ. Ibi benedictionem Catholici, absolutionem excommunicati, sed conuersi, accipiunt: ibi Chrisma, ibi sacros Ordines exquirunt; illic desolati solatium, inconsulti consilium, consulti gaudium inueniunt: apud ipsum quidquid vsquam dubij est, sapienter diffinitur: C eiusdem semper grauitatis & reuerentiæ reperitur, nec pretio aut precibus corrumpitur. *omnes ad se confugientes iuuat:* Multi sæpe ad illum, modò nobiles modò ignobiles, pauperes venerunt ac diuites, qui, dum à prædictâ Comitissâ vellet aliquid aut acquirere aut acquisitum securiùs obtinere, munera sibi interdum grandia, interdum promiserunt alij maiora; quibus ille, quamuis pauper ipse atque egentes sui essent omnes, iratus respondit, dona respuit, adjutorium contradixit; quod si gratis postulassent, citiùs certè impetrassent. *munera respuit:* Ait enim; si est injustum, quod expetunt, ero particeps imò auctor eorum injustitiæ: sin autem justum est, reus ero si justitiam vendidero. Quod si mente aliqui peruersâ diuinitus forsan excæcati aut auaritiâ seculi perniciosè implicati, Catholicæ & Apostolicæ restiterunt sententiæ, interdum secum ratiocinari cœperunt; subitò satis obmutuerunt: quia sapientiæ illius resistere non potuerunt, imò eloquentiam hominis tantam tamque rationabilem mirati sunt: omnem enim sacram Scripturam ferè memoriter nouit; quid singuli, quid omnes de quauis causâ sancti expositores sentirent, mox, vt interrogares responderet. *sacram Scripturam eiusque interpretes nouit:* Multa sibi sacris ex Scripturis diuinitùs exposita cognouimus, quorum aliqua ab ipso habemus scripta, aliqua retinemus in memoriâ: multos libellos proprijs manibus conscripsit: *edit libros: b* *b* Apologeticum vnum ex diuersis Sanctorum Patrum voluminibus compilauit, quibus D Domini Papæ sententiam & vniuersa ejus facta atque præcepta Canonicis defenderet rationibus, & approbaret Orthodoxis auctoritatibus. In lamentationes Hieremiæ dilucidissimam fecit expositionem: *c* Psalterium quoque rogatu benedictissimæ Dei ancillæ Mathildæ exposuit luculentissimè, breuiter quidem, sed vtiliter, vsque illum in locum, vbi ait: *Benediximus vobis in nomine Domini.* Ibi siquidem vitam & expositionem finiuit, nobisque omnibus alter Patriarcha Iacob benedixit; cujus, vt omnibus notum est, vniuersam in Italiam benedictio descendit. *schismaticos conuertit aut confundit:* In ipsum etenim & per ipsum hæretici ac schismatici alij conuertuntur, alij confunduntur: quorum mox dentes confringuntur ipsorum, dum ipsius Domini verbis spondetur eis; cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, muti loquuntur.

21 De abstinentiâ verò illius quid dicam? Omnes ferè cibos habuit tamquam exosos, etiam delicatissimos: quæ prædicta ipsius in Christo filia sæpè sibi exquisiuit, non dico, non manducauit, sed vix gustauit. Cuncta seculi blandimenta & corporis delicias, quibus gaudent homines, ipse sibi conuertit in tormentum, abominando singula, tamquàm quælibet venena. Cibos quoque appositos, dum à circumsedentibus interdum sumere cogeretur, E infirmitatem aut votum vel quamlibet occasionem honestè finxit; vt & desideratam obseruaret castimoniam, & continuantibus non inferret tristitiam. *mirè abstinet in cibo & potu,* Vinum, sicut Beatus ait Hieronymus, ferè vt venenum fugit. Vidi, inquam, quod & tacitus notaui, vt in ore sumptam bucellam, nollet dentibus, sicut est communis hominum consuetudo, masticare, ne aliquam dulcedinem caperet; sed molliter tactam, & breuiter inuolutam consumpsit. Per totam sæpe mensam non bibit, verùm si ardentiùs quandoque sitis incubuit, circa vesperas fortasse modicum aquæ priuatim hausit. *etiā in aquā bibendā,* Nam & in ipsâ aquâ, prout mecum sæpe locutus est, gulæ gastrimargiam æstimauit, laqueum timuit, ideoque parciùs delibauit. Quod si naturæ necessitas non cogeret, insomnis, vt opinor, omni tempore permaneret. *& somno capiendo:* Nocte totâ aut legit, aut scripsit, aut orauit; & si fortiùs insisteret somnus, stans dormitauit: quod si delicatiùs interdum, in genua vsque prouolutus dormiuit. In lecto quidem rarissimè, nisi summâ cogente verecundiâ vel necessitate; nec idem horis productis, sed quasi momentis. Paulò minùs iam ipsam deuicerat naturam, vt non jam videretur corpus, sed F quasi spiritus totus. Verè potuimus in illo Euangelicum hoc ac si corporaliter agnoscere, quia non in solo pane viuit homo; sed in omni Verbo Dei: nam dum omnem sibi ferè victum subtraheret, plus tamen omnibus laborauit. Venias de nocte, aut, si priuatim potuit, in die fecit permultas. Ad tertiam vsque stabat frequentissimè,

22 In consecrandis verò ecclesijs vel altarijs, quasi plenus spiritu, infremuit totus; quia feruenti semper deuotionis amore, quidquid erat ecclesiasticum peregit. *feruens in rebus Ecclesiasticis;* Mirabamur omnes subtilitatis eius inexsuperabiles vires: quia nobis penitus penitusque lassis, solus laborabat. Vt autem ad Missarum solennia ventum est, confestim totus lacrymis manabat. Librum vbiuis reperit, statim perscrutari diligentissimè studuit: & quidquid diebus tamquam percurrendo carperet, id noctibus pleniter ruminabat. Si quando in expeditione, sicut sæpiùs, aut in itinere fuit, licet multùm fatigatus, non tamen aut cibum idcircò lautiùs sumpsit, aut in lecto quieuit. Summe eius deliciæ aut fructus fuerunt aut herbæ. *etiam in itinere,* Omnem vitam & conuersationem suam, quantùm potuit, abscondit: siue fuit cum hoste in campo, siue priuatim in domo, lectum suum modicâ circumdabat cortinâ, vt ibi solus vel legeret vel scriberet. A mediâ semper nocte, sicut ait Propheta, ad Officium surgebat matutinale, nisi

A nisi rarò parceret debilitati filiæ sibi commissæ, scilicet gloriosæ Dominæ Mathildę: nam mater omnium virtutum discretio regnabat in ipso. O felicem illam cui talis, tam prouidus semper assidebat pædagogus, non tamquàm homo prouidus, sed vt prouidi consilij Angelus: numquàm vt arbitror, astante illo, aut defraudata est aut decepta.

milites & alios domesticos piè instruit:

23 Mirè mirandum, dum totam quandoque staret diem cùm secularibus in consilijs plurimis & diuersis, non est mente abalienatus, sed diuinum semper aliquid intus agitabat, & contemplabatur cælestia. Milites domus illius, tametsi nimiùm seculares, in illum tamen respexerunt omnes, plùs ipsum quàm naturalem Dominam metuentes. In expeditionibus & in cameris, inter quaque colloquia vel consilia, aut prædicauit aut quælibet bona verba protulit. Quot suum fideliter secuti sunt consilium, sicut eis prædixit, sic & sæpius illis euenit. Si non omnes prorsus conuertit, fideliores tamen plures Deo ac Dominę ipsorū reseruauit. Omnes verò à multis sæpe sceleribus coërcuit, contra hæreticos stare fecit, præter filios tenebrarum perpaucos. Religiosos omnes venerabatur vt Patres: increpauit delinquentes; & hæreticum hominem secundò aut tertiò correptum, sed non correctum, deuitauit. Per singulas ecclesias in omni suprà dictæ sæpius Dominæ terrâ, regularem Clericorum vel monachorum composuit vitam; quin & malle se, inquit, vt in Ecclesiâ nullus esset vel Clericus vel monachus, quàm irregularis, vt ita dicam, & irreligiosus. In diuinis siquidem officijs quo affectu quáve contritione fuerit, non sufficio deponere.

religiosos veneratur:

B

ordinat lectionem ecclesiasticam,

24 Nihil in Ecclesiâ legere permisit præter Orthodoxorum Patrum scripturas, sicut sancta præcipit auctoritas. Ordinem & concordiam tam in cantu quàm in lectionibus, prout sancti Patres statuêre, conatus est obseruare. Apochrypha omnia, sicut Beatissimus Papa Leo constituit, in Ecclesiæ non recepit officio: pro lectione tamen priuatim in mensâ vel collatione non respuit omnino. Psalmos quidem vt cautè ac meditatim cantaremus præcepit, alioquin asperè increpauit. Nouit Deus, quoniam videbar mihimet aliquando tamquàm plenus spiritu ex ipsius aspectu, & quasi mei oblitus, videbatur mihi ille velut Angelus.

& cantum:

imitatur Gregorium VII.

25 Inter diuina mysteria numquàm vel rarò sedebat. Missarum solennia numquàm, prout percipere potuimus, sine lacrymis expleuit. Ante omnia verò id studij semper habuit, quatenùs primum Magistrum suum Papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeò vt discrepare ab illo prorsus nollet etiam in aliquo. Illius semper meritis attribuit, quidquid in ipso fuit. C Dum vitam rememorauit monasticam & solitariam, quam se crebrò defleuit amisisse, consolatus in eodem Magistro est, quia obediens sibi vsque ad id factus est. Ille fons erat, hic quasi riuus bonus ab illo fluebat, & aridam irrigabat: ille vt caput totum corpus gubernabat, iste quasi manus studiosa, quod injunctum est, peragebat: ille sicut Sol illuminauit omnia, iste velut splendor declarauit singula: ille moriens mitram capitis sui transmisit isti, tamquàm potestatem suam ligandi & soluendi, sed & miracula, credo, faciendi. Nam non multò pòst cognoscentibus nobis omnibus, per ipsius consilium & fidem magnam, præclara quædam fecit Deus per eamdem mitram mirabilia. Inter alia enim reuerendissimus Dominus *d* Vbaldus, Mantuanus scilicet Episcopus, multis jam annis grauissimè spleneticus, toto corpore vlceratus, præsertim im cruribus, sic vt vix quomodolibet stare posset, vix etiam iacere vel sedere, qui & multa in medicos erogauerat, nihilque profecerat; appositâ eadem mitrâ, vbi maior ingruerat dolor, pristinæ redditus est sanitati.

à quo mitrâ donatur,

miraculis clarâ,

26 Beatissimus itaque talis ac tantus Magister, miracula fecit multa viuus & mortuus: fecit siquidem & bonus discipulus Magister, inquam, in Deo: discipulus in Deo; & in beatissimo Magistro facit, vt dicitur, plura discipulus. Nec mirùm: plura enim Petrus fecit, quàm Christus; non equidem propriâ virtute, sed quia abnegans semetipsum, secutus est Christum, & sicut hic Pater noster venerabilis; quia, pium imitatus est in omnibus Magistrum, multas operatur virtutes. Multi enim sunt, quorum vitam nouimus sanctissimam, qui & requiem verè obtinent sempiternam; sed miraculorum non ostenderunt virtutem. Hic autem non tantùm quia vitam fecit religiosam, imò quia fidelem peregit obedientiam, perfecto quoque odio partem odiens excommunicatorum & vnitatem diligens atque defendens Catholicorum, miraculis approbabat quod sermone docebat. Omnes ergò qui in vnitate Catholicâ præceptis Domini Papæ Gregorij hactenùs obedistis, gaudete & exultate; atque his qui retrorsum abierunt, & vestigia veritatis dereliquerunt, vt factis modò credant, dicite, quòd verbis olim noluêre.

D *AVCT. COÆVO DOMESTICO.*

eius exemplo miracula patrati

a *Ita S. Anselmum anno 1082 rexisse Episcopatum Regiensem suprà relatum est.*

b *Intelliguntur eius libri contra Guibertum Antipapam pro defensione Gregorij, primò ab Henrico Canisio tomo 6 antiquarum lectionum, inde postmodùm in Bibliothecâ Patrum sæpiùs recusi.*

c *Paulus Bernriedensis nonnulla ex hac expositione Psalterij inseruit Vitæ Gregorij VII. cuius suprà meminimus. Ceterùm latent hactenùs hæ expositiones in Ieremiam & Psalmos, quas Sixtus Senensis lib. 4 Bibliothecæ sacræ perperam adscribit alteri Anselmo Episcopo Mantuano, sed qui numquam extitit in rerum naturâ.* E

d *Vbaldus creatus Episcopus anno 1082, ab Henrico Imperat. deturbatus de Sede exul vitam finiuit. Infrà cap. 7 inseruntur duæ eius epistolæ de miraculis S. Anselmi. Hinc Vghellus arbitratur Vitam huius ab illo scriptam.*

Vbaldus Ep. Mantuanus

CAPVT VI.

Miracula in Vitâ S. Anselmi patrata. Eius obitus & sepultura.

27 VIdimus præsentes in vitâ ipsius Subdiaconum eius, nomine Tentonem, qui infirmos semper habebat oculos; qui, etsi præter solitum quid vigilauit interdum aut bibit fortè vinum, diu postridie vix quidquam potuit videre, legere verò prorsus aliquandiu non potuit. Aquam itaque, quâ manus suas Domnus Episcopus post sacrificium abluit, accepit, oculos lauit & sanos abinceps habuit: vigilare ac legere non minùs nobis alijs potuit. Similiter & Presbyter eius Wido febres patiens, aquam ablutionis manuum ejus accepit, bibit & euasit.

Aquâ ablutionis manuum curantur oculi,

& febris tollitur.

F

Sanatur Diaconus,

28 Item Ioannes Diaconus suus, dum apud Mediolanum infirmaretur, festinauit sibi mandare, hoc addens in legatione, quòd mox auditâ ipsius passione, vellet in se virtutem benedictionis suæ sentire; factumque est, vt credidit: statim enim sensit, pauloque pòst pleniter euasit, quem & Presbyterum postea idem Dominus Episcopus ordinauit. Supra dictam quoque sibi commissam filiam, scilicet nobilissimam Dominam Mathildam, diuersis sæpe ab infirmitatibus sanauit solâ benedictione; &, vt ipsa nobis consueuerat referre, virtutem frequenter ab illo sensit exire, ita vt ad tactum illius fugeret omnis tunc incumbens morbus.

Mathildis sæpius:

29 Cogitationes hominum euidenter cognouit interdum, ipsis quoq; cogitantibus. Sic & sic, inquit, tali horâ talique in loco cogitastis. Testis mihi Deus est, quod non mentior; quia dum semel cum illo de meis peccatis, sicut sæpe solitus eram, conferrem, quamdam tentationem, quâ tunc feruentius me spiritus nequam conabatur impugnare, confessus dixi; & ipse, Verùm, inquit, dicis: quia in ipso etiam ministerio altaris interdum occurrit tibi. Quod vt audiui, mox

nouit cogitationes al'orū

 expaui,

AVCT. COAEVO DOMESTICO.

expaui, & ab omni deinceps prauâ cogitatione, præsertim illo præsente, studebam me coërcere. Inter Missarum quidem sanctas celebrationes talia maximè consueuit videre: qui etiam id semper studij habuit, vt quotidie Missas celebraret. At, si die aliquâ non celebrauit, quod rarissimè tamen aliquo accidit impedimento, totâ die illâ tristior erat & quasi grauis pernimium: sicut & illam quoque noctem, dum nimiis ex vigilijs coactus dormiuit aliquantulum, grauem & inquietam deplorauit.

Vidit apparentes Deiparam Virg.

30 Reuelationes quoque dignè memorandas vidit sæpissimè; quarum aliquas libet breuiter perstringere. Quodam enim tempore, dum in ecclesiâ S. Pauli in territorio Mantuano, juxta Episcopium consecraret quoddam altare ad honorem S. Mariæ, vidit ipsam corporeis oculis in eodem altari inter ipsa solennia consecrationis. Alio quoque tempore in Purificatione ejusdem gloriosę Virginis Mariæ, dum tardior ad ecclesiam veniret, cantantibus iam Clericis Inuitatorium, vbi ait, Occurrens Deo suo, vidit intranti sibi Christum venire in occursum. Alterâ verò vice quadam, dum in magnâ compunctione cordis & lacrymarum decantaret Psalm. LXXXI vtpotè Inclina Domine aurem tuam; sensit Dominum ad se inclinatum, & tanquam aurem adhibere ad auscultandum. Multa quippe & alia fecit atque vidit, quibus festinantes modò supersedemus.

Christum occurrentem, & ad se inclinatum.

moribundus testamentum non facit,

31 Postremò, quam felicem fecerit finem, multi Episcopi & Clerici nobilioresque laici præsentes viderunt. Testamentum non fecit: quia, vnde faceret, non habuit: imitatus etiam in hoc Magistrum, quem pauperem & in exilio nouimus defunctum, qui etiam in extremis suis, sicut ab ipsius Capellanis religiosis didicimus, Post omnia, inquit, dilexi justitiam & odio habui iniquitatem, idcircò morior in exilio. Equidem, quòd in vitâ suâ Magister ac discipulus docuerunt, hoc & in morte quasi testamento confirmauerunt. Ille quos obedientes sibi viuens adhuc benedixit, moriens quoque Domino precibus commendauit; Henricianos verò penitus penitusque, nisi post magnam demum conuersionem & pœnitentiam, reprobauit. Hic præsentibus nobis in verbo Domini præcepit, vt in fide ac doctrinâ beatissimi Papæ Gregorij permaneamus; quod & cum benedictione nobis indidit, & in remissionem peccatorum nostrorum commendauit.

commendat doctrinam Gregorij VII,

benedictione insolitam capitis infirmitatem tollit:

32 Affuit huic benedictioni quædam matrona nomine Berta, nobilis genere, nobilior mentis indole animique deuotione, vxor clarissimi Comitis Bernardi, quæ insolitam in capite patiebatur infirmitatem: nam tantâ in vertice capitis fatigabatur frigiditate, vt quasi glaciem superpositam æstimare interdum posset; quam calefactis ad ignem pellibus aut puluinaribus sæpe conabatur depellere: sed & medicis exquisitis plurimis, nullam consecuta est sanitatem. Quod si frigus eam aut ventus ibidem aliquando tetigit, dum fortasse improuida dormiuit non cooperto diligenter capite, vehementi vexabatur dolore, vt quasi vertentes vel exilientes oculos timeret, & tamquàm contractis colli neruis caput flectere non posset. Hæc, inquam, venerat illo Quadragesimali tempore ad ciuitatem Mantuam ad Comitissam Matildam, vt tam venerabilis Episcopi sanctum & quotidianum audiret Officium: vnde accidit, vt in extremis ejus ad benedictionem, quam prædiximus, citiùs multis alijs occurreret. Quæ, dum benedictionem ab ipso deuotissima expeteret, manum ille capiti ejus imposuit, & expulso mox insanabili frigore, calorem illa saluberrimum recepit: & exeunte sudore atque aliquantulâ sanie per auriculas ejus, vsque ad octauas Paschæ sublata est omnis occasio infirmitatis. Quanta deinceps signa clarissima Deus per ipsum sit operatus, quid mea refert dicere, dum constet perplurimos præsentialiter omnia vidisse?

desiderat in cœnobio vit. se sepeliri,

33 Rogauit itaque, quoad vixit, quatenùs in Capitulo monasterij S. Benedicti, quod est in ripâ fluminis Eridani, sub obedientiâ sacri Cluniacensis cœnobij, vnde frater ipse ac monachus fuit, sepulturæ commendaretur. Et cùm concedentibus Episcopo atque Comitissâ ceterisque omnibus, iam deferretur ad monasterium corpus, affuit subitò a Sutriensis Episcopus nomine b Bonizo, quem & Spiritus sanctus suscitauit, vt clamaret, dignum esse vt in Episcopio Episcopus sepeliretur: Tanta, inquit, lucerna, non decet, vt abscondatur. Ipse adhuc viuens tanquam indignum se humiliauit: nos autem, vt verè dignum exaltare oportet hominem, quem fuisse scimus sanctissimum. Acclamatum est idem statim ab vniuersis, rapiturq; à monachorum obsequijs & in Episcopium defertur, ibique venerabiliter sepelitur. Mirabamur hoc quasi magnum primò miraculum, nescientes, quod abinceps satis mirabilius erat futurum. Nam & id quoque tunc notauimus, quod & multi Episcopi & Cardinales, magna etiam multitudo militum, die obitus sui, eamdem in ciuitatem venerant. Aderat siquidem c Magalonensis Episcopus, nomine d Godefridus, & e Benedictus Mutinensis Episcopus, atque f Aribertus Regiensis Episcopus, & ejusdem ciuitatis Episcopus, scilicet Mantuanus, Vbaldus vocitatus; sed & g Damianus, Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, qui & Abbas h Nonantulensis cœnobij. Hi omnes sicut sæpe ipsi ac ceteri Catholici consueuerant, aduenerunt. Sutriensis quoque pridie tantùm recesserat, sed mox, post transmigrationem ipsius, eodem die affuit opportunus. Isti, inquam & alij perplurimi, majores ac minores interfuêre, qui & ipsius transitum viderunt, & clara miracula post obitum ejus præsentes cognouerunt.

sepelitur in Episcopio, præsentibus pluribus Episcopis, & Damiano Cardinale,

mortuus anno 1086.

34 Igitur anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi M LXXX VI, Episcopatus verò sui anno XIII, Indictione IX, finitis iam annis septem excommunicationis Henrici quondam Regis, post transitum autem felicissimi Papæ Gregorij VII menses nouem, dies viginti tres, obdormiuit in Domino Venerabilis Dominus & Pater noster Anselmus Lucensis Episcopus X Kalend. Aprilis, in ciuitate Mantuâ, præsidente reuerendissimo Episcopo Vbaldo, atque dominante ibidem nobilissimâ Duce ac Marchionissâ Matildâ.

Sutrium.

a *Sutrium vrbs Episcopalis Etruriæ Pontificiæ siue Patrimonij S. Petri. Mendum fuit in codice Baroniano, vbi dicitur* Sabinensis Episcopus. *Fuit Sedes Sabinensium Episcoporum Mallianum oppidum haud procul Tiberi.*

S. Bonizo Episc.

b Bonizo, *alijs* Bonizzo *&* Bonitius. *Hujus* mentio extat, *teste Vghello*, in quodam Comitissæ Mathildis priuilegio *hoc* anno 1086, à quâ ob egregias animi dotes magno in honore habitus est. *Verùm vt Bertholdus ad an.* 1089. pro fidelitate S. Petri expulsus, post multas captiones, tribulationes & exilia, à Placentinis Catholicis pro Episcopo recipitur, sed à schismaticis ejusdem loci, effossis oculis & truncatis omnibus penè membris, martyrio coronatur, *die* XIV *Iulij. Apud Baronium per errorem* Domnizo *legitur, qui inter Sabinensium Episcoporum catalogum intrusus est apud Vghellum.*

Magalona.

c *Magalona vrbs Occitaniæ in Galliâ mari mediterraneo in insulâ adiacet: quâ destructâ Sedes primùm Sustantionem, dein Montem-pessulanum translata est.*

Godefridus Episc.

d Godefridus, *alijs* Gothofredus, *sedit ab anno* 1080 *vsque ad an.* 1108 *Ejus illustria facinora referunt Sammarthani in Galliâ Christianâ.*

Benedictus Ep. Mutinen.

e *In Catalogo Episcoporum Mutinensium dicitur Benedictus ad eamdem Sedem ascendisse anno* 1095. *sed reponendum anno* 1085.

Aribertus Ep. Regien.

f Aribertus *alijs* Heribertus, *&* Eubertus *dicitur, vt suprà dictum.*

Damianus Cardinal.

g Damianus *à Ciaconio dicitur creatus ab Vrbano* II. *qui sedit à* 12 *Martij anni* 1088. *vsque ad* 29 *Iulij anni* 1099. *Potuit adhuc tunc floruisse, sed creatus à Gregorio* VII *aut Alexandro* II.

h *De monasterio Nonantulano in agro Mutinensi egimus* 3 *Martij ad Vitam S. Anselmi fundatoris & primi Abbatis pag.* 265 *&* 900

CAPVT VII.

Miracula post obitum S. Anselmi patrata.

Sanantur contracta,

35 Tertiâ itaque nocte post sanctissimi Patris venerandam dormitionem quædam contracta, quæ vnâ semper manu & posterioribus per terram serpebat potiùs quàm gradiebatur, quæ etiam in domo nepotis Episcopi annum vnum & duos menses ac dimidium manserat, apud prædicti Patris tumbam meritis ipsius sana erecta est in primâ noctis vigiliâ. *cæca,* Sequenti verò die circa tertiam, vt visum est, horam, fertur quòd quædam à natiuitate cæca ibidem fuerit illuminata, quam Brixiensis Comitatus incolam tunc audiuimus. *incuruatus,* Eodem quippe die quasi horâ sextâ, pauper quidam in hospitio pauperum prædicti Præsulis Mantuani aliquanto tempore eleemosynis sustentatus, à renibus vsque curuus, ad eiusdem sancti Patris sepulcrum orans, subitò se sanum erexit. *cæca,* Diuulgatis itaque longè latéque talibus miraculis, ecce mulier quædam de castello, quod Capitellum dicitur, quæ visum penitus amiserat, cœpit virum suum flagitare, vt ad sancti viri corpus eam perduceret. Illo verò negante, frater eius misericordiâ motus, junctis bobus plaustro, cœpit eam deferre. Dum autem duobus milliarijs perrexisset, incepit arbores B & plaustrum & boues ceteraque iam omnia videre: quæ gratias Deo ejusque Sancto Confessori agens, votum de paupertate suâ faciens, domum reuersa est.

contracta,

36 Die nonâ erat in eodem castro alia quædam cruribus ac renibus contracta, quæ nullâ ex necessitate lectum suum per se potuit exire. Hæc apud ciuem quemdam Mantuanum, qui venerat illò, precibus impetrauit, quòd impositam plaustro suo ad vrbem detulit, & ad tumulum sancti Præsulis humeris portauit: quæ factâ aliquantâ oratione, paulò pòst sana surrexit. *cæca,* Die vndecimâ quædam etiam in castello, quod Goudium dicitur, mensibus tunc viginti priuata luminibus, biduo jejuna juxta corpus sanctum demorans, pristinam luminum claritatem recepit. *contracta & morbo caduco laborans;* Die quintâ decimâ altera quædam de castello, vt dicitur Lazese, manu & pede contracta, ore contorto, morbo caduco grauissimè vexata, ibidem aliquandiu patiens plenam recuperauit sanitatem.

cæca,

37 Die sextâ decimâ deinde astantibus nobis pariter cum gloriosissimâ Dominâ Mathildâ, & psallentibus in die sancto parasceue, adueniens quędã de loco, qui Coloniola dicitur, quæ visum perdiderat, flens & eiulans, deuotissimè faciens venias, & post aliqua sur- C gens, oculos ad tapetum sepulcri tersit, visumque recepit. *torta dentiũ & viscerum dolore,* Die decimâ octauâ mulier etiam vna eiusdem ciuitatis non ignota, dentium dolore ac viscerum torquebatur: quæ confugiens ad prædicti Confessoris sepulcrum, sana mox facta est. *è morbo decumbens,* Altera quæuis de oppido, quod Castellucule appellatur, adeò infirmata est, vt à lecto surgere non posset vllo modo. Hæc auditis tot miraculis, votum fecit, paulóque pòst euasit, atque octauâ die pedibus suis ad sancti viri tumbam veniens, votum ipsamet persoluit.

altero oculo cæcus,

38 Die vigesimâ primâ erat insuper ciuis Mantuanus, qui superueniente albugine vnius oculi visum amiserat. Multa itaque in medicos expendens nihilque proficiens, ad verum medicum salutis per merita supradicti Præsulis sanctissimi confugit, visumque recuperauit. *bra hiorum vsu priuatus,* Die vigesimâ tertiâ post hæc puer vnus de villâ, Vadum-ferratum appellatâ, quem arthetica officio brachiorum priuauerat, ad idem oratorium delatus, sanitatem recepit. *cæcus & hydropicus,* Die vigesimâ quartâ alius etiam puer de Burbassio, lumine priuatus oculorum, & quasi hydropisim perpessus, admonitus sæpe in somnis, tandem ad sanctissimi Patris patrocinia confugit & euasit.

D *Presbyter nomine Arico, altero oculo cæcus,*

39 Die trigesimâ primâ fuit Presbyter de Episcopatu Brixiensi de castro nomine Garelengo, cui malum id, quod per antiphrasin homines bonum appellant, vnius oculi lumen abstulerat: qui auditâ tantorum signorum famâ, ad sanctum sepulcrum properauit. Factâ verò ibidem oratione reuersus est: & quauis prurigine, dum erat in viâ incitatus, oculum digito fricauit, apertisque mox palpebris clarè vidit. Regressus ergo ad ciuitatem, gratias coram omnibus tam pio retulit patrocinio. *paralytica,* Nocte sequenti trigesimum primum diem, quædam venit de castello, nomine Maraticâ, juxta portum Lignacum in Comitatu Veronensi, habens sinistram manum clausam, sed & totam partem illam guttâ paralyticâ perditam. Hæc trigesimo die obitus eiusdem sancti Præsulis, ad ipsius tumbam orans, sana surrexit. *claudus;* De comitatu quoque Mediolanensi de plebe Resade, quidam claudus aduenerat, qui & multa jam Sanctorum limina sic contractus sanitatem expetens circuibat. Hic ad sanctum tumulum proruens, orationem faciens, sanus continuò factus est.

ceruã vltrò permittit se capi:

40 Die trigesimo nono accidit deinde, quod in multorum oculis iocundum fuit & mirabile: nam in Litanijs, quæ Gregorianæ appellantur, dum innumerabilis hominum multitudo ad supradictam ciuitatem Mantuam concurreret; quidam de villâ, nomine Fornicatâ, & alia, quæ Blittolo dicitur, cum E vexillis & sanctuarijs, sicut est consuetudo, venientes, & secùs viam conspicientes ceruam vnam magnam, admoniti à quodam ipsorum Presbytero, cœperunt omnipotentiam Dei inuocare, quatenus meritis sanctissimi sui Sacerdotis, ad quem deuotè pergebant, illæsam eis ipsam concederet, quod & sic factum est. *& adduci ad sepulcrum S. Anselmi:* Nam, quasi fixa loco, stetit quieta. At illi misso in collum ejus quodam funiculo, ad vsque sepulcrum venerandi Confessoris mansuetissimè perduxerunt. Factus est itaque inæstimabilis turbæ concursus: alij pilos ipsius tamquam veritatis indicium rapuerunt: alij tantum videre cupierunt: omnes autem æquanimiter mirati sunt. Sed, quia erat grauida, tantam sustinere pressuram non potuit, ad sepulcrum tamen peruenit, ibique succubuit, & paulò pòst, dum viuere non posset, occisa est: *eius caro morbos pellit:* cujus caro in benedictionem diuersas per partes diuisa est, quæ multis certè infirmis pristinam reddidit sanitatem. Sed non minus laudabile ac gloriosum est, quod sequitur.

41 Reuertentibus enim eisdem post completam orationem, quamdam ad aquam venerunt, quam nisi nauigio transire non potuerunt: vt autem manifestentur opera Dei, nauis alteram in partem traducta F est. *nauis vltrò ad alteram ripam appellit.* Diu ergo expectantes & aliquantulum tristes, eo quòd jejuni erant ac fatigati, recordantes prioris miraculi iterum inuocauerunt Deum, vt per merita sui sancti Confessoris Anselmi transeundi daret consilium. Vix precibus completis, ecce nauis dissoluta, absque omni remige venit ad eos. Gratias itaque referentes Deo ejusque Confessori sanctissimo, omnes transierunt incolumes, cujus ex nauis ligno diuersis de doloribus perplurimi sanati sunt.

ex vulnere in capite insanus:

42 Nosse etiam volumus sanctum desiderium vestrum, quod non aliunde didicimus, verùm ipsi vidimus & fecimus. Erat in obsidione cujusdam castelli veneranda, quam prædiximus, Comitissa, vbi Teutonicus quidam ictu petræ vulneratus est in capite: qui triduo pòst deductus est nostrum in hospitium, quatenus ibi meliorem quàm apud laicos haberet tranquillitatem. Hunc deinde gutta, quam paralysin medici vocant, tam crudeliter inuasit, quòd amens penitus factus est, adeò vt nihil sanè sentiret, neminem cognosceret. Vocati sumus denique & nos: quatenus injunctâ ei pœnitentiâ communionem daremus. Sed neque pœnitentia quid esset, potuimus ei innotes-

A innotescere. Postremò nec quid Deus esset, potuimus eum facere agnoscere, aut Deum vel aliquem Sanctorum inuocare. Æstimabamus certissimè dæmonium illum habere. Vociferabatur enim, vt assolent insani, clamore valido inconuenientia multa; & nisi teneretur violenter, non solum vestimenta verum etiam discerpsisset membra. Auditur vndique clamor, accurrunt plurimi, alij plangentes, alij admirantes. Audiuimus quoque nos in camerâ ipsius Dominæ lamentabilem illius vocem, quæ diuino compuncta instinctu, ait ad me, Vt annulum, qui S. Anselmi fuerat, quem etiam Beatus Papa Gregorius aliquandiu habebat, in aquâ lavarem; quam bibendam sibi porrigerem: sperans, quod meritis ipsorum liberaretur. Surgens ergo, accepto annulo, perrexi ad eum, quem inveni miro modo vociferantem, ac seipsum discerpentem. Nam licet eum quinque viri fortes tenerent; duo per crura, duoque per brachia, & vnus in capite; luctabatur tamen pectore & ventre magis quàm crederem, nisi præsens vidissem. Acceptâ itaque aquâ, annulum intus in nomine Domini posuimus, & aperto eius ore in magnâ violentiâ cum cochleario paulumper eum vix primò potavimus. Qui non multò post vocavit me ex nomine, atque incepit vocem meam agnoscere, & admonitus continuò invocavit S. Anselmum; &, vt breviter dicam, post vnam, vt æstimo, horam meritis sanctorum Confessorum,

B qui eodem annulo in divino vtebantur Officio, requievit mansuetissimè, & loquebatur rectè. Huic nempe miraculo multi interant, qui præsentes viderunt & audierunt, atque misericordiam Dei in suis sanctis Confessoribus glorificaverunt.

AVCT. COÆVO DOMESTICO.

potatâ aquâ, cui annulus S. Anselmi immersus,

sanatur.

Epilogus.

43 Hæc de beatissimo Patre ac Patrono nostro sancto Anselmo Lucensi Episcopo perpauca quidem, quantum ad ipsius merita, sed vestris, spero, pijs desiderijs proficientia, ego B. peccator Presbyter suus in Pœnitentiâ, non dico filius, sed seruus, ab ipso multis cum lacrymis ad eundem ordinem promotus, venerabiliter vobis expetentibus explicaui deuotus. Precor vos, orate pro me.

Pro arthetica annotabatur in margine artriticam esse substituendam, sæpe aliàs in illius æui scriptis sic inuenitur.

CAPVT VIII

Alia miracula paulo post adjuncta, & ex epistolis Mantuani Episcopi inserta, nec non à quodam Vgone scripta.

a

C 44 [a] QVadragesimo nono die à sancti viri transitu, sole iam occidente, per famulum suum dignatus est Dominus ostendere & hoc miraculum. Venit ad tumulum sanctissimi Patris nostri quædam de Episcopatu Cremonensi, de orâ illâ, quæ dicitur Cancer, cui albulum vnius oculi lumen penitus abstulerat: alteri verò vix in die videndi facultas erat. Quæ orationibus aliquandiu insistens, meritis sancti Præsulis, cæcati oculi claritatem recepit: alteri autem, cui meridies ad videndum anteà vix sufficit, nunc crepusculum noctis obedit. Conuenerat ad Vrbem Mantuanam pro veneratione sancti viri multitudo magna, de ciuitate & Episcopatu Brixiæ, inter quos erant quidam sub obtentu religionis, imò causâ simulationis: ad quorum incredulitatem confutandam, & ad credentium, qui ibi aderant, fidem corroborandam, Dominus omnipotens suam ostendit misericordiam. Quidam enim senex de familiâ Manifredi, de loco, qui dicitur Pigognata, ob incisionem vnius genu, accedente quoque alteri guttâ, occasione hujus incisionis officio pedum tribus mensibus caruerat: qui meritis Beatissimi Anselmi pristinæ restitutus est sanitati, die quinquagesimo ipsius obitus.

Sanantur ferè cæca,

officio pedum destitutus.

D 45 Dominæ Mathildæ, Vbaldus Mantuanus Episcopus gaudium & lætitiam. Immenso desiderio vestro desideratam scribimus lætitiam. Fuit quædam de Caprianâ, quæ velut animal manibus & pedibus incedebat, quam Deus omnipotens per merita sanctissimi Patris nostri erexit, & ad iter tantum officio pedum, sicut hominis natura expetit, frui concessit. Simile etiam remedium cuidam de Insulâ Parmensi, quæ est juxta caput Parmulæ, similiter incuruato, conferre dignatus est. Præterea puer quidam de monte Clarío, manum & pedem contractum habebat, cui Deus vtrumque precibus beatissimi Presulis ad certum vsum restituit. Nec non mulieri cuidam de loco, qui dicitur Insula [b] Ogerii, quæ manum aridam habebat, per eiusdem Patroni nostri intercessionem optata salus aduenit. Cuidam quoque puero de [c] Ripaltâ visum reddidit. Quædam similiter de Episcopatu Veronensi, cùm jam ciuitati nostræ appropinquaret, oculorum claritatem recepit. Quidam etiam de [d] Pleuazano, cujus calcanei naribus indissolubiliter adhærebant, pristinæ restitutus est sanitati; quem Domino religioso viro Lugdunensi Archiepiscopo ostendimus, & locum denotauimus, vbi calcanei juncti fuerant. Quæ multi ex Episcopatu Brixiæ & Veronæ diuersisque alijs partibus, qui conuenerant pro veneratione

E viri in vigiliâ Ascensionis Domini, videntes fieri, conuersi sunt ad Dominum, abrenuntiantes diabolo & sequacibus, & promittentes se priùs ad effusionem sanguinis perventuros, si ad id periculi deuenirent, quàm ab hac fide deficerent. Hæc omnia in vigiliâ Ascensionis Domini & in sequenti nocte facta sunt: & multa alia, quæ præ multitudine inuenire non potuimus; quæ, si inuenerimus, vobis describemus [e]

EPIST. II.

Curantur contracti tres,

b aridam habens manum,

c à cæco,

d habens calcaneos naribus adhærentes,

e

46 Erat præterea quædam de castello, cui nomen est Gudiciole, quæ pede ex contractione genu terram attingere non valens, incedendo curua vix duobus baculis infirmos sustentabat artus. Hæc aliquot diebus sancti Pontificis postulans misericordiam consecuta est suæ infirmitatis salubrem medelam. Fuit pariter vir quidam nobilis genere, Adecherus nomine, qui biduo sanguine è naribus erumpente, velut de venâ ferro percussâ, de solâ mortis expectatione jam cogitabat. Sed cùm jam nulla medicorum adhibita cura perrumpentem sanguinem valeret restringere, interpellans sanctum Pontificem atque ad ipsius corpus se venturum deuotans, instantis mortis euasit periculum, meritis & precibus sanctissimi viri.

miserè clauda,

biduo sanguinem è naribus effundit:

47 [f] Miraculorum quædam vel obliuioni tradita vel anteà incognita, nunc verò comperta, notitiæ vestræ præsentare cupio. Remanentes cum gaudio

F Brixienses, de quibus nuper scripsi vobis, cùm jam peruentum esset ad vadum, quod paululum est suprà Godium; non repertâ vlla naui, nullam in corde suo tulerunt molestiam, omnem in Deo & S. Anselmo ponentes fiduciam. Moram itaque facientibus, quodam equo ex aliâ parte fluminis viso, qui moriens & exhalans absque cibo & potu per triduum ibi iacuerat, quidam ex eis indubitanter rogauit Deum & S. Anselmum vt surgeret & omnes transueheret: qui mox surrexit, & ad transferendum eos se obtulit. Ecce, quàm magnifica Patris nostri merita: ecce quàm imperiosa potentia. Mortis lex frangitur; sua jura mutari queritur: obnoxius morti eripitur: vitæ conceditur, vitæ reparatur, vt seruis Dei obsequatur; & qui se ferre non poterat, ad ferendum onus præparauit, vt tam famulanter ad parendum se offerret, quasi ratione non careret. Velle dicere videtur; si natura pateretur, Cur me non ascenditis? cur me ad seruitium vestrum non exercetis? Non sum ob aliud vitæ concessus, mortisque faucibus ereptus. Intereà quidam nautæ videntes illos apud ripam manentes, nauigio

EPIST. II. f

equus moribundus,

ad tempus conualescit.

A nauigio ad transuehendum illos aduenêre, sperantes se ab eis pretium habere posse: quam nauem intrauerunt, & feliciter transierunt. Ecce quantùm equus laborabat, vt se obedientem exhibeat: & quantùm nititur, vt obsequendi voluntas manifestetur. Sed quod ore non loquitur, hoc gestu corporis profitetur. Transgrediente quippe naui, transgreditur; reuertente quoque illâ, reuertitur. Postremùm tansuectis omnibus ad locum vnde venerat perrexit, ibique paulò pòst vitam finiuit.

præstito obsequio moritur.

Puer habens aridam manum curatur

48 Fuit puer quidam Cremonensis à compluribus vicinis suis ad tumbam sancti viri allatus, qui manum aridam habebat. Ejus salutem reuerenter & confidenter, & præ magnâ confidentiâ quasi minitanter postulabant, dicentes: Pijssime Præsul, sancte Anselme, Confessor Dei, exaudi nos, pro famulo tuo orantes: si quid in vitâ à te meruimus, si prædicationem tuam fideliter accepimus, si fidem incorruptam seruauimus, si contradicentibus tibi constanter restitimus, exaudi nos, adjuua eum, & libera: multos sanasti infidelibus, vnum saltem concede fidelibus, ne fortè insultent nobis inimici, objicientes, Nunc apparet, quàm grati, quàm fidi ei in vitâ extitistis. Si vos in vitâ dilexisset, in morte quoque vos honorificasset: sed quia vos indignos, abominabiles, contemptibiles esse judicauit, à tantâ gratiâ alienos vos fecit. Repelle à nobis, pijssime Pater, hoc opprobrium, & citò B profer nostrum gaudium. Monstra te nobis propitium, in quem semper respeximus, vnicum quem nobis inspiciendum proponimus speculum, à quo postulamus auxilium. Illis ergo tam deuotè orantibus, quam rogabant salutem, eorum precibus est consecutus: quam etiam quidam Hermannus de Scorzariolo, qui manum similiter contractam habebat, est adeptus.

item alius:

49 Preterea mulier quędā quę humum cernua semper spectabat, & nisi fuste sustentata ire non valebat, apud tumulum memorati Patris, multis videntibus est erecta. Cuius locum non notaui, quia præ multitudine inueniri non potuit. Tertiâ verò die Ascensionem Domini antecedente, duo facta sunt mirabilia. Quędam enim de Episcopatu Cremonæ, de loco, qui dicitur Casa-anserij, quod per octo annos amiserat, intercedente sanctissimo Patrono, lumen recepit. Ipsâ quoque die, mulier quædam de Abbatiâ Leonensi, dexteram habens aridam, quam contractis neruis brachij ferè juxta humerum semper tenebat, contractoque genu eiusdem lateris humum digitis pedis summotenùs vix tangebat, apud tumulum sancti Patris nostri vtriusque mali sospitatem inuenit.

in terram incuruata:

cæcus,

incuruata,

50 Inter illa, quæ in Ascensione filij sui Deus per C famulum suum magnificè operatus est, mirabiliter admirandam eius virtutem, posteà mihi declaratam ab eodem, cui salutis nostræ auctor suam contulit medicinam, desiderio vestro desideranter notifico. Quidam enim fuit de villâ vestrâ, quæ est prope Rosinam, nomine Ciliano, qui non tam genuum rectitudinem dolebat sibi fuisse negatam quàm manuū virtutem omnino ereptam: adeò enim guttâ immaniter perurgente tremebat, quòd nihil agere nihilque tenere valebat. Huic itaque per visionem Dominus reuelauit, quòd si ad tumulum sanctissimi Anselmi se venturum reuerenter voueret, vtriusque infirmitatis salutem illicò se adeptum gauderet. Hic ergo euigilans, visionem secum cogitans, nesciens quid ageret, ambiguus quid crederet; reuelationis incredulus, salutis tamen cupidus; quosdam bonos homines suæ viciniæ ad se acciri fecit, narrataque visione, vouendi se ab eis consilium recepit, factoque voto, statim conualuit. Item mulier quædam de Fossâ-caprariâ, genibus incuruata, pedum seruitio priuata, eorumque loco fustium auxilio diu potita, cùm iam accessisset ad tumulum Patris nostri, sole jam decedente, tam gratis & variæ infirmitatis subitò sospitatem recepit.

priuatus virtute genuum & manuum,

Incuruata,

51 Quod mihi quædam matrona mulier honesta, D mater Ioannis de Persico retulit; vobis quoque referendum putaui. Hæc fide plena, Dei amore perfecta, sanctissimi Anselmi disciplinis instituta, suorum Presbyterorum officium, propter excommunicationem spernens; quadam die dum à circumstantibus quæreret, vnde aliquem dignum & ad celebrandam Missam idoneum habere posset; quidam de Casale majore astans dixit: Cur vestrorum Presbyterorum ministerium contemnitis? Propter amorem, inquit, & prædicationem S. Anselmi, prò cujus meritis Dominus omnipotens quotidie facit mirabilia. Qui dixit: Nunc vos deprecor, in toto corde rogetis eum; vt, si aliquem erexit, sicut creditis, me contrahat: aut si quem illuminauit, mihi lumen auferat. Vix finitâ prece, vltionem Dei sensit adesse; & continuò flectens se in latus, multùm claudicare cœpit. Hæc autem videns hoc, cœpit intentiùs rogare Deum, vt adhuc augeret supplicium super incredulitatis filium: & confestim dolor tantùm creuit, quòd vix ad hospitium perrexit, & quasi mortuus est relictus. Huic ergo matronæ venienti, vt gratias Deo & S. Anselmo referret; quidam de Monticulis-Guiberti benè notus ei obuians, iam ab Vrbe regrediens, magnum sibi, quod contigerat, narrauit miraculum. Quadam nocte cùm iuisset ad flumen Oleum, vt hauriret aquam, porrecto vncino, quoniam ripa fuerat alta, decursus aquæ E sibi situlam abstulit, ablatâque face, quoniam nox obscura erat, cùm videret à fluminis vertigine abduci, rogauit S. Anselmum, vt eam sibi redderet. Factâ autem prece, cùm deposuisset vncinum & vix duo brachia appropinquaret aquæ, continuò ansa situlæ se eleuauit & vncino se applicuit.

AVCT. COM-VO DOMESTICO.

ridens miracula, fit claudus cùm vehementi cruciatu:

situla in fluuium demersa recuperatur:

52 Per merita ejusdem sanctissimi Patris nostri quædam monacha de vltramontanis partibus, de Villâ quæ dicitur Gamudium juxta castrum Cisne sitâ, vnius oculi lumen recepit, & de altero gratiâ Dei nunc clariùs videt, vnde paullulum videbat. Quædam igitur mulier de Episcopatu Cremonensi, de castro nomine Benengo, quod est situm juxta Iouisaltam, habebat puerum duodecim annorum; qui nondum à diebus natiuitatis suæ, neruis contractis, nouerat gressum. Hujus ergo salutis mater cupida, deuotione plena, fide perfecta, eum se laturam ad venerandum sepucrū vouit: deferensque iam fessa propter onus, cùm accederet ad Marcham-regiā, deposuit; cujus fide & deuotione salutem, quâ semper caruerat, mox inuenit. Præterea quædam mulier de Wartaldâ, in somnis præmonita, reuelationi credula, venit ad implorandum sancti Patris nostri salutare suffragium. F Hæc adeò hydropico morbo laborabat, quòd se ferre non valebat: ejus namque corpus tantùm intumuerat, quòd se, quin creparet, vix continere poterat: nec iam dicendū corpus erat, sed potiùs truncus; nec vlla hominis in eâ videbatur species, sed tota deformis & quædam mortis facies: articuli enim manuum & pedum in solidum abierant. Sed etiamsi forma & oculorum orbitę perierant, & mors potiùs quàm vita instabat, de salute tamen non desperabat. Dignum ergo fuit, vt sanctissimus Anselmus huic salutis tribueret gratiam, à quo tantam expectabat medelam, quam sequente nocte se lætatur esse adeptam.

sanantur cæca vni oculo,

contractus à natiuitate

hydropica

53 Sicut à Comite Guifredo, & à Sigefredo de Beredo ejus milite modò didici; vobis scribo. Vobis & Abbatissæ sancti Pauli de Parmâ Mantuæ manentibus, ejus milites, auditis multis signis de sancto viro, ad ejus venerandum tumulum ire volentes orationis causâ, rogauerunt quemdam, nomine Albericum, filium Alberici de Palmiâ, vt secum iret prò delictorum suorum petendâ veniâ. Sicut, inquit ore stulto & liuore pleno, irem ad asinum; ita vadam ad eum, nisi fortasse derisionis causâ, ad ejus impetrandum auxilium. At illi redarguentes & contumeliam

contemnens S. Anselmum:

A liam inferentes, tandem, vt secum veniret, eum compulerunt. Extremo autem die, quidam contractus fuerat, quem ad tumbam prostratum videre cupientes, accesserunt; & reuerenter orantes, tumulique lapidem osculati, lætantes redierunt. Ille autem, vt videret eum, qui liberatus fuerat, pariter volens accedere, à sepulcro, tamquàm indignus & blasphemus, duobus ferè passibus prohibetur, pedibus grauiter & pigriter hærentibus. Hic verò credens crura sua fasciolis stricta, exuit; & comperiens id sibi non obfuisse, iterum intrauit, vltra eumdem terminum non valens pergere. Ipse autem dolens, sese toties esse repulsum, egressus est cum pudore, admirans & stupens, quamobrem id sibi contigerit. Intereà cæcus quidam illuminatus est. Cognouit ergo suam stultitiam, & maledicti pœnitens, fleuit amarè. Denique cum Canonicis pro ferendis laudibus à S. Andreâ rediens, multis ante januam S. Petri profusis lacrymis, ad tumulum Patris nostri, sicut ceteri, meruit accedere. Quod, ne socij ad contumeliam sibi objicerent, tacuit: sed nunc, ad gloriam Dei & sanctissimi Anselmi, vbique prædicat quod sibi contigit.

Avcr. coævo domestico. — *nequit ad sepulcrum accedere:* — *cæca illuminatio,* — *pœnitens accedit.*

54 Cùm venissent aliquot Brixienses ad venerandum tumulum Patris nostri, obuiauerunt cuidam pauperi similiter pro salute petendâ venienti de Episcopatu Cumano, de Valtelinâ: qui cernuus, nisi fustibus sustentatus incedere nonvalebat. Quem secum duxerunt, & pro caritate sanctissimi Anselmi commeatum ei dederunt. Ad quorum fidem confirmandam & deuotionem augendam, Dominus per intercessionem prædicti Patris X Kal. Iunij nocte jam appropinquante, hunc erexit, & absque baculorum sustentatione ire concessit. Prætereà cuidam puero, à diebus natiuitatis suæ surdo & muto, paulò post migrationem sanctissimi Anselmi, eius meritis, nobis nescientibus, reddidit auditum. Huic verò secundo die intrantis mensis Iunij circa nonam eius linguæ soluit vinculum, iuxta illud, quod in Euangelio legitur, Benè omnia fecit; surdos fecit audire, & mutos loqui.

sanantur claudus, — B — *surdus & mutus,*

a *Potuerunt hoc capite ab eodem auctore postea adiuncta esse eisque addita epistola Vbaldi Episcopi.*
b *Baronius.* Egeni. c *Idem.* Riualta. d *Idem* Planizo.
e *Finit prior epistola Episcopi Vbaldi.*
f *Notatum erat in margine quod hinc inciperet Epistola altera Vbaldi Episcopi Mantuani ad eamdem illustrissimam Dominam Mathildam: sed reuerà hoc videtur exordium Epistola Vgonis iussu Episcopi ipsius Mantuani scribentis; prout apparet ex connexione num. 55. vbi scriptor* C *Episcopum alloquitur, & in margine notabatur auctor, quasi istic tantùm inciperet eius narratio, vel potiùs pars acephala eiusdem.*

CAPVT IX.

Alia miracula ex scripto eiusdem Vgonis ad Episcopum Mantuanum.

55 ALiud quoque miraculum; quod Confratre Vitali Brixiensis Ecclesiæ Presbytero, religiosæ vitæ viro, alijsque pluribus referentibus didici, Paternitati vestræ, venerande Pater, Mantuane Pontifex, me Vgonem scribere, vt jussisti, non piguit. In villâ, cui nomen est Murana, quæ à ciuitate Brixiæ septem milliarijs distat, mulier erat quædam filiam habens, linguæ officio & pedum ita priuatam, quòd, nisi alio deferente, aliquo modo nullatenus surgere valebat; Quæ cùm ex more portaret extra domum contractam filiam, tædio quotidiani laboris suspirans, inquit; Pijssime Deus, per merita sanctissimi Confessoris tui Anselmi, misertus meæ tribulationis, aut miseram hanc præmortuam sanitati restitue, aut eam de præsenti vitâ auferendo me à tanto labore erue; alioquin hîc eam tibi relinquo. Fac quod placet: quia nullum pro eâ laborem patiar abinceps. Quo dicto, mox abijt, filiâ destitutâ, vt dixit. Modico autem facto temporis interuallo, domum remeans, quam sanctissimo Anselmo reliquerat, inuenit sanam. Et eam, quæ paulò ante linguæ ligatæ fuerat, audiuit expeditè exprimere verba: quod factum mulier admirans & gaudens, Domino sanctoque Præsuli reddidit laudes pro filiæ receptâ sanitate.

Sanantur, clauda & muta: — D

56 Presbytero quoque Ottone, laudabilis vitæ viro narrante, & Cremonensibus ciuibus contestantibus, aliud cognoui miraculum, quod silentio minimè est prætereundum. Quadam die equitantibus extra ciuitatem aliquot Cremonensium, cœperunt vario sermone inter se referre quædam miraculorum; quæ Dominus operatur meritis sanctissimi Confessoris Anselmi. Cumque ad inuicem hæc reuoluerent, quidam eorum, vt mentis erat perfidæ, exprobrando eis interrogabat, an huiusmodi vanitates crederent; vel quòd Deus per eum miracula ostenderet. Quibus respondentibus, proculdubio hunc famulum Dei esse sanctum, & multis miraculorum signis clarificatum; inquit ille perfidus: Si est, vt dicitis, sanctus; vel, si alicui reddidit gressum, nunc contrahat, in quo sedeo, equum. Sicque factum est. Nam paullulùm progressus, mox contractus stetit, cui insidebat, equus: atque prædictus homo infirmitate præuentus diu laborauit, donec ad sanctum corpus suppliciter ire destinauit.

non credens miraculis, — E — *Punitur equo contracto & propriâ infirmitate:*

57 Quod etiam matre meâ de se narrante cognoui, non est tradendum obliuioni. Die quadam subitò superueniens gutta, ita vnius oculi lumen sanguine cooperuit, quòd recto visu terram etiam spectare non valuit. Vrgente itaque eam oculi dolore, confugit ad sancti Confessoris tumulum, suppliciter his verbis postulans suo dolori subsidium: Sanctissime Confessor, salubrem mihi confer medicinam: nam nullum, nisi te, quæram medicum: tu enim meæ infirmitati salubre vales conferre subsidium. Confricato itaque oculo ad lapidem, quo tegitur sancti corporis arca, cùm remearet domum;

Huic ego sum testis, mox noxia gutta recessit.

curantur dolor & defluxum oculi,

58 Relatione confratris Titalis, Laudensis Ecclesiæ Presbyteri, in multorum audientiâ sicut & cetera, rem dignam memoriâ cognoui, qui huic facto præsens interfuit. Huius fides & vita jam dudum in Dei rebus probata, fidem ejus testimonio adhibendam indubitanter demonstrat. Arialdus sanctissimi Confessoris Anselmi frater, quamdam habet quinque annorum filiam quam febrium vis fatigabat; & insuper ex ipsius auriculæ foramine, guttâ quam dicunt fistulam generante, putredo quædam assiduè guttatim stillabat: quæ etiam approximantibus sibi fastidium generabat. Prædictæ puellæ parentes lotâ particulâ, quam habebant de ligno nauis (cujus miraculum superiùs est prænotatum) aquam ablutionis suæ filiæ dederunt bibere, inuocantes sanctissimum Confessorem, nepti suæ subuenire; quâ haustâ, præfata puella, vtraque infirmitate mox est liberata.

F — *febris cum defluxu ex auriculâ,*

59 Rem, quam in præsentiarum enarro, sub D. Mathildæ Comitissæ narratione didici & testimonio; cujus attestationi indubitanter credendum cognouimus ex ipsius probatâ fide & religiosis moribus; quòd etiam mihi pariter innotuit, asserente eâdem puellâ, cui hoc contigit. Nocte quadam repente dolor, vt sæpe, puellam Athelasiam nomine, Azonis Marchionis filiam, existentem in prædictæ Dominæ camerâ, in parte ventris acriter torquens, magnos cogebat dare clamores. Interrogante autem prædictâ Dominâ quid ageret; responsum est, eam S. Anselmum frequenter sibi in auxilium inuocare. Cumque ex præcepto ipsius Dominæ, puluinar, in quo sanctus Præsul viuus solitus erat sedere, illi parti corporis, in quâ

tortura ventris,

A quâ dolor imminebat, fuisset impositum; mox clamauit puella, omni dolore se liberatam.

suffocatio vocis, 60 Viro quodam, Constantio nomine, asserente, rem cognoui prætereà memoriæ commendandam. Superueniens infirmitas vni puero, cujusdam militis scutario, in tantùm vocem suffocauerat, quòd ab aliquantulùm à se remotis vix audiri poterat. Et quia Dominum suum clamore interclusæ vocis vocare non poterat, habebat cornu, cujus sonitu, in quo esset loco, sibi innuebat. Hic itaque cum prænominato Constantio ad sancti Confessoris tumulum suffocatæ vocis deuotè poscens remedium, ita sospitatem adeptus est vocis, quòd nunc valet audiri à multùm etiam remotis. Prædictus Constantius, completâ deuotè oratione, puluerem de lapide sepulcri sancti Confessoris, cum deuotionis reuerentiâ rasum & à custode reuerenter susceptum, secum detulit; quem aquæ mistum, cuidam mulieri vi febrium nimiùm laboranti, *febris,* inuocato auxilio sanctissimi Præsulis, ad potandum tribuit: vt autem mulier aquæ potum hausit, fugatâ omni passione febris, mox euasit.

61 Vir quidam Mantuanæ ciuitatis ciuis, Oddo Martini Caneuarij dictus, tanti doloris cogebatur *angustia pectoris,* angustiâ, quòd frequenter præ dolore totum corpus cooperiebatur sudoris aquâ. Et quia nimij doloris torquebatur instantiâ, dicebat se hac solâ posse sanari B medicinâ, si vestibus conscissis permitteretur cultro findere & pectus. Cùm autem jam de solâ mortis exspectatione cogitaret, allatum est puluinar, in quo sanctus Præsul in carne manens sedebat: quod vbi ipsius pectori fuit superpositum, sancti Præsulis inuocato nomine, statim discessit omnis dolor.

62 Relatione Guidonis & Vitalis, Lucensis Episcopatus honestę vitæ Presbyterorũ, atque pariter sub testimonio Allucionis Lucanæ ciuitatis nobilis viri, rem quam narro cognoui, qui præsentes interfuerunt huic miraculo. Vir quidam manum juxta brachium *manus contracta.* contractam habebat, cui prædicti Allucionis frater ex pietate in domo suâ necessaria longo tempore ministrauit. Præfati verò Presbyteri, atque pariter jam nominatus Allucio, confidentes maximè de misericordiâ sanctissimi Præsulis, hominem manu contractum ad quamdam deduxerunt ecclesiam, in quâ prædictus Guido Presbyter quædam sancti Præsulis pro reuerentiâ ac honore condiderat vestimenta. Orantibus itaque illis vnanimiter atque postulantibus deuotione multâ, vt Deus, ad confutandam & superandam Petri hęretici & inuasoris Lucanę Ecclesię nequitiam, in hoc homine declararet sanctissimi Pontificis admi- C rabilem gloriam; sanatus est homo, cuius manus erat contracta. Prædicti itaque Sacerdotes spectantes tam præclari facti lætitiam, ne Domini occultarentur magnalia, ex præcepto obedientiæ sanato homini jusserunt, eleuatâ Cruce properare in Lucanam ciuitatem; vt populorum turbæ spectantes hunc Domini misericordiâ mirabiliter sanum, quem paulò ante nouerant contractum, vel sic pœniterent, quia sanctum Præsulem, sanctitatis viam prædicantem, sine causâ sede propriâ expulerant: vt, qui verbis ipsius noluerunt credere, vel tam euidentibus operibus crederent. Sed Petrus hæreticus, qui etiam mittens manum in Christum Domini, non timuit præsumere sanctum Pontificem de propriâ expellere sede & sibi eam nefandè eripere; indurato corde, visis signis & prodigijs, adhuc perseuerat in incredulitate suæ nequitiæ. Considerans denique ille nefandus, hoc ad confusionem & detrimentum sui euenisse; tentauit sanatum hominem in custodiâ retrudere, volens hujus rei signum tali perfidiâ occultare. Sed, quia verbum Dei numquàm est alligatum, timens populum in se hac de causâ concitatum, confusus permisit abire quem habebat reclusum.

63 Sub testimonio eorumdem virorum pariter & D aliud cognoui miraculum mirificè mirandum. Hominibus loci, cui nomen est Castellonium, diu altèq; puteũ fodientibus, venam aquæ nullâ arte, nullo ingenio reperire poterant. Cumque jam longo labore fatigati, de aquæ inuentione desperantes, inani opere vellent deficere, cœperunt se adhortari dicentes ad inuicem: Instantiâ orationum & eleemosynarum largitione deprecemur vnanimiter Dominum, vt meritis sanctissimi Præsulis Anselmi, nobis concedat aquam reperire, pro quâ inueniendâ diu frustrà insudauimus. Facientibus itaque illis eleemosynarum caritatem pauperibus, subitò aduenit puer nuntians in puteo abundantiam aquæ repertam. *AVCT. CORVO DOMESTICO. aqua in puteo accipitur*

64 In litteris Archidiaconi Taruisinæ Ecclesiæ D. Mathildæ directis, & nuntij relatione qui eas detulit, hæc res mihi pariter & multis alijs innotuit. Erat vir quidam Lanzo Iudex nomine, Mediolanensis genere, Taruisinus habitatione, qui ficus ægritudine vehementer vrente & guttæ morbo grauiter eum in pedibus feriente, & gressu fuerat priuatus & requies somni penitus sibi nulla dabatur. Et quia viribus jam deficientibus in lecto vix se reuoluere valebat, funiculus supra lectum fuerat ligatus, cujus adjutorio se mutabat in quodlibet latus. Die igitur quadam, tractis suspirijs & profusis lacrymis, cœpit orare his verbis: Deus meritis S. Anselmi, cuius audio admirabilem gloriam, ostende in me etiam tuæ virtutis clementiam. Sancte Confessor, memento familiaritatis, quæ nos in scholis socios junxerat: prosint mihi, pijssime Præsul, quæ persæpe miscui tecum amicitię verba. Ad venerandum tuum tumulum veniam, si præstas sanitatis lætitiam. Totâ itaque proximâ nocte, sopore somni arreptus, quieuit vsque in crastinum. Facto autem manè, sentiens se jam conualescere, mox incepit confidenter ire, sicque sancti Præsulis misericordiâ liberatus, nunc gaudet se optimè sospitatum. *Sanatur podagricus cum ægritudine ficus,* E

65 Prætereà adolescens quidam auditus & linguæ officio à natiuitate priuatus fuerat: qui plùs mensibus duobus nobiscum demorans, suæ infirmitatis certam nobis & multis alijs dederat notitiam. Hic quater in somnis vidit sibi roganti sanctum Pontificem, & aures juxta sanctum tumulum aperiri, & vinculum linguæ pariter dissolui. Veniens igitur, vt fuerat præmonitus ad sanctum corpus, mugiens & pectus tundens, pro viribus sanctissimi Præsulis deuotè poscebat præsidium. Aliquot itaque diebus insistens orationibus, & auditus consecutus est lætitiam, & distinctè loquendi plenam efficaciam: quod præsentes vidimus, & ferè cunctus populus nostræ vrbis. F *surdus & mutus à natiuitate,*

66 Prætereà mulier quædam fuit longo tempore luce priuata, quam accedente guttâ ad tempus, tantus dolor capitis vexabat, vt furiosa præ angustiâ propria roderet membra. Hæc vtique hortatu & adjutorio Opizonis de Gonzaga ad sancti confessoris deducta tumulum, & guttæ liberatur angustiâ & lucis pariter consecuta est lætitiam. Cujus præteritæ infirmitatis prædictus Opizo adest testis, qui corporis alimenta ex pietate diu sibi præbuit in domo suâ. In prædio Canonicorum B. Petri, in loco, cui nomen est Villa S. Laurentij, mulier fuerat quædam, cui nasus horribiliter intumuerat, & color intrinsecus vrens saniem emittebat. Hæc deuotè sanctum deposcens Præsulem, consecuta est desideratam salutem. *cæca cum dolore capitis, fœda tumore nasi,*

67 Item quidam puer de Sacciulâ gaudio lucis priuatus fuerat, qui rediens à Cremonâ ad sancti Præsulis festinabat tumbam, à quâ paucis diebus discesserat. Properans itaque sitienter ad Sancti remeare corpus, ad lapillos sæpissimè allidebat pedes, vtpote homo qui sibi aduersa nullatenùs prospicere valebat. Dolens ergò & gemens sanctum Confessorem poscebat suppliciter, vt calamitatem tantam dignaretur aspicere. Taliter igitur oranti in viâ, dum veniebat, occurrit *1 cæcis*

A *AVCT. COÆVO DOMESTICO.*

occurrit desideratæ lucis medela. Pariter quidam de Episcopatu Taruisino, lumina ad proprium vsum laxare nequibat: hic quoque veniens ad venerandum tumulum, recepit optatæ lætitiæ gaudium.

muta cum aliquâ paralysi,

68 Puella quædam pariter fuerat in villâ, cui vulgaris vsus indidit nomen Mairana, à ciuitate Brixiâ non multùm remota: Huic & linguæ vsus interclusus fuerat, & aliquod membrorum, præter manum dextram, suo officio fungi nequibat. Hanc miserabilis mater seminecem spectans, deuota deuouit se eam delaturam ad sanctissimi Confessoris misericordiam, quasi altera Cananæa pro filiâ rogatura. Iuxta sui igitur voti promissionem parentibus eam deferentibus, puella in viâ & linguæ recepit officium & omnium membrorum vsum; quam juxta sanctum sepulcrum gratias referre Deo vidimus, & ipsius patrem hujus rei dantem testimonium. Conuenientibus multis ad sanctum corpus, pro impetrandâ suæ infirmitatis medelâ, quidam quoque de loco, Carpum nomine, vltra Athesim posito, portui de Lignano proximo, adueniebat: qui manum habens contractam & brachium ariditate inualidum, in ipso itinere recepit salutis beneficium.

& cōtractâ,

Matilda Comitissa liberatur febri,

69 Item cognouimus rem memoriâ dignam, narrante de se ipsâ D. Matildâ venerabili Comitissâ, cujus testimonio fidem facit & fides ejus probatissima B & vita pariter religione plena. Præscripta Domina multis diebus febribus pernimium laborauerat, & capitis dolor vehemens ipsam fatigauerat: cùm verò die quâdam ex more Missarum solennijs adesset, enitens dum legebatur Euangelium erecta esse in pedibus, fatigata infirmitate mox decidit. Aderat verò juxta se ob reuerentiam in capellâ Episcopi lignea tabula posita, in quâ exhalato spiritu sanctum corpus ad funeris exequias lotum fuerat: suppliciter igitur deposcens sancti viri præsidium, ac per tabulam prædictam deducens frontem, illicò liberata est capitis dolore. Non multis pòst diebus taansactis, non modicæ scabiei fracturæ ipsius Dominæ manus & corpus totum ferè immaniter repleuerant. Cùm autem præ manibus haberet Episcopalem annulum, quo Dei Pontifex vtebatur in Missarum celebrationibus, cœpit secum conferre, quòd merita tanti Præsulis possent sibi subuenire ad tactum etiam annuli, cum quo ipse quàm plura sacrificia Deo obtulit; sicque ipsum annulum fracturis superponens, ab eâ die sanata est ab ipsâ invaletudine. Paucis post diebus præteritis præfatæ Christianissimæ Dominæ acies visus adeò interturbata fuerat, quòd de nocte lectioni ex more operam dare formidabat. Inter Missarum verò solennia C tenente eâ præ manibus vnam orationum, quam sanctus Pontifex eidem Dominæ propriâ manu scripserat, in vsu orationis sibi habendam; chartam, quâ continetur prædicta oratio scripta, oculis superposuit & abstersit; & deinceps receptâ lucis claritate, vt priùs, nocte & die non expauit lectioni insistere.

dolore capitis,

scabie,

obfuscatione visus:

podagra tollitur:

70 Euerardus quidam Francigena genere, Ordine Presbyter, nobiscum aderat: cui ambos minores digitos vnius manus gutta subitò superueniens rigidos reddiderat: & partem palmi pariter & juncturam, quâ manus brachio nodatur, adeò arripuerat, quòd ad nullius officij vsum eam inflectere valebat. Et quia totius brachij vires etiam defecerant, corrigiâ in collo ligatâ suspensum brachium sustentabat. Prandente eo cum ipsius consocijs, aduenit quædam paupercula, ex caritate S. Anselmi petens sibi dari eleemosynam; qui fractum panem manu suâ porrigens, mox sanatus est à prædictâ infirmitate.

71 Quod in præsentiarum narrare contendo, nullus peruersâ mente fictitium vel fabulosum contendere præsumat. Testis adest huius rei idem ipse, qui confractis non modicis catenis, præsidio sanctissimi Confessoris Anselmi mirabiliter est liberatus de angustiâ carceris; contestantur pariter catenæ confractæ. D Præsentibus Episcopis, audientibus populis, prædicauit & prædicat suæ captionis miserabilem ærumnam, & liberationis prædicandam lætitiam. Crescente, sicut vbique terrarum notum est, validæ persecutionis tempestate aduersùs sanctum VII Gregoriū, dignum Romanæ Ecclesiæ Apostolicum, pro veritatis & justitiæ prædicatione, atque pariter contra totius Romani Imperij Catholicos; Christianissima Comitissa Domina Matilda pro Ecclesiæ defensione totis insudauit viribus. Vbertus, Arditionis filius, erat prædictæ Dominæ Capitaneus vnus; quæ vt in hac perturbatione de ejus fidelitate & seruitio indubitanter ipsa Domina confideret, inter multas alias fidelitatis promissiones, omnes quibus suarum arcium custodiam commiserat jurare compulit, fortitudines arcium quas custodiebant suprà nominatæ Dominæ potestati libere tradituros ac deinceps in ejusdem fidelitate permansuos, si idem Vbertus aliquid infideliter aduersùs eam Dominam faceret, vel quippiam malitiosè tractaret. Pòst, capto Vberto ob suæ infidelitatis nequitiam, homines illius contra juramenti sponsiones non timuerunt, quidquid iniuriosè poterant agere adversùs eamdem Dominam. Ex quorum numero quidam, Lanfrancus de Piolâ nomine, officio miles, quia ipsorum peruersitatibus inhærere renuebat, insidijs & traditionibus ab eisdem captus, & à tempore Augusti vsque ad octauum Kal. April. duro E carcere est affectus, & non modicis catenis adstrictus. Iidem quoque malitiosi cogitabant quomodò possent ei vitam eripere, nec tamen volebant cognosci eorum ingenio factum fuisse.

in bello Matildæ contra schismaticos

alijs ab eâ desciscentibus

Lanfrancus fidus ei capitur,

72 Cumque tot angustijs adstrictus solam mortem expectaret, in Vigiliâ sancti Pontificis Anselmi arrepto somno visum sibi est sanctissimum Præsulem ante se deambulare, habitu quo adhuc in carne solebat incedere. Ad quem mox exclamans, inquit S. Anselme, quando apud te vtiliter seruiui multoties, seruitium meum te benè remuneraturum promisisti mihi persæpe. Ecce ærumnas meas respice: & quia vales, subsidium affer: & quoniam nequaquàm deceptus es, promissiones tuas nunc adimple. Numquàm convenientiùs mihi, quàm nunc, potuisti rependere seruitij mei munus: saltem Ecclesiæ me restitue, quam intrare me prohibent. Ad quem pijssimus Dei Pontifex, inquit: Ne timeas, ecclesiæ te ego restituam. Mox visum est sibi, in ecclesiam quamdam se ab eo deduci & signari & benedici. Cui mox, Ecce Ecclesiæ restitutus es, dixit. Ad quem homo ille, Me redditum, inquit Ecclesiæ satis gaudeo: sed adhuc auxilium tuum, Domine, imploro. Quem sanctus F Pontifex piè consolans, ait. Ab hodie octauo die & cultrum meum tibi mittam, & necessarium auxilium impendam. Itaque die octauo occurrente, venit ad eum quidam Reginæ ciuitatis ante incognitus, acutissimam limam deferens secum: quâ datâ, videntibus cunctis nec contradicentibus qui aderant custodibus, compedes & catenas rescidit velociter. Dubitante verò eo pro custodibus exire, subitò sanctissimus Confessor aduenit, atque visa est D. Matilda aduenisse, multitudine hominum subsequente. Cui cùm diceret; Quid expectas exire? Ne differas; surge confidenter: surrexit videntibus custodibus, & exiuit illæsus.

à S. Anselmo apparente confortatur additâ liberatione,

catenis resolutus

exit illæsus.

73 Præsentis narrationis miraculum est nobis notificatum sub multorum audientiâ, narrante & contestante eâdem, cui hoc contigit fœminâ. Æstatis tempore nuper præteritæ quędam fęmina de Ripaltâ ad laborem mendicarum in campos ex more exierat, suam secum ducens filiolam; eo verò tempore luporum pestis adeò increuerat, quòd etiam à conspectu parentum pueros rapere non formidabant. Cúmque, vt dixi, in campis existeret, lupus repentè

puella à lupo ablata restituitur matri

A pentè filiam sibi surripuit. Vt autem misera mater dilaniatam à ferâ deportari vidit filiam, quibus valebat vocibus sanctissimum interpellabat Anselmum, vt sibi & miseræ filiæ ferret subsidium. Mox pijssimi Præsulis inuocato nomine, rabida illa fera ab ore projecit puellam, jam non audens tangere & à longè prospiciens eam. Mater verò anxia, confisa tamen de sanctissimi Confessoris subsidio, festinauit ad adjuuandam filiam: quam cùm deduceret, lupus sequebatur vtramque. Sancti itaque Præsulis clamitans sæpe subsidium, tandem feræ illius fames est refrænata, & vtraque fæmina ab illius morsibus liberata.

sanatur contracta,

74 Quod præsentes vidimus, nequaquàm silentio prætereundum duximus. Mulier quædam cruribus sub se retortis contracta, manibus & natibus totum corpus gestabat. Hæc diu sancti Pontificis postulans præsidium, erecta est ad venerandum tumulum: quam ante eleemosynis sustentatam nouimus, & complures ex nostris ciuibus. Præsens adhuc est nobiscum filius Archipresbyteri de Colurnio, Vbaldus nomine, qui retulit, & sæpe interrogatus itidem refert huius rei narrationem. Hic cùm in nostrâ ciuitate artis Grammaticæ vacabat studio, nullam deuotionem, nullam reuerentiam sancto Confessori exhibens, illius sanctis detrahebat virtutibus. Die verò quadam vehementi capitis dolore arreptus, ac credens se præ dolore jam morti proximum, inuocabat sancti Pontificis auxilium, promittens se liberatum deinde fore credulum & ejus virtutum prædicaturum gloriam, sicut de eo ante peruersè locutus fuerat. Fatigatus itaque nocte totâ, circa matutini temporis horas leni sopore correptus, in somnis vidit sanctum Dei famulum capiti manum imponere, & se benedicere sanctæ Crucis signaculo. Quâ visione præteritâ euigilans, cognouit se liberatum illius doloris molestiâ.

D *AVCTORE COÆVO DOMEST. & alius ob incredulitatem dolore capitis punitur.*

75 In die Ascensionis nuper præteritæ, quædam fæmina de Godi, Richilda nomine, compluribus nota, per integrum annum & eò ampliùs, quantùm est ab Epiphaniâ......

Cetera in MS. Codice desiderantur.

DE B. BARTHOLOMÆO AB ANGLARIO

ORDINIS S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA,

EMPOLI IN ETRVRIA.

AN. MDX XVIII MARTII

Anglarij vbi crucem S. Franciscus plantauit,



1 *On longè à Tiberi, tenui etiamnum amne Etruriam Vmbriamque disterminante, Anglarium est Bartholomæi patria, quâ cùm aliquando iter S. Franciscus haberet (neque enim nisi diei vnius itinere abest mons Aluerniæ) Crucem plantasse in viâ dicitur, quæ diu in veneratione populis fuit, tandemque Fr. Antonio Puppiensi occasionem dedit, vt accedentibus eò Fratribus hospitandis duas cellulas extrueret, prout anno* MCCCCXCIV *factum est. Anno post hæc quinto missi eodem duo sunt, Beatus hic Bartholomæus & Bernardinus, Anglariensis vterque, qui ciuibus suis, ad loci venerationem extructo templo augendam propensis, opere consilioque adessent: jam enim reseratum erat Zenobij de Biliaffis testamentum, qui fundum redituſque suos eiusmodi molitioni applicandos legauerat, constitutis extremæ suæ voluntatis executoribus ijs qui Rectores erant Confraternitatis S. Mariæ. Sed his anno* MDVII *totam eam curam in Franciscanos reuoluentibus (fortè quia non modicis erat difficultatibus implicata, nec ita prompta erat quæ requirebatur ad opus pecuniæ summa) penès eos quos dixi duos negotium permansit, tam lentè procedens, vt non satis di-*

cœpta eò nomine ecclesia extrui anno 1499,

C *gnum operæ pretium videretur quod vtrumque occuparet. Ergo ad Empolitanum conuentum missus Bartholomæus beato istic fine quieuit, & miraculis inclarescens ciuium suorum excitauit animos, vt opus inchoatum ab illo magisseriò vrgeri vellent.*

post mortem B. Bartholomæi promouetur,

2 *Adiuuit eodem pia hominum laicorum Sodalitas, ibidem sub nominis Iesu inuocatione instituta à Fr. Bernardino: qui & ipse* XIV *Maij anno* MDXIV *moriens, primus sui corporis deposito locum dedicauit quem incoluerat, Hospitium S. Francisci eatenus & diu etiam post nuncupatum. Successit post hæc mutatio aliqua; & locus qui vsque ad annum* MDXX *Tifernati Diœcesi subjectus erat, Burgensi adiunctus Episcopatus est à Leone X, Abbatialem S. Sepulcri titulum in Episcopalem commutante: tandemque* MDXXXIV *decretis publicitus impensis impositum ecclesiæ tectum est, & reliquus interior ornatus ante anni sequentis finem adiectus. Atque ita titulus sanctæ Crucis, qui veteris sacelli fuerat, translatus est in nouam ecclesiam: non tamen eidem adiunctus conuentus: sed magis Anglariensibus placuit Minoritas in conuentus & ecclesiæ S. Mariæ de Combarbio nouiter extructorum possessionem immittere, quam, annuente Cosmo primo, magno Etruriæ Duce, adiuerunt* MDXL. *Hospitium deinde sanctæ Crucis visum est in sanctimonialium cœnobium posse conuerti. Sed siue non æquè idoneus Fratribus suis locus esset, siue quâ aliâ de causâ nollent à se alienari priorem, relicto posteriori huc rursum commigrarunt; exindéque cœpit inter conuentus ordinis conuentus Anglariensis S. Crucis numerari, & sedetim alere religiosos.*

absoluitur an. 1534

& post an. 1540 Conuentus adjicitur:

3 *Hæc eò deduximus vt quo tempore scripta sit B. Bartholomæi Vita verosimiliori possimus coniecturâ assequi: quam enim nunc habemus ex MS. Francisci Redi Patricij Aretini, aliàs etiam nobis cum laude memorati, hunc titulum præfert:* Vita B. Bartholomæi Magij Anglariensis, Ordinis Minorum obseruantium, scripta anno Domini 1510. *In hoc numero librariorum socordiâ erratum esse euidenter probatur ex eo loco, vbi de Fr. Mariano dicitur, quòd posteà huius Sancti vitam aliorumque Hetruscorum scripserit. Nam si hæc quam damus Vita posterior est aliâ, quam non habemus, scriptâ à Mariano; consequens est aliquammultos post Beati mortem annos effluxisse, priusquàm hic auctor cultiori latinitati redderet; quæ simplici prorsus stylo consignauerat Marianus: haud alius verosimiliter, quam cuius, cognomine Florentini, chronicum breue toties laudatur & citatur in Lucæ VVaddingi Annalibus, & qui præter Vitas Laicorum, Tertiariorum, mulierum sanctitate illustrium, secundùm S. Francisci instituta viuere profitentium, etiam historiam montis Aluernæ composuit, in quâ tum huius tum plurium aliorum ex suo Ordine Etruscorum res gestas debuit intexuisse: quæ historia hîc indicatur, aut aliud opus ab omnibus istis diuersum & collectori Bibliothecæ Franciscanæ hactenus incognitum. Obijt autem anno* MDXXVII *Florentiæ in magnâ illa peste, cuius in plurimorum vitas grassantem sæuitiam Scipio Ammiratus describit.*

vbi post Vitam scriptam à Fr. Mariano,

F

qui obijt circ. 1537,

4 *Anglariensem porrò fuisse huius secundæ Vitæ auctorem ab exordio discimus: eumdemque non nisi post constitutum S. Crucis conuentum scripsisse ex eo videtur colligi posse, quod num. 6 dicat Bartholomæum aliquamdiu in patriâ suâ substitisse,* vt principia ibidem cœnobij Sanctæ Crucis inauguraret. *Etenim primos cellarum & ecclesiæ istic constituendarum auctores, de cœnobio omnino non cogitâsse ex suprà deductis liquet, adeóque post eius erectionem scripsisse eum, qui noto & recepto Hospitij nomine vsus non fuit: vt non immeritò fortasse vnius cifræ correctione emendandum vitium, & pro 1510, 1550 vel aliquid simile legendum censuerit Franciscus Redi: is qui ex suo MS. Codice nobis describendam curauit hanc Vitam, & conferendam cum alio MS. quod Anglarij acephalum extat apud hæredes Laurentij Tallieschij, viri diligentiâ & assiduâ scriptione commendabilis: qui & patriæ suæ annales con-*

Anglariensis aliquis scripsit hanc

fortasis an. 1550.

A *les conscripsit, unde totam cœnobij Sanctæ Crucis historiam prælaudatus Franciscus nobis transumpsit.*

Qui alij de Bartholomæo meminerint?

5 *Ex hac porrò Vitâ, vel ijs quæ prior Marianus Florentinus scripsit, hausisse debuerunt quidquid scripserunt de Bartholomæo Marcus Vlyssiponensis, Gonzaga, aliique; atque ex his Arturus à Monasterio & Lucas VVadingus in Annalibus, rursumque ex hoc Haroldus in eorum epitome: ad cuius calcem habemus copiosum indicem Prouinciarum, Custodiarum atque Conuentuum, confectum anno* MDXVI: *ubi quarta Prouinciæ, quæ est Thusciæ, Conuentus* XXII *censetur* S. Mariæ de Angelis & S. Francisci apud Empolium, vbi Bartholomæus de Anglario sepultus. *Necdum scilicet Beati titulum ei longo vsu vindicarat pia oppidanorum deuotio, cùm iste catalogus texeretur: sed frequentia ad defuncti corpus obtenta beneficia paulatim eum confirmarunt in vulgo; Ecclesia verò Romana ratum habuit, quando sub arâ majori corpus sepeliri non tantùm est passa, sed etiam inde ablatum eodem referri processione solennissimâ ante prioris seculi finem permisit: eo scilicet tempore, quo maxima adhibebatur cautela, ne quid in caussâ nondùm canonizatorum præter Concilij Tridentini Romanæque Ecclesiæ sententiam fieret: quam & interpellatam pro eius solennitatis instituendæ facultate fuisse, persuadet ipsius Magni Ducis Ferdinandi totiusque Curiæ Florentinæ præsentia.*

Corporis Beati trāslatio solennis

Empoli forte 25 Maij,

6 *Est autem Empolis Ducatus Florentini insigne oppidum, ad Arni fluminis Meridionalem ripam, inter ipsum Ducatus*
B *caput Florentiam & Pisam situm impari inter vallo, hinc minùs tricenûm inde plus quindenûm milliarium: juxta quod est prædictus S. Mariæ Conuentus, vti post alios Arturus habet, sed ad diem* XXV *Maij; an suo arbitrio, vt aliàs sæpe, quando diem obitus ignorauit, an quia isto die facta est solennis quam diximus translatio, alteri relinquimus diuinandum: nos, dum alia documenta desunt, expressum in Actis diem sequimur, ijsque subiungimus ipsam translationem factam in principio huius seculi, rerum in Hetruriâ potiente Ferdinando I, illius auo, qui nunc secundus sui nominis eamdem felicissimè regit, & tum adhuc puerilem ætatem agebat, vt ab omnibus putari rescripsit nobis antedictus Franciscus Redi, qui huius translationis seriem cum adiunctis miraculis nobis subministrauit, ad calcem sui antiquioris codicis recentiori charactere & sermone Italico repertam: vnde formari coniectura non improbabilis posset, quod volumen istud aliquando pertinuerit ad ipsum Empolitanum Conuentum.*

initio huius seculi.

VITA

Ex MS. Francisci Redi

Collato cum alio MS. Anglariensi.

Præfatio auctoris

1 ETsi moris antiquissimi fuit apud Romanos malle sua benefacta ab alijs laudari, quàm aliena illustrare; nihilo tamen seciùs haud ambigendum existimaui, dignum fore laude illum, qui suis laboribus benemerentium facta non patitur pigrâ obliuione obrui, ac paulatim ætatis obscurari tenebricosâ caligine. Additur quod dum Bartholomæi præclaras animi dotes posterorum memoriæ trado, nobili quadam famæ auiditate detineor: ipse enim clarum Anglaris jubar, ne solem dicam, elucet. Publicam quoque caussam amplector: si enim atauorum abauorumque extarent monumenta, non quidem ignotum esset Anglaris nomen; quantaque ejus vetustatis est fama, tanta egregiorum esset facinorum gloria; plurimique à Brenno conditore vsque adhuc enumerarentur viri, quibus multi, quorum nomen sequitur admiratio, locum fortassè concederent.

Anglariæ nascitur Bartholomæus

2 In oppido igitur Anglare, Arretinæ Ecclesiæ diœcesis, inter cetera oppida Hetruriæ vetustissimâ gloriâ nulli secundo, ortus fuit Bartholomęus ex honestâ nobilique Magiâ familiâ. Pater ejus Franciscus,
D Francisca genitrix (quasi quodam presagio fore se Assisinatis Francisci mirâ pietate religioni addictos) nomen obtinuere, sacris in vndis meliori vitæ nascentes. Vtque Magos Orientis Reges imitarentur, trium filiorum dona Domino obtulere: ex quibus Bartholomæus operum sanctitate clarus thuris fuit ad instar; auri atque myrrhæ speciem Hieronymus ac frater alter prę se tulere. At Bartholomæi quanta futura esset sanctitas primis ab annis apparuit: cùm enim die quadam per viam illam, quâ *a* Biturgiam petimus, iter faceret *b* Cherubinus de Spoletio quidam, Pater sanctitate vitæ celebratus; omnis ferè populus confluebat ad eum (tanta Anglarensium tunc temporis erat religio) vt saltem vestes contingeret prætereuntis, aut oculis eminus inspectaret, vt sibi manu benediceret repetitis precibus efflagitans. Graui ille silentio obrutus stipatas inter cateruas, nil proferens verborum, celeri pede prouehebatur. Vnum tantummodò Bartholomęum intuens, oculisque ad ima cordis penetrans, quasi de futurâ prescius sanctitate pueruli, manus ejusdem capiti imposuit; nonnullaque, non benè ab alijs percepta, mussitauit: quod non sine admiratione factum est, cur tot inter viros, litteris illustres ac morum candore decoros, ad puerulum illum Cherubinus respexisset: multique magnum aliquid ei euenturum sperabant.

pijs parentibus,

a

b Fr. Cherubino

innotescit pueri futura sanctitas:

3 Non desijt exinde humani generis teterrimus
E hostis viribus dolisque machinas moliri, vt Bartholomæum ad cęli vias iter suum dirigere meditantem, aut deterreret aut saltem remoraretur, ne in portum religionis extra seculi procellas ingredi pubescenti jam liceret: puellam quippe egregiâ formâ stimulis auerni incitauit, vt occasionem nacta oportunam, Bartholomæi pectus igne cupidinis inflammaret. At ille aduersarij fraude perspectâ, à constantiâ propositi virginitatis seruandæ non declinauit. Quâ quidem in sententiâ adeò firmus vitæ totius curriculo permansit, vt non verbis, ne dum operibus, vllam sui vmquam suspicionem excitauerit: quinimò vna vox erat omnium, puriùs nihil Bartholomæo, nihil magis à sensus illecebris abhorrens inspici potuisse: quemadmodùm & de Hieronymo, fratre eius sanguine & religione, morum verò sanctitate vix secundo, licet non tam claro miraculis, prędicabatur: tertius enim frater præceleri fato prereptus, statim atque emicuit extinctus est.

obscœnos amores fortiter repellit,

rigidus colit castitatem

vti & frater eius Hieronymus,

4 Ambo itaque Diui Francisci sacram domum, quæ ab obseruantiâ nomen retulit, sunt ingressi; duo lumina, quæ inter Aluerniæ *c* sancti montis solitarios horrores coruscarent. Cui ad tartara spolianda trophęis delectæ militiæ Bartholomeus adscriptus, vndetriginta annis summâ obedientiâ, summâ humilitate stipendia fecit: adeò paupertatis pro Christo amator, vt nihil sibi vllo vnquam tempore assumendum putaret, nisi quod ab institutore Francisco prescripta juberet Regula, ne arctiorem sectando vitam innouator appareret. Suis in itineribus non baculo fuit vsus, non *d* caussâ: nullis opus esse linteolis ducebat; sed lancinatis aliorum laneis fragmentis nares emungebat: cum Hieronymo sæpius vsurpans, paupertatem profitenti indignum esse munditiam affectare. Omnibus humilitatis exemplum ac specimen exhibuit: nullum arduum, nullum vile opus aggredi renuit; atque humiliora quærebat loca, seque imparem omnibus consummandis fatebatur; cùm & gnauus & gnarus cujusque judicio censeretur. Quemcumque enim vel semel fuisset allocutus, illicò de moribus illius ac animi propensione certam referebat scientiam.

c cum quo Ordinem Franc. init

d

paupertatis tenacissimus,

humilitatis studiosus,

5 Grammatices in arte vnus erat inter paucos, attamen (quale erat jactantiæ vitandæ studium!) nunquam Latinorum linguâ vti fuit auditus. Omnes etiā familiæ Minorum titulos, omnem dignitatis apicem respuit,

laudis & excellentiæ fugiens

A respuit, immò contempsit: fieri tamen nequiuit, quin tirunculorum disciplinæ præficeretur: quod æquo animo munus est amplexatus, cùm aditum inde sibi patefactum intueretur patientiam summâ in periclitatione excolendi ab omni semper indignatione, quod vix fidem meretur, longinquus. Patientiam adeò ferebat in oculis, vt nullis vnquam os querimonijs patefacere, nullis hiscere suspirijs fuerit visus, infirmâ præsertim valetudine e πλύσματος, vt Græci dicunt, diutino morbo afflictatus, fistularumque cicatricibus, quibus per multos annos fuit summo cum dolore vexatus: quo tempore abstinentias non intermisit, vigilias frequentauit, ab oratione non destitit. Tantummodò propinquante jam morte Superioris jussu ab hoc interdicto recessit; cibis pro ejusdem arbitrio pastus, quos tali disciplinâ sumebat, vt nihil inde gustus palatum vellicantis, nihil detrimenti reciperet.

in patientiâ summus — *e*

6 Tantâ caritate æstuabat, vt ægrotis inseruiens nullum pietatis officium, nullum beneuolentiæ, nullum prætermitteret benignitatis argumentum. Solitudinis miro detinebatur amore, & procul à Fratribus, ne dum à seculi digrediebatur hominibus; ipsorum quoque vitans consanguineorum alloquium. B Quapropter silentio prætereundum non est, quòd, dum ipsâ in patriâ degeret, vt principia ibidem cœnobij Sanctæ f Crucis inauguraret, quadam die stipem Christi nomine deprecans, suas ad ædes non mediocri redundantes opulentiâ, quas paupertatis amator reliquerat, accessit. Domestici omnes ad valuas perrexere præcipites, interque alios Pauli germani fratris vxor, quæ summis precibus etiam atque etiam obtestari cœpit, vt pro animi ejus solamine pedem ibi sistere non grauaretur, inque domum ingredi fraternâ pietate non recusaret. At diuus homo respondit verba illa, nequaquàm è suâ linguâ transferendâ, [g come si e' data a Frati la limosina, si mandano in pace:] quo dicto discessit.

caritate eximius; — *seculi contemptor seuerus;* — *f* — *recusat domum fraternam ingredi:* — *g*

7 Illud quoque accidit recensendum. Die quadam, bubulâ, hoste vaferrimo illiciente, cibari carne appetebat, sed nullo pacto Bartholomæum insidiæ latuere: quapropter quemdam ex suis rogauit, vt frustum sibi illius largiretur, quam in cubiculo clauo suspendit: vnde non prius demisit, quam fœdissimâ tabe, h verminibusque nauseam excitantibus, penitus compleretur. Tunc demùm aspiciens teterrimè olentem, Inspice, inquit, auidissime venter, inspice quo te pulpamento appetebas replere. Quam oris custodiam numquàm deserebat inuigilem, lautis non solùm ab escis coërcens, verùm etiam satagens, ne C verbum otiosum difflueret, ne in alios mordicus armaretur: immò seuerus erat animaduersor, si quem dentes hostiliter acuentem inspiceret, aut saltem à caritatis tramite declinantem suspicaretur. Quâ de causâ cùm Frater i Marianus (ille qui posteà Beati huius aliorumque Hetruscorum historiam descripsit) rediens imprudens inconsultoque narrasset, Sacerdotem sibi quempiam hospitium præbere denegasse, immò & Breuiarium commodare ad Officium Deo persoluẽdum: vix verbis posset explicari, quæ vir iste Dei dixerit, quæ fecerit; quoties culpæ accusabantur, sæpius eum asperrimis verbis objurgans, quòd Sacerdotis famam denigrasset, coram hospite ad quem diuertisset, coramque fratribus importunâ garrulitate hoc repetens: ita vt necesse Mariano fuerit suam culpam non semel accusare, interminitante etiam Bartholomæo, se illum è Religione arcessiturum, si iterum in tale crimen diuertisset.

bubulæ carnis appetitum — *h* — *illius iam putridæ obiectu domat.* — *acriter reprehendit leuiculam detractionem;* — *i*

8 Insuper quoties audiebat Fratres, si quid noui accidisset referentes in suorum conuentu, ad se compellatos monebat, ne seculi negotia in domum Dei deferrent; dedecere enim religioni adscriptos, nuntios attentis auribus excipere, nisi aliquis è mundi euripo emergens in Religionis portum confugisset, D vt vocis omnium plausu exciperetur, ac Deo grates persoluerentur; aut si ad meliorem vitam è suis aliquis demigrasset, vt ei incruentâ Christi Corporis immolatione ac precibus pietate succensis prodessent. Pauca faciebat verba, sed vtilitate redundantia; plurimumque rerum breui gyro complectebatur. Quod si quando tempus exposceret vt alicujus vitia corrigere Bartholomæus cogeretur, ab ijs quæ multò priùs patrata fuerant sumebat exordium: eoque modo id peragere Deus ipsum docuerat, ut aures æquo animo ac lubens ille præberet, cuius vulnera salutem allaturus pertractabat, atque inde venerabundus ac pauens se ad meliorem frugem recepturus abiret. Quippe cùm speculi nullis maculis deturpati conspiceretur ad instar, ac potiùs è cælo demissus quàm ex hominibus procreatus videretur, timebatur ab omnibus, nec quispiam perditis adeò moribus fuit inuentus, qui eo præsente aut honesta non loqueretur, aut saltem silentio linguam ipsam non manciparet.

vetat seculares rumores narrari. — AVCTORE CORVO. — *magna in corrigendis delinquentibus efficacia*

9 Sacrificium offerre summâ cum pietate non relinquebat: & quamuis persæpe morbis afflictaretur, numquam imparatus, aut non benè rebus diuinis animo vacante ad tantum ministerium accessit. Mira in Officio persoluendo illius erat attentio: diligens in E confessionibus peragendis, breui circumstantias nullis ambagibus explicabat. Fructum aliquem ex omni lectione librorum percipiebat: & quæcumque inter mensam legebantur erant ab illo excerpta, vt mel inde apum more colligeret: immò profanas eruditiones illicò in spiritus pabulum conuertebat. De verbis Domini libenter colloquebatur, & vultus repente flammis exæstuans caritatis, signa intimi ardoris exhibebat. Itaque cùm Fr. Gaspar k de Barga secum pomeridianis horis in sancti montis Aluerniæ syluam perrexisset de rebus diuinis colloquens, vsque ad eamdem horam insequentis diei permansere, nihil animaduertentes tempus ipsum prolabi, & nihil de cibo aut de somno solliciti, ita in ipso eloquio à mortali carne segregati vt vitam Angelorum viuere crederentur: tunc demùm intelligentes quamdiu permansissent ibidem, quando in chorum regressi non eumdem festum diem celebrari summâ cum admiratione cognouerunt.

attentio in sacrificio, & Officio; — *colloquentis de rebus diuinis feruor;* — *k*

10 Frequens ac feruens in oratione ac diuinarum rerum contemplatione fuit, in quâ cælestes dulcedines aliquando gustauit: sæpius etiam inspectus sublimis ab humo rapi intentus ad æthera, quod in l Castilionis syluâ accidit, vbi eum genibus flexis vir quidam intuitus fuit duobus ampliùs pedibus à solo distantem: qui index ad Fratres accedens, testis extitit veritatis. Sæpius verò in maiori Aluerniæ montis templo, coram imagine Seruatoris in Cruce fixi supra chori locum positâ qui tunc medius erat, gestum est idipsum, & plures admirati sunt eleuatum. Cùm eodem in monte degeret, & ad sacrotum stigmatum oraturus pergeret m sacellum, cumque ibidem alium offendisset ex Fratribus retrò gradum flexit, vt ad sacellum Beati Ioannis contenderet, & cùm lubricum esset iter, noctisque tenebræ lumen omne surripuissent, procidit diuus homo in terram. Tunc duo ex æthereis spiritibus funalia deferentes præsto fuere, qui ad illud vsque sacellum itineris duces comitati sunt: quod Frater quidam inspexit & cum omnium admiratione vulgauit.

frequens inter orandum raptus: — *l* — *Angelicum per noctem obsequium:* — *m*

11 Dei etiam nomine vires morborum domuit ac saluti corpora ægrotantium restituit. Idcirco plurimi tradidere mulierem quamdam vxorem Procuratoris cœnobij sanctæ Mariæ à Ripâ Empolis, cùm vehementissimo capitis dolore angeretur, domi eius beato Patre casu hospitante, cum eiusdem cœnobij Custode, se precibus illius commendasse: at ipse caput eius manu tangens illicò ab omni exemit dolore;

curationum gratia in hospitiis exerit;

Auctore coævo. *& puero scabioso præstat:*

A cumque admirabunda procumberet, jussit Bartholomæus vt nemini de hoc verbum faceret, quousque degeret ipse inter viuos. Cùm puer quidam prope conuentum eumdem morbo, quem tigna dicunt *n* Hetrusci, caput infectum gestaret, signans eum signo Crucis illicò mundatum aspexit. Puer verò domum regrediens, matri, stupore penitus occupatæ, rem gestam aperuit; ideòque ad nos, sic Deo volente, ista deuenere: alioqui enim adeo sua prædicari posse ab hominibus vitabat, ne inde appetitus laudis irreperet suamque pessumdaret humilitatem, vt omnia ignorarentur omnino.

piè moritur

12 Denique ad extremam vitæ periodum cùm peruenisset, videns sibi premium parari, sacris munitus pharmacis, Veneris die Seruatoris nostri morte decoratâ, ad se Hieronymum fratrem vocauit, quo cum simul extremum capere jentaculum voluit. Omnibus itaq; vale dicto Hetruscis verbis, Addio, quasi ad Deum se iturum indicaret, aduentante aurorâ, ac si gestiret perrecturo ad cælos Bartholomeo spectatorem solem reuocare, spiritum Domino reddidit, anno MDX, XV Kalendas Aprilis. Corpus autem in templum translatum tumulo condi non potuit vsque ad noctem, cùm populi ex omni parte properarent ad osculum petendum. Quòd cùm Medicus, qui eum biennio curauerat, fecisset, domum inde regressus ac filios amplexus, Priusquàm aliud, inquit, opus aggrediar, vos deosculari lubet ore, quo Sancti illius tetigi corpus. Deinde reconditum sub majori altari, in eisdem sanctæ Mariæ sacris ædibus quiescit.

conditur sub altari.

B

Burgum sancti sepulcri,

a Burgum sancti sepulcri *videlicet, Anglario trans Tiberim quinque milliaribus distans: quæ licet recentissimæ prorsus originis ciuitas sit, vt apud Vgellum tom. 3 Italiæ sacræ videre est, persuasit tamen sibi sciolorum leuitas, ipsam esse antiquam & Plinio in Mediterraneis Etruriæ memoratam vrbem: vnde in curiâ legitur inscriptio quædam hoc principio*

Hic vbi nacta nouum est antiqua Biturgia nomen.

Fortè etiam ad hanc persuasionem iuuit, quod intellexerint antiquam Biturigum in Franciâ ciuitatem hodierno nomine Bourges *dici.*

b *Agit de eo tamquàm doctrinâ, prædicatione, prophetiâ & miraculorum gratiâ illustri viro, & Ordinis sui Beatis annumerat Arturus in Martyrol. Franciscano ad 4 Augusti, annoque 1484 mortuum sepultumque ait in S. Mariæ Angelorum prope Assisium.*

C

c *Mons Hetruriæ asperrimus, vbi sacra stigmata S. P. Francisco impressa pia fidelium religio recolit: & ibidem primos religiosæ vitæ annos Bartholomæum duxisse cum fratre videtur ex reliquo vitæ contextu probari: idque alij passim auctores tradunt.*

Causia

d *Latina & seculi vetustioris vox pro pileo contra æstiuos calores: & passim in Italiâ Minoritæ vtuntur per agros eiusmodi capitis operimento, compacto ex paleis aut ferruginei coloris lanâ: cui consonat istud Plauti in Milite,* Causiam habeas ferrugineam.

e *Latinè* sputi morbum *diceremus: & videtur sanguinis sputum intelligi, idque esse quod* hecticam febrim *Arturus dixit: quæ nempe eiusmodi rupta in pectore vena affectionem plerumq; consequitur: πτύματος tamen, non πλύματος scribendum erat, aut potiùs φθίσεως*

f *Quia cœnobij nomen ante annum 1540 ibi non cœpit vsurpari, ideo censuimus hanc vitam post dictum annum esse scriptam.*

g *Id est,* Vt data est Fratribus eleemosyna, *dimittuntur in pace.*

h Vérmine *Italis,* *Francis* Vermíne, *quoduis minutum insectum dicitur.*

Marianus Florentinus:

i *Marianus Florentinus rudi stylo descripsit* Fasciculum chronicarum *sui Ordinis, historiam item* piorum Laicorum, fæminarum S. Claræ, *præterea* Tertiariorum Ordinis S. Francisci, *ac denique* montis Aluernæ; *quæ MSS. extabant apud VVadingum, nec alibi ea reperimus: eum autem ab Arturo non citari hic nemo miretur: necdum ad ea tempora peruenerat VVaddingus, vt eius oculis potuerit Arturus Marianum legisse.*

k *Laicus hic fuit Florentinus, Gonzaga & Marco Vlyssiponensi laudatus: quod satis Arturo fuit vt ei ad IV Aprilis Beati titulum daret.*

l *Huius nominis oppidum inter Arretium & Cortonam inuenitur.*

D

m *Huc à communi Fratrum habitatione & templo, vno circiter stadio, leni cliuo ascenditur: eoque nunc porticus recta ducit, per quam ipsi anno 1662 21 Ianuarij ibidem sacris operati iuimus redimusque: alia eiusdem montis sacella non vidimus.*

n *Itemque Franci à similitudine tineæ vestes corrodentis: sic enim capitis cutem tenuissimis foraminibus saniem manantibus malum illud intersecat:* achores *ex Græco Plinius dixit.*

TRANSLATIO CORPORIS.

Et miracula post eam patrata

Ex Appendice MS. Italicâ.

Eodem transfertur

13 Metuentes Fratres, ne pignus tam pretiosum de subtus altari furto auferretur, illud inde sublatum retulerunt in sacristiam: postmodùm verò, mutato consilio, impetrata facultas est solenni cum processione illud in eodem loco reponendi. Eam festiuitatem præsentiâ suâ Serenissimus Hetruriæ Dux Ferdinandus alijque Principes & Magnates cohonestarunt: coram quibus rursum sub majus altare collocata sunt ossa, suauem præter naturam odorem spirantia: subsecuta quoque ad communis incrementum lætitiæ miracula sunt multa, in quibus ea quæ hic subiungimus.

dulcem fragrans;

E

cælo sereno,

14 Cælum, quod multis diebus turbidum ac nebulosum fuerat, eo ipso momento temporis, quo instituenda erat supplicantium pompa, subitò serenum tranquillumque apparuit. Michaël Zerini de Empolis plurium dierum spatio, graui vexatus cephalalgiâ, quæ nullum ei locum quietis relinquebat; statim vt se Beati meritis commendauit, leuamen expertus est.

capite dolore pellit

quartanam curat,

15 Duodennis puella, nomine Catharina Michaëlis del Biancone de Empolis, quartanâ laborans febri, matrem rogauit, vt se ad eam processionem duceret. Difficilem se prębuit mater propter incumbentem tum grauiùs paroxysmum: vicit tamen fiducia filiæ, matremque induxit, vt etiam ad contingendam sacri corporis thecam se admoueret. Vix autem eam tetigit, cùm lætâ voce exclamauit ad matrem, sanatam esse se, vt reuerâ erat.

F

energumenā liberat.

16 Magdalena Siluestri Bononiensis, Empoli commorans, eodem die liberata à dæmonio fuit, à quo vexata per annos aliquot fuerat, cùm se B. Bartholomæi meritis commendasset. Simili modo ab epileptico morbo liberata est Elisabetha Antonij Tognetti, ex Bassâ sub Empoli. Annorum quoque non plus senûm puella, facto per patrem voto, remedium cephalalgiæ obtinuit.

Hieronymi Magij virtutem exemplo suo excitat.

17 Miraculis quoque à B. Bartholomæo perpetratis potest adnumerari, quòd vitæ suæ sanctissimæ exemplo ita inflammauerit Hieronymum Magium, in Republicâ Venetâ nobilitate præcipuum equitem, belli pacisque artibus ornatissimum, vt dimissâ conjuge liberisque tenellis, in Cyprum se suosque militares animos atque industriam transtulerit, Turcicos ibidem prohibiturus progressus: vbi circa Famagustam in defensione sanctæ Fidei memorabiles infidelium strages edidisse dicitur: tandemque in eorum manus prolapsus, post varia tormenta detractamque viuenti cutem, capitali supplicio martyrij lauream fertur consecutus.

DE

DE B. SALVATORE DE HORTA

ORDINIS S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA

CALARI IN SARDINIA.

MDLXVII XVIII MART.

D. V. prope Hortam ecclesia à Templarijs erecta

1  Emplarijs sub Clemente V Pont. Max. omnino deletis, Horta Dertosanæ in Catalaniâ diœcesis oppidum, ad eos olim attinens, ad sacram D. Ioannis Militiam translatum fuit: & antiquior ædicula, in memoriam sanctissimæ Mariæ de Angelis, ad mille passus ab huiusmodi oppido, in aceliuiore cuiusdam montis parte, à præfatis Templarijs constructa, in secularium quorumdam Sacerdotum, ac postmodùm in Prouinciæ Catalanæ Fratrum Minorum ius cessit; quibus & oppidani elegans satis monasterium ex publicis facultatibus ædificarunt. Cumque huiusmodi ædicula atque monasterium à Patribus Recollectis, quibus ad tempus subfuerant, quibusdam de caussis derelicta fuissent; Caroli V Imperatoris atque Hispaniæ Regis interventu, idque Hortanis maximè instantibus, ab iisdem reassumpta fuere. *Hæc* B *Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuanus in suo opere de Origine Seraphicæ Religionis parte 3, Prou. Catalanæ. conu. 15 & addit,* Huius sacræ domus, quam duodecim Recollecti Fratres incolunt, ac fidelissimè Deo optimo maximo diu noctuque famulantur, quandoque accola fuit eximiæ sanctitatis vir, beatus Pater Saluator Alphonsus.

ad Recollectos translata,

nomen B. Saluatori dedit;

2 Alphonsi *nomen hîc adiectum; quia hoc ei pro priori Saluatoris nomine esse voluerat Prouincialis Minister, cùm eum Hortâ ablegans, suspectæ sibi sanctitatis memoriam omnem abolitam vellet, & obscurum ignotumque hominibus deinceps viuere Saluatorem. Verùm, quia non cessauit Deus miris illum manifestare prodigijs, nec cessauit vulgus proprio illum nomine nuncupare,* addito ab Hortâ *cognomine: ab eo nempe loco vnde virtutis illius & sanctitatis fama primò per totam Hispaniam sparsa, ægros & quacumque infirmitate detentos vndecumque exciebat ad spem sanitatis, à Beatissimâ Virgine Mariâ per merita huius beati religiosi impetrandæ. Quâ re ignobile ante id tempus oppidum monasteriumque, magnam acquisiuit celebritatem; non tamen perpetuum ac præcipuum eiusdem Sancti patrocinium. Hæc enim felicitas Calaritano seruabatur Conventui, vbi extremos duos vitæ annos egit, & beatè consummatus fine Sanctorum resurrectionem expectat* C *in corpore, tum adhuc incorrupto, cùm initio huius seculi illud in nouum propriumque sacellum solenni translatum pompâ est, atque in vitam eius & miracula canonicè cœptum inquiri, eum in finem vt Sanctorum Catalogo adscriberetur.*

cuius corpus Calari quiescit,

cum veneratione Beati.

3 *Quod licet continuò impetratum non sit; concessit tamen Apostolica Sedes, ex iudicio Cardinalium sacræ Rituum congregationi præsidentium, vt propria Beatis veneratio eidem tribueretur liceretque imaginem eius pingere cum radijs & miraculorum, diuinâ virtute patratorum, exhibitione: qualis vna continuò Romæ prodiisse dicitur, sed ad nostram notitiam non peruenit. Alia deinde minor incisa est præfigenda Italicæ Vitæ anno* MDCXXIV *Mediolani recusæ: in quâ idem Beatus inter medios pauperes, debiles, claudos, cæcos, genua circumcirca flectentes, visitur, dexteram ad benedictionem ijs impertiendam attollens; sinistrâ rosarij grana voluens: super cuius caput radijs cinctum Spiritus sanctus in specie columbæ descendere videtur; à dextris verò in nubibus apparere Virgo Deipara, cuius virtuti adscribere solebat omnia, quæ miseris conferebat sanitatum beneficia. Sub ipsâ autem imagine hæc legitur oratio, seu potiùs benedictio super ægros facienda cum inuocatione Beati.* Potentia Dei Patris, sapientia Dei Filij, virtus Dei Spiritus sancti, meritis & intercessione B. Saluatoris liberet te ab omni febre, tertianâ, quartanâ, continuâ & ab omni malo. B. Saluator oret pro te, & benedicat tibi in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus S. ✠ Amen.

& excusa imagines cum miraculis,

& inuocatione propria.

Auctor vitæ Dimas Serpi.

4 *Huius vitæ Auctor in titulo totius libelli non exprimitur: sed indicatur in titulo capitis 5. his verbis* Auctor id est, P. Fr. Dimas Serpi, Sardiniæ Prouincialis, ne lectori fastidiũ pariat minutiùs referendo cuiuscumque qualitatis miracula, lectorem remittit ad memoriale Pontifici oblatum, & ad magis illustria notatuque digniora transit. *Nempe non ipse, sed alius aliquis, digestam à Dimâ Hispano sermone materiam fecerat Italicam, additis pro genio suo, summario marginali & diuisione ac titulis capitum. Quem quidem interpretem suspicari possumus non alium fuisse quàm Barrezzum, cui eam vitam compilasse videtur auctor, inserendam parti 4 Chronicarum Ordinis minorum à cap. 42 libri 5 vsque ad finem ejusdem: quam ipse partem Venetijs edidit anno 1608: vnde acceptam B. Saluatoris vitam, denuo lectam approbatamque, recudendam Mediolani curauit anno 1628 Ioannes Baptista Cerri, & biennio antè alius quispiam Neapoli, quantum quidem ex Arturo colligimus, citante libellum ibidem anno 1626 excusum.* E

eadem breuius antea ter vulgata Hispanicè,

5 *Ante hanc, quam Latinè reddidimus, nostro more in capita paragraphosque diuisam, & veteris diuisionis notis in margine prænotatam: ante hanc, inquam, Vitam editæ aliæ tres, breuiores sunt, neque decimam partem continent miraculorum ex authenticis processibus hîc proferendorum. Earum prima Barcinone prodijt, eodem quo processus isthic formatus est anno* MDC, *eadem formâ quâ reliqua* Chronica Sanctorum Sardiniæ *per dictum Dimam Serpi compilata, velut prosecutio ad ejusdem Chronicæ partem quartam, in capitula quatuor, suo singula themate ex sacris litteris petito, per modum sermonum ad populum legendorum, distincta. Hanc deinde Vitam, nonnullis in principio & fine additis, continuâ oratione expressit, sed omissis plerisque miraculis breuiorem fecit, Sanctæ memoriæ Fr. Antonius Vincentius Domeneccus in historiâ generali Sanctorum Cataloniæ, parte 2, quæ est de Sanctis non canonizatis secundùm ordinem ipsarum Religionum, quarum fuêre professores. Prodijt hoc opus anno secundo hujus seculi: quo item anno, sed priùs quàm Domenecci opus vulgaretur, Dimas Serpi prædictus aliam ejusdem Beati vitam compilarat, priore pleniorem distinctioremque, & formâ minori excudi curarat, vt ipsa per se libellum conficeret, inter deuotos fideles distribuendum.* F

vnde accepta Analecta,

6 *Ex his tribus Vitis accepimus ea analecta, quæ ad calcem plenioris Vitæ subjungenda putauimus, eò quòd, præter accuratiorem de natalibus Beati notitiam nonnullaque miracula, instrumenta quoque continerent auctoritatis datæ Fr. Dimæ ad eos, quos diximus, processus in Sardiniâ Hispaniâque faciendos, non sine illustri testimonio venerationis publicæ B. Saluatori iam tum à pijs fidelibus delatæ. Agit de eodem sub insigni elogio, tum eo quem suprà citauimus loco, tum alio in quo Conuentum Calaritanum describit, Gonzaga prænominatus. Ceteros auctores, qui quocumque modo Beati hujus laudes aut miracula attigerunt, operosè in suo Martyrologio Franciscano enumerat Arturus à Monstier, & addit:* Calari festum ejus agitur permissu Pauli V Pontificis, Dominica II post Epiphaniam: maximâ verò religione publicè colitur Ianuæ, in ecclesiâ conuentus nostri de Pace, in suburbio ipsius ciuitatis; ad cujus inuocationem crebra cernuntur fieri miracula, in quorum testimonium appensæ sunt innumeræ tabellæ depictæ, diuersa ostentantes beneficia, cælitus per eum accepta: quæ omnia, inquit, vidi anno MDCXVI & MDCXX, dum illic diuersatus sum.

Cultus Dom. 2 post Epiph. & apud Genuenses,

7 *Hisce iam prælo paratis admonemur à P. Francisco Harol-*

do, dig-

A *do, dignissimo Lucæ Wadinghi successore in conscribendâ historiâ Ordinis, Romæ in sui Ordinis Conuentu Hibernis Retollectis addicto, & S. Isidori nuncupato, ad latus Euangelij circa majus altare depictam conspici magnam hujus Beati imaginem, eleuatis manibus Deiparam deprecantis pro subjectis sibi claudis, cæcis &c. Neapoli quoque anno* MDCLI *geminas ejusdem imagines rudi arte impressas haberi in capite folij, quarum altera minor & simplicior, subjecta habet Responsorium, Antiphonam & Orationem vt sequitur:* RESPONS. Iste homo ab adolescentiâ suâ meruit infirmos curare: dedit illi Dominus claritatem magnam cæcos illuminare & dæmones effugare. Ecce homo sine querelâ, verus Dei cultor abstinens se ab omni opere malo & permanens in innocentiâ suâ. Cæcos illuminare & dæmones effugare. Gloria Patri & Filio & spiritui sancto. Cæcos illuminare & dæmones effugare ANTIPH. Ab Hortâ lux est orta, quâ tota luxit Hispania, præsertim Catalania, simul etiam & Gallia, extinctus in Sardiniâ post innumera miracula, orat pro nobis Dominum. V. Ora pro nobis B. Saluator. R. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. OREMUS. Deus qui humilitate Sanctorum tuorum omnipotentiam tuam mirabiliter manifestas; quique B. Saluatorem
B ab Hortâ famulum tuum admirandâ simplicitate & mirabilium curationum gratiâ decorare dignatus es: præsta quæsumus, vt omnes qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum.

Imago picta Romæ in ecclesia S. Isidori.

aliæ Neapoli excusæ cum Responsorio

antiphonâ,

oratione

8 *Eadem leguntur sub majori imagine, in quâ exhibetur Beatissima virgo Maria, puerum Iesum in vlnis baiulans & per candidam nubem descendens ad Beatum: ad cujus pedes turba pauperum morbidorumque opem præstolatur, hoc subjecto lemmate:* Multitudo languentium veniebant ad eum, Lucæ cap. 6. *Ex vtroque autem latere legitur hymnus, siue, vt in titulo ponitur, jubilus, Hispanico rhythmo compositus per Fratrem quemdam Obseruantem, & in capellâ sacri corporis custode quotidie solitus decantari, vnà cum prænotatis Responserio Antiphonâ & oratione. Constat autem dictus hymnus Octo octonum versiculorum strophis, quibus natales, virtutes, miracula, mors & cultus ejus Calari continentur: signanter autem exprimitur, quòd per ejus capucium, in Calaritani conuentus sanctuario reuerenter asseruatum, multi obtineantur fauores: ac demum inuocatur Beatus vt specialis parturientium mulie-*
C *rum auxiliator. In capite verò atque in fine hymni prædicti minor stropha his ferè vtrobique verbis locatur.*

miraculis,

& rhythmo Hispanico:

quæ omnia Calari quotidie canuntur ad corpus.

Pues que vuestro gran fauór
Nuestros animos conforta,
Rogad por nos el señór
Beato Saluador de Horta

Ex his duo postremi versus vt possint ad singulas strophas repeti, quintus sextusque versiculus semper per or *&* orta *terminantur: priores autem quatuor sic componuntur, vt primus versiculus communem cum quarto terminationem habeat & secundus cum tertio.*

VITA

Auctore Dimâ Serpi, Prouinciali Sardiniæ & Commissario pro canonizatione postulandâ.

CAPVT I

Vitæ initia, & prima Barcinonæ, Dertosæ atque Hortæ miracula.

1  Eatus hic Frater, natione Catalanus, nascendi locum humilem & exiguũ habuit, cui à S. Columbâ *a* Farnesiâ nomen in diœcesi Gerundensi; filius viri
D pauperis, qui curam habens hospitalis nocturnum pauperibus præbebat receptum, sociam pij operis vxorem habens, ex eâque hunc mutuæ caritatis fructum. Eorum nomina neque in processibus expressa sunt, neque sciri in loco prædicto potuere: tantummodò tres circiter nonagenarij comparuere, qui testificarentur se communem habuisse in suâ infantiâ educationem cum B. Saluatore, quem ipsi nominare solebant Saluatorettum de Hospitali: mortuis autem parentibus ejus nihil vnquam se inaudiuisse de paruulo ante eum annum, quo ad Hortensem conuentum ibi commoraturus venit: tunc enim ad incolas ejus loci, in quo natus fuerat, perlatam esse famam, quòd in eo conuentu esset Frater multorum miraculorum operator & eò frequentes accessisse: quibus ille sanitatis recuperandæ caussâ venientibus seipsum manifestauit dicens: Ego sum iste Saluatorettus, filius Xenodochi vestri: hoc igitur modo ab ijs cognitum ipsum esse: cúmque postea eodem in loco S. Columbæ moraretur, conspectum grandia miracula operari: nec aliud quàm modò dictum est memoriâ teneri.

Natus in diœcesi Gerundensi, a

vt coætanei quidam superstites testantur,

2 Quãtum subductâ temporum ratione ex processuum Actis cognosci potest, lucem hanc Saluator aspicere cœpit circa annum sæculi decimi sexti vigesimũ: E
ætatis autem annum pariter vigesimum ingressus, Seraphicam S. P. Francisci religionem subiuit in conuentu S. Mariæ Barcinonensi, eximiæ obseruantiæ laudibus notissimo. Vbi qui coquinam curabat Frater, raræ sanctitatis vir, socium laboriosi abjectique officij Saluatorem accepit, in obedientiæ operibus exercendum: quibus hic se magno nisu dedit, instruendo foco, eluendis vasis, purgandis scutellis sedulò intentus; spiritumque in Deo semper defixum habens vix aliud dicere audiebatur, quàm IESVS MARIA. In omni vitâ purus & simplex, ab hoc mundo penitus videbatur extraneus, atque ab ejus negotijs adeò alienus, vt soli religioni natus credi posset. Quauis nocte in suum corpus vehementi flagellatione sæuiebat, vnde magister ejus & ceteri Fratres judicabant futurum, vt Ordinem suum eximiâ aliquando sanctitate illustraret.

circa an. 1520

post annos 20 habitum sumit Barcinonæ;

3 Sub hæc tironis sui virtutem Deus manifestis cœpit miraculis honestare. Aderat Circumcisionis Dominicæ festum, vnde huic conuentui nomen in- F
ditum, quod proinde magnâ ibidem solet solennitate celebrari: quam munificentiâ suâ augere volens Regni *b* Cancellarius, vir admodùm pius religiosusque, veruecces aliquot aliaque cibaria ad Fratres misit, jubens ea apparari in prandium, quod vnà cum ipsis sumpturus esset in comitatu multarum primæ dignitatis & nobilitatis personarum. Mandauit igitur Guardianus coco quæ facienda erant: hic autem mediâ in nocte grauissimâ se febri teneri sentiens, neque exequendo muneri suo idoneum, aduocato ad se Saluatori claues tradidit: Vade, inquiens, sibi, ad P. Guardianum, eique significa me grauiter ægrotantem hasce claues mittere, vt prandij Fratribus Dominisque venturis instruendi curam alteri alicui committat. Accepto mandato abijt ad templum Frater, nocturnæ interfuturus psalmodiæ, totamque eam noctem in oratione perseuerans, circa auroram, præmissâ corporis verberatione consuetâ, Confessionis & Communionis vsurpauit sacramenta, nec verbum vllum Guardiano dixit; propter continuatæ orationis feruorem penitus oblitus, quid sibi fuisset imperatum.

Prandij solennis parandi

b

inter orandum oblitus,

4 Interim appropinquabat prandij tempus, & sollicitus Guardianus vt ordine omnia riteque agerentur, ad culinam accessit; eamque etiamnum clausam reperiens, coquum ad se imperat accersiri: qui per Fratrem ad se missum cùm excusaret morbum, ideóque transmissas ab se claues per Fr. Saluatorem nocte mediâ

à Guardiano increpatur;

A mediâ fuisse renuntiaret; justâ, vt sibi videbatur indignatione commotus, intelligensque ex ijs, quos quærendi Saluatoris caussâ miserat, ipsum in ecclesiâ solis diuinis rebus intentum quietissimè orare, rectâ eò se contulit, & multis eum conuitijs onerans, fatuum appellauit: & pro iniuriâ sibi ac talibus Dominis factâ procul amandandum minatus, claues illi è manibus confestim eripit, & culinam aperit, nihil minùs expectans, quàm vt omnia rectè apparata eo in loco inueniret, quò testabantur omnes neminem ingressum totâ illâ nocte dieque fuisse; ac ne ipsum quidem patentem conspectum ab vllo. Atque hoc primum est signum, quod ejus caussâ Deum operatum esse cognoscere potuimus, Angelorum aut alio ignoto nobis ministerio vsum, ad supplendum famuli sui, deuotissimis precibus intenti, defectum.

sed is omnia inuenit in culinâ parata.

5 Tirocinij religiosi annuo spatio euoluto, ad solennem votorum trium professionem admissus Saluator est, ijsque nuncupatis ductus à Ministro Prouinciali ad conuentum S. Mariæ de Iesu in ciuitate c Dertusanâ, vbi Fratres excalceati in magnâ vitæ austeritate & rigidâ suæ reformationis obseruantiâ morabantur. Hic prosequi Beatus cœpit eam, quam cœperat in tyracinio & deinde constantissimè semper te-B nuit, viuendi formam; quotidiano ipse se flagello castigans, & post peccatorum confessionem Dominici Corporis Sacramento reficiens: quæ caussa fuit vt totâ mox ciuitate haberetur Sanctus, & beatum se crederet, quicumque vel semel posset vestimenta eius exosculari. Accidit ibi vt nobilis quidam, filiolum habens tantâ calculosæ concretionis mole grauatum, vt quoties mittenda vrina foret penè mortuus collaberetur in terram, in vanum remedia tentauerit omnia: qui cùm die quodam B. Saluatorem conspicatus esset, per suos hortos transeuntem eleemosyæ quærendæ gratiâ, ad illius se abjecit pedes atque vt filioli sui misertus preces pro eo ad Deum funderet, obtestatus est. Mouit lacrymabilis species supplicantis tenerum ad eiusmodi affectus animum Saluatoris, & continuò manum imposuit capiti pueri infirmi, oculisque in cælum defixis Salutationem Angelicam dixit, atque improuisò abijt. Vespere autem facto, cùm consueta medicamenta filiolo exhibituri parentes pannis eum suis nudassent, sanum incolumemque repererunt: nec vllam deinceps vel vrinæ difficultatem vel calculi molestiam passus est infans: quod miraculo manifesto nobilis ille adscribens, totâ mox C ciuitate vulgauit.

Vota professus Dertusam migrat,

c

& calculosum infantem sanat.:

Cap. II. fugientem mulum precibus sistit,

6 Quadam die ad corrogandas eleemosynas dimisso Saluatori, Guardianus mulum junxerat, portaturum quidquid fidelium liberalitas contribuisset: hic autem liberum nactus campum, curriculo se in fugam dedit versùs conuentum, frustrà insequente eum socio Saluatoris ac retinere conato. Qui videns nihil à se profici, retro conuersus inclamare auxilium Saluatoris; hic verò genua in terram figere, eodemque momento temporis stare mulus, seque apprehendendum præbere Fratri: cui jam propiùs facto subridens Saluator; Qualem, inquit Fratribus nos ridendi materiam dedisset hic mulus, si absque nobis reuertisset domum. Bilem innocuum istud verbum socio mouit, sic vt duriora quædam regereret; ad quæ ille mansuetâ, vt solebat, voce: Ignosce, inquit, Frater: nam istæc omnis mea culpa fuit: nunquid enim non sum insensatior ipse quàm si jumentum forem, qui mulo ratione non vtenti credidi? verùm ex hoc metum pone, & liberum illum ambulare permitte, certus quòd non diffugiet ampliùs: quod nec fecit. Ita peruenerunt ad locum cui d Galera nomen, vbi infantula erat diu quartanis afflictata febribus; ab eisque fuit liberata, statim ac Beatus, injecto circum eius collum Rosario, Aue Maria recitauit.

d quartanam curat.

7 Eodem ex conuentu tam celebris miraculorum eius fama toto se regno diffudit; vt confluentium ad ipsum vndique mortalium pertæsi frequentiam boni illi Fratres, Prouincialem rogarint, vt quieti ipsorum consulens aliò abduceret Saluatorem. Audiuit supplicantes Minister; & ne quis consilij sui rumor ad illius ciuitatis incolas permanaret, secretò abduxit Beatum ad alium conuentum à Virgine Hortensi cognominatum, asperrimis in montibus, e Hortâ duobus passuum millibus distantem situm, vbi religiosissimæ conuersationis Fratres perpetuò residebant (vt constat ex chronicis) & Saluator asperam, jejunijs, flagellis, orationibus vitam ducens, à suâ ipse luce, seu potiùs à Deo virtutem ipsius latere nolente, proditus est: breuique affuerunt prædictæ Hortæ Consules, supplicantes, vt Deo vellet locum istum suas per preces commendare. Quibus Saluator, diuinâ inspiratione admonitus, dixit; viderent vt domus satis ampla multis lectis instrueretur, magnáque necessariarum ad vitam rerum, tritici, auenæ, olei, vitulinæ ac veruecinæ carnis copia in promptu esset: fututum enim vt isto in loco diuina omnipotentia magnificè ipsam se exhiberet, & suarum miserens creaturarum matris suæ honorem glorisissimè manifestaret. E

D Avct. Dima Serpi

Ad alium conuentum prope Hortam translatus,

e

Consules de aduenturâ multitudine monet,

8 Abierunt illi his auditis variæ cogitationis fluctuatione discordes: quidam enim fidem adhibendam verbis eius opinabantur, alij negabant eorum sensum se posse capere: omnes denique neglectim habuêre quæ audierant. Itaque eleemosynæ caussâ versùs oppidum posteà egressus Saluator, ijsdem juxta vrbem obuiam sibi venientibus dixit: Vos quidem mihi fidem habere noluistis: at ego vobis dico futurum vt veram fuisse prædictionem paucos intra dies videatis. Quibus transactis ingens duorum circiter millium apparuit multitudo, gibbosi, contracti, paralytici, cæci, surdi, muti, febricitantes, hydropici, hernioli: quoniam omnium vox vna erat querentium, vbi homo ille sanctus commoraretur, qui tanta Tortosæ operabatur miracula. Cúmque eis monstratum esset sanctissimæ cælorum Reginæ cœnobium, rectum eò iter tenuerunt, petieruntque in suis malis ab eo remedium obtinere. Iussit ille vt Sacramenta Confessionis & sanctæ Communionis obirent omnes, & suâ denique benedictione, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, impertitos dimisit: diuinâ in eos continuò operante virtute, atque ab omnibus quotquot tenebantur infirmitatibus liberos faciente.

monitionem negligentes arguit:

adest illa ad 2000: & curantur

F

9 Fuit inter illos nihilominùs paralyticus quidam communis gratiæ & lætitiæ expers: quem cùm jumento suo impositum socij auehere pararent in comitatu ceterorum, prodijt foras vir beatus, inspecturus illam hominum multitudinem maximam, eosque admonuit vt ne obliuiscerentur debitas Deo gratiarum referre actiones pro beneficijs per intercessionem B. V. Mariæ impetratis. Ad quem paralyticus: Ego verò, inquit, Pater, cur non æquè ac ceteri sanatus sum? Quia respondit Beatus, Confessionem præscriptam tibi neglexisti, nec ea quâ ceteri fide huc aduectus es. Tum paralyticus; Pœnitet, inquit, offensi Numinis, firmiterque propono peccata confiteri: at Beatus, Eia ergo surge atque descende ex equo, & ad Confessarium abi properè, dein gloriosæ Dominæ gratias habe quòd optatam tibi restituat sanitatem. Eodemque momento sanus promptè præstitit quantùm fuerat imperatum. Exhinc, cùm illa sanatorum multitudo factam in se virtutem vbique prædicaret, & alij alios continuâ beneficiorum receptorum experientiâ traherent ad Beatum, multis annis durauit ille confluxus hominum vndique aduenientium, vt nullus non dies esset, quo non aliquot hominum millia concurrerent; atque in hebdomadâ sanctiore ad quatuor millia excresceret numerus: quin imò in festo Annuntiatæ Virginis ad sex omnino millia

præter vnum paralyticum omnes infirmi;

sed & is pœnitens sanitatem obtinet.

Multis annis durante confluxu tanto,

AVCT. DIMA SERPI

A millia confluxere; ideo vt, cùm turbas hospitia publica non caperent, sub arboribus tentorijsque sparsim toto monte locatis pernoctandum cunctis fuerit, vt educti in campum milites solent.

victus tamen nunquam multitudini deficit,

10 Atque in hoc potentiam suam simul & misericordiam Deus exeruit; siquidem tanta cùm esset quotidie multitudo, necessario victu neminem destitui contigit, sed vndique ex toto regno & vicinis maximè regionibus venalia afferebantur cuiusuis generis edulia. Dignum autem imprimis visum est quod in processibus quoque notaretur, videlicet homini cuidam, qui veruecis vnius caput regali vendiderat, post acrem auaritiæ & crudelitatis reprehensionem prædictum ab eo esse, futurum vt nemo ex familiâ eius conquisitis ab eo bonis frueretur: itáque accidit, familiâ ipsius simul cum re familiari intra breue tempus penitus euanescente. Videntes igitur prædicti Consules veram fuisse B. Saluatoris prædictionem, mandarunt vt multæ necessariæ merces versùs monasterium deportarentur; affirmaruntque deinceps præter ea quæ vltro exciti vndique eo ferrent propolæ, eodem missas fuisse quotidie non pauciores quàm centum vecturas tritici in panes laborati: adeò vt non solùm ijs quæ seruili operi addicuntur diebus, sed Dominicis quoque ac festis ipsoque die Paschæ laborandum fuerit circa furnos pistoribus, ne cibus deficeret multitudini.

sed magnâ vndique copiâ aduehitur.

B

a Plures ab hac Sanctâ Cordubensi Martyre, & 17 Sept. colẽdâ nominatos vicos exhibent tabula infrà ad num. 94 citanda: quæ eadem etsi Farnesia cognomen non exprimant, hunc tamen vicum tertio ab Gerundâ Hispanico milliario situm esse ad Euro-Africum, demonstrari potest ex viciniâ villæ Bruniolæ, à S. Columbâ vno milliario versùs ciuitatem distantis: quam villam, ad fluuium Onar sitam, constat ex num. 141 primam parentibus Beati habitationem fuisse: sed morbo cogente inde huc ad hospitale redactos. Arturus in Martyrologio Franciscano Horta, vnde cognomen habet, natum esse Saluatorem temerè credidit.

b D. Franciscus Montaner, vt habent alia omnes vitæ.

c Vulgò Tortosa, ad Iberum amnem, in extremâ penè versùs Valentinum regnum Cataloniâ.

d Trans Iberum Tortosâ distans milliaribus tribus.

e Quinque aut sex milliaribus supra Tortosam ad Boream.

CAPVT II

Complura miracula in Hortano conuentu patrata.

CAP. III Ex Hortâ seniores iurati testantur,

C 11 EX oppidi Hortani indigenis seniores sequentium miraculorum fidem hac faciunt ratione, vt propter diuturni lapsum temporis fateantur, multorum, quibus ea facta sunt, nomina suam effugisse memoriam: eò magis quòd major pars eorum, quos suprà naturæ vires sanatos esse meminerant, alienigenæ essent atque ex remotis regionibus aduecti. Vt tamen recordantur suis oculis à se visa sic narrauerunt, & vera esse jurejurando super sancta Christi Euangelia prestito confirmarunt. Adolescentulus brachio, latere & crure dextris paralyticus ad B. Saluatorem deportatus fuit, qui obitâ peccatorum, vt jussus erat, confessione sacráque Eucharistiâ susceptâ, illius benedictione signatus, manúsque & rosarij impositione dignatus, sanus extemplo assurrexit, Deoque & beatissimæ ejus matri gratias dicens abijt. Michael Salimas, ex oppido, quod in Aragoniâ situm Carinegna dicitur, contractus genua, solâ Beati benedictione opus habuit, vt furcillis abjectis firmis gressibus sanus abiret. Ioannes Penar d'Aranda, ex eodem oriundus oppido, sextum annum paralyticus, mensibus omnino quindecim ita iacuerat lecto affixus, vt ex eo leuari numquã potuerit: hic intra lecticam deportari se voluit ad ecclesiam S. Mariæ de Hortâ, confectisque eâ ratione supra centum quinquaginta a milliarijs ante B. Saluatoris pedes stitit se; peccataque confessus & Christi refectus Corpore, post illius benedictionem surrexit in pedes, incolumitate receptâ lætus. b

sanatos paralyticum, contractum, paralyticum alium,

D

12. Petrus Ales, ex oppido c Pauls, filiolam Magdalenam nomine, quam huic luci cœcam sua vxor pepererat, ante biennium eodem attulit circa natalitia Christi Domini festa: cui vt Saluator benedixit, sinistrum oculum aperuit infantula. Ita domum tunc quidem læti satis, dimidiato quamuis beneficio, reuersi sunt: sed Martio subsequente ad Beatum reuerterunt, rogantes atque obsecrantes vt suum vellet implere beneficium, & alterius quoque vsum oculi filiolæ impetrare. Audiuit ille, manumque oculo tenebricoso imponens, hunc quoque videndæ lucis compotem fecit, puellamque visus integri facultate donauit. Barbara Cabelli, ex oppido d Alcagnis, vno brachio paralytica, factâ peccatorum suorum de mandato B. Saluatoris confessione, sana atque hilaris ab eo recessit. Martino de Giarâ, ex oppido Luizio diœcesis Pampelonensis in Cantabriâ, alterius oculi vsum cæcitas, & brachij motum paralysis abstulerat; vtrumque reddidit petita susceptaque deuotè B. Saluatoris benedictio: quod eadem paralyticæ mulieri ex Nauarræo regno præstitit, receptæ sanitatis signum post se relinquenti axillares furculas, quibus gressum moliens corpus sustinebat. Sic etiam ab herniâ graui curatus est puer Valentiâ Hortam deportatus. Simile malum patiebatur quidam ex oppido e Monzonio in Arragoniâ, vir magnæ dignitatis, Dominus Escalara dictus, cui à Beato benedici, & rupturam solidari idem fuit.

puellam cæcam; item paralyticas duas, vnumq; herniosum

E

Coram 2000 hominibus mutus loquelam accepit à Beato,

13 Fuit cum vltra duo hominum millia implessent montem in quo monasterium, tunc B. Saluatoris domicilium, existebat: qui omnes jurati confirmarunt suis se vidisse oculis, quomodò vir mutus à natiuitate coram Beato consistens, ab eodem ad compassionem moto jussus fuerit, Aue Maria, recitare. Qui cùm nec primâ nec secundâ vice ad imperantis vocem linguam resoluere posset in verba; tertiâ demum vice ori ejus Beatus digitos suos inseruit, apprehensáque ejus linguâ dixit: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti dic, Aue Maria. Et continuò respondit mutus, Aue Maria, & reliquam ex ordine Angelicam Salutationem percurrit, vnâ cum Patre: atque exinde liberâ loquendi facultate præditus perseuerauit. Plurima eo die miraculâ alia B. Saluator perpetrauit, quorum copia fecit vt eorum memoria non fuerit scripto conseruata.

F

qui prædicit innoxiam sclopi explosionem, sanat varios, item mutum

14 Quidam Iacobus Amargos dictus, B. Saluatori commendauit fratris sui vitam; cui proscriptorum aliqui ipsius inimici haud obscurè interitum moliebãtur; & Sanctus, Sclopos quidem, inquit, suos in illum exonerabunt, nullum tamen vulnus inferent, Beatâ Virgine, cui est perquàm deuotus, fratrem tuum protegente. Itáque euenit paulò post, cùm loco opportuno deprehensus, plumbeâ glande est ab inimicis petitus; sed quæ solas vestes transijt, innoxia corpori. Sinistro brachio paralyticus puer benedictione Beati sanitatem accepit: eâdem cæcus quidam visum obtinuit: alia toto corpore resoluta puellula hac quoque ratione toto corpore persanata in pedes se leuauit. Erat viginti annorum juuenis, & hic à natiuitate suâ mutus: cui ad pedes suos prostrato imperauit Sanctus, vt Aue Maria recitaret, & deinceps perfectè locuturum dimisit. Reptabat per terram manibus ac pedibus vetula mulier: cui postquàm benè precari Beatus cœpit; erexit illa se coràm eo, & reliquit fulcimina, quibus nixa sese loco mouebat.

Mutæ mulieri

25 Alia annorum quadraginta quinque, pridem amissâ loquendi facultate, mœrebat: pro quâ deprecantibus respondit Sanctus: Peccauit ipsa peccatum grande, ipsoque quo id commisit die priuata est linguæ

A guæ suæ vsu; neque eum recipiet priùs quàm suum fassa delictum fuerit. Instantibus porrò illis vt commissi facinoris confessionem ipse ab eâ exprimeret: In nomine, inquit Patris & Filij & spiritus sancti, eia, inquit, edicito nobis, verumne sit quod graue quoddam scelus admiseris! Verum, reponit illa. Ergo coram omnibus istud fatere, ait Sanctus: Tum illa: Nimiâ temporalium bonorum cupidine stimulata, colaphum patri meo impegi. Mox Sanctus loquelam ei totam restituit, jussamque sacramentalem facinoris sui à Presbytero absolutionem petere, suoque patri supplicem illatæ injuriæ postulare veniam, à se dimisit perfectè sanam, duplex in vnâ muliere eodem tempore miraculum operatus. Vidit aliquando puerum Saluator annorum quindecim, manibus genibusque repentem, eique commiserando precatus benè, per manus arreptum in pedes sustulit, aitque, Vade & beatissimæ Virgini gratias age, quæ tanto te malo liberauit.

confessionem imperat, & sanam dimittit: puerum reptantem erigit.

26. Aliàs adducti, ad eum pueri fuerunt quatuor ab ipsâ natiuitatis horâ surdi ac muti: jussit sanctus ut Aue Maria dicerent: verum illi absque sermone manserunt. Iterum igitur, sed consuetâ S. Trinitatis per Crucis signum inuocatione præmissâ, Nunc inquit Aue Maria, dicite. Et continuò omnes quatuor loqui expeditè cœperunt. Puellam recens viro B desponsam arripuerat dæmon & grauiter cruciabat: alligatam igitur fratres ipsius quatuor ad Sanctum adducunt, rogantque vt ejus misereatur. Nec fuit precibus opus, cùm esset ad commiserationis affectum tenerrimus: itaque imperauit è vestigio dæmoni vt malè insessum corpus relinqueret, restitantemq; iterato cum sanctissimæ Trinitatis inuocatione imperio ad egressum coëgit. Qui cùm paruisset, remansit libera quidem, sed viribus cunctis destituta puella. Dixit ergo Sanctus Vade, & tuæ liberatrici Mariæ refer gratias; quod faciens etiam pristinum corporis robur recepit.

4 mutis loquelam dat: energumenam liberat:

28 Homini quoque muto ad se adducto & Cruce signato orationem dominicam recitandam præiuit & in subsequendo habuit obsequentem, admirantibus qui aderant cunctis tam subitam sanitatem, ac Deum laudantibus. Aliàs attulere ad ipsum infantulum, quem mater sua cæcum in lucem protulerat, rogaueruntque vt tenellæ misertus creaturæ oculos ejus aperiret, qui sic clausi erant, vt eorum nec minima quidem particula videretur: fecit pro eo orationem Beatus, & quod petebatur impetrauit à Deo, & puerique parentes cum filio vidente lętos domum remisit. Nunc quoniam miraculorum copia fastidium parere C lectori posset, quorum summarium in extremo Vitæ hujus capite legi potest, satis deinceps habebimus celebriora quædam proferre in medium.

mutū sanat, item cæcum infantem.

28 Accidit aliquando vt viginti simul paralytici ad B. Saluatorem venirent, ab eoque instanter & humiliter exposcerent sanitatem: quibus ille, Promitto, inquit, quòd pro vobis sanctissimam Virginem deprecaturus sim: vos quoque, quod vestrarum est partium, de peccatis vestris conterimini, & mecum orationem Dominicam salutemq; Angelicam toto cordis recitate affectu. Quod cùm illi Sancto præeunte fecissent, conuersus ad ipsos altâ voce cunctis benedixit dicens: In nomine Patris &c. & continuo integrâ donati sunt omnes sanitate, relictisque ibidem cruculis atque alijs mouendi corporis adminiculis, Deum ac Beatam Virginem collaudantes, sancto autem Fratri gratias agentes, abierunt. Franciscus Alos ciuis Hortensis testatur, à Consulibus illius loci varios esse electos, qui prospicerent ne frumentum deesset conficiendis panibus concurrenti indies multitudini necessarijs: seque cùm esset ex eorum numero, inter sex menses exerciti muneris vendidisse populo ter mille septingentos rubos (quod mensuræ genus quater acceptū quintale vnum farinæ implet) alios autem in eodem munere constitutos majorem frumenti quantitatem D vendidisse, præter eam quæ aliunde inferebatur ab institoribus panarijs atque pistoribus aliarum partium.

sanat paralyticos 20. Quanta panum copiā opus fuerit per grinis.

29 Puella, quæ surda & muta venerat in hunc mundum, adducta ad Saluatorem est sexennis, soloque Crucis signo sanata, imperatum sibi Aue Maria clarâ voce continuò recitauit, & læta abijt. Alia annorum quatuordecim eodem planè laborabat vitio itidem à natiuitate: eodemque signata modo, tertio imperio opus habuit, digitique super linguam inertem positione, antequàm eam in verba præscripta resolueret. Alio die præsentata Beato mulier est maligno infessa spiritu: quam statim ac coram se vidit Saluator, In nomine Patris, inquit, &c. tibi impero diabole, vt ex hoc corpore egrediaris. Egrediar, reponit ille, modò per os vel nares occulosúe egredi permittar. At Beatus: In nomine Sanctissimæ Trinitatis beatissimæque virginis Mariæ nihil horum licebit: sed per eas quę te tuique similes decent putętissimas partes egredieris: ipsaque horâ egressus est dæmon, tanto cum strepitu atque fragore, vt tonare cælum videretur: pessimóque hospite liberata mulier, agendis Deo & Virgini gratijs ipsique B. Saluatori gratitudinis conata explere affectum, domum tandem hilaris recessit. E

Duæ puellæ mutæ, mulier energumena,

30 Homini cuidam ad alterius cruris paralysim ita inflatum tumebat genu, vt vnius peluis magnitudinem æquaret: qui obitâ ex Beati præscripto peccatorum confessione, & illius benedictione signatus, absque crucibus domum expeditè redijt. Ludouicus quoque Pilliur ciuis Hortensis, & longâ ægitudine lucem amiserat oculorum, & cæcus multis annis vixerat: donec tandem ad B. Saluatorem accessit, & confessione sacramentali præmissâ eum rogauit, vt propter Dei amorem sibi etiam restitueret visum: quod & obtenuit, illius benedictione acceptâ. Eodem die surdus & mutus ad Beatum adductus, post Crucis signaculum ipsi impressum jussus est Aue Maria dicere: dixit; & exinde expeditè loqui atque audire potuit.

paralysis vnius cruris, diuturna cæcitas, mutus ac surdus curantur.

a *Italica milliaria sumpserit interpres Italus, quorum tria vni Hispanico, qualia hic dumtaxat numeramus, æquiualent: & vel sic in extremis Aragoniæ finibus esse oportet Carinegnam, quacumque demum in parte sitam.*

b *Additur in alijs Vitis. ejus lectum parieti affixum in templo mansisse, donec ætate consumptus decideret.*

c *Vicus est dimidio inter Hortam Tortosamque itinere.*

d *Ad Guadalupani fluuij in Iberum influentis orientalem ripam, horarum circiter octo itinere.*

e *Circa Sosæ Cincæque fluuiorum confluxum, haud procul Balbastro, ad Ilerdensem tamen pertinens diœcesim.*

F

CAPVT III.

Aliorum miraculorum prosecutio: in quibus duo mortui suscitati.

31 QVidam nobilis Nauarrus duodennē filiam, ab ortu surdam simul & mutam, ad B. Saluatorem portari fecit, ipsumq; rogauit vt eam ex caritate sanaret. Respondit Beatus: Vade & confessus ac sacrâ Eucharistiâ refectus octiduum in hac ecclesiâ mane, vigilijs orationibusque coram Virgine insistens: & priùs quàm hinc egredieris filiam expeditè loquentem audientemque habebis. Fecit pater afflictus quod erat imperatum: transactóque octiduo cùm nihilo meliùs quàm antea filiæ suæ esse videret, diffidens de factâ sibi promissione ac mœstus, Heu me infelicem! inquit, Fr. Saluator, cui cùm tu promiseris vt priùs sanam haberem filiam quàm ex hoc abirem loco, neque voti mei neque promissi tui merui videre effectum. Cui Beatus: Et tamen, vt dixi, inquit, sic fiet. Exiuit nihilominùs mœstus è conuentu nobilis

Filia surda ac muta sanitatem pater, quamuis diffidens obtinet.

A nobilis atque in vrbem regressus, jumenta & vehicula oneraüit rediturus ad sua: quo facto filiam per manus capiens: Heu! inquit, iterum infelicem me, filia, qui speratam à viro Dei gratiam non valuerim obtinere. At puella fixis oculis intuita patrem, Ne plangas, refert, care pater, etenim vir sanctus audiendi mihi simul & loquendi facultatem expediuit. Audiens ille loquentem filiam, amplexus eam præ gaudio est, &, Miraculum, miraculum exclamans, continuò calceos pedibus suis detraxit, ijsque nudis regredi cum filiâ festinauit ad Sanctum, gratias eidem acturus: qui alios octo dies ibidem remanere jussit, vt eâdem in ecclesiâ meritas B. Virgini gratias ageret; quibus fideliter piéque expletis ad propria lætus remeauit cum filiâ, audiente & loquente. Eodemque die paralytica mulier Crucis signo adhibito sanata fuit.

AVCT. DIMA SERPI

32 Similem priori calamitatem Cantaber quidam cum vxore suâ lamentabantur in filiâ, octo jam annos natâ: quam cùm Sancto obtulissent & eius super ipsam impetrauissent benedictionem, jussi sunt octo dies ibidem remanere & pro impetrandâ filiæ sanitate beatissimam Dei Matrem fideliter exorare: Loquetur enim, inquit, post hæc filia vestra. Quarto die puella cum Hortensis vrbis indigenis loqui cœpit Catalano idiomate, omnibusque Miraculum, miraculum inclamantibus, soli tristabantur parentes, quòd filiam loquentem nec intelligerent ipsi, nec vicissim intelligerentur ab eâ: cunctis, qui aderant, supra modum mirantibus prodigij istius insolentiam. Ergo ad Sanctum virum recurrunt, rogantes vt Cantabrica lingua non Catalanica filiæ suæ daretur: quibus Beatus; Ita Virgo, inquit beatissima voluit, vt omnes huius loci indigenæ suâ ipsam linguâ loquentem audirent: prosequimini orationem institutam, & ego vobiscum deprecabor, vt quam petitis, gratia ipsi fiat. Reliquis igitur diebus quatuor continuata supplicatio est: post quos paruulæ benedicens Salvator, Voluit, inquit amici mei, Virgo sanctissima, vt filia vestra solo Catalanorum idiomate dum intra eorum fines erit, vtatur; hos postquàm excesseritis, Cantabricum ipsa sermonem loquetur. Quòd qui audierunt multi ad Arragonici regni *a* fines, quoniam solis duobus milliaribus aberant, comitati sunt abeuntes, vt nouum miraculum præsentes cognoscerent: statimque ac flumen transmiserunt, patrio vernaculoque sermone loqui puella cœpit.

Alteri vsus linguæ Catalanicæ miraculo datus,

a alio miraculo vertitur in Cantabricā.

B

33 Memoratus supra Franciscus Alos mediâ juramenti fide testatus est, viros duos in sui patris domum hospitium elegisse, secum habentes puerum immani vtrimque rupturâ cruciatum, sic vt eiulare numquam desineret, identidem clamans, O Sancte Saluator, quando optatus illucescet dies, quo coram te sanandus veniam? O vir Sancte, audi quæso lamenta mea, tormenta respice, vt mei miserearis. Cúmque hæc diceret, subitò sanatum puerum oculis suis conspexit, nec vlla prioris mali vestigia retinentem. Ioanna Escudir etiam Hortæ nata, simili fide testatur, quòd in lucem venerit fisso in duas partes pectore, itaque ad decimum annum ætatis peruenerit, multis grauibusque ob eam aperturam malis & doloribus obnoxia; quibus nulla quidquam remedia proderant. Tandem eam mater decreuit ad B. Saluatorem adducere, qui ei in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti benedicens, abire jussit, & Deiparæ matri pro redditâ sanitate gratiarum persoluere actiones. Iurauit autem Ioanna prædicta, ex eo die nullum se in pectore dolorem sensisse: hodiéque in illius miraculi memoriam puellaris pectoris monstratur effigies, similis fissuræ signa exhibens. Eadem testatur in domo paternâ plurimos exceptos fuisse hospitio varijs infirmitatibus afflictos, gibbosos, paralyticos, cæcos, surdos, mutos & contractos, quibus Beatus sanitatem suâ benedictione conferebat.

C

Beatus innocatus sanat rupturam,

hiatum pectoris,

D

34 Bartholomæus Zoig Hortensis, vt alij, etiam ipse jurauit, vidisse se adferri in lecto paralyticum, cui cùm Sanctus in nomine Sanctæ Trinitatis benedixisset, sanus ille surrexit & abijt: vidisse item eodem die inferri infantulum vtroque orbatum lumine, quod accepit, statim ac Saluator pro eo orauit. Ioannes Vquet pari jurisjurandi religione affirmauit verum esse, quòd cùm B. Saluator stans in gradibus templi, plus quam duobus hominum millibus, per montem & circa templum fusis benediceret, mulier quędam sinu tenens paruulam filiam, eamque à natiuitate cæcam, in turbâ adstiterit: quam cùm filia sua adapertis subitò oculis subridens aspexisset, attonita illa in terram corruit, subitæ lætitiæ vim non ferens: quo factum sit, vt vndique ad miraculum cognoscendum alij accurrerint. Iurauit etiam patri suo tum viuēti accidisse, vt iret ad Sanctum, pro filio, qui domo fugitiuus excesserat, deprecaturus: qui responderit, iret ad templum, & istic ante aram Virginis oraret. Quod dum facit, adest Sacrista & campanam pulsat. Beatus autem ad patrem dixit: Bono fac sis animo, jam filium tuum vocari jussit Domina nostra; eumque tali die videbis reducem: prout factum est, eumque receptum pater ad Saluatorem adduxit: qui requisiuit, vbinam fuisset, & quis reditum persuasisset. Respondit ille: Eram ego die tali in oppido regni Valentini *b* Cabanar dicto, ibique sonitum campanæ audiui similem ei qualem in hoc monasterio pulsant, cui attentiùs aures aduertens, judicaui haud dubiè eamdem esse; quamuis non viderem quomodò id fieri posset, cùm tam multis milliaribus hinc distarem: eodemque tempore inspirari mihi sensi desiderium ingens reuisendi patris, & ad hoc sanctum monasterium veniendi. Cognouerunt igitur, quotquot ea narrantem audiuere, rem actam esse eo ipso tempore, quo, Sacristâ campanam pulsante, de pueri reditu Beatus fuit vaticinatus.

varios infirmitatu,

puellam cæcam:

reditum fugitiui filij

E *b*

patri impetrat & prædicit Beatus.

35 Hæc dum fierent, & accurrentium ad se hominum multitudine fatigatus, suum insuper corpus grauium pœnitentiarum rigore debilitare non cessaret; prolixis jejunijs, disciplinis asperrimis, nullo lecto, nullis calceis vtens; in grauem tandem febrem incidit, cuius causâ aperiendam ei venam esse sanguinemque minuendum medici judicarunt. Quod cùm factum esset atque in vulgo innotuisset, prohibere Fratres non potuêre, quò minùs in monasterium irrumperent turbæ, eòque se penetrarent vbi lances sanguinem continentes erant, in quo sua plurimi tingebant sudaria lineosque pannos, pro reliquijs collectum hac ratione cruorem secum ablaturi: tingebant eodem rosaria quidam. Quin & mulier fuit grauissimè infirma, quæ arreptam scutellam linguâ tergens mundauit, *c* & subitò se sanatam sensit. Plures ad sua reuersi, infirmis pręsens ferebant auxilium, imponentes eis rosaria vel panniculos suos, quos beati viri sanguine tingentes consecrauerant.

CAP. V In morbum incidit:

& sella vel sanguis auide expetitur:

F

36 Matthæo Zuiz nobili Valentino, Majori-domus Ducis de Maquedâ, anno *d* MDXXXIX filius erat annorum duodecim, patri cognominis: qui cùm die quodam per ciuitatem Valentinam inambularet, subitâ morte in ipsâ plateâ extinctus corruit; mortuumque testati sunt, quotquot confestim collecti medici ad relatum in domum paternam corpus visendum conuenêre, profitentes penès patrem esse patientiæ remedium, quod vnicum hoc in casu sperari posset: neque enim in suâ arte quidquam præsidij superesse. Plangebat inconsolabiliter mater filij hujus amantissima, & adeò ipsa cruciabat sese in aspectu mortui, vt sublatum ex oculis domestici famuli in aliud conclaue asportarint, vbi pro more regionis curarunt funus, inuoluentes cadauer Hollandicæ sindoni, eique sic insuentes vt nulla eius pars conspiceretur. Die sequenti, omnibus jam ad funebrem pompam paratis, cohiberi

puer subitò mortuus, *d*

& mortuus infans funeris...

A cohiberi non potuit mater, quin irrumperet vbi triste filij cadauer jacebat: super quod collapsa, O Frater, inquit, Saluator, vir Sancte, tu scis quàm tibi benè afficiar; sæpe in hac domo meâ mihi dixisti, quòd pro me semper oraturus esses: nunc enimuerò tempus postulat, vt huic afflictissimæ matri auxilium porrigas: & ego polliceor, quòd missura sim ipsum hinc ad te in tuâ domo visitandum. Hæc cùm diceret, iterumque repeteret, sensit filium linteo insutum mouere brachia, & continuò exclamans, Adeste, inquit, concurrite ocyùs, & hanc mihi sindonem discindite; quia filius meus viuit. Prodijt itaque viuus puer, atque à patre adductus ad Dei famulum, eique oblatus est. Ipso autem monente vt gratiarum actiones Virgini matri persoluerent pro eo beneficio (cuius amplum deinde testimonium præbuêre) octo diebus ibidem permanserunt; ac demùm, sumptâ cum benedictione licentiâ redeundi, in viam dederunt se pater ac filius, non tantùm liberatus à morte, sed etiam ab herniâ, quam passus fuerat vsque ad illud tempus, quo suâ eum Sanctus benedictione signauit.

suscitatur, & ad Sanctum ductus,

liberatur ab herniâ.

37 Mulieri cuidam Sperantiæ Fontanes dictæ, ciui Dertusanæ, filius etiam nunc anno MDCIII viuus est, Michaël nomine; qui anno MDLIX duodecim annorum adolescens in Iberum incidit, submersusque est. B Fortè illac transibat Sperantiæ frater, ad quamdam suam vineam iter habens, & sub arboris cujusdam inclinatæ ramis nescio quid obseruauit fasci pannorum simile. Cucurrit igitur vt baculum inueniret per modum vnci aliquâ parte recuruum, eóque propiùs ad terram attrahens id quod inuenerat; primò puerum esse aquâ plenum tumentemque, deinde attentiùs lineamenta considerans, deprehendit sororis suæ filium esse. Extractum igitur supra majorem petram, istic casu jacentem, posuit, atque ad sororem properauit: quæ in lacrymas planctusque ad dilecti filij conspectum resoluta, dicere cœpit: O vir sancte Fr. Saluator, audi planctus & lamenta mea, & filium mihi meum resuscita: & ego promitto venturam me cum ipso ad te, atque ad illam ecclesiam tuam, in quâ tam multa miracula operaris, ibique octiduo toto permansuram. Vix ea dixerat, cùm puer aperto ore aquam omnem euomere cœpit, quam intromiserat, eumque sic resuscitatum duxit ad virum Dei: cui antequàm verbum diceret ipsa, prior ille sic orsus est: O improuida, cur tam malè custodisti hunc filium tuum, vt fuerit in flumine submersus? fatere igitur vitam ei esse à Virgine redditam, eique gratias pro beneficio refer. Rectè mones, respondit illa, Pater mi: verùm scito quòd postquàm resuscitatus est C tam molestum circa pectus spasmum patiatur, vt opus mihi sit eum ambabus vlnis fortiter circumplexum stringere, alioqui moriturum. Sanctus verò ipsius capiti Rosarium imposuit cum inuocatione sanctissimæ Trinitatis, exindéque nil simile passus est. Addidit deinde prædicta mulier: Hanc quoque filiolam meam huc adduxi, cui jam hinc à duobus annis vlcus in capite apertum, ingentem puris copiam foras mittere non desinit. Huic autem similiter Sanctus Rosarium suum super caput posuit, lineumque quod manu præferebat puella, velum accipiens, capiti eius suis imposuit manibus, eóque strictim alligato dixit: Vide ne infra octauum diem illud resoluas: quia breui eam Dei mater sanabit. Et verè transactis diebus octo integrè sana reperta est paruula, & à fœtido isto malo liberata.

Puer in Ibero mersus,

matre Saluatorem inuocante

reuiuiscit,

& sanatur à spasmo,

et & soror eius à fœtido vlcere.

a *Arragoniæ regnum à Catalaniæ principatu ad Occidentem determinat riuus, Algos vulgò dictus.*

b *Catalanos à Valentinis Cenia flumen diuidit, trans quod plus quàm octo horarum itinere versùs Africum abest vicus,* Cabañes *in Geographicis dictus tabulis; pro quo Mediolan. editio perperam habet* Cabanar.

c *Minoris momenti visum hoc esse, ideóque à Commissarijs Notarijsque in processibus præteritum, notat auctor in Vitâ Hispanicâ anni* 1602: *pag.* 22: *sibi tamen, qui ista testantis verba præsens exceperit, non esse prætereundum præfatur, cùm arguat opinionem omnino eximiam, quæ innatum feminis ab omni eiusmodi eluuie horrorem vsque adeò superare potuerit.*

D

AVCT. DIE-MA SENPI

d *Initio* 1559, *vt facilis est in vicinis istis cifris* 3 *&* 5 *error: patet enim religiosum, & quidem plurium annorum fuisse Saluatorem, cùm ista agerentur: forte etiam pro* Zuiz *scribendum erat* Ruiz, *notum Hispanis nomen.*

CAPVT IV

Miracula absentem inuocantibus præstita: rursum alia Hortæ patrata.

38 FRater Stephanus, Vicarius Conuentus Fratrum Minorum Obseruantium in a Alicante, vlcus habebat sub ipsis genitalibus, ejus naturæ, vt hac eadem viâ, non aliâ, posset vrinam mittere. Tentata incassum fuerant remedia varia, quorum tandem desperato effectu, Hortam ire disposuit, & quidem pedes, quia hæc ipsa infirmitas equo insidere prohibebat. Quæuis dies vltima ei videbatur, ita graues dolores patiebatur, donec vnius solùm diei itinere distans à monasterio, & diffidens eò se posse pertingere, infra arborem se abiecit, mortem velut proximam propter intolerabiles cruciatus præstolans; sic E autem effari mœstus cœpit: O Fr. Saluator, quoniam ea mihi non potest obuenire felicitas vt ad te veniam, nunc saltem pro me deprecare Deum, vt animam meam misericors suscipiat. Dixit, & doloribus victus obdormiuit: paulóque pòst experrectus, cum somno etiam malum omne abijsse non minùs miratus quàm gauisus est, iterque cœptum strenuè prosecutus, accessit ad Beatum, eique gratias agere instituit. At ille monuit vt sanctissimæ Virgini gratesageret, quæ à morbo & morte eum liberarat. Ita ipsum Stephanum anno MDLIX iurato testimonio asseruisse ex processu patet.

a Vicarius Minorum in Alicante

pedes Hortam profectus

in itinere sanatur ab incurabili vlcere.

39 In eodem processu Andreas Zecca, ex Catalani regni villâ b Trix affirmat, quòd septennis puer ex scalâ decidit, atque ore in vnum eius gradum impactus, omnes totius oris dentes excussos doluit: cúmque videret quotidie multam turbam transire Hortam versùs, sanitatis à viro Sancto speratæ ergô, patrem suum matremque rogauit, vt se quoque ad Sanctum duceret: cui responderunt ipsi, Sanctum istum à malo dentium neminem suis liberare miraculis: nec induci potuerunt vnquam vt puerum, quò volebat, ducerent. Imò cùm postero die soror quoque ipsius lapsâ fregisset tibiam, eaque de caussâ iter ad virum F Dei instituissent portatâ secum filiâ, rursum roganti filio vt nunc saltem ipsum accipere secum vellent, idem responsum dedêre. Ergò mœstus domi misellus relinquitur, ipsisque digressis sumpto in manus Rosario, quas sciebat, dicere orationes instituit, séque vel è longinquo meritis Sancti commendare, dicens: O Fr. Saluator, homo Sancte, adiuua me, & intolerabilem hunc ab excussis dentibus dolorem mihi infelici depelle: neque mei non miserearis, quia pater meus me noluit ad te adducere. Quæ cùm dixisset ad lectum abijt dormiuitque, & postero die manè experrectus, non modò nullos in ore dolores, sed dentes quoque omnes in eo sensit: quare repletus gaudio exclamare cœpit, Miraculum, miraculum. Accurrêre ad eum clamorem vicini & noti, ipsumque sic esse, vt dicebat, cognouêre. Ille autem egressus domo in viam se dedit, quà pater rediturus erat, eumque eminus conspicatus, cucurrit obuiam: quæsiuit hilaris num sororem suam Sanctus sanasset; affirmantique dixit: Et me idem Sanctus malo dentium liberauit, cùm eos mihi hac nocte restituit: quos & patri ostendit, eosque se habere sanos & integros in hodiernum diem anni MDCIII dixit.

b Puer excussis dentibus

prohibitus Sanctum adire,

domi eos recipit:

eius sorori rupta tibia solidatur.

A

AVCT. DIMAS SERPI

40 Sebastiana de Mestram, ex vico Catalanico *e* Vil-albâ, affirmat, quòd annum implens ætatis decimum quartum, impediente ipsam calculo, tantam pateretur in emittendâ vrinâ difficultatem, vt quoties id faciendum esset, toties mortuæ similis collaberetur in terram. Patrem autem suum orans vt se ad Sanctum duceret, persuadere ei non potuit vt faceret: quoniam ipse dicebat ejusmodi malis Sanctum illum non mederi. Quo responso tristis illa nimiumque afflicta, incepit omni die Deum sanctissimamque illius Matrem deprecari, recitando Rosarium: quo decurso, dicebat: Ah! beate Frater Saluator, ora pro me Dei matrem, vt graui hac liberer infirmitate. Quod cùm sæpe fecisset, quadam vice pressa necessitate mingendi, fecit illud absque labore: quemadmodùm etiam nunc *d* sexagesimum quartum vitæ annum egressa: neque ex eo momento deinceps quidquam in eâ re passa est laboris.

e alteri similiter eum adire prohibitæ,

vrinæ reddendæ difficultas adimitur.

41 Fæminæ cuidam ex Hortâ oriundæ, cui Martinæ Arti nomen, nares cancro exesæ multo pure stillabant: cujus illa mali remedium à B. Saluatore petijt, mandatumque accepit confitendi communicandique, & sanctissimam Virginem deprecandi; ita futurum vt illa medicum ipsi mitteret domum, à quo B sananda foret. Fecit illa, vt jussa fuerat, domumque reuersa, & sequenti nocte lecto decumbens, cubiculum plenum subito splendore conspexit, in eoque B. Saluatorem, qui formato Crucis signaculo, dixit: In nomine Patris &c. Voluit illa exilire strato, & curriculo accedere ad manus ejus exosculandas: sed mox ab oculis euanuit visio; ipsa verò sana ex toto remansit. Manè autem facto ad eum accessit, qui dixit: Vide nemini dixeris visionem, & gloriosæ Virgini Dei Matri gratias age: ipsa enim te sanauit.

cancrum naribus eximit Beatus

noctu apparens infirmæ.

42 Castellanus quidam paralyticus ad virum sanctum se perferendum curauit, cúmque peruenisset ad oppidum *e* Fuentes in Aragoniâ, dictum ei est, amandatum Hortâ Dei famulum, neque istic ampliùs inueniendum. Mœstus igitur eo nuntio, ad ipsam dicti iam oppidi ecclesiam deferri se jussit, ibique sortem suam deplorans dixit: O vir sancte Fr. Saluator, miserere mei, atque istic vbicumque nunc degis meam exaudi orationem; pro me Deiparam virginem deprecans, vt integræ restituar sanitati. Nec mora, obdormiuit eodem in loco, & somno solutus, solidatos, qui soluti fuerant, neruos sensit, pleneque sanatus domum hilaris remeauit.

e Paralyticum sanat inuocatus.

C

43. Domina Elenora de S. Angelo de Saragosâ ex regno Arragoniæ filium habebat trimulum, Don Franciscum nomine, eumque grauissimâ herniâ laborantem: quo ejus malo supra modum afflicta matrona illustrissima, ipsa Hortam profecta est vnà cum filiolo. Cùm verò ad oppidum Alcaniziæ peruenisset & filius solito deteriùs haberet, cœpit illa orando dicere, O B. Fr. Saluator, hanc saltem mihi modò largire gratiam, vt cum filio hoc viuo ad eum possim locum peruenire, in quo moraris, & plenæ sanitatis beneficium ei per te obtinendum confido. Plus autem obtinuit quàm petierat: ex illâ enim horâ sanatus est puerulus. Cùm verò ad eum peruenisset, priùs quàm verbum vllum proferetur ipsa, vltro audiuit sic monentem: Quoniam id quod desiderabas obtinuisti, ne prætermittas obire, quæ suscepturа aliàs adueneras Sacramenta, & Dominæ nostræ, per quam ea impetrata est sanitas, gratias agere: cui mandato morem gerens promptissimâ voluntate, Deumque glorificans & Virginem gloriosissimam, læta domum est reuersa.

item herniosum, qui Hortam ferebatur.

44 Denique omnes testantur, quòd quacumque ex parte adiretur Horta, vndique viderentur appensa ex arboribus morborum depulsorum indicia, cruces, scipiones, fasciæ & ligaturæ: quibus quotquot easdem insistebant vias monebantur mouebanturque, vt in similibus malis remedium à B. Saluatore se quoque sperarent obtenturos sibi alijsque. Constat porrò ex ipso Deiparæ templo, juxta quod Beatus morabatur, eductos esse sex plenos currus ejusmodi instrumentis, adminiculis, fascijsue, quæ istic reliquerant qui sanitatem recuperarant, nec non & grabata atque lecticas plurimas, in quibus paralytici & clinici aliàs desperati aduenerant. Itaque de viuente quoque totâ eâ regione circumferebantur versus quidam Catalanâ linguâ compositi, & vulgi ore passim canebantur: quos in linguam Latinam conuertere visum est, ad comprobandum, notissimam locis illis fuisse sanctitatis ejus & miraculorum famam.

Plurima sanitatum in viâ collatarum indicia:

D

frequentia anathematum:

45 Numinis Virgo Genitrix in Hortâ
Grandibus fulget celebranda signis,
Vota Saluator quoties rogatus
Mittit olympo.
Huius orantis merito, videndi
Redditur clausis oculis facultas:
Si graues culpæ metanœa soluat
Vera reatus,
Nec fides desit precibus, fauores
Quisque quæsitos recipit. Leuantur
Quolibet tandem teneantur ægra
Corpora morbo.
Debiles, claudos, varijsque vulgus
Mutilum membris, calidasque febres
Hic dies omnis videt expetitam
Ferre medelam.
Ergo gens terris superest Iberis
Nulla, quin gressus ferat ad Beatum,
Congruo à dandâ miseris salute
Nomine dictum.

Hymnus de viuente vulgatus.

E

46 Cùm in hoc diuæ Virginis de Hortâ conventu Dei famulus moraretur, iugi penè orationi se totum dabat, ita vt nec noctibus quidem ab eâ vacaret: & vice quadam auditus à Fratribus fuerit cum D. N. Iesu Christo in *f* Capitulo loqui, ac dicere, Domine mi tu promisisti tale quid mihi præstare: verumtamen rogo ne te promissi tui pœniteat. Quid porrò ei responderit Dominus, intelligere non potuerunt. Deinde in pedes erectus dixit: Quomodò mi Domine? non præstabis modò quod promisisti? non possunt irrita esse promissa tua: fac igitur propter amorem sanctissimæ Matris tuæ obsecro. Et rursum aliquantum conticescens (quasi qui Dominum audiret respondentem; sed eâ voce, quam alius nemo perciperet) visus est propiùs accedere ad venerandam iconem, eique dicere, Tu promisisti Domine, & facere debes. Post quæ in extasim raptus est. Simili modo sæpissimè est auditus cum beatissimâ Dei matre colloqui, cujus semper deuotissimus vixit, nec non cum beato Apostolo Paulo, *g* quemadmodùm in processibus reperitur.

CAP. VI B. Saluator familiariùs agit cum Christo

F

Deiparâ & S. Paulo.

47 Eulalia Bassa Barcinonensis, cùm annum ætatis ageret dumtaxat octauum è scalis decidit, alterumque pedem labens rupit: qui fœdè inflatus, nihil proficientibus chirurgorum & medicorum inuentis, contractis neruis remansit inutilis; sic vt grauiùs paralysi malum esset, nec pedibus niti puella posset; passa interim plus quàm septies candentis ferri vstionem sectionemque, quâ plures ossis comminuti particulæ exemptæ fuerunt. In decimum annum cruciabatur, quando Barcinonem Fr. Saluator aduenit: de quo cùm inauditum esset, quòd multa miracula operaretur, delata ad ipsum puella hæc est, & impetratâ benedictione ipsius domum relata. Dies aliquammulti transierant, nec tamen sanitatem speratam misera consecuta erat: quare iterum Fr. Saluatorem repetit, Confessione & Communione præmissis, eique dicit: Rogo te Fr. Saluator ut Dominam nostram depreceris, quò mihi pedis prorsus perditi restituat integritatem. Nunc enimuerò, respondit Sanctus

Pedem ex fracturâ inutilem

A Sanctus rectè orare incipis: ideò enim desiderio tuo nuper frustrata es, quia credebas me operari miracula: at modò cùm diuinorum beneficiorum verum fontem agnoscis, eóque quò oportet te conuertis, orabo pro te vt saneris. Cui illa: Obsecro Pater, vt vel tangere pedem meum digneris. At ille: Vade, filia, & confide: nam & S. Paulum pro te orabo qui hodie hoc ipso in loco duas costas viro cuidam ruptas sanauit. Abijt igitur eiusmodi dictis animata, & nihil dubitans somno se dedit, à quo postridie sana surrexit: & quamuis complura ossium fragmina exempta essent à pede, libero tamen rectóque gressu incedere potuit, incessitque deinceps, numquam desinens Deo & Sanctissimæ Virgini pro tam insigni beneficio gratias agere.

Exossem que sanat per intercessionem Deiparæ.

48 Decennem puellam ab vtero matris pedibus distortis deformem, & gradiendi facultate priuatam, parentes jam decennem portare ad virum Dei decreuerant: per viam autem videns illa sutoriam officinam: Eia, inquit matri suæ, hic mihi par calceorum eme, vt cùm ab homine isto Sancto sanata fuero, illos induam. Mouit tam firma filiæ fiducia matrem, vt morem peteriti gereret: vt autem ad B. Saluatorem venit, ipséque inuocatâ Sanctissimâ Trinitate benè ei precatus est, Filiam tuam, inquit eis indue calB ceis, quos emisti; jam enim sanata est. Obstupuit ad imperium istiusmodi mater, oculósque ad filiæ suæ pedes conuertens, eos rectos sanósque conspexit, & domum reuertens Deum glorificauit; magnamque serui eius caritatem notis omnibus prædicauit.

Item distortos turpiter pedes.

a *Ad Illicetanum sinum vrbs maritima in regno Valentino, vnde in Catalaniam centum & viginti passuum millibus distantem, pediti etiam expedito dierum quatuor iter est; vt infirmus hic eidem consitiendo facilè decem aut duodecim diebus opus habuerit.*

b *Mappa quadam Geographica* Flix *nominant: abest Hortâ milliaribus quatuor, proximè ad Iberum.*

c *Eidem Hortæ similiter ad Borrapeiiotem situs pagus, spatio milliarium trium.*

d *Deficientem Italico textui primum numerum suppleuimus ex ætate, cùm miraculum fieret, indicatâ, & ex tempore, quo Beatus commoratus est Hortæ: nam circa annum 1554 videtur miraculum istud contigisse: posset etiam* septuagesimus quartus annus *legi, si decennio citiùs res acta concipiatur.*

e *Oppidum in Cæsaraugustanâ diœcesi ad Euro-austrum ipsius metropoleos sex leucis dissitum, iuxta riuum mox inde se Ibero miscentem.*

f *In editis priùs Vitis dicitur etiam in Capitulo, non tantùm in ecclesiâ solitum noctes orando ducere.*

g *In Vitâ editâ an. 1602 hæc leguntur.* Antiqua traditio habet, quod Deipara ei apparuerit in speluncâ, quæ in horto conuentus Hortani receptum præbere solebat oraturo: quâ de caussâ deuotus populus ipsius speluncæ particulas sibi sumebat venerationis ergò. Quòd C eidem S. Paulus Apostolus appareret & loqueretur, antiqua similiter traditio est, & testimonio fide digno confirmatur vnius, cui sanari à plagâ grauissimâ postulanti dixit Beatus; Confide quia curabit te Dominus: & ego rogabo etiam S. Paulum, quia hic multa mihi à Deo impetrat.

CAPVT V

Alia miracula à B. Saluatore Hortæ patrata.

49 CVm fama miraculorum B. Saluatoris totâ spargeretur Hispaniâ, eques quidam, Ioannes nomine, gazophylacio Ducis Medinæ-cæli præfectus, filiam habebat nomine Beatricem, cui facies versùs dorsum enormiter retorta miserandum cunctis præbebat spectaculum, idque jam duodecimum, quo viuebat annum: ille autem de eadem famâ inaudiens, Hortam deferri jussit filiam suam ad Sanctum (ita enim ab omnibus nominabatur Saluator) eóque perueniens ipsum rogauit vt eam curare vellet. Qui ait, Confide, & confessus cum filiâ sacrum Eucharistiæ cibum sume, pariterque sanctissimam Virginem orate, atque inde ad me reuertimini. Fecit homo quod præscripserat Sanctus eodem in loco, & ad ipsum regressus in genua corà illo procubuit. Tum

Caput enormiter retortum

verò manus oculósque sustulit in cælum Beatus, dixitque: O cæli Regina, audi deuotos hosce famulos tuos: & conuersus ad circumstantes, Omnes, inquit, pro hac tam monstrosâ puellâ, Pater noster dicite, & Aue Maria: deinde In nomine Patris &c. pronuntians, puellæ caput complectitur manibus, & illud tamquàm si ex molli cerâ fuisset, torquens, debitum ad situm reduxit, nullo deformitatis prioris vestigio remanente. D

AVCT. DINA SERPI

Instaurat & ad debitum statum flectit.

50 Inquisitorum in regno Arragoniæ quidam per oppidum Alcanizię iter habens, vidensque transeuntes illac mutos, surdos, claudos, paralyticos, aliósque & paullò post sanos redire; eos ad se accersiri mandauit, & jurisjurandi religione adactos edicere voluit, quâ ratione Frater iste tot miracula faceret. Qui cùm dicerent præscriptum sibi ab eo fuisse, vt confessi peccata Dominico Corpori communicarent, eóque facto suâ cunctos benedictione donasse, atque in momento sanos dimisisse; suis ipse rem oculis explorare decreuit; vtque sub alieno habitu ignotus lateret, pauperis a Presbyteri vestem sumpsit, famulorum suorum itidem vestes immutans, perrexitque ad monasterium in quo Sanctus morabatur. Vidit autem vniuersum montem magnâ hominum multitudine repletum, quorum numerum ad duo millia esse credidit, seque ad angulum quemdam ecclesiæ recipiens, expectabat vt progrederetur Sanctus facturus miracula. Qui vt apparuit, cuncti statim in genua proiecerunt se, credentes quod eis benedicturus processisset. Verùm ipse (Deo Deiparâque Virgine, quibus vnicè dilectus erat, rem omnem eidem manifestantibus) surgere eos jussit, & locum dare transituro; rectáque ad Inquisitorem processit, eique manus osculatus genuflexit ac dixit: Dominatio tua huc aduenit, vt videat stupenda opera grandiáque miracula, quæ Deus per matrem suam sanctissimam facit? Cui ille, Erras, inquit, Pater siquidem Sacerdos paupérculus ego sum, neque istum à te honorem mereor. Minimè, reponit Saluator, sed Arragonię es Inquisitor, qui ab ijs quos Domina nostra hic curauerat quæsiuisti, quomodò hic miracula fierent, & rei certiùs cognoscendæ caussâ huc venisti. Mecum igitur veni; & manu prehensum ad summi altaris cancellos ducens, versùs populum se conuertit & dixit: Pœnitemini omnes de peccatis vestris, eorumque remissionem postulate à Deo, In nomine Patris &c. eodemque momento temporis sanati sunt omnes, quotquot aderant gibbosi, paralytici, herniosi, muti. Quâ re obstupefactus vltra modum Inquisitor, præsumptionis suæ veniam humiliter flagitauit, multisque diebus mansit in consortio viri Dei.

Inquisitor Arragoniæ inspecturus miracula eius

E

etiam habitu mutato agnoscitur,

& testis eorum fit oculatus.

F

51 Ex vrbe Garierâ deportatus ad Sanctum paralyticus in lecticâ est, precibus eius curandus, Michaël Garierâ dictus, in ordine equestri vir primarius. Hic cùm in naui b S. Andreæ prope Barcinonem trajiceret flumen, calcitrare cœpere muli qui lecticam ferebant, sic vt eorum posterior in flumen incideret, altero in naui cum lecticâ, super extremum marginem pendulâ remanente; & nemine dubitante, quin euersâ naui paralyticus quoque & quotquot simul vehebantur prouoluendi essent in flumen, & aquis suffocandi. Omnes igitur elatâ voce cœperunt exclamare, O B. Saluator, auxilij tui manum deuotis porrige: quippe qui tui visitandi caussâ, & Dominam nostram apud te honorandi, in viam nos dedimus. Et subitò ab isto periculo liberatos se, nauimq; indemnem ripæ videre sunt applicatam. Cùm igitur ad locum peruenissent, paralyticus, susceptis rite Sacramentis, juxta aram principem collocari se jussit, ad quem veniens Fr. Saluator dixit: Quot annis paralyticus in lecto decumbis? Sedecim, inquit ille. Tum Sanctus: In nomine Patris &c. surge, quia sanitas tibi à Deiparâ Virgine restituitur. Dubitantem an surgere posset, per manum vltro

Paralytici mirabiliter ab aquis salui,

b

sanitas redditur.

A vltro arripuit Sanctus, eleuatumque ad aram duxit dicens: Hic Deo & Matri ejus age gratias, quę sanitatem tibi perfectam reddidit: itáque sanus perseuerauit, domum cum gaudio magno reuersus. Dominus Abdon Masderi, Presbyter ecclesiæ Cathedralis Gerundensis, testatur se brachium sinistrum ita contractum in mundum nascendo attulisse, vt deinceps nec eleuare illud nec ori potuerit admouere, aut capiti imponere. Auditis autem Dei per seruum suum mirabilibus, cùm annum ętatis duodecimum attingeret, ad ipsum portari voluisse, & solâ benedictione sanatum præsentem adfuisse prædictis de naui & paralytico miraculis.

Avct. dimaserpi & brachium contractum sanatur,

52 Eleonora de Garbina, nobilis Gerundensis, mamillarum vnam cancro infectam habens, chirurgos è Franciâ euocari jusserat: quibus curationes suas per annos duodecim continuantibus, nec quidquàm proficientibus, Barcinonem se transferandam curauit ad conuentum Dominæ de Iesu dictum, quo istis diebus Fr. Saluator aduenerat; ibique supra viginti hominum millia reperit, partim ciuium partim extraneorum, qui eò confluxerant, vel sanitatis recipiendæ vel Sancti intuendi gratiâ: cúmque etiam ipsa ad illius præsentiam peruenisset, prouoluta in genua obsecrare cœpit, vt se quoque sanaret: cui ipse dixit: Triduum jejuna, filia, confessáque & sacro refecta epulo Virginem deB precare pro impetrandâ sanitate, & post tertium diem ad me reuertere. Abijt, fecit, regressa est, vt fuerat imperatum: ille autem mamillam eius apprehendens, omnem ex eâ saniem expressit, & facto Crucis signo dixit: Vade, filia, jam tota es sana: itáque esse admirabunda cognouit.

item mamilla cancro exesa

53 Ejusdem ciuitatis Gerundensis mercator, cognomine Campollerus, crure vno mancus erat, cunctisque ei suadentibus vt Hortam iret certò sanandus, irridebat miracula quæ Sanctum virum facere audiebat. Denique cùm predictus paralyticus Eques sanus reuertisset, nec diutiùs posset resistere, importunis amicorum suasionibus, instanter vrgentium vt eamdem ipse peteret medicinam: Vadam inquit, verum si crure non persanato reuertar, vos mihi bursam meam sanabitis, restituentes pecuniam, quam vestri causâ frustrà in iter insumpsero. Iuit igitur & cum multis alijs posuit se ante Beatum, qui benedicebat singulis dicens: In nomine Patris &c. ad ipsum autē cùm peruenisset: Tua quidem, inquit, tibia non sanabitur: sed breui sanus eris à malo bursæ. His ille auditis surrexit indignans & dicens: Fraterculus hic diabolum haud dubiè aliquem habet, qui ei retulit verba mea, quæ ego hinc procul ad centum c viginti milliaria dixi: itáque domum reuersus est, explodens irridensque miracula quæ fieri dicebantur: C sed celeri extinctus morte, quam totius familiæ eius est subsecuta ruina, veritatem prędictionis de finiendâ breui ipsius bursâ comprobauit.

non autem sanati & incredulo cuiusdam læsum crus.

a *In Vitâ an. 1602 dicitur eum induisse habitum* rustici *seu* agricolæ.

b *Id nominis ipsi naui fuisse innuit textus Italicus; verùm cùm minutis istis nauigijs propria nomina imponi non soleant, atque ad fluminis Betulonis seu Besocij ostium, sesquimilliario Barcinone, situs sit vicus S. Andreæ; existimamus sic dici nauim, quia ad istius traiectus stationem pertinuerit.*

c *Abest enim à Gerundâ Horta leucis omnino 40.*

CAPVT VI

Prophetiæ donum in B. Saluatore varijs exemplis declaratum.

Cap. VII Cæcus ab impio Sacerdote spe suâ deiectus, a

54 QVidam à natiuitate cæcus, Ioannes nuncupatus ad B. Saluatorem venit; cúmque ad villam a Arenes peruenisset Hortæ vicinam, obuium habuit Andream Calaps, qui & requisiuit quò iret. Ad diabolum, respondit cæcus. Absit, inquit Andreas, ne dixeris. Tum cæcus: Num satis justam desperandi caussam tibi habere videor, qui supra ducentorum milliarium iter confeci, hominis cuiusdam, quem dicebant D Sanctum, adeundi gratiâ; & modo Sacerdos quidam ex villâ Calasseit mihi dixit, quòd ille nequaquàm Sanctus sit, sed impostor, & falsorum miraculorum operator; vt proinde opus non fuerit ad eum me proficisci: parùm igitur abest, quin laqueo mihi guttur præcludam. Possum, inquit Andreas, scire Sacerdotis illius nomen? Potes, respondit cæcus & nomen edixit; quod, propter ea quæ mox dicentur, ne cognationi ejus creetur infamia, hic omittitur. Ille autem dixit cæco: Vade, frater carissime, & magnâ cum fide Sanctum Dei visita, cuius huc caussâ venisti, nihil dubitans quin speratam oculorum lucem consecuturus sis. Iuratus namque tibi affirmo, quòd me pręsente cæcis pluribus visum dedit, surdisque & mutis auditum & loquelā. Vidi ab eo curatos energumenos; vidi plurimos, dum istic essem, quotidie ab eo miraculosè sanatos. Cùm autem & ipse sanatus redieris, hàc reuertere, & apud me hospitium sume: simul & nomen suum, quod memoriâ retineret, cæco enuntiauit. Iuit ille jam meliùs animatus, eóque perueniens jussus est confiteri atque communicare, & fidem certam collocare in Deum, quòd esset per matrem ejus illuminandus. Quibus factis rediuit ad Sanctum, qui suâ eum benedictione impertiens: Aperi, inquit, oculos, & in me respice. Ille oculos aperuit: cui Sanctus Men' vides? inquit: Video, respondit qui E cæcus fuerat: jussusque Deiparæ gratias agere non distulit ad Andream lætus reuerti, eíque felicem consilij sui successum gratulando annuntiare. Neque multi posteà effluxere menses, quin Sacerdos ille deprehensus est hæreticus esse, atque ad Inquisitores delatus certò fuisset capiendus, nisi comprehensores suos arreptâ in Franciam fugâ præuertisset; vnde, quid eo factum sit, numquàm deinceps est auditum.

ad eumdem alio suadente redit

& visum recipit:

Sacerdos hæreticus deprehenditur.

55 Ioannes Carolus eiusque vxor Susanna, ex villâ b Bezeit, videntes nullam procreatarum à se prolium remanere in viuis, decreuerunt simul proficisci ad Sanctum, & coram eo venientes dixerunt: Frater sancte, pro nobis infaustis peccatoribus apud Deum intercede: nam quotquot hactenus genuimus liberos circa sextum à natiuitate mensem mortui sunt. Quibus ait Saluator: Ite & confessionis atque Eucharistiæ Sacramenta suscipite, & in nomine Dei genitricis, miracula facientis, tibi prænuntio, quòd duos filios sitis generaturi, quos ad maturam ætatam perductos videbitis. Deinde ad mulierem conuersus, Tibi verò, inquit prædico quòd seruituri sint senectuti tuæ, multamque ex ijs jucunditatem ipsa sis perceptura; tacitè innuens moriturum ante ipsam maritum: reliqua autem, vt predixerat, sic facta sunt. Viuit enim in hodiernum vsque diem id est, annum MDCIII, vterque F filius, matrique magnâ cum obedientiâ & obseruantiâ seruiunt, atque omni honore & amore prosequuntur.

b Prædicit Beatus filiis liberos mansuros proles,

& aliæ futura:

56. Domina Helena de Cardonâ, Caralitanæ ciuitatis in Siciliâ matrona nobilissima, multis vicibus sanctum hunc Fratrem rogauit, vt filium sibi impetraret à Deo: ad quam ille petitionem numquam verbum respondit. Itaque die quodam subirascens, Quid, inquit, Fr. Saluator, petitioni meæ non respondes? Quia, inquit Saluator, rem petis carò tibi staturam. Quocumque, refert illa, mihi pretio steterit, nihil curo, modò filium habere liceat. Tum Sanctus: Eia acquiesco: habebis filium: verùm vide vt tuas cum Domino rationes benè habeas constitutas: carò enim tibi stabit filius iste. Concepit ergo matrona ista Dei Matri deuotissima filium, ac viuum peperit & nomen ei baptizato Ioachimi imposuit, atque ipso partus die sub vesperam est extincta.

matronæ prolis cupidæ ex partu interitum,

57 Hispaniarum Rex Catholicus Philippus II, cum suâ aulâ Manzonij residens, ad se accessiri jusserat Dominū Admirantium Neapolitanum, Raimundum Folcū de Cardonâ, Erat hic in suâ villâ Belpuig dictâ, cùm hæc

Admirantio Neapolitano c

A hæc ad eum allata noua non modicè ipsius animum consternarunt, scientis nonnullâ indignatione motum contra se Regem, timentisque vt ex honore & commodo suo esset ea appellatio. Cùm igitur Beatus Frater tunc temporis ibidem loci cocum ageret monasterij, & nullis licet miraculis clarus in magnâ tamen apud omnes esset opinione sanctitatis, jussit eum aduocari Admirantius, eique seorsim accepto dixit: Fr. Saluator, mandauit mihi Rex, vt ad se veniam: maléque metuo ne propter negotia Neapoli peracta, Majestas sua Manzonij mihi se exhibeat suboffensum: verùm, obsecro pro me Dominum deprecare, vt propitium ipsum mihi ac pacatum reddat. Confide, respondit ille; in Domino & matre eius, quia non modò nihil istic tibi aduersi accidet; sed magnus honor deferetur. Cúmque instaret Admirantius supplicans vt sibi indicaret, quâ de causâ Rex eum venire jussisset; respondit Sanctus: Difficili loco res tuæ esse videbuntur, vsque ad illud punctum temporis quo ad Regem intrabis: eademque horâ omnia tibi in plenum gaudium conuertentur, nec minorem honorem: atque istud ex me tibi dictum memineris.

malè sibi in aulâ metuentem,

præter opinionem ibi honorandum:

68 His Saluatoris verbis optimè animatus heros, ad aulam properauit intrepidus: vbi non defuerunt, qui, vt inter Magnates fieri assolet, malè ipsi affecti palam iactarent, quod etiam aliquis ipsi in faciem dixit, non aliud quàm caput eius peti à Rege, eâ de causâ vocatum esse. B Perstitit nihilominùs ille animo imperterrito, fretus pollicitatione Saluatoris, & impauidè ad Regias manus exosculandas ingressus est, nobilium comitatu sollicitè in atrio prestolante euentum colloquij: cujus hoc principium fuit à Rege factum: Opportunè enimuerò huc aduenis: nec enim nisi duæ elapsæ sunt horæ, quòd certa per veredarios accepi nuntia de obsidione *d* Perpiniani à Francis inchoatâ: quapropter omni postpositâ morâ, & collecto vndecumque ex regni nostri prouincijs, quantus subitò colligi poterit, milite, istuc propera, & quòd de tuâ virtute confidimus strenuè incunctanterque exequere. Lætus tam honoratis imperijs Admirantius, & Regis manum deosculatus, collætantibus gratulantibusq; amicis, in aream palatij prodijt; & regios tubicines ad se vocatos proclamare jussit, cuicumque venire cupienti ad soluendam obsidionem Perpinianensem parata esse apud Admirantium Neapolitanû ex proprio ipsius ære stipendia, pro suo cuique gradu. Conscensisque equis festinus abijt in suam Bellopodiensem villam; ibique ad se accersitum Fr. Saluatorem omnibus commendauit vt Sanctum, qui sibi cuncta euentura prædixerit.

69 Senex quidam Calaritanus aliquando fuit oblatus Sancto, vt visum reciperet oculorum: verùm deprecantibus pro eo amicis respondit Saluator: Numquam iste desideratam obtinebit gratiam, quia numquam dimittet peccatû graue, sibique ex multo tempore quotidianum. C Quod reipsâ patuit: quantumcúmque enim cognatus quidâ ipsius instaret, vt illud quodcumque esset expiare vellet confessione spontaneâ, numquam persuadere ei quidquam in animæ suæ vtilitatem potuit, atque ita etiam cæcus corpore quoad vixit remansit. Domina Hieronyma Cardona, Abbatissa religiosissimi monasterij de Petrâ-albâ Barcinone, testatur vidisse se cum alijs monialibus suis, quod Fr. Saluator cæco visum redderet: addiditq; eo successu excitatam se, locutam ipsi fuisse atque rogasse, vt pro duobus cognatis suis in bellum *e* Gerbiense profectis deprecator existeret apud Deum. Qui respondit: Alter quidem eorum Fridericus premium suum apud Dominum obtinet; alter verò, Ioannes scilicet, captiuus agit Constantinopoli; breui (ne ea te cura sollicitet) redimendus, maximoque in honore, quantùm alius è suis quispiam, futurus apud Regem Philippum. Ergo, subintulit illa, mortuus est cognatus meus: cui Sãctus, Ne mortuum dixeris: neque enim mori dicẽdi sunt, qui in obsequio fidei vitam ponentes, jam suâ apud Dominum mercedem possident. Eóque dicto se conuertit & abijt. Pòst mensem verò nuntius adfuit, exercitus nostri cladem portans, in quâ Fredericus cæsus, captus verò esset Ioannes: Regi deinde Philippo tam carus, vt hodiéque Nauarram gubernet cum titulo potestatéque Pro-regis.

obstinati peccatoris perpetuam cæcitatem.

e Cognoscit Gerbiensis expeditionis successum:

D *AVCT. DIMA SERPI*

70 Angela Taragona Barcinonensis affirmat, ex puerperio relictam sibi fuisse paralysim, à quâ se curandam deportari fecit ad Sanctum, qui sibi supplicanti dixit: Æquanimis esto, vult enim Deus istô in morbo vt perseueres: verùm hic, quem peperisti filius lætam te faciet viuere senectutem, mortuo ante te marito tuo. Planéque sic euenit, vt prædixit Saluator: & ipsi vsque hodie à filio suo honorabiliter seruitur. Sunt autem anni plus quàm quadraginta, quod istud accidit, nempe ad diem quo istud in processu coram Barcinonensi Episcopo formato declarauit. In monasterio S. Claræ Gerundensis vrbis, soror Hieronyma Camps manibus contracta accersiuit Beatum, qui apprehensarum manuû eius digitos rectos ac sanos fecit. Vetulæ cuidam grauem capitis dolorem patienti & postulanti ab eo liberari; O saccus, inquit, terreus: vade, quia citò ab isto dolore eris libera: mortua videlicet, vt euetus docuit. Alia non vni pœnæ cruciatuiq; obnoxia, cùm similiter peteret sanitatem, respondit ei: Cùm sis indole vsque adeò iracundâ atque difficili aduersùs omnes domesticos tuos, multò magis expedit ita manere te: neque E enim si conualescceres, viuere aliquis tecum posset. Dolores itaque tuos ad modicum sustine, & in æternum beata eris.

nati infantis futura erga matrem obsequia;

mortem alteri imminentem;

71 Venit aliquando ad virum Dei Stephanus Pasqualis Presbyter Gerundẽsis, multi puris vomicam habens in facie, eóq; malo iam decimum annum laborabat: ipse autẽ seorsim acceptum in monasterium ducens secretò monuit, quòd extra Ecclesiæ communionem viueret, & ideò deformem istum morbum pateretur; à quo liberandus esset, simul atque excommunicationis vinculum sibi solui petisset: quod beneficium vt à suo Epicopo postularet hortatus, persuasit homini vt morem gereret rectè monenti; itaq; optatam consequeretur sanitatem. Minus moræ fuit in muliere quadâ, cui Ioanne nomen, à grandi, quod vultum occupauerat, apostemate curandâ: audiens siquidẽ in villâ *f* Aulot vbi morabatur mirabilia hominis Dei opera, iter ad illum instituit suum, & solâ benedictione ipsius sana recessit. Pari promptitudine in ciuitate Gerũdensi curauit viri vnius linguam adeò magnam, vt nec intra os contineri posset, nec formando sermoni esset idonea: signo enim Crucis super eam formato, apprehẽsam sic constrinxit, vt intra iustam mensuram collecta suis deinceps vsibus omnibus deseruiret, & imprimis referendis Deo pro accepto per eius famulum beneficio gratijs.

CAP. VIII Presbyteri occultam excommunicationem.

Curat apostema grãde

& linguam loquelæ ineptam.

72 Receperat aliquando se Ilerdam Saluator, ibidẽ F coci functurus officio, cùm istic adolescens Gerundensis moraretur, Ioannes Ornos dictus: qui absolutis in eâ academia studijs, & Doctorali Iuris laureâ donatus, priusquàm reuerteretur in patriam, Sanctum adiuit eius se precibus commendaturus. Hic juueni benè precatus, addidit: Vade feliciter, fili, & esto Virgini matri semper deuotus, fauorem enim ipsius experieris: vnum autẽ memori hinc animo aufer; vt scilicet cùm Gerundam redieris, atque per forum publicû illius vrbis trãsibis, curiosè consideres domorum fenestras, in quarum vnâ videbis puellam cineteis indutam, quæ vxor tua futura est. Abijt actis gratijs juuenis Doctor, suamque ingressus vrbem curiosè cœpit fenestras obseruare, in foro potissimum, omnesque, propterea quòd vehementissimus eo die spiraret ventus, clausas reperit: itaque dum de B. Saluatoris prædictione secum ipse dubitare incipit; audiuit sonitum reclusæ fenestræ, ad eamque se conuertens puellam cinereo colore vestitam vidit, filiam nobilis mercatoris Nicolai Terræ:

Iuueni cuidam benedicens,

indicat quæ sit futura eius vxor.

AVCT. DIMA SERPI

A Terræ: ex quo conſpectu diuerſarum cogitationum fluctibus agitatus, numquam illac ampliùs tranſire voluit, quamuis & ipſe viſam virginem ſalutaſſet, & viciſſim ab eâ par humanitatis recepiſſet officium: ſed penès ſe ipſe conſtituit mouere nihil, potiuſque expectare quâ ratione matrimonium illud tandē foret concludendum. Poſt aliquantum igitur tempus acceſſerunt ad ipſum quidam nobiles, expoſueruntque, quòd habitâ ratione virtutum ejus vxorem ei legiſſent, diuitem pariter & formoſam, ejus quem diximus Nicolai filiam, cum quo & puellæ matre iam eſſet de nuptijs illis conciliandis actum, niſi ipſe abnueret. Quæ cùm ex prædictione B. Saluatoris procedere agnoſceret juuenis, gratanter reſpondit, placere conditionem, & gratum ac ratum habere ſe velle quidquid ab ijs actum erat, quorum beneuolentiæ prudentiæque plurimùm fideret. Itaque ad finem res perducta eſt, & ſponſus deuotiſſimus Sancto remanſit, ſolitus prædictionis hujus ſeriem hilariter amicis ſuis enarrare.

a *Italicè perperam* Arcens *&* Areus, *ſoliuś fluuioli Algos interlectu diſtans; vltra quem Occidentem versùs in diſtantiâ vnius milliaris tabulæ collocant villam* Calaceite, *quâ tranſiens cæcus conjectus fuerat in deſperationem viſus recipiendi: alioqui ad partem quoque meridionalem Hort a villa eſt alia aquè vicina cis dictum fluniolum;* Arnés *in tabulis nuncupata.*

B

b *Diœceſis Cæſarauguſtanæ, in confinijs regnorum Arragoniæ & Valentiæ, diſtans Hortâ ad Occaſum ſex ferè milliarijs.*

c *Inter Monzonium & Cardonam hinc ſedecim inde octo circiter leucis diſtans, ad caput riuuli inter vtrumque Nogueram ſeſe Sicori immiſcentis.*

Perpinianum an obſeſſum an. 1557?

d *Comitatus Ruſcinonenſis caput eſt, ad confinia Franciæ & Catalaniæ: obſeſſum tamen à Francis fuiſſe ejus belli tempore, quod vnicum contra Francos extra Italiam Philippus* II *geſſit, anno* 1557 *inchoatum &* 1559 *pace finitum, nuſquam legimus: falſi ergo rumores hi fuerint, vel Francorum conatibus itum obuiàm tam maturè, vt ea expeditio nihil habuerit ad hiſtoriam memorabile. Videri poſſent anno* 1558, *intercepto Caleto, animoſiores Franci, bellum, quod eatenus ægrè ſuſtinebant, inferendo propulſare voluiſſe.*

Gerbienſis clades in Africâ,

e *Eſt* Gerbis *ſeu* Zerbis *Syrtis minoris in Africâ inſula, quam occupatam anni* 1560 *initio, dum pertinaci conſilio muniunt Chriſtiani ex omnibus vndique nationibus collecti, amiſſa eſt occupandæ Tripolis opportunitas, & ſpatium colligendi ſui datum Turcis: quorum aduentu in turpem fugam acti Chriſtiani, citra pugnam mactandos ſe præbuerunt menſe Maio: ipſum autem caſtrum, quod extruxerant, aliquamdiu generosè propugnatum amiſere ſub extremum Iunij. Ea expeditio ſcriptores eoſdemque oculatos teſtes habuit, quos in continuatione Henrici Spondani citatos videre licet. videri etiam poteſt Ludouicus Cabrera de Cordubâ in rebus geſtis Philippi* II *lib.* 5 *cap.* 8, 12, 13, *quo vltimo capite narrat, quomodò ex adductis Conſtantinopolim captiuis anno* 1562 *præcipui eorum, per commutationem Turcorum in Hungariâ captiuorum, redempti fuerint à Ferdinando Imperatore; quorum tamen pauci ſalui redierint; ij ſcilicet qui munificentiam Turcici tyranni ſuſpectam habentes, proprijs expenſis viuere per hoſpitia maluerunt, itaque euaſere letiferum ſocijs reliquis toxicum:* quos inter, *inquit* D. Ioannes de Cardonâ fuit. *In vitâ anni* 1602 *Ioannes hic dicta religioſa non vocatur* frater, *ſed* primus, *id eſt, cognatus.*

captiuorum permutatio.

C

f *Vicus ad exordia ferè Fluuiani ſeu Cloniani amnis, vrbi Gerundenſi ad Boream interuallo horarum quatuor.*

CAPVT VII

Varij morbi miraculosè curati à B. Saluatore.

Sanat elephantiaſim:

73 ELephantiaſi laborabat Catharina Oliueri Gerundenſis, eamque ad ſe deuectam & confeſſione ac ſacrâ communione præparatam ſolitâ benedictione curauit. Petrus Sabatir villæ Ziuiſſenſis Presbyter de ſe teſtatur, quòd puerili in ætate graue patiebatur incommodum à ſcrofulis circa collum enatis: quibus remouendis cùm nihil prodeſſent adhibita medicamina, ductus à patre ad Sanctum eſt: qui, eo conſuetæ benedictionis formulâ in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis munito, dixit ad Patrem: Tuum iſtum filium ad Confeſſarium ducito, duodennis eſt enim; & jube roſarium ſertum tertiò percurrere; ita ſanabitur. At puer indignatus non æquè ac alijs ſanitatem ſibi eſſe è veſtigio collatam, nihil eorum facere voluit quæ fuerant imperata; & irâ plenus domum reuertit. Poſt duos verò menſes Barcinone puerum in plateâ offendens Saluator, Quia exigua, inquit, fides tua fuit, ideò ſanatus non es. Reſpondit puer: Nunc abeo in Franciam ad Regem, Pater, vt ſanitatē per ipſum conſequar. Neque tu Regem videbis, replicat Sanctus, neque ab eo ſanaberis, ſed ad me ſanandus reuerteris. Abijt nihilominùs Pariſios puer, & vrbi appropinquans obuiùm habuit militum globū, prohibēdis per regnum tumultibus expeditum, è quibus audiuit mortuum eſſe a Regem, à quo proinde fruſtrà ſe curandum ſperauerat. Veritatem igitur factæ ſibi prædictionis agnoſcens, ad Beatum redijt Saluatorem, qui ſuâ eum benedictione perfectè ſanauit.

ſcrofulas pueri pertinacis

D

non à Rege Franciæ ſed à ſe curandū prædicit:

74 Lazarus Bruels, Presbyter Gerundenſis, brachij dexteri vſu, iam inde à tertio ætatis ſuæ anno priuatus, ſic vt vltra cingulum illud nequiret attollere, anno ætatis ſuæ vigeſimo ad virum Dei adijt; qui manibus brachium apprehendens, ad caput vſque illud produxit (quod ante hac facere nunquam potuerat) dicenſque In nomine Patris &c. ac brachium eatenùs contractum extendens, Vide, inquit, quàm longum habeas, & ſignum Crucis eo deſigna: quod continuo fecit, eoque deinceps expeditè vſus etiam Sacerdos eſt ordinatus, propter ipſius Sancti amorem & affectum gratitudinis erga Deum. Hieronyma Vicariæ Gerundenſis monacha, cùm adhuc eſſet annorum duodecim, collum vomicis plenum & ſcrofularum morbo fœdè inflatum habebat, donec ad Sanctum delata, benedictione ipſius libera ab omni incommodo facta, gratias deinceps Deo egit pro munere.

brachium paralyſi contractum erat;

E

& ſcrofulas,

75 Eliſabetha Ribera, nobili ſtirpe Tarraconæ orta, octauum circiter annum ingreſſa, incidit in paralyſim, & lecto exinde affixa iacuit, intentiſſimis per omne corpus cruciata doloribus, vt eiulare numquam ceſſaret. In quam cùm pater ſuus longo tempore magnum feciſſet pecuniarum impendium, deſperato tandem artis humanæ remedio ad diuina ſe conuertit auxilia, eamque cum matre ac famulitio neceſſario ad Dei ſeruum miſit, clamantem per iter dicentemque, O B. Saluator adjuua me. Aſcendendum erat aſperum nimiumque accliue jugum montis: quò dum enituntur muli, excidit eis retrorſum lectica: nec dubitabat mater, & qui aderat filius alter cum famulis, quin graui caſu afflictam infirmam mortuam eſſent relaturi. In planctum igitur conuertuntur & eiulatum: quos illa ſic afflictos videns, oculos ad cælum ſuſtulit & dixit: O B. Saluator, in hoc nunc me periculo adjuua, vt ad te ſimul omnes poſſimus peruenire. Ah, vir ſancte! qui fieri poterit, vt tam aſperi montis aſcendamus faſtigium, niſi tu auxilium tuleris? Eoque dicto puella, quæ multis annis non potuerat manum ad os adducere, exiliuit è lecticâ, atque in amplexum matris cucurrit dicens: Eia mater, animos reſume: iam enim à B. Saluatore me ſanatam vides. Age pariter pedites aſcendamus hunc montem: vos mihi manum aſcenſuræ porrigete. Stabant attoniti quotquot aderant, imprimis dolentiſſima mater: dein mœrore conuerſo in lætitiam, quod ſupererat viæ conficiunt alacres, & ſolam Sancti viri benedictionem expoſcunt. Qui puellæ dixit: Vade & ſanctiſſimæ Matri gratias age, quæ te ſanauit in viâ, cùm cecidiſſet lectica; prout illa læta ac ſana fecit, antequàm domum regrederetur. Vt autem eò redierunt, redarguit vxorem ſuam maritus, quòd Sancto aſſiſtens non etiam puellæ caput, à multo tempore in humerum dexterum flexum, eidem obtuliſſet erigendum. Itaque cùm poſt aliquot menſes tranſitum illac haberet Saluator, rurſus ei ſtitere Eliſabetham: ſuper quam ipſe ſanctam inuocans Trinitatem, abſque vllo doloris ſenſu caput ei, vt decebat, erexit.

Paralyticæ dum ad Beatum vehitur,

cum lecticâ labens,

F

erigitur in pedes

eidem caput recto ſitu redditur.

76 Pet

A 76 Per eamdem ciuitatem transeunti oblata puella est, Ioanna nomine, cui Persici mali ossiculum ita adhæserat faucibus; vt neque deglutire illud vllâ ratione posset; nec foras educere; quæcumque media adhiberentur: cùmque iam quintus is esset dies, de vitâ eius conclamatum esse meritò putabatur. At Sanctus leniter subridés, O quàm gulosa es, inquit: & addens In nomine Patris &c. alapam eius maxillæ leuè inflixit, dixitque: Huc, age, mihi illud in manum expue: quod absque vllo omnino labore continuò fecit, ac mortem euasit. Testatur de se Ioannes Mistre quòd toto corpore natus sit contractus, sic vt manibus supra genua positis ægrè didicerit ambulare: quinquennem verò se narrat portatum fuisse à patre, istuc vbi esset à Dei famulo sanandus benedictione acceptâ: in cujus beneficij agnitionem sacris se initiari voluisse Ordinibus; & Presbyterum rite consecratum fuisse.

Præfocandam liberat Beatus,

contractum sanat,

77 Pares Dertusanis ciuibus collatæ sunt per Sanctum gratiæ. Erat in his Franciscus Christophorus, multis annis continuis alui doloribus, quibus nullum inueniebatur remedium, exercitus; donec nempe Hortam adijt, vbi ei post imperatam Confessionem Communionemque, benedictionem suam impertijt Sanctus, & subitò sanitati restitutum dimisit. Petrus quoque ibidem pauperculus manibus genibusque reptabat per terram: tantumque etiam sic effecit, vt Hortam adrepens peruenerit ad Sanctum. Qui pueri B adspectu miserando commotus, benedictionem ei suam dedit, erexitque in pedes, quibus deinde semper rectè est vsus. His addamus Monserrandam Pasqualem, ex villâ *b* Xertanâ diœcesis Dertusensis, quam ab annis quinque incurabili hydrope laborantem, maritus suus, Antonius Armengot Dertusanus, Hortam fecit ad Fr. Saluatorem deferri. Qui post consueta Confessionis Communionisque remedia suæ ipsi benedictionis signaculum & simul perfectam dedit sanitatem.

alui dolores sedat,

gradiendi facultatem confert:

b hydropem tollit,

78 Alijs quoque mirabilibus signis serui sui sanctitatem voluit Deus declaratam, vt patet ex processu facto coram Episcopo Dertusensi. Nam die quodam vnâ ante meridiem horâ, cùm ante portam ecclesiæ S. Mariæ de Hortâ plusquàm duobus hominum millibus benedictionem suam impenderet, supra cruces tres, in monte Caluariæ positas tres faces, apparuere: quibus commota multitudo, &, Miraculum, miraculum exclamans, pars ad Sanctum cucurrit, habitum ejus pro reliquijs asseruandum frustatim diripiens; pars, ad ipsas cruces, ex ijs similiter frusta auferens: C secutáque sunt eam apparitionem plurima sanitatum diuinitus obtentarum prodigia. Aliàs cùm paris numeri multitudo adesset eorum qui vel curandi aduenerant ipsi, vel curandos adduxerant alios apportauerantúe; nec in monasterio inueniretur Beatus, solitus bis ad turbam congregatam benedictione suâ signandam prodire; sed in altissimo monte, qui Hortensi jungitur monasterio, orationi vacaret: omnibus altâ voce clamantibus, O Domina & patrona nostra Maria, fac vt seruus tuus inueniatur; visa est in conspectu omnium candidissima nubes deuolui ex monte: quæ vbi terram attigit, ipsa quidem disparuit; Beatum verò Saluatorem omnibus ibidem conspiciendum reliquit: qui omnibus benedicens, plurima eodem die miracula perpetrauit. Habetur hoc ex prædicto processu, ex pluribus verò confirmatur, quòd diuinis contemplandis intentus sæpe extra vsum sensuum raperetur: adeò vt quadam vice cunctis inspectantibus, coram altari B. Mariæ de Hortâ genuflexus, sublatus à terrâ sit plusquàm cubitis duobus.

CAP. IX

Trium facularum è cælo descensus.

Nubes Beatum è monte deferens:

raptus frequens.

79 Ioannes de Rosis Tortosæ à primâ pueritiâ paralyticus, ad B. Saluatorem delatus, jussusque ter Pater & Aue dicere, ac posteà benedictione illius signatus, membrorum vsum expeditum accepit. Ibidem nata Candida Sessa, sic vt ex vno oculo videret nihil, cùm ad ipsum venisset & eius benedictionem obtinuisset, disparuit gemma quæ oculum illum obtegebat, & vtroque deinceps oculo claro est visa. Ad eumdem adducta fuit puella energumena, pro quâ orauit ille primùm; dein facto Crucis signaculo dixit: Impero tibi maligne spiritus, vt ex hac Dei creaturâ egrediens non ampliùs eam affligas: & morem dæmon imperanti gessit, nihil cunctatus. In altissimo illo quem supra diximus monte, finiens orationem, cui vacauerat, puerum malleo instructum ad se accersijt, eóque jussit percutere saxum, quod monstrabat; aquam è saxo diuinitus dandam promittens: quæ ad ictum mallei continuò exiliuit, & in hunc diem scaturire non desinit ad plurimorum morbidorum solatium, qui eam deuotè haurientes à suis infirmitatibus liberantur. Cùm Marchionissa Armagetta de Tortosâ quindecim annorum puella esset, tam enormiter luxatum ei brachium est, vt ei restituendo nullam rationem excogitare valentes medici, ipsum præscindendum esse judicarent: sed visum est satiùs ad B. Saluatorem recurrere, qui confiteri & communicare jussam, suâ mox benedictione sanauit.

Sanat paralyticum,

D *AVCT. DIMA SERPI oculo vno cæcam,*

energumenam,

fontem è saxo elicit:

curat luxatum brachium:

80 Ad duo circiter hominum millia in montem Hortanum conuenerant; non capiente oppido multitudinem tantam: quos cùm perterritos in fugam agere dæmon moliretur, constitutus in oratione Sanctus quid machinaretur agnouit, ac foras progressus turbam vidit supra modum consternatam, quia cælo præter morem obscurissimo, horrendo cum fragore circumstrepebant tonitrua & creberrima fulmina emicabant: quibus dixit, In genua mecum pariter omnes procumbite, recitatóque Pater & Aue fugate inimicum, formidinem vobis incutere suis artibus molientem. Quo facto, serenatum illicò cælum est, & optata cunctis lux resplenduit, nec fuit quisquam qui dubitaret, quin immissos tempestati dæmones vir Sanctus vidisset. Violanta Falcona Xertæ nata, sic vt è fronte ad os vsque pendulum carnis monstrosæ frustum vultum eius omnem deformaret; atque ad Sanctum à suâ matre deducta, solo Crucis signo molestâ illâ appendice liberata extitit. Ioannes Sche Tortosanus, decimo ætatis suæ anno intercute aquâ sic inflatus, vt doliolo similis videretur, acceptâ eiusdem benedictione ab eo audiuit: Age nunc, ad Virginem abi gatias ei acturus, quia deinceps sanus viues: & eadem horâ recedente tumore, perfectè sanus cunctis apparuit.

sedat excitatam à dæmone tempestatem, E

adnatum vultui carnem,

& hydropem tollit,

F

a *Duorum Regum continuata hoc tempore funera luxit Francia; Henrici II anno 1559 die 10 Iulij; & Francisci II anno 1560 die 25 Decembris extinctorum.*

b *Ciuitatem appellat textus Italicus: est autem* Xerta *pagus trans Iberum, quatuor passuum millibus versùs Boream distans Tortosâ; pro quâ hic perperam scripta erat* Ortuensis *& infra* Ortusensis diœcesis.

CAPVT VIII

Maellæ facta miracula.

81 IN oppido *a* Maellâ Cæsaraugustanæ diœceseos puella fuit annorum duodecim, cui fœda scabies totum caput operuerat, Elisabethæ Comas dictæ: desperatâ autem mali curatione filiam ad Sanctum duxit pater; & solâ manuum impositione ac signo Crucis eamdem prorsus mundatam persanatamque reduxit, vnâ cum filio paruulo, cui idem Sanctus benedictione suâ herniam, quam patiebatur, curauit. In eodem oppido Michaël Catalanus, viginti annorum adolescens, totum corpus operiente leprâ, nullis remedijs diu frustrâ tentatis curabili, medelam à Beato flagitauit. Qui ei dixit: Priùs de spirituali leprâ quàm de corporali cogitandum fuit: abi igitur, & peccatorum

a Curantur à Beato scabies capitis,

lepra totius corporis:

AVCT. DIMA SERPI

catorum sordes Confessione eorum elue, tum sacro epulo refectus ad me reuertere: quod cùm fecisset, eumque Sanctus signo Crucis signasset, jussissetque in Deiparâ Virgine confidere, deciderunt ex corpore eius squammæ omnes & concretæ ex sanie crustæ, plenéque mundatus ad propria remeauit. Idem autem Michaël in ipso processu iuridicè affirmauit, quòd, cùm mundaretur à leprâ, adstantem sibi habuerit paruulam, cujus manus altera fœdè contracta & digiti prorsus consumpti erant: quam accipiens Sanctus, rectitudini suæ integræque restituit sanitati, cunctis quotquot aderant inspectantibus.

manus contracta,

dolori dentium,

82 Hæ quoque, quarum curationes subjungimus, eodem in oppido habitabant: prima quidem Susanna Matthæi dicta, quæ dentium cruciatu ingenti afflicta, faciem fœdè tumentem ad Sanctum attulit, acceptáque cum signo Crucis benedictione putrefactum dentem sine læsione expuit, & omni dolore soluta recessit. Elisabetha deinde Costa: cui à patre adductæ oculum dexterum impositâ manu dataque benedictione Sanctus sanauit à fistulâ, eidem octauo anno ætatis innatâ. Quod cùm fieret meminit eadem adductam fuisse puellam à natiuitate cæcam: quam cùm simili modo Saluator benedixisset, & oculis ejus manus imposuisset: Nunc, inquit, eos aperi & respice Dominam, quæ est in hoc altari. Aperuit autem illicò puella oculos, & interrogata quid videret, Dominam, inquit, sanctissimam video, brachijs filiolum suum complexam. Vade ergo, subintulit Sanctus, & debitas ei gratias age: non enim ego, sed ipsa te sanauit. Similiter & alius cæcus natus, coram Catharinâ Mirauelle oppidi prædicti indigenâ ad B. Saluatorem adductus est; qui cùm illum deprecaretur pro obtinendo visu, Tu credis, inquit, fili quòd ego te possim sanare, & deciperis: verùm cum firmâ fide orandus tibi Deus est, vt per intercessionem suæ benignissimæ matris lumen tibi concedat oculorum. Credo equidem hoc etiam, respondit cæcus. Ergo; Pater & Aue cuncti recitent, inquit Sanctus: & oratione finitâ prosecutus est dicere: In nomine Patris &c. moxque cæco datum est videre lucem, quam suis oculis numquam vsurpauerat.

duo à natiuitate cæci:

B

CAP. X

item cæca in ipso ad Beatum itinere.

83 Venerant etiam Maellam peregrini quidam Nauarræi, secumque decennem ferebant puellam, & ipsam ab ortu suo cęcam, aliàs formosissimam: cùmque omnis populus ibidem adesset, vidit patrem matremque puellæ genua ad orationem flectere ante beatissimæ Virginis imaginem, quæ supra vetustam quamdam portam tunc constituta, nunc ad forum dicti oppidi translata est: filiæ autem suæ dixerunt, Genua hîc tua flectito filia, vbi Deiparæ gloriosæ imago adoratur, eamque rogemus vt venire nos faciat ad Hortanum Sanctum, qui lucem tibi oculorum tribuet. Vix sese inclinauerat formosula, & patri suo incepit dicere, Ah, pater: quam formosus est paruulus, quem Domina nostra brachio sustinet! Cui præ gaudio attonita mater, An igitur eum intueris? inquit. Intueor sanè, respondit illa: ipsisque, Miraculum, miraculum, inclamantibus, concurrerunt omnes indigenæ illius loci, vt puellam ita recens ac subitò illuminatam viderent. Parentes autem non propterea omiserunt adire Sanctum, qui eos monuit, vt Sanctissimæ Virgini gratias deuotè referrent, quod & fecerunt.

C

Presbyter moribundus,

84. Gabriel Tolquerius, dicti iam oppidi Presbyter, ad mortem æger decumbebat, cùm per domum ejus Saluator transijt eleemosynas corrogans; quare à moribundi consanguineis enixè rogatus vt ingrederetur, extremamque benedictionem ad vitam alteram transeunti impenderet, morem gessit rogantibus, lectóque appropinquans, Crucis super eum efformauit signum, deinde dixit: Manum mihi porrige, Gabriel. Illo autem porrigente, addidit: Eia nunc Hortanæ Virgini gratias age, quòd præsenti mortis periculo te exemerit: oras enim manè hinc exurges: statimque eum febris reliquit, & sequenti die in comitatu ipsius Fr. Saluatoris abijt ad Conuentum Hortanum, vbi Sanctus habitabat. Vix autem eò aduenerat, cùm offerri vidit puerum à natiuitate cæcum, mox facto Crucis signo oculis donatum abire. D

puer cæcus.

85 Ipso præcedenti die, quo Maellæ stipem petebat Saluator, ab Antonio Vughet fuit ad prandium inuitatus. Placidè hic annuit se venturum mendicatione finitâ: ibi autem inter alia fercula illata est lanx malorum granatorum plena, quorum vnum accipiens & cultello diuidens, O Deus, inquit, si tam pulchro ordine cunctas hujus tuę creaturę particulas disposuisti, quam ordinata erit cælestis tui palatij species, vbi Angeli spiritusque beati magis ardebunt faciem contemplantes tuam, quàm grana hæc pulcherrimâ serie distincta rubent. Quæ cùm dixisset, in crucis formam extendit brachia, raptusque in extasim altè sublatus à terrâ est: quod prædictus Antonius cùm videret, exilijt à mensâ, multosque acciuit tanti prodigij spectatores futuros.

Consideratione mali granati

in extasim fertur Beatus.

86 Dominicus Mirauet, ejusdem loci incola, affirmat in processu suprà memorato, quòd puero sibi spina intrauerit in juncturam genu dexteri, quam ipse contemnens ad flumen lauandi causâ abierit. Verùm mox instar ollæ intumuisse genu, cui trium annorum spatio nullam vtilem medicinam facere chirurgi medicíue potuerint: quin potius auctum esse tumorem, carnemque succrescentem mortuam ac sine sensu fuisse. Nam cùm idem, lignum quoddam super genu illud ita tumidum findeœt, intrasse securim ipsam in carnem ad digiti vnius profunditatem, nec tamen quidquam sanguinis effluxisse. Interim Maellam aduenit Fr. Saluator eleemosynas petiturus, quem requisiuit infirmi mater, vt filium suum sanare vellet. Fecit itaque Crucis signum super tumidum genu, & dixit: Cupio videre quàm celeriter curras. Et mox assurrexit puer sanus, & currere per plateas cœpit. Tum ad matrem Frater: Vade & gratias age Virgini Hortanæ: ipsa enim filium tuum sanum fecit.

curatur tumidum E *& emortuum genu,*

87 Ioanni Andreæ ibidem ciui filius erat, cui apertum latus multum egerebat puris, nec adhibita à chirurgis medicisue etiam ferri candentis remedia profuerant. Hortam igitur ad sanctum Fratrem puer deducitur: quò cùm peruentum esset, inuenerunt Sanctum infinitæ hominum multitudini benedicentem. Tunc mater arrepto puero monstrare plagam Saluatori volens, eóque puerum denudans, vidit lintea adhæsisse plagæ: quæ reuellens, simul etiam adhærens ijs putrefacti ossis frustum abstulit; quod ad benedictionem cunctis communiter impensam egressum è corpore, puerum ex integro sanum reliquerat: ipsos autem ad se venientes & gratias agere volentes, ad sanctissimam Virginem Saluator dimisit. Testatur quoque Michael Fustor Maellensis indigena, quod pater suus, in oppido Caritas dicto diœcesis Dertusanæ, supra viginti cœcos, surdos, mutos, claudos, attractos &c. viderit simul Hortam proficiscentes, indeque post benedictionem acceptam paulò post integros sanosque redire. Elisabetha quoque Abas ibidem nata affirmauit, quod coram se allata ad Sanctum fuerit paruula, surda eadem & muta: pro quâ cunctis qui aderant recitandum semel Pater & Aue Sanctus edixerit, & facto signo Crucis infantulam jusserit Aue Maria pronuntiare: quod ipsa fecerit & sana remanserit.

lateris plaga purulenta,

F

ad 30 infirmi;

surda & muta.

88 Catharina Squaneglia, & ipsa Maellensis testata est, quòd trigesimum annum ætatis agenti post puerperium ita soluta sit matrix, vt deorsum defluens ad genua vsque penderet; in eoque statu triennio integro perseuerauerit, non sine intensissimis cruciatibus, grandique pecuniarum impendio in medicos & medici-

Sanatur procidentia matricis,

A medicinas: quibus tamen ad sanitatem recuperandam profecerit nihil. Itaque decreuisse se Hortam adire cum duobus filiolis herniosis, cum quibus eò adueniens ante pedes B. Saluatoris prociderit, sibi & filijs suis sanitatem postulans. Tum verò mandasse Sanctum vt peractâ Confessione Communioneque ad se rediret, magnamque in beatam Virginem miraculorum effectricem collocaret fiduciam. Hæc cùm fecisset ipsa, atque ad Beatum rediuisset; voluit ei, vt ait, passionem suam declarare in aurem. Cui Saluator respondit iam sibi notam esse qualitatem mali, manuque capiti ejus impositâ cùm dixisset, In nomine Patris &c. Ex nunc, inquit, & tu & filius iste tuus sani estis, ite & Virgini gratias agite. Tunc illa: Etiam alter filius meus eodem laborat incommodo: & hunc, quæso, etiam sana. Cui Sanctus: Eum sanauit Dominus, cui sibi placitum fuit: voluntati ejus acquiesce, & quod superest sustine patienter. Affirmat autem prædicta Catharina, quòd eâ ipsâ horâ restitui in locum suum matricem senserit, nec exinde vllum in eâ parte incommodum tulerit: filium verò suum ab herniâ quoque perfectè curatum esse, qui nunc huic suæ depositioni præsens testisque assisteret, vegetus ac sanus.

pueri herniæ

89 Michael Carbonellus, ex oppido *b* Massaleone diœcesis Cæsaraugustanæ, testificatus est, quòd annum octauum agens, collum haberet instar scutellæ tumidum: ipso malo medicorum operam ac suorum spem diu eludente; tandemque B. Saluatori adductum, ab eodemque signo Crucis signatum, sensisse tumorem illum paulatim resolui & demum penitus euanescere. Ad eumdem in lecticâ delatus est Ioannes Galcerbri, ex vico *c* Fatorellâ, paralyticus: cui communicare & confiteri jusso post signum Crucis dixit Sanctus: Eia nunc surge: quia sanus es. Ipse autem confirmatum se sentiens, subitò exiliuit, atque vt jussus erat Deiparæ Virgini miraculum adscribens, gratias ei ac Deo reddidit. Simili modo adductæ ad se quatuordecim annorum puellæ, fœdè claudicanti, quia altero crure attracta, ideóque vno quam altero multo breuior erat, benedictionem suam impendit & dixit: Nunc crus extende, quia sanata es: quæ mox vtrique pedi æqualiter insistens, experta est vtriusque cruris parem factam longitudinem esse per sancti viri orationes.

b colli tumor,

B

c paralysis,

claudicatio.

a *Abest Hortâ ad Borrapeliotem paulò plus quam quatuor millia- rijs trans duos riuulos Algos & Materranam; qui à septentrione in Ortum deflexi coeunt, ac dein Ibero amni miscentur.*

b *Proximus Maella ad eamdem Materranæ ripam vicus, sesqui milliario Hispanico meridionalior, vno autem proximior Horta, quàm Maella.*

C

c *In tabulis* Fatarell; *Borealior quàm Horta milliarijs duobus.*

CAPVT IX

Potestas in dæmones, futurorum prædictio, miracula alia.

CAP. XI. Dæmones B. Saluatori infesti

90 PRæsentia B. Saluatoris admodùm grauis erat dæmonibus, neque leuiores erant molestiæ quas ipse vicissim ab ijs patiebatur: vnde quodã tempore cùm Hortæ officio hortulani fungens agricolam quemdam, nomine Michaelem Gueram, rogasset, vt postero die manè cum suis mulis operam sibi nauare vellet in conserendis leguminibus ad vsum Fratrum, ipseque ex condicto venisset, & mulos vellet aratro jungere; illi contra Dominum conuersi, calcibus eum repulerunt, & velut à diabolo rapti sursum fugerunt in montem. Superuenit Saluator, totâque re intellectâ ex rustico, conuertit se; & jugo, quod muli effugerant, vidit insidentes dæmones: ad quos conuersus: Istóne vos, inquit, loco video, maligni? Deinde ad rusticum, Mercem, ait, enimuerò bonam hîc habemus in horto. Rursumque ad dæmones: Vobis præcipio vt ab hac horâ imposterum numquam in hunc hortum regrediamini. Colono verò: Ito & mulos tuos reducito: isti enim scelerati volebant impedire te, ne promissum Fratribus caritatis opus exequerere. Tum signum Crucis formauit, ad quod disparentibus dæmonibus, denuo ait: Huc tuos mulos adducito, in tali (quem designabat) loco reperiendos: nihil autem formides; abijt enim, quem ego hinc expuli, diabolus. Iuit homo & agnorum instar mansuetos mulos suos reperit, reduxitque ad opus, quod in Fratrum gratiam fauendum susceperat, eximiam Saluatoris virtutem demiratus.

& mulis horto colendo adductis,

D

AVCT. DEMA SERPI

excesso iubentur.

91 Bernardus Calez, ex villâ *a* Aroyns diœcesis Dertusensis, cujus majores iam inde ab annis centum quinquaginta aduenientium illuc Minorum Fratrum semper hospites fuerant, de socero suo, cui Ioannis Mestre nomen fuit, affirmat; quòd vnigenita ejus filiolá, quam ipse testis posteà vxorem habuit, quoties in domum ingrederentur Fratres, faciem suam abscondere & effusè plorare soleret, quandoque verò velut ad mortem consternata obstupefieri. Mouit ea res parentes, alioqui optimos & Fratribus deuotissimos, vt filiæ suæ saluti consulturi Fratres domo suâ excipiendi officium tantisper deprecarentur. Iuit igitur ad monasterium Ioannes, vbi hortum fodientem Saluatorem reperiret (nec enim præ reuerētiâ audebat ipsi Guardiano denuntiare, quod dicturus aduenerat) ipsumque rogauit, vt se apud Guardianum excusaret, quòd amore filiæ vnicæ coactus domo suâ cuperet aliquamdiu exesse Fratres: siquidem eorum præsentia mortem ipsi allatura videbatur. Hæsit ad hæc attonitus Saluator, sublatisque in cælum oculis aliquanto tempore nihil respondit, tum denique ad equitem conuersus dixit: Grauiter hanc Religionem dæmon persequitur, & modò in domum intrauit tuam, nobis hospitium, tibi meritum exercitæ caritatis prærepturus: ideoque ad Fratrum nostrorum ingressum filiæ tuæ tam horribili se offert specie, vt in planctus effusa cogatur formidinem suam consternationemque testari. Verùm bono deinceps esto animo, ac mihi rem omnem relinquito: noui pessimæ illius bestiæ insidias omnes. Itaque me domi tuæ cras expecta, & vt filia tua non absit cura. Obstupefactus ad hæc, nec minùs de verborum veritate persuasus Ioannes, domum redijt: adfuitque postridie, sicut addixerat, Saluator, & præmisso Crucis signo, Iubeo, inquit, maligne spiritus, vt in hanc domum, quæ S. Francisci ejusque filiorum est, ampliùs ne introeas. Tum adferri ad se paruulam jussit, quamuis renitente matre & præteritis similia formidante: attulit tamen illam ipsamet, iterato mariti imperio coacta. Allatam verò Saluator suo, id est, Susannæ compellans nomine, pomum ei porrexit geminum: quod illa, Fratri blandè arridens, excepit. Vetuit porrò Beatus deinde metuere ingressurum illuc dæmonem, omnesque cognouere quàm absoluto aduersùs pessimos illos imperio Sanctus polleret.

a ijdem filia equitis Fratres Hospitantis molesti,

E

ex promisso B. Saluatoris,

ab eodem fugantur:

F

92 Ioanna Arnens, ex villâ Castellæ *b* Spinosa-venatorum dictâ, caduco laborans malo, ad Sanctum se, quamuis plus trecentis milliaribus distantem, portari voluit, per viam continuò inuocans illius nomen, nec intereà vnquam consuetam passa infirmitatem: vt autem eò peruenit, & Confessionis Communionisque Sacramenta adijt, Saluatori se benedicendam sistens hæc ab eo audiuit: In nomine Patris & Filij & spiritus sancti. Iam te Dei mater sanam fecit, propter eam fidem quæ te huc vsque pertraxit. Barbara Pastor, ex villâ *c* Caretes, mamillam habebat ita inflatam induratamque, vt conclusum haberent medici eidem ignem applicare: sed ipso quo tormentum misera subitura erat die, præuenit Saluator eleemosynam postu-

b inuocatus curat morbum caducum,

c tumorem & duritiem mamillæ.

A

Avct. dimaserpi

postulans.; & quamuis nec dum ibi nota esset sanctitas sua; rogatus est tamen ad infirmam ascendere ex primo puerperio adhuc decumbentem. Fecit ille quod rogabatur, & Rosario suo in collum infirmæ injecto, semel Pater atque Aue recitauit; deinde ad puerperam conuersus dixit: Ne desperes, filia, sed in sanctissimâ Dei matre confide: hac enim nocte benè dormies, & in crastinum malo omni liberaberis: prorsusque, vti dixerat, sic euenit.

Energumenam cognoscit.

93 Cùm B. Saluator aliquando esset in ecclesiâ S. Columbæ-Farnesiæ, loco suo natali, dixit, dæmonem insedisse corpus cujusdam istic præsentium fæminarum: quæ res vt noua cunctis accidit, nescientibus quænam ipsarum à Sancto indicaretur, ita vera apparuit, cùm egresso Sancto earum vna manifestè ostendit se energumenam esse. Testatur Fr. Antonius de S. Saluatore, ex Ordine Fr. Minorum Capuccinorum S. Francisci, in processu coram Episcopo Barcinonensi formato, quòd Cæsaraugustæ existens cognouerit pauperem, qui, miserum corpus per terram trahens, moueri solebat: post annos verò aliquantos eumdem se vidisse pedibus gradientem suis integrè atque hilariter; quæsisseque, num ipse is esset, quem antea viderat humi repentem. Affirmasse autem ipsum, eumdem se esse: interrogatum autem, quâ ratione accepisset gradiendi facultatem ita respondisse: Ad Sanctum Hortanum profectus, ab eo jussus sum confiteri & communicare: deinde cùm suam mihi benedictionem impertiens, In nomine Patris &c. dixisset, sanum me sensi, qualem hac ipsâ horâ ad majorem Dei gloriam vides.

dat gradiendi facultatem:

B

d

Matronæ abstinere à lusu promittenti

94 Hortæ quoque morabatur Sanctus, quando ad eum publici cujusdam in *d* Ilerdensi Academiâ legum Professoris, cui nomen Rubios, vxor venit, precum illius suffragio postulans à Deo prolem aliquam impetrare: cui Saluator, Adeò inquit, addicta es lusui, vt nisi eum missum facias nunquam compos sis futura voti. Promisit illa non lusuram se ampliùs, ac ne chartas quidem lusorias accepturam in manus. Tum confessam peccata, & sacro Christi Corpore refectam, suaque benedictione instructam, domum remisit, dicens: Eia, nunc abi secura quòd filiam paries: memento autem ejus quod promisisti: neque enim diutius illa viuet, quàm tu à lusu abstinebis. Læta illa reuertit domum: conceptáque continuò prole, legitimo tempore enixa est filiam, quod Sancto curauit nuntiandum, vicissimque ab eo iteratum vitandi lusus mandatum accepit, si filiam in vitâ retinere vellet. Tertio deinde post hæc anno Matrona prædicta Hortam adduxit ipsam filiam suam, cui Sanctus: Noueris, filia eumdem tibi vitæ terminum esse diuinitus constitutum, qui matri iterandi lusus principium erit. Ad quod paruula: Ne metuas, Pater, nunquam lusum mea resumet mater, meæ, quam deamat, vitæ formidans. Ita duo alij transacti sunt anni, post quos in aliarum matronarum consortio ad ludendum inuitata mater, abiecit ex animo salutaria, quæ olim acceperat, monita: sed non diu lusu illo lætata est. Superueniens enim filia ejus, matremque lusu occupatam videns, inclamare occœpit, mortuam se prorsus ac perditam esse: eodemque vesperi febre correpta est, nec diu post letho præmaturo extincta. Misit igitur ad Dei famulum mater orba nuntium, qui oraret vt filium sibi aut aliam filiam diuinitus obtineret: sed antequam is verbum faceret vllum; Iam noui, inquit Saluator, mortuam filiam dominæ tuæ, de cetero renuntia nihil impetratum deinceps iri, itáque eum absque solatio remisit.

filiam prædicit nascituram,

C

sed ipsâ fidem fallente, morituram.

Religiosæ egregium sed occultum factum

95 In monasterio S. Mariæ de Petralbâ ciuitatis Barcinonensis viuebat Domina Magdalena de Torrelea, eximiæ virtutis magnæque ætatis religiosa, vptote octogenaria: quæ cùm die quodam se commendaret precibus B. Saluatoris, dixit ad eam: Esto certa quòd magni fauores tibi præparati à Deo sint propter insigne quoddam tuum meritum, quo diuinam eius maiestatem singulariter tibi obstrinxisti. Cui ipsa: Equidem inutilem me peccatricem agnosco, ac prorsus indignam, cui, nisi ex merâ gratiæ suæ indulgentiâ, fauorem aliquem præstet Deus. At contra Saluator: Memento, inquit, quomodò hoc ipso in loco pater tuus tecum secretò sermocinans, Pontificium tibi Breue exhibuerit, quo ipsi concedebatur facultas educendi te ex monasterio, quod tu Breue discissum in partes tradidisti flammis, patri tuo in hæc verba respondens: Auertat Deus & S. Clara, ne ego, hoc monasterium deserens, retractem quæ Deo ritè nuncupaui vota. Addidisti præterea, facturam te vt de tali Breui nulla ad quemquam mortalium notitia perueniret. Obstupuit ad ista religiosissima mulier, nec non quotquot ibidem sociæ aderant, rei numquam ante hac auditæ nouitate perculsæ, eóque magis quòd ipsa Magdalena fateretur, ita quidem rem esse gestam, multò priùs tamen quàm Saluator nascendo veniret in lucem: exindéque magnis animis perseuerauit in cœpto vitæ religiosæ studio, intelligens illum suum actum Deo gratum exstitisse: ob quem etiam idem Beatus asserebat, S. Claram quotidie deprecatricem pro ipsâ apud Deum assistere: atque ita denique curriculum suum prædicto in monasterio feliciter absoluit.

D

indulget,

& singulari fauore remunerandum prædicit:

E

item à medicis desperatæ puellæ

96 Domina Isabella Pugados de S. Clemente, Barcinonensis, infantilibus in annis ægra decumbebat ad mortem; desperantibus de vitâ vltra istam noctem producendiâ medicis: ad quorum denuntiationem adeò tristem parentes infirmæ B. Saluatorem rogauerunt, veniret ad eam suâ benedictione signandam. Ipse autem eis respondit: Dicite medicis quòd cum Deo ipsi locuti non sint, qui tam certò ausi sunt pronunciare morituram puellam nocte hac: matri autem & consanguineis renuntiate futurum, vt ipsam conjugio junctam, & filios exinde procreatos videant: Dominæ propterea nostræ gratias agant, quæ tam citò sanitatem restituit ægræ. Et continuò febris dimisit puellam; quæ deinceps sana vixit, adultáque liberos ex legitimo conjugio genuit, & hoc anno *e* MDCIV etiamnum viuit. Andreas Fabius de S. Columbâ *f* de Queralt ex Cataloniâ incurabili cruciatus asthmate, nullumque in humanis videns superesse remedium, illud à B. Saluatore quæsiuit; & per illius benedictionem, præuijs confessione & communione, obtinuit. Fr. Ioannes Oliua, ex Minorum Obseruantium cœnobio quod Barcinone est sub Iesu nomine, in aure dexterâ molestum patiebatur abscessum; eumdemque similiter expertus nullis humanæ artis remedijs esse curabilem, ad Beatum quoque Saluatorem se conuertit: qui solo tactu & benedictione suâ aurem malè affectam prorsus persanauit.

vitam & fœcunditatem.

e

f

sanat asthma

F

& apostema.

a *Vel potiùs, vt habent tabulæ,* Arues *aut* Arnes, *vnius horæ interuallo Hortæ ad Meridiem proxima.*

b *Inter montes, extremam versùs Occidentem Biscaiam à Castellâ dirimentes: cognomen hic expressum vnicum tabulæ, quod ei factum videtur à situ venantibus opportuno, ad distinctionem alterius Espinosæ in Biscaiâ, octo circiter horarum itinere distantis versùs Septentrionem, ad portum* Sant-Anderi *dictum.*

c *Fortè* Caseres *ad eumdem, ad quem Horta est, riuum, sesquihorâ borealis magis.*

d *Distat Hortâ ciuitas Ilerdensis, vulgo Lerida, nouem milliarijs, adeóque itinere diei vnius.*

e *Videtur in cifris error esse, & 1604 pro 1600 irrepsisse: cum processum Barcinonensem constet hoc anno fuisse conclusum, ex approbatione Episcopali num. 159.*

f *Præter eum qui beato viro natalis est vicus, & secundum in diœcesi Tarraconensi ad fontes Caya, ac tertium hujus nominis haud longè ab ostio Betulonis in diœcesi Barcinonensi,* de Gramanet *cognominatum; aliosque duos in diœcesi Vicensi, quorum vni* Salerræ, *alteri à* Vineolis *cognomen; alios quoque duos synonymos vicos reperio in diœcesi Gerundensi, alterum quatuor ferè leucis Gerundâ ad Africum, alterum pari interuallo ad Orientem in ipsâ Ticeris fluuij ripâ: videndum an horum postremorum vni, vel alicui fortassis alteri cognomentum conueniat.*

Viri à S. Columbâ dicti.

CA-

CAPVT X

Secreta cordium & futura varijs occasionibus enuntiat B. Saluator.

CAP. XII *Contemptus à suo Prouinciali,*

97 QVodam die, cùm vir Beatus staret in areâ conuentus Valentini S. Mariæ de Iesu, venerunt ad eum plusquàm decem millia hominum, prædictæ vrbis ciuium, vnà cum Prorege Duce Segobiensi, Ducissâque & omni nobilitate eius visitandi & benedictionis referendæ gratiâ: quibus pariter in genua demissis benedixit Saluator, In nomine Patris &c. Superuenit interim Minister Prouincialis Ordinis Franciscus Zamorra, animóque commotus: Vah, inquit, quàm leues sunt Valentini isti, qui tantùm honorem laico vni habeant. Hæc ille: verùm curæ fuit glorificanti seruos suos Deo, Saluatorem, à suo Superiore contemptum, magis etiam glorificare: factâ enim ibidem post dies quatuor noui Prouincialis, hominis verè sancti & religiosi, electione, cùm ad ædem cathedralem pro agendis Deo gratijs pariter Fratres procederent, eósque in areâ ingens promiscui sexus turba circumsisteret; eductus violenter è medio eorum B. Saluator est, populóque certatim ex tunicâ eius frustum carpente, penè nudus in solâ interulâ derelictus, sic vt necesse fuerit in vicinam quampiam ædem verecundiæ causâ ipsum seducere, ne sic quidem populari feruore cessante, sed jugibus clamoribus postulante vt foras produceretur Sanctus, omnes eorum morbos dispulsurus: & verò plurima fuerunt miracula per ipsum eo die patrata, sicut in processibus videre est.

honoratur à toto populo vt Sanctus:

B

98 In ciuitate Gandiæ Valentinæ diœcesis religiosissimus erat monacharum S. Claræ conuentus, quarum spiritualibus progressibus inuidens dæmon, omnibus modis eis cœpit esse infestus, quotidie horrendis in formis timido sexui se objiciens, totáque domo ingenti fragore perstrepens: quibus molestijs auerruncandis cùm consueti Ecclesiæ exorcismi nihil proficerent, Excellentissimus Dux *a* Franciscus, qui deinde Patrum Iesuitarum Generalis fuit & de eximiâ B. Saluatoris sanctitate multa audiuerat, obtentâ à Generali facultate ipsum eò deducere voluit. Hoc autem dum facit, acti in furorem dæmones sus déque versuri videbantur omnia, ita horrendo vbique tumultuabantur strepitu: parumque aberat quin actæ in desperationem Sanctimoniales discederent loco, in quo nullam habere quietem poterant. Verùm vt superuenit Saluator, omniáque monasterij loca formato in parietibus Crucis signo sacrauit, cessarunt omnia, ipséque ad Sanctimoniales conuersus dixit: Securæ estote, atque hoc vnum solicitæ, vt Deo perfectè seruiatis: promitto enim vobis illius nomine, quòd numquam deinde molestandæ sitis, neque audituræ Gorrofittam *b* (ita istic dæmon appellabatur) cuius aliud consilium non fuit, objiciendis spectris adeò tetris strepitúque tam incondito ciendo, quàm vt religiosam domus hujus disciplinam diuinumque obsequium interturbaret. Nunc remanete in pace, & Dominum pro me orate. Discedens porrò, rogatus fuit, vt Sororibus quibusdam infirmis benediceret, quæ subitò sunt sanitati restitutæ.

Clarissarum Gandiæ Conuentum,

C

liberat ab infestatione dæmonum.

99 Antonius Massipus de seipso aduc seculari testatur, quòd B. Saluatorem conuenerit habitus illius osculandi causâ: qui sibi dixerit: Sacerdos eris. Et se quidem ad ea verba risisse, vtpote qui inter nobiles Ducis Segobiensis & Cardonensis ascitus, nihil minùs vsque ad illam horam quàm de Sacerdotio cogitasset. Nihilominùs post paucos menses tam fortiter animo suo impressum fuisse Dei ad statum istum inuitantis impulsum, vt nullam quietis partem noctu diúque posset capere: ideóque victum dedisse manus, eò faciliùs quòd istud sibi à Sancto prædictum meminisset: hodiéque, quo hæc testatur & annum numeramus MDC, viuit Presbyter, ac recordatur, quòd Sancto, ea quæ diximus prænuntianti, responderit subridens: Non credo, Pater; nec enim satis à litterarum scientiâ instructus sum: ad quod ille retulerit: In domo Domini pluris valet conscientia pura quàm scientia multa, sine quâ Sacerdotium tibi obtinget: quod cùm factum fuerit, pro me quoque orare memento.

Sacerdotium prædicit

D

AVCT. DIMA SERPI *iuueni illitterato.*

100 Ioannes Ximenus, oppidi Fulsetensis Presbyter in diœcesi Tarraconensi, herniam grauemque ex vno latere rupturam patiebatur; hortantibus autem socijs Presbyteris vt ad virum Sanctum sanandus pergeret, negauit se facturum, quoniam miraculis ejus fidem adhibere non posset. Victus nihilominùs importunitate suadentium, iturum se promisit, quandoquidem ita vellent. Addidit autem. Si prodest, prosit; si non prodest, non prosit. Cúmque ad B. Saluatorem venisset, & genuflexus coram eo benedictionem ipsius expectaret, ait ei Beatus: Modicæ fidei, modicæ fidei: si tibi prodest, prosit; si non prodest, non prosit. Surrexit & abijt indignatus Presbyter, & de successu itineris requirentibus dixit: Frater iste vel Sanctus est, vel dæmonium habet: cùm enim alijs benediceret, ad me conuersus, eadem quæ hîc locutus sum, verba protulit: ex quo omnes exiguam Presbyteri fidem & prophetiæ donum Sancto communicatum cognouerunt.

Herniosi Presbyteri modicam fidem arguit:

E

101 Puella energumena, propter nimiam dæmonum insidentium ferociam funibus catenisque adstricta, per vim adducta Hortam est: nulla tamen violentia sufficere potuit, vt in ecclesiam ingredi cogeretur. Rogatus igitur Saluator est, vt ad eam ipse foras progrederetur. Interim vincula omnia rumpunt dæmones, vestibusque laceris inter eorum, qui ipsam comprehenderant, virorum manus relictis, infelicem ex oculis conspectúque abripiunt, sic vt inueniri non potuerit à quærentibus, donec superueniens Sanctus indicauit ipsis, vbi sub maximarum trabium strue abditam reperirent. Ægrè persuadere sibi potuerunt illi, vt infrà tam magnas tam multas trabes eam potuisse condi crederent, illarumque congeriem tanto labore remouendam susciperent: paruerunt tamen, nudamque inter duas trabes inuenerunt, & prout jussi erant dixerunt: Iubet Fr. Saluator vt ad ipsum venias, & quidem in nomine Virginis beatissimæ jubet. Itaque obsequentem ac vestibus indutam reduxere. Quâ conspectâ Beatus signum Crucis expressit & dixit: Exite à creaturâ hac immundi spiritus: ita impero vobis in nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Responderunt illi non parituros se: sed iterato constricti imperio exierunt, immanem in aëre fragorem cientes. Ipsa verò puella libera quidem sed incredibiliter debilitata, mortuæque quàm viuæ similior remansit: verùm acceptâ Sancti benedictione surrexit: qui cibum ipsi præcepit exhiberi ac dixit: Nunc age, filia, & quomodò Deo seruias deinceps, attende: neque ampliùs tale quid committas, si nolis malignos inuasores redire: atque ita sanam à se dimisit.

energumenā fugâ elapsam imperio reducit,

F

& liberatam de occulto delicto monet,

102 Loquebatur cum B. Saluatore, in monasterio Barcinonensi S. Mariæ de Iesu, nobilis quidam, Magister Garzias nominatus, sacræ Inquisitionis Secretarius: atque inter alia ei dixit, egregiè ornatam sibi videri aream monasterij, propter imaginem Beatissimæ Virginis constitutam supra ecclesiæ valuas. Cui Sanctus: Pulchra est enimuerò, inquit, ipsáque me intra breue tempus trans mare auferet, in alium huic cognominem conuentum, vbi similis imago sua supra portam conspicitur. Quæ res incredibilis primùm visa, ipso deinde effectu verissima patuit, quando

suum in Sardiniam discessum prædicit.

A quando Calarim in Sardiniam translatus Saluator est. Dum autem adhuc Hortæ morabatur, multas noctes impendebat orationi super eum, qui ibi est altissimus, montem; eoque se per hortulum conferens, qui post majorem hortum situs est, Fratres ibidem aliquos hilariùs agentes reperit, quorum vnus: Verumne est, inquit, quod audiui, nauigaturum te, Fr. Saluator? Verum, refert ille. Ecquò autem? Ad regionem, reponit, cujus præcipua ciuitas pulcherrimis cincta mœnijs & æreis tormentis insigniter communita, in monte consistit: istic Deus ingentia mihi facturus est bona. c Multi tunc temporis in Indias fidei prædicandæ caussâ mittebantur Fratres; existimarunt igitur ij qui aderant, illuc quoque hunc Deo dilectissimum famulum destinari, ideóque vlteriùs interrogarunt eum, ad Orientemne vel Occidentem versùs habiturus esset iter. Tum ille: In cælum respicite. Respexerunt, videruntque eximij fulgoris stellam ingenti & celeri tractu versùs Orientem ferri, vbi autem consisteret notare non potuerunt. Ipse verò dixit: Simile iter tenendum mihi quoque est. Nec multò post declarata prædictionis est veritas: quando taræ sanctitatis vir Fr. Vincentius Ferri, juxta eam quæ decreta erat Transmontanæ Cismontanæque familiæ commutationem, Fratres in Sardiniam abducturus aduenit, Saluatoremque rogauit, num ipse quoque comes sibi accedere vellet. Qui respondit: Imò verò; hoc enim vult Deus, & illic magnum mihi bonum destinatum habet. d

AVCT. DIMA SERPI & Horta

signo stellæ ostendit.

B

CAP. XIII.

103 Ceterùm quocumque in loco morabatur Beatus, quotidie Confessionis & Communionis obibat Sacramenta, singulari cum piæ deuotionis affectu, idque sub primum Sacrificium matutinum. Accidit autem quadam vice, vt loco suo amotum registrum, quod legendam eo die Epistolam signabat, in eâdem requirendâ aliquamdiu frustrà occupatum Sacerdotem, qui hoc ipsum affirmauit, haud leuiter conturbaret: id quod B. Saluator Sacrificio ministraturus obseruans, exurrexit ab eo in quo genu flexerat loco, acceptumque Missale aperuit, & digito signauit locum qui legendus erat, nulloque prolato verbo, eò vnde surrexerat, redijt. Fassus est autem idem Sacerdos, quod admiratus non modicè insolentiam facti, cùm Saluatorem litteras omnino nullas didicisse sciret, leuatus etiam dubio fuerit, quo circa ejus miracula non leui angebatur: vt deinceps majori in honore ac reuerentiâ ipsum habuerit. Iacobus Villala ciuis Barcinonensis, testatur sibi filium decennem fuisse, quem suâ benedictione Sanctus ab herniâ & rupturâ sanauerit. Raphaëla Pazi, nobilis Gerundensis, sororem suam, obtinendæ prolis vltra modum cupidam, B. Saluatoris precibus commendauit, & respondit ille: Bono animo esto, duplicem enim prolem soror tua pariet: quod factum est; viuitque hoc anno MDCIII vtraque, mascula vna, fœminina altera.

Litterarum ignarus locum Missalis quæsitum monstrat;

herniam curat,

C

prolem prædicit.

104 Soror Hieronyma Campos, in Gerundensi S. Claræ monasterio nouitia, toto corpore iacebat paralytica: rogatus autem fuit B. Saluator, qui eò aduenerat, vt ipsam visitatam sanaret. Iuit igitur ad ecclesiam, ibique ante ferreas crates consistens ad se deferri infirmam jussit: sed pro illâ aliam similiter paralyticam sanctimoniales apportarunt. Quam vt vidit: Non ego hanc, inquit postulaui, neque ipsa fidem habet recipiendæ sanitati necessariam: adferte huc alteram, cujus caussâ adueni. Attulerunt igitur Hieronymam sorores: Sanctus verò fenestellam aperiens, per quam sacra Communio solet sanctimonialibus porrigi, brachium immisit cum Rosario, illudque infirmæ superimponens, dicensque, In nomine Patris &c. mox subjunxit: Surge & gratias Dominæ nostræ age, atque ad obsequia istius te sororis transfer, quæ ob defectum fidei sanari non potuit: quod illa ad ipsius vsque mortem constanter atque amanter præstitit. Inter ceteras autem Sanctimoniales tanta deinceps fuit reuerentia Sancti, vt veritæ ne interiorem animarum suarum statum fortasse propalaret, sub eius conspectum venire formidarent. In eodem monasterio alia fuit Religiosa, quæ diu occultam tolerauerat herniam, non ausa præ verecundiâ medico cuiquam suum malum reuelare: vnde cùm grauissimos indiesque majores dolores pateretur, colloquenti secum secretè Dei famulo illud manifestauit, ac mox per Crucis impressionem sanitatem accepit.

duarum paralyticarum personas

& fidem discernit.

D

Herniam sanat:

105 Idem cum alia ibidem monachâ, Sorore Isabellâ Pingi, colloquens ei dixit: Vide vt inter te Dominumque rectè cuncta se habeant, filia, neque animis cade: adiuuabit enim ipse te in eâ tribulatione, quæ tibi grauissima imminet. Iuuitque post multos annos ea præmonitio, cùm quod prædixerat Sanctus ipsi euenit. Denique eiusdem monasterij Soror altera, Mariana nomine, inquietam præ scrupulis vitam ducebat: quos ipsa aliquandò B. Saluatori exponens, eum rogauit vt ab ijs à Domino liberari ipsius precibus mereretur. Ille verò breui liberandam promisit, omnesque conscientiæ ipsius angores à deuoto quodam Confessario pellendos, in cujus etiam manibus feliciter consummatura esset huius mortalis vitæ curriculum. Idque mox contigit in aduentu noui Confessarij, à quo se penitus subleuatam alijs Sororibus professa est: nec multi posteà transiere dies, quin ad vitæ æternæ gaudia perpetuamque quietem, vt piè credimus, à Domino euocata migraret

Futuram tribulationem (?) ... ibidem,

alteri liberationem à scrupulis prædicit.

E

a *Dedit hic Societati Iesu nomen an 1548. & eam cœpit Generalis regere an. 1564. & 1572 exemptus è viuis, Beati titulum ab Sede Apostolicâ impetrauit an. 1624 Kalendis Octobris recolendus.*

b *Ab vnguibus, qui dæmoni appinguntur, quosque Hispani* garras *vocant, nomen ductum videtur:* garroffas *quoque ijdem vocant cornua seu corni fructus: quidni autem suspicetur aliquis Valentinos eâdem voce vti pro cornibus, & à corniculis diminutiuo nomine dæmonem appellare?* *Garrofini,*

c *In alijs tribus vitis habetur, quòd eductis secum ad orationem comitibus vltro dixerit, vidisse se noctu castellum &c. ad quod ire deberet. Quærentibus vbinam terrarum istud esset, iussisse vt oculos ad cælum tollerent: iterumque interrogantibus an esset rediturus, respondisse:* Istic consummandus sum, quoniam hîc me nolunt.

d *Additur in Vitâ an 1602. quod aliâ die Missam audiens visus sibi sit duas columbas videre, quibus per templi parietem auolantibus, posteà ex eo qui sacrificauerat quæsiuit; num vidisset columbas illas duas, à quibus ipse esset de itinere transmarino admonitus.*

CAPVT XI

Hortâ Reusium ignominiosè amandatus Saluator, miraculis grandibus innotescit.

106 VErùm missa tandem faciamus miracula, quæ processus formati coram Archiepiscopis Episcopisque innumera exhibent, & in catalogo ad calcem opusculi huius adtexto ex parte adnumerantur: satis nobis sit cum chronicis nostris dicere, quod dedit illi Deus mirabilium curationum gratiam. Cùm igitur in hunc modum glorificaretur à Deo in monasterio S. Mariæ de Hortâ (quod ei deinceps nomen perpetuò adhæsit) venit eò religiosæ visitationis ergô Minister Prouincialis, minimeque ei placuit tanta infirmorum omnis generis circa monasterium istud multitudo, quæ Fratribus quoque ibidem commorantibus pridem grauis accidebat: ideóque rogauerant Prouincialem, vt hunc promiscui vulgi strepitum vnà cum ipso Beato à se amoliretur. Quin etiam ipsi Ministro formido quædam inerat, ne fortè non tam Sanctus esset humilis hic Frater, vt talia tamque multiplicia per eum miracula Deus operari vellet. Ergo virtutem explorare ad Lydium patientiæ lapidem statuit; conuocatisque in Capitulum Fratribus euocauit

CAP. XIV Fratribus quietem suo turbari querentibus,

à Prouinciali acriter increpatur Saluator,

A cauit Saluatorem, eóque coram se in genua posito dixit: Credebam equidem plenâ in pace reperturum me conuentum hunc esse, quem è contrà perturbatissimum inquietumque reperio, quia in eo viuit sceleratus quidam & inquietus, maximarumque turbarum caussa. Te, te appello, Fr. Saluator, & quæro, quo tandem consilio hanc, quam tenes, viuendi exorsus es formam? Nonne te pudet audire vnumquemque dicentem: Eamus ad Sanctum ab Hortâ: cùm dicere præstaret, eamus ad diabolum qui Fratres apud Hortam conturbat? Vos autem Patres numquid animaduertitis qualem vobis omnibus infamiæ notam inurit, cùm solus præsumit miracula facere, quasi non æquè ac ipse Sancti sitis? Faxo equidem, Frater, vt nec nomen tuum audiatur ampliùs, & cessantibus istis tuis miraculis, cesset etiam concursus populorum, ex totâ Hispaniâ huc confluentium: jubeóque nunc quidem disciplinam tibi dari, deinceps verò non ampliùs Saluatorem, sed Fr. Alphonsum appellari te; atque hisce litteris acceptis sub mediam noctem hinc discedere vidente nemine, atque ad monasterium oppidi *a* Reusensis abire.

mutatq; nomine

a

107 Hæc ille multo cum stomacho effatus, litteras tradidit, & nomen ipsi commutauit: quâ ex caussâ in Chronicis nostri Ordinis Fr. Alphonsus nuncupa- B tur, vt probatum est in processu formato coram Episcopis, Barcinonensi, Gerundensi, & Dertosano. Ipse verò tam grauia improperia animo planè imperturbato audiens, euidentissimam cunctis sanctitatem suam fecit: indeque digressus ad ecclesiam, ante Beatissimæ Virginis altare sese in oratione prostrauit, seruum se ipsi fidelissimum dicans & consecrans, vsque dum circa noctem mediam Frater laicus venit, socius itineris imperati futurus (cum quo huius Vitæ auctor præsens deinde egit) & tempus esse monens discedendi, mox habuit obsequentem. Factâ namque primùm sanctissimo Sacramento, tum Virgini beatissimæ, Patrique Suffraganeo reuerentiâ, exiuerunt ambo è monasterio, transiueruntque per medium infinitæ multitudinis agmen, quæ montem occupauerat, auroram operiens, circa quam illius benedictionem simul acciperet & sanitatem: quam ipse quidem silentium tenens cunctis tacitus impertiuit: sed manè frustrà exspectatus, cùm nusquam compareret, incredibile dictu est quibus animorum motibus excepta ea absentia fuerit: varijs ad eius inuocationem æquè ac si adesset persanatis, alijs de salute desperantibus. Nec leue, meo quidem judicio, miraculum fuit, quod Pro- C uincialis Fratresque conuentus, post eius discessum penitus obliti fuerint eius decreti, quo statuerant è templo amouenda esse omnia miraculorum inibi patratorum insignia, istic ab infirmis sanatis relicta; Deo cauente, ne quod illi agebant, B. Saluatoris memoria apud posteros periclitari aut in obliuionem venire posset.

sub mediam noctem clam Hortâ discedit,

multis, etiam absens, salutatis,

108 Per viam autem nudis pedibus super aspera montium istorum saxa gradiens, tandem ad limpidum aquæ viuæ fontem peruenit: cuius amœnitas cùm socium inuitasset ad aliquam requiem ibidem captandam, ipse tamquàm nullâ fatigatione affectus in partem se recepit, flexis super saxa genibus manibusque ad cælum tensis facturus orationem: vbi continuò in extasim raptus est, vsque dum eum de resumendo itinere socius admonuit. Qui tantam in ipso vultus hilaritatem demiratus, Ne tu, inquit, Alphonse Frater, stolidus mihi insensatusque videris, quem tam acris à P. Prouinciali reprehensio non commouet. At ille: Miserum enimuerò in modum actum fuisset mecum, si criminum meorum mensuram reprehensionis suæ seueritate æquasset: nunc multò leuiorem quàm ipsa sint sustinens pœnam, vt quid tristabor? Nescin tu, quòd cor Regis sit in manu Domini & quocumque voluerit inclinet illud? Nescin nec folium vnum ex arbore decidere, quin Deo id volente fiat? Iura- D tus autem socius iste affirmauit, toto eo itinere perpetuæ orationi fuisse intentum, &, nisi ipse interpellasset, nullâ ex eius ore prodijsse verba, quàm suauissima Iesu & Mariæ nomina.

Orat, & extasim patitur in viâ,

nec vllam animi turbationem præfert:

AVCT. DIMA SERPI

109 Tandem ante noctem secundæ diei ad designatum ambo venêre monasterium; vbi Guardianus, acceptâ lectâque Prouincialis epistolâ, Fratres omnes jussit ad Capitulum conuenire: in quorum medio cùm genua flectere jussisset Saluatorem, ita coram omnibus est prolocutus: Patres mei, misit huc P. Prouincialis Fratrem hunc inquietum & Hortani conuentus per sua miracula turbatorem: omnibusque nobis imperat ne alio deinceps ipsum quàm Alphonsi nomine compellemus, quò faciliùs eum requirentes latere possit. Te autem, inquit ad Beatum conuersus, in eum abdam locum vbi turbarum nihil possis mouere in populo: nunc autem ante omnia tibi præcipio, ne quem secularium alloquaris. Postero manè, antequàm illucesceret, consurgens Guardianus Fr. Alphonsum requisiuit, eumque in templo reperit, vbi totam noctem orando transegerat. Inde verò abduxit in culinam, quam abducto occludens pessulo, Hîc inquit, manebis Fratribus cocturus cibos, &, si voles inter ollas patinasque facturus miracula.

Reusij contumeliosè excipitur

retruditur in culinam:

110 Lætus eo mandato Sanctus in culinâ remansit: E interim albescente die omnis illius oppidi populus, cœpit ad monasterium properare, imprimisque infirmi magnis clamoribus deprecantes Deum, vt sui misereretur; Fratribus autem miserabiliter supplicantes, vt ad se exire permitterent Dei famulum, Hortâ adductum fauore Numinis, vt eius benedictione salui fierent omnes. Erant hi velut duo millia hominum. Itaque attoniti Fratres, neque intelligentes quâ ratione ad eorum notitiam hospitis noui peruenisset aduentus, occurrunt ad Guardianum, trepidéque eidem nuntiant, quanta hominum multitudo insedisset templum, effractis portis in conuentum se minitans irrupturum, nisi ad se Fr. Saluator produceretur. Indignatus ad hæc Guardianus, subitò in culinam properat, contumeliosisque cùm eo verbis expostulat; quòd non contentus excitatis Hortę turbis, nouas hîc machinaretur, patefaciens populo aduentum suum: Nunc demum apparere cuius ille spiritus & quàm turbulenti atque inquieti foret, qui nisi omnino esset sceleratus ac pessimus, tam recenti Superioris sui mandato non fuisset ausus contraire tam citò. In genua humiliter sese abiecit Saluator, nihil neque excusans nec deprecans, vsque dum abiret Guardianus, denuò F firmiter obserans ostium. Verùm frustrà id fuit: crates enim ligneas perfringens vulgus, portam monasterij per vim aperuit, incurritque in cœnobium: quod arcere cùm Fratres jam vltrà nón possent, accurrit Guardianus, eâque conditione promisit se producturum, quem petebant, si quietè se omnes in ecclesiam reciperent.

sed à vulgo diuinitus monito requisitus,

& quasi turbarum auctor increpitur à Guardiano,

foras producitur,

111 Illis igitur in templum redeuntibus rursum ipse abijt ad culinam, & inde jussit exire Saluatorem: ad cuius velut Angeli cælestis præsentiam exultanti populo ipse Saluator hunc in modum locutus est: Filioli, vt Deus vestras orationes exaudiat, vosque à vestris infirmitatibus liberet, de peccatis vestris pœnitentiam agite, eamque verâ cordis contritione obsignate, cum firmo proposito eadem in sacro Confessionis tribunali rite manifestandi: ego autem illius vice & Dominæ nostræ sanctissimæ benedico vobis, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Hæc effatus, humeros eis obuertit, atque vt fuerat à Guardiano imperatum, redijt ad culinam. Ex attractis autem alijsque infirmis, qui tunc in ecclesiâ erant, multi sanati sunt; vt patuit ex multitudine furcularum, scipionum, fasciarumque istic relictarum. Ad quarum conspectum stomachabundus Guardianus, Vi-

plurimos infirmos de pœnitentiâ monitos sanat,

CAP. XV

A

AVCT. DIMA SERPI

exinde diu ignotus Reusi.

Videtin', inquit, quibus immunditijs templum hoc Frater iste repleuerit, & illud in stabulum bestiarum conuertit: moxque ad Prouincialem scripsit, quantum istic turbarum primo suo aduentu concitasset homo iste, ad se Hortâ transmissus. Proximâ autem sextâ feriâ Fr. Saluatorem in Capitulum accersiuit, mandauitque vt citra licentiam suam nulli secularium loqueretur: atque ita incognitus ibi remansit Sanctus, non exiguo temporis spatio, vsque dum Deo placuit rursum eum in publicam lucem producere hoc qui sequitur modo.

Ibidem Fratrem in extremis constitutum;

112 Erat in monasterio Reusi religiosus quidam, Ioannes Serra nomine, qui ex Presbytero ad laicorum Fratrum ordinem se dimiserat: tunc autem ita grauiter infirmabatur, vt eadem nocte moriturum medici affirmarent. Remansit apud eum Conuentus ipsius Ecclesiastes Fr. Ferdinandus Soler, extrema moribundo præstiturus officia. Hic cùm circa mediam noctem videret ægrum agere animam, abiuit B. Saluatorem quæsiturus, eumque in choro templi orantem reperiens, rogauit secum venire vt vellet, atque extremùm benedicere infirmo. Respondit Saluator, præcederet ille, se quoque mox adfuturum: & adfuit, formatoque super ægrum Crucis signaculo, quæsiuit ab eo quid mali pateretur. Ipso autem B nihil respondente, rediuit ad chorum, seque aspero flagello ibidem cecidit, perque vnam horam perduxit orationem: quæ dum fierent æger liberatus à febri loqui cœpit & dixit: Benè mihi est per Dei gratiam.

orationibus subitò sanat,

Advigilabant morituro, vt credebatur, Fratres alij: qui auditâ loquentis voce properarunt Guardianum ceterosque accessere, futuros rei tam inexpectatæ testes: hi autem animam agentis extremum delirium aliquod id esse rati, ancipites hærebant; quare arreptam quæ lecto vicina erat sedem manu sustulit is, quem paullò antè vires omnes defecerant, dicens: Nolite dubitare, Patres mei, quin verè sanatus sim per Dei gratiam & orationes Fr. Saluatoris: qui modico pòst tempore superueniens, dixit infirmo: Frater Ioannes, gratias Virgini Deiparæ age, quæ te restituit sanitati: dein stude meliorem in posterum vitam ducere quàm duxisti hactenus, propterea meritus vt eam tibi abrumpere nunc Deus vellet: sed tu concesso pœnitentiæ tempore vtere, bonoque sis animo. Porrò medicus summo manè adfuit, quæsiuitque ex portario, quâ horâ mortuus esset Fr. Ioannes. Mortuus? reponit ille: imò verò valet sanus ac C vegetus. Quòd verissimè dictum à portario fuisse, summâ cum admiratione suâ coram ipse cognouit, curriculo ad cubiculum Ioannis delatus.

& de agendâ pœnitentiâ monet;

puerum similiter moribundum

113 Iisdem diebus puerulus quidam reductus erat ad finem vitæ in eodem oppido; & medicus ad patrem afflictum dixit: Domine mi, parùm omnino nunc inter filium tuum & mortem distat: nec vllum ei juuando remedium superesse scio, nisi vt ad monasterium Fratrum accedens, tentes per aliquem illorum ingressum in hortum, vbi inuenturus es Fratrem olera vel legumina carpentem in vsus coquinæ: eum pro filij tui sanitate deprecare. Paruit homo, & Saluatorem reperiens ei dixit: Pater, magna me necessitas cogit ad te recurrere. Plura non est passus eum Saluator effari, sed dixit: Vade, sanus est filiolus tuus, pro quo gratias Deiparæ debes. Planeque vt dixerat sic vir ille reperit domum reuersus: puerumque non sanum modò, sed etiam lætum. Ex dictis miraculis vulgata sanctitatis fama tantam breui recurrentium ad Saluatorem turbam exciuit, vt ejus iniri numerus nullâ ratione posset: ex eâ autem multi sanati sunt cæci, leprosi, paralytici, prout ex Processibus liquet. Imprimis autem nominandus hic puerulus, Paulus Serra nominatus: cui benedicens Sanctus, cùm manum supra caput ejus teneret, dixit circumstantibus: Hic infans ex nostris erit. Et tunc quidem ad ea verba nemo magnopere aduertit animum: posteà verò, cùm D ipse ætate pleniori Seraphici Ordinis habitum induit, intellexere prophetico spiritu dicta fuisse.

conseruat in viuis,

itáque manifestius plurimis iuuat.

a In territorio Tarraconensi tribus à ciuitate leucis ad occasum distans: Hortâ verò leucis minimùm duodecim. Vincentius Domenecus ex processu Barcinon. duos hic producit testes eximiæ ipsius sanctitatis & singularis innocentiæ atque ejus persecutionis quam Hortæ sustinuit, tunc ibidem commoratos, Fr. Ioannem Faleam, Definitorem majorem Catalaniæ, & Fr. Ioannem Martin ejusdem ordinis professum.

CAPVT XII

Barcinonem migrat, inde Calarim: variæ ejus hîc prædictiones.

Reusio migrans

114 POst aliquod tempus visum est Prouinciali Fr. Saluatorem Barcinonem mittere, quò cùm iret a Tarraconâ transijt, vbi multa fecisse miracula in Processu probatur. Deinde cum in b Villafrancâ esset, ad eum deducti sunt duo cæci, quibus dixit: Filioli ite ad Virginem c Montis-ferrati, quandoquidem ei loco tam sitis vicini: & confidite, quia ipsa vos sanabit: ego autem istic breui adero vobis. Eò cùm discessisset vterque, dixit populo Saluator: E Ex duobus illis cæcis vnus sanabitur propter eximiæ fidei meritum, alter pro ejusdem defectu cæcus remanebit. Per viam autem vnus alteri dixit: Stultè enimuerò fecit Frater iste, qui si poterat visum donare nobis, opus nihil habebat nos tanto spatio à se dimittere per asperos hosce montes. Credo equidem, nos qui hîc sanati non sumus, neque istic sanandos. Cui socius: Ego autem existimo verum esse quidquid ille nobis dixit, & visum me recepturum confido: quod ei post confessionem communicaturo accidit, cùm diceretur, Domine non sum dignus: altero qui adire sacramenta neglexerat, nec fiduciam visus recipiendi habebat, in suâ cæcitate persistente. Pòstquàm porrò in Montem-ferratum Saluator aduenit, accedentibus ad se infirmis dixit: In æde Matris misericordiæ sumus: ad ipsam vos conferte sanitatem obtenturi: ex quibus multi sanati sunt, Saluatore pro ipsis Deiparam deprecante. d

ad Montem-Serratum mittit 2 cæcos,

quorum vnus illuminatur;

ibidem pro multis non frustra orat.

Barcinone miraculis claret.

115 Impossibile fuerit narrare miracula, quæ & quanta Barcinonem adueniens fecerit, in Dei nomine adhibito Crucis sanctæ signo; cùm quotidie ingens hominum ad ipsum multitudo accederet: ex quorum numero sanati plurimi, & aliqui quidem F eorum superiùs memorati sunt, aliqui autem hic memorabuntur. Imprimis puer fuit à natiuitate mutus, cui dictum Crucis signum loquelam dedit: dein Eulalia Palau, quæ multis annis medicorum irritâ vsus operâ, vt à dolore capitis ingenti liberaretur, ad ipsum adijt, qui vltro imponens capiti ejus manum dixit: Tibi dolet caput: exindeque dolorem nullum se sensisse affirmat. Denique surdus quidam idemque mutus adolescens, eodem post factum Crucis signum jubente, Pater noster, recitauit, linguáque deinceps expeditâ est vsus.

in Sardiniam nauigans

CAP. XVI

116 Circa hæc tempora Barcinonem peruenit Commissarius ab Ordinis Generali in Sardiniam destinatus, qui virum Dei rogauit vt veniret secum, vt fusè Episcopus Gonzaga describit in chronicis, de conuentu Calaritano tractans, in quo Beatus hic multis miraculis est decoratus, postquàm eximia ejus sanctitas hoc qui sequitur modo innotuit. Nauigante ipso fœda mari tempestas incubuit, sic vt omnes de suâ vitâ actum crederent: sed cognoscens Sanctus vnde ea procederent, facto Crucis signo imperauit dæmonijs vt sese ad inferos confestim reciperent, neque ampliùs suæ naui essent molesti: & mox cunctis admirantibus cessauit procella, lætique ad locum, cui Pula nomen, appulerunt triginta e milliaribus ab vrbe: in quâ summâ omnium cum lætitiâ est exceptus, ac breui, concursu incolarum ex omnibus

tempestatem sedat.

A omnibus insulæ partibus aduenientium ad ipsum facto, glorificatus sequentibus, quorum aliqua hic referemus, miraculis.

moribunda à se sanata plures morbos,

117 Isabella Morana, in articulo mortis constituta, post diuturnam grauemque infirmitatem, curantibus ejus consanguineis, fuit à B. Saluatore visitata, & Crucis signo exempta periculo, ipsoque morbo: ad Beatum tamen se conuertens dixit: Pater care, adeò debilem esse me sentio, vt breui videar moritura. Cui Saluator: Non priùs, mihi crede, mortem oppetes, quàm vicies nouies fueris infirmata: verùm bono fac animo sis, quia lætior te vita in cælo manet. Egit illa gratias curatori suo, nam subitò confirmatam viribus ipsa se sensit, vt jurauit in processu, postquàm vigesimum octauum morbum tolerasset à tempore factę prædictionis: jam satura hujus vitæ, futuramque hilariter expectans per proximum morbum, quem futurū vltimum certò sciret. Cum fortè eleemosynas corrogans illac transiret Saluator, vbi mulier premebatur doloribus partus, parere tamen quibuscumq; adhibitis remedijs nō poterat; ancillę eleemosynā sibi porrigenti ait: Vade dic dominæ tuę, quòd breui paritura sit filium, qui meæ Religionis futurus est: meum itaq; ipsi nomen imponat: quæ cuncta ordine impleta sunt.

alteri felicem partum prædicit.

B 118 Aliàs per forum transiens, ante locum adstitit, vbi milites quidam colludebant, & magnis vocibus clamare cœpit: Foras, foras: citò, citò. Quam vociferationem cum alij amentiæ, alij insueto spiritus feruori tribuerent, & ipse ab eâ nōn desisteret; prodierunt tandē etiam milites, cognituri quid ita clamitaret: quibus dixit: Pœnitentia, pœnitentia. Ridentibus autem illis: Iterum, inquit, dico vobis pœnitentiā agite super blasphemiâ, quam modò protulistis, ipsæque irrationales sentiunt creaturæ. Quòd cùm dicit, corruit cubiculū, in quo luserant isti, certò, vt aiebat Sanctus ruinâ opprimendi in suâ impietate, nisi foras prodiuissent: valuitque prodigium, vt sancto horrore perculsi omnes ad ejus se abijcerent pedes, seriamque anteactæ vitæ emendationem pollicerentur.

item ruinam ob blasphemias domum.

119 Portarij munere ibidem fungens, magnam copiam auicularum circum impluuium sedentium vidit, mœstoque cantu velut querentium de continuâ illis diebus pluuiâ: quarum misertus recurrit ad refectoriū, acceptumq; inde panem attulit, & Crucis expresso signo; Venite, inquit, creaturæ Domini, quas famelicas video: accipite eleemosynā, quam vobis misellis adfero. Illæ pariter obedientissimæ aduolarunt in caput, in humeros, in brachia ejus, acceperuntque ab eo panem; quem etiam dentibus comminutum terebat illis, quarum rostra infirmiora nouerat. Hæc dum agit, coruos C duos illac transuolātes vidit: quos etiam ipsos inuitauit ad eleemosynam participandam; & supra ejus brachia consedisse jurarunt ij qui viderunt. Volentibus autem captare micas, quas tenerioribus comminuerat: Quiescite, inquit; nam vobis firmiora rostra habētibus grandiora dabo frusta: quibus acceptis abire jussi auolarunt; admirantibus, qui aderant, cunctis & raram ejus sanctimoniam ex tali signo cognoscentibus.

Auiculas pascendas aduocat,

& inter has coruos duos.

120 Rogatus à personis quibusdam pijs, vt cuidā cæco lumen restitueret oculorum: Ite, inquit, & vestro amico dicite, vt peccata confessus, triduano ea jejunio expiet, tum ad me veniat. Ipsis autem digressis ad ceteros dixit: Neque confiteri volet neq; jejunare homo iste: ideoque cæcus remanebit: f itáque accidit admonente alios his verbis Sancto: Non vult Deus inimicis peculiaria conferre beneficia: quare si tale quid obtinere vultis, opus est pœnitentiam agere, & tunc exaudibilis erit oratio vestra. Mulier g quædā videndi Fr. Saluatoris auidissima, de quo tā prodigiosa narrari audiuit ad templum, tum fortè duo millia hominum continēs, accessit cum filiolo; quē in tantâ multitudine perditum requirens, accessit ad Beatum, & priùs quàm verbum vllum diceret, monita ab eo est solicitudinē

Caci alienius impœnitentiam prædicit;

matri filium amissum indicat:

ponere; adesse enim, quem monstrabat & ipsa requirebat, puerum: quod confuso lætitiæ & admirationis sensu intelligens, ac verum esse videns mater, gratias eidem egit, hilarisque filiolum domum reduxit. D

AVCT. DIMA SERPI

121 In eadem ecclesiâ simul cum alijs Fratribus orationi instabat Saluator, & suspirantē audiens Guardianum, Nec locus nec tempus, inquit, præsens postulat vt corpori detur esca sed animæ. Quæ verba admiratus Guardianus dixit: Verè cogitationem meam ipsi reuelauit Deus, solicito enim versabam animo, quid vobis cras manducandum apponerē, prorsus exhaustâ penu. Cras refert Saluator, amplam tibi eleemosynam submittet Dominus, Pater mi: & qualem dixerat postridie ipse Portarius attulit, neq; sciri potuit vnde vel à quo. Guardiano autem & Fratribus dixit: Seruite Domino & ipse vos enutriet. Ibidē prædictus Guardianus rogabat Deum, vt suam sibi voluntatem indicare dignaretur circa officium Commissarij Inquisitionis, quod ipsi conferendum erat: & oratione finitâ ad ipsum Fr. Saluator venit, dixitque: Pater, hoc age vt animam tuam saluam facias: officium autem, quod tibi parùm conuenit, ne admiseris. Cognouitque Guardianus diuinitus reuelatam ipsi mentem suam fuisse, itaque directum ad se à diuinâ bonitate responsum sequi decreuit: postero verò die ipsum assumens socium, nobilem quamdam matronam adijt, cum eáque secretò de magnâ socij sui sanctitate colloquebatur. Quæ loquentem non sine admiratione audiens, aduocauit ancillas, & foculum cum prunis adferri jussit fouendis illius pedibus, quos frigido illo tēpore nudos habebat. At ipse candentibus prunis pedem vtrumq; imposuit: quod videnti matronæ consternatæq; & clamosè vetanti ne se adureret, respondit Saluator: Quandoquidē vos laudatis creaturas mortales, multarum imperfectionum plenas, æquum est immortalem Creatorem à me in splendentibus istis creaturis laudari. Sed ignis iste vestrarum laudum per Dei gratiā non me comburet: videruntque nec pedes nec vestes ab igne supposito læsos fuisse. h

Guardiano in crastinum sollicito opem spondet,

aliam eiusdem curam soluit:

E

prunas ardentes innoxie calcat.

h

122 Alia matrona nobilis, filium in bello Melitensi habens, Dominum Guilielmū Serbellonium, extremè metuebat ne esset extinctus, ideoq; ad Sanctum adijt rogauitq; vt pro ejus animâ oraret Deum, cui Saluator: Vade & cœnam appara, atq; ipsum hac nocte expecta. Abijt illa, & nihil dubitans quin vera foret prædictio cunctis eam narrauit obuijs: qui licet fidem ei adhibēdam non crederent, perrexit tamen accurare cœnā; famuli autē ejus ad mœnia cucurrere ciuitatis, si quam fortè nauim aduenientem conspicerent. Sub horam autem Completorij viderunt vnam eminus venientem F prosperrimo cursu: quę vt in portum appulsa est, & dominum suum in ea cognouere, & dominæ læta tulere nuntia aduentus ejus. Alia paris nobilitatis fæmina panem siligineum recentē Fr. Saluatori dederat eleemosynæ nomine; quem ipse cùm in manicâ abdidisset, dixit ei socius suus: Pater mi, prębe mihi hunc panem: noui enim quod ipsum comesturus non sis. Ille autem extendēs brachium, Accipe, inquit. Verùm immissâ in manicā manu pro pane rosam floresque reperit socius. Cui prorsus attonito Saluator dixit: Ita decipiuntur gulosi: domum autem regressus inuenit ad ostium famelicum pauperem, cui eleemosynam petenti ipsum panem è manicā eduxit Beatus, socio inquiēs: Quia hic eo opus habebat, tu inuenire non potuisti. Eleemosynam quoque in domo quadam petēs, vbi nobilis mulier recenter pepererat, Videam, inquit, compatriotam meum. Inductusq; in cubiculum, & infantem brachijs complexum dissuauians, O felicem, inquit, militem Domini mei: hic ex ijs est, qui cęlestium sedium vnam obtinebit. Mortuo autem intra paucos dies infante, veritatem prædictionis factæ omnes cognouerunt.

matri proximum filij aduentum prædicit.

socium gulosum miraculo eludit:

citam pueri nati mortem præsentit:

123 Ad altare majus ecclesiæ Calaritanæ facienti Sacerdoti ministrabat Saluator, quando ad eum venit

maledicenti dicit eodem loco se ab eo videndum,

A venit Religiosus quidam, & dixit: Pater mi, benedicito extremum abeunti: iam enim Neapolim nauigo, quandoquidem ruptam in pectore venam sanare mihi noluisti. Cui Sanctus: At ego, inquit, tibi dixeram velle Deum vt patienter sustineres, & prorsus vtile tibi esse vt hanc tolerares infirmitatem; postmodùm verò sanaberis. Sub hæc Religiosus: Ne quæso Deum orare desinas, pro me numquam videndo imposterum: cumprimùm enim sanatus fuero, necesse habeo in Hispaniam discedere. Memor esto, reponit Sanctus, quòd hoc eodem loco, vbi nunc me vides, reuisurus iterum sis. Iuit ille, & eodem [i] anno ad diem Martij decimum octauum mortuus est Saluator. Quod vbi intellexit Religiosus ille, Nunc inquit, omnis mihi fides excidit, quam Fr. Saluatori deferebam: ecce enim sub discessum valedicenti prænuntiauit futurum, vt ipsum eodem in loco reuiderem: id autem qui fieri poterit, ipso iam mortuo & sepulto? Anni post hæc fluxere duodecim: tum opus habuit Religiosus ille conferre se Genuam, & conscendit nauim vela facientem in Hispaniam, quæ aduersâ tempestate coacta Calaritanum portum subire, prædictum Religiosum ibi exposuit. Hic autem orationis caussâ ante omnia ingressus in ecclesiam monasterij, sepulcrum apertum vidit, & Fratris vnius cadauer supra B scamnum positum, ceteris ad prandium sumendum digressis. Eo spectaculo nonnihil territus, ad Guardianum adijt in Refectorium, suam ei obedientiam de more oblaturus: finito verò prandio vidit innumerabilem hominum multitudinem, accurrentem ad videndum corpus ab annis duodecim sub terrâ latebrisque incorruptum, eodem in habitu in quo primùm sepultum fuerat, nullâ ex parte marcidum, & propheticum Saluatoris spiritum admiratus est.

AVCT. DIMA SERPI.

prout ipso paulo post mortuo

post annos 12 refosso accidit.

a *Hæc nempe Regio Barcinonem euntibus transeunda est, non quam Italicus textus habet*, Zarragoza; *quadruplo longiori distans itinere, quam quò Saluator mittebatur: sed errore dictorum nominum lapsum interpretem Italum, patet etiam ex sequentium locorum descriptione: itaque mendum manifestum correximus.*

b *Dimidio penè inter Tarraconem & Montem-serratum itinere leucarum circiter sex vtrimque.*

c *Distat septem leucis Barcinone inter boream & occasum, miraculosâ B. Virgini imagine totis Hispanijs, imo orbe vniuerso, celeberrimus. Domeneccus hîc gesta à Saluatore sic narrat, vt dubium relinquat an ex Barcinonensi itinere deuotionis caussâ huc excurrerit,* C *vnius diei impendio; an verò aliâ occasione & tempore.*

d *Fusiùs hec Domeneccus: in Vitâ autem an. 1600 eadem multo distinctiùs sic narrantur*: Duobus cæcis ad se venientibus Saluator mandauit, ad Deiparam in Monte-serrato visendam abirent: rogaturam ipsam pro eis filium: confiderent autem, nam se quoque ibidem mox adfuturum. Aderant tum fortè in Villâ-francâ (de Panades videlicet) quidam ex regno Valentino, quibus interrogantibus, fierine posset vt à natiuitate cæci visum reciperent, respondit Saluator: Vnum quidem eorum certum est recepturum: alius verò non eam habet fidem, quâ beneficium mereatur. Et isti quidem Barcinonem iuerunt, cæcis autem per viam inter se colloquentibus, eorum alter dixit: Si ipse nos sanare poterat; cur nos ad Montem-serratum illuminandos mittit? Quia voluit, reponit alter, vt cæli Regina illud faciat: hoc igitur agam cum istuc aduenero, confessus communionem adibo, & Dei misericordiam præstolabor. Ad quod primus: Ipse mihi præcepit, inquit, vt ad Virginem irem: vado equidem: non credo tamen futurum vt vel tu vel ego visum recipiamus. Tum fidelior iste sub ipsam Communionem visum recepit, & quæ dicta sibi fuerant narrans, cum omni populo, qui aderat, venienti Sancto processit obuiam: occurrit etiam qui sanatus non fuerat: Et ego, inquit, Pater vt jussisti huc veni: & socio vidente, cæcus remaneo. Cui Sanctus. Non meâ id culpâ factum, fili; quod huc te misi, ideò feci, quia Domina plus quàm ego potest apud filium suum: ipsa mater, ego dumtaxat seruus illius sum.

Cæcorum vni visus redditur,

alteri dubitanti negatur.

e *Italicis scilicet; & quidem si Calaritanum sinum pedibus ex parte Occidentali circumeas: nam ex hoc promontorio Calarim nauigantibus vix 20 milliarium Italicorum traiectus est, ex communi tabularum descriptione: nisi forte minora* Sardis *quàm Italis milliaria sint. Domeneccus autem asserit Calarim aduenisse Sanctum in Nouembri an. 1565.* D

f *In Vitâ impressâ an. 1600 hæc solùm habentur verba*: nescio an facturus sit. *additurque in eum quo ista scribebantur diem, viuum super fuisse.*

g *Eadem Vita, Patrem-familias cum omni familiâ venisse, ait: solius tamen matris meminit in verbis Sancti.*

h *Ibidem additur*: Tunc matrona illa interrogauit Sanctum, num Deus felicem sibi daturus esset partum, & à doloribus liberaturus. Cui Sanctus: Filium paries, & dolorem sustinebis, quem autem illum, breui scies. Conturbata est ad hæc aliquantulum mulier; cui iterum ille: Non te conturbes, neque enim malum erit quod mortem tibi adferat: atque vlteriùs dicere nihil voluit. Postquàm autem filium matrona peperisset, omniaque domi ad votum fluerent, mortuus ipsi maritus est, & hunc fuisse dolorem sibi à Sancto prædictum, in veritate cognouit.

i *Scilicet 1567.*

CAPVT XIII

Miracula facta post mortem B. Saluatoris.

124 Tot modis glorificato famulo suo, volens Deus mercedem laborum rependere, mortem suam reuelauit, paucis antequàm eam obiret diebus; vt notum est ex processu facto coram Archiepiscopo Calaritano & Apostolico super omnium istius regni Religiosorum caussis Legato: post quam reuelationem ex certâ propinquioris beatitudinis spe amœniori hilarioriq; animo ac vultu fuit, obseruatusque E est quotidianis in se flagellis sæuire acriùs, & sacra Confessionis atque Communionis Mysteria obire ferventiùs, totusque in apparandæ mortis curam cogitationemque defixus. A quadam sibi piè addictâ rogatus, quid faciens gratum Deo præstaret obsequium, Sacramenta, inquit, frequenta, & corporis sensus ab omni labe mundos conserua: largâ enim manu Deus ejusmodi opera remuneratur: pro me autem orare memento ad splendidissimas jucundissimasque nuptias inuitato. Intellexit verba mulier, non sensum loquentis: requisiuit igitur, quo loco eæ celebrandæ essent. In domo, inquit ipse, magni cujusdam Domini, admodùm opulenti atque potentis & magnifici. Quod responsum nihilo magis capiens, prosequitur interrogare curiosa de tempore futurarum, quas dicebat, nuptiarũ. In vigiliâ, inquit Saluator, ejus festi, quod magno magnæ Virginis sponso ecclesia celebrat. Rursumque requisitus, solusne iturus esset: Solus respondit, post me autem septem alij subsequentur.

Mortis suæ præscius

eam quasi ad nuptias inuitatus prædicit,

125 Ita recessit mulier, rata de alicujus Comitis aut F præcipui Equitis nuptijs locutum Fr. Saluatorem: decimo autem pòst die omnibus Ecclesiæ Sacramentis susceptis, coram cunctis Fratribus adstantibus & transitum ejus ex hac vitâ benè precando juuantibus, brachijs antè pectus in crucis formam compositis, & manu Crucifixi complexus effigiem, post suauia cum Christo & Mariâ colloquia, extrema hæc verba moribundus protulit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, & mox placidissimè obdormiuit, decimo octauo die Martij anni à Dominicâ natiuitate millesimi quingentesimi sexagesimi septimi. Post quam ejus mortem excitata est supra ciuitatem tempestas in cælo horrenda, sic vt omnis aëria regio spiritibus immundis plena videri potuerit: & hac ratione impediti fuere ciues, ne ad honores congruos sancto ejus corpori deferendos mox à vulgatâ mortis sanctæ famâ concurrerent. Archiepiscopus autem dæmonum eas esse machinationes considerans, vetuit corpus sepeliri, antequàm de eo ipse voluntatem suam edixisset.

& religiosissimè expirat.

Propter mirabilem tempestatem

126 Triduo igitur toto relictum in templo corpus est, fideli armatorum septum custodiâ; quicumque autem & quacumque infirmitate detenti ad manuum pedumve vel vestium osculum accedebant, sani domum reuertebãtur. Post triduum Archiepiscopus cum Canonicis vniuersoque Clero, Prorex cum Magnatibus, Comitibus & Equitibus regni totius & populo

toto triduo differtur sepultura.

A populo innumerabili adfuit, iisque præsentibus factæ exequiæ sunt; in quibus Pater quidam ex Societate Iesu, Pagna cognomine, verba fecit ad confertum vtriusque ordinis auditorem. Sepultumque tandem corpus est plurimis clarum miraculis, quæ per negligentiam Fratrum scripto excepta non sunt, vsque dum Fr. Dimas Serpi Calaritanus, Ministerium Ordinis Minorum Obseruantium Prouinciale sustinens, vidensque ingentia miracula quæ fiebant quotidie, persuasit Archiepiscopo Calaritano, vt processus de eo formandos esse decerneret. Primùmque à medicis & chirurgis visitatum corpus, & prodigiosè incorruptum inuentum est, intestinis quoque, quod jurati affirmarunt, omnis putoris expertibus.

quâ splendidè peracta, miraculis claret.

127 Vix sepultus erat, quando ad tumulum delata mulier paralytica ex vicino castello, à sepulcro sic sana surrexit, velut nullum vnquam incommodum passa. Matronæ nobili post triduanos in pariendi nisu labores mortuus in vtero fœtus est; quem cùm nulla ars potuisset eximere, Sacramentis extremis munita mater, ipsa quoque ei commortua est. Posteà autem omnibus ad exequias rite paratis, allatum est Beati capucium; ventrique defunctæ impositum, continuò foras prodire fecit, putris abortiui cadauer & ipsam matrem vitæ restituit, in quâ hodieque perseuerat. a Alia biduo versata in discrimine simili, B quam eductus è brachijs sanguis secundùm medicorũ consilia spe facilitandi partus frustrauerat, statim atque idem capucium ventri suo imponi sensit, filium viuum formosumq; enixa est. Puellę etiam vni, amissâ loquelâ vitam quoque desperanti, loquelam & salutem reddidit chorda Beati, deuoto osculo honorata. b

sanatur paralytica, parturientes duo capucij, a muta corda tactu, b

128 Isabellam Manzanam intercus aquâ ad desperationem vitæ adduxerat: sed animos addidit nuntiata beati corporis è sepulcro eleuati transpositio: in capsam ad quam nouem diebus Sancti preces imploratura accessit, positóque supra capsam ventre suo incolumitatem reperit. Domnus Ioannes Columna Vice-regis Comitis Eldaui filius, sublatâ loquendi facultate magnis passibus tendebat ad mortem: sed ab eâ reuocatus est, omnique febri & malo miraculosè liberatus, ipso illo momento, quo capsa sanctum corpus continens in domum infirmi illata est. Idem accidit Marchioni de Sorris, Domino Hilarioni de Alagon Requesens & Cardona, à medicis deposito; cùm similiter, rogante Marchionissâ, importata ad ipsum sacra theca fuisset.

& hydropicus: duo moribundi suscitati,

129 Michael Fornellus ab c Vrgellitanâ ciuitate Hortam vsque iuit, vbi in ecclesiâ orans dixit: O, S. Saluator, etiam hodie cùm degis in cælis, recordare C quòd hoc in loco fratrem meum liberaris ab herniâ: me quoque ab eadem vt liberes obsecro: subitoque se fuisse persanatum jurauit. Admotus autem Beati habitus super faciem Margaritæ à Fonte, Barcinonensis, tumorem ab eâ omnem vnâ cum intolerabili capitis & dentium dolore abstulit. Fr. Petrum Martyrem, ex Ordine S. Francisci, per octo menses lecto tenebat inflata tibia, eademque exquisitis remedijs frustra curata, ignito sexies perusta ferro & ex vnâ in alteram partem transforata. Huic, cùm quodam vespere particulam habitus à B. Saluatore gestati cum illius inuocatione imposuisset, proximo manè sese persanatum reperit, & expeditè surrexit è lecto. Incurabili quoque malo in collo laborans Fr. Iosephus Homs, subitò sanus extitit, eodem habitu ad collum circumposito.

c curantur herniæ, tumor faciei, tibiæ, colli.

130 Matronam Bonaguerram, Barcinonensem, energumenam, ad templum S. Francisci vinctam adduxere sui: cui cum variæ Sanctorum reliquiæ, nihil moto ad earum præsentiam vel attactum spiritu, frustrà fuissent applicatæ, superuenit Fr. Dimas Serpi Commissarius pro Canonizatione Sancti, & supra caput infirmæ ponens Reliquiam Beati, quam secum habebat, imperauit spiritui, In nomine Patris & Filij & D Spiritus sancti atque B. Saluatoris, vt egrederetur: qui statim perfectè liberam mulierem reliquit. Eadem ab inflatione periculosâ mamillæ & graui febre soluta fuit, quamprimùm imposita ei est pars habitus B. Saluatoris. Cyprianus Flaquer Catalanus nauim suam, cui Capitaneus præerat, à duabus Anglicanis persequentibus certò capiendam videns, è sinu extulit particulam ex habitu Sancti, flexisque genibus ad socios nauticos dixit: Impossibile nunc est hostium nos euadere naues: ergo cuncti pariter oremus B. Saluatorem, vt huic nos discrimini eximat. Parent illi; & dum Pater vnum atque Aue recitant, viderunt inimicos aduerso vento repelli longiùs, & libertatem B. Saluatori acceptam referentes, egerunt eidem debitas gratias.

similiter attactu vestis dæmoniaca liberatur,

AVCT. DIMA SERPI

febris sanatur, periclitantes à piratis immunantur;

131 Sardus quidam Romam proficiscens, particulam ex habitu B. Saluatoris secum gestabat: transiens autem per viam, magnum in vicinâ domo audiuit tumultum; in eamque ingressus, Ordinis sui Fratrem cum alijs Presbyteris expellendo per sacros exorcismos dæmoni allaborantem reperit. Cùm igitur aliæ Reliquiæ ab ipsis frustra applicatæ fuissent, & ipse Sancti sui volens potentiam experiri, quam dixi particulam applicuit energumenæ: per cujus os continuò dæmon clamare cœpit; auferrent, auferrent procul E pannum istum, enormia sibi tormenta facientem. Quæsiuit Frater, quis eorum caussa tormentorum esset: Saluator, inquit, dæmon Saluator. Tum Frater: Ergo in nomine Dei & istius, qui te cruciat, Saluatoris impero vt ab hoc corpore egrediaris, maligne spiritus. Nec mora egressus est spiritus & libera mulier à vexatione remansit.

dæmon expellitur.

132 Petrus Tessisone Gerundensis, ætatis suæ anno duodecimo oculum prorsus corruptum habens, sanum accepit admotâ particulâ ex costis Beati. Gerundæ quoque natus ante annum sesquialterum puer, Petrus Vignes nomine, tertio à natiuitate mense crepuit: sed à matre ad sacrum Beato huic sacellum delatus, post fusas inibi pro ejus salute preces, sanus & integer est inuentus. Indidem orta Margarita Vnies, nato ex se filio nomen imposuerat Saluatoris, in honorem Beati: hic autem quatuor hebdomades natus à sugendo lacte quartum abstinebat diem: quamobrem de vitâ ejus desperans mater, apparari cuncta ad exequias jusserat. Interim in spem venit posse eum per merita beati Patroni saluari, magnâque cum fiduciâ dixit: Preces meas exaudi O B. Saluator, cujus amore ducta nomen istud filio meo feci: nunc autem vt viuere pergat supplex flagito. Quæ vt ipsa dixit, aperuit oculos iam penè in morte F clausos paruulus; mamillam suxit, & sanus in hodiernum diem viuit.

restituitur oculus; puer herniosus, & alius moribundus sanantur.

133 Anna Eulalia, ejusdem ciuitatis indigena, annorum duodecim, de tecto in plateam grandibus saxis stratam prolapsa, vtrumque brachium, hoc vno, istud duobus locis fregit: grauiter item in pectore, fronte ac capite læsa, ingentem copiam vomebat sanguinis: cui omnibus quæ excogitari poterant remedijs adhibitis, dixere medici ad afflictum misellæ illius patrem, intra paucas horas certò expiraturam: curari enim non posse corpusculum, tot locis fractum contusumque. Permansit tamen in eo statu totam illam noctem & matutinam diei sequentis partem, quando commendaturi animam Deo Fratres gemini, ingressi sunt domum; eorumque alter particulam ex habitu Beati portans, eam præmisso Pater & Aue morienti puellæ deuotè imposuit. Quæ mox mirantibus cunctis visa est brachium vtrumque extendere, solidatis tribus illis rupturis: frons quoque, quæ retro in caput acta miserabiliter æquè ac mirabiliter erat, erigi atque in debitam formam restitui. Loqui deinde

Ex graui lapsu multipliciter læsa, seruatur in viuis attactu vestis.

A *Auct. Dimas Serpi* inde incipienti, qui adstabant dixerũt, Dic filia, B. Saluator adjuua me. Quæ verba vt jussa erat, promptè repetijt, sanáque deinceps ex integro remansit. Eodem medio in viuis seruatus est Iacobus Gottardus, Barcinonensis, à medicis depositus, mortique proximus. Ioannes etiam Comas ex diœcesi Gerundensi in pedes surrexit è lecto, cui paralyticus incubuerat, statim atque à fratre suo partem ex eodem accepit habitu, dixitque, B. Saluator rogo te, vt me digneris adjuuare: & multas gratias eidem retulit.

item alius moribundus, sanantur paralysis,

134 Susanna Violalis, ex oppido Hortâ, tribus mensibus inflatam mamillam habens & instar saxi induratam, nihilque auxilij in medicorum arte reperiens, scutellam aquâ plenam adferri jussit, intinctumque eidem panniculum parti affectæ imposuit, dicens, O B. Saluator, auxilium mihi precor in hac meâ porrige afflictione, ex quâ nisi moriar, voueo nouies adituram me monasterium tuum, in quo costarum tuarum vna seruatur. Post quæ ad lectum se conferens obdormiuit; & manè experrecta, mamillamque intuita, vesiculam in eâ vidit instar ciceris exiguam, eamdemque secundo die in duplum auctam, ac tertio demum apertam reperit: atque expressâ per eam magnâ putrefacti sanguinis ac puris copiâ, persanatam se gauisa est. Magdalena Comas de *d* Casettis in regno Aragoniæ, filiolam habebat decem & B octo mensium, cui super caput & circa collum subnascentes crustulæ, supra modum largæ, multo pure manabant. Itaque ad Virginem Hortanam se contulit, vbi costam seruari Beati ferente famâ intellexerat: quàm fideliter deosculata, petijt imponi peluí, & eam quâ tincta fuerat aquam pannis excipiens, collo capitique filiæ suæ imposuit, auxilium à B. Saluatore postulans: próximo verò manè ne vestigium quidem prioris in filiâ mali reperire se potuisse affirmauit.

& mamillæ tumor, d ac purulenta lues capitis,

135 Indidem nata Ioanna Sellent, filium habuit Augustinum nomine, qui lapsus ex arbore coxam sibi vtramque fregit. Ita debilitatum Hortam detulit in ecclesiam, sic orare exorsa: O B. Saluator vbicumque nunc terrarum degis, preces obsecro meas exaudi, & dilectum mhi filium sanum effice. Mortuus iam tum Calari Saluator erat: exauditæ tamen preces sunt, & puer perfectæ redditus sanitati. Hortanus erat Ioannes Pelliciarius, idemque ex acutâ febri grauiter ægrotus: sanus autem surrexit è lecto B. Saluatorem inuocans, & Reliquiam ejus in monasterio honoraturus cum gratiarũ actionibus aduenit. Hortana quoque Ioanna Gonora inflato enormiter collo graues tolerabat dolores: sed post osculum sacræ costæ reuerenter datum & fusas pro sanitate preces, vltra sequentem diem eamdem non desiderauit. C Eidem Reliquiæ osculum figens Dominus Dionysius de Loris & Graudesâ, à colico cruciatu, qui mortem allaturus credebatur, liber euasit. Ioannes Genuensis etiam ipse Hortanus modò brachio, modò pede, modò humero vno paralyticus; post orationem Beato factam particulam ex habitu ejus gestandam assumpsit, & citò se sanum expertus est. Similem particulam ex Beati capucio habebat Frater quidam, & rogatus ingredi in domum Ioannis Alis ad orationem suprà infirmum faciendam, ipsam eidem imposuit; & B. Saluatoris preces pro eodem poposcit: eodemque momento temporis reducta in corpus sunt quæ foris periculosè propendebant intestina, & efficaciam inuocati auxilij Ioannes recognouit.

coxa item ex lapsu fracta, acuta febris, colli tumor, colicus dolor, paralysis varia, & hernia curantur.

136 Hoc anno MDCVII cùm Romæ in conuentu *e* Aræ-cæli esset Fr. Ioannes de Caprerolâ, Præses Pœnitentiariæ ad S. Ioannis Lateranensis de mandato Pauli V Pontificis maximi, ibidem sic infirmatus est, vt sensuum vsum omnem amiserit: cui sanando, ne quid intentatum relinqueret medici, etiam cauterium capiti illius admouerunt: cujus cùm impressionem nullâ ratione sensisse dictus Pater videretur, salutem D & vitam ejus inter desperata habendam medici judicarunt. Eodem tempore ibidem Prouincialis Sardiniæ Fr. Dimas Serpi morabatur, penes se habens capucium B. Saluatoris; ad quem deuotè per preces recurrens, cùm ægrum Deo, B. Virgini, ipsique Saluatori commendasset, illum adiuit, dictumque capucium capiti ejus imposuit: subitóque in se reuersus æger loqui cœpit, dolorem ex cauterio sensit, & meliùs continò habere visus breui integrè conualuit.

Attactu capucij sanantur 2 Fratres moribundi

137 Eodem in conuentu infirmari cœpit Fr. Thomas de Massâ, olim *f* Marchiæ Prouincialis, eoque redactus est morbi & intensissimorum dolorum violentiâ, vt præter mortem restare nihil videretur. Verùm desperatam à medicis sanitatem diuina bonitas, B. Virginis suique famuli Saluatoris precibus propitiata, concessit ad applicationem prædicti capucij, per eumdem P. Dimam impositi infirmo: continuò enim, sublatis doloribus conualuit æger, & gratias, quibus par erat, habuit.

Romæ in Ara-cæli. f

a *Pleniùs in Vitâ an. 1600 hoc modo.* Mulieri parere non valenti post viginti sex lethales paroxysmos mortuus est in vtero fœtus, & nihil proficiente medicorum atque obstetricum curâ, extremis omnibus fuit Sacramentis munita; post quæ triduo mansit visus & loquelæ facultate priuata, vsque eò vt tandem omnes expirasse crederent: iamque ad defunctæ, vt rebantur, corpus vigilias agebant Franciscani Patres, ipsique S. Francisci habitum in quo erat sepelienda iniecerant: cùm redijt E domum familiarium vnus, missus vt sacrificia quædam celebranda curaret, & B. Saluatoris secum capucium attulit: quod infirmæ germana, sororis imponens vtero, obstupuit cùm vidit ita subitò ex eo cum secundinis prosiluisse fœtum mortuum, quomodò ex sclopo glans plumbea eijcitur; puerperam verò leue post suspirium loquentem audiuit: quæ interrogata quomodò se haberet, respondit nullum se dolorem habere ac ne sentire quidem quòd peperisset.

b *Ibidem id factum dicitur: cùm accersitus è indicio medici Parochus sacrum Oleum ei inungendæ pararet, postquàm à nonâ vespertina ad 10 sequentis diei in eo periculo fuisset.*

c *Ad Borealem Sicoris ripam sede Episcopali nobilis, miliaribus 24 distans Hortâ.*

d *Vulgo* las Caseras (*in Italico perperam* Caretas) *duabus supra Cæsaraugustam leucis.*

e *Celeberrimum Franciscani Ordinis in urbe monasterium iuxta ipsum Capitolium.*

f Anconitanæ *videlicet per antonomasiam.*

CAPVT XIV

De cultu B. Saluatoris & actis pro Canonizatione.

138 Quæ porrò Calari, ubi mortuus est Beatus, F per eius & sanctissimæ Virginis inuocationem Deus miracula quotidie operatur, impossibile est scribendo enumerare; cùm nulla penè dies effluat, quin vestis aut capucium eius in varia deferatur loca ad periculosè infirmos aut parturientes; quibus omnibus præsens pariter auxilium adfertur. Habet autem ibidem in ecclesiâ S. Mariæ de Iesu dicatum sibi sacellum, in quo sacrum eius corpus requiescit in capsâ, interiùs Damasceno rubeo panno vestitâ, super culcitram ex simili eiusdem coloris panno confectam, & bombacio fartam. Exteriùs verò operta est capsa holoserico nigro, inauratis distincto clauis, & duplici firmatur serâ; quarum alterius clauem Archiepiscopus, alterius Guardianus asseruant. Eadem præterea capsa alteri ferreæ includitur, tribus clauibus reserandæ; quarum duæ penès Consules ciuitatis sunt, tertia in potestate Guardiani. Colitur hic Sanctus solenni festo quauis Dominicâ secundâ post Epiphaniam in prædictâ ecclesiâ; quando ad populum sermo habetur de illius miraculis sub Missam quæ de omnibus Sanctis canitur: ad quam Clerus & populus confluit vniuersus, medicum suum com-

Corporis miraculis clarum, in proprio sacello, capsâ decenti seruatur, Colitur Dominica 2 post Epiph.

A communemque Patronum honoraturus, cui deuotæ personæ complures vsitatum de Confessoribus Responsorium cum suâ oratione adaptant: quomodò ea superiùs in præuio commentario leguntur. Vbi eadem dicuntur solita decantari quotidie ad Beati sepulcrum.

Epistola Regis Catholici ad Papam

139 Pro Canonizatione eiusdem formati processus de mandato Sanctissimi Domini Pauli Papæ V Sacræ Rituum Congregationi oblati sunt, vnà cum epistolâ Catholici Hispaniarum Regis Philippi III, & breuiculo seu memoriali de Vitâ & miraculis dicti Beati: epistolæ autem hic tenor est. Sanctissime Pater, Duci de Escaloua, Consiliario & Legato meo, scripsi vt cum Sanctitate tuâ loquatur de Canonizatione, quam Franciscani Fratres & Coronæ Aragonicæ ministri naturales deberi dicunt Fr. Saluatori de Hortâ Fratris laici eiusdem Religionis ex meo Principatu Catalanico oriundi: cuius corpus hodie inuenitur in templo monasterij de Iesu, ciuitatis Calaritanæ, in meo regno Sardiniæ. Precor Sanctitatem vestram, vt plenam fidem adhibere velis omnibus circa negotium hoc Tibi meo nomine referendis à Duce prædicto, eique necessarium omnem fauorem & gratiam ad hoc opportunam præstare. Nam præterquàm quod ea res tendat in seruitium & gloriam Dei ac Domini nostri Sanctorumque eius, ego quoque ex eadem lætitiæ fructum capiam singularis, & gratiam à vestrâ B Beatitudine mihi factam agnoscam, cuius Sanctissimam personam Dominus noster custodiat, felicemque reddat ad regimen suæ vniuersalis Ecclesiæ. Dabam die XVII Ianuarij anno MDCIV.

Sanctitatis vestræ

humillimus & deuotissimus filius, Don Philippus, Dei gratiâ Rex Castellæ, Aragoniæ, Leonis, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Portugalliæ, Indiarum, Nauarræ, &c. sanctos tuos pedes manusque exosculor.

Romanæ Curiæ offertur epitome vitæ,

140 Memorialis duæ erant partes: quarum prior de Vitâ hæc puncta complectebatur. Omni nocte aspero se ad sanguinem vsque flagello castigabat. Quotidie manè confitebatur, & sub primam Missam communicabat. Nec cubiculum neque lectum vnquam habuit, sed totâ nocte permanebat in templo. Per omnem vitam, quæcumque anni tempestas foret, nudis incedebat pedibus. Fuit vir continuæ orationis: siue enim in culinæ vel horti ministerijs exerceretur, siue eleemosinas quæritans oberraret, nullæ vnquam voces in excipiendis obedientię mandatis auditæ sunt ab eo aliæ, quàm Iesus & Maria. Maximam pœnitentiam faciebat, jeiunabat frequenter, singulari erat erga infirmos caritate. Visus aliquando fuit inter orandum ad duos cubitos subleuatus à terrâ, sæpe C autem in extasim raptus. Cum Christo, Sanctissimâ Virgine & S. Paulo, cui singulariter deuotus erat, colloquebatur. Prophetico spiritu donatus fuit circa præterita, præsentia & futura. Cùm pluribus quàm bis mille hominibus aliquando benediceret, super caput eius plenâ in meridie tres accensæ faces apparuerunt. Nocte quâdam apparuit mulieri cancro exesam mamillam habenti, atque eius auxilium imploranti, ipsamque signo sanctæ Crucis sanauit. Visus fuit ex altissimo monte in candidâ nebulâ deorsum descendere. Idem signum saxo cuidam imprimens aquam ex eo elicuit, quæ ad hoc vsque tempus manans multis infirmis est salutaris. Corpus eius incorruptum & suaui fragrans odore Calari superest in hunc vsque diem. Magnis persecutionibus jactatus omnes patientiâ singulari pertulit, nec vnquam earum caussâ vultu conspectus est tristiori. Omnibus semper affabilem se facilemque præbuit, & infirmorum afflictionibus compatientem. Sæpe cùm alicui loquebatur, dicebat: Fili, tale aliquod peccatum confitere. Confiteri D & communicare jubebat omnes, qui sanitatis impetrandæ caussâ ad ipsum veniebant: si quis autem non rectè confessionem obiuisset, dicebat: Vade, fili, & istud prætereà peccatum expone. In vitâ omni castissimus, semper virgo, maximæque simplicitatis fuit. In conuentu Calaritano speciosissima capella visitur, in quâ corpus hujus Beati requiescit, quo ad eius venerationem ingens hominum multitudo concurrit, admirans frequentiam plurimorum ac maximorum miraculorum, quibus gloriam eius diuina majestas magis quotidie magisque amplificat.

AVCT. DIMA SERPI

& miraculorum B. Saluatoris post mortem

141 Altera pars memorialis exhibebat summarium præcipuorum miraculorum, ab eodem B. Saluatore patratorum, punctis sequentibus comprehensum. Suscitauit duos mortuos, quorum vnus iam erat sarcophago impositus, alter in flumine submersus. Item mulierem mortuo in vtero fœtu extinctam: quam capucij ipsius Beati contactus, expulso putrido abortiuæ prolis cadauere, ad vitam reuocauit. A mortis imminentis periculo liberauit & liberat quotidie plurimos, qui eius habitum reuerenter osculantur: nominatim verò conseruauit Dominum Hilarionem de Alagon Requesens & Cardona, Marchionem de Soris, agentem animam; & Dominum Ioannem filium Comitis de Elda, qui allatâ ad se beati corporis capsâ conualuit. Similiter Vice-comes Sellariensis in E extremis constitutus, imposito sibi Beati habitu sanitatem recepit. Signo Crucis sanauit paralyticos centum viginti tres. Triginta quinque hominibus à natiuitate surdis ac mutis aurium & linguæ vsum dedit. Infinitos energumenos liberauit: sed soli vndecim in processibus probatis exprimuntur. Cæcis Triginta & vni à natiuitate visum dedisse constat ex processibus, quamuis pluribus alijs idem fecerit. Puellæ duodenni, cui facies in dorsum contorta erat, eamdem reduxit ad statum debitum, signo Crucis præmisso: eodemque monstrosam appendicem, alterius puellæ fronti adnatam, inque ipsum os dependentem, abstulit. Certum est ex processibus, supra duodecim millia, rupturam herniamúe meritis eius curatam, retulisse. Infinitus quoque eorum est numerus quos ab artritidis, scabiei, scrofularum, cancri, aliarumque incurabilium plagarum incommodis morbisque liberauit. Nec pauciores fuerunt hydropici, licet soli quindecim nominentur in processibus. Adusta brachia, crura aut membra alia tribus vt minimum millibus curauit. Signo Crucis sanauit cæcam, eamdemque mutuam & surdam ab ipsâ natiuitate. Item puerulum leprosum, aliosque infinitos. Item alium cui grandi plagâ hiabat latus. Prætereà mulierem cui extra corpus propendebat matrix jam inde à triennio. F Pugionem quoque extraxit ex læso hominis cuiusdam pectore, & signo Crucis sanum fecit. Denique miseretur, & omni die succurrit eorum necessitatibus, qui febre alijsúe doloribus vel infirmitatibus afflicti ipsi suam commendant sanitatem.

& in vitâ patratorum.

Catalogo Beatorum adscribitur.

142 Prædictis Regis Philippi litteris atque memoriali ritè oblatis acceptisque, processibus quoque debitâ formâ examinatis in Romanâ Curiâ, concessa facultas est Saluatoris imaginem excudendi cum titulo Beati, & appensis circumcirca miraculis; prout ad Dei, Beatæ Virginis & Franciscanæ Religionis decus & honorem factum est: confidimusque futurum, vt Ecclesia in ipsum Sanctorum Catalogum eum referat canonizando. Interim lectione sanctæ eius & admirabilis Vitæ, gaude lector, eumque deuotus cole: huius imprimis moniti, quod familiariter vsurpabat, memor: Mundandam primò animam esse, ac posteà facilè impetrandum quidquid postulabitur.

ANALECTA
Ex Vincentio Domenecco
& Vitis à Dimâ Serpi editis
Anno MDC & MDCII.

B. Saluatoris parentes ex commodâ fortunâ

143 Eatus Pater Fr. Saluator de Hortâ origine Catalanus fuit, eiusque parentes opulenti agricolæ, inquilini parochię de Bruñolâ diœcesis Gerundensis, & possessores cuiusdam turris, seu prædij dicti Maldauall, quod hodie destructum desolatumque visitur supra colliculum, totumque in siluam abijt. Hi D.N. Iesu Christi famuli ex dispositione diuinâ in extremam paupertatem grauesque inciderunt infirmitates, ad exemplum iusti Iob probandi. Quæ calamitas necessitatem eis attulit curationis ergô sese abijciendi ad Hospitale S. Columbæ-Farneziæ; vbi à suis morbis recreati, ita se probauerunt Baliuio Iuratisque istius loci, vt eos rogarint istic remanere, & suscipere curam Hospitalis ac pauperum eò diuertentium. Quam conditionem, cogente paupertate, alacres susceperunt, ad magni Abrahami similitudinem in eo se exercentes munere, caritate tantâ quantam visus est probasse Deus, largiens ijs fructum benedictionis, Beatum, inquam, hunc Saluatorem, quem Christianè sollicitéque educarunt.

ad hospitale redacti:

B

&

144 Habet de eo traditio loci, quod circa sextum suæ ætatis annum, Dauidis instar gregem pascens, cùm eum vellet adaquare, in ipsum riuuli alueum prolapsus sit, impetúque decurrentis ad voluendum proximum molendinum aquæ, ad ipsum eius canalem prouolutus. Per quem sub molendini rotam trahendum existimauere, qui eminus labentem viderant: sed accurrentes, aquas plaudentem palmis, ijsque innoxiè illudentem inuenerunt, eduxeruntque, nihil dubij quin esset miraculo conseruatus. Adultior cùm quadam sororculâ suâ Barcinonem adductus est, & ambo in magistri cuiusdam obsequio constituti. Istic soror, Blasia nomine, viro cuidam honesto nupsit, magistro Antonio Trauer dicto, vendenti æneam ferreamque suppellectilem in foro, quod Catalani del Blat cognominant. Fuit autem vt ex processu habetur, honestæ vitæ ac famæ mulier, vixitque ac mortua est improlis.

ipse ab aquis miraculo ereptus

Barcinonem ducitur cum sorore,

C

145 Saluator autem sutorię admotus arti, postquàm suum perdidicit opificium, Deo inspirante petijt obtinuitque Ordinis Seraphici habitum, in laicum Fratrem admissus propter donum raræ simplicitatis, quæ futurę sanctitatis magnam omnibus spem faciebat. Et hæc neutiquam vana apparuit, etiam tirocinij tēpore, quando, ipso in templo orante, cuncta in culinâ obseratâ parata reperta sunt ad opiparum præter morem prandium, cuius præ orationis feruore oblitus Saluator fuerat: eidem insuper instruendo nequaquàm idoneus, vtpote ministerij illius parùm peritus, etiam cùm consuetæ dapes apparandæ forent. Tirocinij autem anno expleto, & votis nuncupatis in Religionem insertus, ad alia virtutum exercitia, magnam adjunxit erga pauperes caritatem: quarè in officio ianitoris constitutus, quàm largissimas poterat, in eos eleemosynas distribuebat. Quod animaduertēs Guardianus, metuensque ne totam penum euacuaret, occludi officinas iussit, ipsique ingrediendi eas potestatē ademit. Itaque aliunde conabatur pauperum prospicere indigentię, ad quod magna ei suppetebat facultas: cùm enim cunctis esset exemplo vitæ suæ innocentissimæ amabilis, plenos panum canistros ad eum submittebant amici & homines pij. Vnde factum est vt ita onustum videns Guardianus ad pauperes procedere, ei diceret: Considera Frater quòd nos quoque pauperes sumus, & priùs conueniat domesticis quàm extraneis prouidere. At ille: Non ideò, Pater, mihi datur, vt eis, qui habent, donem; sed pauperibus, qui non habent: jam Deus curam Fratrum gerit, neque vnquam vidi fame mortuos.

vbi habitum S. Francisci sumit,

& ianitor constitutus

erga pauperes est liberalissimus:

D

146 Mansuetudinis singularis hoc exemplum esto. Assidebat aliquando foco Saluator, quem vt arderet luculentiùs congestis titionibus excitans coquus, caldariam aquâ bulliente plenam super assidentis euertit pedes: qui nihil commotus modesto cum risu dixit: Nunc, Frater, iterum laborandum tibi erit vt nouam feruere facias: cur non agis attentiùs? Qui autem præsentes aderant accurrerunt, visuri quàm grauiter eum adussisset aqua. Quibus ipse respondit: Nihil mali accidit: imò quia multum est quod pedes non laui, commodum fuit eos vel sic ablui: Deus caritatem remuneretur. Euidentioribus porrò curationum miraculis seruum suum honorauit Deus. Mulier quædam ex puerperio contracta ipsis octo annis loco mouere se non potuerat, cùm eleemosynas colligens Saluator, domum eius transijt: qui vt ipsam curaret intrô vocatus: Confitere, inquit, filia, ante omnia, tum reuertar ego, & confide in Deo quòd ipse te curabit. Eodem die accersito Confessario expiata mulier Eucharistię Sacramentum sumpsit: moxque viderunt omnes admonitum à nemine Saluatorem in cubiculum ingredi, qui & dixit: Filia, quia te commendasti Deo, ipse te sanet ab infirmitate hac: & Crucis signum formauit super infirmam: quæ continuò exurrexit è lecto, domóque exiuit, Deo pro collatâ per sui serui meritum sanitate gratias habitura. a Ad eumdem aliquandò adductus est homo, cui pugionem pectori infixum eximi vetabant medici, ne priùs quàm sua esset peccata confessus mori eum contingeret: exemit tamen eum manu Saluator, periculóque exemptum dimisit; & ipsum vulnus breui curatum est.

aquâ feruenti perfusus non læditur:

claret gratiâ curationum:

E

147 Guardianum aliquando suum, cùm panis Fratribus deesset, subtristem intuitus, dixit Saluator: Pater, modicam fidem habes: confide Deo: mox enim sufficientissimè nobis, quod deest, adferetur. Dixerat, & ecce pulsatur ad ostium, quò digressus Sanctus rediuit, & Guardianum aduocauit, vt videret quatuor canistros optimo pane plenos. Cui Saluator: Viden', Pater, quo modo nobis prouideat Deus? Vnde autem allatus hic panis esset sciri numquàm potuit: nemo enim comparuit vnquam, qui canistros reposceret. Sed & prophetiæ spiritu claruit: recordor enim (inquit Fr. Dimas Serpi) quod pater meus aliquando me ad eum duxerit, dixeritque: Ora Deum, Pater, vt puerum hunc seruum suum efficiat. Ille autem mihi benedicens, patri meo dixit: Fac vt studeat puer iste, caue ne à studijs eum abstineas. Et verò auditâ rhetoricâ dimiseram studia litterarum, nec enim Calari Philosophica aut Theologica docebantur: sed Saluatoris consilio obsequens pater meus Valentiam me ablegauit, vbi studiorum absoluto cursu habitum Religionis Seraphicæ indui, & deinde Sardiniæ Prouincialis factus operam dedi, vt mirabilia ipsius opera proferrentur in lucem; & nunc in Hispaniam ex Apostolicâ jussione Commissarius veni, intendens processui pro illius Canonizatione formando, quem hæc omnia credo tunc præuidisse.

Fratribus prospicit de pane,

F

futura prænoscit,

148 Anno à Virgineo partu MDLIX, erumpente per vniuersam Hispaniam ex paruo monasterio de Hortâ famâ sanctitatis eius, quam Deus multis miraculis testificatam esse volebat, cùm conuenirent quàm plurimi ad ipsum vt sanitatem consequerentur, parentes cuiusdam puellę Beatricis nomine, quę ex visceri-

Horta miraculis fama,

A visceribus maternis monstrositatem contraxerat (incedens enim caput suum cum omnium admiratione & commiseratione versus dorsum suum flectebat) inter ceteros accessere precantes, vt eam à monstrositate huiusmodi liberaret: quod & obtinuerunt: nam tanti viri meritis puella à deformitate præfatâ libera mirabiliter euasit. Etiam cuidam filio Alfonsi à Menâ Bætici, muto & surdo à natiuitate, loquela & auditus restituta fuere. Iacobus Pallares huius Sancti intercessione amissum visum recuperauit: & quatuor vel quinque homines à paralysi liberati extiterunt. De quibus alijsque cùm semel iterumque ad Sixtum V retulisset Illustrissimus & Reuerendissimus Franciscus Gonzaga Archiepiscopus Mantuanus, ratam probatamque habuit eam informationem Pontifex per Breue quod incipit: Cùm sicut nobis nuper exposuisti &c. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die III Septembris, anno *b* MDLXXXVI, Pontificatus anno II.

à Sixto V probata.

b non metuit vanam gloriam,

149 Inter hæc Saluator tantam seruauit animi demissionem, vt cùm aliquandò nobilis quidam ei diceret: Fr. Saluator, attende tibi, ne qua vanitatis cogitatio ex eo irrepat, quòd tantum honorem tibi mundus deferat, factóque à te Crucis signo homines infirmitatibus suis soluti abeant; ipse responderit: B Benedic Deo qui te creauit: hoc autem scito, quòd ego sim sicut palearum saccus, qui æquè se honoratum sentit siue in summis seu infimis locetur ædibus, vel etiam in stabulo. Simili modo Madritum accersitus ad alloquium suæ Majestatis & Reginæ Dominæ Isabellæ, in primo affatu eis dixit: Benedicat vos Deus creator vester. Iesus, Maria, vt quid me huc venire fecistis? quis laborabit vt videat pauperem coquum Sancti Patris Francisci? Rex verò: Audiui, inquit, admiranda opera quæ per te Deus operatur: & te videre desideraui, vt memineris nos diuinæ commendare majestati, vt nos & regna nostra conseruemur in puritate sanctæ fidei & obsequij eius. Tum Beatus: Tam bonus est Deus, vt desideria tam sibi grata impleturus sit per intercessionem Reginæ cælorum; per eius enim manus expectare debemus quascumque gratias: in me verò nullum existit meritum, ratione cujus pro talibus orantem me exaudiat. Hoc autem agit per vile hoc instrumentum, quod etiam Vos, qui sæpe malo famulo, in commodum regnorum vestrorum vtimini.

Regibus Hispaniæ humiliter respondet,

150 Interim sessuro ei cussinum adfertur, super quod simplex Frater lutosis, vt erant, pedibus institit, sordidáque in eo signauit vestigia. Regina porrò, vt antiquâ traditione narratur, violentâ febri tacta, neque velox vllum remedium inueniens, cussinum illud C reuerenter corpori suo imponi voluit, & B. Saluatore inuocato libera à febri molestâ remansit. Huius in aulam profectionis memoria extat in epistolâ quadam responsoriâ ad D. Yuonem Hornos, datâ antequàm Barcinone discederet, hoc tenore: Iesus, Maria &c. Si Domino placuerit vt in Castellam eam, rationem habebo vestri. De cetero fiduciam in Deum confer, qui te manu suâ sustineat, & suam benedictionem tibi impertiatur. Ex Iesu Barcinone, festo S. Crucis. Fr. Saluator indignus.

Reginam liberat à febri.

151 Ista erat nominis ipsius per omnia Hispaniarum regna celebritas, quam extinguere non potuerunt, sed magis illustrarunt persecutiones contra eum excitatæ, vel Hortæ, vbi futurum prædixit, vt quem tunc eijcerent aliquando possedisse gauderent; vel Reusij. Ad has multò grauior Barcinone persecutio successit, vbi coram sanctæ Inquisitionis tribunali adesse jussus est: cui foro vti diuinitus datum videtur bonum à prauo secernere, ita difficile non fuit Beati viri innocentiam sanctitatemque probare: quâ cognitâ, ipsi Inquisitores eum dimittentes dixêre: Pater Saluator, ora pro nobis Deum. Inde autem

Ad Inquisitionem delatus

rediens illustria duo miracula fecit, visum cæco & auditum surdo restituens. Accidit porrò vt idem ille, qui Guardianus Reusij Sancti viri patientiam asperitate suâ tam egregiè exercuerat, conuentui Barcinonensi præficeretur, & maiori in auctoritate constitutus maiorem subdito suo præberet tolerantiæ occasionem. Perrexit nihilominùs eumdem Deus miraculis tam multis clarum & spectabilem cunctis reddere, vt impossibile sit eorum inire rationem, quantùmque thesaurum hunc profundiùs defodere Superiores nitebantur, tantò euidentiori in luce diuina eum ponebat bonitas. D

miraculis illustratur.

152 Tandem anno MDLXV popularem vitaturus auram, cum quodam Sardiniæ Commissario Fr. Vincentio Ferri in eamdem trasfretauit insulam, & habitationem in conuentu Calaritano nactus, ibi quoque prodigijs multis breui editis innotuit, claruitque, donec in extremam sibique præuisam & prædictam incidit infirmitatem: in quâ manifestauit se eximia veneratio omnium erga ipsum. Non enim aut Vice-Rex aut Archiepiscopus aut aliquis in eminentiori dignitatis nobilitatisúe gradu constitutus committendum sibi putauerunt, vt non se commendarent illius precibus, cuius animam pro certo habebant statim ab excessu è corpore in æternam esse E recipiendam beatitudinem. Dicunt autem quod Angelicam vultu toto hilaritatem præferens, responderit omnibus solis his verbis: Iesus, Maria, quid ego faciam? Cúmque pressiùs eum vrgeret infirmitas, debitum extremum mortalitatis expressura, arctissimè complexus Crucifixum, & vulneratis pedibus labia admouens soluebatur in amoris affectus, dicebatque: O sponse mi! ô Domine mi! ô bonum omne meum! Totus tuus sum, recipe me inter ministros domus tuæ: ignosce misericors quòd tibi, non sicut debui, famulatus sim, parumque responderim tantis beneficijs, quanta in vilem hanc creaturam tuam contulisti. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. In his eum loquela destituit; labia tamen mouebat identidem. Propiùs ergo ad os eius aurem admouentes aliqui, audiuerunt penitus deficiente voce pronuntiantem illa sibi tam cara quàm familiaria nomina, Iesus Maria. Atque ita animam suam reddidit Creatori, in peruigilio S. Iosephi anno MDLXVII.

Calarim transfretat: in morbum incidit,

& inter pia suspiria moritur,

153 Post triduum, sepulturæ traditum est corpus; interim verò ac posteà multa ad eius inuocationem patrata miracula sunt: in quibus memorabilis est rusticæ cujusdam sanitas, quam gradiendi priuatam facultate maritus suus in curru aduexit, ratus in viuis adhuc se reperturum esse Sanctum: mortuum verò F audiens, magnâ cum indignatione vxorem suam è vehiculo sustulit, delatamque ad templum supra sepulcrum Beati posuit, abijtque boues suos curaturus. Ipsa autem tam instanter tantisque cum lacrymis se commendauit Sancto, vt sana surgere inde meruerit, & pedibus suis domum redire. Quin & vestes ipsius variâ in necessitate multis præsidio fuere. Ipse præsens adstiti, inquit Dimas Serpi, cùm Religiosus quidam, periculosissimo singultu per octo dies agitatus, sic vt nihil comedere ac ne respirare quidem commodè posset, ab eo malo, de cuius remedio medici desperarant, liber fuit, mox atque ori eius imposita est particula ex illius veste acceptâ.

mulier sepulcro imposita gressum recipit:

moribundo succurrit particula vestis,

154 Aduersùs dæmonem, mulieris cuiusdam corpus insidentem, sacri nihil profecerant exorcismi: verùm vbi petitum è monasterio B. Saluatoris capucium est, cum eóque in domum ingressi sunt Religiosi, clamare cœpit, eijcerent foras eos qui intrabant. Iisdem verò iam propiùs factis vbi ligata tenebatur dæmoniaca, dixit illis: Ite, currite, Fratres: quia hoc ipso puncto temporis de scalis decidit

capucium energumenâ liberat,

dit Sacrista vester, affigens quosdam in ecclesiâ pannos. At Religiosi indicto dæmoni silentio explicuerunt capucium, & energumenæ imposuerunt, quæ statim à dæmone libera, dixit: Iesus, Maria: soluite me. Soluta autem venit vbi erat corpus venerabile, & gratiarum obtulit actiones. Verùm cum diebus illis velut consternata esset, alterâ vice reuersa rogauit vt sibi sacrum corpus ostenderetur: posuitque caput suum intra arcam: & brachium (nam manus & pedes pio furto fideles abstulêre) brachium, inquam, reuerenter osculata, tam sana surrexit quàm visa est illâ die, quo hoc testata est, multumque B. Saluatori deuota viuit.

aliam alia B. Saluatoris reliquia.

155 Aliàs præsentibus plurimis (inquit idem qui supra) adfui energumenæ supra modum furiosæ, & costulam Beati in os ei posui, non sine magno labore; propter incredibilem vim, quâ mihi renitebatur, dicens: Apage hunc à me: propter ipsum enim huc ingredi nolebam: idque repetebat sæpiusculè, tantâ interim rabie furens, vt nec maritum suum misera cognosceret. Ego verò in Dei nomine & B. Saluatoris adiuraui dæmonem, vt mihi diceret, vnus an plures mulierem insiderent. Cúmque respondissent, tres omnino se esse, imperaui in nomine Sanctissimæ Trinitatis & B. Saluatoris de Hortâ, vt inde egrederentur; & Reliquiam ori infirmæ imposui: quo facto inuisi hospites excessere, dixitque mulier: O Beate Saluator de Hortâ, adiuua me. Interrogaui autem num libera esset. Ipsa verò, Libera sum, inquit Pater, ast illi me expectant vsque dum Reliquia à me amota fuerit. Dimisi ergo ei particulam ex habitu, nec non pauxillum carnis à costâ reuulsæ, & disparentes dæmones prorsus liberam mulierem dimisere. Postero die ad eam visendam rediui, ipsaque mihi retulit, rursum sibi apparuisse dæmones, atque dixisse: Procul abijce particulas istas, & nos quod volumus faciemus. Se autem tantò pressiùs pectori suo admouisse Reliquias, dixisséque: O Beate Saluator de Hortâ, adiuua me. Mox verò disparuisse inimicos, qui deinde prorsus videri desierint.

a *Hactenùs fere ex Domenecco, cetera vsque ad num. 158 ex duplici Vitâ, editâ à Dimâ Serpi priusquam Italica prolixior scriberetur.*
b *Ita certè corrigit Domeneccus numerum apud Dimam Serpi vitiosum, an. 1576: cùm Sixtus sedere cœperit An. 1585, 24 Aprilis.*

ALIA

De gestis ad Canonizationem præuijs.

Ex ijsdem.

Post annos 12 aperto sepulcro,

156 Miracula iam relata satis apparet post illud facta esse tempus a, quo refossum humo corpus publicâ cœpit in veneratione esse: ei autem eleuationi hæc occasio data est. Postquàm sacrum pignus annis aliquot sub terrâ delituisset, mortuus est Iudex quidam è Rotâ, admodùm deuotus Beato; qui testamento cauit, vt juxta Beatum Saluatorem humaretur. a Cúmque sepulcrum eius aperirent, inuenerunt corpus Beati ita conjunctum pauimenti ipsius solo, vt vix modicâ terrâ intermediâ tegeretur: quod non modicæ omnibus admirationi fuit, testificantibus ijs, qui ipsum tumulauerant, quòd admodùm profundè eum sepeliuerint; vt mos est ceteros sepeliri. Quod aliâ de causâ non esse factum credi potest, quàm vt cognoscerent homines quantâ in veneratione Deus haberi vellet corpus, propter amorem ipsius tantoperè maceratum afflictumque. Exemptum porrò terræ collocatum fuit intra vnum sacellorum pretiosiorum illius pulcherrimæ ædis, quæ haud procul à Calaritanis mœnijs anno MDVIII publicis priuatisque eleemosynis extructa fuerat. Erat autem sub inuocatione Sancti Petri consecratum sacellum istud, cuius parieti inclusa arca est pretiosi depositi custos, ad quam multa Deus perrexit miracula operari: quibus motus Archiepiscopus Mantuanus supradictus, de ijs ad summum Pontificem Sixtum V bis retulit, qui per Breue, vt diximus, anno MDLXXXVI datum, rationem haberi voluit informationis acceptæ: progressum tamen in eo negotio vlteriùs non est.

corpus in summâ humo inuenitur.

& ad sacellum S. Petri transfertur.

Visitatores Apostolici in Sardiniâ

157 Interim crebrescentibus miraculis, & crescente erga Saluatorem populi deuotione, venerunt in Sardiniam missi à Clemente VIII Pontifice maximo Visitatores Apostolici in causâ omnium Regularium; qui hunc thesaurum in ecclesiâ Fratrum religiosè venerati, auctoritate Apostolicâ instruendum Commissarium iudicarunt, informationes de eo sumendas curaturum in ordinem ad processus Canonizationi præmittendos, tenore sequentium litterarum. Cùm in visitatione regni præfati, in ciuitate & castro Calaris in ecclesiâ Sanctæ Mariæ de Iesu, Ordinis Minorum de Obseruantiâ, in capellâ sub inuocatione Sancti Petri, iuxta altare maius, inuenerimus arcam eleuatam in sublime à terrâ, in quâ corpus Venerabilis Patris Fr. Saluatoris de Hortâ incorruptum iacebat: quem scilicet venerabilem Patrem, omnium Christi-fidelium vtriusque sexus huius ciuitatis votis cultum, tam in vitâ quàm post mortem multis fecit omnipotens Deus coruscare miraculis. Nos igitur vt laudemus viros gloriosos, & glorificetur Deus per illos, honesto viro ac pio commisimus, & tenore præsentium committimus prædicto Patri Dimæ Serpi (olim huius Prouinciæ Ministro Prouinciali) inquisitionem religiosæ vitæ, morum probitatis, pœnitentiæ, sanctimoniæ, piæ conuersationis inter gentes, & etiam miraculorum omnium, tam in vitâ quàm post mortem ab ipso venerabili Patre factorum, tam in præsenti ciuitate & castro Calaris, quàm etiam in Cataloniæ regno..., vt Romano Pontifici illa præsentare, & pro tanti viri ac venerabilis beatificatione & sanctificationis declaratione supplicare possimus: vt ille pro nobis oret in cælis, qui miraculorum eius memoriam quærimus in terris.

instituunt Commissarium ad instruendos processus.

nouum sacellum extruitur,

158 Admouit continuò operi sibi commisso manum prædictus Dimas Serpi, & eodem tempore mouit Deus animum Illustrissimi Comitis de Eldâ, Proregis Sardiniæ, vt nouum ipsi sacellum extruendum curaret, in quo corpus eius seruaretur, inclusum arcæ Damasceno rubro conuestitæ interiùs, exteriùs verò holoserico nigro, distincto clauis inauratis fimbrijsque ex auro purissimo. Quibus ritè paratis, Archiepiscopus Calaritanus visitationem instituit sacri huius corporis, in sacello altaris maioris supra tapetum Damascenum, coram illustrioribus vrbis Calaritanæ incolis; viditque & palpauit illud post annos triginta quatuor incorruptum, adeóque flexile in collo, brachijs, poplitibusque ac si viuum foret. Quod etiam apparuit, cùm illius in pedes erecti caput supra pectus velut viuentis recidit: quodque his etiam maius est incorruptionis penitus expers esse, ipso tactu exploraui, inquit Dimas; intestina visceraque omnia palpans, & considerans singula: quæ omnia absque euidenti miraculo non potuisse seruari integra, jurati medici affirmarunt. Reposito post hæc in nouam arcam sacro pignore, apparata sunt ad solennem in proprium sacellum trãslationem omnia: cuius deinde diem magnificè Archiepiscopus celebrauit impendio suo; & post sacra pontificaliter acta, sacrum corpus in arcam prædictam transtulit: quæ toto isto die specioso in pegmate aureâ telâ adornato, conspicua prostitit in medio

corpus ab Archiepisc. inspicitur,

transfertur.

A dio ecclesiæ. Vesperi autem rursus Archiepiscopus, Prorex, vrbis iurati, totaque ciuitas confluxere ad processionem, quâ circumlatæ solenniter Reliquiæ, illatæ sunt in nouum sacellum; vbi non desinit Deus piè inuocantibus B. Saluatorem opem præstare, sæpe supra vires naturæ miraculosam.

An. 1600 ab eodem Archiepiscopo,

159 Restabat, peractis diligenter cunctis quæ fieri in Sardiniâ poterant, siue ad honorandas reliquias Sancti, siue ad comprobandam Romanæ Curiæ Saluatoris sanctitatem; vt in Hispaniam traijceret Commissarius: quem eum in finem hisce patentibus litteris Archiepiscopus instruxit: Nos Don. Alphonsus Lasso Sedeño, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Calaritanus, Episcopus Vnionum, Primas Sardiniæ & Corsicæ, Vexillarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Prior S. Saturnini, Dominus Baroniarum de Suelli & S. Pantaleonis, ac insulæ S. Antiochi, de Concilio Regiæ Maiestatis &c. Vniuersis & singulis præsentes litteras inspecturis fidem facimus, personaliter affuisse in ecclesiâ S. Mariæ de Iesu, Ordinis S. Francisci de Obseruantiâ, ad reuidendum & recognoscendum corpus venerabilis Patris Saluatoris de Hortâ, quod incorruptum inuenimus: adunatisB que ad hoc medicinæ Doctoribus & Chirurgis, vnanimi voce affirmarunt prædictum corpus non nisi miraculosè posse, sicut nunc est, conseruari. Ideò illustrium virorum & populi petitione (qui affirmabant se à mortis periculis, infirmitatibus & malis, ipsius venerabilis Patris Saluatoris de Hortâ orationibus, cui se commendauerant, fuisse liberatos) vt tanti religiosi & sancti viri non pereat memoria, ad Dei omnipotentis laudem, pios, honestos & doctos viros elegimus, scilicet Ioannem Thomam Caldentey, sacræ Theologiæ & sacrorum Canonum Doctorem, Decanum nostræ sanctæ Ecclesiæ Calaritanæ, Vicarium generalem nostri Archiepiscopatus; & R. P. Fr. Dimam Serpi Ordinis Minorum regularis Obseruantiæ, olim huius regni Prouincialem Ministrum, ad faciendam inquisitionem miraculorum omnium, quæ omnipotens Deus meritis & intercessione dicti venerabilis Patris B. Saluatoris de Hortâ operari dignatus est. Et, vt ab illis accepimus, per instrumentum à Notario Apostolico confectum, manifestauit Deus gloriam suam in illo per multa miracula, quibus tam C in vitâ quàm post mortem clarum illum fecit. Ad quæ perfectiùs & ab origine habenda, prædictus R. P. Fr. Dimas Serpi, cuius fidelitatem experti sumus, ad Cathaloniæ regnum à Reuerendis Patribus Visitatoribus Apostolicis mittitur ex voto nostro; cui S. D. N. Dominus Clemens diuinâ prouidentiâ Papa VIII omnia in dictâ hujus regni Sardiniæ visitatione facienda commendauit. Datum Calari in nostro Archiepiscopali palatio, die V mensis Februarij anno MDC.

de incorruptione corporis,

& miraculis fidem facientes,

mittitur in Hispaniam Commissarius:

à quo & alio Barcinone deputato:

160 Has litteras appulsus in Hispaniam Dimas cùm Episcopo Barcinonensi obtulisset, & suam ei petitionē exposuisset, postulans vnum aut plures viros pios, doctos atque prudentes, qui iuxta Concilij Tridentini decreta in vitam & miracula B. Saluatoris inquirerent; designatus eum in finem ab Episcopo est admodum Reuer. D. Don Franciscus Oliuon, Iuris vtriusque Doctor, Archidiaconus in S. Mariæ de Mari, Canonicus Cathedralis Barcinonensis, Abbas S. D Laurentij de monte, & Prior seu perpetuus Commendatarius S. Iacobi de Fortinya, qui hodie (inquit anno 1602 Domineccus) est Inquisitor huius Principatus. Huic additus est ipse Fr. Dimas, Apostolicus in eundem finem Commissarius: qui ambo, omni adhibitâ diligentiâ testibus legitimè citatis & examinatis, processum formauêre, ab Episcopo deinde sequenti diplomate confirmatum consignatumque.

formatur processus,

ab Episcopo Barcinonensi,

161 Nos Ildefonsus à Colomâ, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Barcinonæ, ex Concilio Regiæ Majestatis, vniuersis & singulis præsentes inspecturis salutem. Vinea Domini Sabaoth, plurimùm à Christo dilecta, plantata secus decursum aquarum, non potest non indies præbere pretiosum fructum; præsertim cùm Apostolus dicat, quòd si radix sancta & rami. Et cùm radix & fundamentum Christus sit, Rom. 11, 16 & iuxta eumdem Apostolum, nemo aliud ponere potest præter id quod positum est; hinc euenit quòd electi superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, tamquàm prælecti ante mundi constitutionem, varijs sanctitatis operibus prælu- 1 Cor. 3, 11 ceant; nobis in exemplum relicti, & quasi germen nouellum, vt ad illorum vestigia imitanda prouoceE mur. Etenim cùm inter ceteros, qui in hâc florent vineâ, ramus arboris & petra fundamenti (vt piè credimus) extiterit venerabilis Pater Saluator de Hortâ Ordinis S. Francisci, eximiæ sanctitatis & magnæ puritatis; ab omnibus est jure laudandus & venerandus. Cuius processum reuidentes, multis illum inspeximus à Deo Optimo Maximo prerogatiuis & donis illustratum: cùm illa, quæ Paulus enumerat, in illo appareant; scilicet sapientiæ donum in mundi ab- 1 Cor. 12. 8 iuratione, prophetiæ in secretorum reuelatione, mirabilium curationum gratia in curando illos, qui ad eum veniebant; quos lætâ facie & hilari animo atque caritate incredibili recipiebat: & quod obliuioni tradendum non est, quàm suæ vocationis extiterit sectator eximius, & sui Patris Seraphici orationis, pœnitentiæ, disciplinarum, ieiuniorum, abstinentiæ admirabilis, humilitatis, simplicitatis admirandæ & patientiæ in persecutionibus imitator integerrimus, nec non nitidæ puritatis amator. Quæ omnia in suprascripto processu, de mandato nostro confecto, nobis præsenF tato & à nobis reuiso, latiùs apparent. Quare ne tantum lumen & tam mirabilia opera, in suo humili seruo nobis ostensa, sub modio abscondantur; sed apud homines innotescant; vt istius venerabilis Patris imitatione, mundi abdicatis illecebris, Deo, à quo omnia ista emanarunt, inseruire conentur: præsentium tenore, quia omnia in dicto processu contenta & juramenta recepta veritati & pietati consentanea iudicamus, propterea in hâc nostrâ ciuitate & diœcesi, vbi prædictus venerabilis Pater Saluator de Hortâ tot mirabilibus in Crucis Christi nomine operatis enituit, proponenda, legenda, & si opus fuerit etiam typis imprimenda concedimus. Datum Barcinonæ die XXX Augusti anno Domini MDC.

probatur; quoad vitam & miracula,

Ildefonsus Coloma Episc. Barcinonæ.

Gonzaga in Conv. 2 Prov. Sardiniæ ait: corpus communi Fratrum sarcophago tumulatum, post 12 anns integrum omnino, incorruptum atque tractabile inuentum esse; dum forte fortunâ alius quidam Religiosus sepeliendus veniret.

AD ACTA GRÆCA
TOMI SECVNDI MARTII.



Ergimus archetypa Græca, non alibi excusa hactenus, quorum est in huius Tomi decursu Latina interpretatio, repræsentare hoc loco: vtinam tanto cum fructu tuo, Lector, quanto cum labore nostro, vtique decuplo maiori quàm debeat Latino prælo impendi. Nam typothetæ sermonis Græci prorsus imperiti, & raro adhibiti ad eiusmodi voces litterasque legendas & colligendas, eas etiam hic assequuntur difficiliùs, quòd desumi debeant ex apographis rudiori plerumque manu aut festinantiori transcriptis. Quare mirum non est, si inter menda propemodum innumera, pauca aliqua effugiant oculos quamuis attentos corrigentium; aut ab his rectè obseruata, non rectè ab illis intelligantur, itaque vnus pro altero error irrepat. Hoc autem excusatum beneuolè cupimus præsertim in primis primi tomi paginis. Progredienti emendatiores typi occurrent, etiam in ipso tomo primo: in hoc autem secundo tantò castigati magis quantò exercitatiores vsu ipso typothetæ & eorum correctores facti, à nobis etiam accipient ecgrapha distinctiùs accuratiúsque exarata, post operosæ recognitionis molestiam sanè non exiguam inter tot occupationes grauiores.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ
ΤΟΥ ΑΓ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ
τοῦ ἐν Κορίνθῳ τῆς Πελοποννήσου.

Ex opusculis Nicephori Gregoræ MSS. in Electorali Bibliotheca Bauaricâ, Codice CCXII, iuxta ecgraphum Bibliothecæ Pragensis Societatis Iesu pag. 221.

CAP. I

Mirabilia Dei homines carnales non capiunt,

1 μοὶ δὲ τὸν τοῦ μεγάλου Μάρτυρος Κοδράτου βίον διηγεῖσθαι προῃρημένῳ, εἴ τις μὴ ἀπιστεῖν ἐθέλοι, ἀκούων καινότερά τινα θεότητος γέμοντα, ἐπ' αὐτῷ πεπραγμένα ἄρτι κομιδῇ τυγχάνοι νηπίῳ, χρεὼν μὴ τοῖς ἀνθρωπίνοις τὸ ὅλον ἐμμένειν, ἀλλά τινων καὶ θειοτέρων μεμνῆσθαι τοῦ Θεοῦ τεραστίων, ὧν παλαιά τε καὶ νέα βρίθουσι γράμματα. Οἱ μὲν γὰρ τῆς κοσμικῆς τε καὶ ἀνθρωποπαθοῦς ὕλης πνέοντες, καὶ τῇ φύσει τὰ λεγόμενα σταθμώμενοι, σχολῇ γ' ἂν πρὸς ὑψηλοτέραν ἀναχθεῖεν ἔννοιαν, ὥσπερεί τισι δεσμοῖς οὐδαμῶς φορητοῖς τυραννούμενοι, καὶ τῇ γῇ προσκεκυφότες, καὶ μόνον οὐ λῆρον ἡγούμενοι, ὅσα δὴ τὴν ἀνθρωπίνην στάθμην ὑπερβέβληκε, κἂν αὐτῶν φανῇ δακτύλων Θεοῦ.

Sed ij qui Spiritu Dei aguntur.

Οἷς δ' εὐσεβὴς συντέθραπται λογισμὸς καὶ ἀσχολία τὰ περὶ Θεοῦ φαντάζεσθαι, τούτοις οὐ πολλὴ δυσχέρεια θεοπρεπῶς ἑαυτοὺς διατιθέναι πρός γε δὴ τὰ τοῦ Θεοῦ θαυμάσια, ἃ πολλά, καθ' οὓς αὐτὸς ἐθέλει χρόνους καὶ καιρούς, καὶ οἷστισιν ἀνθρώπων καὶ ὅπως ποτὲ ἐνδείκνυταί τε καὶ διενεργεῖ.

S. Codratus in Isthmo Peloponesi

2 Ἀρχὴ δέ μοι τοῦ λόγου ἡ τοῦ Μεγάλου προκείσθω πατρίς. Ἰσθμός τις ἐστὶ πρὸς ἑσπέραν κείμενος, εὖρος μὲν οὐ πολύς, μῆκος δ' ἐπιπολὺ παρατείνων· φαίη δ' ἄν τις ἰδών, ὡς ἑκατέροις τοῖς ἄκροις, ὥσπερεί τισι χερσί, Βορέᾳ μὲν καὶ νότῳ προσυπαντᾷ· τὴν δὲ τοῦ Πέλοπος Ἑλλάδι τῇ λοιπῇ προσμίγνυσιν, οὔτε ταύτην ἐκείνης ἀφίστασθαι τέλειον παραχωροῦσα, καὶ τὴν τοῦ Πέλοπος παρὰ τοῦτον τὸ παντάπασιν νῆσον εἶναι κωλύουσα, παρ' ὅσον ἀμφοτέροις τοῖς ἑκατέρωθεν ὕδασιν ἀντιφράττει μεσιτεύουσα. Ὅσης μὲν οὖν ἔλαχε τῆς τῶν ὡρῶν εὐκρασίας καὶ τῆς τῶν ἄλλων χάριτος, ὁπόσα εἰς ἀκοὰς ἀνθρώπων ἰόντα οὐ βραχείας ἐμπιπλᾷ τῆς ἡδονῆς, καὶ ὡς ἐνιαυσιαίων κύκλων τακταῖς περιόδοις ἐνταῦθα συνέρρεον Ἑλλήνων παῖδες, ἄθλων ἅμα καὶ ἐπάθλων ἕνεκα, οὐ τοῦ παρόντος ἴσως διεξιέναι καιροῦ. Ἴσασι γὰρ ἅπαντες, ὅσοι τῶν τῆς ἑλληνικῆς σοφίας κρατήρων καὶ ὅπως οὖν ἀπεγεύσαντο.

Corinthi natus,

Ταύτης τοιγαροῦν παρὰ τὴν πρὸς νότον λῆξίν ἐστι πόλις ἡ Κόρινθος, περιφανὴς ἄνωθεν καὶ πολυάνθρωπος, καὶ θεοῖς μὲν πρότερον ἐμπύρῳ τινὶ στοργῇ προσανέχουσα, καὶ δεισιδαιμονίᾳ κάτοχος ἁπάσῃ· ἀφ' οὗ δ' οἱ τοῦ εὐαγγελικοῦ κηρύγματος ἁλιεῖς τὴν τῆς ἡμῶν σωτηρίας σαγήνην τῇ οἰκουμένῃ καθῆκαν, αὐτίκα δὴ καὶ αὕτη πάντα βυθὸν ἁλμυρὸν ἀποσεισαμένη πρὸς τὰ τοῦ Παύλου μεταχωρεῖ καὶ μετατίθεται νάματα.

Christianis parentibus

Γεννήτορες δὲ εὐσεβείᾳ καὶ ἐναρέτῳ διαγωγῇ διαπρέποντες, καὶ προσέτι γε εὐγενείᾳ καὶ πλούτῳ βαθεῖ περιβρίθοντες. Ἀλλὰ γὰρ τοιαύτης μὲν τῆς πατρίδος, τοιούτων δὲ τῶν γονέων γενόμενος, οὐκ

ἐπιπολὺ

quibus mox vitâ functis

ἐπιπολὺ τούτων ἀπώνατο, ἀλλὰ πρὶν ἢ τὴν βρεφικὴν παρελθεῖν ἡλικίαν οἴχεται μὲν ἡ μήτηρ, οἴχεται δ' ὁ πατήρ, ἐν βραχεῖ τὸ χρεὼν ἐπιτεμόντες ἑκάτεροι· ὥσπερ ἂν εἰ δι' οὐδὲν ἕτερον εἰς τὸν βίον παρήχθησαν ἢ τῆς τούτου γενέσεως ἕνεκα. Καὶ δι' αὐτό γέ τοι τοῦτο τῷ βίῳ τούτῳ προσενεγκόντες, εἶτα ἀπῆλθον, μηδὲν πλέον γενέσεως συγχωρηθέντες συνεισενεγκεῖν τῶν ὅσα φύσις καὶ φίλτρα γονέας ἀφοσιοῦσθαι καταναγκάζουσι τοῖς ἑαυτῶν βρέφεσιν· ἀλλὰ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν κηδεμονίας ἐλπίδα πρὸς Θεὸν ἀναρρίψαντες. Προσελάβετο μὲν οὖν ὁ Κύριος αὐτὸν πάσης ἔρημον ἀνθρωπίνης ὄντα ἐπικουρίας (οὐ γὰρ ἂν εἴη τοῦτο νόμος Θεοῦ εἰς φῶς ἅπαξ προεληλυθότα ἄνθρωπον παριδεῖν, ὃς δίδωσι τροφὴν πάσῃ σαρκί, καὶ τοῖς κτήνεσιν ἐξανατέλλει χόρτον, καὶ πᾶσιν εἰς εὔκαιρον τὴν τροφὴν πρυτανεύει) καὶ μικρὸν τῆς τῶν πολλῶν ἐπιμιξίας ἀπαγαγών, καὶ εἰς ἀγρόν τινα ἀγαγὼν προσυνοεῖτο τούτου παραδόξως, καὶ ἀπορρήτοις τρόποις διέτρεφε, καθάπερ πρότερον τὸν τῆς ἐρήμου τρόφιμον καὶ τοῦ Σωτῆρος πρόδρομον. Ὁ δ' ὑπὸ Θεῷ κηδεμόνι καὶ προμηθεῖ ηὔξανε καὶ ἐπελείετο σοφίᾳ καὶ χάριτι, ποικίλων ἐν αὐτῷ παραδόξων ὁσημέραι τελουμένων.

in eremo — *instar Ioannis Baptistae educatur,*

& sicut olim Israelita, de die protegitur nube

4 Ἀλλὰ γὰρ ἐνταῦθα τοῦ λόγου γενόμενος, ἐνθύμιον ἐποιησάμην τὸν ἐκλεκτὸν τὸν τοῦ Θεοῦ Ἰσραήλ, καὶ ὅσον θεόθεν πεπείραται, τῶν καλῶν ἀρχὴ τῆς ἐρημίας μετὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου φυγὴν ἐπιβάς, καὶ οὐδὲν ἀνόμοια τὰ τότε τοῖς νῦν παραλληλισθεὶς ἐφευρίσκω. Νέφος γὰρ νῦν μεθ' ἡμέραν μὲν ὑποτρέχον τὸν ἥλιον, καὶ ἀπομαχόμενον ταῖς τοῦ ἡλίου φλογώσεσιν, ἐαρινὴν παρεῖχε τῷ Ἁγίῳ τὴν τῆς μεσημβρίας ὥραν· νύκτωρ δ' αὖ οἱονεί τις λαμπὰς ἐφειστήκει, τὴν νυκτερινὴν ζόφωσιν εἰς μεσημβρίαν ἀμεῖβον. Καὶ τότε μέν, φησίν, οὐκ ἦν ἐν ταῖς φυλαῖς αὐτῶν ὁ ἀσθενῶν. Καὶ οὗτος δὲ ταῖς ἐρημίαις καὶ μηδὲν ἐχούσαις ὑγιὲς παραμύθιον ἐνδιαιτώμενος, ἡλικιώτῃ ἀεὶ τὴν ὑγείαν εἶχε καὶ σύντροφον.

& nocte lampade illustratur: — *semperque sanus*

Ἐσθῆτός γε μὴν καὶ χιτῶνος καὶ ὑποδημάτων καὶ ἄλλων ὁπόσων καὶ οἵων πρὸς περιβολὴν σώματος ἐν χρείᾳ καθίστανται ἄνθρωποι, οὐδενὸς τὸ παράπαν ἐδεῖτο παρ' ὅλην τὴν ὀρεινὴν ἐκείνην καὶ ἀγροικὸν δίαιταν· ἀλλὰ μόνην ἐκείνην ἀποχρῶσαν εἶχε περιβολὴν καὶ ἀκμάζουσαν ἀεὶ καὶ συναυξοῦσαν ἀπορρήτως τῇ τῆς ἡλικίας αὐξήσει καὶ ἀναδρομῇ, ἣν αὐτῷ πρὶν ἢ τὸν βίον ἀπολιπεῖν οἱ γονεῖς περιεποιήσαντο. Καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ καταλέγειν; τοσαύτης ἀπέλαβε τῆς ἀπείρου καὶ παραδόξου κηδεμονίας, ὅσην εἰκὸς Θεῷ καθάπαξ ἀνατεθέντα καὶ πρὸς τῆς ἐκείνου χειραγωγούμενον δεξιᾶς.

crescit cum vestibus auctis.

5 Ἤδη δὲ καὶ τελεωτέρας ἥπτετο τῆς ἡλικίας καὶ συχνή τις τρίχωσις περιετίθει τὰς παρειάς, καὶ ὑπήνη τὸν πώγωνα συνεκάλυπτεν, ὁπότε δὴ καὶ εἰς πόλιν ἤδη κατῄει, καὶ ἀνθρώποις ὡμίλει, καὶ τράπεζαν οἱονεί τινα παρετίθει τὰ τοῦ Θεοῦ λόγια, ἀγροῦ μέν τινος τῷ ὄντι ἀπόζουσαν, ἀλλὰ πλήρους καὶ ὃν εὐλόγησε Κύριος, ὅ φησι Σολομῶν ὁ θαυμάσιος. Καὶ ὥσπερ ἀπὸ θεωρίας τινὸς ἄρτι καλιόντος θεϊκῆς, οὕτως ἐξήρτηντο τῆς αὐτοῦ γλώττης, καὶ οὕτω προσεῖχον αὐτῷ, οἷά τινες Ἰσραηλῖται μεγάλῳ καὶ θεόπτῃ Μωσεῖ.

reversus Corinthum alios docet, — *socios acquirit,*

Τούτων οὕτω θεοπρεπῶς γιγνομένων, συνήθεις αὐτῷ καὶ ὁμότροποι, καὶ ἵν' εἴπω τὸ αὐτὸ πνέοντες, καὶ τὸν ἴσον δρόμον ἐκείνῳ μεταδιώκοντες γίνονται ὁ δεῖνα καὶ ὁ δεῖνα· μεθ' ὧν νῦν μὲν ἐξεδήμει, νῦν δ' ἐπεδήμει, νῦν μὲν τῷ ἀγρῷ, νῦν δὲ τῇ πόλει, πλὴν ἥκιστά γε μὴν ἰσομετρήτοις καιροῖς· ἀλλὰ συχνὰ μὲν τῷ ἀγρῷ, σπάνιον δὲ τῇ πόλει, τὸν πολὺν ὄχλον σοφῶς παρακλίνων, καὶ τὸν δημώδη τάραχον ἀποπεμπόμενος, κἀντεῦθεν καὶ τῷ Θεῷ σχολαιότερον καὶ καθαρώτερον προσομιλῶν, τὸν ἐφεξῆς οὕτω παρήμειβε βίον.

EX NICEPH. GREGORA. — *sæpius rure degit.*

CAP. II — *In persecutione Decii*

6 Ἄρτι δὲ τῶν Ῥωμαϊκῶν σκήπτρων ὑπὸ τῷ δυσσεβεῖ Δεκίῳ ἡγμένων, καὶ Ἰάσονος τῆς Ἑλλάδος ἡγεμονεύοντος, καὶ τοῦ ἐναντίου τῇ εὐσεβείᾳ δόγματος τὸ ἰσχυρὸν ἔχοντος, πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητείας ἐπαξίως ἠνδρίζοντο, καὶ οὐκ ἄκοντες τὸν κίνδυνον ὑπήεσαν· προθυμότερον δὲ τῶν ἄλλων ὁ θεῖος Κοδρᾶτος σύν γε τοῖς φίλοις καὶ ὁμοτρόποις, καὶ σφόδρα ἐθελοντὴς ἀθλητὴς καθίστατο, καὶ ταῦτα πρεσβυτικὸν ἐπαγόμενος σῶμα, καὶ γήρᾳ προσπαλαίων καὶ κόπῳ τῆς ἀσκήσεως, ᾗ τὸ πλεῖστον αὐτῷ τοῦ βίου συμπεπόρευται. Παρίσταται οὖν τῷ Ἰάσονος βήματι δέσμιος ὁ Μακάριος, καὶ τοιαῦτά φησιν.

sistitur Iasoni Præsidi.

Τί ταῦτα ὦ μιαρὰ κεφαλὴ κατὰ τοῦ ἐμοῦ μαίνῃ Χριστοῦ τοῦ Σωτῆρος ἁπάντων, καὶ ἡμῶν τῶν αὐτοῦ; τί δὲ καὶ πρὸς βῆμα καθέλκεις καὶ τυραννίδα προσάγεις, καὶ ὑπὸ χεῖρα ποιεῖσθαι ἐπιχειρεῖς ἐλεύθερον φρόνημα, καὶ ὑπεῖξον οὐδενὶ τὸ παράπαν; Εἰδέναι γάρ σου τὴν δυσμένειαν βούλομαι σφόδρα τοι ἐναργέστατα, ὡς θᾶττον μὲν τ' ἂν αὐτοί σε μεταπείσαιμεν, ἢ σύ γε ἡμᾶς· εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ πρῶτον, θάτερον πάντως ἔσται ἀδύνατον. Μελλήσας τοίνυν μηδέν, ἀφίστασο τῶν πάντων μηδενὸς κολαστηρίου, ὧν ὁ σοφὸς ὑφηγεῖταί σοι δαίμων, κἄν τι σίδηρος, κἄν τι φλόξ, κἂν θαλάττια ῥεύματα, κἂν ἕτερα τινὰ τῆς αὐτῆς ὠμότητος εἴη τυγχάνοντα· ἀλλὰ πάντ' ἔπαγε καθ' ἡμῶν τῷ σῷ λαμπρῶς ἐξυπηρετούμενος πατρί τε καὶ ὑφηγητῇ μιαρῷ. Ἐπεὶ τοσοῦτον καὶ γὰρ ὑπομένομεν ἅπαντα, ἐφόσον τε καὶ σίδηρος τὰ βελαρὰ τῶν χαλκοτύπων κρούματα.

& se quibusuis tormentis offert,

7 Τούτων οὕτω λεγομένων, ἔχαιρον μὲν ἄνωθεν Ἄγγελοι, καθάπερ τινὲς ἀθλοθέται ἀφ' ὑψηλοῦ τοῦ θεάτρου προκύπτοντες· ἐπλήττετο δ' ὁ πικρὸς Ἡγεμών, καθάπερ συχνῶν τινων ἀμφ' αὐτῷ πρηστήρων κατενηνεγμένων, καὶ τὰς πείρας πάντα προαπελέγετο, χλεύην οὕτω γινόμενα πάντ' ἐννοῶν ἃ τῷ τέως κατ' αὐτοῦ ἐπενόει, καὶ πολλαῖς ἀλληλεπαλλήλοις ταῖς ἐννοίαις τὸ λογιζόμενον τῆς ψυχῆς διεσάλευε καὶ ἐτάραττεν, καὶ ὑπὸ σφοδρᾶς οἱονεί τινος ἀντικρουόμενος ἀντιπνοίας τοῦ γενναίου ἐκείνου δηλαδὴ καὶ θάρσους γέμοντος πνεύματος.

cum magno stupore Præsidis, — *secum exquirentis modum pœnæ inferendæ.*

Καὶ ὡς ἐν βουλευτηρίῳ, διὰ πάντων βουλευμάτων ἀπὸ συχνοῦ τοῦ διαστήματος ἤρχετο μετά τινος ὀξύτητος τοῦ νοῦ καὶ ἀνεπόλει, τινῶν μὲν ἂν ἀποσχόμενος, τινῶν δὲ πειραθεὶς ἐντύχοι, καὶ μὴ χλεύης σαφὴς φανείη προκείμενος, ὥσπερ ὑπὸ βελτίονος ἀντιπάλου καταρραγείς. Καὶ νῦν μὲν ὥρμα μιᾷ πληγῇ τοὺς Μάρτυρας ἅμα τοῦ βίου, πραγμάτων δ' ἑαυτὸν ἀπαλλάξαι· νῦν δ' ἐπεῖχε b καὶ ὡς ἐν μεταιχμίῳ τῇ πείρᾳ τὸ πᾶν ἀνερρίπτει, καθάπερ ἐν κύβοις, ἐν οἷς τοσούτῳ θάτερον ἥκιστα ἀπροσδόκητον, ὅσῳ θάτερον προσδοκήσιμον.

Inter tormenta fluctuans

8 Ἀλλὰ γὰρ ἴωμεν ἐπὶ τὸ μαρτυρικὸν γυμνάσιον, ἀριθμήσοντες τοὺς γενναίους ἐκείνων ἀγῶνας.

EX NICEPH. GREGORA.

A Τύπτουσι μὲν τὴν ἀρχὴν σὺν τοῖς εἰρημένοις ἁγίοις Κοδρᾶτον ἐφόσον ἦν δυναμένοις τοῖς δημίοις· ἔπειτα πρὸς ὕψος ἐκ τῶν ποδῶν αἴρουσι, καὶ σιδηραῖς ἀκμαῖς τὴν τῶν σαρκῶν ἁρμονίαν κατατέμνουσι· μετὰ δὲ πῦρ ὑφάπτουσι, τοῦτο μὲν ὥσπερ ἕψοντες τὰ ἐκείνων σώματα, τοῦτο δὲ καὶ δριμεῖαν ὀδύνην τοῖς ἀναπνευστικοῖς πόροις αὐτῶν ἐμποιοῦντες. Ὁ δὲ Μάρτυς τοῦ σώματος καθάπαξ τὸν νοῦν ἀποστήσας, ἀπόδημον ἔστελλε πρὸς Χριστὸν, δι' ὃν ἐκαρτέρει πάσχων, κἀντεῦθεν τῶν τοῦ σώματος ἀλγεινῶν ὑπερεφρόνει ῥᾳδίως, καὶ πρὸς μόνον ἔβλεπε τὸν ἀθλοθέτην, καὶ ἐνεκαλλωπίζετο τοῦ σώματος ὑπορρέοντος, καὶ μόνην ταύτην ἡγεῖτο νίκην εἶναι σαφῆ, τὴν ὑπεροψίαν τῆς σαρκὸς πληττομένης ὑπὲρ τοῦ παθόντος πρότερον δι' ἡμᾶς. Καὶ πρὸς μὲν τὰς τοῦ σώματος ἀλγηδόνας τοιοῦτος ἦν ὁ Κοδρᾶτος· πρὸς δὲ τοὺς συνάθλους ὁπότε ἐπιστραφείη, τοιαῦτα ἄττα εἰσηγεῖτο, οἱονεί τις γυμναστὴς ἄρτι προσβιβάζων πρὸς ἀήθεις ἄθλους, καὶ σφοδρόν τι ζώπυρον ἐντιθεὶς ταῖς ἐκείνων ψυχαῖς. Ἄνδρες, φησί, οἱ τὸν αὐτὸν ἐμοὶ τρέχοντες δίαυλον, καὶ

Socios ad generosè moriendum hortatur.

B πρὸς ἓν ἀφορῶντες βραβεῖον, εἰ τὸ τῆς φύσεως ἡμᾶς ἐπίκηρον ἐλάνθανε, καὶ ἀθάνατα βιώσεσθαι προσεδοκῶμεν, εἰκὸς μὲν ἴσως ἦν φιλοψυχεῖν, καὶ μὴ οὕτω τῆς σαρκὸς ἀφειδεῖν, καὶ πρὸς τοσοῦτον ἀποδειλιᾶν κίνδυνον. Ἐπεὶ δὲ νόμος τοῦτο φύσεως, ἀπαραίτητα ἐγκείμενος, καὶ εἰ μὴ νῦν, ἀλλ' οὖν ἐς τὴν ὑστεραίαν ἢ γήρᾳ τὸν βίον τελευτήσομεν, ἢ νόσος τις ἐπεισπεσοῦσα (αἳ πολλαί τε καὶ ποικίλαι δι' ἀταξίαν τῆς ὕλης ἐπίασι τῇ παλαιᾷ σαρκὶ) ἀπαλλάξει τοῦ ζῆν· διὰ τί μὴ τὸ βέλτιον αἱρούμεθα πρὸ τοῦ χείρονος; Εἰ μὲν γὰρ τὸν τῆς φύσεως οἰκεῖον περιμένοιμεν [θάνατον]

C ἀκλεὴς τὸ παντάπασιν ἔσεται, καὶ συνθάψει τοῖς σώμασι τὴν μνήμην ἡμῶν, καὶ ἄδηλον εἰ καὶ τῆς τύχης ἵλεω τύχοιμεν· εἰ δ' ὁ μετὰ κινδύνων αἱρετὸς ἡμῖν καταστῇ νῦν, ἀθάνατον μὲν ἡμῖν τὸ κλέος διαμενεῖ τῷ βίῳ, καὶ ζῆν τοῦτ' ἔσται μᾶλλον ἢ θανεῖν, ἀθανάτων δὲ καὶ τῶν βραβείων παρὰ Θεοῦ ἀντιληψόμεθα.

Praesidis nouas & graues minas contemnit.

9 Τούτοις τοῖς λόγοις οἷά τις στρατηγὸς τοὺς ἀμφ' αὐτὸν ὑπαλείφων τε καὶ παραθαρρύνων, πρὸς τοὺς ἑξῆς ἀγῶνας ἀνδρικωτέρους καθίστη. Ἀλλ' ὁ τύραννος οὐκ ἔληγεν οὐδέπω τῆς σφοδρᾶς ἐκείνης ὠμότητος, ἀλλ' ἦν ταῦτα ἐκείνῳ μικρά τις παρασκευὴ

C κατὰ τῶν Ἁγίων, ὡς ἔφασκεν. Ἠπείλει γὰρ ἑτέρους οὐ μετρίους καὶ πικροὺς θανάτους, καὶ οἵους οὐκ ἂν ἀνθρώπου σῶμα φέρειν δύναιτο. Πρὸς ὃν ὁ Κοδρᾶτος (ὢ γενναίας ἐνστάσεως καὶ φρονήματος φλέγοντος) Περὶ μὲν θανάτου οὐδὲν ἡμῖν μέλει, φησί· πῶς γὰρ ὃν ἡμῶν ἡ φύσις πρόγε σοῦ κατεψηφίσατο, καὶ οὐκ ἔνεστιν οὐδενὶ τῶν ἁπάντων γενέσει χρησαμένῳ μὴ καὶ φθορᾷ καθυπαχθῆναι· τοῦτο δ' ἡμῖν ἐν τοῖς μάλιστα μέλει, μὴ σὺν ἀδοξίᾳ τοῦ ζῆν ἀπαλλαγῶμεν. Τοῦ μὲν οὖν πολλάς τε καὶ ποικίλας ἐφευρίσκειν καθ' ἡμῶν βασάνους, σὺ κύριος· τοῦ δὲ πρὸς πάσας ἀντιτεταγμένως ἔχειν, καὶ τῆς σαρκὸς ἀφειδεῖν, τούτου δ' ἡμεῖς κύριοι, καὶ ἴδοις ἂν παντὸς ἀδάμαντος ἀκμαιοτέρους. Ἡμῖν δὲ καὶ ἐν εὐεργέτου μοίρᾳ λογίζου, τελείους ἐπιφέρων κολάσεις, ἰσομετρήτους γὰρ καὶ τοὺς στεφάνους ἐκδεχόμεθα παρὰ τοῦ ἀθλοθέτου Θεοῦ.

10 Ταῦτα τὸν τύραννον ἐμαλάκιζεν οὐδαμῶς, D ἀλλ' ἀνέφλεγε μᾶλλον τὸν ἐκείνου θυμὸν, ὥσπερεί τις εὐπρηστὸς ὕλη φλόγα πυρός. Καὶ ὁ μὲν ἐφοινίσσετο τὸ πρόσωπον ὑπ' ὀργῆς, οἱ δὲ μάρτυρες ἐμειδίων· Καὶ ὁ μὲν ὕβριζεν, οἱ δ' οὐκ ἀνθύβριζον· Καὶ ὁ μὲν τοὺς δημίους ἐκέλευεν ἐμφορεῖν τὰς κολάσεις, οἱ δ' ἀλλεπαλλήλους τε καὶ συνεχεῖς ἐμφορούμενοι ἔχαιρον τὸ τοῦ σώματος ἀσθενὲς τῆς τῆς ψυχῆς ὑπερειδούσης καὶ ἀνεγειρούσης ἐλπίδος, καὶ γυμνάσιον ὡς ἀληθῶς ἀρετῆς τὰς βασάνους ἡγεῖσθαι πειθούσης. Ἤδη δὲ καὶ θηρίοις ἠγριωμένοις βορᾷ παρατίθενται· ἀλλ' ἀπήλλαξαν κἀκεῖθεν ἀπαθεῖς, Ἀγγέλου θεόθεν ἐπιστάντος βοηθοῦ, καὶ τὰ τῶν θηρῶν ἀποφράττοντος στόματα. Ἐπεὶ δὲ, μικροῦ δέω λέγειν, διὰ πάσης ἐπινοίας ἐλθὼν ὁ κολάζων, ἐκείνους μὲν νικητὰς, ἑαυτὸν δὲ τῆς ἥττης καὶ ἄκων κληροῦχον ἐποίει, διὰ πάσης προστάττει σύρεσθαι τῆς πόλεως, ὑπτίους ἐκ ποδῶν δεσμηθέντας. Καὶ εἵλκοντο μὲν ἀφειδῶς οἱ Χριστοῦ ἀθληταί· ἐβάλλοντο δ' ὑπὸ πάντων ὡς εἰπεῖν συγκλύδων τινῶν καὶ ἀγοραίων μειρακίων λίθοις τε καὶ ξύλοις, καὶ ὅτῳ δύναιτο ἕκαστος τρόπῳ, ἕως τῆς πόλεως ἀπηνέχθησαν ἔξω, ὅπου καὶ τὴν τελευτὴν εὗρον τοῦ βίου, ξίφει τὰς κεφαλὰς ἀποβεβληκότες. Ἀλλὰ γὰρ ὁ θεῖος Κοδρᾶτος σὺν τοῖς ἀμφ' αὐτὸν οὕτω περὶ τοῦ ἄστεως ἐξελαθέντες, ἐκεῖ που τοῦ τείχους ἔγγιστα δίκην ἀσταχύων τὰς κεφαλὰς ἀφῄρηνται, Μαρτίου δεκάτην ἄγοντος τότε, τοῦ ἔαρος νέον ἤδη τὴν γῆν ἐπιόντος. Ἡ δὲ τὸ καταρρεῦσαν ἐκεῖθεν αἷμα δεξαμένη πέτρα, πηγὴν ὕδατος ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἀντιδοῦσα, διατελεῖ καὶ ἐς δεῦρο νοσημάτων παντοίων ἰάσεις συναπορρέουσα. Τὰ δὲ τίμια αὐτῶν λείψανα θεοφιλεῖς ἀνελόμενοι ἄνδρες, καὶ τέμενος θεῖον δειμάμενοι περὶ τοῦ ἄστεως τούτῳ ταῦτ' ἐγκαθέθεντο, ἀσφάλειαν μεγίστην τῇ πόλει καὶ θησαυρὸν ἄσυλον ἰαμάτων.

fortes omnes supplicia exspectant.

bestiis obiecti non laeduntur,

raptati lapidantur,

E

& capite plexi claret miraculis,

CAP. III *Exemplo S. Codrati*

11 Ἀλλὰ τὰ μὲν ἀμφὶ Κοδρᾶτον καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτὸν τοιαῦτα· ὑπόλοιπον δ' ἂν εἴη διαλαβεῖν ἐν βραχεῖ καὶ τὴν τῶν ἄλλων ἄθλησιν, οἱ διδασκάλῳ Κοδράτῳ χρησάμενοι, καὶ χρηστῷ παραδείγματι πρὸς τοὺς διὰ Χριστὸν ἀγῶνας ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἐρρώσθησαν, ζήλῳ τῷ πρὸς αὐτὸν τὰς ψυχὰς ἐκπυρώσαντες. Ἑνὶ μὲν οὖν ἅπαντες δι- F κασῇ παρέστησαν Τερτίῳ Ἀνθυπάτῳ Ἑλλάδος, διαφόρους δὲ τὰς κολάσεις ὑποστάντες ἐξῆλθον τὸν βίον· πρῶτα μὲν οὖν d Οὐικτωρῖνος Οὐίκτωρ τε καὶ Νικηφόρος, μυρίαις πρότερον καταξανθέντες βασάνοις, ἔπειτα ἐν ὅλμῳ βιαίως τὰ σώματα συντριβέντες, σώας καὶ ἀλωβήτους τὰς ψυχὰς τῷ Θεῷ παρέπεμπον. Δεύτερος δὲ Κλαύδιος τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας ἀκρωτηριασθεὶς χαίρων ἀπεῖπε τῷ ζῆν, δραμὼν πρὸς Θεὸν ὃν ἐζήτει. Τρίτος δὲ ὁ Διόδωρος, θείῳ ἔρωτι ἐκπυρώσας τὴν ψυχὴν, ἐς μέσην τὴν κατ' αὐτοῦ παρασκευασθεῖσαν πυρὰν ἅλλεται, πυρὶ πῦρ ὡς εἰπεῖν ἀντιτάξας, τῷ ἐνύλῳ τὸ ἄϋλον· καὶ μικρὸν ἐπιβιοὺς, ἑκατέρῳ πυρὶ διεμερίσατο ἑαυτὸν, ἀποδοὺς τὸ μὲν χοῦν τῷ γηΐνῳ, τὸ δὲ πνεῦμα τῷ θείῳ, καὶ δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ. Τέταρτος δὲ Σεραπίων κεφαλικὴν ὑπομείνας τιμωρίαν, πρὸς Χριστὸν διαβαίνει, τὴν ὡς ἀληθῶς αὐτοῦ κεφαλήν.

sub Tertio Proconsule martyrio obeunt

d *Victorinus, Victor, Nicephorus,*

Claudius,

Diodorus,

Serapion,

Πέμπτος

Papias. Α Πέμπτος δὲ Παπίας πόντῳ καὶ κύμασι καταβαπτισθεὶς, τοῖς θείοις καὶ ἀκηράτοις ἐνορμίζεται λιμέσι. Καὶ συγκατατίθενται καὶ οὗτοι τῷ θείῳ διδασκάλῳ Κοδράτῳ, ἀλλ᾽ οὗτος ὑπέρλαμπρος τῇ Κορίνθῳ, τὰς μαρτυρικὰς ἐκεῖθεν ἐφαπλοῦντες πάσῃ τῇ περιγείῳ [εὐεργεσίας]. Τοῦ δ᾽ αὐτοῦ τούτου θιάσου καὶ τῆς αὐτῆς πανηγύρεως καὶ ἄλλοι ἕτεροι καταφανήσονται, ὧν ἡ Κόρινθος τοῖς μαρτυρικοῖς ἐνεκαλλωπίσατο ἄθλοις. *Plures alij Martyres Corinthi* Καθαρὰ γὰρ ἄνωθεν καὶ ἀκίβδηλα παρὰ Παύλου τὰ τῆς εὐσεβείας ὑποδεξαμένη σπέρματα, εἰς κόρον δὲ καὶ τῶν τοῦ Κοδράτου ναμάτων ἐκροφήσασα, κλάδους εὐκλεεῖς ἀνήνεγκε τῇ καθολικῇ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίᾳ, οὓς οὔτ᾽ ἀπιστίας ἔτι χειμῶνες, οὔτ᾽ ἄγριοι καὶ καταιγίζοντες ἄνεμοι, ὁπόσους ὁ τῆς ἱερᾶς στρατιᾶς ἀντίπαλος ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις βαρύς τις καὶ βίαιος ἐνσκήψας ἐνέπνευσε, παρατρέψαι τὸ παράπαν ὤφθη δυνηθεὶς, ἀλλὰ φανερᾶς τῆς ἥττης αὐτοῦ περιτραπείσης ἀπῄει, κληρονόμος τῆς αἰσχύνης κατασεὶς(?), καὶ κατηφείας ἀθλητὴς αὐτὸς αὐτῷ γινόμενος.

12 Τρίτος μὲν οὖν ἐκεῖνος, μαρτυρικοῦ φόνου τὴν δεξιὰν πληρώσας, ὡς ἔφην, ὑπερόριος τοῦ παρόντος βίου καθίσταται, φυγαδείαν ἀΐδιον τοῦ θανάτου κατὰ διαιτήσαντος αὐτῷ, καὶ πρὸς κόλασιν ἀδιάδοχον παραπέμψαντος. *sub Duce Venusto* B Βένουστος δέ τις ὄνομα, πονηροῦ πονηρὸς διάδοχος, Ἡγεμὼν γίνεται, ὃς μιαιφόνους ἐντολὰς παρὰ τοῦ Βασιλέως ἀναδεδεγμένος κατὰ τῶν εὐσεβῶν, πλήρεσιν ἱστίοις, ὡς εἰπεῖν, ἐς Κόρινθον ἔρχεται, καὶ πολλὴν ἀναφλέξας ἐκεῖ πυρσὸν ἀσεβείας, καὶ πολλοὺς τοῦ Χριστοῦ παρασπασάμενος Μάρτυρας, συλλαμβάνει σὺν πᾶσι τούτοις καὶ ἑτέρους οὐκ ὀλίγους θιασώτας τῆς ἱερᾶς τοῦ Κοδράτου σχολῆς. Ὧν e Λεωνίδης πρῶτος ἐς τὸ μαρτυρικὸν ἀπαντήσας στάδιον, μετεωρίζεται πρῶτον ἐφ᾽ ὑψηλοῦ τινος ξύλου, καὶ ἀπηνῶς καταξαίνεται καὶ πυρὸς λαμπάσι περικαίεται. *e Leonides post tormenta plurima* Εἶτα κατενεχθεὶς, οὐκ ἐδυσώπησεν οὐδέπω τὸ τοῦ Ἡγεμόνος ἀμείλικτον, τοσαύτας ὑποστὰς κακώσεις· ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐξ ὑπαρχῆς ἑτέροις μείζοσιν αὖθις παλαίειν παρασκευάζεται. Καὶ δὴ τῶν ἱματίων γυμνωθεὶς ἐπὶ σιδηρῶν τριβόλων τείνεται, ἄνωθεν δὲ ῥάβδοις ἀπηνῶς τύπτεται, ὡς μήτ᾽ ἔχειν μήτ᾽ ἐφ᾽ ἑνὸς C τινος μέρους ἀνώδυνος μένειν. Ἀλλὰ κάτωθεν μὲν δερματίας(?) ὑπομένειν τὰς ἀλγηδόνας ἄχρις ὀστέων αὐτῶν συγκαθικνουμένης τῆς τῶν τριβόλων ἀκμῆς, ἄνωθεν δὲ τῇ συνεχεῖ καὶ ἀλλεπαλλήλῳ καταφορᾷ τῶν ῥάβδων κοπτομένης οἰκτρῶς τῆς σαρκὸς (ὢ ψυχῆς εὐμενοῦς καὶ καρτερίας γλυκυτάτης, ἣ πᾶσαν ἐξέπληξε φύσιν ἐπίγειόν τε καὶ οὐράνιον) οὐδ᾽ ἄχρι σχήματος ἐχαλέπηνεν, ἀλλ᾽ ἔχαιρε τὴν σάρκα βλέπων περιρρεομένην τοῖς πλουσίοις ἐκείνης αἵμασιν, ὥσπερ νυμφίος εὐπάρυφος, χρυσοϋφέσιν ἐστολισμένος τοῖς ἱματίοις. Ἀλλὰ γὰρ ἔδει σωτηρηθῆναί πως τὸ ἱερὸν ἐκεῖνο καὶ ἀθλητικὸν σῶμα καὶ πρὸς ἑτέρας βασάνους, καὶ μὴ πρότερον διαρρεῦσαι πρὶν κορεσθῆναι τὸν δήμιον ἐκεῖνον καὶ ἀπηνῆ τύραννον, καὶ ἐκπλῆσαι τὸ θυμούμενον τῆς ἀθέου ἐκείνου καὶ θηριώδους ψυχῆς, καὶ πρὸς τὰ χείρω γυμναζούσης ἐς ἀεὶ τὴν πρόθεσιν. Καὶ σκόπει δή μοι οἷον νεανιεύονται, καὶ οἷα κατὰ τοῦ Μάρτυρος παίζουσι παίγνια. Ἐπειδὴ γὰρ τοιαύτην ἐνεργάσαντο τὴν βάσανον κατὰ τοῦ μαρτυρικοῦ σώματος, ἐπ᾽ ἐσχάρας ἀμέλει πυρὸς ἐφαπλοῦσιν, ἵνα μὴ ῥυῇ δῆθεν ἐς

τὸ παντελὲς καὶ ἀποψύξαν αὐτίκα(?), ἀλλὰ καὶ μαρανθῶσι μὲν οἱ τοῦ αἵματος ῥύακες, ἐκτηκανθῇ(?) δὲ πᾶν, εἴ τι φλεγμαῖνον εἴη καὶ σεσηπός. D *EX NICEPH. GREGORA.* Ἐπεὶ δὲ οὐδὲν ὁ τύραννος ἤνυεν, ἀλλὰ διὰ πάντων ἰὼν καὶ διὰ πάντων ἡττᾶτο, ῥεύμασι θαλαττίοις προστάττει ῥιφῆναι σὺν γυναιξὶν ὁσίαις οὐκ ὀλίγαις, *in mare proiectus, viti & mulieres septē* αἳ τὸν αὐτὸν τότε δίηνυον ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἆθλον, καὶ τὸ μαρτυρικὸν ἐκεῖνο καὶ αὐταὶ συνεκρότουν θέατρον, ἀρρενώσασαι τὴν φύσιν ταῖς ἀρρενικαῖς ἀρδείαις τοῦ Κοδράτου, ὧν τὰ ὀνόματα διὰ τὸ ἀξιομνημόνευτον ἐνταῦθα ἐκθήσομαι.

13 Χαρίεσσα μὲν f ἦν οὖν καὶ Νουνεχία, αἱ τῆς χάριτος καὶ νοῦ σώφρονος πεπληρωμέναι· Βασίλισσα τε καὶ Νίκη, αἱ βασιλικῶς κατὰ τῆς ἀσεβείας ἀνδρισάμεναι, καὶ νίκης ἀναδυσάμεναι στέμματα· *f Chariessa, Nunnechia, Basilissa, Nice, Cale, Galene, Theodora.* Καλή τε καὶ Γαλήνη, αἱ καλῶς μὲν παρελθοῦσαι τὴν ἅλμην τοῦ βίου, καὶ πρὸς ἀπαθείας ἐληλυθυῖαι γαλήνην· Καὶ πρόσγε ἐπὶ Θεοδώρα, ἡ θεῖον τῇ Κορίνθῳ γινομένη σὺν ταῖς ἄλλαις δώρημα. Τότε δὴ τότε λέγεται καὶ τὴν θάλατταν αἰδεσθῆναι τὰ μαρτυρικὰ ἐκεῖνα σώματα, καὶ μὴ ἐθελῆσαι ἐκπεπωκέναι, ἀλλ᾽ ἐπὶ σταδίους ὑπηρετήσασθαι τριάκοντα, E ὅσα καὶ ἤπειρος. Λέγεται δ᾽ οὖν καὶ τὴν Χαρίεσσαν κατὰ τῶν κυμάτων πεζεύουσαν, ᾠδὴν τῷ Κυρίῳ τοιαύτην ἀναβοῆσαι, ἐπακολουθουσῶν ἄλλων καὶ συναδόντων· Ἐν μίλιον ἔδραμον Κύριε, καὶ στράτευμα ἐδίωξας Κύριε, καὶ οὐκ ἠρνησάμην σε Κύριε, σῶσόν με τὸ πνεῦμα, ταῦτα δὴ τὰ τῆς Μωσέως καὶ Ἀαρὼν ἀδελφῆς ῥήμασι παραπλήσια. Εἶτα λίθους κατὰ τοῦ τραχήλου g ἐξάψαντες, βίᾳ κατὰ τοῦ πυθμένος ὠθοῦσιν, *g* ὡς ἀπειπόντας τοὺς Μάρτυρας δεσμοῖς καὶ κύμασι μαχομένους, καὶ οὕτω τοῦ ζῆν ἐξεληλυθέναι, καὶ Θεῷ προσαχθῆναι θύματα τέλεια.

14 Τοιαῦτα τοῦ θείου Κοδράτου τὰ γεώργια καὶ οἱ καρποὶ τῶν πόνων, καὶ τοιαῦτα τὰ τῆς διδασκαλίας ἐκείνου βλαστήματα, καὶ ἐς τοσοῦτον ηὔξησε τὸ τοῦ χαρίσματος τάλαντον. *quorū palmis gloriosior Codratus Pauli imitator.* Παῦλος μὲν γὰρ ἐκ τῆς ὄντως σοφίας ἀντλεῖ τὰς πηγὰς τῆς διδασκαλίας· οὗτος δ᾽ ἐξ ἐκείνου μετειληφὼς τοῖς ἄλλοις μετέδωκε, καὶ οὐκ εἰς τριάκοντα καὶ ἑξήκοντα F μόνον, ἀλλ᾽ ἤδη καὶ εἰς ἑκατονταπλάσιον τὸ τοῦ χαρίσματος ηὔξησε τάλαντον· ὥστε καὶ πεπείσμεθα πάντων ἀπολαύειν ἐξεῖναι νῦν αὐτῷ παρὰ Θεοῦ τῶν καλῶν, καὶ μὴ τὰς μὲν τῶν μονῶν εἰς κατοικίαν ἀπολαμβάνειν, τὰς δὲ μή· ἀλλ᾽ ἐνί γε τῷ τρόπῳ τῶν ὅλων ἐπίσης κληρονομεῖν, ὡς υἱὸς εὐάρεστος ἀναφανεὶς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ διὰ πασῶν ὁδεύσας τῶν αὐτοῦ ἐντολῶν, καὶ πάντα κατωρθωκὼς ἀρεστὰ πάντων, ἃ παρὰ μέρος ἕκαστοι. Ταύτῃτοι καὶ ἀπολαύειν φαμὲν καὶ παρὰ μέρος ἅπερ οὐχ ἅπαντες, καὶ σύνγε τοῖς ἄλλοις ἅπερ ἕκαστοι· καὶ γνωρίζουσιν ἅπαντες τὰ τῆς συνήθους ἀρετῆς ἐπ᾽ αὐτῷ σύμβολα. Καὶ προσδέχονται μὲν συγχορευτὴν ἀσκηταὶ, *suscipitur ab Ascetis* καὶ κοινωνὸν ποιοῦνται τῆς σφῶν εὐφροσύνης, ὥσπερ ὀφειλήν τινα ταύτην ἀποδιδόντες τε καὶ ἀξιόχρεων ἐκτιννύντες αὐτῷ, ἐπεί τοι γε καὶ αὐτοῖς πολλῆς αἴτιος τῆς εὐφροσύνης αὐτοῖς καθίστατο πρότερον, ὁπότε τὸν αὐτὸν αὐτοῖς ἔτρεχε δίαυλον, πρὸς τὰς ἐξουσίας παρατατόμενος τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἀναίμακτα καθ᾽ ὥραν

A ἀνεγείρων τρόπαια. Ἀπόστολοι δὲ, καὶ πρό γε πάντων ὁ μέγας κῆρυξ καὶ κορυφαῖος Παῦλος, πάρεδρον ποιοῦνται καὶ συνεστιάτορα τῆς κοινῆς εὐωχίας τοῦ καινοῦ καὶ μεγάλου θύματος, ὡς δεύτερον καὶ θερμότερον κήρυκα τοῦ ἐκείνων εὐαγγελίου ἐπ' ἐκείνους ἀναφανέντα, καὶ διατρανώσαντα τὴν ἐκείνου φωνὴν, καὶ μὴ τὸ καθ' αὐτὸν μόνον προμηθωσάμενον, κατὰ χώσαντα δὲ τὸ τοῦ δεσπότου τάλαντον, παραπλησίως ἐκείνῳ τῷ πονηρῷ δούλῳ· ἢ σπείραντα μὲν, οὐκ ἐπ' εὐλογίαις δὲ, ἀλλὰ κακοτρόπως ἐφ' ὑδάτων καὶ πετρῶν καὶ βάτων, ὅπη καὶ τὸ τῆς σπουδῆς ἀνόνητον, καὶ τὸ τέλος ἀτελεσφόρητον· ἀλλ' ὡσπερεί τινι βασάνῳ τῷ λόγῳ προσάγοντα τὰς τῶν πολλῶν διαθέσεις, καὶ κρίνων ἕκαστα, καὶ τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πνεύματος διαιρῶν τὸ κρεῖττον ἀπὸ τοῦ χείρονος, εἶτα τὸ εὐαγγέλιον παρεγύμνου καὶ παρετίθει τὴν ἀλήθειαν, ὥσπερ ἥλιον ἀποπεμπομένην ἐκ μέσου κακίας ἁπάσης σκοτόμαιναν, καὶ οὕτω προσῆγε δῆμον ὅλον Θεῷ, τοὺς μὲν ἄνευ αἵματος ἀθλητικοῦ, τοὺς δ' οὐκ ἄνευ τούτου· καὶ ἀμφοτέρων καθηγούμενος, οὐ λόγῳ μόνον ἀλλὰ καὶ ἔργοις αὐτοῖς, τῆς μὲν τῆς κατὰ Θεὸν ἀσκήσεως, τῆς δὲ τῆς διὰ Χριστὸν ἀθλήσεως· ἵνα μὴ, ὅ φησι Παῦλος, τοῖς ἄλλοις κηρύττων, αὐτὸς ἀδόκιμος φαίνηται, κἀντεῦθεν καὶ χαλκὸς καὶ κύμβαλον ἄντικρυς ἀκούῃ· ἀλλὰ τὰ στίγματα τοῦ Κυρίου καὶ αὐτὸς ἐν τῇ σαρκὶ βαστάζων, κῆρυξ ἦν, ὡς εἰπεῖν, ἀνεκλάλητος, καὶ διδάσκαλος ἔμπρακτος, λόγου μὲν ἧττον δεόμενος ἢ ὅσον σκιαγραφῆσαι καὶ προϋπογράψαι ταῖς τῶν ἀκουόντων ψυχαῖς τὴν ἀλήθειαν. Τὰ δὲ πολλὰ τῇ πρακτικῇ χρώμενος ἐπὶ τῶν λόγων, ὅσα καὶ ἐπὶ τῶν σκιῶν οἱ ζωγράφοι τοῖς χρώμασι, πρὸς δήλωσιν εὐτελῆ καὶ λαμπρὰν τῆς ἀληθείας ἐνέργειαν. Καὶ νῦν ἀπολαύεις, ὁ εὐλογημένος τοῦ οὐρανίου Πατρὸς, τῶν ἡτοιμασμένων σοι αἰωνίων ἀκηράτων ἀγαθῶν, ἃ μήτε εἰς ὄψιν ἐλθεῖν ἀνθρωπίνην μεμαθήκαμεν, μήτ' ἐπὶ καρδίαν χαμαὶ ἐρχομένην, καὶ χαίρεις ἐντυγχάνων ἀμέσως τῷ ἀθλοθέτῃ Χριστῷ. D Μέμνησο δὲ καὶ ἡμῶν ἑορτὴν ποιουμένων τὰ σὰ, καὶ πᾶσαν ἔφοδον ἐχθρῶν, τῶν τ' ἐξ ἀφανοῦς βαλλόντων τῶν τ' ἐκ τοῦ φαινομένου, βυθοῖς ἀπωλείας παράπεμπε, καὶ πᾶσαν ἐξομάλισον βιωτικὴν δυσχέρειαν, ὡς ἂν ἀκινδύνως τὴν ἅλμην τοῦ βίου παραδραμόντες τοῖς θείοις καταλύσωμεν λιμέσι, τῇ σῇ δεξιᾷ κυβερνώμενοι, καὶ διὰ σοῦ τῇ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν, ᾧ πρέπει δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

EX NICEPH. GREGORA. & Apostolis

vt qui exemplo suo praeiuerit tam Martyribus quam Ascetis: B

quare nunc gloriosus in caelo

inuocatur ab auctore.

a *MS.* ὀξὺ: *manifestum σφάλμα hoc modo suppleuimus, vt sensus sit,* cum quodam mentis acumine *deliberationem institutam. Dehnius noster suspicatur legendum* μετά τινος ὀξέος τόνου.

b *Item legere mallet*: Νῦν δ' ἐπεῖχε ὡς ἐν μεταιχμίῳ τῇ πείρᾳ τὸ πᾶν ἀναρρίπτειν. Nunc vero formidabat velut in campo omnia euentui committere.

c *MS.* συνάψει: *sed litteram deficientem, vti antea* θάνατον *supplens adiecit, qui hac summo cum iudicio transcripsit Dehnius praenominatus quemadmodum & num 11 suppleuit* νοημάτων *pro* σημάτων, *& alia quaedam.*

d *Septem hi Martyres coluntur à Graecis tum aliis diebus tum maximè 5 Aprilis. Nos quidquid ferè de iis dici poterat collegimus ad 25 Februarij: quod in Latinis Martyrologiis septem iisdem nominibus passi legerentur in Ægypto sub Numeriano & Sabino Duce: & quamuis martyrij etiam genus esset diuersum, in medio tamen reliquimus essentne distinguendi.* E

e *Colitur vnà cum septem Mulieribus, de quibus infrà, 16 Aprilis.*

f *MS.* ἡ σοῦ: *sed correxit Dehnius, prout sensus exigebat.*

g *Ibidem* ἐξάπαντις *manifesto mendo.*

ΒΙΟΣ ΕΝ ΕΠΙΤΟΜΩι ΚΑΙ ΕΓΚΩΜΙΟΝ

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓ. Π. Η. ΘΕΟΦΑΝΟΥΣ

τοῦ τῆς Σιγειανῆς.

Auctore (vt videtur) Simeone Metaphraste.

ex MS. Codice Bibliothecæ Sfortianæ signato 90, folio 129. quomodò est etiam in Biblioth. Medicæâ S. Laurentij, pluteo 4, Codice 4.

PROLOGVS. Vita Sanctorum Ecclesiam ornant:

1 Ὥσπερ λειμὼν εὐανθὴς, ποικίλοις ἄνθεσι ποικιλλόμενος, ὡραΐζει ταῖς ὀδμαῖς τῶν κατ' ἀλλήλων στιβάδων τοὺς ἱστορεῖν βουλομένους, καὶ τόπον ἐκ τόπου ἀμείβοντας παλινδρομεῖν ἀναγκάζει, καὶ τὴν ἀναχώρησιν ἔχοντι παραβλέπειν· τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ ἡ Χριστοῦ Ἐκκλησία. Τῇ γὰρ πολυειδεῖ σειρᾷ τῶν ἀπ' αἰῶνος Ἁγίων κομῶσα, πρὸς θείαν τοὺς ἀκροατὰς ἐποτρύνει δοξολογίαν, καὶ ἑορτὴν ἐξ ἑορτῆς ἐνηχούμενοι χαρμονικῶς τῇ καθ' ἡμέραν ἐν ἀλλακτῇ ἐπωνυμίᾳ ἐπείγονται, γέρας αἴσιον κελαδῆσαι. Ἐν τούτῳ γὰρ καὶ εὐσεβεῖς προστιθέναι ἑαυτοῖς ἀρετὴν ἐπισπεύδουσιν, καὶ οἱ λίαν ἀσύνετοι ῥᾷστα τῆς ἑαυτῶν πολιτείας κατεγνωκότες εὐσεβεῖν τὴν γνώμην βιάζονται. Οὐκοῦν, ἀγαπητοὶ, ὁσίῳ ἀνδρὶ ἐγκωμιᾶσαί μοι σπεύδοντι, προθύμως τὰς ἀκοὰς ὑποστρώσαντες, καὶ συνεχῆ τὴν ἀκρόασιν παρακατέχετε σήμερον. Τίς δὲ οὗτος; Ὁ ἐν ἀσκηταῖς περιβόητος Θεοφάνης, ὁ μέγας τῆς ὀρθοδοξίας ὑπέρμαχος, ὁ τῶν ἀληθινῶν δογμάτων προασπιστής, ὁ προθύμως ἑαυτὸν τοῖς τυραννεῖν ἐθέλουσι παραδοὺς, ὁ τὴν δυσσέβειαν τοῦ Κρατοῦντος ἐλέγξας δογματικαῖς ἐκφαντορίαις, ὁ βίῳ καὶ πράξει καὶ λόγῳ νηπιόθεν κεκοσμημένος, ὁ τὰ δοκοῦντα τερπνὰ παραβλεψάμενος εἰς ἅπαν, ὁ ἐν γάμῳ σωφροσύνην ἀσκήσας, ὁ σκορπίσας πενομένοις τὸν πρόσκαιρον πλοῦτον καὶ δικαιοσύνην ἑαυτῷ θησαυρίσας αἰώνιον, ὥσπερ φησὶν ὁ ἐν Προφήταις Ψαλμῳδός.

in quibus Theophanes

2 Ἐπεὶ τοίνυν [ἡ μνήμη τοῦ] δικαίου μετ' ἐγκωμίων, μή μου μέμψησθε τῆς προπετείας, ὡς πρὸ τοῦ βίου ἐγκωμιάζοντι. Τότε γὰρ ἁρμόδιον πέφηκεν· ἀλλ' ἐπειδή τισι σοφοῖς καὶ μακαρίοις ἀνδράσιν πονέσασι,

describitur à vatib.

καὶ

A καὶ τὴν τοῦ Μακαρίου ἐξ αὐτῆς γεννήσεως ἀναστροφήν τε καὶ διαγωγήν, καὶ τὴν πρὸς θεῖον ζῆλον κίνησιν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν ἐν τῷ μονήρει βίῳ ἄσκησιν, καὶ τὴν καθαρὰν πολιτείαν, καὶ τὴν ἄκραν ταπείνωσιν, καὶ τὴν τῆς ὀρθοδοξίας τράνωσιν, καὶ τὴν πρὸς τὰ δεινὰ καρτερίαν, ἀριδήλως διηγησαμένοις, ἐπὶ χρυσῷ καὶ μαργαρίταις καὶ τιμίοις λίθοις· προσθεῖναι τούτοις οὐχ ἡγησαίμην, ἀλλὰ σποράδην ἐκ τῶν αὐτῶν διηγημάτων συλλέξας, ὥσπερ τις λιθολόγος, εἰς μίαν κατασκευὴν ἀθροῖσαι προεθυμήθην. Ὁ γὰρ ἀδυνάτοις ἐπιχειρῶν, τοὐναντίον ἀσχημονὴν ἀνθέλκει τὸν τρόπον. Συντόμῳ γοῦν τῇ διηγήσει χρησάμενος, ἀμυδράν τινα τῶν αὐτοῦ κατορθωμάτων ὑπόληψιν καταυλήσω.

hic compendio propositus.

CAP. I

Parentibus nobilibus & orthodoxis

3 Ὁ Μακάριος οὗτος, Ἀδελφοὶ καὶ Πατέρες, ὁ τῆς χριστιανικῆς σφραγίδος ἐπώνυμος, εὐγενῶν γονέων καὶ τῶν ἐν ἀξιώμασι περιβλέπτων γέγονε τέκνον, ἐν ἡμέραις Κωνσταντίνου τοῦ Κοπρωνύμου, τῇ ὑποκρυφίῳ δόξῃ ὀρθοδόξως πολιτευσαμένων. Ἔδει γάρ, ἔδει ἐξ αὐτῶν τὸν τῆς Θεοφανείας ἐπώνυμον γεννητικῶς ἀποστίλψαι φωστῆρα· οὐ γὰρ ἂν ἡμῖν ὁ καB θαρὸς οὗτος μαργαρίτης προυτέθειτο, εἰ ἐν ἡμέραις σκότους διαφανῶς οἱ τούτου γεννήτορες τὴν εὐσέβειαν

a a ἀπέστρεψαν. Μονογενὴς τοιγαροῦν αὐτοῖς ὑπάρχων ὁ Μακάριος, ἐκπαιδεύεται νηπιόθεν τὰ ἱερὰ γράμματα, γραφήν τε πᾶσαν εἰς ἄκρον μυηθείς, οὐ δὲ τῆς ἔξω σοφίας ἠμοίρησε. Ταύτης γοῦν τὸ κάλλιστον ἐπιλεξάμενος ἐν νῷ τεθησαύρικεν, ὅσον δὲ τὸ μυθῶδες μακρὰν χαίρειν εἰπὼν παρελογίσατο πρεπόντως. Νέου δὲ κομιδῇ τοῦ Μακαρίου ὑπάρχοντος, καὶ οὔπω τῆς ἡβικῆς ἡλικίας ἐπιλελημμένου, οἱ αὐτοῦ γονεῖς πρὸς Κύριον ἐξεδήμησαν, καὶ μένει λοιπὸν μόνος ἐν ὑπερβάλλοντι πλούτῳ ὁ Ἅγιος· τάχα τῆς προνοίας οὕτως οἰκονομησάσης, ἵνα μὴ ὁ τῶν γονέων πόθος, πρόσκομμα τῆς πρὸς Θεὸν αὐτοῦ τρίβου γεννήσηται.

puer orbatus,

4 Κωνσταντίνου δὲ τοῦ δυσσεβοῦς αἰσχρῶς τελευτήσαντος, διαδέχεται τὴν Βασιλείαν Λέων, ὁ ἐκ μητρικῆς ἐπωνυμίας Χαζάρης ἐπικληθείς. Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις τῆς αὐτοῦ Βασιλείας ἦν τις Πατρίκιος ὁμώνυμος αὐτῷ, πάνυ βάρβαρος καὶ θηριώδης τὸν τρόπον, καὶ τοῦ τῆς αἱρέσεως σμήνους σύμφρων τε καὶ ἀντιλήπτωρ· ὃς διὰ τὴν τοιαύτην δυσσέβειαν ὁμοτράπεζος τῷ Βασιλεῖ καθεκάστην ὑπῆρχε καὶ φίλος περιδέξιος. Καὶ δὴ μαθὼν τὰ περὶ τῆς οὐσίας τοῦ Μακα-

tandem uxori inuitus coniungitur:

C ρίου, κελεύσει βασιλικῇ συνεργῷ χρησάμενος, ζευγνύει τῷ Θεοφάνῃ τὴν αὐτοῦ θυγατέρα· ὅπερ βίᾳ καὶ μόλις τάχα γε διὰ τὸν τοῦ κρατοῦντος φόβον εἴξαντος τοῦ Θεοφάνους, ἐξήρτυτο τὰ ἐπιτήδεια τῷ γαμικῷ θαλάμῳ. Τῶν οὖν αἰσίων τελεσθέντων, ἑσπέρας καταλαβούσης, μόνους ἐν οἰκίσκῳ τερπνῷ τόν τε εὐσεβῆ νεανίαν καὶ τὴν εὐκλεᾶ κόρην εἰσάγουσιν, ὡς ἂν αὐτοῖς ἐπιτηδείως ἔχοι πρὸς ἡδονῆς τρόπον. Σιγῆς δὲ γενομένης, καὶ πάντων ἀφυπνωσάντων, νυκτός τε βαθείας διαχυθείσης, στραφεὶς ὁ Μακάριος, φησὶ τῷ κορασίῳ τάδε.

5 Ὁ μὲν παρὼν βίος, ὦ γύναι, βραχὺς ὡς πᾶσιν εὔδηλον, καὶ ἀδηλία τοῦ μέλλοντος πλέον κεκρατημένος, καὶ κρίσις ἀδέκαστος τοὺς ἐν τῷδε τῷ βίῳ διαδέξεται b εὐθηνοῦντας. Τοιγαροῦν καὶ ὁ γάμος οὐκ ἀπόβλητος παρὰ Θεῷ· ἀλλ' αἱ φροντίδες τοῦ βίου, ἀλλοιοῦσαι τὸν ἔνθεον λογισμόν, οὐκ ἐῶσι καθαρῶς ἀντοφθαλμεῖν πρὸς τὰ μέλλοντα. Ἴσμεν δὲ καὶ τὸν ἐν εὐαγγελίοις Λάζαρον, διὰ στενοχωρίας τῆς ἐνθένδε τοῦ Ἀβραὰμ τοὺς κόλπους κληρωσάμενον, καὶ τὸν ἐν γεέν-

quam ad religiosa vitæ propositum post breuem coniugij vsum exhortans,

b

D νῃ φλογιζόμενον πλούσιον, μηδὲ τῆς πρὸς αὐτὸν τοῦ Λαζάρου ἀφίξεως ἀξιούμενον, καὶ σταγόνος ὕδατος ἐστερημένον, καὶ τό, Ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, ἐγκαλούμενον. Καὶ ὁ μακαρισμὸς ὑπόσχεσιν ἀγαθῶν οὐ τοῖς ἐν πλούτῳ κομῶσιν ὑπισχνεῖται, ἀλλὰ τοῖς κλαύσασι νῦν ὅτι ἐκεῖ γελάσουσιν, τοῖς πτωχοῖς τῷ πνεύματι, τοῖς δεδιωγμένοις διὰ δικαιοσύνην, τοῖς ὀνειδιζομένοις διὰ Χριστόν· καὶ ἅπαξ ἁπλῶς, στενὴ καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωήν, πλατεῖα δὲ καὶ εὐρύχωρος ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ἀπώλειαν. Οὐκ ἔστιν οὖν ἄνευ θλίψεως ὑπεξελθεῖν ἡμᾶς· εἰ μὲν γὰρ ἐν τῷδε τῷ βίῳ χαρμονικῶς διέξομεν, θλίψις ἐν τῷ μέλλοντι διαδέξεται ἡμᾶς. Ἀλλ' εἰ βούλει, γύναι, μικρὸν τῇ φύσει κοινωνήσαντες διὰ τὴν τοῦ σοῦ πατρὸς αὐθάδειαν, c ἀπάρωμεν ἑαυτοὺς τῆς βορβορώδους ταύτης καὶ συρφετοῦ διαγωγῆς, καὶ τὸν μονήρη βίον κατασπασώμεθα, ὅπως τῆς αἰωνίου εὐμοιρήσωμεν ἀπολαύσεως.

EX MS. CARDIN. SFORTIÆ

c

6 Τί οὖν τὸ εὐσεβὲς γύναιον; οὐκ ἀνένευσε πρὸς ταῦτα; οὐκ εἶπε τὰ μὴ καθήκοντα· Τί τὸ κάλλος τῆς ἐμῆς νεότητος ἠμαύρωσας; τί μου τὴν τύχην ἀπέκλεισας; τί τὴν ἐμὴν χαρὰν εἰς θρῆνον μετήλλαξας; Εἰ οὕτως ᾑρετίσω τὰ κατὰ σαυτόν, οὐκ εἶ μόνος ἐν εὐγενέσι νεώτερος· ἔδει γοῦν σε, πρὸ τοῦ γάμου ἀπαγορεῦσαι, καὶ μὴ μαρᾶναί μου τὸ ἐπανθοῦν κάλλος. Οὐδὲν τοιοῦτον· ἀλλὰ τί; Ὥσπερ τις ἀγαθὴ γῆ τὸν σπόρον δεξαμένη πολύχουν βλαστάνει τὸν καρπόν, οὕτω καὶ τὸ σεμνὸν γύναιον τῇ καλῇ παραινέσει τοῦ Μακαρίου στομωθεῖσα, ἀσμένως κατένευσε καὶ φησίν· Οὐκ ἀμύητός εἰμι, γλυκύτατε ἄνερ, τῶν θείων παραγγελμάτων· καὶ γὰρ ἐν εὐαγγελίοις ὁ Σωτὴρ ἡμῶν ἀριδήλως βοᾷ· Εἴ τις οὐ καταλείψει πατέρα καὶ μητέρα καὶ γυναῖκα καὶ τέκνα καὶ ἀδελφοὺς καὶ ἀδελφὰς καὶ οἰκίας καὶ ἀγρούς, καὶ ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθήσει μοι, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. Οὐκοῦν, εἰ βούλει, καθαροὺς καὶ ἀσπίλους ἑαυτοὺς παραστήσωμεν τῷ οὐρανίῳ νυμφίῳ Χριστῷ, ἀμώμητον καὶ ἀκηλίδωτον τὸν ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπον διατηρήσαντες. Τί γὰρ ὄφελος, εἰ πρὸς μικρόν, ὡς ἔφης, συνέλθωμεν; Τίς δὲ καὶ ὁ ἐγγυητὴς ὅτι οὐ τεκνώσομεν ἐν τῷ μικρῷ τούτῳ, καὶ ἵνα μὴ γένηται ἡμῖν εἰς πρόσκομμα τὸ τεχθέν; Καὶ εἰ μὲν ἄρσεν εἴη, μερική τις ἐκκοπή· εἰ δὲ θῆλυ, διπλοῦν τὸ κακόν· Χρεία γὰρ ἀναμεῖναι καὶ χρόνους γάμου καὶ λοιπῆς προνοίας. Καὶ τὸ τῆς ζωῆς τέλος, ὡς ἔφης, ἐπ' ἀδήλῳ, καὶ αἱ τοῦ βίου παγίδες ἀναρίθμητοι. Λανθανόντως οὖν ἐν ἁγνείᾳ βιωσάντων ἡμῶν, εὖ οἶδα καὶ τὴν ἡμῶν ἔφεσιν τὸν Θεὸν οἰκονομῆσαι.

vicissim ab ea

E

ad virginitatem mutuo consensu seruandam impellitur:

F

7 Ἐκπλαγεὶς δὲ ὁ Μακάριος ἐπὶ τῇ τῆς κόρης δεξιωτάτῃ γνώμῃ, χαριέντως πρὸς αὐτὴν εἶπε· Κύριος ἡμῖν δηλώσει τὸ συμφέρον. Δι' ὅλης δὲ τῆς νυκτὸς προσευξάμενοι, καὶ τὸν Θεὸν ἐπὶ τῷ συμφέροντι προνοητὴν καὶ κηδεμόνα ἐπικαλεσάμενοι, περὶ αὐγὰς τῆς ἡμέρας συνέβη ἀφυπνῶσαι ἀμφοτέρους, καὶ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ὄναρ θεωρῆσαι· ὁρῶσι γάρ τινα ὡραίως ἐξαστράπτοντα, πρὸς αὐτοὺς πρᾳεία τῇ φωνῇ λέγοντα, Κύριος ὁ Θεὸς τὴν ὑμῶν προαίρεσιν ἀποδεξάμενος, ἀπέστειλέ με σφραγίσαι ὑμᾶς τοὺς ἀκεραίους καὶ ἀμωμήτους αὐτῷ παραστῆναι· καὶ κατασφραγίσας αὐτοὺς δι' ὅλου τοῦ σώματος, ἄφαντος ἐγένετο. Ἀφυπνισάντων δὲ αὐτῶν, καὶ τὰ τῆς ὀπτασίας ἀπαραλλάκτως ἀλλήλοις διηγησαμένων, καὶ τὸν Θεὸν δοξασάντων τὸν εὑρισκόμενον ῥᾳδίως τοῖς ζητοῦσιν αὐτόν,

signis ab eo vterque animatur ab Angelo.

A αὐτὸν, τὸ λοιπὸν διῆγον, σχήματι μὲν ὡς σύζυγοι, πράγματι δὲ ὡς ἀδελφοί. Ὢ τοῦ θαύματος· Ἔγνω Κύριος τοὺς αὐτοῦ· εἰ μόνον ἐξεζήτησαν τὸν Θεὸν, εὐθὺς ἐπίκουρος αὐτοῖς καὶ βοηθὸς πρὸς τὴν ἔφεσιν εὑρέθη. Τί τοῦτο τοῦ κατὰ τοὺς τρεῖς παῖδας θαύματος ἀτιμότερον; Ἐκεῖ μὲν γὰρ Ἄγγελος τὴν συμφλέγουσαν αὔραν τοῦ πυρὸς εἰς πνεῦμα δρόσου διασυρίζον μεταβαλὼν, ἀβλαβεῖς τοὺς παῖδας διέσωσεν· κἀνταῦθα πάλιν Ἄγγελος τὴν ὀξύῤῥοπον καὶ φλογώδη τῆς ἡδονῆς ἀκμὴν εἰς σωφροσύνης δρόσον μεταῤῥυθμίσας, ἀσινεῖς τοὺς νέους διετήρησε, καὶ πυρὶ χόρτον ἀβλαβῶς συνδυάζειν ἐπετήδευσεν.

EX MS. CARDIN. SFORTIÆ.

8 Ἐπεὶ τοίνυν τὴν ἐκ γεννήσεως τοῦ Μακαρίου μέχρι συζυγίας ἀναστροφὴν ἀποχρώντως ἐδηλώσαμεν, φέρε δὴ λοιπὸν καὶ τῶν αὐτοῦ ἀγωνισμάτων μερικὴν τινὰ κατηχήσωμεν ἔμφασιν ταῖς ὑμετέραις ἀκοαῖς, φιλόχριστοι. Τούτων οὕτως θείᾳ νεύσει οἰκονομηθέντων, καὶ κατὰ μικρὸν τοῖς πενομένοις τὸν πλοῦτον σκορπίζοντες ἐν ὑποκεκρυμμένῃ ὑπολήψει, μᾶλλον δὲ δι' αὐτῶν ἑαυτοῖς θησαυρίζοντες, λαθεῖν εἰς τέλος τὸν τῆς κόρης οὐκ ἴσχυσαν πατέρα, δεινόν τε ὄντα καὶ ἀπηνῆ καὶ ἀπάνθρωπον καὶ λίαν ἀνελεήμονα. Γνοὺς γὰρ τὴν καλλίστην τῶν νέων ἐμπορίαν ὁ ταλαίπωρος, καὶ ἀποτυχίαν μᾶλλον τὸ γνωσθὲν ἢ εὐσέβειαν ἡγησάμενος, εἰσελθὼν ἐν τοῖς βασιλείοις προσαναφέρεται τῷ Βασιλεῖ τοιαῦτα φήσας· Δυσυχῶ, Βασιλεῦ, ἐπὶ τῷ ἀπεάγμονι γαμβρῷ μου· σκορπίζει γὰρ κακηγκάκως τὸν ἴδιον πλοῦτον, οὐ δὲ τῆς ἐμῆς θυγατρὸς ἐφείσατο πραγμάτων· ἤδη γὰρ καὶ αὐτῆς τὸ πλεῖστον μέρος ἐφάνισε, καὶ οὐ δὲ τέκνου ἡ ἐλεεινή μου θυγάτηρ ἀξιοῦται γονῆς· οἶμαι δὲ διὰ τὸ κατὰ πάντα ταλαίπωρον καὶ ἀπεάγμονα εἶναι, ὃν κακῶς ἐγνώρισεν. Ἀλλ' εἰ κελεύει, φησὶ, τὸ κράτος σου, μικρὸν ἀνανεῦσαι ἐκ τῆς τοιαύτης ῥαθυμίας τὸ ἐμὸν γῆρας, τοῦτον ἐκδημοσίοις ἀπασχολεῖσθαι πράγμασι πόῤῥω που κελεύσεις σταλῆναι, μήπω εἰς τέλος τοῖς λίαν ἐστερημένοις καταλαμήσῃ μου τὸ θυγάτριον. Πόθεν γὰρ διδαχθεὶς τὴν ἀπονενοημένην ταύτην ἐμπορίαν οὐκ ἐπίσαμαι· ὥσπερ τις ἀνδριὰς χαλκοῦς ἀκίνητος μένει πρὸς ἔφεσιν τῶν τερπνῶν, καὶ τὸ δὴ χαλεπώτερον, οἷα συμβαίνει πολλάκις τοῖς ἐξεσηκόσι τὸν νοῦν, πρὸς ὅ, τι ἂν αἰτηθῇ d τὸ ὑπάρχον αὐτῷ ῥᾷστα παρασχὼν ἀποστερεῖται ὡς ἡμέραι τῆς οἰκείας εὐπορίας, μάλιστα τοῖς ψευδῶς πενίαν προσποιουμένοις. Ἤδη δὲ καὶ τῶν e κεράμων αὐτοῦ οὐκ ἀνθέξεται, εἰ μὴ θᾶττον πενίᾳ περιεισχθεὶς, ἱκανὸς γένηται πρὸς τὴν τῶν οἰκείων πραγμάτων ἐπικράτειαν.

Largis eorumdem eleemosynis offensus socer

B *de genero queritur apud Imperatorem:*

C

9 Καὶ δὴ θᾶττον κληθέντος τοῦ Μακαρίου πρὸς τοῦ Βασιλέως, στέλλεται παρ' αὐτοῦ ἐπὶ τὰ μέρη Κυζίκου πρὸς δημοσίων τινῶν πραγμάτων διοίκησιν· ἦν γὰρ καὶ Βασιλικοῦ ἀξιώματος, οὐ τοῦ ἐν τέλει, ἀλλ' ὑπηρέτης τῶν Βασιλικῶν κεκοσμημένων ἵππων, οὓς δὴ Στράτωρας καλεῖν ἡ τάξις εἴθισαι. Τούτου δὲ τοῦ προστάγματος τῷ Μακαρίῳ δοθέντος, καὶ χαρᾶς αὐτῷ οὐ τῆς τυχούσης περιχυθείσης, ὡς ἔτερος, ἀφορμῆς αὐτῷ τῆς ἐκ τοῦ κόσμου ἀναχωρήσεως θεόθεν οἰκονομηθείσης, τὰ πρὸς τὴν ὁδὸν συντόμως ηὐτρέπισε ἐπιτήδεια· καὶ πρόφασιν μαλακίας προσποιησάμενος, τοὺς μὲν αὐτῷ ὑπηρετήσοντας διὰ τοῦ δρόμου προπέμψας, αὐτὸς ἐν ταχυδρόμῳ πλοίῳ ἐπιβὰς, καταλαμβάνει τὸ τοῦ μεγάλου ποταμοῦ στόμιον· καὶ πλησίον λοιπὸν τῆς ἐκεῖθεν γενόμενος γῆς, γαληνοδρομίᾳ τὴν πορείαν ἐποιεῖτο, καταμανθάνων τὰ κρημνώδεια τοῦ τῆς f Σιγριανῆς ὄρους παράλια. Κατὰ οὖν θείαν τινὰ πρόνοιαν καταλαμβάνει τινὰ βαθύκρημνον λόχμην, ἀλσώδη τε καὶ ἀνθρώδη· καὶ ἀποβὰς ἐν αὐτῷ ἀπὸ τοῦ πλοίου, μόνος τῇ δυσχερείᾳ βεβιασμένος ἀνῆλθε, τοῖς ἄλλοις ἐπιτρέψας ἐν τῷ πλοίῳ ἡσυχῇ μένειν.

d

e

qui eũ publici negotij causâ Cyzicum ablegat:

10 Διαμαθὼν δὲ τὸν τόπον ἀκριβῶς, καὶ ἠθεὶς ἐπιτήδειον εἶναι πρὸς ψυχικὴν ὠφέλειαν, εὐξάμενος δὲ κατ' ἰδίαν, καὶ τὸν Θεὸν τὸ συμφέρον ἱκετεύσας ἀποκαλύψαι, κεκμηκὼς δὲ ἐκ τῆς ἐπὶ πλείστας ὥρας γενομένης ὑπ' αὐτοῦ γονυκλισίας, καὶ μικρὸν καθεσθεὶς, ὡς ἐν ἐκστάσει γέγονεν, καὶ ὁρᾷ γρηγοροῦσιν ὀφθαλμοῖς τὸν προφανέντα αὐτῷ ἐν τῇ παιδὶ φωτοειδῆ ἄνδρα, τὴν χεῖρα ἐκτεταμένην ἔχοντα, καὶ τῷ δακτύλῳ τὸν τόπον ὑποδεικνύοντα καὶ πρὸς αὐτὸν λέγοντα· Ὁ μὲν σὸς κηδεστὴς, ἀλλὰ καὶ ὁ σύμφρων αὐτοῦ Βασιλεὺς, ἐν ὀλίγαις ἡμέραις τὴν τῇδε πλουτήσουσι ἀναχώρησιν· καὶ λοιπὸν παῤῥησίᾳ τοῖς πενομένοις τῶν ὑπαρχόντων σοι τὴν διανομὴν ποιησάμενος, ἐνταῦθα παραγενάμενος Θεῷ εὐαρεστήσεις. Τοῦ οὖν Μακαρίου διὰ τῆς ἐμφανείας τὰ αὐτῷ συντείνοντα πρὸς ὠφέλειαν συνιέντος, καὶ τὰ μέρη Κυζίκου καταλαβόντος, ὡς τάχιστα δὲ τὸ αὐτῷ κελευσθὲν περατώσαντος, εὐθέα τις συνήργησεν ἐν Κωνσταντινουπόλει παλινδρομία. Καὶ δὴ πρεπόντως ἀπολογησάμενος τῷ Βασιλεῖ περὶ τῶν αὐτῷ ἐρωτωμένων, ὑψηλοτέρῳ δὲ βαθμῷ ἤτοι τῶν Σπαθαρίων τῷ καταλόγῳ ὑπὸ τοῦ Βασιλέως τιμηθεὶς, διῆγε g τὸν λοιπὸν [χρόνον] προσμένων τὰ τῆς ὀπτασίας εἰς πέρας ἐληλακέναι, ὃ καὶ γέγονε.

D

Ille ad Sigrianam ascendit

Qui de vitâ istic ducendâ diuinitus monetur.

E

g

11 Μετ' οὐ πολὺ γὰρ ἡμερῶν διάστημα, τέλει τοῦ βίου χρησαμένων ἀμφοτέρων, ἤδη λοιπὸν ἀδεῶς τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῖς τοῖς πενομένοις διανενεμηκότες, ἐλευθερίᾳ δὲ τοὺς οἰκέτας ἀποπεμψάμενοι, ἐνδύονται λοιπὸν ῥακώδη ἄμφια, καὶ συνταξάμενοι ἀλλήλοις, νηστείαις τε τοῦ Μακαρίου κατηρέξαντος τὴν εὐσεβῆ γυναῖκα, τηρεῖν τὰς θείας ἐντολὰς καὶ ἀγάπην πνευματικὴν ἐν τοῖς πλησίον κεκτῆσθαι, προσευχήν τε εἰλικρινῆ καὶ ἀρεμβαστον, καὶ βίον ἀκαταίσχυντον, καὶ ἄκραν ταπείνωσιν, ἀπέλυσεν αὐτὴν ἐν εἰρήνῃ εἰπὼν, Σώζουσα σῶζε τὴν ἑαυτῆς ψυχήν. Ἀλλοτριοῦνται τοίνυν τῆς πρὸς ἀλλήλους ἀναστροφῆς. Ὁποῖον δὲ βίον ἐξήσκησεν ἡ εὐσεβὴς αὕτη γυνὴ, ἴσασι πάντες οἱ τὴν Βιθυνῶν οἰκοῦντες χώραν, ὅπως ἑκουσίως ἐπεάθη, καὶ δουλικὴν μετῆλθε τάξιν· γνωρισθεῖσα δὲ παρά τινων ἀπέδρα. Τὰ δὲ ἐν Πολυχρονίῳ καὶ Καλωνύμῳ αὐτῆς ἀγωνίσματα, τίς ἂν καὶ διηγηθείη γραφῇ παραδοῦναι, ἢ τίς καὶ χάριτός τε καὶ δυνάμεως θείων ἠξιώθη; μέρος δὲ τῶν αὐτῆς κατορθωμάτων ἐν τῇ παρὰ Μεθοδίου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου συντεθείσῃ περὶ αὐτῆς τε καὶ τοῦ Μακαρίου συγγραφῇ πρὸς ὠφέλειαν τῶν ἐντυγχανόντων ἱστόρηται.

CAP. II Theophanes secedit ab uxore,

qua sanctitate clara

F

laudatur à S. Methodio.

12 Ὁ δὲ ἀληθῶς μακαρίτης Θεοφάνης ἐμβὰς ἐν πλοίῳ, καταλαμβάνει τοῖς Σιγριανῆς παραλίοις, καὶ δὴ ἐξελθὼν ἀπὸ τοῦ πλοίου, βάδην καταλαμβάνει τὸν λοχμώδη κρημνὸν ἐκεῖνον ἐν ᾧ ἐπὶ πλείοσι τὸ σῶμα καταδαμάσας χρόνοις, καὶ τὸ μοναχικὸν περιβαλλόμενος ἔνδυμα καὶ σχῆμα παρὰ Χρυσοφόρου τοῦ διαφανοῦς ἀστέρος, ἤδη λοιπὸν καταφανὴς ἐγεγόνει· οὐ γὰρ ἠδύνατο πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη. Ἡμέραν δὲ ἐξ ἡμέρας συῤῥεόντων ἐπ' αὐτῷ τῶν τῆς ἀγγελικῆς ἐφιεμένων πολιτείας, ἀπετέλεσε τὴν ἔρημον ἐκείνην μοναστήριον, ὅπερ ἕως τοῦ αἰῶνος ἐπαυθοῦν ταῖς θείαις ἀρεταῖς καὶ δείκνυται καὶ δειχθήσεται. Ἐν αὐτῷ τοίνυν τοὺς πνευματικοὺς διανύσας ἄθλους, μύστης

Ipse in Sigrianâ fit monachus

atque cum sociis ... habitat.

A τῆς Τριάδος γνήσιος ἀνεφάνη, καὶ ὁ πλασιῶν μεγίστων θεωρητὴς γέγονεν. Ἦν δὲ αὐτῷ τὸ διαρκοῦν εἰς κοίτην ψιάθιον εὐτελὲς, καὶ τρίχινον ἐπικάλυμμα, καὶ πρὸς κεφαλὴν αὐτοῦ λίθος. Οὐκ ἐκαυχήσατο h νῆτος ἁπαλότητος εἰς περιβολὴν αὐτοῦ, οὐ κναφεὺς ἐπὶ ἐσθῆτι αὐτοῦ μεμόχθηκεν, οὐχ ἵππος ἢ ἡμίονος πρὸς ὑπηρεσίαν αὐτῷ κεχρημάτικεν, οὐ μαγείρων μαγγανεῖαι τὰ ἐπιτήδεια αὐτῷ χορηγοῦσαι, οὐκ εὐώδης οἶνος ἐλίπανεν αὐτοῦ φάρυγγα· ἀλλ᾽ ἦν αὐτῷ βρῶσις καὶ πόσις ἄρτος τραχύτατος καὶ ὕδωρ βραχύ.

Ad synodū VII, in quâ restituta sunt omnia,

13 Τοῦ δὲ Βασιλέως τέλει τοῦ βίου χρησαμένου, Εἰρήνης δὲ σὺν υἱῷ Κωνσταντίνῳ εὐσεβῶς τὴν Βασιλείαν ἡνιοχούσης, προβάλλεται εἰς Ἀρχιερέα Κωνσταντινουπόλεως, παρά τε τῆς Βασιλίσσης καὶ πάσης τῆς Συγκλήτου καὶ τῶν λογάδων τῶν ὀρθοδόξου δογμάτων ἀκριβείας, μετὰ θάνατον Παύλου τοῦ ἀπὸ Πατριαρχῶν μοναχοῦ, Ταράσιος ὁ ἁγιώτατος φωστὴρ τῆς ὀρθοδοξίας· σύνοδός τε οἰκουμενικὴ συνηθροίζετο, ἐπικυροῦσα μὲν τὰς πρὸ αὐτῆς ἓξ ἁγίας συνόδους, ἀναθεματίζουσα B δὲ Νικήταν καὶ Κωνσταντῖνον τοὺς αἱρεσιάρχας, καὶ δολιόφρονας i πατριάρχας, Γερμανόν τε τὸν ἁγιώτατον Πατριάρχην τοῖς διπτύχοις ἐγγράφουσα, καὶ τὴν τῶν εἰκονομάχων σβοῦσα ματαίαν πλάνην καὶ ὡς ἱστὸν ἀράχνης διαλύουσα. Συνήγοντο γοῦν οἱ πανταχοῦ γῆς Πατέρες καὶ διδάσκαλοι, καὶ οἱ τῶν Ἀποστολικῶν θρόνων τοποτηρηταὶ, καὶ οἱ τῶν μοναστῶν λογάδες· φημὶ δὴ, Πλάτων ὁ ἀειλαμπέστατος φωστὴρ ἀπὸ τῆς τοῦ Σακκουδίωνος, Νικήτας καὶ Νικηφόρος οἱ ἀείμνηστοι Πατέρες ἐκ τῆς μονῆς τοῦ Μηδικίου, καὶ ὁ προλεχθεὶς Χριστοφόρος ἐν τῷ Μικρῷ ἀγρῷ. Τότε δὴ τότε ὥσπερ διαφανὴς ἀστὴρ, προσκλήσει τῆς πνευματικῆς ταύτης πανηγύρεως, παραγίνεται καὶ ὁ μακάριος Θεοφάνης πρὸς τὴν σύνοδον, βίᾳ μὲν, ὅμως δ᾽ ἀπήει· καὶ γὰρ ἦν ἀεὶ ἐπιποθῶν καὶ διώκων τὴν ἡσυχίαν, καὶ πρὸς τὰς ὀχλήσεις ἀπεχθῶς ἔχων,

accedit humili in habitu

& magnâ cum energiâ sententiam dicit.

14 Πάντες μὲν οὖν ἤγοντο, ἵπποις, ἡμιόνοις, ἀνδραπόδοις, καὶ βερέδοις ὑπηρετούμενοι· ὁ δὲ Πατὴρ, οἷα πατὴρ, σὺν τῷ τριχίνῳ ἀμφίῳ καὶ τῇ ποιμαντικῇ βακτηρίᾳ. Καθεσθείσης δὲ τῆς τιμίας συνόδου, καί τοιγε ἐν εὐτελεῖ προσχήματι τοῦ Μακαρίου θεωρουμένου, εὐσεβείᾳ δὲ ὑπὲρ πάντας ἀποστίλβοντος, C οὐ παρελογίσαντο, ἀλλ᾽ ἐπέτρεψαν πρὸς τὴν τοῦ δόγματος δημηγορίαν· ᾔδησαν γὰρ ἀκριβῶς τὸν ἄξιον τοῦ πνεύματος ἐργάτην. Ὁ δὲ δι᾽ ὀλίγων τὰ πολλὰ ῥητορεύσας, καὶ διὰ φυσικῶν καὶ γραφικῶν καὶ δογματικῶν ἀποδείξεων τοὺς ἀλάζονας καὶ δυσφήμους Εἰκονομάχους ἐλέγξας τε καὶ ἐπιστομίσας, ἀπέδωκε τὸν κόσμον τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ὢ τοῦ θαύματος! τί τούτου μεγαλοπρεπέστερον; Ὅμως τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔνθα βούλεται πνεῖ, καὶ ὅσα βούλεται. Τούτων οὕτως τελεσθέντων, καὶ τῶν Πατέρων ἐν τοῖς ἑκάστου τόποις παλινοστησάντων, καταλαμβάνει πάλιν ὁ Μακάριος τὸ παρ᾽ αὐτοῦ νεουργηθὲν οὐρανομίμητον μοναστήριον. Ὥσπερ γὰρ ἐν οὐρανῷ ἥλιος σὺν ἄστροις δᾳδουχεῖ, τὴν σύμπασαν καταγλαΐζων τῷ φωτὶ τῆς ἐλλάμψεως· τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ἐξ αὐτοῦ ὁ Μακάριος, σὺν τοῖς κατ᾽ ἐκλογὴν τοῦ πνεύματος αὐτῷ μονασταῖς καὶ συνασκηταῖς, τὴν οἰκουμένην καταυγάζων, ταῖς μαρμαρυγαῖς τῆς ἰσαγγέλου πολιτείας ἐφαίδρυνεν.

Leo Armenus iterum ecclesiam turbat imagines evertendo:

15 Διέλαμπε τοίνυν ἡ τῆς ὀρθοδοξίας ἀκτὶς ἐν τοῖς πέρασι. Χρόνων δὲ ἱκανῶν διιππασάντων, ἀναφύεται κατὰ συγχώρησιν Θεοῦ ὁ ὁμώνυμος τοῦ προτέρου Λέων, ὃς εἰς παρευθὺς τῆς ἀναγορεύσεως αὐτοῦ τὰς τιμίας καθελὼν εἰκόνας, ἠμαύρωσε τὸ τῆς Ἐκκλησίας κάλλος, ἐλυμήνατο ὥς τις μονιὸς ἄγριος τὴν τῶν ὀρθοδόξων ὁμήγυριν, καὶ ἦν οἰκεῖον αὐτοῖς τὸ λέγειν, Ὁ Θεὸς ἤλθοσαν ἔθνη εἰς τὴν κληρονομίαν σου, καὶ τὰ ἑξῆς· τοὺς γὰρ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως προμάχους τε καὶ ὑπερμάχους Πατέρας πολλαῖς αἰκίαις καὶ θλίψεσι καθυποβαλὼν, κακιγκάκως ἀπώλεσεν· ἐν οἷς καὶ Θεόδωρον τὸν ὁσιώτατον Ἡγούμενον τοῦ Στουδίου, ἐλέγξαντα τὴν τούτου ματαιογνωμίαν, χρονικῶς αἰκισάμενος ἐξορίᾳ παρέπεμψε. Δολίᾳ δὲ γνώμῃ χρησάμενος, γράμμασι θωπευτικοῖς πρὸς τὸν Μακάριον Θεοφάνην, ἤτει συμφωνήσοντα τῇ τούτου κακονοίᾳ πρὸς αὐτὸν ἥκειν. Ὁ δὲ Μακάριος ἀντιγράφοις ἠμείψατο τοῖς δέ.

D EX MS. CARDIN. SFORTIAE

cuius litteris

generosè Theophanes respondens,

16 Ἐπίγνωθι, Βασιλεῦ, τόν σοι τὴν Βασιλείαν χαρισάμενον, δι᾽ οὗ Βασιλεῖς βασιλεύουσι καὶ τύραννοι κρατοῦσι γῆς, ὡς Θεὸς ὢν ἀπερίγραπτος, περίγραπτος τῇ καθ᾽ ἡμᾶς προσλήψει γενόμενος, ὅμοιος ἡμῖν κατὰ πάντα πλὴν ἁμαρτίας κεχρημάτικεν· ὅπως δὲ νεκροὺς ἀνέστησε, καὶ τυφλοὺς ὠμμάτωσε, καὶ λεπροὺς ἐκαθάρισε, καὶ τὰ ἄλλα καθεξῆς τῶν θαυμάτων αὐτοῦ· E ὅπως τε Ἰουδαϊκῇ παραφροσύνῃ πάθος ὑπέμεινεν ἑκὼν, καὶ τριήμερος ἀναστὰς, εἰς οὐρανοὺς ἀνελήλυθε, τῆς πρὸς τὸν Πατέρα συνεδρίας μηδέποτε χωρισθείς. Τῆς εὐαγγελικῆς βίβλου ἡμᾶς ἐκδιδασκούσης, ταύτην περιπτυσσόμεθα, δι᾽ αὐτῆς τῷ Χριστῷ τὴν τιμὴν ἀπονέμοντες· καὶ εἰ ταύτην περιπτυσσόμενοι οὐκ ἐγκαλούμεθα, ποία ἔγκλησις ἡμῖν τῆς αὐτῆς ἐξηγήσεως τὴν εἰκονικὴν ἀνατύπωσιν μὴ τιμᾶν καὶ ἀσπάζεσθαι, δι᾽ ἧς καὶ οἱ ἐκ βαρβάρων κατηχούμενοι ῥᾳδίως παιδεύονται τὴν ἀλήθειαν; Πόσοι τῶν μὴ εἰδότων γράμματα ὡς ἐν ὀφθαλμοῖς τὰ θαύματα βλέποντες, τὸν δι᾽ ἡμᾶς παθόντα δοξάζουσιν, ὧν τὴν σωτηρίαν ἐφθόνησας; Ποία τῶν συνόδων τοῦτο τὸ δύσφημον ἀνεφώνησεν ἀσέβημα; Οὐκ αὐτὸς ὁ Χριστὸς τὴν οἰκείαν ἀχειροποιήτως εἰκόνα Αὐγάρῳ πέπομφεν; Οὐ τῆς Θεοτόκου μορφῆς τὴν ἐκτύπωσιν ὁ Ἀπόστολος ἡμῖν Λουκᾶς ἱστορήσας παραδέδωκε; Τί δαὶ φήσεις ἐν ταῖς πατροπαραδότοις διδασκαλίαις; Καὶ γὰρ, φησὶ Βασίλειος ὁ τῶν ἀρρήτων μύστης, ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. F Φησὶ δὲ καὶ τὸ χρυσοῦν στόμα Ἰωάννης, Ἐγὼ καὶ τὴν κηρόχυτον γραφὴν ἠγάπησα. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἡ λύρα τοῦ πνεύματος Κύριλλος οὕτως φησὶν, Πολλάκις εἶδον ἐπιγραφῆς εἰκόνα τοῦ πάθους, καὶ οὐκ ἀδακρυτὶ τὴν θέαν παρῆλθον, καὶ τὰ ἑξῆς. Εἰ οὖν αἱ προλαβοῦσαι ἓξ ἅγιαι σύνοδοι προσκυνεῖσθαι τὰς ἁγίας εἰκόνας k ῥητικῶς οὐκ ἀπεκήρυξαν, σὺ σοφώτερος τούτων γίνῃ; Ἰδιὲν σοι, Βασιλεῦ, τὸ πρὸς ὑπεναντίους πολεμεῖν· τὸ δὲ τῆς Ἐκκλησίας δόγμα τοῖς Πατράσι μελλήσει.

ratione & auctoritate adstruit Imaginū usum:

ideò everso monasterio comprehensus.

17 Τούτων ἀντιγράφως τῷ Βασιλεῖ παρὰ τοῦ Μακαρίου σταλέντων, μὴ ἐνεγκὼν ὁ τύραννος τὴν τοσαύτην τοῦ ἀνδρὸς ἔνστασιν, ἀποστείλας τινὰ τῶν ἐν τέλει, τὴν μὲν μονὴν ἕως ἐδάφους πυρίκαυστον πεποίηκεν, τοὺς δὲ μοναχοὺς αἰκισάμενος διεσκόρπισε, τὸν δὲ Μακάριον δέσμιον συλλαβόμενος ἦγεν εἰς τὸ Βυζάντιον. Καὶ κελεύσαντος τοῦ τυράννου καθειρχθῆναι αὐτὸν ἐν σκοτεινῇ φυλακῇ, ἐπὶ πλείστας ἡμέρας διέτριβεν ἐξ ὑπονοίας τοιᾶσδε, ὡς ἂν τὸ εὔτονον αὐτοῦ χαυνωθὲν, εὐάλωτον ἔσται πρὸς συγκατάθεσιν. Τῇ οὖν προτεραίᾳ ἀγαγὼν ὁ Βασιλεὺς τὸν εἰρημένον Θεόδωρον τῆς Στουδίου ὅσιον Ἡγούμενον, καὶ ἐπὶ πλεί-

post exilio mulctatum S Theodorum.

EX MS. CARDIN. SFORTIÆ.

A στας ὥρας δείμασί τε καὶ κολάσεων ὑποθέσεσιν καταπλήξειν οἰόμενος, τοὐναντίον δὲ ἐλεγχθεὶς παρὰ τοῦ Ὁσίου, ὡς μηδὲ τῆς αὐτοῦ καρδίας ἐπισκοπῆς Θεοῦ αἰσθόμενος, αἰσχυνθεὶς ὁ τύραννος τὴν κατ' αὐτοῦ τῆς ἐξορίας ψῆφον ἀπεφήνατο.

sisti iubetur,

18 Τῇ δὲ ἐπαύριον προσέταξεν ὁ Βασιλεὺς ἀχθῆναι αὐτῷ καὶ τὸν μακάριον Θεοφάνην· κληθεὶς δὲ παρά τινων συμμυστῶν τοιῶσδε φησάντων, ὡς οὐ δεῖ τὸ σὸν κράτος ὑπό τινος τῶν ἀμνημονούντων ἀντιλέγεσθαι καὶ ἐλέγχεσθαι, καὶ μάλιστα αὐθαδεστέρου τυγχάνοντος παρὰ πάντας τοὺς πρώην τοῦ νῦν ἀχθησομένους, μήπως ὑβρισθῇ τὸ τὸν ἀήττητον κράτος ταῖς ἀντιρρητικαῖς αὐτοῦ αὐθαδείαις, καὶ αὐστηρότησι· τούτου ἕνεκεν

sed deinde accessu prohibitus & verberatus

πρὸς τὴν ὁρμὴν ἐπισχών, ἀποστέλλει ἕνα τῶν ἐν τέλει πρὸς τὸν Ἅγιον, προστάξας βουνεύροις τριακοσίοις τά τε στέρνα καὶ τὸν νῶτον καταξάναντα ἐᾶσαι πάλιν ἐν τῇ εἱρκτῇ. Τῇ δὲ ἐπαύριον ἡ αὐτὴ πάλιν κόλασις τῷ Μακαρίῳ γεγονυῖα, τὸ εὔτονον αὐτοῦ τῆς πρὸς Θεὸν οὐκ ἐχαύνωσεν ἐλπίδος. Ἀπειπὼν δὲ ἤδη πρὸς τὴν τοιαύτην ὁρμὴν ὁ πανώλης, ψήφισμα κατὰ τοῦ Μακαρίου

B ἐκπέμπει, ἐξορίᾳ αὐτὸν ἐν Σαμοθρᾴκῃ τῇ νήσῳ ἀποστεῖλαι, ἥτις ἐν τοῖς μέρεσι τοῦ τῆς Μαρωνείας πελάγους ἵδρυται, δεινὴ καὶ αὐχμώδης πᾶσι τοῖς πελάζειν βουλομένοις δεικνυμένη. Ἐν αὐτῇ δὲ λιμῷ καὶ δίψει καὶ

in exilio sanctè moritur.

καθείρξει πιεσθεὶς ὁ Μακάριος, καὶ ἐπί τινας διαβιοὺς χρόνους, τῶν τῇδε μεταχωρηκὼς πρὸς ἀμείνονα καὶ θειοτέραν εὔκλειαν μεταβέβηκε, τὸ πήλινον σῶμα σὺν τῇ ψυχῇ ἀλώβητον διαφυλάξας. Οὗ ταῖς μακαρίαις εὐχαῖς στηριχθείημεν, ὦ φιλακροάμονες, D Χριστῷ τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ ἡμῶν, ἅμα τῷ προανάρχῳ Πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ Πνεύματι, δόξαν καὶ εὐχαριστίαν ἀναπέμποντες, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς σύμπαντας καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

a *Ita nunc demum corrigendum censuimus, pro eo quod per oscitantiam librarij irrepserat ἀπήστραψαν: quod quia* coruscare *significat, alius sensus quærendus per coniecturam Interpreti fuit, cùm versio genuina esse posset,* si propalam pietatem fuissent auersati. *Sic etiam priori numero τὴν ἄκραν ταπείνωσιν* summam humilitatem, *diuisis perperam syllabis in ἄκραντα πείνωσιν deformans librarius, alterius minùs congruæ interpretationis necessitatem attulit, non audenti mendum eo loco suspicari.*

b *MS.* εὐθηνοῦσι *simili scriptoris incuriâ.*

c *Ibidem* ἐπιγείρομεν *quod minus aptum sensum facit, ab* ἐπεγείρω, *impello.*

d *MS.* τοῦ ὑπαρχόντος αὐτῷ: *sed correximus, ut sensus nunc sit* ad quidquid rogatus fuerit, id quod adest sibi, facillimè præbens.

e *Typographico mendo* filiorum *pro* figlinorum *irrepsit in Latina impressa.*

f *MS. hic & num. 12* Σταυρακίου.

g *Elegans unius litteræ immutatio, quâ impij illi non* Patriarchæ, *sed* Phatriarchæ *dicuntur, ut qui populo essent ruinæ occasio, siquidem* φάτρις *ruinam significat.*

h *Ignota nobis vox, nisi quatenus est* postremus, multus. *Si* E *ex sensu & eo quod sequitur facere coniecturam liceret, suspicaremur* ῥῆγος *vel* ῥηγεὸς *scribendum, ut sit* tinctus pannus *vel* tinctor: *nisi fortè sicut à* ῥέω, ῥῆτορ, ῥητὸς, *sic à* νέω, νήτωρ, νητὸς, textor textus *formauerint aliqui: ut sensus sit in eius delicato vestitu non gloriatum esse tinctorem textoremue, uti nec in eodem laborandum fulloni fuit.*

i *Ita S. Gregorius Papa II Ep. 1 ad Leonem Isauricum opponit inter se* λατρευτικῶς *&* σχετικῶς: *ut explicetur differentia eius cultus, quem imaginibus deferunt Christiani, ab eo quo idola adorabant gentiles, ipsismet diuinum aliquid inesse erroneè opinati.*

ΒΙΟΣ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ

ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΝΕΑΣ ΡΩΜΗΣ

συγγραφεὶς ὑπὸ Ἰγνατίου Διακόνου καὶ Σκευοφύλακος τῆς ἁγιωτάτης καὶ μεγάλης ἐκκλησίας τῆς ἁγίας Σοφίας.

Ex MSS. Vaticanis excepta à Leone Allatio.

CAP. I PROLOGUS

1 Εἰ μὲν, ὦ ἄνδρες, μὴ δακρύων πρὸς συντριμμὸν καρδίας ἐκάλει καιρὸς, καὶ λύπης ὠδὶς τὰ τῆς ψυχῆς κατέτρυχεν αἰσθητήρια· τάχα διὰ λείας ὁδοῦ καὶ κατὰ ῥοῦν ὁ λόγος

Luctus ex obitu tanti viri,

φερόμενος, τὸ ἑαυτοῦ καὶ εἰ κατόπιν τοῦ προκειμένου, ὅση δύναμις, ἀπεπλήρωσε πρόθυμον. Νυνὶ δὲ ὑπὸ τούτοις ἀπαραιτήτως τυραννούμενος πάθεσιν, οἷα ναρκήσας εἰς εὐφημίαν τὴν γλῶτταν καθεῖναι, τὴν μονῳδίαν προείλετο, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἐπαίνων ἀπαγορεύσας ἐπίδοσιν ὅλος τῆς κατηφείας ἐγένετο. Καὶ τίς ἄρα, ὦ φιλότης, ὑπέκρουσε; τίς ἡ τὴν κατήφειαν μαιευσαμένη ὑπόθεσις, καὶ τὸν σάλον καὶ σκότον τοῖς λογισμοῖς * ἐνεισπερίνασα πρόφασις; Θεοφόρου Πατρὸς,

** fortè* ἐνειλήσασα *innoluens*

ὦ τὰν ἀποδημία καὶ στέρησις, ἡ τοῦ παμφαοῦς καὶ φωσφόρου τῆς Ἐκκλησίας ἀπόσβεσις, ἡ τοῦ κήρυκος τῆς μόνης πρὸς Θεὸν λατρείας ἀπότευξις, ἡ τῆς μεγαλοφώνου πρὸς τὴν ἀληθῆ πίστιν διεγειρούσης σάλπιγγος σιγὴ, ἡ τοῦ πολυτίμου θησαυροῦ τῆς ἀΰλου διδασκαλίας ἀποκρυβὴ, ἡ τῶν ὑποπτέρων χειλέων πρὸς θήραν τῆς κωφώδους καὶ ἀνεμιαίας ἀπιστίας κατάπαυσις, ὁ τῆς νίκης ὄντως (εἰ καὶ τῷ θανάτῳ ἅτε ἄνθρωπος ἡττήθη)

Vigorem orationis impedit,

φερώνυμος· τοῦτο τὴν γλῶσσαν ναρκᾶν πρὸς εὐφημίαν ἠκόνησε, τοῦτο τῷ λόγῳ τὴν ἀφασίαν ἐκίνησε, τοῦτο πρὸς τὸ τῆς μονῳδίας ἀτόπημα τὸν λογισμὸν ἐξεκύλισε. Διὰ τοῦτο (εἰ μὴ τῶν ἀγνωμόνων * ἐδεδίειν τὸ ἔγκλημα, Πατρὸς ἀποιχομένου παῖδα σιγᾶν προαιρούμενον, καὶ παραπέμπειν οὕτω μέγα θαῦμα, μηδαμῶς τῷ μοδίῳ τῆς λήθης κρυβῆναι δυνάμενον) ἔπεισα ἂν ἐμαυτὸν τῷ τῆς ἀμαθίας νέφει ἐγκαλυπτόμενον, καὶ τῇ θυέλλῃ τῆς ἁμαρτίας, ὡς ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος λαὸς ἀνειργόμενον, μὴ προσβῆναι τῷ ὄρει τῶν ἀρετῶν τοῦ Ἀνδρὸς, μηδὲ θίγειν τι αὐτοῦ τῷ ἀναξίῳ τοῦ ἐγχειρήματος, θηριώδης τῇ τόλμῃ δεικνύμενος, καὶ λίθοις ἢ βολίσι καταλευσθησόμενος ἢ βαλλόμενος. Ὅμως δ' οὖν τὸ τῆς προαιρέσεως εὐτελὲς ἐνδεικνύμενος, καὶ τὴν καρδίαν ἐντὸς ὑπὸ τοῦ πόθου φλεγόμενος, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν φίλον ὂν Θεῷ παιδευόμενος, ἑαυτὸν, ὡς οἷόν τε, εἰς τὸν τῶν ἐγκωμίων βυθὸν τοῦ πανευφήμου καθῆκα Πατρός. Ἀλλά μοι εἴη, διὰ τῶν ὑμετέρων πρὸς τὸ κρεῖττον ἐντεύξεων.

** MS.* ἰδεδίειν

eam tamen virtutum illius exequor.

A ξεων, τὸν κεκρυμμένον ἐν αὐτῷ μαργαρίτην ἑλεῖν, καὶ ἀκινδύνως νοΐ ἀναπηδᾶσθαι καὶ πλοῦτον τοῖς ποθοῦσιν ἡμῖν ἀπεμπολῆσαι ἀκήρατον. Ἀδικοίην γὰρ ἑαυτὸν, εἰ παρ' αὐτοῦ τὴν ἀφορμὴν τοῦ λέγειν δρεψάμενος, μὴ τὴν ἐκ λόγων ἀντίδοσιν εἰσενέγκοιμι.

2 Δεῦρο δὴ οὖν τὸν θρῆνον ἀφέντες τῷ λόγῳ προσίωμεν, καὶ τὰ τῷ Θεοφόρῳ βεβιωμένα, ὥσπερ τινὰ κοινὸν ἀρετῆς πίνακα, τοῖς φιλοκάλοις προθήσωμεν. Πᾶσι γὰρ ἔσται πρὸς ἡδονῆς καὶ ὠφελείας, οἷς ἐν ἔρωτι τὸ ἀγαθὸν διεσπούδασται καὶ τὰ τῆς ἀκραιφνοῦς πίστεως στέργεται δόγματα, τὸ ἰσχυρὸν τῆς ἀληθείας κατάφανὲς προδεικνύντα, καὶ τὰ νεῦρα τῶν οὐκ ὀρθῶς πρὸς ταύτην ὁρώντων ἐκκόπτοντα. Περιέξει γὰρ καὶ a ἃ ἀμηγέπῃ μνησθήσεται, οὐ μόνον ὅσα ἐν ἤθεσι καὶ τρόποις αὐτῷ σεμνοτέροις κατώρθωται, ἀλλὰ καὶ ὅσα ὑπὲρ αὐτῆς ἀληθείας μέχρις αἵματος κατηγώνισται. Πάντας δὲ τοὺς τῆς ὀρθοδοξίας τροφίμους εἰς ἀκρόασιν ἔχειν ἐθέλω καὶ ἥδομαι οὓς ἡ Ἐκκλησία, τὴν ἑαυτῆς θηλὴν, τὴν διδασκαλίαν φημὶ τῶν κρειττόνων b γυμνώσασα, τῆς πνευματικῆς καὶ τελείας τροφῆς πρὸς διάκρισιν τοῦ καλοῦ τε καὶ χείρονος ἐνεφόρησεν. B Ἐκείνους δὲ διωθεῖται καὶ ἀποπέμπεται, ὅσοι δόξῃ μοχθηρᾷ προκατειλημμένοι, ἀπεναντίας τῷ Πατρὶ παρεφρόνησαν, ὥσπερ ἀμέλει τὸν θεμέλιον τῆς Ἐκκλησίας ἄλλως παρασαλεύειν πειρώμενοι, καὶ προφητικῶς εἰπεῖν, τὴν ἑαυτῶν ἐλπίδα τῷ ψεύδει πιστεύσαντες· οὐδὲ γὰρ περὶ αὐτὸν πονηρῶς διακείμενοι, καὶ πᾶν ὅ, τι οὖν κατ' αὐτοῦ δεινὸν μελετήσαντες, τοῖς εἰς αὐτὸν ἐπαίνοις ἡσθείησαν ἂν, ἢ συγκατάθοιντο πώποτε· Βδέλυγμα γὰρ ἁμαρτωλοῖς, ὡς Σολομῶντι καὶ τῇ ἀληθείᾳ δοκεῖ, θεοσέβεια. Ταῖς γὰρ ἄρκυσι τῶν ἀφύκτων λόγων αὐτοῦ ἀεὶ πιεζόμενοι, καὶ τῷ λαβυρίνθῳ τῶν ἐλέγχων ἀδιεξίτητα περιθέοντες, ὑπ' ἀπορίας ὠθούμενοι, πρὸς κακεργίας ἐτρέποντο, καὶ κυνῶν ἐνεῶν δίκην τοῦ Ἁγίου καθυλακτεῖν οὐχ ὑφίενται. Ἄπηκτον γὰρ καὶ ἀνένδοτον αἱρετικὴ μοχθηρία, κἂν μυριάκις τοῖς ἐλέγχοις κατὰ πόθη, τοσαυτάκις ἀναισχυντεῖ.

proponitur vita veris Catholicis,

non obduratis hæreticis.

3 Τοιγαροῦν τούτων ὁ λόγος ἐκκλίνων τὸ δύσαντες τῆς εὐθείας ἔχεται τρίβου, φέρων εἰς μέσον τὸν εὐφημούμενον. Τὸ μὲν δὴ γένος, καὶ περιφάνειαν βίου, πατρίδα τε καὶ περιουσίαν, καὶ οἷς, οἱ τῆς ἔξωθεν νό- c μοι πείθεσθαι τοὺς λόγους ὁρίζουσι, θαυμάζειν τε καὶ κα- C θιστορεῖν τοῦ μηδεμίαν περὶ ταῦτα σχολὴν ἔχειν θελήσαντος, μόνοις δὲ τοῖς τῆς εὐσεβείας σεμνολογήμασιν ἑαυτὸν, ὡς τὸ εἰκὸς, ὡραΐσαντος, οὐκ εὐαγὲς, οὐδὲ ὅσιον οἶμαι τοῖς ἀρετὴν ἐπαινεῖν ἡρημένοις ἐπιεικῶς καταφαίνεται. Σοφιστικῆς γὰρ ἐγχειρησίας κανόσιν οὐχ ἕπεται ὁ διὰ τῶν ἔργων κανὼν καὶ γνώμων τῶν ἀρετῶν γνωρισθεὶς ἀπαρέγκλιτος. Ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ τὸ εἰδέναι τοῦτο τῆς ἐπιγείου πατρίδος τὴν εὔκλειαν, τῶν τε φυσάντων τὴν κατὰ Θεὸν εὐδοκίμησιν, ὁδὸς εἰς θυμηδίαν καθέστηκε φέρουσα, καὶ τὸ τῆς ὑποθέσεως πρόσωπον τίθησι τηλαυγές, καθάπερ τις τῶν λυρικῶν διηγόρευσε· φέρε τῆς ἐκ τοῦ γένους τοῦ Ἀνδρὸς σκιαγραφίας, καὶ τῶν τῆς ὕλης τοῦ βίου προχαραγμάτων, ὅλον ὑμῖν τὸν ἀνδριάντα οὐράνιον καὶ πνευματικὸν διαγράψωμεν.

in eâ an de parentibus & de facultatibus sit agendum.

CAP. I

Natus Constantinopoli,

4 Τοῦτον μὲν οὖν ἡ πρώτη καὶ Βασιλὶς τῶν πόλεων πόλις ἠνέγκατο, ὑπὸ θεοσεβέσιν ὄντως γεννήτορσιν, ὡς ἵνα ζωτικὸν σπινθῆρα ἐξ αὐτῆς ἀναψάντων τὸν κόσμον πυρσεύοντα· καὶ τῆς ὅσον οὔπω διαρθρείσης αἱρετικῆς φλογὸς τὴν δυσσέβειαν σβέσοντα. Γεννήτορσιν, οἷς, καὶ ἡ κλῆσις τὸ φερωνύμοις εἶναι μαρτύρεται·

Θεοδώρῳ γὰρ Εὐδοκία πρὸς γαμικὴν συνάφειαν ὁμιλήσασα, τὸν ἀληθῶς εὐδόκιμον καὶ θεοδώρητον Νικηφόρον ἐβλάστησε, καὶ ὡς οὐράνιον τοῦτον φυτὸν διεδένδρωσεν· ὧν ὁ μὲν τοσοῦτον ἐν εὐσεβείᾳ τὸ ἐπίσημον ἔσχε καὶ γνώριμον, ὡς ὑπὲρ ἀληθείας ἑλέσθαι κινδύνους, καὶ ὑπερορίας, καὶ μάστιγας. Οἶμαι δὲ, προφητεία τις ἦν τῆς εἰς τὸν παῖδα μελλούσης ἐκβάσεως, καὶ οἷον προχαρακτὴρ καὶ εἰκόνισμα ἐφ' ὁμοίῳ μὲν, οὐ κατὰ ταὐτὸν δὲ, παῖδά τε καὶ γεννήτην διακινδυνεύειν φρονήματι. D

AVCTORE IGNATIO

parentibus piis, pro fide exilium & verbera passis.

5 Ἔλαχε γὰρ αὐτὸν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, Κωνσταντῖνος τῆς βασιλικῆς ἀρχῆς ἐπειλημμένος τοὺς οἴακας, τὴν τοῦ ὑπογραφέως ἀποπληροῦν χρείαν, καὶ τοῖς βασιλείοις μυστηρίοις ὑπηρετεῖσθαι, ὃς δὴ τῷ ἀκραιφνεστάτῳ φωτὶ τῆς περὶ Θεὸν ὀρθῆς ὁμολογίας καὶ πίστεως, ὡς ἄλλος Ἀβραὰμ ὁ Πατριάρχης, κοσμούμενος, πρὸς τὸν ταύτην τυραννοῦντα πικρῶς διαβάλλεται, ὡς Χριστὸν ἐν εἰκόνι καὶ τὴν αὐτοῦ Μητέρα τὴν ἄχραντον, καὶ πάντας τοὺς Ἁγίους σεβάζεται. Ὁ δὲ οἷα τῆς ἀληθείας ἐχθρὸς τῷ παραλόγῳ τῆς ἀκοῆς ἐξογκωθεὶς τὴν διάνοιαν παρέσεσθαι τοῦτον ὡς αὐτὸν [καλεῖ] καὶ περὶ τῶν ἠκουσμένων ὡς τάχιστα διευθύνεσθαι. E Ὃς καὶ παρῆν, ὡς εἰς εὐωχίαν οὐ δίκην καλούμενος, καὶ τὴν ἀκοὴν ἐδείκνυε ἐξ ἅπαντος ἀληθεύουσαν. Καὶ ἐπειδὴ Βασιλεῖ τὰ περὶ αὐτὸν κατάφωρα γέγονε, καὶ ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀνένδοτος ἔνστασις τὴν ἐκείνου ὑποσμύχουσα ἐξῆπτε κακόνοιαν, ἀπειλαῖς ἀδοκήτοις καὶ μάστιξιν ὡς κατάκριτος ὑπεβάλλετο· ὡς δὲ μὴ καταμαλακισθέντα ταῖς αἰκίαις ὁ δικάζων ὑπέβλεπε, καθῄρει τῆς περικειμένης χλαίνης καὶ ἀξίας, καὶ ὑπερορίᾳ ἐπιεικῶς χαλεπῇ κατεδίκαζεν.

Theodorus pater, Copronymi scriba,

ob venerationē imaginum,

verberatus

6 Καὶ εἶτα χρόνου τινὸς διαπεράσαντος ἐκ d Πημολίνης μεταστείλας ἄγει (τοῦτο γὰρ ἦν κατακριθεὶς πρὸς φυσαδείαν τὸ φρούριον) καὶ τῶν βασιλείων εἴσω γενέσθαι προσέταξε τεθαρρηκώς, ὡς ἐγῷμαι, τῇ τῆς κακώσεως αὐστηρίᾳ μεταμαθεῖν, ὡς ἐκεῖνος τὸ ἀγαθὸν ὑπεσπάζεν. Ἐνέτυχε δὲ ὄντως ἀδάμαντος πρὸς ἀντιτυπίαν στερρότερον, καὶ τῶν ἀπειλῶν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ θράσους ἀνώτερον, καὶ πρὸς ἑτέρας, εἰ τύχοι, δεινοτέρας ἐπινοίας ἑτοιμότερον. Ταῦτα γὰρ προτροπάδην ἐδίωκεν, καὶ διὰ τῶν στιγμάτων Χριστοῦ ἑαυτὸν καλ- F λωπίζειν ἐβούλετο, ἢ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς θεσμοθεσίας διαμαρτήσεσθαι, τὸν Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν Ἀποστολικῷ καὶ Πατρικῷ ἔθει κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ἀναστηλοῦσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι δικαιώσαντος, εὐκαιρότατα. Ὡς δὲ στόματι τὴν σωτηρίαν ὁ Ἅγιος ὡμολόγησε, καὶ εἰς ἀντίπαλον μοῖραν ἑαυτὸν τοῦ τυραννοῦντος ἀπέκρινε· πρὸς ἑτέρας ἐκίνει τοῦτον βασάνων ἰδέας, ὧν τὴν πληγὴν ὑποστὰς ὡς μάλιστα καρτερώτατα, κατὰ τὴν Βιθυνίδα ὑπ' αὐτοῦ ἐξοστρακίζεται Νίκαιαν, ἐν ᾗ τὸ τοῦ βίου ἐπίλοιπον θεοσεβῶς ἐμπολιτευσάμενος, καὶ πᾶσι τύπον δοὺς τῆς περὶ τὴν ἀληθῆ πίστιν ἐνστάσεως, πρὸς τὴν ἐκεῖσε λῆξιν καὶ μακαρίαν μετετάξατο βίωσιν, τὰ γέρα τῶν πονηθέντων ἐν τῇ τῶν βεβιωμένων διαγνώσει ληψόμενος.

d in exilium mittitur:

revocatus;

in fide constans,

variè tortus,

iterum in exilium missus Nicæam, vita functus est;

7 Ἡ δὲ νόμῳ θείῳ τούτῳ προσομιλήσασα σύνευνος, ἅτε φιλόθεος ἀποδειχθεῖσα καὶ φίλανδρος, ἐν πᾶσι τῷ συζύγῳ συνείπετο, ἐν κινδύνοις, ἐν ὑπερορίαις, ἐν θλίψεσιν, ἐν τοῖς τῆς δικαιοσύνης, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον, δεξιοῖς καὶ ἀριστεροῖς, λυπηροῖς τε, φημὶ, καὶ τοῖς ἡδύσιν. Ξυνωρὶς γὰρ ὄντες πρὸς τὰ κρείττω ἑαυτοὺς παραθήγοντες, οὐχ ἧττον τῷ πνεύματι συνεκράθησαν, ἢ τὰ σώματα. Αὕτη μετὰ τὴν τοῦ συνοίκου μα-

mater ubique mariti socia,

A AVCTORE IGNATIO viduâ vidit S. Nicephorum, Imperatoribus factum à Secretis, c & Patriarcham;

μακαρίαν πλείωσιν ἐφ᾽ ἱκανὸν χρόνον τῷ παιδὶ συμβιώσασα, ἄρτι τότε τῆς ἐγκυκλίου παιδείας ἐφαπτομένῳ, καὶ τὴν διὰ χειρῶν καὶ μέλανος τέχνην πονουμένῳ. Ἡρέθη γὰρ ὑπογραφεὺς τοῖς τῶν Κρατούντων μυστηρίοις ὑπηρετούμενος, οὕτω γὰρ παρὰ τῇ Αὐσονίδι διαλέκτῳ τὸ e Ἀσηκρῆτις ὄνομα, ὃ ἐπὶ τῶν μυστηρίων μεθερμηνεύεσθαι βούλεται. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν τῇ τῆς ἀρχιερωσύνης λυχνίᾳ τὸν ἑαυτῆς δᾳδοῦχον φωστῆρα ἐπιτεθέντα, καὶ φῶς ταῖς τρίβοις ἡμῶν ἀειφανὲς ἀναλάμψαντα τεθέασαι, καὶ τῆς γονεῦσιν ὀφειλομένης παρ᾽ αὐτοῦ μετὰ Θεὸν τιμῆς ἕως γήρως καὶ πρεσβείου, ὡς τὸ εἰκὸς, ἐναπέλαυσεν. Ἥτις τὸ μὴ βέβαιον τοῦ βίου ὡς ἀραχνίων νημάτων ἡγησαμένη μηρύματα, ἐπὶ τὸ τῆς ἀσκητικῆς παλαίστρας ἑαυτὴν ἐκδέδωκε στάδιον, καὶ κατὰ τοῦ ἀνταγωνιστοῦ κονισαμένη, καὶ τοῦτον ἡττήσασα, καὶ τοῦ ἐπαγγέλματος τὸν δρόμον ἀξίως τελέσασα, τὸν τῆς ἀθανασίας διὰ θανάτου ἀνεδήσατο στέφανον· ἐκεῖ μετὰ τῶν ἐν τῷ νυμφῶνι Παρθένων χορεύουσα, καὶ τὴν ἑαυτῆς λαμπάδα τηροῦσα τῷ ἐλαίῳ τῆς εὐποιΐας ἀκοίμητον.

monasticã vitam amplexa sanctè moritur.

B Ὦ παιδὸς τοιαύτης πατέρων εὐτυχήσαντος εὐσεβοῦς ἀναρρήσεως! ὢ πατέρων τοσούτου παιδὸς εὐμοιρησάντων εἰς ἀρετὴν ἐπιδόσεως!

8 Ἀλλ᾽ ὡς περὶ μὲν τῶν φυσάντων [ὁ λόγος] κατὰ πολὺ τῆς ἐκείνων ἀξίας ἡττώμενος ἐνταῦθα μενέτω· Αὐτὸς δ᾽ ὅπως ἐπὶ τῷ τῆς ἀρετῆς θεμελίῳ ἑαυτὸν ἐπῳκοδόμησε, καὶ ἀναβάσεις ἐν τῇ καρδίᾳ, προφητικῶς εἰπεῖν, διέθετο, ὑπολείπεται λέγειν, εἰ καὶ ὁ λόγος ἰλιγγιᾷ τὸ παρ᾽ ἀξίαν εἰπεῖν ὑφορώμενος καὶ τὸ κατ᾽ ἀξίαν ὅγε δίκαιος ἀκροατὴς ἀπαιτεῖν οὐ βουλόμενος. Οὐκοῦν διὰ μικρᾶς τινος καὶ λεπτῆς ὁδοῦ τὸ τῆς ἀπορίας δαψιλὲς ἐπαγόμενος, πειράσομαι πρὸς ἔνια τῶν αὐτῷ κατορθωμένων διαβλέψαι, καὶ ἐκ μέρους ὅλον ὑμῖν γνωρίσαι, ὡς ἐξ ὀνύχων τὸν λέοντα.

S. Nicephorus hoc exemplo prouocatus,

9 Εἶχε μὲν οὖν αὐτὸν Βασιλεύς τε καὶ ἡ τῶν Βασιλείων Αὐλὴ, οἷά τινα θείαν περιστολὴν καὶ κλέος, λόγον ἐπίσημον, ἢ τὸν f Παιανιέα ῥήτορα Φίλιππος. Οὐ γὰρ στωμύλος τις ἦν τὸν θῶπα λόγον ὑποκρινόμενος ὡς ἂν τὰ πρὸς χάριν λέγων θηρῷτο τὸν ἔπαινον· λόγῳ δὲ κατὰ λόγον κινουμένῳ τὸν λόγον προὐβάλλετο, οὐκ ἐν κουφείᾳ λέξεων τὸν ἀκροατὴν ἐφηδύνοντα, τῷ ἀφελεῖ δὲ καὶ ἀνειμένῳ ἐπινοοῦντα τρανῶς τὴν ὠφέλειαν. Οὗτος ἐπειδὴ τὸ μέρος τῶν περὶ τὴν ὑγιᾶ πίστιν ναυαγίῳ περιπεσόντων ἐκ τῶν κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ τὰ τῆς Ῥωμαϊκῆς Ἀρχῆς οἰακιζόντων βασίλεια, ὅσον ἐφ᾽ ἑαυτῷ τὴν

vir in aulâ eloquens &

f

prudenter sanam doctrinam inculcat,

C ζάλην ἔστησε. Τὴν γὰρ ἀνέκαθεν ἐξ Ἀποστολικῆς καὶ Πατρικῆς θεσμοθεσίας τῇ ἀμωμήτῳ Ἐκκλησίᾳ παράδοσιν, φημὶ δὴ τῶν ἱερῶν εἰκόνων τύπωσιν καὶ προσκύνησιν, περιελεῖν βρενθυόμενοι, καὶ ὥσπερ ἀμέλει δεδοικότες βλέπειν Χριστὸν σωματικοῖς χαρακτηρίζεσθαι ἰδιώμασι, συῶν δίκην ὁμόσε κατὰ τῆς αὐτῆς εὐπρεπείας ἐχώρησαν. Πᾶσαν θεανδρικὴν ἀναστήλωσιν τοῦ τὰς ἀσθενείας ἡμῶν διὰ σαρκὸς ἀνατλάντος Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, τῆς τε παναμώμου αὐτοῦ Μητρὸς, καὶ τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος αὐτῷ εὐαρεστησάντων Ἁγίων σωματικὰ ἀπομνημάτα χράναντες τοπικὴν, Ἐπισκόπων ἀποσπάδα, πλῆθος φάναι, Φαρισαϊκὸν συνέδριον ἐν τῇ τῶν πόλεων Βασιλίδι συλλέξαι ᾠήθησαν. Ἐκεῖνο γὰρ κατὰ Χριστοῦ μανὲν θεοκτονίας ἠνέγκατο ἔγκλημα· οὗτοι δὲ κατὰ τοῦ σωματικοῦ χαρακτῆρος αὐτοῦ ὀφθαλμῷ διαστρόφῳ προσβλέψαντες χριστομαχίας ἀξίωμα προσεκτήσαντο. Μηδὲν ἐξ ἀκολούθου τοῦ τῆς θείας γραφῆς προγράμματος συνειληφότες δικαίωμα, Πατρικῶν δὲ λογίων τῶν κατὰ τῶν εἰδώλων ἀγορευόντων

contrà conciliabulum sub Copronymo antè coactum.

D ἀποκνίσαντες ἀνοήτως ῥησείδια, καὶ τὸ ζητούμενον αὐτοῖς ὑποβλέψαντες ὁρισμῷ ἁπλεῖ· καὶ τὰ τῶν Πατέρων γραφικῶς μεταίροντες ὅρια, τὸ ἑαυτῶν βδελυρίας τὸ φρόνημα διεχάραξαν.

10 Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἡ τῆς ἄνω ῥοπῆς μισοπόνηρος δίκη τοὺς κατὰ τῆς Ἐκκλησίας λυττήσαντας, μᾶλλον δὲ κατὰ τῆς σεπτῆς ὁμολογίας ἡμῶν πονηρίαν καττύσαντας, καὶ τοῦ βίου πέπαυκε καὶ τῆς ἀξίας· αἱ ἡ τῆς εἰρήνης ἐπώνυμος ἅμα τῷ υἱεῖ Κωνσταντίνῳ, ἅτε κλῆρον πατρῷον, τὸ τῆς Βασιλείας ἐκ Θεοῦ σκῆπτρον κομίζεται· Εἰρήνη, τὸ κραταιόφρον ἐκεῖνο καὶ φιλόθεον γύναιον· εἴπερ γυναῖκα θέμις καλεῖν, τὴν καὶ ἀνδρῶν τῷ εὐσεβεῖ διενεγκοῦσαν φρονήματι, δι᾽ ἧς Θεὸς τὴν τότε τῇ Ἐκκλησίᾳ παρεισερπύσασαν ὄφεως δίκην σκολιωτάτην διχόνοιαν, πρὸς ὀρθοτομίαν οἴκτῳ φιλανθρωπίας συνήλασεν. Αὕτη τοιγαροῦν ὁμήγυριν ἱερῶν ἀνδρῶν ἐκ τῶν τῆς οἰκουμένης περάτων συναγηγέρθαι ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν τῆς Βιθυνίας Μητροπόλει, ἐπ᾽ ἀναιρέσει τῆς λοιμώδους ταύτης νόσου θεσπίσασα, Θεοῦ λοιπὸν ἐπαμύνοντος, ἐτέλει τὸ βούλημα. Ἧς ἡγεῖτο μὲν Ταράσιος ὁ τῆς Βασιλίδος ἱερώτατος Πρόεδρος, Ἀδριανοῦ τε τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ Πολιτιανοῦ τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας, Θεοδωρήτου Ἀντιοχείας, καὶ Ἡλιᾶ τοῦ τῆς Αἰλίας ὑπῆρχον Τοποτηρηταὶ ὁσιώτατοι. Τούτοις δὴ τοῖς προκρίτοις ἐξάρχουσι καὶ Νικηφόρος ὑπὲρ πολλοὺς συνηλικιώτας συνοδοιπορεῖν προτετίμητο, τὸ κατὰ τὴν ἱερὰν ἐκείνην Σύνοδον ἐγχειρισθεὶς βασιλικὸν ἐπιφώνημα, δι᾽ οὗ τὸ εἰλικρινὲς τῆς πίστεως πᾶσιν ἐπικηρυκευσάμενος, καὶ ὡς ἐξ ἀπόπτου περιωπῆς τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων ἐπιβοήσας καὶ τρανώσας ἀρχαϊκὴν ἱερογραφίαν τε καὶ προσκύνησιν, συγκάθεδρος τῷ ἱερῷ συλλόγῳ καὶ περὶ τῆς ἱερᾶς ἀμπεχόνης γεγένηται. Οὗτος ὁ περὶ τὴν εἰς Θεὸν εὐσέβειαν ἀγὼν τῷ Μακαρίῳ διήνυσται· τοῦτο πρῶτον ἆθλον καὶ στέφος αὐτῷ ἀναφαίρετον, πολλῷ τῶν ἐξ ἐρίου καὶ κοτίνου καὶ σελίνου, καὶ οἷς γεραίρειν οἱ Παλαιοὶ τοὺς ἐκπαλαίοντας ᾤοντο, τιμαλφέστερον.

Sub Constantino & Irene Imp.

concilio œcumenico Nicæno 2. E

adest Acclamationẽ regia præco ac promulgator:

11 Καὶ ἐπεὶ δὲ τὸ Πατρικὸν ἐκεῖνο καὶ θεόλεκτον σύστημα, ταῖς τοῦ θείου πνεύματος ἐμπνευσθὲν αὔραις, ἐπὶ λιμένα ὀρθοδοξίας τὸ τῆς ὁμολογίας διεσώσατο σκάφος, καὶ ὁ τῆς Ἐκκλησίας αὖθις ταῖς ἱεροτυπίαις χιτὼν ἐποικίλλετο, καὶ ἡ τῆς αἱρέσεως ὠδὶς νεκρὰν ἐξέρρηξε τὴν ἀπότεξιν, τότε δὴ καὶ ὁ μέγας Νικηφόρος, τὰ νίκης ἐπιφερόμενος σήμαντρα, κατὰ τῶν τῆς πίστεως ἀντιπάλων τορόν τι καὶ ἐνυάλιον ἀνεκρούετο μέλος, Χριστὸν εἶναι πιστούμενος ἀπερίγραπτον μὲν κατὰ τὸ τῆς F θεότητος ἁπλοῦν καὶ ἀνέπαφον, περιγραπτὸν δὲ καὶ γραπτὸν κατὰ τὸ τῆς ἀνθρωπότητος ἁπλόν τε καὶ σύνθετον, οἷς τὸ εἰκονίζεσθαι ἀραρότως ἐπακολουθήσοι, ὡς ἂν τῆς φαντασιώδους τῶν τοῦ Μάνεντος πρεσβευόντων ἀποπηδήσαιμεν ὀνειρώξεως. Ταῦτα λέγων καὶ οὕτω φρονῶν διετέλει, ἐν τῇ μυστικῇ τῶν Κρατούντων, ὡς εἴρηται, ὑπηρεσίᾳ στρεφόμενος, καὶ τοῖς δημοσίοις ἐπιζυγούμενος πράγμασιν.

rectæ fidei defensor epinicium canit.

12 Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ μυστικωτέραν τὴν ἑαυτῷ προσέχειν καὶ μόνῳ Θεῷ προσανέχειν κελεύουσαν ἐντολὴν ἐξηπίστατο (οὕτω γὰρ τῶν ὑλικῶν ἐστι χωρίζεσθαι καὶ πρὸς Θεὸν ἤδη φέρεσθαι) ἐπὶ τὸ τῆς ἐρωμένης ἡσυχίας μονότροπον ὑποκλέπτειν ἑαυτὸν διεσπούδαζεν, ἀντιβολῶν καὶ πάντα τρόπον ἱκεσίας ἐπινοῶν, ὡς ἂν τοὺς πρὸς τὴν περιφορὰν τοῦ βίου ἀνθέλκοντας πείσοι ἀνεῖναι τοῦ βουλήματος ἔχεσθαι. Καὶ μέν τοι καὶ ἔπεισεν, καὶ ὅσον οὐκ ἀποτετέλεστο τῶν βεβουλημένων ἀπώνατο. Ὅθεν τῆς ὀχληρᾶς ἀγορᾶς καὶ τῶν ἐν μέσῳ στροβούντων θορύβων μα-

monasticã ambit;

κρὰ

A καὶ φροντίσας, τήν τε τοῦ ἀξιώματος δόξαν ἐρίῳ στέψας καὶ χαίρειν πᾶσιν ὑπειπὼν, ὅσα πρὸς βλακείαν καὶ θρύψιν ἐκκαλεῖται καὶ σωματικὴν ἡδυπάθειαν, ἐπί τινα λοφίαν ἀντικρὺ τοῦ Θρακικοῦ Βοσπόρου μεταναστεύει, οὐδὲν πλέον τῆς Ἠλιοῦ μηλωτῆς, τῆς ἀκτησίας, φημὶ, πρὸς τὸν ὅμοιον ἐπιφερόμενος Κάρμηλον· ἀκτησίαν, τὴν ὄντως τὸ πρῶτον τεκταινομένην εἰς ἀρετὴν καταγώγιον, ἣν ὁ κτησάμενος ἀφθαρτίζεται, καὶ τὴν τῶν Ἀγγέλων ἀσπάζεται δίαιταν. Ταύτην οὖν συνέμπορον ὁ μεγαλέμπορος οὗτος κτησάμενος καὶ στέργων ἐκ πολλῶν [πλέον ἢ] τῶν ἐκ Σουφὰρ λίθων καὶ Σηρῶν νημάτων ἔπεροι, ἐπὶ τὸν, ὡς εἴρηται, νέον Κάρμηλον ἵετο. Τραχύτητι μὲν καὶ δυσχωρίᾳ τὸ ἀκαλλὲς ἐνδεικνύμενον, τῷ ἀνάντει δὲ τῆς ἀκρωρείας πολλὴν πρὸς καρπογονίαν ὑποφαίνοντα στείρωσιν, πολὺ διψιόν τε καὶ ἄπηγκτον καὶ εἰ μὴ φορητὸν, αὐτῆς τῆς ἐκ νεφῶν ἐπιρροῆς διὰ τὸ πρανὲς στερισκόμενον.

& in secessu paupertatẽ amat.

eligens locũ terribilem ac incultũ,

13 Καὶ τί δεῖ τὸ ἀντιτυπὲς τοῦ χώρου καὶ πρὸς
B θέσεως δυσμοιρίαν ἀσύμφορον ἐπιπολὺ τῷ λόγῳ ἐνδαψιλεύεσθαι, ἐνὸν ἐκεῖσε γενόμενον τὸν βουλόμενον περὶ τοῦ λόγου τὰ τοῦ τόπου γνωρίσαι, καὶ τεκμήρασθαι οἷος ἦν καὶ οἷος ἐκ τούτου γεγένηται. Ὡς γὰρ διεφθορὸν καὶ ῥακῶδες ἱμάτιον ἀπεκδησάμενος τὸ ἀγροικικὸν καὶ ἀνήμερον, καὶ τὸ γόνιμον χρηματίσαι τὸ ἄκαρπον διωσάμενος τότε διψαλέον τῇ ἄνωθεν ἐπομβρίᾳ, διὰ στεράγγων ὑποτρεχόντων δεξαμενὰς ἐκ δεξαμενῶν ἀλλήλοιν δαψιλείᾳ πιαινόμενος, τῆς Ἀλκινόου αὐλῆς καὶ τῆς χρυσῆς Ξέρξου πλατάνου τὸ τερπνὸν ὑπερήλατο, ὁπόσον μυθικῶν πλασμάτων σεμνότερόν ἐστιν ἀλήθεια. Σηκοῖς τε Μαρτύρων καθαγιασθεὶς, τοῖς τούτων ἱεροῖς ἐντελῶς διαποικιλθεῖσιν ἀθλήμασιν τὸν τοῦ Θεοῦ, κατὰ τὸ λόγιον, ἐκμιμεῖται παράδεισον. Τὸ γὰρ τῆς διαίτης διαρκὲς καὶ πρὸς οἴκησιν ἀμφιδέξιον, τίς οὐκ ἂν καὶ περὶ τῆς πεῖρας ἀγάσαιτο; Τοιγαροῦν σεμνεῖον ἱερῶν ἀνδρῶν τὸν χῶρον διώρισε, πρὸς ἄληκτον ὑμνολογίαν τοῦ Κρείττονος, μεθ' ὧν καὶ αὐτὸς ἀδιαστάτως νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν ταῖς εὐκτικαῖς ἱερολογίαις ἐγκαρτερῶν, καὶ τῷ ἀρίστῳ μέτρῳ τῆς ἐγκρατείας καπνευφῶν, τῇ ἀναγνώσει τῶν θείων προσεῖχε καὶ τοῖς μαθήμασι. Τράπεζαν μὲν Συρακουσίαν καὶ μέχρις αὐτῆς ἀκοῆς εἰσδέξασθαι παραιτούμενος, τῇ δὲ συγκρατούσῃ πρὸς ζωὴν αὐταρκείᾳ τρεφόμενος.

eum in fertilem commutat,

& virorum illic monasterium cõstituit:

C 14 Ἀλλ' ἐπειδὴ μαθημάτων ἐμνήσθην, οὐκ ἄχαρι οὔτε μὴν παρέλκον ἡγοῦμαι καὶ τῆς περὶ ταῦτα τοῦ ἀνδρὸς ἐπιμνησθῆναι ἀκριβείας τε καὶ ἀκρότητος. Πρὸς γὰρ τῇ τῶν θείων λογίων μελέτῃ καὶ τὴν τῆς θύραθεν [παιδείας] εἰσεποιήσατο μέθεξιν· τῇ μὲν τὸ ἐν διδαχαῖς καταπλουτίσαι θέλων πειθήνιον, τῇ δὲ τὸ τῆς πλάνης διελέγχειν ἀπείθανον. Ὡς γὰρ ἀρετὴ νόμου, δικαίου τε καὶ ἀδίκου κατάληψιν ἐπαγγέλλεται, ἵνα τὴν ἀξίαν ἀντίδοσιν τοῖς ἐπαίουσιν ὁπότερον ταλαντεύσειεν, οὕτω καὶ τὸ τῆς παιδεύσεως ἐντελὲς, ἑκατέρας πρὸς διδασκαλίαν προσήκει φέρειν τὴν εἴδησιν. Οὐχ ὅτι παράλληλα τίθεμεν ἄμφω, μὴ γένοιτο· οὐ γὰρ ἐφάμιλλος δεσποίνῃ θεράπαινα, οὐδὲ μὴ κληρονομήσει ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας, ἵνα καὶ τῶν πρὸς Ἀβραὰμ λεχθέντων μνησθῶ. Ὅσος γὰρ περί τε Γραμματικὴν ἦν, καὶ τὰ μέρη ταύτης καὶ ὄργανα, ὑφ' ὧν τὸ τῆς συγγραφῆς ὀρθὸν καὶ μὴ διακρίνεται, καὶ ἡ Ἑλληνὶς γλῶσσα εὐθύνεται, καὶ ἡ τῶν μέτρων βάσις ῥυθμίζεται, καὶ αὐτοῖς γοῦν τοῖς καὶ μετρίως τῆς τέχνης ἐπισταμένοις καθέστηκε γνώριμον. Ὅσος τε περὶ τὴν τῶν Ῥητόρων ἔφαινε πολύφθογγον φόρμιγγα ἡδυεπὴς καὶ μειλίχιος, οὐ χαλε-

utriusque litteraturæ studia amplectitur:

Psal. 4. 30

accuratus Grammaticus ac Poeta,

eloquens Rhetor,

πὸν συνιδεῖν· τὸ γὰρ κατεγλωττισμένον ταύτης καὶ καλὸν, καὶ ὅσον σοφιστικὴν ἀποσεύει εἰκαιομυθίαν τε καὶ φληναφίαν παρωσάμενος, δι' εὐκρινείας τε καὶ καθαρότητος, τὸ τῆς συνθήκης ἡδὺ καὶ χαρίεν ἐπετήδευεν. D

AVCTORE IGNATIO

15 Περί τε τὴν τῆς Μαθηματικῆς τετρακτύος ἀνάληψιν, ἥτις ἐκ πεπερασμένων συνεχῶν καὶ πεπερασμένων διωρισμένων τὴν σύστασιν εἴληφεν (ἢ γὰρ κινεῖται καὶ ποιεῖ τὴν Ἀστρονομίαν· ἢ ἀκίνητός ἐστι, καὶ ποιεῖ τὴν Γεωμετρίαν· ἢ πάλιν ἐν σχέσει τυγχάνει, καὶ ποιεῖ τὴν Μουσικήν· ἢ ἄσχετός ἐστι, καὶ ποιεῖ τὴν Ἀριθμητικήν) ἐπὶ τοσοῦτον οὗτος δι' ἐπιμελείας ἀφίκετο, ὡς ἀντὶ πάντων ἓν, καὶ ἀντὶ ἑνὸς ἅπαντα ἐξασκήσας, ἐν πᾶσι τὸ πρωτεῖον περιποιεῖσθαι. Μουσικὴν δὲ ἡρμόσατο λύραν οὐχ οἵαν Πυθαγόρας ὁ Σάμιος, οὐχ οἵαν ὁ ἀπατηλὸς Ἀριστόξενος, μᾶλλον δὲ τὴν ἑκατὸν καὶ πεντηκοντάχορδον· καὶ ταύτην κρούων ἀεὶ, τῶν ὑπηκόων ποτὲ Σαοὺλ τὴν νόσον ἀπήλασε, καὶ τὸν ὠμότατον τύραννον, τῷ τῆς κακοδοξίας καταγχόμενον πνεύματι καὶ ἀμεταμελήτως κατὰ τῆς Χριστοῦ οἰκονομίας ἐμπαροινήσαντα, οἰκειώσατο μὲν, τῆς δὲ τούτου λύμης τὸ ποίμνιον διεσώσατο. E

subtilis mathematicus,

Musicus,

16 Ταύταις ταῖς τέσσαρσι θεραπαινίσι τῆς ὄντως ἐπιστήμης προσομιλήσας σαφέστατα, ἐπὶ τὴν τούτων δέσποιναν, τὴν Φιλοσοφίαν φημὶ, καὶ τὰ ταύτης ἐξ ἑτοίμου ἐβάδισεν ἀπλανῶς θεωρήματα. Τίνες γὰρ ὅροι ταύτης καὶ πόσοι ἐπιεικῶς ἠκριβώσατο, καὶ τίς ἰδιότης αὐτοῦ ποῖος ὑπόκειται, καὶ τί τὸ κατηγορούμενον, καὶ τοῦτο ἄρα κατὰ παντὸς, ἢ οὐδενὸς, ἢ ἐν ὅλῳ, καὶ τὰ ὅμοια. Τί ποτε δὲ τὰ στοιχεῖα θέλει δηλοῦν παρ' αὐτοῖς, καὶ εἰ τῶν φυσικῶν γεωμετρικῶν ταῦτα μόνον ὁμώνυμα· προτάσεις δὲ πόσαι, καὶ πῶς ἀντιστρέφουσι· τίς ἀντιφάσεως δύναμις· τὰ πρὸς κατηγορούμενα δὲ ποῖα· προσδιορισμοὶ δὲ τίνες, καὶ τίσιν ἀναλογεῖ τὸ κατ' ἐκείνους ἀόριστον. τρόποι δὲ πόσοι τῶν συλλογισμῶν· ὁποῖα καὶ πόσα τὰ σχήματα· ποῖος ὑποθετικὸς, ποῖος δὲ κατηγορικὸς, καὶ τί διαφέρουσι· καὶ εἰ πάντως ἡ εἰς ἀδύνατον ἀπαγωγὴ βέβαιοι· ὅπως δὲ καὶ ποσάκις ταῦτα κεράννυται, πῶς συμπεραίνεται καὶ ἀναλύεται· τίς παραλογισμοῦ σύνθεσις, τίς σοφιστικὸς, καὶ πῶς ψευδής τε ἅμα καὶ πιθανὸς· καὶ οἷος ὁ μονολήμματος· ὁ λεκτικὸς δὲ ὅπως ἐνδεχόμενος συνάγει τὰ ἔνδοξα, καὶ τίς ἡ τούτων ἐπαγωγή· ποίαν ἀνάγκην ἔχει ὁ ἀποδεικτικὸς, ἐκ τῶν χειρόνων θηρεύειν ἀλήθειαν· τὰ προβλήματα δὲ τούτων ὁποῖα, τὰ ἀξιώματα, τὰ ὡς ἐν ἀξιώμασιν· ὕλην δὲ τίνα λαμβάνουσι, μίξεις τε καὶ συμπλοκάς· τίνες τε πρῶται τῶν φυσικῶν ἀρχαὶ καὶ πῶς ἀναπόδεικτοι· τίς ἡ στάσις, ἡ ταυτότης δὲ ποσαχῶς, ἑτερότης δὲ ποῦ, καὶ πρός τι καὶ πῶς, καὶ πότε. συνεχὴς δὲ ἄρα τῶν ἀρχῶν ἡ πρόοδος, καὶ πρὸς τὸ συνεχὲς οὐχ ὁρίζεται· τίς ὁ κινήσας, ποῖον ὀργανικὸν, τί τὸ γόνιμον τὸ προοδεῦσαν, καὶ ποῖον ἐκπυρηνισθὲν, καὶ διὰ τίνος, καὶ περὶ τί συννεύει κατὰ αἵρεσιν, κατὰ βίαν δὲ ἄρα· τί τὸ συγκρατοῦν τὰς ποιότητας· ἐκ ποίας δὲ ταῦτα φασὶν ἐκεῖνοι στερήσεως, καὶ ἡ ἐκ τοῦ μηδαμῇ μηδαμῶς· καὶ ὅπως εἰς γένεσιν καὶ οὐσίωσιν ἐξ ἐναντίων ἐλαύνεται, ὅπως δὲ πάλιν τοῖς ἐναντίοις ἀφανίζεται καὶ συμφθείρεται. F

summus Philosophus,

17 Ταῦτα καὶ τοιαῦτα προσοχῇ νοὸς καὶ νήψει τελείᾳ κατὰ τὸ δυνατὸν ἐξετάσας, καὶ τῆς τούτων ὠφελείας ἄκρῳ δακτύλῳ γευσάμενος ἐφιλοσόφει, σιγήν τε πολυύμνητον, καὶ πρὸς οὐρανὸν ὑψοῦσαν ταπείνωσιν ἐπεδείκνυτο. Τελεία γὰρ γνῶσις ἀνδρὸς, τὸ τὴν τελείαν κατάληψιν εὐχαρίστως ἀποδιδόναι τῷ Κρείττονι, καὶ γινώσκειν, ὅτι τὰ μὴ ὄντα, ὡς αὐτὰ κατ' οὐσίαν ἐστὶ κατείληφεν. Οὕτω φύσεως δυνάμει καὶ γνώμης βουλήσει, καὶ χάριτος ἐπινεύσει θείας ἐν περιλήψει τῶν μαθημάτων

in tanta doctrina humillimus,

A των γενόμενος, πρὸς ἐπίβασιν τῶν θείων ἀρετῶν οὐχ ἥττον ὑπήγετο. Οὐ γὰρ ἔκρινε τὸ ἐν ἐκείνοις εὐδόκιμον, πρὸς ἀρετὴν αὐτῷ γενέσθαι ἐμπόδιον· ἀλλ' ὁδῷ καταλλήλῳ καὶ τάξει χρησάμενος, ταῖς ἐπ' ἄμφω προκοπαῖς ἐπεκτείνετο, καὶ πρὸς τὴν ἑκατέρας ἔφθασε τελειότητα.

AVCTORE IGNATIO

ex disciplinarum scientiâ ad virtutem incitatur: castus & sobrius,

18 Σωφροσύνην μὲν τὴν τῆς φύσεως ἀντίφυτον δι' ὀλιγαρκείας καὶ συγκρατείας σύνοικον ποιησάμενος, καὶ τὰ τῆς ἐπ' ὀμφαλοῦ γαστρὸς ἐπιτιθεμένων ἀκαθέκτων παθῶν ἀπολεπτύνων οἰδήματα. Ἀοργησίαν δὲ τῇ ἐκφύτῳ πραότητι προσκτησάμενος, καὶ ὅλον ἑαυτὸν ἐμπαρέχων τοῖς πᾶσι μειλίχιον, τὸ τῆς ὀργῆς εἰδεχθὲς ἀπερράπιζε πρόσωπον· ὁ γὰρ θυμὸς οὐ κατὰ τὴν τοῦ ὄφεως ὁμοιότητα προσῆν αὐτῷ, κατὰ μόνου δὲ τὴν πλῶσιν ἡμῖν προξενήσαντος δράκοντος ἐπετείνετο. Ἀφιλαργυρίαν δὲ, τὴν πρὸς αὐλίαν τὸν ἄνθρωπον ἐπαλείφουσαν, οὐκ ἐν πίθῳ κατὰ τὸν Κυνικὸν ἐκεῖνον φιλόσοφον ἐθησαύριζεν· τῇ δὲ πρὸς τοὺς πένητας ἀενάῳ χορηγίᾳ διάπαντος πλατυνόμενος χρημάτων κατεφρόνει, καὶ τὴν πρὸς αὐτὰ φέρουσαν ὁδὸν ἐξετρέπετο. Τὸ

mitis & suauis,

pecuniarũ contẽptor, liberalis in pauperes:

B γὰρ μή τι ποιεῖν κατ' ἐπίδειξιν εὐκαίρως φιλοσοφήσας καὶ τὸ συνειδὸς ἄθολωτον ἐν τούτῳ κτησάμενος, οὐ μόνον τὴν δεξιὰν πρὸς ἐλεημοσύνην καθώπλιζεν, ἀλλὰ καὶ τὴν ταύτης γνῶσιν τῇ ἀριστερᾷ προσεθησαύρισεν, ὡς εἰς παντελῆ ἀπάθειαν τοῦ ἀκορέστου τοῦδε φθάσαι νοήματος· ὅθεν καὶ τοῦ μεγίστου πτωχείου τὴν κατὰ τὴν Βασιλίδα ἐπιτροπεύειν προτροπῇ βιαίᾳ τῶν Κρατούντων ἡ χάρις ἠξίωσε, προευτρεπίζουσα τούτῳ, καὶ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐγχειρίζουσα τῇ μερικῇ διεξαγωγῇ τὴν τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας κυβέρνησιν.

ab inani gloriâ alienus:

curator hospitalis domus:

19 Ἀλλὰ μὲν ταῦτα καὶ περὶ τούτων καθιστορούντων ἕτεροι, οἷς ἐν ἔρωτι καὶ πόθῳ τὰ ἐκείνου, μελίττης δίκην, ὡς ἐκ πολυανθοῦς ῥοδωνιᾶς ἐρανίζεσθαι προτερήματα, καὶ πρὸς κηρίου γλυκύτητα, ζήλου φημὶ θείου, τὴν τούτων λογικῶς ἀποθησαυρίζειν ποιότητα. Οἶμαι γὰρ ὡς οὐκ ἀπορήσει τις τῶν εἰς τοῦτο φερόντων, πολλῶν ὄντων καὶ μεγάλων, καὶ μὴ ἐώντων ἕτερον ἑτέρου προληφθῆναι, διὰ τὸ πάντα εἰσφέρεσθαι τὸ ἀκρότατον. Ἡμεῖς δὲ τὸ τοῦ λόγου προσκορὲς οἷα δὴ τὸν ἀκροατὴν πρὸς ἀηδίαν ἕλκον ἀφιέμενοι, πρὸς τὰ ἑξῆς, ἣν δίδωσι Θεὸς, βαδιούμεθα.

CAP. III S. Tarasio Patriarchâ mortuo,

C 20 Ἄρτι μὲν Θαράσιος ὁ τῆς Ἐκκλησίας φωσφόρος ἀκοίμητος, ὁ τὴν ὁλκάδα καλῶς πηδαλιουχήσας τῆς πίστεως, καὶ ὑπερτέραν δείξας τοῦ τῆς αἱρέσεως κλύδωνος, καὶ τοῖς τῆς ὀρθοδοξίας ἀγωγίμοις βριθομένην ἐνλιμενίσας ὡς ἄριστα, ἐκ τῶν ἐπικήρων πρὸς τὴν ἀμείνω λῆξιν ἀπάρας προσετέθη τοῖς Πατράσιν ὁ Πατὴρ, τοῖς Πατριάρχαις ὁ ὑπὲρ ἀληθείας τὴν Πατριαρχίαν δεξάμενος, τοῖς Ὁσίοις ὁ τὸ ὅσιον διὰ βίου ὁσίως δεξιωσάμενος, τοῖς ἀληθέσι Ποιμέσιν ὁ τὸν Ἀρχιποίμενα Χριστὸν μιμησάμενος, καὶ κατ' ὄνομα καλῶν καὶ γινώσκων τὰ πρόβατα, καὶ τῇ τῶν λόγων βακτηρίᾳ τοὺς λύκους ἀποσοβῶν, καὶ πρὸς τὰς ἐπαύλεις τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας εἰσελαύνων καὶ πίστεως. Οὗτος οὖν ἐκεῖνος ὁ αἰθέριος ἄνθρωπος, ὁ ἐν γῇ βιοὺς καὶ Ἀγγέλων ἁμιλληθεὶς ὡς ἡ δύναμις, σὺν τῇ ἀλήπτῳ ψυχῇ καὶ τὰς τῆς ἱερατείας ἡνίας χερσὶ Θεοῦ παραθέμενος, ἐλιπάρει διὰ καθαρᾶς, ὡς ἐγῷμαι, τὸ Θεῖον ἐντεύξεως, τὸν ἄξιον τῆς Ἀρχιερωσύνης ἡγήσασθαι, καὶ τῆς πλησίον Χριστοῦ Ἐκκλησίας περιλάλητον ἀναδειχθήσεσθαι Κήρυκα. Πόνοις γὰρ πολλοῖς καὶ ἱδρῶσι τὴν ἐν αὐτῇ φυεῖσαν τῆς αἱρέσεως ἄκανθαν προθέλυμνον ἐκτεμών, καὶ τὰ ἐν μέσῳ σκῦλα καὶ σκάν-

viro perfectissimo,

aptus successor eius precibus petitus

δαλα τῇ χειραγωγίᾳ τοῦ Πνεύματος ὑφελόμενος, D καὶ τῷ λογικῷ ἀρότρῳ νεώσας τὴν τῆς πίστεως ἄρουραν, καὶ σπείρας οὐκ ἐφ' ὁδοῦ καὶ πέτρας καὶ ἀκανθῶν τὰ τῆς Χριστοῦ οἰκονομίας θεοπαράδοτα σύμβολα, ἀλλ' ἐπὶ γῆν ἀγαθήν τε καὶ γόνιμον, καὶ, οἷαν τὰ λόγιά φασιν, ἑκατοστεύουσαν· τὸν ἀντιληψόμενον τῇ αὐτοῦ γεωργίᾳ καὶ μετὰ τελευτὴν ἰδεῖν ἐπόθει καὶ ἔστεργεν. Καὶ οὐκ ἐψεύσθη γε τῆς αἰτήσεως· ὁ γὰρ τοῖς ζητοῦσιν ἀεὶ Θεὸς εὑρισκόμενος, καὶ τοῖς κρούουσι θύραν ἀνοίγων, καὶ τὰς ἀληθεῖς αἰτήσεις ἐπιπεραίνων, g δακτύλῳ θείῳ καὶ Πνεύματι τὸν τῆς ἱερᾶς χειρώσεως ἄξιον Νικηφόρον τρανῶς ἐπεδείκνυε, καὶ τῷ τότε Κρατοῦντι ὁμωνύμῳ Βασιλεῖ, τὰ περὶ τὴν ἀληθῆ πίστιν τελείῳ τυγχάνοντι λευκοτέρον ὑπεμήνυεν. g

21 Ὃς καὶ γὰρ ἦν ἀγχινούστατος εἰ καί τις ἄλλος, δι' ἐρεύνης εἶχε πολλῆς ἐγκαθιδρῦσαι τῇ ἀνάνδρῳ νυμφίον τε καὶ προμνήστορα, ἱκανῶς ἔχοντα τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου ἀνθέξεσθαι καὶ βαδιεῖσθαι κατ' ἴχνος τοῦ Προποιμάναντος λογικώτατα. Διὸ καὶ πᾶσιν ἀνεκοινοῦτο Ἱερεῦσί τε καὶ Μονάζουσι, καὶ τῆς Συγκλήτου βουλῆς ὅσον ἔγκριτον καὶ προὔχον E ἠπίστατο, ὡς ἂν τῇ τῶν πλειόνων ἐκλογῇ δικαιοτάτῃ οὔσῃ, καὶ τῇ τοῦ θείου Πνεύματος ἐπινεύσει τὸ βέβαιον λαμβανούσῃ, καὶ ἡ αὐτοῦ ἐφέψοιτο βούλησις. Οἱ δὲ (καὶ γὰρ ἀνθρώπους ὄντας διαδρᾶναι τὸ πρὸς χάριν ἀδύνατον) τῇ ἀπ' ἀλλήλων διαστάσει τὸ ὁμόγνωμον διαλύσαντες, ἄλλος ἄλλον ἐψηφολόγει καὶ εἷλκεν· οὐχ ὃν ἡ τῆς ἄνω ῥοπῆς ὑπέγραφε πρόγνωσις, τὸ ἑκάστου δὲ θέλειν ἀνετυποῦτο καὶ ἐτίθετο. Τῷ δὲ Βασιλεῖ τὸ τοῦ νοῦ δραστήριον ὑπεζωγράφει Ποιμνιάρχον Νικηφόρον, καὶ πρὸς ἐκεῖνον ὁρᾶν πάντας συνήλαυνεν, ὑπομιμνήσκων τῶν ἀρετῶν τοῦ ἀνδρὸς τὰ αὐχήματα· τὸ ἐν λογίοις, τοῖς τε πνευματικοῖς καὶ τοῖς θύραθεν, καίριον· τὸ ἐν ἤθει ταπεινὸν καὶ μειλίχιον· τὸ ἐν συνειδήσει πρὸς πάντας εἰλικρινὲς καὶ ἀπερίσκοπον. Καὶ ἁπαξαπλῶς, οἷα νιφάδι τῷ συνεχεῖ τῶν Βασιλικῶν ἐκείνων λογίων τὰς πάντων ἀκοὰς κατακλείσας, μηδεμιᾶς ὑπούσης βίας, εἰς μίαν ψῆφον ὡς εἰς συνῳδὴν τοὺς πάντας ἐζώγρησεν ἐξ ἐκείνου· τί γὰρ ἐν παντὶ χείλει καὶ γλώσσῃ πάσῃ Νικηφόρος Πατριάρχης ἀνηγορεύετο.

sagaci Nicephori Imperatoris curâ,

dissentione exortam dissipauit,

& virtute eius proponentis,

ab omnibus Patriarchâ acclamatur;

22 Στέλλει γοῦν Βασιλεὺς πρὸς αὐτὸν ἄνδρας F ἀπαγγελοῦντας, παντὸς ὄκνου καὶ πάσης ἄτερ ἀναβολῆς τὴν ἑαυτοῦ παρουσίαν τῇ Βασιλίδι χαρίσασθαι. Ὁ δὲ τὴν ἐπαινουμένην ὑπακοὴν μᾶλλον τῆς ἐπὶ ψόγου παρακοῆς ἀνθελόμενος, καὶ οὐχ ἑκὼν τοῖς ἄγειν ἐθέλουσιν εἵπετο. Καὶ ἐπεὶ τῷ Αὐτοκράτορι τὸ ζητούμενον ἤνυστο, καὶ κατ' ὄψιν εἶχεν ὁρᾶν τὸ ποθούμενον, ταῦτα πρὸς αὐτὸν διειλέχθαι λέγεται· Ἐμοὶ μὲν, ὦ Ἄνερ Θεῷ μεμελετημένε, εἴπερ ἦν τῶν θείων κατολιγωρεῖν προσταξέων, καὶ ἀμελείᾳ τῆς τούτων ἐργασίας ἐπιμελεῖσθαι, ἣν ἄρα τις πλάνης τε καὶ πλατεῖα ὁδὸς, δι' ἧς καὶ τὸν τυχόντα, καὶ ἄξιον μηδὲν προεισενεγκόντα τοῦ βήματος πλὴν τοῦ βούλεσθαι, Ἀρχιερέα τῇ Βασιλίδι προστήσασθαι. Ἀλλ' ἐπειδὴ παρὰ τῆς θείας γραφῆς νενουθέτημαι, οἷον εἶναι δεῖ τὸν ἱερᾶσθαι μέλλοντα καὶ ἄλλους εἰς τοῦτο προάγειν ὀφείλοντα, ὅτι ὑψηλὸν ἀρετῇ καὶ ἀνέπαφον χείλεσι, * γνῶσιν φυλάσσοντα καὶ νόμον ἐκζητούμενον ἐν στόματι φέροντα, καὶ διὰ τοῦτο χρηματίζοντα Κυρίου παντοκράτορος Ἄγγελον· δέδια μὴ τὸ ἱερὸν ἐκεῖνο παραβλέψας νουθέτημα, ἀμελείας ὑποίσω δίκην, καὶ τὴν ἀπειλουμένην ἀρὰν εἰς ἐμαυτὸν ἐκκαλέσωμαι. Νῦν οὖν Θεοῦ τὴν ἱερωσύνην καὶ τὰς ἡνίας

à monasterio adducitur:

Imperatoris oratione,

* *MS. γνῶσιν.*

τοῦ

A τοῦ οὐρανίου τούτου διαύλου ὑμῶν ἐγχειρίζοντος, μὴ ἀπαναίνεσθαι τὴν κλῆσιν, ἀλλ' ὑποδύντα τὸν θεῖον ἀγῶνα, πρὸς τὸ κοινῇ λυσιτελοῦν ἀφορᾶν. Ἴσμεν γὰρ ὡς, κατὰ τὸν σὸν καὶ κοινὸν καθηγέμονα Παῦλον, μὴ πρὸς ἀέρα τὴν πυκτικὴν ἐπιδείξασθαι, μηδὲ δερμεῖσθαι ὑμᾶς ἀκατάληπτα τεθαρρήκαμεν· διὰ δὲ τῆς προγυμνασθείσης δουλαγωγίας τοῦ σώματος πρὸς τὸ τοῖς ἄλλοις κηρύξαι, καὶ τὸ ὑμέτερον δόκιμον ὑπὲρ χρυσίον ἐκλάμψειεν. Μὴ δὴ μόνον σωθῆναι τὴν ἱκεσίαν πρὸς τὸ Θεῖον ποιεῖσθαι βιάζεσθε, μηδὲ τῷ μονοτρόπῳ τοῦ βίου τὸ καθ' ἑαυτοὺς ζητεῖν, ἀλλὰ τὸ πάντας τῆς σωτηρίας τυχεῖν ἐπισπεύδοιτε. Νύμφην ὡραιοτάτην τὴν Ἐκκλησίαν ἡγεῖσθαι, ἁρμόδιον, τῷ μαργαρίτῃ μὲν τῶν ὀρθῶν καὶ ἀθολώτων δογμάτων τὸ εὐήκοον οὖς περισφίγγουσαν, τῷ στεφάνῳ δὲ τῶν χαρίτων ὡς ὑπερτίμοις λίθοις τοῖς Πατρικοῖς λογίοις καταυγαζομένῳ τὴν κορυφὴν περιστέλλουσαν, κόσμον δὲ τὸν ἐν στέρνοις ἅτε μηνίσκῳ παγχρύσῳ τῷ ἑπταρρύθμῳ τῶν θεοπνεύστων συνόδων ὅρῳ τῷ ἑαυτῆς αὐχένι

ad Patriarchatum acceptandū incitatur:

B μυστικῶς ἀναρτήσασαν, ἔσωθέν τε τὴν δόξαν πᾶσαν περιβεβλημένην καὶ εὐαγγελικοῖς πεποικιλμένην τοῖς ἱεροῖς καὶ σεμνοῖς ἐκτυπώμασι. Μή πορνικός τις τὸν τρόπον ταύτην μνηστεύσηται, αἱρετικῆς ἐν αὐτῇ γονῆς ἐπισπείρων ζιζάνια, καὶ τὸ κάλλος τῶν αὐτῆς γνησίων καὶ τέκνων νοθεύσειεν· μηδὲ τῷ ἡμέρῳ κωδίῳ τὴν ὑγιᾶ πίστιν ὑποκρινόμενος, τὸν ἔνδοθεν λύκον τῆς ἀπιστείας h γυμνώσειεν, καὶ πρὸς ὄρη καὶ τόπους, οὓς οὐκ ἐπισκοπεῖ Κύριος, τὴν ποίμνην ξώσειεν. Ἔχων οὖν τὸν τοῦ Θεοῦ ἀμνὸν Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν πρὸς ποιμαντικὴν ἐπιστήμην συνεργὸν, καὶ βακτηρίαν τὸν αὐτοῦ σταυρὸν πρὸς ὀρθοτομίαν τὴν ποίμνην ἐρείδουσαν, μὴ ἀποτρέπου τὴν κλῆσιν, μηδὲ τὸν ἱκέσιον ἡμῶν λόγον ἐλέγξῃς, μή σοι πρὸς Θεὸν μήνιμα γένηται.

onus ipse patriarchale graue proponit,

23 Ὁ δὲ ταῖς τοῦ Βασιλέως ὑποθήκαις, οἷα βολίσιν ἐκ καρδίας πεμφθείσαις τυπεὶς τὴν διάνοιαν, ἔφη· Ἀλλ' ἐμοί, φησιν, ὦ Βασιλεῦ, ποίμνης ἐπιστατεῖν λογικῆς ἐκεῖνος ἄξιος καταφαίνεται, ᾧ μηδὲν τῇ γῇ καὶ αὐτῷ προσῳκείωται· αὐτῶν δὲ τῶν οὐρανίων ἁψίδων μηδεμιᾶς κατασπώσης σαρκικῆς ὕλης πόθος ἀπλανὴς ἐντέτηκεν ἐπιλήψεσθαι, ὃς μὴ ταῖς προφητικῶς ἀπειλουμέναις ἀραῖς κατὰ τῶν Ποιμένων ἐδείχθη ὑπεύθυνος· ὃς τῇ τοῦ Ἀρχιποίμενος καὶ

Ier. 23, 1

C μόνου Ἀρχιερέως Χριστοῦ μιμήσει ὑπὲρ τῆς ποίμνης τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν προήσεσθαι πρόθυμος, ὃς μὴ πρὸς τὸ θύειν καὶ ἀπολλύειν κλοπιμαίοις διδασκαλίαις διὰ τῆς παραθύρου τῇ μάνδρᾳ τῆς Ἐκκλησίας ἐπέρχεται, πρὸς τὸ ζωοποιεῖν δὲ καὶ σώζειν καὶ ἐν τοῖς τῆς πίστεως σηκοῖς ἐγκιστᾶν τὰ θρέμματα μεμελέτηκεν, ὃς πρὸς πᾶν ἦθός τι καὶ βῆμα καὶ βλέμμα καὶ ἐπιτήδευμα τῶν ποιμαινομένων μερίζεται καὶ πρὸς τὴν ἑκάστου θεραπείαν ποιμαντικαῖς φροντίσι ποικίλλεται, τῇ μὲν βακτηρίᾳ τὸ πλεῖον διδοὺς ἐπαναγούσῃ καὶ ὑπερειδούσῃ τοῦ πτώματος, ὀλίγα δὲ τῇ ῥάβδῳ προσχρώμενος ἀπλήκτως πληττούσῃ καὶ πάσης ἀντιπαθείας τηρούσῃ τὸν νοῦν ἀπαράτρωτον. Πρὸς τοῦτον ἀπαράσκευος τυγχάνων ἐγὼ τὸν πόλεμον, ἐμαυτὸν καθηγεῖσθαι οὐ βούλομαι πρὸς ἀοράτους καὶ ἀδιαλλάκτους καὶ ἀδιαλείπτους παρατεταγμένους ὁπλίτας· σὰρξ γὰρ ὑπάρχων, ὅπλα πνευματικὰ κινεῖν οὐχ ἱκανοῦμαι, ὧν, εἰ καὶ πάντοθεν ἑαυτόν τις ὅσῃ δύναμις ἀσφαλίσαιτο, τὴν ἔφοδον μαθεῖν οὐ δυνήσεται.

Ioan. 10. 11.

se deprecatur:

24 Ὁ δὴ Βασιλεὺς πρὸς αὐτὸν ὑποβλήδην ἠμείβετο· Μηδείς σοι πρὸς ἀφηνιασμὸν τῆς ἱερᾶς

urgente Imperatore,

D Χριστοῦ ζεύγλης ἀντιλογίας ἔσω λόγος ἢ πρόφασις· αὐτὸς γάρ, ὡς ἔφθην εἰπών, ὁ Λόγος ἐπαμύνων, συμποιμανεῖ καὶ συμπροθυμηθήσεται· καὶ πᾶσαν ὑμῖν πρὸς τὰ δοκοῦντα τέως δυσχερῆ παρέξει εὐμάρειαν. Πείθεται τούτοις ὁ πᾶσιν ἀεὶ τοῖς θείοις πειθαρχήσας οὐχ ἥκιστα, καὶ τὸ μὲν σχῆμα τοῦ Λαϊκοῦ πρὸς τὴν τοῦ μονήρους μεταμεῖψαι ἀγγελοειδῆ πολιτείαν τὸν Βασιλέα εὐθὺς παρῃτήσατο, τῇ ἀκριβείᾳ τὴν ἀκρίβειαν, καὶ τοῖς καλῶς προσδιανυθεῖσι πόνοις ἐπιπονωτέραν προστιθεὶς τελειότητα. Ὁ δὲ καὶ κατένευσε, καὶ τὰ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης κεφαλῆς ἀποκάρματα ταῖς τοῦ υἱοῦ καὶ Συμβασιλέως χερσίν, ὡς τῆς περικειμένης αὐτοῖς ἀλουργίδος σεμνολογήματα, ὑποδεχθῆναι σοφῶς ἐδικαίωσεν· ἔδει γὰρ τὴν ἐξ ἀκρότητος τῶν θείων ἀρετῶν τραφεῖσαν κόμην ταῖς πρώταις τῶν ἀξιῶν δορυφορεῖσθαι ἀκρότησι, καὶ τῷ πρὸς Ἀρχιερατικὴν ἐπανιέναι μέλλοντι δόξαν τῇ ὑπερανεστηκυίᾳ δόξῃ λαμπρύνεσθαι. Τῆς οὖν θείας ἐπ' αὐτῷ

AVCTORE IGNATIO

acquiescit: monachum induit,

detonsis crinibus à filio Imperatoris;

E τελετῆς τοῦ μοναχοῦ προβάσης κατὰ τὸν ἱεροτελεστὴν καὶ σοφὸν Διονύσιον, καὶ τῆς ἱερατικῆς κατὰ βαθμὸν καὶ τάξιν προελθούσης κατὰ τὸν ἱερὸν θεσμὸν τελειώσεως, τούτοις ἤδη καὶ ἡ τῆς Ἀρχιερατικῆς ἁγιαστείας ἐπηκολούθησε διακόσμησις· ἡνίκα δὲ καὶ πῶς, λέξων ἔρχομαι.

Sacros Ordines suscipit:

25 Ἡνίκα γὰρ Βασιλεύς τε καὶ ἡ περὶ τὰ βασίλεια Σύγκλητος ἐν τῷ μεγίστῳ νεῷ παρῆν, τὰ τῆς φρικτῆς ἀναστάσεως ἐπιτελέσοντες ὄργια, ἡνίκα τὸ ἱερὸν χῶρον ἐκεῖνον ἡ χρυσήλιος φωτοχυσία δαψιλῶς σελαγίζουσα τῆς ἐλπιζομένης ἀδιαδόχου λαμπρότητος τὰς μαρμαρυγὰς ὑπεκήρυττεν, ἡνίκα πᾶς ὁ τῆς Ἐκκλησίας λευχειμόνων συνέρρεεν ὅμιλος· τότε δή, τότε τὸν τῆς πίστεως ὑπ' αὐτοῦ προσταχθέντα καὶ διομολογηθέντα καρδίᾳ καὶ στόματι, εἶτά τε καὶ τῷ κατ' αὐτὸν Κλήρῳ προσφωνηθέντα, θεῖον τόμον χερσὶν ἐπειλημμένος, ἐπὶ τὴν θείαν χειροθεσίαν ᾔει· τοῦτον ἀπαρέγγραπτον ἐπιβοώμενος μάρτυρα, εἰ παραγράψαι τι τῶν ἐν αὐτῷ σεσημασμένων, ἀλλὰ μετὰ ταύτης τῆς ἀληθινῆς καὶ εἰλικρινοῦς λατρείας ἐν τῇ φοβερᾷ καὶ ἐνδόξῳ ἐλεύσει τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν παραστῆναι· ὃν καὶ μετὰ τὴν τελεσιουργὸν ἐπ' αὐτῷ μυσταγωγίαν ἔνερθε τῆς ἱερᾶς τραπέζης ἀπεθησαύρισε καθιερωθησόμενον,

Dominicâ Paschæ ordinatur Patriarcha

tenens manu librum de fide à se scriptum,

& in altari deponens:

F καὶ παρὰ Θεῷ τὸ βέβαιον εἰς ἀποδοχὴν κληρωσόμενον. Τῆς οὖν ἱερᾶς τελετῆς ἐπιπνοίᾳ θείᾳ τὴν περαίωσιν εἰληφυίας, ὁ λαὸς τὴν, Ἄξιος ἐπὶ τῷ ἀξίῳ κατ' ἀξίαν, φωνὴν τρισσῶς ὑπεκρίνατο. Ἔνθεν ἐπὶ τὴν ἱερὰν τοῦ θρόνου περιωπὴν, ὡς ἐπί τινα σκοπιὰν ὑπερτάτην, ἣν καὶ θείαν φυλακὴν ὁ θαυμάσιος Ἀββακοὺμ νοερῶς ὑπεμήνυεν, ἀναβάς, καὶ τῷ λαῷ παντὶ τὸ τῆς εἰρήνης ἐπιφθεγξάμενος ἀγαθὸν καὶ ἀντιλαβών, ἐπὶ τὰ ἑξῆς τῆς θείας ἱεροθυσίας αὐτουργὸς αὐτὸς ἀπεδείκνυτο.

Dignus ter acclamatur à populo.

Abac. 2, 1

cui pacem exoptat.

CAP. IV.

26 Οὕτω Θεὸς ὁ τοῖς ταπεινοῖς ἐπιμετρῶν χάριν, ὡς ἐρασθῇ καὶ αὐτῷ πνευματικῆς ἀναβάσεως τῶν τῆς Ἐκκλησίας ὑψέων ἐπιλαβέσθαι οὐχ ἥκιστα κέκρικεν, ὧν κρατήσας καὶ ἀξίως Εὐαγγελίου ἐποικοδομεῖν αὐτοῖς ἐναρξάμενος, τῇ τῆς πίστεως κρηπῖδι τὸ ἀσφαλὲς διετήρησεν· ἐν ἀστασιάστῳ γὰρ τὴν Ἐκκλησίαν εὑρὼν καταστήματι, ἐκ τοῦ προκαταλεανθῆναι τὰ τῆς αἱρέσεως σκόμματα, ὑπὸ τῆς, ὡς εἴρηται, Πατρικῆς ὁμηγύρεως, ἐν ἀκυμάντῳ λοιπὸν γαλήνῃ καὶ αὐτὸς τὸ τῆς Ἐκκλησίας διέφερεν πέλαγος, μηδεμίαν κατ' αὐτῆς αἱρετικὴν

heresi Iconoc. [illegible] domitâ,

AVCTORE IGNATIO.

A ἀντίπνοιαν ὑφορώμενος. Ὅθεν ἐφ' ἑτέραν ὁδὸν αὐτὸν ὁ ζῆλος ἐκίνει κατὰ τῶν ἀπίστων τρέπεσθαι καὶ ἀλλοκότων αἱρέσεων, ἄρτι τότε τῶν αὐτῶν ἐμβροντησίας ἀπηρυθριασμένως τὰ πλήρη μύσους ἐπιπλέντων μυστήρια, Ἰουδαίους τέ φημι καὶ Φρύγας, καὶ τοὺς ἐκ τῆς τοῦ Μάνεντος προθρείας τὸν τῆς ἀπιστίας κυκεῶνα προτείνοντας. Διεξοδικώτερον τοιγαροῦν τὰ τῆς αὐτῶν ἀτόπου θρησκείας δι' ἐγγράφου τόμου τῷ Βασιλεῖ γνώριμα καταστήσας, καὶ ὡς τῷ κοινῷ παντὶ γαγγραίνης δίκην λώβην παρέξοντα (εἰ ἐπὶ πλεῖον συγχωρηθεῖεν πράττειν, ἃ βούλοιντο) δι' ἐντεύξεως ἐνδειξάμενος, βάλλει μὲν τὴν Ἰουδαϊκὴν χριστοκτονίαν, βάλλει δὲ καὶ τὴν τῶν Φρυγῶν τερατώδη ἐρεχελίαν, τιτρώσκει δὲ τὴν Μανιχαϊκὴν ὀνείρωξιν, ὡς μηδὲ χειλέων ἐκτὸς τὰ ἑαυτῶν ἄγη προέρχεσθαι, ἐν ἀπορρήτῳ δὲ καὶ παραβύστῳ τὰ τῆς ἀπάτης αὐτῶν ὑπολαλεῖσθαι ληρήματα· τὸ γὰρ παρρησιάζεσθαι ὑπὸ τῆς ἐξουσίας ἀφῃρημένοι, εἰς τὸ μηδὲ λαθραίως τι ποιεῖν οἱ δυσσεβεῖς περιέστησαν.

Iudæos veteresq; hæreticos pragit,

27 Οὕτω τῶν ἀθέσμων αἱρέσεων κατὰ μικρὸν ὑπεχώρει κλυδώνιον, καὶ ἡ ὀρθοτομία τῆς ἀληθοῦς ὁμολογίας ἡμῶν εἰλικρινῶς αἰθριάζουσα, σαββατισμὸν B τῇ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ ὑπέγραφεν. Ἀλλ' ἐπειδὴ τὰ τῶν ἔξω καλῶς εἶχεν αὐτῷ, ἐπὶ τὰ ἔνδον, λέγω δὴ τὰ τῆς μοναχικῆς ἀκριβείας, τὸν νοῦν μετατίθησιν. Ἄνδρες γὰρ τὸν οὐρανομιμήτην βίον τοῦτον ἑλόμενοι, ἢ καὶ ἑλέσθαι εὐξάμενοι, προφάσει δῆθεν ἀγχιστείας ἢ καὶ τῆς ἄλλης τῶν ὀνομάτων εὐνοίας, ἄγχι που τῶν παρθενώνων τὰ ἑαυτῶν καταπηγνύναι δεῖν ᾠήθησαν ἀσκητήρια, τὴν μὲν πρόδηλον συνοίκησιν φεύγοντες, τὴν ἐκ τῶν λογισμῶν δὲ συγκατάθεσιν διαδρᾶναι παντελῶς οὐ δυνάμενοι· ἦν γὰρ αὐτοῖς πάντα κοινὰ καὶ κτήματα καὶ ὑπάρξεις, ἐναντίως ἢ τὸ περὶ τῶν πιστευόντων πάλαι λεγόμενον· ἐκείνοις μὲν γὰρ ἐν τῷ καλῶς ἀποκτᾶσθαι τὰ ὄντα τὸ κοινὸν περιυπετίμητο, ἐνταῦθα δὲ τῷ τὰ πάντα κακῶς κοινοῦσθαι τὸ μὴ ἀποκτᾶσθαι καλῶς ἐπεπραγματεύετο· καὶ ἦν σύγχυσίς τις τοῦ ὑψηλοτάτου βίου, καὶ πᾶς ὅστις ἐν ὑποψίᾳ πορνείας τὸ τῆς παρθενίας εἶχεν ἐπάγγελμα. Τοῦτο σκοπῶν ἐκεῖνος ὁ καθαρώτατος νοῦς, οὐδεμίαν παράτασιν χρονικὴν ὑπέμεινεν, ἢ τῷ πτώματι ἐνδέδωκε C παντελεῖ περιπαρῆναι κηλῖδα καὶ ἐξοκεῖλαι πρὸς ἡδυπαθείας ἐμπάθειαν· ἀλλὰ τῇ Ἀποστολικῇ αὐθεντίᾳ χρησάμενος, τοὺς ἐπὶ φυλακῇ ταύτης ὁρῶντας καὶ τὸν Φινεὲς ζῆλον ἐγκάρδιον ἔχοντας Ἀρχιερεῖς ἀπολεξάμενος, ὡς ἐπὶ δεύτερον ἐξαπέστειλε κήρυγμα, τὸ τοῦ πάθους ἐκκεντῆσαι μύσος τῷ κανονικῷ σειρομάστῃ, καὶ στῆσαι τὴν θραῦσιν διὰ τῆς παραινετικῆς ἐξιλάσεως. Οἱ δὲ κατὰ πάσης τῆς οὕτω νοσούσης οἰκουμένης γενόμενοι, καὶ τοῖς σωτηρίοις φαρμάκοις εὐκαίρως χρησάμενοι, τὸ τοῦ μώλωπος δυσαντὲς εἰς συνέλευσιν συνελάσαι κατέσπευσαν· πόρρω μὲν ἀνδρῶν τὴν γυναικωνῖτιν δίαιταν ἀφορίσαντες, καὶ ἀφθονίᾳ τῶν ἐπιτηδείων ἐπιτειχίσαντες, ὡς ἂν μὴ τῇ τούτων ἐνδείᾳ πιέζοιντο, καὶ ἀκολασίας ὑπόμνημα δέχοιντο, καὶ γένοιτο τὰ ἔσχατα χείρω τῆς πρώτης αὐτῶν συναλίσεως. Πρὸς δὲ τὰ ἑαυτῶν ἤθη τε καὶ ἀσκητήρια, μᾶλλον δὲ πρὸς τὰ τῆς ἑκάστου ψυχῆς αἰσθητήρια, τοὺς ἄνδρας ἀπέκριναν, καὶ προτροπάδην φεύγειν ὡς ἐκ δήξεως ὄφεως τὴν τῶν γυναικῶν κατέπεισαν συνδιαίτησιν, μήπως διὰ τῆς τῶν λογισμῶν θυρίδος ἡ τῶν ἡδονῶν συγκατάθεσις παρακύψασα, βέλος ἐπαφήσει καὶ τρῶσιν ψυχικὴν ἐνεργάσοιτο. Οὕτω τῆς ἱερᾶς τῶν μονοτρόπων ἀγέλης οἱ τῆς D σωφροσύνης κτίλοι ἐμμελῶς ἡγησάμενοι, τὰ ψυχοκερδῆ τῆς ἐργασίας αὐτῶν ἐμπορεύματα σὺν ἐπιγινομένῳ τόκῳ πρὸς τὸν Ἀρχιποίμενα διεσώσαντο.

emendat monasticā disciplinā;

monasteria feminarū & virorū procul separari curat:

28 Ἀλλὰ δὴ καὶ εἰς πᾶσαν ἥντινα οὖν καὶ πόλιν καὶ χώραν, εἰ ταύτην τὴν νόσον ἀκμάζουσαν εὕρισκεν, καλάμῳ καὶ μέλανι τὴν θεραπείαν αὐτῆς περαίνειν ἐπραγματεύετο. Ὁποῖόν τι καὶ καθ' ἓν τῶν Ταυρικῶν κλιμάτων περιφανῶς ἀναφαίνεται· ὁ γὰρ τὴν τότε τοῦ ἔθνους ἡγεμονίαν ἐπανῃρημένος, τῷ αἴσχει τούτῳ καταπεσὼν, ἐπ' εἰσαγωγῇ τινος ἑταίρας τῆς ἑαυτοῦ συζύγου διάστασιν ἐμελέτησεν· ὃν ἀπορρῆξαι τοῦ ἐπιψόγου μολύσματος ἔργον θέμενος, γραφικαῖς ὑποθήκαις τε καὶ ἀπειλαῖς κατὰ πρόσωπον αὐτῷ τὴν ἁμαρτίαν παρέστησεν, καὶ ὡς εἰ μὴ βούλοιτο ταύτης ἀποσχέσθαι ἐκείναις ὑπόδικος ἐνδίκως γενήσεται. Καὶ ταῦτα μὲν οὕτω πη ἔσχεν.

adulterio magni Principis resistit;

29 Ἐπειδὴ δὲ τὸ εἰλικρινὲς τῆς ἑαυτοῦ ὀρθοτομίας πίστεως τοῖς τῶν Πατέρων ὅροις ἀκριβοῦν κατεπείγετο, τῷ τε κανονικῷ καὶ ἀρχαϊκῷ ἔθει ἀκολούθως ἑπόμενος, τῷ τοῖς Ἀποστολικοῖς θρόνοις τὰ περὶ τὴν πίστιν ἀνακοινοῦσθαι κελεύοντι, ταύτην Συνοδικοῖς ἐνσημηνάμενος καὶ πιστωσάμενος γράμμασι, πρὸς τὸν τηνικαῦτα τῶν Ῥωμαίων Πάπαν ἐκπέπομφε Λέοντα, E στηλίτευμα μὲν τῶν ἑτεροδόξων οὖσαν αἱρέσεων, στήλην δὲ τῆς ὀρθοδόξου ὑπάρχουσαν πίστεως. Καὶ εἴ τῳ φίλον τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως τοῦ ἀνδρὸς πεῖραν λαβεῖν, ἐντευξάσθω ταύτης, καὶ εἴσεται τὸ περὶ τὰ θεῖα δόγματα τούτου δαψιλές τε καὶ καίριον. Ταῦτα καὶ ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος ἠγάσατο Λέων, καὶ ἀσμενέστατα δεξάμενος, καὶ περιπτυξάμενος σὺν τοῖς κορυφαίοις Πέτρου δόγμασιν ἀνεκήρυξε τρανώτατα. Τὸ γὰρ τῆς ὁμοουσίου Τριάδος συμφυὲς καὶ ὁμότιμον οὕτως ἂν εἴποι λεπτότατα, ὡς τῇ τῶν ἐν Θεολογίᾳ τὸ κράτος ἐχόντων ἀκριβείᾳ μηδὲν ἀπολείπεσθαι. Τήν τε τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων φανέρωσιν ἐκ τῆς παναγίου καὶ ἀμώμου Παρθένου καὶ Θεοτόκου Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν οὕτω διεσάφισέ τε καὶ ἀνεκήρυξε ταῖς οἰκουμενικαῖς Συνόδοις ἑπόμενος, ὡς μηδὲν τῶν εἰς λατρείας ἡκόντων σεβασμιότητα ὑπάρχειν ἀνήκοον. Τάς τε πρὸς Θεὸν F ἐντεύξεις καὶ πρεσβείας τῆς τε σεμνῆς Θεομήτορος, τῶν τε οὐρανίων Δυνάμεων, Ἀποστόλων, Προφητῶν, κλεινῶν τε Μαρτύρων, καὶ πάντων Ὁσίων καὶ Δικαίων, καὶ τὰ τούτων προσκυνητὰ λείψανα, τούς τε ἱεροὺς αὐτῶν χαρακτῆρας ἐπὶ τοσούτῳ τιμῆς ἀξίους ἀπέφηνεν, ὅσῳ δίκαιον ἦν τοὺς οὕτω βιώσαντας καὶ οὕτω παρὰ Θεῷ θαυμαστωθέντας καὶ τιμᾶσθαι καὶ μεγαλύνεσθαι. Οὕτω τὸ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ μόνῳ λατρεύειν Θεῷ τῷ ἀληθινῷ προσκυνητῇ ἀραρότως κατώρθωτο· οὕτω τὸ περὶ τὴν ὑγιᾶ θρησκείαν αὐτῷ διειδέστατον στόμα κεκέραστο, οὐ καθά τισι κεραποικιλλόμενον, ταῖς δὲ θεοπαραδότοις ὑποτυπώσεσι κεραννύμενον, καὶ πᾶσαν ἀνατροπὴν αἱρέσεως ὀλεθρᾶς τῷ πλησίον βλαστάνουσαν ἐξιώμενον. Ἆρ' οὖν ὁμολογίαν μόνην ψιλὴν τὸ τῆς ἀληθοῦς πίστεως ὁ Μέγας οὗτος διετράνου κεφάλαιον; οὐχὶ δὲ καὶ ζῆλος τῇ ὁμολογίᾳ προσῆν; ἢ τοῦτο μὲν ἀναμφίλεκτον, κινδύνων δὲ ταύτην χωρὶς διεσώσατο; ἢ τούτοις ὡς ἀδάμας ἐστόμωτο, ὑποστολῇ δὲ τοῦ λέγειν τὸ μὴ εὐδοκεῖσθαι παρὰ Θεῷ προτετίμηκεν; Οὐ μὲν οὖν, ἀλλὰ σὺν ὁμολογίᾳ καὶ ζήλῳ καὶ κινδύνοις. Λόγος αὐτῷ βιοφε-

Synodicam ad Leonem III Romam destinat:

profitetur sanctissimā Trinitatē,

incarnationem,

Venerationem reliquiarum & imaginū

in periculis intrepidus.

A βιωφελὴς μαχαίρας τιμιώτερος ταῖς φρεσὶν ἀπηώρητο, τοῦ τὰ θεῖα τυραννεῖν ἠρημένων ἐκκόπτων ἐπιεικῶς τὰ φρονήματα.

CAP. V. A diabolo excitus Leo Armenius, omne Imperij & Ecclesiæ statū euertit:

30 Ταῦτα σκοπῶν ὁ τοῖς καλοῖς ἀεὶ βασκαίνων ἀντίπαλος, ὁ τοῖς καθεστῶσι ζάλην ἐπινοῶν πολυκλύδωνα, ὁ τῇ γαλήνῃ καὶ τῇ τῆς εἰρήνης εὐσταθείᾳ ἔχθραν ἐπιμετρῶν ἀκαθαλλακτόν, ὁ τῷ τῆς πίστεως ἀρραγεῖ χιτῶνι παρυφαίνων τὰ τῶν αἱρέσεων ὑπόσαθρα ῥάκια, οὐκ ἐβουλήθη τὸ ἠρεμαῖον τῆς Ἐκκλησίας καὶ Βασιλείας ἐν ἀπραξίᾳ καθορᾶν ἰθυνόμενον, ἀλλ' ἀταξίαν ἐπινοήσας τῷ ἑαυτοῦ θράσει ἀντίρροπον, ἀκήρυκτον κατ' ἄμφω κεκίνηκε πόλεμον· οὐ βέλη χαλκεύσας ἠκονημένα καὶ φάσγανα, ὡς τοῖς ἀντιπαττομένοις ἔθος πρὸς σώματα, γλώσσας δὲ πονηρὰ μελετᾶν εἰδυίας τῇ τῆς αὐτοῦ κακίας ἀκόνῃ παραθήξας πρὸς ψυχικῶν κινδύνων παράταξιν διανίστησι, Βασιλέα μὲν ἄρτι τῇ τυραννίδι γαυρούμενον εἰσποιησάμενος Λέοντα· Λέοντα τὸν τῇ ποικιλίᾳ τῆς ἀσεβείας φανέντα πολυειδῆ χαμαιλέοντα, τὸν ἐξ αὐτῆς B ἀναρρήσεως ἀποβαλόντα τὸν λογισμόν, τὸν τοὺς βελτίονας πρὸς τὸ τῆς δυσσεβείας φρόνημα μεταταξάμενον, τὸν ὅσον ἐπὶ τῷ γένει τὸν παλαιὸν Ἰσραὴλ ἐπὶ Μωϋσέως ἐκθλίψαντα νυνὶ δὲ Ἀμαλακιτῶν δεινότερα τῷ νέῳ Ἰσραὴλ ἐνδειξάμενον, τὸν τοῦ Σενναχηρεὶμ ὠμότερον καὶ Ῥαμψάκου βδελυρώτερον καὶ Ναβουζαρδὰν τοῦ γαστριδούλου αἰσχρότερον.

A Michaële Imperatore honoribus auctus,

causa fit cladis exercitus illius illatæ;

31 Ὃς κατὰ τοῦ τετιμηκότος Αὐτοκράτορος, (καὶ γὰρ ὑπ' αὐτοῦ Δημαγωγὸς τοῦ πρώτου καταλόγου τῆς στρατιωτικῆς τῶν λεγομένων Θεμάτων καθίστατο φάλαγγος) εἰς οὐδὲν τὴν τιμὴν καὶ τὸν τιμήσαντα θέμενος, πρὸς τυραννίδος ἐξέπεσεν ὄλισθον. Πρὸς γὰρ τοὺς ἐπὶ Θρᾴκην Οὔννους, πολλὴν τὰ ἐκείνης πολίσματα τὴν βλάβην εἰσφέροντας, πόλεμος τῷ Βασιλεῖ συγκεκρότητο. ἐν ᾧ τῆς ἥττης Λέων πρωτεργάτης γενόμενος παντὶ τῷ στρατοπέδῳ τὴν μετ' αἰσχύνης φυγὴν ἐπαιδεύσατο. Ὅθεν τὸν μὲν Βασιλέα ἡ πόλις εἶχε, μηδὲν τῶν ἐκ τῆς νίκης καλῶν ἀπονάμενον· αὐτὸς δὲ λόγοις ἀνταρσίας τὸν λαὸν ὑποφθείρας, καὶ κεναῖς ἐλπίσιν ὑποσυλήσας καὶ ὑφελκόμενος, διὰ τυραννίδος ὑπέδυ τὸ τῆς Βασιλείας ἀ- C ξίωμα. Μεθ' οὗ τάχει πολλῷ τὴν Βασιλίδα καταλαβών, καὶ εἴσω τειχῶν (ὡς μὴ ὤφελεν!) ὁ τάλας γενόμενος, ταῖς ἐξ ἔθους τιμαῖς διὰ τῆς λεωφόρου πρὸς τὴν βασίλειον αὐλὴν προεπέμπετο, καὶ τὸν μὲν περὶ κύτου τῆς ἀξίας ἀπέπαυσεν ἄνδρα, τῷ ἀπλοϊκῷ τῆς ἀκακίας ὑπὲρ τὴν πορφυρίδα κοσμούμενον· ὃς ἡνίκα τὸν ἀγνώμονα Λέοντα ἐπωρυόμενον ᾔσθετο καὶ κατὰ τῆς ἀρχῆς λεόντειον βρέμοντα, τὴν τῆς Βασιλείας ἐσθῆτα περιρρηξάμενος καὶ τὴν κόμην ἀποθριξάμενος, μελανείμων ἀντὶ χρυσείμονος γίνεται, καὶ τῷ ἱερῷ περιβόλῳ σὺν γυναικὶ καὶ τέκνοις φέρων ἑαυτὸν ἐγκαθείργνυσι. Τοῦτο τὸν Λέοντα ὀχὲ καὶ μόλις ἐπέκλινε, τοῦ μὴ κατ' αὐτὸν χωρῆσαι ὠμότητα· ὑπερορίᾳ δὲ τοῦτον ἢ λόγος παραπεμψάμενος, αὐτὸς διὰ σπουδῆς εἶχεν τῇ κεφαλῇ τὸ βασίλειον περιθεῖναι διάδημα.

& eum Imperio motum,

in exilium ablegat:

à S. Nicephoro confessio symbolo fidei subscribere negat, nisi coronatus,

32 Ταύτης οὖν τῆς συμφορᾶς ὁ θεοφόρος Νικηφόρος αἰσθόμενος, καὶ τὸ πολύγνωμον καὶ πολυκλινὲς τοῦ ἀνδρὸς ἐννοούμενος, ταῖς ἐξ ἔθους ἐγγράφοις τῆς πίστεως ἐπαγαγεῖν αὐτὸν ὁμολογίαις ἐσκόπει· καὶ δὴ τόμον συντάξας, τὸ τῆς ἀμωμήτου λατρείας ἡμῶν περιέχοντα σύμβολον, ὑποσημήνασθαι χερσὶν οἰκείαις διά τινων Ἀρχιερέων τὸν Βασιλέα προέτρεπεν. Ὁ δὲ

D μάλιστα μὲν τοῖς λεγομένοις κατένευεν, ὑπερετίθετο δὲ τοῦτο ποιεῖν, μέχρις ἂν ἡ τοῦ διαδήματος ἐπ' αὐτὸν ἀναβαίη τιμή, ἐπ' ἂν δὲ τύχοι ταύτης, τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς ζυγοῖς ἑαυτὸν ὑποκλίνειν ἕτοιμον εἶναι. Ὁ δέ γε τῷ τῆς συνειδήσεως κέντρῳ καὶ ζόφῳ νυττόμενος, καὶ τούτοις οἷα μέλανι καὶ καλάμῳ κακῶς ἀποχρώμενος, εἰ τῷ τῆς αἱρέσεως καὶ πρὸ τοῦ διαδήματος καθυπέγραφε πίνακι, ὅλον ἑαυτὸν ἐμπαρέχων τοῖς ἄγουσι δαίμοσιν, ἢ τοῖς πρὸς σωτηρίαν ὁδηγεῖν ἐσπουδακόσι Πατράσι πειθόμενος.

AVCTORE IGNATIO

subscribit libello heresis:

coronatur à S. Nicephoro,

33 Ἧκεν οὖν ἐπὶ τὸ τῆς Σοφίας ἱερὸν ἀναληψόμενος τὸ διάδημα. Τότε δὴ τότε αὐτουργῷ τῆς ἀναρρήσεως τῷ μεγάλῳ Ἀρχιερεῖ τυγχάνειν μέλλοντι, ὁ τὰ ἔμπροσθεν ποιῶν βλέπειν ἀκοίμητος ὀφθαλμός, καὶ τὰ κατ' αὐτὸν τῷ Δικαίῳ τεκμήρασθαι καλῶς ἐδικαίωσεν. Ἐδόκει γὰρ ὁ Ἅγιος μετὰ τὴν τῆς εὐχῆς ἐπίκλησιν, καὶ τὴν τοῦ στεφάνου ἀνάληψιν, ἡνίκα ψαύειν τῆς κορυφῆς τοῦ τελουμένου καιρὸς ἦν, ὡς εἰς ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἐρεῖσαι τὴν χεῖρα, καὶ οὕτως τὸν στέφανον ἐπαφεῖναι, ὥστε καὶ ὀδύνης ἐπαισθάνεσθαι διωμολόγει τρανώτατα. E Τὴν γάρ, ὅσον οὐκ ἤδη, ἄθεσμον αὐτοῦ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας τραχύτητα προσρήγνυσθαι μέλλουσαν ἡ ἀκανθοπλὴξ ἐκείνη κορυφὴ τῇ τοῦ Ἁγίου ἐπαφῇ προεμαντεύετο.

quasi spinis & tribulos tangente caput eius.

negat se fidei orthodoxæ velle subscribere.

34 Ἀλλ' ᾤχετο τὴν κάραν τῷ βασιλείῳ στεφάνῳ δεσμούμενος, ἐν ᾗ καὶ τὴν ἐσχάτην ὑπέδυ ἐνδίκως πληγήν, ἐπεὶ τῶν ἐνδίκων ὑπερόπτης γεγένητο. Δευτέρα τοίνυν τῆς Βασιλείας ἡμέρα καὶ αὖθις ὁ Θεοφόρος τῷ τῆς ὀρθοδοξίας τόμῳ τὸν ἀρτιφανῆ Βασιλέα κατήπειγεν ἐνσημήνασθαι, ὁ δὲ κραταιῶς ἀπηρνεῖτο. Τῷ γὰρ ψεύδει τὴν πορφυρίδα χρώσας καὶ τὴν Πρωτέως πρωτοπεῖραν ἐμμαξάμενος, ἀλλοπρόσαλλος τοῖς ἐντευξομένοις ἐφαίνετο. Ὢ τῆς δεισιδαίμονος ἐκείνης ψυχῆς, δι' ἧς ἡ τῆς πίστεως δονεῖται κρηπίς! ὢ τῆς ἀκαθέκτου περιπλανήσεως τῶν ἐκείνου φρενῶν, ὑφ' ὧν τὸ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας παραλελόγισται φρόνημα! ὢ τῆς τοῦ ψεύδους πολυσχιδοῦς ἐμπλοκῆς, δι' ἧς τὸ τῶν ὀρθῶν δογμάτων ἀποίκιλον συμποδίζεται! Οὐ γὰρ πρὸς ἀντιπάλους, οὐ πρὸς ἐχθροὺς τηνικάδε τῇ πόλει προθέντας χαράκωμα ὁ πρῶτος ἀγὼν αὐτῷ γίνεται, κατ' αὐτοῦ δὲ τοῦ τὰς F ἡνίας τῆς ἐξουσίας (οἷς οἶδε κρίμασι) δόντος, τὴν παράταξιν ἐγχειρίζεται. Τῶν γὰρ ἐχθρῶν, ὡς φθάσας εἶπον, οὐδὲν ἢ ὀλίγα φροντίσας, ὡς οὐ συμμίξαι ἢ ἀντωπῆσαι πρὸς τούτους ἱκανούμενος, διὰ τὴν προσθέτης ἥττης αὐτουργηθεῖσαν παρ' αὐτοῦ μηχανορράφον ἐπίνοιαν, κατὰ τοῦ Παμβασιλέως ἐχώρει τῶν ὅλων, πάντα κάλον καὶ κύβον ἐπανατείνων περιαιρεθῆναι τὸ αὐτοῦ τῆς Ἐκκλησίας εἰκόνισμα. Δέον γὰρ τὸ αἰδέσιμον εὐλαβηθῆναι τοῦ πράγματος, δέον τὸ τῆς παραδόσεως ὠγύγιον ἐνστερνίσασθαι σέβας, δέον τῆς οὕτω θεοστιβοῦς ὁδοῦ ὑφ' ἧς τὰ τῶν Ἁγίων ἴχνη προωδεύσαν ἐπιμετρῆσαι τὸ βέβαιον, δέον ἐκπλαγῆναι τοῦ θεοφόρου Ποιμένος τὴν ἔνστασιν· ὁ δὲ τῆς μανίας τὸν ὄφιν ὑπήρειδεν, καὶ κατιωθεὶς τὴν φρένα τῷ δολίῳ φρονήματι, εἴχετο τοῦ βουλήματος. Πάντα μὲν λόγον παλαιῶν ὡς ὁ δοῦλος ἐκεῖνος ὁ Ἱεροβοάμ, καὶ βουλὴν συνετῶν ἐξ αὐτῆς ἐντεύξεως τὸ χρήσιμον φέρουσαν ἀπωσάμενος, ἐπὶ δὲ νεωτέρων λογίδια καὶ γραϊδῶν μυθάρια, οὐκ ἄνωθεν ἀπὸ γῆς δὲ φθεγγομένων, ἐτράπετο, ἐπιμετροῦντα χρόνων μήκη καὶ νίκας, εἰ τῇ ἀρχαίᾳ καταστάσει τὴν ἀσέβειαν ἐξεμέσειεν.

deses aduersus hostes Imperij,

Christo & sacris imaginibus bellum infert.

A *AVCTORE IGNATIO. cõ uenticulum impiorum hominum colligit:*

35 Ἄγεται τοίνυν ἐφ' ἑαυτῷ μέρος ὅσον ὑποπλώσει κανονικῇ τῆς ἱερᾶς λειτουργίας ἀνείργετο, ὅσον καὶ μὴ βουλόμενον ταῖς ὑπαγωγαῖς τῆς βίας ἐκάμπτετο, οἷς καὶ τόπον εἴσω τῶν βασιλείων ἀποκληρώσας, καὶ τὸ πρὸς τρυφὴν συῶν δίκην ἀποτάξας αὐτοῖς σιτηρέσιον, νέαν πίστιν συντάττειν ὁ νεόφρων Ἀποστάτης ἐκέλευσεν. Οἱ δὲ τῷ βασιλείῳ θράσει, ὡς ὁ μυθικὸς ἐκεῖνος Αἰγαίων, γαυρούμενοι, σχεδὸν κατὰ πάσης Ἐκκλησίας ὠμότατα θέοντες, βίβλους ἀνηροῦντο καὶ τὰς μὲν κατ' εἰδώλων ἔστεργον, ὡς συνηγορούσας αὐτῶν τῷ φρονήματι· τὰς δὲ ὑπὲρ εἰκόνων ἐπιμπρῶν, ὡς ἐλεγχούσας αὐτῶν τὰ μυθεύματα.

36 Εἰσκαλεῖται δὲ καὶ τῶν Ἐπισκόπων τοὺς πλείονας, τῷ νεωτεροποιῷ τούτῳ συνηγορήσοντας σκέμματι· οἵτινες ἡνίκα τοῖς ἀντιπέρας ἐπινείοις τοῦ Βυ-
k ζαντίου προσήγγιζον k οὐχ ἑκουσιότητι, κατὰ τὸ κρατῆσαν ἔθος πρὸς τὸν Ἀχιστοίμενα στέλλοντες, *
** MS. ὡς.*
πρὸς αὐτὸν διεπορθμεύοντο· τὴν βασιλικὴν δὲ ῥοπὴν ἀντιστατοῦσαν ὑπαντιάζοντες καὶ βίᾳ δεσμούμενοι, πρὸς τὰς Ἐχέτου καὶ Φαλάριδος ποινὰς παρεπέμποντο· καὶ εἰ μὲν τὸ δοκοῦν ἐκείνοις ἐτίθεντο, λύσις τῶν δεινῶν ἐπηκολούθει καὶ ἄνεσις· εἰ δέ τις τῷ τῆς ἀ-
Episcopos Catholicos carceri includit;
B ληθείας κέντρῳ νυττόμενος πρὸς τὴν ἀσέβειαν ποσῶς ἀπεμάχετο, εἱρκταῖς καὶ λιμοῖς καὶ χθονίοις κατεκρίνετο δείμασιν, οὐδὲν τῶν τῆς Ἐμπούσης ἀνεκτότερον φαντασμάτων ὑπάρχουσι. Οὕτω τὸ τοῦ δευτέρου Καϊάφα συνίστατο βουλευτήριον, οὕτω τῆς Ἰαννοῦ καὶ Ἰαμβροῦ μεγαλορρημοσύνης κατὰ τοῦ νέου Μωϋσέως ἐπετηδεύετο τὸ ἀγώνισμα, οὕτως ὁ τῆς ἱερωσύνης ἀστὴρ καὶ τῆς οἰκουμένης Νικηφόρος Πατὴρ ὑπὸ τῶν τοῦ σκότους εὑρετῶν καὶ τοῦ Ἀντιχρίστου προστατῶν καὶ προδρόμων ἠθέτητο. Τῷ γὰρ Διδασκάλῳ σιγὴν ἀπειλήσαντες, τοῖς μηδὲ μαθητῶν βαθμὸν εἰληχόσι τὸ διδάσκειν ἐν Ἐκκλησίαις προτρέπουσι· καὶ τὸν τοῦ λόγου χρυσόρειθρον ποταμὸν κατὰ λόγον κωλύουσι φέρεσθαι, τοῖς δὲ βόθρον ἑαυτοῖς ἀπωλείας ὀρύξασι, καὶ ὕδωρ σοφίας οὐκ ἔχουσιν ἐπιστημονικῶς τὴν Ἐκκλησίαν ἄγειν οὐ φροντίζουσι· τὸν Ἀρχιερέα τῆς ἱερᾶς ἔχεσθαι τραπέζης ἀπείργουσι, καὶ οἷς μηδὲ εἰς οἶκον Θεοῦ εἰσιέναι θεμιτὸν τὰ τῶν Ἁγίων ἐγχειρίζουσιν ἄδυτα· τοὺς τῆς Ἐκκλησίας στύλους ἢ δοκοῦσι σαλεύουσι, καὶ ἀντερείδειν
S. Nicephorum arcet:
maleuolos Ecclesiæ præficit.
C τοῖς ἀνεμιαίοις καὶ ἀστάτοις αὐτῶν ταύτην αὐλοῦσι ληρήμασι.

CAP. VI S. Nicephorus precibus fusis,

37 Ταῦτα ὁ τοῦ Θεοῦ θεράπων Νικηφόρος θεώμενος, πᾶσαν ἱκετηρίας ἰδέαν πρὸς Θεὸν ἐπενόει, ἀντιβολῶν καὶ πρὸς συμμαχίαν καλῶν τῇ μὲν Ἐκκλησίᾳ διασώσασθαι τὸ ἀμώμητον, καὶ τὸ τοῦ ποιμνίου ἀκίβδηλον μὴ χρανθῆναι τοῖς τῆς ἑτεροδοξίας μιαροῖς ἀλιτήμασιν. Διὰ τοῦτο πρὸς ἑαυτὸν πάντας εἷλκεν ἐνουθέτει, παρεκάλει τῇ ζύμῃ μὴ συμφύρεσθαι τῶν αἱρετιζόντων ἀπέτρεπεν, ὡς ἰὸν καὶ ὡς κύημα ἐχιδνῶν τὰ τῆς διδασκαλίας αὐτῶν ἀλλόφυλα προφεύγειν ἀμβλώματα· Οὐ γάρ, ἔλεγεν, σωματικὸν ἐπάγουσι μώλωπα, φαρμάκοις ἰατρικοῖς ὑπήκειν δυνάμενον· τοῖς τῆς ψυχῆς δὲ μυχοῖς ἐνιεῖσι τὸν κίνδυνον, τὴν ἐξ ἐπιπολῆς ἀνακινόμενα μότωσιν. Μὴ τοίνυν ἐνδῶμεν τῇ τοῦ καιροῦ ῥοπῇ, μηδὲ τῇ τοῦ κρατοῦς φορᾷ· εἰ γὰρ Βασιλέα καὶ πολὺ σμῆνος σὺν αὐτῷ κακοφρόνων ἡ αἵρεσις ἐπισύρεται, ἀλλ' εἰς οὐδὲν αὐτοῖς ἡ ἰσχὺς ἀποβήσεται, οὐδὲ εἰς Ἐκκλησίαν Θεοῦ λογισθήσεται. Οὐ γὰρ ἐπὶ πλήθει Θεὸς εὐδοκεῖ, ἀλλ' ἐφ' ἑνὶ φοβουμένῳ καὶ τρέμοντι τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπισκοπεῖ, καὶ ὅλην Ἐκκλησίαν τὸν ἕνα
admonet bonos

D σαφῶς ἀποδείκνυσι. Τοῦτον διὰ προσευχῆς ἱλεωσώμεθα τὴν δυσμένειαν, τοῦτον παννύχῳ στάσει δυσωπήσαντες ἐκμειλιξώμεθα, τοῦτον αἰτήσωμεν μὴ παθεῖν ἡμᾶς ὅσα σπουδάζουσι καθ' ἡμᾶς οἱ διώκοντες. Ταῦτα ἔλεγε καὶ πάντας εἶχετο ἱερόν, τὴν πάννυχον ἐπιτελέσαντες σύναξιν.
indicit noctes solemnes stationes ad Dei placandam iram,

38 Καὶ ἐπεὶ Βασιλεῖ καταφορά τὰ τῆς ὑμνῳδίας ἐγένετο, δέος αὐτὸν καὶ δειλία συνεῖλε, μή τι ἄρα καὶ νεωτερισθείη κατ' αὐτοῦ, αἰδοῖ τῇ πρὸς τὸν Ἀρχιερέα καὶ σχέσει κινούμενον. Περὶ οὖν ᾠδὰς ἀλεκτρυόνων στέλλει πρὸς τὸ ἱερὸν δυσπαθῶν καὶ ἀγανακτῶν, ἐπίκλημα περὶ τούτου φέρων τῷ Ἀρχιποιμένι ὡς ταραχῆς αἰτίῳ τυγχάνοντι· Οὐ γὰρ ἔδει, φησί, Βασιλέως πρὸς εἰρήνην τὸ πᾶν συνελαύνοντος, διάστασιν μελετᾶν καὶ διχόνοιαν καὶ τῆς εἰρήνης καταδέχεσθαι. Ἀλλ' ἐπειδὴ τὰ παρὰ γνώμην τῷ Βασιλεῖ πράσσοντες πεφώρασθε, ἐπιλαβούσης λοιπὸν ἡμέρας τὴν πρὸς τὰ Βασίλεια ποιεῖσθε πορείαν, ὡς ἂν καὶ αὐτὸς τὰ περὶ τούτων διαγνοίη σαφέστερον. Ἐπειδὴ δὲ τὸ πλῆθος τῆς ἀγγελίας ἐπῄσθοντο, προθυμίαν ἀκοῆς ἐπεδείξαντο κρείσσονα· Οὐ γὰρ ἦν οὐδείς, ὃς οὐ δάκρυον ἐκ καρδίας ἐξεκαλεῖτο ἱκέσιον, καὶ τὸν ἔφορον τῶν πάντων κριτὴν ἐβιάζετο διατηρῆσαι καὶ τηρῆσαι τῇ Καθολικῇ πίστει τὸ δίκαιον. Τέλος γοῦν τῆς εὐχῆς λαβούσης, ἐκκλησιάσας τὸν ἱερὸν ὁ Πανίερος σύλλογον καὶ καταστὰς εἰς μέσους, ἔλεξεν ὧδε.
accersitum cum aliis Sacerdotibus in palatium,
E

39 Ἔδει μέν, ὦ θεόλεκτον ἄθροισμα, μηδὲ ἐν ὀνειράτων ὄψει τὴν Ἐκκλησίαν ὁρᾶν, ἐν οἷς ἐστι σήμερον, καὶ ἅμα τὰ κατ' αὐτῆς δεινὰ μελετώμενα, ὅτι ἐξ φαιδρότητος τὸ κατηφὲς ἐπενδύεται, ὅτι ἐκ βαθείας εἰρήνης πρὸς στάσεις ἐπείγεται, ὅτι πάντας ἑκουσιότητι τελείᾳ ποιμάνουσα l ἀκούσιον ἁρπαγὴν τῶν ποιμαινομένων ὑφίσταται, ὅτι πᾶσι ὁμογνωμονεῖν ἐπιτρέπουσα διαφόροις δόξαις διΐσταται, ἣν ὁ Χριστὸς τῷ ἰδίῳ περιεποιήσατο αἵματι, ἣν παντὸς μύσους καὶ κηλῖδος τετήρηκεν ἄμωμον, ἣν Ἀποστόλοις καὶ Προφήταις καὶ Μάρτυσι καὶ πᾶσι Δικαίων πνεύμασι περιστοιχήσας τετειχισμένην ἔδειξεν ὡς Παράδεισον. Νυνὶ δὲ ταῦτα βλέπομεν πάσχουσαν, ὑπὸ τῶν τὸ δοκεῖν ἐχόντων ἡμέτερον, τὸ δὲ εἶναι καὶ λίαν ἀλλοτρίων, ὅσα καὶ παρ' ἐχθρῶν παθεῖν ἀπευχόμεθα.
Catholicos adhortatur,
l
F Σήμερον γὰρ τῇ τοῦ Χριστοῦ εἰκόνι συνατιμοῦται καὶ τὸ ἀρχέτυπον, εἴγε ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. Σήμερον ἡ ἀνέκαθεν τῇ Ἐκκλησίᾳ διὰ λόγου καὶ γράμματος συντηρηθεῖσα παράδοσις, ἐκκοπὴν καὶ παῦλαν ὅσον ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς τῆς ἀληθείας λαμβάνει, καὶ παράδοσιν ἣν οὐκ ἤκουσεν ἐνωτίζεται. Ἀλλὰ μὴ [δεῖ] καταπίπτειν ταῖς ἐκείνων ἀπειλαῖς, μηδὲ ὑποχαλᾶν τι τῆς προθυμίας, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ διανίστασθαι, ὅσον μετὰ συμμαχίας ὁ πόλεμος· ἐοίκασι γὰρ οἱ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ τοῖς φιλοπονοῦσι τῶν ποταμῶν τοὺς ῥαγδαίους ἐναντίως τῷ ῥεύματι διανήξασθαι. Ἐκεῖνοι γὰρ ἐπὶ τὰ πρόσω χωρεῖν ἁμιλλώμενοι τῷ ποταμῷ, καὶ μὴ θέλοντες συναπέρχονται· οὗτοί τε μυρία κατ' αὐτῆς φλυαρήσαντες, ἐκείνῃ καὶ ἄκοντές εἰσιν ὁμογνώμονες. Ἀκαταγώνιστον γὰρ πρᾶγμα καὶ πάντα δυνάμενον ἡ ἀλήθεια, καὶ μεγάλην τὴν ῥοπὴν ἐφ' ἑκάτερα χαριζόμενον. Οἶδε στεφανοῦν ἐν ἑκάστῳ τιμώμενον, οἶδε χειροῦσθαι πανταχοῦ πολεμούμενον. Μετὰ ταύτης καὶ ὁ ἄνοπλος ἄτρωτος, ἄνευ δὲ ταύτης καὶ ὁ ὁπλίτης εὐάλωτος. Μάρτυρες δὲ τῆς εἰρη-
ut veritati semper victrici adhæreant;

A εἰρημένων οἱ πρὸς οὓς ἡμῖν ὁ λόγος· οὐδὲν γὰρ τῆς ἀληθείας φροντίσαι σπουδάζοντες, καὶ αὐτοῖς τοῖς τὰ στοιχεῖα παιδευομένοις γεγόνασι παίγνια, αὐτοὶ ἑαυτοῖς πρὸς ἀντιλογίαν ἀρκοῦντες, καὶ τῶν οἰκείων κατὰ τοὺς κεκαινουμένους σαρκῶν ἐμφορούμενοι.

40 Τοιαῦτα τοίνυν ὑποστοχάδην ἀγορεύσας, καὶ τὸ ἱερὸν ῥάκος ἐπὶ τῶν ὤμων θεὶς, τὴν Βασιλέως αὐλὴν σὺν παντὶ τῷ τῆς Ἐκκλησίας καταλαμβάνει πληρώματι· ὃν οὐχ ὡς εἰώθει χειρὶ καὶ ἀσπασμῷ Βασιλεὺς προσεδέχετο, τεκμηρίοις οὖσιν εἰλικρινοῦς διαθέσεως, ἀλλὰ διάστροφόν τι καὶ μανικὸν ὑποβλέψας προηγεῖτο, καὶ τῆς βασιλείου καθέδρας ἐπειλημμένος, τῷ δὲ Δικαίῳ τόπον ἐδίδου τὰ δευτερεῖα τῆς καθέδρας ἐπέχοντα. Ἃ δὲ Βασιλεῖ μόνος τότε μόνῳ διείλεκται, καὶ τῆς ἐκ τῶν θείων γραφῶν νιφάσι κατέκλυσε, καιροῦ καλοῦντος ἤδη λελέξεται. Καὶ γὰρ αἱρήσειν τὸν Ἅγιον ᾤετο, τὸ πεπολιορκημένον ἐκεῖνο ὑπὸ ἀσέβειαν ἀνδράγαθον, εἰ μόνῳ προσβάλλοι, συμμαχίας καὶ ὅπλων ἐστερημένῳ. Ἄρχεται τοίνυν, ὡς ἐκ κατωτάτου B βυθοῦ τοῦ θυμοῦ τὸν νοῦν ὑπεκκαίοντος, λέγειν τοιάδε. Τίς, ὦ οὗτος, ἡ παρ' ὑμῶν τεκταινομένη διχόνοια, μᾶλλον δὲ κατὰ τῆς Βασιλείας νεανικὴ ἐπισύστασις; ὁ γὰρ τοῦ ἡμετέρου Κράτους ἐκτὸς συνάγειν καὶ ἑτεροδιδασκαλεῖν καὶ κατεντεύξεις πρὸς τὸ κρεῖττον ἐπινοεῖν πειρώμενος, οὐδὲν ἢ κατὰ τῆς κοινῆς σωτηρίας ἑαυτὸν ἐπαφίησιν. Εἰ μὲν γὰρ ἐπ' ἀναιρέσει τῶν ὀρθῶν δογμάτων τὸ ἡμέτερον Κράτος ποιεῖν τι προῃρεῖτο καὶ τὴν τούτων διασαλεύειν ἐπειρᾶτο (ὡς ὑμεῖς φατε) παλαιότητα, εἶχεν ἄν τις καὶ καιρὸν καὶ τρόπον μομφαῖς ἡμᾶς περιαντλεῖν, καὶ ἑτεροδοξίας εἰσφέρειν ἐπίκλημα· ἐπεὶ δὲ τῆς τούτων ὀρθοτομίας ἐρῶμεν, καὶ πᾶσαν διχόνοιαν ἐκτρέπεσθαι προαιρούμεθα, καὶ ὁμογνωμονεῖν ἐπὶ τῇ πίστει πάντας βουλόμεθα, τί ἀδικεῖν ἐν τούτῳ φαινοίμεθα, τὸ εἰρηναῖον τῇ Ἐκκλησίᾳ πρυτανεύειν ἐθέλοντες; Οὐκ οἶσθα, ὡς οὐκ εὐαρίθμητον μέρος διενοχλεῖ καὶ τῆς Ἐκκλησίας διΐσταται τῆς τῶν εἰκόνων ἕνεκεν γραφῆς τε καὶ στάσεως, ῥήσεων γραφικῶν περὶ τῆς τούτων ἀποτροπῆς ἐπικομιζόμενον διατάγματα; ὧν ἀδιερεύνητα εἰ παροφθείη τὰ προτεινόμενα, οὐδὲν κωλύει μὴ τὸ τῆς πίστεως σύμφωνον εἰς διαιρέσεις λυθῆ- C ναι καὶ μὴ πρὸς ἕνωσιν ὀρθοτόμου τὸ λοιπὸν ἰδεῖν συνελάσεως. Τοῖς οὖν περὶ τούτων διαμφιβάλλουσι πάσης ἄτερ ἀναβολῆς ὑμᾶς διαλεχθῆναι προτρέπομεν, καὶ πείσειν ἢ πεισθῆναι κεκρίκαμεν, ὡς ἂν καὶ ἡμεῖς τὰ δικαίως ἐγνωκότες λεγόμενα, μετὰ τοῦ δικαίου γινοίμεθα, καὶ τούτῳ τὴν ῥοπὴν χαρισαίμεθα. Εἰ δὴ μὴ τοῦτο ποιεῖν κατανεύσοιτε, m τῇ δὲ σιγῇ τὸ δίκαιον ἑαυτοῖς θηρᾶσθαι θελήσοιτε, οὐκ ἄδηλον ὅποι τετάξεται τὸ ὑμέτερον.

ad Imperatorem abit, *acriter reprehenduntur:* *eum hereticis disputare iubetur;*

41 Ὑπολαβὼν δὲ ὁ τῆς ἀληθείας φωσφόρος Νικηφόρος ἀντέφησεν· Οὐ τέκτονες ἡμεῖς, ὦ Βασιλεῦ, τῶν πρὸς διχόνοιαν καὶ στάσιν ὁρώντων ὑπάρχομεν, οὐδὲ κατὰ τῆς σῆς Ἀρχῆς ὅπλα τὴν ἡμετέραν εὐχὴν κεκινήκαμεν· εὔχεσθαι γὰρ ὑπὲρ Βασιλέων, οὐ κατεύχεσθαι παρὰ τῆς Γραφῆς νουθετούμεθα. Οὐδέγε πρὸς ἑτεροδιδασκαλίας νόσον τὸν ὑγιᾶ λόγον τῆς πίστεως παρεκλίνομεν· τοῖς τοιούτοις δὲ καὶ χαίρειν ἐκ τοῦ τῆς ἀληθείας Καθηγεμόνος ἐντεταλμένου ἡμῖν, εἰπεῖν παραιτούμεθα. Τοῦτο δὲ ἴσμεν καὶ ὑμῖν εἰδόσι ἐπιβοησόμεθα, ὡς πρῶτον ἀγαθὸν τὴν εἰρήνην εἶναι ὁμολογεῖται παρὰ πάντων ἀνθρώπων, οἷς τι καὶ κατὰ βραχὺ λογισμοῦ πάρεστιν, ὥστε εἴ τις διαλυτὴς ταύτης γένοιτο, τῶν κακῶν αἰτιώτατος ἄν, οὐ τῶν

respondet Imperatori.

πέλας μόνον ἀλλὰ καὶ ὁμογενέσι τοῖς αὐτοῦ εἴη. Βα- D σιλεὺς οὖν ἄριστος οὗτος ἐκεῖνός ἐστιν, ὃς ἤδη ἐκ πολέμου εἰρήνην διατίθεσθαι ἱκανὸς πέφυκεν· σὺ δὲ, τῶν πραγμάτων εὖ καθεστώτων ταῖς Ἐκκλησίαις, πόλεμον ἐπάγειν ἡμῖν αἰτίαν οὐκ ἔχοντα ἔγνωκας· καὶ τῶν ὀρθῶν δογμάτων, ἐν οἷς ὁ τοῦ Χριστοῦ κηρύσσεται σταυρὸς, διαλαμπόντων (καὶ γὰρ οὐχ Ἑῴα οὐχ Ἑσπέρα, οὐ Βορρᾶς, οὐ Θάλασσα τῆς τούτων τηλαυγίας ἔξω καθέστηκεν) ἀμυδράν τινα φθοροποιῶν ἀνδρῶν διδασκαλίαν ἀντεγείρειν οὐχ ἥκιστα κέκρικας. Τίς γὰρ ὑμῖν Ῥώμη, τὸ πρωτόβλητον τῶν Ἀποστόλων ἕδος, ἐπ' ἀθετήσει τῆς Χριστοῦ σεπτῆς εἰκόνος συνέπνευσεν; οὐ· ἡμῖν δὲ ἐπὶ τῇ ταύτης τιμῇ συμπονεῖ καὶ συνήδεται. Τίς Ἀλεξάνδρεια, τὸ τοῦ Εὐαγγελιστοῦ Μάρκου σεβάσμιον τέμενος, τὴν τοῦ Θεομήτορος σαρκικὴν δι' ὕλης εὐφέρειαν ἀναστηλοῦσθαί ποτε συναπείπατο; ἐν τούτῳ δὲ ἡμῖν συνεργεῖ καὶ συμφέρεται. Τίς Ἀντιόχεια, ὁ τοῦ κορυφαίου Πέτρου μεγαλώνυμος θᾶκος, ἐφ' ὕβρει τῆς τῶν Ἁγίων συνέδραμεν ἐκτυπώσεως; ἡμῖν δὲ τὸ τούτων ἀρχαϊκὸν συν- E εργάζεται γέρας. Τίς Ἱεροσόλυμα, τὸ τοῦ Ἀδελφοθέου κλεινὸν ἐνδιαίτημα, ἐπ' ἀναιρέσει τῶν Πατρικῶν συμπεφρόνηκε παραδόσεων; Τίς οἶμαι τῶν ὑπὸ τὴν Ἀρχὴν ὑμῶν τελούντων ἐκθυσιαζόμενος Ἱερεὺς, ἀλλ' οὐχὶ βίαν ὑποστὰς, ἀκούσιον συνεπιθέται καὶ συντίθεται; Ποία δὲ τῶν Καθολικῶν Συνόδων, ὑφ' ὧν τὸ τῆς πίστεως εἰλικρινὲς Πνεύματι θείῳ πεπεράνωται σύμβολον, ἐπὶ τούτοις ὑμῖν συνεφθέγξατο; ὁ γὰρ τῆς τούτων γυμνητεύων συννεύσεως τῇ Ἐκκλησίᾳ δογμάτων ὑφαίνειν περιβολὴν οὐ δυνήσεται. Ἀλλὰ, Βασιλεῦ, μὴ δῷς τῇ αἱρέσει χεῖρα κάτω κειμένῃ, μηδὲ τῇ εὐλόγῳ σιγῇ καταδικασθείσῃ φωνὴν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐμπνεύσειας διὰ φωνῆς. Αὕτη μετὰ τῶν αὐτῆς εὑρετῶν ἀπερρίφθω ἐς μακρὰν, οἰχέσθω ἐς κόρακας, ἀποπεμπέσθω ἐς Κυνόσαργας· ἡ δὲ τῆς Ἐκκλησίας ἀσύγκριτος ἀεὶ μενέτω μεγαλοπρέπεια. Οὐδὲν μέρος τῆς ὑφ' ἡλίῳ, ὡς φθάσας τῷ ὑμετέρῳ εἴρηκα Κράτει, ἕκατι τῶν ἱερῶν εἰκόνων ταύτην παραλιπεῖν προτεθύμηται, οὐδὲν κατὰ τῆς νομίμου αὐτῆς εὐταξίας ἀταξίαν ποτὲ μεμελέτηκεν· πάντοθεν γὰρ τὸ ἠρεμαῖον καὶ στάσιμον ἔχουσα, κρηπίδων F καὶ στύλων καὶ αὐτῶν τῶν τοῦ ᾅδου πυλῶν κατισχύουσα φαίνεται. Μὴ τὰς νεωτεροποιοὺς διδασκαλίας κατὰ τῆς προβεβηλίας ἡμῶν ἐπαφήσητε παραδόσεως· αὗται γὰρ πρὸς χάριν, οὐ τὰ τοῦ Κυρίου λαλεῖν μεμαθήκασιν, αὗται τῶν ἀπὸ κοιλίας φωνούντων εἰσὶν ἐξαμβλώματα. Εἰ δέ τις τῶν ἑτεροδόξων τὴν ὑμετέραν ὀρθὴν παρεσάλευσε νῆψιν (ἴσμεν γάρ σε καὶ πρὸ τοῦ στέφους τῇ ἀμωμήτῳ πίστει προσκείμενον) καὶ λόγος χραίνειν ἀκοὰς δυνάμενος τὸ ὑμέτερον οὖς διελάσας παρέπεισε, καὶ σκῶλον ὑμῖν ἀπεγέννησεν, εὑρέσθαι δὲ τούτου λύσιν εἰ ἱμείρεσθε, ταύτην ἐπιφύσει Θεοῦ παρέξειν ὑμῖν βεβαιούμεθα. Χρέος ἡμῖν τοῦτο, καὶ χρεῶν ἁπάντων ἀναγκαιότατον, τοῦ τὸ σκάνδαλον ὑμῖν ἐπαφέντος, Θεοῦ διδόντος, ἀναστεῖλαι προθελύμνως. Διᾶραι δὲ στόμα, καὶ τὰ τοῦ πνεύματος μετὰ τῶν ἔξω τοῦ πνεύματος συζητεῖν οὐκ ἀναγκαῖον τιθέμεθα, κἂν εἰ πάσης ἀνάγκης πειρασθείημεν αἰτίας, οὐδὲ τῆς ὑπ' ἐκείνων ἀποκυηθείσης γραφικαῖς καὶ Πατρικαῖς ὑπήκομεν ῥήσεσι. n Πάλαι γὰρ ὑπὸ πολλῶν ἐλεγχθεῖσαι, καὶ Πατέρων, τεθνήκασι.

AVCTORE IGNATIO dum hæresis invicta est: *Sedium Patriarchalium, Synodorumque auctoritate connexis:* *satisfacturum se Imperatori recipit: cum damnatis hæreticis disputare renuit,*

42 Καὶ ὁ Βασιλεὺς ὑποφθάσας φησίν· Ἀλλ' οὐδὲ Μωϋσῆς σοι περὶ τούτων τῆς ἀληθοῦς πεφωτικέναι CAP. VII

AVCTORE IGNATIO.

A καὶ φαίνεται ῥήσεως; Οὐκ ἂν δὲ ἀμφιγνοοίης ὡς Θεοῦ λόγοι τοῦ Μωσέως οἱ λόγοι, μήτι εἴδωλον, μήτι ὁμοίωμα ποιεῖν ἐπιτρέποντος, οὐκ ἀνθρώπου μόνον ἁπλῶς δὲ οὕτω καὶ ἀορίστως, μὴ τῶν κατ' οὐρανὸν ἀεροπορούντων, μὴ τῶν ἐν γῇ διαιτωμένων, μὴ τῶν ἐν ὕδασι νηχομένων; Πῶς οὖν ὑμεῖς εἰκόνας δημιουργοῦντες προσάγετε αὐταῖς τιμάς, ἃς ὁ Νομοθέτης ἀπηγόρευσεν; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ὡς εἰς βαθύ τε καὶ ἀχανὲς ζητήσεως πέλαγος ἀνάγεις ἡμᾶς, ὦ Βασιλεῦ, ὃ πολλοὶ μὲν πολλάκις διέπλευσαν, οὐδεὶς δέ γε, ὅσα ἴσμεν ἡμεῖς, ἐπὶ τὸν λιμένα τῆς ἀκριβείας ἀφίκετο. Οἱ μὲν γὰρ καίτοιγε ἄτοπόν τι οἰόμενοι τὰς εἰκόνας χρῆμα καὶ ἑλληνικῆς ἔκγονον πλάνης, ἐν μὲν τῷ ἀφανεῖ τῆς ψυχῆς κριτηρίῳ διαβάλλουσί τε αὐτὰς καὶ τοῖς κατηγόροις συντίθενται· ἐπὶ δὲ τῶν πραγμάτων ἐλθόντες πρύμναν τε ἐκρούσαντο, καὶ ἐναντία δρῶσιν οἷς ἔγνωσαν· εἰκόνες τε γὰρ αὐτοῖς εἰσι καὶ ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις καὶ ἐν ταῖς ἀγοραῖς καὶ ἐν τοῖς οἴκοις, ἤδη δὲ καὶ ἔνιοι συνοδοιπόρους ἔχουσι καὶ ὁμοδιαίτους καὶ πεζοποροῦντες καὶ πελαγίζοντες· Οἱ δὲ τελέως πρὸς τὴν ἀπορίαν ὀκλάσαντες, εὐθὺς ἐκ πρώτης συμπλοκῆς τὰ ὅπλα τῆς ψυχῆς

Obiectioni Imperatoris ex Moyse de nō faciendo sculptili, respondet,

indicato primum vario hominum affectu,

B ἀποῤῥίψαντες, νῶτα τῷ πολεμίῳ παρέχοντο· καὶ οὔτε Προφητῶν αὐτοῖς τιμῶνται εἰκόνες, οὔτε Ἀποστόλων μορφαί, οὔτε Μαρτύρων γραφαί· ἀλλὰ τούτων ἁπάντων ἀπηλλαγμένας τὰς Ἐκκλησίας συστήσαντες, ἀσχηματίστους καὶ τύπον ἐκτὸς τῷ ἀοράτῳ τε καὶ ἀσωμάτῳ Θεῷ τὰς ἑαυτῶν ἱκεσίας ἀνάγουσιν. Ἀλλ' εἰ δοκεῖ μὴ περὶ τὴν ζήτησιν ἀποκάμωμεν, μηδὲ ἀμελῶμεν τῆς θήρας, εἰ μὴ ἐν κύκλῳ περιιόντες, καὶ ἰχνηλατοῦντες τῷ λόγῳ ἐν δικτύοις αὐτὴν ἀλήθειαν ἐμβάλωμεν. Ἄκουε δῆτα τοῦ λόγου, εὖ μάλα σοφοῦ τε καὶ ἀληθοῦς, ὃν ἀποδέξῃ καὶ ἐπαινέσεις, εἰ τῷ ὄντι τοῦ ὄντος ἐρᾷς καὶ τῆς ἀληθείας ἐφίεσαι.

43 Οὐκ οἶσθα, οἵα τις πρώην περὶ Θεὸν τὰς Αἰγυπτίων ψυχὰς ἐπενέμετο πλάνη; καὶ ὡς τὴν ἄκτιστόν τε καὶ ἄϋλον τοῦ Δεσπότου δόξαν καταγαγόντες εἰς ὕλην καὶ εἶδος, ἀνδρείκελόν τι ταύτην καὶ ἀνθρωποειδῆ τετιμήκασιν; οἷος ἦν ἄρα ἐκεῖνος ὁ Ὄσιρις, ὁ Τυφὼν ὁ Ὧρος, ἡ Ἶσις, καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων Θεῶν ὁ κατάλογος, ὧν διελέγχει καὶ ἀποδείκνυσι τὴν ἀκρασίαν ὁ βίος, τὴν δὲ πλεονεξίαν ὁ πόλεμος, τὴν φύσιν ὁ θάνατος. Τί δή; ἄχρι τούτου τὸ Θεῖον ἔστησαν, ἢ καὶ εἰς

Ægyptiacū de Deo errorem Mosaici praecepti occasionem atque rationem fuisse.

C ἄλογα ζῶα καὶ ἀλόγων εἴδη τὸ Θεῖον εἶδος τετύπωτο αὐτοῖς καὶ μεμόρφωτο· καὶ προσεκύνουν μὲν ὡς Θεὸν τὸν κύνα, ὑμνεῖτο μόσχος ὁ Ἆπις, τράγος ὁ Ἑρμῆς, καὶ ἰχθὺς ἡ Ἀθηνᾶ, καὶ γνώμῃ ἀλόγῳ τὰ ἄλογα Θεοὺς ἀνηγόρευον· ἤδη δὲ αὐτὰ καὶ ἐν ἀλλήλοις συνθέντες, πολυμόρφους τινὰς καὶ πολυειδεῖς Θεοὺς ἀνεπλάσαντο· τὸν μὲν τραγόπουν δημιουργοῦντες· ὁ Πὰν οὗτος ἦν· τόδε πρόσωπον κυνὸς περιάπτοντες· Ἄνουβις, οἶμαι, ἐλέγετο, μήτε ἀνὴρ εἶναι ὁλόκληρος μήτε κύων ἐντελὴς συγχωρούμενος. Πότερον ψεύδομαι ταῦτα διεξιών, ἢ ὡς ἀληθέσι συντίθεσαι; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Ἀληθεύεις. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ἐπεὶ οὖν ἐκεῖνος ὁ Νομοθέτης τὸν παραδεδομένον αὐτῷ παρὰ τοῦ Θεοῦ λαὸν ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου ἐξάγων, τὰς ἐντακείσας ἐκεῖθεν ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς δυσεκνίπτους κηλῖδας ἀποσμήχειν τε καὶ ἀποκαθαίρειν βουλόμενος, ἵνα μὴ ἀνθρωποειδὲς καὶ ἀνδρείκελον ἡγῶνται τὸ Θεῖον, ἢ ἑτέρας ζώων ἰδέας παραινεῖ ὡσαύτως καὶ νομοθετεῖ τῷ λόγῳ τοιάδε· Μὴ κατὰ τὸν ἐν Αἰγύπτῳ πολιτεύεσθε τρόπον, ὦ ἄνθρωποι, μηδὲ ἐξ ἐκείνων ἀτύπως μαθόντες Θεοῦ εἰκὼν ἐν ὑμῖν τελεῖται, ἢ ἐκ τῶν ἐν ἀέρι διϊπταμένων,

D ἢ ἐν γῇ κινουμένων, ἢ ἐννηχομένων τοῖς ὕδασιν· οὐ γὰρ ταῦτα Θεός, καὶ εἰ τοῖς Αἰγυπτίοις δοκεῖ, οὐδὲ ἐν εἰκόνι γραπτέον, τὸ μὴ θεωρηθῆναι δυνάμενον. Ἀνείδεον γὰρ τὸ Θεῖον καὶ ἀσχημάτιστον καὶ ἀόρατον, καὶ τῶν φαινομένων καὶ ὀφθαλμοῖς ἀνθρώπων ἐγνωσμένων οὐδέν· ἀλλὰ νῷ μόνῳ θεωρητόν, εἴπου τις καὶ τοῦτο δυνήσαιτο. Εἰ γὰρ δημιουργὸς τῶν πάντων, οὐκ ἂν ἓν αὐτὸς εἴη τῶν πάντων· καὶ εἰ διὰ πάντων διήκει, οὐκ ἂν ἐν ἑνὶ περιβλέποιτο. Ὁ οὖν Νομοθέτης ἐπὶ μόνου Θεοῦ δημιουργεῖν εἰκόνας ἐκώλυσε. Καὶ ὅτι τοῦτο σαφές, πρῶτον αὐτὸς τοῦτο δηλώσει τοῖς ἐπαΐειν ὀρθῶς τῶν γεγραμμένων ἐθέλουσιν· ὡς γὰρ περὶ Θεοῦ τὸν λόγον προφέρων, καὶ πρὸς μόνον αὐτὸν ἀναφέρων τὰ ἐπος, ἐπάγει που λέγων· Οὐ γὰρ προσκυνήσεις αὐτοῖς, οὐδὲ μὴ λατρεύσῃς αὐτοῖς· ἐγὼ γάρ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου, Θεὸς ζηλωτής· Ἡ μὲν γὰρ ἀσεβής τε προπέτεια καὶ ἄτοπος ἔννοια, ἥτις ἄρα ποτὲ τὸν πάσης ἐπέκεινα φύσεως καὶ οὐσίας καὶ γνώσεως, ὃν οὐδεὶς ἑώρακεν οὔτε μήποτε θεάσασθαι δύναται, τούτου μορφὴν καὶ τύπον ἐκ τῶν φαινομένων τὰς ἐννοίας λαβών, ἑαυτῷ τολμηρῶς ἀναπλάσεται· οἷα παρ' Ἕλλησιν ἀσεβῶς ἐτολμήθη, καὶ Θεὸν ζη-

& Israelitis inculcatū, ne eum errorem amplecterentur:

E τοῦντες οὐκ ἄνω τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς ἔτειναν, οὐδὲ ὑπὲρ αἰθέρα καὶ οὐρανὸν τῷ νῷ κουφισθέντες, ἐκεῖ διηρευνήσαντο τὸ ποθούμενον· ἀλλ' εἰς γῆν καὶ ὕλην κατενεχθέντες, καὶ πᾶσαν αὐτῶν τὴν σοφίαν κάτω κενώσαντες, τὰ φαινόμενα Θεὸν ἀνηγόρευσαν. Εἰ δέ τις ἀνήρ, ἢ Βασιλέα τιμῶν, ἢ Στρατηγὸν ὑμνῶν, ἢ ἀριστέα θαυμάζων, εἰκόνας αὐτῶν ἀπεργάζηται, ἀδικήσαι οἶμαι οὐδέν, εἰ, ὃν ἐπαινεῖ τῇ ψυχῇ καὶ οἶδεν ὀφθαλμοῖς, παραστήσει τοῖς χρώμασι· μόνον μὴ ἀμαθῶς, κατὰ τοὺς ἐκείνων φληνάφους καὶ λήρους, ὡς Θεός ποτε τὸ γινόμενον· τοῦτο γὰρ ἤδη ἐστίν, ὃ καὶ Μωϋσῆς ἀπείργει, καὶ ὁ Χριστιανὸς νόμος μισεῖ, καὶ Θεὸς ψεύδεσθαι οὐ βούλεται· Τὴν γὰρ ἐμήν, φησι, δόξαν ἑτέρῳ οὐ δώσω. Ὃς μὲν οὕτως ἐπαΐει τῶν τοῦ Νομοθέτου λογίων, ἀκραιφνὲς μὲν αὐτῷ τηρεῖται τῆς διανοίας τὸ ὄμμα, ἀτρέπτως δὲ τὸ ἄτρεπτον καθορῶν, οὐ τύπον, οὐ χρῶμα περιεῖναι ἐννοεῖ, οὐ τόπον ἢ χρόνον, ἢ ὅσα τοιαῦτα σωμάτων ἴδια, πρὸς ἑαυτὰ τὸν νοῦν διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπισπώμενα· ἀλλ' αὐτοῦ που περὶ τὸ ἀσώματον ἑαυτὸν ἐρείδων, ἀκίνητός τε καὶ ἀτρεμὴς περὶ τὸ ἀγαθὸν ἕστηκεν, ἀθάλωτόν τε καὶ ἀπαθῆ τὴν ἑαυτοῦ φυλάττων ἐνέργειαν. Ὁ

vincentem Imperatorē, Ducem, aliosq; pingi posse;

F δὲ ἄλλως αὐτῶν ἀκροώμενος, καὶ πρὸς τὸ ἀειδές τε καὶ νοερὸν ἰλιγγιάσας ἀτονίᾳ ψυχῆς, τῆς περὶ Θεοῦ ἀπολισθήσας ἐννοίας ἄστατος λήθης πεδίον ἀλᾶται, περὶ σώματα καὶ γῆν εἰλυσπώμενος.

44 Τί οὖν, εἰ καὶ αὐτοὺς ἐκείνους τοὺς κατὰ Μωϋσέως πολιτευσαμένους ἄνδρας ὁσίους, μὴ πεφυλαχότας τόνδε ἐπιδείξω τὸν νόμον, μηδὲ πεφευγότας τῶν οὐρανοῦ καὶ ἐπὶ γῆς ἢ τῶν ἐν θαλάσσῃ ποιεῖν τὰ ἰνδάλματα, εἰ κατὰ τὰς σὰς ἀορίστους ἐννοίας νοοῖτο ὁ λόγος; Ὁ ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Πῶς καὶ τίνα τρόπον; Ὁ ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Μῶν οὐκ ἀκήκοας, ὦ Βασιλεῦ, ὡς οἰκοδομῶν τὸν νεὼν Σολομών, τὴν χαλκῆν ἐκείνην τοῦ ἱεροῦ περιβόλων ἐντὸς ἐπεκτήνατο θάλασσαν, ἐν ᾗ τὰς χεῖρας οἱ Ἱερεῖς αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένας ἐκάθαιρον; Ἐπὶ τίνων οὖν ταύτην ἀπῃώρησεν; Οὐχὶ δυοκαίδεκα βόας χαλκεύσας καὶ τούτους ὑποθείς, ἐπ' αὐτῶν τὴν θάλασσαν ἥπλωσεν; Πῶς οὖν φυλάττει τὸν νόμον, ὁμοίωμα βοῶν ἐν τοῖς τελουμένοις αὐτῷ ποιησάμενος; δι' ὧν, οἶμαι, ὑπέγραφεν, ὡς τῶν Ἀποστόλων ἰσάριθμος χορός, οἱ σοφοὶ τοῦ λόγου βουργάται, τόνδε τὸν κόσμον, τὴν θάλασσαν, εἰς ὕψος αἴροντες

Simulacra in lege veteri interdū usurpata;

boues maris aenei;

A αἴροντες τῇ γενναιότητι τῆς εὐσεβείας, μεμολυσμένας αἵμασι θυσιῶν τῶν Ἱερέων τὰς χεῖρας ἐκκαθαίρον τι καὶ ἐσμηχον τῆς διδασκαλίας τοῖς νάμασιν, ἵνα ἐκείνων ἀπαλλαγέντες ἀναίμακτον θυσίαν τῷ Δεσπότῃ προσφέρωσιν. Τί δὲ, ποικίλως καὶ πολυτελεῖς κατασκευάσας θώκους, οὐ λεόντων ἐν αὐτοῖς ἐπέθει μορφάς, τοὺς μὲν ἄνωθεν ἐπὶ τοὺς ἀγκῶνας ἐρείσας, τοὺς δὲ ἐνερθεν ἀνὰ τοὺς βαθμοὺς ἁρμοσάμενος; ἐλέφας δὲ ἦν τῶν λεόντων ἡ ὕλη.

leones in throno Salomonis:

45 Καὶ τί ἂν ταῦτα περὶ ἑτέρων σοι φαίην; Ἐξὸν καὶ αὐτὸν ἐπιδεικνύναι τὸν Νομοθέτην, εἰ οὕτω νοοῖτο, τοῖς οἰκείοις θεσμοῖς οὐχ ἑπόμενον· οὐκ οἶδα γὰρ ὡς ἱλαστήριον ἐκ καθαροῦ χρυσίου κατασκευάσαν, καὶ τοῦτο ἄνωθεν τῆς χρυσῆς ἐπέθηκε κιβωτοῦ· καὶ, ὡς ὁ Παῦλος, εἰς τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν τὸ Ἱλαστήριον εἴληφεν. Τί δὴ οὐχ ὑπερθε τοῦ ἱλαστηρίου δύο Χερουβὶμ κατασκευάσαν ἃ διέντα τὰς πτέρυγας ἐπισκιάζουσί τι αὐτὸ καὶ συγκαλύπτουσι, καὶ ἀφθέγκτῳ βοῇ σιωπῶντα κηρύττουσι τὴν κρυφίαν καὶ ἄγνωστον τοῦ ἐπὶ γῆς φανέντος Θεότητα; Νοερὰς δὲ εἶναι ταύτας οὐ συντίθη δυνάμεις, ἀνὰ τὰς οὐρανίους σελασφόρους

à Moyse constituta ad Propitiatorii duo Cherubim,

B ψυχὰς περιπλέοντα περὶ Θεὸν καὶ χορεύοντα, τῇ οἰκεία χαγνυμένας γαλήνῃ καὶ τῷ πλήθει τῆς γνώσεως, ἣν ἀμφὶ τὸ ποθούμενον ἔχουσι; Πῶς οὖν εἰκόνας τούτων ὁ Νομοθέτης, ὁ τὰς εἰκόνας, ὡς ἔφης, ἀπαγορεύων, εἰργάσατο; Ἤδη δὲ ἄρα, καὶ πίπτοντά ποτε τὸν Ἰσραηλίτην λεὼν ἐν τῇ ἐρήμῳ διώμενος (τὸ δὲ πάθος ἦν ἐξ ἀφανῶν χωρίων ὄφεις ἕρποντες, καὶ ἑαυτοὺς βέλη θανάσιμα τοῖς ὁδοιποροῦσιν ἐπάγοντες) τὸν χαλκοῦν ἐκεῖνον ἐδημιούργησεν ὄφιν, ἐπὶ σημεῖόν τι αὐτὸν ἐπηώρησεν, εἰς ὃν ἀφορῶντες αἱ ἐναντίαι δυνάμεις οἱ ὄφεις, οἱ μὲν ἐνεκροῦντο, οἱ δὲ ἀφανῶς τετρωσκόμενοι ἀθρόον τῶν πληγῶν ἠλευθεροῦντο. Τοῦτο δὲ ἄρα ἐκεῖνο τὸν ἐμὸν Ἰησοῦν ἐδήλου, φασὶν, καὶ ἐσήμαινεν, ὃν ἐπὶ ξύλου καπιδοῦσαι τοῦ σταυροῦ ἐωρημένον, αὐτίκα νενέκρωνται, καὶ ἄπνοοι γεγόνασι, καὶ τὸν κατὰ ἀνθρώπων αὐτοῖς σεσωρευμένον τῆς κακίας ἰὸν εἰς κενὸν ἔμουσι καὶ ἀποπτύουσιν· οἱ δὲ εἰς αὐτὸν ἡμεῖς ἀποβλέποντες, τὰς ἐξ αὐτῶν φερομένας πυρφόρους ἀκίδας, οἱ μὲν παντελῶς οὐ δεχόμεθα, οἱ δὲ καὶ βληθέντες σωζόμεθα. Ὁ δὲ τῶν

& erectum serpentem aneū Christi in cruce figuram:

C ὄφεων πρεσβύτης δράκων, τοῦ κρεμασθέντος ἐπὶ ξύλου τὴν ἰσχὺν ἐννοῶν, καὶ τῶν ἐκεῖθεν ἀφεθέντων αὐτῷ μεμνημένος βελῶν, ἀψορρὸς οἴχεται, φόβῳ πληγῆς παλαιᾶς νέαν ἀεὶ συμφορὰν ὀδυρόμενος. Ὁρᾷς, ὡς οὐκ ἀσφαλὲς, οὕτως εἰκῇ τι καὶ ἀορίστως νοεῖν τὰ ὑπὸ τοῦ Νομοθέτου λεγόμενα;

46 Εἴσῃ δὲ κἀκεῖνο, ὦ Βασιλεῦ, εἰ γέ που μέμνησαι, ὅτου χάριν ποτὲ πρὸς τὸν Ἰσραηλίτην ὁ Νομοθέτης λεὼν ἐχαλέπηνεν; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Οἶδα ὡς πολλάκις, ὅτου δὲ νῦν ἐμνήσθης οὐκ οἶδα. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ὅτι τὴν χρυσῆν τοῦ μόσχου κεφαλὴν ἐχρεδίασεν, ὡς ὀρθότατα αὐτοῖς ἐχαλέπηνεν. Ἐπιλαθόμενοι γὰρ τὴν ἐν Αἰγύπτῳ θαυματοποιΐαν, τὴν ἐν θαλάσσῃ μεσοπορείαν, τὴν πρωτοτόκων ἀθρόαν πληγὴν, τὴν τῶν στοιχείων μεταβολὴν, ὡς ὁ Νομοθέτης ἐπιτροπεύει, τοῦ μόσχου τὸ κάρα Θεὸν ἀνηγόρευσαν. Μή τι οὖν τοῦτό σοι πλημμελεῖν δοκῶσιν, ἢ ὁ Νομοθέτης αὐτοῖς ἐγκαλεῖ, ὅτι μόσχον εἰκῇ καὶ ἁπλῶς ἀνετυπώσαντο; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Διὰ τί; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ὅτι εἴπερ ἐκείνοις κατὰ τοῦτο μεμψόμεθα, καὶ Σολομῶντος κατηγορήσομεν, ὡς βόας καὶ αὐτοῦ πλαστουργήσαντος. Οὐκ οὖν κατ' ἐκεῖνο καὶ ἡμεῖς τοῖς ἀνδράσι μεμφόμεθα, καὶ ὁ Νομοθέτης ἐγκέκληκεν. ἀλλ' ὅτι τὸν βοῦν Θεὸν

in vitulo aureo crimen fuisse, quod Deus proclamatus cultusque sit,

ἀνηγόρευσαν, καὶ τὴν ἐπ' Αἰγύπτου σωτηρίαν εἰς αὐτὸν ἀσεβῶς ἀνετίθεσαν. Οὐχ ὁμοίωμα γοῦν ποιεῖν ἁπλῶς διεκώλυσεν, ἀλλὰ Θεοῦ ποιεῖν ὁμοίωμα. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Λόγος γέγραφεν, ὡς τὰ χρυσᾶ τῶν γυναικῶν ἀφελόντες ἐλλόβια τὴν χρυσῆν ἐκείνην εἰργάσαντο κεφαλὴν τοῦ μόσχου· ὑποδηλῶν, ὡς οἶμαι, καὶ αἰνιττόμενος, ὡς ἡ τῶν ἀνθρώπων ἐκείνων οἰκονομία περιλαβοῦσα τοὺς περὶ Θεοῦ ἀκιβδήλους λόγους, εἶτα εἰς ἑτέρας ἐκπεσοῦσα δόξας, ἀπεκόσμησε καὶ ἐγυμνώθη, P καὶ τὸν ἐκβληθέντα τοῖς αὐτῶν ὠσὶ κόσμον ἀφῄρηται. Ἀλλὰ καὶ ὁ Νομοθέτης, ὡς αὐτός φησιν ὁ Λόγος, κατακλέανας τὸν μόσχον καὶ ἐπισπείρας τῷ ὕδατι, ἐπότισεν αὐτὸν τὸν λεών. Τί τοῦτο δηλῶν; Ἰδὼν, ὡς οἶμαι, τοῦτον τὴν περὶ εἰδώλων ἀγνοοῦντα πλάνην, καὶ μὴ νενοηκότα τὸ μέγεθος ὅσον ὑπάρχει τῆς βλάβης, τοὺς περὶ αὐτῆς λόγους λεπτύνας καὶ πεζεύσας καὶ καταληπτοὺς ποιησάμενος, ἐδίδαξεν αὐτοὺς, καὶ τὸν λεὼν ἐπότισε, καὶ ταῖς καρδίαις γε ἔνδον ἐνέβαλεν, ἵνα μὴ ἀγνοίᾳ τις ἀσεβείας ῥᾳδίως αὐτοῖς περιπίπτοι.

D *AVCTORE IGNATIO*

ex muliebrib. inauribus fabricatum,

P *& ideo in cineres redactū fuisse;*

47 Ἀλλὰ γὰρ ἐρωμένῳ μοι κἀκεῖνο λέγειν. Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Ποῖον δή; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Οὐκ ἀνθρώποις ἔθος καὶ δημιουργοῦσι πολλάκις λέοντας βλοσυροὺς δεινὸν ὑποβλέποντας, ἢ σῦς ἀγρίους τὴν χαίτην ἐπιφρίσσοντας, ἢ ὡς ἐν πεδίῳ καὶ ὄρεσιν ἵππους εὐπρεπῶς διαθέοντας, ἢ ὀρνέων εἴδη κελαδεῖν δοκοῦντων, ὡς τὴν ἀκοὴν ὑπέχειν πολλάκις ἵνα τῆς φωνῆς ἐπακροάσαιτο; Καὶ ταῦτα ἄνθρωποι οἱ μὲν τοίχοις ἐγγράφουσιν, οἱ δὲ πέπλοις ὑφαίνουσιν, ἤδη δὲ ἔνιοι καὶ χαλκοῦς καὶ χρυσοῦς πλαστουργήσαντες θυμηδίας καὶ ὥρας χάριν, ἢ ἐν οἴκοις ἱστῶσιν ἢ ἐν ἀγοραῖς ἀνατιθένται. Τί οὖν; Ταῦτα ἀνθρώπους ἢ τῶν ἀνθρώπων ἐλυμήναντο βίον, εἰ μὴ κατὰ τὴν τῶν Ἑλλήνων ἀσεβῆ θρησκείαν, τὰ πεποιημένα Θεὸν ὀνομάσωσιν; Εἰ δέ τις ἄφρων ἀνὴρ, δαιμόνων πλάνῃ πειθόμενος, Θεόν τι τούτων ἡγήσεται, οὐκ ἂν αὐτίκα ἢ λίθοις βαλοῦμεθα, ἢ πυρὶ καταφλέξομεν, ἢ θηρίων στόμασιν ὠμοβόροις παρέξομεν;

CAP. VIII Picturas atque imagines ubique receptas esse,

E

si nihil deitatis illis tribuatur:

48 Λεία οὖν ἐστιν ὁδὸς, ὦ Βασιλεῦ, τοῦ καλῶς βουλεύεσθαι εἰδέναι τι καὶ ἐπίστασθαι, ὡς ἐπὶ μόνῃ Θεοῦ τὰς εἰκόνας ποιεῖν ὁ Νομοθέτης εἶρξέ τε ἡμᾶς καὶ ἐκώλυσεν· καὶ, εἰ τοῦτό φαμεν, οὔτε τοῖς πάλαι κατὰ τὸν νόμον πολιτευσαμένοις μεμψόμεθα, οὔτε Χριστιανοὶ πλημμελοῦμεν, Μαρτύρων ἢ ἄλλως ἀνθρώπων ὁσίων πλάττοντες εἰκόνας, καὶ τῷ φαινομένῳ δηλοῦντες αὐτῶν τὰ μὴ φαινόμενα. Καὶ, εἴ μοι πείθηται πᾶς εὐσεβεῖν βουλόμενος, οὕτω διακριτέον καὶ διοριστέον τόνδε τὸν λόγον, καὶ ὡς δύο τινὰς ὅρους θετέον, οὓς ἀνατρέπειν τι καὶ συγχεῖν οὐχ ὅσιόν τι. Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Πῶς καὶ τίνα τρόπον; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ὡς Θεοῦ εἰκόνας οὐ ποιητέον, ἀλλὰ καὶ εἴ τις ἐγχειροῖ τι τῶν τοιούτων, ὡς τῶν Ἑλληνικῶν κοινωνὸν δογμάτων ποιναῖς ὑποβάλλειν ἐσχάταις· ἀνθρώπους δὲ ὁσίους γραπτέον, τῇ πρὸς Θεὸν παρρησίᾳ καὶ τῷ καθαρῷ τῆς ζωῆς ἐναβρυνομένους, καὶ μέσους πως ἡμῖν καὶ πορθμέας πρὸς αὐτὸν ἐσομένους, καὶ ἀνάγοντας μὲν τῷ Θεῷ τὰ αἰτούμενα, κατάγοντας δὲ ἡμῖν ἐπὶ Θεοῦ τὰ διδόμενα. Οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστιν εἰς, ὦ Βασιλεῦ, τῷ Θεῷ προσιόντων, ἢ ἀπὸ Θεοῦ τιμωμένων ὁ τρόπος· ἀλλ' ἡ παρρησία συμμετρεῖται τῷ βίῳ, καὶ τῇ πολιτείᾳ κατάλληλος ἡ ἀντίδοσις ἕπεται. Θεὸς μὲν γὰρ ὢν ἀεὶ, γένεσίν τε οὐκ ἔχων· τὸ δὲ οὐκ ὂν ἀεὶ, γινόμενον δὲ ὕστερον, τὴν γένεσιν ἐκ τοῦ ὄντος ἐδέξατο. Καὶ κατὰ τόνδε μὲν τὸν λόγον, δοῦλον ἂν καλοῖτο Θεοῦ πᾶν τὸ ἀεὶ γινόμενον.

F

Dei ipsius vetita simulacra: nō Christi & Sanctorū,

qui Deo servientes

A *AVCTORE IGNATIO.*

νόμιμον· τὸ γὰρ γεγονὸς, δῆλον ἂν δικαίως τοῦ πεποιηκότος νομίζοιτο. Τῇ δὲ πρὸς Θεὸν οἰκειώσει, καὶ τῇ διαφορᾷ τῆς ἐκεῖθεν αἴγλης, διάφορός τις καθ' ἕτερον τρόπον προσηγορία καὶ κλῆσις τοῖς προσερχομένοις ἐπιτίθεται. Ὅσοι μὲν γὰρ φόβῳ κολάσεως τῶν πλημμελημάτων ἀπέχονται, οὗτοι θεράποντες ἂν λέγοιντο Θεοῦ, *non vt flagriones,* μαστιγίαι τινὲς ἀληθῶς καὶ δοῦλοι, πληγῶν καὶ εἱρκτῆς καὶ τῶν ἐπ' αὐτῆς ἀπειλῶν ἵνα μὴ ἁμάρτωσι χρήζοντες, οἱ δὲ μελλόντων ἀγαθῶν ἐλπίδι πρὸς τὸ ἀγαθὸν νεύοντες, οἰκέται μὲν οὐκ ἂν ὀνομάζοιντο, μισθωτοὶ *& mercenarij solent:* δ' ἂν εἶεν, ὡς ἄν τις φαίη, Θεοῦ κέρδους ἕνεκά τι καὶ μισθοῦ τὰ δέοντα πράττοντες. Ὅσοι δ' οὖν τούτοις ὑπεραναβεβηκότες, καὶ πρὸς τὸ καλὸν ἀκραιφνῶς φανέντες, οὐ προσδοκωμένης φόβῳ κολάσεως, οὐ τῶν μελλόντων *sed vt filij;* ἀγαθῶν ἐλπίδι πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἄγονται, ἀλλὰ δι' αὐτὸ τὸ καλὸν τὸ καλὸν κατεργάζονται, οὗτοι τῶν ἀκηράτων τῆς σοφίας θησαυρῶν ἐμπλησθέντες, υἱοὶ Θεοῦ καλοῖντ' ἂν δικαίως, Θεοῦ κληρονόμοι καὶ συγκληρονόμοι Χριστοῦ χρηματίζοντες· οἳ καὶ ἄνθρωποι πεφυκότες B ὑπὲρ ἀνθρώπων Θεὸν τὸν ἁπάντων πλέον ἱκετεύοντες *precibus Deum inflectunt.* πείθουσι, καὶ τόνδε μὲν ἔτι πλέοντες τὸν ἁλίμονα καὶ ἄτακτον χῶρον, μάλιστα δὲ τότε γυμνωθέντες ῥακίων, καὶ τὴν ὀστεΐνην καὶ βδελυρὰν ἀποτιναξάμενοι κόνιν, τῇ ὕλῃ τὴν ὕλην προσρίψαντες, πρὸς τὸν ἵλεών τε καὶ ἀγαθὸν Δεσπότην καθαροὶ καθαρῶς ἀναδράμωσιν.

49 Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Τί οὖν; τῶν Ἑλληνικῶν οὐ κοινωνοῦσι δογμάτων οἱ τῶν ὁσίων, ὡς ἔφης, ἀνθρώπων δημιουργοῦντες εἰκόνας; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Οὐχ οὕτως ἁπλῶς κατηγορητέον αὐτῶν, ἀλλὰ σκοπητέον καὶ διερευνητέον. Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Πῶς Χριστιανοὶ τὰς τοιαύτας δημιουργοῦσιν εἰκόνας; πῶς γράφουσιν; Ο ΠΑ- *Imaginum Christianæ religionem vindicat ab errore Gentilium,* ΤΡΙΑΡΧΗΣ. Μὴ Βασιλεῦ, τῆς ἀρρήτου καὶ ὑπερουσίου μεταδιδόασι τοῖς γραφομένοις οὐσίας; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Οὐ δῆτα. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Θνητοὺς δὲ αὐτοὺς φρονοῦσιν ἀνθρώπους; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Ναί. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Τίς οὖν ἡ μέμψις, εἰ ὡς ἀνθρώπους εἰδότες, ὡς ἀνθρώπους γραφῇ παραδιδόμεν; καὶ τὴν Θεοῦ προσηγορίαν, ἐξαίρετον οὖσαν καὶ τοῖς γεγονόσιν ἐπιτεθῆναι κυρίως φύσιν οὐκ ἔχουσαν, ἐπὶ τῆς πάντων ἐξῃρημένης ἐῶντες οὐσίας, ὡς αὐτῷ μόνῳ μόνην C ἁρμόζουσαν, ἐκείνην μὲν οὐ τύποις καὶ χαρακτῆρσι συγγράφομεν; Πῶς γὰρ γράψομεν ὃ τοῖς ὀφθαλμοῖς οὐ γινώσκομεν; Μαρτύρων δὲ ἢ ἄλλων ἀνδρῶν ὁσίων ταῖς *& Sanctorum cultũ tuetur;* εἰκόσι χρησόμεθα, οὐ Θεοὺς φρονοῦντες (μὴ οὕτω τῶν δεόντων ἐκπέσοιμεν) ἀλλὰ Θεοῦ οἰκέτας εὐγνώμονας, ἵνα καὶ τῆς ἀνδρείας αὐτοὺς ἀπομιμώμεθα, καὶ ὅσα δεῖσθαι τοῦ Βασιλέως ἀδυνατοῦμεν ὑπὸ πλημμελημάτων ἀγόμενοι, ὡς δορυφόροι τοῦ Βασιλέως ὑπὲρ ἡμῶν ἐμπροσώπως ἀνάγωσιν.

50 Εἰ δέ σοι δοκεῖ, καὶ ἐξ ἀνθρωπίνων ἐξεταζέσθω παραδειγμάτων ὁ λόγος. *à simili Imperatoris, qui est Dei imago ac simulacrum,* Ἆρα οὐχ ὁμολογεῖσθαι φῄς, ὡς ὁ τόδε τὸ πᾶν ποιησάμενος, κυβερνήτης ὢν ἀγαθὸς καὶ τῶν τῇ ἐν αὐτῷ πλεόντων προνοῶν γαλήνης, ἵνα μὴ ἀνερματίστου δίκην ὁλκάδος ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἄθεσμοι ἐν τοῖς τοῦ βίου πλέξοιντο κύμασιν, ὥσπερ εἰκόνα ἑαυτοῦ καὶ τύπον ἐπὶ γῆς Βασιλέα ἔστησεν; ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Ναί. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ὁ δὲ (Θεὸς μὲν οὐκ ὤν, μιμεῖσθαι δὲ Θεόν, ὡς δυνατὸν ἀνθρώπῳ, βουλόμενος, ἐπειδὴ περιγραπτός τέ ἐστι καὶ ἁπλῶς ἄνθρωπος) *eiusq; Præfectorum ac Magistratuum* χειροτονίαις Ἀρχόντων ἑτέρων τῆς ἑαυτοῦ παρουσίας τὴν πολιτείαν ἐμπίμπλησιν, ἵνα καὶ αὐτῶν πᾶσι παρῇ, καὶ πόρρω διεστὼς παρόντα ἐπάγει τοῖς ἀρχομένοις τὸν φόβον. Τί οὖν; ἀνέξεται

D πώποτε, εἰ τοὺς ἐξ αὐτοῦ πρὸς τὸ ἄρχειν δεχθέντας Βασιλέας προσείπομεν, ἢ τῆς προσηγορίας αὐτοῦ μεταδοίημεν; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Οὐ δῆτα. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Μέμψεται δὲ ἡμῖν εἰ τοῖς ἐξ αὐτοῦ χειροτονηθεῖσι, καὶ *intercedentium apud Imperatorem:* ὡς αὐτῷ δοκεῖ τὰ πράγματα ἄγουσι προσίοιμεν καὶ ἱκετεύομεν, καὶ ὅσας αὐτῷ προσάγειν οὐχ οἷοί τε ἐσμὲν, αἰτήσεις δι' ἐκείνων αὐτῷ προσάγομεν; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Οὐδαμῶς. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Οὕτως οὖν, Βασιλεῦ, καὶ Θεὸν νοητέον, χαλεπαίνοντα μὲν εἰ ἑτέρῳ τῆς Θεοῦ τιμῆς μεταδοίημεν· ἐπαινοῦντα δὲ καὶ ἡδόμενον, εἰ τοὺς αὐτοῦ οἰκέτας τιμᾶν προελοίμεθα.

51 Ἀλλὰ γὰρ ταύτης τῆς δόξης συγγίνεσθαι, καὶ ὁ σοφώτατος φανεῖταί σοι Παῦλος, ἐν οἷς πρὸς Ῥωμαίους ἐπέστελλεν, οὐχ ἁπλῶς εἰκόνας καταιτιώμενος, *quomodo Gentiles commutauerint gloriam Dei* οὐδὲ τοῖς εἰκόσι κεχρημένοις μεμφόμενος, ἀλλ' ὅτι ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου. Τῷ ὄντι γὰρ οὗτοι τολμητέοι τέ εἰσι καὶ ἀνόητοι, οἳ Θεοῦ μὲν τύπον ἢ μορφὴν καὶ εἶδος οὔτε εἶδον οὔτ' ἐννοεῖν ἠδυνήθησαν E (Γηγενεῖς γὰρ ὄντες καὶ ἄσπαρτοι καὶ ἀνήροτοι, καὶ αἰσθήσεως δοῦλοι, καὶ σάρκες, ὡς εἰπεῖν, ἄψυχοί τινες, καὶ ἀκίνητοι, δ' ἀποροῦντες, ὅπως ἀΰλως τῷ ἀΰλῳ προσβάλωσι, καὶ μὴ δυνηθέντες τῶν ὁρωμένων ὑπερβῆναι τὴν φύσιν) ἅπερ εἶδον μόνον ὡς Θεὸν τετιμήκασιν. Ἔνθα καὶ θαυμάσειεν ὄντως τοῦ Ἀποστόλου εὖ μάλα τὸ βούλημα· τὸ γὰρ ΗΛΛΑΞΑΝ, ἴσον ἐκείνῳ σχεδόν, δηλοῖ καὶ παρίστησιν, ὡς αἱ περὶ Θεοῦ ἐνσπαρεῖσαι ταῖς ψυχαῖς ἔννοιαι, ἐξ ἀρχῆς τε καὶ ἄνωθεν παραδόσεως τῶν πρώτων ἀνθρώπων, ἕνα Θεὸν ἀληθῆ μόνον ἐγίνωσκον· οἱ δὲ τῆς χθονίας ἐρασταὶ σοφίας, ἀφιλοσό- *in similitudinē creaturæ!* φῳ σοφίᾳ καὶ λόγῳ ἀλόγῳ, τῆς εὐσεβείας τὰς ῥίζας τολμηρῶς ἀνασπάσαντες, ἤλλαξάν τε αὐτὰς καὶ ἑτέραν ἐτράποντο, καὶ πολυθεΐας ἐμβεβληκότες φυτὰ, προὔδωκαν, ἣν εἶχον ἀλήθειαν, ἀνθρώπου ὁμοίωμα καὶ πετεινῶν καὶ ἑξῆς τῷ Θεῷ παραγόμενοι. Ἐναλλάττει γὰρ ὃ πρότερον εἶχεν, ἀντὶ τοῦ ὄντος τὸ μὴ παρὸν αὐτῷ προαιρούμενος· ὃ δὲ μὴ εἶχεν, οὐκ ἂν ἐναλλάττειν πώποτε ἕλοιτο.

52 Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Ἆρα οὐ τοῦτό ἐστιν ὃ διεξῄεις, ὡς ἐπὶ μόνου Θεοῦ παραδεκτέον τὸν τοῦ Νομοθέτου λόγον, καὶ ὡς ἐπὶ τούτου τὰς εἰκόνας γράφειν ἐκώλυσεν; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Τοῦτόγε ἔφην, καὶ λέγειν οὐ- F δέποτε παύσομαι. Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Τί δὴ οὐ Θεὸν ἀληθῆ τὸν Χριστὸν κηρύττεις; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ἔγωγε. *pingendum Christum quà homo perfectus extitit,* Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Χριστοῦ δὲ εἰκόνας οὐ γράφεις; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Πάνυγε. Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Πῶς οὖν Θεὸν ἀληθῆ τὸν Χριστὸν κηρύττεις, Χριστοῦ δὲ γράφεις εἰκόνας, εἰ Θεοῦ γράφειν εἰκόνας ὁ Νομοθέτης ἐκώλυσεν; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Εὖ σοι γένοιτο ὦ Βασιλεῦ, τὸ γὰρ παρὰ σοῦ κινηθὲν παραστήσει τὸ δόγμα λαμπρότερον. Εἰπὲ γὰρ οὐ Θεὸν ἀληθῆ, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῆ τὸν Χριστὸν κηρύττεις; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Οὕτως ἔχω. Ο *quamuis idem Deus sit.* ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ Χριστὸς, οὐ τέλειός ἐστιν ὡσαύτως τοῦτο κἀκεῖνο; καὶ οὔτε τὴν οἰκείαν φύσιν ἐμείωσεν, οὔτε ὃ προσέλαβεν εἰς θεότητος φύσιν μετέβαλεν; Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Καὶ μάλα. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Οὐ συνομολογεῖς δὲ καὶ φῂς, ὡς ἄλλον μὲν καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν οὐκ ἄν ποτε φαίημεν· τὸν αὐτὸν δὲ ἅμα κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. καὶ ἀπαθῆ καὶ παθητὸν λέγομεν· καθ' ὃ μὲν Θεὸς, τοῦτο, καθ' ὃ δὲ ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς, ἐκεῖνο; Τί δή; Οὐ καθὸ μὲν Θεὸς, ἀόρατός τέ ἐστι καὶ ἀναφὴς καὶ νοούμενος· καθ' ὃ δὲ ἄνθρωπος καὶ ὁρατὸς καὶ ἁπτὸς καὶ φαινόμενος;

A νος; Οὐχὶ οὖν καὶ Θεὸν ἴσμεν ἀληθῆ τὸν γραφόμενον; Θεὸς γὰρ ἀληθῶς, καὶ σαρκωθεὶς ὁ Χριστός. Ἀλλ' οὐ καθ' ὃ Θεὸς τὸν Χριστὸν γράφομεν, οὐδὲ κατὰ τοῦτο τὰς εἰκόνας αὐτῷ ἀνατίθεμεν· καθὸ δὲ ἄνθρωπος ἦν ὁ αὐτὸς καὶ ἐπὶ γῆς ἐφάνη ταῖς εἰκόσι κεχρήμεθα. Καὶ οὔτε τὸ ὁρατὸν καὶ περίγραπτον τοῖς τῆς ἀορασίας καὶ ἀπεριγραψίας ἀνακομίζομεν μέτροις, ὡς ἂν μὴ τὴν σωτηρίαν διαψευσθείημεν, οὔτε δ' αὖ τὸ ἀναφὲς αὐτοῦ καὶ ἀόρατον καὶ ἀπερίγραπτον, τοῖς τῆς ἐπαφῆς καὶ περιγραφῆς καὶ ὁράσεως κατακομίζοντες λόγοις μανιωδῶς διαμορφοῦν ἐπιχειροῦμεν· μᾶλλον δὲ εἰδότες, ὅτι τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ προσέστι τό τε ὁρατὸν καὶ ἀόρατον, περίγραπτον καὶ ἀπερίγραπτον ἀδιαιρέτως τε καὶ ἀσυγχύτως κατά γε τὰ τῶν, ἐξ ὧν ἐστι, φύσεων ἴδια, ἑκάστῳ κατὰ τὰ προαποδεδομένα τὸ οἰκεῖον ἀπονέμειν μεμαθήκαμεν. Καὶ τοῦτο δείξει τῶν γραφομένων εἰκόνων ὁ τρόπος· ἢ γὰρ ἐν φάτνῃ κείμενον γράφουσιν, ἢ ὑπὸ τῆς μητρὸς Θεοτόκου τρεφόμενον, ἢ ὁμιλοῦντα τοῖς μαθηταῖς, ἢ παρεστῶτα Πιλάτῳ, ἢ ἐπὶ ξύλου κρεμάμενον, ἢ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα τὴν ἐπὶ γῆς αὐτοῦ παρουσίαν B δείκνυσιν, ὧν οὐδὲν ἦν καθὸ Θεὸς ἦν, καθὸ δὲ ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος ἦν. Εἰ μὲν γὰρ ἄνθρωπος οὐκ ἐγεγόνει ποτὲ, οὐδὲ ἀνθρώπου μορφὴν ἢ εἶδος ἐπὶ γῆς ἑκουσίως ἀνέλαβεν, οὐκ ἂν ταῦτα ἐγράφετο οὐδὲ ἐπ' αὐτοῦ χώραν γενέσθαι ἐδέχετο· εἰ δὲ σὰρξ ὁ Λόγος ἐγένετο καὶ ἐπὶ γῆς ἐφάνη καὶ ὤφθη ἀνθρώποις ὡς ἄνθρωπος, ὁ πρώην ἄσαρκος Θεὸς καὶ ἀσώματος, οὐκ ἂν ἀδικοῖμεν, ὡς οἶμαι, ἃ ἑωράκαμεν τῇ γραφῇ σημαίνειν ἐθέλοντες.

& ut talis coloribus exprimi nequeat:

neque hoc, sed illud Catholici faciunt.

53 Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Τί δὲ βούλει περὶ τῆς τῶν Ἀγγέλων εἰκονογραφίας λέγειν; οὐδὲ γὰρ οἶμαι, ἐρεῖς, ὡς καὶ τὰς Ἀγγέλων οἱ ζωγράφοι γινώσκουσι μορφὰς, καὶ πρὸς εἶδος ἐκείνας ἀποβλέποντες γράφουσιν. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Εἶδος μὲν ἔγωγε ἢ μορφὴν Ἀγγέλων οὐκ ἂν εἰδέναι φαίην αὐτοὺς, οὔτε ὡς εἰδότας q ποιεῖν τὰ γραφόμενα· ἀνθρώπων δὲ αὐτοῖς περιτιθέασιν εἶδος, τῇ Γραφῇ, ὡς οἶμαι, πειθόμενοι. Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Πόθεν τοῦτο φῂς; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Οὐκ οἶσθα, ὡς περὶ τῶν τῷ Ἀβραὰμ παρὰ τὴν δρῦν ὀφθέντων Ἀγγέλων Γραφή πού φησιν, ὡς ἀναβλέψας τοῖς ὀφθαλμοῖς Ἀβραὰμ, τρεῖς ἄνδρας αὐτῷ παρεστῶτας εἶδεν; Τί δή; Οὐ τοὺς ἐν Σοδόμοις Ἀγγέλους, C ὡς ἄνδρας φαινομένους εἰσήγαγεν; Οὐκοῦν οὐκ αὐτοὶ πλάττονται, οὐδὲ ἀλόγου τόλμης ἔγγονον αὐτοῖς τὰ γραφόμενα, ἀλλ' οἷοι ὤφθησαν, τοιούτους ταῖς εἰκόσιν ἐγγράφουσιν. Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Καὶ πόθεν αὐτοῖς ἡ τῶν πτερῶν προσθήκη ἐψεύρηται; Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. Οἶμαι ὅλως, ἵνα μὴ ἄνθρωποι τελείως νοοῖντο, τῇ προσθήκῃ τὸ διαλλάττον ἐδήλωσαν. Οὐ δέ γε αὐτὴν, ὡς δοκῶ, τὴν προσθήκην ἀλόγῳ θεωρήσαντες γνώμῃ, ἀλλὰ τὸ ἀεροπόρον αὐτῶν αἰνιττόμενοι, καὶ τὴν κατ' οὐρανὸν ἐν Θεῷ δίαιταν, καὶ τὰς ἐκεῖθεν δι' ἡμᾶς συντόνους καθόδους, καὶ τὰς εἰς οὐρανὸν ἐξ ἡμῶν ἑτοίμους ἀνόδους, ἐπτερωμένους αὐτοὺς ὑπογράφουσιν. Ἤδη δὲ καὶ Μωϋσέως πτέρυγας ἔχοντα τυπωσαμένου τὰ Χερουβὶμ (Ἄγγελοι δὲ καὶ ταῦτα, καὶ γὰρ ἁπλῶς πὰς οὐρανίους τε καὶ νοερὰς δυνάμεις Ἀγγέλους καλοῦσιν, ὡς Διονυσίῳ δοκεῖ) οὐκ ἀπεικότως ἡγοῦμαι, τῷ παραπλησίῳ τῶν παραδειγμάτων ἐχρήσαντο. Καὶ νυνὶ, ὦ Βασιλεῦ, μνημονευτέον ἐκείνων καὶ ἀπρὶξ τῇ ψυχῇ φυλακτέον, ὡς εἰ καὶ Ἀγγέλων εἰκόνας γράφομεν, κτίσμα πάλιν ἡμῖν τὸ γραφόμενον, καὶ πρόσειμι αὐτοῖς, οὐχ ὡς τὴν ἀνωτάτω καὶ πρώτην κληρωσαμένους οὐσίαν (μὴ οὕτω μανείην, ὡς Θεὸν νοεῖν τὸ κτιζόμενον) D ἀλλ' ὡς συνδούλοις, πολλὴν πρὸς τὸν κοινὸν Δεσπότην παρρησίαν κεκτημένοις διὰ τὸ πλούσιον τῆς ἀρετῆς.

Pingendos Angelos, quâ formâ visi in scripturâ,

cum alis more Cherubinorum apud Moysen.

AVCTORE IGNATIO

CAP. IX

54 Καὶ ὁ Βασιλεὺς, τῇ πρὸς ἀπόκρισιν ἀφασίᾳ πιεσθεὶς, μόλις νεκρόν τι καὶ ἀπηχὲς ἀπεφθέγξατο· Ἀλλὰ καὶ Πατρικῶν χρήσεων ἐσμὸν οἱ τἀναντία φρονοῦντες ὑμῖν ἐπιφέρουσιν· ὡς μὴ ὑποσείληθε κατὰ πρόσωπον αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν τὴν λύσιν ποιήσασθαι. Καὶ ὁ θεσπέσιος Πατὴρ ἀπεκρίνατο· Ἔρηται ἡμῖν, ὦ Βασιλεῦ, καὶ πάλιν εἰρήσεται, ὡς τοῦ ὑμετέρου προμηθούμενοι κράτους καὶ Γραφικῶν καὶ Πατρικῶν ῥήσεων τὰς λύσεις, Θεοῦ διδόντος, παρεξόμεθα· τοῖς δὲ τῆς Ἐκκλησίας ἑαυτοὺς ἐξωθήσασι, καὶ τῷ ἀναθέματι ἑαυτοὺς παραπέμψασιν εἰς ὁμιλίαν οὐχ ἥξομεν· οὐδὲ γὰρ ἐπισυλᾶν ἢ ἀποκινεῖν τι τῶν συνοδικῶν ὅρων ἢ σφραγίδων βουλοίμεθα. Εἰ δέ γε σαφῶς διαγνῶναι θελήσειας ὡς οὐ πρόπαλαι μόνον ταῦτα πεφρονήκαμεν, οὐδὲ μὴν νυνὶ μόνοι λαλεῖν ἐπειγόμεθα, πολὺ δὲ σὺν ἡμῖν Ἐπισκόπων τε καὶ Μοναζόντων πλῆθος οὐκ ἄσημον ἐπὶ τῇ ὀρθῇ ταύτης ὁμολογίας ὁδῷ τὸν πόδα E ἐρείδουσιν, ἰδοὺ οὗτοι ἐπὶ τῶν πυλῶν τῆς ὑμετέρας αὐλῆς ἑστᾶσιν, οὓς εἰ παρέσεσθαι κατανεύσοιτε, εἴσεσθε καὶ δι' αὐτῶν, μηδεμίαν πρὸς τὸ ἡμῶν διάστασιν ἔχοντας φρόνημα.

venit cum impiis Iconoclastis agere:

alios Patres eiusdem fidei testes offert;

55 Κατανεύει οὖν τούτοις τὴν εἴσοδον· συνεισιέναι δὲ αὐτοῖς τῶν ἐν τέλει κελεύει τοὺς προὔχοντας ἀπῃωρημένα τοῖς μηροῖς, ὡς ἕκαστος εἶχε τάξεως, τὰ ξίφη καθελόντας, οἰόμενος ἐκφοβεῖν τῇ στρατιωτικῇ χειρὶ τοὺς ἀπτοήτους ὁ δείλαιος. Εἰσελαύνει οὖν ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος ὅμιλος τῆς Ἐκκλησίας πρὸς τὰ χρυσόφορα ἀνάκτορα, πολλῇ καὶ ἀρρήτῳ τῇ προθυμίᾳ γαυρούμενος, καὶ οἱονεὶ θείῳ κέντρῳ τῇ παρρησίᾳ νυττόμενος· καὶ ἐπεὶ, ἔνθα r θαάσσων ἔτι ὁ Τύραννος, ἤγγιζον, ὁρῶσι τὸν Ἀρχιποίμενα γεγωνότερόν πως ἀντιφθεγγόμενον, καὶ συλλογισμῷ τὸν Βασιλέα ὡς νεογνὸν παιδάριον ἤδη παίζοντα· ἔνθεν καὶ πρὸς τὸ λέγειν ἐπερρώσθησαν, καὶ πᾶσαν ἐξ αὐτῶν δειμαίνουσαν δειλίαν ἀπώσαντο.

qui introducti interdictos armatorum gladios,

animantur S. Nicephori libertate & constantiâ

56 Πρὸς * οὓς, ὑπόδρα ἰδὼν ὁ θυμολέων, φησίν. Καὶ ὑμῖν ὡς ὁρᾶτε, καὶ πᾶσιν ἀλάθητόν ἐστιν, ὡς ὑπὸ Θεοῦ μεσιτεύειν ἐπὶ ταυτηνὶ τὴν μεγαλώνυμον καὶ λογικὴν ποίμνην ἐτάχθημεν, πᾶν σκῶλον ἐν αὐτῇ φυόμενον F ὁμαλίζειν καὶ λύειν διὰ σπουδῆς καὶ προθυμίας τιθέμενοι. Ἐπεὶ οὖν τινες περὶ τῆς τῶν εἰκόνων καὶ νυνὶ συζητοῦσιν ὑπάρξεώς τε καὶ προσκυνήσεως, χρήσεις γραφικὰς ἀντιλεγούσας τούτοις προφέροντες, πᾶσα λοιπὸν ἀνάγκη τὴν τούτων λύσιν ποιήσασθαι· ὡς ἂν τὸ ἡμῖν σπουδαζόμενον (σπουδάζεται δὲ, ὡς ἴστε, πάντως ἡμῖν τὸ τῆς εἰρήνης ἐπὶ πάντας ὁμόγνωμον) περαίωσιν δέξηται. Τοῖς οὖν διαπρέπουσι καὶ τὰς προτάσεις ἐπάγουσι τὸ συμπέρασμα προτείνειν ἐπάναγκες· περὶ γὰρ τούτων καὶ τῷ Ἀρχιερεῖ προανεκοινωσάμεθα, νυνὶ δὲ καὶ συμπαρουσιάζουσι ὑμῖν ἐντελλόμεθα, τῶν κεκριμένων ταχεῖαν δοῦναι λύσιν· μήπως ἡ βραδύτης σιγῆς ὑμῖν παραιτία γένοιτο, καὶ οὐκ εἰς καλὸν ὡς ἀπειθοῦσιν ὑμῖν ἀποβήσεται. Οἱ δὲ τοῦ καλοῦ Ἀρχιποίμενος ὀπαδοὶ καὶ συμποιμένες, κατὰ τοῦ θηρωνύμου καὶ λυκόφρονος Λέοντος τὴν τῶν θείων λογίων φαρέτραν ἑλκύσαντες, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ τῶν ἐλέγχων βέλη ἀμοιβαδὸν ἐκκενώσαντες, ὁλοσώματον αὐτῷ πληγὴν ἀπειργάσαντο. Καὶ ἵνα μὴ τὰ ὑφ' ἑκάστου τότε λελεγμένα κατὰ λεπτὸν διεξίοιμεν, μίαν ἐκ πάντων, ὡς ἐν περιλήψει,

**MS προὺς ὑπίδρα*

jussi ab Imperatore de veneratione imaginum disserere,

generosè respondent,

A AVCTORE IGNATIO

λήψει, φωνὴν ἐκθησόμεθα, ἔχουσαν ὧδε.

57 Ὅτι μὲν, ὦ Βασιλεῦ, κρίμασιν οἷς ἀγνοοῦμεν, ἐπὶ τὴν μεγίστην Χριστοῦ ποίμνην μεσιτεύειν ἐτάχθητε, καὶ ἡμῖν καὶ πᾶσιν, ὡς ἔφης, ἀληθινόν ἐστιν. Ὅτι δὲ τὰ ζυγὰ τῆς μεσιτείας ἐξ αὐτῆς ἀρχῆς ὑμῖν ἑτερορρεπῆ διεσκεύασται, ἥκιστα τοῖς κρίνειν ὀρθῶς ἐπισταμένοις ἠγνόηται. *Imperatoris animum maleuola parti nimiũ adhærere,* Μεσίτης γὰρ ἐκεῖνος, οὐχ ὁ τῇδε ἢ τῇδε παρέλκων, καὶ τὴν ἑαυτοῦ θατέρῳ ῥοπὴν χαριζόμενος· ἀλλ' ὁ τὸ ἴσον τοῖς ἐφ' ἑκάτερα προμηθούμενος. Εἰ οὖν διαιτῆσαι καὶ λῦσαι τῇ Ἐκκλησίᾳ τὰ σκάνδαλα προεθυμήθητε, τί μὴ πρὸς πάντας ἀκλινῆ τὴν ῥοπὴν ἐπιδέδειχθε; Ὁρᾷ γὰρ πᾶς ὁ βουλόμενος, τοὺς μὲν τὸν ὀρθὸν λόγον πρεσβεύοντας ἀπεληλαμένους, καὶ τοῖς κακουργοῦσιν ἐξίσου τὸν κίνδυνον ὑπομένοντας· τοὺς δὲ τἀναντία θρησκεύοντας ὑμῖν στεργομένους, καὶ πάσης τημελείας φαιδρᾶς ἀπολαύοντας. Ἡ οὐχ οὗτοι μὲν ἐν χρυσοφόροις αὐλίζονται δώμασιν, ἡμᾶς δὲ καθειργνύντα στενοχωρεῖ τὰ δεσμωτήρια; Οὐ τὰ ἐδώδιμα τούτοις τῆς ἀνακτορικῆς δαψιλείας ἀποκεκλήρωται, ἡ- B μᾶς δὲ λιμὸς πιέζει καὶ κόρος ἐνδείας ἐμπίπλησιν; Οὐχὶ πᾶσα βίβλος τούτοις ἀνεῖται πρὸς ἔρευναν, δίκη δὲ τοῖς ἐπιχορηγεῖν ταύτας ἡμῖν ἐπικρέμαται; Τί γνωρίζεται μεσιτείας ἐν τούτοις ἐμπόρευμα; Τίς ἰσονομίας ἐμπολιτεύεται τούτοις ἀρρέπεια; Τίς ἀτρεψία νοὸς ἰσορρόπως τούτοις ἐπιστατεῖ καὶ τηρεῖ τὸ συνειδὸς ἀπαρέγκλιτον; Ταῦτα τοίνυν ὁρῶντες, καὶ τὸ πολυκλινὲς τῆς ὑμετέρας νεύσεως ἐννοούμενοι, καὶ ὡς ἐκ ſ πρώτης ἤδη ἐπιβολῆς ſ ἐρήμην καταδιαιτηθείημεν, τὸ τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας σιγῇ τιμῶμεν αἰδέσιμον· ὡς ἂν μὴ τῷ βορβόρῳ τῆς βλασφημίας ἁλῶναι, καὶ χρανθῆναι λόγοις ἀκορέστως κατὰ τῆς Οἰκονομίας Χριστοῦ ἀσελγαίνουσιν. Ἐπεὶ αὖ τῇ οἰκουμενικῇ καταστροφῇ τίς ὑμῖν σώφρων λογισμὸς συνείλεκται κύριος; *retinẽdam imaginum uniuersalẽ & antiquã religionem,* Ἀφ' ἡλίου γὰρ ἐκβολῶν, καὶ μέχρι Γαδείρων καὶ Ἡρακλείων στηλῶν ἡ τῶν ἱερῶν εἰκόνων σεβάζεται τίμησις, ἣν οὐ χθιζή τις ἐπίνοια, ἡ Χριστοῦ δὲ πρὸς ἀνθρώπους ἐπιδημία τὸ εἶναι σαφῶς ἐπιφέρεται. Ἐπὶ τούτῳ τοίνυν τῷ θεμελίῳ Προφήτας, Ἀποστόλους καὶ Διδασκάλους ἐποικοδομεῖν δεδιδάγμεθα. Βασιλεῖς δὲ ὑπείκειν μὲν καὶ στέργειν τοῖς παρ' αὐτῶν κεκριμένοις ἐπέγνωμεν, νομοθετεῖν δὲ καὶ ὅρους τῇ Ἐκκλησίᾳ συνειλημμένους *nullã dogmatu firmandis Regum auctoritatẽ esse:* πηγνύναι πάμπαν οὐκ ἔγνωμεν. Καὶ ὅτι μὲν ἀληθῆ ταῦτα, τῷ συνειδότι τῶν ἀκροατῶν ἀφίεμεν τὸ τούτων κριτήριον. Ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ γὰρ ἐκείνου καὶ ἀπαραλογίστου δικαστηρίου τοὺς ἑαυτῆς ἐπαινέτας ἡ ἀλήθεια C στεφανώσει, τοὺς ἀντιπάλους δὲ τῶν εὐσεβῶν δογμάτων εἰς τὴν τοῦ ψεύδους αἰσχύνην ἀποκρινεῖ καὶ προκρύσεται.

58 Τούτοις οὖν καὶ πλείοσιν ὅσοις καταβροντηθεὶς τὴν διάνοιαν, καὶ ὥσπερ ἐκκεκωφωμένος τὰ *ab Imperatore deuicto* ὦτα ὑπὸ τῶν θεσπεσίων ἐκείνων φανεὶς ἀπηχήσεως, ὡς εἰς αὐτὸν ἤδη προσκεκρουκότας ὑποπτεύσας ἀσυγγνώστως· ſ καὶ καθάπερ συκοφαντίαν προφανεστάτην ῥαψῳδηθεὶς, οὕτω φωνὰς ἀνάνδρους τοῦ ἰδίου λόγου γενάμενος, καθαρὰν τὴν ἧτταν καθωμολόγησεν· οὐ γὰρ εἶχεν ὀρέξαι χεῖρα τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ, οὐδὲ μὴν ἀντιβλέψαι τολμᾶν πρὸς τὴν τῶν λεγομένων ἀντίρρησιν. Καὶ μάλα εἰκότως· ἡ γὰρ ἀλαζονία, καὶ βραχείας ἐξουσίας ἐπειλημμένη, πλέως ἔμπληκτον ποιεῖ τὸν ἁλόντα, καὶ ἐξίστησι τοῦ φρονεῖν. Ἅμα δὲ καὶ ἠπίστατο ἑαυτὸν ἁλώσιμον τῇ τοῦ λόγου συνεξετάσει· ἄληπτον γὰρ ᾔδει κἀκεῖνος οὖσαν καὶ ἀήττητον τὴν ἀλήθειαν. Ὅθεν φλυαρίας μὲν ἐξαγωνίους πρὸς ὑπόπτωσιν τῶν ζηλωτῶν ἐκείνων συμφορήσας, οὐ δυνηθεὶς δὲ τὴν ἑαυτοῦ D ἧτταν ἀνακαλέσασθαι, τηνικαῦτα τούτους ἀπειλαῖς σὺν *aulâ arcẽtur:* τῷ Μυσταγωγῷ τῶν βασιλείων ἐξώθησεν. Ὢ τῆς πρὸς τὸ χεῖρον τοῦ ἀνδρὸς ἀπονεύσεως? ὢ τῆς τοῦ βελτίονος ἀποπλώσεως! Ἐξ ἐκείνου γὰρ, * ὥς φησιν ἡ παροιμία, ** MS. ἢ* τὴν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐνδύεται λεοντῆν, καὶ φανερῶς τοῖς κατ' αὐτῆς ὁπλιζομένοις συμφρατρίζεται· αὐτίκα γὰρ τοὺς, ὅσον ἐπ' αὐτοῖς, ἀθλητὰς ἑλόντας ὑπερόρια παρέπεμπεν, ἄλλον ἄλλοσε καταμερίσας, καὶ πόρρω *exilio relegantur, detento S. Nicephoro.* που τῆς Ἐκκλησίας ἀποξενώσας ἐπαύλεων· ἐπειδὴ γὰρ αὐτὸν αὐτοβοεὶ τὸν Ἀρχιερέα τοῖς τῆς αἱρέσεως βρόχοις ἑλεῖν, καὶ εἰ μὴ τοῦτό γε γνώμης, ἐκουσιότητι τὴν τῆς Ἱερατείας καταλιπεῖν προστασίαν, ἔχοντα μηδένα τοῦ ἱεροῦ καταλόγου συνέριθον. Μόνος οὖν λοιπὸν τὸ τοῦ καιροῦ διαφέρων ἐπίπονον, πρὸς τὴν ἄνω συμμαχίαν ἀπέβλεπεν, ταύτην αὐτῷ μονωθέντι συνάρασθαι καὶ ἠπορημένῳ συλλαβέσθαι ὡς μάλιστα.

CAP. X S. Nicephorus scribit Imperatrici,

59 Ὁρῶν δὲ τὸν ἄνδρα τὰ πρὸς τὴν ἀληθῆ πίστιν ἐξομνύμενον, καὶ ἀπειθῆ τὰ πρὸς Θεὸν ἤδη δεικνύμενον, γράφει τῇ ἐκείνου συνεύνῳ ἅτε γυναικὶ, περὶ τῆς ὀρθῆς ὑπομιμνήσκων αὐτὴν τῆς Χριστιανῶν θρησκείας καὶ πί- F στεως, καὶ ὡς ἂν πείσοι τὸν Βασιλέα καὶ σύνευνον ἀποσχέσθαι τῆς τοιαύτης δεινῆς ἐγχειρήσεως. *Prefecto Ærarij,* Γράφει δὲ καὶ πρὸς τὸν τηνικαῦτα τῶν δημοσίων χρημάτων ταμείαν, οἰκειωμένον παρ' αὐτῷ τῇ τε παρρησίᾳ καὶ τῷ φρονήματι, μὴ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας, ἤδη τὸ εἰρηναῖον ἐχούσης καὶ ἀστασίαστον, ἐπινοεῖν ἢ κινεῖν τινα σάλον, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ τὴν ἐξαφθεῖσαν αὐτῇ παρὰ τοῦ αἰωνίου πυρὸς ἀξίαν φλόγα καταπαύειν, καὶ τὴν Βασιλέως καθημεροῦν ἀγριότητα. *& scribæ,* Γράφει δὲ καὶ τῷ πρώτῳ τῶν Βασιλικῶν Ὑπογραφέων τότε τυγχάνοντι (Εὐτυχιανὸς οὗτος ἦν) συναιρομένῳ τοῖς αἱρετίζουσι, καὶ τὰ τῆς ὀρθοτόμου πίστεως παραναγινώσκοντι λόγια, ὡς εἰ μὲν οὐ παύσηται διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας, ἀλλ' Ἐλύμα τῷ μάγῳ συμπροαιρεῖται πορεύεσθαι, παρὰ τοῦ Ἐφόρου δίκης πείσεσθαι λώβην, τὰς πρὸς τὸ ζῆν ἀφορμὰς δεινῶς ἐπαλγύνουσαν· ὃ καὶ ἀνυπερθέτῳ φανέντα *prædicens ultionem diuinam,* τὰ τῆς ἀπειλῆς κατελάμβανεν. Πᾶσα γὰρ ἡ ἐξ ἐκείνου τῷ τάλανι ἐπιμετρηθεῖσα ζωὴ, συνεχεῖς ἀλγηδόνας ἐπάγουσα, νεκρὸν ἔμπνουν πρὸς τὰ τοῦ θανάτου *mox secutam:* καθ' ἡμέραν παρίστη προπύλαια. Οὕτω θεραπεύειν οἶδε Θεὸς τὰς ἀῤῥωστίας τῇ Ἐκκλησίᾳ δυσίατον ὑπογράφοντας.

60 u Τούτοις οὖν τοῖς βιωφελέσι τοῦ Διδασκά- u λου καὶ σοφοῖς νουθετήμασι μὴ βελτιωθεὶς ὁ Βασιλεὺς, F τὴν διάνοιαν πρὸς ἓν τοῦτο μόνον ἑώρα, τοῦ καὶ αὐτὸν ἐξῶσαι, καὶ τῇ νύμφῃ Χριστοῦ ταλασιουργῆσαι χιτῶνα *muneris concionandi & curâ vasorum sacrorum spoliatur:* χηρεύσεως· Ἐγχειρίζει γοῦν τὰ τοῦ λόγου τῆς Ἐκκλησίας, καὶ τὰ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἀναθήματα ἀνδρὶ τὴν τοῦ Πατρικίου ἀξίαν διέποντι, καὶ πάσης τῆς περὶ ταῦτα τὸν Ἀρχιερέα δεικνύει φροντίδος ἀλλότριον· οὐ γὰρ ἐνεδίδου πάντα λίθον τὸ τοῦ λόγου κινῶν, ὡς ἂν τὸ τῆς Ἐκκλησίας διασαλεύσειεν ἔρεισμα. Ὢ πῶς ἐπὶ τὰ ἑξῆς ὁ λόγος, οὐκ ἔχων ὅποι προβήσεται, σιγῆς καταστορέσαι κλίνην προείλετο, καὶ πρὶν ἢ τὰ τῆς νόσου διαγγεῖλαι τοῦ Μακαρίου, ἑαυτὸν νοσηλευόμενον δείκνυσιν. *graui morbo decumbit:* Εἶχεν οὖν αὐτὸν ὁ σκίμπους ἀσθμαίνοντα ἔκ τινος ὑποσκηψάσης ἐπιῤῥοίας τῷ σώματι, καὶ πρὸς τὸ τῆς νόσου δυσαλθὲς ἐκπαλαίοντα. Ἀλλ' οὐδὲν οὕτω τὸν Δίκαιον ἤλγυνεν, ὡς ἡ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐπινοουμένη παρὰ τῶν ἐχθρῶν ἐπισύστασις· ἐκείνην γὰρ μόνος αὐτὸς τὴν διὰ μάχην ὑφίστατο, ταύτῃ δὲ καὶ τὸ τοῦ κοινοῦ παντὸς ἐκινδύνευε πλήρωμα.

61 Ὠφρυᾶτο

A 61 Ὠφρυᾶτο οὖν τὸ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας συνέδριον, καὶ τῇ τοῦ ψεύδους ἀεὶ πιμελῇ λιπαινόμενον ἐζήτει τὴν ἔκρηξιν. Ὅθεν πείθουσιν αὖθις τὸν παντὶ ἀνέμῳ κακοδοξίας Βασιλέα φερόμενον, πρὸς διάλεξιν κατασπεῦσαι συνελθεῖν τὸν Διδάσκαλον· ὃς ἐπὶ τούτῳ στέλλει Θεοφάνην, τὸν τῆς Βασιλίσσης ὁμαίμονα, ᾧ καὶ τὸ βασιλικὸν περιέκειτο ξίφος, ὡς ἂν τὸν Ἀρχιερέα πρὸς τὸ τῆς συνωμοσίας ἐκείνης μιαιφόνον ἑλκύσειε σύνταγμα. Πρὸς ὃν τοῖς προλαβοῦσιν εἰς ἀπολογίαν χρησάμενος, ἤδη δὲ καὶ τὴν νόσον ἔχων συνήγορον, τοῦ πρὸς διάλεξιν συνελθεῖν τοῖς ἀνιέροις ἀπείπατο· Οὐ γάρ, φησι, Ποιμὴν προβάτων ἔρημος πρὸς λύκους ὁπλίζεται, οὐδὲ τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας μόνον προμνώμενος θηριομαχεῖν κατεπείγεται· ἀλλ᾽ ἢ πρὸς μάνδραν ἀσφαλῆ τὸ ποίμνιον σφραγισάμενος, καὶ φόβον οὐκ ἔστι φόβος μακρὰν ἀπωσάμενος, οὕτω πρὸς τὰ τῶν λύκων συμφράττεται θήρατρα. Πῶς οὖν ἐμὲ τῶν ἐμῶν θρεμμάτων χηρώσαντες, καὶ ταῦτα βίᾳ τῆς ἀληθοῦς νομῆς ἀπελάσαντες, πρὸς θῆρας μόνον ὑμᾶς προκα-

B λεῖσθε δεινοὺς ἀπομάχεσθαι; Οὐ κλέος τοῦτο ποιμαντικῆς καταστάσεως· ἀλλ᾽ εἰ βούλεσθε τῶν πλασμάτων ὑμῶν ἐπιτεύξεσθαι (πλάσμα γὰρ τὰ ὑφ᾽ ὑμῶν πρὸς ἡμᾶς ἀεὶ προτεινόμενα, καὶ οὐδεμιᾶς ἀληθείας ἐχόμενον) δότε τῇ ἑκάστου ῥοπῇ τὸ ἑκούσιον, γενέσθω πᾶς τῆς ἑαυτοῦ βουλήσεως κύριος, λελύσθω τὰ δεσμωτήρια, ἀναζευξάτωσαν οἱ ἐν ἐξορίᾳ πικρᾷ πιεζόμενοι, ἀνακαλυφθήτω ὑμῶν τὰ ὑπόγεια βάραθρα, καὶ ἀναδοθήτωσαν οἱ λιμοῦ τραυματίαι καὶ δίψης γενόμενοι παίγνια, καὶ νύκτα φωτισμόν, κατὰ τὸ ᾀδόμενον, ἐν τῇ τρυφῇ ἑαυτῶν ἐντρυφῶντες ὁσημέραι· λαβέτω παῦλαν ἡ μάστιξ, τὰ τῶν θεοφρόνων ἐπιξαίνουσα σώματα. Ὡς εἰ ταῦτα γένοιτο, καὶ τῷ παντὶ τὴν ἐλευθερίαν ἐγγράψαιτε, καὶ τῇ βίᾳ μὴ δῶτε τὰ ἑαυτῆς διαπράττεσθαι, τότε τῶν τῆς Ἐκκλησίας προδήλων ἐχθρῶν, καὶ τῶν μηδὲν Ἱερωσύνης ἐπιφερομένων λείψανον, καὶ διὰ τοῦτο ἐπιζητήμασιν Ἐκκλησιαστικοῖς ἐγκρίνεσθαι μὴ δυναμένων, ἀπεληλαμένων, τοῖς λοιποῖς (εἰ καί τις, ὅπερ ἀπέστω, λελείψεται) εἰς λόγους ἐλθεῖν ἡμᾶς ἑαυτοὺς πείσομεν. Οὐ γὰρ ἀνιέροις θέμις πρὸς ἐρευνᾶν ἱερῶν καταλέγεσθαι. Εἰπάτωσαν γὰρ οἱ τὰ Κωνσταντίνου πάλαι σεσιγηκότα καὶ κατάδοντα περιέποντες δόγματα, τίς αὐτοῖς ἀξίαν ἐπιτέθεικεν ἱεράν; ἐκ τίνος ἱε-

C ροφαντικῆς χειροτονίας γνωριζομένης τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς νόμοις καταπεπτάχθαι φασὶν εἰς βαθμὸν τῶν Ἱερουργούντων; Εἰ οὖν τάξις αὐτοῖς Ἐκκλησιαστικὴ τὸ ἀναξίοις εἶναι μαρτύρεται, τίς αὐτοὺς ἐπ᾽ Ἐκκλησίας λέγειν ἀνέξεται; Ταῦτα τοῖς στείλασιν ὑμᾶς γνωρισθήτω, καὶ εἰ τοῖς ἡμετέροις καταπεισθέντες ὀφθεῖεν λόγοις, ἰδοὺ καιρὸν καὶ τόπον τοῖς, πρὸς οἷς εὔκαιρόν ἐστι, διαλεχθῆναι ὁρίζομεν· καὶ καιρός, ἡνίκα ἂν Θεῷ φίλον τὰ τῆς νόσου ἡμῖν ἐπιλωφήσοι, καὶ ὑπολειφθῆναι τοῖς ζῶσι δῷ Θεός, συνομολογεῖν καὶ συμφθέγγεσθαι· τόπος δὲ τὸ τοῦ θείου λόγου διώνυμον τέμενος, ἐν ᾧ Θεὸς * κάθηται, τὰ τῇ Καθολικῇ πίστει ἀνήκοντα διευκρινουμένως διαιτῶν καὶ τρανῶν δικαιότατα.

62 Ταῦτα τοῦ ἀγγελιαφόρου τοῖς ὠσὶ τοῦ πέμψαντος ἐνηχήσαντος, καὶ αὐτοῦ δὲ τοῖς τἀναντία συμφρονοῦσι κατὰ μηδὲν ἀποκρύψαντος, πρὸς πᾶσαν αὐτῶν ἀφασίαν τὴν γλῶτταν διήγειρεν, καὶ τὴν καρδίαν ἐπάλγυνεν, ὡς περὶ ἀδυνάτων καὶ μὴ πλεσθῆναι ἱκανῶς ἐχόντων πραγμάτων ὑπάρχοντα· ὅθεν πρὸς βουλὴν ἑαυτοὺς συναθροίσαντες, τοιαῦτα τῷ Βασιλεῖ, κατὰ τοῦ τῆς Ἐκκλησίας προβόλου λέγοντες, ἀπέπεμπον ῥήματα· Οὐκ ἔστι κατὰ τοῦτον τὸν λόγον τὰ τῷ Κράτει σου δεδογμένα καὶ τῇ ἐνδημούσῃ συνόδῳ κεκριμένα πέρας λαβεῖν ἀμφιδέξιον· εἰ γὰρ δύροι καιρὸν ἡ ἑκάστου ῥοπή, ὅποι τρέπεσθαι βούλοιτο, καὶ οἱ τῇ ἐξορίᾳ καταχρισθέντες ἀνακομιδῆς ἐπιτεύξαιντο, καὶ πᾶς τις τῆς οἰκείας αἱρέσεως, μηδεμιᾶς ὑπούσης βίας, γένοιτο κύριος· τάχα γυμνοὶ καὶ μόνοι περιλειφθείημεν. Ἐκείνῳ γὰρ πᾶσα γνώμη ἐκουσιαζομένη ὡς τάχος συνέψεται, καὶ τὰ καθ᾽ ἡμᾶς πάσης βοηθείας ἐκτὸς περιστήσεται, καὶ μάλιστα τῆς πρὸς τοὺς προκρίτους ἀναινομένῳ διάλεξιν, τοῦτο γὰρ οὐ τὴν τυχοῦσαν ἀνατροπὴν ἡμῖν προξενήσειεν. Ἅλις οὖν τῆς προκλήσεως· ἤδη γὰρ τρίτην ταυτηνὶ προτροπὴν πεποιήμεθα πρὸς αὐτόν, καὶ αὐθαδείᾳ πειθόμενος οὐκ ἀπήντηκεν. Ἀλλ᾽, εἰ δοκεῖ, συνοδικῇ αὐθεντίᾳ χρησάμενοι, τὰ τοῖς ἀπειθοῦσι δῆλα διὰ γράμματος αὐτῷ καταστήσωμεν ἀπαντῆσαι καὶ ἀπολελογῆσθαι ὑπὲρ ὧν ἡ Σύνοδος κατ᾽ αὐτοῦ ἐγκέκληται. Γράφουσιν οὖν τινα ταπεινὸν καὶ χωλεύοντα τόμον πρὸς τὸν τῆς Ἐκκλησίας Ἀρχηγόν, τοῖς ἀ-

E χειροτονήτοις παρεστάναι κελεύοντα, καὶ περὶ τῶν βεβουλημένων αὐτοῖς διευθύνεσθαι. ὃν ἐπιφορτίσαντες Ἐπισκόποις τισὶ καὶ Κληρικοῖς, χειροτονίας ἄπερ τυγχάνουσι, πρὸς τὸν λαμπτῆρα τῆς ὀρθοδοξίας ἐκπέμπουσι, συζεύξαντες αὐτοῖς ὄχλον ἀγυρτώδη καὶ ἀγοραῖον καὶ τῆς αὐτῶν βδελυρίας ἐπάξιον. Ὡς δὲ πρὸ πυλῶν τοῦ τῆς Ἀρχιερωσύνης σκηνώματος ἔστησαν, ἀνηνέχθη τῷ μεγάλῳ Ἀρχιερεῖ τὸ τῆς παρουσίας αὐτῶν φορτικώτατον μήνυμα. Ὁ δὲ καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν τῶν κακοφρόνων θέαν ἀχθόμενος (τοιοῦτο γὰρ αἱ καθαραὶ φύσεις πρὸς πᾶν ὁτιοῦν ἀλλοτρίως τῆς ἀληθείας ἔχον ἀηδιζόμεναι) οὐκ εἶχε γνώμης αὐτοῖς εἰς ὁμιλίαν ἐλθεῖν. Ἀκουσίῳ δὲ βίᾳ νυσσόμενος ὑπὸ τοῦ πεπιστευμένου τὴν αὐτοῦ φρουρὰν Πατρικίου, μὴ ἀποπέμπειν τούτους εἰς τοὐπίσω ἀπράκτους κατανύοντος, ὀψὲ καὶ μόλις αὐτοῖς ἐπαφῆκε τὴν εἴσοδον.

63 Εἴσω δὲ γενομένους, οὐδὲ τὴν τῆς νόσου τοὺς δειλαίους κατῄδει δυσαλθές, ἀλλὰ τῇ συντρόφῳ ἀναιδείᾳ χρησάμενοι, τὰ τῷ ἀτόμῳ ἐκείνῳ τόμῳ κεχαραγμένα τραγικῶς εἰπεῖν ὑπεκρίναντο· Κατὰ σοῦ, φησίν, λιβέλλους ἡ Σύνοδος δεξαμένη, πρὸς λύσιν τούτων, πάσης ἐκτὸς ἀμφιλογίας, παρέσεσθαι καὶ ἀπολογεῖσθαι τρανῶς ἐδικαίωσεν. Πρὶν οὖν ἡ τῆς ἀποφά-

F σεως αὐστηρία διαβᾶσα καθαιρέσεως ἐγκλήμασιν ὑποβάλοιτε, πρὸς τὸ τῇ Συνόδῳ καὶ τῷ Βασιλεῖ δοκοῦν μετατίθεσο φρόνημα, συμφθεγξάμενος ἡμῖν καὶ ὁμογνωμονήσας περὶ τῆς τῶν εἰκόνων ἀποτροπῆς τε καὶ ἀπαρνήσεως· οὕτω γὰρ ἔσται τὸν τῶν λιβέλλων ἀποδιαπομπεῖσθαι μῶμον· ἢ ἐς πλεῖστον ἀπαναινόμενον καὶ ἑτεροφρονοῦντα, τῆς τῶν ἐγκαλούντων ἔνοχον εἶναι σαφῶς ἐπικλήσεως, ἣν οὐκ ἄλλως ἀποτρίψασθαι δυνατόν, μὴ οὐχὶ κατὰ πρόσωπον στῆναι, καὶ περὶ ὧν οἱ ἔλεγχοι διευθύνεσθαι. Ταῦτα οἱ ἀντὶ Ποιμένων λύκοι τῷ Ἀρχιποιμένι τὰ παλίμφημα παραφθεγξάμενοι, καὶ ὑπ᾽ ὀδόντα πως διαψιθυρίσαντες παίγνια (οὐ γὰρ ἔσθενον ἐκείνῳ τῷ καθαρωτάτῳ νοῒ μετὰ παρρησίας ἀντωπεῖν ἢ προσφθέγγεσθαι) σιγῇ τὸ τῆς ἐντροπῆς ἐγκαλύψαντες αἶσχος, τὴν βεβυσμένην ἔστησαν αὐτῶν ἀκοήν, ἱμειρόμενοι, καὶ εἰ δυσμενεῖς τυγχάνοιεν, εἰσδέξασθαι τὸ παρὰ τῆς ἐκείνου γλώττης ἡδυεπὲς ἐπιφώνημα.

64 Ὁ δέ, καίτοι τῇ νόσῳ τρυχόμενος, πρὸς αὐτοὺς ὑποφθάσας, ἔλεξεν ὧδε. Τίς οὗτος ὁ λίβελλος ἡμῖν ἐπισείων καὶ τὰς καθ᾽ ἡμῶν ἐναγωγὰς εἰσδεχόμενος;

iterum ad disputandū provocatus,
petit gregē ante restitui,
x
Episcopos è carcere & vinculis liberari,
eiici profanos & indebitè ordinatos,
tum addicit colloquium, morbo discedente,
ac solum in templo.
** MS. καθιδρύεται*
à coacto conciliabulo,
AVCTORE IGNATIO reiectis eius conditionibus.
missos cum scripto libello
persuadente carceris Præfecto,
admittit:
ad Pseudosynodum citatur,
& nisi hereti consentiat,
minis terretur;
tribunal illegitimum ostendit.

A

AVCTORE IGNATIO

χόμενος; Ποίας Πατριαρχικῆς καθέδρας εὔχεται εἶναι Πρόεδρος; Ποίας ποιμαντικῆς φροντίδος ἐπειλημμένος κανονικαῖς ἐνοχαῖς ἡμᾶς ὑποβέβληκεν; Εἰ ὁ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πηδαλιουχῶν ὁσίως τοὺς οἴακας ἐπικαλεῖ, παρέσομαι· εἰ ὁ τῆς Ἀλεξάνδρου ἱεροκήρυξ ἐπαιτιᾶται, οὐκ ἀπειθήσας ἐφέψομαι· εἰ ὁ τῆς Ἀντιόχου ἱεροποιμὴν ἕλκει πρὸς κρίσιν, οὐκ ἀπολειφθήσομαι· εἰ ὁ τὰ Ἱεροσόλυμα διέπων εἰς εὐθύνην ἡμᾶς καταστῆναι προσκέκληται, οὐκ ἀπολείψομαι. Εἰ δέγε λύκοι βαρεῖς τὴν ποίμνην ταράξαι προθέμενοι προβάτων δορὰν ὑποκρίνονται, καὶ κατὰ τοῦ Ποιμένος ὑβρίζουσι, τίς αὐτοῖς καὶ μόνον εἰς θέαν ἐλθεῖν καταδύσειεν, y οἷς καὶ ὁ θεῖος Ἀπόστολος τὸ τοῦ κρίματος ἐπεφόρτισεν ἄχθος; Ἀλλ' εἰ καὶ κατὰ τὸν ὑμέτερον φλήναφον τῷ τῶν Κρατούντων καὶ ὑμῶν προστεθείημεν δόγματι, τὸν τῶν καθ' ἡμῶν λιβέλλων μῶμον ἀποτριψαίμεθα. Καὶ ποία τάξις ἡμῖν ἀπονεμηθήσεται, ὑπευθύνοις οὖσιν, ὡς φατὲ καὶ κανονικοῖς ἑαλωκόσιν ἐγκλήμασι; Τίς οὖν ὁ αὐθήμερον καθαιρῶν καὶ ἀνάγων εἰς ὕψος τὸν οὐδὲ κάτω στῆναι δυνάμενον; Ἢ ἀμυήτους καὶ ἀνεπιστήμονας περὶ τὴν τῶν θείων ἔρευναν ἡμᾶς ὑπειλήφατε; Τόλμημα ἐν τοῖς Ἱερωμένοις οἷον ἐστι κρίμα λογίζεσθαι; Ἀλλ' ὄντως πρὸς τὴν τούτων παρόρασιν, καὶ πρὸς μόνην παράβασιν ἕτοιμον ἡ ἀσέβεια, τοὺς αὐτῇ πειθομένους εἰς ᾅδου καθέλκουσα πέπαυρον. Ἀποχωρεῖτε οὖν ἀφ' ἡμῶν ἐργάται τῆς ἀνομίας· πρὸς τὸν ἴδιον ὑμῶν ἔμετον ἀποστράφητε, πρὸς τὰ τῆς λῃστείας ὑμῶν ἀνατρέχετε σπήλαια. Οὐ γὰρ αἱρήσετε τοὺς ἐπὶ τῇ πέτρᾳ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας τὸν νοῦν ἀπερείσαντας, οὐ καταβαλεῖτε τοὺς ἐν τῷ ὕψει τῶν συνοδικῶν ὅρων ἑαυτοὺς ἐπιστήσαντας· ἀλλ' ἐν ὑμῖν αὐτοῖς συντριβήσεται τὰ τῆς αἱρέσεως κύματα, μηδεμίαν τῇ Καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ κατάκλυσιν προσπελάσαντα.

y inepiâ Sedis restituendæ promissione non movetur:

B

z

65 Ταῦτα πρὸς τοὺς κενοὺς μὲν φρενῶν, πλήρεις δὲ ἀφροσύνης δυναμένους, διεξελθὼν ὁ Μακάριος, προστίθει καὶ αὐτά· Εἰ μὲν ἐρημίᾳ Ποιμένος ἀπρομνήστευτος ὁ θρόνος οὑτωσὶ καταλέλειπτο, οὐδενὶ τῶν πάντων ἐξῆν εὐπρόσωπον σόφισμα παραδιδάσκειν, ἢ παρασυνάγειν, καὶ ἐξ ἀλλοδαπῆς ἐπὶ τὰ μὴ προσήκοντα αὐτῷ μετέρχεσθαι ὅρια· ἐπειδὴ δὲ καὶ παρουσίᾳ Ποιμένος μεγαλαυχεῖ καὶ τοῦ προεστῶτος αἰσίως οὐ διαμαρτάνει, τίς ὑμᾶς τῆς ἐκ τῶν κανόνων ἐπιτιμίας ἐξαιρήσεται λόγος; ἐπὶ κεχρυσωμένῳ καὶ ἠργυρωμένῳ καὶ τιμίοις λίθοις, Ἀποστολικοῖς καὶ Πατρικοῖς φημι λογίοις, θεμελίῳ πεποικιλμένῳ, ξυλώδη καὶ χορτώδη καὶ καλαμίνην ἐποικοδομεῖν κακοπιστίαν ἐθέλοντας, ὥστε δίκαιον ἂν εἴη καὶ αὐτῆς τῆς τῶν ἱερῶν κανόνων ἀκριβείας ὑποδίκους ὑμᾶς ἀποφῆναι, οὕτω πρὸς τὰ ἐναργῆ καὶ δῆλα μαχομένοις καὶ ἀνοηταίνουσι, καὶ δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑποβαλεῖν εὐκαιρότατα; Τὸν οὖν κανόνα τούτοις ὑπαναγνοὺς, καὶ καθαιρέσεως κατακρίσει περιδεσμήσας, ἔξω τοῦ θείου περιβόλου γενέσθαι προσέταττεν. Οἱ δὲ ὡς ὑπὸ μάστιγος ἐλαυνόμενοι, λύπῃ καὶ μανίᾳ γινόμενοι κάτοχοι, σὺν τοῖς ἑπομένοις αὐτοῖς κωμολόγοις καὶ ἀγύρταις, αὐτόν τε καὶ Ταράσιον, τοὺς τῆς Ἐκκλησίας ἑδραιοτάτους στύλους, τοῖς ἀναθέμασιν ἔβαλον. Οὕτω τε λοιπὸν διὰ τῆς λεωφόρου ἐνασχημονοῦντες οἱ μιαρώτατοι, καὶ πρὸς τὰ Βασίλεια σὺν τοῖς κατὰ τῶν Ἁγίων σκώμμασιν ἤδη φερόμενοι, ἤγγειλαν ἐνώπιον τοῦ τε Βασιλέως καὶ τοῦ τῆς αἱρέσεως φορυτοῦ, ὅσα ἤκουσαν καὶ ὅσα ἐποίησαν.

C

in invasores hosce excõmunicatos declarat:

ab ipsis cũ S. Tarasio vicissim diris devovetur.

CAP. XI

66 Ὡς οὖν τῆς ἑαυτῶν καταδίκης ἐκ τῆς κανονικῆς ἀκριβείας ἐπῄσθοντο, καὶ τὸ ἀπότομον τῆς ἱερᾶς ἐκείνης ψυχῆς ἀπὸ τῶν οἰκείων ψευδαγγέλων ἀνέγνωσαν, ὑφῆκαν τοῦ θράσους, καὶ τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμιλίας ἐθελουσίως ἀπείπαντο· ἐφ' ἑτέραν δὲ ἀνοδίαν τραπόμενοι, βίᾳ καθελεῖν ἐθρύλλουν τὸν Ἅγιον, ἢ λαθραίῳ ὑπεξαγαγεῖν θανάτῳ μελέτην ἐτίθεντο. Καὶ εἰ μή τις τῶν τῇ ὀρθῇ δόξῃ προσκειμένων καὶ τῷ Κλήρῳ κατειλεγμένων, τὰ τῆς ἐπιβουλῆς ἐκ τῆς ἀληθείας πεπυσμένος σαφῶς, ἐπεγνώρισεν, aa καὶ τὰ τῆς ἀσφαλείας προειδέσθαι κατέπεισεν, τάχα μετὰ τραγῳδίας ἐχαρτυπήθη καὶ νῦν ὀλοφύρματα. Ὡς δὲ καὶ περὶ ταύτην οἱ φονῶντες τὴν δραματουργίαν ἐσφάλησαν (ἡ γὰρ ἄνω θεία ῥοπὴ τὸν ἑαυτῆς ἐφρούρει θεράποντα) τὴν περί γε τοῦ θρόνου βίᾳ καθελεῖν σπουδὴν ὑφίεντο bb, θάνατον ἀπειλοῦντες κακὸν τῇ τῶν πρὸς τὴν ἀσθένειαν συνοισόντων ἀναιρέσει· κἂν τ' οὐκ ἐνδόσιμον ἦν, στερίσκοντες αὐτὸν τῆς ἐκ τῶν ἔξωθεν ἐπιμελείας, τῆς τε ἐν ταῖς συνάξεσι νενομισμένης μνήμης. Οὕτω γὰρ τὸ μορμολυκεῖον ἐκεῖνο (ἐκκοπτέσθω γὰρ τὸ Βασιλέα καλεῖν) αὐτὸν Ἰουδαϊκῶς τοῖς ἱερᾶσθαι λαχοῦσιν ἐπηπείλησεν, ὡς ἐάν τις αὐτὸν Ἀρχιερέα τρανῶς ὀνομάσειεν, ἀποσυνάγωγος γένηται.

D

subiecto periculo necis;

aa

Pontifex aut Episcopus amplius appellari prohibetur;

bb

E

67 Μόνος οὖν λοιπὸν ἐπ' ἐλπίδι κατοικισθεὶς, καὶ ταῖς θλίψεσιν ὑπὸ Θεοῦ πλατυνθεὶς, ὡς Δαβὶδ ὁ θειότατος, ἐν τούτῳ καὶ μόνῳ φέρειν οὐκ ἔσθενεν, ἐν τῷ τὴν ποίμνην ὁρᾶν ἠθετηκυῖαν τὸν Ἀρχιποίμενα καὶ τοῖς λύκοις γινομένην ὑπόφορον. Τί οὖν ἔδει ποιεῖν cc [ὦ τᾶν] περὶ τῆς ὑμῶν αὐτῶν σωτηρίας, τί διαπράττεσθαι; Μέχρι τίνος τῇ δαψιλείᾳ τῶν δυσχερῶν ἐπινήχεσθαι καὶ οὐκ ἐνδιδόναι, οὐ τῷ πονηρῷ καιρῷ παραχωρῆσαι, οὐ τῇ πονηροτέρᾳ ἐξουσίᾳ, καὶ τοῖς ταύτην ἄγουσι δοῦναι τόπον, ὡς μή, τό γε εἰς αὐτὸν ἧκον, ἁμαρτίᾳ περιπεσεῖν; Καὶ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων καὶ διωκόντων ἐφρόντιζε, τὸν Διδάσκαλον Χριστὸν ἐν τούτῳ μιμούμενος. Ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνοι τοιοῦτοι πόθεν, οἵγε κατὰ τοῦ εὐεργετεῖν πειρωμένου ἐπιτιθέμενοι σπουδὴν ἀπεδείκνυντο. Οὐ γὰρ καθυφῆκαν κατ' αὐτοῦ κενὰ μελετᾶν, καὶ θανάτους ἐπαπειλεῖν, μέσφ' ὅτε τῆς πύλης ἔξω (τῆς Ἐκκλησίας φημὶ) ἐξῶσαι καὶ ἀποκτιννύναι ὁμοθυμαδὸν, κατ' ἐκείνην καὶ αὐτοὶ τὴν κυριακὴν παραβολὴν λέγοντες, Δεῦτε, ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, καὶ κατάσχωμεν τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ. Ὅθεν τῷ ἀθολώτῳ νοῒ προφητικός τις ὢν καὶ βλέπων τὰ ἔμπροσθεν, τὴν πεπωρωμένην αὐτῶν καρδίαν ὁρῶν πρὸς αἵματα λοιπὸν ἀποβλέπουσαν, ἐπιστέλλει τῷ Κρατοῦντι διὰ λέξεως ὧδε.

sollicitus pro suis subditis,

cc

& salute quærentium necem

F

scribit Imperatori,

68 Καιρὸς ἀπαιτεῖ τὴν ἡμετέραν ταπείνωσιν, εἰς τὴν περίστασιν ταύτην καὶ τὴν σωματικὴν ἀσθένειαν ἐλθόντας, ταῦτα πρὸς τὸ φιλοδίκαιον ὑμῶν Κράτος ἀναγαγεῖν. Ἕως τοῦ νῦν ἠγωνισάμεθα κατὰ τὴν δύναμιν ἡμῶν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας καὶ τῆς εὐσεβείας· καὶ, ὡς δοκοῦμεν, οὐδὲν παρελίπομεν τῶν κεχρεωστημένων ἡμῖν, μήτε πρὸς διάλεξιν τῶν αἰτούντων, μήτε πρὸς διδασκαλίαν τῶν δεχομένων καθυστερήσαντες. Ἐπειδὴ δὲ διὰ τοῦτο πᾶσαν θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν καὶ κάκωσιν ὑπεμείναμεν, ἀτιμίας, φυλακὰς, δημεύσεις, τῶν ὑπηρετούντων ἡμῖν τὴν βλάβην· τὸ τελευταῖον ἦλθόν τινες, δοκοῦντες εἶναι Ἐπίσκοποι, καὶ πλείονα τῶν προλαβόντων τὴν ἀτιμίαν ἡμῖν προσήγαγον, ἐπιφερόμενοι ὄχλον ἀγυρτώδη καὶ δημοτικὸν μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων, ἐπιστήσαντες ἡμῖν αὐτούς. Καὶ αὐτοὶ μὲν πᾶσαν ὕβριν ἀναισχύντως καὶ ἀναιδῶς προσήνεγκαν, μήτε τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ ἐν νῷ λαβόντες, μήτε ὡς Ἀρχιερέα

se pro veritate contendisse extrema egisse ac pati:

αὐτῶν

A αὐτῶν ποτε γεγονότι εὐλαβηθέντες, καὶ ταῦτα ἐν ἐσχάτῃ ἀσθενείᾳ κειμένον, καὶ τὴν πνοὴν μόνον ἔχοντα· οἱ δὲ ὄχλοι ἐμέ τι καὶ τὸν προλαβόντα Ἀρχιερέα τοῖς ἀναθέμασιν ἔβαλλον, ὅπερ ἡμῖν γέγονεν εὐφημία καὶ ἐγκώμιον μέγιστον. Μετὰ ταῦτα πάντα τὰ κακὰ ἠκούσαμεν, ὅτι οἱ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ ἔνεδρα καθ' ἡμῶν συσκευάζουσι, βουλόμενοι ἐπιθέσθαι ἡμῖν, καὶ τὴν ἀναίρεσιν ἢ κατένεξιν βιαίαν καὶ θανατικὴν ποιήσασθαι εἰς ἡμᾶς. Ἵν' οὖν ἄτοπον μὴ γένηται, μηδὲ ἁμαρτία ἀναδέξωμαι εἰς τὸ κράτος ὑμῶν (ἐπειδὴ πλείονα διωγμὸν ἐπινοηθῆναι καθ' ἡμῶν οὐκ ἔστιν) ἄκοντες καὶ μὴ βουλόμενοι καὶ διωκόμενοι ὑπὸ τῶν ἐπηρεαζόντων ἀνάγκη πᾶσα μεταστῆναι ἡμᾶς τοῦ θρόνου ἡμῶν· καὶ ὡς ὁ Θεὸς κρινεῖ καὶ οἰκονομήσει τὰ καθ' ἡμᾶς, στέργομεν καὶ εὐχαριστοῦμεν τῇ ἀγαθότητι αὐτοῦ.

Quæ ni deteriora fiat,

Sede vt cedat, acquiescere:

69 Ταύτην ὡς πλήρη ὑστάτην ὁ κοπέοντος, τὴν ἐπιστολὴν δεξάμενος, καὶ μανικόν τι καὶ σαρδόνειον προμειδιάσας, ἐπὶ τῇ προδεικνυμένῃ βίᾳ προσίστησι βιαιότερα. Τῷ γὰρ Φρουράρχῃ Πατρικίῳ τοῦ θεοφόρου B Πατρὸς στρατιωτικὴν ἐγχείρησιν ἀπόμοιραν, μέσουσης ἤδη νυκτὸς, τὸν τοῦ φωτὸς Κυρίου [λαμπτῆρα] ἐξοστρακίζειν ἐκέλευσεν. Τί τοῦτο; Οὐ τὸ κατὰ Χριστὸν ἐπισυστάσεως διαλλάττει τὸ δρᾶμα καὶ σύνταγμα· οὐδὲ γὰρ ἔξω νυκτὸς ἐκεῖνοι τὰς κατὰ Χριστοῦ βουλὰς ἢ ἐπιβουλὰς διετίθεσαν, καὶ οὗτοι νύκτα συνήγορον ἔχοντες ἐπ' ἴσῃ προδοσίᾳ τοῦ καλοῦ Ποιμένος ἐλεγχόμενοι. Ὁ δὲ τὴν ὥραν ἐληλυθυῖαν, καὶ τὴν σπεῖραν ἐπ' αὐτὸν ἐμπίδων δίκην καὶ πυρνόπων αἱρόντων θεώμενος, αἰτήσας φῶτα καὶ τῆς κλίνης διαναστὰς, ὑπερείδειν αὐτὸν ἑνὶ τῶν εἰωθότων προσέταττεν (ἔτι γὰρ τὸ τῆς νόσου ἤκμαζεν ἄλγημα, καὶ ἡ διοικοῦσα τὸ σῶμα ὑπέλυεν δύναμις) καὶ τῇ μὲν λαιᾷ τὰ τῆς ἀσθενείας, ὡς ἔφην, ὑπερείδεν, τῇ δεξιᾷ δὲ τοῦ θείου ἐπειλημμένος πνεύματος τὰ τῶν ἱερῶν ἐκείνων ταμιείων εὐωδιάζει δώματι. Φθάσας οὖν εἰς τὸν τοῦ μεγίστου νεὼ περίπυστον dd Κατηχούμενον, ἐν ᾧ πολλάκις παννύχοις ἐλιπάρει τὸ Θεῖον ἐντεύξεσι, δυοῖν λαμπάδων ὑφῆψε κηρῶν, εἶτα τὰ ἐν χερσὶ μεθεὶς, ἀνωτέρω τι τῶν ὁρωμένων γενόμενος, τὸ μὲν σῶμα πρηνὲς εἰς γῆν καταβαλὼν, ὄρθιον δὲ τὴν ψυχὴν ἀνατείνας εἰς οὐρανόν.

In exilium deportãdus de nocte,

Incensum adolet:

dd

In templo Sophiæ prostratus orat:

70 Καὶ σὺ, φησιν, ὁ ὑπερμεγέθης καὶ ὑπερC φυὴς, ὁ τῶν θαυμασιωτάτων κτισμάτων Κύριος, καὶ τῆς ἀνεξερευνήτου σοφίας, ἧς βραχὺ μόλις ἐκ τούτων ὑποφαίνεις ἴχνος, μόνος εὐρετὴς ἐπιφάνηθι φιλανθρώπως κηδεμονία ἐπὶ τὴν μεγάλην καὶ ὑψηλὴν τοῦ ναοῦ σου θαυματοποιΐαν, ἐν ᾧ τῶν ἀχράντων καὶ ἀκηράτων μυστηρίων τὰς ὁλοκαρπώσεις δεχόμενος, ἁμαρτημάτων ἀπαλλαγὴν τοῖς ἀξίως μετειληχέναι παρεσκευασμένοις ἑαυτοῖς χορηγεῖν ἐδικαίωσας. Τοῦτον γὰρ, παντὸς σπίλου καὶ μώμου πόρρω τυγχάνοντα, τῇ παγκρατεῖ καὶ νῦν χειρί σου παρατίθημι, ὡς παρ' αὐτοῦ καὶ παρεδέξω τοῦτον καὶ διατηρήσας ὁσίως εἰς δύναμιν, ἐπὶ τῇ πέτρᾳ τῆς ἀληθοῦς φιλοσοφίας ἐρηρεισμένον ἐφύλαξα. ὡς τοῦτο κἂν σκήνωμα τῆς σῆς δόξης τὴν ἑαυτοῦ παγκάλην εὐπρέπειαν διεσώσατο, υἱοὺς σοι καὶ κληρονόμους, διὰ τῆς στιλπνῆς κολυμβήθρας πολλοὺς ὑπηγάγετο, διὰ μετανοίας ἀνενδότου τῇ εὐσπλάγχνῳ εὐμενείᾳ σου κρείττους ἀριθμοῦ προσῳκείωσεν. Σοὶ, Σῶτερ, τὴν παρακαταθήκην, εἰ καὶ ἀναξίαις χερσὶν, ἐπιδίδωμι, παραχωρῶ τῇ σῇ τῶν κριμάτων ἀβύσσῳ τὰ κατ' αὐτὸν, ὡς εὐδοκεῖ, διατίθεσθαι. Λέων κατ' αὐτοῦ ἐπωρύεται, ζητῶν ἁρπάσαι καὶ τοῖς ἑαυτοῦ σκύμνοις ἐπιμασαι δαψιλὲς οἰκητήριον· μὴ ἐπινυστάξατο κατὰ τῆς αὐτοῦ D τολμηρίας ὁ παμφαὴς σου καὶ ἀκοίμητος ὀφθαλμὸς· γνῶτω, τίνι προσκέκρουκεν, καὶ πρὸς ὃν ἀκρατῶς πεπαρῴνηκεν. Εἰς λύκων θηρειωδίαν τοὺς Ποιμένας μετήμειψεν, τὴν πρὸς τοὺς καλῶς ἄγοντας τῶν προβάτων εὐπείθειαν πρὸς ἀπαθείας ἤλασεν ἀγριότητα· ἅρπασον τῆς αὐτοῦ πλάνης, τὸ μὴ προστιθὲν αὐτῷ ποίμνιον· ἀνατιθήτω τῶν δεινῶν, ἀπαλλαγήτω τῶν δυσχερῶν. Τῆς σῆς χειρός ἐστι κτῆμα· μὴ τοῖς καταπιεῖν ζητοῦσι γένοιτο θήραμα. Ἡμᾶς δὲ τοῖς σοῖς ἑαυτοὺς ἐπιρρίψαντας κρίμασι χειραγωγίαις καὶ ὁδηγίαις, ὅτι φίλον τῇ σῇ κυβερνήσει παρίστασαι. Τὴν βίαν ὁρᾷς ὅσην, Κύριε· μὴ τῆς ἐξ αὐτῆς ἐγγινομένης ἀνταποδόσεως ἡμᾶς ἀποκλείσειας, μὴ ὡς ἀπείρους καὶ ἀσκέπους Ποιμένας ἐλέγξειας· σοὶ γὰρ μόνῳ τὸ ἐπιστημονικῶς ἄγειν καὶ ποιμαίνειν κεκλήρωται. Μὴ ῥαθυμίαν καταγνωσθείημεν, ὡς ταύτῃ προδόντες τὰ τῆς διδασκαλίας ὠφελῆ πρωτοτόκια, τῇ γὰρ κατὰ δύναμιν συνεισφορᾷ καὶ ταῦτά σοι, τῷ πρωτοτόκῳ πάσης τῆς κτίσεως, ἀλώβητα τετηρήκαμεν.

se humiliter diuinæ prouidentiæ committit:

Et eum orthodoxis polluatur ab impiis:

71 Χαῖρέ μοι, Σοφία, τὸ τοῦ θείου λόγου σαφῶς E ἀμείλικτον τέμενος, σοὶ τὰ τῆς ὀρθοδοξίας ἐπιτίθημι κλεῖθρα, μοχλοῖς αἱρετιζόντων οὐδαμῶς συντριβόμενα. Σοὶ, τῇ σφραγῖδι τῆς εἰλικρινοῦς ὁμολογίας, τὰ τῶν Πατέρων ἀσφαλισάμενος δόγματα, καταπιστεύσαι καλῶς προτεθύμημαι, μηδαμῶς ταῖς αἱρετικαῖς ἀντιστροφαῖς συληθῆναι δυνάμενα. Χαῖρέ μοι Καθέδρα, ἐφ' ἣν οὐκ ἀβιάστως ἐπέβην, καὶ ἧς νῦν ὑποχωρῶ βιαιότερον. Χαίρετε σηκοὶ Μαρτύρων θεόληπτοι, τοῖς Εὐαγγελικοῖς καὶ ἀθλητικοῖς χαρακτῆρσιν * ἐγκαλυνόμενοι, ἐφ' οἷς οἱ ἀφραίνοντες ἐπιβάλωσι μὲν βεβήλους χεῖρας, οὐχ ὑφελοῦσι δὲ τὴν ἐκ τῆς ἀηττήτου χειρὸς αὐτοῖς ἐπηρτημένην ἀντίδοσιν. Χαῖρε καὶ σὺ Θεοῦ μεγαλόπολι, καὶ ὅσοι τοῖς ὑγιέσιν ἐν σοὶ καὶ Πατρικοῖς ἐπερείδονται δόγμασιν, οὓς ταῖς Θεοῦ καὶ σοῖς ὑποβέβληκα πτέρυξιν, μή τι κακίας πτερὸν ἀπαγάγοι τῆς σῆς περιθάλψεως.

Valedicit templo, Cathedræ, Martyrum tumulis,

** an ἐγκαλλυνόμενοι vel ἐγκαλλωπιζόμενοι*

Constantinopoli & Orthodoxis,

72 Οὕτω τὰ τῆς ἐκλείκης ἱερολογίας ἀνενέγκας καρπώματα, τῷ φορείῳ ἑαυτὸν ἀποδίδωσιν, καὶ τὴν ἐφ' οἷς ἄγειν ἐβούλοντο πορείαν οἱ βιασταὶ, καὶ ἄκων, ἐστέλλετο. Θάλασσα δὲ τὰ νῶτα ἑαυτῆς ὑφαπλώσασα ἀκατίῳ τὸν Δίκαιον ὑπεδέχετο, καὶ πρὸς τὴν ὑπ' αὐτοῦ F δομηθεῖσαν μονὴν τοῦ ee Ἀγαθοῦ παρεπέμπετο. Ἐν ᾗ μικρόν τινα προσδιατρίψαι χρόνον συγχωρηθεὶς, αὖθις ὑπὸ τῶν τῆς βίας εὑρετῶν ἐπὶ τὴν πορρωτέρω κειμένην καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἱδρυθεῖσαν ἱερὰν μονὴν τοῦ μεγάλου Μάρτυρος Θεοδώρου μεθίσταται· οὐ γὰρ ἔφερον ἀγχιπη καθορᾶν τῆς ἑαυτῶν βδελυρίας κατῳκημένον τὸν Δίκαιον. Στέλλεται γοῦν ἐπὶ τούτῳ Βάρδας, ὁ τοῦ Λέοντος ἀνεψιὸς οἰκειότατος ὃς ἐπὶ τοῦ τόπου γενόμενος, καὶ τῆς νηὸς ἐπιβὰς, καὶ καθέδρᾳ ἐφιδρυθεὶς, τὸν μέγαν Ἱεράρχην πρὸς ἑαυτὸν ἐξεκαλεῖτο, καὶ εἶτα τῶν δορυφόρων ἐπ' ὄψεσιν αὐτοῦ ἑστάναι τοῦτον ἀμιλλωμένων, οὐδὲν αὐτὸς πρὸς τὸ ἐράσμιον τῆς ἱερᾶς παρουσίας ἐκείνης εὐλαβείας διέδειξε πρόσχημα, οὐδὲ, εἰ μή τι ἄλλο, τὴν παροιμιακὴν ἐδυσωπήθη παραίνεσιν, τὴν, Ἐκ προσώπου πολιοῦ ἐξαναστήσῃ, σοφῶς διαγγέλλουσαν· ἀπερικὴς δὲ εἴχετο τῆς καθέδρας. Ὁ δὲ τὰς τοῦ νεανίου φρένας ἑωρακὼς κατὰ τὴν ποίησιν ὑπιδὼν, ἄλλο μὲν οὐδὲν, τοῦτο δὲ πρὸς αὐτὸν ἐπεφώνησεν· Ὦ καλὲ Βάρδα, γνῶθι ταῖς ἀλλοτρίαις συμφοραῖς τὰς ἑαυτοῦ καλῶς διατίθεσθαι· καὶ ταῦτα εἰπὼν, τῇ βουλῇ τῶν ἀγόντων ἑαυτὸν ἐπιδίδωσιν. Ὦ τῆς

ablegatur ad monasterium Boni,

ee

d inde in S. Theodori:

Bardam tumentem corripit,

AVCTORE IGNATIO.

A τῆς διορατικῆς τοῦ παναγίου ἀνδρὸς καθαρότητος, τὰ πόρρω βλεπούσης ἐγγίζοντα, καὶ συναγούσης τοῖς ἐνεστῶσι τὰ μέλλοντα! Οὐ γὰρ ἀγχίπους ἡ δίκη τῷ νέῳ συνείπετο, χρόνων δὲ τετρακτὺς μικροῦ παρεμποδίσασα αὐτῷ τὴν συμφορὰν ἀπεγέννησεν· καὶ εἴ τῳ φίλον τὰ περὶ τούτου τελέως πιστώσασθαι, ἐντευξάσθω τοῦ ἀνδρός, καὶ τὸ πονηρὸν τῶν ὄφεων ἐπιψόμενος, τὴν ἐπ' αὐτῷ συμβᾶσαν τραγῳδίαν οὐχ ἥκιστα τρανωθήσεται. Καὶ περὶ μὲν τούτων ἅλις. *& futura ei indicat.*

CAP. XII

intruditur Pseudopatriarcha.

73 Λέων δὲ πρὸς ἐρδῦναι λύκου μᾶλλον ἢ Ποιμένος ἑαυτὸν διανίστησι, καὶ τοῦτον οὐ πολλὰ καμὼν εἰσοικίζεται, ἄνδρα βιωτικῆς μερίμνης ἀπόζοντα, καὶ στρατιωτικῷ πελύκει τῷ ff Βουθοίνᾳ παραβαλλόμενον, πρὸς μόνην τὴν γαστέρα βλέποντα καὶ τὰ τῶν ζωμαρίων ἐπιεικῶς καρυκεύματα, πάσης ἐπιστημονικῆς ἐμπειρίας ἀλλότριον, τῆς δὲ σολοίκου καὶ βαρβάρου λέξεως καὶ λίαν ἐμπείραμον. Τοῦτον, ἵνα τὰ ἐν μέσῳ παρεὶς [σιγῶ] αὐθήμερον πλύνας καὶ σοφίσας, ἐπὶ τὸν ἱερατικὸν καὶ φρικτὸν θρόνον ἐφίστησι, καὶ Ποιμένα τῆς ἑαυτοῦ λυκώδους ψυχῆς (οὐ γὰρ τῶν Χριστοῦ θρεμμάτων) ὁ βάρβαρος ἀνηγόρευσεν. Ἐντεῦθεν B λοιπὸν ἔκ τε τῶν πεισθέντων Ἐπισκόπων ἐξ αἰκισμῶν ἢ καὶ ἑκουσιότητος, ἔκ τε τῶν νεωτεριζόντων καὶ ἀνιέρων διδασκάλων συμφορήσας gg κολοιώδη λέσχην, τὸ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ συνίστησι βουλευτήριον· ἐν ᾧ πάσας τὰς προμελετηθείσας ἀνοήτως παραγραφὰς καὶ περικοπὰς προσεμέσαντες, καὶ τὴν προκαταλυθεῖσαν ἐν Βλαχέρναις Κωνσταντίνου σύνοδον ἐπίκουρον ἔχοντες, ἐπικουρωτικὴν ταύτην ἐκείνης ὠνόμασαν, καὶ λίαν εἰκότως· Ἐκ γὰρ Πατρικῆς συνηγορίας τὸ κῦρος οὐκ ἐχοῦσαν, οὔτε ἐξ Ἀποστολικῶν θρόνων συνέδρους ὡς νόμος ἐστὶν Ἐκκλησιαστικὸς εὐπορήσασαν, ἐκ δὲ τῶν ὁμοίων αὐτῇ τὰ ἑαυτῆς ἐπικυροῖ καὶ τῷ ψεύδει πειρᾶται παραλογίζεσθαι τὴν ἀλήθειαν. Ταῦτα τῇ πρώτῃ τῆς λυμώδους αὐτῶν καθέδρας ἡμέρᾳ θεσπίσαντες διελύοντο· τῇ δὲ μετὰ ταύτην ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέρρεον, καὶ τῶν τοῦ ψεύδους δογμάτων ἀπήρχοντο, ἐν ᾗ καὶ τὸ ἀτελὲς τῆς αὐτῶν ἀπειράμονος κακότητος διεδείκνυντο.

gg *cogitur nouum conciliabulum,*

Episcopi Catholici male habētur,

74 Καὶ ὁρᾶτε τὴν ὑπερβολὴν τῆς ὠμότητος. Ἀπολεξάμενοι τῶν τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας Ἐπισκόπων τινάς, οὓς ἐπόπαζον ὑπὸ χεῖρας σφῶν ἐκ πρώτης C ἐπιβολῆς ἄγειν, εἶτα τὰς ἱερὰς ἀμπεχόνας αὐτῶν εἰς ῥάκια μικρὰ περιρρήξαντες, πρὸ τῶν πυλῶν τοῦ μεγίστου νεὼ κατεχομένους ὡς δεσμώτας ἑστάναι προσέταττον, καὶ δὴ πολλὰ κατ' αὐτῶν βατταρίσαντες, καὶ βατράχων δίκην ἀσύμβατα καὶ ἄναρθρα θορυβήσαντες, διὰ μέσης τῆς ἑαυτῶν καθέδρας προστάττουσιν ἕλκεσθαι. Ἐν ᾧ δὲ τοῖς τῆς κακίας ἐξάρχοις προσήγγιζον, στῆναι διὰ βοῆς ἐπεκέλευον. Ὡς δὲ τὸ ἑδραῖον αὐτῶν πρὸς τὰς ἐπηρείας ἀτίνακτον ἔβλεπον (πέτραις γὰρ στερραῖς ἢ δρυσὶ βαθυρρίζοις ἐῴκεσαν) τοιαῦτα πρὸς αὐτοὺς ἀπεδύπτουν νηπιόλεκτα καὶ ὑπόσαθρα ῥήματα· Ἕως τίνος ἀπειθείᾳ ἑαυτοὺς ἐπερείδοντες πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας καλὸν διαβλέψαι ἀπείπασθε, καὶ τὸ τοῦ ὀρθοῦ λόγου μεταμαθεῖν σεβάσμιον ἀπαναίνεσθε; Νῦν οὖν, εἴ τι λείψανον σκληροκαρδίας πρόσεστιν ὑμῖν, ἀπορρίψαντες, πρόσιτε ἡμῖν καὶ τῇ καθ' ἡμᾶς ἱερᾷ συνόδῳ· καὶ τῆς καθέδρας καὶ ἀξίας ὑμῶν μὴ πρόδοτε δι' ἐλαφρίαν καὶ ἔριν τὸ δίκαιον.

trahuntur, *increpātur*

75 Οἱ δὲ κατακρίτων τόπον ἐπέχοντες, καὶ ὑπὸ τῆς πάντων γλώττης βλασφήμως βαλλόμενοι, ὅμως δ' οὖν πᾶσαν ὑπερείδοντες αἰκίαν καὶ κάκωσιν, ὧδέ πως πρὸς αὐτοὺς ἀπεφθέγγοντο· Τὸ μὲν εἰς ὑμᾶς ἡμῶν ἀπεχθὲς πολλὴν πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀποσώζει εὐπείθειαν· τὸ γὰρ ὑμῖν πείθεσθαι τῆς ἀληθείας ἡμᾶς πόρρω καθίστησι, καὶ ἀλλοτρίοι τῆς πρὸς Θεὸν οἰκειώσεως. Τὸ δέ γε καὶ τῇ καθ' ὑμᾶς συνόδῳ τίθεσθαι, ἀσυνθέτῳ μενούσῃ περὶ τὴν τῶν ἁγίων Συνόδων ἀκρίβειαν, καὶ τὴν ἁγίαν εἰκόνα Χριστοῦ καὶ τῶν Ἁγίων αὐτοῦ καθυβριζούσῃ, καὶ τῷ ἀναθέματι τοῖς πιστῶς προσανέχουσιν αὐτῇ περιπεμπούσῃ, ἀπείρηται ἡμῖν καὶ τοῖς ὅσοι τὰ καθ' ἡμᾶς φρονοῦσιν ἢ πεφρονήκασιν. Ἡμεῖς γὰρ τοῖς ἀμεταθέτοις καὶ ἀσύλοις ὅροις τῶν Καθολικῶν Συνόδων ἐπακολουθοῦντες, καὶ ταῖς ἱεραῖς τῶν θεοφόρων Πατέρων προτάσεσί τε καὶ συμπεράσμασι βεβαιούμενοι, τὰς σεπτὰς εἰκόνας ἀποδεχόμεθα καὶ ἀσπαζόμεθα, καὶ τοὺς μὴ οὕτως ἔχοντας τοῖς ἀναθέμασι βάλλομεν· τοὺς δὲ τῆς ὑμετέρας συμμορίας ὅρους τε καὶ προτάσεις, καὶ γεωμετρικῆς ἀνάγκης ἐμβριθέστερα συμπεράσματα, καὶ τὴν ὑπεράνω τῶν κροτάφων τεταμένην ὑμῶν διδασκαλίαν, ὡς Ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας ἀλλότρια παρῃτήμεθα. Ἔχει γὰρ ὅρους μὲν τὰς ὕβρεις, προτάσεις δὲ τὴν τοίαν τούτων σύνθεσιν, συμπεράσματα δὲ τὰς ἀπειλάς· ἅπερ εἰ ληφθείη εἰς ἑτέρου συλλογισμοῦ λήμματα, οὐκ ἔτι ἕξει τὴν ἐπιφορὰν ἀπειλὰς ἀλλ' ἐπιβουλάς, καὶ τὰ ταύτης ἑπόμενα. Πρὸ γὰρ συντριβῆς ἡγεῖται ὕβρις· ἣν ἡμῖν μετὰ συντριβῆς ἐπιθέντες, καὶ τὰ λειπόμενα, Θεοῦ συνεπαμύνοντος, ζητεῖν προῃρήμεθα.

D *constanter profitentur orthodoxā fidem,* *& cultum imaginum,* *respuunt Pseudosynodum,* E

76 Οὕτως οὗτοι τὸ τοῦ ὄφεως ἐνστερνισάμενοι φρόνιμον, ἐν μέσῳ τῶν ἀφρόνων τρανῶς ἀποφήσαντες ἔστησαν· οἱ δέ, ὡς ἐπὶ Στεφάνῳ τῷ πρωτάθλῳ τὸ συνέδριον, συσχόντες τὰ ὦτα, πρὶν εἰς τοὺς Ἁγίους ῥιπτεῖσθαι καὶ συμπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν τυχόντων κατὰ τῶν αὐχένων προσέταττον· Παίξαντες δὲ καὶ τοῦτο τὸ δρᾶμα, ὡς ἐπὶ σκηνῆς οἱ σκηνικοὶ καὶ ἐμβρόντητοι, ἐξαναστῆναι τούτους καὶ παλίνορσον τὴν πορείαν ποιεῖσθαι, πὺξ κατὰ κόρρης πληττομένους καὶ σιάλους κατὰ παντὸς οἰδουμένους τοῦ σώματος ἀπελαύνεσθαι. Οὕτως ἀπαίκτως καὶ ἀνάγνως ἐν τοῖς Ἁγίοις κατὰ τῶν Ἁγίων ἐμπαροινήσαντες, ἤδη τῆς ὥρας καλούσης πρὸς τράπεζαν, δι' ἑνὸς ἀνθηροφώνου Κληρικοῦ προλογίζοντος, τοὺς hh κρατοῦντας ἀπευφημήσαντες, τούς τε τῆς ὀρθοτόμου πίστεως Ἀρχηγοὺς τοῖς ἀναθέμασιν, ὡς ᾤοντο, περιπέμψαντες διελύοντο.

procalcāti abducūtur, hh *anathemate feriuntur:*

77 Ἀλλ' ἐπεὶ τὸ τῆς ἀνοίας αὐτῶν θυμικοῦ κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐξέπλησαν, ὅρον συντάττουσι, πόρρω τῶν τῆς ἀληθείας ὁρίων ἱστάμενον, ἐν ᾧ καθυπογράφειν εὐαγὲς εἶναι τὸν Κρατοῦντα παρῄνουν. Ὁ δὲ καὶ (ἦν γὰρ τὰ πρὸς Θεὸν ἀλλοπρόσαλλος, εἴ καί τις ἄλλος) πείθεται τούτοις, καὶ συνελεύσεως ἐς αὖθις κηρυχθείσης, ὡς ἐπί τινος ὀκρίβαντος, τὸν θρόνον αὐτοῦ μετεωρίσας, ἀνέτρεχεν· οἵ τε τοῦ ψεύδους ὑπασπισταὶ τὰς ἑαυτῶν καθέδρας σπουδῇ κατελάμβανον· τοῦ δὲ πολυφαλοῦς ταῖς ἁπάντων ἀκοαῖς ἐνηχηθέντος ὅρου, καὶ τοῖς παροῦσιν (εἰ καὶ μὴ πᾶσιν) ἀρέσαντος, συγκατανεύειν ἕκαστον οἰκείῳ χειρὶ τὰ ἐν αὐτῷ σεσημασμένα προέτρεπον. Τοίνυν καὶ τοῦτο τελέσαντες, καὶ τὰς ἑαυτῶν προσηγορίας τε καὶ τύχας τῷ μέλανι συμμολύναντες, ταῖς εἰωθυίαις εὐφημίαις πρὸς τοὺς Κρατοῦντας, τοῖς τε ἀναθεματισμοῖς πρὸς τοὺς τῆς Ἐκκλησίας λαμπτῆρας χρησάμενοι, δηλαδὴ τοῦ αὐτοῦ Κληρικοῦ προλογίζοντος, ἐσκεδάννυντο.

F *subscribunt Pseudosynodo Leo Imperator,* *& alij.*

78 Ἐφ' ᾧ οὐκ ἔμελλε τῆς μακροθυμίας τοῖς τῶν Ἁγίων τωθασμοῖς ἐπιμῦσαι ἡ μισοπόνηρος δίκη, ἐπιταχῦναι δὲ καὶ τὴν ἐκδίκησιν διὰ θαυματουργίας ἐνδείξασθαι· μικρὸν γὰρ ἐν μέσῳ καὶ τὸν προλογιστὴν ἐκεῖνον Κληρικὸν ἐπὶ τῆς γλώσσης κατελάμβανε κόλασις ἀργία, καὶ νάρκωσις τῶν φωνητικῶν ὀργάνων αὐτῷ ἐπισκήψασα. Καὶ

Clericus in Pseudosynodo prolocutor diuinitus punitur.

ὁρᾶτε

A ὁρᾶτε ὡς χαλεπή· ἡνίκα γὰρ αὐτῷ τὰ ψαλμικά τις ὑπεμίμνησκε λόγια, τὴν γλῶτταν εἶχεν ἀνειμένην καὶ διακονοῦσαν τοῖς ῥήμασιν· εἰ δέ τι πρός τινα κοινολογεῖσθαι συνέβαινε, παρεῖτο πάντοθεν αὕτη καὶ πεπέδητο, καὶ ἄναρθρά πως καὶ ἄσημα καὶ ὑποτετραυλα μινυρίζουσα, ἀδιανόητον πρὸς τὸν ἀκούοντα τὸν φθόγγον παρέπεμπεν. Οὕτως ἡ κατὰ τῶν λαλούντων σοφίαν τῷ στόματι, καὶ τῇ μελέτῃ τῆς καρδίας σύνεσιν ἐρευγομένων περιαλεστάτη γλῶσσα παιδεύεται. Ὅθεν ἐπὶ καιροῦ τὸ θεῖον ἐρεῖν ἐστι λόγιον· ὅτι Θάνατος καὶ ζωὴ ἐν χειρὶ γλώσσης, οἱ δὲ κρατοῦντες αὐτῆς ἔδονται τοὺς καρποὺς αὐτῆς.

79 Ἀλλ' ἀπόχρη ταῦτα καὶ τὴν ἐκείνων ἐλέγξαι κακόνοιαν, καὶ τὴν τῶν Ἁγίων διαδεῖξαι πρὸς Θεὸν οἰκειότητα. Καὶ τὰ μὲν περὶ τῆς Συνόδου, καὶ τῶν ὅσα περὶ αὐτήν, ὡς κόρον ἀηδῆ ταῖς ἀκοαῖς ἐπεισάγοντα, πεπαύσθω. Τὴν ἐξ ἐκείνου δὲ ταῖς Ἐκκλησίαις ἐπιπιλάσασαν ζοφώδη σκοτομήνην οὐ χρεὼν βυθῷ διαρρυῆναι σιγῆς. Πᾶσαν γὰρ Εὐαγγελικὴν καὶ Μαρτυρικὴν ἀνέκαθεν ἱστορουμένην εὐπρέπειαν κατορύξαντες, τιτάνῳ διαβρόχῳ καταλεαίνειν οὐκ ἔδεισαν. Τῷ δὲ τρόπῳ πειρατέον εἰπεῖν τῆς ἐπινοουμένης εἰδέας τῇ

erasae in Ecclesiis imagines, sacraque violata, ii

B αἱρέσει κακῶς ὑποκύψασι, τὸν ὑγιᾶ δὲ λόγον ii ἀπαράτρωτον ἐν τῷ τῆς συνειδήσεως κριτηρίῳ συνέχουσι, τοῦτο δὴ κακοτρόπως ἐγχειρίζουσι τὸ ἀπόλημα; Οἱ δὴ καὶ δάκρυον πολλάκις τῷ ἐκ τιτάνου μίγματι συγκατέρραινον, τὸ τοῦ μύσους οὐ φέροντες ἄλγημα. Παντὶ γὰρ βουλομένῳ τὸ κατὰ τῶν ἱερῶν ἐκτυπωμάτων ἀνεῖτο θράσος· οἱ μὲν γὰρ τὰ τῶν κειμηλίων συνέκλων σεβάσμια, οἱ δὲ τῶν ἱερῶν ἐσθημάτων τὰ τίμια εἰς ῥάκια λεπτὰ καταρρηγνύντες τῷ ἐδάφει προσέρριπτον· ἕτεροι τὰς ἐν πίναξι γραφὰς πελέκεσι διαθρύπτοντες, κατὰ μέσης ἀγορᾶς ἐπίμπρων ὠμότατα· ἄλλοι βολβίτοις καὶ ἀλοιφαῖς καὶ ὀδμαῖς ἀηδιζούσαις ἀντὶ προσθεθυμιαμάτων κατέχραινον. Καὶ ἦν ἰδεῖν, ὡς ἐν ἀπαγωγῇ, συμπατούμενα τὰ τῶν θείων νεῶν ἀναθήματα· ἦν ἰδεῖν τὰ πολλοῖς ἄψαυστα καὶ ἀθέατα, χερσὶ βεβήλοις ἑλκόμενα, καὶ παντὶ προκείμενα θέατρον· Ποιμένας τῶν Ἐκκλησιῶν ἐξωθουμένους καὶ λύκους πιστευομένους τὸ ποίμνιον, τοὺς τὸν ὀρθὸν λόγον πρεσβεύοντας

C τας ἀπεληλαμένους καὶ τοὺς τὸν ὅσιον λόγον βδελυσσομένους, τοὺς ἀνευθύνους ὡς ἐνόχους εὐθυνομένους καὶ τοὺς μαστιγίας ἐπὶ θρόνων ἀντικαθεζομένους, Κληρικοὺς ἐμπαιγμῶν καὶ μαστίγων πεῖραν λαμβάνοντας καὶ εἱρκταῖς ἀδιεξόδοις ἐμμένοντας, τοὺς καθ' ἡμᾶς Ναζηραίους αἰκίαις καὶ λιμῷ καὶ δίψει καὶ μακραῖς φρουραῖς καὶ πόνοις πιεζομένους καὶ μέχρις ἐσχάτων κινδύνων ἐγκαρτεροῦντας τοῖς πάθεσιν, τοὺς μὲν τὸ ζῆν διὰ ξίφους ζημιουμένους, τοὺς δὲ σάκκοις ἐνδεσμουμένους καὶ δίκην λίθων καταδυομένους τοῖς ὕδασιν, γυναῖκας ἐπ' ὄψει γυμνουμένας ἀῤῥένων καὶ καταδίκοις ἴσα τεινομένας καὶ μαστιζομένας καὶ πάντα διὰ Χριστὸν φερούσας ἠνδρειωμένῳ φρονήματι.

Orthodoxi post varia tormenta occisi,

CAP. XIII Leo init impia cum Hunnis foedera,

80 Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τὰ θεῖα, καὶ τοὺς διὰ τιμῆς ἄγοντας ταῦτα, ὁ μισαλήθης ἐπεδείκνυτο Λέων· τὰς δὲ φιλοτησίας ἤτοι σπονδάς, ἃς πρὸς τοὺς ἀγχιτέρμονας Οὔννους ἐπείσατο οὕτως αἰσχρῶς καὶ ἀκόσμως ἀποπερανθείσας, τίς οὐκ ἂν ἐπιδακρύσοι θερμότατα; ὡς αὐτὸν μὲν τοῖς ἐκείνων, ἐκείνους δὲ τοῖς ἡμετέροις νομίμοις προσχρήσασθαι, καὶ οὕτω τὰς πρὸς ἀλλήλους συμβάσεις πιστώσασθαι· ἐν αἷς ἦν ὁρᾶν τὸν Βασιλέα Ῥωμαίων χερσὶν ἐκ κύλικος ὕδωρ κατὰ γῆς ἐπιλείβοντα, ἐπισάγματα ἵππων αὐτουργῶς ἀνα-

etiam in sacris nefandis,

στρέφοντα, ἱμάντων ἐντριτῶν ἀπλούμενον, καὶ χόρτον

D εἰς ὕψος αἴροντα, καὶ διὰ πάντων τούτων ἑαυτὸν ἐπαρώμενον· ἔθνη δὲ τῶν ἡμετέρων θείων συμβόλων ἀθεμίτοις χερσὶν ἐπιψαύοντα, καὶ κατὰ τῆς αὐτῶν δυνάμεως ἐπομνύοντα. Ταῦτα οὐκ ὠμότητος ἔγγονα; Οὐχὶ σαφὴς κατὰ Χριστοῦ μανία καὶ πήρωσις; Οὐκ ἐπάγωγα τῆς τοῦ Θεοῦ δικαίας ἐπιτιμήσεως; Καὶ μαρτυρεῖ τοῦ τότε καιροῦ τὰ τερατώδη καὶ ἐξαίσια δείγματα, γῆς ἐντιναγμοὶ καὶ ἀνατιναγμοί, καρδίαν προφητικῶς καταθραύοντες καὶ αὐτάνδρους πόλεις βυθίζοντες, λιμοὶ ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς πᾶσαν ἀπορίαν ἐνσπείροντες, γεωργοὶ τοὺς στάχυας οὐ δρεπάναις ἀλλὰ χερσὶ μαρσίπποις συλλέγοντες, ἀέρος φλογώσεις ἐοικυίας ῥάβδοις ἀφιέντος καὶ πᾶσαν τοῖς ὁρῶσιν ἔκπληξιν φέροντος· θαλάσσης ἀκάρπου μενούσης καὶ πηγαζούσης σάλον ἀντ' ὄψων τῶν καὶ κλύδωνας, λήθη περὶ τὸ συγγενὲς καὶ οἰκεῖον πανταχόσε διαθεούσης, καὶ στάσεις ἐμφυλίους ἀνὰ πᾶσαν χώραν καὶ πόλιν ἀποτικτούσης. Ἐξ ἐκείνου γὰρ καὶ μέχρι νῦν, τὸ δεινὸν τῆς ἐμφυλίου συμφορᾶς ἐπικρατῆσαι συμβέβηκε νόσημα.

AUCTORE IGNATIO.

ultione divinâ improbata.

81 Ἀλλ' οὐδ' οὕτως ἡ τοῦ ἀνδρὸς κακία ὑπεσταλῶφα καὶ ἔληγεν· ὀργῶσα δὲ καὶ σφαδάζουσα, καὶ οἷα ῥῆξιν τῶν δρωμένων ἀνιαρῶν ἐπαπειλοῦσα, τὴν τῆς ἀνταρσίας ῥομφαίαν αὐτῷ ἐπεσπάσατο, οὐκ ἐν μέσῃ παρατάξει, οὐκ ἐν ἀλλοδαπῇ, οὐκ ἐν πολεμίᾳ γῇ (ὑπῆρξε γάρ, ὡς ὑπὲρ πατρίων ἠγωνισμένῳ, ψυχρά τις ἐπαίνων ἀφορμὴ τῷ ταλαίνῳ συνεισφέρεσθαι) ἀλλ' οἴκοι τε καὶ ἰδίᾳ, καὶ τὰ καθ' ἑαυτὸν

E εὖ διαπιθέντα, ὡς ᾤετο. Καὶ γὰρ τόν, δι' οὗ τὰ τῆς ἀνταρσίας ὠδίνετο, εἱρκτῇ καὶ πέδαις εἶχε τηρούμενον, μένοντα ἕως ὁ ἐν ποσὶν ἀγὼν τῆς γενεθλίου τοῦ Σωτῆρος ἡμέρας διανυσθείη, καὶ τὰ κατ' αὐτὸν ἐς τὸ ἀκριβὲς διασκέψαιτο. Τὴν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας στεφανωθεῖσαν κορυφήν, καὶ τὴν ἐπαναιρέσει τῶν ὀρθῶν δογμάτων ἐκταθεῖσαν χεῖρα τῷ τῶν ὑπασπιστῶν καὶ δορυφόρων ξίφει ἐνδίκως χειρουργηθεὶς μέσον τοῦ θείου νεώ, τὴν πολλοὺς Ἁγίων ἀτιμάσασαν ψυχὴν ὁ δείλαιος ἀπεκάπυσεν. Ἀλλ', εἰ δοκεῖ, μικρὰ τῷ κειμένῳ προσείπωμεν, μὴ τοῦ πτώματος

invenit ira,

occiditur die ipso Domini Natalis in templo palatino,

F ἐφηδόμενοι, ἀλλὰ τῆς συμφορᾶς ἀλγυνόμενοι. Τί τοῦτο, ὦ λίαν ὑψηλὲ καὶ μετέωρε, καὶ ἀναπνέων ἡμῖν καταιγίδας, καὶ φυσῶν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας δρακόντιον; Πῶς ἔπτη τὸ πνεῦμα τὸ λαίλαπας διωγμοῦ τίκτον, καὶ βροντῶν κατὰ τῶν εὐσεβούντων, ὡς ἐκ Κύρσης Σαλμωνεὺς μανικώτατα; Ποῦ τὰ τῆς μαγγανείας ἀπέβη, οἷς ἐπλέσθης ἢ συνεπλέσθης, καὶ χρόνους Βασιλείας ἐγκυμονῆσαι ζητῶν, ὠκυμόρου ζωῆς ἀπέτεκες ἀμβλωθρίδια; Πῶς οἱ ἀπὸ κοιλίας φωνοῦντες Γραμματικοί, μισθοῦ τὴν Βασιλείαν ὑμῖν καθορίζοντες, καὶ μακρὰν εὐετηρίαν ὑμῖν ἐρευγόμενοι, τὴν κατὰ σοῦ τοῦ ξίφους βολὴν μαντικῶς οὐ προέβλεψαν; Πῶς οἱ kk πικταὶ καὶ ἁμαξασπαὶ τὰ τῆς σῆς ἀπειλῆς ἀκροθίνια, τὴν ὁρωμένην ἀσχήμονα θέαν, καὶ τῶν ὑφαίμων ἀτίμων τὰ αἴσχη παρέβλεψαν; Ποῦ τὸ τῆς ἀλουργίδος διάδημα, ὃ παρὰ τῆς Ἐκκλησίας λαβὼν τὸ ταύτης στέφος ἀπέκειρας; Πῶς σήμερον νεκρός, ὁ χθὲς σοβαρός; Πῶς πληγαῖς κατάστικτος, ὁ πάλαι κατὰ τῶν Ἁγίων ἀκάθεκτος; Ποῦ τὰ κατὰ τοῦ μεγάλου Ποιμένος τερθρεύματα καὶ ὀνειρώδεις καὶ ἀνύπαρκτοι ἔρευναι, ἃς ἐξέλιπες ἐξερευνῶν ἀκατάληπτα; Οὐ γὰρ ἐξίσχυσεν ἡ ζητητική σου ἐπίνοια,

mercedem iniquitatis affecutus. kk

A πολλὰ καμοῦσα καὶ πολλὰ μελετήσασα, ἐφίκεσθαι πρὸς μόνην ἀκοὴν φέρουσαν κατ' αὐτοῦ μολύσματος ἄξιον ἄξιον. Ἐπειδὴ δὲ ἀμοιροίη τοῦ πρὸς ἀπόκρισιν λόγου, τοῦτον ἀφέντες ἄπιμεν, τῷ ἑαυτοῦ συμμολυνόμενον πτώματι, τῇ τοῦ αἵματος ῥαντίσματι βάλλεσθαι, ἐπὶ τὰ ἑξῆς τοῦ λόγου πορευώμεθα.

Auctoris exclamatio.

82 Ἐπικοσμεῖται τοίνυν τῷ τῆς Βασιλείας ὁ δεσμώτης μετ' αὐτὸν διαδήματι, ὃς ἐν ἐλπίσιν ὢν σὺν τῇ τῆς ζώνης ἀποβολῇ καὶ αὐτὴν τῆς ζωῆς ὑπομεῖναι τὴν στέρησιν, ὡς ἐκ βυθοῦ τῶν δεσμῶν ἀνανηξάμενος, στεφηφόρος ἀντὶ δεσμοφόρου καθίσταται, καὶ ἐπεράλκεια τὴν νίκην ποιήσας, τοῦ κρατεῖν ἐλπίσαντος ἐπικρατέστερος γίνεται· καὶ τὴν Βασιλείαν ἐφ' ἑαυτὸν μεταστήσας, καὶ μικρόν τι τῆς προκατασχούσης κακίας ὑπενδοὺς, ὅσον τοὺς ἐν εἱρκταῖς καὶ πόνοις ἐλευθερίαν ὀνειρώδη φαντάζεσθαι, τὸ τοῦ θανόντος ὑπέθαλπε φρόνημα, καὶ τῷ ἀμφιβλήστρῳ περιπαρεὶς τῆς αἱρέσεως, ἰχθύος δίκην τοῖς τῶν δογμάτων σαθροῖς ἐναπέθανεν.

Michaël Balbus suffectus, & ipse tantisper mollior hæreticus,

83 Ταῦτα ὁ διαγνωστικώτατος νοῦς τοῦ μεγάλου Νικηφόρου διαγνοὺς, καὶ ὡς οὐ τῷ ὁλκῷ τοῦ ὄφεως συνενεκρώθη τὸ τῆς αἱρέσεως οὐραῖον, σκαίρει δὲ B καὶ νεκρὸν ὥσπερ τὴν ζωὴν ὑποκρίνεται· τῇ τοῦ πνεύματος γραφίδι τὰ τῆς ὀρθοδοξίας ἐνσημηνάμενος δόγματα, πρὸς τὸν νεοστεφῆ Βασιλέα στεῖλαι προέθετο, ἐπ' ὀφθαλμοῖς ἄγων αὐτῷ τὰ δεσμὰ καὶ τὸν σώσαντα, καὶ τὴν τοῦ τυράννου διακενῆς ἀνομήσαντος αἰσχύνην τε καὶ καθαίρεσιν, καὶ τὴν ἐν οἷς ἐξήμαρτε τόποις κατάλυσιν· σκιαγραφῶν αὐτῷ τὴν ἀληθῆ καὶ Πατροπαράδοτον τῶν ἱερῶν μορφωμάτων ἐκτύπωσιν, ὡς οὐ χθιζῇ τινι καὶ νεωτέρᾳ ἐφευρέσει τὸ βέβαιον ἐπιφέρεται, ἐξ οὗ δὲ τὸ τοῦ κηρύγματος μεγαλεῖον τῇ Ἀποστολικῇ σάλπιγγι τὴν οἰκουμένην τρανῶς περιήχησεν, τῷ σεβασμίῳ τετίμηται.

epistolâ S. Nicephori admonitum, ut imagines restituat:

84 Ὃν τῆς νουνεχίας θαυμάσας, καὶ τῆς τῶν λόγων ἀκριβείας ὑπεραγάμενος, εἰ καὶ τῶν ἀμυήτων περὶ τὰ τοιαῦτα πρῶτος ἐτύγχανεν, ἀμαθίαν ἐκ πατρῴας ἀπαιδευσίας ὡς περιουσίαν ἱκανὴν κληρωσάμενος, οὑτωσίπως πρὸς τοὺς τὸ γράμμα διακομισαμένους λέγεται φάναι· Ὅσοι τῶν Ἐκκλησιαστικῶν πρὸ ἡμῶν ἐν ἐρεύνῃ δογμάτων γενόμενοι, αὐτοὶ τὸν περὶ C αὐτῶν λόγον παρὰ Θεῷ εἰσπραχθήσονται, εἰ εὖ ἢ καὶ ἑτέρως ἐθέσπισαν· ἡμεῖς δὲ ἐν ᾧ τὴν Ἐκκλησίαν βαδίζουσαν εὕρομεν, ἐν τούτῳ καὶ διαφυλάττειν προκρινόμεθα. Τοῦτο δὲ ἐπακριβοῦντες διαβεβαιούμεθα, ὡς μὴ θαρρεῖν τινα κατ' εἰκόνων ἢ ὑπὲρ εἰκόνων παρρησίᾳ τὴν γλῶτταν κινεῖν· ἀλλ' ἐκ ποδῶν ἔσω καὶ οἰχέσθω καὶ ἡ Ταρασίου Σύνοδος καὶ ἡ Κωνσταντίνου τοῦ πάλαι καὶ ἡ νυνὶ ἐπὶ Λέοντος κροτηθεῖσα, καὶ σιγῇ βαθείᾳ τῆς τῶν εἰκόνων μνήμης ἕνεκεν ἐμπολιτευέσθω τὸ σύνολον· Αὐτὸς δὲ ὁ ταῦτα λέγειν καὶ γράφειν οὐδὴν τιθέμενος, εἰ ἐπὶ δόξῃ ταύτῃ τῆς Ἐκκλησίας καθηγεῖσθαι βούλοιο, πᾶσαν περὶ τῆς τῶν εἰκόνων ὑπάρξεώς τε καὶ προσκυνήσεως ἐπισιώπησιν τὸ λοιπὸν ἐνδεικνύμενος, πάρεσο.

pro responso silentium imperat, etiam Synodi Nicænæ II, atque ea ratione reditum S. Nicephoro concedit:

85 Ἐπεὶ οὖν ὁ τῶν βασιλικῶν ἀτοπημάτων ἀπόλογος καὶ μέχρις ὤτων τοῦ μακαρίου διέβη Πατρὸς, εἰς οὐδὲν τοῦτον θέμενος, οὐ δὲ ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι προθέμενος, τῆς προτέρας ἀσφαλοῦς ἀκριβείας ἀντείχετο, λογικαῖς μεθόδοις καὶ ἀποδείξεσι τὰ τῶν ἀντιπάλων ἀνασκευάζων ll λογύδρια, μίαν καὶ ἑβδόμην συνιστῶν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, τὴν ἐπὶ Ταρασίου τοῦ ἀοιδίμου τῶν πανευφήμων Πατέρων συνέλευσιν, τάς τε παλιμφήμους δόξας τὰς κατὰ τῆς ἱερῶν

ll S. Nicephorus Synodum Nicænam II propugnat;

D εἰκόνων Κωνσταντίνου ψευδεῖς ἀποδεικνὺς τάς τε Λέοντος ἐπικυρωτικάς, καὶ αὐτὴν πᾶσι θριάμβοις περιάγων θεὶς, πάσης ἐπιπροσθεν ἄγων αἱρέσεως τὴν τῶν Χριστιανοκατηγόρων ἀπόνοιαν, οἷς ἦν μέλον περὶ τῆς ἀμωμήτου λατρείας καὶ πίστεως.

86 Οὕτω φρονῶν καὶ διδάσκων καὶ τοῖς θείοις ἐναγαλλόμενος δόγμασι, τῆς εἰλικρινοῦς πάντα τὸν κόσμον περὶ τὸ θεῖον ἐπλήρωσεν ὑπολήψεως, πάντων τῶν ἐν παλαιᾷ καὶ καινῇ Διαθήκῃ μεγαλοφυῶν ἀνδρῶν, ὅσον ἐφικτὸν, κατὰ πόδας ἰών. Ἀβραὰμ τὴν πίστιν ζηλῶν, καὶ ταύτῃ πυρποληθεὶς τὴν διάνοιαν· καὶ τῇ τῶν λόγων δυνάμει ὡς ἄλλους ἐκείνου οἰκογενεῖς ὁπλισάμενος τοὺς κατὰ τῆς Ἐκκλησίας μανέντας Βασιλεῖς λαφυραγωγήσας τρανῶς ἐχειρώσατο, καὶ ταύτην, ὡς ἕτερον Λὼτ, τῆς εἰς αἵρεσιν ἀπαγωγῆς ἐλυτρώσατο. Ἰσαὰκ δὲ τὴν μέχρις αἵματος ὑπακοὴν πρὸς τὸν τῶν ὅλων Πατέρα Θεὸν προσκτησάμενος, καὶ τυθεὶς μὲν πλήθεσι πειρασμῶν, οὐ πειραθεὶς δὲ τῆς δι' αἵματος ὁλοκαυτώσεως· ἀλλ' Ἱερεὺς καὶ θύτης τῆς ἀληθινῆς καὶ ἀναιμάκτου θυσίας γενόμενος, υἱοὺς Θεοῦ καὶ κληρονόμους ἐκ τῆς ἁρμοσθείσης αὐτῷ πνευματικῆς, E ὡς ἐξ ἄλλης Ῥεβέκκας, τῆς Ἐκκλησίας mm σαφῶς ἀπεγέννησεν. Ἰακὼβ τὸ ἐν ποιμέσιν εὐδόκιμον ἐμμαξάμενος, οὐκ ἐξ ἀσήμων ἀλλ' ἐπισήμων καὶ λογικῶν θρεμμάτων τὴν ποίμνην ἐπλήθυνεν, ἣν καὶ ἐπευλογεῖσθαι ἐπὶ τῷ αὐτοῦ ποδὶ παρὰ Κυρίου κεκαύχηται. Ἰωσὴφ δὲ οὐκ ἐπὶ σωφροσύνῃ μόνον ἐχαρακτήρισεν, ἀλλ' ἤδη σὺν τῷ ψυχικῷ καὶ τῷ τοῦ σώματος κάλλει παρημείψεν, ὡς ἐρασθεῖσαν αὐτοῦ τὴν νῦν Αἰγυπτίαν, φημὶ δὴ τὴν κακέμφατον αἵρεσιν, καὶ ἐπὶ κοινωνίᾳ τῶν ἀθεμίτων δογμάτων ἀνθελκουσαν, συναποδύσασθαι μὴ τὸ ἱμάτιον μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἱερὰν ἀμπεχόνην ἠρέτισεν. Ἰὼβ δὲ τὸ τλησπαθὲς καὶ πρὸς τὸν ἀνταγωνιστὴν καρτερικὸν ἐπεδείξατο, φιλοσοφῶν ἐν τοῖς δυσχερέσι, καὶ ξέων οὐκ ὀστράκῳ τὰ τῆς ἐπηρείας ἕλκη, τὰ δὲ τῶν ἀντιπάλων ἐξοστρακίζων πρὸς ἀφροσύνην ἐφέλκοντα ῥήματα.

CAP. XIV Imitatus fidem Abrahæ, obedientiam Isaaci, mm curam pastoralem Iacobi, castitatem Iosephi, patientiam Iobi,

87 Μωϋσέως τῷ δημαγωγικῷ κανόνι ἐπηκολούθησεν, λαὸν ἐξ Αἰγυπτιακοῦ σκότους τῆς αἱρετικῆς κενοφωνίας, σκορόδοις καὶ κρομμύοις, τοῖς ὀδωδόσι φημὶ διδάγμασι, τοὺς πειθομένους αὐτῇ τρεφούσῃ, ἐξάγων, F καὶ δι' ἅλμης ἐρυθρᾶς, συφούσης λέγω διδασκαλίας, ἀποκλυσάμενος αὐτῶν τὸ ἀηδὲς καὶ πολύβρωμον ἄχθος, πρὸς δὲ γῆν βρύουσαν γάλα καὶ μέλι, τὴν λευκὴν καὶ ἄδολον καὶ ἡδονῆς πλήρη μετοχετεύσας τῶν θείων δογμάτων γλυκύτητα. Ἀαρὼν τὸ ἐν ἱερεῦσι σεβάσμιον ἐκληρώσατο, οὐ Μωϋσῆν ἵνα τὰ πρὸς Θεὸν ἐξηγούμενον ἔχων, ἐνώπιος δὲ ἐνωπίῳ ταῖς εὐκτικαῖς ἱερολογίαις ἀεὶ συγγινόμενος, οὐδὲ κιδάρει καὶ ἐπωμίδι καὶ κώδωσιν ἐνιαύσια φθεγγομένοις εἰς τὰ ἄδυτα εἰσιὼν, τῇ δὲ τῶν Ἀποστόλων δωδεκαχόρδῳ λύρᾳ πληττόμενος εἰς τὰ τῶν Ἁγίων Ἅγια θαμινώτερον εἰσδυόμενος, τὴν τῶν θείων λογίων δήλωσιν πᾶσιν ἀνέπτυσεν εὐσημότατα. Ἰησοῦ τὸ στρατηγικὸν καὶ πρὸς πολεμίας ἐμβολὰς ἀπαραίτρεπτον ἀνεμάξατο, οὐ φωστῆρας πεδήσας πρὸς τὴν τῶν ἀντιπάλων ἄμυναν, ἐν ἡμέρᾳ δὲ καὶ νυκτὶ τὰς πρὸς Θεὸν ἐντεύξεις ὡς παρατάξεις ποιούμενος, ἕως τοὺς τῆς ἀληθείας ἐχθροὺς τοῖς ἑαυτῶν λελουμένους κατῴκτειρεν αἵμασι. Μετὰ Φινεὲς ἐπὶ πορνοκτονίᾳ ἀνακηρυχθήσεται· καὶ οὗτος γὰρ τοὺς ἀπὸ ὄπισθεν Κυρίου, κατὰ τὸ προφητικῶς ἀπειλούμενον, ἐκπορνεύσαντας, καὶ σπέρμα Χαλδαϊκὸν ἐν τοῖς τῆς Ἐκκλησίας ἀποστολικοῖς νεώμασιν ἐγκρύψαι θελήσαντας,

pro regimine regulam Moysis, Sacerdotii Aaronis, Scientiam militarem Iosue. Phinees zelum,

σαντας, τοῖς τῶν δικαίων λογικοῖς βουκέντροις ὡς στρομάσι χρησάμενος, ἐξεκέντησεν. Δαυὶδ τὸ περὶ τῆς χρίσεως νεανικὸν πρὸς ποιμαντικὴν ἐξιχνίασεν, προβάτων λογικῶν ἐπιστατῶν, καὶ λεόντων καὶ ἄρκτων μύλας συνθλῶν, τῶν κατὰ τῆς Χριστοῦ ποίμνης ὠρυομένων καὶ φρυαττομένων αἱρετικῶν γλωσσῶν ἀπαμύνατα. Ἠλιοῦ καὶ Ἰωάννου τὸ φιλέρημον καὶ ἡσύχιον, καὶ πρὸ τῆς ἀναδείξεως καὶ μετὰ τὴν ἱερὰν ἀνάδειξιν κατησπάσατο, καὶ μικρὰ ταῖς πόλεσιν ὁμιλῶν, τούτοις τὸ πλεῖον ἐνευμένος· καθαρτικὴν ψυχῆς τὴν κατὰ Θεὸν μόνωσιν εἰδώς, καὶ παντὸς ἀπαλλάττουσαν περιγείου φρονήματος, ὅθεν καὶ τὸ πρὸς ἔλεγχον καλῶς ἐξήσκησεν ἕτοιμον, λαλῶν ἐναντίον Βασιλέων, καὶ μὴ δι' αἰσχύνην τι ποιῶν, ἢ πρὸς χάριν ἐγκαλυπτόμενος.

1. Reg. 17. 34.
solitudinis amorem Eliæ & Ioannis Baptistæ,

88 Τίνα δὲ τῶν ἐν χάριτι μεγαλυνθέντων οὐκ ἐπ' ἀρετῇ μιμητικῶς ἰχνηλάτησεν; Πέτρου τοῦ τῶν Ἀποστόλων καὶ τῆς Ἐκκλησίας προβόλου τὸ μεγαλοφυὲς καὶ θερμὸν περὶ τὴν πίστιν ἐπιδειξάμενος, Παύλου τὸ ὑπὲρ πάντων μεριμνητικόν, καὶ τῶν καθ' ἡμέραν ἐπισυστάσεων τὸ ἐπίπονον λογιζόμενος, πᾶσαν ἄνεσιν κατόπιν ἐτίθει τῶν κατὰ Θεὸν ἐπερχομένων κακώσεων, πάντα εὐδοκῶν ὅσα θλῖψιν ἐντίκτειν οἶδεν εἰς μάλιστα. Τὸ δὲ ἐν φυλακῇ δαψιλὲς καὶ πλεῖον ἔσχε Παύλου ὅσῳ Παύλῳ μὲν τόπον ἐκ τόπου ἀμείβοντι καὶ τὴν τοῦ Εὐαγγελίου πᾶσαν ἀποκαλύπτοντι δύναμιν ἐκ διαδοχῆς φρουρεῖσθαι συνέβαινεν, τούτῳ δὲ μία καὶ ἀδιάδοχος εἱρκτή, ἐξ οὗ τὸν θρόνον αὐτῷ παρακεχωρηκέναι συνηνέχθη, μέχρις ἡ τελευταία ταύτην εὐκλεῶς διεδέξατο. Τῶν λοιπῶν τοῦ Λόγου μαθητῶν, τὸ πρὸς Ἀποστολικὴν [κηρύκειαν] ἀκριβὲς ἐν ἑαυτῷ ἐβεβαίωσεν, πᾶσι τρανῶς ἀποκαλύπτων τὰ τῶν αὐτῶν κρυφιομύστου διδασκαλίας ζωαρχικὰ καὶ θεοπαράδοτα λόγια. Τοῖς ὑπὲρ ἀληθείας κινδύνους ἀνατλᾶσι συνωμολόγησεν Μάρτυσι, πάντα πρότερον ἐνεγκεῖν τὰ εἰς ἀτιμίαν ἑλόμενος, ὑπὲρ τοῦ μή τι παθεῖν τῆς ἀληθείας ἀνάξιον. Τοῖς πρὸ τῶν ἐγκρίτων συνόδων, καὶ τοῖς ἐν αὐτοῖς καὶ μετὰ ταύτας διαφανέσι Πατράσι, καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἐφ' οἷς ἡ Ἐκκλησία τῶν εὐκλεᾶ περὶ τὸ θεῖον δόξαν ἐπλούτησε διαλάμψασι, κατ' οὐδὲν ὑπελίπετο· πάντας ἐν πᾶσι, καθ' ὅσον οἷόν τε θείως καὶ ἱεροπρεπῶς μιμησάμενος, δι' ἐμμελοῦς προσευχῆς καὶ συντόνου τῆς θείων μελέτης, τῇ τε ἀκηλιδώτῳ τῆς ἱερωσύνης αἴγλῃ φωταγωγηθεὶς τὴν διάνοιαν, τῷ πρώτῳ καὶ μεγάλῳ Ἀρχιερεῖ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἀνέθηκε nn κάιερημα.

feruorem fidei S. Petri, Sollicitudinem S. Pauli, ob perpetuos carceres, par Apostolis aliis, Martyribus, & sanctis Patribus.
nn

89 Ἀλλ' ἐπειδὴ τῷ τῆς φύσεως ἀπαραιτήτῳ ἄνθρωπον ὄντα λειτουργῆσαι χρεών, οἰκείαν Θεῷ τὴν ἐκ τοῦ σώματος διὰ θανάτου ποιεῖται ἀνάλυσιν, ἣν οὐ θάνατον, ἀλλὰ πρὸς κρείττω ζωὴν διάβασιν ὑποληπτέον καὶ λῆξιν, ἐν ᾗ τῶν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων ἡ Ἐκκλησία μετ' ἄχου χορεύουσα πανηγυρίζει ἑορτὴν τῶν μακαρίων, μεθ' ὧν χοροστατῶν, καὶ τὸ τῆς ἁγιαστείας ἀγγελοπρεπῶς ὑποκρινόμενος ἄγιον, τῆς ἴσης αὐτοῖς τῶν ἐπαγγελιῶν κληρουργίας εὐμοίρησεν. Ἐνάτῳ δὲ οὐδ' ἑνὸς μηνὸς δέοντι χρόνῳ τῆς ἱερᾶς αὐτοῦ καὶ ἀλήπτου πατριαρχίας, τὴν ὑστάτην ὑπελθὼν ἀρρωστίαν, ἐπιστάντα τὸν ὅρον τοῦ τέλους οὐδαμῶς ἠγνόησεν, ἀλλ' ὃν ἐδεδίει πάλαι, διὰ τὸ φοβερὸν τῆς ἀπροόπτου καὶ ὠκυτάτης ἐλεύσεως, τότε περιχαρῶς προσεδέχετο, χάριν εἰδὼς τῷ δήσαντι καὶ ἀπαλλαγὴν τῶν ἀνιαρῶν διὰ λύσεως προξενήσαντι καὶ αὖθις συνδήσοντι, κρίμασιν οἷς ἐδικαίωσεν, ὑψηλότερον. Ἐν γοῦν ταῖς ῥωστικαῖς καὶ ἀνόσοις ἐκείναις τῆς αὐτοῦ κατακλίσεως ἡμέραις, οὐκ ἐνεδίδου πάντα τρόπον διδασκαλίας τοῖς περιοῦσιν ἐπινοῶν, ἀπέχεσθαι μὲν τῆς αἱρετικῆς ἀναχύσεως, προφητικῶς ξηραινούσης ὀστᾶ ψυχῆς καὶ ὀλλυούσης ἐλπίδα τῶν προσεσχηκότων αὐτῇ· ἀντέχεσθαι δὲ τῆς μόνης διδασκαλίας καὶ πίστεως, τῆς ὑπὸ τῶν ἑπτὰ σεβασμίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων τρανωθείσης καὶ κυρωθείσης, ἣν ἡ καθόλου Ἐκκλησία σεβαστικῶς περιπτύσσεται, καὶ πᾶσαν ἐλπίδα τῶν πιστῶν πρὸς Θεὸν διαπορθμεύει, καὶ τοῦ ἐφετοῦ ποιεῖ περιδράττεσθαι. Ἡ γὰρ εὐσεβὴς τῶν πατέρων πίστις, ὡς ἴστε, κενοτομίαις οὐδαμῶς ἀμβλύνεσθαι καταδέχεται, κρατύνεσθαι δὲ μᾶλλον ὀρθοτομίαις εἴωθεν Ἀποστολικαῖς.

cum Angelis, & Sanctis æternum in cælo victurus, Heb. 12, 23.
æger resolutionem lætus exspectat,
AVCTORE IGNATIO inuijensibus veram fidem & fugam hæreseos inculcat: Prou. 17. 22

90 Οὕτω ταῦτα, καὶ πολλῷ πλείω τούτων, ἐν τοῦ θησαυροῦ τῆς ἑαυτοῦ θεοπλούτου σοφίας βιωφελῆ ἐπιφθεγξάμενος λόγια, καὶ στηρίξας ὡς ἐξ ἄρτου πνευματικοῦ τὰς τῶν πιστῶν ἐπαϊόντων καρδίας, καὶ τό, Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὃς οὐκ ἔδωκεν ἡμᾶς εἰς θήραν τοῖς ὀδοῦσιν αὐτῶν ἀλλὰ ῥυσάμενος ἡμᾶς τὴν παγίδα συνέτριψεν, εἰς ἐπήκοον τῶν συνειλεγμένων εἰπών, χερσὶν ἀνεπάφοις Θεοῦ τὴν ὁσίαν καὶ ἱερὰν ψυχὴν ἐναπέθετο. Ὁποῖον ἀνίας καὶ κατηφείας ἄλγημα λελοιπὼς τοῖς θεόφροσιν, οὐδεὶς παραστῆσαι λόγος δυνήσεται· ὅσην δὲ θυμηδίας καὶ παρρησίας ἀφορμὴν δεδωκὼς τοῖς κακόφροσιν, ἐκ τῶν ὁρωμένων εὐπετὲς συνειδεῖν. Ἅτε γὰρ θῶες καὶ περδάλαι, καὶ εἴ τι ζῶον ἐπὶ δειλίᾳ περίβλεπτον, τὰ τῶν λεόντων οὐχ ὑφίστανται προσβλέπειν σκιρτήματα, ἀγαπῶσι δὲ λίαν μηδὲ τῆς πόρρωθεν αὐτῶν ἐρυγῆς ἐπαισθέσθαι τὸ σύνολον, ἥκιστα συντελούσης εἰς θάρσος καὶ γενναιότητα· οὕτως οἱ τῆς αἱρέσεως πτῶκες, τὸ λεόντειον καὶ πεποιθὸς τῆς τοῦ Ἁγίου γλώττης ἔτι περιούσης αἰδούμενοι, καὶ τῶν τῆς καρδίας αὐτοῦ θείων ἐρυγμάτων πτοούμενοι τὸ βλοσυρὸν καὶ θαύματος ἄξιον, ὑποψίᾳ τε πολλῇ πιεζόμενοι, ὧν τε εἰς αὐτὸν ἔδρασαν ὧν τε πρὸς τῆς ἀληθείας αὐτῆς ἀπηλέγχθησαν, οὐ δὲ προβαίνειν ῥᾳδίως εἶχον ἐκ τῶν τῆς κακίας ἑαυτῶν καταδύσεων. Ἐξ οὗ δὲ τὸ θεῖον ἐκεῖνο σκῆνος πρὸς τὴν ἀμείνω διὰ ταφῆς καταλέλυκε σκήνωσιν, καὶ σιγῇ τὰ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης γλώττης διεδέξατο λόγια, ὡς ἐπί τι χαρᾶς ἀνέδραμον σκοπευτήριον, καὶ πᾶσαν ὑπόκρισιν διὰ ζοφώδους ἀχλύος ἀπονιψάμενοι, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, τὸ δὴ λεγόμενον, τὰ τῆς προθρείας αὐτῶν ἀνακαλύπτουσι ῥαψῳδήματα, ἅπερ ταῖς πολυφώτοις τηλαυγίαις τῶν λόγων (εὖ οἶδα) τοῦ Πατρὸς σκεδασθήσεται, καὶ εἰς ἀνυπαρξίαν χωρήσει καὶ περιστήσεται.

deo gratias agens moritur: magno luctu Catholicorum, & gaudio hæreticorũ,

91 Ἐγὼ δὲ λοιπὸν τὸν τῆς ἐμῆς ἥττης καὶ πτώσεως διὰ τοῦ ἐπιλόγου ἀνοίσω πρὸς σὲ τὸν ἀήττητον, εἴπως τῶν πατρικῶν σου σπλάγχνων τὴν στοργὴν κινήσω πρὸς ἔλεον, καὶ τὴν εἰς Θεὸν μεσιτεύουσαν ὑμῶν κηδεμονικὴν πρεσβείαν ἑλκύσαιμι. Σὺ δέ, ὦ τῆς θείας σκηνῆς ἐπόπτα καὶ Μυσταγωγὲ καὶ Μύστα τρανώτατε, ὁ ταῖς ἄνω ἱεραρχικαῖς αὐλίαις συμπεριπολῶν, καὶ τῇ ἀνωλέθρῳ λήξει καὶ ταῖς ἀκηράτοις μοναῖς προσπελάσαι ἀξιωθείς, καὶ τῶν ἡτοιμασμένων ἐμφορούμενος ἀγαθῶν, τοῖς διὰ πράξεώς τε καὶ θεωρίας τὸ τῆς ἀρετῆς κεφάλαιον εὐπορήσασιν· τὸ τοῦ βίου χαμερπὲς ἡμῶν καὶ κεχερσωμένον καὶ ἔνυλον, τῇ πρὸς τὸν μόνον γεωργὸν τῶν ψυχῶν εὐμελεστάτῃ πρεσβείᾳ σου σιτοφόρον ἀντὶ χοινοφόρου δεῖξον, πᾶσαν μοχθηρὰν καὶ πρὸς εὐεξίαν ἀντιτύπως ἔχουσαν προθέλυμνον ὑφελόμενος ἄκανθαν, καὶ χειρὶ κλαπεῖτας καὶ κοινωνίᾳ χρανθέντας, ἀλλ' οὐ τὸ τῆς συνειδήσεως συμμολυνθέντας κριτήριον, τοῖς διὰ μετανοίας καὶ πικρᾶς ἐπιτιμίας ἀπονίψασθαι κατανύσσον δάκρυσι, τέμνειν τε καὶ αὖθις τὴν τῆς ἀληθείας ὁδὸν καταξίωσον, μόνης ἐπιστροφῆς ἀλλ' οὐ διδαχῆς δεομένους τὸ σύνολον. Ταῖς γὰρ ἀναντιρρήτοις ὑποθήκαις, καὶ

Auctor agnoscit beatitudinem cælestem S. Nicephoro datam,

AVCTORE IGNATIO. *quod ex iis unus, quos persecutio in hæreseos communionē traxit, integro mentis iudicio sanā fidem tenēte.*

A ὑποτυπώσεσι τῶν ὑμετέρων εὐηκῶν λόγων τὴν φρένα παγίως ἐπὶ τῇ κρηπῖδι τῶν ἀποστολικῶν καὶ πατρικῶν θεσπισμάτων ἐρείσαντες ἀκλίνητον, ὡς ἐπὶ μαρτυρίᾳ Θεῷ, τετηρήκαμεν τὸ τοῦ δόγματος εἰλικρινές, οἷά τι σπέρμα τοῖς τῆς καρδίας αἰσθητηρίοις τρανῶς διασώσαντες. Καὶ μὴ τὸ τῆς ἀπολογίας ἀνάξιον, θωπεία τις καὶ ὑπόψυχρος φλυαρία, αἰτία φανείη τοῖς πλεῖστα παρὰ Θεῷ δυναμένοις ὑμῖν· ἀλλ' ὡς καρδίας ὀδυνωμένης γεννήματα, καὶ ψυχῆς ἀλγυνομένης συντρίμματα. Τόπον καὶ τρόπον ὑπολελειμμένον παρ' ὑμῖν ἀφέσεως εὕροιμεν, ὡς ἂν μὴ παντελεῖ πιεζόμενος ὑποπτώσει ἀνιατρεύτῳ βληθείην ὑπογνώσει, καὶ ἀπορριφείην ὡς ὁ πάλαι μικρᾶς ἡδονῆς ἀντιδοὺς τὰ ἑαυτοῦ πρωτοτόκια, ἐπεὶ μὴ πατρικῇ τραπέζῃ ἀνάλογα προσανήνοχε θύματα. Πέπεισμαι γὰρ ὡς οὐκ ἐλάχιστα τοῦ τοιοῦδε χάριν πτώματος πείσομαι, ἀλλὰ πολλάς, ὡς ἐπεγνωκὼς τὸ τοῦ Δεσπότου θέλημα καὶ μὴ ποιήσας, δαρήσομαι καὶ ἀπέραντα μετακλαύσομαι, ὡς οὐχ εὑρηκὼς καίπερ ζητήσας μετάμελον. Νῦν
B οὖν χεῖρά μοι βοηθείας ἐπόρεξον, καὶ τῷ κλύδωνι καταβαπτισθέντα τῆς ἀπιστίας ἀνέλκυσον· μή με καταποντισάτω καταιγὶς ὑδάτων αἱρετικῶν, μηδὲ καταπιέτω με βυθὸς ἀχανὴς ἀλλοτρίου τῆς ἀληθείας φρονήματος, μηδὲ συσχέτω ἐπ' ἐμὲ φρέαρ τὸ στόμα, πηγάζον ἀνατροπὴν ὀλεθρίαν καὶ θανάσιμον. ἀλλ' ἱλεώσαιμοι τὸν κριτήν, τὸν ἐφ' ἑνὶ κατακρίτῳ μετανοοῦντι μᾶλλον, ἢ πολλαπλασίοις δικαίοις ταῖς ἀνωτάτω δυνάμεσι συνηδόμενον. Ἐγγυητὴς γενοῦ τῆς ἐμῆς φρενὸς πρὸς τὸν Κύριον, καὶ διασάφισον τῷ πάντα εἰδότι καὶ πρὸ γενέσεως, ὡς οὐχ ἑκουσιότητι γνώμης τῷ τῆς αἱρέσεως Ἰταβυρίῳ προσέδραμον, ἢ ταῖς ἐν αὐτῷ παγίσιν ἑάλων καὶ δυσδιεξόδοις θηράμασιν, ἀλλὰ δριμείαις εἰ καὶ ὑποσαθροῖς

PP ἀπειλαῖς, καὶ πᾶσαν ἀτράπητόν μοι φυγῆς προκαταλαβούσαις εἰρχθείς, τοῖς λίνοις τῶν ψυχὰς ἀγρευόντων κακοτρόπως ἐζώγρημαι. Ὅθεν τὸ τοῦ μώλωπος τῆς εὐχῆς αὐστηρὸν περιαλγῆ ποιεῖ με καὶ πολυώδυνον, καὶ ἐν μοίρᾳ τῶν κατακρίτων συνίστησιν· ἀλλὰ τῇ ὑγιαζούσῃ τῆς προσευχῆς ὑμῶν μοτώσει τὸ δυσαλθὲς καὶ δυσανάγωγον πρὸς τὴν εὐκλεᾶ καὶ λείαν τῆς πίστεως τρίβον συνούλωσον, ὡς ἂν μὴ τῇ μακρᾷ παροράσει τῆς θεραπευτικῆς ὑμῶν ἐπισκοπῆς τὸ φλεγμαῖνον τῆς πληγῆς ἐντρεφόμενον, δυσίατον ἢ καὶ παντελῶς διαφανείη ἀνίατον.

veniā implorat intercessionē S. Nicephori,

C Μὴ τοίνυν τῆς σωστικῆς ἐπικουρίας ὑμῶν πόρρω που σταίην, μηδὲ τῆς στερρᾶς ὁμολογίας ὑμῶν κριθείην ἀμέτοχος, μηδὲ βληθείην ἔξω τῆς ὑμετέρας ψυχοτρόφου διδαχῆς, πεδηθεὶς χεῖρας καὶ πόδας, ὡς ἐκεῖνος ὁ πρὸς γαμικὴν εὐωχίαν ἐνδεδυμένος ἀνάξια· μὴ δὲ λιμῷ πιεζόμενος, οὐκ ἐξ ἄρτου μοι γεωργηθὲν καὶ ὕδατος, ἀλλὰ τοῦ ἀκοῦσαι λόγον ὀρθοτόμου τῆς Ἐκκλησίας προσρήματος, παροφθείην ὡς ἡ μακρᾷ νόσῳ Χαναναία συγκύπτουσα, καὶ δεηθείην ὡς ἐκείνη ὄπισθεν ἄπρακτα κράζουσα τῆς τῶν ἐφεπομένων Χριστῷ παρακλήσεως. Ἀλλὰ τοῖς τῆς ἱερᾶς ὑμῶν τοῦ λόγου τραπέζης λειψάνοις ὥς τι λιμῶττον διάθρεψόν με κυνάριον, καὶ τοῦ δεσμοῦ τῆς εἰς ἀπιστίαν διάλυσον καταδύσεως· εἴπως ὀρθὰ βλέπειν δυνήσομαι, καὶ τό, ἡ πίστις σου σέσωκέν σε πρὸς Θεόν, καὶ τῆς ὑμετέρας ἀκούσομαι μειλιχίας καὶ εὐκταίας ἐμοὶ προρρήσεως. Ἰδοὺ γὰρ τὸ Χαναναῖος εἶναι κατήργηκα, καὶ ὅσα Χαναναίτιδος φρενὸς ἀποβέβληκα δόγματα, τιθέμενος καὶ στοιχῶν τοῖς ὑμετέροις βιωφελέσι διδάγμασιν, ἀποστυγῶν δὲ καὶ ἀποτρεπόμενος ἅπαν ξένον καὶ ὀθνεῖον καὶ τοῦ Ἐκκλησιαστικοῦ διεστηκὸς ἐναυλίσματος σαθρὸν ἐπινόημα. Τὸ γὰρ ὑμῖν D

detestatur hæresim.

συμφρονεῖν, φρονεῖν ἐστιν εἰς τὸ σωφρονεῖν· καὶ τὸ σὺν ὑμῖν τετάχθαι, πολλὴν οἰκειότητα τὴν πρὸς Θεὸν ἀποφέρεται. Ταῦτα τῆς σῆς ἀλήπτου βιοτῆς ὡς ἐν ἐπιδρομῇ τὰ γνωρίσματα, ταῦτα τῆς μέχρις αἵματος ὑπὲρ τῆς ἀληθοῦς ὁμολογίας ὑμῶν ἀγωνίσματα, ταῦτα τῆς πρὸς Θεὸν διὰ τοῦτο παρρησίας ὑμῶν τὰ αὐχήματα. Σὺ δὲ ἡμῖν, ὦ τιμία ψυχὴ καὶ ἰσάγγελε, τῆς μὲν προθυμίας ἀπόδεξαι, διὰ τὴν τῆς σῆς διδασκαλίας πεποίθησιν τοῖς ὑπὲρ δύναμιν ἐγχειρήσαντας, τῇ δὲ ἰδιωτείᾳ τοῦ λόγου συγγνώμην παράσχου καὶ συμπάθησον· γινώσκων ὅτι τὸ μὲν ἐπιτυχεῖν ἀπροσδόκητον ἔχει τὸν ἔπαινον, τὸ δὲ σφάλλεσθαι συγγνώμην εὐγνώμονα.

a *MS.* Ἀμιγέσι μιμνήσονται. *Allatius explicationis caussâ in margine scripserat,* Καθαρῶς, ἀδόλως λόγους μνησθήσονται: *ut fortè legendum sit* ἀμιγέσι, *subintellige* λόγοις, oratione sincerâ & non fucatâ. *Ex mente tamen Interpretis* ἀμιγέσι *correxi.*

b *Videtur Interpres pro* γυμνάσασα *legisse* γυμνώσασα, *sed retentâ originali scriptione hic sensus est:* quos ecclesia, sua eis denudans vbera, doctrinam, inquam, saniorem &c.

c *Typographico mendo imputandum, quòd in Latino* xteinæ leges, *non* externæ *legantur; earum scilicet scientiarum, quas ab externis, id est gentilibus, Christiani acceperunt.* E

d *Latinam versionem transcribenti prima syllaba excidit: videtur autem hic designari* Πημόλισσα *castellum Cappadociæ iuxta Halym fluuium apud Cedrenum: Stephano & Straboni* Πιμωλίσα, *& regio circumiacens* Πιμωλισηνή.

e *Aliàs* Ἀσηκρῆτις, *unde qui est in ordine Secretariorum primus* Πρωτασηκρῆτις. *Auctores Suidam, aliosq; vide apud Meursium in Glossario: Carolus magnus etiam* Leontium Asecretam *Latinè scripsit, de cultu imag. lib. 4 cap 9.*

f *Pandionidarum tribus altera Athenis, teste apud Suidam Diodoro, nomen à Paane habet, & qui ad eam pertinent* Παιανιεῖς *dicuntur. Quæ vox an strictim hic accipienda sit, ut verè Demosthenes ad eam tribum spectet, quemadmodum accepit Stephanus in Appendice ad Thesaurum linguæ Græcæ; an genericè ponatur pro Atheniensi, ut Interpres censuit, non definio, quando paternam Demosthenis tribum nullus veterum nominauit, quod sciam.*

g *Mutatis perperam ab amanuensi interpunctionibus verbisq; transpositis, genuinus Auctoris & Interpretis sensus obscuratus est, qui erat hoc modo reddendus:* Deus qui ... veras preces semper perficit, *id est,* æquas postulationes semper adimplet; diuino spiritu digitoque ostendit ei Nicephorum sacrâ dignum vnctione.

h *Festinantis calami* σφάλμα *fuit, quod,* contegat *pro* detegat, *in versione Latinâ legatur.*

i Roboamum *legit Interpres: & verò hic notatur in Scripturis quòd seniorum consilia spernens iuniorum sententiæ adhæserit: verùm epithetum* serui Ieroboamum *indigetat, quicum, antiquum Dei cultum de irâ superstitione commutante, haud minùs propriè comparatur Leo, quàm cum Roboamo.*

k *Excidit è Latinâ versione negatio; & interpunctione non rectâ distortus mirè sensus, videtur clarus futurus hoc modo:* qui postquam ei quæ ex aduerso Byzantii est nauium stationi non sponte appropinquassent, mittentes (*nuntium scilicet de aduentu suo, vel litteras*) iuxta receptum morem Archipræsuli suo, ad ipsum traiiciebant: sed &c. F

l *Festinantiori calamo redditum* refractarii gregis rapinam patitur, *pro eo quod auctor dixit,* violentam ouium suarum rapinam patitur.

m *Auctoris mentem sic Latinè exprimes:* Id si renuitis, silendo autem etiam ius & æquitatem caussæ velitis vindicate.

n *Conclusio hæc Interpreti excidit* Iam olim enim à multis etiam Patribus confutatæ, extinctæ sunt.

p *Item hæc* Et eiectum ex auribus abdicauerunt.

q *Succinctæ breuitatis energiam, ut aptè expressam Latinè habeas, sic pleniùs redde:* Adeoque nec pingere, velut qui talem formam habere ipsos sciant.

r *MS* θυμάσοντες, *cui marginalis quædam nota adiuncta significat idem valere quod* ἐκδόντες: *quod licet non esset omni auctoritate destitutum, non tamen ad commodum sensum habendum proficeret. Itaque duas voces in vnam non sine mendo coaluisse suspicatus, distraxi* θυμάσων ἔτι, *& sensum, etiam in Latinâ versione turbatum, puto sic integrè reddi posse:* Et cùm illuc appropinquarent vbi adhuc Tyrannus considebat, vident Archipræsulem elatiori voce contradicentem, iamque syllogismo ferientem ipsius Imperatoris velut recens nati pueruli infantiam: vnde etiam ipsi ad loquendum confirmati sunt, omnemque &c.

s *Id est* Indictâ caussâ, *seu negato loco defensionis: itaq; hac voce Demosthenes, Eustathius, & alij optimi auctores vtuntur; ut mirū sit quomodo* Ἑλληνικωτάτῳ *Interpreti exciderit* ἐρήμην καταδικα-

σθείημεν

A *πενθήματα, reddere*, Exilio damnemur.

t *Sequentia sic Latinè redderem*: Et veluti qui manifestissimam calumniam struxerat, sic imbelliter profugus à suo sermone liquidò se victum fassus est: non enim facultas suppetebat resumendæ orationis, ac ne fiducia quidem respiciendi ad refutationem eorum quæ dicta fuerant.

u *Huius § initium Interpreti festinanti præteritum, sic exhibeo*: Hisce igitur vtilibus ac sapientibus sancti Doctoris monitis increpationibusque nihil factus melior Imperator, in id vnum totâ incumbebat mente, vt expelleret eum & sponsæ Christi Ecclesiæ saccum texeret viduitatis. Siquidem prædicandi munus &c.

x *Delenda est, quæ præter mentem auctoris hic irrepsit in textu Latino, negatiua* non.

z *Hæc quoque Interpreti præterita hîc habe*: quibus etiam diuinus Apostolus graue iudicii pondus portandum indixit *vbi respicitur ad illud* 2 *Petri* 2, 3. quibus iudicium iamolim non cessat.

y *MS.* τὸ μὴ: *quod nescio quem sensum facere possit: suppleo igitur quod excidisse librario videtur, & τόλμημα* τὸ *legens hunc sensum reddo*: Audax aduersus Deo sacratos facinus, qualiter potest iudicium dici?

aa *Quæ sequuntur, in Latino prætermissa, sic repone*: & securitati eius festinasset prospicere.

bb *MS* θάνατον ἀπειλοῦντες κάκωσιν τῶν ἀφορῶντων τὴν ἀσθένειαν συνεισόντων ἀναίρεσιν, ἀλλ' οὐκ εὐδόκιμον ἦν, περιέκοντες αὐτὸν τῆς ἐν τῷ ἔξωθεν ἐπιμελείας, τῆς ἐν ταῖς συνάξεσι νενομισμένης μνήμης; *Ex quibus longè intricatissimis, sed modicâ emendatione in textu correctis, hic nunc demum sensus Latinus existet*, Malam comminantes mortem earum ablatione rerum quæ infirmitati leuandæ conducerent; & (quamuis nulla adesset caussa) priuantes ipsum tam externo ornatu quàm legitimâ in sacris commemoratione. *Deinde istud* τοῖς ἱερεῦσι λαχοῦσι *simplicius reddes*, quibus sacra facere obtigisset.

B

cc *MS.* οὗ, *quo per coniecturam mutato, cetera sic interpretor*: Quid igitur faciendum ei, Carissimi, pro vestrâ salute, quid præstandum erat? *ac deinde in fine periodi* vt quantum in ipso erat in peccatum non laberentur; *& paulo post* Christum magistrum in hoc imitatus: *pro quo nescio quomodò exciderit*, pietate Christi discipulum imitari. *quod esset ad S. Stephanum, de quo nullus hic sermo, referendum.*

dd *Aliàs & frequentiùs pluraliter* τὰ κατηχούμενα, *quandoque & κατηχουμενεῖον, quod Latinus seruat Interpres: auctores vide apud Meursium in Glossario: vsum Simeon Thessalon lib. de Sacram. describit his verbis* Catechumena, id est Cathumenorum domus, propterea excogitata sunt vt etiam hi auditu visuque solo diuinorum participes fierent, & labiis linguâque fidem profiterentur. *Erant autem porticus vel atrium templo ipsi prætensum, vel ipsius templi pars anterior, in quo non baptizatis licebat consistere vsque dum sacra mysteria inferrentur ad altare.* D AVCTORE IGNATIO

ee *Error amanuensis, quo loco*, Boni, *scripserat*, Boui, *occasionem dedit in annotationibus agendi de loco Bouis dicto prope Chrysopolim: quæ, licet erudita, melius omittentur, &* Monasterium Agathi *siue* Boni, *vbi situm fuerit inquiretur.*

ff Βουθοῖνας *seu* Βουθοίνης *Græcis dictus est Hercules, quod boues integros vno epulo absumpsisse fingeretur.*

gg *Typographico mendo* Græculorum *pro* graculorum *irrepsit in versionem Latinam: videturq; ad etymon nominis* κολοιὸς. graculus *alludi, quod à* κολῳᾶν *tumultuando ductum censuit Cælius Rhodiginus lib.* 13 *cap* 4.

hh *Pluralis numerus & oppositio ad Orthodoxos, in sequenti periodi huius membro nominatos, facit vt* τοὺς κρατοῦντας *hic & infra non tantum Imperatorem sed & Pseudopatriarcham & alios conciliabuli Præsides existimem dici: nam his quoque acclamari in synodis solebat.*

ii *In Latino pro* non vulneratam *id est* integram, illæsam, *irrepsit* conuulneratam *per amanuensis vel typothetæ incuriam.*

kk *Alibi necdum mihi reperta nomina*, comptos fastuque elatos *vertit Interpres, ex nonnullâ vt videtur etymologicâ ratione: cùm* ἵππων *decto*, ἅμαξα *currum significet. Verùm si quid hîc diuino, significantur vel arioli ex strigilum equinorum plaustrorumque tractatione superstitiosâ sortes assueti capere; vel simpliciter ipsa equilium regiorum mancipia ab equis pectendis tractandisque plaustris (maximè si* ἁμαξάπται *legantur) nomen vulgo adepta: inter quæ, variis etiam superstitionibus circa equos vtentia, familiarius fortè versabatur Leo, sicut de Constantino Copronymo legimus.* E

ll *Quia vocem* λογύδελοι *nusquam legisse memineram, mendum ratus alibi* λογίδιον *substitui, quod ex omnium consensu* fabellam *significat: nunc eâ crebrius recurrente, suspicio oritur eiusdem significationis vocem esse, sed nouæ & seculo illo visitatæ compositionis, ex* λόγος *&* ὕδελον; *quasi diminutiuum ex* λογύδελος *serpentinus sermo, siue qui instar aquæ instabilis sit.*

mm *Id est*, Euidenter, palam. *Interpres videtur* σαφῶς *legisse.*

nn *Si scriptio sincera est, nouæ formationis hæc vox sit oportet*, oblatum per ignem sacrificium *significans, ex* καίω *vro &* ἱερᾶν *sacerdotio fungor: ex quo tamen* ἱέρημα *potiùs quam* ἱρημα *formaretur.*

pp *Addebatur in MS.* ἡ σκῆψις fictio, simulatio, *vnde in Latino* simulatæ minæ *leguntur: sed non video quomodò hoc substantiuum seruire hic possit simili aut alteri alicui sano sensui, nisi repositus, quæ fortè exciderunt, nonnullis: quare ipsum, hic vt superfluum, omisi.*

VITA S. EVPRAXIÆ VIRGINIS

Ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, signato 866 fol. 389.

C 1 CAP. I *Nascatur Antigono Theodosij Imp. consanguineo* a



Ν τις ἀνὴρ ἐν τῇ βασιλευούσῃ Συγκλητικὸς, Ἀντίγονος ὄνομα. Ἦν δὲ ἴδιος τῷ βασιλέως πρὸς γένος, σοφὸς ἐν λόγῳ καὶ ἔργῳ, ἀεὶ ἀρεσκὸς συμβουλεύων τῷ βασιλεῖ, εὐσεβῶς διοικεῖν τῆς Ῥωμαϊκῆς καταστάσεως τὰ πράγματα. Ἦν δὲ καὶ φίλος καὶ συμπαθὴς ἀνὴρ, πᾶσι τοῖς δεομένοις τὰ πρὸς τὴν χρείαν παρέχων. Ἠγάπα δὲ αὐτὸν ὁ βασιλεὺς, οὐ μόνον ὡς ἴδιον αὐτοῦ καὶ συγκλητικὸν, ἀλλὰ καὶ ὡς φιλόχριστον καὶ εὐσεβῆ καὶ ἀεὶ χρηστὰ συμβουλεύοντα. Ἦν δὲ πλούσιος σφόδρα, καθ' ὃν οὐκ εἶχεν ἡ βασιλεύουσα πόλις τοιοῦτον ἄλλον ἐν εὐπορίᾳ. Οὗτος ἔλαβεν γυναῖκα ἰδίαν αὐτοῦ ἀνεψίαν, ἐκ τοῦ αὐτοῦ βασιλικοῦ αἵματος, καὶ αὐτὴ ὑπάρχουσα πλουσία σφόδρα· ὄνομα δὲ αὐτῆς Εὐπραξία, γυνὴ θεοσεβὴς, φοβουμένη τὸν Θεὸν, σχολάζουσα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις καὶ ἐν τοῖς μαρτυρίοις, καὶ τῷ Θεῷ μετὰ δακρύων δεήσεις προσφέρουσα καθεκάστην, πολλὰς δὲ πτωχοὺς πλουσίους ἐποίησεν διὰ τῆς μεταδόσεως αὐτῆς· πολλὴν δὲ καρποφορίαν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις καὶ ἐν τοῖς μαρτυρίοις προσέφερεν· σφόδρα δὲ αὐτὴν ἠγάπουν ὅ τε βασιλεὺς καὶ ἡ Δέσποινα, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν πρόσγενον τοῦ βασιλέως καὶ τῆς Δεσποίνης· οὐ μόνον δὲ τοῦτο, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ κοσμίαν αὐτὴν εἶναι καὶ σεμνοπρεπεστάτην, καὶ πάνυ θεοσεβῆ. Ἐγένετο δὲ τούτοις παιδίον θηλυκὸν b ἕνα· ἐπωνόμασεν δὲ αὐτὴν ὁ Ἀντίγονος ἐπ' ὀνόματι τῆς μητρὸς Εὐπραξίαν. F

& matre Eupraxia,

2 Κτησαμένων δὲ αὐτῶν τὴν θυγάτριον τοῦτον, μίᾳ τῶν ἡμερῶν λέγει ὁ Ἀντίγονος τῇ Εὐπραξίᾳ· Οἶδες, Κυρία μου Εὐπραξία, ὅτι οὐδέν ἐστιν ὁ βίος οὗτος, οὐδὲν ὁ πλοῦτος τοῦ προσκαίρου καὶ ματαίου αἰῶνος τούτου· ἐν γὰρ τῷ ἔπισιν πληροῦται ὁ χρόνος τοῦ ἀνθρώπου. Ἀλλ' ἔστιν πλοῦτος ἐν οὐρανοῖς, ἀποκείμενος εἰς ἀπελεύτητους αἰῶνας τοῖς φοβουμένοις τὸν Κύριον· καὶ ἡμεῖς ἀποστεροῦμεν ἑαυτοὺς τοῦ πλούτου ἐκείνου, ἐνδεδεμένοι ἐν ταῖς κοσμικαῖς φροντίσιν καὶ ἐν τῇ ἀπάτῃ τοῦ προσκαίρου πλούτου, καὶ εἰς μάτην τὰς ἡμέρας ἡμῶν δαπανῶμεν, μηδὲν τῇ ψυχῇ ἡμῶν προσφέροντες χρήσιμον. Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ Εὐπραξία, λέγει τῷ Ἀντιγόνῳ· Καὶ τί κελεύεις, Κύριέ μου, ἵνα ποιήσωμεν; Λέγει αὐτῇ ὁ Ἀντίγονος· Ἕνα θυγάτριον ἐκτησάμεθα διὰ τοῦ Θεοῦ. ἀρκεσθῶμεν αὐτῷ· καὶ μηκέτι τῇ κοσμικῇ συνέλθωμεν συνουσίᾳ καὶ ἀθλιότητι. Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ Εὐπραξία, ἀναστᾶσα, διαπετάσασα εἰς ὕψος τὰς χεῖρας, καὶ στενάξασα λέγει τῷ Ἀντιγόνῳ· Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ καταξιώσας

b contemptoribus vanitatis & voluptatis

& in continentia deinceps viuentibus.

A *EX MS. VATIC.*

σε εἰς φέρειν αὐτοῦ, καὶ ὁδηγήσας σε εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. Ἀληθῶς, Κύριέ μου, πολλάκις ἐδεήθην τοῦ Θεοῦ, ἵνα καταυγάσῃ τὴν καρδίαν σου, καὶ φωτίσῃ τὴν διάνοιάν σου περὶ τούτου, ἀλλ' οὐδέ ποτε ἐτόλμησα φανερῶσαί σοι· ἐπειδὴ αὐτὸς προενήρξω, Κύριέ μου, ὅτι περὶ τοσούτων γυναικῶν ὁ Ἀπόστολος διεμαρτύρατο λέγων, Ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶν τὸ λοιπὸν, ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκας ὡς μὴ ἔχοντες ὦσιν, καὶ οἱ χαίροντες ἐν κτήσεσιν ὡς μὴ χαίροντες, καὶ οἱ ἀγοράζοντες ὡς μὴ κατέχοντες· παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. Εἰς τί ἡμῖν ὑπάρξει τὰ χρήματα, καὶ ἡ τοσαύτη περιουσία τῶν χρημάτων τούτων; Ἐν τῷ ᾅδῃ τινὶ οὐδὲν συγκατέρχεται. Ἃ ἐβουλεύσω σπούδασον, καὶ πτωχοῖς πολλὰ παράσχου· ἵνα μὴ ἡ βουλὴ ἐκείνη, ἣν ἐβουλεύσω, ἄκαρπος εὑρεθῇ. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἀντίγονος παρὰ τῆς Εὐπραξίας, τὸν Θεὸν ἐδόξασεν.

Moritur Antigonus ab eleemosynarum largitate laudandus:

** παρέχων C*

3 Κατορθώσαντες τοίνυν ταύτην τὴν ἐνάρετον πολιτείαν, καὶ πολλὰ τοῖς πτωχοῖς * ῥαχῶν C ὁ Ἀντίγονος, ἕνα καὶ μόνον ἐνιαυτὸν ζήσας μετὰ τὸ ἀποτάξασθαι τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, καὶ εὐσεβῶς τὰ καθ' ἑαυτὸν διοικήσας, τελευτᾷ ὁ Ἀντίγονος, τὸν ἀνθρώπινον καταλύσας βίον. Ἐπένθησάν τε αὐτὸν ὅ τε Βασιλεὺς
B καὶ ἡ Δέσποινα τὸν Ἀντίγονον σφόδρα, ὡς ἅπαξ ἐκ τοῦ ἰδίου αὐτὸν ὑπάρχοντα αἵματος, ὡς δίκαιον καὶ θεοσεβῆ ἄνδρα· συνέπασχον δὲ καὶ τῇ Εὐπραξίᾳ, οὐ μόνον ὡς ἰδίᾳ αὐτῶν συγγενίδι, ἀλλ' ὅτι καὶ νέα τῇ ἡλικίᾳ ὑπῆρχεν· δύο γὰρ ἔτη καὶ τρεῖς μῆνας ἔζησεν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς τὸν πάντα χρόνον, τὸν μὲν ἐνιαυτὸν καὶ τρεῖς μῆνας συνοικήσασα μετὰ τοῦ ἀνδρὸς, τὸν δὲ ἕνα ἐνιαυτὸν ἐκ συμφώνου ἀπεχόντες ἀπ' ἀλλήλων ὑπῆρχον ὡς ἀδελφοί. Ταφέντος οὖν τοῦ Ἀντιγόνου, πολλά τε ὁ Βασιλεὺς καὶ ἡ Δέσποινα παρῄνουν τῇ Εὐπραξίᾳ· ἡ δὲ Εὐπραξία λαβοῦσα τὸν ἴδιον θυγάτριον Εὐπραξίαν, ἐπέδωκεν εἰς τὰς χεῖρας τοῦ Δεσπότου καὶ τῆς Δεσποίνης, καὶ πεσοῦσα εἰς τοὺς πόδας αὐτῶν, μετὰ βοῆς καὶ ἀλαλαγμοῦ μεγάλου λέγει αὐτοῖς· Εἰς τὰς χεῖρας τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὰς χεῖρας ὑμῶν παρατίθημι τὴν ὀρφανὴν ταύτην. Μεμνημένοι οὖν τοῦ οἰκείου ὑμῶν Ἀντιγόνου, ἀντιλάβεσθαι τῆς ὀρφανῆς ταύτης, γενόμενοι αὐτῇ ἐν τάξει μητρὸς καὶ πατρός. Πολλὴ οὖν σύγχυσις ἦν δακρύων, καὶ βοαὶ
C ὑπὸ τῶν ἀκουόντων ἐγίνετο, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν Βασιλέα ἀλαλάζειν καὶ κλαίειν.

Mater Imperatori cōmendat infantulam

4 Μετ' ὀλίγον δὲ χρόνον ἀνεθέντες τοῦ πένθους, συμβουλεύει ὁ Βασιλεὺς τῇ γυναικὶ τοῦ Ἀντιγόνου ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα αὐτῆς Εὐπραξίαν Συγκλητικῷ τινι πάνυ εὐπορωτάτῳ, καὶ δὴ πείθει τὴν Εὐπραξίαν δέξασθαι ἀρραβῶνας· Δεξαμένη οὖν τοὺς ἀρραβῶνας, ἀνέμενον τὴν ἀκμὴν τῆς κόρης· ἦν γὰρ πάνυ παιδίον, ὅτε τοὺς ἀρραβῶνας ἐδέξατο, ὡς ἐνιαυτῶν ε' καὶ μόνον τοῖς χρόνοις ὑπάρχουσα. Μετὰ δέ τινα χρόνον ὑπεισήρχετό τινι τῶν Συγκλητικῶν λαβεῖν τὴν γυναῖκα τοῦ Ἀντιγόνου πρὸς γάμον, καὶ διὰ δεήσεων καὶ γυναικῶν Συγκλητικῶν πείθει τὴν Δέσποιναν, λάθρα τοῦ Βασιλέως, ἀποστεῖλαι καὶ διαλεχθῆναι τὰ τοῦ πράγματος τῇ Εὐπραξίᾳ. Ἡ δὲ ἀκούσασα καὶ πικρῶς ἀλαλάξασα, λέγει ταῖς * ἀποσταλήσασιν γυναιξίν· Οὐαὶ ὑμῖν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, ὅτι τοιαῦτα συμβουλεύετε γυναικὶ βουλομένῃ κατὰ Θεὸν ζῆσαι. Ἀπέλθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀλλότριον τῆς ἀπολογίας ὑμῶν ἔργον ἠργάσασθε. Αἱ δὲ ἀτιμασθεῖσαι ἀπελθοῦσαι ἀπήγγειλαν τῇ Βασιλείσσῃ τὰ τοῦ πράγματος.

eiusque suasu iuueni senatorio despondet:

& ad secūdas nuptias sollicitata ab Imperatrice,

** ἀποσταλείσαις*

Γνοὺς δὲ ὁ Βασιλεὺς τὸ γεγονὸς, ἐπιφέρεται τῇ Βασιλείσσῃ σφοδρῶς, καὶ ὀργισθεὶς κατ' αὐτῆς, λέγει αὐτῇ· Ἀληθῶς, Αὐγοῦστα, ἀλλότριον τῆς σῆς βασιλείας εἰργάσω πρᾶγμα. Ταῦτα Βασιλείσσης ἐστὶν φιλοχρίστου; οὕτως συνήθου τῷ Θεῷ βασιλεύειν εὐσεβῶς; οὕτως μέμνησαι τοῦ Ἀντιγόνου, τοῦ ἀεὶ τὰ χρηστὰ ἡμῖν συμβουλεύοντος; Ἀλλότριον τῆς ὑμετέρας βασιλείας ἐποίησας πρᾶγμα, γυναῖκα σωφροσύνην ἀσπασαμένην, καίτοι κοράσιον τοῖς ἔτεσιν ὑπάρχουσαν (ἥτις ἕνα καὶ μόνον ἐνιαυτὸν συνῴκησεν τῷ ἀνδρὶ, καὶ εὐθέως ἐκ συμφώνου διὰ τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν ἔλαβον ἑαυτοὺς ἀπ' ἀλλήλων) σὺ νῦν πάλιν ἐπὶ τὸν κόσμον ἐλθεῖν ἀναγκάζεις αὐτήν; οὔτε τὸν Θεὸν ἐφοβήθεις, τὸ παράνομον τοῦτο θελήσασα ποιῆσαι; Τίς ἀκούσει, καὶ οὐ καταγελάσει τῆς ἐμῆς βασιλείας; τίς δὲ πείσει τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ἐκ τῆς ἐμῆς βουλῆς [μὴ] γέγονε τὸ γινόμενον ἀπρεπὲς καὶ ἀνοίκειον. Ἐποίησας πρᾶγμα οὐκ ἐξὸν οὔτε ἠκουσθῆναι ἐπὶ τῆς ἐμῆς βασιλείας διὰ τὸν γνήσιον φίλον Ἀντίγονον.

D *ne propterea inter hāc & maritum iurgia crescerent,*

5 Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ Αὐγοῦστα, ἀλλοιωθεῖσα τῷ προσώπῳ ὑπὸ τῆς αἰσχύνης, ἔμεινεν ὡς λίθος ἄφωνος ἐπὶ ὥρας δύο, καὶ ἐγένετο λύπη μεταξὺ τοῦ Βασιλέως καὶ τῆς Αὐγούστης διὰ τὴν Εὐπραξίαν τὴν γυναῖκα Ἀντιγόνου. Μαθοῦσα δὲ ταῦτα ἡ Εὐπραξία, ὅτι λύπη μεγάλη ἐγένετο μεταξὺ αὐτῶν, συνέπεσεν τὸ πρόσωπον αὐτῆς, καὶ ἐγένετο περίλυπος ἕως θανάτου, καὶ βουλεύεται ἀναχωρῆσαι τῆς πόλεως· καὶ κλαίουσα καὶ κατώδυνος ὑπάρχουσα, λέγει τῇ θυγατρὶ αὐτῆς Εὐπραξίᾳ· Τέκνον, ἔχομεν ἐν Αἰγύπτῳ πολλὴν καὶ μεγάλην ἀξίαν· δεῦρο ἄγωμεν ἐκεῖσε, ἵνα ἐπισκεψώμεθα καὶ τὴν τοῦ πατρός σου κτῆσιν καὶ τὴν ἐμήν· σὰ γάρ ἐστιν τὰ πάντα, τέκνον μου. Καὶ λαβοῦσα τὴν θυγατέρα αὐτῆς Εὐπραξίαν, ἀνεχώρησεν τῆς βασιλευούσης λάθρα τοῦ Βασιλέως, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν Αἴγυπτον, κἀκεῖ διέτριβεν ἐπισκεπτομένη τὴν κτῆσιν αὐτῆς. Ἀπέρχεται δὲ καὶ εἰς τὴν ἐσωτέραν Θηβαΐδα σὺν τοῖς ἐπιτρόποις αὐτῆς καὶ οἰκονόμοις, φροντίζουσα τῶν οἰκείων πραγμάτων. Ἦν δὲ κἀκεῖ σχολάζουσα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις καὶ ἐν τοῖς μαρτυρίοις, καὶ πολλὴν καρποφορίαν προσφέρουσα· περιήρχετο δὲ καὶ τὰ μοναστήρια τῶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, καὶ ἐδίδου πολλὰ χρήματα.

secedit in Aegyptum

E *vnà cum filiâ.*

F 6 Ἦν δὲ μοναστήριον γυναικεῖον ἐν μιᾷ πόλει ἔχον ἀσκητρίας ρδ'. περὶ ὧν μεγάλας καὶ θαυμαστὰς ἀρετὰς ἐκήρυττον οἱ ἄνθρωποι τῶν ἐκεῖ. Οὐκ ἦν ἐν τῷ ἀσκητηρίῳ ἐκείνῳ γεύσασθαι οἴνου, ἢ ἐλαίου· οὐκ ἦν τινα αὐτῶν μεταλαβεῖν ὀπώρας ἢ σταφυλῆς, ἢ σύκων, ἢ ἑτέρων ἀγαθῶν ἐπὶ γῆς. Τινὰς δὲ ἐξ αὐτῶν ἀποταξαμένας ἐκ παιδόθεν ἔλεγον μήτε αὐτὸ τὸ εἶδος τῆς ὀπώρας εἰδέναι· τὸ δὲ βρῶμα αὐτῶν, ὅτε ὄσπρεον, ὅτε λάχανον, καὶ ταῦτα δίχα ἐλαίου. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν διὰ δύο ἡμερῶν ἤσθιον, ἄλλαι δὲ διὰ τριῶν. Οὐκ ἦν τινα αὐτῶν νίψασθαι τοὺς πόδας ὕδατι· περὶ γὰρ λουτροῦ περισσόν ἐστιν λέγειν· ἀκούσαντες γὰρ καὶ μεγάλως καταγελῶντες αἰσχύνης καὶ ὀνείδους μεστὸν εἶναι τὸ διήγημα ἐλογίσαντο, καὶ ὡς βδελυκτοῦ ὄντος τοῦ πράγματος οὐδὲ ἀκοῇ τοῦτο παραλαβεῖν ἐβουλήθησαν. Ἑκάστη δὲ αὐτῶν κοίτην εἶχεν εἰς τὸ ἔδαφος τρίχινον μικρὸν, πήχεως τὸ πλάτος, καὶ τρεῖς τὸ μῆκος, καὶ εἰς τὸ αὐτὸ δὴ ἐπαύετο πρὸς βραχύ. Ἦν δὲ καὶ τὰ ἐνδύματα αὐτῶν χειτώνια τρίχινα ἑκάστῃ, καταλύπτοντα τῶν ποδῶν τὰ ἄκρα. Καθόλου ἂν ἠδυνάτο τις αὐτῶν, οὕτω καὶ ἠγωνίζετο. Οὐκ ἦν τινι αὐτῶν ἀσθενούσῃ

CAP. II Inter sanctimoniales mira austeritatu in cibo,

strato, vestitu,

A νόσῃ ἀπάντλημα ἢ ἰατρικὸν βοήθημα παρενεχθῆναι· ἀλλ᾽ ἐάν τινα αὐτῶν συνέβη ἀσθενῆσαι, ὡς μεγάλην εὐλογίαν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐδέχετο τὴν ἀσθένειαν, καὶ ὑπέμενεν διακαρτεροῦσα τὴν νόσον, τὴν τοῦ Θεοῦ βοήθειαν ἀναμένουσα. Οὐκ ἦν τινι αὐτῶν ἔξω τῆς πύλης ἐξελθεῖν· θυρωρὸς δὲ ἦν δι᾽ ἧς ἀπόκρισις πᾶσα ἐγίνετο. Πολλαὶ οὖν ἰάσεις ἐγίνοντο ἐκεῖ.

morborum tolerantiâ & clausurâ,

7 Ἡ οὖν Εὐπραξία ποθήσασα τὸ μοναστήριον τῶν ἁγίων γυναικῶν ἐκείνων διὰ τὴν ἐνάρετον αὐτῶν πολιτείαν, πυκνότερον εἰς τὸ μοναστήριον ἀπῄει προσφέρουσα θυμιάματα καὶ κηρούς. Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν παρακαλεῖ τὴν Διάκονον, καὶ τὰς πρώτας τοῦ μοναστηρίου λέγουσα αὐταῖς· Μικρὰν εὐλογίαν θέλω παρασχεῖν τῷ μοναστηρίῳ, ὡς κ´ ἢ λ´ λιτρῶν πρόσοδον, ἵνα εὔχησθε ὑπὲρ τῆς ὀρφανῆς ταύτης καὶ ὑπὲρ τοῦ πατρὸς αὐτῆς Ἀντιγόνου. Λέγει αὐτῇ Θεοδούλη ἡ Διάκονος· Κυρία μου Συγκλητική, οὐ χρείαν ἔχουσιν αἱ δοῦλαί σου προσόδου, οὐ δὲ ἐπιθυμοῦσιν χρημάτων. Διὰ τοῦτο πάντων περιεφρόνησαν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ, ἵνα τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν ἀπολαύσουσιν· διὰ τοῦτο οὐδὲν θέλομεν κτήσασθαι ἐπὶ τῆς γῆς, ἵνα μὴ τοῦ οὐρανίου ἀποτύ-
B χωμεν πλούτου. Ἵνα δὲ μή σε λυπήσω, ἔλαιον ὀλίγον εἰς τὰς κανδίλας, καὶ θυμιάματα παράσχου ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ ἔσται ὑμῖν τοῦτο εἰς μισθὸν δικαιοσύνης. Καὶ τούτων παρασχεθέντων, ἱκέτευεν ἡ Εὐπραξία τὴν Διάκονον, καὶ τὰς Ἀδελφὰς πάσας, ἵνα εὔχωνται ὑπὲρ τοῦ Ἀντιγόνου, καὶ τῆς θυγατρὸς αὐτῆς Εὐπραξίας.

non admittentes pretiosa munera

sed solos cereos & thymiama,

8 Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν λέγει ἡ Διάκονος Θεοδούλη τῷ κορασίῳ χαριέντως· Κυρία Εὐπραξία ἀγαπᾷς τὸ μοναστήριον τοῦτο, καὶ τὰς Ἀδελφάς; Ἡ δὲ εἶπεν· Ναὶ Κυρία μου, καὶ πάνυ ἀγαπῶ ὑμᾶς. Λέγει αὐτῇ πάλιν ἡ Διάκονος χαριέντως· Ἐὰν ἀγαπᾷς ἡμᾶς, μεῖνον μεθ᾽ ἡμῶν ἐν τῷ σχήματι. Λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον· Ἀληθῶς ἐὰν μὴ λυπεῖται ἡ Κυρία ἡ μήτηρ μου, οὐκ ἔτι ἐξέρχομαι ἀπὸ τοῦ τόπου τούτου. Λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Εἰπὲ, Κυρία μου Εὐπραξία, ἡμᾶς καὶ τὸν *ὀρμαστῆρα d σου, τίνα πλέον
d φιλεῖς; Λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον· Οὔτε ἐκεῖνον οἶδα, οὔτε αὐτὸς ἐμέ· ὑμᾶς δὲ οἶδα, καὶ ὑμᾶς ἀγαπῶ. Ὑμεῖς δὲ, Κυρία, τίνα ἀγαπᾶτε, ἐμὲ ἢ ἐκεῖνον; Λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Ἡμεῖς σὲ ἀγαπῶμεν, καὶ τὸν Χρι-
C στὸν ἡμῶν. Λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον, οὐκοῦν κἀγὼ ὑμᾶς καὶ τὸν Χριστὸν ἀγαπῶ. Ἐκαθέζετο δὲ καὶ ἡ μήτηρ αὐτῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ τῶν δακρύων αὐτῆς οὐκ ἦν ἀναχαιτισμός. Ἡδέως δὲ ἤκουεν τῶν ῥημάτων τοῦ κορασίου ἡ Διάκονος, ὅτι παιδίον ὂν τοῖς ἔτεσιν, οὕτως καλῶν *ἐλάλη· οὔπω γὰρ ἦν ἐτῶν ζ´ ὅτε ταῦτα διελέγετο μετὰ τῆς Διακόνου. Ὀδυνηθεῖσα δὲ ἡ μήτηρ αὐτῆς καὶ κλαύσασα πικρῶς, λέγει τῷ κορασίῳ· Δεῦρο τέκνον, ἄγωμεν ἐν τῷ οἴκῳ, ὅτι ἑσπέρα ἐστὶν τὸ λοιπόν· Λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον. Ἐγὼ ὧδε μένω μετὰ τῆς κυρίας τῆς Διακόνου. Λέγει ἡ Διάκονος τῷ κορασίῳ· Ὕπαγε, κυρία, οὐ δύνασαι ὧδε παραμένειν, οὐ δὲ γὰρ δύναταί τις ὧδε μεῖναι, μή τις συντάξαι τῷ Χριστῷ. Λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον· Καὶ ποῦ ἐστιν ὁ Χριστός; Ἡ δὲ Διάκονος χαριέντως ὑπέδειξεν αὐτῇ τὸν δεσποτικὸν χαρακτῆρα. Ἀπελθοῦσα δὲ ἡ παῖς κατεφίλει τὸν χαρακτῆρα, καὶ στραφεῖσα λέγει τῷ Διακόνῳ· Ἀληθῶς κἀγὼ συντάσσομαι τῷ Χριστῷ καὶ οὐκ ἔτι ἀπέρχομαι μετὰ τῆς κυρίας μου. Λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Οὐκ ἔχεις ποῦ κοιμηθῆναι, τέκνον, καὶ οὐ δύνασαι ὧδε μεῖναι· λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον· Ὅπου ὑμεῖς κοιμᾶσθε, Κυρία μου, κἀγώ.

septennis Euphraxia manere desiderans.

* μνηστῆρα

* ἐλάλησε

exosculata Christi imagine eidem se devovet,

D

EX MS. VATIC.

9 Ἑσπέρας δὲ οὔσης, πολλὰ ποιησάσης τῆς μητρὸς αὐτῆς καὶ τῆς Διακόνου, οὐκ ἔτι ἴσχυσαν ἀποβαλεῖν αὐτὴν τοῦ ἀσκητηρίου. Πολλὰ οὖν καὶ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἡ μήτηρ αὐτῆς καὶ ἡ Διάκονος κολακεύοντες αὐτὴν, οὐκ ἔπεισαν ἐξελθεῖν. Λέγει ἡ Διάκονος τῷ κορασίῳ. Εἰ θέλεις ἐνταῦθα εἶναι, γράμματα ἔχεις μαθεῖν, καὶ τὸ ψαλτήριον, καὶ νηστεύειν ὡς καὶ πᾶσαι αἱ Ἀδελφαί. Λέγει αὐτῇ τὸ κοράσιον· Ἐγὼ καὶ νηστεύω, καὶ πάντα μανθάνω, μόνον ἐάσατέ με ἐνταῦθα. Λέγει ἡ Διάκονος τῇ μητρὶ τῆς κόρης· Κυρία μου Συγκλητική, ἔασον τὸ κοράσιον ἐνταῦθα· εὑρίσκω γὰρ ὅτι χάρις Θεοῦ ἔλλαμψεν εἰς αὐτὴν, καὶ ἡ δικαιοπραγία τοῦ πατρὸς αὐτῆς, καὶ ἡ σεμνότης ἡ σὴ, καὶ αἱ εὐχαὶ τῶν ἀμφοτέρων ὑμῶν ζωὴν αἰώνιον αὐτῇ προξενοῦσιν. Ἀναστᾶσα οὖν ἡ Εὐπραξία, λαβοῦσα τὴν θυγατέρα αὐτῆς, παρέστησεν αὐτὴν εἰς τὸν δεσποτικὸν χαρακτῆρα, καὶ ἐκτείνασα τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐβόησεν μετὰ κλαυθμοῦ λέγουσα· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, σὺ μελήσῃ περὶ τοῦ παιδίου τούτου, ὅτι σὲ ἐπεπόθησεν, καὶ σοὶ ἀνέθετο ἑαυτήν· καὶ στραφεῖσα πρὸς τὸ τέκνον αὐτῆς, εἶπεν· Ὁ Θεὸς, ὁ θεμελειώσας τὰ ἀκίνητα ὄρει, E
στηρίξει σε εἰς τὸν φόβον αὐτοῦ τέκνον, καὶ ταῦτα εἰποῦσα ἔδωκεν αὐτὴν εἰς τὰς χεῖρας τῆς Διακόνου, κλαίουσα καὶ τύπτουσα τὸ στῆθος αὐτῆς, οὕτως ἐξῆλθεν τοῦ ἀσκητηρίου, ὥστε καὶ πᾶσαν τὴν συνοδίαν συγκλαίειν αὐτῇ.

paratâque ad omnia discenda & facienda profitetur:

itaque Abbatissæ à matre tradita

10 Τῇ οὖν ἐπαύριον λαβοῦσα ἡ Διάκονος τὴν Εὐπραξίαν, εἰσφέρει αὐτὴν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ εὐξαμένη αὐτῇ, περιέβαλεν αὐτῇ τὸ μοναχικὸν σχῆμα. Εἰσελθοῦσα δὲ οὖν ἡ μήτηρ αὐτῆς, καὶ ἰδοῦσα αὐτὴν περιβεβλημένην τὸ ἀγγελικὸν ἐκεῖνο σχῆμα, ἐκτείνασα τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐδέετο τοῦ Θεοῦ περὶ αὐτῆς λέγουσα· Βασιλεῦ τῶν αἰώνων, ὁ ἐναρξάμενος ἐν αὐτῇ τὸ ἀγαθὸν ἔργον, αὐτὸς ἐν εἰρήνῃ τελείωσον, καὶ δὸς αὐτῇ κατὰ τὰς ἐντολάς σου πολιτεύεσθαι, ἵνα καὶ ἡ ὀρφανὴ αὕτη εὕρῃ παρρησίαν ἐνώπιον τῆς δόξης σου. Καὶ εὐξαμένης αὐτῆς, λέγει αὐτῇ Εὐπραξία, ποθεῖς περιβεβλῆσθαι τὸ σχῆμα τοῦτο, τέκνον; Λέγει αὐτῇ ἡ Εὐπραξία· Ναὶ, Κυρία μου μῆτερ, ἐπειδὴ ὡς ἔμαθα, παρὰ τῆς Μεγάλης καὶ τῶν Κυρίων τῶν ἀσκητριῶν, ὅτι τὸ σχῆμα τοῦτο ἀρραβῶνας δίδωσιν ὁ Χριστὸς τοῖς ποθοῦσιν αὐτόν. Λέγει ἡ μήτηρ αὐτῆς· Ὁ Χριστὸς, ᾧ F
ἐμνηστεύθεις, αὐτὸς ἀξιώσῃ σε καὶ τοῦ νυμφῶνος αὐτοῦ. Καὶ ταῦτα εἰποῦσα, καὶ ἐπευξαμένη τῇ θυγατρὶ, συνταξαμένη τῇ Διακονίσσῃ καὶ ταῖς Ἀδελφαῖς, ἐξῆλθεν, καὶ περιήρχετο κατὰ τὸ ἔθος παρέχουσα τοῖς πτωχοῖς τὰ πρὸς τὴν χρείαν. Πανταχοῦ δὲ διελαλεῖτο ἡ ἐνάρετος πολιτεία τῆς Εὐπραξίας, ὅσα παρεῖχεν ἐκ τοῖς σεβασμίοις τόποις πανταχοῦ, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν Βασιλέα ἀκούσειν περὶ αὐτῆς, καὶ πάσῃ τῇ Συγκλήτῳ θαυμάζειν αὐτὴν καὶ δοξάζειν. Ἤκουεν γὰρ ὅτι οὔτε ἰχθύος.

induitur sacro habitu,

arrhâ sponsi cælestis.

Euulso folio uno desiderantur sequentia de vita & obitu matris, & filiæ hæreditate, ipsâ sic volente, in pauperes distributâ quæ ut in aliis Vaticanæ Bibliothecæ codicibus requirerentur operam dedimus, & indies expectamus saltem in appendice repræsentanda.

CAP. III

Duodennio

14 Μετελάμβανε γὰρ λοιπὸν δώδεκα ἐνιαυτῶν, ὅτε πρὸς τοὺς ἀγῶνας ἐγύμναζεν ἑαυτήν· Καὶ πρῶτον μὲν ἀπὸ ἑσπέρας εἰς ἑσπέραν ἐγεύετο, ἔπειτα διὰ δύο, ἔπειτα διὰ τριῶν. Οὐκ ἦν τινα αὐτῶν κο-

μῆσαι

EX MS. VATIC.

pia in monasterio exercitia facit,

A μῆσαι τὸν τρίκλεινον, ἢ τὰς κοίτας τῶν Ἀδελφῶν εὐτρεπίσαι, ἢ ὕδωρ ἀντλῆσαι καὶ παρακομίσαι ἐν τῷ μαγειρίῳ· ἔθος γὰρ ἦν ἐν τῷ ἀσκητηρίῳ τοιοῦτον, ἐάν τινα συνέβη τῶν Ἀδελφῶν πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου καθ᾽ ὄναρ, εὐθέως ἐγνώριζεν τῇ Διακονίσσῃ· ἡ δὲ μετὰ δακρύων ἱκέτευεν τὸν Θεὸν ἀποστῆναι τὸν διάβολον ἀπ᾽ αὐτῆς· ἐκέλευσεν δὲ λίθους κομίζεσθαι, καὶ τιθέναι ὑπὸ τὴν κοίτην τῆς Ἀδελφῆς ὑπὸ τὸν σάκκον, καὶ τέφραν ἐπάνω τοῦ τριχίνου καταρρέννεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸ διαναπαύεσθαι τὴν Ἀδελφὴν μέχρι δέκα ἡμέρας. Ἐκέλευσεν δὲ τῇ Εὐπραξίᾳ ταῦτα ποιεῖν, διότι αὐτὴ ἦν ἡ εὐτρεπίζουσα τὰς κοίτας τῶν ἀδελφῶν. Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν πειρασθεῖσα καὶ ἡ αὐτὴ ἡ Εὐπραξία ὑπὸ τοῦ διαβόλου, συλλέξασα λίθους ὑπέθηκεν ὑπὸ τὴν κοίτην αὐτῆς ὑποκάτω τοῦ σάκκου, καὶ ἐνέγκασα τέφραν * διέρρενεν ἐπάνω τοῦ σάκκου. Ἰδοῦσα δὲ ἡ Διάκονος τὴν τέφραν ἐπὶ τῆς κοίτης Εὐπραξίας, ἐγέλασεν, καὶ λέγει μιᾷ τῶν Ἀδελφῶν τῶν πρεσβυτερίδων, ἀληθῶς τὸ κράτιστον ἤρξατο τῶν πειρασμῶν. Καὶ εὐξαμένη ἡ Διάκονος, εἶπεν· Ὁ Θεὸς, ὁ κτίσας αὐτὴν καὶ κελεύσας ἐπιλαβέσθαι αὐτὴν τοῦ σχήματος τούτου,

in testatione, ut aliæ virgines solebant,

** διέρραγνεν*

corroboratur ab Abbatissa.

B αὐτὸς στερέωσον αὐτὴν εἰς τὸν φόβον σου. Καὶ καλέσασα τὴν Εὐπραξίαν λέγει αὐτῇ· Διατί οὐκ ἀπήγγειλάς μοι, τέκνον, τὸν πειρασμὸν τοῦ διαβόλου, ἀλλ᾽ ἀπέκρυψάς μοι; ἡ δὲ πεσοῦσα εἰς τοὺς πόδας τῆς Διακόνου λέγει αὐτῇ· Συγχώρησόν μοι, δέσποινά μου, ὅτι ᾐσχύνθην ἀπαγγεῖλαί σοι. Λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Τέκνον μου, ἀνδρίζου, ἵνα νικήσῃς καὶ στεφανωθῇς.

Rursum tentata rē detegit eidē,

15 Πάλιν μετ᾽ ὀλίγον πειρασθεῖσα ἀνήγγειλέν τινι ἀδελφῇ ὀνόματι Ἰουλίᾳ ἥτις πολὺ ἠγάπα τὴν Εὐπραξίαν, ἡ καὶ ἐγύμναζεν αὐτὴν πρὸς τοὺς ἀγῶνας. Λέγει οὖν αὐτῇ ἡ Ἰουλία· Κυρία μου Εὐπραξία, μὴ κρύψεις τὴν Μεγάλην, ἀλλ᾽ ἀνένεγκον αὐτὴν, ἵνα εὔξηται ὑπὲρ σοῦ· λέγουσιν γὰρ περὶ αὐτῆς, ὅτι καὶ αὐτὴ ἐν τῇ νεότητι αὐτῆς πολλοὺς πειρασμοὺς τοιούτους ὑπὸ τοῦ διαβόλου ὑπέστη· καὶ, καθὼς λέγουσιν, ἐν μιᾷ νυκτὶ πειρασθεῖσα σφόδρα, ἔλαβεν ἑαυτὴν ἔξω τῆς πύλης, καὶ σταθεῖσα ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, καὶ μ᾽ ἡμέρας καὶ μ᾽ νύκτας οὔτε ἔφαγεν, οὔτε ἔπιεν, οὔτε ὕπνου μετέλαβεν, ἀλλ᾽ ἵστατο, τῷ Θεῷ τὴν ἱκεσίαν προσφέρουσα ἕως οὗ ἐνίκησεν τὸν διάβολον. Ὥστε οὖν πειραζόμεθα πάντες ὑπὸ τοῦ διαβόλου, ἀλλ᾽ ἐλπίζομεν εἰς τὸν Κύριον, ὅτι νικήσομεν αὐτόν. Οὐκ οὖν Ἀδελφή μου μὴ ξενήσῃ σε

C τοῦτο. ἀλλ᾽ ἀνάγγειλον τῇ Μεγάλῃ τὸ πρᾶγμα, καὶ μὴ αἰσχυνθῇς· Ἀκούσασα δὲ ἡ Εὐπραξία ηὐχαρίστησεν τῇ Ἰουλίᾳ, καὶ λέγει πρὸς αὐτήν· Βοηθήσει σοι ὁ Θεὸς, Ἀδελφή μου, ὅτι ᾠκοδόμησάς με, καὶ ἐστερέωσας τὴν ψυχήν μου· ἀληθῶς ἀπέρχομαι, καὶ ἀπαγγελῶ τῇ Μεγάλῃ τὸ πρᾶγμα. Λέγει αὐτῇ ἡ Ἰουλία· Ναὶ Κυρία μου Ἀδελφὴ, ἵνα εὔξηταί σοι, καὶ ἵνα προσθήσῃ σοι εἰς τὴν ἄσκησίν σου. Ἡ δὲ ἐξελθοῦσα ἀνήγγειλεν τῇ Διακόνῳ τὸ πρᾶγμα. Καὶ λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Μὴ ξενήσει σε, τέκνον, τὸ πρᾶγμα τοῦτο· ὅλος ὁ πόλεμος τοῦ διαβόλου, ὃν καθ᾽ ἡμῶν συνάπτει, οὗτός ἐστιν. Στῆκε οὖν ἀνδρεία, καὶ ἀμετακίνητος τῇ ψυχῇ, καὶ οὐ μὴ κατισχύσει σου· πολλὰ γὰρ ἔχεις πειρασθῆναι ὑπ᾽ αὐτοῦ. Ἀγωνίζου οὖν ἵνα νικήσῃς, καὶ παρὰ τοῦ νυμφίου σου Χριστοῦ κομίσῃς τὸν στέφανον τῆς νίκης. Καθὼς οὖν δύνασαι, πρόσθες εἰς τὴν ἄσκησίν σου· ὁ γὰρ μεγάλα ἀγωνιζόμενος, μεγάλων ἐπιτεύξηται ἀγαθῶν. Διὰ πόσων ἡμερῶν ἐσθίεις τέκνον; Λέγει αὐτῇ, Διὰ τριῶν, Δέσποινά μου. Λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος, Ἄλλην μίαν ἡμέραν πρόσθες. Ἡ δὲ μετὰ χαρᾶς δεξαμένη τὴν κέλευ-

iussaque à cibo abstinere

biduum quatriduo.

D σιν, ἀνεχώρησεν.

rursum tentata

16 Γεναμένης δὲ αὐτῆς δεκαετοῦς, ἠνδρίζετο τῇ ἡλικίᾳ, καὶ ὑπερίσχυεν τῇ δυνάμει· ἦν δὲ καὶ περικαλλὴς σφόδρα, ὡς ἀληθῶς Συγκλητικὴ καὶ βασιλικοῦ αἵματος. πάλιν δὲ πειρασθεῖσα, ἀπήγγειλεν τῇ Διακόνῳ τὸ πρᾶγμα. Ἡ δὲ λέγει αὐτῇ· Μὴ φοβοῦ, τέκνον, ὁ Θεός ἐστι μετὰ σοῦ. Ἦν δὲ ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ ἀσκητηρίου σωρὸς λίθων· βουλομένη δὲ ἡ Διάκονος πειρᾶσαι αὐτὴν, λέγει αὐτῇ· Δεῦρο, τέκνον μου, τοὺς λίθους τούτους μετακόμισον ἔνθεν, καὶ θὲς αὐτοὺς πλησίον τοῦ φούρνου. Ἡ οὖν Εὐπραξία εὐθέως ἐπιβάλλεται, καὶ μετακομίζει τοὺς λίθους. Ἦσαν δὲ καὶ μεγάλοι οἱ λίθοι, οὓς δύο * ὀνομάτων Ἀδελφῶν μόλις μετεκίνουν· αὐτὴ δὲ ἐπὶ τοὺς ὤμους αὐτῆς ἥρπαζεν τοὺς λίθους, μηδενὸς βοηθοῦ χρῄζουσα· ἦν γὰρ νεᾶνις καὶ ἰσχύουσα σφόδρα, καὶ οὐκ εἶπεν τῇ Διακόνῳ, ὅτι μεγάλοι εἰσὶν οἱ λίθοι, καὶ οὐκ ἰσχύω· οὐκ ἀντεῖπεν ὅτι νῆστις εἰμὶ, καὶ ἀτονῶ, καὶ βαρεῖ με τὸ ἔργον· ἀλλὰ προθύμως τῇ κελεύσει τὴν ὑπακοὴν ἐποιεῖτο.

simpliciter in arduis quibusuis obedit,

** ὀνομαστῶν*

17 Πάλιν ἐπὶ τὴν αὔριον λέγει ἡ Διάκονος τῇ Εὐπραξίᾳ. Οὐ δίκαιόν ἐστιν τοὺς λίθους πλησίον κεῖσθαι τοῦ φούρνου· λάβε, τέκνον, ἀποκόμισον τοὺς λίθους εἰς τὸν τόπον αὐτῶν. Ἡ δὲ πάλιν τὴν κέλευσιν τῆς Ἀρχιμανδριτίσσης ἐπλήρου. Καὶ τοῦτο τὸ ἔργον ἐπὶ λ᾽ ἡμέρας [ἐκέλευσε] ἐκτελεῖν αὐτὴν, ἵνα ἴδῃ τὴν ὑπομονὴν αὐτῆς. Πᾶσαι οὖν αἱ Ἀδελφαὶ ἐθαύμαζον βλέπουσαι τὴν ὑπομονὴν τοῦ κορασίου· καὶ αἱ μὲν ὁρῶσαι μόνον ἐγέλων, αἱ δὲ ἐπεφώνουν αὐτῇ οὕτως· Ἀνδρίζου Εὐπραξία. Αὐτὴ δὲ ψάλλουσα καὶ χαίρουσα τὴν ὑπομονὴν ἐπλήρου. Τῇ οὖν λ᾽ τῶν ἡμερῶν, μετὰ τὸ πληρῶσαι αὐτὰς τὴν λειτουργίαν, γενομένης ἡμέρας ἀπῆλθεν πάλιν ἡ Εὐπραξία μετακομίσαι τοὺς λίθους, καὶ λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Ἄφες, τέκνον, τὴν λειτουργίαν ἐκείνην, καὶ λαβοῦσα τὸ ἄλευρον, φύρασον αὐτὸ, καὶ ὄπτησον εἰς τὸν φοῦρνον τοὺς ἄρτους, ἵνα εὑρεθῇ εἰς τὴν ὑπηρεσίαν τῶν Ἀδελφῶν εἰς ἑσπέραν. Μετὰ πολλῆς οὖν χαρᾶς καὶ προθυμίας ἐποίει τὰ κελευόμενα.

ferens & referens lapides prægrandes,

E

& pistrino deseruiens,

18 Πάλιν οὖν ὁ διάβολος εὑρὼν αὐτὴν ἀνεκτοτέραν, πειράζει αὐτὴν πειρασμὸν τοιοῦτον, ὡς ὅτι ὁ Συγκλητικὸς ἐκεῖνος ὁ ἁρμοσάμενος αὐτὴν, ἐπιρρίψας μετὰ στρατιωτικῆς βοηθείας ἀπέσπασεν αὐτὴν ἐκ τοῦ μοναστηρίου, καὶ λαβὼν αὐτὴν ἐπορεύετο. Κειμένη οὖν εἰς τὸν σάκκον ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτῆς βίαν ἔκραζεν. Ἡ οὖν Διάκονος καί τινες Ἀδελφαὶ διυπνισθεῖσαι ἤκουον τῆς βίας αὐτῆς, καὶ ἐξυπνήσασαι αὐτὴν, λέγουσιν αὐτῇ· Τίς ἐστιν ὁ ἀγών σου οὗτος, τέκνον; ἡ δὲ εὐθέως τὰ τοῦ ὁράματος ἐξηγήσατο. Ἡ οὖν Διάκονος ἐξυπνήσασα τὰς Ἀδελφὰς ἔστησεν εἰς προσευχὴν μέχρις οὗ ἡμέρα ἐγένετο. Μετὰ δὲ τὸ πληρῶσαι τὴν λειτουργίαν μέχρις ὥρας γ᾽, τὸ βιβλίον κατέχουσα ἡ Εὐπραξία ἵστατο ἀναγινώσκουσα, καθημένων τῶν Ἀδελφῶν καὶ ἀκροωμένων· καὶ μετὰ τοῦτο εὐθέως ἔστησαν εἰς τὴν λειτουργίαν τῆς γ᾽. Καὶ μετὰ τὴν ἀπόλυσιν εὐθέως ἡ Εὐπραξία τὴν τῶν Ἀδελφῶν ηὐτρέπιζεν ὑπηρεσίαν, κοσμοῦσα τὸν τρίκλεινον, καὶ τὰς κοίτας εὐτρεπίζουσα καὶ ὕδωρ ἀντλοῦσα καὶ ξύλα σχίζουσα, καὶ ἱσταμένη λοιπὸν ἕψωσα τὸ ὄσπριον, καὶ τὸ ἄλευρον φυρῶσα, καὶ τοὺς ἄρτους ὀπτῶσα ἐν τῷ φούρνῳ· καὶ ταῦτα πάντα ποιοῦσα, οὐδὲ τῆς νυκτερινῆς λειτουργίας ἀπελείπετο, οὔτε τὴν γ᾽ οὔτε τὴν ϛ᾽ οὔτε τὴν θ᾽. Μετὰ δὲ τὸ προλῦσαι αὐτὰς τὰς ἑσπερινὰς εὐχὰς, δι᾽ ἑαυτῆς τὴν ὑπηρεσίαν ἐποιεῖτο, τὴν παράθεσιν ποιουμένη, καὶ τὸ εὐκράτιον ἐπιδιδοῦσα. Συναντιλαμβάνετο δὲ αὐτῇ, καὶ ἡ Ἰουλία, πάνυ γὰρ ἐφίλει τὴν Εὐπραξίαν.

Obsessa iterum tentatur;

F

occupatissima nullo deest officio.

19 Πάλιν

A 19 Πάλιν δὲ ὁ διάβολος καρτερῶς ἐν τοῖς ὕπνοις πειράσας αὐτὴν, μέγαν ἀγῶνα παρέσχεν αὐτῇ, καὶ εὐθέως τὰ τοῦ ἀγῶνος ἀπήγγειλεν τῇ Διακόνῳ. Εὐξαμένη οὖν ἡ Διάκονος λέγει, Τέκνον μου Εὐπραξία, καιρὸς ἀγῶνός ἐστι, βλέπε μὴ χαυνώσῃ ὁ διάβολος τὸν λογισμόν σου, ἔτι γὰρ ὀλίγον χρόνον ἐὰν πολεμήσει μετὰ σοῦ, καὶ νικηθεὶς φεύξηται ἀπὸ σοῦ. Ἔλεγεν δὲ καὶ ἡ Ἰουλία, Κυρία μου Ἀδελφὴ, ἐὰν μὴ ἄρτι πολεμήσωμεν αὐτὸν καὶ νικήσωμεν, εἰς τὸ γῆρας ἡμῶν πῶς ἂν δυνώμεθα συνάψαι πρὸς αὐτὸν πόλεμον. *Denuo tentata obtinet licentiam* Λέγει αὐτῇ ἡ Εὐπραξία· Ζῇ Κύριος, Ἀδελφή μου, ὅτι ἐὰν ἐπιτρέψει μοι ἡ Μεγάλη, οὐ μὴ γεύσωμαι ἄρτου πᾶσαν τὴν ἑβδομάδα, ἕως οὗ νικήσω αὐτόν. *totâ septimana ieiunandi:* Λέγει αὐτῇ ἡ Ἰουλία· Ἀληθῶς, Ἀδελφή μου, ἐγὼ οὐκ ἰσχύω πᾶσαν τὴν ἑβδομάδα ἐγκρατεύσασθαι· εἰ δὲ τοῦτο δυνηθῇς κατορθῶσαι, μακαρία εἶ καὶ ἐπὶ γῆς καὶ οὐρανοῖς. Ἐν γὰρ τῷ ἀσκητηρίῳ τούτῳ οὐδεὶς ἠδυνήθη πᾶσαν τὴν ἑβδομάδα ἄσιτος διαμεῖναι, εἰ μὴ ἡ Κυρία ἡ Μεγάλη. Εἰσελθοῦσα οὖν ἡ Εὐπραξία πρὸς τὴν Μεγάλην B παρεκάλει αὐτὴν ὥστε ἐπιτρέψαι αὐτῇ, ἵνα ἄσιτος διατελέσῃ πᾶσαν τὴν ἑβδομάδα. Λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· πᾶν, ὃ ἐὰν εὕρῃ ἡ χείρ σου, ποίει τέκνον μου· ὁ Θεὸς ὁ δημιουργήσας σε ἐνισχύει σε, καὶ παρέχει σοι νίκην κατὰ τοῦ διαβόλου. Ἤρξατο οὖν ἡ Εὐπραξία ἀσιτεῖν, καὶ διετέλεσεν πᾶσαν τὴν ἑβδομάδα, καὶ οὔτε τῆς λειτουργίας ἀπελυμπάνετο, οὔτε τῆς ὑπηρεσίας τῶν Ἀδελφῶν ὑστέρησεν, ὥστε θαυμάζειν πάσας τὰς Ἀδελφὰς τὴν ὑπομονὴν τῆς Εὐπραξίας, ἣν ἐνεδείκνυτο ἐν τοιούτῳ κάλλει καὶ νεότητι. Ἔλεγον δέ τινες τῆς συνοδίας, ὅτι ἔχομεν ἐνιαυτὸν τηροῦντες τὴν Εὐπραξίαν, καὶ οὐκ εἴδομεν αὐτὴν καθεσθῆσαν τῇ ἡμέρᾳ, οὔτε ἐν τῇ νυκτὶ, εἰ μὴ μόνον ὅταν ἔλθῃ εἰς τὴν κοίτην αὐτῆς ἀναπαύσασθαι, οὐ γὰρ ἐκαθέσθη ποτὲ καὶ ἔφαγεν ἄρτον. *toto anno numquam visa sedere* Πᾶσαι οὖν αἱ Ἀδελφαὶ ἠγάπουν τὴν Εὐπραξίαν, ὅτι οὕτως ἐταπείνου ἑαυτὴν, καὶ μετὰ προθυμίας ἐξυπηρέτει τοσαύταις, καὶ ἐθεράπευεν αὐτὰς, καὶ μάλιστα αἵματος ὑπάρχουσα βασιλικοῦ· καὶ ἐκτενῶς ἱκέτευον τὸν Θεὸν ἵνα σωθῇ.

CAP. IV *Æmulâ insurgente* 20 Ἦν δέ τις εἰς αὐτὰς ὀνόματι Γερμάνα, ἣν ἔλεγον ἀπόδουλον εἶναι· καὶ φθόνῳ βαλλομένη κατὰ τῆς Εὐπραξίας, ἀπέρχεται αὐτῇ ἐν τῷ μαγειρείῳ κατ' ἰδίαν, C καὶ λέγει αὐτῇ· Εἰπὲ, Εὐπραξία, εἰ δὲ σὺ ἅπαξ ἐσθίεις τῆς ἑβδομάδος κατὰ τὸν κανόνα τῆς Μεγάλης, καὶ ἡμεῖς οὐ δυνάμεθα· ἐὰν οὖν ἀναγκασθῶμεν ὑπὸ τῆς Μεγάλης, τί ἔχομεν ποιῆσαι; Λέγει αὐτῇ ἡ Εὐπραξία, Συγχώρησόν μοι Δέσποινά μου, ἡ Κυρία ἡμῶν ἡ Μεγάλη εἶπεν, ὅτι καθὼς δύναταί τις ἀγωνίσηται. οὐ γὰρ ἐξ ἀνάγκης ἐπέθηκέν μοι τὸν ζυγὸν τοῦτον. Λέγει ἡ Γερμάνα πρὸς αὐτήν· Ἐπιθέτρια καὶ πάσης φαυλότητος πεπληρωμένη, τίς οὐκ οἶδεν ὅτι ἐν φαυλότητι ταῦτα πράττεις, ἵνα μετὰ τὴν κοίμησιν τῆς Μεγάλης σὺ διαδέξεις τὴν ἀξίαν ταύτην; Πιστεύω εἰς τὸν Θεὸν ὅτι οὐ μὴ ἀξιωθήσῃ ἐλθεῖν εἰς τὴν ἡγεμονίαν ταύτην. *humiliat se,* Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ Εὐπραξία, ῥίπτει ἑαυτὴν εἰς τοὺς πόδας αὐτῆς, καὶ λέγει πρὸς αὐτήν· Συγχώρησόν μοι, Δέσποινά μου, ἥμαρτον εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς σέ. Μαθοῦσα δὲ ταῦτα ἡ Διάκονος μετεκαλέσατο ἐπὶ πάντων τὴν Γερμάναν καὶ λέγει αὐτῇ· Δούλη πονηρὰ καὶ τοῦ Θεοῦ ἀλλοτρία, τί σε ἠδίκησεν τὸ κοράσιον Εὐπραξία, ὅτι ἐσπούδασας ἐκκόψαι τὴν προθυμίαν αὐτῆς; Ἀλλοτρία ὑπάρχεις τῆς ἀδελφότητος, ἀναξία ὑπάρχεις τῶν μυστηρίων τῆς λειτουργίας, καὶ τῆς τῶν Ἀδελφῶν συνεστιάσεως. *& pro eadē deprecatur Abbatissā:* Πολλὰ δὲ κατηδέετο αὐτῆς ἡ Εὐπραξία, ἵνα συγχωρήσῃ αὐτῇ, καὶ οὐκ ἔπεισεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἐπληρώθησαν ἡμέραι λʹ. Τῇ D δὲ λʹ ἡμέρᾳ ἰδοῦσα ἡ Εὐπραξία ὅτι οὐδὲν ὠφελεῖ, παραλαβοῦσα μεθ' ἑαυτῆς τὴν Ἰουλίαν, ἐδεήθη τῶν πρεσβυτερίσσων τοῦ μοναστηρίου, ὥστε ἱκετεῦσαι τὴν Μεγάλην καταλλαγεῖναι τῇ Γερμάνᾳ. *EX MS. VATIC.* Προσκαλεῖται οὖν τὴν Γερμάναν ἐπὶ πάντων ἡ Διάκονος, καὶ λέγει αὐτῇ· Ἀθλία οὐκ αἰδέσθης ἐν τῇ καρδίᾳ σου ἐκκόψαι τὴν προθυμίαν αὐτῆς, οὔτε ἐνεθυμήθης, ὅτι Συγκλητικὴ οὖσα, καὶ αἵματος βασιλικοῦ ἐταπείνωσεν ἑαυτὴν, καὶ δουλεύει σοι διὰ τὸν Θεόν; Καὶ πασῶν ἱκετευσασῶν, διηλλάγη τῇ Γερμάνᾳ.

21 Ὁ δὲ διάβολος οὐκ ἐπαύετο πολεμῶν τὴν Εὐπραξίαν σφοδρῶς. *molestam tentationē superare volens* Ἐν μιᾷ οὖν νυκτὶ, κοσμικῇ φαντασίᾳ πλανήσας αὐτὴν, χαλεπῶς ἐτάραξεν. Ἀναπηδήσασα δὲ καὶ κατασφραγισαμένη ἐξεπήδησεν ἔξω τῆς τέγης, καὶ στᾶσα εἰς τὸν ἀέρα ἐξέτεινεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἱκετεύουσα τὸν Θεὸν ἵνα ἀποστήσῃ τὸν διάβολον ἀπ' αὐτῆς. Ἀπηγγέλη δὲ τῇ Διακόνῳ, ὅτι Εὐπραξία εἰς τὸν ἀέρα ἵσταται τὰς χεῖρας εἰς τὸν E οὐρανὸν ἔχουσα. Ἀκούσασα δὲ ἡ Διάκονος, παραγενομένη εἰς τὸν τόπον ὅπου ἔστηκεν ἡ Εὐπραξία, λέγει αὐτῇ· Στερεώσῃ σε ὁ Θεὸς εἰς τὸν φόβον αὐτοῦ, καὶ δώῃ σοι τὴν ὑπομονήν. *sub dio extensis manibus in oratione perseverat* Πᾶσαι οὖν αἱ Ἀδελφαὶ ηὔχοντο ὑπὲρ αὐτῆς, ὅτι νέα ἦν τῇ ἡλικίᾳ· ἦν γὰρ λοιπὸν ἐτῶν κεʹ. Ἱσταμένης δὲ αὐτῆς μέχρι δεκάτης ἡμερῶν, ἐγέλα ἡ Διάκονος, καὶ αἱ ἀδελφαὶ ὁρῶσαι αὐτὴν, ἐκδεχόμεναι τὴν ὑπομονὴν αὐτῆς. Πληρωθησῶν δὲ τῶν λʹ ἡμερῶν, ἤρξαντο θαυμάζειν, καὶ λέγουσιν αἱ πρεσβύτεραι τῇ Μεγάλῃ· Εὐπραξία τὸν ἀγῶνα τὸν σὸν θέλει ἀγωνίσασθαι, ὃν ποτε ἠγωνίσω αὐτή. Ἀκούσασα δὲ ἡ Μεγάλη ἐμειδίασεν. Λέγουσιν αὐτῇ αἱ πρεσβύτεραι πάλιν· Ἀληθῶς Δέσποινα, ἡ Εὐπραξία τὰς μʹ ἡμέρας θέλει στῆναι κατὰ τὸν κανόνα, ὃν ποτε ἔστης. Λέγει οὖν ἡ Μεγάλη, στερεώσῃ αὐτὴν ὁ Θεὸς εἰς τὸν φόβον αὐτοῦ. *& Abbatissa iussu ipso illatur.* Πληρωθησῶν δὲ τῶν μʹ ἡμερῶν, ἄλλας πέντε ἐστάθη μετὰ τὰς μʹ. Καταδαπανηθείσης δὲ τῆς ἰσχύος αὐτῆς ἀπὸ τῆς ἀσιτίας, κατέπεσεν εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ ἔκειτο ὡς νεκρά. Συνδραμοῦσαι δὲ αἱ Ἀδελφαὶ, ἔλαβον αὐτὴν, καὶ οὔτε χεῖρας ἠδυνήθησαν διπλῶσαι αὐτῆς, οὔτε πόδας, ἀλλ' ἔκειτο ὅλη ὡς ξύλον ἄφωνον. Προσενέγκασα δὲ αὐτῇ τροφὴν ἡ Διάκονος, λέγει αὐτῇ· Τέκνον μου Εὐπραξία, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μετάλαβε τῆς τροφῆς ταύτης. F Καὶ εὐθέως μετέλαβεν τροφῆς, καὶ βαστάσασαι αὐτὴν εἰσήνεγκαν εἰς τὸ μοναστήριον, καὶ κατ' ὀλίγον λαμβάνουσα τροφὴν ἤρξατο ἰσχύειν.

22 Ἰδὼν δὲ ὁ διάβολος τὴν τοσαύτην αὐτῆς ὑπομονὴν, οὐκ ἔτι προσῆλθεν πειράσαι αὐτὴν, ἀλλ' ἐβουλήθη συντόμως ἀπολέσαι αὐτήν. *A diabolo in puteum praecipitata,* Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν κατελθούσης αὐτῆς ἐν τῷ φρέατι ἀντλῆσαι ὕδωρ, ἁρπάζει αὐτὴν μετὰ τοῦ κεραμείου, καὶ χαλᾷ αὐτὴν ἐν τῷ φρέατι κάτω, ὡς λέγειν τὴν Εὐπραξίαν, ὅτι μέρει τοῦ πυθμένος τοῦ φρέατος ἤγγισεν ἡ κεφαλὴ αὐτῆς. Ἀναρπασθεῖσα οὖν ὑπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ κατασχοῦσα τὰ σχοινία τῆς σίτλας, ἐβόησεν ἐν τῷ φρέατι οὕτως, Χριστὲ βοήθησόν μοι. *evadit illaesa:* Βοῆς δὲ γενομένης, ὅτι Εὐπραξία κατέπεσεν ἐν τῷ φρέατι, συνδραμοῦσαι αἱ Ἀδελφαὶ σὺν τῇ Ἡγουμένῃ ἀνέσπασαν αὐτὴν ἐκ τοῦ φρέατος. Ἡ δὲ ἀνελθοῦσα, καὶ κατασφραγισαμένη ἐμειδίασεν καὶ λέγει· Ζῇ ὁ Χριστός μου, ὅτι οὐ μή με νικήσεις διάβολε, οὐ μή σοι παραχωρήσω, ἕως μὲν τῆς σήμερον μίαν ὑδρίαν βαστάζουσα τὸ ὕδωρ ἐν τῷ μαγειρείῳ παρεκόμιζα, ἀπὸ δὲ τῆς σήμερον ἡμέρας δύο ὑδρίας

ὑδρίας

Ex MS. Vatic.

A ὑδρίας βαστάζουσα τὸ ὕδωρ παρακομίσω· καὶ ἐποίει οὕτως.

grauiter sauciata semel

23 Ἰδὼν οὖν ὁ διάβολος ὅτι οὐκ ἴσχυσεν αὐτὴν ἀπολέσαι ἐν τῷ φρέατι, ἐπετήρει τὸ πῶς ἀπολέσαι αὐτήν. Ἄλλοτε δὲ πάλιν κατελθούσης αὐτῆς σχίσαι ξύλα, καὶ ἤδη σχισάσης ὀλίγα, παραγίνεται ὁ διάβολος ἐπιτηρῶν. Ὡς οὖν ὕψωσεν τὴν ἀξίνην φέρειν ἐπὶ τὸ ξύλον, συνδεσμεῖ ὁ διάβολος τὰς χεῖρας αὐτῆς, καὶ φέρει τὴν ἀξίνην κατὰ τῆς πτέρνης αὐτῆς, καὶ ἔφθασεν μέχρι τοῦ καλάμου. Ἡ δὲ ὁρῶσα τὴν πληγὴν δεινὴν οὖσαν, καὶ τὸ αἷμα σφοδρῶς ἐκχυόμενον, ῥίψασα τὴν ἀξίνην καὶ ὀλιγοψυχήσασα, κατέπεσεν εἰς τὸ ἔδαφος. Ἡ δὲ Ἰουλία βοήσασα συνέδραμε καὶ ἀπήγγειλεν ταῖς Ἀδελφαῖς, ὅτι Εὐπραξία λαβοῦσα τὴν ἀξίνην ἀπέθανεν. Συνδρομῆς δὲ γενομένης πασῶν καὶ βοῆς, περιετείχησαν αὐτὴν πᾶσαι αἱ Ἀδελφαί, καὶ ἔκλαιον. Κατελθοῦσα δὲ ἡ Ἡγουμένη προσήνεγκεν ὕδωρ τῇ ὄψει αὐτῆς, καὶ κατασφραγήσασα αὐτὴν καὶ περιπτυξαμένη, λέγει αὐτῇ· Τέκνον μου Εὐπραξία, τί

B ὀλιγώρησας; ἀνάνευσον, καὶ λάλησον ταῖς ἀδελφαῖς. Ἡ δὲ ἀναβλέψασα, λέγει τῇ Ἡγουμένῃ· Μὴ κλαῖε, μῆτέρ μου, ἡ γὰρ ψυχή μου ἐν ἐμοί ἐστιν. Ἡ δὲ Ἡγουμένη τὴν σωτήριον σφραγῖδα ἐπιθήσασα ἐπὶ τοῦ μετώπου αὐτῆς ηὔξατο οὕτως· Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, ἴασαι τὴν δούλην σου, ὅτι διὰ σὲ πάσχει. Καὶ δήσασα τὸν πόδα αὐτῆς ῥάκκος τρίχινον ἤγειρεν αὐτήν· καὶ δοῦσα αὐτῇ χεῖρα ἔφερεν αὐτὴν εἰς τὸ μοναστήριον. Ἡ δὲ περιβλεψαμένη, καὶ ἰδοῦσα τὰ ξύλα ἐρριμμένα λέγει ταῖς Ἀδελφαῖς· Ζῇ Κύριος ὁ Θεός μου, ἐὰν μὴ συλλέξω τὰ ξύλα καὶ πληρώσω τὰς ἀγκάλας μου, οὐ μὴ ἀνέλθω. Λέγει αὐτῇ ἡ Ἰουλία, Μὴ Κυρία μου Ἀδελφή, οὐ δύνασαι· ἄφες ἐγὼ συλλέγω τὰ ξύλα. Ἡ δὲ οὐ συνεχώρησεν, ἀλλὰ πληρώσασα τὰς ἀγκάλας αὐτῆς τῶν ξύλων οὕτως ἀνήρχετο. Ὁ δὲ διάβολος οὐκ ἐφίσατο αὐτῆς. Ἀνελθοῦσα οὖν τῶν ἄνω βαθμῶν τῆς κλίμακος, περιετράπει, τοῦ διαβόλου ὑποσκελίσαντος αὐτήν, καὶ πατήσασα τὸ ἄκρον τοῦ στιχαρίου αὐτῆς, ἔπεσεν ἐπάνω τῶν ξύλων, ὧν ἐβάσταζεν· καὶ πήγνυ-

iterum tamen non cessat ab opere:

C ται ξύλον κατὰ τῆς ὄψεως αὐτῆς, ὡς νομίζειν τὰς Ἀδελφὰς ὅτι τὸν ὀφθαλμὸν αὐτῆς διεπῆρεν τὸ ξύλον. Ἀναβοήσασα οὖν ἡ Ἰουλία λέγει πρὸς αὐτήν· Εἶπόν σοι Κυρία μου Ἀδελφή, ὅτι οὐ δύνασαι, ἀλλὰ δὴ ἀνάπαυου· καὶ οὐκ ἤκουσάς μου. Λέγει αὐτῇ ἡ Εὐπραξία· Μὴ λυποῦ, Ἀδελφή μου· ἀλλ' εὐφιότητι λάβε τὸ ξύλον ἀπ' ἐμοῦ· ὁ γὰρ ὀφθαλμός μου ὑγιής ἐστιν. Ἔλαβεν οὖν τὸ ξύλον ἐξ αὐτῆς, καὶ σφοδρῶς αἵματος ῥύσις ἐγένετο. Ἡ δὲ Ἡγουμένη ἐνέγκασα ἔλαιον καὶ ἅλας καὶ εὐξαμένη, ἐπέθηκεν αὐτῇ. Ἡ δὲ Ἰουλία πάλιν φησὶν πρὸς αὐτήν· Ὕπαγε, Ἀδελφή μου, εἰς τὴν κοίτην σου, καὶ ἀναπαύου, κἀγὼ ποιῶ τὴν ὑπηρεσίαν ταῖς Κυρίαις ταῖς Ἀδελφαῖς. Ἡ δὲ μακαρία Εὐπραξία λέγει· Ζῇ Κύριος ὁ Θεός μου, οὐ μὴ ἀναπαύσωμαι μέχρις οὗ πληρώσω τὴν ὑπηρεσίαν μου. Πολλὰ δὲ παρεκλήθη ὑπὸ τῆς συνοδίας, ὥστε ἀναπαῆναι διὰ τὰς πληγάς, ἃς εἶχεν, καὶ οὐκ ἠνείχετο· ἀλλ' οὕτω τετραυματισμένη, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν πληγῶν ῥέοντος αἵματος, ἵστατο τὴν ὑπηρεσίαν ποιοῦσα τῶν Ἀδελφῶν, καὶ μήτε τῆς λειτουργίας ἀπολειφθεῖσα μήτε τῆς ἄλλης διακονίας.

à graui lapsu illæsa permanet,

24 Πάλιν ἐν ἄλλῃ βολῇ ἀνελθούσης αὐτῆς μετὰ τῆς Ἰουλίας ἐν τῷ τριστέγῳ, ἁρπάσας αὐτὴν ὁ διάβολος, κρημνίζει ἄνωθεν κάτω. Βοησάσης δὲ τῆς Ἰουλίας, συνέδραμον αἱ Ἀδελφαί, δοκοῦσαι νεκρὰν εὑρεῖν τὴν Εὐπραξίαν. Καὶ αὐτὴ ἀναστᾶσα ὑπήντησεν αὐταῖς, ἥν

D τινα λαβοῦσαι εἰσφέρουσιν πρὸς τὴν Ἡγουμένην, καὶ ἠρώτησεν αὐτήν, Μή τι ἐπλήγης; Ἡ δὲ Εὐπραξία λέγει· Ζῇ Κύριος, Δέσποινα, ὅτι οὔτε πῶς ἔπεσα οἶδα, οὔτε πῶς ἀνέστην. Ἀκούσασα οὖν ἡ Ἡγουμένη ὅτι ἀπὸ τηλικούτου ὕψους πεσοῦσα οὐδὲν ἐβλάβη, ἐδόξασεν τὸν Θεόν, καὶ λέγει αὐτῇ· Ὕπαγε, τέκνον, εἰς τὸ ἔργον σου, καὶ ἔσται ὁ Θεὸς μετὰ σοῦ.

item à feruentis ollæ collisione in faciem effusâ.

25 Πάλιν οὖν ὁ ἐχθρὸς θέλων αὐτὴν ἀποκτεῖναι ἐπάρασαν τὸ χαλκίον τοῦ ζέματος, ἐν ᾧ τὸ λάχανον ἧψει, ὥστε χαλάσαι τὸ ζέμα εἰς τὸν κατάγοντα, συνδεθείσας τοὺς πόδας ὑπὸ τοῦ διαβόλου, καὶ πεσοῦσα ὑπτία φέρει τὸ χαλκίον τοῦ ζέματος κατὰ τῆς ὄψεως αὐτῆς. Πασῶν δὲ τῶν Ἀδελφῶν ἐπὶ τούτῳ πλωηθεισῶν, ἀναπειθήσασα ἡ Εὐπραξία ἐμηδίασεν, καί φησιν πρὸς αὐτάς· Τίνος ἕνεκεν ἐταράχθητε; Ἡ δὲ Μεγάλη ἰδοῦσα ὅτι οὐκ ἐφλέχθη, ἐνέκυψεν εἰς τὸ χαλκίον, καὶ βλέπει τὸ ὑπολυφθὲν κάτω ζέμα κοχλάζον, καὶ στραφεῖσα λέγει τῇ Εὐπραξίᾳ· Οὐκ ἥψατό σου τὸ ζέμα; Λέγει ἡ Εὐπραξία, Ὄντως Δέσποινά μου, ὅτι ὡς

E ὕδωρ ψυχρὸν οὕτως ἦλθεν κατὰ τῆς ὄψεώς μου. Θαυμάσασα δὲ ἡ Διάκονος καὶ ἀτενίσασα εἰς αὐτὴν εἶπεν· Ὁ Θεὸς φυλάξῃ σε, τέκνον, καὶ δώσῃ σοι ἀδιαλύπτως γεωργεῖν τὸν φόβον αὐτοῦ. Καὶ εἰσελθοῦσα ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, συγκαλεῖται τὰς πρωτευούσας, καὶ λέγει αὐταῖς· Οἴδατε ὅτι Εὐπραξία χάριτος ἠξίωται· γινώσκετε γὰρ ὅτι οὔτε κρημνισθεῖσα συνετρίβη, οὔτε ὑπὸ τοῦ ζέματος κατεκάη. Αἱ δὲ λέγουσιν· Ὄντως Εὐπραξία δούλη Θεοῦ ἐστιν, καὶ μέλει περὶ αὐτῆς τῷ Κυρίῳ· ἐπεὶ οὐκ ἀνεσαβήθη ἐν τοιούτοις πειρασμοῖς.

CAP. V Inter infirmos infantes curanda adducitur energumena una

26 Πᾶσα δὲ ἡ πόλις καὶ ἡ περίχωρος ἔθος εἶχον τὰ κακῶς πάσχοντα παιδία φέρειν ἐν τούτῳ τῷ μοναστηρίῳ πρὸς τὰς σημειοφόρους γυναῖκας, καὶ ἐλάμβανε αὐτὰ ἡ Μεγάλη, καὶ εἰσήρχετο ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ ἐδέοντο τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ αὐτῶν, καὶ εὐθέως ἰῶντο τὰ παιδία ἀπὸ παντὸς νοσήματος, καὶ ἐλάμβανον αὐτὰ αἱ μητέρες αὐτῶν ὑγιῆ, καὶ ἐπορεύοντο χαίρουσαι καὶ δοξάζουσαι τὸν Θεόν. Ἦν δέ τις ἐν τῷ μοναστηρίῳ

F ἐκείνῳ γυνὴ πάσχουσα ἐκ παιδόθεν, προσαχθεῖσα τῷ μοναστηρίῳ χάριν ἰάσεως· εἶχεν δὲ πνεῦμα δαιμονικόν, δεδεμένη τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας, καὶ ἦν ἀφρίζουσα καὶ τρίζουσα τοὺς ὀδόντας, καὶ κράζουσα μεγάλα ὥστε πάντας τοὺς ἀκούοντας αὐτῆς καταπλήσσειν τῷ φόβῳ. Πολλάκις οὖν ἡ Μεγάλη σὺν ταῖς πρεσβυτέραις ὑπὲρ τοῦ ἰαθῆναι αὐτὴν εὐξαμένη, οὐκ ἐπέτυχεν· ὅθεν οὐκ ἴσχυον ἐγγῆσαι αὐτῆς, ὥστε τροφὴν ἐπιδοῦναι· ἐδεσμεῖτο δὲ καὶ καυκίον ἐν σχοινίῳ· ἦν δὲ ἐν τῷ καυκίῳ ὄσπρεον, καὶ ἄρτος, καὶ ἀπεκρεμᾶτο εἰς ῥάβδον, καὶ ἀπεδίδοτο αὐτῇ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ οὕτως ἐτρέφετο. Πολλάκις δὲ ἁρπάζουσα τὸ καυκίον σὺν τῇ ῥάβδῳ, ἠκόντιζεν ἐπάνω τῆς ἐπιδιδούσης Ἀδελφῆς.

cui, post puerum paralyticum mutum ac surdum curatum,

27 Ἐγένετο δὲ ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν εἰσελθοῦσα ἡ θυρωρὸς λέγει τῇ Διακόνῳ· Γυνή τις ἤνεγκεν παιδίον, καὶ ἵσταται ἔξω τῆς πύλης κλαίουσα· ἔστιν δὲ τὸ παιδίον ὡς ἐτῶν η', παραλυτικόν, κωφόν, καὶ ἄλαλον. Ἰδοῦσα δὲ ἡ Μεγάλη ὅτι χάριτος ἠξιώθη ἡ Εὐπραξία κατὰ δαιμόνων, λέγει τῇ θυρωρῷ· Κάλεσόν μοι τὴν Εὐπραξίαν. Παραγενομένης δὲ αὐτῆς, φησὶν ἡ Μεγάλη· Ὕπαγε, λάβε τὸ παιδίον παρὰ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, καὶ φέρε ὧδε. Ἡ δὲ ἐξελθοῦσα καὶ ἰδοῦσα τὸ παιδίον παραλελυμένον καὶ τρέμοντα, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῷ, καὶ στενάξασα συμπαθῶς ἐσφράγισεν τὸ παιδίον, καὶ λέγει· Ὁ δημιουργήσας σε Θεὸς ἰᾶταί σε, τέκνον. Καὶ λαβοῦσα αὐτὸ,

A αὐτὸ, ἐπορεύετο πρὸς τὴν Μεγάλην. Τὸ δὲ παιδίον βασταζόμενον ὑπὸ τῆς Εὐπραξίας ἰάθη, καὶ ἀναβοῆσαν τὴν μητέρα ἐκάλει. Ἰδοῦσα δὲ ἡ Εὐπραξία ὅτι τὸ παιδίον ἤρξατο λαλεῖν, φοβηθεῖσα ἔθηκεν αὐτὸ εἰς τὸ ἔδαφος. Τὸ δὲ παιδίον εὐθέως ἀναστὰν ἔδραμεν ἐπὶ τὴν πύλην ζητοῦν τὴν μητέρα. Δραμοῦσα δὲ ἡ θυρωρὸς ἀπήγγειλεν τῇ Ἡγουμένῃ τὸ γεγονός. Μετακαλεσαμένη δὲ τὴν μητέρα τοῦ παιδίου λέγει αὐτῇ· Εἰπὲ, Ἀδελφὴ, πειράσαι ἡμᾶς ἦλθες ὧδε; Ἀπεκρίθη δὲ ἡ μήτηρ τοῦ παιδίου· Μὰ τὸν Δεσπότην Χριστὸν, Δέσποινα, οὔτε περιεπάτησεν, οὔτε ἐλάλησεν, οὔτε ἤκουσεν τὸ παιδίον ἕως τῆς ὥρας ταύτης· ἀλλ' ὅτι ἐδέξατο αὐτὸ ἡ Κυρία ἡ Ἀδελφὴ, παραχρῆμα ἐλάλησεν· αὐτὴ δὲ ῥίψασα αὐτὸ εἰς τὸ ἔδαφος ἔστη ἔκθαμβος· τὸ δὲ παιδίον ἀναστὰν ἦλθεν πρὸς με. Λέγει αὐτῇ ἡ Μεγάλη· Ἴδε οὖν, ἔχεις αὐτὸ ὑγιές· λάβε καὶ πορεύου ἐν εἰρήνῃ. Ἡ δὲ λαβοῦσα ἐπορεύθη δοξάζουσα τὸν Θεόν.

28 Πάλιν οὖν ἡ Ἡγουμένη πρὸς τὰς πρεσβυτέρας φησίν· Τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ Εὐπραξίας; Λέγουσιν δὲ, Ὄντως δούλη ἐστὶν τοῦ Θεοῦ. Καλέσασα οὖν αὐτὴν, λέγει αὐτῇ· Τέκνον μου Εὐπραξία, θέλω ἵνα τῇ παχικῇ ταύτῃ, τῇ ἐν τῷ μοναστηρίῳ οὔσῃ, διὰ χειρῶν σου προσενέγκῃς τὸν ἄρτον, ἐὰν μὴ φοβῇ αὐτήν. Ἡ δὲ Εὐπραξία φησίν· Οὐχὶ, Δέσποινα, οὐ φοβοῦμαι αὐτήν. Λαβοῦσα οὖν τὸ καυκίον τοῦ ὀσπρέου, καὶ τὸν ἄρτον προσήγαγεν αὐτῇ. Ἡ δὲ εὐθέως τρίζουσα τοὺς ὀδόντας καὶ βρύξασα μεγάλα, ὥρμησεν ἐπ' αὐτὴν, καὶ δραξαμένη τὸ καυκίον ἤθελεν συντρίψαι αὐτό. Ἡ δὲ Εὐπραξία κατασχοῦσα τῆς χειρὸς αὐτῆς λέγει· Ζῇ Κύριος, ἐὰν θείσω σε εἰς τὸ ἔδαφος, λαμβάνω τὴν ῥάβδον τῆς Μεγάλης, καὶ οὕτω σὲ μαστίξω, ἵνα μηκέτι τολμήσῃς πονηρεύσασθαι. Ἰδοῦσα δὲ ἡ παχικὴ ὅτι κατισχύει αὐτῆς, ἡσύχασεν. Μετὰ δὲ τὸ ἡσυχάσαι αὐτὴν, ἤρξατο κολακεύειν αὐτὴν ἡ Εὐπραξία καὶ λέγειν, Κάθησον, Ἀδελφή, φάγε, καὶ πίε, καὶ μὴ ταράσσου. Ἡ δὲ καθήσασα ἔφαγεν, καὶ ἡσύχασεν, καὶ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης οὐκέτι διὰ τῆς ῥάβδου ἐπεδίδου αὐτῇ τὴν τροφὴν, ἀλλ' ἡ Εὐπραξία διηκόνει αὐτῇ. Ὁρῶσαι δὲ πᾶσαι τοῦτο, τὴν Εὐπραξίαν ηὔχοντο ὑπὲρ αὐτῆς. Ὅταν οὖν ἤρξατο κινεῖσθαι ἀπὸ τοῦ δαίμονος ἡ παχικὴ καὶ ἀγανακτεῖν, ἔλεγον πρὸς αὐτὴν αἱ Ἀδελφαί· Παῦσαι, Ἀδελφή, καὶ μὴ πονηρεύου, ἐπεὶ ἔρχεται ἡ Κυρία ἡ Εὐπραξία καὶ μαστίζει σε· καὶ εὐθέως ἡσύχαζεν.

ministrans Eupraxia, B

in virgâ Abbatissæ praualet:

C

29 Πάλιν οὖν ἡ Γερμάνα νυττομένη ὑπὸ τοῦ φθόνου διεγείρετο τῇ καρδίᾳ, καὶ ἔλεγεν πρὸς τὰς Ἀδελφάς· Εἰ μὴ ἦν ἡ Εὐπραξία οὐκ ηὑρίσκετο ἄλλη προσφέρουσα αὐτῇ τροφήν; Βάλετε τὸ βρῶμα, κἀγὼ αὐτῇ διακονῶ. Καὶ δὴ λαβοῦσα τὴν τροφὴν, προσέρχεται τῇ παχικῇ, καί φησιν· Δέξαι, Ἀδελφή, καὶ φάγε. Ἡ δὲ εὐθέως ἐπιπηδήσασα αὐτῇ διέρρηξε τὰ ἱμάτια αὐτῆς, καὶ συντρίψασα αὐτὴν ἔρριψεν εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ ἐπιπεσοῦσα αὐτῇ ἤρξατο καταμάσασθαι τὰς σάρκας αὐτῆς. Βοῆς δὲ γενομένης καὶ μηδεμιᾶς τολμώσης ἐγγύσαι, δραμοῦσα Ἰουλία εἰς τὸ μαγειρεῖον, λέγει τῇ Εὐπραξίᾳ· Σπούδασον Κυρία, ὅτι Γερμάνα σπαράττεται ὑπὸ τῆς παχικῆς. Δραμοῦσα οὖν ἡ Εὐπραξία καὶ κρατήσασα τὰς χεῖρας τῆς παχικῆς καὶ τὸν λάρυγγα, ἐξήλατο ἐξ αὐτῆς τὴν Γερμάναν ἡματωμένην, καὶ τετραυματισμένην. Λέγει οὖν ἡ Εὐπραξία· Καλῶς ἐποίησας, ὅτι οὕτως συνέτριψας τὴν Ἀδελφήν; Ἡ δὲ ἔστηκεν ἀφρίζουσα καὶ τρίζουσα τοὺς ὀδόντας. Ἡ οὖν Εὐπραξία λέγει αὐτῇ· Ἀπὸ τῆς ὥρας ταύτης ἐὰν πονηρεύσῃ κατὰ τῆς Ἀδελφῆς, οὐ συγχωρῶ σοι, οὐδὲ μὴ

æmulam ab eadem laniãdam eruit.

ἐλεήσω σε, ἀλλὰ λαμβάνω τὴν ῥάβδον τῆς Μεγάλης, D καὶ μετ' αὐτῆς μαστίζω σε ἀνηλεῶς. Ἡ δὲ καθεσθεῖσα ἡσύχασεν.

EX MS. VATIC.

30 Πρωΐας δὲ γενομένης, πληρωθείσης τῆς θείας λειτουργίας καὶ ἐξελθουσῶν αὐτῶν ἐκ τοῦ εὐκτηρίου, ἐπισκεψαμένη ἡ Εὐπραξία τὴν παχικὴν, εὑρίσκει αὐτὴν περισχίσασαν τὰ ἑαυτῆς ἱμάτια, καὶ ῥίψασαν εἰς τὸ χαμαὶ, καὶ καθεζομένην ἐπάνω αὐτῶν, καὶ συλλέγουσαν κόπρον, καὶ τρώγουσαν· ὅθεν δακρύσασα ἀπήγγειλεν τῇ Διακόνῳ τὰ γενόμενα. Καὶ συνελθοῦσαι αἱ Ἀδελφαὶ, θεωροῦσιν αὐτὴν γυμνὴν, συνάγουσαν τὸν κόπρον καὶ ἐσθίουσαν. Κελεύει οὖν ἡ Ἡγουμένη λαβεῖν ἕτερον στιχάριον, καὶ τὸ καυκίον τοῦ ὀσπρέου καὶ τὸν ἄρτον προσήγαγεν, καὶ λέγει αὐτῇ· Δέξαι, Ἀδελφή, καὶ ἔνδυσαι (ἵνα τί ἀσχημονεῖς;) καὶ γεῦσαι. Καὶ ἐνδύσασα αὐτὴν διηκόνησεν αὐτῇ, καὶ ἔφαγεν καὶ ἔπιεν. Εὐπραξία δὲ μέχρις ἑσπέρας τὸ δάκρυον οὐκ ἔστεικεν, πενθοῦσα καὶ κλαίουσα ὑπὲρ αὐτῆς· καταλαβούσης δὲ τῆς νυκτὸς ἐδέετο τοῦ Θεοῦ ἡ Εὐπραξία, ἵνα ἰαθῇ ἡ πάσχουσα, λανθάνουσα τὰς Ἀδελφάς. Ὄρθρου δὲ γενομένου μεταστειλαμένη ἡ Διάκονος τὴν Εὐπραξίαν, λέγει αὐτῇ· Ἵνα τί ἔκρυψάς μοι, τέκνον, δεήσεις τῷ Κυρίῳ προσφέρουσα ὑπὲρ τῆς πασχούσης; Εἰ ἐφανέρωσάς μοι, πάντως κἀγὼ εἶχον συναγωνίσασθαί σοι. Λέγει ἡ Εὐπραξία· Συγχώρησον Δέσποινα, ἰδὼν αὐτὴν ἀσχημονοῦσαν εὐσπλαγχνίσθην ἐπ' αὐτῇ. Ἡ Διάκονος λέγει· Ἔχω σοί τι ἀναγγεῖλαι, καὶ βλέπε μή σε πειράσῃ ὁ σατανᾶς, καὶ ἔπαρσίς σοι γένηται. Ἰδοὺ ὁ Χριστός σοι δέδωκεν ἐξουσίαν κατὰ τοῦ δαίμονος τούτου, ἵνα ἐκβάλῃς αὐτόν. Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ Εὐπραξία ἔβαλεν τέφραν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς, καὶ ῥίψασα ἑαυτὴν εἰς τὸ ἔδαφος, ἐβόα λέγουσα· Τίς εἰμι ἐγὼ ἡ ἀκάθαρτος ἵνα τοιοῦτον ἀπελάσω δαίμονα, ὃν ὑμεῖς πρὸ τοσούτου χρόνου μέχρι νῦν οὐκ ἠδυνήθητε; Λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Τέκνον μου, σὲ ἔμενεν τὸ ἔργον τοῦτο, ὅτι μέγας ἐστὶν ὁ μισθός σου ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

rursus eidē ministrans

E

pellendi dæmonis potestate donatur,

31 Εἰσελθοῦσα οὖν ἡ Εὐπραξία εἰς τὸ εὐκτήριον, ῥίπτει ἑαυτὴν εἰς τοὺς πόδας τοῦ Σωτῆρος ἱκετεύουσα ἐπινεῦσαι τῇ δεήσει αὐτῆς, καὶ δοῦναι βοήθειαν ἐξ ὕψους. Καὶ ἐγερθεῖσα ἀπὸ τοῦ ἐδάφους, καὶ εὐξαμένη, πάλιν ἐπορεύετο πρὸς τὴν παχικὴν κατὰ κέλευσιν τῆς Διακόνου. Πᾶσα δὲ ἡ συνοδία ἐπηκολούθει αὐτῇ θεωρῆσαι τὰ γενησόμενα. Προσελθοῦσα οὖν λέγει αὐτῇ· Ἰᾶταί σε ὁ Κύριός μου Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ κτίσας σε· καὶ εὐθέως τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ ἐποίησεν ἐπὶ τοῦ μετώπου αὐτῆς. Ὁ δὲ δαίμων ἐβόα ἐπὶ πάντων, καί φησιν· Ὢ ἀπὸ τῆς ἐπιθετρίας καὶ παμφαύλου ταύτης! τοσαῦτα ἔτη ἔχω κατοικῶν ἐν αὐτῇ, καὶ οὐδείς με ἐξέβαλεν, καὶ αὐτὴ ἡ ἀκάθαρτος καὶ ἀσελγὴς διῶξαί με θέλει; Λέγει αὐτῷ ἡ Εὐπραξία· Οὐκ ἐγώ σε διώκω, ἀλλ' ὁ Χριστὸς, ὁ τῶν ὅλων δεσπότης. Ὁ δαίμων λέγει. Οὐκ ἐξέρχομαι ἀκάθαρτε, οὐ γὰρ ἔλαβες ἐξουσίαν ἐκβαλεῖν με. Εὐπραξία λέγει, Ἐγὼ ἀκάθαρτός εἰμι καὶ πάσης κακίας πεπληρωμένη, ὡς καὶ σὺ μαρτυρεῖς· πλὴν τοῦ Κυρίου κελεύοντος, ἔξελθε ἐξ αὐτῆς, ἐπεὶ ἐὰν λάβω τὴν ῥάβδον τῆς Μεγάλης, ἐν αὐτῇ σε μαστίξασα διώκω. Ἐπὶ πολὺ δὲ τοῦ δαίμονος ἀντιλέγοντος, λαβοῦσα ἡ Εὐπραξία τὴν ῥάβδον τῆς Διακόνου, μὴ θέλοντος ἐξελθεῖν, λέγει αὐτῷ· ἐξέρχῃ ἢ τιμωρήσομαί σε; Ἀποκρίνεται ὁ δαίμων. πῶς ἔχω ἐξελθεῖν; συνθήκας ἔχω μετ' αὐτῆς, καὶ οὐ δύναμαι αὐτὴν ἀθετῆσαι. Εὐθέως οὖν ἡ Εὐπραξία ἄρχεται τύπτειν, καὶ ῥαπίσασα τρὶς λέγει,

signataque energumena F

atque Abbatissæ baculo percussa

EX MS. VATIC.

A Ἔξελθε ἀπὸ τοῦ πλάσματος τοῦ Θεοῦ, πνεῦμα ἀκάθαρτον· ἐπιτιμήσει σοι Κύριος Ἰησοῦς Χριστός. Ὁ οὖν δαίμων φησίν· Οὐ δύναμαι ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς· τί με διώκεις; ποῦ ἔχω ἀπελθεῖν; Ἡ δὲ Εὐπραξία λέγει, Εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, εἰς τὴν ἄπαυστον κόλασιν τὴν ἡτοιμασμένην σοι καὶ τῷ πατρί σου τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ποιοῦσι τὰ θελήματα ὑμῶν. Πᾶσαι δὲ αἱ Ἀδελφαὶ ἑστήκεισαν θεωροῦσαι, μὴ τολμοῦσαι προσεγγίσαι. Ἡ δὲ Εὐπραξία ἐναγώνιος γενομένη ἐπὶ τῇ τοῦ δαίμονος ἀντιστάσει, ἀναβλέψασα εἰς τὸν οὐρανὸν λέγει· Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, μὴ καταισχύνῃς με ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ, μὴ νικήσῃ με ὁ ἀκάθαρτος οὗτος δαίμων. Καὶ εὐθέως ὁ δαίμων ἀφρίσας καὶ κράξας φωνῇ μεγάλῃ, ἐξῆλθεν ἐκ τῆς γυναικός, καὶ ἰάθη ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. Συνέδραμον οὖν αἱ Ἀδελφαὶ δοξάζουσαι τὸν Θεὸν ἐπὶ τούτῳ· φόβος γὰρ μέγας περιεῖχεν αὐτάς. Ἡ δὲ Εὐπραξία λαβοῦσα τὴν γυναῖκα ἔλουσεν ὕδατι, καὶ περιέβαλεν ἱμάτιον, καὶ ἀπήνεγκεν πρὸς τὴν Διάκονον. Ἡ δὲ Διάκονος σὺν ταῖς Ἀδελφαῖς εἰσήγαγεν αὐτὴν εἰς τὸ B εὐκτήριον, καὶ ἔδωκαν δόξαν τῷ Θεῷ ἐπὶ τῷ γεγονότι σημείῳ. Ἀπὸ οὖν τῆς ὥρας ἐκείνης περισσοτέρως ἐπέτεινεν ἑαυτὴν ἡ Εὐπραξία, καὶ ἄϋπνος μὲν διετέλει πᾶσαν τὴν νύκτα, ἄσιτος δὲ πᾶσαν τὴν ἑβδομάδα, κατὰ τὸν ἐθισμὸν αὐτῆς ἀνελλιπῶς ταῖς Ἀδελφαῖς πάσαις ποιοῦσα τὴν διακονίαν, μετὰ πάσης χαρᾶς καὶ προθυμίας, ἐν πραότητι καὶ ταπεινοφροσύνῃ.

eamdem liberat.

CAP. IV

In somnis admonita Abbatissa de morte Eupraxiæ

32 Ἐν μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν ὁρᾷ ὀπτασίαν ἡ Διάκονος, καὶ ἐταράχθη σφόδρα, καὶ ῥίπτει ἑαυτὴν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ μετὰ δακρύων, καὶ οὐδενὶ ἐφανέρωσεν· ἐλάβοντο δὲ καὶ αἱ πρεσβύτεραι ἐπερωτῆσαι αὐτήν. Ὡς δὲ καθεκάστην τοῦτο ἐποίει, προσῆλθον αὐτῇ ἱκετεύουσαι· Ἀνάγγειλον ἡμῖν Κυρία ἡ Μεγάλη. Τί οὕτως ὀδυνᾶσαι, καὶ συντρίβεις τὰς ἡμετέρας ψυχὰς ὀδυρωμένη καὶ στενάζουσα; Λέγει οὖν ἡ Διάκονος· Μή με ἀναγκάσητε εἰπεῖν μέχρις τῆς αὔριον. Λέγουσιν αἱ πρεσβύτεραι· Πίστευσον Δέσποινα, ὅτι ἐὰν μὴ ἀναγγείλῃς ἡμῖν, μεγάλην θλῖψιν παρέχεις ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν. Ἡ Διάκονος λέγει· Ἐγὼ μὲν μέχρις τῆς ὥρας [ἐκείνης] οὐκ ἤθελον γνωρίσαι ὑμῖν τὸ ἐσόμενον· ἐπειδὴ δὲ βιάζεσθέ με, ἀκούσατε. Εὐπραξία καταλιμπάνει C ἡμᾶς, αὔριον γὰρ τελευτᾷ. Μή τις οὖν φανερώσει αὐτῇ τοῦτο, ἵνα μὴ θλιβῇ. Τούτων τοίνυν λεχθέντων, ἐγένετο θρῆνος μέγας, καὶ βοὴ ἐπὶ πολλὰς ὥρας. Μία δὲ τῶν Ἀδελφῶν ἐγνωκυῖα ταῦτα δραμοῦσα εἰς τὸν φοῦρνον ηὗρεν τὴν Εὐπραξίαν ὀπτῶσαν τοὺς ἄρτους, καὶ ἡ Ἰουλία δὲ κατὰ τὴν συνήθειαν συμπαρῆν αὐτῇ. Φησὶν οὖν ἡ Ἀδελφή· Ἔγνως Κυρία Εὐπραξία ὅτι περ μέγας ὀλολυγμὸς ἔσω ἐστὶν περὶ σοῦ παρά τε τῆς Μεγάλης καὶ παρὰ τῶν πρεσβυτερίδων. Ἀκούσασαι δὲ τούτων ἥ τε Εὐπραξία καὶ ἡ Ἰουλία ἔστησαν ἐπὶ πολὺ ἐκεῖ. Λέγει δὲ μετὰ τοῦτο ἡ Ἰουλία· Ἄρα μὴ ἀκοὴν ἐδέξατο ἡ Μεγάλη, ὅτι ἐξ ὑποβολῆς τοῦ ποτε ὁρμωσαμένου σε ὁ Βασιλεὺς ἐκέλευσεν ἀποσπασθῆναί σε τοῦ μοναστηρίου, καὶ διὰ τοῦτο ἡ Κυρία ἡ Μεγάλη ὀδυνᾶται; Εὐπραξία λέγει, Ζῇ Κύριος ὅτι πᾶσαι αἱ βασιλεῖαι τῆς γῆς, ἐὰν συνέλθωσιν, οὐ μὴ ἰσχύσουσιν μεταστεῖσαί με, ὥστε ἀθετῆσαι τὸν Δεσπότην μου Χριστόν. Πλήν, Κυρία μου Ἰουλία, ὡς ὅτι ὀπτῶνται οἱ ἄρτοι, ἄπελθε, μάθε ἀκριβῶς, τίς ἐστιν ὁ ὀλολυγμός, ἵνα μὴ περισπᾶται ἡ ψυχή μου.

consternantur Sorores,

quæ caussa ignora nesciis votis se Christo obstringit

Iulia eius socia rem omnē edocta

33 Ἡ δὲ ἀπελθοῦσα καὶ στᾶσα ἔξω τῶν θυρῶν ἠκροάσατο τῆς Διακόνου ἐξηγουμένης τὸ ὅραμα ταῖς πρεσβυτέραις οὕτως· Ἐθεώρουν ὅτι δύο τινὲς ἄνδρες εὐ- D σχήμονες, ἐντεῦθα παραγενόμενοι, ἐζήτουν τὴν Εὐπραξίαν λαβεῖν, λέγοντές μοι, Ἀπόστειλον αὐτήν, ὅτι ζητεῖ αὐτὴν ὁ Βασιλεύς. Πάλιν δὲ καὶ ἄλλοι ἐλθόντες λέγουσίν μοι, Ὅτι σὺ παραλαβοῦσα τὴν Εὐπραξίαν φέρε πρὸς τὸν Δεσπότην. Εὐθέως οὖν λαβοῦσα αὐτὴν ἐπορεύθημεν σὺν αὐτοῖς· καὶ ὡς ἐφθάσαμεν μέχρι πύλης τινός, ἧς οὐ δύναμαι τὴν δόξαν διηγήσασθαι, αὐτομάτη ἠνοίγη, καὶ εἰσήλθομεν, καὶ ὁρῶμεν ἐκεῖ [δόξαν] ἀνεκδιήγητον, παλάτιον ἐπουράνιον, νυμφῶνα ἀκατάλυτον, παστάδα ἀχειροποίητον· κἀγὼ μὲν οὐκ ἠδυνήθην ἐσωτέρως προσεγγίσαι, τὴν δὲ Εὐπραξίαν λαβόντες οἱ Ἄγγελοι προσήνεγκαν τῷ Δεσπότῃ, καὶ κατεφίλει τοὺς ἀχράντους αὐτοῦ πόδας. Καὶ εἶδον ἐκεῖ μυριάδας Ἀγγέλους καὶ πλήθη Ἁγίων ἀναρίθμητα, καὶ πάντες ἑστήκεισαν θεωροῦντες· καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἡ Μήτηρ τοῦ Κυρίου λαβοῦσα τὴν Εὐπραξίαν, ἐπιδεικνύει αὐτῇ τὸ παλάτιον, τὸν νυμφῶνα, τὴν παστάδα, καὶ τὸν στέφανον τὸν ἡτοιμασμένον αὐτῇ· καὶ [ἤκουσα] φωνῆς λεγούσης τῇ Εὐπραξίᾳ οὕτως· Ἰδοὺ ὁ μισθός σου, καὶ ἡ ἀνά- E παυσίς σου· νῦν οὖν πορεύθητι, καὶ μετὰ δέκα ἡμέρας ἐλεύσεις, καὶ ἀπολαύσεις τούτων εἰς τοὺς ἀτελευτήτους αἰῶνας. Ἰδοὺ οὖν ἡ ἡμέρα σήμερον, ἀφ' οὗ τὴν ὅρασιν εἶδον, ὥστε οὖν αὔριον τελευτᾷ ἡ Εὐπραξία.

Beata narrat quid audiuerit:

34 Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ Ἰουλία ἐξηγουμένης τῆς Μεγάλης κατ' ἰδίαν, τύψασα τὸ στῆθος καὶ τὸ πρόσωπον, καὶ κλαίουσα πικρῶς παραγίνεται εἰς τὸν φοῦρνον· καὶ ἰδοῦσα αὐτὴν κλαίουσαν καὶ κοπτομένην ἡ Εὐπραξία, εἶπεν αὐτῇ· Ὁρκίζω σε τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, Ἀδελφή, φανέρωσόν μοι τί ἤκουσας; καὶ τί κλαίεις; Λέγει αὐτῇ ἡ Ἰουλία· Κλαίω Κυρία μου ὅτι σήμερον ἀπεζεύχθημεν· ὡς γὰρ ἤκουσα, αὔριον τελειώσεις. Ταῦτα ἀκούσασα ἡ Εὐπραξία ἐξελύθη, καὶ ὀλιγοψυχήσασα ἔπεσεν· παρεκάθητο δὲ αὐτῇ ἡ Ἰουλία κλαίουσα. Εἶτα λέγει αὐτῇ ἡ Εὐπραξία· Δός μοι χεῖρα, Ἀδελφή μου, καὶ ἀνάστησόν με, χειραγώγησον εἰς τὴν ἀποθήκην τῶν ξύλων, καὶ θὲς με ἐκεῖ· λάβε δὲ τοὺς ἄρτους ἐκ τοῦ φούρνου, καὶ * εἰσήγγε εἰς τὸ μοναστήριον. Καὶ ἐποίησεν οὕτως ἡ Ἰουλία, καὶ οὐκ ἀπήγγειλεν τῇ Διακόνῳ. Κειμένη δὲ ἡ Εὐπραξία ἐπὶ τοῦ ἐδάφους ἐβόα, Ἵνα τί Δέ- F σποτα ἐβδελύξω με τὴν δούλην σου, τὴν ξένην καὶ ὀρφανήν; ἵνα τί ὑπερεῖδές με. Νῦν καιρὸς ἀγωνίσασθαί με μετὰ τοῦ διαβόλου, καὶ νῦν τὴν ψυχήν μου ἀπαιτοῦμαι. Σπλαγχνίσθητι ἐπ' ἐμοὶ Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, καὶ ἄφες με εἰς τὸν ἐνιαυτὸν τοῦτον, ἵνα κλαύσω τὰς ἁμαρτίας μου, ὅτι ἀμετανόητός εἰμι καὶ ἀπὸ πάσης εὐσεβείας γεγυμνωμένη, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ ἔργον σωτηρίας. Οὐκ ἔστιν ἐν τῷ ᾅδῃ ἐξομολογήσασθαι· οὐκ ἔστιν ἐν τάφῳ μετάνοια· οὐκ ἔστιν μετὰ θάνατον ἰσχύουσι τὰ δάκρυα. Οὐ γὰρ οἱ ἐν ᾅδου αἰνέσουσίν σε Κύριε, ἀλλ' οἱ ζῶντες εὐλογήσουσιν τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Χάρισαι οὖν μοι, Δέσποτα, εἰς τὸ ἔτος τοῦτο, ὅτι ἔρημός εἰμι ὡς ἄκαρπος συκῆ. Οὕτως δὲ αὐτῆς ὀδυρομένης, ἀκούσασά τις τῶν Ἀδελφῶν, ἐμήνυσεν τῇ Διακόνῳ καὶ ταῖς πρωτευούσαις, ὅτι Εὐπραξία ἐρριμμένη εἰς τὴν ἀποθήκην τῶν ξύλων οὕτω βοᾷ. Λέγει δὲ ἡ Ἰουλία· Ἀληθῶς, Δέσποινα, ἤκουσεν ὅτι αὔριον τελευτᾷ, καὶ διὰ τοῦτο θρηνεῖ. Λέγει οὖν ἡ Διάκονος σὺν ταῖς προεστώσαις· [Τίς ἀνήγγειλε καὶ ἔθλιψε] τὴν ψυχὴν αὐτῆς; τίς ἐφανέρωσεν καὶ συνέτριψε τὴν συνοδίαν; Ἐπαρεκάλεσα ὑμᾶς μὴ εἰπεῖν αὐτῇ, ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς. Τί τοῦτο ἐποιήσατε, καὶ ἐταπεινώσατε

σατε

* εἰσάγαγε

hoc annum vnum petit deflendis pec. a se.

A σαντι αὐτήν; Ὑπάγετε, φέρετέ μοι αὐτὴν ὧδε. Αἱ δὲ ἀπελθοῦσαι λέγουσιν αὐτῇ· Δεῦρον, καλεῖ σε ἡ Μεγάλη. Ἡ δὲ ἐξῆλθεν κλαίουσα, καὶ συνεχομένη λύπῃ, καὶ στεναγμοῖς. Ἡ δὲ Μεγάλη θεασαμένη αὐτὴν λέγει. Τί σοι ἐστὶν τέκνον, ὅτι οὕτω θρηνεῖς; Λέγει ἡ Εὐπραξία· Κλαίω, Κυρία, ὅτι εἶδες ὅτι ἀποθνήσκω, καὶ οὐκ εἴρηκάς μοι, ἵνα θρηνήσω τὰς ἁμαρτίας μου, διότι ἐκτὸς εἰμὶ πάσης ἀγαθῆς πράξεως. Καὶ ταῦτα εἰποῦσα ῥίπτει ἑαυτὴν εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ κρατεῖ τοὺς πόδας τῆς Διακόνου, καὶ ἐκ τούτου πᾶσα ἡ συνοδία εἰς κλαυθμὸν διεχύθη. Ἔκραζεν γὰρ ἡ Εὐπραξία, Ἐλέησόν με Δέσποινα, καὶ δεήθητι τοῦ Θεοῦ, ἵνα συγχωρήσῃ μοι ἔτι τὸν ἐνιαυτὸν τοῦτον, ὅτι ἀμετανόητός εἰμι, καὶ οὐκ οἶδα ποῖον σκότος καλύψει με. Λέγει ἡ Διάκονος· Ζῇ Κύριος, ὅτι τῆς ἐπουρανίου συγκλήτου ἠξίωσέν σε Χριστὸς ὁ Βασιλεὺς σου· καὶ ἤρξατο διηγεῖσθαι τὸ ὅραμα, ὅτι ποίων ἀγαθῶν ἀπολαῦσαι ἔχει ἡ Εὐπραξία· καὶ παρακάλει αὐτὴν, ἵνα ἱκετεύσῃ τὸν Θεὸν ὑπὲρ αὐτῆς, ἵνα τῆς μερίδος αὐτῆς συμμέτοχος γένηται· ηὔχετο γὰρ σὺν αὐτῇ ἀναλῦσαι ἐν

sed intelligit ex Abbatissa iam cælo maturum se,

B Χριστῷ, καὶ τῶν αὐτῶν ἐπιτυχεῖν δωρεῶν.

informata defertur in oratorium,

35 Ἡ δὲ Εὐπραξία παρὰ τοὺς πόδας κειμένη τῆς Διακόνου, ἤρξατο συνέχεσθαι φρίκῃ καὶ ῥίγει· Μετ' ὀλίγον δὲ λάβρος διεδέξατο πυρετός. Ἡ οὖν Διάκονος εἶπεν ταῖς Ἀδελφαῖς· Λάβετε αὐτὴν καὶ εἰσέλθωμεν εἰς τὸ εὐκτήριον, ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς. Ἔθηκαν οὖν αὐτὴν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, καὶ προσεκαρτέρουν αὐτῇ ἕως ἑσπέρας. Ἑσπέρας δὲ γενομένης καὶ τῆς τοῦ φαγεῖν ὥρας ὑπερχούσης, ἐπέτρεψεν αὐταῖς ἡ Μεγάλη ἐξελθεῖν καὶ μεταλαβεῖν ἄρτου· τὴν τε Ἰουλίαν κατασχοῦσα μόνην, διὰ τὸ μηδέποτε αὐτὴν ἀπολειφθῆναι τῆς Εὐπραξίας, ἀπέκλυσεν τὰς θύρας ἕως ὄρθρου. Ἡ οὖν Ἰουλία παρεκάλει τὴν Εὐπραξίαν λέγουσα, Κυρία μου ἀδελφή, μή μου ἐπιλάθῃ· μνήσθητι ὅτι ἀχώριστός σου ἐγενάμην ἐπὶ τῆς γῆς. Ἱκέτευσον τὸν Κύριον, ἵνα κἀμὲ λάβῃ σὺν σοί. Μνήσθητι ὅτι ἐγώ σοι πρόξενος ἐγενόμην τῶν καλῶν ἀγωνισμάτων· δεήθητι οὖν τοῦ Δεσπότου, ὅπως ἀναλύσασα ἐν τάχει ἔχω ἐκεῖ σὺν ὑμῖν παρρησίαν.

commendat se aliarum precibus,

36 Πρωΐας δὲ γενομένης, ἰδοῦσα ἡ Διάκονος ὅτι ἐν ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἐστὶν ἡ Εὐπραξία πρὸς τὸ τε-

C λειωθῆναι, δηλοῖ ταῖς Ἀδελφαῖς διὰ τῆς Ἰουλίας, ὅτι δεῦτε συντάξασθαι· ἐκλείπει γάρ. Αἱ δὲ συνετάξαντο αὐτῇ κλαίουσαι καὶ λέγουσαι· Μέμνησο ἡμῶν Κυρία Ἀδελφή. Ὕστερον δὲ ὅλων ἦλθεν ἡ πρώην παχική, καὶ πενθοῦσα κατεφίλει τὰς χεῖρας αὐτῆς λέγουσα, Αἱ χεῖρες αὗται πόσα διηκόνησάν μοι τῇ ἀναξίᾳ; Διὰ τοῦ Θεοῦ καὶ διὰ χειρῶν τούτων ἐδιώχθη ὁ δαίμων ἀπ' ἐμοῦ. Μὴ δυναμένης δὲ τῆς Εὐπραξίας ἀποκριθῆναι, λέγει αὐτῇ ἡ Διάκονος· Οὐκ ἐλεεῖς τὴν αὐτὴν Ἀδελφήν; διατί οὐδὲν αὐτῇ λέγεις, οὕτω θλιβομένη περὶ σοῦ; Ἡ δὲ Εὐπραξία ἀτενίσασα εἰς αὐτὴν λέγει, Τί ὀδυνᾷς με Ἀδελφή; ἄφες ἀναπαύσασθαί με ὅτι ἐκλείπω· πλὴν φοβοῦ τὸν Θεὸν, καὶ αὐτός σε διαφυλάξει. Καὶ ἐμβλέψασα τῇ Διακόνῳ λέγει· Εὖξαι περὶ ἐμοῦ, ὅτι μέγας ἀγών ἐστιν ἐν τῇ ψυχῇ μου τῇ ὥρᾳ ταύτῃ. Εὐξαμένης δὲ τῆς Διακόνου, καὶ εἰπουσῶν τῶν Ἀδελφῶν τὸ Ἀμήν, παρέδωκεν τὴν ψυχὴν ἐτῶν λ' γενομένη· καὶ θάπτουσιν αὐτὴν ἐν τῷ τάφῳ ἔνθα ἔκειτο ἡ μήτηρ αὐτῆς, καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεὸν, καταξιωθῆναι τὴν αὐτὴν ἐνάρετον Ἀδελφὴν τῷ Θεῷ προπέμψαι.

& moritur anno æt. 30

37 Ἡ δὲ Ἰουλία τρεῖς ἡμέρας οὐκ ἀπέστη τοῦ τάφου αὐτῆς πενθοῦσα· αὐτὴ γὰρ ἦν διδάξασα αὐτὴν τὰ γράμ-

quã intra quatriduũ sequitur Iulia

Tous II.

ματα καὶ τὸ ψαλτήριον. Τῇ δὲ τετάρτῃ ἡμέρᾳ περιχαρὴς γενομένη ἡ Ἰουλία, προσέρχεται τῇ Διακόνῳ, καὶ λέγει αὐτῇ· Δέσποινά μου, εὖξαι ὑπὲρ ἐμοῦ ὅτι προσκέκληταί με ὁ Θεός, πρεσβευσάσης τῆς Κυρίας Εὐπραξίας ὑπὲρ ἐμοῦ τῆς ἁμαρτωλοῦ. Καὶ ταῦτα εἰποῦσα καὶ ἀσπασαμένη πάσας, ἐτελειώθη εἰς τὴν πέμπτην ἡμέραν, καὶ ἐτάφει ἐν τῷ μνημείῳ ἔνθα ἡ Εὐπραξία τεθεῖσα. Μετὰ δὲ ἡμέρας λ' προσκαλεσαμένη ἡ Διάκονος τὰς πρωτευούσας τοῦ μοναστηρίου, λέγει αὐταῖς· Ἐπιλέξασθε ὑμῶν μητέρα, καὶ στήσατε εἰς τὸν ἐμὸν τόπον τὴν δυναμένην ἡγήσασθαι ὑμῖν. Αἱ δὲ λέγουσιν, Τίνος ἕνεκα, Δέσποινα ἀνάγγειλον ἡμῖν, οὐδέποτε γὰρ τοῦτο εἴρηκας ταῖς δούλαις σου. Ἔφη δὲ, προσκέκληταί με ὁ Κύριος· ἐδεήθη δὲ δι' ἐμοῦ ἡ Κυρία Εὐπραξία, καὶ πολλοὺς ἀγῶνας ἐπεδείξατο ἐν ταῖς ἱκεσίαις, ἵνα καταξιωθῶ τοῦ ἐπουρανίου νυμφῶνος· Καὶ γὰρ ἡ Ἰουλία διὰ τῆς ἁγίας Εὐπραξίας ἐγένετο τῆς μερίδος αὐτῆς, καὶ εἰσελθοῦσα εἰς ἐκεῖνο τὸ ἀχειροποίητον παλάτιον, συναυλίζεται τῷ χορῷ ἀνικάστῳ. Κἀγὼ οὖν σπεύδω ἀξιωγενέσθαι μετ' αὐτῶν εὑρεθῆναι. Ἀκούσασαι δὲ αἱ Ἀδελφαὶ περί τε τῆς Εὐπραξίας καὶ τῆς Ἰουλίας ἐν ποίᾳ δόξῃ εἰσὶν, ἐχαίροντο, καὶ ηὔχοντο καὶ αὐταὶ καταξιωθῆναι τοῦ νυμφῶνος ἐκείνου. Ἐπιλέξαντο οὖν μίαν τῶν Ἀδελφῶν, ὀνόματι Θεογνίαν, ὥστε ἡγεῖσθαι αὐτῶν· ἥντινα μετακαλεσαμένη ἡ Μεγάλη, φησὶν πρὸς αὐτήν· Ἰδοὺ ἐμαρτύρησάν σοι πᾶσαι καὶ ἔθεντο εἰς ἄρχουσαν καὶ Ἡγουμένην· τὰς παραδόσεις καὶ τὴν ἀκολουθίαν ἐπίστασαι τοῦ μοναστηρίου. Ὁρκίζω σε κατὰ τῆς ἀχράντου καὶ ὁμοουσίου Τριάδος, ἵνα μὴ προστερήσῃς τῷ μοναστηρίῳ τούτῳ χρήματα ἢ κτήματα· μὴ ἀπασχολήσῃς τὸν νοῦν τῆς ἀδελφότητος εἰς τὰς γηΐνας, καὶ ματαίας μερίμνας, ὅπως τῶν προσκαίρων καταφρονήσασαι τύχωσιν τῶν ἐπουρανίων. Καὶ πάλιν πρὸς τὰς Ἀδελφὰς εἶπεν· Ἐπειδὴ οἴδατε ἀκριβῶς τὸν βίον καὶ τὴν πολιτείαν τῆς Κυρίας Εὐπραξίας σπουδάσατε μιμῆσθαι καὶ ὁμοίως ἀγωνίσασθαι, ἵνα τῆς μερίδος αὐτῆς ἀξιωθῆτε. Καὶ πασῶν εἰπουσῶν τὸ Ἀμήν, συνταξαμένη αὐταῖς, εἰσῆλθεν εἰς τὸ εὐκτήριον, καὶ κλείσασα τὰς θύρας, παρήγγειλεν μηδένα εἰσελθεῖν μέχρι τοῦ ὄρθρου. Πρωΐας δὲ γενομένης εἰσελθοῦσαι εὗρον αὐτὴν κοιμηθεῖσαν ἐν Κυρίῳ· καὶ ὑμνήσασαι τὸν Θεὸν, κατέθεντο αὐτὴν ἐν τῷ μνημείῳ τῆς Εὐπραξίας. Ἀπὸ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης οὐκέτι ἄλλο σῶμα ἔθαψαν ἐν ἐκείνῳ τῷ τάφῳ.

D *ex MS. Vatic.*

& post dies 30 Abbatissa,

instructa prius ea quæ sibi succederet: E

F *omnium commune sepulcrum miraculis illustratur.*

38 Πολλὰ δὲ σημεῖα καὶ ἰάσεις ἐγένοντο τότε καὶ γίνονται ἐν τῷ εἰρημένῳ μνημείῳ· καὶ δαίμονες δὲ ἀπελαυνόμενοι βοῶσιν, ὅτι καὶ μετὰ θάνατον καταισχύνει ἡμᾶς ἡ Εὐπραξία καὶ διώκει ἡμᾶς. Οὗτος ὁ βίος τῆς ὄντως συγκλητικῆς Εὐπραξίας, ἥτις τῆς ἐπουρανίου συγκλήτου κατηξιώθη. Σπεύσωμεν τοίνυν καὶ ἡμεῖς τὴν αὐτὴν πολιτεύεσθαι ἄσκησιν, τὴν ταπεινοφροσύνην, τὴν ὑποταγὴν, τοὺς κόπους, τὸ πρᾶον, τὸ μακρόθυμον, ἵνα αὐτῆς καὶ ἡμεῖς ἀπολαύσωμεν τῆς μετ' Ἀγγέλων διαγωγῆς καὶ χαρᾶς, διὰ τοῦ μεγάλου Βασιλέως ἡμῶν καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

a *Id est,* Grata, *placentia: alij videntur* ἄριστα *optima, & forte melius, legisse.*

b *MS. constanter & hic & alibi eiusmodi diminutiua masculina facit, nescio quo temporis illius solœcismo.*

c *Per primæ syllabæ aphæresim, Græcorum vulgo usitatissimam, ut* ῥακοστὴ *pro* τεσσαρακοστὴ, σαλόνικη *pro* θεσσαλονίκη: *similes alios idiotismos deinceps annotare supersedemus, satisq; habemus addito asterisco signare vocẽ quæ substituenda est, ut barbaries euitetur.*

d *Ita MS. hic & deinceps: mallem vbique aspirare: videntur enim omnia deriuari ab* ὁρμαίνω cupio *vel potius ab* ὁρμάομαι paro, promptus sum, statuo.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου Μάρτυρος τοῦ Χριστοῦ

ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΤΟΥ ΕΚΑΤΟΝΤΑΡΧΟΥ

τοῦ ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κ. Η. Ἰησοῦ Χριστοῦ

ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΩι ΔΥΟ ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ.

Auctore S. Hesychio Presbytero Hierosolymitano.

Ex MS. Codice Vaticano num. 1190 fol. 117.

B

XV MART. Inter aliorum Sanctorum acta,

1 Πολλαὶ τῶν Μαρτύρων αἱ συγγραφαί. Καθάπερ γὰρ αἱ τῶν ζωγράφων εἰκόνες, τινὰς μιμούμεναι τῶν πόλεων ὄψεις, καὶ μεγέθη πύργων, καὶ μορφὰς ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, ποτὲ μὲν νέας ποτὲ δὲ πρεσβυτικάς, ποτὲ δὲ βασιλικάς, ποτὲ δὲ νυμφικάς, ποτὲ δὲ σκυθρωπάς, καὶ ποτε περιχαρεῖς δεικνύονται· οὕτω καὶ οἱ τῶν μαρτυρικῶν ἀγώνων τοὺς λόγους ἱστορήσαντες, τὸ στερρὸν τῆς ψυχῆς, καὶ τὸν τρόπον τὸν ἀνδρεῖον, καὶ τὸν ἐν τοῖς δεινοῖς παρατάξεσιν, ἄφοβον καὶ εὔτολμον, καὶ ἀκατάπληκτον, καὶ τὴν ἐκ Χριστοῦ συμμαχίαν πρὸς αὐτοὺς καταβαίνουσαν, ποτὲ μὲν τὸ πλῆθος τῶν σημείων, ποτὲ δὲ τὸν πλοῦτον ἐν τοῖς λόγοις τῆς χάριτος ὁμολογουμένην, ταῖς ἀκοαῖς ἐμφανίζουσιν. Λογγίνου δὲ ἄρα γραφὴν σοφοῦ τε καὶ ἀνδρείου, ἐξαιρέτως τῆς ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ μαρτυρίας, ἧς ἤρξατο ὁμολογήσας αὐτόν, πῶς ἐπαξίως ἱστορήσαιμι;

celebrari meretur S. Longini Centurionis

2 Ὅτε γὰρ τῷ φόβῳ συγχυθεὶς ἐξηρνήσατο αὐτὸν ὅλος ὁ χορὸς τῶν Ἀποστόλων· χωλοὶ δὲ οὓς ἤγειρεν, τυφλοί τε οὓς ἐφώτισεν, λεπροί τε μετ' αὐτῶν οὓς τῆς πολυτίλτου δορᾶς καὶ τῆς σαρκὸς τῶν μωμημάτων ἠλευθέρωσεν, καὶ ἄλλοι ὧν τὰς συμφορὰς ἔπαυσεν καὶ
a τὰς νόσους a ἐχάλασεν, καὶ πρὸς τὸ κρεῖττον τὴν γνῶσιν μετεσκεύασεν, οὗτοι πάντες πρὸ τὸ δρᾶμα τοῦ σταυροῦ καταπλαγέντες, χειμῶνος μέσον ναυάγιον ὑπέμειναν·
C ἡ ὁμολογία δὲ τοῦ λιμίου καὶ θεοσεβοῦς Ἑκατοντάρχου Λογγίνου ὑπῆρχεν εἰς τὰς ἀκοὰς τῆς ματαίας καὶ ἀπατηλῆς Συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, ὅτε ἔλεγεν, Ἀληθῶς Θεοῦ υἱός ἐστιν οὗτος. Οὔτε γὰρ Πιλάτον κατὰ τοῦ Χριστοῦ μεμισθωμένον ᾐσχύνετο, οὔτε μὴ φόβον τοσούτου δήμου ἐδεῖτο, ἢ ἐνάρκησεν τὸ πλῆθος τῶν ἀπείρων μυριάδων ἐκείνων. Τοιγαροῦν καὶ [ὑμνείσθω] καὶ γραφέσθω ἡ καλλίστη ἄθλησις αὐτοῦ, ἣν καὶ οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται διηγήσαντο, καὶ τῇ μετὰ ταύτῃ γενεᾷ παρέδωκαν, ἀπ' ἐκείνης δὲ εἰς τὸ ἑξῆς καὶ οὕτω μέχρις ἡμῶν καταβάντες οἱ τῆς Λογγίνου μαρτυρίας λόγοι, ὡς μαργαρῖται τινὲς ἄμωμοι τὸν ἱερὸν τοῦ Χριστοῦ νυμφῶνα κοσμοῦντες, διεφυλάχθησαν.

martyrium,

qui sepulcro dominico custos appositus

3 Ὅτε τοίνυν κουστωδίαν αἰτηθεὶς ὁ Πιλάτος εἰς φυλακὴν τοῦ τάφου τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἔδωκεν, Λογγῖνος ἦν αὐτῶν ἔξαρχος, αὐτὸς γὰρ ἦν καὶ τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ φυλάξας μετὰ τῶν ὑπ' αὐτοῦ στρατιωτῶν. Ἀλλὰ τοῦ Χριστοῦ πραχθείσης τῆς ἀναστάσεως, ὥσπερ ἡμῖν αἱ τῶν θείων Εὐαγγελίων γραφαὶ παρέδωκαν, καὶ τῶν στρατιωτῶν ἀπαγγειλάντων τοῖς Ἄρχουσιν καὶ Πρεσβυτέροις τῆς Ἰουδαϊκῆς συμμορίας τὰ γενόμενα θαύματα, ἐκεῖνοι μὲν αἰσχυνθέντες τὸν λαὸν καὶ
E σβέσαι τὸ θαῦμα βουλόμενοι, ἀργύρια ἱκανὰ τοῖς στρατιώταις ἔδωκαν, ὥστε συκοφαντῆσαι τὴν ἀνάστασιν τοῦ Χριστοῦ, οὕτω δὲ καὶ τὸν Πιλάτον δέξασθαι τὴν συκοφαντίαν χρήμασι πολλοῖς ἔπεισαν. Οὐ μὴν ὁ Λογγῖνος προκρίνει τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, οὐ δὲ κατὰ τοῦ Χριστοῦ λαμβάνει χρυσόν, οὐ δὲ τὸν μαμμωνᾶν τοῦ Θεοῦ προθυμῆσαι ὑπέμεινεν, οὐ δὲ τῇ πλεονεξίᾳ δουλωθεὶς εἰς τὸν ταύτης βυθὸν τὸν πολυθάνατον ὤλισθεν, οὐ κατὰ Χριστοῦ συκοφαντίας τοῦ ψεύδους ἠνέσχετο, τοῦ τὸν Ἀδὰμ ἐγείραντος καὶ τὸν θάνατον σφάξαντος καὶ τοὺς θνητοὺς ζωώσαντος.

oblatam à Iudæis pecuniam spernit,

4 Πρὸς ταῦτα ὁ Πιλάτος καὶ οἱ Δυνάσται τῶν Ἰουδαίων κεντούμενοι, ἐζήτουν ἐπιβουλὴν κατὰ τοῦ μακαρίου Λογγίνου, καὶ οὐκ εἶχον καιρόν· ἦν γὰρ ὁ Λογγῖνος ὅλης τῆς στρατιωτικῆς φάλαγγος ἐπισημότερος. Ἐπειδὴ δὲ ἐβουλήθη ὅλως Χριστοῦ γενέσθαι, ἀποδύεται τὴν ζώνην τοῦ Καίσαρος, καὶ λοιπὸν ἐν οἴκῳ κάθηται μετὰ τῶν δύο στρατιωτῶν, οἵτινες σὺν αὐτῷ καὶ τῆς μακαρίας ἐγένοντο ἀθλήσεως συγκληρονόμοι, κήρυκες γενόμενοι ὧν ἴδον τε καὶ ἀκηκόασιν φοβερῶν τερασίων. Καὶ καταλιπὼν τὴν Ἱερουσαλὴμ ἀνέστρεψεν σὺν αὐτοῖς, καὶ γίνεται τῇ Καππαδόκων χώρᾳ κῆρυξ ἄριστος· ὥσπερ Θωμᾶς τοῖς Ἰνδοῖς, Ῥωμαίοις δὲ Πέτρος, Ἀσιανοῖς δὲ Ἰωάννης, Παῦλος ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, καὶ ἄλλος ἄλλοις, εὐαγγελιζόμενος F τὸν Χριστόν, καὶ τὰ παρ' αὐτοῦ, καὶ ἐπ' αὐτῷ πεπραγμένα μυστήρια.

& dimissa militia,

Cappadocibus prædicavit,

accusat ad Cæsarem Pilatus.

7 Οἱ δὲ πονηροὶ Ἰουδαῖοι καιόμενοι τῷ ζήλῳ, καὶ τῷ θυμῷ κεντούμενοι, τὴν τοῦ μακαρίου Λογγίνου μαρτυρίαν πολυμερῶς ἤδη τῆς γῆς διαδραμοῦσαν καρτερεῖν οὐκ ἠδύναντο. Τότε πείθουσιν τὸν Πιλάτον ψευδῆ κατὰ τοῦ μακαρίου Λογγίνου γράψαι τῷ Καίσαρι, ὅτι τῆς Ῥωμαίων βασιλείας ἀλλότρια φρονεῖ, καὶ ἀμελήσας τῶν πολεμικῶν ὅπλων τὸν Χριστὸν κηρύττει Βασιλέα τοῖς ἔθνεσιν, καὶ ἤδη τῶν περὶ τούτου λόγων τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα καὶ χώραν ἐπλήρωσεν. Πρὸς τούτοις τοῖς γράμμασι συναποστέλλουσι καὶ χρήματα, καὶ τὸν Λογγίνου θάνατον ἐξαιτοῦνται, τὰς ἀκοὰς Καίσαρος ὑφαρπάσαντες. Καὶ δὴ βασιλικὰ γράμματα εἰς τὴν Ἰουδαίαν τῷ Πιλάτῳ κομίζονται κατὰ Λογγίνου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, ὡς ὅτι οἱ τὰ τῶν ὅπλων ἀμελήσαντες, ξίφει τὰς κεφαλὰς ἀποθέσθαι κελεύομεν. Ὅθεν σπουδῇ πολλῇ τοῖς τῶν φόνων ὑπηρέταις ὁ Πιλάτος ἐγχειρίζει τὰ γράμματα τοῦ Καίσαρος. Οἱ δὲ τάχος διαβάντες, τὴν τῶν Καππαδόκων γῆν φθάνουσιν· καὶ μαθόντες ἐν ἀγρῷ πατρῴῳ τὸν Λογγῖνον φιλοσοφεῖν, καὶ τὴν ἡσυχίαν ἀσκεῖσθαι,

à quo missi Sicarij

A θαι, πάντων τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ἑαυτὸν ἀπαλλάξαντα. Τὸν ἀγρὸν αὐτίκα καταλαμβάνουσιν, ἡσυχῇ τὸ ἐπίταγμα Πιλάτου καὶ Καίσαρος ἐπιτελέσαι βουλόμενοι, ὥστε μὴ εἰς φυγὴν τὸν Λογγῖνον τραπῆναι. *silentio eadem faciunt,* Ὅθεν ἀθρόως ὑπέστησαν τῷ ἀνδρὶ, ὡς ἐπ' ἄλλῳ τινὶ διαβάντες, καὶ οὐδὲν οὐδενὶ τῶν μετὰ χεῖρας αὐτῶν ἐπιφερομένων ἐθάρρησαν· εἶτα εἰσελθόντες καὶ τῷ Λογγίνῳ περιτυχόντες, οὐκ εἰδότες αὐτὸν εἶναι, τὸν αὐτοῖς τε καὶ Πιλάτῳ ζητούμενον, ἄρχονται ἐρωτᾷν, ποῦ ὁ Λογγῖνος εἴη.

ab ipsomet ignoto & diuinitus monito 6 Ὁ δὲ Μακάριος, τοῦ θείου πνεύματος αὐτῷ τὸ δρᾶμα προσδηλώσαντος, ἀκολουθεῖτέ φησιν, καὶ τοῦτον ὑποδείκνυμι ὑμῖν. Τότε πρὸς ἑαυτὸν ὁ ἅγιος Λογγῖνος, ὡς εἰκὸς, εὐφραινόμενος, καὶ τοῦ μαρτυρίου τὴν θυσίαν ὑποσπουδάζων, ἔλεγεν καθ' ἑαυτόν· Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά. Νῦν τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους b ὄψομαι, νῦν ἱστορήσω τὴν δόξαν [τοῦ μονογενοῦς] τοῦ Πατρὸς, νῦν τῆς ἀνεκφράστου ἀστραπῆς θεωρήσω τοῦ Πατρὸς c [τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου] Πνεύματος. Νῦν ἐρῶ, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, δέξαι τὸ πνεῦμά μου, καθάπερ Στέφανος ὁ πρῶ-

B τος τῶν Μαρτύρων, οὗ λαμπροτάτην φωνὴν d ἀφιέντος ἀκήκοα. Νῦν Ἱερουσαλὴμ, τὴν ἀνωτάτην χρυσόπυργον, τὴν αὐτὴν μὲν πατρίδα τῶν Ἀγγέλων ὅλου δὲ τοῦ τῶν Ἁγίων χοροῦ μητρόπολιν, μετὰ κρότων, ἐπινικίων καὶ βασιλικῶν τροπαίων ἐπιβήσομαι. Νῦν ἀποδύομαι τὸν πήλινον χιτῶνα, καὶ τοὺς πολυστενάκτους δεσμοὺς τῆς σαρκὸς ἀποτίθημι, καὶ ἀπαλλάττομαι φθορᾶς· πρὸς ἀφθαρσίαν γὰρ ἔλκομαι, καὶ ἀπέρχομαι ἐπὶ τὸν λιμένα ἐκεῖνον τῆς ζωῆς, ἔνθα κατοικοῦσιν οἱ Ἅγιοι. Εὐφραίνου τοίνυν ψυχὴ, πρὸς τὸν σὸν Ποιητὴν καὶ Δεσπότην ἀπερχομένη· δεῖξον φαιδρὸν τὸ πρόσωπον καιροῦ καλοῦντος, καὶ τοὺς προξένους σου τῶν τοσούτων ἀγαθῶν φιλοφρόνως ξενίσωμεν χαίροντες, καὶ πολυτελῆ παραθήσωμεν τράπεζαν, τοῖς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἡμῶν καλοῦσι τὸ βασιλικόν.

hospitio excipiuntur: 7 Ταῦτα πρὸς ἑαυτὸν ὁ Λογγῖνος εἰπὼν, τοὺς ἐπ' αὐτὸν ἐλθόντας εἰς τὸν ἴδιον οἶκον παρέλαβεν, καὶ ξενίσας λαμπρῶς, καὶ προσώπῳ φαιδρῷ καὶ σφόδρα περιχαρεῖ συμφαγὼν σὺν αὐτοῖς εἰς ἣν παρέθηκεν τράπεζαν, ἐρωτᾷν μετὰ τὸ δεῖπνον ἄρχεται ὁ Λογγῖνος, τί χρῄζουσιν. Οἱ δὲ ὅρκους παρ' αὐτοῦ ἀποτίσαντες, ὅπερ αὐτῶν οὐ δημοσιεύει τὸν λόγον, οὐ δὲ γυμνοῖ τὸ θαρρηθὲν μυστήριον, λέγουσιν· ὅπερ γεγράφηκεν ὁ Καῖσαρ πρὸς

C Πιλάτον, ἵνα τοῦ Λογγίνου μεθ' ἑτέρων δύο στρατιωτῶν τὴν κεφαλὴν ἀποτέμῃ. Ὁ δὲ Ἅγιος ἔφη· Καὶ οὗτοι τίνες εἰσὶν οἱ ἅμα τῷ Λογγίνῳ; καὶ μαθὼν ὡς ἐκεῖνοί τε ἦσαν οἱ τῆς Ἰουδαϊκῆς μισαρχίας τὸν Χριστὸν προτιμήσαντες, σπουδῇ πολλῇ γράφει πρὸς αὐτοὺς, τὸ τάχος ἥκειν πρὸς αὐτὸν, ἀγαθῶν μεγάλων αὐτῷ κοινωνήσοντας. Καὶ δὴ ἡμέραν οὕτω μίαν καὶ δευτέραν ξενίσας αὐτοὺς ὁ Λογγῖνος φιλοφρόνως, τῇ τρίτῃ παραλαβὼν

e e εἰς ἀγρὸν, ἐκεῖ τοὺς παρ' αὐτοῦ μεταστελέντας ἀνέμενεν. Ὅθεν ἐγγὺς εἶναι μαθὼν ἀπαγγέλλει αὐτοῖς ὡς αὐτὸς εἴη ὁ Λογγῖνος, ὁ παρ' αὐτῶν ζητούμενος.

seque manifestantem occidere renuunt, 8 Οἱ δὲ πρότερον μὲν ἠπίστουν, μετὰ δὲ τοῦτο πεισθέντες, ἐδάκρυον, τίλλοντες τὰς ἑαυτῶν τρίχας, καὶ οἰκτρὰς φωνὰς πρὸς τὸν Λογγῖνον φθεγγόμενοι. Τί μοι τὸ ἐγχείρημα, ὦ φίλε! ἔδοξεν τοῦτο, Ἵνα τί τοὺς ἐπὶ τὸν σὸν ἐλθόντας φόνον εἰς τὸν οἶκόν σου ἔλαβες; Τίνος χάριν τοῖς εἰς σφαγήν σου παραγενομένοις δεῖπνον ἐπετέλεσας πολυτελῆ, καὶ παρέθηκας τράπεζαν, οὐ μίαν μόνον ἡμέραν, ἀλλὰ καὶ δευτέραν καὶ τρίτην; Ἆρα σου τὸν οἶνον οὐκ ἐκέρασας ἐν τῷ αἵματί σου, τῷ παρ' ἡμῶν ζητουμένῳ, κιρ-

D νώμενον; Νῦν μὲν τί δεῖ εἰπεῖν; τί δὲ πρᾶξαι; ἢ βουλεύσασθαι περὶ σοῦ δυνησόμεθα, ἄπιθι ἐν εἰρήνῃ, μισθὸν *AVCT. S. HESYCHIO.* τῆς ξενίας λαβὼν τοῦ παρ' ἡμῶν θανάτου τὴν ἄφεσιν· ἡμεῖς γὰρ ἐπιθεῖναί σοι τὸ ξίφος οὐ τολμῶμεν, ναρκῶμεν τοὺς ἅλας, ἐρυθριῶμεν τὴν τράπεζαν, δεδοίκαμεν τὸν Θεὸν, τὸν τῆς ξενίας ἔφορον· κρεῖττον ἡμᾶς κινδυνεύειν παρὰ Πιλάτου, ἢ τὴν Λογγίνου κεφαλὴν ἀφαιρεῖσθαι. Πῶς δὲ καὶ ἡμῶν τὸν πάντα βίον τῷ συνειδότι τήκεσθαι, καὶ συνδειπνοῦντας ὁρᾷν, τοὺς λεγομένους αἱμοχαρεῖς δαίμονας; Πῶς δέ σοι καὶ ἐπενέγκωμεν τὰς χεῖρας; Ναρκῶσιν γὰρ ἡμῶν οὐ μόνον αἱ χεῖρες, ἀλλὰ καὶ οἱ πόδες, καὶ ἅπαν ἡμῶν τὸ σῶμα, ἐὰν τοῦτο πράξωμεν, ἐὰν φονευταὶ τοῦ εὐεργέτου καὶ ξενοδόχου γενώμεθα.

9 Ταῦτα μὲν αὐτοὶ πρὸς τὸν μακάριον Λογγῖνον ἔλεγον· οὐ μὴν δὲ ἔπειθον τὸν πρόθυμον καὶ εὔψυχον ἀθλητὴν τὸν ἀγῶνα ὑπὲρ τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ παραιτήσασθαι, ἀλλὰ πρὸς αὐτοὺς εὐθαρσῶς ἀποκρίνεται, *ipse verò in fide Christi constans,* f Μή με, λέγων, προδότην τῆς ζωῆς ὀφθῆναι θελήσετε, μηδὲ πειραστὴν ἀποδειχθῆναι τῆς χάριτος· μηδὲ λύκος τὴν τῶν προβάτων

E ἐκλογὴν ἀποδυσάμενος γένωμαι, μηδαμῶς ἀρνήσωμαι, ὃν ἅπαξ ὡμολόγησα. Μὴ ζημιωθῶ τὴν δόξαν ἐκείνην, ἣν εἶδον τὰ στοιχεῖα σαλεύουσαν, μή μου κατήγορος ὁ δῆμος τῆς κτίσεως γένηται, ὅτι περ τοῦτον παρέβην, δι' ὃν οὐρανὸς τὰς οἰκείας ὄψεις ἐκάλυψεν, καὶ ἔδυσεν ὁ ἥλιος τὰ τῶν λαμπάδων ἅρματα, καὶ ἡ μὲν ἡμέρα τὸ στάδιον τοῦ φωτὸς παρῃτήσατο, καὶ ἡ δὲ νὺξ πρὸς βίαν εἵλκετο· τοῦ σταυροῦ γὰρ τὸ βάρος οὐχ ὑφίστατο, καὶ τῆς Ἰουδαϊκῆς θεομαχίας παρεῖτο τὸ ἔγκλημα. Ταῦτα ἐγὼ τοῖς ὀφθαλμοῖς μου καὶ ταῖς οἰκείαις ὄψεσιν ἱστόρησα· πῶς τοίνυν σκορπίσω τοσούτων μοι ἀγαθῶν πλοῦτον, οὐδὲ γὰρ Ἀγγέλων τὰς μέμψεις ὑποστήσομαι.

10 Ἔτι δὲ λαλοῦντος ταῦτα τοῦ μακαρίου Λογγίνου ἡ ξυνωρὶς τῶν σὺν αὐτῷ στρατιωτῶν, ἡ τὴν ἐπὶ θάνατον ψῆφον παρὰ Καίσαρος λαχοῦσα, ἔφθασεν· φαιδρῷ δὲ αὐτοῖς προσώπῳ καὶ περιχαρεῖ λίαν ὁ μακάριος Λογγῖνος *duos martyrii socios accersitos amplectitur,* συνήντησεν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ἅμα καὶ τὸν τράχηλον αὐτῶν καταφιλήσας, καὶ ἔφη πρὸς αὐτούς· Χαίρετε, ὦ συστρατιῶται Χριστοῦ καὶ νικηταὶ τῶν θείων ἀγώνων καὶ κληρονόμοι τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Χαίρετε, ὅτι ἡ πρὸς οὐρανὸν πύλη ἀνέῳγεν ἡμῖν, καὶ μέλλουσιν οἱ Ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ παραλαμβάνειν τὰς ἡμετέρας ψυχὰς, καὶ προσφέρειν

F αὐτὰς τῷ μονογενεῖ υἱῷ τοῦ Θεοῦ. Ἰδοὺ τὰς λαμπάδας ὁρῶ καὶ τοὺς στεφάνους κατοπτεύω, καὶ τὰ βραβεῖα στοχάζομαι, μεθ' ὧν τῷ τοῦ Νυμφίου παραστησόμεθα βήματι. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἔφη τοῖς δημίοις· Εἴ τι οὖν προσετάχθητε, τὸ τάχος ποιήσατε. Ἔφησεν δὲ καὶ πρὸς τὸν ἡγούμενον τῆς οἰκίας αὐτοῦ, στολὴν καθαρὰν κομίσαι αὐτῷ, ὡς ἐπὶ γάμον καὶ νυμφῶνα καλουμένῳ. Τῆς *& 16 Octo. caeditur.* δὲ ἐλθούσης ἐνδυσάμενος αὐτὴν, καὶ τῇ χειρὶ δείξας τὸν λόφον, ἐν ᾧ τὸ μακάριον αὐτοῦ σῶμα διετάξατο τεθῆναι, οὕτω τε τὸ γόνυ κάμψας χαίρων, καὶ σχηματίσας ἑαυτὸν μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ ἑταίρων, τῶν τὸν νικηφόρον ἀγῶνα διανυσάντων, τὴν κεφαλὴν ἐκτέμνεται μηνὶ Ὀκτωβρίῳ ~~ιϛ´, καὶ~~ ἐγγράφονται ἄμφω χοροῖς Ἀποστόλων τε καὶ Μαρτύρων, τούτων γὰρ τὴν ἀνδρείαν, καὶ ἐκείνων τὸν καλὸν ζῆλον ἐδείξαντο.

Caput Hierosolymas relatum, 11 Τότε λαβόντες οἱ δήμιοι τὴν κεφαλὴν τοῦ Ἁγίου Λογγίνου, ταύτην προσφέρουσιν τῷ Πιλάτῳ· καὶ γὰρ πρὸς χάριν τῶν Ἰουδαίων τοῦτο πεποίηκεν, περὶ ὧν ἔλαβεν χρημάτων. Ὡς δὲ ἤνεγκαν οἱ δήμιοι τὴν κεφαλὴν τοῦ Ἁγίου εἰς Ἱερουσαλὴμ, προστάττει ὁ Πιλάτος ἐπιδει-

AVCT. S. HESYCHIO.

A ἐπιδειχθῆναι αὐτὴν τοῖς Ἰουδαίοις, τοῖς διψῶσιν τὸν θάνατον αὐτοῦ, καὶ πολλοῦ χρυσίου τὸ δρᾶμα πωλήσας τοῖς εἰωθόσι χρήμασιν ὠνεῖσθαι τὰ τῶν Δικαίων αἵματα. Καὶ εἶθ' οὕτως προστάττει ὁ Πιλάτος ῥιφῆναι τὴν τιμίαν κεφαλὴν τοῦ Ἁγίου Λογγίνου ἔξω πρὸς τῆς πύλης τῆς πόλεως, τὴν φοβερὰν μὲν τοῖς δαίμοσι, τοῖς δὲ Ἀγγέλοις ἐπέραστον, καὶ στοιχείοις θαυμαζομένην. Ἔκειτο τοίνυν πρὸς τῆς πύλης ὥσπερ τις θησαυρὸς ἄσυλος, κόπρου δὲ πλείστης οὔσης ἐκεῖσε, ἀβλαβὴς διεφυλάχθη ὁ πολυτίμητος τοῦ Χριστοῦ μαργαρίτης, καὶ τάφος αὐτῷ τέως μᾶλλον δὲ κιβωτὸς ἡ κόπρος ἦν, μακροθυμοῦντος τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ καὶ ἐν τούτῳ, οἰκονομίας χάριν.

in sterquilinio abiectum latet.

Vidua caeca

12 Χήρα γάρ τις γυνὴ, τῆς αὐτῆς τῶν Καππαδοκῶν χώρας ὑπάρχουσα, μονογενοῦς τέκνου μήτηρ, τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ σώματος ἀποβαλοῦσα, πίστει τὸ πάθος νικήσασα, μετὰ τοῦ μονογενοῦς τέκνου τὴν Ἰερουσαλὴμ κατέλαβεν, ἐνθάδε προσδοκῶσα τῇ προσκυνήσει τῶν ἁγίων τόπων τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀπολαβεῖν. Ὡς οὖν χειραγωγουμένη ὑπὸ τοῦ ἰδίου τέκνου συνῆγεν τὸν χοῦν τῆς B γῆς, καὶ τοῖς ἰδίοις ὀφθαλμοῖς ἐσκέπτετο καταπλάσασθαι τοῦτον, ἴσως ἐν αὐτῷ εὑρίσκειν προσδοκῶσα τοῦ φωτὸς τὸ κολλύριον πρὸς τὸ ἀναβλέψαι, ἀθρόον ἐπῆλθεν νόσος τῷ μονογενεῖ αὐτῆς υἱῷ, καὶ ἀφήρπασεν αὐτὸν ἐκ τῶν μητρικῶν χειρῶν. Τότε διπλοῦν αὐτῇ τὸ σκότος τῶν ὀφθαλμῶν ἐπῆλθεν, καὶ τελείως ἀπεσβέννυτο τῷ δριμυτάτῳ πάθει τῆς συμφορᾶς· ἡ δὲ οἰκτρὰς φωνὰς βοῶσα, πρὸς τὸν Θεὸν ἔλεγεν· Ἕως πότε, Κύριε, ἐπιλήσῃ μου εἰς τέλος; ἕως πότε ἀποστρέφεις τὸ πρόσωπόν σου ἀπ' ἐμοῦ; ἕως τίνος θήσομαι βουλὰς ἐν ψυχῇ μου, ὀδύνας ἐν καρδίᾳ μου ἡμέρας καὶ νυκτός; Ἐπίβλεψον, εἰσάκουσον, ἐλέησόν με Κύριε ὁ Θεός μου, καὶ φώτισον τοὺς ὀφθαλμούς μου, μή ποτε ὑπὸ τῆς πλειοτέρας λύπης καὶ ὀδύνης καταποθῶ εἰς θάνατον. Κύριε, μὴ μόνη ἐγὼ ἐπὶ τῆς γῆς ἁμαρτωλὸς τυγχάνω, ὅτι τὰς δίκας ταύτας δριμυτάτας εἰσπράττομαι; Δέσποτα μὴ χείρων εἰμὶ τῆς πόρνης, ἣν προσεδέξω μύρον σοι προσκομίζουσαν, ἐμὲ δὲ τὴν ταλαίπωρον μόνην καὶ τὸ φῶς ἐστέρησας, καὶ τὸν μονογενῆ μου υἱὸν ἔλαβες, καὶ οὐκ ἔστιν μοί ποθεν ἐλπὶς σωτηρίας.

& unico filio Hierosolymis orbata

S. Longinus revelat caput suum;

13 Ὡς δὲ ἦν ἐν πολλῇ θλίψει καὶ ἀπαραμυθήτῳ πένθει, φαίνεται αὐτῇ καθ' ὕπνον ὁ μακάριος C Λογγῖνος, καὶ πάντα αὐτῇ τὰ καθ' ἑαυτὸν διηγήσατο. Ἐγώ εἰμι, λέγων, Λογγῖνος ὁ Ἑκατόνταρχος, ὁ ὁμολογήσας ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὅτι ἀληθῶς Θεοῦ υἱός ἐστιν οὗτος· ὅθεν ἀποκαλύπτω σοι, ὅτι Πιλάτος κατ' ἐμοῦ ψευδῆ δημηγορήσας ἐρεθίζει τὸν Καίσαρα, καὶ ἀποτέμνει μου τὴν κεφαλὴν, καὶ ἐνταῦθα κομίζει, καὶ ῥίπτει ἔξω τῆς πόλεως. h Ἰουδαίων δὲ παῖδες χρημάτων ὠνῇ καὶ τοῦτο συνεφώνησαν. Κόπρος τοίνυν πλείστη αὐτῇ σεσώρευται, ὥστε σοι ἔδει φυλαχθῆναι τὸν κλῆρον τοῦτον πρὸς ἰατρείαν· ἅμα γὰρ αὐτὴν ἀνακαλύψεις, τοὺς ὀφθαλμοὺς σου ἀπολήψει, εἶθ' οὕτως παραστήσω σοι καὶ τὸν παῖδα ζῶντα μετὰ δόξης, ὅτι σου τὸ πένθος οὐ μετρίως παρακαλέσει.

14 Τούτοις οὖν τοῖς λόγοις παρακληθεῖσα ἡ γυνὴ, ὁμοῦ καὶ νευρωθεῖσα ὡς ἀνδρεία καὶ πιστὴ, πρὸς τὸ ἔργον ἠπείγετο, χειραγωγηθεῖσα πρὸς τὸν χῶρον, ἐν ᾧ κόπρον σωρευθῆναι ἐμάνθανεν παρὰ τῶν αὐτὴν ὁδηγούντων, καὶ αὐτῶν πιστῶν ὄντων· ἤδη δὲ φθασάντων εἰς τὸν προκείμενον τόπον, ἄρχεται ὀρύσσειν ταῖς ἰδίαις χερσίν· ὅθεν προνοίᾳ Θεοῦ τάχιον εὑροῦσα τὴν τιμίαν τοῦ Θεοῦ κεφαλὴν, παραχρῆμα τὰς ἡλιακὰς ἀκτῖνας ἐθεάσατο. Περιπτυξαμένη δὲ καὶ πλύνασα μετὰ D πάσης σπουδῆς, καὶ μύροις ἐντίμοις ἐπαλείψασα, ἐπανέρχεται ἐπὶ τὴν πόλιν, φέρουσα τὸν τίμιον καὶ ἄσυλον μαργαρίτην, ἔνθα ἐξενίζετο. Καὶ δὴ τῇ ἐπιούσῃ νυκτὶ πάλιν ἐπιστὰς αὐτῇ ὁ μακάριος Λογγῖνος ἔχων τὸν αὐτῆς υἱὸν παρὰ τὴν ἑαυτοῦ πλευρὰν, λαμπρὸν καὶ μειδιῶντα, καὶ ὥσπερ νυμφίου στολὴν ἔχοντα, λέγει πρὸς αὐτήν. Γύναι, ἴδε, ὃν ἐπόθεις, οὗτός ἐστιν ὁ μονογενής σου υἱὸς, ὃν ἁρπασθῆναι τῶν σῶν χειρῶν ἐνόμισας· Θεὸς δὲ αὐτὸν ἐλευθερώσας ἐκ τοῦδε τοῦ φθαρτοῦ καὶ προσκαίρου βίου εἰς τὴν ἄνω βασιλείαν ἐστράτευσεν. Καὶ νῦν σὺν ἐμοὶ ἔχω αὐτὸν, παρὰ γὰρ τοῦ Σωτῆρος ἔλαβον αὐτὸν, καὶ τῆς ἐμῆς δεξιᾶς οὐδέ ποτε ἀποστήσεται. Ὅθεν τοίνυν λαβοῦσα τὴν ἐμὴν κεφαλὴν καὶ τοῦ σοῦ παιδὸς τὸ σῶμα ἐν μιᾷ λάρνακι παράδος, καὶ μηκέτι τὸν μονογενῆ σου υἱὸν δάκρυε· μεγάλη γὰρ αὐτῷ σὺν ἐμοὶ δόξα δεδώρηται παρὰ τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ, καὶ βωμὸς ἱερὸς, καὶ θυσίαι μυστικαὶ καὶ πολυύμνητοι χορεῖαι, καὶ πανηγύρεις πάνδημοι. ἀλλὰ τί πολλὰ πρὸς τούτοις, ἃ οὐ δυνατὸν ἐπὶ τῆς γῆς τελεῖσθαι· ἐν οὐρανῷ δὲ ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ E οἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, οὐδὲ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη. i ἅπερ ἡμῖν ὁ Θεὸς, ἔργῳ καὶ λόγῳ τὴν πρὸς ἡμᾶς ἐνδειξάμενος ἀγάπην, παρεσκεύασεν.

eoque invento,

filium ei suum ostendit:

in eadem secum gloria felicem.

quae illud cum filii corpore refert in patriam

15 Τούτους τοὺς λόγους ἡ τοῦ νεανίσκου μήτηρ ὡς Ἱεροπροφήτου δεξαμένη προστάγματα, εὐθέως ἀναστᾶσα εἰς τὴν πατρίδα ὥρμησεν· ἔλαβεν δὲ καὶ τὴν πάντιμον καὶ ἱερὰν κεφαλὴν, τοῦ Ἁγίου Λογγίνου λείψανον, καὶ ἀπέθετο φαιδρῶς καὶ περιχαρῶς, καθὼς αὐτῇ προσέταξεν ὁ Ἅγιος Λογγῖνος ἐν κώμῃ λεγομένῃ Σανδράλης (ἐκεῖθεν γὰρ ἦν ὁ ἅγιος Λογγῖνος) πρὸς ἑαυτὴν ἀναφωνοῦσα καὶ λέγουσα ἐν τῇ καρδίᾳ, καὶ τῇ γλώττῃ κηρύττουσα· Οἶδα μὲν, ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν, πάντα συνεργεῖ εἰς τὸ ἀγαθόν. Ὀφθαλμοὺς ἐζήτουν σαρκὸς, σὺν αὐτοῖς δὲ καὶ τοὺς τοῦ πνεύματος ἔλαβον· ἐλύπει με ζημία τέκνου, ἀλλ' ἰδοὺ τὸν κληρονόμον ἔχω μετὰ δόξης βασιλικῆς, τῷ Θεῷ παριστάμενον· πορφυροφόρον τὸν νεανίαν ὁρῶ, πολυπρεπῆ κατοπτεύω τὸν μείρακα. Ἀστροπρόσωπος ὁ παῖς, καὶ τῇ μητρὶ προσγελῶν, καὶ παρὰ τὴν πλευρὰν Λογγίνου ἀστράπτων, ὡς φωσφόρος παρὰ τὴν ἡλιακὴν ἀκτῖνα, πολλάκις μὲν νύκτωρ πολλάκις δὲ μεθ' ἡμέραν φαινόμενος, F καὶ οὐ κατ' ὄναρ μόνον, ἀλλὰ μὴν καὶ φανερῶς ἐμφανίζεταί μοι Μαρτύρων τρόπῳ· κλῆρος δὲ αὐτοῦ μετὰ Προφητῶν, καί τοι βίον τῶν Προφητῶν οὐ ζήσαντος, καὶ μετὰ Λογγίνου σταυροφορεῖ, καὶ τὸ σεμνὸν τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας ἐπιφέρεται τρόπαιον, καὶ μεταξὺ Ἀγγέλων κηρύττει, τὸ καὶ μέσον τοῦ δήμου τῶν Ἀρχαγγέλων κέκραγεν· Ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος, ὡς Λογγίνου μαθητής. Ὅσα τε τὰ Σεραφὶμ Λογγίνῳ παραχωρεῖ δοξάζειν (καὶ οὐκ ἀντικρούει τὰ Σεραφὶμ καὶ Χερουβὶμ ὑμνολογοῦσιν) φθέγγεται καὶ αὐτὸς φωνὴν ἱερὰν, ὑμνολόγον, τροπαιοῦχον, μυστικὴν, ἐπινίκιον, Ἀληθῶς Θεοῦ υἱός ἐστιν οὗτος· καὶ ἔστιν καὶ ἔσται· ὅπερ γὰρ εἶχεν πρὸ τῶν αἰώνων, καὶ εἰς αἰῶνας ἕξει. Αὐτὸς παλαιοῖ τοὺς αἰῶνας, μένει δὲ αὐτὸς ἀπαλαίωτος, ἡ γὰρ βασιλεία αὐτοῦ βασιλεία αἰώνιος, καὶ ἡ ἐξουσία αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα οὐ διαφθαρήσεται.

Deo gratias agens.

Encomii auctor Hesychius.

16 Ἐγὼ Ἡσύχιος Πρεσβύτερος Ἱεροσολύμων πολλὰ ἐρευνήσας, μετὰ πολλοῦ καμάτου ἠδυνήθην εὑρεῖν τοῦ Ἁγίου Λογγίνου τοῦ Ἑκατοντάρχου, τοῦ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ εἰπόντος, Ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος, τὸ μαρτύριον· εὗρον δὲ αὐτοῦ ἐν σχεδαρίῳ ἐν τῇ Βιβλιοθήκῃ τῆς ἁγίας Ἀναστάσεως, καὶ συνέταξα αὐτοῦ τὴν ὁμολογίαν

A ὁμολογίαν μετὰ καὶ τοῦ ἐγκωμίου. Λοιπὸν οἱ φοβούμενοι τὸν Κύριον πιστωθήτωσαν, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Ἅγιος Λογγῖνος ὁ Ἑκατόνταρχος, ὁ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμολογήσας αὐτὸν· οὗ τῇ πρεσβείᾳ καὶ παρακλήσει διαφυλαχθείησαν ἅπαντες, οἵ τε ἀναγινώσκοντες αὐτὸ καὶ οἱ ἀκούοντες, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

a *MS.* ἐχόλασε: *quod quia Græcum non est nec alibi reperitur immutaui: fortè legendum fuit* ἐσχόλασεν, *quasi otiari fecit: sed neque hanc vocem reperi, radicem tamen Græcam habemus unde formari possit.*

b *Per futurum melius quam per præsens hæc Latinè fuissent reddita.*

c *Pleno sensui hæc aut similia deesse credo.*

d *Videtur Interpres legisse* ἀφιόντος: *ad verbum autem sic verti potest*: quem audiui præclarissimam emittere, *vel* emisisse vocem.

e *In textu Latino mendum corrige typographicum, quo,* domum eduxit in agrum, *legitur pro,* domo eduxit &c.

B f *Integriùs clariusq́; hæc reddentur ad verbū:* Ne velitis proditorem vitæ videri me, aut diuinæ gratiæ monstrari tentatorem; vt ne optandā inter oues electione repudiatā efficiar lupus: nullatenus enim negabo quem semel confessus sum.

g *MS.* τὸ γνώριον αἱ ἡμέραι τοῦ φωτὸς παρητήσαντο, ἡ νὺξ &c. *quæ vt clariora essent nonnihil immutaui, librario imputans quòd festinanti exciderit aliquid.*

h *Vsitato Hellenismo pro* Græcis *ipsis: sic* τῶν ἰατρῶν παῖδες Medici *sunt,* γραφέων παῖδες pictores &c.

i Quæ præparauit Deus suam erga nos caritatem verbo opereque declarans: *hæc nempe festinanti Interpreti exciderunt.*

INVENTIO CAPITIS

Ex MS. Vaticano signato 797.

Christo vidua à dæmone vexata 1 Γυνὴ δέ τις χήρα ὀνόματι Χρηστὴ ὠχλεῖτο ὑπὸ πνεύματος ἀγρίου, δεινῶς ἑαυτὴν κατακόπτουσα, οὖσα τῶν ἐγχώρων. Ἐνεθυμεῖτο δὲ τὴν ἐπαύριον προσελθεῖν ἐν τῇ ἀνατολῇ· ἀκούσασα δὲ περὶ τῶν ἰαθέντων παρὰ τοῦ Ἰησοῦ, τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ ἐβούλετο προσελθεῖν. Ἐφάνη δὲ αὐτῇ ὁ Ἅγιος Λογγῖνος ἐκτὸς τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ καὶ λέγουσῃ· Τίς ἥκει ὧδε; εἶπεν αὐτῇ ὁ Ἅγιος *admonitu S. Longini* Λογγῖνος, Θέλεις ἰαθῆναι; Ἡ δὲ εἶπε· Ναὶ Κύριε, αὐτὸ εὔχομαι. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτὴν ὁ Ἅγιος, Πο-C ρεύθητι εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ κατάμαθε τὴν οἰκίαν Λουκίου τοῦ Ἐπάρχου, καὶ ζήτησον τὴν κεφαλὴν Λογγίνου τοῦ Ἑκατοντάρχου, καὶ διακόμισον αὐτὴν πρὸς τὸ σῶμά μου, καὶ σωθήσῃ· ἐγὼ γάρ εἰμι Λογγῖνος, ὁ νέμων τὰ προβάτα παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ οὐκ ἀναπαύομαι ἐν ᾗ ἐτάφην ταφῇ μέχρι τοῦ νῦν· ἀλλὰ τοῦτο ποίησον καὶ ἰαθήσῃ ἐπ' ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ. Οὐ μόνον δὲ σὺ ἰαθήσῃ, ἀλλὰ καὶ τὸν υἱόν σου στρατεύσω· ὅτι εἰμὶ ἐγὼ ἐκτὸς τῆς κεφαλῆς ὁ λαλῶν σοι.

Ierosolymā abiit 2 Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ γυνὴ διαναστᾶσα καὶ συντάξαμένη οἷς εἶχεν φίλοις, ἐπορεύετο ἐπὶ τὴν ὁδὸν, καὶ ἐλθοῦσα ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἔκραξεν φωνῇ μεγάλῃ λέγουσα· Κύριε, ὁ ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ καθὼς σὺ εἴρηκάς μοι ἐν τῇ ὁράσει, πορεύομαι καὶ βοήθησόν μοι. Καὶ εὐθέως ἐσείσθη ὁ τόπος, καὶ φωνὴ ἦλθεν πρὸς αὐτὴν λέγουσα, Πορεύου, ὁ Χριστός ἐστιν ὁ βοηθῶν σοι. Ἡ δὲ ἀκούσασα τῆς φωνῆς ταύτης, ἐπορεύετο ἐν χαρᾷ ὅλην τὴν ὁδὸν αὐτῆς· ἐλθοῦσα δὲ εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἐμάνθανε παρὰ τῶν τῆς πόλεως τὴν οἰκίαν τοῦ Ἐπάρχου, τοῦ ἐκζητῆσαι τὴν κε-*& redemptum Sācti caput referens* φαλὴν τοῦ Ἁγίου Λογγίνου, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν ὁ Ἔπαρχος τιμῆς ἀργυρίου τὸν ἀριθμὸν διακοσίων δηναρίων· καὶ λαβοῦσα αὐτὴν ἡ γυνὴ, ἦν εὐχομένη καὶ

δοξάζουσα τὸν Θεὸν τοῦ τελείως καταξιωθῆναι τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ. D *Ex MS. Vatic.*

3 Λαβοῦσα δὲ τὴν κεφαλὴν τοῦ τιμίου Λογγίνου, μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς Χρησίονος, ἡτοιμάζετο τοῦ ἐξελθεῖν τῇ ἑσπέρᾳ· καὶ ἰδοὺ, ἐφάνησαν αὐτῇ τρεῖς Ἄγγελοι, ὧν τὴν δόξαν βλέπειν οὐκ ἠδύνατο, καὶ ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν κηροὶ λευκοὶ, καὶ προπορευόμενοι, ὕμνουν τὸν Θεὸν δι' ὅλης τῆς νυκτός· ἡνίκα δὲ ἀνέβαινεν ὁ ὄρθρος, ἐπαύοντο εἰς ὃν ἔφθασαν τόπον τοῦ μεταλαβεῖν τροφῆς. Διὰ *comitantibus Angelis* ἐπτὰ ἡμερῶν ἤνεγκεν τὴν κεφαλὴν τοῦ τιμίου Λογγίνου ἐν τῇ κώμῃ αὐτοῦ, ἀποδημήσασα μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς Χρησίονος, καὶ ἀπῄει εἰς τὸν τόπον, οὗ κατέκειτο, ὥρας οὔσης ἕκτης τῆς νυκτός. Ἔφθασαν οὖν εἰς ὃν οἰκοδόμησαν οἶκον οἱ φιλόχριστοι ἄξιον τοῦ Μάρτυρος, καὶ εὐθέως ἡ θύρα αὐτομάτως ἠνοίγη αὐτοῖς, καὶ τὸ μνημεῖον * ἰδοὺ ἦν ἀνεῳγμένον, καὶ φῶς ἔλαμψεν ἐν τῷ οἰκήματι κυκλόθεν. Εἰσελθὼν δὲ ὁ νεανίσκος ἐν τῷ μνημείῳ σὺν μύροις καὶ ἀρώμασιν, παρέθηκεν τῷ σώματι τὴν κεφαλὴν· καὶ συμμυθεῖσα, γέγονεν καθὰς πρὸ τοῦ ἀποτμηθῆναι. Ἐξελθόντος δὲ αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ μνημείου, παραχρῆμα ἠσφαλίσθη ὁ τόπος αὐτομάτως· αὐτοὶ δὲ ὑπέστρεψαν εἰς τὴν οἰκίαν, χαίροντες καὶ δοξάζοντες τὸν Θεόν. a *per filium testituit corpori;* * imò, ἰδὼν E

4 Ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ νυκτὶ ἐφάνη τῇ Χρηστῇ ὁ Ἅγιος Λογγῖνος λέγων, Ἀναπέπαυμαι νῦν, ὅτι παρέσχες μοι τὴν κεφαλήν· καὶ σὺ ἰαθήσῃ ἀπὸ τῆς ἡμέρας ταύτης. Ἐρωτῶ δὲ τοῦτο, τὸν υἱόν σου στρατεύσω ἐν τῇ ἐπουρανίῳ στρατιᾷ, ἢ ἐν τῇ ἐπιγείῳ; Ἡ δὲ μετὰ φόβου ἀποκριθεῖσα, εἶπεν. Δέομαί σου, ἐν τῇ ἐπουρανίῳ στρατιᾷ αὐτὸν στράτευσον. Ἀκούσας δὲ ταῦτα, ἀπέστη ἀπ' αὐτῆς. Ἐν δὲ τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ὁ νεανίσκος ἐπορεύθη ἐν τῷ ἀμπελῶνι πρὸς ἐπιμέλειαν τῆς ἀμπέλου. Ἐργαζομένου δὲ αὐτοῦ μέχρις ὥρας b πέμπτης, ἐφάνη αὐτῷ ὁ ἅγιος Λογγῖνος, καὶ εἶπεν· Νεανίσκε Χρησίων, θέλεις στρατεύσασθαι κατὰ τὸ ὄνομά σου εἰς Χριστόν; Ὁ δὲ ἀναβλέψας, ἴδεν αὐτὸν ὡς ἀστραπὴν, καὶ εἶπεν αὐτῷ. Τίς εἶ Κύριε, ὁ στρατεῦσαί με βουλόμενος; Ὁ δὲ εἶπεν· Ἐγώ εἰμι Λογγῖνος, ὁ διὰ τῆς μητρός σου δωρηθεὶς τὴν κεφαλήν· ἀλλ' ὥσπερ αὐτὴ ἐκόμισέν μου τὴν κεφαλὴν, οὕτως κἀγὼ βούλομαί σε τῷ Θεῷ προσκομίσαι. Καὶ ὁ Χρησίων εἶπεν πρὸς αὐτόν· Εἰ ταῦτα οὕτως ἔχοι, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου· καὶ παραχρῆμα ἀπέδωκεν τὸ πνεῦμα ὁ νεανίσκος. S.Longinus matri apparet b *& filio in cælestem militiam adscribēdū.* F

5 Ἡ δὲ τούτου μήτηρ κατὰ τὴν συνειθισμένην ὥραν ταῖς διελθούσαις ἡμέραις λαβοῦσα τὴν τοῦ ἀρίστου τροφὴν, ἐπορεύετο πρὸς τὸν υἱὸν αὐτῆς ἐν τῷ ἀμπελῶνι, καὶ ἐλθοῦσα εὗρεν αὐτὸν τετελευτηκότα. Θεασαμένη δὲ τοῦτο, ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν ἐλιγοψυχήσασα, καὶ τὸν χιτῶνα διαρρήξασα ἔκειτο ὡσεὶ νεκρά, καὶ ἐλθὼν ὁ Ἄγγελος, ἐνίσχυσεν αὐτὴν· εἶπεν δὲ αὐτῇ, Τί κλαίεις; Ἡ δὲ εἶπεν, Οἴ ἀπώλεσα τὸν υἱόν μου, τὸν μονογενῆ μοι ὑπάρχοντα, καὶ c ἐτρυγήθη ὁ καρπὸς τῆς ἐμῆς κοιλίας, ἄωρος ὤν. Εἶπεν δὲ αὐτῇ ὁ Ἄγγελος, μὴ πλανῶ γύναι, μὴ δὲ κλαῖε ἐπὶ τούτῳ· αὐτὸς γὰρ οὐκ ἐτρυγήθη, οὐδὲ ἀπώλετο, ἀλλ' ἔστιν ἐν τοῖς κόλποις Ἰησοῦ Χριστοῦ. Πορεύθητι οὖν ἐν τῇ πόλει, καὶ κάλεσον ἄνδρας εὐλαβεῖς, καὶ ἐλθόντες βαστάσουσιν τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ σου, καὶ θάψωσιν αὐτὸ ἐν τῷ μνήματι, ἐν ᾧ κατάκειται ὁ πιστώτατος Λογγῖνος, καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ὁρᾷς τὸν υἱόν σου ἐν τῇ στρατείᾳ. *illa mortuū luget* c *quam consolati Angeli,*

6 Ταῦτα δὲ εἰπὼν ὁ Ἄγγελος, ἀφανὴς ἐγένετο· αὐτὴ δὲ ἀναστᾶσα, ἀπήρχετο ἐν τῇ κώμῃ, εὐθέως δὲ ἦλθον Ἄγγελοι παραμυθούμενοι αὐτὴν, καὶ ἐμάνθανον

A νον παρ' αὐτοῦ, τί ἐστι τὸ συμβὰν αὐτῇ· Ἡ δὲ ἀνήγγειλεν αὐτοῖς πάντα, οἱ δὲ ἀκούσαντες, ἐπορεύθησαν εἰς τὸν Ἐπίσκοπον Τυανῶν ἐν σχήματι εὐλαβῶν ἀνδρῶν, καὶ ἀνήγγειλαν αὐτῷ τὰ γεγονότα. Εὐθέως δὲ ὁ Ἐπίσκοπος Παφνούτιος, παραλαβὼν εὐλαβεῖς ἄνδρας, ἦλθεν ἐν ᾧ ἦν τόπῳ ὁ νεανίσκος τετελευτηκώς, καὶ ἐπέτρεψεν κληθῆναι τὴν μητέρα αὐτοῦ· ἐλθούσης δὲ αὐτῆς, εἶπεν πρὸς αὐτὴν ὁ Ἐπίσκοπος· Μὴ κλαῖε ἐπὶ τούτῳ, αὐτὸς γὰρ τὴν οὐράνιον βασιλείαν κεκτημένος, πολὺ πρεσβεύει ὑπὲρ ἡμῶν· ἀγαλλιασώμεθα οὖν μᾶλλον, καὶ μὴ ὦμεν σκυθρωποί. Ταῦτα εἰπὼν προσέταξεν ἐπαρθῆναι τὸ σῶμα τοῦ νεανίσκου, καὶ ἀποτεθῆναι σὺν τῷ ἁγίῳ Λογγίνῳ, καὶ προσεκόμισαν τῷ ἐπουρανίῳ Θεῷ θυσίαν δεκτήν. Ἡ δὲ εὐσεβὴς γυνὴ ἐγένετο Διάκονος καὶ λειτουργὸς τῆς ἐνδόξου πίστεως, προσκομίσασα δὲ πολλὰ καὶ παραινέσας, ἀπῄει εἰς τὴν πόλιν ὁ Ἐπίσκοπος.

Ex MS. Vatic. rem nuntiant Episcopo Tyanensi — *qui mortuum apponit S. Longino:*

7 Ὀψίας δὲ γενομένης, καὶ τῆς νυκτὸς ἐπελθούσης, ὥρας οὔσης τετάρτης τῆς νυκτός, ἐφάνη αὐτῇ ὁ ἅγιος Λογγῖνος, λέγων· Ἵνα τί βλασφημεῖς με; Ἡ δὲ φο-
B βηθεῖσα καὶ ἔντρομος γενομένη, εἶπεν· Τίς εἶ Κύριέ μου; Ὁ δὲ εἶπεν· Ἐγώ εἰμι ὁ τὸν υἱόν σου στρατεύσας.
d Ἡ δὲ d Χρεσίνη ἀναπολήσασα περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, βοῶσα ἔλεγεν· Κύριε, εἰ ἐστράτευσας, οὐκ ἂν ἀπέκτεινας αὐτόν. Ὁ δὲ πιστότατος Λογγῖνος εἶπεν πρὸς αὐτήν· Ἴδε καὶ νῦν βλασφημίας λαλεῖς μοι. Ἀλλ' ἀνάστηθι, καὶ ἔξελθε ἐκ τῆς οἰκίας σου, καὶ ὄψει τὸν υἱόν σου ὅτι στρατεύεται. Ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς αὐτῆς, ἐξέβαλεν αὐτήν, καὶ ἐθεώρει τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, καὶ φῶς μέγα ἐν τῇ νυκτί· ἀναβλέψασα δὲ ὡς ἐν ἐκστάσει ἴδε τὸν οὐράνιον Βασιλέα καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς προπορευόμενον. Ὁ δὲ ἅγιος Λογγῖνος εἶπεν αὐτῇ· Κἂν νῦν ἑώρακας τὸν υἱόν σου, ὅτι ἐστράτευται, καὶ πεπίστευκας νῦν; Ἡ δὲ εἶπεν· Ἀρκετόν μοι ἃ δὴ ἐλάλησα κατὰ σοῦ Δέσποτα, καὶ εὐθέως ἀφανὴς ἐγένετο ἀπ' αὐτῆς. D

mater autē filium videre merita

8 Αὕτη δὲ ἦν σχολάζουσα νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐν τῷ ἁγίῳ οἴκῳ, προσευχαῖς καὶ δεήσεσιν καὶ ἐλεημοσύναις διατελοῦσα, ὁμοίως δὲ καὶ ἰάσεις διὰ ἐπικλήσεως τοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος, δοξάζουσα τὸν Θεὸν ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς, ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῇ. Ἐτελεύτησεν δὲ καὶ αὐτὴ ἐν ταῖς ἡμέραις Παφνουτίου Ἐπισκόπου, καὶ κατέθεντο αὐτὴν πλησίον τοῦ ἁγίου Λογγίνου ἐν τῷ αὐτῷ ναῷ, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

postea sancte vitam — *ibidem sepelitur.*

a *Nisi miraculosè transuectos velis intelligere, pro* τριῶν τριάκοντα triginta *legas necessè est: tot enim dies quàm ... expedito pediti Hierosolymis in Cappadociam venienti necessarij sunt propter locorum distantiam.* E

b *Ergo in Latino non* septimam, *sed* sextam *lege.*

c *Clarius & elegátiùs sic Latinè reddes:* Et immaturo tempore decerptus est fructus vteri mei. *& consequenter:* Neque periit, neque decerptus est.

d *Hanc lectionem secutus Interpres, non* (Chresten *vti bis suprà habes*) *sed* Christinam *vertit: verum tum* Χριστίνη *scribendum foret.*

DE S. PAPA MARTYRE

Ex MS. Conuentus Annuntiationis Ord. FF. Prædicat. Parisijs.



XVI MARTII. Τῇ ις' τοῦ Μαρτίου μηνός. Ἄθλησις τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Πάπα, ὃς ἤθλησεν ἐπὶ Μαξιμιανοῦ τοῦ Βασιλέως καὶ Μάγνου Ἡγεμόνος· ὑπῆρχεν δὲ πόλεως Λαράνδων τῆς Λυκαόνων ἐπαρχίας. Ὅστις ναυάγουσαν ὁρῶν τὴν οἰκουμένην, παραστὰς τῷ Ἄρχοντι, καὶ τοῦτον καταισχύνας τῇ πολλῇ πρὸς Χριστὸν παρρησίᾳ, ῥιφεὶς πρὸς γῆν τύπτεται ῥάβδοις τὰς σάρκας,
C εἶτα τὸ πρόσωπον· καὶ μετεωρισθεὶς πρὸς ὕψος σπαράττεται σιδήροις ὄνυξι, καὶ κέντροις καθηλωθεὶς τοὺς πόδας τόπους ἐλαύνεται μακρούς· καὶ αὖθις δένδρῳ συκῆς ἀκάρπῳ προσδεθείς, καρποφόρον ἀποτελεῖ εἰς ἣν καὶ τελειοῦται, καὶ ἡ Σελευκέων πατρὶς τὸ λείψανον αὐτοῦ κατέχουσα γάννυται.

Elogium

ΣΤΙΧΗΡΟΝ. Τὸν εὐσεβῆ στρατιώτην τοῦ Βασιλέως Χριστοῦ, τὸν τοῦ ἐχθροῦ τὸ κράτος καθελόντα τῷ ὅπλῳ τοῦ σταυροῦ τοῦ ζωηφόρου Πάπαν, πιστοί, τὸν ἀήττητον Μάρτυρα, καὶ τὸν Ἀγγέλων πολίτην, καὶ πρεσβευτὴν τῶν ἀνθρώπων εὐφημήσωμεν.

Versiculi

ΟΜΟΙΟΝ. Πόνοις τὴν ἄπονον λῆξιν ἐκληρονόμησας· αἱμάτων δὲ σταγόσι τῶν πιστῶν τὰς καρδίας κατήρδευσας πλουσίως, Πάπα σοφέ· ἀθλητῶν ἐγκαλλώπισμα, Λυκαονίας τὸ κλέος καὶ πρεσβευτὰ τῶν τιμώντων σε θερμότητι.

ΟΜΟΙΟΝ. Ξύλοις τυφθεὶς ἀνηλεῶς, δεινῶς ξεόμενος, ὑποδεθεὶς δὲ Μάρτυς, ὑποδήμασιν ἥλοις ὀξέσιν πεπαρμένοις, τόπους μακροὺς ἐλαυνόμενος ἔχαιρες, ἕως εἰσῆλθες εἰς θεῖον σαββατισμόν, ἐκτελέσας τὸν ἀγῶνά σου a.

a

Ο ΚΑΝΩΝ. *Canon. ode 1*

ΩΔΗ Α'. Ὑμνῳδίαις θείαις τὴν ἱερὰν σου ἀνευφημοῦμεν μνήμην, γενναῖε Μάρτυς· καὶ γὰρ Χριστοῦ Μάρτυς ἀψευδὴς σὺ χρηματίσας, ὑπομείνας βάσανα ῥωμαλαίως καὶ διωγμοὺς καὶ θάνατον, πρόξενον θείας ζωῆς.

Μαρτυρίου αἵματι βραχυτάτῳ οὐρανῶν ἠλλάξω τὴν βασιλείαν, καὶ εὐτελῶν πόνων, Ἀθλητά, λῆξιν τὴν ἄπονον· διὰ τοῦτο ἅπαντες συνελθόντες μεγαλοφήμως F σήμερόν σε μακαρίζομεν.

Ναυάγουσαν βλέπων τὴν οἰκουμένην πολυθείας κύμασιν, Ἀθλοφόρε, τῷ τοῦ σταυροῦ ὅπλῳ κραταιῶς οἰακιζόμενος, γαληνοὺς κατέπαυσας πρὸς λιμένας, τὰ τὴν ψυχῆς ἀγώγιμα σώσας ἀλώβητα.

ΩΔΗ Γ. Ὁ στήσας ἐν πέτρᾳ ἐν θείου ὑπομονῆς, τοὺς πόδας διέμεινας ἀπερίτρεπτος, Ἔνδοξε, ἐχθρῶν μηχανήματα, ὑποσκελίσας αὐτῶν τὰς βάσεις πάσας. *ode 3*

Ἔστης κηρύττων Χριστὸν πρὸ δικαστικῶν βημάτων, Πανόλβιε· καὶ τυπτόμενος ἔχαιρες, τραυματίζων δαίμονας τοῖς τῆς σαρκός σου, σοφέ, τραύμασι, Πάπα.

Πύργος καθάπερ ἀκλόνητος αἰκισμῶν b νιφάσι διέμεινας, τὸ τῆς πλάνης ὀχύρωμα διαλύων, χάριτι τῆς παναγίας Τριάδος, Μάρτυς Πάπα. b

ΩΔΗ Δ'. Πρόσωπον τὸ σὸν ῥαπισμοῖς πολλοῖς ῥαπιζόμενον, πρόσωπα ἀσάρκων δυσμενῶν ἀποῤῥαπίζει, Πάπα πανόλβιε, καθαπλειζόμενον ταῖς ὑπερτίμοις ἄθλων ἐπιδόσεσιν. *ode 4*

Ἄπληγον τὸν νοῦν ὁμιλῶν πληγαῖς διετήρησας· ξύλοις γὰρ ἐχθροὶ ἀνηλεῶς σε, Ἀθλοφόρε ἔνδοξε, ἔτυπτον,

A πον, μὴ περιτρεπόμενον, μὴ ταῖς αἰκίαις, Πάνσοφε ἡττώμενον.

Μώλωπες οἱ σοὶ τοῖς ἐχθροῖς γεγόνασι μώλωπες· τραύματα καὶ στίγματα τὰ σὰ τοὺς πονηροὺς κατέστιξαν δαίμονας· καὶ πᾶσιν ὑπάρχουσι τοῖς σε τιμῶσι, Πάπα, ὅσιον ἴαμα.

ode 5 ΩΔΗ Ε'. Ῥώμῃ Θεοῦ δυνάμενος, Πάπα, ἀναρτηθεὶς ξεσμοὺς καθυπομένεις, ἀλγύνων δαίμονας ἀλγηδόσιν σώματος, ἀθλητὴς ὡς γενναιότατος.

Τείνας τὸν νοῦν πρὸς τὸν πάντων Δεσπότην, Μάρτυς Χριστοῦ, οὐδ' ὅλως τεινομένου ἡττήθης σώματος· ἀλλ' ὡς στῦλος ἄσειστος τὰς βασάνους ἐκαρτέρησας.

Ὑπὲρ τὸ ζῆν τὸ θανεῖν ᾑρετήσω, κατεντρυφῶν ἐπιδόσεσι πόνων, Πάπα πολύαθλε, καὶ ζωὴν τὴν μέλλουσαν εὐκλεῶς ἐπικτώμενος.

ode 6 ΩΔΗ ς'. Ἤμβλυνας τὰ κέντρα τοῦ πονηροῦ ἀντιτυπείαις ὑπομονῆς καὶ πίστεως· καὶ ἀνδρείας ξίφεσι τοῦτον, Παμμάκαρ, ἔσφαξας, καὶ ἐπείληφας τὸ τῆς νίκης διάδημα.

c Γέγονας ὡς λίθος ἐπὶ τῆς γῆς θεόφρον Πάπα, c

B ἱερῶς κυλιόμενος, καὶ τὰ ὀχυρώματα διαλύων τῆς πλάνης σαφῶς τῶν δαιμόνων, δὲ ἀφανίζων τὰ ξόανα.

Λάμπει σου ἡ μνήμη ὑπὲρ αὐγὰς ἡλίου, Μάρτυς, καὶ φωτίζει τὰ πέρατα· φῶς γὰρ ἐχρημάτισας τῇ πρὸς τὸ φῶς ἐγγύτητι τὸ ἀκρότατον, Ἀθλοφόρε πολύαθλε d.

d

ode 7 ΩΔΗ Ζ'. Ἰταμωτάτῳ λογισμῷ ὁ παράφρων τύραννός σε, Θεόφρον, τὸν ἔμφρονα ἀναγκάζει ξοάνοις ἐπιθύειν· ἀλλ' ἐγένου καθαρὰ Θεῷ θυσία.

e Στρέβλας διέλυσας ἐχθροῦ e ὀρθῶς προδόμενος, καὶ σιδηρὰ πεδούμενος, φυλακαῖς τε προσομιλῶν, ὁ φύλαξ, Μάρτυς Πάπα, τῶν Χριστοῦ δικαιωμάτων.

Μετὰ μυρίους αἰκισμοὺς ἥλοις καθηλούμενός σου τοὺς πόδας, πεπόρευσαι μαρτυρικοὺς τὰς ζωηφόρους τρίβους, ἀφανίζων τοῦ ἐχθροῦ, Πάπα, τὰ κέντρα.

ode 8 ΩΔΗ Η'. Νεκροῖς θεοῖς οὐκ ἔνειμας σέβας, τὸν νεκρώσαντα πάθει τὸν ἀρχίκακον ἐχθρόν, Θεὸν ζῶντα κηρύττων, Σοφέ· διὸ θανατωθέντα πρὸς ἀθανάτους σε μεταβιβάζει πόνους, ὁ μόνος Ἀθάνατος.

Ἐπὶ σφαγὴν ἑκούσιον, Μάρτυς, ἀπαγόμενος, ἥλοις καθηλωθεὶς τοὺς σεπτοὺς καὶ μακαρίους πόδας σου· Τερ-

C φθήσομαι, κραυγάζων, τῶν μαρτυρίων σου ἐν ὁδῷ Ἰησοῦ μου, πλουτῶν σου τὴν ἔλλαμψιν.

f Ὁδὸν f μακρὰν στελλόμενος, τὰς ὁδοὺς ἐστένωσας

g πάσας τοῦ ἀλάστορος ἐχθροῦ, καὶ πᾶσιν g ἐξωμάλισας τὰς τρίβους, τὰς φερούσας πρὸς τὰς ἐκεῖσε μονάς· Εὐλογεῖτε, κραυγάζων, τὰ ἔργα τὸν Κύριον.

ode 9 ΩΔΗ Θ'. Ὡράθη φρικτὸν τελούμενον ἐν σοί, Πάπα, παράσιον· ἡ ἄκαρπος συκὴ γὰρ καρποφόρος γέγονεν εὐθύς, σοῦ ἐν αὐτῇ προσδεθέντος, καὶ τὸ μακάριον πνεῦμα Θεοῦ σου εἰς χεῖρας παραδόντος, Ἀ- D ξιάγαστε.

Σαρκὸς αἰκισμοὺς προθύμως ὑπέστης, ὁδοιπορίαις μακραῖς, Σοφέ, προσομιλήσας, καὶ λυθεὶς τοῦ σώματος καλῶς τοῖς ἀσωμάτοις συνήφθης, Πάπα πολύαθλε· μεθ' ὧν ἀπαύστως δυσώπει τοῦ σωθῆναι τοὺς τιμῶντάς σε.

Ἡ κόνις τῶν σῶν λειψάνων ὡς κόνιν λεπτύνει πάντοτε τὰ πάθη τῶν ἀνθρώπων, καὶ δαιμόνων φάλαγγας, Σοφέ· ἡ δὲ ἁγία σου μνήμη, ἁγιασμὸν ἀληθῆ ἀναπηγάζουσα, πάντων ἁγιάζει τὰ νοήματα h. h

KΑΘΙΣΜΑ. Ὁ ὑψωθεὶς ἐν τῷ σταυρῷ, ἀνυψωθεὶς καρτερικῶς ἐπὶ ξύλου τοὺς σπαραγμοὺς τοὺς τῆς σαρκὸς ὑποφέρεις, καθάπερ ἄλλου πάσχοντος, Ἀοίδιμε. δένδρῳ δὲ δεσμούμενος, αὐτὶ πρώην ἀκάρπου τοῦτο θείᾳ χάριτι ἐκτελεῖς καρποφόρον· καὶ μετελθὼν ἐν γῆς πρὸς οὐρανόν, Πάπα, πρεσβείαις εὑρεῖν ἡμᾶς ἔλεον i. *Antiphona.* i

a *Cùm prius imprimenda esset Latina versio quàm Graecum textum nobis mitti peteremus, accidit ut apographi Latini titulos minus distinctè explicatos habentes, Versus hosce similares pro primâ Canonis ode acciperemus: atque ita secunda Ode inscriberetur quæ reuera est prima. Secunda autem de Sancto nulla est, uti nec passim in canonibus alijs Sanctorum, si Magnum canonem Andreæ Cretensis in Lazarum paucosque Damasceni & quorumdam fortassis aliorum excipias.* E

b *In versione Latinâ post* instar, *adde,* niuis, *quod typothetarum incuriâ excidit.*

c Sanctè *seu* mysticè deuolutus: *quod Interpreti excidit, necessarium interim est ut intelligatur alludi ad lapidem illum* Dan. 2 *qui decisus deuolutusque è monte, comminuit statuam Nabuchodonosori oblatam in somnio.*

d *Post sextam odem sequebatur de more Antiphona & elogium: nos ut totum canonem consequenter exhiberemus, elogium posuimus in principio, Antiphonam in finem reiecimus: quam in Latinâ versione quære in fine odæ septimæ perperam eidem subnexam.*

e Rectè *quod in Latino repone pro* rhedæ, *uti ibi per amanuensis vel typothetæ errorem legitur: uti etiam paulo post pro* plantis tuis *legendum* plantas tuas.

f Longam profectus viam, *Larandâ scilicet Seleuciam. Interpres ad id quod sequitur respiciens ab auctoris mente nonnihil recessit.*

g *Eiusdem mentem sic clariùs exprimas* Omnibus complanasti semitas, ducentes ad eas quæ illic (*in cælis scilicet*) sunt mansiones, vociferando, Benedicite opera [Domini] Dominum *quæ clausula passim in quibusuis octauis Canonum odis inculcatur.*

h *Θεοτόκια seu strophas de Beatâ Virgine, quibus singulæ Canonis huius odæ æquè ac aliorum terminantur, cùm nihil ad rem præsentem facerent, omisit Interpres, ac ne Græcè quidem curauit describere: quod nos quoque in simili de Martyribus Sabaitis Canone ad 20 Martij secuti sumus. Marianarum autem stropharum formam videre qui volet, consulat diem 28, ubi propter acrostichi rationem omitti non potuere. Ibidem videbit lector singularum odarum titulis additos quos vocant εἱρμοὺς, id est notiorum vulgo odarum, ad quarum tenorem cantari odæ subiectæ debent, initialia verba; qualia hic breuitatis caussa omisimus, quia soli cantus dirigendo apponuntur.* F

i *Totum Psalterium Dauidicum Græcis diuiditur in viginti καθίσματα, quæ sessiones liceret vertere, sic dictas quia psalmi à sedentibus canebantur. Octo igitur Psalmis unam cathisma constituentibus præmittitur cantus, qui similiter Cathisma græcis nominatur, nobis rectè dicitur Antiphona, iuxta Latinæ Ecclesiæ usum prorsus similem.*

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΕΦΡΑΙΜ

εἰς τὸν βίον

ΤΟΥ ΜΑΚ. ΑΒΡΑΜΙΟΥ

Ex MS. Vaticano num. 797 fol. 249.

PROLOGVS. *Excusat auctor suã tenuitatem*

I δελφοί, βούλομαι ὑμῖν διηγήσασθαι πολιτείαν καλὴν καὶ τελείαν ἀνδρὸς θαυμαστοῦ, ἥντινα ἀρξάμενος καὶ ἐπιτελέσας, ἐδοξάσθη. Δειλιῶ δὲ ἱστορῆσαι τὴν θαυμαστὴν καὶ φαιδρὰν μαρτυρίαν τῆς εἰκόνος τῆς θεοφιλοῦς ἀρετῆς αὐτοῦ· ἰδοὺ γὰρ ἡ μὲν πολιτεία καλὴ καὶ τελεία αὐτοῦ τοῦ ἀνδρός, ἐγὼ δὲ ἀσθενὴς καὶ ἰδιώτης. Καὶ εἰ μὲν εἰκὼν τῆς ἀρετῆς φαιδρὰ καὶ θαυμαστή, τὰ δὲ χρώματα συγγνὰ καὶ φοβερά· Ἀλλ' ὅμως, εἰ καὶ ἀσθενής τις καὶ ἰδιώτης,

AVCT. S. EPHRÆM.

A τῆς, πλὴν λέγω, εἰ καὶ ἐπαξίως μὴ καταλαμβάνων τὸ τέλειον, διηγοῦμαι, οἷός τέ εἰμι, μὴ ἐπαρκῶν φράσαι τὰ περὶ τοῦ δευτέρου Ἀβραὰμ τοῦ αὐτοῦ· ὅς τις ἐγένετο ἐν τοῖς χρόνοις ἡμῶν, καὶ ἐπολιτεύσατο πολιτείαν ἐπὶ τῆς γῆς ἀγγελικὴν καὶ οὐράνιον, ἐκτήσατο ὑπομονὴν ὡς ἀδάμας, καὶ κατηξιώθη τῆς ἐπουρανίου χάριτος. Ἐπειδὴ ἀπὸ νεότητος αὐτοῦ ἥγνισεν ἑαυτὸν ναὸν γενέσθαι τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ ἡτοίμασεν ἑαυτὸν σκεῦος ἅγιον, ἵνα ἐνοικήσῃ ὁ καλέσας Θεὸς ἐν αὐτῷ.

CAP. I Invitus sponsam admittit,

2 Οὗτος τοίνυν ὁ Μακάριος γονεῖς εἶχεν πλουσίους σφόδρα· ἠγάπων τε αὐτὸν ὑπὲρ μέτρον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, καὶ ἐμνηστεύσαντο αὐτῷ ἐκ παιδόθεν, προσδοκῶντες ἄγεσθαι ἐν ἀξιώματι. Ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν οὕτως· ἀπὸ δὲ νέας ἡλικίας ταῖς Ἐκκλησίαις ἐσχόλαζεν, καὶ τῶν θείων Γραφῶν ἡδέως ἤκουεν, καὶ εὐθύμως ἐμελέτα ἐν αὐταῖς. Οἱ δὲ γονεῖς ἠναγκάζοντο γάμῳ προσομιλῆσαι· αὐτὸς δὲ οὐχ οὕτως ἐβούλετο. Ἐνοχληθεὶς δὲ πλειστάκις ὑπ' αὐτῶν, ἀπὸ πολλῆς αἰδοῦς ἠνεσχέθη, καὶ γενομένων τῶν γάμων, τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ καθημένου αὐτοῦ ἐν τῷ παστῷ μετὰ τῆς νύμφης, αἰφνι-

B δίως, ὥσπερ τι φῶς, ἔλαμψεν ἡ χάρις εἰς τὴν καρδίαν αὐτοῦ. Ἀποπηδήσας δὲ οἴκου ἐξῆλθεν· τύπος δὲ ὁδηγοῦ ἐγένετο αὐτῷ τὸ φῶς ἐκεῖνο, ᾧ κατακολουθῶν ἐξῆλθεν τῆς πόλεως, καὶ ἀπὸ μιλίων δύο εὑρὼν κελλίον σχολάζον, εἰσελθὼν ᾤκησεν ἐν αὐτῷ, μετὰ χαρᾶς μεγάλης καὶ εὐφροσύνης καρδίας αὐτοῦ δοξάζων τὸν Θεόν.

atque deserta fugit ad quamdam cellam:

3 Ἔκστασις δὲ ἔλαβεν τοὺς γονεῖς αὐτοῦ σὺν τοῖς * γενήταις αὐτῶν περὶ τοῦ γεγονότος· καὶ ἐξελθόντες πανταχοῦ, ἐζήτουν τὸν Μακάριον· μετὰ δὲ ἡμέρας δεκαεπτὰ ηὗρον αὐτὸν ἐν τῷ κελλίῳ προσευχόμενον τῷ Θεῷ, καὶ ἰδόντες αὐτὸν ἐθαύμασαν. Ὁ δὲ Μακάριος εἶπεν πρὸς αὐτούς· Τί θαυμάζετε; δοξάσατε μᾶλλον τὸν Θεὸν, τὸν φιλάνθρωπον, τὸν ῥυσάμενόν με ἀπὸ τοῦ βορβόρου τῶν ἀνομιῶν μου, καὶ εὔξασθε περὶ ἐμοῦ, ἵνα ἕως τέλους βαστάσω τὸν ζυγὸν, ὃν ὁ Κύριος κατηξίωσέν με ὑπελθεῖν τὸν ἀνάξιον, πολιτευσάμενόν τε κατὰ τὸ εὐάρεστον αὐτοῦ θέλημα ποιῆσαι εἰς ἐμέ. Οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπον, Ἀμήν· παρεκάλεσέν τε αὐτοὺς, ἵνα μὴ συνεχῶς ὀχλοῦσιν αὐτῷ. Καὶ ἀναφράξας τὴν θύραν, ἔκλεισεν κατ' αὐτοῦ, ἐάσας θυρίδα μικρὰν μόνην, δι'

** MS. γνώ-[illegible].*

ubi inventus ab amicis rogat ne ultra sibi molesti sint,

C ἧς τὴν τροφὴν ἐδέχετο. Ἐφωτίσθη δὲ ἡ διάνοια αὐτοῦ ὑπὸ τῆς χάριτος, καὶ ἦν προκόπτων ἐν τῇ καλλίστῃ αὐτοῦ πολιτείᾳ, ἐγκράτειαν μεγάλην ἐκτήσατο, ἀγρυπνίαν τε καὶ κλαυθμὸν, ταπεινοφροσύνην καὶ ἀγάπην. Φήμη δὲ διέδραμεν περὶ αὐτοῦ πανταχοῦ, καὶ πάντες ἀκούσαντες ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν, θεάσασθαι αὐτὸν ἅμα καὶ ὠφεληθῆναι. Ἐδόθη γὰρ αὐτῷ λόγος σοφίας καὶ συνέσεως, καὶ ἦν περὶ αὐτοῦ ἀκοή τε καὶ φήμη, καθάπερ φωστὴρ φωτεινὸς σὺν τοῖς γονεῦσιν αὐτοῦ.

& vitam perfecte instituit.

4 Ἐτελεύτησαν γοῦν οἱ γονεῖς αὐτοῦ μετὰ ἔτη δέκα τοῦ αὐτὸν ἀποτάξασθαι, ἀφέντες αὐτῷ χρήματα καὶ χρυσίον πολύν. Ὁ δὲ παρεκάλεσεν τινα γνήσιον αὐτοῦ φίλον, ἐπὶ τῷ διαδοῦναι αὐτὰ πτωχοῖς τε καὶ ὀρφανοῖς, πρὸς τὸ μὴ ἐμποδισθῆναι αὐτὸν ἀπὸ τῶν προσευχῶν. Καὶ οὕτως ποιήσας, ἔμεινεν ἀμέριμνος. Αὕτη γὰρ ἦν ἡ σπουδὴ τῷ Μακαρίῳ, ὅπως μὴ δεσμευθῇ ἡ διάνοια αὐτοῦ ἔν τινι γηΐνῳ πράγματι. Καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ γῆς οὐδὲν ἐκτήσατο, πλὴν σαγίου ἑνὸς, καὶ τριχίνου, ὁμοίως ἅπερ ἐφόρει, καὶ καυκίον δὲ ἓν ἐκέκτητο, ἐν ᾧ ἐγεύετο. Μετὰ δὲ πάντων τούτων ἐκτήσατο ταπεινοφροσύνην ὑπέρμετρον, καὶ ἀγάπην ὁμότιμον πρὸς πάντας. Οὐ προετίμησεν πλούσιον πτωχοῦ, οὔτε μὴν ἄρχοντα

Parentibus mortuis, hereditatem suam in pauperes dispertit

ἀρχομένου, ἀλλὰ πάντας ὁμοίως ἐτίμα. Οὐκ ἔλαβεν D πρόσωπον ἀνθρώπου, οὔτε ἐπετίμησέν τινι ἰταμῶς· ἀλλ' ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ ἅλατι ἠρτυμένος, μετὰ ἀγάπης καὶ πραΰτητος. Τίς γὰρ ἀκούων τῆς καλλίστης αὐτοῦ ἀποκρίσεως, ἐκορέννυτό ποτε τῆς ἐκ τοῦ λόγου αὐτοῦ γλυκύτητος; ἢ τίς θεωρῶν τὸ τίμιον αὐτοῦ, καὶ ἀγγελοειδῆ πρόσωπόν ποτε ἐνεπίμπλατο;

spiritu pauper.

5 Εἰς πάντα δὲ τὸν χρόνον αὐτοῦ οὐκ ἤλλαξεν τὸν κανόνα, ἐπὶ πεντήκοντα χρόνους ἀσκήσας μετὰ πάσης προθυμίας. Διὰ δὲ τὴν ἄπειρον προθυμίαν, καὶ τὴν ἀγάπην, ἣν εἶχεν πρὸς τὸν Χριστὸν, ὥσπερ ὀλίγαι ἡμέραι ἐλογίσθησαν αὐτῷ ἅπας ὁ χρόνος, καὶ ἀκόρεστος αὐτῷ ἐφάνη πᾶσα ἡ πολιτεία τῆς ἀσκήσεως. Ἦν δὲ ἐν τῇ περιοχῇ τῇ ὑπὸ τὴν πόλιν χωρίον μέγα σφόδρα, ἐν ᾧ ὑπῆρχον πάντες Ἕλληνες, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου αὐτῶν. Οὐδεὶς δὲ ἴσχυσεν αὐτοὺς ἐπιστρέψαι ἀπὸ τῆς εἰδολομανίας· ἀνεχώρουν τε πάντες ἄπρακτοι, μὴ δυνάμενοι ὑπενεγκεῖν τὴν θλίψιν τοῦ ὑπ' αὐτῶν ἐπερχομένου διωγμοῦ· καὶ μοναχῶν δὲ πλῆθος καὶ ἅπαξ καὶ δὶς ἐπέρριψαν αὐτοῖς, μηδὲν ἀνύσαντες πλέον εἰς τὴν τούτων ἐπιστροφήν.

& in proposito constans.

obstinatis paganis convertendis,

E

6 Μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν καθεζομένου τοῦ Ἐπισκόπου, παρόντος τοῦ Κλήρου, εἶπεν πρὸς αὐτοὺς τοῦ Μακαρίου μνησθεὶς ὁ Ἐπίσκοπος, Οὐκ ἔγνων ἐγὼ ἐν τοῖς χρόνοις μου τοιοῦτον ἄνδρα, τετελειωμένον εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, κεκοσμημένον ἐν πᾶσιν οἷσπερ ἀγαπᾷ ὁ Θεὸς, ὡς τὸν Κύριον Ἀβράμιον. Ἀπεκρίθησαν οἱ Κληρικοὶ, καὶ εἶπον αὐτῷ· Ὄντως δοῦλος τοῦ Θεοῦ ἐστιν, καὶ τέλειος ἀσκητής. Ἔφη δὲ πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἐπίσκοπος· Βούλομαι χειροτονῆσαι αὐτὸν εἰς τὸ τῶν Ἑλλήνων χωρίον· διὰ γὰρ τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ καὶ ἀγάπης δυνήσεται αὐτοὺς ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν Θεόν. Καὶ ἀναστὰς παραχρῆμα σὺν τῷ Κλήρῳ παραγίνεται πρὸς αὐτόν. Ἐλθόντων δὲ καὶ ἀσπασαμένων αὐτὸν, ἤρξατο πρὸς αὐτὸν ὁ Ἐπίσκοπος περὶ τῆς κώμης λέγειν καὶ παρακαλεῖν αὐτὸν, ὅπως ἀπέλθῃ ἐκεῖ. Ὁ δὲ ἀκούσας, περίλυπος ἐγένετο σφόδρα, καί φησιν πρὸς τὸν Ἐπίσκοπον· Συγχώρησόν μοι, Πάτερ, κλαῦσαι τὰς ἀνομίας μου· ἐγὼ γὰρ εὐτελὴς καὶ ἀσθενὴς τῷ πράγματι ὑπάρχω.

idoneus censet Episcopus,

præ humilitate recusantem

7 Καὶ πάλιν πρὸς αὐτὸν ὁ Ἐπίσκοπος, Διὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ δυνατὸς εἶ, καὶ μὴ ὀκνήσῃς ταύτην τὴν ὑπακοὴν ποιῆσαι. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Μακάριος ἔφη· Ἐλέησον τὴν ἐμὴν εὐτέλειαν, παρακαλῶ τὴν σὴν ὁσιότητα, ὅπως πενθήσω τὰ ἐμαυτοῦ κακά. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Ἐπίσκοπος, Ἰδοὺ τὰ πάντα ἐγκατέλιπες, τὸν κόσμον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα ἐμίσησας, καὶ ἑαυτὸν ἐσταύρωσας· ἀλλ' ὅμως ταῦτα κατορθώσας, ὑπακοὴν οὐκ ἔχεις. Ἀκούσας δὲ ταῦτα, ἐδάκρυσεν καὶ εἶπεν· Τίς εἰμι ἐγὼ, ὁ κύων ὁ τεθνηκώς; Καὶ τίς ἡ ζωή μου, ὅτι τοιαῦτα ἐλογίσω περὶ ἐμοῦ; Ἔφη δὲ αὐτῷ ὁ Ἐπίσκοπος· Ἰδοὺ ὧδε καθήμενος, ἑαυτὸν μόνον σώζεις· ἐκεῖ δὲ, διὰ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, πολλοὺς ἔχεις σῶσαι, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν Θεόν. Λόγισαι οὖν παρ' ἑαυτῷ, ποῖος μισθὸς πλείων, οὗτος ἢ ἐκεῖνος; τὸ σῶσαι ἑαυτὸν μόνον, ἢ τὸ μεθ' ἑαυτοῦ καὶ πολλοὺς ἑτέρους; Ὁ δὲ Μακάριος κλαίων εἶπεν· Τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ γενέσθω, πλὴν διὰ τὴν ὑπακοὴν ἐγὼ ἀπέρχομαι. Καὶ ἐξαγαγόντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ κελλίου, ἤγαγον εἰς τὴν πόλιν, καὶ χειροτονήσας αὐτὸν προέπεμψεν μετὰ χαρᾶς σὺν τῷ Κλήρῳ·

ex obedientia cogit F

Presbyteratum admittere.

8 Ὁ δὲ Μακάριος ηὔχετο ἐν τῇ ὁδῷ πρὸς τὸν Θεὸν λέγων· Φιλάνθρωπε, ἀγαθέ, ἴδε τὴν ἀσθε-

νειάν

A νειάν μου, καὶ πέμπων τὴν χάριν σου εἰς τὴν βοήθειάν μου ἵνα δοξασθῇ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον. Καὶ ἐλθὼν εἰς τὸ χωρίον, ἴδεν αὐτοὺς κατεχομένους τῇ μανίᾳ τῆς εἰδωλολατρείας, καὶ στενάξας ἔκλαυσεν· ἐπάρας τε τὰ ὄμματα αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπεν· Ὁ μόνος ἀναμάρτητος, ὁ μόνος εὔσπλαγχνος, ὁ μόνος φιλάνθρωπος, μὴ ὑπερίδης τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου. Καὶ σπουδάσας ἔπεμψεν εἰς τὴν πόλιν πρὸς τὸν γνήσιον αὐτοῦ φίλον, ἵνα τὰ καταλειφθέντα τῶν χρημάτων ἀποστείλῃ πρὸς αὐτόν· καὶ ταῦτα δεξάμενος, εἰς ὀλίγας ἡμέρας ᾠκοδόμησεν ἐκκλησίαν, καὶ ἀνήνεγκεν ἐν αὐτῇ εὐχὴν τῷ Θεῷ, μετὰ πολλῶν δακρύων παρακαλῶν καὶ λέγων. Κύριε, ἐπισυνάξον τὸν λαόν σου τὸν ἐσκορπισμένον, καὶ εἰσάγαγε αὐτὸν εἰς τὸν ναόν σου τοῦτον, καὶ φώτισον τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας αὐτῶν τοῦ γινώσκειν σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Καὶ πληρώσας τὴν εὐχὴν, ἐξῆλθεν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ ἐπιλαβόμενος κατέστρεψεν τὰ βδελύγματα, καὶ τοὺς βωμοὺς αὐτῶν κατέσπασεν. Οἱ δὲ θεασάμενοι τὸ γεγονὸς, ὥσπερ θῆρες ἄγριοι ὥρμησαν B ἐπ' αὐτὸν, καὶ μετὰ μαστίγων ἐδίωξαν αὐτὸν τῆς κώμης.

profectus ad vicum paganorum, Ibi ecclesiã construit, Idola evertit,

9 Αὐτὸς δὲ ὑποστρέψας ἦλθεν ἐν αὐτῇ· καὶ ἀπελθὼν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, μετὰ κλαυθμοῦ καὶ ὀδυρμῶν παρεκάλει τὸν Θεὸν ὑπὲρ αὐτῶν, ἵνα σωθῶσιν· Πρωΐας δὲ γενομένης, ἐλθόντες ηὗρον αὐτὸν ἐκεῖ εὐχόμενον, καὶ ἐξέστησαν ἐννεοὶ γενάμενοι. Ἤρχοντο δὲ καθημέραν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν οὐχὶ προσεύχεσθαι, ἀλλὰ θεάσασθαι τὰ κάλλη τῆς οἰκοδομῆς, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῆς κόσμον. Ἤρξατο δὲ αὐτοὺς παρακαλεῖν ἐπιγνῶναι τὸν ἀληθινὸν Θεόν· αὐτοὶ δὲ μετὰ βάκλων ὥσπερ λίθον ἄψυχον ἐτύπτησαν αὐτὸν, νομίσαντες αὐτὸν τεθνηκέναι. Ἀφῆκαν οὖν αὐτὸν σχεδὸν ἡμιθανῆ, καὶ ἀνεχώρησαν.

casus fugatusq; venientibus ad se paganis fidẽ suadet.

10 Μεσονυκτίου οὖν γενομένου, ἦλθεν εἰς ἑαυτὸν, καὶ στενάξας ἔκλαυσεν σφοδρῶς, καὶ εἶπεν· Ἵνα τί Δέσποτα, ὑπερεῖδες τὴν ταπείνωσίν μου; καὶ ἵνα τί τὸ πρόσωπόν σου ἀποστρέφεις ἀπ' ἐμοῦ; Καὶ ἵνα τί ἀπωθῇς τὴν ψυχήν μου, καὶ παροράς τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου; Καὶ νῦν, Δέσποτα φιλάνθρωπε, ἐπίβλεψον ἐπὶ τοὺς δούλους σου, καὶ δὸς αὐτοῖς τὸ γινώσκειν σε, ὅτι οὐκ ἔστιν πλήν σου Θεός. Καὶ ἀναστὰς μετὰ τὴν εὐχὴν, εἰσῆλθεν εἰς τὴν κώμην, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἔψαλλεν C ἔσω. Γενομένης δὲ ἡμέρας, ἐλθόντες πάλιν, ἴδον αὐτὸν, καὶ ἔκθαμβοι ἐγένοντο, εἰς μανίαν τραπέντες οἱ ὠμοὶ καὶ ἄσπλαγχνοι, καὶ μὴ ἔχοντες οἰκτιρμοὺς, ἐβασάνισαν αὐτὸν ἀνιλέως· καὶ περιθέντες αὐτῷ πάλιν σχοινία, ἔσυραν αὐτὸν καθὰ καὶ πρώην.

ab iis pro mortuo relictus, Deum orat pro eis, iterumq; raptatur.

11 Ταῦτα δὲ πάσχων ὁ ἀδάμας, ἕως τριετοῦς χρόνου, ὑπέμεινεν ἐν ταύταις ταῖς μεγάλαις θλίψεσιν καὶ ἀνάγκαις, τυπτόμενος, ὑβριζόμενος, συρόμενος, θλιβόμενος, πεινῶν τε καὶ διψῶν· ἐπὶ δὲ πᾶσιν τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῷ, οὐκ ἀπεστράφη αὐτοὺς, οὐκ ἠγανάκτησεν, ἀλλ' ὑπομένων μᾶλλον ἐπλεόνασεν τὴν εἰς αὐτοὺς ἀγάπην· Καὶ ὥσπερ πυρκαϊὰ τῇ ἐπιεικίᾳ κατέσβεσεν τὴν ὀργὴν αὐτῶν, παρακαλῶν, νουθετῶν, κολακεύων· καὶ τοὺς μὲν πρεσβύτας ὡς πατέρας παρεκάλει, τοὺς δὲ νεωτέρους ὡς ἀδελφοὺς, τοὺς παῖδας ὥσπερ τέκνα, ἐκμυκτηριζόμενος ὑπ' αὐτῶν.

CAP. II toto triennio inter immanes persecutiones acto, eius caritate & patientiâ invictâ,

12 Μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν συναχθέντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ οἱ τῆς κώμης ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, θαυμάζοντες πρὸς ἀλλήλους ἤρξαντο λέγειν. Ἴδετε ἀνδρὸς ὑπομονὴν, καὶ τὴν ἄφατον αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς φιλοστοργίαν· ὅπως ἐν ταῖς τοσαύταις θλίψεσιν καὶ τοῖς κακοῖς, οἷς ἐνεδειξάμεθα αὐτῷ, οὐκ ἀπέστη ἐντεῦθεν, οὐδέ τινι ἡμῶν εἶπεν λόγον κακὸν, οὐδὲ ἀπεστράφη ἡμᾶς, ἀλλὰ μετὰ χαρᾶς μεγάλης ὑπήνεγκε ταῦτα πάντα. D Εἰ μὴ ἦν Θεὸς ζῶν μετ' αὐτοῦ, καθὼς λέγει, καὶ βασιλεία καὶ παράδεισος, ἐκδίκησίς τε καὶ ἀνταπόδοσις, οὐκ ἂν ταῦτα ἁπλῶς ὑπέμεινεν παρ' ἡμῶν. Ἀλλὰ καὶ τοὺς θεοὺς ἅπαντας μόνος συνέτριψεν, καὶ οὐκ ἴσχυσαν αὐτὸν ἀδικῆσαι. Ἀληθῶς δοῦλος Θεοῦ οὗτός ἐστιν, καὶ πάντα τὰ ὑπ' αὐτοῦ εἰρημένα, θεῖα ὑπάρχει καὶ ἀληθῆ εἰσιν. Δεῦτε οὖν, πιστεύσωμεν εἰς τὸν ὑπ' αὐτοῦ κηρυττόμενον Θεόν. Καὶ ταῦτα εἰπόντες, ὁμοθυμαδὸν ἅπαντες ὥρμησαν πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, κράζοντες καὶ λέγοντες, Δόξα τῷ ἐπουρανίῳ Θεῷ, τῷ πέμψαντι τὸν δοῦλον αὐτοῦ, ἵνα ῥυσάμενος ἐκ πλάνης σώσῃ ἡμᾶς.

moti Pagani

AVCT. S. EPHRÆM. fidei Christianæ veritatem agnoscunt.

13 Ὁ δὲ Μακάριος θεασάμενος αὐτοὺς, ἐχάρη χαρὰν μεγάλην, καὶ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐγένετο εὐθαλὲς ὡς καλλίχροον ἄνθος· ἀνοίξας δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ, ἔφη πρὸς αὐτούς· Πατέρες καὶ ἀδελφοὶ καὶ τέκνα, εὐλογημένοι ὑμεῖς εἰσελθόντες ἐν ὀνόματι Κυρίου· E δεῦτε συμφώνως δῶμεν δόξαν τῷ Θεῷ, τῷ φωτίσαντι τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν, τοῦ γνῶναι αὐτὸν, καὶ λαβεῖν τὴν σφραγῖδα τῆς ζωῆς, ἵνα καθαρισθῆτε ἀπὸ τῆς τῶν εἰδώλων ἀκαθαρσίας, καὶ πιστεύσητε ἐξ ὅλης καρδίας, ὅτι ἐστὶν Θεὸς ποιητὴς οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, καὶ πάντων τῶν ὄντων ἐν αὐτοῖς, ἄναρχος, ἀκατάληπτος, ἀνεκδιήγητος, ἀχώρητος, ἀναλλοίωτος, ἀτελεύτητος, φωτοδότης, φιλάνθρωπος, μέγας καὶ θαυμαστὸς, φοβερός τε καὶ κραταιὸς, χρηστός τε, καὶ ἀγαθός· καὶ εἰς τὸν Υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, ὅστις ἐστὶν δύναμις τοῦ Πατρὸς, καὶ σοφία, καὶ τῆς δόξης αὐτοῦ ἀπαύγασμα, δι' οὗ καὶ τὰ πάντα ἐγένετο· καὶ εἰς τὸ ἅγιον αὐτοῦ Πνεῦμα, τὸ ὁμοούσιον, καὶ συμβασιλεῦον εἰς ἀπεράντους καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας, τὸ ζωοποιοῦν τὰ πάντα, καὶ πιστεύσαντες τύχητε τῆς αἰωνίου ζωῆς. Ἀποκριθέντες δὲ πάντες εἶπον, Ναὶ, Πάτερ ἡμῶν, ναὶ ὁδηγὲ τῆς ζωῆς ἡμῶν, οὕτως ἔσται καθὼς λέγεις, καὶ διδάσκεις ἡμᾶς, οὕτως πιστεύομεν, καὶ οὕτως δοξάζομεν. Καὶ παραχρῆμα ἐπιλαβόμενος ὁ Μακάριος ἐβάπτισεν αὐτοὺς, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου αὐτῶν, ἕως χιλίων ψυχῶν.

& à Sancto instructi baptizantur ad mille animæ:

14 Καθεκάστην τε ἡμέραν οὐ παρέλειπεν ἀναγινώσκων καὶ λέγων αὐτοῖς τὰ περὶ τῆς πίστεως καὶ δικαιοσύνης, τὰ περὶ τῆς ἀναστάσεως νεκρῶν καὶ φοβερᾶς κρίσεως. F Ὥσπερ δὲ γῆ καλὴ καὶ εὐφιλόπονος, δεχομένη σπόρον καλὸν δίδωσι καρπὸν, ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα· οὕτως καὶ οὗτοι μεγάλῃ προθυμίᾳ ἐδέχοντο τοὺς λόγους αὐτοῦ, ἡδέως ἀκούοντες τῆς διδασκαλίας. Καὶ ὥσπερ Ἄγγελος Θεοῦ ἦν ἐνώπιον αὐτῶν· καὶ ὡς θέσις ἀσφαλὴς καλλίστης οἰκοδομῆς, οὕτως τῇ ἀγάπῃ καὶ τῷ πόθῳ πᾶσα ψυχὴ συνεδέθη πρὸς αὐτὸν, καὶ ἡ διάνοια αὐτῶν ἐφωτίσθη τῇ παρακλήσει τῆς πίστεως καὶ τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ. Ἐνιαυτὸν δὲ ὅλον ἐποίησεν σὺν αὐτοῖς ὁ Μακάριος μετὰ τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς, διδάσκων αὐτοὺς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἀπαραλείπτως ἡμέρας καὶ νυκτός.

quibus plenius instruendis

15 Λοιπὸν δὲ θεασάμενος τὴν περὶ τὸν Θεὸν σπουδὴν αὐτῶν, καὶ τὴν στερρότητα τῆς πίστεως, τήν τε πρὸς αὐτὸν ἀγάπην καὶ σπουδὴν, καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν· καὶ φοβηθεὶς μὴ ἀναγκασθῇ ὑπ' αὐτῶν καταλῦσαι τὸν κανόνα τῆς ἀσκήσεως αὐτοῦ, καὶ μή ἔν τινι τρόπῳ δεσμευθῇ ἡ διάνοια αὐτοῦ εἰς τὴν μέριμναν τῶν γηΐνων πραγμάτων, ἀναστὰς νυκτὸς ηὔξατο τῷ Θεῷ λέγων· Ὁ μόνος

cum unum annum impendisset Sanctus,

AVCT. S. EPHRÆM.

A νος ἀναμάρτητος, ὁ μόνος ἅγιος, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, ὁ μόνος εὔσπλαγχνος καὶ φιλάνθρωπος Δεσπότης· ὁ ἐκ σκότους ἀνακαλεσάμενος τὸν λαόν σου τοῦτον, καὶ καθιδρύσας εἰς τὸ θαυμαστὸν σου φῶς τῆς γνώσεως, Δέσποτα· ὁ λύσας αὐτοὺς ἐκ τῶν δεσμῶν τοῦ ἀντικειμένου, ὁ ἐπιστρέψας αὐτοὺς ἐκ τῆς πλάνης, ὁ δοὺς αὐτοῖς τὴν εἰς σὲ πίστιν· μέχρι τέλους διαφύλαξον αὐτούς, Κύριε, καὶ ἀντιλαβοῦ ταύτης σου τῆς ποίμνης, ἣν ἐκτήσω διὰ τὴν σὴν φιλανθρωπίαν, καὶ περιτείχισον αὐτοὺς τῇ παντοδυνάμῳ σου χάριτι, καὶ φώτισον διὰ παντὸς τὰς καρδίας αὐτῶν, ἵνα τὰ εὐάρεστά σοι ἐπιτελοῦντες, καταξιωθῶσι τῆς αἰωνίου ζωῆς· καὶ ἐμοῦ δὲ τοῦ ἀσθενοῦς ἀντιλαβοῦ, καὶ μὴ λογισθῇ ἡμῖν κρίμα τοῦτο τὸ πρᾶγμα, ὅτι σε ποθῶ, καί σε καταδιώκω. Καὶ ἐπιτελέσας τὴν εὐχήν, προσελθὼν κατεσφράγισεν τὴν κώμην τῷ σημείῳ τοῦ σταυροῦ τρίτον, καὶ ἀνεχώρησεν λαθραίως εἰς ἕτερον τόπον, καὶ ἐκρύβη ἀπ᾽ αὐτῶν.

pro iis Deu precatus, *clam recedit:*

16 Πρωΐας δὲ γενομένης, κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῶν ἦλθον καὶ ἐζήτουν αὐτόν, καὶ μὴ εὑρόντες ἐξέστησαν· ὡς γὰρ πρόβατα πεπλανημένα περιερχόμενοι ἐζήτουν τὸν ἑαυτῶν ποιμένα, καὶ μετὰ φόβου καὶ κλαυθμοῦ B ἐκάλουν τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Ὡς δὲ πανταχοῦ ζητήσαντες οὐχ ηὗρον αὐτόν, σφόδρα ἐλυπήθησαν, καὶ παραχρῆμα εἰσελθόντες πρὸς τὸν Ἐπίσκοπον, ἀπήγγειλαν τὸ συμβεβηκός. Ὁ δὲ ἀκούσας καὶ γενόμενος περίλυπος, μετὰ σπουδῆς ἔπεμψεν ἀναζητῆσαι τὸν Μακάριον, μάλιστα διὰ τὰ δάκρυα καὶ τὴν παράκλησιν τοῦ ποιμνίου αὐτοῦ. Ὥσπερ δὲ λίθος τίμιος πανταχοῦ ζητούμενος καὶ μὴ εὑρισκόμενος, τῶν τε ἐπ᾽ αὐτῶν ἀποσταλέντων ἀπράκτων ἀναστραφέντων, ὁ Ἐπίσκοπος σὺν παντὶ τῷ κλήρῳ παραγενόμενος ἐπὶ τὴν κώμην, παρεκάλεσεν αὐτοὺς διὰ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς· καὶ ἐξ αὐτῶν καθιστᾷ Πρεσβυτέρους, καὶ Διακόνους, καὶ Ἀναγνώστας, πάντες γὰρ ἐστηριγμένοι ἦσαν ἐν τῇ πίστει καὶ ἀγάπῃ τοῦ Χριστοῦ.

in cuius frustra quæsiti locum *Episcopus clerum ordinat.*

17 Ἀκούσας δὲ ὁ Μακάριος τὴν προσαγωγὴν τοῦ κλήρου, καὶ τὴν κατάστασιν ἐχάρη σφόδρα, καὶ δοξάσας τὸν Θεὸν εἶπεν· Τί ἀνταποδώσω σοι, Δέσποτά μου ἀγαθέ, περὶ πάντων, ὧν ἀνταπέδωκάς μοι; Προσκυνῶ καὶ δοξάζω σου τὴν σωτήριον οἰκονομίαν. Καὶ οὕτως ἐπευξάμενος καὶ ἀγαλλιῶν, παραγίνεται εἰς τὴν προτέραν αὐτοῦ κέλλαν. Ἐποίησεν δὲ κελλίον μικρὸν ἐξώτερον τοῦ πρώτου, καὶ ἑαυτὸν ἐνέκλεισεν εἰς τὸ ἐσώτε- C ρον μετὰ χαρᾶς μεγάλης καὶ εὐφροσύνης τῆς καρδίας αὐτοῦ, ἀναφράξας τὴν θύραν. Ἀκούσαντες δὲ οἱ τῆς κώμης παραγενόμενοι πρὸς τὸν μακάριον Ἀβράμιον ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην, εὑρόντες αὐτὸν ὡς ἀληθῶς ὁδηγὸν τῆς ζωῆς, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτόν, ὡς πρὸς πατέρα, διδασκόμενοι καὶ φωτιζόμενοι. Καὶ τῇ ὑπὲρ λόγον αὐτοῦ πολιτείᾳ μεγίστην χάριν ὡμολόγουν, τὸ ὁρᾶν αὐτὸν καὶ ἀκούειν λόγους σωτηρίας παρ᾽ αὐτοῦ. Ὢ τοῦ θαύματος, ἀγαπητοί! Ὄντως πλήρης ἐπαίνου καὶ δόξης ὁ τοιοῦτος. Ἐν γὰρ τοσαύταις θλίψεσιν, ἃς ἴδεν ἐν τῇ κώμῃ, οὐκ ἤλλαξεν τὸν κανόνα τῆς ἀσκήσεως αὐτοῦ, οὔτε ἐξέκλινεν ἀπ᾽ αὐτῆς ἐπὶ δεξιὰ ἢ ἀριστερά. Δόξα καὶ μεγαλοπρέπεια Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν, τῷ δόντι αὐτῷ τὴν τηλικαύτην ὑπομονήν.

Abrahamius sua cella redditus *magnæ ædificationi omnibus est.*

CAP. III Irritatur Abramij constantiâ dæmon *MS. ἐμβαλεῖν*

18 Ἰδὼν τοίνυν ὁ σατανᾶς, ὁ ἀπ᾽ ἀρχῆς μισόκαλος καὶ μισάνθρωπος, ὅτι ἐν τηλικαύταις θλίψεσιν, αἷς ἐπήγειρεν αὐτῷ ἐν τῇ κώμῃ, οὐκ ἴσχυσεν αὐτὸν ἀποδιῶξαι, οὐ δὲ εἰς ῥαθυμίαν ἐμβαλεῖν, οὔτε τὴν διάνοιαν αὐτοῦ ἀποστῆσαι τοῦ σκοποῦ· ἀλλ᾽ ὡς χρυσὸς ἐν χωνευτηρίῳ ὑπερβαλλόντως μᾶλλον ἐλαμπρύνθη, καὶ ἐδοξάσθη, καὶ εἰς πλειόνων ὑπογραμμὸς σωτηρίας, ἐν ὑπομονῇ καὶ τῇ πρὸς Χριστὸν ἀγάπῃ, πολλῇ τῇ προθυμίᾳ προέκοπτεν· ἐπικράνθη σφόδρα ὁ μισόκαλος κατὰ τοῦ μακαρίου Ἀβραμίου, καὶ παραγίνεται μετὰ πολλῆς φαντασίας πρὸς αὐτόν, νομίσας ἀπατῆσαι αὐτόν. Ὡς δὲ εἱστήκει ψάλλων ἐν τῷ μεσονυκτίῳ, αἰφνιδίως φῶς ἔλαμψεν, καὶ φωνὴ ὡς ὑπὸ πλήθους λέγουσα, Μακάριος εἶ Κύριε Ἀβράμιε, ὄντως μακάριος εἶ, ὅτι οὐδεὶς ηὑρέθη καθὼς σὺ εἰς πάντα τὰ κατορθώματά σου, καὶ οὐδεὶς ἐποίησεν πάντα τὰ θελήματά μου ὡς σύ· διὰ τοῦτο Μακάριος εἶ. D

de vana gloria eum sollicitat,

19 Εὐθέως δὲ ἔγνω ὁ Μακάριος τὸν δόλον τοῦ πονηροῦ, καὶ ὑψώσας τὴν φωνὴν αὐτοῦ εἶπεν· Τὸ σκότος σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, πλήρης γὰρ εἶ δόλου, καὶ ἀπάτης· ἐγὼ γὰρ ἄνθρωπός εἰμι ἁμαρτωλός. Ἔχων γὰρ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ μου, καὶ τὴν εἰς αὐτὸν ἐλπίδα, καὶ βοήθειαν, οὐ φοβοῦμαί σε, οὐδὲ πτοοῦσίν με αἱ πολλαί σου φαντασίαι. Τεῖχος γὰρ ὀχυρόν μοί ἐστιν τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου μου καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν ἠγάπησα, καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἐπιτιμῶ σοι, κύων ἀκάθαρτε καὶ τρισάθλιε. Καὶ εἰπόντος αὐτοῦ ταῦτα, παραχρῆμα ὥσπερ καπνὸς ἀφανὴς ἐγένετο. Ὁ δὲ Μακάριος μετὰ προθυμίας πολλῆς ἀταράχως ηὐλόγει τὸν Θεόν, ὡς μηδὲ ἰδὼν τινα φαντασίαν. E

fortiter reiectus

20 Πάλιν δὲ μεθ᾽ ἡμέρας ὀλίγας, εὐχομένου τοῦ Μακαρίου νυκτός, ὁ σατανᾶς ἀξίνην κρατῶν, ἤρξατο καταστρέφειν τὴν κέλλαν αὐτοῦ, καὶ τὸ δοκεῖν τρυπήσας αὐτήν, ἔκραζεν φωνῇ μεγάλῃ λέγων· Σπουδάσατε, ὦ φίλοι μου, σπουδάσατε, καὶ εἰσελθόντες τάχιον ἀποπνίξατε αὐτόν. Εἶπε, δὲ ὁ Μακάριος πρὸς αὐτόν· Πάντα τὰ ἔθνη ἐκύκλωσάν με, καὶ τῷ ὀνόματι Κυρίου ἠμυνάμην αὐτούς. Εὐθέως δὲ ἄφαντος ἐγένετο, καὶ ἦν τὸ κελλίον ὁλόκληρον. Καὶ πάλιν μεθ᾽ ἡμέρας ὀλίγας ψάλλων τὸ μεσονύκτιον, ὁρᾷ τὸ ψιάθιον αὐτοῦ, ἐν ᾧ ἑστὼς ἔψαλλεν, καιόμενον σφοδρῶς, καὶ πατήσας τὴν φλόγα εἶπεν· Ἐπὶ ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσομαι, καὶ καταπατήσω λέοντα καὶ δράκοντα, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ βοηθοῦντός μοι. Φεύγων δὲ ἔκραζεν ὁ σατανᾶς καὶ εἶπεν· Ἐγώ σε νικήσω κακότροπε· εὗρον τέχνην πρὸς τὴν καταφρόνησίν σου.

minatur cellam excindere; *aliàs ei ignis speciem obiicit,*

21 Μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν, ὡς ἐγεύετο κατὰ τὸ εἰωθὸς ὁ Μακάριος, ἐπεισῆλθεν εἰς τὴν κέλλαν αὐτοῦ ὁ ἐχθρὸς εἰς τύπον νεανίσκου, καὶ ἤγγισεν στρέψαι τὸ καυκίον αὐτοῦ. Αὐτὸς δὲ γνούς, κατεῖχεν αὐτὸ καὶ ἐγεύετο, μηδόλως φροντίσας αὐτοῦ. Ὁ δὲ ἀναπηδήσας, παρέστη αὐτῷ, καὶ στήσας λυχνίαν καὶ λύχνον ἐπ᾽ αὐτῆς καιόμενον, ἤρξατο ψάλλειν μεγάλῃ τῇ φωνῇ, καὶ λέγειν· Μακάριοι οἱ ἄμωμοι ἐν ὁδῷ, οἱ πορευόμενοι ἐν νόμῳ Κυρίου. Ὡς δὲ εἶπεν ἀπὸ τοῦ ψαλμοῦ πλείονα ῥήματα, ὁ Μακάριος οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῷ, ἕως οὗ ἐγεύσατο. Μετὰ δὲ τὸ γεύσασθαι αὐτόν, κατεσφραγίσατο καὶ εἶπεν πρὸς αὐτόν· Κύων ἀκάθαρτε καὶ τρισάθλιε, ἀναίσθητε, καὶ δειλέ, εἰ οἶδας ὅτι μακάριοί εἰσιν, ἵνα τί ἐνοχλεῖς αὐτούς; Καὶ γὰρ ὄντως μακάριοί εἰσιν πάντες, οἱ ἀγαπῶντες τὸν Θεὸν ἐξ ὅλης καρδίας αὐτῶν. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ διάβολος, εἶπεν αὐτῷ· Ἵνα νικήσω, καὶ ἐμποδίσω αὐτοὺς ἀπὸ παντὸς ἔργου ἀγαθοῦ. Ἔφη δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ Μακάριος· Μή σοι καλῶς, ἐπικατάρατε, ἵνα σύ τινα τῶν φοβουμένων τὸν Θεὸν ἐμποδίσῃς· νικᾷς δὲ τοὺς ὁμοίους σου, τοὺς ἀποστάντας ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἰδίᾳ προαιρέσει, τούτους νικᾷς καὶ πλανᾷς

& cibum sumenti molestus, F *etiam psallere aggreditur:* *redarguitur, & cum contemptu euanescit.*

A πλανᾶς, ὅτι ὁ Θεὸς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς· ἀπὸ δὲ τῶν ἀγαπώντων τὸν Θεόν, οὕτως ἐκλίπῃς ὥσπερ καπνὸς ὑπὸ ἀνέμου· μία γὰρ εὐχὴ αὐτῶν μετὰ δακρύων οὕτως σε διώκει, καθὼς διώκεται χοῦς ὑπὸ λαίλαπος. Ζῇ δὲ ὁ Θεός μου, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, τὸ καύχημά μου, οὐ φοβοῦμαί σε ἐὰν ζῇς ὅλον τὸν χρόνον σου, οὔτε προσποιοῦμαί σε, κύων ἀκάθαρτε· καταφρονῶ δέ σου οὕτως, ὡς ἐάν τις καταφρονήσῃ σκυλίου ἑνὸς συντετριμμένου. Ταῦτα δὲ τοῦ Μακαρίου εἰπόντος, εὐθέως ἐκεῖνος ἄφαντος ἐγένετο.

nouas minas intentat

22 Καὶ πάλιν μεθ' ἡμέρας ὡς ἐτέλει τὴν ψαλμῳδίαν, παραγίνεται ὁ ἐχθρὸς μετὰ φαντασίας ὄχλου, καὶ τὸ δοκεῖν βάλλουσιν εἰς τὴν κέλλαν σχοινία, καὶ σύροντες ἔκραζον πρὸς ἀλλήλους, λέγοντες· Ῥίψατε αὐτὸν εἰς τὸν βόθρον. Περιβλεψάμενος δὲ αὐτοὺς ὁ Μακάριος εἶπεν· Ἐκύκλωσάν με, ὡς αἱ μέλισσαι κηρίον, καὶ ἐξεκαύθησαν ὡς πῦρ ἐν ἀκάνθαις· καὶ τῷ ὀνόματι Κυρίου ἠμυνάμην αὐτούς. Καὶ κράξας ὁ σατανᾶς εἶπεν· Οἴ μοι! οὐκ οἶδα τί σοι λοιπὸν ποιήσω. Ἰδοὺ γάρ, ἐν πᾶσιν ἐνίκησάς με, καὶ πάσης μου καταφρονήσας τῆς δυνάμεως, κατεπάτησάς με. Ἀλλ' εἰ καὶ οὕτως, οὐ μή σου ἀναχωρήσω, ἕως οὗ νικήσας B ταπεινώσω σε. Ὁ δὲ Μακάριος ἔφη πρὸς αὐτόν· Ἀνάθεμά σοι καὶ πάσῃ τῇ δυνάμει σου, μιαρώτατε· δόξα δὲ καὶ προσκύνησις τῷ ἡμετέρῳ Δεσπότῃ, τῷ μόνῳ ἁγίῳ Θεῷ, τῷ ποιήσαντί σε πατεῖσθαι ὑφ' ἡμῶν τῶν δούλων αὐτοῦ, τῶν ἀγαπώντων αὐτόν. Γνῶθι τοίνυν, ταλαίπωρε καὶ ἀσθενέστατε, ὅτι ἡμεῖς οὐ φοβούμεθά σε, οὔτε τὰς φαντασίας σου.

Psal. 117. 12

ac demum desperat de victoria.

Abrahamius à tentationibus fortior,

23 Ἐπὶ χρόνον δὲ πολεμήσας τὸν Μακάριον ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς καὶ φαντασίαις, καὶ μανίαις, οὐ δὲ εἰς δειλίαν ἠδυνήθη ἐμβαλεῖν τὸν νοῦν αὐτοῦ, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς προθυμίαν καὶ τὴν πρὸς Θεὸν ἀγάπην διήγειρεν αὐτόν. Ἠγωνίσατο γὰρ πολιτεύσασθαι κατὰ τὸ αὐτοῦ θέλημα, καὶ κατηξιώθη τῆς χάριτος αὐτοῦ, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἴσχυσεν ὁ διάβολος ἀδικῆσαι αὐτόν· Ὑπομονητικῶς τε ἔκρουσεν, ἵνα ἀνοιχθῇ αὐτῷ ὁ θησαυρὸς τῆς τοῦ Χριστοῦ χάριτος· ὡς δὲ ἠνοίχθη αὐτῷ, εἰσελθὼν ἐξελέξατο τρεῖς λίθους τιμίους· πίστιν, ἐλπίδα, ἀγάπην, καὶ δι' αὐτῶν κατεκόσμησεν τὰς λοιπὰς ἀρετάς, καὶ πλέξας πολύτιμον στέφανον προσήνεγκε τῷ Βασιλεῖ τῶν βασιλευόντων. Τίς γὰρ Θεὸν ἠγάπησεν οὕτως ἐξ ὅλης καρδίας, καὶ τὸν C πλησίον ὡς ἑαυτόν; ἢ τίς οὕτως συμπαθής, καὶ εὔσπλαγχνος ἐγένετο; περὶ τίνος δὲ μοναχοῦ ἀκούσας καλῶς πολιτευσαμένου, οὐκ ηὔξατο περὶ αὐτοῦ, ἵνα διαφυλαχθῇ ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος, τελειώσῃ δὲ τὸν δρόμον αὐτοῦ ἀμέμπτως; ἢ περὶ τίνος ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀσεβοῦς ἀκούσας οὐκ εὐθέως παρεκάλεσεν τὸν Θεόν, ἵνα σωθῇ;

in omni se virtute exercet,

mirè ergà seipsum austerus

24 Εἰς πάντα δὲ τὸν χρόνον αὐτοῦ τῆς ἀσκήσεως οὐκ ἤλλαξεν τὸν κανόνα τῆς ἀσκήσεως αὐτοῦ, ἐν δὲ τοῖς αὐτοῖς χρόνοις οὐ παρῆλθεν αὐτῷ ἡμέρα ἄνευ δακρύων· οὐκ ἐχρήσατο τοῖς χείλεσι αὐτοῦ γέλωτι μήτε μέχρι * δι' αἵματος, οὐκ ἤγγισεν τῷ σώματι αὐτοῦ ἔλαιον· οὐδὲ ἔνιψατο τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἢ τοὺς πόδας ὕδατι· οὕτως δὲ ἦν, ὡς καθημέραν ἀποθνήσκων τῇ προθέσει ἀγωνιζόμενος. Ὢ τοῦ παραδόξου θαύματος! εἰς γὰρ τὴν θαυμαστὴν αὐτοῦ ἐγκράτειαν, καὶ πολλὴν ἀγρυπνίαν καὶ διεξόδους δακρύων, χαμοκοιτίαν τε καὶ ταπείνωσιν σώματος οὐκ ἠτόνησέν ποτε, οὔτε ἠσθένησεν, οὔτε ἐρραθύμησεν, οὔτε ἠκηδίασεν· ἀλλ' ὥσπερ τις πεινῶν καὶ διψῶν, τρεφομένη ἡ διάνοια αὐτοῦ δυνάμει τῆς χάριτος, οὐκ ἐκορέννυτο τῆς γλυκύτητος τῆς ἀσκήσεως. D Ἦν δὲ τὸ εἶδος αὐτοῦ ὡσεὶ ἄνθος ῥόδου, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ οὐχ ὡς ἀπὸ τοιαύτης ἀσκήσεως καταπεπονημένον, ἀλλὰ συμμέτρῳ τῇ ἕξει καὶ δυνάμει ὑπάρχων, ὡς ὑπὸ χάριτος Θεοῦ κρατούμενος. Ὃς καὶ ἐν τῷ καιρῷ τῆς κοιμήσεως αὐτοῦ οὕτω φαιδρῶς ἦν τῷ προσώπῳ, ὡς * ἔξεσθαι αὐτὸν ἡμᾶς γνῶναι τὴν τῶν Ἀγγέλων δορυφορίαν. Καὶ ἄλλη δὲ θαυμαστὴ χάρις τοῦ Θεοῦ ἦν ἐν αὐτῷ· ἐν γὰρ τοῖς πεντήκοντα ἔτεσιν τῆς ἀσκήσεως αὐτοῦ, ἅπερ ἐνεδιδύσκετο τρίχινα, οὕτως διαρκῶς ὑπηρέτησαν, ὡς καὶ ἑτέρους καταξιωθῆναι τῶν παλαιωθέντων παρ' αὐτῷ ὑπουργῆσαι.

** an μειδιάματος?*

AVCT. S. EPHRÆM.

& tamen pleno semper ac læto vultu.

** MS. ἴσεσθαι*

CAP. IV

orbam patre neptem Abramius suscipit,

25 Βούλομαι δέ, ἀγαπητοί, διηγήσασθαι τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν παράδοξον πρᾶγμα, ὃ ἐποίησεν ἐν τῷ γήρει αὐτοῦ ὁ Μακάριος· τοῖς γὰρ συνετοῖς καὶ πνευματικοῖς ὄντως παράδοξόν ἐστιν, καὶ πλῆρες ὠφελείας καὶ κατανύξεως. Εἶχεν ὁ Μακάριος ἀδελφὸν ὁμογενῆ· κοιμηθέντος δὲ τούτου, καταλιμπάνει θυγατέρα. Ταύτην λαβόντες οἱ γνωστοὶ αὐτῆς, ἤγαγον πρὸς τὸν θεῖον αὐτῆς, οὖσαν ἑπταετῆ. Ὁ δὲ ἐκέλευσεν αὐτὴν εἶναι εἰς τὸ ἐξώτερον κελλίον, αὐτὸς γὰρ ἦν κεκλεισμένος εἰς τὸ ἐσώτερον. E Ἦν δὲ θυρὶς μικρὰ ἀνάμεσον αὐτῶν, δι' ἧς ἐδίδασκεν αὐτὴν τὸ ψαλτήριον, καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς. Μετ' αὐτοῦ δὲ ἠγρύπνει καὶ ἔψαλλεν, καὶ καθὼς ἐκεῖνος ἐνεκρατεύετο, ὁμοίως κἀκείνη· προθύμως τε προκόπτουσα ἐν τῇ ἀσκήσει, ἐσπούδαζεν ἐπιτελεῖν πάσας τὰς ἀρετάς. Καὶ γὰρ πλειστάκις παρεκάλεσεν τὸν Θεὸν περὶ αὐτῆς, ἵνα σχῇ τὴν διάνοιαν αὐτῆς πρὸς αὐτόν, καὶ μὴ δεσμευθῇ ἐν τῇ μερίμνῃ τῶν γηΐνων πραγμάτων· ἐπειδὴ καὶ ὁ πατὴρ αὐτῆς πολλὰ πράγματα αὐτῇ καταλέλοιπεν, ἀλλὰ παραχρῆμα ταῦτα αὐτὸς ἐκέλευσεν δοθῆναι πτωχοῖς.

& accuratè exercet:

egregiè proficientem,

26 Καὶ αὐτὴ δὲ παρεκάλει καθημέραν τὸν θεῖον αὐτῆς λέγουσα· Πάτερ ἀξιῶ τὴν σὴν ἁγιωσύνην, καὶ παρακαλῶ τὴν σὴν ὁσιότητα, εὔχεσθαι ὑπὲρ ἐμοῦ, ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν λογισμῶν, καὶ πάσης μεθοδείας τοῦ ἐχθροῦ, καὶ τῶν ποικίλων παγίδων τοῦ διαβόλου. Καὶ οὕτω προθύμως ἤσκει τηροῦσα τὸν κανόνα τῆς ἀσκήσεως αὐτῆς. Ἠγαλλιᾶτο δὲ ὁ Μακάριος βλέπων αὐτῆς τὴν καλλὴν πολιτείαν, καὶ πρᾳότητα, καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἀγάπην. Εἰκοσαετοῦς δὲ χρόνου πληρωθέντος, βλέπων ὁ ἐν δολιότητι κακοῦργος ὄφις ταῖς τοῦ μονήρους βίου ἀρεταῖς ἐπαιρομένην, καὶ τὰ F οὐράνια ἀδολεσχοῦσαν, ὡς περιστερὰν ἄσπιλον, τὴν τοῦ Χριστοῦ ἀμνάδα, λαυροτάτῳ πυρὶ καιόμενος ἐτήκετο, καὶ παρήδρευεν ὅπως αὐτὴν παραδώσῃ· ὥστε κἂν οὕτω δυνηθῇ εἰς λύπην καὶ μέριμναν ἐμβαλεῖν τὸν Μακάριον, καὶ τῇ δι' αὐτῆς ἀδημονίᾳ ἀποσπάσῃ τὴν διάνοιαν αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Καὶ ὥσπερ ἐπὶ τῶν πρωτοπλάστων φθόνῳ καιόμενος ὁ ἐν κακίᾳ φρόνιμος θήρ, ηὕρατο τὸν ὄφιν ὄργανον πρὸς ἀπάτην, ὅπως τοὺς ἐν μακαριότητι αὐλιζομένους ἀκανθοφόρητον γῆν καὶ πολύμοχθον κατοικεῖν ἐμηχανήσατο· τηνικαῦτα κατασκοπήσας, ηὕρατο κατηρτισμένον σκεῦος εἰς ἀπώλειαν.

per annos 20.

Insidiatur dæmon

pseudomonachum amatorem ei conciliat:

27 Ἦν γάρ τις ἔχων ὄνομα μοναχοῦ, ὅστις ἀπῄει πρὸς τὸν Μακάριον προφάσει συντυχίας μετὰ σπουδῆς πλείονος· ἑώρα δὲ τὴν μακαρίαν διὰ τῆς θυρίδος. Σκοτωθεὶς δὲ ὁ δείλαιος τὴν διάνοιαν, ἠθέλησεν αὐτὴν συντυχεῖν, καὶ παρήδρευεν χρόνον ἱκανὸν ὡς μέχρις ἐνιαυτοῦ· ἕως οὗ εὑρὼν καιρὸν, ἠλλοτρίωσεν τῆς τοῦ ἀληθινοῦ ὄντως μακαρίου παραδείσου διαγωγῆς.

A Ὡς γὰρ ὑπὸ τοῦ ὄφεως ἀπατηθεῖσα, ἤνοιξε τὴν θύραν τοῦ κελλίου, καὶ ἐξῆλθεν. Ἀπάτῃ δὲ τοῦ πονηροῦ δράκοντος ἐκπεσοῦσα τοῦ μεγέθους, καὶ θεοφιλοῦς καὶ καθαρωτάτης παρθενίας, ὥσπερ καὶ τῶν πρωτοπλάστων γενομένων τοῦ καρποῦ διέγνωσαν, ὅτι γυμνοί εἰσιν· ὁμοίως καὶ αὕτη μετὰ τὸ πρᾶξαι τὴν ἁμαρτίαν, ἐξέστη τῇ διανοίᾳ τῷ τῆς ἀπογνώσεως ζοφερῷ σκότει, καὶ περιεσχίσατο τὸν χιτῶνα αὐτῆς τὸν τρίχινον, καὶ ἔτυπτεν τὸ στῆθος αὐτῆς καὶ τὸ πρόσωπον, καὶ ἤθελεν ἑαυτὴν ἀποπνίξαι.

AVCT. S. EPHRÆM. à quo corrupta

& sui scelus serò abominans,

28 Ἔλεγεν γὰρ ἐν ἑαυτῇ κλαίουσα· Ἐγὼ λοιπὸν τέθνηκα, καὶ ἀπώλεσα τὰς ἡμέρας μου, τὸν τῆς ἀσκήσεώς μου καὶ ἐγκρατείας καρπὸν, καὶ τὸν τῶν δακρύων πόνον· τὸν Θεὸν παρώξυνα, καὶ ἐμαυτὴν ἀπέκτεινα, καὶ τὸν ὅσιόν μου θεῖον εἰς πικροτάτην λύπην ἐνέβαλλον, καὶ χλεύη τοῦ διαβόλου ἐγενόμην. Τί ἔτι λοιπὸν ἐγὼ ζῶ ἡ ἀθλία; Οἴ μοι! Τί ἐποίησα; Οἴ μοι! Τί ἔπαθον; Οἴ μοι! πόθεν ἔπεσα; Πῶς ἐσκοτίσθη ἡ διάνοιά μου; Πῶς ἐκλάπην ὑπὸ τοῦ πονηροῦ; Πῶς ὠλίσθησα οὐκ ἔγνων, πῶς ἐμιάνθη οὐκ οἶδα. Ποῖον νέφος
B ἐκάλυψεν τὴν καρδίαν μου, ἵνα μὴ κατανοήσω τί πράττω; Ποῦ κρυβήσωμαι, ποῦ ἀπελεύσωμαι, εἰς ποῖον βόθρον ῥίψω ἐμαυτήν; Ποῦ ἡ νουθεσία τοῦ Θείου μου; ποῦ ἡ διδασκαλία τοῦ ἑταίρου αὐτοῦ Ἐφραίμ; Ὅτι ἔλεγέν μοι, πρόσεχε σεαυτὴν, καὶ διατήρησον σου τὴν ψυχὴν τῷ ἀφθάρτῳ καὶ ἀθανάτῳ νυμφίῳ ἄσπιλον· ὁ γὰρ νυμφίος σου ἅγιός ἐστιν καὶ ζηλωτής. Οὐκ ἔτι τολμῶ τοῦ ἀναβλέψαι εἰς τὸν οὐρανόν· ἀπέθανον γὰρ καὶ ἀπὸ Θεοῦ καὶ ἀπὸ ἀνθρώπων. Ἀτενίσαι πρὸς τὴν θυρίδα ἐκείνην οὐ δύναμαι λοιπόν· πῶς γὰρ ἐγὼ ἡ ἁμαρτωλὸς πάλιν λαλήσω μετὰ τοῦ Ἁγίου ἐκείνου; ἐὰν δὲ καὶ λαλήσω, οὐχὶ πῦρ ἐξελθὸν διὰ τῆς θυρίδος καταναύσει με; Κρεῖττον ἀπελθεῖν με μᾶλλον, ὅπου οὐδείς ἐστιν ὁ γινώσκων με· ἐπειδὴ καθάπαξ ἀπέθανον, καὶ οὐκ ἔτι μοί ἐστιν ἐλπὶς σωτηρίας. Ἀναστᾶσα δὲ παραχρῆμα, ἀπῆλθεν εἰς ἑτέραν πόλιν, καὶ ἀλλάξασα τὸ σχῆμα αὐτῆς, ἔστη ἐν πανδοχείῳ.

desperansque de veniâ,

fugam init.

sub specie columbæ devoratæ à dracone

29 Ἐν δὲ τῷ συμβῆναι αὐτὴν τοῦτο, ἴδεν ἐν ὁράματι ὁ Μακάριος δράκοντα μέγαν καὶ φοβερὸν τῷ εἴδει, συρίζοντα ἐν ἰσχύϊ, ὃς ἐξελθὼν ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ ἐλθὼν ἕως τοῦ κελλίου αὐτοῦ, καὶ εὑρὼν περιστερὰν
C κατέπιεν αὐτὴν, καὶ πάλιν ὑπέστρεψεν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ. Ἔξυπνος δὲ γενόμενος ὁ Μακάριος, ἐλυπήθη σφόδρα καὶ ἔκλαυσεν λέγων· Μὴ ἄρα διωγμὸν ἐγείρει ὁ σατανᾶς κατὰ τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας, καὶ πολλοὺς ἀποστήσει ἀπὸ τῆς πίστεως; ἢ σχίσμα γίνηται καὶ αἵρεσις ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ; Εὐξάμενος δὲ τῷ Θεῷ εἶπεν· Φιλάνθρωπε, σὺ μόνος γινώσκεις τὸ ὅραμα τὸ μέγα τοῦτο. Πάλιν δὲ μετὰ δύο ἡμέρας ἴδεν αὐτὸν τὸν δράκοντα, ἐξελθόντα ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ, καὶ εἰσελθόντα εἰς τὴν κέλλαν πρὸς αὐτὸν, καὶ θέντα ὑπὸ τοὺς πόδας τοῦ Μακαρίου τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ διαρραγῆναι· καὶ εὑρεθῆναι τὴν περιστερὰν ἐκείνην ζῶσαν, μὴ ἔχουσαν σπίλον,

& post biduum restituta,

discit Abrahamius neptis suæ casum,

30 Εὐθέως δὲ ἔξυπνος γενόμενος, ἐκάλεσεν Μαρίαν ἅπαξ καὶ δὶς λέγων. Ἔγειρε, τί ὤκνησας σήμερον δύο ἡμέρας, ἀνοῖξαι τὸ στόμα σου πρὸς δοξολογίαν Θεοῦ; Τῆς δὲ μὴ ἀποκριθείσης (δευτέραν γὰρ ἡμέραν εἶχεν μὴ ἀκούων κατὰ τὸ εἰωθὸς ψαλλούσης αὐτῆς) τότε συνῆκεν ὅτι τὸ ὅραμα, ὃ ἴδεν, περὶ αὐτῆς ἐστιν. Καὶ στενάξας ἔκλαυσεν σφοδρῶς, καὶ εἶπεν· Οἴ μοι! τὴν ἀμνάδα μου ὁ δεινὸς λύκος ἥρπασεν, καὶ τὸ τέκνον μου αἰχμάλωτον ἐγένετο. Ὑψώσας δὲ τὴν φωνὴν αὐτοῦ εἶπεν· Σωτὴρ τοῦ κόσμου Χριστέ, ἐπίστρεψον τὴν ἀμνάδα D
σου Μαρίαν εἰς τὴν μάνδραν τῆς ζωῆς, ἵνα μὴ κατέλθῃ τὸ γῆράς μου μετὰ λύπης εἰς ᾅδην. Μηδὲ ὑπερίδῃς τὴν δέησίν μου Κύριε, ἀλλὰ πέμψον τὴν χάριν σου τάχιον, ἵνα ἐκσπάσῃ αὐτὴν ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δράκοντος.

& mæstus precatur.

31 Ἐγένοντο δὲ αἱ δύο ἡμέραι, ἐν αἷς ἴδεν τὸ ὅραμα, δύο ἔτη, ἃ ἐποίησεν ἔξω ἡ ἀνεψιὰ αὐτοῦ· διετέλει δὲ νυκτὸς καὶ ἡμέρας παρακαλῶν τὸν Θεὸν περὶ αὐτῆς. Καὶ μετὰ δύο ἔτη, ἠκούσθη αὐτῷ ποῦ ἐστιν, καὶ τὸ πῶς διάγει. Καὶ παρακαλέσας τινὰς τῶν γνωρίμων, ἔπεμψεν ἐκεῖ ἵνα ἀκριβῶς μάθῃ τὰ περὶ αὐτῆς, σημειώσῃ δὲ καὶ τὸν τόπον, καὶ πῶς διάγει. Ἀπελθὼν τοίνυν ὁ ἀποσταλεὶς, καὶ μαθὼν ἀκριβῶς, θεασάμενός τε καὶ αὐτὴν, ἐλθὼν, ἀπήγγειλεν αὐτῷ πάντα, σημάνας καὶ τὸν τόπον καὶ τὴν διαγωγήν. Ὁ δὲ πεισθεὶς αὐτὴν εἶναι ἀληθῶς, εἶπεν ἐνεχθῆναι ἐσθῆτα στρατιωτικὴν, καὶ ἵππον. Καὶ ἀνοίξας τὴν θύραν τοῦ κελλίου ἐξῆλθεν, ἐνδυσάμενος δὲ τὸ στρατιωτικὸν σχῆμα, καὶ καμαλαύκιον βαθὺ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, κατακαλύπτων τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, ἔλαβεν δὲ καὶ νόμισμα ἓν μεθ' ἑαυτοῦ, καὶ καθίσας ἐπὶ τοῦ ἵππου, ἀπῄει. Ὥσπερ κα- E
τάσκοπος, βουλόμενος κατασκοπῆσαι πόλιν ἢ πατρίδα τῶν οἰκούντων, φέρει τὸ σχῆμα πρὸς τὸ λαθεῖν τοὺς οἰκήτορας· οὕτως καὶ ὁ μακάριος Ἀβράμιος ἐν σχήματι ἀλλοτρίῳ ἐπεδήμει, ἵνα τὸν ἐχθρὸν τροπώσηται. Ὄντως θαυμάσαι ἄξιον τὸν θαυμαστὸν τοῦτον δεύτερον Ἀβραάμ· ὁ μὲν γὰρ πρῶτος Ἀβραὰμ ἐξελθὼν εἰς τὸν πόλεμον τῶν Βασιλέων, καὶ πατάξας αὐτοὺς, ἀπέστρεψεν Λὼτ τὸν ἀνεψιὸν αὐτοῦ· ὁμοίως καὶ ὁ δεύτερος οὗτος Ἀβραὰμ, ἐξελθὼν εἰς τὸν πόλεμον κατὰ τοῦ διαβόλου, καὶ νικήσας αὐτὸν, ἀπέστρεψεν Μαρίαν τὴν ἀνεψιὰν αὐτοῦ.

Biennio exacto in meretricio inventam,

ipse militari cultu adire statuit,

Magno Abrahamo comparandus.

CAP. V

adveniens in diversorium

32 Παραγενόμενος τοίνυν εἰς τὸν τόπον, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸν τόπον τοῦ πανδοχείου, καταλύσας ἐν αὐτῷ, περιεβλέπετο ὧδε κἀκεῖ τοῦ ἰδεῖν αὐτήν. Εἶτα παρελθούσης ὥρας πολλῆς, καὶ μὴ θεασάμενος αὐτὴν, ὑπομειδιάσας εἶπεν τῷ πανδοχεῖ· Φίλε, ἤκουσα ὅτι ἔχεις ὧδε κόρην καλὴν, καὶ ἡδέως αὐτὴν ἑώρων. Ὁ δὲ πάνδοχος ἰδὼν τὴν ἡλικίαν τῆς πολιᾶς αὐτοῦ, κατέγνω αὐτοῦ, εἶτα ἀποκριθεὶς εἶπεν· Ἔστιν καὶ πάνυ ὡραία· ἦν γὰρ ἡ μακαρία ὑπερφυῶς περικαλλής. Ἔφη δὲ πρὸς F
αὐτὸν ὁ Μακάριος· Τίς καλεῖται; Ὁ δὲ λέγει αὐτῷ, Μαρία. Τότε φαιδρῷ τῷ προσώπῳ λέγει πρὸς αὐτόν· Κάλεσον αὐτὴν ὅπως εὐφρανθῶμεν μετ' αὐτῆς σήμερον· πάνυ γὰρ ἀπὸ τῆς ἀκοῆς ἠράσθην αὐτῆς. Ἡ δὲ κληθεῖσα ἦλθεν πρὸς αὐτόν. Καὶ ὡς ἦλθεν καὶ ἴδεν αὐτὴν εἰς τὸν καλλωπισμὸν ἐκεῖνον, καὶ τὸ πορνικὸν σχῆμα, σχεδὸν ὅλον αὐτοῦ τὸ σῶμα, καὶ πᾶσα ἡ ὑπόστασις δάκρυον ἐγένετο· ἀλλὰ τῇ φιλοσοφίᾳ καὶ ἐγκρατείᾳ, ὥσπερ ἐν ἀδύτοις, κατέστελλεν ἑαυτὸν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ὑπὲρ τοῦ μὴ νοῆσαι αὐτὴν καὶ ἀποφυγεῖν.

amatorem se simulat:

33 Καθημένων δὲ αὐτῶν καὶ πινόντων ἤρξατο προσλαλεῖν αὐτῇ ὁ Μακάριος, ὡσανεὶ ἐραστὴς ἀκαύστῳ πυρὶ φλογιζόμενος· οὕτως ὁ Μακάριος κραταιὸς, τῷ διαβόλῳ ἀνταγωνισάμενος, καὶ λαβὼν τὴν αἰχμάλωτον κατέστησεν εἰς τὴν τοῦ Χριστοῦ παστάδα. Τοῦ δὲ Μακαρίου προσλαλοῦντος, ἐξαναστᾶσα καὶ περιλαβοῦσα, κατεφίλει τὸν τράχηλον αὐτοῦ. Καταφιλοῦσα δὲ αὐτὸν, ὠσφράνθη τῶν χρωτῶν τῆς ἀγγελικῆς αὐτοῦ πολιτείας, καὶ εἶπεν Ἀβαλ! οὐαί μοι μόνῃ.

ipsa eum osculata interius compungitur:

34 Ὁ δὲ πανδοχεὺς ἔφη πρὸς αὐτήν· Κυρία Μαρία, διετῆ χρόνον ἔχεις, καὶ οὐδέ ποτέ σου ἤκουσα στεναγμὸν ἢ λόγον τοιοῦτον· νῦν οὖν τί σοι γέγονεν; Ἡ δὲ

admirante cauponi,

A δὲ ἔφη, Εἴθε ἀπέθανον πρὸ τριῶν ἐτῶν, καὶ μακαρία ἤμην. Καὶ εὐθέως ὁ Μακάριος, ἵνα μὴ ὑπολάβῃ δυσχερῶς, λέγει πρὸς αὐτήν· Νῦν ἐπὶ ἐμὲ ἐμνήσθης τῶν ἁμαρτιῶν σου· Ἆρα οὐκ εἶπεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, φαίνεται ἡ ἰδέα αὐτῆ ὡς ἰδέα τοῦ θείου μου; Ἀλλ᾽ ὁ μόνος φιλάνθρωπος καὶ πάνσοφος Θεὸς οὕτως ᾠκονόμησεν τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτὸν, ἵνα μὴ φοβηθεῖσα ἀποδράσῃ. Ὁ δὲ εὐθέως ἐκβαλὼν τὸ νόμισμα δίδωσιν αὐτῷ τῷ πανδοχεῖ, λέγων αὐτῷ, Ποίησον ἡμῖν δεῖπνον καλὸν, ἵνα εὐφρανθῶμεν σήμερον μετὰ τῆς κόρης ταύτης, μήκοθεν γὰρ δι᾽ αὐτὴν ἔρχομαι.

dissimulatio patrui

35 Ὢ σοφία ὄντως κατὰ Θεὸν! ὢ βάθος συνέσεως πνευματικῆς! Ὢ πανουργία, περιγισμὸς διαβόλου καὶ ἱλασμὸς ψυχῆς! Ὢ σοφία δηλητήριον δράκοντος, καὶ ψυχῆς φωστήριον! Ὁ ἐν τοῖς πεντήκοντα ἔτεσιν τῆς ἀσκήσεως ἄρτου μὴ γευσάμενος, κρεῶν μετέλαβεν, ἵνα τὴν ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἀγρευθεῖσαν ψυχὴν ἀνακαλέσηται. Ὁ χορὸς τῶν ἁγίων Ἀγγέλων ἐν τῷ οὐρανῷ ἐξέστη περὶ τούτου τοῦ Μακαρίου τῆς ἀδιαφορίας, μᾶλλον δὲ μεγαλοψυχίας, καὶ δραματουργίας, πῶς

& cum ipsa hilariter epulatur.

B προθύμως καὶ ἀδιακρίτως ἤσθιεν καὶ ἔπινεν, ἐπιλέγων καὶ αὐτὸς τὸ ἐν Εὐαγγελίοις εἰρημένον, Σήμερον δεῖ εὐφρανθῆναι καὶ χαρῆναι, ὅτι ἡ θυγάτηρ μου αὕτη νεκρὰ ἦν καὶ ἀνέζησεν, * ἀπολωλυῖα ἦν καὶ εὑρέθη. Ὢ σοφία τῶν σοφῶν, καὶ σύνεσις τῶν συνετῶν! Ὢ παραδόξου θαύματος καὶ πράγματος ἀξία ἡ θαύμασι ἀδιαφορία ἡ ἀνωτέρα πάσης ἀκριβοῦς διακρίσεως, δι᾽ ἧς ἐκ τῶν ἰοβόλων τοῦ δράκοντος ὀδόντων ἁρπάσας, ἔσωσεν ψυχήν.

** MS. ἀπολωλός*

36 Μετὰ δὲ τὸ εὐφρανθῆναι αὐτοὺς, εἶπεν ἡ κόρη· Ἀνάστα, Κύριε, εἰσελθόντες καθευδήσωμεν. Ὁ δὲ εἶπεν, Εἰσέλθωμεν. Εἰσελθόντων δὲ αὐτῶν, ὁρᾷ κλίνην ὑψηλὴν ἐστρωμένην, καὶ ἀνελθὼν προθύμως ἐκάθισεν ἐπ᾽ αὐτῆς. Πῶς σε καλέσω, ἢ πῶς σε ὀνομάσω, ὦ τέλειε τοῦ Χριστοῦ ἄνθρωπε, οὐκ οἶδα· ἐγκρατῆ εἴπω σε ἢ ἀδιάφορον; διακριτικὸν ἢ ἀδιάκριτον; σοφὸν ἢ ἄσοφον; Ὁ εἰς τὰ πεντήκοντα ἔτη τῆς ἀσκήσεως ἐν ἑνὶ ψιαθίῳ καθευδήσας, μετὰ ὅσης προθυμίας ἐκάθισας ἐπὶ κλίνης; Πάντα ταῦτα ἐποίησας εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τῆς θεομιμήτου σου πολιτείας, μονὰς ἐβάδισας, κρεῶν μετέλαβες, οἶνον ἔπιες, καὶ εἰς πανδοχεῖον κατήχθης, ἵνα σώσῃς ψυχὴν ἀπολλυμένην· ἡμεῖς δὲ ὀλιγόψυχοι ὄντες, εἰς διάκρισιν ἄκαιρον ἐρχόμεθα καὶ λόγον ὠφέλιμον λαλῆσαι τῷ πλησίον.

a cenâ inductam in cubiculum iubet obserare ostia,

C

37 Καθημένου τοίνυν αὐτοῦ ἐπὶ τῆς κλίνης, ἔφη πρὸς αὐτόν· Δεῦρο Κύριε ἐπάρω τὰ ὑποδήματά σου. Ὁ δὲ πρὸς αὐτὴν εἶπεν· Ἀσφάλισαι τὴν θύραν, καὶ δεῦρο λάβε αὐτά. Ἡ δὲ διϊσχυρίζετο πρότερον ἀπολύσασθαι αὐτὸν, ὁ δὲ οὐκ ἠνέχετο· Τότε ἀσφαλισαμένη τὴν θύραν, ἦλθε πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει αὐτῇ· Κυρία Μαρία ἔγγισόν μοι. Τῆς δὲ ἐγγισάσης, ἐκράτησεν αὐτὴν ὡς μὴ δύνασθαι αὐτὴν ἀποδρᾶσαι, καὶ ἐπάρας τὸ καμαλαύκιον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, καὶ σύνδακρυς γενόμενος εἶπεν πρὸς αὐτήν· Τέκνον μου Μαρία, οὐ γινώσκεις με; οὐκ ἐγώ εἰμι ὁ πατήρ σου Ἀβράμιος; Τέκνον, οὐ γνωρίζεις με; Οὐκ ἐγώ εἰμι ὁ ἀναθρέψας σε; Τί σοι ἐγένετο; Ποῦ τὸ σχῆμα τὸ ἀγγελικὸν, ὅπερ εἶχες; ποῦ τὰ δάκρυα; ποῦ ἡ ἀγρυπνία, ἡ μετὰ πόνου ψυχῆς καὶ καρδίας συντετριμμένης, ποῦ ἡ χαμαικοιτία καὶ ἡ συνεχὴς γονυκλισία; Πῶς ἀπὸ τοῦ ὕψους τοῦ οὐρανοῦ εἰς τοῦτο τῆς ἀπωλείας βάραθρον κατηνέχθης; Διατί οὐκ ἀνήγγειλάς μοι, ὅτι κατηγὶς ἄδου κατήντησέν σοι, κἀγὼ ἂν μετὰ τοῦ ἀγαπητοῦ Ἐφραὶμ ἐβόησα πρὸς

seseque manifestans

ad spe veniæ reditû̈ invitat.

τὸν δυνάμενον σώζειν ἐκ θανάτου; Διατί τὸ καθόλου ἀπογνοῦσα παρέδωκας ἑαυτὴν τῷ διαβόλῳ; Διατί ἐγκατέλιπές με, καὶ εἰς ἀφόρητον λύπην κατήγαγές με; Τίς γὰρ ἐν ἀνθρώποις ἀναμάρτητος, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός. D

AUCT. S. EPHRÆM.

38 Ἡ δὲ ἐκπλαγεῖσα ἀπενεκρώθη, μὴ δυναμένη ἆραι πρόσωπον· ἀλλ᾽ ἔμεινεν ὥσπερ λίθος ἄνους εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, αἰσχύνῃ τε καὶ φόβῳ κρατηθεῖσα. Ὁ δὲ Μακάριος ἐπέμενεν κράζων μετὰ δακρύων αὐτῇ· Οὐ λαλεῖς μοι, τέκνον μου Μαρία; Οὐκ διὰ σὲ ὀδυνώμενος ἦλθον ἐνταῦθα; Ἐγὼ ἀπολογοῦμαι τῷ Θεῷ ὑπὲρ σοῦ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως. Ἐγὼ μετανοῶ ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας σου ταύτης. Μέχρι δὲ μεσονυκτίου οὕτως παρεκάλει αὐτὴν καὶ ἐνουθέτει. Ἡ δὲ λαβοῦσα μικρὰν παῤῥησίαν, ἔφη πρὸς αὐτὸν λέγουσα· Εἰ εἰς σὲ ἀτενίζειν οὐ δύναμαι διὰ τὴν αἰσχύνην τοῦ προσώπου μου, πῶς ἐπικαλέσωμαι τὸ ἄχραντον ὄνομα τοῦ Θεοῦ μου, ὅτι ἐν τῇ ἀκαθαρσίᾳ τοῦ βορβόρου ἐμιάνθην; Λέγει πρὸς αὐτὴν ὁ Μακάριος· Ἐπ᾽ ἐμὲ ἡ ἁμαρτία σου, ὦ τέκνον· ἐκ τῶν χειρῶν μου ὁ Θεὸς ἐκζητήσει τὴν ἁμαρτίαν σου ταύτην· μόνον σὺ ἄκουσόν μου, καὶ δεῦρο, ἀπέλθωμεν εἰς τὸν τόπον ἡμῶν. Ἰδοὺ γὰρ καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ κλαίει περὶ σοῦ, καὶ παρακαλεῖ τὸν Θεὸν ὑπὲρ σοῦ. Τέκνον παρακαλῶ σε, ἐλέησον τὸ γῆράς μου, καὶ κατοίκτειρον τὰς πολιάς μου· τέκνον μου ἀγαπητὸν, δέομαί σου, ἀναστᾶσα ἀκολούθει μοι. E

primo, attonitam

& multis persuasam

39 Ἡ δὲ ἔφη πρὸς αὐτόν· Ἐὰν τὴν μετάνοιάν μου δέχεται ὁ Θεὸς, ἔρχομαι. Προσπίπτω δὲ καὶ παρακαλῶ τὴν σὴν ὁσιότητα, καὶ καταφιλῶ τὰ ἴχνη σου τὰ ἅγια, ὅτι οὕτως ἐσπλαγχνίσθης εἰς ἐμὲ, καὶ ἦλθες ἐνταῦθα ἵνα ἐκσπάσῃς με ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος. Καὶ θήκασα τὴν κεφαλὴν αὐτῆς ἐπὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ, ἔκλαυσεν ὅλην τὴν νύκτα λέγουσα· Τί ἀνταποδώσω σοι περὶ πάντων τούτων, Δέσποτά μου; Ὄρθρου δὲ γενομένου, λέγει πρὸς αὐτὴν ὁ Μακάριος, Τέκνον μου, ἀνάστα, ἀπέλθωμεν. Ἡ δὲ ἀποκριθεῖσα εἶπεν πρὸς αὐτόν· Ἔχω ἐνταῦθα ὀλίγον χρυσίον, καὶ ἱμάτια· καὶ τί κελεύεις περὶ τούτων; Ἔφη πρὸς αὐτὴν ὁ Μακάριος· Ἔασον αὐτὰ ἐνταῦθα, πάντα γὰρ ταῦτα μερὶς ἐστιν τοῦ πονηροῦ. Καὶ ἀναστάντες ἐξῆλθον παραχρῆμα, ἀνεβίβασεν δὲ αὐτὴν ἐπὶ τὸν ἵππον, αὐτὸς δὲ ἦλκεν ἔμπροσθεν αὐτῆς ἀγαλλόμενος. Καθάπερ ποιμὴν ὅταν εὕρῃ πρόβατον ἀπολωλὸς, αἴρει αὐτὸ ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτοῦ, οὕτως ὁ Μακάριος ἔχαιρε τῇ καρδίᾳ, βαδίζων. F

eandem supplicem erigit,

secumq. auehit.

40 Καὶ ὡς εἰσῆλθεν ἐπὶ τὸν τόπον, αὐτὴν μὲν ἐνέκλεισεν εἰς τὸ ἐσώτερον κελλίον, ἔμεινεν δὲ αὐτὸς εἰς τὸ ἐξώτερον. Ἡ δὲ μετὰ σάκκου, καὶ ταπεινώσεως καὶ δακρύων πολλῶν, καὶ ἐγκρατείας, καὶ ἀγρυπνίας ἀκριβοῦς, προθύμως τὸν τῆς μετανοίας σκοπὸν ἐξήνυεν, ἀναιδῶς δεομένη καὶ προσπίπτουσα τῷ Θεῷ. Οὕτως αὕτη ἀληθὴς μετάνοια, ὄντως θεραπεία, καὶ ἀνακαίνησις ψυχῆς. Διὰ τοιούτου ἀγῶνος ἔδει πάντας ἐξομολογήσασθαι τῷ Θεῷ. Τίς γὰρ τοσοῦτο λίθινος ἦν καὶ σκληρὸς τῇ καρδίᾳ, ἀκούσας τὴν φωνὴν τοῦ κλαυθμοῦ αὐτῆς, οὐ κατενύγετο δοξάζων τὸν Θεόν; Πρὸς γὰρ τὴν ἐκείνης μετάνοιαν σκιὰ καὶ φάντασμά ἐστιν ἡ ἡμετέρα· τοιαύτη γὰρ σπουδὴ, καὶ ὑπομονὴ καὶ ἀγωνία ἀπαρακλήτως προσήει τῷ Θεῷ, αἰτουμένη τεκμήριον εἴπερ προσδεκτὴ γέγονεν ἡ μετάνοια αὐτῆς. Ὁ τοίνυν ἀγαθὸς Θεὸς καὶ φιλάνθρωπος, χάρισμα ἰαμάτων ἐδωρήσατο αὐτῇ, πρὸς πληροφορίαν τῆς προσδεκτοῦ αὐτῆς μετανοίας.

quæ egregiæ pœnitentiæ facta exemplar,

etiam curationum gratiâ donatur.

A

Auct. S. Ephræm. Abramius æt. an. 70, solitaria vita 50,

41 Ἔζησεν δὲ ὁ Μακάριος ἄλλα ἔτη δέκα, θεωρῶν αὐτῆς τὴν εἰλικρινῆ μετάνοιαν καὶ τὴν ἐξαίρετον αὐτῆς προθυμίαν· καὶ δοξάζων τὸν Θεὸν καὶ μεγαλύνων, οὕτως ἀνεπάη ἐν γήρᾳ ὁ ὄντως ὅσιος καὶ δοῦλος τοῦ Θεοῦ. Ἐτελειώθη δὲ ὢν ἐτῶν ἑβδομήκοντα, ἀσκήσεως ἔτη πεντήκοντα, μετὰ προθυμίας μεγάλης καὶ ἀγῶνος θαυμαστοῦ, ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀγάπῃ, μὴ λαβὼν πρόσωπον ἀνθρώπου, οἷα πέφυκε παρὰ τοῖς πολλοῖς γίνεσθαι, τὸν μὲν προτιμᾶν, τὸν δὲ εὐτελίζειν. Ἐν δὲ τῷ τοσούτῳ χρόνῳ τῆς ἀσκήσεως μὴ ῥαθυμήσας ποτὲ τὸ παράπαν, μὴ δὲ ἀλλάξας τὸν κανόνα τοῦ ἀρίστου αὐτοῦ βίου· ἀλλ' οὕτως διέκειτο, ὡς καθημέραν ἀποθνήσκων.

feliciter suos agones consummat:

42 Αὕτη ἡ διαγωγὴ τοῦ μακαρίου Ἀβραμίου· καὶ αὕτη ἡ ὑπερθεάρεστος πολιτεία, καὶ τὰ ἆθλα τῆς ὑπομονῆς· καὶ ὥσπερ δορκὰς ἐκ βρόχων ἐξῆλθεν τοῦ φθαρτοῦ βίου εἰς μηδ' ὅλως ἐξεῖναι τὸν στερρὸν αὐτοῦ καὶ ἀδαμάντινον λογισμὸν μετεωρισθῆναι εἰς τὰ ὀπίσω ποτέ. Οὗτοι οἱ ἀγῶνες, καὶ οἱ ἱδρῶτες τοῦ μακαρίου Ἀβραμίου· ἐνταῦθα μὲν οὕτως ἐγράψαμεν εἰς παράκλησιν καὶ προθυμίαν τῶν βουλομένων ἐπιλαβέσθαι τῆς αἰωνίου ζωῆς, εἰς ἔπαινον καὶ δόξαν τοῦ Θεοῦ, τοῦ παρέχοντος πᾶσιν ἡμῖν τὰ συμφέροντα. Τὰς δὲ λοιπὰς αὐτοῦ ἀρετὰς ἐν ἄλλοις ἀπεγραψάμεθα.

D

43 Ἔζησεν δὲ καὶ ἡ μακαρία Μαρία ἐκείνη ἔτη πέντε μετὰ θάνατον τοῦ θείου αὐτῆς, ὑπερβαλλόντως οὕτως ἀσκήσασα· καὶ μετὰ δακρύων ἡμέραις καὶ νυκτὸς οὐ διέλιπεν παρακαλοῦσα τὸν Θεόν, ὡς πλειστάκις τοὺς παρερχομένους διὰ τοῦ τόπου ἐκείνου, καὶ ἀκούοντας τοῦ κλαυθμοῦ αὐτῆς, συμπαθοῦντας ἑστάναι, καὶ κλαίειν τὰ ἴδια ἁμαρτήματα. Χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Vixit & Maria, annis 5 superstes patruo.

ΜΝΗΜΗ

τοῦ ἐν Ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν

ΚΥΡΙΛΛΟΥ

Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων

ex MS. Synaxario Collegij Claromontani S. I. Parisijs.

XVIII Martii. pag. 625 num. 2.

Οὗτος ἐγένετο ἐπὶ Κωνσταντίνου τοῦ Μεγάλου, πρότερον μοναχὸς γενόμενος καὶ ἀσκήσας, ὕστερον διὰ τὴν ἐνάρετον αὐτοῦ πολιτείαν προεχειρίσθη Ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων· οὕτως δὲ ὁσίως διαπρέψας ἐν τῇ Ἀρχιερωσύνῃ, ὡς καὶ ἐν τῇ συνόδῳ προσκληθῆναι, καὶ ἐπιστομίσαι καὶ καταισχῦναι τὸν δυσσεβῆ Μάνεντα, καὶ τὸν σύμφρονα αὐτοῦ λῆρον καὶ πνευματομάχον Μακεδόνιον, καὶ πληρῶσαι τὴν πανήγυριν τῶν ὀρθοδόξων χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης πνευματικῆς. Καλῶς δὲ ἀγωνισάμενος ἐν τοῖς ὀρθοδόξοις δόγμασι, καὶ θαύματα πλεῖστα εἰς δόξαν Θεοῦ ἐργασάμενος, καὶ τὸ καταπιστευθὲν αὐτῷ ἐκ Θεοῦ ποίμνιον καλῶς ἰθύνας, πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν, ἀπολαβὼν τὴν αἰώνιον βασιλείαν καὶ ζωὴν τὴν ἀτελεύτητον καὶ συνευφραινόμενος τοῖς Ἁγίοις.



APPEN-

APPENDIX
AD TOMVM II MARTII.

AD XII MARTII.



Ildephonsus Vrayet Veteris-Corbeiæ in Franciâ monachus (cuius à nobis facta mentio est, in commentario præuio ad S. Gregorij Papæ Acta num. 23) vt ea quæ § illo 5 scripseramus vidit, agnouit deesse nobis miracula Suessionibus ad Reliquias sancti huius Pontificis patrata, & continuò ipsa nobis transmittere curauit hoc titulo: Mirabilia quædam, olim gesta meritis Sanctorum quiescentium in monasterio S. Medardi Suessionis, auctore incerto S. Medardi monacho circa annum MCL : *quæ 10 capitibus distincta, in totidem hîc paragraphos diuisa exhibemus ad pag. 211 hoc modo subijcienda.*

MIRACVLA SS. GREGORII ET SEBASTIANI Suessione in monast. S. Medardi ex MS. Corbeiensi.

1 

SAnctorum Sebastiani & Gregorij corporibus positis in cryptâ inferiori structura ecclesiæ in dies Regum deuotione surgebat in altum: nec enim ab vno Rege perfectum est opus, sed multi sibi succedentes manus miserunt; alij quidem plus, alij autem minus. Domus quippe hæc, quam ædificare voluerunt, sicut in præsentiarum videtur, magna est & nominata in terrâ: qui verò primus in eâ fundamentum posuit, ipse est Clotarius, & solus nomen, qui cœpit, habet: nam & alij laborauerunt. Quid? quod & ipsi, qui vt aduenæ & hospites aduenerunt, ex oblationibus fidelium de aduentu Patronorum suorum exultantium, secundùm quod vnusquisque sponte offerebat in domo Domini, superædificantes super fundamentum præpotentium Regum, plurimum auxerunt honoris & gloriæ huic operi, in tempore illo quo omnis ædificatio tandem constructa creuit in templum sanctum Domino. Ipsi ergo Sancti domum sibimet parauerunt, quorum meritis præcipuè perfecta consistit: & dignum erat vt promoto in altum templi fastigio, ipsi etiam exaltarentur à terrâ: & multa sanctorum Martyrum corpora, Confessorum atque Virginum *a*, in cryptâ eadem quiescentium, iuxtà eos pariter eleuarentur. Quod & factum est: & audi quomodò.

Perfecta S. Medardi basilica,

a

2 Rex Carolus, *b* qui nomen Imperatoris & virtutem obtinuit, ad Lingonensẽ vrbem properans, aliquanto pòst iter agebat, & sequebatur eum multitudo magna de sublimibus eius: quia causa *c* inerat quæ citabat eos, & Regis præceptum euocauerat multos: imò voluntas Dei eminentior erat, quatenus plures viderent signum futurum super eis qui eleuandi erant. Exceptis enim maioribus terrenæ reipublicæ Principibus, tamquam Salomonem ferè sexaginta fortes ex fortissimis Israël comitatum Regis tunc ambierunt, omnes Episcopi aut Archiepiscopi de Imperio eius & regno. Et ecce nunc tempus acceptabile: egredientes Fratres de cœnobio S. Medardi Suessionensis, accesserunt ad Regem, orantes pro exaltatione Sanctorum à loco & pro dedicatione cryptę. Placuit Imperatori votum, pro eo quòd pater illius Ludouicus excelsiora fabricæ illius aliquantulum ipse porrexerat, & Beatum [se putabat] Rex, quòd glebæ sanctissimæ in labores sui patris introducerentur. Inuitabantur Episcopi, Archiepiscopi sollicitabantur, vocati sunt omnes & excusauit se nemo. Primùm igitur duo Archiepiscopi cum duobus Episcopis ad superiora ecclesiæ sanctissimos Fratres, Medardum & Gildardum, in suis sedibus extulerunt: ipse videlicet *d* Embo Remensis Archiepiscopus, qui cum Roberto, Thietgaudo vel Theutgando Treuirensi Archiepiscopo, sarcinam sanctam ex vnâ parte portare meruit; & Suessionensi & Virdunẽsi Botherdo vel Henrico, Hilduino vel Alduino Episcopis, similiter vt facerent in parte alterâ, sortem dedit. Secundum autem non prorsus est dissimile huic, quòd ad corpora Beatissimorũ Sebastiani & Gregorij transferenda Imperator deuotus supposuit humerum suum ad portandũ, & factus est in primâ fronte tamquam ex Episcopis vnus cum Aldrino Episcopo Senonensi: Ionas verò Episcopus Aurelianensis & Rengarius Nouiomensis portantes post tergum adiuuerunt eos. Nec defuit fauor diuinus in ascensu Sanctorum: cunctis *e*nim videntibus, Fratres, *e* qui prælati erant, sese in partem miserunt, & aduenientibus illis tamquam honorabilibus amicis ascendendi superiùs dederunt locum: mirabilia ista non sunt occultata à filijs hominum, propter priuilegia donorum vsque hodie permanentium, quæ videlicet larga manus Imperatoris tunc dedit ad credulitatem posterorum, & in signum huius virtutis, cui sanè non contradicetur: potens est enim Deus hoc fecisse, qui facere potuit omnia. Sequens testimonium, quod illi viderunt & nos *f* audiuimus, hoc testatur. Nam rebus rite dispositis, Rege properante in viam suam, illi remanserunt in loco sancto suo, miraculis adhuc coruscantes.

b in magno conuentu Procerum, c

exaltantur Reliquiæ SS. Gregorij & Sebastiani,

d

E cedentibus loco SS. Medardi & Gildardi corporibus. e

f

3 Primum quod occurrit est de B. Gregorio, cui primatus debetur suæ prærogatiuâ Sedis: hoc autem contra illos qui non credunt illum Francorum penetrasse fines, eò quòd fuerit natione Romanus, & quia non fuit postulatus à Rege; sed à Romanis (qui extrahentes de loco in quo iacuerat arte vendiderunt legatis) venditus legatis quos Rex direxerat *g*: sed si verbum hominum accipimus, miraculum maius est, quod testificatus est de corpore suo: siquidem regnante *h* Roberto in Galliâ, Cõstantiæ vxori eius dormienti aliquando in loco, qui dicitur Lesinarias, per somnum vir beatus apparuit dicens, Regina dormis? Planè, inquam, mihi dormitas, & dormis immemor mei: diu ecce in regno tuo nudus fui, & non operuisti me: quousque dissimulas? Inuenies corpus meum vix pannis inuolutum & positum in oratorio B. Mariæ Suessionensis, inter fratres meos Sebastianum & Medardum, qui tamen vestiti & non nudi inuenientur. Dormiuit mulier vsque manè, phantasmati deputans quod viderat. Iterum ergo apparuit idem Sanctus & exprobrauit duritiam cordis, quia his quæ viderat non credidisset. Quæ expergefacta à somno multùm mirans hæc secum locuta est: Verùmne est, quod vidi? Venit secundò: sed si tertiò venerit, faciam quod hortatur: hic numerus decet, alioquin non pareo. Beatus autem Gregorius rursùm dignatus est apparere, sed arguens eam cum omni imperio, Quoniam, inquit, quod dixeram non fecisti: ecce donec perfeceris teneberis magnis febribus. Quo disparente, Regina statim febre correpta surgit à lecto: nihilominùs accedit ad locum: paret pallijs & sericis vestibus in oculis omnium locum, & loculum Sancti ornat & vestit: & rogauerunt illum pro

g

h Constantiæ Reginæ i

de corpore suo ornando monet S. Gregorius

ter in somnis apparẽs

A pro ea: sanatur autem quia conditio data fuit. Recedens itaque, virtutem in se factam & Sancti præsentiam confiteri non erubuit, & quantò maior persona fuit, tantò latiùs diffusa est fama in populis.

ex MS.

k Fulconem Episcopum monasterio iniurium

4 Anno Domini MXXV Dominus k Fulchosius Suessionensis Episcopus villam hanc (quæ proxima erat) speravit in fortitudine manuum suarum sibi posse submitti, non deferens [auctoritati] B. Gregorij & antecessorum ac successorum eius. Præerat huic loco Abbas l Richardus fortiter resistens: Episcopus tamen visus est possessiones Fratrum inuadere, & de ijs quæ capiebat, cœpit donatiuum erogare militibus seruientibus sibi, dona ecclesiæ in beneficium largus de alieno distribuens. Sed B. Gregorius, qui decreta dederat, Episcopo per visionem apparuit, dicens: Quidnam, Episcope? Episcopas fortè alijs, sed mihi Episcopari non debes: non est discipulus super magistrum. Audi consilium meum: desine ab infestatione Fratrum & loci, alioquin vlteriùs ferre non potero antecessorum meorum opprobrium, & ecclesiæ meæ vastationem. Miser autem surgens à somno putat illudi sibi per somnium, cœpitque ex hoc dare singula bona ecclesiæ, & magis ad nocendum incumbere. Et ecce vineæ Apostolicæ cultor B. Gregorius lecto decumbere facit incubitorem: sed infirmatus non sentit, vulneratus non dolet. Quadam verò die quodam in loco fauens naturæ, ibi proiecit intima sua & funditus à vitâ succisus aruit. Et ne succenseas Sancto huic quòd Episcopo non pepercit: in hoc egit cum Deo: probata enim virtus corripit insipientes: gloria hæc est omnibus Sanctis eius ad faciendam vindictam in impijs, increpationes in populis: zelo zelatus est pro domo suâ.

reprehendit & punit:

B

m n o p Heriberti Comitem

q

5 Rege Francorum & Aquitanorum m de medio sublato n Egiua Regina viduata remansit: quam Heribertus o Comes, Heriberti Comitis p magni tyranni filius & tyrannidis hæres, satis diues & astutus nimis in sapientiâ huius mundi, sibi sponsam petijt & accepit: dotauitque eam de substantiâ non suâ, videlicet de bonis Domini quæ B. Medardo & loco sancto generositas q [Regum Francorum] contulerat villas oppida & redditus innumeros tradens vt placeret vxori. In diebus illis ægrotare cœpit vsque ad mortem: ad quem intrauit Abbas S. Medardi rogans eum & dicens vt disponeret de domo suâ & ablata Ecclesiæ restitueret: qui non respondit ei verbum: & spretus homo reuersus est domum suam. Venit nox, & ecce intra sepulcra mortuorum, quo mortuus ipse mane * deprecandus erat, in ipsâ nocte clamor factus est quasi discurrentium equorum, & vox multitudinis exultantis de Principis perditione: præ timore autem exterriti custodes, vigilabant & custodiebant vigilias noctis in templo Domini. Moritur ergo ille: plangitur, meritò plangendus: sepelitur retro oratorium S. Tyburtij r in loco sancto qui Sanctorum hostis apertus extiterat. Nec dissimulauerunt Sancti: nocte enim sequente B. Sebastianus, B. Gregorius & B. Medardus vnà veniunt sic alloquentes Abbatem: Quid fecisti? Cur recepisti quem nos expulimus? Raptus latro hominum & animæ suæ incidit in latrones, qui exposuerunt eam & abierunt, corpus eius secum ferentes vacuo monumento relicto. An nescis, quia Sancti Angelos iudicabunt? quantò magis impios homines? Manè facto narrauit Abbas Fratribus quæ viderat: qui mirantes etiam quæ dicta erant à custodibus ipsis, & ea probare volentes, venerunt ad monumentum cum magnâ frequentiâ populi quæ conuenerat: & intrantes, non inuenerunt corpus illius, qui tam in corpore mirabiliter quàm in animâ miserabiliter damnatus erat.

* an deportādus?

C

indignum sacrâ sepulturâ ostendit:

r

Suessionēses inguinariâ peste afflictos,

6 Iam taceamus antiquiora, seu etiam illa quæ innumeri aliunde venientes experti sunt: quid verò nostris in temporibus in hac vrbe contigerit, describamus. Annus erat Incarnati Verbi millesimus cētesimus vicesimus sextus: regnabat in Galliis s Ludouicus, episcopabatur in hac vrbe t Iosslenus, præerat Ecclesiæ huic venerabilis vir u Gaufridus, qui posteà Episcopus Cathulannensis claruit: & ecce abundante iniquitate multorum, diuino iudicio percussa est ciuitas ab irâ Dei desuper. Pestis enim illa, quam inguinariam vocant, & subita pestis totâ deseuiens vrbe metu astrixit vniuersos. Prior moriens, felicior videbatur metum mortis euadens; quàm qui sequebatur, reseruatus ad mortem. Implentur ecclesiæ per singulos dies corporibus defunctorum, adeò vt trinarium numerum frequenter eorum numerus excederet. Indicitur ergo plebi ieiunium, erogantur eleemosynæ in pauperes. Instabat dies Litaniæ maioris, quo B. Gregorius Romanum populum ab eadem peste liberauerat: vnde visum est tam in oculis Episcopi quàm totius plebis, vt eodem pro malo eumdem Patrem eodem die adirent, vt pacem requirerent de manu mediatoris. Postulatus Sanctus conceditur à Fratribus per vrbis mœnia deferendus: ordinantur processiones & conuentus Clericorum cum monachis: & vniuersâ multitudine populi ex adiacentibus locis conuocatâ, dicunt tantum numerum conuenisse, vt nisi præcedens præiret, alter sequi non posset: sed sicut vterque prior, sic ibat vterque secundus; aut impulsi vi populi versarentur & caderet. Igitur præeunte Episcopo per pontem fluminis Axonæ, qui interest vrbi & loco sanctimonialium chori, qui Deo & Beatæ Mariæ ibi deseruiunt, exeuntes ei obuiam, honorificè in ecclesiam intromittunt. Oratur ibi quatenus orante Sancto gloriosa Mater ad filium suum moderatrix existat. Tum ad Episcopalem Ecclesiam deportatur: vbi solemniter Missa cantatur ab Episcopo in honorem sancti Pontificis: fit inter agendum sermo ad populum: quem prædictus Abbas Sancti Medardi (sicut erat doctus) iussu Episcopi opportunè satis est executus. Quibus celebratis, summâ cum deuotione circumfertur per vrbem mira facturus Papa mirabilis. Turbæ autem, quæ præcedebant & quæ sequebantur, euntes ibant & flebant, S. Gregorium inuocantes. Miracula protinus fiunt, non minus euidentia quàm describunt antiqui: plerique in extremis iam positi, & in cinere ac cilicio super terram anhelo spiritu palpitantes, auditâ voce ciuitatis tumultuantis dū Sanctus transiret, crescente pariter fide cum viribus, in has voces erumpunt: O S. Gregori, ô dilecte Dei! adiuua nos misertus nostri. Eadem horâ surgunt, vestiunt sese, & Sanctissimū prosequuntur: actumque est, vt quocumque delatus fuisset Sanctus, pestis illico fugata quiesceret. Peractâ lustratione refertur ad locum suum vir gloriosus, & in atrio templi sedes interim lignea coaptatur: superimponitur Sanctus; iniicit se populus vniuersus quasi ad benedictionem. Quo facto introfertur Sanctus, & super aram B. Mariæ in maiori ecclesiâ collocatur: confluit turba, munerare cupiens protectorem suū: sed veritus Abbas (vt erat prouidus & liberalis) ne id auaritiæ esse videretur; festinanter in locum suum corpus sanctum reponi iubet, & populum ad propria remeare, reportantē manipulos pacis.

D s t u

statim vt corpus suū per vrbem delatum,

E

mirabiliter liberat:

F

idem sępè præstat è scypho suo religiose bibentibus,

7 Aduertere licet quantâ veneratione à nobis colendus sit, qui tantæ virtutis signum nostris his diebus ostendit. Viuens virtutes operatus est, & adhuc corpus eius prophetat; sicut & scyphus: est enim is apud nos, & honorificè conseruatur in loco suo, ægrotantium sanitas, febriū medicina. Norunt præsentes quid absentes experiantur de eo, & moderni quid gestum sit in antiquis; dum quilibet adhuc infirmi, cum fide in eo potantes & poscentes auxilium Sancti, citò meritum eius sentiunt & hauriunt salutem à Domino. Et est consuetudo vt in festo eius de eo bibatur à populo: qui numero suo frequenter viginti millia hominum ex diuersis locis conuenientiū visus est excedere: quæ autem pro certo comperta miracula sunt nobis, sigillatim referre, nec nostræ est scientiæ nec facundiæ,

aut

A aut virtutis: operæ-pretium est tamen, etsi non omnia, saltem è pluribus vnum dicere, & hoc tam notum omnibus quàm sol est mundo.

vt villa vnius exemplo probatus

8 Est, Villa Episcopalis in territorio istius vrbis quę Septem-montium dicitur: quam pestis illa peruasit, remanere non valens in ciuitate, quam Sanctus vallauerat. Territi incolæ Presbyterum suum adeunt, quærunt consilium: respondit ille prudenter, ad hoc multùm valere orationem ieiunium & eleemosynam. Nõ libenter audita sunt hæc: Eleemosynas, inquiunt, nos facere iubes, vt habeas vnde impleas marsupium tuũ. Ille nequaquam respondens iuxta stultitiam eorum, & nihilominùs semper insistens pro orationibus, tandem præualuit: & quia B. Gregorium ad id potissimum [valere] recenter audierat, admonet illos cum oblationibus ipsum adire. Adfuit statuta dies, & ecce milites cum agricolis, iuuenes & virgines, duce suo Sacerdote, ad monasterium Sancti peruolant, & Fratribus exponunt calamitatem suam. Ponitur scyphus in altari, requiritur cum hostiis pacificis & cordis deuotione: deinde vino infuso in scyphulo Sancti, corpora sua & animas corroborant: & reuertentes, de liquore infuso vini vel aquæ secum ferunt, & per domos, B rura, & hortos quasi de rore cæli desuper satagunt irrigare: pestis impugnatorem suum recognoscit fugitq; à facie eius. Hoc tam apertè factum est, quòd vsque hodie patres filiis notum id faciant, & est factum illud à Domino mirabile in oculis nostris.

pluuias largitur, inundationes coërcet:

9 Si clauso cælo pluuiæ non fluxerint propter peccata populi, vel è contrariò inundatio nimia extiterit, & conuersus populus Sancti huius flagitauerit subuentionem, mox subuenire comprobatur; & in morem Iosuæ & Eliæ nunc potenter imperat soli, nũc aquas educit de nubibus. De huiusmodi præsidio multa dicere supersedemus, ne videatur importuna narratio, si dicamus quando, quoties, & qualiter actum sit, quod quoties expedit toties vidimus actitatum. Vnum superest imponendum præsenti compendio, in recordationem præteritorum & futurorum prouidentiam.

Crispinianenses monachos corpori suo detrectantes occurrere,

10 Exibat aliquando corpus huius Sancti secundùm consuetudinem exigente necessitate, & circa eũ corona Fratrum tum clericorum quàm monachorum, & multitudo copiosa plebis: Episcopus autem ciuitatis, Iossenus prædictus, accurrere non valuit quòd infirmaretur è tibiis: misitque ad ecclesiam Sanctorum Crispini & Crispiniani nuntium, qui diceret, vt Fratres, Martyribus secum assumptis, Sancto ad pontem C occurrerent, vbi & ipse erat pariter occursurus. Qui indignabundi, se quidem ad vrbem delatura Martyrum corpora responderunt; sed nequaquam martyres tantos debere Confessori occurrere. At ille zelum quandoque habentium non secundùm scientiam frangere volens, accessit ad eos & rationem ita reddidit eis: Dum vos Martyres vestros creditis honorare, agitis vtique quod eis non placet, nec vobis proderit in futurum. Nonne illi vobis humilitatis exempla reliquerunt, dum in viâ humilitatis gradientes pro eâ vsque ad mortem decertarunt? Et si pensentur verba ex rebus, certè Apostoli Martyribus antiquiores & distinctione graduum excellentiores sunt. Et scitis profectò quòd Romani Apostolici Apostolorum locum obtinent: & eorum vnus Martyres vestros operarios suos mittens in messem suam, in hanc vallem direxit. Sed numquid putatis inesse Sanctis inuidiam aliquam disparis claritatis in terrâ, quos vnitas caritatis inuiolabiliter connectit in cælo? His & talibus lingua sapientis ornabat scientiam: nec tamen potuit vir prudens, litteratus, & verbum habens sufficienter ad manum, flectere tam sapientes non in sapientiâ. Perstant igitur illi in eo quod cœperant, seorsum incedentes, singulariter transeuntes in comitatu aliorũ: rediens verò Episcopus ab eis, iuit prout voluit obuiam Sancto, circumducens corpus sanctissimum & reducens ad locum, vo-

non in hoc suo obedientes Episcopo

tis humiliter & deuotè cum omni populo lætatus. Eũt D denique omnes voto adepto & impetrato pro quo rogauerant: sed ecce post paucos dies sagittæ Domini missæ sunt in contradictores, quarum indignatio priùs ebibens spiritum Prioris eum subitò primum extinxit: consequenterque Abbate mulctato rei auctore, decem ex Fratribus citâ & inopinatâ morte percussit. Stupefacti ergo & pauidi, quotquot de eis cladem euaserunt, sese in his omnibus peccasse confitentes, vsque hodie mandant memoriale hoc in generationes sempiternas. Videns ergo Episcopus verbum suum, quod interminatus fuerat, tam velociter impletum fuisse; quamdiu vixit crebrò tam ipsis quàm omnibus id repetere solebat quod viderat accidisse: vnde & veraciter affirmabat, B. Gregorium verè esse in loco isto. Et (vt verbis eius vtar) si, inquit, omnes Romani cum iuramento affirmarent B. Gregorium non esse nobis à Deo datum in Galliis, quotquot iurassent ego non metuerem iurare esse periuros, visis tot signis, quibus credere fides esse constat fidelium, & non credere error infidelium: nisi fortè duas esse fides asseramus, & fidem [habere] dicamus, qui Deum credens Dei operibus non credit: Credere enim debemus Deum non E tantum facere miracula potuisse, sed & fecisse. Nobis autem miracula fiunt, cùm fiunt supra ordinem & cursum naturæ; non illi à quo fiunt; iuxta verbum prophetæ de operibus Dei, Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipse es.

ex MS. plurium celeri morte punit,

& indubitatam facit sua præsentia fidem

a *Omnium nomina ex Nithardo coæuo vide in Comm. prævio num 21.*

b *Cognomento Caluus filius Ludouici Pij.*

c *Scilicet conuentus ibidem cum Ludouico Regis fratre in annum sequentem decretus, & spes Francorum, qui cum Aquitanis Pipino parebant, sibi subiiciciendorum; vt videre est apud Nithardum suprà citatum, vbi hæc quæ sequitur eleuatio narratur.*

d *Infelix Chronologus, vitiosissimis catalogis, vsus dũ propria Episcoporum qui adfuerunt vult exprimere nomina, in plerisque enormiter aberrauit: aut fortè interpolator quispiam imperitè adiecit quæ deesse videbantur nomina. Nam Ebo Remensis, iam inde ab anno 822 Episcopus, vltra an. 851 non vixit: anno autem 892 (quo hæc facta sunt) Episcopus fuit B.* Fulco. *Treuirensem Sedem ante annum 928 nullus Robertus tenuit, Teutgaudus verò (qui fortè hîc sic ponitur vt interiici debeat particula* vel*) circa an. 867 viuere desiit: sedebat verò tunc temporis Ratbodus. Rothadus Suessionensis circa an. 868 vitâ excesserat: Henricus diu antè vel pòst nullus nominatur: nunc autem Ecclesiæ præerat Riculfus. Hilduinus Virdunensis obierat an. 850, eique post Attonem & Berardum successerat Dado. Aldricus Senonensis mortuus erat an. 840, & tribus deinde mediantibus successorem nunc habebat VValterium. Ionas Aurelianensis morti cesserat an. 843, eiusq; locum nunc tenebat Tranninus vel Berno, siquidem Sanmarthanis hîc credimus. Denique Nouiomensis Rangarius ante an. 835. quo Fikardus sedebat, erat defunctus: & tunc Hettilo siue Heidilo Episcopus erat.*

Episcoporũ qui Eleuationi adfuere nomina corrigenda.

e *Sancti scilicet Medardus & Gildardus.*

f *Vtique non immediatè, sed per traditionem.*

g *Fusissimam huius Translationis historiam vide ad 20 Ianuarij auctore monacho coæuo post Acta S. Sebastiani.*

h *Regnauit autem vsque ad an. 1031 & à Bertha nuptijs iussu Gregorij V separatus, an. 997 vxorem duxit Constantiam Guilielmi Comitis Arelatensis filiam, de quâ hîc fit sermo.*

i *Is qui in tabulis* Lessieres *dicitur in Valesio, Suessionensi vrbi ad Occidentem 4 circiter Leucarum interuallo. An de hac etiam agitur num sequenti?*

k *Aliàs Fulco, qui anno 996 Synodo Calæ celebrato interfuit, vixitq; ad annum 1018 vel 1025 vt videre est apud Sanmarthanos.*

l *Cuius post Bosonem anno 1005 memoratum memoria est apud eosdem tom. 4 Galliæ Christianæ ad an. 1025.*

m *Carolo simplice anno 929 in carcere.* F

n *Seu potius Ogiua, filia Regis Anglorum Eduardi primi, tertia Caroli simplicis vxor.*

o *Philippus Labbe in tabulis Genealogicis tab. 10 testatur quod in chartulario Deruensi dicatur* Magnus Francorum comes & Palatij Comes. *ipse autem Trecensem Comitem facit post mortem Roberti fratris.*

p *Tyrannum vocat, quia Carolum simplicem an. 923 dolo captum ad mortem vsque in custodiâ habuit, & cum complicibus summam in regno exercuit potestatem quoad vixit, mortuus, vt scribit Frodoardus, an. 943, Veromanduorum Comes, huius nominis II, ex Pipino Carolo Magni filio Italiæ Rege genus ducens.*

q *Videtur desiderari* Maiorum eius *vel quid simile.*

r *Cuius corpus inter Sanctorum, in Ecclesiâ Medardi quiescentium*

A *tium, reliquias numeratur: vt vix dubitari possit quin de hac eiusq; Abbate his deinceps agatur, aquè ac in principio. Philippus tamen Labbe vbi suprà, sepultum ait in Latiniacensi quam readificarat Abbatiâ anno 993. Sane huius filius fuit Stephanus* Comes Clarissimus, *Roberti Regis* etiam nepos amantissimus *qui paternas donationes eidem Abbatia petijt confirmari ab eodem Rege, vt apud Sanmarthanos tom. 4 pag. 557 videre est. Fortassis cœnotaphium eidem tamquam restauratori erectum, fecit vt Latiniaci sepultus crederetur Heribertus iste: quem San-Marthani perperam faciunt filium Roberti, cuius frater fuit.*

s *Cognomento Crassus ab anno 1108 ad 1137.*

t *Insigniter laudatus in Vitâ S. Godefridi Ambian. Episcopi & vsque ad annum 1152 Sedem tenuit: sed Sammarthani vno anno seriùs quàm hic dicitur ordinatum scribunt.*

u *Ex Abbate S. Theodcrici prope Remos huc translatus anno 1120, Episcopus factus anno 1131*

APPENDIX

Ex Vitâ B. Goswini Abbatis Aquicinctini.

S. Goswino infirmo apparet CONtraxerat [Goswinus] ægritudinem ab eo tempore, quo seculari depositâ vetustate vitæ induerat nouitatem . . . eâque apud S. Medardum commorans acerrimè torquebatur . . . . in quâ B quia consideratione sanctâ postposuit humanam, diuina ei non defuit medicina. Nocte enim quadam laudibus expletis matutinis, cùm Fratres cubilia repetiissent, ipse secundùm consuetudinem remansit in ecclesiâ, Regi suo legatos pacis, id est, orationes matutinas directurus. Quòd autem legatariæ preces moram non fecerint in eundo, palàm innotuit gratia visitatrix. Missus enim est ad eum qui mederetur eius ægritudini à Medico medicorum: & ne diuinæ baiulum medicinæ horreret sensus præ gloriâ, clausæ modico spatio sunt à Domino fenestræ oculorum . . . . Mox autem vt est in somno resolutus, sicut in oratione erat genibus & cubitis conuolutus, videre sibi visus est de loco sanctuarij virum egredi secus mausolæum, quod *ad corpus suum orãti,* B. Gregorij creditur ossa continere, cuius erat habitudo reuerenda, canis caput ornantibus & barbam vniuersam; vestimentis indutum coloris alieni, pulcritudinis insuetæ, insuetæ qualitatis; & per altare Missæ minoris in Presbyterij descendere pauimentum. In cuius manu sinistrâ vasculum inspicit, aptissimum distemperandæ potioni: in dexterâ formam paruissimi cochlearis, vnde species receptionis salutaris antidoti miscere videbatur. Cùm autem transitum faceret iuxtà mensam maioris Missæ, vbi loco suo Sancta Sanctorum seruabantur, vel potiùs seruatores & seruitores suos conseruabant, tantò profundiùs Deum suum alC tâ capitis submissione visus est honorasse, quantò sublimiùs esse sciebat quod honorabat. Accedens deinde pedetentim & liquidam indefessè commouens potionem, statim vt ad eum proximauit, labia linguamque iacentis visus est ex cochleari tetigisse, ita quòd sa*& prabito pharmaco* porem potionis allatæ sibi visus est persensisse. Peracto ministerij sui officio qui visus fuerat disparuit, & qui viderat euigilauit, rei ordinem & visionis magnitudinem admiratus . . . resumptoque orationis ardore vbi fuerat interruptus, procedebat in ipsâ, & morulam dormitionis abundantiori feruore compensare laborabat. Sensit interim stomachum emolliri & viscerum intima conturbari: & secessus instantiâ naturalis, aduertit non esse phantasticum quod vidisset, non parui pretij quod accepisset, non contemptibilem qui venisset: quandoquidem spiritualis illa potio plus in *restituit sanitati:* ipso fit quàm artificialis aliqua operata. Ex tunc igitur suasum est ei à spiritu & meritò persuasum, Beatum illi Gregorium adfuisse, cuius ministerio sic ab ægritudine fit corpus eius alleuiatum, vt cor ante fuerat verbis eius ab acediæ peste liberatum . . . Quod autem acciderat, tam Abbati Gaufrido quàm quibusdam claustralium, voluit non tacere; quatenus de miraculi perpetratione, de superborum confusione qui dicerent Gregorium non esse in loco illo, de exaltatione suæ ecclesiæ hilariores redderentur. D

Eadem in contractiori eiusdem Sancti Vitâ, post priorem Duaci excusâ, num. 6 referuntur. Contigerunt autem cùm sub prænominato Abbate Priorem in dicto S. Medardi cœnobio ageret Goswinus, ante annum 1145; & scripta sunt ab auctore coæuo, septimo post obitum eiusdem anno, atque adeò anno 1203 vel sequenti. quomodò autem idem Sanctus acediæ tentationem (quod hîc indicatur) excusserit, lecto S. Gregorij libro super Ezechielem, narratur ibidem cap. 15; & capite sequenti dicitur eumdem librum itineris comitem sumpsisse, cùm missus est in Galliam ab Aluiso Abbate Aquicinctino, ad reformandum B. Crispini Suessionis monasterium: quo facto reuersus ad sua, similiter à S. Medardi Abbate postulatus in Priorem claustralem fuit. *cui ante libros suos legentis spiritus feruorem reddiderat,*

INter errata typographica vix vlla irrepsêre, quæ non sit facilè lectori per se corrigere; quæ aliquid habeant difficultatis, sequentia sunt. pag. 50 sub finem num. 13 circa finem seculi decimiquinti aut decimi sexti. *lege,* aut initium decimi sexti.

Pag. 100 *in margine pro anno* 1060 *lege* 1622.

Pag. 124 impenpit: *lege,* impendit. *typothetæ autem oscitantis fuit delictum, quòd litteram vitiosam mutare iussus in principio lineæ 18 id fecerit initio lineæ 22, & ex eo quod* E *rectè scriptum erat* præcipit *fecerit* præcidit. *Ita nulla satis diligentia est, quæ omnia possit menda euadere, quando ipsa prioris mendi correctio, noui quandoque fit occasio.*

Pag. 164 *lin.* 5 Castrorum Armini *lege* Castorium Arimini.

Pag. 226 *sub finem num.* 8. Profectò ne filiorum quidem ei copia suppetet: *lege* figlinorum. *pag.* 227 *num.* 14 cilino pallio *lege* cilicino.

Ibidem col. 2 lit. b. dele vltimam lineam Laudatissima Imperatrix ob restitutam Leone mortuo orthodoxiã: *hæc enim Leonis non mater, sed vxor fuit.*

Pag. 255 *circa medium,* Antelinum quoque Episcopum Beticensem; *lege,* Athelmum quoque Episcopum Bellicensem.

AD XIII MARTII.

Pag. 258 *columnâ 2 circa medium, hæc adde* Sancti Ioãnis Boni Confessoris de Mantuâ Ordinis Eremitarum S. Augustini. *Ita Kalendarium Missalis secundùm morem Romanæ Ecclesiæ impressum Venetiis anno* MCCCCLXXXVII. *De classe Eremitarum Ioannis Boni latè egimus* x *Februarij vt distingueremus Eremitas S. Guilielmi pag. 472 & quinque sequentibus. Ambrosius Calepinus in Vitâ Ioannis Boni scribit eum è vitâ discessisse* x Calendas Octobris *seu* XXII *Septembris. At Constantius Lodi, Herrera alijque tradunt mortuum* x *Calend. Nouembris seu* XXIII Octobris. F

Inter errata diei huius pauca hæc corrige. Pag. 264 extremas ferè duas lineas expunge, quia pagina sequenti repetuntur.

Pag. 280 *col. 2 lin. 12 à fine* Annales partij *lege* Annales patrij.

Pag. 312 b media nocte Dominicæ lucis præcepit vt virum sanctum in exilium deportaret, *corrige hoc modo:* Mediâ nocte præcepit, vt virum sanctum Dominicæ lucis candelabrum, in exilium deportaret. *Nempe in textu Græco deficiens substantiuũ ad quod referri deberet,* τὸν τοῦ φωτὸς κυρίου, *hanc perturbandi sensus occasionem attulit, nos in Græco addidimus* φωστῆρα.

Pag. 314 *dele in margine hæc verba, eo properam traducta ex contextu* Missa facio vtique suffectura.

AD XIV MARTII.

Quòd sub huius diei finem translationem B. Arnaldi explicuimus, tamquam proprium cultus diem alium non habentis (cùm eum scilicet per reliquos anni menses requisissemus, nec esset ad manum Chronicon monachi Paduani quod licuisset consulere) id non prorsus inutiliter accidit: dicta enim non pauca hîc sunt, quæ Vitæ datæ ad x *diem Februarij (de quo scilicet Bollando auctore mortuo non recordabamur) illustrandæ poterunt ipse ruire, & esse pro supplemento.*

AD XV

AD XV MARTII.

Errata hæc corrige pag. 375 *num.* 7 *lin.* 15 ex duodecim. *lege*, neque ex duodecim.

Pag. 377 *ante* c Notkerus annis centum Rabano iunior. *lege*, annis quinquaginta.

AD XVI MARTII.

DE B. IOANNE EP. VICENT. M.

Quem ad huius Beati Martyris Vitam ex Barbarano dandam habere optauimus processum Cremonensem, eum hîc exhibemus, ab eodem, ex quo primam ipsius acceperamus notitiam, Ferdinando Vghello nobis subministratum: contractis tamen ad pauciora vel etiam omissis quorumdam testium depositionibus: quod iisdem sæpius verbis vsus Notarius sit, & vnum ferè idemq; deposuerint plures, nec nisi de vitâ Cremonæ ante & in dignitate Abbatiali honestè actâ ac munere rectè administrato. Igitur post Vitam pag. 498 *adde sequentia: alia verò instrumenta à Barbarano citata, si quando stylo primogenio nanciscamur, ad Supplementum huius mensis, opere finito dandum, expecta.* B

INQVISITIO

Facta Cremonæ per Dominum Homobonum Episcopum Cremonensem de Vita & moribus B. Ioannis Cazenfronte, Abbatis S. Laurentij de Cremonâ, posteà Episcopi Vicentini.



1 ANno Dominicæ Incarnationis MCCXXIII Indict. XII die VII intrante mensis Nouembris, in ciuitate Cremonâ, cùm Dominus *a* Homobonus Dei gratiâ Episcopus Cremonensis ex mandato Dominorum . . . , *b* Paduani Episcopi & Ioannis Prioris S. Mariæ di Vanlo eiusdem ciuitatis & . . . . Prioris S. Spiritus di Veronâ, Delegatorum à Domino Papâ, & ex eorum Delegatorum præcepto, diligentem faceret inquisitionem de moribus & vitâ & honestate quondam Domini Ioannis Cazenfrontis, olim Abbatis monasterij S. Laurentij ciuitatis Cremonensis & Episcopi Vicentini: Dominus Oddo de Comitibus Nobilis ciuis Cremonensis & Legis-peritus, tactis sacrosanctis Scripturis iuratus dixit, se cognouisse (XLIV anni sunt & plus) quondam Dominum Ioannem Cazenfrontem Episcopum Vicentinum, qui fuit natus de Cremonâ ex nobili genere: & vidit ipsum Priorem ecclesiæ S. Victoris de Cremonâ, quæ nullo medio est subdita monasterio S. Laurentij: sed vbi fuisset electus in Priorem, non scit. Et dixit quod cognouit ipsum & eius notitiam habuit antequàm in dictâ ecclesiâ Prior fuisset constitutus, & tunc ipse Dominus Ioannes erat bonæ famæ & bonæ conuersationis & honestè viuebat.

a

b

7 Non. audiui testis primus

de vita honestate

C

2 Et posteà, pro sapientiâ & probitate & honestate suâ, fuit electus Abbas monasterij S. Laurentij: & vidit ibi ipsum commorantem & in claustro honestè residentiam facientem, & negotia ipsius monasterij viriliter & cum honestate tractantem, vsque ad tempus schismatis nati inter Dominum Papam Alexandrum & Octauianum & Imperatorem Fredericum: quod schisma tantum ac tale erat, quòd à *c* Clusis S. Michaëlis vsque Romam nullus Cardinalis vel amicus Domini Papæ ausus erat comparere, propter metum dicti Imperatoris & suorum amicorum. Tamen pro libertate Ecclesiæ manu-tenendâ, opposuit se tunc murum pro Ecclesiâ, & adhæsit parti Domini Papæ Alexandri, tractando & ordinando libertatem Ecclesiæ, & rebelles conuincendo ad libertatem prædictam. Inter hæc accessit Cremonam quidam Teutonicus, qui expulit Dominum Abbatem de ciuitate cum sequentibus suis, ita quòd non erant ausi comparere: ipse tamen occultè reuersus in ciuitatem, tractabat quotidie de statu & libertate Ecclesiæ: & intantum institit quòd Dominus Alexander obtinuit ibi, & quasi omnē ciuitatem reduxit ad fidem Ecclesię per Lombardiam pro ipso Domino Alexadro. Item dixit quòd pluries vidit ipsum in publicâ concione publicè concionari pro libertate Ecclesiæ, & pro parte Domini Alexandri, præsentibus aduersarijs & contradictoribus. Et dixit quòd libenter diuinum celebrabat officium & benè & optimè nouerat celebrare; & caritatiuus homo fuit. Et dixit quòd ipse primò instituit, vt sibi videtur, & ordinauit caritatem illam magnam, quæ nunc celebratur apud dictum monasterium S. Laurentij. Et sic testatus est idem Dominus coram præfato Domino Episcopo Cremonensi, in præsentiâ Dominorum Nigri Archidiaconi Cremonensis & Magistri Albrici Canonici Vicentini, & Alexandri Notarij Domini Episcopi Vicentini.

zelo pro libertate ecclesiastica

c

D

& caritate erga pauperes

3 Posteà eadem die apud ecclesiam sanctæ Resurrectionis, præsente præfato Archidiacono & Presbytero Ioanne Bono in præsentiâ dictorum Magistri Albrici & Alexandri Notarij, Domnus Lanfrancus, quondam Prior eiusdem monasterij & Abbas Iouisalti *d* siue S. Petri de Montirono & Eremita, tactis sacrosanctis scripturis dixit, quòd cognouit quondam Dominum Ioannem Cazenfrontem, & vidit ipsum Abbatem dicti monasterij S. Laurentij: & dixit quòd ipse fecit se testem monachum ad ipsum monasterium, & cum eo ad ipsum monasterium moratus fuit, & ei seruiuit ad mensam per tres annos. Et dixit quòd ipse Dominus Ioannes erat homo bonæ famæ & bonæ opinionis & bonæ conuersationis: & vitam gerebat honestam cum Fratribus suis in ipso Monasterio, & negotia eiusdem monasterij fideliter & cum honestate tractabat, & ipsum monasterium multùm in diuitijs & bonis moribus augmentauit: & diuinum officium fideliter & honestè celebrabat; & caritatiuus homo erat. Intereà magna dissensio orta est inter Dominum Papam Alexandrum & Dominum Octauianum, & Imperatorem Fredericum: & se pro libertate Ecclesiæ manu tenendâ murum opposuit, & multa bona ipsius monasterij expendit pro libertate Ecclesiæ manutenendâ. Et dixit quod vidit & cognouit matrem eiusdem Abbatis, quæ vocabatur Berta: sed patrem eius non cognouit: verumtamen cognouit quemdam eius *e* priuignum qui vocabatur Adam Cazenfronte, à quo sumpsit cognomen istud Cazenfrontis. Et dixit quòd post mortem istius Adæ dicta mater eius deuouit se præfato monasterio, & ibi suam finiuit vitam. Item dixit, quòd cùm Præfatus Dominus Alexander & Curia Romana cognouissent tantum laborem tantùmque dispendium per ipsum Dominum Abbatem factum pro parte suâ & libertate Ecclesiæ manutenendâ, idem Dominus Alexander, pro remuneratione dicti laboris & dictarum expensarum dicto modo factarum, dedit eidem Abbati & monasterio præfato monasterium de Vlmineto, quod dicta Ecclesia S. Laurentij hodie habet & possidet. Et dixit quòd numquā fecit aliquod sacramentum. Et dixit quod memoria eius est septuaginta annorum & plus: & sic testificatus est coram præfato Domino Archidiacono, à præfato Domino Episcopo Cremonensi ibi delegato.

E

testis 2 Abbas S. Laurentij

d

F

e

deponit etiā de matris pietate.

4 Posteà verò eodem die in præsentiâ dicti Magistri Albrici & dicti Alexandri Notarij, in claustro S. Laurentij prædicto, coram præfato Domino Archidiacono nuntio dicti Domini Episcopi Cremonensis & in præsentiâ Domini Cremoxani, eiusdē monasterij Abbatis & Domini Pellegrini Prioris eiusdem cœnobij

alij duo monachi audiuntur.

A cœnobij testium rogatorũ; Domnus Martinus quondam Abbas monasterij ipsius, tactis sacrosanctis scripturis dixit, quòd vidit dictum Abbatem ad ipsum monasterium, & libenter celebrabat officium diuinum, & benè nouerat celebrare, & ipsum monasterium multùm augmentauit. Sed ipse testis nondum erat monachus ipsius monasterij, & idcirco de vitâ eius non recordatur. Et dixit quòd tempore schismatis, quod fuit ortum inter Dominum Papam Alexandrum & Octauianum & Imperatorem Fridericum, dictus Domnus Abbas Ioannes posuit se pro muro Ecclesiæ, & adhæsit parti Alexandri & aliam partem postposuit. *Eadem ijsdem verbis testatus est* Domnus Andreas, *similiter, quando* cognouit *Domnum Ioannem Cazinfrontem Abbatem*, nondum monachus.

sexies.

5 Posteà eodem die coram Domno Homobono Dei gratiâ Cremonensi Episcopo & præsentiâ dictorum Dominorum Archidiaconi & Magistri Albrici & Alexandri Notarij, Petrus Arimandus iuratus dixit, *primùm quidem de matre Bertâ eadem ijsdem verbis vt supra: deinde* dixit quòd ipsemet testis erat eius propinquus: & dixit quod ipse seruiuit ei inter monachos S. Laurentij & in Episcopatu *f* Mantuæ per XII annos & plus. Et dixit quòd erat homo bonæ famæ & bonæ opinionis & honestam vitam gerebat, nec aliquid sinistrum in eo vidit. Et pannum lini non induebat nisi *g* sembulum. Hoc ideò scit, quia ipsemet testis faciebat ei lectum, & iuuabat ipsum *h* desparare & ire ad lectum sæpè sæpiùs. Et *i* stamina iuxta carnem suam portabat, nec ipsam de dorso extrahebat donec erat quasi fracta. Et caritatiuus homo erat & libenter diuinum celebrabat officium, & benè nouerat celebrare. Et nolebat comedere in monasterio nisi de cibo qui dabatur aliis Fratribus: nec pro eo fiebat alius cibus. Et dixit quòd multùm laborauit pro Ecclesiâ tempore dissensionis, quæ fuit inter Dominum Papam Alexandrum & Octauianum & Imperatorem Fridericum: & postpositâ parte Octauiani & Imperatoris Friderici, adhæsit parti Domini Alexandri: & intantùm laborauit quòd Dominus Papa Alexander obtinuit: & erat caput Ecclesiæ in Lombardiâ pro Domino Papâ Alexandro. Dominus Ioannes bonus; Massarius *k* laborerij maioris ecclesiæ Cremonensis; eodem die & loco coram præfato Domino Episcopo Cremonensi in præsentiâ præfati Domni Archidiaconi & præfati Magistri Albrici & Magistri Marchisij Archipresbyteri pleb. Casalis-maioris iuratus dixit *eadem quæ alij de vitæ honestate & zelo concionantis publicè pro ecclesiasticâ libertate. Eadem* posteà in sequenti die in eodem loco & in præsentiâ *eorumdem ferè omnium*, Magister Bertrandus Diaconus ecclesiæ *l* Marmita iuratus dixit: *eadem* in præsentiâ Fratris Gualæ Prioris Brixiensis FF. Prædicatorum, & Fr. Pauli de Tribus, Prædicatoribus, *coram ijsdem qui supra, similiter* iuratus dixit Ognabenus de Multis-denariis de viciniâ S. Laurentij: *&* in continenti Galiotus de Pida, *&* Auantius de Guarimberto de Portu-pertuso: *quorum verba prorsus similia toties iterare superfluum foret.*

item domesticus B. Ioannis famulus

B

testis austeri victus vestitusque

& alij quinque.

C

6 Posteà eodem die Dominus Petrus de Tintis & Dominus Baiamontus de Sancta-sanctis & Dominus Frater Domini Episcopi Cremonensis Dominus Ioannes de Mandelbertis, & Dominus Artusius de Obizone Rubeo, iurauerunt coram præfato Domino Cremonensi Episcopo in præsentiâ Albrici Alexandri & Marchisij *prædictorum* & Presbyteri Alberti de S. Prospero. Primus quorum Artusius dixit, quòd ipse stetit cum Domino Ioanne Cazinfronte *m* Mantuæ in Episcopatu Vicentiæ per vnum mensem pro eius seruiente: & dixit quòd erat homo discretus & caritatiuus & vitam ducebat honestam: & quòd ipsemet de voluntate & præcepto eiusdem Domini Ioannis multas faciebat caritates pauperibus & orphanis & viduis. Et dixit quòd diu noctuque vacabat lectionibus & orationibus. Posteà ibi in continenti Ioannes de Malaterrâ de Mandelbertis iuratus dixit se cognouisse quondam Dominum Ioannem Cazinfrontem Episcopum Vicentinum, & stetit cum eo ad Vicentiam per quinque annos: & dixit quòd erat cum eo quando fuit interfectus. Et dixit quòd postquam interfecerunt eum, bis signauit interfectores suos, se teste vidente. Et dixit quòd erat homo bonæ famæ, & libenter faciebat caritatem: & ipsemet testis ex præcepto eius multoties publicè facere debuit caritatem: & honestam vitam gerebat, & caritatiuus homo erat: & quandò *n* confecturæ ante ipsum ponebantur, ipse eas diuidebat & mittebat paupercùlis mulieribus in partu iacentibus & pauperibus & infirmis & orphanis & viduis. Et erat homo bonæ conuersationis & pro libertate Ecclesiæ manutenendâ gladio inimicorum fuit extinctus. Posteà Dominus Petrus de Tintis iuratus dixit, quòd vidit Dominum Ioannem Cazinfrontem, quondam Abbatem monasterij S. Laurentij, publicè in concione publicâ Cremonæ litigantem contra Dominum Anselmum de Douariâ & Pontium de Giroldis & alios qui tenebant partem Octauiani & Frederici Imperatoris.... Posteà Dominus Baiamontus de Sancta-sanctis & frater Domini Episcopi Cremonensis iuratus dixit, quòd vidit & audiuit dictum Dominum Ioannem.... dicere & respondere publicè Domino Anselmo de Douariâ: Dicite quidquid vultis, ego ero vobis mansuetus tamquam agnus iactans: & hoc faciebat pro libertate Ecclesiæ defendendâ... Posteà die Iouis nono intrãte Nouembre coram Domino Homobono.... Ioannes de Bonuicino iuratus dixit quòd ... ipse adhæsit parti Domini Alexandri & Romanæ Ecclesiæ, & suâ sapientiâ & exercitio restitit omnibus contradicentibus, intantum quòd reuocauit Clerum & populum vniuersum illius ciuitatis ad amorem Romanæ Ecclesiæ & memorati Domini Papæ Alexandri; ita quòd Romana Ecclesia in ciuitate Cremonæ obtinuit.

item is qui præsens adfuit in mortem

D

vidit eũ interfectoribus benedicentem,

deinde alij duo familiares,

E

9 Nou. testantur

c 7 Eodem die in capellâ S. Stephani coram altari eiusdem B. Stephani Dominus Homobonus Cremonensis Episcopus vnà cum Capitulo suo; videlicet D. Nigro Archidiacono & D. Petro Archipresbytero, & D. Ambrosio Presbytero, & D. Alberto Virono & Corrado de Gazo & Zanone de Bellâ Diaconibus & Ioanne de Geroldis Subdiacono; in præsentiâ multorum ibi existentium, coram Deo & B. Stephano testificati sunt dicentes, quòd ex relatione antiquorum & suorum Maiorum prædecessorum & antecessorum, tam Clericorum quàm laicorum ciuitatis Cremonæ, & ex publicâ fama ipsius ciuitatis intellexerunt, quòd Dominus Ioannes Cazinfrontus fuit primò Prior S. Victoris, & posteà pro honestate & sapientiâ suâ fuit Abbas dicti monasterij S. Laurentij: & quòd fuit ciuis Cremonensis, & ex nobili genere natus, & quòd benè & honestè duxit vitam suam in dictâ Ecclesiâ & catholicus homo erat & caritatiuus *&c. de augmentatione monasterij & zelo libertatis ecclesiasticæ ijsdem quibus alij verbis.*

Episcopus & Capitulum Cremonense.

F

✠ Ego Alexander sacri Palatij Tabellio & posteà D. Fred. Rom. Regis omnibus istis attestationibus interfui, ipsas audiui præter testificationem D. Ioannis Boni, Massarij maioris ecclesiæ Cremon. & meo signo & nomine subscripsi.

✠ Ego Bartolomæus de Pescarolo, D. Henrici Imperatoris Notarius, his omnibus interfui, & hanc chartam scripsi & dicta omnium prædictorum in formâ publicâ redegi.

subscriptiones Notariorum.

a *Cognomento Medalbertus ab Honorio III consecratus an.* 1217 *defunctus* 1248, *vt ait Vghellus, egregia huius optimi Præsulis Acta paucis complexus tom.* 4 *col.* 824

b *Fuit is Iacobus Maltrauersus vt habet Vghellus tom.* 5 *col.* 423 *creatus an.* 1214 *mortuus* 1228.

c Chiusa *variorum in Italia pagorum nomen est, cui autem* *cogno-*

A *cognomentum addatur* S. Michaelis, *nullam exprimunt tabulæ Geographicæ: spectatis tamen circumstantiis conijcere possumus eam* Chiusam *hic indicari, quæ ad Mincium amnem, prius quàm hic se Pado infundat, notata reperitur, paucarum horarum interuallo Mantuâ distans.*

d Iouis-altam *nominat Cauitellius in Annal. Cremon fol.*287 *ad annum* 1525 *lacrymoso casu diffamatam: videturque esse vicus sub nomine* S. Petri *absque addito expressus in tabulis, paucis passuum millibus Cremonâ distans trans Padum.*

e *An ex aliquo Cremonensium idiotismo dicatur pro* Vitrico *necdum didicimus*

f *Quem rexeritne vt Episcopus an vt Administrator, dubium etiamnum nobis manet.*

g *Vim vocis ignorans Barbaranus, ipso vbi hoc testimonium citat loco, dissimulauit Italicè reddere.*

h Exuere vestimentis *quomodo*, parare *Italis est* induere: *atque hinc* paramenta *vestes sacra.*

i *Academicis della Crusca* Stamigna *dicitur subtilis pannus ex pilis caprinis textus: Francis* Estamine, estamette *etiam ex lanâ nuncupatur.*

k *Massarij nomen alibi explicuimus: hic addo non quemuis pecuniæ sacræ custodem hic significari, sed eum qui reditunm partem fabricæ templi destinatam administrat: quos in Etruriâ* Operas templi, *quia operibus faciendis præfectos, dicunt.*

B l *Vereor ne hic aliquod mendum lateat.*

m *Fortasse legendum* tam Mantuæ per &c.... quàm in Episcopatu Vicentiæ per mensem vnum.

n *Ita dulciaria & saccaro vel melle conditi fructus nuncupantur. ecgraphum nostrum* coëferebat: *quod ex coniecturâ immutauimus.*

His ad diem XVI *additis sequentia typographica mendâ corrige hoc modo.*

*Pag.*425 *ode* 7. Rhedæ incedens, *lege* rectè incedens: *& ibidem paulò infrà*, plantis tuis clauis perforatus, *lege*, plantas tuas.

*Pag.*426 *de S. Agapito lin.*7 *&* 8. Omnes expressi tessellato opere, & coloribus adumbrati: *lege*, expressos, & adumbratos.

*Pag.*433 *de S. Ioanne col.*2 *in fine distichi:* qui nominandus... excessus fuit *lege*, accessus.

*Pag.*449 *col.*2 *lin.* 6 *à fine* sepultusque in est eadem ciuitate, *lege*, est in.

*Pag.*452 *cap.* 1 *lin.* 6 Administratum est industriâ, & te quod virtute regni soliditas creditur fore: *lege*, administratum est industria & virtute, quod regni soliditas creditur fore.

C *Pag.*455 *col.*2 *in medio*, diuina gerenda pernoctans: *lege*, gerendo.

AD XVII MARTII.

DE S. MARINO M. APVD GRÆCOS

ex Synaxariis MSS.

Pag. 511

Huius à duobus synonymis diuersi

DVos hoc nomine insignes Martyres Græcorum excusa Menæa memorant, alterum Romæ sub Carino XVI Decembris, alterum cognomento Senem XVIII Octobris, quem eumdem MS. Claromontanum habet VIII Augusti & sub Diocletiano Tarsi in Ciliciâ passum describit. Vtrique gloriosi martyrij lauream gladius attulit: quomodò eadem etiam obtigit S. Marino, in tribus MSS. Synaxarijs Imperatoris Basilij, Collegij Claromontani, & Chiffletij nostri commemorato ad hunc diem: quem tamen ab vtroque prænominato distinguendum esset probant initium & genus tormentorum, istis per publicos magistratus, huic populari furore illatorum. Elogium eius Græcè iam excusum habes in Synaxario ante Græca to. 1. Id Latinè redditum hic dari debuerat pag. 511 & nomen inter huius diei Sanctos in catalogo pag. 506 post S. Iosephum ab Arimatheâ fuerat collocandum: quod tunc omissum hic supplemus. Est autem eius elogium tale:*

elogium.

D Marinus Christi Martyr, Christianus cùm esset, & idololatras sacrificantes conspiceret, mactantesque non tantùm irrationalia animalia, quadrupedia & volatilia sed etiam homines, zelo exarsit: & ipso tempore, quo idolis inanimis festũ agebatur, occurrens, euertit aram victimasque conculcauit, & impios idolorum sacrificulos contumeliâ afficiens; Christianum se esse confessus est, Credo, inquiens, in Christum filium Dei, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Tunc irâ commoti idololatræ comprehenderunt eum & primùm quidem ipsimet eum castigauêre, hic baculo verberans, iste saxo os eius dentesque conterens, alius per capillos trahens: posteà vero ligantes eum tradiderunt Præsidi regionis illius, quo iubente inclementer taureis flagellatus, tum appensus & latera ferreis vngulis pexus, gladio denique capitis abscissionem pertulit. *Vbi, quando, sub quo, neque hîc dicitur, neque nos scimus diuinare.*

turbatis impiis sacris,

malè ab idololatris habitus,

iussu Præsidis cruciatur & capite plectitur

*Pag.*506 *in catalogo Sanctorum diei* 17 *col.*2 *lin.*9 S. Vicentia. *lege*, S. Viuentia.

*Pag.*513 *col* 2 *lin.penult.* eidemdij ciens, *lege*, eidem adiiciens.

E *Pag.*530 *col.*2 *lin.*17 *à fine* Igitur per se tuenti: *lege*, ruenti.

*Pag.*600. *lin.*4. Emma de Talour *lege* de la Tour.

*Pag.*604 *de S. Gertrude vltimas lineas sic corrige & auge. Quæ autem ad venerationem S. Gertrudis loco iam dicto spectant, & ab Ioanne Gamansio accuratè atque distinctè submissa nobis erant, huic loco subiungenda, typothetarum quidem incuriâ periere, nec posteà reperiri potuere: quò leuiùs tamen eam iacturam feramus faciunt quæ sunt paragrapho superiori exposita, &, quantum memoria retinet, quoad substantiam eadem cum amissis. Sunt autem eiusmodi, vt omnino persuadeant aliquam istic vixisse Gertrudem, Berberthâ prognatam matre, & ei Carolo cuius memorantur diplomata proximâ consanguinitate coniunctam: cuius tamen quia nusquam memoratur sepultura vel corpus, suspicamur pallium, speculum aliaque eiusmodi lipsana primùm ad memoriam religiosæ atque beneficæ Virginis seruata potius quàm ad cultum, posteà, cùm S. Gertrudis Niuellensis cultus ita cœpit totâ celebrari Germaniâ, occasionem dedisse confusionis, quasi hæc ibi vixisse crederetur. Nam quòd aliquid de ossibus S. Gertrudis ibi esse dicatur, verum esse potest, etsi particula illa, vel Niuellensis vel alterius Gertrudis sit, non eius quæ Carlostadij vixerit quaque nec refossa vnquam fuerit ad publicam venerationem, & vbi sepulta lateat adhuc ignoretur.* F

*Pag.*611 in variis conuentus istius loci, *lege*, locis.

AD XVIII MARTII.

*Pag.*612 *col.*2. *In Catalogo Sanctorum huius diei post S. Cyrillum addatur* S. Tetricus Episcopus Lingonensis in Galliâ.

*Pag.*658 *in titulo cap.*8 ex epistolis, *lege*, ex epistolâ, *& consequenter, iuxta annotationem in fine capitis subiectam, dele ex margine col.*3, EPIST. I. EPIST. II.

*Pag.*696 *col.*2. *lin.*2 τὴν δὲ τῷ Πέλοπος ἐπιδῆ τῇ λοιπῇ προσμίγνυσιν, *lege*, προσμίγνυσι inserit, admiscet.

Porrò in notationibus ad Vitas Græcas varia inueniet lector, quæ Latino textui vel illustrando vel emendando seruire possunt, adeoque hic repeti & indicari non debuerunt.

INDEX

INDEX HISTORICVS
IN VITAS SANCTORVM
TOMI II MARTII.

Continet hic Index propria ferè nomina hominum aut populorum, non tamen Sancto- rum, *quorum in hoc tomo memoria aut res gestæ illustrantur, de quibus peculiaris Index confectus sub initium tomi proponitur. Nota † præposita aliquibus indicat Sancti aut Beati titulum eis tribui. Quando in hoc & sequentibus Indicibus præponitur * asteriscus numero indicanti folium, tunc dies* IX *Martij est quærendus.*

Antonius

B

C

D

Dercadius

E

F

Henricus

I

K

L

M

† Macrina

N

O

S

T

V

W

Z

INDEX TOPOGRAPHICVS
IN VITAS SANCTORVM
TOMI II MARTII.

A

Carol-

D.

E

F

G

H

I

Imbher-

INDEX ONOMASTICVS
TOMI II MARTII.

Signum † inter numerum & litteram paginæ alicuius interiectum, indicat (quod alibi pluribus monuimus) tali loco ſignificationem vel originem eiuſmodi vocis pleniùs explicari.

A

B

C.

T Tastum

INDEX MORALIS

IN VITAS SANCTORVM

TOMI II MARTII

Auus,

D

Episcopi

L

R

S

T

V

FINIS.

